22

NORTHERN

Education Society.

LIBRARY OF

The Rev. John Sutcliff, A.M.

OF OLNEY, BUCKS,

Who died June 22d, 1814, aged 62.

LIBRARY

RAWDON COLLEGE.

A. 2. No. 26.

C. VITRINGA
COMMENTARIUS
IN
JESAIAM,
PARS II.

C. VITRINGA

COMMENTARIUS

IN

ESAIAM,

PARS II.

COMMENTARIUS
IN
LIBRUM PROPHETIARUM
JESAIÆ,

QUO

Sensus orationis Ejus sedulo investigatur; in veras Visorum interpretandorum Hypotheses inquiritur, & ex iisdem facta Interpretatio antiquæ Historiæ Monumentis confirmatur atque illustratur:

PARS POSTERIOR.

Accedit huic Tomo INDEX locuples & accuratus, tum *Locorum* Scripturæ Sacræ *Vocum*que & *phrasium*, Hebræarum ac Græcarum, quæ per occasionem in Commentario exponuntur aut luce aliqua perfunduntur: tum *Rerum* præcipuarum, utroque Tomo contentarum. Nec non *Tabula* Topographica antiquæ MOABITIDIS, ad prophetiam de hac Gente Libro hoc comprehensam rectius intelligendam, concinnata.

Cura & Studio
CAMPEGII VITRINGA,
Th. & H. S. Professoris.



RAWDON COLLEGE LIBRARY

LEOVARDIÆ,
Excudit FRANCISCUS HALMA, Typographus
Ordinum Frisiæ, MDCCXX.

SCISCITANTES LEGITE LIBRUM JEHOVÆ A SUMMA LINEA. UNUM HORUM NON DEFICIT. COGNATA SE MUTUO NON DESIDERANT.



PRÆFATIO
ad
LECTOREM.

CUm priorem *Commentationis* hujuſce JESAIANÆ Librum ederem; tam explicate præfatus ſum de inſtituto & rationibus hujus mei conaminis: ſimul de laboribus Interpretum laudati nominis, qui ingenium, diligentiam, copiaſque ſuas ad luculentæ hujus Prophetiæ ſenſus declarandos appulerunt: nec non de hujus aliarumque prophetiarum antiqui Inſtrumenti interpretandarum vera methodo: ut neque Tu expectes, Lector benevole; neque Ego æquum cenſeam, Operis inſpiciendi cupidum longiori proœmio morari. Perſiſto enim dum in iiſdem ſententiis, & per eaſdem inceſſi interpretationis vias, quas nuper iniveram, & ut meliores probaveram. Non ſuſcepi, fateor, hunc laborem gravate, aut plane imparatus, cis hoſce annos: licet probe gnarus, Opus me moliri magnum & arduum, cui humeros non niſi formidoloſe ſupponas: ſed fretus honeſti ſtudii conſcientia, & ex eo concepta fiducia impetrandi ſubſidii luminis & Gratiæ Divinæ; tentavi fecique periculum: ſic mecum reputans, pulchrum eſſe, in magnis aliquid conari, magnæque curæ, ſi non plane abortiat, magnam eſſe mercedem. Et nihilominus vel ſic, cum aliquantum in opere progreſſum feciſſem; ſæpius in me deſcendi: dum trepidanti ad altitudinem ſenſuum majeſtatemque hujus prophetiæ; & ſubinde etiam inter dubia & incerta fluctuanti judicio, mea identidem obverſabatur mediocritas: cujus ſenſus tanto magis premit hominem ſui non ultra fas cupidum, ſuoque ſe pede metiri ſolitum; quanto minus paſſim afficit alios, qui de facultate rebuſque & copiis ſuis magnifice præſumentes, ubique veri certitudinem fidenter profitentur. Æquum eſt, imaginariæ hujus felicitatis uſum ipſis integrum relinquere; temporarium certe, & brevis ævi. Modeſti ac prudentis ingenii homines ſic ſunt perſuaſi; in omni quæſito profundioris notitiæ eſſe difficillimam inveſtigationem veri: his vero omnium maxime eſſe diffidendum, qui ſibi nunquam didicerunt diffidere.

Propheticum Sermonem recte interpretari, cenſeo eſſe Opus magnum, Eccleſiæ glorioſum, muneriſque Divini, ſi quis illud dextre exequatur. Sane quidem, Credentibus ſingulis de Populo Chriſti Jeſu, ſanguine ipſius redemptis, & à Spiritu ipſius illuminatis, partum eſt jus & privilegium inſigne, quod appellamus *Libertatem prophetandi*, hoc eſt, de Divinis rebus, & de ipſis quoque Verbi Prophetici ſenſis, libero ore differendi; cogitationes ſuas ſuper iis inter ſe conferendi; eaſque explorandi ad mutuum & communem profectum. Sed uſus & exercitium illius *Juris* diverſum eſt. Communes doctrinas, no-

titias, & theoremata, quæ facere poſſunt ad ſtatum ſpiritualem confirmandum, ex Verbo Dei elicere, & lecta intellectaque, quatenus licet, ad animum referre: cadit ſub facultatem omnium, qui *uncti à Sancto illo, norunt omnia, ut neceſſe non habeant à quoquam doceri*; quippe imbuti lumine, ſive principiis ſanæ Doctrinæ, ex quibus omnem ſcientiam ſanctificatorum educi & in quæ eandem reſolvi par eſt. Hos, ita affecti cum ſint, ſenſus Grammaticus, ad regulas Criticæ ſeverioris exactus, minus angit. Vident & dijudicant facile, quid orationi Propheticæ, παραταλικῶς inſpectæ, ſubſit, & quo tendat; unde documenta petunt, ad fidem, ſpem, mores, ſtatuſque ſui incrementum neceſſaria. At Scripturas Propheticas, ſecundum primum & proximum earundem ſcopum, Grammatice & hiſtorice interpretari, ad veram & perfectiorem intelligentiam: plus olei & temporis poſcit, & majoris operæ res eſt. Non ſane illud etiam, ut ad contextum orationis qualemcunque commentationem inſtituas, & ex obviis quæ feruntur ſententiis, probabiliorem ἐι τύχοι arripias atque adſtruas: (quo ut hoc tempore nihil vulgatius; ſic noſtrarum literarum homini non plane imperito in tanta ſubſidiorum copia nihil facilius:) ſed ut hypotheſes interpretandæ prophetiæ prudenter jacias, & adhibita διακρίσει perſpicias ac demonſtres; cui ſubjecto, loco, tempori, prædictio conveniat ex mente Sancti Spiritus: ubi implementi figendum ſit initium, ubi terminus; ubi denique, quod inter ea intercedit, & utrumque dividit, medium: in quem ſcopum dirigatur Declamatio Prophetica: quem ſortita ſit effectum, illuſtrandum ex hiſtoria: an & quomodo proxime cognatis cohæreat, aut ab iis diviſa ſit: denique num *criteria* prophetiæ *omnia*, (*attributa* videlicet ſubjecti, διακεκλικὰ:) in Eventu, cognoſcendo ex hiſtoria, *liberaliter* demonſtrari queant. prophetiæ enim requirunt *liberale* implementum. *Omnia*, inquam. Sæpe enim accidit, ut ſi negligas integrum Vaticinationis complexum, & ſolummodo ad unum aut alterum ejus conſpectius κεντήριον adhæreas; ridens etiam & blandiens ſpecies fallat; & dici ſane nequit, quam frequentis uſus hoc vitium ſit in exponendo Verbo Prophetico. Joſephus ſcribit, Alexandrum, Regem, Joannis Hyrcani Filium, ex Aſſamonæis, ſtatu Regni Judæi poſt famoſam afflictionem & luctam Syriacam, illa quidem tempeſtate egregie conſtabilito, & florente, invaſiſſe *Moabitidem* & *Gileaditidem*; & urbibus lociſque illarum terrarum deſolatis aut ſibi ſubjectis, *tertio anno completo*[a] Exercitum Victorem domum reduxiſſe, hilariter quidem tum à Gente, cui cæteroquin inviſiſſimus erat, receptum. Dic mihi, ſi rem generatim ſpectes: quid ſpecioſius aptes luculento Vaticinio Jeſaiæ noſtri de *Moabitide* ſubvertenda deſolanda-

[a] Ant. L. XIII. C. XXIII. Καὶ τρίτον ἤδη πεπληρωκὼς ἔτος τῆς στρατείας εἰς τὴν οἰκείαν ὑπέστρεψε· *Et* TERTIO *demum* ANNO *expeditionis impleto, ad ſuos reverſus eſt.* Confer B. I. L. I. C. IV. Τρίῳ πληρῶσαι ἔτει τῆς στρατιᾶς.

dáque *per triennium*[a]; & quidem ob hanc maxime rationem, quod Exules & oppreſſos Judææ, (intellige ex ductu hujus hypotheſios, *Perſequutionem Syriacam*,) non excepiſſent & foviſſent illis humanitatis charitatiſque communis officiis, ad quæ Lex Societatis humanæ publica & priva illos obligabat[b]? Certe ſi melior Princeps fuiſſet Alexander; & ſtabilior poſt ipſum Domus Aſſamonææ proſperitas; & characteres alii hujus prophetiæ non ſuaderent implementum proximioris temporis, quo antiqui Moabitæ, nondum cum Arabibus Nabathæis confuſi, Res ſuas, Urbeſque Patrias priſci ævi, integras adhuc obtinebant: pulchrum videri poſſet, Jeſaiam noſtrum hic quoque loci de Maccabaicis vaticinantem facere, quæ totiens in aliis Libri ſui Pericopis reſpexit. Sed quis hoc tempore auſit, tot aliis reclamantibus? Ergo hic requiritur labor, exercitatio, judicium ſobrium temperatumque, oculi aperti & inſomnes, Verbi Prophetici accuratius ſcrutinium, partiumque ejus probe meditatarum & ſubactarum σύγκρισις, peritia hiſtoriæ, & modeſtia denique. Interpretis eſt, hic ſedere ad lampadem; citra φθόγκλισιν expendere aliorum judicia, ſuumque abſque acrimonia aut vituperio interponere, tanquam Deo præſente, & ab ipſo judicandi. Sic proceditur ad veſtigandum verum.

Si hac in parte me deſtituerit lumen & ſucceſſus: nolim videri multum laborando, multum effeciſſe. Licet errare in ſingularibus: licet non exhaurire & meditando diſputandoque extundere omnem dictorum & phraſium vim: (quod cæteroquin eſt ſupra facultatem humani ingenii:) ſed ſi in hypotheſi prophetiæ fallaris, erras tota via, dum deflectis à ſcopo; quod eſt errare καθ' ὅλα. Scopus enim orationis, judicio prætenſus, omnes adminiſtrat Interpretis cogitationes. Judicium ſanum eſt oculus, recta adverſus verum tendens: τῆς ἀληθείας κατασχαζόμενος, ut eleganter Baſilius. à quo ſi declinet mens, nil niſi torvum videt. Forte tamen eſt quod ſperem, me aliquid ejus per Divinam Gratiam aſſequutum eſſe. Utique à *priore Parte* hujus lucubrationis in publicum miſſa, erexerunt me animumque addiderunt Eruditorum piorumque Virorum benevola de Opere inſtitutoque meo judicia. Liber tantum quod natus, renatus magnoque ſumptu recuſus eſt in docta, Literarumque cupida & ferace Germania, cum perhoneſta Nominis mei memoria, & laboris ac diligentiæ meæ commendatione, datumque plus eſt honori meo quam videbar mereri. Cætera ſive blandius dicta, ſive continuandi laboris hortamenta, undique ad me perlata, apud me ſepoſui: magis curæ habens, quid judicii verique capaces homines deſiderarent, aut carperent etiam in hoc Opere, quam quod laude non in-

---

a Jeſ. XVI. 14. *Et nunc ait Jehova in hunc modum:* TRIBUS ANNIS, (בשלוש שנים quod accipi poteſt; *per triennium*, vel etiam, *tribus abhinc annis:*) *quales ſunt anni mercenarii*, (ſc. præciſi,) *evileſcet gloria Moabi cum omni copia ſua magna, & reliquum quod ſuperfuerit, parum, puſillum, non validum erit.* b Cap. XVI. 4.

indignum censerent. Hic vero subaudivi, non defuisse inter Viros Doctos & Sermonis Prophetici amantes in Belgio hoc nostro, licet cætera in me non male affectos, & de studiis meis honeste existimantes, qui maluissent, interpretationem quarundam prophetiarum superioris Libri magis fuisse accommodatam ad hypotheses, quas in eo exponendo sectatus est magnus Vir, quis neget? & meriti ac memoriæ immortalis, Coccejus; quasque, ut illi ferunt, variis locis amplexus eram, & jecisse videbar, in commentanda *Apocalypsi*. Præsenseram sane prius & præceperam animo; atque adeo non indiligenter occupavi, & explicui rationes instituti judiciique mei in *Prioris Voluminis* præfatione, ita ut multis satisfecerim; utique quod dictis addam, nihil mecum habeam. Posterius inexpectatum accidit. Tametsi enim nemini bono ac sapienti Viro vitio vertatur, à se dissentire, si meliora & clariora cum tempore doctus deprehendat, se dissensisse à ratione: erat tamen propositum, quantum pote, servare interpretationis ἀναλογίαν; ut ne viderentur interpretamenta mea magis inter se discordare quam prophetiæ ipsæ, quas olim hac calumnia adsperſit de Marcionis Schola Apelles[a]. quod mihi videbar non difficulter assequuturus esse, cum meditationes meas ad pleraſque partes Verbi Prophetici dudum compositas digestasque haberem. Quare cum circa idem hoc tempus recentaretur Editio Commentationis *Apocalypticæ:* animum diligentius adverti ad judicia mea, quæ in illo meo Libro de quibusdam JESAIÆ nostri aliorumque Prophetarum vaticiniis consignaveram: sed nulla me offenderunt loca, in quibus à me plane diversus fui; rara, in quibus literali sensu præterito, mysticum adduxi solum: qua in re non video quidquam commissum esse erroris; aut ex incuria peccatum. Est & manet *Revelatio* Joanni facta canon & norma prophetiarum Veteris Testamenti κατ' ἔμφασιν declarandarum: sed non est prudentis judicii statuere, Oracula antiqui temporis, ex quibus dicta aut dictiones in illum Librum transcripta sunt, historicum sensum ubique excludere. de aliquibus enim facile concesserim. Sic habendum est; Spiritum S., intelligentiæ omnium Dei consiliorum compotem, Viarum Dei omnium analogia & harmonia accuratissime perspecta, Viros sanctos, καθαροῖς διανοίας ὄμμασι φανταζόντας, olim à se inspiratos, sic fari fecisse de Eventibus Ecclesiæ antiquæ, aut de Populis quibusdam aut Regnis ejus ætatis, ut lectori subjecerit cogitandum, extituras procedente tempore Res alias, majores, augustiores, quæ oculo spirituali inspectæ *attributa spiritualia* earum Rerum, de quibus Vaticinatio fit, longe certius, perfectius, & lucidius exhibituræ essent, quam *corporalia* olim conspicienda fuerunt

---

a Eusebius H. E. L. V. c. XIII Τὰς δὲ προφητείας ἐξ ἀντικειμένου λέγει πνεύματος· Valesius: *Prophetarum autem Oracula ex* ADVERSARIO SPIRITU *profecta esse dicit.* Rectius, ut opinor, *ex contrario*, ut Ruffinus; vel *contradictorio.* ut deinceps: Ἀσύμφωνοι γὰρ ὑπάρχουσι καὶ ψευδεῖς, καὶ ἑαυταῖς ἀνίκειμέναι· *Sunt enim* (*prophetiæ*) *dissonantes & falsæ ac sibi contrariæ.* Paulus ad Gal. v. 17. Ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις. *Spiritus* enim hic ἀντιλέγων est ex sententia Marcionis, non Satanas, sed *Dei severi*, qui præfuit Oeconomiæ antiquæ.

runt in ſubjectis typicis analogis, quæ ſenſui & primo intellectui objiciuntur. In utriuſque generis ſubjectis prophetiæ ſuum oportet conſtare implementum: ſed in his verum ac perfectum; in illis umbratile: in illis literale; in his myſticum: utrumque verum & à Spiritu S. intentum. Nec tamen id rurſus temere de omnibus prædictionibus affirmandum. Sunt alię, quarum intelligentia ad ſolum ſenſum literalem reſtringitur: ſunt quę de Rebus ſub Oeconomia Nova extituris; de CHRISTO JESU, inquam, & de Eventibus Regni ejus, diſerte, abſque ullo involucro, agunt: quę prædictionum genera docti Interpretis eſt ex characteribus ſuis diſcernere. Ejuſdem peritię & ſapientię erit, in prophetiis aſpectus myſtici non omnia attributa τῦ Ὑποκειμένυ· ſive *Subjecti* cujuſque Prædictionis, veluti *Hieroſolymæ*, *Ægypti*, *Babylonis*, *Tyri*, *Edomi*, ad *Subjectum* analogum antitypicum referre; ſed primaria, extantiora, conſpicua, quę obſervaverit à Spiritu S. inſignite demonſtrari, & pinguioribus lineis pingi. Dici enim nequit, quantum obſint ſanctiſſimo huic & Divino ſtudio quæſiti affectatique ingenii luſus, ſpecie ſubtiles, re inanes, quibus certa incertis, vera & demonſtrabilia dubiis, levia ſolidis, commiſcentur, imbecillæ mentis homines in hanc inducturis cogitationem; in hoc ſtudii genere, ex quolibet quodlibet fingi poſſe. Sed Prophetici ſenſus, ais, paſſim ſunt ſubtiles, quia ſpirituales. Eſto. ſunt ſubtiles & alti ingenii; ſunt nihilominus ſolidi; & tanto ſolidiores, quanto profundiorem interioremque complectuntur ſapientiam: perinde atque optimę metallorum gravium ſpecies ex interioribus terrę venis petuntur. Sapientia autem omnis eſt res ſolida, gravis, excocta, in æternis fundata principiis, omnium mortalium conſcientię probata acceptaque.

Eodem pertinet, ut ad exponendas Vaticinationes antiquas ęquum adferas animum, qui Eventa temporum inter ſe contendens, non elevet magna & illuſtria documenta Divinę Providentię priſcę ętatis, & geſta ſui ac proximi ęvi non nimis extollat; ut Prophetam de ſimilibus Eventis tui aut proximi ęvi, licet forte juſta ęſtimatione minoribus, lubentius vaticinari facias, quam de Geſtis fatiſque antiqui temporis. Occupat hæc præjudicatio doctos & Prophetici Verbi ſtudioſos homines bene multos noſtra ætate. Hiſtoria vetus docet, Deum in caſtris Aſſyriorum Hieroſolymæ minitantium obſidionem, rebus Hiskiæ & Populi Hieroſolymitani anguſtiſſimis, una nocte inter horrenda tonitruum & fulgurum phænomena proſtraviſſe centum & octoginta quinque lectorum hominum millia; & eo ipſo liberationem procuraviſſe Populo ſuo tam admirabilem quam inexſpectatam. Facinus Divinum intelligunt omnes qui apud ſe ſunt, eſſe magnum, illuſtre, tremendum, cum primis comparandum: cujus ſimile ſi oſtendi poſſet in

hiſtoria Eccleſiæ Novi Fœderis; nemo videri vellet tam eſſe judicii inops, aut ignavus, ut prophetias, conſpiciendi hujus judicii imaginem figurantes, non ultro ad talem eventum applicaret: omnes contra in hunc ſenſum certatim currerent, cum ratione præjudicantes; fieri non poſſe, ut Prophetæ tam memorabile Effectum Providentiæ Divinæ in Vaticinationibus ſuis præteriiſſent. Attamen ſi Jeſaiam de hoc Eventu in clariſſimis Locis vaticinari doceas: friget multis interpretatio. ſi è contrario prophetias hujus argumenti interpreteris de inſigni aliqua clade Turcorum, aut Adverſariorum Eccleſiæ Novi Fœderis, noſtris temporibus proximiore: (licet Eventibus, quod ad eorum magnitudinem attinet, neutiquam inter ſe comparandis:) aſſenſum & plauſum quoque merebitur interpretatio. cujus rei rationem non duces ex ſano judicio; ſed ex præjudicio vitiati affectus, quod Eventa ſui temporis potiora; priſci, viliora habet. Quanto ſui quiſque cupidior eſt quam aliorum: tanto mavult, Deum ſe, reſque ſuas & publicas ſui temporis, magis reſpexiſſe, quam res & geſta antiquioris ævi. Vulgus quoque prophetias, quarum implementa longiùs à prædictis diſtant, majore in veneratione habet, magiſque admiratur; quam quæ ſuis implementis jam ſunt defunctæ. Accedit ſubinde antiquæ hiſtoriæ imperitia, qua fit, ut res noſtri aut proximi temporis, quarum recentior memoria animo alte infixa hæret, nobis clarius verſentur ante oculos, quam vetuſtioris, cujus imagines facilius deteruntur, cujuſque cura minus afficimur: fere ut Polybius[a], verſatus in narratione rerum ſub Ptolemæo Epiphane minorenni geſtarum, Hiſtoricos aliquos ſuæ ætaris hoc nomine carpit, quod nimium exaggerando inſolitas rerum mutationes, quæ id ætatis Alexandriæ acciderint; hoc ipſo prodant, ſe hiſtoriæ Univerſalis imperitos, ignorare, ſimilia vel his majora dudum ante in aliis Regnis Populiſque contigiſſe. Interpretem prophetiarum, recte functurum officio, univerſum complexum hiſtoriæ Populi Dei animo ſuo objectum habere par eſt, & momenta fatorum æqua judicii lance ponderantem, antiqua perinde ac nova conſiderare; & ſive retrorſum ſive prorſum eundum ſit, Spiritum S. ſequi ducem. Sæpe, quid negem? ægre video, Doctos pioſque Viros illuſtriſſima effecta Divinæ Gratiæ, primis Chriſtianiſmi Sæculis in Orbe edita, tam vilia habere, & adeo parvi pendere, ut vix à ſe impetrent, implementum alicujus prophetiæ, in qua magnum & glorioſum quid de Eccleſia Nova prædicatur, ad ea allegare. Sane vel me deſtituit ratio; vel inique judicant. Si Eccleſiam Chriſti Jeſu velint nævis omnibus ac ſuperſtitione liberam: non auſim vere Eccleſiam Conſtantinianei ævi, victricem Paganiſ-

a Polyb. *Hiſt.* Lib. xv. in fine. *Sed enim danda fortaſſe iis hominibus eſt venia, qui neque ad conſiderandum Naturæ opera animum attollunt; neque ad illa quæ per univerſum orbem terrarum fiunt.* Δοκεῖ γὰρ αὐτοῖς ταῦτ' εἶναι μέγιστα καὶ θαυμαστότατα τῶν προγεγονότων, οἷς ἂν αὐτοὶ παρατυχόντας ἐγκυρήσωσιν, ἢ πυθόμενοι παρὰ τινῶν πρὸς αὐτὰ ταῦτα προσέχωσι τὸν νοῦν. *Putant enim iſti*, EA IN QUÆ FORTE INCIDERUNT, *aut quæ ab aliis audita diligentius ad animum revocarunt*, OMNIUM QUÆ UNQUAM ACCIDERUNT, MAXIMA ESSE, ET MAXIME ADMIRABILIA.

ganiſmi licet, & permultis exemplis conſtantiæ fidei, ſanctimoniæ, & zeli veræ Religionis ſplendentem, hoc nomine commendare; nec cenſeo quoque, conſpectum interiorem Eccleſiæ Chriſtianæ ejus temporis explere luculentas prædictiones de felicitate Status Populi Meſſiæ, characteriſticis quibuſdam hujus Libri locis conſignatas. quin certo teneo, eſſe quid majus, perfectius, glorioſius, Eccleſiæ Dei in hiſce terris paratum, à venturo die exhibendum. Si quis tamen leve autumet; Eccleſiam Chriſti Jeſu ex tenellis initiis citiſſimo tempore per univerſam amplitudinem Romani Imperii, quam late patet; imo vero per Orientem quoque, Meſopotamiam, Parthiam, Perſidem, Indias ipſas, fundatam; & cum Rectores Romani Imperii eam excidio deſtinaſſent, inexſpectata Dei providentia & cura ſingulari faucibus Satanæ ereptam, Tyrannis perſecutoribus proſtratis, revixiſſe veluti & extuliſſe caput, omni copia Gentium ornandam amplificandamque: non videtur mihi hoc Opus Divinum juſto pretio æſtimare; ſed tanti beneficii, cogitatione mortali ſuperioris, qualia tum erant tempora, laudem ex ſiniſtri judicii affectu deterere. Doctores Eccleſiæ ejus temporis tam magnifice ſenſerunt de hoc Opere Divinæ Gratiæ, ut implementum præcipuarum prophetiarum, quæ florentem ſtatum Regni Meſſiæ ampliſſimis verbis deſcribunt, jam tum ſe conſequutos arbitrarentur; ut Euſebius, Cyrillus, & de Juſtinianeo ævo Cosmas Indicopleuſtes[a], non certus ubique, ſed hac parte non incertus auctor. Prudentius itaque fuerit, Deo dare gloriam ſui Nominis; & ſanctam etiam votorum ſpeique noſtræ avaritiam intra legem recti judicii conſtringere; ut, dum ſpem ad majora extendimus, partem ejus, quam decerpſimus, non abjiciamus.

Si ab his aliiſque Canonibus, quos mihi præſcripſeram, ullibi digreſſus ſim: præter mentem voluntatemque meam feci ex errore judicii, quem neutiquam excuſo. Laboravi, & pro virili niſus ſum, ut vera vel veriſimilia ſcriberem: verumtamen id me ubique aſſequutum eſſe in Libro profundiſſimæ & vere inexhauſtæ tum ſapientiæ, tum intelligentiæ: vanus ſim, & abſurdus etiam, ſi præſumere auſim. Subinde lux & attentio me defecerunt: ſubinde peritia & eruditio: alias, ut credibile fuerit, à præjudicio aut imaginatione deluſus ſum. Ipſe quoque, ut commentationem meam ad legem conſtringerem, & in ampliſſimis ſpatiis curſum aliquem tenerem: eorum quæ ingenium ſuggerebat, multa præ-

 cidi.

---

a Floruit ſub Juſtiniano, quo tempore Eccleſia, quæ dicitur, *Univerſalis*, ſecundum formam ſuam exteriorem, ſi τὸ ὅλον ſpectes, florentiſſimo comparuit ſtatu; editus ante aliquot annos à Cl. Montfauconio, Galliæ ſuæ inſigni ornamento. Longum ille textum exhibet Gentium Orientis, inter quas (ipſos etiam Indos, quos viſitavit,) fuerint Ἐκκλησίαι ἄπειροι καὶ Ἐπίσκοποι, καὶ Χριστιανοὶ λαοὶ πάμπολλοι, καὶ μάρτυρες πολλοὶ, καὶ μονάζοντες Ἡσυχασταί. *Eccleſiæ infinitæ*; *Epiſcopi item & Chriſtiani Populi magno numero*, & *martyres multi*, & *Monachi Heſycaſtæ*. Idem teſtatur de HOMERITIS, Arabiæ interioris incolis, apud quos Eccleſias Nominis Chriſtiani fuiſſe (de Arabia *Petræa* enim & *Deſerta*, Syriæ proxima, nullum hic dubium:) hactenus clare non perceperam. Sed Theodorus Lector (in *Excerpt.* Lib. II. p. 567. *Edit. Valeſ.*) tradit, IMMIRENOS, (Ἰμμιρηνὸς) quos ita deſcribit, ut abſque dubitatione intelligendi ſint *Homeritæ*, Arabiæ Felicis interioris incolæ, ſub Anaſtaſio, (ſine Sæc. v.) fidem in Chriſtum Jeſum ſuſcepiſſe. Coſmæ quæ adſcripſi, lèges Lib. III. p. 179. qui poſtquam Gentes, fidei Chriſtianæ initiatas, diligenter recenſuiſſet, ſubdit: καὶ πεπληρωμένας ὁρῶμεν τὰς προῤῥήσεις εἰς πάντα τὸν κόσμον· ATQUE ITA PRÆDICTIONES PER TOTUM MUNDUM IMPLETAS VIDEMUS.

cidi. Sic enim faciendum erat, ne moles libri nimium excreſceret. Interim ſi quid in neceſſariis locis, τῷ Κυρίῳ διδόντῳ, ſolidi operis à me effectum elaboratumque ſit, quod faciat ad Eccleſiæ uſum, rei ſpiritualis incrementum, & ſolatium piorum ac veri amantium hominum, atque in univerſum ad ſummi Dei ac Patris gloriam: quod quidem ego ſperem: ipſius Gratiæ acceptum ferri velim. Quicquid citra ejus opem & lumen à me meditatum ſcriptumque eſt, corruet; & ipſe ut corruat velim, ut ſola veritas & claritas prophetiæ triumphet.

Subjectus Commentario eſt Index, multum deſideratus, quem ut conſtruerent amicitiæ & honori meo, atque utilitati publicæ, dederunt; *Prioris* quidem *Partis*, Cl. Vir, LAMBERTUS BOS, Friſius, Μακαρίτης, proxima mihi cognatione junctus; qui magnam jam adeptus celebritatem Nominis & majorem adepturus ex Literarum humaniorum, & præſertim Græcarum, ſumma peritia, vigente & indies magis creſcente fama, rebus humanis & Academiæ huic noſtræ ereptus eſt, communi omnium dolore & Rei Literariæ magno detrimento: *Poſterioris* Pl. Reverendus & Doctiſſimus Vir, ÆSCHINUS SAAGMANS, Philoſophiæ Doctor, & in Eccleſia hujus Civitatis Evangelii Adminiſter meritiſſimus, Amicus & Frater in Chriſto qua dilectus, qua honorandus; quem quidem eruditionem ſuam ſolidam & prudens de rebus diſciplinæ noſtræ judicium cuperem alio opere, ex ingenii facultatiſque propriæ ſinu producto, Publico probare. Quas Ego pro locata opera & in me affectu, *Illius* Manibus, & *Huic* longum ex Voto ſuperſtiti futuro, hic perſolvo grates: eaſdem iis debebis, ſi, quod futurum ſcio, ex diligentia ipſorum profeceris. Deus auctor omnis boni ac cœleſtis doni, qui ſtudium cupiditatemque Verbi Prophetici accuratius ſcrutandi, ſingulari beneficio ſuæ Gratiæ noſtris ac proxime ſuperioribus temporibus in Eccleſia incendit; addat lumini, quod in Verbo ejus ſplendet, aptos ei percipiendo oculos, ad profectum ſolidum ac durabilem; qui tendat ad Verbi Prophetici fidem ac reverentiam, ſimul ad ſanctificationem & ſolatium animarum. Idem imbecillitati ac erroribus meis ignoſcat; & laborem in hoc Opus impenſum, inter varias curas exactum, benedictione ſua large rigatum, vertat in maximam Nominis ſui gloriam & Eccleſiæ uſum. Scripſi Franekeræ in Friſiis a. d. VIII. Kal. April. CIↃ IↃ CC XIX.

COM-

COMMENTARIUS
IN
LIBRUM PROPHETIARUM
JESAIÆ.
PARS TERTIA,
QUA

Explicantur *Judicia Pœnalia* graviſſima, tum in univerſum Gentibus & profeſſis hoſtibus Eccleſiæ, tum Judæis immorigeris, à Deo decreta, æque ac *Beneficium* ſingulare *Liberationis* veræ Eccleſiæ, ejuſdemque poſt obtentam illam Liberationem *Status glorioſus.*

Argumentum Libri tertii Jeſaiani.

Librum tertium prophetiarum; Voluminè hoc JESAIANO comprehenſarum, hinc ordior; ſive Sermones hi eodem tempore editi fuerint, quo ſuperiores, & cum iis aliquo modo cohæreant; ſive diverſo tempore inſpirati vulgatique fuerint: de quo mox, ſuo loco, diſputabo. Sunt ſane diverſi argumenti, ejuſque valde ſublimis & myſtici: ut adeo plures Intt. hic ſtupuerint, & ſi ullibi in hoc Libro Prophetico, in diverſiſſimas abierint de hypotheſibus illuſtrium horum Viſorum exponendorum ſententias. Utique varia hic & nobiliſſima occurrit ingenii ſpiritualium rerum ſcrutinio dediti ac ſubacti, exercendi materia. Liquet inſpicienti has prophetias, eſſe generis tum *Paracletici*, ſive *Conſolatorii*, tum *Elenctici*, ſive *Redargutorii*, tam Gentium quam Judæorum immorigerorum reſpectu. Utriſque denunciat & prænunciat Propheta graviſſima judicia, ſed quæ terminarentur in proſpertimo & glorioſiſſimo Eccleſiæ Statu. Gentibus, Gentiumque Regibus ac Principibus, iiſdemque ſævis Eccleſiæ perſecutoribus; virium ſuarum fiducia tumidis, graviſſimiſque criminibus aliis Deo obſtrictis, proponit tempus quoddam terribilis judicii, quo Deus in illos graviter animadverteret, hoſtes Eccleſiæ ſuæ cum *Urbe*, cui fidebant, perderet, & Eccleſiæ ſuæ procuraret libertatem ac ſalutem; quæ hoc beneficium Divinum cum gratiarum actione agnoſceret, ac celebraret. Judæos autem & Ephraimitas de variis variique generis & temporis defectionibus à Deo convincit, eoſque ſevere redarguit, & mala calamitateſque iis criminum horum cauſſa infligendas late deſcribit; attamen caſtigatos afflictoſque ſolatur promiſſis quæſitiſſimis excellentium bonorum, quibus hac calamitate defuncti, læti ac ſecuri cum varia Divini favoris ſignificatione fruerentur.

Analyſis ejus Generalis.

II. Conſtat hic Liber ex *Analyſi* ſuperius tradita *Sermonibus* majoribus *tribus*, ita in hoc Libro digeſtis, ut *prima* & *tertia* Pars maxime explicent *Judicia Gentium: Media* vero, Judicia *Judæorum* & *Ephraimitarum.* quod cui videri poſſet paradoxum, cum prophetiæ unius argumenti, *prima* & *tertia Parte* comprehenſæ, optime inter ſe conjungi videantur. Et tamen probabile eſt, Scribas Sacros id non feciſſe abſque gravi ratione: ſive *Inſpirationis* & *Editionis* ordinem ſequuti ſint, ſi aliunde ejus notitia ad ipſos pervenerit; ſive ipſius argumenti reſpectu moti fuerint: quod hic tuto affirmare licet. in ipſis enim illis *Sermonibus*, qui adverſus Judæos directi ſunt, ſimilia *Judicia Pœnalia* denunciantur hoſtibus Eccleſiæ, & ejuſdem generis Beneficia afflictis promittuntur, qualia prophetiis cognatis expreſſa ſunt, ut patet ex Cap. XXIX. 20. XXX. 23--33. XXXII. 15--20. XXXIII. 7--10. 17--24. coll. cum Cap. XXIV. 21--23. XXV. XXVI. XXXV. quæ ex mutua παραλληλία illuſtranda ſunt. quo obſervato, ſic conſtituo majorum Partium *Analyſin.*

III. PRIMUS *Sermo* abſolvitur Capp. XXIV--XXVII. conſtatque;

Et Specialis Sermonis Primi.

PROPOSITIONE, qua deſcribitur ſeverum Dei Judicium in Eccleſiam corruptam, defectoreſque ac hoſtes profeſſos veræ Religionis & piorum, qui eidem in mediis perſecutionibus & afflictionibus conſtanter adhærerent; eorundemque Liberatio & Exaltatio glorioſa, Cap. XXIV.

Illius Ἐκθέσει, ſive DECLARATIONE,

α. DOXOLOGICA Gemina, Capp. XXV. & XXVI.

β. PROPHETICA, Cap. XXVII.

ALTER adverſus Ephraimitas & Judæos inſtitutus, in tres diſpeſcitur *Sectiones*, quarum

Prima tam Ephraimitas quam Judæos reſpicit, Cap. XXVIII.

Secunda, Judæos Hieroſolymitanos, Cap. XXIX.

Tertia generatim utriuſque Populi, auxilia Ægyptia circumſpicientis, Fata explicat, Cap. XXX--XXXIII.

TERTIUS repetit & diſtinctius enarrat ſententiam in Foro Cœleſti adverſus Gentes, Eccleſiæ perſecutrices, myſtico nomine propoſitas, latam, & Beneficia Gratiæ Populo Dei cum ejuſdem Liberatione decretam, Capp. XXXIV. XXXV.

Partis Tertiæ Libri Prophetiarum JESAIÆ
SERMO PRIMUS,

Declarans Liberationem glorioſam & Spem Eccleſiæ poſt antecedanea Judicia graviſſima, quibus Deus tum Populum ſuum corruptum, tum præcipue Gentes Gentiumque Reges & Principes, Populi ſui Perſequutores, proſequeretur.

Sectio Prior,

Qua sub typo *Judicii Divini* gravissimi exequendi in Populum Judæum, vitiis & hypocrisi corruptissimum, per Antiochum Epiphanem, Syriæque Reges alios Ecclesiæ sævos Persecutores, & *Vindiciarum* quas Deus reliquiis electi Populi, fuga dispersis aut latitantibus in antris, præstaret per Maccabæos, cum *severa punitione* Hostium & Tyrannorum, Persecutorum Ecclesiæ; describitur Judicium grave & generale à Deo habendum in fine temporum statu Ecclesiæ Babylonem spiritualem egressæ vitiis & hypocrisi corruptæ; quo post Ecclesiam per afflictiones varii generis exercitam purgatamque, Deus electis Populi sui reliquiis procuraret Liberationem & Vindicationem à sævis Persecutoribus, in glorioſum Statum Libertatis, Pacis, Prosperitatis, cum spectabilibus Judiciis in Hostes Ecclesiæ suæ Persecutores & clarissima manifestatione Regni Dei, omni sua gloria se post hoc tempus ostentaturi.

CAPUT XXIV.

Textus Cap. XXIV.

1. ECce Jehova pastinat terram, & evacuat eam; invertitque faciem ejus, atque incolas ejus dispergit.

2. Et erit ut populus, ita sacerdos; ut servus ita dominus ejus: ut ancilla, ita hera ejus: ut emptor, ita venditor: ut mutuo dans, ita qui mutuo accipit: ut fœnerator, ita qui accipit fœnori.

3. Pastinando pastinabitur terra, & diripiendo diripietur; quia Jehova hoc verbum pronunciavit.

4. Luget, marcet terra; languet, marcet Orbis habitabilis: languent qui erant sublimis Populus terræ.

5. Quin terra fœde polluta est sub incolis suis: quippe transgressi sunt leges; immutarunt statutum; irritum fecerunt fœdus æternum.

6. Iccirco execratio absumit terram, & rei aguntur qui eam inhabitant. ideo, *inquam*, aduruntur incolæ terræ, & parum hominum superstitat.

7. Luget mustum: languet vitis: ingemiscunt omnes compositi ad hilaritatem.

8. Cessat gaudium tympanorum: deficit strepitus exultantium: cessat hilaritas citharæ.

9. Cum cantico non bibitur vinum; amara est sicera bibentibus eam.

10. Confracta est civitas vanitatis: clausa est omnis domus, ne quis eam ingrediatur.

11. Clamor super vino est in vicis: confusa est omnis lætitia; migravit hilaritas terræ.

12. Residua est in Urbe vastitas; & tumultu contunditur porta.

13. At vero ita erit in medio terræ inter populos, tanquam strictura oleæ, tanquam racemationes, quum peracta est vindemia.

14. Hi efferent vocem suam; jubilabunt: in altitudine Jehovæ hinniunt inde à mari.

15. Propterea in cavernis glorificate Jehovam: in insulis maris nomen Jehovæ, Dei Israëlis.

16. Ab extrema terræ ora audimus cantica: Decus Justo. at dixi, Macies mihi, macies mihi, væ mihi! Prævaricatores prævaricati sunt; prævaricatione, *inquam*, prævaricatores prævaricati sunt.

17. Pavor, & fovea, & laqueus super te, ô incola terræ!

18. Et futurum est ut qui effugerit à voce pavoris, incidat in foveam; & qui ascenderit è fovea, capiatur laqueo. quippe cataractæ ex celso apertæ sunt, & concutiuntur fundamenta terræ.

19. Conquassando conquassatur terra, rumpendo disrumpitur terra, nutando nutat terra.

20. Movendo movetur terra tanquam ebrius; & agitatur instar tugurii hortensis; & transgressio ejus gravis ipsi incumbit; caditque ita ut non pergat resurgere.

21. Futurumque est illo tempore, ut Jehova visitet super exercitum celsi in celso, & super Reges terræ in terra.

22. Et congregabuntur congregatione vinctorum, includendorum foveæ; & claudentur in carcere; & post multos dies visitabuntur.

23. Pudefiet autem Luna, & pudore afficietur Sol, ubi regnaverit Jehova Exercituum *Dominus* in monte Tsione, atque Hierosolymæ & coram Senioribus ejus erit gloria.

Argumentum, Scopus, & Analysis hujus *Sectionis Prioris.*

Argumentum *Sectionis Prioris* Sermonis Primi Libri Tertii.

QUi priorem hanc illustris Visi Sectionem attente perlegerit, facile viderit, Prophetæ in ecstasin rapto obversatam esse Judæam tanquam quæ succumberet gravissimo & spectabili alicui Dei Judicio, quo animadverteret in *Defectores & Hypocritas Populi sui* per Reges & Principes Mundi, Ecclesiæ persecutores: sed quo Judicio pauci *eximerentur* veræ Religionis Confessores in speluncis terræ Canaanææ aut Regionibus ac Insulis Maritimis Judicia Dei agnituri eorumque Eventum exspectaturi, mox singulari cura Divinæ Providentiæ vindicandi in statum Libertatis & Prosperitatis: dum Deus hostes Ecclesiæ suæ severis judiciis prosterneret ac perderet, & Regnum suum in Populo, dextra sua vindicato, glorioſe manifestaret. Quare postquam Propheta effectum hujus Divini Judicii in magna confusione omnium rerum, omniumque Ordinum hominum, & vastatione ac desolatione Judææ, vivide repræsentasset, (vſ. 1--12.) cum *temperamento* Confessorum veræ Religionis, hoc Judicio exemptorum, & justitiam ejus in hoc Judicio publice celebrantium; (vſ. 13--16.) & mox, telam retexens, rursus introduxisset funesta consilia hostium Ecclesiam oppri-

opprimentium, eorumque graviſſimam punitionem, cum plenaria illorum internecione vel oppreſſione conjungendam: in fine hujus *Sectionis* tandem exhibet reſtitutam Rempublicam & Eccleſiam Populi Dei, ab hoſtibus ſuis vindicatam, in ſtatu valde glorioſo, quo Regnum Dei in hoc Populo ſe clarius quam antehac oſtentaret.

Occaſio hujus Prophetiæ editæ inveſtigatur. Gemina proponitur.

II. *Occaſio* hujus Revelationis in hac prophetia nulla narratur; atque adeo aliunde à nobis colligi debet. Poteſt autem non abſurde fingi gemina; videlicet primo, ut materia harum prophetiarum deſumpta ſit ex prophetiis editis adverſus Aſſyrios & Babylonios, qui tempore Prophetæ noſtri cenſebantur potentiſſimi hoſtes Populi Dei. Cum enim Spiritus Dei prævideret & cognoſceret, Eccleſiam è Babylone liberatam de novo provocaturam eſſe Divinam Juſtitiam; ſtatutumque eſſe Deo, fidem illius Eccleſiæ probare eandemque purgare per graviſſimas afflictiones, ſuſcitandas à novis quibuſdam Aſſyriis, ſævioribus etiam hoſtibus veræ Religionis, quam fuerant Aſſyrii Veteres, qui complerent judicia Dei in Populum ejus ante tempora Meſſiæ: commodum accidit, ut Vatem prænunciantem lapſum gravem Senacheribi, Perſequutoris Eccleſiæ, ſimul incitaverit ad prædicendam liberationem Eccleſiæ à novis illis Aſſyriis poſt reditum Populi ex Babylone prodituris. Erat enim vere inter hoſce caſus magna cognatio; eaque de cauſſa apud Prophetam noſtrum ubique ſub generaliore conſpectu Aſſyrii ſimul exhibentur Reges Syriæ, h. e. Antiochus & Succeſſores, qui Eccleſiam impie perſequerentur. Utrique, ſuperbi & arrogantes Principes, ſimilia machinarentur adverſus Eccleſiam & Religionem Populi Dei: utrique ſpectabili Dei judicio proſternerentur, & liberatio glorioſa ab utrorumque violenta oppreſſione impetraretur Eccleſiæ. Sic poſſet hic Sermo præſtare exegeſin Cap. XIV. 24. 25. Secundo, captare potuit Spiritus S. hujus prædictionis occaſionem ex argumentis ſuperiorum Vaticiniorum, quibus explicantur Judicia Dei in vicinas Gentes magnam partem hoſtiles & adverſarias Eccleſiæ: quæ vaticinia pleraque edita ſunt in initiis Hiskiæ: ut videlicet, cum prævideret & prænoſceret Spiritus, poſt reditum ex Exilio Babylonico novos prodituros eſſe eoſque ſæviſſimos hoſtes, qui certo conſilio Religionem Populi Dei conarentur exterminare; iiſque ſuppares adverſarios veræ Religionis idem tentaturos eſſe erga Populum Meſſiæ, interea ſuccreturum in Eccleſiam Novam diffundendam per totum orbem; clariſſime prædixerit, fore ut Eccleſia Populi Dei tam ſub Oeconomia Vetere quam Nova (in ſimilibus ponenda circumſtantiis,) ab hiſce quoque ſuis hoſtibus glorioſe vindicaretur, iiſque triumphatis optata frueretur pace, libertate, proſperitate. Utra jam harum ſententiarum probabilior ſit, mox in *Anacriſi*, ubi de *Tempore* editi hujus Vaticinii agam, diſtinctius monebo.

Scopus hujus Prophetiæ.

III. *Scopus* Viſi nemini hic eſt obſcurus. Præcipuus eſt, ſolari Eccleſiam adverſus afflictiones graviſſimas, quas Deus pro ſapientia juſtitiaque ſua ei decreverat, tum ad Eccleſiam à fæce impiorum hominum ac hypocritarum peſſimi ac profani animi purgandam; tum ad fidem verorum credentium probandam, ejuſque vim in lucem protrahendam, ad gloriam ſuæ gratiæ, gaudia Angelorum & cœlitum, Satanæ ejuſque Satellitum pudorem, veræ fidei commendationem, & Eccleſiæ veræ decus, gloriationem, incrementum; tum denique ad hoſtes Eccleſiæ ſuæ cum ipſorum maximo pudore & ignominia & cum laude ſumma juſtitiæ potentiæque ſuæ proſternendos perdendoſque. quæ genuinæ rationes fuerunt Eccleſiæ ſub Regibus Syriæ, Imperatoribus Romanis, & Antichriſto, afflictæ. Sunt enim ejuſmodi certamina Eccleſiæ, ſpectata cum exitu ſuo, Deo veræque Religioni glorioſa, & ipſi Eccleſiæ ſalutaria, ſed vere petita ex profundis conſiliorum Divinorum. Subordinati fines ſunt, Mundum & Eccleſiam qua parte corrupta eſt, convincere de ſceleribus vitiiſque ſuis; Principes Mundi, Eccleſiæ perſecutores, ab impio hoc inſtituto abſterrere contemplatione judiciorum quibus puniendi perdendique ſunt; & fidem ac ſpem Eccleſiæ in adverſis fulcire, ac piorum animos excitare ad providentiam, bonitatem, gratiam, juſtitiam, aliaſque Dei virtutes, in hoc opere providentiæ ejus conſpicuas, grato animo & aperto ore celebrandas ad exemplum præſtantium illarum Doxologiarum, quarum formulæ hic exhibentur.

Scena Viſi inſtruitur cum reſpectu ad locum, tempus, & Circumſtantias.

IV. *Scena* Viſi ex hypotheſi noſtra ſtricte & proprie figitur in temporibus Antiochi Epiphanis, in Ægyptum primo, & mox in Judæam ſævientis; ejuſque Filii Eupatoris, hujuſque Succeſſoris Demetrii Soteris, ac ſequentium Syriæ Principum, quotquot ex iis Populum Dei perſecutionibus ſuis vexarunt. quam ſcenam mox ſequitur altera de Populi illius Liberatione glorioſa, procuranda à Maccabæis: ſed auſpiciis Divinis. Myſtice, referenda eſt prophetia ad illam periodum temporis Oeconomiæ Novæ, in quam caderet magna illa & generalis Perſecutio & Afflictio Eccleſiæ Chriſtianæ vitiis & hypocriſi corruptæ, quæ conveniret in finem temporum, conjungenda cum graviſſimis Judiciis in hoſtes Eccleſiæ, quæ Joanni exhibita eſt in *Apocalypſi* cum aperto *Sigillo* VI. [a] quod ipſum tempus eſſet quo Eccleſia Chriſtiana penitus vindicaretur à ſæviſſimis Perſecutionibus, quas per longum tempus ſuſtinuerat. de quo mox ex *Anacriſi* certius clariuſque liquebit.

Analyſis hujus Prophetiæ, Cap. XXIV. comprehenſæ.

V. Prior hæc Sectio eſt bipertita. Prius Membrum, quod proprie explicat Judicium Dei in Populum corruptum, decurrit uſque ad *med.* ℣ſ. 16. ſc. ad uſque verba: *Et dixi Macies mihi, &c.* Alterum, quo ſimul deſcribitur Judicium Dei in hoſtes Eccleſiæ, inde uſque ad finem *Capitis*. Utraque hæc Pars fere eodem modo conſtructa eſt, quod ad ſpeciem orationis: nempe complectitur *Judicium Divinum* & *Judicii Temperamentum* & *Exitum*, Eccleſiæ glorioſum. Deſcriptio *Judicii Divini* in Eccleſiam corruptam in Priore Parte continetur ℣ſ. 1--12. *Temperamentum* ejus, ſive *Præliminaris Exitus*, ℣ſ. 13--16. *med.* Poſterior Pars exhibet, α. Repetitam deſcriptionem Judicii Divini in Populum per Perſecutores Eccleſiæ, ℣ſ. 16. *med.* 17--20. β. Temperamentum ſive Exitum ejus Judicii, h. e. punitionem hoſtium Eccleſiæ cum glorioſo ſtatu Eccleſiæ liberatæ, ℣ſ. 21--23. *Deſcriptio* autem *Judicii Divini, quod in hoc tempus memorabile caderet*, in *utraque Parte* variis conſtat Gradationibus. In deſcribendo Judicio *Partis Prioris* occurrunt *ſex*, ab invicem divulſæ per interpoſitam doctrinam de CAUSSA hujus Judicii, ℣ſ. 5. In *Poſteriore Parte* deſcripti Judicii Primo loco rurſus occurrit *Cauſſa* hujus Judicii, ℣ſ. 16. Deinde, Gradationes *tres*, quarum ultimæ rurſus immiſcetur mentio *cauſſæ* hujus Judicii, ℣ſ. 20.

Ἀνάκρισις hujus Prophetiæ recte interpretandæ, ejuſque editæ Temporis.

Anacriſis hujus Sermonis. Obſcuritas ejus.

CUm Pericopa primi hujuſce Sermonis merito habeatur inter obſcuriſſimas hujus Libri Prophetici: nemo miretur, diverſiſſimas eſſe ſententias Interpretum de hoc Viſo recte interpretando. à quorum omnium ſententiis (quantum mihi notæ,) ſi mea diſſideat: æquus id non iniqui ingenii lectores interpretaturos ſpero: maxime vero poſtquam rationes meas diligenter expenderint. Sed ordine eo veniendum eſt.

In hypotheſes Judæorum & Chriſtianorum Intr. in hoc Viſo exponendo animadverſio.

II. Hypotheſes hujus Viſi exponendi ſunt vel Judæorum, vel Chriſtianorum Interpretum: in quibus hypotheſibus examinandis potiſſimum ad tria attendendum eſt, quæ hic inter ſe cohærent. Primum verſatur circa argumentum prophetiæ *Capitis* hujus *Vigeſimi Quarti*. Alterum, quænam illa ſit *Civitas munita*, cujus mentio eſt Cap. XXV. 2. 3. & Cap. XXVI. 5. Cap. XXVII. 10. propter cujus deſtructionem Sancti Deum cele-

a Apoc. VI. 12. ſeqq.

celebrant. Tertium, quis sit mysticus ille *Leviathan*, Serpens tortuosus, à Deo circa hoc tempus prosternendus, de quo agitur Cap. XXVII. 1. seqq. quæ qui distincte assequutus fuerit, huic patebit aditus ad interpretationem hujus Visi. Verum ne nostra hæc disquisitio in longum excurrat: quæsita hæc seorsim, & suis singula locis, excutiam.

Hypotheses Intr. de *Argumento* Prophetiæ Cap. XXIV.

III. De *Argumento* prophetiæ, pericopa Capitis *vicesimi quarti* comprehensæ, Interpretes Judæi non idem sentiunt. Veteres ita existimant, in priore parte *Capitis* usque ad ℣. 14. passim agi de *Judicio Decem tribuum*, & *Desolatione terræ Canaanæa*, ab Ephraimitis occupatæ, efficienda ab Assyriis: verum quæ sequuntur à ℣. 14. latius accipiunt, & punitionem Populorum adversariorum Ecclesiæ simul extendunt ad extrema tempora, quibus Israëlitæ, gravissimis defuncti calamitatibus, per Messiam liberandi erunt ab omnibus hostibus suis, Judicio Divino prosternendis. Sic Jarchius mox in initio sententiam Veterum & suam explicat, existimans, prophetiam hanc, *Inscriptione* carentem, cum superiore cohærere in hunc modum, quod Propheta cum in *fine superioris prophetiæ* consolatus esset Populum Dei, hoc argumento, quod *divitiæ Tyri* usibus Ecclesiæ *consecrarentur:* mox hanc adhibeat ἐπανόρθωσιν, hanc consolationem non ad ipsos pertinere, sed ad ipsorum posteros, qui ex illa calamitate superstites futuri tempore Redemptionis, quam Deus Populo suo destinarat, effectu hujus promissi gauderent. nam quod ad ipsos attinet, tam longe ab hoc beneficio abesse, ut contra Deus iis decreverit universalem terræ suæ vastationem absque discrimine ullius hominum ordinis & conditionis; sed consolationem pertinere ad *residuos* illos (℣. 13.) qui ℣. 14. dicuntur *vocem suam cum jubilo sublaturi esse.* quare Aben-Ezra exerte ad ℣. 14. *Omnes Interpretes consentiunt, ex Pericopa hujus Capitis id quod hoc in loco* (sc. ℣. 14. & seqq.) *dicitur, intelligendum esse de Bello Gogi & Magogi, tempore futuro: sed Moses Haccohen hæc interpretatur de Rege Assyriæ, & quod de Convivio Pinguium dicitur, de interitu Exercitus illius Regis, usque ad Cap.* XXVIII. 1. Hoc vero respectu scripsit Hieronymus ad Cap. XXV. 1. *Judæos putare, Doxologiam illam vocem Sanctorum esse populique credentis, cum Deus adversum omnem Orbem quæ dicta sunt fecerit, & omnium prophetarum fuerint completa vaticinia: civitatemque subversam* illos *interpretari* ROMAM, *quæ delenda sit penitus; Populumque fortem qui laudet Dominum, & cui factus fuerit Dominus fortitudo in tribulatione sua & angustia,* illos *referre ad Israëlem, qui de persequutione Gentium quasi in æstu ardentissimo & in siti liberatus sit.* Sic vere, & patescet clarius ex ipsa pertractatione. Verum Kimchius & Abarbenel hic eatenus à Veteribus dissentiunt, ut universam Pericopam hujus Capitis referant ad tempus Messiæ, eamque sententiam aperte profitentur.

Ex Jarchio exposita.

Ut & ex Hieronymo.

Recentiorum.

Hypotheses Intr. Christianorum.

IV. Abarbenel laudat Interpretes Christianos, quod ipsi quoque viderint, prophetiam hanc referendam esse לעתיד לבוא *ad tempus futurum.* Recte quidem. Interpretum Christianorum Vetustissimi Eusebius & Hieronymus, videntes hic agi de generali aliquo Dei judicio; totam hanc pericopam exposuerunt de Judicio universali, habendo à Filio Dei in consummatione Sæculorum. Sequuti eos sunt Liranus, Oecolampadius, Sanctius, alii. Cyrillus ausus est dissentire. existimat ille, hanc prophetiam respectum habere ad omnes præcedentes, quibus Propheta exposuerat *Judicia* à Deo exequenda tum in Populum Judæum, tum in Gentes alias; primo quidem per Nebucadnezarem, Divinæ Vindictæ ministrum; deinde per Cyrum, qui Babyloniis paria redderet. Sentit itaque, hic generatim repeti, quæ superius speciatim declarata erant. Hæc vera est ejus sententia, & Procopii quoque, quæ non displicuit Gabrieli Alvarezio, & inter nostros Piscatori. Et tamen Cyrillus, ne eos offenderet, qui communem tenent hypothesin de *Judicio Universali* hic descripto: alterum illum sensum in interpretatione sua huic adjungit. Tertia hypothesis est, quæ hanc Pericopam accipit de *Judicio* Dei *pœnali* in Ephraimitas & Judæos, atque adeo in Canaanæam & Hierosolymam, cujus vastationem ac desolationem hic describi existimant, sive efficiendam ab Assyriis & Chaldæis; sive à Romanis: quæ Judicia sequeretur Manifestatio Regni Christi Jesu inter Gentes in vera Ecclesia, quæ Hierosolymæ & Tsioni Literali succederet. Sic profitentur Osorius, Vatablus, Leo Castrius, Fererius; inter nostros Belgæ, qui de Vastatione Judææ per Assyrios & Chaldæos; & Schmuckius, qui de extrema Desolatione Terræ Judaicæ per Romanos, agi putant. Grotius multo restrictius pro more suo; ut præiverat Moses Haccohen inter Judæos; in *priore* Capitis *parte* censet describi Desolationem Ephraimitidis per Salmanassarem, Assyriæ Regem: *posteriorem* accipit de judicio Senacheribi, & Reipublicæ Judææ post illud Judicium Statu instaurando. Cl. Coccejus, ab omnibus diversus, longe hic alia cogitat. Videlicet ipse quoque hanc prophetiam connectens cum superiore de Tyro, per quam intellexerat Imperium Antichristi: eam totam putat uberius declarare quæ in fine illius prophetiæ dicta erant de *Tyro mystica* reditura ad *quæstum suum* post LXX annos, usque quo illud tandem tempus veniret, quo *quæstus* Tyri totus Jehovæ consecraretur, & Regnum Dei in Mundo se gloriose ostentaret. Secundum quam hypothesin suam, figit scenam prophetiæ in *Sæculo superiore*, viditque & relegit in ea præcipuos memorabiles illius Sæculi eventus; Papismi sc. jam pene in Germania collapsi instaurationem occasione Belli Bohæmici factam à Ferdinando II; Germaniæ subsequentem vastationem & diram calamitatem; motus notabiles Angliæ & Scotiæ, qui Episcopos de gradu dejecerunt, pluraque alia: licet mentem pluribus locis minus aperte declaret.

Hypothesis tertia, quæ prophetiam accipit de *Judicio Judæorum & Ephraimitarum.*

Grotii, non multum diversa.

Singularis Cocceji.

Primo Vett. qui hic agi putant de *Judicio Universali* novissimo.

Cyrilli, de Calamitate Babylonica & Persica.

Temperamentum tentiæ ejus.

V. In tanta sententiarum diversitate, cursum tenere rectum, videri queat difficilius. Et sunt tamen certi characteres veri, qui, si clare proponantur, intellectum collustrant, & judicii sensum definiunt. Ibo itaque per singulas hypotheses, & de iis sententiam meam per πρόσματα declarabo.

Animadversio generalis ad has hypotheses, & de iis Judicium.

VI. Prima propositio sit, *in hac prophetia non agi de Judicio Universali, celebrando in fine Sæculorum, quo extremi hominum status definientur; sed de Eventu aliquo judiciali qui respectum habeat ad Statum Ecclesiæ in hisce terris, ante Sæculorum finem extituro.* Sic haud dubie mecum statuent omnes, qui judicium quodammodo exercitum habent in Verbo Prophetico, cujus præcipuus scopus est, prænunciare Fata Ecclesiæ Dei in hisce terris: ut merito mirer, Sanctium huic sententiæ subscripsisse. Patet liquidissime omnibus qui prophetiam hanc attente perlegerint, agi in ea de *Judicio* aliquo Dei notabili in improbos homines, & præcipue in hostes & persequutores Ecclesiæ, qui eam brevi tempore Divinæ indignationis immaniter affligerent; post cujus Judicii tempus Ecclesia gloriose caput suum exereret, & in his terris à persecutione & pudore vindicata insigniter floreret, Cap. XXIV. 23. XXV. 3. 4. 10. XXVI. 1. seqq. & XXVII. 2. seqq. Cape exemplum ex Cap. XXVII. 6. *Futuro tempore,* (sc. post deletos Ecclesiæ hostes,) *radices aget Jacob; florebit & germinabit Israël, & replebunt Orbem terræ proventu.* Quin Propheta ipse *Judicium* hoc *Divinum* ejus esse generis ipse ait, ex quibus dum in *terris* exercentur, *incolæ Mundi discunt colere justitiam,* Cap. XXVI. 9. & *Judicium* hoc *Divinum* ejusmodi phrasibus circumscribit, quas nemo prudens aptet tempori consummandorum sæculorum. veluti Cap. XXIV. 18. *Et futurum est, ut qui fugerit à facie formidinis, cadat in foveam; & qui è fovea evaserit, capiatur laqueo.* & quæ his similia sunt alia. Interim cum in omni magno Dei Judicio, quo Deus impios, fœdifragos, suosque & Ecclesiæ suæ hostes, punit, & Ecclesiam vindicat, quoddam repræsentamen & imago sit *Judicii extremi*, cujus attributa aliqua omnibus illustrioribus Dei

Quæ adstruitur ex prophetia.

Prima positio: hic non agi de *Judicio Universali* novissimi temporis.

Nec tamen negatur, Judicium hoc spectari posse ut præludium quod-

---

A Verba Aben-Ezræ, ad ℣. 14. כל המפרשים חסכימה דעתם כי מפרשה הגדה יי בוקק הארן הוא לעתיד על מלחמה גוג ומגוג ולדעת י משה הכהן שיובר על מלך אשור למשל' השמנים על מוך מחנה סנחריב ועדין הוי עשרה גאות.

dam Judicii Universalis.

Dei Judiciis communia sunt: nemo miretur, Prophetas subinde ab eo mutuari phrases, atque adeo idem etiam in hoc Judicio describendo fieri; ex. gr. ubi hostes Ecclesiæ dicuntur includendi *foveæ* sive *carceri*, Cap. XXIV. 22. *terra* sic *cæsura*, ut non sit *resurrectura*, ℣. 20. *mors absorbenda in æternum*, Cap. XXV. 8. sanctorum *cadavera* post lapsum tempus Divinæ indignationis, *resuscitanda*, Cap. XXVI. 19. *clangor magnæ tubæ* tempus liberationis & vindiciarum Ecclesiæ comitaturus & illustraturus, Cap. XXVII. 13. Sed nihil hic singulare est. Propheta enim noster de Judiciis Divinis, quæ Statum Ecclesiæ in his terris respiciunt, absque dubitatione agens, in aliis quoque locis [a] hoc genus orationis adhibet, & Vates alii, Hoseas, Joël, Habakkuk, Daniel, Haggæus, Zacharias, Malachias, sancti Viri in *Odis Davidicis*, & Joannes Apostolus & Propheta in *Apocalypsi:* ut hoc tempore non nisi imperiti styli Prophetici hanc Veterum quorundam sententiam tueantur.

Stylus Prophetarum, ubi de *Judiciis* Divinis loquuntur.

Positio altera: *Prophetiam hanc non respicere Judicium Dei exequendum per Nebucadnezarem.*

VII. Secunda positio: *Prophetam non loqui de punitione omnium Gentium, complexe sumptarum, quarum fata judicialia in superioribus enarraverat; & præcipue quidem de magno illo & notabili Judicio quod Deus in illas Gentes exequeretur per Nebucadnezarem.* Speciem aliquam præfert hæc sententia, quod vere Deus per Nebucadnezarem exequutus sit judicia in Gentes, & tempus illius ut *Dies Judicii* describatur, Cap. II. 12. & Jeremias imprimis de hoc Judicio graphice loquatur Cap. XXV. 9. 15. quem locum Alvarezius in hypothesi hac adstruenda præcipue urget. Sed obstat huic sententiæ, α. Quod in tota hac prophetia supponatur, tempore hujus Judicii superfuturam esse *Hierosolymam* & *Montem Tsionem*, in quo mox post habitum hoc Judicium conspicuum fieret Regnum Dei; ut ex Cap. XXIV. 23. XXV. 6. β. Quod Ecclesia Populi Dei tempore hujus Judicii non abduceretur in exteras oras, (cujus abductionis vel deportationis nulla mentio est:) sed gravissime affligeretur & premeretur à pluribus *Regibus* qui propositum haberent veram Religionem exscindere & Ecclesiam Dei in his terris destruere: sed quam afflictionem sive tempestatem, quæ Ecclesiæ ruinam minari videbatur, eadem superaret, secundum illud Cap. XXVI. 20. *Abi Populo mi, intra penetralia tua, & claude fores tuas post te:* (delitesce in penetralibus, speluncis, desertis:) *late* PAULO MOMENTO, *donec transeat excandescentia.* quæ non conveniunt statui Populi abducti in Babyloniam. γ. Quare Doxologiæ Cap. XXV. 1. seqq. XXVI. 1. seqq. sic sunt conceptæ, ut Electi ex magno discrimine servati Deo in iis gratias agant pro ingenti beneficio *salvationis & liberationis* sibi à Deo procuratæ; dum plane cum iis actum esse videretur. δ. Atque adeo ut abducti vel deportati Populi in Exilium mentio nulla est in hac prophetia: sic caussa etiam deportationis Populi, quæ inter alias gravissimas fuit *idololatria*, nulla hic memoratur. Equidem dicitur in fine prophetiæ Cap. XXVII. 13. Deus *clangore magnæ tubæ collecturus esse* circa tempus Judicii sumpti de hostibus *profugos in Assyriam & Ægyptum:* sed ibidem manifeste supponitur, illos *superstite Hierosolyma & Templo* illuc profugisse, atque adeo revocati ac rediturі dicuntur *adoraturi esse Deum in* MONTE SANCTO HIEROSOLYMIS. quæ omnia ex vera hypothesi hujus prophetiæ exponendæ recte expediri possunt.

Rationes hujus sententiæ. Hierosolyma & Mons Tsion tempore hujus Judicii superessent. Populus aliquis hoc tempore in Canaanæa supereſſet.

Argumentum Doxologiarum idem evincit.

Respondetur ad Objectionem ex Cap. XXVII. 13.

VIII. Tertia positio: *Non agi in hac prophetia de Desolatione terræ Decem tribuum per Salmanassarem & Judicio Dei in Senacheribum*, ex sententia Mosis Hacohen, Grotii, & quod ad partem Cap. XXIV. usque ad ℣. 13. Judæorum Veterum. Equidem agnosco lubens, inter omnes sententias, quæ à vera hypothesi discedunt, nullam se probabiliore specie commendare, quod revera σχῆμα aliquod umbratile eorum quæ in hac prophetia prædicuntur, conspectum fuerit in eventibus illius temporis: & sunt tamen mihi rationes graves, cur hanc hypothesin deseram. α. Quia in prophetia hac nulla plane mentio est *deportationis* Populi sive Ephraimitarum, sive Judæorum, in Exilium; sed in tota prophetia supponitur, Judicium hoc Dei exequutioni dandum fuisse in ipsa Canaanæa, & Populum Dei opprimendum se ibidem loci *occultaturum* esse usque quo desævierit tempestas, ut patet ex Cap. XXVI. 18. Nullus hic occurrit Assur. β. Exempla Judiciorum Divinorum in Principes, Ecclesiæ Persecutores; qui *martyres* plures darent veræ Religionis, (quod in sequentibus clare demonstro,) & REGES TERRÆ *super terram* (Cap. XXIV. 21.) secundum emphasin prophetiæ, in eventis hujus temporis demonstrari nequeunt. Producitur quidem exemplum Senacheribi; nec abnuo, in ejus Judicio conspici posse præjudicium sive specimen quoddam ejus Judicii, quod hic describitur: sed id neutiquam ita comparatum est, ut huic prophetiæ satisfaciat. γ. Propheta ipse nos exerte monuit, Oraculum hoc longo satis post tempore demum consequuturum esse suum implementum, quam ab ipso vulgatum fuit; idque evincam ex vero sensu loci Cap. XXIV. 22. Levissimum autem argumentum quod Grotius hic pro hypothesi sua producit ex ℣. 10. ubi memoratur *Civitas vanitatis*, quam ille putat esse *Bethelem*, Prophetis dictam *Bethaven:* an tantam sustinere hypothesin poterit? Eratne *Bethel* ejus notæ Urbs, ut in hac prophetia, in qua nulla Urbium aliarum nomina occurrunt, Propheta ejus solius hic videatur facturus esse mentionem? Demonstrabo veriorem *Urbem inanitatis* circa tempus implementi hujus Vaticinii.

Nulla hic mentio Populi in Assyriam deportandi.

Exempla Judicii Dei in hostes Ecclesiæ non conveniunt plane huic tempori.

Prophetia hæc post longum tempus demum implenda erat.

IX. Positio quarta: *Prophetiam hanc non versari in describendo Judicio Divino in Babylonios, exequendo per Cyrum.* Non eo sane inficias, hanc hypothesin se secundum aliquem ejus aspectum cum specie ostentare, quia ex ea rectissime exponi posse videtur, quænam illa sit URBS MUNITA, *peregrinorum arx & sedes*, ob cujus destructionem Ecclesia Deum celebrat, Cap. XXV. 2. 3. XXVI. 5. sc. BABYLON. Verum si vel maxime hic per *Urbem* illam *munitam* intelligas *Babylonem*, secundum literalem prophetiæ aspectum: de qua re sententiam suo loco dicam: observaveris tamen, si prophetiam totam attente perlegeris, scenam ejus huic tempori non convenire. Scena prophetiæ convenit in tempus exundantis iniquitatis ac perfidiæ, cujus se tam defectores ex Populo Dei quam Principes aliqui Orbis terrarum potentes reos facerent: quos Deus, ubi perfidia & malitia ad summum veniſſet, in ipso scelere deprehenderet & severe puniret. Tempus hujus prophetiæ est persecutionis & martyrii piorum, qui sanguinem suum caussa Religionis profunderent, ut mox clarius demonstrabo. quod locum non habuit, quo tempore Deus Judicia sua in Orbem exequutus est per Cyrum.

Nec describitur directe Judicium Babylonis per Cyrum.

Rationes hujus sententiæ.

X. Positio quinta: *Prophetiam hanc non convenire in tempus eversæ Hierosolymæ & Reipublicæ Judææ per Romanos.* quæ hypothesis est Schmuckii, Doctissimi Viri, Lutherum passim ut δυόψηφον laudantis. Sane quidem ut inter omnia majora Dei judicia quædam cognatio & affinitas est, eorundemque similia sunt attributa: si partem prophetiæ respicias, nemo neget, eam non male huic Judicio Dei notabili & gravissimo aptari, quo *Diluvium* inductum est in Populum Judæorum, qui spreto Verbo Gratiæ se polluerat sanguine Christi Jesu & sanctorum, & à Deo destertus in gravissimas incidit calamitates, quarum una alteram ad Gentis interitum & excidium pressit; & videntur adeo quæ de *aperiendis* hoc tempore cœlorum *claustris* (phrasi à *Diluvio* petita,) dicuntur, optime declarari ex verbis Domini de hoc Judicio differentis Matth. XXIV. 37. 38. Luc. XVII. 26. 27. Blanditur vere species: at si quis integrum prophetiæ corpus & σχῆμα totum omnibus partibus suis complexe consideret; animadvertet, hypothesin aliis ejus membris aptari commode non posse. Prophetia hæc tota: quod mihi hic sæpius repetendum est: χαρακτηρίζει certum aliquod tempus, quo Deus Populum vitiis, hypocrisi, & flagitiis quoque corruptissimum, severe puniret & castigaret per *Reges terræ*, magnum ostentaturos

Neque etiam Judicium Hierosolymæ & Canaanææ per Romanos.

Species ejus sententiæ.

Sed quæ ex inspecto corpore totæ prophetiæ perit. quod demonstratur.

[a] Cap. II. 12. XXXIV. 9. LXV. 17.

faſtum & Deo ipſi ſe comparaturos, qui Eccleſiam piorum, quæ inter hypocritas & profanos ſupererat, publice & ſæviter perſequerentur; & de quibus ipſis hoc tempore ſumeret vindictam, (Cap. XXIV. 21. 22.) & quidem, ſi τὸ γράμμα prophetiæ ſecteris, in ipſa Canaanæa, (Cap. XXV. 6.) præſtitis Eccleſiæ contra omnem exſpectationem vindiciis per Heröes, à ſe ſuſcitandos, poſt tempus afflictionis, graviſſimæ quidem ſed non adeo diu duraturæ, dum Populus Dei ſe conderet *penetralibus*, uſque quo tempeſtas deſæviiſſet, (Cap. XXVI. 20.) quando recolligendi eſſent *diſperſi* & latitantes in *antris* aut *inſulis maris*, & Divinam gratiam in Liberatione ſibi præſtita concorde voce celebrarent, ad formulam: (Cap. XXV. 1. ſeqq.) *Extollam te; celebrabo Nomen tuum, Jehova, Deus mi! quia feciſti* MIRABILIA, &c. & Cap. XXVI. 1. URBS MUNITA *fuiſti nobis, &c.* quo quoque ipſo tempore Eccleſia liberationis ſuæ jam adepta erat ſignaculum in *Urbe munita, Palatio peregrinorum*, Dei providentia *deſtructa:* per quam Urbem non abſque ſumma duritie intelligitur Hieroſolyma: etſi hujus hypotheſios tenaces hanc interpretationem non defugiant. Hæc expende, qui imagine veri delectaris, & vide, an inter characteres hujus temporis demonſtrari queant.

Poſitio ſexta: Prophetiam hanc *literaliter* ex primo ſenſu non eſſe referendam ad extrema Eccleſiæ tempora.

XI. Poſitio ſexta: *Prophetiam hanc non videri primo & literali ſenſu referendam eſſe ad extrema Eccleſiæ tempora, quibus Regnum Dei in Orbe poſt proſtratos Eccleſiæ hoſtes manifeſtum evaderet & clariſſime illuſtraretur: etſi myſtice illuc rectiſſime referatur ex ſcopo Spiritus Dei.* Sic omnino ſentio, prophetiam hanc ex vero ſenſu ſuo optime. & veriſſime referri ad tempus illud Judicii, quo Deus ſub finem ſæculorum proſtraturus eſt hoſtes Eccleſiæ cum ingente mundi cataſtrophe, quæ deſcribitur aperto *Sigillo ſexto* Apoc. VI. 12. VII. 17. ſeqq. XIX. 18. 19. 20. ſed primo & literali ſenſu illuc reſpici, non facile mihi perſuaſerim, quod Prophetæ non ſoleant tantos committere ſaltus, ut abſque ulla ſerie vel ordine rerum antecedentium directe transferant orationem ad extrema tempora & eorum eventus. Maxime tamen id me in hoc loco moratur, quod *ſcena* Regni Dei manifeſtandi in hac prophetia clariſſime ex literali & proprio prophetiæ ſenſu demonſtretur eſſe *Hieroſolyma* & *Mons Tſion* Cap. XXIV. 23. & Propheta Cap. XXV. 6. exerte dicat, Deum omnibus Populis *præbiturum eſſe Epulum* בהר הזה *in* MONTE HOC. Judæi, qui ſibi perſuadent, ſe in extrema illa *Recollectione* ſuæ Gentis ex miſeranda ſervitute reduces in Patriam Regnum aliquod novum habituros *Hieroſolymæ* & *Tſione*, & celebraturos *Epulum* in fabuloſis ſuis narrationibus decantatum, hic ſe facile ex præjudicio ſuo expediunt: ſed cum Chriſtiani ab hac hypotheſi Regni Hieroſolymitani merito ſint alieni; nihil iis ſupereſt, ſi ex ſua hypotheſi locum interpretari velint, niſi ut ſtatuant, *Hieroſolyma, Tſionis, Montis*, nomina hic myſtice ſumi pro *ſede Eccleſiæ* in qua Deus extremo illo tempore Regnum ſuum glorioſe erit manifeſtum facturus. Et tamen attendenti ad prophetiam totam id *ſecundum ſenſum ejus literalem* durius videtur; & *ſpecifice* quidem illud quod dicitur, in *Monte* HOC. Quare cum clariſſime videam, prophetiam hanc *ſecundum literalem* & *proprium ſuum ſenſum* in omni ſua περιφερίᾳ referri poſſe ad *Statum aliquem* & *Tempus Eccleſiæ* Oeconomiæ Veteris, illi tempori & Statui analogum, qui deſcribitur in Emblemate *Sigilli ſexti:* ab ea hypotheſi non diſcedo.

Temperamentum hujus ſententiæ.

Rationes hujus hypotheſios.

Scena literalis hujus prophetiæ eſt *Mons Tſion.*

Elucidatio hujus poſitionis, & ad *exceptionem* reſponſio.

Animadverſio peculiaris ad hypotheſin Cl. Cocceji.

XII. Eadem me movet ratio, cur me ſejungam à ſententia Cl. Cocceji, qui in interpretatione totius hujus prophetiæ valde eſt paradoxus, eamque flectit ad omnes fere caſus particulares, qui memoria Patrum noſtrorum acciderunt *ſuperiori Sæculo*, ſcena ejus fixa in *Bello Germanico*, cui res Bohæmiæ occaſionem præbuerunt. Certe non nego, in illo Bello & motibus Germaniæ, Galliarumque & Hiſpaniarum in illos incidentibus, per tot annos protractis, qui in florentiſſimam illam Europæ regionem fere induxerunt vaſtitiem, confuſionem, & ſumma imis miſcuerunt, fuiſſe exemplum aliquod terribilis Dei Judicii, ut prudentes Viri omnes de eo judicarunt *A*; & in hac prophetia aliqua occurrere, ad quæ hiſtoria illius temporis dextre ſatis applicari queat. ſi, inquam, τὸ ὅλον ſumas. ſingularia enim plura, ad quæ Vir Doctiſſimus prophetiæ ſenſum applicat, hic non reſpicio. Verum, α. Ex hac hypotheſi non magis quam ex ſuperiore expediri poteſt, quod modo objiciebam de *Hieroſolyma, Tſione, Monte hoc*, quæ hic videntur admittere aliquam interpretationem literalem. β. Nemo facile dixerit, quomodo Propheta, tot alia tranſiliens fata antecedentia memorabilia, abrupte adeo incipiat prophetare de ſtatu Germaniæ Sæc. XVII., tempore longiſſime diſſito. Etiamſi enim non inficior, Eventus illos Sæc. XVII. fuiſſe per Europam animadverſione digniſſimos, & ad verba prophetiæ in quibuſdam partibus ejus accommodari poſſe: legenti tamen hiſtoriam Sæculorum Mundi & Eccleſiæ patet, nullum eſſe Sæculum quin memorabilibus motibus atque eventibus illuſtretur, ut qui ad geſta ſequentium temporum (quibus maxime reſpicio Eventus Belli Gallicani noſtræ ætatis paradoxos & omni cogitatione ſuperiores:) attenderit, non minus inveniat quod miretur, quam qui præteriti temporis eventus relegerit ex hiſtoria. Vidit hanc difficultatem Cl. Coccejus, conatuſque eſt eam ex hac ratione expedire, quod prophetia hæc noſtra immediate cohæreat cum ſuperiore de *Tyro:* quâ prophetiâ de Tyro ſibi perſuaſit deduci ſeriem rerum uſque ad initia motuum Germanicorum; in quibus ſc. motibus terminatos eſſe ſtatuit LXX annos *oblivionis Tyri*. Sed hæc plane ſunt coacta & precaria, quæ quod omni probabilitate & manifeſta fide Hiſtorica deſtituantur; non refellam. Tot millium martyrum cruces, cædes, rogi, quot exhibet Hiſtoria Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Belgii, (inter annum LII Sæc. XVI & XX Sæc. XVII. à Tranſactione Paſſavienſi uſque ad Motus Germanicos, qui Coccejo ſunt LXX anni *oblivionis Tyri*,) ſatis teſtantur, Tyrum Pontificiam hoc tempore non fuiſſe oblivioni traditam, ſed vim ſuam ſatis exeruiſſe. γ. Punitio hoſtium Eccleſiæ, & Eccleſiæ Liberatio quæ in hoc tempus incidit, non eſt tam univerſalis & glorioſa, ut ſatisfaciat Doxologiis, & emphaſi prophetiæ. Non nego, extitiſſe imagines & exempla eorum quæ in hac prophetia dicuntur, in hiſtoria hujus *Sæculi*; atque adeo non fero gravate, ea proleptice huc adduci: verum exſpectandum eſt myſticum prophetiæ implementum perfectius, ut ei omni modo ſatisfiat. Schema hujus prophetiæ eſt *Judicium de Perſecutoribus Eccleſiæ publicis.* Ferdinandus Archidux & mox Cæſar vere intentus fuit inſtaurando Papiſmo per Germaniam: nec tamen Bellum hoc obtentu geſtum eſt; nec ipſe id directe egit, aut hanc proprie ſuſtinuit perſonam; nec Germania tempore hujus Belli multos martyres dedit cauſſa Religionis. Exempla alia ſunt in Gallia, Britannia & Belgio.

Quid in ea laudari meretur.

Nec admittitur, ut jacet, quia ex ea reſolvi nequit difficultas de Hieroſolyma, Tſione, &c. ut ſede veræ *Regni Dei*, poſt Judicium in hoſtes manifeſtandi.

Nec probabile fit, Prophetam magno adeo ſaltu facto tam abrupte vaticinari de Eventibus Sæc. XVII.

Quo modo Doctus Int. huic difficultati occurrat?

Sed cui non favet ratio.

Nec reſpondet imago rerum hoc tempore geſtarum prophetiæ.

XIII. Ergo quid reſtat, niſi ut dicam cum aliqua fiducia, prophetiam hanc *primo & literali ſenſu* referendam eſſe ad *tempora Maccabaica*, (ad quæ ſæpius in hoc Libro reſpicitur α, quæque tempora cum eventibus ſuis quibuſdam in locis clariſſime deſcribuntur:) quippe in quibus temporibus omnia attributa hujus prophetiæ demon-

Poſitio extrema: *Prophetiam hanc reſpicere tempora Maccabaica*, quod ad ſenſum

---

α Ut Cap. LVII. ſeqq. LXV. LXVI.

A Adſcribam hic duo teſtimonia Virorum prudentia ſumma, ubi de Statu Europæ & Germaniæ hujus temporis loquuntur. Sic præclaræ memoriæ Dux Rohanæus in *Trutina Statuum Europæ*, Cap. VI. *Si præliorum multitudo, aut ſtragum editarum copia, aut plurimorum Statuum immutatio, aut conditio Principum intereſſe habentium, aut diuturnitas temporis, bello celebritatem conciliant: utique id de præſenti Germanico Bello prædicari poteſt. hoc namque durante, ultra quindecim prælia, aperto Marte, ſunt commiſſa; ultra trecenta hominum millia cæſa; omnium fere Germaniæ Statuum facies cum Dominis priſtinis mutata; omnes Principes Europæ implicati; ac jam quatuordecim anni elapſi ex quo Bellum hoc cœpit, cujus exitus nondum cernitur.* Baptiſta Nani, Vir illuſtris, hoc modo orditur Hiſtoriæ Venetæ recentioris temporis Lib. X. ad A. CIↃIↃCXXXV. *Mala calamitateſque, quæ* EUROPAM TOTAM FUNDITUS SUBVERTEBANT, (eadem fere phraſis, ac quæ initium facit hujus Vaticinii:) *& Chriſtianiſmo dedecori erant, celebre fecerunt odium mutuum duorum magnorum Conſiliariorum Status* ſc. Regnorum Galliæ & Hiſpaniæ, Richelii & Olivarezii.

ejus *Literalem*: sed quod ad mysticum, *Judicium* Dei tremendum in *hostes Ecclesiæ* habendum in fine temporis *Sigilli* VI.

demonstrari possunt. Exhibent illa miserabilem vastationem & desolationem Judææ totius; imminutionem incolarum ejus; destructionem Reipublicæ, statusque ejus inversionem; exempla defectionis, scelerum, perfidiæ, qualia hactenus in Mundo edita non erant; persequutionem gravissimam excitatam adversus confessores veræ Religionis; Hierosolymæ, quæ Sacra sua profanaverat & Templi, lugubrem statum, & his cognata *Judicia* Dei *tremenda* in Reges Syriæ, persecutores Ecclesiæ, & *gloriosum instaurationem* Ecclesiæ Populi Dei, sub Assamonæis, complendam in *Regno Christi Jesu*, Hierosolymis manifestando. Atque hoc Velum est prophetiæ exterius, sub quo conditur sensus major & augustior. *Mystico* enim & *spirituali* sensu describitur hac prophetia *Persecutio gravissima Ecclesiæ Christianæ*, quæ incideret in extrema temporis N. T. conjungenda cum *Judicio Divino* spectabili, quo Deus vindictam sumeret de *hostibus* Ecclesiæ, eamque vindicaret in statum gloriosæ libertatis, electis omnibus per universum Orbem terrarum in eam Verbo Evangelii colligendis; & inter eos Judæis, per Orientem & Occidentem late dispersis.

Hypothesis elucidatur.

Et commendatur.

Hypothesis hæc nova est, sed probe meditata, de qua Interpretibus in mentem non venit cogitare, quod non perspexerint, (quod tamen aliis locis aliqui Interpretes jam viderunt:) Prophetam de *temporibus Syriacis* tam perspicue vaticinari, vel ad eorum fata & eventus alludere. Interim fidem faciet hypothesi ipsa interpretatio, sibi, ut spero, omnibus partibus constitura. Alterutrum horum hic absque dubitatione tenendum: vel secundum sensum Literalem hic respici ad Senacheribum & exemplum Judicii Divini post vastatam ab Assyriis Judæam in ipso edendum; vel ad Antiochum Epiphanem, ejusque successores, Ecclesiam persecuturos, à Deo prosternendos. Sunt vere cognata & affinia fata, & quod sæpe aliàs observavi, Jesaias, ubi de Senacheribo & illius clade prophetat, & de Assyriorum Regum superbia, insolentia, eorumque proposito de vera Religione destruenda loquitur, sub iis *remote* intelligit *Assyrios* novos, h. e. Syriæ Reges, Ecclesiam ad idem exemplum persecuturos. Sed characteres Persecutionis Syriacæ cum omnibus suis circumstantiis & attributis cognatis hic multo sunt clariores quam Senacheribi, quia manifeste agitur in hac prophetia de *persecutione piorum caussa Religionis*, propter quam plures afficerentur supplicio tanquam *martyres*; dum alii se occultarent, & in *speluncis* aut *extremis terræ* delitescerent, usque quo Deus procurasset Populo suo liberationem. Atqui Senacheribum Judæos *caussa Religionis* ad mortem persecutum esse, non patet, nec videtur probabile. Relege mecum hæc notabilia verba, Cap. XXVI. 21. *Nam ecce Jehova egreditur è loco suo, ad visitandam iniquitatem incolarum terræ in iis; & revelabit terra* SANGUINES SUOS, *& non teget amplius* OCCISOS SUOS. sc. occisos à τοῖς עריצים SÆVIS *Persecutoribus*, à quibus Deus Ecclesiam tandem vindicaret, Cap. XXV. 5. coll. cum Cap. XXVII. 1. Sunt *martyres*, qui caussa Religionis mortem oppetunt, qui hic æque describuntur ac Cap. LVII. 1. Idem est quod Cap. XXVII. 2. intelligitur per *vineam meri*, h. e. Ecclesiam gravissima persecutione purgatam, quæ sanguinem effuderat suum pro confessione Veritatis. Pariter quod Propheta tempus hujus *Visitationis*, sive *Afflictionis* Ecclesiæ vocet יום INDIGNATIONIS sc. tempus, Cap. XXVI. 20. monet nos, idem esse tempus Afflictionis Ecclesiæ sub Antiocho, quod Daniel eadem hac voce appellat Cap. VIII. 19. nec semel. Odæ Davidicæ, quæ tempus quoque hoc & liberationis Populi Judæi à Maccabæis manifeste respiciunt; forte circa illud tempus compositæ, (quas in interpretatione prophetiæ suis locis adducere non negligam,) idem evincunt: nec alio tendit prophetia Ezechielis de Gogo & Magogo, in ipsâ terra Canaanæa tandem prosternendis; quæ prophetia censeri debet huic nostræ esse parallela. unde παραλλαγὴ φράσεως, Cap. XXIV. 22. מרוב ימי יפקדו *Post plures dies visitabuntur*, cum Ezech. XXXVIII. 8. ubi eadem phrasis. Adde his loca nostri Prophetæ Cap. XXX. 27. 28. *Ecce nomen Jehovæ venit è longinquo; ardet ira ejus; & est grave incendium: labia ipsius plena sunt severitate; & lingua ejus ut ignis vorans; & halitus ejus ut fluvius exundans, qui ad medium collum pertingit;* AD AGITANDAS GENTES *agitatione vanitatis*, (quæ eas ad nihilum rediget,) *& imponendum frænum maxillis* POPULORUM. Cap. XXXIV. 1. *Accedite Gentes ad audiendum, & Populi attendite! audiat terra & plenitudo ejus; Orbis & omnia germina ejus! quia excandescentia Jehovæ est* SUPER OMNES GENTES, *& æstus* SUPER OMNES EXERCITUS EARUM: *devovit illas, tradidit illas ad mactationem.* Cap. XXXV. 4. in alloquio ad credentes tempore persequutionis labascentes: *Dicite præcipitibus corde; Firmi estote! nolite timere! Ecce Deus vester cum* VINDICTA VENIET. adest *retributio Dei. ipse veniet, & salvabit vos.* Quæ vero alia hic spectari potest *vindicta* ac hostium populi Dei? & quidem Persecutorum veræ Religionis, quales proprie fuerunt Reges Syriaci? Assyriorum enim Veterum afflictio fuit Politica.

Alterutrum eligendum est, vel referendum Judicium in hostes Ecclesiæ ad cladem *Senacheribi*; vel ad eam *Antiochi Epiphanis*, & Syrorum Regum.

Inter quas hypotheses est cognatio.

Et vincit tamen posterior hypothesis, quod characteres hujus temporis rectius conveniant prophetiæ.

Senacheribus non viderur ex Judæis proprie feciſſe *martyres*: de quibus tamen in hac prophetia agitur.

Locus Cap. XXVI. 21.

Argumenta alia varia ex prophetia adducta, & cum aliis locis Propheticis collata.

XIV. De *tempore* editæ hujus prophetiæ illustris dubia disquisitio est. Qui Interpretes hac sunt sententia, ut prophetiam hanc connectant cum superiore de Tyro: necesse habent Revelationem hanc in eodem articulo figere. Sed ab his mea sententia plane divertit; non quod absurdum habeam, editam esse prophetiam eodem tempore quo superiores: sed quod probe persuasus sim, hanc prophetiam non facere partem superioris, neque cum ea arcte cohærere. Et sunt tamen in prophetia certa quædam κριτήρια, ex quibus de *tempore* editæ Revelationis aliquid ἐν πλάτει conjicere licet. Et quidem α. Prophetiam hanc vulgatam esse ante cladem Senacheribi, clare liquet ex Cap. XXX. 31. & XXXI. 1. seqq. in quibus locis ad futurum Assyrii lapsum manifeste alluditur. Esse autem *Sermonem* Propheticum Cap. XXX. XXXI. ejusdem argumenti, cujus hunc nostrum, jam supra monui. β. Patet ex Cap. XXVIII. 1. editam esse prophetiam ante vastatam Samariam. Sermonem autem illum, qui incipit à Cap. XXVIII. 1. in simili decurrere argumento, certissimum est. ut non sit dubium, quin circa idem tempus editi sint. γ. Editum videtur esse Vaticinium, antequam Moabitæ adhuc experti essent calamitatem iis à Propheta nostro pressius prædictam, Cap. XV. XVI. Id enim colligo ex Cap. XXV. 10. ubi inter alia exempla Divinæ vindictæ: *Et* MOAB *sub ipso triturabitur.* Equidem non putem, eandem ibi Moabitidis prædici calamitatem: (alluditur enim manifeste ad Maccabaica:) verum, si Moabitæ jam recenti tempore essent vastati ab Assyriis, (quam ipsorum calamitatem existimamus incidisse in *tertium* vel *quartum* Hiskiæ:) non videtur sic loquuturus esse Propheta. Supponit enim ejus oratio, Moabitas (sive proprie, sive mystice de iis loquatur:) hactenus nihil gravius perpessos esse. Quæ singula si inter se conferamus: non videtur probabile, editam esse hanc prophetiam ante tempus *Mortis Achazi*, sive *initia Hiskiæ*, quo tempore plures aliæ prophetiæ judiciales editæ sunt, ut in superioribus observavi. Nec tamen ausim affirmare, Revelationem hanc Prophetæ non obtigisse ante hoc tempus, & quidem in *initiis Achazi*, quando adversus Assyrium & Babylonium declamavit: ad quod tempus reduxi prophetias Cap. X. 4. seqq. XIII. 1. seqq. XVII. 1. seqq. inter quas & hanc nostram aliqua est affinitas. Propheta noster sub ASSYRIIS intelligit integrum corpus Hominum, Regum, Principum, qui tenentes Regnum hujus Nominis Ecclesiam infestarent & veræ Religionis confessores persequerentur: quorum omnium superbissimus esset Antiochus Epiphanes, Syriæ Rex, sub quo censentur proximi ejus Successores, Persecutores Ecclesiæ, Quæ cum prævideret à Spiritu illuminatus Propheta, dum de Babylonii atque Assyrii lapsu frequens agit & vaticinatur; monuit simul Ecclesiam de novo hoc *Judicio Divino*, in quod post reditum ex Exilio Babylonico Ecclesia, postquam magnam sibi rursus contraxisset labem, & Hostes ejus, inciderent. in quo *Judicio* reliqua fere omnia complerentur. Sic meæ se habent de hac prophetia rationes.

Quæritur de tempore hujus prophetiæ editæ.

Hypothesis Intt. quorundam rejecta.

Edita est ante cladem Senacheribi.

Et, ut videtur, ante vastatam Samariam.

Ut & ante cladem Moabitarum.

Nec tamen certo definiri potest, an edita non sit prophetia ante *tempus Hiskiæ*, in initiis *Achazi*

Species ejus sententiæ.

Posset edita esse eodem tempore, quo Propheta declamavit adversus Assyrios.

PARS

PARS PRIOR hujus Sectionis Propheticæ, quæ complectitur descriptionem Judicii Divini in *Fœdifragos* sui Populi, à ℣f. 1. usque ad *med.* ℣f. 16.

Membrum Prius, IDEA sive *Deformatio Judicii Divini* in Fœdifragos, *variis* absoluta *gradationibus*, quibus inserta est Admonitio de Caussa hujus Judicii, ℣f. 5.

GRADATIO PRIMA.

Pars Prior hujus Sectionis Cap. XXIV. ejusque *Membri Primi*, quo Judicium Dei in Populum Fœdifragum explicatur.

Gradatio prima.

1. ECce *Jehova* PASTINAT TERRAM *& evacuat eam, & faciem ejus* INVERTIT, *& dispergit incolas ejus.* ℣f. 2. *Et fiet perinde populus ut sacerdos; servus ut dominus ejus; ancilla ut hera ejus; emptor ut venditor; qui mutuum dat ut qui accipit; qui fœnerat ut cui fœnerat*] Prophetiæ huic non est præscriptus titulus à Scribis Sacris, quod objectum ejus non nisi *generatim* à Vate Sacro appelletur: habetque id commune cum pluribus aliis prophetiis hujus Libri ejusdem generis, h. e. de Statu Ecclesiæ aut Judiciis Divinis *generatim* agentibus: cujus quidem rei non alia mihi patet ratio, quam quod Sermones illi, ut plane erant Prophetici, sic generalioris argumenti, quam ut *titulus*, nisi forte longior, iis præscribi commode potuerit. Deinde cum mystica multa hac prophetia comprehendantur, de quorum vera interpretatione satis certi non fuerunt Scribæ Sacri qui hunc Librum recensuerunt: rectius se facturos esse opinati sunt illi, si prophetias hasce integras ut sunt, prudentium lectorum judicio permitterent. quod ipsorum institutum non improbo. Patet autem inspicienti prophetiam, prædici ea *priore* hac *parte*, *α*. Calamitatem quandam gravem sive *majoris partis Orbis terrarum*, sive *terræ* alicujus sic speciatim dictæ quæ insidebatur à Populo quodam fœdifrago, Divinis Judiciis puniendo atque expurgando. *β*. Eam calamitatem hic proponi sub specie *Judicii Divini*, quod hic diligenter animadverti velim. Sic enim Propheta loquitur, ut demonstret, Calamitatem hanc eum in modum infligendam esse fœdifragis illis de quibus Vates loquitur, ut omnes mortales in Malis illis & eorum consequentibus observare possent *digitum Dei*. Unde Propheta: *Ecce* JEHOVA *evacuat terram*, & quæ seqq. *γ*. Calamitatem hanc non eo constituram, ut Populus ab hostibus proprie abducatur in Exilium, aut in alias deportetur terras: ejus enim mali nulla mentio est in hac prophetia: sed ut *terra* per catastrophen quandam & confusionem omnium rerum tam quod ad *Statum Civilem* quam quod ad *Ecclesiasticum* per omnes hominum ordines gravem & inexspectatam subeat mutationem; perturbetur, vastetur, & incolis suis nudetur: sive illi persecutionum & vastationum hostilium metu dispergantur; sive per ipsa illa mala & calamitates pereant. Integer prophetiæ contextus hunc sensum probat; & nostra hæc Pericopa nos de eo dubitare non sinit. est enim sensus ejus planus & apertus, ut adeo Versiones veteres & recentiores hic facile consentiant. certe quod ad aspectum generalem. Et Propheta tamen noster pro copia singulari eloquii sui ubique adhibet electas voces, quarum emphasin omnem difficile est interpretando exhaurire. Prima hæc gradatio quinque complectitur sententias. Prima est: *Ecce Jehova pastinat terram.* Sic Cl. Coccejus. Heb. בוקק הארץ quod plerique Intt. *Evacuat terram.* ut Hebræi Intt. מריק h. *e.* secundum ipsos: *Vacuam eam facit incolis suis.* Sed Coccejus significationem genuinam vocis, quam jam habuimus Cap. XIX. 3. detexit ac demonstravit ad Hos. X. 1. esse *ablaqueationem*, qua terra *effoditur* circa vites usque ad earum radices. quæ significatio optime convenit locis Nah. II. 3. & Jer. LI. 2. & huic pariter loco nostro, in quo Propheta se interpretans mox addit, *invertit faciem ejus.* Ferri itaque hic potest Interpres Græcus, qui habet, *καταφθείρει.* sed longius abest illud Hieronymi: *Dissipabit.* Sensus verus est, Deum terram ita effossurum & pastinaturum esse, ut ima summis vertantur mutenturque. Simile est quod additur sententia Altera: ובולקה, quam vocem *affinis significationis* esse tum ex hoc loco nostro patet, tum ex Nah. II. 11. ubi pariter inter se conjunguntur: etsi ob infrequentiorem usum genuina ejus notatio minus clare pateat. S. Jarch. & A. E. והריקה *Vastat eam.* pariter ut Int. Græc. *Καὶ ἐρημώσει αὐτήν.* Kimchius: *Exscindit.* Pater ejus ex Lingua Arab. *Aperit*, sive respectu incolarum qui ex ea digressuri essent & nudam ac desertam relicturi; sive hostibus, eam ingressuris, ut Chaldæus. sed id nimis est remotum. Doctus Int. h. l. *evacuat.* alibi, *eruncat.* Recte dixeris cum Avenario, idem esse בלק quod *per inversionem peculari*, *depeculari*, quippe quod huic & cognato loco optime congruit. Propheta ipse sententia Tertia duas priores explicat, ubi addit: עוה מניה quod recte vertas: *Faciem ejus* INVERTIT. non ut Hieron. *Affliget.* Manet enim in eadem metaphora terræ effossæ, ligone aut vomere eversæ. Significant metaphoricæ loquutiones inversionem totius Reipublicæ status, & mutationem ejusmodi, qua summa ima, & ima summa ponerentur; *incolæ* nobiliores *dispergerentur*, (quæ Quarta sententia est:) & omnium nobiliorum inferiorum, potentiorum infirmiorum, ditium & egenorum, subverso Reipublicæ statu, & direptis incolarum bonis, æquaretur conditio, quod ipse elegantiæ studens & brevitati: *Et erit ut Populus ut Sacerdos.* h. e. Populus *ut* Sacerdos, & ita in cæteris. ex phrasi Hebræa, quæ utrique comparato literam כ præfigit, ut satis notum *a*. Nihil est in cæteris, quod ad *τὸ γράμμα* sententiæ attinet, in quo quis hæreat, nisi quod cum Propheta inferiores in tota hac peripopa comparet superioribus: idem obtineat in comparatis *emptorum & venditorum.* ubi *emptores* spectari vult ut *ditiores*, *venditores* vero ut tenuioris conditionis homines, qui studio aut labore parta parataque ditioribus pretio offerunt.

Summa hujus prophetiæ accuratius definita.

Describitur Judicium in *Populum Fœdifragum*, in quo esset clara significatio iræ Dei.

Quod non consisteret in abductione Populi in Exilium: sed in summa calamitate in terram inducenda, quæ describitur.

Ad rem ipsam, de qua Propheta loquitur, recte intelligendam, duo scire juvat. *α*. Quænam & qualis illa sit *terra* cui Vates hoc malum interminatur? *β*. Cujus temporis ea sit calamitas, de qua vaticinatur? Et quidem quod ad *posterius*: illud ego in *Anacrisi* late discussi, demonstravique, prophetiam hanc pertinere ad tempora Epiphanica, secundum genuinum & primum sensum. qua admissa hypothesi, quisque facile intelligit, per *terram* necessario in hac prophetia intelligi *terram* illam totam quæ theatrum & sedes esset Judiciorum Divinorum; atque adeo primo quidem loco *terram Fœdifragorum & hypocritarum*, qui à Deo gravissime punirentur: inter quos Fœdifragos & Hypocritas illo tempore agerent & versarentur pii, qui Ecclesiam efficerent, hisce ipsis Judiciis Divinis probandi & purgandi. secundo, terram hostium Ecclesiæ, qui Populum Dei affligerent, & de quibus Deus hoc tempore vindictam sumeret cum magna rerum catastrophe. *omnem*, inquam, *terram* quæ *σχέσιν* habet ad *judicium* de quo hic agitur, in qua Populus Dei versatur & affligitur ab hostibus veritatis, secundum id quod dicitur Cap. XXV. 8. *Et* OPPROBRIUM POPULI *sui removebit* מעל כל הארץ *de* TOTA TERRA. h. e. liberabit Populum suum à persecutione. *Terram Canaanæam*, quatenus sedes esset Fœdifragorum Populi Dei, sive Ecclesiæ, primo loco hic intelligi, patet. *α*. Quod ubi הארץ *terra* absolute sic dicitur, rectissime intelligitur *terra Populi Dei.* ut apud Prophetam nostrum, Cap. VI. 12. *Et magna erit Desertio* בקרב הארץ *in medio* HUJUS TERRÆ. Cap. XXVIII. 22. *Quia absolutum quid & definitum* (cum respectu ad Judicium Divinum) *audivi a Domino Jehova Exercituum* Rectore על כל הארץ *super totam* HANC TERRAM. Pariter ut apud Jeremiam *b*: TERRA, *terra*, *terra*, (ארץ) *audi verbum Jehovæ.* *β*. Verba Prophetæ, ℣f. 2. *Et erit* SACERDOS *ut Populus:* hanc hypothesin sulciunt: si per *Sacer-*

Argumentum hujus Pericopæ, qua prædicitur *vastatio terræ.*

Emphasis phrasium.

Vis vocis בקק.

Significatio vocis בלק. Intt. sententiæ.

Vates se ipsum exponit. notatur *inversio terræ.*

Sensus metaphoricarum loquutionum.

Significatur *inversio status Reipublicæ.*

Quæ omnium sortes æquaret.

Usus præfixæ כ geminatæ.

Qualis terra hic intelligatur, & cujus temporis?

Intelligitur primo loco Judæa, qualis esset tempore Maccabæorum.

Rationes ejus sententiæ.

Vox הארץ *absolute* usurpata, sic passim sumitur.

Sensus sententiæ ex ea productus.

a Vide exempla Jud. VIII. 18. Gen. XVIII. 25. Cant. I. 4. *b* Jer. XXII. 29.

Terra esset in qua *Sacerdotes*, vere & proprie sic dicti.

Sacerdotem hic intelligatur *præfectus Sacrorum Populi Dei*. quod maxime probabile videtur. Est enim vulgata vocis significatio, quæ raro transfertur (uno tantum aut altero loco, sed quo significatio circumscribitur:) ad *Sacerdotes* idololatricos. γ. Ipsum prophetiæ argumentum id supponit. Prædicit enim gravissimam Ecclesiæ afflictionem, & ex afflictione liberationem. Ecclesia autem Populi Dei si affligenda esset: ubi *affligeretur*, nisi in *terra sua*, quæ primum hic sustinere debebat impetum? Nec tamen *terra* Canaanæa, sive *terra Ecclesiæ*, sola hic intelligitur: sed omnino etiam *terra hostium persecutorum* Ecclesiæ, de quibus Deus vindictam sumere decreverat. suntque ejus sententiæ certæ rationes. α. Quia in hac prophetia agitur non tantum de afflictione Ecclesiæ, sed etiam, & vel maxime, de punitione hostium ejus, Regumque & Principum, qui ei intentaverant persecutionem. ut Cap. XXIV. 21. *Et futurum est illo die, ut Jehova visitet super Exercitum excelsi in excelso, & super Reges terræ per terram.* Equidem verum est, hic, mutata notione, pro voce עזר usurpari notionem אזרח: sed id sensum non mutat, cum illæ notiones passim in Verbo Dei alternentur. Sic אזרח de *Canaanæa* usurpatur apud Prophetam nostrum, Cap. I. 7. VI. 11. XIV. 1. & alibi. Pertinet huc pariter, quod dicitur Cap. XXVI. 21. *Quia ecce Jehova egreditur e loco suo ad visitandam iniquitatem incolarum terræ* (vel, *terræ hujus*) *super eam, & reteget terra sanguines suos*, (occisorum caussa Religionis,) *& non teget amplius occisos suos.* martyres. Ergo tota hic intelligitur *terra* in qua fusus est sanguis martyrum Religionis. Confer reliqua quæ huc adduxi, §. XI. β. Ea est terra, quæ hic memoratur, cujus terræ celebris est *Metropolis*, sedes Principum Ecclesiæ infestorum; cujus frequens mentio est in hac prophetia, ut supra jam monui. ut Cap. XXVI. 1. 2. *Jehova Deus meus qui es! Extollam te, quia posuisti* URBEM *in acervum*; URBEM MUNITAM *in ruinam*; *Palatium peregrinorum ne sit* URBS. *in æternum non redificabitur.* Loca parallela alia supra jam enotavi. Sunt, fateor, qui per Metropolim hanc intelligunt Hierosolymam: quorum sententiam suo loco excutiam & refellam. est enim absurda plane & à ratione aliena. Intelligitur Metropolis aliqua hostilis, eaque celeberrima, secundum decreta Justitiæ Divinæ destruenda vel destructa. γ. Parallelus locus Apocalypsios, qui hunc nostrum mystice declarat, absque omni dubitatione hanc hypothesin certo requirit. Nimirum respondet prophetiæ huic nostræ *Visum Sigilli Sexti* [a], ut ex comparatione utriusque, & loco hujus prophetiæ, Cap. XXV. 8. cum Apoc. VII. 17. collato, liquet. Argumentum illius prophetiæ est afflictio quædam gravissima, eaque generalis, proposita sub typo venti vastantis ac lædentis, prorupturi ex quatuor cœli cardinibus, sive *ex quatuor angulis τῆς γῆς* TERRÆ: qua afflictione & persecutione postquam defuncta esset Ecclesia, de hostibus suis omnibus, Judicio Divino prosternendis, gloriose triumpharet, vindicanda in statum libertatis, quietis, & consolationis. quæ prophetia vel pertinet ad Ecclesiam ex gravissima afflictione vindicatam tempore Constantini; vel vindicandam in fine temporum cum destructione plenaria potestatis Antichristianæ: estque posterius illud verosimillimum, ut alibi evici. Sed utram hic sequutus fueris hypothesin, non negaveris, aspectum *Visi Sigilli Sexti* requirere generaliorem *terræ* significationem, qua sumitur pro ea terræ parte quæ theatrum esset eventuum hujus Visi, h. e. tam Ecclesiæ per terram sparsæ affligendæ, quam hostium Ecclesiæ puniendorum, quod idem itaque in hac prophetia observandum. Ergo cum in *Anacrisi* demonstraverim, prophetiam hanc pertinere ad tempora Epiphanica: consequens est, per *terram* cujus hic mentio fit, præcipue intelligi *terram* vasti & potentissimi Regni Syro-Macedonici, ex qua prodirent persecutores Ecclesiæ; cui *terræ* accensebatur *Judæa*, pars Syriæ Cavæ vel Phœnices: quam utramque sibi vindicabat Antiochus Epiphanes. In primo autem prophetiæ hujus aspectu omnino putem præcipue & directe per *terram* concutiendam, invertendam, evacuandam, cum dispersione incolarum ejus, intelligi JUDÆAM, à profanis & hypocritis habitatam, quam Deus volebat esse primam sedem suorum Judiciorum & Probationis Ecclesiæ.

Adstruitur idem ex argumento prophetiæ; in qua prædicitur afflictio Populi Dei.

Nec tamen sola hic intelligitur Judæa, sed & terra Imperii Syriaci, cujus illo tempore partem faciebat.

Rationes ejus sententiæ.

Locus Cap. XXIV. 21.

Ad quam pertinebat *Metropolis*.

Adstruitur certius ex loco Apoc. VI. 12. segq.

Argumentum prophetiæ Apocalypticæ.

Quo referenda sit?

Consequens ex sensu prophetiæ illius elicitum.

Collectio ex superioribus facta ad resolvendum Quæstum.

Implementum Prophetiæ.

Implementum hujus prophetiæ [b] fuit in historia. Postquam expirasset Alexander, tot Gentium Domitor & Victor, parentatum ei est, secundum id quod prædixisse fertur, *magno certamine funebri* [b]. Duces enim Copiarum ejus, Imperio inter se diviso, *in mutuam armati perniciem* [c], maximos in mundo concitarunt motus; turbarunt Gentes & Populos, eorumque consumpserunt & dissiparunt opes ac thesauros; magnas ediderunt passim strages ac vastationes, & veluti infernali rabie incensi ambitioni suæ tanquam in vacua Orbis terrarum hæreditate nullum fecerunt modum. Josephus [d]: Στασιαζόντων δὲ τούτων καὶ πρὸς ἀλλήλους φιλοτιμεμένων ὑπὲρ τῆς ἰδίας ἀρχῆς, πολέμους τε συνεχεῖς καὶ μαυρὰς συνέβαινε γίνεσθαι, καὶ τὰς πόλεις κακοπαθεῖν, καὶ πολλὰς ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἀποβάλλειν τῶν δικητήρων. *Qui* (Duces Alexandri) *dum seditionibus agitantur, & de imperio quisque suo inter se contendunt, bella nata sunt continua, & longi temporis; Urbes afflictæ,* & HABITATORES EARUM PLURIMI *per diversa prœliorum certamina* DESIDERATI SUNT. Id vero ipsum est quod emphatice jam prædixerat Haggæus, Cap. II. 21. *Ego* (sunt verba Domini, quem loquentem introducit:) *commovebo cœlum & terram; & evertam* THRONUM REGNORUM; (Imperium Persicum,) *& profligabo* ROBUR REGNORUM GENTIUM; (Imperium Alexandri,) *& evertam quadrigam & vectores ejus; & cadent equi & sessores eorum,* QUISQUE GLADIO FRATRIS SUI. sc. Regna, ex Alexandrino nata, in mutuam incitata perniciem, bellis continuis, unis ex aliis satis. Idem est acsi cum Historico Romano [e] de Macedoniæ statu referente dicas, Imperium Alexandrinum *discurrentibus Ducibus in sua viscera armatum fuisse, ferrumque ab hostili bello in civilem sanguinem vertisse, exemplo furentium manus ac pedes suos ipsum cæsurum.* Id ita accidit in florentissima parte Orbis terrarum, *perpetuo inter omnes Alexandri successores bello*, ut Plutarchus [f].

Motus ingentes, conjuncti cum Judiciis Divinis, post mortem Alexandri.

Vaticinium Haggæi de Motibus Persicis & Macedonicis. Cap. II. 21.

Collatum cum loco Historici Romani.

Nec tamen qualiscunque hæc *vastatio & inversio terræ* fuerit, præstare potest perfectum implementum huic prophetiæ, quæ de *inversione & desolatione terræ* loquitur, quæ universum Reipublicæ statum pessundaret, incolas terræ *dispergeret*, & omnium incolarum ejus æquaret conditionem, singulari quodam Dei judicio. Sed accidit id verissime in Canaanæa circa & post tempora Antiochi Epiphanis in summis illis calamitatibus, quibus Gens Judæa defuncta est per plures annos, ab A. CXLIII. *Æræ Seleucidarum*, ante N. Chr. Æ. V. CLXX. à quo Antiochus in hanc Gentem sævire cœpit. quod tempus Danielli (Cap. VIII. 19.) appellatur tempus זעם *indignationis*. quæ calamitas Populi Dei mox revoluta est in Syriam, terræ Populi Dei contiguam, cujus partem eam censeri volebat Antiochus. Hoc tempore status Canaanææ, *dispersis incolis ejus*, sursum deorsum versus est; Hierosolyma deserta; Templum fœde pollutum, profanatumque; vastati desolatique agri à magnis Exercitibus Syrorum, in Judæam immissis; & vicissim ab ipsis Maccabæis, vindictam sumentibus de Syris & Fœdifragis; destructa plane Respublica; omnia confusa, omniumque æquata conditio; ut nulla vividior imago pingi possit hujus calamitatis & inversionis status Judææ, & mox etiam Syriæ, quàm fit in hac prophetia. de quo nemo dubitaverit, qui legerit *primum & secundum* Libros Maccabæorum, quorum historiam hic non describo; & Odas Sanctorum hanc calamitatem describentium, quæ inter Davidicas comparent. Tantum observabo consonantiam phrasium, quæ mihi in historia occurrunt, cum historia ipsa notissima sit. Sic Auctor

Qui tamen motus spectandi erant ut præludia perfectioris implementi hujus prophetiæ, quod cadit in tempus Antiochi Epiphanis, & Successorum ejus.

Aspectus hujus temporis per omnia consentiens prophetiæ.

[a] Cap. VI. 12. segq. [b] Arrian. Lib. VII. 26. [c] Justin. Lib. XIII. 1. [d] Antiq. XII. 1. [e] Just. Lib. XIII. Cap. VI. [f] In Daniel.

Historia producta ad illustrandam prophetiam, ejusque phrasin, ex *Maccabaicis* & Josepho.

Primi Maccabæorum [a]: *Itaque fuit luctus magnus inter Israëlitas in omni loco ipsorum: & ingemuerunt* PRINCIPES *&* SENIORES; *virgines & juvenes infirmati fuerunt, & forma fœminarum immutata. omnis sponsus assumpsit lamentum, & quæ sedebat in thalamo fuit in luctu, καὶ ἐσείσθη ἡ γῆ ἐπὶ τοὺς κατοικοῦντας αὐτήν· &* COMMOTA *est* TERRA *propter incolas ejus, & universa domus Israël induit pudorem.* Mattathias in oratione ad filios [b]: *Nunc firmata est superbia & redargutio, καὶ καιρὸς καταστροφῆς καὶ ὀργὴ θυμοῦ· estque tempus* EVERSIONIS, *& ira excandescentia.* Josephus eum apud filios deplorasse ait [c] τὴν κατάλυσιν τῶν πραγμάτων, καὶ τὴν τῆς πόλεως διαπραγήν, καὶ τὸ λαὸ τὴν σύλησιν, καὶ τὸ πλήθος τὰς συμφορὰς, INVERSIONEM *status rerum*, (quæ hic videtur esse notatio vocis καταλύσεις,) *direptionem Urbis, depræ-*

Speciatim de *Sacerdotibus*, plebi æquatis.

dationem Templi, & MULTITUDINIS *calamitates.* Passim vero hi Scriptores, ubi de Exercitibus Syrorum loquuntur, de *vastatione*, (πορθήσει) *desolatione* [d], πληγῇ μεγάλῃ *magna plaga* quo afflicta est Judæa tota, & *contritione* loquuntur [e]; nec opus est loca exscribere, cum res per se ex tota historia manifesta sit. Tantum quod in prophetia dicitur, SACERDOTUM *& Populi* æquandam esse sortem: quis non videat & sentiat, eo indicari clarissime, *Templi* pollutionem & cessationem Sacrorum ad tempus consilio Divino descriptum, dum *Sanctuarium* ἐρημώθη ὡς ἔρημος, *redactum fuit in solitudinem* [f]; *altare profanatum; portæ exustæ; & in atrio stirpes enatæ ut in sylva aut monte aliquo, & pastophoria diruta* [g]. Inde historia [h]: *Sancta tua conculcata & profanata sunt, καὶ οἱ ἱερεῖς σου ἐν πένθει καὶ ταπεινώσει· &*

Locus Ps. LXXIV. 3. 8.

SACERDOTES TUI *in luctu &* DEJECTIONE. Atqui hæ sunt illæ משאורת נצח *Vastitates perfectæ*, sive *inceſſanter factæ*, ut Vir Doctus, factæ in *Sanctuario*, & per totam TERRAM, *in qua cremarunt Synagogas Dei* [i]. Pertinet Ode ad tempora Epiphanica: perinde ac sequens, in qua Vates sive Vir sanctus de angustia hujus tempo-

Ps. LXXV. 4.

ris [k]: *Liquefacta erat* (diffluxerat,) ארץ TERRA, *&*

Ps. LXXIX. 1.

omnes INCOLÆ *ejus.* Idem est quod Ps. LXXIX. 1. *Deus! venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum tuum sanctum,* שמו ארת ירושלם לעיים *posuerunt Hierosolymam in* CUMULOS. Rursus, ℣. 7. *Comederunt* (Gentes alienigenæ,) *Jacobum,* ואת נוהו השמו *&* MANSIONES EJUS VASTAS EFFECERUNT. Reliqua sunt ejusdem argumenti, & in sequentibus usu venient. Eodem pertinet querela Ecclesiæ hujus temporis, in Ode

Ps. LXXX. 13. 14. Et Ps. LXXXIX. 4.

sequente [l]: *Quare diruisti maceries ejus,* (Populi Dei, ut vitis plantatæ in Canaanæa,) *ut carperent eam omnes transeuntes viam;* VASTET EAM SUS SYLVESTRIS, (Antiochus Epiphanes,) *&* ANIMALIA AGRI DEPASCANTUR EAM! & alibi [m], de iisdem hisce hostibus: *Populum tuum, Jehova! conterunt, & hæreditatem tuam subigunt,* vel *affligunt.* Similia horum ex his aliisque Odis, quas omnino putem circa tempus afflictionis Epiphanicæ compositas esse, vel calamitatem illius temporis prædicere, plura suo loco adducam, quæ tam hanc nostram prophetiam illustrant, quam interpretationem nostram confirmant. Sensum mysticum interpretationi totius *Capitis* subjiciam.

GRADATIO ALTERA.

Gradatio altera de *direptione terræ.*

℣. 3. *Pastinando pastinabitur terra, &* DIRIPIENDO DIRIPIETUR, *quia Jehova loquutus est verbum hoc*] Cum calamitates publicæ, terræ incumbentes, variis temporum articulis & gradibus iterarentur atque ingeminarentur: Vates sacer ad hosce calamitatis publicæ aspectus suam accommodavit orationem, eamque in va-

Implementum in historia.

rios articulos & gradationes divisit. Quod hic dicitur, licet accipere de direptione Templi & Hierosolymorum, & terræ Judææ totius, facta tam ab Antiocho Epiphane ipso, qui *Sanctuarium* arroganter ingressus, illud ornamentis, atque instrumentis cultus sacri aureis & argenteis, *thesaurisque* etiam *occultis*, spoliavit, & *acceptis omnibus abiit in terram suam* [n]: quam à Duce ejus Apollonio, biennio post, (h. e. A. Æræ Seleuc. CXLV.) de quo historia [o]: *Acceptisque* SPOLIIS CIVITATIS, *succendit eam igne, & diruit domos ejus, & muros ejus per circuitum; & captivas abduxerunt mulieres & liberos, & jumenta possederunt.* Habes inchoatum implementum prophetiæ Zachariæ [p]: *Ecce dies venit Jehovæ, & dividentur spolia* (*Hierosolyma* appellatur:) *tua in medio tui: & congregabo omnes Gentes adversus Hierosolymam in bellum; & capietur Urbs; & diruentur domus; & mulieres violabuntur; & exibit dimidium civitatis in exilium: & reliquum populi non exscindetur ab Urbe.* Verba Prophetæ κατὰ τὸ γράμμα ad hæc tempora pertinent. Eadem historia de Mulieribus quæ liberos ex se editos circumciderant [q]: Καὶ τὰς ὄικας αὐτῶν προενόμευσαν· *Et ædes earum diripuerunt.* Cum quibus conferendus Josephus horum Interpres in historia Antiochi [r].

Vaticinium Zach. XIV. 1. cum historia collatum.

GRADATIO TERTIA.

Gradatio tertia de *lugendo terræ & Sacerdotum* statu.

℣. 4. *Luget, marcet terra; languet, marcet* ORBIS HABITABILIS; *languent* QUI SUNT *sublimis Populus terræ*, vel *in* CELSO POPULI TERRÆ] Talis aspectus fuit Judææ hoc tempore, & Syriæ, quæ in confessores veræ Religionis, qui *Asidæi* dicebantur, sæviens, se ipsam exhausit, & mox post cædem Eupatoris, filii Antiochi Epiphanis, adhuc minorennis, incidit in gravissimas calamitates, Principe uno alium extrudente, & inter se de Regno cum mutua pernicie acriter dimicantibus; quæ dissidia Ægypti & Asiæ Reges suæ utilitatis caussa strenue fovebant, se, quotiens ferebat occasio, miscentes partibus. Est autem *Syria*, quæ hic dicitur ORBIS, (תבל) quæ vocis est recepta significatio,

Implementum ex historia Syriaca & Judaica.

Syria hic Judææ juncta *Orbis habitabilis.*

à qua hic cum aliis quibusdam Interpretibus discedere nolui: etsi non nego, posse esse ejus notationem restrictiorem, si necessitas flagitet. Potest autem stylo Prophetarum sic appellari, quod eo tempore complecteretur florentissimam Asiæ partem. Sic solent Scriptores etiam exteri. Hannibal, conflicturus cum Romanis in Oratione ad milites apud Livium [s]: *Trajecisse se Iberum ad delendum Nomen Romanorum, liberandumque* ORBEM TERRARUM. Atqui Romani illo tempore nondum nacti erant Imperium Orbis, sed tantum obtinebant Italiam, Siciliam & Sardiniam, cum ea Hispaniæ parte quæ est cis Iberum, aut Ibero proxima. Equidem non est dubitandum, quin Seleucidarum Imperium licet hoc tempore jam aliquatenus accisum, quale conditum fuit à Seleuco Nicatore, inter omnia quæ ex Alexandrino nata sunt, maximum fuerit, estque id judicium purissimi Scriptoris Arriani [t], & ipsius quoque Appiani [u], cætera Ægyptio Regno maxime faventis [x]: quod ego quoque non negem, potentia & opibus insigniter floruisse. Sed id hoc in loco non agitur, cum minor etiam pars *Orbis terrarum*, & ipsa quoque Judæa, stylo Prophetico תבל *Orbis habitabilis* dici queat. Justinus Trogi de Seleuco Syriæ & Lysimacho Thraciæ Regibus [y]: *Quippe cum* ORBEM TERRARUM *duo soli tenerent*, &

Exterorum Scriptorum phrasis cum hac collata.

seqq. Repete mecum de *luctu* & *marcore Judææ*, &

Locus ex Maccabaicis.

languore eorum *qui sunt in celso Populi terræ*, h. e. Sacerdotum & Magistratuum qui Judææ præerant, verba historiæ [z]: *Itaque fuit* LUCTUS MAGNUS *inter Israëlitas in omni loco ipsorum; καὶ ἐξέναξεν ἄρχοντες καὶ πρεσβύτεροι· & ingemuerunt* PRINCIPES *&* SENIORES, & seqq. Atqui id ipsum est quod hic dicitur מרום עם הארץ, si verba transferantur, *qui sunt in celso Populi terræ*, sive *qui faciunt cœlum Populi terræ:* etsi verti quoque possunt, non minus eleganter; *qui sunt sublimis Populus terræ.* Posteriore sensu intelliguntur Israëlitæ, quos Deus supra omnes Gentes alias honestaverat insignibus prærogativis: priore intelliguntur *Sacerdotes*, Principes, Proceres, qui faciebant *cœlum mysticum* hujus Gentis, & qui ℣. 21. appellantur צבא המרום במרום *Exercitus celsi in celso.* ubi hanc interpretationem evinco & adstruo. quod huic quoque loco egregie convenit. Observa interim Grammaticam elegantiam in *Paronomasia* vocum אבלה נבלה.

quam

---

a 1 Macc. 1. 26. b Cap. 11. 49 c *Ant.* Lib. XII. Cap. VIII. d Cap. III. 39. 42. XIII. 32. e Jos. Lib. XIII. Cap. XIII. f 1 Macc. 1. 42. g Cap. IV. 38. h Cap. III. 51. i Ps. LXXIV. 3. 8. k Ps. LXXV. 4. l Ps. LXXX. 13. 14. m Ps. XCIV. 4. n 1 Macc. 1. 23. 24. o ℣. 33. 34. p Cap. XIV. 1. q Cap. 1. 61. r *Antiq.* Lib. XII. Cap. VII. s Hist. Lib. XXI. Cap. XXX. t Hist. *Expedit. Alex.* Lib. VII. Cap. XXII. u De *Bel. Syr.* p. m. 191. x *Præf.* y Lib. XVII. Cap. I. §. 12. z 1 Macc. 1. 26.

quam figuram orationis Prophetæ noſtro familiarem eſſe, jam docuimus in *Prolegomenis*.

Interjecta Parentheſis de *Cauſſis* hujus *Calamitatis*.

Interjecta parentheſis, quæ explicat *Cauſſas* hujus Judicii.

Senſus Pericopæ.

vſ. 5. *Et terra* FOEDE POLLUTA EST *ſub habitatoribus ſuis: quippe tranſgreſſi ſunt* LEGES; *immutarunt* STATUTUM; *irritum fecerunt* FOEDUS ÆTERNUM] Deſcribit pericopa veluti per parentheſin Cauſſas Judicii Divini in terram, notabiles vere & nobis demonſtrantes veram hujus prophetiæ ſcenam. Eſt autem, ut rem paucis complectar, cauſſa præcipua *ſanguis innocuus* tum *fratrum* & *contribulium*, tum *confeſſorum veræ Religionis*, *adverſus* Jus Divinum & Humanum, & ipſum Naturæ ac Gentium Jus commune, flagitioſe effuſus. hic enim verus eſt ſententiæ ſenſus, ſi ego plurimum non fallor.

Senſus vocis חנפה, quæ hic redditur, *fœde polluta eſt*.

Prius his verbis effert: והארץ חנפה תחת ישביה quæ ego verti: *Et terra fœde polluta eſt ſub habitatoribus ſuis*. Kimchius vellet; PROPTER *habitatores ſuos*. quæ ſignificatio eſt vocis תחת Jer. v. 19. aliiſque locis. Sed major vis eſt in interpretatione noſtra, quæ ſupponit, non omnes *terræ incolas* ſe reos feciſſe ſceleris cujus cauſſa *terra polluta & obnupta fuiſſe* dicitur: attamen terram *ſub ipſis* eſſe pollutam, hauſto videlicet ſanguine innocuo, atque ideo maledictioni ſubjectam incolas ſuos evomere. Cætera conſentiunt plerique Intt. in ea interpretatione vocis electæ חנפה, quam ego hic produxi, ut notet terram *pollutam*, *infectam*, & quidem quæ emphaſis vocis eſt, *ſanguine innocuo*. Sic ſumitur manifeſte Num. XXXV. 33. *Et non* תחניפו FOEDE POLLUETIS (obnubetis,) *terram in qua eritis, quia ſanguis terram fœde polluit, & terræ non expiabitur ſanguis in ea effuſus, niſi ſanguine effundentis eum*. Patet hinc genuina metaphora, à qua petita eſt ſignificatio vocis חנף proprie ſignificat *obnubere*, *velare*, peregrinam ſibi ſpeciem exteriorem aſſumere, unde transfertur ad *hypocriſin* & *hypocritam*. Id vero ita fit in *terra infecta innocuo ſanguine*, ut *colorem* & *faciem* mutet; lutulenta & cœnoſa in glebam rubicundi coloris tranſmutetur; quæ eſt veluti hypocriſis quædam terræ, cum ſit *color adſcititius*, qui provocat vindictam Juſtitiæ Divinæ [a]: tandiu duraturus, quandiu ſcelus non fuerit expiatum. Eadem proprietas ſignificationis vocis ſervatur Pſ. CVI. 38. *Et effuderunt ſanguinem innocuum, ſanguinem filiorum & filiarum ſuarum, ...* ותחנף הארץ בדמים & OBNUPTA EST *terra ſanguinibus*. unde jam alia ſcelera gravia, parricidio æquiparanda, dicuntur terram *fœde polluere*, ut Jer. III. 1. 2. Patet inde, quam docte & prudenter locum hunc noſtrum tractaverit Symmachus, cujus hæc eſt verſio: Ἡ γῆ ἐφονοκτονήθη ὑπὸ τῶν κατοικούντων αὐτήν· *Terra cæde contaminata fuit ab habitatoribus ſuis*. ſic recte Curterius. Interpres Græcus eandem habet vocem Φονοκτονέω in locis Num. XXXV. 33. & Pſ. CVI. 38. modo allegatis. Forte exprimere Symmachum voluit Hieronymus, ubi ſcripſit: *Interfecta eſt terra ab habitatoribus ſuis*. etſi malim, ſcripſiſſe, *infecta eſt*, ut plures nunc Editiones præferunt. Coccejus noſter alibi ſcribit ad interpretationem hujus vocis, *terram* dici *infici hypocriſi*, *quando ut diſſimulans peccatum, aut ſanguinem effuſum tegens, fert peccatori fructum ſuum*. Meditatio vere docta eſt, ſi eam in ſe ſpectes: ſed plane contraria genuinæ hujus phraſios notationi, ut ſtylo Scripturæ S. recepta eſt. Hypocriſis enim *terræ*, ut monſtravi ex locis ſupra adductis, eo conſiſtit, quod per *ſanguinem innocuum* terræ obducatur cruſta peregrina ſanguinei coloris, Divinam provocans vindictam. Strata ſic eſt via ad ſequentia recte intelligenda, quæ Intt. omnes non æque feliciter accepiſſe videntur. Prophetia iis deſignat grave illud crimen quod ipſe præcipue hic reſpiciebat, tanquam præcipuam cauſſam pollutæ terræ. his verbis: *Tranſgreſſi ſunt* תורות LEGES: *immutarunt* (חלפו. Gr. Ἤλλαξαν. Hieron. *Mutaverunt*. proprie. *leviter tranſiverunt*.) *Statutum*. *irritum fecerunt Fœdus æternum*. Plerique Intt. hic ſimpliciter intellexerunt tranſgreſſionem Legis Moſaicæ ſecundum ſuas ſpecies. alii, cum per *Leges* & *Statutum* hic intelligant *Leges Moſaicas Morales* quæ dicuntur, & *Rituales*: per *Fœdus æternum* intelligunt ex hypotheſi ſua Promiſſum Chriſti Jeſu & in eo fundatam *Conventionem Gratiæ*, æternum duraturam. Sed ſi ad hæc verba rectius attendiſſent: potuiſſent obſervare, crimina hic deſignari longe graviſſima, ut eſt *effuſio ſanguinis innocui* ſervorum Dei & confeſſorum veræ Religionis: ut adeo *tranſgreſſionis Præceptorum ritualium* hic ratio haberi nequeat. Propheta quoque ſic inſtruxit orationem ſuam, ut nos ab ea cogitatione abduceret. Non ſcripſit enim: *Tranſgreſſi ſunt* תורה LEGEM; *tranſiverunt* חקים STATUTA: ut vulgo ſolent Scriptores Sacri, ubi de Legibus Moſaicis loquuntur; ſed phraſi peculiari; תורות *Leges*, & חק *Statutum*. nec tamen me latet, תורות etiam *in plurali* de Moſaicis uſurpari: at rarius. Obſervo etiam illud, non dici hic, תורת יהוה *Legem Jehovæ*, aut *Dei*, ut vulgo ſtylo Scripturæ; ſed ſimpliciter, *Leges*, *Statutum*, *Fœdus æternum*. Cenſeo itaque, nec putem falli, has notiones omnes adhiberi à Propheta ad deſcribendum *Jus Naturæ* & *Gentium*, (quod *Iſraëlitæ* cum *Gentibus* commune habebant,) adverſus quod illa Crimina committerentur quæ hic recenſentur. תורות *Leges* hic ſunt *Leges Naturæ*, *Conſcientiæ*, & communis Juris utilitatiſque quibus ſtat Societas Generis humani. ſive ex ſenſu Prophetæ, *Jura Divina* & *Humana*. חק *Statutum* hic idem illud eſt quod exteri Scriptores Nepos [b] & Salluſtius [c], vocant *Jus Gentium*, & Græci τὰ κοινὰ τῶν ἀνθρώπων ἤθη, quæ phraſis eſt Polybii [d], ſive τὰ παρ' ἀνθρώποις ὡρισμένα δίκαια, quomodo ipſe alibi [e]. *Fœdus æternum* hic eſt *Lex æterni Juris*, ſcripta in conſcientiis omnium mortalium, qua Societas humani generis inter ſe devincta eſt. quæ *Leges* etiamſi Moſaicis quoque comprehenſæ ſunt: hic tamen à Propheta ſeorſim deſignantur, tum ut enormitatem ſcelerum & flagitiorum, quæ hic reſpicit, clarius deſignaret; tum ut ſignificaret, ſe hic non tantum de Iſraëlitarum & Populi Dei, ſed & de hoſtium ejus, qui Lege Moſaica non obſtringebantur, flagitiis loqui. Eſt autem ſcelus quo hic reſpicit maximum, profuſio ſanguinis innocui, ſive ab hoſtibus facta in cauſſa Religionis adverſus communia Gentium Jura, quæ Religionem cuique ſuam integram ſervant; ſive à cognatis, fratribus, conſanguineis Judæis in Judæos, Sacerdotum in Sacerdotes & Plebem per mutua parricidia: quod ſcelus eſt maximum. Hoc illud eſt quod dicitur Cap. XXVI. 22. *Nam ecce Jehova egreditur è loco ſuo ad viſitandam pravitatem habitantium terram in ipſa; & revelabit terra* SANGUINES *ſuos, & non teget amplius* OCCISOS *ſuos*. Confer jam Oden Sancti Viri, calamitatem temporis Epiphanici deſcribentis Pſ. LXXIX. 1. ſeqq. *Deus! venerunt Gentes in hæreditatem tuam; polluerunt Templum tuum ſanctum. poſuerunt Hieroſolymam in tumulos. dederunt cadaver ſervorum tuorum volucribus cœli; carnem* חסידיך PIORUM TUORUM (ASIDÆORUM tuorum; quo nomine appellantur ipſo in hiſtoria Maccabæorum:) *animalibus terræ*. EFFUDERUNT SANGUINEM ILLORUM, *ut aquam circa Hieroſolymam, & non eſt qui ſepeliat*. Fœderis autem notionem eodem vel ſimili ſenſu in non diſſonis circumſtantiis ſumi putem in deſcribenda ſumma impietate hominum aliorum vitæ inſidiantium, aut contra jus & fas populos vaſtantium, in Pſ. LV. 21. *Miſit manum ſuam in pacificos ſuos; profanavit* FOEDUS *ſuum*. & apud Prophetam noſtrum de Tyranno, Antiocho ſimili, Cap. XXXIII. 8. *Irritum fecit* FOEDUS; *ſprevit Urbes; non reputat quenquam*. phraſi Domini in Parabola [f]; Θεὸν μὴ φοβούμενος, καὶ ἄνθρωπον μὴ ἐντρεπόμενος. Nec eſt mihi hæc interpretatio priva. Propoſuit eam jam inter Judæos Aben-Ezra, qui ad vocem תורות *Leges* hæc adſcripſit; שקול הרעה שכל בני אדם משתוים בו *Libramen rectæ rationis, commune toti generi mortalium*. Rurſus ad vocem חק *Statutum*: והחק הם חקי השם כפי התורה ורוב הוא מעם ברית עולם *Per Statutum autem* hic recte intelligas *Statuta Dei*, *huma-*

Interpretatio firmata ex parallelis.

Genuina ſignificatio vocis חנף collata cum re, de qua hic agitur.

Deſignatur ea crimen tuſ *ſanguinis innocui*.

Symmachi verſio laudata.

Vox Φονοκτονίαν.

Coccejus ad phraſin obſervatio, & ad eam animadverſio.

Sequentia Prophetæ verba: *Tranſgreſſi ſunt Leges, &c.*

Intt. communis ſententia.

Ad eam ἐπίνευσις.

Singularitas phraſios Prophetæ.

Per *Leges*, *Statutum*, *Fœdus æternum*, hic intelliguntur *Jura Naturæ & Gentium*.

Phraſis ex exteris Scriptoribus illuſtrata.

Ratio hujus loquutionis inſolentioris.

Delictum graviſſimum quo hic reſpicitur, eſt profuſio *Sanguinis innocui* in cauſſa Religionis.

Probatur hypotheſis ex prophetia ipſa, & ex parallelis.

Uſus notionis *Fœderis* pro Lege Naturæ.

Aliorum Intt. conſenſus.

a Gen. IV. 10. 11. b In *Themiſt.* Cap. VII. c *Bell. Jugurth.* Cap. XXII. d Hiſt. Lib. 1. Ed. Amſtel. p. 100. e Lib. 11. p. 135. κοινοὶ τῶν ἀνθρώπων νόμοι. p. 200. f Luc. XVIII. 2.

humanæ naturæ per natales insita; idemque sensus est ejus quod sequitur, sc. *Fœderis æterni*. Magis gaudeo consensu Hieronymi. *Audiant* (sic ipse ad h. l.) *Judæi qui se solos accepisse Legem Domini gloriantur, quod universæ primum Gentes, totusque Orbis naturalem acceperit legem, & idcirco postea Lex data sit per Mosen, quia prima Lex dissipata est.* Et tamen pressius adhuc Liranus. Per *Leges* intelligit ille *Leges Divinas*: per *Statutum*, *Jus bonæ consuetudinis quæ est Jus humanum*: per *Fœdus sempiternum* vero, *Jus naturæ quod in mentibus humanis indelebiliter est scriptum.* Ex recentioribus addo Pellicanum, qui *Leges* & *Statutum* pariter interpretatur de *Legibus Naturæ* quæ *Deum* & *Proximum* respiciunt, & de *Lege Naturæ* mortalium *indita*; & *Fœdus æternum* de Lege conscientiæ qua quisque *alteri* jubetur *facere quod sibi fieri velit, & velle debeat.* Nec tamen hic excipio Legem Mosaicam, acsi illæ *Leges*, *Statutum*, & *Fœdus æternum* Mosaicis omnibus contradistinguerentur. Propheta sic loquutus est ut doceret, se hic non loqui de transgressione Legum *ritualium*, quibus soli Judæi obstricti erant: sed de transgressione *moralium*, æterni & sanctissimi Juris, quas Mosaicæ tabulæ æque ac Gentium communia Jura commendabant.

Lex Mosaica hic non excipitur, quippe quæ ipsa quoque complectitur Jus Naturæ.

Implementum ex historia.

Status Reducum ex Exilio corruptus.

Est autem historia hic clarissima. Status reducum ex Exilio Babylonico ita se habuit, ut licet cultus Religionis externus juxta præscriptum Legis Mosaicæ celebraretur, sensim tamen Populum Dei magna rursus invaserit corruptio; non ea quidem universalis, quæ totam Ecclesiam infecerit: superfuerunt enim pii Dei cultores in omni ordine hominum: sed Sacerdotes maxime, adversus quos præcipue declamat Malachias [a], quorum aliqui ad profanas prolapsi sententias jus & fas omne conculcarunt, & immanibus se obstrinxerunt criminibus, & inter ea *innocui sanguinis*, in ipso quoque Templo profusi: non aliter ac Dominus rem enarrat in Parabola, ut *loco unius Dæmonis, septem illo pejores* corpus carnalium hominum in Judaismo ingressi sint, idque obsederint [b]. Consequens, Afflictio Epiphanica.

Origines scelerum, commissorum in Parricidiis, & historia eorum.

quæ crimina tandem in illos provocarunt gravissimum Dei Judicium tempore Antiochi Epiphanis. Initia repetenda sunt à filiis Jehojadæ, sive Judæ, quorum quidem Joannes, Pontifex, fratrem suum hujus dignitatis æmulum, in ipso Templo iratus obtruncavit, magno & detestabili facinore: rursus Manasses, hujus Parricidæ filius, frater Jaddi, ipse quoque Pontificiæ dignitatis æmulus, cum connubio filiæ Saneballathi consequutus Pontificatum inter Samaritanos, non dubitavit Religionis & Gentis suæ decus, plane prostituere, modo satisfaceret ambitioni [c]. Et erant tamen hæc initia tantum corruptionis, jam tum gliscentis. Complementum enim hujus impietatis incidit in initia Antiochi Epiphanis, quando Jason, Simonis II Filius, post fratrem Oniam III de Pontificatu dejectum, cum suis *ἀπέςησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας, καὶ ἐξεύχθησαν τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐπράθησαν τὲ ποιῆσαι τὸ πονηρὸν*, *desciverunt à* FOEDERE SANCTO, *& adjuncti sunt Gentibus, & venditi ad faciendum malum* [d]. Hi itaque sunt qui cum palam præ se ferrent, suæ se pœnitere & pudere Religionis: abnegata prærogativa sui status, præputia sua obduxerunt, Gymnasium extruxerunt Hierosolymis sub ipsum Templum, & Urbem polluerunt statutis Gentium. Inde repetendæ sunt causæ Divini in Gentem Judicii, & flagitiorum adversus Divina & Humana Jura commissorum, quæ tam culpæ quam pœnæ rationem habent: ut fit in Judiciis Divinis. Ejusmodi est scelus imminente calamitate Epiphanica per Menelaum, Simonis Benjaminitæ fratrem, Pontificatum ab Antiocho pactum contra Leges Patrias, editum in Onia tertio, à fratre Jasone ab hac dignitate depulso, quem ille probum & innocuum Virum insigni flagitio per Andronicum in Syria necari curavit; ut est in historia Maccabaica [e]. Pariter Jasonis ipsius, fratris Oniæ, à Menelao dejecti de Pontificia dignitate, qui dum Antiochus in Ægypto versabatur cum exercitu, irruptione in Hierosolymam facta, *ἐποίησατο σφαγὰς τῶν πολιτῶν τῶν ἰδίων ἀφειδῶς*, *magnas in propriis concivibus strages sævissime edidit*: ut eadem testatur historia [f]. De his Propheta ipse, horum temporum calamitatem depingens, Cap. LIX. 7. *Pedes illorum in malum festinant*, וימהרו לשפך דם נקי *& properant ad effundendum* SANGUINEM INNOCUUM. Sed vicit hæc scelera Antiochus Epiphanes, notus in historia Populi Dei *διὰ τὸ τῶν τολμημάτων αὐτῆ καὶ ἀσεβημάτων ἐμμανὲς*, ut Æliani elegantem phrasin ex historia Agathoclis huc transferam; & qui in partibus ejus fuerunt Fœdifragi, *defectores à Lege* ex ipsa Ecclesia Populi Dei, qui terram Judæam totam innocuorum veritatis confessorum sanguine adversus Divina & Humana Gentium Jura polluerunt. Hujus Principis fuit, *mirabiliter perdere*, tam magnos *robustosque* Populos & in his præcipue Ægyptios, quam עם קדשים *Populum Sanctorum* [g]: idque contempta passim omni religione Fœderum, (certe quod ad Populum Dei:) perfide innocuos opprimendo, & palam in confessores veræ Religionis adversus Jura communia Populorum & Gentium immaniter sæviendo. erat enim exemplum in Mundo novum, homines religionis caussa, cui à natalibus innutriti fuerant, crudeliter persequi ad necem. Hierosolymam sive vi sive dolo (variat etiam hic historia; etsi posterius probabilius videri queat, cum factio ejus, quæ erat Pontificis Menelai, in Urbe prævaleret:) occupavit Antiochus post secundam Expeditionem ex Ægypto reversus, & quam in incolas, ipsi subditos, iram conceperat, absque commiseratione effudit, cum multorum mortalium cæde, aliorum servitute [h]. Gesta res est A. Seleuc. CXLIII. ante N. C. CLXX. Et tamen majus fuit scelus Apollonii, unius ex Præfectis ejus, qui ejus nomine collecturus tributa biennio post, *pacem* præferens & *amicitiam*, *repente in Urbem irruit, καὶ ἐτάραξεν αὐτὴν πληγὴν μεγάλην, καὶ ἀπώλεσε λαὸν πολὺν ἐξ Ἰσραήλ· percussitque eam plaga magna, & perdidit multum populum ex Israële* [i], idque, ut alter Maccabaicæ historiæ Scriptor narrat [k], *die Sabbathi*: ne quid sc. perfidiæ ac sceleri deesset. cujus Apollonii partibus cum se Hellenismi sectatores, qui à Lege defecerant, adjungerent, *ἐξέχεαν αἷμα ἀθῷον κύκλῳ τῆ ἁγιάσματος, καὶ ἐμόλυναν τὸ ἁγίασμα· fuderunt* SANGUINEM INNOCUUM *circa Sanctuarium, & polluerunt Sanctuarium* [l]. Atque hæc demum scelera sequuta est persequutio & afflictio Sanctorum, quotquot ad Edicta Regia à Religione Patrum discedere & Jovi Græcanico sacra facere recusabant, instituta adversus omnia Gentium illius temporis Jura. Hoc itaque tempore hausit terra Judæa & Syria sanguinem martyrum & confessorum veræ Religionis, de quo historia, satis nota, prolixe testatur [m], & oratio Judæ Maccabæi, 2 Macc. VIII. 3. seqq. Quæ scelera dum recenseo, in quibus Judæis fœdifragis suæ fuerunt partes; alia his similia non excludo, quæ sane perpetrata sunt gravissima. In tanta enim omnium rerum confusione & perturbatione Sacra sacratissima ab impuris hominibus cum Religionis ludibrio profanata sunt; Templum desertum; atria ejus incensa; vis & rapina obtinuerunt locum Juris: ne nunc plura memorem. Et tamen maxime velim, hæc omnia spectari in suis Caussis, quas supra explicui.

Et Antiochi Epiphanis, ac desertorum Religionis Patriæ.

Ut & Apollonii.

Consequens horum initiorum; summatim descriptum.

Status rerum sub Antiocho Epiphane.

Flagitia Sacerdotum.

Gradatio Quarta.

Gradatio quarta, qua exhibetur *Execratio* terræ incumbens.

ỳ. 6. *Iccirco* EXECRATIO *comedit terram, & rei aguntur habitantes in illa. idcirco* ADURUNTUR HABITANTES TERRAM, *& superstitat hominum parum*] Tertia hæc est gradatio, explicans Judicii Divini severitatem, illustranda ex Zacharia, Cap. v. 1. seqq. quæ comparatio utrique prophetiæ accendet lumen. Objiciebatur Prophetæ *Volumen volans, viginti cubitorum longitudinis & decem latitudinis*, veluti prodiens è Templo, cujus Templi Porticus hæ erant mensuræ. Dictum autem Prophetæ à Spiritu, huic Volumini inscriptas esse Execrationes quæ *totam* ferirent *terram*, caussa scelerum adversus Jura Divina & Humana perpetratorum. Verba Vatis:

Illustratur ex Zach. v. 1. seqq. in Viso de *Volumine Volante*.

---

[a] Cap. II. 1. seqq. [b] Matth. XII. 45. [c] Joseph. *Antiq.* Lib. XI. Cap. VII. [d] 1 Macc. I. 16. [e] 2 Macc. IV. 34. [f] 2 Macc. V. 9. [g] Dan. VIII. 23. 24. [h] 2 Macc. V. 11. seqq. [i] 1 Macc. I. 30. [k] 2 Macc. V. 25. 26. [l] 1 Macc. I. 39. [m] 1 Macc. I. 64. 65. Confer Joseph. Libro de *Ratione nulli imperio subjecta*.

Summa ejus prophetiæ.

Vatis: *Et dixit mihi: Hæc est* EXECRATIO (האלה, sive *Execratio* illa de qua vaticinatus est Jesaias:) *exiens in superficiem totius terræ* (sive, *totius hujus terræ*, ut hoc in loco:) *quia omnis* FUR (ὁ ἱερόσυλος, *qui sacra spoliat*,) *dehinc secundum eam* (execrationem,) *expurgabitur*; (excutietur, in nihilum redigetur:) *& omnis jurans* (falso. h. e. animo profanus,) *dehinc secundum eam expurgabitur. Faciam eam exire, ait Jehova*, Dominus *Exercituum, ut veniat in Domum furis, & per nomen meum falso jurantis; & pernoctabit in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus, lapidesque ejus.*

Ejusque implementum.

Prophetia hæc vere implementum suum consequuta est tempore Antiochi Epiphanis, licet corruptio, quæ postmodum in nervum erupit, jam glisceret circa tempus Malachiæ; estque ea ipsa *execratio*, quæ hoc loco Prophetæ memoratur, comprehensa videlicet terribilibus illis *execrationibus*, quibus profani transgressores Divinæ Legis Fœdere Ebalitico obstricti erant [a]. Hæc itaque *execratio* & terræ incumbens *reatus*, ex sceleribus contractus, in caussa erat quod incolæ ejus *extabescerent* sive *exarescerent*, & *paucos* residuos relinquerent. Hæc genuina vis est vocis חרה à חרה *aduri, exuri:* non *igne* aliquo *externo*, sed *interno*, ut fit in tabe, phthisi, aliisque hujus generis morbis, conjunctis cum continua febris uredine quæ viscera corporis depascitur, ejusque vim, vires, & vigorem omnem absumit. Est igitur metaphora diversa ab alia ei simili, qua *ignis*, sc. iræ Divinæ, quem dicitur *consumere*, quam Vates noster adhibet Cap. x. 17.

Applicatur ad h. l. Usus vocis חרה.

Illustratur ex parallelis.

Cognosci potest vis vocis ex Job. xxx. 30. *Cutis mea nigruit super me, & os meum* חרה ADUSTUM EST *præ siccitate.* pariter ex Ps. lxix. 4. *Laboravi vehemently in invocatione mea,* נחר גרוני ADUSTUM EST *guttur meum*, (exaruit:) *deficiunt oculi mei.* Symmachus: Ἐντρυχωθήσονται. *atterentur. exhaurientur.* Vult dicere Vates, præstantiores incolas terræ diffluere & sensim absumi ac interire; sive quod per calamitates publicas pereant vel abrepti dispergantur; sive quod opibus, bonis, fortunis suis spolientur, ad inopiam redacti: ut proinde *pauci* in terra, iique *inopes* tantum, supersint. Hic vere fuit aspectus Judææ circa tempora Epiphanica. Post direptam vastatamque Hierosolymam, & incolas ejus sive necatos sive abductos in servitutem, & emissum Edictum regium de mutanda Religione Patria: quicquid in terra supererat incolarum honestioris indolis & zelotarum Legis Divinæ sensim diffluxit & consuluit suæ securitati ac saluti, ut adeo superessent in terra pauci, & terra ipsa per *tabem* veluti aut phthisin aliquam exhausta videretur, execratione Divina ei incumbente. de quo videnda est historia.

Senssus clarius expositus.

GRADATIO QUINTA.

Gradatio Quinta.

ỳ. 7. *Luget mustum: languet vitis: ingemiscunt omnes læti corde.* ỳ. 8. *Cessat hilaritas tympanorum; deficit strepitus exultantium; cessat hilaritas citharæ.* ỳ. 9. *Cum cantico non bibitur* VINUM: *amara est sicera bibentibus eam*] Nec in verbis difficultas est, nec in re, ex historia notissima. Postquam Antiochus sævire incepit in Hierosolymitanos, & postea in Judæos omnes, confessores veræ Religionis: tota terra Judæa instar viduæ desedit in luctu & lacrymis; omnia turbata & confusa fuerunt; materia omnis gaudii ac lætitiæ cum Sanctuario profanato ac destructa Republica penitus intercidit; silueruntque nablia ac citharæ Templi æque ac privatorum modulamina, gesticulationes, & voces, compositæ ad hilaritatem. Referenda huc verba historiæ quæ jam supra descripsi [b]: Καὶ ἐγένετο πένθος μέγα ἐπὶ Ἰσραὴλ ἐν παντὶ τόπῳ αὐτῶν· *Et fuit* LUCTUS MAGNUS *inter Israëlitas in omni loco ipsorum, & seqq.* Rursus alibi in oratione Judæ ad Deum [c]: *Sancta tua conculcata & profanata sunt,* καὶ οἱ ἱερεῖς σου ἐν πένθει καὶ ταπεινώσει· *& Sacerdotes tui in* LUCTU *& dejectione.* Quin dixerat superius post commemoratam desolationem Hierosolymæ & Templi [d]: Καὶ ἐξήρθη τέρψις ἐξ Ἰακὼβ, καὶ ἐξέλιπεν αὐλὸς καὶ κινύρα· *ablataque est voluptas ex Jacob, &* DEFECIT TIBIA *&* CINYRA, h. e. cithara.

Gradatio Quinta: Status Luctuosus Hierosolymæ.

Historia producta ad illustrandam prophetiam.

ỳ. 10. *Confracta est* CIVITAS VANITATIS; *clausa est omnis domus, ne quis eam ingrediatur.* ỳ. 11. *Clamor super* VINO *est in vicis; confusa est omnis lætitia; migravit hilaritas terræ.* ỳ. 12. *Relicta est in* URBE VASTITAS, *& tumultu contunditur porta*] Compara cum hisce historiam [e]: JERUSALEM *vero erat inculta* ὡς ἔρημος UT DESERTUM; NEC ERAT QUI INTRARET AUT EXIRET EX NATIS EJUS; *& Sanctuarium conculcatum, & filii alienigenarum in arce; diversorium erat* (sc. Hierosolyma) *Gentibus*, ABLATAQUE EST VOLUPTAS EX JACOBO, &c. Consona sunt his quæ Historicus jam antea scripserat in eundem sensum [f]: *Et fugerunt incolæ Hierosolymæ propter eos, & fuit habitatio alienigenarum, fuitque aliena natis suis,* καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς ἐγκατέλιπον αὐτήν. ET LIBERI EJUS DERELIQUERUNT EAM. Accurata hæc convenientia historiæ cum prophetia facit, ut per *Civitatem vanitatis & Urbem* hic ipsam intelligam Hierosolymam, diversam ab illa *Urbe munita, Arce peregrinorum*, cujus Propheta mox mentionem facit, in *Ode Eucharistica* Cap. xxv. 2. ut hæc rursus diversa à קריה נעים עריצי *Urbe Gentium fortium*, ỳ. 3. quæ Urbes hic cognoscendæ sunt ex suis attributis. Potest autem Hierosolyma hic appellari *Civitas vanitatis*, sive, ut doctus Interpres recte, *inordinationis*, (quæ genuina vocis vis est:) sive quod incolis suis *vacua facta esset*, quippe qui vel in servitutem abducti, vel occisi essent, vel fuga saluti suæ consuluerant, ut ex superioribus intelleximus; vel quod Proceres ejus, Pontifices sc. Jason & Menelaus, & Sacerdotum plurimi *vanissima statuta Græcanica* in eam recepissent, ut placerent Antiocho, dum simul sanctissimæ Religionis suæ decus turpiter prostituebant. Posterius hic amplector, tum quia Propheta noster loquens de *statutis Gentium* voce תהו *inanitatis* alias etiam utitur [g]; tum quod historia hic tam accurate respondeat prophetiæ. Quid enim in ea liquidius est, quam Hierosolymitanos in se provocasse Divinam severitatem per summam profanitatem suam & turpissimam adulationem, *fiduciam ponentes* תהו על *in vanitate*, h. e. re nihili quæ eos destitueret tandem & exitium illorum acceleraret, ut Propheta ipse illos depingit, scelera illorum late describens, Cap. lix. 4. Historia hic præcipue petenda est ex *secundo Libro Maccabæorum*, in quo hæc impietas fuse enarratur, in superioribus jam à nobis summatim exhibita. Jason is fuit, Oniæ tertii frater, qui fratre impie de Pontificatu deturbato, postquam ab Antiocho impetrasset ut sibi liceret Hierosolymis *Gymnasium* extruere, & ut cives Hierosolymitani Antiochenis accenserentur [h], εὐθέως ἐπὶ τὸν Ἑλληνικὸν χαρακτῆρα τῆς ὁμοφύλου μετῆγε· *protinus ad ritum Græcanicum contribules traduxit.* & παρανόμως ἔθισμὰς ἐκαίνισε· & *illegitimos* sive *impios ritus novos invexit:* ut adeo *Hellenismus* promotus fuerit ad ἀκμὴν *summum fastigium.* Sic corrupti Hierosolymitani plures, contemptores Religionis Patriæ, cæteris vel necatis & abductis in servitutem, vel metu instantis calamitatis per fugam dilapsis, cum ex Edicto Regio abjuranda esset Religio Patrum, plerique *defecerunt à Fœdere sancto*, ut Procurator Regius jactabat in oratione ad Mattathiam [i]: *Nunc igitur, accede primus & fac jussum Regis, ut fecerunt omnes Gentes,* καὶ οἱ ἄνδρες Ἰούδα, καὶ οἱ καταλειφθέντες ἐν Ἱερουσαλὴμ· *& viri Judæ ac superstites Hierosolymitani.* En *Urbem vanitatis*, ab impiis pollutam, ab hostibus confractam! Huc enim pertinet quod mox dicitur, *portam percuti* sive *contundi cum tumultu.* Respiciunt verba hæc duos casus similes ipsius illius temporis, in quod cadit scena prophetiæ. alter est *Jasonis*, vi in Hierosolymam irrumpentis, & magnam in ea edentis stragem, Menelao in Arcem compulso [k]; alter Antiochi ipsius, ex Ægypto (post *secundam* in eam susceptam Expeditionem,) revertentis, & Urbem, Judæis partem volentibus, partem invitis, occupantem. Josephus in *Libris de Bello Judaico* duobus locis [l] docet, Antiochum illo tempore

Per *Civitatem vanitatis* hic intelligenda Hierosolyma.

Distincta ab aliis Urbibus.

Caussa appellationis petenda ex historia temporis, sive statu ejus.

Vox תהו *Vanitas* à Prophetis refertur ad idololatriam.

Historia hic rursus memoratur.

Historia summæ corruptionis Ecclesiæ, auctore Jasone, Pontifice.

Apostasia communis à vera Religione.

Implementum Prophetiæ de *portis* Urbis *cum tumultu* contusis.

Jasonis & Antiochi in Urbem irruptio illustrata ex historia.

a Deut. xxvii. xxviii. xxix. b 1 Macc. i. 26. c Cap. iii. 51. d ỳ. 45. e Cap. iii. 45. f Cap. i. 40. g Cap. xli. 29. xliv. 9. h 2 Macc. iv. 10. 11. 13. i 1 Macc. ii. 18. k 2 Macc. v. 5. seqq. l Lib. i. Cap. i. & L. vi. C. xi. ex dist. Ruff.

pore Urbem *vi* (κατὰ κράτος,) *cepisse*, & quidem post *obsidionem* præcedaneam, in qua aliquam fecerat jacturam; cum tamen in Libris *Antiquitatum Sacrarum* scribat, Regem illo tempore Urbem ἀμαχητὶ *absque pugna* occupasse, à civibus suarum partium in Urbem facile admissum: quod posterius videri posset probabilius, quia in *Libris Antt.* [a] historiam hanc longe accuratius narrat: cum contra in utroque loco, *Libb. Belli Jud.* non absque insigni & vario errore de rebus hujus temporis loquatur. Media sententia hic verior videtur, Antiochum cum ex Ægypto versus Hierosolymam moveret cum magno exercitu, & quidem Hierosolymitanis offensus, (τῇ ψυχῇ τεθυμωμένος,) aliquam in initio passum esse repulsam; sed cum Hierosolymitani ad omnia imparati essent, *per portas vi irrupisse*; atque adeo, quod scribit Historicus Maccabaicus, Urbem δορυάλωτον *armis expugnatam* occupasse [b]: à qua sententia alienus non videtur Usserius, in hac historiæ parte solita sua diligentia usus. Sic adempta Hierosolymitanis est omnis gaudii ac hilaritatis materia, & Urbs olim exultabunda tota repleta est luctu, quod dicere voluit Vates sacer verbis, ℣. 11. *Clamor in vicis est super* VINO. Notat hic *vinum* materiam gaudii, lætitiæ, consolationis: quæ cum deesset, *vinum* defuisse dicitur. Id enim velle Prophetam, patet ex iis quæ mox subjicit, se ipse interpretatus; *Confusa est omnis* LÆTITIA: *migravit* GAUDIUM *terræ*. Vates noster eadem elegantia usus fuerat in prophetia adversus Moabum, Cap. XVI. 8. 10.

Joſephus quomodo hic ſecum concilian-dus, & cum *Maccabaicis*?

Quid ſibi velit phraſis *clamoris ſuper vino*?

Temperamentum hujus Judicii Divini.

℣. 13. *At vero ita erit in medio* HUJUS TERRÆ INTER POPULOS, *tanquam ſtructura oleæ, tanquam racemationes, cum finita fuerit vindemia.* ℣. 14. *Illi tollent vocem ſuam; cantabunt; in excellentia Jehovæ hinnient inde a* MARI. ℣. 15. *Propterea* IN CAVERNIS *glorificate Jehovam; in inſulis maris, Nomen Jehovæ, Dei Iſraëlis.* ℣. 16. AB EXTREMA TERRÆ ORA *audimus cantica:* DECUS JUSTO] Complectuntur verba ſuperioris Judicii graviſſimi temperamentum: quæ hic integra exhibere volui, ut eorum ſenſus ex nexu orationis facilius perciperetur. ſunt enim ſic conſtructa, ut ſe mutuo illuſtrent. Suppono jam merito, neminem attentorum & plane hiſtoriæ imperitorum lectorum fore qui ſuperiora expenderint, quin facile, me etiam non monente, videant, hic deſcribi ſortem ſtatumque eorum, qui elapſi fuerint ex Perſecutione & Afflictione Epiphanica, & imprimis *Maccabæorum* ſive *Aſidæorum*, quippe quorum characteres hic tam luculenter & ſignate pinguntur, ut in omnium incurrere debeant oculos. Sed faxim, id mox ex collata hiſtoria pateſcat: modo pauca in anteceſſum ad phraſin Prophetæ rectius intelligendam adſcripſerim. Incipit oratio Vatis à vocula כי, quæ vulgo λογιςικῶς accipitur, redditurque per *quia*, *quoniam*; ſed quæ ſignificatio hic locum obtinere nequit, cum utique hic ratio nulla detur ejus quod præceſſerat. *Judicium* enim Dei non poteſt eſſe cauſſa *Temperamenti Judicii*. Ergo vocula hic ſimpliciter accipienda eſt ut *exordialis* orationis, perinde ac Græcorum ὅτι, quomodo ſæpe alias apud Prophetam noſtrum & Scriptores Sacros alios ſumitur. quod docti Grammatici [c] dudum monuerunt. In cæteris, quæ facilia ſatis ſunt, nemo hæret, modo recte aſſequamur, quid ſibi velit quod dicitur, ℣. 15. על כן באורים כבדו יי׳ quæ vertimus: *Propterea celebrate Jehovam in cavernis*, ſive *ſpecubus*. Hieronymus: *In doctrinis glorificate Dominum.* Infeliciter. videtur vocem duxiſſe à ירה, ſive ex loco Prov. VI. 23. תורה אור LEX (doctrina) *eſt* LUX. Græcus qui totam hanc pericopam varie transformavit, cum vocis ſenſum non aſſequeretur, eam neglexit. Sunt ex noſtris qui vertunt, *in ipſis ignibus*, ut Jun. & Trem. ſive *in ignibus*, ut Coccejus: ſive per *ignes* hic intelligant *æſtum afflictionis*; ſive *lucem doctrinæ ac ſanctimoniæ*. ſed ſunt ea vere remotiora. Doctus ille Avenarius vocem duxit à אור *fluvius*, *rivus*, reddiditque *in rivulis g. D.* Sed illud quoque eſt quæſitius & obſcurius. Hebræi Intt. Aben-Ezra & Kimchius interpretantur per זבולורת *tractus terræ*, aut עמקים *Valles*. Aben-Ezra: יש אומר גבולות וכמוהו מאור כשרים ויש אומר בנקעים והראשון הוא הנכון *Sunt qui vocem exponunt per tractus*, (regiones, κέρατα,) *ad exemplum phraſios:* UR (regio) *Chaldæorum: ſed eſt qui exponit per* FISSURAS, ſpeluncas. *at prius verius eſt.* Verum auctoritas ejus nobis hic non ſufficit, non ſulta ratione. Cur enim dicitur Deus in *vallibus* magis celebrandus eſſe quam in *montibus?* Reſponderis cum Kimchio, non omnes Urbes eſſe in montibus; eſſe quoque aliquas in vallibus. non negaverim; ſed nulla hæc eſt ratio cur excludantur montes, & valles tantum memorentur, ſi nihil aliud ſubſit. Ne jam dicam, ſignificationem illam vocis commode adſtrui non poſſe. Probo itaque ego, quod ille repudiat, & pertendo, vocem exponendam eſſe per *cavernas*, *ſpeluncas*, fiſſuras petrarum & rupium. Eſt interpretatio R. Menachemi apud Jarchium, cujus verba hic pariter exhibeo: ומנחם אומר אורי לשון נקעים וסעיפים שהיו בורחים שם וכן אור כשרים בקעת כשרים וכן מאורת צפעוני נקע חור מעינתו *Menachem vero ait, vocem* Urim *hic idem valere quod* FISSURAS PETRARUM *& ſpeluncas, in quas ſe recipiebant; perinde ac* Ur Chaldæorum *eſt vallis Chaldæorum*; & Meurath Tſiphoni (Jeſ. XI. 8.) *eſt antrum vel caverna, in qua ſe detinet & occultat Baſiliſcus.* Nihil hic habeo quod adjiciam, niſi quod de *Ur Chaldæorum* dicitur, incertum plane eſſe. Sufficit, vocem מאורה, ſignificatione *antri*, *cavernæ*, apud Prophetam noſtrum, (quæ ipſa quoque priva eſt ſignificatio, & illo tantum in loco occurrit:) notationem vocis אור in hoc loco illuſtrare; &, quod alibi Cl. Bochartus obſervavit [d], Arabes vocem אאר *Aar*, per *ſpeluncam* & *cavernam* exponere: niſi quis hic addere velit, affinem אריות vel איריות, venire ſignificatione *ſeptorum* ſive *equilium*, quibus includuntur & continentur equi [e].

Temperamentum hujus Judicii, ℣. 13. 14. 15.

Summa Pericopæ.

Pertinet manifeſte ad Aſidæos, reliquias Seminis Sancti, tempore perſecutionis conſervatas.

Oratio Prophetæ illuſtrata.

Uſus voculæ כי in h. l.

Quid ſibi velit vox באורים, quæ hic verſa eſt, in *cavernis*, *antris*?

Interpretationes variæ Vett. & Recentt.

Aben-Ezræi.

Adſtruitur verſio vocis per *antra* vel *ſpeluncas*.

Menachemi obſervatio.

Bocharti obſervatum.

Significatio vocis איריות pro *Equilibus* cum hac collata.

Cæterum tam hæc verba, quam totius orationis contextus, arguunt, deſcribi hoc loco primum Temperamentum Judicii Divini ſuperius deſcripti, cujus hæc eſt ſumma; factum eſſe videlicet, ut dum terra Judæa tota, hoc tempore Syriæ pars, vaſtaretur, incolis ejus vel necatis & abductis in ſervitutem, vel per fugam in inſulas Maris Mediterranei aut Ægyptum etiam, (quæ anno Seleucidarum CXLV, quo Antiochus Judæos coëgit Religionem Patriam mutare, ab ejus oppreſſione vindicata eſt per Legationem Romanam:) disjectis, & aliis in extremis Judææ meridionalis *latitantibus* in *antris* & *ſpeluncis*, Ducem ſe Haſidæorum præſtiterit Judas Maccabæus cum fratribus ejuſdem animi & virtutis Jonathane ac Simone: qui cum Divina adjutus ope primo quidem Apollonium & Seronem, illum Samariæ, hunc Syriæ Cavæ Præfectum; deinde ſummæ auctoritatis Duces Gorgiam & Nicanorem, & poſtea Lyſiam, acribus prœliis glorioſe viciſſet, & inde Templum, jam per triennium deſertum, repurgaſſet, ejuſque rei fama quaquaverſum vulgata diſperſaque eſſet: orta eſt Judæis, Patriæ Religionis amantibus, qui ſive in Cyprum, Ciliciam, Ægyptum, aut inſulas Maris Mediterranei profugerant, ſive in antris & ſpecubus extremæ oræ Mediterraneæ Judææ adhuc latitabant, lux inſperata, celebraruntque omnes illæ *reliquiæ* diſperſæ ut ſummam Dei gratiam & potentiam, (de quo videbimus in ſequentibus Odis Euchariſticis:) ſic virtutes *Judæ Maccabæi* & fratrum ejus, præſtantium Virorum, formula: *Decus Juſto*. Hoc oculo ſi legas, quæ hic dicuntur: nullibi hærebis. Quare id agam. recolligam præcipua hujus Pericopæ capita, eaque ex hac hypotheſi, paraphraſi illuſtrabo. Propheta ait ℣. 13. ſtatum Populi Dei illo tempore ſic fore comparatum, ut ſe habiturus ſit *tanquam ſtructura oleæ, tanquam racemationes, cum finita fuerit vindemia:* h. e. ut poſt Eccleſiam vehementer concuſſam & excuſſam ſuperfuturæ ſint reliquiæ inter

Reliquiæ ſervarentur in Perſecutione, *latitantes* in *antris*, aut *diſperſi* per proximas regiones, & Rempublicam ac Cultum inſtaurarent.

Quæ celebrarent laudes *Judæ* & *Haſidæorum*.

Verba Prophetiæ relegantur, & ad hypotheſin accommodantur.

Primo ℣. 13.

---

a Antiq. Lib. XII. Cap. VII. *b* 2 Macc. V. 11. *c* Vide Glaſſ. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. V. Can. XVIII. & Tract. VII. Can. XVIII. *d Hieroz.* Part. Poſt. Lib. III. Cap. X. *e* 1 Reg. IV. 26. 2 Par. VII. 27.

ter

ter Populos, instar cujusdam spicilegii, ex quibus Ecclesia brevi instauranda esset. Est enim eadem similitudo quam adhibuerat, Cap. XVII. 6. *Et relinquitur in eo racematio, ut strictura oleæ. duæ tres baccæ in capite rami; quatuor quinque in ramis frugiferæ, ait Jehova, Deus Israëlis.* Idem in hoc judicio locum haberet, cum Deo statutum non esset, Ecclesiam suam perdere & destruere; sed eam probare & purgare à gravissimis & turpissimis scandalis, quibus obruebatur. Docet autem Propheta, hunc fore aspectum Ecclesiæ, *in medio hujus terræ*, sive, *in medio terræ*; *in medio populorum.* videlicet tam in Judæa & Syria, occultis abditisque locis, quam in Ægypto, Asia, & Asiæ Græciæque insulis, in quas regiones aufugerant qui ex calamitate evaserant. Sedes enim præcipua & theatrum hujus Judicii esset in terris mediis inter Euphratem & Ægyptum, h. e. in Syria & Judæa, ut liquet ex Cap. XXVII. 12. *Et futurum est illo tempore, ut excutiat Dominus ab alveo* FLUVII (sc. Euphratis,) *usque ad* FLUMEN ÆGYPTI: sed profugi caussa inhumanæ sævitiæ Antiochi Epiphanis, longe se dispergerent latius; in insulis Occidui Maris, Asia Minore, qua parte Syriæ Regibus non erat subjecta; Ægypto, Græcia, quæsituri refugium & latibulum, aut in *speluncis Canaanæa.* Atque hi ipsi sunt de quibus Vates, ℣. 14. *illos vocem suam sublaturos esse; cantaturos, & hinnitum edituros,* (h. e. gaudium suum presse & contente explicaturos. ut vox alibi etiam usurpatur, nota & intellectu facili metaphora [a],) & quidem *in* EXCELLENTIA JEHOVÆ, מים *à* MARI. Nimirum postquam intellexissent, Deum *sustulisse signum salutis Populo suo*, Mattathia primum caussæ veræ Religionis patrocinium suscipiente; inde Juda Maccabæo, & fratribus ejus: eos autem glorioſis conflictibus impetum hostium cum magno eorum detrimento retudisse; ferociam eorum fregisse; Templum repurgasse; Religioni veræ suum restituisse decus: ex incredibili lætitia animo suo concepta celebrarent Dei magnitudinem, gratiam, potentiam, justitiam, gloriamque omnem in hoc mirabili ac paradoxo eventu clarissime eluceſcentem. quod est *gaudere & hinnitum edere* IN EXCELLENTIA JEHOVÆ, h. e. in testificatione & acclamationibus lætitiæ, Divinam magnitudinem & gratiam alta voce prædicare; nihil sibi, prudentiæ, virtuti, viribus & meritis suis tribuentes, sed liberationis laudem decusque omne in solidum vindicantes Deo. Est enim גאון *Excellentia Dei* ipsius magnitudo clarissime detecta in depressione eorum qui se ei opponunt. ut Propheta hac voce jam in initio prophetiæ insigniter usus est [b]: idque agerent illi מים, vel *ex mari*, vel *à mari*, aut *tractu Occiduo* qui Hebræis ים *Mare* dicitur [A]: estque posterior hic usus vocis in phrasibus hujus generis frequentior. Sed mihi nulla nunc ratio est aliquem horum significatuum excipiendi. Sive ים *Mare* hic sumas pro *Tractu Occiduo*; sive pro Insulis Maris Mediterranei; sive pro *extrema ora Maritima terræ Canaanæa:* id mihi perinde fuerit, quia implementum prophetiæ sibi per omnia constat. Et tamen verius forte fuerit, per ים hic intelligi *Occasum*, ut in præclaro loco Hoseæ [c]: ויחרדו בנים מים *Et trepide accedent filii à* MARI, h. e. Occidente. Aben-Ezra intelligit *Ægyptum:* quæ docta est observatio, & huic loco convenientissima. Dici enim *Ægyptus* potest æque ad *Occasum* quam *Austrum* fuisse Judææ. præcipue Alexandria, cujus hic potissima haberi debet ratio: Statumque Judæorum Canaanæorum hoc tempore curæ fuisse Judæis Ægyptiis, cum decus omne Religionis ab Hierosolymis & Templo penderet, nemo dubitat: quin liquet illud ex Epistolis quæ comparent in fronte *d Secundi Maccabaici*, quarum prior genuina est: altera merito νοθείας suspecta. quanto magis profugis, qui in eam regionem salutis caussa se receperant? Atqui Propheta horum plausum mox adjuvat *Apostrophe*, scopo & circumstantiis orationis convenientissima, ubi addit, ℣. 15. *Propterea in cavernis* sive *specubus* (quomodo vertendam esse vocem אורים, modo evici:) *glorificate Jehovam; in insulis maris, Nomen Jehovæ, Dei Israëlis.* Patet, orationem per apostrophen verti ad profugos, qui flagrante afflictionis æstu sedibus in Canaanæa derelictis, refugium quæsiverant sive in *specubus* & *antris* Judææ Meridionalis, (è quibus plurimi sero & non nisi pacato firmatoque Reipublicæ statu ad sua reversi sunt:) sive in oris aut insulis Maris Mediterranei; quos excitat ad Nomen Jehovæ pro hisce liberationis initiis læte celebrandum. De *specubus* autem sive ὑπάντροις πέτραις, (qua dictione Ælianus utitur in historia Atalantæ [e]:) in quibus latitaverint Hasidæi cum Mattathia in meridionalibus Canaanææ, Historia Maccabaica ubique testatur, estque id vulgo notum. Auctor primi Libri hujus Nominis generatim ita effert [f]: Καὶ ἔθεντο τὸν Ἰσραὴλ ἐν κρύφοις ἐν παντὶ φυγαδευτηρίῳ αὐτῶν· *Fecerunt que ut Israëlitæ latitarint in* ABDITIS LOCIS *in omni loco exilii* sive *refugii ipsorum.* Vox κρύφος Scriptori hujus historiæ hoc sensu alibi etiam usurpatur, aliis auctoribus minus in usu. Verba ejus [g]: *Et renunciatum est regiis & exercitibus qui erant Hierosolymis, in Civitate David, descendisse* homines *qui violaverant mandatum Regis,* εἰς τὰς κρύφας ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in* OCCULTA LOCA DESERTI. Historicus alter exerte vocat τὰ σπήλαια, *specus* [h], quod proxime convenit voci אורים: & deinceps ubi est in historia repurgati Templi, & Festi, hujus rei caussa celebrati [i]: Μνημονεύοντες ὡς πρὸ μικρᾶ χρόνῳ τὴν τῶν σκηνῶν ἑορτὴν ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς σπηλαίοις θηρίων τρόπον ἦσαν νεμόμενοι· *Recordantes, quomodo ante breve tempus Festum Tabernaculorum in Montibus &* SPECUBUS *bestiarum more palantes celebraverint.* Adhæret loco, nisi fallor, aliquid vitii vel obscuri. νέμεσθαι enim non videtur recte construi cum ἑορτή. Ergo vel pro ἦσαν lege ἦγον, vel τὴν ἑορτὴν accipe acsi scriptum esset κατὰ τὴν ἑορτὴν, quando sensus sibi recte constat. Certe patet ex hoc loco clarissime, Judam Maccabæum cum Hasidæis in *Specubus* & *Desertis locis* ante repurgatum Templum, (imo & post illud tempus, dum status Populi adhuc lubricus esset & instabilis, & plures securitati suæ consulerent:) non ordinariis tantum sacris priva Religione esse defunctos, sed & in iisdem locis, quatenus licebat, festa sua celebrasse: quos Vates hic in oculis habens, blande compellat, eosque jubet in ipsis hisce *speluncis* Deum celebrare & initia salutis, sibi à Deo curatæ, deprædicare. Erant *speluncæ* ejus generis in meridionalibus Judææ plures, in quibus David, Saulis Regis persequutionem eludens, latitavit: *cavæ* sc. *rupes*, ad earum in Italia speciem, *ut quædam earum ad ducentos armatos posset capere*, fide Historici Romani [k]. Alio loco [l]: Τότε κατέβησαν πολλοὶ ζητοῦντες δικαιοσύνην καὶ κρίμα εἰς τὴν ἔρημον, καθέσαι ἐκεῖ· Idem est quod mystice dicitur in Cantico ad Ecclesiam Christianam, laborantem æstu Persecutionum [m]: *Columba mea quæ es* בחגוי הסלע *in* FISSURIS PETRÆ, *in latebra fastigiosa, ostende mihi faciem tuam.* verba sunt Sponsi. Sic sensui sententiæ hujus accurate conciliatur implementum: etsi qui vocem אורים hic verterit per *ignes* aut *lumina*, in historia hujus temporis reperiat quoque quod abunde ipsi satisfaciat [B]. Porro quod Propheta addit, ℣. 16. *Ab alis* (sive,

Illustratur ex Cap. XVII. 6.

Aspectus Ecclesiæ in *medio terræ & Gentium.*

Terra hæc *media* est inter Euphratem & Nilum, ex Cap. XXVII. 12.

Quænam hic sint *Insulæ Maris*, in quibus latitarent *profugi*?

Illorum profugorum gestus, ℣. 14. *exultarent gloria Dei.*

Paraphrasis verborum.

Himitum edere in excellentia Jehovæ.

Vox מים quomodo hic vertenda?

Sumi potest latissima significatione.

Cur specialis hic haberi queat ratio *Ægypti*

Apostrophe Prophetæ. ℣. 15. ad *profugos*, quos exhortatur ad Deum celebrandum.

Sententia repetitur & firmatur.

Hypothesis de *Sanctis*, hoc tempore latitantibus in *antris* illustrata ex historia.

Locus ex Maccabaicis illustratus.

Cujus generis hæc fuerint *antra*?

Sententia quæ vocem אורים hic vertit per *Luces* vel *Ignes*, quo

---

a Esth. VIII. 15. *b* Cap. II. 10. *c* Cap. XI. 10. *d* Cap. I. 1. *e* V. H. Lib. XIII. Cap. I. *f* Cap. I. 56. *g* Cap. II. 31. Confer ℣. 36. *h* 2 Macc. VI. 11. *i* Cap. X. 6. *k* Liv. Lib. XXII. Cap. XXVIII. *l* 1 Macc. II. 29. *m* Cant. II. 14.

A Theodotio quod hic dicitur, צהלו מים *hinnierunt à mari*, vertit: Ἠχησαν ὕδωρ θαλάσσης; *sonuerunt aquæ maris.* Sic memorat Eusebius; & potuit tamen ipse quoque legere מים *ex mari*; non, מים *aquæ.*

B Est quid singulare quod huc pertinet. Postquam Judas Maccabæus repurgasset Templum & Sacris suum reddidisset decus: celebrata est ab Hasidæis lætitia ingens per *octiduum*, & in memoriam hujus Beneficii institutum est Festum Encæniorum, ut satis norum. de quo Josephus, Antiq. Lib. XII. Cap. XI. *Atque ex eo tempore mos hic apud nos obtinuit: κρίνοντες αὐτὸν φῶτα, ὅτι δι' ἐκείνης ἔδειξεν ἡμῖν φανῆναι τὸ ἱερόν, τὴν ἀναστροφὴν ἡμῶν τῇ ἑορτῇ appellantes illud* (Festum) LUMINA, *ratione appellationis, ut reor, inde petita quod præter omnem exspectationem ejus celebrandi potestas nobis illuxerit.* Imo vero appellatum est φῶτα *Lumina* quod post tenebras triennii in Sanctuario ἤψαν φῶτα ἐπὶ τῶν λυχνιῶν, LUMINA *rursus accenderint in Candelabris*; & quod Judæi soliti sint illud Festum τῇ λυχνοκαΐᾳ *accensione Luminarium* (quam

modo ad h. l. accommodari possit? (sive, *oris*,) *terræ cantica audimus*, *Decus* JUSTO: an non est idem quod totidem verbis scriptum est in laudem Judæ Assamonæi [a]: Καὶ ὠνομάσθη ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς, καὶ συνήγαγεν ἀπολλυμένους· *Et celebratus est* (Judas Maccabæus,) *usque ad* FINES TERRÆ, *& congregavit perditos.* Est enim quod hic dicitur, Cantici argumentum, quo Pii laudant & celebrant Divinam Providentiam, qua publice constare voluit favorem suum erga Religionis & Justitiæ Cultores; & insimul eorum fortitudinem, zelum, patientiam, constantiam, & caussæ bonæ exitum glorioſum, deprædicant. Phrasis hic est eo accipienda moderamine, ut *terræ* paulo *remotiores* stylo Scripturæ S. hoc nomine *orarum* vel *alarum*, sive *extremorum terræ*, venire possint: de quo jam monuimus ad Cap. v. 26. & XIII. 5. Minucius, Magister Equitum Fabii, sic loqui inducitur ab Historico de Carthaginiensibus [b]: *Quum nunc non vicinus Samnis urit, sed Pœnus advena; finibus*, cum ea *exterorum Scriptorum* collata. *ab* EXTREMIS ORBIS TERRARUM TERMINIS, *nostra cunctatione & socordia jam huc progressus.* Rursus in Oratione Consulis ad Campanos [c]: *Pœnus hostis, ne Africæ quidem indigenam,* AB ULTIMIS TERRARUM ORIS, *freto Oceani Herculisque columnis, expertem omnis Juris & conditionis, & linguæ prope humanæ, militem trahit.* Atqui erant illi Pœni, Afri, Hispani, Galli, non adeo longe ab Italis dissiti. Et in sequente historia [d]: *Et ipsum intervallum loci, quod in ultimis terrarum oris alterum bellum gereretur, spatium dedisse ad respirandum.* Atqui *ultimæ hæ terrarum oræ* sunt *Hispaniæ*, *Italiæ* proximæ. Quid vetat autem, per τὸν צדיק JUSTUM hic vel συλληπτικῶς intelligere τὰς ζητοῦντας δικαιοσύνην, *sectatores justitiæ*, sive *zelotas pietatis* & Religionis, ut dicuntur in historia [e]; sive Principem aut Ducem eorum Judam?

Phrasis de *terræ oris* vel

PARS POSTERIOR Sectionis Prioris, complexa novam Denunciationem Judicii Divini, cum ejus *Caussis* & *Temperamento*.

a. Introductio Prophetæ ad Judicium hoc exponendum, qua *Caussa* ejus memoratur, ℣. 16.

Pars Posterior hujus Prophetiæ, continens repetitam Denunciationem Divini Judicii.

a. Introductio hujus Prophetiæ, quæ explicat Judicii Caussam.

Nexus & Summa Orationis.

Respicit Calamitatem gravissimam in obitu Judæ Maccabæi, ejusque antecedentibus.

AT dixi: MACIES *mihi*; MACIES *mihi*; *væ mihi! Prævaricatores prævaricati sunt:* PRÆVARICATIONE, inquam, *prævaricatores* PRÆVARICATI SUNT] Dum in eo est Propheta, ut initia salutis Populi Dei, læta & per Orbem celebrata, cum repurgato Templo instauratisque sacris, παρενθετικῶς enarret ac describat: nova illi obversatur calamitas, ad quam horret & contremiscit: Mors sc. luctuosa Judæ Maccabæi, tot præliis cum Syris & Prævaricatoribus Gentis Patriæ gloriose defuncti, qui tandem in acerrimo conflictu cum Bacchide, Demetrii Regis Duce, post ingentia in illo etiam certamine edita facinora heröica infeliciter cecidit, & lapsu suo involuturus videbatur omnem spem Hasidæorum & Reipublicæ tantum quod renascentis: quem lugendum Populi piorum statum dum Propheta contemplatur in omni sua latitudine cum casibus calamitosis, qui hunc eventum sub Regno Demetrii Soteris præcederent: in hæc erumpit verba, quæ animi ejus perturbationem, dolorem & anxietatem vividissime exprimunt. Induit enim in Viso easdem formas, quas præsens spectator rerum gestarum susciperet. Prima pars sententiæ est, quæ Hebraice sic effertur: רזי לי רזי לו אוי לי *Macies mihi, macies mihi, væ mihi!* quod orationi triste aptatur exordium, magnæ & novæ calamitatis nuncium. Nec tamen consentiunt Intt. omnes in versione verborum, cum formula lamentandi nova sit, cujus exemplum alibi non reperias. Veteres Intt. qui supersunt, (οἱ ὁ. enim hanc partem intactam miserunt; de Aquila non liquet:) notationem vocis רזי hic mutuati sunt à Chaldæis, apud quos notiones רז & רזא obviæ sunt significatione *secreti*, *arcani*. Vertunt igitur: *Secretum meum mihi! secretum meum mihi!* Symm. Τὸ μυςήριόν μϰ ἐμοὶ, τὸ μυςήριον ἐμοί. Hieron. *Secretum meum mihi; secretum meum mihi!* sive hoc dicere velit Propheta, esse sibi magnum aliquod revelatum arcanum, quod evulgare sibi fas non sit, aut quod enarrare facile nequeat, *dum Lingua faucibus hæret*, *vox dolore concluditur*, ut Hieronymus; sive, videre se exitum rerum, arcano Dei consilio clausum sibi revelatum. Posteriore modo accepit Chaldæus, cujus hæc est interpretatio singularis: *Propheta ait:* רז אגר רצריקיא אתחזי לי רז פורעניה לרשיעיא אחגלי לי *Secretum præmii justorum monstratum est mihi: secretum vindictæ impiorum revelatum est mihi.* Nec tamen sibi bene constat hæc versio quod ad Canones Grammaticæ. Si enim flectenda esset significatio ad Chaldaismum: debebat רזי reddi, *Secretum meum*, ut Symmachus, eumque sequutus Hieronymus instituerunt, & Theodotio quoque, de quo ex Hieronymo liquet. quando verba hanc efferre debent sententiam; esse sibi aliquod revelatum arcanum, idque sibi coram oculis versari, quod enarrare præ rei magnitudine aut animi dolore sibi non liceat; ut Hieronymum instituere dixi; sive quod evulgare ac distincte explicare, non sit præsentis temporis, nec ex voluntate Divina: ut fere Forerius, qui id refert ad proxime dicta, quibus putat contineri magnum arcanum *conversionis Gentium* & *indurationis* ac *reprobationis Judæorum*. Verum probabilis mihi non fit sententia, primo (ne de hypothesi interpretationis quicquam dicam:) quia *arcanum*, Prophetæ revelatum, non satis commode appellatur *arcanum ejus*, cum potius sit *arcanum Dei*. secundo, quia interpretatio non respondet ei quod subsequitur; אוי לי *Væ mihi!* tertio, quia Propheta *arcanum vocationis Gentium* & *indurationis Judæorum* non celat in vaticinationibus suis, sed passim libere evulgat. Hieronymi autem expositio etiamsi vocem רז aliter ac nos accipiat, & hypothesin teneat à nostra diversam: quod ad rem & sensum cum nostra facile conciliari potest. Ergo nos cum Aben-Ezra & Kimchio, quos plures ex recentioribus sequuti sunt, omnino vocem רזי hic vertimus per *maciem* à רזה *emaciare*, ut eandem significationem obtineat quam רזון, qua voce usus est Propheta, Cap. x. 16. Vult dicere, ad novam calamitatem, quæ sibi ob oculos versabatur, totum se horrere & contremiscere; quicquid in carne vegetum & floridum erat, concidere; flaccescere membra & perire sibi speciem. Argumentum est gravis luctus, ut Ps. CIX. 24. *Caro mea macruit ita, ut absumpta sit pinguedo.* Quod jam addit: *Perfidi perfide agunt, & perfidia summa perfidi perfide agunt:* quisque videt, sic constructa esse verba, ut in nobis excitent sensum summæ *perfidiæ* & violentiæ injustæ qua Populus piorum, qui modo resurrexerat, opprimeretur. Est autem mihi quod ad implementum prophetiæ, fere perinde, an vox בגד hic referatur ad *Judæos defectores à fœdere*, qui cum Syris conspirabant in exitium Asidæorum, eosque ad necem tanquam jurati hostes persequebantur; num ad Syros ipsos; aut ad utrosque inter se conjunctos; quod haud dubie verius. Incipit tamen oratio jam hoc quoque in loco ad Syros deflectere, ut mox clarius monebo. Est igitur quod hic rursus observem, Prophetam, ubi de Assyriis & Syris, hostibus Populi Dei, loquitur, eos passim ut *perfidos* & *prævaricatores* traducere & *perfidiæ* notam iis inurere; quod videlicet, conculcatis humanæ Societatis juribus, inique & barbare passim in victos & nihil mali meritos grassarentur, agrosque & homines vastarent, & sacra ipsa intacta non relinquerent, sive, ut cum gravi Scriptore Romano loquar, *quibus nec Divini quicquam nec humani sanctum fuerit.* Peti possunt exempla ex Propheta nostro Cap. XXI. 1. &

Verba sententiæ: *Macies mihi! macies mihi!*

Variæ versiones Intt.

Interpretatio Chaldæi.

Ad eam & affines animadversio.

Versio probabilior. cujus ratio redditur.

Perfidia, quæ hic notatur, ad quæ *subjecta* referenda sit?

Passim in Scriptura S. refertur ad Assyrios & Syros.

Ejus rei caussa.

vocem hic rectè adsciſco ex Herodoto in similis Festi descriptione,) publice & prive celebrare, ut Traditio Vetus à Maimonide in Tractatu hujus Nominis exposita, plane tradit, Capp. III. IV. Id autem vere est Deum *honorare* & *celebrare* באורים *in lucibus* sive *ignibus*: si quis hanc interpretationem præferat. Nec tamen ego à sententia superiore discesserim. amo enim facilia & simplicia.

a 1 Macc. III. 9. *b* Liv. Lib. XXII. Cap. XIV. *c* Lib. XXIII. Cap. V. *d* Lib. XXVII. Cap. XL. *e* 1 Macc. II. 29.

xxxiii. 1. ad quorum locorum priorem hac de re disserui. Nec Judæi Intt. hoc loco vocem aliter accipiunt: nisi quod Chaldæus sensum sententiæ quodammodo immutet. Versio ejus animadversu digna sic habet: ויי לאנוסיא דמתאנסין ולבוז בוזין דהא מתבזין *Væ iis qui vim faciunt, quia vim patientur; & direptoribus, quia ecce diripientur.* Convenit sententia γνώμῃ Apocalypticæ [a]: *Si quis in captivitatem agit, in captivitatem abit; si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Fateor tamen, me plane non videre, quomodo hæc sententia ex verbis Prophetæ exsculpi possit. Si enim Chaldæus vocem בגר subinde vertat per בז *spoliare, diripere:* quod suo arbitratu fecerit & in aliquibus loci ferri potest: non apparet ratio, cur *activam* significationem in *passivam* transfuderit. Græci Intt. Vett. hic *activam*, ut debebant, servant, vertuntque בגר per ἀθετεῖν. Id adscribere volui, Judæos Intt. in his verbis videre omnes hostes Populi Dei, *Babylonios, Medos & Persas, Græcos, Romanos*; quorum injurias Populo Dei inferendas, hic compendio exhiberi putant *A*: subtilitate vere affectata, cum ex nullo argumento liqueat, prædicata hæc ad diversa referenda esse subjecta. Sed illi cum Chaldæo vocem בגר hic sumpserunt significatu *spoliandi, diripiendi.* Nos hæc verba recte accipimus de uno subjecto, sed quæ Propheta eum in modum construxit, ut cogitaremus de perfidia summa, h. e. iniquitate, impietate, qua hostes erga Populum Dei uterentur; *perfidia* non simplice, sed, si ita loqui liceat, duplicata: quo eodem sensu Jeremias [b] usus est phrasi, בוגדי בגד *perfidissime prævaricantes.*

Verſio Chaldæi, & ad eam animadverſio.

Judæorum interpretatio hujus loci.

Simplicior alia. Emphasis ſententiæ.

Historia autem eventuum hujus temporis, ad quod prophetiam hanc sensu primo referendam esse docui, hic tam est clara & liquida, ut ultro hanc interpretationem nostram illustret. Postquam Demetrius, Soter dictus, Seleuci Philopatoris, Antiochi Epiphanis fratris natu majoris Filius, Regnum Syriæ occupasset, dejecto obtruncatoque Eupatore, Antiochi Epiphanis Filio: hostes Assamonæorum & Asidæorum facile induxerunt novum Regem ad eos majore vi persequendos, &, si pote, extirpandos; adhibitis quoque in subsidium artibus doli, fraudis, perfidiæ, ut improvidos eo facilius opprimerent. Scenam hanc tragicam sub Demetrio aperuit Alcimus, affectans summi Sacerdotii honorem quem à Demetrio impetraverat, introducendus in hoc suum Munus à Bacchide; Militiæ Demetrii Præfecto, eum cum exercitu magno (μετὰ δυνάμεως πολλῆς,) comitante. En vero improborum horum perfidiam! Cum enim Legatis Asidæorum fidem dedissent cum jurejurando, se præsentem rerum statum non esse turbaturos, neque Asidæis illaturos injuriam aut noxam; & minus etiam probabile videretur, Sacerdotem Aaronidam adversus contribules quorum indigebat favore, gravius quid tentaturum esse: *sexaginta* ex iis, spectabiles Viros, qui se cum multitudine ei credidérant, *uno die* necari jussit, summo cum luctu & consternatione Populi, cujus una hæc vox erat [c]: Οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἀλήθεια καὶ κρίσις· παρέβασαν γὰρ τὴν ῥάσιν, καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὤμοσαν· *Non est in iis* VERITAS *nec* JUDICIUM: (respectus Juris & Justitiæ:) *transgressi enim sunt pactum & jurandum quod juraverant.* quod scelus plurimis aliis ejusdem generis auxerunt, ποιοῦντες πληγὴν μεγάλην ἐν Ἰσραήλ. Id vero ipsum est quod hic dicitur: *Perfidi perfide egerunt.* Sequutus tamen has ipsas artes est Nicanor, ut Judam Maccabæum in retia sua pelliceret; sed à quo, cum feliciter evasisset, valide refutatus ac repressus est, & noxam capite suo luit [d]. Nec tamen fortis hicce heros evitare potuit fatum, quo minus ipse ceciderit, (glorioſe licet, post cladem ingentem in hostes illatam,) in prœlio cum Bacchide: qui casus Populo Judæo luctuosissimus extitit; & ad quem Propheta præcipue respicere potuit in verbis: *Macies mihi! væ mihi!* Historia de eo [e]: *Defleruntque & planxerunt eum omnes Israëlitæ planctu magno, & luxerunt dies multos, &c.* Mox iterum [f]: *Fuitque afflictio magna in Israële, qualis non fuerat ex quo die non est visus Propheta inter eos.* Sunt autem ipsa hæc tempora, (sc. μετὰ τὴν τελευτὴν Ἰούδα, *post obitum Judæ:*) quibus grassabantur οἱ ἄνομοι *impii* in *omnibus finibus Israëlitarum, & exorti sunt omnes qui operantur injustitiam* [g]. Auxit calamitatem *fames magna & defectio regionis ad Syros*, cui administrandæ Bacchides præposuit ἄνδρας ἀσεβεῖς *Viros impios*, eos constituens κυρίους τῆς χώρας *Dominos regionis* [h], qui omnes Judæ Maccabæi amicos, diligenter inquisitos, interimebant. En cumulum calamitatis! Quanto difficilius fuit eam eluctari, cum omnia viderentur desperata! Id utique certum, quod pertinet ad hujus pericopæ interpretationem; perfidiam, prævaricationem, injustitiam, impietatem, subinde ex detestabili hypocrisi velo Religionis tectam, in omni conamine Syrorum & Defectorum Populi Dei, erga Asidæos & veræ Religionis Cultores zelotas, tantam fuisse, tamque immanem & atrocem, ut à simili alia vix superari potuerit [B]. Certe quicquid Diocletianus, Galerius, Maximinus deinceps adversus Christianæ Religionis cultores tentarunt: quicquid post ipsos Reges & Principes qui idololatriæ & tyrannidi Romanæ servos se & ministros præbent: quod scelus Scriptura S. *perfidiam & prævaricationem* vocat: ex hoc petitum est exemplo. Quanto certius, eam terram eosque Populos, qui se hoc scelere obstrinxerunt, manere Dei judicium: quod ipsum Propheta nunc exponit.

Historia ad implementum prophetiæ ostendendum adducta.

Exempla fœdæ *perfidiæ* circa illud tempus commissæ.

Alcimi Pontif. scelus.

Calamitas ingens Populi Dei in morte Judæ, Asidæorum ducis.

De eo historia.

Accidentia illius Calamitatis.

Summa dictorum.

Exempla perfidiæ in persecutionibus Ecclesiæ sequentium temporum, hinc desumpta.

β. *Judicium ipsum*, variis Gradationibus expositum.

GRADATIO PRIMA.

ỳ. 17. *Pavor &* FOVEA, *&* LAQUEUS, *super te, ô incola terræ!* ỳ. 18. *Et futurum est, ut qui fugerit à voce pavoris, cadat in foveam; & qui ascenderit ex fovea, capiatur laqueo; quippe* CATARACTÆ EX ALTO *apertæ sunt, & concutiuntur fundamenta terræ.*] Sensus sententiæ, tempus fore magnæ & pressæ angustiæ, quo quemque varia circumstabunt discrimina, quorum si quis unum feliciter evitaverit, facile incidat in aliud, donec indubitato pereat. Jeremias utitur eadem sententia, iisdem fere verbis, in Prophetia adversus Moabitas [i]; sive imitatione Jesaiæ, (ut videtur, cum in aliis quoque Vaticiniis subinde ejus verba & sententias haud gravate usurpaverit:) sive à Spiritu in easdem ductus cogitationes. Metaphora vero qua Propheta hic utitur, nihil adeo singulare habet, si rem inspexeris, ut absque penitiore aliqua similitudinis contemplatione non facile intelligatur; perinde ac proverbialis loquutio similis apud Amosum [k]: *Ut si quis fugerit à Leone, & ei occurrerit ursus:* alibi illustrata à Bocharto [l]. Nec dubitem tamen, quin verum hic viderit Sanctius, quod & aliis in mentem venire po-

Judicium ipsum in hostes Ecclesiæ, variis constans gradationibus.

Gradatio prima.

Summa ejus.

Metaphora de *pavore, fovea, laqueo*, facilis intellectu.

Desumpta à captura *ferarum.*

---

a Cap. xiii. 10. *b* Cap. xii. 1. *c* 1 Macc. vii. 16. *d* ỳ. 43. *e* Cap. ix. 20. *f* ỳ. 27. *g* ỳ. 23. *h* ỳ. 24. *i* Cap. xlviii. 43. *k* Cap. v. 19. *l* Hieroz. Part. 1. Lib. iii. Cap. viii.

A Exsignabo ex Kimchio locum, ad quem habeo quod moneam: או פירוש שהוא רמז על אדבע מלכיות בבל בוגדים מדי ופרס בגדו ובגד בוגדים על מדי ופרס בגדו ין וכותא וכולם נשתעבדו בישראל ובגדו בהם בגלותם ביניהם *Aut interpretari licet hæc verba, quod iis alludatur ad quatuor Regna* sive *Populos*, (sc. hostiles Populi Dei:) ut *Prævaricatores* (בוגדים) *sint* BABYLONII; in quos MEDI & PERSÆ בגדו *prævaricati sunt: vicissim ut perfidia* PERFIDORUM: dictum *cum respectu ad Medos & Persas*; בגדו *prævaricati sunt* sc. in eos, GRÆCI *&* CUTHÆI. *Sunt enim hæc Imperia sive Gentes quæ Israëlitas sibi subjecerunt in servitutem, & in eos perfide egerunt dum inter ipsas tanquam exules versati sunt.* Sensus Kimchii, quem Laniado clarius explicat, ut verba hic leguntur, sic habet; Babylonios perfidiæ fuisse auctores: sed paria iis reddidisse Medos & Persas; Græcos rursus & Cuthæos; (intelligit haud dubie Romanos;) eandem his vicissim admensos esse sortem; omnes autem illos Populum Dei magna affecisse injuria. Nec tamen dubito, quin vera ejus sententia sit, quam declinandæ invidiæ caussa celavit, his verbis monstrari quatuor Populos, *Babylonios, Medos & Persas, Græcos & Romanos*, qui Populum Dei inique tractarunt; ut Laniado mentem ejus in initio explicat: או פירושו שהוא רמז על בבל ופרס ומדי ויון וארום *Aut sensus verborum est, indicari hic Babylonios, Medos & Persas, Græcos, & Idumæos*, h. e. stylo Magistrorum, ROMANOS.

B Adde his, ipsum Jonathanem quoque, Judæ fratrem, cum armis vinci non posset, detestabili perfidia Tryphonis, Regnum Syriæ affectantis, Prolemaide captum, & post occisos itineris comites, ipsum tandem quoque necatum esse, prodita etiam quam dederat, liberationis fide, 1 Macc. xii. 48. Perinde ut ipse Simon post Rempublicam Populi Dei egregie defensam & restitutam, per dolum à perfido genero suo Ptolemæo oppressus est immani scelere, cum uxore, & filiis duobus, Joannis Hyrcani fratribus, apud Joseph. *Antiq.* Lib. xiii. Cap. xiv.

Sanctius laudatus.

potuit, alludi hac locutione ad *capturam ferarum*, ad quam *formidines*, sic dictæ, (alias terriculamenta *vocum*,) adhiberi solebant. Dicebantur autem Latinis *formidines*, funes sive *lineæ, variis & versicoloribus intexta pennis, quæ cervos pennarum agitatione terrebant, vel ut pavidi venabula exciperent, vel ut in alia retia parata, aut foveas acti formidine laberentur*, extantque de hoc usu vocis *formidinis* apud Poëtas varia Eruditorum observata, quæ curæ non habeo huc adducere *A*. Tantum adscribo in-

Usus peculiaris vocis *formido* apud Latinos.

Locus Jer. XVIII. 22.

signem locum Jeremiæ, utraque similitudine utentis, in describendo statu suo, dum adversarii illi struebant insidias *a*: *Quia foderunt* FOVEAM *ad me capiendum, &* LAQUEOS *occultarunt pedibus meis.* Est insuper in phrasi elegantia quædam & resonantia, aures suaviter & acute verberans, figurata, quam non prorsus rudes sancti idiomatis observant in vocibus consonantis enunciationis & terminationis, פחד PAHHAD, *metus*, פחת PAHHATH, *fovea*, & פח PAHH laqueus. Παρονομασίαν vel παρήχησιν vocant Græci, cujus inter Prophetas omnes nemo studiosior fuit Vate nostro: ut suo loco *b* observavimus. Est autem similis concinnitas, & major etiam orationis altitudo & sublimitas, si rem ipsam spectes, in altera metaphora, qua *cataractæ* (ארבות *feneſtræ*; claustra, valvæ, repagula,) *ex alto* dicuntur *aperiendæ*, & *concutienda fundamenta terræ.* Est enim, quod docti Interpretes jam viderunt, desumpta ex historia *Diluvii*; quando Deus, iræ suæ retinacula laxans, *apertis* cœlorum *cataractis*, Diluvium in Orbem terræ immisit, quod statum ejus invertit, & Orbem concussit, incolis ejus perditis, exceptis pauciſſimis reliquiis Seminis sancti. Sic legitur in historia *c*: *Hoc ipso die fissi fuerunt omnes fontes abyssi magnæ,* ואובות השמים נפתחו *& aperta fuerunt cœli claustra.* proprie, *feneſtræ.* sed cujus vocis hic minor est respectus. Interpres Græcus: Οἱ καταῤῥάκται τοῦ οὐρανοῦ ἠνεῴχθησαν. quam vocem hic quoque servavit Hieronymus; etsi Græcus hic habeat, θυρίδες. Et tamen rectissime hic usurpatur vox καταῤῥάκτης, *catarrhactes* vel *cataracta*, modo latius paulo sumatur pro qualibuscunque valvis, quæ ruentes aquas sustinent, aut portas claudunt; obicibus & κλειθροῖς retineri & compingi solitæ. Est autem phrasis *feneſtrarum* sive *claustrorum* cœli *aperiendorum*, alibi *d* etiam in Sacris usitata. Patet, tempore Prophetæ nostri Librum *Geneſios*, ut nunc legitur, jam integrum compositum fuisse in manibus piorum: cujus ejusdem rei argumentum est aliud in hoc Libro omni exceptione majus Cap. LIV. 9. ubi *Diluvii* antiqui, & *fœderis* eo tempore cum genere hominum *percussi*, Vates noster exerte meminit. quod frustra non observo, licet forte aliquibus sic videri posset. Sensus metaphoræ est, Deum impios hujus temporis, desertores fœdifragos Religionis Patriæ, & publicos Ecclesiæ suæ hostes ac persecutores, prostraturum atque inundaturum esse severis judiciis, in quibus clarissima significatio esset iræ suæ & severitatis, in improbos effundendæ ad eorum perditionem. Sunt enim imbres, ex apertis cœli clathris & claustris dimissi ac profusi, turbato aëris statu, symbola judiciorum, cœlitus missorum, improbos prosternentium. ut Ps. XI. 6. *Pluet super impios laqueos, ignem, & sulphur.* alluditur ad judicium Sodomæ. & Ps. XLII. 8. *Abyssus ad abyssum clamat* לקול צנוריך *propter vocem canalium tuorum.* Οἱ ὑ. καταῤῥακτῶν. h. e. propter imbrem è nubibus horrida tempestate, large profusum, maria concitantem. Significatur fremitus Mundi, Providentia Divina variis partibus concitati, semen sanctorum, ut videbatur, (Deo sic fata Mundi pro sapientia sua & justitia dispensante,) obruituri.

Paronomasia elegans in oratione Prophetæ.

Altera elegantia & sublimitas in phrasi *apertarum cataractarum Cœlorum.*

Metaphora desumpta est à Diluvio.

Significatio vocis ארבה quam Græci reddunt καταῤῥάκτης.

Latior usus vocis hic rectè adhibetur.

Observatum ex h. l. de Libro *Geneſios.*

Sensus metaphoræ.

Gravissimum Dei Judicium, quod multos mortales extingueret, cum clara significatione iræ Divinæ.

Illustratur ex parallelis.

Locus Ps. XLII. 8. ὁ παρόδου expositus.

Verò me ad historiam, quæ hic liquidissima est, sive quod hic dicitur, de impiis & fœdifragis Patriæ Religionis desertoribus; sive de Syris, hostibus Populi Dei & sanctorum, qui in illorum partibus erant; sive de utrisque junctim sumas: ut faciendum videtur. Et est tamen hic in omni hujus prophetiæ interpretatione literali cogitandum, non id quæri & demonstrari in historia horum temporum quod exhauriat omnem vim & emphasin prophetiæ, cum Prophetæ dum duas res in oculis habent, quarum altera alterius typum & figuram sustinet, orationem suam summa dictionis emphasi instruere soleant, ut cogitationes nostras à typo abducerent ad antitypum, ad quem ex mente Spiritus S. oratio prophetiæ præcipue applicanda erat. Sufficit itaque hic, ut in typo exhibere possimus specimen ejus, quod perfectius in antitypo repræsentandum erat: etsi sequentia docebunt, si historia horum temporum, quatenus eam ex paucis monumentis petere licet, (pleraque enim & præstantiora perierunt:) complexe sumatur, habere nos abunde, quo lectori æqui judicii & styli Prophetarum non imexperto, satisfaciamus. Cum, Juda Maccabæo intempestive cadente, & Bacchide Demetrii Soteris Duce victore, res Populi Dei plane desperata videretur, & improbi defectores à Religione Patria palam triumpharent: productus est à reliquiis Hasidæorum Jonathas, Judæ frater, eique non invito impositum onus Reipublicæ illorum administrandæ, Religionisque verorum cultorum ejus defendendorum: quod ille adeo non recusavit, ut contra alacri & magno animo regimen Piorum susceperit, & spem de se conceptam abunde impleverit. Mox itaque rursus Judæa bello arsit, & factiones in se invicem versæ atque animatæ fecerunt, nihil ut tutum & securum esset in Judæa, dum partes se mutuo persequerentur, & alteræ alterarum exitio ubique immineret. Impii itaque & apostatæ *præ metu* coacti fuga saluti suæ consulere; dum id sedulo agebant, sæpe in majus inciderunt discrimen, cum omnia intuta essent, & illud etiam elapsi, Divina Justitia calces eorum premente, misere tandem perierunt. Loquar clarius. *Fovea*, in quam præ *metu* fugiebant, eorum respectu est Regnum Syriæ, quod in factiones & turbas scissum, multis exitio esset. Per *laqueum* designantur loca munita, in quæ securitatis caussa secederent qui se adversus metum gladii hostilis foris sævientis studerent defendere: sed qui in ipsis illis locis, in quibus securitatem quærerent, tanquam *laqueis* caperentur atque illaquearentur. Cape mihi nunc exemplum hujus generis ex historia hujus ipsius temporis, ad quod nos duxit series prophetiæ. Cum, invalescente sensim Jonatha, desertores Religionis Patriæ à Rege Demetrio, cujus se commiserant fidei, instanter petiissent, ut Bacchides rursus cum exercitu mitteretur in Judæam, ad Jonatham Asidæorum Ducem subito opprimendum, idque ostendissent facili opera fieri posse; Bacchides autem, dum Jonathas se adversus insidias omnes callide muniebat, excidisset scopo: ὁ Βακχίδης ὀργισθεὶς τοῖς Φυγάσιν, ὡς ψευσαμένοις αὐτόν τε καὶ τὸν βασιλέα. πεντήκοντα αὐτῶν τοὺς ἡγεμένας συλλαβὼν, ἀπέκτεινε· *Bacchides iratus* TRANSFUGIS, *tanquam qui sibi & Regi mentiti essent, quinquaginta ex iis præcipuos* INTERFECIT; & cum mox Asidæos in vico munito Bethalagæ frustra oppugnasset, & magnam etiam accepisset cladem, *iram suam effudit in transfugas ut impostores.* Sic Josephus *e*. Specimen ejus est, quomodo οἱ Φυγάδες, proprie *profugi* ex *metu*, inciderint in *foveam*. An vero etiam non in *laqueum*, si qui forte foveam evasissent? Exemplum habeo ex similibus variis, quod idem Dux Asidæorum mixtus Apollonio, Cæle-Syriæ Præfecto, sub Demetrio Nicatore, post diutinam pugnam hostes in *fugam* compulerit Azotum, & quotquot eorum securitatis salutisque suæ caussa Dagonis Templo se incluserant, *laqueo* veluti constrictos, cum ipso fano concremaverit *f*. Similes casus plures sub hoc Duce obvene-

Implementum proleptice quæritur in Historia Syriaca & Maccabaica.

Animadversio necessaria, de stylo Prophetico.

Status rerum post mortem Judæ.

Jonathæ initia.

Status Apostatarum hoc tempore.

Ex uno discrimine prolapsi in aliud venerunt ad interitum.

Quid hic significent *fovea* & *laqueus*?

Exemplum productum ex historia.

Aliud non dissimile.

a Cap. XVIII. 22. *b* In *Prolegom.* *c* Gen. VII. 11. *d* Confer Mal. III. 10. *e* *Antiq* Lib. XIII. Cap. I. *f* Lib. XIII. Cap. VIII.

A Loca sunt hac de re apud Senecam insignia duo, Lib. II. de *Ira* Cap XII. & Lib. I. de *Clementia*, Cap. XII. ad quem posteriorem plura in illustranda hac voce *Formidinis* adducta sunt à Lipsio, quæ cum Sanctianis conferre poteris. Ego unum tantum ex iis excerpo locum Epicteti apud Arrian. Lib. II. qui hic maxime ad rem facit: *Cæterum nos idem quod cervi facimus,* ὅτι φοβοῦνται φεύγουσι αἱ ἔλαφοι τὰ δίκτυα, τοῦ πρέποντος καὶ τοῦ ἀνδρὸς ἐστὶν οὐ τὸ ἀσφαλὲς τοῦ τὸ δίκτυα, καὶ ὅτως λύσιτυχ, *qui dum* EXTERRITI *fugiunt pinnas, alio se vertunt, & quasi ad secura loca, in ipsa* RETIA *concedunt, atque ita* PEREUNT.

venerunt, dum pleraſque Judææ Urbes & munimenta in poteſtatem ſuam redegit, ubique τὰς πονηρὰς καὶ ἀσεβεῖς κολάζων· *in malos & impios* defectores à Religione Patria, *ſevere animadvertens* [a]. Sed ut Judæa hujus temporis vere theatrum fuit Judiciorum Divinorum: ſic non minus Syria, in quam Gentes omnes viderunt & agnoverunt iram Divinam poſt tempora Antiochi Epiphanis effuſam fuiſſe, donec florentiſſimum illud & potentiſſimum Regnum poſt varios caſus calamitoſos miſere interierit & conciderit, tandemque præda factum ſit Armenii, & ipſo victo meruerit inter Provincias Populi Romani recenſeri. Duo fuerunt media, per quæ Deus iram ſuam in hos Populos, alias etiam luxu & libidine, ingeniique levitate & vanitate corruptiſſimos, patefacturus, decreta juſtitiæ ſuæ exequutus eſt. Primum, quod hac potiſſimum pericopa reſpicitur, eſt, quod inter Succeſſores Antiochi Epiphanis, poſt ejus obitum, ſuſcitatæ fuerint factiones funeſtæ, quæ Regnum traxerint in partes, continuis expoſuerunt deſolationibus, & vim ac robur ejus penitus fregerunt, & ipſi quoque Antiochiæ, Metropoli Regni, ſubinde attulerunt excidium. Erant Principes ſanguine cognati, eadem orti ſtirpe, qui ſuis quique vicibus occuparunt Regnum, & æmulum atque adverſarium extruſerunt, à vicinis Regibus Ægypti, Cappadociæ, Aſiæ minoris, ad res Syriæ turbandas excitati eorumque viribus adjuti; quo factum, ut tam Proceres Regni quam ſubditi omnes non tantum afflicti fuerint communibus belli malis & calamitatibus; verum etiam, quod diverſarum in Regno factionum conſequens eſt, ancipites conſilii hæſerint, quorſum ſe converterent, & *fugientes* præ *metu* malum imminens, paſſim inciderint in *foveam* & *laqueum*, cum ſuo exitio; & Reges pene omnes ſingulari Divinæ Juſtitiæ exemplo violenta morte interierint, (de quo monebo ad vſ. 21.) didicerintque homines ſe eſſe qui paſſim nomine Divinitatis turpiter ac blaſpheme abutebantur. Fuerunt autem Succeſſiones potiſſimum duæ, quæ has *Regni Syriæ parricidiales diſcordias*, (ut phraſin imiter Hiſtorici Romani [b]:) ſuſtinuerunt. altera Demetrii Soteris, qui Regnum ſibi vere debitum, (erat enim Seleuco, Antiochi Magni Filio natu majore genitus:) eripuit Antiocho Eupatori, Epiphanis filio, cum ipſius cæde; altera Alexandri Balæ, (qui ſe credi volebat ipſius quoque Epiphanis filium eſſe, & forte fuit, licet ſpurius:) à Ptolemæo Philometore ſubornati, qui Demetrium à ſe victum de ſolio dejecit. inter quos ſe oſtentarunt Tryphon, Balæ Filio, Antiocho, Regnum Patrium rurſus aſſerturus, ſed idem mox, pupillo occiſo, rapturus; & Alexander Zabinna, incerti ortus, à Ptolemæo Phyſcone adverſus Demetriadas immiſſus. altera fuit funeſta factio inter Antiochum Grypum, & Antiochum Cyzicenum, fratres uterinos, horumque filios, qui poſtquam ſe mutuo attriviſſent, & Regni tot bellis fatigati ac deſolati vires plane enervaſſent, mutuumque ſibi attuliſſent exitium, tandem fecerunt, ut Tigranes Armeniæ Rex, & poſt ipſum Romani, id prædæ inſtar ſibi rapuerint. Longa eſt hiſtoria, exemplorum tremendæ Dei Juſtitiæ plena, quam ego compendifacio verbis Juſtini, hic animadverſione dignis [c]: *Multis fratrum odiis, & mox filiis inimicitiis parentum ſuccedentibus, cum inexpiabili bello, &* REGES & REGNUM SYRIÆ CONSUMPTUM ESSET, & quæ ſeqq. Quibus conſona ſunt Diodori [d]: Διὸ καὶ παρ' ἔνιοις ἀγῶνες καὶ πόλεμοι συνεχεῖς ἐγένοντο κατὰ Συρίαν, ἐφεδρευόντων ἀλλήλοις τῶν δυναστῶν, τῶν ἀφ' ἑκάστης ὁπλίας· *Proinde inſidiantibus ſibi viciſſim utriuſque familiæ principibus, aſſidua in Syria certamina committebantur.* Ipſa autem Antiochia, Regni Metropolis & Regum præcipua ſedes, ubi cuſa erant conſilia adverſus Populum Dei, in memorabili hoc Dei Judicio ſuas habuit partes, tota fere excidio data ſub Demetrio Nicatore, Demetrii Soteris filio, Alexandri Balæ Succeſſore, de quo ejus fato edocemur ex inſigni quodam loco Diodori, qui eſt in *Excerptis Valeſianis* [e]; ut & ex Maccabaicis & Joſepho, qui hanc quoque hiſtoriam nobis reliquerunt. Narrat ille, Demetrium Regem, cum ſe in Regno confirmatum putaret, ſenſim *prorupiſſe εἰς ὠμότητα τυραννικὴν καὶ ποικίλων ἀνομημάτων ὑπερβολάς· ad tyrannicam crudelitatem & varia ſcelera enormia*, non ex indole tantum ſua, ſed & ex conſiliis ejus quem Regno præfecerat. proinde *qui in bello partibus ejus adverſati fuerant, inuſitatis ſuppliciis è medio ſuſtuliſſe:* Antiochenis autem cum *arma adimere* vellet, & ipſi voluntati ejus obnitentes *vim vi repellerent*; alios quidem *repugnantes interfeciſſe*, alios *cum uxoribus & liberis intra proprios penates trucidaſſe*: cum autem hujus rei cauſſa *magnus exortus eſſet tumultus*, τὰ πλεῖστα τῆς πόλεως, MAXIMAM URBIS PARTEM *incendio conſumpſiſſe:* adhæc autem de auctoribus *ſeditionis* gravem ſumpſiſſe vindictam, *cædibuſque, exiliis, & bonorum publicationibus* in Populum *ſæviiſſe*, & quæ plura ipſe addit. Joſephus [f]: Ἡ δὲ φλὸξ ἐφ' ὅλην διατείνασα τὴν πόλιν, ... πᾶσαν αὐτὴν ἐνέμετο· *Incendium ſe per totam diffundens Urbem, ... univerſam pervagatum eſt.* Docet autem ipſe, & *Primus Maccabæorum*, tria Judæorum millia, quæ Jonathas Regi auxilio miſerat, in hac tempeſtate ipſi præcipue auxilio fuiſſe, periiſſeque ex Antiochenis hoc tempore (ut *Hiſtoricus poſterior* [g],) μυριάδας δέκα, *centum hominum millia*, forte nimis ὑπερβολικῶς. Profugi autem ex hac clade, quos hiſtoria non negligit, ſuum quoque ipſi invenerunt fatum, ex *fovea* cum evaſiſſent, in alia incidentes diſcrimina. Atque hic primus eſt gradus ſingularis Dei in Syriam Judicii. Acceſſit alter, hoc *Diluvio* involutus, *ingens terræmotus*, qui tot calamitatibus defunctos proſtravit: de quo *Gradatio altera*, quæ hanc ſequitur, tanquam cum ſuperiore immediate connexa, & eam illuſtrans.

Verius adhuc exemplum hoc Judicii Divini editum eſt in *Syria*.

Illius Status poſt hoc tempus calamitoſus.

Hiſtoria factionum & diſſidiorum inter Principes æmulos, quæ hoc Regnum perdiderunt.

Conſequens: Omnia plena fuiſſe diſcriminum & periculorum.

Specialior enarratio harum *Factionum parricidialium.*

Verba Hiſtorici Romani.

Et Diodori Siculi.

Antiochiæ ſingularis clades & calamitas.

Locus de eo ex Diodori Excerptis.

Calamitatis illius magnitudo.

GRADATIO ALTERA.

Gradatio Altera: *Terræmotus ingens.*

vſ. 19. *Conquaſſando* CONQUASSATUR TERRA; *disrumpendo disrumpitur terra; nutando nutat terra:* vſ. 20. *Movendo movetur terra inſtar ebrii, & agitatur ſicut* TUGURIUM HORTENSE, *quia iniquitas ejus gravis ipſi incumbit, caditque & non perget conſiſtere*] Sic eſt, emphaſin, copiam & divitias orationis Prophetæ noſtri nemo pro merito deprædicet, aut miretur: adeo, ſive proſperos ſive calamitoſos Eccleſiæ eventus depingat, nihil eorum negligit, quæ ſermoni vim & elegantiam conciliare valeant. Hic loci id agit, ut quæſitis electiſque phraſibus metaphoricis deſcribat ingentem *terræmotum*, quo *terra*, Aſiæ, Syriæ, Judææ, Divinis Judiciis preſſa, vehementius concutienda eſſet: quarum phraſium vim poteſtatemque hic non perſequor, quia cum de plerarumque ſenſu inter Interpretes ſatis conveniat, & nulla vere dubitandi ratio ſit, nemo communibus Literaturæ Sacræ ſubſidiis inſtructus hic opera mea indiget. Vocem מלונה verti per *tugurium hortenſe*, qualia Veteres in hortis, vineis, aut cucumerariis, fructuum cuſtodiendorum cauſſa, habere ſolebant, noctu à cuſtodibus occupanda: quo ſenſu vocem jam habuimus Cap. 1. 8. οἱ ϛ. Ὀπωροφυλάκιον· *Pomorum cuſtodia.* quod & Theodotioni placuit. Et ſunt tamen hic alii quoque Interpretum luſus. Chaldæus: וחי אולא ואתיא בעדולא *Eritque abiens & rediens* (h. e. vaga,) *quaſi lectulus unius noctis.* ſic habet Interpres. Intelligitur *lectulus* paratus ex funibus tumultuaria opera ab una abore ad aliam ductis, in quibus inſtar lecti cuſtos horti recumbere potuit. qui *lectuli* omnem receperunt motum, qui arboribus à vehementioribus ventis eas agitantibus & concutientibus imprimebatur. Kimchius: Intelligitur *tugurium cuſtodis vinearum, tuguriolum aliquod ſibi parantis in monte, & inde vineas omnes cuſtodientis; cujuſmodi tuguriola ex levioribus lignis conſtruuntur, cum non ſint deſtinata ſedi fixæ, quippe cuſtos in iis non commoratur, niſi illo tantum tempore quo vites uvis ſunt onuſtæ, ad eas cuſtodiendas, & appellantur* מלונה h. e. *tugurium nocturnum, quod etiam de nocte cuſtos in eo ſe detineat. Quando autem ventus*

Notatio genuina vocis מלונה Interpretatio Veterum.

Kimchii interpretatio.

a Cap. 11. b Juſt. Lib. XXXIX. 3. c Cap. XL. 1. d *Excerpt. Valeſ.* p. 345. & ſeqq. e *Ibid.* p. 346. ſeqq. f *Antiq.* Lib. XIII. Cap. IX. g 1 Macc. XI. 47. 48.

ejusmodi tugurium percutit, huc & illuc agitatur: facit autem levitas ejus, ut dum agitatur, non cadat humi; quod omnino fieret, si fastigio ejus quid gravius immineret. Huc itaque putat pertinere quod dicitur, *casuram* esse *terram* motam agitatamque instar *tugurii hortensis*, quia iniquitas ejus *gravis* ipsi incumberet, hoc est, gravissimorum delictorum urgeretur reatu, quem sustinere non posset; cujusque consequens esset, ut *caderet* & non *pergeret consistere*. Licet observatum Kimchianum de *tugurio* suo relinquere loco. Sufficit, intelligi qualecunque *tugurium* levidensis operæ, tumultuarie constructum, & ad ventum mobile; qualia erant hortensia. Quod autem metaphoram alteram de *iniquitate* quæ *terra gravis incumberet*, cum eo connectat, haud dubie errat. Est nova metaphora desumpta à *jumentis*, quibus si *onera* nimia imponantur, succumbunt iis & concidunt. Symbolum est *peccati*, quod cum *re gravi* eleganter comparatur stylo Scripturæ, tum quod *conscientiam gravet*; (Ps. xxxviii. 5.) tum quod interveniente Judicio Divino *peccatorem* dejiciat de statu, & *ad infernum* detrudat, Mich. vii. 19. Venio ad rem ipsam.

Ad eam ἐπίνευσιν.

Peccato quare *gravitas* tribuatur?

Consensus Realis pericopæ. *Terræ motus* sunt symbola vehementiorum commotionum in Mundo aut Ecclesia.

Conspectus motuum vehementiorum Judææ, Syriæ, Asiæ, qui in id incidunt intervallum quod designavi, (quos ex historia jam produxi,) ejusmodi est, ut huic Vaticinii pericopæ præstare possent suum implementum, etiamsi historia nihil nobis aliud demonstraret. Notant enim *terræ motus*, metaphorice sumpti, omnium judicio, magnas & detrimentosas rerum mutationes quæ in Mundo aut Ecclesia accidunt; estque hic usus vocis frequentissimus in *Apocalypsi*, ex quo Libro mox, de sensu mystico hujus prophetiæ acturus, producam locum Cap. vi. 12. qui, retecto velo, hujus prædictionis detegit mysterium *A*. Quid si tamen historia quid propius demonstret? Solent enim effecta Judiciorum Divinorum passim cum eorum signis conjungi. Justinus Trogi *a*: *Sed sicut ab hostibus tuta* Syria *fuit, ita* terræ motu vastata est, *quo* centum septuaginta millia hominum, *&* multæ Urbes perierunt, *quod* prodigium *mutationem rerum portendere aruspices responderunt.* Pertinet, quod hic memoratur, ad tempora Tigranis, quem Syria tot lassata & desolata bellis, sive volens sive invita tandem receperat dominum, quando videbatur aliquatenus respiratura. De veritate hujus historiæ nulla justa dubitandi ratio est, etsi forte alibi ejus obscurior sit memoria, ut aliarum rerum hujus temporis. Equidem Strabo per occasionem meminit *b* magni alicujus terræ motus Phœniciæ & Syriæ, qui Urbem aliquam *supra Sidonem* sitam absorperit, & Sidonem ipsam maximam partem corruperit; sed quod de Syria ait; τὸ δὲ αὐτὸ πάθος καὶ ἐπὶ τὴν Συρίαν ὅλην διέτεινε, μετρίως δέ πως· *id autem malum totam Syriam pervasit, licet mediocriter*: non videtur recte convenire huic casui nostro, qui Syriam gravissime afflixit. Qualis qualis auctoritas sit Joannis Malalæ; (cuperem autem nunc esse majorem:) non est mihi reticendum, illum in historia ipsius hujus temporis meminisse non vulgaris *terræ motus* per Syriam, adscriptis characteribus, ut traditioni veri quid subesse videatur *B*. Sic ille vere loquens de Regno Alexandri Balæ *c*: Καὶ ἔπαθε τότε ὑπὸ Θεομηνίας Ἀντιόχεια ἡ μεγάλη, τῷ ὀγδόῳ ἔτει τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἐπὶ τῶν αὐτῶν Μακεδόνων, μετὰ τὸ ἐξαρχῆς τεθῆναι θεμέλιον τείχεως ὑπὸ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος μετὰ (ἄλλα) ἔτη ρνβ', ὥραν ἡμερινὴν ι', μηνὶ Περιτίῳ τῷ καὶ Φεβρουαρίῳ, κά· *Anno autem octavo Imperii ejus* terræ motum passa est (proprie, *ab ira Dei afflicta est*:) *Antiochia magna, ad horam* x *diei* xxi. *Mensis Peritii, sive Februarii, anno post jacta à Seleuco Nicatore prima mœniorum fundamenta,* cli. Si vera sit hæc narratio, quam auctor fide Domni Chronographi tradit; superiori nostro observato cumulum addit: si lubrica; possumus ea carere. Cæterum quod Propheta adscribit, sic *casuram* esse *terram nutantem & vehementer concussam*, ut non *pergat* vel *consistere* vel *resurgere*: quam vere dictum est de florentissimo hoc Seleucidarum Imperio, jam ante per Parthos & Romanos accisо? *Parricidiales* enim illæ *discordiæ*, quas memoravi, certissima argumenta Divinæ iræ hunc Populum prementis, (inter quas novissimæ fratrum uterinorum Antiochi Grypi & Cyziceni,) illud pessum dedere, *Judæis, Arabibus, ac quibusdam etiam tyrannis magnam illius partem occupantibus*, ut Eruditi Viri hic utar verbis *d*, usque quo ab Armeniis & Romanis prædæ instar raptum occupatumque fuerit ac conciderit, gloria libertateque sua privatum. *Antiochiæ* autem in his singulare fuit fatum. Etiamsi enim adepta fuerit αὐτονομίαν sub Cæsare Julio: singulare est & animadversu non indignum, nullam Urbem aliam tot *terræ motibus* vexatam, afflictam, imminutamque fuisse, quot famosam hanc Urbem expertam esse docet historia: quatenus observare potui. Non ausim directe huc applicare, quod legitur in hac prophetia, cum ea implementum suum κατὰ γράμμα jam censeri queat consequuta esse in his quos memoravi, Eventibus: verum erat in fatis, & Decretorum Divinorum arcanis, ut Metropoles Gentium, quæ Ecclesiam veram afflixerant, per gradus & articulos temporum penitus aliquando conciderent. Xiphilinus ex Dione cum cura describit ingentem & terribilem *terræ motum*, quo hæc Urba *vastata* est sub Trajano, ipso tum Antiochiæ præsente, & vix elapso ruinam, (A. Æ. Ch. cxv.) iisdem fere phrasibus usus, quibus Propheta in hoc loco *e*: *Primum de improviso mugitum terra maximum, post fremitum horribilem auditum esse.* Inde hæc subjicit, quæ cum verbis Prophetæ comparari velim: Καὶ ἄνω μὲν ἡ γῆ πᾶσα ἀνεβάλλετο, ἄνω δὲ καὶ τὰ οἰκοδομήματα ἀνεπήδα· καὶ τὰ μὲν, ἀνέκαθεν ἐκπαιρόμενα συνέπιπτε καὶ κατερρήγνυτο, τὰ δὲ καὶ δεῦρο καὶ ἐκεῖσε πλανώμενα, ὥσπερ ἐν σάλῳ περιετράπετο· *Et terra quidem tota in sublime tolli cœpit, & ædificia quoque sursum subsilire: & hæc quidem quæ ab initio sublata erant, con-*

Historia insuper docet, Syriam hoc tempore gravem *terræ motum* passam esse.

Locus Justini.

Fides historiæ.

Strabonis locus.

Locus alius ex Chronico Malalæ.

Emphasis dicti Prophetæ de lapsu terræ gravissimo & jactura irreparabili.

Fides historiæ.

Antiochiæ Casus & Fata singularia.

Urbs varia terræmotibus obnoxia, sæpius concidit.

Locus insignis Dionis ex Xiphilino.

---

a Hist. Lib. xl. Cap. ii. *b* Geog. Lib. i. p. 40. *c* Chronog. p. 265. *d* Noris. de *Epoch. Syro-Maced.* Cap. viii. *e* Epitom. Dion. in *Trajano.*

A Sic exteri Scriptores frequentissime. Insignis locus est apud Justinum, qui Philippum, Macedoniæ Regem, de consequentibus Belli Punici, ab Hannibale administrati, sic differentem infert, Lib. xxix. Cap. iii. *Videre se itaque*, ait, *consurgentem in Italia nubem illam, trucis & cruenti belli: videre tonantem ac fulminantem ab occasu procellam, quam in quascunque terrarum partes victoriæ tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam. Frequenter Græciam* ingentes motus passam, *nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis: sed omnia illa levia fuisse existimaturos, si ea quæ nunc in Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit.*

B Pertinet vere quod hic dicitur ad tempus Alexandri Balæ, etsi Chronographus ei falsum supposuerit nomen, (quatenus mihi liquet,) gravissimorum aliorum erratorum per hunc Librum manifestus. Scribit enim ille: Μεθ' ὃν Δημητριανὸν, υἱὸν βασιλέως Ἀντιόχου, ὁ ἔκγονος Γρύπα, υἱὸς Λαοδίκης, θυγατρὸς Ἀριαραθου, βασιλέως Καππαδόκων, ἔτη θ'. *Demetriano successit in Regno Antiochus, Grypi nepos,* (Grypo ortus,) *filius Laodices, Ariarathi Cappadocum Regis filiæ, annos* ix. Per *Demetrianum* intelligit ille Demetrium Soterem, Seleuci Philopatoris filium. Atqui huic omnis historia consentit successisse Balam, qui gessit filium Epiphanis. qui ab ipso *Antiochus* dici potuit, communi fere nomine Syriæ Regum: sed quomodo ἔκγονος Γρύπα? non capio: nisi *Antiochus Deus* vel *Antiochus Magnus* cognomine Γρύπα quoque usi sint, quo post hæc tempora insignis fuit Antiochus viii, *Grypus* dictus. Sed id si superaveris: quo modo idem editus fuerit ex Filia Ariarathis Cappadocum Regis? Movit haud dubie hæc ratio τὸν πάνυ Usserium, quare hic intelligi velit Antiochum Sidetem: quam sententiam suam adscripsit ad A. P. J. 4583. ante Æ. V. 131. licet rationem sententiæ nullam addat, nec fidenter satis loquatur. erebatur autem tum Vir Doctissimus *Chronico* Malelæ nondum edito. Sed cum tota hæc Chronographia crassissimis erroribus scateat; & hujus operis institutum non patiatur, in eo hærere: sufficere nobis hoc tempore potest, vere ab ipso designari Alexandrum Balam, quippe quod nexus historiæ & characterismus temporis evincunt. Accidisse enim ait hanc cladem, qua tota Antiochia concidit, Anno jactorum ejus fundamentorum à Seleuco cli. Jacta sunt Antiochiæ fundamenta, ut Usserius in *Annalibus* & Norisius de *Epochis Syro-Macedonum* demonstrant, (juxta ipsum quoque Malelam nostrum,) Anno ante Æram Vulgatam ccc, qui est xii Æræ ab eodem Seleuco Nicatore Seleucidarum dictæ. Initia autem Alexandri Balæ incidunt in A. Æ. Seleuc. clx, ut consignatum est i Macc. x. i. sive (cum hic Historicus, à Neomenia annos Seleucidarum ordiatur,) anno labente Seleucidarum cli x, ut Norisius accuratius notavit, dicto *Libro*, Cap. ii. §. i. Adde itaque his cli i annis, annos xii, quot anticipavit Æra Seleucid. & devenies ad A. clxiv. qui quidem Balæ *quartus* fuit, licet hic consignetur *octavus*. Veri autem aliquid testimonio videtur subesse, quod characterismi temporum tam accurate expressi sint: etsi si quis rem gestam dicat sub Antiochio Sidete, id nobis perinde fuerit, nec instituto contrarium.

concidere & CONQUASSARI; alia vero velut in summa tempestate NUTARE, huc atque illuc COMMOTA. Plura hujus generis addit lugenda, quæ non describo. Conferri autem possunt exempla terræ motuum huic similium, quos experta est Antiochia, Christiana quidem tum, sed corruptissima, sub Leone Primo, Justino, Mauritio, quæ invenies apud Evagrium. Turci, dein, Cruciati, Tatari, quicquid in Syria pristini decoris supererat, corruperunt plane ac vastarunt, ut vere scripserit Vir Doctissimus [a], *vetustissimas ac florentissimas quondam Syriæ Urbes non tam senio confectas quam irruentium barbarorum feritate deletas, alto dudum cinere obrutas jacere, ut ne ipsarum quidem vestigia supersint.*

Summa historiæ sequentis temporis.

Locus Viri Doctissimi de hac re.

GRADATIO TERTIA.

Gradatio *tertia.* Judicium in Reges & Principes, Ecclesiæ Persecutores, & *Sacerdotes Apostatas.*

℣. 21. *Et futurum est illa die, ut Jehova visitaturus sit super* EXERCITUM CELSI IN CELSO, *& super* REGES TERRÆ *in terra.* ℣. 22. *Et congregabuntur congregatione* INSTAR VINCTORUM *includendorum carceri, & claudentur* IN FOVEA, *&* POST MULTOS DIES *visitabuntur*] Patet, Prophetam adhuc versari in describendis terribilibus Dei Judiciis, quibus profanos, hypocritas, & Persecutores veræ Religionis prosequeretur circa idem illud temporis Intervallum, in quo fiximus prophetiæ hujus scenam. Est autem descriptio Judicii, quod *tertia* hac *gradatione* comprehenditur, tum *generalis*, ℣. 21. tum *specialis*, quæ formam Judicii exhibet, ℣. 22. In generali conspectu hujus Judicii id unum præcipue expediendum est, quid Propheta intelligat per *Exercitum celsi in celso.* Equidem cum hæc verba sæpius meditarer, & persuasum haberem, *κατὰ γράμμα* per *Reges terræ super terram* intelligi *Reges Syriæ*, qui Ecclesiam Populi Dei gravius affligerent; vix poteram à me impetrare, ut mentem abstraherem ab hac cogitatione, Prophetam idem subjectum gemina appellatione circumscribere, *figurata* primum, dein *propria:* quod ipsi aliisque Vatibus solenne est. Videbatur autem appellatio Regibus Syriæ belle convenire, quod plerique Principum Seleucidarum, & quidem utriusque sexus, (si forte contigerit, fœminas partem habere in Imperio, ut exemplum est in famosa illa Cleopatra, Grypi & Cyziceni matre,) stolida arrogantia affectaverint titulum *Divinitatis*, & DEI vel DEÆ cognomine honorari voluerint, ad exemplum ejus quod Propheta de *Assyrio*, qui horum Principum typum sustinuit, refert Cap. XIV. 13. 14. 15. Imo certe quod ibidem dicitur, in his verissime est impletum. Sed vicit tamen ratio, & vidi, vocem צבא *Exercitus* non satis commode ad eos applicari posse. Præterquam quod magis contradistinguantur *Regibus terræ super terram*, quam ut cum iis componantur. Suntne igitur per eos intelligendi *Angeli*, Præsides Regnorum Mundi, quorum ad Reges illos aut Regna est peculiaris respectus, כי מלכות המלכים רבקת עם מלכות המלאכים *quia Regnum Regum terrestrium coharet cum Regno Angelorum cœlestium:* ut Aben-Ezra? vel *imagines astrorum quas in collibus venerantur Assyrii*, ut Grotius? Vel *luminaria cœlestia obscuranda*, ut Hebræorum alii apud Kimchium, & ipse quoque Hieronymus ex sua hypothesi? Sunt hæc mera suaviludia ingenii; (licet Aben-Ezræ hypothesi aliquid veri subsit, sed quod huc quæsite transfertur:) inde nata, quod Interpretes non assecuti sint, in quo tempore figenda sit prophetiæ scena. Intelliguntur *Sacerdotes* profani, *Apostatæ*, de quibus Deus hoc tempore æque sumeret vindictam ac de *Regibus terræ.* de quo ne dubitaremus, succurrit nobis Daniel Propheta, qui corruptionem temporum Maccabaicorum & eorundem afflictionem prophetice enarrans, eos hoc nomine describit. Sic ipse Cap. VIII. 10. de Antiocho Epiphane: *Et magnificavit se usque ad* EXERCITUM COELORUM, (צבא השמים) h. e. eousque se extulit, ut ipsum quoque Populum Dei ejusque *Sacerdotes* tentaverit atque aggressus sit, *& dejecit aliquos in terram ex illo* EXERCITU, *& ex stellis, & conculcavit eos.* Rursus ℣. 11. *Et extulit se adversus Principem illius* EXERCITUS. sc. Deum, Sacerdotum & Populi Israëlitarum Ducem & Dominum. ... *Et* EXERCITUS *traditus est super jugi* (sacrificio) *in defectionem.* Et mox iterum ℣. 13. *Exercitus cœlorum* sunt haud dubie *stellæ & sidera cœlestia:* atqui *stellæ & sidera* apud ipsum Danielem sunt *Doctores* qui plures perducunt ad *justitiam*, ut patet ex Cap. XII. 3. Jam constat, in locutionibus mysticis *Populum* assimilari *terræ*; Præfectos qui ei præsunt, *cœlo*, quod Hebræis מרום CELSUM dicitur [b]: estque ille respectus vel *Politicus*, vel *Ecclesiasticus.* Ut enim *cœlum* influit in *terram*, sic Præfecti tanquam *superiores* in Populum ut *inferiores:* estque influxus ille varius pro vario Præfecturæ genere. Certe cum Præfectura Populi Dei, ex Lege Reipublicæ quæ *Civitatem* faceret *sacram*, sic esset instituta formataque, ut *Civiles Præfecti* æque ac *Ecclesiastici*, respici possent tanquam *sacri*: σχῆμα Cœli & Terræ ad hanc Civitatem sive Rempublicam omnium verissime & propriissime accommodatur; ut proinde in Cœlo *Populi Dei*, ut & in Imperiis Mundi Christo consecratis, demonstrari queant *Sol*, *Luna*, *Sidera*, *Nubes*, horumque omnium phænomena: de quo alibi [c] explicatius monui. Sic Haggæus [d]: *Adhuc parum temporis est, & commovebo* את השמים ואת הארץ COELUM *&* TERRAM, *& mare & aridum.* Scriptor ad *Hebræos* [e] interpretatur per *τὴν μετάθεσιν τῶν σαλευομένων, ὡς πεποιημένων, amotionem rerum mutationi obnoxiarum, ut factitiarum.* h. e. abolitionem *σχήματος* ad Montem Sinai instituti. Sed apud Prophetam nostrum luculentus est usus hujus figuræ Cap. LXV. 17. ubi prænunciat *formationem Novi Cœli & Novæ Terræ*, & Cap. XXXIV. 4. *Et contabescent* OMNIS EXERCITUS COELORUM, *& convolventur ut volumen Cœli, & omnis exercitus eorum marcescet, & seqq.* Ergo intellige in hoc loco *sidera Cœli*, h. e. Pontificem, Sacerdotes, Præfectos, Proceres, Doctores, Populi Dei, quos Vates ℣. 4. appellaverat מרום עם הארץ CELSUM (sive, quod eleganter dixeris, COELUM *Populi terræ.*) h. e. גדולי העם *qui in Populo excellunt.* qui heic contradistinguuntur *Regibus terræ super terram*, h. e. Regibus Syriæ. Judæa enim & Syria sedes essent hujus Judicii. quod clarius multo liquebit ex implemento. Plus difficultatis est in altero membro hujus gradationis, ubi Principes hi *cœlestes & terrestres* (liceat eos ita appellare,) dicuntur *collectim instar vinctorum includendi esse foveæ, & claudendi in carcere, & post multos dies visitandi.* Consentiunt hic Intt. in verbis: ואכנו אספרה אסיר על בור *Et colligentur collectione, vincti in fovea:* vocem אסיר *vinctus* elliptice scribi pro כאסיר *tanquam vinctus*, sive *vincti.* usurpatur συλληπτικῶς, אסיר pro אסירי, stylo Scripturæ. deinde, voculam על hic sumi pro *in.* ut in aliis locis. Addo, voce *colligentur* geminum involvi sensum. Est enim hoc loco, *colligentur collectim tanquam vincti detrudendi in foveam, & ibi clausi detinebuntur.* perinde ac Marc. v. 3. de obsesso: *Et neque vinculis poterat illum quisquam* δῆσαι *vincire*, h. e. vinctum constrictumque detinere. Desumpta est metaphora, ut quisque videt, secundum aliquam sui partem à Captivis, bello factis, aut quibusque aliis criminis gravioris Consortibus, qui gregatim vincti, manus pedesque ligati, truduntur in carcerem, & arctæ mandantur custodiæ. nec tamen integra. Spectat enim præcipue ad homines sævos ac feroces, quos Principes tanquam sibi aut Reipublicæ infestos, dum aliter coërceri nequeunt, necesse habent dare in arctam quæsitamque custodiam, ut *sævire* desinant, ad exemplum Eumenis, (quod unum ex multis huc adduco,) qui cum ab Antigono *in custodiam esset datus, & Præfectus custodum quæsisset, quemadmodum servari vellet? ut* ACERRIMUM, *inquit,* LEONEM, *aut* FEROCISSIMUM ELEPHANTUM [f]. Emblema idem est quod de Satana usurpatur in *Apocalypsi* [g], detrudendo in *abyssum*, *occludendam & obsignandam*, & ibi *vincto* detinendo per *mille annos*, ne *seduceret Gentes.* Dubium tamen, an *conjectio in carcerem* hic pœnam designet, improbis destinatam; num potius *dati in custodiam*

Quid ℣. 21. intelligatur per *Exercitum Celsi in Celso?*

Recte exponi potest de *Regibus Syriæ* qui affectarunt titulum *Divinitatis.*

Nec tamen in hanc itur sententiam.

Aliorum sententiæ.

Intelliguntur *Sacerdotes Apostatæ.*

Locus Danielis, Cap. VIII. 10.

Exercitus cœlorum quid mystice significet apud Danielem?

Ratio appellationis. *Cœlum* Reipublicæ Judaicæ expositum.

Loca parallela huc facientia.

Ex Prophetæ nostra Cap. LXV. 17. & XXXIV. 4.

Phrasis Prophetæ inde exposita.

Alterum membrum sententiæ, de *vinctis includendis foveæ, & post multos dies visitandis.*

Ellipsis in voce אסיר.

Alia observatio Grammatica ad vocem, *colligentur.*

Metaphora unde desumpta?

diam

a Norisius de *Epoch.* Syro-Maced. mox in *Inscript.* Libri. b Ps. XCII. 9. XCIII. 4. c Ad Apoc. VI. 12. & ad Cap. V. 6. d Cap. II. 6. e Cap. XII. 27. f Nepos in *Eumene*, Cap. XI. g Cap. XX. 1. 2. seqq.

diam reservandi essent ad clementiam, vel pœnam acerbiorem, in *carcere* perferendam? cujus definitio pendet à clausula sententiæ, recte vel secus intellecta: *Et post multos dies visitabuntur.* Est certe in ea quod Interpretem exerceat: quare plures hic hæsitarunt, & Grotius etiam, haud dubie non videns qua ulla ratione commoda hypothesi suæ expositionem horum verborum aptare posset, ea sicco pede transivit. Constat, Deum stylo sacro homines dici *visitare*, ubi singularibus providentiæ suæ effectis palam facit, se ut status actionumque eorum inspectorem & Judicem iis præsentem adesse, sive ut in eos gravius animadvertat; sive ut illos liberet ac beneficiis gratiæ suæ refoveat; sive ut qualemcunque aliam præterordinariam in statum eorum inducat mutationem. Ecqua jam visitatio est, de qua Vates hoc in loco? Estne *gratiæ*, an *iræ?* clementiæ, vel justitiæ? Sunt utique inter Interpretes qui hic de Visitatione gratiæ & clementiæ cogitant, estque Vir Doctus [a], qui hanc propugnans sententiam, scribit, *omnem visitationem quæ est post calamitatem, esse visitationem gratiæ.* Id quidem quod non negem, si per *calamitatem* intelligat *calamitatem decretoriam*, in qua sententia Judicii finalis complementum suum consequuta est. perinde ac de Tyro in prophetia antecedente Cap. XXIII. 17. dicitur, *Deum post* LXX *annos Tyrum* VISITATURUM *esse.* qui locus huc adduci potuisset. Sed *incarceratio*, cujus hic fit mentio, posset esse προληπτικὴ & *præparatoria*, cum respectu sive ad *clementiam*, sive ad *justitiam*; sive ad qualemcunque aliam status mutationem, quam incarcerati subirent. perinde, ut in eodem illo exemplo Eumenis hæream quod modo produxi: *non statuisse enim hactenus* Antigonum, ait Historicus, SERVARET *eum*, (carceri jam inclusum,) *nec ne.* Certe si sententia ipsa inspiciatur, non commendat se ratione probabili. *Reges* enim & *Principes* Ecclesiæ Persecutores, & *Sacerdotes profani*, à Deo includendi & inclusi carceri, an unquam sperare possint gratiam? Nonne erunt objecta *iræ* Dei Omnipotentis *magno* illo & illustri *die iræ ejus*, qui hic describitur? Patet illud luculenter ex tota prophetia sequenti, omnibus ejus partibus hic consentientibus; ut & ex mystica hujus prophetiæ interpretatione, quam Joannes dedit in *Apocalypsi* [b]. Cum quo conferre potes prophetiam Danielis de *cornu parvo* in Cap. VII. 11. Si itaque commodus sensus aptandus esset huic interpretationi: conferendus esset locus cum eo *Apocalypsios*, (Cap. XX. 1. seq.) de *Satana ligando*, & *conjiciendo in carcerem*, & *post mille annos per* BREVE TEMPUS rursus *solvendo*, ut deinceps pœnam referret, sibi judicio Divino destinatam: quod tamen huic *subjecto* minus commode applicatur. Sunt itaque qui hic intelligunt *visitationem Judicialem*, quam diversimode accipiunt. Glassius [c]: *Sensus est, scelerato illos quos Divina Justitia in lacum conjecerit, post* MULTOS ETIAM *dies fore torquendos, h. e. nunquam futurum esse pœnarum terminum. Loquitur de visitatione iræ, non gratiæ.* Interpres Græcus omnino sic accepit locum: Διὰ πολλῶν γενεῶν ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτῶν· *Per multas ætates illorum erit visitatio.* Hieronymus quoque, Ribera, Estius, Sanctius, alii. quin & Aben-Ezra inter Judæos: והטעם כי תמשך זאת הרעה *Sensus est, malum hoc incarcerationis super eos esse protendendum:* dum sc. ipsi, inclusi carceri, ibi pœnæ loco essent detinendi & sustentandi. Sanus profecto sensus est, & loco huic convenientissimus; sed phrasis Hebræa posset esse liquidior. notat enim *præpositio* מן tempori juncta passim idem quod Latinis *post*, valetque phrasis, מרוב ימים *post multos dies.* Nec ausim tamen affirmare, hunc ejus usum plane esse insolentem. Sunt enim pauca exempla, quæ Grammatici producunt, in quibus *rei* aut *temporis* statum notat, inter quæ est locus Exod. XXXII. 30. מכחרת *die crastino.* Estne igitur id potius statuendum, quod Vir quidam Doctus [d], qui hic hæret in hypothesi Mosis Haccohen & Grotii, agi sc. in hoc Vaticinio de Vastatione Judææ per Senacheribum, ejusque & Principum fœdere ei junctorum punitione: *Conjicientur & compingentur tanquam vincti in carcerem, unde exire non poterunt, ibique post multos dies, quando sævitiam suam exercuerint, punientur.* Largior, stare posse interpretationem, modo conciliari possit cum historia: quod ægre fit secundum hypothesin Interpretis. Quid plura? Cum Prophetæ se invicem interpretentur: conferendus est hic locus cum analogo Ezechielis, in quo κατὰ γράμμα de eodem *Subjecto* agitur, sub nomine Gogi & Magogi, Cap. XXXVIII. 8. מימים רבים תפקד POST MULTOS DIES VISITABERIS. *in* EXTREMO ANNORUM (באחרית השנים) *venies in terram, reductam à gladio, & seqq.* Sensus loci est, longo tempore post editam prophetiam, sive post stabilitum Regnum Seleucidarum, Deum in hosce Populi sui hostes exequuturum esse judicium, quod iis paraverat. quem sensum manifeste adstruit, quod sequitur: *In extremo annorum.* h. e. extremo tempore Oeconomiæ Veteris. sc. si prophetiam κατὰ γράμμα accipias. Vult igitur his verbis dicere Jesaias, prophetiam hanc de notabili hoc Judicio, quod describit, non proximo, sed longo tempore interjecto, implementum suum consequuturum esse, *termino à quo* non ducto à tempore Regum in carcerem compingendorum, sed ab ipso hoc tempore quo prophetiam vulgavit: quem sensum esse dixi analogi loci Ezechielis, quem ad hunc locum jam adscripseram, antequam illum apud Aben-Ezram aut Coccejum observaveram. Firmant interpretationem hæ rationes, α. Quod vox פקד *visitare*, quæ in *versu superiore* sumitur significatione *visitationis judicialis*, hic notationem suam non mutet. β. Quod eadem vox plerumque apud Prophetam per totum Librum sumatur pro *visitatione judiciali.* γ. Quod conjectio in *carcerem* vel *foveam* ubique fere in *Odis Sacris*, & apud Prophetam quoque nostrum in prophetia de Assyrio, horum Regum & Principum typo, Cap. XIV. 15. sumatur de loco interitus, in quo damnati luunt pœnam judicialem, qui Poëtæ Sacro dicitur *puteus interitus*, ubi de similis generis hostibus loquitur, his verbis [e]: *Et tu, ô Deus, facies illos descendere* לבאר שחת IN PUTEUM INTERITUS. Sensus itaque est, profanos illos *Sacerdotes* & Præfectos Populi Dei, qui Patriam Religionem prostituerent, quorum Principes fuerunt Jason & Menelaus; *Regesque terræ*, qui persecutionem instituerent adversus Populum Dei, omnes gravissimis Dei Judiciis pressos, morte inhonesta, probrosa, ac violenta occubituros esse, tam ipsos quam ipsorum posteros, & quidem *gregatim*, magno numero, usque quo stirps impiorum exscinderetur; & hoc modo coërcitos, ne Populo Dei noceant, statu locoque interitus ipsis à Deo destinato, luituros esse supplicium, sententia cœlesti sceleribus ipsorum decretum. Idem itaque plane est, quod Danieli, qui multo propior fuit tempori horum Eventuum, in harum ipsarum rerum revelatione dictum est [f]: *Quia ad* TEMPUS FINIS (לעת קץ) *erit visio.* h. e. sub finem Oeconomiæ Veteris implementum sortietur. Et rursus [g]: *Tu vero claude hanc Visionem,* כי לימים רבים *quia* POST MULTOS DIES implebitur.

Historia hic est singularis, & animadversione dignissima. Ne enim quicquam dicam de infelici exitu Jasonis & Menelai, quorum ille iisdem artibus dignitate Pontificatus spoliatus, quibus de ea deturbaverat fratrem, à conscientia scelerum vexatus, de loco in locum metu profugus & vagabundus apud exteros invenit fatum sibi inhonestum [h]; hic ab Antiocho Eupatore necatus est [i]: dum Alcimus, hujus successor, alia plaga cœlestis iræ percussus, quoque interiit [k]: docet historia, eandem Dei iram incendisse Regiam Syriæ Domum, eamque consumpsisse, æque ac Regum primarios Ministros, Militiæ Præfectos, quibus usi fuerant consiliariis & instrumentis in Populo Dei persequendo & affligendo: quod Judicium Divinum exteri quoque Scriptores observarunt, & inter illos Polybius, licet hactenus totum non perspexerit, & veras illius causas ignorarit. Loquens enim

Quænam hic intelligatur *visitatio* futura *post multos dies*?

Quo sensu Deus homines dicatur *visitare*?

Interpretum variæ sententiæ. Sunt qui de *Visitatione gratiosa* accipiunt.

Parum probabiliter.

Alii de *Visitatione Judiciali.* Auctores illius sententiæ.

An conciliari queat phrasis, *post* vel *per multos dies*?

Alterius Viri Docti meditatio.

Vera interpretatio petitur ex phrasi Ezechielis, Cap. XXXVIII. 8.

Sensus Prophetæ expositus de *Judicio* hoc *post longum tempus* celebrando.

Rationes interpretationis. Vox *visitare* in ℣. superiore sumitur de *visitatione Judiciali.* Et alibi passim. Usus metaphoræ idem exigit.

Consensus Danielis.

Implementum σκοτεινῶν in Historia. *Judicia* Dei in *Sacerdotes profanos.*

[a] Schmid. [b] Cap. VI. 16. 17. [c] *Gramm.* Lib. IV. Tract. I. *Observat.* VII. [d] Daniel Brenius. [e] Ps. LV. 24. [f] Dan. VIII. 17. [g] ℣. 26. [h] 2 Macc. V. 8. 9. [i] Joseph. *Ant.* Lib. XII. Cap. XV. [k] 1 Macc. IX. 55. 56.

Et Reges Syriæ, Persecutores Ecclesiæ,

enim ille de sceleſtis Antiochi Magni æque ac Philippi Macedonum Regis conſiliis & conatibus, & vindicta Dei eos inſecuta, adſcribit *a*: Τὰς δὲ τῶν δυναςείας καὶ τὰς διαδόχας, τὰς μὲν ἄρδην ἀνασάτους ἐποίησε καὶ πανωλέθρους· τὰς δὲ μικρῷ δεῖν ἀυτοῖς περιέβαλε συμπτώμασι· *horum dominationes ac* SUCCESSORES; (erat autem Epiphanes Antiochi Magni filius:) *partim funditus evertit delevitque omnes; partim calamitatibus non multo levioribus afflixit.* Antiochus Epiphanes ipſe, in flore ætatis, poſtquam magnis excidiſſet auſis, oberrans circa Perſiæ & Babyloniæ fines, *inſanabili* affectus *plaga & acerrimis correptus doloribus inteſtinorum, à vermiculis eroſorum, & tabe intolerandi fœtoris diffluentium*, animam mœſtus exhalavit; agnoveruntque in exitu ejus Judicium Dei ſingulare non Judæi tantum Hiſtorici, ſed & exteri: licet in circumſtantiis quibuſdam varient *A*. Specta mihi nunc fatum triſte & lugubre ſucceſſorum ejus, tam ipſo quam fratre ejus Seleuco Philopatore ortorum, hoc eſt, Demetrii Soteris, Seleuci filii, qui Eupatori, Patrueli ſuo, Epiphanis filio, Regnum eripuit, ut huic rurſus Alexander Bala, qui ſe pro Epiphanis filio gerebat. Eupator, Epiphanis filius, Demetrii juſſu poſt breviſſimum Regni tempus eſt necatus: Demetrius ipſe in prœlio cum Alexandro Bala equo εἰς τέλμα βαθὺ καὶ δυσεκπόρευτον, *in cœnum profundum, ex quo difficile erat evadere*, impulſo, ibidem eſt obtruncatus: Alexander vero in perfidia deprehenſus à Ptolemæo Philometore, Socero ſuo, & ab eodem & Demetrio, Demetrii filio, victus, & profugus ad Arabes, in gratiam Ptolemæi capite minutus eſt à Zabelo, Arabum Dynaſta: ipſe rurſus hic Demetrius, Demetrii filius, Nicator dictus, à Parthis in bello cum iis geſto ſive vi ſive dolo captus, & in Parthiæ Provincia aliqua diu detentus & circumſcriptus, per plures annos, poſtquam tandem ad ſuos rediiſſet & Regnum recuperaſſet, *diu miſere vexatus, occiſus eſt.* Idem fatum ſuſtinuerunt Antiochus, Alexandri Balæ filius, à Tryphone, qui Regnum occupaverat, ſublatus, & mox ipſe Tryphon, Judæis infeſtus, & Antiochus Sidetes, (horum cætera Principum optimus,) in bello Parthico. Poſt illos Alexander Zabina, à Ptolemæo Phyſcone ſubornatus, Seleucus Filius Demetrii Nicatoris; Antiochus Grypus, eodem Demetrio Nicatore genitus; Antiochus Cyzicenus, frater uterinus Grypi; Seleucus Grypi filius; (hic quidem à Mopſueatis cum Regia & amicis *exuſtus*;) Antiochus, frater ejus; Antiochus Euſebes Cyziceni filius. qui omnes violenta morte per parricidiales diſcordias interierunt, & florentiſſimam hanc partem Orbis habitabilis bellis inteſtinis vaſtarunt. Reſpice mihi hæc exempla, colligenda ex Joſepho *a*, Appiano *b*, Juſtino *c*, & agnoſce Judicium Dei in Reges terræ ſuper terram, Eccleſiæ Populi Dei perſecutores, *gregatim* miſſos in *foveam*, dum ſcelus Patrum vindicatum eſt in Filiis in *tertiam* & *quartam generationem*, uſque quo *ſemen reproborum* exciſum fuerit. Adde his ex *Maccabaicis* & Joſepho documenta Divinæ Juſtitiæ edita in Præfectis militiæ, quibus priores horum Regum in affligendo & vexando Populo Dei uſi ſunt, inter quos præcipui fuerunt Lyſias, cum Eupatore interemptus *d*, & Nicanor, cujus fatum hiſtoria nos ſpeciatim animadvertere jubet *e*.

Fatum Antiochi Epiphanis.

Longa ſeries Succeſſorum, qui violento genere mortis in flore ætatis occiderunt.

Auctores hujus hiſtoriæ.

Idem judicium obſervandum in *Præfectis militiæ*, qui mandata impiorum Principum exequuti ſunt.

γ. *Temperamentum* ſive CONSEQUENS hujus Judicii reſpectu Eccleſiæ.

Tempera-

ſſ. 23. *Et pudore ſuffundetur* LUNA, *& pudefiet* SOL, *ubi* REGNUM CAPESSIVERIT JEHOVA EXERCITUUM Dominus *in Monte Tſione & Hieroſolyma; & coram* SENIORIBUS EJUS *erit gloria*] Conſequens Judiciorum, quibus Deus dejiceret ac proſterneret hoſtes Populi ſui, perderetque ac diſſiparet hypocritas & profanos, eſſet ejuſdem Populi Dei Liberatio & Exaltatio glorioſa, Regnique ejus in hoc Populo clarior Manifeſtatio, quam huc uſque facta fuerat; cujus initia ſecundum ſeriem prophetiæ *typice* cadunt in tempus Simonis Ethnarchæ, & Johannis Hyrcani, Filii ejus. quod, veri & Regni Dei ſtudioſe lector, ſtatuenti & hic anticipanti ne ſuccenſe, aut morare gradum. ſenties enim ubi perrexeris, nullam me verborum emphaſin negligere, quam pii homines, qui ſolatium quærunt ex Verbo Prophetico, in eo præcipue ſectantur.

mentum, ſive *Conſequens* hujus Judicii: *Manifeſtatio Regni* Dei glorioſa in Judæo Populo.

Nexus Orationis Prophetæ & ſumma ejus.

Verba Prophetæ, ut hic jacent, geminum ferunt ſenſum. primus eſt ſimplex & obvius; tempore illo, vel poſt tempus illud quo Deus vindictam ſumeret de hoſtibus Populi ſui, Regnum ejus in Republica & Eccleſia inſtaurata ac Reformata glorioſius ac ſplendidius ſe oſtentaturum eſſe, quam Sol & Luna, Lumina Cœleſtia, in ſuis Orbibus, ubi vel maxime luminis ſui decus, ſplendorem, majeſtatemque in oculos mortalium ingerunt. Alter ſenſus interior & reconditior; illo tempore quo Deus non *typice* ſed *vere capeſſeret Regnum*, futurum eſſe, ut *Sol* aliquis myſticus & *Luna* myſtica obſcurentur & ſplendere deſinant. imo vero futurum eſſe, ut *Sol* myſticus converteretur in *tenebras* & *Luna* in *ſanguinem*, ut Joël hoc emblema fortiſſime exponit Cap. II. 31. quod in Apocalypſi, Cap. VI. 13. ita effertur: *Et factus eſt Sol niger ut ſaccus cilicinus, & Luna tota facta eſt ut ſanguis.* ut videtur ſane, ubi maxime *rubet*. Significatur in utroque loco myſtice, in exequutione hujus Decreti Divini multum effundendum eſſe ſanguinem. Et tamen Dominus Jeſus in prophetia ejuſdem argumenti apud Matthæum, Cap. XXIV. 29. *Sol* OBSCURABITUR, *& Luna non edet ſplendorem ſuum.* quæ ſingula ſuis locis explicanda occurrent. Sunt autem *Sol myſticus* & *Luna myſtica*, regnante Jehova abolenda, in genere quidem *Rectores Politici & Sacri*, ſive *Reges* ac *Principes Mundani* & *Antiſtites* Religionis in quaque Gente qui ſe opponunt *Regno Dei*, cujuscunque fuerint Civitatis ac Reipublicæ, ut Reges paſſim ſtylo quoque Gentium *Soli* comparantur; ſed ſpeciatim & myſtice *Rectores* & *Doctores* ſive *Præfecti* Eccleſiæ, (eorumque præfectorum aliquis ſummus, qui PONTIFEX MAXIMUS dicitur aut ſe dici patitur, & *Rector Politicus* eximius, quales ſunt REGES aut IMPERATORES:) qui ex *Rectoribus* & *Paſtoribus* Eccleſiæ ac veri Dei Populi devenerunt Eccleſiæ *Perſecutores*, imperiumque ac auctoritatem ſuam vertunt in tyrannidem, Eccleſiamque & Populum Dei ſplendore & lumine ſuo non recreant, fovent, illuminant, ſed *pungunt* ac feriunt, de quibus Vates ſacer Pſ. CXXI. 6. SOL *te non* PUNGET, ſive *feriet de die*; *nec* LUNA *de nocte.* quorum Principum Politicorum & Eccleſiaſticorum Imperium abolendum ſubvertendumque eſt, ubi *Regnum Jehovæ* ſe in omni vi ſua exerit: de quo videnda quæ ad Apoc. VI. 12. pluribus diſſerui. Eſt autem *regnare* hic proprie *Regnum capeſſere* vel *regnare incipere*, ut vulgo vox ſumitur in hiſtoria *Regum*; & quod dicitur, *coram Senioribus* EJUS *fore gloriam:* obſervanda eſt ellipſis, eſtque idem ac ſi ſcriptum eſſet: *coram Senioribus Populi* EJUS.

Senſus ſententiæ inveſtigatur.

Obvius primo & ſimplex.

Senſus interior & reconditior.

Cum *Jehova* vere inciperet regnare: *Sol* aliquis myſticus, & *Luna* myſtica obſcurarentur.

Analogia phraſium Scripturæ.

Regnare hic eſt *regnum capeſſere.*

Ellipſis in phraſi: *coram Senioribus*

---

a Antiq. Lib. XII. & XIII. *b* In *Syriac.* *c* Hiſt. Lib. XXXI--XLI. *d* 2 Macc. XIV. 2. *e* 2 Macc. XV. 28--30.

A Sic fere auctor 2 Macc. IX. 5. 9. ſeqq. eſtque hiſtoria probabilis, quia ſingulari quodam Divinæ providentiæ luſu plures tyranni, Perſecutores Eccleſiæ Dei, hoc genere ſupplicii à Deo affecti, è vivis diſceſſerunt. Appianus de *Bell. Syriac.* Φάσιων ἐτελεύτησε· *tabe periit.* Primus *Maccabæorum* (Cap. VI. 1. ſeqq.) refert ad ingentem animi DOLOREM, quem ille conceperit tum ex irrito ſucceſſu conſilii de ſpoliando Templo opulento Elymaidis, tum ex nuncio quem acceperat de re à ſuis male geſta, fuſiſque exercitibus ſuis à Maccabæis & Haſidæis. Polybius, (apud Valeſ. in *Excerpt.* p. 145.) illum, fruſtratum ſpe diripiendi *Templi Dianæ* in Elymaide, repulſum ab incolis, & regreſſum cum pudore, *mortem obiiſſe in Urbe Tabis*, δυσμενίσαντα, INSANIA CORREPTUM, *ut alii qui tradunt, ob quædam ſigna atque oſtenta, quæ ob violatam Religionem Templi à Numine edita erant.* Rectius dixeris cum Joſepho, *Antiq.* Lib. XII. Cap. XIII. ob profanatum *Templum Hieroſolymitanum.* Certe ſi tam conſtans non eſſet traditio de conatu ſpoliandi Templi Dianæ vel Veneris Elymææ: probabilis mihi fieret ſententia, hiſtoriam hujus Antiochi hac parte eſſe confuſam cum ea Antiochi Magni, Patris ejus, qui *ſpoliato in Elymaide Jovis Beli Templo, cum omnibus copiis illic periiſſe* dicitur, apud Diodor. in *Excerpt. Valeſ.* p. 293. & 300. Nihil tamen in hiſtoria eſt quod pugnet: licet nobis prior pars hiſtoriæ de infelici ejus Exitu ſufficiat. Summa redit ad hæc verba Joſephi in Tractatu de *Imperio Rationis*, p. 1101. Καὶ ὁ τύραννος Ἀντίοχος καὶ ἐπὶ γῆς τιμωρηται καὶ ἀποθανὼν κολάζεται· *Tyrannus vero Antiochus & in terra cruciatus eſt & poſt mortem vindicatur.*

but EJUS *gloria.*

EJUS. Affixum enim in voce יקר, generis *masculini*, referendum est ad *Jehovam*, non ad *Hierosolymam*; estque sensus, *Seniores* sive Rectores Politicos & Ecclesiasticos Populi Dei, veluti ipsius Regni Dei consortes & Dei Regis Assessores ob doctrinam, sapientiam, gravitatem, pietatem, virtutesque alias, zelo junctas, in magna fore existimatione. Conferri debet Cap. IV. 5. Inspiciamus rem ipsam, & eandem conferamus cum historia.

Sensus hujus dicti.

IMPLEMENTUM TYPICUM hujus prophetiæ.

Omnes prophetiæ quæ fata Populi Dei distinctius explicarunt, usque ab ea Bileami, (quæ hujus generis prima fuit [a],) in eo certatim consentiunt, fore, ut in *fine temporum* Reipublicæ Judææ, postquam redux factus esset Populus ex terra hostili in terram Patriam, Deus statum hujus Populi instauraret ac constabiliret; Populum *multiplicaret*, eidemque *benediceret supra Patres*; hostes suos, Idumæos, Moabitas, Philistæos, ei subjiceret; Pastores ei procuraret doctos ac fideles; terminos Canaanææ dilataret; & omnis generis beneficiis temporalibus hanc Gentem cumulate prosequeretur ac ditaret, Regnumque suum in hoc Populo glorioſius quam aliàs factum fuerat, ostentaret. Et tamen status Reducum ex Exilio Babylonico amplissimis hisce promissis neutiquam videbatur respondere. Etiamsi enim Deus vere Populo reduci præter Prophetas procurasset Viros pios, doctos, prudentes, quales fuerunt Ezras ejusque Socii, qui statui Ecclesiæ formandæ & reformandæ ingente zelo diligentissimam navarunt operam; Canaanæa rursus à reducibus magnam partem occupata; Templum urgentibus Prophetis Haggæo & Zacharia reædificatum & instructum; & Hierosolyma cura Nehemiæ tum munita, tum incolis repleta fuerit: res tamen Populi manserunt tenues & afflictæ sub Imperatoribus Persicis, & Successoribus Alexandri, Lagidis (qui Syriam Cavam cum Judæa sibi primo obnoxiam habuerunt,) & Seleucidis. Nec tantum: sed status Populi decrementa quam incrementa faciebat majora, & Ecclesia invalescente hypocrisi & commercio cum Populis vicinis, ad quorum mores se multi accommodabant, magna sibi sensim contrahebat vitia. ad quæ cum accederet Persecutio & Afflictio Epiphanica: secundum aspectum rerum externum plane actum videbatur de Ecclesia. Sed hoc ipsum illud tempus erat, quod Deus destinaverat *glorificationi sui Nominis*; hoc est, tam sumendæ de hostibus ejus vindictæ, quam implendis promissis temporalibus, Genti luculenter factis. Apparuit itaque hoc tempore Vindex sui Populi; susciavit heröes Maccabæos, inquam, minime exspectatos, qui summa rerum omnium desperatione hostes in ipsa Canaanæa sternerent ac delerent; Hierosolymam & Sacra ejus glorioſe instaurarent; æmulas Gentes & in his *Idumæos*, quaquaversum debellarent ac sibi subjicerent; fines Judææ longissime protenderent; Synedria, in quibus *Presbyteri* secundum præscriptum Legis jus dicerent, ordinarent; sequutaque protinus est mirabilis adeo mutatio status hujus Gentis, ut brevi supra & contra omnem exspectationem humanam proruperit in ingentem multitudinem, magnas sibi comparaverit opes ac divitias, & extra Patriam terram late proserpens, Cultum veri Dei in Synagogis ubique fere per florentes Orbis terras erectis Gentibus ostentarit. Sed erat hactenus hæc manifestatio & illustratio *Regni Dei* in hac Gente *typica* magis quam *vera*, ab Assamonæis Principibus, qui Joannem Hyrcanum sequuti sunt, & mox ab Herode ac Herodiadis atque invalescente Pharisæismo, eum in modum obscurata, ut in tanto *Regni Judæi*, Templique per universum Orbem celebrati sacrorumque ejus *splendore*, qui potentissimarum Gentium fascinabat oculos, externa tantum superfuerit species; res ipsa fere perierit. At rursus hic temporis articulus erat, quem Deus æterno consilio suo dispexerat commutando *Regno typico*, quod non amplius merebatur appellari Regnum Dei, cum *Regno* Jehovæ *vero* & *spirituali*, quod à Filio ejus inter homines manifesto facto fundaretur, & fundatum est, quodque, spirituali oculo spectatum, licet quod ad externam speciem despicabile, à parvis & tenuibus initiis in summam amplitudinem brevi excresceret, *Solisque* ac *Lunæ* splendorem longe superaret. Sic docuit Eventus. Postquam enim *Regnum Christi Jesu* ab ipso fundatum esset inter *adversarios* ejus [b], & post ipsum in Cœlos evectum *sedem capessivisset* MONTEM TSIONIS & HIEROSOLYMAM [c], sub *Regimine* APOSTOLORUM, *Doctorumque & Rectorum Ecclesiæ*, qui, ipsis Apostolis non exceptis [d], Πρεσβύτεροι SENIORES dicebantur, à Christo Jesu in *consilium* suum veluti adsciti [e], tanquam per quos *Ecclesiam* suam, quæ *Regnum* ejus est, ordinaret ac gubernaret; à Spiritu ejus affecti, ducti, ac illuminati, qui (præsertim *Apostoli*) se ubique ostentarunt magna perfusos gratiæ copia, & splendoris ac *gloriæ Divinæ* sibi incumbentis radios ubique sparserunt, magnamque sibi conciliarunt venerationem, tanquam in quibus sancti ac credentes ipsum veluti *Christum Jesum* sibi per *Spiritum S.* præsentem respiciebant ac venerabantur [f], ut qui ipsis mentiretur, censeretur *Spiritui S.* & *Deo* ipsi *mentitus esse* [g]: coram hoc *Regno*, dum sensim se ostentare incepit in omni sua vi ac potestate spirituali, *Potestates* magno auctoritatis splendore insignes, quà *Politicæ* quà *Sacræ* sic dictæ, huic Regno adversariæ, & inter eas SOL & LUNA *Cœli* Politico-Ecclesiastici Oeconomiæ Veteris, hoc est, Reges & Pontifices, se *humiliarunt*, (ut in emblemate Josephi [h],) conciderunt, & splendore, ornatu, decore suo, privati sunt, non absque *sanguine*. quorum alterum accidit in HERODE AGRIPPA, summa prosperitate fortunæ subito à Deo cæso prostratoque: alterum in ANANO, Pontifice, in ultimis & fatalibus motibus Reipublicæ Judææ ab Idumæis & Zelotis occiso, sanguineque suo involuto projecto in publicum: qui casus secum traxit Reipublicæ illius & Oeconomiæ excidium & ἀφανισμόν, de quo alias copiosior differendi materia est. Hæc vero ipsissima species est REGNI DEI & *Christi*, cum *Assessoribus* Ecclesiæ SENIORIBUS, quæ in Viso eleganter exhibita est Joanni [i], alibi à nobis diligentius exposita [k].

Hæc fata Prophetæ uno inspexerunt oculo, quod *verum* Regnum Messiæ contemplarentur ut complementum *typici*, contigui ac cognati; adeo quidem ut cum *mystice* ac πνευματικῶς loquerentur de Regno Messiæ, ejusque Regni Ministris, heröico animo & vigore illud fundaturis, defensuris, promoturis, phrasibus suis continuo alludant ad res & gesta Maccabæorum: ut clarissimum exemplum habuimus Cap. XI. 13. 14. & ex Zacharia Cap. X. 3. 4. seqq. & Cap. XIV. 1. seqq. invicte demonstratur. Hæsitas? Expugnabo dubitationem vel incredulitatem tuam ex insigni loco Obadiæ, cum hoc conferendo. Vaticinatur ille de Idumæis, eorumque cladibus quas magno suo damno acciperent à Judæis, & *Subjectione* eorum *hæreditaria* sub Judæis, secundum vaticinium Bileami: & cum hæc efficienda essent à Ducibus Assamonæis; illi iidem heröes & universus temporum illorum status, & dilatatio terminorum Judææ, clarissime depinguntur, veluti ℣. 17. *Et in monte Tsion erit evasio, & erit Sanctum; & hæreditabit Domus Jacobi loca sua hæreditaria.* ℣. 18. *Et erit Domus Jacobi ignis, & Domus Josephi flamma, & Domus Esavi in stipulam, & urent illos, & vorabunt illos; & non erit superstes Domui Esavi.* ℣. 19. *Et hæreditabunt Australes Montem Esavi, & habitatores Planitiei Philistæos, ...* ℣. 21. *Et ascendent* SERVATORES (מושיעי) *in montem Tsion ad judicandum montem Esavi,* והיתה ליהוה המלוכה *&* REGNUM ERIT JEHOVÆ. h. e. Regnum Jehovæ illo tempore manifestabitur. Quo tempore? Assamonæorum, quos hæc prophetia accuratissime depingit. Illi enim *Idumæos* post maximas clades iis inflictas sibi subjecerunt, coëgeruntque eos *sacra Judæorum* suscipere. Sed erat hæc manifestatio Regni Dei *typica* præludium & proximum signum Manifestationis *veræ*, quæ eveniret in *Regno Messiæ*. Censeri autem debet

Implementum in vero Regno Jehovæ.

Summa earum prædictionum.

Quarum implementum non potest demonstrari in proximo tempore post Reditum ex Exilio.

Sed quæri debet temporibus Maccabaicis.

Stylus Prophetarum vaticinantium de Maccabaicis.

At Regnum Dei illo tempore *typice* manifestatum, mox *obscuratum* rursus est.

Cujus rei ratio demonstratur.

Sed quod absorptum est à *vero Dei Regno*, quod fundatum est ab ipso Dei Filio inter Judæos.

Locus insignis Obadiæ ℣. 17. de *Regno Dei* typice & vere manifestando.

[a] Num. XXIV. 17. 18. [b] Ps. CX. 2. [c] Confer Cap. II. 1. 2. [d] 1 Pet. V. 1. [e] Matth. XIX. 21. [f] Act. II. 43. V. 11. [g] Act. V. 3. [h] Gen. XXXVII. 9. [i] Apoc. IV. 1. seqq. [k] In Comm. ad. l.

Typica manifestatio *Regni Dei* in quod Maccabæorum tempus inciderit? Characteres ætatis *Simonis* Ethnarchæ.

debet initium Φανερώσεως *typicæ* hujus *Regni Jehovæ* incidisse in tempus Ethnarchiæ Simonis, tertii fratrum Maccabæorum qui Rempublicam Populi Dei administrarunt & vindicarunt. Eo enim tempore post luctam tot annorum vindicati Judæi sunt in *libertatem*, quâ post reditum ex Exilio hactenus gavisi non erant; hostes qui supererant, devicerunt ac plane debellarunt, Remque suam publicam evexerunt in statum summæ prosperitatis; ipsis Syriæ Regibus, Demetrio Nicatore, & Antiocho Sotere sive Sidete, fratre ejus, Juri suo in Gentem ac Terram Judæorum renunciantibus. Annus est Æræ Seleucidarum CLXX, æternis characteribus in historia consignatus. Historicus Maccabaicus *a*: ANNO CENTESIMO SEPTUAGESIMO SUBLATUM EST JUGUM GENTIUM AB ISRAELE. sc. *Æra Seleucidarum*, quam Josephus vocat τῆς Ἀσσυρίων βασιλείας *Regni* ASSYRIORUM, sc. Syrorum, quos Stylo Scripturæ sic recte appellat. Hoc itaque tempore ultimum implementum *literale* consequutæ sunt prophetiæ Vatis nostri *b*: *Die illo recedet* JUGUM *ejus de* COLLO TUO. Rursus in Oraculo, quo declaraverat Deus, fc *Assyrium* in *montibus Israëlis* esse CONFRACTURUM, (quod jam suo loco docui mystice de Assyriis novis intelligendum esse:) in eundem sensum *c*: *Et* RECEDET AB IIS JUGUM EJUS (Assyrii,) *& onus ejus à collo ejus removebitur.* Josephus postquàm se in meritas laudes Simonis effudisset *d*: Εὐτύχησαν γὰρ ἐπ' αὐτῷ σφόδρα, καὶ τῶν ἐχθρῶν τῶν περιοίκων ἐκράτησαν· *Sub ipso enim res eorum magnis accessionibus auctæ sunt, & hostes finitimos sibi subjecerunt.* quæ ille prolixius exequitur. Justinus in historia Antiochi Sidetis *e*: JUDÆOSQUE *qui in Macedonico imperio sub Demetrio Patre armis se in libertatem vindicaverant, subigit. Quorum* VIRES TANTÆ FUERUNT, *ut post hunc nullum Macedonum Regem tulerint, domesticisque imperiis usi, Syriam magnis bellis infestaverint.* Pertinet quod hic dicitur ad tempus Joannis Hyrcani, quem vere Antiochus ad magnas compulit angustias: sed res brevi in integrum restituta est. Videatur Josephus qui historiam Joannis Hyrcani prolixius exequitur, & quod ad hunc casum *Excerpta* Diodori, ubi Interpres id quod de Antiocho narratur, perperam ad Eupatorem transtulit *f*. Id ita vere se habuit in rationibus Divinæ Providentiæ, ut decrementum & imminutio Regni Syriaci occasionem præbuerit amplificandæ Rei Judaicæ: absque quo fuisset, ut sunt res humanæ, Judæi nunquam aspirare poterant ad illam status sui amplitudinem & prosperitatem, quam hoc tempore secundum promissa Patribus data consequuti sunt. Firmat jam interpretationem nostram, quod in historia hujus temporis SENIORIBUS, quorum hic mentio fit; h. e. Senatui Politico-Ecclesiastico, qualis fuit SYNEDRIUM, cujus Assessores זקנים, Πρεσβύτεροι, dicti sunt, pars fuerit in Regimine. Sic in Literis ad Spartanos *g*: Ἰωνάθαν ἀρχιερεὺς καὶ ἡ γερουσία τῆ ἔθνος. Demetrius Nicator in Literis ad Simonem *h*: Βασιλεὺς Δημήτριος Σίμωνι Ἀρχιερεῖ ... καὶ πρεσβυτέροις καὶ ἔθνει Ἰουδαίων χαίρειν.

Loca inde illustrata.

Locus Justini de Statu Judæorum hujus temporis.

Ex Diodoro illustratus.

Seniorum hoc tempore summa fuit auctoritas & existimatio.

Timide hæc scriberem & scripsissem, si præclaræ prophetiæ implementum in hoc solo eventu demonstrare instituerem. Habeo majora & ampliora quæ dicam. Spiritus enim hic tam ample & magnifice est loquutus, quod majus aliquod & augustius Regnum in oculis haberet quam *Regnum Jehovæ* in Republica Populi Dei à Maccabæis instaurata: quod in declarando sensu mystico hujus Vaticinii planius exponam. Primum sensum hunc esse dixi, Regnum Dei in Judæa Gente post fusos in Canaanæa hostes *clarius & splendidius* se ostentaturum esse quam *Sol* & *Luna*, inferiorem hunc Orbem cum aliqua specie majestatis ac imperii, ut videtur, illuminantes. quod de REGNO JEHOVÆ in Republica Maccabaica dictum ad modum ὑπερβολῆς Propheticæ, luculentius adhuc multo fuisset impletum, si Principes Assamonæi majore animi moderamine ac prudentia sustinere atque administrare potuissent status sui amplitudinem ac prosperitatem ac majorum suorum insistentes vestigiis, favore Divino dignos se præstitissent. Et tamen vel sic audacter affirmo, *splendorem* tam Reipublicæ & Gentis, quam præcipue Religionis & Sacrorum, multo fuisse majorem quam vulgus hominum, historiæ imperitum, intelligit; ut adeo hoc etiam sensu vere impletum fuerit quod Haggæus, Cap. II. 7. *Et* IMPLEBO HANC DOMUM (Templum posterius,) GLORIA. *sic fatur Jehova Exercituum.* Omnes fere Populi illius temporis, & Romani ipsi, Romanorumque Principes, rapti fuerunt in admirationem splendidissimi & ordinatissimi Cultus, qui tanta cum pompa & splendore *Deo Israëlis* Hierosolymæ exhibebatur, ejusque ut & splendidissimi Templi, (cui par nullum fuit in Orbe terrarum illius temporis,) magna affecti fuerunt reverentia. SENIORUM autem sive PRESBYTERORUM *Judicialium* qui in *Synedriis* tanquam in *Cathedra Mosis* sedebant, honor & existimatio nunquam tanta fuit quanta in Republica ab Assamonæis Principibus instaurata, ut ex Maccabaicis, Josepho, & Historia Judaica omni liquet; unde Eruditis quibusdam Viris suborta est sententia, Synedrii Magni, post tempus Mosis collapsi, origines inde esse repetendas. quod hoc tempore discutere, nihil opus est. Res ipsa, hoc est, *Synedriorum*, (Πρεσβυτερίων) quæ in initio instauratæ Reipublicæ constiterunt doctis, sapientibus ac Religionis pietatisque studiosis Viris, magnam fuisse auctoritatem, extra dubitationem posita est: licet Pharisæismus brevi fermentum suum huic etiam farinæ miscuerit.

Et tamen fuit illius magnus *splendor* qui describitur.

Et *Seniorum* quoque ac Synedriorum.

Hæc quod ad sensum γραμματικὸν, sive τυπικὸν Vaticinii illustris, in cujus parte priore, [חפרה הלבנה *Pudore suffundetur Luna*, ובושה החמה *& pudefiet Sol*,] vertenda gravius impegit Int. Græcus, ubi hæc pulchra verba vertere instituit: Καὶ ταπήσεται ἡ πλίνθος, καὶ πεσεῖται τὸ τεῖχος· *Et liquefiet later & cadet murus:* dum sc. verba legens absque *punctulis*, vocem לְבֵנָה *Luna* legit לִבְנָה *later*: vocem חַמָּה *Sol* accepit pro affini חוֹמָה *Murus*. Et tamen Cyrillus, licet Symmachi meliorem versionem viderit, à se impetravit, ut flaccidum hoc & inconcinne dictum interpretatus sit tanquam purum & castum Jesaianum. quod instituti genus Divino Verbo non conciliat decus.

Ἐπίμετρον ad Versionem LXX Interp. hujus loci.

Vitiosæ Interpretationis Caussæ.

De SENSU MYSTICO hujus Prophetiæ.

Mysticus sensus hujus Prophetiæ inquiritur.

I. Metui vere dum in superiore commentatione hæsi, ne mihi succenseret homo quilibet φιλοτροφυτικὸς quod tam diu versatus sim in contemplanda umbra & perrumpendo cortice. Pulchrior hic & verior est ipsius corporis conspectus, ad quod me recta converto.

Prophetiæ hujus profunditas & mysterium.

II. Esse augustam speciem Judicii illius, quod Vates hic describit, inde luculenter patet, quia Interpretes plures iique spectabiles, tam recentioris quam antiqui temporis, oculos suos hic abstrahere non potuerunt à *Judicio Universali*, in sæculorum fine habendo. Certe verba & dictiones quibus Propheta utitur in effectis hujus Judicii declarandis, lectorem ita percellunt, ut eum cogitare jubeant de Eventu magno ac formidabili. quod non tantum de *Concione* Prophetæ hoc Capite comprehensa dictum intelligi velim; verum etiam de reliquo hujus Sermonis contextu. Omnia enim magna sunt quæ hic occurrunt; adhibuitque Propheta in imaginibus spiritualibus ad hunc Eventum applicandis quæsitissimum delectum. Accedit jam, Scriptores Sacros, quin ipsum Dominum in *Sermonibus Propheticis*, ad mysticam hanc prophetiam non semel alludere. Sic quod dicitur Cap. XXIV. 23. futurum esse, ut *Sol pudefiat*, & *Luna suffundatur pudore:* analogum habet in prophetia Christi Jesu apud Matthæum *i*: *Statim autem post afflictionem dierum illorum* SOL OBSCURABITUR, *nec edet* LUNA SPLENDOREM SUUM, *& stellæ cadent de cœlo, & potestates cœlorum concutientur.* quod ipsum quoque mystice dictum, clarius exponitur à Joanne in *Viso Sigilli Sexti*, ad hanc aliasque prophetias conformato *k*: *Deinde*

Temperamentum hujus Expositionis.

Pertinent præcipue hactenus dicta ad *Regnum Dei typicum.*

Quod cum per se pateat, tum declaratur ex *analogis prophetiis* N. T. quæ allegantur.

Quod sub Assamonæis vario laboravit defectu.

a 1 Macc. XIII. 41. *b* Cap. X. 27. *c* Cap. XIV. 25. *d* *Antiq.* Lib. XIII. Cap. XI. *e* *Hist.* Lib. XXXVI. 1. *f* Ex Lib. XXXIV. p. 901. *g* 1 Macc. XII. 6. *h* Cap. XIII. 36. *i* Cap. XXIV. 29. *k* Cap. VI. 12. seqq.

aſpexi, cum aperuiſſet Sigillum ſextum, & ecce MAGNUS FACTUS EST TERRÆ MOTUS, *& Sol factus eſt niger ut ſaccus cilicinus, & Luna facta eſt ut ſanguis*, & quæ ſeqq. Perinde ac Spiritus in toto hoc Viſo adhibuit emblemata eadem quæ occurrunt in hac prophetia, in quo de graviſſima *terræ concuſſione* agitur, (vſ. 19. 20.) & *Solis Lunæque obſcuratione*, cum Deus *Regnum capeſſeret*; ut & in prophetia myſtica de *Edomo*, (Cap. XXXIV. 4.) & analoga ipſa quoque myſtica, Cap. II. 12. Rurſus quod extat Cap. XXV. 8. Deum Jehovam *lacrymas ab omnium faciebus deterſurum eſſe:* in eadem hac prophetia Apocalyptica, ubi deſcribitur *conſolatio* quâ Deus Populum ſuum poſt *magnam afflictionem* reficeret, Vates Apoſtolicus eadem phraſi effert, Cap. VII. 17. *Et abſterſurus eſt Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum.* pariter ut Cap. XXV. 4. quod Propheta noſter in his Vaticiniis commemorat de ſubverſione *magnæ* alicujus *Civitatis*, ad ſolatium Eccleſiæ: Joannes Vates myſtice exponit de *lapſu & excidio* BABYLONIS MAGNÆ[a]. Ad eundem modum quod Vates noſter in fine hujus Sermonis, Cap. XXVII. 13. futurum eſſe *illo die* quo ſc. Deus hoſtes Eccleſiæ ſuæ perderet, ut ad CLANGOREM MAGNÆ TUBÆ electi colligantur per Orbem terræ *diſperſi:* Chriſtus Jeſus expreſſit in prophetia de Fatis ſui Regni[b]: *Is vero* (Filius hominis,) *mittet Angelos ſuos cum* TUBA MAGNÆ VOCIS, *& in unum congregabunt* ELECTOS EJUS *à quatuor ventis, à cœlorum extremo uſque ad eorum extremum.* Quod Jeſaias in hac prophetia *Deum Jehovam* exhibeat *regnantem* cum SENIORIBUS SUIS, (Cap. XXIV. 23.) an non vides, idem eſſe quod apud Joannem (Cap. IV. 1. ſeqq.) expreſſum eſt in emblemate *Dei* conſidentis in *throno*, circumdato thronis XXIV PRESBYTERORUM? quod Petrus in oratione ſua ad Judæos, expectari jubeat *καιροὺς ἀναψύξεως, tempora* REFRIGERII: (Act. III. 19.) emblema, quod phraſi ſubeſt, deſumptum eſſe ex Cap. XXV. 5. ubi Deus *æſtum perſecutionis* dicitur temperaturus eſſe *refrigerio denſæ nubis*, Soli urenti objiciendæ? Quid? quod Apoſtolus ſententiam Vatis noſtri, Cap. XXV. 8. *Abſorbebitur mors in æternum*, vel *ad victoriam:* quæ antecedaneum implementum ſuum conſequi debebat in Liberatione Eccleſiæ typica & myſtica à gravi afflictione, cui aliquantum temporis ſuccubuerat; in ſumma emphaſi acceptam transferat ad ſtatum beatæ reſuſcitationis, quo *redempti* per Chriſtum ab omni mortis ſpecie perfecte liberandi vindicandique erunt. Patet itaque abunde, ne nunc plura huc congeram: ſubeſſe huic prophetiæ myſterium: quod quale ſit, eadem illa loca, quæ in medium produxi, nos dubitare non ſinunt.

III. Docent, inquam, ea nos clariſſime, myſticum hujus prophetiæ ſenſum, à Spiritu Dei intentum, convenire *Tempori* Eccleſiæ *Sexto*, cujus attributa Joanni exhibita ſunt aperto *Sigillo ſexto*[c]. Sunt autem ſequentia, cum attributis temporis hujus prophetiæ conferenda. α. Ingens Motus *Regnorum & Rerumpublicarum*, concitatus ad Eccleſiam Chriſti Jeſu opprimendam atque exterminandam, *Apoc.* VII. 1. ſeqq. β. Eumque ſequuta *magna* Eccleſiæ *afflictio*, Cap. VII. 14. γ. Ex qua tamen ſervaretur ac liberaretur *magna* hominum *multitudo*, omnium *Gentium, Linguarum, Ordinum*, de *ſalute* ſibi à Deo procurata, triumphatura, Cap. VII. 9. Divinæ Providentiæ Decreto ad id deſignata, ejuſque cura ac protectione *obſignata* munitaque, Cap. VII. 3. ſeqq. δ. Quæ Liberatio efficienda eſſet medio graviſſimi ac terribilis Judicii Divini, in quo ineſſet clariſſima ſignificatio *iræ* Dei adverſus perſecutores Eccleſiæ ad eorum non converſionem, ſed perditionem: quod judicium proponitur ſub emblemate *Solis obſcurandi, Lunæ rubentis*, (veluti *pudore* ſuffundendæ,) *ſtellarum de cœlo cadentium, cœli convolvendi*, & vehementis *terræmotus*, qui *montes* quoque loco ſuo moveret, & Proceres, Magnates terræ, Reges, Præfectos Militiæ magno percelleret terrore, quo fieret ut ſe occultarent in *ſpeluncis terræ* adverſus *iram Agni*, magno hoc & illuſtri DIE IRÆ *Dei Omnipotentis*, Cap. VI. 12. ſeqq. ε. Conſequens hujus Judicii fore ſtatum glorioſi de hoſtibus triumphi, conſolationis, lætitiæ, pacis, ſecuritatis, cum ſenſu Divinæ gratiæ & favoris: qui ſtatus Eccleſiæ elegantibus emblematibus graphice deſcribitur, Cap. VII. 9--11. Quæ attributa *temporis & ſtatus* Eccleſiæ Chriſtianæ qui cum attributis *temporis & ſtatus* Eccleſiæ, cujus deformationem in hac noſtra habemus prophetia, comparaverit; videbit ſimilia & eadem eſſe: quin ſane Spiritum Dei feciſſe, ut ad illam *παραλληλίαν* attenderemus, dum emblemata prophetiæ noſtræ ad hoc Viſum noſtrum tranſtulit. Quare ſi *tempus* Eccleſiæ N. T. prophetia hac Apocalyptica deſcriptum, cognitum habeamus: non errabimus in ſtatu & tempore hujus prophetiæ noſtræ definiendo.

IV. Sunt autem de eo duæ ſententiæ quæ in controverſiam trahi poſſunt. altera ſtatuit, prophetiam illam Apocalypticam referendam eſſe ad tempus vere illuſtre *Judicii Divini*, quo proſtratus eſt *Paganiſmus* & Chriſtianæ fidei Confeſſoribus poſt afflictionem graviſſimam Decennalem procurata eſt *libertas & liberatio* cum triumpho Veritatis atque Eccleſiæ, & vindicta ſumpta de *Perſecutoribus Eccleſiæ*, Imperatoribus, Proceribus, Tribunis, per Conſtantinum. altera refert prophetiam ad tempus *Manifeſtationis clarioris Regni Chriſti Jeſu* in hiſce terris, & *Liberationis* Eccleſiæ *glorioſæ* à graviſſima afflictione, quam Principes Orbis terrarum, qui Romæ ſerviunt, junctis conſiliis & viribus ei concitarent cum ingente motu illorum Regnorum & Rerumpublicarum quæ Chriſtianum nomen profitentur: quo itaque ipſo tempore Deus ſingulare ſtatueret exemplum ſeveritatis in Principibus terrarum Orbis ſcelerati conſilii de Eccleſia puriore ab adulterina ſeparata opprimenda & extirpanda manifeſtis, per Heroës à ſe ſuſcitandos, cauſſam Eccleſiæ vindicaturos. Utraque ſententia magna ſe commendat rationis ſpecie, quod attributorum utriuſque illius temporis, tam ejus quod hiſtoria exhibet in Eventu memorabili liberatæ Eccleſiæ à Conſtantino; tam ejus quod ex hypotheſi Eccleſia tenet de *Liberatione Eccleſiæ purioris à Romanenſi ſecta diſcretæ*, magna ſit affinitas: ut mirum minime ſit, Doctiſſimos illius Libri Interpretes hic hæſitare, & in diverſa abire. quare cum hanc rem dedita opera agerem: utramque illam ſententiam debito cum moderamine judicii ponderavi diſputavique in *Anacriſi* Apocalyptica; fecique diſputando, ut pleriſque lectoribus meis poſteriorem ſententiam perſuaſerim, dum demonſtravi tam ex ſerie prophetiæ ſuperioris, quam ex prophetia ipſa collata cum hiſtoria, attributa omnia *temporis & Status Eccleſiæ*, qui pingitur in *Viſo Sigilli Sexti*, in temporibus Conſtantini Magni non poſſe demonſtrari, ſecundum veras lineas & ductus imaginum quæ in illo Viſo exhibentur. Paganiſmus illo tempore plagam accepit lethiferam: quod non negem: ſed proſtratus hactenus non fuit: multo minus proſtratus fuit cum tam vehementi commotione & concuſſione Orbis terrarum, qualis deſcribitur in *Viſo Sigilli Sexti*. Superſtitio Paganica non niſi ſenſim & per gradus abolita eſt ac evanuit; & qui eidem patrocinabantur, Senatores, Magnates, Proceres, Tribuni Militiæ Romani Imperii, qui Maxentii aut Maximini partibus mixti non erant, de dignitatibus, honoribus, aut Præfecturis ſuis, ſi cauſſa alia gravior non accederet, remoti non ſunt: ut ibidem prolixius ſum exequutus.

V. Verum ipſa illa demonſtratio ex hac prophetia noſtra, ei *myſtice* parallela, plurimum confirmatur. Lege enim mihi, ſis, integram hanc prophetiam de vehementi *concuſſione terræ*, ejuſdemque *paſtinatione, evacuatione, inverſione*; de *execratione* terram *conſumente*; de *æquatis* omnium hominum *conditionibus*; de *apertis* cœlorum *cataractis*; & *exitio* undique *imminente*; & vide, an ea oſtendere poſſis attributa in *everſione Paganiſmi* hujus temporis. Vel enim quod hic dicitur, referri debet ad Chriſtianos Confeſſores veræ Religionis, conjectos in carceres

Alia exempla allegatorum ex hac prophetia.

Locus notabilis Cap. XXVII. 13. cum dicto Domini collatus.

Alia exempla plura locorum N. T. quibus ad hunc *Sermonem* & phraſin ejus alluditur.

Loca eadem docent, convenire hanc prophetiam *Tempori ſexto* Eccleſiæ, quod deſcribitur Viſo Apoc. VI. 12. ſeqq.

Attributa illius temporis cum attributis *temporis* hujus prophetiæ collata.

Ad quod tempus & Statum Eccleſiæ Viſum illud Apocalypticum referendum ſit?

Sententiæ duæ.

Altera refert ad tempora Conſtantini.

Altera ad tempus Regni Chriſti Jeſu extrema Periodo Eccleſiæ glorioſe manifeſtandi.

Utriuſque ſententiæ libramen.

Poſterior hypotheſis, alibi demonſtrata, vincit.

Attributa omnia illius prophetiæ non poſſunt demonſtrari in temporibus Conſtantini.

Quæ ſententia plurimum roboratur ex hac prophetia; cujus attributa non plane reſpondent Statui Eccleſiæ temporis Conſtantini.

[a] Cap. XIV. 8. XVIII. 2. [b] Cap. XXIV. 31. [c] Cap. VI. 12. ſeqq. VII. 1. ſeqq.

res aut damnatos ad gravissima supplicia & cruciatus: quod absque maxima *commotione*, (in Asia præsertim & Ægypto, ubi Persecutio Diocletianea maxime sævit:) fieri non potuit: vel ad *Judicium* quod Deus illo tempore exequutus est in Paganos. Prius non convenit argumento prophetiæ. Etiamsi enim vere in ipso hoc Judicio afflictionis Diocletianeæ agnoscam manum Dei non tantum *probantis* fidem Ecclesiæ, aut Ecclesiam *purgantis* ab hypocritis; sed & eandem *castigantis* ac punientis propter vitia & scandala, quæ faciem ejus fœdabant: Emblemata tamen hujus Prophetiæ nostræ, & Visi Apocalyptici, exhibent nobis scenam hujus temporis ut scenam Judicii Divini in hostes Populi Dei qui eum afflixerant; & phænomena ad hunc referunt scopum. *Credentium* autem & *Confessorum* veræ Religionis respectu hoc *Judicium* magis haberi volunt pro *Probatorio* & *Purgatorio*, quam *Castigatorio* ac vere *Pœnali*. Judicium quod hic describitur respicit hostes & hypocritas Populi Dei, qui immaniter in eum sævierant, & grandi scelere se Deo Judici obligaverant. Illuc referenda est *commotio terræ*; *apertura cataractarum cœli*; *obscuratio Solis & Lunæ*; & quæ his similia. Sed *Judicium*, quod Deus inflixit Paganis tempore Constantini, Constantii Filii, hosce characterismos universim non repræsentat. Omnia tunc minora & leviora fuerunt. Afflictio quam Ecclesia tum sustinuit, (in Asia præsertim & Ægypto,) fuit gravissima: sed ira Divina, quam sustinuerunt Pagani, fuit tolerabilis: si totum Paganismi corpus spectes, per Imperium Romanum diffusum. ut si quæ de *obscuratione Solis* ac *Lunæ* & *occidione Leviathanis* dicuntur, huic tempori quodammodo aptare queas; emblema universum complexe sumptum omnibus suis partibus, in Eventibus hujus temporis perfecte demonstrari nequeat. Ne jam dicam, Romam Urbem mystice sic dictam (Cap. xxv. 2.) illo tempore nihil gravius esse passam. Et tamen agnosco ingens beneficium Providentiæ & Gratiæ Divinæ in Ecclesiam illius temporis collatum; & licet Romæ quod ad statum suum temporalem nihil acciderit gravius; (quod *Judicium* hac prophetia describitur:) id tamen passa est omnium sibi gravissimum, quod collum suum coacta fuerit submittere Christo *Imperatori*, & portas valvasque suas ei ut *Victori* aperire.

Illa generalis *terræ inversio*, quæ hic prædicitur, tum facta non fuit. quod disputatur.

Judicium quod hic describitur, respicit hostes Ecclesiæ.

Quod Paganismo non tam grave incubuit illo tempore quam hic depingitur.

De *Roma* illius temporis speciale observatum.

VI. Ubi autem ad recentiora Ecclesiæ tempora procedimus: in historia multa deprehendimus analoga, quæ cum singularibus quibusdam partibus hujus Visi comparare licet, sed neutiquam cum universo Visi complexu. In imagine spirituali hujus prophetiæ hæc demonstrari debent attributa. α. Esse Judicium Dei gravissimum, quo prosternerentur Reges & Principes terræ. β. Qui persecutionem & afflictionem maximam intentarent Ecclesiæ purorum confessorum veræ Religionis Christianæ, eorumque *sanguinem innocuum* large profunderent. γ. Et quidem illi Ecclesiæ quæ egressa esset *Babylonem spiritualem*, hoc est, se separasset à magna multitudine hominum qui superstitiones, idololatriam, tyrannidem & scandala Ecclesiæ Romanensis tuentur. δ. Quin sane quæ intentaretur illi Ecclesiæ Protestantium, postquam sibi contraxisset magnam labem corruptionis; zelus ejus refrixisset; multos sinu suo foveret hypocritas; aliquos etiam profanos, & Religionis contemptores, qui adversariis veræ Religionis palpum obtruderent, & in eorum venirent partes. ε. Quo Judicio Divino, haud dubie administrando per Heröes, caussæ Ecclesiæ patrocinium suscepturos, post præcedaneam universalem commotionem Gentium Christianarum, in partes divisarum, & conturbatum Europæ statum, Deus Ecclesiæ veræ Populoque suo hoc *igne* purgato procuraret glorioſam liberationem. ad quos characteres, complexe sumptos, qui hic simul non attenderit, non recte judicaverit de spirituali hujus Visi sensu.

Quæritur, an *attributa* temporis prophetiæ demonstrari possint in Statu Ecclesiæ recentioris temporis?

Attributa recensentur, ad quæ hic præcipue attendendum est.

VII. Quare, (primo loco,) etiamsi post labefactum & collapsum Imperium Romanum, inde ab initiis Sæc. v. (ne nunc altius ascendam:) plures exortæ sint Gentes, ut inter alias Gothi, Vandali, Franci, Hunni, Arabes, Saraceni, Scythæ, Turci, Tatari; quæ à Patriis sedibus magnis cum agminibus profusæ, incredibiles vastationes intulerunt in terras à Christianis Populis infestas, magnasque mutationes effecerunt per Orbem Asianum æque ac Europæum, in quibus conspicuum fuit & terribile Dei judicium: nemo tamen recte illas vastationes Gentium & terrarum, ab his Populis effectas, ad hanc transtulerit prophetiam, cum cæteri characteres desint. Secundo: licet, postquam Europa in eum redacta fuerit statum, quo eam hodiedum contemplamur, ut videlicet cum Imperio Germanico scissa fuerit in plura Regna potentia, ab invicem divisa, aut Respublicas Civitatesque alias, quorum Regnorum & Rerumpublicarum Rectores privas quisque sibi habent utilitatis rationes; bella sata sint inter illos Reges & Principes Christianæ professionis una ex aliis, eaque gravissima; & cum bellis in diversas terras Imperii Christiani per omnia sæcula inductæ sint vastationes cum vario Gentium motu: licet, inquam, id vere ita se habeat, ut non tantum Regnorum & Rerumpublicarum Veterum, sed & Recentiorum historia constet narratione bellorum, inter Christianos Principes gestorum, & vastationum ac calamitatum per ea in Populos inductarum: id tamen directe non pertinet ad hanc prophetiam, quæ nobis proprie exhibet motus Principum Orbis terrarum concitatos adversus Ecclesiam Dei & confessores puræ Religionis, eorumque Principum punitionem. Tertio, ob eandem rationem neutiquam admitto hypothesin Eruditi Interpretis, scenam hujus prophetiæ figentis in calamitoso illo Bello Germanico *Sæculi superioris*, ex motibus Bohæmicis orto, per *triginta annos* protracto, quo florentissima illa & vasta Europæ regio, tot Populorum & Gentium mater ac sedes, omne experta est mali calamitatisque genus, quod bellum acre & diuturnum in genus mortalium inducit. Largior ultro, in dira hac calamitate extitisse specimen luculentum Judicii Divini, & instar quoddam ejus in eo observari posse, quod in hac prophetia depingitur; & faciunt illuc duo prudentium præstantiumque Virorum testimonia, quæ de hoc luctuoso Germaniæ casu in *Anacrisi* hujus prophetiæ exsignavi. Verum nego id sufficere ad explendam hujus nostræ prædictionis ideam. (a.) Afflictio Ecclesiæ quæ hic describitur, & in prophetia *Apocalyptica* analoga, est ejus quædam funesta persecutio instituta caussa Religionis qualis fuit Epiphanica, quæ plures daret *martyres*, contra *Jus Gentium commune* fœdum in modum occidendos: quæ vera & propria caussa non fuit *Afflictionis Germanicæ*. Etiamsi enim Ferdinandus II, oppressa Germania, Religioni Protestantium insultaverit in iis locis, quæ in potestatem suam redegerat, & Pontificiæ ubique patrocinatus sit: Religionis tamen inquisitionem publice nullam instituit, nec supplicia eorum, quos de medio sustulit, Religionis confessioni adscribi voluit. quin constat, ipsos Romanensis sectæ Principes aliquos se huic Bello miscuisse, & partes Gustavi Adolphi ac Suecorum, Germaniæ libertatis Vindicum, adversus Cæsarem foviſſe ac sustinuisse. Addo etiam illud, inter eas Regiones quæ caussam purioris Religionis susceperunt, Germaniam & Germaniæ implicita Regna ac affinia, martyres dedisse pauciſſimos, sic vere & proprie dictos. Non licebat Carolo V, superstitioni Pontificiæ deditissimo licet, in Germania, quod in Belgio, ditione sua; nec ausus est unquam affirmare, (licet ego id non absolute negem,) Bellum adversus Principes Smalcaldico Fœdere junctos Religionis caussa geri. Ferdinandus autem Primus & Maximilianus II, Principes fuerunt *Pacis* Religionis *Passavienſis* studioſissimi, & hic quidem optimus, nec satis laudandus. (b.) Visum *Sigilli Sexti*, cui hæc prophetia respondet, multo generaliorem nobis objicit hujus Judicii conspectum, quam ut illius implementum quærere liceat in sola Germania. Exhibet nobis Principes omnes Ecclesiæ adversarios inter se Fœdere junctos undique & simul erumpentes ad puriorem Ecclesiam exterminandam, ut patet ex Apoc. vii. 1. (c.) Exempla animadversionis Divinæ edita in Principibus, Religioni & Ecclesiæ quo tempore *terra* Populi Christiani *vastata* est à *Populis Barbaris* varii generis.

Nec ad vastationes, quæ effectæ sunt in terris Populorum Christiani Nominis per bella *Regum* & *Principum*.

Nec convenit etiam per omnia Germaniæ vastatæ bello Bohæmico Sæculi superioris. Calamitas illa fuit memorabilis.

Bellum illud proprie non fuit Bellum Religionis, licet Protestantibus grave.

Germania non adeo multos dedit martyres.

Visum *Sigilli Sexti* non potest restringi ad solam Germaniam.

Quæ attributa demonstrantur non convenire statui Mundi

Eventus quoque mi-

nus habet quam prophetia.

Pontificiæ hoc tempore deditis & vere patrocinantibus, etsi non plane sint contemnenda, neutiquam tamen satisfaciunt scenæ hujus prophetiæ. Depressus enim & ad extrema redactus Ferdinandus II, non periit, sed res suas restabilivit, viditque Filius ejus, varia hujus Belli fortuna, pacem Germaniæ redditam.

Multo rectius applicari potest prophetia ad Statum Ecclesiæ Sæc. XVI.

VIII. Quid vero? Si scena hujus prophetiæ illo ponenda esset tempore, quod tam prope accedit ad exitum ejus ex Babylone, sive potius ex Ægypto mystica: (eventa enim hujus temporis huic typo egregie conveniunt:) figerem ego sedem hujus prophetiæ multo majore cum ratione *Sæculo* XVI in vehementioribus illis motibus & concussionibus quæ caussa Religionis extiterunt in Gallia, Anglia, Scotia & Belgio hoc nostro: nam quod ad prolusorios motus non dissimiles Bohæmiæ, caussa innocui sanguinis præstantium Virorum & verorum Religionis Martyrum, Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis, perfide & impie à rogo exhausti: cum illo tantum Regno fuerint circumscripti; nec exitus eorum finalis perfecte responderit argumento hujus prophetiæ; & Visum hoc nostrum seriora tempora postulet; & Ecclesia post id tempus majora viderit atque experta sit: in iis non hærebo. Id tamen ἐν παρόδῳ affirmo, Deum illo tempore per Ziskam & Procopium, zelotarum puræ Religionis qui Thaboritæ dicebantur, Duces, mirabilia & magna effecisse; nec minora vere quam olim per Maccabæos, quorum illi imagines vivide expresserunt. Sed Ecclesia sequenti Sæculo majora vidit & horruit, stupuitque profunda Dei judicia. Lege enim mihi, sodes, historiam gravissimarum commotionum, concussionum, perturbationum, quæ post ortam lucem Evangelii caussa mille & mille martyriorum, quibus *testes & confessores veritatis*, in Gallia præsertim sub Francisco primo, (ultimis Regni ejus,) Henrico II, Francisco II, Filio ejus, hujusque Fratribus Carolo IX & Henrico III, & toto Belgio, ditionis Caroli V & Philippi II, puram Evangelii fidem obsignarunt, suscitatæ sunt cum incredibili *vastatione terrarum*, *cæde* hominum utriusque sectæ, & mutationibus statuum mortalium omnis ordinis: & lege mihi simul in eadem historia exempla terribilium Judiciorum, quibus Deus Valesiæ stirpis Principes, unum post alterum oppressit, sanguinemque innocentium ab ipsis improbe ac scelerate hausum (cum alibi passim tum in Laniena Parisiensi:) expressit: tum quoque Heröum ab eodem Deo ad caussam Ecclesiæ vindicandam excitatorum glorioſa facinora, cum effecto Liberationis Ecclesiæ, invitis Persecutoribus sæpius impetratæ; & quidem in parte Belgii, deinceps confœderata, cum effecto hactenus per ejus gratiam inter mille discrimina durabili: hæc, inquam, lege mihi & recollige ex historia horum temporum (Galliæ, præsertim, florentissimæ & amplissimæ terræ, & Belgii:) omnium historiarum maxime memorabili, & videbis imaginem ejus quod hac prophetia exhibetur. ne nunc de motibus Angliæ, qui sub Regno Mariæ in Politicis minores fuerunt, & Scotiæ, caussa Religionis graviores sub Jacobo V, & Filia ejus Maria, quicquam dicam. etsi scena eadem fuerit. Sed non comparet hactenus, ais, conspiratio sive conjuratio Principum potentium, Romanensi superstitioni addictorum, de exterminanda Ecclesia puriorem Religionem professa? Comparet, inquam, omnino, estque in historia testatissima. In congressu enim famoso Caroli IX, Galliarum Regis, ejusque Matris Catharinæ Medicææ cum illius sorore & hujus filia, Elisabetha Francica, Philippi II Uxore, & Ferdinando Alvaro Toletano, Albæ Duce, (eodem illo qui paucis post annis tragicam scenam in Belgio aperiret, ad hunc congressum à Philippo Delegato,) solenniter habito Bajonæ (Anno CIↃ IↃ LXV.) inita decretaque sunt funesta & sanguinaria consilia inter duos potentissimos Europæ Principes de Protestantibus & purioris Religionis sectatoribus exterminandis, ut Historia illius temporis aperte testatur, & experientia docuit. Mezeræus de Colloquiis nocturnis inter Catharinam & Albanum, paucis conscriis, plerunque celebratis [a]: *Demonstravit autem Eventus, omnia hæc Colloquia eo spectasse, ut secreta confœderatio inter duos Reges iniretur de Protestantibus penitus exterminandis.* Thuanus *sacrum fœdus* vocat [b] inter *utrumque Regem sancitum Religioni veteri constituendæ, & novæ quam vocabant, exstirpandæ, & prorsus evertendæ:* eamque Protestantium suspicionem non vanam fuisse probat ipse ex Joanne Baptista Hadriano, fidissimo Historico, qui hoc *Colloquium*, *instante Pontifice*, *habitum fuisse* scribit, *actumque in eo esse de liberanda à Protestantium peste Francia*, & ibidem quoque *sanguinaria* Albani *consilia*, à partibus probata, explicat. Buchananus, inter Historicorum primos semper censendus, huc respiciens in historia Mariæ [c]: *Nam cum* SECRETUM *illud* DECRETUM *de Bello sacro per totam Christianorum ditionem suscitando, &* PURA CHRISTI DOCTRINA PENITUS EXTIRPANDA, *est factum, eique Dux Guisius Imperator destinatus spes improbas & immodicas aleret, &c.* Fuit inter effecta ejus detestabilis illa Laniena Parisiensis, septennio post instituta, totam mox Galliam pervagata, de qua Historicus prudentissimus loquitur [d], (phrasi Prophetæ in hoc *Sermone*, Cap. XXV. 4. 5.) tanquam de HORRENDA TEMPESTATE, *quæ totam Galliam pervaserit; & Conjuratio nova* Principum Lotharingorum sub Henrico III, Caroli Fratris Successore, aliquot post annis facta de Protestantium Religione per totam Galliam evertenda, *Confœderationis Sacræ* nomine notissima, quæ florentissimum Regnum novis & ingentibus involvit calamitatibus. Sed etsi Populus Dei illa sæviente tempestate gravissima quæque perpessus sit: interceſſit tamen Deus illo & sequentibus temporibus, quominus consilia, auctoribus suis funesta, effectum sortita sint speratum. Certe si Ecclesiæ in Galliis post Edictum Nannetense, impetratum ab Henrico IV, gavisæ essent optata pace & tranquillitate cum libero Religionis suæ exercitio, nec deinceps rursus turbatæ à Filio ejus, nec vastatæ plane ac destructæ ab ejus Nepote, nostra ætate: dum Religioni puriori in Germania provisum erat per Fœdera Passavienſe & Monasteriense: possemus in hisce initiis hactenus subsistere & observare in historia horum temporum *implementum inchoatum* hujus prophetiæ, mystice sumptæ. Imo certe, nec in universum ab eo oculos meos abstraho: licet acerba persecutio, post revocatum Edictum Nannetense, nostra ætate concitata adversus puriores illius Regni potentissimi Ecclesias, quæ eas vel disjecit ac dissipavit vel subvertit, faciem rerum hac parte plurimum immutaverit. Casus hujus tempestatis est in historia Ecclesiæ animadversione dignissimus: cujus caussæ latent in arcanis Divinæ Providentiæ. quas dum perscrutamur, ne id quidem quod cogitando videmur assequuti esse, ante eventum profari audemus. Et tamen licet quod in aperto est, libere profiteri, quod nunc agam verbis Cypriani de *Persecutione sui temporis* differentis [e]: *Intelligendum est enim & confitendum, pressuræ illius tam turbidam vastitatem quæ gregem nostrum maxima ex parte populata est & adhuc usque populatur, secundum peccata nostra venisse, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad salutem cœlestia mandata servamus.* Nec tamen id gravius accipi velim dictum, quam rei ipsius natura videbitur postulare; neque etiam id nunc ago, ut in Judicii hujus causlas inquiram: licet aliqua etiam mihi hic suppeteret materia. Tantum subsignabo verba Viri valde quà Natalibus illustris quà prudentia, fortitudine, pietate, Ducis ROHANÆI, cum COLINIO, ejusdem animi Viro, æterna memoria & laude dignissimi, qui ultimus heros meliorem Caussam in Gallicano Regno glorioſe sustinuit, quibus verbis ipse historiam motuum sui temporis clausit [f]: *Quando nos meliores homines erimus: Deus efficacius nobis subministrabit auxilium.*

Commotiones caussa Religionis maximæ in illis Regnis Sæc. XVI. speciatim indicantur.

Adjuncta ejus: Vastationes terrarum; Martyria; Judicia Dei in persecutores; & Ecclesiæ Vindicatio per Heröes.

Conjuratio illo tempore inita de exterminandis Protestantibus.

Effecta ejus.

Animadversio specialis ad Ecclesias Gallicanas.

Judicium Ducis Rohanæi, de statu Ecclesiæ sui temporis.

IX. Er-

[a] Mezeræus, ad A. 1565. ad Mens. Jul. [b] Hist. ad hunc Ann. Lib. XXXVII. p. m. 377. [c] *Hist.* Lib. XVII. Fol. m. 208. [d] Mezeræus in Hist. Car. IX. ad A. 1572. [e] *Epist.* Lib. IV. Epist. IV. Ed. Er. [f] *Memoir.* du Duc de Rohan, p. 229. *Quand nous serons plus gens de bien: Dieu nous assistera plus puissamment.*

Perfectum prophetiæ Implementum adhuc exspectatur.

IX. Ergo quid reſtat, niſi ut *complementum* magnarum illarum rerum, quæ hac prophetia cum *Apocalyptica* comparata, prædicuntur, in futurum exſpectemus: etſi de eo nunquam niſi cum animi noſtri horrore cogitemus. Prophetia *Apocalyptica*, ſibi omni parte conſentiens, docet, in Epiſtola myſtica ad Eccleſiam Philadelphenam, quæ *ſextæ Periodo* congruit, *tempus aliquod tentationis* (ὥραν πειρασμοῦ, h. e. graviſſimæ afflictionis & probationis Eccleſiæ) *venturum eſſe* ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὅλης, *in univerſum* ORBEM, (ut in hac prophetia,) πειράσαι τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς, ad *tentandum incolas terræ*: ex qua Deus veros *Philadelphenos* electos ſe *ſervaturum* promittit [a]. quæ ſcilicet incideret in initia *Periodi ſeptimæ*, ubi Eccleſia relapſa eſſet in *magnum tenorem*. Idem eſt argumentum Viſi *Sigilli ſexti*, ut modo oſtendimus. Huic conſentit tempus *Tubicinii ſeptimi*, in cujus initia incidere debebat *Væ* ultimum & omnium graviſſimum, poſt *duos teſtes*, qui longum *prophetaverant in ſaccis, occiſos*, nec tamen *ſepultos*, per ſpatium *tridui & dimidii*, in platea *Civitatis magnæ*, h. e. florentiſſimo Europæ Regno, ditioni Romanenſi obnoxio, de quo Vates [b]: *Væ ſecundum abiit. Ecce* VÆ TERTIUM *venit cito*: quando *Septimi Angeli clangor* declararet [c]: *Mundi Regna facta eſſe Dei & Chriſti ejus; & myſterium Dei, ſicut annuntiaverat ſervis ſuis Prophetis*, CONSUMMATUM ESSE. Prophetia Cap. XIV. 16. 19. de MESSE & VINDEMIA eodem tendit, & exhibet nobis terribilem aſpectum *Judicii Divini* in hoſtes poſt antecedaneam Eccleſiæ graviſſimam afflictionem, (de qua Cap. XIV. 12.) cujus exemplum hactenus in Mundo editum non eſt. *Phiala ſeptima* in Imperium Beſtiæ effundenda, idem demonſtrat [d]. Poſtquam enim *vidiſſet* Vates ex ore *Draconis*, & *Beſtiæ*, & *Pſeudoprophetæ exeuntes tres ſpiritus impuros, ſimiles ranis*, qui exirent ad *Reges terræ & totius* ORBIS HABITABILIS *congregandum ad* PROELIUM MAGNI ILLIUS DIEI DEI OMNIPOTENTIS, (confer phraſin *Viſi ſexti*, Cap. VI. 17. *Venit* DIES *ille* MAGNUS *iræ illius*:) & effuſa eſſet *phiala* decretoria in illos Eccleſiæ hoſtes: en verba ejus huic prophetiæ analoga: *Et prodiit vox magna è Templo ex throno, & dixit*: FACTUM EST, (adeſt omnium rerum complementum:) *factique ſunt ſonitus, & fulgura, & tonitrua*, καὶ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, οἷος οὐκ ἐγένετο, ἀφ' οὗ οἱ ἄνθρωποι ἐγένοντο ἐπὶ τῆς γῆς, τηλικοῦτος σεισμὸς οὕτω μέγας· & TERRÆ MOTUS *factus eſt* MAGNUS, *qualis nunquam evenit à quo homines extiterunt in terra*, TERRÆ MOTUS, inquam, ADEO MAGNUS. Eſtne alius *terræ motus* ac de quo hæc Prophetia noſtra explicat, v. 19.? Denique totum Viſum Cap. XIX. 1. ſeqq. huic Eventui illuſtrando impenditur, ubi Filius Dei comparet ad debellandum & proſternendum REGES TERRÆ, ſervientes *Beſtiæ*, eorumque *Exercitus* CONGREGATOS *ad gerendum bellum* cum Imperatore ſummo, Filio Dei, cum illorum interitu. Hæc omnia idem ſonant. Hoc autem tempore vere SOL & LUNA, h. e. Imperium magnum quod ſuperſtitioni & idololatriæ ſerviverat, & eminentiſſimus Præſul; qui honorabatur ut ſtellarum, hoc eſt, Doctorum Princeps, quique in Cœlo factitio longum tempus magnum decorat ſplendorem, Eccleſiæ *graves* (Pſ. CXXI. 6.) obſcurarentur ac pudefierent, cum Filius Dei in omni gloria majeſtateque ſua *Regnum capeſſeret* [e]: haud aliter ac SOL *Reipublicæ Judaicæ*, h. e. Rex Agrippa, ſubito *obſcuratus fuerat*, & LUNA, h. e. Pontifex, (ANANUS, Junior,) *tincta ſanguine*, (occiſus ſc. à zelotis,) & *Cœlum factitium* Veteris Teſtamenti remotum eſt, in prima *Manifeſtatione* Regni Chriſti Jeſu *glorioſa*, ſecundum vaticinium Joëlis [f]: quod in ſecunda *Manifeſtatione Regni* ſui itidem futurum eſſe, ipſe docuerat & prædixerat, Matth. XXIV. 29. Prophetia autem Apocalyptica de altera Manifeſtatione Regni Filii Dei quæ fieret tempore Tubicinii *Septimi*, ſic loquitur acſi tum demum Filius Dei vere & in emphaſi inciperet *regnare*, ut patet ex Ode XXIV *Seniorum* poſt clangorem Tubæ VII, in hunc modum [g]: *Gratias tibi agimus, Domine Deus Omnipotens. .... quod adeptus ſis potentiam tuam magnam*, καὶ ἐβασίλευσας, & REGNUM CAPESSIVERIS, ſc. in omni ſua vi majeſtate, amplitudine, *Regem* te eſſe demonſtrare inſtitueris. Eadem eſt phraſis, quæ in hoc loco. Quis vero dubitet, quin hoc maxime tempore SENIORES *Populi Dei*, (Paſtores, Doctores, Presbyteri,) per quos Eccleſiam ſuam in hiſce terris adminiſtrat, vocati veluti in partem & conſortium gloriæ & regiminis Dei, illud oſtentari ſint decus, gravitatem, ſapientiam, ſanctimoniam, zelum, puritatemque vitæ & morum, quam Eccleſia in *prima Manifeſtatione Regni Chriſti Jeſu*, in ſuis Rectoribus, Apoſtolis & Apoſtolicis Viris venerata fuerat; atque tam ob haſce ſuas virtutes quam ob Muneris ſui dignitatem ſpectabilem in magna futuri ſint veneratione? Sic Dominus eſſe velit & jubeat!

Prophetia Apoc. XIV. 16. 19. de *Meſſe & Vindemia*.

Phiale Septimæ, Cap. XVI. 17.

Terræmotus ingens ibi memoratus.

Viſum Cap. XIX. 1. ſeqq.

Illo tempore *Sol* aliquis & *Luna*, Eccleſiæ graves obſcurabuntur, cum *Filius* Dei Regnum ſuum glorioſe manifeſtarit.

Ut factum erat tempore primo in *Regni* ejus *initio*.

Gloria Dei illo tempore communicabitur cum *Senioribus Populi ſui* & Eccleſiæ.

Sectio Altera hujus *Sermonis*, ſuperioris Sectionis EXEGETICA.

PARS PRIOR, DOXOLOGICA.

DOXOLOGIA PRIMA,

Qua Eccleſia liberata Deo Jehovæ Liberatori & Vindici ſuo poſt ultionem ſumptam de ſuis & Eccleſiæ hoſtibus ſumma lubentia & laxitate animi quæſitas gratias agit pro vindiciis ſibi præſtitis in inſigni Liberatione quæ ſibi obtigerat; depreſſis, oppreſſis, perditiſque hoſtibus ſuis; deſtructa URBE primaria, tyrannorum ſede, manifeſtatoque Regno Dei cum magna majeſtatis Ejus ſignificatione ad hoſtium Populi Dei qui ſupererant, terrorem & excidium, ſuamque ſpem & fiduciam quam late explicat.

CAPUT XXV.

Textus Cap XXV.

1. JEhova, Deus mi, ô tu! extollam te, celebrabo nomen tuum, quia feciſti mirabile quid; conſilia à longinquo veritatem veriſſimam.

2. Quia poſuiſti Urbem in tumulum; Oppidum munitum in ruinam; Arcem peregrinorum ne ſit civitas: in æternum non reædificabitur.

3. Propterea honorabunt te Populus validus: civitas Gentium ferocium reverebuntur te.

4. Quia fuiſti munimentum tenui, munimentum egeno cum poſitus eſſet in anguſtia: perfugium adverſus imbrem; umbra adverſus æſtum: nam flatus violentorum hominum eſt ut imber brumalis.

5. Tanquam æſtus in ſiccitate eſt tumultus hoſtium. humilias æſtum umbra denſæ nubis. cantillatio ferociũm deprimitur.

6. Et faciet Jehova *Dominus* Exercituum omnibus Populis in Monte hoc convivium pinguium

a Cap. III. 10. b Cap. XI. 14. c Cap. XI. 15. d Cap. XVI. 17. e Apoc. VI. 12. f Joël. II. 31. g Apoc. XI. 17.

guium, convivium *vini* defæcati; pinguium medullatorum; fæcium saccatarum.

7. Et abolebit in monte hoc faciem tegminis, obtegentis omnes populos, & velamen impositum omnibus gentibus.

8. Abolevit mortem in æternum, & detersit Dominus Jehova lacrymas ab omnibus faciebus; atque opprobrium populi sui removebit à tota terra: quia Jehova sic fatus est.

9. Et dicetur illo die: Ecce Deus noster, is ipse quem exspectavimus, & salvabit nos: hic est Jehova quem exspectavimus: exultemus & gaudeamus salute ejus.

10. Quippe requiescet manus Jehovæ in monte hoc; & triturabitur Moab subter se, ut conteritur palea in fimeto.

11. Et expandet manus suas in medio ejus, quemadmodum expandit natator ad natandum; & humiliabit fastum ejus, cum axillis manuum suarum.

12. Et munimentum sublimium murorum tuorum depressit, humiliavit; ad terram fecit pertingere, usque ad pulverem.

Argumentum & *Analysis* hujusce Membri Sermonis Prophetici.

Pars *Altera* hujus Sermonis est vel *Doxologica* vel *Prophetica*.

Doxologia *gemina*.

Prioris *Argumentum*.

ITa est, ut in *Argumento* huic Parti Prophetiæ præscripto præfatus sum: Propheta, cui Liberatio Ecclesiæ cum Judicio in hostes ejus terribili in Viso exhibita erat, omnem induit affectum Ecclesiæ Liberatæ, atque adeo huic prophetiæ mox subjicit Ἐπινίκιον, sive Δοξολογίαν geminam affinis argumenti: nisi quod posterior, *Capite sequenti* contenta, latius se extendat; & præter laudes quæ Deo Liberatori & Vindici cantantur, Ecclesiæ etiam præscribat Officium, tempore Calamitatis suæ in fide & spe observandum, aliasque ei immiscat ἐπιτάσεις; argumento congruentes. Hac nostra priore, quam modo exhibui, celebrat Beneficium ingens in Ecclesiam hoc tempore collatum, extollitque ac deprædicat tum summam Dei gratiam & potentiam; tum fidem ejus inviolatam, in repræsentandis promissis, Ecclesiæ de hac Liberatione datis, quod hostes, qui eam oppressuri & plane extincturi videbantur, represserit; Populumque suum defenderit, & magnæ lætitiæ ei paraverit materiam; fidemque fecerit omnibus Gentibus quæ de veritate Religionis, quam Populus Ecclesiæ profitebatur, hactenus dubitaverant, rationemque suæ dubitationis petierant ex gravissima Ecclesiæ afflictione, illum Deum qui in Ecclesia adoratur, esse Deum verum, cultumque Religionis, quo in Ecclesia honoratur, ei placere. posse autem & velle caussam Ecclesiæ ut suam vindicare, ejusque jus exequi, si id rationibus consiliorum & providentiæ ejus conveniat. Quod dum agit Vates, sive potius Ecclesia, cujus sustinet personam: argumentum adducit fidei Divinæ in implendis promissis aut interminationibus, per Prophetas vulgatis, ex *Urbe* quadam *munita*, sede primaria hostium Ecclesiæ veræ, destructa, eversisque *Moabitarum* & *Babyloniorum* (tam vere quam mystice sic dictorum,) *Munimentis*.

Scena prophetiæ ut instructa sit?

II. Scena sic est instructa, ut, cum Doxologia manifeste in duas solvatur partes: *priore* Vates *se ipsum* loquentem introducat, cum in ea non tantum temporis illius præsentis Beneficium explicet, sed & spem illius Beneficii consummandi nomine Dei faciat, ℣. 1--8. quæ Pars Cantici recte tribui potest Senioribus Ecclesiæ, hoc est, Doctoribus ejus Publicis, Verbi Divini Interpretibus, quorum *personam* Vates proxime & directe sustinuit: *posteriore* vero, (à ℣. 9.) totum Corpus Ecclesiæ inferat cum jubilo & lætis acclamationibus extollens Divinam Gratiam potentiamque in se vindicato, prostratisque hostibus, eorumque dirutis munimentis. quæ *Seniorum* & *Plebis* discretio in *Antiphonis* non abludit ab Emblematibus *Apocalypticis*. Præit Propheta Seniorum nomine: sequitur Ecclesia, sua ἀντιφωνία iis respondens, vicesque reddens.

Analysis hujus Doxologiæ.

III. Sunt itaque, ut jam anticipavi, Doxologiæ *Membra* duo, quorum Alterum alterius est Ἀντίφωνον, vel Ἐξόδιον. *Prius* comprehenditur, ℣. 1--8. *Posterius*, ℣. 9--12. In *Priori* occurrit, α. Propositio, cum ejus *Argumento*, generatim exposito, ℣. 1. Propositum sc. Dei celebrandi ob fidem veritatemque promissorum suorum publice demonstratam in Vindiciis promissis Ecclesiæ in gravissima sua afflictione præstitis. β. Illius Propositionis Declaratio *Specialis*, in celebrandis Beneficiis hoc tempore in Ecclesiam collatis, cum eorum Consequentibus: suntque illius Gradationes quatuor. sic enim distinguere malim, ne emphasin orationis minuam, & dividenda commisceam. (a.) ℣. 2. 3. (b.) 4. 5. (c.) 6. (d.) 7. 8. Alterum Membrum eodem modo constructum est. Continet *Propositionem*, qua Ecclesia se excitat ad laudes Divinas concelebrandas, ℣. 9. & *Argumenta* illius Propositionis, duabus *Gradationibus* absoluta; priore ℣. 10. 11. posteriore, ℣. 12.

Ἐπινίκιον ipsum, sive Doxologiæ *Membrum* Prius.

Propositio. ℣. 1.

Prius Membrum *Doxologiæ*.

Propositio, de Deo ob fidem ejus celebrando.

Animadversio de *Transitu* & *Nexu* orationis.

Ars spiritualis Prophetæ in oratione sua disponenda.

IEHOVA, *Deus mi*, Ô TU! *Extollam te; celebrabo Nomen tuum, quia fecisti* MIRABILE *quid; consilia à longinquo veritatem verissimam*] Sic affectus sum præjudicio de summa Vatis nostri sapientia atque elegantia, & persuasus quoque, ut eam in omni orationis ejus modo & forma deprehendam. Poterat ipse, postquam enarrasset Liberationem Ecclesiæ inexspectatam & Judicia hostibus ejus inflicta: ad Consequentia ejus declaranda transiturus pausam facere, & *præfatione* aliqua uti, qua lectorem pium de *transitu* hoc commonefaceret, ut nimirum diceret quod mox Cap. XXVI. 1. postquam laxasset animum, illo tempore Ecclesiam hac vel simili Hymnologia Deum celebraturam esse. Sed id hic in initio non agit: quod rapto in ecstasin mora hæc nimis longa videretur. Cum enim ex affectu erga Divinam gloriam & salutem Ecclesiæ; concitatus & impulsus ad Deum celebrandum, *plenus esset spiritibus* ac *verbis* [a], & *gestiret* pectus undique pressum arctatumque laxare atque exonerare: præterita neglectaque præfatione spatium dat spiritibus, solvitque vocem erumpere nitentem magno impetu, seque protinus effundit in laudes Divinas puro corde & libero ore cantandas. Hæc elegantia subest abrupto & præciso dicendi generi quod hic occurrit. Cætera nemo hæret in sensu Orationis. Patet enim, personam quæ hic loquens introducitur, Prophetam sc. repræsentantem Seniores & *Doctores Populi Dei*, (quibus ipsi quoque Hebræi Intt. passim hanc tribuunt orationem, tanquam ab *unoquoque* eorum dicendam:) se incitare ad Jehovam, Deum suum & Populi sui, extollendum, ejusque *Nomen*, h. e. gratiam, justitiam, veracitatem, fidem, potentiam, majestatem, gloriamque omnem, quam manifestam fecerat in Vindiciis Populo suo contra plurium exspectationem præstitis, *celebrandum*: addita

Sensus Orationis, & argumentum ejus declaratur.

Consilium de Deo celebrando.

[a] Job. XXXII. 18. 19.

dita ratione, quæ complectitur *generale argumentum* hujus Doxologiæ, quod effecerit *mirabile*, (mirabilia & paradoxa ob Eventus τὸ ἀπροσδόκητον & magnitudinem,) & *consilia Ejus* מרחוק *à longinquo*, non tantum longe ante capta sed & per Prophetas vulgata, (valet enim phrasis hic idem quod מראשית *à principio*, & מקדם *ab antiquo*, Cap. XLVI. 10. proprie, secundum vim & usum vocis מרחוק *è longinquo*; quæ consilia cum caperentur & vulgarentur, *eventum* à longo respiciebant, sive quæ longe ab eventu distabant:) certissimis & verissimis implementis secundum fidem Ecclesiæ datam fuerint comprobata. Cl. Coccejus in versione sua vocem עצות *consilia* refert ad notionem עשית *fecisti*, hoc sensu: *Fecisti mirabile*; *consilia à longinquo* sc. fecisti *fidem & veritatem:* & vidi, eodem modo accipere Aben-Ezram: estque observatio docta, & huic loco probe conveniens. Masorethæ tamen nos monuerunt sententias distinguere: quod si fiat, statuendum est, ellipsin subesse voci עצות, pro עצותיך. Integra sententia est: עצות אשר יעצת אמונה אמן *Consilia, quæ deliberato cepisti, sunt fides fidissima.* Hæc in universum monenda habui de sensu sententiæ, minime obscuræ. Pauca adscribo ad emphasin dictionis observandam, monendo magis & indicando necessaria, quam docendo. Primum est, quod huc pertinet, in appellatione Dei. JEHOVA, DEUS MI. Utrumque apposite & ad rem præsentem accommodate. Nomen enim JEHOVA sacramentum & signaculum est *fidei* Divinæ in implendis promissis gratiæ: (de quo hic agitur:) & affixum *possessivum* vocis אלהים *Deus* eam amabilem vim habet, ut nos commonefaciat de *unione fœderali* & *conjugali*, qua homo à Deo invitatus ad communionem Fœderis secum in gratia colendam, post perceptum Verbum Gratiæ se Deo in *fide* tradit, Deumque sibi *appropriat*, aut, quod rectius dico, applicat & vindicat ut suum, seque totum & res suas ipsi cum fiducia committit. Alterum est in voce אתה ATTA TU, in fine sententiæ, quæ vox est blandientis, & in ejusmodi casibus emphatice usurpatur. ut אבי אתה *Pater meus* TU *es*, apud Jeremiam [a]. Emphasin hanc eleganter expressit Coccejus noster versione sua: *Deus mi*, ô TU! Utique vix dubitem, quin Græcum Ἀττα, & Τέττα quoque, (utrumque enim in appellationibus blandientibus inferiorum erga superiores usurpatum est apud Græcos:) inde derivatum sit. Hesychius: Προσφώνησις φιλοφονητικὴ νέᾳ πρὸς πρεσβύτερον καὶ προφέα, ὡς ἡ πάππα πρὸς τὸν πατέρα. Quin & vox τύννη Tu eadem vi antiquis Poëtis usurpatur in fine sententiæ, ut hoc in loco. Exemplum promo ex Hesiodo, qui mox in initiis [b], appellatione ad Jovem: Δίκῃ δ' ἴθυνε θέμιστας TTNH· *juste rege judicia* TU! Tertio, ubi Vates scripsit, *fecisti* פלא MIRUM: forte cui videatur scribere posse, פלאות *mirabilia.* Poterat sane, sed elegit hoc dicendi genus ut efficacissimum. Vox פלא *mirum* hic sumenda est συλληπτικῶς *collective*, ut notet magnum aliquod paradoxum, quod κατὰ συμπλοκὴν multa mirabilia in se complectatur. Esse autem respectum vocis peculiarem ad *promissa gratiæ*, eorumque *fidem*, patet ex simili sententia Hymnographi sacri [c]: *Et celebrabunt cœli* פלאך MIRABILE *tuum, ô Jehova:* & FIDES *tua* (אמונתך) celebrabitur *in cœtu sanctorum.* Quarto denique, quod scripsit, *Consilia tua à longo* sunt אמונה אמן, *veritas verissima*, sive *fides fidissima:* (est enim hic idem:) eam emphasin habet, ut demonstret, inter *promissum* & *promissi implementum* eam esse ἀναλογίαν & συμμετρίαν, ut in *implemento* nihil aliud & nihil minus sit quam in promisso; utque adeo promissi implementum meram exhibeat & puram ac purissimam Dei fidem absque ullo detrimento. Electa est phrasis, quæ alibi non occurrit. Refertur autem quod hic dicitur, ad superiora, hoc est, ad gloriosam *Liberationem Ecclesiæ*, Hostiumque ejus Imminutionem & Excidium, cum hujus Beneficii Consequentibus. de quo sequentia nos clarius edocebunt.

Ratio ejus: *Virtutes Dei* in Liberatione manifestæ factæ, & *fides* ejus.

Vis vocis מרחוק *e longinquo.*

Cl. Cocceji observatum de Versione ultimi membri: & ad illud ἐπίκρισις.

Animadversa peculiaria ad phrasin.

Allocutio emphatica: *Jehova, Deus mi!* Ejus vis h. l.

Emphasis vocis אתה.

Græcæ phrasios consensus.

Et פלא *mirabile*, pro *mirabilibus.*

אמונה אמן *Veritas verissima.*

Sensus phrasios.

Nunc tantum observem, quod hic dicitur de *Laudatione* solenni, post fusos hostes ab Ecclesia gloriose liberata ad Deum solenniter deferenda, neminem dubitare quin optime & verissime conveniat Hasidæis, qui in omni victoria ab hostibus impetrata se diffuderunt in laudes Divinas & Jehovæ Liberatori cecinerunt ἐπινίκια, quorum specimina multa extant in *Odis* Sanctorum Virorum, Davidicis commixtis. Sic post Gorgiam à Juda repulsum [d]: Καὶ ἐπιστραφέντες ὕμνουν καὶ εὐλόγουν εἰς οὐρανὸν τὸν Κύριον, ὅτι καλὸν, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ. Inde maxime tempore dedicati rursus & initiati *Templi* à Juda Maccabæo, novum illud Festum celebrarunt lætitia ingente, *universo Populo in terram prono Deum adorante*, καὶ εὐλογήσαντι εἰς οὐρανὸν τὸν εὐοδώσαντα αὐτοῖς· *& benedicente Deo cœlesti qui prosperum ipsis dederat successum* [e]. Sed cum Judæi hoc tempore nondum essent perfuncti suis calamitatibus: respicienda hic maxime sunt tempora Simonis Ethnarchæ & Joannis Hyrcani, in superioribus jam à nobis laudata, quibus Ecclesia typicum vidit implementum eorum quæ Deus olim promiserat, & Prophetæ, (Vatesque noster in hoc loco,) prædixerant. Sic Historici clarissime, ubi de horum temporibus loquuntur. Inspice nunc loca 1 Macc. XIII. 51. & XIV. 8. seqq. quæ deinceps describam. Summa Cantici sic est expressa in Maccabæorum *Altero*, licet instrumento forte adulterino [f]: Κατὰ πάντα εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὃς παρέδωκε τοὺς ἀσεβήσαντας· *Per omnia sit laudatus Deus noster, qui impios tradidit* ad supplicium. Sed quanto verius hæc vox Eucharistica conveniet Ecclesiæ Liberatæ ultimo tempore, ejusque Ecclesiæ *Senioribus*, postquam *Septima Tuba* clanxerit & Regna Mundi adversaria Deo & Christo subjecta fuerint. En verba Joannis, hæc nostra, eodem schemate servato, interpretantia [g]: *Tum viginti quatuor illi* SENIORES, *qui in conspectu Dei sedent in thronis suis, prociderunt in facies suas, & adorarunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus Omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es, quod adeptus sis potentiam tuam magnam & Regnum capessiveris; & iratæ fuerunt Gentes, & venit ira tua, &c.* quæ conferenda cum Cantico Angelorum, fine *Sigilli sexti*, celebrantium Dei *fidem*, bis repetita voce *Amen* [h]. Quin sane sequentia docebunt, ea Deum jam operatum esse in salutem *Ecclesiæ Reformatæ*, totque jam extare documenta fidei veritatisque ejus in puniendis ejus Persecutoribus Tyrannis & in afflicta mirifice, cum ad extrema venisset, vindicanda, ut merito ingrati postularemur animi, tum Majores nostri, tum nos ipsi, si Oden hanc προληπτικῶς in nostrum quoque non verteremus usum.

Usus hujus Doxologiæ, optime convenit Statui Hasidæorum, à Deo vindicatorum. præcipue sub Simone Ethnarcha.

Sed verius conveniet Ecclesiæ, extrema Periodo à Deo liberandæ ac vindicandæ.

Proleptice autem *Reformatæ.*

Propositionis *Expositio* & Declaratio *Specialis.*

GRADATIO PRIMA.

Propositionis *Expositio* ac *Declaratio.*

vſ. 2. *Quia posuisti* URBEM *in tumulum:* OPPIDUM MUNITUM *in ruinam:* ARCEM PEREGRINORUM *ne sit Civitas; in æternum non ædificabitur*] Prima hæc est gradatio, quæ explicat singulare Beneficium in Populum Dei collatum, quod Vati Sacro magna Dei Beneficia, ad *Liberationem* Populi Dei spectantia, recensenti in hac rerum serie primum obversabatur. Est autem destructio URBIS cujusdam celebris, ejusdemque munitissimæ, Sedis hostium ac adversariorum Populi Dei. Sic statuo, estque hæc jacienda certa hypothesis, si quis ad intelligentiam *literalem & mysticam* hujus pericopæ pertendere velit: quam dissonæ interpretationes, eæque diversissimæ, & aliquæ, ut putem, à ratione plane alienæ, obscuriorem etiam & expositu difficiliorem fecerunt, quam vere est, recto oculo inspecta. Specimina earum, ut mihi de his commentanti occurrerint, veri certius investigandi caussa, aliqua exhibebo. Difficultas in eo versatur, quæ illa sit URBS vel CIVITAS MUNITA, pro qua destructa Deum celebrat Vates? Qui in superiore prophetia agi putant de extremo Judicio: non cogitant hic de *una* aliqua *Urbe* singulari, sed *Urbem munitam* accipi jubent *collective*

Gradatio prima.

Summa hujus Pericopæ.

Hypothesis interpretationis, agi hic de *certa* quadam *Metropoli*, à Deo destructa.

Interpretum divortia.

Sunt qui verba *collective* accipi-

pro

[a] Cap. 11. 27. [b] Hesiod. *Op. & D.* vſ. 9. [c] Ps. LXXXIX. 6. [d] 1 Macc. IV. 24. [e] 1 Macc. IV. 55. [f] 2 Macc. I. 17. [g] Apoc. XI. 16. [h] Cap. VII. 12.

piunt, non de una aliqua *Urbe*, ſed de pluribus *indefinite*.

Sed qui falſa nituntur hypotheſi.

pro *Urbibus* quibuſque *munitis*, Eccleſiæ adverſariis, in fine Sæculorum ſubvertendis & perituris. Sed hæc interpretatio, cui Græcus Interpres & quod ad priorem ſententiæ partem Chaldæus quoque, favet, ut pugnat cum argumento totius prophetiæ: ut ſuo loco docui [a]: ſic parallela loca Cap. XXVI. 5. & XXVII. 10. certam demonſtrant *Urbem*, ex ſuis attributis cognoſcendam: etſi quod ad *figuram loquutionis*, largior, ſi cætera id ſuaderent aut permitterent, eſſe eam in Sacris & Prophetæ noſtro ſatis familiarem. Grotius, qui in extremis *Capitis ſuperioris* vidit Judicium Dei in Senacheribum, ejuſque Idola & Tribunos: per *Urbem* hanc *munitam* intelligit SAMARIAM. Et cur non potius DAMASCUM, ab Aſſyriis everſam? de qua Vates ſimili dictionis genere, Cap. XVII. 1. *Ecce Damaſcus amovetur* מעיר NE SIT URBS, *& erit* ACERVUS RUINÆ. Quo enim ſenſu dicatur *Samaria*, ab Ephraimitis habitata, ארמון זרים ARX PEREGRINORUM? Imo vero intelligit Vir Illuſtris *Deos peregrinos*. Sed ſi *Dii peregrini* deſignari poſſint ſimpliciter voce זרים ALIENORUM: (quod non negem in rariſ locis contingere, in quibus hæc ſignificatio vocis ex circumſtantiis orationis colligi poteſt, cum in iis de idololatria agatur:) eſtne probabile, Prophetam vocem hic uſurpaturum eſſe ea ſignificatione, ubi contextus de hoc argumento nihil monet; & Urbem idolis conſecratam appellaturum eſſe *Palatium alienorum* Deorum? *Palatii* enim quis eſt reſpectus ad *Deos?* Addo, neutiquam probabile fieri, Eccleſiam Populi Dei eum tam preſſe & ſolenniter celebraturam eſſe ob deſtructam *Samariam*. Judicium Dei in Ephraimitas vero Dei Populo præbere debuit argumentum luctus, doloris, humiliationis; etiamſi agnoſcerent, meritum Urbis & Juſtitiam viarum Dei: & res per ſe loquitur. Poterant & debebant ex Samariæ lapſu colligere Hieroſolymitani, quodnam ſe maneret fatum: non ſane fato Samariæ gaudere & exultare. Quæ cum viderit haud dubie Interpres alius harum partium [b], & tamen incertus atque ambiguus hæreret, quo ſe verteret, *Urbem munitam* interpretatur de *Caſtris Aſſyriorum*, *quæ fuiſſe* dicit *inſtar civitatis munitæ*, & *Palatium alienorum* vocari, quod *Rex & Principes ſua in iis haberent Prætoria*. Non refello ea, nec refelli merentur. Ubi hypotheſes non bene ſunt jactæ: neceſſitas homines ad ejuſmodi inventa adigit, etſi forte ipſi probe percipiant, ſe ea paucis eſſe perſuaſuros.

Grotius hic demonſtrat *Samariam*.

Sed cui non convenit titulus, *Arcus peregrinorum*.

Exceptio ejus diluitur.

Deſtructio Samariæ antiquæ non potuit Populo Dei præbere argumentum *lætitiæ*.

Interpres alius intelligit *Caſtra Aſſyriorum*.

Gravius mihi certamen eſt cum iis, qui ſuperiorem prophetiam accipientes de extrema deſolatione Hieroſolymorum ac Terræ Canaanææ per Romanos, & de Vocatione Gentium ad Dei communionem, per *Urbem munitam* & *Palatium alienorum* hic ipſam intelligunt HIEROSOLYMAM. Longa ſeries eſt Interpretum, qui huic adhærent ſententiæ, eſtque inter illos quoque Ludovicus Cappellus [c]. Quæris, quo ſenſu Hieroſolyma hic ſecundum ipſos dicatur *Palatium extraneorum* vel *peregrinorum?* Reſpondet Vir Doctus, ſic dici, quod Judæi incolæ ejus *alieni* fuerint *à fœdere Chriſti*, *quem rejecerunt*. Sic fere ipſe quoque Forerius. Schmuckius, Vir Eruditus, in univerſum omnem intelligit *vim ac potentiam Mundi*, *adverſus Eccleſiam inſurgentis*, ac proinde Urbes inſigniores hujus exemplo, *Babylonem*, *Ninevem*, *Ægyptum*, *&c.* *in ſpecie* autem monet *accipi poſſe de Urbe* HIEROSOLYMA, *quæ poſt ſuam everſionem facta eſt* PALATIUM EXTRANEORUM. Verum etiamſi inter *Hieroſolymam* rebellem & reliquas Urbes *adverſarias* Eccleſiæ reſpectu *hujus attributi* aliqua ſit communitas; ægre tamen mihi perſuadeo, Spiritum Dei Hieroſolymam ſub communi hac appellatione cum iis juncturum eſſe. Obſervandum etiam illud erat, Urbem non deſcribi qualis eſſet poſt everſionem, ſed qualis jam ante everſionem erat. Cogitatio eſt vere, ut quidem ego putem, ab hoc loco alieniſſima. Primò quia qui hunc hymnum Deo accinunt, ſupponuntur eſſe *cives Tſionis* & *Hieroſolymæ*, ut patet ex Cap. XXIV. 23. *Et pudefiet Luna*, *ac pudore ſuffundetur Sol*, *ubi Jehova regnaverit in* MONTE TSION & HIEROSOLYMIS, *ac coram Senioribus ejus erit gloria.*

An potius hic intelligenda Hieroſolyma, deſtructa per Romanos?

Auctores hujus ſententiæ.

Quo modo ſecundum illos appelletur *arx peregrinorum*?

Animadverſio ad expoſitionem Viri Docti.

Sententia repudiatur.

Qui hoc Canticum edunt, ſupponuntur vere

Rurſus hoc *Capite*, vſ. 6. *Et faciet Jehova omnibus Populis in* MONTE HOC *convivium pinguium*. Utique eſt hic ipſe Mons *Tſion*. An itaque Hieroſolymitani & Tſionei Cives Deum celebrabunt ob Hieroſolymæ excidium? Dixeris, Eccleſiam hic intelligi Chriſtianam, ſub nomine *Hieroſolymæ* & *Tſionis*, myſtice ſic dictam. Eſto vero: neque enim ego in myſtico ſenſu id abnuo: ſed vel ſic pertendo, ſi Eccleſia hic proponatur ſub myſtico nomine *Hieroſolymæ*: non convenire concinnitati & elegantiæ emblematis, ut pii hic introducantur Deum celebrantes ob *Hieroſolymæ* deſtructionem. Ubi Eccleſia myſtice proponitur ſub nomine *Hieroſolymæ*: hoſtes Eccleſiæ qualeſcunque venire oportet ſub nominibus myſticis hoſtium Hieroſolymæ Veteris, *Ægypti*, *Babylonis*, *Moabi*, *Edomi*, ac ſimilium. Secundo, quia Hieroſolyma Vetus qualis fuit antequam deſtructa eſt à Chaldæis aut Romanis, non poteſt dici Palatium זרים EXTRANEORUM. Quod autem dicitur, per *extraneos* intelligi *alienos à fœdere Dei*, rebelles Evangelio: plane coactum eſt. Scriptores Sacri vocem, *abſolute* ſumptam, quod ſciam, ſic nunquam uſurpant; ſed hoc nomine intelligunt hoſtes Populi Dei *Aſſyrios* aut *Babylonios*, ut mox evincam. Tertio, eſtne ut quis ſibi ſerio perſuadeat, Eccleſiam Chriſtianam unquam captaſſe argumentum effuſæ laudationis & celebrationis Divini Nominis ex *rejectione Judæorum rebellium* & *ſubverſione Hieroſolymæ* per Romanos? Non arbitrer vere, id Chriſtianorum ulli illius temporis in mentem veniſſe. Etiamſi juſtum eſſet hoc Dei judicium, & in hoc judicio obſervarent effectum potentiæ & juſtitiæ Chriſti Jeſu ſedentis ad dextram Patris; & viderent quoque, rationes Providentiæ Divinæ circa Regnum Chriſti ſpirituale in Orbe ſtabiliendum hunc effectum exigere: varii tamen reſpectus hujus terribilis Judicii in ipſis Chriſti Jeſu ſubditis magis excitare debuerunt dolorem & ſtuporem, quam *gaudium* & *lætitiam*; qui affectus per totam hanc hymnologiam regnat. Quid? Hieroſolyma priſca an ipſa quoque merita non erat Judicii Divini ſeveritatem: & tamen quam veris & amaris threnis Jeremias ejus caſum proſequutus eſt? Comparo illi Paulum Apoſtolum, qui licet vel maxime perſuaſus de rationibus Juſtitiæ Divinæ in rejiciendis & indurandis Judæis incredulis, non dubitat tamen profiteri [d], *in Spiritu Sancto*, ipſum hunc eventum *magna ſe & continua* afficere *triſtitia*. Nec aliter nos hoc tempore affecti ſumus, qui ardentibus votis converſionem hujus Gentis expetimus. Quarto denique, ex argumento totius hujus Sermonis liquet, Eccleſiam hic prædicare & extollere ingens Beneficium *Liberationis* & *Salvationis*, quod ſibi à Deo obtigerat hoc maxime articulo temporis cum hoſtium ejus punitione. Id primum, id ultimum eſt in hoc Sermone. Excidium autem Hieroſolymorum per Romanos quid contulit ad externam ſalutem, aut proſperitatem Eccleſiæ? Erant Judæi, fateor, profeſſi Chriſtianorum hoſtes: ſed cum tempore Belli plerique ſe jam Chriſtiani à Judæis rebellibus ſejunxiſſent, & Judæi etiam alias ipſi Romanis eſſent obnoxii, & in eorum poteſtate; & cum præterea Chriſtiani illo tempore à Judæis non oppugnarentur & nihil gravius paterentur: quorſum omnia quæ in hoc *Sermone* leguntur de *ſalvatione* Populi Dei hoc tempore facta ex ſummo diſcrimine, & *defenſione* ei præſtita adverſus hoſtes, Regeſque ac Principes Orbis terrarum qui eam videbantur inundaturi & extinctum? Si hic ullo modo cogitandum eſſet de Hieroſolyma: intelligi deberet *Hieroſolyma* πατημένη ὑπὸ ἐθνῶν, *calcata à Gentibus*, phraſi Domini [e], hoc eſt, occupata & inſeſſa ab hoſtibus. Certe circa ipſa illa tempora, circa quæ nos nunc verſamur, Syri & Apoſtatæ, poſt magnam Hieroſolymorum partem cum Templo à Maccabæis occupatam, habebant ARCEM munitiſſimam, vero ſuo nomine dictam Ἄκραν, in Colle, qui Templo proximus erat & ſupra Collem Templi eminebat, quique ab ipſa hac *Arce* nomen *Acræ* obtinuit. De hac ARCE, (non in Tſione locata, ſed in Colle Tſioni oppoſito,) quæ recte &

vel myſticè eſſe *Hieroſolymitani & Tſionei Cives*.

Occurritur exceptioni.

Hieroſolyma non poteſt dici *Palatium peregrinorum*.

Reſpondetur ad effugium.

Hieroſolyma terribili Dei Judicio deſtructa, non proponitur in Scriptura S. ut argumentum lætitiæ Populi Dei.

Verus affectus credentium erga hunc Eventum.

Illuſtratur ex ſimili.

Affectus Pauli erga Judæos reprobos.

Eccleſia hic celebrat vindicias & Liberationem, quæ ipſi hoc tempore obtigerat.

Quid eo contulerit Excidium Hieroſolymæ?

Poſſet hic cogitari de Hieroſolymitana Urbe & Arce, inſeſſa à Syris tempore Maccabæorum ex noſtra hypotheſi.

---

a In *Anacriſi*. b Brenius. c In *Poſtumis*. d Rom. IX. 2. e Luc. XXI. 24.

te & eleganter appellari poſſet ארמון זרים *Palatium* ſive ARX PEREGRINORUM, frequens mentio eſt in Maccabaicis, cum Haſidæis Hieroſolymæ alteram partem inhabitantibus aut Sacra in Templo celebrantibus valde eſſet incommoda & infeſta, nec tamen ob munitionem ejus facile ſuperabilis: donec tandem ſæpius fruſtra tentata, & undique circumſcripta, incidit in manus *Simonis* veri inſtauratoris Reipublicæ, A. Æ. Seleuc. CLXXI. quando eam ingreſſus eſt Simon, *μετὰ ἀινέσεως cum* LAUDATIONE HYMNOLOGICA, *ramiſque palmarum, & cum cinyris, & cum cymbalis, & cum nabliis, & cum* HYMNIS *& cum* CANTICIS, *eo quod contritus eſſet magnus hoſtis ex Iſraël, conſtituitque quotannis agitari diem illum cum lætitia.* Sic Hiſtoricus Maccabaicus [a]: quæ ad inſtitutum noſtrum commode poſſemus applicare, ſi certius & ſolidius nihil haberemus, quod in medium proferremus. Quid? quod ipſe Paraphraſtes Chaldæus verba hæc noſtra ſimili ſenſu de *Hieroſolyma*, à Romanis occupata, acceperit; cujus verba non negligo adſcribere, quod vere mereantur animadverſionem. Verſio integra ſic habet: *Quia poſuiſti Urbes munitas in acervos, civitatem munitam in ruinam;* בית רחלת עמיא נקרתא ירושלם DOMUM DEORUM POPULORUM IN CIVITATE HIERUSALEM; *in ſempiternum non ædificabitur.* Obſcura eſt verſio. בית רחלת עמיא eſt *εἰδωλείων Gentium:* ſive, *Domus conſecrata ſuperſtitioni Gentium.* Non eſt probabile, illum alludere ad tempora Maccabaica. Reſpexit ætatem ſuam; de qua ſi certi eſſemus, certo etiam ſtatuere liceret, an hic intelligat TEMPLUM JOVIS CAPITOLINI, quod Hadrianus in *Ælia* (quæ eſt Hieroſolyma noſtri temporis,) extruxit, ut notum ex Dione [b]; num vero celebre illud *Μαρτύριον* ſive *Templum*, in loco *Reſurrectionis Domini* (hoc tempore mœniis Urbis clauſo) erectum à Conſtantino, à Populis Chriſtiani nominis ſumma veneratione hodiedum viſitari ſolitum. Jarchius tamen emollivit interpretationem, ubi intelligi vult *Caſtellum præſidiariorum militum* quod hoſtes in Hieroſolyma occupata tenuerint. Erat certe Hieroſolyma & eſt hoc etiam tempore ſedes *τῶν ἀλλοφύλων*, (ארמון זרים) ex mente Judæorum: ex quorum poteſtate ſperant eam aliquando ereptum iri; quo tempore Paraphraſtes, ut videtur, cenſuit hoc *Ἐπινίκιον* Deo eſſe accinendum. Et nos quidem hanc ſpem iis relinquimus, contenti verba Paraphraſtæ adduxiſſe & illuſtraſſe. Si hic cogitandum eſſet de Hieroſolyma ipſa; referenda eſſent verba Prophetæ ad Hieroſolymam quæ circa tempora Afflictionis Syriacæ fuit in manibus hoſtium Populi Dei, & præcipue de ACRA ſive ARCE *Hieroſolymitana*, ſede *τῶν Ἀλλοφύλων*. Hanc ego dixi poſſe haberi interpretationem tolerabilem, ſi melior nulla ſuppeteret. Sed ſuppetit melior, & ipſa hæc interpretatio non ſatisfacit omnibus Urbis hujus attributis quæ in prophetia recenſentur. Eſt enim *Urbs* integra, egregie munita, & quidem in *Deſerto*, hoſtilis Populi Dei, ut mox liquebit.

Eſtne igitur ROMA? Sic Judæi jam tempore Hieronymi, & Jarchius hoc loco, הר עשו *Mons Eſavi.* intellige *Romam A:* idque Interpretes de partibus Proteſtantium libenter amplectuntur; qui tamen cum plerique in fine *Capitis ſuperioris* hæreant in initiis manifeſtati Regni Chriſti, ut Piſcator, & ſequaces; non ſatis commode hanc interpretationem aptant *Sermoni ſuperiori.* ROMAM enim hic accipiunt non de *Pagana Vetere*, ſed de *Roma* Chriſtiani Nominis *idololatrica & perſecutrice Sanctorum* recentioris temporis. Id vero quale eſt, propius ad rem accedit: eſtque dignum admiratione, Doctum Interpretem, qui hanc *Romam*, tanquam ſedem Imperii Antichriſtiani, in Verbo Prophetico longe frequentius videt quam alii, hic ubi eam plerique vident Interpretes & agnoſcunt, non vidiſſe, ſed potius implementum prophetiæ quærere voluiſſe in Motibus Britannicis *Sæculi ſuperioris*, ubi *Epiſcopalis Ordo*, in partem *Regiminis & Judicii Publici* ex Lege illius Regni admiſſus, & *Superior Domus Concilii* Gentis Publici, quod *Parliamentum* dicitur, abolita ſunt. Interpretatio vere eſt paradoxa, & omnimode improbabilis, cui pauci patrocinari velint: quare eam non refello, ſed potius mearum meditationum rationem explico.

Cum ad commentandam hanc prophetiam me propius applicarem: primo quidem non dubitavi, quin Propheta ſub nominibus *Urbis*, *Urbis munitæ* & *Palatii peregrinorum*, hic pro ratione ſtyli Prophetici unam eandemque *Urbem*, non plures ac diverſas, intelligi velit. Si enim per *Urbem* hic aliud intelligeret quam *Urbem munitam:* ratio non eſſet gravis celebrandi Divinam potentiam in ea Urbe deſtruenda. Eſt illud præterea de more Prophetarum, rem unam varie circumſcribere, ea quidem ſermonis elegantia, ut oratio ſemper ſcandat & in majus ſurgat: quod hic locum habere, quiſque videt. Simplex propoſitio eſt, *Deum poſuiſſe* URBEM *in acervum.* Sed forte *Urbs* fuerit, licet magna & ampla, non bene *munita?* Addit igitur Propheta, fuiſſe *Urbem* בצורת MUNITAM. At *munita* licet ſit, fortean tamen non fuerit inter munitas Urbes *præcipua*, in qua adverſarii ſummam fiduciam ponunt? Adjicit itaque Propheta, eſſe omnino omnium Urbium munitarum *præcipuam*, principem, metropolin, ſedem Imperii adverſarii, ſc. PALATIUM PEREGRINORUM. Firmant hypotheſin loca parallela, hoc *Cap.* ỳſ. 12. Cap. XXVI. 5. XXVII. 10. in quibus *unius Urbis* ſolummodo mentio occurrit. Secundo, non obſcure vidi, hic deſignari BABYLONEM Urbem, cum omni ſuo charactere; nec vidi ego primus, ſed plures alii, & inter illos ipſe quoque Kimchius: qui etſi totam hanc prophetiam applicet ad tempus Meſſiæ, & Bellum Gogi & Magogi, nec digrediatur ab hoc propoſito, hic tamen vidit alludi ad Babylonem: niſi ſub ea myſtice *Romam* intelligi velit. Verba ejus, ad ארמון זרים *Palatium Peregrinorum*, ſunt: וארמון זרים אכר על גגל שהיא כמו ארמון לכל ערי העמים והעמים יקראו זרים ונכרי׳ PALATIUM *vero* PEREGRINORUM *dicit de* BABYLONE, *quæ inſtar Palatii eſt omnibus Urbibus Gentium. Gentes autem dicuntur extrarii & alienigenæ.* Tenuit me, fateor, aliquandiu *verſiculus ultimus* hujus *Capitis*, qui ad primum aſpectum occaſionem præbet cogitandi de Urbe aliqua munita *Moabitidis* aut *Ammonitidis*, veluti fuerunt *Rabbath Ammon*, *Ar-Moab.* Verum nulla Urbs fuit *Moabitidis* aut *Ammonitidis* uſque adeo metuenda Populo Dei, ut ejus deſtructæ Beneficium ut ſummum effuſis repetitiſque laudibus celebrari meruerit: & vidi poſtea, in ipſo quoque hoc loco per *Apoſtrophen* de *Babylone* agi, ut ibi docebo. *Antiochia* ipſa quoque deſtructa fuit ſub Demetrio Nicatore, (de quo egi ad ỳſ. 20. 21. *Capitis ſuperioris:*) ſed inſtaurata fuit, & agitur de ea manifeſte *verſu ſequente.* Multo majore ratione hic in medium produceretur SAMARIA, (non ſane Samaria deſtructa ab Aſſyriis: quam Grotii ſententiam ut ab hoc loco alieniſſimam, refelli:) ſed *Samaria*, eadem *Urbs* MUNITISSI-

Quæ Arx à Simone occupata magnam præbuit materiam gaudii Populo Dei.

Verſio notabilis Paraphraſtæ in ſimilem ſenſum. quæ illuſtratur.

Reſpexit Templum *Jovis Capitolini* in Hieroſolyma ſui Temporis, Ælia dicta.

Quo alio ſenſu hic cogitari poſſit de Hieroſolyma?

An per *Urbem* munitam hic intelligenda ſit *Roma*? Auctores hujus ſententiæ.

Cl. Cocceji diverſa.

Hypotheſis veræ interpretationis; Prophetam hic de *una* tantum *Urbe* loqui.

Gradatio orationis Prophetæ.

Et quidem *literaliter* de *Babylone.*

Interpretis Hebræi ſententia.

Dubium de eo diſcuſſum.

An hic cogitari queat de *Samaria*, deſtructa temporibus Maccabaicis?

a Cap. XIII. 51. 52. b Apud Xiphil. in *Hadr.*

A Recentiores paulo cautius ſententiam ſuam exponunt: & eſt tamen obſervatione dignum, quod negligere nolui, commemorare Abarbenelem, vidiſſe ſe *Exemplar* aliquod *Paraphraſios Chaldaicæ* Jonathanis, שתרגם כי שמת כעיר לגל על קוסטנ ט׳נא קריה בצורה למפלה על עיר ר׳ראש וארמון זרים על רומי ששלשתם הם עמורי מלכות ארום ברתו *in qua verba:* Poſuiſti URBEM in tumulum: *exponuntur de* CONSTANTINOPOLI: CIVITATEM MUNITAM *in ruinam: de Urbe* RHODO: *&* PALATIUM PEREGRINORUM *de* ROMA, *quippe tres hæ Urbes columnæ ſint præcipuæ quibus ſtat Religio Chriſtiana Romanenſis Imperii.* Demonſtrat porro, poſtremam interpretationem de *Roma* ut *Arce exterorum*, non eſſe abſurdam, quod plerique qui *Romæ* nunc auctoritatem obtinent; veluti *Papæ* & *Cardinales*, ſint *exteri*, & Papæ ipſi modo ex Gallis, modo ex Hiſpanis aut Germanis eligantur. Ipſe tamen verba generalius exponit; exiſtimans, ſub tribus nominibus, *Civitatis*, *Civitatis munitæ*, & *Arcis*, tria *Urbium* genera deſignari, illo tempore deſtruendarum. quæ vaga & coacta ſunt, & non attingo. Patet ex hoc loco, Paraphraſin Jonathanis ſæpe eſſe interpolatam: hæc enim varia lectio, quæ non comparet inter varianres lectiones *Paraphraſium Chaldæarum* in Tom. VI *Polyglott. Londinenſ.* haud dubie intruſa eſt in Paraphraſin poſt *Inſulam Rhodum* initiis Sæc. XIV. ab Equitibus Sacris Hieroſolymitanis occupatam, qui inde Rhodii dicti, habitique ſunt ſtrenui Religionis Chriſtianæ Defenſores.

TISSIMA, (πόλις ὀχυρωτάτη,) temporibus Assamonaicis *sedes* τῶν ἀλλοφύλων, à Præfectis Regum Syriæ passim administrata & defensa, quæ eam ob caussam recte dici poterat *Palatium peregrinorum*; æmula Hierosolymorum, & caussa Templi Gazirimitici, quæ caussa fuit inextinguibilis odii, habita ejus adversaria perpetua; hæc, inquam, *Samaria*, non capta tantum & expugnata est à Joanne Hyrcano, per *filios* ejus, sed *solo* etiam *æquata*, ut tota *disparuerit*, inductis in eam *torrentibus*, omnia fœdaturis, ne *vestigia* ejus *supereſſent*: ut Josephus [a]. Sed præterquam quod *Babylonis*, ut Urbis inimicæ & adversariæ Populi Dei, & veri typi *Babylonis spiritualis*, quæ hic præcipue respicitur, multo sit augustior conspectus: sic cætera attributa ei multo ἐμφατικωτέρως conveniunt, quam ulli subjecto alii. Primo constat, Prophetam in variis Vaticiniis suis hujus *Urbis* lapsum prænunciasse, tanquam in cujus interitu & excidio sita esset spes & salus Ecclesiæ. Una enim hæc *Urbs* est quam Scriptores Sacri, & inter hos primus Vates noster, *Hierosolymæ* præcipue opponunt: in qua una spectari volunt omnes Urbes adversarias Populi Dei. Summa læti præconii est: נפלה נפלה בבל *Cecidit*, CECIDIT BABYLON. Cap. XXI. 9. coll. cum Cap. XLII. 19. seqq. XLVII. 3. seqq. Nec est hic tantum rei, sed & phrasios consensus. Quod enim Vates noster Cap. XXVII. 10. in describendo Urbis hujus Excidio: *fore eam relinquendam solitariam, instar Habitaculi derelicti & missi facti; instar Deserti, in quo pasceret vitulus*: mutata metaphora eodem fere modo extulerat, Cap. XLII. 20. seqq. unde Ecclesia in *Ode* adversus Babelem [b]: *Filia Babylonis* השדודה *desolationi destinata*. Secundo, est עיר URBS, CIVITAS, in emphasi sic dicta. scilicet, ἡ Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, בבל רבתא, ex ipsius Nebucadnezaris appellatione [c]. Tertio, *Urbs* בצורה MUNITA: sc. respectu מבצר משגב חומות *munimenti* valde *elati* MURORUM, ℣. 12. qui character est Babylonis, de quo, locis ex Jeremia & exteris Scriptoribus collatis disserui in *Notitia Babylonis* [d]. Quarto, *Urbs* habitata à זרים PEREGRINIS, alienigenis, ἀλλοτρίοις, qui stylo Prophetarum maxime sunt *Assyrii* & *Babylonii*. Sic Vates noster Cap. I. 7. *Terram vestram coram vobis* זרים PEREGRINI (Assyrii) *comedunt*. Ezech. XI. 9. *Et tradam vos in manum* זרים PEREGRINORUM. Babyloniorum. Cap. XXVIII. 7. *Ecce adduco super vos* זרים PEREGRINOS, *violentissimos Gentium*. Joël. Cap. III. 17. *Et* PEREGRINI זרים *eam* (Hierosolymam aut *Cananæam*,) *amplius non transibunt*. Alluditur (licet prophetia mystice intelligenda sit de Oeconomia Nova,) ad Syros & Ægyptios. Dicuntur autem Assyrii & Babylonii eodem sensu *peregrini*, quo Græcis ἀλλότριοι & βάρβαροι. Historicus Maccabaicus de Hierosolyma [e]: Καὶ ἐγένετο κατοικία ἀλλοτρίων. Historicus recentioris temporis elegantissimus [f]: *Quosdam aperte indignari, se in paucorum* PEREGRINORUM (Gallorum sc.) *gratiam adversus cives, amicos & propinquos duci*. Rursus post pauca: *Accedebat & illa difficultas, ut, quod maxime petebatur, peregrini Regno excederent*. & ita passim alii. Quinto, Urbs Babylon verissime dicitur ARX *peregrinorum*. sedes videlicet, metropolis, munimentum, totius Imperii, ab Urbe appellati, sive *Munitionis* suæ respectu, sive Palatii, muris suis clausi, quod Arcis vicem sustinuit. Ammianus de Conditu Babylonis [g]: *Babylon, cujus mœnia bitumine Semiramis struxit*. ARCEM *enim antiquissimus Rex condidit Belus*. Sexto, hæc ipsa Urbs est, qua destructa Sancti maxime exultant ac gloriantur: cum symbolum sit Babylonis mysticæ, omnisque Imperii Regno Christi Jesu adversi. En insignia verba Jeremiæ [h]: ורננו על בבל שמים וארץ *Et cantabunt super Babele* destructa *cœli & terra*. Quæ omnia cum hic amice consprirent: non videtur de hoc sensu orationis esse dubitandum.

Forte id unum obstet, quod sensus hic minus videatur convenire argumento Cantici. debebat enim hic celebrari Beneficium non remotum, sed proximum, sc. Liberationis, à Deo procuratæ suo Populo, de qua agebatur. Quid igitur hic ex nostra hypothesi usu veniebet meminisse *lapsæ Babylonis*? Imo sane rectissime. Cum enim Eventus *lapsuræ Babylonis* adhuc esset in promissis Divinis, idemque spectaretur ut basis omnis Liberationis Populi Dei; cumque Propheta hosce Casus illustres Liberationis à Babyloniis & à Syris eminus videret, eosque adeo spectaret ut propius inter se conjunctos: sapienter instituisse visus est, ut in recensione Beneficiorum in *Populum Liberatum* collatorum, hujus *Beneficii* primum meminerit tanquam basis ac fundamenti omnium consequentium. In Babylone destructa (debebat autem destrui per gradus, & destructa est; ut in exponenda prophetia hujus Argumenti demonstravi:) haberet Ecclesia *pignus & arrham* Liberationum sequentium. Ne jam repetam, Prophetæ res futuri temporis è longinquo prospicienti, id accidisse, quod qui in naturalibus remotissima & longe dissita eminus contuentur, ut disjuncta & ab invicem divisa proximiora videant, quam ipsa rerum natura exhibentur. Sed nihil hic novum atque inusitatum est. Ipsa ratio hunc ordinem Hymnologiæ commendat. Incipit à primo, ut inde ad secundum & tertium prudenter tranſeat: quod facit. Addo denique, quod hic imprimis observandum erat: in antitypo utrumque casum tam *Persecutionis Ecclesiæ* ultimi temporis ejusdemque Ecclesiæ *Liberationis* à *Persecutione* quam *Lapsus Babylonis*, in eandem incidere *Periodum* temporis, in majore aliqua latitudine sumptam. Conspectus autem typi hic ad eum antitypi, ut veri exempli sui, accommodatur.

Antitypon autem hujus *Urbis* & quidem *Munitæ*, *Arcis* & *Metropolis* Regni adversarii Ecclesiæ Christianæ quodnam statuendum sit, dubitas? Non dubitas, si non plane sis hospea in Verbo Justitiæ. Spiritus enim Dei in *Apocalypsi* unam demonstravit *Civitatem*, adversariam Ecclesiæ, æmulam veræ Hierosolymæ, ROMAM: quam vocat *Babylonem* mysticam, *sedentem apud aquas multas*, hoc est, gerentem imperium in plures Populos; Urbem *munitam*, quà in Collibus fundatam, olim *Capitolina*, nunc *Vaticana Arce* insignem, ad quam confluxus est *peregrinorum & exterorum*, qui in verum Populum Christi Jesu animo sunt infesto: quam Urbem sive Metropolin Imperii Idololatrici, ut jam labi cœpit & lapsa est; sic plane abolendam destruendamque esse, tanquam quæ sedes fuerit scandalorum, impietatis, & tyrannidis, cum omni Imperio spirituali, ei obnoxio, docet *Apocalypsis*; docetque simul, hoc ipsum fore argumentum Laudationis & Celebrationis Ecclesiæ. Sic habet vox Chori Ecclesiastici post descriptum Babylonis mysticæ Casum [i]: *Exulta super ea Cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam pœnam quam vestri caussa merita erat, Deus de illa sumpsit*. Quare quod hic inferantur *Seniores*, (sic jecimus, & ipse quoque sic sentit Kimchius inter Judæos:) Deum laudantes ob casum *Civitatis Magnæ* & *Munitæ*: idem ostendit Propheta Apocalypticus futurum esse, post plenarium Excidium Romæ. Verba ejus [k]: *Post hæc audivi vocem magnam turbæ multæ in cœlo, dicentis*: HALLELUJA! *Salus, & gloria, & honor, & virtus Domino Deo nostro, quia* VERA *& justa sunt judicia ejus*..... *Et prociderunt* VIGINTI QUATUOR *illi* SENIORES, *& quatuor illa animalia, & adorarunt Deum, insidentem throno, dicentes*: AMEN! *Halleluja!* Quin sane post *priorem* Babylonis mysticæ *lapsum* & Ecclesiæ ex ea Liberationem, quot vocibus, canticis, jubilis, gratulationibus & gratiarum actionibus omnes personuerunt Ecclesiæ? omnia tentoria, omnia conclavia justorum? ut tum vere adimpletum jam fuerit, quod adhuc amplius adimplendum erit, quod dicitur Ps. CXVIII. 15. *Vox cantus & celebrationis salutis est in* TENTORIIS JUSTORUM. *Dextra Jehovæ strenue rem gerit*. Imo sanctorum quibus obtigerunt illuminati mentis oculi, hodiedum nemo est quin

Rectius multo de *Babylone*.

Propheta passim in Vaticiniis de *Excidio* Babylonis vaticinatur.

In emphasi dicitur *Urbs*.

Munitio ejus fuit notissima.

Habitatio זרים *Peregrinorum*.

Emphasis vocis. Loca parallela.

Assyrii & Babylonii quo sensu dicantur *peregrini*?

Arcis appellatio huc quoque videtur respicere.

Locus Ammiani.

Sancti hujus *Urbis* desolatione gloriantur.

Removetur difficultas,

quod expositio minus videatur convenire argumento prophetiæ superioris.

Babylon destructa erat signaculum promissorum Divinorum.

Propheta hunc eventum vidit ut futurum, & cum aliis connexum.

In *antitypo*, uterque casus, hac prophetia descriptus, conjungitur.

Quod est ROMA.

Doctrina *Apocalypseos* de ea, ejusque interitu.

Quod argumentum erit *Doxologiæ* Ecclesiæ.

Loca *Apocalypseos* parallela.

Prior lapsus Babylonis mysticæ cum gratulatione exceptus est à Sanctis.

---

[a] *Antiq.* Lib. XIII. Cap. XVIII. [b] Ps. CXXXVII. 8. [c] Dan. IV. 27. [d] *Notit. Babyl.* §. 1. [e] Cap. 40. 2. [f] Buchanan. Lib. XVI. fol. 192. [g] *Hist.* Lib. XXIII. Cap. VI. [h] Cap. LI. 48. [i] Cap. XVIII. 20. [k] Cap. XIX. 1. seqq.

quin Deum pro initiis Liberationis & ſalutis Eccleſiæ ſub ſervitutem redactæ laudet atque extollat: perinde ac Eccleſia redemptorum ex Babylone antiqua eundem hunc ſuum erga Liberatorem ac Salvatorem affectum Canticis, Jubilis, Hymnologiis, eſt profeſſa.

Obſervatum ad phraſin Prophetæ.

Hæc ad rem ipſam ſane intelligendam, ſufficere putem. In phraſi nihil habeo quod obſervem, quam ſubeſſe ellipſin verbis in quorum proprietate percipienda plures hæſerunt: כי שמרת מעיר לגל ad verbum: *quia poſuiſti ex civitate in acervum.* quod non ſatis commode dicitur. Ergo ſupple ſententiam: כי שמרת עיר מעיר לגל *quia poſuiſti* Urbem *ex Urbe in acervum.* ſic nihil obſcuri in phraſi ſupereſt.

GRADATIO ALTERA.

Gradatio altera, ejuſque diſpoſitio.

ỳſ. 3. *Propterea honorabunt te Populus valdus:* CIVITAS GENTIUM VIOLENTARUM *reverebuntur te.* ỳſ. 4. QUIA FUISTI MUNIMENTUM *tenui, munimentum egeno, cum in anguſtia poſitus eſſet: perfugium ab imbre; umbra ab æſtu: nam flatus violentorum hominum eſt ut* IMBER BRUMALIS. ỳſ. 5. *Tanquam æſtus in ſiccitate eſt tumultus hoſtium. humilias* (infringis) *æſtum umbra denſæ nubis.* CANTILLATIO *tyrannorum deprimitur*] Altera eſt Cantici *Gradatio*, quam ſic exhibeo, ut *verſiculum tertium* ob ſenſus commoditatem & facilitatem lubentius copulaverim cum *verſu ſequente* quam cum *ſuperiore*; etſi vere cum utroque cohærere poſſit. Si orationem in ſe ſpectes, recte dici poteſt, *propterea* Populum *fortem* & *validum* Deum *honoraturum* & *reveriturum eſſe*, quod *Civitatem munitam* reddiderit *deſolatam:* nec minus commode, *ideo* Populum fortem Deum *reveriturum* ac *honoraturum eſſe*, quod *tenui* & *afflicto* fuerit *præſidio.* At forte opus non fuerit id ſubtiliter adeo diſputare, cum nihil vetet, id cum utroque membro connectere: etſi probabilius habeam, Prophetam in his verbis poſterius membrum magis reſpici voluiſſe quam prius, quod id rei naturæ & rerum geſtarum hiſtoriæ magis conveniat.

Pericopa hæc cum utroque membro ſuperioris & inferioris orationis connecti poteſt. Præcipue tamen reſpicit inferiorem orationem.

Duo itaque hic exhibentur, *Antecedens* & *Conſequens*; *Cauſſa* & *Effectus*; *Beneficium* & *Beneficii fructus:* inverſo ordine, nec tamen non naturali, propoſita. Sententia Prophetæ eſt, Liberationem & Salutem, quam Deus Populo ſuo ad extremas anguſtias redacto & ut videbatur perituro, paraverat potente ſua dextra, ei conciliaturam reverentiam & honorem Gentium potentium ac ferocium; quin imo ipſarum quoque illarum Gentium, quæ Eccleſiæ adverſatæ fuerant & in eam affectaverant imperium ac tyrannidem; & quidem ipſius earum Gentium Metropolios: quæ difficilia videntur intellectu & in ſe invicem incurrere. Dubium enim, an hic eædem deſignentur Gentes, ob quarum Metropolin deſtructam Eccleſia Deum celebrat, num diverſæ; eadem quoque Metropolis, num alia & à ſuperiore disjuncta? Et ſi omnino alia ſit ac diverſa: cui tandem Metropoli Gentium ſecundum fidem hiſtoriæ temporum aptari poſſit hoc attributum? Certe abſque luce hiſtoriæ hic hæreremus, ut hæſerunt multi. Sed eſt illuc ordine veniendum, & prius definiendus ſenſus orationis.

Analyſis Pericopæ.

Sententia Prophetæ.

Quæ varia dubia involvit.

Primum hujus generis eſt in ỳſ. 3. quo anomalon conſtructionis geminum occurrit. Prius eſt in compoſitione *ſingularis* cum *plurali*, ubi dicitur: *Populus fortis honorabunt te.* Poſterius, quod eadem *conſtructione ſervata*, notio *generis* debilioris קריה conſtruatur cum *generis maſculini* plurali יראוך pro תיראון, ut ſecundum analogiam ſcribendum fuiſſet. Sed utrumque non difficulter expeditur; quin utrumque à Propheta conſulto & emphaſios cauſſa in hunc modum ſcriptum eſt. Nomina enim Societatis & Cœtus non Hebræa tantum, ſed aliis quoque Linguis cum *plurali* conſtruuntur, quippe involventia ideam *pluralitatis*; & *nomina* Societatis apud Hebræos utroque genere efferuntur: ut docti Grammatici dudum monuerunt, veluti in exemplo [a]: כל הארץ באו מצרימה *Tota terra* (pr. totum terræ,) *venerunt in Ægyptum.* Sed hic ſubeſt aliud. Eſt inter Hebræos uſu receptum, ut *quando duo ſubſtantiva, inter ſe conſtructa, conjunguntur; tum verbum quandoque reſpondeat poſteriori recto, cum deberet convenire priori regenti;* ut exempla ſunt: קול דמי אחיך צועק *Vox ſanguinum fratris tui* CLAMANT *ad me* [b]. קול נגידים נהבאו *Vox Procerum occultabunt ſe* [c]. & vide plura apud Buxtorfium, qui de hoc argumento erudite monuit [d]. Ergo illud יראו terminatione *numeri & generis* referendum eſt ad גוים עריצים, perinde ac in exemplis ſimilibus huc adductis. Conſequens hujus obſervati eſt, ex hac loquendi ratione non poſſe certo definiri, an hic de *una aliqua Civitate* illuſtri, tanquam Metropoli Populorum illorum ferocium, agatur; num de pluribus; atque adeo ſententia Prophetæ *collective* & *generatim* accipienda ſit de *Urbibus* pluribus *Gentium violentarum*, promiſcue ſumptis, Deum honoraturis & revereturis: ut plerique Interpretes quibus incommodum eſt hic loci demonſtrare Urbem aliquam ſingularem ſuperiori deſtruendæ contradiſtinctam, inſtituunt. Verba Hebræa utramque Interpretationem ferunt; eſtque adeo definiendum ex implemento, utra earum hic obtinere debeat. Sed plus difficultatis eſt in percipiendo genuino ſenſu extremæ ſententiæ hujus pericopæ, quæ fine ỳſ. 4. & 5. continetur. Propheta dixerat, ỳſ. 4. *Quia fuiſti munimentum tenui, fortalitium egeno anguſtia preſſo; præſidium contra inundationem, umbra adverſus æſtum.* Hæc hactenus facillime & commodiſſime intelliguntur. Sequitur jam in fine ỳſ. 4. כי רוח עריצים כזרם קיר *Quia ſpiritus violentorum eſt ut inundatio brumalis.* quomodo nos ſententiam accepimus. Hieron. *Spiritus enim robuſtorum quaſi turbo impellens parietem.* Sic alii quoque Interpretes paſſim: *Imber parietis. Inundatio labefactura murum* vel *parietem;* ſive, ut Jarchius: השוטף בקיר ומפילו *Qui inundat parietem, eumque dejicit.* Sed nemo neget, eſſe duriorem phraſin, *inundatio parietis. imber parietis.* Putem itaque, recte conjeciſſe Lud. Cappellum, vocem קיר hic commodiſſime accipi pro *frigore* ſive *hyeme*, à קרר ut ציר *dolor* à צרר *arctare, ligare*, atque adeo זרם קיר optime verti poſſe per *turbinem brumalem* vel *autumnalem:* ſive *turbo* ſit *grandinis*, (Vati noſtro alibi [e] זרם ברד,) ſive ſit nimbus ſolutis nubibus pluviam magno impetu in terram ferens ac propellens. An non eadem eſt phraſis Heſiodi, qui in præceptis vitæ ruſticæ fugiendum docet [f] nautæ ὀπωρινὸν ὄμβρον, *autumnalem imbrem*, & mox rurſus Διὸς ὄμβρον ὀπωρινὸν, junctum *moleſtis Noti flatibus.* Cum cujuſmodi *turbine* aut *nimbo* hic comparatur רוח *Spiritus violentorum* ac ferocium hominum, h. e. כעס *ira & indignatio ipſorum.* quæ docta Interpretis Hebræi expoſitio eſt ex locis, Eccl. VII. 9. *Ne præceps ſis* SPIRITU TUO (ברוחך) *ad iraſcendum.* Prov. XXIX. 11. *Totum* SPIRITUM SUUM (רוחו) *producit ſtultus.* Iræ videlicet compeſcendæ impotens. Zach. VI. 8. *Qui egreſſi ſunt in terram Aquilonis* (Equi nigri & albi, h. e. *Medi* ac *Perſæ*, & Alexander Macedo,) *quieſcere fecerunt* SPIRITUM MEUM *in terra Aquilonis:* h. e. judicia mea exequendo ex voluntate mea iram meam ſedarunt. Adde his Eccl. X. 4. *Si* SPIRITUS *Dominatoris aſcenderit ſuper* vel *contra te, &c.* h. e. ira ejus in te exardeſcat. Ergo dicere vult Propheta, furorem Principum, altos ſpiritus gerentium & magnos fumos efflantium atque in Eccleſiam magno impetu ſævientium, eſſe inſtar turbinis brumalis, qui vehemente motu & impetu decidit, & obvia quæque proſtraturus atque inundaturus videtur. Plus eſt quod Intt. exercet in ỳſ. *ſequente*, qui his conceptus eſt Hebræis: כחרב בציון שאון זרים תכניע חרב בצל ענן זמיר עריצים יענה *Ut æſtus* (ſive: *ut æſtum*) *in loco ſiticuloſo, tumultum hoſtium deprimis: æſtus umbrâ denſæ nubis: canticum* (ſive *propago,*) *violentorum deprimetur.* Sententia ad ſpeciem primam valde videtur paradoxa. Quid enim commune habet *æſtus* in loco *ſiticuloſo* cum *depreſſione hoſtium?* Eſtne ſenſus dicti, Deum hoſtes ſuos uſturum & conſumpturum eſſe ut *æſtus* in loco ſterili & inaquoſo omnia, & maxime *propagines* è terra natas urit & abſumit? Sic accepit Hieronymus, cujus hæc eſt verſio:

Canon Grammatici.

Interpretatio literalis primo conſtituitur.

Anomalon in conſtructione *ſingularis* cum *plurali*, & quidem *diverſi generis.*

Quod expeditur.

Cujus magni uſus illuſtratus.

Vox יראו hic eſt referenda ad גוים. Conſequens obſervati.

Extrema ỳſ. 4. expenduntur. Nexus orationis.

Quid hic ſit זרם קיר.

Hieron. & aliorum verſiones.

Lud. Cappelli cogitatio. Eſt *imber brumalis.*

Heſiodi phraſis cum hac collata.

Vox רוח hic ſignificat *iram.* Loca parallela.

Sententia Prophetæ.

Involuta ſententia ỳſ. 5. *Ut æſtus &c.*

Τὸ δόξαν ejus.

Hieronymi interpretatio.

a Gen. XLI. 57. b Gen. IV. 10. c Job. XXIX. 10. d *Theſ. Gramm.* Lib. II. Cap. X. e Cap. XXVIII. 2. f Op. & D. ỳſ. 674. 676.

sio: *Sicut æstus in siti, tumultum alienorum alienabis; & quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies.* Sensus secundum ipsum: *Sicut propago gravissimo torretur æstu atque flaccescit, ita tumultum & clamorem alienorum marcescere facies ac perire.* Sed Hebræa non ferunt hanc interpretationem. Quo modo enim voces, צחל עב quæ proprie valent, *umbra densæ nubis*, verti queant, *quasi calore sub nube torrente*, etiamsi forte Hieronymus legerit, בצחל? An enim *opposita*, ut sunt, *umbra & calor, nubes densa & nubes torrens*, per se mutuo explicari possunt? Quin si verba interpretationem vel maxime ferrent: eam tamen declinarem, si tolerabilior daretur altera. Cum enim Propheta *versu superiore* hostes in Ecclesiam sævientes comparasset *æstui torrenti*: estne probabile, illum eodem simili Deum Judicem & Vindicem, hostes suos reprimentem aut punientem, exhibiturum esse? An itaque *æstus* reprimeret *æstum?* Cæteras jam interpretationes hujus loci si percensere instituerem: nullus fere finis esset. Sunt duæ in cæteris sententiæ Eruditorum Virorum valde probabiles, & sapientiæ Vatis convenientes, quarum alterutra eligenda videtur: etsi, liberrima etiam optione, non adeo facilis sit electio. alteram illustravit Ludovicus Cappellus [a], licet sibi privam non habeat; alteram Ludovicus de Dieu. Prior ita habet: *Quomodo æstus in ficco, umbra crassæ nubis* sedatur atque temperatur: ita *tumultum alienorum* à tuo fœdere, h. e. impiorum *deprimes*, & *canticum violentorum humiliabitur.* Sic exhibet Cappellus. ad verbum: *Ut æstus in ficco* umbra crassæ nubis temperatur: *tumultum alienorum deprimes:* ut *æstus*, inquam, *umbra crassæ nubis, canticum violentorum humiliabitur.* Comparatio elegans & facilis in hunc exit sensum: *Quam facile æstus Solis* urens *interjectu Nubis densæ cohibetur ac reprimitur: tam facile esse Deo impetum & vim hostium suorum adversus fideles, & inanem eorum jactantiam ac insolentis illius turbæ tanquam triumphabundæ cantica veluti reprimere.* Omnia simplicia: nihil hic insolens occurrit. tantum elegantiæ caussa, voces, *umbra densæ nubis*, quas utrumque membrum postulat, in *posteriori* solum adhibentur. Ludovicus de Dieu, eandem servans comparationem, eundemque sensum, demonstrat, integram stare posse sententiam, si *accentus Athnach* sub voce תכניע nulla habeatur ratio. Versio ejus ita habet: *Sicut æstus in loco arido, est tumultuatio extraneorum. Deprimes æstum umbra crassæ nubis. excisio truculentorum testificabitur.* Commendatur versio ex nexu orationis. Dixerat Vates *versu superiore*, Deum esse *refugium adversus* INUNDATIONEM, *& umbram adversus* ÆSTUM. Inde itaque explicat, quid intelligat per *inundationem* & *æstum.* Prius in *fine versus* 4. *Quia spiritus violentorum est ut nimbus brumalis.* Posterius in principio hujus versus, continua sententia: *Tumultus peregrinorum est ut æstus in ficco.* Sequitur jam: Deum præstiturum esse Ecclesiæ suæ refrigerium, & æstum temperaturum esse veluti fit interjectu crassæ nubis. Optime sane, & sententia eleganter cohæret. Tantum, extrema pericopæ: זמיר עריצים ינענו, Vir Eruditus infeliciter accepisse videtur. Quis enim credat, Vatem voce זמיר hic uti voluisse significatu *excisionis?* & quam coacta est sententia: *Excisio violentorum testificabitur.* Clarissimum est attendenti, vocem זמיר hic sumi eadem significatione qua שאון *tumultuatio* qualis esse solet turbæ insolentis & triumphabundæ; nec est adeo dubium, quin hic recte vertatur per *cantillationem, canticum.* Si præterea certum satis sit, apud Arabes obtinere significationem *cantus irati, modulationis iræ mixtæ:* id ipsum lubens admiserim: etsi hic quidem loci nulla me teneat dubitatio.

Quam Hebræa non ferunt.

Præcedentia aliam circumspicere jubent.

Aliæ versiones duæ commendabiliores.

Lud. Cappelli versio hujus loci & interpretatio.

De ea judicium.

Meditatio Ludov. de Dieu.

Quæ cum exigua emendatione admittitur.

Vox זמיר hic vertenda est per *cantillationem.*

Constituta orationis vera versione, videndum est de ejus sensu cum respectu ad scopum Vatis. Laudat Ecclesia Deum suum, ex fœdere Jehovam, quod sibi summopere laboranti præsidio fuerit adversus violentam hostium suorum persequutionem, quam comparat *nimbo brumali*, magno impetu effuso, & *ardenti æstui* Solis, à Deo sua interveniente protectione veluti *umbra nubis densæ* temperato; ejusque beneficii docet fuisse consequens, ipsarum Gentium *violentarum* & magnæ *Urbis*, illarum Gentium metropolis, venerationem Deo Liberatori Judææ Gentis exhibendam & exhibitam. Quod ad priorem partem sententiæ: nihil habet quod Interpretem vel lectorem moretur. Gentes enim sævas, violentas, feroces, earumque Gentium Reges & Principes, Ecclesiam Populi Dei persequutionibus suis ardenter infectantes comparari *nimbo* in terram dimisso aut *æstui* urenti; & Deum, Ecclesiam præsidio & auxilio suo sustinentem, fovent, *Latibulo* & *Umbræ*, intellectu est facillimum; suntque similitudines illæ, ut minime quæsitæ aut remotæ, sic in Scriptura Sacra, & quoque aliis Gentibus ubi de similibus rebus loquuntur, obviæ: nec vero minus elegantes, cum rerum harum attributa perfecte exhibeant. Nec tamen statutum est, me hic diffundere. tantum Prophetam secum ipso comparabo. Sic ipse Cap. IV. 6. de Ecclesia Tsionea: *Et tugurium erit* (Jehova,) *in* UMBRAM *de die adversus* ÆSTUM, (מחרב) *& in suffugium ac latibulum adversus* NIMBUM (וזרם) *& pluviam.* Verba sunt eadem, ad quæ nostra videri potest commentatio. Cap. XXXII. 1. *Ecce in justitia regnabit Rex*, aliquis eximius, ... *& erit tanquam protectio venti, & latibulum* IMBRIS; (וזרם) *ut rivi aquarum in terra siticulosa; ut* UMBRA *rupis magnæ in terra vertiginosa.* Rex sc. Ecclesiam protecturus adversus graves persequutiones & afflictiones. Eadem metaphora occurrit in amplissima descriptione solatii Ecclesiæ, Cap. XLIX. 10. *Non esurient, nec sitient; nec percutiet illos* ÆSTUS *&* SOL. sc. Ἥλιος ὀξὺς, *Sol* ACUTUS, *fervens*, ACER, ut Hesiodus [b] & Flaccus [c] *Solem æstuantem* appellarunt eleganter. quam phrasin, ut & nostri loci, imitatus est Petrus, ubi loquitur de *temporibus* ἀναψύξεως REFRIGERII [d], & Joannes Vates, in Apoc. VII. 16. coll. cum Ps. CXXI. 6. & Dominus Jesus ipse perfecte expressit in Parabolis, apud Matthæum, Cap. VII. 25. seqq. XIII. 6. coll. cum ℣. 21. Impetus violentus & concitatus, quo superiores se effundunt in inferiores ad illos obruendos, prosternendos, dejiciendos de statu; & furor Principum potentium, ira & vindicta incensorum, miseros & omni præsidio destitutos acriter persequentium, vere præstant *imbrem* turbato cœlo è concitatis nubibus violenter effusum, ad obvia vastanda & obruenda paratum; *æstumque* Solis homines qui in Arabiæ Desertis absque præsidio aut latibulo vagantur, ubique urentis ac persequentis: perinde ac Deus Populum suum adversus persequutionum impetum & æstum protegens ac defendens, eidem, stylo non sacro tantum sed & Gentium, *umbram* præstat & *latibulum.* Sola itaque hujus loci difficultas hæret in verbis ℣. 3. quæ exhibent consequens hujus Beneficii Divini: fore videlicet, ut hujus rei caussa *Populus* aliquis *fortis* Deum *honoret*, & *Civitas* Gentium *violentarum* & *ferocium* illum *revereatur.* Ecquis *Populus* עם VALIDUS; (ea enim propria vocis notatio est:) ecqua *Civitas* (vel *Civitates robustæ*,) Deum reveritura aut honoratura esset ob destructam *Civitatem adversariam* & præstitam liberationem Populo suo? Interpretes, qui in *Urbe munita destructa* viderunt Hierosolymam, destructam à Romanis, notiones *Populi validi* & *Civitatis Gentium ferocium* collective accipientes verba hæc interpretantur de Conversione Gentium & Populorum, eorumque potentium & validorum, per universum Orbem terræ, quæ sequeretur τὴν ἀποβολὴν *rejectionem* Gentis Judææ. Equidem recte conjiciunt, si hypothesis interpretationis nullo laboret vitio. Verba Prophetæ sic constructa sunt, ut vel id ipsum, vel quid simile intelligi debeat. Et tamen firmiter teneo, primo quidem, Vatem nostrum hic intelligi nolle de Gentibus quibusvis promiscue sumptis, quales illæ sunt Gentes quæ absque discrimine vocantur ad communionem Divinæ Gratiæ sub Oeconomia Nova; sed de certis quibusdam Populis, vel *certo Populo* Orbis qui speciatim meruerit appellari עם *Populus validus:* dein-

Sensus orationis *realis* investigatur.

Comparationes a Prophetis institutæ inter *hostes feroces & nimbum brumalem*, aut *æstum urentem*, & inter *Deum defensorem* ac *umbram*, sunt faciles, nec minus elegantes.

Parallela loca, in quibus usus est harum similitudinum.

Exterorum phrasis hic collata.

Locus Act. III. 19. illustratus.

Similitudines illustratæ ex attributis subjectorum analogorum.

Superest difficultas, quo sensu capiendum sit, quod *populus fortus & Gens ferox* Deum caussa Liberationis Populi sui fit *honoraturus* aut *reveriturus.*

Intt. plures id accipiunt de mysterio *Vocationis Gentium.*

Ἐπίκλησις ad hanc sententiam.

Vates hic non loquitur de Gentibus *universe* sumptis, sed de *certis Gentibus.*

[a] In *Postumis.* [b] *Op. & D.* ℣. 414. [c] Lib. I. *Epist.* IX. Lib. I. Sat. IV. Vide Cl. Græv. ad loc. Hesiodi. [d] Act. III. 19.

Et de certa aliqua *Metropoli.*

deinde, rectius interpretari Prophetam, qui secundum suam hypothesin hic demonstrare possunt certam aliquam & insignem *Civitatem Gentium ferocium*, h. e. Gentium ejusmodi quæ Ecclesiam persequutæ fuerant, quam qui hoc in loco promiscue & collective intelligunt Urbes Gentium & Populorum. Ut enim omnes Gentes non sunt עריצים *violenti* & feroces Ecclesiæ *Persequutores:* sic omnium Gentium Urbes hoc epitheto appellari nequeunt. Tentemus itaque, an ex hypothesi nostra, implemento cum ipsa prophetia collato, quod hic dicitur expediri queat.

De IMPLEMENTO hujus Prophetiæ.

Implementum Prophetiæ demonstratur.

De *antecedenti* hujus *Propositionis* nullum est dubium, quin implementum suum προληπτικὸν temporibus Maccabaicis perfecte consequutum sit, atque adeo oratio sive celebratio Divini Nominis Liberatis ex afflictione Syriaca optime conveniat. Quis enim inficias eat, Deum illo tempore, quod tempus erat summæ *angustiæ*, præstitisse *præsidium* & *munimentum* sive *fortalitium tenuibus* & *egenis*, quales erant Hasidæi, vindicati per Duces Assamonæos? Quis neget, Deum *sæviente æstu* illius Persecutionis, & *effuso imbre* ab *ira* עריצים *violentorum* Ecclesiæ Persecutorum, per *intermissam umbram* DENSÆ NUBIS, qui ipsi sunt Duces Assamonæi, Populo suo præstitisse *refrigerium* & procurasse *latibulum*? Res est in propatulo, & tota historia hujus argumenti clamat. Sic Jonathan Pontifex in Literis ad Spartiatas [a]: *Et nos quidem circumdederunt multæ afflictiones, multaque bella quibus nos oppugnarunt Reges,* οἱ κύκλῳ ἡμῶν, *qui sunt in circuitu nostro: sed noluimus vobis molesti esse, neque reliquis sociis & amicis nostris in bellis istis:* ἔχομεν γὰρ τὴν ἐξ οὐρανοῦ βοήθειαν, βοηθοῦσαν ἡμῖν, καὶ ἐρρύσθημεν ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐταπεινώθησαν οἱ ἐχθροὶ ἡμῶν· *habemus enim* E COELO AUXILIUM, *quo adjuti & ab hostibus liberati sumus, & inimici nostri humiliati sunt.* Sed est insignis locus in sequentibus, quo exhibetur conspectus temporum Simonis Ethnarchæ, quem ad sequentem pericopam advocabo, quo postquam Historicus illius tempestatis prosperitatem & felicitatem depinxisset, subjungit de Simone [b]: *Et confirmabat* πάντας τοὺς ταπεινοὺς τοῦ λαοῦ· *omnes* HUMILES POPULI sui, (hi autem erant Hasidæi, *tenues, afflicti, egeni*, expurgati igne gravioris afflictionis:) *legem exquirebat, & tollebat è medio omnes iniquos & malos.* Huc itaque προληπτικῶς pertinet, quod eleganter dicitur ab Hymnographo Sacro, similia tempora intuente [c]: *Et est Jehova arx sublimis* לרך ATTRITO: *in opportunis temporibus, in angustia.* Rursus [d]: *Non est oblitus clamoris* PAUPERUM. Sunt autem hujus generis omnes qui sibi diffidentes Deo fidunt cum abnegatione auxilii humani. Sed cum omnis difficultas hujus pericopæ sita sit in *consequenti*, hoc est, *honoris* ad Deum deferendi à POPULO VALIDO, & reverentiæ ei testificandæ à Civitate τῶν עריצים *violentorum & ferocium hostium:* illuc me converto & propero. Docet historia Maccabaica, ROMANOS, cui epitheton *Populi validi* inter omnes Orbis terrarum Populos præcipue convenit, *Deum* Liberatorem Hasidæorum hactenus *honorasse*, quatenus honorarunt caussæ Dei Duces & Vindices. id enim hic unum idemque est. Judas quidem Maccabæus, multis prospere gestis, Romam misit *Legatos* ad sibi & Populo Hasidæorum conciliandum favorem, *societatem*, & *amicitiam* Romanorum, eo quidem cum eventu ut solenniter & honorifice recepti sint in συμμαχίαν & Φιλίαν *Romanorum*, & Romani Hasidæos in Monumentis Publicis appellaverint Φίλους καὶ συμμάχους, *amicos & socios.* Historia cum Instrumentis fidei publicæ hac de re extat 1 Macc. VIII. 17. seqq. Jonathas, re Judæa magis confirmata, sequutus est exemplum Fratris, misitque etiam ipse Legatos *Romam & Spartam*, ad *societatem* atque *amicitiam* renovandam qui utroque loco honeste excepti sunt, & faventia retulerunt responsa [e]. Sed Simon Ethnarcha, firmiore jam & florentiore statu Populi, rem confecit, missis Romam Delegatis *cum clypeo ponderis mille minarum aureo* [f], quibus Legatis ἐνδόξως HONORIFICE *obviam itum* est Romæ, ut ex sequente historiæ contextu patet [g]. Quid dicam? Primi & præstantissimi Proceres Romanorum post Maccabaica tempora non affecti tantum fuerunt reverentia erga Religionem Judaicam ejusque sedem, *Templum Hierosolymitanum*; verum etiam *Deum* Israëlis ibidem publice, licet cultu manco atque imperfecto, honorarunt. Josephus auctor est, & ante eum Philo in Libro de *Legatione ad Cajum.* Profert ille exempla Augusti, ejusque Conjugis Liviæ, M. Agrippæ, & Tiberii. Verba ejus [h]: Ἀγρίππας ἐτίμησε τὸ ἱερὸν ἐλθὼν ὁ Πάππος σοῦ. καὶ ὁ Σέβαστος διὰ τοῦ κελεῦσαι τὰς πανταχόθεν ἀπαρχὰς ἐπιστολαῖς πέμπειν ἐκεῖσε, καὶ διὰ τῆς ἐντελεχοῦς θυσίας· καὶ ἡ προμάμμη σοῦ· *Agrippa tuus Avus* (verba sunt Agrippæ Nepotis Herodis ad Cajum:) *invisit id Templum &* HONORAVIT. *Augustus quoque per literas jussit undecunque illuc mitti primitias, institutoque quoque* ibi *quotidiano sacrificio: & Avia pariter tua* id honoravit. De Augusto deinceps speciatim [i]: Διετάξατο γὰρ ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύτους τῷ ὑψίστῳ Θεῷ καθ' ἑκάστην ἡμέραν· *jussit è suis ipsius reditibus offerri quotidie victimas rite in Holocaustum altissimo Deo.* Mox addit: *Hoc magistro pietatis usa proavia tua Julia Augusta* κατεκόσμησε τὸν νεὼν χρυσαῖς φιάλαις καὶ σπονδείοις, καὶ ἄλλων ἀναθημάτων πολυτελεστάτων πλήθει· ORNAVIT *Templum hoc aureis phialis & calicibus, aliisque donis plurimis ac pretiosissimis.* ut adeo quod Suetonius refert [k], Augustum collaudasse Cajum Nepotem, quod *Judæam prætervehens* APUD HIEROSOLYMAM NON SUPPLICASSET: prudenter accipiendum sit. Edicta enim Augusti in Judæorum gratiam edita produnt ejus erga Religionem reverentiam. Sed vel ex hoc ipso loco patet, solitos esse Primos Romanorum, si in Confiniis versarentur, apud *Hierosolymam supplicare.* Cæterum ut ad id redeam unde digressus sum: ipsa illa Societas & amicitia Romanorum, cum Judæis in primis initiis instauratæ Reipublicæ contracta, fuit inter rationes, cur Syriæ Reges, qui jam didicerant magno suo malo Romanos revereri, Judæis indulserint *libertatem*, & hosce ipsos *Hasidæos* eorumque Duces, & in ipsis Deum Populi sui Liberatorem, honoraverint. Sic fecit Demetrius Nicator respectu Simonis, ubi *Pontificatum* ei *confirmavit*, καὶ ἐποίησεν αὐτὸν τῶν Φίλων αὐτοῦ καὶ ἐδόξασεν αὐτὸν δόξῃ μεγάλῃ· *fecitque eum ex amicis suis & honoravit illum honore magno* [l]. Sed est animadversione dignius adhuc exemplum Fratris Demetrii, *Antiochi*, inquam, *Sidetis* sive *Pii*, Principum Syrorum horum temporum cæteris melioris, à quo Hierosolymam arcta premente obsidione cum petiisset Johannes Hyrcanus, ut caussa Festi & in honorem ejus induciis septidui concessis persequenda obsidione abstineret: non has tantum inducias indulsit ἕνεκεν τῆς πρὸς τὸ Θεῖον εὐσεβείας, CEDENS RELIGIONI IN DIVINITATEM, *verum etiam insuper victimas magnifice instructas misit tauros auratis cornibus, & pocula aurea atque argentea, referta omne genus aromatibus, & exercitui præbuit Epulum.* Sic Josephus [m]; cum quo conferes *Eclogas* Diodori [n], ubi quod de Antiocho hoc dicitur absque epitheto, ab Interprete vitiose refertur ad Eupatorem. Plura exempla honoris exhibiti Ducibus Assamonæis & Populo Hasidæorum ab aliis Principibus, non recenseo, cum minus ad rem faciant. Hæc vero si applicaverim ad hypothesin proleptica hujus prophetiæ, estne qui interpretationem meam redarguat vitii? Epitheton עם עז *Populi* VALIDI, nulli Genti in Orbe terrarum majori jure convenit quam POPULO ROMANO *Quiritium:* quæ Gens insignitius quam alia ulla in Orbe terrarum dicta est POPULUS, κατ' ἔμφασιν. *Populus* autem עז VALIDUS, *robustus*, quis Populus alius majore jure dicatur in Orbe terrarum quo

Honor habitus Hasidæis à Romanis sub Simone Ethnarcha.

Romanorum Primi posterioribus temporibus publice honorarunt Deum Israëlis.

Exempla ex Philone.

Laus temporum Simonis Ethnarchæ.

Reverentia Deo exhibita à *Syris*, qui hic dicuntur גוים עריצים *Gentes feroces.*

Animadversione dignum exemplum in Antiocho Sidete.

Populus validus & fortis, h. e. Romani Deum illo tempore *honorarunt* in Populo *Hasidæorum.*

Romanis optime convenit epitheton POPULI FORTIS.

Historia hæc de re ex Maccabaicis producta.

a 1 Macc. XII. 13. 14. 15. *b* Cap. XIV. 14. *c* Ps. IX. 10. *d* ℣. 13. *e* 1 Macc. XII. 1. seqq. *f* 1 Macc. XIV. 24. *g* ℣. 40. *h* De *Leg. ad Cajum*, p. 799. *i* Pag. 801. *k* In *Aug.* Cap. XCIII. *l* 1 Macc. XIV. 38. 39. *m* *Antiq.* Lib. XIII. Cap. XVI. *n* *Eclog.* Lib. XXXIV. p. 901.

tempore Respublica ejus viguit? Historicus Maccabaicus (alia enim huc congerere testimonia in re omnibus nota diligentiæ esset otiosæ:) in historia hac ipsa quam nos cum maxime respici volumus [a]: *Audiverat autem Judas nomen* ROMANORUM, ὅτι εἰσὶ δυνατοὶ ἰσχύι, *eos* POTENTIA VALERE. Daniël de eo in expositione colossi Nebucadnezari in Viso objecti [b]: *Quartum vero Regnum erit* תקיפא *firmum* (validum, durabile,) *ut* FERRUM. Equidem verissime dicitur ROMA Ῥώμη, *Vis, robur*: etsi tamen etymon vocis inde minime arcessam. Contra vero עריצים *violenti, persecutores*, qui hic alii possunt esse quam feroces illi & violenti persecutores Populi Dei, *Syri* sive *Syro-Macedones*, Assyrii novi, quorum Metropolis erat Ἀντιόχεια ἡ μεγάλη, *Antiochia* MAGNA, (sic enim Historici Græci eam appellare solent,) ad Orontem fluvium, altera Babylon, *Metropolis* τῶν עריצי *Persecutorum Populi Dei*, qui sic dicuntur, & זרים *Peregrinorum*, τῶν ἀλλοτρίων. De his enim vox emphatice usurpatur. Sic Vates Sacer Ps. XXXVII. 35. *Vidi improbum aliquem* עריץ VIOLENTUM, *ferocem*, magnum spiritum tumido pectore efflantem. sc. tyrannum & persecutorem Ecclesiæ. Utraque vox uno eodemque loco usurpatur de Babyloniis apud Ezechielem [c]: *Ecce ego adducò super te* PEREGRINOS, עריצי גוים *violentissimos Gentium*. æque ac apud Prophetam nostrum Cap. XIII. 11. ubi Int. Græcus עריצים rectissime vertit per ὑπερηφάνους, ut Historicus Maccabaicus Syros Ecclesiæ persecutores appellat τοὺς υἱοὺς τῆς ὑπερηφανίας, *filios superbiæ*, phrasi Hebræa [d]. Atque hæc prima fuerunt initia honoris & reverentiæ quam *Populus validus*, ROMANI sc. (*Spartanos* enim ultro hic præterii, quod illorum Respublica hoc tempore à pristina fortuna per varios casus jam esset dejecta, etsi tamen adhuc statum obtinerent:) & *violenti Gentium*, SYRI, inquam, ipsi, haud dubie cum admiratione summa ad animum revocantes singularem Dei Providentiam erga Populum Judæum, Deo Jehovæ, qui suis auxilio & præsidio fuerat, exhibuerunt. Sed erant hæc hactenus levia & tenuia. Sequens ætas vidit, ipsam illam ANTIOCHIAM, Metropolin τῶν זרים *peregrinorum* & עריצים *ferocium* Persecutorum Populi Dei, (quam *Judæi* cum Gentibus jam *æquo Civitatis Jure* inhabitarant bono numero à quo fundata fuerat à Seleuco Nicatore & in qua suas habuerant Synagogas,) inter omnes Civitates Gentium primam & præcipuam admisisse *Regnum* Christi Jesu, & quod æternis consignatum est Literis in Actis [e]: *Factumque est, ut annum totum congregarentur in Ecclesia*, (sub Præsidibus inter alios Paulo & Barnaba) *docerentque turbam non parvam*; χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς· & DISCIPULI *primum* ANTIOCHIÆ *appellarentur* CHRISTIANI. sc. cum ex Antiochenis jam ante plures Ecclesiæ Judææ accessissent *Proselyti*, qui cum Judæis originariis & Gentibus fecerunt primitias Regni Christi inter *Antiochenos* & *Syros* reliquos; in quorum Urbibus celebrioribus, olim idololatriæ, luxui, & libidini servientibus, fundatæ fuerunt Ecclesiæ Christi Jesu, professæ *reverentiam Dei Jehovæ*, qui Populo suo factus erat in salutem. circa quod idem tempus de ROMANIS, *Ægyptiis*, *Græcis*, aliisque Populis fortitudine, opibus, nomine, claris, multi *receperunt sermonem Dei*, eumque *honorarunt*: tum hanc ob rationem, quod intellexissent, illum unum verum Deum esse qui olim hostes Populi sui prostraverat, & Populo suo saluti fuerat ac præsidio, (quæ ratio ita hic memoratur, ut aliæ non excludantur:) tum ob rationes alias, quas Doctrina Evangelii secum fert: donec tandem *Regnum Dei* in florentissima parte Orbis terrarum de Regno Satanæ triumphaverit.

Syri etiam optime, *Gentes feroces.*

Quis hic sit respectus *Antiochiæ*, Metropolis *Gentium ferocium*?

Locus Ps. XXXVII. 35.

Parallela prophetica.

Antiochia eique cognatæ Urbes vere Deum *reveritæ sunt*, ubi susceperunt cultum Christianismi.

Facta est in fide *Metropolis* omnium Urbium Gentium.

Aliæ Gentes & *Populi fortes* ac *validi* eodem modo instituerunt.

De MYSTICO SENSU hujus pericopæ.

I. De *mystico sensu* hujus Pericopæ nihil habeo quod moneam, nisi quod cuique, hypothesin à me in superioribus jactam expendenti, & cum statu Ecclesiæ *Periodo sexta* à Deo per Heröes à se suscitatos vindicandæ, comparanti, ultro in mentem veniat. Sæviet illo tempore, (quatenus id respicimus ut futurum:) æstus vehementioris Persecutionis. imbres, turbata cœli tempestate, percutient Domum Ecclesiæ, & in eam irruent. Principes magni, potentes, feroces, falso Superstitionis zelo aut odio Ecclesiæ inflammati, & in exitium Ecclesiæ purioris conjurati, Ecclesiam urent, eamque nitentur obruere & extirpare. Sed illo tempore, ubi res desperata videbitur, suscitabit Deus *heröes* qui causam Ecclesiæ *vindicent*, eosque instar *crassæ nubis* inter Ecclesiam & Principes Persecutores intermittet, Populoque suo afflicto procurabit *ἀνάψυξιν refrigerium*: cujus consequens erit *Conversio Gentium*, quæ effugerint Judicium Dei tremendum, illo tempore revelandum; & in *Gentibus* forte *Populi* alicujus Europæi, nomine, fortitudine bellica, rebus gestis, potentia, inter omnes Europæas Gentes clarissimi, qui *Metropolin* habet Europæarum omnium maximam, cujusque Reges, superstitionis Romanensis acerrimi vindices, dicuntur *Primogeniti* Ecclesiæ vitiatæ *Filii*. de quo tamen quicquam definire, temerarium fuerit. Id pro certo affirmare possumus, hunc esse conspectum *Visi Sigilli sexti*, cujus attributa in superioribus ostendi. Exhibetur ibi [f] *turba multa, quam nemo numerare possit, ex omnibus Gentibus, tribubus, Populis, & Linguis*, consistens ante *thronum* cum *palmis in manibus suis*, ut solebant Judæi celebrantes *Festum Tabernaculorum*. Hi vero *venisse* dicuntur ex *magna afflictione* [g], quæ afflictio illos *instar æstus* valide *usserat* [h], *Sole* supra modum ardente. (hoc est, Regibus & Principibus Persecutoribus odio in eos vehementi inflammatis, & proposito de puriore Religione exterminanda furenter urgentibus.) Atqui hæc turba, vindicias & liberationem adepta, Deum cum Cœlitibus omnibus celebrat, & hoc erigitur solatio, futurum non esse amplius, ut *in eam cadat* SOL aut *ullus* ÆSTUS: cujus *Liberationis* consequens esset, ut spectatores Judicii Divini in hostes Ecclesiæ, huic Judicio superstites, *terrerentur* & *Deum honorarent*, ut in prophetia *Sexti* & *Septimi* Tubicinii, quæ cum *Viso Sigilli Sexti* conferri debent, narratur. Sic legitur Cap. XI. 13. *Factusque est in illa hora* (nempe post vindicatos Confessores veritatis, tempore *Tubicinii* sexti:) *terræmotus magnus*, & DECIMA PARS *Urbis cecidit*, (magnum aliquod & illustre Regnum, quod se opposuerat Regno Christi:) *& occisa sunt in terræmotu capita hominum septies mille*, καὶ οἱ λοιποὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, καὶ ἔδωκαν δόξαν τῷ Θεῷ τοῦ οὐρανοῦ· *& reliqui territi sunt, & dederunt* GLORIAM DEO COELORUM. quando mox sub *Tubicinio septimo* audiretur *vox publica* [i]: *Regna mundi facta esse Domini nostri & Christi ejus.* cum quo loco conferendum est quod dicitur Cap. XVI. 19. in prophetia *Phialæ septimæ*, quæ effusa adferret *ingentem* illum *terræmotum*: *Et* CIVITATES GENTIUM CECIDERUNT. sc. tum prostratæ Judiciis Divinis, tum subjectæ fuerunt Deo, exhibita illi reverentia & gloria post agnitam adoratamque manum ejus in vindicanda Ecclesia.

hypothesibus facile confictur.

Aspectus Ecclesiæ *sextæ Periodi* similis erit Maccabaicæ.

Deus illo tempore præstabit *umbram* & *latibulum* Populo suo. Consequens ejus erit, *Conversio Populi* alicujus *valida* ac ferocis, & ejus *Metropolios*.

Prophetia Apoc. VII. 9. 14. illustratur.

Ut & cognata, Cap. XI. 13. quæ declarat *consequens* Liberationis Populi Dei.

Et Cap. XVI. 19.

II. Interea vero dum hæc reverenter & timide etiam exspectamus: quid celamus, Ecclesiam puriorem professentem Religionem, à Romanensi secretam, jam vidisse & adhucdum per Divinam Gratiam videre tempora, quibus sibi orationem Doxologicam hujus Pericopæ aptare potuit. Æstu persecutionis Sæc. XVI. sæviente & urgente in Germania, sed maxime in Gallia, Scotia, & Belgio toto, dum potentissimi Principes Orbis Europæi puriorem Ecclesiam Christi Jesu vehementer urebant, & instar imbris se in eam effundebant, Deus ubique fere mirabili providentia sua Ecclesiæ afflictæ præstitit *latibulum & umbram* per Heröes à se suscitatos, qui causam Ecclesiæ vindicandam susceperunt, quorum in superioribus honeste memini: ut in Germania maxime in Confœderatione *Passavienſi*, postquam Carolus V à Mauritio Saxone in magnas redactus erat angustias; & in *Pactis*

Initia implementi jam luculenter demonstrari possunt in Ecclesia Puriore, quæ habet *Sermonem Christi*.

Cura Divinæ Providentiæ erga Populum suum afflictum æstu Persecutionum.

Historia ejus temporis.

[a] 1 Macc. VIII. 1. [b] Dan. II. 40. [c] Cap. XXVIII. 7. [d] 1 Macc. II. 47. [e] Cap. XI. 26. [f] Apoc. VII. 9. [g] ℣. 14. [h] Cap. VII. 16. 17. [i] Apoc. XI. 15.

Specialis hic est respectus Belgii.

Pactis solennibus, initis cum purioris fidei Sectatoribus in Gallia, Scotia, & Belgio, quibus concessa vel vi extorta est Principibus Persecutoribus Religionis sanctioris publica professio. De *Belgio* autem *Fœderato* inter varias temporum angustias & mutationes post difficillimam luctam vindicato adversus potentissimum sui temporis Regem, re ut videbatur desperata & contra exspectationem omnem, id speciatim dicere audeo, emblema temporum Maccabæorum in ejus Statu perfectius quam in ullo aliorum Regnorum aut Rerumpublicarum conspiciendum dari. Sive persecutorem spectes & Tyrannum, sive persecutionis eventum: res eadem est; potueruntque Majores nostri à Deo liberati vindicatique, & possumus adhucdum nos, idem beneficium Divinæ providentiæ & gratiæ nostra etiam ætate experti, hac *Doxologia* in omni sua amplitudine uti. Quid quod imaginem quoque ejus, quod in *Consequente* hujus Beneficii declaratur, Ecclesia viderit? An non enim *Metropolis* potentissimi Regni, quæ *horrenda* illa & famosa *laniena* plus hausit sanguinis confessorum veritatis, quam ulla Urbs Mundi alia, *Edicto Nannetensi*, impetrato ab Henrico IV, (A. CIↃ IↃ XCVIII.) coacta est purioris Religionis Sectatoribus (quos illa Urbs multo numero habebat Cives suos spectatissimos,) indulgere libertatem celebrandorum puriore ritu sacrorum extra mœnia quidem sua, sed in vicinia proxima, præter prærogativas alias *Reformatæ Ecclesiæ* & *Societati* honestissimas? cujus *Edicti* fides si deinceps multis suis partibus non laborasset, & tandem violata non fuisset, non erat quod Confessores veræ fidei in illo Regno suæ conditionis pœniteret. Sed res deinceps vertit in pejus ob arcanas consilii Divini rationes, quas dies nobis clarius explicabit. Regredere vero altius ad tempus illud fatale, quo cum Ecclesiis Galliarum funesta impenderet tempestas quæ jam ante sævire cœperat, Francisco II, Henrici II Filio, subito vivis erepto in maximum Ecclesiæ solatium, ea mox facta est immutatio, ut Principes purioris Religionis Patroni & Vindices, pro loco meritisque suis in Aula habiti honoratique sint, & non adeo longe post, instituto publice celebri illo Colloquio Possiaceno, (A. CIↃ IↃ LXI.) præcipui Doctores Evangelii in Aula honorifice sint excepti, iisque coram Aula tota, ipsa Regina Catharina cum filio Minorenne Carolo IX præsentibus, occasio data sit Doctrinæ fidei veræ exponendæ ac vindicandæ. Articulus ille temporis est memorabilis, visaque est *Metropolis* Gentium ferocium Ecclesiæ persecutorum in Regibus suis Jehovam Ecclesiæ Liberatorem hoc tempore *revereri* ac *honorare*, si non vere, certe simulate. Historia notissima est, ex Scriptoribus ejus [a] repetenda, in quibus hactenus acquiescere licet usque quo Dominus nobis majora & ampliora monstraverit.

Speciale observatum de *Metropoli Gentium ferocium*, Confessorum Religionem coacta revereri.

Notabilis eventus qui Ecclesiæ solatio fuit in subitaria morte Francisci II.

GRADATIO TERTIA.

Gradatio tertia. ℣. 6. *Et* FECIT *Jehova Exercituum* Dominus *omnibus Populis in Monte hoc* CONVIVIUM *pinguium*, CONVIVIUM FÆCUM; *pinguium medullatorum*; FÆCUM SACCATARUM, sive *percolatarum*] Verba hæc absque dubitatione ita accipio, ut continuent, non prophetiam Cap. XXIV. 23. terminatam, sed Hymnologiam, quam Vates initio *Capitis* orsus erat, quippe quod manifeste liquet ex *Exodio*, huic *Epinicio* subjecto, ℣. 9. & ex verbis *forma præteriti*, quæ in hoc Beneficio describendo adhibet. Et agnosco tamen lubens, Prophetam ita temperare suam orationem, ut nos doceat, Deum illud Beneficium illo tempore sic esse collaturum in Populum suum, ut illud deinceps magis magisque sit consummaturus: ut vere hæc verba partim commemorationem lætam Beneficii præstiti, partim prophetiam de eo continuando & consummando complectantur; quare ultimam pericopam ℣. 8. obsignat solenni formula: *quia Jehova ita fatus est.* Estque eadem hæc ratio, quare *personam* mutet in oratione à *prima* in *tertiam*; quod aliàs etiam frequentissime agit per totum Librum. Superior enim Oratio Eucharistica ipsius quoque fuit *Prophetæ*, sed sustinentis personam & vicem *Seniorum*: hanc vero *Senioribus* ita adjudicari vult, ut simul contineat prædictionem futuri, quam ipse ut à Deo ad se perlatam signaculo solenni munit & confirmat. Sed hæc in antecessum licet observata & concessa, ut à plerisque conceduntur: amplam tamen reliquam faciunt materiam disputationis de genuino Prophetæ sensu; &, si de sensu liqueat: aliam de *subjecto* ad quod hæc verba *historice* in implemento prophetiæ designando applicanda sint. Sensus autem hic maxime pendet ab accurata verborum versione: quæ differentia hic ejusmodi est, ut à curiosis ingeniis disputari mereatur. Plures Intt. quod de *Convivio* sive *Epulo*, à Domino instruendo, hoc in loco dicitur, accipiunt in meliorem partem de *Convivio* parando ex cibis *medullatis* & *vino* à fæcibus *expurgato*, & existimant in universum eo significari, Deum hoc tempore Populis omnibus, hoc est, electis omnium Populorum, (Judæis Evangelio immorigeris exceptis,) paraturum esse materiam magnæ *lætitiæ spiritualis* quæ sub Symbolo *Epuli* in Scriptis N. T. frequens proponitur: quorum Interpretum, qui Prophetam hic versari existimant circa initia N. T. alii hic intelligunt *Epulum* illud *spirituale Regni cœlorum*, quod Dominus sub figura *Nuptialis Cœnæ* proposuit in Parabola [b], paratum ex Bonis Novi Fœderis ejus *sacrificio piaculari* impetratis, cujus ipse voluit imaginem Ecclesiæ relinquere in Cœna Sacra; ut inter alios Lud. Cappellus: alii, qui Prophetam hic describere putant tempus Judicii Divini in Antichristum, hic designari putant *gaudium* quod electi omnium Gentium perciperent ex *deletione hostium Ecclesiæ*, ut Piscator; alii rursus qui ex hypothesi sua arbitrantur hic exhiberi phænomena *Judicii extremi*, quod fata Sæculorum claudet, in figura hujus Epuli vident *Gaudium cœleste*, post illud Judicium ab electis celebrandum: inter quos Sanctius, qui paulo audacius addit, Prophetam cum hæc Hierosolymis vaticinaretur, demonstrasse *Montem Oliveti*, in quo videlicet *novissimum Judicium* à Christo Jesu agendum sit, quibus verbis, Vir cætera non imprudens, potuisset parcere. Belgæ Intt. inter hos medii sententiam suam generatim ita exponunt, declarari his verbis, Deum cum omnibus Populis communes facturum esse infinitas opes Gratiæ Christi Jesu, h. e. æternam salutem & gloriam electis per ipsum paratam. In qua interpretatione supponitur, *Vinum* שמרים *fæcum* sumi posse in meliorem partem pro vino à fæcibus purgato. Sed id unum præcipue est, quod alios offendit: qui proinde verba Prophetæ, (sive quod ad partem sententiæ, sive quod ad universam,) accipiunt in deteriorem sensum pro Convivio funesto ac lethali, quod convivis adferret exitium. quarum sententiarum particulatim reddere velim rationem. Judæi Interpretes in hac sunt opinatione; & quidem ob hanc præterea rationem, quod si verba Prophetæ in meliorem partem sumantur de Convivio læto ac salutari: *Gentibus* nimia tribui videatur prærogativa, de *Epulo* videlicet ipsis parando in ipso Monte Tsione. quæ difficultas aliàs etiam non videtur contemnenda. sed Judæos id magis urget quam nostros. Chaldæus: *Et faciet Dominus Exercituum omnibus Populis in monte hoc prandium & convivium: & putabunt, fore in gloriam: sed erit iis in ignominiam; in plagas fortes, plagas ex quibus non liberabuntur; & in quibus deficient.* Patet, Interpretem hunc nihil hic dedisse fabulosis sive allegoricis & vel sic tamen absurdis Talmudicorum *μύθοις* de *Epulo* carnali celebrando tempore Messiæ, quod Buxtorfius [c] & Bartoloccius [d] prolixe prosequuti sunt, hoc etiam loco non intacto: unde de ætate confectæ Paraphrasios non absurdum formari potest præjudicium. Sed id *ἐν παρόδῳ*. Ad rem ut redeam: vidit Interpres, prius Epuli attributum de *Pinguibus* & *Medullatis* non posse commode accipi in deteriorem partem; quare loco hunc dedit sensum, fore ut *lætitia* quæ videbatur, convertatur in *tristitiam*; & quæ gaudii videbatur materia, fieret materia luctus.

Gradatio tertia. Epulum Lætitiæ ab Ecclesia celebrandum.

Verba Prophetæ partim *hymnologice* de Beneficio præsenti, partim *prophetice* sunt accipienda.

Dubia sententiæ sensu investigando discutienda.

Aliqui accipiunt de Epulo celebrando ab Ecclesia. quorum variæ sunt sententiæ, quæ recensentur.

Alii de *Epulo* funesto & lethali, quo exscinderentur Ecclesiæ hostes.

Temperamentum Chaldæi Int.

quæ

[a] Thuan. Mezeræo, & ipso Beza, qui hic præcipuas partes egit, aliisque multis. [b] Matt. XXII. 1. seqq. [c] Buxtorf. *Syn. Jud.* Cap. L. [d] *Bartolocc.* Lex. Tom. I. p. 575. &c.

Cl. Cocceji non absimile.

quæ eadem sententia placuit animo Cl. Cocceji, exponentis verba: *Mutabit convivium pinguium in convivium fæcum.* h. e. facturus est ut lætitia quam hostes perceperant ex oppressione Populi Dei, ipsis vertatur in confusionem & tristitiam. Equidem agnosco, verba *grammatice* ferre posse hanc interpretationem: nisi tamen quod longe commodius fieret, ut vox משתה in *posteriore membro* repeteretur. Sensum quoque cur respuam, nullam habeo rationem. Est enim implementi quod ad hunc quoque sensum certa demonstratio in historia, secundum hypothesin nostram. Verum si quis sententiam ipsam inspiciat: fateor, me in ea non observare elegantiam & acumen, Prophetæ nostro proprium. Si id dicere voluisset quod hæc supponit interpretatio, videtur mansurus fuisse in eodem genere; nec dicturus, Deum *convivium pinguium* conversurum esse in *convivium fæcum:* (quia inter *pinguia* & *vinum* sive *fæces* nulla comparatio est:) sed convivium sive compotationem *vini puri* conversurum esse in *potationem fæcum.* Quod incommodum cum observarent alii, ut putem: verba, hypothesi hac non plane dimissa, in alios instituerunt flectere sensus. Kimchius omnia in pejorem partem sumens, per *Convivium* hic intelligit *Compotationem*, sive *Potationem*, (quæ prima est significatio vocis à שתה *bibere*, ut Epulum Græcis Πότος:) qua Deus hostibus adversus Hierosolymam congregandis præbiturus esset *Poculum pinguium*, & quidem valde pinguium ut sunt *medullata*, qualis potus *cor gravat* & sensum obtundit; & *Poculum fæcium*, tanto magis nociturum quod vertiginem & mentis perturbationem inducat. ad quam interpretationem firmandam duo adducit loca, alterum ex Obadja [a], allegatum quoque ab Aben-Ezra: *Nam quemadmodum bibistis in monte meo sancto*, (vos sc. Judæi,) *bibent omnes Gentes semper; & cum biberint ac absorpserint, erunt quasi non fuissent.* alterum ex Zach. XII. 2. *Ecce ego pono Hierosolymam pelvim vertiginis omnibus populis circumquaque.* qui videlicet ibi misere perirent, & veluti furore correpti armis in se mutuo versis conciderent. Et id quidem hactenus non male. si enim sensus hic præferendus sit: non est dubium, quin hæc loca in rem aptissime allegentur. Sed cui persuadebit Interpres, *convivium pinguium* esse *potationem liquoris pinguis?* Est enim id plane alienum à moribus omnium Gentium, pinguia in potum misceri: à quo natura vere abhorret. Certe id ad meam non pervenit notitiam. Abarbenel diversum cogitavit: qui aliorum interpretationes repudians, ait, orationem Prophetæ in recensendis beneficiis Populo præstitis, hic perveniisse ad *resurrectionem mortuorum*, (תחיית המתים) quo tempore Deus resuscitaturus mortuos paraturus sit Epulum duplicis generis; alterum lætum, suave, delectabile, quod Vates hic appellet *Convivium pinguium & medullatorum*, hoc est, gaudium lætitiamque æternæ & interminabilis vitæ, paratum piis & veræ fidei confessoribus; alterum vero triste, lugubre, exitiale, quod appellet *Convivium fæcum*, h. e. materiam malorum summi generis, improbis destinatam. quo ipse refert locum Danielis [b], resuscitandos *ex pulvere terræ*, alios ad *æternam vitam*, alios ad *opprobria æterna* resuscitatum iri. demonstrare autem Prophetam *montem hunc*, quod resuscitatio in *Valle Josaphati* exequenda sit. In cujus interpretationis applicatione desidero judicium auctoris. Quod ad interpretationem ipsam: si staret ejus sententia, omnino videtur oratio requirere copulam ו, & scripturus fuisse Propheta: *Et parabit* Deus *in monte hoc convivium pinguium* ET *convivium fæcum.* Sed vitium hoc interpretationis non est gravissimum. Id multo inconcinnius est & sensum cujusque ferit, quod Statum summæ & æternæ miseriæ hic supponat venire sub emblemate *Epuli*, à Deo *parandi.* Quis enim hoc sibi persuadeat, aut quænam in hoc emblemate inest concinnitas? Nostri hactenus judicii hæc est sententia, verba Vatis accipienda esse in meliorem partem, & quidem ob rationes, ut videtur, manifestas, quæ se cuique ultro offerunt. Primo,

Ἐπίκρισις ad eam sententiam.

Interpretatio Kimchii.

Quæ rejicitur.

Abarbenelis.

Quæ pariter variis laborat incommodis.

Verba Prophetæ accipienda sunt in meliorem partem.

hic memoratur משתה *Convivium*, quod apud omnes Gentes & Populos sustinet emblema congressus parati ad lætitiam, secundum dictum Sapientis [c]: *Ad risum comparant homines panem, & vinum quod lætificat viventes.* Est id Poëtæ antiquo [d], τέρπεσθαι ἐν θαλίῃς, sive θαλίης μεμηλότα ἔργα νέμεσθαι, *conviviis operam dare*, h. e. in statu tranquillitatis, & hilaritatis copiæque rerum ad lætitiam ciendam paratarum versari: quomodo emblema in Scriptura S. quod quidem sciam, semper sumitur. Quod Kimchius hic *compotationem* intelligat: est præter usum vocis, licet ἐτυμολογικῶς hanc significationem ferre queat, ut satis notum. Comparari ad phrasin integram potest locus Libri Estheræ de Assuero [e]: *Anno Regni sui tertio* משתה FECIT CONVIVIUM *omnibus Principibus suis, & seqq.* Instrui sc. pararique curavit. Secundo, Epulum hoc à *Jehova* erat instruendum in MONTE TSIONIS. quod non recte assequor ut se habeat, si Epulum hic sumatur in deteriorem partem. Si enim Epulum hoc notet *punitionem* hostium Populi Dei quam experirentur obsessuri Hierosolymam, ubi hostes Populi Dei percussi judicio Divino maxima ad internecionem usque afficerentur clade: non erat illud instruendum in ipso *Monte Tsionis*, sed in *Montibus Israëlis.* Grotius hic adscripsit: *Vindicta Dei sæpe à Prophetis convivio comparatur; quia & consumit hostes ut cibi consumuntur, & gaudium parit Deo.* Id si vere dixerit, ut non plane falso: scripsit tamen ad hunc locum ἀπροσδιονύσως. Non est enim in hoc loco mentio de Epulo *à Deo* celebrando, sed instruendo in usum *omnium Populorum.* Respexit haud dubie Vir illustris, qui loca hic nulla adscripsit, locum Apoc. XIX. 17. in quo mentio est Δείπνου τοῦ μεγάλου Θεοῦ, *Cœnæ magni Dei*, quæ ibidem est *Cœna* vindictæ Divinæ, conferendo cum Ezech. XXXIX. 17. seqq. (inde enim translata est figura,) ubi memoratur *Mensa*, quæ dicitur *Mensa Dei*, & *Epulum Dei*, quod Deus ex *mactatis* à se pararet: sed *ubi?* aut *in quorum usum & gratiam?* Non in *Monte Tsionis*; sed in MONTIBUS ISRAELIS, ℣. 17. non in usum hominum aut populorum, sed in usum *avium* rapacium, aquilarum, vulturum, aliarumque quæ solenniter *invitantur* ad *edendum carnem & bibendum sanguinem*, sed ad *edendum carnem & bibendum sanguinem Principum terræ, heroum, militum, equorum, morum*, qui nimirum cecidissent illo magno Judicii die quo Deus hostes Ecclesiæ ingente strage deleret. quod nihil commune habet cum emblemate hujus loci. Nec respondent etiam huic nostro loco testimonia ex Obadja & Zacharia huc allata à Kimchio. Nam quod ad locum Obadjæ, ℣. 16. non dicitur ibi à Deo adparandum esse Epulum, sed *propinandum* esse *poculum* vini sc. lethiferi, *poculum iræ Dei*, (quod usitatissimum est in Verbo Dei symbolum malorum gravissimorum quæ hominibus imminuunt sensum rationis & judicii eosque agunt in stuporem:) Judæis quidem in *Monte Tsionis*, quippe ibi loci puniendis: quod idem Poculum propinaretur deinceps Gentibus, sed non epotandum ab ipsis in *Monte Tsionis*, sed à quibusque in suis terris, aut in Montibus Israëlis, ubi funesta clade occiderent: estque hic conferendus locus Jer. XXV. 15. seqq. Idem fere obtinet in altero Zach. XII. 2. de *pelvi vertiginis omnibus Populis circumcirca eam*; quod nimirum Hierosolyma caussa esset exitii Syrorum, Philistæorum, Idumæorum, Moabitarum sive Arabum, qui Populi adversus eam temporibus Maccabaicis (de iis enim agit Propheta:) pugnantes magnis caderent ictibus Judicii & Vindictæ Divinæ. Sed non dicitur, illos in *Monte Tsione* bibituros, multo minus *Epulum* celebraturos esse. biberent ex hac pelvi extra Hierosolymam, ubi experientia docet illos cecidisse. Hierosolyma solummodo cum *pelvi* comparatur, quod ipsis caussa esset exitii. Tertio, *Convivium pinguium* per totam Scripturam sumitur in meliorem partem pro convivio læto, jucundo. Expendi mecum, fateor, cum me sentirem pronum in sententiam Hebræorum Interpretum, qui hoc Epulum interpretantur de *Epulo Judicia-*

Convivii notio metaphorice ubique sumitur pro materia Lætitiæ.

Erat instruendum in *Monte Tsionis.*

Grotii meditatio & ad eam animadversio.

Locus Apoc. XIX. 17. huic nostro non respondet.

Loca *Obadj.* ℣. 16. & Zach. XII. 2. huic loco pariter non conveniunt.

Convivium pinguium vix videtur sumi posse nisi in bonam partem.

[a] ℣. 16. [b] Cap. XII. 2. [c] Eccles. X. 19. [d] Hesiod. [e] Esth. I. 3.

Meditatio de hac hypotheſi.

diciali; an *Epulum* ex *pinguibus* & *medullatis* inſtruendum non poſſet ſignificare Epulum aliquod Judiciale, quod *animum* hominis *incraſſat* & ſenſum obtundit, ut facere ſolent *pinguia*, ſecundum Prophetam noſtrum Cap. VI. 10. & Poëtam ſanctum Pſ. CXIX. 70. *Obeſatum eſt tanquam* ADIPE *cor illorum.* Sic Doctus Interpres recte. Certe eſſet hæc ſententia longe commodior & facilior Kimchii illa, quæ hic ſupponit *Poculum* ex quo *pinguia* propinanda eſſent. Sed nullum analogum hujus generis deprehendi in Scriptura S. Contra vero *eſus pinguium* ubique ſumitur in bonam partem. Propheta noſter, Cap. LV. 2. *Me audite, comedite bonum, & deliciabitur in opimitate anima veſtra.* Poëta ſacer, ſortem deſcribens piorum [a]: *Saturantur opimis domus tua, & torrente deliciarum tuarum potas illos.* Alio loco [b]: *Tanquam adipe & opimitate ſaturaretur anima mea.* quæ nunc ſufficiant. Ipſa vox שמנים, quæ proprie *pinguia* ſonat, hanc ſententiam valide firmat. Eſt enim differitas inter *pingue* & *adipoſum*: etſi חלב *adeps* in metaphoris quoque eodem ſenſu ſumatur. Sed cum Iſraëlitis ex Lege Divina non liceret *adipem comedere* [c], h. e. unctuoſum illud quod muſculorum extremitatibus & inteſtinis adhæret: *pinguia* quæ *carnis* ſunt, ubique laudantur. tum quoque *medullata*, quæ ſemper habentur in deliciis. unde phraſis Ammiani [d], *medullis ſaginare.* Quarto denique, quod me maxime movit: reliqua quæ ſequuntur, veluti de *velo removendo de facie omnium Populorum*, & de *lacrymis detergendis de omnibus faciebus*, & *morte abſorbenda in perpetuum*: cum non niſi in meliorem partem accipi nequeant: idem quoque de hac pericopa ſtatuendum videtur. Et ſic quoque pericopam hanc noſtram accepit Græcus Interpres, licet verſione imperfecta, qua cum Hebræis quomodocunque comparanda plurimum ſe fatigavit Cl. Cappellus, qui hic inſpici poteſt. Sententiam tamen ejus ſatis declarant hæc extrema: Ἐπὶ τὸ ὄρος τοῦτο πίονται εὐφροσύνην, πίονται οἶνον· *In hoc monte bibent lætitiam, bibent vinum.*

Quæ ex parallelis adſtruitur.

Vox שמנים ei faver.

Vera ejus ſignificatio.

Sequens contextus enarrat *Beneficia* quibus Eccleſia gaviſura eſſet.

Interpretis Græci conſenſus.

Conſequens jam hujus noſtræ interpretationis eſt, per משתה שמרים *convivium facum*, (phraſi quidem, fateor, ſingulari & inſolente, ſed cujuſmodi multæ ſunt apud Jeſaiam,) συνεδοχικῶς vere intelligi *convivium* paratum ex *vino defæcato*, à fæcibus purgato, ſive *faccato*, ut mox exponitur, שמרים מזוקקים *fæcum ſaccatarum* ſive *percolatarum. Saccari* Latinis Veteribus dicitur liquor qui per *ſaccum tranſmittitur*; quod non convenit *fæcibus*, quæ in ſacco reſident, ſed *vino*. *fæces* enim non dicuntur *purgari*, *expurgari* à vino. quæ vis eſt vocis זכך: ſed vinum à fæcibus. *Fæces* igitur hic ſunt יין שמרי *vinum facum*: ut Hebræis מועד *ſolennitas* dicuntur *ſacrificia ſolennitatis* [e]; *cæci*, cæcorum oculi [f]: quæ cum pluribus aliis Doctus Grammaticus [g] huc adduxit. Herodotus appellat οἶνον ἄκρητον, ſua dialecto [h], quod *vinum merum* ſive *meracum*, quale primum bibebatur, μήπω τῆς τοῦ ὕδατος κράσεως εὑρημένης, ut Diodorus [i], contradiſtinguitur *vino*, aqua miſceri ſolito, qui mos, ut ſatis notum, ex Heſiodi etiam præcepto [k] de *tribus* aquæ partibus *unâ* vini admiſcenda, Veteribus paſſim fuit receptus. Ælianus de Cleomene [l]: Ἀλλὰ γὰρ προσιθέασιν αὐτῷ καὶ τοῦτο δήπου τὸ Σκυθικὸν κακὸν, ὅτι ἀκρατοπότης ἐγένετο· *verum adſcribunt illi etiam hoc Scythicum malum*, VINUM MERUM *bibiſſe.* Imo ſane in Epulis, quæ ad perfectam lætitiam inſtruuntur, *merum* bibitur, & ponitur in parte felicitatis, *mero* uti poſſe, ut liquet ex Ode Moſaica, Deut. XXXII. 14. ubi fortunata ſors Judæorum in Canaanæa hoc etiam nomine laudatur: *Et ſanguinem uvarum potas* MERUM. Heb. חמר. Elegantior dictio eſt κεκιρνημένου μέθυ, de qua videndus Caſaubonus [m], qui vertit: *temetum vino temperatum*: h. e. meracum, & confert cum phraſi Apocalyptica [n]: Οἶνος κεκερασμένος ἄκρατος. Sed hæc alii doctius & uberius. Quid ſi tamen unum hoc addam, videri cui poſſe, Prophetam commemorantem Epulum à Deo exhibendum omnibus Populis poſt ſubactos hoſtes, alludere ad morem Regum aut Imperatorum, qui in *ſolennitatibus*, & imprimis poſt *reportatam victoriam de hoſte*, Populo Epulum præbent. Conſuetudo non plane ignota eſt in Sacris [o]: ſed receptiſſima Græcis, de quibus plura exempla profert Athenæus [p]; ac maxime Romanis: non Romæ tantum, ubi ritus erat ſatis tritus; ſed & in Provinciis ſive Regionibus illis in quibus proſtrati erant hoſtes: ut exemplum eſt luculentum in famoſo illo Epulo liberalitate P. Æmilii Græciæ Populis dato poſt Perſeum victum.

Conſequens ſuperioris inveſtigationis: per *Convivium facum* intelligi inſtruendum ex *vino forti.*

Sacco. faccare. Fæces faccatæ quid ſibi velint?

Varia huc allata de uſu *meri* vel *meraci*, ex Exteris.

Senſus figuræ, Deum præbiturum eſſe Populo ſuo materiam *magnæ lætitiæ.* Attributa *Epuli.*

Senſus metaphoræ eſt, Deum omnibus Populis paraturum eſſe materiam magnæ perfectæque lætitiæ, oriturae non ex *temporalibus* tantum, ſed potiſſimum ex *ſpiritualibus cauſſis*, quæ animo adferrent tranquillitatem, ſolatium, & in præſente ſtatu acquieſcentiam. *Convivium* publicum, quod *Epulum* vocare ſolemus, (ſi *materiam* ejus quæ dicitur, ſpectes,) exhibet copiam affluentem bonorum concupiſcibilium, non modo neceſſitati ſufficientium, verum etiam delectationem, hilaritatem, ſatietatemque conciliare aptorum, in quæ natura hominis, quem Deus voluptatis multivariæ capacem & cupientem finxit, proprio inſtinctu fertur. Qui ei accumbunt lautis ſaturati, curiſque aliis & ægritudinibus vacui, τρυφῶσι, deliciantur & veluti luxuriantur, (qua voce hic circumſcripte utor:) poſiti in ſtatu quietis, tranquillitatis, ſecuritatis, & gloriæ quoque ac honoris: tanto majoris quanto ab honeſtiore hoſpite excipiuntur: eſtque hæc ratio quare ſtatus ſolatii, lætitiæ, & gloriæ ſpiritualis ac cœleſtis, qualis προληπτικῶς à dilectis Dei percipitur in his terris ex ſenſu Divini favoris, ejuſque communionis ac præſentiæ interioris, (præcipue ſub Oeconomia Nova,) exponatur hoc emblemate [q], & phraſibus inde deſumptis, ab ipſo quoque Domino in Parabolis [r]; & quid longius imus? in ipſo quoque Epulo Novi Fœderis, *Cœna Dominica*, ſymbolo vero *Cœnæ Agni* [ſ]. Nec tamen nego, eos quos Deus donat beneficiis & prærogativis temporalibus, dici quoque poſſe metaphorice *epulari.* Omnis enim cauſſa exuberantis gaudii & lætitiæ, qua ſatisfit juſtis deſideriis, facit *Convivium.* qui deſideria cupiditateſque ſuas honeſte explet, dicitur *edere* & *bibere*, phraſi Divina & humana. Sed Epulum quod hic inſtruendum dicitur, reſpicere *Religionem*, & eſſe *Epulum ſacrum*, ex duobus manifeſtis liquet criteriis quæ in hoc ipſo loco conſignata ſunt. Dicitur enim *convivium parandum* in MONTE TSIONE: quo nomine paſſim in Sacris Literis ipſe quoque intelligitur *Mons Templi*, ſive *Moriæ*, olim ſedes Religionis Populi Dei, ubi Deus præſens aderat, qui hoc Epulum paraturus dicitur, & ubi Epula ex ſacrificiis, (more omnibus fere Gentibus recepto,) celebrari ſolebant, ſacra & Religioſa. Deinde habet oratio, Epulum hoc adparandum eſſe OMNIBUS POPULIS. Quomodo vero? num excluſo *Populo* poſterorum Jacobi, cujus hic præcipua habenda erat ratio? Neutiquam ſane. Suadet enim ratio, illos omnibus Populis non excludi, ſed includi, cum nomen *Populi* ipſis magis quam ulli alii Genti proprium eſſet, & *Mons Tſion* ab iis incoleretur vel poſſideretur. Sed reſtringitur oratio ad *omnes Populos* ad laudem & honorem Populi Dei, quod videlicet Gentes omnes Orbis terrarum neceſſe haberent *materiam veræ lætitiæ* quærere in *Monte Tſione*, ſede proprietaria Religionis antiquæ à Judæis cultæ: minus ſane cum reſpectu ad *ſalutem temporalem*, Tſione revelandam, quam σχέσει ad *veram* & *ſpiritualem.* Ne igitur hic per longiores ambages errem: ajo, locum hunc noſtrum per omnia conferendum eſſe cum analogo Zachariæ, qui typice & myſtice de eadem re vaticinatur de qua hoc in loco Jeſaias. Docet ille, Cap. XIV. 1. ſeqq. Gentes omnes congregandas eſſe in bellum adverſus Hieroſolymam: eventum Belli fore expugnationem vel occupationem Urbis, cujus ille expugnandæ

In Prophetiis, Parabolis, & aliis figuratis locutionibus, ſymbolum eſt ſtatus *lætitiæ, conſolationis, quietis*, conjuncti cum copia & uſu *Bonorum Gratiæ.*

Evincitur, *Epulum*, quod hic inſtruendum dicitur, habere σχέσιν ad *Religionem.*

Non excluduntur hic Judæi ut *Convivæ* hujus Epuli. Senſus Prophetæ elucidatur.

Confertur prophetia cum analogâ Zach. XIV. 1. ſeqq. & ex ea illuſtratur.

a Pſ. XXXVI. 9. b Pſ. LXIII. 6. c Lev. III. 17. d Hiſt. Lib. XVI. Cap. VIII. e 2 Par. XXX. 22. f Pſ. CXLVI. 8. g Glaſſ. *Gramm. S* Lib. III. Tract. I. Can. XXXIX. h Herod. Lib. I. p. 96. i Diodor. Lib. III. p. 149. k Op. & D. vſ. 596. l *Var. Hiſt.* Lib. II. Cap. XLI. m Ad Athen. Lib. I. Cap. VII. n Apoc. XIV. 10. o 1 Chron. XVI. 3. p Lib. I. Cap. III. q Pſ. XVII. 27. XXIII. 5. XXXVI. 9. Jeſ. LXV. 13. Matth. VIII. 11. XXVI. 29. r Matth. XXII. 1. Luc. XV. 27. ſ *Apoc.* XIX. 9.

enarrat fata. inde, Deum compariturum esse Populi sui Vindicem, & hostes Populi sui gravissima affecturum clade: quo tempore *pura lux* Ecclesiæ oriretur, & *aquæ vivæ* exirent Hierosolymis, & Deus *Rex* esset totius terræ. quando post alia hujus generis interjecta, ℣. 16. *Et futurum est ut* OMNES RELIQUI *de omnibus Gentibus, quæ venerint adversus Hierosolymam, ascendant quotannis ad adorandum Regem, Jehovam Exercituum* Dominum, *& ad celebrandum* FESTUM TABERNACULORUM. Alia hic metaphora est, emblema aliud: res eadem. Cum enim Israëlitæ in *Festo Tabernaculorum* se summæ dare solerent & effusæ lætitiæ, eamque celebrarent vacui curis superioris anni, absoluta messe, statu libertatis & veluti cœlesti, dum in Tabernaculis perviis agentes cœlum ante oculos haberent, & hilariter epularentur, in cujus hilaritatis communionem electos omnium Populorum venturos prædicit: sic hoc in loco Propheta docet, post vindictam de hostibus sumptam instruendum à Deo esse Epulum, compositum ad hilaritatem, in ipso Monte Tsione; quod *omnes Populi*, h. e. electi omnium Populorum, participarent.

IMPLEMENTUM PROPHETIÆ.

Implementum Prophetiæ investigatur.

I. Constituto orationis sensu, & vera Vatis sententia, indicandum est prophetiæ implementum: cujus initia cadere in tempora prosperitatis Rerum Maccabaicarum, hypotheses superius jactæ, & huc usque rite demonstratæ, nos dubitare non sinunt. Nempe postquam purgatum esset & instauratum ab Assamonæis Ducibus Templum; Religioni suum rursus assertum decus & splendor; Respublica, laborantibus Syris & vicinis Gentibus subactis, insigniter floreret, & Judæi per omnes fere Populos sparsi Religionem suam iis commendarent: factum est, ut ex omnibus Gentibus *Proselyti* accesserint Genti Judææ, Religionem sacraque ejus lubenter amplexi, & Hierosolymam ad Festa Genti solennia summa lætitia celebranda confluxerint; beneficia Judæis Divina liberatione indulta, sua duxerint; & commune gaudium Religionis cum Gente Judæa in ipso Tsionis Monte participarint. Erant hi Parthi, Medi, Mesopotameni, Syri, Tyrii, Cappadoces, Pontici, Asiani sic proprie dicti, Ægyptii, Cyrenæi, & tandem etiam Romani; ex quibus, pluribusque etiam Populis, ΠΡΟΣΗΛΥΤΟΥΣ Hierosolymam ad Festa celebranda concurrisse, ex solius Lucæ testimonio nunc probasse sufficerit [a]: cum in prophetiis de *Ægypto* [b] & *Tyro* [c] copiosius de eo monuerim. Gaudium autem Religionis veræ, fundatum in certa Dei veri cognitione & fide, & ortum ex spe salutis, à Deo tabulis gratiæ promissæ, qui publice celebrant; iidem celebrant *Epulum* & *Convivium*, à Deo instructum & instruendum in Monte Tsioneo.

Prolepticum ostenditur in temporibus Maccabaicis, in *Proselytis* Gentium, qui se adjunxerunt veræ Religioni.

Quæ hypothesis amplius adstruitur.

II. Verum cum Prophetæ antiqui, qui perceperant magnam illam & spiritualem *salutem Messiæ*, materiam perfecti gaudii ac delectationis, circa & proxime post illa tempora revelatum iri, hanc eandem ob caussam *spiritualem salutem Messiæ* respexerint ut complementum *Liberationis & Prosperitatis temporalis*, quam Gens adepta erat per Maccabæos: ut suis locis sæpius monui, & ex omnium Prophetarum consensu testatissimum est: uno veluti obtutu viderunt, Gentes ex omnibus Populis per universum Orbem terrarum cum tempore Messiæ & initio Regni ejus confluxuras esse ad participanda *gaudia spiritualia*, quæ magnæ illius salutis nuncius non Judæo tantum Populo, sed & omnibus Gentibus adferret: secundum dictum Angeli [d]: *Annuncio vobis* GAUDIUM MAGNUM, *quod* TOTI *erit* POPULO. sc. universitati omnium Gentium. ex interpretatione Simeonis [e]: *Viderunt oculi mei* SALUTARE TUUM (τὸ Σωτήριόν σου,) *quod* PARASTI *in oculis* OMNIUM POPULORUM. Sic plane loquitur, acsi de Epulo instruendo ageret. Hujus autem *magnæ salutis communio* conjuncta cum perfecta animi pace, tranquillitate, lætitia, solatio, h. e. communio Christi Jesu, instar hostiæ piacularis Deo Patri oblati pro peccatis credentium, ejusque Justitiæ, & Bonorum Novi Fœderis Ecclesiæ per eam partorum, (qua lætitia nulla verior, nulla solidior est; imo quæ sola vera, sola solida est:) *Epulum* est verum, spirituale, instruendum in *Monte Tsioneo*, ad quod Dominus docet non invitandos tantum omnes esse Populos, sed & venturos esse, majore studio quam ipsos Judæos. Sic ipse Matth. VIII. 11. verbis equidem vulgatis, sed hic loci minime negligendis: *Dico autem vobis, multos ab Oriente & Occidente venturos, &* DISCUBITUROS *esse cum Abrahamo, & Isaaco, & Jacobo in Regno cœlorum.* Est autem *Regnum Cœlorum Justitia, Pax & lætitia per Spiritum S.* [f] quam communionem Bonorum, à *Deo* electis ex omnibus Populis paratorum, ipse duabus elegantibus Parabolis [g] sub emblemate Epuli lautissime instructi, depinxit; &, ne notitia ejus nos fugeret, symbolo COENÆ SACRÆ Ecclesiæ commendavit: ut modo præmonui. Sed en eximium locum, ad hanc rem facientem, ex Ps. XXII. 27. seqq. EDENT *mansueti &* SATURABUNTUR; *celebrabunt Jehovam qui eum quærunt; vivet cor vestrum in perpetuum. recordabuntur & revertentur ad Jehovam* OMNES FINES TERRÆ: *nam* JEHOVÆ *est* REGNUM, *& potestatem habet inter Gentes.* COMEDERUNT (Gentes) *& adorarunt omnes pingues terræ.* Principes, Reges, Magnates, eximii in Populis. An non vides, describi *Epulum sacrum*, maxime à Deo parandum atque instruendum in usum Gentium, postquam Messias ex diris παθήμασι liberatus ac vindicatus esset: quod superioris pericopæ argumentum est? Idem est in præclaro dicto Ps. LXXXVI. 9. OMNES GENTES, *quas fecisti, venient & adorabunt coram te, & glorificabunt nomen tuum.* scilicet, *dum vescerentur pane in Regno Dei* [h]. Cum autem *pinguia* delectent palatum ac saturent; *vinum* autem *merum* præterea ut aspectu jucundum & palato gratum, sic bibentem exhilaret: quare Propheta hoc emblemate usus est ut omnium aptissimo: Scriptura S. eadem quoque vindicat attributa Bonis spiritualibus, quæ materiam faciunt *Epuli Regni cœlorum.* De priori Dominus, Matth. v. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam,* ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται *quia ipsi* SATURABUNTUR. De posteriori apud Matthæum, postquam celebrasset cum Discipulis Cœnam sacram [i]. *Dico antem vobis: Non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, usque ad diem illam, qua eum bibero* NOVUM *in Regno Patris mei.* Intelligit utique commutationem *Cœnæ Paschalis* cum *Epulo* illo *spirituali*, instruendo *in Monte Tsionis*, post ipsum resuscitatum & receptum cœlo, & quidem in *Religione* spiritualiter celebranda cum omnibus prærogativis Divinæ Gratiæ, animum hominis miseri exhilarantibus & perfecte consolantibus, quas ipse alibi [k] *vinum novum* vocat, quod *utres veteres*, h. e. homines externæ Religioni rituali adhærentes, ferre nequeant. Certe est dignum animadversione, Religionem Christianam primo tempore ubique sic esse exercitam, ut Epula *Cœnæ Dominicæ* & *Agaparum* Sacrorum ejus partem facerent, & Christum Jesum profitentes in ipsa Religionis suæ professione publica *epularentur.* Erat autem illud instruendum, & instructum est, Epulum, ut dixi, in MONTE TSIONIS: ibi enim implenda erant promissa Populo & Gentibus facta. Sic Dominus Jesus ad Apostolos discipulosque suos [l]: *Et congregans illos denunciavit iis, ne discederent* HIEROSOLYMIS: *sed ut exspectarent promissum Patris, quod ex me percepistis,* ait. Respicitur utique *donum* Spiritus S. in ipso *Tsionis Monte* impertiendum *Ecclesiæ Hierosolymitanæ*, matri & matrici omnium Ecclesiarum totius Orbis: qui Spiritus esset *lætitiæ & consolationis* [m], & quidem lætitiæ perfectæ, nulli mixtæ perturbationi, concilianti animam consolationem perfectam, quæ comparatur *vino* ab omni *fæce* purgato. Apostolus eleganter vocat παράκλησιν ἀμωμίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι [n]. Id sane ipsum est, quod

Gentes invitandæ erant ad Epulum à Deo instruendum sub Oeconomia Nova.

Loca S. Scripturæ huc ducentia.

Inter ea Matth. VIII. 11. & Parabolæ Evangelicæ.

Prophetiæ analogæ, & inter eas Ps. XXII. 27. seqq. qui locus illustratur.

Vinum hujus Epuli quid præcipue significet?

Locus Matth XXVI. 29. illustratus.

Instructum est hoc Epulum in Monte Tsione.

Quo sensu id intelligendum sit?

Res ex parallelis illustrata.

---

[a] Act. II. 9. 10. [b] Cap. XIX. 23. [c] Cap. XXIII. 18. [d] Luc. II. 9. [e] ℣. 30. [f] Rom. XIV. 17. [g] Matth. XXII. seqq. & Luc. XV. 23. [h] Luc. XIV. 15. [i] Cap. XXVI. 29. [k] Matth. IX. 17. [l] Act. I. 4. [m] Act. IX. 31. [n] 2 Thess. II. 16.

quod Propheta sub alio emblemate, (Scholæ nimirum illustris in *Monte Tsioneo* constituendæ, ad quam Populi omnes confluerent:) tradiderat Cap. II. 1. ubi de hac re pluribus egi. Omnes Ecclesiæ omnium temporum originem suam referunt ad Ecclesiam Hierosolymitanam: omnes credentes in Dominum censentur esse *nati Tsione* & *Hierosolymæ*: omnes sancti, consortes Bonorum Divinæ gratiæ, intellectu vero & spirituali, epulantur in *Monte Tsionis*, non hoc tantum sensu quod Mons *Tsioneus* & *Hierosolyma Ecclesiæ* sustinuerint figuram: sed quod Ecclesia vera, credentesque omnes origines suas referant ad Ecclesiam Hierosolymitanam, & si non corpore, saltem animo & affectu, se illi Ecclesiæ adjungant.

Mysticus respectus hujus prophetiæ.

III. Hoc primum est prophetiæ implementum. Alterum juxta hypotheses supra positas, exspectandum est in fine temporum, sub *Periodo* Ecclesiæ *Septima*: qui sensus est prophetiæ mysticus, non ad hunc modo locum nostrum applicandus, verum etiam ad parallelum Zach. XIV. 16. de *Festo Tabernaculorum* (quo symbolo elegantissimo exhibetur status *lætitiæ, pacis, libertatis* Ecclesiæ N. T. & præsertim temporis noviissimi:) quem cum prophetia hac nostra in omni sua circumstantia conferri velim. Idem enim utrobique & de eadem re agitur, typice & mystice. Erit autem inter attributa illius temporis celebratio *Cœnæ Nuptialis Agni*, & *Concursus Gentium Populorumque* ad gaudia hæc spiritualia in Nova Hierosolyma participanda ac celebranda, cum Deus *omnia nova* faciet, & *lacrymam omnem abstergeat ab oculis* afflictorum caussa Religionis *a*. De hac *Cœna Agni* jam facta fuerat mentio in Epistola ad Ecclesiam Laodiceenam, (ordine *septimam*,) figurantem Statum Ecclesiæ qui proxime ejus instaurationem præcederet cum Judiciis in hostes ejus; quo nomen mysticum Λαοδίκη referendum est *b*: *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, καὶ δειπνήσω μετ' αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ· & cœnabo eum eo, & ipse mecum.* Deinceps vero Cap. XIX. 7. *Gaudeamus & exultemus, & demus ei gloriam, quia venerunt Nuptiæ Agni, & Uxor ejus se paravit.* sc. venit tempus celebrandi *Epuli Nuptialis Agni*. ut mox ℣. 9. *Scribe; beati sunt invitati εἰς τὸ Δεῖπνον τοῦ Γάμου τοῦ Ἀρνίου· ad* COENAM *Nuptialem Agni*. De *concursu* vero *Gentium* ad Ecclesiam post vindictam sumptam de hostibus ejus, Cap. XV. 4. *Quis non metuat te, Domine, & glorificet Nomen tuum, nam solus sanctus es:* OMNES GENTES *venient & adorabunt in conspectu tuo, nam judicia tua facta sunt manifesta.* Postea in descriptione Novæ Hierosolymæ *c*: *Et* GENTES *quæ servatæ fuerint ambulabunt in luce ejus, & Reges terræ gloriam ac honorem suum in eam inferent.* quod idem repetitur ℣. 26. Populi, qui renunciarunt Communioni Ecclesiæ corruptæ, ejusque superstitiosis atque idolatricis Sacris in *Missa* quæ dicitur, Sacræ Cœnæ substituta, & hi maxime qui à Deo gloriose vindicati sunt è manu Regum Babyloni servientium, jam hoc tempore celebrant illud Epulum cum animi sui vera lætitia & consolatione & gustant in eo *virtutes futuri sæculi*. quicquid autem his plus est in promissis, modo recensitis, patienter exspectant.

Illustratus ex loco parallelo Zach. XIV. 16.

Et ex parallelis *Apocalypseos*, Cap. III. 20. XV. 4. XIX. 7. 9. XXI. 24.

GRADATIO QUARTA.

Gradatio quarta.

℣. 7. *Et absorbebit in monte hoc* SPECIEM OPERIMENTI OPERIENTIS *omnes populos, & velamen impositum omnibus Gentibus*] Sic vertimus hæc verba, *Quartam* complexa *gradationem*, insignis rursus beneficii nunciam, cum plerisque Interpretibus: etsi Interpres Græcus hic plane è via digrediatur, & Hieronymus etiam sua versione hunc locum infeliciter tractarit: ex qua tamen secundum hypothesin suam, interpretationem fecit tolerabilem. Cappellus *d* id operæ sumpsit, ut utramque cum Hebræis compararit, &, quantum pote, excusarit. quod facile fieri patior: etsi plane coacta sint, quæ ad Græcam versionem, vere insanabilem, adfert. Mihi res tanti non est, ut eam attingam, cum errores sint manifesti. Et sunt tamen hic paucula observanda; quæ absque ambagibus expediam. Primum est in verbis, הלוט הלוט, quæ verti *Operimenti operientis*. Certa hic est interpretatio vocis לוט de *operimento*, sive כסוי *tegmine*, ut Hebræi; quod Græcis dicitur ἔλυτρον, ab ἑλύσσω *involvo, obvolvo*; respondens Hebræo לוט ejusdem significationis. Sed repetitum הלוט quomodo *grammatice* accipiendum sit, ambigitur: licet sensus sibi ubique constet. Sunt qui ex eo faciunt *participium passivum formæ Kal*, ut notet *obductum*, sive *impositum* omnibus Populis: ut sit הַלּוּט pro הָלוּט. alii *activum*, ut sit *operiens, obvelans*. Non pauci capiunt pro nomine, vertuntque verba: *operimenti, operimenti*, inquam. Sed doctus Grammaticus *e* censet, *geminationem substantivi* significare posse *multitudinem*, ut sensus sit: *Absorbebit* (Dominus) *in monte hoc faciem omnium involucrorum*, sive *cujuscunque involucri*. quod mihi non placet. Ubi enim *geminatio substantivorum* multitudinem significat, *substantiva* usurpantur *in plurali*, ut ratio suadet, & ex exemplis aliis hujus generis ibidem adductis liquet. Verior mihi videtur sententia, quæ vocem accipit ut *participium activum*, quod in *quiescentibus media radicali* quoque admittit *Cholem*. Junius & Piscator id præferunt in versione, & magis etiam probat Buxtorfius, Vir æterna dignus memoria *f*. Alterum est quod quæritur de emphasi phrasios, פני הלוט proprie *facies operimenti*. Sunt qui hic emphasin nullam agnoscunt, sed simpliciter vertunt, *tegumentum*: ut *facies Dei*, Deus ipse; *facies terræ*, terra ipsa; *facies expiationis*, expiatio. Alii phrasin exponunt per hypallagen, ut *facies tegminis*, sit *tegmen faciei*. ut Belgæ nostri, & ante eos Piscator. Utrumque ferri potest: etsi ego quidem Prophetam non frustra vocem addidisse mihi persuadeam, & hypallagen, hic vere duriorem, vitare velim, si licet. Verti itaque cum Jun. & Tremell. per *speciem*, sive, ut Cl. Coccejus, *apparentiam tegminis*. nec dubitem, quin id Propheta intenderit. Intelligitur *tegmen* aliquod non quod se magna specie commendabat, incrustatum superficie speciosa, pomposa & delectabili: ut Cl. Coccejus phrasin accipit: (id enim non latet in potestate vocis פנים quæ proprie notat qualemcunque exteriorem rei cujusque *respectum & superficiem*, quæ in oculos incurrit. perinde ac voces πρόσωπον & πρόσοψις apud Græcos, quæ qualemcunque *exteriorem* rei *aspectum* significant, ut πρόσοψις τῶν τῆς ἀιχμαλωσίας ὄιυτων, Diod. Siculo *g* est *aspectus* sive *species* exterior *malorum quæ in captivis miseramur*:) sed notat *speciem* & *imaginem involucri* mystice sic dicti qualis rei ipsius de qua agitur, naturæ convenit. Quæris, an intelligendum sit *velamen faciei*? Respondeo, id non liquere. Equidem vox sic usurpatur 1 Reg. XIX. 13. in historia Eliæ: וילט פניו באדרתו *Et involvit* FACIEM *suam pallio suo*. Sed usus vocis est generalis qui ad singulas partes corporis humani applicari potest, nec faciem magis quam alias corporis partes respicit. Quin videri posset Propheta vocem *faciei* hic non esse necleturus, si de *velamine faciei* speciatim intelligi vellet. Eodem autem modo interpretanda est vox מכסה in altero hujus sententiæ membro. Posterioris enim sensus à priore definitur. Ut vox legitur ex traditione Masoretharum, duci debet à voce נסך. quæ licet in Sacris frequenter satis usurpetur significatione *fundendi, libandi*: non est tamen dubium quin præter eam olim adsciverit eam *tegendi, velandi*, quam obtinet affinis terminationis vocabulum ככך: quin censeo, esse primariam & genuinam vocis notationem, à qua ipsa *fundendi* & *ungendi* significatio derivari debeat. Sumitur vox מסכה pro *tegumento* apud Vatem nostrum Cap. XXVIII. 20. & נסך significatu *tegendi, obtegendi*, Exod. XXV. 29. ut adeo lectionem vocis מַסֵּכָה hic opus non habeamus ex conjectura Cappelli commutare cum ea מְסֻכָּה, ut *punctuata* occurrit apud Ezechielem. Simile est מכסה à כסה, quod habuimus Cap. XXIII. 18.

Significatio vocis לוט.

Repetitum הלוט quomodo accipiendum? Variæ Versiones.

Sententia Prophetæ definitur.

Quid sit פני הלוט *Facies Operimenti*? Sunt qui in phrasi nullam agnoscunt emphasin. Sunt qui per hypallagen vertunt per *tegmen faciei*. Rectius servatur proprietas phrasios. *Facies tegminis* est species, imago rei quæ spirituali sensu *tegmen* dici potest.

Significatio vocis פנים.

Nec necessario intelligitur *involucrum faciei*.

Analoga significatio vocis מכסה *Tegumentum*.

Admonitio de Versione hujus Periocpæ. Et speciatim de Versione Græca, & Viri Docti circa eam conamine.

Adstruitur significatio vocis.

a Apoc. XXI. 4. 5. *b* Apoc. III. 20. *c* Apoc. XXI. 24. *d* In *Postumis*. *e* Glass. *Gr. S.* Lib. III. Tract. I. Can. V. *f* *Thes. Gramm.* Lib. I. Cap. XXXVI. *g* Diod. Sic. Lib. XIII. p. 345.

Sensus verus sententiæ investigatur.

Quis sensus subest emblemati? Prima meditatio hunc mihi suggerebat facilem ac non longe quæsitum, nec ab aliorum interpretationibus valde diversum: Deum Populos omnes, præjudiciis speciosis de veritate Superstitionum suarum & falsitate Religionis Judaicæ, (quæ illi præjudicia maxime fundabant in fortuna sua prospera, & Judæorum, veluti à Deo desertorum, adversa:) fascinatos & tanquam velo obvelatos, à crasso hoc errore liberaturum esse, eosque perducturum ad clarum aspectum & intuitionem suæ gloriæ veræque Religionis. Et tamen meditationi longius inhærens abstrahere mentem non potui à Paraphrasi Chaldæa, quam nunquam contemnere soleo, quæ emblema aliter accepit, & *involucrum* sive *velamen* vertit per *Imperatorem* aliquem *potentem*, adversarium sc. Populi Dei hoc tempore abolendum, estque digna ejus paraphrasis quam describam. Verba ejus: ויסחלעמון בטורא חדין אפי מלכא רבא על כל עממיא ואפי מלכא דשלים על כל מלכותא *Et absorbebitur in monte hoc facies* PRINCIPIS (Int. *præcipitabuntur facies Principis:* imitatus Hieronymum qui Aquilam sequutus in expositione hujus vocis, verterat; *præcipitabit.* sed non proprie, licet id latere possit in significatione vocis, si supponatur *absorbendum* sive *absumendum*, quæ est notatio vocabuli סלעם, *detrudi & præcipitari in inferiora:*) *qui dominatur omnibus Populis, & facies Regis qui imperat omnibus Regnis.* Intelligit *Mortem*, ut mox dicam, vel *Imperatorem Romanum*, nisi fallor, ejus imaginem. Symmachus *A* inter Veteres in priore membro sequitur sententiam Paraphrastæ, licet eum in posteriore deserat. Rationes Paraphrastæ haud dubie fuerunt, *α.* Quod verbis sensum dare cuperet qui non contineret prærogativam Gentium, sed earum punitionem, ut acceperat *versum superiorem.* *β.* Quod vox נסך *Unctus*, stylo Hebræorum, notet *Principem*, נסיכים *Principes*; ejusdem ortus cum vocabulis מסכרה & נסוכרה. Sic Jarchius ad vocem מסכרה adscripsit: לשון נסיכות ושררה *Significatu unctionis & imperii.* *γ.* Quod *Princeps* potens recte videatur comparari posse *velamini*, sive *tegmini*, tanquam cujus potentia infirmiores obtegantur, & sub quo latent, sive mystice sive vere Rex dicatur. Rex enim est veluti πρόσωπον *facies* eorum quibus imperat, qui in ipso videntur, quorumque ipse sustinet *personam:* & potuit hic præcipue respicere locum Vatis nostri, Cap. XXX. 1. ubi plures Intt. censent, מסכרה metaphorice usurpari de *Rege Ægypti*, cujus tegmen & præsidium Judæi vel Israëlitæ male consulti implorabant. *δ.* Quod vox בלע *absorbere* rectius videatur convenire rei quæ vel sit *persona*, vel sub figura *personæ* per προσωποποιΐαν commode proponi possit. figuram autem personæ non satis commode aptes ignorantiæ vel præjudiciis. *ε.* Nec Propheta diserte de *Velamine faciei* loquatur: sed simpliciter de *Velamine.* Dubium tamen, quid fuerit in mente Paraphrastæ, & qualem hic intellexerit Imperatorem? an cogitaverit de Imperatoribus Assyriis; aut *Imperatore Romano*; num potius de *Morte?* Certe de Imperatore Assyrio non cogitasse, liquet ex paraphrasi Cap. XXVII. 1. de Leviathane. *Romanum* vero si intellexerit: obstat, quod dicitur, *in* MONTE HOC. Forte itaque mystice intellexit *mortem*, sive *mortis* FACIEM, *imaginem*, h. e. miserias, calamitates, afflictiones, persecutiones, mortis præludia & anteambulones, ejusque Ministros, Ecclesiæ Persecutores. Utraque expositio pulchra est & huic loco conveniens: est quoque inter utramque magna affinitas. tantum quæritur, utra earum proxime accedat ad mentem Prophetæ?

Chaldæus Int. accepit pro *Imperatore* aliquo *potente*, qui omnes Gentes sub potestate sua habet.

Versio ejus adducta & illustrata.

Rationes ipsius.

Respexit significationem vocis נסך *ungere.*

Rex recte dici potest *tegmen* & *facies* Populi.

Respectus vocis בלע *absorbere* hoc loco.

Qualem hic intellexerit *Imperatorem?*

Forte intellexit *Mortem.*

Cum Judæorum aliqui temporibus Syriacis Patriam Religionem prostituerent, & Respublica, quæ se ferebat Præsidem habere verum Deum, à potentioribus Regnis pressa ægre se sustineret, & tandem Religio publica in Templo Deo vero consecraro publice destrueretur; & Confessores Religionis succumberent potestati acrium & furiosorum persecutorum, Regum Syriæ: Populi omnes, qui res Judaicas inspiciebant, & horum Populorum prudentiores, qui de Cultu Religionis Judaicæ honestius existimabant, in falsis de Religione Patria præjudiciis quæ ab infantia hauserant, magis confirmabantur, & meliorem sensum de veritate Religionis Judææ deponebant. Quandoquidem enim occultas caussas Divinæ erga Populum Judæum Providentiæ non perspicerent: non capiebant, qui fieri posset, ut Deus verus & summus, quem Judæi suum profitebantur Deum, eos aliarum Gentium traderet potestati, & ab iis opprimi sineret, cultumque suum aboleri, Templum & Sacra profanari, Populumque suum qui ferebatur, gravissimis exponeret adversariorum vexationibus, si fides & confessio Judæorum de Divinitate nihil falsum supponeret ac præferret. *Præjudicia* autem illa fundata in *crassa* Gentium ignorantia & *affectu carnali*, cui omnis superstitio Gentium serviebat, quis neget, recte & eleganter *involucro* sive *tegmini* comparari: cum Apostolus *præjudicia* Judæorum de Christo Jesu & Regno ejus VELUM appellet, *cordibus* eorum impositum [a]? Mutata metaphora, res eadem est, ubi *Evangelium* incredulis *opertum* dicitur quod credentibus *revelatur* [b]. *Operculum* enim illud & *tegmen* non est proprie Evangelii, sed *animi* hominis, præjudiciis suis involuti. Convenit phrasis Vatis nostri Cap. LX. 2. *Quia ecce* TENEBRÆ *texerunt terram, &* CALIGO *Gentes.* Describitur status *ignorantiæ & miseriæ* in quo essent Gentes ejus temporis, cujus attributa ibi consignantur. Platonicos vero passim de *vitiositate* humani generis, cujus magnam partem facit *ignorantia*, ut de *velo & cortice* loqui, aliàs observavi [c], & res notissima est: idque vulgo obtinere in omni hominum sermone ob comparationis facilitatem, neminem latet. Forte autem Aquilas & Theodotio id ipsum in oculis habuerunt, ubi illud מני הלוט verterunt, τὸ πρόσωπον τῆς σκοτίας, *faciem tenebrarum.* Cæterum ubi Deus, dum res Judæorum desperata videbatur, providentia sua singulari excitavit Heröes qui caussam sui Populi defenderint, eosque efficaci auxilio suo & præsidio armavit, eo quidem cum successu, ut hostibus suis longe potentioribus fusis Rempublicam instauraverint, & repurgato Templo, Religioni suum restituerint decus & splendorem; & mox idem Deus favore suo Rempublicam Judæam in illud evexit fastigium dignitatis, ut non impar haberetur potentibus Regnis, à quibus afflicta & oppressa fuerat: tum retegi cœpit *velum* ab oculis Gentium, & prudentiores agnoscere cœperunt manum vindicem veri Dei Israëlis, Præsidis ac Defensoris sui Populi. Sic Judas ipse in Oratione ad Deum pugnaturus cum copiis Gorgiæ [d]: *Ut* SCIANT OMNES GENTES, *esse qui redimat & servet Israëlem.* Atqui exaudivit illas preces Deus, & illo tempore removeri cœptum est *velum* de faciebus Gentium; & quidem in *Monte Tsionis*; quod *Cultus Dei* suo ordini restitutus in *Monte Tsionis* harum liberationum argumentum & testimonium esset publicum. Post quæ *initia*, (quæ Prophetæ spectarunt cum suo *complemento*,) *salus & justitia Dei* cum demonstratione efficaci & spirituali doctrinæ veræ Religionis, in Schola Apostolica, quæ est Schola Spiritus

Uterque sensus optime convenit rei ipsi & historiæ.

Prior illustratur.

Calamitates Judæorum & miser illorum status fovebant *falsa præjudicia* Gentium de ipsorum *Religione.* quod illustratur.

Quæ metaphorice recte dicuntur *Velum.*

Phrasis Apost. de *Velo* impositio *cordibus Judæorum* hic collata, ex 2 Cor. III. 16.

Ut & locus Cap. LX. 2.

Consensus Aquilæ & Theodotionis.

Hoc *Velum remotum* est prosperiore statu rerum Judaicarum.

Sed multo magis per efficax *Evangelii præconium*, hoc

---

a 2 Cor. III. 16. *b* Matth. XI. 25. 1 Cor. II. 10. 2 Cor. IV. 3. *c* *Observ. S.* Lib. III. Cap. VIII. *d* 1 Macc. VI. 11.

A Symmachi ad h. l. versionem memorabilem nobis hic servabit Procopius, unde eam exsignabo. Est autem hujusmodi: Καταπονλιεῖ ἐν τῷ ὄρει τούτῳ πρόσωπον ἢ ἐξουσιαστὴ ἢ ἐξουσιάζοντος πάντων ἐθνῶν, καὶ ἡ χρῆσις (ad marg κέλσις, forte ex emendatione Curterii, quæ hic admittenda:) ἡ κεκαλυμμένη κατὰ τῶν ἐθνῶν, καταπονηθήναι ποιήσει τὸ ῥάκατον εἰς τέλος· καὶ ἐξαλείψει Κύριος ὁ Θεὸς, &c. τ. α. *Et præcipitem dabit in monte hoc faciem Dominatoris, qui in omnes Gentes dominatur: & Judicium quod in omnes Gentes judicatum est, absorberi faciet mortem in finem, & absterget Dominus Deus, &c.* Divellit Interpres verba: תמסכרה הנסוכרה על כל הגוים à superiore membro, & connectit illa cum *priore membro* versus sequentis, etsi *genus* vocis בלע non respondeat *generi debiliori* vocis מסכרה, estque obscurum divinare, quæ ipsi constiterit interpretationis ratio. Dubitabam cum locum inspicerem, an non pro κέλσις κεκαλυμμένη scripsisset κέλσις κεκαλυμμένη, quæ melius viderentur responsura significationi vocis נסך quæ *unguendi* notatione frequens venit: sed non video, quem commodum sensum verba sic accepta facere queant. Ergo cum נסך quoque notet *fundere, effundere*, & illa notio metaphorice sumpta in Sacris referatur ad *effusionem* Divinorum Judiciorum ex *phialis Divinæ iræ:* id forte in oculis habuit, & in eo fundavit interpretationem, satis coactam.

tempora subsequutum.

tus S. erecta in Monte Tsionis, omnibus Populis tam clare exponerentur, ut *reflexis oculis* viderent *gloriam Dei in facie Messiæ*, & abnegatis præjudiciis Religionis falsæ *in luce Populi Dei* inciperent *ambulare*, secundum phrasin Prophetæ nostri, Cap. LX. 3. coll. cum Cap. II. 1. seqq. XI. 9. seqq. Hæc vero scena, quæ fuerat temporum Maccabaicorum, denuo exhiberetur in fine temporum Ecclesiæ tristium & calamitosorum, *mystice* iis respondentium. Cum enim corruptis Ecclesiæ temporibus Religio Christiana novo incrustaretur *tegmine* superstitionis, quo oculi Populorum *fascinabantur*, & Deus causam melioris & purioris Ecclesiæ, gravissimis expositæ afflictionibus, videretur deseruisse, atque hoc ipso Populi in *superstitione* ac *erroribus* suis magis confirmarentur: futurum erat, ut post vindictam à Deo de hostibus Ecclesiæ sumptam, gloriamque ejus & veritatis hoc judicio clarissime illustratam, Populi omnes hoc *velo* liberarentur, & *veram fidem*, in *Ecclesia* (quæ *Monti Tsioni* in mysticis respondet,) agnitam, supplices amplecterentur, secundum dictum Vatis [a]: *Cœli annunciant justitiam ejus, &* OMNES POPULI *vident gloriam ejus.* quando hoc *velum* non removeretur tantum, sed & *absorberetur*, dum Deo statutum erat Ecclesiam dehinc à persecutionibus publicis vindicare. Certe in *luculentis liberationibus*, quas Deus *Ecclesiæ Reformatæ* & nostro & Majorum nostrorum tempore propitius indulsit, adversarii ipsi viderunt & cum pudore ac damno suo agnoverunt vindicem Dei manum, velumque de multorum oculis remotum est.

Scena Ecclesiæ Christianæ Maccabaicæ similis eadem existeret in ultimis periodis Ecclesiæ.

Tegmen novum faciebus Populorum impositum in negotio Religionis: à quo Ecclesia jam liberari cœpit.

Propior meditatio horum verborum.

Sed licet hæc non spernam, quin omnino judicem, prophetiæ & rei ipsi non male convenire: dubitem tamen, an mentem Prophetæ directe feriant. Penitior & intimior meditatio verborum Prophetæ fecit, ut ad ea attenderim, quæ superius pro versione Paraphrastæ produxi. Non loquitur Propheta de *velo faciei*: quod si fieret, res liquida esset; & videbatur ita locuturus esse, si id intelligi vellet, quod modo exposui. Loquitur de *facie tegminis*, & quidem non utitur tantum voce לוט, verum etiam voce מסכרה, quæ manifeste ad *potentem Principem* refertur Cap. XXX. 1. Vox בלע *absorbebit* minus quoque convenit *præjudiciis errorum* & ignorantiæ. Sed hoc me maxime movit, quod *sequentem versum* incipiat *absque copula*; *Absorbebit* MORTEM *in æternum*, *&c.* eoque nos clare doceat, se quod hic obscurius & metaphorice ac parabolice scripserat, planius interpretari: quod sæpe & passim facit, cujusque exemplum habuimus in hoc ipso Cantico ℣. 4. 5. Ergo existimo, illum per *involucrum* & *tegmen* hic vere intelligi velle *Mortem*, magnum Dominatorem, qui totum genus hominum atra tegit veste & obscura condit nocte: per *faciem* hujus *Veli*, quæ est *facies Mortis*; miserias, calamitates, afflictiones, vexationes, persecutiones, quas sancti credentes in his terris causa Religionis *variis formis* & *speciebus* sustinent, earumque afflictionum Ministros, instrumenta Satanæ, Reges & Principes Orbis terrarum: per *absumptionem* vero *faciei* hujus *veli*, abolitionem persecutionis ac vexationis, & perditionem plenariam omnium persecutorum Ecclesiæ veræ in his terris publicorum: ad quod hic maxime respicitur. Comparatio est ut putem pulchra, & digna sapientia Vatis nostri. *Mors* scite & eleganter assimilatur *involucro* sive *tegmini* quo quis obvolvitur & involvitur. Eximit enim hominem aliorum aspectu & commercio; corpori obducit tegmen, *involvitque* externum hominis *cæca caligine*, ut phrasi Poëtæ utar. Ejusdem dictum est [b]: VOLVITUR *Euryalus* LETHO. Alterius [c]: *Mors atris circumvolat* ALIS. Pertinet locutio non ad celeritatem tantum, sed & proprietatem eam mortis qua morientes obnubit, & sub potestatem suam redactos occultat. Similia sunt Hesiodi illa [d]: Τὸς μὲν ἔπειτα Σεὺς κρονίδης ἔκρυψε· *hos quidem Jupiter Saturnius* ABSCONDIT. h. e. morte involvit. quod mox: Αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψε· *At postquam & hoc genus* (hominum) *terra* OCCULTAVIT. Unde ut *dies nimbis* recte dicitur *involvi*, sic moriens περιβάλλεσθαι θανάτῳ. quæ & ipsa phrasis Græcis est recepta. ut apud Diodorum [e]: Οὓς ὁ δῆμος .... θανάτῳ περιέβαλε. Marcus Antoninus [f]: Καιρὸς γάρ σε ἂν ἀν περιβάλοιεν· *Nullo enim malo te* (morientem) INVOLVENT, Dii. Prodit autem illa ut Ἐξουσιαςὴς *Princeps magna armatus potestate.* unde מלך בלהורת *Rex incutiens terrorem* [g]. & phrasis Apocalyptica [h]: Ἐπὶ τούτων ὁ θάνατος ὁ δεύτερος ἐκ ἔχει ἐξουσίαν. Est autem *Princeps* aliquis malorum Geniorum, cui Mythologia antiqua plerarumque Gentium varia nomina imposuit, nobis notior, quem Scriptores Sacri appellant [i] τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τῦ θανάτε, *qui habet* POTESTATEM *mortis*: sive τὴν ἐξουσίαν τῦ σκότες, *Potestatem tenebrarum* [k]. Hæc *mors* se *ostentat* maxime, omni & vera sua terribili specie, in cruciatibus, tormentis, suppliciis, terroribus, quibus *persecutores* Ecclesiæ fidem & patientiam confessorum veræ Religionis tentant: quæ proinde afflictiones ut sunt *facies mortis*; sic *persecutores* sunt *facies* & πρόσωπον *Satanæ*, qui se sub eorum *persona* & *larva* Ecclesiæ conspiciendum præbet. IMAGINEM MORTIS recte dixeris, stylo Poëtæ [l]. Cujus faciei *absumptio plenaria*, quæ indicatur voce *absorbendi*, est utique sensu Prophetæ *abolitio violenta mortis*, quæ Confessoribus veræ Religionis ob eam maxime causam intentatur, cum omnibus illius *Instrumentis* & *Ministris*: metaphora desumpta ab his quæ *mari* aut *palude mersa* aut in *voraginem ignis* missa, aut à voraci animante *deglutita* ita pereunt, ut plane aboleantur. qui effectus hic ad Deum refertur, quia faceret ille sua providentia & judicio, ut penitus interiret. de quo, ut & de prophetiæ *implemento*, commentor ad *versiculum* sequentem, hujus nostri ἐξηγητικόν.

Prodit autem *Mors* ut *Imperator* qui dominatum obtinet in omnes homines.

Illustratur hypothesis ex locis parallelis.

Hæc *Mors* se maxime terribilem ostentat in *persequutionibus* quæ adversus Ecclesiam instituuntur. sunt *facies* ejus.

Absumptio & perditio hujus *tegminis* quid sibi velit?

Emphasis vocis *absorbere*, *deglutire*, h. l.

Exegesis Gradationis *quartæ.*

℣. 8. ABSORBEBIT MORTEM IN ÆTERNUM; *& abstergit Dominus Jehova lacrymam ab omnibus faciebus, & opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Jehova loquutus est*] Jam præfatus sum, me hæc verba respicere ut ἐξηγητικὰ *commatis superioris*, & Prophetam, pro more suo, hic planius explicare, quod involutius extulerat in proxima oratione: cujus sententiæ argumentum inde etiam petii, quod voci בלע nulla *præfixa* sit *copula*, quippe quo Propheta nos monuit, verba hæc cum prioribus *uno* veluti *spiritu* legenda, & priora ex his intelligenda esse. Est autem magnum quid & excellens quod hic dicitur, cui nefas est tenues aptare sensus: nec tamen id prohibet, quo minus hoc dictum per gradus & articulos temporum implementum suum consequeretur, usque quo omnis vis ejus exhausta esset. Vocem בלע *præteriti modi* verti per *futurum*, *absorbebit*, *destruet*, quia id rectius videbatur convenire clausulæ: *quia Jehova loquutus est*: quæ passim subnecti solet prophetiis. Sed res vere ita se habet, involvi hac voce in loco hoc nostro geminam significationem: perinde ac in *versiculis* superioribus *proximis*. Dicere vult Vates, Deum jam *absorbuisse*, hoc est, typice & mystice *absorbere* cœpisse *mortem ad victoriam*, sive *in æternum*; idque etiam facturum esse in posterum, usque quo penitus intereat & omni effectu suo destituatur. Adscribit autem Vates effectum hunc *Jehovæ*, quæ vox hic vel repetenda est ex ℣. 6. vel ex *altero membro* hujus pericopæ, quo appellatur ארני יהוה *Dominus Jehova*. Esset enim effectus absolutissimus, qui à nulla causa alia expectari poterat ac in cujus potestate *vita* & *mors* est omnium mortalium. Cum enim plures sint, quibus sub Deo aliquod restrictum vitæ ac necis arbitrium est; nullius absolutum est præterquam Dei: plures qui mortem aliis inferre queant; nullius est quam Dei, mortem destruere & abolere, &, quod Propheta hic dicit, *absorbere*, *deglutire*. Hæc vera emphasis est vocis בלע, quam Apostolus hunc locum allegans in *Epist.* ad *Corinthios* [m], (non utique ex recepta Versione Græca, quæ

Exegesis hujus *gradationis*.

Beneficium *absorbendæ Mortis* clarius proponitur.

Præjudicium de his verbis.

Aspectus prophetiæ.

Versio vocis בלע.

Geminus sensus, *futuri* & *præteriti* involutus est voce בלע.

Effectus tribuitur Deo *Jehovæ*.

Quare & quo sensu?

Significatio & emphasis vocis illustrata ex

Ipsa *mors* hic figurate venit nomine *tegminis*.

Facies tegminis sunt *calamitates* & afflictiones terribiles, quæ confessoribus Religionis veræ intentantur.

Perditio facici tegminis liberatio Ecclesiæ ab illis *afflictionibus*.

Mors metaphorice optime appellatur *tegmen* & *involucrum*.

Ejus ratio.

Illustratur dictio ex collatis Exterorum locis.

a Ps. XCVII. 6. b Æneid. Lib. IX. ℣. 433. c Flacc. Serm. Lib. II. ℣. 58. d Op. & D. ℣. 138. 140. e Lib. XV. p. 475. f De Rebus suis Lib. II. §. XI. g Job. XVIII. 14. h Cap. XX. 6. i Heb. II. 14. k Luc. XXII. 53. l Æneid. Lib. II. ℣. 369. m 1 Cor. XV. 54.

1 Cor. xv. 54. & aliund.

primus membrum hujus ſententiæ aliter exhibet,) ſed ex verſione ſua recte transfert, καταπίνειν, perinde ac Theodotio; & Symmachus quoque; καταποθῆναι ποιεῖν. Aquila habet, καταποντίσει. unde Hieronymi nata eſt verſio, *præcipitabit*. Metaphora eſt, ut dixi, deſumpta à mari, palude, voragine profunda, igne, animantibus voracibus, quorum eſt injecta aut hauſta cum in modum abſumere, ut plane evaneſcant & diſpareant. Sic Propheta [a]: *Conjicies omnia illorum peccata in* PROFUNDA MARIS. ut videlicet plane abſorbeantur. Diod. Siculus in hiſtoria Alcibiadis poſt primum ejus exilium [b]: Ἔπειτα δὲ τὰς δίκας κατεπόντισαν· *Poſtea etiam* (Populus Athenienſis,) *condemnationis tabulas* SUBMERGUNT. Nepos [c]: *Iidemque illi Eumolpidæ Sacerdotes rurſus reſacrare ſunt coacti qui eum devoverant; pilæque illæ, in quibus devotio fuerat ſcripta, in mare præcipitatæ.* Sed eſt hæc notatio vocis καταποντίζειν æque ac res ipſa apud Græcos frequentiſſimæ uſurpationis. Eſt præterea in hoc dicto Prophetæ ὀξύμωρον, quod obiter illud inſpicientes non obſervant. Cum enim *Mortis* ipſius proprie attributum cenſeatur homines *involvere & abſorbere*, ut in ſuperioribus oſtendi: Propheta emphatice ſimul & eleganter *Mortis* abolitionem & deſtructionem expoſiturus, *Mortem* ipſam, quam Mythologi Græci ſub imagine *Stygiæ Paludis* & *Acherontis* exhibent, docet *involutum & abſorptum* iri. utrumque enim latet in poteſtate vocis בלע, tanquam quæ præter *abſorbendi & abſumendi* ſignificationem quoque adſciverit affinem *operiendi & involvendi*. Ad hoc emblema expreſſa eſt oratio Apocalyptica [d]: *Et infernus ac* MORS *conjecti ſunt in ſtagnum ignis.* ut ſc. devorentur & penitus abſumantur. Extremam tandem & ſummam emphaſin orationi addit Vates epitheto, לנצח *in perpetuum.* ne forte quem ſubeat cogitare, mortem vel ſecundum aliquam ſui partem tantum abſumendam; vel abſorptam, non plane interituram eſſe. Apoſtolus vertit εἰς νῖκος *in victoriam*, ut quoque Aquila & Theodotio. Senſus eſt, ut pro victa debellataque habeatur. Symmachus; εἰς τέλος, *in finem.* ſive perfecte. Chaldæus: לעלמין. Hieron.: *In ſempiternum.* Cocc. *Etiam atque etiam.* Syrus utrumque conjunxit: *Cum victoria in ſempiternum.* Nulla hic pugna eſt: quin ipſa conſonantium verſionum diſſonantia demonſtrat veram vim phraſios. נצח, quod Grammatici jam docuerunt, notat proprie *rei* alicujus aut *temporis perpetuitatem* ſive *perennationem*, ſi ſic loqui liceat; cujus cauſſa cum ſit *vis & vigor* in re, adſciſcit ſibi ſignificationem *vigoris*. *Vis* autem & *vigor* cum in bellis præſtare ſoleant *victoriam*: hanc quoque notationem ſibi vindicat, qua præcipue recepta eſt Chaldæis. Primus itaque & ſimplex ſenſus Prophetæ, *Mortem abſorptum iri in perpetuum*, h. e. quod Symmachus, *perfecte* abolitum iri, ut plane evaneſcat, & nullus ejus effectus amplius ſuperſit. Sic Propheta noſter de *Edomo*, igne deſtruenda, Cap. XXXIV. 10. לנצח נצחין *In perpetuum perpetuitatum nemo per eam tranſibit.* Sed cum vox ſignificare quoque poſſet *victoriam*, idque optime conveniret contextui orationis Prophetæ, qui vaticinatur de hoſtibus Eccleſiæ à Deo debellandis ac debellatis, in quibus Eccleſiæ hoſtibus Mors ſe *oſtentaverat* cum omni ſua ſpecie & armatura terribili: Apoſtolus, qui hanc emphaſin vocis obſervari volebat, eam vertit εἰς νῖκος *in victoriam*. h. e. ut pro victa debellataque habeatur, & teſtimonium præbeat clariſſimum *victoriæ perfectæ*, à Deo de hoſtibus ſuis reportatæ, & *victoriæ credentium*, gratia Chriſti Jeſu ſuffultorum, eam virtute fidei ſuæ ſuperantium, ut dehinc neceſſe habeat fateri, ſe nihil poſſe. Cætera hujus ſententiæ nihil habent quod nos moretur.

Ad ſenſum Prophetæ aſſequendum duo præcipue diſcutienda ſunt. primo quidem, quid hic loci per *Mortem* intelligendum ſit; & cum variæ ſint *Mortis* ſpecies, & ipſa etiam *Mors* metonymicam admittat ſignificationem: quid horum fuerit in mente Prophetæ? Deinde, an dictum Vatis ſit accipiendum ἁπλῶς *abſolute* & generaliter reſpectu ſubjectorum omnis generis; num potius σχετικῶς *relative*, reſpectu certorum ſubjectorum, quibus Mors terribili vultu minabatur interitum? Utrumque, quantum pote, paucis expediam. Primo itaque hic obſervari velim, Prophetam hoc in loco non loqui de omni *ſpecie mortis*, reſpectu *ſubjectorum* omnis generis abſque ullo diſcrimine *qualitatum* quæ in iis ſubjectis inſunt. Eſt enim quædam *mortis ſpecies* quam Scriptura Prophetica vocat τὸν δεύτερον θάνατον· MORTEM SECUNDAM [e], quæ nunquam *aboletur* reſpectu ſubjectorum quæ ejus ſubſunt poteſtati. Eſt πῦρ ἀιώνιον; κόλασις ἀιώνιος; ὄλεθρος ἀιώνιος; *vermis qui non moritur; ignis qui non extinguitur; opprobrium æternum*; h. e. ſupplicium graviſſimum, deſtinatum impœnitentibus & inobedientibus Evangelio. Quicquid hic dicitur, in ipſa hac ſententia reſtringitur ad *Populum Domini Jehovæ*, qui facit *Eccleſiam Dei* in terris, conſtituram non ex *Judæis* tantum, ſed & ex *Gentibus*, ſalutem Domini amplexuris, quotquot ex *Judiciis* in ſuperioribus deſcriptis ſervatæ fuerint, ut ad ỳſ. 6. monui. Secundo, non loqui etiam Prophetam de ipſa hac *morte æterni opprobrii & cruciatus* reſpectu *electorum Populi ſui*, quia *electi Dei* hujus mortis poteſtati nunquam ſubfuerunt, & adverſus eam per Divinam Gratiam præſervantur, ſive, ut phraſi *Apocalypſios* [f] utar, SECUNDA MORS *in eos non habet poteſtatem*, & alio loco [g], *non læduntur à* MORTE SECUNDA. Equidem non nego, electos, natos *carnales & filios iræ* antequam per Divinam Gratiam tranſlati fuerant in ſtatum lucis, gratiæ, & communionis Dei ac Sanctorum, ſubfuiſſe poteſtati *mortis* quam in Scholis *ſpiritualem* vocant, qui eſt ſtatus ignorantiæ, malæ conſcientiæ, ſervitutis peccati & abalienationis à Divina communione: ſed *Populus Dei*, de quo hic agitur, cenſetur jam ab hac morte eſſe vindicatus & poteſtate hujus mortis exemptus per gratiam *vivificationis ſpiritualis*. Propheta loquitur de *Morte* quæ poteſtatem ſuam exercere poteſt & exercet ſive in totam Eccleſiam Populi Dei, ſive in ſingulos electos & ſanctos, qui jam ſunt & eſſe cenſentur in communione Dei. Ergo conſolatio, quam Propheta hic conſignat, accipienda eſt primo ſuo ſenſu de *morte illa* quam Scriptura vocat τὸν πρῶτον θάνατον, *primam mortem*, quatenus hoſtiliter *ſævit* in Populum Dei cum omni ſua armatura & apparatu quo ſe homini *terribilem* oſtentat in *Perſecutionibus* & Afflictionibus publicis, aut in *extraordinariis* Dei *Judiciis* quibus in Eccleſiam ob ſcandala aut vitia ejus animadvertit, eamque caſtigat & ſæpe ſevere plectit: quam Mortem Scripturæ phraſi recte appelles διωγμὸς καὶ θλῖψις PERSECUTIONES & AFFLICTIONES [h]; ſive ἀνάγκας, ὕβρεις, διωγμὸς, ξενοχωρίας, *neceſſitates, injurias, perſequutiones, anguſtias* [i]. De qua *Morte* Apoſtolus [k]: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? num afflictio, aut anguſtia, aut perſequutio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius?* Qui prophetiam oculo legit ſimplice, & ad proximum ejus ſcopum attento, facile videt, (quod in *Anacriſi* ſuppoſui ac demonſtravi,) agi in ea de malis, afflictionibus, opprobriis, & ipſa morte violenta, quæ confeſſoribus veræ Religionis ab hoſtibus ejus & potentibus veræ fidei Perſecutoribus ejuſdem illius fidei & Religionis cauſſa, inferuntur; vel etiam per extraordinaria Dei Judicia, quibus Eccleſiam plectit & purgat, eidem Eccleſiæ infliguntur. hæc enim ſæpe inter ſe junguntur. *Mala*, inquam, *extraordinaria* omnia, quibus vel Satanas bellum gerens cum ſemine Sanctorum per Principes Mundi Eccleſiam oppugnat, ut ſi pote, electos ſeducat eoſque ad apoſtaſiam aut deſperationem adigat & dejiciat de ſtatu; vel quibus Deus ipſe, Eccleſiæ æque ac Mundi Judex, *peccata* Populi ſui *viſitat*, magna ſæpe uſus ſeveritate: quæ mala tendere videntur ad Eccleſiæ deſtructionem ſtatumque ejus conturbant. Sic Vates ipſe in ipſis hiſce verbis ſe interpretatur, ubi mox ſubjungit, Deum *lacrymas* deterſurum eſſe de *omni facie*, & *opprobrium Populi ſui* remoturum de

Propheta hic non loquitur de omni *ſpecie mortis*, reſpectu ſubjectorum omnis generis.

Neque etiam de *Morte omnis generis* reſpectu ſanctorum.

Sed de *Morte* quæ & quatenus *poteſtatem* ſuam exercet in *electos Dei*.

Mors intelligitur temporalis quatenus ſe terribilem oſtentat homini.

Parallela adducta.

Senſus adſtructus confirmatur ex *contextu*.

Et mala hujus generis diſtinctius deſcribuntur.

Non excluduntur hic extraordinaria Dei judicia.

Locus Apoc. xx. 14. cum hoc collatus.

Quo modo capiendum quod additur, לנצח *in perpetuum*?

Emphaſis ejus.

Verſiones aliæ. Εἰς νῖκος.

Vis vocis נצח.

Ratio verſionis ejus apud Paulum.

Senſus ſententiæ inveſtigatur. Dubia hic diſcutienda.

Ὀξύμωρον in dicto Prophetæ.

[a] Michæ, Cap. VII. 19. [b] Hiſt. Lib. XIII. p. 368. [c] In *Alcibiad.* Cap. VI. [d] Cap. XX. 14. [e] Apoc. II. 11. XX. 14. [f] Apoc. XX. 6. [g] Cap. II. 11. [h] 2 Theſſ. I. 4. [i] 2 Cor. XII. 10. [k] Rom. VIII. 35.

Summa investigationis. Intelliguntur *Persecutiones publicæ*, cum omni suo apparatu terribili.

de *tota terra*. Intellige igitur hic loci per *Mortem*, ℵ. Persecutiones, oppressiones, afflictiones, causſa Religionis Ecclesiæ veræ intentatas, cum earum comitantibus & consequentibus, opprobriis, injuriis, direptione bonorum, cruciatu, tormentis, doloribus, & violenta tandem morte, igne, aqua, rotis, crucibus, gladio, carceribus, mutilationibus membrorum, confessoribus veritatis variis modis inflicta, in quibus *Mors* & *Orcus* se formidabiles præbent hominibus, sive lentum iis sive repentinum minentur & adferant interitum: secundum illud Vatis Sacri, ab Apostolo allegatum, & hujus temporis scenæ analogum *a*: *Tui causſa* OCCIDIMUR *omni die: reputamur ut oves mactationi destinatæ.* quæ cum superioribus legenda, in quibus viva ferventis persecutionis imago pingitur. β. Principes & Reges Mundi, Satanæ *personam* sustinentes, veramque ejus *faciem* exhibentes, persecutionum hujusmodi auctores & incentores. Hoseas de Ephraimitis *b*: מיד שאול אפרם *Redimam illos è potestate* INFERNI: *ex* MORTE *vindicabo eos.* sc. primo sensu, è potestate Regis Assyrii vel Babylonii. Sic Propheta noster de profanis Populi Dei, longi temporis securitatem sibi promittentibus, quod cum magno aliquo Imperatore, vel Imperio quod unum sibi exitium adferre posse persuadebant, pacem fecissent *c*: *Quia dicitis, fœdus percussimus cum* MORTE *& cum* INFERNO *fecimus pactum.* Habakukus *d*: *Ecce ille* (Assyrius aut Chaldæus,) *dilatavit instar* INFERNI *animam suam* (cupiditatem suam,) *& instar* MORTIS *non satiatur.* Nempe ut Poëta Græcus apud Diodorum de Imperatoribus Persis *e*: Φρονεῖτε μὲν ἀιθέρος ὑψηλότερον, καὶ μεγάλων πεδίων ἀρέρας· *Vos celsiores animos æthere gerentes cupitis spatia ampla terræ, & seqq.* Confer Ps. XLII. 8. ubi veniunt nomine תהום ABYSSI. γ. Judicia Dei extraordinaria, *famis, bellorum, luis, ferarum*, Calamitatesque & Mala publica alia, Mundo non tantum sed & Ecclesiæ gravia atque infesta, ac provocantia ipsius Populi Dei lacrymas: ut & magnos Gentium Populorumque *Vastatores*, Divinorum Judiciorum administros. quo sensu sumitur in *Viso* Sigilli *quarti f*, quod exhibet *equum pallidum*, cui insidebat qui dicebatur MORS, quemque *sequebatur* INFERNUS. Intelliguntur Populi, magnam in Orbem inducturi vastationem. Atque hæc inter se conjuncta illam *Mortem* faciunt quam Propheta *abolendam* esse docet. Liberanda esset Ecclesia ab oppressione & persecutione publica, ejusque cognatis & consequentibus, ac deinceps gavisura pace, prosperitate & blando Divinæ Providentiæ ac Gratiæ influxu. Sed Apostolus nos docuit quid majus & γενικώτερον in his verbis contemplari. Agens enim de *Resurrectione credentium* è morte animali ad vitam gloriosam & beatam, postquam hoc dogma solide adstruxisset, subjungit *g*: Τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος, Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος· *Tum* FIET (implementum suum sortietur) *verbum illud scriptum: Absorpta est mors in victoriam.* Non id vult Paulus, prophetiam hanc Jesaiæ ante tempus novissimi Judicii nullum hactenus implementum consequutam fuisse: sed illo tempore perfectum & absolutum consequuturam esse implementum, quando peccato cum omnibus ejus effectis destructo, & corporibus credentium vindicatis è potestate Mortis temporalis, vita Christi Jesu in membris ejus omnibus se perfecte exsereret. Dixeris, eandem utique sortem quoque fore reproborum, ex nostra hypothesi pariter resuscitandorum. Respondeo, Spiritu S. præeunte, unius ejusdemque rei hic aspectum esse diversum, cum resuscitati ad æternum opprobrium hac sua resurrectione nihil aliud consecuturi sint, quam ut *mors* ipsorum *temporalis* commutetur cum *morte æterna*, omnium gravissima, quod suo loco docui significari emblemate eleganti, Apoc. xx. 14. Paulus autem hæc verba Prophetæ accipiens in omni latitudine & amplitudine suæ significationis, nihil alienum fecit à more Apostolorum dicta Prophetarum interpretantium, aut à scopo Spiritus S. & Prophetæ. Apostoli enim & Scriptores N. T. dicta Prophetarum in omni emphasi sua & vi significationis capere solent; supponentes, Spiritum qui in Prophetis loquutus est, perfecte loquutum esse, & perfecte intelligi velle, atque adeo dicta ejus non censeri impleta, si quid restet in quo dici possunt impleta non esse. Inspice in rem ipsam, & videbis, eos optime ratiocinari. Si sancti & Ecclesiæ sanctorum à persecutionibus & afflictionibus, harumque consequente morte violenta tantum vindicarentur, & tamen æternum succumberent morti temporali, ex lege naturæ imperium in eos exercenti æque ac in omnes mortales alios: an dici posset mors temporalis cum communibus hujus vitæ malis & calamitatibus, ipsorum respectu, perfecte victa debellataque esse? Num affirmari posset, Deum in Christo de omnibus suis hostibus (est autem hostile Regni Christi quicquid ex peccato est:) perfecte triumphasse, vel mortem esse *absorptam* & quidem *in æternum?* Ergo Apostolus hic ut ubique, sapienter instituit, & nihil alieni Prophetæ obtrusit.

Instrumenta Persecutionis: *Principes & Reges Mundi, Tribunalia inquisitionis, &c.*

Extraordinaria Dei Judicia.

Majora adhuc emphasis quæsita in h. l. ex ductu Paulino 1 Cor. xv. 54.

Mors demum perfecte *absorbetur* in *Resurrectione* Mortuorum.

Quo modo illud Beneficium tantum imputetur Ecclesiæ?

Modus quo Apostoli tractant Scripturas V. T.

Hic loci recte adhibitus.

IMPLEMENTUM PROPHETIÆ.

De *Implemento prophetiæ.* Literale quæritur in temporibus Simonis Ethnarchæ.

Nihil me terret promissi hujus & prædicti amplitudo, quo minus primum ejus implementum typicum quæram in temporibus Maccabaicis: Simonis, inquam, Ethnarchæ & Johannis Hyrcani. Literalia enim & typica, dum spiritualium figuras sustinent, longe majoribus lineis pinguntur, quam absque eorum respectu fieret. Aspectum temporum Simonis exhibet Historicus Maccabaicus *h*, cujus narrationis hæc sequentia describo: *Et dilatatis finibus Gentis suæ* (Simon) *obtinuit regionem; congregavitque captivos multos, in potestatem suam redactis Gazaris, & Baithsuris, & Arce, unde sustulit immunditias, nec erat qui resisteret ei. Tum colebant tellurem cum pace, terraque dabat proventus suos, & arbores camporum fructum suum. Senes in plateis sedebant, omnes de bonis conserebant sermones, & Juvenes induebant stolas gloriosas, stolasque bellicas. Civitatibus suppeditavit annonas, & instruebat eas instrumentis ad munitionem idoneis, eousque ut celebratum fuerit nomen ejus gloriosum usque ad extremum terræ. faciebat pacem in terra, gaudebatque Israël gaudium magnum: & sedebat unusquisque subter ficum suam & vitem suam,* NEC ERAT QUI EXTERRERET EOS: καὶ ἐξέλιπεν ὁ πολεμῶν αὐτοὺς ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ οἱ βασιλεῖς συνετρίβησαν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις· ET DEFECERAT OPPUGNANS EOS IN TERRA, ET REGES CONTRITI FUERUNT IN DIEBUS ILLIS. *Et confirmabat omnes humiles Populi sui, legem exquirebat, & tollebat è medio omnes iniquos & malignos. Sanctuarium honorabat, & multiplicabat vasa Sacrarii.* Sic abolita est *mors* in *Monte Tsionis*, ubi per plures annos regnaverat, dum Syri Hierosolymam, vel *Acram* sive *Arcem* ejus in sua habebant potestate, deletis persecutoribus Religionis publicis, qui post illud tempus nulli fuerunt, quandiu Judæorum stetit Respublica. Populi enim & Regna qui post hoc tempus simultatem cum Judæis exercuerunt, aut bella cum iis gesserunt: ad id inducti sunt rationibus aliunde ac ex Religione desumptis, quam omnes Gentes non tantum tolerarunt, sed & præstantiores honorarunt, & Ecclesiam quoque Judæam proselytis auctiorem fecerunt.

Insignis locus ex Historia Maccabaica de statu rerum illius temporis.

Consequens ex hoc loco eductum.

Sed vidit Propheta hæc typica, &, si in se spectentur minora, nec exhaurientia verborum emphasin, post id tempus mutanda esse in antitypica & vera. nempe Messiam, Filium Dei, τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς *i*, appariturum in carne, ut *per mortem aboleret eum qui habet potestatem mortis k*, *mortemque* FACERET EVANESCERE (καταργήσῃ:) *vitamque atque immortalitatem in lucem produceret l*: & hoc peracto ac sibi parato *regnandi jure*, Regnum suum mox fundaturum esse in *Monte Tsione:* inde brevi disseminandum per Orbem terrarum: cui cum se opponeret MORS cum omni sua specie ac apparatu terribili, h. e. Principes Mundi, in quibus se ostentaret Satanas tanquam in vera sua *facie* & *larva*; longum fore con-

Initia hæc complementum suum acceperunt sub Oeconomia Nova his temporibus succedente.

Mors destructa & abolita est per Filium Dei, in *causſa* sua.

Et mox in *effectis* per

a Ps. XLIV. 23. *b* Hos. XIII. 14. *c* Cap. XXVIII. 15. *d* Hab. II. 5. *e* Lib. XVI. p. 558. *f* Apoc. VI. 7. *g* 1 Cor. XV. 54. *h* Lib. I. Cap. XIV. 6. seqq. *i* Act. III. 15. *k* Heb. II. 14. *l* 2 Tim. I. 10.

gradus & articulos temporum.

conflictum & difficillimam luctam *Seminis Sanctorum* cum *Serpente* ejusque *Semine*, variis eventibus distinguendam, dum Satanas se modo in hanc, modo in aliam indueret formam, ut terrorem incuteret confessoribus veræ Religionis, eosque de statu suo deturbaret: videlicet ut victus triumphatusque FACIE *Draconis*, (quod factum tempore Constantini:) sub specie *Pseudoprophetæ*, iisdem armis & instrumentis, quibus olim usus fuerat in defendendo Paganismo, reliquias Seminis Sancti oppugnaret; sub finem temporum Regibus Principibusque terræ inflammatis ad veram Ecclesiam Christi Jesu delendam atque extirpandam: quæ lucta, casura in *finem Periodi sextæ*, omnium esset gravissima. veruntamen Deum hoc tempore afflictionis Ecclesiam suam non esse destituturum; quin potius excitatis Heröibus, qui Populum Dei defenderent, hostes suos insignibus Judiciis esse prostraturum, *Mortemque* ita deleturum & destructurum, ut Ecclesia dehinc ab opprobriis, afflictionibus & persecutionibus, quas hactenus caussa Religionis sustinuerat, vindicata, *lacrymisque detersis*, gauderet perfecta consolatione cum copia exuberante donorum Spiritus S. donec tandem, Sæculis Ecclesiæ in hac terra destinatis ad finem decursis, in resurrectione beata & glorioſa ipsa tandem *mors* respectu electorum Dei penitus *absorberetur*, & vita Christi Jesu in omnibus ejus membris perfecte regnaret. Nihil horum est quod non lateat in mystico hujus sententiæ sensu. opus enim hoc gratiæ est continuum, nec potest dissolvi. Et tamen ex primo sensu Prophetæ hic præcipue respicitur *Beneficium Gratiæ* quo Deus Populum suum, egressum ex Babylone mystica, & ad exemplum Ecclesiæ antiquæ temporum Maccabaicorum gravissimis afflictionibus tentatum atque impetitum, tandem glorioſe vindicaret, *Mortem* hanc destrueret, & afflictos consolaretur, solatio durabili & non interituro. quod fieret *Periodo septima*. Sic Spiritus ipse nobis præit, ubi hæc verba usurpat & ad hoc tempus Ecclesiæ transfert [a], loquens de iis qui venerant ex *magna afflictione: Non esurient amplius, nec sitient amplius; nec in eos cadet sol, neque ullus æstus: quoniam Agnus qui est in medio throni pascet eos & deducet ad fontes vivos aquarum*; & ABSTERSURUS EST DEUS OMNEM LACRYMAM AB OCULIS IPSORUM. Efficacius adhuc in descriptione Hierosolymæ Novæ, quæ statum hujus temporis exhibet [b]: *Et absterſurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, & MORS NON ERIT AMPLIUS; *neque luctus neque clamor, neque labor erit amplius, quia præcedentia præterierunt.* Persequutiones & persecutores, & luctus publicus caussa Religionis, cessabunt. de quo suis locis prolixius egi, & conferre poteris ex aliis insignia loca Pſ. LXXXV. 9. seqq. Joël. III. 16. seqq.

Directe tamen hic innuitur Eventus *Periodi sextæ*.

Parallelia Apocalyptica ex locis Apoc. VII. 16. 17. & XXI. 4.

Inter quos notabilis esset qui caderet in finem *Periodi sextæ*.

Et complementum acciperet in *Resurrectione mortuorum*.

Exodium sive *Antistropha* Cantici.

Propositio Exodii cum *Præfatione* Prophetæ.

Exodium hujus Cantici.

Propositio cum præfatione Prophetæ.

℣. 9. *Et dicetur illo die: Ecce Deus noſter* HIC est *quem exſpectavimus, & qui* NOS SALVAT ac salvabit! *Hic* est JEHOVA *quem exſpectavimus. lætemur & gaudeamus* (sive, lætabimur & gaudebimus,) *ſalute ejus*] Ea suavitate est Verbum Domini, eaque salubritate, ut non tantum prodat laudabilem animi διάθεσιν eorum Virorum qui id consignarunt: sed similem animi affectionem producat in lectore. Commovet enim animum, elicit ex eo cogitationem & affectum bonum, eumque non modo evehit, sed & rapit ad Deum. Sic certe me affectum sensi, ubi hanc meditari cœpi ἀντιφωνίαν CHORI, qui *Chorus* hic repræsentat Plebem redemptorum, & ad cantum Presbyterorum succinit: ut in superioribus jeci. Id enim esse puto quod Propheta præfatur: *Et dicetur* (Heb. אמר, quæ vox variis locis *impersonaliter* sumitur, ut Grammatici dudum observarunt:) *illo die*. Videlicet Plebs Ecclesiastica, sive Populus sanctorum qui Ecclesiam facit, sic succinet per ἀντιφώνησιν ad Canticum Presbyterorum. Est enim אמר in hoc loco secundam veram suam vim, *enarrare*, celebrare. ut Pſ. CXLV. 6. *Robur terribilium operum tuorum* יאמרו DICENT. enarrabunt. unde magistris אמר sumitur *cantandi, cantillandi, modulandi*, significatione, ut Vir eruditus observavit [c]: perinde ac Latinis, *dicere*, Hesiodo, ἐννέπειν. Sed vidimus jam de eo ad Cap. III. 10. & Cap. XII. 1. Argumentum vero Cantici conveniens est scopo cantorum, & tempori quo recitaretur. recitandum autem erat *eapse die* sive tempore quo Deus mirabilia jam effecerat in salutem Populi sui, constatque tam *Propositione* qua Ecclesia afflicta gloriatur Deo salvatore, quam *Confirmatione* hypothesios de *Salute* à Jehova allata, ex duobus speciminibus Divinæ Justitiæ & Potentiæ quæ hic in medium proferuntur. In *Propositione* magna dictionis vis est. Complectitur efficacissimam καύχησιν τῆς πίστεως *gloriationem fidei*, de salute à Deo Liberatore impetrata. Obstrinxerat se Deus fœdere connubiali cum Populo suo inito, se Ecclesiam Populi sui nunquam destituturum esse, ex formula [d]; *Non faciam te missum, nec derelinquam te.* unde ipse appellabatur *Deus sui Populi*. Idem obsignaverat nomine Sacramentali *Jehovæ*, Essentiatoris. Prophetæ omnes usque à Mose una voce testati erant, Deum Ecclesiæ, si forte laboraret & ab hostibus gravius premeretur, (quod futurum esse, simul prædixerant:) non denegaturum esse auxilium. Tum denique docuerat experientia, Deum huc usque difficillimis temporibus, cum res ad extremum venisset, Populo suo præstitisse liberationem, & eum servasse ab interitu. His nixi argumentis pii, ad summas redacti angustias, dum ab humana manu auxilium nullum exspectare poterant, certa spei fiducia id exspectaverant à Divina; idque adepti lætabundi & gloriabundi, veluti in ecstasin rapti, *Deum Liberatorem & Salvatorem Populi sui* præsentem non tantum ipsi vident, sed & aliis demonstrant: qui summus vivæ fidei gradus est. *Fidei* enim cum proprie sit *credere* id quod *non vides*, sc. oculis corporis: ejusdem tamen fidei est *videre τὸν ἀόρατον invisibilem* [e], tum maxime ubi *Deum* videmus, quin *ſentimus*, in *effectis* visibilibus, quæ ab alia manu ac à Divina exspectari ac produci nequeunt. quæ effecta ubi adsunt, ibi adest Deus; ibi videtur Deus; ibi gloriæ ejus fulgor nos præstringit; & ibi quoque aliis ut præsens demonstrari potest: secundum dictum illud Imperatoris Romani [f]: *Dii in prælio sunt.* aut quod sanctius est Vatis Sacri, observantis effectum singulare Divinæ Providentiæ [g]: *Deus ultionum Jehova, Deus ultionum* הופיע *ſe ſplendide præſentem oſtentat.* cum omni decore gloriæ majestatisque *ſuæ.* ECCE, ait Chorus sanctorum, *Deus noſter!* Supponit, fuisse inter mortales, qui caussa gravissimæ calamitatis & oppressionis Judææ Gentis, inciderant in hanc dubitationem, an Judæi, qui passim de Religione sua & spe magnifice loquebantur, forte non circa Divinitatem occuparentur errore, aut imaginationis suæ suaviludium facerent fundamentum suæ fidei: tum præterea, adversarios ipsorum ex hac ipsa calamitate cepisse occasionem ipsos sannis ac dicteriis suis incessendi, & spei ipsorum illudendi atque insultandi, quod ipsum iis tempore afflictionis molestissimum acciderat, ut patet ex querela hujus temporis [h]: *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris; ſubſannationem & illuſionem proximis noſtris; poſuiſti nos diverbium inter gentes; agitationem capitis inter nationes.* Nunc igitur, à Deo adjuti præsenti auxilio, vindicatique in libertatem, magna cum fiducia ostendunt & digito veluti monstrant *Deum ſuum*, fœdere sibi obstrictum: *Ecce*, ajunt, *Deus noſter!* præsens adest. *videte* illum, inviti etiam & cum ægritudine, in effecto mirabilis liberationis quam afflicto suo populo pro-

Admonitio de proprietate laudabili Verbi Dei.

Verba hæc accipienda sunt per modum *Antiphoni* vel *Antistrophæ*.

Hymnologia hæc est *Plebis* Ecclesiasticæ.

Vis vocis אמר.

Argumentum Cantici, ejusque *Analysis*,

Speciatim *Propositionis*.

Quæ fundata est in *Fœdere*, quod Deus cum Populo suo iniverat.

Et *experientia*.

Emphasis *gloriationis* declaratur. *Fidei vivæ* est certo niti auxilio Divino in casibus dubiis.

Gloriatio fidei opponitur infirmiorum dubitationi, & aliorum suspicionibus iniquis, aut calumniis.

Locus Pſ. XLIV. 14.

Gloriatio fidei illos confundit post impe-

[a] Apoc. VII. 16. 17. [b] Cap. XXI. 4. [c] *Seringh.* Not. ad *Jom.* Cap. I. §. 1. [d] Deut. XXXI. 6. [e] Heb. XI. 27. [f] Liv. Lib. X. Cap. XL. [g] Pſ. XCIV. 1. [h] Pſ. XLIV. 14.

tratam salutem.

procuravit. HIC IPSE est (זה) *quem exspectavimus*, nixi fœdere quo se nostrum fecit, & luculentis ejus promissis. non est enim *Deus noster* individuum aliquod vagum. est Deus certus, κεχαραγτηρισμένος, à falsis Diis Gentium distinctus iisque contradistinctus, & ut talis demonstrabilis; Deus magnus, nulli alii comparandus: (hæc enim vis est vocularum זה ὅτος HIC in omni *Lingua* æque ac in sacra, ut si in similibus circumstantiis usurpentur, non tantum Personam demonstrent, sed & eandem demonstrent ut *insignem*, *claram*, *magnam*, visu spectatuque dignissimam, ut Ps. XXIV. 8. מי זה מלך הכבוד *Quis est* HIC *Rex gloriæ?* & mox ἐμφατικώτατον, ℣. 10. מי הוא זה מלך הכבוד *Quis* ILLE HIC *Rex gloriæ?* Act. X. 36. *Evangelizans* (Deus) *pacem per Jesum Christum.* ὅτος ἐςι πάντων Κύριος· HIC EST *omnium Dominus.*) *& salvabit nos*, hoc est, salutem, quam nobis jam præstitit, ad extremam usque lineam est consummaturus. (est enim *futuro* vocis ישיע, ut & sequentibus verbis ejusdem *terminationis*, gemina significatio. notat, illum Deum, quem demonstrant præsentem, jam *salvasse* populum suum, & dehinc quoque salvaturum esse.) *hic est* JEHOVA *quem exspectavimus*, qui se nomine sacramentali JEHOVA, *Essentiatoris*, obstrinxerat ad implenda promissa Abrahamo & semini ejus data; summum objectum spei & exspectationis Ecclesiæ; omnis *salutis* veræ caussator; cujus *salute*, temporali & æterna, Ecclesia lætatur, gaudet, exultat, quod sancti se *facere* & *facturos* confitentur, ubi addunt: *exultabimus* & *lætabimur*, tam gestu quam animo, *salute ejus.* In *temporali* enim *salute* argumentum & pignus habent *æternæ.* utraque, si à Deo Jehova cui obtingat, caussa & materia vera est *gaudii* & *lætitiæ.* quibus non inhæreo. Tantum duo observo. α. Ecclesiam omnis temporis nullum sibi proposuisse *Salvatorem* alium ac *Deum*, veræ participem Divinitatis. *Salvatorem* hominem Ecclesia ignorat. Pertinet ad gloriam Ecclesiæ, esse עם נושע ביהוה *Populum, servatum per Jehovam* [a]. Sic Moses, quem Propheta noster imitatur [b]: *Israël* נושע ביהוה SERVATUR *per Jehovam* SALUTE ÆTERNA. β. Verba Prophetæ sic esse constructa, ut nos ultro invitent ad speciatim cogitandum de persona *Filii Dei*, magni Servatoris & *Salvatoris*, (est enim in hac voce major emphasis:) qui cum olim Populo posterorum Jacobi præstitisset *Salutem temporalem*, *in fine dierum* appareret in carne ad Populo electo impetrandam *salutem spiritualem & æternam:* cujus nomen JESUS hic agnoscimus in nomine ישוע *Jeschua*, salutis, quam ipse מושיע *Servator* Semini sanctorum assereret. Ipse est *Jehova Goël & Servator*, sæpe adeo à Propheta nostro celebratus. Non fallimur hic judicio. Propheta canonem nobis subministravit interpretationis, Cap. LXIII. 9. *Et Angelus faciei ejus servavit eos* (Israëlis posteros,) *amore suo & clementia sua.* IPSE *vindicavit*, sive *redemit ipsos.* Certe ut pii Heröes, temporibus Maccabaicis, in summis discriminibus professi sunt *fiduciam*, *positam* in Deo qui nutu imperii totum Mundum dejicere potis est, quique majores ex summis difficultatibus eripuerat, quam πεποίθησιν suam passim illi in Orationibus ad milites explicarunt [c]: sic salutem adepti, soli Deo gloriam vindicarunt, eumque demonstrarunt præsentem, ut patet ex Psalmis hujus argumenti, XLIV. 1. seqq. CXVIII. 1. seqq. & supra ad ℣. 1. adstruximus: quæ confessio verum suum implementum consequuta est, ubi veri Israëlitæ, *spiritualem* exspectantes *liberationem*, verum Messiam Jesum, eundemque verum Angelum Liberatorem Jehovam in carne præsentem videntes, agnoverunt ὅτι ἀυτός ἐςιν ὁ μέλλων λυτρῶσθαι τὸν Ἰσραήλ· *quod* IPSE ille *esset qui redempturus esset Israëlem, à Patribus exspectatus* [d], & salute ejus supra modum *gavisi* sunt [e]: pariter ut redimendi à Deo & Christo Jesu *ex magna afflictione*, voce ad hanc conformata, Deum Servatorem suum celebrabunt, ejusque præsentiam & gloriam enarrabunt, simili formula, quam Joannes Propheta, Jesaiæ interpres, exhibet [f]: SALUS DEO NOSTRO, *sedenti in throno*, & AGNO. quod est *Canticum Mosis, servi Dei & Agni*; hoc est, Canticum Mosis ad antitypum suum relatum [g].

Emphasis vocis זה, HIC *est.*

Illustratur ex analogia.

Emphasis vocis ישוה h. e.

Exultatio in salute Domini, quo sensu accipienda?

Observatum ex h. l. Ecclesiam nullam unquam salutem exspectasse quam à *Jehova.*

Speciatim hic monemur cogitare de *Filio Dei*, secunda hypostasi.

Gloriatio hæc optime convenit temporibus Maccabaicis.

In majore emphasi initiis N. T.

Mystice vero tempori *Periodi sextæ* post liberationem Ecclesiæ præstitam.

CONFIRMATIO *Propositionis.* Argumenta gloriationis & fiduciæ Sanctorum.

Argumentum primum.

℣. 10. *Nam* REQUIESCET MANUS JEHOVÆ *in monte hoc; & triturabitur* MOAB SUBTER SE, *ut conteritur palea in fimeto.* ℣. 11. *Et expandet manus suas in medio ejus; quemadmodum expandit natator ad natandum, & humiliabit fastum ejus, cum axillis manuum suarum.*] Ut fides Ecclesiæ post implementum promissorum spem terminat: sic spem facit, eamque sustinet: ut adeo ipsa fidei καύχησις *gloriatio*, sit ὑπόςασις *fundamentum spei.* quod Vates Sacer his verbis tam supponit quam docet. Adeptos enim magnam salutem infert rursus ut sperantes, exspectantes, & fide sibi promittentes ac prædicentes salutis continuationem & complementum. Sunt autem argumenta duo, quæ in medium proferunt redempti. alterum de *Moabo*, alterum de *Babyloniis*, veris aut mysticis hostibus suis, quos jam depressos & expertos effectum Judiciorum Divinorum, spe concepta ex initiis salutis quæ sibi obtigerat, dehinc quoque ab eadem Dei manu profligandos & plane subigendos, in fide ac spe prænunciant, & prophetarum instar, (veluti subito in Prophetas conversi essent,) prædicunt. Quod ita intelligendum est, ut MOAB hic solummodo exempli caussa proponatur. Cum enim Ammonitæ, qui illo tempore cum Moabitis fere confundebantur, Idumæi, Samaritæ, Philistæi, eodem animo essent in Judæam Gentem: non excluduntur illi, sed includuntur, ut mox clarius monebo. Enunciatum de *Moabo*, *binis versiculis* expositum, hic descripsi: alterum tenetur *sequente. Judicium Moabi* Chorus sacer sub duabus figuris declarat; quarum altera *Judicium* ipsum describit, ℣. 10. altera ejus *amplitudinem*, ℣. 11. in quorum sensum inquiram, postquam genuinam adstruxerim orationis interpretationem.

Confirmatio Propositionis. *Primum argumentum* fiduciæ sanctorum. Fides parit spem.

Argumentum hujus pericopæ.

Judicium Divinum in *Moabum*, spemque suam, exposituri redempti, sic præfantur: *Nam requiescet manus Jehovæ in monte hoc.* quæ phrasis integra alibi, quod sciam, non occurrit. Sensus est, ut putem: Deus Jehova Montem Tsionem, h. e. Religionem & Populum Tsionis, dehinc sua potentia & providentia cum demonstratione gloriæ suæ in longum tempus & perenniter proteget. Chaldæus: ארי תתגלי גבורתא דיי׳ בטורא הדין *Nam revelabitur potentia Domini in monte hoc.* Id quidem recte, quod *Manum Jehovæ* interpretetur de ejus *potentia:* etsi hic plus notet: sed in voce *revelabitur* minus est quam in Hebræa, *requiescet. Manum* Dei in Sacris *potentiam* ejus significare, passim satis notum. Sunt autem effecta potentiæ Divinæ, aliquid *efficere, producere*, rem aut *personam defendere, protegere*, sibi *vindicare, liberare, eripere, redimere, destruere, punire, benefacere*, & quæ his similia. Hic vero ex inspecto scopo & circumstantia orationis non potest esse dubium agi de *Manu Divina vindicante, curante, protegente.* quæ *requietura* dicitur *in hoc monte*, quod longum apud Judæos perennaret, iisque adversus hostes præstaret auxilium, vel etiam eos protegeret. secundum vim phrasios in dicto pii Jabetsi [b]: *Si* MANUS TUA *mecum fuerit:* h. e. mihi auxilietur; res meas promoveat; me prosperet, protegat, defendat. Potest enim metaphora esse desumpta vel à peregrinatore qui post varios errores domum redux ibi tandem quiescit; vel à columba aut qua alia ave, nidum suum obsidente & pullos sub alas suas recipiente, fovente, ac protegente, secundum dictum Vatis Sacri Ps. XCI. 4. *Ala sua* OBTEGET TE; *& sub alis ejus receptum habebis.* Neutrum hic temere excluserim, ut nec in phrasi usitata, qua *Spiritus Dei* vel *Spiritus gloriæ super quem* dicitur *quiescere*, de quo vidimus Cap. XI. 2. coll. cum Cap. VII. 2.

Prima spes est, de *Moabo* penitus conterendo.

Phrasis de *quiete manus Dei.*

Sensus phrasios.

Interpretatio Chaldæi.

Manus Dei quid mystice significet?

Quid hoc in loco?

Metaphora *quietis manus Dei*, unde desumpta?

a Deut. XXXIII. 29. b Jes. XLV. 17. c 2 Macc. VIII. 18. d Luc. XXIV. 21. e Luc. I. 47. II. 29. f Apoc. VII. 10. g Apoc. XV. 3. h 1 Chron. IV. 10.

Quod tamen ad hunc locum noſtrum: prius hic abunde ſufficit, ut ſenſus ſit, *manum Domini auxilio* fore incolis Montis Tſionei, & quidem *in longum:* res illorum promoturam & proſperaturam: omnes ut viderent Populi & clariſſime perſpicerent, Deum τὸν παντοκράτορα in illo Monte & apud illum Populum ſedem ſuam fixiſſe. Effectus eſſet exinanitio & depreſſio Moabi: *Et triturabitur Moab* SUBTER SE, *ut trituratur fœnum in ſimeto.* Sic reddo vocem תחתיו *ſubter ſe*, ſive *in loco ſuo.* Chaldæus: באתרהון *In loco ſuo.* Kimchi: במקומו *In loco ſuo.* Alii tamen cum Hieronymo, *ſub eo*, ſive *ſub ipſo.* quod intelligi nequit, niſi Deus ipſe comparetur cum *jumento* aut *plauſtro*, quibus olim uti ſolebant in *tritura.* Non auſim fidenter affirmare, id, licet paulo durius videatur, alienum eſſe à ſtylo Scriptorum Sacrorum qui valde liberales ſunt in fingendis utendiſque locutionibus metaphoricis. Utique Habakukus Deo actum *trituræ* tribuit, Cap. III. 12. & Vates noſter actum analogum *excutiendi*, Cap. XXVII. 12. Verum in his locis recte ſubintelliguntur *inſtrumenta plauſtrorum & bacillorum*, h. e. hominum potentium aut fortium, quibus Deus utitur in Judiciis ſuis exequendis. Ergo longe commodius eſt, illud תחתיו vertere *in loco ſuo*, h. e. *in ipſa terra Moabitica*, ut ſenſus ſit, Deum non tantum terram Canaanæam ab hoſtibus eſſe purgaturum, eamque adverſus hoſtes protecturum: ſed in ipſa etiam Moabitarum terra viſitaturum eſſe hoſtes eoſque ſubacturum. Accedit jam, eſſe hanc ſignificationem maxime frequentem vocis conſtructæ תחתי, ut videri poteſt ex exemplis bene multis à Cl. Coccejo in *Lexico* [a] adductis. *Tritura* autem hic notat violentam hoſtium ſubjectionem, fracturam, & comminutionem, facili & non longe quæſita ſimilitudine. Hiſtoricus Sacer de Ephraimitis ſub Jehoachazo [b]: *Rex Syriæ illos perdiderat*, & TRITURANDO *poſuerat eos ut pulverem.* Addit Propheta: *Ut trituratur fœnum in ſimeto.* Sic plures Intt. Hebræa ſunt: כהרוש מתכן כמו מרמנה Hieron. *Sicut teruntur paleæ in plauſtro.* Debuiſſet ſcribere: *Sicut teruntur paleæ plauſtro.* ſed imitari voluit Græcum qui habet: ἐν ἁμάξαις. Senſum enim dat verbis: *Ut ſolent plauſtro paleæ conteri:* adſcribitque ad interpretationem illuſtrandam: *Hoc juxta ritum loquitur Palæſtinæ, & multarum Orientis Provinciarum, quæ ob pratorum & fœni penuriam paleas præparant uſui animantium. Sunt autem carpenta ferrata, rotis per medium in ferrarum* (Grotius exhibet: *ſarracorum:*) *modum ſe volventibus, quæ ſtipulam conterunt & comminuunt in paleas.* Commoda ſatis eſſet expoſitio, ſi Hebræa eam ferret oratio. Sed non patet hactenus, vocem מרמנה, cujus ſignificatio videtur arceſſenda eſſe à רמן *fimus*, *ſtercus*, (alibi enim non occurrit:) reddi poſſe per *plauſtrum.* Græci enim Interpretis auctoritas hic non poteſt eſſe magni ponderis. Chaldæus reddidit per טינא *lutum.* pariter Jarchius. Kimchius per אשפרה (rectius, אשפורת) *ſterquilinium.* Aben-Ezra ad eundem modum: מקום הרמן. Alii מדמנה hic accipiunt ut nomen *Urbis Moabiticæ*, quæ dicitur מרמן *Madmen*, Jer. XLVIII. 2. Sed licet Propheta forte ad nomen hujus Urbis potuiſſet alludere; eſt tamen frigidius dictum, *ut conteritur palea in Madmena.* Verius igitur putem, quod Chaldæus eumque ſequuti viderunt, vocem דוש generaliore ſignificatu hic ſumi pro *contritione* qualicunque, & ſenſum dicti eſſe, Moabitas ita triturandos ſive conterendos eſſe ut *conteritur palea in luto* ſive *ſimeto. Solet enim*, ut Vir Doctus [c], *ſtramen injici ſterquilinio, & pedibus calcari ut fimus fiat.* Sic Vates ſacer de hoſtibus Populi Dei [d]: היו רמן לארמת *Facti ſunt* (fiant) *ſtercus* (ut *ſtercus*,) *in agro.* Utique cum Propheta Dei ubique emphatice loquatur, & maxime in invidiam atque contemptum hoſtium orationem ſuam vertat: hæc interpretatio cenſeri debet, ut eſt, ſcopo & ſtylo ejus congruens. Eſt autem רמן Hebræis vere *ſtramen* & *palea.* Significatur hoſtium contritio, ſubactio, fractura, in ipſa Moabitide, conjungenda cum ſumma ignominia. Alias dicitur כתת *contundere*, ut Pſ. LXXXIX. 24. Dionyſius de Demetrio Poliorcete [e]: Ἅμα δὲ καὶ τὸς περὶ Πρεπέλαον ἡγεμόνας τῶ Κασσάνδρε πρότερον συντρίψαι· *Simul ut Duces Caſſandri qui cum Prepelao erant, prius* CONTERERET. Plus expediendum eſt in altera ſimilitudine, qua latitudinem cladis Moabiticæ deſcribit ℣. 11. *Et expandet manum ſuam quemadmodum expandit natator &c.* Senſus eſt, ut putem, Deum in Moabitide manus ſuas quam latiſſime extenturum eſſe, non tantum ad proxima verum etiam ad remotiora & extrema Moabitidis loca vaſtanda deſolandaque, judiciaque ſua, quam late patet terra, in eam executurum eſſe. Ubi obſervari volo, primo, quod dicitur, *expandet*, omnino referendum eſſe ad Deum Jehovam, quippe cui uni ſubjecto convenit quod ſubjicitur; *& deprimet faſtum ejus.* Secundo, ſimilitudinem hanc non eo uſque extendendam eſſe, quod Intt. aliqui non ſatis perite faciunt, acſi Deus hic compararetur *natatori*, in terra Moabitica veluti in mari quodam aut fluvio *natanti:* id enim emblema præter neceſſitatem ad Deum applicare nolim: ſed comparatio, ut arbitror, hic ſolummodo reſtringenda eſt ad unum aut alterum attributum natatoris quæ Vates hic ſignate notat. primum eſt, Deum inſtar *natatoris* manus ſuas per totam Moabitidem quam late patet, eſſe protenſurum, ad extremos uſque limites ejus. alterum, Deum *axillis manuum ſuarum*, in quibus manuum vis & robur conſiſtit, obvia quæque, quæ ſibi adverſa erant, (qualia erant *munimenta* Moabitarum,) eſſe depulſurum & disjecturum. quod natatori contingit, ubi natando occupatus, dum neceſſe habet manus magno niſu quam latiſſime expandere, obvia quæ ſibi impedimento eſſe poſſent, vi removet ac repellit, aut *ſub axillis* deprimit ac ſubigit. Et forte tamen poſterius hoc non ſatis ſolide dicitur. Cl. Coccejus verba: עם ארבות ידיו *cum axillis manuum ſuarum*, connectit cum ſuperiore voce, *expandit*, hoc ſenſu: *expandit cum axillis manuum ſuarum:* quando verba; *Et deprimet faſtum ejus*, ſeorſim ſubſiſtunt. Ratio haud dubie ei fuit, quod non dicatur, בארבות ידיו *per axillas manuum ſuarum*, (ſecundum vulgatum uſum præfixæ ב) ſed עם ארבות *cum axillis.* Eſt autem vocula עם *cum* notio *conjunctionis, ſocietatis*; non vero cauſſæ inſtrumentalis. Nolim vehementer intercedere: quin patior ita eſſe, & poteſt prius *attributum* comparationis nobis ſufficere. Eſt autem *faſtus Moabi* is ipſe quem Propheta attigerat Cap. XVI. 6. ſuperbia, arrogantia, inſolentia, ſive, quod Græci dicunt, ὑπερηφανία, τύφος. In cauſſis erant, ut videtur, bonitas & divitiæ terræ; munimenta probe curata; pax & proſperitas longioris temporis; fœdera cum potentioribus inita; & denique infirmitas Reipublicæ Judææ, ejuſque graviſſimæ clades, à qua cæteroquin exſpectare poſſet quod merito metueret.

Quæris nunc, quid hic intelligendum ſit per *Moabum?* Plerique Intt. qui hic verſantur in initiis aut extremis temporis Oeconomiæ Novæ, nomen hic myſtice accipiendum conſentiunt: ſive in genere pro quibuſque *hoſtibus Populi Dei*; ſive ſpeciatim pro *Antichriſto* ejuſque ſatellitibus ac militia. Liranus: *Hic redit Propheta ad deſcribendum dejectionem* ANTICHRISTI *quam ſupra tetigerat in brevi.* Quid? Judæi ipſi qui hic agi putant de Gogo & Magogo, neceſſe habent hic à litera diſcedere. Eſt de eo luculentum teſtimonium Kimchii, quod deſcribere non gravor. Sic ille: *Etiamſi Gentes inter ſe confuſæ ſint, & hodie cognitum non ſit, quis ſit Ammon, & quis Moab, & quis Edom, cæteraque Gentes; neque etiam certa ejus rei notitia futura ſit illis temporibus*, (Gogi ſc. & Magogi,) *& ita ſcriptum ſit in prophetia Danielis* [f]: *Et hi evadent manum ejus, Edom, & Moab, & primores Ammonitarum*, (*h. e. manum Regis Aquilonis; qui tamen ſi evaſerint manum Regis Aquilonis, non evadent manum Dei in bello Gogi & Magogi:*) *ſic ſentiendum eſt, etiamſi diſtincte non cognoſcantur illi Populi, & inter ſe permixti ſint, fieri tamen poſſe, ut inter illos ſuperſint familiæ noti nominis antiquæ; vel etiam,* PROPHETAM APPELLARE EDOMUM POPULUM ILLUM

Effectus *quietis manus Dei* in Monte Tſionis eſſet *depreſſio* ac *deſtructio* Moabi.

Animadverſio vocis תחתיו.

Varia ejus verſio.

Tritura quo ſenſu Deo adſcribi queat?

Hic recte vertitur, *in loco ſuo.*

Senſus ejus.

Tritura quid hic loci ſignificet?

Uſus hujus metaphoræ.

Verba declarantia modum trituræ: *Ut trituratur palea in ſimeto.*

Hieronymi interpretatio.

Et ad eam ἀπίκασις.

Significatio vocis מרמנה.

Variæ verſiones.

Probabilis interpretatio dicti Prophetæ, quæ illuſtratur.

Et diſtinctius declaratur.

Altera ſimilitudo qua deſtructio *Moabi* explicatur, deſumpta à *Natatore* manus ſuas expandente.

Subjectum ſententiæ hic eſt *Deus Jehova.*

Qui tamen hic non comparatur cum *natatore*, niſi cum reſpectu ad aliqua ejus *attributa.*

Quænam ea ſint?

Verſio Cl. Cocceji.

Quis hic memoretur *faſtus Moabi?* Ejus cauſſæ.

Quid hic intelligendum per MOABUM? Plures Intt. *Antichriſtum* Populumque ejus intelligunt.

Judæorum non valde diverſus ſenſus.

Verba Kimchii.

[a] Ad h. v. [b] 2 Reg. XIII. 7. [c] Schindl. in *Lex.* ad v. רמן. [d] Pſ. LXXXIII. 11. [e] Lib. XX. p. 786. [f] Cap. XI. 45.

LUM QUI HABITAT IN TERRA IDUMÆORUM; MOABUM *vocare* GENTEM, QUÆ SEDEM HABET IN TERRA MOABI, *& ita in cæteris. Meminit autem hic Moabi, quia Moabitæ futuri sunt auxilio Gentibus venturis ex terra Aquilonis Hierosolymam cum Gogo & Magogo; & quandoquidem Moabitæ accolæ sunt terræ Canaanææ; & Israëlitis proximi: venientibus* (hostibus) *vias parabunt, & cum iis futuri sunt. ideo speciatim Moabi meminit.* Nihil in his est animadversione nostra dignum, nisi quod hic largiatur Hebræus, quod æquum est & rationi consentaneum, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, stylo Prophetico recte dici Populos illos qui habitant hoc tempore in terris harum Gentium: quod observatum verissimum est, & illis favet; qui Turcos Otmanidas nostri temporis docent recte appellari posse Assyrios. Cætera hujus Interpretis superstructa sunt hypothesibus ingenii Judaici & à me suo loco linquentur. Tantum dicam, sententiam nostram à communi hoc Interpretum præjudicio non multum dissidere: nisi tamen quod plane sentiam, *literæ* hic primam habendam esse rationem. Quin hoc ipso probavi hypothesios meæ bonitatem, quod me hoc loco magis quam aliis non destituerit.

Ad ea animadversio.

Admittitur cum aliquo *temperamento*, ut prima hic habeatur ratio *sensus literalis.*

Populus Hasidæorum in initiis instauratæ Reipublicæ infestos hostes habuit *Moabitas.*

Populus Hasidæorum in initiis instauratæ Reipublicæ præter Syros nullos habuit hostes sibi infensiores & infestiores, quam *Idumæos*, *Ammonitas*, & *Moabitas*, (Idumæorum & Moabitarum antiquorum superstites,) qui Moabitæ & Ammonitæ tum passim Arabes dicebantur: ne nunc *Philistæos* & *Samaritas* memorem: quare tum in initiis, tum maxime statu suo confirmato, se illis strenue opposuerunt; & variis casibus oppugnatos atque ingentibus cladibus afflictos, sibi subjecerunt. certe acrem de iis sumpserunt vindictam. qua de re Scriptores Maccabaici & Josephus luculenter testantur. De *Ammonitis*, qui tum passim cum *Moabitis* confundebantur, insignis mox occurrit locus in *Maccabaicis* in historia expeditionis Judæ post purgatum Templum susceptæ inter alias Gentes adversus Ammonitas, quos magno numero coactos Timotheo Duce *variis prœliis* debellavit, &, quæ ipsius historiæ verba sunt, his prophetiæ similia, *συνετρίβησαν πρὸ προσώπου αὐτοῦ, καὶ ἐπάταξεν αὐτούς·* CONTRITI SUNT CORAM EO, *& percussit illos, cepitque Jazer & pagos ejus*, glorioseque reversus in Judæam [a]. quam expeditionem secuta est alia, ipsius & fratris ejus Jonathanis, dum qui in Gileaditica ditione erant Judæi de novo ab hostibus infestabantur, qua populares suos liberavit, & hostes prostratos severe ultus est. quæ narratio prolixior est quam ut eam hic legi velim [b]. Eadem historia [c], æque ac Josephus [d], exhibet vindictam à Jonathane & Simone fratribus sumptam de spectatissimis MEDABENSIUM civibus, qui Joannem fratrem ipsorum interfecerant. Sed hæc hactenus levia erant. Confirmato Reipublicæ statu Joannes Hyrcanus & Filius ejus Rex Alexander Moabitas & Ammonitas plane subegerunt, & plurimos illorum æque ac Idumæos coëgerunt sacra sua amplecti, de quo Josephus clare testatur. Joannes Hyrcanus *Medabam*, validissimam Moabitidis & illo tempore principem Urbem, à se oppugnatam sexto mense *vi cepit* [e]. Filius vero ejus Alexander *subversa* Arabum Moabitarum & Gileauitarum *regione*, iisque *tributo subjectis*, *Amathuntem* (munitissimum Trans-Jardenense castellum,) *diruit* [f]. Alibi pariter de eodem Rege Alexandro [g]: *Καὶ ταύτην ἑλὼν Γαλααδίτας τε καὶ Μωαβίτας, Φόρον τε αὐτοῖς ἐπιτάξας, ἀνέστρεψεν ἐπὶ Ἀμαθοῦντα.* Sed intestina dissidia in causa fuerunt quod hic Rex, magna armatus potentia, hostibus etiam suis plus indulgere debuerit quam voluisset. Certe Josephus inter Urbes Trans-Jardenenses in ditione Moabitica, recenset *h Esebonem* (Hesbonem) *Medabam*, *Lembam*, *Oronas*, *Telithonem*, *Zaram*, *Aulonem Cilicium*, *Pellam.* quas illis temporibus (Alexandri scilicet,) Judæi possederint. Imo vero ipsi quoque hi Moabitæ quorum plures jam susceperant Religionem Judæam æque ac Idumæi; (ut ex hoc ipso Josephi loco liquet,) cum tempore susceperunt Regnum Christi Jesu, & *debellati armis spiritualibus* se subjecerunt Christo Domino cum abnegatione sui ipsius, ac prærogativarum suarum, de quo agunt prophetiæ Cap. XI. 14. & XVI. 4. Quæ abunde sufficiunt ad *γραμματικὸν* prophetiæ implementum ex hypothesi nostra adstruendum.

Idem à Maccabæis victi & magnis affecti sunt cladibus, & plane *subacti.*

Ides Historiæ.

Qui iidem *Moabitæ* ma-

Mysticus sensus amplior & augustior exurgit: in quo definiendo major hic Interpretum Judæorum & Christianorum consensus est, quam in aliis locis. Vident omnes, sub nomine *Moabitarum* spirituali sensu intelligendum esse Populum sive Populos, *adversarios* Regni Messiæ, ratione *appellationis* ex ipso hoc attributo præcipue desumpta, quos quidem Populos Judæi putant se juncturos copiis *Gogitarum* tempore *ἐπιφανείας* Messiæ sui, ut in superioribus ex Kimchio observavimus. Sed si illi à nudo themate sententiæ Propheticæ discedant: incidunt in *φαντάσματα* sui cerebri, quæ ut explicari, minus multo demonstrari, ab ipsis nequeunt; sic non merentur refelli. Populi illi qui in novissima Ecclesiæ lucta eam afflicturi & oppugnaturi sunt, sub finem *sextæ Periodi* temporis, in *Apocalypsi Joannis* proponuntur sub nominibus Gentium, olim infestarum Populo Dei, & in his præcipue BABYLONIORUM & ÆGYPTIORUM: ratione hic unice petita à communione attributorum, non omnium, sed plerorumque & insignium. Cæterum cum hæc ipsa prophetia, in qua de depressione MOABITARUM mentio est, in ipsa illa *Apocalypsi* ad eadem tempora referatur, ut & prophetia de IDUMÆIS, Cap. XXXIV. 1. seqq. LXIII. 1. ut patet ex collatis Cap. XXXIV. 10. cum *Apoc.* XIV. 11. XIX. 3. & ℣. 11. cum *Apoc.* XVIII. 2. & Cap. LXIII. 1. coll. cum *Apoc.* XIX. 13. liquet inde, eadem quoque nomina iisdem Gentibus aptari posse, ob eandem rursus rationem, h. e. ob communionem notabiliuni quorundam attributorum: ut hic non necesse sit tot species Gentium adversariarum fingere, sub quot nominibus Scriptores Prophetici eas proponunt. Attributa autem insigniora *Moabitarum* sunt. *α.* Esse illos ejusdem ortus cum Populo Dei. *β.* Majores illorum egressos fuisse cum vera Abrahami domo è communione Gentilismi. *γ.* Sed postea prolapsos fuisse ad idololatriam. *δ.* Prærogativis suis supra modum superbiisse, & fastosum gessisse animum. *ε.* Inprimis vero pessime fuisse affectos in *reduces ex Exilio Babylonico*, purgatos ab idololatria, (in cujus communionem ante ea tempora sæpe cum iis venerant:) & magna in eos ductos invidia atque æmulatione statum Reipublicæ & Ecclesiæ novæ sive reformatæ, omni modo instituisse turbare &, si pote, evertere, ut liquet ex Libro Nehemiæ. Erant enim inter adversarios ejus temporis præcipui Saneballathus Horonita (Moabita,) & Tobia Ammonita [i]. *ζ.* A quibus Moabitis proinde reduces ex Exilio se solenniter separarunt; resciscio cum iis commercio [k]. *η.* Post quod tempus ipsi omni calamitate Populi Dei semper gravisi sunt, & quâ poterant, ei attulerunt detrimentum. ut vidimus ex *Maccabaicis.* Hæc applica, sodes, ad adversarios Ecclesiæ quæ egressa est Babylonem mysticam, & agnosces facile homines in Mundo, quibus nomen Moabitarum aptes. non fugient te nec fallent. Sed scripsi jam de eo, quantum satis est, in *Appendice* ad Cap. XVI. de *Moabo* mystice sic dicto. Et tamen cum illius magnæ Civitatis, sive Societatis hominum, à qua se Protestantium Ecclesia secrevit, variæ sint partes: quæris, an de *Moabo* nihil hic specialius & definitius explicari queat? Respondeo, forte posse: sed tutius esse eo abstinere, ne incerta cum certis & rite demonstratis confundamus, & plus demus conjecturæ in hoc exercitationis genere quam publico expedit. Terræ illorum Populorum qui puram Evangelii doctrinam profitentur, proxime sibi junctas & confines habent terras diversæ professionis, veteri superstitioni & idololatriæ adhærentes, vel invitas redactas in unum cum cæteris Reipublicæ corpus, vel à majo-

gnam partem subjecti sunt *Populo Judæo* quod ad *statum suum spiritualem.*

Sensus mysticus hujus prophetiæ.

In genere per *Moabitas* intelliguntur *adversarii* Regni Christi Jesu.

Præcipue Gentes, Antichristo obnoxiæ, quæ sub figuratis nominibus *veterum hostium* populi Dei proponuntur.

Conspectus emblematum analogorum *prophetiæ Apocalypticæ.*

Attributa *Moabitarum*, antiqui temporis.

Pessime fuerunt affecti erga Reduces ex Exilio Babylonico, eorumque statum ex æmulatione turbarunt.

Reduces se ab iis solenniter separarunt.

Quæ attributa omnia conveniunt Populo sectæ Romanensis, à quo Protestantes discesserunt.

Propior alius quis illorum aspectus.

a 1 Macc. v. 6. 7. *b* ℣. 28. seqq. *c* 1 Macc. IX. 37. *d* Antiq. Lib. XIII. Cap. I. *e* Joseph. Antiq. Lib. XIII. Cap. XVII. *f* Cap. XXI. *g* B. J. Lib. I. Cap. III. p. 714. *h* Cap. XXIII. *i* Neh. II. 10. III. 1. *k* Neh. XIII. 1.

majoribus Potestatibus Romæ servientibus, dependentes, licet ab earum Imperii ditione sejunctas, quæ ut cognatæ & confines Gentes in Populos puræ professionis magna ducuntur invidia & æmulatione. Est autem in historia, nostri quoque temporis, munitissima hujusmodi Moabitarum oppida ingente molimine subacta, & Populum veteri superstitioni addictum qui se subtraxerat legitimo imperio, in ordinem rursum coactum esse per Principes Heröes, ad id à Deo suscitatos, in quo initia implementi hujus prophetiæ luculenta observare licuit; dum cætera quæ ad complementum ejus faciunt, exspectamus.

Incboatum prophetiæ implementum.

Argumentum alterum fiduciæ Ecclesiæ.

Alterum argumentum fiduciæ Ecclesiæ: *Destructio* BABYLONIS.

An hic versiculus referendus sit ad idem *subjectum*?

Posset per *Urbem munitam* intelligi *Hesbus*.

Rectius refertur ad *Babylonem*.

Paraphrasis verborum cum respectu ad *Babylonem*.

Subjectum hic mente cogitatum, non expressum.

Exempla similia.

℣. 12. *Et* MUNITIONEM SUBLIMITATIS MURORUM TUORUM *depressit, humiliavit; fecit attingere terram ad pulverem*] Verba sic cohærent cum superioribus, ut plerique Intt. ea accipiant dicta de eodem subjecto, hoc est, Moabo. quod si cui magis placeat, facile fieri patior. Non turbat enim nostram interpretationem. Ex hac autem hypothesi non putem hic ad aliam aliquam Moabitarum Urbem majori jure alludi posse ac ad Hesbuntem, in edito sitam loco, & munitissimam, quam alibi [a] descripsi; aut ad Medabam, inter Urbes hujus tractus eximiam circa tempora Maccabæorum, ut modo vidimus. Ad Hesbuntem enim videtur referendum quod Jeremias habet mox in initio prophetiæ adversus Moabum [b]: *Pudefactum est* משגב EDITUM ILLUD, sive *arx illa, & consternata est. non est amplius gloriatio Moabi. de Hesbunte cogitant malum.* Sed, ut verba propius inspexi, persuasi mihi, Vatem nostrum ea intelligi velle de eadem *Urbe munita* de cujus destructione loquutus fuerat ℣. 2. atque adeo per *Apostrophen*, quæ multum habet elegantiæ, se converteré ad *Populum Babylonium*; & post adductum exemplum Justitiæ Divinæ ex Moabo à Populo Dei subacto vel subigendo, aliud addere ex Babyloniis sive Syris in quorum potestate erat *Babylon* inimica & infesta Populo Dei, acsi diceret: *Et tuos quoque ô* Babylonie, *muros, munitissimos, editos illos & sublimes, per totum Orbem celebratos, disjecit pariter ac destruxit*; ne quis dubitet esse qui superbos ac feroces Ecclesiæ suæ hostes plectere ac prosternere valeat. Est autem, ut dixi, elegantiæ Poëticæ, *subjectum*, si ex attributis suis aut orationis nexu cognosci possit, mente *cogitatum*, ipsum *nominatim* non exprimere, ut alibi [c] docui ex exemplis 2 Sam. 1. 25. & Ps. LXXXVII. 1. & sunt ejus generis plura, à Grammaticis jam annotata [d]. mox rursus occurret Cap. XXVI. 1.

Certé *Munimentum & Sublimitas Murorum Babylonis* ejus erant celebritatis, ut ex eo solo Babylon facile cognosci posset, etiamsi nomen ipsum non adderetur: de quo relegenda & huc transferenda sunt quæ scripsi in *Notitia* BABYLONIS [e]. Id unum videri posset obstare, quod *affixum* hic sit generis *fortioris*, quod videtur esse debuisse *debilioris*, si ad Babylonem verteretur oratio. Sed id nos hic non magis gravat quam eos qui verba de Urbe aliqua insigni Moabitica intelligunt. subintelligitur enim hic æque ac in altera interpretatione ipse Babylonis Populus, estque hic observandus *Canon* Kimchii ad Jer. III. 19. ubi cum in textu legitur תקראו & תשובו, quod Masorethæ ad *marginem* correxerunt, תקראי & תשובי, monet recte, utramque lectionem subsistere posse; alteram, subintellecta voce עם *Populus*, alteram si dictum accipias de כנסת *Societate*, sive *Cœtu*, qui Hebræis *debiliore genere* effertur. Cætera observandum, pericopam hanc, quam alii accipiunt de *futuro*, alii de *præterito*, (quod congruit structuræ Grammaticæ,) utrumque *tempus* hic includere æque ac dicta superiora. Volunt dicere pii, Deum jam illo tempore destruxisse *Muros* illos *altos* & *munitos* superbæ Urbis Babylonis, (quod judicium Dei in Babylonem demonstravi executum esse Darium Hystaspis filium, ubi de prophetia hujus argumenti egi [f]:) & depressisse jam superbiam & decus Urbis illius adversariæ atque inimicæ Populi Dei; eandemque deinceps etiam per gradus & articulos temporum ita depressurum esse, ut plane concidat & intereat, & ne locus quidem ejus amplius indicari queat. quod experientia nostrorum temporum docet. Hoc argumentum est fiduciæ Ecclesiæ in Deo positæ, quam Ecclesia sanctorum graphice explicat, idemque mox repetit eadem phrasi *Cap. seq.* ℣. 5. Cum enim videret initium implementi prophetiæ de Babylone, Urbe inimica & infesta Populo Dei, quod suis temporibus viderunt Maccabæi; certa & minime dubia fide in ipsis illis initiis videbat prophetiæ ipsius implementum integrum, operisque ac Judicii Divini complementum: perinde ac nos, qui primum vidimus lapsum *Babylonis magnæ*, per fidem anticipamus integrum illustris hujus Judicii Divini complementum. Quin sane ut Babylon, latius sumpta, typum sustinet ac figuram totius Regni Satanæ, quod se ostentat fastu mundano, idololatria, superstitione, corruptione morum & tyrannide: sic vident pii ac prudentes homines in lapsu Babylonis destructionem omnis Regni Satanæ cum ἀποκαταςάσει πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ ςόματος πάντων ἁγίων ἀυτῦ ΠροΦητῶν ἀπ' ἀιῶνος.

Attributum Babylonis: *celsitas murorum ejus, & munitio.*

Dubium ex *genere affixi* expeditum.

Kimchii observatum.

Futuri in hac Pericopa æque ac *Præteriti* respectus est.

Initia implementi prophetiarum involvunt complementum.

PARTIS DOXOLOGICÆ hujus SERMONIS

DOXOLOGIA ALTERA,

Complexa Cantilenam Sanctorum à Deo redemptorum, qua animo & ore libero commemorant ac celebrant opem Divinæ Gratiæ, quam experti fuerant in æstu gravissimæ afflictionis; sui prædicant status felicitatem ac spem; se mutuo aliosque contribules suos & ejusdem fidei consortes exhortantur ad fiduciam in Deo Israëlis in dubiis casibus ponendam; & præcipue oratione ad Deum versa, per modum *Confessionis* publicæ, judiciorum ejus æquitatem, justitiam, opportunitatem & fructum explicant, & affectum piorum, ut se habuit tempore hujus afflictionis, describunt. Subjectus est Epilogus Prophetæ, argumento Cantilenæ congruens.

CAPUT XXVI.

Textus Cap. XXVI.

1. Illo tempore cantabitur Cantilena hæc in terra Judæ: Urbs roboris nobis: salutem posuit muros & antemurale.

2. Aperite portas, quò ingrediatur Gens justa, servans fidem!

3. Cogitatio fixa: custodies pacem, pacem: siquidem te nixa est.

4. Fiduciam ponite in Jehova usque & usque, quia Jah Jehova est rupes sæculorum.

5. Quippe depressit incolas celsitatis; urbis sublimis: humiliabit eam, humiliabit eam usque ad terram: pertingere eam faciet ad pulverem.

6. Conculcabit eam pes: pedes inopum, gressus tenuium.

7. Via

---

a Ad Cap. XV. 4. b Cap. XLVIII. 1. c *Observ. S.* Lib. I. *Dissert.* III. Cap. I. §. V. d Glass. *G. S.* Lib. III. Tract. II. Can. XI.
e Ad Cap. XIII. §. II. f De *Implem.* Propher. Cap. XIII.

7. Via justo omnimode recta. *Tu qui* rectus *es*, orbitam justi ad libellam dirigis.

8. Etiam via judiciorum tuorum exspectavimus te, Jehova! ad nomen tuum & memoriam tuam *erat* intimum animæ desiderium.

9. Anima mea concupivi te noctu: quin & spiritu meo interiore te diligenter in primo diluculo quæro: quippe ubi judicia tua sunt in terra, justitiam discunt incolæ Orbis.

10. Impius si obtineat gratiam, non discit justitiam: in terra rectitudinum perverse agit, & neutiquam videt magnificentiam Jehovæ.

11. Jehova! Manus tua elata est. non vident. Videbunt utique & pudefient. Zelus Populi, etiam ignis, hostes tuos devorabit.

12. Jehova! Pacem ordinabis nobis, quippe etiam omnia opera nostra præclare operatus es nobis.

13. Jehova, Deus noster! alii domini præter te imperiose dominati sunt nobis. per te solum commemorabimus nomen tuum.

14. Mortui non reviviscent: exanimati non resurgent: propterea visitasti & exterminasti eos, & perdidisti omnem memoriam ipsorum.

15. Auxisti hanc Gentem, Jehova! auxisti hanc Gentem: glorificatus es: longe dimovisti omnes terminos terræ.

16. Jehova! tempore tribulationis se tibi adjunxerunt: effuderunt preces apte conceptas, cum castigatio tua ipsis incumberet.

17. Sicut mulier prægnans, ubi appropinquat partui, dolet; clamat in doloribus suis: sic extitimus tui caussa, Jehova!

18. Parturivimus, doloribus correpti fuimus: erat acsi pareremus ventum. salus perfecta non est procurata terræ; nec ceciderunt incolæ Orbis.

19. Vivent mortui tui: cadaver meum: resurgent. Expergiscimini, & cantate habitatores pulveris! quia ros olerum est ros tuus, & terra fato functos enitetur.

20. Vade, Populo mi! intra in penetralia tua, & claude ostium tuum post te: latita ad exiguum momentum, donec transeat excandescentia.

21. Quia ecce Jehova egreditur ex loco suo ad visitandam iniquitatem incolarum terræ, quæ iis incumbit: & discooperiet terra sanguines suos, nec obteget amplius occisos suos.

Argumentum & *Analysis* hujus Pericopæ.

Argumentum alterius Doxologiæ.

ALtera est *Cantilena*, argumenti non plane dissimilis, etsi nec ejusdem quoque. Cum enim superior magis sit *Hymnologica*, quam *Ethologica*; magisque decurrat in explicandis *Beneficiis* Divinæ Providentiæ & Gratiæ, quam *Officiis* redemptorum: hæc contra in posteriore genere potissimum versatur, & instar formulæ à magistro prudente præscriptæ morales usus, ex Beneficio hujus Liberationis eliciendos, proponit & inculcat: artificio tamen ubique adhibito Poëseos sacræ, quæ figurarum & apostropharum ornamenta non respuit. Introducitur chorus celebrantium Beneficium Divinæ Gratiæ, & explicantium spem fiduciamque suam ex eo conceptam. Succedit alter, qui *confessoribus* veritatis qui discrimen evaserant, gratulatur, aliosque excitat ad illos honorifice excipiendos. Est qui intermiscet apostrophen ejaculatoriam ad Deum de fiducia, quam Ecclesia sanctorum redemptorum *certa* & *stabili cogitatione*, bonis argumentis nixa, ex beneficiis sibi præstitis collegerat. Mox vertitur oratio ad infirmioris & meticulosioris animi homines, qua ex iisdem argumentis illis suadetur certa *fiducia* in Deum collocanda. Quando ad Deum dirigitur sermo, per modum Confessionis, enarrans ejus insignia Judicia, quæ Mundum & Ecclesiam aliquandiu exercuerant, eorumque explicans caussas, rationes, fructus, & habitum sanctorum tempore hujus calamitatis afflictorum aut latitantium. Subjicitur tandem *Epilogus* Prophetæ, congruens argumento Cantici, quo consilium dat piis, illo tempore victuris, eosque docet, qua optima ratione se hac tempestate sæviente prudenter sint compositurі, usque quo Deus salutem Populo suo procuraverit.

Scena Cantici cui conveniat tempori?

II. Scena Cantici describit attributa ejusdem temporis, quod in superioribus designavi, hoc est, Maccabaici. Nihil in Cantilena occurrit, quod huic hypothesi non suffragetur. omnia consentiunt secundum eam, & inter se amice conspirant. Tantum dubitari posset, an consilium, quod Propheta populo Dei submiistrat in illius temporis circumstantia utendum, incidat in medium temporis liberationis; num in illius finem, confirmato Reipublicæ Statu sub Simone aut Filio ejus Joanne Hyrcano? Posterius mihi probabilius videtur, favetque ei, totius Cantilenæ structura & argumentum. Personæ enim, quibus in hac Cantilena aptatur oratio, gloriantur salute jam impetrata & possessa, & hoc argumento alios ad spem & fiduciam exhortantur. *Loci* pariter scena eadem est quæ in superioribus, hoc est ipsa TERRA JEHUDÆ. Ea enim in præfatione Cantici exerte appellatur, ut mox videbimus. Mystice, intelliguntur terræ Ecclesiæ Liberatæ initiis *Periodi septimæ*, ex hypothesi superius adstructa.

Forma Cantilenæ, & *Compositio* ejus.

III. Est autem forma Cantilenæ vere Poëtica, sive Dramatica; qua voce innocua hic ut propria & ad rem accommodata lubenter utor: constatque adeo *actibus* Personarum sive Chororum *plurium*, sibi mutuo respondentium vel succinentium. Possent, fateor, reciprocationes orationis adscribi duobus *Choris*, sibi invicem per vices ad modum *ἀντιφωνίας* reddentibus voces: sed cum nihil vetet, plures hic personas vel Choros introduci, quorum singulis suæ sint mandatæ partes, ut in Dramaticis & Scenicis usu venit; simplicius videtur, id hic ut verius supponere: etsi nullius momenti quæsitum sit. Ergo Pericopa, hoc *Capite* comprehensa, bimembris est. Complectitur CANTILENAM Populi redemptorum, ℣ſ. 1--19. & EPILOGUM Prophetæ ei subjectum, ℣ſ. 20. 21. CANTILENA post *præfationem* (℣ſ. 1.) absolvitur variis loquentium & inter se agentium actibus variarum Personarum vel Chororum. quorum Primus edit *Laudationem confessionalem* & *fiducialem* Beneficii quod Ecclesiæ obtigerat, ℣ſ. 1. *med.* Secundus per gratulationem acclamat confessoribus veritatis, qui tempore afflictionis non defecerant, sed tentationem glorioſe superarant, ℣ſ. 2. Tertius explicat *fiduciam* & spem Populi redempti, ℣ſ. 3. Quartus argumento Liberationis Ecclesiæ præstitæ exhortatur fratres pusilli animi ad eundem induendum animi affectum, eoque se armandum adversus omnem metum ac tentationem, ℣ſ. 4--6. Quintus oratione ad Deum versa edit *Confessionem* de Judiciis Divinis, eorumque *Causis*, & *Fructibus*, & *sanctorum* ac *reproborum* erga ea *affectu*, ℣ſ. 7--19. In qua *Confessione*, primo Sancti generali sententia agnoscunt æquitatem viarum Dei erga *justos* in ipsis Judiciis quæ Deus in Ecclesiam exequitur, ℣ſ. 7. Secundo explicant suum erga ea *affectum*, ℣ſ. 8. 9. Tertio, exponunt *affectum* erga ea *reproborum*, ℣ſ. 10. 11. Quarto, singula-

Analysis secundum eam instituta.

gulatim declarant vivam fidem, spem, fiduciamque suam, quam integram sibi servarant tempore afflictionis, ℣. 12--19. quæ pars hujus *Confessionis* variis constat *Gradationibus*, suo loco recensendis. EPILOGUS simplex est, & styli historici, spem & fiduciam Ecclesiæ corroborans, conceptus per modum *Responsi* ad superiorem *Confessionem* ℣. 20. 21. Universa autem hujus Pericopæ structura tam argumenti quam compositionis respectu multum commune habet cum Ode, quæ inter Davidicas est, CXVIII. 1. seqq. ut ex utriusque collatione in interpretatione ipsa patescet.

PRÆFATIO Prophetæ.

Præfatio *Prophetæ.* *Quodnam* tempus *tantandæ cantilenæ* Prophetæ hic designet?

℣. 1. ILLO TEMPORE *cantabitur* CANTILENA HÆC *in terra Jehudæ*] Tempore sc. Liberationis quam Ecclesia adepta fuerat ope & gratia Divina, quod tempus est Simonis Ethnarchæ & Joannis Hyrcani, si prophetiam κατὰ γράμμα accipias, ut in superioribus evici: si κατὰ πνεῦμα, tempus Ecclesiæ liberandæ & liberatæ à gravi afflictione in initiis *Periodi septimæ*. *Illo tempore* explicaret Ecclesia omnem animi sui affectum *Canticis* & *Cantilenis*, in Cœtu sanctorum recitandis, de quo jam monuimus, ad exemplum Populi posterorum Abrahami ex Ægypto liberati Exod. XV. 1. coll. cum Apoc. XV. 3.

Significatio vocis שיר *Cantilena.*

Est autem שיר, quæ vox in loco hoc Apocalypsios redditur ᾠδή, latiore significatione qualiscunque *compositio dramatica*, arte constructa, suis constans sententiis, licet non forte ὁμοιοπτώτοις, quæ dicuntur, sive ὁμοιοτελεύτοις, in fine consonantibus: quam *consonantiam* in hoc *Cantico* aliquibus quidem membris suis, sed non omnibus, potuimus observare: nec placuit adeo, ingenio uti vel abuti in ea ostendenda, cum id ad intellectum ejus nihil conferat, nec legentem ejus intelligentem faciat. Sufficit observasse, *Cantica*, quæ hac voce designantur, spectari ut *popularia*, liberiora, ore magis cantillanda, quam ad *Musicæ* regulas aptata & adstricta: de quo videnda quæ notavi ad Cap. V. 1. Propheta utitur eodem fere sensu voce משל *parabolæ*, Cap. XIV. 4. etsi id *Canticum* vere etiam sit *Parabolicum*. Cantillandum autem erat *Carmen* in ipsa TERRA JEHUDÆ, h. e. terra populi Dei, grammatice & mystice sic dicta: ut supra jam monui. Quid? Ne hic quidem majorem vocis emphasin fugio. *Terra* JUDÆ *est terra confessorum veræ Religionis*, qui stylo mystico dicuntur Ἰδαῖοι JUDÆI, ut Apoc. II. 9. *Novi blasphemiam* τῶν λεγόντων Ἰουδαίους εἶναι ἑαυτοὺς, *se esse* JUDÆOS, *& non sunt*. h. e. se esse veros Christianos, veræ fidei tenentes confessionem, μάρτυρᾶντας τὴν ἀλήθειαν. Est enim יהודה ab הודה *confiteri*. *confessores* vero sive μάρτυρες in emphasi dicebantur qui Religionis veræ confessionem non ore tantum edebant ac profitebantur, verum etiam passionibus aut morte sua obsignabant: quo sensu vox jam usitata est in Scriptis N. T.[a] Ergo in *terra Confessorum* veræ Religionis, qui pressi fuerant æstu persecutionis, hoc cantillaretur carmen. Est insuper aliud quod non negligo. Paraphrastes in verbis, השיר השירים *Canticum* HOC, observavit emphasin, vertitque, תושבחתא דדמתא *Canticum* NOVUM, imitatus phrasin שיר חדש Ps. XCVI. 1. XCVIII. 1. quam expressit Propheta Joannes bis per ᾠδὴν καινήν, Cap. V. 9. XIV. 3. Canticum est novi ac singularis argumenti, non nisi diebus Messiæ, in emphasi decantandum, de quo suis locis monui, & alibi dicta non repeto.

Canticum erat cantillandum in *terra Judæ.*

Emphasis singularis vocis *Juda* in hoc loco.

Terræ Judæ mystice est *terra Confessorum* veræ Religionis.

Membrum *Prius* hujus *Pericopæ*, quod complectitur CANTILENAM, à sanctis redemptis decantandam.

CHORUS PRIMUS. Laudatio Homologetica Beneficii *Liberationis*.

Membrum Prius: *Cantilena* ipsa.

℣. 1. med. *Urbs* ROBORIS *nobis*. SALUTEM *posuit muros & antemurale*.] Hanc veram teneo sententiam Prophetæ quam expressi, quæ tamen ipsa quoque ab Interp. quibusdam non est perspecta. Hieronymus: *Urbs fortitudinis nostræ Salvator: ponetur in ea murus & antemurale*. Sic legenda & distinguenda ejus verba sunt, quæ in variis Editionibus vitiose exhibentur vel distinguuntur: ut ex *Commentario* ejus liquet. Retulit vocem *Salvator* ad prius membrum, confundens vocem ישועה *salus*, cum ea ישוע *Salvatoris*, ut occasionem haberet eam transferendi ad nostrum JESUM, Salvatorem: perinde ac alibi sæpius instituit, ubi occurrit vox ישועה *Jeschua*, ut Cap. XII. 3. מעיני ישועה *fontes Salutis* vertit per *fontes Salvatoris*. Laudo studium Viri, Christum JESUM amantis eundemque ostendere nitentis in Verbo Prophetico, nec potuit hic graviter errare, cum *salus* supponat *Salvatorem*: nec tamen propterea necesse habuit *salutem* cum *Salvatore*, hoc est, effectum cum caussa sua, commiscere: sed Hieronymus hic vere sequutus est Aquilam, cujus versionis fragmentum superest apud Eusebium. Masorethæ rectius distinxerunt sententiam, & vocem ישועה retulerunt ad *posterius membrum*, quod ipsum quoque Vir doctus non satis commode reddidit: & sunt etiam alii, qui hic præter necessitatem in orationem textus inferunt quæsitam subtilitatem, acsi dicere vellet Propheta, ipsam *salutem* posituram esse *muros* & *antemurale*: non esse igitur dubitandum de *salvatione*, ubi *salus* ipsa Populum Dei defendit. Sic quoque ipse Grotius. Sed si id voluisset Propheta, scripsisset, ישועה תשית non ישית. Nos Prophetæ mox suum reddemus sensum. Sententia complectitur, ut jam præscripsi, laudationem Homologeticam, qua Ecclesia, læta vindiciis sibi à Deo præstitis, gloriatur Deo ut defensore suo & protectore potente, sub metaphora *Urbis munitæ*, *muris* & *antemurali* ad omnem hostium impetum arcendum probe instructæ. Deum enim defensorem, ait, sibi esse loco *Urbis robustæ*, ipsumque sibi præstare effectum *muri* & *antemuralis*, ad salvandum idonei, quibus quis secure fidere queat. Nec tamen ipsum *Dei* aut *Jehovæ* nomen exprimit, ut nec ℣. 3. ubi directe Deum compellat, quod modo monui ad ℣. 12. *Cap. superioris*, pertinere ad elegantiam orationis sacræ. Supponit enim eo, non tantum Personam, de qua loquitur, esse notissimam vel ex ipsis illis attributis, quæ ipsi hic vindicat; sed se quoque adeo Dei plenam esse, ut veluti in emphasin rapta supponat, alios non minus ac se de hoc Deo Jehova unice cogitare, & totos in ejus hærere contemplatione. Prius membrum est: *Urbs roboris nobis*. Sic proprie sonant Hebræa. Οἱό: Ἰδὲ πόλις ὀχυρὰ vel *Ischyrá*. Aq. Πόλις κράτους ἡμῖν. Symm. Πόλιν ἰσχυρὰν ἔχομεν. Sensus est, habemus oppidum munitum in Deo, Jehova, ejusque potentia, auxilio, præsidio, ac defensione; ut, si forte aliis oppidis munitis destituamur, in ipso possimus delitescere securi & nostram invenire incolumitatem. Sic Ecclesia se mox ipsa interpretatur, ℣. 4. *Quia in Jah Jehova est rupes sæculorum*. Est autem comparatio, ut expositu facilis, sic usitata in Verbo Dei. Ps. XXXI. 3. *Sis mihi* (oratio est ad Deum,) *in rupem munitam, in domum firmissimam ad salvandum me*. Ps. XC. 1. *Domine, tu nobis fuisti* מעון *habitaculum*, (latibulum,) *quaque generatione*. Ps. CXXV. 2. *Ut Hierosolyma est circumdata montibus, sic Jehova est circumcirca populum suum ab hoc tempore, usque in sæculum*. Tantum videri cui posset minus commode hic usurpari vox עז ROBORIS, quæ proprie notat vim & valorem animantium; vires, inquam, & robur internum, quo aliquid ex se efficere ac perficere valent. quod minus commode videtur transferri ad *Urbem munitam*, aliàs dici solitam, עיר מצור, בצורה עיר: sed repono paucis, usum Linguæ sic ferre, ut *robusta* dicantur omnia in quibus qualiscunque vis est sive ad agendum, sive ad patiendum ac sustinendum: perinde ac vox *robustus* apud Latinos quoque transfertur ad res qualescunque in quibus firmitas, constan-

Versio Hieronymi. Scopus versionis.

Masorethārum de h. l. judicium.

Sensus sententiæ genuinus.

Nomen Dei, qui est *subjectum* sententiæ, hic non exprimitur.

Prius membrum sententiæ: *Urbs roboris nobis*. Versiones Veteres. Sensus sententiæ.

Analoga loca in quibus usus est hujus comparationis.

An vox עז hic commode satis usurpetur? Significatio ejus. Defenditur ejus usus, ex analogia.

Chorus primus, ejusque sententia, ℣. 1. *Urbs roboris nobis, &c.* Sententia Prophetæ.

[a] 1 Tim. VI. 13. Apoc. II. 13. XVII. 6.

ſtantia, & vis eſt. eſt enim *robuſtum* æque id quod non facile convellitur & firmiter conſiſtit, quam quod ex ſe ſuiſque viribus fortiter agit. Sic, ne alia nunc exempla allegem, uſurpatur in eadem metaphora de Deo defenſore à Parœmiaſta [a]: *Turris* ROBORIS (עז) *eſt nomen Jehovæ: Juſtus confugiet illuc & ponetur in loco edito.* Alterum membrum Hebraice ſic effertur: ישועה שית חומות וחל quod propriiſſime vertitur: *Salutem poſuit muros & antemurale.* quæ hunc ferre poſſunt ſenſum: Quod deeſt muris & munimentis noſtris, quibus debeamus fidere tentati ab hoſtibus, ipſe ſua ſupplet defenſione ac præſidio, præſtatque nobis *incolumitatem & ſalutem* quam à muris ac propugnaculis noſtris debuiſſemus exſpectare, & tamen ob eorum infirmitatem exſpectare non poteramus. Belgæ noſtri: *Salutem ponit in muros & propugnacula.* h. e. Salus Dei præſtat ſuppletque vicem muri & propugnaculi: quod à noſtris nihil vel parum differt. Non eſt hæc ſententia Vatis, licet ipſa quoque bonum & commodum ſenſum det, Deum muros & propugnacula defendendo præſtare incolumitatem & ſalutem incolis Urbium: ſed *ſalutem* ipſam, quam Deus Eccleſiæ præſtat, eſſe pro *muris* & *propugnaculis*, ut adeo iis non indigeat. Sic accipiendus locus huic parallelus Cap. LX. 18. *Non audietur amplius violentia in terra tua; vaſtatio & fractura intra limites tuos; & vocabis* SALUTEM *muros tuos.* Affine eſt quod apud Zachariam de Hieroſolyma [b]: *Et ego ero ipſi, ait Jehova,* IN MURUM IGNEUM *circumquaque.* & Jer. III. 23. *Certe in Jehova Deo noſtro conſiſtit ſalus Iſraelis.* Verti autem vocem חל per *propugnaculum*, munimentum, loriculam ante muros, בר שורא *filium muri*, cum Hebræis, ex uſu Scripturæ: de quo Docti Viri [c] neceſſaria jam monuerunt.

Alterum ſententiæ membrum: *Salutem poſuit, &c.* Senſus ejus. Qui elucidatur.

Vide jam quam congruens ſit hæc oratio ſtatui Eccleſiæ temporum Maccabaicorum? Poſt caſum Judæ Maccabæi, in initiis Jonathæ, res Haſidæorum paſſim cenſebatur collapſa & deſperata. Bacchides enim, Demetrii Dux, præter *Arcem Hieroſolymitanam* pleraque *Munimenta* (ὀχυρώματα,) Judææ, (quorum aliqua Haſidæi jam tenuerant,) probe inſtructa, in ſua habebat poteſtate, nimirum, *Arcem Hierichuntis, Emmauntem, Bethoruntem, Bethelem, Tamnatham Pharathoni, & Tephuntem ἐν τείχεσιν ὑψηλοῖς καὶ πύλαις, καὶ μοχλοῖς·* MURIS CELSIS, PORTIS & VECTIBUS, & *Bethſuram* quoque ac *Gazaram*; (ſic Hiſtoricus Maccabaicus [d]:) ut adeo Haſidæi, omni auxilio humano deſtituti & munimentis ſuis exuti nudatique, expoſiti omni hoſtium ſuorum furori ac violentiæ, nullum haberent quo niterentur, auxilium & præſidium, niſi *Divinum:* quod ipſos non deſtituit, ſed brevi, protritis hoſtibus, per omnia ſuperiores fecit. Atque hoc unum auxilium reſpexerunt, implorarunt, impetrarunt, & in omni victoria ſua agnoverunt ac celebrarunt, ex ſymbolo Judæ Maccabæi [e]: Θεοῦ νίκη· VICTORIA DEI EST. Id ubique Hiſtorici teſtantur, & res nulla indiget probatione. Η' ἐπαφήγεσα τῷ Κυρίῳ σκέπη· *Adjutorium Dei tegmen*, (ut ejuſdem Hiſtorici phraſin [f] imiter,) ardentibus precibus ac jejuniis expetitum, & viva ſpe exſpectatum, omnem alium defectum ſupplevit. Id itaque volunt ſancti in hoc loco. Etiamſi rebus noſtris turbatis, & fere deſperatis, ajunt, nulla nobis munimenta eſſent, arces paucæ vel nullæ, præſidium nullum: adfuit *Deus* Jehova, hiſce rebus omnibus infinito potior, ſua potentia, providentia, ope, defenſione. hoc ſtetimus munumento, his vicimus armis. Habuimus *Urbem munitam in Deo Jehova:* ejus *ſalus* nobis fuit, ac deinceps erit, *murus* ac *propugnaculum.* Nec alia poterit eſſe vox & confeſſio ſanctorum tempore Liberationis Eccleſiæ noviſſimo. Apparebit Deus tum temporis Populo ſuo rebus deſperatis, ubi *abierit manus* (aberit & perierit auxilium humanum,) *& concluſus ac derelictus nullus fuerit*, h. e. præſidium nullum humanum alicunde exſpectari poterit. (ſunt enim *concluſus* ac *derelictus* Hebræis milites in præſidiis relicti, ad extremum neceſſitatis caſum reſervati, ſic Moſes [g]:) & *quando nullus erit vir*, ut Propheta noſter [h]. Ergo Eccleſiæ illo tempore liberandæ vox erit eadem quæ noſtri Prophetæ & Maccabaica [i]: Η' σωτηρία τῷ Θεῷ ἡμῶν· *Salus Deo noſtro & Agno.* Quid vero nos hic conticemus, quid claudimus ora ingrati? Majores noſtri erepti ex ore Leonis rugientis & ſævientis, vindicati in libertatem & huc uſque conſervati, cujus auxilio ac præſidio vindicati ac ſervati ſunt quam Divino? Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Scotiæ hiſtoria, quam hic memorabilia & mirabilia Divinæ Providentiæ & curæ erga ſuos exhibet ſpecimina? Quid vidimus diebus noſtris? Opera Dei magna, inquam, & omnium cogitatione atque exſpectatione ſuperiora. Eſt itaque, &. ſit, hæc confeſſio noſtrorum quoque temporum.

Sententia aptata fuit ſtatui Maccabæorum. Adverſarii illorum Arces munitiſſimas in ſua habebant poteſtate. Quibus munimentis hoſtium pii opponunt Deum ejuſque *auxilium.* Maccabæorum de eo confeſſio. Paraphraſis illius Confeſſionis. Similis erit confeſſio Eccleſiæ ab hoſtibus impetitæ & a Deo defenſæ ſub *Periodo ſexta.*

Ipſius *tem*pori ac ſtatui plane convenient.

CHORUS ALTER: Acclamatio ad *Confeſſores veritatis.*

℣. 2. *Aperite* PORTAS, *& veniat Gens juſta, ſervans* FIDEM] Chorus eſt, ſive Angelorum, qui in ſcenis Propheticis locum quoque ſuum inveniunt; ſive Credentium ſanctorum, qui partem non habuerant in afflictione, qui Confeſſoribus veritatis, quotquot in fide vera firmiter perſtiterant, læte acclamant; gratulantur conſtantiam in afflictione, dignoſque prædicant, qui non tantum in Civitate *terreſtri Hieroſolyma* & *terreſtri Templo*, ſed *ſpirituali* quoque ac *cœleſti* cum Deo & vero ejus Populo exerceant communionem æternam; eſtque ſcena ſic inſtructa, acſi Chorus qui hic introducitur, illos Confeſſores videret, ſive è carceribus aut metallifodinis liberatos, ſive profugos Religionis cauſſa & diſperſos, tempore hoc Refrigerii magnis agminibus ad ſua reverſos, properantes ad Hieroſolymam & Templum, ut læta feſtaque die pro beneficio Liberationis gratiarum-actiones ſuas ibi deponant, & coram Jehova ſolenniter compareant. Hæc agmina Confeſſorum dum vident eminus cum lætis jubilis promoventia verſus Hieroſolymam & Templum, adclamant illis è longinquo, dignoſque prædicant qui per *veras portas* in *veram Dei Civitatem* ingrediantur: oratione verſa ad Præfectos Civitatis ac Templi Dei veri, quibus judicium de intromittendis in Communionem Sanctorum, aut ea excludendis, commiſſum eſt: quos mox deſcribam. Comparari hic poteſt & debet ſcena *Apoc.* VII. 9. ſeqq. Vis ſententiæ tota in id reſolvitur, ut recte intelligamus. *α.* Quænam illæ ſint *Perſonæ*, quas Chorus prærogativa inſigni introeundi per *portas* dignas cenſeat? *β.* Quænam ſint *portæ* illæ, à cuſtodibus earum *aperiendæ*, quarum hic mentio fit, & cujus reſpectu ſic dicantur? quando non poterit eſſe obſcurum, quæ qualiſque ſit prærogativa ingrediendi per haſce *portas*. *γ.* Quinam hic ſupponantur *Portarum* illarum *Cuſtodes* aut *Præfecti*, ad quos oratio directe vertitur? Primum horum in liquido eſt. Sunt, phraſi Prophetæ, *Gens juſta, ſervans fidem.* proprie *fides*, ſive *fidelitates*, numero plurium. Deſignantur *confeſſores veritatis*, purgati igne afflictionis, ſive, ſtylo *Apocalypſios* [k], *οἱ ἐρχόμενοι ἐκ τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης, qui venerunt ex magna illa afflictione* quam conſtanter & glorioſe ſuſtinuerant, hic inſigniti duobus characteribus, quorum tamen ea inter ſe affinitas & cognatio eſt ut alter ex altero explicandus ſit. Sunt *Gens* צדק *Juſta*, (analoga phraſi, עדת צדיקים *Congregatio Juſtorum* [l], דור צדיק *Generatio Juſti* ſive *Juſtorum* [m], אגרת ארני צ׳ *Faſciculus* electorum hominum à Deo *fundatus in his terris*, quæ elegans eſt Amoſi [n] dictio:) non hoc tantum ſenſu quod *juſtitiam* exerceant & veræ virtuti operam dent; ſed hoc præſertim, quod ex Lege gratiæ, præſtitis ejus conditionibus, *fidei* veræ ac vivæ & *perſeverantiæ in fide* in graviſſimis afflictionibus, adepti ſint ex gratia eam *juſtitiam* quæ eſt *ex fide*, dignique habiti ſint qui in interius commercium Divinæ *amicitiæ* admittantur.

Alter Chorus. *Acclamatio* ad Confeſſores veræ Fidei: ℣. 2. *Aperite portas, &c.* Quorum *ſubjectorum* hæc fit oratio? Senſus ejus. Structura ſcenæ & hypotheſis orationis.

Cum quæ comparatur ſcena Apoc. VII. 9. ſeqq. Dubia hic expedienda.

Quænam perſonæ hic veniant nomine *Gentis juſtæ, ſervantis fidem?* Titulus eſt *Confeſſorum* veræ fidei, qui illuſtratur.

Quo ſenſu illi dicantur *Gens Juſta?*

---

a Prov. XVIII. 10. *b* Cap. II. 9. *diſtinct. Heb.* *c* Cocc. in *Lex.* ad h. v. Buxtorf. in *Lex.* Talm. L' Empereur *ad Middoth.* *d* 1 Macc. IX. 50. ſeqq. *e* 2 Macc. XIII. 15. *f* ℣. 17. *g* Deut. XXXII. 35. *h* Cap. LIX. 16. *i* Apoc. VII. 10. *k* Cap. VII. 14. *l* Pſ. I. 5. *m* Pſ. XIV. 5. *n* Cap. IX. 6.

tur, quo sensu Propheta noster Cap. LVII. 1. JUSTUS *perit, & nemo est qui id ad animum revocat.* Cave credas, esse expositionem concinnatam ad hypotheses Scholæ nostræ. est hic verus usus vocis antiquus Scholæ Sanctorum. Sunt itaque illi ipsi qui post victoriam fidei reportatam Joanni exhibiti sunt ut *indutistolis albis* [a], quippe quas illi *laverant & dealbarant in sanguine Agni:* ne quis hic de proprie dictis operum meritis cogitet. Inde patet, quanta cognatio sit hujus characteris cum sequente: שומר אמונים *servans fidem*, sive *fidelitatem*, quæ vera vocis notio est; & numero plurium usurpata, ut fit stylo sacro, *fidelitates*, h. e. fidelitatem summam: qualis ea est quæ demonstratur in gravi afflictione, in qua fides omnem vim suam exercet, quippe mundum & Satanam vincens. Illi ipsi sunt qui, stylo Prophetæ Joannis [b], dicuntur οἱ νικῶντες *vincentes* (perseverantes ad finem,) πιστοὶ ἄχρι θανάτου, *fideles ad mortem: tenentes nomen Dei* & Christi (veræ fidei confessionem,) *eamque non abnegantes.* Hi digni censentur à Choro sanctorum, quibus aperiantur *portæ:* quod *alterum* quæsitum est. Quales vero? An *Hierosolymæ* vel *Templi?* Sed illæ patebant omnibus Judaicæ professionis hominibus in quibus plures erant hypocritæ. Vates Sacer in excellente *Ode*, ad hanc prophetiam conformata, quod Jesaias non definiverat, (mystice loqui solitus, ut prudentium ingenium excitaret:) definit & explicat planius, chorum Confessorum sic loquentem introducens [c]: *Aperite mihi* שערי צדק PORTAS JUSTITIÆ, ut *per eas ingrediar, & confitear Jah.* Sunt autem *portæ justitiæ*, stylo Hebræorum, sive potius Sanctorum Scholæ antiquæ, PORTÆ *Civitatis* sive *Templi*, (etsi hic ad *Civitatem* potior respectus sit, ut mox patefiet:) VERÆ, contradistinctæ *portis Civitatis typicæ & terrestris* quales erant *Portæ Hierosolymæ* aut *Templi*, proprie & γραμματικῶς sic dictæ. Quod ut recte intelligatur, observandum est, Sanctos & Sapientes Scholæ Veteris perspexisse per illuminationem Spiritus S. *res* omnes fere *terrestres* ac *cœlestes*, & præcipue quidem institutas à Deo sub Oeconomia Vetere in Cultu externo & literali, esse vel emblemata, vel typos & figuras *rerum spiritualium & cœlestium* in quibus ea attributa *vere* insunt, quæ *typice*, *figurate*, & *umbratiliter* (sic loqui liceat:) in *terrestribus* ac *corporalibus analogis.* ad quod in omnibus Scriptis Prophetarum & Sanctorum ubique respicitur: de quo alibi [d] prolixius scripsi. Id vero ipsi designabant per additum attributum vocis צדק sive צדקה quæ in ejusmodi casibus à nostris per *justitiam* vertitur, sed rectius redditur per *veritatem*, ut apud Vatem nostrum Cap. XLV. 23. *Exiit ex ore meo* צדקה JUSTITIA, h. e. verbum justitiæ per ellipsin: *verbum quod non revertetur.* verbum verum, æterna veritate subnixum. immutabile. Ps. LVIII. 2. *An vere vos loquimini* צדק JUSTITIAM? h. e. veritatem. an vera judicia profertis? Quo sensu שמש צדקה *Sol* JUSTITIÆ dicitur Malachiæ [e], *Sol verus*, Soli naturali contradistinctus, qui id præstat in *statu spirituali* qui verus & æternus censetur, quod *Sol*, sic dictus, in naturalibus. Joannes vocat [f] τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν, *Lucem illam veram*, h. e. Solem verum. וזבחי צדק *Sacrificia* JUSTITIÆ sunt Vati Sacro [g] *sacrificia vera*, spiritualia, Deo digna, homini convenientia, λογικὰ, typicis contradistincta. Scriptori ad Hebræos sunt θυσίαι ἀινέσεως, *sacrificia laudis: fructus labiorum, celebrantium nomen Dei* [h]. Eidem *Tabernaculum cœleste*, typico contradistinctum, dicitur σκηνὴ ἀληθινὴ, *Tabernaculum* VERUM [i]. stylo Veterum, Tabernaculum *Justitiæ.* Huc autem respici, patet ex Apoc. XXII. 14. *Beati qui faciunt præcepta ejus, ut iis jus sit in arborem vitæ, & per* PORTAS *ingrediantur in civitatem.* sc. *Hierosolymam cœlestem, civitatem Dei vivi* [k]. Idem est quod alio loco mystici hujus Libri [l]: *Qui vicerit, ei.... inscribam nomen* CIVITATIS DEI MEI. quod apud Jeremiam est, *Jehova justitia nostra* [m]. Jus illi dabo Hierosolymæ Novæ, & donabo eum justitia incolarum ejus. Ergo *apertura portarum & receptio in portas* hoc in loco est admissio confessorum veritatis in interiorem communionem Dei, Angelorum, & Sanctorum, cum pleno & perfecto jure gaudendi omnibus prærogativis Divinæ Gratiæ, quibus incolæ spiritualis & cœlestis Hierosolymæ fruuntur. His, ajunt, qui in confessione veræ fidei constantes permanserunt, non aperiantur tantum portæ Hierosolymæ & Templi terrestris; sed spiritualis quoque ac cœlestis, dignique censeantur, qui inter cives non tantum *Hierosolymæ* & *Templi terrestris*, sed & *spiritualis* ac *cœlestis*, adscribantur, ejusque gaudeant beneficiis ac prærogativis. quæ dignitas summa est. Vertitur autem hæc oratio, ut videtur, ad *certas personas*, *portis Civitatis Dei* præfectas, quibus hoc muneris mandatum est ut eas dignis aperiant, & indignis claudant. Sic videtur ad primam speciem, nec refugio sensum: etsi figurata oratio eum non necessario admittat. In figuris enim loquutionis Propheticæ, quæ à Deo ipso immediate fiunt, adscribuntur tamen decori caussa *angelis* aut *ministris* quibuscunque à quibus administrentur, ut variis locis docui: ut adeo illud, *aperite portas*, idem valeat quod, *aperiantur portæ*, quæ *portæ civitatis* spiritualis à nemine vere *aperiri* possunt quam à *Deo.* Et tamen Deus *judicium* de *jure Civitatis spiritualis* ac *cœlestis* commisit certis in terra hominibus, hoc est, Præfectis, Pastoribus, Episcopis, Ecclesiæ omnium temporum, æque sub Vetere Oeconomia, ubi præter Hierosolymam externam fuit quoque interna ac spiritualis, ac sub Nova: Præfectis, inquam, Ecclesiæ veris, à Spiritu Dei illuminatis ac affectis, conditionum ac prærogativarum Communionis Sanctorum peritis, qui in Deo & Christo de statu credentium judicant. Hi sunt *Angeli* qui sunt in *portis Novæ Hierosolymæ* [n]: licet in illo loco *Apocalypsios* per eos plus intelligi possit. Ad hos itaque convertitur sermo, & consentiente Sanctorum ac Angelorum voce, monentur his Confessoribus fidei cum encomio locum facere inter incolas veræ Civitatis Hierosolymæ & Templi, h. e. Ecclesiæ, non externæ sed veræ, Ecclesiæ cœlesti unitæ & cum ea constituentis Civitatem unam, sanctam, spiritualem, in qua Deus habitat & regnat. Hoc jus adepti sunt Hasidæi, ζητοῦντες δικαιοσύνην καὶ κρίμα, ut in *Maccabaicis* appellantur [o], (hoc est, גוי צדק *Gens Justa*,) quotquot eorum ex principio veræ fidei & spei Patrum constantiam in afflictionibus Deo & Ecclesiæ probarunt: eademque prærogativa est & erit omnium *Martyrum* veræ Religionis Christianæ, qui fidem suam Christo Jesu ex puro affectu in afflictionibus huc usque probarunt, & in posterum probaturi sunt.

CHORUS TERTIUS: Declaratio spei & fiduciæ Ecclesiæ.

℣. 3. *Cui est cogitatio fixa, servabis* PACEM, PACEM, *quia te nixa est*] Simul se vertit vel ipse hic vel alter Chorus ad Deum *Jehovam* qui ex *versu sequente* nobis mox innotescet, & *fiduciam* in ipso positam cum spe gratiæ ejus & pacis in sequentibus obtinendæ explicat his quæ descripsi verbis, variæ interpretationi subjectis. Non apparet enim ad primum aspectum clare satis, quorsum referendum sit illud יצר סמוך *Cogitatio suffulta.* Potest autem referri vel ad *Deum* vel ad *homines.* Si *ad Deum:* dicere vult Chorus, esse certum Deo propositum servandi pacem Ecclesiæ, postquam desæviisset tempestas illa turbida, datam. Sic Piscator, Belgæ, &c. Si ad *homines* referatur: sensus est, esse fixam, certam & non dubiam cogitationem, quæ est cogitatio veræ fidei, Deum Populo suo conservaturum esse pacem. quæ interpretatio placuit De Dieu, Coccejo, aliis; licet singuli fere hic singularia affectent, quæ non percenseo. Syrus quoque Interpres illud, *Cogitationem fixam* de *fide* accepit, sed connexit cum *versu superiore*, non spernenda meditatione & commemoratu digna. Lege verba: *Aperite portas, ut ingrediatur Gens justa, servans fidelitatem,*

Cognatio ejus epitheti cum sequenti: *Servans fidem.*

Sunt constantes in professione fidei. Illustratur ex analogis.

Quales *portæ* hic aperiri jubeantur?

Exponitur ex Ps. CXVIII. 19.

Sunt *portæ justitiæ*, h. e. *portæ veræ*, contradistinctæ *typicis.*

Doctrina & hypothesis sanctorum antiqui temporis, *Literalia* esse figuras *spiritualium.*

Usus elegans vocis צדק hoc in casu.

Locus Jes. XLV. 23. illustratus.

Et Mal. IV. 1.

Ut & analoga alia.

Confirmatur interpretatio ex Apoc. XXII. 14.

Definitur, quid hic notet *apertura portarum*?

Et declaratur.

Ad quas *personas* hic vertatur oratio?

An hic necessario aliquæ admittendæ sint?

Stylus Propheticus.

Possunt tamen hic sub intelligi *Præfecti*, & Pastores Ecclesiæ.

Hypothesis integra declaratur & exponitur.

Expositio applicatur ad vera subjecta hujus prophetiæ.

Chorus tertius: Spes Ecclesiæ.

Quorsum referendum sit illud, *Cogitatio fixa*?

Cogitatio fixa si referatur ad Deum, quid significet?

Quid, si ad homines?

Interpretis Syri in h. l. institutum.

---

[a] Apoc. VII. 13. 14. [b] Apoc. II. 7. 10. 13. [c] Ps. CXVIII. 19. [d] *Observ. S.* Lib. VI. Cap. XX. §. 2. [e] Cap. IV. 1. [f] *Evang.* 1. 6. [g] Ps. IV. 6. LI. 21. [h] Heb. XIII. 15. [i] Cap. VIII. 2. [k] Heb. XII. 22. [l] Cap. III. 12. [m] Cap. XXXIII. 16. [n] Apoc. XXI. 12. [o] 1 Macc. II. 29.

tatem, cogitatione suffulta. (יצר pro ביצר) *Servabis pacem, &c.* Nihil vitii habet sententia; etsi nulla etiam necessitas urgeat deserere Masorethas. Secundum eos hic est sensus sententiæ: *Cogitatio certa, firma, bene suffulta est,* (quæ est cogitatio veræ fidei, & fiduciæ:) *te Jehovam servaturum esse pacem.* Vel, non longe diversus alter: *Cui est cogitatio firma, bene suffulta, huic tu servabis pacem, vel hunc tu servabis in pace quia in te confisus est.* Elegans est expositio, quam de Dieu commendat ut suam, haud dubie integro animo: & viderat tamen ante eum Aben-Ezra, cujus verba adscribo: מישיצרו סמוך עליך אתה השם תצרנו בשלום *Cujus cogitatio* vel *affectus tibi firmiter innititur, hunc tu Deus servabis in pace.* Parum distant Jarchius & Kimchius, licet illud יצר סמוך *Cogitatio firma* vel *desiderium suffultum* omnino quoque interpretentur de *affectu animi* à Deo suffulto, eoque nixo. Est dictio vere emphatica, ad naturam veræ fidei describendam aptissima: licet alibi integra non occurrat. יצר est quævis cogitatio, figmentum mentis, יצר מחשבורת *fictio* (πλάσμα) *cogitationum*, h. e. productum earum: inter quas cogitandi species est actus ille judicii qui *fides* dicitur. quæ cum certis rationibus non suffulta, subinde vacillet, immutetur, deficiat: *veræ fidei* est character, esse firmam, solidam, bene suffultam, quæ excludit dubitationem. Sic Vates sacer, ubi describit attributa Viri pii *a*: סמוך לבו COR *ejus est* SUFFULTUM, firmum: *non timebit.* Inde phrases in Scriptis N. F. usurpatæ; *χεράωμα τῆς πίστεως b. χερεὸν εἶναι τῇ πίστει c. τεθεμελιωμένον καὶ ἐρριζωμένον τῇ πίστει d,* & quæ his cognatæ. Firmitas autem & soliditas cogitationis tota pendet à rationibus, quibus fides nititur; quæ si sint bonæ & solidæ, ac præterea clare perceptæ: *fides* habet *ῥίζαν radicem*, in terra *profunda*, & excludit *dubitationem*, secundum illud Domini *e*: *Si habueritis fidem, & non dubitaveritis.* Pauli de Abrahamo *f*: *Ad hanc vero promissionem Dei non addubitavit incredulitate.* Jacobi *g*: *Postulet in* FIDE, *μηδὲν διακρινόμενος*, NIHIL AMBIGENS. & quæ seqq. Est itaque יצר סמוך *Cogitatio firma, solida*, id ipsum quod Græci dicunt *τὸ καρτερὸν τῆς γνώμης.* Arrianus in historia famosa Calani, utilem esse, ait *h*, ejus meditationem his *quibus cura est intelligere, ὅτι ὡς καρτερόν τε ἐστὶ, καὶ ἀκίνητον γνώμη ἀνθρωπίνη ὅ, τι περ ἐθέλοι ἐξεργάζεσθαι· quam animi sententia sit res fortis & immota, si aliquid sibi firmiter proponat præstandum.* Quæ cum dubiam non faciant Prophetæ sententiam, non quæro hic longioris digressionis occasionem, quæ mihi ultro subnasceretur ex versione paradoxa Hieronymi: *Vetus error abiit.* Fabricavit eam ex versione Aquilæ, non recte accepta; & tamen ita exponit, ut à sensu non multum aberret, quod jam ostendit Forerius.

Sic affectis promittit Chorus PACEM, PACEM, ipsis à *Deo* præstandam ac *servandam*; vel *conservationem* in statu *pacis.* Ut vox hic occurrit, significat prosperum & tranquillum, & stabilem quoque, vitæ statum, perturbatione liberum, quo cultoribus Dei licet Religionem suam absque impedimento exercere in cœtibus sanctorum sub umbra Divinæ Providentiæ, cum certis signis gratiosæ ejus præsentiæ & favoris, in *Benedictione* qua Populum suum in spirituali & temporali quoque statu locupletat. Est itaque *pax* hæc contradistincta turbulento illi ac tristi statui Reipublicæ & Ecclesiæ; statui, inquam, afflictionis & oppressionis Ecclesiæ, qui in hoc Viso supponitur ac describitur. Sic ipse mox ỳ. 12. *Domine, dispones nobis* PACEM. Deinceps luculenter, Cap. XXXII. 17. 18. *Et opus justitiæ* erit PAX, *& fructus justitiæ tranquillitas & securitas in sæculum: & confidebit Populus meus in habitaculo* PACIS, *& in habitationibus securis, & requietibus tranquillis.* Aberit omnis persecutio & afflictio. Populus Dei florente Rei suæ statu perfusus consolatione Sancti Spiritus Religionem suam libere, læte, & secure exercebit. Rursus Cap. LIV. 13. *Et magna erit* PAX *filiorum tuorum.* Plura non adduco. Status *pacis* hic est status refrigerii & consolationis, in quo Deus Ecclesiam suam collocaret ac protegeret post æstum gravissimæ afflictionis. Ecquid vero mysterii habet geminatio hujus vocis? Cur scripsit Propheta, *Pacem, pacem?* Interpretes passim ad copiam & abundantiam pacis, aut certitudinem soliditatemque ejus referunt: nec refragor. Certe sic sumitur geminata notio apud Jeremiam *i*, estque *pacis* tam amabile nomen, ut qui ejus meminit, non contentus semel appellasse, idem lubens repetat. Sed & occurrit mox similis geminatio, ỳ. 5. Putem tamen, mysticum hic esse dicendi genus, eoque innui tam *spiritualem* pacem quæ libertatem exercendæ religionis cum ejus fructibus solatii & lætitiæ spiritualis respicit; quam *temporalem*, quæ est incolumitas & securitas Status Civilis cum ejus consequentibus. Alius est Prophetæ locus, in quo geminata hæc notio occurrit, sed distincte & cum *διαφορᾷ.* Verba sunt *k*: *Creo fructum labiorum: pacem, pacem, longinquo & propinquo.* Redditur ratio sive firmitatis fiduciæ, sive fructus fiduciæ, *conservationis pacis*, verbis, כי בך בטוח, quæ alii vertunt, *quia tibi confisum* est; nos vero, quia te *nixa* sive *freta* est *cogitatio.* Utrum amplexus fueris, non multum deerraveris. sensus enim est affinis. Quod tamen ego scripsi, elegi ut simplicius & convenientius constructioni vocis בטוח, quæ amat subjectum ad quod referatur. Accipio enim vocem ut *participium formæ passivæ*, & explico ex loco parallelo Ps. CXII. 7. ubi de Viro bono, Dei reverente, Vates: *Firmum est cor ejus:* נכון בטוח ביהוה *fretum*, nixum, *Jehova.* Videlicet fieri nequit, ut Deus exspectationem animi vera fide affecti destituat, salva veracitate & gratia sua, & promissorum suorum veritate, quæ est confessio sanctorum *l*. Sic affecti essent & fuerunt liberati à Deo temporibus Maccabaicis; & multo verius liberandi novissimo tempore. Fides solida & bene fundata ubique obtineret victoriam & de omni afflictione triumpharet.

CHORUS QUARTUS: *Exhortatio* ad alios directa, de fiducia in Deo ponenda, argumento illustri confirmata.

ỳ. 4. *Fiduciam ponite in Jehova usque & usque; quia* JAH JEHOVA *est* RUPES SÆCULORUM. ỳ. 5. *Quia depressit incolas celsitatis;* URBIS SUBLIMIS: *humiliabit eam, humiliabit ad terram; pertingere eam faciet ad pulverem.* ỳ. 6. *Conculcabit eam pes: pedes inopis; gressus tenuium*] Quid verius, & mage consentaneum rationi, quam ut homo afflictus & miser, suis viribus diffidens, suæ imbecillitatis convictus, certa animi fiducia se committat Deo, fidem defensionemque suam ei in gratia offerenti, de cujus voluntate, veracitate, potentia, viribus, promissorumque veritate, nullam habet dubitandi rationem? Et tamen ea in multis imbecillitas est ratiocinationis & fidei, ut persuasi licet de veritate promissorum Divinorum & sua imbecillitate, hic dubii hæreant, animumque suspendant; si sui arbitrii res esset, alibi potius opem & præsidium quam apud ipsum quæsituri: cujus stultitiæ unica causa est vitium quod Scriptura Sacra *ἀπιστίαν, incredulitatem*, sive *ὀλιγοπιστίαν, fidei exiguitatem*, vocat; quod tendit ad dehonestamentum Divini Nominis. Ut enim qui *Deo fidit*, ei *gloriam dat* omnis quæ in se est, perfectionis: sic qui Deo diffidit, vel abnegat Divinam perfectionem, vel siniſtrum suum prodit in Deum affectum; vel certe de Divina gratia minus ample & magnifice sentit, quam par est; modo integro sit proposito & erga Deum affectu, quæ in omni *fiducia in Deum* requirunter. Et est tamen animus hominis in hoc vitium incredulitatis ac diffidentiæ pronus, atque adeo necesse habet fulciri admonitionibus *fortiorum*, qui gratiam opemque Divinam ipsi luculenter experti sunt. Id vero ipsum est quod hic agit Chorus, æque ac Sancti in *Odis* CXV. 9. 10. 11. CXVIII. 8. 9. quæ ejusdem hujus temporis characteres habent. Est autem fere perinde quas personas *Chorus* hic repræsentet, & ad quas vertat orationem.

Sensus sententiæ secundum Masorethas. Aliud specimen analogum.

Hebræorum interpretatio.

Cogitatio fixa hic notat firmam, & non dubiam *fidem.*

Illustratur ex analogis.

Unde firmitas & soliditas fidei pendeat?

Excludit *dubitationem.*

Phrasis Arriani cum hac collata.

Pax quæ *credentibus* veris hic promittitur, quid significet?

Illustratur ex analogis.

Quid sibi velit geminatio vocis *Pacis, pacis?*

Ratio ejus redditur genuina, genus est dicendi mysticum.

Locus Cap. LVII. 19.

Quid sibi velit, כי בך בטוח?

Genuinus sensus dicti.

Vera interpretatio vocis בטוח.

Chorus quartus: *Exhortatio ad fiduciam in Deo ponendam*, ỳ. 4. 5.

Proprium hominis carnalis, aut imbecillis judicii, Deo *diffidere.*

Quod crimen est grave.

Chorus facer se ei opponit.

Quas personas Chorus

a Ps. CXII. 8. *b* Col. II. 5. *c* 1 Pet. V. 9. *d* Col. II. 7. Eph. III. 16. *e* Matt. XXI. 21. *f* Rom. IV. 21. *g* Cap. I. 6. *h Exped.* Alex. Lib. VII. Cap. III. *i* Jer. VI. 14. VIII. 11. *k* Cap. LVII. 19. *l* Ps. XXII. 5.

rus hic repræsentet?

sive hic introducantur Parentes, qui auxilium Divinum experti fuerant, respectu Liberorum, quos illi ad fiduciam in Deo collocandam ex suo exemplo exhortentur [a]; sive exhibeat Credentes ipsos post detectam exertamque manum Domini in sui defensione, se mutuo in spe fiduciaque sua corroborantes; sive Pastores & Præfectos Ecclesiæ, hoc officium Plebi sacræ commendantes. Est autem sancta hæc παράκλησις sic dispositа, ut *officium* contineat & officii *rationes*, sic inter se connexas, ut altera alteram confirmet. Commendatur *fiducia* in Deo ponenda עדי עד *usque* & *usque* h. e. *in æternum*, hoc argumento, quod in *Jah Jehova sit rupes sæculorum*, quæ fidentes sibi nunquam sit destitutura. Unde vero id liqueat? Chorus sacer documentum profert ex *Urbe* illa alta munitaque à Deo destructa vel destruenda, & calcanda pedibus populi Dei. Hoc specimen erat Divinæ potentiæ ac justitiæ, ex quo Ecclesia de cæteris ejusdem generis præsumere atque opinari poterat. hoc fulcrum spei ac fiduciæ. Sic sibi perfecte constat sensus sententiæ, in qua nihil est obscuri: quare cæteris missis, pauca tantum, quæ ad illustrandam utramque officii rationem à Propheta adductam pertinent, adscribam.

Exhortatio complectitur *Officium*, & *Officii rationem*.

Dispositio orationis.

Verba: *In Jah Jehova est Rupes sæculorum.*

Est in dictione quid mysticum.

Prius membrum sic Hebraice conceptum est, *quia* IN JAH *Jehova est rupes sæculorum.* in qua loquendi ratione aliquid videtur esse mysticum: certe mysticum quid ipsi quæsiverunt Judæi, quibus peritiam linguæ Patrum nemo neget. Cur enim scripsit Propheta, IN *Jehova est rupes sæculorum*, & non potius, simpliciter, *Jehova est rupes sæculorum?* cur item non simpliciter in *Jehova*, sed in JAH *Jehova?* Ne jam dicam, phrasin צור עולמים *Rupes sæculorum* dubiæ videri interpretationis. Sed primum horum dubiorum jam expeditum est à Doctis Viris. Lud. de Dieu observavit, estque observatum bonæ notæ, literam ב subinde nominativis *pleonastice* præfigi, atque adeo ejus in versione nullam habendam esse rationem, laudatque Versionem Belgicam veterem, quæ verba transtulerit: *Jah Jehova est Rupes sæc.* Sic Ps. LV. 19. ברבים היו עמדי *Multi* (proprie, *in multis*) *mecum fuerunt.* Hos. XIII. 9. בי בעזרך *In me est auxilium tuum.* prop. *In auxilio tuo.* Et refert quoque huc locum Ps. LXVIII. 5. ביה שמו *cujus nomen est Jah.* licet in hoc loco ב obtinere possit suam emphasin. Pluraapud ipsum videbis. Si quis tamen observati hujus rationem non habeat: phrasis nihil habet insolens. Cum enim attributum *Jah Jehovæ* sit esse *Rupem sæculorum*; attributa vero sint *in re:* nihil vetat dicere phrasi propriissime sumpta, IN *Jah Jehova* esse *Rupem sæculorum.* Sunt enim in illo attributa *gratiæ* & *potentiæ*, quæ fidentibus ipsi præstant securitatem æternam. Ad *alterum* venio, hoc est, ad geminationem nominum Divinorum JAH JEHOVA, quæ hic non videtur carere mysterio. De quo ubi ago, suppono, duo illa nomina hic convenire *uni subjecto*, neque adeo quærendum esse mysterium hic majus quam geminationis ipsius. Est enim Vir eruditus *A*, qui verba verti posse putat; IN JAH *est Jehova r. s.* vel, CUM JAH *est Jehova r. s.* quod mihi non videtur convenire simplicitati orationis Prophetæ, qui nomina *Jah Jehova* junctim usurpaverat de uno Subjecto, *Deo Salvatore*, Cap. XII. 2. ubi de hoc nomine ejusque significatione scripsi quantum satis est, quæ hic non repeto. Solummodo nunc addo, observasse me vere, cum ad usum hujus nominis diligentius attenderem, nomen hoc ubique fere usurpari, ubi Deus exhibetur ut SALVATOR sui Populi & *Liberator*, post editum illustre specimen gratiæ potentiæque suæ, in populo suo liberando vel vindicando. Sic usu venit Exod. XV. 2. & in loco huic parallelo apud Vatem nostrum, Cap. XII. 2. ut & in Ps. CXVIII. 5. 6. 14. 17. quam Oden cum hac nostra conferendam esse monui. Est itaque JAH *Jehova*, *Jehova Liberator*, *Salvator*: ut יהוה אדני *Jehova* DOMINUS; יהוה אלהים *Jehova* DEUS, cum respectu ad attributa *potestatis*, *Dominii*, excellentiæ, Justitiæ, Judicii. quæ interpretatio recte convenit etymo vocis, quod in superioribus demonstravi. *Gratia* enim *Divina*, *potentia* juncta, quæ in Liberatione & Salvatione Ecclesiæ patescunt virtutes, centrum est omnium Divinarum perfectionum, quæ Deum nobis commendant ut amabilem. Unde simul recte colligas, hoc nomen ἐμφατικῶς convenire *Filio Dei*, vero Messiæ; Angelo illi illustri in quo est *nomen Jehovæ*; per quem Ecclesiam omnium temporum salvat, non tantum temporali & horaria sed & æterna salute. quod sancti in confessione sua ita efferunt; esse JAH *Jehova* RUPEM SÆCULORUM. Est *Rupes* quid firmum, durum, immotum, stabile, non manu factum, quod subsidio ac præsidio potest esse his, qui salutis suæ causa ad rupem confugiunt; & denique ad quod accedere & movere se nemo potest nisi cum noxa ac læsione sua: quæ attributa *Rupis* nos commonefaciunt de analogis Divinis, Æternitatis, Immutabilitatis ac constantiæ voluntatis respectu consilii Gratiæ, & Potentiæ in Populo suo asserendo ac defendendo. quare Nomen hoc frequentius quam analoga alia in Schola Sanctorum usu fuit receptissimum, ubi mentio fit de *Deo Jehova* ut caussa & auctore salutis sui Populi. quo sensu Moses id sæpius usurpat in Cantico Deut. XXXII. 4. 15. 18. & quidem in emphasi הצור *Rupes illa*, Hanna 1 Sam. II. 2. & sancti Viri in Odis Davidicis passim, ut Ps. XVIII. 32. *Nulla est* RUPES, *sicut Deus noster.* Habakuk eleganter de Assyrio vel Chaldæo, in oratione ejaculatoria ad Deum, Cap. I. 12. הצור להוכיח ישתו *O* RUPES *ad illum redarguendum* (puniendum,) *posuisti illum.* Phrasis autem *Rupis sæculorum* explicanda est ex loco analogo Ps. XC. 1. *Domine, habitaculum nobis fuisti quæque generatione*

nomini *Jehova.*

Observatio de eo Viri Eruditi; & ad eam *animadversio.*

Aliud observatum: Nomen *Jah* passim usurpari de *Deo Salvatore* Populi sui.

Exempla hujus generis.

Illustratur ex similibus.

Referendum est nomen ad *Divinam Gratiam.*

Et in emphasi competit *Filio Dei.*

Rupis notio de Deo usurpata, quænam ejus attributa demonstret?

Sed potest quoque *præfixum* hic obtinere suam emphasin.

Sensus sententiæ.

Quænam emphasis hic sit in voce יהוה, juncta

Usus ejus per Scripturam S.

---

[a] Ps. XXII. 5.

A Stephanus Moynius Vir Doctissimus, cujus memoriam honeste colo, in *Dissertat.* ad locum Jer. XXIII. 6. (Cap. III. §. II. III.) occasione captata differendi de *Angelo* illo illustri, *in cujus medio est nomen Dei* (Exod. XXIII. 20. 21.) producit ad illum locum illustrandum animadversu dignam interpretationem Mosis Gerundensis, aliàs quoque Doctis non ignotam, his conceptam verbis, quæ ibidem exhibet: על דרך האמרת המלאך הזה שהוא בשתו בו בכאן הוא המלאך הגואל השם הגדול בקרבו כי בידו יהוה צור עולמים *Secundum veritatem Angelus ille qui hic promittitur Israelitis, omnino est* ANGELUS GOEL, sive *Redemptor*, *in cujus medio est Nomen illud Magnum, quia* IN JAH EST JEHOVA, *Lapis sæculorum.* Sic extrema hujus pericopæ vertit Vir Eruditus: unde captans occasionem differendi de his verbis Jesaiæ, ex nostro hoc loco depromptis, Christianos plures *non videri* ait, *satis serio & diligenter de loco hoc* Jesaiano *cogitasse.* Tentat itaque eum varie, prolatis variis specimenibus interpretationum; ut sunt: *Quia cum Jah est Jehova, Petra sæculorum.* sc. Cum Jehova Patre est Jehova Filius, *Petra* & *Lapis Angularis*, &c. Vel, *per Jah*, Jehovam Patrem, *Jehova Filius* factus est *petra sæculorum.* Item: *Propter Jah*, Jehovam Filium, *Jehova* Pater *factus est petra sæculorum.* Vel denique ad mentem Gerundensis: *Quia in Jehova est Jehova, qui ista associatione evasit tutissima fidelium* omnium temporum *arx & propugnaculum, & petra sæculorum.* Certe videtur Nachmanides illum intendisse sensum quem Vir Doctus proponit, quippe contextus orationis ejus eum videtur flagitare: etsi Cl. Coccejus, hunc ipsum Nachmanidis locum allegans in *Considerat. Jud.* Cap. IV. §. 205. simpliciter vertit: *Nam in* יהוה יה *est rupes sæculorum.* Sed mysticæ sive Kabbalisticæ Theologiæ studiosi in hoc loco nomen יה à nomine יהוה distinguebant, ut mox monebo ad vocem עלמים. Nachmanides per יה JAH hic intellexit *Angelum Goëlem*, cæteris Angelis infinito superiorem; cui credita est Mundi & Populi Dei gubernatio; qui Jacobo apparuit Bethele; qui est שכינתי *Domus gloriæ Divinæ majestatis*; *ipsa* Dei *facies*; *magnus* Dei *Legatus*; שמי Dei *mihi*; qui *ubi est*, *Deus ipse præsens adest*: quem Malachias (Cap. III. 1.) appellaverit *Angelum Fœderis*, venturum ad Templum suum. Hunc vero *Angelum* putarunt illi appellari JAH, quod in ipso & per ipsum Deus *miserationes* suas cum Populo suo communicet, (est enim יה JAH ipsis nomen *misericordiæ*, ut prolixe exponitur in *Kabbala denudata* sive *Apparatu Lib. Sohar*, Part. I. ad vocem יה; quod respondet nomini חכמה SAPIENTIA, ὁ ΛΟΓΟΣ, in Attributis *Sephiroticis*, vide Part. II. p. 7.) & in *hoc Jah* esse *Jehovam* eo sensu, quem illi docent: quod Deus per hanc רחמים *proprietatem* misericordiam & gratiam suam populo suo dispenset. Ego vero non nego, esse dignissima animadversu testimonia Interpretum Kabbalisticorum Nachmanidis, Bechai, Raknatensis, (quin & aliorum ad h. l.) de Persona *Angeli Jehovæ*, & proxime ad ea accedere quæ Christiani de *Messiæ* sui *Divinitate* docent, quæ testimonia jam excerpta sunt à Coccejo, Altingio, Ainsworthio, Frischmuthio, aliis. Non eo quoque inficias, ipsi huic *personæ* emphatice convenire, quæ hic de יה dicuntur: sed neutiquam admitto eam interpretationem, quæ hic ex יה & יהוה duas facit Personas, & verba Prophetæ vertit; *in Jah est Jehova*, sive, *cum Jah est Jehova*: ut Viro Erudito liberius ludere placuit. Simplicitas orationis & sapientia ejus verat hic ejusmodi subtilitatem affectare: etsi non negem, Aquilam sic præiviſſe.

ratione ... *à* SÆCULO *ad* SÆCULUM *tu es* DEUS FORTIS. Ecclesiam electorum vindicans, & æterno præsidio muniens. *Rupes* igitur *sæculorum* hoc sensu est, *Rupes* credentium *per omnia sæcula*. eodem dicendi genere quo Deus dicitur [a] עולם אל *Deus sæculi*, sive *æternitatis*, h. e. per omnia sæcula. ὁ ἀιώνιος Θεὸς, phrasi Apostoli [b]. Et Vates sacer [c]: *Regnum tuum est Regnum* כל עלמים *omnium sæculorum*. h. e. æternum. phrasis eadem. Non licet tamen mihi dissimulare, Judæos Interpretes aliud quid & plus in his verbis vidisse, idque minime contemnendum. Exponunt illi *Rupem sæculorum* per Deum fortem qui *sustinet sæcula*, Mundum videlicet, & Mundi tempora. Chaldæus: *Tum salvi eritis per Verbum timoris Domini* תקיף עלמיא *fortissimi sæculorum*. Sic vertit Interpres. alias; *Æternum subsistentis*. חזק לעולם *Permanentis* sive *firmi in sæculum*, ut Aben-Ezra. Vellem scripsisset vel legeretur, יתקף? *firmantis* (vel *firmans* cum respectu ad מימרא *Verbum*,) *sæcula*. Sic Aquila versione elegante: Ὁ στι ἐν τῷ Κυρίῳ Κύριος ὁ φερεῶσας τὸς ἀιῶνας. Kimchius: חזק המנים כלם *Firmans omnia tempora*, vel חזק העולמים, Ὁ βεβαιῶν τὸς ἀιῶνας· *qui firmat & sustinet Mundos*, præsentem sc. & futurum. Applices ad Filium Dei, verum Messiam, Jesum Christum, & habes ipsissimam phrasin Apostoli [d]: Πάντα ἐν αὐτῷ συνέςηκε. & Scriptoris ad Hebræos [e]: Φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτᾶ. Estne adhuc aliud quod huc pertinet? Est sane. Kabbalistæ enim in his verbis non tantum vident Deum *Conservatorem* & *Sustentatorem*, sed & *Creatorem* & *Formatorem* hujus Universi [A]: sed subtilitate quæsita. cui recensendæ aut refellendæ mihi immorari non licet: nec profero etiam hic Fragmentum Origenianum genuinum ex ejus Hexaplis, quo Hebræa hujus loci Græcis literis, ut ab ipso lecta fuerunt, exhibentur, cum ad intelligentiam loci nihil conferat. Videbis illud, si lubeat, apud Eruditos Viros Lud. Cappellum [f], & Davidem Clericum [g]: etsi apud hunc vox βαιὰ (בזיר) desideretur.

Quo sensu appelletur *Rupes sæculorum*?

Judæorum Interr. ad id observatum.

Paraphrasis Chaldæa vocum עזי עלמים *Rupes sæculorum*.

Veterum aliorum.

Kabbalistarum lusus ad h. l.

Fragmentum Origenis Hebraum ad h. l.

Ad alterum pericopæ membrum, quod priorem sententiam sustinet & argumentum exhibet fiduciæ in Deo *Jah Jehova* collocandæ, desumptum ex magna & adversaria *Urbe*, judicio Divino afflicta, depressa, eversa & amplius adhuc evertenda, nihil fere habeo quod moneam præter ea quæ scripsi ad Cap. XXV. 2. & 12. BABYLON est, ut demonstravi, quæ hic designatur: quam Propheta prævidebat magno lapsu interituram; cujusque lapsum respici vult ut indubium argumentum ac signaculum certitudinis promissorum Divinorum. Lapsu enim Babylonis involveretur lapsus omnium Imperiorum Ecclesiæ inimicorum & infestorum, quorum hæc Urbs sustinebat figuram. Equidem præcederet ille lapsus eventum ejus temporis ad quod hæc prophetia directe refertur. Sed cum Propheta utrumque Eventum è longinquo videret: judicium Dei in Babylonios & Syros, cum ejusdem speciei essent, ut cognata respexit. Convenit autem Babyloni insigniter quod hic dicitur ℣. 6. *Conculcabit illam pes: pedes inopis, vestigia tenuium*. Est enim singulare illud in historia & animadversione dignissimum, post tempora Assamonæorum non tantum terras Babyloni subjectas à Judæis originariis & proselytis frequentissime cultas & insessas esse; verum etiam ipsam Babylonem, à Seleucia exhaustam, iis magnam partem relictam habitatamque fuisse: suntque de eo certi testes Philo & Josephus. Prior in Libro de *Legatione ad Caium* [h]: Ἤδει γὰρ Βαβυλῶνα καὶ πολλὰς ἄλλας τῶν Σατραπειῶν ὑπὸ Ἰουδαίων κατεχομένας, οὐκ ἀκοῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ πείρᾳ· *Nam compertum habebat*, BABYLONEM *& multas alias Satrapias*, A JUDÆIS TENERI, *non ex fama tantum, sed & per experientiam, & seqq.* Idem repetitur deinceps in Literis Agrippæ ad Cajum [i]. Josephus in historia Hyrcani, comiter habiti à Rege Parthorum; dum inter eos versaretur [k]: Διὰ τᾶτο δεσμῶν μὲν ἀφῆκεν· ἐν Βαβυλῶνι δὲ κατάγεσθαι παρεῖχεν, ἔνθα καὶ πλῆθος ἦν Ἰουδαίων· *Propterea vinculis solutum permisit degere* BABYLONE, *ubi magna erat Judæorum frequentia*. Sed legendus maxime est hic Scriptor in famosa historia Asinæi ac Anilæi [l]. Hæc quod ad *literam*. In *spiritu* docet nos Spiritus S. hic contemplari pios veritatis Evangelicæ confessores, ex afflictione vindicatos, de hostibus suis triumphantes, & loca atque instrumenta superstitioni ac idololatriæ olim consecrata destruentes aut in sanctiorem convertentes usum. Sic faceret *Populus* MESSIÆ: quem *Messiam* ipsum Jarchius hic intelligit sub notione עני PAUPERIS, Urbem celsam conculcaturi. Verba ejus: רגלי עני' מלך המשיח שנ' בו עני ורוכב על חמור *Pedes* PAUPERIS] *Regis Messiæ de quo scriptum est:* (Zach. IX. 9.) PAUPER sive MANSUETUS, *& equitans super asinum*.

Alterum argumentum, quo sancti alios exhortantur ad *fiduciam* in Deo, desumptum à subversione *magnæ Civitatis* adversariæ.

Lapsus Babylonis quo modo in fide spectari debeat à sanctis?

Verba ℣. 6. *Conculcabit eam pes, &c.* implementum suum nacta sunt in Babylone antiqua.

Loca Philonis & Josephi de Statu *Babylonis* recentioris temporis.

Sensus sententiæ spiritualis. *Populus* redemptus carere Urbes & loca idololatriæ consecrata.

CHORUS QUINTUS: Confessio ad Deum, qua explicant Sancti spirituale *Regimen* suæ mentis tempore horum Judiciorum, eorumque *causas & effecta*, variis sententiis. Sententia generalis de *rectitudine* viarum Dei *erga justos*.

℣. 7. *Via justo* OMNIMODE RECTA: RECTUS qui es, *orbitam justi ad libellam dirigis*] Esto vero, Deum succurrere tandem Populo suo afflicto & sub gravi persecutione gementi. Quid non potius eum à persecutione & afflictione præservat? cur permittit dilectos suos potestati hostium? cur illorum ferociam non mox in ipsis initiis comprimit, & fluctus maris adversus Ecclesiam insurgentis, compescit? Hæc sane materia est profundæ meditationis; nec tamen plane inexplicabilis. Possunt enim à nobis quoque vestigari atque ostendi clarissimæ rationes hujus ordinis Providentiæ Divinæ. Id vero Cœtus sanctorum Liberatorum egregie exequitur in sequente parte hujus Odæ, per modum *Confessionis* editæ ad Deum, quæ ab hoc ipso ℣. 7. incipit, & continuatur usque ad ℣. 26. constatque variis partibus, quas in *Analysi* recensui. quam orationis *formam* Propheta elegit, ut Affectus interiores Ecclesiæ vividius exhibere posset. Agnoscunt itaque Sancti in hac Confessione, generali sententia, æquitatem & justitiam viarum Dei erga suum Populum, hoc ipso *commate* quod describsi: inde explicant affectum suum erga Judicia Divina: mox contrarium in ea affectum reproborum: postmodum animi sui statum ac regimen tempore afflictionis, suam sc. in Deo spem ac fiduciam, & spei ac fiduciæ constantiam, postquam experti essent exspectationis auxilii humani vanitatem. Initium faciunt, ut modo præmonui, à *Confessione æquitatis viarum Dei* erga Populum suum. Sic enim sententiam elegantem, variis interpretationibus vexatam, absque dubitatione ulla accipio. Interpretes quidem passim consentiunt, ab hac sententia exordium duci Confessionis ad Deum, quippe quod ex posteriori membro luculenter patet: sed plures hæc verba exposuerunt de *rectitudine viarum justi* ipsius; non *Dei erga justum*. ac si sensus esset: *Via justi recta est*. hoc est, *nemini injurius est. æquitatem redolent mores justi*. & quæ his similia. Belgæ hanc commendant, & Lud. de Dieu inter alias: *Via justi sunt rectitudines: rectus est: semitam justi ponderas*. Sane Prophetæ verba sic sunt composita, ut nemo ex iis facile falsam atque absurdam sententiam proferat:

Chorus quintus: *Confessio ad Deum, &c. Sententia prima*, & generalis, de *rectitudine viarum* Dei.

Argumentum *Confessionis* quæ hic incipit.

Quare Vates elegerit hanc orationis formam?

Summa ejus & processio.

Prima ejus pars est, de *æquitate viarum Dei*, ℣. 7.

Quomodo verba ab Interr. vulgo accipiantur?

[a] Gen XXI. 33. [b] Rom. XVI. 26. [c] Ps. CXLV. 13. [d] Col. I. 17. [e] Cap. I. 3. [f] *Orat. de Nom. Jehova*: Crit. S. p. 708. [g] *Quæst. Sacr.* Cap. XL. [h] De *Legat. ad Caj.* p. 792. [i] Pag. 798. [k] *Antiq.* Lib. XV. Cap. II. [l] Lib. XVIII. Cap. XII.

[A] Est longa digressio de hoc argumento apud Samuelem Laniado, contexta ex Allegoricis. Illorum doctrina est, Deum duos *formasse* Mundos, *Præsentem* & *Futurum*: alterum (sc. priorem,) per ה, (argumento petito ex voce הבראם Gen. II. 4.) alterum per literam י: quarum literarum *figuras* subtiliter cum utriusque Mundi statu comparant. quod ut ex hoc loco obtineant, vocem יצר in h. l. accipiunt significatu *formandi*, quem apud Chaldæos & Hebræos quoque admittit; ut tandem sententia Prophetæ in hanc exeat, Jehovam formasse Mundos duos per *Jod He*. quæ meræ sunt ineptiæ. Si quem tamen juvet gustum hujus doctrinæ capere: inspiciat ille Raymund. *Pug. Fid.* Part. III. Dist II. Cap. VIII. §. 1. Interim verum est, si, missa subtilitate literarum, locum vertas: *qua Jehova per* JAH *condidit sæcula*: plane id respondere phrasi Scriptoris ad Hebræos, Cap. I. 2. Δι' οὗ καὶ τὸς αἰῶνας ἐποίησε. Sed non convenit interpretatio huic loco, & Scriptor ad Hebræos aliò respexit.

Non videndum sic exponere ut iis extollatur *justa justorum.*

ferat: nec tamen omnis sententia non falsa vel absurda mihi præstat veram mentem Prophetæ. Estne probabile, Vatem Sacrum in initio suæ confessionis vel orationis ad Deum Ecclesiam sic loquentem inferre, ut extollat suam justitiam, viarumque suarum rectitudinem, (*justi* enim hic sunt ipse *Populus Dei* illius temporis, h. e. *Israëlitæ* aut *Populus Messiæ*, ut recte Hebræi:) eamque Deo & aliis commendet; & quidem voce מישרים, *rectitudines*, quæ notat viam omnimode planam rectamque, omni offendiculo & inæqualitate liberam? Estne sanctorum, si illorum *via* sano sensu dici queat *recta*; eo gloriari in confessione ad Deum? An non liquet, ex posteriori membro, rite accepto, & ex *versu sequente*, agi de *viis Dei?* Num potius placet, nexum orationis inter *hunc versiculum* & *sequentem* in hunc modum construere, ut instituit Interpres non contemnendus [a]: *Si viæ justi sint rectæ:* quanto magis *viæ tuæ, judicia tua?* Non opus est vere tam longe petere. Sententia Prophetæ est, statum & conditionem vitæ justorum cum omnibus illius status accidentibus & eventibus, Divina providentia sic esse circumscriptum & definitum, ut accurate exactus sit ad rationes Divinæ Sapientiæ, Justitiæ, & Bonitatis, &, licet Mundo ac carni secus videri posset, nihil in Oeconomia Divinæ erga eos providentiæ occurrere, quod jure reprehendi ac culpari queat. *Via*, tritissima in Scripturis notio metaphorica, cum varia significet, sive Deo sive hominibus tribuatur: inter alia notat statum & eventus vitæ cujusque, Divina providentia circumscriptos, per quos quisque ad finem suum tendit. Sic inter alia, Ps. XXXVII. 5. גול על יהוה דרכך *Devolve in Dominum* VIAM TUAM. h. e. Statum tuum cum omnibus illius accidentibus. Rursus ℣. 7. אל תתחר במצליח דרכו *Ne succense ei cujus* VIA *prospera est.* h. e. Res statusque vitæ. Jeremias pariter Cap. XII. 1. in querula contestatione: *Quare prospera est* VIA *impiorum?* Status & conditio vitæ. Ideo scripsit Propheta; *Via* לצדיק justo sunt *rectitudines.* h. e. justo à Deo decreta & definita: נתיב צדיק אורח *Via justi.* Equidem non ignoro, *præfixum* ל sæpissime in constructione vim *secundi casus* obtinere: sed id nunquam fit absque aliqua emphasi. quæ cum hic locum habere queat, negligenda non est. Convenit sententia cum ea Ezechielis quæ exhibet querelam Judæorum malignorum de ordine & rationibus Divinæ providentiæ [b]: לא יתכן דרך אדני *Non recte dispositа est* VIA DOMINI. h. e. Rationes providentiæ Divinæ erga homines non sunt exactæ ad rationes justitiæ. *Via Dei* hic est ordo & ratio Divinæ providentiæ; quæ alio sensu est *via hominis*, quia Deus per eam quemque ad finem suum ducit. Sancti itaque in hac sua confessione cum fidem suam explicare vellent de causis & rationibus Divinorum judiciorum & providentiæ erga pios & justos, in quibus homo carnalis invenit quod fugillet: non celebrant nec extollunt sua merita, integritatemque ac rectitudinem suam: sed sano rectoque præditi judicio, fatentur æquitatem, puritatem, justitiam Divinæ providentiæ, qua Deus in gravissimis etiam judiciis & afflictionibus erga pios & justos utitur. Hebræi affinem sensum his dant verbis, nec tamen eundem. Kimchius: *Tu pones justo & diriges coram eo viam rectitudinis, & orbitam ejus librabis.* Jarchius: *In viam quam si calcet justus æquum est ut accipiat mercedem, tu ducis justum.* Sequens membrum interpretationem nostram confirmat. Secundum Hebræa ad verbum sonat: *Rectus, orbitam justi librabis*, vel *ad libellam diriges.* In qua emphatica pericopa id primo & ante omnia observandum erat, si quis emphasin & elegantiam ejus assequi velit, vocem ישר *Rectus* hic omnino referendam esse ad *Deum*, ut idem sit quod *tu qui rectus es*, vel *ô Recte:* quod Masorethæ satis evidenter indicaverant sua punctatura, signata voce *Sakeph Gadôl*, (non *Katôn*, errante oculo vel calamo Cl. de Dieu:) *accentu distinctivo*, non contemnendæ potestatis: & Hebræi Intt. vulgati distincte monuerunt: quod tamen curæ non fuit doctis quibusdam Intt. recentioris temporis, inter quos Belgæ quoque nostri: ut nec Hieronymo. Quid pulchrius, quid fortius, quam vocem ישר RECTUS absque ullo nomine alio *Deo* tribui, ubi mentio fit de æquitate & justitia viarum ejus? Est enim vere *rectitudo moralis*, fons sanctimoniæ, puritatis, veracitatis, æquitatis, justitiæ, constantiæ, bonitatis, fidei, φιλανθρωπίας, excellens illud Naturæ Divinæ attributum quod Deum nobis amabilem & venerabilem reddit; & quo *spes* hominis Deum colentis nititur: quæ perfectio Divina ut æternis characteribus consignata est in *conscientia*; sic Deo sub hac ipsa notione in Verbo ejus tribuitur. Moses in Cantico [c]: *Justus* ישר & RECTUS est IPSE. sc. Jehova. Vates facer [d]: *Bonus* & RECTUS *est Jehova.* Alio loco [e]: *Ad annunciandum quod Jehova sit* ישר RECTUS. Forte hæsitas & quæris exemplum simile! Habe itaque ex Ps. XXII. 4. *Et tu Sanctus ille es*; sive, *& tu*, ô SANCTE! ut alibi dicitur, קדוש ישראל *Sanctus Israëlis.* Sic Habakuk Deum absque adjuncto nomine alio vocat צור *Rupem* [f]; Vates facer Messiam מלך *Regem* [g], & צדיק *Justum* [h]. Plura non adduco, cum species hujus figuræ ἀντονομασίας frequentis usus sit per Scripturam. Huic autem Deo *recto* convenit *orbitam* justi *ad libellam dirigere*; librare; ad *perpendiculum* sive ad *lineam* exigere: quæ genuina significatio est vocis פלס. Notat, hominem in omni statu & conditione vitæ ita moderari ac gubernare, ut nihil homini accidat ad sapientiæ, justitiæ, Bonitatisque Divinæ normam non exactum. Petenda est significatio phrasios ex Prov. v. 21. *Quoniam coram oculis Jehovæ sunt viæ viri*, (cujusque) וכל מעגלותיו מפלס *& omnes orbitas ejus librat.* ad libellam exigit. h. e. de omnibus hominis actionibus juste judicat. hunc enim sensum flagitat contextus. Sic prodit sensus dicti elegans ac emphaticus: *Tu qui* RECTUS *es*, h. e. qui rationalis, æquus, justus, verax, bonus, imo qui ipsa *Ratio* es, non committes, ut justo quicquam accidat, quod cum rationibus justitiæ bonitatisque tuæ exacte nequeat comparari. in ipsis illis afflictionibus, quæ justis graves incumbunt, non negligis respectum justitiæ. omnem gressum, omnes vias eorum, universum ordinem tuæ erga eos providentiæ juste dirigis, & æquissime libras. Ita est, hoc sanum rectumque judicium est de ratione Divinæ erga pios Providentiæ, quicquid de sæculo homines, Viarum Dei ignari, secus existiment; & pii ipsi, judicii imbecillioris & præcipitis, tentationibus Satanæ hac parte maxime expositi, subinde fluctuent [i]. Qui in *Sanctuario* sunt omnes, & res Divinas oculo spirituali vident ut in Deo sunt, sic sentiunt, statuunt, confitentur, *omnes Dei actiones librari*, h. e. ad libram & perpendiculum æqui, justi, boni, accurate exigi. quæ elegans est Hannæ sententia, quam alibi [k] copiose illustravi. quare hic plura non addo.

Sententia altera: *Pii explicant affectum suum circa Divina judicia.*

℣. 8. *Etiam viâ* JUDICIORUM TUORUM, *Jehova, exspectavimus te. ad nomen tuum & memoriam tuam* erat INTERNUM DESIDERIUM *animæ.* ℣. 9. *Anima mea* CONCUPIVI TE *noctu: quin & spiritu meo intra me te matutino tempore quæro: quippe ubi judicia tua sunt in terra,* JUSTITIAM DISCUNT *incolæ Orbis habitabilis.*] Quam belle respondet hæc sententia superiori secundum eam quam dedimus, interpretationem? Cum sancti Confessores persuasi essent de æquitate & justitia viarum Dei, ejusque fide & constantia: explicant hac pericopa, quo animi affectu exceperint δουμασίαν & παιδείαν, qua Deo pro sua sapientia visum fuerat ipsos exercere. tantum videlicet abesse, ut afflictiones graves, sub quibus gemebant, spem suam in Deo positam suffocarint & sufflaminarint, & charitatem suam ac affectum in Deum extinxerint, ut è contrario bonas hasce & laudabiles animi affectiones in ipsis excitaverint, intenderint,

Agitur in h. l. *de rectitudine viarum Dei.*

Docti cujusdam Viri meditatio.

Sententia Prophetæ planius proponitur.

Via subinde notat cujusque hominis statum & eventus vitæ.

Exempla hujus significationis.

Emphasis in præfixa vocis לצדיק.

Locus Ezech. XVIII. 25.

Hebræorum interpretatio.

Sequens membrum: *Rectus, orbitam &c.*

Clavis intelligendæ sententiæ, vocem *Rectus* hic referendam ad *Deum.*

Masoretharum distinctio favet.

Concinnitas hujus usus vocis ישר *rectus.*

Quid sit *rectitudo* Dei *moralis?*

Loca analoga.

Antonomasticus usus epitherorum, adstructus ex exemplis.

Effectus ejus virtutis in rationibus Divinæ Providentiæ erga homines.

Librare orbitam hominis.

Phrasis illustrata.

Sensus integer paraphrastice redditus.

Viæ Dei erga *justos* in ipsis afflictionibus ipsorum sunt *rectæ.*

Sententia altera: *Affectus piorum erga judicia Divina*, improbis inferenda.

Sententiæ argumentum, & nexus cum oratione superiore.

[a] Forer. [b] Ezech. XVIII. 25. [c] Deut. XXXII. 4. [d] Ps. XXV. 8. [e] Ps. XCII. 16. [f] Cap. I. 12. [g] Ps. XLV. 2. [h] 2 Sam. XXIII. 3. [i] Jer. XII. 1. Hab. I. 3. Ps. LXXIII. 11. 12. [k] Ob. *serv. S.* Lib. III. Cap. XV.

fint, ac promoverint. Cum enim certo perſuaſi eſſent, Vias Dei eſſe rectas, & Deum eos quos diligit, non *ſinere tentari ſupra quod poſſint ferre*: exſpectando *vindicias* à Deo *juſto* Mundi Judice; ſtudioſa animi exercitatione ſe ipſi magis magiſque teſtantur adjunxiſſe. *Affectus* animi, quos prodiderunt tempore afflictionis, duos ponunt, *Spem* & *Charitatem*. Prior continetur vſ. 8. Poſterior vſ. 9. cui ſubjungitur utriuſque ratio. Quandoquidem vero nihil in his eſt remotum à communi captu: ſic inſtituam, ut genuinum utriuſque ſententiæ ſenſum ex mente Prophetæ; & emphaſin orationis demonſtrem. Prima emphaſis hic cadit in nomen יהוה, quod hic in ſua confeſſione primum & ſuo loco uſurpant. Eſt enim Deus JEHOVA, promiſſorum in gratia liberaliter datorum certus impletor & repræſentator, (ſic loqui liceat:) objectum fiduciæ ſui populi. Quicquid promiſſorum Deus per varias Eccleſiæ Oeconomies Eccleſiæ dedit, vi hujus Nominis præſentari debet. Illi itaque Nomini convenit actus credentium quem hic exprimunt voce *exſpectationis*. קיונך *exſpectavimus te*, in quam altera cadit emphaſis. Videtur enim aliquanto plus eſſe *exſpectare* quam *ſperare*, etſi affinia ſint. *Exſpectatio* enim eſt ſpei certæ & vivæ, non vagæ & dubiæ; bonis fundamentis nixæ, quæ objectum ſpei ſibi proponit juxta condictum certo tempore præſens adfuturum eſſe. unde ſancti, de ſpe ſua loquentes, hanc vocem lubenter uſurpant. Hanc emphaſin vocis jam obſervare licuit in *Cantico ſuperiori*, vſ. 9. *Hic eſt Deus noſter quem* EXSPECTAVIMUS. Addunt, ſe Deum exſpectaſſe *via judiciorum ejus*: quod unum hic recte accipiendum eſt, ne quis deerret à mente Prophetæ. cætera enim, hoc recte intellecto, facilia erunt. Plures Intt. id putant dicere velle Prophetam, confeſſores afflictionis ſuæ tempore nihil remiſiſſe de charitate ſua in Deum, & ſincero in eum affectu ac ſtudio, ſed afflictiones hunc ſalutarem in ſe produxiſſe fructum, ut hoc medio caſtigati & probati ſe propius Deo adjunxerint, & ipſum ardentius quæſiverint: qui ſenſus, ſi eum in ſe ſpectes, bonus eſt; nec tamen ut putem ego, fuit in mente Prophetæ, hæc ſcribentis. Propheta enim per משפטים *judicia* Dei hic omnino intelligit *judicia* quibus *reprobos* punit, ut patet ex clauſula pericopæ vſ. 9. collata cum vſ. 10. ſequente. Ergo ſenſus eſt, jam ab Aben-Ezra perſpectus, ſanctos confeſſores *exſpectaſſe* Jehovam *via judiciorum ſuorum* procedentem ad pœnam de hoſtibus ſumendam & ſe vindicandos. quo pertinet emphaſis voculæ אף *etiam*, quæ hanc ſententiam cum ſuperiore connectit. Nimirum cum ſciremus, *vias tuas* erga *juſtum* eſſe *rectas*, & te omnes rationes tuæ erga eum providentiæ *ad libellam* exigere: facile intelleximus, te brevi appariturum eſſe vindicem, & exſpectavimus te *via judiciorum* quibus in hoſtes animadverteres. Eſt igitur אורח hic pro לאורח, quod vertendum *via*, vel *ſecundum viam*. Huc jam tendit quod ſequitur: *Ad nomen & memoriam Dei* extentum fuiſſe *deſiderium animæ*. Senſus eſt, animam piam in ipſa illa ſæviente tempeſtate gravioris afflictionis ſe non ſeparaſſe à Deo, ſed potius ſe magis magiſque ſtuduiſſe *adjungere Deo* & in ſpe ſua confirmare, meditatione tum *Revelationis gratioſæ* qua Patribus olim innotuerat; (quæ hic comprehenditur notione *Nominis* Divini:) tum *præclarorum facinorum* olim à Deo editorum in Liberatione & vindiciis Populi ſui. ut Vates Sacer Pſ. CXI. 4. MEMORIALE *ſtatuit mirabilibus ſuis*. h. e. Mirabilia fecit quorum memoria non expungetur. Anima pia viva ſpe fulta & incenſa ſtudio Divinæ gloriæ, ſub afflictionibus gemens, expetit ardenter manifeſtationem Divini Judicii, & revelationem gloriæ ejus in exercitio Juſtitiæ, ut omnibus pateſcat, eſſe illum verum Deum & vivere Vindicem ſui Populi. Id exſpectat, hac ſpe ſe in afflictionibus ſuſtinet ac fulcit. Quare inveſtigat revelationes & promiſſa, Patribus facta; modum & rationem qua Deus ſe Patriarchis cognoſcendum præbuit; beneficia liberationis ſuperiorum temporum à Deo in Populum ſuum collata; miracula in ſalutem populi ſui edita; judicia hoſtibus inflicta, vel ſacris perſcripta libris, vel à Patribus ad nepotes continua recordatione tranſlata, idque agit *intenſo* animi *affectu interiore* qui Hebræis eſt נפש *internum* ac *propenſum* voluntatis affectæ deſiderium. Id vero ipſum amplius explicat ſubſequens oratio Sanctorum, eorum *charitatem* in Deum ejuſque gloriam, *ſpei* junctam, declarans vſ. 9. *Anima mea expetivi te de nocte; etiam ſpiritu meo in medio mei te primo diluculo quæro*. Quam tener & ardens eſt in Deum affectus eorum qui ipſum in ſpiritu & veritate quærunt? Quid enim hac ſententia Prophetæ efferri poteſt fortius & efficacius? *Expetere Deum* hoc loco eſt expetere *manifeſtationem Divinæ gloriæ & juſtitiæ*. non ſane ad interitum hoſtium, ſed ad illorum emendationem & gloriæ Divinæ laudem, ut tandem ad ſe redirent hoſtes Eccleſiæ, & cognoſcerent ac viderent, durum ſibi eſſe adverſus ſtimulos calcitrare. Nemo ſanctorum qui *judicia Dei* expetunt, delectatur interitu hoſtium: qui affectus ab ipſis alieniſſimus eſt. Vellent, ſi id ſalva Dei gloria fieri poſſet, ſuis etiam incommodis illorum commoda redimere. *Amant nomen Dei* [a], & gloriam ejus; eamque intimo animi ſui deſiderio illuſtrari cupiunt: quod ut emphatice diceret Vates, duas adhibuit electas voces, אוה & שחר. Altera notat internam animæ propenſionem ad rem aliquam, quam *concupiſcentiam* appellare ſolemus; altera ſedulam & intentam rei quæſitionem qualis ea eſt quæ primo diluculo inſtituitur. Intenditur oratio ubi ipſæ voces נפש *anima*, h. e. affectus & רוח *ſpiritus*, judicium cum intimo affectu conjunctum, adſcribuntur. Amplius adhuc ubi additur *de nocte*. Non eſt magis neceſſe, vocem hic metaphorice ſumere quam in loco Pſ. XVI. 7. *Etiam* NOCTU *erudiunt me renes mei*. Cum enim nocturna deſideria ſoleant eſſe vaga, liberiora, occultiora ut videtur, & ad res ſerias minus adſtricta; imo vero & vel maxime, cum interiora hominis deſideria & cupiditates ſe facilius *de nocte* prodant quam *de die*, quippe homo nocturnis vigiliis liber, nullis aliis occupationibus circumſcriptus; intime ſentit atque experitur, quid ſit in corde ſuo intimum & verum, quorſum propendeat affectus animi, quid ſummum ipſe amet, quid ſtudeat; atque adeo à tramite rectæ cogitationis facilius aberrent: argumentum eſt animi Deo impenſe dediti, *ipſa nocte* inteſtinis deſideriis in Deum ejuſque gloriam ferri, & *primo diluculo*, omni cura alia ſepoſita, ſtudioſe ac diligenter expetere gloriæ ejus illuſtrationem in ſalutem ſui Populi. Addit rationem, *quia ubi judicia tua in terris ſint, juſtitiam diſcunt incolæ terræ*. h. e. quia improbi, ubi judicia tua vident & ſuo malo experiuntur, incipiunt metuere judicium tuum; vident errorem ſuum; retrahuntur à vitiis; & aliqui etiam illorum ducuntur ad reſipiſcentiam. certe omnes velint, nolint, oportet eſſe teſtes tuæ gloriæ, ad cujus lucem aliàs claudunt oculos. Sic accipio hæc verba reſpectu improborum & perſecutorum Eccleſiæ, quia circumſtantia orationis hunc ſenſum exigit: etſi nemo neget, afflictiones, credentibus immiſſas, recte quoque dici κρίματα, ut 1 Pet. IV. 17. & eundem fructum in iis multo certius & verius producere, ſecundum dictum Apoſtoli [b]: Κρινόμενοι δὲ ὑπὸ Κυρίου παιδευόμεθα: aliaque ſimilia ſanctorum Virorum [c]. Dixi circumſtantiam orationis hunc ſenſum exigere: idque verum eſt. Primo enim patet invicte ex comparatione vſ. ſeqq. 10. ubi *judicia* improbis neceſſaria eſſe dicuntur, quod longanimitas & gratia Divina illos magis indurent. ut mox videbimus. Dein, non characterizant ſe aut Populum Dei, ſed loquuntur de *incolis terræ*, per quos omnino intelligunt Populos à ſtatu Eccleſiæ diviſos. Ain' tu, judicia Divina non ſemper hunc fructum in improbis producere? Non nego ſane. Graviora & longioris temporis ſæpe efferant animos & vaſtant. Sed Propheta id dicere non vult, ea ſemper hunc producere effectum. Dicto ejus hic ſubeſt ſenſus veriſſimus, exempla Juſtitiæ quæ Deus in Mundo edit, huc tendere, ut homines *moniti*

Affectus ſanctorum ſtatu afflictionis.

Emphaſis nominis יהוה in hoc loco.

Actus *exſpectationis* קיונך habet ad Nomen *Jehova*.

Quid plus ſit *exſpectare* quam *ſperare*?

Quo ſenſu Propheta dicat, ſanctos Jehovam exſpectaſſe *via judiciorum ejus*?

Senſus qui verbis datur ab Intt. quibuſdam.

Verior alter. Per *judicia Dei* hic intelliguntur *judicia Dei* in *hoſtes*.

Senſus inde emergens.

Emphaſis voculæ אף *Etiam*. nexus dicti cum præcedentibus.

Verba: *Ad Nomen & memoriam tuam* eſt *deſiderium animæ*.

Quis iis ſubſit ſenſus?

Qui ſenſus declaratur.

Amplior expoſitio ejus ſententiæ vſ. 9. *Anima mea expetivi te*, &c.

Quid ſit *expetere Deum*?

Quo ſenſu pii expetant judicia Dei?

Uſus vocum נפש & שחר hoc loco.

Emphaſis alia in verbis *anima*, *ſpiritus*.

Præcipue in voce, *nocte*. Plus eſt nocte frænare cupiditates quam *de die*.

Ratio ab utili effectu judiciorum Divinorum. Incuriunt improbis metum, & retrahunt eos à pravis conſiliis.

Verba hic pertinent ad *judicia improborum*.

Quod rationibus demonſtratur.

Objectio contra mota ſolvitur.

[a] Pſ. LXIX. 37. [b] 1 Cor. XI. 32. [c] Pſ. CXIX. 67. Rom. V. 3.

DISCERENT JUSTITIAM. quod Poëta eadem phrasi ita docet acsi hunc locum inspexisset. hunc primum & verum esse scopum Judiciorum Divinorum. huc tendere, ut exemplo sint aliis, & mortalium genus per ea à sceleribus & vitiis gravioribus retrahatur & intra limites aliquos coërceatur. Sunt enim vere judicia quæ hic memorantur, de eo pœnarum genere quod Græci παράδειγμα vocant, τῇ τιμωρίᾳ mixtum, à *specie* alia quæ ὑποθεσία dicitur, distincto. Est autem παράδειγμα, *cum pœnitio* (sic A. Gellius qui has species distincte recensct ac describit [a]:) *propter exemplum est necessaria, ut cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur*; (Hebræi מוסר vocant) & τιμωρία, ubi *ea caussa animadvertendi est, quum dignitas auctoritasque ejus, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemptum ejus pariat & honorem levet.* Utrumque hic obtinet, ut in superioribus vidimus. Res ipsa omnibus est nota, & exempla ex *Tragicis* maxime ac *Historicis* omnibus. Nihil itaque hic plus adscribam, nisi observandam in hac pericopa esse variationem *numeri personarum*. Chorus enim in ℣. 8. infertur loqui in *plurali*; ℣. 9. in *singulari*, quod singuli id de se dici & ad se applicari vellent. Prophetæ nostro nihil est frequentius.

Cujus generis sint *judicia* quæ hic memorantur?

Veritas sententiæ.

Variatio numeri personarum loquentium.

Sententia tertia: *Necessitas horum Judiciorum* Improborum respectu.

℣. 10. *Impius si obtineat gratiam, non discit justitiam. in terra rectitudinum perverse agit, & neutiquam videt* MAGNIFICENTIAM JEHOVÆ. ℣. 11. *Jehova! Manus tua elata est: non vident. Videbunt* utique *& pudefient. zelus Populi, etiam ignis, hostes tuos devorabit*] Hæc sententia superiori ita respondet, ut eam illustret. Ostenderat Chorus necessitatem judiciorum Divinorum, suumque erga ea affectum. Eam orationem persequitur. *Impios* enim ait, ubi Deus pro longanimitate sua & gratia iis parcit, id ipsum vertere in rationem insolentiæ majoris. tanto ferocire magis & in pios sævire, tanquam vindictæ Divinæ securos. illos itaque tales cum sint, non *discere justitiam*, sed *perverse agere in ipsa* TERRA RECTITUDINUM, hoc est, *in ipsa Canaanæa*, in qua Deus suos habebat Prophetas & Doctores qui recta & vera docent; & populum qui veram rectamque profitetur Religionis sententiam: (confer Prophetam nostrum Cap. XXX. 10.) *& non observare magnificentiam Jehovæ.* h. e. in primis initiis vindiciarum, quas Populo suo præstat, non agnoscere ipsum adesse Vindicem, & gloriam suam ostentare ac dextram exerere in salutem Populi tui. Sic se res habet, estque clavis hujus pericopæ recte intelligendæ, referenda hæc verba *κατὰ γράμμα* esse ex mente justorum qui seriem judiciorum Divinorum totam hic enarrant, ad primas victorias quas Deus Judæ Maccabæo indulsit; antitypice autem & vere ad specimina Divinæ Providentiæ erga Ecclesiam Protestantium, in initiis suis variis è discriminibus, quæ ei exitio fore videbantur, ereptam, & singulari cura Divinæ Gratiæ defensam in Germania, Gallia, Anglia, Scotia & Belgio hoc nostro. Poterant videre hostes, si oculos suos aperirent, Dei *magnificentiam*, quæ est potentiæ, iræ, justitiæque ejus demonstratio publica in vindiciis sui populi, ut vidimus Cap. XII. 5. (confer Ps. XCIII. 1.) sed hostes ipsius & populi ejus (de his enim agitur, non de hypocritis:) obtusi judicio, & indurati corde hactenus non *vident*, vel se *non videre* simulant. necessum itaque est, ut acrioribus flagellis cædantur & è lethargo suo excitentur, ut tandem aperiant oculos, & inviti etiam videant gloriam & magnificentiam Dei, ad quam hactenus clauserunt oculos. Id vero ipsum est quod mox addit Chorus Confessorum, ℣. 11. in quo difficultas aliqua hæret, cum cura dissolvenda. Hebraice his est conceptus verbis: יהוה רמה ידך בל יחזיון ויבושו קנאת עם אף אש צריך תאכלם in quibus certa est interpretatio membri

Sententia tertia: *Necessitas horum Judiciorum.*

Nexus hujus sententiæ cum superiore.

Scelera impiorum postulant & provocant Dei judicia.

Terra rectitudinum est *Canaanæa.*

Clavis intelligentiæ hujus loci.

Tempora Ecclesiæ, quibus hæc verba conveniunt.

Hostes excitandi essent acribus stimulis ad observandam *gloriam Jehovæ*, ℣. 11.

Verba Prophetæ, ℣. 11.

prioris: *Jehova! manus tua elata est. non vident.* sed cætera diversimode accipiuntur ob ambiguam interpretationem phrasios, קנאת עם, quæ ad verbum sonat, *invidia* vel *zelus Populi.* Hieron. *Et confundatur zelus Populi.* (Vulg. *zelantes populi:*) *etiam ignis hostes tuos devoret.* cui versioni Hieronymus ipse sensum aptavit satis incommodum, qui absque ambagibus exponi nequit, & vere non meretur; sed Forerius tolerabilem. Intelligit ille per *zelantes Populi* Judæos, invidentes Gentibus communionem Regni Messiæ, quos Propheta gloriam Dei in conversione Gentium videre & pudore suffundi vellet. quæ si suo loco dicerentur, non essent spernenda; sed huic loco non conveniunt. Jun. & Tremel. *Videbunt erubescentes zelum erga Populum: quin etiam ignis hostes tuos consumet.* Sic pariter Piscator, Belgæ. *zelus Populi* ipsis est *zelus Dei* erga Populum suum vindicandum. Favent Chaldæus & Kimchius, qui illustrat ex Zach. I. 14. *Magno* ZELO *zelavi super Hierosolymam ac Tsionem.* Sunt præterea duo quæ huic interpretationi probabilem fidem faciunt, *α.* Quod Masorethica ei faveat *Punctatura*, fixo accentu *Zakeph* distinctivo in voce עם. *β.* Quod stylo Scripturæ S. *zelus & ignis* inter se conjungantur cum respectu ad Deum hostes Populi sui ulciscentem. Ezech. XXXVI. 5. *Propterea sic dicit Dominus Jehova: Si non in* IGNE ZELI MEI (אש קנאתי) *loquutus sum! &c.* Cap. XXXVIII. 19. *Et in* ZELO *meo, &* IGNE *excandescentiæ meæ loquutus sum.* Tsephanias [b] eodem modo usus est. Grotius: *Domine ita excelsa manus tua, ut eam non videant qui invident populo tuo; sed ubi videbunt, pudefient. Imo ignis devorabit hostes tuos.* In interpretanda phrasi קנאת עם *zelus populi*, imitatus est Vulgatam. Sed non putem, vel Hebræa hanc expositionem ferre, ut *zelus populi* dicantur qui *invident Populo* Judæo; vel Prophetam hac voce designare voluisse *publicos hostes* Populi Dei. est enim minus in phrasi quam debebat. Priora etiam illa Grotii: *Domine, ita excelsa manus tua ut eam non videant:* quid sibi volunt? Fateor, me non assequi. Debebat esse *κατ' ἀναλογίαν*: *ita excelsa manus tua ut eam videant.* cujus contrarium est in textu. Longum me tenuit cogitatio, per *zelum Populi* hic intelligi *zelum* Hasidæorum, à Deo incensum ad perditionem hostium, è quo Hasidæi ipsi ζηλωταὶ dicti sunt. Sed diutius inhærens verbis, observavi, *α.* Vere hic de *gloria* Dei agi manifestanda in vindiciis Populi sui. *β.* Perditionem hostium Populi Dei in extraordinariis Dei judiciis ubique adscribi *zelo Dei.* Ergo redii ad interpretationem communiorem hac levi mutatione facta, ut zelum Populi retulerim ad posterius membrum, quia sententiæ elegantia absque mutato sensu sic melius exsurgit; eatenus discedens à distinctione Masorethica: quod mihi plane licet. *Zelus Populi* est *zelus Dei* pro Populo suo vindicando, voce *constructa objective* sumpta: familiari usu apud Scriptores Sacros, cujus exempla Grammatici affatim exhibent [c]. Sic apud Prophetam nostrum, רעתי *Cognitio* EJUS [d]. h. e. quæ eum, sc. *Servum Jehovæ*, habet pro objecto. *Domus orationis meæ.* h. e. quæ me habet pro objecto. קנאת ביתך *zelus domus tuæ*, h. e. pro domo tua [e]. Imitati etiam sunt Græci ἑβραΐζοντες, in phrasibus ζῆλος Θεοῦ, ζῆλος νόμου, & quæ his similes. Dicere itaque volunt Confessores, hostes Populi Dei qui manum Dei satis elatam videre hactenus nolebant, & ad hanc lucem claudebant oculos: eam tamen tandem cum *pudore* suo visuros & agnituros esse, ubi continuis successibus Populo suo indultis variisque malis ac judiciis in hostes suos immissis eos prostraverit & Rempublicam populi sui plane stabiliverit. secundum dictum Prophetæ [f]: *Zelus Jehovæ Exercituum Domini hoc efficiet.* Est autem in zelo vehementiore velut *furor* quidam *igneus*, absumens ac devorans obvios quosque objecti amati læsores in quos ad extremam perditionem sævit. symbolum vulgatum *iræ Divinæ*, h. e. justitiæ ejus flagitia hominum absque commiseratione ad plenarium illorum exitium vindicantis [g].

Ultima Pericopæ obscuriora. Dictio, קנאת עם. Variæ interpretationes.

Zelus Populi est *zelus Dei* erga Populum suum vindicandum. Rationes expositionis.

Expositio Ill. Grotii. Ad eam animadversio.

Alia meditatio de *zelo Populi*, h. e. Hasidæorum.

Verior sententia, hic agi de *gloria* Dei & *zelo* ejus.

Interpretatio conciliatur cum Canonibus Grammaticæ.

Genitivi casus subinde *objective* sumuntur.

Sensus integræ sententiæ.

Sen-

[a] *Noct. Att.* Lib. VI. Cap. XIV. [b] Cap. I. 18. III. 8. [c] Glass. *Gramm. S.* Lib III. Tract. I. Can. XXX. [d] Cap. LIII. 11. LVI. 7. [e] Ps. LXIX. 10. [f] Jes. IX. 5. 2 Macc. II. 38. [g] Deut. XXXII. 22.

Sententia quarta: *Spes afflictorum.* GRADATIO PRIMA.

Sententia quarta: *Spes afflictorum.* Gradatio prima, ℣. 12.

℣. 12. *Jehova, pacem* ORDINABIS *nobis: quippe etiam omnia* OPERA NOSTRA *operatus es nobis*] Sententia clara & ex superioribus perspicua intellectu. Oratio est afflictorum qui post initia satis molesta & tamen gloriosa, progressum viderant Liberationis quam à Deo exspectabant: qualis convenit Hasidæis in initiis Simonis Ethnarchæ; & Populo Protestantium in progressu Liberationis quam Deus in Germania, post Transactionem Passaviensem; Gallia, post vindictam sumptam de Principibus Domus Valesiæ, quorum ultimus cecidit Henricus III. Anglia, post mortem Mariæ; in Scotia post Mariam Stuartam, cum dedecore à Regno remotam, mox fuga saluti suæ consulturam; in Belgio post inducias initiis Sæc. XVII. cum Archi-Ducibus pactas, & extortam Hispano Libertatis Reipublicæ confessionem. Confidunt, Deum consummaturum esse gloriosum opus suæ dextræ, h. e. procuraturum esse Ecclesiæ suæ perfectam Religionis Libertatem cum omnibus prærogativis suæ benedictionis quas Populo suo condixerat, (de qua *pace* vidimus ad ℣. 3.) quippe cum *omnia opera sua* huc usque *effecisset*, h. e. omnes eventus, per quos via sternitur ad stabilem ac perfectam Pacem Libertatemque sui Populi, hactenus singulari sua providentia direxisset. Aperuerat Deus Populo suo hoc tempore *ostium spei*, & videbatur sibi nunc promittere posse, cum aliqua fiducia, optatum eventum tot afflictionum & calamitatum quot per longum satis tempus fuerat eluctatus. Nihil itaque hic quod amplius observem habeo, nisi quod ad orationis emphasin pertinet. Est autem hic primo electi usus vox שפרת, quæ proprie notat *ordinare*, *disponere*, secundum certum ordinem & seriem *collocare*, quod Græcis est τάττειν. Est itaque hic sensus orationis, Deum, cujus providentiæ humani eventus, consilio Divino continuo ductu & serie dispositi, subsunt, per tot mirabiles catastrophas & paradoxas Status Mundi & Ecclesiæ mutationes, rem tandem secundum vota & exspectationem piorum perducturum ad exitum sibi gloriosum & Ecclesiæ salutarem. In altero membro similis emphasis. Non dicunt Confessores, *omnia facta nostra* עשית *fecisti nobis*, sed OPERATUS ES (פעלת) *nobis*. ubi Propheta per *opera* intelligi vult tam actiones quas quisque commodi sui causa suscipit, quam eventus iis contiguos, quatenus curæ & solicitudinis humanæ objecta sunt; qualis usus est vocis Prov. XVI. 3. *Devolve in Jehovam* מעשיך OPERA TUA. hæc autem Deus non dicitur *fecisse*, sed *operatus esse*, quod providentia sua directrice, cujus executrix est *potentia* summa, ea huc usque sapienter & benigne moderatus esset. Opus autem Divinæ Providentiæ ut magnum est, & in conceptu involvit *omnipotentiam*, dicitur מעל *molimen*, opus magnum. inprimis vero illud quod exequitur in liberanda Ecclesia. ut ἐμφατικῶς Ps. LXXIV. 12. *Et Deus est Rex meus ab antiquo*, פועל ישועות בקרב הארץ *qui* OPERATUR *salutes* (salutem maximam) *in medio terræ*. Confer Deut. XXXII. 4.

Emphasis orationis. Usus & vera significatio vocis שפרת. Sensus orationis.

Altera orationis membrum. Vis vocis פעלת.

Propria est ad describendum *opus* Divinæ Providentiæ.

GRADATIO ALTERA: *Affectus animi grati erga Deum* cum spe conjunctus.

Gradatio altera, ejusdem fere argumenti. *Affectus* Ecclesiæ erga Deum, *spei* junctus.

℣. 13. *Jehova, Deus noster! alii Domini præter te nobis* IMPERIOSE DOMINATI SUNT: *per* TE SOLUM *recordari faciemus nominis tui.* ℣. 14. MORTUI *non reviviscent: exanimati non resurgent: propterea visitasti & exterminasti eos, & perdidisti omnem memoriam ipsorum*] Progrediuntur sancti Confessores in spe sua explicanda, postquam initia suæ libertatis ac liberationis jam adepti essent, cum varia hostium clade ac strage. Alios *Dominos* præter Jehovam *Deum suum* ajunt sibi esse *imperiose dominatos*; sive in ipsos habuisse imperium potestatemque: quam constat esse veram vim vocis בעל, cui illustrandæ nunc operam non impendam. Si γράμματι inhæreas: intelligunt Babylonios, Persas, Ægyptios Lagidas, & præcipue Syros Seleucidas, qui novissime illos sæve ac duriter tractaverant. si respicias mysterium: sunt Reges & Principes terræ qui Babyloni mysticæ obnoxii in negotio Religionis sibi vindicaverant imperium in conscientias subditorum suorum; promulgatis Edictis ad veræ Religionis Exercitium compescendum aut restringendum sævis ac sanguinariis: cujusmodi exemplorum plena est proximorum sæculorum historia. nunc itaque liberati ab hac inhumana & tristi servitute, ajunt, *se Nominis Dei per Deum* SOLUM *recordaturos*, vel, *illud commemoraturos esse*. quod quid sibi velit, Interpretes quos inspexi, assequuti non sunt. quare operam dabo, ut vis loquutionis clare pateat. Ubi Populus Judæus aliis Potestatibus *præter Deum* suberat, à quarum pendebat favore, veluti Syris, Ægyptiis, Romanis: necesse habebat, in Beneficiis aut Liberationibus quæ sibi obtingebant, & in ipsis Laudationibus ad Deum directis horum Regum aut Principum æque ac Dei facere mentionem. veluti si dicerent, gratias se habere Deo quod voluntatem atque affectum Principum Syrorum, Ægyptiorum, Romanorum in se converteret, & *per eos* sibi liceret gaudere pace, prosperitate, securitate: quippe beneficia externa magnam partem per hos canales in ipsos debebant derivari: ut proinde nomen horum Dominorum exterorum æque ac Dei ingrederetur ipsorum Preces vel Eucharistias. Sume tibi exemplum ex insigni illa confessione Ezræ [a]: *Sumus enim servi: at in servitute nostra non destituit nos Deus noster, inclinando in nos affectum benevolum* REGUM PERSIÆ, *ut daret nobis vitam, & seqq.* Sed ubi Populus Dei vindicatus in libertatem à solo Deo pendet ἀμέσως, nec necesse habet aliorum Regum aut Principum se potentiorum ambire favorem, aut iis debere beneficium Liberationis Securitatisque: tum per *Deum solum* commemorat *ejus Nomen*; illi videlicet soli gratias agens pro beneficiis acceptis, & salutem suam ab ipso solo exspectans. Sic Vates Sacer [b]: *Incedam in potentiis Domini Jehovæ: commemorabo* צדקך JUSTITIAM TUAM, (Æquitatem Dei & Gratiam quoque ejus, quæ hic involvuntur notione *justitiæ*:) TUI SOLIUS. Convenit autem oratio perfecte illi statui temporis quod descripsi, quando sive Judæus Populus post tot annorum servitutem vindicatus est in libertatem sub Simone Ethnarcha; vel Ecclesia Protestantium in variis Regnis ac Rebuspublicis stabilem acquisivit sedem, vindicata ab imperioso jugo illius *Domini*, qui se *servum servorum* vocat, qui cœperat *cædere conservos suos* [c], & κατακυριεύειν τῶν κλήρων, cui Principes ac Reges terræ se subjecerant. Sperat autem Cœtus confessorum, Deum in posterum hunc statum ita sibi conservaturum esse, ut hostes nunquam *resurgant* ad pristinam auctoritatem potestatemque suam recuperandam. quo pertinent quæ descripsi ex ℣. 14. *Mortui non reviviscent, & seqq.* Volunt dicere, Deum jam hoc tempore plures hostes, Reges, Principes, qui Ecclesiæ minati fuerant excidium, perdidisse, extinxisse; vel saltem (quæ *mors civilis* est, opposita *resurrectioni* de qua mentio fit ℣. 19.) illos ad eum redactos esse statum, ut Ecclesiæ amplius nocere nequeant, atque adeo nunquam ad eam rursus persequendam *resurrecturos*: nec dubitare se, quin idem etiam porro benigne sit curaturus. Repetatur de Regibus Syriæ summa historiæ quam adscripsi in commentatione ad Cap. XXIV. 21. & collige tecum per memoriam, quod *Domus* Regum ac Principum, præcipuorum persecutionis incentorum, superioribus binis sæculis, vel interciderint, vel in eo sint ut intereidant, nullis hæredibus suffultæ. Abstineo calamum in argumento odioso. Doctiores quo alludam, facile videbunt. In voce רפאים *exanimati*, vita soluti, nullam hic quæro singularem emphasin. de genuina ejus significatione videri possunt quæ scripsi ad Cap. XIV. 9. Cætera facilia sunt, & illustrari poterunt ex iis quæ monebo ad ℣. 19.

Domini alii Ecclesiæ *dominati*, hic sunt *Reges Syriæ & Principes Babyloni mysticæ* obnoxii.

Quid sit *Nominis Dei per Deum* SOLUM *recordari*, vel per *Deum solum memorare*?

Vera vis phrasios exponitur.

Locus Ezræ, Cap. IX. 9. huc adductus.

Solum Deum, absque aliorum Principum liberatorum mentione facta prædicare liberatorem, est ejus per ipsum solum *recordari*.

Illustratur ex parallelis.

Oratio convenit temporibus Maccabaicis, & nostris.

Spes Ecclesiæ hoc statu, ℣. 14. *Mortui non reviviscent.*

Sensus sententiæ.

Implementum prophetiæ.

GRA-

a Cap. IX. 9. b Ps. LXXI. 16. c Matth. XXIV. 49.

GRADATIO TERTIA: *Prosper præsentis status Ecclesiæ successus.*

Gradatio tertia. Prosper præsentis status successus rerum, ℣. 16. Postrema sententiæ: *Longe dimovisti omnes terminos terræ*: perperam à quibusdam accepta. Verus sensus.

℣. 15. ADDIDISTI *huic Genti, Jehova; addidisti huic Genti: glorificatus es:* LONGE DIMOVISTI *omnes terminos terræ*] Verba facilia, intellectu commodissima, quorum tamen postrema Intt. passim perverse acceperunt: acsi dicere vellet Propheta, Deum postquam Gentem Judæam auxisset & ornasset, & hoc ipso glorificatus esset; deinceps eam propter peccata sua elongasse ac disperssisse usque ad *omnes terræ terminos.* Sed nihil hujus est in postrema parte pericopæ. Deus non dicitur hic *Gentem elongasse* usque *ad omnes terræ terminos:* quod valde hyperbolice dictum esset: sed ipsos *terræ*, sc. Judææ *terminos in longum dimovisse*, sive *dilatasse.* Ergo sensus est, Deum, procedente tempore, tam benigne Populum suum curasse ac tractasse, ut eum variis beneficiis suæ gratiæ & benedictionis auxerit, ornaverit, amplificaverit, & hoc ipso *nomini* suo *magnam* conciliaverit *gloriam*; & terminos terræ Judææ longe magis prolongaverit ac dilataverit, quam olim factum fuerat sub florentissimis Populi Regibus. Vox יסף *addere* hic idem valet quod *augere, ornare, amplificare:* estque ejus significationis insignis usus Ps. CXV. 14. יוסף יהוה עליכם ADDAT *Jehova super vos: super vos & super filios vestros.* Hoc est, *augeat, ornet:* secundum genuinam significationem harum vocum usus Latini. res vestras prosperet, fortunet. Describunt hic sancti statum rerum suarum sub Joanne Hyrcano, ejusque filio Alexandro, (cujus tamen Principis si major fuisset prudentia & moderatio animi, sibi & Reipublicæ magis profuisset:) hujusque uxore Alexandra. En Josephi verba, supra quoque jam tacta, quæ huic loco præstant commentarii vicem [a]: *Per hæc tempora jam &* SYRORUM, *&* IDUMÆORUM, *&* PHOENICUM *Urbes tenebant Judæi: ad mare, Stratonis turrim, Apolloniam, Joppen, Jamniam, Azotum, Gazam, Anthedona. Raphiam, Rhinocoruram: in Mediterraneis per* IDUMÆAM *regionem Adora & Marissam, totamque Samariam, & montes Carmelum ac Itabyrium. adhæc Scythopolim, Gadara,* GAULANITIDEM, *Seleuciam, Gabala, &* MOABITICAS URBES, *Esbonem, Medabam, Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram, Aulonem Cilicium, Pellam, ἄλλας τε πόλεις πρωτεύσας τῆς Συρίας, αἳ ἦσαν κατεσταλμέναι· & alia* SYRIÆ PRIMARIA OPPIDA, *in potestatem redacta.* quin ipsam quoque *Damascum* cepit & in potestate sua habuit Alexandra Regina, ut alibi [b] idem Josephus. Conferatur Justinus Trogi loco supra descripto [c]. Hac amplitudine David aut Salomo nunquam Judæam possederant, & possidenda tamen erat, ut fides constaret promisso Abrahæ dato [d]. Certa hic sunt & non dubii sensus vaticinia Obadjæ [e], & Zachariæ [f].

Addere hic idem valet quod Latinis *augere.* Illustratur ex analogo.

Convenit oratio tempori Joannis Hyrcani. Locus insignis Josephi.

GRADATIO QUARTA: *Affectus animi Piorum ut se habuit tempore Afflictionis.*

Gradatio quarta: Affectus animi piorum erga Deum tempore afflictionis, ℣. 16. seqq.

℣. 16. *Jehova! in* TRIBULATIONE SE TIBI ADJUNXERUNT. *effuderunt* PRECATIONEM *apte conceptam, dum castigatio tua super eos erat.* ℣. 17. *Sicut mulier gravida, dum appropinquat partui, dolet, clamat in doloribus suis: sic extitimus tui causa, Jehova.* ℣. 18. *Parturivimus, doluimus: erat acsi pareremus ventum.* PERFECTA SALUS NON EST PROCURATA TERRÆ. *& non* CECIDERUNT *incolæ Orbis*] Nihil in hac etiam orationis pericopa, vere elegante & pathetica, obscuri inest, modo hypothesis interpretationis bono jaciatur loco. Dum pii Confessores beneficia præsentis temporis pro merito expendunt; redeunt in memoriam temporum superiorum, quibus longum gemuerant sub variis tribulationibus, quas non poterant perfecte eluctari, licet in id maxime niterentur. Ante tempora Antiochi Epiphanis Populus Judæus in Canaanæa sub Persis & Macedonibus animam veluti traxerat & languerat; Respublica ægre & lente emergebat; &, si aliquantum emersisset, per Bella quæ Seleucidæ & Lagidæ inter se gerebant, deprimebatur rursus & enervabatur. Respicio cum maxime statum Reipublicæ Judææ afflictum sub Antiocho Magno, Epiphanis Patre, Principe quidem in Judæos & Religionem ipsorum non adeo male affecto; sed cujus conamina in Syria Cava & Palæstina Ægyptiis eripienda & sibi Regnoque suo vindicanda Populo Judæo magnam attulerant calamitatem. Confitentur itaque Pii, hac Pericopa, se illo omni tempore, quo coacti fuerant alios *Dominos*, Ægyptios videlicet & Syros, præter *solum Deum* respicere & ab illorum pendere favore, non potuisse feliciter emergere; laborasse semper multis malis & calamitatibus; preces illorum caruisse effectu; exspectationem suam sæpe delusam fuisse, & *dolore* correptos instar *parturientium* ante hoc tempus liberationis, quo soli Deo fisi erant, *peperisse ventum*, & parum profeciisse. quæ mox in ipsa interpretatione clarius docebo. Hæc clavis est intelligentiæ hujus pericopæ, cujus sensum, dum verba Prophetæ relego & orationis emphasin ostendo, obiter exponam. In primo membro: *Jehova, cum in angustia essent positi,* TE VISITARUNT: mox occurrit electa vox פקדוך quam verti, *adjunxerunt se tibi*; sed proprie sonat, *visitarunt te.* Vox hic est singularis usus; &, si non fallor, hoc loco tantum occurrit de actu hominum se ad Deum applicantium: etsi frequentissimo sit usu de actu Dei ipsius se applicantis ad homines. Vis significationis hoc loco colligenda est ex Jud. XV. 1. ubi de Simsone: *Et* VISITAVIT *uxorem suam hœdo.* Hoc est, ad eam se arctissime applicuit, affectum ejus munere sibi obstringens ac devinciens. Sensus sententiæ est, Ecclesiam, angustia pressam tempore superiore, contradistincto huic tempori Liberationis quod Deus ipsi pro singulari sua providentia destinaverat, se cupidius & ardentius ad ipsum applicasse, & precibus ac supplicationibus ejus ambivisse favorem. quod mox ipsi interpretantur, his-verbis: *Fuderunt preces diserta oratione conceptas.* Gemina hic rursus emphasis est & gradatio. Prima in voce יצק *fundere*, significationis affinis יצק, quæ hic propriissime adhibetur: licet hoc rursus loco solo, si non fallar. sed est usus vocis Latina aliisque etiam Linguis receptissimus. Notat preces urgente necessitate, ubi ampla orandi materia est, pleno corde & pectore effundere. Altera est in voce לחש quam hic accepi de precibus *diserta* sive potius *apta* (Coccejus vult, *delinifica,*) oratione conceptis: quod mihi fere perinde est & à mea sententia parum distat. Cognovimus significationem hujus vocis ex Cap. III. 3. ubi נבון לחש videtur esse Vir disertus, dicendi peritus, apte *verbisque* rite *conceptis*, (quod in *incantatione* locum habebat ad quam vocis significatio translata est:) loqui gnarus, & oratione utens delinifica: videturque hæc esse genuina vocis notatio. Quandoquidem vero *incantatores* qui conceptis loquebantur verbis, sæpe loquerentur *submisse:* adscivit sibi vox התלחש significationem affinem *mussitandi, submisse loquendi*, quam aliqui Intt. hic prætulerunt, vocem לחש vertentes per *precationem submissæ vocis.* quod lubens suo loco relinquo. Cætera *sancti* tempore *angustiæ* passim dicuntur *clamare ad Deum* potius quam summisse loqui. Sed quis effectus harum precum, effusarum à Populo Dei tempore tribulationis, sub imperio *Dominorum aliorum* quorum existimabant sibi respiciendum esse favorem? Nullus omnino. Vota, preces, supplicationes, ad Deum profusæ, in irritum ceciderunt. caruerunt fructu. quod Vates similitudine quæsita vere & elegante, desumpta à *muliere prægnante* quæ inter graves angores & dolores *ventum parit*, exequitur, docens, Ecclesiam inter labores ac dolores varios concepisse *spem* magnam liberationis ac prosperitatis ex hisce & illis signis favoris Divini aut Regum & Principum quibus suberat, sed *spem* fuisse absque *effectu.* quo tempore enim exspectationis fructum consequutura videbatur, exspectationem se plane frustratam esse.

Illustratus ex *historia* Status Populi Judæi sub Regibus Ægyptiis & Antiocho Magno, ante tempus Epiphanis.

Oratio Prophetæ illustrata. Vox פקד notat eleganter, *se alicui adjungere.* Illustratur ex analogia.

Sensus sententiæ Prophetæ, ubi ait, Ecclesiam angustia pressam *Deum visitasse.* Alterum membrum: *Fuderunt preces apte conceptas.* Significatio & usus vocis יצק *fundere.* Ut & vocis לחש.

Genuina ejus significatio ex primo etymo deducta.

Preces illo tempore *cadebant effectu.* Credentes *ventum parturiebant.*

Sensus pericopæ pendet ex nexu orationis, & scenæ bene constitutæ.

---

[a] *Antiq.* Lib. XIII. Cap. XXIII. [b] *Bell. Jud.* Lib. I. Cap. I. [c] Hist. Lib. XXXVI. Cap. I. [d] Gen. XV. 18. [e] ℣. 18. seqq. [f] Cap. IX. 1. seqq.

Metaphora Prophetæ desumpta est à *gravida, &c.*

esse. In *Protasi* hujus similitudinis, ℣. 17. *Ut gravida ubi appropinquat partui, doloribus parturitionis corripitur; in doloribus suis clamat: sic fuimus coram te, ô Jehova.* nihil est quod nos moretur. Vocem הרה Cl. Coccejus per *puerperam* reddit: in quo nihil vitii est. ne tamen dubia redderetur significatio, retinui vocem *prægnantis, gravidæ*, quippe quod τῇ ἀποδόσει hujus similitudinis optime convenit, quæ instituitur ℣. 18. *Concepimus utero;* (vel, *uterum gessimus,*) *doluimus: est acsi peperissemus ventum.* Alludi potest, ut Grotius jam adscripsit, ad *ova subventanea*, quæ Græci ὑπηνέμια vocant, ab avibus imaginario coïtu edita, quæ nihil solidi habent. Plinius [a]: *Irrita ova quæ hypenemia diximus* (sc. Cap. LVIII. ubi de iis verba fecerat:) *aut mutua fœminæ inter se libidinis imaginatione concipiunt, aut pulvere:* (vox hic Doctis Viris est suspecta:) *nec columbæ tantum sed & gallinæ, perdices, pavones; anseres; chenalopeces .... Quidam & vento putant generari: qua de caussa etiam Zephyria appellantur.* Sic omnino Aristoteles qui de hisce *ovis subventaneis* & eorum caussis prolixe agit [b], à Plinio descriptus: Ζεφύρια δὲ καλεῖται τὰ ὑπηνέμια ὑπό τινων, ὅτι ὑπὸ τὴν ἐαρινὴν ὥραν φαίνονται δεχόμεναι τὰ πνεύματα αἱ ὄρνιθες· *Zephyria etiam appellantur à quibusdam Ova illa subventanea, eo quod verno tempore aves flatus illos fœcundos ex Favonio recipere videantur.* Rectius tamen dixeris, ut existimo, respici in figurata hac dictione *Mulierem parientem* quæ dum in summis doloribus partum ipsum se eniti putat & sperat: conamen; ut fit, in *flatum* resolvitur; ut adeo novi supersint dolores ferendi, antequam fœtus ipse in lucem emittatur. Sed ad rem: etsi omnia in hac apodosi facilia sint. *Concipere* hoc in loco est *spem* liberationis & salutis *concipere animo.* quæ comparationis vis patet ex usu ipsius latinæ vocis *concipere*, quæ de *spe* frequens usurpari solet. *Parturire* est *cum desiderio videndi rem exspectare.* Sic Cl. Coccejus docte. Editio *partus* est repræsentatio & productio rei ipsius exspectatæ. Ubi *spes* effectum sortitur, dicitur qui sperat & exspectat *parere.* non quod ipse rem *exspectatam* producat per se ipsum, cum implementum exspectationis passim ab aliis caussis pendeat: sed, α. Quia qui rem speratam exspectatamque *consequitur*, eam non amplius animo clausam, sed eo excluſam, & coram oculis præsentem, videt. β. Quia res sperata, quæ in medium producitur & repræsentatur, *virtute spei* produci & repræsentari censetur. Cum enim *spes* suis nitatur rationibus & fundamentis, inter quæ primum locum obtinent *promissa:* est acsi effectus à sperante & exspectante ipso in lucem produci videatur. *Angores* autem, *clamores, dolores partus,* sunt *dolores, cruciatus & angores* animi, producti ex adversis, contrariis, molestis, quæ productionem effectus spei sive repræsentationem rei speratæ difficilem facere videntur: cujusmodi adversa sunt afflictiones, persequutiones, calamitates, & casus alii tristes implemento spei contrarii, à Satana, Deo non impediente, suscitati, qui effectum spei in extremis intercludere posse videntur, & animum hominis, dum in extremis maxime intenditur fœtus excludendi, hoc est, promissi videndi desiderium, magnis angoribus ac doloribus replent. Est autem emblema hoc ut pulchrum & subjecto congruens: sic in Verbo Dei & in emblematibus Propheticis satis usitatum. Directe huc pertinent prophetiæ Vatis nostri Cap. LIV. 1. LXVI. 7. & Apocalyptica [c] de Ecclesia veluti *Muliere*, difficillimo partu *edente* spem per promissa diu animo conceptam: & quidem *certo statoque tempore*, promissis designato. *Spes* est tempore circumscripta, & implementum ejus, promissis nixum, certæ adstrictum tempestati, perinde ac *partus* secundum naturæ leges. Quid vero? An consequuta fuit Ecclesia *spei* suæ implementum? Num res sperata exspectataque ipsi ad vota sua repræsentata est? Non ita quidem. ait, *fuisse acsi pareret ventum.* h. e. spem suam maximam partem in inane & irritum cecidisse; *solidum* nullum produxisse *effectum.* Sic solent Scriptores Sacri omnem *productionem effectus* vocare *partum*; ut proposita, consilia, spem, quod monebam, *conceptionem fœtus*; & spei frustrationem, *abortum*; vel *partum* nullum aut infortunatum. Eliphazus [d]: *Qui* CONCIPIT *molestiam*, PARIT *vanitatem* vel iniquitatem. Confer Vatem nostrum Cap. LIX. 4. & Ps. VII. 15. Rursus Propheta noster eleganter alio loco [e]: *Parturitis paleam: paritis stipulam.* Explicant ipsi hanc spei suæ frustrationem, gemino orationis articulo. prior Hebraice sic est conceptus: ישועות בל נעשה ארץ quæ varie accipiuntur ab Interpretibus. Sonant ad verbum: *Salutes, non fecimus terram.* Masorethæ enim vocem ישועות signarunt nota *accentus distinctivi* non contemnendæ potestatis; *Rebhia.* Hieron. *Salutes non fecimus in terra.* quod ipse interpretatur: *Nihil dignum tua fecimus misericordia.* plane, ut putem, præter rem: etsi versio sit tolerabilis. Piscator: *Salutem ullam non efficiebamus terræ.* Ferri omnino potest versio quod ad sensum; sed non est satis commoda secundum phrasin Hebræam. Coccejus: *Salutes? Non faciebamus terram.* Sensum ita explicat: *Putasne, nos salutes peperisse*, h. e. *nos vidisse multorum salutem?* Responderi ad hanc quæstionem non *diserte*, *vel affirmando vel negando: sed tantum negare* eos qui hic loquuntur (quos Vir Cl. facit Christianos primi temporis,) SE FECISSE TERRAM, h. e. *comparasse & lucrifecisse terram.* Per *terram* jam intelligit *terram hæreditariam*; *Abrahamo ut hæredi Mundi promissam:* ut tandem hic exeat sensus dicti: *Si maxime aliqui salvati sint, tamen nondum videmus τὴν κληρονομίαν τῷ κόσμῳ.* Non lego hujusmodi expositiones cum voluptate quas quisque videt esse impeditas plane ac coactas. Quis enim mortalium, si id dicere vellet, quod Doctus Interpres sibi proponit, eo modo loqui institueret? Et est tamen longe adhuc παραδοξότερος lusus Forerii, qui verba Vatis in meliorem partem flectere nitus, vocem ישועות construit cum antecedente רוח, vertens, *peperimus spiritum salutis*, (nos sc. Christiani, inter medias afflictiones spiravimus bonum Evangelii odorem:) *non fecimus terram.* h. e. *non confecimus.* nullum exitium attulimus terræ. *neminem læsimus. neminem corrupimus.* Et tamen Propheta sapienter scripsit, & verba ejus patiuntur interpretationem solidam & liquidam, contextui congruentem, quam jam ostendit Kimchius & ex ipso Vatablus. Vox נעשה cum *punctis Masorethicis* vel potest esse *primæ pluralis futuri Kal*, quando vertenda sunt verba: *Salutem non fecimus in terra* vel *terræ:* vel *participium Formæ Niphal*, quando sonant, *Salutes non sunt factæ in terra.* proprie: *Salutes non est factum* in *terra.* quam loquendi rationem cum Intt. aliqui non intelligerent, ab ea discesserunt, quæ unam nobis veram reddit Prophetæ sententiam. Nempe voci ישועות subest ellipsis apud Hebræos æque ac Græcos frequentissimi usus vocis דבר, Græcis, πρᾶγμα, χρῆμα, estque plena sententia: דבר ישועות בל נעשה בארץ *Negotium salutum non est confectum in terra.* ut ex. gr. Exod. XVII. 12. ויהי ידיו אמונה *Et manus ejus* (Mosis) *fuit firma.* sc. דבר אמונה *res firma.* Gen. II. 18. *Ec dixit Jehova Deus:* לא טוב *Non est bonum, hominem esse solum.* h. e. דבר טוב *Non est* χρῆμα sive *res bona.* De ellipsi præfixæ ב vel ל in voce ארץ *terra* nihil habeo quod moneam, cum ubique occurrat. Propheta solius elegantiæ & emphasios caussa sic est loquutus, vitans in sententiis omne superfluum ac non necessarium: perinde ac Attici, inter Græcos. *Accentus* autem *distinctivi* in voce ישועות si putes habendam esse rationem, vertere licet, vulgato stylo Hebræorum: *Quod ad negotium salutum attinet: non factum est in terra.* Intelligit autem Propheta per *salutes* salutem perfectam, estque sensus sententiæ ejus, Populum superiore tempore subinde ad vota precesque suas aliquando per Divinam Providentiam consequutum esse quædam intervalla lucidiora quietis & securitatis, favore Ægyptiorum aut Syrorum Regum: sed illam *salutem* non fuisse *perfectam*, qualem desiderabant. Manebant enim illis Regibus obnoxii; &, ut se res habet cum muliere pariente,

Quid hic fit, *ventum parere?* Plinii locus.

Et Aristotelis.

Meditatio alia, rei & loco congruentior.

Metaphora exponitur. Quid hic fit *concipere?*

Quid *parturire?*

Ratio metaphoræ, qua *partus* sumitur pro consequutione rei speratæ.

Dolores & angores partus quid hic mystice significent?

Usus emblematis in aliis S. Scripturæ locis. Locus Apoc. XII. 1.

Implementum promissorum est adstrictum *certo tempori* perinde ac partus.

Effectus certo tempore *frustra fuit.*

Ecclesia *parit ventum.* Metaphora denuo illustrata.

Expositio frustrationis spei.

Verba dubiæ interpretationis: ישועות לא נעשה ארץ. Interpretationes variæ, & de iis judicia.

Speciatim Cocceji, h. l. minime facilis.

Ut neque Forerii, longe remota.

Intelligentia sententiæ pendet à voce נעשה, quæ hic accipienda ut *participium* Niphal.

Ellipsis vocis דבר, πράγματος ἢ χρήματος.

Accentus distinctivi vocis ישועות quænam hic haberi possit ratio?

Oratio Prophetæ referenda est ad tempus Ecclesiæ, quod *Liberationem Maccabaicam* præcessit.

a *Hist. Nat.* Lib. X. Cap. LX. b *Hist. Animal.* Lib. VI. Cap. II. c Cap. XII. 1. d Job. XV. 35. e Cap. XXXIII. 11.

post breve intervallum laxati ac remissi doloris, novi identidem dolores superioribus succedebant; &, quod ipsi *altero articulo* planius declarant: *Non cadebant incolæ Orbis.* Verba id significare possunt, Regna illa, à quorum Regibus maxime affligebantur & premebantur, adhuc obtinuisse vim vigoremque suum, & hostes illorum, licet vires illorum subinde attererentur, judicio Divino nondum prostratos, (quod sub Epiphane & Successoribus ejus accidit:) suum in ipsos imperium adhuc tuitos esse: quando ea servatur significatio vocis נפל *cadere*, quæ ei Hebræa omniumque Gentium Linguis propria est, qua notat *decidere de gradu & statu.* Propheta alludit ad id quod dixerat Cap. XXIV. 20. *Terra* CADET, *& non poterit stare, vel resurgere.* Sed singularis hic est observatio Cl. Cocceji, docta quidem quæ recenseri mereatur. Interpretatur vocem *cadere* hic per *nasci*, cum mentio in superioribus sit de *parturitione:* ut sensus sit, Evangelium inter Gentes promulgatum, non eum tulisse fructum quem quis merito exspectaret. *paucos* enim *fuisse auditores tales, quales decent frugiferum & Regnum Christi. multas mox ortas esse hæreses noxias. multa edita esse scandala:* & quæ alia hujus generis. Adstruit interpretationem ex usu vocis apud profanos; hic quidem obiter, sed in *Vocabulario* ad vocem נפל *cadere*, idem agit diligentius, adducto loco Statii ex Epithalam. *Stellæ* & *Violantillæ* *A* & ex *Sapient.* Cap. VII. 3. laudatoque Cl. Rittershusio, observati auctore *a*. Verum primo, nullum profert Vir Eruditus locum ex Sacris in quo usus similis sit vocis נפל *cadere* pro *nasci*, nisi quod vocem נפל doceat venire significatione *abortus*, (quo sensu etiam vox הפיל usitata est Talmudicis ac Rabbinis:) sed ob rationem manifestam quod sit fructus sive *fœtus deciduus in terram* qui non erigitur, vel qui *abjicitur.* Honeste *nati tolluntur* & foventur, ut conjici potest ex contrario Ezech. XVI. 5. Deinde, si significatio locum obtinere posset: non est probabile, Jesaiam sic loqui voluisse, ut eum loquentem facit Vir Doctus de *fructu prædicationis Evangelii inter Gentes*, non obstantibus zizaniis quæ cum semine bono excrescerent, quippe Prophetæ de ejus successu ubique luculenter testificantur sub hoc ipso emblemate *mulieris* plures liberos fœcundissimo partu *enitentis*; ut noster Cap. LIV. 1. seqq. LXVI. 7. 8. Confer Mich. V. 2. Ps. LXXXVII. 1. seqq. Tertio, per יושבי חבל תבל *incolas Orbis* in hac Oda passim videntur intelligi hostiles populi, Cultoribus veræ Religionis contradistincti, ut patet ex ℣. 9. Quarto denique, *resurrectio* Ecclesiæ, hoc est, ejus instauratio quæ mox describitur ℣. 19. huic *lapsui* exerte contradistingui videtur. Et tamen quid negem, esse quid elegans & sublime in hoc sensu, quod egregie convenit genio Prophetæ nostri; &, quod plus est, plane confirmari videtur ex ℣. 19. *sequente*, ubi vox הפיל optime sumitur hac significatione; quare hanc interpretationem non ausim nec velim etiam fidenter spernere: maxime cum sensus mihi non obstet. Diceret enim Propheta, preces & vota Ecclesiæ hactenus eum non produxisse effectum, ut Canaanæa floruerit & repleta fuerit *incolis*, Republica ex voto restaurata & à malis liberata. Quæ vero causa hujus frustrationis spei? Gemina ostendi potest, vel scilicet, quod tempus Liberationis & Salutis Divino consilio circumscriptum hactenus non adesset; vel quod in Deo solo, ejus implorantes opem, non collocassent fiduciam, sed plus quam decet, aliorum Dominorum & Principum respexissent favorem; vel quod vitia & crimina Hypocritarum, quæ à posterioribus tribus Prophetis describuntur, impedivissent precum effectum. quæ universa probabile est hic concurrisse.

Restat definiamus, cui tempori conveniat hæc pericopa: sive, quænam illa sit *angustia* superioris temporis, de qua sancti hic loquuntur, ubi preces ad Deum fusæ & vota hactenus caruerunt effectu. Ajo absque hæsitatione, esse tempus Regni Antiochi Magni, Patris Epiphanis, quando inter Syriæ & Ægypti Reges bello desceptari cœptum est de Cœle-Syria & Palæstina, primo quidem inter Antiochum Magnum, Cœle-Syriam cui Palæstina accensebatur, hactenus à Regibus Ægypti possessam, sibi vindicantem quà armis quà dolo, & Ptolemæum Philopatorem, Ægypti Regem: deinceps Philopatore fatis functo, inter eundem Antiochum, & Philopatoris filium, Epiphanem. Historiam accurate tradit Polybius. Mihi plane hic sufficiunt verba Josephi, qui ipse quoque Polybio usus est, imaginem horum temporum compendio exhibentis. Sunt autem hujusmodi *b*: *Antiocho Magno in Asia regnante in* CONTINUA VEXATIONE *tam Judæa fuit quam Cœle-Syria:* (ἔτυχεν αὐτῆς sc. τῆς Ἰουδαίας πολλὰ ταλαιπωρῆσαι·) *quod eo bellum gerente cum Ptolemæo Philopatore, hujusque filio qui Epiphanes cognominatus est, sive vinceret, sive vinceretur, male multarentur: non aliter ac navis fluctibus utrinque oppugnata, inter prosperam & adversam Antiochi fortunam jactati.* Inde narrat Scopæ præfecti militiæ Ptolemæi Epiphanis expeditionem in Cœlen Syriam & Judæam, *vi* ab ipso rursus occupandam; victoriam de ipso Antiochi, & quæ alia. Ex Polybio *c* autem intelligimus, calamitates hujus temporis pervasisse interiora penetralia terræ Judææ. Magni enim Exercitus potentium Regum *per* vel *circa* eam ultro citroque *euntes & redeuntes* ex Ægypto vel Syria & de summa rei inter se decertantes sive apud *Gazam*, sive apud *fontes Jardenis*, terræ Judææ aliàs etiam non satis illo tempore florenti admodum debuerunt esse graves. De eo Zacharias *d*: *Et ego metabor Domui meæ præsidium* מעובר ומשב *ab* EUNTE & REDEUNTE, *& non transibit amplius per illos* נוגש EXACTOR. *Exactores* sc. *tributorum* nomine Regum Ægypti & Syriæ, (de quibus videndus Josephus:) Populo valde molesti: maxime, ut jam præmonui, quod res ejus hoc tempore adhuc essent tenues: id quod cum ex pluribus aliis pateat, quæ non allego; tum ex Josepho ipso in historia alterius Josephi, Patris Hyrcani, Viri circa illa tempora inter Judæos divitis ac potentis, cujus hoc reliquit Elogium *e*: *Obiit deinde Hyrcani Pater Josephus, Vir bonus & magnanimus,* καὶ τὸν τῶν Ἰουδαίων λαὸν ἐκ πτωχείας καὶ πραγμάτων ἀσθενῶν, εἰς λαμπροτέρας ἀφορμὰς τοῦ βίου καταςήσας· *quique Judæis* PAUPERIBUS *tum &* INOPIBUS (prop. *ex statu paupertatis rerumque tenuium:*) *splendidioris vitæ occasionem præbuit.* Hoc illud est, quod sancti in hac Ode dicunt, se non potuisse emergere; & cum aliquam adepti essent status securitatem majorisque prosperitatis spem, se *peperisse ventum*; spem suam cessisse in irritum; & mox in novas incidisse calamitates, non prævisas. Potuerunt autem sancti ante tempora *Reformationis* eadem plane verba usurpare absque ulla variatione. Erant jam in Ecclesia Romanensi multi ab usque Sæc. XII. qui instaurationem Ecclesiæ in meliorem statum exspectabant, eamque certo futuram prædicebant; quique iidem Ecclesiam Romanensem vocabant Babylonem, Ægyptum, Sodomam, & quæ alia. Waldenses, Fratres spirituales, Wiclefus, Bohæmi, inter quos fuerunt Viri doctrina & pietate insignes, precibus, supplicationibus, votis, intra infinitas calamitates & angustias, cum exspectarent effectum majoris liberationis & salutis cum perfectiore instauratione status Ecclesiæ, illum tamen effectum hactenus non obtinuerunt: fuerunt longum tempus in *partu*, & tamen non viderunt fructum & fœtum suæ spei; quod tempus Divino consilio definitum & huic eventui commodum, huc usque non adveniisset. Mansit Ecclesia afflicta usque quo tandem majore impetu irruperit in lucem Sæc. XVI. quæ in genere ad mysticum hujus prophetiæ sensum monuisse suffecerit. Ἀπόδωσις enim sive applicatio singularum partium facilis est, & neminem moratur.

Alterum membrum sententiæ de frustratione spei: *Non cadebant incolæ Orbis.*

Sensus horum verborum tolerabilis.

Interpretatio alia.

Observatio singularis vocis נפל *cadere* pro *nasci.*

Quid adversus eam inferri queat?

Respectus significationis vocis נפל *abortus* in h. l.

Interpretatio, licet bona esset, non convenit illi *subjecto*, ad quod à Viro Docto applicatur.

Correctio prioris sententiæ.

Rationes quæ sensui favent.

Causa delusæ spei.

Investigatio temporis cui hæc pericopa convenit.

Demonstratur esse tempus Regni *Antiochi Magni.*

Judæi meliora sperantes, illo tempore *gravia* passi sunt.

Locus Josephi.

Attinguntur aliqua ex historia illorum temporum.

Locus Zach. IX. 8.

Res Judæorum illo tempore adhuc *tenues.*

Josephi de eo testimonium.

Verba Prophetæ ad statum Judææ illius temporis applicantur.

Ut & ad Statum *Ecclesiæ* afflictæ ante tempora *Reformationis.*

Typus breviculus historiæ illius temporis.

GRA-

a Ad Oppian. pag. 217. *b* *Antiquitat.* Lib. XII. Cap. III. *c* Hist. Lib. V. XV. XVI. *d* Cap. IX. 8. *e* *Antiquitat.* Lib. XII. Cap. IV.

A Sic Statius etiam alibi usurpat in *Sylv* Lib. V. in *Epicedio in Filium.* *Dilexi, meus ille, meus:* TELLURE CADENTEM *Excepi, & vinctum genitali carmine fovi.*

GRADATIO QUINTA & ultima hujus Confessionis, qua declaratur *Spes præsentis temporis*, superiori contradistincta.

℣. 19. VIVENT *mortui* TUI. CADAVER MEUM. *resurgent. Expergiscimini & cantate habitatores pulveris! quia ros olerum ros tuus, &* TERRA MORTUOS EDET] Pericopa est excellens quæ clausulam facit hujus confessionis, qua sancti declarant in initiis liberationis quæ ipsis obtigerat, certam spem de liberatione perfecta: cui, si Deo placet, aliquid luminis affundere studebo. Argumentum ejus, ut cuique patet, est confessio de *Resurrectione mortuorum*, quos illi vocant MORTUOS DEI: quæ sententia in duas dispescitur, intermixta *Apostrophe*, veluti adjunctione sententiæ prioris ad *mortuos* ipsos, quæ hoc decretum cœlestis Curiæ ipsis veluti insinuat: quando oratio *confessionis* ad Deum ejusdem argumenti continuatur. Confessio autem eo tendit, ut pii suam explicent spem de statu rerum præsente & futuro opposite ad statum temporis superioris: quam spem ut libera & concinna oratione declarant; sic sibi invicem læti gratulantur. Ad veram ejus interpretationem hasce binas adscisco hypotheses. Prima est, continuari his verbis confessionem piorum in oratione ad Deum: non esse autem verba Chori novi, compellantis Ecclesiam. Altera; verba sic esse concepta, ut ad primam speciem agere videantur de *resuscitatione mortuorum* qui sic vere dicuntur; & tamen secundum primum & verum eorum sensum iis describi *resurrectionem mysticam*, metaphoricam, parabolicam. utrumque ex ipsa eorum commentatione patefiet: quam sic me instituere oportet, secundum seriem orationis, ut articulos quibus sententia constat, ordine exhibeam.

Commendatio hujus *Pericopæ.*

Argumentum ejus, & Analysis.

Hypotheses veræ interpretationis. *α. Continuari confessionem* ad Deum. *β.* Primo sensu hic agi de *Resurrectione mystica.*

Primus in his est, *Revivisscent mortui* TUI. Supposui modo, hic continuari confessionem ad Deum editam, estque verissima sententia, quam Hebræi & alii quoque Intt. passim tenent: & est tamen id monendum, ne quis hic cogitet de Choro quodam novo qui hic introducatur ad spem Ecclesiæ confirmandam; aut verba hæc accipiat, ut *Dei* ad Ecclesiam, cum Cl. Coccejo. Rationes hypothesios sunt. *α.* Quia *Objectum* ad quod hic vertitur oratio, compellatur in *persona singulari masculini generis.* Si *Ecclesia* compellaretur, vel *pluralis* adhibendus erat numerus; vel *singularis generis debilioris.* *β.* Contextus superior, qui memorat per modum ἀντιθέσιος statum superioris temporis, necessario exigit aliquam ἀπόδωσιν, ei respondentem. *γ.* Extrema hujus pericopæ secundum hanc hypothesin rectissime accipiuntur, ut mox liquebit, æque ac hæc nostra, quæ lumen suum quaquaversum diffundunt. *Mortui* DEI, sic in emphasi dicti, sunt hoc loco non tantum *mortui in communione Dei*, sed & *propter* GLORIAM EJUS, sive, ut propriissime loquar, qui DEI CAUSSA *mortui sunt* vel *moriuntur*: ut sunt *martyres* sic proprie dicti & *confessores* veræ Religionis Judææ vel Christianæ. qui proinde quà tales Deo curæ & ipsi chari sunt, & *mortui* licet vel *morituri*, Deo manent commendatissimi, ad præmium gloriosæ resurrectionis; estque id mihi hic perinde, quod mox planius declarabo, an *confessores veritatis* vere *mortui*, num *afflicti* (secundum significationem vocis leniorem,) solummodo hic intelligantur. *Mortui Dei* sunt hoc loco iidem de quibus Vox cœlestis in Apocalypsi [a]: *Beati sunt qui* IN DOMINO (Beza recte: DOMINI CAUSSA. vide de hoc usu præfixæ ב Gen. XVIII. 28.) *moriuntur. Etiam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, &* OPERA EORUM *sequuntur ipsos.* Desumpta est locutio ex loco hoc nostro, & ei parallelo Cap. LVII. 1. & conferenda cum analoga ex Psalmo ejusdem argumenti [b]: עליך הורגנו כל היום TUI CAUSSA *occidimur omni die.* Sunt igitur *mortui* DEI qui Religionis veræ caussa moriuntur. Eusebius Cæsariensis: Οἱ δὲ νεκροὶ τῷ Κυρίῳ, οἱ δι' αὐτὸν πᾶσαν θλῖψιν ἕως θάνατον ὑπομένοντες· MORTUI *autem* DOMINI *sunt qui ejus caussa omnes calamitates usque ad mortem sunt perpessi*, sive perpetiuntur. cujus consequens est, illos qui ita *moriuntur*, non interire; sed esse ac manere in potestate Dei; curæ esse Deo; mortuos etiam cum Deo esse; ab ipso diligi, ac destinari ad resurrectionem gloriosam. sic Apostolus, utrumque inter se conjungens [c]: *Nam sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur,* τῷ Κυρίῳ ἀποθνήσκομεν, DOMINO MORIMUR: *sive igitur vivamus, sive moriamur,* τοῦ Κυρίου ἐσμέν· DOMINI SUMUS. *Mortui* Dei sunt Vati nostro המתים PII, qui animas suas *profundunt ad mortem*, & quæ elegans phrasis est; *animas suas non* VIVIFICANT [d], h. e. *vitam suam* pensi non habent, si Gloriæ Divinæ aut veræ Religionis interfit. Sic Poëta sacer de subjectis hujus generis differens [e]: PRETIOSA *est in oculis Jehovæ mors* לחסדיו PIORUM EJUS. Hasidæorum. Ne cogites agi de omni *morte naturali*: agitur de *morte* qua Deus *glorificatur*, h. e. martyrii aut confessionis publicæ. phrasin rursus mutuor à Joanne, dictum Christi de *Petri exitu* recensente [f]: *Hoc autem dixit, significans,* ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεόν· *quo genere mortis* GLORIFICARET *Deum.* sc. morte *crucis.* Ad *mortuos* autem hujus generis Prophetam respicere, absque dubitatione colligimus ex *Epilogo* Prophetæ, ℣. 21. *Et reteget terra* SANGUINES SUOS (occisos mactatosque caussa religionis,) *& non amplius obteget* הרוגיה PEREMPTOS mactatosque suos, *ferro* sc. persecutorum. quæ conferri debent cum his quæ scripsi ad Cap. XXV. 7. 8. Quæ cum sit certa in hoc loco phrasios sententia: non intercedo tamen, quo minus ea hic in summa accipiatur latitudine, ut non tantum notet confessores & martyres, qui mortem ipso actu oppetunt caussa Religionis, verum etiam qui *vitam suam* pro caussa Religionis publice exponunt, & tum in præsente rerum suarum statu propter confessionem Religionis *affliguntur*, bonis suis aut dignitatibus spoliantur, incarcerantur; tum quoque ad mortem constanter eadem de caussa perferendam egregie animati sunt. ut Apostolus [g]: *Quot diebus* ἀποθνήσκω, MORIOR. versor in mortis periculo. Alio loco [h]: *Semper* τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ MORTIFICATIONEM *Domini Jesu in* CORPORE *circumferentes.* & mox [i]: *Semper enim nos qui vivimus,* εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν· IN MORTEM TRADIMUR PROPTER JESUM. His vero *mortuis*, quales illos descripsi, adscribit Propheta *revivisscentiam*: si ita loqui liceat. *Mortui* TUI, ait Chorus, ô Deus, *vivent.* mox addit: *cadaver meum. resurgent.* sic accipienda sunt verba, quæ alii ex sensu Prophetæ supplent: *etiam cadaver meum.* vel, *cum cadavere meo.* idque recte & absque vitio. licet textus ἐμφατικωτέρως & cum *gratia* majore sic legatur, ut Propheta scripsit. Quæris, quid Chorus hic designet nomine *cadaveris sui?* Id mox expediam, postquam definiverim, qualis ἀναβίωσις sive *resurrectio* hic intelligatur. Est sane duplex nota stylo Scripturæ, vera vel figurata. *Vera* est ἀνάστασις *Resurrectio* sive *Resuscitatio* corporum credentium, *animabus* suis reduniendorum, ad participandam gloriam cœlestem, sanctis & Evangelio obedientibus decretam, in fine sæculorum. *Figurata* sive *mystica* vel singulorum credentium est, qui per Verbum Gratiæ junctum efficaci operationi Spiritus S. è statu *mortis* sive servitutis peccati & insensualitatis ac malæ conscientiæ, suscitantur ad statum vitæ mysticæ, rationalis & spiritualis, quo ex principio veræ fidei & amoris Dei in communione ejus se exercent in omni opere sanctimoniæ & virtutis ad gloriam Dei, ædificationem proximi & salutem suam. qui usus vocis non tantum notissimus est ex Scriptis N. T. [k] verum etiam jam receptus in Schola Sanctorum antiqui temporis; vel est *Resuscitatio mystica* totius *Corporis Ecclesiæ*, qua status Ecclesiæ aut vitiis & scandalis corruptæ, aut per persecutiones publicas disjectæ, dispersæ, & tantum non

Articulus primus: *Revivisscent mortui* TUI. Oratio est Ecclesiæ ad Deum.

Rationes hujus sententiæ. *Persona* masculino genere appellatur, & singulari. Contextus superior necessario exigit *continuationem* confessionis. Extrema pericopæ idem arguunt. *Mortui Dei* h. e. sunt *Confessores & Martyres.*

Locus Apoc. XIV. 13. cum hoc collatus, & ex eo illustratus.

Ut & ex Ps. XLIV. 23.

Eusebii Cæsariensis apposita annotatio.

Ratio genuina & emphatica hujus appellationis, ex aliis locis illustrata.

Ps. XXII. 30. CXVI. 15. huc allata.

Sunt qui Deum *morte sua glorificant.*

Confertur ℣. 21.

Latior interpretatio phrasios de his qui se *periculo mortis* objiciunt caussa Religionis.

Loca Paulina huc facientia.

Hi *mortui revivisscerent.*

Gemina *Resurrectio* nota stylo Scripturæ S. *Vera & Figurata.* & hæc rursus duplex quæ species describuntur.

a Cap. XIV. 13. b Ps. XLIV. 23. c Rom. XIV. 8. d Ps. XXII. 30. e Ps. CXVI. 15. f Joh. XXI. 19. g 1 Cor. XV. 31. h 2 Cor. IV. 10. i ℣. 11. k Joh. V. 25. Col. II. 12. 13.

destructæ in melius instauratur, cum vindicatione nominis, memoriæ, & honoris eorum qui tempore persecutionis & afflictionis infamia publica notati, & ab hostibus veritatis violenta morte affecti aut oppressi fuerant. cujus vocis usum mox illustratum ibo. Hic vero passim consentiunt Intt. mediam significationem vocis, qua sumitur pro ζωοποίησει *spirituali*, hoc in loco seponendam esse: etsi Procopius Græcam versionem, hic plane corruptam, eo flectat: sed de alteris ambigitur. Judæi Intt. hic omnino cogitant de *vera* mortuorum *Resurrectione* quam sibi persuadent futuram tempore Messiæ; & Doctores Christiani Veteres ex hypothesi etiam sua acceperunt locum de futura mortuorum resurrectione quæ cadet in finem sæculorum. alii de *mystica*, h. e. de *liberatione Ecclesiæ ab afflictionibus:* quibus Junius & Tremellius lumen prætulerunt. in quam sententiam propensior etiam fuit Vir quidam Doctissimus [a], qui hunc locum tractavit, etsi *durum esse* scripserit *hic certi quid constituere.* Alii utramque inter se conjungunt: quorum hypothesis recte se habet, licet *typicam resurrectionem* quam hic subintelligunt, non æque feliciter applicent ad *tempus verum* cui ex mente Prophetæ convenire videtur. Nobis hic est certa sententia, in quam concedent omnes, emblematum Propheticorum non plane imperiti. Propheta, sive Chorus piorum quem ille loquentem introducit, omnino loquitur de *typica & figurata* quadam *Resurrectione* totius corporis Ecclesiæ: quam tamen describit phrasibus efficacissimis, desumptis à *Resurrectione* novissimi diei. ut solent Prophetæ. Spiritus enim Dei, per quem loquuti sunt, sic verba & stylum illorum direxit, ut in describendis ac depingendis *imaginibus typicis* colores mutuentur ex earum rerum & imaginum *antitypis*; hoc consilio & scopo, ut pii Prophetarum verba legentes simul de *typo* & *antitypo* cogitarent, & in *typis figuris, præludiis*, eorum viderent ac considerarent ἀντίστοιχα. Sic v. gr. vaticinantes de *Judicio* Dei *generali* quo Deus hypocritas & fœdifragos Populi Judæi in jus vocaret & de iisdem pœnam sumeret; oratione utuntur adeo grandiloqua, acsi *judicium universale* extremi temporis mundi enarrarent [b]: de florente statu Ecclesiæ Christi Jesu loquentes, sermonem suum sic instruunt & ornant, acsi statum gloriæ cœlestis in omni sua amplitudine & magnificentia exhiberent, ut præsertim facit Propheta noster [c], Ezechiel [d], & secundum eorum ductum Joannes [e]. Idem accidit in prophetiis mystici sensus de *resurrectione mortuorum.* Obvolvunt illæ imaginem & figuram *resurrectionis* gloriosa veste & nomine *rei ipsius*, ut alteram cogitaremus alterius esse sacramentum & signaculum. *Liberationem* omnem Ecclesiæ è magnis discriminibus; instaurationem ejus in melius, & *Reformationem* quæ dicitur, Scriptores Sacri vocant ἀνάστασιν, *resurrectionem*, sive *resuscitationem* & *vivificationem* ejus. Moses primus usurpavit metaphoram in Cantico, ubi Deum *Populi* sui afflicti ac dispersi Liberatorem sic loquentem introduxit [f]: *Videte nunc, me esse* EUM, *& Deum nullum mecum esse.* אני אמית ואחיה EGO *morte afficio &* VIVIFICO. *ad necem usque vulnero, & sano.* Interpretetur Mosen Apostolus, spem Carminis Mosaici de reductione Populi fœdifragi ad Dei communionem explicans [g]: *Nam si abjectio eorum est reconciliatio mundi: τίς ἡ πρόσληψις, εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν; quæ erit* ASSUMPTIO *nisi* VITA EX MORTUIS? Analoga sunt loca insignia Hannæ in Cantico [h], & Hoseæ [i], quem mox producam. Quid vero in his clarius emblemate Ezechielis [k], Liberationem Populi Judæi ex Exilio conjungendam cum instauratione Reipublicæ Judææ à Babyloniis dissolutæ plane ac eversæ, proponentis sub imagine perfecta *Resuscitationis & Resurrectionis*, eadem sane locutionum emphasi iisdemque lineis ac ductibus acsi novissimam & verissimam mortuorum resurrectionem explicaret? quod omnibus notum est. Quid ajo? Scriptores exteri voces *resurgere, resuscitare, revivisscere*, passim usurpant, eodem genere metaphoræ, de cujuscunque hominis, Populi, civitatis, Reipublicæ, post cladem calamitatemque præcedaneam restitutione, ut passim omnes norunt; estque eadem loquutio populari sermone recepta. Est vero sententia nostra, eandem significationem hic primo loco admittendam esse, & quidem primo sensu hic intelligi *Vindicationem* Ecclesiæ afflictæ ab afflictione Syriaca: altero autem & mystico sensu, *Liberationem & Vindicationem* Ecclesiæ, egressæ Babylonem mysticam, à persecutione, afflictione, oppressione, cum honorifica restitutione honoris ac memoriæ afflictorum, qui Religionis veræ caussa mortem oppetierant. Rationes sunt, α. Quia *antecedens & consequens contextus* in uno hoc argumento decurrit. β. Talis *resurrectio* piorum hic intelligitur qualis negatur adversariis populi Dei, ℣. 14. quod de *resurrectione* novissima dici nequit. Sic ibi scripserat Propheta: *Mortui non* REVIVISCENT. *defuncti non* RESURGENT. h. e. status illorum non instaurabitur, nec revirescent ac revivisscent ad Ecclesiam opprimendam. cui statui *mortuorum hostium Ecclesiæ* pii in confessione sua opponunt *statum* MORTUORUM DEI, quos ipsi omnino *resurrecturos* esse sperabant & hoc carmine confitentur. γ. Analogia aliarum prophetiarum quæ hanc nostram interpretantur, hunc sensum necessario exigit, & simul fidem facit veritati hypothesios nostræ. Daniël Cap. XII. 2. postquam Epiphanem Antiochum persecutorem Ecclesiæ, πρότυπον Antichristi, cum omni suo charactere fuse descripsisset, mox memorat *resurrectionem mortuorum*, vindicias Ecclesiæ per magnum Principem Populi Dei Michaëlem procurandas insecuturam: *Et multi ex dormientibus in pulvere terræ* RESUSCITABUNTUR: *hi ad vitam æternam; illi vero ad opprobria, ad horrorem æternum.* Sententia sic est concepta acsi Propheta vere loqueretur de *Resurrectione extremi temporis*; & certum satis est, eam ab ipso supponi, ut patet ex ℣. 13. & phrases inde desumptas esse: attamen universus contextus arguit, loqui illum primo sensu de *instauratione status Ecclesiæ* post persecutionem & oppressionem Epiphanicam, cum vindiciis publicis justæ ac melioris caussæ; quæ vindiciæ involverent *præjudicium* Dei de *servandis* ad æternam vitam & gloriam ac *damnandis* ad mortem & opprobria æterna. Joannes in *Apocalypsi* [l] rem totam distinctius declarat. Geminam ille memorat ac describit *resurrectionem mortuorum*, quarum alteram *primam* vocat, alteram *secundam.* Prior esset *resurrectio* confessorum & martyrum, hoc est, *mortuorum Dei qui securi percussi erant propter testimonium Jesu, & propter sermonem Dei, & seqq.* De qua posteriori contradistincta Vates in hunc modum [m]: *Reliqui vero mortuorum οὐκ ἀνέζησαν, non* REVIXERUNT *usque quo impleti fuerint illi mille anni.* αὕτη ἡ ἀνάστασις ἡ πρώτη· *hæc est* RESURRECTIO ILLA PRIOR. *Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima.* Est vere *resurrectio* non *corporalis* sed *mystica* quæ est instauratio collapsi status Ecclesiæ afflictæ ac oppressæ ab hostibus veritatis cum *præjudicio* status æterni & *vindicatione* honoris, laborum, ac meritorum earum personarum quæ tempore persecutionis occubuerant, quarumque caussa visa fuerat deterior. Alludit Propheta, ut putem, ad hæc ipsa verba Jesaiæ, & vaticinatur hoc loco vel de *resurrectione* Ecclesiæ tempore Constantini, vel *Reformationis* Sæc. XVI. quam posteriorem hypothesin suo loco adstruxi. Confer mihi visum notabile de *resurrectione duorum illorum testium veritatis*, tempore Ecclesiæ corruptæ prophetantium, qui postquam necati ob testimonium Jesu in statu mortis fuissent per *tres dies & dimidium*, per *Spiritum vitæ à Deo prodeuntem* resuscitarentur, *starentque erecti pedibus suis*, & deinceps *in cœlum ascenderent* [n]. Significatur publica & honorifica vindicatio Doctrinæ verorum Doctorum, qui se opposuerant invalescenti corruptioni Ecclesiæ.

Adde

Non agitur hic de *Resuscitatione ex morte peccati ad vitam spiritualem.*

An de *Resuscitatione Cadaverum*, vere & proprie dicta?

Judæorum & Christianorum Intt. sententiæ.

Vera hypothesis, intelligi *Resurrectionem figuratam*, sed adimaginem *veræ* expressam.

Stylus Prophetarum *typica* conformantium ad *antitypica.*

Exempla ex Vaticiniis de *Judiciis Dei*, & de *florente* Ecclesiæ *statu.*

Alia propiora ex prophetiis de *Resurrectione* Ecclesiæ.

Exempla ex Mose aliisque Prophetis.

Locus Rom. XI. 15.

Præclarum emblema Ezechielis.

Figura eadem Oratidis Politicis recepta.

Intelligitur hic instauratio Ecclesiæ ex afflictione Syriaca, primo sensu.

Mystice, instauratio gloriosa Ecclesiæ post afflictionem Antichristianam.

Rationes hujus sententiæ.

Collatio hujus ℣. cum ℣. 14.

Prophetia Dan. XII. 2. hanc nostram illustrat, & ex ea illustratur.

Confirmatur mysticum hic usus emblematis ex prophetia Apocalyptica.

Locus Apoc. XX. 4 & seqq. qui illustratur.

Et Cap. XI. 11. de *Resurrectione duorum testium.*

a Cl. Hackspanius *Not. Philol.* in *Varia Script. S.* loca, Part. II. p. 597. b Ps. L. 1. Mal. IV. 1. c Cap. LX. 1. seqq. d Cap. XLVIII. 1. seqq. e Cap. XXI. XXII. f Deut. XXXII. 38. g Rom. XI. 15. h 1 Sam. II. 6. i Cap. VI. 2. k Cap. XXXVII. 1. seqq. l Cap. XX. 4. 5. m ℣. 5. n Apoc. XI. 11.

Insignis locus Hoſ. VI. 1. allegatus & expoſitus.

Adde Hoſeam in luculento vaticinio Cap. VI. 1. 2: *Venite & convertamur ad Jehovam, nam ille laniavit, & ſervavit nos; percuſſit & obligavit nos:* VIVIFICABIT *nos poſt* BIDUUM: DIE TERTIO *reſuſcitabit nos & vivemus coram ipſo.* Primus dies eſt intervallum temporis Reipublicæ uſque ad Exilium Babylonicum; alter à reſtituta Republica uſque ad afflictionem Epiphanicam; tertius inde uſque ad τὴν ἐπιφάνειαν Chriſti Jeſu: ſic arbitror forte non vana conjectura. ex qua hypotheſi ſequitur, *vivificationem poſt biduum* eam ipſam eſſe *liberationem & vindicationem* Eccleſiæ factam temporibus Syriacis, de qua hic loquitur Jeſaias, hoc eſt; *Politicam & Eccleſiaſticam* Reſuſcitationem Reipublicæ & Eccleſiæ Judaicæ. En alium adhuc locum ex Ode LXXXV. ejuſdem argumenti, ubi Eccleſia ſic querula loquitur: *An in æternum iraſceris nobis? protrahes iram tuam in quamque generationem?* הלא אתה תשוב תחיינו *An non tu nos rurſus* VIVIFICABIS, *& Populus tuus te lætabitur?* Idem eſt quod hoc in loco, præterquam quod Ode, ut dixi, ſit ejuſdem argumenti. Et hæc quidem ita ſe habent; nec tamen vitio verto R. Gamalieli, quod in diſputatione cum Sadducæis inſtituta de *Reſurrectione mortuorum* hunc locum inter alia produxerit *A*. Etiamſi enim directe non agat de *Reſurrectione noviſſimi diei:* ſic tamen conſtructa eſt oratio, ut eam ſupponat, & involvat. Spiritus certe nunquam ita locuturus fuiſſe videtur, niſi nos à typica reſurrectione ad veram voluiſſet educere, & ſimul nos docere, Reſurrectionem temporalem, typicam (ſive Politicam ſive Eccleſiaſticam) rem eſſe non magnam ſed exiguam, ſi à vera ac futura mortuorum reſurrectione ſeparetur.

Vivificatio poſt biduum, apud Hoſeam, ipſa illa eſt *Reſuſcitatio* de qua hic loci agitur.

Similis locus ex Pſ. LXXXV. 7.

Judicium de R. Gamaliele, hunc locum allegante pro *Reſurrectione Mortuorum.*

Conſtitutb ſenſu orationis, obſervanda ejus eſt gradatio, Prophetæ noſtro ſolemnis, quæ accuratius definiet ſubjecta, in ea diſtincte commemorata. Prima ſententia eſt: *Mortui* TUI, ô Deus, VIVENT, ſive *reviviſcent.* Omnes quotquot in tua communione & præſertim *tui cauſsâ* mortui aut afflicti ſunt, (*confeſſores & martyres* Religionis veræ omnium temporum,) non peribunt licet periiſſe videantur, ſed *vivent* in tua communione, ac *reviviſcent.* primo quidem in hac terra, ubi juſtitia *cauſſæ* pro qua mortui ſunt, & innocentia illorum; meritaque inſignia, in *ſtatu Eccleſiæ inſtaurato*, purgato, ſanctificato, glorioſo, in lucem protrahentur, laudabuntur, celebrabuntur, cum honeſtiſſima nominum illorum memoria. deinde, in fine temporum; quando illa προανάςασις *Prævivificatio*, in qua latet *Præjudicium Divinum* de illorum ſtatu, ſuum accipiet complementum. Dictum Domini *a*: *Quicunque ſtuduerit animam ſuam ſervare, perdet eam: & quicunque eam perdiderit*, (hoc eſt, opinione vulgi perdidiſſe viſus fuerit,) ζωογονήσει αὐτήν· *eam vivificabit.* ſic Beza. ex uſu vocis חיה, eſt *in vita conſervabit.* vitam ei reddet. Hactenus ſententia generalis eſt. Non *pereunt* aut *perierunt* qui *Dei cauſſa moriuntur*, aut *mortui fuerunt* unquam, *Prophetæ, Sacerdotes*, ſancti, confeſſores, martyres, qui Deum animabus ſuis cariorem habuerunt: ſed *vivunt* in communione Dei; ζῶσι Θεῷ *b*, non *perdiderunt* ſed in *vivis conſervarunt animas ſuas*; *beati ſunt.* quin imo *vivent* ac *reviviſcent*, cum publica nominum & cauſſæ illorum διαιώσει. Addit Chorus: CADAVER MEUM. hæc altera gradatio eſt. Intelligitur *primo ſenſu* Eccleſia imminuta, afflicta, disjecta, diſperſa; qualis erat temporibus Maccabaicis. myſtico ſenſu, Eccleſia *ſextæ periodi*, per graviſſimas perſecutiones à Regibus terræ adverſus eam ſuſcitandas disjicienda, affligenda, opprimenda; eo quidem cum ſucceſſu, ut deſtructo publico Religionis cultu, & clauſo ore Miniſtrorum Evangelii, *deſperata* plane videatur *reſtitutio.* Hæc vis eſt in voce נבלתי *Cadaver*, qua Propheta de hujuſce temporis ſtatu veriſſime utitur. Nihil fingi poterat triſtius ſtatu Eccleſiæ & veræ Religionis tempore ſubverſæ Reipublicæ & profanati Templi ab Antiocho, Syriæ Rege. Potentiores ac ditiores Religionem Patriam deſeruerant, interque eos Sacerdotes ipſi: ſive ex impietate ac profanitate animi; ſive ſpe aut metu ad id inducti. Tenuioris ſortis homines ad extremas Canaanææ oras disjecti, quotquot eorum calamitati ſupererant, abſque *ulla* erant *manu & auxilio*, in ſpelunciis latitantes aut ab hoſtibus obſeſſi, bellorum imperiti, & quod armis ac ſubſidiis deſtituti eſſent, ad ſe defendendos imparati. Publicus Cultus Religionis in Templo aut Proſeuchis per totam Canaanæam ceſſabat; ipſo Templo, loco ſacratiſſimo, conſecrato Diis Græcanicis. Sic res plane deſperata videbatur atque ad extrema venerat; & vita *corporis Eccleſiæ Judaicæ* penitus extincta; abſque ulla ſpe reſurrectionis. quod idem σχῆμα erit illius Eccleſiæ temporis quo τὰ πτώματα *cadavera teſtium veritatis jacebunt in plateis Urbis magnæ quæ ſpiritualiter appellatur Sodoma & Ægyptus c*; quod tempus cadet in finem *periodi ſextæ.* Sed hoc CADAVER revocaretur ad *vitam. ſpiritus vitæ* in illud rediret. Sic factum in Eccleſia Maccabaica, contra humanam exſpectationem omnem. *Revixit* Populus ille qui Eccleſiam efficiebat in Canaanæa, & refloruit. non extincta eſt vita Eccleſiæ. perinde ac factum in Eccleſiis Proteſtantium, quæ omnes fere in variis Regnis & Rebuſpublicis Europæ; poſt ortum ſuum deliquium paſſæ & oppreſſæ præter omnium mortalium cogitationem liberatæ Dei providentia rurſus emerſerunt. quos caſus in Commentatione prophetiæ *Apocalypticæ* de *duobus teſtibus* ex hiſtoria produxi atque illuſtravi. Amplius quid eſt quod Propheta addit: RESURGENT. hæc tertia eſt gradatio in pericopa paucorum verborum. Plus eſt *reſurgere* quam *reviviſcere.* In Apocalypſi eſt *d*: *Duos teſtes reſuſcitatos*, ERECTOS STATUROS ESSE PEDIBUS SUIS. Plane ſic factum in Republica Maccabæorum. Non *revixit* tantum, ſed & *reſurrexit.* Refloruit, emerſitque ad auguſtiorem ſpeciem quam ſe hactenus oſtentaverat. Sic pariter factum in Germania, Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, poſt afflictiones & oppreſſiones notabiles quas Eccleſiæ illorum locorum, Babylonem myſticam egreſſæ, ſuis ſingulæ vicibus expertæ fuerant: ut illo in loco quem modo demonſtrabam, fuſius explicui. Et *jacet* tamen de novo *cadaver* Martyrum veritatis Evangelicæ, in maximo ac florentiſſimo Europæ Regno, triſti aſpectu: ſilent ibi ora confeſſorum. extincta eſt lampas ſanctuarii. oppreſſa veritas à tyrannide: corpora ſanctorum expoſita fuerunt feris & volucribus cœlorum, inter Langedocos maxime ac Cebennates. Et tamen ne ſic quidem periit ſpes ſanctorum. *Reviviſcet*; ajunt, *cadaver meum & reſurget*, etiamſi Deo etiam placiturum ſit in aliis Europæ regionibus, (de quo timide cogitamus & ſcribimus,) hoſtibus veritatis ſimilia permittere. Eccleſia ſtat gratia, potentia, & verbo Dei, quorum vis eſt invicta. Preſſa & oppreſſa eluctabitur: mortua etiam ſi videatur, reſurget.

Triſtis aſpectus Eccleſiæ *diſſolutæ* tempore Antiochi Epiphanis. qui in idea exhibetur.

Similis facies Eccleſiæ ſub finem *Periodi ſextæ*, ubi occiſi fuerint *duo teſtes* veritatis.

Vita hujus *cadaveris* eſt inſtauratio illius Eccleſiæ.

Applicata ad ſubjecta de quibus hic agitur.

Gradatio Orationis Propheticæ.

Prima ſententia: *Mortui tui vivent.*

In hæc verba Paraphraſis.

Tertia gradatio: *Reſurgent.*

Quid plus ſit *reſurgere* quam *reviviſcere*?

Myſtica ſignificatio declaratur ex loco *Apoc.* XI. 11.

Locus Luc. XVII. 33.

Altera ſententia: *Cadaver* MEUM. *Qualis* Eccleſia, diſperſa, disjecta, & reſoluta hic intelligatur?

Hæc prima pars ſententiæ eſt. quæ interrumpitur per *Apoſtrophen*, ei ſubjectam: *Expergeſcimini, & cantate habitatores pulveris!* quæ *Apoſtrophe* ſic legenda eſt, ut cum prima hac ſententia, non cum *ſubſequente* connectatur. Raptus eſt ecſtaticus, quales in omni ſermone Prophetæ noſtri occurrunt; quo pii confeſſores *ſpei* ſuæ *certitudinem* & πληροφορίαν de futura liberatione fortiſſime enunciant. Potuiſſet dicere Chorus: *Vivent mortui* TUI *& expergiſcentur ac cantabunt habitantes in pulvere.* Sed cum forte hæc oratio nimis mollis ac flaccida videretur:

Animadverſio, ad præſentem *ſtatum Eccleſiæ*, reſpectu florentiſſimi Regni Europæ.

Apoſtrophé hic interjecta ad *reſuſcitandos.*

a Luc. XVII. 33. *b* Luc. XX. 38. *c* Apoc. XI. 8. *d* Cap. XI. 11.

A Locus hac de re eſt animadverſu dignus in Gemara *Sanhedrin*, ad famoſum illud Cap. XI. *Chelek* ſive *Kol Iſraël*, in quo ſententiæ Veterum de *ſpe futuri* prolixe diſcutiuntur. Exhibebo locum ex *Excerptis* Cl. Cocceji, § 11. *Rogarunt Sadducæi Rabbanem Gamalielem, undenam probaret; Deum mortuos reſuſcitaturum. Is reſpondit: Ex* LEGE, *& ex* PROPHETIS, *& ex* HAGIOGRAPHIS. ולא קבלו ממנו *At hi non acquieverunt*, (ſic Cl. Coccejus. h. e. non admiſerunt ejus ſententiam. Hackſpanius: *Non præbuerunt ei aſſenſum.*) *Ex* LEGE: (Deut. XXXI. 16.) *Et dixit Dominus Moſi, &c. ..... Ex* PROPHETIS: (Jeſ. XXVI. 19.) *Vivent mortui tui. cadaver meum. reſurgent. &c.* ודילמא כתיב יחזקאל שהחיה *At forte id pertinet ad mortuos quos Ezechiel vivificavit.* Sic ſc. Sadducæi, intelligi hic loci *Reſurrectionem*, non *veram* ſed *figuratam.*

Chorus veluti incapax premendæ lætitiæ, quam in ſpe ſua explicanda perſentiſcebat, vivaque imaginatione affectus, ipſos illos *mortuos in cauſſa Dei* in tranſitu appellat, iiſque hanc ſuam ſpem fortiter imprimit atque inſinuat; veluti illos *præſentes*, dum tempus liberationis ante fores erat, monens, ut *ſepulchra* deſererent, & ad ſalutem Eccleſiæ cum jubilo concelebrandam concurrerent. Jun., Tremell. & Piſcator hæc verba volunt eſſe Dei, & ſententiam ita ſupplent. *Dices, expergeſcimini.* Vel, *Expergeſcimini, inquis.* ſed id plane neceſſarium non eſſe reor. Apoſtrophe nihil habet inſolens; ſed dubitas forte, an homini ſatis conveniat oratio qua *mortuos* jubet vel monet *reſurgere.* Ajo probe convenire, quia ſancti hoc verbum intimantes juſtis, id non agunt ex inſtinctu ſuo, ſed Divino; non loquuntur *ex ſe*, ſed *in Deo*, ſecundum promiſſa & revelationes, in quibus fides ipſorum fundata erat. plane ut Apoſtolus de ſpirituali vivificatione diſſerens, ſecundum verba *Scripturæ* ad Epheſios [a]: Ἔγειραι ὁ καθεύδων καὶ ἀνάςα ἐκ τῶν νεκρῶν· EXCITARE *qui dormis, &* RESURGE *ex mortuis.* Si tamen hic aliquis hæreat; & aliquantulum hic ſecedat à *punctatura* Maſorethica, viderit ſe exiguo ſubſidio liberatum omni dubio. Lege, ſi audes, pro וְקִיצוּ & רַנְּנוּ *Evigilate & cantate*, וְיָקִיצוּ וְיָרֹנּוּ *Expergiſcuntur & cantant qui habitant in pulvere.* Nemo Græcorum Intt. hæc verba accepit in *forma Imperativi:* ſed omnes *Futuri*, ut ex Euſebio Cæſarienſi liquet: & forte non abſurda ſit ſententia, licet non neceſſaria, Prophetam, cum hæc ſcriberet, verba *forma præteriti* legi voluiſſe, quando vel per *præſens*, vel per *futurum: ἐγερθήσονται, ἐυφρανθήσονται*, exponi poteſt. Addo, Paraphraſtam hic pariter non agnoviſſe formam *Imperativi.* Eſt autem in his verbis rurſus gemina emphaſis. Prior occurrit in voce הקיצו *Expergiſcimini*, evigilate. Innuit hæc notio, *mortem* piorum verum eſſe *ſomnum*, h. e. quietem à laboribus cum *ſpe reſurrectionis.* Sic Propheta de iis ipſis, Cap. LVII. 2. ינוחו על משכבותם QUIESCUNT (dormiunt,) *in cubilibus ſuis.* Hoc ſenſu Dominus [b]: Λάζαρος ὁ Φίλος ἡμῶν κεκοίμηται· ἀλλὰ πορεύομαι ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν. Poſterior emphaſis eſt in phraſi שוכני עפר *habitantes in pulvere.* incolæ pulveris. Non eſt dubium quin deſignentur *mortui*, & metaphorice, *afflicti*, oppreſſi. ſecundum Intt. Græcos: Οἱ ἐν τοῖς μνημείοις. De *mortuis* phraſis hæc vel ei affinis fuit uſitatiſſima in Schola ſanctorum [c]. Vates ſacer [d]: *Si malefeci confœderato meo, ...* כבודי לעפר ישכן GLORIAM MEAM (h. e. animam meam) FACIAT HABITARE IN PULVERE. Demittat in orcum. tradat interitui. Tantum obſervabo, quod jam ante me Vir Doctus: illos qui hic appellantur שוכני עפר *incolæ pulveris*, contradiſtingui τοῖς τρυφῶσιν *incolis celſitatis*, quorum facta fuerat mentio ℣. 5. *Illi* (ſc. hoſtes Judæorum) poſiti in ſtatu ſecuritatis, ſublimitatis, gloriæ, & ſummo dignitatis faſtigio, Judæos tanquam ſibi ſubjectos, dejectos de ſtatu, afflictos, mortuos vel morituros, ex alto deſpiciebant. Sed mutaretur conditio. Illi *incolæ celſitatis* deturbarentur de ſtatu, & *Urbs munita* deprimeretur עד עפר *uſque ad pulverem.* contra vero *habitatores pulveris*, ab hoſtibus deſpecti, *reſurgerent* & erigerentur in pedes. Sic factum, & docuit experientia: de quo in ſuperioribus abunde.

Sequitur tertium ſententiæ membrum, quod varios ſuſtinuit Interpretum luſus. etſi tamen Intt. omnium verſiones nos ducant ad cogitandum de *Reſurrectione mortuorum.* Hebræa ſic habent: כי טל אורות טלך וארץ רפאים תפיל *Quia ros olerum eſt* ROS TUUS, *& terra mortuos enitetur.* Senſus ſententiæ eſt, *rorem Divinum* (efficax verbum Divinæ Juſſionis & Benedictionis, ſive SPIRITUM *Dei* VIVIFICANTEM,) eſſe inſtar *roris olerum*, h. e. qui *olera* ex *terra*, vi arcana, *educit* & *progignit*, vel flaccida facit *revireſcere.* ſic plane (rem novam atque paradoxam!) *terram rore* Divinæ Juſſionis ac Benedictionis madefactam veluti fœcundatamque, *mortuos* quos utero ſuo concluſos tenebat, *emittere* atque *eniti*; eandemque illam terram quæ homines abſorbere ac deglutire ſolet, nunc vice verſa (tempore *reſurrectionis*) homines veluti *parere* ac *eniti.* Sententia eſt pulcherrima, quam tamen variæ ejus verſiones & interpretationes obſcurarunt. Alexandrinus Interpres, in Jeſaia noſtro errare ſuetus, ſic verterat: Ἡ γὰρ δρόσος ἡ παρὰ σοῦ ἴαμα αὐτοῖς ἐςιν, ἡ δὲ γῆ τῶν ἀσεβῶν πεσεῖται. quæ Vetus Interpres Latinus ſic ad verbum expreſſerat: *Ros enim qui abs te eſt, ſanitas illis eſt: terra vero impiorum cadet.* Sic Auguſtinus in Libris de *Civitate Dei* e locum legit, ubi in eo eſt ut ex Jeſaia adſtruat *reſurrectionem mortuorum.* Cyrillus ipſe quoque verſioni τῶν ὁ. inſiſtens, eodem modo inſtituit. Quantum ſententia ab Hebræis diſſideat, quiſque videt: & eſt tamen eum in modum concepta, ut ad doctrinam de *reſurrectione mortuorum* applicari queat. Hieronymus ſic emendaverat: *Quia ros luminum ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* In interpretatione vocis רפאים per *gigantes*, ſecutus eſt Aquilam & Symmachum; & in univerſum magna cognatio eſt inter ejus verſionem & eam Paraphraſtæ, quam hic adſcribendam duxi: ארי טל נהור טלך לעבדי אוריתך ורשיעיא די יהבתא לחון גבורא ואנון עבדו על מימרך לגהנום תמסר *Quia ros luminis ros tuus obſervantibus legem tuam*, (Int. *operantibus legem tuam:*) *at impios quibus dediſti potentiam, at qui præcepta tua tranſgreſſi ſunt, trades in Gehennam.* Poteſt *ros luminum* eſſe *ros qui cum luce orta* aut *occidua* cadit; & ſatis notum, vocem אורות ex ſingulari אורת hanc admittere poſſe verſionem; nec tamen dubie præfero verſionem Kimchii, qui אורות vertit per *olera*, *herbas*, (צמחי) quas terra *irrorata* & per *rorem* veluti *vivificata progerminat*, ex loco 2 Reg. IV. 39. Comparatio enim hanc requirit vocem, abſque qua elegantia ejus integra non perſpicitur. Poſterius membrum ipſum quoque ſuſtinet illam verſionem, quam plures Intt. ei aptarunt: *Et in terram projicies gigantes.* ſed verſio nihil concinnum habet. debebat enim dici ſecundum hypotheſin: *In orcum*, ſive *infernum*, *dejicies Gigantes.* Παρερμηνεία inde orta eſt, quod non perſpexerint Intt. veram vim vocis רפאים, *Rephaim*, quam ſibi perſuaſerunt ſemper ſumi in deteriorem partem. præjudicio vere erroneo. Notat vox in univerſum *fato functos*, & potuiſſent id colligere ex ℣. 14. ubi מתים *mortui* & רפאים *fato functi* alternantur. Senſus itaque hic eſt, futurum eſſe ut terra *enitatur*, ejiciat, emittat, *mortuos*, ſecundum interpretationem vocis תפיל de qua vidimus *verſu ſuperiore.* dicitur autem ארץ pro הארץ, ut Aben-Ezra & Kimchius recte monuerunt. Non fefellit Cl. Coccejum hæc ſignificatio vocis תפיל, ejus maxime diligentia & peritia illuſtrata; & vide tamen quam paradoxam hujus loci ipſe procuderit interpretationem. Vertit verba: *Et terram Orcus faciet cadere*, ſive *gignet.* רפאים vult elliptice dici pro ארץ רפאים *terra mortuorum.* h. e. Orcus. Senſus ſecundum ipſum: *Terra mortuorum gignet terram viventium.* h. e. *ex ipſo regno tenebrarum & mortis ſecundæ non tantum prodibunt mortui vivi, qui quidem audiverant Evangelium, ſed nunquam intellexerant; ſed etiam terra non paucis habitata populis, in qua Evangelium prædicabitur cum damnatione errorum & abjuratione ſignaturæ beſtiæ & imaginis ejus.* Quæ vere ejuſmodi ſunt, ſi fas eſt dicere, ut ægre impetrent aſſenſum ob ſubtilitatem quæſitam nimis & affectatam. Mihi poſt ſenſum Prophetæ genuinum detectum nihil ſupereſt, niſi ut eundem paucis illuſtrem.

Primum membrum ſic ſe habere dixi: *Quia ros olerum eſt ros* TUUS. Clavis veræ interpretationis eſt; *relativum* hic referendum eſſe ad DEUM: quod Hebræi & Chriſtiani Intt. paſſim quidem monent, & monent veriſſime. à qua ſententia cum diſceſſerit Cl. Coccejus, in hoc loco non videtur feliciter verſatus eſſe. Quæris quid ſit *ros Dei*? Cognoſces facile ſi ad rem attendas, de qua hoc in loco agitur, per *rorem* Rem intelligi naturæ cœleſtis, per quam à Deo prodeuntem Eccleſia electorum Dei,

An oratio hæc ſit Dei, num Eccleſiæ?

Aſſeritur Eccleſiæ, cui probe convenit.

Obſervatum ad h. l. an verba רננו & הקיצו neceſſario ſumenda ſint *forma Imperativi*?

Emphaſis ſententiæ. Prior in voce *expergiſci.*

Altera in phraſi: *Habitantes in pulvere terræ.*

Intelliguntur *mortui.*

Locus Pſ. VII. 6. expoſitus.

Opponuntur illi h. l. *habitatoribus celſitatis.*

Tertium membrum varii aſpectus: *Ros Olerum ros tuus.*

Sententia elegans proleptice expoſita.

Veteres Intt. hujus loci Græci & Latini.

Hieronymi: cujus verſionis ratio redditur.

Et Paraphraſtæ.

Vox אורות hic rectè vertitur per *olera.*

Animadverſio ad verba. Vett. Intt.: *Et in terram projicies Gigantes.*

Vox רפאים male accepta.

Senſus ſententiæ rectior & huic loco congruentior. *Terra* ejiceret, & veluti *enitteretur, mortuos.*

Cl. Coccejj interpretatio hujus loci, & de ea judicium.

In phraſi: *Ros Olerum ros* TUUS: relativum referendum eſt ad *Deum.*

Ros Dei quid ſit h. l.

Intelligitur proprie & vere *Spiritus*

[a] Eph. v. 14. [b] Joh. XI. 11. Confer Marc. V. 39. [c] Job. XXI. 26. Pſ. XXII. 30. Dan. XII. 2. [d] Pſ. VII. 6. [e] Lib. XX. Cap. XXI.

Dei, sive typice ac figurate sive vere, *vivificatur, resuscitatur*, revirescit. quam Dei *Virtutem* ὑποστατικὴν Scriptura S. vocat SPIRITUM DEI. Sic Dominus apud Joannem *a*: Τὸ πνεῦμά ἐςι τὸ ζωοποιῶν· SPIRITUS *est qui* VIVIFICAT. quocunque tandem sensu intellexeris. Apostolus ad Romanos *b*: *Qui resuscitavit Christum ex mortuis* ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν· VIVIFICABIT *etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem in vobis* SPIRITUM. Ezechiël de reditu Populi ex exilio Babylonico *c*: *Et cognoscetis, me esse Jehovam, cum aperuerim sepulchreta vestra, & cum vos populum meum ex sepulchris vestris eduxerim: & dabo* SPIRITUM MEUM *in medio vestrum*, וחייתם *&* VIVETIS. Quid ajo? Hic ipse *Spiritus est* qui *vivificat & resuscitat* totam naturam rerum, secundum illud Vatis Sacri *d*: *Si emittas* רוחך SPIRITUM TUUM, *recreantur.* Et est tamen *Spiritus Divini* propior ad Ecclesiam respectus. Atqui ille *Spiritus* ζωοποιῶν *vivificans* comparatur *rori*, & quidem *rori olerum*, eaque de causa appellatur ROS DEI. Quam est concinna & ad rem accommodata comparatio? quam hoc ὅμοιον vix ulla parte ἀνόμοιον? Considera attributa *roris olerum*, & ipse ea ad rem præsentem applica. Sunt autem, α. Esse rem cœlestem. β. E superioribus in inferiora descendentem. γ. Quæ *vitam dat* herbis ac *oleribus*, sub terra delitescentibus, eaque E TERRA EDUCIT. Kimchius: מחיה הירקות ומצמיחם *vivificat olera eaque progerminare facit.* δ. Cadit universim ac dense. ε. Ea in quæ cadit, *obtegit.* ζ. Licet res una videatur, diffusa tamen est in varias guttulas. η. Videtur conjuncta esse cum *luce* quod ros omnis lucidi sit aspectus. θ. In ima terræ *alte* penetrat. ι. *Vivificat* & refocillat terram modo *insensili* ac veluti *spirituali*, absque læsione & incommodo. Nec est emblema in sacris ignotum aut inusitatum. Equidem non ausim illuc reducere locum Ps. cx. 3. מרחם משחר לך טל ילדותך *Ex* UTERO AURORÆ *tibi est* ROS *juventutis tuæ.* vel. *Pra rore uteri auroræ tibi est ros juventutis tuæ.* Videtur enim per *rorem* hoc in loco intelligi multitudo veluti innumera τῶν παιδίων *puerorum* & *Juvenum spiritualium* (hic comparata *rori* ob innumeram quibus constat, *guttularum* copiam,) qui *in aurora lucis gratiæ* Christo Jesu *gignerentur* ex fœcunda & fœcundante benedictione Divina quæ illam auroram lucis gratiæ comitaretur; vel ex ipso *Verbo Evangelii*, aut *Præconibus ejus* Apostolis, Evangelistis, qui scite assimilari possunt *utero auroræ*, secundum Paulinam phrasin *e*: *Filioli mei*, οὓς πάλιν ὠδίνω, QUOS *iterum* PARTURIO. Sed pertinet illuc vere locus Ps. cxxxiii. 3. ubi *Spiritus* Dei gratia & benedictione sua præsens *sedentibus una* coram Jehova; (se exercentibus meditatione & investigatione Legis Dei:) comparatur *oleo* effuso in caput Aaronis, & *rori* qui cadit in montes *Hermonis* & *Tsionis*. Quid pressius dicto Domini apud Hoseam *f*: *Ero Israëli* כטל INSTAR RORIS: *florebit ut lilium, & radices suas emittet instar Libani.* Dominus se præstat *rorem* Populo suo quem sanctificat, vivificat, excitat, per Spiritum suum. ejus enim sunt omnia effecta gratiæ, quæ internum Ecclesiæ aut credentium statum spectant, ex dicto Domini apud Zachariam *g*: *Non robore aut vi, sed* PER SPIRITUM MEUM, *ait Jehova Exercituum Dominus.* Inde Prophetarum, actorum à Spiritu Dei, *dicta* pariter comparantur *rori*: ut exemplum est apud Mosen *h*. Sic ubi de Messia dicitur *i*: *Descendet tanquam pluvia in desertum gramen; tanquam* PLUVIA DENSA *quæ irrigat terram:* quis hic non subintelligat *Spiritum S.* Oeconomiam Messiæ fœcundaturum? Addo, Veteres Hebræos huc pariter retulisse, & eum loco nostro comparasse verba quæ extant in hac Ode, ℣. 16. *Et* EFFLORESCENT *ex* URBE *tanquam* GRAMEN TERRÆ. de quo videri possunt *Excerpta Gemaræ* Sanhedrin *k*. *A* Certe si hic directe non agatur de *resurrectione* extrema: agitur de *resurrectione* spirituali florentis temporis Regni Messiæ, ei proxima *A*. In altero membro observari velim tum similitudinis elegantiam, tum emphasin vocis הפיל *ejicere, cadere facere*, qua Propheta hic utitur. *Terra* quæ *mortuos* in *visceribus* suis occultat, suo tempore secundum Verbum Domini resuscitandos, an non est similis matri, fœtum certo tempore secundum Leges Naturæ erupturum, suo claudenti utero & ibidem occultanti? Quæ ubi *fato functos* ad certum tempus viscеribus suis clausos, Verbo Dei evocatos, emittit: an non idem est ac si instar *matris mortuos* illos *pareret?* Et hæc quidem clara & luculenta sunt, neminis facile prætervolatura animadversionem qui oculos huc intenderit. Sed emphasis vocis הפיל *cadere facere* aliquam requirit νόησιν. Significat hoc loco quid quod *amplius tenere* nequeas, *vi* quadam *ejicere*, ut te eo liberes: perinde ac gravida, ubi tempus partus adest, se omni modo fœtu suo nititur exonerare, ac liberare; & dum id agit, fœtum illum vi *emittit* ac *ejicit.* quem enim fœtum usque ad tempus partus libenter utero tenuerat, nutrierat, foverat: nunc ferre amplius & nutrire gravatur, atque adeo tanquam quid non amplius *suum*, vi ejicit. quod multo magis locum obtinet in *abortu*, de quo vox Magistris usurpatur: etsi ea animadversione hic non indigeamus. Illustranda est vis phrasios ex oratione Petri, de *resurrectione* Domini differentis *l*: *Quem Deus resuscitavit*, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, *solutis* DOLORIBUS *mortis*, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ· *quia* FIERI NON POTERAT UT IPSE AB EA RETINERETUR. sc. erant invictæ rationes, quæ urgebant resurrectionem Christi Jesu ex mortuis: ut proinde *terra* & *terræ viscera*, quæ faciunt *Regionem Mortis*, non magis *tenere* possent cadaver Christi Jesu, quam prægnans fœmina partum, qui secundum naturæ legem erumpere nititur; ut eum potius *ejiciat* quam *emittat*. Sic plane necessum erat, ut Ecclesia juxta *prædicta* & *promissa* Divina *redderet mortuos Dei* sibi commissos, ubi justum tempus aderat. Ea enim vis est prædictorum & promissorum Divinorum, ut effectum ad conditum tempus necessario sistant. Viden' jam, quam vere & commode sententia Prophetæ, in hunc modum exposita, cohæreat cum superiore per voculam כי *quia, quoniam. Mortui tui*, ajunt; *Domine, vivent, resurgent.* etiam *cadaver meum*, re, ut videbatur, jam desperata. *expergiscuntur & cantant qui habitant in pulvere*, QUIA *ros tuus est ros olerum.* verbum & vis tui Spiritus est vis *vivificans* & *educens* è viscеribus terræ; & terræ est instar matris mortuos sibi ad certum tempus commissos edere. Nihil clarius & simplicius.

De *Implemento* prophetiæ satis dixi in interpretatione prioris partis hujus pericopæ. Primum cadit in tempora Maccabaica, ut ex *analogis locis* demonstravi. Luculenta promissa de *Benedictione* & *Multiplicatione* Judææ Gentis *supra Patres*, à Mose & Prophetis edita, & totiens obsignata, tandem consequi debebant suum implementum, & *causa* veræ Religionis, ab hostibus oppressæ, secundum rationes Divinæ veritatis & justitiæ indigebat publica *justificatione*, cum Liberatione Ecclesiæ & adversariorum ultione. Cui primo prophetiæ implemento analogum est *alterum* in Ecclesia Novi Testamenti, mysticam Babylonem egressa, ab hostibus veritatis ad eundem modum affligenda atque opprimenda, sed tandem justo tempore à Deo definito glorioſe *vindicanda*, cum *resur-*

Dei vivificans. Loca S. Scripturæ huc facientia.

Quare *Ros olerum?*

Attributa, ad quæ in hac comparatione respicitur.

Usus hujus metaphoræ in aliis locis. Ut in Ps. cx. 3.

Sensus loci.

Locus Ps. cxxxiii. 3. huc adductus & expositus.

Item Hos. xiv. 6. *Spiritus* Dei *vivificans* est *Ros cœlestis.*

Ut & doctrinæ ac institutiones ab ipso profectæ.

Meditatio Veterum de loco Ps.

LXXII. 6 & ℣. 16.

Emphasis vocis הפיל in *altero membro.*

Terra mortuos ejiciens parienti similis.

Notat h. l. quid *vi ejicere.*

Vis vocis ex oratione Petri, Act. II. 24. illustrata.

Promissa & prædicta Divina necessario præstant *effectum* ad tempus conditum.

De Implemento prophetiæ pauca adjiciuntur secundum hypothesin, superius jactam.

---

a Cap. VI. 63. *b* Cap. VIII. 11. *c* Ezech. XXXVII. 12. 13. *d* Ps. CIV. 30. *e* Gal. IV. 19. *f* Cap. XIV. 6. *g* Cap. IV. 6. *h* Deut. XXXII. 2. *i* Ps. LXXII. 6. *k* Apud Cl. Coccejum ad Cap. XI. §. IV. *l* Act. II. 24.

A Sic exhibet Cl. Coccejus: *Cleopatra Regina interrogavit R. Meir his verbis: Equidem novi mortuos revicturos, quia scriptum est:* (Ps. LXXII. 16.) ET EFFLORESCENT EX CIVITATE SICUT GRAMEN TERRÆ: *verum cum resurgent, nudine an amicti vestibus suis resurgent?* אמר לה קל וחמר מחיטה ומה חיטה שנקברה ערומה יוצאה בכמה לבושין צדיקין שנקברין בלבושיהן על אחת כמה וכמה *Cui ille: Licet hoc æstimare ex* TRITICO, *quod cum humetur nudum, tot vestibus involutum prodit: quanto magis pii qui cum vestibus suis sepulti sunt?* Comparatio proxime ad hanc nostram accedit: utique eadem est quam Dominus adhibet de sua loquens *resurrectione*, Joh. XII. 24. *Amen, amen, dico vobis: Nisi* GRANUM FRUMENTI *ceciderit in terram & mortuum fuerit, ipsum solum manet: si vero mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Et Apost. I Cor. XV. 37. *Et quod seris, non corpus oriturum seris, sed* NUDUM GRANUM, *si casus tulerit,* TRITICI, *aut alicujus ex reliquis* seminibus.

Loca Apoc. x. 11. 12. xx. 4. 5.

resurrectione mystica martyrum & confessorum: quem eventum *Apocalypsis* vocat τὴν ἀνάστασιν τὴν πρώτην· RESURRECTIONEM PRIMAM. de qua legenda & cum hac prophetia conferenda sunt quæ scripsi ad Cap. XI. 11. 12. seqq. & XX. 4. 5. quæ prophetia ad hoc emblema nostrum expressa est. Omnia hic sunt similia. Quæ *resurrectio*, ut omnis Ecclesiæ mystica alia, complementum tandem suum consequetur in *Vivificatione* corporum credentium noviſſimi diei, qui fata sæculorum claudet, omne opus Dei in his terris consummaturi. quæ est ἡ δευτέρα ἀνάστασις· SECUNDA RESURRECTIO, à Joanne descripta, Cap. XX. 11. 12. à qua phrases mysticæ omnium Resurrectionum typicarum desumptæ sunt.

EPILOGUS Prophetæ.

Epilogus Prophetæ.

℣. 20. *Vade Populе mi, intra in penetralia tua, & claude ostia tua post te: latita* PAULULUM AD MOMENTUM, *donec transeat* EXCANDESCENTIA. ℣. 21. *Quia ecce Jehova egreditur* EX LOCO SUO *ad visitandam iniquitatem incolarum terræ quæ iis incumbit: & discooperiet terra* SANGUINES SUOS, *& non teget amplius* JUGULATOS SUOS] Huc usque Confessio Chori, variis gradationibus absoluta, quibus *spem suam* in initiis liberationis de ejus complemento ubertim declaraverat. Cui *Actui* piorum, inter varias *Personas* diviso, Propheta suum subjicit *Epilogum*, quo ipse, *nomine Dei loquens*, spem piorum Confessione declaratam atque expositam, confirmat atque obsignat. Monet pios, exorta tempestate terribilis Persecutionis, à Deo Ecclesiæ purgandæ & probandæ decreta, se *recondere*, & per *breve* tempus patienter *præstolari* implementum promissæ Liberationis: quippe certo eventurum esset, ut Deus furorem hostium compescеret, retunderet, & severa prosequeretur ultione: *sanguine martyrum & confessorum veritatis*, quem terra *obtexisse* videbatur, retecto vindicatoque: contra vero Populum suum vindicaret, liberaret, & omnigena benedictione auctiorem faceret. qui sensus neminem hæc verba legentem fugit. Duo tantum mihi hic agenda sunt. primo emphasis orationis & emblematum sensus est detegendus. deinde, demonstrandum est tempus huic pericopæ conveniens in historia.

Argumentum ejus.

Ordo tractationis.

Analysis hujus Pericopæ.

Quod ad prius attinet: Epilogus hic Prophetæ complectitur *Monitum* ejus, editum amice specie *Consilii*, directum ad Ecclesiam hujus de quo loquitur, temporis, ℣. 20. & Moniti *rationem*, ℣. 21. *Admonitio*, ut à Propheta concepta est, non difficilem habet interpretationem, si verba spectes. Monetur Populus, sæviente tempestate, *ingredi in conclavia sua*, ibique *latitare ad momentum, usque quo transierit* EXCANDESCENTIA. In quibus nihil fere est quod Hebræa legentem moretur. Differentia est scriptionis in voce דלתך, quam Masorethæ præcipiunt legi דלתך *Ostium tuum*, sive, ut Coccejus, *forem tuam*. sed quæ differitas lectionis & scriptionis vocis, ejus *punctatura* nixa, quod ad verum loci sensum, exigui vel nullius est momenti. Nihil est in lectione *textuali*, quod nos eam deserere cogat. Tantum observetur, inter דלת & פתח hanc intercedere notationis diversitatem, quod *hæc* proprie notet ipsum *ostium*, sive *aperturam* per quam aditus vel exitus est in ædibus: *illa* ipsam *januam*, quæ dicitur, sive *fores*. Quod autem dicitur, *claude ostium* בעדך recte vertitur, *post te*, ut ex similibus exemplis patet *a*. Idem Hebraice dici potest אחריך, ut patet ex Gen. XIX. 6. Phrasin, כמעט רגע verti, *ad exiguum momentum*. quod populariter accipi velim, non physice. *Momentum* enim cum significet temporis moram omnium minimam qualis est *ictus oculi*: non recte dici videtur ad *exiguum momentum*, vel saltem quid *redundans*. Sed Hebræa dictio sic sonat, quia רגע ipsis simpliciter notat *exiguam temporis moram*: sed quæ tamen, cum extenta sit, aliquam semper censetur involvere latitudinem. Verti alias potest per modum gradationis; *parum*, *ad momentum*. Vox enim מעט cum כ *præfixa* sumitur usu Scripturæ pro *parum*, *exiguum*. sed idem est. Occurrit integra, ut hoc loco, in oratione Ezræ, Cap. IX. 8. *Et nunc* כמעט רגע *quasi* MOMENTO EXIGUO *gratia facta est à Jehova, Deo nostro.* Quid? Ipsa phrasis, רגע קטן *momentum exiguum* extat apud Prophetam nostrum *b*. Græcus Interpres, quem sæpius laudasse velim, quam hic eleganter & ad rem? Ἀποκρύβηθι μικρὸν ὅσον ὅσον· *absconde paululum quantulumcunque.* Sic quod apud Haggæum *c*: עוד אחת מעט *Adhuc unum, pusillum illud est.* Scriptor ad Hebræos *d*: Ἔτι γὰρ μικρὸν, ὅσον, ὅσον· Hesychius: Ὅσον, ὀλίγον. Mox. Ὅσον, ὅσον δὲ, ὀλίγον ὀλίγον. Idem plane est quod Propheta noster, Cap. X. 25. מעט מזער *parum, pusillum.* Sed illud recte expediendum est, quod subjicitur: עד יעבר זעם *Usque quo transierit* EXCANDESCENTIA. Sic recte verto vocem זעם quæ plane respondet Græcæ θυμὸς, notatque proprie *iram ebullientem*, cum *sanguinis effervescentia* conjunctam; sive *iræ severitatem:* quod ex comparatione locorum, in quibus usus est vocis, facile colligas. Solummodo quæritur, qualis hæc sit, & cujus subjecti excandescentia? An *hominum*, num potius *Dei?* Et si *Dei*, an in *hostes*, num in *Populum* ejus? Ut compendifaciam disputationem, ajo, esse *excandescentiam Dei* Populum suum vitiis ac hypocrisi corruptum, castigantis, probantis, purgantis. Non inde modo peto rationem, quod vox זעם passim de Deo *Populum*, aut *Populi sui hostes*, puniente usurpetur *e*: & quod calamitas, in initio hujus prophetiæ descripta, ad Deum referatur ut ad Judicem ac Vindicem hypocrisios ac scelerum: verum etiam quod analogia, quæ intercedit inter hanc prophetiam & eam Danielis, id evincat. Sic Cap. VIII. 19. Gabriël ad Prophetam: *Ecce ego notum tibi facio id quod futurum est* באחרית הזעם *in extremo temporis* SEVERITATIS, (excandescentiæ,) *quia finis erit statuto tempore.* Tempus זעם *severitatis* hic in genere, in summa sua amplitudine, intelligitur omne tempus quo Deus Populum suum ab exteris Principibus sinebat premi ac affligi, cujus *extremum* faceret afflictio Syriaca hic descripta, quæ tandem ex Decreto Divino suum quoque haberet *finem* ac *terminum.* Rursus Cap. XI. 36. de eodem Antiocho: *Et faciet secundum voluntatem suam Rex ille, & exaltabit se, & evehet se supra omnem Deum, & contra Deum Deorum loquetur mirabilia, & prospere aget* עד כלה זעם *usque quo consummata fuerit* SEVERITAS, *quia præcisum factum est.* Utique hæc *severitas* non est Antiochi in Populum Dei sævientis, quia ea secundum ejus consilia *terminum* suum consequuta non est, quo finiri debebat ex Decreto Divino. Minus hic intelligitur *severitas* Dei exequenda in Antiochum ipsum, quia ille usque ad *finem* temporis severitatis *prospere agere* debebat. Ergo est *afflictio* Populo Dei ad certum statutumque tempus decreta, spectanda ut effectus rigoris & severitatis, qua Deus erga Populum suum uteretur. Conferantur quæ de hoc argumento scripsi ad Prophetam nostrum Cap. X. 25. Interim non nego, duo priora hic concurrisse. Antiochus ipse *furibundus* sæviit adversus Populum Dei instar Assyrii Senacheribi, qui ejus typum gessit, & fuit *virga iræ* ac *indignationis* Divinæ in hypocritas sui temporis, atque inde apud eundem Prophetam Danielem Cap. XI. 30. vox זעם de ipso quoque in Populum Dei *furente* usurpatur: ועם על בריתּ קדש *Et* EXCANDESCET *adversus fœdus sanctum, & perficiet.* Ita est, sed *furor* hic Antiochi erat effectus Decreti severitatis & rigoris, quo Deus hoc tempore in Populum suum uti decreverat: ut jam monui. Sensus itaque perfectus & integer dicti Prophetæ est, intrandum esse Populo Dei in *Conclavia, obseratis foribus*, usque quo *transierit* sive *desævierit tempestas*, adversus eum concitanda ab hostibus furibundis, ex Decreto Divinæ in hypocritas *severitatis.* Inde enim desumpta est metaphora. Sæviente tempestate, aut subitario aliquo ingruentis calamitatis publicæ, veluti seditionis aut irruptionis hostilis, casu, prudens quisque consulit securitati suæ; continet se domi, occludit & obserat fores, & exspe-

Vox בעדך quid sonet?

Phrasis, כמעט רגע expositа, & cum analogis comparata.

Verba: עד *que quo transierit excandescentia.*

Significatio vocis זעם.

Intelligitur *excandescentia Dei.*

Locus Dan. VIII. 19. cum hoc collatus.

Est καιρὸς ἐσχατος afflictionis Epiphanicæ.

Locus Danielis expositus.

Latior significatio vocis hic non excluditur.

Significatio vocum דלת & פתח.

Diversitas lectionis vocis דלתך.

Senſus dicti Prophetæ.

a Gen. VII. 16. 2 Reg. IV. 5. *b* Confer ex Propheta nostro Cap. X. 25. LIV. 7. *c* Hag. II. 6. *d* Cap. X. 37. *e* Jos. X. 5. 25. XIII. 5. Nah. I. 6.

exſpectat patienter ſerenitatem cœli, aut ſedatos primi furoris motus; idque idem Propheta Populum Dei hic imitari monet.

Emblematis ſenſus ſpiritualis inveſtigatur.

Quæritur, quid ſibi velit, aut quorſum ſpectet emblema? Certe plures hic hæſerunt; ſed faciam, Deo volente, ut emblematis pulcherrimi genuinus ſenſus clarius explicetur, quam forte factum ab aliis, qui in genere mentem Vatis perſpexerunt. Grotius, prophetiam referens ad tempus Senacheribi, his verbis Judæos moneri vult, *ut ſe tenerent omnes intra Urbem*, ſc. Hieroſolymam, *& portas clauſas tenerent, donec Aſſyrii furor omnes impetus ſuos effuderit.* Didicit, licet non laudaverit auctorem, à R. Moſe Haccohen. Aben-Ezra: לך עמי בחדריך עד רעת רבי משרת הכהן שסגרו בירושלם מפני סנחריב *Intra populo mi in conclavia tua*] *Secundum ſententiam R. Moſis Haccohen, ut ſe clauſos tenerent Hieroſolymæ propter Senacheribum.* Qui ita cogitant & ſcribunt, ſatis produnt quam tenuiter ſentiant de ſapientia Vatis, & quam parum ſe exercuerint in ſpiritualibus. Alii Interpretes ſibi certo perſuadentes, agi in hac Pericopa de *Reſurrectione Mortuorum* extrema: per *cubicula* intelligunt, ſive *ſepulchra* in quibus corpora deponuntur, ut Hieronymus & poſt ipſum plures; ſive *manſiones animarum à corporibus ſeparatarum*, ut Liranus; alii *manſiones cœleſtes* deſtinatas reſuſcitatis *A*, quos cum forte Propheta in Viſo ſibi præſentes haberet, *ſecedere* ac *procul ſeſe occultare* moneat, *ne ſint impiorum perniciei ſpectatores.* Sic ludit Euſebius: certe infeliciter. Sententia de *ſepulchris* inter Interpretes recentioris ævi plures adhuc nacta eſt Patronos; nec *ſenſum* myſticum de *manſionibus* juſtorum poſt fata, ſive de *regione*, piis animabus deſtinata, reſpuit Brenius, in *literali* favens Grotio. Ex ſenſu meo de *ſepulchris* hic plane non eſt cogitandum, cum illud alienum ſit à ſignificatione notionis חדרים, quæ proprie valet *interiora adium penetralia*; & quod hic additur de *claudendo* poſt ſe *oſtio*, huic interpretationi non convenit. Rectius longe ſe habet ſententia, quæ per חדרים ταμεῖα hic intelligit *manſiones* animabus in ſtatu ſeparationis à corpore deſtinatas, nec in *myſtico ſenſu* eam omnino excludere velim; licet ab altera quoque parte myſticum ſenſum hic non valde urgeam. Verba enim Prophetæ vere & proprie commendant Eccleſiæ *officium* aliquod quod ſupponit eſſe in ejus poteſtate: ſed *ingreſſus* animarum in locum & ſtatum ſibi à Deo deſtinatum poſtquam ſolutæ fuerint à corpore, reſpectu Populi Dei hic eſt merum πάθημα. animæ ſe hic *paſſive* habent, non *active*. *oſtium* hic à Deo, non ab ipſis claditur; hoc eſt, ſecuritas illius ſtatus à Deo, non ab ipſis pendet. Chaldæus aliter accepit emblema, & propius aliquanto ad rem accedit. Sic ille hæc verba παραφράζει: *Vade Populi mi,* עביד לך עמיכין מטן דינגון עלך בערן עקא FAC OPERA BONA, *quæ te protegant tempore tribulationis.* Alii ex Interpretibus recentioribus penitius adhuc introſpicientes ſenſum Prophetæ, viderunt commendari hic Eccleſiæ officium, ut pii tempore afflictionis & ſævientis tempeſtatis ſe contineant in ſtatu quietis ac ſilentii; non murmurent adverſus vias Dei, nec curioſe nimis inquirant in rationes ejus providentiæ, ſed *fiducia* in ipſo poſita, *patienter* exſpectent liberationem à Deo promiſſam, (quod eſt phraſi Domini apud Lucam *a*, *animas ſuas poſſidere ἐν ὑπομονῇ cum patientia:*) & interea ſe exerceant *precibus* & operibus *pietatis*, præſenti tempori congruentibus. Equidem pleraque horum non adferuntur præter rationem, aut ſenſum Prophetæ. Eſt enim vere *ingredi in conclavia interiora* hic loci ſe committere *exercitiis pietatis interioris*; *clauſo oſtio*, hoc eſt, ſecluſis *affectibus carnalibus*, ea interiora pietatis exercitia turbaturis. *Penetrale* ſive *Penetralia* hic ſignificant *interiora conclavia mentis*; cujus variæ *facultates* ſuſtinent figuram *conclavium:* ut mens ipſa ſtylo Scripturæ comparatur *Domui.* *Intimum* autem *conclave mentis* eſt *intellectus* purus, ſpiritualis, inſtructus notitia Dei & rerum ſpiritualium atque officiorum quæ homini aut Eccleſiæ in ſtatu ſpirituali obſervanda incumbunt. Id enim ſummum eſt in homine: hæc ſuprema facultas & intima; ſecretum hominis, ejuſque Sanctuarium. Homo autem ſanctus & pius *ingredi* dicitur in hoc *penetrale*, *clauſo oſtio*, ubi *ſecluſis* ratiociniis, affectibus, curis ac ſolicitudinibus carnalibus, ſe totum tradit *exercitationi ſpirituali*, ſecundum eas inſtitutæ notiones quas intellectus purus & ſpiritualis ei ſuggerit: ad quam exercitationem pertinet, meditari Deum ejuſque glorioſa attributa; revelationem Patribus factam, *Scripturis ſanctis* comprehenſam, ejusque Revelationis, & veræ Religionis certitudinem; promiſſa Eccleſiæ data; miracula in bonum & uſum Eccleſiæ antiquis temporibus edita; viarum Dei juſtitiam, æquitatem, bonitatem; officium denique ſuum erga Deum, quod intelligit eſſe officium *fidei*, *ſpei*, *patientiæ* in adverſis, *certæ exſpectationis* liberationis cum tranquillitate animi ac precibus in fide ac ſpe fuſis conjunctæ, & humillimæ ac ſubmiſſæ *reverentiæ* erga Deum omnemque ordinem ac rationem providentiæ ejus. Ergo committere ſe *interioribus exercitiis* ſpiritus illuminati & ſanctificati, quæ ſunt meditationis Verbi Divini, ſanctæ & prudentis contemplationis viarum ejus, ſani rectique judicii de juſtitia ejus in remunerandis piis & puniendis impiis ubi ſcelera illorum ad ſummum pervenerunt; precum denique, in fide, ſpe, ac fiducia puro corde fuſarum, eſt, ſtylo Spiritus S. *intrare in intima penetralia.* Secludere ratiocinia carnalia de viis Dei & ordine providentiæ in probandis piis & ferendis ad tempus impiis Eccleſiæ perſecutoribus, quæ ratiocinia ducunt ad incredulitatem & abnegationem Dei aut deſperationem, & pariter excludere curas & ſolicitudines carnales & reſpectus utilitatum temporalium, eſt phraſi Prophetæ noſtri *occludere oſtium*, & *intus latitare*, uſque quo tranſierit tempeſtas, & Eccleſiæ occaſio naſcatur Religionem ſuam non tantum publice & libere profitendi, ſed & fidem ac ſpem Religionis ſuæ ex *externis* & *ſenſualibus argumentis* Divinæ erga Eccleſiam ſuam providentiæ & favoris adſtruendi ac confirmandi. Confer mihi hic Pſalmum LXXVII. 11. 12. ſeqq. Analogum phraſios, ut à me expoſita eſt, habes in Pſ. LXXIII. 17. ubi Vir Sanctus, meditatus proſperam impiorum & adverſam piorum ſortem (tempore afflictionis publicæ,) ſe id aſſequutum non eſſe ait, uſque quo *ingrederetur* במקדש אל *in* SANCTUARIUM DEI, *& conſideraret* EXTREMUM *illorum.* Idem eſt quod in hoc loco. *Ingredi in Sanctuarium Dei* eſt illuminata mente, ſepoſitis & excluſis ratiociniis & affectibus carnalibus, prudenter contemplari vias Dei, earumque nexum & ordinem cum reſpectu ad ejus attributa, & quæ Scriptura Sacra & Experientia de Exitu piorum & impiorum teſtantur, in fide conſiderare. Pariter Pſ. LXIII. 3. *Vere contemplatus ſum te* בקדש *in* SANCTO, *videndo robur tuum & gloriam tuam.* Eadem res eſt; nec habeo quod dictis addam.

Ratio *Conſilii* ſive *admonitionis* ſubjungitur ℣. 21. *quia ecce Jehova egreditur ex* LOCO SUO, & ſeqq. eſtque ſenſus ejus manifeſtus. Monentur pii vacare exercitationi interiori fidei ſpeique ſuæ cum patientia ac fiducia, uſque quo deſævierit tempeſtas, *quia* utique certo eventurum erat, ut Deus, impleta menſura temporis longanimitatis ac juſtitiæ ſuæ, prodiret in publicum ad ulciſcendam injuriam honori ſuo Populoque ſuo illatam, & inprimis vindicaret innocuum ſanguinem confeſſorum veritatis adverſus commune Jus Naturæ & Gentium jugulatorum ſcelerate effuſum. Nemo hic hæret. tantum paucula, quæ ad emphaſin orationis illuſtrandam ſpectant, hic obſervabo. Primum eſt quod Deus dicatur *egreſſurus eſſe* ממקומו E LOCO SUO. Obſervarunt jam Inter-

Per *conclavia* intelliguntur *ſepulchra* vel *manſiones cœleſtes.*

Per *conclavia* interiora hic non ſunt intelligenda *ſepulchra.*

Neque etiam *directe*, *Manſiones animarum cœleſtes.*

Ejus ſententiæ rationes.

Chaldæi Int. meditatio.

Aliorum quæ propius ad rem accedit, *commendari Eccleſiæ officium ſilentii & patientiæ.*

Penitior aſpectus hujus emblematis. *Interius conclave* eſt intellectus hominis purus, illuminatus, ſanctificatus,

Aliorum, qui hic agi putant de *Judicio extremo.*

Sententia Grotii, qui id applicat ad tempora Senacheribi, ut Judæi ſe continerent *intra Urbem*, ut & R. Moſis Haccohen.

cum *puro* in Deum *affectu* conjunctus.

Hoc *conclave* ingredi, eſt ſe committere *exercitiis interioribus pietatis*, quæ deſcribuntur.

Quod rurſus declaratur.

Quid hic ſit *occludere oſtium poſt ſe & latitare?*

Analogus locus ex Pſ. LXXIII. 17.

Et Pſ. LXIII. 3.

Ratio Conſilii, quia Deus *egredietur* de *Loco ſuo*, ℣. 21.

a Cap. XXI. 19.

A Sententia de *manſionibus* animarum piorum hominum vetus eſt, & jam occurrit in Epiſt. Clementis ad *Corinth.* §. LI. Ἀλλ' οἱ ἐν ἀγάπῃ πληρωθέντες, κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν ἔχουσιν χῶραν ἐυσεβῶν, οἱ φανερωθήσονται ἐν τῇ ἐπισκοπῇ τῆ βασιλείας τοῦ Χριστοῦ μέγιστον ἦθ. Εἰσέλθετε εἰς τὰ ταμεῖα, κ. τ. ε. eſtque pro eadem hac ſententia manifeſtus auctor Apocryphus Lib. IV. Ezræ, Cap. IV. 35. cujus diſſertationis pars magna ex hoc loco ſecundum antiquam ejus interpretationem deſumpta eſt.

Per LOCUM DEI intelligitur hic *Cœlum supremum.*

Interpretes, intelligi COELUM SUPREMUM, collato loco Mich. I. 2. & Pſ. CXV. 3. quod ipſum hic probo & amplector. Tantum adſcribam pro hac ſignificatione unum alterumve locum, obſervatu dignum. Ezechielis verba ſunt [a], inferentis Chorum Angelorum, Deo acclamantium: *Benedicta ſit gloria Jehovæ è* LOCO SUO. Intelligitur *Cœlum* ſupremum, (*habitatio Dei* Vati noſtro Cap. XVIII. 4.) cum Deus jam ſupponeretur deſeruiſſe Sanctuarium Templi Hieroſolymitani. Extat Maimonidis ad myſticam ſignificationem vocis מקום LOCUS in hoc dicto ſubtilis digreſſio, metaphyſica magis quam γραμματική, quæ apud ipſum videri poteſt in Libro erudito *More Nevochim* [b]. intelligit per locum Dei *ipſam* Dei *eſſentiam*, vel *ſummum gradum* excellentiæ ac perfectionis Divinæ. Sed placet nobis interpretationis ſimplicitas. Nihil diverſum ſonat apud Hoſeam, in dicto quod Deo tribuitur [c]: *Ibo, revertar* אל מקומי *ad* LOCUM MEUM (Cœlum) *uſque quo ſe reos agnoſcant, & faciem meam quærant.* Amoſ. Cap. IX. 6. *Qui ædificat in* COELIS מעלותיו *cœnacula ſua.* Eſt itaque phraſis integra quam Propheta hic adhibet, deſumpta à Rege, qui in Palatio, Regni ſui ſede, *ſtabili loco*, ſe paſſim continens, certis temporibus in publicum prodit ad exercendum forum, & ſubditorum ſuorum inſpiciendas actiones, Regnique ſui ſtatum, ut cuique pro meritis aut noxa æqua juſtaque tribuat. Alterum quod hic obſervari velim, eſt in poſtremis verbis, quæ explicant rationem judicii à Deo publice exercendi: *Et reteget terra* SANGUINES SUOS *& non obteget amplius occiſos ſuos.* Nimirum continent verba interpretationem ejus quod Vates dixerat Cap. XXIV. 5. *Et terra* חנפה FOEDE POLLUTA EST *ſub habitatoribus ſuis.* ubi de hac re fuſius diſſerui. דמים *ſanguis* (proprie *ſanguines*) hic notat *ſanguinem* ſervorum Dei nefaria cæde violenter profuſum, & quidem cauſſa Religionis veræ, ad typum *ſanguinis Abelis* [d]; eſtque ea ſignificatio involuta voce הרוגיו, quam vertimus *occiſos ſuos.* quæ eſt genuina ejus notatio. Uſurpatur tamen in emphaſi de occiſione violenta quæ ferro fit, cum effuſione ſanguinis qualis locum habet in *mactatione* & jugulatione animantum. quam vocis vim cognoſces ex Cap. XXII. 13. & Jer. XII. 3. Recte igitur hic vertas *mactatos*, *jugulatos.* Græcis hoc ſenſu eſt, σφάζειν, κατασφάζειν. Inde in Apocal. Cap. VI. 9. Εἶδον ὑποκάτω τῦ θυσιαςηρίε τὰς ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων· *animas* MACTATORUM, jugulatorum. martyrum ſc. & confeſſorum. Videlicet Populus Dei & Chriſti inermis, innoxius, manſuetus, cædi aut vindictæ deſtinatus à potentioribus feris, barbaris, ferro armatis, an non ſimilis eſt *ovibus* ductis *ad mactationem?* Sic certe Vates ſacer nobis præit [e]. Eſt autem ſcelus magnum ac grave, effundere *ſanguinem innocuum:* majus, *ſanguinem* innoxium fundere *cauſſa Religionis:* maximum, in ipſis Prophetis ac Doctoribus Religionis cædem committere. Et ſæpe tamen illa ſcelera ad tempus aliquod videntur à Deo impune haberi ac tranſmitti; & Tyranni ipſi cædes, martyria ac lanienas ſuas rationibus ita palliant atque defendunt, ut jure egiſſe videantur, quod deteſtabili perfidia & ſumma impietate atque injuſtitia exequuti ſunt. Verum cum rationes Divinæ Juſtitiæ æquiſſima lance ac ponderibus librentur: fieri nequit, quin aliquando veniat tempus, quo ſcelera hæc in lucem protrahantur publicam, & tyranni ac perſecutores hujus flagitii convicti ſeveram reportent vindictam. quod Propheta hic eventurum eſſe nunciat, poſt non longum tempus.

Expoſitio Maimonidis.

Similis Amoſi, Cap. V. 15.

Metaphora declarata.

Alter articulus ſententiæ: *Terra reteget ſanguines ſuos.*

Intelligitur *ſanguis confeſſorum veritatis.*

Locus Gen. IV. 10. 11.

Eadem vis latet in voce הרוגיו *Occiſi, jugulati.*

Significatio vocis expoſita.

Metaphora hic deſumpta ab *ovibus innocuis* ferro *mactatis.*

Magnitudo ſceleris, ejuſque gradatio.

Quæ licet *tecta* palliataque, Divinæ Juſtitiæ eſt *retegere* & ſevere punire.

Tempus inveſtigatur ac definitur, ad quod hæc prophetia referenda eſt.

Supereſt, poſt expoſitum ſenſum orationis, videamus de *tempore*, ad quod hæc pericopa referri debeat. Hic vero minime ſtatutum eſt longam rurſus ingredi diſputationem, quâ in *Anacriſi* jam ſum defunctus. Si ex aliis partibus hujus prophetiæ minus liquido colligeretur, convenire eam (κατὰ γράμμα) *temporibus Maccabaicis:* ex hac ſola Pericopa id clare demonſtrari poſſet. Primo, *tempus* hoc eſt זעם EXCANDESCENTIÆ, *tumoris*, tempeſtatis horridæ in populum Dei ſævientis. Atqui ais, hic character æque convenit tempori irruptionis Senacheribi in Judæam, & excidii Reipublicæ per Babylonios, ac *afflictioni Syriacæ.* Sane quidem: non nego. ſed verius multo & rectius *afflictioni Syriacæ*, quippe cui Daniël hanc ipſiſſimam vocem bis aptat, Cap. VIII. 19. XI. 36. quæ loca in ſuperioribus deſcripſi & expoſui. Habet ea omnes characteres *tempeſtatis* horridum ſævientis, dum Reges *potentes* ac *furibundi* à Satana adverſus Eccleſiam Dei concitati ejus moliuntur excidium. Sic Mattathias moribundus ad filios [f]: Νῦν ἐςηρίχθη ὑπερηφανία καὶ ἔλεγμὸς, καὶ καιρὸς καταςροφῆς, καὶ ὀργὴ θυμῦ· *Nunc firmata eſt ſuperbia & redarguutio, & tempus everſionis, &* IRA EXCANDESCENTIÆ. Hiſtoricus poſterior [g] in hiſtoria ſeptem fratrum martyrum vocat τὴν τῦ παντοκράτορος ὀργὴν τὴν ἐπὶ τὸ σύμπαν ἡμῶν (τῶν Ἰουδαίων,) γένος δικαίως ἐπημμένην· IRAM (זעם) *Omnipotentis in univerſum genus noſtrum* (Judæorum ſc.) *juſte accenſam.* Vaſtatio Judææ effecta à Senacheribo, Principe ſuperbo, ipſa quoque commode dici poteſt זעם *ry tempus* tumoris & excandeſcentiæ: ſed hæc multo magis. Secundo, tempore hujus furoris ſæviretur in *veram Religionem* & *confeſſores* ejus, qui *hujus rei cauſſa* inſtar *ovium* mactarentur, *jugularentur.* quod criterium eſt temporum Maccabaicorum. Senacheribum Judæos *cauſſa Religionis* perſecutum eſſe, & innoxio *confeſſorum Religionis* ſanguine ſe polluiſſe, nullibi legimus; ut neque Babylonios. Pertinent huc vere inſignia loca, quorum aliqua in ſuperioribus jam adduxi. Integer Pſalmus XLIV. eſt hujus argumenti, & legi debet in hanc rem, in quo hæc verba inter alia extant ℣. 23. *Quia tui cauſſa* הורגנו OCCIDIMUR (mactamur, jugulamur,) *omni die, & reputamur ut oves mactationi deſtinatæ.* Perſecutio excitanda cauſſa Religionis hic deſcribitur, qualis ante Syriacam nulla fuit in Mundo directa: obliquas enim fuiſſe, non eſt quod negem. Inſpice mihi jam Oden præclaram LXXIX, quæ imaginem horum temporum ad vivum pingit. Poſtquam dixiſſet Vates, Gentes veniſſe in *hæreditatem Dei*, *polluiſſe Templum Sanctum*, *Hieroſolymam poſuiſſe in tumulos*, addit ℣. 2. *Dederunt cadavera* עבדיך SERVORUM TUORUM (ea videlicet ipſa de cauſſa quod ſe profiterentur eſſe *ſervos tuos*,) *eſcam avibus cœlorum*; *carnem* חסידיך *piorum tuorum* (HASIDÆORUM) *feris terræ.* EFFUDERUNT *ſanguinem illorum inſtar aquæ* (ut fit ſcilicet in mactatione & jugulatione *animantum*,) *circumcirca Hieroſolymam, & nemo eſt qui eos ſepulturæ mandat.* Inde ℣. 10. *Quare dicent Gentes, ubi eſt Deus ipſorum: innoteſcat inter Gentes coram oculis noſtris* נקמת דם עבדיך השפוך *vindicta* SANGUINIS SERVORUM TUORUM EFFUSI. qui *ſervi Dei* mox ℣. 11. appellantur בני תמותה *filii mortis.* occidioni deſtinati ab hoſtibus. Idem agitur in Pſalmo XCIV. ubi de *ſuperbis* & *blaſphemis* Dei hoſtibus, perſecutoribus Eccleſiæ: *Populum tuum, Jehova,* CONTERUNT, *& hæreditatem tuam affligunt. viduam & peregrinum* (quales multi Judæorum inter Syros,) *mactant*, (jugulant,) *& pupillos occidunt.* Nimirum, Populum Dei inermem, præſidio deſtitutum, de quo plures in illorum terris verſabantur. Adde his Pſalmum CXVIII. de quo ſæpius verba feci in ſuperioribus, & compara iis hiſtoriam Maccabaicam, in qua flagitia horum temporum iiſdem verbis deſcribuntur: quorum locorum præcipua in ſuperioribus jam enarravi. Sic Hiſtoricus Primi Libri [h]: Καὶ ἐξέχεαν αἷμα ἁθῶον κύκλῳ τῦ ἁγιάσματος, καὶ ἐμόλυναν τὸ ἁγίασμα. ſed integra hic hiſtoria clamat. Tertio, quod afflictio hæc & calamitas *ſævientis tempeſtatis* adſtringatur *brevi* ac *breviſſimo tempori*, id ipſum quoque *criterium* eſt afflictionis Syriacæ. *Deſolatio* ſive *Pollutio Templi* circumſcribitur apud Danielem 1290 *diebus* [i]: h. e. triennio & ſeptimeſtri: apoſtaſia autem Gentis à tempore Pontificatus Menelai, uſque ad purgatum Templum, diebus 2300. [k] h. e. ſexennio ac trimeſtri, & quod excurrit. etſi tempus illud angu-

Convenit καθ' ὑπόμνημα *temporibus Maccabaicis.*

Eſt tempus זעם *Excandeſcentiæ.*

Applicatur ad hoc tempus.

Loca ex Hiſtoria Maccabaica.

Eſt tempus Perſecutionis, inſtitutæ cauſſa Religionis.

Pſalmus XLIV. cum h. l. collatus.

Et *Ode* LXXIX, ex qua varia allegantur & cum hac prophetia comparantur.

Ut & *Ode* XCIV.

Et Pſ. CXVIII.

Lux hiſtoriæ ad hæc loca admota.

Tertius character: Afflictio eſſet *non* adeo *longi temporis.*

Locus Dan. XII. 11. quo prima *Afflictio Macca-*

[a] Cap. III. 12. [b] *More Nev.* Part. I. Cap. VIII. [c] Cap. V. 15. [d] Gen. IV. 10. 11. Matt. XXIII. 35. [e] Pſ. XLIV. 23. [f] 1 Macc. II. 49. [g] 2 Mac. VII. 38. [h] 1 Macc. I. 39. [i] Cap. XII. 11. [k] Cap. VIII. 14.

Initia definitur: & latius Cap. VIII. 14.

angustiæ, in majore latitudine sumptum, non censeri debet minus XXV annis. Id vero an longum est, stylo Scripturæ? Imo vero, etiamsi multo longius esset, censetur esse *momentum*, & quidem *momentum exiguum*, παραυτίκα *cito* præteriens ac prætervolans. de quo sæpius aliis in casibus egi. Non inficior, de oppressione Syriaca Senacheribi idem dici posse: imo etiam, stylo Prophetarum, de Babylonica ejusque consequentibus [a]. Posset itaque id nobis hic sufficere, in exemplo nostræ interpretationis hoc κριτήριον non desiderari. Sed plus est quod hic observari jubeo. Vates alligat tempus gravissimæ afflictionis sive *mortis Ecclesiæ* illi tempori quod lapsum est ab Edicto Regis de *abneganda Religione Patria* ad initia *vindictæ*, quam Judas Maccabæus exequi cœpit: quod fere *anni spatium* facit. Edictum illud illigatur A. Æ. S. CXLV. & *initia Judæ* sequenti. Quarto denique, ut ex nostra hac pericopa liquet, Deum *post breve* se manifestum facturum ut Judicem, innocuum sanguinem servorum suorum ulturum: id ipsum fecisse per Maccabæos, historia Gentis testatur. Assamonæi ipsi hac fiducia bellum susceperunt adversus potentissimum hostem, & in precibus ad Deum fusis inter alia ab ipso humillime petierunt, vellet *misereri Urbis* Hierosolymæ *solo æquandæ*, καὶ τῶν καταβοώντων πρὸς αὐτὸν ἀμώμων ἐισακοῦσαι· & SANGUINES *ad se* CLAMANTES *exaudire* [b]. Confer Ps. LXXIX. 10. XCIV. 1. seqq.

Quartus character: *Vindicta hostium.*

Mysticus aspectus hujus pericopæ latius patet. Omnis enim persecutio & afflictio Ecclesiæ veræ ac confessorum veræ Religionis causa fidei instituta hac ipsa persecutione & afflictione Epiphanica involuta fuit. quare non recuso *implementum* hujus prophetiæ *mysticum* videre in omnibus illis casibus, quibus sanguis ipsius CHRISTI JESU, summi martyris, ac Discipulorum ejus, ac denique tot præstantium confessorum Religionis Christianæ, *solennibus* Dei *judiciis* publice vindicatus est à primo tempore fundati Regni Christi in hoc Mundo usque ad sæculorum finem. Certe Paulus persecutionem & occidionem Christianorum causa Religionis vidit in Ps. XLIV. 23. qui Psalmus κατὰ γράμμα agit de temporibus Maccabaicis; & nemo neget, extrema illius afflictionis, quæ inciderunt in tempus Diocletiani, cum Syriaca afflictione variis partibus commode satis comparari posse. Ecclesia illa quoque tempestate ad tempus admodum *decennii latitare* debuit, & se *fide sua* sustinere, quando Deus ei vindicias præstitit per Constantinum, & Ecclesiam suam veluti *resuscitavit*. Sed sequentia tempora Ecclesiæ hanc imaginem longe reddere debebant perfectius, ad quæ Propheta ex nostra hypothesi hic directe respexit. In *Apocalypsi* Joannis [c] signatur triste aliquod & calamitosum tempus Ecclesiæ, quo *testes veritatis* postquam *prophetassent* in *saccis* per MCCLX *dies*, tandem *occidendi* essent & *cadavera* illorum ostentanda *in platea* Urbis magnæ quæ *spiritualiter dicitur Sodoma & Ægyptus*, per *dies tres* & *dimidium*, & postmodum *resuscitanda*. cum qua prophetia conferri debet analoga Cap. XIV. 12. 13. quæ ipsa quoque mystice prædicit tempestatem gravissimæ afflictionis adversus Ecclesiam sævientem, quam Vates descripserat sub hoc emblemate Cap. VII. 1. seqq. Hoc illud est tempus *exigui momenti* afflictionis gravissimæ & tempestatis horridum sævientis, quod hic mystice & directe respicitur. Res tota clarissime percipitur ex Viso *Sigilli quinti* [d], ubi comparent *animæ mactatorum* propter Verbum Dei & testimonium Christi expostcentes *vindicias sanguinis sui ab his qui habitant in terra*. accepisse autem dicuntur responsum, ἵνα ἀναπαύσωνται ἔτι χρόνον μικρὸν, *ut quiescerent adhuc* PAULULUM TEMPORIS. Equidem Ecclesia, Babylonem mysticam egressa, jam defuncta est calamitatibus gravissimis, & in plerisque Regnis ac Rebuspublicis Europæ, in quibus sedem nacta est, exorta tempestate Persecutionis, coacta est latitare, & se fide, spe, precibus, patientia, dum meliora tempora exspectabat, sustinere. Vidit etiam Ecclesia Deum variis casibus & temporibus è *loco suo* prodeuntem, & causam Ecclesiæ suæ sanguinemque servorum suorum injustissime mactatorum vindicantem: quos casus in *Commentatione Apocalyptica* [e] ex historia produxi. Sed forte tamen nondum defunctus est Orbis omni calamitate, & graviora adhuc exspectantur, vel metuuntur, ut in superioribus monui. Neque etiam tot confessorum & martyrum proximorum duorum Sæculorum occidiones injustissimæ, & sanguis justorum in lanienis Albigensibus, Merindoliana & Caprarien*si*, Parisien*si*, Hibernica, horrendo ac detestando exemplo, profusus, à terra & aqua absorptus, hactenus expiatæ sunt, nec eorum nomine Divinæ Justitiæ pro merito causæ & scelerum iniquitate ac gravitate litatum videtur. Veniet tempus *Judicii* perfecti, quo causa Religionis & Confessorum ejus, mactatorum propter testimonium Jesu, in publicam protrahetur lucem; sanguis justorum clamans vindictam, retegetur, & defensores horum atrocium scelerum, qui ea orationibus aut scriptis tegere, excusare, aut palliare studuerunt, pudefient. Certe *Judicium* hoc complementum suum accipiet in *Judicio* supremi temporis, quod omnia occulta hominum facinora renudabit.

Mysticus aspectus hujus Oraculi late patet.

Nulla ultio sanguinis *Confessorum Veritatis* hic excluditur.

Quo modo id conveniat Ecclesiæ temporis Diocletianei?

Sed est hic rectior respectus ad *Ecclesiam sextæ Periodi.*

Locus Apoc. XI. 9. 10. de *Morte duorum testium*, eorumque *resuscitatione* cum hoc comparatus.

Ut & emblema Cap. VII. 1. seqq.

Quod confertur cum Emblemate *Sigilli sexti*, Cap. VI. 10.

Quatenus historia demonstraverit harum propheciarum *implementum.*

Lanienæ & cædes confessorum veritatis horrendæ videntur adhuc exspectare gravius Dei Judicium in hostes Veritatis.

Sectio Altera hujus *Sermonis*, superioris Sectionis EXEGETICA.

PARS POSTERIOR, PROPHETICA,

QUA

Vates superioris Orationis propheticæ & Doxologiarum ei subjunctarum argumentum prosequutus, idemque illustraturus, distinctius explicat atque enarrat, tum ipsum illud severum Judicium Dei, quo hostes Ecclesiæ suæ prostraturus ac destructurus est, tum Fata ejus Judicii cognata: hoc est, Ecclesiæ castigatæ ac probatæ puritatem, ejusque florentem ac prosperum statum; Dei ergo eam gratiam, curam ac providentiam singularem; doctrinæ cultusque ejus à superstitione & idololatria purgati integritatem ac castimoniam; & denique amplitudinem unitatemque ejus, & concordiam amabilem, quippe in quam electi omnium locorum, vel hærentes hactenus in ignorantia & superstitione, vel sententiis animisque divisi, cura zelotarum Dei Ministrorum, sint convocandi ac cogendi tanquam in unam Societatem; unum constituturi Dei Regnum, Populumque & Civitatem unam.

a Jes. LIV. 7. 8. Hag. II. 6. b 2 Macc. VIII. 5. c Cap. XI. 9. 10. d Cap. VI. 10. e Ad Cap. XI. 9. 10. seqq.

Caput XXVII.

Textus Cap. XXVII.

1. Die illa visitabit Jehova gladio suo duro illo, & magno, & valido, super Leviathanem, serpentem rectum, & super Leviathanem, serpentem sinuosum; & interimet Draconem qui est in mari.

2. Die illa vinea *erit* ferventis meri. alternis de ea cantate.

3. Ego Jehova curo eam: singulis momentis irrigabo eam: ne quis adversus eam veniat *hostis*, noctu atque interdiu eam custodiam.

4. Excandescentia non est mihi. Quis mihi objiciat sentem, veprem, in bello? gradiar hostiliter per eam: incendam eam pariter.

5. Nisi apprehendat robur meum: faciat mecum pacem: pacem, *inquam*, mecum faciat.

6. Consequente tempore radices aget Jacob; germinabit & florebit Israël: & replebunt Orbem habitabilem proventu.

7. Numquid secundum plagam percutientis eum, percussit ipsum? an ut occisi sunt occisi ejus occisus est?

8. In mensura, cum immitteres eam, (*plagam*,) cum ea litigasti: cum flaret vento suo violento die Euri.

9. Propterea hoc ipso expiabitur iniquitas Jacobi, & hic erit omnis fructus peccati ejus amoti, si posuerit omnes lapides ararum dispersos ut lapides calcis: non resurgent luci & imagines solares.

10. Quippe Urbs munita *erit* solitaria: aula disjecta & derelicta instar Deserti: ibi pascet vitulus, & ibi recubabit atque absumet ramos ejus.

11. Cum aruerint sarmenta ejus, confringentur: mulieres venientes incendent ea, quia non est populus præditus intelligentia. iccirco non miseribitur ejus Factor ejus, & Formator ejus non erit illi propitius.

12. Et futurum est illa die, ut excutiat Jehova à fluxu copiosiore Fluvii usque ad Amnem Ægypti: & vos colligemini unus ad unum filii Israëlis.

13. Futurumque est illa die, ut clangatur magna tuba, veniantque perituri in terra Assyriæ, & propulsi *qui sunt* in terra Ægypti, & adorabundi se prosternant coram Jehova in monte sancto, Hierosolymis.

Argumentum & *Analysis* hujus Prophetiæ.

Argumentum hujus *Partis* Prophetiæ *prophetica Exegetica*.

Propheta, versatus in argumento ampliſſimæ contemplationis, in quod omnes fere prophetiæ antiqui temporis resolvuntur, id non facile dimittit: quin inhæret ei, urgetque illud, & illustrat quantum pote, ad Ecclesiæ veræ & populi Dei solatium. Pertinet autem ad solatium Ecclesiæ, nosse atque intelligere rationem & exitum tot afflictionum & probationum, quot Ecclesia Dei in hisce terris fere cum continua lucta ac certamine difficili subjicitur; estque præcipuus scopus Verbi Prophetici Ecclesiam de eo edocere. Quare cum in prophetia *Capitis quarti* & *vicesimi* luculenter vaticinatus esset de interitu funesto hostium ac persecutorum Ecclesiæ, Regum videlicet ac Principum, qui à Satana incitati eam violenter oppugnarent, quibusque Deus uteretur ut instrumentis in Ecclesia ab hypocritis purganda; idemque *Dei judicium* conjungendum cum *gloriosa* Ecclesiæ *Liberatione* rursus explicasset in *Doxologiis*, huic prophetiæ subjectis; nec tamen omnia *fata* illius status & temporis Ecclesiæ pro voluntate sua hactenus enarrasset: ad idem redit, idemque Dei judicium, quo ulciscceretur varios Ecclesiæ suæ adversarios, novo & eleganti emblemate belluarum marinarum ac terrestrium immanium gladio Jehovæ interimendarum, in initio hujus prophetiæ rursus proponit, & dein statum Ecclesiæ liberatæ purgatæque ex attributis ejus graphice depingit: puritatem videlicet ejus, fructumque pretiosum; curam Divinæ erga eam providentiæ singularem; prosperum ejus profectum; exundantiam in omni fruge vitæ spiritualis, & amplificationem; scopum atque effectum salutarem castigationum & probationum, quas Deus ad eam non destruendam sed purgandam adhibuerat, *opposite* ad *judicia* quæ exequutus fuerat in hostes, tendentia ad plenariam eorum destructionem quam rursus repetit ac describit; ac denique Ecclesiæ unitatem ac concordiam postquam electi in varia loca dispersi, magna tuba Dei, ab Angelis mysticis inflanda, in ejus communionem valide convocati, congregati, & coacti essent.

II. De *Scopo* prophetiæ nihil hic speciatim differo, cum ex argumento ejus satis pateat, & in superioribus eum abunde declaraverim. *Analysis* hujus præcellentis pericopæ varie institui potest; ut, si cui volupe est, liceat eam dividere in quinque illustria Fata futuri temporis, quæ in ea distincte enarrantur, ut sunt (a.) *Destructio* Principum, Regum, & Potestatum, Ecclesiæ adversariarum, ℣ſ. 1. (b.) Ecclesiæ purioris Constabilitio, Deique erga eam singularis *Cura* ac *Providentia*, ℣ſ. 2--5. (c.) Ecclesiæ illius *profectus* & *amplificatio* ut specimen *Gratiæ* erga eam Divinæ, oppositæ *severitati* qua usus erat Deus in hostes ejus, ℣ſ. 6--11. (d.) *Collectio* membrorum ejus dispersorum, ℣ſ. 12. (e.) Et omnium in eam Electorum *Convocatio* & *Congregatio*, ℣ſ. 13. Rectius tamen & planius secundum ipsarum rerum ductum mihi visus sum instituere, si Pericopam hanc Propheticam versari statuam circa duos magnos *Eventus* futuri temporis, qui Prophetæ obversabantur. Primus est, *Destructio Potestatum Ecclesiæ adversariarum*, ℣ſ. 1. Alter, *Status Ecclesiæ Liberatæ*, cujus varia *attributa* ordine recensentur, ut sunt, *α. Constabilitio* ejus in statu *puritatis*, ℣ſ. 2. *β. Cura* & *Providentia* Dei erga eam gratiosa ac studiosissima, post hypocritas & profanos judiciis ejus consumptos, ℣ſ. 3. 4. 5. *γ. Profectus* ejus & *amplificatio* sub Divina *gratia*, opposita severitati qua usus erat in hostes ejus, ℣ſ. 6--8. *δ. Puritas doctrinæ & cultus ejus*, post *destructam Urbem*, superstitionis & idololatriæ magistram, ℣ſ. 9--11. *ε. Collectio* in eam membrorum ejus dispersorum, ℣ſ. 12. *ζ.* Et omnium in eam *electorum* per Mundum sparsorum *convocatio* ac *congregatio*, ℣ſ. 13.

Analysis ejus *Prolepticа*.

Commodior.

Pars Prior hujus Prophetiæ, prius ejus complexa Fatum, Destructionem & abolitionem *Potestatum adversariarum* Ecclesiæ.

Pars prior Prophetiæ, prius ejus Fatum complexa, Abolitionem ac Destructionem hostium.

Argumentum hujus Pericopæ.

℣. 1. DIE ILLO *visitabit Jehova* GLADIO SUO; *duro illo & magno & valido, super* LEVIATHANEM, SERPENTEM RECTUM, *& super Leviathanem, serpentem* SINUOSUM, *& occidet* DRACONEM *qui est in* MARI] Magnus est effectus, magnum & terribile fatum futuri temporis, quod hic prædicitur: estque præterea oratio Prophetæ eum in modum instructa, acsi facere voluisset ut quod in se magnum ac terribile est, nobis etiam majus ac terribilius videretur. Est autem effectus ille occisio magnarum quarundam Belluarum, Ecclesiæ noxiarum ac formidabilium, ab ipso Deo Jehova efficienda, qui effectus adstringitur *certo* alicui *tempori*, h. e. ipsi illi *tempori* in quo superioris prophetiæ figenda est scena. Ait enim Vates, Deum ILLO DIE esse *visitaturum* illas *Belluas*. Quo *die?* Plane perinde est ut ceperis: sive prophetiam connectas cum *versiculo* ἀμέσως *præcedente*, (Cap. XXVI. 21.) quo Vates dixerat, Deum certo tempore prodituram in publicum *ex loco suo* ad puniendam *iniquitatem terræ*, illo ipso tempore *retecturæ sanguines suos:* sive conjungas cum fine prophetiæ Cap. XXIV. sive cum *versiculo* illius 21. ubi Propheta scripserat: *Et futurum est illo die ut Jehova visitet super exercitum celsi in celso, & super* REGES TERRÆ IN TERRA. intelliguntur utique *Reges*, persecutores Ecclesiæ. *Doxologiæ* autem *binæ*, quæ huic prophetiæ subordinantur, ejusdem quoque temporis attributa depingunt: ut jam vidimus. *Tempus* autem illud est Liberationis, Vindiciarum, Resuscitationis Ecclesiæ ab hostibus suis oppressæ ac afflictæ cum severa illorum hostium punitione, quod in superioribus clare definivimus. Quare ut superiores *Doxologiæ* ad hoc tempus ejusque attributa illustranda faciunt: sic ipsa quoque hæc Pericopa Prophetica, quæ iis subjicitur. Gabriël Alvarezius, doctus hujus Libri Commentator, scribit ad hunc locum: *non significari diem certum, sed trajectum temporis indefinitum. unde de toto illo decursu à primo Christi adventu ad secundum intelligi potest.* Paradoxa videtur & cruda assertio. Quo modo enim quod dicitur *die hoc* aut *illo* futurum, supponi queat non fieri *certo* aliquo *tempore?* Nec tamen plane hic erravit à vero Vir Doctus, si verba ejus æque ac prudenter accipiantur. Phrasis ביום ההוא *illo die* vel *tempore* non notat tantum Hebræis *illo die*, sed & *post illum diem* in magna latitudine. ut sensus sit, tam *die illo* quam *post illum diem* in tempus longum id acturum esse Deum, quod de ipso affirmatur. quod in superioribus sæpius observavi. Videbimus in sequentibus, quatenus id hic usum habere possit.

Nexus cum prophetia superiore.

Quodnam tempus hic significetur per illum diem?

G. Alvarezii de eo sententia.

Literalis prophetiæ intellectus pendet à notitia trium Belluarum.

Accedo propius ad sententiam Prophetæ, cujus dubia literalia prius expedienda sunt quam sensum ejus genuinum penetrare possimus. quod hic eo magis necessarium, quod singularia hic occurrant digna animadversu varia. Pendet autem literalis sententiæ intellectus à notitia *trium Belluarum* ferarum & voracium quas Propheta hic recenset sub nomine *Leviathanis serpentis* בריח *impetuosi* vel *recti*; *Leviathanis serpentis* עקלתון *tortuosi*; & *Draconis qui est in mari.* quas *Belluas* illum hic spectari velle ut distinctæ speciei, videtur probabile, quia vocem *Leviathan* hic repetit, & distincta singulis vindicat attributa. Accedit quod dentur in natura distinctæ species animalium terribilium & voracium, ad quas hæc epitheta applicari queant. quam proinde hypothesin ut maxime probabilem hic assumo, mox etiam ostensurus, hæc epitheta uni alicui speciei aptari non posse. Prima itaque hic occurrit sub notione *Leviathanis* בריח *Serpentis recti*, cujus hic est investiganda significatio. Quod ad vocem לויתן *Leviathan:* observarunt jam Docti Viri, לויתן *Leviathan* ejusdem in Scriptura potestatis & significationis esse cujus est vox תנין, quæ vulgo redditur per *Draconem:* etsi *Draconis* notio Latinis magis sit restricta. Patet autem cum ex hoc loco tum ex Ps. LXXIV. 13. 14. ubi Vir sanctus allegorice loquens de interitu Pharaonis & Magnatum Ægypti: *Tu rupisti vi tua mare. tu fregisti capita* תנינים DRACONUM *in aquis. tu conquassasti capita* לויתן LEVIATHANIS, sc. collective sumpti, h. e. *Leviathanum.* Quod si satis certum sit, mihi nunc fere perinde est, an vox ducatur à themate לוה significatione *additamenti* vel *copulationis*, quod *squamæ* ejus instar *scutorum fusilium* arcte inter se cohæreant *a*; sive ab Arabico themate לוה, quod admittit significationem *flectendi & contorquendi*, quod proprium est *serpentis*, ut vult Bochartus *b*. Prius quidem attributum *squamarum*, instar *laminarum* inter se cohærentium, verissimum est illius *Leviathanis* qui describitur apud *Jobum c*, hoc est, *Crocodili:* sed neutiquam *Balænarum*, ut Vir Doctissimus ostendit *d*: cum tamen vox *Leviathan* ad ipsas quoque *Balænas* transferatur, ut patet ex Ps. CIV. 26. Quare si prior etymologia admittenda esset: omnino dicendum est, vocem *Leviathanis* secundum primam & originariam suam significationem significare *Crocodilum*, quod animalis genus summus Bochartus solide demonstravit designari per illum *Leviathanem*, qui à Deo ipso mirabilis hujus creaturæ factore, describitur in Libro Jobi *e*; verum significationem vocis, quod sæpe fit, deinceps latius esse extentam ad magnas omnes *Belluas marinas*, ut sunt *balænæ & ceti*, quæ haud dubie notatio vobis obtinet in Ps. CIV. 26. *Ibi* (in *mari magno & lato*) *naves incedunt*; LEVIATHAN *quem formasti ut in eo luderet.* Magnum enim & vastum mare, de quo hic mentio fit, non est probabile hoc loco appellari *Nilum*, etsi ille etiam *maris* nomine veniat. Nec negat ὁ πάνυ hunc latiorem usum vocis in hoc loco. Ergo definiendum est, & unice definiri potest ex epitheto adjecto, qualis *Belluæ* species hic designetur per *Leviathanem* priorem. Vates illum vocat נחש בריח *Serpentem impetuosum*, ut alii vertunt, vel ut nos, *rectum.* Patet, vocem נחש hic sumi latiore significatu pro *bestia* cujus est mobile, volubile, & oblongum corpus instar *serpentis.* ut adeo διάκρισις hujus Belluæ sola cadat in vocem בריח, ambiguæ notationis. Habet ea thema originarium ברח, quod Hebræis est *fugere*, sive *celere* rectoque *motu* se ex loco uno in alium transferre. unde בָּרִיחַ significare posset *fugacem*, vel *fugitivum*, vel impetu motuque rapidum, *celerem.* Notat præterea בָּרִיחַ (*Schevate* supposito *primæ radicali*,) *vectem.* quod occasionem dedit in re obscura diversis interpretationibus. Οἱ ὁ. Τὸν δράκοντα, ὄφιν φεύγοντα· *Draconem, serpentem fugientem.* Aq. Ὄφιν μόχλον· *Serpentem vectem.* quem imitatus est Hieronymus. Parum distat illud Symmachi, συγκλείοντα, *concludentem.* Theodotio: Ὄφιν σωφρόνισμενον· *Serpentem robustum.* Est autem ex his versionibus difficile intellectu, quid fuerit in mente horum Interpretum; sive quam cogitationem annexerint huic notioni. Tantum videmus, Hieronymum, hæc de *Diabolo* interpretantem, rationem petere ex allegoria; docentem videlicet, Satanam appellari posse Serpentem *vectem*, quod *multos suo carcere clauserit, & propriæ subjecerit potestati.* Sæpe mihi mirari contingit, quod & alias monui, homines ejusmodi cogitationes aut loquendi formas imputare Spiritui Sancto, quas sibi vir sapiens imputari nollet. Quis enim Principem qualemcunque, qui captivos multos carcere clausos servet, appellare vellet *Principem vectem?* Aquila, ubi vocem בריח vertit per *vectem*, haud dubie intellexit *robustum.* Succurrit Aquilæ & Hieronymo ὁ πάνυ Bochartus *f*, qui eandem adscisens versionem, multis evincere conatus est, per *serpentem* בריח VECTEM hoc loco, ut & in analogo Job. XXVI. 13. intelligi speciem quandam *balænæ*, grande & monstrosum animal,

Quæ hic videntur spectandæ esse ut distinctæ speciei.

Prima hic est Notitia LEVIATHANIS.

Vox usu Scripturæ S. fere idem valet quod Draco.

Locus Ps. LXXIV. 13. 14.

Origo vocis unde petenda?

Sententiæ Doctorum, & de iis judicium.

Ex epitheto definiendum, qualis speciei.

Epitheton est בריח, *quod varie vertitur.*

Significatio vocis originaria. Notat fugacem, vel fugitivum.

Notat etiam vectem.

Interpretationes Veterres.

Hieronymi lusus.

Ad eum intexuit.

Cl. Bocharti de eo observatum.

a Schmuck. in h. l. *b Hieroz.* Part. II. Lib. V. Cap. XVI. *c* Cap. XL. 7. 8. *d* Cap. XVII. *e* Cap. XL. 20. seqq. XLI. 1. seqq. *f Hieroz.* Part. II. Lib. V. Cap. XIII.

quod Græci Σύγαινων vocant, ἀπὸ τῆ ζυγῆ *à jugo*, quippe hæc Bellua *caput neque rotundum, neque roſtratum, neque faſtigiatum, neque in latera compreſſum, quale in piſcibus reliquis eſſe ſolet, ſed* (*quod ei peculiare*) *in latera extenſum atque transverſum habet*, qualis *in figura* apud ipſum exhibetur. Docet idem Vir Eruditus, piſcem eſſe ex maximo cetorum genere, aſpectu terribilem, robuſtum, ac voracem. Vellem ſequi liceret hoc in loco libero animo, quem lubens ſequor, cuique in hac eruditionis parte abſque dubitatione plus tribuendum eſt quam ulli alii. Obſtat ſententiæ Viri Doctiſſimi, præter *duritiem phraſios*, (dicitur enim inconcinne *ſerpens vectis*, *ſerpens jugum*. rectius, *ſerpens jugoſus*, quod proprie ſonat ζύγαινα:) primo, quod vox בריח *vectis* à Maſorethis cum *ſchevate* punctetur. ſecundo, quod hoc *piſcis* genus, quod ipſe ζύγαιναν vocat, vulgo fuerit ignotius, quam ut probabile ſit, Prophetam ejus feciſſe mentionem. eſſe autem ignotius, inde etiam liqueat, quod Romani Scriptores nulli hujus piſcis meminerint, quod ipſe nos docuit. tertio obſervandum eſt, hunc Leviathanem appellari נחש SERPENTEM. Etiamſi vero lubens admittam generaliorem uſum vocis נחש pro *animantibus corporis flexilis*: hactenus tamen mihi non liquet, vocem de *piſce* uſurpari. Unus eſt apud Amoſum locus qui videri queat favere ſententiæ [a]: *Et ſi abſconderent ſe ab oculis meis in profundo maris: inde mandata dabo* את התנין SERPENTI, *ut eos mordeat.* Verum hoc loco *Serpentem* ſic proprie dictum intelligi, (quorum ſpecies omnes *mare* non excludit:) docet attributum *mordendi*, quod ei adſcribitur. Id vero eſt *ſerpentium* vere & proprie ſic dictorum. Quarto, favet mihi locus inſignis Jobi, in quo uno præter hunc noſtrum hujus animalis mentio fit. Verba Jobi [b]: *Spiritu ſuo cœlos ornavit; manus ejus produxit* נחש בריח *Serpentem* RECTUM. Non eſt ſane neceſſe hic intelligere *ſignum* aliquod *cœleſte*, quale illud *Draconis*, vel quid ſimile. Vir ſanctus hic in medium profert ſummum ſpecimen operum Divinorum in *terris*, cœlo oppoſitis. Hic vero an intelliges *cetos*, *balænas*, *piſtrices*? Equidem ſunt beſtiæ magni & vaſti corporis; magnum potentiæ Divinæ exemplum: ſed præter magnitudinem parum habent ſingulare quod mireris. Quinto denique, attendenti ad Prophetam patet, illum attributa horum *ſerpentium* ſibi oppoſuiſſe, ut nimirum *ſerpens* בריח ſit oppoſitus *ſerpenti* עקלתון TORTUOSO. Quid itaque? *Serpens* בריח eſt *ſerpens* RECTUS. Intellige ſis, CROCODILUM, cujus hoc aſſero eſſe epitheton, cui inter *Leviathanes* omnes hoc nomen propriiſſime tribuitur, quique unus in loco Jobi commode intelligi poteſt. Eſt enim creatura Dei tam mirabilis quam terribilis, quare Deus ipſe illum producit inter ſumma Operum ſuorum ſpecimina. Ille eſt נחש *Serpens*, quia breviſſimis pedibus inſtructus magis *repitat* quam *graditur*. Eſt ſerpens בריח *rectus*, *extentus*, quia ſe non volvit in *ſpiras* & *gyros* ut Dracones. *Caudam* movet & flectit, ſi alia animantia ferienda ſint, vel, quod Leo Africanus ſcribit [c], cauda etiam homines aut animantes circumvolvit: ſed id *rectitudini* corporis nihil obeſt. Eſt autem ברח Hebræis vere & proprie *extentum eſſe in rectum*. unde בריח *vectis*, ברח *fugere*, quia qui fugiunt, id paſſim agunt linea rectiſſima. Sic opinor. Inſigniuntur autem hoc nomine *Crocodili*, quod *corpore* ſint *recto*, oppoſite ad *Dracones* qui ſe in *ſpiras* volvunt. *Crocodilus* uſque eo rectum habet corpus, ut ſi inſequatur fugientem, tutiſſima evadendi via ſit in curſu gyros facere, quos ipſe gravis & recti corporis dum ſequi vult, tempus perdit: quod ex *Itineratore* docto didici [d]. Poteram vertere per *celerem*, vel *impetuoſum*, quia crocodoli ſupra fidem ſe recta linea celere gradu movent: ſed dantur animantia celeriora. Si etiam Oppiani illud verum eſt, *tardigrada* eſſe & *lente moveri* omnia *monſtra* marina, *excepto cane* [e]: non poſſet quoque hoc attributum tribui *cetis*. Sed experientia noſtrorum temporum iis læſis vindicat ſatis celerem & impetuoſum curſum. Eſt autem ea Crocodili ſpecies; is belluæ aſpectus horridus; ea voracitas ac ingluvies; is oris rictus; ea magnitudo corporis, ut in cenſu belluarum voracium, terribilium & homini infeſtarum primum debuerit obtinere locum.

Judicium de hac Cl. Bocharti, ſententia.

Differentia *punctaturæ* vocis בריח, ubi ſumitur pro *vecte*.

Zugæna fuit genus piſcis ignotius.

נחש *Serpens* non uſurpatur de *piſce*.

Locus Amoſi, Cap. IX. 3.

Alius Jobi, Cap. XXVI. 13. in quo non videtur deſignari *Zugæna*.

Oppoſitio *attributorum* non favet huic ſententiæ.

Rectius hic intelligitur CROCODILUS.

Rationes quæ huic ſententiæ favent.

Significatio genuina vocis ברח.

Notat *longum*, *extentum*.

Applicatur ad *Crocodilum*.

An recte dici queat *impetuoſus*?

Alterum Objectum: *Leviathan Serpens* TORTUOSUS. Eſt DRACO. Loca de eo Veterum.

Alterum objectum eſt, LEVIATHAN, SERPENS, עקלתון, quod perinde eſt ſive TORTUOSUM, ſive *ſinuoſum* vertas. Eſt enim idem quod Græcis, σκολιὸς, *curvus*, *obliquus*. Sic οἱ ὁ. & Symmachus, ut Hieron. *tortuoſus*. Quis dubitet, deſignari *Draconem*, *ſinuoſa volumina verſare* ſolitum? Ejus enim hoc eſt verum & proprium κριτήριον, ex dicto Poëtæ, *ſerpentis Draconis* imaginem in omni ſua ſpecie ac forma eleganter exhibentis [f]:

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
-- -- -- -- -- IMMENSIS ORBIBUS *angues.*

Rurſus de iiſdem [g]:

SINUANTQUE *immenſa* VOLUMINE *terga.*

Alibi [h]:

Saucius ut ſerpens SINUOSA *volumina verſat.*

Draco hic non poterat negligi, Beſtia terribilis.

Adduntur aliqua de ſpecie & magnitudine ejus.

Ad quæ loca Docti Viri plura hujus generis adſcripſerunt. Eſt autem maxime probabile, Prophetam, magnarum ac ſævarum beſtiarum ſpecies recenſentem, non negligere *Dracones*, omnium forte maxime terribiles. Quid enim magis horreat natura hominis, quam vaſtum & volubile corpus Draconis jubati, qui ardentibus oculis, vibrantibus linguis, (fertur enim huic beſtiæ eſſe lingua *triſulca*,) ſibilante ore, hominem invadit, inque eum lapſus ſpiris ſuis involvit, ab ipſo conſumendum? De magnitudine autem ejus, ut in aliquibus ſpeciebus comparet, multa docte collegit Bochartus, quorum aliqua videri queant eſſe ſupra fidem. inter quæ eſt famoſa illa hiſtoria de ſerpente *inuſitatæ magnitudinis*, ſive, ut optimi Scriptoris dictionem ſervem, *immanitatis*, *in Africa apud Bagradam flumen ſtabulante*, *adverſus* quem *Attilius Regulus Conſul Primo Bello Punico prælium grande atque acre fecerit*, *magna totius exercitus conflictione*, *balliſtis atque catapultis diu oppugnatum*; ejuſque *corium longum centum & viginti pedes Romam miſſum eſſe*. Narrat Ælius Tubero, & ex eo Gellius [i].

Tertium Objectum: DRACO *qui eſt in* MARI. Intelligitur BALÆNA. Cetus. Evincitur ſententia cum aliunde, tum ex loco Pſ. CIV. 25. 26.

Tertium objectum Judicii Divini eſt, התנין אשר בים *Draco qui eſt in mari*. Intellige *cetum* vel *balænam* ut alii jam viderunt. Opponitur enim hic תנין *Piſcis Draco* (neque enim aliud nomen nobis hic ſuppetit:) tanquam *Bellua* MARINA Draconibus duobus magnis, quorum *alter* præcipue in *fluviis* & paludibus, alter in *Deſertis* ſtabulatur. Equidem Plinius, Crocodilos *terræ*, *fluminibus*, & *mari* communes facit [k]: ſed in *fluviis* majoribus & apud Paludes illos præcipue hoſpitari, ſatis notum eſt. Sic Ezechiel de Pharaone [l], ſub emblemate Crocodoli: *Draco ille magnus*, *cubans in medio* FLUVIORUM SUORUM. ſc. τῶν ἐκτρεφῶν τῆ Νείλῳ. Mox [m] תנים בימים *Draco in* MARIBUS. fluminibus ſc. Ægypti: ſed non בים *in* MARI, ſic emphatice dicto. Eſt itaque locus hic noſter conferendus cum ſuo parallelo Pſ. CIV. 25. 26. ubi Vates ſacer in recenſendis ac deſcribendis magnis Dei Operibus: *Hoc mare magnum & latum.... ibi incedunt naves*; LEVIATHAN *quem formaſti, ut in eo luderet.* Hic itaque eſt *Draco* vel *Piſcis* magnus marinus, monſtrum ingens, quod in mari Dominium & imperium ſuum exercet. Favet præterea noſtræ huic ſententiæ locus Jer. LI. 34. mox allegandus.

Senſus ſpiritualis hujus loci veſtigatur.

Vett. Judæi hæc μυθολογῶς, acceperunt.

Recentiorum luſus fabuloſi ipſi

Hæc quod ad literam attinet. Majus acumen & acrimonia judicii requiritur ad ſenſum prophetiæ ſpiritualem aſſequendum. *Spiritualem*, inquam, quem ſubeſſe huic prophetiæ omnes vident Intt. & perſuadeo quoque mihi, Judæos antiquos, licet allegoriæ ſtudio abutentes, non aliter niſi myſtice intelligi voluiſſe, quæ ipſi de *Epulo* à Meſſia victore Gentium in uſum & delicias Populi Judæi inſtruendo, in quo *Leviathan* piſcis ingens inter alia animalia apparandus ſit, allegorice vel fabuloſe nar-

---

[a] Cap. IX. 3. [b] Cap. XXVI. 13. [c] *Hiſt. Afric.* Cap. IX. [d] Craigh. Hiſt. *Itin. Amer.* [e] Apud Cl. Bochart. *Hieroz.* Part. II. Lib. V. Cap. XII. [f] Æneid. Lib. II. ℣. 203. [g] ℣. 208. [h] Æneid. Lib. XI. ℣. 754. [i] *Noct. Attic.* Lib. VI. Cap. III. [k] Hiſt. Nat. Lib. XXII. Cap. XL. [l] Cap. XXIX. 3. [m] Cap. XXXII. 2.

quoque sic accipiendi.

narrare solent, hoc ipso quoque in eam rem usi loco nostro. quam ipsorum hypothesin apud Cll. Viros, Buxtorfium & Bartoloccium, supra laudatos, expositam invenies. Antiqua Schola Judaica hunc locum nostrum recte accepit & intellexit, ut ex Paraphrasi liquet. Adde, plerosque Intt. id quoque vidisse, per *Leviathanem* geminum & *Draconem* hic intelligi *Satanam* quatenus se ostentat in *Principibus Mundi* potentibus, persecutoribus Ecclesiæ, sitientibus sanguinem confessorum veræ Religionis. Solent aliqui, ut verum fatear, hæc duo quæ ego uno conceptu involvi, ab invicem dividere.

Christiani Intt. hic viderunt *Satanam*, aut *Potestates Mundanas* se Ecclesiæ opponentes.

sunt enim qui hic tantum mystice intelligunt Satanam, ut Hieronymus ac sequaces: sunt qui Principes Potestatesque mundanas, Ecclesiam persequentes eique devorandæ inhiantes, ut potior Intt. pars instituit. Sed sane ratio nulla est hoc in loco conjungenda ab invicem disjungendi. Satanam enim se ostentare in Persecutoribus Ecclesiæ, eundemque id dum agit, proponi sub emblemate *Draconis* & *Bestiæ sævæ* ac *voracis*; & in Persecutoribus ac Principibus Mundi à Deo punitis destructisque puniri, quis neget? Patent enim hæc quæ supposui manifestissime in prophetia Apocalyptica [a], in qua Satanas Ecclesiam persequens per Romanum Imperium, sub imagine *Draconis* & Bestiæ voracis proponitur.

Satanas hic non potest excludi.

Quin etiamsi plane largiar, prophetiam ἀμέσως referendam esse ad Potestates Mundanas, Ecclesiæ excidio intentas: persuasum tamen habeo, Spiritui S. pro sapientia sua commodissimum fuisse visum, illas proponere sub emblemate *animalium serpentium*, vel his similium, ut nobis subjiceret materiam cogitandi de Satana, quem Historicus Libri *Genesios* allegorice proposuit sub nomine & imagine *Serpentis* [b], & qui ipsam eam ob causam mystice appellatur ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, *Serpens antiquus* [c]: quod vere inter bestias omnes nulla sit, cujus attributa veram Satanæ & Spirituum malorum imaginem perfectius præstent quam *serpentes*. quod cum vulgo satis notum sit, hic prolixius non exequor. Propheta noster ipse eadem hac allegoria utitur Cap. LXV. 25. Et tamen, quod jam professus sum, non nego, quin certissime teneo, quod plerique Intt. jam viderunt, hic ἀμέσως designari Persecutores Ecclesiæ, Principes potentes, inhumanos, sævos, magnorum Regnorum aut Imperiorum Rectores, odio in veram Religionem incensos atque inflammatos, eosdemque paratos ad confessores veræ Religionis, inermes, innocuos, quorum sitiunt sanguinem, instar offæ aut prædæ ex rapto captæ immaniter absorbendos ac deglutiendos; stylo sacro ac vulgari, hoc ipso terribiles. Hujusmodi ingenii & instituti Principes, quique id agunt cum voluptate, sunt magnæ Belluæ, Leviathanes, Dracones, Ceti, Crocodili, Leones, Pardi, Apri, & hisce nominibus ob attributorum convenientiam, in Verbo Prophetico, sed & omnium Gentium lingua, appellantur. De Pharaone jam vidimus ex gemino loco Ezechiëlis [d], qui eum compararat *Crocodilo*. Jeremias in prophetia adversus Babylonem Ecclesiam Populi Dei sic querulam de Babylonio infert [e]: *Nebucadnezar, Rex Babylonis, ...* בלעני כתנין DEGLUTIVIT ME *ut* DRACO: *implevit ventrem suum deliciis meis.* Ipsa illa *deglutiendi* notio qua Vates sacer hic utitur, propria est Belluarum, offam sibi oblatam deglutientium ad sedandam famem; quam ubi Verbum Dei transcribit ad Principes sævos, innocuis inhiantes, hoc ipso docet, spectari illos debere ut Belluas immanes, aliis absorbendis intentas. Sic Vir sanctus [f]: *Nisi Jehova qui fuit noster, cum adversus nos insurgeret homo:* VIVOS DEGLUTIISSENT *nos*, (בלעוני) *ira illorum in nos exardescente.* Erant igitur Bestiæ immanes, cum quibus res fuit Ecclesiæ. Sic de *Impio*, hoc est, impiorum atque improborum capite ac Principe Vates sacer [g]: *Insidiatur in abdito, sicut* LEO *in specu suo: insidiatur ad rapiendum inopem.* Alio loco de Antiocho Epiphane [h]: *Quare illam,* (vineam tuam,) *Domine, vastat* PORCUS SILVESTRIS, *& animalia agri depascuntur eam?* Pariter in Psalmo LXVIII. 31. Princeps barbarus, ferus, ferorum ac barbarorum Dominator, appellatur חית קנה BESTIA ARUNDINETI; *cœtus taurorum cum vitulis populorum.* Illustra locum ἐν παρόδῳ ex Ammiano [i]: *Inter harundineta Mesopotamiæ Fluminum & frutecta leones vagantur innumeri, clementia hiemis ibi mollissimæ semper innocue.* Sed est idem character Crocodili, in arundinetis Nili & paludum Ægypti, aliorumque etiam Asiæ Fluminum, stabulantis. Jeremias de Nebucadnezare [k]: *Ascendit* LEO *ex perplexo suo: vastator Gentium.* Pressius adhuc in sequentibus [l]: *Propterea percussit eos* LEO *de sylva: lupus desertorum vastat eos: pardus vigilat apud oppida ipsorum.* cum quibus comparari debet prophetia hujus Libri, Cap. XV. 9. ubi hic Rex Chaldæorum sub eodem emblemate proponitur. Quin sane Imperia Mundi, constantia hominibus ψυχικοῖς, πνεῦμα μὴ ἔχουσι, qui ex nullo principio nobiliori operantur quam naturæ & affectus corrupti; quæque eadem Imperia administrantur à Rectoribus, ab eodem spiritu mundi affectis & animatis: qui spiritus est ambitionis, vanæ gloriæ, cupiditatis, avaritiæ, superbiæ, invidiæ, sævitiæ: & in humanum genus immaniter sævientibus, comparantur apud Danielem totidem Bestiis ferocibus & terribilibus [m]. Hic aspectus est injustorum & ferocium Principum spiritualis; longe diversus ab aspectu mundanæ gloriæ carnali, cujus fulgor fumo, quem spargit, mortalium judicia obscurat.

Locus Ps. LXVIII. 31. illustratus.

Loca notabilia Jeremiæ de *Nebucadnezare*.

Analogia de Imperiis Mundi ex *Daniele*.

Ex his quæ huc usque disputavi, subnascitur nobis hic sensus sententiæ Propheticæ generalis, Deum Jehovam illo, de quo agitur, tempore, per *judicia magna* & singularia, eademque *irresistibilia* ac *pertinacia, destructurum esse*, vel *incepturum esse destruere* (utramque enim significationem vox ex sensu Scripturæ admittit:) Principes potentes, eosdemque sævos persecutores Ecclesiæ, qui eam gravius afflixerant, & exitium ejus moliebantur. qui sensus est facilis & argumento prophetiæ congruens, & neminem fallit: etiamsi forte species vel individua horum persecutorum difficilius fit definire. Suppono autem in hac interpretatione, per *gladium* Dei intelligenda esse *judicia* ejus pœnalia, violenta, à potentia, justitia & vindicta ejus emanantia, tendentia ad destructionem eorum quos feriunt: cujuscunque tandem generis fuerint. quæ hypothesis mea certa est, & facile demonstrabilis. Cum enim *gladii* Jehovæ in Scriptis Sacris Poëticis & Propheticis sæpius occurrat mentio [n], ubique deprehendes eandem obtinere significationem. En locum insignem Ezechiëlis, in prophetia de judicio in Ægyptios [o]: *Et firmabo brachia Regis Babylonis & dabo* חרבי GLADIUM MEUM *in manus ejus.* quod mox repetitur [p]. hoc est, faciam illum exequutorem *judiciorum meorum*, & ad ea exequenda eum armabo *potentia*. Judicia enim Dei à potentia ejus sustinentur. Attributa itaque gladii *duri*, & *magni*, & *validi*, si referantur ad *judicia*, notant eorum gravitatem, magnitudinem, & vim non resistibilem: in quibus occurrit gradatio, Prophetæ nostro familiaris, significata per copulam ET, inter epitheta positam. Tantum singulare est, Interpretem Græcum quod in Hebræo legitur, *gladio suo duro*, vertisse per τὴν μάχαιραν τὴν ἁγίαν, *gladium sanctum.* quæ phrasis nova est, & non usitata in sacris. Vitiatus codex vel præceps oculus illi exhibuisse videtur בחרבו הקושרה: sed haud dubie erronee. Chaldæus, & Interpretes Græci alii, legerunt cum Masorethis הקשרה. *Gladius* σκληρὸς *durus* est gladius solidi operis, duræ materiæ. *validus* autem, *acutus*, ad feriendum aptus, qui à manu valida & forti vibratur.

Generalis aspectus Sensus mystici, Deum illo tempore, ad quod nostra hæc respicit prophetia, animadversurum esse in Principes Potentes, Persecutores Ecclesiæ.

Per *gladium Dei* intelliguntur *Judicia* ejus *Pœnalia*.

Loca analoga huc adducta, ex quibus id evincitur.

Quid si jam in his subsisteremus, & supersederemus specialiori contemplatione atque investigatione, quæ forte si etiam rectissime instituatur, ægre admittit demonstrationem? Ita est, & tamen à me non impetro, ut nobilissimam & notabilem prophetiam, quæ etiam non

Specialior contemplatio sensus mystici.

Hypotheses de eo Interpretum.

Analogia Verbi Prophetici.

Alluditur simul ad locum Gen. III. 1. seqq.

Recte tamen hic designantur *Principes*, Ecclesiæ Persecutores.

Analogia Verbi Prophetici hoc in casu.

Locus Jer. LI. 34.

Animadversio ad Interpretationem Græcam.

Illorum proprie est *homines* Belluarum instar deglutire.

Varia huc adducta.

---

a Cap. XII. 3. seqq. XIII. 1. seqq. *b* Gen. III. 1. *c* Apoc. XII. 9. *d* Cap. XXIX. 3. XXXII. 2. *e* Jer. LI. 34. *f* Ps. CXXIV. 2. *g* Ps. X. 9. *h* Ps. LXXX. 14. *i* Hist. Lib. XVIII. Cap. VII. *k* Cap. IV. 7. *l* Cap. V. 6. *m* Cap. VII. 3. seqq. *n* Confer Cap. XXXIV. 5. 6. Ps. VII. 13. XVII. 13. *o* Cap. XXX. 24. *p* ℣. 25.

non intellecta excitat attentionem, ita missam faciam, ut non saltem tentem, an quid ulterius tentari possit. Plerique Intt. qui accuratius ad verba Prophetæ attenderunt, hic cogitarunt de *sensu speciáliore* hujus sententiæ, sive de *subjectis distincti generis*, mystice sic dictis, quæ hic memorentur: quod omnino statuendum videtur, ex repetita voce *Leviathan*, & *attributorum* sive *epithetorum* diversitate. Nec est ea hypothesis tantum Christianorum, sed & Judæorum Interpretum: quarum cogitationum specimina mihi hic commodum visum est exhibere, antequam meam sententiam definiam. Primum meretur locum Chaldæus, homo minime imprudens, cujus hæc est paraphrasis: *Illo tempore visitabit Dominus gladio suo grandi, forti & robusto,* על מלכא דאתרבי כפרעה מלכא קדמאה ועל מלכא דאתנאי כסנחריב מלכא תנינא ויקטול ית מלכא דתקיף כתנינא דבימא *super Regem qui magnus factus est ut Pharao, Rex primus* Ægypti: *& super Regem qui se extulit sicut Senacherib Rex secundus: & occidet Regem qui fortis est sicut Draco qui est in mari.* Patet ex hac paraphrasi, illum per primam Belluam nobiscum intellexisse *Crocodilum*, symbolum Regum Ægypti, cujus Regis *antitypum* aliquem quem non exprimit, vult designari per hanc *Belluam:* perinde per *Draconem*, non hic intellexisse ipsum Senacheribum, sed antitypum aliquem ejus; & *Draconem qui est in mari* pariter mystice interpretari: verum cum illos Principes & Reges ipse non designet, quod modestiæ ejus adscribi potest, hactenus minus proficimus quam cuperemus. Magistri posteriorum temporum hic fuerunt audaciores. R. Moses Haccohen [a] quidem à more suo extenuandi sensus Scripturæ Propheticæ non discedens, hic intelligit *electissimos* fortium Virorum, Ducum, Principum, qui sint in exercitu hostili. Cæteri consentiunt hic designari majora quædam Imperia, adversaria Populi Dei, quæ quidem Jarchius demonstrat Ægyptium, (quod intelligit per Leviathanem *longum*,) Assyrium (Leviathanem *tortuosum*,) & per *Draconem* qui est *in mari*, Tyrum, quæ ejus ætate fuit in potestate Christianorum *A*. Aben-Ezra eandem hypothesin tenens, Leviathanes non definit, sed per *Draconem qui est in mari* intelligit *Regnum* Ægyptium, ex prophetia Ezechielis [b]. Kimchius, supponens, prophetiam hanc implementum suum consequuturam esse tempore Messiæ, Gogum & Magogum debellaturi, hic indicat Imperia Græcorum (intellige *Romanum*, quod nomen invidiæ caussa declinant, ut infra observo:) Saracenorum, & Indorum. (הודיי) Abarbenel, fidenter satis, per *Leviathanem longum*, Imperium Saracenorum, vastissime *extentum ab una ad alteram extremitatem:* per *Leviathanem tortuosum*, Imperium Romanum, *in operibus suis tortuosum:* per *Draconem qui est in mari*, cætera Regna Gentium in extremis Orbis, quæ fidem Romanam aut Muhammedanam non admittunt. quæ parum distant ab illis Kimchii, nisi quod interpretatio duorum *Leviathanum* inversa sit. Certe fatendum est, nullum horum speciminum dici posse absurdum, & Judæos Interpretes Veterum fabulis non occupatos & suo judicio usos, hic minus multo ineptire quam exspectes: & tamen, si stet hypothesis, hic designari Potestates adversarias Populi Dei extremi Mundi temporis: palma hic debetur Abarbeneli; etsi *materiam*, quam nova ipse forma induit, petierit ex Kimchio.

Chaldæa Paraphrasis hujus loci.

Animadversio in eam.

Judæi posteriores, quod hic sentiant?

Sententiæ illorum aliquæ recensentur.

R. Mosis Haccohen.

Jarchii.

Kimchii.

Abarbenelis.

Nostrorum Intt. hic multo sunt minores lusus ingenii vel conjectationes, quia plures ex illis hoc emblema unice interpretantur de judicio Satanæ; sive quod de eo habendum est in fine Mundi, ut Hieronymus, Liranus, Sanctius, alii; sive quod exercendum erat in Satanam per prædicationem Evangelii in initiis manifestationis Regni Christi Jesu, quando *Princeps hujus Mundi* erat *ejiciendus foras*. Sic fere statuunt omnes, qui *Judicium Divinum*, in superioribus expositum, accipiunt de Judicio Dei in Populum Hierosolymitanum, administrato à Romanis. Pellicanus & Brentius hac sunt sententia, & Forerius quoque. Brentius implementum hujus illustris prophetiæ præcipue censet repetendum esse à die Pentecostis, quo Apostoli cum Ecclesia credentium perfusi donis Spiritus S. instructi Verbo Evangelii, gladio spirituali, egressi sunt in Mundum ad potestatem Satanæ enervandam, ejusque Imperium, se maxime ostentans in Imperio Romano, in mundo destruendum; idque egerunt cum effectu. Cogitatio est pia, quæ per omnia hoc loco excludi nequit. Hypothesis tamen nostra ab hac plane dissentit, quod ad *speciem* Judicii Divini quod hic describitur; & *modum executionis* hujus Judicii. *Gladius durus, fortis & validus* qui hic memoratur, nullos hoc loco characteres habet *gladii spiritualis, prodeuntis ex ore Christi.* Sunt judicia Dei gravissima, ut demonstravi. His affines sunt Interpretes alii, qui eandem hanc tenentes hypothesin, agi hic de *hostibus spiritualibus*, & spirituali eorum interfectione, tamen speciali contemplationi in hoc vaticinio indulgent. Intelligunt illi per *Serpentem vectem* Muhammedanum; per *Serpentem tortuosum*; Hæreticum, *fallaciis utentem:* per *Cetum maris*, Paganum Indicum. quam Ariæ Montani sententiam percepi ex Alvarezio, commendante sententiam Catholicorum, accipiendam prophetiam de *inimicis spiritualibus, à Christo debellandis.* Sententia hæc pariter talis est, ut ipsa quoque tota reprobari nequeat. Potestates sæculares à Deo per severa ejus judicia destruendæ omnino hic occurrunt sub *conspectu* quodam *spirituali*, videlicet quatenus patrocinantur Religioni falsæ & veram persequuntur; & tamen emblema Prophetæ nobis directe subjicit cogitationem de *Potestate Externa*, magnis viribus armata, quæ veram Religionem oppugnat, & confessores ejus necat. Sume tibi *Muhammedanum*, *Hæreticum*, *Paganum*, nulla aliis nocendi facultate aut voluntate, nullis viribus: existimesne, illos recte & commode appellari *Crocodilos, Dracones, Cetos?* Qui id affirmant, non loquuntur probabilia. Inter eos vero qui hic Potestates Politicas intelligunt, Grotius nihil definit, etsi vere ex hypothesi sua Assyrium hic demonstrare debuisset, quem solum hic demonstrat Brenius. Piscator, Regem Babyloniæ, à Cyro executore Judicii Divini vindicandum & occidendum. Imo vero ante Piscatorem sic sensit & scripsit Swinglius, qui inter primos tempore Liberationis Ecclesiæ hunc Librum tentavit. Lutherus per Leviathanem utrumque intelligit *Regnum* Assyrium *&* Ægyptium: per *Cetum* autem sive *Draconem*, generaliter quicquid ubique est *Imperiorum, & Regnorum ac Principum.* Ex Lutheri sententia prædicit Vates fore, *ut sub adventum Christi Deus visitet per Romanorum gladium, Ægyptios, Assyrios, & Judæos, & omnia alia Mundi Regna,* ut ita pax in toto Orbe paretur, *& Evangelium tuto per Apostolos in omnia loca spargi possit* [c]. Legi hæc verba lubens, quid dissimulem? Est enim eadem hæc meditatio, quam probavi & adstruxi ad Cap. XI. 11. 12. Belgæ Intt. contenti sententias aliquorum recensuisse, nihil definiunt. Quid vero Coccejus, cujus inter primos meminisse debebam? Explicat sententiam suam involutius, quam tamen assequi difficile non sit, sed quam ego meis verbis clariorem facere nolo, ne invidiam in me derivem quam ipse vitare voluit. *Leviathan impetuosus,* (sic vertit ipse vocem בריח) ipsi est *Princeps inter Christianos magnus, magno impetu omnia pervadens ac prosternens, qualis visus est à nobis is, qui totam Germa-*

Interpretes Christiani plures hic tantum vident *Satanam*, dejiciendum de statu in initiis

temporis Oeconomiæ Novæ.

Sententia Brentii.

In eam animadversio.

Aliorum specialior cura & expositio.

Sententia Ariæ Montani. Quid de ea judicandum?

Emblema Prophetæ non designat *Hæreticos*, sed *Potestates Politicas.*

Aliorum meditationes breviter propositæ.

Speciatim Lutheri, & de ea judicium.

Cocceji.

---

a Apud Aben-Ezram. *b* Cap. XXIX. 3. *c* Confer Schmuck. in h. l.

A Jarchii verba hic adscribo: והרג את התנין אשר בים הוא צור שהוא ראש לבני עשו והיא ישבת בלב ימים וכן כתיים קראים איי הים והם יונים *Et occidet Draconem qui est in mari*] *Hic est Tyrus, caput filiorum Esau* (Idumæorum sive Romanorum,) *quæ sedet in medio maris; & ita Citthæi appellantur insulæ maris, qui sunt* Græci. Quam dolose! Intelligit *Imperium Romanum*, & forte per *Tyrum*, Romam; ob convenientiam nominum צור & רומה. Sed per *Græcos* illum hic intelligere *Romanos*, (quod nomen invidiæ caussa obscuravit,) Abarbenel plane tradit, sententiam ejus recensens, Jarchium per tres has Belluas intelligere Imperium *Assyrium*, *Ægyptium*, ואדום & *Idumæum*, h. e. Romanum, ipsorum stylo. Laniado vero eadem verba Jarchii describens, ultima illa, והם יונים *Et illi sunt* Græci, sic exhibet: והם רומיים *Et illi sunt* Romani. quod animadversu non est indignum. Patet, quanta arte suos obscurent sensus, ubi de *Christianis* loquuntur.

maniam videbatur deglutiviſſe. Obverſata ipſi fuit imago Ferdinandi ſecundi. *Leviathan tortuoſus* ſecundum ipſum dici poſſe videtur *caput alterius civitatis quæ etiam in terra eſt, & poteſtatem ejus; quod aſtu agit, & lubrico greſſu ſenſim ſe inſinuat in omnem partem terræ, ut ubique una cum illo Serpente impetuoſo dominetur.* Mirum, quod clarius loqui noluerit de Poteſtate ſpirituali ſitibunda ſanguinis Eccleſiæ, cui alias non parcit. *Cetus qui eſt in mari* intelligi poteſt *magnus Princeps extra Eccleſiam*, vel *ipſe Diabolus in mundo vel palam vel clanculum per beſtiam tyrannidem exercens.*

Examen harum ſententiarum.

Sunt inter hæc interpretationum ſpecimina, aliqua non contemnenda, ſi ea in ſe ſpectes: ſed quorum dijudicatio ſi inſtituatur ſecundum hypotheſes veras hujus prophetiæ, locum obtinere nequeunt. Qui per *Leviathanem* hic myſtice intelligunt *Aſſyrium*, aut *Babylonium* Regem, nihil abſurdi proferunt, ſi rem in ſe contempleris, cum in Principibus hiſce vere inſint attributa aliqua Leviathanis aut Draconis, æque ac in omnibus magnis Principibus, qui Populum Dei perſequuntur: ſed illæ ſententiæ conciliari nequeunt cum vera hypotheſi hujus prophetiæ interpretandæ, ut ſuo loco evici. Imo vero cum generales characteres Belluarum fere communes ſint omnibus magnis Principibus, veram non profeſſis Religionem: docet ratio, attendendum eſſe in hac comparatione ad attributa quædam ſpecialia harum Belluarum, quæ ſubjecta accuratius deſcribunt ac demonſtrant. Pariter qui per *geminum Leviathanem* & *Draconem marinum* hic intelligunt *Poteſtates* aliquas majores Orbis, quali ſtatu ejus Oeconomiam hoc tempore deprehendimus: non ſatisfaciunt prophetiæ, quæ revera aliquod implementum ſuum typicum requirit ſub Oeconomia Vetere. Legat veri ſtudioſus *commata* 6. 7. ſeqq. & videbit, non poſſe ea excludi omnem reſpectum Populi Dei ſub Oeconomia Vetere. Nimis plane & liquide agitur de Populo Judæo, ejuſque attributis & ſtatu, propriis nominibus propoſito, in hac prophetia, quam ut implementum ejus integrum quæri poſſit & debeat in ſtatu Eccleſiæ ſub Oeconomia Nova. Summa prophetiæ exigit, ut typica hic præſtruantur antitypicis, vel ſaltem implementum prophetiæ *inchoative* demonſtretur in ſtatu Eccleſiæ Judaicæ. Ergo ſolus Lutherus, ejuſque ſequaces, hic, ut quidem ego arbitror, loquuntur *ἀνάλογα τῇ ὑποθέσει*, qui per *Leviathanes* hic intelligunt Regnum *Aſſyrium* & *Ægyptium: hoc* quidem per *tortuoſum*; *illud* per *oblongum* ſive rectum. Putant etiam Viri Docti, in ipſis hiſce *attributis* eſſe quod faveat huic ſententiæ, quippe quibus alludatur ad *fluvios*, qui horum Regnorum emblemata ſunt: ſiquidem Nili multo *tortuoſior* & *obliquior* curſus eſt quam *Euphratis*. Et id quidem ita ſe habet in Nilo, vere *tortuoſo* ut poſt catarrhactas fluit in Æthiopia: ſed non ut in Ægypto. Rectior ibi ejus curſus eſt quam Euphratis, qui ſe in curſu ſuo ſæpius inflectit. Nec videtur etiam mihi commode ſatis quod de *Animalibus* dicitur, ad *fluvios* transferri. Sed quod ad cætera attinet, ut jam monui: expoſitio eſt minime contemnenda; & nihil fere ei obſtat, niſi quod α. Reges Ægypti Lagidæ ſe paſſim erga Judæos benevole, munifice ac clementer habuerint, Philopatore ad tempus aliquod excepto, quodque adeo illi non videantur meruiſſe ſub invidioſiſſimo emblemate *Crocodili* aut *Draconis* proponi. β. Ex hac hypotheſi clare explicari nequeat *Draco in mari.* Intelligi deberent Reges Arabum, Philiſtæi, Zidonii, Tyrii: ſed emblema nimis videtur eſſe auguſtum quam ut illis Regulis conveniat. Et fateor tamen, ambas quas huic ſententiæ objeci rationes, non eſſe omni exceptione majores. Ægyptus enim, Regnum æmulum, quocunque tempore & ſtatu Oeconomiæ Veteris cenſetur fuiſſe adverſarium Populi Dei; & notio vocis תנין hic poſſet ſumi *collective* pro piſcibus majoribus pluribus; hoc eſt, Regulis ac Principibus qui in Rebuſpublicis exterarum Gentium dominabantur. Ergo illuc tandem veniam, poſt has ambages, ſed neceſſarias, ut ſententiam meam libere adſcribam.

Vel *Poteſtates Mundanas* Eccleſiæ adverſarias noſtri temporis.

Prophetia requirit implementum aliquod *typicum.*

Sententia Lutheri & aliorum, qui hic cogitant de Regibus *Aſſyriis* & *Ægyptiis*, qua parte laudari mereantur?

Obſervatum illorum, hic alludi ad naturalem ductum Fluviorum *Euphratis* & *Nili*

In id animadverſio.

Quid ei obſtet?

Poſt ſeriam & ſæpius repetitam hujus emblematis meditationem, fixi eam in duobus ſenſibus, quorum alterutrum hoc loco à Spiritu S. intentum putem. Alter is ipſus fere eſt, quem modo expoſui, nempe ut per duos Leviathanes *typice* intelligantur *Regnum* Ægyptium & Aſſyrium, qualia exiſterent poſt tempora Alexandri Magni, ſub *Lagidis* & *Seleucidis*; & per *Cetum Marinum* Rex Arabiæ, & vicinarum Gentium Dynaſtæ alii, adverſarii Populi Dei, veluti Ammonitarum, Moabitarum, (ſub Arabibus cenſitorum,) Idumæorum, Tyriorum, & his ſimilium. (quando noſtrum hoc Vaticinium omnino comparari deberet cum prophetia Cap. XI. 11. 12. & cum ipſa prophetia hujus *Capitis*, vſ. 12. & 13. ut & cum Zach. X. 11.) *antitypice* vero, per duos Leviathanes, duo potentia Regna, Romæ perſecutrici ſanctorum obnoxia, quæ exiſterent & florerent *Periodo Eccleſiæ ſexta*, quo tempore Perſecutio Eccleſiæ maxime ferveret, hoc ipſo tempore noſtro notiſſima, quæ plus hauſerunt ſanguinis piorum quam Romanum Vetus: per Draconem vero *qui eſt in Mari*, Principes & Imperatores potentiſſimi, qui falſæ Religioni adhucdum patrocinantur, & in vaſto Mari Gentium dominantur, Chriſtianiſmo oblique adverſantes. Sunt Turcorum Otmanidarum, Mogulenſium, & Tataro-Chinenſium Imperia, quæ ſub hunc venire poſſunt aſpectum. Altera meditatio eſt, verba Prophetæ; *Et* visitabit *Jehova* illo die, &c. eſſe intelligenda, ſtylo Scripturæ S. *inchoative*, hoc eſt, visitare incipiet: ut adeo per tres has *Belluas* deſignet *Perſecutores & adverſarios Eccleſiæ* qui *ſucceſſive* in Mundo exiſterent, (non ſecundum *individua*, ſed ſecundum *ſpecies* ſuas,) & in *ſcena ejus* ſuo quique tempore comparerent, per *judicia Divina* proſternendi ac debellandi, donec *Regnum Dei* in omni ſua gloria ſe manifeſtum faceret, & de Poteſtatibus omnibus adverſariis triumpharet. Per Leviathanem, Serpentem rectum vel *oblongum*, intelligi poteſt illa ſpecies *Perſecutorum* Eccleſiæ, qui abſque ambagibus ullis aut obtentu falſo ac fucato perſecutionem publice intentant Eccleſiæ Dei in his terris, de quo genere fuerunt *Antiochus Epiphanes* & *Imperatores Romani*, qui de ſuperſtitione ſuorum temporum perſuaſi *directe* præ ſe tulerunt odium veræ Religionis, *aviditſimi corporis piorum*, ut Plinii [a] de *Crocodilo* loquentis phraſin imiter, & patulo oris rictu intenti deglutiendis veræ Religionis confeſſoribus. per Leviathanem Serpentem tortuosum, id genus Perſecutorum Eccleſiæ, quod ſub falſa & fucata ſpecie, per gyros & ambages, obtentu Religionis ipſius tuendæ ac vindicandæ, eandem exercet erga Eccleſiam tyrannidem, quin acriorem etiam & infeſtiorem, quam directi Eccleſiæ Perſecutores. quod κριτήριον eſt ejus *Societatis* hominum quam Prophetia Apocalyptica *Beſtiam* vocat, junctam *Pſeudoprophetæ* qui *cornua* habebat *ſimilia Agno*, ſed loquitur ut Draco, cum *Regibus* & Principibus illi obnoxiis. Eſt *Babylon myſtica*, Roma Nova, titulo & Nomine Chriſtiana, doctrina & vitiis corrupta, rubens ſanguine martyrum, quem large hauſit, ejuſque ſitibunda. per *Draconem* vero *marinum*, eæ ipſæ Poteſtates ſæculares quas modo demonſtravi. Priori ſyſtemati duo adhærent vitia; primum quidem, quod *Draco Marinus* in expoſitione typica *tenuem* nimis recipiat expoſitionem, ſi de *Regibus Arabiæ* aut vicinis quibuſdam Principibus adverſariis Populi Dei temporis Aſſamonæorum explicetur. *Reges* enim *Arabiæ* Ammoniticæ & Petrææ illo tempore nondum pervenerant ad ſtatum amplæ poteſtatis, quem brevi poſt aſſecuti ſunt; nec notabili adeo Dei judicio deſtructi fuerint, ut dici poſſint *magno* & *duro* Dei gladio cæſi eſſe: alterum, quod locum in hoc ſyſtemate nullum obtineat *Romanum Imperium Paganum*, quod in cenſu Perſecutorum Eccleſiæ negligi poſſe non videtur. Placuit itaque mihi Syſtema mearum meditationum poſterius, quod vitia hæc excludit, & prophetiæ eleganti ſecundum ampliſſimam ejus interpretationem ſatisfacit. Suppono

Duæ hypotheſes præ cæteris proponuntur. Prima. Typice.

Antitypice.

Altera meditatio. Intelligi tres ſpecies Perſecutorum Eccleſiæ, qui ſequentibus temporibus in Mundo ſucceſſive exiſterent & à Deo severe puniendi eſſent.

Quæ diſtinctius exponitur.

Utriuſque hypotheſios examen.

Vitia ſyſtematis ſive hypotheſios prioris.

Poſterius commendatur. Sententiæ ejus planior expoſitio.

Tom. II. L

[a] *Hiſt. Nat.* Lib. VI. Cap. XX. [b] Apoc. XIII. 11.

Spiritus hic in tabella exhibere voluit omnes ſpecies Perſecutorum Eccleſiæ.

pono itaque hic, *α*. Spiritum Dei in brevi tabella voluiſſe exhibere *ſpecies* Regnorum & Imperiorum Mundi quæ perſecutionem intentarent Eccleſiæ Dei in his terris, quorum typum & figuram ſuſtineret *Antiochus Epiphanes*, horum Perſecutorum vere Primus, (ſi Izabelem, Achabi conjugem ſeponas:) qui Populum Dei cauſſa Religionis ſuæ afflixit, ejuſque proximi Succeſſores, in cujus judicio omnes alii judicandi, ſive præjudicandi eſſent. β. Sententiam Prophetæ, qua *Deum* ILLO TEMPORE *viſitaturum eſſe* dicit *Leviathanes* & *Draconem marinum*, (quæ ſententia de *actu completo* ad primam ſpeciem intelligenda videtur,) eſſe interpretandam *inchoative*, h. e. Deum illo tempore *incepturum* eſſe vindicare Perſecutores Eccleſiæ, & ſpecimen editurum ſuæ in eos vindictæ, idque ſuum judicium *ſucceſſive* per varios temporum gradus & articulos eſſe *conſummaturum*. Hanc hypotheſin nemo paradoxam dixerit, niſi hoſpes in Verbo Prophetico, ubi omni loco & pagina fere exempla hujus locutionis occurrunt. complementa eventuum ubique ſuis initiis involvuntur; ut paſſim in omnibus prophetiis quæ de initiis Manifeſtationis Regni Dei agunt: quod ad ſuperiores partes hujus prophetiæ frequens obſervavi, & exemplis docui, ut ante me Doctus Grammaticus, hunc *Canonem* interpretationis adferens & illuſtrans [a]. Initia autem typicæ *Manifeſtationis* illuſtrioris Regni Dei, quæ *veram* & *antitypicam* præcederet, referri in prophetiis ad tempora Aſſamonæorum, certiſſimum habeo, & in ſuperioribus idem quoque non ſemel monui. Quæ ſi conſiſtant, reliqua me non deſtituent. omnia conſentient. Prodit igitur hic primo loco *Serpens Leviathan* RECTUS, Crocodilus, inquam, figurans eam ſpeciem Poteſtatum Perſecutricium Eccleſiæ, quæ Eccleſiam Dei veram in hiſce terris *directe* impetit, abſque falſo ac doloſo obtentu. Horum primus fuit, ut dixi, Antiochus Epiphanes, ſævus perſecutor veræ Eccleſiæ, idem molitus quod olim PHARAO, ut ex Populo Judæo cum Syris conjuncto *unam* faceret *Gentem*, eaque de cauſſa, deſtructa Religione vera, Judæam Gentem niſus perducere in communionem idololatriæ Græcanicæ, Jovis Olympii, Apollinis, Veneris: qui hic proponitur ſub imagine CROCODILI, *corporis* Haſidæorum *avidiſſimi*, ore patulo & ingente rictu huic prædæ inhiantis. Antiochus autem hic præteriri nequit, cum ſequentia (℣ſ. 6. 9. 12. 13.) doceant, primum implementum hujus prophetiæ neceſſario quærendum eſſe circa tempus inſtauratæ Reipublicæ Judææ per Aſſamonæos. Illum vero ipſum Regem Potentem à Deo proſtratum eſſe ILLO DIE graviſſimis ejus & extraordinariis Judiciis in ſe ipſo, & ſucceſſoribus ſuis, demonſtravi ad Cap. XXIV. 21. quem locum hic noſter interpretatur. Equidem *Judicia* quibus Deus Regnum *Syriæ* proſtravit ac ſubvertit, tam fuerunt magna ac pertinacia, ut incurrerint in ſenſum omnium Populorum. Pertinent vero ad hanc ipſam *ſpeciem* Imperatores Romani, Perſecutores Eccleſiæ, veluti Nero, Domitianus, Decius, Diocletianus, Galerius, Maximinus, in quibus veluti reſuſcitatus eſt & ſe cum vera ſua ſpecie rurſus conſpiciendum præbuit *Antiochus Epiphanes*: unde Spiritus S. in *Apocalypſi* in deſcribenda Perſecutione Romanenſi adverſus Eccleſiam inſtituenda, phraſes & emblemata locutionum ex Daniële, Perſecutionem Epiphanicam deſcribente, & ex hiſtoria hujus temporis, deſumit. Individua & nomina mutata ſunt: ſpecies & res ipſa eadem. Magna illa corpora ab eodem Spiritu, h. e. à Spiritu odii veritatis, ſævitiæ, tyrannidis, fuerunt animata. Ipſe Spiritus in *Apocalypſi* [b] Romanum Imperium Paganum, ſive *Præſides* illius *Imperii* per quos Satanas perſecutus eſt Eccleſiam, proponit ſub figura DRACONIS *Rufi*, *Septicipitis* & *Decemcornupetæ*, parati ad deglutiendum *Fœtum Maſculum*, Domitorem Gentium, quem Eccleſia ſecundum promiſſa antiquorum ſæculorum hoc ipſo tempore ederet: ſive alludat ad verum *Draconem*, *pectora arrecta jubaſque* SANGUINEAS oſtentantem, ut loquar cum Poëta [c], par Draconum terribilium deſcribente; ſive ad CROCODILUM, emblemate deſumpto à Moſe, tenello infante, expoſito aquis Fluvii Nili, à Crocodilis deglutiendo. Sed Spiritus utrumque emblema hic inter ſe commiſcuit. Hi vero quos deſignavi, Præſides Romani Imperii hanc perſecutionem inſtituerunt *directe*, abſque fuco & larva, abſque gyris & ambagibus, æque ac Antiochus, & Pharao antiquus, (eſt enim Imperium Romanum *Ægyptus myſtica:*) & ſimilem retulerunt vindictam à *gladio* Dei *magno*, *duro*, *valido*, quem vibravit per Conſtantinum; interque eos præcipui Galerius, Maxentius, & Maximinus. Eſt autem res tam manifeſta, ut eam ipſe viderit Conſtantinus, forte à Doctis Viris de eo ammonitus, tam noſtrum hoc *Vaticinium* quam *Apocalypticum* de Dracone *dejecto de Cœlo in terram*, per ſe complementum conſequutum eſſe [d]. *A* Altera ſpecies huic affinis eſt *Leviathanis ſerpentis* TORTUOSI, qui cum omnia attributa cum *ſerpente* priore communia haberet, hoc maxime ab eo differret, quod cum alter eſſet *rectus*, ipſe TORTUOSUS, & veluti *in ſe verſus*, ipſo Crocodilo adhuc terribilior. Eſt utique aptum ſymbolum *Imperii*, poſt *Draconem* de *cœlo dejectum*, hoc eſt, proſtratam idololatriam Paganam, ex ruderibus collapſi Romani Veteris orituri, ſub alia forma & ſpecie eandem poteſtatem & auctoritatem, à *Dracone* acceptam, Romæ exercituri, eandemque gloriam, ſplendorem, faſtum, (imo majorem etiam,) oſtentaturi, quam Imperatores Pagani Veteres; quod Scriptura ſub emblemate geminæ BESTIÆ depingit [e], ſuffultæ potentia *Decem Regum*, venerabundo obſequio ei ſubmiſſorum: cujus larva tectus Draco perſequeretur τὰς λοιπὰς τῶ σπέρματος τῆς γυναικὸς, RELIQUOS *ſeminis Mulieris* (quæ fœta promiſſis Gratiæ tempore Conſtantini myſtice *ediderat* Chriſtum Jeſum, Domitorem Gentium) *obſervantes præcepta Dei & habentes teſtimonium Jeſu Chriſti* [f], iiſque bellum inferret longius, crudelius, & funeſtius, quam Eccleſia ſuſtinuerat ſub Pagano Vetere. Hoc Imperium *Sæculare-Eccleſiaſticum* quæris cur veniat ſub emblemate *Serpentis* TORTUOSI? Non quæres, ſi attendas. Eſtne enim quiſquam tam ſtupidæ mentis homo, qui oculos hic aperiens non videat, hujus *Novæ Babylonis* ejuſque *Præſidum* & *Doctorum* eſſe, λαλεῖν καὶ πράττειν διεσταλμένα, *contorta loqui* (phraſis eſt Apoſtoli [g],) *& facere?* Docere & facere in ſe invicem incurrentia, & ſe mutuo deſtruentia? ut ſunt v. g. *præferre* CORNUA AGNI, (prædicationem Evangelii, miraculis junctam, quæ illi fingunt,) & *loqui ut Draconem*. h. e. de hominibus idololatriæ & ſuperſtitioni Romanæ refragantibus, exſcindendis, cremandis, delendis, barbara & ſanguinaria ſævitia [h]. profiteri, ſe eſſe *ſervos ſervorum Chriſti*, & interea in celſo Throno ab omnis generis & ordinis hominibus, magnis parvis, *adorari*, ut Deum in Templo Dei. ſe eſſe *ſucceſſores Petri*, & interea oſtentare in ſuperbis Palatiis & Proceſſionibus *faſtum Cæſareum*. eſſe *Vicarios Chriſti*, qui profeſſus eſt Regnum ſuum non eſſe de *hoc Mundo*, & interea *triplici corona* redimitos, ſuo nomine, per ſe ipſos Legatoſve ſuos, Bella gerere cum Populis, ſibi detrectantibus obſequium. negare, ſibi

Quod hic dicitur: VISITABIT, *inchoative* intelligendum eſt.

Secundum vulgatum morem loquendi Propheticum.

Prima ſpecies Perſecutorum Eccleſiæ, figurata per *Leviathanem rectum*.

Eſt *Antiochus Epiphanes*, & illi ſimiles directi Eccleſiæ Perſecutores, *Imperatores Romani*.

Similitudo horum Subjectorum.

Præſides Rom. Imp. in Apocalypſi propo-nuntur ſub Emblemate *Draconis*.

Illorum character eſt idem qui Antiochi.

Inſtituerunt Perſecutionem adverſus Eccleſiam *directe* non *oblique*.

Conſtantinus ipſe id vidit, & obſervavit.

Notabilis de eo locus ex Euſebio.

Altera Species eſt *Serpentis tortuoſi*. Differitur ejus à *recto*.

Symbolum ſuſtinet *Poteſtatis Eccleſiaſticæ*, adverſariæ Regni Chriſti quæ Romæ exerceret *Imperium*, poſt deſtructum Imp. Paganum. Quæ cujuſque ortus deſcribitur.

Optime comparatur *Draconi tortuoſo*.

Doctrina & Praxis Romæ Pſeudo-Chriſtianæ in ſe verſa eſt, & in ſe ipſam incurrit.

Specimina ejus rei.

---

[a] Glaſſ. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. III. Can. III. [b] Apoc. XII. 3. [c] *Æneid.* Lib. II. ℣ſ. 206. [d] Cap. XI. 8. [e] Apoc. XIII. 1. ſeqq. [f] Apoc. XII. 17. [g] Act. XX. 30. [h] Apoc. XIII. 11.

A Eſt de eo locus Euſeb. de *Vita Conſtantini*, Lib. III. Cap. III. animadverſione dignus. Narrat, Conſtantinum poſt victos hoſtes *in ſublimi quadam tabula, ante veſtibulum Palatii poſita, cunctis ſpectandum propoſuiſſe ſalutare quidem ſignum capiti ſuo ſuperpoſitum: infra vero hoſtem illum & inimicum generis humani, qui impiorum tyrannorum opera Eccleſiam Dei oppugnaverat,* κατὰ βυθοῦ φερόμενον ὑπὸ δεξιοτέρου μηροῦ· SUB DRACONIS FORMA IN PRÆCEPS RUENTEM. Exhibuiſſe autem porro Imperatorem eundem *Draconem, telis per medium ventrem confixum, & in profundos maris gurgites projectum.* ad quæ Euſebius ſubjungit: *Mihi vero eximiam Imperatoris intelligentiam mirari ſubit, qui Divino quodam afflatu impulſus ea pingendo expreſſit, &* δι' φωνῆς Προφητῶν ὧδέ πῃ περὶ τοῦδε ἔτι θηρὸς ἐβόων, ἐπαΐειν τὸν Θεὸν λίγυσαν τὴν μάχαιραν τὴν μεγάλην καὶ φοβερὰν ἐπὶ τὸν Δράκοντα, τὸν ὄφιν τὸν φεύγοντα. κ. τ. λ. *quæ Prophetarum vocibus de Beſtia illa multo ante prædicta fuerant;* (ſc. h. l.) *Deum vid.* MACHÆRAM INGENTEM AC TERRIBILEM ADACTURUM ESSE IN DRACONEM, SERPENTEM FUGIENTEM, &c.

fibi fas esse hæreticos, qui sic dicuntur, punire morte; & interea illos miseros, passim innocuos, cremandos tradere Potestati sæculari, cum commendatione clementiæ. se gerere Pastores Ecclesiæ Universalis, & interea temporis sævissimam exercere tyrannidem in verum Christi Jesu Populum. Christum Jesum profiteri *Salvatorem*, & interea Mariæ beatæ Matris ejus, Angelorum, Martyrum, Beatorum, opem ac favorem ardentius in precibus ac Litaniis invocare quam Christi Jesu, eorumque & sua merita cum ejus meritis confundere. interdicere Clericis conjugia, castimoniæ caussa, & Romæ tamen, publico indultu, ferre Lupanaria, eaque *taxare*. Panem & Vinum consecrata in Cœna Dominica docere esse *Sacramentum corporis & sanguinis Christi*, & simul esse IPSISSIMUM *Corpus & Sanguinem Domini*, in quam ἀντιλογίαν Wiclefus suo tempore vehementer declamavit [a]: Augustinum venerari & colere inter primos Patrum, & tamen verissimas ejus sententias de *Gratia* in Jansenio & Quenello publice damnare ac proscribere. Multo plura hujus generis addent alii, quæ ultro prætereo. Viden' in hac ἐπινοίᾳ, in his institutis & sententiis, τὸ σκολιὸν TORTUOSUM illud & *in se mutuo incurrens* quod observas in spiris gyrisque Serpentis? Nihil hic rectum est. mera hypocrisis. aliud extus, aliud intus. Pellis est ovina, sed quæ τὸν δράκοντα κρύπτει, tegit & *occultat Draconem* & Lupum, ut Moschi phrasin imiter [b]. quod hac manu conceditur, alia negatur. Quid ajo? Respice mihi sub hoc *Dracone tortuoso* DRACONEM qui matrem generis mortalium seduxit in Paradiso. Is vero ibi sustinuit imaginem *Pseudoprophetæ* dolosi. Gessit enim se pro *Interprete* Verborum Dei, suamque doctrinam, Divinæ oppositam, sinuosa arte mulieri persuasit. Atqui hic *Draco* serpens *tortuosus* vindicandus erat *gladio* Dei *forti & duro*, h. e. prosternendus gravissimis Dei judiciis, quæ perscripta sunt in *Apocalypsi* e *septem phialis Excandescentiæ Divinæ*, quarum aliquas jam vidit effusas Orbis Christianus cum stupore, ut suo loco clarissime demonstravi. Roma Pontificia hoc tempore vim suam & auctoritatem plane perdidit, & vix præter larvam & speciem antiquam quicquam supereſt; & sustinuit jam gravissima Dei judicia. sed supereſt complementum hujus judicii in plena ac perfecta exterminatione superstitionis, idololatriæ, tyrannidis, impietatis, sive, stylo Scripturæ, חומר כמס THRONI NEQUITIÆ. Vide an illum agnoscere possis in hoc typo sancti Vatis [d]: *An sociabitur tibi*, (oratio est Ecclesiæ ad Deum:) THRONUS NEQUITIÆ? *qui fingit ærumnam præter* STATUTUM? *qui expeditionem faciunt in animam justi, & SANGUINEM INNOXIUM condemnant.* His respondet quod in initio Odæ præscriptum est, (℣. 1.) *Deus* ULTIONUM, *Jehova, Deus* ULTIONUM *effulgebit.* Sunt autem quæ Prophetæ antiqui de hoc specimine Divinæ severitatis nobis reliquerunt, magni exempli, ut Deut. XXXII. 41. 42. Ps. LXVIII. 22. CX. 6. Jes. XI. 4. Eandem sortem experientur Turcorum Otmanidarum, Persarum, Tatarorum Mogulensium, Tataro-Chinensium, & Japanensium Imperia, quæ intellexi sub nomine *Draconis* qui est in *Mari*. Sed intellexerunt jam alii, & res tam est clara ac manifesta, ut qui alibi cæcutiunt, hic videant. MARE contradistinctum TERRÆ & FLUVIIS in Verbo Dei symbolum sustinet Populorum omnium qui sunt extra communionem Ecclesiæ, quod Populi illi faciant vastam multitudinem hominum, à carnalibus affectibus motorum, & qualemcunque impressionem facile recipientium *A*, quæ multitudo apta non est *habitari* à Populo Dei, aut *fructus producere* ullos, Deos gratos. Principes magni, qui in hac multitudine late regnant, sunt *Ceti* & *Dracones marini*; terribiles Belluæ, minores absorbentes, ipsi quoque à Christo Jesu dejiciendi, debellandi, quando Regnum suum late capesset ex voto Ecclesiæ [e]: *Increpa* BESTIAM ARUNDINETI, *cœtum taurorum cum vitulis populorum, qui sibi substernit* FRAGMENTA ARGENTI. Est verus character Otmanidarum, argenti cupidissimorum. Dejicietur autem, prosternetur, ac debellabitur in his Imperiis Christo Domino subjiciendis ipse SATANAS, quod Veteres Mythici involverunt fabula ENCELADI, sive TYPHONIS *Siculi*, præferentis *centum Draconum capita cum* IMMENSIS VIPERARUM SPIRIS, à Jove ad inferiora dejecti & Ætna monte obruti; quam vocem ENCELADUS Bochartus, hanc fabulam illustrans, magna specie deducit ex עקלתון TORTUOSUS, quæ in hac Prophetæ oratione occurrit [f].

Specimina applicantur ad præsens argumentum.

Typus ejus fuit in *Serpente*, qui primos nostros Parentes seduxit in *Paradiso* ut Angelus lucis.

Judicium hujus *Serpentis tortuosi*, illustratum ex *Apoc.* & *Prophetiis* cognatis.

Quod patienter exspectandum est Imperiis majoribus, Muhammedismo aut Paganismo patrocinantibus: h. e. *Draconi, qui est in Mari.*

Mare quid mystice significet?

Locus Ps. LXVIII. 31. ad *Turcas* respicit.

Fabula *Enceladi* hinc illustrata à Viro Docto.

PARS ALTERA hujus Prophetiæ, qua describitur Status Ecclesiæ Liberatæ circa & post tempus quo Deus hostes ejus judiciis suis prosterneret.

Membrum Primum: *Constabilitio illius Ecclesiæ in statu puritatis.*

Pars posterior Prophetiæ exhibens Statum *Ecclesiæ Liberatæ*, ejusque *attributa.*

Membrum primum: *Constabilitio illius Ecclesiæ.*

℣. 2. *In die illa* VINEA erit VINI FERVENTIS. *alternis de ea cantate*] Sequitur *Pars altera* hujus illustris prophetiæ, maxime complexa *Cognata* vel *Adjuncta* hujus magni Eventus *Punitionis* terribilium Ecclesiæ hostium, quem Propheta memoraverat. Nempe Ecclesia purgata igne gravissimæ afflictionis, illo tempore veram suam speciem ostentaret. fervens fide, charitate, zelo veritatis, pietate, puritatemque ac sanctimoniam suam omnium ingerens oculis, se conspiciendam daret in omni sua forma ac decore. qui finis est & scopus afflictionis & probationis Ecclesiæ. quod Propheta eleganti hoc emblemate exhibet, Deum *illo tempore* habiturum esse *vineam vini ferventis.* Sic censeo vertendam esse phrasin, כרם חמר, quam alii vertunt, *vineam meri*; alii, *vineam meri rubentis.* Sed si *vineam* MERI, (οἴνου ἀκρήτου,) dicas: non facile explices emphasin phrasios. omne enim *vinum*, ut natura nascitur, est *merum.* Cl. Bochartus, hunc locum alibi [g] attingens, hoc haud dubie observans incommodum, כרם חמר interpretatur *vitem multo vino fertilem*, cui opponatur כרם בוקק *Vitis vacua*, vel *evacuans.* quæ phrasis est Hoseæ [h]. Sed si hæc mens fuisset Prophetæ, & largiar, phrasin hanc interpretationem pati posse: cur non scripsit, *vitis* יי *vini?* cur quæsivit emphasin in voce חמר? Est itaque mihi persuasum, alludi hac voce ad *vini* præstantiam, ejusque naturam. Nec reddi etiam potest per *defæcatum*, cujus significationis vox capax est, quia vitis nulla *defæcatum* profert. Ergo *vitis* חמר est vinum præstantius & fortius quod ob copiam spirituum uva expressum facile *fervet* sive *fermentescit*, & *faces* deponit. Id vero optime convenit significationi vocis חמר, quæ sive de *aqua* sive de *vino* usurpetur, notat *effervescere*, *faces* vel *limum egerere*, ut optimus auctor docet Avenarius. Non nego autem id proprium maxime esse *vinorum gilvorum*, vel *subruforum*, rubentium, quæ Græce recte dixeris ὑπέρυθρα, vel ἐνερευθῆ, *subrufa*, (qui verus color *Sanguinis* est,) secundum eam significationem posterioris vocis quam alibi erudite adstruxit Casaubonus [i]. Et vere ad *fervorem* vini, qui in *sanguineo* vel *gilvo* colore major videtur inesse, atque adeo ad colorem *rubedinis* hic simul respici, non ex eo tantum colligo, quod vina hujus coloris in Canaanæa commendabiliora essent quam *alba* [k], verum etiam quod Moses eadem hac notione eo sensu utatur in Cantico, his verbis [l]: *Et* SANGUINEM UVARUM *bibis* חמר MERUM, meracum. fervens, quod se ipsum facile exonerat fæcibus. Kimchius id hic pluribus

Nexus cum oratione superiore.

Propositio: *Deum* illo tempore habiturum esse *vineam vini ferventis.*

Vinea חמר an recte hic vertatur per *vineam meri?* Cl. Bocharti conjectatio.

Sunt quæ ei obstant.

חמר hic notat *Vinum præstantius*, quod facile efferveſcit.

Attributum proprie convenit *Vinis rubicundi coloris.*

Conjectura suadetur ratione.

Locus Deut. XXXII. 14. Kimchii observatum.

[a] *Dialog.* Lib. IV. Cap. II. III. seqq. [b] Ejus est, κρύπτειν ζῶνα. [c] Apoc. XVI. 1. seqq. [d] Ps. XCIV. 20. [e] Ps. LXVIII. 31. [f] De *Colon. & Serm. Phœn.* Lib. I. Cap. XXVIII. [g] *Geog. S.* Part. II. Lib. I. Cap. XXIX. [h] Cap. X. 1. [i] Ad Athen. Lib. I. Cap. XX. [k] Prov. XXIII. 31. [l] Deut. XXXII. 14.

[A] Sic Ætolorum Legati apud Polybium, *Excerpt. Legation.* Tom. II. pag. 1155. Εἶναι γὰρ τὸ συμβαῖνον ὃ ταῖς πολιτείαις καὶ τοῖς πλήθεσι, θηριωδέστατον γινόμενον καὶ τῶν θαλαττίων. &c.

Analogia spiritualis favet.

bus urget, non tantum docens, *rubri coloris vina* optime habita esse, verum etiam usum hunc vocis חמר *obtinere* apud Arabes. Favet insuper hæc interpretatio vocis rei spirituali, cui hoc emblema aptatur. Quid enim hic per *vineam* vini *ferventis* & *rubentis* aliud intelligas quam *Ecclesiam* Dei, externa quidem specie minime commendabilem, sed intus præstantioris naturæ & Divini satus, proferentem fructus Deo & hominibus gratos; fidei puræ, charitatis ardentis, fervidissimi zeli Religionis, afflictionibus & *sanguine* multorum illustrati, in precibus *ardentibus* ad Deum fusis, glorificatione Divini Nominis, ac confessione veritatis; castimonia, compositione ac moderamine morum; & studio omnium virtutum Christianarum intensissimo. Lucas de Apollo [a]: Καὶ ζέων τῷ πνεύματι, Et FERVENS SPIRITU, & seqq. Apostolus [b]: Τῷ πνεύματι ζέοντες. Petrus [c]: *Ex corde* PURO *alii alios diligite* ἐκτενῶς INTENSE. Causa est *ignis cœlestis*, (dona Sp. S.) quo credentes veri sub Oeconomia N. *baptizantur* [d]. Talis est Ecclesia quæ prodit ex *camino afflictionum*, igne purgata ac detersa. Deus apud Zachariam, Cap. XIII. 9. *Et tertiam illam partem adducam in* IGNEM, *& purgabo illos ut purgatur* ARGENTUM, *& probabo illos ut probatur* AURUM. Confer insignem locum quo describitur similis Ecclesiæ status Ps. LXVIII. 14. *Ubi jacetis inter strues*, apparent *alæ columbæ obductæ* ARGENTO, *& cujus pennæ sunt cum* FLAVEDINE AURI. Cant. II. 14. COLUMBA MEA, *in* FISSURIS PETRÆ, *in latebra fastigii, monstra mihi vultus tuos; fac audiam vocem tuam, quia vox tua suavis est, & vultus tuus decorus.* Apoc. VII. 14. *Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna, &* LAVERUNT STOLAS SUAS, *& dealbarunt sanguine agni.* De emblemate *vineæ* ad alium Prophetæ nostri locum uberius egi [e]. Quæris hanc Ecclesiam *ferventis* MERI ac rubentis? Demonstro tibi ex primo sensu Prophetæ *Ecclesiam* HASIDÆORUM, quæ tota constitit Ζηλωταῖς ZELOTIS, h. e. ferventibus studio Legis ac Religionis Patriæ. quæ propriissima illorum appellatio fuit. actus ipse ζηλεῖν τῷ νόμῳ, *zelotam agere Legis*, sæpe laudatus in Historia [f]. Sed *literalis* hic aspectus nos ducit ad *spiritualem* & verum, quo nullum Ecclesiæ statum excludo, secundum veram Prophetæ mentem, quo Ecclesia *eluctata* gravissimas persecutiones, eidem intentatas ab iis hostibus suis capitalibus, qui hic consignantur, & per easdem persecutiones & afflictiones purgata, se purius, nitidius, & fructuosius ostentavit oculis Dei, Angelorum & hominum. Fuit hic verus aspectus Ecclesiæ Apostolicæ, per afflictiones varias exercitæ ac purgatæ, quandiu in ea *prima* viguit CHARITAS [g] quæ *humilitatem, puritatem, zelum Religionis* & intensum *studium* omnis *virtutis* includit. Altera laus est, ut alia negligam, Ecclesiæ per gravissimam persecutionem decennalem Diocletianeam expurgatæ, quæ *Draconem* dejectum vidit *de cœlo*, & hostes suos in Maximino, persecutorum illius temporis ultimo, excisos, prostratos, vindicatos, eaque de causa in jubila, doxologias, & gratiarum actiones effusæ, mirifica rerum catastrophe: cujus statum æque ac interitum hostium Eusebius [h] graphice depingit, pleraque illuc referens vaticinia altisona de funesto interitu adversariorum Ecclesiæ olim edita. Tertius conspectus est *Ecclesiarum Protestantium*, vindicatarum in Germania, Gallia, Anglia, Scotia, & Belgio hoc nostro à sævissima insectatione potentium Principum, excidio earum intentorum, cum notabili eorum punitione; quæ quales se in initiis suis ostentarunt, puræ fide, flagrantes zelo, ferventes charitate, non sunt mentitæ imaginem *vineæ* חמר *vini ferventis*, & sub titulo Ecclesiæ *Philadelphenæ* laudabile à Domino retulerunt testimonium [i]. Et est tamen adhuc quid majus, quod juxta propriissimum *sensum mysticum* & *antitypicum* hujus Oraculi exspectamus. Ubi enim Dominus absolverit magnum suum opus in perditione plenaria hostium Ecclesiæ, & subjectione Imperiorum Mundanorum, abolitione Idololatriæ, superstitionis & tyrannidis, & Reductione Gentis Judææ ad sinum Ecclesiæ, post antecedaneam probationem gravissimam: eam Ecclesia præ se feret puritatem, sanctimoniam, decus, splendorem, ut visura sit esse cœtus candidatorum hominum, qui stolas suas *dealbarint in sanguine Agni*, à Divina gloria illustratorum [k]. quem Ecclesiæ statum, verum antitypon *vineæ ferventis meri*, Propheta noster suis locis copiose describit [l]. Illa certe, qualis apud Prophetas nobis in typo & imagine exhibetur, merebitur *alternis cantari* ac celebrari, (quæ vis vocis ענה ex usu Veterum sibi mutuo per Choros oppositos dicta reddentium jam satis illustratus est [m]:) cum hactenus omnes Ecclesiæ status, qui certis respectibus merebantur laudari, non excluserint vitia, quæ laudem ejus obscurarunt.

Ecclesia hæc primo est *Maccabæica*: complenda in Apostolica Christiana.

Sensus spiritualis.

Aspectus Ecclesiæ Apostolicæ.

Et purgatæ ac probatæ tempore Constantini.

Status illius depingitur.

Eusebii de ea testimonium.

Species Ecclesiarum Protestantium, Ecclesiæ Maccabaicæ analoga.

Locus Apoc. III. 7. 8.

Perfectum implementum prophetiæ.

Status Ecclesiæ extremi temporis maxime merebitur laudari.

Alterum Ecclesiæ attributum: *Dei circa eam cura ac providentia singularis.*

Alterum ejus attributum: *Dei circa eam cura ac providentia singularis.*

Analysis hujus Periocopæ.

Deus hic rursus loquens introducitur sub Nomine JEHOVA.

Quæ illius vis in h. l.

Ipse est VINITOR.

Cura gratiæ ejus hic opponitur *severitati* superiori.

Primum beneficium hic est *Curatio*, propositæ voce נצר quæ describitur.

Deus præstat Ecclesiæ suæ Beneficium *Conservationis.*

Beneficium alterum ei analogum.

Alterum Membrum sive *Attributum* illius Ecclesiæ: *Dei erga eam Cura* ac *Providentia* singularis.

℣. 3. *Ego Jehova* CURO EAM; *singulis momentis* IRRIGABO EAM: *ne quis* ADVERSUS EAM VENIAT hostis, *noctu atque interdiu eam* CUSTODIAM. ℣. 4. *Excandescentia non est mihi. Quis* MIHI OPPONAT SENTEM *aut veprem* IN BELLO? *gradiar hostiliter per eam; incendam eam pariter.* ℣. 5. *Nisi* APPREHENDAT ROBUR MEUM: *faciat mecum pacem: pacem*, inquam, *mecum faciat.*] En luculentam testificationem Divinæ gratiæ & clementiæ erga Ecclesiam: suæ erga eam curæ, & affectus constantis ac durabilis! Complectitur Pericopa elegans recte intellecta, α. *Declarationem* consilii gratiæ erga Ecclesiam, ℣. 3. β. Ejus *Rationem*, cum necessario temperamento, ℣. 4. 5. *Declaratio Consilii gratiæ* erga Ecclesiam, propositam sub emblemate *Vineæ vini ferventis & puri*, tria beneficia comprehendit. (a.) CURAM ejus. (b.) IRRIGATIONEM. γ. CUSTODIAM. quæ Propheta ipsius Dei JEHOVÆ nomine, quem hic rursus loquentem & consilium gratiæ suæ declarantem introducit, proponere mavult quam suo, ut orationi tanto majorem emphasin addat, & simul demonstret, ea bona involvi genuina significatione Nominis JEHOVA, sacramenti Fœderis Gratiæ. Deus vi nominis *Jehova* habet *vineam* in hisce terris, quam ipse *curat*. Ipsius est VINITOR, ut Propheta illum depinxerat, Cap. V. 1. & γεωργὸς, AGRICOLA, ut Dominus de Patre suo [n]. magnus Episcopus, magnus Curator & Procurator Ecclesiæ suæ. O rem mirabilem! Sunt autem *Beneficia* quæ huic suæ *veræ Vineæ* præstat, opposita illi *Judicio* severo, quo prosequeretur *adulterinam*, de quo suo loco (Cap. V. 5. 6.) vidimus. quod Interpres Hebræus diligenter observavit. Primum beneficium exponitur voce נצר, cujus est ampla significatio. notat *retinere*, (unde Cl. Coccejus vertit: *Retineo illam.*) *servare, observare, curare, custodire.* quæ singula cum lateant in potestate vocis *curare:* adhibui eam in versione. Sic Prov. XXVII. 18. *Qui* CURAT (נצר) *ficum, comedet de fructu ejus.* Est is actus Divinæ erga Ecclesiam Providentiæ & Gratiæ, quo Ecclesiam, in terris fundatam ex proposito gratiæ, in omni statu suo vigile oculo observat, sustinet, defendit, confirmat, necessariis gratiæ subsidiis fulcit, munit, & denique purgat & solum ejus pastinat, ne inter scandala ei ab hypocritis objecta, inter adversa, afflictiones, impetus hostiles & tempestates à Satana concitatas, intereat, obruatur, exscindarur, sed æternum duret ac subsistat, usque ad *consummationem sæculorum* [o]. Amosus [p]: *Fundat in terris* FASCICULUM suum. Ecclesiam suam. cœtum scriptorum in Libro vitæ. Chaldæus: *Ego Dominus servo iis pactum Patrum suorum, & non consumam eos.* Versio est liberior, concepta ex ea significatione vocis נצר qua notat *retinere*. Alterum beneficium est, *irrigatio vineæ*. Intelligitur, quod intelligunt omnes, ἡ ἐπιχορηγία, *subministratio* larga donorum Sancti Spiritus ad profectum in omni *intelli-*

---

[a] Act. XVIII. 25. [b] Rom. XII. 11. [c] 1 Pet. I. 22. [d] Matth. III. 11. [e] Ad Cap. V. 1. [f] 1 Macc. II. 24. 26. seqq. [g] Apoc. II. 4. [h] *Hist. Eccl.* Lib. IX. Cap. XI. Lib. X. Cap. I. II. [i] Apoc. III. 7. 8. [k] Apoc. VII. 13. [l] Confer Cap. LX. 1. seqq. [m] Exod. XV. 21. 1 Sam. XVIII. 7. [n] Joh. XV. 1. [o] Matt. XVI. 18. XXVIII. 20. Joh. X. 28. [p] Cap. IX. 6.

telligentia ſpirituali (συνέσει πνευματικῇ.) cognitione viarum Dei, & mediorum ſalutis ad eam ducentium, h. e. inſtitutionis ſolidæ, claræ, copioſæ; conjuncta cum influxu ejuſdem Spiritus ejuſque gratiæ ad corroborationem fidei & ſpei, charitatem, humilitatem, puritatem, ſanctimoniam, pietatem, omnemque cultum, ſtatui Eccleſiæ convenientem. Utor autem hic lubens voce ἐπιχορηγίας, ut omnium propriiſſima ad influxum Divinæ gratiæ in Eccleſiam declarandum, qua Apoſtolus Gentium in hoc caſu lubens & frequens uſus eſt [a]. Deus habet in Mundo *Candelabrum*, ſemper lucens, cui *jugiter* ſubminiſtrat *oleum* per *lecythos* & *canales* ad id aptatos, quod per figuram docte exponitur in Viſo hujus argumenti apud Zachariam [b]. Id vero ipſum eſt quod hic dicitur, Dominum eam per *momenta ſingula* irrigare. Quam dictum pulchre & ad rem! Indiget enim Eccleſia, indigent ſingula Eccleſiæ membra *perenni* & *non intermiſſa* hujus gratiæ ἐπιχορηγίᾳ ad ſpiritualem profectum; non minus quam corpus continuo ſpirituum animalium influxu, in illud ex capite derivando, ſi animalem vitam tuiturum conſervaturumque eſt. Minus acute inſpexit in præclaram ſententiam Hieronymus, ubi vertit: *Repente propinabo ei.* Tertium eſt quod additur: *Ne quis adverſus eam veniat* ſc. hoſtis, *die atque nocte teneo eam.* ſic fere Coccejus. Mallem: *cuſtodio eam.* etſi eadem vox נצר hic uſurpetur, ſed quæ omnino etiam notat *cuſtodire*, ut ſatis notum. Idem Vir Eruditus docuit, vocem פקר *viſitare*, conſtructam cum על, ſignificare, *venire contra aliquem*, idqueadſtruxit ex locis Jer. IX. 24. 25. XIII. 21. (licet etiam aliam in aliis circumſtantiis admittat ſignificationem:) & vocem hic ſumi *impersonaliter*, ut proprie vertenda ſit: *Ne veniatur adverſus eam.* Hieronymus hic τὸ γράμμα perfecte expreſſit: *Ne forte contra eam viſitetur.* Alias ſubintelliges *hoſtem*, eodem permanente ſenſu. Aben-Ezra, poſtquam recenſuiſſet alias ſententias R. Jonæ & Iſaaci, addit: *Sed R. Moſes Haccohen dicit: Ne adverſus eam viſitet* (veniat,) האויב *hoſtis, cuſtodiam eam &c. idque mihi placet.* Et mihi quoque. eſt enim omnium quæ hic proferuntur, interpretationum aliarum facillima. violenta contra ſpecimina R. Jonæ Grammatici & R. Iſaaci, filii Saulis, quæ ibi producit *A*, etſi ſenſus non ſint ſpernendi. Ergo quid deeſſe poterat vineæ provide *procuratæ* & ſingulis momentis *irrigatæ*, præter *defenſionem* ac *cuſtodiam?* Eam vero Deus, inter cujus titulos eſt שומר ישראל *Cuſtos Iſraëlis* [c], dehinc ita præſtaret Populo ſuo, ut Eccleſia publicis perſecutionibus & afflictionibus libera præſidio Divino tuta & ſecura eſſet. quod ſane Eccleſia Aſſamonæorum experta eſt quandiu ipſa hanc prærogativam ſuam, alias Poteſtates reſpiciendo, non abnegavit. Sic de ea Dominus apud Zachariam, quem locum cum hoc noſtro conferri velim [d]: *Et metabor domui meæ* PRÆSIDIUM *adverſus tranſeuntem & redeuntem.* h. e. Exercitus Syriæ & Ægypti ſub Seleucidis & Lagidis ultro citroque Canaanæam *tranſeuntes* & *redeuntes.* quæ hic certa eſt interpretatio. Ejuſdem dictum eſt [e]: *Et ero Hieroſolymæ in* MURUM IGNEUM. De Eccleſia N. T. huic analoga Vates Sacer in Apocalypſi [f]: *Is qui inſidet throno umbraculo illos proteget*, vel *obumbrabit. non eſurient, nec ſitient amplius:* NEC CADET *in eos* ULLUS *Sol, vel æſtus.* Certe Eccleſia Proteſtantium hactenus non pervenit ad illam ſtatus ſui perfectionem quæ hic depingitur, & tamen in graviſſimum incurreret ingrati animi crimen, ſi non agnoſceret ſingularem Dei curam ac Providentiam in Populo qui egreſſus eſt Babylonem, huc uſque ſuſtinendo, procurando, irrigando, & defendendo in pleriſque locis in quibus purior cultus fundatus fuit; habetque vere Germania vindicata per Mauritium Saxonem adverſus Carolum V, Britannia tota & Belgium hoc noſtrum graviſſimam rationem ſe in hoc ſtatu reſpiciendi, ut & Helvetia; ac Geneva tot à longo expoſita inſidiis, ex tot ignibus ſervata. Novi interim, & hæc ſcribenti obverſatur, quid paſſa ſit in Gallia & Regnis Domui Auſtriacæ ſubjectis: ſed ſunt hujus Judicii Divini arcanæ rationes; quas ante eventum explicare velle, non eſt hominis conſulti ac prudentis: & forte tamen hic plane non cæcutimus. Nobis in id maxime incumbendum eſt, ut præſtemus vera attributa VINEÆ FERVENTIS VINI, quando certi & plane perſuaſi erimus, Deum opus ſuæ gratiæ ac providentiæ tutricis erga nos non eſſe neglecturum. Vide quæ ſcripſi ad Cap. XXVI. 2. ad quem locum Int. Græcus in verſione horum verborum videtur reſpexiſſe, etſi interpretationem hic procuderit alieniſſimam. Otii noſtri non eſt, illam relegere & ἀναπίνεσθαι, & in rem noſtram nullius utilitatis.

Moderamen *Judicii* hic adhibendum.

Tranſeo itaque ad *partem* Pericopæ *alteram*, quæ *Rationem* explicat hujus *Propoſiti gratiæ* Divinæ cum *temperamento*, vſ. 4. 5. in qua plus eſt quod nos exerceat. Exordium ſententiæ eſt: EXCANDESCENTIA (quæ vera eſt notatio vocis חמה) *non eſt mihi.* Id Intt. paſſim recte acceperunt. Senſus eſt, Deum in Eccleſiam ſuam non eſſe male affectum: contra vero, eſſe bene & optime affectum. ſi ſubinde in eam animadvertere videatur gravius, non eſſe effectum *excandeſcentiæ*, ſed *charitatis* atque in eam veri affectus; petendaſque eſſe ejus providentiæ rationes à ſublimioribus cauſſis, quæ Deo in ea via qua tendit ad maximam gloriæ ſuæ manifeſtationem, potiſſimum probantur. Addit Propheta *temperamentum*, ne quis dictum *abſolute*, verteret in argumentum erroris, in hunc ſenſum: Si vero forte iram atque excandeſcentiam exerceam, quæ tendit ad hominum perniciem & exitium, (quod utique experientia omnium temporum docet:) non exardeſcit illa niſi erga *ſentes & vepres*, inutile lignum & nocivum, hoc eſt, hoſtes & adverſarios meos & Populi mei, impœnitentes, infructuoſos, ſteriles, profanos, hypocritas, qui ſibi nomen *Vineæ*, h. e. *Eccleſiæ*, *adſciſcunt*, licet ad eam non pertineant, vera juſtitiæ meæ punientis objecta, ut ea *incendat* ac conſumat; quæ ab hac mea *ira & excandeſcentia* liberari non poterunt, niſi forte cum *pœnitentia* vera præſidium quærant in mea *gratia* & mihi in gratia concilientur. quem ſenſum commodum, concinnum, bene cohærentem, involvi putem verbis, quæ ſequuntur: *Quis committat me cum ſente, vepre,* (ἀσύνδετον frequentis uſus, pro *ſente* ET *vepre:*) *in bello, &c.* Hebraice: מי יתנני שמיר שית במלחמה quæ Intt. aliqui infeliciſſime tractarunt ob unum obſervatum, quod ſanum eorum intellectum præſtat, neglectum. Verterunt enim verba paſſim, ut ipſi quoque Belgæ: *Quis me ponat in bello ut ſentem & veprem.* vel, ut Tigurini: *Quis reddat me ut ſim vepres & ſpina in bello, ut iniquius quid contra eam deſignem, & eam ſimul incendam.* Adſcribit Doctiſſimus Vir, Lud. de Dieu, poſtquam hæc recenſuiſſet: *Non vidi interpretationem, quæ melius arrideret, & vel dejerare auſim, eos rem acu tetigiſſe, cum aliorum omnium mihi alieniſſimæ videantur.* Sed forte opus non fuerit in re maxime dubia, &, ut ego putem, minime probabili, ulla aſſeveratione, minus etiam, dejeratione. Videamus interim quomodo ipſe porro inſtituat. *Nos paulo preſſius*, ait, *ſed eodem omnino ſenſu, ſic reddimus:* Iracundia non eſt mihi: quis ponet me veprem, ſentem in bello, ut gradiar adverſus eam, & eam ſimul incendam? *Id eſt, deſiit ira mea in Eccleſiam, nec quiſquam eſt qui eam adeo accendere rurſus queat, ut in bello efficiar Eccleſiæ meæ ſentis ac vepris, atque incedens adverſus eam, totali incendio eam perdam.* Eodem fere modo Belgæ noſtri. Miror profecto, Doctis Viris id ſe potuiſſe probare. partes enim orationis vere ſecundum hunc ſenſum minime videntur cohærere. Primo enim paradoxum videa-

Altera Pericopæ Pars. Exordium: *Excandeſcentia non eſt mihi.* Senſus dicti.

Temperamentum hujus dicti: Deum tamen *excandeſcere* & *ira* ſua conſumere *ſentes* & *vepres.* Paraphraſis ſententiæ Prophetæ.

Ἀσύνδετον in verbis, *Sentis, vepres.*

Variæ verſiones ſententiæ Prophetæ.

Lud. de Dieu animadverſio non laudata.

Ejus ipſius Verſio, ut & aliorum.

Quæ non admittitur. Deus bellator, oppu-

a Eph. IV. 16. Phil. I. 19. Gal. III. 5. Col. II. 19. *b* Cap. IV. 1. ſeqq. *c* Pſ. CXXI. 4. *d* Zach. IX. 8 *e* Cap. II. 9. ex *Diſt. Heb.* *f* Cap. VII. 16.

A Prior eſt: *Non veniam adverſus eam.* ut לֹא ſumatur pro לוֹ, & י pro א, acſi ſcriptum eſſet: לוֹ אפקד *Non viſitabo.* Altera: *Ne quis in ea quid deſideret.* ex Num. XXXI. 49. ubi פקד notat *deſiderare.* ſed non ubi conſtruitur cum על.

gnans hostes non recte proponitur sub imagine *sentis* ac *vepris*.

tur, Deum bellatorem, hostile quid veluti oppugnaturum, hic proponi sub imagine *sentis* ac *vepris*. Exercitum Assyrii, telis, sagittis, & instrumentis nocivis instructum, & ad judicium Divinum paratum, venire sub hoc emblemate Cap. x. 17. lubens largior: sed singularem bellatorem prodeuntem in prœlium comparare *senti* & *vepri*, novum mihi videtur & parum habere elegantiæ. Deinde, quomodo *senti* ac *vepri* conveniat *vineam accendere* & *consumere?* Equidem id agere posset *accensa* ipsa: sed sic aliud rursus requiritur subjectum, sc. ignis, ad comparationem supplendam. est enim *sentis* & *vepris*, ligni sterilis & inutilis, ab igne succendi & consumi; non vero, quid aliud accendere & consumere. Addo, secundum hanc interpretationem *commati* sequenti difficulter tolerabilem dari sensum, qui sententiæ hujus *versus*, ut à Doctis Viris concepta est, cohæreat. Vera hypothesis hujus sententiæ interpretandæ est, Deum ipsum hic introduci tanquam hostem *iratum* atque excandescentem, qui *sentem* & *veprem*, hoc est, impios, rebelles, & transgressores Legis suæ sit consumpturus, nisi secum fecerint pacem. quem sensum in hoc loco quoque vidit Cl. Coccejus, & tamen constructionem verborum aliter disposuit. Vertit ille: *Quis dat me sentis, vepres, in bello? transeo per illam, incendo illam pariter.* Obscura videtur versio, & aptavit tamen ei sensum commodissimum, in hanc fere formam: *Quis qui sentis ac vepres est, me ponat in bello; (quemadmodum agricolam aut Dominum vineæ sentes ac vepres ponunt in bello, h. e. cogunt, vitibus exemptis, solum vineæ pastinare, vel etiam sentes accendere:) gradiar adversus illum, &c.* In sensu nihil desidero. is ipsus est, quem intendo. In versione etiam nihil est vitii: nisi tamen quod constructio verborum, secundum hypothesin meam, facilior videatur. Videlicet difficultas, quæ in hac sententia residet, nascitur præcipue ex *constructione* hujus membri orationis, מי יתנני שמיר שירת במלחמה quod vulgo vertitur: *Quis me ponat sentem ac veprem in bello?* Et verti tamen potest, & debet quoque ex sententia nostra: *Quis* PONAT (sive det, objiciat, opponat,) MIHI *sentem ac veprem in bello?* h. e. quis me cum sente & vepre in bello committat? Quis qui *sentis* & *vepres* est, mecum bello experiri velit? Est itaque יתנני in hoc loco idem quod יתן לי *ponat mihi.* objiciat mihi. secundum canonem usu satis receptum, & ab Erudito Grammatico illustratum [a]: *Affixum, nomini vel verbo additum, quandoque pro separato, seu absoluto pronomine usurpari.* ut Ps. cxv. 7. ידיהם *Manus illorum* pro ידים להם *Manus sunt ipsis.* Aben-Ezræ sententia (utique Docti Viri apud illum,) ab hac nihil fere differt, quæ hic supponit *ellipsin* præfixæ ב in vocibus שמיר שירת. Verba ejus adscribam cum ad rem faciant: *Quis ponat me*] *Scriptura hic loquitur more humano. est autem ellipsis præfixæ* ב, (*ut verbis: משרת ימים Exod.* xx. 9.) *ut integra sententia ita se habeat:* מי יתנני בשמיר ובשירת *Quis ponat me* CUM *sente & vepre, quæ sunt in vinea, in bello.* Alterum tamen illud non negligit quoque. Sic deinceps: מי יתנני כמו מי יתן לי *Quis ponat me*] *Idem acsi scriptum esset: Ecquis ponat mihi?* (det mihi?) *Ut in exemplo.* (Jos. xv. 19.) *Quia terram Austri* נתתה לי *pro* נתתה לי DEDISTI MIHI. Sic exsurgit sententia Prophetæ: Non esse apud Deum *iram* & *excandescentiam* erga Ecclesiam veri sui Populi, quam appellaverat *Vineam rubentis meri.* è contrario vero in eam optime esse affectum. Si autem ira sua subinde atque *excandescentia* exardescat, ejus verum & proprium objectum esse *sentes* & *vepres* quæ *in vinea* sua subnascuntur, hoc est, peccatores & hypocritas, lignum inutile, sterile, nocivum. adversus hos sibi *bellum* & *pugnam* esse, non adversus *vineam.* qui si Deo vineam suam curanti occurrant, aut se objiciant: certissimo incendio perituros esse, nisi resipiscant & *robur* ejus *apprehendant.* Imo vero Deum ultro veluti *bellatorem* adversus eos *progressurum*, cum illis *conflicturum*, eosque consumpturum esse, quæ hic est emphasis vocis יחד. notat hic per *sentes* & *vepres* grassari ad eos destruendos. Supposui autem in hac paraphrasi duo, absque dubitatione verissima. *a.* Per *sentem* & *veprem* in hoc loco intelligi PECCATORES *Populi Dei,* (phrasis est Amosi, Cap. ix. 10.) h. e. hypocritas, profanos, malos, irrisores, fœdifragos, qui incedunt in duritie cordis sui, & rectissime comparantur ligno arido, sterili, inutili, nocivo, quod per naturam suam paratum videtur ut sit *pabulum ignis*, & ab igne cum *fragore* consumatur, ut improbi cum *sonora demonstratione* Justitiæ Divinæ. Emblema in rem aptissimum est, & usus satis vulgati. Michas [b]: *Optimus illorum est tanquam* SPINA. Propheta noster [c]: *Pro virgulto ascendet abies, pro* PALIURO *ascendet myrtus.* β. Alludi hic ad *vineam*, cujus solo facile subnascuntur *sentes* & *vepres*, incrementum vineæ impediturі, nisi cura diligentissima vinitoris extirpentur aut absumantur. Sic Vates noster de *Vinea* degenere, à Deo negligenda & judiciis ejus tradenda [d]: *Et ascendet in solo ejus* שמיר ושירת SENTIS *&* VEPRES. *Sentes* autem & *vepres* esse materiam *combustilem*, *incendio* destinatam & paratam, ipse quoque monuerat Cap. ix. 17. x. 17. Confer Ps. lviii. 10. cxviii. 12. Integra autem sententia comparanda est cum simili Prophetæ nostri Cap. i. 30. 31. Dominus Jesus de *zizaniis*, excreturis in Agro Ecclesiæ [e]: *Colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos* πρὸς τὸ κατακαῦσαι αὐτά. *ad ea* EXURENDA. quod Joannes ejus Præcursor dixerat [f]: Τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ. *Paleam autem* EXURET IGNE *inextinguibili.* Hic verus est aspectus *Judicii*, quod Deus in Ecclesiam suam exequutus est temporibus Maccabaicis. Non erat illi bellum cum Ecclesia electorum Populi sui: sed cum *hypocritis* & *profanis*, *sentibus* ac *vepribus*, qui se ausi fuerant illi opponere, & prœlio cum ipso committere, ab *ira* & *excandescentia* ejus *consumendi*, secundum dictum Amosi [g]: *Gladio* MORIENTUR *omnes peccatores mei Populi.* Eritque idem aspectus *Judicii* in Mundum & Ecclesiam tempore *probationis*, *venturo in universum Orbem, ad explorandos incolas terræ* [h], cujus partem Ecclesia jam experta est.

Bonitatem hujus interpretationis præter sententiæ in se spectatæ emphasin & elegantiam commendat insuper facilitas nexus *membri sequentis*, quo restringitur *Excandescentiæ Divinæ* effectus, per adjectam *conditionem* qua *improbi* effugere possint Dei *iram*: ut hoc ipso magis declaretur, non esse illi *excandescentiam.* non *velle mortem peccatoris.* velle contra *omnes servare*, modo medium salutis sibi oblatum amplectantur. Verba Prophetæ sunt, ℣. 5. או יחזק במעוזי NISI *apprehendat robur meum: faciat mecum pacem. pacem*, inquam, *mecum faciat.* Sic verto verba non dubio pede: cujus versionis mihi reddenda prius est ratio quam sententiam Prophetæ declarem. Primum est, voculam או hic omnino vertendam esse per *nisi*, quam significationem eam admittere, docuit Cl. Coccejus ex Lev. xxvi. 41. aliisque locis [i]. nec res est dubia. quæ tamen significatio vocis cum hic minus faveret hypothesi Cl. de Dieu, instituit ex quibusdam locis demonstrare, posse eam verti per *O*, qua notatione recepta quoque sit Syris. Sed in locis Mal. ii. 17. 2 Sam. xviii. 13. retinet commode satis significationem ordinariam, aut recte vertitur per *quin.* Tertium exemplum ex Ezech. xxi. 15. in obscurissimo loco non est liquidum. Quod ad hunc nostrum attinet, nihil ex ea elegantiæ accedit, quod videre queam, sententiæ Prophetæ: o, *apprehendet r. m.* Nostra clara, liquida, plena est, & sensum dat perfectum. Alterum est, quod vocem מעוז hic reddiderim, & reddendam putem, per *robur*, ut quoque instituerunt Intt. Belgæ. Et vertit tamen Hieronymus per *fortitudinem*, Coccejus per *Arcem.* quod hic minus probo: licet quod ad sensum spiritualem res eadem sit. Phrasis hic omnino desumpta est à more Veterum, quo in discrimine positi *apprehendebant cornua*, h. e. *robur*, altaris. ut vis animan-

Nec ei convenit, *vineam incendere.*

Vera hypothesis hujus loci interpretandi.

Verfio Cl. Cocceji, in sensu non dissentientis.

Consectus clarior difficultatis, quæ in verbis residet.

Vox יתנני hic vertenda est, *det mihi.*

Canon Gramm. interpretationi serviens.

Sententia Aben-Ezræ.

Sententia Prophetæ ex superioribus declarata.

Paraphrasis dicti Prophetæ.

Per *sentem & veprem* intelliguntur *peccatores* Populi Dei.

Emblema ex analogia exponitur.

In solo vineæ *sentes & vepres* facile subnascuntur.

Locus Cap. v. 6.

Sentes & Vepres sunt *Materia combustilis.*

Integra sententia illustrata ex Matth. xiii. 30.

Judicium Dei in Ecclesiam Maccabaicam inde illustratur: & applicatur ad Ecclesiam ultimi temporis.

Favet interpretationi sequens Membrum, ℣. 5. *Nisi apprehendat, &c.*

Verfio illustrata. Vocula או hic vertenda per *Nisi.*

Observatum Cl. de Dieu de hac vocula, quod hic non admittitur.

Vox מעוז hic vertenda per *robur.*

Alluditur verbis Prophetæ ad *cornua altaris.*

[a] *Gramm. S.* Lib iii. Tract. ii. p. 166. [b] Cap. vii. 4. [c] Cap. lv. 13. [d] Cap. v. 6. [e] Matth. xiii. 30. [f] Matth. iii. 12. [g] Cap. ix. 10. [h] Apoc. iii. 10. [i] In *Lex.*

quæ prehendebant fontes.

mantium est in *cornibus*, quem esse genuinum usum vocis חזק *apprehendere*, *firmiter tenere*, patet ex 1 Reg. 1. 50. 11. 28. ubi de Joabo æque ac Adonia: ויחזק *Et* APPREHENDIT CORNUA ALTARIS. Confugere, se recipere ad *Arcem*, magis proprie dicitur, quam *Arcem apprehendere*. Tertium est, quod hic observo, dictum: יעשה שלום לי, recte verti: *Faciat mecum pacem*. etsi proprie notet, *Faciat mihi pacem*. quam proprietatem Vir Doctissimus in *Versione* sua hic quoque retinendam putavit, & docte interpretatus est, ut mox monebo. Sed phrasin Hebræam id valere quod ostendi, liquet ex Jos. IX. 15. in historia Gibeonitarum: ויעש להם יהושע שלום *Et fecit* IIS *Josua pacem*. h. e. CUM IIS. Ex quibus inter se comparatis hæc exsurgit sententia Prophetæ: Deum non sævire in vineam suam, quam amat, sed in *sontes & vepres*, h. e. hypocritas, infructuosos, steriles, profanos, noxios, & ad eos perdendos grassari, NISI illi per veram pœnitentiam *gratiam* ejus & *justitiam* in tempore humiles amplectantur, & in gratia ipsi serio studeant conciliari, *Deo* æque ac sibi facturi *pacem*. quæ pulchra sunt, & paucis declarari merentur. ROBUR DEI hoc loco ea in Deo proprietas & vis est, qua SERVARE potest & vult *peccatorem miserum*, punitionem gravissimam meritum, si resipiscat & vera fide ac fiducia ad ipsum refugiat, h. e. ei procurare & præstare τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, *remissionem peccatorum*; eum vindicare è servitute corruptionis; vivificare & sanctificare per Spiritum suum Sanctum; sustinere efficaciter ac potenter in statu vitæ spiritualis adversus Satanam, Mundum, & vim concupiscentiæ imperatricis; eripere è periculis ac discriminibus, & tandem, quod omnis gratiæ complementum est, illum *liberare* à *morte* & *exitio* æterno, & transferre in statum gloriosæ incorruptibilitatis. quæ *vis* sive proprietas Dei, omnium proprietatum aliarum maxime amabilis, *laudabilis*, stylo Scripturæ S. appellatur ROBUR & JUSTITIA DEI. Dicam clarius: ROBUR DEI ea in Deo perfectio est qua *peccatorem salvat*, quæ perfectio *Gratia* dicitur, omnis perfectionis Divinæ centrum; unicum objectum spei & fiduciæ, fundamentum unicum *salutis* hominis miseri, conscientiæ accusationibus gravati. Idem est si dicam, ROBUR DEI in Deo esse id quod *apprehendere* potest homo miser, in anguistiis positus, & quo se *recipere* potest in dubio salutis suæ statu. quæ *Proprietas* in Deo GRATIA & MISERICORDIA dicitur. ut apud Prophetam nostrum, dum se ipse interpretatur [a]: *Certe in Jehova: de* ME sive *mei respectu, dixit:* (verba sunt Filii Dei:) *sunt* JUSTITIÆ & ע ROBUR; *ad ipsum venietur, & pudefient omnes qui adversus illum efferbuerint: in Jehova* יצדקו JUSTIFICABUNTUR *& gloriabuntur* (ut Deo auctore & unica caussa salutis suæ,) *totum semen Jacobi*. Ps. LXII. 7. *Certe ipse* (Deus Jehova fortis,) *est* RUPES MEA *&* SALUS MEA: *locus meus editus: non vacillabo. apud Deum est* (על אלהים SUPER *Deum*, Deo incumbit,) *salus mea & gloria mea: rupes fortitudinis meæ, receptaculum meum est in Deo.* ℣. 12. *Jehova* SEMEL *locutus est: ego* BIS *audivi*, (aure *externa* & *interna*) ROBUR ESSE DEI. Ps. LXXXIV. 6. *Beatus homo cujus* ROBUR *in te est; in cujus corde sunt* מסלות *viæ æquæ & planæ*. qui de se humiliter & vere sentit, propriam justitiam & merita abnegat; se non effert cum vanitate cordis, sed totam suam salutem tanquam donum & beneficium gratuitum Deo debere vult. Hanc proprietatem & vim in Deo agnoverunt; hanc celebrarunt & prædicarunt sancti omnium temporum. est enim centrum Divinæ laudis & gloriæ. Sic Vates sacer [b]: *Si iniquitates observare velis* JAH: *Domine, quis consistet? quin* TECUM *est* הסליחה REMISSIO GRATUITA, *ut tibi concilies reverentiam*. O verbum consolationis æternæ! Mox iterum [c]: *Speret Israël in Jehova, quia* CUM *Jehova est* GRATIA, *& multa* CUM *eo* REDEMPTIO: *& ipse redimet Israëlem ab omnibus iniquitatibus suis*. An non vides in his verbis mysterium? Quare non dicit Vates, IN *Jehova est gratia?* vel, *Jehova est gratiosus?* cur vero, CUM *Jehova est gratia;* CUM *ipso est redemptio?* Estne *gratia, qua Deus misero ignoscit & eum servat*, quid non pertinens ad naturam Dei? quod aliunde Deo accedit? *virtus* quædam Dei, liceat ita loqui, *socialis & lateralis*? Explicabo mysterium. Schola sanctorum antiqui temporis jam cognovit & intellexit, quod nos hoc tempore post eventum multo clarius; *Proprietatem illam Dei* qua *justificare & servare* potest *peccatorem ex gratia* suam habere basin & fundamentum in *Filio* sive Angelo *Mediatore, Redemptore, Servatore*, qui est CUM *Deo* & *apud Deum*; fons & basis omnis gratiæ quam Deus erga peccatorem inopem exercet: gratiam Divinam per ipsum solum ad homines derivari: *Justitiam Divinam* ab ipso placari & propitiari: esse illum *clypeum* qui se medium ponat inter Deum & peccatorem: in ipso manifestari omnem vim nominis JEHOVA, quod est nomen gratiæ: ipsum esse *arcem & rupem* quæ in Deo est, in quam se peccator pressus ab accusatore potest recipere; & denique, ne longius eam: ipsum esse JUSTITIAM *hominis*, & עז ROBUR *Dei*, figuratum per *cornua* altaris, sub Oeconomia Vetere. *Altare* enim cum sustineat symbolum & figuram Dei, cui victima consecratur: quod alibi sæpius docui & liquidissime patet ex Exod. XXIV. 4. seqq. *cornua altaris* id significant in Deo quod *robur & decus* ejus efficit, aptum ad res quæ altari consecrantur, complectendum, *continendum*, & *tuendum*; & denique quod *salutis* caussa *apprehendi* potest ab homine presso & laborante ut extremum *spei* suæ refugium. Cujus vero personæ hæc sunt attributa nisi *Angeli Goëlis, Mediatoris, Redemptoris* qui est *in* Deo, *apud* Deum, *cum* Deo, h. e. Filii æterni qui miseris peccatoribus factus est caussa justitiæ & salutis? Dixerit quis, me hic hypotheses nostræ Scholæ obtrudere Jesaiæ. quod plane fecisse nolim, quodque commentandi genus ipse sperno & fastidio. Ego ex collatis Scripturis antiqui Fœderis sic ex animo credo & sentio coram Deo, hanc fuisse verissimam doctrinam antiquæ Scholæ sanctorum; nec posse phrases Veterum absque hac hypothesi explicari. quam si teneas, & hic etiam loci admittas, simul tenes & intelligis, quid sit *apprehendere* ROBUR *Dei*, h. e. Gratiam Divinam in Angelo Mediatore oblatam ad justitiam & vitam humili ac resipiscente animo in fide amplecti, sive *confugere ad arcem Nominis Jehovæ* [d], quod Scriptores N. T. vocant λαμβάνειν ACCIPERE *unigenitum Dei Filium* [e]; item, quomodo peccator credens & resipiscens *hoc medio* cum Deo in *gratiam redeat*, & ipsi *concilietur*, quod hic dicitur, *pacem* cum *ipso facere*. Scriptores N. T. vocant ἀποκαταλλάσσεσθαι τῷ Θεῷ [f]. in quod argumentum me hoc tempore non diffundam. Cl. Coccejus adscripsit, in geminatione hujus sententiæ observari ἀνταναπλασιν. valere enim, *facere se pacatum Deo*, sive *amicum Dei* & *Deum facere amicum sibi*, atque ita *evadere pœnas*. Equidem qui resipiscit, *pacem facit Deo*, ut necesse non habeat eum punire, & exercere *excandescentiam*, quam nunquam exercet absque necessitate & gravi ratione; & simul *pacem* conciliat sibi, per *reconciliationem* cum Deo, à cujus affectu & amicitia salus ejus temporalis & æterna pendet. Hac una via *peccator*, sentis & vepres, effugere potest Divinum Judicium, secundum rationes Fori cœlestis.

Attributum Tertium: *Profectus* Ecclesiæ, *prosperitas*, & *amplificatio* ejus sub cura Gratiæ & Providentiæ Divinæ, opposita *severitati*, qua Deus usus fuerat in *hostes*.

℣. 6. CONSEQUENTE TEMPORE RADICES AGET JACOB; *germinabit & florebit Israël; & replebunt Orbem habitabilem proventu.* ℣. 7. *Numquid secundum* PLAGAM PERCUTIENTIS IPSUM *percussit ipsum? an ut occisi sunt occisi ejus occisus est?* ℣. 8. *In mensura*, CUM IMMITTERES EAM, (plagam) *cum ea litigasti: cum flaret vento suo violento in* DIE EURI] Ergo, si Deo nulla sit *excandescentia*, nec habuerit rationem aliam castigandi suum Populum, quam ut *vineam suam purgaret* ab hypo-

Tertium Membrum rectè versum: *Faciat mecum pacem.*

Phrasis Hebræa illustrata.

Integra sententia Prophetæ.

Id quod in Deo est objectum *fiduciæ peccatoris*, h. e. *gratia Dei*, est ROBUR DEI.

Quæ proprietas Dei latius describitur.

Loca Scripturæ S. in quibus usus est hujus phrasios.

Proprietas hæc agnita est à Sanctis antiqui temporis.

Verus Schola Sanctorum intellexit mysterium Fidei, *esse apud Deum* ANGELUM MEDIATOREM.

Cornua Altaris quid olim significarint?

Animadversio in hanc hypothesin.

Quid sit *apprehendere Robur Dei?*

Quid sit, *Pacem cum Deo facere?* Cl. Coccejii Observatum.

Attributum Tertium: *Profectus Ecclesiæ*, ejusque *prosperitas & amplificatio*, opposita *severitati* superiori.

Nexus ora-

[a] Cap. XLV. 24. [b] Ps. CXXX. 3. 4. [c] ℣. 7. 8. [d] Prov. XVIII. 10. [e] Joh. I. 12. [f] Col. I. 20.

tionis Prophetæ.

hypocritis, *sentibus & vepribus:* id postquam Divino Judicio probe curatum esset, necessum erat, ut *lux, gratia, & benedictio* ejus se super Ecclesiam majore copia expanderet. quod Vates hic futurum esse docet. Ecclesia liberata è gravi afflictione, vindicata, erepta, novo quodam splendore niteret, & longum squalida, deformis, ac sibi dissimilis, omne decus suum cum insigni profectu atque incremento ostentaret; ad quod à Deo servata purgataque erat. Et tamen poterat aliis in mentem venire, Deum in gravi illa afflictione, qua Ecclesiam prosequutus fuerat, eam nimis severe tractasse. Non negat Vates, Deum pro rationibus Justitiæ rigidioris cum ea egisse: sed docet, illud exercitium Justitiæ Divinæ non excessisse modum; & esse differentiam maximam inter eum *punitionis modum*, quo usus fuit erga hostes, & *rationem punitionis* qua exercuit Ecclesiam. hostes enim flammis judiciorum ejus interiisse, dum Ecclesiam & Populum suum servavit. Prius exequitur Vates, ℣. 6. ubi explicat *profectum* Ecclesiæ, ejusque *Statum florentem.* Alterum, hoc est, temperamentum Judicii Divini, ℣. 7. 8.

Argumentum hujus *Periocpæ.*

Prius Membrum Periocpæ: *Sententia* Prophetæ de *profectu* Ecclesiæ.

Quod ad prius: sententia Prophetæ de *profectu Ecclesiæ*, sensum habet clarum & certum, modo recte acceperis vocem הבאים *in initio versiculi.* Notat proprie *venientes.* quod attributum cum variorum esse possit Subjectorum: non miramur, imperitiores hic hæsisse: sed doctiores sententiam difficiliorem faciliori prætulisse nollem. Hieron. *Qui egrediuntur de radice Jacob, florebit & germinabit Israël.* Vulgata, hic à fonte suo dissidens: *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob.* nullo sensu. Debebat saltem scribi: *Qui egrediuntur impetu ex Jacobo.* de quo videri potest Brugensis. Jun. Trem. Ut *advenientes Jacobi posteri radicentur faciet.* Sed השרש non est facere ut quis *radicetur*, sed *radices agere.* Cocc. *Advenientes in radicem recipiet Jacob.* sed ne hunc quidem sensum verba ferunt. Vox שרש, *forma Hiphil*, non notat quem *recipere in radicem*, sed *radices agere*, estque hic *formæ activæ* respectus ad *radices*, ut vere & proprie notet *radices agere*, sive *radices facere*, ut liquet ex Ps. LXXX. 10. ubi de Vite Ecclesiæ: ותשרש שרשיה *Et radices suas radicavit.* h. e. late egit. Job. v. 3. אויל משריש *Stultus* RADICES AGENS. De Dieu: *In posteris radices aget Jacob.* Id parum distat à vero sensu quem vidit Piscator, qui vocem הבאים hic *elliptice* sumit subintellecta voce ימים *dies*, vertitque; *Venturis* sc. diebus. Sic est, הבאים hic idem notat quod ימים באים *dies veniunt.* venturo, sive procedente tempore, *ævo veniente.* plene. הימים הבאים VENTURIS *diebus*, quæ scriptio extat apud *Ecclesiasten* [a]. phrasis vero ימים באים *Dies veniunt*, Prophetis frequente usu teritur. ubi subinde accidit, ut, quemadmodum hoc in loco committitur *ellipsis* vocis ימים sive הימים, sic alibi vocis באים, quam ut deesse significarent Masorethæ, *spatium* in scriptione reliquerunt *apertum.* ut ex. gr. Jer. XXXI. 38. נאם יהוה הנה ימים *Ecce* DIES .... *ait Jehova.* sc. *veniunt.* Aben-Ezra & Kimchius, Grammatici Hebræorum, eandem hanc profitentur sententiam, & miror esse inter gnaros genii Linguæ Hebrææ qui de eo dubitent. Sententia fert, Ecclesiam ab afflictione & persecutione vindicatam post hostes ejus destructos se insigni profectu atque incremento commendaturam esse, tam respectu *donorum* Spiritus S. *virtutumque Christianarum*, quibus ornata se pulcherrimo & jucundissimo aspectu conspiciendam daret; quam *Gentium* ac Populorum qui in eam confluerent. Prius his verbis: *Germinabit* (יציץ) & *florebit* sive *gemmabit.* sunt enim electæ voces. הציץ proprie est *florere* & *virere instar floris.* פרח proprie valet *gemmare.* Non poterat Vates efficacius loqui, si significare vellet, Ecclesiam se hoc tempore in omni forma, specie, pulchritudine sua, esse ostentaturam. De *incremento* autem, *profectu*, & amplitudine ejus membrum Posterius: *Et implebunt Orbem habitabilem proventu.* Posteri Jacobi hoc maxime tempore occuparent Mundum, & hæreditatem Gentium Abrahamo promissam, & vinea hæc florens ramos palmitesque suos late diffunderet. Sic de eo Vates sacer, Ps. LXXXV. 11. seqq. *Gratia & veritas sibi invicem occurrunt; Justitia & pax se mutuo osculantur: Veritas è terra progerminat, & Justitia è cœlo prospectat: simul Jehova dat bonum, & terra nostra proventum suum.* Tsephanias [b]: *Canta, filia Tsion; clange Israël; lætare & exulta toto corde, filia Hierosolymæ. amovit Jehova judicia tua, evacuavit inimicum tuum: Rex Israël, Jehova, est in medio tui: non videbis amplius malum.* Zacharias [c]: *Sic dixit Jehova, Deus Exercituum: Ecce ego salvo Populum meum è terra Orientis & è terra Occasus Solis; & adducam illos & habitabo in medio Hierosolymæ, & erunt mihi in populum, & ego ero ipsis in Deum, in veritate & justitia.* Primum implementum prophetiæ quærendum temporibus Maccabaicis, secundum scopum Spiritus S. ut jam sæpius declaravi; & legi hic ac repeti velim quæ scripsi ad Cap. XXV. 8. Ab illo tempore Judæi, novo zelo Religionis suæ accensi, & aucti benedictione Divina, se diffuderunt per Orbem *multiplicati supra Patres.* quando Deo placuit, appropinquante sensim ortu Solis Gratiæ, ut Oeconomia spiritualis succederet carnali, in qua Ecclesia ornata in initiis suis excellentibus donis Spiritus Dei, actu, vere, antitypice, occuparet hæreditatem Mundi, & longe majore auctu quam sub Maccabæis, per universum Orbem proserperet. Solent enim Prophetæ, quod sæpius monui, supplementum beneficiorum Maccabaicis temporibus promissorum, quærere in Oeconomia Nova. Idem sane prædicari potest de Ecclesia, Draconem victum triumphante, tempore Constantini, de cujus glorioſa specie Eusebius [d], qui ipse hic legi debet, & historia illorum temporum luculenter testatur. Sed vere & in emphasi implementum antitypicum quærendum erit in Ecclesia extremæ Periodi, ut jam sæpius monui. Illo tempore Deus opus suum complebit atque consummabit. Et tamen ingrati essemus erga Deum, imo vero ingratissimi mortalium, si hic celaremus *profectum* Ecclesiæ egressæ Babylonem, & eluctatæ afflictiones ac persecutiones gravissimas. Quam tenuia illius erant initia? quam se brevissimo tempore late diffudit per Regna, Respublicas, Populos? Studia solidæ intelligentiæ Verbi Dei & rerum Divinarum cum omnibus disciplinis & artibus quanta diligentia & successu quoque, ad luxuriem usque, in ea exculta fuerunt? quam præclari & in rerum spiritualium cognitione egregie exerciti Viri à gratia Divina formati, in puriorem Religionem laudabili zelo affecti, in medium prodierunt, & posteris insigniter præluxerunt? & quæ plura hujus generis addi possent. Et tamen ubi hunc *profectum* Ecclesiæ purioribus sacris addictæ laudo: non nego, nec dissimulare quoque velim ejus *defectum.* Novi enim probe, & perspicio, quantum adhuc desit Ecclesiæ adspiranti ad illam status perfectionem, quam inter cæteros Propheta noster tam accurate delineavit. quantum etiam in ipsis illis studiis, ut hoc tempore excoluntur, sit vanitatis. quanta bonorum & malorum mixtura. quantus languor, & charitatis veræ pietatisque interioris ac spiritualis inopia. nec tamen ego sic instituo, ut aliqui, ut propter *defectum* Deo negem laudem quæ ipsi summa debetur, ob gratiam *profectus.* quin existimo, Deum, qui in solida intelligentia veritatum salutarium ac spiritualium & veræ naturæ Christianismi, & recta earum veritatum demonstrandarum methodo, plus luminis indulsit posterioribus hisce sæculis quam prioribus, (si aureum ævum Apostolicum exceperis,) sua providentia curaturum esse, ut ipsissima hæc media & dona suæ gratiæ sanctificentur in usum Ecclesiæ subsequentis, *novo igne* purgandæ, spem amplissimorum promissorum adepturæ.

Sic recte demonstrasse videbatur Vates, Deo non esse חמה *excandescentiam* erga Ecclesiam sui Populi, ubi eam purgat à profanis & hypocritis, cum sua curet providentia, ut ea Ecclesiæ castigatio & probatio producat effectum florentioris & nitidioris ejusdem Ecclesiæ status.

Vox הבאים *Venientes* in initio *Periocpæ* ad quod *Subjectum* referenda?

Variæ interpretationes Doctorum.

Significatio vocis השריש apud Hebræos.

Vox הבאים hic notat *futuro tempore.*

Ellipsis vocis ימים.

Phrasis aliunde illustrata.

Sententia Prophetæ exposita.

Ad *profectum Ecclesiæ* primo refertur *exuberantia donorum Sp. S.* sub verbis; *florere, germinare.*

Significatio vocum הציץ & פרח.

Deinde ejus *amplitudo.*

Locus Ps. LXXXV. 11. seqq. cum hoc collatus.

Primum implementum prophetiæ demonstratur in temporibus *Maccabaicis.*

Complementum in Ecclesia Christiana.

Præcipue *Sextæ Periodi.*

Quatenus hoc promissum referri queat ad *Statum Ecclesiæ Reformatæ?*

Prærogativæ Divinæ Curæ, quibus gavisa est *Ecclesia Protestantium.*

Nec tamen absque defectu.

Qui distinctius describitur.

Spes futuri.

Propheta docet, Deum insuper uti magno moderamine in Ecclesiæ

[a] Cap. II. 16. [b] Cap. III. 14. [c] Cap. VIII. 7. 8. [d] H. S. Lib. X. Cap. I. II. III.

Ecclesia sua puniendo, ℣. 7. Numquid secundum plagam &c. contradistincte ad punitionem hostium.

stătus. Verum in eo non subsistit. Ne enim cui Deus nimia in Ecclesia sua probanda & purganda usus videatur severitate: defendit æquitatem Divini Judicii, instituta comparatione inter *severitatem punitionis*, qua prosequutus est hostes, & *moderamen* quo usus est erga Ecclesiam. De *Punitione hostium* in hunc modum: ℣. 7. *Numquid secundum plagam percutientis ipsum percussit ipsum? an ut occisi sunt occisi ejus, occisus est?* In sensu sententiæ nemo hic hæret. Vident omnes, subjectum orationis esse *Jacobum* & *Israëlem:* negare autem Prophetam, *interrogatoria* usum *oratione*, Deum ea severitate usum esse erga Ecclesiam, qua erga hostes. illos enim ipsum suis judiciis prostraviſse ac deleviſse, absque moderamine clementiæ: sed punitionem Ecclesiæ produxisse effectum majoris ejusdem Ecclesiæ prosperitatis & florentioris stătus. ob quam cohærentiam orationis hanc pericopam cum superiore conjunxi. Tantum quæritur, ad quæ quorumque hostium, Populum Dei percutientium, judicia, hic alludat Propheta? Aben-Ezra in *priore membro* respici vult plagam qua Samaria percussa est ab *Assyrio*, quia in sequentibus mentio fit *lucorum, & civitatis munitæ* destructæ. altero vero *membro* alludi ad *Canaanæos*, à Josua occidione deletos. quæ non cohærent: nec ratio è sequente oratione petita arguit hic alludi ad Samariam. Kimchius *prius* membrum ad *Pharaonem* & *Senacheribum* refert: *posteriore* sententiam statuit more Prophetico geminari. Alii cum Piscatore hic spectari putant plagam Divini Judicii qua percussi sunt Babylonii, & eorum Rex. Sed non est necesse, id quod hic dicitur, tam arcte circumscribere. Intelligitur proxime ex vero sensu Prophetæ totum corpus *Assyriorum* Regum, inter quos, stylo Scripturæ Sacræ, ut sæpius demonstravi, ipsi quoque censebantur *Babylonii*, quorumque caudam faciebant *Assyrii* novi, sævi & violenti Persecutores Ecclesiæ, de quibus in hoc Vaticinio agitur. Hi omnes ita erant cædendi & cæsi fuerunt *plaga lethali* è qua nunquam potuerunt resurgere. prostrati Divinis judiciis, temporali & æterno exitio devoti, non emerserunt unquam, sed calamitatibus, iis immissis, cum posteritate sua succubuerunt ac perierunt, Regnis Imperiisque suis spoliati. Phrasis enim *percutiendi* apud Prophetam nostrum de Assyriis, Babyloniis, & Syris Regibus, Populum Dei affligentibus & afflicturis, frequens usurpatur [a]. In *altero* autem *membro* vox הרוגיו *occisi ejus* iidem sunt hostes Populi Dei, *occisi* causa *Israëlis*, sive *Populi Judæi.* Sic apud Jeremiam [b]: *Ultio* TEMPLI DEI, est vindicta ab hostibus sumenda pro salute Templi Dei: ut recte Vir Doctissimus [c], apud quem plura exempla hujus generis invenies. Est sane differitas maxima inter utrumque animadversionis genus, quorum illud fit *in ira Dei* absque moderamine *clementiæ*, tendens ad destructionem *subjecti* Divinæ Justitiæ objecti, quale genus punitionis Vir sanctus deprecatur ut malum maximum [d]: hoc admittit *moderamen* non clementiæ tantum sed & gratiæ, quo punitio, licet juste inflicta, dirigitur ad finem salutarem. quare ut in castigando Populo illud Deus adhibet *moderamen*, ut justitiam temperet clementia; sic hostes, quos punit ut perdat, prosequitur secundum *mensuram judicii*, absque clementia & moderamine, quod Propheta ex nostra sententia dicit ℣. 8. Et tamen cum verba obscuriora sint, varie exercuerunt ingenia Interpretum. Hebræa habent: בסאסאה בשלחה תריבנה הגה ברוחו הקשה ביום קדים Hier. *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam: meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus.* Pagninus Vatabli: *In mensura, in plantatione ejus judicabis eam, removebit* Deus *vento suo duro tempore quo flat Eurus.* Jun. & Trem. *Moderate emittendo eum contendis* cum *eo:* illum *aufert spiritu suo duro* quasi *tempore Euri.* Coccejus: *In mensuram mensuræ quæ ei litem faciebat, cum repudium ei misisset: anhelavit spiritu suo irrefragabili in die Euri.* Quis neget, esse impeditiora & minus liquida? Et sufficit tamen mihi hæc exempla versionum protulisse, dum à me non impetro, ut singulas ex mente auctorum exponam aut refellam. Inter eas quas inspexi expositiones hujus loci, fateor lubens, nullam mihi occurrisse faciliorem & commendabiliorem ea Kimchii; etsi neque ea omnem excludat dubitationem. Censet ille, describi his verbis moderamen clementiæ, quod Deus adhibuerat in puniendis hostibus. Vertenda itaque verba sunt prioris membri ex ejus sensu: *Cum mensura, cum eam* sc. plagam *ei immitteres, cum ea litigasti, cum flaret vento suo duro die Euri.* Nempe supponit quod passim omnes; *α.* hæc verba esse Prophetæ; Deum mutata rursus oratione compellantis. *β.* Illum his verbis loqui de *judicio ejus* in *vineam* suam, quo putat referendum *affixum relativum* in voce תריבנה. *γ.* Illud judicium Dei in *vineam* ejus proponi sub nomine *contentionis litigiosæ*, quam Deus cum ipsa exercuerat. *δ. Modum* illius *punitionis* Ecclesiæ, sive *litigii cum Ecclesia*, describi voce בסאסאה, quæ secundum ipsum & Interpretes passim vertenda est, *in mensura.* esse enim vocem סאסאה constructam ex geminata voce סאה, acsi esset, סאה סאה. est autem סאה *mensura aridorum, tertia pars Ephæ.* denique, *ε.* vocem בשלחה hic vertendam esse, *cum immitteres eam* sc. plagam. qua significatione usurpatur frequentius ubi de judicio Dei in *agros, hortos*, eorumque proventus mentio fit. Sic exurgit sensus, Deum, cum hostes suos puniverit & prostraverit *excandescentia sua*, absque *modo & mensura* (בלא מדה) quæ in ira & excandescentia non observatur: sic contra Populum suum castigasse ac puniviſse juste quidem, sed cum *mensura*, hoc est, modo & moderamine, cum *plagam* Judicii sui in *eum immitteret*, & cum FLARET (mutata rursus persona à *secunda* in *tertiam*, more Prophetæ nostro & Scriptoribus Sacris solenni:) *vento suo duro tempore Euri*, h. e. judicium suum in Ecclesiam exequeretur: phrasi denuo petita ab eadem metaphora, cum ventus vehementior proventibus agrorum & hortorum plurimum noceat, eosque prosternat: nec tamen penitus agros corrumpat. Interpretationem hanc dixi tolerabilem, & ut talem quoque alibi [e] commendavi: in qua id mihi maxime placebat, quod voci בשלחה in hoc loco verum suum redderet sensum, quem sane probe perspexeram, antequam Interpretem Hebræum inspexissem. Notio שלח variam admittit significationem & interpretationem, ut satis notum, & inter alias quoque eam *dimittendi* & *immittendi.* quæ affinia sunt, cum quæ in aliquam rem *mittuntur*, sive *immittuntur*, simul *dimittantur.* At Interpretes passim priorem hic elegerunt, & vocem hic exponunt vel de *dimissione vineæ*, Populi Judæi; vel de *dimissione Populi Judæi* ut *uxoris adulteræ*; ut sensus sit, Deum, cum potuisset secundum rigorem severitatemque Justitiæ suæ Judæos ex Lege tanquam *uxorem adulteram* tradere morti & exterminio: eo tamen moderamine cum his fœdifragis egisse, ut eos miserit in Exilium, suo tempore in Canaanæam reducendos. Coccejus ipse, licet diversam secutus interpretationem, vertit: *Cum repudium ei misisset.* Alibi [f]: *Cum divortium feciſſem cum ipsa.* Verum cum de Judæis hic agatur sub metaphora *vineæ*; non fit probabile, metaphoram alteram de Judæis ut *uxore Dei* huic permixtam esse. si autem cum Piscatore accipias de *vinea:* non videtur oratio satis proprie & commode esse concepta. *Vinea* enim proprie non dicitur *dimitti.* Ergo non obscure vidi, vocem שלח hic rectius accipi significatu *immittendi* cum respectu ad vocem מכה *plagam*, versu superiore usurpatam, ut sensus sit: *Cum plagam illam* IMMITTERES, id feciſti ad *mensuram.* Sic usurpatur vox satis frequenter stylo Scripturæ. ut in Interminationibus Mosaicis [g]: *Et* שלחתי MITTAM *pestilentiam.* apud Malachiam [h]: IMMITTAM (שלחתי) *in vos exsecrationem.* Alia non allego. Idem usus est vocis formæ *Hiphil*, ut inter alia Amos VIII. 11. *Et* MITTAM (השלחתי) FAMEM *in terram.* ut adeo, quod modo anticipabam, hæc versio & interpretatio statum suum obtinere

Kimchi prælatis commendatur. Sententia ejus; & sententiæ hypotheses, quæ ordine recensentur.

Cujus generis hostes hic intelligantur? Sententia Aben-Ezræ.

Kimchii, & aliorum.

Intelligitur totum Corpus Regum Assyriorum.

Usus vocis percutere, cædere, hoc in casu.

Differentia quæ intercedit inter punitionem impiorum & vastationem Ecclesiæ.

Verba ℣. 8. huc relata. Varia illorum interpretatio.

Vox מאסאה quomodo ab eo accepta?

Sensus integer, ut ab ipso conceptus.

De ea judicium.

Interpretatio vocis בשלחה laudata.

Recte usurpatur vox de actu Dei immittentis plagam.

Aliorum sensus diversi.

Vulgata expositio.

Ut & Cl. Cocceji.

Non admittitur.

Exempla usus vocis שלח immittere cum respectu ad plagam.

---

a Cap. X. 20. 24. XIV. 5. 6. *b* Jer. L. 28. *c* Glass. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. I. Can. XXX. *d* Ps. VI. 2. *e* Ad Cap. XXI. I. *f* In *Lex.* ad v. שלח. *g* Lev. XXVI. 25. confer Amos. IV. 10. *h* Cap. II. 2.

tinere queant. Quæris tamen, an nihil sit quod in ea desiderem? Equidem non negem, esse aliquid quod dissimulare nolim. Nimirum dubitavi aliquandiu, an vox במאמאה quæ vertitur *in mensura*, recte accipi queat pro *moderata punitione* quæ *modum* non excedit, ut vellet Int. Hebræus, & cum ipso plures alii. Accipi non posse, non ausim fidenter dicere. Est enim duplex ejus dictionis aspectus. Potest quis dici *puniri in mensura*, qui ita plectitur ut punitio non excedat *modum*. viciſſim potest quis dici *puniri in mensura*, ubi in eum animadvertitur *ſecundum opera*, *pœna compenſante*, quam Hebræi vocant מדת הדין MENSURAM JUDICII. Si priore modo hic accipienda ſit ſententia: comparanda eſſet locutio cum ea Jeremiæ, de punitione Eccleſiæ differentis [a]: *Caſtiga me, Jehova; duntaxat* JUDICIO: *ne in iratua, ne me ad nihilum redigas. effunde* EXCANDESCENTIAM TUAM (חמתך) *in Gentes quæ te non noverunt.* Sed Paraphraſtes *poſteriore modo* accepit, ut videlicet *punitio quæ fit in menſura* ſit punitio *compenſans*, in qua Deus במדת הדין *ſecundum menſuram Judicii* delicta hominum merita pœna proſequitur: non *ſupra modum*, ſed *intra modum* Judicii, pro rationibus Juſtitiæ Divinæ. Sic ſe habent ejus verba: בסאתא דהויתא כאל בה יכילון לך וגו׳ *In* MENSURA *qua* METIEBARIS, METIENTUR TIBI, *qui mittebas & tribulabas eos.* Sententia eadem eſt quæ Domini [b]: Ω, μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. Videtur autem phraſis, quem punire *ad menſuram*, commodius ſignificare pœnam compenſantem, judicialem, qua æqualibus redduntur æqualia; quam pœnam moderatam quâ Deus utitur in caſtigando Populo ſuo. Deus enim in ſeveriſſima etiam hoſtium ſuorum animadverſione proprie nunquam excedit *modum*. Pœna ſemper conſiſtit intra rationes Divinæ Juſtitiæ. ut quando Deus homines ad *menſuram* punit, videatur eos ſeveriſſime punire. Eſt enim pœna compenſans quam Deus homini in juſta συμμετρίᾳ infligit κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶ, *ſecundum opera ejus.* Accedunt duo alia quæ hanc fulciunt meditationem. α. Quod non dicatur ſimpliciter במאמ *in* MENSURA: ſed במאמאה *in menſura menſura*, h. e. *exacta, perfecta.* Geminatio enim vocis hic non poteſt carere ſua emphaſi. β. Extrema ſententiæ (ſive, *poſterius membrum*,) arguere videntur, hic eſſe mentionem de *pœna judiciali*, *compenſante*, *perdente*; quia dicitur Deus hanc pœnam exercuiſſe quo tempore *exiſteret flatus* VENTI VALIDI, *die* EURI. An enim non videri queat *ventus* ille חקשה *durus* ſimile quid myſtice ſignificare quod Propheta ℣ſ. 1. appellaverat *gladium* הקשה DURUM? Quæ meditatio ſi hic locum obtineret; verba Prophetæ: *ad menſuram cum eam* ſc. plagam, *immitteres, litigaſti cum ea*: ſic eſſent accipienda, ut explicarent ſententiam *verſus ſuperioris*, h. e. Deum *hoſtes* ſuos *punire* ad *menſuram*, cum contra *Eccleſiam* puniat cum *moderamine* clementiæ: eſſetque *affixum generis fœminini* in voce תריבנה *litigaſti cum* EA, referendum ſive ad *Communitatem* hoſtium Populi Dei, ſive quod mallem, ad URBEM illam MUNITAM, h. e. ex noſtra ſententia ad BABYLONEM, notabili Dei judicio proſternendam, quæ mox memoratur ℣ſ. 10. Inter has ſententias aliquandiu, quid negem? dubius hæſi; & tamen ubi tandem me recollegi, & omnia inter ſe diligenter comparavi, magis me ſentio propendere ad interpretationem priorem, ut ab Interprete Hebræo propoſita eſt, & verba pertinere ad deſcribendum *moderamen Judicii Divini erga Eccleſiam* ipſo etiam illo tempore adhibendum, quo Deus Populum ſuum *ſeveriſſime* puniret, h. e. in *Exilio Babylonico*, ad quod hic alluditur. Rationes hæ ſunt. α. Quia *affixum debilioris generis* vocis תריבנה *litigaſti cum* EA: non poteſt commode alio referri quam ad כרם VINEAM, ℣ſ. 2. quæ eſt ſubjectum orationis. β. Vox ריב *contendere, litigare*, optime & commodiſſime uſurpatur de *punitione* qua Deus *Populum ſuum* proſequitur [c]. Equidem latius etiam patet vocis ſignificatio: ſed *lis* Deo proprie eſt cum *Populo* ſuo, qui eſt in *fœdere Dei.* γ. Locus Prophetæ Cap. XXI. 1. hunc noſtrum plane illuſtrat. Mentio ibi eſt de *Judicio* Dei in Populum ſuum abducendum *Babylonem* ſub emblemate *tempeſtatis magnæ*, & *turbinis Auſtrini*, Rempublicam Hebræorum disjecturi. quod tempus Judicii Divini, in Judæos exequendi per Babylonios, (de quo Vates ante rem geſtam myſtice loquitur:) hic appellatur יום קדים DIES *venti* VEHEMENTIS: de qua voce, ejuſque uſu & poteſtate, ibidem quoque diſſerui. Eſt DIES *Decretorii Judicii* quo Deus Populum ſuum permiſit ſive permitteret abduci in Exilium Babylonicum. Comparanda etiam alia ſunt loca ejuſdem generis quæ ibi adduxi. Nihil vero eſt quod hic contra moveri queat quam quod produxi ex contemplatione vocis במאמאה, quæ videtur ſignificare *menſuram completam, exactam, perfectam.* Ita eſt. ſed cum *menſura* hic ſumatur pro *modo* qui in puniendo obſervatur: *menſura menſura* hic omnino ſignificare poteſt *modum moderatum*, quem Jeremias in loco quem modo allegabam, משפט JUDICIUM appellat; qui tendit ad *correctionem*, non vero ad *deſtructionem.* Confer verba ejuſdem Prophetæ [d]: *Quia tecum ſum, ait Jehova*, (oratio eſt ad Populum Judæum:) *ad te ſervandum. quia conſummate perdam omnes Gentes ad quas te diſperſi; ſed tecum conſummationem non faciam*, ויסרתיך למשפט *at caſtigabo te in* JUDICIO, (cum modo & moderatione) *& inſontem te non habebo.*

Non pœnitet laboris in hac pericopa diſcutienda & illuſtranda poſiti, cum ſententia tandem pulchre exeat. Negat Propheta, Deum in probando & caſtigando Populo ſuo, cujus judicii *neceſſitatem* oſtenderat, ſumma uſum eſſe *ſeveritate* ſive *excandeſcentia.* Alio modo ait punire *Eccleſiam*; alio animadvertere in Eccleſiæ ſuæ *hoſtes*: idque etiam demonſtrari poſſe ex graviſſimis quibuſque judiciis, quæ Eccleſiæ inflixit. inter quæ judicia cum graviſſimum eſſet *Babylonicum*, cum *flaret ventus Auſtrinus vehementior*: ne illo quidem tempore Deum in juſta & ſevera punitione ſui Populi prætermiſiſſe *moderamen*: ſervaſſe enim Populum, non perdidiſſe, & caſtigatum purgatumque Populum reduxiſſe in terram Patriam. quæ adhuc futura, hic ſtylo Prophetico ut facta ſupponuntur. Nihil verius hac ſententia Prophetæ. Extat de hoc argumento inter alias Doctorum Virorum Exercitationes digreſſio Georgii Erici Phalertrani, culti ingenii Viri, in Diſſertatione de *Ablatione Sceptri* [e] Judaici, in qua luculenter explicat temperamenta Divinæ Clementiæ, adhibita in executione Judicii ſeveri *Abductionis Populi in Exilium.* videlicet, Judæos exules in terris *commodiſſimis*, (ἐκιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις, ut Beroſus, in notiſſimo loco, apud Joſephum:) Babyloni ad Occiduum ſubjectis magis vixiſſe ut *colonos*, quam ut *ſervos*; & quidem ſub cura Præfectorum ſuæ Gentis; Religione ſacriſque ſuis ſalvis & integris: feciſſe autem ibi peculium opulentum, & rem ſuam egregie auxiſſe, uſque quo Deus illos terræ Patriæ reſtituerit. Hæc eſt illa מאמאה *menſura, menſura*, h. e. modus, modus, quo Deus erga Populum ſuum uſus eſt tempore *ſpirantis* & triſte ſonantis *Euri*: de quo modo verba feci. Id vero *Judicium Babylonicum* Propheta hic ita infert, ut illud cum *Epiphanico* hoc comparari, & hoc ex illo illuſtrari velit. Etiamſi enim ſimilis *tempeſtas* illo tempore excitaretur à Regibus Syrorum, non abſque Divina Providentia cui omnes Reges ſubſunt: non cogitare tamen Deum hoc Judicio Eccleſiam ſuam deſtruere, ſed purgare: contra vero illud convertere ac dirigere ad hoſtium ſuorum perditionem.

Quartum Attributum Status Eccleſiæ Liberatæ: *Puritas Doctrinæ & Cultus ejus.*

℣ſ. 9. PROPTEREA *hoc ipſo expiabitur iniquitas Jacobi, & hic erit omnis fructus peccati ejus amoti, ſi poſuerit omnes lapides ararum* DISPERSOS UT LAPIDES CALCIS. *non conſiſtent luci & imagines ſolares.* ℣ſ. 10. *Quia* URBS MUNITA *erit ſolitaria:* AULA *disjecta & derelicta inſtar Deſerti. ibi paſcet vitulus, & ibi recubabit, & abſu-*

Dubium gravius, an vox במאמאה recte accipiatur de *punitione moderata*?

Dubium evolvitur.

Locus Jer. x. 24.

Paraphraſtes hic accepit pro *punitione compenſante.*

Sententia ejus collata cum Matth. VII. 2.

Quæ ſententia non videtur improbabilis.

Alia quæ hanc meditationem fulciunt.

Quo modo verba ſecundum hanc hypotheſin accipienda ſint?

Sententiarum inter ſe collatarum prior eligitur.

Rationes hujus judicii.

Locus Cap. XXI. 1. cum hoc collatus.

Difficultas ex voce מאמאה remota.

Sententia Prophetæ integra relata & illuſtrata.

Moderamen quo Deus uſus eſt erga Populum ſuum in Judicio Babylonico.

Docti Viri ſententia de eo laudata & expoſita.

Applicatur ad rem præſentem.

Attributum *Quartum* Status Eccleſiæ: *Puritas Doctrinæ & cultus ejus.*

a Cap. x. 24. b Matth. VII. 2. c Pſ. CIII. 9. Amoſ. VII. 4. d Cap. XXX. 11. e Cap. IX. In Diſſertat. Græv. p. 427.

absumet RAMOS *ejus.* ℣. 11. *Cum* ARUERINT SARMENTA EJUS, *confringentur:* MULIERES *venientes* INCENDENT EA: *quia non est populus præditus intelligentia. iccirco non miserebitur ejus factor ejus, & formator ejus non erit illi propitius*] Profectui & florenti Ecclesiæ statui quid arctius cohæreat, quid commodius respondeat quam ejusdem Ecclesiæ *Doctrinæ Cultusque Puritas*, qua videlicet liberata à superstitione, idololatria, & ridiculis Religionis cærimoniis, otiosorum ingeniorum inventis, iisdemque vitiis plane renuncians, puris manibus, corde, cultu, Deo servit in spiritu & veritate? Id vero ipsum attributum est, quod Propheta hoc loco Ecclesiæ liberatæ vindicat: & quidem hoc ordine, ut passim solet. *a. Attributum ipsum* puritatis *Doctrinæ* ac cultus metaphorice vel mystice describit, ℣. 9. β. Addit *Rationem* & argumentum, petitum ex statu *Civitatis Munitæ*, quæ censebatur esse *Mater* præcipua idololatriæ & superstitionis. h. e. *Babylonis.* cujus judicium *proprie* rursus memoratur, ℣. 10. & *figurate*, ℣. 11. Est autem Oratio hujus Pericopæ sic concepta à Propheta, ut videatur esse intellectu obscurior, quare ei elucidandæ aliqua impendenda est opera.

Nexus orationis cum superiore.

Analysis hujus Pericopæ.

Propositio, quam ℣. 9. exhiberi dixi, in hunc accipio sensum, à quo plerique Intt. non multum distant: Deum Populum suum gravius puniendo nihil aliud intendisse quam ut Ecclesiam ab idololatria, superstitione & hypocrisi liberaret & Populum perduceret ad *Pœnitentiam*, & *pœnitenti* Populo ex gratia ignosceret. veritatem autem suæ *pœnitentiæ* Populum hoc ipso demonstraturum esse, si dehinc idololatria ac superstitione diligenter abstineat, & instrumenta idololatriæ corrumpat ac destruat, ac deinceps soli Deo perfecto amore adhæreat. Relegam verba Prophetæ, eaque ordine interpretabor. *Propterea*, ait, *hoc ipso expiabitur iniquitas Jacobi, & hic erit fructus amoti peccati ejus.* Sic verto verba. Sensus est, *propterea* quod omnis punitio & castigatio Ecclesiæ pro scopo suo habeat Ecclesiæ purgationem: *hoc ipso expiabitur iniquitas Jacobi*, h. e. Jacob impetrabit remissionem peccatorum, ejusdemque beneficii certiorationem, & cum remissione peccatorum liberationem à malis & calamitatibus, eum prementibus; *& hic erit omnis* FRUCTUS *peccati ejus amoti.* h. e. hoc erit indubium *signum* atque argumentum ex quo certus esse poterit de impetrata à Deo remissione peccatorum, & ex quo sibi indubie persuadere potest, Deum se habere propitium. unde vero? ex *quo* signo vel argumento? Id vero Propheta addit: *Si posuerit omnes lapides altaris, ut lapides calcis disjectos, & luci ac delubra non amplius subsistant.* si *aras*, idolis consecratas, diruerit, æque ac *lucos* ac *statuas solares*; & hoc ipso demonstraverit, se sincera & pura pœnitentia, renunciando idololatriæ, ejusque destruendo instrumenta, verum Deum solum diligere ac sectari. Sensus bonus est & planus, partibus suis & orationis Prophetæ cohærens, modo verba & phrases eum ferant. Relegam itaque sententiam Prophetæ, & obvia dubia expediam. לכן *Propterea*] Referri potest ad *antecedentem* vel *consequentem* orationem; ut ratio ejus quod dicitur, sit in *superiore* vel *inferiore* orationis contextu. Prius hic facilius est, & hunc dat sensum, quem jam ostendi: Cum Deus animadvertendo in Ecclesiam, id præcipue intendat, ut eam purget à scandalis & vitiis, inter quæ scandala & vitia gravissima sunt *idololatria* ac *superstitio:* eam ob caussam Populus Dei sibi potest Deum habere propitium, si idololatria perfecte abstinuerit, & sincero cultu Deo adhæserit. Hoc IPSO *expiabitur iniquitas Jacobi*] Sic sonat Hebræus sermo. vox enim בזאת valet HOC IPSO, hac re, quæ in oratione demonstratur. Sensus est, *hac ipsa conditione* Deum sibi poterit habere faventem & propitium. est autem illa *conditio*, ut mox patet, vera *resipiscentia*, absque qua tanquam *caussa sine qua non*, *remissio* peccatorum non impetratur. *Et hic omnis erit* FRUCTUS *amoti peccati ejus*] Sic verto. Hebræa habeant: פרי הסיר חטאתו proprie: *fructus τῦ amovere peccatum ejus.* hoc est, *amotionis peccati ejus*, sc. à Deo factæ. est enim הסיר in *Hiphil. Amotio* autem *peccati* vel est *remissio peccati*, vel est *purgatio animi à peccato.* Posset hic utroque modo sumi: sed peritus styli Prophetæ nostri capiet *sensu posteriore.* Sic ipse Cap. 1. 16. הסירו AMOVETE PRAVITATEM *actionum vestrarum.* Confer Cap. LVIII. 9. Sensus itaque est, ex hoc *effecto* & *fructu* certo judicari posse, an animus populi satis sit castigatus & purgatus, si idololatriam ac superstitionem diligenter fugerit. Sumitur autem vox *fructus* hic significatione communi pro *effectu* ex quo tanquam ex argumento aliquid cognoscitur; secundum dictum Domini, loquentis de Pseudoprophetis *a*: Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς· *A* FRUCTIBUS *ipsorum cognoscetis eos. Fides* enim vera & *resipiscentia* se semper suis commendat *fructibus*, effectis, signis, &, stylo S. S. ἔργοις *operibus*, ex quibus de ejus veritate ac sinceritate judicari debet. *Si posuerit omnes lapides* ALTARIS, *ut lapidis* CALCIS *disjectos*] Sume hic מזבח *altare* collective per *enallagen numeri* pro מזבחות *altaribus*, & intellige per *aras* hoc loco *altaria*, idololatriæ aut superstitioni consecrata. per *lapides* autem *calcis disjectos* lapides instar *calcis* comminutos, & postquam comminuti fuerint, *dispersos* ac disjectos. Sic sensus est, hunc fructum fore veræ fidei & resipiscentiæ sinceræ, si Populus Dei *aras*, Diis exteris consecratas, diruerit; lapidesque ex quibus constructæ fuerint, in *pulverem minutos* disjecerit ac dispersrit. Nempe alluditur hoc loco ad morem veterem, quo instrumenta *idololatriæ* ac *superstitionis*, si quæ detecta essent, comminuebantur in pulverem, & pulvis ipse disjiciebatur. ut patet ex exemplo *Vituli aurei b*, à Mose; & *Serpentis æneí* in pulverem redacti ab Hiskia *c*. quæ exempla animadversione hic sunt dignissima. *Non stabunt* LUCI (simulacra Herculis & Astartes,) *&* IMAGINES SOLARES] Hoc est, destruentur, subvertentur instrumenta idololatriæ: quorum hic exempla & specimina tantum proferuntur. Videri debent quæ de gemina harum vocum significatione scripsi ad Cap. XVII. 8. Alludit autem hic Propheta ad statum suorum temporum sub Achazo, quando *idololatria* hujus generis plurimum vigebat, ut patet ex 2 Reg. XVIII. 4. Sententia seorsim potest subsistere, & opus non est hic fingere ellipsin. Si quis tamen pro לא hic legere malit ולא ut sensus sit; *& non subsistent luci*, sive, *ut non subsistant:* facile fieri patior.

Verba Prophetæ: *Propterea hoc ipso expiabitur, &c.*

Paraphrasis continuatur.

Sententia Prophetæ relegitur. Vox לכן *Propterea* quorsum pertineat?

Verba: *hoc ipso expiabitur iniquitas Jacobi*; exponuntur.

Et hic omnis erit fructus

Additur *ratio*, ut videtur, destruendæ idololatriæ, sive non substituturum idololatriæ instrumentorum ex desolatione *Civitatis Munitæ*, cujus *Judicium* proprie describitur & figurate. Propria oratio sic habet, ℣. 10. *Quia* URBS MUNITA *solitaria erit, & seqq.* Interpretes qui in hac tota prophetia per *Civitatem munitam* intelligunt *Hierosolymam:* laborant in ostendendo nexu hujus orationis cum superiore. Cum enim in eo sit Propheta, ut prædicat Judææ Genti instaurationem & prosperiratem sui status, & hostium internecionem: mirum videatur, Vatem sacrum hic præter & contra argumentum totius prophetiæ prædicere desolationem hujus Urbis. Sunt itaque qui verba vertunt: *Et* TAMEN *Urbs munita, &c.* Alii connectunt cum ℣. 4. & 8. ubi mentio facta fuerat Judicii Divini in Ecclesiam ut in *vineam.* Equidem id verum: sed in ℣. 8. descriptum erit *moderamen Judicii* Divini in Judæos; quod moderamen Judicii Divini nemo perspiciat in hoc *versu*, in quo *Civitas munita* plane dicitur *deserenda* ac *desolanda* esse. Nec consistit etiam hæc interpretatio cum extremis, ℣. 9. *Non subsistent luci & imagines solares.* Sensus enim ejus loci est, non esse futurum, ut *luci* & *imagines solares* à Judæis pœnitentibus rursus efformentur & eligantur idololatriæ instrumenta. cum quibus, sic expositis, minime cohæret quod hic legitur, de *Urbe munita diruenda*; si id de Hierosolyma accipiatur: sed rectissime & verissime, si de BABYLONE. Eadem enim illa Babylon, Judææ Genti inimica, æmula Hierosolymæ, censebatur esse *Mater idololatriæ & superstitionis*

peccati ejus amoti. Sensus sententiæ. *Amovere peccatum* quid sit?

Fructus notat *effectum*, argumentum.

Si posuerit omnes lapides altaris ut lapides calcis disjectos. Sensus sententiæ.

Instrumenta idololatriæ olim comminuebantur.

Non stabunt Luci & imagines Solares. Animadversio ad hæc verba.

Ratio abolendæ idololatriæ petitur à destructione *Civitatis munitæ.* Censura interpretationis, quæ hic intelligit *Hierosolymam*, quæ hic intelligi nequit.

Verba recte referuntur ad *Babylonem*, quæ

a Matth. VII. 16. *b* Exod. XXXII. 20. *c* 2 Reg. XVIII. 4.

erat *Mater idololatriæ.* Locus Apoc. XVII. 5.

tionis Orientalis, quia Chaldæi & Babylonii idololatriam & superstitionem suam promovebant medio studiorum sapientiæ, h. e. artium & disciplinarum, quæ apud ipsos colebantur. Sic Joannes Vates de Babylone mystica [a]: *Et fronti ejus inscriptum fuit Nomen: Mysterium. Babylon magna*, MATER FORNICATIONUM & ABOMINATIONUM TERRÆ. Alluditur ad loca Jes. XLVII. 12. & Jer. L. 38. Verba Prophetæ in posteriore hoc loco: *Æstus in aquas ejus & exarescent, quia terra* פסילים SCULPTILIUM *illa est, & in terriculamentis* INSANIUNT. Sic recte cohæret oratio Prophetæ, Judæos post Exilium in terra sua habitantes ac fructificantes, abstenturos esse idololatria, & imagines Solares ac Lunares non esse substituras, quod *Urbs magna*, superstitionis & idololatriæ mater & scaturigo, destruenda esset. Quod si vero verba hæc nostra connectas cum ℣. 7. ubi Propheta de exemplo severi Dei Judicii in hostes ejus loquutus fuerat; (quo in loco ostendi *Babylonios* vere spectari:) ipsum quoque illud lubens admiserim. cohærent enim hæc verba non modo cum proxime superioribus, sed cum *contextu* totius prophetiæ, cujus argumentum est describere Judicia Dei in hostes sui Populi, exitura in illorum interitum. Forte existimes, non satis convenire *Babyloni* & *Babylonio Populo*, quod adscribitur ℣. 11. ubi ratio *Urbis* hujus *adversatiæ destruendæ* fertur, *quia non erat Populus præditus* INTELLIGENTIA, (בינות, proprie: *intelligentiis*, quæ vox in hoc solo loco, nisi fallor, *plurali numero* venit:) hoc est, intelligentia & prudentia summa, qualis ea est quæ exercetur in negotio Religonis: ac *propterea* FACTOREM EJUS *non esse ejus miserturum, aut* FORMATOREM EJUS *non esse ei facturum gratiam.* Equidem non nego, sic alicui videri posse; estque hæc gravissima ratio, quare Interpretes aliqui hic de *Samaria* vel *Hierosolyma* cogitent, quia Deus proprie *Judæorum* & *Israëlitarum Factor* ac *Formator* dicitur. Sed faxim dispareat nebula. Non respondeo hic, Deum eodem sensu appellari posse *Factorem & Formatorem Populi Babylonii*, quo est & passim celebratur, ut יוצר הכל *Formator omnium* [a]; qui *format spiritum hominis in medio ejus* [b]; *qui dat halitum & spiritum calcantibus terram* [c]; cujus σχέσει homines omnes sunt ut *lutum* respectu יוצרו *figloris sui* [d], & quæ plura hujus generis. Id, inquam, hic minus urgeo, etiamsi id urgere possem: sed, quod ad rem facit, observo, omnia magna Imperia, magnasque Urbes, censeri esse magna *Opera Divinæ Providentiæ.* Intellige rem ex verbis Domini ad Jonam [e]: *Tu indolescis ricino, in qua non laborasti, neque illam educasti: quæ nocte una extitit, & nocte una periit: & ego non indolescerem* NINEVÆ, *Urbi maximæ, in qua sunt amplius duodecim myriades hominum, qui non dignoscunt dextram suam à sinistra, & pecudes multæ?* Minus est, ut vides, in *Apodosi*, quam in *Protasi.* Integra & perfecta oratio est: *Et ego non indolescerem* NINEVÆ, *cura* atque *labore meæ Providentiæ structa & ad tantam amplitudinem promota?* Accipe igitur id hoc loco de *Babylone* dici, quo in hoc parallelo de *Nino.* Sed necessum est, me adhuc clarius explicare, quorsum hæc tendat oratio Prophetæ. Judæi ex consilio Divinæ Providentiæ abducendi erant in Exilium Babylonicum, & purgandi ab idolatria, ibidem professuri erant *cultum veri Dei*, non tantum, ut ipsi propter peccata sua punirentur, verum etiam, ut si *saperent* Babylonii, ad veram Dei cognitionem & cultum hoc medio perducerentur. *Babylonii*, inquam, sive potius, *Chaldæi*, qui videri volebant in cœlestium rerum notitia plurimum profeciisse, & aliis Gentibus antecellere. Jam non est dubium, quin aliquibus Babyloniis commercium Judæorum hunc præstiterit effectum: sed in universum perstiterunt in superstitione ac idololatria sua, nec Babylonii, licet *intelligentiæ* laudem assecuti, discreverunt cultum sanum & rationalem Dei veri à falso, quicquid hic tentaverit Nebucadnezar. quo sensu accipies dictum Jeremiæ [g]: CURAVIMUS (curare voluimus,) BABYLONEM; *sed sanata non est.* non est passa sibi applicari medicinam. curatio fuit absque effectu: quare quod ibi dicitur, erat deferenda ab omnibus & relinquenda Judicio Divino. Ergo peritura erat BABYLON, quod non esset *Populus intelligentia vera* præditus: perinde ac ROMA, ejus ἀντίσχυχον, quod tot consiliis, admonitionibus, convictionibus piorum, sive Ecclesiæ veræ, servitute pressæ, in ditione sua commorantis, se abduci passa non sit à superstitione & idololatria, cui Metropolis hæc æque ac Babylon valide patrocinata est.

Nexus orationis Prophetæ. Dubium expeditur.

Dubium, adversus hanc sententiam motum, quod Deus non videatur recte dici ejus *Factor* & *Formator.*

Quid ad illud expediendum huc in genere adferri posset?

Magna Imperia sunt *Opera* Divinæ Providentiæ. Locus Jon. IV. 10.

Locus declaratur.

Est hic quid peculiare quod pertinet ad *Babylonios.*

Non passi se sunt revocari ab idololatria per Judæos. Locus Jer. LI. 9.

Quæ cum in genere præmonita sufficiant ad generalem verborum intelligentiam: pauca tantum observabo ad phrasin Prophetæ illustrandam. In phrasi: עיר נאורה vox ברר proprie valet, *solitudo*, vel *solitarium quid.* alias enim scribendum esset, ברורה. Quod sequitur: נוה משולח ונעזב vertit Tremell. *Caula disjecta & derelicta instar Deserti.* Non adeo male, quia vox נוה recte per *caulam* vertitur, ut Vir Doctissimus alibi [h] fuse probatum dedit. Sic diceret Propheta, *commodam ovium mansionem* futuram esse *dissipatam & relictam instar* DESERTI. ut נה & מרבר sibi invicem opponantur. sic Cocejus [i]. Equidem facile subscriberem, si non clarissime pateret, agi hic de *Urbe munita*, h. e. *Babylone*, destruenda, quæ hic dicitur convertenda esse in *pascuum* Palatiis & Ædibus ejus splendidissimis destructis. quod docuit eventus, & Historici omnes de Babylone recentioris temporis testantur; licet hic etiam sensus subsit mysticus, quem mox detegam. Ergo vox נוה hic vertenda est per *Mansionem commodam* (quæ est genuina notatio vocis sive de *hominibus* sive de *pecudibus* usurpetur:) Regis, Principum, & Procerum *Babyloniorum*, h. e. Palatia, aulas, ædes splendidas & magnificas, quibus Babylon superbiebat. cujus significationis reliquias habemus in voce נינוה NINEVE, h. e. *Mansio Nini.* נוא NO-AMMON, MANSIO CHAMI. proprie *Mansio commeda & decora* Nini aut Ammonis; Domus ejus, aula, &, si vis, Palatium. unde ab ipsa hac voce נוה est Græcorum *ναίω*, *commode habito*, & *ναὸς Templum.* Additur eadem metaphora: *Ibi pascet vitulus* (aula sc. disjecta) *& ibi recubabit*, וכלה כעיפיה *& consumet* RAMOS EJUS. Sic recte vertitur. *Boves enim tam arborum ramusculos & folia quam herbas agri consumunt.* quod ut ruricolis non ignotum: sic ὁ πάνυ [k] late docteque illustravit. Sententia loci est, *Urbem* illam *munitam*, de qua hic mentio est, sedem idololatriæ, quam Propheta suo tempore cum præcipue floreret, spectari voluit ut adversariam & maxime inimicam Populi Dei, (quam in superioribus demonstravi esse BABYLONEM [l], sive veram sive mysticam:) diruendam subvertendamque esse, usque adeo, ut perfracto septo, & disjecta AULA, (per quam hic sive commoda & secura hominum mansio, sive *Palatia* & *Fortalitia* Babylonica significantur, secundum elegantiorem illum usum vocis נוה quem modo demonstravi & illustratum dedi:) pecus ibi liberrime pastum tanquam in *Deserto* libere grassaretur, & *virgulta* arborumque *ramos* carperet. An alluditur ad *salices*, quarum in convalle illa ab Euphrate large irrigata magna erat copia? Certe vidimus, agrum Babylonium à Vate nostro appellari נחל הערבים *Vallem salicum* [m]. Posses autem ex ipso hoc attributo, vastationis & desolationis qua *Urbs hæc munita* mutaretur in *Desertum*, BABYLONEM cognoscere, si aliunde ejus notitia nobis non alluceret. Est enim id ipsum quod Propheta noster [n], & Jeremias, de hac *Urbe* presse prædixerunt [o]. Et tamen vere existimo, esse quid aliud etiam & plus quod hic significetur. Si enim Propheta hic *tantum* vastandæ & in *solitudinem* redigendæ *Babylonis* voluisset facere mentionem: cur non potius dixisset, quod alias dicere solitus est, redigendum esse locum in *vastitates perpetuas:* non *recubituras* ibi esse cum Pastoribus *pecudes:*

Observata quædam ad phrasin Prophetæ. Vox ברר quo modo hic accipienda? Item vox נורא. An recte vertatur per *caulam*? Rectius vertitur per *aulam.*

Notio נוה illustrata. Sequentia *Ibi recubabit vitulus*, &c. Versio constituta.

Urbs munita hic est *Babylon.*

Ejus destructio. Phrasis Prophetæ.

Sub *virgultis* & *ramis salicum* alluditur ad *salices Agri Babylonici.*

Et tamen μυστικώτερον hic significatur, sub his vocibus.

Dra-

---

a Cap. XVII. 5. *b* Jer. X. 16. *c* Zach. XII. 1. *d* Jes. XLII. 8. *e* Cap. XLV. 9. 12. *f* Cap. IV. 10 *g* Cap. LI. 9. *h* Bochart. *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XLIV. *i* In *Lex.* *k* *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XXXI. *l* Cap. XXV. 2. *m* Cap. XV. 7. Ps. CXXXVII. 2. *n* Cap. XIII. 19—21. *o* Jer. L. 12. LI. 43. 62.

Dracones & impuriſſimum ferarum genus ibi dominaturum eſſe, & quæ his ſimilia? An igitur non vides, eſſe quid altius & ſublimius quod Propheta noſter ſublimis ubique ac profundus hic in oculis habuit? Viderunt certe Judæi, & inter illos ſeverioris ingenii Aben-Ezra, qui per *ramos* vel *virgulta*, *ſurculos*, hic intellexit ערי מרווחת *Pagos Urbi ſubjectos*. Sed id leve & exiguum eſt. Paraphraſtes verba prudentius inſpexit, vertitque, ſane doctiſſime: בה יגיחון צדיקיא ויכוון ית נכסהא ויסופן משריתהא מלמפק *Illam* (Urbem munitam) *expugnabunt juſti, & diripient facultates ejus, & conſument exercitum ejus ne prodire queat.* Quid veri ſubſit huic interpretationi, intelliges, ſi cum ea comparaveris Cap. XXVI. 5. *Quia depreſſit* CIVITATEM *alte evectam: .... conculcabit eam pes; pedes* PAUPERUM, *greſſus* TENUIUM. Quod Propheta ibi proprie dicit, hic effert figurate. Per *vitulos* intelliguntur homines pii, florentes, qui creſcunt robore vitæ ſpiritualis, ſive, ut Paraphraſtes, uno verbo צדיקיא *Juſti*. confer emblema Cap. XI. 6. Per *virgulta & ramuſculos frondoſos* arborum ſignificantur *reliquiæ* copiarum, facultatum, bonorum, quæ Urbi ab hoſtibus deſolatæ jam vaſtatæque ſuperſunt. Solent enim Urbes, licet vaſtatæ & fere æquatæ ſolo, ubi ſe recolligunt, adhuc aliquid oſtentare decoris, ornatus, copiæ, cui victoris clementia aut negligentia pepercit. Sed ſors hujus Urbis munitæ eſſet, ut quod hoſtes ei reliquum fecerant, ab ipſo Populo Dei, aut membris Eccleſiæ, occuparetur & abſumeretur.

Judæorum Intt. meditationes.

Paraphraſtæ. Intelliguntur *facultates*, & *opes Babyloniorum*.

Per *vitulos* intelliguntur *pii*.

Planior expoſitio.

Simile quid eſt, vel affine quod de eadem clade vel calamitate *figurate* additur, ỳſ. 11. *Cum aruerit ramus ejus. & ſeqq.* cujus *verſiculi* prius conſtituenda eſt verſio, quam in ſenſum ſingularis & animadverſione digniſſimi emblematis poſſimus penetrare. In *verſione* autem ſententiæ conſtituenda plerique conſentiunt: licet Hieronymus locum imperitius tractaverit. Relegam verba in membra ſua diſſecta. ביבש קצירה תשברנה *Cum aruerint rami* (proprie, *ramus*,) *ejus*, *confringentur*] Sic verto verba cum Intt. Hebræis Aben-Ezra & Kimchio. Hieron. *In ſiccitate meſſes illius conterentur.* Sic præiverat Symmachus: Ἐν τῷ ξηρανθῆναι τὸν θερισμὸν αὐτῆς, συντριβήσονται. Coccejus: *Cum areſcet meſſis illius*, *frangentur.* Non repudio ſenſum, ſi eum in ſe ſpectes, ſatis ſane elegantem & commodum: futurum ſc. eſſe, ut cum *aruerit meſſis Babylonis*, h. e. Judicii ejus tempus proprium advenerit, (confer Apoc. XIV. 15.) confringatur ac deſtruatur. Nihil obſtat huic interpretationi, niſi quod ſecundum eam non facile reddideris rationem vocis תשברנה *confringentur*. Nec enim vox reſpondet τῇ עיר *Civitas*, quæ non ſatis commode dicitur confringi: nec notioni *meſſis*, cui ipſi quoque hoc attributum non convenit. Addo etiam illud, Prophetam, ſi id voluiſſet, forte ſcripturum fuiſſe *cum maturuerit meſſis ejus:* (ut Joël. III. 13.) pro eo quod hic legitur, *aruerit.* tum quoque, *maturam meſſem* non *incendi*, ſed *colligi.*

Altera metaphora qua *Babylonis* Deſtructio deſcribitur, ỳſ. 11.

Veræ verſionis inveſtigatio.

Verba: *Cum aruerit ramus ejus.*

Variæ verſiones.

Sunt qui קציר hic de *Meſſe* accipiunt.

De eo judicium.

Ergo non dubie cum Intt. Hebræis hic amplector alteram ſignificationem vocis קציר, qua notat ענף העץ *ramum arboris*, *palmitem*, *termitem.* quo ſenſu vox inter alia occurrit Job. XXIX. 19. וטל ילין בקצירי *Et ros pernoctat in* RAMIS *meis.* Eſt ſcilicet *ramus* vel *ſurculus* qui facile amputatur ſive *præciditur*, quæ eſt originaria ſignificatio thematis קצר. Senſus eſt: cum *aruerit ramus ejus*, h. e. voce collective ſumpta, *cum aruerint rami ejus: confringentur.* alluſione ad *arborem*, (à qua metaphoram jam ſumpſerat *verſu ſuperiore:*) cujus *rami* & *palmites arefacti* facile *confringuntur* & igni ſubminiſtrant pabulum. quod Propheta addit: *Mulieres venient & incendent eam*] ſc. Urbem ſub typo *arboris* in *Deſerto* natæ propoſitam: vel *collectionem ramorum defractorum.* quod hic perinde eſt. Sub Hebræis *venientes* & *incendentes* intelligenda eſt vox תהינה, vel הן. *erunt venientes & incendentes eam.* Ita eſt. ubi *rami* hujus *arboris*, poſt viride decerptum & abſumptum, exaruiſſent, frangerentur à *mulieribus*, eas ſuccenſuris. ut fit. *Areſcunt* enim arbores & rami, quorum folia, frondes, virgulta, ablugierint ac decerpſerint jumenta; & *aridi* facile *franguntur*, & à *mulieribus* in uſum Domeſticum adhibentur. Hieron. *Mulieres venientes & docentes eam.* quibus ipſe neſcivit aptare commodum ſenſum in quo acquieſceret. Chaldæus quoque & Intt. Græci Vett. hic in lubrico inceſſerunt: ſed recentiores Judæi, ſenſum, quem nos reddimus, recte perceperunt, docueruntque, vocem הא hic eſſe interpretandam ex loco Mal. I. 10. לא תאירו מזבחי חנם *Non* INCENDITIS IGNEM *in altari meo fruſtra.* Nihil facilius. Ipſa vox אור æque *ignem* ac *lucem* notat: quæ duo raro ſeparantur.

Rectius hic vertitur per *Ramum Arboris.*

Vox hic *collective* ſumitur.

Alterum Membrum: *Mulieres venient & accendent eam.*

Senſus orationis.

Majoris eſt operæ, hic detegere myſterium. Agitur ex noſtra hypotheſi de disjecta Metropoli Imperii Babylonici, ac de *Babylone* tanquam de *Arbore* quæ in planitie vaſtata deſertaque, ſola relicta, decerperetur à *Vitulis*, in illo tractu recubituris; cujus *rami* poſtquam *exaruiſſent*, deinceps à MULIERIBUS frangerentur ac incenderentur. Quæris, quid ſibi hæc velit oratio? quænam illæ ſint *mulieres* quarum Propheta in hoc loco meminit? Plerique Interpretes cum res obſcura maxime videatur, vel diſſimulant & tranſeunt difficultatem, in explicanda ἀποδώσει: (veluti hoc membrum comparationis, quod ſæpe fit, ornatus cauſſa adjectum eſſet:) vel cum exiſtiment, hic agi de *Judicio Dei in Judæos* & *Hieroſolymam*, tanquam *vineam*, à Deo deſerendam; per *mulieres* ramos arboris ſive vineæ *incenſuras* intelligunt *Babylonios*, ut Sanctius: etſi in hoc nomine ad Babylonios applicando valde laboret. Solus Grotius ex his quos inſpexi, Interpretibus pro ingenii ſui acumine hic aliquid vidit, quod ſi forte verum non ſit, eſt tamen vero affine. Cenſet ille quoque & videt, agi hoc loco de *Babylone*, ejuſque deſtructione, de qua Propheta frequens adeo vaticinatur. Per *Mulieres* itaque intelligit ille *Medos*, *contemptos ante ut molliores:* quorum veſtes ἀναξυρίδες, κάνδυς, τιάρα, *feminalia*, *candys*, *tiara* [a]. Eſt enimvero digna tanto ingenio cogitatio; quam ego hic loci admittere non gravarer, ſi id emblemati, ut hic occurrit, in circumſtantia hujus orationis, ſatis probe conveniret. Non agitur in *præſenti emblemate* de prima Imperii Babylonici *deſtructione.* Imperium jam dirutum ſupponitur, quippe de quo Propheta in *initio verſus ſuperioris* jam egerat. Hæc verba pertinent ad *reliquias* Urbis jam deſtructæ, tanquam *Arboris* in planitie nudata, disjecta caula, à Vitulis *abligurienda*, & *rodenda*, & tandem à *Mulieribus* frangendæ ac plane deſtruendæ. Ego ſic exiſtimo, per *Vitulos*, in hoc tractu recubituros, omnino hic intelligi JUDÆOS, *tenues* illos & *inopes*, à quibus Babylon, ſub Perſis & Seleucidis Regibus magis magiſque collapſa, *conculcaretur*, ut Propheta noſter de hac eadem Urbe ſcripſerat, Cap. XXVI. 6. eſtque idem quod de eadem Babylone Jeremias, Cap. L. 45. *Si non laniabunt* (raptabunt) *eam* צעירי הצאן PARVULI OVIUM! Ad exemplum ejus quod idem Propheta noſter loquens de *vindicta* à Deo ſumenda de hoſtibus Eccleſiæ, quorum πρότυποι fuerunt Babylonii & Syri [b]: *Tum plurimum ſpolii diſtributum eſt:* CLAUDI *prædati ſunt prædam.* Demonſtravi vero implementum *literale* perfectum reſpectu *Babylonis* ad *locum ſuperiorem* [c]. Tantum quærimus *Mulieres arborem* hanc jam plane *arefactam inceſſuras.* Has vero ego ex ductu prophetiæ comparatæ cum hiſtoria demonſtro eſſe ARABES, qui *Babylonem*, ſibi proximam, poſtquam deſerta eſſet à Judæis, ita diruturi ac ſubverſuri eſſent ut deinceps ne rudera quidem tantæ Urbis ſupereſſent. Hos cenſeo hic appellari *Mulieres* ob eandem rationem ob quam Populi aliqui in *Apocalypſi* comparantur *Locuſtis*, quæ *habebant capillos ὡς τρίχας γυναικῶν*, ut CAPILLOS MULIERUM [d]. Joſephus Medus, inter optimos hujus Libri Interpretes eumque ſequutus Henricus Morus, hic intelligunt *Arabes*, qui ex Plinii [e] teſtimonio INTONSO *utuntur* CRINE, & (*mulierum more*, addit Medus:) *mitrati degunt:* (Plinius ſcripſerat: *Mitrati degunt*, AUT *intonſo crine.*) & fide peregrinatorum, *ex proprio capillo ſibi cornua & cincinnos nectunt:* ſive, quod

Grotii ſententia.

Per *Mulieres* intelligit *Medos.*

Quid ei obſtet?

Sententia diverſa.

Deſignantur Judæi, *Babylonem* poſtea occupaturi.

Locus Jer. L. 45.

Mulieres Arborem arefactam (Babylonem) *incenſuræ ſunt Arabes.*

Locus Apoc. IX. 8.

Joſ. Medus & Henric. Morus laudati.

a Plut. in *Alex.* b Cap. XXXIII. 23. c Cap. XXVI. 5. d Apoc. IX. 8. e *Hiſt. Nat.* Lib. VI. Cap. XXVIII.

Henricus Morus *a*; *crines constringunt tiara vittave more fœminarum.* Nihil probabilius illorum hypotheſi eſſet, ſi omnia attributa *Locuſtarum* ad ipſos applicari poſſent: de quo alibi diſputavi. Quod vero ad attributum *intonſorum crinium* attinet; eſt id cum aliquo diſcrimine accipiendum, ſi reſpectus habeatur *Arabum Veterum*, quorum varia ſunt genera: de quo videnda ſunt quæ ſcripſi in Notitia *Moabitarum* & *Arabum*. Et tamen nec hoc attributum in iis defugio, nec alia quæ faciunt, ut ſub emblemate *Mulierum* eleganter proponi queant. Ammianus, qui de *Saracenis* frequens meminit, eorumque mores deſcribit *b*: *Saracenorum cuneus, ... ad ſortem magis expeditionalium rerum quam ad concurſatorias habilis turmas, & ſeqq.* Mox: *Ex ea enim* (turma Orientali,) CRINITUS *quidam, ... agmini ſe medio Gothorum inſeruit, & ſeqq.* Intellige Saracenum Arabem. Hieronymus in *Vita Malchi: Ecce ſubito equorum camelorumque ſeſſores Iſmaëlitæ irruunt*, CRINITIS *vittatiſque capitibus, ac ſeminudo corpore pallia & latas caligas trahentes.* Suggeſſit mihi hoc teſtimonium doctiſſimi ingenii Vir, Henricus Valeſius *c*, apud quem plura legi poſſunt. unde intelligi poterit, quo ſit capiendum ſenſu, quod alius quidam Vir Eruditus ſcripſit *d*, *Arabes impexos, intonſos eſſe & ſqualidos.* Utique ſane *goſſypio* indutos *induſio, manicis largis, capite obvoluto*, & prodeuntes in prœlium magis laceſſere hoſtes quam fortiter & cominus pugnare, (quales deſcribuntur à Cotovico *e*,) ſunt characteres *mulierum*, myſtice ſic dictarum, potius quam Virorum ſtrenuorum, ad bella & prœlia rite armatorum.

An Arabes ſecundum teſtimonium Plinii *intonſis crinibus utantur*?

Ammiani de iis teſtimonium luculentum.

Hieronymi, & aliorum.

Sic conſiſtit huic prophetiæ noſtri Vatis ſuum implementum reſpectu BABYLONIS, ſenſu myſtico; non minus ac PERSEPOLIS, quæ Perſici Imperii Metropolis vere à *mulieribus incenſa* periit; vel ANTIOCHIÆ, Metropolis illorum Syrorum qui perſecutionem inſtituerant adverſus Populum Dei, quæ circa eadem hæc tempora incenſa à *Judæis*, fato ſingulari, tota fere in cineres eſt redacta. quæ exempla hic non allego præter rationem. ſunt enim omni animadverſione digna, faciuntque ad ipſam hanc prophetiam illuſtrandam. Cum enim Prophetæ hoſtes Judæorum Aſſyrios, Babylonios, Perſas, Syros, ſæpe ſpectent & ſpectari velint ſub *una* quadam *imagine*, unde ipſos quoque *Perſas* vocant ASSYRIOS *f*: quicquid uni METROPOLI hoſtili ſingulari fato accidit, id cæteris quoque accidiſſe cenſetur. De *Antiochia* ſub Demetrio Nicatore à *Judæis*, qui illo tempore ut minus ſtrenui & inſtructi milites à Syris contemnebantur, ACCENSA & tantum non deleta, licet deinceps inſtauranda, videri poteſt Joſephus *g*, ex quo hunc caſum ſuperius retuli. De *Perſepoli* vero, res eſt memoratu digna, *Thaidem* ſcortum, cum adeſſet in convivio Alexandri, Regi & Comitibus ejus qui jam *mero incaluerant*, perſuaſiſſe, ut *Regiam Perſarum* incendio delerent: atque adeo ex hoc conſilio *primum Regem ignem Regiæ injeciſſe*; *tum convivas, & miniſtros*, PELLICESQUE. Subjicit Hiſtoricus *h*: *Hunc exitum habuit* REGIA *totius Orientis, unde tot Gentes ante jura petebant: patria tot Regum: unicus quondam Græciæ terror, ... ac ne quidem longa ætate, quæ excidium ejus ſequuta eſt*, RESURREXIT. quem locum lubentius allego, quod eadem vox *reſurgere* ibi eodem ſenſu metaphorico occurrat, quem demonſtravimus ad Cap. XXVI. 19. Diodorus *i*: *Extemplo ingens facum numerus cœit, & aſſumptis quæ tum aderant* FEMINIS MUSICIS, *Rex cum cantu, tibiiſque & fiſtulis ad ſaltationem proceſſit, καθηγεμένης τῆς πράξεως Θαΐδος τῆς ἑταίρας, duce Thaide meretricula, quæ etiam à Rege prima faculam ardentem Regiæ injecit.* Credat quiſque Verbi Prophetici peritus homo, ſub *Babylone*, quæ hic typi inſtar proponitur, (quippe cujus Judicium tempore Prophetæ noſtri adhuc à longo ſpectabatur ut futurum:) hic intelligi & ſimul comprehendi *Ninum*, *Perſepolin*, *Suſa*, *Antiochiam*, & denique ROMAM, ad quam myſticus hujus Prophetiæ intellectus adſtringitur. Eſt in fatis ROMÆ, Perſecutricis ſanctorum, incendio eam interituram eſſe. Sic Propheta *k*: Καὶ ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται· *Et* IGNE EXURETUR. quod deinceps repetitur *l*. An vero à *Mulieribus*? Ita ſane. à Populis *Barbaris*, vel *Roma florenti olim non metuendis*. Significatur enim hac prophetia, fore, ut Urbs adverſaria, Judiciis Divinis oppreſſa, collaberetur; ibique recubantes *vituli*, (liceat hic loco *Judæorum* intelligere *Chriſtianos*,) frondem ejus reliquam carperent, & *Mulieres* eam *incenderent*. Diſputavi alibi *m*, quatenus Gothi, ſive Occidentales Duce Alarico, ſive Orientales, Duce Totila, (Locuſtæ Apocalypticæ, crinitæ inſtar *Mulierum n*:) hoc Judicium Divinum in ROMAM executi ſint: ſed quicquid huic implemento deeſt, ſupplebitur ſuo tempore, quando τὰ λείψανα Urbis hujus adverſariæ, deletæ jam & deſtructæ ab hoſtibus, aut ſubverſæ Judiciis Divinis, (in qua Urbe *inventus eſt ſanguis Prophetarum, & ſanctorum, & omnium qui mactati ſunt in terra*:) ab obviis quibuſque corrumpentur ac deſtruentur. quo ipſo quoque tempore *abolebitur* plane & *exterminabitur* idololatria & ſuperſtitio, cui hæc *Urbs* ut *Metropolis*, ſive *Mater ſcortationum & abominationum terræ o*, patrocinata fuerat tam fuco falſæ Doctrinæ quam tyrannide ſua. Ita ſane poſt Reditum ex Exilio Babylonico *Judæi* idololatria abſtinuerant; ſed penitus (exceptis Principibus quibuſdam adulatoribus Romanorum,) poſt tempora Antiochi Epiphanis, nam ſub ipſius dominatu plures ſe polluerunt idololatria Græcanica. De his Zephanias *p*: *Reliquiæ Iſraëlis non facient injuſtitiam, & non loquentur mendacium, & non invenietur in ore ipſorum lingua doloſa.* Qui idem ſtatus, ſi minus eſt, certe eſſe debebat Eccleſiæ Proteſtantium, egreſſæ Babylonem. Quicquid eſt: vidit Eccleſia quod hic dicitur. In iis locis ubi cultus purior Eccleſiarum Proteſtantium obtinet, deſtructa eſt & abolita ſuperſtitio & idololatria publica; *ſtatuæ* & *imagines ſolares*, hoc eſt, idololatriæ ac ſuperſtitionis inſtrumenta, ſunt ablata à ſacris; Populi, de erroris craſſitie perſuaſi, ingente impetu & majore etiam, quam qui laudari mereatur, imagines quaſcunque & ludubria ſuperſtitionis corruperunt, disjecerunt, & *comminuerunt in pulverem*; eſtque hiſtoria ejus rei memorabilis. Fuit enim in illis motibus Gentium in expurganda idololatria, qui *ignis* inſtar rapidiſſimo & quam citiſſimo curſu integras Regiones pervagati ſunt, quid plane extraordinarium. in quo nunc acquieſco. Deus ſuo tempore rem exequetur.

Implementum prophetiæ non tantum in Babylone, ſed & *Antiochia, Perſepoli, &c.*

Fatum Antiochiæ vere à Judæis *incenſæ.*

Singulare *Perſepolis, incenſæ* vere à *Mulieribus*, ſingulari fato.

Curtii de eo & Diodori teſtimonia.

Babylon hic complectitur omnes *Urbes adverſarias Populi Dei.*

Et maxime *Romam, igne perituram.*

Quo ſenſu ſuccendendam a *Mulieribus*?

Quatenus *Roma Pagana* hoc ſubierit Judicium?

Perfectius implementum prophetiæ exſpectatur.

Judæi abſtinuerunt idololatria poſt Reditum ex Exilio, ſed maxime poſt tempora Epiphanica.

Locus Zephaniæ, Cap. III. 13.

Idem in Eccleſiis Proteſtantium, egreſſis Babylonem.

Abolitio ſolennis imaginum & ſtatuarum tempore Reformationis.

Quintum attributum Eccleſiæ hujus temporis, ejuſque Status: *Collectio in eam membrorum ejus diſperſorum.*

℣. 12. *Et futurum eſt* ILLO DIE, *ut* EXCUTIAT *Jehova ab* ALVEO FLUVII *uſque ad Amnem* ÆGYPTI: *& vos colligemini* UNUS AD UNUM *filii Iſraëlis*] Quintum eſt attributum *illius temporis*, quo Deo propoſitum erat Eccleſiam ſuam, veluti reſuſcitandam ex mortuis, & ab *idololatria* ac *ſuperſtitione* purgandam, in melius inſtaurare. *Illius*, inquam, *temporis*, quod Propheta innuit ſigno vulgato, ביום ההוא ILLO DIE. quam locutionem magnam involvere latitudinem, ſæpius monui, & nemo ignorat Verbi Prophetici ſtudioſus. Sed hic licet ampliorem ſignificationem non recuſet: vere tamen & proprie deſignat ipſum illud tempus *Judicii* Dei in hoſtes Eccleſiæ ſuæ, quod Vates memoraverat in *initio* hujus *Capitis*. Attributum ipſum hujus temporis, ſive *Status Eccleſiæ* ejuſdem temporis, eſt *Collectio* membrorum ejus diſperſorum & hic illic latitantium quæ inſtitueretur per potentem quendam Dei *actum* quem Propheta vocat *excuſſionem*, ab ipſo Deo Jehova efficiendam, & quidem ea latitudine terræ ut pertingeret ab *alveo fluvii* ſc. Euphratis uſque ad *Amnem Ægypti*.

Quintum attributum Eccleſiæ hujus temporis: *Collectio in eam membrorum ejus diſperſorum.*

Summa ejus quod hic dicitur.

Pen-

a Op. Lib. v. Cap. XVI. p. 186. *b Hiſt.* Lib. XXXI. Cap. XVI. *c Annot.* ad h. l. *d* Cæl. Rhod. Lib. XV. Cap. VIII. *e Itin.* Lib. III. Cap. XVI. *f* Ezr. VI. 22. *g Antiq.* Lib. XIII. Cap. IX. *h* Curt. Lib. V. Cap. VII. *i* Lib. XVII. p. 606. *k* Apoc. XVIII. 8. *l* ℣. 18. *m* Comm. in *Apoc.* ad Cap. XVIII. 24. §. XLVIII. *n* Apoc. IX. 8. *o* Apoc. XVII. 5. *p* Cap. III. 13.

Sensus sententiæ pendet à recto intellectu notionis חבט.

Pendet totius emblematis intellectus à recte percepta notione חבט, metaphorice sumpta, qua Propheta hic utitur. Notat autem aliquid *excutere* vel *succutere*, & usurpatur, stylo Scripturæ S. vel de *tritico*, aut *legumini-bus*, quæ *bacillo* excutiuntur spicis sive aristis aut tegumentis quibus involvuntur: vel de fructibus arborum, ut *ficubus*, *olivis*, quæ vehementiore arborum succussione vel *decussione* excutiuntur, & excussæ colliguntur. Sic in Historia Gideonis [a]: *Et Gideon filius ejus* חובט EXCUTIEBAT *triticum in torculari.* Vates noster, *Sermone* sequenti [b]: *Nam baculo* יחבט EXCUTITUR *melanthium, & cuminum baculo valido.* Moses in Legibus [c]: כי תחבט זיתך *Cum* DECUSSERIS vel EXCUSSERIS *oleam tuam, non diligentius stringes post te.* In *oleis* tamen excutiendis, vel *destringendis*, si qua earum mentio fiat, commode & emphatice adhibetur vox נקף, *strictura*, qua Vates noster usus est Cap. XVII. 6. XXIV. 13. Intt. Vett. Aq. Sym. Th. eleganter verterunt per *βαβδίζειν*. Sic videtur legendum. Apud Hieron. est *βαβδήσει*, acsi esset à *βαβδάω*. Patet jam facile ex inspecta metaphora, intelligi ejusmodi aliquam Dei actionem violentam, qua Deus *terras* & *populos*, inter quos Judæi dispersi versarentur, ita percuteret & excuteret suis Judiciis, ut Judæi, qui huc usque vixerant sub eorum potestate & tutela, eorumque partem veluti fecerant, ab iis Populis *separarentur*, & suæ restituerentur *libertati*, ac *collecti* reduniri possent corpori Ecclesiæ. Respicitur status Populi inter Assyrios, Babylonios, Ægyptios, Syros, ut ex *sequente versu* clarissime liquet. Tantum observandum, Prophetam pro divitiis suæ orationis utramque metaphoram inter se junxisse. quod enim ait, Deum *excussurum* esse Populos sc. & terras quas designat: eo directe alludit ad *excussionem tritici*: sed quod addit; *vos* autem *unus ad unum colligemini*: minus alludit ad *grana tritici*, spicis paleisque bacillo excussa, quam ad *raras olivas* quæ vehementiore motu aut strictura excussæ, solicite atque accurate *una* ad *aliam* colliguntur atque aggregantur. Accepi autem hanc metaphoram pro emblemate *Judicii* Dei in hostes sui *Populi*; non pro *Judicio* quo Deus excutit *Ecclesiam.* etsi id dubium videri posset, & emblema vere utrique Dei actioni Judiciali conveniat. Deus enim vel dici potest hostiles Populos, inter quos Judæi ut exules versantur, *excutere* & *succutere*, quando per graviores motus in illis Gentibus suscitatos facit, ut Judæi à Populis illis, in quorum potestate erant, separentur, sive ut Populi illi cogantur Judæos exules *missos facere*, eosque *suæ libertati restituere*, ut se communioni Ecclesiæ commode ac secure possint aggregare: (perinde ac *grana* quæ hactenus velis suis tecta partem aristæ fecerant, aut *olivæ*, quæ partem oleæ fecerant, umbra ejus tectæ, ubi excutiuntur, à corpore cujus partem fecerant, separantur & suæ videlicet restituuntur libertati:) vel *excussio* illa potest notare *Judicium* Dei in *Ecclesiam* quo Deus domum suum visitat, & bonos à malis, hypocritas à sinceris, separat: quo modo metaphoram *triturationis* (est autem eadem quæ *excussionis*,) accepimus Cap. XXI. 10. & præclare ab ipso Jesaia adhibetur, Cap. XXVIII. 27. seqq. Joannes appellat *expurgationem areæ Dei* quæ fit *ventilabro*, Matth. III. 12. Prius in hoc loco amplector. *α.* Quia id rectius convenit contextui orationis, in qua manifeste agitur de *Judiciis* in hostes. *β. Filii Israëlis* contradistinguuntur *excutiendis*, ubi dicitur: Vos *autem colligemini unus ad unum, ô Filii Israëlis! γ.* Si hic de *Ecclesia Populi Dei* à Deo *excutienda* ageretur: non putem, Prophetam additurum esse; *excussionem illam instituendam ab alveo Fluvii* (Euphratis) *usque ad Ægyptum. δ.* Sequens *comma* fidem facit interpretationi, quippe quo effectus hujus *excussionis* esse fertur congregatio eorum qui certæ perditioni destinati videbantur in Assyria & Ægypto. Ergo est hæc *excussio* & *trituratio* hostium, in quibus Populus Dei latebat. Nec est emblema facillimæ applicationis hoc sensu in Scriptura non usitatum. Videantur loca Jer. LI. 33. Hab. III. 12.

Exanalogis illustrata.

Intt. Vett. versio per *Παβδίζειν.*

Res ipsa inde illustrata.

Deus Gentes Judiciis suis ita affligeret, ut *dimitterent* Israëlitas.

Metaphora gemina sub est orationi Vatis.

An non potius hic respiciatur *Judicium* quo *excuteretur* Ecclesia?

Duplex aspectus metaphoræ.

Emblema refertur ad *Judicia* quibus affligerentur hostes Ecclesiæ.

Rationes ejus sententiæ.

Latitudo Judicii significatur verbis: משבלת הנהר עד נחל מצרי *ab alveo Fluvii usque ad amnem Ægypti.* In qua phrasi certum haberi debet, per נהר *Fluvium* hic intelligi EUPHRATEM, ut passim in hoc Libro [d]; & per נחל מצרים *Amnem Ægypti* designari NILUM. Cum enim *Nilus* est celebris ille & admirabilis Ægypti amnis: tum vero, quod Eruditi Viri jam demonstrarunt, nomen *Nilus*, (Græce Νεῖλος,) est ipsissimum nomen נחל *Nhâl*, *Nheel*, Græce & Latine cum adjecta terminatione flexum: & videri possunt quæ de eo, ut & de Nomine *Schichor*, scripsi ad Cap. XXIII. 3. Equidem *οἱ ὁ.* in h. l. verterunt: Ἕως Ῥινοκορούρων *usque ad Rhinocoruram.* sc. ejus Urbis torrentem quem putarunt esse Canaanææ terminum. quem errorem ibi refelli, nec opus est verbum addere. Quæritur solummodo, quid proprie valeat phrasis, משבלת הנהר, quam generalius vertimus per *alveum* sive *fluxum* Euphratis. Vox sane videri posset esse dubiæ significationis: etsi nemo hic gravius erret. Interpretes reddunt per *fluxum*, *inundationem*, *alveum.* quod postremum elegit Hieronymus, quem plures sequuntur: nec tamen explicant, quæ sit emphasis vocis, ubi de Euphrate mentio fit. Nos certo pede hic procedemus. Vox שִׁבֹּלֶת præter *culmum*, & *spicam* Hebræis significat *vehementiorem aliquem aquarum fluxum*, sive, ut Kimchius, חוק מרוצת *validiorem cursum fluvii*, quippe qua notione manifeste sumitur Ps. LXIX. 3. *Veni in profunda aquarum,* ושבלת שטפתני *&* FLUMEN *obruit me.* Rursus, ℣. 16. אל תשטפני שבלת מים *Ne obruat me vehemens* FLUXUS AQUARUM, *& ne absorbeat me profundum.* quam significationem vocis hic locum obtinere debere, non videtur dubitandum. Symm. simpliciter: Ἀπὸ ῥείθρα ποταμοῦ *à fluento fluvii.* sed id minus est. Quod si certum sit: duo quæruntur. primo, unde voci שבלת hæc adnascatur significatio? dein, quare Propheta id adscripserit, & quid proprie designet; an in genere Euphratem totum, num aliquam Euphratis partem, vel aliquem peculiarem ejus *alveum* sive *διώρυγα ductum*, ut hic habent *οἱ ὁ.* Quod ad prius: sunt docti Viri, qui existimant, vocem שבלת proprie significare *susurrum* qualem edit fluvius. inde enim esse, quod *spica* eodem nomine Hebræis appelletur, *quia ventus per spicas in agro penetrans susurrum excitat.* Sic fere Piscator, & præiverat Avenarius. Patior facile ita esse, quia mihi hic plane non obest: sed non putem, hanc esse originariam vocis significationem, quia cognata etymi, ut שבל *crines soluti*, cæsaries diffusa: (non *tibia*, ut Vir Doctus:) שביל *semita*, שבלים non *spicæ* tantum sed & *rami majores prominentes*, ut & Arabum سبيل *semita*, nihil cum hoc etymo commune habent. Rectius igitur dixeris, vocem proprie significare *ductum*, *meatum*; vel qualemcunque rem aliam quæ se *fuse* &, ubi licet, cum *impetu* longius extendit. *Fluvii* respectu est *fluctus* se *cum impetu* quam longissime potest protendens. Propius ad me pertinet, quærere, quorsum Vates hic alludat? an ad Euphratem totum, num ad aliquam ejus partem? Ad Euphratem totum hic alludi, mihi difficulter persuaserim: non tantum quod Jesaias tum potius videatur scripturus esse, מן הנהר *à Fluvio*; tum præcipue quia *Euphratis* ubique non est tam vehemens & rapidus cursus. Cum enim ab Occidente in Orientem conversus, sit *adsiduis flexibus tortuosus*, ut de eo Ammianus [e]: *impetus ejus*, (τὴν τοῦ ῥεύματος βίαν vocat Polybius:) præsertim ubi non fluit alveo copioso, minor est. Et sunt tamen duo hujus Fluvii decursus, quibus se vehementius movet, & rapidius fluens majores fluctus provolvit. alter est, ubi se à cursu versus Orientem inflectit versus Austrum vel Ortum hybernum, permeaturus Babylonem, cui cursui temperando Nitocris Regina operam adhibuit maximam, ut Herodotus plane narrat [f]; & quæ Abydenus apud Eusebium [g], de Nebucadnezare, forte Nitocris marito,

Latitudo hujus Judicii ab *Alveo Fluvii* usque ad *Amnem Ægypti.*

Intelliguntur *Euphrates* & *Nilus.*

Ipsum *Nili* Nomen hic extat.

Versio ℣ ℔

Quid hic sit שבלת הנהר *Alveus fluvii*, sive *fluxus* Fluvii vehementior?

Usus vocis שבלת per Scripturam S.

Quæstio hic expedienda.

An vox שבלת recte vertatur per *susurrum*?

Etyma cognata non favent huic interpretationi.

Rectius vertitur per *ductum*, se cum *impetu* protendentem.

Totus *Euphrates* hic non designatur.

Ejus Fluvii non est ubique *magnus impetus.*

Duo ejus decursus vehementiores.

Alter in *flexu*, versus *Babylonem.*

Euphra-

[a] Jud. VI. 11. [b] Cap. XXVIII. 27. [c] Deut. XXIV. 20. [d] Cap. VII. 20. VIII. 7. XI. 15. [e] Lib. XXVI. Cap. I. [f] Lib. I. p. m. 84. [g] *Præp. Evang.* Lib. IX. Cap. XLI.

Euphratem in *fossas* quasdam derivante prodit, eodem tendunt. etsi hæc ipsa quoque narratio Veterum non nisi cum aliqua *διαφρόσει* à nobis admittatur. alter decursus est Euphratis *vehementior* postquam se post primas suas origines collegit, & Taurum montes perrupit. de quo Veteres clarissime testantur, quorum testimonia infra *A* exhibeo. Hic vero ipsus est quem hic designari puto, h. e. Euphrates postquam Taurum Montes perrupit. Ex nostra enim sententia hic directe & immediate alluditur ad Reges & Populos Syriæ, illo tempore, de quo Propheta loquitur, usque ad Ægyptum dominantes. *Syria* autem mox post Taurum incipit; estque idem ille locus in quo *violentius* fluit Euphrates. Est itaque sensus dicti, Deum *excussurum esse* terras & Populos Syriæ, quam late patebat Regnum illud, vindicta sumpta tyrannidis & perfidiæ, qua usi fuerant in Populum Dei, ut hac ratione *libertas* impetraretur Judææ Genti, & omnibus copia fieret ac facultas eundi Hierosolymam, & ibi celebrandi sacra Religionis. Hoc enim illud est quod dicitur: *Et vos*, scilicet, qui in illo Regno latitastis, vi detenti & oppressi tyrannide, COLLIGEMINI (per modum *spicilegii:* quæ vis est vocis.) *ad unus unus*, (לאחד אחר) h. e. *singuli*, sive *per singulos*; ita ut unus ad alium aggregetur. Phrasin non putem alibi extare: sed proxime cum ea comparari potest quod apud Jeremiam legitur; licet de tempore anteriore *a*: *Et assumam vos*, UNUM *ex Urbe*, & BINOS *ex familia*, & *adducam vos Tsionem.* Sic fieret. Deus sub finem temporis Reipublicæ Judææ Regnum suum in illo Populo cogitans glorioſe instaurare: Populos qui Judæos vi tenebant sub potestate, & inprimis Syros, graviter concuteret ac puniret, ut electis facultas & copia fieret se Ecclesiæ Populi Dei libere & absque impedimento aggregandi. De *Implemento* mox videbimus. Sequens enim attributum est ejusdem argumenti.

Attributum *sextum* Status Ecclesiæ Liberatæ: *Omnium electorum* per Mundum dispersorum in eam *convocatio* ac *congregatio.*

℣. 13. *Et futurum est illo die, ut* CLANGATUR BUCCINA MAGNA, *veniantque perituri in terra Assyriæ, & propulsi in terra Ægypti; & se prosternant coram Jehova in Monte sancto Hierosolymis*] Sunt hæc, ut quisque videt, iis quæ modo habuimus, affinia. quia tamen quid majus & amplius videbantur continere quam superiora: ea secrevi. Quid autem illud sit, mox patefiet. Propheta loquitur de generali quadam *congregatione electorum Judæorum* ex Regnis per quæ dispersi erant, instituenda per *tubam magnam*, ad sacra Hierosolymis in *Monte Tsioneo* celebranda; estque sententia Prophetæ clarissima, recte etiam hic percepta versaque *ἀπὸ τῶν ὁ.* Vocem שופר hic per *buccinam* verti, non per *tubam*, ratione habita genuinæ notationis utriusque vocis שופר & *Buccinæ*, quæ generalior est quam ea *tubæ*. alias enim non negem, verti quoque posse per *tubam.* Valet vere idem quod Græca notio *σάλπιγξ*, quomodo Interpres Alexandrinus in hoc quoque loco accepit. *Tubæ* autem & *Buccinæ* cum in eundem vel similem ordinatæ sint usum, nec fere nisi *materia* differant, quod hæ ex *cornibus bubulis*, (non *arietinis*, ut monstravit Cl. Bochartus *b*:) illæ ex *ære* vel quo metallo alio confiant: quis miretur, eodem nomine venire? Vox אובר proprie non notat *perditum*, sed *pereuntem* & *periturum* nisi Deus sua gratia & providentia interveniat: ut in vulgato carmine Deut. XXVI. 5. ארם אובד אבי *Syrus periens Pater meus.* miser. vagabundus. Confer loca Job. XXXIX. 13. & Prov. XXXI. 6.

Quæritur, quo alludat metaphora? Grotius alludi putat ad usum *tubæ* bellicum. *Ita se res habebit*, ait, *quasi in Exercitu canatur receptui.* Sed id salva Viri illustris auctoritate hic locum non habet. Convocandi enim in hoc loco supponuntur esse, nec milites, nec in exercitum coacti, sed qualescunque gregarii per loca dispersi. Aliud est, quod firmiter inhærebat esse Grotii, ubicunque legerim; alludi hoc loco ad *jussa Regis* sive Imperatoris quæ sono tubæ apud milites convocatos vulgari solent. quæ cogitatio, cui cui debeatur, neutiquam est spernenda. Nec tamen eam quoque hic loci admitto, quia *jussorum* sive *Mandatorum* vulgandorum nulla hic mentio occurrit. *Clangor buccinæ* hic merum & nudum signum est convocationis *Ecclesiæ*, sæviente tempestate in varia loco dispersæ. Solebat autem convocatio dispersorum olim fieri per *Tubas* vel *Buccinas*, sive *Cornua Bubula.* Si exerte Num. X. 1. 2. ubi Deus parari jubet *tubas duas argenteas*, quibus *clangor* edendus erat alios inter usus in *congregando Populo ad ostium tentorii Conventus.* Sic habent verba: *Et clangetis iis,* ונועדו אליך כל העדה *&* CONVENIENT *ad te solenniter tota Ecclesia.* Simile est exemplum Ehudi, qui postquam confodisset Eglonem, *clanxisse* fertur בשופר BUCCINA *in montano Ephraimi.* sc. ad Ephraimitas in unum vocandos *c*. Fuisse autem olim *Buccinarum* usum receptum in convocanda *Ecclesia* Civitatis ad comitia publica, patet ex more Romano quem accurate præter alios Veterum describit Dionysius Halicarnassensis *d*. Docet ille per occasionem, de origine Nominis *Patriciorum* differens, quotiens *Patricii* convocarentur, *Præcones quemque suo ac Paterno appellasse Nomine*, sed *plebejos* (tempore Romuli,) *cornibus bubulis* in concionem vocatos esse. Verba ejus: Τὰς δὲ δημοτικὰς ὑπηρέται τινὲς καὶ ἀθρόοι κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες, ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον· *Plebejos vero ministri aliqui* CORNIBUS BUBULIS *confertim buccinantes in concionem conciebant.* Et forte tamen æque commode hic alluditur ad *Buccinam Pastoralem*, ad cujus clangorem pecus *septa sua repetit*, ut hic ipsius Columellæ verbis utar. Res plane eodem recidit. Patet enim manifeste, signum *Buccinæ* hic esse *convocationis dispersorum* cum præconio publico Liberationis à malis & metu malorum, quæ dispersos dissipaverant. Sensus metaphoræ sive emblematis est, futurum esse, ut Israëlitæ *dispersi*, & quidem in *Ægypto* & *Assyria*, clarissime moneantur, sive Edicto & Verbo Publico, sive qualicunque alio signo notorio, paratam sibi esse facultatem ad sua redeundi in Patriam, ibidem libere versandi, & sacrorum solenniter celebrandorum Hierosolymis. Nihil itaque hic superest, nisi ut implementum prophetiæ, ejusque tempus, ostendam.

Qui in hac prophetia tota ad *Senacheribum*, ejusque cladem, & prosperam Regni Judæi ab hoc hoste vindicati statum, alludi existimant, prædictionem hanc eo referunt, quod dispersi tempore irruptionis Assyriacæ postquam tempestas illa desæviisset, ad sua certatim reversi sint, & Deum libere post id tempus Hierosolymis coluerint. Poteram vero ego absque ulla animadversione hanc hypothesin transire, quam jam refelli in *Anacrisi:* sed utile fuerit, ne quem species fallat, hic verbum addere. Tempore Calamitatis Assyriacæ Judæos aliquos in Ægyptum salutis caussa fugisse, ibique delituisse, usque ad tempus salutis & liberationis ab hoc hoste: non videtur dubitandum esse. Sed cum Assyrius idem eodem tempore Ægyptum peteret, & ea videatur præcipua ejus Expeditionis caussa fuisse: semper ambiguum manet, an eorum spectabilis aliquis fuerit numerus,

Alter post quam *Taurum Montem* perrupit.

Testimonia de eo Veterum.

Ad *hunc* refertur phrasis Prophetæ.

Sensus genuinus dicti Prophetæ.

Cum excusso Regno Syriæ institueretur *Collectio dispersorum* Populi Dei.

Phrasis Prophetæ singularis: ad *unum unus.*

Attributum *sextum Status Ecclesiæ.*

Summa eorum quæ hic dicuntur.

Designatur *Collectio generalis* Judæorum electorum, facienda per *Buccinam.*

Interpretatio vocis שופר *Buccina* vel *Tuba.*

אובר *Periens* vel *Perditus.*

Quo alludat metaphora? Sententia Grotii.

Non alluditur hic ad *Signum* quod per *Tubam* editur in Bello.

Alia meditatio. sed quæ pariter non admittitur.

Clangor buccinæ hic nudum signum est *convocandæ Ecclesiæ*, membris suis disjectæ Locus Num. X. 1. 2.

Exemplum *Ehudi.*

Mos Romanus antiquus *convocandi Populum* per *Cornua bubula.*

Commodissime hic respicitur *Buccina Pastoralis.*

Sensus metaphoræ.

Implementum prophetiæ secundum hypothesin quæ hic alludi statuit ad tempora Hiskiæ.

Cui aliqui opponuntur.

---

a Cap. III. 14. *b* *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XXXII. *c* Jud. III. 27. *d* Lib. II. p. m. 83.

A Pomponius Mela: (Lib. III. Cap. VIII.) *Euphrates, immani ore aperto, non exit tantum unde oritur, sed & vaste quoque decidit. Nec secat continuo agros, sed late diffusus in stagna, diuque sedentibus aquis & sine alveo patulis piger, post ubi marginem rupit vere* FLUVIUS *est, acceptisque ripis* CELER & FREMENS, *per Armenios & Cappadocas Occidentem petit.* Plinii hic est singulare testimonium, (Lib. V. Cap. XXIV.) Fluvium hunc demum accipere nomen Euphratis, postquam *perruperit Montem Taurum*, & tum quoque *saxosum* ac VIOLENTUM fluere. Addo insignem locum Polybii, ex *Excerptis* Lib. IX. p. m. 797. ubi ipse Naturam Euphratis describens, ab aliis Fluviis plurimum ostendit differre. aliis enim eo *auctiorem esse alveum quo plura loca permeant: eosdem per hiemem esse altissimos, & per æstatis æstus humillimos: hunc vero latissime tum effundi quando Canis oritur;* & ALVEUM IN SYRIA HABERE MAXIMUM, *unde quo longius progreditur,* MINOREM *fieri.* Verba eius: Καὶ μέγιστον ὂν τοῖς κατὰ Συρίαν τόποις· ἀεὶ δὲ στενοῦται βαθύνων. Id vero ipsum est Prophetæ nostro שבלהי הנהר *fluxus Euphratis vehementior.*

merus, qui se salutis caussa illuc receperint, utique historia de eo nihil testatur. Sed fac, id ita se habere. Quæro, quinam illi sint *miseri* sive *pereuntes* in terra *Assyriæ?* Suntne illi qui forte salutis suæ caussa in Assyriam secesserant? Non videtur probabile. Cum enim Assyrius se profiteretur hostem Populi Dei: absurdum sit, Judæos salutis securitatisque suæ caussa secedere in Assyriam. Sed forte illi *miseri* sunt Israëlitæ *decem tribuum* abducti ab Assyriis Regibus in Exilium. Verum, α. quæ species veri, illos ab Assyriis in servitutem actos impetrasse facultatem ad sua redeundi? β. Quæ historia testatur vel minimum ejus factum fuisse? Nulla vere. Quid dicam de *clangore magnæ tubæ*? Quis ille *clangor* est qui circa illa tempora per Assyriam auditus Israëlitas in terram suam reduxit; & quomodo id consistat cum veritate *Interminationum Divinarum?*

Perditi in terra Assyriæ non recte dicuntur secundum historiam *reversi* in Judæam.

Non respicitur hic ad *Decem tribus.*

Ergo non est dubium, quin alii plures omnis generis Interpretes hic rectius multo cogitent de *Libertate* Judæis indulta per Cyrum, Edicto Regio Publico: qui iidem vindictam sumendam de hostibus Ecclesiæ interpretati sunt de Judicio, quod Deus executus est in Imperatores Babylonios. Sed siste paulisper gradum & vide diligenter, α. An historia doceat, illo tempore Judæos aliquo spectabili numero ex *Ægypto* reversos esse in Canaanæam. Nihil de eo historia; nec est probabile ob calamitatem quam Jeremias prædixerat Judæis quicontra Divinam Voluntatem salutis caussa in Ægyptum secedebant [a]. β. Lege totam hanc prophetiam, & observa, illo tempore, quo hæc Calamitas Judæam Gentem premeret, Hierosolymam cum Templo superfuisse, & neutiquam supponi, eandem fuisse eversam ac destructam. *Perditi* illi in Assyria & *propulsi* qui se detinerent in Ægypto, reversuri in Canaanæam, non *instaurarent* ibi Religionem, sed instauratam invenirent; idque ubique per totam hanc prophetiam supponitur.

An potius hic cogitandum sit de *Reditu Judæorum* ex Exilio Babylonico.

Sententia excutitur.

Non ibo longius. quæ enim mihi *tertia* commemoranda erat sententia, quæ dictum Prophetæ accipit de *Voce prædicationis Evangelii*, & *quarta* quæ hæc verba refert ad *Conversionem Judæorum*, novissimo tempore exspectandam: in interpretatione mea locum suum invenient. Prophetia hæc nostra est parallela alteri ejusdem argumenti, de qua prolixe & studiose anquisivi, Cap. XI. 15. 16. & prophetiæ de Ægypto, XIX. 23. coll. cum Zach. X. 11. 12. Implementum harum prophetiarum primum cadit in illud tempus, quo duo *Regna majora*, cum quibus Judæi frequentissimum commercium haberent, *Seleucidarum* videlicet & *Lagidarum*, simul florerent, & Seleucidæ Judæos persequerentur. quæ Regna destruenda erant ante adventum Domini Jesu. *Excussio* igitur facienda in his terris notat illa ipsa *Judicia* Divina quæ edita sunt temporibus Maccabaicis, in tota Syria, Syria Cava, Palæstina, ab Euphrate usque ad Ægyptum: quæ Judicia instituta fuerunt ad Ecclesiam purgandam ab hypocritis & ulciscendos hostes Populi Dei, ut *purius triticum* à *palea*, h. e. à Gentibus & hypocritis secretum, coacervaretur in *horreum*, h. e. Hierosolymam & Templum. quod illo tempore κατὰ γράμμα factum esse, nemo neget. Mox *instauratus* Reipublicæ *status* per Assamonæos *Judæis* per Ægyptum, Syriam, Mesopotamiam, Assyriam, & Asiam inferiorem ac Insulas Maris Mediterranei tempore persecutionis sparsis, *clarissime* innotuit ex Nunciis & Fama publica, altum sonante victorias & triumphos, de hostibus reportatos. Specimen habemus Literarum ab Ecclesia Hierosolymitana de hoc argumento missarum ad Ecclesias Ægyptias luculentum in *posteriore Libro Maccabæorum* [b], mox in initiis. Sed Prophetæ de *Maccabaicis* temporibus loquentes, quod sæpius jam monui, solent spiritualia miscere temporalibus; & cum præviderent, brevi post illud tempus appariturum Messiam, & per *tubam* sonoram *Evangelii* convocandos esse Hierosolymam, ut sedem *Regni Christi Jesu*, omnes electos ex Judæis & Gentibus; id ipsum cum hoc emblemate commiscuerunt, docuerintque, quod hic docet Propheta noster, *clangorem* vocis magnæ pervasurum esse Orbem, qui *electos* omnes ad communionem Ecclesiæ & Scholæ Hierosolymitanæ convocaret & congregaret: quod factum esse, docuit eventus, secundum omnem hujus prædictionis fidem. Sic Hoseas Cap. XI. 10. 11. quem locum, cum hoc nostro conferendum, alias etiam huc allegavi & explicui. Significat ibi Dominus, se in severitate quam exerceret in Ephraimitas, memorem fœderis, eos non esse destituturum, sed se iis in Exilio manifestum facturum in gratia, & quidem *voce magna* & *ingente* per Mundum edita eos convocaturum, & aggregaturum esse in sinum Ecclesiæ. Verba Prophetæ: *Post Jehovam ibunt, qui ut Leo* RUGIET: (ingentem edet vocem, concituram electos:) *quia ipse rugiet, & trepide accedent filii à mari. trepide accedent, ut avicula* (passerculus,) *ex* ÆGYPTO, *& ut columba è terra* ASSYRIÆ, *& ego illos habitare faciam in domibus suis*; (veluti *nidis* & *columbariis*, unde dispersi erant:) *ait Jehova.* Res eadem est. Regna *Assyriæ* & *Ægypti* hic per se intelliguntur, & simul sunt symbola cæterorum Regnorum Mundi. Hic est ille SONUS (ἦχος) tanquam *violenti flatus magno impetu lati* qui re levit Domum in qua congregata erat Ecclesia prima Apostolica die Pentecostis [c]. Ajo, illum *sonum* figuram fuisse ejusdem rei cujus hic *clangor*. Apostoli dictum est ex Ps. XIX. 4. [d] *Per totam terram exivit ὁ φθόγγος αὐτῶν* SONUS *eorum.* Sed est hic Propheta noster conferendus imprimis cum se ipso Cap. XI. 11. seqq. ubi de hac *congregatione* electorum ad communionem Regni Christi loquitur: ad quem locum cum cura tractatum adduxi prophetias analogas hujus argumenti. Eodem pertinet, quod in *Apocalypsi* ad clangorem *primæ tubæ* edita dicantur fuisse TONITRUA, *voces*, *fulgura* [e]. Res magnæ, paradoxæ, notabiles, cum demonstratione Majestatis Divinæ conjunctæ, quæ fama sui Orbem replerent. Sed cum tempora Maccabaica respondeant tempori *Sigilli sexti*, & prior *Manifestatio Regni* Christi Jesu figuram gesserit *Manifestationis posterioris: clangor* hic *Tubæ magnæ* in majori adhuc emphasi & vi transire ac personare debebat Mundum, quo tempore Deo placitum esset, perfectum implementum præstare Vaticiniis & Promissis antiquorum temporum. Est utique illud ipsum, quod Dominus Jesus omnino loquens de extremis Ecclesiæ temporibus de se sub nomine Filii hominis [f]: *Is vero mittet* ANGELOS SUOS *cum* TUBA VOCIS MAGNÆ, *& aggregabunt electos ejus à quatuor ventis, à cœlorum extremo ad illorum extremum.* Verba vere secundum hunc locum nostrum sunt concepta. Sunt Ministri Christi Jesu *Evangelium* purum per Orbem alta & sonora voce promulgaturi. Initium implementi habuimus jam *Sæculo Reformationis* in ANGELO illo volante per *medium cœlorum*, & ostentante omnibus incolis terræ, tribubus & Gentibus, EVANGELIUM ÆTERNUM, & convocante omnes Populos ad ejus fidem, ut est in *Apocalypsi* [g]. Sunt Doctores *Reformationis*, ut alias docui. Sed perfectius implementum prophetiæ exspectamus, cum effecto *conversionis Gentis Judaæ*, ad quam hanc prophetiam aliqui præcipue referendam esse, volunt: etsi id in sensu mystico hic minus quam alibi necessarium sit. Certe Judæi in hac prophetia spem reditus sui fundant, admixtis fabulis, quas non recenseo. Videri de eo potest Vir Doctissimus, & memoriæ mihi venerandæ [h]. Non excludo illos: sed mysticum prophetiæ sensum intra ipsos non cœrceo. *Electi* autem illi congregandi sunt *Hierosolymam* & in Montem *Tsioneum.* Veteres Christiani intellexerunt *Hierosolymam*, qualis nobis occurrit *aspectu spirituali*, ut *Mater Ecclesiæ Christianæ*, de quo prolixe egi ad Cap. II. 1. & ad hanc *Hierosolymam* natales suos spirituales retulerunt, ex loco Ps. LXXXVII. 4. de quo insigne exemplum est apud Eusebium, Libro de *Martyribus Palæstinæ* [i], anonymum quendam à Præside rogatum, cujas esset: *mystice* respondisse, Ἱερουσαλὴμ τὴν ἑαυτῆς πατρίδα εἶναι Hierosolymam

Sententiæ diversæ aliæ hic commiscentur.

Primum implementum prophetiæ cadit in tempus Seleucidarum & Lagidarum.

Judæi in illa aliaque Loca plura sparsi ad *famam* Liberationis Divinæ *convocati* sunt.

Locus ex 2 Macc. 1. 1.

Mystice autem hic intelligitur *convocatio electorum* instituenda per *tubam* Evangelii.

Stylus Prophetarum.

Locus Hos. XI. 10. 11. qui exponitur, aliaque affinia.

Locus Apoc. VIII. 5.

Præcipue tamen hic respicitur *Periodus* Ecclesiæ N. T. Maccabaicis respondens, quæ est Period. VI. & VII.

An hic mystice cogitari queat de *generali Conversione Judæorum* in fine temporum?

Ipsorum Judæorum hac de re *Judicium.*

Quo sensu illi *congregandi* dicantur *Hierosolymam*, & *Tsionem?*

De Ecclesia N. T. sumitur sensu mystico & spirituali.

[a] Jer. XLII. 15. [b] 2 Macc. 1. 1. seqq. [c] Act. II. 2. [d] Rom. X. 18. [e] Cap. VIII. 5. [f] Matth. XXIV. 31. [g] Cap. XIV. 7. [h] Cl. Wits de *Decem Trib. Isr.* Cap. VIII. §. X. XI. [i] De *Mart. Pal.* Cap. VIII.

Hierosolyma Christianorum Patria. Locus de ea Eusebii.

rosolymam suam esse Patriam. ad quem locum Eruditissimus Vir, cum de hoc argumento differeret [a]: *Proinde Judæi universi* (& ad horum exemplum Christiani,) *quacunque essent per Orbem universum dispersi, civitatem tamen sibi Hierosolymitanam Patriam vindicabant.* Nec respuo observatum, in mystico sensu per *Ægyptum* & *Assyriam* hic intelligi posse duo magna *Imperia*, eo tempore Orbis occupatura magnam partem, *Romanense Pontificium* & *Otmanidarum*: de qua hypothesi sententiam meam alibi explicui [b]. Quod implementum prophetiæ hujus sequetur finale illud in *Manifestatione perfecta* Regni Christi Jesu, futura novissimo Judicii die, de qua congregatione Electorum cum Resuscitatione Mortuorum facienda *voce Archangeli, & ἐν σάλπιγγι Θεοῦ* TUBA DEI, Apostolus ita loquitur, ut ad hunc locum nostrum allusisse videatur [c]. Et potuit illud facere more suo & Scriptorum Sacrorum, qui prophetiis omnibus assignant implementum, omnibus numeris perfectum.

Per *Assyriam* & *Ægyptum* intelligi queunt duo *magna Imperia* quæ se in Orbe sub *Period.* VI. ostentarent.

Partis Tertiæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

SERMO SECUNDUS,

QUO

Propheta *Ephraimitas* & *Judæos* sui temporis deprehendens in gravissimis erroribus & vitiis, consiliorumque carnalium vanitate ac stultitia, quippe humano, non Divino, auxilio adversus Assyriorum formidabilem potentiam fisos, de hisce criminibus suis acriter convincit; & ex eo occasionem captat simul perstringendi vitia ejusdem Populi sequentibus temporibus subnascitura tam *doctrinæ Religionis* quam *consiliorum Publicorum* respectu, cum denunciatione gravissimi Judicii, & imprudentium consiliorum infelice eventu: dum interim pios erigit promissis præstantium Bonorum Gratiæ, quibus Ecclesia, sub Oeconomia MESSIÆ Gentes sinu suo exceptura, ornaretur.

Alter Sermo Libri tertii Prophetiarum Jesaiæ, an diversus sit à superiore & quo usque extendatur?

ALter Sermo *Libri Secundi* Prophetiarum Jesaiæ ex hypothesi nostra *sex Capitibus* absolvitur. Ubi duo suppono. primo quidem, hunc *Sermonem* à superiori esse divisum ac diversum, licet forte circa idem tempus editum: deinde, eundem Sermonem hunc continuo filo produci usque ad Cap. XXXIV. Prius ex solo argumento ejus à nobis demonstrari potest, cum Sermo ipse inscriptionem nullam præferat. Quod ubi affirmo, ita accipi nolim, acsi inter utramque prophetiam nulla esset affinitas. contrarium enim evici ex quibusdam paralleliſmis in *Præfatione* ad Librum hunc prophetiarum Jesaianarum *secundum*, §. II. & in *Anacrisi* ejus Sermonis, §. XIV. sed quia *argumentum* hujus *Sermonis* complexe sumptum longe aliud est, & forma ejus diversa. Cum enim superior Concio maximam partem sit *consolatoria*, qua Ecclesia Religionis caussa afflicta erigitur in spem *Liberationis* à potentissimis hostibus: hæc est, ut quisque videt, secundum potiorem partem *elenctica* & *interminatoria* gravissimorum malorum, speciatim directa adversus *Populum Judæum* illius & sequuturi temporis, cujus Populi fata in hac prophetia distincte edisseruntur. quod ex ejus pertractatione clarius liquebit. Alterum quod suppositi, videlicet, hæc *Capita sex*, quæ signavi, esse ejusdem argumenti, ex eorum analogia & partium mutua comparatione colligo. Explicant enim *Judicia Divina* in Populum Judæum, identidem à recta via discedentem, & præcipue in Populi hujus Rectores ac Doctores, sive stulta sequerentur consilia in temporali sua salute promovenda, dum in calamitatibus imminentibus positi humanum magis quam Divinum circumspicerent auxilium; sive veram Doctrinam salutis, quæ erat Doctrina Patriarchalis, suis traditionibus futilibus & non bene cohærentibus, corrumperent: intermixtis similium fere beneficiorum promissis. Firmat sententiam & hypothesin meam, quod Sectiones hujus Sermonis Capp. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXIII. incipiant à vocula Interminatoria הוי *Va.*

Necessaria ad hoc argumentum adferuntur & disputantur.

Quo tempore hic Sermo editus sit?

II. Quo *tempore*, quave *occasione*, hic Sermo à Propheta editus sit, jam quæsivi, & quatenus licebat, definivi in *Anacrisi* Sermonis superioris. Certa habeo hæc duo, *a.* editum esse ante cladem Senacheribi. quod non tantum ex eo colligo, quod ante historiam Expeditionis Senacheribi in hoc Libro recensetur: etsi id argumentum neutiquam sperno: verum etiam, quod clades illa memorabilis Assyrii in ipsis hisce prophetiis clarissime prædicatur, ut Cap. XXXI. 7. 8. ut mox Regnum Hiskiæ florentissimum ut typus Regni Messiæ describitur, Cap. XXXII. I. seqq. β. Sermonem hunc totum vulgatum fuisse occasione solennis alicujus *Legationis* missæ *in Ægyptum*, ad opem Ægyptiorum adversus Assyrium implorandam. Sermonem, inquam, totum: nam de parte ejus, h. e. prophetiis Cap. XXX. I. seqq. XXXI. I. seqq. nemo dubitat, cum earum argumenta id manifeste præferant. Sed totum *Sermonem* huc tendere, patet ex prima prophetia Cap. XXVIII. I. seqq. in qua sub emblemate *temulentiæ* stulta hæc stupidorum hominum consilia perstringuntur, ut mox clarius edisseram: & ex prophetia sequente, cum eo connexa, in qua ad *auxilia Ægyptia* respicitur, Cap. XXX. 16. Addo etiam illud, hic non negligendum: non insimulari Populum Judæum in hac Concione idololatriæ, sed hypocrisios & sinistrorum judiciorum de via salutis. Semel tantum hujus vitii obliqua mentio occurrit, respectu Ephraimitarum, vel, si Judæi hic respiciantur, *penatium* qui privorum hominum superstitioni inserviebant, Cap. XXXI. 7. Dubium tantum, an Sermo hic editus sit in *initio* Regni Hiskiæ, quando *Ephraimitæ*, quibus se, ut probabile videri queat, factiosi aliqui Proceres Hierosolymitani, quorum in initiis Hiskiæ magna auctoritas erat, junxerunt, suppetias ab Ægyptio petierunt, 2 Reg. XVII. 4. num vero circa illud *tempus* quo Hiskias jugum *Regis Assyrii* excussit, 2 Reg. XVIII. 7. quod tempus alibi [d] statui probabiliter figendum esse in anno hujus Regis *decimo* cum morte Salmanassaris. Grotius quidem prophetiam Cap. XXVIII. refert ad initia Hiskiæ, ante Samariam à Salmanassare expugnatam; sed sequentem, Cap. XXIX. vulgatam esse *biennio* ante Expeditionem Senacheribi, idque colligit ex verbis ỳ. I. *Adjicite annum ad annum.* Sed cum Hiskias nullibi à Propheta postuletur hujus criminis, quod spem fiduciamque suam à Deo vero deflexerit ad Ægyptios, quod ipse etiam Grotius ei non imputat crimen: mirum videatur & parum probabile, factiosos quosdam Proceres Hierosolymitanos, invito Rege, jam confirmato, ausos fuisse solicitare auxilia Ægyptia. Concedo igitur in priorem hypothesin, editum hunc esse Sermonem quo tempore Ephraimitæ ex consilio *Procerum* illius Gentis fœdus solenniter cum Ægyptio Rege percusserunt, & illius expetierunt opem: quibus se in initiis Hiskiæ, cum auctoritas ejus nondum satis confirmata esset, factiosi aliqui Judæi jungere potuerunt: etsi id in sequentibus suo loco accuratius disputabo. Favet huic sententiæ, quod

Sermo hic vulgatus fuit occasione *auxilii*, adversus Assyrios petendi ex Ægypto. Hypothesis probatur.

Grotii sententia de *tempore*, editæ hujus prophetiæ.

Sermo hic editus est ante cladem Senacheribi. quod adstruitur.

Edita videtur propheti hæc in initiis Hiskiæ.

Pro-

[a] Cl. Dodw. *Dissert. Cypr.* v. de *Diptychis*, §. VIII. [b] *Append.* ad Cap. XXIII. [c] 1 Thess. IV. 16. 1 Cor. XV. 52. [d] In *Anacrisi* Prophetiæ, Cap. XX. 1.

Favet hypotheſi locus Jeſ. XXXII. 1.

Revelatio non videtur eodem temporis articulo accepta quo ſuperior: licet *circa idem tempus*.

Propheta de proſpero ſtatu Regni *Hiskiæ* Cap. XXXII. 1. magis loqui videatur *in futuro* quam *in præſenti*: quod facturus fuiſſe non videatur, ſi Hiskias Rex jam per plures annos in Regno ſuo conſtabilitus eſſet. Quæ etſi ita ſe habeant: neutiquam tamen putem, Prophetam hanc revelationem eodem articulo temporis accepiſſe quo ſuperiorem, ob argumenti diſſimilitudinem. ſufficit, incidiſſe illas in tempus proximum & contiguum. Cum enim Propheta in initiis Regni Hiskiæ de Fatis Gentium vaticinatus eſſet: incidit non longo poſt tempore novus ille Caſus Legationis ab Ephraimitis ſuſceptæ in Ægyptum, quæ Spiritui Dei occaſionem præbuit Prophetam Sacrum de novo afficiendi, & ad hanc edendam Concionem inſtruendi.

Analyſis totius Sermonis.

III. Eſt autem *Sermo* hic tripertitus, ut jam ſupra monui, ubi eum diſpeſcui in *Sectiones tres*: licet non negem, in plures dividi poſſe. *Prima* non ad Judæos tantum, verum etiam ad Ephraimitas, ſpectare videtur, Cap. XXVIII. 1--29. Secunda tantum ad Judæos Hieroſolymitanos, Cap. XXIX. 1--24. Tertia utriuſque Populi, Ægyptia auxilia circumſpicientis, Fata explicat, Cap. XXX. 1-- XXXIII. 1--24.

Sectio Prima.

Ephraimitæ ſive vere ſive etiam figurate ſic dicti ſub nomine & vitio *temulentiæ* accuſantur de corrupto ſenſu in re Religionis, ſtupore mentis & conſiliorum ſuorum vanitate ac ſtultitia, iiſque denunciatur brevis ac finalis interitus. Simile fatum prædicitur aliis quibuſdam Judææ Gentis Doctoribus ac Præſidibus, qui poſt intermedium aliquod tempus Gratiæ Divinæ Doctrinam puram & ſanam fidei Patrum corrumperent, & diſcipulis ſuis Scientiam traderent partibus ſuis non cohærentem; quorum inſtitutioni opponitur & contradiſtinguitur CHRISTUS JESUS, ut verum ſalutis fundamentum & *Petra Eccleſiæ* proponendus Verbo Evangelii, & commendandus omnibus abſque diſcrimine hominibus, & non niſi cum certo exitio ab impœnitentibus repudiandus.

CAPUT XXVIII.

Textus Cap. XXVIII.

1. VÆ coronæ faſtoſæ temulentorum Ephraimi, & flori marcido decoris ejus ornatiſſimi, qui eſt ſuper caput vallis pinguiſſimæ contuſorum à vino.

2. Ecce validum quid & robuſtum eſt Domino tanquam imber grandinis, turbo exitialis: tanquam imber aquarum violentarum inundantium *qui* vi dejicitur in terram.

3. Pedibus conculcabitur (pr. *conculcabuntur*) corona faſtoſa temulentorum Ephraimi.

4. Et erit flos marcidus decoris ejus ornatiſſimi qui eſt ſuper caput vallis pinguiſſimæ ut fructus præcox ante autumnitatem, quem qui viderit, dum adhuc in manu ejus eſt, deglutit.

5. Illo tempore erit Jehova Exercituum *Dominus* in coronam decoris & diadema ornatus reliquiis populi ſui.

6. Et in Spiritum judicii præſidentibus judicio, & in fortitudinem retundentibus bellum verſus portam.

7. Atque etiam hi in vino errant, & titubant in ſicera. Sacerdos & Propheta errant in ſicera. abſorpti ſunt à vino. errant præ ſicera. hallucinantur in viſione. impingunt in judicio.

8. Quia omnes menſæ repletæ ſunt vomitu ſtercoreo, adeo ut nullus locus vacet.

9. Quem doceret ſcientiam, & cui traderet intelligentiam doctrinæ? num depulſis à lacte, avulſis ab uberibus?

10. Quoniam præceptum *eſt* ad præceptum, præceptum ad præceptum: canon ad canonem, canon ad canonem: parum hic, parum illic.

11. Quin labiis balbis & lingua exotica loquetur ad Populum hunc.

12. Cui (*quibus*) dixerat: Hæc eſt requies; facite requieſcere laſſum: & hoc eſt dulce refrigerium: ſed noluerunt audire.

13. Futurumque iis eſt verbum Jehovæ præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum: canon ad canonem, canon ad canonem: parum hic, parum illic: ut eant, & lapſent retro, & confringantur, & irretiantur, & capiantur.

14. Quapropter audite verbum Jehovæ vos Viri irriſores, qui dominamini Populo huic Hieroſolymitano.

15. Quia dixiſtis: Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno tranſactionem fecimus: flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ad nos, quia poſuimus mendacium refugium noſtrum, & medio fallaciæ recondimus nos.

16. Propterea ſic dicit Dominus Jehova: Ecce ego *is ſum qui* fundat in Tſione lapidem; lapidem probationis: *lapidem* angularem, pretioſum, ſolidiſſime fundatum. qui credit, non feſtinabit.

17. Et diſponam judicium ad canonem; & juſtitiam ad perpendiculum: & everret grando receptum mendacii, & latibulum inundabunt aquæ.

18. Et abolebitur pactum veſtrum cum morte, & tranſactio veſtra cum inferno non ſubſiſtet. flagellum inundans cum tranſierit, ab eo conculcabimini.

19. Simul ac tranſierit, auferet vos: quippe quolibet mane tranſibit; interdiu & noctu: & vel rumorem ejus percipere, adferet commotionem.

20. Quia brevius erit ſtratum quam ut quis ſe in eo protendat: & ſtragula anguſtior erit quam ut quis ſe ea involvat.

21. Nam ſicut in monte Peratſim exſurget Jehova: commovebitur ira tanquam in Valle Gibeonis: ut conficiat opus ſuum: peregrinum erit opus ejus: & ut efficiat facinus ſuum: alienum erit facinus ejus.

22. Nunc itaque temperate ſannæ, ne firmiora fiant vincula veſtra, quia conſummatum quid & præciſum audivi à Domino Jehova Exercituum *Rectore* ſuper totam terram.

23. Aures advertite, & audite vocem meam: attendite & audite sermonem meum.

24. An per totum diem arat arator ad seminandum? sulcat & occat terram suam?

25. Nonne postquam superficiem ejus æquaverit, spargit nigellam? serit cyminum? ponitque triticum præstans, & hordeum insigne, & speltam in termino suo?

26. Ordinatque illud recte secundum rationem, quod Deus ejus ipsum docet.

27. Utique enim nigella non triturátur tribula: nec rota plaustri super cyminum circumagitur: sed nigella excutitur baculo, & cyminum virga.

28. Triticum (*panis*) triturando comminuitur! *Esto.* non tamen in perpetuum illud triturabit; & licet inducat rotam plaustri sui & equos suos, non plane illud comminuet.

29. Etiam hoc à Jehova Exercituum *Rectore* prodiit, qui mirificus est consilio & magnificus opere.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Prophetiæ.

Argumentum *primæ Sectionis* hujus Prophetiæ.

CUm duo maxime afficerent veros Dei Prophetas, nimirum, Vitia & scandala Ecclesiæ, & Persecutiones atque afflictiones, in eandem inducendæ ab hostibus & adversariis ejus: sic divisi distractique à Spiritu sunt illorum affectus, ut modo sibi in imagine proponentes eosdem Ecclesiæ hostes atque adversarios, per tractum longi temporis eam varie exercituros, in eos fortiter declament; modo rursus se convertentes ad vitia & scandala Ecclesiæ, corruptum Dei Populum acriter convincant suorum criminum, & calamitates ea consecuturas, Decreto Divino definitas, enarrent. Id vero ipsum Vates noster agit hoc Sermone. Deprehendit Ephraimitas, ut videtur, & Judæos quoque, Judicio Divino veluti in stuporem actos, quod adversus contestationes & convictiones verorum Prophetarum stultis consiliis mala prædicta avertere & salutem securitatemque sibi asserere cogitarent, & denunciat iis *Judicium Divinum* in Samariæ & Hierosolymæ desolatione: sic tamen ut piis spem faciat *promissorum* Gratiæ post illud tempus exhibendorum, sive in ipso Reditu ex Exilio & instauranda Republica; sive in Republica afflicta vindicanda. Quo statu Reipublicæ & Ecclesiæ cum *novos* videret *Doctores*, à sana doctrina Patrum discedentes, & quicquid sani in Religione supererat, corrumpentes, ipsos pariter Judicio Divino *ebrios*: hos ipsos quoque vivis coloribus describit, severa oratione castigat, ineptos pronunciat ad Regnum Dei, prædicitque iis infelicissimum exitum imprudentium consiliorum, in quæ se, vera in Deum fide & fiducia deposita, humanis auxiliis nixi præcipitaverant; & ostendit iis, Deum ab una quidem parte non neglecturum suo tempore repræsentare Messiam, Patribus promissum, ut *fundamentum* salutis omnium in eum credentium: sed ab altera parte absque moderamine clementiæ exequuturum esse minas, Genti immorigeræ & salutem sibi oblatam proterve respuenti à longo tempore factas, quarum effectus esset plenaria Reipublicæ destructio, cum pudore ipsorum ob fiduciæ & spei inanis frustrationem conjungenda. nosse enim Deum, ut agricolam prudentem, sua tempora, eaque prudenter dispensare; serendi, videlicet, arandi, occandi, triturandi, ut electos à reprobis separatos in aream suam collectos servet; sed reprobos, impœnitentes, immorigeros, & ἀυτοπαταιρίτες tradat exitio. in qua elegante comparatione *Prima* hæc *Sectio* terminatur.

Scopus hujus Prophetiæ *Primarius.*

II. Ex argumento prophetiæ quisque videt, esse eam maximam partem generis *Elenctici.* quæ enim ei inserta sunt *Paracletica*, licet eximia, minorem in ea locum occupant. *Scopus* itaque Concionis hujus propheticæ primarius est in tabella & viva quadam imagine exhibere Judæorum carnalium aberrationes tum à sanis rectisque consiliis, quæ veri Dei Prophetæ ostendebant salutaria fore Reipublicæ & Ecclesiæ; tum quoque à sana veraque doctrina Patriarchali, (quæ est doctrina Gratiæ per fidem in Messiam obtinendæ,) dum ei subsituebant traditiones literales, atque in prærogativis aut meritis Operum fundabant spem Divinæ communionis ac salutis; quin imo plures ex iis magnam spem futuræ vitæ ac resurrectionis ad vitam palam abnegabant, præsentibus hujus vitæ bonis contenti; quorum ut sibi præstarent securitatem, magis respiciebant amicitiam magnarum Mundi Potestatum, quam favorem Divinum. Sed quæ ipsa amicitia iis fraudi foret, & exitium illorum acceleraret.

Scena Visi gemina. prior figenda in temporibus collapsi Regni Ephraimitici.

III. *Scena* Visi gemina est. prior figenda in ipso illo tempore quo Ephraimitæ, & ad illorum exemplum Judæi, adversus potentiam Assyrii præsidium quærentes, neglecto auxilio Divino, contra contestationes verorum Prophetarum se stultissimo consilio vertebant ad Ægyptios, eorumque solicitabant opem: quod tempus quale sit, interpretatio hujus loci definiet. posterior, in illo tempore restitutæ Reipublicæ, quo duæ sectæ pernicioſæ, Pharisæismus & Sadducæismus, (quarum illa traditiones commendabat, neglecto puro Dei Verbo; hæc spem Patrum abnegans artibus humanæ prudentiæ securitati suæ consulebat:) inter Judæos invalescere incipiebant, circa & post ætatem Alexandri Jannæi, quando brevi futurum erat, ut Deus produceret *Lapidem* illum *Angularem*, *pretiosum*, ut *fundamentum* salutis & spei credentium omnium temporum. de quo in *Anacrisi* distinctius agam.

Altera in tempore collapsi Status Ecclesiæ Maccabaicæ.

Analysis hujus Concionis. *Generalis.*

IV. Inde facile est hujus Concionis instituere *Analysin.* sunt enim ejus *Membra* quatuor ab invicem discreta. Primo occurrit *Elenchus* Ephraimitarum, ut videtur, & Judæorum, Judicio Divino excæcatorum, loco præsidii Divini circumspicientium humanum; complexus interminationem Excidii Samariæ ac Hierosolymæ, ℣. 1--4. Secundo, *Promissum* Reipublicæ restituendæ & adversus hostes defendendæ, ℣. 5. 6. Tertio, nova *Convictio* similis generis hominum, qui non longe ante tempus manifestandi Messiæ Doctrinam Religionis corrumperent & similibus consiliis carnalibus suæ consulerent saluti securitatique, ℣. 7--22. Quarto denique Defensio Oeconomiæ Divinæ in Ecclesia sua administranda & judicanda, exemplo parabolico Agricolæ, sua tempora diligenter observantis, ℣. 23--29. Pars Prima, sive *Elenchus primus* est bipertitus. Exhibet *α. Culpam* Ephraimitarum vere vel mystice sic dictorum, ℣. 1. *β. Pœnam*, ℣. 2--4. Pars Tertia, sive Elenchus alter, fere eodem modo procedit. Primo loco ostenduntur Prophetæ *novi* quidam *homines* sive Doctores & Proceres Populi Judæi qui non longe ante τὴν Ἐπιφάνειαν Filii Dei inter Judæos comparerent, & salutarem Doctrinam corrumperent, stultisque consiliis suis Reipublicæ præsidium & munimentum quærerent, iique vivis coloribus pinguntur, ℣. 7--10. Dein, *Pœna* his hominibus decreta à Vate prolixius exponitur; & quidem *α. Spiritualis*, ℣. 11--13. *β. Temporalis* & *Externa*, ℣. 14--22. in qua *Temporali* & *Externa Pœna* describenda sic procedit Propheta, ut (a.) Ipsos corruptorum consiliorum *Proceres* appellando, crimen ipsorum iis ob oculos ponat, & ipsos de eo convincat, ℣. 14. 15. (b.) Pœnam denunciaturus, præmittat, se ob ipsorum vitia & aberrationes non neglecturum esse ipsissimo illo tempore exhibere magnum illud promissum Patrum, h. e. Messiam, in carne appariturum, ℣. 16. (c.) Ipsis interim incredulis, hanc salutem spreturis, non

Analysis hujus Concionis. Specialis quatuor majorum Ejus partium.

non tam interminetur quam prædicat mala calamitatesque graviſſimas in quas propter vitia ſua inciderent, ℣ſ. 17--22. PARS QUARTA, quæ Oeconomiam Dei illuſtrat parabola Agricolæ, habet, α. *Exordium* quo commendatur parabolæ argumentum, ut animadverſu dignum, ℣ſ. 23. β. *Parabolam* ipſam, ℣ſ. 24--29.

Ἀνάλυσις hujus Concionis recte exponendæ.

Anaciſis hujus Concionis.

Sectio hæc complectitur duos *Elenchos.*

QUi ſuperiora noſtra legerit de *Argumento* hujus Concionis Propheticæ: obſervaverit attentus, Prophetam hancce ſuam Concionem ſic inſtituere, ut primo increpet EPHRAIMITAS quos ſic vocat, *temulentos*, iiſque denunciet Judicium Dei: inde interponat *Promiſſum Gratiæ*, ℣ſ. 5. ſc. Deum ipſo illo tempore *reliquiis Populi ſui* fore in *Coronam gloriæ*, & ſeqq. mox ℣ſ. 7. *novos* quoſdam homines introducat ut temulentos, his verbis: *Atque etiam* HI *in vino errant, & ſeqq.* quibus de novo graviſſimum Dei Judicium interminatur & prædicit. Quibus ſuppoſitis & ad animum revocatis, tres deprehendi hypotheſes, circa quas Interpretes expoſitionem hujus Concionis componunt. Prima ſtatuit, primum *Elenchum* directe ferire Ephraimitas, ad idololatriam prolapſos, atque in luxu ac deliciis vitam tranſigentes, Divinæ voluntatis ſecuros: *Promiſſum* ſubſequens pertinere ad tempora Hiskiæ Regis. *altero Elencho* inferri *Judæorum* Proceres, temulentiam & luxum Ephraimitarum imitantes, quibus Propheta denunciet *Judicium Divinum* quod in illos exequerentur Babylonii. Sic paſſim Hebræi, & inter noſtros Piſcator, Sanctius, alii. à quibus Liranus non diſſentit, niſi quod Prophetam ℣ſ. 16. tranſire ſtatuat ad deſcribendam calamitatem Romanam: dum Grotius quæ in altero *Elencho* dicuntur, omnia refert ad Proceres Judæorum corruptos temporis Hiskiæ, & *Judicium* iis denunciatum ad calamitatem in terram Judæam inducendam à Senacheribo. Altera hypotheſis *priorem Elenchum* conjunctim accipit de Ephraimitis & Judæis, & pœnam *temulentis* prædictam, refert ad utriuſque Populi everſionem Reipublicæ per Aſſyrios & Babylonios. *promiſſum ſubſequens* ad Statum Populi reſipiſcentis in Exilio, & ex Exilio reducis. *poſteriorem* vero *Elenchum* ad corruptionem Doctrinæ & Morum, quæ de novo Populum invaderet circa tempus orituri Meſſiæ, tandem graviſſimo Dei Judicio puniendam per Romanos. Sic viſum eſt Cl. Coccejo. Tertia hypotheſis ulterius procedit, & ſcenam Viſi totam figit in tempus Meſſiæ, jam inter Judæos manifeſti facti. Appellationem itaque, quæ in *priore Elencho* dirigitur ad *Coronam decoris temulentorum Ephraimi* myſtice interpretatur de *Synedrio Phariſæorum & Scribarum*, corruptæ doctrinæ & indolis hominum, qui inſtitutionem & gratiam Meſſiæ repudiarent, vindicandi ex Decreto Juſtitiæ Divinæ à Romanis. Sic Euſebius Cæſarienſis, (putem ex ingenio Origenis,) Cyrillus, Theodoretus, & Procopius quoque, hic mutilatus, quatenus de ejus ſenſu ex interpretatione *poſtremæ pericopæ Parabolicæ* hujus *Sectionis* judicare licet; & inter recentiores, Oecolampadius.

Tres hypotheſes Intt. de *temporibus* quibus hi *Elenchi* conveniant.

Prima priorem Elenchum refert ad *Ephraimitas*: poſteriorem ad *Judæos.*

Quatenus illuſtris Grotius huic hypotheſi conſentiat?

Altera priorem Elenchum applicat ad Ephraimitas & Judæos ante *Exilium* Aſſyriacum & Babylonicum: poſteriorem ad Statum Corruptæ Eccleſiæ poſt Reditum ex Exilio.

Tertia utrumque Elenchum refert ad Statum Populi qualis fuit tempore Chriſti.

II. Inter poſteriores hypotheſes duas non eſt magna differentia. quicquid enim in hac Concione Prophetica legitur, à ℣ſ. 7. uſque ad *calcem*, eodem tenore ex utraque hypotheſi exponitur. Sed inter primam & alteras divortium eſt notabile. Mea hæc eſt ſententia, Sermonem hunc Propheticum ſecundum *primam* hypotheſin in genuina ſua vi & emphaſi, & ex mente vera Sp. S. qui eam per Apoſtolos declaravit, explicari non poſſe; ut proinde ab ea diſcedam. Et quidem *primo*, *Promiſſum* ℣ſ. 5. & 6. ſecundum emphaſin dictionum & analogiam aliarum prophetiarum, quid majus & amplius ſonat, quam in temporibus Hiskiæ demonſtrari poteſt: etſi tamen id minus urgerem, ſi cætera reſponderent. Secundo, *ſubjecta* quæ in poſteriore *Elencho* deſcribuntur, à ℣ſ. 7. ſeqq. cum omnibus ſuis attributis non poſſunt demonſtrari niſi in eo tempore quod proxime præceſſit *Apparitionem Meſſiæ in carne.* Sunt enim qui ibi deſcribuntur, PHARISÆI, ad vivum picti, ut illo in loco oſtendam. Tertio, *promiſſum* ℣ſ. 16. de *Lapide angulari*, vel, ſi ita loqui fas eſt, *fundamentali*, ponendo in Tſione, cum abſque omni dubitatione reſpiciat *Chriſtum Jeſum*, fundamentum Eccleſiæ, objectum fidei credentium, ad quem locus ille refertur à Paulo *Rom.* IX. 33. X. 11. & à Petro, 1 Cap. II. 6. 7. & quidem ipſo illo tempore ponendo quo Deus *Traditionarios & Epicureos* convinceret de vitiis & apoſtaſia ſua à vera in Deum fide: neceſſario poſtulat *ſubjectum* Elenchi proximum apparitioni Meſſiæ in carne, niſi quis nexum totius orationis ſolvere velit. ac proinde quarto, interminationes & prædictiones malorum & calamitatum, quæ illi promiſſo ſubjiciuntur, æquum eſt referri ad *inobedientes Evangelio*, ad quos à Petro referuntur, Judiciis Divinis graviſſimis puniendos. quibus ſubjectis exacte conveniunt. Quinto denique, nexus Cap. XXIX. ſequentis, in quo extrema Hieroſolymorum deſolatio clariſſime deſcribitur, idem exigit. ut adeo neceſſe non habeam, hic refellere Grotium, qui *Judicium Elenchi poſterioris* aptat irruptioni Senacheribi in Judæam: quod præſtare non potuit in interpretatione, niſi phraſes Prophetæ, magnum quid ſonantes, enervaret, & promiſſum luculentum ℣ſ. 16. de *Meſſia* in alium ſenſum flecteret: quod ipſi agere placuit, nobis vero maxime diſplicet.

Differentiam duarum hypotheſium poſteriorum. non eſt magna.

De *Prima* præcipue quæritur. adverſus quam diſputatur.

Promiſſum ℣ſ. 5. 6. nimis amplum quam ut conveniat tempori Hiskiæ, ſecundum analogiam aliarum prophetiarum.

Subjecta poſterioris Elenchi ſunt Phariſæi.

Attributum *Lapidis Angularis* circa illud tempus *ponendi in Tſione* ducit lectorem ad poſtrema tempora.

Loca Scriptorum N. T.

Ut & nexus prophetiæ ſequentis quæ de *Deſolatione* Hieroſolymorum extrema agit.

III. Ergo ad poſteriores duas hypotheſes me converto, inter quas nulla differitas intercedit, niſi in interpretatione *prioris Pericopæ* hujus *Sermonis*, quæ *ſex ſtichis* prioribus comprehenditur. in cæteris hypotheſis eodem ordine procedit. Pertendunt Veteres, directe hic in initio *Concionis* appellari SYNEDRIUM *Judaicum* quale fuit circa tempora Chriſti, ſub nomine CORONÆ *ſuperbæ ebriorum Ephraimitarum.* Id multis paradoxum videatur: non mihi. Amat Propheta *figuras*, ubi Hieroſolymitanos compellat, & eorum calamitatem prædicit, ut liquet ex Cap. XXII. 1. & ſequenti Cap. XXIX. 1. ubi Hieroſolymitanos Doctores directe ſub titulo & nomine *Ebriorum*, myſtice ſic dictorum, rurſus proponit. Ipſe quoque inter obſervata ſuperioris temporis ad hoc *Caput* adſcripſeram, compellari *Synedrium Judæum*, abſque inſpectis aut lectis ut putem, Veterum *Commentariis.* Et tamen obſtant hic duo, minime tranſeunda, ad quæ dein accuratius attendi. α. Eam *promiſſi* partem, quæ occurrit in fine ℣ſ. 6. *Deum futurum eſſe robur regerentibus bellum ad portam:* non convenire temporibus Meſſiæ, niſi violenter explicetur. quod dubium Veteres minus movit, quia in *verſione* hujus *Pericopæ* Interpretem Græcum ſunt ſequuti, qui hic longe alia exhibet. β. In ℣ſ. 7. manifeſte *novum* inferri *ſubjectum* Elenchi, à ſuperiore diſtinctum, poſt interpoſitam Promiſſionem, his verbis: *Atque etiam* HI *in vino errant, & ſeqq.* Quod obſervans Oecolampadius, qui priora ad ſenſum Veterum acceperat, *novum* hoc *Subjectum* interpretatur de *falſis Doctoribus* qui ad exemplum Phariſæorum & Sadducæorum inter Chriſtianos mox poſt tempora Apoſtolorum prodirent, & tandem producerent Antichriſtum, ejuſque ſectam. Sed hæc interpretatio, quæ alio in loco tolerari poſſet, ſubſequenti hujus *Sermonis* argumento non convenit. Quare lubens & ultro venio in ſententiam Cl. Cocceji, hoc ſolummodo adhibito moderamine, ut *prior Pericopa* directe quidem ad Ephraimitas, ſed *oblique* & *myſtice* ad Hieroſolymitanos referatur. quam ſententiam in Expoſitione ipſa declarabo.

Examen duarum poſteriorum hypotheſium.

Veterum vera ſententia. *Corona temulentorum Ephraimi* ipſis eſt *Synedrium* Judaicum tempore Chriſti.

Judicium *generale* de illa hypotheſi.

Speciale.

α. Obſtat ℣ſ. 6.

β. ℣ſ. 7. introduci *Subjectum.*

Oecolampadii excerpio.

Sententia ejus non probatur.

Cocceji illa cum *temperamento* recipitur.

MEMBRUM PRIMUM hujus Concionis: *Elenchus* EPHRAIMITARUM, vere vel myſtice ſic dictorum.

Culpa ipſorum.

Membrum Primum hujus Concionis: *Elenchus*

℣ſ. 1. *Væ* CORONÆ FASTOSÆ TEMULENTORUM EPHRAIMI, *& flori marcido decoris ornamenti ejus, qui eſt ſuper caput* VALLIS PINGUISSIMÆ *contuſorum à vino*] Sic vertenda verba: niſi malis quod fere eodem

Ephraimitarum. recidit: *Væ corona ... Ephraimi, cujus ornamenti decus est flos deciduus.* solet enim præfixa ו aliquando ἀιτιολογικῶς accipi. Et tamen nostrum præfero, quia Propheta *versu sequente* demum directe de calamitate Ephraimitis hisce obventura vaticinatur: & præterea clarissime liquet, ex ℣. 3. Subjectum illud quod hic appellatur *flos marcidus* sive *deciduus*, sic dici respectu præsentis sui status, & quidem per ὑπεξιασμόν. Reliqua in ipsius sensus investigatione expediam. ad quam primo omnium pertinet cognoscere *Subjectum Propositionis*, ad quod oratio à Propheta vertitur. Locum autem hic habere potest triplex sententia secundum hypotheses in superioribus jactas. prima est, per *temulentos Ephraimitas* hic intelligi *Ephraimitas* ipsos, hoc nomine notos, & quidem totam Prophetæ orationem ipsos spectare. altera, per *Ephraimitas* hic intelligi *Judæorum Proceres* corrupti sensus ac morum, qui hic dicantur *temulenti Ephraimi*, quia stulta illorum consilia de *Fœdere ineundo cum Ægyptiis*, quæ nihil profuerant Ephraimitis, ipsi sequebantur. tertio, his verbis non unum notari *Subjectum*, sed geminum. videlicet; *coronam fastosam temulentorum Ephraimi* ipsos spectare Ephraimitas, sic dictos; sed *florem marcidum decoris ornamenti, &c.* referendum ad Judæos, sive Hierosolymitanos. *florem* enim *marcidum* illum qui est super caput *vallis pinguissimæ*, esse *Hierosolymam*, (& in ea *Templum*,) divisam per *profundam vallem*. Mediam harum sententiarum non dixerim à ratione aut stylo Prophetæ alienam. qui enim Proceres profanos Populi Dei appellat *Principes Sodomæ*, & Hierosolymitanos *Populum Gomorrhæ* [a]: idem simili metaphorico dicendi genere *Proceres Judæos* stulta *Ephraimitarum* consilia sequentes rectissime appellare poterat *temulentos Ephraimi*. Nihil vitii est in hac interpretatione, nisi quod absque necessitate videatur discedere à literali sensu, ac proinde demonstrationem non admittat. Et si tamen hæc prophetia vere edita esset post expugnatam à Salmanassare Samariam: res omnis in liquido esset posita. Sed cum ne illud quidem demonstrari possit, & nulla ratio vetet, Prophetam adversus Ephraimitas sic proprie dictos declamare: non ausim in hanc hypothesin concedere, licet in eam propendeam. Cl. Cocceji sententia, quæ in *propositione* hujus Concionis duo subjecta videt, hoc est, Regnum *Ephraimiticum* & *Hierosolymitanum*, satis esset tolerabilis, si cum oratione Prophetæ posset conciliari. Vide jam, an possit. Propheta scripsit: *Væ coronæ superbiæ ebriorum* EPHRAIMI, *& flori marcido decoris ornamenti* EJUS. quæro itaque, an *Hierosolyma* vel *Templum* dici possit *flos marcidus decoris ornamenti* EPHRAIMI? Respondet Vir Eruditus, posse sic appellari *Templum*, quod æque *Ephraimitarum* ac *Judæorum decus* esset. Verba ejus: *Quanquam autem Ephraimitæ ad Templum Hierosolymitanum non accederent, nihilominus tamen erat* DECUS IPSORUM. *fatebantur enim, Deum ibi habere σκήνωσιν, & Sacerdotium Aaronicum à Deo esse institutum: quanquam putarent, sibi etiam liberum esse alibi adolere Deo Hierosolymis habitanti.* Sed hæc quis neget paulo esse duriora, aut æquo animo concesserit? Si enim inter Ephraimitas aliqui paucissimi numero superfuerint, qui aliqua affecti fuerunt reverentia in Templum & Sacra Hierosolymitana: conciones Prophetarum συγχρόνων omnes & historia clamant, totum corpus Gentis fuisse corruptum & immersum idololatriæ, & Templum ac Sacra Hierosolymitana cum contemptu respuisse. Et tamen nunquam dimitto hanc cogitationem, Prophetam hic quid amplius in oculis habere, quam ut adversus solos Ephraimitas orationem vertat. Sententia mea est, illum *directe* quidem & *κατὰ γράμμα* redarguere EPHRAIMITAS: sed *indirecte* & *oblique* JUDÆOS, qui eadem consilia sequerentur quæ *Ephraimitæ*, tum ipso illo tempore, tum sequentibus, eodem & simili Dei judicio percussi & percutiendi, quique adeo idem experirentur fatum. ut docuit experientia. Esse enim *Proceres Judæos*, quos Propheta præcipue (& quidem in *posteriore Elencho* solos,) in oculis habet, liquet ex ℣. 14. hujus *Concionis*. *Propterea audite Verbum Jehovæ vos irrisores*, DOMINATORES POPULI HUJUS QUI EST HIEROSOLYMIS. Idem observabimus ad Cap. XXX. & XXXI. quæ cum hac *Pericopa* conferri debent. Non pœnitebit igitur, hanc hypothesin institisse. quam non abludere à more Prophetico, mox evincam.

Per *Coronam gloriæ ebriorum Ephraimi, & florem marcidum decoris ornamenti ejus qui est super vallem pinguium incensorum à vino*, intellige mecum, si placet, primo sensu, ipsam Urbem SAMARIAM: (sic recte Docti Hispani, Forerius, Pintus, Ribera:) non *Regnum*, aut *Reges*, quæ hic non respiciuntur. argumento est, quia *corona ebriorum Ephraimi & flos marcidus ornatus ejus* dicitur esse super *caput* sive *verticem vallis pinguissimæ*. Intelligitur ipse *mons Samariæ*, super quem hæc extructa fuit Urbs ab Omri, Achabi Patre, secundum fidem historiæ [b]: cui Monti subjecta fuit *Vallis pinguis & fertilis soli*; ut passim testantur qui locum inspexerunt: inter quos Vir Eruditus, inter novissimos, cæteris accuratior [c]: *Sita est Urbs* (olim Samaria, deinceps ab Herode Rege instaurata, *Sebaste*,) *in monte oblongo, rotundoque figurâ ovi, prius à* VALLE FERTILI *ac ferace, dein corona collium circumdatâ*. Hæc utique Urbs suo tempore celebratissima, Hierosolymæ æmula, & ipso situ cultuque ὀχυρωτάτη *munitissima*, (ut alibi [d] dicitur Josepho in historia recentioris temporis,) omnino erat *corona fastosa* (respectu habito ad *figuram* ejus & ornamenta superborum ædificiorum quibus se efferebat Urbs cum floreret:) & *flos marcidus decoris ornatus Ephraimi*, quod Oppidum hoc, licet ob decus, ornatum & splendorem, & situs sui altitudinem cum *flore* comparari posset, (quippe *flos* decus suum in summo ostentat:) jam hoc tempore exitio suo proximum esset, & post Samaritidem proximo ante vexatam, exhaustamque à Phule, Tiglatho, & ipso Salmane, (in initiis Hoseæ, ut patet ex historia 2 Reg. XVII. 3. qui Salmanassar forte ipso quoque illo tempore ad breve occupaverit *Samariam:*) jam hac tempestate instar *floris decidui* inciperet *marcescere:* secundum id quod Propheta noster de judicio exercendo per Tiglathum, Cap. XVII. 4. *Et futurum est illo tempore, ut* ATTENUETUR GLORIA *Jacobi, & pinguedo carnis ejus* MACRESCAT. quippe Assyrii jam hoc tempore ut *locustæ* sub Phule terram *abraserant*, & *Galilæis* ac *Gileaditis* sub Tiglatho in Assyriam abductis, *absumpserant* magnam *portionem agri*, adeo quidem ut Jacob factus esset קמון EXIGUUS & *exilis*. quæ Visis elegantibus & clarissimi sensus exposita sunt Amoso [e]. Ergo Samaria rectissime dicitur *flos marcidus ornatissimi decoris Ephraimi*, qui est *super caput*, (in vertice) *vallis pinguium contusorum à vino*. quia ipsa *illa vallis & regio tota*, erat vallis & regio *Ephraimitarum*. Cl. Coccejus mallet: *in capite vallis oleorum*, in capite *contusorum à vino*. Sed oratio Prophetæ hic satis est integra & nulla ejusmodi ellipsi, licet non insolente, indiget. Tantum observandum, ubi *Samaria* hic dicitur *corona fastosa & flos marcidus* EBRIORUM EPHRAIMI, eo alludi ad morem Veterum, qui in Epulis & compotationibus *serta & corollas* è virentibus floribus contextas *capitibus* suis imponere solebant. quod in phrasi Prophetæ rectissime jam vidit Grotius. Ritus ipse apud Veteres fuit usus tralatitii: unde plura hic non adscribo.

Hoc admisso evictoque, nihil superest, nisi ut videamus, quo sensu *Ephraimitæ* hic introducantur ut שכורים EBRII, sive potius, EBRIOSI, & הלומי יין *contusi à vino*, *obtusi vino*. Sic recte verto vocem הלם cum plerisque Interpretibus. Hieronymus: *Errantes à vino*. minus accurate. Interpres Græcus: Μεθύοντες ἄνευ οἴνου· *Ebrii absque vino*. Paradoxum ad primam speciem! Et tamen Interpres hic doctius scripsit quam vulgus videt. cum enim in Versione sua non raro magis ad *rem* quam ad

Investigatio *Subjecti* hujus Propositionis: *Quinam sint* TEMULENTI EPHRAIMI? Triplex sententia.

Judicium de eorum hypothesi, qui hic intelligunt *Proceres* Judæorum, ob communionem vitii dictos *Ephraimitas*.

Ut & de hypothesi Cl. Cocceji, qui hic duo designat *Subjecta*.

Templum aut Hierosolyma non recte dicuntur *ornamentum Ephraimi*.

Verba Cl. Interpretis expenduntur.

Rectius dicitur, *Judæorum Proceres* hic oblique notari.

Adstruitur ex ℣. 14.

Per *Coronam gloriæ Ebriorum Ephraimi*, intelligitur primo sensu SAMARIA. Attributa orationis convenium

Cur dicatur flos, quidem *marcidus*?

Locus C. XVII. 4.

Imposita fuit Urbs *Valli Pinguissimæ*.

Unde de sumpta si metaphora Prophetæ?

Quo sen Ephraimit hic introd cantur ut *ebrii*?

Animad- versio ad Versionem Græcam.

[a] Cap. I. 10. [b] 1 Reg. XVI. 24. [c] Maundrellius *Itin. Hierosol.* p. m. 75. [d] Antiq. Lib. XII. Cap. XVIII. [e] Amos. Cap. VII. 1-4.

ad *phrasin* respiciat, & videret, hic proprie non agi de vere & grammatice sic dictis *Ebriis*, sed de *Ebriosis mysticis*: ex Cap. XXIX. 9. id hic paraphrastice adscriptit. quod tamen studium non laudo. Genuina significatio vocis חלם in hoc casu à nobis jam detecta est Cap. XVI. 8. Plerique Interpretes hic omnino putant perstringi *luxum*, *ebriositatem*, *luxuriem*, & *securitatem carnalem*, Ephraimitarum *illius temporis*, h. e. ante Samariam captam à Salmanassare & vastationem inductam in totam terram Ephraimitarum. Sic ipse etiam Kimchius *A*, & Coccejus quoque noster, qui alias mystica amat, *corripere*, ait, Prophetam *hic omnes tribus Israëlis*, *& nominatim duo Regna*, *Ephraim & Juda*, *tum propter falsam fiduciam & gloriationem*; *tum propter* LUXURIAM. unde sunt inter Interpretes, qui *Ethica* observata adversus *ebrietatem* & *luxum* ex his verbis eliciunt. Ego vero non nego, *α.* Ephraimitas hujus vitii reos fuisse, & merito accusari à Propheta, si nihil sublimius in oculis habuisset. id enim liquet ex Amos. VI. 6. *β.* Ne illud quidem inficior, Prophetam ubi illos *sensu spirituali* ebrios vocat, ad vitium illud *ebrietatis* & *luxus*, satis apud ipsos vulgatum, allusisse, & inde potius quam aliunde sumpsisse metaphoram. *γ.* Veruntamen firmiter teneo & probe persuasus sum, Prophetam hic directe & proprie non respicere *ebrietatem* sic vulgo dictam, sed mystice intelligi velle de vitio *turbati sensus* & *judicii*, quo affecti instar *ebriorum* (vi Divini Judicii ipsis incumbentis,) stultissima capiebant consilia in caussa gravissima à qua salus & conservatio Reipublicæ illorum pendebat, ut mox declarabo. Prima mihi ratio est, quod Propheta, eidem huic emblemati continuo inhærens in *aberrationibus* Procerum & Doctorum utriusque Gentis depingendis, se ipse interpretetur Cap. XXIX. 9. *Inebriati sunt*, *sed* NON VINO: *commoventur*, *sed* NON A SICERA. *nam effudit Dominus super eos spiritum soporis*, *& seqq.* Secundo, quia attendenti ad Pericopam subsequentis orationis hujus ipsius *Concionis* nostræ, quæ comprehenditur ℣. 7—13. liquet, Prophetam de *spirituali ebrietate* agere. ut ibi facile evincam. Tertio, quia, si Jesaias hic propositum habuisset *luxum* Ephraimitarum memorare, haud dubie in sola *ebrietatis* notione non hæsisset, sed addidisset alia quæ ad luxum perfectius describendum pertinent. Quarto denique quæro, an non fuerint graviora vitia Ephraimitarum, Divinis prosequenda judiciis, quam *ebrietatis?* Et agnosco tamen ultro fœditatem hujus vitii, ex quo tanquam ex fonte multa alia derivantur. Ergo per *ebrios Ephraimi* intellige mecum, si placet, *ebrios* metaphorice sive allegorice sic dictos, hoc est, *Principes Ephraimitarum*, tam instituto Religionis quam in consiliis de salute & securitate Reipublicæ à *sana ratione* aberrantes, veluti *ebriorum* instar *mente moti*, & *sensu rationis* turbati, ac Divino Judicio in *stuporem* acti essent. Translatio significationis hujus notionis est recepti & familiaris usus in sacris in bonam & malam partem, respectu variorum *ebrietatis* attributorum; unde, stylo Prophetæ nostri aliorumque Vatum, homines *lætitia spirituali*, *generositate laudabili*, & *magnanimitate* affecti, æque ac fortunæ prosperitate arrogantes facti vel præ gravitate Judiciorum Divinorum *tristitiaque* inde ortæ in stuporem acti, *mente moti* & *rationis* VIX *compotes*, EBRII dicuntur. Sic Vates noster Cap. LI. 21. *Propterea audi nunc quæso afflicta*, *&* EBRIA, *sed* NON VINO. Judiciis Dei veluti dejecta de sano rationis usu. Hoc loco nostro *ebrii* sunt *stupidi*, *soporati*, vi Divini judicii à sensu sanæ rationis *alienati*, ut emblema declaratur Cap. XXIX. 9. 10. *Stupor* enim *mentis* & *alienatio rationis*, ex quibuscunque demum nata causis, opposita *sobrietati* & *sanitati* mentis, est *Ebrietas spiritualis*, secundum illud Hoseæ *a*: *Vinum & mustum auferunt* לב COR. h. e. usum sanæ rationis. Sunt autem duo ad quæ hic præcipue alluditur. *α.* Quod Ephraimitæ in *institutis idololatricis* & *falsa Religionis doctrina* adversus convictiones verorum Prophetarum & exempla Judiciorum Divinorum pertinaciter persisterent. *β.* Quod ab Assyrio Rege metuendæ potentiæ præter necessitatem, ut videtur, & contra rationem deficientes *auxilium* peterent ab *Ægyptiis*, dubii maxime & ancipitis eventus. Utrumque respicitur Cap. XXXI. 6. *Revertimini ad eum à quo* FILII ISRAELIS *longissime recesserunt.* Nihil novi est in hoc translato vocis usu. contra proprietatis & elegantiæ caussa est receptissimus in notionibus *sobrius* & *ebrius* apud Latinos. Solummodo non negligo hic adscribere insignem locum Origenis, meæ huic commentationi plurimum faventem. Cum enim ipse in eo esset ut retunderet calumniam Celsi, *Christianos Doctores* traducentis tanquam *Ebrios* qui *sobrios*, sc. Philosophos Paganos *ebrietatis* postularent; inter alia reponit *b*: *Qui sunt porro illi* SOBRII, *quos à Christianorum Doctoribus male audire nobis objicit?* Πάντες γὰρ καθ' ἡμᾶς μεθύουσιν, οἱ τοῖς ἀψύχοις ὡς Θεῷ προσλαλοῦντες, καὶ τί λέγω μεθύουσιν; μᾶλλον γὰρ μεμήνασιν, εἰς τὰς νεὼς σπεύδοντες, καὶ ὡς Θεοῖς τοῖς ἀγάλμασιν, ἢ τοῖς ζῴοις προσκυνοῦντες· *Nos certe omnes illos habemus pro* EBRIIS, *quotquot res inanimatas* ut Deum *oratione appellant. Et quid dico*, EBRII SUNT? *Magis enim insaniunt*, *qui ad Templa festinantes statuas aut animalia ut Numen invocant.* Sunt igitur *ebrii*, qui Dogmata Religionis sequuntur à sana ratione deflectentia, aut stultis consiliis produnt mentem turbatam, & Judicio Divino in stuporem actam. in qua metaphora supponitur, quod alias eventus satis docet, consilia à *temulentis* capta nihil habere salis ac prudentiæ; sed tumultuaria, temeraria, à ratione deerrantia, passim locum facere pœnitentiæ. ne quis mihi hic Persarum, Cretensium, Græcorum Veterum, & Germanorum antiqui ævi exempla in contrarium objiciat, moris barbari ac nunquam laudandi, de quibus in *conviviis* & inter *compotationes* consilia de rebus gravissimis Reipublicæ miscentibus Veterum *c* testimonia extant, quæ mihi nunc curæ non est describere.

Hic primus est & rectus verborum sensus. obliquus & mysticus, ut quidem ego sentio, ex mente Prophetæ referendus est ad JUDÆOS, & quidem *Hierosolymitanos*, stulta Ephraimitarum instituta & consilia imitantes; hypocritas, profanos, Dei irreverentes, & humana auxilia, (*Ægyptiorum*, inquam,) susque deque habita ope Divina, circumspicientes, eidem judicio *ebrietatis spiritualis* succumbentes, quorum *corona fastosa* erat Hierosolyma, & *flos marcescens ornatissimi decoris* eorum *Templum*, *gloria Gentis*, in vertice *Vallis oleosæ* quæ collem *Moriæ* à Monte *Oliveti* dividebat. (ad *eam* enim potius respici quam ad *Vallem* Τυροποιῶν quæ Acram & Tsionem dirimebat, quod vellet Cl. Coccejus, ratio nominis suadet:) utique pars hujus *Vallis* in Historia Evangelica dicitur Γεθσημανῆ· GETHSEMANE, sive, ut aliqui Codices habent, Γεθσημανεί *d*. Fuerunt vere inter Doctos plures qui post Hieronymum imo & Eusebium, existimarunt hoc nomen idem esse quod hoc in loco nostro dicitur גיא שמנים *Vallis pinguium* sive *olei*: & succurrit huic sententiæ Drusius noster *e* conjectura sua, *fuisse* forte *olim scriptam vocem* גי רשמני *& postea* ד *in* θ *mutatam culpa Librariorum.* ne nunc alia huc congeram. Simplicior sententia est, Γεθσημανῆ exhibere Hebræum nomen compositum גת שמנים, quod valet *Torcular olei.* quod optime convenit loco qui fuit ad radices *Montis* oleis consiti & olivarum feracis, & nostro huic loco plane satisfacit, in sensu tam proprio, quam mystico. Tantum videri queat hypothesis paradoxa, me *Hierosolymam* hic componere cum *Samaria*: sed vere non est. Prophetæ enim ipsi præeunt, docentque nos clarissime, utriusque Populi eadem fuisse vitia, eadem aber-

γ. Alluditur primo ad *stuporem* circa *doctrinam Religionis.*

Locus Origenis de *Ebriis* mystice sic dictis.

Idololatræ omnes *Ebrii.*

Temulentorum stulta consilia.

Verba Prophetæ *obliquè* respiciunt *Judæos*, & quidem *Hierosolymitanos.*

Corona fastosa Hierosolyma

Flos marcidus Templum.

Vallis media inter Hierosolymam & Montem Oliveti.

Nomen *Gethsemane* an explicandum ex גיא שמנים

An Hierosolyma recte componatur cum *Samaria?*

Sunt qui hic cogitant de *luxu Ephraimitarum.*

Quo sensu hæc sententia admitti queat?

Propheta non loquitur de *ebrietate* proprie dicta.

Rationes hujus sententiæ.

Locus Cap. XXIX. 9.

Intelliguntur *falsi Doctores* & *Judices.*

Metaphora ebrietatis quam late sumatur?

Ebrii stupidi de statu mentis dejecti.

a Cap. IV. 11. *b* Lib. III. p. m. 157. *c* Herod. Strab. Plut. Tac. *d* Matth. XXVI. 36. *e* In h. l. & Matth.

A Cl. Schmid. in h. l. scripsit: *D. K. in h. l. intelligit eos qui superarant post Captivitatem Assyriacam; sed assentimur iis, qui intelligunt Regnum Ephraim ante captivitatem Decem tribuum.* Inspexit Vir Hebraïce peritissimus Kimchium festino oculo. ejus enim sententia hic liquida ita habet: *Nunc loquitur adversus homines suæ ætatis in Regno Ephraim adversus tribus*, שלא גלו ערין QUÆ HUC USQUE DEPORTATÆ NON ERANT IN EXILIUM, *quæ deliciabantur in bonis quibus fruebantur, &c.*

Loca Prophetarum huc facientia.

aberrationes, instituta eadem, & simile fatum. Amos[a]: *Væ securis* TSIONE, *& plenis fiducia in Monte* SAMARIÆ. Michas[b]: *Verbum Jehovæ quod obtigit Michæ, ... revelatum super* SAMARIA *&* HIEROSOLYMA. Ezechiel[c]: *Soror* TUA (Judæorum) *major natu est* SAMARIA. Verba Prophetarum tempore Manassis[d]: *Ducam in* HIEROSOLUMAM *libellam* SAMARIÆ, *& perpendiculum Domus Achabi.* Sed res ipsa liquidior erit ex meditatione Cap. XXX. & XXXI. ubi de communione *criminis* utriusque Populi disputabo. Certe Propheta non absque gravi ratione mystice loquutus est; nec putem ob aliam rationem, quam ut nos moneret, se sub *Ephraimitarum* nomine simul voluisse castigare *Judæorum* & *Hierosolymitanorum* Proceres illos *factiosos*, qui eadem cum iis agitabant & coquebant consilia: estque, ut opinor, caussa eadem cur ℣. 3. *Corona Ephraimitarum* det verbum *numeri pluralis*, ut ibi videbimus.

POENA, triplici gradatione comprehensa.

Gradatio Prima.

Pœna, culpæ subnexa. *Gradatio Prima.*

℣. 2. *Ecce* VALIDUM *quid & robustum est Domino, tanquam imber grandinis,* TURBO EXITIALIS; *tanquam imber aquarum violentarum inundantium qui* CUM MANU valida *dejicitur in terram*] *Interminatio* sive *Prædictio Mali, Culpam* in calce prementis, tribus absoluta sententiis, facit ad interpretationem vocularum הנה *Væ*, sive *Hei*, *Exordio* Concionis hujus *versu superiore* præscriptæ: quam fere perinde est, sive per *Væ*, sive per *Hei*, aut *Hui* verteris. Prius retinui ut vulgatissimum, & cæteris partibus hujus Sermonis conveniens. *Prima gradatio* his comprehensa verbis, quæ descripsi, nihil obscuri habet, ut nec sequentes, quod ad *sensum:* modo emphasin phrasios Prophetæ recte intellexerimus. In priore membro, verba: הנה חזק ואמץ לאדני proprie sonant: *Ecce robustius & validius est Domino.* quorum genuinam vim non perspexerunt omnes Intt. licet propterea non deerrarint à sensu. Non supplenda est sententia; *fortis & validus* רוח VENTUS, ut Jarchius, vel DIES, ut Kimchius, vel EXERCITUS, ut alii: sed transferenda sunt verba cum Cl. Coccejo, secundum elegantiam dictionis Hebrææ, Græcis perinde receptam: *Ecce robustum & validum* QUID *est Domino.* Int. Græc. Ἰδὲ ἰσχυρὸν καὶ σκληρὸν ὁ θυμὸς τῦ Κυρίε. quod sequitur in eodem membro: *Ut imber grandinis,* שער קטב TURBO *exitii.* h. e. כשער קטב UT *turbo exitialis*, (*præfixum* enim כ in voce כזרם, hanc etiam administrat vocem שער, ut Intt. recte jam observarunt:) plane consentio iis Intt. qui vocem שער hic vertunt per *turbinem, tempestatem*, subito ortam & magna vi sævientem. ut שער hic idem valeat quod שערה *procella, tempestas, turbo.* ut recte exponit Kimchius. Metaphora integra Prophetæ hunc sensum postulat, à qua alienior est interpretatio Belgarum & Lud. de Dieu, vertentium per *portam*, quam constat esse vulgatiorem significationem vocis שער cum *puncto* in *cornu dextro.* Atqui id ipsum nobis hic objicitur. Vox שער enim, si *turbinem* aut *procellam* notaret, signanda videbatur cum *puncto* in *sinistro cornu* literæ ש. Verum observandum, α. Esse *Codices* MSS. qui præferunt *punctum* in *cornu sinistro* literæ ש. β. Veteres Intt. sic videri legisse vocem in suis Codd. *absque adspiratione*, ut Chaldæum, Syrum, Hieronymum, & forte etiam Græcum. γ. Ipsum quoque thema שער cum *puncto* in *dextro* non respuere significationem *horroris*, vel rei *horridæ*, ut patet ex Jer. XVIII. 13. Hos. VI. 10. aliisque etiam exemplis. Verba membri posterioris: כזרם מים כבירים שוטפים הניח בארץ ביד: verti: *ut imber aquarum violentarum inundantium qui vi dejicitur in terram:* &, ut putem, recte. Vocem הניח hic capio *impersonaliter*, receptissimo usu Linguæ. proprie reddenda esset: *quem* sc. *imbrem grandinis quis dimittit in terram.* h. e. qui *imber grandinis dimittitur in terram.* Nulla itaque huic loco adhæret difficultas, nisi quæ residet in voce ביד *manu.* videtur enim incongrue dici *tempestas, procella, imber, dejici* ביד MANU. Sed expediverunt jam hoc dubium Intt. Hebræi, sumi vocem ביד MANU hic pro בחזקה VI, fortiter, violenter. Aben-Ezra in rem nostram: כי השם הוריד אלה הזרמים והניחם לארץ ביתו החזקה *Quia Deus descendere faciet hos imbres grandinis eosque demittet in terram manu sua valida.* Kimchius adhuc brevius & rectius: ביד כלו בחזקה *Manu*, id est, VI. Interpres Græcus: Ὡς χάλαζα ... BIA, καταφερομένη· *ut grando qui* VIOLENTER *decidit.* Ita est. quod manu dejicitur, & deorsum mittitur, summa vi inferiores ferit.

Quid hic notet ביד *Manu?*

Nemo Intt. hic dubitat, nisi fallor, de sensu emblematis; Deum videlicet ad nutum Voluntatis suæ paratum habere *potentem* aliquem *Principem*, magnis viribus subnixum, quem ipse valide immissurus sit in *Populum hypocritam*, ejusque Populi Reges, Duces, Proceres, ut illos instar horridæ tempestatis brumalis obruat, inundet, ac denique evertat. Ex communi sententia, quæ hic de *Ephraimitis* vere & proprie sic dictis agi statuit, designatur *Salmanassar.* Neque ego hic refragor. quin ultro in has partes eo: verum in *Salmanassare* non subsisto. Intelligitur totum Corpus *Regum Assyriorum*, ad quod Senacheribus, Assarhaddon, & *Babylonius* quoque Nebucadnezar, pertinent, quibus Deus uteretur ut ministris Executoribus decretorum Justitiæ suæ in utramque Gentem: de quibus Principibus ubi loquuntur Prophetæ, depingere illos solent sub emblemate Fluviorum *magnorum* & *validorum* (cum respectu ad Fluvios Tigrin & Euphratem,) supra ripas exundantium, & obvia quæque effuse obruentium, (quod emblema habuimus Cap. VIII. 7. & XXV. 4. & ibidem illustravimus:) vel sub *imagine* procellæ brumalis magna vi in terram veluti *manu valida* missæ, & prosternentis, inundantis, ac secum abripientis quæ ictu ejus feriuntur. Non repetam quæ de emblemate hoc scripsi ad Cap. XIII. 8. 9. ubi de *Medis* & *Persis* à Deo adversus Babylonem excitandis agitur: sed, quod magis ad rem facit, adducam unum locum Ezechielis, qui hac metaphora frequens utitur, ubi de Calamitate *Babylonica* vaticinatur. Hæc sunt verba Ejus[e]: *Quare sic ait Dominus Jehova: Faciam erumpere* (sive, *findam,*) *ventum* סערה TURBINUM, (procellosum. eadem vox quæ in hoc nostro loco:) *in æstu meo, & imber* INUNDANS (גשם שוטף) *in ira mea existet, & lapides magnæ* GRANDINIS *in æstu meo ad consummationem.* Idem jam dixerat ℣. 11. Quin in primo & luculento Viso *gloriosi* Dei *Throni*, ubi primo prodiit רוח סערה *Ventus* TURBINIS sive *procellosus veniens ex* AQUILONE[f]: an non intelligis esse imaginem illius Judicii tremendi, quod Deus per Babylonios in Populum suum exequeretur? Confer Jer. IV. 11. 12. Attributa utriusque *subjecti comparati* hic accuratius non relego, cum in cujusque incurrant sensum. Estne qui neget, attributa חזק *robusti* & אמץ *validi*, quæ sunt attributa *turbinis procellosi grandinis*, hisce convenire *Principibus*? Ezechiel ipsa illa notione rursus eleganter utitur de Babylonio[g], ubi Deum sic loquentem infert: *Et* FIRMABO (חזקתי) *brachia Regis Babylonis.* Eadem est vox חזק. Sed res ipsa per se loquitur, sive hic Salmanassarem, sive Nebucadnezarem, (non excluso etiam Senacheribo,) sive junctos, ut quidem hic instituo, spectes. Tantum observo, Vatem Sacrum, ubi hac figura orationis utitur, nos valide monere, quod ubique alias docet & inculcat: Deum verum præsidere motibus magnorum Imperiorum Mundi, eosque ad nutum dirigere, etiam tum ubi impetum faciunt in Ecclesiam & Populum Dei, sic dictum, eumque *obruunt* & *inundant.* spectari enim debere ut *judicia* quæ Deus in homines juste immittit, & quidem ipsa manu sua, ad crimina illorum punienda. secundum illud Nahumi[h]: *Ad Jehovam quod attinet: via ejus est in* TURBINE *&* PROCELLA. Ita vere se res habet, cum magna pars effectorum Divinæ Providentiæ

Senssus *realis* hujus emblematis. Designatur potens alliquis & validus Princeps *Ephraimitas* destructurus.

Intelligitur totum Corpus *Regum Assyriorum.*

Usus emblematis apud Prophetas. Loca ex Ezechiele.

Attributa turbinis hic memorata conveniunt *subjectis* à me demonstratis.

Observatum morale subministratum: Deum præsidere motibus Mundi & Imperiorum Mundanorum.

Animadversio ad Versionem. Voces חזק & אמץ quomodo hic accipiendæ?

Vox שער hic vertenda per *turbinem.*

Dubium quod huic sententiæ obstat, expeditur.

Difficultates posterioris Membri resolvuntur.

Vox הניח hic sumenda *impersonaliter.*

con-

a Cap. VI. 1. b Cap. I. 1. c Ezech. XVI. 46. d 2 Reg. XXI. 13. e Cap. XIII. 13. f Ezech. I. 4. g Cap. XXX. 24. h Nah. I. 3.

constet severis Judiciis, quibus crimina ingrati, inconsiderati, & corrupti generis mortalium prosequitur.

Gradatio altera.

Gradatio altera: ℣. 2. *Corona gloria conculcaretur* pedibus.

℣. 3. *Pedibus* CONCULCABUNTUR CORONA *fastosa ebriorum Ephraimi*] Nempe secundum eam, quam modo jeci, hypothesin *Samaria* prius ab Assyriis; dein *Hierosolyma*, à Babyloniis: phrasi à *coronis floreis* desumpta, quæ detractæ de capite pedibus contritæ plane evilescunt & nullæ fiunt. Sed metaphora ipsa quoque de *Urbibus captis* vel aliorum arbitrio ac potestati subjectis, est recepti usus, & habuimus eam Cap. XXVI. 6. Jeremias [a]: *Pastores multi corruperunt vineam meam*, CONCULCARUNT (בוסכו) AGRUM MEUM; *posuerunt agrum meum desideratum in vastum desertum.* Intelligitur desolatio Hierosolymæ. Nostræ nunc curæ est observare enallagen generis in voce *pluralis* notionis תרמסנה CONCULCABUNTUR, quæ jungitur *singulari* CORONA. Subest mysterium, quod cum non assequeretur Lud. de Dieu, monet, voces עטרת גאות *corona, fastus*, ut non *constructa* accipi posse per ἀσύνδετον, hoc modo: *Corona, superbia* (pro, *corona* & *superbia*,) *Ebriorum Ephraimi conculcabuntur.* conjectura non satis felice. Propheta sub *corona una* quam expressit, *aliam* mystice intellexit, atque his junxit *verbum numeri pluralis.*

Quo sensu hic adhibeatur *pluralis* in voce, *conculcabuntur.* L. de Dieu observatum Emendatur.

Gradatio tertia.

Gradatio tertia: ℣. 4. *Samaria deglutiretur ut fructus præcox.*

℣. 4. *Et erit flos marcidus decoris ejus ornatissimi qui est super caput vallis pinguissimæ ut* FRUCTUS PRÆCOX *ante autumnitatem, quem qui viderit, dum* ADHUC IN MANU IPSIUS *est, deglutit eum*] Sic vertenda verba, & quidem speciatim vox בכפו *in manu ipsius.* quod tamen quid sibi velit in hoc loco cum non assequerentur Intt. aliqui: (quis enim *fructum* à se comedendum non tenet *manibus?*) instituerunt sententiam Prophetæ reddere, dum adhuc in RAMO *est.* Est interpretatio Kimchii Patris, quæ nobis hic non satisfacit. Si enim omnino hic intelligeretur *fructus præcox* qui adhuc in *ramo* est: non poterat utique absumi & deglutiri ex arbore, nisi *manu* decerptus. Ne nunc dicam, ו in voce כפו omnes habere notas *affixi*; quod referri nequit nisi ad notionem ראה *videns*; & vocem כפה, ubi pro *ramo* sumitur, aliter scribi & *punctari.* Sed disparebit hic omnis nebula, si emblema recte acceptum expositumque fuerit. Per בכורה בטרם קיץ *præcocem fructum ante autumnitatem* intelligitur *præmatura* FICUS. quod jam observavit Kimchius, imo vero Interpres Græcus vetus, qui vocem בכורה hic vertit, πρόδρομος σῦκα, *præmatura ficus.* Occurrit hac significatione in sacris. Sic apud Hoseam [b]: *Ut uvas in Deserto inveni Israëlem*; כבכורה בתאנה בראשיתה *ut præcocem in* FICU *in initiis suis.* Michas exponens querelam Ecclesiæ [c]: *Non est racemus ad comedendum:* בכורה PRÆCOQUAM *desiderat anima mea.* Hesychio sunt τὰ προσυμάζοντα σῦκα [d]. cujusmodi Christus Dominus quærebat in *ficu*, folia præferente frondemque lætam: nec tamen inveniebat [e]. Apud Jeremiam est [f]: תאני הבכורות *Ficus* τῶν πρωτογόνων, *præcocium.* ubi οἱ ὁ. Τὰ σῦκα τὰ πρώϊμα. Erat autem *ficus* præcox sive præmatura res desiderabilis, ut patet ex loco Jer. XXIV. 2. & satis ex re ipsa. Cum enim *fructus* essent *primi*, aliorumque veluti *primitiæ*, quibus cupediarum harum avidi longum caruerant: simulac prodirent fructus hi præcoces, visi sunt esse desideratissimi; atque inde facile *carpebantur*, & dum in *manu carpentis* erant, *deglutiebantur.* Dum, inquam, erant in *manu* carpentis. Solebant enim alias *ficus* sæpe seponi ut *arefierent*, & sepositæ majorem etiam maturitatem ac dulcorem acquirerent, ut fit. quæ Viri Docti ad hunc locum optima & verissima observatio est [g]. Sed cupiditas novi fructus hic supponitur tanta esse, ut ab usu ejus non temperet ille in cujus venerit potestatem. Aptissimum emblema in rem Prophetæ. Solent sæpe Reges & Principes Urbes à se bello expugnatas *servare* ac *reliquas* facere, saltem per aliquod tempus, in usum suum: sed Assyrii Regis Salmanassaris in Samariam à se expugnandam is esset affectus, ut eam instar fructus præcocis carptam, simul ac in potestatem ejus veniret, *deglutiret.* h. e. everteret & plane deleret, ut absumpta disparet. quod idem fatum esset Hierosolymæ jussu Nebucadnezaris plane perdendæ & incendio absumendæ cum ipso Templo. Conferendum est vaticinium Prophetæ nostri adversus *Damascum*, & *Samariam*, *gloriam filiorum Israëlis*, Cap. XVII. 3. Reliqua, quæ hic observari possent, sunt minoris momenti. quare ea transeo.

Alluditur hic ad *Ficum præcocem.* Usus de iis vocis בכורה.

Præmatura Ficus *Res desiderabilis.*

Deglutiebantur recentes: non seponebantur ut *arefierent.*

Sensus emblematis exponitur.

MEMBRUM ALTERUM hujus Concionis: *Promissum* Seminis Sancti conservandi, & *Reipublicæ instauranda* ac defendendæ.

Membrum *alterum* hujus Concionis: *Promissum* luculenti beneficii Ecclesiæ factum.

An verba pertineant ad tempus *Hiskiæ*?

℣. 5. *Illo tempore erit* JEHOVA *Exercituum* Dominus IN CORONAM DECORIS *& diadema ornatus* RELIQUIIS POPULI SUI. ℣. 6. *Et in* SPIRITUM JUDICII *sedenti ad judicium, & in fortitudinem* RETUNDENTIBUS BELLUM VERSUS PORTAM] Speciosa ad primum aspectum videtur expositio, & bene cohærens orationi Vatis, quæ hæc verba refert ad tempora *Hiskiæ Regis*, se satis gloriose ostentaturi, præcipue post cladem inflictam Senacheribo, *reliquiis* Populi posterorum Jacobi, post Ephraimitas abductos in Exilium à Salmanassare; quæ constabant duabus Tribubus, Judæ & Benjaminis, iisque ab Assyrio satis gravia passis. ut adeo non mirer, plures Intt. in hanc sententiam concessisse. Certe videtur *promissum* hujus loci comparari posse cum Cap. X. 20. 21. XVI. 5. XXXVII. 32. in quibus, primo sensu, ad tempora Hiskiæ, post prostratum Senacheribum, alludi, non nego. etsi promissa *duorum priorum locorum* longe ampliorem sensum involvere, ibidem demonstraverim. Quod vero ad nostram hanc *pericopam* attinet: ajo, idem in ea non dici, si propius inspiciatur, & esse quosdam characteres qui promissum hoc luculentum à cæteris distinguant; ut si largiar, illud latius acceptum in temporibus Hiskiæ implementum aliquod consequutum esse: idem tamen si strictius accipiatur, ex vera vocum & phrasium emphasi alio referendum sit. Rationes hæ sunt. primo, quia hic nulla mentio est plagæ extraordinariæ Assyrio infligendæ Divino Judicio, cujus Propheta alias large meminit, ubi florentem statum Regni Hiskiæ describit, vel de ejus temporibus vaticinatur. secundo, nulla etiam mentio occurrit *Regis* alicujus illustris qui illo tempore Populo Dei præesset, ut Cap. XVI. 5. verum potius *Dei Jehovæ* ipsius qui Populo suo esset in *coronam* & *decus*, quique Populum suum illo tempore eum in modum gubernaret, ut omnes intelligerent, Populum ejus fere ab ipso solo ἀμέσως pendere. tertio, qui hæc verba nostra contulerit cum his quæ idem Propheta noster consignavit in similibus fere circumstantiis, Cap. IV. 2. non ibit inficias, magnam convenientiam intercedere inter utramque orationem Prophetæ. Verba ejus ibi in hunc modum leguntur: ILLO TEMPORE (hoc est, post *Judicium* gravissimum Judæis & Hierosolymæ decretum executioni datum per Babylonios. quæ hic est hypothesis certissima.) *erit* GERMEN JEHOVÆ לצבי ולכבוד *in* DECUS *& in honorem, &* FRUCTUS TERRÆ *in excellentiam &* ORNAMENTUM (תפארת) *reliquiis Israëlis; futurumque est, ut* RELIQUUS *Tsione &* SUPERSTES *Hierosolymis* SANCTUS *dicatur, & seqq.* Viden' eadem esse quæ utrinque dicuntur? Et tamen verba Prophetæ ex Cap. IV. 2. descripta non pertinere ad tempus *Hiskiæ*, sed referenda esse ad *statum Populi & Ecclesiæ* ut se haberet post Exilium Babylonicum, & nominatim ac vere ad tempus MESSIÆ: ibidem evicimus. quarto, Chaldæus Int. traditionem Patrem sequutus quid plus in hoc loco vidit quam Hiskiam. Verba ejus: *In tempore illo futurus est* משיחא דיי צבאות MESSIAS JEHOVÆ EXERCITUUM *in coronam gaudii, seqq.* quod tamen observatum satis intelligo ad sententiam nostram demonstrandam minus momenti adferre, si gravioribus fulta non esset rationibus. Nec sperno tamen antiquæ Synagogæ traditionem. Ergo hanc insistam hypothesin, & secundum eam declarabo

Nec tamen huic tempori perfecte convenit.

Nulla mentio cladis Senacheribi.

Nulla Regis Hiskiæ.

Locus parallelus Cap. IV. 2. hunc illustrat.

Qui locus omnino pertinet ad Statum Populi post Reditum ex Exilio.

Paraphrasis Chaldæi hic animadversione digna.

[a] Cap. XII. 10. [b] Cap. IX. 10. [c] Cap. VII. 1. [d] Ad voc. Πρόδρομος. [e] Marc. XI. 13. [f] Cap. XXIV. 2. [g] Cl. Sebast. Schmid.

rabo sententiam Prophetæ, quæ duobus membris constat. alterum continet prædictionem luculentam generalem magnæ prærogativæ Status Ecclesiæ superstitis, ℣. 5. alterum generale promissum & prædictum specialius interpretatur, ℣. 6.

Promissum ℣. 5. recensetur.

Generale Promissum & prædictum ita habet, ℣. 5. fore ut Deus *illo tempore* (hoc est, *post illud tempus*, perinde ac in loco Cap. IV. 2. aliisque pluribus:) *sit in coronam decoris & diadema ornatus* RELIQUIIS POPULI SUI. Sensus est, futurum esse, ut Deus se post Reditum ex Exilio Babylonico cum tempore *Populo suo* clarius revelaret; eidem indulgeret gratiam veræ *conversionis*; medio veræ conversionis, resipiscentiæ ac sanctimoniæ se eidem *propius uniret*, seque inciperet publice gerere & ostentare ut *immediatum* Populi sui Regem, Principem, Doctorem; majores ei præstaret *prærogativas spirituales, decusque & gloriam suam* in Ecclesiam Populi sui transfunderet: ut dehinc *Regimen Dei & defensio* quam ille Populo suo præstaret, clarius in Regimine, Liberatione, ac Defensione Populi sui perspiceretur. Ipsum illud est quod Jeremias de eodem tempore, hoc est, de Statu Populi reducis ex Exilio Babylonico vaticinatus in hunc modum effert [a]: *Illo tempore ait Jehova*, ERO IN DEUM OMNIBUS FAMILIIS ISRAELIS, *& illi mihi erunt in Populum.* quod Propheta paulo ante dixerat [b]: *Et eritis mihi in Populum, &* EGO *vobis* ERO IN DEUM. h. e. Gratiam meam immediate vobiscum communicabo, cum omni prærogativa beneficii spiritualis, ut clarissime pateat, vos *a me dependere*, & me *vos adsciviisse in Populum.* Ezechiel de statu Populi post reditum ex Exilio [c]: *Et habitabitis in terra quam dedi Patribus vestris, & eritis mihi in Populum, &* EGO VOBIS ERO IN DEUM. hoc idem est acsi dixisset: *Ego vobis ero in coronam & diadema ornatissimum.* Sed legi hic debent integræ Pericopæ Ezechielis, describentis statum Populi post reditum ex Exilio, Cap. XXXVI. 24-38. XXXVII. 21. seqq. præter alias hujus generis plures quæ apud Prophetas sparsim leguntur. Tantum adscribo locum Prophetæ nostri ex Cap. X. 21. *Reliquiæ* REVERTENTUR: *reliquiæ Jacobi ad Deum fortem.* Prophetiæ autem hujus generis eum in modum accipiendæ sunt, ut in magna latitudine & amplitudine complectantur *Oeconomiam Status Populi Dei* post Reditum ex Exilio *quæ perficeretur in Oeconomia Ecclesia N. T.* quam Oeconomiam Ecclesiæ N. T. ejusque prærogativas Prophetæ connectunt cum Beneficio Reditus ex Exilio: non sane hoc sensu, acsi Messias mox post Reditum ex Exilio exspectandus esset, sed quod Deus hoc tempore inciperet sua gratia statum Ecclesiæ eo modo componere ut manifeste præpararetur ad Oeconomiam spiritualem à Messia instituendam. Populus se post hoc tempus averteret ab idololatria & superstitione Gentium: Spiritus Dei afficeret Doctores eximios ac prudentes, inter quos fuit sapiens ille Ezras ejusque Schola, qui Historias & Revelationes Divinas in ordinem digererent, easque diligenter legerent, tractarent, & Populo exponerent: Synagogæ & Scholæ Publicæ ab iis per Canaanæam & in Exilio erigerentur, & commodis instruerentur Doctoribus: Principes Domus Davidicæ qui Populo præessent, (non liquet autem præter Zerubabelem aliquem præfuisse:) quanto se minus conspicue ostentarent, tanto Regnum Dei in Populum clarius perspiceretur; & denique, quæ summa rei est, *Deus in Populum ut Populum suum majore mensura gratiæ spiritualis* influeret: ut factum sub Zerubabele & Josua, ac dein sub Maccabæist donec tandem illucesceret tempus Gratiæ, quo *Filius Dei*, abolitis omnibus aliis Potestatibus, Regimen Ecclesiæ ipse & solus capesseret; ipse se Ecclesiæ suæ *immediate* uniret; (ut *corona* capiti immediate *jungitur*:) ipse agnosceretur, celebraretur, vulgaretur esse *unicus* Populi sui *Rex*, *Pontifex unicus*, solus *Doctor*, *Legislator*, *Judex* [d], (quæ personæ & officia olim faciebant *coronam & diadema Populi* sub Oeconomia Vetere:) & larga copia donorum sui Spiritus ita influeret in hunc Populum suum, ut pateret omnibus, *Spiritum gloriæ* super hanc Ecclesiam *requiescere* [e], eamque *umbra Divinæ Defensionis* obumbrari [f]. Hæc autem *corona*, hoc *diadema*, esset ἀμαράντινον, *immarcescibile & sacrum*, quod Veteres *verbenam* appellarunt. est enim *verbena* proprie *redimiculum* sacrum *ararum* aut *statuarum* ex *viridi herba & fronde*, eaque non marcescibili, veluti *lauri*, *oleæ*, *myrti*, compositum. ut Grammatici Veteres, Servius & Donatus, tradunt. *Regnum Dei* est æternum. *Regnum & Pontificatus* Messiæ nullo marcore corrumpuntur. *Corona* hæc semper floret, semper florebit in *Capite Ecclesiæ:* longe aliter ac *corona Populi Ephraimitici* quæ jam tum *marcida* brevi *conculcaretur pedibus.* Hæc omnia vidit Propheta in uno complexu. complemento *inchoato* involvit *perfectum*, ut modo jam præmonui. Est enim sententia ejusdem plane tenoris cujus analoga Cap. IV. 2.

Deus ipse esset in *coronam & diadema Populo suo.*

Sensus genuinus & amplus hujus dicti.

Specialior deformatio hujus *Promissi* sive *Prædicti* extat ℣. 6. *Et in Spiritum judicii sedentibus ad judicium; & in fortitudinem retundentibus bellum versus portam.* Prius manifeste pertinet ad *restitutionem* Politiæ & Oeconomiæ Civilis Populi Dei post τὴν Μετοικεσίαν *Babylonicam:* ut Cl. Coccejus jam observavit. quo pertinet dictum Prophetæ nostri Cap. I. 26. *Et reddam*, sive *restituam*, JUDICES TUOS *ut in initio, & consiliarios tuos ut in principio.* Sic est in Diplomate Artaxerxis Ezræ commisso [g]: *Et tu Ezra secundum sapientiam Dei tui quæ tecum est constitue* ARBITROS *&* JUDICES, *ut judicent omnem Populum qui est trans fluvium ex omnibus qui intelligentiam consequuti fuerint Legum Dei tui, & qui eas non noverint, easdem eos docebis.* Hac parte laboraverat Respublica Populi Dei ante Reditum ex Exilio, magno ac notabili defectu: sive quod stata tribunalia, à peritis Judicibus occupata, sæpe deessent Populo, ut liquet ex luculento loco historiæ Josaphati [h]: sive quod Judicia publica plane fuerint corrupta; de quo Propheta noster & σύγχρονος acerbe conqueruntur. Verum post Reditum ex Exilio cum Scripturæ Sacræ lectio, investigatio, meditatio, peritia, (cum quo studio, si recte instituatur, semper conjungitur gratia *Spiritus S.*) insignia facerent incrementa: futurum erat, ut Populus restitutæ Reipublicæ *Judices* acciperet *doctiores*, à SPIRITU Dei affectos, per quos & in quibus *Deus* ejusque *Spiritus* judicarent. Sic factum primo tempore restitutæ Reipublicæ; eratque illud beneficium ipsum quoque consummandum temporibus Messiæ, quando Cœtus Apostolorum & Presbyterorum diceret [i]: Ἔδοξε τῷ ἁγίῳ Πνεύματι καὶ ἡμῖν: *Visum est* SPIRITUI S. *& nobis.* Alterum membrum pertinet ad tempora Maccabæorum, quibus Deus indueret heroës *virtute & fortitudine* heroïca, (quæ proprie vis est vocis גבורה) qui majora ederent facinora quam ulli Heroës alii Populi Judæi antiqui temporis. Inde ubi apud Prophetas mentio est de *Heroïbus* Maccabæis, eadem vox גבור usurpatur, quæ proprie *Heroëm* notat. ut apud Zachariam, Cap. IX. 13. *Et excitabo filios tuos, ô Tsion, adversus filios tuos, ô Javan, & ponam te ut gladium* גבור HEROIS. Rursus Cap. X. 5. *Et erunt* כגבורים *ut* HEROES *conculcantes lutum platearum in bello.* & ℣. 6. וגברתי את בית יהודה *Et instruam* VIRTUTE HEROICA *Domum Jehuda.* Horum autem esset *retundere bellum ad portam* sc. hostium. Sic enim accipio phrasin, משיבי מלחמה שערה cum Kimchio. Hieron. *Revertentibus de bello ad portam.* fere ut Chaldæus. Sed phrasis, משיבי מלחמה non fert hanc interpretationem. valet proprie, *reducere bellum. retundere, retroagere bellum ad portam* sc. hostium unde *facta fuerat invasio.* ut alibi [k] recte Cl. Coccejus. Vox השיב ubique admittit significatum *transitivum*, & ה finale vocis שער est utique signum *motus ad locum.* quare non video stare posse interpretationem Doctorum quorundam Virorum: *Repellentibus bellum ante portam.* Dicitur id Hebræis, לשער, ut 1 Par. XV. 42. præterquam quod rei

Corona hæc esset *immarcescibilis.*

Usus vocis *verbena* apud Veteres.

Loca parallela alia ex Jeremia & Ezechiele.

Et hujus Libri Cap. X. 21.

Clavis harum prophetiarum recte intelligendarum.

Deformatio hujus Promissi specialior, ℣. 6.

Prius membrum: *Deus esset in Spiritum Judicii Judicibus.*

Pertinet ad tempora Ezræ.

Locus Cap. I. 26.

Magnus defectus in *Judiciis* antè tempus Exilii Babylonici.

Beneficium hoc in emphasi demum repræsentatum est tempore Messiæ.

Alterum membrum: *Deus esset in fortitudinem repellentibus bellum ad portam.*

Pertinet ad tempora Maccabaica.

Loca de *Maccabæis* ex Zacharia.

Virtus illorum Heroïca, eximia.

Includunt tempus *Messiæ.*

Quod quomodo accipiendum sit, declaratur.

Quod in altero tempore *inchoaretur*, in altero *completur.*

Quo statu temporis Ecclesia *immediate* à Deo dependeret.

Phrasis Hebræa: השיב כל חמה שערה quomodo vertenda?

Vox שערה reddi debet, *versus portam.*

ipsi

---

[a] Jer. XXXI. 1. [b] Cap. XXX. 22. [c] Cap. XXXVI. 28. [d] Jes. XXXIII. 22. Matth. XXIII. 8, 9. [e] 1 Pet. IV. 14. [f] Cap. IV. 5, 6. Ezr. VII. 25. [h] 2 Par. XIX. 6, 7. [i] Act. XV. 28. [k] In *Lex.*

ipſi non ſatisfaciat. Non eſt enim magnum facinus virtutis Heröicæ, bellum apud portam inſtaurare ac retundere: ſed ad ipſam *portam* hoſtium retundere & retroagere. ut in hiſtoria Joabi oppugnantis Ammonitarum Metropolin [a]: *Et fuimus adverſus ipſos* (retrocegimus illos) *uſque ad oſtium* PORTÆ. & in hiſtoria Hiskiæ [b]: *Ipſe percuſſit Phil ſtæos* AD GAZAM USQUE *& limites ejus.* Hic reſpicitur ad Maccabæos, qui tempore juſto à Syris maxime afflicti ac oppreſſi, à Deo armati virtute Heröica, Rempublicam reſtituerent, & tandem terra ab iis purgata, ipſi viciſſim Syros in ſuis invaderent terris, & ad Damaſcum aut Antiochiam uſque graſſarentur. Juſtinus de ſtatu reſtitutæ Judæorum à Maccabæis Reipublicæ [c]: *Quorum vires tantæ fuerunt, ut poſt hunc* (Demetrium) *nullum Macedonum Regem tulerint, domeſticiſque imperiis uſi,* SYRIAM MAGNIS BELLIS INFESTAVERINT. Hoc eſt, *retundere bellum verſus portam*, unde facta erat irruptio.

Locus parallelus ex 2 Sam. VIII. 23.

Implementum ex Juſtino Trogi.

MEMBRUM TERTIUM hujus Prophetiæ, complexum *Elenchum alterum* novorum quorundam hominum, qui poſt Maccabaica tempora exſurgerent, & ſive *Religionem Populi Dei corrumperent*, ſive *ſtulta caperent conſilia* de ſervanda Republica.

Culpa ipſorum.

Gradatio Prior, DIRECTA, qua novi hi homines depinguntur.

Membrum tertium hujus Concionis.

Complectitur *Alterum Elenchum.*

Ubi primo *Culpa.*

Gradatio prima

Summa ejus.

ỳſ. 7. *Atque etiam* HI *in* VINO ERRANT, *& in ſicera titubant. Sacerdos & Propheta errant in ſicera. abſorpti ſunt à vino. errant præ ſicera. errant in viſione, impingunt in judicio.* ỳſ. 8. *Quia omnes menſæ repletæ ſunt* VOMITU STERCOREO, *adeo ut nullus locus vacet*] Novos hic dixi introduci homines, qui à Propheta demonſtrentur ſimilis vitii rei, cujus inſimulaverat Ephraimitas illos vere aut myſtice ſic dictos, quos modo luſtrabamus, hoc eſt, *corruptæ Doctrinæ Religionis & Judiciorum.* quod vitium deſignat nomine *ebrietatis.* quod quidem *directe* agit. ỳſ. 7. *oblique* autem ỳſ. 8. Quæris, *quales* ſint homines, cujuſque *generis, ordinis, ætatis?* Dein *quale*, cujuſque generis *vitium* ipſis hic imputetur? Primo hic certum habeo, deſignari *Doctores, Scribas, Judices, Synedros Populi Dei.* Eos enim ipſe Propheta clariſſime demonſtrat his verbis: SACERDOS & PROPHETA *errant ſicera.* Intellige, voce *Prophetæ* latius ſumpta, *Theologos, Scribas, Interpretes Legis Divinæ* publicos, *Aſſeſſores Judiciorum.* Nemo id hic loci negat, quod ſciam. Solummodo obſervavi, Calvinum hic admittere gradationem aliquam in hoc ỳſ. 7. acſi quod Propheta ait, *hos* quoque *errare præ ſicera*, intelligi queat de *Plebejis* & gregariis hominibus. quod autem additur, *Sacerdos* ac *Propheta errant præ ſicera:* ſic capiendum ſit, non *plebejos* tantum verum etiam ipſos *Sacerdotes* ac *Prophetas vino errare.* Sunt, fateor, ejuſmodi gradationes ſatis familiares & propriæ Prophetæ noſtro: nec tamen eam hoc in loco admitto, cum attributa omnia ſint *Doctorum*, inſtitutiones & judicia ſua *publice* profitentium. quod clarius adhuc liquebit ex ỳſ. 8. 9. Altera mea hypotheſis eſt, deſcribi hic *Doctores & Judices* non vere & *proprie*, ſed *myſtice temulentos & ebrios.* hoc eſt, *corruptam* inculcantes *doctrinam*, à traditione Patriarchali & à ſana ratione abhorrentem; & in *Judiciis* Publicis de *quæſtiis Religionis & Definitionibus Legalibus*, conſiliiſque de *ſalute & incolumitate Reipublicæ*, illiuſque ſalutis & incolumitatis *cauſſis*, à canone ſanæ rationis & judicii ſobrii longe aberrantes. Calvinus quoque & Grotius, literalis ſenſus cætera valde tenaces, id hoc in loco viderunt; & nemo pericopam attente perlegat, quin videat Prophetam ſe ipſum ita interpretantem tam hoc in loco, quam Cap. XXIX. 9. de quo jam monui ad ỳſ. 1. Res inter eos qui verum amant, hic recte teneri debet, & mox à me declarabitur. Addo itaque *hypotheſin tertiam*, deſignari in hoc loco Doctores PHARISÆOS & SADDUCÆOS (DUAS DOMUS Iſraëlis, *myſtice* ſic dictas, ſive *duas* SECTAS *Scholaſque* in quas Literarum ſtudioſi illo tempore diviſi eſſent, quibus Chriſtus Jeſus eſſet ſcandalo [d]:) qui ſub Joanne Hyrcano & ſucceſſoribus ejus dominarentur in Scholis & Synedriis Gentis Judææ. Etenim huic uni ſubjecto exacte conveniunt attributa, præcipue ỳſ. 9. ut ibi evincam; & *contextus prophetiæ* nos ad hæc tempora duxit. Ergo Propheta vidit, circa & poſt ipſum illud tempus quo Deus *mirabilia* patraret in ſalutem Populi ſui, exorituros eſſe *novos* quoſdam *homines* qui præ ſe ferentes zelum Religionis Patriæ, & valde urgentes ſtudia Literarum Divinarum, procedente tempore integram Doctrinam Religionis corrumperent, & in Judiciis ac Conſiliis Publicis eadem ſocordia ſtultitiaque verſarentur adulando Romanis, qua Doctores & Conſiliarii corrupti ante tempus Exilii Babylonici. Hos Propheta exorientes & circa tempus Meſſiæ dominantes in Scholis & Synedriis videns ſibi in Viſo cum omnibus coloribus ſuis objectos: *atque etiam* אלה HI, ait, qui ſe purgatos profitentur ab idololatria & doctrinam Religionis accuratius tradere, & *ſe ſeparant* à fratribus nomine majoris ſanctimoniæ eoſque ſæpe *anathematizant:* hi, inquam, ipſi *errant* IN VINO & *vagantur* ſive *titubant* IN SICERA. h. e. tanquam *ebrii*, ſano rationis ſenſu deſtituti & in ſtuporem acti, verſantur in doctrina & re Religionis, ut & in conſiliis publicis. Emblema jam interpretatus ſum in ſuperioribus: ſed hic loci eſt uſus elegantioris. Doctores qui *novam* profitentur *doctrinam*, *caput*, liceat mihi ita loqui, ea *gravatum* impletumque habent, *ebriorum* inſtar: gaudent *inventis* laudantque ea, & tanquam *ebrii* circa ea oberrant & vagantur ſuis cogitationibus & dictis; quin etiam iis ſuperbiunt, magnos capite ſuo colligentes fumos ac vapores, qui faciunt ut alii omnes videant, eſſe illos plenos ſui; alios contemnere; ſibi ſapere & placere ſibi; ſuas cogitationes & ἐυρήματα ſola probare, laudare: de iis loqui, eaque commendare: dum interim tanquam *ebrii* judicio ſuo craſſe errant, & plaga cœleſti in *ſtuporem acti*, inſigniter ineptiunt tam in novis doctrinæ ſuæ inventis quam in conſiliis publicis, EBRII vere ſed *non vino*; *&* TITUBANTES; *ſed non ſicera.* h. e. vino & ſicera proprie ſic dictis. ut Propheta ſuo loco [e]. Doctrinæ Phariſæorum ſecundum primum ejus aſpectum erat commendabilis & amabilis ſpecies. Doctores enim hujus ſectæ præ ſe ferebant accuratiorem intellectum Legis Divinæ, ab ipſo Deo per Moſen datæ; illius obſervandæ & vindicandæ zelum; tum quoque *puritatis* Legalis ſtudium ſingulare, quo ſibi ab omni commercio impuritatis ſtudioſe cavebant, dicentes: *Ne appropinques mihi:* SANCTIOR *te ſum.* &; *Propter Nomen* MEUM *glorificetur Jehova.* ut Propheta alibi [f]. Hæc ſpecioſa erant, & animos Juvenum qui ſe ad hos Doctores applicabant, replebant magno faſtu ac tumore, eoſque vere ex φιλαυτία reddebant *ſpiritualiter* EBRIOS; ſed interim eorum judicium de ſtatu ſuo ſpirituali & vera Doctrina ſalutis plane corrumpebant. quare *pleni ſui ipſius*, altos gerentes ſpiritus; de ſe magnifice, de aliis exiliter ſentientes; ſe *ebriorum* inſtar omni in caſu inſolenter gerebant, turbarum ac ſeditionum primi paſſim auctores. quin res ita ſe vere habet, nullam excogitari potuiſſe doctrinam, Doctrinæ Chriſti Jeſu magis oppoſitam, quam Phariſaicam, quæ *labem* ac damnabilitatem humani generis; neceſſitatem *Juſtitiæ* per Meſſiam adducendæ, & Regni Meſſiæ *ſpiritualitatem*; & ſpem magnam hæreditatis Mundi Abrahamo promiſſæ, plane abnegabat. ut vere in hac *doctrina & ſecta*, à Chriſto Jeſu deſtruenda, fuerit ſpecimen *triſtiſſimi judicii*, quo Deus homines, *vanitate* cordis ſui tumidos, percuſſit *ſtupore*, ne *ebriorum* inſtar de via ſalutis recte judicarent. quod idem judicium Divinum incumbebat *Sadducæis*, quorum errores longe erant craſſiores. *Spem* enim *futuræ vitæ*, quæ hominem Judæum à Pagano dimittit,

Oratio Prophetæ perfecte convenit *Phariſæis & Sadducæis.*

Hypotheſis prophetiæ hujus.

Illi deſignantur nomine אלה HORUM.

Sunt novi homines.

Quo ſenſu Doctores novæ ſectæ dicantur *ebrii?*

Vitium illud ſpirituale planius deſcribitur.

Phariſaiſmi commendabilis ſpecies.

Sed propius inſpecta erat damnabilis, & homines faciebat ſpiritualiter *ebrios.*

Quod idem obtinebat in Sadducæiſmo.

Illi non *vere*, ſed *myſtice* hic dicuntur *Ebrii.*

a 2 Sam. VIII. 23. b 2 Reg. XVIII. 8. c Juſtin. Hiſt. Lib. XXXVI. Cap. 1. d Cap. VIII. 14. 15. e Cap. XXIX. 9. f Cap. LXV. 5. LXVI. 5.

rimit, inficiabantur; & adulantes Romanis, ſic exiſtimabant ſe ſalutem ſecuritatemque procuraturos Reipublicæ. perinde ac Ephraimitæ & Judæi hujus temporis qui in fœdere & favore Ægyptii ſpem conſervandæ Reipublicæ fundabant. de quo videbimus ad ỳſ. 15.

Quid Prophetæ ſit errare, vagari, titubare, in vino & ſicera.

Hoc itaque illud eſt quod Vates noſter: HOSCE ſc. novos Doctores aut Conſiliarios Reipublicæ, *in vino & ſicera, errare, vagari, titubare, hallucinari greſſu præ gravedine capitis.* quæ vis eſt vocum שגה & תעה, quibus non inhæreo. Addit: *Sacerdos & PROPHETA (Sacerdotes & οἱ Γραμματεῖς Scribæ*, rerum Divinarum ſtudioſi, qui ſe jactabant eſſe Interpretes Divinæ voluntatis,) *errant* SICERA, (voce formata ab Hebræa שכר) *abſorpti ſunt à vino. errant præ ſicera. errant in viſione.* (בראה pro במראה, *concretum* pro *abſtracto*, ut Cl. Coccejus recte obſervavit:) *offendunt in judicio.* Heb. פקו פלילה. Habuimus vocem פלילה Cap. XVI. 3. Eſt *æſtimatio cauſſæ quæ fit in Judicio.* Oratio Prophetæ tota ſic concepta formataque eſt, acſi *ebrii errantis, vagantis, titubantis* ſtatum perfecte exprimeret. Ipſa enim oratio veluti errabunda eſt, dum eandem rem voceſque repetit, iterat, varioque & vario modo idem dicit. quæ elegantia dictionis hic ſumma eſt. Ad rem ipſam obſervabis quod ſupra jam adſcripſi: *Vinum & ſiceram* hic eſſe *Doctrinam Religionis*, ut & *Judicia* aut *Conſilia Publica* quæ pertinent ad ſalutem Reipublicæ. *Doctrina vera Religionis veræ* animum hominis lætificat & conſolatur. quem eundem effectum præſtant *Judicia recta*, Legi Divinæ congruentia; & *Conſilia ſalutaria*, ſalutem proſperitatemque Reipublicæ promotura. *Doctrina falſa*, quæ eſt *Doctrina Juſtitiæ Operum*, non tam *lætificat* quam *inebriat* hominem. animum ejus *vanitate* & arrogantia inflat. judicium ejus corrumpit, facitque, ut his præjudiciis imbutus in omni alia Doctrina Religionis cæſpitet, erret, hallucinetur. quo quo ſe vertat, *titubet.* nullibi *rectus* incedat. & quidem cæſpitet ac titubet præ *ſtupore*, in quo argumentum ineſt Divini Judicii [a]. quod idem de *Judiciis & Conſiliis Publicis* à tramite æqui & recti aberrantibus affirmare licet. Alterum etiam illud hic repeti & obſervari velim, per *Sacerdotem & Prophetam* hic intelligi, ſtylo Scripturæ V. T. qualeſcunque rerum Divinarum Interpretes publicos, auctoritate aliqua ad id inſtructos, & hoc nomine agnitos honoratoſque à plebe, qui, ſtylo Scripturæ N. T. dicuntur Γραμματεῖς, ſive οἱ Ἀρχιερεῖς καὶ Γραμματεῖς. eſtque hic uſus vocum Prophetis receptus, & inprimis Jeremiæ, variis locis. ut Cap. v. 31. VI. 13. XIV. 18. qui *Sacerdotes & Prophetæ* appellantur סופרים SCRIBÆ, οἱ Γραμματεῖς, Viri literati, literarum ſtudioſi, Cap. VIII. 8. Quo pertinet jactatio horum hominum qui ſibi vindicabant arbitrium Religionis, Cap. XVIII. 18. *Non peribit Lex à* SACERDOTE, & *conſilium* מחכם *à* SAPIENTE, *& verbum à* PROPHETA. Invaleſcente Phariſaiſmo ex diſciplina celebrium Doctorum, Simeonis Setachidæ, ſub Alexandro Jannæo, & Hillelis Babylonii ante & circa tempora Herodis primi, integræ catervæ hominum hujus profeſſionis & ſectæ per totam vagatæ ſunt Canaanæam.

Elegantia orationis Prophetæ quæ ebriorum motus & geſtus imitatur.

Vinum & ſicera quid notent in ſpiritualibus?

Ebrietas quæ ſe prodit in *Conſiliis & Judiciis Publicis.*

Per Sacerdotem & Prophetam hic, ſtylo Scripturæ, intelliguntur *qualeſcunque rerum Divinarum Doctores & Interpretes.*

Copia Doctorum Sectæ Phariſaicæ invaleſcentis.

Surgit oratio Prophetæ durior, ut videtur, ỳſ. 8. *Quoniam omnes menſæ plenæ ſunt vomitu ſtercoreo.* Nemo prudens & in Verbo Dei exercitus hæc ad *literam* intelligat: (eſt enim à ratione & conſuetudine vitæ humanæ alienum cogitare, homines qualicunque ſtatu poſitos ſic eſſe perditos luxu, ut omnia *vomitu* replerent, nullo loco vacivo:) ne autem imprudens aliquis hic à mente Prophetæ aberraret, ipſe ſe mox interpretatur ỳſ. 9. 10. Per *Menſas* hic intelliguntur *Loca Publica*, in quibus publica profeſſio fit *Doctrinæ Religionis:* ut ſunt Scholæ Illuſtres, Acroatoria, Auditoria Publica, in quibus Doctores auctoritate muniti doctrinas ſuas *vulgant, exponunt*, & ad *uſum* præſentibus auditoribus commendant: qui auditores ſi illas doctrinas recipiant, & participent; dicuntur *edere* & *bibere.* ut autem qui largiore cibi & potus copia ventriculum onerat, per naturam gravatam adigitur ad ſe exonerandum per *vomitum*, qui guloſis fœdo aſpectu ventris excrementa reddit & intemperiem exprobrat: ſic Propheta in hoc loco, concinna hac & docta metaphora, duo docet. α. Futurum eſſe, ut *Doctrina Phariſaica*, carnalibus præjudiciis & affectibus valde commendabilis, à pluribus Doctorum Phariſæorum Diſcipulis avidiſſime, &, ſi ſic loqui liceat, *guloſe* hauriatur, quod vere in illa Doctrina ſpecies ineſſet non contemnenda. β. Conſequens fore, ut Diſcipuli eandem hanc *Doctrinam*, largius hauſtam, rurſus *expromerent*, aliiſque viciſſim redderent, & quidem magno cum affectu. quod fit, ubi *Diſcipuli* illorum Doctorum ad *Cathedras* aut *Synedria* promoti, ex principiis falſæ Doctrinæ, quæ in Scholis avide hauſerant, ſimiles *doctrinas* aut *ſententias* preſſo & calido impetu egerunt & effutiunt. quæ *doctrinæ & ſententiæ*, ingeſtæ prius ubi à Magiſtris hauriebantur; dein egeſtæ, hic vocantur *vomitus & excrementa ſtercorea*, ob eorum fœditatem & fœtorem. quod doctrinæ & ſententiæ eſſent putidæ, fœtidæ, quæ nauſeam & faſtidium omnibus movere deberent, ſi recte expenderentur. Certe Propheta eas tales eſſe vidit, & vidit oculo recto. In metaphora autem, ut eam expoſui, nihil eſt affectatum: imo nihil etiam novum. Occurrit integra Prov. IX. 1. ſeqq. ubi ſumma Sapientia per *puellas ſuas*, (Doctores Evangelii,) omnes invitat Gentes ad participandum *cibum & potum* quem in *menſa ſtrata* paratum habebat. Intelliguntur *præcepta Sapientiæ* cum prærogativis cultorum ejus. Eadem eſt ſimilitudo: niſi ut quod ibi de *vera doctrina* dicitur, in noſtro hoc loco dicatur de *falſa*. Poëtis autem & Scriptoribus ſolutis exteris ubi de *doctrina* à Magiſtris aut inſpiratione Numinis *percepta* loquentes, utuntur vocibus *haurire, potare, deguſtare*; nihil familiarius.

Quid hic loci ſpirituali ſenſu per Vomitum ſignificetur?

Avidius hauſta à Diſcipulis *reddunturin* inſtitutionibus & Conſiliis Publicis.

Metaphoræ illuſtratur ex Prov. IX. 1. ſeqq.

Hypotheſis hujus loci.

Gradatio Altera, qua idem Vitium OBLIQUE proponitur.

ỳſ. 9. *Quem doceret* SCIENTIAM? *aut quem imbueret intelligentia* INSTITUTIONIS? ABLACTATOS A LACTE? *depulſos ab uberibus?* ỳſ. 10. *Quia* PRÆCEPTUM *eſt* AD PRÆCEPTUM; *præceptum ad præceptum:* CANON *ad* CANONEM; *canon ad canonem: parum hic, parum illic*] Sententia altera, verbis diſſona, ſed ejuſdem ſenſus. Propheta docet, Doctores, Sacerdotes, Proceres Populi, quorum erat tueri integritatem doctrinæ & conſiliorum Publicorum, adeo longe diſceſſiſſe à tramite veri, ut plane inepti ſint ad veram doctrinam ſalutis, fundatam in antiqua Doctrina Patriarchali & Moſaica, recte percipiendam & digerendam. eſſe enim Doctrinam Scholaſticam ejus temporis, ad quod ipſe reſpicit, Doctrinam accommodatam ad *ingenia puerilia*, qualis fuit Phariſaica; non *maſculam, ſolidam*, bene cohærentem, qualem oportet eſſe Doctrinam veræ Religionis, quæ homini adulto & exercito ſatisfactura ſit: ſed conſtare *præceptis* traditionum antiquarum nomine commendatis, independentibus & inter ſe neutiquam cohærentibus. qui ſenſus eſt ſententiæ Prophetæ quam ordine illuſtrabo. Conſtat *Propoſitione* ỳſ. 9. & Propoſitionis Confirmatione, ỳſ. 10.

Gradatio Altera, quæ idem vitium Doctorum recentiorum *obliquè* proponitur, Summa ſententiæ Prophetæ. Doctrina Phariſaica eſt *puerilis.*

Analyſis Pericopæ.

Propoſitio, ſuperiori orationi ſubnexa: *Quem doceret ſcientiam? aut cui impertiatur doctrinam?* proprie. *quem intelligere faceret auditionem?* quæ eſt genuina ſignificatio vocis שמועה. Vox proprie notat *nuncium* ſive *doctrinam* alto ore prolatam, ut à multis audiri queat. Recte verteris per *Præconium*, ut in loco huic parallelo Cap. LIII. 1. *Quis credidit* לשמועתנו PRÆCONIO NOSTRO? Intelligitur autem hic loci DOCTRINA MESSIÆ, eadem quæ in hoc ipſo loco. Quod enim dicitur: *Quem* DOCERET *ſcientiam, &c.* cum *Subjectum* requirat à Propheta diſtinctum: aliud hic concipi nequit, quam *Deus* JEHOVA ipſe, qui ſuo tempore SCHOLAM erigeret Tſione, & profiteretur Doctrinam ſolidam, maſculam, ſalutarem, ab omnibus Gentibus probandam, recipiendam; ut Propheta noſter Cap. II. 1. ſeqq. Eſt itaque *Deus* מורה *Doctor*, ut ſe manifeſtum faceret in MESSIA: ipſe, inquam, MESSIAS, Doctorum ſummus,

Uſus vocis שמועה in verbis: *Cui traderet doctrinam?*

Intelligitur hic Doctrina Meſſiæ.

Subjectum ſententiæ hic eſt Deus, Jehova, qui in & per Meſſiam loquetur.

[a] Cap. XXIX. 9. coll. cum Matth. XIII. 12. 13. Joh. XII. 40.

Quare ea hic dicatur דעה *Scientia*?

mus, qui *loqueretur verba Dei*. Appellatur ea hoc loco דעה *Scientia*, quod doctrina eſſet inſignis, partibus ſuis cohærens, in ſolida demonſtratione fundata, & principiis ſanæ ac ſpiritualis rationis, & interioris Doctrinæ Patriarchalis ac Moſaicæ, nixa. quicquid enim in ipſa Moſaica *literale* erat, πλήρωμα *complementum* [a] ſuum in *ſpirituali* Doctrina Meſſiæ, (quæ baſis erat *Doctrinæ Literalis*) conſequeretur. Eadem dicitur שמועה *prædicatio, nuncius*, alta & clara voce elatus, quod Doctrina hæc à Chriſto Jeſu & Apoſtolis deberet κηρύσσεσθαι *promulgari*, & quidem in publicis locis, ſecundum illud Hiſtorici [b]: Ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς κηρύσσειν. unde *Doctrina* ejus τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ [c], & Apoſtoli ejus paſſim κήρυκες. Quæris *argumentum* hujus Doctrinæ? Propheta ipſe mox explicat ỳſ. 12. eſſe doctrinam quæ conſcientiæ hominis *laſſi & fatigati* præſtat *quietem tranquillitatemque*, qualis eſt doctrina *Gratiæ*, ſive τῆς Ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν. quæ ipſiſſima eſt doctrina Chriſti Jeſu, ut à Prophcta exponitur Cap. XL. 1. XLII. 3. 4. LXI. 1. coll. cum Matth. XI. 5. 28. oppoſita maxime & contradiſtincta *Doctrinæ Phariſaicæ*, quæ non merebatur dici דעה *Scientia*, ex præceptulis non cohærentibus compoſitæ, nulla ſolida conſolatione conſcientiam hominis gravati lenire aptæ. *Hanc doctrinam gratiæ, pacis, juſtitiæ ex gratia obtinendæ*, quem *doceret* Meſſias, in carne appariturus, magnus *Doctor*? cui *traderet* haſce ſuas *inſtitutiones*? Hoc eſt, quem *Doctorum*, aut *Literatorum hominum*, qui auctoritatem obtinerent in Scholis & Synedriis illius temporis, aptum reperiat ad inſtitutiones ſuas percipiendas recipiendaſque? quem eorum doctrinæ ſuæ dijudicandæ capacem? Eſſent enim omnes *ebrii*, ſuis occupati præjudiciis, quæ alte imbiberant & ſupra modum deperibant: aut eſſent *pueri*, qui ingenium non haberent ſatis exercitatum & ſubactum ad doctrinam ſolidiorem, qualis eſt doctrina ſpiritualis Meſſiæ, capiendam. In hunc ſenſum Propheta: *Quem doceret ſcientiam ... ablactatos à lacte*, AVULSOS AB UBERIBUS? Sic recte cum Hebræis verto illud עתיקי משרי, ut cum Int. Alexandrino: Οἱ ἀπεσπασμένοι ἀπὸ μαζῶν. Ipſa oratio Prophetæ hanc ſolam verſionem exigit, quæ aliàs etiam recte conſiſtit cum ſignificatione etymi עתק. eſt autem עתיקי, ut & גמולי in *ſtatu conſtructo*, non obſtante litera ה ſequenti voci præfixa: ſuntque exempla ejus ſtructuræ plura. Sententia Prophetæ ipſa in triplicem ſenſum reſolvi poteſt, quem hic diſtincte exponam. eſt enim operæ pretium. Primus hic eſt: *An* INFANTES *Deus docebit? nam* ADULTI *inſtitutionem*, ſive, *præcepta irrident*. Sic fere Grotius. Sententia, ſi eam in ſe ſpectes, non eſt contemnenda: ſed non cohæret cum *verſu ſequente*, quippe ex quo clariſſime liquet, Deum ipſos illos homines quos ſub nomine *ebriorum* ut inſtitutionis ſuæ incapaces traduxerat, hic, mutata metaphora, deſcribere ut *pueros*; ut hic ſit ſenſus: *Quos* itaque *Meſſias* in carne manifeſtus factus docebit *doctrinam* ſuam quæ doctrina eſt gratiæ & ſapientiæ; an *pueros*, num *infantes*, modo *ablactatos ab uberibus*? Sic enim affecti eſſent illius ſæculi Doctores vere *pueri*, qui ſenſus nondum haberent *exercitos ad diſcrimen boni & mali*. Eſſe autem illos *pueros*, quod puerilibus *elementis* adhuc caperentur, adſtruit Propheta mox ỳſ. 10. Et hic quidem ſenſus eſt ſecundus quem verba ferunt. Eſt etiam tertius, paulo ſublimior, qui in hanc exit ſententiam: *Quem* hominum ſive Doctorum illius temporis Meſſias doceret *ſcientiam*? *an ablactatos à* LACTE, *depulſos ab* UBERIBUS h. e. an illos homines doceret *ſcientiam*, qui *purum lac* inſtitutionis Patriarchalis (quod *lac* eſt doctrina & verbum *gratiæ*,) faſtidiunt, & ejus loco amplectuntur *ſterilem* doctrinam *Traditionalem* ex pluribus non cohærentibus & inconſequentibus traditionibus compoſitam? qui ſe paſſi ſunt *avelli* à pura traditione *Scripturæ Sacræ*, (quæ ſuſtinet emblema *Uberum*, puram doctrinam gratiæ & veræ conſolationis complectentium) ad lutulentos canales *traditionum* incertarum, vagarum, ſterilium? Interpretatio, ſi eam per ſe contempleris, ſpecioſa eſt. Supponit enim, neminem aptum eſſe ad doctrinam Meſſiæ dijudicandam recipiendamque, niſi qui *inſtar infantis* adhærens *uberibus* puri Verbi gratiæ τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιποθεῖ, *expetit lac* illud *ſincerum* doctrinæ ſalutaris & παρακλητικῆς eo comprehenſæ. Sic enim Dominus ipſe, veluti ad hunc locum noſtrum reſpiceret [d]: *Gloriam tibi tribuo, Pater, Domine cœli & terræ, quod hæc occultaveris ſapientibus atque intelligentibus, ac revelaveris νηπίοις* INFANTIBUS. unde illud Vatis ſacri [e]: *Ex ore* INFANTIUM *&* SUGENTIUM *fundaſti robur*, ſive *laudem*. Intelliguntur utique Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti [f]: & conferri huc debet emblema *puerorum*, Diſcipulis à Chriſto in exemplum propoſitum [g]. Sic diceret Propheta, Meſſiam paucos deprehenſurum eſſe ſuæ inſtitutionis capaces: quod cum ipſe requireret *infantes*, ſimplices, innocuos, præjudiciis vacuos, non *inflatos vanitate*; & *lactentes*, hoc eſt, adhærentes *uberibus* Verbi Gratiæ Patriarchis revelati & à Prophetis expoſiti: plerique Judæi eorumque Doctores à ſimplicitate illa infantili, & ab amore puri Verbi Gratiæ, longe eſſent remoti. Certe, ut jam prænonui, ſenſus eſt inſignis, ſi eum in ſe ſpectes: ſed minus conveniens huic loco. Primo, ſi Propheta id voluiſſet, non ſcripſiſſet: *Quem* DOCEBIT *ſcientiam?* & שמועה *inſtitutionem* ORALEM? utique enim *infantes* ſive, *lactentes, ſugentes*, non ſunt *capaces inſtitutionis oralis*. Oportet autem inter partes orationis eſſe ἀναλογίαν. Secundo, quod mox ſequitur, ỳſ. 10. *Præceptum ad præceptum, &c.* arguit manifeſte, Meſſiam hic conqueri de *Judæis* ut de *pueris*, ac propterea doctrinæ ipſius incapacibus. Quod ſi Meſſias *pueros* ſpernat: an mallet *infantes, lactentes?* Non videtur. minus enim eſt hoc ſenſu eſſe *infantem*, quam *pucrum*. Ergo cum *infantis, lactentis, ablactati, pueri, viri*, notiones metaphoricæ varie uſurpentur cum reſpectu ad varia attributa horum ſubjectorum, modo in bonam, modo in pejorem partem: ex circumſtantiis orationis rite inſpectis in omni caſu definienda eſt earum interpretatio. Quod emblema *infantis* in locis adductis in meliorem partem ſumitur: alibi uſurpatur in deteriorem, ubi infans cum *puero* & *viro*, & *lac* cum *ſolido cibo*, comparatur [h]. pariter, ut *ablactatum eſſe ab uberibus* in bonam partem ſumitur pro eo qui *deſideriis cupiditatibuſque* ſuis naturalibus *renunciavit*, in elegante Ode [i]. Hic vero cum manifeſta ſit comparatio *infantis, pueri & adulti:* patet, Prophetam ſtatum *puerilem* (in *infantilem* enim inſtitutio oralis non cadit:) contradiſtinguere ſtatui *viri adulti*, cui ſtatui conveniebat inſtitutio Chriſti Jeſu; & id unum dicere velle, Deum Jehovam per Filium ſuum loquentem ſua ſpirituali, Divina, maſcula, inſtitutione nihil proficere poſſe apud pueros, *puerili* hactenus *doctrinæ* aſſuetos: cum ejus inſtitutio requirat ingenia ſolida, maſcula, διακρίσεως capacia. hic ſenſus.

Eſſe autem *doctrinam* Phariſaicam *puerilem*, & ad ingenia *puerorum* accommodatam, docet Propheta ỳſ. 10. elegante dictione, cujus ſenſum quis miretur pleroſque non eſſe aſſequutos qui in clarioribus ac liquidioribus multis cæſpitant. Verba Prophetæ Hebraice ſic concepta ſunt: כי צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם quæ nos vertimus: *Quia præceptum ad præceptum; præceptum ad præceptum: canon ad canonem; canon ad canonem: parum hic, parum illic.* Probarunt in genere Calvinus & Coccejus, licet hic in ſignificatione vocis קו diſſentiat. de quo mox monebo. Cætera interpretationum Veterum, ſive verba ſive rem ſpectes, tantum hic eſt divortium, ut vix ullibi majus *A*. Sed cum nulla me hic

De ea judicium.

Loca analoga cum hoc ſenſu collata.

Planior hujus ſenſus expoſitio.

Cui tamen aliqua obſtant, quæ recenſentur.

Notiones metaphoricæ, *infantis, lactentis, pueri*, pro varia circumſtantia orationis diverſe accipiuntur.

Emblema *infantis* & *pueri* ſubinde in deteriorem partem ſumitur.

Quod hic obtinet.

Doctrina Phariſaica eſt *puerilis*, ſive *puerorum* ſtatui *conveniens*.

Quod Propheta declarat, ỳſ. 10. *Quia præceptum ad præceptum .... canon ad canonem, &c.*

Vereres quomodo

Argumentum *Doctrinæ*, quale à Propheta deſcribitur, eſt *Doctrinæ Evangelicæ*.

Contradiſtinctum argumento *Doctrinæ Phariſaicæ*.

Meſſias paucos reperiret aptos ad hanc ſuam Doctrinam recipiendam.

Verba Prophetæ: *Quem doceret ſcientiam? ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus?*

Verſio poſterioris membri conſtituta.

Significatio vocis עתיקי.

Varia interpretatio verborum Prophetæ.

Grotii & aliorum, & in eam *animadverſio*.

Senſus alter, probe conveniens orationi Prophetæ.

Senſus tertius ſublimior, qui exponitur.

a Matth. v. 17. b Matth. IV. 17. c Rom. XVI. 25. d Matth. XI. 25. e Pſ. VIII. 3. f Matth. XXI. 16. g Matth. XVIII. 3. h 1 Cor. III. 1. 2. 3. Heb. VI. 1. ſeqq. i Pſ. CXXXI. 2.

A Nullum operæ pretium facerem, ſi diſſonas interpretationes, quas ignoratio *Subjecti Prophetici* præcipue cauſſata eſt, hic recenſerem. Et tamen cum hic ipſe locus Veteres maxime exercuerit, non licet hic penitus ſilere. Græcus Int. ſic accepit: Θλῖψιν ἐπὶ θλῖψιν προσδέχου, ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι, ἔτι μικρόν, ἔτι μικρόν. *Tribulationem ſuper tribulationem exſpecta; ſpem ſuper ſpem: adhuc parum, adhuc parum.* ad quam verſionem id primo obſervo, haud dubie Interpretem, pro צו לצו legiſſe צו לצו, exigua mutatione. Ut

hunc locum tractarint?

loci dubitatio teneat, necessaria tantum ad verum sensum adstruendum adferam. Primo tenendum est, vocem צו hic accipiendam esse ut *nomen* & vertendam per *præceptum*. quo sensu & forma, præter hunc locum occurrit Hos. v. 11. Duo latent in hac voce, si ad genus institutionis Pharisaicum referatur. primo cum Propheta scripserit צו, quod *formam* habet *diminutivi*, (non מצוה, ut de eadem re Cap. XXIX. 13.) innuitur eo, *præcepta* Pharisæorum *traditionalia* vere esse non *præcepta*, sed *præceptula*, quæ versentur circa res leves, pusillas, exigui momenti, nec מצוות *præcepta*, plena voce, appellari mereantur. Sic Kimchius: צו מצוה קטנה *Tsav hic notat* PRÆCEPTUM PARVUM. *Ait Propheta, illos esse* PUERORUM SIMILES, *solere enim pueris institutionem per parvula præcepta tradi, quod non nisi minutarum rerum capaces sint.* Deinde cum vocula צו proxime accedat ad *imperativum Pihel*, צוה, צו, significatur eo, solere hæc *præcepta* sive *præceptula* à Doctoribus *sedentibus in cathedra Mosis* magna & imperiosa auctoritate aliis imponi. de quo Dominus [a]: *In* CATHEDRA MOSIS *sedent Scribæ & Pharisæi: omnia igitur quæ dixerint vobis*, (sc. cum imperio & auctoritate, tanquam *occupantes Cathedram Mosis:*) *ut* OBSERVETIS, *observate & facite.* Secundo supponi velim hoc in loco, per vocem קו idem fere intelligi quod per צו, & Prophetam in his voculis inter se jungendis adhibuisse figuram paronomasiæ. קו hoc in loco notat *canonem*, quæ genuina vocis notatio est. est *linea* secundum quam architectus tanquam *ad mensuram* opus suum disponit, ut mox sumitur, ℣. 17. *Et ponam judicium* לקו *ad* LINEAM. *canonem.* h. e. rationes Judicii exactissime observabo. unde translata significatione, notat *institutionem* sive *præceptum* quod *puero* à Præceptore in *institutione orali* traditur. Coccejus (& ante eum Aben-Ezra,) vocem קו hic accipiunt pro *litera*, sive *ductu scripturæ*, quem Magister stylum pueri ducturus ei præit. unde verba vertit: *Litera ad literam.* perinde ac Ps. XIX. 4. ubi Vates Sacer de institutione cœlorum: בכל הארץ יצא קום *Per totam terram exiit* INSTITUTIO *illorum.* Doctrina illorum canonica. Cl. Coccejus: *Literatura illorum.* Sed evici alibi [b], illam Pericopam data opera illustrans, in toto illo loco æque ac in hoc nostro agi de *institutione orali.* quod verum est. atque adeo Græcum Int. sensum genuinum vocis respicientem in illo loco recte vertisse ὁ φθόγγος αὐτῶν, *sonus illorum*; & ostendi, Cl. Virum, Eduwardum Pocockium, qui de notatione vocis קו doctissime scripsit, hanc versionem pressius adhuc defendentem [c]: etsi propterea dicere nolim cum Viro alio Erudito, vocem קו admittere significationem *vocis.* Sufficit id nobis, hoc in loco, קו transfate sumptam esse *canonem* agendorum, faciendorum, qui alicui institutione magistri præscribitur & mandatur; atque inde ipsam quoque *doctrinam* sive *institutionem oralem*, ejusmodi canones complectentem. Quodnam vero aptius nomen applices ad institutionem Pharisaicam? *Tota* enim illorum *scientia*, integrum systema doctrinæ ipsorum, consistit *canonibus* de *licitis* & *vetitis*, qui Discipulis accurate præformabantur & inculcabantur. *Ligabant illi onera gravia ac difficilia portatu, & imponebant ea humeris hominum* [d]. Ubique audiebatur illud [e]: *Ne estes. ne gustes. ne contingas.* erant ἐντάλματα ἀνθρώπων. Tertio, quod Propheta dicit: צו לצו *præceptum* AD *præceptum, canon ad canonem*, (hoc est, *præceptum præcepto additum, junctum.* ut Aben-Ezra: מצוה אחר מצוה או מצוה דבקה למצוה *Præceptum post præceptum, aut, Præceptum præcepto adhæret:*) & quod utrumque absque mora interposita repetat: nemo dubitet, eo innui *præceptorum* illorum *ritualium* copiam. Essent minutula præcepta *plura*, canones fere absque numero, qui à Doctoribus hisce acutis, ut videbatur, & accuratis inculcabantur. Ita est. *Ritualia præcepta* Legis Mosaicæ, licet ipsa quoque satis multa, adhuc consistunt intra numerum. possunt edisci & mente comprehendi. Sed Pharisæorum disciplina sæpe ex uno centena & longe plura fecit. Cum enim nullum fere esset *Præceptum* aut *Interdictum rituale* quin ad illud formari possent quæsita plurima, quæ *Casus conscientiæ* vocant: ubique requirebantur *decisiones* illarum controversiarum, quas Doctores illi producebant ex *traditionibus* Veterum; ut adeo ex uno *præcepto* centum & plura cuderentur. de quo *Misna* tota cum *Gemaricorum* disputationibus & definitionibus conjuncta testatur. est enim *Jus* illud *Judaicum Canonicum* stupendæ molis ac plurimarum tricarum. quod hic verbo indicasse sufficiat. Quarto denique, quod additur: PARUM *hic*, PARUM *illic*: quam dictum est pulchre & concinne? Significatur eo, *Corpus* hoc disciplinæ Pharisaicæ esse ἀσύνδετον, sive, quod rectius & proprie magis dixerim, ἀσύγκλωστον, *partibus suis male cohærens*; quod constaret *traditionibus* dissolutis, independentibus, quarum una ex altera non posset deduci ac demonstrari. non esse igitur Corpus Sapientiæ uniforme, analogum, rationale, ex principiis suis demonstrabile, quale corpus Doctrinæ requirunt ingenia mascula & judicia solida Sapientiæ Divinæ cupidorum hominum. Sic Origenes alibi de institutione Judaica sui temporis Christianæ opposita, loco in rem nostram insigni adversus Celsum [f]: Διὸ καὶ ἔξιν ἀληθῶς ἰδεῖν, πάντα μὲν τῶν Ἰουδαίων τῶν νῦν μύθος καὶ λήρος· ἃ γὰρ ἔχουσι τὸ φῶς τῆς γνώσεως τῶν γραφῶν· τὰ δὲ Χριστιανῶν ἀλήθειαν, ἐπάραι καὶ μετεωρίσαι ἀνθρώπου ψυχὴν καὶ νῦν δυνάμενα· *quamobrem videre licet, nunc* OMNIA QUÆ APUD JUDÆOS SUNT, DELIRAMENTA *esse &* FABULAS. *non habent enim lumen intelligentiæ Scripturarum. contra vero Christianorum doctrinam habere veritatem, quæ animum hominis erigere & in sublime attollere queat*, & quæ plura hujus generis addit. Id ipsum est quod hic dicit Vates, Doctores illius temporis, arrogantia & fiducia meritorum atque eruditionis suæ turgidos atque vere *ebrios*, ineptos esse ad *doctrinam* Regni cœlorum, cœlestem, spiritualem, masculam, qualis à Messia proponeretur, recte capiendam ac dijudicandam. esse enim illos vere *pueros*; ad puerilis ingenii doctrinam, (qualis erat τῶν παιδίων, versantium circa τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου,) accommodata habere ingenia: sublimiorum dogmatum, quæ ad veram naturam Regni Messiæ pertinent, esse incapaces; proinde eos tanquam *pueros*, nuper admodum *ablactatos à lacte & depulsos ab uberibus*, Messiam *mysteria* suæ Scholæ docere non potuisse. quod ipsus profitetur [g]. En veram indolem Pharisaismi maxime oppositi doctri-

Animadvertenda ad sensum verborum.

Vocula צו hic notat proprie *præceptulum.*

Arguit etiam, illa *præcepta* solita esse *imperiose* inculcari.

Vox קו hic idem notat quod צו, & recte vertitur per *canonem.*

Tum quoque per *institutionem, præceptum.*

Sunt qui vocem hic & in Ps. XIX. 4. vertunt per *literam*: sed à quibus discedit.

Animadversio ad locum posteriorem.

Significatio voculæ קו pressius definita.

Eleganter applicatur ad institutiones Pharisaicas. quod declaratur.

Quid sibi velit formaloquendi, *Præceptum* AD *præceptum, &c.* Aben-Ezra observatum.

Alluditur ad numerum ingentem illorum *Præceptorum traditionalium.*

Præcepta Pharisaica quo pacto multiplicata sint?

Misnæ & Gemaræ Talmudicæ aspectus.

Verba Prophetæ: *Parum hic, parum illic.*

Applicatur ad *Corpus* disciplinæ Pharisaicæ dissolutum, non cohærens & uniforme.

Locus insignis Origenis.

Sententia integra Prophetæ relegitur & elucidatur.

Vera indoles Pharisæorum.

næ

enim non notat *angustiam*, sed צר: & tamen Epiphanius, qui voluit videri Hebrææ Linguæ non esse imperitus, postquam (*Hær.* XV.) dixisset, se ipsa Hebraica hic fideliter exhibiturum esse, quæ hoc modo describit: Σαῦ λασαῦ, σαῦ λασαῦ, καῦ λακαῦ, (sic enim legendum esse, emendata lectione vitiata, jam monuerunt Docti, & novissime Cl. Wetstenius *Not.* ad *Exhort. Orig.* de Martyrio, p. 101.) ζιηρσὰμ, ζιηρσὰμ: ipse tamen Epiphanius, inquam, illud, Θλίψιν τριὰ θλίψιν hic retinet. Deinde patet Græca cum Hebræis conferenti, duplicationem verborum Prophetæ hic esse neglectam, & vocem σφοδρῶς ad sensum imperfectum supplendum ex altero קו hic esse insertam. Et tamen Veteres ex his corruptis, & vere nullis, effinxerunt sensum aliquem, quem suis locis commendarunt. Cum enim priora ita acciperent, Deum nullos Discipulos velle nisi *ablactatos à lacte*; ea sic inter se copularunt, ac si sic sonaret Prophetæ oratio: O *vos ablactati à lacte, avulsi ab uberibus, exspectate tribulationem super tribulationem*: quia sc. Deus Christianos non *infantes* amplius, sed *scientia provectos* vocat ad *certamina* & *afflictiones*. Sic Origenes locum accepit mox in initio *Exhortationis* ad *Martyrium*, Ed.t. Wetsten. p. 162. Et fuit hic sensus ipsi quoque Hieronymo probatus, antequam hunc Librum Prophetæ vertendum & explanandum suscepisset. Sic enim ipse exerte scribit in Epitaphio Paulæ, matris Eustochii; (Edit. Erasm. fol. LXIII. col. 3.) *In tribulationibus & angustiis Jesaiæ replicabat eloquia* (Paula.) *Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate, spem super spem, &c.* Sed cum deinceps Hieronymus ipse hunc locum relegeret, & vertendum atque interpretandum susciperet, quam parum hic profecit? Reddit ille: *Et erit iis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda: exspecta, re-exspecta, &c.* acsi verba hæc essent profanorum Judæorum, qui sermone hoc illusorio Prophetis sua verba redderent, eaque per sannam repeterent. quæ longissime petita sunt & à scopo Prophetæ plane deflectunt. Reliqua quæ huc adduci possent, veluti de symbolo ex his vocibus formato à Nicolaitis, secundum Epiphanii & Theodoreti traditionem, nihil ad me pertinent: præterquam quod pleraque Epiphanii suspecta habeam.

a Matth. XXIII. 2. *b* *Observ. S.* Lib. III. Cap. XXIV. *c* *Port. Mos.* Cap. IV. p. 48. *d* Matth. XXIII. 4. *e* Col. II, 21. *f* Lib. II. p. m. 60. *g* Matth. XI, 25.

næ Scholæ Christi Jesu! Christus Dominus hoc vitium iis ubique exprobrat, & maxime Matth. xv. 8. 9. adducto loco analogo Prophetæ nostri ex *Concione* sequente Cap. XXIX. 13. quem mox, si Deus volet, inspecturi sumus. Erant illi *utres veteres, non capaces vini novi* a. Certe patet ex hoc loco, doctrinam *mere literariam & verbalem*, sive etiam *pure theoreticam*, non magni fieri in *Regno Dei* quod non constat *verbis* sed *virtute*. *Viva fides*, solida scientia subnixa, sola vere disponit animum ad captum rerum spiritualium & cœlestium. quod Mystici, Docti Viri, ex hoc loco *A* recte collegerunt. Qui non illuminatus ab ipso Dei Spiritu veritates Fidei nostræ & interiora Religionis tantum percipit ex Libris aut institutionibus publicis, non ex *gustu & sensu* illarum veritatum, dici potest eleganter, quid negem? (secundum sublimiorem aspectum hujus sententiæ,) tenere *præceptum* ad *præceptum*, *canonem* ad *canonem*, *parum hic*, *parum illic*. Novit scilicet, quid hic illic à Præceptoribus suis audiverit; quid in hoc illo disciplinæ nostræ Systematio legerit; quid in scriniis observatorum ad hunc illum locum adscriptum repositumque habeat: novit igitur *præceptum ad præceptum*, *canonem ad canonem*, *parum hic*, *parum illic*: dum interea destituitur sensu & cognitione experimentali earundem veritatum; quæ una plus confert ad verum earum captum quam intensissimi labores & studia, quæ literaria exercitatione, Spiritu vacua, circumscribuntur.

Sed præcipue exposita à Domino.

Quod uberius declaratur.

POENA Culpæ consequens.

a. Spirituales.

℣. 11. *Quia* LABIIS BALBIS *& lingua exotica loquetur ad populum hunc.* ℣. 12. *Quibus (cui) dixit:* HÆC EST REQUIES, *date quietem lasso;* & HOC EST REFRIGERIUM. *sed noluerunt audire.* ℣. 13. *Et* ERIT IIS *verbum Jehovæ præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum; canon ad canonem, canon ad canonem; parum hic, parum illic: ut eant,* & LAPSENT RETRO, *& confringantur, & illaqueentur, & capiantur*] O præclaram sed tremendam sententiam quæ nos ducit in interiora Judiciorum Divinorum! Ubi Doctores Ecclesiæ parvi pendunt salutarem doctrinam Verbi Dei, contra vero ex petulantia & luxurie ingenii doctrinæ sapientiæque suæ summam constituunt in pusillis & exigui momenti rebus, ex quibus inter similis ingenii homines famam & gloriolam aucupantur: intervenit suo judicio Deus, & permittit, ut à sana & salutari doctrina fidei, quæ sola solatium præstat conscientiis, magis magisque alienentur, & ingenii sui tradantur vanitati, ad animarum suarum exitium. quod exemplum inter Pharisaicæ disciplinæ sectatores edendum hic proponit Propheta; sed quod pro rationibus Divinæ Justitiæ in ipso Christianismo sæpius repetitum est. Deus *dixerat huic Populo*, sc. Hierosolymitano, (ut patet ex ℣. 14.) *hæc est* REQUIES, *date quietem* LASSO; & HOC EST REFRIGERIUM, tranquillitas. Sic recte vertitur mox מרגעה, à רגע, quæ notio in formis *Niphal* & *Hiphil quiescendi* & *tranquillandi* significationem adoptat: quam cæteroquin ipse contextus hic facile adstruit. *Verbum hoc* est *gratiæ & Remissionis peccatorum gratuitæ*, quod est *Verbum* Christi Jesu & Apostolorum ejus, qui demonstrarunt, nullam parari posse tranquillitatem, quietem, lætitiam, consolationem homini misero, peccatorum suorum conscientia & Jugi Mosaici onere gravato, nisi in MESSIA & JUSTITIA, per ipsum adducenda, cum abnegatione omnium *operum carnalium* meritorumque nostrorum & *prærogativarum externarum*, in quibus Pharisæi fundabant spem salutis. Equidem Prophetæ omnes doctrinam *Fidei & Resipiscentiæ*, ut unicum medium veræ consolationis conscientiæ semper proposuerant. Sancti quoque omnium temporum hanc doctrinam amplexi fuerant & commendaverant, ut unicam basin solatii, quemadmodum ex confessionibus ipsorum in *Odis Davidicis*, vere Evangelicis, liquet. Joannes, præcursor Domini, *reducturus corda filiorum ad Patres*, hanc unam doctrinam ut *fundamentalem* Regni Dei propediem revelandi inculcaverat; & ita verum est quod Petrus fidenter extulit *b*: *Huic* (Christo) *omnes Prophetæ perhibent testimonium, Remissionem peccatorum recipere per nomen ejus omnes in eum credentes.* Verum ubi Dominus Jesus ipse præsens inter Judæos est versatus, *apertus* est hic *fons consolationis*; & cum Prophetæ omnes ipsum demonstrassent ut verum *Noam* & *Josuam* qui solidam quietem procuraret Populo suo: ipse, verus Filius Dei, causa salutis, summus Doctor, detectis convictisque erroribus Pharisæorum ut saluti animarum noxiis, SE ipse demonstravit cum omni copia sapientiæ Cœlestis, Justitiæ, & Gratiæ salutaris ut verum *Tranquillatorem conscientiarum Schiluntem*, dixitque & professus est alta voce, quæ est vox Evangelii: *Hæc est* QUIES, hoc est, *vera* quies quam ego demonstro. hoc *verbum* unicum est *salutis & consolationis*. *Date* sc. vos falsi Doctores, qui miseram plebem deluditis & pascitis doctrinis sterilibus humanarum traditionum rituumque & cærimoniarum quæ corticem solummodo Religionis faciunt; animam vero non nutriunt & nulla vera afficiunt consolatione; *date*, inquam, *quietem lasso*, fatigato; peccatoribus laborantibus, conscientiis gravatis. quæ ipsa illa *quies* est; ipsum illud *refrigerium*; læta & jucunda *tranquillitas* conscientiæ quam ego doceo & Populo meo procuratum veni. Sic os illud benedictum hac de re *c*: *Venite ad* ME *omnes* κοπιῶντες LABORANTES *&* GRAVATI, *& ego vobis* PROCURABO QUIETEM. ἀναπαύσω ὑμᾶς. Eadem phrasis quæ in hoc loco. Alio loco *d*: *Si quis sitiat, veniat ad* ME, *& bibat.* secundum promissum *e*: IRRIGABO *animam* עיפה LASSAM, *& omnem animam tabidam* IMPLEBO. Dictum ejusdem Domini *f*: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi* SATURABUNTUR.

Christus Jesus *tranquillator conscientiarum* dedit *quietem lasso*.

Loca analoga.

Sed quis effectus propositæ, inculcatæ, *veræ quietis, libertatis, pacis, consolationis, & caussæ ejus*, à Filio Dei & Apostolis ejus? Tristis certe, magni mali præludium. Propheta paucis: ולא אבו שמוע *Sed noluerunt audire.* Pertinaces præjudicatarum opinionum suarum, & ambitione turgidi, non sunt passi se ab erroribus suis avelli & ad mentis sanitatem sobrietatemque duci, ut experientia docuit de Pharisæis, & hujus Scholæ Discipulis, qui Evangelium Filii Dei ex odio & invidia spreverunt, & *consilium Dei adversus se ipsos reprobarunt*. In voce אבה ea vis est significationis, ut notet assensum liberum, non coactum, cum propensione voluntatis, & mentis acquiescentia conjunctum, qualem animi actum vera fides & ὁμολογία Evangelii postulat *g*. cui oppositus est actus animi, quo ex intestina voluntatis alienatione, odio, invidia, malitia, rem aut doctrinam aversatur. quæ caussæ obtinuerunt apud Pharisæos, ut Dominus passim demonstrat, & iis acerbe exprobrat. Confer Cap. XLII. 19. XLIII. 1. Quod delictum ut gravissimum erat, sic pro rationibus Justitiæ Dei non poterat effugere severitatem Judicii ejus. Est autem solenne in rationibus Justitiæ Divinæ, ut *peccata* hominum vertantur in *pœnam*, & Deus Judex ex delictis hominum materiam vel argumentum punitionis petat; sive ut homines hoc ipso plectantur, quo delinquunt. quod hic locum habiturum esse, Propheta metaphorice effert, ℣. 11. *Deum labio ridiculo & lingua exotica loquuturum esse ad Populum hunc*: idque proprie interpretatur, ℣. 13. Priora verba non id volunt dicere, Deum in Judæam immissurum esse *hostes*, qui *barbare* loquerentur, quorumque *linguam* Judæi non *intelligerent*. ut multi sententiam Prophetæ acceperunt. Si enim *mystica* horum verborum *interpretatio* hic non exclu-

Effectus respectu Pharisæorum: *Sed noluerunt audire.*

Illustratur ex historia *Evangelii*.

Emphasis vocis שמוע *Assensus* Fidei Evangelicæ est *liber*.

Delictum non *audiendi Evangelio* gravissimum.

Deus vertit *peccata* in *pœnam*.

Deus postea *loqueretur* ad Judæam Gentem *Lingua exotica & ridicula*, ℣. 11.

Verba non sunt expo-

---

a Matth. IX. 17. *b* Act. X. 43. *c* Matth. XI. 28. *d* Joh. VII. 37. *e* Jer. XXXI. 25. *f* Matth. V. 6. *g* Confer Cap. I. 19.

A Sunt Epistolæ piorum & exercitorum hominum, subjunctæ Opusculis Molinosii, inter mysticos nostri temporis celeberrimi, in quarum una sic legitur, p. m. 272. *Atqui priores* (Contemplantes) *quis neget perfectiores esse alteris* (qui Deum per ratiocinationem cognoscunt)? *Nisi quis dicere velit, statum illorum Israelitarum semipaganorum, quibus Propheta Jesaias exprobrat, necesse illos habere ut propter ignorantiam Legem Divinam discant lineam post lineam, præceptum post præceptum, meliorem esse* STATU VIVÆ FIDEI *eorum qui* VIDENT *&* GUSTANT, *Jehovam esse bonum.*

Intenda de *hostibus barbaris* in Judæam immittendis.

cludat respectum *Linguarum* aut *Dialectorum* diversarum quibus Deus cum *Populo suo* loqueretur; observari volo: primo, nullam hic esse mentionem *hostium* qui *barbare & incondite* loquerentur: sed *Dei ipsius* per Doctores publicos aliis *Linguis & Dialectis* ad Populum suum *loquuturi*. quod mysterium mox evolvam. Secundo, ex primo sensu Prophetæ non videri hoc in loco de *Linguis* aut *Dialectis* agi. Qui orationem Prophetæ inspexerit, viderit simul, ex primo sensu Prophetæ hic *doctrinam* opponi *doctrinæ*, institutionem institutioni. Deus huc usque per Prophetas, Joannem, & ipsum Christum, Filium suum, *loquutus* fuerat ad *Judæos* LINGUA CANAANÆA: (Cap. XIX. 18.) hoc est, proposuerat iis identidem & inculcaverat puram illam & liquidam doctrinam de Resipiscentia interiore, Justitia fidei, gratia per Messiam repræsentanda, ejusque Messiæ Regno spirituali, diffundendo per Orbem, in cujus partem & communionem vocarentur Gentes: quod unum Verbum in Mundo aptum est tranquillare conscientias, quodque idem Verbum Tsephanias appellat שפת ברורה LABIUM PURUM [a]: sed Populus Judæus identidem fastidiverat hanc claram & liquidam *doctrinam salutis*; non discreverat hujus doctrinæ *præstantiam* [b], rationalitatem, puritatem. Ante Exilium Babylonicum potiores duxerant doctrinas Religionis exterarum Gentium; sed post Reditum ex Exilio licet ab hoc pudendo morbo idolomaniæ liberati essent, & ab egregiis Doctoribus excitati, & per afflictiones Syriacas purgati: docuit tamen eventus, procedente tempore, in potiore parte Populi eum prævaluisse affectum, ut in negotio Religionis, externa, carnalia, sensilia, internis & spiritualibus prætulerit. cui affectui cum faveret *doctrina Pharisaica*, quippe accommodata ad præjudicia φιλαυτίας hominis ψυχικῦ, longe diversa à vera doctrina Patrum: hoc nomine acceptissima fuit majori parti Gentis Judææ, quæ proinde castam illam & puram Doctrinam Gratiæ, à Filio Dei & Ministris ejus propositam, tanta vi demonstratam, tot miraculis confirmatam, repudiavit. Hoc crimen ait Propheta Deum, suo judicio, conversurum esse in pœnam. Cum enim doctrinam traditionalem sterilem, non cohærentem, fabulis & næniis refertam, quæ nihil continebat solidi solatii, antepositurum puro Verbo Gratiæ: permissurum esse Deum, pro rationibus justitiæ suæ, ut miser Populus dehinc tradatur potestati Doctorum sensus & judicii corrupti, qui unice *inhærentes* studio literæ Legis, *ridiculam* Religionis *doctrinam*, sive ex fabulis & geniis, sive ex traditionibus Legalibus longe quæsitis & inutilibus consarcinatam: ut proinde in tota Religionis doctrina nullum *pabulum* inveniat, nullum panem, qui aptus sit conscientiam solido nutrire solatio. Hic verus est aspectus Doctrinæ Religionis qualis exculta inter Judæos est per mille & quod excurrit, annos post ortam lucem Evangelii. Pars *Philosophiam Platonicam* commiscentes cum *doctrina Scripturæ S. de Deo* ejusque proprietatibus & Regno Messiæ, miscellam adornarunt Theologiam, ex Nominum aut Attributorum Divinorum combinationibus & disjunctionibus, concinnatis ad eorum attributorum inter se proportionem aut disconvenientiam ostendendam: quas incluserunt *circulis* majoribus aut minoribus, aut digesserunt per modum scalarum; aut accommodarunt ad speciem figuræ humanæ; inventis operosissimis, quibus cognoscendis vix ætas mortalis sufficiat, & *subtilitate* ingenii plane *ridicula*. ut vere nemo sane mentis homo inspiciens tabulas *Kabbalisticæ Theologiæ* Doctorum Judæorum, non doleat, & simul stupeat, fieri posse, ut ingenium hominis à recto tramite deflectens se tot involvat *ineptiis & tricis* inexplicabilibus, futilibus, in merum inane exituris. Pars altera se applicans ad interpretationem Scripturæ S. passim (exceptis fragmentis traditionibus Scholæ antiquæ:) acumen ingenii defixerunt in *verba* à contextu orationis avulsa, eorumque verborum *structuras & compositiones*; item *numeros* qui ex literis exsurgunt, cum *numeris* aliarum vocum comparatos; & ex hisce singulis vel universis eliciunt *mysteria allegorica* nullius momenti, consequutionibus ineptissimis & ridiculis, eaque *fabulis* sæpe absurdissimis illustrant, ut patet ex *Rabbôth* & *Midraschim*, *Talmude*, & *Paraphrasibus Chaldæis* sequioris ævi. Pars denique se admovet ad *traditiones Legales*, quarum systema *altero* Christianismi *Sæculo* compositum, titulo *Misnæ*, disputationibus Doctorum prolixe ventilatum, discussum, illustratum sequentibus sæculis, nomine *Gemaræ*, deinceps, (Scriptura Sacra fere relicta sterilibus & fabulosis Concionatoribus,) post id tempus evasit argumentum & materia exercitationis eorum qui se in hac Gente ad Litteras applicant. Est autem si universum *Corpus* spectes, quod ad institutum Religionis attinet, farrago ineptiarum, in qua nihil ineat solidæ Sapientiæ & magnam partem proposita Dialecto Syro-Chaldaica, stylo disputationum Scholastico aut forensi, cujus *Dialecti*, cujusque styli *formularum* nemo absque summa exercitatione sibi comparat notitiam. Hoc vero illud est LABIUM RIDICULUM: hæc est illa LINGUA ALIENA qua *Deus* deinceps *loqueretur*, hoc est, justo judicio suo loqui permitteret *Doctores* hujus Gentis excæcatos & judicio corruptos, qui *purum labium*, h. e. puram & salutarem Evangelii doctrinam, gravati fuerant admittere. *traderet* illos Deus in *reprobum sensum*, quod repulissent *amorem veritatis*. Cum enim nesciviissent *frumentum* discernere à *palea*, & operosam doctrinam ineptiarum à pura & solida Doctrina Evangelii: Deus, faciem suam occultans, ipsos condidit in crassas tenebras, passusque est ingenia Doctorum à Satana sic deludi & corrumpi, ut tandem inepta reddita sint ad gravem & solidam ratiocinationem, & omne ævum suum deinceps consumpserint in sterili studio Rituum & Cærimoniarum, maximam partem abolitarum, aut subtilitatum fictarum contemplatione. Sic intelligi vult Propheta ubi addit, ℣. 13. *Et erit iis verbum Jehovæ præceptum ad præceptum, & seqq.* Hoc est, cum placuerit ipsis hæc doctrina operosarum nugarum in negotio Religionis: Deus *culpam* vertit in *pœnam*, & tradidit illos *vanitati ingenii*, ut deinceps corrupti judicio, spreta doctrina salutari, hanc solam magni facerent; hoc unicum fere studii genus excolerent; & *Verbum Domini*, quod comprehendit doctrinam solidam, cohærentem, in certis fundatam principiis, *scinderent* in mille & mille particulas non cohærentium observatorum, subtilitatum, canonum, ex quibus nullum perciperent solatium. quæ pœna in spiritualibus censeri debet gravissima, ob grave ejus & funestum *consequens*, quod Vates exponit in fine ℣. 13. *Ut eant, & lapsent retro, & confringantur, & illaqueentur, & capiantur.*

Sententia valde est emphatica quæ nobis subjicit imaginem tremendi *Judicii spiritualis*, in quod oculos claræ puræque lucis inciderent, iisdem fere verbis concepta, quibus parallela Cap. VIII. 14. 15. qui locus hunc nostrum perfecte illustrat, & simul hypothesin nostram valide confirmat. Dixerat ibi Propheta, Jehovam futurum esse in SANCTUARIUM; & *in* LAPIDEM OFFENSIONIS & RUPEM SCANDALI *duabus domibus Israëlis*; *in* LAQUEUM & *decipulam incolis Hierosolymæ*: inter *eos* autem multos *offensuros esse*, & *casuros*, & *confringendos*, & *illaqueandos*, & *capiendos*. cujus prophetiæ implementum demonstravi frustra alibi quæri ac in memorabili Eventu *Apparitionis Christi Jesu inter Judæos* & *Manifestationis Regni Ejus*, qui reproborum respectu tristem hunc produceret effectum, in præcellenti Viso Cap. VI. 10. seqq. sub alia imagine exhibitum: estque idem ille Eventus qui hic respicitur. Pharisæi, his falsæ Theologiæ principiis imbuti, ingenio & judicio corrupti, cum iis occurreret CHRISTUS JESUS qui se gerebat pro Messia à Patribus desiderato & exspectato cum omni charactere *Sapientiæ* & *Potentiæ Divinæ*: stupuerunt. Videbant enim, vel erroribus, præjudiciis, auctoritati, existimationi, quam sibi apud vulgum paraverant, & prærogativis carnalibus, esse renuncian-

Loquela hæc *Deo* tribuitur.

Nec agitur, primo sensu de *Linguis* & *Dialectis*, sed de *institutione*.

Verbum Gratiæ mystice appellatur *Lingua Canaanæa*.

Quæ non placuit Judæis.

Historia Gentis, ex qua judicandum de ejus affectu erga veram Doctrinam Gratiæ.

Quare Deus, tandem permisit suo judicio, ut Doctores literales & carnales *altam* iis proponerent Doctrinam: quæ est *Lingua exotica & ridicula*.

Verus conspectus Doctrinæ Judaicæ post spretum Evangelium.

Institutum *Kabbalistarum*, eorumque *ridiculæ* subtilitates.

Institutum *Talmudicorum*, versantium in interpretanda Scriptura S.

Eorundemque in concinnandis *traditionibus* Legalibus.

De *Gemara* Judaica Judicium.

Doctrina est *ridicula*.

Applicantur dicta de institutione Judaica, tempus Christi sequuta, ad *Judicium spirituale* quod Prophera describit.

Est in hoc *docendi* genere *Judicium Divinum*.

Clara significatio hujus Judicii in verbis, ℣. 13. *Et erit iis verbum Jehovæ præceptum ad præceptum, &c.*

Sententia Prophetæ exponitur.

Consequens ejus in fine, ℣. 13. *Ut lapsent, confringantur, &c.*

Sententia confertur cum loco parallelo, Cap. VIII. 14. 15.

Pertinet uterque ad *Judicium* tempore Messiæ exequendum.

Res tota illustratur ex eventu.

Exemplum ejus editum est in Pharisæis.

[a] Cap. III. 9. [b] רבי תורה Hos. VIII. 12.

ciandum; vel repudiandum atque abnegandum esse *Christum Jesum*, & *Regnum Justitiamque* ejus. Ambitio & avaritia (quibus affectibus hæc Secta obnoxia erat,) prius suaserunt, eosque præcipitarunt in exitium. *Impegerunt in Petram scandali, immorigeri* facti, & *perierunt*. Metaphora Prophetæ desumpta est sive ab homine qui citato gressu incautus in duram & immotam impactus rupem, magno vulnere à rupe accepto retunditur & *retro lapsat & lapsans confringitur*; sive ab *animantibus*, quæ dum *exitium* sibi imminens vitare cupiunt, in *laqueos* sibi tensos paratosque incidunt. quod quomodo locum obtinuerit in Judæis immorigeris Evangelio, sectæ Pharisaicæ, ibidem copiose exposui, & hic non repetam. Tantum venenum est in Doctrina Pharisaica, Evangelicæ è directo opposita, ejusque doctrinæ excolendæ & tradendæ methodo. Nec tamen putandum, vitium sectæ à prima origine sua fuisse coævum. fuerunt enim ejus, ut fere aliarum sunt rerum, initia tenuia & simplicia, quæ petenda sunt à primo tempore instauratæ per Maccabæos Reipublicæ. certe Josephus originem tam alte repetit. Cum enim, sæviente Persecutione Epiphanica, plurima instrumenta Religionis polluta essent, & Judæorum multi ex communione idolatriæ aut commercio Gentium sibi contraxissent immunditiem: homines *pii* & *zelotæ Legis* se ab hominibus & rebus, quorum ipsis suspecta erat puritas Legalis, inceperunt *separare*. quæ *accuratio* in Re Religionis cum laudem videretur mereri: suscitatis mox, florente Republica, literarum studiis, Docti Viri eandem in omnibus Ritibus Legalibus sectati sunt ἀκρίβειαν, ac proinde inquisiverunt diligentia summa ad usque insaniam in *traditiones Veterum*; feceruntque, procedente tempore, ut in harum rerum externarum cognitione summa constitueretur sapientiæ, neglectis plane *gravioribus* Religionis *Dogmatibus* quorum fide & praxi obtinetur salus. Hæsit autem deinceps & hæret adhucdum, ut jam monui, Gens eidem immersa cœno: nisi tamen quod post mille & aliquanto plures annos à fundata Ecclesia Christi Jesu, prodire inter ipsos cœperint Philosophi, Grammatici, & Commentatores Scripturæ S. melius studii genus sectati, dotibus & exercitatione non contemnendi; sed qualescunque sint, ministri γράμματος, & πνεύματος.

Metaphoricæ loquutiones Prophetæ h. l. unde desumptæ?

Judicium ex superioribus collectum de Pharisaismo.

Quæ tamen doctrina hoc vitium non ab origine sua, sed *cum tempore* contraxit.

Ortus & *Progressus* hujus sectæ.

Professio Judaica hodierni temporis adhuc est Pharisaica.

Hunc primum putem esse & directum sensum Prophetæ. Sed Apostolus pro sua sapientia ex his verbis quid majus adhuc & sublimius elicit, secundum sensum verborum mysticum. Disputans ille in *priore ad Corinthios* de recta administratione *Doni Linguarum*, quod aliqui ejus Ecclesiæ nimio zelo affectabant: docet, *diversitatem Linguarum*, quæ in Ecclesia audiuntur, in se spectari non posse ut *donum Gratiæ* eorum respectu quibus *Verbum Dei* lingua vernacula percipere licet. esse enim usum *Linguarum diversarum* supervacaneum, si quis *vernacula Lingua* percipere possit mysteria fidei. solummodo *incredulorum* respectu posse habere usum ad illos de *veritate Revelationis* convincendos. in quem finem ipsissima verba Prophetæ nostri allegat. Integra ejus oratio sic habet *a*: *In Lege scriptum est*: Ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ. καὶ οὐδ' οὕτως εἰσακούσονταί μου, λέγει Κύριος. *Linguis aliis & labiis diversis loquar Populo huic; & ne sic quidem me audient, dicit Dominus.* Subjicit Apostolus: *Linguæ igitur sunt signum, non iis qui credunt, sed non credentibus.* Græca hæc Apostoli sunt conformata ad Hebræa eaque recte reddunt: nisi quod integrum locum Jesaiæ non adduxerit, sed, neglecta potiore parte ℣. 12. *clausulam* tantum illius *versus*: ולא שמוע אבואו, quam ille vertit: *Et ne sic quidem me audient*: immediate connexerit cum verbis ℣. 11. quod

Sublimior sensus ex hoc loco eductus ab Apostolo in *priore* ad *Corinthios*.

Institutum orationis, qua hic locus allegatur.

Verba Apost. ex Cap. XIV. 21. ubi hunc versum allegat.

Quatenus Græca hic Hebræis consentiant?

rei & scopo ejus maxime conveniebat. Sensus dicti Dei apud Jesaiam secundum Paulum; Deum ad Judæos *incredulos*, qui Evangelio fidem non habebant, deinceps non solo *idiomate Hebræo* aut *Syriaco* verba facturum esse, sed diversis *Linguis* & *Labiis* expositurum esse *Doctrinam Regni Christi*, ut hoc etiam argumento permoverentur ad *fidem Evangelii*. Factum illud est, Cl. Coccejo docte observante, *a*. Ubi in *Festo Pentecostis*, & deinceps in variis Cœtibus Ecclesiæ Apostolicæ, credentes ita affecti fuerunt à Spiritu Dei ut publice apud plurimos testes loquuti fuerunt, & data occasione, loquerentur ἑτέραις γλώσσαις, ALIIS LINGUIS *ut Spiritus iis dabat effari b*. β. Quando *mysteria Regni Cœlorum* sive *Doctrina Christi Jesu* omnibus Gentibus per Orbem terrarum declarata promulgataque est *Lingua Græca*, qua conscripti sunt Libri Sacri N. T. forte nullo excepto: inde transferendi in Linguas omnium Populorum. Sic Deus, secundum Apostolum, loquutus est ad Judæos בלעגי שפה *Linguis ridiculis*, (dicuntur autem *ridiculæ Linguæ*, quarum enunciationis insolentia & ut videtur, difficultas, veluti *blæsorum* aut *balborum*, risum movet *A*:) hoc est, usus est in Religione vera Evangelica declaranda *Linguis exteris*, & præcipue *Græca*, ut hoc etiam *signo* & *argumento* Judæi increduli & immorigeri Evangelio moverentur ad recipiendam Evangelii fidem ob eventus hujus singularitatem, in rationibus Divinæ Providentiæ animadversione dignissimam: attamen majoris partis Judæorum tantus fuit stupor, ut ne hoc quidem signo atque argumento excitati aut convicti, *aures præbuerint Doctrinæ Evangelii*. secundum quam interpretationem loci Jesaiæ Apostolus recte ex eo colligit, donum *diversitatis Linguarum* in Religione, ubi credentium respectu vernaculæ usus est legitimus & sufficiens, signum esse *incredulis*; non *credentibus*, quippe qui hoc signo non indigeant. Est autem hæc expositio Paulina acuta & plena sapientiæ, quæ phrasi Jesaiæ & rei eventui exacte respondet; & in qua proinde nihil jure desideres: sed est expositio mystica, allegorica, penitior, spiritualis, quam Judæi סוד vocant, quæ primum Prophetæ sensum, à nobis demonstratum, non excludit. Solebant enim Mystici, persuasi de infinita Sapientia Spiritus S. cujus inspiratione & revelatione Verbum Propheticum editum est, nullum sensum dictorum Sp. S. respuere, qui emphasi verborum, & rei ipsius veritati satisfaciebat: ut alias sæpius monui. Accedit, esse in verbis Prophetæ quod magis videtur ad primam speciem favere huic expositioni mysticæ quam nostræ. DEUS enim hic dicitur *loquuturus esse labio ridiculo* & *lingua alia*. quod in interpretatione mystica Paulina verissime & ἐμφατικωτάτως affirmatur. *Deus* enim ipse ad Judæos per Apostolos locutus est aliis *Linguis*. Sed dubitas forte an hæc interpretatio *mystica* cum nostra *simplice* & *literali* possit consistere? Non videtur enim inter eas ullus esse nexus, aut conjunctio. Respondeo, posse, & nihil hic accidere novi. In *sensibus* enim *diversis* Verbi Prophetici admitti possunt omnes qui vel *inter se* conveniunt; vel qui conveniunt *in subjecto*. ut, ubi Dominus ait *c*: *Ego, si* SUBLATUS FUERO E TERRA, *omnes ad me trahum*. coll. cum Jes. LII. 13. Per *Exaltationem* proprie & directe hic intelligitur *Glorificatio* Christi ad dextram Patris: indirecte & mystice, *Crucifixio* ejus per quam sibi viam pararet ad gloriam. inter quas res duas nulla videtur esse conjunctio; quin potius manifesta oppositio. sed quia conveniunt in *Subjecto* quod prius suspendendum erat à cruce quam evehendum ad gloriam; & quia vox *exaltationis* utramque ideam admittit: Dominus illa duo, licet diversissima, hic significat sub una notione. Perinde

Sensus dicti Jesaiæ secundum Paulum.

Quo sensu Deus ad Judæos *incredulos* loquutus sit Lingua sive dialecto alia?

Observata applicantur ad scopum Pauli.

Quid proprie sit *Labium ridiculum*?

Deus in Evangelio declarando maxime usus est Lingua *exotica Græca*.

Judicium de *Expositione* Apostolica.

Est mystica.

Est in Oratione Prophetæ quod ei favet.

An hæc expositio cum superiore bene conciliari queat?

Quæ confici tur ex certo interpretationis *Canone*, qui illustratur.

Locus insignis Joh. XII. 32.

Tom. II. P se

a 1 Cor. XIV. 21. *b* Act. II. 4. *c* Joh. XII. 32.

A Vox שפה *Labium* hic, ex primo vocis sensu, notat *Sermonem*, *Linguam*: at *translate* (in expositione nostra,) *Doctrinam Religionis* Sed translata significatio propriam semper respicit. sunt itaque לעגי שפה quorum enunciatio nobis videtur *ridicula* & non intelligibilis. Thucydidi sunt ἀγνώστοτοι γλῶσσαν *populi Linguæ non intelligibilis*, ut ille de quibusdam Ætolorum Gentibus; Lib. III. p. 114. Scholiastes: Οὐκ ἔχοντες τὴν Αἰολέκτου ξυνηθῆ γνωσθῆναι. Sunt autem hujus generis præcipue qui verba veluti ex profundo gutture eliciunt. vel blæsorum aut *balborum* instar imperfecte loqui videntur, παχυστομῶντες, βραδύγλωσσοι, βάρβαροι Prophetæ nostro Cap. XXXIII. 19. & Ezech. III. 5. עמקי שפה *profundorum labiorum* & *ridiculæ Linguæ*. de quo argumento plura monui *Observ. S.* Lib. I. Diss. I. Cap. IX. §. XVI.

se res habet in casu nostro. Utrumque *prædicatum*, quod Paulina & nostra exhibet expositio, convenit in *Judæos* incredulos & immorigeros Evangelio.

POENA CORPORALIS, sive *Externa*, Populo & Ductoribus ejus Decreta.

a. *Allocutio* ad Proceres & Doctores Populi, eorumque *Convictio.*

Pœna corporalis, Spirituali subjecta.

℣. 14. *Propterea audite Verbum Jehovæ vos* VIRI IRRISORES, *dominatores Populi hujus qui est Hierosolymis.* ℣. 15. *Quia dixistis:* PEPIGIMUS FOEDUS *cum* MORTE, *& cum inferno fecimus* TRANSACTIONEM: *flagellum inundans cum transiverit, ad nos non pertinget, quia mendacium posuimus refugium nostrum, & in fallacia abscondimus nos*] Transit Propheta à *Judicio spirituali* quod descripserat, ad *temporale*, cujus videbatur esse remotior aspectus. Cum enim Proceres Judæorum se prudentia astutiaque singulari munirent adversus omnem eventum qui Reipublicæ videri posset fore exitialis; & Principes Regesque Mundi potentiores, à quibus calamitatem exspectare poterant, sibi artibus humanæ providentiæ faventes fecissent ac amicos: non videbatur facile tempestas, si quæ oriretur, in ipsos desævitura esse. Sed Propheta iis nomine Dei denunciat, ipsum hunc astum prudentiæ humanæ sibi fraudi fore. ipsos enim illos Principes, à quorum amicitia & favore salutem suam suspenderant, quorumque fœdus ambitiose affectaverant, Divino consilio destinatos esse exequendis Judiciis illis gravissimis, quæ Reipublicæ extremam afferrent calamitatem. Ad quam partem prædictionis suæ declarandam dum Propheta se accingit: sic instituit acsi novam exordiretur orationem, sermone directo Proceres Judæorum profanos, quos in oculis habet, appellans, & instar Nuncii Publici fideliter explicans decretum supremæ Curiæ sibi commissum: eo observato ordine, ut eosdem illos Proceres Gentis Judææ in antecessum de novo convincat turpissimæ defectionis à Deo vero, à cujus favore unice exspectare debebant salutem Reipublicæ; & arcana carnalium consiliorum ipsorum aperte retegat: dein, præmissa hypothesi de *manifestando* suo tempore *Messia* in solatium piorum & Dei reverentium, fata tristia, quæ Gentem manebant, ordine enarret: ut in *Analysi* suo loco monui. *Convictoria* oratio his continetur verbis quæ descripsi.

Analysis ejus.

Alloquium vertitur ad *Proceres* Hierosolymitanos, qui vocantur *irrisores.*

Appellatio dura est & emphatica. Alloquitur *Dominatores Populi Hierosolymitani* quos vocat אנשי לצון *Viros irrisores*, iisque invitis etiam & nolentibus obtrudit & intimat *Sermonem Dei:* ut, sive *audirent*, sive *non audirent* [a], publice tamen neminem lateret, Prophetam Dei arcana mentis consiliorumque ipsorum detexisse, eorumque exitum clare prædixisse. אנשי לצון *Viri irrisores* (Hieron. *illusores.*) iidem sunt qui Petro ἐμπαῖκται, κατὰ τὰς ἰδίας ἀυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι [b]. Sunt homines profani, Dei & Verbi ejus irreverentes, superbi, animi audacis ac protervi, judicii corrupti, qui excusso metu Religionis veræ vel falsæ, & abnegata Providentia fatorum humani generis dispensatrice, prosperæ & adversæ fortunæ causas à cujusque facultate, ingenio, viribus, moribus, statu, prudentia, casibusque cognatis, arcessunt, eosque albis dentibus irrident ac subsannant qui Eventus rerum humanarum arbitrio supremi & liberi Rectoris hujus Universi subesse credunt, ejusque favorem & gratiam in fide & spe ambiunt. Vates Sacer eos eodem nomine appellat לצים *irrisores* [c]. Est hic supremus gradus *impietatis*, index mentis depravatæ, & scelerum stigmatibus inustæ conscientiæ, cujus vindicias Deus in hac & futura vita severe exigit. Paraphrastes recte: אנשי רשיעין *Homines impii.* His tribuitur oratio ejusdem sensus, corruptis præjudiciis consentanea, elegante figura à Vate concepta. Complectitur autem oratio integram ratiocinationem, quæ suum habet *antecedens*, ex quo deducitur *consequens.* Ajunt, se *pepigisse fœdus cum morte, & cum inferno fecisse* TRANSACTIONEM. Sic recte verto vocem חוזה in hoc loco, perinde ac חזות, ℣. 18. licet neutra hac significatione alibi occurrat. circumstantia enim orationis eam necessario exigit. Chaldæus: שלמא *Pacem.* Hieron. *Pactum.* חזיה est *nomen* pro חזות sive חזוה, ad exemplum vocis ראיה pro מראה, ℣. 7. Etymi interim obscurior est investigatio, cum vox חזה propria significatione valeat *aspicere, contemplari.* Sunt qui existimant, *pactum* dici posse *visionem* quod fœdus contracturi alter alterius *faciem*, stylo Scripturæ, *videant*, & ad videndum conveniant. Sic Kimchius; nec displicet Coccejo, qui vocem vertit *visionem*, h. e. ἐνεχείρεσιν, *collocutionem, tractationem de pace, inducias.* Dubito tamen, an vox חזה in ejusmodi casu satis commode usurpetur. In phrasi, *videre faciem alicujus*, cum aliquo congredi, convenire, agere, Hebræi potius amant vocem ראה, ut exemplum est Gen. XXXII. 21. Vox חזה proprie notat actum *contemplationis & visionis* mentis, quo quis alte & profunde quid videt, sive etiam videt *in longum, è longinquo.* Rectius igitur putem, *fœdus, pactum, transactionem*, dici חזה, quia in fœdere fit *provisio* (sic loqui liceat,) status privati aut publici in longum tempus. Est in fœdere provisio securitatis. Cætera sufficit, nos in significatione vocis hoc loco non falli. Res ipsa, quam Vates hic proponit, altioris est contemplationis, & ad primam speciem durum quid sonare videtur. Quam enim paradoxa res est, quam Propheta imputat *impiis* hisce & *profanis*, *pangere fœdus cum morte & inferno?* quanto adhuc παραδοξότερον, impios hoc facinore gloriantes introducere? Ita est; & tamen utrumque facile expeditur. *Fœdus* sive *transactionem facere cum Morte & cum Inferno* est fœdus facere cum *Principibus potentibus*, quorum in nos indignatio & sinistra voluntas caussa potest esse exitii & interitus nostri, vel per quos exitium & interitus à nobis averti potest. *Mors* dicitur omnis caussa interitus: ut *vita*, omnis caussa salutis. *Infernus* (שאול, cujus significationem in superioribus [d] suis locis deteximus:) figurate vastam illam *voraginem* notat quæ viventes absumit & tetra condit calagine: quæ subterranea *regio mortis & caliginis*, figurate concepta, contradistinguitur regioni viventium & lucis. Est autem inter proprietates *mortis* æque ac *inferni* insatiabili cupiditate viventes absorbere ac deglutire. Vides nunc quam concinne & proprie Principes feroces, magnorum Imperiorum Domini, ampla instructi potentia, metuendis armati viribus, æstu ambitionis incensi, Vastatores Gentium, hominibus deglutiendis & obscurandis inhiantes, comparentur *Morti* & *Inferno* quorum hæc sunt attributa. Propheta noster jam usus fuerat hoc emblemate, Cap. XXV. 8. ubi metaphoram exposui. Habakukus de Assyrio [e]: *Dilatavit* כשאול *instar* INFERNI *animam suam, & instar* MORTIS *quæ non satiatur, & colligit ad se omnes Gentes, & congregat ad se omnes Populos.* Hoseas [f]: *E manu* INFERNI *redimam eos; ex* MORTE *vindicabo eos.* Comparetur emblema Apocalypticum, Cap. VI. 8. *Equi pallidi*, vehentis Equitem MORTEM quam *Infernus sequebatur.* Designatur terribilis aliquis Vastator Gentium. Ergo profani & impii, ab astutia ingenioque suo potius quam ab ope Divina salutem sperantes, tutos se & adversus omnem calamitatem securos profitentur, quod essent in fœdere cum iis Principibus, à quibus solis exitium exspectare poterant. Imputat autem Propheta hoc dictum Proceribus Judæorum non *secundum veritatem facti:* (non est enim probabile, impios de fœdere suo cum magnis Principibus inito loquentes hac phrasi unquam usos esse:) sed *secundum veritatem rei*; secundum quam dicendi figuram homines *dicere* dicuntur quæ *cogitant*, aut quæ cogitare ipsos & interioribus animi condere, ex *factis* ipsorum colligi potest. Personæ enim vel per *verba*, vel per *facta* loquuntur; estque id in *Parabolicis* usitatissimum. Propheta autem eos hoc potius quam alio modo loquentes introducit, ut *astutiam* consiliorum ipsorum carnalium

Qui describuntur.

Qualitas illa in Scriptura S. notatur ut *supremus gradus impietatis.*

Paraphrasis Chaldæa notabilis.

Impiorum horum oratio.

Voces חזות חזות quid proprie significent?

Significatio vocis חזות, ejusque etymologia.

Phrasis Hebræa, *videre alicujus faciem.*

Res ipsa considerator, *Fœdus pangere cum Morte & Inferno.*

Est *fœdus facere cum potentibus Principibus*, vastatoribus Gentium.

Mors & Infernus quid mystice significent?

Locus Habakuki, Cap. III. 5. illustratus.

Et Apoc. VI. 8.

Quo sensu Propheta hoc dictum imputet Proceribus Judæorum?

Homines censentur dicere, quæ ex *factis* ipsorum colliguntur.

[a] Ezech. III. 11. [b] 2 Pet. III. 3. [c] Ps. I. 1. [d] Cap. V. 14. XIV. 9. 11. [e] Cap. II. 5. [f] Cap. XIII. 14.

lium clarissime detegeret. Id enim ipsum quod hic dicit Propheta, si minus dicerent, cogitabant illi, & dicere deberent, si animi sui cogitationes ex vero explicarent. Effectum fœderis eum ipsum sibi promittebant quem Propheta addit: *Flagellum inundans quando pervaserit, non perveniet ad nos.* Sensus est: quando Exercitus potentis illius Principis, qui exitium nobis adferre posset, suo tempore proditurus & terras Imperio illi finitimas pervasurus est, reliqui quidem Populi ex eo grave detrimentum sunt accepturi: sed nos, fœdere tuti, à malis liberabimur. *Flagellum inundans & pervadens* hic est Exercitus potentis illius Principis quem Propheta modo appellaverat *Mortem & Infernum.* Sic apud Danielem de Antiocho Magno adversus Philopatorem transita Syria & Judæa movente [a]: *Et propere* VENIET, ושטף ועבר *&* INUNDABIT; *ac* TRANSIBIT. h. e. pervadet. quæ vox hic propriissime adhibetur. Pertransibit cum Exercitu gravi ad usque Raphiam. Propheta hic quod alias non infrequens agit, affectans elegantiam paronomasiæ in vocibus שוט שוטף SCHOOT SCHOTEEPH, duas metaphoras licet diversi generis inter se miscet. *Flagelli* enim proprie non est *inundare.* Verum quia idem ille Exercitus, qui Judæos magnis plagis ex Decreto Fori Cœlestis affecturus esset, eaque de caussa rectissime *flagellum* dicebatur, simul instar *Fluminis* extra ripas suas sævientis obvia omnia esset occupaturus & vastaturus: Propheta, duas illas metaphoras inter se commiscens, eundem Exercitum vocat *Flagellum inundans*, duabus, ut jam sæpe alias fieri præfatus sum, metaphoris inter se permixtis. quod in superioribus evici. Est autem utraque metaphora Prophetæ, de *Exercitibus* hostilibus loquenti, solennis [b]. Cætera jam monui, vocem עבר hic optime reddi, *pervadere*; quæ genuina vocis notatio est: præter quod observes, vocem יבואנו idem hic valere quod יבוא אלינו *veniet ad nos.* Caussa additur superioris exegetica: *quia posuimus mendacium latibulum nostrum, & in hypocrisi*, sive *falsitate*, *nos occultavimus.* quæ verba variam sustinent interpretationem, & ad speciem sententiam videntur exhibere paradoxam. Cum enim profani Proceres Populi Dei hic introducantur tanquam qui explicent rationem suæ *securitatis* respectu malorum merito metuendorum: qua fronte & specie sibi illam promittunt securitatem ex hac ratione quod *mendacium* & *falsitatem* sibi procurassent ut *latibulum* sub quo tempore sævientis tempestatis tuto lateret? Sunt inter Interpretes, qui volunt, Prophetam hic, ut in superioribus, *rebus* nomina dare non ex sensu loquentium, sed ex sensu suo, & ex eventu, à se prævisо. quare quod Proceres Judæorum ex sensu suo dicerent; se fiduciam posuisse in magno illo Principe & icto cum eo fœdere: Prophetam, ut illorum recensendo sententiam eadem opera eam refelleret, id ita extulisse, illos *mendacium* posuisse *latibulum suum*, & in *falsitate* confisos esse. Cum enim magni Principes sæpe fidem suam fallant & non præstent; sæpe etiam à Deo circumscripti eandem præstare aliis prohibeantur, cum ipsi quoque toti à Deo pendeant, & citra ejus voluntatem nihil valeant: Propheta illos merito vocat *mendacium* & *falsitatem*, quibus fidere ineptum, sit. ut Ps. LXII. 10. *Certe vanitas sunt* בני אדם *filii hominum.* h. e. plebeji: כזב בני איש *mendacium sunt filii Viri*, h. e. nobiles, spectabiles. Ps. CXLVI. 3. *Ne ponite fiduciam in* INGENUIS; *in filio hominis in quo nulla salvandi facultas est.* Propheta itaque recensens illorum fiduciæ argumentum, id ita agit, ut in eos simul illudat, eorumque spem irrideat. Aben-Ezra voculam כי hic accipit pro אף כי *etiamsi*, ut sensus sit: Flagellum inundans & pervadens nullum nobis adferet nocumentum *etiamsi* latibulum nostrum posuerimus *mendacium* & *falsitatem.* ut in Ps. XLI. 5. *Sana animam meam, quia* (כי *etiamsi*) *tibi peccavi.* Sed sententiam loci, quæ etiam ex hoc observato dubia manet, non declarat. Kimchius per *mendacium* & *falsitatem* in hoc loco intelligit vaticinia & consilia falsorum Prophetarum, quibus fisi fœdus contraxerant cum magno & sibi metuendo Principe, ut sibi procurarent securitatem. Sed est interpretatio tertia omnium simplicissima, cum prima quam recensui, conjungenda, quæ nobis præstabit verum Prophetæ sensum. Jesaias intelligens, fœdus à Proceribus Judæorum cum potente illo Principe & Imperio, quod ille respicit, percutiendum esse ex *metu*, ac proinde ex *hypocrisi*, animo fraudulento & doloso; & simul prospiciens & certo cognoscens, fœdus illud *dolose* pactum ipsis non præstiturum salutem; sive Principem illum non præstiturum esse iis *fœderis effectum*, sed ipsorum exspectationem frustraturum esse: utroque hoc respectu illos introducit ita loquentes, & astutum consilium quod ceperant, explicantes: *ipsos mendacium posuisse latibulum suum*, & *sub falsitate se occultare* studuisse. Illi quidem hæc verba loquentes, *posuimus mendacium latibulum nostrum & in falsitate occultavimus nos*, sic intelligi volunt; nos *astutia nostri ingenii*, fœdere pacto cum Principe terribili à quo metuere poteramus exitium, nobis & Reipublicæ certam procuravimus salutem securitatemque, licet fœdus à nobis falso animo & ex hypocrisi cum illo Principe sit initum: hac tamen hypocrisi, dolo & astutia nos probe munivimus adversus flagellum inundans quod alios populos perdet & obruet; ut proinde auxilium & defensionem Divinam susque deque habeamus. Nostri enim consilii carnalis astutia nobis præstabit salutem. Sic capienda sunt verba ex ipsorum sensu: sed quo sensu Propheta ex mente sua alium involvit. Cum enim ille prænosceret, Fœdus hoc dolosum, ex astutia carnalis ingenii pactum, iis non esse præstiturum effectum, sed ipsum illum Principem cum quo fœdus percusserant, vel destituturum esse illorum exspectationem, vel ipsos à sua parte delusurum & exitium iis allaturum esse: ipse ex suo & vero sensu hunc *Principem*, & *fœdus* cum ipso percussum, vocat כזב *mendacium* & שקר *falsitatem*, quia futurum erat, quod sæpe alias fit, ut astutia astutiam, fraus fraudem vincat ac deludat. Sic ipse, ad geminum hunc sensum respiciens, ỳ. 17. *Et auferet grando* מחסה כזב PERFUGIUM MENDACII. Nihil restat ad intelligentiam Pericopæ, nisi ut videamus, quis ille sit *Princeps* potens, terribilis, ambitiosus, qui hic appelletur *Mors & Infernus*, cujus *fœdere*, ex carnali astutia inito, se tutos & securos fore, sibi persuaserant Proceres illi Gentis Judææ impii & profani qui hic appellantur & à Propheta redarguuntur.

Non repetam hic vel de novo discutiam hypotheses Interpretum de quibus suo loco satis est disputatum. Hypothesis interpretationis quam assumpsi, me manifeste ducit ad Proceres Judææ Gentis qui circa tempus orituri Messiæ Judæo Populo præessent, quos mox notabo. Verum cum profani Proceres & Principes Judææ Gentis omnes, qui de peculiari providentia Dei erga Populum Judæum impie sentiebant, stylo Prophetarum unum quoddam fecerint *corpus* hominum: nulla me movet ratio, quare ullos horum hic excludam, cum Propheta orationem suam ita instituat, ut *conclusione* ex superioribus ducta per voculam לכן *propterea* omnes commode καθόλα complecti possit. Qui homines in Republica, Proceres Populi Hierosolymitani, Achazum impulerunt ad implorandas suppetias Assyrii Regis Tiglat-pulassaris adversus contestationes Prophetarum, qui sibi & Reipublicæ vi fœderis cum Assyrio promiserunt securitatem longi temporis; factiosi alii qui subsequente tempore auctores fuerunt consilii de petenda ope & auxilio Ægyptiorum adversus Assyrios ac Babylonios; quique iidem post reditum ex Exilio Ægyptiis & Syris Regibus indigne & serviliter blanditi sunt in ipso etiam negotio Religionis, ut Reipublicæ hac arte & astutia politica succurrerent; & denique iidem Proceres & Dominatores Gentis Judææ, qui circa tempus orituri Messiæ turpissime adulati sunt Romanis, quorum ipsis metuenda erat potentia & indignatio, videlicet Herodiadæ omnes, eorumque sectatores, qui clavum Reipublicæ administrabant aut sacris præerant: omnes, in-

Scopus fœderis ut à meru *Flagelli inundantis* liberarentur. Sensus sententiæ.

Flagellum inundans est *Exercitus* vastator.

Locus Dan. XI. 10.

Paronomasia in oratione Hebræa.

Duæ metaphoræ hic permiscentur.

Vox עבר hic notat *pervadere.*

Extrema verba ỳ. 15. *posuimus mendacium latibulum nostrum*: expenduntur.

Τὸ πραγθὲν hujus sententiæ.

Varia interpretatio.

Sunt qui *Latibulum mendacii* hic intelligunt de *auxilio mendaci*, quod effectum non sortiretur.

Aben-Ezræ observatum.

Sunt qui exponunt de vaticiniis falsorum

Prophetarum.

Tertia interpretatio.

Fœdus sive *favor* potentis Principis qui hic respicitur, *dolose* & ex hypocrisi ambiebatur, & *nihil* prodesset.

Quo sensu hæc verba tribui queant Proceribus Judæorum?

Propheta, quod ex sensu Proceruni *imperfecte* intelligendum erat, *perfecte* intelligi vult.

Quæritur, quis potens *Princeps* hic respiciatur, & cujus ætatis hic notentur *Proceres*?

Verba amplam patiuntur expositionem.

Proceres Populi Judæi profani & impii hic spectari possunt in uno *Corpore.*

Semper eodem modo fuerunt affecti.

Historia Gentis.

Proceres Reipublicæ circa & post ætatem Christi Jesu,

a Cap. XI. 10. b Confer Cap. VIII. 7. X. 24.

five; Herodiadæ, & eorum sequaces, describuntur.

quam, hi DOMINATORES POPULI HIEROSOLYMITANI, quos recensui; ejusdem fuerunt ingenii & animi homines; religionis irreverentes; sententiis quicquid externe simulabant, profani; de providentia Divina impie existimantes; consiliaque & mores suos eum in modum componentes, ut plane pateret, hac eos imbutos esse persuasione, salutem Reipublicæ unice à suorum pendere consiliorum astutia; posse autem salvam esse & stare Rempublicam, si sibi per fœdera aut obsequia illorum Principum aut Imperiorum concilient favorem atque amicitiam, qui sibi vel nocere vel prodesse poterant; h. e. si fœdus pangerent cum *morte* & cum *inferno*. Hæc ita se habent, neque adeo opus est nimis restringere sensum hujus Elenchi. Propheta Proceres sui temporis *atheos* manifeste descripserat Cap. III. 8. 9. v. 18. 19. seqq. XXII. 12. 13. & in fine Libri alios ejus generis notabit. Verumtamen quod ad hanc pericopam nostram attinet: series prophetiæ nos manifeste ducit ad *Proceres Populi Judæi*, qui Genti præessent circa tempus orituri Messiæ; hoc est, ad *Herodem Magnum* dictum, ejusque *Domus* Principes omnes, & in universum ad quoscunque *Proceres* Gentis Judææ qui ad ejus exemplum Romanis indignissime assentabantur, eorumque solorum favorem & indignationem respiciebant ac reverebantur ut salutis aut exitii sui causam. *Mors* itaque & *Infernus* qui hic memorantur, sunt ROMANI, Populis omnibus Orbis illius temporis metuendi, quorum Imperium instar magnæ Belluæ patulo oris rictu obvios quosque deglutiebat, & sane exitio erat Gentibus omnibus quæ se ei opponebant. Adscribam in re notissima verba Galgaci, Britannorum Ducis, ex Tacito *a*: RAPTORES ORBIS, (Romani sc.) *postquam* CUNCTA VASTANTIBUS *defuere terræ, & mare scrutantur: si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens* SATIAVERIT. *soli omnium, opes & inopiam pari affectu concupiscunt. auferre, trucidare, rapere falsis nominibus Imperium; atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant*; & quæ seqq. Sunt hæc gemina germana attributa *Mortis* & *Inferni*, mystice sic dictorum. Confer Dan. VII. 7. Horum favore provectus Herodes ad Dignitatem Regiam, cum videret, hac sola auctoritate se Dignitatem tueri posse qua eam sibi comparaverat, per totam vitam nihil prius & potius habuit quam iis solis placere & serviliter adulari, licet sub honesto nomine *Φιλίας & συμμαχίας, amicitæ & societatis bellicæ*, quæ hic *fœdus* dicitur *ictum cum morte & inferno*; idemque præceptum inculcavit atque exemplum reliquit Filiis ac Nepotibus: qui quanto inferiores erant Avo imperii amplitudine & auctoritate, tanto majore etiam studio in servilem hanc & obsequiosam adulationem ferebantur *A*. Inde Herodes, *maximam providentiæ partem obsequio pietatis* (sc. cultui Cæsaris & Agrippæ) *impendens*; *Templa* in limitibus Judææ aut Agris ei ab Augusto donatis & Judææ adjectis, AUGUSTO, & ROMÆ quoque ipsi, (pro illius temporis more,) magnifica & splendidissima erexit, magno Religionis Judææ probro, veluti Cæsareæ, Panii, Sebastæ, Arcesque, Palatia, Urbes, ab Augusto, Livia sive Julia, Agrippa, & Nepotibus Augusti appellavit, adeo quidem, ut scripserit Josephus; Καθόλου τε εἰπεῖν, ὅπου ἔξιν ὄντινα τῆς βασιλείας ἐπιτήδειον τόπον τῆς πρὸς Καίσαρος τιμῆς γυμνὸν ἔλιπε· *Summatim vero ut dicam: Non fuit idoneus Regni locus quem honore Cæsaris nudum reliquerit.* Sed ipse hac de re presse est legendus eo in loco ubi de eo ex professo agit *b*: & de Filiis ejus, Antipa & Philippo, eorumque erga Domum Cæsaream similibus officiis *c*. Equidem verum est, hoc studium Herodis & Herodiadarum displicuisse Pharisæis, quibus Domus Herodis invisa erat: verum Proceres qui Rempublicam administrabant, Pontifices, qui à Regibus eligebantur, & Sacerdotum Principes, interque eos ipsi Pharisæi, usque ad extrema Reipublicæ tempora, etiam post remotum Archelaum & Judæam redactam in formam Provinciæ, in hac perstiterunt sententia, salvam non posse esse Rempublicam nisi *favore* & *defensione Romanorum*, quem unum illi canonem in administranda Republica sequuti sunt: unde vox communis Concilii in caussa Christi coacti, cui *Sacerdotes Primarii* & PHARISÆI interfuerunt *d*: *Si omittamus eum ita, omnes ei credent, venientque* ROMANI, *& delebunt tum locum nostrum tum Gentem.* Alio loco *e*: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Certe Sadducæi omnes, οἱ μέν τοι πρῶτοι τοῖς ἀξιώμασι, *præcipua obtinentes Reipublicæ munia*, & divitiis etiam potiores *f*, cum de providentia Dei impie sentirent, & hanc palam profiterentur sententiam *g*, ὡς καὶ τῶν ἀγαθῶν αἰτίους ἡμᾶς αὐτοῖς γινομένους, καὶ τὰ χείρω παρὰ ἡμετέραν ἁβουλίαν λαμβάνοντας· h. e. suæ quemque fortunæ fabrum esse, & frustra hic superiorem respici caussam: ejusdem plane erant consilii & sententiæ homines, quales hic à Propheta describuntur, ut licet vere Romanos odissent, eorum tamen amicitiam & favorem astutia dolosi consilii impense affectarent, ut hac calliditate & hypocrisi citra Deum, ut illi quidem opinabantur, sibi procurarent securitatem salutemque. Sed hoc tempore Deus quid majus & altius meditabatur, imo jam moliebatur, certius fundamentum salutis per omnia mundi tempora & sæcula: de quo Vatem audire lubet.

β. *Interjecta Consolatio*, denunciationi Pœnæ præmissa, directa ad Credentes, certius demonstrans *fundamentum fiduciæ.*

℣. 16. *Propterea sic dicit Dominus Jehova: Ecce* EGO is sum qui FUNDAT *in Tsione* LAPIDEM; *lapidem* EXPLORATIONIS; *angularem*, PRETIOSUM; *fundatissime fundatum. qui credit, non* FESTINABIT] Videbatur nunc Vates recta progressurus esse ad declarandam pœnam temporalem, impietati & flagitio Procerum Judæorum statutam. Atque id agit quidem, sed ita ut simul declaret totum Dei consilium, de modo Judicii hujus exequendi captum, & universam Judicii hujus exequendi rationem ac ordinem distertius explicet. Docet itaque primo ad refellendam impiorum jactantiam de *falso* fiduciæ suæ *fundamento*, Deum in eo nunc esse ut piis & sibi fidentibus melius & certius aliquod *fiduciæ fundamentum*, magno ædificio Ecclesiæ substernendum, actu ipso repræsentet, quod fundamentum omnibus instructum proprietatibus ad ædificium Ecclesiæ sustinendum necessariis, se pulcherrime sit commendaturum; atque ut in medium tandem producat illum *lapidem fundamentalem*, in quem credentes omnium temporum oculos suos defixerant: in quo fundamento qui fidem suam ponat, non esse vacillaturum. quod proinde fundamentum falso fundamento fiduciæ impiorum, quod Vates modo descripserat, contradistinguit & opponit, in consolationem piorum. horum enim gratia Propheta auream hanc pericopam consignat. quando directe progreditur ad ipsam pœnam, impiis decretam, enarrandam: ut in *Analysi* jam prænonui.

Sententia Prophetæ post gravem *Præfationem* complectitur luculentum aliquod *Promissum* de illustri aliqua Per-

Hi proprie designantur. Quod pressius definitur.

Mors & *Infernus* hic notant *Imperium Romanum.*

Quo sensu sic dictum? Verba Taciti.

Herodis & Herodiadarum studium *placendi Romanis.*

Quam profane ab iis exercitum?

Alii Proceres, quibus invisi erant Herodiadæ, eos hac parte imitati sunt

Loca Joh. XI. 47. XIX. 17. quæ produnt interiora Procerum de *favore Romanorum*, ut tutela & salute Reipublicæ.

In Denunciatione Pœnæ *Corporalis* post *Elenchum* sequitur *Interjecta Consolatio piorum*, demonstrans certius *fundamentum Salutis*, Manifestationem Messiæ ℣. 16.

Nexus orationis Prophetæ.

Summa sententiæ illa-

---

a De *Vita Jul. Agricol.* Cap. XXX. *b* De *Bell. Jud.* Lib. I. Cap. XVI. *c* *Antiq.* Lib. XVIII. Cap. III. *d* Joh. XI. 47. *e* Cap. XIX. 15. *f* Joseph. *Antiq.* Lib. XVIII. Cap. II. *g* *Antiq.* Lib. XIII. Cap. IX.

A Conferri hic possunt quæ eleganter dicta in Senatu Romano Sallustius imputat Adherbali de injuriis Jugurthæ conquerenti, in Hist. *Bell. Jugurth.* Cap. XIV. Dum enim narrat, præceptum Patris Micipsæ de colendis Romanis, sic effert sententiam, illos appellando: *Vos mihi cognatorum, vos in locum affinium ducerem: si ea fecissem, in* VESTRA AMICITIA EXERCITUM, DIVITIAS, MUNIMENTA REGNI ME HABITURUM. Rursus in seqq. *Ego sic existimabam*, P. C. *uti prædicantem audiveram Patrem meum*; QUI VESTRAM AMICITIAM DILIGENTER COLERENT, *eos multum laborem suscipere, ceterum* EX OMNIBUS MAXIME TUTOS ESSE. Item sub finem: *Masinissa nos ita instituit*, P. S. NE QUEM COLEREMUS, NISI POPULUM R. *ne societates, ne fœdera nova acciperemus:* ABUNDE MAGNA PRÆSIDIA NOBIS IN VESTRA AMICITIA FORE. Sic Herodiadæ, sic plures Principes, Regna, Respublicæ, illorum temporum. Erant præcepta prudentiæ civilis ad exitium impendens callide devitandum. Intelligis, quid sit *pactum inire* cum *morte & inferno.*

ſtris vſ. 16. ejuſque *Analyſis.*

Perſona ut fundamento fidei Eccleſiæ actu repræſentando & circa hoc ipſum tempus ſiſtendo, ſub ſymbolica imagine *Lapidis* cujuſdam *Eximii*, electi, fundamentalis, Ædificio extruendo ſubſternendi: cum ſubjecta aliqua Ἐπιτάσει, ſive *Animadverſione*, quæ tum monet officii ſui pios quibus hoc fundamentum fidei & ſpei ſuæ oſtentabatur: tum quoque detegit novum quoddam Lapidis hujus attributum.

Præfatio fententiæ ſive *Promiſſo* præmiſſa.

Præfatio Prophetæ docet, agere illum de re ſeria & magni momenti. Scripſit ille: PROPTEREA *ſic dicit Dominus Jehova.* Hoc eſt, *Propterea* quod vos impie adeo inſtituatis, acſi nullum eſſet *fundamentum* Eccleſiæ, nullum fulcrum fidei & ſpei, niſi quod prudentia carnalis ſuadeat ac demonſtret; nullum remedium ſecuritatis & ſalutis, niſi quod doloſa ingenii humani aſtutia commiſcitur: *ecce* Ego hoc ipſo tempore ſecundum promiſſa & viſa ſuperiorum temporum illud ſiſtam mea *potentia* & ex poteſtatis meæ amplitudine ut DOMINUS, & ad præſtandam dictis promiſſiſque meis fidem, ut JEHOVA. utriuſque enim proprietatis ſive perfectionis Divinæ clariſſima ſignificatio eſt in implemento *Promiſſi* quod reſpici debet ut baſis omnium promiſſorum gratiæ.

Demonſtrat *nexum* orationis, & *ſcopum promiſſi.*

Appellationes *Dei* rei de qua agitur, convenientes.

PROMISSUM ipſum ſic eſt inſtructum, ut primo complectatur *Propoſitionem*, declaratoriam Conſilii Divini, de *illuſtri* aliqua *Perſona* circa hoc ipſum tempus in lucem producenda ac repræſentanda quæ fundamentum eſſet ædificii cujuſdam myſtici & fidei ac ſpei Eccleſiæ, ſub figurata & ſymbolica dictione, *fundandi Lapidis in Tſione*: dein excellentiam & amplitudinem hujus promiſſi declaret atque illuſtret ex ſingularibus & inſignibus *attributis* hujus perſonæ, ſervata eadem metaphora.

Promiſſi ſpecialior *Contemplatio*, ejuſque *Partes.*

Propoſitio: *Ecce ego is qui fundat in Tſione Lapidem.*

Propoſitio his conſtat: *Ecce ego* is ſum qui *fundat in Tſione lapidem.* Sic verto Hebræa: הנני יסר בציון אבן, quæ plures alii ſimpliciter exhibent: *Ecce ego fundo in Tſione lapidem.* Senſus idem, & nemo hic facile gravius errat: & tamen ἀκυρολογίᾳ omnis in Verbo Dei interpretando ſubjacet vitio, cum nulla non dictio Scriptorum Sacrorum ſua ſe commendet emphaſi. Vox יֹסֵד ab Aben-Ezra & Kimchio accipitur pro nomine *formæ adjectivi*, veluti valeret, *Ecce ego fundator.* ut יסר ſit pro מְיַסֵּד, *fundans.* ut שֹׁבֵחַ eſt pro מְשַׁבֵּחַ Eccl. IV. 2. Sed exemplum huic formæ non quadrat. non ſcribitur enim יֹסֵד, ſed יסר. ne jam dicam, שֹׁבֵחַ in loco notato eſſe *formæ infinitivi*, & ſubeſſe phraſi ellipſin familiaris uſus, ut integra oratio ſit שבח שבחתי. Ergo nullus dubito quin vox ſit verbalis *præteriti Piël*, quæ forma admittit quoque *Pathach*, cum alias, tum maxime in hac voce, & vertenda ſint verba: *Ecce ego is ſum qui fundat.* Integre. אני הוא אשר יסר, ut jam monuit Jarchius *A*, & placuit idem Cl. Coccejo. Emphaticum eſt dicendi genus, quod Poëtæ ſacri amant. Moſes in Cantico *a*: *Videte nunc*, כי אני אני הוא *quod* EGO, *ego*, ILLE *ſim.* Propheta noſter *b*: אנכי אנכי הוא, EGO, *ego* ſum ILLE. Integram autem locutionem confer cum ea Jeremiæ *c*: EGO הגבר ראה *Vir* VIDIT *affictionem.* Vir qui vidit. Subjicit nobis locutio hanc cogitationem, opus *fundandi lapidem* de quo hic mentio fit, tam eſſe magnificum & præclarum, ut à nemine quam à Domino Jehova exſpectari poſſet: quin imo velle illum ex hoc ſuo opere potiſſimum cognoſci, ſuamque magnificentiam, perfectionem, potentiam, gratiam, & veracitatem, æſtimari. quod clarius multo ex re ipſa propius inſpecta pateſcet. Pertinet autem ad rei ipſius neceſſariam intelligentiam emblema, quod Prophetæ hæc ſcribenti ob oculos verſatum eſt, recte cognoſcere. inde enim partium interpretatio pendet. Verba: *Ecce ego fundo in Tſione lapidem:* abſque omni dubitatione ſic ſunt accipienda, ut ſignificent, *lapidem* hunc eſſe *fundandum* in uſum alicujus *ædificii*, quod ſuper hunc lapidem extrueretur, vel cui hic *lapis* ſupponeretur. id enim præterquam quod ex re ipſa facile colligatur, cum *fundatio lapidis* abſque ullo ad rem aliam reſpectu nihil magnum & ſapientia Divina dignum ſignificare queat: ſic certo patet ex deſcriptione attributorum ejus, in quibus eſt *lapis angularis.* itaque ergo ſupponendus ædificio alicui, quod ab hoc lapide ſuſtineretur. Quo admiſſo, duplex naſcitur conſpectus emblematis. vel enim id ſignificare poſſunt verba: *Deum Tſione* aut *Hieroſolymis* collocaturum eſſe *lapidem* ut fundamentum *novi* cujuſdam *ædificii*, ſuper hunc lapidem extruendi, hoc eſt, Deum in Monte Tſioneo collocaturum eſſe *lapidem* in fundamentum *Novi* cujuſdam *Templi Spiritualis* & myſtici: vel id docere poterunt verba, Deum *ipſi Tſioni*, ſive Hieroſolymis, (hoc eſt, Reipublicæ & Eccleſiæ Tſioneæ ſecundum aſpectum ejus myſticum,) vel *Domui Davidicæ* in Tſione, lapſum minanti, *ſuppoſiturum* eſſe *lapidem fundamentalem, pretioſum, ſolidum*, qui Tſionem veluti vacillantem fulciat, eamque æternum ſuſtineat. quem poſteriorem emblematis ſenſum in oculis habuit Interpres Græcus, ubi hæc verba vertit: Ἰδὲ ἐγὼ ἐισβάλλω ἐις τὰ θεμέλια Σιὼν λίθου πολυτελῆ· quem Hieronymus eatenus ſequutus, ita expreſſit: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem.* Rectius ſcripſiſſet, *in fundamenta*, ut habet Græcus, & ipſe quoque in expoſitione verborum. Sic diceret Propheta, Deum Tſioni *Urbi* vacillanti & ruituræ, ſive *Domui Davidicæ*, cujus Palatium erat in Tſione, lapſum minanti, ſubjecturum ſive immiſſurum eſſe *fundamentum* ſolidiſſimi lapidis, quod eam ſuſtineat: & forte ad *Tſionem* ipſam potior hic eſt reſpectus quam ad *Palatium Davidicum*; licet hæc analoga ſint. Neutra harum meditationum à natura rei aut analogia ſpiritualium rerum aliena eſt; & ſentio tamen, me majore niſu ferri in meditationem poſteriorem: primo, quia emblema priore modo acceptum remotius eſt ab argumento orationis Prophetæ, quod requirit *lapidem* aliquem *fundamentalem* qui eſſe poſſet *ſaluti* civibus Tſioneis, quod minus convenit *Lapidi* fundamentali *Templi.* ſecundo, quia Propheta in aliis quoque locis loquitur de *fundatione Tſionis* ut *Urbis.* veluti Cap. XIV. 32. *Quid igitur reſpondebitur Legatis Gentis?* Videlicet, *Jehovam* FUNDASSE TSIONEM, *& in ea receptum habituros eſſe pauperes populi ejus.* Cap. LIV. 11. *Afflicta*, (allocutio fit ad Tſionem & Hieroſolymam,) *tempeſtate agitata, conſolationem non adepta: ecce ego pono in ſtibio* LAPIDES TUOS, *&* FUNDO TE SAPPHIRIS, & ſeqq. Ergo, *fundo* IN TSIONE *lapidem*, proprie valet, *fundo Tſionem* IN LAPIDE. tertio, etiamſi ſano ſenſu ex vero dici queat, in Chriſto Jeſu fundatam eſſe *Eccleſiam novam* veluti *novum* quoddam *ædificium:* Prophetæ tamen de eo paſſim in hunc modum loquuntur, ut res ipſa quoque ſe habuit, quod nimirum *Filius Dei* Eccleſiam ejus temporis quo manifeſtus evaderet, non aboleret aut miſſam faceret; ſed inſtauraret, amplificaret, fulciret, & ipſam illius temporis Tſionem in Eccleſiam ſuam converteret, eamque faceret *matrem* & *matricem* Eccleſiarum omnium in nomine Chriſti congregandarum. ſecundum illud Amoſi *d*: *Illo die* ERIGAM (reſuſcitabo) *Tabernaculum Davidis collapſum, & ſepiam rupturas earum, & demolitiones ejus reſtituam, & ædificabo eam* (Hieroſolymam,) *ut diebus ſæculi.* Plura non adduco ut in re liquida. eundum enim eſſet per omnes Prophetas. Summa diſquiſitionis noſtræ eſt, id velle Prophetam, Deum circa hoc tempus ſubditurum eſſe *Tſioni* Urbi, collapſæ aut ruinam minanti, *Lapidem* aliquem ſolidum & pretioſum, qui eidem *inſtar fundamenti* ſupponeretur. Hic, meo quidem judicio, eſt aſpectus genuinus hujus loquutionis emblematicæ, qui multum confert ad verum intellectum illuſtris hujus ſententiæ: etſi vix ullum Interpretem viderim, quem cura emblematis conſtituendi anxerit.

Vel reſpicitur hic *Templum* ſpirituale, vel URBS TSION, aut *Palatium Davidicum* in *Tſione.*

Interp. Græcus accepit de *Tſione.*

Quæ ſententia diſtinctius declaratur.

Ἐπίκρισις in has meditationes.

Poſterior eligitur.

Reſpicitur hic ad *Tſionem.*

Rationes ejus ſententiæ.

Loca analoga hunc illuſtrantia.

Ecquis vero hic LAPIS fundamentalis *Tſionis*, magni-

Prophetæ docent, Chriſtum eſſe Eccleſiam *futurum, perfecturum, inſtauraturum.*

Locus Amoſ. IX. 11.

Inquiritur in *emblema* orationis, ubi mentio de *fundando Lapide.*

Reſpicitur *Ædificium* vel *Structura* cui *Lapis*

Summa ſententiæ Prophetæ *ex hac hypotheſi.*

ſupponeretur.

ſice

a Deut. XXXII. 39. *b* Cap. XLIII. 25. *c* Thren. III. 1. *d* Amoſ. IX. 11. coll. cum Act. XV. 16.

A Jarchius: הנני יסר] לשון עבר הוא כמו יסר המלך וכן צריך לפותרו הנני הוא אשר יסר כבר בציון אבן *Ecce ego* יסר] *Verbum eſt formæ præteriti, ut in loco* (Eſth. I. 8.) Sic יַסֵּךְ conſtituerat Rex; *eſtque neceſſario ſic exponendum: Ecce ego is ſum qui jam fundavit in Tſione lapidem.*

Per *Lapidem* hic intelligenda illustris aliqua Persona, *Hukias* an *Messias*.

fice adeo à Vate celebratus? Altera hæc disputationis pars est, quæ lumen huic loco affundit. Nemo dubitat metaphorice sive symbolice designari *illustrem* quandam *Personam*, REGEM sive SALVATOREM Tsionis. Certe hic consentiunt omnes. Quæritur tantum, qualem? HISKIAMNE, an MESSIAM, & quidem *Messiam* nostrum JESUM? de duobus enim hic solummodo cogitari posse, æqui judicii omnes largiuntur. Hic vero diversæ sunt sententiæ. Scriptores Novi Fœderis hunc locum

Scriptores N. T. hic demonstrant *Messiam*.

diserte & directe ad *Christum Jesum* transferunt, ut *Rom.* IX. 33. X. II. 1 *Pet.* II. 6, 7. 8. quæ loca in ipsa expositione relegentur. Antiquæ Synagogæ quin eadem traditio fuerit, nullus dubitem; estque probabile, indicium ejus olim extitisse in Paraphrasi Chaldæa.

Dubium, an olim quoque Paraphrastes Chaldæus.

Certe Raymundus Martini [a] sic describit Paraphrasin: הא אנא מסני בציון מלך תקיף ונכור *Ecce ego constituens in Tsione* REGEM MESSIAM *potentem, & robustum, & fortem.* Sic exhibet versio. Pro rie: *Regem Messiam, Regem validum & fortem.* Verum in *Paraphrasi* nostri temporis vox משיח desideratur. Nostra habet: *Ecce ego constituo in Tsione* REGEM; REGEM *robustum, fortem,* ואמתן *& formidabilem.* Elias qnoque Levita [b] & Buxtorfius, qui loca in *Paraphrasi* de *Messia* expositа diligenter percensuerunt, hunc locum præ-

Lectio hodierna Paraphrasios Chaldææ. ad eam animadversio.

tereunt; ut certum sit, in his quibus usi sunt Exemplis Paraphrasium non occurrisse. Et tamen mirum accidat, Paraphrasten Messiam vidisse in ℣. 5. hujus *Sermonis*, & in hoc loco tam claro & diserto ab eo avertisse oculos; ut probabile videri possit, nomen illud in quibusdam Exemplaribus excidisse, quacunque id factum fuerit de caussa; quod minus curo quia momentum veritatis ab eo non pendet. Jarchius, qui *Paraphrasi* passim in interpretatione sua adhæret, hic vidit MESSIAM, licet ὁμόφυλος ipso posteriores, Aben-Ezra & Kimchius, HISKIAM demonstrent. Verba: *Ego sum* is qui *fundavit in Tsione lapidem:* exponit: כבר נגזרה גזרה לפני והעמדתי מלך המשיח שיהא בציון לאבן בחן *Jam certo decretum definitumque est apud me, & constitui* REGEM MESSIAM, *qui in Tsione futurus sit in lapidem probatum.* Verum, ut jam præmonui; non vertitur in eo momentum hujus quæsitionis. Auctoritas Apostolica vincit apud Christianos: apud Judæos vero, si demonstretur consentanea rationi. Dixeris, Apostolos locum *mystice* accepisse, cum Grotio & Brenio. quod unum hic excipi potest. Sed

Interpretes Judæi posteriores ut hunc locum tractent.

Et qui in *Messiam* videt.

Verba Jarchii.

Responde-

tur ad exceptionem quæ videtur produci posse ad superius argumentum.

respondeo, α. Ejus nullum indicium esse in verbis Apostolorum. locum plane, directe, absque circuitione ad Christum transferunt. β. *Enunciata* hujus *Lapidis* in dicto Prophetæ favent interpretationi Apostolicæ, quippe quæ perfecte conveniunt Filio Dei Messiæ; in aliam autem personam non competunt, nisi forte verba tenuissimo sumantur sensu. *Lapis* qui hic memoratur, est α. *Fundamentalis* in quo fundatur *Tsion*, hoc est, Ecclesia. β. Fundamentum, basis, objectum *fidei & spei* Ecclesiæ. Est LAPIS SALVATOR. qui *credit* IN EUM, (sic recte Apostoli locum acceperunt:) *non pudefiet.* Quis dixerit de Hiskia nisi cum injuria Christi Jesu, cujus hæc verissima sunt attributa? γ. Favet interpretationi Apostolicæ analogia Scripturæ Sacræ, ad quam ipsi illi Scriptores Sacri nos docuerunt advertere animum. Hunc enim locum de Christo ut *Lapide* allegantes, cum illo contulerunt duo alia, eaque non minus insignia, ex Propheta nostro Cap. VIII. 14. *Et erit* (Jehova) *in Sanctuarium; & in* LAPIDEM *offensionis ac petram offendiculi duabus Domibus Israël.* & ex Ps. CXVIII. 22. LAPIS *quem reprobarunt ædificantes, factus est in caput anguli.* Sic Petrus. Paulus verba describens Rom. IX. 33. duo loca, (hunc nostrum videlicet & Cap. VIII. 14.) inter se permiscet, hoc ipso nos monens de eorum analogia. Christus Dominus ipse amavit Judæos ducere in notitiam sui ut *Lapidis* [d], non tantum alludens ad prophetiam Ps. CXVIII. 22. cujus verba allegavit, sed & loca Prophetæ nostri, ut facile liquet ex ℣. 44. ejus Sermonis sive Colloquii cum Pharisæis. Petrus idem agit

Analogia Scripturæ S. firmat sententiam.

Locus Cap. VIII. 14. & Ps. CXVIII. 22.

Christus D. posteriorem ostendit de se loqui, Matth. XXI. 41.

Act. IV. 11. R. Moses Nachmanides, expositurus locum orationis Josuæ ex Libro hujus argumenti, Cap. XXIV. 27. *Ecce* HIC LAPIS *erit inter nos in testimonium, nam* ILLE AUDIVIT *omnia verba Jehovæ, & seqq.* per *Lapidem* illum intellexit LAPIDEM MYSTICUM, ic. Angelum Fœderis de quo magnifice sentit, LAPIDEM PASTOREM, Gen. XLIX. 24. *Lapidem reprobandum ab Architectis*, Ps. CXVIII. 22. & *Lapidem ponendum coram facie Josuæ*, Zach. III. 8. 9. qui idem esset Servus Dei *Tsemach.* quod Nachmanidis observatum animadversu dignum, licet forte illi loco Josuæ minus conveniens, mihi subjecit, quem lubens laudo, Andreas Masius, Vir Doctissimus [e]. Sed habeo quod moneam de loco Zachariæ, Cap. III. 8. 9. Verba Prophetæ sunt, loquentis ad Josuam Pontificem, & Viros Sacri ordinis ei assidentes: *Ecce ego adduco servum meum* TSEMACH: *quia ecce quod attinet ad* LAPIDEM ILLUM *quem posui coram* JEHOSUA, *super lapidem unum septem erunt oculi.* Non licet hic alium intelligere quam *Messiam.* Una eademque Persona esset TSEMACH & LAPIS, qui in futurum promittuntur: ut adeo excludatur Zerubabel. Cæterum ubi Messias hic & alibi apud Zachariam appellatur TSEMACH: persuasus sum, alludi ad locum Jes. IV. 2. & hujus nostri Sermonis, ℣. 5. ut ad priorem locum jam monui. Non nego autem mihi in mentem venisse, idem fieri in nomine LAPIDIS. Cum enim non assequerer, quid id sibi velit; *Lapidem* aliquem certum *positum esse* CORAM JOSUA: incidi in hanc cogitationem, per JOSUAM in hoc loco designari ipsum JESAIAM, (nomina enim יהושע & ישעיה sunt ejusdem significationis & formationis,) ut sensus dicti sit: *Ecce lapis ille qui positus est coram facie Jesaiæ*, scilicet in hoc loco nostro. hoc est, LAPIS ILLE (האבן) *de quo vaticinatus est* JESAIAS Cap. XXVIII. 16. *super* ILLUM *Lapidem sunt septem oculi.* Sed nihil hic definio, nec hypothesin vehementer urgeo. Sufficit, id me obtinere, quod certo teneo, Scriptores Sacros de MESSIA loquentes, illum lubenter appellare & demonstrare ut LAPIDEM. Addo locum Danielis Cap. II. 34. 45.

Nachmanidis observatum ad Jos. XXIV. 27.

Alia analoga.

Locus Zach. III. 8. 9. cum hoc nostro collatus.

Zacharias subinde in oculis habui Jesaiam.

MESSIAS in hoc loco appellatur LAPIS quod à Deo Patre æterno consilio gratiæ electus ordinatusque sit in *fundamentum Tsionis* sive *Ecclesiæ*, quodque iis præditus sit proprietatibus, quæ *verum* Ecclesiæ *fundamentum* præstare queant. *Fundamentum* autem esse Ecclesiæ, est Ecclesiæ sive Corporis Credentium esse *Salvatorem*; αἴτιον τῆς σωτηρίας *caussam salutis æterna Ecclesiæ f.* *Caussa* autem *salutis* Ecclesiæ nemo est nisi qui est *caussa justitiæ Ecclesiæ*, & vi justitiæ in eam confert omnia beneficia gratiæ quæ ad *Populum suum vera salute* donandum, hoc est, *à peccatis salvandum* proprie & directe pertinent. Esse *Pontificem*, Intercessorem, Mediatorem, Internuncium electorum apud Deum Patrem; *Doctorem* qui populum suum lumine Verbi & Spiritus sui illuminat; *Sanctificatorem* qui eundem vindicat è statu servitutis peccati in statum Libertatis filiorum Dei; *Legislatorem*, qui sanctis Legibus ejus ordinet πολιτείαν; *Regem* qui eum sustinet & vindicat: *Judicem* qui Ecclesiam suam corrigit, & ab adulteriinis membris purgat: *Petram* & rupem qua fides & spes sanctorum nititur, & quæ hujus generis analoga sunt *attributa* Messiæ: est proprie & vere esse *Lapidem Ecclesiæ.* Paraphrastes *Lapidem* hic declarat per REGEM, idque non indocte. apud Gentiles enim ipsos subinde habebatur symbolum *Regis*, ut alibi [g] ex Herodoto observavi. sed hoc in loco plus notat, & uno verbo *Salvatorem*, sive *Fundamentum salutis* piorum credentium. *Lapis* est quid solidum, immotum, naturæ ut videtur durabilis & æternæ, in quo *fundari* potest *ædificium* & aptum illud sustinere, si sit Lapis magnus, quadratus, fundamentalis: quæ sunt proprietates *Messiæ* secundum utramque ejus Naturam. *Lapis* enim qui sustinet *Domum Ecclesiæ*, eique supponitur, ut fundamentum, non potest esse alius ac *Pastor Israëlis* qui est apud Deum & cum

Quare Messias appellatur *Lapis*?

Attributa communia notionis figuratæ distincte recensentur.

---

[a] *Pug. Fid.* Part. II. Cap. V. Fol. 274. [b] In *Methurg.* [c] In *Lex. Talm.* ad vocem משיח. [d] Matth. XXI. 42. [e] *Comm.* ad h. l. Libri Jos. [f] Heb. V. 9. [g] *Comm.* in Cap. VIII. 14. 15.

& cum Deo, & cui vera competit Divinitas, idque clare significatur Gen. XLIX. 24. & à Propheta nostro Cap. VIII. 14. 15. ubi dicta non repeto. Nec Gentiles ipsi emblema aliter acceperunt *A*. Sed innotescet nobis hic *Lapis* propius ex suis *attributis* quæ *quinque* ex hac pericopa ordine recensebo.

Specialia hujus Lapidis attributa quinque.

Primum horum est אבן בחן *Lapis probationis*, sive *explorationis*. Sic verti vocem בחן cum Doctis quibusdam Interpretibus. Vulgo tamen alii eam reddunt, *probatus*. Sic Hieronymus, sequutus Aq. Sym. Theod. qui habent, δόκιμον. In interpretatione Vetere Græca, in qua attributa *lapidis*, ut videtur, transposita sunt, voci בחן respondet, ut putem, vox ἐκλεκτός. Exhibet ea hoc tempore: Λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον. ubi plus est quam in Hebræo. Petrus, eundem hunc locum recensens, habet λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτὸν, ἔντιμον. Si Petrus usus fuerit versione Græca: probabile mihi fit, vocem πολυτελῆ in hac *versione* vacare, & cum ad marginem adscripta fuerit ad illustrandam vocem ἔντιμον, (Heb. יקרת) deinceps irrepsisse in contextum. Quicquid ejus fuerit, vox ἐκλεκτὸς in hac *Versione* præstat notionem בחן, ut jam monui. Utique non inficior, vocabulum בחן rectissime verti per Græcum ἐκλεκτὸς, ut & per Latinum *probatus*. Est enim בחן *probare, explorare*, unde בחן *probatio, exploratio*; & *constructa secundi casus* utramque significationem, *activam* & *passivam*, admittunt. Est autem *electum* quod *probatum* est. Hebræi tamen Interpretes vulgati hic in aliam conspirant versionem. בחן interpretantur per מבצר *munimentum*, vel *munitum*, ex ea significatione vocis בחן qua notat *Turrim exploratoriam*, munitionem. ut apud Prophetam nostrum Cap. XXIII. 13. de Tyro: הקימו בחוניו *Erexerunt turres ejus exploratorias*. & Cap. XXXII. 14. *Ophel &* בחן BACHAN (munitio insignis Hierosolymitana) *in solitudinem redigentur*. Eodem haud dubie respexit Chaldæus, quando vocem reddidit per תקיף *fortem, validum*. Verum nullus dubito quin sint in gravi errore. Significatio enim vocis בחן, qua *munitionem* notat, est obliqua & translata, atque incommode admodum transfertur ad *Lapidem*: notatio autem directa & propria *turris exploratoriæ* hic usum nullum habet. *Lapis* hic intelligitur magnus, insignis, solidus, qui ædificio alicui substerni potest in fundamentum. Ergo vox בחן hic vertenda per *lapidem probatum, electum*, vel per *lapidem probationis*. Utraque interpretatio Christo Jesu aptissime convenit. *Jesus Messias* est *lapis probatus*, quod Deo Patri *intime cognitus* & exploratus cum omni sua proprietate, & eo consilio *electus a*, (ἐγνωσμένος & προεγνωσμένος,) per totum tempus vitæ quod transegit in terris, & præcipue per *tentationem gravissimam*, afflictiones, labores, insidias adversariorum, & tandem per dira παθήματα *tentatus b* (πειρασθεὶς) probatusque dignus habitus est qui Ecclesiæ subjiceretur ut *fundamentum*. Idem non minus vere & concinne dicitur *Lapis probationis*, (quod propriissimum nomen est τῆς λίθε Ἡρακλείας, sive Λύδης, LAPIDIS LYDII qui dicitur, ab Heraclea Lydiæ Civitate appellati qui attritu *auri* & *argenti* bonitatem probat *c*:) quod à Deo publice propositus hunc habeat usum ex voluntate Divina, ut omnium hominum *judicia* & *affectus* ad ipsum explorarentur, ἵνα ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί *d*. quomodo illum sub nomine *Lapidis* descripserat Vates noster Cap. VIII. 14. 15. Fides pura an hypocrisis; cor rectum an dolosum; solidum judicium de via salutis, num lubricum; fides etiam plus vel minus pura an animum hominis occupet & afficiat, ex *attritu Christi Jesu* (liceat sic loqui.) hoc est, ex illo mentis actu quo quis se ad Christum applicat, sive quo de Christo judicat, cognoscitur & intelligitur. Forte autem potuit Spiritus ad hanc *lapidis* proprietatem respicere, quod usus *probatoriorum lapidum* videatur esse antiquissimus, quando hæc interpretatio se vere magna commendat specie atque elegantia. Etiamsi enim de *Fundamentali Lapide* loquatur Jesaias: ipse tamen omnia attributa, quæ *Lapidem* qualemcunque commendant, huic *Lapidi* asserit & vindicat, quod ea convenerint *Subjecto* quod hic translate *Lapis* dicitur.

Significatio vocis בחן.

Hebræi vocem vertunt per *munimentum*.

Quæ interpretatio hic non admittitur.

Quo sensu Christus Jesus appellari queat *Lapis* δόκιμος, *probatus*?

Et quoque *Lapis probationis*?

Est *Lapis Lydius* ad quem probatur *fides Ecclesiæ*, quod declaratur.

Alterum attributum speciale hujus *Lapidis*: esse *Lapidem angularem*.

Interpretatio Græca.

Quid sit *Lapis angularis*?

Alterum attributum, esse *Lapidem* פנה *angularem*, proprie secundum constructionem Hebræam: Lapis *anguli*. Οἱ ὁ. Ἀκρογωνιαῖος. Sic pariter Petrus. Pertinet illud ad τὸ ὑπερέχον hujus *Lapidis*. *Angularium Lapidum* est non tantum sustinere ædificium, sed & illud *compingere*. quod ut faciant, supponuntur esse lapides *primarii* totius ædificii, *magni, quadrati, solidi*, in quos ædificii latera concurrunt. Quin imo *angularium lapidum* est habere *angulos* prominentes, acutos, in quos qui impingit, gravius læditur, sibique arcessit noxam. Est autem perinde sive hic ad *angulares lapides murorum*, sive *ædificiorum*, respiciatur: licet posterius hic malim. Sunt rursus verissima prædicata Christi Jesu, ut fundamenti Ecclesiæ. Totum Corpus Credentium ipso nititur, sustinetur, ut primaria & illustri Persona, ad id à Deo electa *e*. Sancti omnes & credentes in ipso uniuntur & συμβιβάζονται *compinguntur f*. Et quidem *diversa latera* in eum *concurrunt*. Sunt *Judæi* & *Gentes* quibus ædificium Tsionis mysticæ consisteret, in ipso *factæ ἓν unum g*. Quin imo in Christum Jesum nemo impingit absque noxa; & imprudentes tamen ob *prominentem angulum*, h. e. ob τὸ παράδοξον quod in Christi Jesu persona & doctrina est, impingunt facillime. Hoc attributum Apostolus hunc locum recensens in oculis habuit, ubi Christum Jesum proponit ut *lapidem locatum* in *Tsione*, qui esset *petra scandali*. locum hunc nostrum illustrans ex Cap. VIII. 14. 15. ubi de hoc argumento multis egi. Sic *Lapis* reprobatus ab *Architectis* factus est לראש פנה *in* CAPUT ANGULI, εἰς τὸ ἄκρον τῆς γωνίας, quod proprie est ἀκρογωνιαῖος.

Proprietates *Lapidis angularis* ad Christum Jesum applicantur.

Tertium attributum: esse *Lapidem pretiosum*.

An vox יקרת *pretiositas* hic vere sit referenda ad *Lapidem*? num potius pertineat ad *Fundatum fundatissimum*?

Tertium Lapidis hujus *attributum* latet in voce יקרת *pretiosus*. quod tamen an huic *Lapidi*, an potius *Subjecto consequenti* tribuendum sit, prius est disp iciendum. pertinet enim ad veram loci hujus intelligentiam, id recte definire. Hebræa habent: אבן בחן פנת יקרת מוסד מוסד quæ ad verbum sonant: *Lapidem probationis* sive *probatum anguli preciositatis fundati fundatissimi*. h. e. *Lapidem angularem pretiosum* vel *pretiosi fundati fundatissimi*. Si enim vox יקרת *pretiositas* exponatur secundum *statum constructum*: rectius refertur ad sequens subjectum, hoc est, ad *fundatum fundatissimum*. Nec desunt Interpretes qui sententiam Prophetæ ex hac hypothesi exponunt: ut sane facit Cl. Coccejus. Ille per *Fundatum fundatissi-*

Diversæ

---

a 1 Pet. 1. 20. *b* Heb. II. 14. IV. 15. *c* Vide *Erasm.* in *Adag.* ad hoc argum. *d* Luc. II. 34. *e* 1 Cor. III. 11. Eph. II. 20. *f* Col. II. 19. Eph. IV. 16. *g* Eph. II. 16.

A Gentilium Theologia symbolica *Lapides*, rudes maxime & siliceos, in sacris exhibuit ut symbola Divinitatis, superstitione quidem insana & detestabili, quæ cæcas hominum mentes delusit, sed quæ ex antiqua traditione per impuros canales videtur derivata esse. Veteres Βαιτύλους & Βαιτύλια appellarunt, origine nominis à lapide *Bethelitico*, à Jacobo uncto & in fundamentum sive signum Loci Sacri ordinato Cap. XXVIII. 17. 21. & non vulgari honore ab ipso affecto ac culto, haud dubie hausta, ut Vossius de *Idololat.* Lib. VI. Cap. XXXIX. Huetius *Demonst. Evang. Propos.* IV. §. VI. aliique jam monuerunt. Fuit ejusmodi Βαίτυλος inter ἀναθήματα Templi Delphici quem describit Pausanias, (in *Phocicis*,) ut *modice magnum*, de quo ipse: Τούτῳ καὶ ἔλαιον ὁσημέραι καταχέουσι, καὶ κατὰ ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι ἀγρά· *Hunc quotidie oleo perfundunt, singulisque Festis lanam in eo ponunt rudem.* quem locum illustravit ὁ πάνυ Grævius in *Lectionibus* Hesiodeis, Cap. XXV. Ejusdem generis fuit *Lapis* ille singularis, *maximus, ab imo rotundus, figuræ coni, coloris nigri, characteribus quibusdam insignis*, quem ut *simulacrum* quoddam *Solis* venerabantur *Emeseni* & vicini Syriæ Populi in splendidissimo Templo, cujus Sacerdotem cum fratre egit *Elagabalus* antequam Imperii dignitatem consecutus est: quem cum cura describit Herodianus, Hist. Lib. V. Cap. III. pariter ut famosus ille *Lapis siliceus* à Pessinunte Phrygiæ sub nomine *Matris Idææ* sive *Matris Deûm* Romam magna pompa advectus & receptus, ac singulari honore cultus: historia notissima ex Livio, Lib. XXIX. Cap. XXIV. cujus *sacra* idem describit Herodianus in Historia Commodi, Lib. I. Cap. X. Symbolum fuit *Naturæ rerum æternæ*, (vel *primæ & summæ caussæ omnium rerum*, necessariæ, æternæ, non productæ, non periturræ,) secundum crassa philosophemata rudioris ac tenebricosi sæculi, à plerisque Populis sub variis emblematibus cultæ. Fabulosa enim, quæ Verustas de hoc *Lapide* traditionibus suis immiscuit, pleraque aliene ei sunt afficta, dum Gentiles in densis illis tenebris ipsi sacrorum suorum symbola non intellexerunt, prudentibus exceptis: certe vulgus superstitione plane fuit excæcatum.

Intt. sententiæ.

tissimum intelligit Ecclesiam Christi Jesu, in ipso ut in fundamento fundatam. quod *ædificium spirituale* nemo neget esse יקר *pretiosum*, præstans, eximium; ut proinde Christus Jesus rectissime appelletur *Lapis probatus* sive *probatorius*, *angularis*, *præstantis Urbis* aut *Ædificii* spiritualis, *solidissime fundati*, hoc est, Tsionis sive Ecclesiæ. Equidem meditatio hæc singularem meretur animadversionem, nec ausim eam fidenter repudiare. Ecclesia à Paulo appellatur FUNDAMENTUM *Prophetarum & Apostolorum*, cujus ANGULARIS LAPIS est ipse JESUS CHRISTUS. Sic scripsit Apost. Ephes. II. 20. Et sunt tamen aliqua quæ eam morantur. Etenim primo, si hic obtineat sensus, præcipua attributa *lapidis* hujus, veluti esse eum *pretiosum & solidissime fundatum*, transferentur ad aliud *subjectum*, sive *Ecclesiam*, cum potius scopus totus Prophetæ eo tendat, ut commendet *Lapidem* illum ut *fundamentum* Ecclesiæ. de ejus enim loquitur fundatione. secundo, merito quæro, quo sensu Ecclesia hic dicatur *Fundatum fundatissimum*? Certe non alio quam quod *fundata* sit in Christo. verum cum in hoc loco demum mentio fiat *fundationis* Christi ut *fundamenti*: non videtur Ecclesia per anticipationem hic appellari *Fundatum fundatissimum*. Id potius appellatur *fundamentum* quod hic *fundari* dicitur. tertio, nomen יקרת *pretiositas* in hac sententia cohærere non cum מוסר *Fundamentum*, sed cum אבן *Lapis*, inde patet, quod vox familiariter cum voce אבן construatur ubi mentio fit *lapidum pretiosorum*. Quare Interpres Græcus, quem Petrus sequutus est, vocem ἔντιμος refert ad *lapidem*. perinde ac Paraphrastes *omnia attributa* hujus *commatis* retulit ad *Lapidem*. Nec dissentiunt recentiores. Monent enim, vocem יקרת in *statu constructo* hic poni pro *statu absoluto*; ut adeo verba *Fundatum fundatissimum* à voce יקרת separentur, & referantur ad *Lapidem*. Kimchi: יקרת׳ שם כמו יקר׳ והתי׳ במקום ה״א ואיננו סמוך כמו שפי׳ במורת ציצת יקר; *Vox* יקרת *est nomen perinde ac* יקר; *occupat autem litera Thau locum He; nec censenda est vox esse in statu constructo, ut declaravi ad vocem* ציצת. Extat ea ℣. 3. *forma constructi* cum vere *constructa* non sit. Adde ex hoc ipso Sermone exemplum aliud hujus *ἀναμαλίας* in vocibus גמולי & עתיקי pro עתיקים & גמולים, ℣. 9. Sed sunt alia magno numero, ex quibus multa singulari diligentia collecta sunt à Cl. Buxtorfio [a]. ad quæ attendens videor mihi observasse, subinde vel *emphasios* vel *conjunctionis* sive *cohærentiæ* significandæ caussa absque *ullo regimine* statum *constructum* adhiberi. Sume tibi exempla ex Propheta nostro, quæ supra jam habuimus, ex dictis, מכרת בלתי סרה pro מכרה, Cap. XIV. 6. נטעי נעמנים, Cap. XVII. 10. Ergo mihi plane persuadeo, *statum constructum* in vocibus פנת *angulus* & יקרת *pretiositas* supplere vicem *copulæ* & meram significare cohærentiam attributorum horum *inter se* & cum *lapide*, hoc sensu: Fundabo in Tsione *Lapidem*, *Lapidem probatorium*, *angularem*, *eximium*, *fundatum fundatissimum*. Est autem vox יקרת *pretiositas* hic explicanda de *dignitate* summa Personæ Christi Jesu, ut veri Filii Dei, ejusque *præstantia* ut Salvatoris, Doctoris, Pontificis, Judicis, Regis Ecclesiæ cum respectu ad alias Personas illustres quæ similes dignitates in usum Ecclesiæ sub Oeconomia antiqua gesserant, iisdemque titulis & nominibus olim honestatæ fuerant. *Plus quam Jonas hic est* [b]. *plus quam Salomo hic est* [c]. *insignitus est præ myriade* [d]. *pulchrior omnibus filiis hominum* [e], quacunque parte spectetur. Desumpta est locutio à *Lapidibus pretiosis*, adamantibus, sapphiris, smaragdis, amethystis, quibus proprie hoc nomen competit. cujusmodi *Lapides* etiamsi proprie non soleant supponi Urbibus aut Ædificiis ut fundamenta: in mysticis tamen, quæ grandibus lineis ac figuris pinguntur, id fieri supponitur, quia *lapidum* illorum attributa Christo Jesu conveniunt: quippe quod patet ex Jes. LIV. 12. & Apoc. XXI. 19.

Prius eligitur. rationes hujus sententiæ.

Intt. Vett. & Recent. consensus.

In voce יקרת *Status absolutus* pro *constructo*.

Verba Kimchii. exempla parallela.

Status constructus subinde emphasios caussa adhibetur.

Exempla ejus rei.

Versio secundum hoc observatum constituta.

Attributum de Christo Jesu exponitur.

Personæ & officiorum præstantia, & dignitas.

Unde desumpta sit metaphora?

Quartum attributum: מוסר מוסר *Fundamentum fundatissimum*. sive, ut doctus ille Raymundus, si minus latine, non minus vere, bis vertit: *Fundamentum fundamentatissimum*. Verba Hebræa, quod Cl. Hackspanius jam observavit [f], non iisdem occurrunt instructa punctis. Quidem Codices prius per (-) posterius per (֯) legunt, מוּסַד מוּסָד, quando vertitur, *fundamentum fundamenti*. Alii Codices exhibent מוּסָד מוּסָּד, legentes utrumque cum (֯) & infigentes *Dageschi* literæ ס posterioris vocis. quod tamen ab aliis quoque negligitur, & negligi potest, quando prius מוסר est nomen, posterius *participium Hophal*, & verba vertuntur: *Fundamentum fundatum*. Priorem lectionem admisit Buxtorfius [g], sequutus, ut opinor, Jarchium; suntque ex superstitiosis sectæ Pontificiæ, qui hac lectione abutuntur ad tuendam versionem Vulgatam, *in fundamento fundatum*, (Hieron. *fundatum fundamine*,) & defendendam absurdam & Christianis auribus non ferendam hypothesin, quæ hunc locum accommodat ad *Pontificem Romanum*, ipso præeunte Bellarmino [h], sæpius hoc nomine à nostris explosо. Nos hic contra insanos non disputamus. Si vel maxime verba vertenda essent, *fundamentum fundamenti*: nihil aliud diceret Propheta ac quod nos volumus, h. e. esse fundamentum eximium, solidissime fundatum; neque aliter accepit Jarchius, hanc lectionem amplexus. Verba ejus: מוסר מוסר הראשן פתח לפי שהוא רבוק מוסר של מוסר מוסר שהוא מוסר נמור *In verbis* מוסר מוסר, *prius recipit Pathach quia est in statu constructo*: FUNDAMENTUM FUNDAMENTI. h. e. *Fundamentum quod est fundamentum perfectum*, absolutum. Sed si id voluisset Propheta, scripsisset: מוסר מוסרי *Fundamentum fundamentorum*. ut, *Deus Deorum*, *Canticum Canticorum*. Homero ubique, δῖα θεάων. Locutio illa, *fundamentum fundamenti*, *Rex Regis*, *Canticum Cantici*, est insolens. certe mihi hoc tempore non occurrit exemplum. Ergo omnino tenenda est altera lectio, & posterius illud מוסר accipiendum pro *participio*, ut Kimchius & Aben-Ezra exerte monent. Conferantur similia constructa in מבשל, מבשל *coctile coctum*, (Exod. XII. 9.) חפש מחפש *scrutatio scrutata*, (Ps. LXIV. 7.) חכמים מחכמים *sapientes sapientificati*, Prov. XXX. 34. ut erudite Cl. Hackspanius, qui diligentiam suam hic cum laude exercuit. quando sensus idem est quem Kimchius jam expressit, *fundamentum* hoc omnium quotquot concipi possunt, fore *firmissimum*. Est verus & indubius character solius Christi Jesu, *fundamenti*, h. e. Salvatoris & Caussæ justitiæ, Ecclesiæ qui *eandem suo merito & potentia sustinet*. de quo Apostolus [i]: *Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positum est quod est* JESUS CHRISTUS. Quod autem Dominus Petro dixerit [k]: *Tu es Petrus, & super* HANC PETRAM *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt ei*: estne homo tam vecors inter Christianos qui hoc dictum de *Petro* ἁπλῶς *absolute* accipiat? Vah stuporem! An *Petrus* est verum Ecclesiæ *fundamentum*, *absolute* sic dictum? Idne dixeris, qui in *Christum* te profiteris credere? Abi post me, Satana. Christus Jesus ita loquens *restricte* intelligi voluit cum respectu ad *doctrinam* à Petro & reliquis Apostolis, quorum ipse personam sustinebat, inculcandam & promulgandam, cujus ipse summam nomine reliquorum Apostolorum & suo professus fuerat; quæ summa Doctrinæ Christum Jesum commendat ut unicum & verum Ecclesiæ *fundamentum*. cujus *doctrinæ* respectu *Fundamentis duodecim* Novæ Hierosolymæ, quæ figurant Filium Dei, Messiam Jesum, à *duodecim Apostolis* propositum ut *fundamentum* Ecclesiæ, inscripta erant nomina *duodecim Apostolorum* [l].

Attributum quartum: *Fundamentum fundatissimum*.

Docti Viri versio notabilis.

Quæritur de genuina lectione vocum מוסר מוסר.

Differitas hic observata.

Sed quæ sensum non turbat.

Jarchii observatum.

Non probatur.

Non recte dicitur: *Fundamentum fundamenti*.

Posterius מוסר hic est *participium*.

Phrasis aliunde illustrata.

Quo sensu Christus D. *Petrum* appellet *petram*, Matth. XVI. 18.

Locus expositus.

Attributum quintum hujus Lapidis *Fundandus esset in Tsione*.

Attributum quintum: *Hic lapis* (ECCE, res paradoxa!) A DOMINO JEHOVA FUNDANDUS ESSET *in Tsione*. quod attributum ordine primum, hic ex vero sensu Prophetæ ultimum colloco, quia cætera quæ recensui, ei substrata sunt. Cum enim iis instructus esset proprietati-

[a] *Thes. Gram.* Lib. II. Cap. IV. [b] Matth. XII. 41. [c] ℣. 42. [d] Cant. V. 10. [e] Ps. XLV. 1. [f] *Not. Philolog.* in *Loca Scripturæ*, Part. II. ad h. l. [g] In *Edit. Basil.* [h] *Præfat.* ad Tract. de *Pontif. Rom.* [i] 1 Cor. III. 11. [k] Matth. XVI. 18. [l] Apoc. XXI. 14.

tatibus, quas superiora epitheta exhibent: à *Jehova Domino* in Tsione *fundatus est*, hoc est, Messias *actualiter manifestatus* est ut caussa Justitiæ & Vitæ; ut Salvator & Rex Ecclesiæ. non innuitur enim hic *Decretum*, ut Doctor Hebræus [a] putat, sed Decreti exequutio, & *Φανέρωσις manifestatio* Christi *actualis* ut fundamenti Ecclesiæ, conjuncta cum ἀποδείξει *demonstratione publica*, clara, invicta, *personæ* ejus ex *characteribus* Messiæ, quos Prophetæ deformaverant, & ex *effectis* & consequentibus quæ à Messia exspectabantur. cujus *manifestationis* ut varii fuerunt gradus; sic quoque *fundationis* Messiæ ut *lapidis* & fundamenti Ecclesiæ. *Missio* ejus *in mundum*, qua phrasi ipse lubens usus est, & *nativitas* ex virgine, amplitudine hujus conceptus excludi nequit. Veruntamen vera & propria *fundatio* hujus Lapidis *facta* est vel fieri cœpit, ubi Jesus Christus *triginta* natus annos *propositus* est Populo Judæo ut *Messias* & ipsius Patris sui voce cœlesti commendatus [b]. *Hic est Filius meus dilectus, in quo acquiesco.* à quo tempore ipse, ut Doctor Publicus *Spiritu S. & potentia unctus*, se vitæ suæ singularitate & sanctimonia; sapientia, efficacia, excellentia & spiritualitate doctrinæ; & miraculis, omnipotentiæ Divinæ effectis, ubique ita ostentavit Judæis, ut viderint & observarint qui ante lucem non clauserunt oculos, ὅτι ὁ Θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ· *Deum cum ipso esse* [c]. imo, *in ipso esse*, sive, esse illum *Immanuëlem* verum, olim promissum; verum *Filium Dei*. Veruntamen hæc *Fundatio* complementum demum suum nacta & perfecta est, ubi Messias, reprobatus à Proceribus, potentia Dei Patris *resuscitatus est ex mortuis*, & evectus in cœlos, *Spiritum S.* accepit quem cum Ecclesia large communicaret. Sic Vates Sacer, illum postquam *reprobatus* esset ab *Architectis*, tum demum ἐμφατικῶς evasurum dixerat ראש פנה CAPUT ANGULI [d]. & Petrus exerte [e]: *Certo sciat ergo tota Domus Israëlis quod Deus* HUNC FECERIT DOMINUM & CHRISTUM: *hunc ipsum*, inquam, JESUM *quem vos crucifixistis.* Rem paradoxam, *in oculis nostris mirabilem!* quare Propheta noster præmittit voculam indicativam, ECCE, docetque esse effectum *potentiæ, gratiæ* & veracitatis *Divinæ* quarum virtutum symbola sunt in Nominibus DOMINUS JEHOVA. de quo jam in superioribus præfatus sum.

Restat videamus τὴν Ἔπιτασιν, excellenti huic promisso subjectam, cujus subjectæ scopum ex sensu ejus recte intellexerimus. Sententia Hebraice sic est concepta: המאמין לא יחיש *Qui crediderit, non festinabit.* quam Paulus cum exigua variatione bis [f] ita exhibet: Καὶ πᾶς ὁ πιςεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ καταισχυνθήσεται· *Et quisquis crediderit in eum, non pudefiet.* Petrus vero [g]: Καὶ ὁ πιςεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ μὴ καταισχυνθῇ· *Et credens in ipsum, nequaquam pudefiet.* Dubium, an in integra sententia, num in membro ejus posteriore tantum sequuti sint Interpretem Alexandrinum, cujus versio non eodem modo in *Codicibus* signatur. Vulgatior habet: Καὶ ὁ πιςεύων, οὐ μὴ καταισχυνθῇ. Sed MS. Alex. Ὁ πιςεύων ἐν αὐτῷ. MS. Barb. Edit. Complut. Ὁ πιςεύων ἐπ' αὐτῷ. pariter ut Cyrillus. Ad quas variationes observo, primo, verius videri, in antiqua Versione Græca olim in *priore membro* simpliciter lectum esse, καὶ ὁ πιςεύων. illud vero Apostolicum ἐν αὐτῷ vel ἐπ' αὐτῷ in Codices quosdam immissum esse à Librariis aliquibus qui ad integritatem suorum Codicum pertinere judicarunt, ut lectionem Græcam conformarent ad Apostolicam. Si enim illud ἐπ' αὐτῷ vere lectum esset in MSS. non videtur probabile, Librarios id passim neglecturos fuisse, perinde ut neglectum fuit in *Vetere Itala*, apud Morinum. Et tamen nihil hic vitii est. Cum enim τὸ γενικὸν sive *universalitas* lateret in propositione Vatis: Paulus rectissime addere potuit, locum allegans cum interpretatione, (more Veterum Judæorum,) voculam πᾶς OMNIS; & cum vox מאמין *credens* necessario requirat *subjectum* ad quod referatur; (est enim notio *relativa*) *subjectum* autem quod immediate præcedit, sit Messias, propositus sub figura *Lapidis*, quem constat esse verum fidei objectum, rupem salutis: absque vitio & fraude expresserunt Apostoli quod latet in sensu sententiæ: *Qui crediderit* ΕΠ' ΑΥΤΩ. Lapis enim hic proponebatur ut objectum *fidei* & *spei*. Ergo si qua hic difficultas, residet ea in *membro posteriori*, ubi Apostoli, eatenus sequuti Alexandrinum, pro eo quod Jesaias habet *festinabit*, exhibent, *pudefiet*. Docti Viri plures, (est enim observatio trita!) qui ad hanc versionem Græci Int. & Apostolicam animum admoverunt, existimarunt, versionis differitatem inde esse ortam quod Int. Græc. pro לא יחיש *non festinabit*, legerit, לא יביש *Non pudefiet*. exigua & facili literarum ב & ח permutatione. forte etiam Versionem Græcam & Apostolicam nobis servasse veram scripturam Jesaiæ, cum faciliorem exhibeat sententiam. Rectius enim & commodius dici videtur: *Qui credit, non* PUDEFIET, quam, *non* FESTINABIT. sic fere Vir Eruditus apud Cappellum [h]. Sed moram injecit huic conjecturæ, ut videbatur satis probabili, Cl. Pocockius, qui versioni Græcæ patrocinaturus, observat [i], versionem τῷ יחיש per καταισχυνθήσεται non esse alienam à significatione illius vocis, quæ forte ambitu suo plures olim involvit notationes. themata enim Arabica חוש *Haush* & חיש *Hish*, respondentia Hebræo חוש, tres exhibere significatus, *Festinandi, timendi*, & *erubescendi*. quorum significatuum tertium prætulerint οἱ ὁ. secundum Chaldæus & Syrus. primum recentiores. Ita est. Chaldæus Int. locum vertit: *Justi autem qui crediderint hæc cum venerit tribulatio*, לא ירעשון *non* COMMOVEBUNTUR, vel *trepidabunt*. Syrus: לא נרהל *non* TIMEBIT. Animadversio mea est, primo, nullum me dubitare quin lectio Masorethica יחיש *festinabit*, verissima sit. Sic scripsit Jesaias; non יביש, ut Viri aliqui Docti conjiciunt. Præterquam enim quod Prophetæ nostræ proprium sit, nihil vulgariter efferre, sed in omni dictione emphasin aliquam affectare: alienum est à librariorum more clara cum obscuris, facilia cum difficilibus commutare; estque adeo ipsum τὸ παράδοξον hujus locutionis, quæ tamen elegantissimum sensum sustinet, indubium κριτήριον veritatis hujus *lectionis*, quam agnoverunt quoque Aq. Sym. & Theod. Vertunt illi: Ὁ πιςεύων, οὐ σπεύσει. ut ex Eusebio jam notavit Morinus, & ex Procopio quoque liquet. Secundo, vocem Hebræam חוש ambitu suo plures olim involvisse significationes, admitti posse; sed de eo ex Scriptura Veteris Test. non liquere. obtinet ibi constanter significatum *festinandi*, nec dubitem, quin eum directe intenderit Jesaias. Interpretem vero Alexandrinum nostri Prophetæ hic subsidium petiisse ex Linguâ Arabica, vel penitiorem significationem vocis חוש sibi cognitam habuisse, vulgo non receptam: ægre mihi persuadeo, cum nemo doctrinam ejus in hoc Libro vertendo laudet. multo verisimilius est, illum cum veram vim locutionis Prophetæ non intelligeret, vel vocem in Codice suo affectam deprehenderet, vel etiam festinando non recte legeret, hanc versionem cudisse. Tertio, nihil tamen vitii commisisse Apostolos, versionem hanc minus accuratam licet sequutos, quod & in aliis fecerunt locis. Cum enim versio esset inter Judæos Hellenistas, passim Hebrææ Linguæ ignaros, recepta, & hoc in loco sententiam exhiberet veram, liquidam, popularem, in variis aliis locis Scripturæ verbotenus consignatam, (ut inter alia Ps. xxv. 3. *Etiam in te spem figentes* omnes לא יבשו NON PUDEFIENT:) quid vitii fuit hanc versionem ὑπολῃπτικῶς sive συγχωρητικῶς sequi? Addo nunc, sententiam hanc Græci Interpretis vere fuisse involutam potestate notionis *festinare*. *Festinatio* Prophetæ nostro illum notat turbulentum statum animi, in incertitudine & incredulitate versati, quo in rebus dubiis & obscuris à variis affectibus vitiosis tumultuantibus, ut sunt, *cupiditatis* sui ipsius

Intelligitur ἡ φανέρωσις Messiæ, ejusque *demonstratio*.

Ejus varii gradus & articuli. Primus, ubi Officiis suis inauguratus est per Baptismum.

Alter in Resuscitatione Domini ex mortuis. Tertius in *occupato Regno*, & *effuso Spiritu*.

Ἔπιτασις huic Promisso subjecta: *Qui credit, non festinabit.*

Versio hujus Pericopæ Alexandrina, & Apostolica.

Varia ejus lectio, & ad eam animadversio.

Quomodo concilianda cum Hebræa respectu prioris membri?

Major difficultas est in posteriori membro, in vocibus *festinare* & *pudefieri*.

Docti Viri observatum apud Cappellum.

Contrarium Cl. Pocockii.

Vox חוש olim valuerit significatu *pudefaciendi*?

Ἔπίτασις ad cogitata Doctorum Virorum.

Lectio יחיש recte se habet.

Ejus judicii ratio.

Non videri probabile, Interpretem Græcum suam versionem cudisse ex lectione vocis יחיש.

Apostoli tamen hanc Versionem absque vitio sequuti sunt.

Festinare quid hic proprie valeat?

[a] Jarchius. [b] Matth. III. 7. [c] Act. x. 38. [d] Ps. CXVIII. 22. [e] Act. II. 36. [f] Rom. IX. 33. X. 11. [g] l. c. [h] De *Locis parall.* V. & N. T. [i] *Notis Miscell.* ad *Port. Mos.* Cap. I.

ipsius conservandi, *metus*, *diffidentiæ*, *impatientiæ*, & subinde *desperationis*, in diversas partes trahitur, seque in consiliis & actionibus præcipitat cum manifestis signis perturbationis; qui affectus ut homini *pudendus* & molestus est, sic passim facit, ut homines carnales scopo salutis cum *pudore* excidant. Certa enim spe vacuos spes frustratur. quem usum vocis *festinare* optimi Scriptores Latini non negligunt [A]. *Non festinare* contra significat ex vero sensu Prophetæ, statum hominis quo in rebus dubiis & obscuris *certam fiduciam* ponit in Divinis promissis, ac proinde cum *patientia* animo sedato, composito, constante, sobrio, absque perturbatione exspectat eorum promissorum implementum, consiliaque & actiones suas cum tranquillitate mentis instituit & ad scopum salutarem dirigit. quæ virtus Græcis σωφροσύνη dicitur. Tullio est [a], quod Viro *forti* & *constanti* tribuit, *non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; præsenti animo uti & consilio, nec à ratione discedere*. Stylo Scripturæ est, *non metuere* [b]: *Dominum exspectare*, &, quod hic proprie magis dicitur, *præstolari* [c]: *animam suam possidere cum patientia* [d]: *exspectare cum patientia* [e]. Ergo id vult dicere Propheta, *credentem* huic promisso gratiæ & *nitentem hoc Lapide* ut fundamento *salutis*, omnis mali securum cum *patientia*, absque præcipite affectu, exspectaturum esse & consequuturum promissi implementum. *Festinantis* est vel fidem non habere Divinis promissis atque inde ad omnem mali nuncium trepidare, & ex vitiato affectu absque certo consilio & ratione agere; vel etiam ex *incredulitate*, (cujus aliquid sæpe etiam veræ fidei adhæret,) velle anticipare tempus implementi promissorum, quod in longum nimis extendi videtur: at certæ, masculæ & constantis fidei est, rebus etiam maxime dubiis spem non dimittere, sed implementum promissi patienter exspectare. Docet autem hæc Ἐπίτασις, promisso subjecta, tria, hic observanda, quæ pertinent ad ejus subjectæ scopum. Primum est, implementum hujus magni promissi adhuc in aliquod tempus esse differendum, ut Deus videri posset ad illud implendum morari. Alterum, pertinere tamen ad *officium* credentium, cum patientia illud implementum exspectare. Utrumque Habakukus, de eadem re loquens, his verbis declaravit [f]: *Si moratus fuerit*, sc. Orator promissus venturus, ex vestra opinione: *exspecta illum, quia certo veniet, & non tardabit*. Tertium, esse inter attributa Christi Salvatoris, non *destituere* aut *pudefacere* sibi fidentes. quod idem Habakukus [g]: *Justus fide sua vivet*. quod ipsum in hoc loco dicitur. Sic cautum erat piis & credentibus de salute securitateque sua, quam Deus, non obstante punitione hostibus decreta, suo tempore certo præstaret & efficeret: nec tamen impunitos dimitteret, qui se punitione dignos gesserant. in qua describenda & defendenda sequentia decurrunt.

Quid, *non festinare*? Usus vocis apud Scriptores Latinos.

Phrases Scripturæ S. analegæ, rem illustrantes.

Sensus sententiæ Prophetæ.

Fidei & *incredulitatis* veri effectus.

Scopus subjectæ Ἐπιτάσεως.

Observata tria ad hanc rem.

γ. Ipsa *Pœnæ denunciatio*, variis *articulis* inter se cohærentibus proposita.

Articulus primus.

γ. Ipsa Pœnæ Denunciatio.

Variis articulis absoluta

Articulus primus, ℣. 17.

℣. 17. *Et* DISPONAM JUDICIUM AD CANONEM, *& justitiam ad perpendiculum; & everret* GRANDO *receptum mendacii, & latibulum inundabunt aquæ*] Cautum provisumque erat saluti piorum ac Dei reverentium hominum. Accingit itaque se nunc Propheta ad profanis & hypocritis *Irrisoribus Hierosolymitanis*, qui cum *Morte* & cum *Inferno fœdus* se pepigisse jactabant, abnegantes fidem Salutis à Deo ipso procurandæ suo Populo, denuncianda Judicia iis imminentia, per sæcularem ipsorum prudentiam non facile evertenda: quæ *Denunciatio* Judicii variis comprehenditur *articulus*. Primus is est quem descripsi. Testatur eo Dominus, se non esse parsurum hypocritis & profanis, sed cum iis processurum esse secundum *canonem Justitiæ* severitatisque suæ, absque temperamento clementiæ: futurum itaque esse, ut ipsi illi Populi metuendi, cum quibus fœdus percusserant, in eos inferrent exitium. Hic sensus est sententiæ. *Disponere judicium ad canonem & justitiam ad perpendiculum*, est absque temperamento Gratiæ & moderamine clementiæ *justitiam exercere* כמדה הדין *secundum mensuram judicii*, ut Judæi loquuntur. quod fit, ubi merita hominum beneficiis aut pœnis exacte pensantur. Phrasis elegans est, à Propheta nostro rursus adhibita Cap. XXXIV. 11. cum quo conferri debent loca 2 Reg. XXI. 13. Thren. II. 8. Ego tantum huc advocabo insigne Visum Amosi, Cap. VII. 8. 9. Tria ibi occurrunt *Visa*, accurate deformantia *tres gradus* Judiciorum, quibus Deus ordine animadverteret in Populum Ephraimiticum usque ad plenariam Reipublicæ eversionem, sc. per Pulem, Tiglath-Pulassarem, & Salmanassarem. *Tertius* autem *gradus*, extremus sc. conjungendus cum plenario Reipublicæ excidio, hoc modo exhibetur: *Et dixit Jehova ad me: Quid tu vides, Amos? & dixi:* PERPENDICULUM. (אנך *Plumbum*, *Stannum*. quod usum præbet *perpendiculi*.) *Et dixit Jehova: Ecce ego* PONAM PERPENDICULUM *in medio populi mei Israëlis: non pergam amplius ipsum* (proprie, *ei*) *præterire. Et desolabuntur celsa Isaaci, & sanctuaria Israëlis vastabuntur.* Consequens hic idem esset, hoc est, desolatio terræ & eversio Reipublicæ. futurum videlicet, *ut grando* EVERRERET (est hæc notatio vocis, יעה quæ patescit tam ex hoc loco quam ex derivata voce יעים *palæ*, *scopæ*) *receptum mendacii, & ut aquæ inundarent atque obruerent latibulum*. h. e. ut judicia Divina in Judæos effusa & hostiles Exercitus, validi ac numerosi, ad imperium Divinæ Voluntatis in Canaanæam mittendi, eamque afflicturi, obruturi, vastaturi, ipsis adimerent eam *securitatem* quam sibi *dolosо fœdere* fiducia in hominibus posita cum contemptu auxilii Divini in Canaanæa promiserant. Explicandum est emblema ex ℣. 2. &c. hujus *Sermonis*, & ex Cap. XXV. 4. ubi id prolixe declaravi. Romani instar *grandinis* à Deo immissæ, aut *fluvii inundantis*, exequuti sunt Judicia Divina in hanc Gentem εἰς τέλος, *perfecte* [h], ut Apostolus, (עד כלה *usque ad consummationem*, Danielis [i],) secundum exactas Divinæ Justitiæ rationes, quas Moses planissime in extremo *Sermone* suo [k] & Cantico [l] exposuit: ut cum in cæteris *Judiciis*, veluti Assyriaco, Babylonico, Syriaco, intervenerit temperamentum aliquod clementiæ, (quod sane intervenit:) in hoc terribili Judicio omne aliud Judicium Divinum huic Populo inflictum consequutum fuerit suum complementum. Terra Canaanæa, & imprimis ditio Hierosolymitana, hoc tempore ita est eversa, exersa, & expurgata scopis, sive, ut Josephus exerte scribit [m], *diruta & complanata*, ὡς μηδὲ πώποτε οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι· *ut qui ad ipsam accederent, habitatam aliquando fuisse vix crederent*. quod alio loco idem de toto tractu Hierosolymitano testatur, loco insigni [n], ubi calamitatem & fatum Populi sui fuse gemit.

Sensus sententiæ, & summa ejus.

Quid sit, *disponere judicium ad Canonem*?

Phrasis aliunde illustrata.

Locus Amos. Cap. VII. 8. 9. allegatus & expositus.

Consequens severitatis Justitiæ: *Desolatio terræ. Grando everreret receptum mendacii.*

Sensus Prophetæ.

Emphasis orationis.

Implementum prophetiæ ex historia.

Articulus alter.

℣. 18. *Et* ABOLEBITUR FOEDUS VESTRUM CUM MORTE, *& pactum vestrum cum inferno non subsistet. flagellum inundans quando pervaserit*, PER ILLUD CONCULCABIMINI. ℣. 19. *A quo transierit*, APPREHENDET VOS, *quia quolibet mane transibit; &* VEL RUMOREM INTELLIGERE EJUS, ADFERET COMMOTIONEM. ℣. 20. *Quia* BREVIUS ERIT STRATUM, *quam ut quis se eo protendat; & tegumentum arctius*, QUAM UT QUIS SE EO INVOLVAT.] Sensus certus est hujus peri-

Articulus alter Comminationis Propheticæ, ℣. 18--20.

Destructio Fœderis cum Potestate Superiore.

Summa sententiæ hujus Pericopæ.

---

[a] De Offic. Lib. I. Cap. XXIII. [b] Ps. XXIII. 4. XLVI. 3. [c] Zeph. III. 8. [d] Luc. XXI. 19. [e] Rom. VIII. 25. [f] Cap. II. 3. [g] ℣. 4. [h] 1 Thess. II. 16. [i] Cap. IX. 27. [k] Deut. XXIX. 22. seqq. [l] Deut. XXXII. 22. seqq. [m] B. J. Lib. VII. Cap. XIX. [n] B. J. Lib. VII. Cap. I.

[A] Vox apud plures occurrit, sed præsertim Sallustio fuit probata. Sic ipse *Bell. Catilin.* Cap. XXVIII. *Dies noctesque* FESTINARE. Cap. XXXI. FESTINARE, *trepidare, neque, loco, neque homini cuiquam, satis credere.* Bell. Jugurth. in Oratione Marii, Cap. LXXXV. *Ut in tanta re ignarus omnium trepidet*, FESTINET, &c.

Nexus orationis.

pericopæ, si eam generatim inspicias. Propheta reddit rationem exequutionis Judicii Divini, quod modo ostenderat. Cum enim in superioribus dictum sit, Proceres Gentis Judææ *fœdus fecisse* cum *Morte* & *Inferno*, h. e. cum magno illo Imperio quod sibi videbatur posse esse exitio, vel per quod adversus exitium videbantur posse defendi, per quod suo loco intellexi *Imperium Romanum:* poterat alicui in mentem venire ut cogitaret, quo modo, qua ratione, eludi posset prudentia hæc carnalis, cum sublata caussa, nullus sit effectus: ut sane qui cum *morte* est *in fœdere*, nullam rationem habet mortem metuendi. Ergo docet Vates hoc loco, *tollendam* esse *caussam*, atque adeo sequuturum eventum. Fœdus enim cum Romanis esse solvendum; quorum proinde potentiæ & virtutes ipsi exponerentur, cum vires ipsorum, Divino auxilio non auctæ aut munitæ, impares essent Romanorum viribus, potentiæ, experientiæ. quare omnino futurum, ut *flagellum* hoc *inundans* illos perdat & conculcet. Hæc summa est sententiæ, quam ita tractabo, ut eam percurrens pauca observem ad phrasin Prophetæ, hic ut ubique emphaticam atque elegantem: inde summam sententiæ cum implemento prædictionis conferam & ex eo illustrem.

Dictio Prophetæ illustrata. Emphasis vocis כפר.

Prima emphasis occurrit in voce כפר quæ hic adhibetur de fœdere. Verti eam, *abolebitur*. Hieron. *Delebitur*. Proprie sonat, *oblinetur*, *obliterabitur*. Est enim כפר Hebræis proprie quid *obducere*, atque inde, cum *obducta* & *oblita* disparent: *delere*, *abolere*. Alluditur hoc loco ad *fœdera scripto comprehensa*, quæ abolentur & irrita fiunt, si scriptura *inducatur*, *cancelletur*, *antiquetur*, *obliteretur*, quibus vocibus usi sunt Romani, ubi de *ceratis tabulis* aut *pugillaribus*, quibus in scriptione uti solebant, *inductis* loquuntur. In verbis quæ sequuntur: *Flagellum inundans si transierit, & eritis ei conculcationi:* vocula & meram notat *consequentiam* ut sæpe alias, estque sensus: *consequens erit, ut ab eo conculcemini.* Sunt autem in hac sententia tres metaphoræ, quas Propheta ἐμφάσιος caussa inter se permiscet, quia *rei ipsi* conveniebant, h. e. Exercitui hostili, de quo loquitur. qui *Exercitus* speciem haberet *Flagelli* quatenus ordinatus esset ad Judæos puniendos & castigandos; *Fluvii* Rempublicam obruturi & inundaturi, (de quo monui ad ℣. 15.) & *Herois* irati obvium prosternentis ac *conculcantis*, vel *Copiarum Equestrium* pedites sibi objectos *conculcantium.* Non transeo quoque elegantiam quæ est in phrasi ℣. 19. *A quo transierit*, יקח PREHENDET *vos.* Sic vertenda hoc loco notio לקח, quæ alias notat *accipere*, quod est *quid ab alio capere.* sed hic alium manu prehendere, circumscribere, complecti, in potestatem suam redigere. ut de *Muliere adultera.* Prov. VI. 25. אל תקחן *Ne* PREHENDAT *te* (capiat te) *palpebris suis.* suntque plura ejus generis. Respondet ei elegantior usus vocis καταλαμβάνειν, quem Vir Eruditus pluribus illustravit [a]. Et tamen non nego, vocem לקח hic satis commode quoque usurpari significatu *auferendi*, quem Intt. hic passim commendant. Arbitrium tuum esto. Plus dubii est in ultimo membro hujus *commatis.* Dixerat Propheta, *flagellum inundans interdiu & noctu transiturum esse*, & subjicit hæc verba: והיה רק־זועה הבין שמועה quæ verti: *Et vel rumorem ejus intelligere adferet commotionem.* Plerique Intt. hic in lubrico sunt versati, & aliqui quoque eorum, inter quos Paraphrastes & Hieronymus, nihil viderunt. Kimchium non fugit sensus loci; nec tamen rationem reddidit voculæ רק. Videlicet Hebræa ad verbum sonant: *Et erit tantum commotio, intelligere rumorem.* quo modo aliqui quoque verterunt. Sed in illa sententia minus est elegantiæ. multum autem ea; *Et pavori erit, vel famam intelligere.* quæ versio est Grotii, cujus tamen ipse quoque rationem non reddit. Ergo observandum erat, esse in hoc loco μετάθεσιν sive σύγχυσιν constructionis vocularum רק, apud Hebræos in *particulis* satis familiarem. ut 1 Cor. XV. 19. *Si in hac vita speramus in Christum μόνον* SOLUM. pro *Si in hac solum vita speramus in Christum.* Plura exempla dabit Glassius [b], cujus diligentia etiam hic usus sum. Restat insignis metaphora ℣. 20. verbo illustranda. Sententia Prophetæ est: כי קצר המצע מהשתרע והמסכרה צרה כמתכנם: quam verti: *Quia breve* (brevis) *est stratum, quam ut quis se eo protendat; & tegumentum quam ut quis se eo involvat.* in quam interpretationem, à Kimchio digne illustratam, passim consentiunt recentiores; estque haud dubie verissima. Notio שרע, unde est illud השתרע, est insolentior, & fere significatio ejus definitur ex voce שרוע, Lev. XXI. 18. XXII. 23. quæ ibidem notare videtur *membris redundantem*, vel *distentum.* cujus *pes*, *manus*, *digiti*, uni alteris longiores. Valet eadem notio apud Arabes, *dirigere*, *protendere*, *dimittere*; & locus hic noster necessario ejusmodi aliquam notationem postulat. Ergo recte in hoc loco; *Stratum angustius quam ut quis se* EXTENDAT. In *Membro sequenti* vocem כמתכנם verti, *quam ut quis se eo involvat.* Plerique Intt. *Quam ut quis se colligat*, sub illo sc. tegumento. vel, *ut* plures *se colligant* sub illo tegumento, ut si forte uni sufficiat, non sufficiat pluribus. Cl. Coccejus: *Et tegmen angustum cum quis se colligit.* Id recte. Ad plures enim hic alludi qui se sub tegumento colligant, non putem; estque id ab iis fictum qui genuinum metaphoræ sensum non perspexerunt. Vox התכנם proprie notat, *collegit se*, atque inde *involvit se*, ut jam monuit ante me Avenarius. qui enim se veste aliqua involvunt, se *sub ea colligunt.* Confirmat interpretationem vox מכנסים *femoralia*, quæ certa ejus est significatio, quibus *femora*, *verenda*, *crura*, *involvuntur.* Quæris sensum emblematis? Non est is longe quærendus; ut adeo mirum sit, paucos adeo Interpretes eum assecutos esse. Sunt qui de Assyriacis hic cogitantes, id putant velle Prophetam, Hierosolymam Urbem arctam nimis fore quam ut omnes capiat Judæos, atque inde cum Assyrii terram totam occuparent, plures perituros esse. quod Grotius velle videtur; quodque idem Cl. Coccejus applicuit ad Hierosolymam tempore obsidionis Romanæ nimia multitudine hominum gravatam. Alii, ut cum Piscatore Belgæ, referunt ad *angustias* quas Judæi experirentur in Exilio Babylonico. Hieronymus quæsito ingenii lusu, id significari vult, Judæos salvos esse non posse si cultum Dei conjungant cum cultu idolorum. unum enim lectum Deum cum adultero, h. e. idolis capere non posse. lectum enim non tres, sed duos capere, maritum & uxorem. non posse igitur illos *simul Domini participes esse & mensæ idolorum* [c]. Castalio scripsit, per *lectum angustum* intelligi *fiduciam in homine mortali positam:* quæ scilicet ipsis defendendis non sufficeret. Id certe propius ad rem accedit; & non nego hic majore aliqua latitudine sumptum admitti posse. Obstat unum, Prophetam jam ante mentionem fecisse *fœderis* obliterati & *aboliti*, quod proinde amplius non poterat esse objectum fiduciæ ipsorum. Sensus Prophetæ esse videtur, Judæos, rupto fœdere cum Romanis, certissime ab hoc flagello inundante obruendos esse quod sibi adversus eorum potentiam, vires, virtutem, propriis viribus, absque auxilio Divino, defendendis non sufficerent. quod impares essent Romanis, ope Divina destituti. Opes illorum, copia, vires, virtus, cum Romanorum facultatibus comparari non poterant. Equidem erat in potestate Dei *suo auxilio* & suppetiis hunc defectum supplere: sed cum Deo statutum esset faciem suam ab iis abscondere, eos sibi relinquere, Domum suam deserere, Gentem Evangelio rebellem & impiam repudiare: *arctus* nimis *lectus* esset quam ut se *eo protendcrent*; & *breve* nimis *tegumentum* quam ut se *eo involverent.* facultates ipsorum ad sui præsidium & defensionem non sufficerent. Similis elegantiæ est emblema Cap. XXXIII. 23. *Funes tui sunt laxati: non firmant thecam mali sui.* sive, apti non sunt ad *malum* recte *sustinendum.* Mystico sensu appli-

Usus vocis לקח pro *prehendere*, & Græc. λαμβάνειν.

Extrema hujus membri: *Et vel rumorem intelligere, adferet commotionem*

Variæ interpretationes discussæ.

In sententia Hebræa est μετάθεσις vocularum רק.

Locus Cap. XXXIII. 23.

a Cl. Bos *Exercit. Philol.* ad Joh. 1. 5. b *Gramm. S.* Lib. IV. Tract. II. Observ. XXIV. c 2 Cor. VI. 16.

Sensus sententiæ mysticus. Homo sua justitia non potest consistere apud Deum.

applices emblema ad statum spiritualem hominis, qui justificandus à Deo *fiduciam ponit* in *Justitia sua* operumque suorum *meritis* & prærogativis carnalibus externis: de quo rectissime affirmes quod hic ait Propheta, *nimis* esse *breve stratum* quam ut quis *se eo extendat*, & *arctum* nimis *tegumentum* quam *ut quis se eo involvat*. Non poterit enim consistere miser, neque se defendere *hac* sua *justitia* apud *Deum*. Non sufficit operimentum homini involvendo. relinquit latus nudum. Quod ego hic frustra non adfero. Judæorum enim Pharisaicæ sectæ, de quibus hic ex nostra hypothesi agitur, idem erat aspectus secundum *spiritualem* qui secundum *temporalem* statum, quo tempore expositi fuerunt vindictæ Divinæ, exercendæ per Romanos. Sed de eo est mihi pressius quid monendum, quippe quod pertinet ad prophetiæ hujus implementum.

De Implemento prophetiæ agitur. Id demonstrari nequit in Expeditione Assyriaca.

Si quis prophetiam hanc rite expendat, videbit, implementum ejus demonstrari non posse in Expeditione Assyriaca Senacheribi. Cum enim Deus hic *exitium* calamitatemque extremam denunciet *Proceribus Hierosolymitanis*, (ut patet ex ℣. 14.) non liquet ex historia quenquam illorum hoc tempore *periisse*. Fuerunt illi, ut probabile est, omnes Hierosolymis, & ibi cum Rege conservati. quemquam certe illorum intercidisse, non constat. Judicium quod Deus per Senacheribum exequutus est, satis grave fuisse, non eo inficias: sed ajo, non sufficere huic prophetiæ. quod clarius adhuc perspiciemus ex sequente contextu, ℣. 21. 22. Ergo potius te vertis ad Babylonios, Reipublicæ Judaicæ ipsos quoque eversores. Certe tanta cognatio est & affinitas inter Fatum Reipublicæ Babylonicum & Romanum, ut sæpe alterum altero involvatur, & non nisi ex circumstantiis orationis discerni queat, de utro eorum Prophetæ loquantur. Circumstantias autem orationis Prophetæ ei favere sententiæ quæ hic statuit prædici Calamitatem inducendam à Romanis, in *Anacrisi* evici, & ex ductu & filo nostræ expositionis patescit. Sed ipsa hæc Judicii Divini Declaratio per se fidem facit. *Articulus primus* sententiæ Divinæ jam explicatus argumento est; suggeretque aliud *Articulus tertius*, mox pertractandus. Quod nunc ago, in ipsis illis verbis, quæ ante oculos habemus, tres occurrunt characteres, quos in *Judicio Babylonico* frustra quæras. Supponitur in hac *Pericopa*, *α*. Terram Judæam contra omnium exspectationem experturam esse hanc Calamitatem, à longo tempore non prævisam. *β*. Eam calamitatem invasuram esse Rempublicam, & inundaturam, florente ejus statu. *γ*. Et quidem ab eo *Populo* & *Imperio* cum quo erat in fœdere, & à quo præsidium ac defensionem exspectabat. quæ secus se habuerunt tempore finalis Judicii Babylonici. Filii & Nepos Josiæ repudiabant Fœdus Babylonicum, propendentes ad Ægyptios, quos respicebant ut Principes Reipublicæ suæ Tutelares. Obstricti autem per Babylonicum & adacti etiam jurejurando ad fidem fiduciariam: identidem excusserunt Jugum, & se junxerunt Ægyptio contra monita Prophetarum. Sed hi characteres, quos signavi, adsunt in Judicio quod Deus administravit per Romanos. Erat Judæa illo tempore florentissimo statu, ut notum. Provincia Romanorum facta, videbatur sibi status sui securitatem in longum polliceri posse. Tutores enim & Præsides habebat à quibus solis metuendum videbatur exitium. *Fœdus* autem id, si ita loqui liceat, sive *Conjunctio* cum Romanis, (est enim *fœderis* notio apud Judæos significationis amplissimæ:) facile solvi posse non videbatur, tum metu potentiæ Romanæ & reverentia Majestatis illorum, quæ saniorem Populi partem facile in officio coërcitura videbantur: tum quia Primores Judæorum, Rectores Populi, Pontifices, Sacerdotes, & sanior pars Populi, ab hoc consilio alienissimi erant, & in Romanos non male affecti. Et *ruptum* tamen quod hic dicitur, obliteratumque est *fœdus* cum *Morte* & cum *Inferno*. h. e. soluta est *Conjunctio* inter Judæos & Romanos: pax sublata est de terra: non sane quod *Optimates*, *Proceres*, *Pontifices* & *Sacerdotes* præcipui, *καὶ τὸ δῆμος τὸ καθαρώτατον καὶ εἰλικρινέστατον purior & sincerior Populi pars*, (phrasis est ipsius Josephi,) hic unquam mutarit sententiam, quippe qui omnes facile viderunt exitum consilii defectionis à Romanis funestum fore Reipublicæ: sed quod, Deo occultis Providentiæ suæ rationibus parante vindictam, seditiosi & zelotæ aliqui, turbulenti ingenii homines, Gentem in hæc consilia præcipitarint, obtruncatis spectatissimis quibusque *Optimatibus*, meliora suadentibus: ut ex Historia Josephi abunde liquet. Ruptum igitur violatumque hoc Fœdus est præter omnium exspectationem, & sic delusa est prudentia Procerum, qui se resque suas securitatis caussa Romanis dediderant. Estne illud quod prædixerat Zacharias in prophetia luculenta [a], Deum Pastorem Populi ante extremum ejus excidium eum pasturum esse duobus *Baculis* sive *Pedis Pastoralibus*, נעם AMOENITATIS, & חבלים CONCORDIÆ: sed, finito extremo tempore Longanimitatis, illa Peda tandem esse rupturum. rupto autem Pedo Pastorali נעם *Amœnitatis*, *irritum factum esse fœdus Dei quod habebat cum* OMNIBUS POPULIS [b]. Intellige, si placet, Romanos, quibus plerique Populi Orbis hoc tempore parebant: quos Populos cum Deus huc usque sua Providentia per Romanos in fœdere sive conjunctione Judæorum servasset, Judæi rebellantes adversus Romanos ab hoc tempore expositi essent omnium injuriis & inimicitiis, ut eventus docuit. perinde ut *rupto Pedo* חבלים *Concordiæ*, Unionis, *solvenda* dicitur *fraternitas inter Judam & Israëlem* [c]. h. e. Judæi in partes & factiones scindendi, & hoc ipso exitium suum acceleraturi: de quo historia liquidissime testatur. Erat autem ab hoc tempore tristissimus Judææ aspectus, dum Legiones Romanæ (*flagellum inundans*,) *interdiu & nóctu*, h. e. continuo, pervadebant Judæam, terramque & incolas ejus *conculcabant*: quando compertum est, quod Vates hic clare dicit, *stratum brevius* esse quam ut se eo *possent protendere*, & *stragulam* arctiorem quam ut se ea commode *involverent*. Pessimis usi consiliis, à Deo destituti, succubuerunt potentiæ Romanæ. quod prudentes omnes jam ab initio belli futurum præviderant [A].

Num potius quærendum in Judicio Babylonico?

Characteres in prophetia qui hic demonstrant Judicium Romanum.

Fœdus Judæorum cum Romanis non videbatur facile *rumpendum*. Et *ruptum* tamen *est*: quod Judæis fatale fuit.

Prophetia insignis Zach. XI. 10 huc relata. Duo *Peda Pastoralia* quibus Deus Judæam Gentem ad ministravit. Rupto *Pedo Amœnitatis* solutum est *Fœdus* cum *omnibus Populis*.

Status Judææ tristis hujus temporis.

Articulus tertius.

Articulus tertius. *Declarationis Judicii* Divini. ℣. 21. 22.

℣. 21. *Quia tanquam in* MONTE PERATSIM *surget Jehova; tanquam in valle apud Gibeonem commovebitur, ut faciat factum suum:* PEREGRINUM ERIT FACTUM EJUS: *& ut efficiat opus suum; peregrinum erit opus ejus.*

Ἐξέτασις subjecta.

℣. 22. *Nunc igitur, ne* EXERCEATIS IRRISIONEM, *ne firmiora fiant vincula vestra, quia* CONSUMMATUM QUID *&* PRÆCISUM *audivi a Domino Jehova Exercituum* Rectore IN TOTAM HANC TERRAM] Tertius est Articulus Decreti Judicialis Fori Cœlestis in profanos Judææ Gentis Proceres, qui sua prudentia sæculari, spreto auxilio Divino, præsumpserant conservare Rempublicam adversus qualemcunque tempestatem ei metuendam. Conjunxi autem inter se binas hujus Articuli sententias, quia sententia posterior declarationem superiorem confirmat, illustrat, & claudit. Prior sententia hujus *Articuli*, quæ ℣. 21. comprehenditur, passim in hunc sensum ab Interpretibus accipitur, Deum, veluti *ira commotum*, (ea enim vis est in voce רגז) hoc tempore Exequutionis Judicii sui in Judæos immorigeros, hypocritas, profanos, se gloriose

Summa hujus Periopæ.

Sensus prioris membri secundum Interr. Deum præstraturum esse hostes

---

[a] Cap. XI. 10. [b] ℣. 10. [c] ℣. 14.

[A] Agrippa Rex in *Orat.* ad Hierosolymitanos, in initio *Rebellionis*, apud Jos. *Bel. Jud.* Lib II. Cap. XVI. *Quibus exercitibus, quibus confiditis armis? Ubi est classis vestra quæ pervagetur Romanorum maria? Ubi autem qui expensis possent sufficere thesauri? Οὐ θεωρεῖτε τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν; Οὐ μετρήσεσθε τὴν ἐκείνων ἀσθένειαν; Non circumspicitis Romanorum Imperium? non* METIMINI VESTRAM IMBECILLITATEM? Idem est acsi dixisset: *Nonne videtis, breviorem esse stragulam quam ut vos ea possitis involvere & obtegere?*

ut in *Valle Gibeonis*, & Monte *Peratsim*.

rioſe oſtentaturum eſſe, ad eos tanquam obſtinatos ac profeſſos hoſtes ſuos proſternendos ac delendos, eo modo quo Reges Canaanææ, junctis viribus *Gibeonem* Urbem, (quæ Hieroſolymæ eſt ad *Septentrionem*, verſus *occaſum*, non adeo longe ab ea diſtans, in ditione Benjaminitarum,) obſidentes, dum à Joſua cædebantur, ſimul à Deo *lapidibus grandinis*, è cœlo miſſis, proſtrati, magna clade interierunt: cujus Eventus notabilis hiſtoria eſt in Libro Joſuæ [a]: & quo modo Philiſtæi, apud montem *Peratſim* magno numero coacti ad Davidem, novum Regem Populi Dei, oppugnandum, ſimili clade affecti ſunt, Deo, ut videtur, parili plaga cœlitus miſſa, ipſi ſuccurrente & hoſtes profligante. quod etſi diſerte perſcriptum non eſt in hiſtoria [b]; id tamen clariſſime traditur, Deum utroque prœlio quod commiſſum eſt apud montem PERATSIM, cui ſubjecta fuit *vallis* REPHAIM, (cujus ſitum alibi demonſtravi [c]:) Davidi non dubias tuliſſe ſuppetias, & præſertim quidem in poſteriore, de quo hiſtoria; *egreſſurum eſſe Deum ante faciem Davidis ad cædendum exercitum Philiſtæorum* [d]. quod Docti Viri, Forerius & Sanctius, huc referunt. Exiſtimant igitur Intt. paſſim, id velle Prophetam: Deum quo modo olim debellaverat hoſtes ſuos, Canaanæos & Philiſtæos, (illos apud Gibeonem, hos apud Montem Peratſim, Valli Rephaim imminentem,) miſſis ex cœlo *lapidibus grandinum*, aut quo alio medio iis incuſſo terrore: eodem modo hoſce ſuos hoſtes Judæos rebelles, contemptores ſui Nominis, pugna adverſus illos ſuſcepta, eſſe proſtraturum. Non licet mihi hic ab iis diſſentire, etſi ad primam ſpeciem his comparatis aliquod ſubeſſe videatur paradoxum. exempla enim horum emblematum videntur eſſe remotiora. Miratus itaque ſum, Grotium & Brenium, qui quicquid in poſteriore hac prophetiæ pericopa dicitur, applicant ad cladem Judææ infligendam ab Aſſyrio Senacheribo, hic non potius cogitaſſe de Aſſyriis Hieroſolymam obſidentibus eodem modo à Deo, extraordinario judicio, proſternendis quo olim proſtrati erant Canaanæi & Philiſtæi, & cum hoc loco non contuliſſe prophetiam Cap. xxx. 30. 31. in qua *clades Aſſyrii* eodem emblemate explicatur: idque ipſum eſſe *opus* quod hic appelletur *peregrinum* & *alienum*, quia eventus hic eſſet ſingularis & mirabilis. Et tamen neque Aben-Ezra, neque Eruditi illi Interpretes, neque quos inſpexi, ulli alii, verba Prophetæ in alium acceperunt ſenſum atque illum, quem jam declaravi. Ratio haud dubie eſt quod omnes viderint, contextum orationis Prophetæ huic interpretationi repugnare. Oratio enim tota Jeſaiæ decurrit in interminatione exitii, in Proceres Judæos inducendi ab ipſo illo Imperio vel Principe à quo ſperaverant ſalutem & conſervationem ſui. quæ ſcena tota invertitur, ſi Prophetam dum in eo eſt, faciamus vaticinantem de clade Aſſyrii. Ubi enim Aſſyrius à Deo proſtratus cecidit, tam pii quam impii liberati fuerunt ab illius metu. Addo nunc, Paulum in Oratione ſua ad Judæos incredulos in Piſidia habita (Act. XIII. 40. 41.) hanc hypotheſin confirmare, ut mox videbimus. Et tamen cum in omni caſu rationem habeam ejus, non quod dici poſſit, ſed quod dici debeat: dum cætera clara videbantur, hæſitavi ad hunc locum, nec me abſolvere potui ab omni dubio antequam rationem uſus horum Emblematum penitius perſpexiſſem. Ergo obſervavi tandem & clarius vidi, Prophetam in hac Concione hoſtes, Judæam ſucceſſive inundaturos & vaſtaturos, jam ab initio propoſuiſſe ſub figura *grandinis*, aut *imbris* aquæ copioſæ, aut magni cujuſdam *fluvii*, ruptis repagulis obvia quæque inundantis ac vaſtantis. Sic ipſe ℣. 2. *Ecce fortis quis & validus eſt Domino inſtar* IMBRIS GRANDINIS, *turbinis exitialis: inſtar* IMBRIS *aquarum violentarum.* quo eodem pertinet, quod *hoſtem* adverſus Judæos excitandum, (cujus effecta omnia ſibi adſcribi & tribui vult:) vocet paſſim *Flagellum* INUNDANS, quod Gentem *conculcaret* ſive perderet, ℣. 15. 18. Huic emblemati inhærens Vates, cum ex vetere hiſtoria conſtaret, *Deum* aliquando *hoſtes ſuos* GRANDINE terruiſſe & *proſtraviſſe*, (ut factum apud Gibeonem:) & eos inſtar *imbris* aut *fluvii* vaſtantis *perrupiſſe*, ac disjeciſſe & perdidiſſe, (quod acciderat apud *Montem* valli Rephaim adjectum, qui inde dictus eſt *Baal Peratſim* [A]:) eodem modo ait Deum hoc tempore profeſſos hoſtes ſuos ſuæque majeſtatis *contemtores* manifeſtos, oppugnaturum & proſtraturum eſſe per *grandinem* & *aquas violentas*. h. e. per populos terribiles adverſus eos ſuſcitandos, terram totam cum Hieroſolyma & Templo obruturos ac deſtructuros. Huc tendit ſimilitudo quæ ultra ſcopum ſuum non eſt extendenda. Duo reſtat agam. primo mihi evincendum eſt, hoc emblema non eſſe alienum à ſtylo Prophetarum & re ipſa. dein demonſtrandum ex hiſtoria, eventum huic interpretationi favere.

Hiſtoria Vetus, ad quam hic alluditur.

Summa hiſtoriæ de clade Philiſtæorum apud montem *Peratſim*.

Vulgata interpretatio horum emblematum.

Applicatio emblematum ad Judæos reprobos ex ſcopo Vatis.

Primo non eſſe alienum ajo, à re ipſa & ſtylo Prophetarum, ubi loquuntur de Judiciis Divinis, exequendis in ipſos JUDÆOS, obſtinatos animo, impios, profanos, Deum inducere tanquam eos *oppugnantem* & *proſternentem* eodem modo quo Canaanæos, Philiſtæos, alioſque hoſtes ſuos olim proſtraverat ac disjecerat. Quid? An non Moſes in *Cantico* ſuo exertis verbis [e]: *Ego* (*Deus* Jehova) *aggregabo in eos* (fœdifragos,) *mala:* חצי אכלה בם TELA MEA *in iis conſumam.* h. e. quod Latini dicunt, *grandine telorum* & *miſſilium* eos obruam. Sunt autem *tela Dei* (quod hic *grando*, *imber*, *aquæ violentæ*,) mala omnia quibus homines perdit: *fames*, *peſtis*, *feræ*, *locuſtæ*, *bella*, *gladius hoſtilis.* ut in ſequentibus declaratur. Confer Ezech. v. 16. David [f]: PLUET *ſuper improbos* (loquitur autem de prævaricatoribus Populi Dei:) *laqueos*, *ignem & ſulphur & ventum procellarum*, *portionem calicis ipſorum.* Jeremias [g]: *Et* EGO IPSE PUGNABO ADVERSUS VOS *manu extenta*, *& brachio valido*, *& in ira & in excandeſcentia*, *& fervore magno.* Vates noſter ipſe [h]: *Et converſus eſt iis in hoſtem*, *&* PUGNAVIT *contra ipſos.* Sed maxime huc debebat conferri Cap. XXIX. 6. ſecundum interpretationem communem, quam ſuo loco ſubjiciam examini. Dominus Jeſus loquens de judicio per Romanos adminiſtrando in Judæos Evangelio immorigeros, in Parabola [i]: *Quin etiam meos* ILLOS HOSTES (τὺς ἐχθρύς μὰ ἐκείνυς,) *qui noluerunt me regnare ſuper ſe*, *adducite & jugulate coram me.* Quid mirum? Cum enim *hoſtes Dei* omnes ſint qui ipſum *oppugnant operibus malis*, & inter hos eximii qui Deum meliora ſuadentem per Prophetas repellunt, contemnunt, atque irrident: eſtne à rei natura alienum, Deum adverſus illos ut profeſſos hoſtes ſuos eodem modo procedere ac olim adverſus homines eodem ſanguine cretos, ortu licet Gentiles, qui ſceleribus taminati ſe conſiliis Dei opponebant? Res eadem. apud Deum enim nulla eſt προσωπολημψία.

Demonſtratur, Emblema non eſſe alienum à ſtylo Prophetarum.

Deus puniens Populum ſuum refractarium, dicitur illos oppugnare & deſtruere ut *hoſtes* ſuos.

Alterum vero, quod mihi hic probandum erat, quam eſt liquidum in hiſtoria? Si Deus terram Judæam & Hieroſolymam vaſtans per Babylonios ſe geſſerit ut *hoſtem* per *Chaldæos* pugnantem adverſus Judæos: an alio ſchemate, figura alia, nobis obverſabitur, vindictam ſumens de hac Gente per *Romanos*? An non eadem eſt ſcena, mutatis perſonis? Quin quanto

Ratio illius uſus loquendi.

Prophetia comparatur cum eventu ex hiſtoria.

Ratio quæ hic obſtat. Propheta hic eſt in explicando Judicio Judaico.

An non majore jure hic cogitetur de clade Senacheribi?

Locus Act. XIII. 40. 41.

Clavis interpretationis hujus loci eſt ℣. 2. & ℣. 15. 18.

---

a Cap. X. 11. *b* 2 Sam. V. 20. 24. *c* Ad Cap. XVII. 5. *d* ℣. 24. *e* Deut. XXXII. 23. *f* Pſ. XI. 6. *g* Jer. XXI. 5. *h* Cap. LXIII. 10. *i* Luc. XIX. 27.

A Sic legitur in hiſtoria 2 Sam. V. 20. *Et David venit in* BAAL PERATSIM *& cæcidit eos ibi David, & dixit: Jehova* פרץ DISRUPIT *hoſtes meos coram me ut* RUPTURAM AQUÆ; *propterea appellavit locum illum* BAAL PERATSIM. h. e. *locum* HABENTEM *rupturas.* Sumpta metaphora eſt ab *aquis violentis* quæ *repagula* PERRUMPUNT, & in obvia ERUMPUNT eaque vaſtant: (quæ genuina eſt ſignificatio vocis פרץ:) ad quem modum David auxilio Divino *confertos ordines* Philiſtæorum perruperat & disjecerat: unde loco nomen dedit. Alludi hic ad *aquam quæ in rivos derivatur*, ut Vir Eruditus putat; nec rei ipſi, nec ſignificationi vocis פרץ convenire videtur.

graviora & terribiliora sunt mala; Genti inflicta per Romanos; quanto insignius est hoc judicium, omnium judiciorum Divinorum exemplum: tanto verius illud emblema huc applicatur. imo, inquam, tanto verius, quanto plura attributa comparatorum in hoc detegimus judicio quam in eo quod Deus exequutus est per Chaldæos. Ut Canaanæi olim apud Gibeonem se palam opponebant exequutioni Consilii Divini, quo decreta erat posteris Abrahami *terra Canaanæa*, & ægre ferebant pactum *Gibeonitarum* cum Josua initum: ut Philistæi postquam intellexissent Regnum Judæ delatum esse Davidi, se ipsi opposuerunt ad consilium hoc Divinum disturbandum: sic plane Judæi, Evangelio immorigeri, hostiles animos sumentes adversus *Populum Christi Jesu* cui decreta erat *hæreditas Mundi* & adversus *Gentes* qui se Populo Christi salutis caussa *uniebant*, (quarum Gentium figuram sustinent Gibeonitæ:) se CHRISTO JESU *vero* JOSUÆ, Populum suum ducturo in hæreditatem Gentium, & vero DAVIDI, à Deo in Regem Populi electi evecto, opposuerunt, eademque de caussa eodem modo per tela Divina, cœlitus missa, disturbati, perditi, consumptique sunt. *Deum* autem *ipsum* tempore Belli Romani *adversus* Judæos *pugnasse*, tota historia clamat; idque Romani ipsi viderunt & agnoverunt. Sic Josephus exerte; qui ipse variis locis per *Libros* hujus historiæ sparsis id ubique confirmat. quorum locorum aliqua infra *A* legi poterunt.

Comparatio Judicii Divini per Romanos exerciti cum historia cladis Canaanæorum apud Gibeonem.

Inde jam facile intelligas, quare hoc *factum* sive *opus Dei* dicatur *alienum* & *peregrinum*. Quid enim inter omnia opera sive effecta Divinæ Providentiæ mage paradoxum, quam ἡ ἀποβολὴ τῶν Ἰουδαίων, *Rejectio* majoris partis Populi Judæi? Eam Gentem quam Deus tot speciminibus suæ potentiæ & providentiæ asserverat, eum deserere! Templum, quod inhabitare credebatur in Orbe terrarum unicum, destruere! Rempublicam à se conditam evertere! Populum, pro quo pugnare consueverat, suis telis oppugnare! Quod futurum nunquam esse ut sibi Judæi carnales, falsorum Prophetarum vaticiniis fulti, olim persuadebant, ut liquet ex Jeremia *a*: sic eadem persuasio delusit Judæos extremi temporis, palam professos, *se civitatis excidium non metuere*; Θεῷ γὰρ ὑπάρχειν τὴν πόλιν, DEI ENIM CIVITATEM ESSE *b*. Sed est insignis locus Habakuki, cum hoc comparandus, in quo Deus Judæis perfidis, ejusdem ingenii hominibus, denuncians excidium, sic loqui inducitur à Propheta *c*: *Videte prævaricatores*, (vel, *in Gentibus*,) *& contuemini*, & ADMIRATIONE SUSPENSI MIRAMINI, *quia molior opus in diebus vestris, quod non credetis, si narratum fuerit. siquidem ego suscito Chaldæos.* quem locum à Paulo in oratione sua ad Judæos adductum, & ad Judæos sui temporis applicatum, Lucas ita exhibet *d*: *Videte οἱ καταφρονηταὶ, ô* CONTEMPTORES, *& miramini, &c.* Præmiserat autem Apostolus *e*: *Videte, ne vobis supervenial quod dictum est in* PROPHETIS. Locus fere ut à Luca describitur, ita legitur in Versione Græca, quæ certe præfert ipsum illud, *οἱ καταφρονηταὶ, ô contemtores*, pro eo quod in Hebræo est, בגוים *in Gentibus:* & dubium tamen, unde illa versio nata sit. de quo cum plures extent Doctorum Virorum conjecturæ, eas hoc tempore non attingam, qui materiam excurrendi non quæro, sed declinare cupio. Ut Paulus hunc locum allegavit, putem, illum pro more suo ad utrumque locum, nostrum sc. & illum Habakuki, simul respexisse. Cum enim complementum Calamitatis Babylonicæ esset Calamitas Romana: quod sæpius monui: & Apostolus per illos אנשי לצון *Irrisores*, quibus Jesaias interminatur Judicium Divinum *peregrinum* & *alienum*, intelligeret *contemptores* Evangelii Christi & irrisores salutis sibi in ipso oblatæ: utriusque loci interminationem ad Judæos irrisores & blasphemos sui temporis applicuit. Nec tamen ego *opus* illud *peregrinum* & *alienum* quod Propheta hic memorat, solo hoc Eventu severitatis exercendæ in Judæos, circumscribo. Pertinent illuc simul cognata, *Vocatio Gentium*, *Occupatio hæreditatis Mundi*, *Destructio Regni Satanæ in Imperio Romano*, & quæ plura tempus docuit. Omne hoc Opus Domini paradoxum, contra Mortalium exspectationem, in uno complexu sumptum, est illud מעשה זר *Factum peregrinum*, quia est *effectum* Divinæ Providentiæ; & עבודה נכריה *Opus* sive *Opera* difficilis *alienа*, quia complexum facit plurium operum Divinæ Providentiæ, ab instituto electionis Gentis Judææ in Populum *alienissimorum*, quæ absque singulari Dei cura & adhibita *opera* effici posse non videbantur. Sic Propheta in *Sermone sequente* Cap. XXIX. 14. *Propterea ecce ego pergam* MIRABILITER AGERE *cum Populo hoc, & quidem valde mirabiliter. Peribit sapientia sapientium ejus, & seqq.*

Opus peregrinum, quod hic memoratur, ampliore sensu est exponendum quam de sola desolatione Judææ.

Latior ejus consspectus.

Parallelus locus Cap. XXIX. 14.

Quare hoc opus Dei dicatur *peregrinum*?

Adversabatur communi præjudicio Judæorum & Gentium.

Confirmat *Denunciationem* hanc Judicialem ἡ Ἐπίτασις, sive *Admonitio acris*, ei subjecta, ℣. 22. Fidens suæ prophetiæ Vates appellat rursus in fine profanos hosce *Irrisores*, eosque exhortatur ad *resipiscentiam*: phrasi Joannis, *Φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς*, *fugere* A FUTURA IRA, ut si non totum Dei judicium, saltem partem ejus evaderent. *Et nunc* ait, אל תתלוצצו *ne exerceatis irrisionem*, sive, ut recte verti, *temperate sannæ*. Vox התלוצץ *forma Hithpaël* notat *irrisionem continuo actu exercere; sannæ indulgere*; hunc animi induere affectum, ut quis mysterium fidei & spem magnæ salutis à Filio Dei procuratæ strenue vilipendat, de Evangelio gratiæ contemptim loquatur, Spiritum S. injuria afficiat, & fidelia monita verorum Dei ministrorum exsibilet *f*. De re ipsa vidimus ad ℣. 14. Admonet eos serio, ut hoc vitio *χλευασμῶ g* se exsolvant, judiciumque suum ac affectum emendent, ne *vincula ipsorum firma fiant*, sive, fortius constringantur, hoc est, ne in ineluctabile Dei judicium incidant, si in tempore resipiscendi curam negligant; vel, ne *firmiora fiant vincula vestra*, h. e. ut si non totum, saltem partem iræ hujus Divinæ effugiatis. quem sensum præfero. Deus homines inter alia dicitur *vincire*, ubi eos criminum gravium reos, vel prædamnatos, judiciis suis circumscribit, constringit, & in arctum compingit, ut nisi ab ipso *soluti* elabi nequeant. Hoseas sic usus est hac voce *h*: *Secundum lubitum meum* ואסרם LIGABO EOS, *& congregabuntur adversus eos populi.* Mentio est de punitione irroganda Ephraimitis. Quin Vates noster secum est comparandus, ubi simile adhibuit emblema, licet de alio loquatur subjecto, Cap. XXIV. 22. quem locum ibidem contuli cum analogis 2 Pet. II. 4. Apoc. XX. 1, 2. Sed forte etiamsi vera loquatur & sibi à Deo revelata Jesaias: forte, inquam, Decretum Curiæ cœlestis de hoc Judicio improbis, incredulis, hypocritis, denunciato, quale est mutari poterit, & effectum non

Ἐπίτασις subjecta prophetiæ, directa ad *profanos irrisores*, ℣. 22. ut sibi à *sanna* temperarent.

Significatio vocis התלוצץ *indulgere sannæ.*

Locus Josephi.

Verba insignia Habakuki, Cap. I. 5. cum h. l. collata.

Verba: *firmiora fiant vincula vestra.*

Sensus eorum.

Versio illorum apud Lucam. fere eadem quæ ℥ o.

Metaphora *vinciendi, ligandi*, quæ varie sumitur, declaratur.

Vox καταφρονηταὶ in hac Versione videtur desumpta esse ex hac prophetia Jesaiæ.

Anteverti tur excepti de Decreti hujus Divi mutabilitat

a Cap. VII. 4. *b* Jos. B. J. Lib. VII. Cap. IV. *c* Cap. I. 5. *d* Act. XIII. 41. *e* ℣. 40. *f* Confer 2 Chron. XXXVII. 16. *g* Act. II. 31. *h* Hos. X. 10.

A Sic Titus ipse, inspiciens & considerans *munimenta turrium* Muri Tsionei Aquilonaris, celeberrimarum illarum, Hippici, Phaseli & Mariamnes, à Judæis metu deserta, σὺν Θεῷ γ' ἐπολεμήσαμεν ἔφη, καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ τῶνδε τῶν ἑρυμάτων Ἰουδαίους καθελών· DEO *plane* ADJUVANTE *pugnavimus ait*, & DEUS ERAT *qui de istis munimentis detraxit Judæos.* Sic scripsit Josephus B. J. Lib. VII. Cap. XVI. *Dist. Lat.* Dixerat paulo ante de eodem eventu loquens: *Unde maxime quis perspexerit* τὸ πᾶν Θεοῦ δύναμιν ἐπὶ τοῖς ἀνοσίοις, & DEI VIRTUTEM ADVERSUS PROFANOS; *& fortunam Romanorum.* Rursus: Μᾶλλον δὲ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καθεβληθήντες ἀπ' αὐτῶν· *magis autem à Deo ipso ab iis dejecti.* Ejusdem Scriptoris adversus Judæos obsessos declamantis, hæc est sententia, B. J. Lib. VII. Cap. IV. Θεὸς ἄρα, Θεὸς αὐτοὺς ἐπάγει μισεῖ Ῥωμαίων καθάρσιον αὐτῇ πῦρ, καὶ τὰν τοσούτων μιασμάτων χάμασαν πόλιν ἀναιρήσει· DEUS itaque, DEUS IPSE *cum Romanis ignem ei* (Templo) *lustrationis infert, totque scelerum plenam e medio tollit civitatem.* Eadem locutione usus fuerat, Lib. VI. Cap. I. ubi DEUM Urbis VASTATOREM vocat, ut mox, DEUM ROMANOS ADDUXISSE. & *mentibus* Judæorum OFFUDISSE TENEBRAS *propter ipsorum iniquitatem.* Græca: Ἐπισκοτεῖ γὰρ αὐτῶν ταῖς γνώμαις ὁ Θεός. Lib. VI. Cap. X. Item, Judæos non *Romanis* tantum, *sed & Deo ipsi resistere.* proprie, cum *Deo bellum gerere*, πολεμεῖν τῷ Θεῷ, & *Romanis* (*Sanctuario suo deserto*) *adesse.* Lib VI. Cap. XI. Sed historia ipsa altius clamat, & certius indicium est veritatis sententiæ nostræ, quam vox Titi, aut Fides Josephi. Nullus eventus mundanus clariora signa habet iræ & severitatis Divinæ quam hic ipse.

non ſortietur; vel, ſi omnino mutari nequeat & ſortiatur effectum: non erit tam terribilis exequutio quam à Propheta enarratur. Certe vulgus hominum hac videtur fuiſſe perſuaſione, Decreta Divina circa caſus atque eventus humanos multa ſuſpenſa eſſe à conditione, ac proin ſubjecta variationi: dicta itaque Prophetarum potius reſpicienda eſſe ſpecie promiſſorum & minarum, quam decretorum irrevocabilium, quorum eventus non fallat: eratque hæc ratio cur multi Revelationes Propheticas minus curarent, aut ſi mala prænunciarent, iis terrerentur. Quæ licet falſa eſſet perſuaſio: ne quis tamen ea ſe hoc etiam in caſu deludi pateretur, ſubjungit Vates, eſſe *decretum* hoc *abſolutum*, *præciſum*, irrevocabile, de ſeveritate *præciſa* & *abſoluta* qua Deus conſtituerat Gentem improborum ulciſci; his verbis: *quia* CONSUMMATUM *quid &* PRÆCISUM (כלה ונחרצה) *audivi à Domino Jehova Exercituum* Rectore *in totam hanc terram.* Referuntur verba tam ad *Judicium Divinum* quam ad *Decretum*, Judicium comprehendens, notantque, Deum certo & ſtabili decreto, menſurâ improbitatis impletâ, *ſeveritate præciſa*, ſecundum exactas Juſtitiæ ſuæ rationes, proſequuturum eſſe peccata, hypocriſin, & rebellionem Gentis. quæ ſententia etiamſi admittat varias gradationes: vis tamen & emphaſis ejus in illud cadit tempus quo Deus ſeveritati ſuæ cumulum extremum adjecit in everſa Republica & Templo per Romanos. Sic docuit Daniël de ea *deſolatione* extrema hac eadem uſus phraſi [a]. Et certe res ipſa clamat. Severitas hæc fuit *abſoluta* & *præciſa*, omnis ſeveritatis imago & exemplum, in omni ſuo modo & περιςάσει à Prophetis & Domino Jeſu ipſo deſcripta; quo ipſo ſatis declaratum eſt, *definitam* fuiſſe decreto abſoluto, non revocabili. Sed nos hanc Prophetæ ſententiam jam copioſius expoſitam dedimus ad Cap. x. 23. ubi eam primo offendimus. Sic ademptus erat hypocritis aut irriſoribus omnis reſipiſcentiæ differendæ obtentus, ut ſi conſilio & monito Prophetæ non auſcultarent, nulla ratio eſſet, quare Deus pro omni ſeveritate Juſtitiæ ſuæ in eos non animadverteret.

MEMBRUM QUARTUM hujus *Sectionis* quo Judicium Dei ſeverum Prævaricatoribus reprobis denunciatum, defenditur, per *Parabolam*, à Propheta propoſitam.

EXORDIUM Paracleticum PARABOLÆ præmiſſum.

ỳſ. 23. ADMOVETE AURES *& audite vocem meam; animum advertite & audite* SENTENTIAM MEAM] Sunt ex Interpretibus qui in *Analyſi* hujus Sermonis hanc pericopam cum *ſuperiore* copulant; & alloquium inde ordiuntur, acſi Propheta hic ſermonem verteret ad ejuſdem generis homines quos *ſuperiore verſu* & *Pericopa* appellaverat. Sed argumentum orationis hujus Parabolicæ ſuadet, *objectum* hic generalius accipiendum eſſe. Oratio hæc Parabolica ſubſequens in eum finem ſubnectitur huic prophetiæ, ut defendat rationes Divinæ Juſtitiæ in Populo ſuo caſtigando, puniendo, purgando, & delendis improbis: ut ex *ſequentibus* pateſcet. quam defenſionem par eſt credere ex ſcopo & intentione Divina magis inſtitui apud eos qui vel extra partes erant poſiti, vel ſaltem ita in Deum affecti, ut æquo animo de Deo viiſque ejus judicare poſſent & vellent. Improbi & profani animi homines hæc nihil curabant: quin potius ridebant omnes qui in cauſſas & rationes Providentiæ Dei ſpecialis inquirebant. Ergo pertinet hoc alloquium, primo, ad homines pios, Dei reverentes, utique non plane irreverentes, qui ad vias & rationes Divinæ Providentiæ attendebant, eaſque obſervabant, & cum notionibus veri & æqui ſibi natura inſitis comparabant, ex bono & laudabili animi affectu; ut videlicet Deum in viis ejus glorificare, & turbulentos motus animi, ſi qui ſe adverſus Deum efferrent, compeſcere poſſent. Hos homines Propheta alloquitur; ſaniorem & prudentiorem partem quæ in *Corpore Eccleſiæ* ſupererat. hanc enim Deus volebat recte de ſe & viis ſuis judicare. Deinde cenſendus eſt Propheta alloqui omnes homines abſque diſcrimine, principiis ſani & recti judicii veræ Dei notitiæ inſtructos, non ſui tantum, ſed & *ſequuturi temporis*, nemine excepto. Nos ipſi quoque, qui ingraveſcente hac Mundi & Eccleſiæ ætate maximi beneficii notitiæ & fidei veri Dei compotes facti ſumus; hiſtoriamque Divinæ erga Eccleſiam Providentiæ in Monumentis antiquis legimus, & cum principiis fidei noſtræ de Deo & Populo Judæo conferimus; hic à Propheta directe appellamur. Ergo conferre licet hoc alloquium cum alio ſimilis generis Pſ. XLIX. 1. *Audite hoc omnes populi; aures admovete omnes incolæ Orbis: abſque diſcrimine nobiles & ignobiles; pariter dives & pauper.* Supponitur doctrina eſſe communis uſus omnibus utilis & cognitu neceſſaria. Sunt autem officia quæ Doctor Publicus merito in auditoribus ſuis requirat, duo. *Admovere aures* (האזין) & *advertere animum*, προσέχειν νῶν. ſe ad rem auditam intelligendam applicare. eam conſiderare, expendere, animo volvere ac revolvere. *Aures* enim *mentis* reſpondent organis *corporis*. Sunt autem ipſiſſima hæc officia quæ Propheta in auditoribus ſuis requirit, elegante gradatione. *Aures*, ait, *admovete* & AUDITE. ſc. auribus corporis. *animum advertite*, (attendite,) & AUDITE ſc. auribus mentis, אמרתי *Eloquium meum.* id quod elocuturus & propoſiturus ſum. τὸ ἔπος, τὴν γνώμην μα. *ſententiam meam.*

PARABOLA DOCTRINALIS ipſa.

ỳſ. 24. AN TOTUM DIEM ARAT ARATOR AD SERENDUM; *ſulcat & occat terram ſuam?* ỳſ. 25. *Nonne ubi faciem ejus æquavit, ſpargit nigellam, & ſpargit cuminum; ponitque* TRITICUM PRÆSTANTIUS, *& inſigne hordeum, & ſpeltam in termino ſuo?* ỳſ. 26. *Et* EXCUTIT *illud recte ſecundum rationem:* quod DEUS EJUS IPSUM DOCET. ỳſ. 27. *Nam nigella non trituratur* TRIBULA; *neque* ROTA PLAUSTRI *ſuper cuminum* INCITATUR: *quippe baculo excutitur nigella, & cuminum virga.* ỳſ. 28. PANIS (triticum) *triturando* MINUITUR quidem: *nec* tamen *in perpetuum eum triturabit; & licet illud* (triticum) *agitet rota plauſtri ſui, & equis ſuis: non plane illud comminuet.* ỳſ. 29. *Etiam hoc a Jehova Exercituum* Rectore *prodiit*, qui MIRIFICUS EST CONSILIO, & MAGNIFICUS OPERE, ſive RE] Patet, eſſe *Parabolam Doctrinalem*, quæ hic à Propheta proponitur. *Parabolæ* autem omnis cum ſit duplex ſenſus: *literalis* & *ſpiritualis*: *ſpiritualis* autem ſenſus erui debeat ex *ſcopo* qui ſpiritualem ſenſum determinat: primo id agam, ut dubia aut obſcuriora orationis ſecundum *ſenſum* ejus *Literalem* expediam: inde in *Scopum* ejus inquiram: denique de *comparatione* Rei *Literalis* & *Spiritualis* neceſſaria obſervatu moneam.

Parabola ipſa, ſi argumentum ejus γραμματικὸν ſpectes, deſumpta eſt à re familiaris uſus & notitiæ: ut ſolent parabolæ: nempe ab *agricultura*, utiliſſima humanæ vitæ opera & ſtudio, cujus accuratam ſcientiam non præteriiſſe Vatem noſtrum, quem undique patet præceptis doctrinæ & eruditionis variæ excultiſſimum habuiſſe ingenium, vel ex hoc loco liquet. Tanti habita eſt apud Veteres ejus ſcientiæ ratio, ut eam inter artes ſive diſciplinas recenſuerint, quod Varro clare teſtatur, cujus doctum Virum putabant non debere eſſe imperitum. Sed liquet ex Heſiodo, ſcriptore utique antiquiſſimo, qui de hac arte cum cura & eleganter ſcribit: quem tot ſequuti ſunt auctores Græcæ Gentis ut vel nomina illorum recenſere moleſtum ſit. Inter Romanos Cato, (Cenſorius) Varro, Virgilius, Columella, Plinius, non infra famam ſuam aut rei meritum putarunt de hoc argumento commentari, quorum inſtitutiones ſi quis velit cum parabolica hac fictione Prophetæ comparare: non deerit ei meditationis & ſcriptionis materia. Sed mihi nunc ſedet, non neceſſaria omnia, quæ ut nota ſupponere licet, tranſilire; & iis

Præjudicium vulgi ac de re.

Propheta occurrit illi perſuaſioni. Demonſtrat, Deum ὑποτύπωσιν cum iis eſſe acturum.

Severitas qua Deus uſus eſt in Judicio exercito per Romanos fuit ſumma.

Membrum quartum hujus Sectionis: *Defenſio Severitatis Judicii Divini* per *Parabolam* in rem accommodatam.

Exordium Parabolæ præmiſſum, ỳſ. 23. quod non eſt connectendum cum *Pericopa ſuperiore.* Quod demonſtratur ex *Parabolæ* ſcopo.

Parabola addita eſt in uſum piorum.

Simul referri poteſt ad omnes homines, qui de viis Dei æquo animo judicant.

Confertur locus Pſ. XLIX. 1.

Officia auditorum Verbi Prophetici hic confignata duo.

Quæ declarantur.

Parabola ipſa verbis Prophetæ exhibetur? ỳſ. 24. ſeqq.

Ordo tractationis hujus parabolæ.

Duplex ſenſus, *Literalis* & *Spiritualis.*

Senſus Literalis.

Parabola deſumpta eſt ab *Agricultura.*

Cujus ſcientia apud Veteres in magno habita eſt pretio.

[a] Cap. IX. 27.

& iis tantum, quæ videri possunt animadversionem aliquam mereri, adhærere.

Vox פתח hic recte vertitur per *sulcare*.

℣. 24. SULCAT.] Sic verti cum aliis vocem יפתח quæ proprie valet, APERIT *terram suam.* ut nempe referatur ad *sulcos* qui per *arationem* in humum inducuntur. Et tamen, quod norim, vox hoc sensu nullibi usurpatur: sed est significatio vocis orationi Prophetæ, & rei ipsi, conveniens, cum terra quæ aratione invertitur & subigitur, & in quam inducuntur *sulci*, vere *aperiatur*; & alias constet, vocem פתח gaudere significatione *celandi*, ut Zach. III. 9. quæ notio affinis est. *terra* enim scinditur *aratro*, & *infinditur*. Estque Poëtæ etiam, *infindere sulcos aratro*. Hieronymus proxime ad nos accedit, qui vertit: *Proscindit*. Kimchius tamen alio flectit sententiam Prophetæ, & vocem פתח vertit per *solvere boves*, in hunc sensum: *An totum diem arabit arator?* Neutiquam. sed postquam terram quantum satis est aratione prosciderit per partem diei: per reliquum ejus diei *boves solvet*, & *terram occabit*. quæ interpretatio est inficeta. Rectius longe se habet quod Aben-Ezra illud פתח *solvere*, (vox enim hanc significationem æque admittit, ac eam *incidendi:*) referat ad *solutionem* & *fracturam glebarum*, ut fere idem valeat quod שרר *occare*. Sed nostrum simplicius. Præter hæc duo observo. Primo quod Propheta ait, *an arator per totum diem arat* AD SERENDUM: eo referendum esse, quod *satio* secundum præcepta rei rusticæ immediate cum tertia vel quarta *aratione* conjungatur. secundo, cum ne in aliis quidem locis *arator per totum diem* unius arvi arationi incumbat: multo minus id necessarium fuisse in terra Canaanæa, ubi aratio erat facilior, & *sulci* profunde *duci* non poterant, ut Docti Viri jam observarunt.

Kimchii & Aben Ezræ sententia de significatione vocis.

Animadversio ad verba: *An arator arat per totum diem?*

Significatio vocis קצח, ℣. 25.

℣. 25. *Et spargit* קצח NIGELLAM] Sic Interpretes fere omnes. Οἱ ὁ. Μικρὸν μελάνθιον. Aq. Καὶ διασκορπίσει μελάνθιον. Hieron. *Seret Gith.* Sic Plinius appellat *nigellam*, sive μελάνθιον, μελάνσπερμον, cujus proprietates late describit [a]. Pariter Aben-Ezra. Describitur ut *semen acre & odoratum coloris nigri quod capitulis fruticis alicujus pusilli continetur.* Belgæ tamen Intt. cum aliis vocem קצח hic exposuerunt per *viciam*. wicken. notius leguminis genus, ipsum quoque fusci coloris. Sed res dubia est, cum vocis nullus sit usus nisi hoc in loco. Certius est quod sequitur כמן *cuminum*, eodem modo Græcis & Latinis enunciatum κύμινον *cyminum*, & חטה שורה quod verti *triticum præstantius*. Hieron. *Et ponet triticum per ordinem.* ut שורה idem sit quod משורה *ordo*, *series*; & scriptum sit שורה pro נשורה Favent inter Intt. Aben-Ezra & Kimchius. Explicant illi שורה per במדה *ad mensuram*. h. e. loco ubi serendum est triticum, in terra videlicet optimi soli, jam ante electo. Verum si illud שורה hic verteretur, *ordine*, *mensura*; omnino referendum esset ad *sationem* ipsam, ut sensus sit *triticum* ordine certo & serie *poni* in terra: at ad ipsum *arvum* sive *terram* cui committendum sit *triticum*, id longe refertur incommodius. Videbant autem Docti Viri ad *sationem* referri non posse, quia *triticum*, terræ *committendum*, (quod hic *poni* dicitur,) æque *spargitur* ac cætera *semina:* licet Propheta varietatis & copiæ caussa *triticum* & *hordeum* in terra *poni*, h. e. terræ committi dicat. Hesiodo est, σπέρματα δάσασθαι, *semina spargere*. Valet autem δάζεσθαι idem quod זרק *dispergere*, *dividere*, *distribuere*. Ergo non dubitavi, vocem שורה, veluti deductam à שרה, cum aliis & Coccejo nostro accipere pro attributo *tritici*, & vertere per *triticum præstantissimum*. perinde ac שעורה נסמן per *hordeum insigne*. Nec tamen idem rursus sensus est Interpretum de voce נסמן. Οἱ ὁ. acceperunt pro genere *sati*, verteruntque per κέγχρον. Hieron. pariter: *Et hordeum, & milium, & viciam.* Nec dissenserunt Aq. & Th. ut ex Procopio liquet. In sensu certe nihil vitii. quæritur tantum ratio & auctoritas, qua moti נסמן acceperunt pro genere *sati*, & non pro attributo *hordei*. Kimchius vocem, perinde ac superiorem שורה, refert ad *insignitum* & circumscriptum *locum* qui *hordeo* destinatus sit. non enim omni loco seri hordeum, sed loco *insignito:* ut mox de *vicia* dicitur, in *termino suo* seri. Verum etiam in hac interpretatione aliquid coactum inest. Placet mihi eorum sententia ut omnium simplicissima, qui שעורה נסמן vocant *hordeum insigne*, signatum. ea enim genuina significatio est vocis סמן, cætera inusitatæ in Codice Vetere, unde Græcum σημαίνω, & notationes vocis plures Magistris & recentioribus Paraphrastis receptæ. Est autem שעורה terminatione quidem *generis debilioris*, sed potestate fortioris. habet enim in *plurali* שעורים. Ultimum *sati* genus quod hic memoratur, כסמרת passim ab Interpretibus vertitur per *zeam* vel *speltam*, genus frumenti, simile farri, quod *farris* locum in multis locis implet, ubere ejus in Campania Italica proventu. Est ejus mentio præter hunc locum Exod. IX. 32. Ezech. IV. 9. Int. Græc. Aq. Theod. hic consperant in voce ζέα. Hieron. *Vicia.* nec dissentiunt Hebræi recentiores. Et forte non aberrarunt à vero. Utique Veteres de *satis* loquentes *triticum*, *hordeum*, *speltam*, inter se conjungebant. Locum nunc promo ex Homero, qui ad rem meam facit ex *Odyss.* Lib. IV. in oratione Telemachi, Menelai fortunas & agrum laudantis, quippe in quo præter alia sint,

Πυροί τε, ζειαί τε, ἠδ' ἐυρυφυὲς κρῖ λευκόν.
Triticum, SPELTÆ, *& late germinans hordeum album.*

Occurrit & aliis locis, & Poëtæ quoque ὄλυρα dicitur. Hæc vero semina sive sata agricola sator aptat suo quodque termino, sive arvo. *Arvum* ab agricola cultum id ipsum est quod Propheta hic vocat גבולה *terminum*, *limitem.*

Ut & סמה *Spelta* describitur.

Veteres eam cum *tritico* & *hordeo* conjungunt.

Homeri locus.

חטה שורה recte vertitur per *triticum præstantius.*

Aliorum versiones expensæ.

℣. 26. *Ordinatque illud recte secundum rationem, quod Deus ejus ipsum docet.* hoc sensu; Agricolam circa semina, sata, legumina versantem, singula suo tempore, loco & ordine disponere & tractare, ut Deus illum per rationem docet: primo quidem dum *semina committit terræ:* deinde dum sementem varie *castigat* & *excutit*, ut solidam frugem tandem à paleis & folliculis secretam consequatur & in suos vertere queat usus. qui sensus commodissimus est. Et tamen verba non eodem modo ab Interpretibus sunt accepta. Hieronymus *relativum* in voce יסרו refert ad *aratorem*, hoc sensu, *Deum aratorem in judicio naturaliter erudire, & docere ut intelligat quam cuique sementi adhibere debeat culturam.* Et videntur Aq. & Theodotio in simili fuisse sententia. Aben-Ezra quoque & Kimchius plane favent huic interpretationi, nisi quod illud למשפט rectius exposuerint: nempe referunt illi quoque *relativum* ad *aratorem*, & sensum dant, Deum *erudire* agricolam, ut omnia *ordine*, *decenter*, secundum modum & mensuram instituat. ut למשפט hic idem sit quod כמשפט: quæ hic omnino obtinet vera notatio vocis משפט, neutiquam referendæ ad *judicium rationis.* est ipsius rei ratio, modus, mensura. Nihil magni vitii est in hac expositione; & tamen expositio nostra certiorem nexum demonstrat inter hunc *versum* & *sequentem*; & vox יסר *erudire*, *excutere*, *ordinare*, cum sit verbum *activum*, & requirat *subjectum agens*, longe commodius illud arcessitur ex *contextu antecedente*, ubi *subjectum agens* est *agricola* sive *arator* qui circa sata versatur; quam ex *consequente*, ubi demum occurrit vox Deus. Sed differitas expositionis non est magna. major longe est in interpretatione Kimchii Patris, qui non contemnendo ingenii lusu verba accipiens de *agricola*, sic exponit: *Et castigat illud secundum rationem.* h. e. occando, sarculo aut rastro percutit ac confringit glebas duriores, acsi terram castigaret & ad æquum perduceret statum. quod jam sequitur: *Et Deus ejus* יורנו, vertit; *Et Deus ejus* semen in terram jactum *irrigat* pluvia. petita significatione vocis יורנו ex notione יורה, quæ, stylo Scripturæ voci מלקוש juncta, significat largam *pluviam autumnalem.* Verum si nihil aliud

℣. 26. ex positus.

Interpretatio Hieronymi: cui Vett. passim favent.

Relativum in voce יסרו rectius refertur ad *frumentum* quam ad *aratorem.*

Lusus Patris Kimch.

Vox זרק confertur cum Græca δάζεσθαι.

Vox נסמן quo sensu hic sit accipienda?

[a] *Hist. Nat.* Lib. XX. Cap. XVIII.

Vitium ejus expositionis.

aliud vitii esset in hac expositione: non cohæret cum *contextu sequente*. quod simpliciter monuisse sufficiat. Supersunt tamen mihi pauca quæ ad nostram interpretationem illustrandam pertinent. Sunt inter Interpretes recentiores plures, qui cum cætera in hoc loco nobiscum communia habeant: vocem ויסרו reddunt, *Et excutit illud*. nempe sementem jam demessam & in aream perductam. ut id quod hic dicitur, totum pertineat ad *excussionem* & *triturâm* sementis jam excretæ & ad maturitatem perductæ. esse enim *excussionem* & *triturâm* veluti ipsius sementis *castigationem*. quando hic *versiculus* pulchre cum *subsequente contextu* cohæret. Certe est bona expositio, in qua nihil desideres, nisi quod transitus à *satione* ad *triturâm* secundum eam consistat absque ullo *medio*. quod incommodum ego vitare cupiens verti, *ordinatque* illud *recte* secundum terræ & satorum naturam. ut nimirum vox יסר hic notet omnem *curam* agricolæ erga sata in terram jacta, sementem quoque ejusque messionem, & denique triturâm. quorum singulorum cum Vates facere nollet mentionem, compendio usus, ait, *Agricolam* singula secundum ductum rationis naturæ rerum consentaneæ expedire & cura sua complecti. quam significationem metaphoricam putavi ferre posse vocem יסר. Valet enim *castigare* in hominibus: sed *translate*, rem quamque suis limitibus coërcere, cura sua circumscribere, quolibet modo in ordinem dirigere ac componere, sive *ordinare*. quod hic, cum *parallela* desint, ex rei ipsius natura collegisse, juvat. Gravius est alterum, quod hic observari velim ad elegantem sententiam, quam Propheta his verbis consignat: nempe *Deum* ipsum venerandum esse ut primum & summum Doctorem agriculturæ: ut proinde scientia sive ars agriculturæ hoc sensu sit Divina. Propheta scripsit: *Deus ejus* id *docet eum*. Quid vero? Arare terram, & subigere; arandi & serendi commodissima observare tempora; occare, sarrire, sementem in terra condere, frugem demessam varia ratione excutere ac triturare. *Docet* autem hanc *disciplinam* (ἐκτιθήμην,) Deus, *quo modo?* Certe per *rationem*; & eo putem hic directe respici. Deus est יסר גוים *Doctor Gentium*; qui *homines omnes* DOCET דעת SCIENTIAM [a]. omnibus mortalibus inserit notiones puræ rationis. Michas [b]: INDICAVIT *tibi ô homo*, (Deus) *quid sit bonum*. Designantur notiones conscientiæ, sed quæ communi complexu principiorum ratiocinationis continentur. *Ratio* autem cum in omnibus hominibus sit respicienda ut *donum Dei* & signum benignitatis ac clementiæ ejus erga genus mortalium; eademque homines edoceat de Deo ut *Rectore morali* & *Judice* omnium mortalium; ut quoque experientia de benignâ & provida cura Dei erga genus humanum: inde ex σχέσει inter *Deum* & *hominem*, & vi illius σχέσεως, ipse latiore sensu recte dicitur *Deus hominis*, ut in hoc loco. Nec tamen putem, Prophetam hic solam spectasse rationem. Est in hominibus cum ratione *instinctus* quidam naturalis, conjunctus cum quadam solertia & industria circa eas res *inveniendas* quæ ad utilitatem & commodum humani generis faciunt; qui, si causam ejus respicias, pariter *Divinus* est, & *rationi* subservit: in homine certe sociatus rationi, cum & citra rationem illum in animantibus omnibus admiremur & stupeamus. Possem ascendere altius, & Deum ipsum facere Doctorem primorum hominum, quos non siverit utilia ad sui conservationem ignorare. Sed patet ex sacris, *agriculturam* sic proprie dictam, cum molesto labore conjunctam, institutione naturæ, & *peccato* primorum hominum, esse posteriorem, & demum cum tempore post inventum *ferrum* perfectam; licet jam exercitam à Caino [c]. Utique Veteres omnes in *Theologia* sua *Mythica* Agriculturæ, triticique & frumenti inventionem & curam, & his subservientia subsidia *arationis* & *trituræ* ad *Deos*, vel ad homines Divino ingenio præditos, retulerunt: secundum illud vulgatum Poëtæ [d]: *Prima Ceres ferro mortales vertere terram instituit*, &c. de quo plura non addo. possunt enim ubique legi. Tantum dixerim, in satis omnibus quæ terra Divina providentia & jussione in nutritionem hominis edit, frumenti sc. omnis generis, tritici, hordei, ut in sementem excrescunt: tam insignem esse & admirabilem lusum perfectissimi ingenii Creatoris Universi, ut in omnium incurrat oculos. Nec enim grana frustra servantur in eorum cacumine; nec absque ratione suis involuta sunt folliculis, in acutum exeuntibus. Quicquid huc pertinet, Divinum est.

'Επίκρισις in eam sententiam.

Genuina notatio vocis in hoc loco, ejusque latitudo.

Sententia Prophetæ inserit, Deum venerandum esse ut summum *Agriculturæ* Doctorem.

Quo sensu *Deus omnium hominum* dicatur?

Propheta, Deum Doctorem Agriculturæ vocans, non respexit tantum ad *rationem*, sed etiam ad *solertiam* ingenii & *instinctum*.

Origines Agriculturæ.

Doctrina Theologiæ Mythicæ de ejus ortu.

℣. 27. *Nam nigella non triturâtur* TRIBULA, *nec* ROTA PLAUSTRI *super cyminum volvitur: quin* BACULO *excutitur nigella, & cyminum virga valida*] Dixerat Propheta, Agricolam circa omnem sationis & sementis curam cum judicio versari, ut à Deo doctus est per rationem & instinctum naturæ: cujus rei argumentum cum petiisset ex *satione*, aliud addit ex *sementis* præparatione ad usum per *excussionem* aut *triturâm*. Minorum enim *satorum* grana *excuti baculo*, vel *virga valida*: (quæ hic est vera significatio vocis שבט;) sed graviorum ut *tritici* & *hordei*, *plaustro* aut *tribula*. In quo nihil admodum est, quod nos moretur, nisi quod ex hoc loco edoceamur de diversis *trituræ* instrumentis, olim usu receptis: de quibus ubi agunt docti Viri in hoc argumento versati, verba hæc Vatis nostri lubenter in medium proferunt. Cl. Bochartus, semper primo loco appellandus, docet [e], (quod & Varro plane tradit [f],) *grana è spicis* quatuor potissimum modis excuti posse. Primo quidem *virgis* & *baculis*, quod in *debilioribus seminibus* potissimum obtinuisse, ex hoc loco colligas: sed olim in quibuslibet granis excutiendis receptum fuisse, ex historia *Gideonis* [g] & *Ruthæ* [h] notum. Alter est, quo in aream, in quam manipuli segetis comportati erant, immittebantur *boves*, qui eosdem *ungulis* conculcantes, segete & semente excutiebant grana: qui trituræ administrandæ modus neminem latet ex Lege Mosaica [i]: *Bovi trituranti non obligabis os*. quem Vir eruditus ex *Rei Rusticæ* Scriptoribus & testimoniis Veterum varie illustrat, ut necesse non sit aliam operam hic adhibere. Propheta noster eo forte maxime respexit, Cap. XXI. 10. Tertius, quo *grana exterebantur quodam tribuli genere, facto ex tabula lapidibus aut ferro asperata, quæ impositio auriga, aut pondere grandi, trahebatur à jumentis junctis*. Descripsit fere Varronem [k], ubi de *tribulo* loquitur. A Columella *traha* dicitur, & à Poëta *trahea*. epenthetice propter Poësin. Idem est quod Propheta in ipso hoc loco vocat חרוץ, quod Vir doctus *incisum* vertit; sed rectius, ut opinor, *dentatum*. h. e. instructum pluribus *dentibus incidentibus*, ex ferro aut lapide factis. Integrum nomen est מורג חרוץ *tribula dentata*, Cap. XLI. 15. quæ ibidem dicitur בעל פיפיות, Viro Docto, *incisum variis incisuris*. Id certe obscurius. Rectius dicas, quæ habet *plures dentes*. Sunt autem *dentes* tribulæ (פיפיות) *eminentiæ acutæ*, sive *paxilli acuti*, tabulæ subjecti, & per eam ordine & serie sparsi. Est enim פיפיות ex פיות *ora*, *acies gladii*. Conferri hic debent loca Amos. I. 3. unde patet, hos *dentes* fuisse *ferreos*, & 2 Sam. XXIV. 22. tribulam segeti impositam tractam esse à bobus. Kimchi [l]: *Est tabula lignea cui suffixi sunt lapides tenues* (acuminati,) *ad exercendam triturâm*. Abarbenel omnium planissime [m]: *Tribula est instrumentum ligneum, latum, in quo complura foramina exsistunt, inque his glebæ* (eminentiæ) *acutæ, idque mole lapidum gravissima onerant, & inducunt super fruges, atque ita eliditur, & stipula à granis separatur*. Adduxit hunc locum, & apposita figura *tribulæ* & *triturandi modi* illustravit Doctissimus Vir, Matthias F. Beckius [n]. Quarto denique perficiebatur tritura *plaustro rotis instructo*, cujus hic exerta mentio est. Varro *plostellum Phœnicum*

℣. 27. ejusque sententia.

Nexus orationis.

Ratio & solertia æque dominantur in *tritura* ac in *satione*.

Varii *triturâ* modi apud Veteres recepti.

Bochartus laudatus.

Varronis locus.

Primus modus. *Excutere* grana *baculo*.

Alter, per *boves*.

Tertius, per *tribulas ferreas*.

Significatio vocis חרוץ.

Locus Cap. XLI. 15.

Loca alia adducta ad hoc trituræ instrumentum illustrandum.

Intr. Judæorum verba.

Cl. Beckius laudatus.

Quartus, per *Plaustrum*.

a Ps. XCIV. 10. b Cap. VI. 8. c Gen. IV. 2. d *Georg.* Lib. I. vers. 147. e *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XXXII. f De *Re Rust.* Lib. I. Cap. LII. g Jud. VI. 11. h Ruth. II. 17. i Deut. XXV. 4. k l. c. l h. l. m ad h. l. n *Not. in Paraph. Chald.* I Lib. *Paralip.* ad Cap. XX. ℣. 3.

Quomodo illud Instrumentum à *tribula* distinguatur? *Plostellum Phœnicum* Varroni.

appellat; quod ille à tribula clare distinguit. *fieri* enim *trituram* aut *è tabula, lapidibus aut ferro asperata*, aut *ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant plostellum Phœnicum. in quo quis sedeat atque agitet quæ trahant jumenta*, ut in Hispania citeriore aliisque locis. Ego vero id ipsum esse putem, quod Vir Doctus, modo laudatus [a], adfert ad illustrandam *tribulam*, modo descriptam; sed quod vere ad *plaustrum* pertinet: licet differentia inter hæc instrumenta exigua fuerit. Observat enim ille, *Turcos simili fere triturandi instrumento uti, nisi quod illud longum magis sit quam latum, & sex rotulis volvatur; onustum vero & ipsum est lapidibus, atque vehitur à duobus jumentis, quæ tamen non ab obeunte. sed tribulæ insidente gubernatore diriguntur.* An non vides, describi *Plaustrum* sive *Plostellum* trituræ *Phœnicum*, de quo Varro? Sic animadverti, eruditum Virum, Thomam Reinesium, de *Phœnicum* rebus agentem, *tribulam* & *plostellum Varronis* inter se confudisse [b]. Error est exiguus. sunt enim, ut dixi, affinia. Plura mihi suppetunt, & jam monita sunt à diligentibus Viris ex variis Codicibus Talmudicis, earumque glossis, de hoc instrumento, & habeo ea in promptu: sed quæ nos nihilo doctiores faciunt. quare in his acquiesco.

Thomæ Reinesii sententia.

In ℣. 28. *Panis* sumitur pro *Frumento*.

℣. 28. לחם יורק *Panis triturabitur*, hoc est, metonymico dicendi genere, *frumentum*, ex quo fit panis, ut fere omnes Interpretes: ATTAMEN (quæ non est insolens significatio vocularum כי) *non in perpetuum illum*, sive, illud, (cum respectu ad frumentum) *triturando triturabit*, ne videlicet tritura continuata ipsum frumentum comminuat. (ubi observandum, דוש esse insolentis formæ *infinitivi* cum προθέσει literæ א.) *nec inducet in* illud *rotam plaustri sui*. proprie. *& violenter agitat rotam plaustri sui*, (quæ genuina significatio est vocis והמם,) *& equis suis non plane comminuet illud.* ut sit פרשין pro בפרשיו. vel. *agitabit rotam plaustri sui, & equos suos*, (h. e. agitando rotam plaustri sui,) *non comminuet illud.* quod perinde est. ubi concedi potest Cl. Bochartо, acriter contendenti vocem פרש stylo Scripturæ, non tantum *equitem*, sed & *equum* significare. etsi hic etiam nihil vetet, intelligere equitem, equo insidentem. Sensus est, agricolam eandem rationem observare in moderanda, quam in instituenda tritura. etiamsi enim *frumentum* aspera tritura excutiat: eam tamen hic adhibere prudentiam & moderamen, ut triturae modum ponat, ne eam nimis urgendo, ipsa etiam grana corrumpat & perdat.

Vox פרש num Hebræis *equum* notet?

Sensus sententiæ Prophetæ in h. v.

Verba ℣. 29. recensita.

Sensus sententiæ quæ sub iis latet.

℣. 29. *Etiam hoc à Jehova Exercituum* Rectore *prodiit*, *qui mirificus est consilio*, & *magnificus opere*. proprie. *qui mirabile facit consilium, & rem ipsam magnificat.* Referenda est sententia directe ad ipsum, ut autumo, Parabolæ argumentum sive ad orationem superiorem: sed indirecte & oblique ad τὴν Ἀπόδοσιν Parabolæ de qua mox visuri sumus. Sensus itaque est, Deum omnium Potestatum Cœlestium & Terrestrium Rectorem ingenio, sapientia, & providentia sua ita lusisse in constituenda natura rerum, ejusque nexu atque ordine; tum maxime in condendo homine, eoque instruendo *ratione* & *instinctu* ad quamque rem suo tractandam ordine & loco, quippe cujus specimen edatur admirabile in cura Agricolæ circa *sationem* & *triturum*: ut ex eo perspici queat tum sapientiæ & ingenii Divini vis infinita adhibita in æterno suo in ordinanda Natura rerum *consilio*: tum potentia ejus insuperabilis in consiliis illis suis exequendis, quippe cujus potentiæ Divinæ effecta non sint minora decretis, vastis & mirabilibus, quæ de ipsis hisce rebus formaverat. Verum hanc Dei *mirabilitatem* in consiliis suis æternis, & *magnificentiam* in opere ipso, sive in consiliorum exequutione, longe adhuc clarius perspici, si quis præditus oculis spiritualibus universum hunc ordinem providentiæ quem Deus in naturalibus ordinavit ipse & instituit, contempletur tanquam emblema & picturam illius *ordinis* & *modi*, quem Deus observat in Ecclesia sua administranda & gubernanda. Ut enim Agricola ex *ratione* & *instinctu* sibi à Deo indito ordine omnia & decenter perficit in terra ad *sationem* colenda parandaque, & in satione *suo tempore* & *loco* peragenda; nec minore *judicio* utitur in *tritura*: sic pariter Deum secundum principia ejusdem rationis, qua homines instruxit, procedere in gubernanda tractandaque Ecclesia sua. in qua proinde comparatione rerum corporalium & spiritualium, secundum ductum ejusdem rationis institutarum, perspici ac deprehendi queat consiliorum Divinorum profunditas, & operum ejus magnitudo. Conferantur ad hunc sensum illustrandum loca insignia, Ps. XXXVI. 6. 7. CXI. 2. 3. Jer. XXXII. 18. 19. ubi eadem sententia legitur, ex Propheta nostro, ut probabile fit, mutuo accepta, Rom. XI. 32. quibus adde ex hoc Libro Cap. XL. 12. 13. LV. 8. Nihil itaque hic amplius addam, nisi quod pauca adscribenda sint ad illustrandam significationem vocis תושיה, cujus hic est elegans & emphaticus usus. Notio descendit à יש *est*, unde ipsum quoque derivatur Latinorum *esse*. notat itaque *rem* ipsam, substantiam, rei veritatem; solidum quid quod in re est, contradistinctum *inani*. Sic summa Sapientia apud Parœmiastem [c]: *Penes me est* CONSILIUM, ותושיה & RES IPSA. h. e. Bonum solidum, quod *bonum* vere appellari meretur, inani & fluxo bono contradistinctum. quod ℣. 21. *Ut possidere faciat amatores suos* יש *id quod* EST. solidum bonum. unde etiam Græcis pariter & Latinis voces, οὐσία, παρουσία, *substantia*, *res*, notant bona facultatesque hominis quæ *actu* & *re ipsa* adsunt, ad vitam conservandam necessaria [A]. Ergo *magnificare rem* hoc in loco est, *re ipsa*, ipso actu & opere, non consiliis tantum & verbis, *magnificum* præstare. Apud Jobum [d]: *Qui irritas facit cogitationes astutorum, ut non faciant manus illorum* תושיה REM. h. e. ut nihil eorum *actu* & *opere* ipso efficiant quæ cogitarant. Est igitur תושיה *effectum* solidum, actu, opere ipso præstitum & exhibitum; consilio, quod hactenus in mente latet, accurate respondens.

Potentia & Sapientia Dei admirabilis conspicua in toto Opere Providentiæ, tam in *Consiliis* quam *Facto*.

Elegantior in h. e. usu vocis תושיה

Vera vocis notatio. Est *solidum qua de res ipsa*, *ipsum factum*.

Hactenus versati sumus in *Litera* Parabolæ. Plus est, recte assequi *Scopum* ejus & *Sensum spiritualem*, ad eum conformatum. de quo cum Propheta ipse nihil monuerit, sed id totum nostræ reliquerit meditationi ac diligentiæ, ex argumento prophetiæ superioris & rerum ipsarum natura & ἀναλογίᾳ investigandum: magna opus est & circumspecta prudentia, si quis à vero non sit deerraturus.

Scopus & *Sensus spiritualis* Parabolæ investigantur.

Scopus hujus Parabolæ, quantum sapio, solummodo potest esse duplicis speciei. vel enim referri debet ad ipsam *orationem convictoriam* Prophetæ; vel ad *argumentum* illius orationis, hoc est, ad defendendam justitiam æquitatemque Dei in *pœnis judicialibus*, Populo Judæo infligendis. Prius pauci sectantur Interpretes, quos inspexi; & tamen placet Kimchio, cujus hic est prolixa digressio. Summa ejus est, Prophetam *hac parabola* explicare & defendere modum ac rationem quâ Deus circa Populum suum versatus erat olim, & adhucdum versatur, in eo parando, instruendo, & convincendo per Prophetas, secundum diversas species hominum qui Ecclesiam constituunt. *Agricolam* itaque hic esse Deum: *terram*, arandam, farriendam, conserendam, esse Populum Judæum. qui Populus cum in Ægypto varia sibi contraxisset vitia, & ad idololatriam quoque Ægyptiam prolapsus esset, atque adeo præ-

Scopus P rabolæ po test esse g minus; vc ut referatu ad *Doctri nam Proph tæ*, vel ad *Judicia De* Interpres Hebræus prius eligi Sententia ejus recen setur.

---

[a] Cl. Beckius. [b] Diss. de *Lingua Pun.* Cap. XI. §. VIII. [c] Cap. VIII. 14. [d] Job. V. 12.

[A] Sic Herodotus semel iterumque *facultates* sive *opes*, τὰ χρήματα, vocat οὐσίαν, *substantiam*, *rem*, in historia Crœsi, Lib. I. p. 44. Τὰ δὲ ἄλλα ἀναθήματα ἐξ ἀνδρὸς ἐγένετο οὐσίης ἐχθρῆς, κ.τ.λ. Hesychius: Παρουσία. ὕπαρξις, ἐνέργεια, καὶ τὰ ὑπάρχοντα. παρουσίαν. Nempe sunt facultates quæ *actu ipso* adsunt. Vegetius insigni loco de *Re Milit.* Lib. I. Cap. XX. *Pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenii, in quibus suam videt positam esse* SUBSTANTIAM. Quintilianus *substantiam facultatum* vocat, de *Causs. corr. Eloq.* Cap. IX. Flaccus, *Epist.* XIV. Lib. I. *Et melior sit Horatius, an* RES. h. e. ipse ager. id elegantius dictum quam si scripsisset *rus*. Epist. XIV. ℣. 68. *Semper in augenda festinat & obruitur* RE. inde RES *familiaris* recepta locutio pro *facultatibus*. Plura non adde.

præferret speciem *agri*, spinis & paliuris deformis ac ad bonam frugem producendam inepti: Deum illum Populum educendo ex Ægypto cum varia significatione suæ Justitiæ & Gratiæ, traducendo per Mare Rubrum, iter ei monstrando per columnam Nubis & Ignis, variaque miracula alia in ejus usum edendo, perduxisse his mediis ad *veram* sui *fidem*, & sic instar agri *parasse* ad recipiendam bonam frugem. Agrum autem sic præparatum *conseviisse semine* ad montem Sinai, ubi Deus Populo præscripsit *Leges*, eumque bonis præceptis informavit. Sed Populi illius non fuisse conditionem æqualem. Fuisse inter illos homines subtilioris intelligentiæ ad res spirituales percipiendas aptos, qui comparentur terræ optimæ & tenuissimæ, in qua seritur *cuminum*, *melanthium*, quæ terram requirunt *tenuem* & *elaboratam*: alios fuisse intelligentiæ crassioris qui assimilantur *terræ graviori*, quæ graviora & fortiora semina, ut *frumenti* & *tritici* ferre queat. quæ *semina* ubi excrescunt, & *frugem* producunt: necessarium esse, ut fructus ille tandem in medium producatur, ex aristis & involucris suis eliciatur, atque aliis in usum ostentetur: sic omnino necessarium esse, ut qui se per aliquod tempus exercuit in studio Divinæ Legis, fructum producat Deo gratum, hominibus utilem, idque Deum à Populo Judæo exspectasse. cæterum ut fructus ipse sive grana excuti nequeunt nisi per *excussionem* aut per *trituram*; sic ad bonam & laudabilem *frugem* ex hominibus eliciendam, plurimum valere *trituram spiritualem*. quæ hic significet *exhortationes* & convictiones Propheticas Jesaiæ. Hominibus jam subtilioris intelligentiæ sufficere *convictiones leviores*, ut *nigella* & *cuminum* excutiuntur *baculo*: sed rudioris intelligentiæ homines indigere convictionibus & admonitionibus acrioribus, veluti *hordeum* & *triticum* excuti nequeunt, nisi *tritura*. Verum Deum licet per convictiones & exhortationes Populum castiget: modum tamen hic servare, quia exhortationes & convictiones, si identidem repetantur, tandem vilescunt, & fructum eliciendum perdunt. Hæc, si mentem ejus recte percepi, summa est commentationis, quæ si aliquo modo applicanda esset ad orationem Prophetæ, in hanc exire debebat sententiam: Deum postquam Israëlitas per Prophetas satis monuisset officii, dehinc iis admonendis & convincendis esse abstenturum, & illos sibi esse relicturum. Certe in basi expositionis nihil est vitii, si cætera faverent. Deus enim recte comparatur *agricolæ*, Populus Dei *terræ*, & Verbum Dei *semini* quod in terram conjicitur: estque similitudo in sacris recepti usus. Sed primo, minus est in oratione Prophetæ, quod conveniat Parabolæ, in hunc modum expositæ, quippe quæ Prophetæ oratio convictoria tota instructa est ad Vastationem & Desolationem impiis decretam declarandam. Non arguuntur proprie in hac prophetia Judæi ejus vitii & criminis, quod ad frequentes Prophetarum admonitiones, exhortationes, convictiones, non resipiscerent: quod alibi sæpius fit, sed non hoc loco. Deinde, extrema, in quæ exit expositio, nihil exhibent ejus quod præferre debebant. Largior ego, per nimias exhortationes & convictiones sæpe vilescere Verbum Ministrorum Dei: sed illæ convictiones & exhortationes hic secundum Interpretem intelliguntur per excussionem & trituram: non per frumentum. ut adeo partes expositionis sibi non constent. En ipsius verba: *Nihilominus vero ne sic quidem tritura semper continuatur: sic Prophetæ in perpetuum non vacant exhortationibus* & convictionibus *suis*. כי כמו שהזרע יהיה נשבר ונפסר ברוב הדישה כן דברי הנביאים ברוב האזהרה אחר שאינם מקבלים *quia sicut semen confringitur & corrumpitur per frequentem trituram: sic verba Prophetæ corrumpuntur*, & vilescunt, formamque & vim suam perdunt, *per frequentiam exhortationis, postquam non recipiuntur. Et ecce relinquuntur in terra absque utilitate. quippe Israëlitæ, quicquid Propheta eos admonuit & exhortatus est ad officium, perrexerunt peccare, & seqq.* An non vides, in *Apodosi* quam Interpres instituit, partes comparationis inverti? *Grana* aristis contenta & ex iis elicienda, secundum Doctorem Hebræum, hic sunt *fructus fidei, pietatis, justitiæ*. *Tritura Baculi* aut *tribulæ* sunt *admonitiones Propheticæ*. Debebat itaque in *Apodosi* ita instituere: ut *grana* per continuatam *trituram* franguntur & corrumpuntur; sic pariter *fructus* fidei, *pietatis*, *virtutis*, ex homine eliciendi. Sic, inquam, debebat instituere ex hypothesi: sed ille contra, videns id nullum sensum dare tolerabilem, invertit partes comparationis, & quod de *granis* dixerat in *Protasi*; in *Apodosi* applicat ad *convictiones Propheticas*. Sed in tanta copia pluribus hic non disputabo. Solummodo moneo, *Parabolam* in hanc exire sententiam: Agricolam post *arationem*, *sationem*, *messionem*, instituere *trituram*, sed eam ita moderari, ne *granis* noceat. Hæc vera sententia est Parabolæ: quæ si applicanda sit ad hypothesin Kimchii, hanc reddere debebat Apodosin: *Sic pariter exhortationes & convictiones Propheticæ sic accommodandæ sunt ad statum Populi Dei, ne sua frequentia & continuatione spem frugis corrumpant.* quod licet sano sensu ex vero dici queat: sic sane non patet, quare Propheta id hoc in loco dicere voluerit; & pertinet vere hæc sententia moralis ad *Credentes*. Et sit tamen Doctori Judæo sua laus, qui hic vere plus præstitit, quam quis ab ingenio ejus exspectaret. Verum est, Ecclesiam esse *agrum*: Doctores ut *Agricolas* arare, sarrire, occare, serere; tum quoque *sata* excutere & *triturare* per *Convictiones acriores* & *Judicia Ecclesiastica*. Christus Dominus ipse *Parabolas* de *Satore* & *Zizaniis* his hypothesibus superstruxit [a]; suntque metaphoricæ loquutiones inde desumptæ in usu apud omnes Gentes. Quæ interpretatio si hic locum haberet, eo tendere debebat Parabola, ut Propheta *excusaret* & *defenderet* Concionum suarum Propheticarum & Convictoriarum *acrimoniam* & *severitatem*. esse enim se *agricolam* spiritualem. non semper *arare*, *occare*, sed & *triturare*, h. e. per acres convictiones homines *excutere*, & quidem *rigide* ac *severe*, pro cujusque indole, ut bona sata eliciat & à paleis separet. eo tamen semper adhibito temperamento, ut pios & Dei reverentes homines non perdat ac prosternat. Ad hanc *trituram* spiritualem referendam esse Concionum ejus Propheticarum severitatem ac duritiem. Non indigna est quæ proponeretur meditatio. Et tamen longe rectius fit, ut Parabola ad *opus* Dei erga Ecclesiam, quam ad *actiones* Prophetæ ut *ministri* ejus referatur.

Ergo potior pars Interpretum vidit, Parabolam referendam esse ad *Providentiam Divinam* & *Actiones* Dei *Judiciales* erga Populum suum, earumque *actionum modum* ac *rationem*. esse itaque *Scopum* Parabolæ defendere earum actionum Divinæ Providentiæ & judiciorum æquitatem, eorumque indicare verum finem qui multos mortales fallit: & tamen ne ita quidem inter eos convenit, quo modo applicatio partium Parabolæ secundum hunc scopum sit componenda. Aliqui hic in generalibus subsistunt. Grotius: *Objici poterat, cur Deus tam varie? Ostendit igitur, similitudine sumpta ab agricultura, Deum optime nosse discrimina temporum & hominum, & modorum quibus homines quique tractari debeant*. Nihil hic præter rem scripsit Vir illustris; & tamen ad specialioria descendendum erat. Piscator paulo pressius, cujus verba merentur adscribi: *Vult dicere: quemadmodum agricola non semper arat, vel sulcat, vel serit, vel occat, sed tandem segetem excutit, idque diversa ratione, prout semen vel tenerum vel robustum est: ita Deus non semper vos annunciatione Verbi sui arabit, sulcabit, seret, occabit: sed tandem propter inobedientiam vestram vos excutiet, ac triturabit persecutione hostium; idque diversa ratione, pro discrimine peccatorum vestrorum*. Plures alii in eandem scripserunt sententiam, & passim monent *trituram*, arationi, sationi, messioni oppositam, symbolum esse pœnæ judicialis, qua Deus Judæos puniret atque afflige-

Qua parte laborent?

Summa commentationis ipsius.

Judicium de hac interpretatione Parabolæ.

Minus convenit argumento orationis Prophetæ.

Non servatur in ea ἀναλογία partium.

Verba Kimchii.

Parabola rectius applicatur ad Opus Divinæ Providentiæ erga Ecclesiam

Scopus ejus ex hac hypothesi.

Meditatio Grotii.

Piscatoris.

Aliorum de *tritura* observatio.

a Matth. XIII. 3. 24.

geret, quippe *qui*, cum *prius Populum Judæum, tanquam agrum in quo suas sibi delicias locarat, tractaverit molliter, inductisque rivis adsidue rigarit, nullumque omiserit benigni Parentis, aut soliciti Patris familias officium; post vero obsidione, ferro, fame, captivitate, conficeret.* sic fere Sanctius. Tolerabilis videtur expositio, cujus tamen vitia duo cuique ad primam speciem obversantur. prius quidem, quod in ea plane prætereatur expositio *modi* & *mensuræ* quam Parabola demonstrat observandam in *tritura*; nec non *scopi trituræ*. qui scopus *trituræ* secundum Parabolam non est *frumentum* perdere, sed illud *excutere* & ex aristis ac folliculis elidere. alterum, quod in ea expositione res diversi generis inter se videantur confundi. *Ager* enim qui *aratur, sarritur, conseritur*, secundum illos Interpretes sustinet figuram Populi Dei, & rursus *sementis* ex illo agro enata, *excutienda, trituranda*, ejusdem Populi Dei imaginem facit: quod clarius exponendum erat. Sed prius jam expedivit atque emendavit Cl. Coccejus, distinctius monens, doceri hac Parabola, Dei instar agricolæ post factam sationem & messem præcipuam curam esse, *conservare frumentum, & illud referre domum. igitur certum esse, Deum & suos conservaturum, & identidem à malarum herbarum luxurie liberaturum, & in trituratione piorum habiturum rationem, ut non frangat frumentum.* Posterius animadversum haud dubie in caussa fuit, cur doctus hujus Libri Interpres, Vincentius Schmuckius, cum observaret, Prophetæ hac Parabola propositum esse defendere rationes Justitiæ Divinæ in Populo suo severe puniendo, Parabolam in duas secuerit partes, & ex utraque parte ejus elicuerit doctrinam, argumento orationis Prophetæ convenientem. Nempe in *priore* parte quæ de *aratione* & ejus *scopo* agit, (℣. 24--26.) id velle Prophetam, Deum ubi *aratro Legis & Crucis animos hominum proscindit & frangit*, non posse majori jure postulari iniquitatis, quam *agricolam, quando terram ad sationem arat & glebas proscindit ac contundit.* agere enim id ad modum agricolæ, non *ut perdat, sed ut ita præparatis semen Evangelii postea inspergat, &c.* Vicissim in *altera* parte, (℣. 27--29.) ut *agricola*, ubi grana suis folliculis durius & ipsa etiam *tritura* excutit, non eo id animo facit, ut ea *perdat* & *in nihilum redigat*, sed tantum *ut ea à paleis liberet, & idonea sint, ex quibus conficiatur panis:* idem Dei consilium esse in omni animadversione & judicio, quo Ecclesiam & Populum suum purgat.

Vitia hujus interpretationis.

Observatum Cl. Cocceji.

Eruditi Int. Schmuckii peculiaris cogitatio.

Forte jam judicet homo piger, qui Verbum Divinum perfunctorie tractare consuevit, nimium nos operæ ponere in investigando genuino hujus Parabolæ sensu: sed prudentiores & diligentiores aliter existimabunt. Est enim res præclara, ἐρευνᾶν *perscrutari* interiores sensus Divini Verbi, ad quos qui arbitratur se absque diligentissimo scrutinio pervenire posse, proximus est errori. Scopus Vatis in hac *Parabola* est, ex nostra sententia, defendere æquitatem *Judiciorum Divinorum* quibus Judiciis decretoria & finali pœna incredulos, hypocritas, refractarios, perdit, dum piis & sui reverentibus præstat salutem decretam & promissam, qui unus Parabolæ scopus congruit orationis argumento. Concio enim Prophetica tota incredulis & hypocritis finale judicium Dei denunciat: & *credentibus* in petram salutis à Deo propositam, promittit *salutem*, ℣. 16. Quod ut obtineat Vates pro sua sapientia docet, rationes Divinæ Providentiæ erga Ecclesiam, plane hic similes esse rationibus *Agricolæ* erga suum arvum. Agricolam varia agere, eaque diversa: arare illum, sarrire, æquare superficiem terræ, serere, & quidem quodque semen suo in loco ponendo, & tandem metere, ac demessam sementem triturare. esse autem hos actus Agricolæ ita inter se conjunctos, ut unus alterum respiciat ut finem & scopum; universi autem ut ultimum scopum & finem suum respiciant *trituram*, in qua omnes terminentur: quæ *tritura* secundum cujusque fati naturam & indolem varie instituatur. Sic plane hic agere & procedere Deum. Esse ei *arvum*, Populum Judæum. Erga eum varios esse actus curæ & providentiæ ejus. *arare, sarrire, conserere*, & *semen* suo quodque spargere & jacere loco: *metere* denique & demessa *triturare*. esse autem hos actus non *absolutos*, sed *relativos*. unum cum altero cohærere, unum respicere alterum. Non *arare* itaque Deum & *sarrire*, nisi ut *serat*; ac proinde non *arare* per TOTUM DIEM. non *serere* etiam nisi ut *metat*: non metere nisi ut TRITURET. Ibi demum opus esse *absolutum*. Per *trituram* vero intelligit *Judicium Decretorium, finale*, quo bonos à malis separat, ut illos salvet, hos perdat. quod si mihi concedatur, mox probandum; cætera facilia erunt. Sunt itaque hypotheses quas hic supponi velim. α. *Agricolam* in hac Parabola figurare *Deum*. β. Arvum, Populum Judæum, ut *Communitatem* facit. γ. Per *arationem, occationem, sarrituram*, designari *Legislationem* & *Judicia*, (*præparatoria* sc. & correctoria; non, *finalia* & *peremptoria*,) *convictiones*, castigationes, per quæ Deus *Populum* suum præparat ad semen Verbi per Prophetas sparsum, cum fide & obsequio admittendum, ut ipsi per Verbum illud à se receptum excrescant in *sementem*. δ. Per *sationem*, administrationem Verbi Gratiæ, Fidei, Resipiscentiæ, per quod Ecclesia apta fit & parata ad producendam *sementem*, quæ *arvum* Ecclesiæ repleat & ornet. ε. Per *Messem* & *trituram* intelligi tempora *finalium* & *decretoriorum* Dei *judiciorum*, quibus separat *bonos* à *malis*. Denique, ζ. Per *excussionem* nigellæ, cumini, viciæ, quæ fit *baculo*, figurari Judicium *trituræ* spiritualis quod Deus exercuit per Assyrios & Babylonios in Ephraimitas & Judæos: sed per *trituram* frumenti, *tritici* videlicet & *hordei*, *finale* & *Decretorium Judicium* quod administravit per Romanos. Id præcipuum est, quod hic præter alios observo & urgeo: & forte tamen non nihil erit quod ad reliquas quoque partes illustrandas adferam.

Hypotheses interpretationis Parabolæ.

Ἐπανόρθωσις superioris disquisitionis.

Scopus hujus Parabolæ probabilis.

Congruens argumento orationis Prophetæ.

Generalis comparatio inter comparata, curam Agricolæ circa *Agrum* & *Segetem*; & curam Dei erga Ecclesiam.

α. AGRICOLAM in hac Parabola figurare Deum, nihil novi habet. Dominus Jesus exerte [a]: *Pater meus est ὁ γεωργὸς* AGRICOLA. quem Vates ut VINITOREM descripserat, Cap. v. 1. 2. Res eadem est. Ratio autem non est aliunde petenda quam ex re ipsa. Qui *arvum* habet, quod *arat, sarrit, occat, conserit*, & quæ sequuntur alia, est *Agricola* mysticus. Id agit Deus ut summus Ecclesiæ suæ Curator & ἐπίσκοπος. id agunt Ministri Verbi, Legis & Evangelii, Deo subordinati, quare & illi cum *spiritualibus Agricolis* comparantur [b]. Imo quatenus quisque Credentium, qui *arvum* h. e. se ipsum excolendum habet, his officiis fungitur apud & erga se ipsum, sui ipsius est *agricola*. ut patet ex Jer. IV. 3.

Hypotheses reseguntur & ad Parabolam applicantur.

Agricola hic figurat *Deum*.

β. ARVUM est *Ecclesia* sive Populus Dei quà communitatem & societatem facit. Apostolus [c]: Vos (Corinthii) *estis* Θεοῦ γεώργιον· ARVUM DEI. Ratio eadem est. Ecclesia habet attributa omnia & proprietates *Arvi*. Est enim id ipsum quod Dei cura & providentia laboratur, colitur, aratur, occatur, conseritur. Posset quoque hic cogitari, fateor, de *terra Canaanæa* in qua *plantata est Ecclesia*, ad exemplum Parabolæ de *Vinea*, Cap. v. 1. seqq. sed ea interpretatio hic minus emphatica est. Quis enim non lubentius *Deum* dicat *agricolam* arvi Ecclesiæ, quam terræ Canaanææ? *Arvum* hic idem est quod ibi *Vitis* sive *Vinea*. *terræ* enim in qua *plantanda* erat vinea, ibi tantum est respectus accidentalis. Solummodo observandum est, Ecclesiam hic spectandam ut communitatem, ut distinguatur à *semente* quæ in *arvo* excrescit. quæ *sementis* respectum habet ad *singulos*, in communitate versantes. perinde ac se res habet cum *Templo*, quod Ecclesiam figurat ut communitatem: dum ipsi quoque Sacerdotes & Israëlitæ in Templo versati Ecclesiam figurant, sed σχέσει *singulorum* Ecclesiæ *membrorum*, Communitatem Ecclesiæ constituentium.

Arvum est *Ecclesia*.

Comparatio inter hæc subjecta.

γ. ARA-

[a] Joh. XV. 2. [b] Jes. XXI. 10. 1 Cor. III. 6. 2 Tim. II. 6. [c] 1 Cor. III. 9.

Aratio, sarritura, occatio, significant Opera Divinæ Providentiæ erga Ecclesiam, per quam eam disponit ad edendum *semen spirituale*.

γ. ARATIO, *sarritura*, *occatio*, sunt opera Divinæ Providentiæ & Gratiæ, quibus Ecclesiam, spectatam forma Communitatis, ita afficit & disponit, ut apta sit recipere *semen Verbi*, & ex se edere ac producere homines, mediante Verbo Gratiæ, qui se palam ostentent ut *sementem*, excretam in gloriam Dei & spem Ecclesiæ. Idem statuendum de *occatione* & *sarritura*, ubi duriores glebæ rastris franguntur, & terræ aratæ superficies æquatur. sunt enim hæc opera analoga, eundem involventia sensum mysticum. Equidem verum est, emblema *arationis* subinde de terra & populo usurpatum notare destructionem & eversionem terræ aut Gentis [a]: sed in ejusmodi casibus symbolica hæc locutio *absolute* usurpatur; hic vero *relative* cum respectu ad *sationem*, quando *aratio*, *sarritura*, *occatio*, significare debent operam quam Deus adhibet ad Populum suum præparandum ad recipiendum semen Verbi in spem sementis. Quæris, qualia hæc sint Opera Divinæ Providentiæ, Gratiæ, & Justitiæ quoque? Ajo plane absque ambagibus. primo esse *convictiones* acres, Legales, interminationibus mixtas, quæ per naturam suam eo tendunt, ut animus hominis subigatur, convertatur, sibi innotescat, & vitiorum radices, præjudicia noxia, & durities cordis frangatur, & quicquid in animo asperum & inæquale est, æquetur. h. e. homo redigatur ad rectum & sanum sensum ac cognitionem sui ipsius. Inter quas *convictiones* ipsam *Legislationem*, secundum *respectum* ejus *judicialem*, non excludo. secundo huc refero *Judicia* Dei *præparatoria* quibus robur addit *Convictionibus Legalibus*, ut si eæ ob duritiem carnis non sufficiant, Deus judiciis suis præparatoriis interveniat, eaque adhibeat ut peccatores refractarios per ea convincat suorum peccatorum & damnabilitatis suæ, & hac ratione præparet ad recipiendum semen Verbi Fidei, à quo uno exspectari potest sementis Deo grata. Sic usurpavit emblema Amos. Cap. VI. 12. *Estne qui in* RUPE ARARE *velit bobus?* Videlicet supponit, ubi animus hominis Divino judicio mutatus est in rupem & traditus in sensum reprobum, frustra majorem operam adhiberi ad hominem per convictiones Legales perducendum ad resipiscentiam. Fuerunt autem hæc Opera Providentiæ & Gratiæ Divinæ (in censum enim eorum veniunt quoque Judicia Dei præparatoria;) diffusa per totum tempus Oeconomiæ Veteris: & tamen, cum Deus instar Agricolæ tempora sua accurate observet, habuit omne tempus Oeconomiæ Veteris sua intervalla *arationis*, *sarrituræ*, *occationis*, quæ sic majore jure appellari queant: quod Propheta hic clare innuit, ubi scribit: An *arat arator*, num *occat* & *sarrit*, *per* TOTUM DIEM? Utique per partem magnam diei, cum Opus sit grave & molestum. Ergo totum tempus quod lapsum est ab exitu Israëlitarum ex Ægypto, usque ad Regnum Davidis, distinctum continuis *Convictionibus* & *Judiciis Convictoriis*, per quæ Israëlitæ identidem per suam à Deo defectionem prodentes radices vitiorum & præjudiciorum alte sibi infixas nondum esse fractas & erasas, subacti sunt: hoc, inquam, tempus totum fuit arationis, occationis, sarrituræ. Sub Davide *æquata* videbatur & complanata *arvi* Judaici *superficies*. Homines avocati ab idololatria. Religio veri Dei ordinata, & in formam redacta, quando satio à bonis *Doctoribus* & mox Prophetis instituenda videbatur spem factura bonæ sementis.

Species horum Operum Providentiæ & Gratiæ Divinæ recensentur.

Non excluduntur quoque hic *Judicia Præparatoria*; *Convictionibus Legalibus* mixta.

Quo potissimum tempore Oeconomiæ Veteris hæc Opera Providentiæ Divinæ in Agro Ecclesiæ Judææ conspicua fuerint?

Deus *aravit* & *sarrivit Agrum* Judaum usque ad Rempublicam à Davide constitutam.

Satio Oeconomica ad id tempus recte refertur, complanato Ecclesiæ & Reipublicæ statu.

δ. Sequuta est SATIO circa hoc maxime tempus, quando Populus constituta Republica, subactis hostibus, ordinata Religione, secundum veram suam formam, ad præscriptum Legum Mosaicarum compositam, & constabilito Regno in Domo Davidis, *æquata* arvi Judaici *superficie*, paratior videbatur ad recipiendam disciplinam *Verbi Fidei* & *Respiscentiæ*, quæ hoc tempore administrabatur à Prophetis & Doctoribus egregiis, à Divino Spiritu actis, de quibus historia & præsertim Odæ Davidicæ, abunde testantur, quam sationem Prophetæ ac Doctores ex Sacerdotibus laudabiles ab hoc maxime tempore continuarunt ac promoverunt, ut in Agro Ecclesiæ enasceretur sementis, productura frugem, seponendam in *horreo*, h. e. conservandam ad vitam æternam.

Messis & tritura notant tempora Judicii *finalis* & *peremptorii* quod Deus in Ecclesiam exercet.

ε. Ultimi actus sunt *messis* & TRITURA, in quibus desinunt omnes curæ *Agricolæ* circa sationem & sementem. Significantur tempora *Judicii finalis* & *Decretorii*, quibus Deus de proventu sementis bono an noxio judicat, & *grana* sementis à *palea* discernit. Res ipsa probe inspecta facile evincit, rem aliter se habere non posse, & patet satis, Scriptores Sacros huic meditationi favere. Propheta *triturum* ea latitudine accepit Cap. XXI. 10. & Dominus Jesus in Parabola de *zizaniis* per tempus *messis* manifeste intelligit tempus *Judicii publici*, solennis, quo Deus *zizania* à *bono semine* separaret [b]. Joannes Baptista eodem respicit, ubi ait, Dominum Jesum *ventilabro* purgaturum esse *aream*, & *triticum* congregaturum in *horreum*, & *paleam exusturum igne inextinguibili* [c], perinde ac Dominus ipse tempus Judicii Decretorii in Judæos vocat ÆSTATEM [d]. קיץ Hebræis, quod incidat in *finem anni*. annus enim terminabatur apud Judæos in *æstate*, in quam incidebat *messis* & *tritura*. Quotquot itaque sunt tempora *Judiciorum Dei universalium* & *Criticorum* in Judæam Gentem: tot sunt tempora *trituræ*. Primum hic est tempus Exilii Assyriaci & Babylonici. Excreverat *sementis* in Agro Judaico cum pluribus *zizaniis*, & *grana* pro more erant involuta & commixta *paleis*. *Posuit* itaque Deus Judæ, ut ante Ephraimitis, *messem*, ut Hoseas [e], quam exercuit per *Babylonios*, eo adhibito moderamine, ut, quod Propheta hic dicit, *grana* non *comminuerit* & *perdiderit*, sed ea à *paleis* & *zizaniis* separaverit: *paleas* autem & *zizania* igne Judicii sui tremendi consumpserit. Sic Amosus, mutato emblemate, sed ejusdem sensus [f]: *Nam ecce ego præcipiam, & agitabo in omnibus Gentibus Domum Israëlis, acsi agitaretur cribro: &* NON CADET SCRUPULUS *terræ*. Nihil solubile non solutum cadet. Forte tamen alii rectius: *sed non cadet granum in terram*. Verum sive id adscribatur, sive non adscribatur, perinde est: est enim necessarium *cribrationis* consequens; & Propheta id quod hic dicitur, mox [g] restringit ad *peccatores Populi Dei*, qui omnes *morerentur*. Tsephanias de eadem hac tritura loquens [h]: *Et ego reliquum faciam in medio tui Populum pauperem & humilem, qui confidet in Nomine Jehovæ*. nempe postquam Deus *zelo suo consumpsisset totam terram* [i]. Inde per ipsissima hæc Judicia Dei *Arvo* Ecclesiæ arato, *æquataque superficie terræ*, post Reditum ex Exilio Babylonico, in Populo ab idololatria purgato, *nova satio* facta est à piis Doctoribus, & Prophetis quoque, quos Deus circa illud tempus suscitavit. Docet enim historia insignes Viros, inter quos eminuit Ezras, Vir sapientissimus, operam dedisse evellendis erroribus, præjudiciis, vitiis, Genti ad defectionem pronæ alte infixis, per convictiones acres in rem adhibitas; & in animos hominum per *arationem* & *sarrituram* paratos conjecisse *semen*, ut nova aliqua & optatior sementis in lucem prodiret. Sed cujus frugi fata fuerint; docuit tempus *trituræ* exercitæ per Syros, eorumque Regem Antiochum: illo enim tempore ut Deus constituerat *triturare* Gentes, sic pariter Populum suum, quare id tempus exerte appellatur *tempus* TRITURÆ, Cap. XXVII. 12. de quo *Judicio Dei* in superioribus abunde egimus. Sequuta itaque est cum Republica à Maccabæis restituta tertia *satio* in Arvo Ecclesiæ per ipsissima hæc Judicia gravissima rursus culto & ad semen recipiendum aptato. quæ *satio* instituta est à Doctoribus zelotis qui ingente copia cum instaurata Republica in lucem prodierunt & Canaanæam Synagogis & Scholis repleverunt. Hæc satio proxime respiciebat tempus Messiæ, venturi circa *finem*

Hypothesis adstructa ex Verbo Dei & Re ipsa.

Varia tempora *Messis* Judaicæ recensita.

Amosi locus ex Cap. IX. 9. paucis illustratus.

Et parallelus Tsephaniæ, ex Cap. III. 12.

Nova *satio* post reditum Populi ex Exilio.

Historia in hunc finem producta.

Item alia post afflictionem Epiphanicam, quæ respiciebat *tempus adventus Filii* Dei in Mundum: quod erat tempus *Messis*.

a Ps. CXXIX. 3. Mich. III. 12. b Matth. XIII. 30. c Matth. III. 12. d Matth. XXIV. 32. e Cap. VI. 11. f Cap. IX. 9. g ℣. 10. h Cap. III. 12. i ℣. 8.

Loca huc adducta.

nem hujus periodi, quod tempus adventus Filii Dei in Mundum exerte à Domino in *Parabola* [a] appellatur ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν, TEMPUS *colligendorum* FRUCTUUM; quo tempore *agri* jam *albi* erant *ad messem* [b]. *agri*, inquam, sive metendi Verbo Evangelii, sive carpendi gladio & falce Romanorum, cum finis Reipublicæ Judææ & Oeconomiæ Veteris jam properaret. emblema enim utroque modo sumitur. quando itaque Deus de novo *trituram* instituit, eamque gravissimam: & tamen hic etiam eo usus moderamine, ut *electi*, qui per *grana* figurantur, singulari Dei providentia *salvi* evaserint; *zizania* autem & *palea* penitus protrita & comminuta sint. quod Dominus ipse, ubi hoc Judicium describit, clare innuit [c]. *Trituras* autem has *majores* & *criticas* si inter se compares, etiamsi omnes gravissimæ fuerint: videbis tamen & senties, postremam illam quæ exercita est per Romanos alteris illis administratis per Babylonios & Syros longe fuisse graviorem, atque adeo rectissime comparari *trituræ tribulorum* & *plaustrorum* quibus excutiuntur *grana tritici* & *hordei*, ut alteræ illæ trituræ *melanthii*, *cumini*, & *vicie* quæ exercentur per *baculum*. Favet etiam huic meditationi respectus *granorum*. ut enim nobiliora & utiliora & solidiora grana sunt *tritici* & *hordei* granis *nigellæ* & *cumini*: sic circa finem Reipublicæ Judææ *grana* à paleis separata longe fuerunt nobiliora his quæ excussa sunt tempore Exilii Babylonici. Erant enim *electi*, qui jam susceperant *fidem* in Christum Jesum, quorum respectu qui excussi sunt circa tempus Exilii Babylonici longe minoris fuerunt pretii, meriti, & usus. Sic Parabola perfecte respondet argumento prophetiæ. Tantum quod *tria* hic posuerim *trituræ* tempora: videor mihi, rei ipsius & historiæ ductum sequutus, recte instituisse. Et tamen non ignoro, variam esse posse hujus rei contemplationem pro vario genere emblematum eorumque circumstantiis. Subinde enim totum tempus Oeconomiæ Veteris spectatur forma unius *anni* [d] ut tempus continuum, secundum quod satio à Mose & Prophetis facta, exire debebat in sementem circa *finem hujus temporis*. Alias tempus illud ab Habakuko [e] describitur *duobus* magnis *annis* qui dividerentur per Exilium Babylonicum, quod vocatur *medium annorum*: quia modo bis contingeret, ut Republica penitus soluta Judæi extra Patriam abducerentur. Rursus alio loco *tribus diebus* [f], respectu quoque habito Afflictionis Syriacæ. Sic pariter variare possunt respectus *arationis* & *sationis*. Licet enim mihi ex analogia rerum spiritualium dicere, totum tempus Oeconomiæ Veteris fuisse tempus *arationis* quia tempus fuit *convictionis* Judæi Populi, per Legem & Judicia. *Æquatam* terræ superficiem fuisse per Joannem Baptistam [g]. *Sationem* factam à Christo & Apostolis. *trituram* exercitam in fine Reipublicæ, per Romanos. Verum cum ex probabilibus minime absurdis ratio jubeat eligere quod se majore specie commendat: eam cæteris prætuli meditationem quam sequutus sum.

Ubi *instituta trituratione* electi salvi evaserunt.

Differentia trituralionis spiritualis instituræ circa tempus *Exilii Bab.* & *Romani.*

Expeditur dubium, quod hic v deretur m veri posse.

Varii uni rei respe- ctus.

SERMONIS SECUNDI

Libri Tertii Prophetiarum JESAIÆ

Sectio Altera:

Qua Propheta *Hierosolymæ* & præcipue *Tsioni*, præstantiori Urbis parti, sub nomine mystico ARIELIS, magnam prædicit calamitatem & angustiam, tractu temporis ei obventuram, cujus *initia* experiretur tempore Expeditionis Senacheribi, non adeo longo post sequuturæ; sed eo eventu, ut hostes Judæorum cum imaginaria persuasione spem suam consequuti viderentur, deprehenderent se Judicio Divino delusos in summam rei nihil profeciisse. Interim Vates Judæos convincit de ἀνοησία & stupore suo, & imperitia veræ Doctrinæ salutis, ac Revelationis Divinæ, eam complectentis: quibus proinde denunciat Judicium excæcationis & indurationis, facta piis luculenta spe Gentium eorum loco ad communionem Regni Dei vocandarum, illuminandarum, sanctificandarum, ut se demonstrarent esse verum semen Abrahami.

CAPUT XXIX.

Textus Cap. XXIX.

1. HEi Ariël, Ariël, civitati in qua resedit David! Addite anno annum, solennitates in orbem eant:

2. Attamen coangustabo Ariëlem; & erit mœror ac mœstitia; & futura mihi est (*Urbs*) ut Ariël.

3. Et castra metabor adversus te in circuitu, atque obsidione te arctabo objecto aggere, & erigam contra te propugnacula.

4. Tum humiliaberis: è terra loqueris; & ex pulvere depressa erit oratio tua; & erit instar Pythonis ex terra vox tua, & ex pulvere loquela tua pipiet.

5. Eritque ut pulvis tenuis multitudo hostium tuorum, & tanquam gluma transiens multitudo ferocium: fietque illud repente, momento.

6. A Jehova Exercituum *Domino* visitabitur in tonitru, & terræ motu, & voce magna; procella, & tempestate, & flamma ignis vorantis.

7. Habebitque se per modum somnii visionis nocturnæ multitudo omnium illarum Gentium militantium contra Ariëlem: omnium, *inquam*, militantium adversus eam, Arcemque ejus, quique eam coangustaverint.

8. Et futurum est, ut quemadmodum somniat famelicus, & ecce comedit, sed ubi expergiscitur vacua est anima ejus; & quemadmodum somniat sitiens, & ecce bibit, sed ubi evigilat, lassus est, & anima ejus valde appetens: sic se habeat multitudo omnium Gentium militantium adversus montem Tsionis.

9. Moras nectite *præ stupore*, & miramini; cæcos agite & excæcamini! Ebrii sunt, sed non ex vino: titubant, sed non à sicera.

10. Quoniam effudit super vos Jehova spiritum soporis, & obstipavit oculos vestros:

Pro-

[a] Matth. XXI. 34. [b] Joh. IV. 35. [c] Matth. XXIV. 38. 41. 42. [d] Jes. LXI. 2. [e] Cap. III. 2. [f] Hos. VI. 2. [g] Jes. XL. 3.

Prophetas & Primores veſtros, videntes, obduxit caligine.

11. Quare facta vobis eſt univerſa hæc viſio inſtar verborum Libri obſignati, quem ſi dederint literarum gnaro, dicentes, Lege quæſo hunc: dixerit ille, Non poſſum, quia obſignatus eſt.

12. Detur autem hic idem Liber homini literas neſcienti, *eique* dicatur, Lege obſecro hunc: dixerit, Legere non novi.

13. Dixit itaque Dominus: Propterea quod populus hic mihi appropinquat ore ſuo & labiis ſuis me honorat, dum animus ejus à me longe abeſt; & reverentia qua me proſequuntur præceptum eſt quod homines docuerunt.

14. Hanc ob rem ecce Ego *is ſum qui* amplius etiam mirabiliter acturus eſt cum populo hoc, *& quidem* admodum mirifice: & peribit ſapientia ſapientium ejus, & intelligentia prudentium ejus diſparebit.

15. Væ illis qui profunda ſimulatione ſe ſubducentes Jehovæ occultant conſilium, quorumque opera ſunt in tenebris, dicuntque; Quis videt nos, & quis nos internoſcit?

16. Sic invertitis *rerum naturas*, acſi figulus reputaretur ut lutum, ut dicat opus de factore ſuo, Non fecit me; & figmentum dicat de fictore ſuo, Non intelligit.

17. An non adhuc exiguum pauxillum eſt temporis, ut convertatur Libanus in arvum frugiferum, & arvum frugiferum pro ſylva reputetur?

18. Et audient illo tempore ſurdi verba libri, & ex caligine & ex tenebris oculi cæcorum videbunt.

19. Et manſueti in Jehova cumulate gaudebunt, & inopes hominum exultabunt in Sancto Iſraëlis.

20. Siquidem defecerit violentus, & conſumptus fuerit irriſor, & exciſi omnes vigilantes ad iniquitatem.

21. Qui hominem reum peragunt propter verbum, & corripienti ponunt tendiculam in porta, & juſtum propter rem inanem evertunt.

22. Propterea ſic fatur Jehova ad Domum Jacobi qui redemit Abraham: Nunc non pudefiet Jacob, neque facies ejus nunc exalbeſcet.

23. Quia cum viderit natos ſuos, opus manuum mearum, in medio ſui: ſanctificabunt nomen meum, & ſanctificabunt Sanctum Jacobi, & Deum Iſraëlis profunda colent reverentia.

24. Tum errantes ſpiritu diſcent intelligentiam, & ſuſurrones recipient diſciplinam.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus Sectionis.

Argumentum alterius Sectionis *Sermonis Secundi*, prolixius declaratum.

ITa eſt. Sectio hæc Prophetica, ſuperiori Concioni abſque ullo novo titulo præfixo immediate cohærens, in eodem fere decurrit argumento, in quo ſuperior. Explicat enim & urget *Judicium* Divinum *pœnale*, idque graviſſimum, Hieroſolymæ decretum: quam Urbem, cujuſque partem inſigniorem Montem Tſionis hic proponit ſub nomine myſtico ARIELIS. futurum nimirum, ut *Ariël*, hoc eſt, Urbs Tſionea ad magnas redigatur anguſtias & angores, ſtatumque triſtitiæ ac mœroris; quippe *obſidenda & vallo cingenda* ab Exercitibus hoſtilibus magnam vim mortalium adverſus eam coacturis, quando cives Hieroſolymitani, olim ſuperbi ac gloriabundi, afflictorum inſtar depoſito faſtu humili oratione uti diſcerent: etſi tamen Deus pro ſapientia juſtitiaque ſua rem ita dirigeret, ut hoſtes Hieroſolymæ vel ſubitaria clade afflicti ac proſtrati perirent; vel dum voti compotes facti fuiſſe viderentur, ſe tandem ſentirent in gravi fuiſſe errore, & *imaginarie* magis (tanquam in *ſomnio*) quam *vere* rerum ſuarum ſucceſſu fuiſſe lætatos. Quando Propheta qui *effecta* nunquam abſque *cauſſis* ſuis recenſet: orationem recta convertit ad Judæos, eorumque Proceres ac Doctores, eos arguens pœnitendi ſtuporis in viis & operibus Dei, eorumque nexu & ordine, recte intelligendis ac dijudicandis; & craſſæ ignorantiæ doctrinæ veræ Religionis & Verbi Prophetici, quod doctrinam veræ Religionis & conſilia Dei de omni opere Gratiæ ſuæ & Providentiæ erga Eccleſiam complectebatur: ſiquidem docti qui dicebantur, qui *legere* didicerant, *perdita clavi cognitionis*, Librum hunc tanquam *obſignatum* reſpiciebant: *indocti* cum ſe nunquam in Sacris exercuiſſent, ſe ejus *legendi* capaces non eſſe, profiterentur: in quo communi ſtupore totius Gentis Vates agnoſcit grave Dei Judicium, cujus conſequens eſſet reprobatio Gentis, ejuſque conjectio in ſtatum *craſſarum tenebrarum*, quas non facile eluctaretur. quod Judicium illos maxime feriret, qui ingenii ſui aſtutia & calliditate putabant ſe poſſe ſuæ ſalutis ſibi ipſis eſſe pararios, neque admodum opus habere Divinum auxilium & gratiam reſpicere, hoc ipſo ſuam à Deo dependentiam palam abnegantes. Nec tamen vel ſic Deus Eccleſiam ſuam deſtitueret. Venturum enim eſſet tempus, & quidem non adeo remotum, quo magna fieret in Mundo converſio & mutatio rerum; Deo ſuam gratiam eum in modum diſpenſaturo, ut Gentes huc uſque verſatæ in profunda veri Dei ignorantia, præteritis neglectiſque Judæis rebellibus Verbo Gratiæ, ad communionem Dei, & illuminationem mentis in ejus communione, veramque fidem & fidei obſequium in charitate, vocarentur, & ſe præſtarent *veros Abrahami & Jacobi filios*, quos Patriarchæ ſancti ut *ſuos* abſque *pudore* agnoſcerent, quibuſque agnitis lætarentur.

Quod eſt generis *Elenctici*.

Reſpectus promiſſi luculenti, huic Elencho ſubjuncti.

II. Docet *Argumentum* Concionis, à nobis deſcriptum, eſſe eam generis *Elenctici*. Paracleſis enim Elencho ſubjuncta ipſa quoque facit ad *Convictionem* acrius urgendam. Unde facile judicamus de *Concionis* hujus *Scopo*, qui hic præcipuus eſt, Judæos non illius tantum ætatis qua vixit Propheta, verum inprimis recentioris temporis, in quod complementum hujus Judicii incideret, convincere de *profunda* ſua & deteſtabili *hypocriſi*, & verarum Dei viarum ignorantia, & odio quoque, ſtudiorumque doctrinæ corruptione: quæ tamen vitia illi externa Religionis profeſſione & ſimulatione quantum pote tegebant. Cum enim Propheta interiora illorum ex Divina revelatione perſpecta haberet, atque adeo intime cognoſceret integram mentis, ſtudiorum & affectuum ipſorum alienationem à Deo ejuſque vera fide, amore, reverentia, & in univerſum à vera doctrina ſalutis & gratiæ, dum in ritibus & cærimoniis externis, ex *traditione* humana perceptis, conſtituebant ſummam ſuæ ſapientiæ & pietatis, interioribus & eſſentialibus Dogmatibus Religionis præteritis;

Quod uberius exponitur.

teritis; vel etiam palam ſpem Patrum abnegabant, carnalibus conſiliis fiſi: Vates ſacer hanc illorum hypocriſin aut impietatem in lucem protrahit, redarguit, caſtigat, oſtenditque communis corruptionis & ſtuporis conſequentia, tum temporalia in graviſſimis calamitatibus, quas Deus pro juſtitia ſua iis immitteret; tum ſpiritualia in illorum excæcatione finali, & reprobatione peremptoria quæ occaſionem præberet vocandis Gentibus. de quo *Beneficio* paradoxo uberius diſſerit, ut pii ex eo caperent certum argumentum *conſolationis:* qui proinde *Scopus* Concionis eſt *ſecundarius.* Quandoquidem vero omni Verbo Elenctico & Paracletico, quod à Prophetis editum eſt, variæ involvuntur *doctrinæ*, quas prudens Scripturæ S. lector ex eo elicere poteſt; ſive ut officium ſuum ex eo diſcat atque intelligat; ſive ut veritatem ac certitudinem Verbi Prophetici ex clariſſimo ejus implemento colligat in firmamentum ſuæ fidei & ſpei: horum nihil alienum cenſeri debet à Spiritus S. & Jeſaiæ ſcopo in hac *Concione* edenda. De *Scena* Viſi mox.

Analyſis hujus Sectionis.

III. *Concio* tota adverſus Judæos Hieroſolymitanos directa, ex vero ejus ſenſu accepta, bifariam dividitur. Pars prior complectitur denunciationem *Judicii temporalis*, huic Populo irrogandi, ℣ſ. 1--8. Pars altera *Judicium Spirituale*, ℣ſ. 9--24.

Subdiviſio Partis prioris.

In *Priore Parte a.* occurrit *Præfatio*, quæ continet alloquium ad Hieroſolymitanos cum deploratione *calamitatis* iis ſuperventuræ ad hypocriſin & inſolentiam eorum puniendam, ℣ſ. 1. β. Declaratio ejus *Judicii*, quo Hieroſolyma ab hoſtibus incredibili numero *obſidione* cingeretur, & *humiliter* loqui diſceret. quæ declaratio variis conſtat articulis, ℣ſ. 1. *med.* --5. γ. *Eventus* cœptorum hoſtilium, ipſorum hoſtium reſpectu, qui dum Hieroſolymam oppugnarent, vel ipſi magna afficerentur clade; vel ſaltem experirentur, gaudium de urbe expugnata & deſtructa Republica mere fuiſſe imaginarium, ℣ſ. 6--8.

Et poſterioris.

Pars altera, exhibens *Judicium ſpirituale* excæcationis & traditionis in ſenſum reprobum, rurſus eſt bimembris. vel enim Judicium illud DIRECTE & liquide deſcribit variis articulis: tam eorum reſpectu qui hypocriſin in cauſſa Religionis velarent zelo traditionum Patriarum, ℣ſ. 9--14. quam eorum qui ſpem Patrum palam abnegabant, & ſpem ſalutis omnem in divitiis, aſtutia, & calliditate ſua ponebant, ℣ſ. 15. 16. vel Judicium illud *indirecte* & OBLIQUE declarat, nimirum ex *Vocatione Gentium*, Judæis immorigeris ſubſtituendarum; quæ item declaratio *Propoſitionem* exhibet cum ſuis *Conſequentibus*, ℣ſ. 17--24.

Ἀνάλυσις veræ hypotheſios hujus Prophetiæ, ejuſque temporis.

Anacriſis hypotheſios hujus prophetiæ exponendæ.

IN his prophetiis quæ de Judiciis Divinis Populo Judæo irrogandis agunt, ubique obſervamus, Interpretes ſtudiis hypotheſibuſque ſuis trifariam ſcindi. Sunt qui omnes fere prophetias hujus argumenti referunt ad terribilem irruptionem Senacheribi: ſunt qui de Calamitate Babylonica cogitant: alii vero de Romana, tanquam *complemento* omnium Judiciorum Divinorum. Id pariter hic accidit. Intt. Hebræi vulgati referunt prophetiam ad tempus Senacheribi, ejuſque circumſtantias, quibus favent pro more Grotius & Brenius. contra Liranus, Tremellius, Sanctius, Piſcator, Belgæ, potiorem habent ſententiam de deſcripta hic loci Calamitate Babylonica, ejuſque cauſſis. verum Veteres, Euſebius, Cyrillus, Theodoretus, hic vident Romanos, & Hieronymus quoque in majore parte hujus Interminationis Propheticæ. priorem enim ejus partem ad Babylonios applicat. Ex recentioribus proni ſunt in hanc hypotheſin, Lutherus, Forerius, Coccejus, Schmuckius, Schmidius, alii. Has hypotheſes ſolas dignas relatu cenſeo: etſi interim aliunde didici, eſſe Virum Doctum *a*, qui hac admiſſa hypotheſi, Prophetas ſæpe in Vaticiniis ſuis magnas facere διαβάσεις *tranſitus* ad ſubjecta diverſi generis, & ab uno ſubjecto tranſilire ad aliud: *quatuor prioribus verſiculis* hujus prophetiæ deſcribi putat *Calamitatem Judaicam Romanam:* ſequentibus autem *quatuor verſiculis*, (5--8.) exhiberi cladem Turcorum in Valle *Hermagedduntis*, adhuc exſpectandam.

Tres Interpretum hypotheſes.

Pars Aſſyrios, alii ad *Chaldæos*, aut *Romanos* Hieroſolymam obſeſſuros reſpiciunt.

Auctores præcipui hypotheſium.

Peculiaris meditatio Docti Viri.

Prima hypotheſis excutitur, an Aſſyrii hic ulla haberi queat ratio?

II. Quod ad primam hypotheſin attinet: an obſidionis Hieroſolymorum à Senacheribo tentatæ potius quam factæ in interpretatione hujus prophetiæ ulla ſit habenda ratio: ejus litis deciſio unice pendet ab expoſitione *commatis quinti*, & maxime *ſexti* hujus *Sectionis.* Verba Prophetæ ibi leguntur: *A Jehova Exercituum* Rectore חפקד VISITABITUR, vel VISITABERIS, *in tonitru*, & *in terræ motu*, &c. quæ *viſitatio* judicialis vel referri poteſt ad *copias* Exercitus hoſtilis, obſeſſuri Hieroſolymam: (ſi *tertia* obtineat *perſona* vocis חפקד) vel ad ipſam *Urbem Hieroſolymam*, à Deo ipſo *tonitru* & *fulminibus* conſternandam & proterendam. Si prior expoſitio obtineat: excludi hic nequit reſpectus *cladis* Exercitui Senacheribi *infligendæ:* ſi poſterior; indubium eſt, obſidionis à Senacheribo faciendæ nullam hic plane haberi rationem. Hieroſolymitani enim illo tempore cœlitus afflicti non ſunt. Eſt vero dubium

Deciſio ejus quæſiti pendet à ℣ſ. 6.

hoc vere ejuſmodi, ut attentiſſimum quemque occupatum habere queat: & tamen cum veri ſemper certi ſint characteres; forte ſi prudenter inſtituamus, hic etiam nos, ope Divinæ gratiæ, expediemus.

Cujus interpretatio videri poſſe dubia.

III. Prima mea hypotheſis eſt: *Non videri probabile, quicquid hic de obſidione & coarctatione Hieroſolymorum dicitur, unice referendum eſſe ad caſum Urbis obſeſſæ à Copiis Senacheribi:* etiamſi forte ejus quoque reſpectus hic non plane negligatur. Ratio hujus hypotheſios eſt, quia obſidio Hieroſolymorum tentata à Senacheribo, quatenus de ea judicare licet ex Hiſtoria Sacra, neutiquam præſtare poteſt omnia illa attributa quæ hic Tſioni ab hoſtibus premendæ atque obſidendæ vindicantur. Quid enim, quod *Mons Tſion* ſub nomine *Arielis* non tantum dicatur *premendus* eſſe *magna anguſtia*, verum etiam cingendus *obſidione*, *circumdandus vallo*, & *erigenda* adverſus eum *propugnacula?* quæ nemo doceat ex hiſtoria, illo tempore, quo Senacheribus Hieroſolymæ intentabat obſidionem, facta eſſe, vel fieri potuiſſe. Hiſtoria habet *b*, Senacheribum, ex Ægypto reducem, (quæ noſtra hypotheſis eſt,) obſidentem Laciſcham, Rabſaken & præcipuos militiæ Præfectos cum copiarum ſuam ſpectabili parte miſiſſe Hieroſolymam ad eam minis aut vi cogendam ad deditionem. Illum itaque mandata ſua publice Populo Hieroſolymitano expoſuiſſe: ſed cum tuliſſet repulſam, nec deditionem Regi aut Populo perſuaſiſſet, re infecta ad Senacheribum qui interea ſe cum copiis ſuis Libnam moverat, rediiſſe, novis mandatis ab ipſo inſtruendum: quod cum factum eſſet, rediiſſe Rabſaken Hieroſolymam *c* ſecum ferentem dirum nuncium indignationis ſuperbi Regis, & Literas ad Hiskiam blaſphemas & minarum plenas: quando Deus repentino judicio interveniſſe dicitur, & ad preces ardentiſſimas Hiskiæ & Jeſaiæ Exercitum Aſſyrii *ea* ipſa *nocte c* proſtraviſſe, conſumptis *centum & octuaginta quinque millibus*, ad militiam inſtructis. ut adeo *oppugnatio Hieroſolymorum* ab Aſſyrio hactenus actu inſtituta non fuerit, ſecundum dictum Jeſaiæ *d*: *Propterea ſic dicit Jehova de Rege Aſſyriæ: Non veniet* (ſc. ipſe, qui tum adhuc metabatur apud Libnam:) *ad Urbem hanc, neque in eam immittet ſagittam; neque præverteat eam ſcuto; neque adverſus eam fundet* ſive *objiciet* AGGEREM. Paratus utique ad id erat Exercitus Aſſyrii qui reſidebat apud Hieroſolymam, & Hieroſolymitani obſidionem

Prima hypotheſis: Non videri probabile quod hic de Coarctatione Urbis dicitur, tantum referendum ad Caſum obſeſſæ Urbis ab Aſſyrio.

Hiſtoria Senacheribi non ſatisfacit prophetiæ. quod evincitur;

a Cl. Whiſton. *b* Jeſ. XXXVI. 1. ſeqq. XXXVII. 1. ſeqq. *c* 2 Reg. XIX. 35. *d* ℣ſ. 32.

nem exspectantes se ad defensionem fortiter instruebant: sed Deus suo judicio effectum avertit.

Altera hypothesis: *Plura occurrere* in hac prophetia quæ *præcipuum ejus implementum* determinent ad *extremum Judicium* quod Deus in hanc Gentem executus est per *Romanos*.

IV. Altera hypothesis: *Plura occurrere in hac prophetia, quæ suadeant, Prophetam hic præcipue respicere Judicium Dei gravissimum, cui Populus Judæus tam temporalis quam spiritualis status sui ratione succumberet circa extrema tempora Reipublicæ, tandem evertendæ à Romanis.* Ratio & analogia Verbi Prophetici, & præsertim Jesaiani, favet hypothesi. Cum enim Prophetæ passim soleant in vaticinationibus suis tendere ad extrema, & eventus intermedios spectandos exhibere in suis complementis: probabile non fit, Jesaiam, qui in pluribus jam prophetiis [a] graviora fata Hierosolymorum, ejusque Urbis desolationem prænunciaverat, hoc in loco ubi *Judicium Hierosolymorum* graphice & data opera describit, leviorem ejus Urbis afflictionem tantum memoraturum esse, gravioribus præteritis. Accedit jam, primo, quod Dominus, obsidionem Hierosolymorum per Romanos instituendam describens in prophetia ejusdem hujus argumenti apud Lucam Cap. XIX. 43. & XXI. 20. phrases ex hac prophetia, ỳ. 2. 3. mutuatus fuisse videatur; certe easdem expresserit, ut suo loco distinctius monebo. secundo, quod idem Dominus *corrupta studia* Literarum Sacrarum & *hypocrisim* dominantem sui temporis redarguens, verba prophetiæ nostræ ỳ. 13. applicaverit ad Doctores & Plebem Judaicam sui temporis, Matth. XV. 8. Marc. VII. 6. perinde ac *Judicium spirituale excæcationis Doctorum & majoris Populi partis* ex hac prophetia, ỳ. 10. & 14. transfertur ad ejusdem ætatis Judæos, à Christo Jesu & Paulo Apostolo ejus, Matth. XI. 25. Rom. XI. 8. 1 Cor. I. 19. tertio, quod de tali Judicio peremptorio & finali Genti Judææ irrogando mentio fiat in hac prophetia, cujus consequens esset *conversio Gentium*, in locum reprobandorum Judæorum vocandarum, quæ se demonstrarent veros esse Abrahami & Jacobi filios, ỳ. 17. seqq. quarto denique, quod prophetia secundum hanc hypothesin exposita sensum exhibeat maxime emphaticum: qui, si circumstantiæ faveant, semper in Verbo Dei sectandus est.

Probabilitas hypothesios ex more Prophetarum & analogia Vaticiniorum hujus Libri anticipatur.

Sed directe probatur.

Ex collata prophetia Domini de *Desolatione Hierosolymæ* apud Lucam, Cap. XIX. 43. XXI. 20.

Et ex aliis partibus hujus prophetiæ à Domino translatis ad Judæos sui temporis.

De tali *Judicio* agitur cujus consequens esset *rejectio* Judæorum & *conversio Gentium*.

V. Hypothesis tertia: *Prophetam cum sibi ante oculos poneret varias obsidiones & pressuras, quas Hierosolyma subsequente tempore Judicio Divino sustineret, (quarum prima esset & levior Senacheribi,) de iis in hac Pericopa complexe vaticinatum esse; sic tamen ut pro more suo præcipue respexerit finale excidium Urbis quod in eam illatum est per Romanos, ejusque Excidii proximam caussam, cæcitatem & stuporem Gentis Judææ in repellendo Evangelio Filii Dei, & salute sibi per ipsum oblata.* Hac thesi circumscribo hypothesin hujus prophetiæ interpretandæ, quam pariter sectatus sum in prophetia, Cap. XXII. 1. seqq. quæ sola nos liberabit omni difficultate, & nebulas luci contrarias dispellet. Non excludo hic *Judicium Senacheribi*, cum Vates noster de eo lubens & varie passim in Vaticiniis suis differat, vel ad illud alludat; idque iis temporibus proximum esset. Excludi illud potest & debet, fateor, si *comma sextum* hujus prophetiæ ad Hierosolymam, & non ad hostes eam obsessuros, referendum sit. Sed ut illud sæpius & varie expendi: non potui hactenus me exsolvere sententia quæ illud de *interitu* hostium Populi Dei intelligit; easque suo loco proferam rationes, quas nemo prudens longe petitas judicaverit. *Judicii* etiam *Babylonici* respectus hic plane seponi nequit, cum *attributa* habeat analoga his quæ in prophetia recensentur, & nulla ratio sit quare Vates *generatim* loquens de eo minus intelligi debeat quam de qualicunque alio. Verum cum Prophetis in more sit positum, ad extrema tendere eaque maxime respicere; & vero omne Judicium Dei in hanc Gentem in finali illo & decretorio quod exerceret per Romanos, potissimum suum complementum consequeretur; idque perfecte præstet omnia *attributa* hujus *pressuræ*: eadem ratio jubet illud præ cæteris hoc in loco contemplari; quod ipsa interpretatio clarius evincet.

Hypothesis tertia: *Prophetam* hic non *unam* aliquam, sed *varias coarctationes Hierosolymæ* sibi ob oculos posuisse: præcipue tamen respexisse *Romanam*.

Hypothesis declaratur.

Quatenus hic ratio haberi queat *coarctationis Assyriæ*.

Pars prior hujus *Sectionis*, complexa JUDICIUM TEMPORALE *Calamitatis, qua affligenda esset Hierosolyma in variis quas sustineret obsidionibus;* ejusque *Eventum* respectu *hostium* qui eam *obsidione* premerent.

Præfatio summam Vaticinii hujus exhibens.

Pars prophetiæ *prior*, complexa *Judicium* Hierosolymæ *temporale*.

Præfatio ỳ. 1. *Hei* ARIEL, ARIEL, &c.

ỳ. 1. *Hei* ARIEL, ARIEL, *civitati in qua* RESEDIT *David*] Nemo forte Interpretum est qui non viderit, vaticinium hoc directum esse adversus Hierosolymam, quia *Ariel* experte in ipsa hac prophetia exponitur de הר ציון MONTE TSIONIS, ỳ. 8. & attributa omnia hoc subjectum sibi vindicant. Et tamen Theodoretus hic cogitavit de *Areopoli*, Moabitarum Urbe celebri, delusus tum aliquali convenientia vocum, tum infida versione Alexandrina, quæ extrema hujus *versiculi*, חגים ינקפו, vertit, Φάγεσθε γὰρ σὺν Μωάβ, *comedetis enim cum* MOAB. quod unde natum sit, non perspicio. Tantum quæritur, quid mysterii hac voce sit involutum. esse enim appellationem mysticam, omnibus patet. Communis sententia est, Hierosolymam ita appellari metonymice ab *Altari Holocausti*, præcipuo Religionis instrumento: *altare* autem per synecdochen dici *Arielem* à *crate* sive *foco altaris*, qui apud Ezechielem [b] dicitur ARIEL. quod nomen quia valet LEO DEI, altari inditum fuisse volunt, quia sacrificia in eo quotidie oblata *Leonis* instar devorabat. Inde Chaldæus: *Væ* ALTARI, ALTARI, *quod constructum est in civitate in qua mansit David.* Nihil vulgatius apud Hebræos & nostros; nec improbant Coccejus & Grotius, nec Bochartus quoque [c]. Fateor sane, esse in fine *versiculi* quod speciem addat sententiæ in verbis: חגים ינקפו *Destringant, jugulent sacrificia.* sic vertunt: sed non recte, ut mox docebo. Cætera, si conjectura per se spectetur, eam valde reddunt improbabilem. primo, quia *Ariel* hic exponitur per *civitatem* in qua *resedit David. altare* utique non est *civitas.* secundo, quia remotius est, *civitatem* appellari non tantum ab *altari:* quod ipsum quoque satis est paradoxum: sed à *foco altaris.* Quod enim Docti Viri dicunt, vaticinium hoc editum esse adversus *Templum:* non liquet ex prophetia ipsa; licet non negem, desolationem Templi involvi destructione Hierosolymæ. tertio, *Arielem* hic quid aliud significare quam *focum altaris*, facile colligas ex fine ỳ. 2. ubi *Civitas* ARIEL cum *foco Altaris*, *Arielis*, comparatur: *Et erit mihi* UT ARIEL: cujus loci genuinum sensum me tradere posse confido. Videbam insuper, erronee, ne dicam, ridicule, Doctos tradere, *Focum altaris* dici *Arielem*, tanquam *Leonem Dei.* est enim, ut mox dicam, אור אל IGNIS DEI. Incidi itaque, cum hinc discederem, in varias cogitationes. ut sunt, *Montem Tsionis* dici אריאל pro הראל MONS DEI, sive הראל (Litera ה enim media vocis potest esse *suppletiva* formationis Nominis,) sive *Montes Dei.* literis א & ה inter se permutatis, quod sæpissime accidit. quin eadem hæc vox pro *foco altaris* sumpta dicitur הראל & אריאל apud Ezechielem [d]. sunt enim *Harel* & *Ariel* ibi res eadem h. e. *focus*, sive *crates*, ἡ ἐσχάρα *altaris*, in quo struebatur *ignis*; non diversæ, ut Vir quidam Doctus qui in numeris *cubitorum* altitudinem hujus *Foci* ejusque *longitudinem* & *latitudinem* non discrevit. Sic itaque הר אל *Mons Dei*, idem valeret quod הר ציון *Mons Tsionis*, ỳ. 8. Meditatio nihil habet insolens. *Mons Tsion* fuit *Mons Dei*, à Deo electus, & appellatur cum colle Moria ei subjecto *Mons Jehovæ*, *Mons sanctitatis ejus.*

Non admittitur. *Altare* non est *Civitas.* Focus *altaris* non est *altare.*

Non respondent huic hypothesi extrema ỳ. 2.

Vox *Ariel* de *Foco Altaris* non recte redditur per *Leo Dei*, sive, ut Castalio, *Leo-Deus.*

Mons Tsion posset dici *Ariel* ut הראל *Mons Dei.*

Locus Ezechielis declaratus.

[a] Capp. I. v. VI. XXII. [b] Cap. XLIII. 15. [c] Hieroz. Part. I. Lib. III. Cap. I. [d] Cap. XLIII. 15. 16.

Alia meditatio obiter propoſita.

Occurrebat etiam, ut ſit in dubiis & incertis, convenientia inter nomina ירושלם & אריאל. Eſt enim ירושלם ex noſtra ſententia, *Jehova videre faciet pacem.* Vox אריאל autem ſignificare poteſt *Viſionem Dei*, compoſita voce ex ראה *videre* & אל Deus. Utique אריאל hoc ſenſu conferri poſſet cum altero myſtico nomine Hieroſolymæ in prophetia ſuperiore, גיא חזיון VALLIS VISIONIS [a]. Et inveni tamen tandem in quo figerem pedem; etſi ipſa etiam hæc quæ adduxi, non plane ſpernenda videantur. ARIEL (elliptice pro קריה אריאל *Civitas* ARIEL,) eſt VERTEX TSIONIS, qui alias dici ſolet CIVITAS DAVIDIS [b]. Sic habet hiſtoria: *Et David cepit* ARCEM MUNITAM *Tſionis, quæ eſt* URBS DAVIDIS. h. e. nunc dicitur, *Urbs Davidis.* ARIEL hic eſt myſticum nomen DAVIDIS, ſiquidem *Heröes* Hebræis & vicinis Gentibus dicebantur ARIEL. Hiſtoria Sacra de Benaia, Jojadæ filio [c]: *Ipſe percuſſit* את שני אריאל מואב *duos* ARIELES *Moabi.* ſunt ex communi Interpretum ſententia duo *heröes* ſive *propugnatores Moabi.* Propheta noſter ipſe vocem ita uſurpavit, Cap. XXXIII. 7. הן אראלם צעקו חוצה *Ecce* HERÖES *illorum clamant foris.* Dicitur אראלם pro אראליהם, quia vox *pluralem* non admittit. eſt enim forte ex ארי אל *Leo Dei*, quod nomen heröi convenientiſſimum eſt. quin obſervat Bochartus [d], adhucdum apud Arabes & Perſas, Viros *fortes*, *egregios*, ſuæ ſectæ Principes, dici *Leones Dei.* Ut autem Nomen hoc optime congruit *perſonæ* Davidis, quod nemo mihi neget: ſic nullus dubitem, quin eopſe tempore David à Poëtis & myſticis ſcriptoribus in emphaſi ARIEL dictus fuerit ut magnus & maximus *heros* Populi Dei. Quid quærimus? Propheta ſe ipſe interpretatur, ut ſæpe alias ſolet, ubi addit: *Civitas in qua reſedit* DAVID. Intelligitur *vertex* Tſionis Montis, in parte ejus Occidua, quæ, ut probabile, muro peculiari circumdata à parte Montis Orientali, *Ophel* dicta, diſcreta fuit. De eo Hiſtoricus ſacer [e]: *David autem habitabat* במצר *in* ARCE MUNITA, *quæ propterea appellabatur* CIVITAS DAVIDIS. Uſus autem eſt Jeſaias voce חנה hoc loco potius quam ישב, quia *Urbem* hanc nobis exhibere voluit ut *ſedem* Heröum ac Virorum fortium, quorum Princeps *David* hic olim ſedem ſuam fixerat, & inde in hoſtes quaquaverſum imperterritus eruperat. Etiamſi enim vox חנה rectiſſime vertatur per *manere*, *reſidere*; *ſedem figere*: eſt tamen vocis illius reſpectus peculiaris ad *metationem* vel *ſedes caſtrenſes.* Habebat utique *civitas* hæc *Davidis*, quæ ſedes erat HERÖUM & Prætorianorum militum, CRETHI & PLETHI [f], circa Davidem haud dubie in *tentoriis* aut *domibus caſtrenſibus* excubantium; ſpeciem quandam *caſtrorum*, hoc in loco fixorum. Nec alius adhuc erat aſpectus Urbis tempore Hiskiæ, qui ſuos quoque habuit *Heröes*, de quibus hiſtoria exerte teſtatur [g]. In eo itaque conſiſtit emphaſis orationis Prophetæ. Illi Urbi quæ & munitiſſima erat, (qualem illo tempore fuiſſe Hieroſolymam tota hiſtoria clamat,) & Heröum eam defendentium, & inde erumpentium, tanquam Juvenum Leonum luſtrum; quæ proin videri poterat magis parata ad inferendum quam accipiendum aut metuendum damnum: illi, inquam, Urbi, ſuis bonis tranquille gaudenti, malorum ſecuræ, prænunciat Propheta magnam calamitatem. Sic ſibi conſtat verus ſenſus vocis חנה in hoc loco; cui favent Aq. Sym. Th. Interpres Chaldæus, & Hebræi. Aquila verterat: Πολίχνη παρεμβλήσεως Δαβίδ· *Civitatula* (ſic præit Hieronymus,) *metationis caſtrorum Davidis.* Et Hieronymus tamen vocem חנה ſumens ſignificatu *obſidendi*, verterat: *Civitas quam expugnavit David.* ſequutus Interpretem Alexandrinum. Rectius dixiſſet, *quam oppugnavit.* Vox enim חנה non admittit notationem *expugnandi*, ferre poteſt eam *obſidendi*, ut ỳſ. 3. Sed noſtrum hic longe ſimplicius. Montis enim Tſionei à Davide *oppugnati* cur hic mentio fieret, nulla ratio eſt: ſed noſtræ interpretationis ratio clariſſima, quam jam explicui. In cæteris nulla eſt difficultas. Vocula הוי ſive hic *minitantis* aut *commiſerantis*, ſive *exclamantis* ſumatur ſignificatione: fere perinde eſt. valet enim *Væ* & *Heus.* ſed cum utraque ſignificatio involvatur Latino *hei*; illud hic prætuli. Et tamen in ipſa hac *Sectione* recte redditur per *Væ*, ỳſ. 15. ut paſſim in toto hoc *Sermone*, ubi ſæpius recurrit. Geminatio vocis *Ariel* non tantum hic facit ad *ἐπίτασιν* ſive *vehementiam* orationis intendendam: verum etiam ad ſignificandum, ſubituram eſſe Hieroſolymam non ſemel, ſed pluries hanc calamitatem, & quidem bis cum ejus excidio. Porro in phraſi, קריה חנה דויד, monent Hebræi eſſe ellipſin, & integre ſcribendum fuiſſe קריה אשר בה חנה דויד: eſſe autem קריה *ſtatus conſtructi* pro *abſoluto* קריה, more ſcribendi Prophetæ inprimis noſtro recepto, de quo monui ad Cap. XXVIII. 16. Sed rectius & ſimplicius dicitur, Prophetam qui *ſuperflua* omnia in oratione vitat, in hac ſententia vocem חנה, *formæ præteriti*, accepiſſe inſtar *nominis* כחנה aut *infinitivi* חנות. ut idem ſit, quod *Urbs* παρεμβλήσεως *caſtrametationis*, Civitas חֲנֹת *reſidere Davidis.*

Probabilior ſententia.

Ariël hic eſt *Vertex Tſionis*: CIVITAS DAVIDIS.

Ariël myſticum nomen *Davidis.*

Heröes olim dicebantur *Ariël.*

Adſtruitur ex loco 2 Sam. XXIII. 20. & aliunde.

Probabile eſt, *Davidem* olim hoc nomen præ aliis tuliſſe.

Propheta ſe ipſe interpretatur: *Civitas in qua metatus eſt* vel *reſedit* DAVID.

Vera *ſedes* Davidis in *Monte Tſion.*

Emphaſis vocis חנה in h. l.

Arx Tſionis erat inſtar *caſtrorum fortium* Virorum.

Idem aſpectus Urbis tempore *Hiskiæ.*

Emphaſis nominis in hoc loco expoſita.

Significatio vocis חנה verta adſtruitur.

Interpretationes Vett.

JUDICIUM HIEROSOLYMÆ.

Articulus primus.

ỳſ. 1. *med. Addite anno annum: ſolennitates in* ORBEM EANT: ỳſ. 2. *Attamen* COANGUSTABO *Arielem; eritque mœror & mœſtitia; & erit mihi* Urbs UT ARIEL.] Primus hic eſt Articulus Interminationis propheticæ vel Denunciationis calamitatis, cujus verſionis prius aliqua danda eſt ratio, quam ſententiam Prophetæ oſtendamus. Hieronymus primum membrum, ספו שנה על שנה vertit: *Additus eſt annus ad annum.* Sed Maſorethica *punctatura* vocis ספו non conſiſtit cum hac verſione. Legit haud dubie Vir Doctus סָפְּוּ *addunt annum ad annum.* quando ferri potèſt verſio. Plus dubii eſt in eo quod ſequitur: חגים ינקפו quod ille: *Solennitates evolutæ ſunt.* Didicit ab Hebræis. Sic enim Chaldæus quoque: *Solennitates abolebuntur.* Jarchius: יכרתו *Exſcindentur.* Aben-Ezra: ינקפו פועל עומר והטעם יפסקו העלות *Vox* ינקפו *intranſitive uſurpatur; eſtque ſenſus, futurum ut ſacrificia deficiant.* Sed dura eſt locutio; nec facile mihi perſuadeo, ſi id dicere vellet Propheta, uſurum illum eſſe voce נקף *cædere*, *præcidere*, *deſtringere*, quæ notio, metaphorice licet ſumpta, ad *feſta* & *ſolennitates* minus commode tranſfertur. Potior itaque Interpretum recentiorum pars ſequuta eſt Kimchium, qui per חגים, quæ vox proprie *feſta*, *ſolennitates*, notat, hic intelligit *victimas*, in Feſtis & Solennitatibus offerri ſolitas, ex Pſ. CXVIII. 27. *Vincite* חג FESTUM (h. e. victimam feſtam,) *funibus uſque ad cornua altaris.* Vertit itaque locum, *cædant*, ſive *decervicent victimas*, vel *agnos feſtos*: obſervatque, Chaldæum vocem ערפתו Exod. XIII. 13. vertere per חנקיה. eſt autem ערף *decervicare.* Inde Piſcator, ut præiverant Jun. & Trem. *Sacrificiis Feſtorum capita exſecent.* Coccejus: *Victimas deſtringant.* Si autem cui mirum videatur, Prophetam notione adeo inſolente uti voluiſſe, ubi loquitur de *mactatione & oblatione victimarum*: hanc reddunt rationem, & ipſe quoque Interpres Hebræus; Prophetam non dignatum eſſe cultum Divinum qui ab his hominibus in *victimis cædendis & offerendis* obſervabatur, alia notione deſignare, quod ſciret cultum hunc obiri ab *hypocritis* & *profanis*, ad Deum in externis Religionis cærimoniis integro animo non accedentibus, de quibus Vates alibi [h]: *Qui mactat bovem* (ſc. in ſacrificiis,) CÆDIT *Virum: qui agnum offert*, DECERVICAT (ערף) *canem.* Senſus eſt ex mente Interpretis, Deum ſacrificia à profanis & hypocritis ſibi oblata eodem loco habere, acſi parricidium committerent, aut canis cervicem præſcinderent, quippe cum Deus hujuſmodi ſacrificia ut ſcelera aut impura deteſtaretur. ob eandem itaque hanc cauſſam *ſacrificare*

Vocula הוי quomodo hic accipienda?

Quare vox *Ariel* hic geminetur?

Ellipſis orationis.

Emendatio ſententiæ.

Judicium ipſum *Hieroſolymæ.*

Articulus primus.

Verſio textus conſtituta.

Verſio Hieronymi ad *primum membrum.*

Vocem כפו non recte accepit.

Ejuſdem verſio *membri ſequentis*; חגים ינקפו collata cum iis Hebræorum Jarchii & A. Ezræ.

Notatio vocis נקף.

Verſio Kimchii.

Per חגים intelligit *Victimas.*

Ejus ſententia expoſita.

Ratio locutionis Prophetæ ab ipſo & aliis allata, ex Jeſ. LXVI. 3.

Vati

[a] Cap. XXII. 1. [b] 2 Sam. V. 7. [c] 2 Sam. XXIII. 20. [d] l. c. [e] 1 Chron. XI. 7. [f] 2 Sam. XX. 7. [g] 2 Chron. XXXII. 3. [h] Cap. LXVI. 3.

Vati in hoc loco eſſe *præſcindere cervicem*, *decervicare*, quod actus hypocritarum & profanorum non mererentur *ſacrificii* aut *oblationis* nomine appellari. Ego vero non intercedo, quo minus hæc interpretatio, quam ipſe ferri poſſe judico, locum obtineat; nec tamen à me impetrare potui, ut in ea acquieſcerem. primo quia Propheta, ſi omnino vocem נקף ſenſu *deſtringendi* hic uſurpare voluiſſet de *victimis* Deo offerendis: non videtur in ejuſmodi caſu adhibiturus eſſe vocem חגים *feſta*, duas duriores metaphoras inter ſe commiſcendo. eſt enim durius & inſolentius dictum, *feſta præcidere* pro *offerre victimas*. Deinde, etſi non nego, vocem חגים poſſe uſurpari pro *agnis* vel *victimis*: mallem tamen hic retinere communem vocis ſignificationem, ſi liceret, cum *unico* tantum *loco* ab hoc ſenſu deflectat. Ergo vidi tandem, verba verti poſſe: *Feſta in orbem eant*; quam interpretationem nemo negaverit eſſe accommodatiſſimam ad hunc locum, ſi eam recte adſtruxero. Vox יְנַקְּפוּ, quæ ſecundum analogiam hic duci debebat à נקף, hoc in loco flectitur ab affini יקף, *in orbem redire*, *circuire*, neque id quoque præter analogiam; dum *ſerviles literæ* י & נ ubique in *thematibus* confunduntur; & *analogicæ punctaturæ* vocum à י & נ incipientium inter ſe ſæpius permutantur, ut notum. Litera נ in voce יִנְקְפוּ itaque hic eſt compenſativa dimidii puncti *Tſere*, יְקַפּוּ ſecundum *analogiam*: quin ſane Grammatici ipſiſſimam hanc vocem יקף inter eas recenſent *octo*, *quæ certis Temporibus & Conjugationibus formam defectivorum prima rad.* נ *imitantur*. Vox יקף in *Hiphil* (הקיף) valet ſignificatione *circumdandi*, *in orbem agendi*, *cingendi*: unde colligimus, olim in *Kal* valuiſſe, *in orbem ire*, *redire*. cujus rei argumentum habemus certiſſimum in voce תקופה *Circumvolutio* (Feſtorum, Temporum, Siderum cœleſtium:) quæ notio, ut alii jam obſervarunt, ſignificationem ſuam mutuatur & flectitur à voce יקף, eſtque vox apud Hebræos hoc in caſu veri, proprii ac frequentis uſus, in Scriptura [a], & maxime Magiſtris, ſenſu *circumvolutionis* temporum aut *Siderum*. Eadem notatio eſt genuina vocis קוף, ut Docti jam conjecerunt. Ergo exit verſio concinna & huic loco aptiſſima: *Addite annum anno*, *& Feſta* (anniverſaria maxime,) *in orbem eant*. In cæteris, quod ad ſenſum verbalem, minor hæret difficultas. Verba: והציקותי לאריאל verti, *attamen coangustabo Arielem*: in qua verſione nihil vitii eſt. Vox הציק veram obtinet ſignificationem *angendi*, *anguſtia premendi*, *coanguſtandi*; ac proin uſurpatur rectiſſime de qualicunque obſidione vel preſſura, qua hoſtes civitatem aut Gentem arcta anguſtia premunt. Inſignis in hanc rem locus eſt apud Jeremiam [b]: *Et comedetis carnem filiorum veſtrorum*, *& carnem filiarum veſtrarum*, *& quiſque carnem proximi ſui comedent in obſidione*, *&* COARCTATIONE (ובמצוק) *qua ipſos* COANGUSTABUNT (יציקו) *hoſtes illorum*, *& odio habentes animam ipſorum*. Conferatur ỳſ. 7. in quo eadem hæc vox repetitur. Præfixum autem ו rectiſſime hic vertitur *adverſative* per *tamen*, *attamen*, ut ſæpiſſime in Sacris. Sume tibi exempla ex Cap. XXXI. 2. Jer. II. 11. Emphatica ſunt quæ adduntur de effectu obſidionis & coanguſtationis: והיתה תאניה ואניה *Et erit mœſtitia & mœror*. Sic optimi Interpretes, non invitis Hebræis. Flectitur enim vox ex אנה quam in ſuperioribus habuimus ſignificatu *mœrendi* [c]. Conjunctio vocum ejuſdem terminationis & ortus inſolentior eſt, ſed hic gratam parit reſonantiam, ut non dubitem, quin in Poëticis fuerit uſu recepta. Certe Jeremias ſimili modo uſus eſt in *Threnis* [d]: *Et multiplicat apud filiam Judæ* תאניה ואניה *mœrorem & mœſtitiam*. Verterat Symmachus: Καὶ ἔσται κατώδυνος καὶ ὀδυνωμένη· quod Hieronymus expreſſit: *Et erit triſtis ac mœrens*. Res eadem eſt. Notio tamen *ſubſtantivi* rectius convenit loco parallelo Jeremiæ. Eruditus Avenarius vertit: *Et erit invectus & invectio*. intelligit impugnationes hoſtiles. Non ſperno temere ejus judicium, & ſic ſatis conſtat, vocem אנה propria & genuina ſignificatione ſua idem valere quod *invehi*, & *in rem aliquam vehementer impelli*: ſed eadem notio abſque dubio ſignificat quoque *mœrorem*, & ſibi adſciſcit ſignificatum vocis אין *dolere*, *mœrere*. quare hic non muto ſententiam. Reſpicit autem terminatio *fœminini* in voce היתה *Urbem* Hieroſolymam, ſive קריה, quam Propheta expreſſerat ỳſ. 1. De his quæ ſequuntur, *Et erit mihi ut Ariël*; mox explicabo mentem. Verſio enim hic certa eſt.

Videndum de ſententia Vatis, in qua generatim plerique Interpretes conſentiunt: nempe verba, ỳſ. 1. *Addite annum anno*, *& mactentur victimæ*: (ut illi, ſive, ut nos: *Feſtivitates in orbem eant*: κατὰ περιτελλομένας ἐνιαυτὰς, ut Græci loquuntur, *exactam* annorum *revolutionem* ſignificantes:) *attamen anguſtabo Arielem*: ſic inter ſe cohærere, ut priora ſumantur συγχωρητικῶς *conceſſive*, in hunc ſenſum: Vos profani & hypocritæ, qui vobis perſuadetis vos externo cultu, quo *annua* Feſta celebratis & victimas teſtas magno numero offeritis, Deo ſatisfacere, ejuſque jam placaviſſe iram: *addite*, ſi ita placet, *annum anno*, *celebrate feſta*, *procurate victimas*, quod ſtrenue ſatis agitis: attamen ſcitote, Deum in his ſibi neutiquam complacere, quod videlicet abſque fide & cum hypocriſi deteſtabili, alieno à Deo affectu, hoc externo Religionis ritu defungamini, atque adeo eorum reſpectu non deſiturum exequi gravia Judicia vobis decreta, quæ vobis minantur triſtiſſimas obſidiones & coarctationes, tandem cum Excidio Reipublicæ conjungendas. Sic plerique Intt. laxius, preſſius, ſententiam ſuam declarant. Sed aliud hic hæret Grotio, qui cum ſibi perſuaſiſſet, totam hanc prophetiam agere de *coarctatione Hieroſolymorum*, per Senacheribum facienda, priora verba: *Addite annum anno*: interpretatur: *Exſpectate biennium*: ſupponens, hanc prophetiam editam eſſe biennio ante irruptionem Senacheribi. Interpretatio eſt ingenioſa, fateor, nec nego Viro Illuſtri laudem ſuam. Sed primo, neutiquam eſt probabile, hanc prophetiam editam eſſe *biennio* ante irruptionem Senacheribi, cum cohæreat cum cognatis, quæ hanc hypotheſin refellunt, ut in *Anacriſi* evici: deinde, non facile nobis perſuadeat Vir Illuſtris, prophetiam hanc præcipue ad *coarctationem Aſſyriacam* referendam eſſe. Accedit, illa duo membra: *Addite annum ad annum*: &, *Sacrificia mactentur*, ſive *Solennia Feſta obſerventur*: in expoſitione Viri Illuſtris inter ſe minus cohærere, quæ in noſtra optime & concinne conjunguntur: ob quam rationem forte Vir Doctus [e], qui ejus hypotheſin adoptavit, hac tamen parte eum deſeruit.

Reſtat ultimum hujus *Articuli* membrum expediendum, quid ſibi velit quod dicitur: והיתה לי כאריאל *Et erit mihi* UT ARIEL. *Civitas Ariel*, quæ eſt Civitas Davidis, Urbs Hieroſolyma, *mihi erit* UT ARIEL. Plerique Intt. hunc ſenſum dant verbis, Deum facturum ut in circuitu Hieroſolymæ plurima cadavera hominum proſtrata jaceant perinde ac circa Aram Holocauſti cadavera animantium. Piſcator: *Urbem quoque* (æque ac Altare & Templum,) *anguſtabo*, *hoc eſt*, *evertam*. Sed *anguſtare* non eſt *evertere*; & de *Urbe* mentio eſt, ut patet ex ỳſ. 1. quare *Urbs* hic *Templo* commode opponi nequit. Prius etiam ſe mihi minus probare potuit. videtur enim metaphora paulo frigidior. Certe Grotius, qui ipſe quoque hanc interpretationem admittit, non facile demonſtraverit ex hiſtoria, circum Hieroſolymam à Senacheribo obſidione tentatam magis quam obſeſſam, jacuiſſe plura occiſorum cadavera. Senſus Prophetæ eſt, ut putem: *Deum Hieroſolymam facturum eſſe focum ſuæ iræ qui conſumpturus ſit tam hoſtes quam reprobos & refractarios Judæos*. Hic ſenſus eſt elegans & emphaticus, ſapientiæ Vatis noſtri congruens. *Ariel* hic ſumitur vera ſua ſignificatione non pro *altari*, ſed pro *foco altaris*, ut apud Ezechielem [f]. In eo conſiſtit vis ſententiæ. *Focus altaris* ſuſtinebat ſymbolum ſanctiſſimæ & puriſſimæ Dei

Ἔνστασις in hanc verſionem. Rationes quæ eam minus commendant. Duricies phraſios.

Verba vertenda ſunt: *Feſta in orbem eant*. Significatio vocis יִנְקְפוּ flectitur ex voce יקף.

Uſus vocis הקיף & תקופה.

Significatio vocis הציק.

Illuſtrata ex Jer. XIX. 9.

Uſus præfixæ ו in voce והציקותי.

Verba emphatica: תאניה ואניה. Uſus vocis אנה *mœrere*.

Verſiones Vett.

Avenarii obſervatio.

Communis interpretatio præfertur.

Senſus ſententiæ Prophetæ ſecundum Intr. Paraphraſis orationis.

Sententia Grotii.

Incertis nixa hypotheſibus.

Oratio Prophetæ ſecundum eam non recte cohæret.

Ultimum membrum Pericopæ: *Et erit mihi ut* ARIËL: excutitur. Communis ſententia Intr. alludi ad *ſtrages* hominum circum Hieroſolymam *mactandorum*.

Senſus ſententiæ probabilior. *Hieroſolyma* fieret *Focus* hoſtes & improbos conſumpturus. *Ariël* non eſt *Ara*,

[a] Conf. Exod. XXXIV. 22. Pſ. XIX. 7. [b] Cap. XIX. 9. [c] Cap. III. 26. [d] Cap. II. 5. [e] Brenius. [f] Cap. XLIII. 15.

ſed *Ara Focus.*

Voluntatis, cui probari debebant omnes victimæ Deo oblatæ: ad quam pertinet Juſtitia Dei ardens inſtar *ignis* & peccatorem, ſi placamentum nullum interveniat, conſumens. Evaderet autem Hieroſolyma theatrum Divinorum Judiciorum. Conſumeret inſtar *Foci altaris* tam improbos & refractarios peccatores, miſere tandem in ea perituros; quam *hoſtes*, eam obſeſſuros. *Erumperet* enim *ignis* à facie Domini, & *conſumeret hoſtes*, ut exemplum editum in Aſſyriis. Ne quis dubitet de hac interpretatione, conferat Prophetam Cap.

Illuſtratur ex Cap. xxxi. 8.

xxxi. 8. *Et cadet Aſſur, gladio non Viri, & gladius non Hominis devorabit illum, ... dicit Dominus,* אשר אור לו בציון *cui eſt* FOCUS *in Tſione*, (proprie, *cui eſt* IGNIS IN TSIONE. locus enim reſpicit ad hunc noſtrum.) *& furnus Hieroſolymis.* Moneo itaque nunc tempeſtive, *Focum altaris* appellari אריאל non ſenſu *Leonis Dei:* uti Intt. paſſim volunt: ſed IGNIS DEI. eſt enim אריאל compoſitum nomen ex אור *ignis* & אל *Deus.* Comparavi, fateor, ſubinde vocem ארי ARI cum Latino ARA, de cujus etymo Latinorum Doctiſſimi ambegerunt, ut ex Macrobio liquet *a*: ſed patior alios de eo altius cogitare. non dimitto enim me ad non neceſſaria. De *implemento* mox.

Obſervatio ad Latinam vocem *Ara.*

Articulus alter.

Articulus alter Denunciationis Propheticæ.

ỳſ. 3. *Et* CORONA *cingam te, & obſidione te arctabo* OBJECTO AGGERE, *& erigam contra te propugnacula.* ỳſ. 4. *Tum humiliaberis,* E TERRA LOQUERIS; *& ex pulvere depreſſa erit oratio tua; & erit tanquam* PYTHONIS E TERRA VOX TUA, *& ex pulvere loquela tua* PIPIET]. Poſterior hic articulus explicat priorem.

Cohærentia ejus cum *ſuperiore* oſtenditur.

Dixerat Vates, futurum eſſe ut Urbs Hieroſolyma *anguſtia prematur & arctetur.* id vero ipſum eſt quod hic propius declarat, nempe fore ut Urbs *obſideatur*, & quidem *corona cingatur*, & *præſidiariæ turres adverſus eam excitentur:* cujus coarctationis conſequens eſſet, incolas antehac mali calamitatiſque ſecuros, ſuiſque munimentis ac viribus ſuperbos, fiduciamque ſuam cum jactantia explicantes, ad eam redactum iri ſtatus ſui humilitatem, ut *Pythonum* inſtar preſſa & tenui voce, certo indice anguſtiarum animi, ſenſa mentis ſuæ aliis gemebundi declararent, aut reſponſa darent hoſtibus, iiſque ſupplicarent. In quo ſenſu cum Intt. paſſim conſentiant: paucula ſolummodo ad phraſin Prophetæ adſcribam.

Summa Pericopæ.

Verſio illuſtrata.

Primum membrum.

Primum membrum eſt: וחניתי כדור עליך quod proprie ſonat: *Et adverſus te caſtra metabor in orbem.* ſive, *obſidebo te in circuitu.* Vox חנה cum על in Hiſtoria Sacra ſumitur ſignificatu *obſidendi.* ſed inſolentior eſt uſus vocis כדור. ſolummodo Vates noſter ea uſus fuerat Cap. xxii. 18. ubi vel *pilam* notat, vel *faſciam* in rotundum *pilæ* in modum *volutam.* eſtque cognatio aliqua inter hanc vocem & Græcam κίδαρις. Hic itaque circumſtantia orationis alium ſenſum non admittit, quam *cingere corona, circumdare,* κυκλῶ. Sic Græcus: Καὶ κυκλώσω ὡς Δαυὶδ ἐπὶ σέ. Addit voces ὡς Δαυὶδ, ex ỳſ. 1. Hieronymus obſcurius: *Et circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuo.* Sed nihil hic verius & certius quam quod Lucas, hunc ipſum locum, ut probabile fit, reſpiciens, habet, περικυκλῶ. Verba ejus *b*: *Et venient dies quibus inimici tui .... περικυκλώσουσί σε* te *undique* CIRCUMDATURI *ſunt.* Oratio eſt Domini de extremo Hieroſolymæ fato vaticinantis. Id ipſum vero quid ſit, explicat idem alio loco *c*: *Quando itaque videritis Hieroſolymam κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων* CINGI IN CORONAM *ab exercitibus.* Hic primus actus eſt obſidionis Urbi intentandæ. Sequitur alter: וצרתי עליך מצב *Et arctabo te objecto aggere, vallo.* Vocis מוצב uſus non eſt niſi in hoc loco; & viderunt tamen facile Intt. hic commode aliud ſignificare non poſſe quam *vallum, aggerem*, quo Urbs undique includitur, qualem Hebræi alias vocant סוללה, aut proprie ריק, cujus vocis uſus eſt in deſcribenda obſidione Hieroſolymæ per Chaldæos: ubi de Hieroſolyma à Nebucadnezare obſeſſa *d*: *Et obſedit eam,* (יחן עליה) ויבנו עליה דיק סביב *& ſtruxerunt adverſus eam munitionem* (vallum) *circumcirca.* Sic Græcus, hic laude dignus: Καὶ βαλῶ περὶ σὲ χάρακα. Hieron: *Et jaciam contra te aggerem.* Symm. Καὶ χαρακώσω κατά σε ϛάσιν. Lucas *e*: Καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σε χάρακά σοι VALLUM *circa te jacient inimici tui.* Eſt מוצב à יצב *collocare, conſtituere*, firmo loco ponere. מצבה *Statio militaris.* quod recte ad *vallum* transfertur, apud quod cujuſque portas ſtationes habebant milites. Tertium membrum: *Et erigam adverſus te* מצורות *turres præſidiarias*, propugnacula. Equidem vocis מצורה latior eſt ſignificatio. notat enim qualemcunque munitionem, ſive Urbis ipſius, ſive ab hoſtibus adverſus Urbem extructam. verum notio הקים *erigere* hic æque ac circumſtantia orationis determinat ejus ſignificationem, quæ *turribus, propugnaculis*, optime convenit. ſic ערי מצורה vel ערי מצורות Hebræis dicuntur Urbes *vallo & turribus* munitæ. Valla autem caſtrenſia Veteris Poliorceticæ ſuas habuiſſe *turres*, æque ac oppida, vel ex Homero ſatis notum: ne alia huc adferam ex Scriptoribus *Rei Militaris.* Hieronymus: *Et munimenta ponam in obſidionem tuam.* Sed Græcus hic ſe ipſe ſuperat. Scripſit prudens ex mente Vatis: Καὶ θήσω περὶ σὲ πύργους. Ad *verſiculum quartum* minus hic quod obſervem habeo, cum quæ monenda erant de voce אוב *Pythonis* jam adſcripſerim ad loca Cap. ii. 6. & viii. 18. Tantum quæri hic poteſt, quo ſenſu οἱ ἐγγαστρίμυθοι (quæ vera ſignificatio eſt vocis אוב) dicantur *humiliter* loqui ex *terra* vel ex *pulvere.* Grotius id ita expedit, ut ſtatuat, *Pythonicas ſæpe ex antris locutos eſſe.* Velle igitur Prophetam hoc loco, *incolas Hieroſolymorum ſe metu telorum hoſtilium occulturos eſſe in cryptis & locis ſubterraneis.* Poterat forte quid magis in rem ex ingenio & penu ſuo proferre Vir illuſtris, etſi tamen meditationi huic, in omni amplitudine ſumptæ, nihil veri ineſſe, non ſtatuam. *Spiritus ſubterraneos* ex *antris & ſpeluncis* loqui ſæpe (rectius ex *ſpecubus ſubterraneis,*) & oracula edere, Veteribus perſuaſum fuit: fœminas quoque *Fatidicas* in *ſpeluncis & antris* paſſim delituiſſe, non negem: ſed hic manifeſta mentio eſt *Pythonicorum* qui inter homines verſabantur; eſtque aliud, *è terra* aut *è pulvere* loqui, ac loqui ex *antris & ſpeluncis.* Ergo id obſervandum eſt, quod jam monui & adſtruxi, ad Cap. ii. 6. *Pythones* dictos eſſe tam qui *Spiritum* ipſos obſidentem, utero gerebant: quorum vox hac ipſa de cauſſa exibat tenuis, exilis, acuta, inſtar *pipientium:* quam qui per Spiritum ſe obſidentem evocabant *manes*, è *terra* & *pulvere* ab *inferis* excitandos, demiſſa, ſtridula, ac acuta voce utebantur: perinde ut ipſæ Umbræ evocatæ ex inferis voce utebantur *exili, tenui*, languida, demiſſa, ſubtili, quæ ab omnibus intelligi non poterat. Parabolicam autem Prophetæ locutionem primo ſenſu non huc tendere putem, quod Vir illuſtris innuit, Judæos ſe tempore obſidionis *cryptis ſubterraneis* condituros eſſe: etſi certe id non excludo: ſed incolas Hieroſolymorum, qui olim *altum tonare & libero* ore viribus ac munimentis ſuis, atque etiam fœdere cum potentioribus inito, *gloriari* ſolebant: hoc tempore per obſidionem arctiſſimam ad ſummas animi anguſtias redactos *manium* inſtar ac *Pythonum* humili uſuros eſſe oratione, quæ animi ipſorum anguſtias ac metum exprimeret. Et tamen ſenſus ſublimior & myſticus id etiam, quod Vir illuſtris ſupponit, involvere poteſt, & favet hiſtoria. Tandem utile eſt obſervatu, *effecta* hæc omnia, qualia eſſent; ab hominibus magis quam à *Deo*, & ab hominibus hoſtilibus magis quam à *Deo Fœderato*, exſpectanda; *Deum* ſibi vindicare. Nullam hic mentionem facit Vates Aſſyriorum, Chaldæorum, Romanorum: ſed ſolius Dei, qui dicitur Urbem Hieroſolymam obſeſſurus, & vallo ac propugnaculis preſſurus eſſe. Rem paradoxam! Nimirum docet Propheta ad conſolationem piorum per totum hunc Librum, Eventus omnes rerum humanarum, Caſus omnes lætos triſtes, proſperos

Lucæ Cap. xix. 43. perfecta: περικυκλῶ. coll. cum Cap. xxi. 20.

חנה כדור eſt κυκλῶ.

Uſus vocum כדור & חנה.

Alterum membrum.

Notatio vocis מוצב.

Locus 2 Reg. xxv. 1. cum hoc collatus.

Interpretationes Veteres.

Lucæ verſio perfecta ex Cap. xix 43.

Membrum tertium.

Uſus vocis מצורה.

Notat *turres & propugnacula* vallorum,

Uſus Veterum in *Poliorcetica.*

Quo ſenſu *Pythones* dicantur loqui *ex terra, & ex pulvere*, ỳſ. 4.

Grotio ſententia.

De ea judicium.

Pythones olim magi *pipiebant* quam loquebantur; ut pariter *Manes*, eoſque evocantes.

Parabolica loquutio tranſlata ad Judæos, quid ſignificet?

Quo ſenſu hæc effecta Deo tribuantur?

Doctrina Jeſaiæ de Providentia Divina.

a Saturn. Lib. iii. Cap. ii. *b* Cap. xix. 43. *c* Cap. xxi. 20. *d* 2 Reg. xxv. 1. *e* l. c.

ros adversos, Calamitatesque omnes & pressuras Populi sui à Deo pendere, omnium potentiarum cœlestium ac terrestrium Moderatore. nihil Assyrios, nihil Chaldæos, Syros, Romanos, absque Deo Jehova posse. nihil illos ipso nolente efficere ac perpetrare. omnia illorum consilia, molimina, opera, ab ipso in omni sua περιςάσει ita definiri & circumscribi, ut nihil plus vel minus efficiant, quam ipse velit. *Ipse*, inquam, *qui format lucem, & creat tenebras: qui facit pacem & creat malum.* EGO, ait, JEHOVA *facio hæc omnia* [a].

Quæritur de *implemento prophetiæ*. Partes diversæ Interpretum.

Quæro de prophetiæ hujus *Implemento*. Sunt quos in *Anacrisi* appellavi, qui nihil hic vident, nisi quod à Senacheribo Assyriæ Rege non longo post editam hanc prophetiam tempore effectum est. alii, qui cum majora hic dici videant quam quæ historia ostendit gesta esse ab Assyrio, hic cogitant de Urbe obsessa à Chaldæis, & in eo acquiescunt. alii, quos laudavi, respiciunt hic longius ad extremum Urbis Fatum. Meam sententiam suo loco jam explicui. Si duo *versiculi sequentes* referendi sint ad punitionem aliquorum hostium Populi Dei, qui Hierosolymam obsiderent: ut plurimi Interpretes illa *commata* accipiunt, & ipse quoque ego non habeo improbabile ob rationes mox proferendas: certum est excludi hic non posse omnem respectum obsidionis qualiscunque intentatæ huic urbi à Senacheribo. Verum Prophetam eam solam respexisse, nemo cum ratione dixerit. Historia, quam largior esse imperfectam, non testatur, Copias Assyrii Urbem totam circumdedisse; minus, eam cinxisse *vallo*, aut *turres præsidiarias* adversus eam *erexisse*, cum hactenus per *colloquia transactionum* aut *minas* Assyrius studeret Hiskiæ persuadere deditionem. Pararunt se ad obsidionem Assyrii: sed ira stetit intra minas, secundum fidem historiæ. Ergo non licet in eo subsistere. Solummodo quod hic dicitur, Judæos circa hoc tempus tenui & pressa voce loquuturos esse: confert Kimchius tum historia, quæ Legatos Hiskiæ à Rabsake petiisse tradit, ut *Syriace* secum ageret: sed quantillum illud est ad implementum hujus & totius *prophetiæ?* Obsidio Urbis per Chaldæos habet characteres obsidionis & pressuræ, quam Propheta hic minatur, idque undecunque patet: sed non habet omnes characteres circumstantiarum hujus Eventus, perfecte adeo expressos, ac Obsidio & Expugnatio Urbis per Romanos. Ergo id verum est, quod jeci & demonstravi ad Cap. XXII. 1. seqq. Prophetam nostrum, æque ac alios, *cognatos eventus* quos prævidebant plures ejusdem generis, alios aliis graviores, una sæpius involvere prophetia, quam tamen prophetiam præcipue referri volunt ad Eventum summum & extremum. Post editam hanc prophetiam proxima esset *coarctatio Urbis*, efficienda ab Assyriis, quam Propheta conspectu obsidionum hujus Urbis excludere non potuit, ut nec fecit in prophetia, Cap. XXII. 1. seqq. ubi Calamitatem Assyriacam & Chaldaicam inter se conjungit. Sed cum Assyriaca hæc pressura non satisfaceret emphasi hujus prædictionis: proxime cogitandum esset de Chaldaica, quam obsidionem & pressuram plerosque characteres obsidionis hic memoratæ exhibuisse, non nego: & dubito tamen an omnes. Nam etsi historia habeat, Hierosolymam illo tempore *undique* vallo cinctam fuisse [b]; ambigo tamen, an id *absolute* de tota Urbe, num potius de majore Urbis parte, excepto tractu *meridionali*, ubi Urbs extra periculum oppugnationis posita erat, intelligi debeat. certe, si tota vallo concluſa fuisset, idque à Chaldæis diligenter munitum ac præsidiis necessariis instructum esset: non potuisset facile Tsedekias Rex hac parte, tractu, inquam, australi, ignaris Chaldæis, evadere. quod tamen illum feciſse, docet Historia [c]. Sed si id etiam admiserim, ut sane non inficior, Hierosolymam illo tempore similia fere expertam passamque esse ac postea in obsidione Romana: duo tamen teneo ut certissima, quæ jam in antecedentibus occupavi. primo, obsidionem & pressuram Urbis, factam à Romanis, tam accurate & exacte satisfacere huic prophetiæ, secundum omnes ejus particulas, ut & prophetiæ ipsius Domini apud Lucam [d], (cujus verba & phrases ad hanc nostram conformata sunt,) ut nihil possit magis. Deinde, consequentem hujus prophetiæ contextum à ỳ. 9. huic hypothesi per omnia favere. Et posterius quidem hoc observatum, suo loco patefiet. Prius vero, quod nunc ago, facile ostendam ex Josepho, cujus historia in hunc finem, Deo sua providentia curante, conscripta & conservata est, ut antiquorum Oraculorum, & ipsius prophetiæ Joannis Baptistæ & Christi Jesu, Domini nostri, implementum ex ea cognoscere & demonstrare possemus. Docet itaque ille [e], Titum, post primum & secundum Murum Urbis perruptum, & totam Aquilonarem Urbis partem jam redactam in suam potestatem, cum vehementer laborasset per plures dies Antonia & Templo magna cum suorum jactura & frustra oppugnandis, & non ignarus esset diræ famis & pestis in Urbe grassantis; tandem in hanc venisse sententiam, ut *totam Urbem*, omni sua parte, VALLO, muri instar, *includeret*, quod ipse vocat παρατειχίζειν ὅλην τὴν πόλιν: idque opus ut arduum & à militibus veluti Divino quodam impetu incensis brevi absolutum ipse per partes exequitur: inde narrat, *foris ædificata esse*, proxime vallum, Φρόρια τρισκαίδεκα, CASTELLA TREDECIM; *quorum gyrus denis stadiis numerabatur*: quibus *custodiæ causſa* impositi fuerint milites. Sic prophetiæ ad extremas minutias constitit suum implementum. perinde ac alteri illi apud Micham de *Monte* Tsionis *ut ager arando* [f]. quæ licet agere videatur & omnino ex primo sensu agat de Calamitate Chaldaica: vere tamen demum ad extremas lineas impleta est in Romana. Est autem id præcipue quod Propheta respexit in verbis: *Et* COARTABUNT (יציק *angustia* prement) *Arielem*. quod Lucas Interpres de *obsidione Romana* loquens: Καὶ συνέξουσί σε πάντοτε· *Et* CONSTRINGENT *te undique*. Rursus quod Propheta ait, Judæos hoc tempore *humili* usuros voce & veluti *è terra & pulvere locuturos*: ita est, ad hanc conditionem superbi, feroces, & jactabundi tandem redacti sunt. Josephi verba [g]: Ἦν δ' ἰδεῖν τὰς πάλαι σοβαρὰς καὶ τοῖς ἀσεβήμασιν ἀλαζόνας, τότε ταπεινὰς καὶ τρέμοντας, ὡς ἐλεεινὴν εἶναι καιπερ ἐν πονηροτάτοις τὴν μεταβολήν· *Erat autem videre paulo ante superbos & factis impiis arrogantes, ita tum* HUMILES ESSE *ac* TREMERE, *ut miseranda esset quanquam in nequissimis tanta mutatio*. Quin sane Judæi ad extrema redacti ultimum refugium habuerunt in *Cloacas*, (ὑπονόμους,) sive in *specus* & *cuniculos subterraneos*, quos Urbs montosa & Templum frequentissimos habebat, ut vel hoc modo tanquam Pythones ex *terra* & *pulvere* loquerentur: quem sensum in his verbis mystice latere non negavi. Josephus [h]: *Tyrannos autem & factionem Latronum fovebat spes ultima* περὶ τῶν ὑπονόμων *sita in* CLOACIS (cuniculis subterraneis,) *quo si fugissent minime inveniri posse arbitrabantur: sed peracto excidio, postquam digressi essent Romani, fugere se posse cogitabant*. Quid ajo? Mortuorum instar non in *cloacis* tantum & locis quibusque *subterraneis* (*sepulchris* quoque ex sensu Russini [i]:) latitarunt, sed & *umbrarum* instar ex iis noctu aliqui prodierunt, tentantes metu incusso militibus Romanis hac arte evadere. quos inter ipse fuit Simon, Idumæorum Dux [k], perinde ac Joannes, Præfectus alter, qui ipse quoque se sub *terram dimiserat*, captus [l]. Sic vere Hierosolyma facta est ARIEL, *focus Divinæ iræ*, consumens improbos Populi Dei, sobolem pessimam, qua pejorem, teste eodem Historico, terra nunquam tulerat. Josephus idem vocat πῦρ καθάρσιον *Ignem*

Judicium generale de illorum hypothesibus.

Implementum prophetiæ hujus non potest demonstrari in historia Senacheribi.

Kimchii sententia.

Quatenus applicari queat ad Calamitatem Chaldaicam?

Plures hic respiciuntur *Obsidiones* Hierosolymæ.

Primo *Assyriaca*.

Inde Chaldaica quæ plures exhibet characteres.

Dubium, num Urbs *tota* illo tempore circumdata fuerit vallo.

Repetuntur rationes quæ hic maxime jubent cogitare de obsidione Urbis per Romanos.

Historia Josephi cum verbis Prophetæ & Lucæ collata.

Hierosolyma tota tum *cincta* fuit *vallo*.

Vallo additæ *Propugnacula*.

Coarctatio, de qua Propheta & Lucas ex Josepho illustrata.

Judæi tum loquuti sunt veluti è *pulvere*.

Verba Josephi.

Singularis historiæ Casus, quod refugium quæsiverint in *subterraneis*.

Observata ex Josepho hac de re.

Hierosolyma tum facta est ut *Ariel*. Consumpsit veros Dei hostes.

a Jes. XLV. 7. *b* 2 Reg. XXV. 1. *c* ỳ. 4. *d* Cap. XIX. 43. XXI. 20. *e* B. J. Lib. VI. Cap. XIII. *f* Cap. III. 12. *g* B. J. Lib. VII. Cap. XVI. *h* Lib. VII. Cap. XIV. *i* Lib. VII. Cap. XVII. Josephi verba de Romanis: Καὶ τὸ δαφὸς ἀναῤῥηγνύντες. *k* Joseph. Lib. VII. Cap. XX. *l* Lib. VII. Cap. XVII.

Ignem lustratorium quo *expiata* sunt *scelera* Urbis & Templi [a]: quæ jam ante fuerat *Focus*, consumens hostes, ut sane vel in ipsa hac obsidione hostium fortissimos consumpsit. Nec tamen id est quod Propheta in *reduplicatio sensu* hujus nominis proprie intellexit: sed aliud quod mox exponam. Plura non addo ad diritatem hujus Calamitatis, quam Propheta designat verbis: *eritque mœror & mœstitia:* depingendam. Nihil enim de ea tam presse dici & scribi potest, quin conspectus ejus vim orationis superet ac eludat.

Eventus tentaminum Hostilium respectu Assyriorum.

Eventus tentaminum hostilium respectu Assyriorum.

℣. 5. *Et erit ut* PULVIS TENUIS *multitudo hostium tuorum, & tanquam* GLUMA TRANSIENS *multitudo ferocium*; FIETQUE ILLUD MOMENTO, *repente*. ℣. 6. *A Jehova Exercituum* Domino VISITABITUR *in tonitru & in terræ motu, & voce magna: procella, & tempestate, & flamma ignis vorantis*] Notabilis est pericopa, cujus sensum investigare operæ fuerit pretium. Divisi hic sunt Interpretes, ut jam prænonui in *Anacrisi*, in duas classes. Sunt qui hæc verba cum superioribus ita connectunt, ut Propheta hic pergat in describendo *Judicio* quo Deus prosequuturus esset Hierosolymam. sunt qui hæc verba referunt ad cladem hostium, qui Hierosolymæ intentarent obsidionem, & speciatim *Assyriorum*, apud Hierosolymam & Libnam Judicio Divino prostratorum. Qui priore modo instituunt, *versum quintum*, in quo multitudo hostium comparatur cum *pulvere tenui* & GLUMA TRANSEUNTE unice referunt ad *multitudinem* hostium: non vero ad eorum *interitum:* & ℣. 5. vocem תפקר vertunt per *visitaberis* (*secundæ personæ* terminationis masculini, futuri *Niphal*,) & referunt ad *Arielem* vel *Populum Hierosolymitanum*. Qui in posteriore sunt sententia, quod de *multitudine hostium* dicitur, comparata cum *pulvere tenui* & *gluma transeunte*, non tantum ad eorum multitudinem, sed & ad eorum *interitum* applicant; & vocem תפקר accipiunt ut *personæ tertiæ generis fœm.* quando referenda est ad hostes Urbem obsessuros. Utraque sententia probabili specie potest commendari; & non nego, meditationem hujus Pericopæ me plurimum exercuisse. Jesaias hic ita scripsit acsi affectare voluisset aliquam orationis ambiguitatem, quia interpretatio vocis תפקר vere dubia est, secundum utram harum hypothesium accipiatur. Et tamen post diligentem exercitationem me proniorem deprehendi in eam sententiam, quæ hæc verba accipit de *Judicio pœnali hostium Assyriorum* qui se post editam hanc prophetiam primi adversus Hierosolymam moverent, eique minarentur obsidionem, & Populum cum Rege in magnas redigerent angustias. Rationes meæ hæ sunt quas æquis judiciis committo, eo ordine proponendæ quo in hac pericopa mihi obversantur. Primo, quia *glumæ transeuntis* notio nullibi in Scriptura Sacra, quod sciam, de *hostibus Populi Dei* in alium sumitur quam deteriorem sensum, ut videlicet non *multitudo* tantum hostium, sed & *interitus*, disparentia, & propulsio illorum subitaria ea significetur. *Pulvis*, fateor, subinde sumitur pro *multitudine sola*. Sic Bileamus de Populo Judæo [b]: *Quis numeret* עפר יעקב PULVEREM JACOBI. Salomo in oratione ad Deum [c]: *Tu Regem me præfecisti populo multo* כעפר הארץ *instar* PULVERIS TERRÆ. Homerus quoque utitur metaphora *A*. Sed *glumæ* notio in eam quam dixi, passim sumitur partem. Conferanter inter alia loca Job. XXI. 18. Ps. I. 4. XXXV. 5. Hos. XIII. 3. Quin sane etiamsi *pulvis* communis voce עפר symbolice accipiatur pro *multitudine: pulvis* tamen *tenuis* qui facile difflatur & disjicitur à vento, dictus אבק & אבק רק, ut id hoc loco, vel simpliciter רק, eodem sensu sumitur pro *gluma*, ut apud Prophetam nostrum Cap. V. 24. & XL. 15. Secundo, observari volo, quod recta rem nostram spectat; Prophetam nostrum Cap. XVII. 13. vaticinantem de clade Assyrii (omnibus fere Interpretibus consentientibus,) eadem uti notione metaphorica: *Nationes instar tumultus aquarum multarum tumultuabuntur: at increpabit eum* (Senacheribum,) *& fugiet è longinquo, & agitabitur* כמץ הרים *ut* GLUMA MONTIUM *coram vento; & tanquam vortex coram turbine*. Confer Cap. X. 17. Tertio, si verba Prophetæ de *multitudine* hostium *transitura instar* GLUMÆ, non accipiantur de illorum dissipatione & interitu: non perspicio, quomodo cum iis cohæreant, quæ immediate subsequuntur: *Et fiet* SUBITO, *derepente*. Quid enim fieret *subito, derepente*, nisi dissipatio & disjectio multitudinis hostium *instar glumæ?* Si Masorethæ hæc verba recte retulerint ad ℣. 5. & ea non pertineant ad ℣. 6. cum quibus quoque cohærere possunt: fateor, me non assequi, quomodo cum *superioribus* alio sensu connecti queant. Quarto, si Propheta loqueretur de *Judicio longe remoto*; non putem illa verba hic tam presse collocaturum fuisse. Equidem novi & sæpius inculcavi, Prophetas omne tempus futurum *breve* facere, & subinde hæc verba adhibere cum respectu ad *eventum superiorem*, proxime commemoratum, ut fit in hoc ipso *Sermone* ℣. 17. sed cum hic manifesta mentio facta fuerat *multitudinis* hostium comparatæ cum *gluma*; simplicissimum est hæc verba referre ad *disjectionem hostium*, ut jam monui. Quinto, quod sequitur ℣. 6. *A Jehova Exercituum* Rectore תפקר VISITABERIS vel VISITABITUR: si vocem hic verteris per VISITABERIS, ad quod *subjectum* reducetur? Utique enim est *generis fortioris*. Si autem oratio ad *Hierosolymam* dirigatur, debebat esse *generis debilioris*, & scribi תפקרי. Hic hærent passim Intt. & plures hanc difficultatem sicco pede, ut multa alia, prætereunt. Et est tamen difficultas gravis & certa, cum in superioribus *quatuor versibus*, in quibus vel mentio fit de Hierosolyma, vel Hierosolyma Urbs appellatur, ut ℣. 3. 4. mentio fiat de Hierosolyma, ut debebat, *genere debiliori*. Coccejus putat, genus *masculinum* referri posse ad *Ariel:* sed, ut jam monui, Propheta de *Urbe* sub nomine *Ariel* constanter loquutus fuerat *genere debiliore*. Forerius cum se hic expedire non posset, vocem תפקר vult sumi *impersonaliter, ut magis*, ait, *incertum maneat, de quo Propheta loquatur*. hoc sensu: *Visitatio repentina fiet*. Lubens legi hæc verba. vidit enim Vir Doctus Jesaiam verbis hisce suis involvisse aliquam ambiguitatem: quod verum est. quia cum Deus decrevisset *horribili* excitata *tempestate* prosternere hostes: eadem hæc tempestas terreret Hierosolymitanos. veruntamen cum dubium esse nequeat, Prophetam *certum* respexisse *subjectum:* longe satius est vocem secundum veram suam significationem *personaliter* quam *impersonaliter* interpretari. Dixeris, non posse quoque vocem, *tertia persona* expositam, commode referri ad המון *multitudinem hostium*, quia vox המון in hoc contextu *genus* admittit *masculinum*. Scripserat Propheta: והיה המון זריך, non, והיתה. Rursus ℣. 7. Debuisset igitur scribere Propheta ex nostra hypothesi יפקר. Neminem Intt. vidi, qui hanc moverit difficultatem, quæ tamen non est nulla, nec tamen ejus quoque generis, ut expediri nequeat. Omnia enim nomina *multitudinis, societatis, congregationis*, apud Hebræos potestate sunt *fœminini generis*. Id hic certum habeo: etsi dicere possem, Deum hic *multitudinem hostium* appellare *personæ secundæ*, secundum verum & proprium *genus* vocis המון. Sexto, si hæc verba nostra conferas cum alio loco Prophetæ nostri Cap. XXX. 30. in quo *Judicium* Assyrii describitur, vel ad illud alluditur, videbis ovum ovo non esse similius. Sic ibi Vates: *Et audire faciet Jehova claritatem* VOCIS SUÆ (tonitru sui,) *& faciet*

Verba hujus Pericopæ bifariam accipiuntur ab Interpretibus.

Sunt qui ea referunt ad Hierosolymam: sunt qui ad cladem hostium.

Utraque sententia distinctius proponitur.

Posterior sententia videtur probabilior.

Rationes ejus.

Gluma transiens, cum qua hostes comparantur, plus norat quam *multitudinem*.

Licet *pulvis* subinde sic sumatur.

Nec tamen *pulvis tenuis*.

Locus Prophetæ ex

Cap. XVII. 13. cum hoc collatus controversiam dirimit.

Sequentia: *Et fiet subito, derepente.* postulant hunc sensum.

Quæ ratio illustratur & vindicatur.

Vox תפקר sumpta *per sona* secunda, generis masculini, non convenit hypothesi Intt.

Forerii exceptio.

Responsio ad objectionem.

Locus e Cap. XXX. 30. cum hoc collatus.

---

[a] Lib. VII. Cap. IV. [b] Num. XXIII. 10. [c] 2 Chron. I. 9.

[A] Sic de Græcis se moventibus versus Trojam, *Iliad* Lib. II. ℣. 800. Αἰὲν ὃ φύλασσεν ἐσηγὴς ἠ ψαμάθοισιν, Ἐρχομένῳ πεδίοιο· *Valde enim foliis similes vel* ARENIS *veniunt per campum.* Alibi de Opibus, Lib. IX. ℣. 385. Οὐδ' εἰ μοι τόσα δοίη ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε· *Neque si mihi tantum daret quantum arenæ est & pulveris.*

ciet videri deſcenſum brachii ſui in commotione iræ, & FLAMMA IGNIS CONSUMENTIS, diſſipatione, & imbre, & LAPIDE GRANDINIS: quia à voce Jehovæ conſternabitur ASSUR. Hæc ſimilia vel eadem ſunt. Septimo, cum multi Intt. conſentiant, *verſiculos* immediate *ſequentes*, 7. & 8. agere de *Eventu hoſtium* qui Hieroſolymam premerent obſidione, ad conſolationem Eccleſiæ: quæ nos moveat ratio, favente omni orationis circumſtantia, ab *hiſce noſtris verſiculis* non ordiri hoc orationis argumentum? Octavo denique, cum hic preſſe adeo deſcribatur ſingulare & notabile Dei judicium, quo Deus *adverſarios* quoſdam *ſuos* proſterneret *tonitru, commotione, voce magna, turbine, tempeſtate, & igne flammante:* id ita intelligendum videtur, interitum & cladem hoſtium Dei qualiumcunque, de qua in hac prophetia agitur, huic potiſſimum cauſſæ adſcribendam eſſe. Et tamen hiſtoria obſidionis Babylonicæ de eo nihil habet: ſed eſt, fateor, aliquid obſervatu dignum in hiſtoria Hieroſolymæ hactenus à Romanis non obſeſſæ, ſed obſidendæ poſt Galilæam jam à Veſpaſiano expugnatam & ſubactam; quo tempore Populus jam implicitus bello cum Romanis, ſuccumbebat judiciis Divinis ad exitium ſuum. Nempe cum Civitas illo tempore in duas ſciſſa eſſet factiones, *zelotarum* qui dicebantur & *moderatioris animi civium*, quorum illi extrema cum Romanis experiri; hi ad imminentem calamitatem tranſactione cum Romanis avertendam propendebant: zelotæ numero inferiores & à meliore Populi parte in magnas anguſtias acti, ad partes ſuas tuendas firmandaſque in ſubſidium vocarunt Idumæos, de Moderatoribus tanquam de *proditoribus* Patriæ & Religionis conqueſti. qui cum aliquot millia hominum ad zelotis laborantibus ſuccurrendum adeſſent, ſed à Moderatioribus Urbe excluderentur: accidit, narrante Hiſtorico, ut *nocte* quadam *intempeſta*, dum magna ſæviebat & terribilis *tempeſtas*, Idumæi, adjuvantibus zelotis, irruperint in urbem, ibique pœnitendam ediderint ſtragem, ingenii moderatioris Proceribus, Pontificibus, Sacerdotibus, civibus, opibus dignitate auctoritate ſpectabilibus, fœdum in modum peremptis jugulatiſque; ut inter cauſſas excidii urbis hæc prima recenſeri debeat. De *tempeſtate* autem *horribili*, illo tempore exorta, in hunc modum Joſephus *a*: *Illa vero nocte tempeſtas* (χειμὼν) *exorta eſt graviſſima, ventique violenti cum imbribus vehementibus, καὶ συνεχεῖς ἀςραπαὶ βρονταί τε φρικώδεις, & continua fulgura, horrendaque tonitrua, concuſſæque terræ vaſti mugitus.* *A*. Subjicit: Πρόδηλον δ' ἦν ἐπ' ἀνθρώπων ὀλέθρῳ τὸ κατάσγμα τῶν ὅλων συγκεχυμένον καὶ οὐχὶ μικρᾶς τὰς ἂν εἰκάσαι συμπτώματος τὰ τέρατα· *Erat autem manifeſtum apud omnes, hominum exitio ſtatum univerſi eſſe turbatum; juſtaque ſuſpicio erat, nihil parvum hæc ſigna portendere.* Ita eſt, id proxime comparari poſſet cum verbis Vatis, nec tamen emblemati Prophetico ſatisfacit, quia Hiſtoria non prodit, urbem aut cives ullos Hieroſolymæ hac tempeſtate horrenda eſſe proſtratos. quod hic ſupponitur. Dixeris, verba Prophetæ myſtice accipi poſſe: ſed id mihi hoc in loco non perſuaſeris. Judicium enim hoc *tempeſtatis, fulguris, tonitru, commotionis terræ*, contradiſtinguitur obſidioni Urbis ab Exercitu hoſtili inſtituendæ.

Eſto vero, accipiatur dictum Prophetæ de *interitu Aſſyriorum:* quo modo id conciliari queat cum hypotheſi quæ Vaticinium hoc ad obſidionem quoque *Chaldæam* & maxime ad *Romanam* refert? Id unum vere eſt quod adverſus ſententiam modo demonſtratam objici poteſt: quod ſi expediero, cætera facilia erunt; omnis diſparuerit nebula. Ergo ita habe, Prophetam cum varias Urbis *coarctationes* in oculis haberet, nec excludere vellet *Aſſyriacam:* ad conſolationem piorum adſcripſiſſe, (antequam in vaticinatione ſua pergeret,) quis *eventus* eſſet hoſtium, qui Judicia Dei in hanc Urbem & Judæum Populum exequerentur: qui eventus cum diverſi eſſent; primo pios edocuiſſe de eventu *Aſſyriorum*, qui ipſi primi obverſabantur: eſſe videlicet illos Hieroſolymam coarctantes ſubitario aliquo Dei judicio proſternendos ac perituros: idque illum agere hiſce *duobus commatibus* quæ nunc tracto. deinde, quid eveniret Chaldæis & Romanis: quod alia aliqua elegante metaphora exequitur vſ. 7. 8. Sic omnia pulcre procedunt, & interpretatio nullibi impingit.

Porro nihil neceſſe habeo addere, hac hypotheſi adſtructa detectaque, ad verborum expoſitionem, & prophetiæ implementum. Exercitus Aſſyrii, Judæam vaſtans & Hieroſolymæ coarctationi aut obſidioni deſtinatus, fuit ampliſſimus, & cum Exercitibus Regum Perſarum, de quibus recentioris temporis hiſtoria teſtatur, comparandus: cujus rei æſtimatio inde confici poteſt, quod poſt cladem *centum & octuaginta quinque millium* hominum ordinis militaris pars non contemnenda ſuperfuerit Senacheribo, iter infauſtum relegenti in Aſſyriam. utique dicitur המון MULTITUDO in ipſa hiſtoria *b*: ſed vox eſt generalis uſus & de quibuſcunque copioſis Exercitibus uſurpatur. Vox עריצים ſignificatione *violentorum hoſtium* Populi Dei, in innocuos inclementer ſævientium, in quibus eminuerunt Aſſyrii Veteres ac Novi cum Chaldæis, in ſuperioribus nos offendit *c*; ejuſque declaravi poteſtatem. Nihil igitur mihi hic quod obſervem ſupereſt, quam ex hac pericopa, & ex parallela Cap. xxx. 30. 31. nos clariſſime intelligere, quo genere *ſtragis* calamitatiſque Aſſyrii à Senacheribo in Judæam ducti interierint. Id hiſtoria non demonſtrat. Solummodo rem ipſam narrat geſtam & quidem *nocte*, demonſtratque auctorem *Angelum Jehovæ* *d*. ſed quo medio res effecta ſit, non docet. Plerique poſt Joſephum rem *peſte* confectam putarunt. Verum ex hoc loco noſtro diſcimus, eſſe illa nocte horrendam excitatam tempeſtatem ab *Angelo Jehovæ*, Angelorum Principe, eamque *detonuiſſe* in caſtra Aſſyria, inter terribilia tonitrua, fulgura, nimbos, & lapides grandinis, in caſtra Aſſyria inſtar *telorum cœleſtium* vi magna tortos atque impulſos cum clade tantæ multitudinis hominum. de quo ſuo loco plura monebo. Idem experti ſunt *Aſſyrii* Novi hoc eſt SYRI ſub Antiocho Epiphane & Succeſſoribus ejus. *obſiderent* illi Hieroſolymam, arctarent, expugnarent ſive potius levi opera occuparent; ſed cum interitu ac exitio ſuo. ut clare prædixerat Zacharias *e*.

Eventus Coarctationis Hieroſolymæ reſpectu *Chaldæorum*, & *Romanorum.*

vſ. 7. *Et ad* INSTAR SOMNII *viſionis nocturnæ ſe habebit multitudo omnium Gentium quæ militaverint contra Arielem: omnium*, inquam, *qui militaverint adverſus eam* (Urbem) *& Arcem ejus, eamque coangustaverint.* vſ. 8. *Et futurum eſt, ut quemadmodum ſomniat famelicus, & ecce edit; ſed ubi expergiſcitur vacua eſt anima ejus: & quemadmodum ſomniat ſitibundus, & ecce bibit? ſed ubi expergiſcitur, ecce laſſus eſt, & anima ejus valde appetens:* SIC SE HABEAT MULTITUDO OMNIUM GENTIUM MILITANTIUM ADVERSUS MONTEM TSIONIS.] Parabola altera eſt qua Propheta deſcribit eventum hoſtium qui ſe ad Hieroſolymam obſidendam accingerent eamque perficerent. Eſt autem parabola elegans, perfecta, ſcopum Vatis recta feriens: & tamen quid vetat dicere, ſubiiſſe eam otioſos multos interpretationum ſiniſtrarum, ut quidem ego autumem, luſus. Qui enim ultra Senacheribi tempora cogitationes ſuas non extenderunt, hic vehementer laborant: qui autem ab hac hypotheſi diſceſſerunt plures, ad aliena dilapſi ſunt. Qui de Senacheribi

Argumentum aliud ex contextu ſequente.

Hiſtoria deſtructæ Hieroſolymæ à Chaldæis aut Romanis nihil habet quod ſatisfacit huic parti prophetiæ.

Eſt tamen quid huic rei analogum in hiſtoria obſidionis Romanæ, quod ex Joſepho producitur.

Horrenda tempeſtas tempore irruptionis *Idumæorum* in Urbem, quæ exitium Urbis promovit.

Verba Joſephi.

Ad ea animadverſio.

Dubium, quod adverſus hypotheſin inferri poteſt, removetur.

Propheta hic primo refert Eventum Obſidionis Aſſyriæ: inde Chaldææ & Romanæ.

Implementum prophetiæ ſecundum hanc hypotheſin clariſſimum.

Vox המון *Aſſyrii* optime convenit ſcopo. Ut & עריצי *violenti.*

Inſignis uſus hujus loci, quippe qui doceat, qua plaga Aſſyrii interierint.

Idem fuit judicium *Syrorum*, Hieroſolymam oppugnantium.

Eventus *Coarctationis* Hieroſolymæ reſpectu *Chaldæorum*, & *Romanorum*, propoſitus per *parabolam* hominis in *ſomnio edentis*, ſed non *ſaturati.* Commendatio Parabolæ.

a Bell. Jud. Lib. IV. Cap. VII. *b* 2 Chron. XXXII. 7. *c* Cap. XIII. 11. XXV. 3. 4. 5. &c. *d* 2 Reg. XIX. 35. *e* Cap. XII. 1.

A Poëta, *Æneid.* Lib. IX. vſ. 668.

Quantus ab occaſu veniens pluvialibus Hædis
Verberat imber humum: quam MULTA GRANDINE NIMBI
In vada præcipitant; cum Juppiter horridus auſtris
Torquet AQUOSAM HIEMEM, *& cælo cava nubila rumpit.*

Quo modo hanc Parabolam accipiant, qui putant hic adhuc agi de conatu Senacheribi.

ribi Exercitus ſatò *Parabolam* accipiunt, fere in id conſpirant, Prophetam parabolica hac comparatione illuſtrare voluiſſe *repentinum* hoſtium *interitum*. Verba enim: *Et erit, tanquam ſomnium viſionis nocturnæ ſe habebit multitudo omnium Gentium militantium contra Arielem:* ſic exponunt: *Multitudo hoſtium inſtar Somnii evaneſcet.* Sic inter alios Sanctius & Grotius, quos hac parte prorſus aberraſſe puto à mente Prophetæ. Vir ſanctus hic nihil minus agit ex noſtro judicio quam ut comparet multitudinem hoſtium ipſi *Somnio*, quia cuique verba ejus legenti patet, illum hoſtes comparare *ſomniantibus*, qui ſe ſpe vel fructu boni imaginarii lactarant. Poterat, fateor, ita inſtituere, quia res *cito diſparentes* quæ nihil ſolidi relinquunt, ſtylo ſacro [a] & Gentium recte aſſimilantur *ſomnio:* verum id ſi fieret, ut hoſtes tanquam cito diſparituri compararentur ipſi *ſomnio*, non videtur Propheta illos mox collaturus eſſe cum *ſomniantibus* qui ſupponuntur *exiſtere* vere ut famelici ac ſitibundi; quæ longe diverſa ſunt. Ubi Jeſaias hæc verba ſcripſit: *Et erit multitudo omnium Gentium pugnantium contra Hieroſolymam* INSTAR SOMNII: ita intelligi voluit: Multitudo illa ita ſe habebit ut ſe habet quis (*famelicus* ſc. & *ſitibundus*, ut ipſe mox mentem ſuam exponit:) *in ſomnio.* Integra ſententia: Res ita ſe habebit cum hoſtibus ut ſe habet *in ſomnio* cum famelicis aut ſitibundis. Locutio eſt metonymica ejus ſpeciei quam *adjuncti* vocant, cujus in ſacris ſunt infinita exempla. Poteſt etiam eſſe *μετάληψις*, vel *μετάθεσις*. *Hoſtes ita ſe habebunt ut quis ſe habet in ſomnio.* hoc eſt, ut ipſe mox vſ. 8. interpretatur; ut *famelicus* vel *ſitibundus* ſe habet in *ſomnio.* Sic ubi Dominus Jeſus in Parabola [b]: *Simile eſt Regnum cœlorum negotiatori quærenti bonas margaritas:* non id proprie voluit dicere, *Regnum* Dei ſimile eſſe *negotiatori*, ſed ſimile eſſe *margaritæ* quæ à negotiatore quæritur. Multitudo hoſtium erit ut *ſomnium*, h. e. ut ſomnians qui *ſomnio* afficitur. Id unum leve obſervatum viam nobis ſternit ad veram Prophetæ mentem; quam quatenus aſſecuti ſint iidem Viri Docti, (certe inter illos Grotius & Brenius,) ubi eam parabolæ partem quæ de *ſomniante* agit, interpretati ſunt de *ſpe:* mox pateſcet. Huic enim meditationi non nego aliquid veri ſubeſſe. Mirum vero quam longe ab eo diſceſſerint Eruditi Interpretes alii, inter quos Piſcator & Belgæ, qui nihil hic niſi triſte & lugubre vident. opinantur illi, eſſe Prophetæ propoſitum hac parabola illuſtrare crudelitatem & ſævitiam hoſtium Populi Dei, nempe Babyloniorum, qui poſtquam Populum Dei jam immaniter eſſent perſecuti, & in eo affligendo multa edidiſſent ſævitiæ crudelitatiſque ſuæ exempla: neutiquam tamen deſiderio cupiditatique ſuæ immani eo ſatisfacerent. verum ut qui per quietem ſibi *edere* videtur & *ſaturari*, ſed experrectus deprehendit ſe *vacuum* & *famelicum:* ita illi facinoribus ſævitiæ ſuæ non ſatiati identidem tanquam *eſurientes*, veluti tantum *imaginarie* non *vere* ediſſent, ad perſequendum & affligendum Populum Judæum novam allaturi eſſent famem. Non eſt abſurda, fateor, nec tamen ſatis congruens emblemati interpretatio. Parabola oſtendit aliquod *πάθημα* ſive *attributum incommodum adverſariorum Gentis Judææ.* in illos enim incumbit vis & ſententia comparationis. Id itaque unum in ejus interpretatione ſectandum eſt. de *παθήματι Populi Dei* nulla hic diſerta mentio eſt; nec poteſt in hujus ſymboli applicatione niſi oblique ſpectari. Rectius itaque & verius ſcripſit Cl. Coccejus, qui inter illos quos inſpexi Interpretes ad ſenſum Prophetæ, ut meum judicium fert, proxime acceſſit. *In his*, ait ille, *continetur conſolatio Hieroſolymæ, qua ſe ſuſtentet non tantum in excidio Hieroſolymæ & Gentis Judaicæ, ſed etiam in poſterum in omnibus certaminibus cum mundo.* Significari igitur hac parabola ſcribit, *omnes Gentes* adverſus Montem Tſionis militantes, *a. futuras inſtar ſomnii.* videlicet cito perituras. (quod ego quidem putem hic poſſe abeſſe, nec directe à Propheta intendi.) *β. fruſtra fore, & deſideria ſua non impleturas.* cujus rei oſtendit primum editum eſſe exemplum in *Romanis*, qui *eouſque creverunt in mundo & magni facti ſunt, donec Templum deleverunt: poſt illa ceciderunt & evanuerunt:* quippe hac re effectum eſt ut *Judæis per Orbem diſſipatis*, (Templo ſc. deſtructo,) Verbum Evangelii & purioris Religionis per Orbem vulgatum ſenſim deſtruxerit idololatriam Imperii Romani. quod idem omnes experturi ſint hoſtes, Hieroſolymam veram oppugnaturi. Hæc meditatio eſt, ut putem, ſani judicii, & propius contingit ſenſum Prophetæ, ſed quem ego paulo lucidius declarabo. Parabola huc tendit ut nos doceat, hoſtium poſt Hieroſolymam deſtructam & everſam Gentis Rempublicam *gaudium* fore non longi temporis *imaginarium*, quale eſt *gaudium* & voluptas ſomniantium. Cum enim ſibi perſuaſiſſent, poſt peractos magnos labores obſeſſæ, expugnatæ, ac deſtructæ Hieroſolymæ ſe *quieti*, h. e. *ſomno*, dantes, ſe cum everſa Republica & deſtructo Templo Religionem veri Dei exſcidiſſe, ejuſque populum & Regnum ita ſubegiſſe, ut dehinc caput extollere & Romano Imperio ac ſuperſtitioni gravis amplius eſſe non poſſet, & ex eo per aliquod tempus *gaudium* concepiſſent ac foviſſent *imaginarium*, veluti *deſideriorum ſuorum* nunc compotes facti: experrecti tandem poſtquam excuſſo ſomno ad ſe rediiſſent, experimento diſcerent, ſe ab *imaginatione* ſua turpiter eſſe deluſos. tantum enim abeſſe, ut hæc *Judicia*, quæ Deus in Hieroſolymam & Populum ſuum per ipſos exequutus eſſet, ad veram Religionem verumque Dei Populum (cujus *radix* ſemper quæri debet in *Judæis*,) opprimendum atque exſcindendum facerent; ut è contrario Deo in rationibus Providentiæ ejus inſervirent, tum ad ipſos illos *hoſtes* Populi Dei *gravius puniendos*; tum ad *Eccleſiam veram*, quæ originitus ad *Judæos* referri debet, purgandam, *ampliſicandam*, veramque Religionem per orbem ſtabiliendam, promovendam, & *idololatriam*, cui hoſtes patrocinabantur, ſubvertendam. quare *evigilantes* & progreſſum *Regni Dei*, non obſtante Deſolatione in Judæam inducta, obſervantes, ſe deprehenderent *famelicos* & *ſitibundos:* hoc eſt, *vacuos re ipſa* & ſucceſſu, quem animo *ſecuri* conceperant, *Regni Dei* in hiſce terris perempti ac deſtructi. *Ederent* illi & *biberent* imaginarie, ut ſolent *famelici* & *ſitibundi* per *quietem:* non vere: & *evigilantes*, h. e. ad ſe redeuntes, cognoſcerent cum ſenſu moleſtiæ, ſe longe abeſſe à ſcopo & effectu, quem ſibi propoſuerant. *Edere* & *bibere* metaphorice & parabolice eſt *deſideria ſua implere*, vel *re deſiderata & cupita frui:* non tantum ubi de *ſpiritualibus* [c], ſed & de *naturalibus* deſideriis mentio fit. unde objecta non *ſpiritualis* tantum ſed & *naturalis* deſiderii, ſtylo Scripturæ occurrunt ſub ſymbolicis notionibus *panis* & *aquæ* [d]. Eſt autem *eſus* aut *potus* vel *verus*, ubi quis ſpe, exſpectatione, deſideriiſque ſuis vere & actu ipſo potitur; vel *imaginarius*, qualis eſt ſomniantium, quo quis ſibi *videtur*, ab imaginatione nocturna deluſus, frui objecto deſiderii aut ſpei, à quo longe abeſt. qualis *eſus* & *potus*, tranſlato vocum ſenſu, omnibus obtingit, qui voti ſe & ſcopi potitos firmiter ſibi ad tempus aliquod *ſtatu ſecuritatis* perſuadent, eaque perſuaſione delectantur, dum à re ipſa longe ſunt disjuncti. quare quando experientia ipſos docet, ſe *falſa perſuaſione* fuiſſe deluſos: *famelicorum* & *ſitibundorum* inſtar ſe deprehendunt *vacuos*, *inanes*, & incertos quorſum ſe vertant ac *curſitent* ad deſideria cupiditatemque, cum moleſto *indigentiæ* ſenſu conjunctam, explenda. quæ genuina ſignificatio eſt vocis שוק, ſive ppw, *diſcurrere*, *circumcurſare*. unde משוקה apud Moſen [e] *circumcurſatio* qualis eſt indigorum Domino potentiori, à cujus favore pendent, adulantium: metaphora à canibus famelicis petita alios offæ cauſſa reſpicientibus & circumcurſantibus; & Prophetæ

Senſus verborum Jeſaiæ illuſtratus.

Locus Matth. XIII. 45.

Piſcatoris & Belgarum meditatio ſuper hac Parabola.

Putant ea illuſtrari ſævitiam hoſtium Populi Dei.

De ea judicium.

Cl. Cocceji Commentatio.

Quæ ſenſum Vatis propius contingit.

Senſus Parabolæ diſtinctius declaratur.

Gaudium hoſtium de deſtructa Hieroſolyma mere eſſet *imaginarium.*

Cum enim putarent, *Regnum Dei* in Mundo deſtruxiſſe, idem longe fortius ſe oſtentaret.

Edere & bibere quid ſit metaphorice ſumptum?

Eſt *frui deſideriis.*

Objecta deſiderii appellantur *Panis & Aqua.*

Quid, *in ſomnio edere & bibere?*

Imaginari gaudio ſe oblectare.

Uſus vocis שוק cum שוקה.

[a] Job. xx. 8. [b] Matth. xiii. 45. [c] Cap. lv. 1. lxv. 13. &c. [d] Gen. xxxix. 6. Prov. v. 15. [e] Gen. iii. 16.

phetæ noſtro in hac Parabola נפש שוקקה *anima* (quæ ipſa quoque vox hic genuinam ſuam ſignificationem obtinet. eſt enim proprie *id quod in nobis concupiſcit.*) bono deſiderato vacua, & ſedulo circumſpiciens, qua via voti compos evadere queat. Hæc ſors eſſet omnium *militantium*, (צבאים) στρατευομένων, adverſus *Hieroſolymam: omnium*, inquam, *militantium adverſus eam*, (ſic vertenda vox צבית על pro צובאים,) & adverſus *Arcem* ejus *præſidiariam*, (מצורתה) h. e. Arcem Davidis in Monte Tſionis, eamque *coarctantium.*

Parabola hoc ſenſu expoſita minus commode applicatur ad Aſſyrios. quod docetur.

Applica, ſis, Parabolam ſecundum hunc ſenſum ad *Aſſyrios*, & ægre ei ſatisfacies. Forte *ſperaverant* illi, ſe Hieroſolyma abſque opera aut labore multo potituros, & forte hac *ſpe imaginaria* ſe aliquantulum oblectarunt. Sed nec tantum illi habuerunt ſpei fundamentum, cum munitæ Urbes aliquæ præter Hieroſolymam ut Libna & Laciſcha iis portas clauderent, & Rex Hiskias jam ab initio deditionem Hieroſolymæ recuſaſſet. Non potuerunt itaque vel per *imaginationem* niſi plane ſtultam re cupita deſiderataque ut jam poſſeſſa & in poteſtatem redacta gaudere. Nec ſane *dormierunt* illi & ſe compoſuerunt ad *quietem:* contra vero *vigiles* diligentiſſime *laborarunt*, ut hiſce ſuis votis potiri poſſent. Percuſſi autem proſtratique ab Angelo, non *evigilarunt ſitibundi & famelici:* ſed oppreſſi *ſopore perpetuo* deſideria ſua cum ipſa vita amiſerunt. Verum converte te ad *Chaldæos* & *Romanos*, & deprehendes veram hujus imaginis ἀπόδωσιν. Hi enim Populi id inter ſe commune habuerunt, ut poſt magnum laborem in Republica Judæorum deſtruenda poſitum tandem per experientiam didicerint ex ſomno ſuo evigilantes, ſe nihil effeciſſe vel profeciſſe. Dixerant illi de Hieroſolyma [a]: *Euge, fracta eſt, deſolata eſt, valvæ Populorum* [b]! Et [c], *Ubi ceciderit, non reſurget. ubi nunc eſt Deus ipſorum?* Item [d]: *Aſcendam in cœlum, ſupra ſtellas Dei Omnipotentis efferam ſedem meam.* [e] *regnabo in æternum.* ſed dum hæc cogitabant, & hac cogitatione tanquam eſca ſe oblectabant, ignari fuerunt *finis* ſive EXTREMI, (אחרית) in quod punitio juſta Populi Dei exiret. *Hieroſolyma* debebat eſſe *pelvis vertiginis omnibus populis circumquaque. omnes* hunc *magnum lapidem* loco movere & *bajulare conantes lacerarentur:* ut eleganter Zacharias [f]. Chaldæi poſt deſtructam Hieroſolymam viderunt Eccleſiam Dei in ipſis Imperii ſui terras translatam, & ibidem purgatam, auctam, ac egregie reflorescentem, dum vera Religio vires ſuas in ipſa exſerebat aula ſuperbi Nebucadnezaris ad Deum verum recognoſcendum adacti; & quod longe plus eſt, dum vaticinia Prophetarum effectum ſuum ſortita ſunt in ipſo hoc Chaldæorum Imperio per Medos & Perſas deſtruendo, ipſi Babylonii ad inſtaurandam Rempublicam & Religionem Populi Judæi debuerunt concurrere, & eorum æque ac aliarum Gentium non pauci nomina ſua tanquam *proſelyti* Religionis Judææ Hieroſolymis profeſſi ſunt, ex prædictione luculenta Prophetæ noſtri [g]. Ab hoc enim tempore inceperunt Judæi per omnes Regiones Imperii Babylonici, nunc Perſici, ac cum tempore per quaſlibet alias culti Orbis, *diſpergi*, & Deus Gentes ad Regnum ſuum recipiendum præparare. Syrorum idem fuit notiſſimum fatum, quos prophetia Zachariæ modo producta directe concernit. *Congregatæ* tum ſunt *adverſus Hieroſolymam omnes Gentes terræ* [h], hoc eſt, ut paulo ante ſcripſerat Propheta, *omnium populorum* כביב *circumjacentium.* Sed facta eſt Urbs FOCUS DEI, (אור אל *Ariel*,) conſumens hoſtes. percuſſi ſunt *vertigine*, & miſere perierunt. contra vero Reſpublica Populi Dei ab hoc maxime tempore ſtabilita crevit in majus longe ſupra exſpectationem omnium mortalium. Deprehenderunt itaque hoſtes, ſe vana imaginatione deluſos nihil effeciſſe, nihil promoviſſe. Nec aliud fatum fuit Romanorum, Pompejo & deinceps Tito Veſpaſiano Ducibus, Hieroſolymam obſidentium. Sed ad Pompejum hic minus reſpicitur. nihil enim ille, expugnatis Hieroſolymis, Religioni nocuit. Veſpaſianus autem & Titus dum Romæ de Populo Judæo devicto & everſa Hieroſolyma ſuperbe triumphabant, eoque in triumpho ipſam LEGEM (τὸν νόμον τῶν Ἰουδαίων,) *Judæorum* alte oſtentabant [i]: *Evangelium* cujus Oeconomia ex Moſaica nata eſt, & veri Judæi ac Abrahamidæ, quorum Princeps fuit CHRISTUS JESUS ejuſque miniſtri Apoſtoli & Evangeliſtæ, triumphabant de *Romanis*, ad fidem veri Dei magno numero jam perductis & perducendis. Quin *publica* LEGIS MOSAICÆ *oſtentatio* argumento erat, hanc Legem, quam *Romani* nunc inter victæ Gentis ſpolia circumducebant, ab ipſo Populo Romano non longe poſt ut *Divinam* ac *Cœleſtem*, Legumque aliarum optimam, ſumma reverentia agnoſcendam honorandamque eſſe. ROMA ipſa, ſuperſtitioſa, idololatrica, imaginario huic gaudio ſuo ad breve tempus indulgens, jam expugnabatur à *Judæis* veris, & cum tempore Chriſto Jeſu, ex Judæis orto, & electorum Judæorum Principi, cogeretur collum ſuum ſubmittere. *Erat* enim *in fatis* ex communi *opinione vetere & conſtante*, quæ *toto Oriente percrebuerat, ut eo tempore* (Veſpaſiani ſc.) *Judæa profecti rerum potirentur*, ut Hiſtoricus Romanus [k]. Quin ipſa Hieroſolymæ externæ ejuſque cultus deſtructio ad *verum Dei*, hoc eſt, *Meſſiæ Regnum* in Mundo ſtabiliendum ac promovendum plane neceſſaria fuit. Viderunt itaque hoſtes, & cum tempore experti ſunt, ſe nihil ejus effectum dediſſe, quod *vana imaginatione deluſi* ſibi perſuaſerant. ut quod Seneca ante exciſam Hieroſolymam ſcripſit, *conſuetudinem* Gentis Judææ *eo jam convaluiſſe, ut per omnes terras recepta ſit, & victi victoribus leges dederint*, ut ex ipſo Auguſtinus [l]: id verius ſuo tempore [m] dixerit Rutilius [A], magis ut Docti Viri putant, *Chriſtianorum* quam *Judæorum* reſpectu: etſi illa natio illo etiam tempore per Orbem Romanum & extra eum diffuſa, & per Patriarchas ſuos adminiſtrata maxime adhuc floruerit: ſed ad quod hic minus reſpicitur.

Judæi abſilo tempore ſparſi ſunt per Orbem. Syrorum ſimile fuit fatum.

Oppugnatio Hieroſolymæ illorum Regno fuit fatalis. Vaticinium Zach. XII. 1.

Idem quoque Romanorum. Veri Judæi, Chriſtus & Evangeliſtæ de iis *triumpharunt* Romæ, dum ipſi de *falſis*.

Legis Judæorum oſtentatio in triumpho ſignificavit, *Romam* poſt breve hanc Legem reverituram eſſe.

Sed perfectam interpretationem obtinet in Chaldæis & Romanis.

Triumphi Gentium de Hieroſolyma deſtructa.

Sed imaginarii & fruſtranei.

Oſtenditur de *Chaldæis.*

Babylonii ipſi hac occaſione plures facti ſunt *Proſeyti.*

Romani ipſi agnoverunt, *gaudium ſuum* de Judæis ſubactis fuiſſe *imaginarium.*

Senecæ & Rutilii teſtimonia.

Pars poſterior hujus *Sectionis*, complexa JUDICIUM SPIRITUALE *Excæcationis* qua Deus *Judæum Populum*, ejuſque Doctores afficeret.

a. Directe propoſitum, *tribus gradationibus.*

Articulus primus, qui *Judicium* hoc *myſtice* & *proprie* exhibet.

Articulus primus.

Ordo à Vate in hac Concione obſervatus.

Pars Poſterior hujus Concionis complexa *Judicium ſpirituale.*

a. Directe propoſitum.

ỳſ. 9. MORAS NECTITE præ ſtupore & *miramini*; CÆCOS AGITE & EXCÆCAMINI! *Ebrii ſunt, ſed non ex vino; titubant, ſed non à ſicera.* ỳſ. 10. *Quia* EFFUDIT *Jehova ſuper vos* SPIRITUM SOPORIS, & *obſtipavit oculos veſtros; Prophetas & Primores veſtros*, VIDENTES, OBDUXIT CALIGINE] Cum Propheta in hac *Concione* filum orationis eodem fere modo pertexat, quo in ſuperiore: *Judicio temporali*, in quo cum *conſequentibus ſuis* enarrando huc uſque verſatus fuerat, ſubnectit *ſpirituale*, cum eo conjungendum, & quidem hoc *ordine*, quem in *Analyſi* jam demonſtravi, ut illud *Judicium tribus* comprehenſum *gradationibus* primo directe declaret, à ỳſ. 9. uſque ad ỳſ. 17. dein *oblique*, à ỳſ. 17. uſque ad finem. *Prima Gradatio* hujus Judicii *quatuor verſiculis* continetur, quorum duo (ỳſ. 9. 10.) hoc *Judicium* tam *myſtice* quam *proprie* explicant; alteri (ỳſ. 11. 12.) ejus triſte *Conſequens* exhi-

Analyſis hujus Partis.

a Jer. L. 39. b Ezech. XXV. 3. XXVI. 2. c Mich. VII. 8. 10. d Iſ. XIV. 13. e Cap. XLVII. 7. f Cap. XII. 2. 3. g Cap. XIV. 1. 2. h Cap. XII. 2. 3. i Joſ. Lib. VII. Cap. XXIV. k Suet. *Veſp.* Cap. IV. l De *Civitat. Dei* Lib. VI. Cap. XI. m Sæc. V.

A Notis Carminibus ex ejus *Itinerario*, ỳſ. 395.
Atque utinam nunquam Judæa ſubacta fuiſſet
Pompeji bellis, imperioque Titi.
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
VICTORESQUE SUOS NATIO VICTA PREMIT.

Summa ejus comparata cum Viſo, Cap. VI. 1. ſeqq. VIII. 14. 15. & *Concione* ſuperiore.

exhibent. In univerſum vero ſi quis ſententiam Prophetæ, hac *pericopa* contentam, inſpiciat ac conſideret: facile videt, idem ea triſte Judicium deſcribi, quod Vati noſtro in Viſo illo illuſtri, quo *primo anno* Regis Jothami honeſtatus fuit *a*, tremendum in modum revelatum erat, cujuſque ſolenniter huic Genti denunciandi cura ipſi ibidem à Deo mandata fuit; quodque idem Judicium ſive Decretum pœnale Fori cœleſtis expoſuerat, Cap. VIII. 14. 15. & in *Concione* ſuperiore, ℣ſ. 7. 8. ſeqq. quibus locis id abunde declaravi. Ut tamen Propheta noſter dives eſt verbis, figuris, & emblematibus orationis: ſic ipſe nihil reliquum fecit ingenii & ſtudii, ſi mihi ſic loqui fas eſt de Viro Divinitus acto & impulſo, in vera imagine lugendi hujus Judicii, cujus initia jam ſuo tempore in Populo degenere deprehendit, deformanda. Hoc in loco ſcenam varie inſtruit. Dum enim Plebem cum Doctoribus ſuis videt à vera & ſalutari doctrina Verbi Dei, & quidem Meſſiæ, alienatam, & *ſtupore* atque *admiratione* defixam in contemplatione *effectorum* quorum *cauſſam* nolebat agnoſcere licet præſens adeſſet; & tamen eundem Populum videret cum zelo aliquo ſectantem externos ritus Religionis, & inſtitutiones fucatas traditionum Scholaſticarum: primo quidem orationem ad eum ejuſque Doctores plane ac directe vertit per modum *Conceſſionis exprobratoriæ*. mox ſermonem veluti ad alios vertens, eos ut *ſpiritualiter ebrios* poſitiva oratione oſtentat. inde rurſus mutata denuo perſona, eos iterum compellat, & grave judicium iis incumbens lucide enarrat. ubi nobis magis in vero ſenſu orationis & verborum Prophetæ, quam rei ipſius, explorando laborandum erit. Ibo per ſingula, quod hic neceſſarium eſt. Appellatio *exprobratoria* magis quam *ironica* συγχωρητική, Hebraice ſic eſt concepta: התמהמהו ותמהו השתעשעו ושעו, quæ voces ut ſingulares ſunt & electæ, ſic Interpretibus faceſſiverunt negotium. Verti ſententiam: *Nectite moras* præ ſtupore *& admiramini; cæcos agite & excæcamini!* In priori membro minus hæret difficultatis. Hieron. *Obſtupeſcite & admiramini.* Pagninus Vatabli: *Tardate & admiramini.* Piſc. *Cunctantur. itaque admiramini.* fere ut Jun. & Trem. Coccejus: *Tergiverſamini & miramini.* Vox התמהמה ex מהה eſt notæ ſignificationis. Valet *cunctari, moras nectere.* Id vero cum vel ad corpus vel ad mentem referri queat: poſterius hic obtinet. Notat itaque actum animi, quo ad rem inexſpectatam, paradoxam, ſive ad effectum mirabilem, cujus cauſſam ignorat, aut præ cæcitate ac duritie mentis videre nec poteſt nec vult, defixus hæret, cunctatur, moratur, præ ſtupore, ut quærat, מה QUID hoc ſibi velit? *quomodo* eventus ille extiterit? *unde* exſpectari poſſit? videntur enim ſignificationes omnes vocis מהה ex ſimplice מה flexæ eſſe. Sic vero recte Hieronymus vocem vertere potuit per *Obſtupeſcite.* niſi forte vocem deduxerit ex notione תמה *mirari.* ut התמהמהו idem ipſi fuerit quod Habakuko *b*, הִתַּמְהוּ. ſed ægre id obtinet ſecundum canones Grammaticæ. Et videtur tamen Chaldæus id ita accepiſſe. Verba enim noſtra eodem modo convertit quo ſimilia Hababuki, Cap. I. 5. אתרפו שהו *Obſtupeſcite, admiramini.* In voce התרפה ea vis eſt ſignificationis, ut notet *præ ſtupore langueſcere.* ſed vox שהה perfecte præſtat eandem emphaſin quæ eſt in voce התמהמה. notat enim *cunctari* & *admirari* ſive *ſtupere.* Solent enim qui rem admirantur, dum *effecta* vident, quorum ignorant *cauſſas*, ſuſpenſi hærere, quod hic eſt *morari* & *cunctari.* Vocem autem התמהמהו hic lubentius cum aliis *accepi* forma *Imperativi* quam *Præteriti* aut *Præſentis*, quia ſubſequens תמהו *Imperativi* formam poſtulat. Plus eſt difficultatis in altero *Appellationis* membro, השתעשעו ושעו, in quo Propheta, ubique elegans & emphaticus, eandem *paronomaſiam* affectat quam in membro ſuperiori. Hieronymus vertit: *Fluctuate & vacillate.* Chaldæus hic tres adhibet notiones: אשתגישו אזדמינו ואשתמטו *Terremini*, (perturbamini,) *cogitabundi eſtote, & admiramini*, ſive *ſtupete.* ubi forte vox media, אזדמינו *A*, *cogitabundi eſtote*, adſcripta ad marginem, irrepſit in contextum. tres enim has notiones ad hoc membrum referendas eſſe ſtatuo. quin abeſſe etiam vocem in *Regiis*, monet Buxtorfius, ſed extare in *Venetis.* Syrus Chaldæum, ſi hanc vocem demas, perfecte expreſſit. Symmachus reddiderat: Ἐξαπατήθητε καὶ ἀπατᾶσθε· *Seducimini & ſeducite.* Pagninus Vatabli: *Excæcati ſunt Prophetæ, & vos excæcaverunt.* Sic pariter Oleaſter. Jun. Tremel. *Delicias agunt, quin vociferamini.* quos fere ſequutus eſt Piſcator & Belgæ. *Deliciantur, itaque vociferamini.* Coccejus: *Oblectate vos, & quiritamini.* Nata eſt interpretationum differentia ex vario reſpectu notionum Hebræarum שעה & שוע, quibus Propheta hic utitur. Voces השתעשע שעשע ſatis ſunt receptæ ſignificatione *ſe oblectandi, deliciandi.* ex themate שעה *reſpicere.* ut שוע valet *quiritari.* Verum non videtur eſſe dubium, quin voces שעה & שוע olim quoque admiſerint ſignificationem diverſam, hoc eſt, *illinendi, obſcurandi, excæcandi.* Vates enim noſter voce השעה manifeſte uſus eſt ſignificatu *excæcandi*, Cap. VI. 10. *Pinguefac cor hujus populi, & aures ejus aggrava, & oculos ejus* EXCÆCA, ſive ILLINE. השע pro השעה. quam notationem vocis jam monui ſuo loco fruſtra peti à communi ſignificatione thematis שעה, qua valet *reſpicere.* petenda omnino eſt à ſignificatione quadam obſoleta thematis שוע, qua idem valet quod apud Hebræos טוח, *illinere, oblinere, obducere.* qua notatione vox שוע recepta eſt Chaldæis. Quin extat inſignis locus apud Prophetam noſtrum Cap. XXXII. 3. in quo reſervata hæc eſt notatio, his verbis: ולא תשענה עיני ראים *Et non* OBSCURABUNTUR *oculi videntium; & aures audientium attendent.* Quæ cauſſa haud dubie eſt, cur Jarchius & Joſephus Kimchius, Davidis Pater, (ipſe enim David interpretatur de *clamoribus* falſorum Prophetarum, ſententiam ſuam obiter ſolummodo explicans, & Aben-Ezra nihil obſervat:) hic amplectantur ſignificatum *excæcandi* *B*. Et poſterior quidem vertit: *Cæci ſunt & excæcant alios.* vel, forma Imp. *Cæci eſtote, & excæcate alios.* Non eſt magni acuminis videre, hanc unam interpretationem loco huic noſtro, in quo de hominibus ſpirituali ſenſu *ſtupidis* & *cæcis* agitur, optime convenire, & per omnia ei ſatisfacere. Ipſe enim Propheta mox ℣ſ. 18. *Et ex caligine & tenebris oculi* עורים CÆCORUM *videbunt.* Rurſus, Cap. XXXV. 5. & XLII. 19. *Quis eſt* CÆCUS *niſi ſervus meus?* Deſignatur *cæcitas* ſpiritualis Gentis Judææ. Nec aliud voluit Symmachus. Tantum emendanda videtur tranſpoſitio in hunc modum: *Excæcate, & excæcamini.* ſive, patimini vos excæcari. ut prius ad Doctores pertineat, poſterius ad plebem. quæ duo ſubjecta in oratione Prophetæ accurate diſtinguuntur. Vox enim שעו commode verti nequit *active.* notat πάθος, *oblini, obduci, excæcari.* Eſt autem in voce השתעשעו ea emphaſis & vis ſignificationis, ut non poſſit eſſe major. quare Propheta formam *Hithpahel* elegit, ſecundum quam vox notare poteſt, *excæcate vos ipſos, & excæcate alios.* ſignificare enim poteſt actionem in ſe & ad alios verſam.

Huc uſque *appellatio*, ad Doctores & Plebem directa. Propheta mox mutat perſonam, & hoſce *ſtupentes, mirabundos*, ſpiritualiter cæcos, præjudiciis ſuis corruptos, aliis oſtentat perſona tertia, in verbis: *Ebrii ſunt, ſed non ex vino, titubant ſed non ex ſicera.* Eadem fere ſunt quæ habuimus *Concione ſuperiore*, ℣ſ. 7.

Concio hæc commendatur à ſtructura ſua.

Cujus ſcena exhibetur.

Varia mutatio perſonarum.

Primum membrum: *Oratio exprobratoria* verſa ad Proceres Populi Dei.

Verba Hebræa: התמהמהו וגו׳.

Varia verſio.

Uſus vocis התמהמה Hic eſt, *moras nectere præ ſtupore.* Actus ille diſtinctius deſcribitur.

Etymon ejus eſt מה *quid?*

Locus *Habak.* I. 5. cum hoc collatus.

Animadverſio ad Verſionem Chaldæi, quæ exponitur.

Uſus vocis שהה.

Verba ſequentia:

Varia interpretatio.

Chaldæa exponitur.

Varia lectio.

Verſiones aliæ.

Cauſſa diverſitatis verſionum.

Significatus genuina vocis שוע & שעשע.

Uſus vocis השע Cap. VI. 10.

Vox שוע olim ſignificavit *obdu*re.

Locus Cap. XXXII. 3.

Jarchii & Joſ. Kimchi obſervatum.

Eorum verſio.

Vox hic vertit *excæca*

Interpretatio conſtituta.

Symmachi emendata.

Sequens Membrum *Perſona mutata* à ſecunda in *tertia*.

---

a Cap. VI. 1. 9. *b* Cap. I. 5.

A Debebat eſſe אזדמינו, pro אתזמינו, forma *Ithpahel.*

B Jarchius: השתעשעו לשון עיניו השע חזו עורים מראורת *Vox* השתעשע *exponenda eſt ex ſignificatione vocis* השע Jeſ. VI. 10. *eſtque ſenſus: Cæci ſunt, ne videant.* Kimchius: פירוש אדוני אבי ז״ל התעורו ועורו אחרים מענין עיניו השע והם נביאי השקר׳ התעורו ועורו אתכם מלראות הנבואה *Dominus Pater meus interpretatur, Cæci ſunt & excæcant alios: ex Cap. VI. 10. Et oculos ejus excæca. Sunt autem qui deſignantur, falſi Prophetæ. Cæci ipſi ſunt & excæcant vos, ne quod rectum eſt videatis.*

vſ. 7. Nihil itaque hic habeo quod obſervem, niſi quod Intt. Veteres hæc etiam *forma Imperativi* acceperint. *Οἱ ὁ. Κραιπαλήσατε.* Hier. *Inebriamini & non à vino; movemini, & non ab ebrietate.* pariter Chaldæus. Patet, illos *codicibus* utentes *notis vocalium* non inſtructis, vocem legiſſe שִׁכְרִי, quomodo eandem quoque *punctatam* deprehendo in *Baſileenſi* Editione. ſed cæteræ meæ exhibent, שָׁכְרִי. Differentia exigua eſt. ſed confirmat lectionem communem *punctatura Maſorethica* vocis נעו; & Prophetæ familiare eſt in omni ſua oratione elegantiæ cauſſa ſæpe mutare *perſonas*.

Veteres Intt. eam differentiam non agnoſcunt. Cauſſa ejus.

Mox *perſonam tertiam* rurſus tranſmutat in *ſecundam*, vſ. 10. recta appellando Proceres Judæi Populi, & non *figurate* amplius, ſed *proprie* explicando *Judicium* Divinum *excæcationis ſpiritualis* iis incumbens. Hic vero quod ad *ſenſum literalem* omnia liquida ſunt. Verba: כי נסך עליכם יהוה רוח תרדמה recte verti cum pleriſque Interpretibus: *quia* EFFUDIT *ſuper vos Jehova ſpiritum ſoporis.* Eſt enim hæc genuina ſignificatio vocis נסך, & convenit notioni *ſpiritus*, qui optime ſtylo Scripturæ dicitur *effundi*, & quoque voci *ſoporis*. Veteres enim ut *ſomnos* graves à Diis hominibus *immitti* ſtatuebant: ſic verum eſt, videri eos qui in gravem *ſoporem & veternum* incidunt, liquore quodam mortifero obrutos ac ſuffuſos eſſe. Minus igitur probem quod Pagninus Vatabli ſequutus Kimchium verba verterit: *Operuit* vel, ut alii, *obtexit vos ſpiritu ſoporis.* etſi affine eſt. Paulus Apoſtolus deſerens hic verſionem τῶν ὁ. liberius [a]: Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως· DEDIT (immiſit) *iis Deus ſpiritum ſoporis.* Res eadem. In voce עצם ſimilis emphaſis, quam hic recte vertimus *conſtipavit*, inſtar oſſium ſolide inter ſe compactorum. Quod autem in fine additur, *Prophetas veſtros, & Primores veſtros* החזים VIDENTES *texit*, h. e. obduxit caligine, pariter ſcite dictum eſt. Eſt enim ſenſus, Deum illos *Primores*, qui in cæteris ſe plurimum ſapere & intelligentia rerum Divinarum aliquid valere, putabant ipſi & ab aliis exiſtimabantur, poſuiſſe in tenebris & caligine. Sunt qui hic ἀσύνδετον agnoſcunt, ut Belgæ, vertuntque, *Et videntes texit.* quod ipſum facile ferri poteſt, ſi in ſe ſpectetur. ſolet enim Propheta non raro ubi tria membra inter ſe copulanda ſunt, copulam in extremo negligere, ut exemplum eſt Cap. XIV. 17. Sed in noſtra verſione hic major eſt emphaſis, quam ubique in oratione Prophetæ ſector.

Nova mutatio perſonæ à *tertia* in *ſecundam*.

Uſus vocis נסך *Spiritus ſoporis* quo ſenſu effundi dicatur?

Verſio Pauliña.

Emphaſis vocis עצם.

Animadverſio ad ſequentia.

Ut propius nunc poſt expoſitam non perfunctorie verborum ſententiam, ad rem ipſam veniam: patet, declarari iis triſte aliquod & graviſſimum Judicium ſpirituale, Genti Judææ ejuſque Doctoribus à Deo ipſo infligendum, quo fieret, ut ad *Eventum* quendam *paradoxum*, à Prophetis Dei clare prædictum, ex incredulitate ſtuperent, & de eo perverſum ac ſiniſtrum ferrent judicium ex falſis corruptæ Doctrinæ principiis, quibus ipſi ſuum imbuerant pectus, quibuſque imbuebant alios. Propheta enim orationem ſuam ita inſtruit, ut Doctores & Populum Judæum tanquam in ſcena repræſentet atque oſtentet, ut *mirabundos, ſtupentes, cogitabundos* de magno illo *Eventu* ipſis revelato, iiſque exprobret *cæcitatem* ſuam & *ebrietatem* ſpiritualem, & craſſum judicii errorem, & *inſenſualitatem* quoque circa hunc *Eventum*, ſive prædictum, ſive actu repræſentatum, cum tamen à ſano rectoque judicio de hoc *Eventu* omnis illorum ſalus penderet: ab errore vero judicii, *exitium* & *reprobatio*. Quæris hunc *Eventum?* Interpretes qui in ea hærent hypotheſi, Vaticinium hoc non excurrere ultra tempora Prophetæ, hic demonſtrant *Expeditionem Senacheribi*, & *Deſolationem* Judææ ab ipſo efficiendam, à Vate clare prædictam, cujus non creditæ cauſſa Judæos à Propheta *cæcitatis, ſtuporis*, & *inſenſualitatis* poſtulari volunt. Certe non nego, Vatem noſtrum vidiſſe in hominibus ſuæ ætatis principia hujus *Judicii ſpiritualis*, ejuſque argumentum habuiſſe in Vaticiniis ſuis graviſſimis à pejore hominum parte non ſuſceptis ea qua decebat, reverentia & fide. quin plane illud aſſerui in interpretatione præcellentis Viſi Cap. VI. 1. ſeqq. quod cum hac prophetia comparandum eſt. Major enim pars Judææ Gentis, obſeſſa præjudiciis carnalibus, ſemper fere ſuccubuit *Judicio ſpirituali* ob errorum, vitiorum, & incredulitatis ſuæ pertinaciam, & falſas hypotheſes de via *Juſtitiæ* apud Deum obtinendæ. Sed abſit Prophetam intra hunc anguſtum circulum conſtringam, & mihi perſuadeam, illum de *errore Judicii* profanorum quorundam Procerum circa *Expeditionem Senacheribi* tam alte clamare, ut in deſcribenda illius ſpiritualis cæcitatis vi veluti omnem orationis ſuæ copiam exhauriat. Conſpectus Vatis noſtri multo fuit latior, & liceat dicere, auguſtior. Solent enim Prophetæ præcipue reſpicere Judiciorum Divinorum complementa, ubi conſpiciuntur in ſummo ſuo gradu. Ergo vidit ille, & prævidit, idque continuo in oculis habuit, Doctores & Proceres Judææ Gentis cum Plebe iis obnoxia circa extrema Reipublicæ, quibus *Traditiones* in Scholis & *Hypocriſis* in cultu maxime dominarentur, aliquando commiſſuros eſſe errorem graviſſimum circa *Perſonam Chriſti Jeſu*, & *Regnum* ab ipſo in Mundo fundandum, ejuſque Regni *Prærogativas & Conſequentia*: eumque errorem Populo & Proceribus ejus tore fatalem atque exitialem, pœnitendum ac lugendum in longa tempora; tum quoque præcipuam cauſſam fore diræ illius Calamitatis *obſidendæ & angendæ* Hieroſolymæ, quam in *ſuperiore* parte hujus prophetiæ deſcripſerat. Sic eſt, MESSIAS ſecundum prædicta & promiſſa Patrum apparuit in Mundo. JEHOVA *factus eſt* huic Genti in *Sanctuarium* [b]. propoſitus eſt ut *Lapis fundamentalis* ſalutis & refugii, fulturus & ornaturus Domum Eccleſiæ cum *omni* ſuo *charactere* [c]. Sed *apparuit* ea ſpecie & forma quæ directe incurrebat in præjudicia *Doctorum* magni nominis *Literalium* ſectæ Phariſaicæ, quæ tunc temporis in Synedriis & Scholis potiſſimum dominabatur; quos Doctores, plebem auctoritate ſua pro lubitu regentes, *Doctrina* ſua *literali & traditionaria* plane corrupta inflatos, hypocritas ipſos & hypocriſios in inculcanda *Juſtitia operum* auctores, eaque de cauſſa Deo maxime inviſos, Chriſtus Jeſus ſibi obviam habuit, ex Decreto Conſilii Divini illos ſuffuſurus pudore. Audiebant illi doctrinam Chriſti Domini, rationalem certe & ſpiritualem. teſtes erant ſapientiæ ejus, acuminis, peritiæ, eloquii, in dicendo ac docendo auctoritatis ac perſpicaciæ, ſanctimoniæ, œconomiæ & regiminis vitæ ſingularis. Videbant opera ejus mirabilia, & in his omnibus gloriam Divinam ipſum circumfulgentem. Quæ dum conferebant cum ortu ejus, & vitæ ratione ac ſtatu exteriore, & cum præjudiciis corruptæ ſuæ doctrinæ de *Juſtitia* hominis apud Deum, & de *modo manifeſtandi Regni Dei in Mundo*; nec facile inter ſe conciliare poſſent: (ut vere inter ſe conciliari non poterant:) nec tamen præ *ſuperbia & invidia* à ſe impetrare poſſent, ut præjudiciis ſuis nuncium mitterent: *mirati* ſunt, *ſtupuerunt*, hæſerunt *ſuſpenſi*; *ebriorum* inſtar *errarunt*, *titubarunt*; impegerunt ut *cæci*; propulſi ſunt ad *blaſphemiam*; *Rupem* ſalutis ſuæ *ſcelerate tractarunt*; Spiritum S. injuria & contumelia affecerunt; & *plebem cæcam* ad ſimilem lapſum impulerunt; atque adeo in ſe exhibuerunt ſpecimen tremendi Dei Judicii, quo homines ſapientia literali & meritis ſuis ſuperbos Satanæ relinquit excæcandos uſque ad *ſoporem*, h. e. inſenſualitatem ſpiritualem, qua miſeri tandem in eum rediguntur ſtatum, ut ad excutiendum ſenſum mentis & ullum ſani judicii ac rationis motum in ſpiritualibus producendum inepti ſint & non errori tantum ſed & imperio erroris eos vi quadam majore in hoc ſtatu detinenti ſuccumbant. qui cumulus eſt miſeriæ. Proſequitur enim hoc crimen Deus ſeveritate ſumma in hac vita & futura, *facie* ſuam ab homine abſcondens. In hoc Eventu me-

Res ipſa exponitur. Verba continent *Declarationem* graviſſimi Judicii *Excæcationis*, & *Induration-nis*, Judæis à Deo immittendi, occaſione *Eventus* cujuſdam *paradoxi*, quem *ſtupent*.

Quis hic eſſet *Eventus*? Num expeditio Senacheribi?

Animadverſio ad hanc hypotheſin.

Non ſatisfacit huic loco.

Eventus hic eſt manifeſtatio Regni Dei inter Judæos per *Chriſtum Jeſum* & *Apoſtolos* ejus.

Res declaratur & ex analogis illuſtratur.

Genuinus aſpectus *ſtatus* Phariſæorum, & *ſtuporis*, eum comitantis. *Stupor* illorum unde ortus?

Cæci ipſi alios quoque *excæcarunt*.

Judicium Dei in illis conſpiciendum.

a Rom. XI. 8. b Cap. VIII. 14. c Cap. XXVIII. 16. Zach. III. 9.

Christus Jesus & Apostoli prophetiam ad hunc Eventum applicarunt.

Loca huc facientia.

morabili Christus Jesus & Apostoli ejus diserte fixerunt implementum hujus Judicii interminatorii gravissimi cum respectu ad ipsam hanc prophetiam, quam hoc ipso simul interpretati sunt: ut supra jam observavi ad Visa & vaticinia huic parallela Cap. VI. 10. VIII. 14. XXVIII. 8. 9. 21. Conferantur & attente relegantur loca Matth. XI. 25. XIII. 14. Ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἡσαΐου. κ. τ. ἀ. Joh. XII. 40. Act. XIII. 40. 41. XXVIII. 25. 26. Rom. XI. 8. Putem præterea, Dominum ad ipsam hanc vaticinationem ejusque verba alludisse, ubi post *traditiones Pharisaicas* ex hac prophetia nostra ℣. 13. censura sua notatas [a], deinceps subjicit oratione ad auditores & Discipulos suos versa [b]: *Omittite eos. ὁδηγοί εἰσιν τυφλοὶ τυφλῶν.* DUCES SUNT CÆCI CÆCORUM. Phrasis est in hoc loco. Rursus alibi [c]: Οὐαὶ ὑμῖν. Ὁδηγοὶ τυφλοί. Sed nihil hic clarius verbis mysticis Domini in Evangelio Joannis [d], quæ integra me oportet exhibere: *Et dixit Jesus: Ego ad judicium in hunc mundum veni, ut qui* NON VIDENT *videant, &* QUI VIDENT (החוֹם in hoc loco) *cæci fiant.* (alluditur ad *hunc locum* collatum cum his quæ mox occurrent ℣. 17. 18.) *Audierunt autem hæc quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt: Num &* NOS CÆCI SUMUS? *Dixit iis Jesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis,* VIDEMUS: *itaque peccatum vestrum manet.* En vim erroris! *Cæci* spirituales licet clare convicti suæ miseriæ, non agnoscebant suam *cæcitatem*; contra vero jactabant, se *videre*, ipsi se fallentes & fallentes alios. Hos itaque homines dum Propheta videt, in præcipitio ruinæ, *mirantes & stupentes initia Regni Dei*, quorum reddere non poterant rationem; nec tamen remittentes de præjudiciis falsis, quibus *excæcati & inebriati erant*; dumque simul in tristi hoc *falsorum* horum & *superborum* Doctorum statu videt *grave* Dei *judicium*, iis incumbens, cujus tamen in ipsis quærenda erat caussa: ad illos vertit orationem, non tam *ironicam* quam *exprobratoriam. Agite*, ait, superbi & arrogantes qui omnem sanæ mentis medicinam respuitis: *obstupescite & miramini; cæcos agite*, sive *excæcate & excæcamini!* quin agite hoc strenue status vestri securi. Ecquis vero miretur? *Sunt* enim *ebrii*, inquit, (illos veluti ostentans aliis,) sed *non ex vino*; *titubant*, sed *non ex sicera*: præjudiciis de eruditione sua, meritis, status sui perfectione, & aliorum de se existimatione, gravati & hilares, & ad res spirituales dijudicandas inepti. de quo egimus in *Concione superiore*, ad ℣. 7. Sed res aliter se habet, ait. Ipsa enim hæc status vestri conditio arguit vos succumbere pœnitendo Dei judicio, quo Deus vos propter superbiam, prævaricationem & animorum vestrorum obstinationem in repudianda clarissima Evangelii luce prosequi decrevit, vobis *immittendo spiritum soporis*, h. e. *insensualitatis & imperii erroris*, quo non *plebs* tantum sed & *Doctores* summæ apud vos existimationis, (qui ℣. 14. חכמים *sapientes* & נבונים *prudentes* dicuntur,) *Prophetæ* vestri, h. e. Theologi & rerum Divinarum Interpretes, & *Primores vestri* VIDENTES, h. e. qui se tales gerunt & ab aliis existimantur, *Pontifices*, *Sacerdotes*, *Synedri*, *Scribæ*, obruti & obsessi, ac spirituali cæcitate & caligine percussi, misere tandem interibunt.

Locus Matth. XV. 15.

Joh. IX. 39. 40.

Forma orationis Prophetæ. magis est *exprobratoria* quam ironica.

Paraphrasis in ejus verba.

Spiritus soporis quid sit?

Unde petita locutio.

Sopor spiritualis describitur.

Spiritus soporis est ipse affectus *soporis spiritualis*, ut רוח עוּעים *spiritus vertiginis*, affectus vertiginis, Cap. XIX. 14. Veteres enim, quod alias observavi, omnes affectus violentiores *spiritibus* eos in animis hominum producentibus aut foventibus adscribere solebant. Est autem *sopor spiritualis* ille affectus animi quo quis falsis de Religione præjudiciis ita est induratus, & imperio erroris eum in modum circumscriptus, ut nullo afficiatur sensu clarissimorum argumentorum quibus veritas salutaris adstruitur: perinde ac *cæcitas spiritualis* ea est vitiosa mentis qualitas, qua inepta est ad recte judicandum de sententiis Religionis clare demonstratis. *Sopor spiritualis* idem est quod Apostolo [e] ἐνέργεια πλάνης εἰς τὸ πιστεῦσαι τῷ ψεύδει· EFFICACIA ERRORIS *ad credendum mendacio.* qui *affectus* à Deo dicuntur immitti ut Judice severo, non sane acsi ab ipso, purissimo ac sanctissimo Ente, in animo hominis producerentur: sed quod hominem, qui ejus longanimitate abusus est & ultro oculos à luce sibi oblata avertit, plane deserens relinquat potestati Satanæ excæcandum atque indurandum: ut alias [f] prolixius docui. *Stuporis* certe, *incredulitatis*, & *soporis spiritualis* nullum unquam editum est exemplum clarius quam in Judæis, Evangelio immorigeris, quos hoc ipso adhucdum tempore huic tristi judicio succumbentes videmus, dolemus. Sed impletum in iis est verbum Domini ad Hierosolymam [g]: *Sed nunc occultum est ab oculis tuis.*

Consequens hujus Judicii.

Consequens hujus judicii.

℣. 11. *Eritque vobis* UNIVERSA HÆC VISIO *ut verba Libri obsignati; quem dederint homini literarum gnaro, dicendo; Lege quæso hunc: & dixerit; Non possum, quia* OBSIGNATUS EST. ℣. 12. *Vel detur hic Liber alicui literas nescienti, dicendo, Lege quæso hunc: & dixerit,* NON NOVI LEGERE] Consequens est cæcitatis & stuporis communis totius Gentis Judææ Scholæ sectæque Pharisaicæ, videlicet *ineptitudo universalis* ad *Verbum Dei*, & præsertim *Propheticum*, recte intelligendum atque interpretandum: quam ineptitudinem Jesaias rursus exponit parabola tam facili intellectu quam concinne constructa. Gens Judæa circa id maxime tempus quo Scholæ & Academiæ Hierosolymis & per Canaanæam fundatæ erant & florebant, divisa erat in duas classes. Alteram faciebant *Viri Docti*, Literarum studiosi & periti, qui in Scholis & Academiis hauserant principia eruditionis, Judæis חבֵרים Socii, (ἑταῖροι, voce apud Græcos quoque de Philosophorum sectatoribus ac Discipulis recepti usus,) סופרים Scribæ (γραμματεῖς,) רבנים sive רבינו Doctores, *Doctores nostri*, & qui inter illos excellebant חכמים Sapientes, & רבנים Μεγιςᾶνες, Ἄρχοντες, Primates, *Magistri*, dicebantur. alteram classem constituebat *Plebs*, quæ ingenium non excoluerat literis, Græcis ὄχλος, λαὸς, Judæis passim עם הארץ Populus terræ. de qua οἱ Ἄρχοντες præcipui Doctores & Synedri apud Joannem [h]: *Sed* TURBA HÆC *quæ non* NOVIT LEGEM (ὁ ὄχλος οὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, eadem phrasis quæ in hoc loco nostro ידע ספר) *est execrabilis.* Priores comparat his qui *legere didicerant*, (יודעי ספר) sed qui *Librum* sibi traditum *legere* se posse negabant, quia *obsignatus erat*: posteriores cum illis qui se ad lectionem Libri sibi oblati ineptos profitentur, quod *legere* nunquam *didicissent*. Quid clarius? Doctores Pharisæi & Scribæ *sustulerant* τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως CLAVEM COGNITIONIS [i]. h. e. hypotheses veras secundum quas Verbum Dei interpretandum est. ut sunt hypotheses de *Necessitate gratiæ*; *Justitia Fidei*, non *Operum*; de *Spirituali Liberatione* per Messiam procuranda; de *Regno* ejus Cœlesti & *spirituali*; de *Gentibus* in communionem Ecclesiæ & Oeconomiæ spiritualis adscisendis: & quæ his similes. Urgebant contra *Justitiam Operum*, exigua ratione habita internæ puritatis & purificationis mentis; & hoc ipso penitus subvertebant omne verum fundamentum *Regni Christi*, ejusque adventus in Mundum; quod est necessitas *Gratiæ* & *Justitiæ* humano generi impetrandæ. Ideo vero *Verbum Propheticum* iis erat, ut hodieque est, instar Libri חתום OBSIGNATI, cujus non patent sensus. ubi enim *sensus* prophetiæ declaratur, aut prophetia ipso actu implementum suum consequitur: Liber Decretorum Divinorum & Prophetiarum *reserari* & *sigilla* resolvi dicuntur. sic sumitur emblema in Libro *Danielis* [k] & *Apocalypsi* [l]. Ergo *obsignatus* ajunt, est *Liber*: non licet nobis eum *evolvere* & legere, h. e. interpretari, quia sensus continet *reconditos* quos secundum principia doctrinæ nostræ nemo

Quatenus *effectus* hic ad Deum u ad caussam referri queat?

Aspectus sententiæ Prophetæ. Judæi divisi in duas Classes, *Doctores* & *Plebem.*

Erant qui *legere* didicerant: erant *literarum* ignari.

Prioribus Liber Scripturæ S. *erat obsignatus.*

Quo sensu Sustuleran *clavem cognitionis.*

Quid per eam intelligatur?

Consequen ejus. Scriptura S. iis non erat in telligibilis.

---

a Matth. XV. 9. *b* ℣. 15. *c* Matth. XXIII. 16. *d* Joh. IX. 39. 40. *e* 2 Thess. II. 2. *f* Jes. VI. 10. *g* Luc. XIX. 42. *h* Cap. VII. 49. *i* Luc. XI. 52. *k* Cap. XII. 4. 9. *l* Apoc. V. 1.

mo noſtrum facile *reſolvat*. eſt *domus clauſa* quam nemo iis *clavibus* quas nos manibus tenemus, facile *aperiat*. Ab altera parte Plebs rudis & inculta excuſabat ſuam imperitiam incredulitatemque, quod *legere non didiciſſet*, h. e. ſe nunquam in rerum ſpiritualium intelligentia exercuiſſet. qui verus aſpectus fuit Plebis Judææ in craſſiſſima ignorantia Dogmatum Religionis ſuæ omni tempore verſatæ [a], excepto *ſemine ſancto* quod Deus ſibi in hac Gente ſemper ſervavit. Hic deſignatur Plebs ab ore *Phariſæorum* pendens, quæ interpretationes horum Magiſtrorum cæca fide recipiebat, & in iis acquieſcebat, ſcrutinium hujus Verbi & ſalutis ſuæ curam iis relinquens. quæ *Plebs* Hieroſolymitana à Magiſtrts ſuis concitata & in furorem acta ex eadem *ignorantia* [b] & *imprudentia* tandem incidit in deteſtabile ſcelus quod natura rerum lucem ſuam abſcondens horruit. Vidit hunc Parabolæ ſenſum Hieronymus; etſi alibi [c] per *neſcientem Literas* videatur intelligere *Populum nationum*. quæ meditatio non eſt ſpernendi ingenii. Sic diceret Vates, Judæorum eo tempore ob præjudiciorum & errorum pertinaciam non fore conditionem feliciorem quam Gentium. non enim illos his aptiores fore ad Verbum Propheticum cum ſenſu ſani judicii legendum, h. e. interpretandum. Cætera nihil hic habeo quod obſervem, niſi quod emphaſis ſit in phraſi, חזות הכל quæ proprie valet: *Τὸ ὅραμα τῦ παντός. Viſio univerſi* hujus. Hieron. vertit: *Viſio* OMNIUM, retulitque ad omnes prophetias, in quibus Judæi cæcutiunt. Οἱ ὁ. *Τὰ ῥήματα πάντα ταῦτα*. Coccejus pulchre: *Species* (inſtar) *totius*. Certe Propheta ſuppoſuit, partes Verbi Divini & Prophetici ita inter ſe cohærere, ut qui unum non intelligit, in altero quoque hæreat: contra vero qui veram Scripturæ S. hypotheſin & clavem ad eam interpretandam adfert, OMNIA *intelligat* [d]. *Scire* & *neſcire* hic involvunt הכל OMNIA.

Articulus alter Declaratorius Judicii ſpiritualis.

℣. 13. *Et dixit Dominus: Propterea quod* POPULUS HIC *mihi appropinquat ore ſuo, & labiis ſuiis me honorat*, (pr. *honorant*,) *dum animus ejus longe à me abeſt*; *&* REVERENTIA *qua me proſequuntur, conſtat* PRÆCEPTIS HOMINUM CONDOCEFACTIS. ℣. 14. *Iccirco ecce Ego* is ſum qui *addet* MIRABILITER AGERE CUM POPULO HOC VALDE MIRABILITER AGENDO; *& peribit ſapientia ſapientium ejus, & prudentia prudentium ejus* EVANESCET] *Articulus alter*, nova munitus præfatione, cum præcedente ita cohæret, ut eum declaret & explicet. Complectitur *Culpam* ℣. 13. & *Pœnam*, ℣. 14. Utrumque Propheta noſter, ubique mirabilis, ſuo more exequitur. Utique nullæ lineæ, colores nulli clarius deformare poſſunt ſtatum Gentis Judææ qualem ex hiſtoria Evangelica intelligimus fuiſſe Populi Judæi, quam hæc verba Prophetæ. Si Jeſaias ſuo tempore, quo hypocriſis damnabilis in Religione majórem Populi partem occupavit, ſimile vitium in Eccleſia ejus ætatis deprehenderit: quod ita ſe habuiſſe quis miretur, cum Populus Judæus omni fere tempore idem prodiderit ingenium, & eandem indolem? certum tamen & extra dubitationem poſitum eſt, vitia *hypocriſios & corruptorum ſtudiorum Literarum Divinarum* nullo tempore magis fuiſſe conſpicienda quam ipſa illa ætate, qua Filius Dei ſtatum Eccleſiæ ſuis oculis inſpexit: qui proinde hæc Vatis noſtri verba ad Phariſæos & Phariſaicæ diſciplinæ ſectatores ipſe applicuit [e]; cum hac præfatione: HYPOCRITÆ *bene de* VOBIS *prophetavit Jeſaias*. ſive, ut Marcus: *Bene* PROPHETAVIT *Jeſaias περὶ ὑμῶν τῶν ὑποκριτῶν, de vobis* HYPOCRITIS. Agnoſcit igitur & demonſtrat Dominus in his verbis *prophetiam* de hominibus ſui temporis, & quidem de *Phariſæis*, quos ibidem redarguit. Jeſaias Propheta hic duplex vitium grave improperat illis hominibus quos ſibi in Viſo objectos vocat *Populum hunc*. Prius eſt *Hypocriſios*: alterum, *Superſtitionis* veræ Religioni ſuppoſitæ, dum Cultum externum quo Deum ſtudioſe proſequi videbantur, conformabant ad *præcepta* hominum, magis quam ad *Leges Divinas*. Vitium *hypocriſios* hic tam clare & native deſcribitur, ut interpretatione nulla indigeat; eſtque præter hunc alius inſignis locus in hoc Libro huic parallelus, Cap. LVIII. 2. ſeqq. cum hoc conferendus. *Hypocriſis* in negotio Religionis non tantum illud dicitur vitium, quo quis in externis Religionis ſacris *ore & geſtu* ſimulat, quod *corde* damnat & improbat, reſpectu utilitatis, honoris, exiſtimationis, quam à profeſſione cultus Divini externa exſpectat: quæ ſumma eſt impietas & profanitas animi; ut Plato recte, *τῆς ἐσχάτης ἀδικίας extremæ injuſtitiæ* & impietatis dixit, *μὴ ὄντα δοκεῖν εἶναι δίκαιον· juſtum videri velle cum non ſis*: ſed *hypocriſis* quoque dicitur omnis cultus qui Deo præſtatur ex *amore imperfecto* aut *falſis principiis* quæ à conſcientia ad ſtatum animi ſui aut ad teſtimonium Verbi Dei attendente redarguuntur. veluti, ſi quis *duobus Dominis*, Deo & Mundo, ſimul *ſervire* cupiens affectum inter Deum & Mundum dividit; aut Deum *negligenter* (נקרי, non *ἀκριβῶς* [f], ſive מאר *valde* [g] *vehementer*.) hoc eſt, ipſum *cor ſuum* in duas ſecans partes, ut loco unius *cordis* habeat לב ולב *cor & cor*, COR DUPLEX [h], colit, cultum Dei ad commoditates ſuas exigens; vel etiam *diligenter* ſatis colit, ſed animo non *humili*, at *faſtoſo*, meritis ſuis turgido, ſuamque diligentiam, pietatem, merita Deo imputante; & forte etiam animo ſubmiſſo, ſed ſtudio erigendæ ſuæ *ex operibus juſtitiæ* coram Deo; denique qui neglecta puritate & purificatione mentis, Deum *ritu* cultuque *externo* & carnali, videlicet ſacrificiis, victimis, donariis, externa Nominis Divini confeſſione, precibus ore in publico fuſis, celebratione Feſtorum, *placare* & ſibi propitium reddere nititur. Et quidem poſteriores hæ hypocriſios ſpecies hic præcipue deſignantur, quæ in nulla ſecta ſe clarius unquam oſtentarunt quam in Phariſæis, quorum *ἀντίζοιχα* utinam non deeſſent inter Chriſtianos! Ubi enim Dominis ait, *Populum ſibi propinquare* ORE, & *ſe honorare* LABIIS: certum eſt, primo loco reſpici cultum qui Deo deferebatur in ſolenni *Confeſſione* primitiarum [i], *Precibus*, *Gratiarum actionibus*, *Laudationibus* (תודות) publicis, privatiſque, tum quoque in interpretatione Verbi Divini, & Diſputationibus publicis quæ à Doctoribus in Scholis celebrabantur, in quo genere Cultus Divini Phariſæi ſtudium ſuum prolixe ſolebant commendare [k]: in ſe ſane præſtantiſſimum, ſi cum puro animi affectu ſocietur & abſque affectatione atque oſtentatione exerceatur. Sed erat in iis *faſtus ſpiritualis* ex opinione eruditionis ſuæ literariæ & meritorum conceptus [l]: quæſitio *juſtitiæ propriæ* cum obſcuratione teſtimonii conſcientiæ de vitiis intus latitantibus: ſimulatio ſanctimoniæ & zeli Religionis accommodata ad captandam auram popularem, disjuncta ab interiore affectu mentis per veram fidem & regenerationem purgato: & denique rituum ac cærimoniarum externarum cura major quam caſtigandorum affectuum corruptorum per veram reſipiſcentiam. quæ ubi adſunt, oratio oris & motus labiorum parum proſunt. *Atqui*, ait Propheta alio loco [m], *me quotidie conſulunt, & cognitione viarum mearum delectantur, tanquam Gens quæ juſtitiam exercet, & ſeqq.* Simile genus eſt de quo Dominus [n]: MULTI *dicent mihi illo die*; *Domine, Domine, nonne in nomine tuo* PROPHETAVIMUS. -- *tunc autem profitebor iis:* NUNQUAM NOVI VOS. O triſtem ſpeciem hominis Deum abſque vera fide & renovatione animi colentis! *Os* vota faciens & laudes Divinas enarrans; *labia* Deum publice confitentia; *manus* dona ex inſtitutione Legis Divinæ offerentes; *pedes* cultorem Dei in Sanctarium

Plebs rudis non didicerat *legere*. non exercuerat ſe in *ſtudio Theologico*.

Status Plebis Judaicæ. Triſte ejus conſequens.

Hieronymi ad hac verba exercitatio. Ad eam animadverſio.

Phraſis Hebræa: חזות הכל. Obſervatum Cl. Cocceji.

Articulus alter Judicii ſpiritualis.

Cohærentia ejus cum ſuperiore, & & commendatio.

Deformat ad vivum ſtatum Judaiſmi, qualis fuit tempore Chriſti Jeſu.

Dominus Jeſus hæc verba allegavit Matth. xv. 8. & ad homines ſui temporis applicuit.

Hypocriſios vitium in negotio Religionis deſcribitur.

Omnis amor Dei *imperfectus*, eſt hypocriſis.

Qui qualis ſit, deſcribitur, in variis ſpeciebus ſuis.

Pertinet quoque huc; Deum ritu externo, non *animo*, colere.

Quæ ſpecies hic præcipue reſpiciatur? Verba Prophetæ. Deum *labiis*, non *corde* honorare.

Phariſæorum hypocriſis.

Locus Prophetæ Cap. LVIII. 2.

Triſtis aſpectus Religionis illius ſectæ.

a Jeſ. I. 3. Jer. IV. 22. Hoſ. IV. 1, 6. *b* Act. III. 17. *c* In *Proœm.* Prophetæ noſtri. *d* 1 Cor. II. 15. 1 Joh. II. 20. *e* Matth. XV. 8. Marc. VII. 6. *f* Lev. XXVI. 21. 23. *g* Joſ. XXII. 5. שמור מאד. *h* 1 Chron. XII. 33. *i* Deut. XXVI. 5. *k* Matth. VI. 5. XXIII. 14. *ἀεφάτῳ μακρὰ ἀεφοδυχόμοι.* *l* Luc. XVIII. 11. *m* Cap. LVIII. 2. *n* Matth. VII. 23.

ferentes ad majestatem ejus venerandam; frustra sunt si abest *fides* & *humilis quæsitio Divinæ gratiæ. Suffitus* est *abominatio*, ut Vati nostro sua reddamus verba [a]. Ad hanc *hypocrisin* in Pharisæis accessit *superstitio*, quod præcipuam *scientiæ* & *eruditionis* suæ partem constituerent in *præceptis* quæ *homines docebant*, & præcipuam partem *Religionis suæ* in eorum *præceptorum observatione*. Id enim notant Hebræa: ותהי יראתם אותי מצות אנשים מלומדה *Et est reverentia ipsorum qua me reverentur præceptum hominum condocefactum*. Sic recte Cl. Coccejus. sive, ut Grotius: *Præceptum quod homines docent*. Phrasis יראתם אותי proprie valet, *Reverentia illorum me*, quod Latinis inficete dicitur; sed Hebræis eleganter. Est *reverentia illorum* erga *me*, sive, *qua me prosequuntur*. Integra locutio est: יראתם אשר יראו אותי. Simile exemplum est 2 Sam. III. 11. in historia Isbosethi: מיראתו אותו *propter timorem ejus ipsum*. erga ipsum. *Verbalia* enim *Nomina apud Hebræos casum Verbi sui regunt*. de quo jam monui ad Cap. XIII. 19. Matthæus Evangelista *posterius* hoc *membrum*, (nam in *priore membro* nulla differitas est inter textum Hebræum & Græcum quæ animadversionem mereatur:) ita exhibet [b]: Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων. Sic pariter Marcus. fere ut Int. Alexandrinus: nisi quod ille extremas voces transponat, & eas conjungat per *copulam*: Διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας. Differentia non est ullius notæ: sed qualis qualis ea est, Evangelistarum *lectio* vel *versio* hic est concinnior. Neutra vero, si eam cum Hebræis conferas, quicquam habet vitii. Versio est exegetica quæ sensum ejus quod Propheta dicere vult, perfecte reddit, ut οἱ ὁ. & Scriptores N. T. sæpe instituunt: ut necesse non sit dicere, Int. Alexandrinum pro ותהי hic legisse ותהו, idque vertisse, καὶ μάτην, quod Grotius vult. Est enim insolens & incommoda constructio, ותהי יראתם, pro ולתהו יראתם. Sed quicquid ejus sit; versio, undecunque nata, bona est & laudabilis. Est itaque sententia Prophetæ, his verbis expositа, α. Doctores Pharisæos maximam eruditionis suæ partem constituere in *doctrinis*, quas non à Mose & Prophetis sed ex *traditione hominum* hauserant. β. Et quidem in *doctrinis*, vel non *necessariis*, superfluis, exundantibus, Doctrinæ Mosis & Prophetarum adjectis, vel ei repugnantibus. Si enim necessariæ essent, continerentur Doctrina Mosis & Prophetarum; & si cum ea convenirent; non possent appellari *præcepta hominum*. γ. In illis *doctrinis* ac *præceptis addiscendis* cognoscendisque illos magnam ponere operam & studium. quod latet in phrasi: *præceptum hominum* מלומדה CONDOCEFACTUM. quod homines docent & Discipuli discunt per modum *ἐπιχήμης*. δ. In horum *minutorum præceptorum* observatione illos constituere potiorem partem suæ Religionis; neglectis τοῖς βαρυτέροις τῆ νόμε [c]. Atque hi sunt verissimi characteres *Pharisæorum*, quales illi à Domino per totam historiam Evangelicam, integris pericopis [d], circumscribuntur. Sufficerent hic nobis abunde documenta traditionum tam falsarum & pessimæ notæ quam non necessariarum ac superfluarum, quæ in *Sermonibus* Christi Jesu extant, à Doctis Viris copiose illustrata & confirmata, ad hanc prophetiam perfecte intelligendam, si in manibus non haberemus integrum Corpus *traditionum* Talmudicarum, complexum id quod Jesaias appellat, *Præceptum hominum condocefactum*, molis stupendæ, cujus studium ingenium diligentissimi hominis facile delasset, & patientiam ejus per integrum vitæ ævum exerceat. Relegenda sunt quæ commentatus sum ad *Concionem superiorem*, ℣. 9. 10. Tantum moneo, eam hodiedum stare Genti sententiam, hoc inhærere præjudicium, hunc demum Virum *docti* titulum mereri, qui in Talmudicis scienter versatus fuerit. *hanc Legem* (*Oralem*) esse Judææ Religionis עקר *fundamentum*. tanto præstare *Scriptæ* quanto *vinum* aquæ. qui in hoc studium incumbunt, summam sibi comparare מרח *perfectionem status*. esse eam *lætitiam cordi*, & *medelam ossibus*: & quæ plura non ratio, sed furor quidam iis suggerit pro hac commendanda disciplina, Doctrinæ Evangelicæ recta oppositа. Videatur de hoc argumento unus omnium instar Cl. Buxtorfius [e]. Transfer autem, quæ huc usque monui ad Christianismum degenerem *Sectæ Pontificiæ*, in qua Pharisæismus est renatus, & mirare tantam utriusque status similitudinem. *Traditionum* eadem est jactantia, & *Corporis Canonici Juris* eadem æstimatio, quæ *Talmudis* apud Pharisæos. fructus idem, *justitia operum*. Et est tamen *Traditionum* harum novitiarum majus adhuc vitium quam Pharisæarum, quod non tantum ad *superstitionem* sed & ad *idololatriam* ducant, & Idoli Romanensis auctoritati Populis commendandæ subserviant, & cultum spiritualem Ecclesiæ N. T. in carnalem ac σωματικὴν γυμνασίαν transmutent. Non fallit *consequens*. En itaque illud *consequens Culpæ*, *Pœnam*, sed *spiritualem*, mystice propositam! Ait Deus ℣. 14. se *perrecturum* sive *additurum esse mirabiliter agere cum populo hoc*, & *quidem valde mirabiliter*. *futurum* enim *ut pereat sapientia Sapientium ejus*, & *prudentia Prudentium ejus occultetur*, sive *evanescat*. Verba Prophetæ sic accipio, ut plerique Intt. amica ratione, α. *Mirabile* hoc *Judicium* quod Deus exequeretur in Judæam Gentem ejusque Doctores, eo constituram esse, quod *sapientia sapientium ejus & prudentia prudentium ejus evanesceret*. β. Judicium illud isthoc tempore non fore *novum*, sed *vetus*, verum insigni accessione auctum iri. quem *gradum* hujus Judicii *mirabilis* ubi Propheta descripturus est, ipse se in dictione sua mirificum præstat, acsi eloquentissimo Prophetæ copia verborum deesset quibus mentem suam emphatice satis explicaret. *Ecce* ME, ait ille, QUI *perrecturus est*, (confer ad loquendi modum quæ scripsi ad Cap. XXVIII. 16.) *mirabiliter agere cum populo hoc*, *mirabiliter mirabile quid agendo*. sic enim proprie sonant Hebræa, quorum sensum Hieronymus expressit: *Ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo*. Alii aliter. Sensus neminem fugit. vult enim dicere Vates, *Judicium* hoc *spirituale* usque eo fore paradoxum & mirabile, ut hominem spirituali sensu præditum rapere debeat in stuporem. maxime si attendat, quam mirifice Deus illud exequatur, & quam arcanis viis deludat fastum & alienationem mentis illorum hominum qui à se non potuerunt impetrare ut claram & consolatoriam veritatem Evangelicam suis præferrent næniis & nugis. Illuc vero eodem pertinet vis quæ est in voce הסתתר, quæ proprie valet, *se occultare*. quod est, *evanescere*. nullum effectum edere. non prodire in lucem acsi non esset. *Sapientia* & *prudentia* Doctorum Gentis Judææ, illo tempore inter suos summe celebrata, dispareret. Paulus Apostolus posterius hoc membrum allegans, sensum ita expressit [f]: Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν, καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν ἀθετήσω· *Perdam sapientiam sapientum*, & *intelligentiam prudentium aboleba*. perfecte ex mente Jesaiæ, qui *effectum* hunc referri vult ad caussam suam *Deum*, ut ex oratione ejus liquet. Interpres Alexandrinus, qui prius membrum sententiæ in alienissimum sensum flexit, posterius hoc fere eodem modo accepit; nisi quod pro ἀθετήσω scripserit κρύψω, *occultabo*. Res eadem est.

Cæterum Apostolus hoc eodem loco nos docuit, ad quod & quale subjectum referenda sit oratio Prophetæ, nempe ad Doctores Judæos ἀπολλυμένες *pereuntes* quibus ὁ Λόγος τῆ σαυρῆ *Sermo de Cruce Christi*, qui *Sermo* est Evangelii Filii Dei, est μωρία *stultitia* & *scandalum* [g]. quos, sapientia sua carnali turgidos, Deus pro severitate justitiæ suæ constituerat *pudefacere* & *confundere* per simplicitatem Doctrinæ Evangelicæ; & videtur Christus Dominus ipse ad hunc locum alludere ubi in sua illa pathetica ἐξομολογήσει qua Deum *myste-*

Ad hypocrisin accessit *superstitio*.

Qua curabant diligenti studio traditiones Majorum.

Verba Prophetæ.

Phrasis, יראתם אותי expositа.

Versio Matthæi cum textu Jesaiæ & ℣. ó. collata.

Ad eam animadversio.

Vos μάτην unde in hac Versione?

Sententia Prophetæ expositа.

Vitia Pharisæorum circa traditiones.

Documenta horum Characterum Pharisaicorum in Evangeliis & Doctrina Talmudica, quæ hodiedum à Magistris valde commendatur.

Imago ejus conspicienda in Christianismo degenere, Sectæ Pontificiæ.

Consequens hujus Culpæ: Pœna *spiritualis*. Deus *mirabiliter agere cum hoc Populo*, & *sapientia sapientium ejus periret*.

Verba Prophetæ expositа.

Singularis emphasis orationis Prophetæ.

Quæ declaratur.

Vis vocis הסתתר.

Versio Palina 1 Cor. 1. 19. posterioris membri.

Apostolus applicat à Judæos Doctores hos *Crucis Christi*.

Ut & Dominus Matth. xxv.

---

[a] Cap. I. 13. [b] Matth. XV. 9. [c] Matth. XXIII. 23. [d] Matth. V. VI. VII. XV. I. seqq. XVI. I. seqq. XXIII. Luc. XI. 37. seqq. XVIII. 10. seqq. [e] *Syn. Jud.* Cap. III. [f] 1 Cor. I. 19. [g] ℣. 18.

myſteria Regni cœlorum OCCULTASSE ait [a] SAPIENTIBUS & INTELLIGENTIBUS; & *ea revelaſſe infantibus*: eadem phraſi utitur qua Propheta hoc loco. Ecquid vero in eo *mirabile* eſt? inquis. Eſtne enim præter exemplum & experientiam, aut fidem Gentium, Deum hominibus quos punire conſtituit, ἐξαιρεῖσθαι νῶν, ſive Φρένας; *adimere mentem & judicio* objicere *nebulas?* quod Veteres non Poëtæ tantum, ſed & Hiſtorici ac Philoſophi [b] affirmare non dubitant. ut Appianus de Antiocho [c]: *His rebus omnibus territus, καὶ Θεῷ βλάπτοντος ἤδη τὰς λογισμὰς, ὅπερ ἅπασι προσιόντων ἀτυχημάτων ἐπιγίγνεται, & DEO jam mentem* ADIMENTE, *ut imminentibus calamitatibus fieri aſſolet, & ſeqq.* An non idem eſt quod Propheta de Ægyptiis ſcripſerat [d]: *Jehova miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis:* & quod eum modo dicentem audivimus [e]: *Effudit ſuper vos ſpiritum ſoporis.* Reſpondeo ego; non inficiari me, dari talem aliquem actum Judicialem Divinæ Providentiæ, ſed qui prudenter ſit explicandus, ut ſanctimoniæ ac puritatis Divinæ decus illibatum maneat. verum ſi id ita ſe haberet, ac nihil aliud hic vellet Propheta ac quod communibus hiſce ſententiis involvitur: vel ſic nullum eſſe dubium, quin hic *Actus* Dei *Judicialis* appellari queat ac debeat *valde mirabilis*, cum nullius mortalis ingenium aſſequatur, qui fieri poſſit, ut Deus judicium *excæcandi & indurandi* hominis in omni ſua περιςάσει circumſcribat, ſalva puritate ejus puriſſima, ſanctimonia, rectitudine, & odio erga peccatum, ejuſque damnatione. Nec tamen id eſt, in quod Propheta intendit. Intelligi vult non de *mirabilitate* actus quo hoc Judicium infligitur; ſed de *mirabili natura* ipſius hujus Judicii. quod nemo niſi cum Judæis ſtupidus non ſtupeat. Τὸ παράδοξον ejus in eo conſiſtit quod docuit eventus. Judæi poſt *terram* ſuam *anathemati* ſubjectam, triſti exilio ſparſi per orbem, expoſiti ubique odio & invidiæ Gentium, & gementes ſub diris Execrationibus Lege Moſaica conſignatis, tuentur tamen Gentem & ſectam ſuam, ab omnibus aliis populis ſeparati. Non renunciant, ſed adhærent tenaciter Religioni Patrum ſecundum externum σχῆμα Legis. Venerantur eam Legem, & Libros Prophetarum Majoribus ſuis commiſſos ſumma Religione, eoſque publice & ordine legunt; ſed ita ut omnibus ſacra eorum adeuntibus & inſpectantibus pateat, cultum eſſe mere externum, literalem, labialem, abſque Spiritu. Legunt autem & non intelligunt, dum Docti inter ipſos, miſſis *ſpiritualibus* in quæ Doctrina Moſis & Prophetarum & *Odarum Davidicarum* reſolvitur, omne ſuum ſtudium per multa ſæcula converterunt ad *Traditiones Talmudicas*, futiles, ſteriles, omni animæ ſolatio vacuas, in quibus nihil ſpiritualis ſapientiæ, nihil bonæ frugis eſt, & per eas judicium ſuum uſque adeo corrumpunt, ut ad res ſpirituales Regni Dei diſcernendas, (plerique etiam ad ulla ſtudia veræ eruditionis feliciter tractanda, paucis exceptis,) plane inepti ſint, & omnes populi illos cæcutire & ineptire ac magno conatu magnas nugas agere videant cum faſtidio. Et videbant tamen illi Patria ſua expulſi, progreſſum mirabilem *Regni* CHRISTI JESU in Mundo, & prophetias ejus ac Veterum Prophetarum plurimas in eo & in ſe quoque clariſſime impletas; Doctrinæ ejus & Apoſtolorum ejus ſoliditatem, ſpiritualitatem, & rationalitatem; converſionem Gentium; admiranda exempla pietatis & zeli Religionis puræ & caſtæ quæ Deum Abrahami colit, inter Gentes; cultum omnis eruditionis quæ ad Scripturam Sanctam recte intelligendam facit; ipſius etiam tandem Linguæ Hebrææ, cujus cognitione ſoli olim ſuperbire ſolebant; & videntes *ſtupent*; nec tamen à ſe impetrant, præjudiciis obſtinati & ſoporati, ut unquam ſe accingant ad inſtituendum examen opinionum præjudicatarum, & oculos aperiant, ſeque ex tenebris convertant ad lucem non magis quam Majores ipſorum, qui *Regnum* Chriſti Jeſu cum omni demonſtratione veritatis in doctrinæ efficacia & virtute miraculorum præſens habuerunt ante oculos, & tamen *non viderunt*. O Deus quam non profunda tantum ſed & mirabilia judicia tua ſunt, longe ſupra captum humanum! Dum enim conſervat Gentem Deus ab aliis Populis diviſam, videtur ejus non negligere curam: dum illi idololatria abſtinentes Legem Dei venerantur, videntur nondum reliquiſſe Deum: dum ſtudia ſacra in Scholis diligenter excolunt, non videntur nihil agere: & tamen hæc omnia dum agunt, nihil agunt, Spiritu vacui, ſolatio caſſi, & verſantur in tenebris & caligine. Non vidit hæc Grotius in commentatione hujus loci, ſed viderat antehac, cujus verba animadverſione digna infra [A] exhibeo, & conferri etiam poſſunt quæ ego meditatus ſum ad *Concionem ſuperiorem*, vſ. 11. ſeqq. 21.

Articulus tertius hujus Judicii.

vſ. 15. *Væ illis qui* PROFUNDA SIMULATIONE ſe ſubtrahunt *Jehovæ ad occultandum conſilium, quorumque in tenebris ſunt opera, dicuntque, Quis videt nos, aut quis cognoſcit nos?* vſ. 16. AGENDI RATIO VESTRA *tam eſt* CONTRARIA, *acſi figulus reputaretur ut lutum, ut opus dicat* DE *factore ſuo, Non fecit me; & figmentum de fictore ſuo, Non intelligit*] Vidimus in *Concione ſuperiore*, Convictionem Doctorum Sectæ Phariſaicæ ſequutum eſſe vſ. 14. *Elenchum* Rectorum Populi Hieroſolymitani, profanorum, impiorum, quales erant Herodiadæ, & Sectæ Sadducæorum Principes, quibus curæ non erat Religio, niſi quatenus utilitati ſuæ ſerviebat. Iidem illi hic eodem ordine rurſus comparent in ſcena, qui *politica* uſi *aſtutia tranſactionem* iniverant cum *Morte* & cum *Inferno*, h. e. cum Romanis, quorum favore gaviſi ſibi perſuadebant res ſuas ſtare ſtatumque ſuum ſe tueri poſſe. Oratio rurſus preſſa eſt, & quibuſdam partibus ſuis ſic concepta, ut abſque aliqua circuitione latine aliiſve Linguis reddi nequeat. Exemplum mox occurrit in initio vſ. 15. In verbis: הוי המעמיקים מיהוה לסתר עצה quæ proprie ſonant: *Væ illis qui profundum faciunt à Jehova occultando conſilium*, ſive, *ad occultandum conſilium*. Senſus eſt quem Cl. Coccejus alibi [f] feliciter expreſſit; *qui hypocriſi ſubtiliſſima conſilium malum coram Deo tegunt*. Hieron. *Væ qui profundi eſtis corde ut à Domino abſcondatis conſilium*. Alii: *Qui abdunt in profundum à Jehova conſilium*. Senſus idem. Tantum obſervandum, vocem מיהוה in hac ſententia duplicem obtinere poteſtatem, ut partim cohæreat cum priore voce המעמקים: partim cum poſteriore לסתר. Si Propheta tantum dicere vellet; *Væ his qui profunde tegunt conſilium coram Deo:* ſcribere potuiſſet, המעמיקים לסתר עצה מיהוה: quæ *conſtructio* orationis magis conveniret genio *Linguæ:* ſed Propheta vocem מיהוה *à Domino* jungens voci המעמיקים *profundum facientes* hanc emphaſin addidit orationi, ut ſignificet homines qui dum conſilia ſua coram Jehova tegunt, ſe ipſis illis conſiliis ſuis illi ſubtrahunt & ſubducunt, & animos ſuos à Deo avertunt. Simile quid eſt in voce הפככם, quam non facile verteris ut ab alio intelligaris abſque aliqua deſcriptione. Propheta ſcripſit: הפככם אם כחמר היוצר יחשב quod ad verbum ſonat: *Inverſio veſtra*, ſive *converſio veſtra* (proprie. *invertere veſtrum.* הפך eſt *invertere, convertere.*) *eſt* ut *ſi tanquam lutum figulus reputaretur.* Sic vertit Piſcator, inſerta poſt *eſt* vocula comparationis *ut*; verſionem coactam Jun. & Tremell. recte emendans, & ſequuti eum ſunt Belgæ. Coccejus: *Mutatio veſtri ſicut* mutatio *argillæ figuli reputabitur.* Miror in ſententia ſenſus liquidiſſimi, (ſic vere ſcribo,) obſcurum & quæſitum præ claro & quod ante oculos eſt, ſe Viro Doctiſſi-

Qua in re conſiſtat τὸ παράδοξον hujus Judicii?

Profunditas hujus Judicii.

Grotii commentatio ad h. l. cum verbis ejus alio loco collata.

Dubium expeditur. *Omnis* actus Divinæ Providentiæ, quo Judicium hominis *perverſit*, ſi recte explicetur, eſt *mirabilis*.

Articulus tertius hujus Judicii.

Singularia hujus Judicii ſpiritualis. Propheta reſpicit ad *naturam* ejus, quæ declaratur. ubi Status Judæorum ſub hoc Judicio deſcribitur.

Elenchus pertinet ad *Sadducæos*, Proceres Reipublicæ, & Herodiadum ſtudioſos.

Verba Prophetæ exponuntur.

Quid ſit *profundum facere à Jehova conſilium*?

Vox מיהוה geminam hic obtinet poteſtatem ſignificationis.

Animadverſio ad dictionem Vatis.

Singularis vis vocis הפככם, quæ declaratur.

Verſiones aliorum hic collatæ.

---

a Matth. XI. 25. *b* Homer. Herod. Plato, &c. *c* De *Bell. Syr.* p. 104. *d* Cap. XIX. 14. *e* vſ. 10. *f* In *Lex.* ad v. עמק.

A Extant verba Viri Illuſtris de *Verit. Rel. Chriſt.* Lib. v. p. 113. *At nunc ex quo ſemel ejecti Patria ſunt,* (Judæi) *manent extorres, contemti: nullus ad eos venit Propheta: nulla futuri reditus ſignificatio:* MAGISTRI *illorum quaſi* SPIRITU VERTIGINIS AFFLATI (phraſis deſumpta ex hac noſtra prophetia,) *ad* TURPES FABULAS *&* RIDICULA DOGMATA *delapſi ſunt quibus ſcatent Libri Thalmudici, quos Legem ore datam audent dicere, & cum iis quæ Moſes ſcripſit, conferre aut iis præferre etiam.*

Genuina significatio vocis הפכם.

ctissimo potuisse commendare. Vox הפככם proprie sonat *invertere vestrum; inversio vestra; contrarietas vestra.* Sic sumitur vox Ezech. XVI. 34. & Rabbinis frequentissimo usu. הפך illis est *contrarium, oppositum:* הפכי *contraria*, sc. משפטי *propositiones, &c.* Vult dicere Propheta, *actionem* illorum qui consilia sua coram Jehova studebant *abscondere*, & qui se *condentes tenebris*, dicebant; *quis videt nos?* hanc, inquam, actionem & cogitationem, tam esse perversam & naturæ rerum ac principiis sanæ rationis contrariam, vel etiam *in se ipsam* incurrere, acsi *figulus* reputaretur *ut lutum*, & *opus* diceret de *factore suo*, *Non feci*sti *me*. Invertitis enim, ait Propheta, dum ita instituitis, naturas rerum. actio vestra contraria est & in se ipsam incurrit. Si enim non plane abnegaveritis *fidem* veri Dei, quod ex eo videtur patere quia *consilia* vestra coram ipso studetis *occultare:* absurdum sit, vobis in mentem venire, fieri posse ut ulla vestra cogitatio vel actio ipsum lateat aut fallat. vel etiam, ut ipso nolente vel non prosperante, consilia vestra exequi possitis. est enim ea ad vos σχέσει, qua *figulus* ad *lutum.* habet vos potestati suæ subjectos. nihil in vobis est quod non ab ipso pendeat. consilia vestra omnia, & consiliorum exequutio. Quod si vero vos ipsi id forte non agnoscatis: nihilo tamen minus verum est, & docebit eventus, vos stulta iniisse consilia, & esse in actionibus vestris falsam ac *perversam* ratiocinationem. Invertitis enim ipsas rerum essentias, earumque inter se *relationes*; vos Deo, Deum vobis, supponentes. Recte se habet illud Hieronymi, qui scienter vertit: *Perversa cogitatio est.* sed quod addit: *Quasi si lutum contra figulum cogitet:* manifesto subest vitio. Legit, יְחֻשָּׁךְ pro יֶחְשָׁךְ, ut recte *punctarunt* Masorethæ. Verba sequentia: כי יאמר מעשה לעשהו vertenda sunt: *Ut dicat opus* DE *factore suo:* non, *factori suo.* sequitur enim: לא עשני *Non* FECIT *me.* cum alias scribi debuisset: לא עשיתני *Non* FECISTI *me.* Præfixum vero ל cum אמר constructum subinde *objective* sumi, jam satis notum. Sic apud Prophetam nostrum [a]: אומר לרבק *Dicens* DE *glutino.* Gen. XX. 13. אמרי לי *Die* DE *me.* Observatum leve, & tamen Hieronymus ad id non advertens animum, instituit mutare *personas*, acsi Propheta sententiam vitiose expressisset, & oratio ejus egeret emendatione. Reddit ille: *Quasi -- dicat opus factori suo: Non* FECISTI *me*; *& figmentum dicat fictori suo: Non* INTELLIGIS. Verti autem voces כי יאמר; UT *dicat opus de factore suo.* quæ significatio vocula כי usu frequens occurrit in sacris. Cape exemplum ex *Psalmo* VIII. 5. ut adeo necesse non fuerit voculam כי hic cum Doctissimo Viro [b] *interrogative* accipere: quod mihi videtur hic minus habere elegantiæ.

Præfixa ל in voce לעשהו vertenda per *de.*

Hieronymi versio notata.

Integra sententia Prophetæ exposita.

Ad rem ipsam nihil habeo quod addam. Propheta refellit stultitiam hypocritarum, inter quos plures erant animo à vera in Deum *fide*, quæ semper cum *fiducia* conjungitur, alieni, eo modo quem jam declaravi. Docet illos suam à Deo dependentiam, quam ubique in omnibus Vaticiniis & Concionibus suis accurate inculcat, & quidem similitudine desumpta à *Figulo & luto*, *opere & factore suo*, quam fortius adhuc exhibet Cap. XLV. 9. & Jeremias in Viso hujus argumenti, Cap. XVIII. 5. & ad utriusque exemplum Paulus [c], de *Jure Dei* in homines summo sortiter disputans. Nec est tamen ea extendenda ultra scopum Prophetarum & Pauli. Intercedunt inter Deum & Creaturam intelligentem σχέσεις *morales*, quæ nullæ sunt inter *figulum* & *lutum*. *Independentia* itaque Dei respectu *hominis* in omni operatione suæ Providentiæ tam in Decretis quam in eorum Exequutione, est summa & absolutissima, quatenus non restringitur à σχέσει *morali* quæ inter ipsum & homines obtinet. Non censetur enim posse Deus quod non potest salva sua æquitate, justitia, veracitate, puritate, sanctimonia, rectitudine & amore summo quo majestatem suam prosequitur. In cæteris omnibus *similitudo* vim suam exercet omnem absque restrictione ulla & temperamento. quod hic semel monuisse sufficiat; & est ammonitu necessarium adversus eos qui Twissi & sequacium doctrinam, hac maxime similitudine confirmatam, sequuntur.

Doctrina ejus de *absoluto* Dei in *hominem Jure* ex comparatione *figuli* & *luti* quo modo accipienda?

Dependentia hominis à Deo semper salvas præstat σχέσεις *morales* quæ sunt inter Deum & hominem.

Sensus Prophetæ. Qui *coram Jehova abscondunt consilium* invertunt naturam rerum. quod fusius exponitur.

Implementum prophetiæ ex hypothesi nostra & *antecedentis* ac *consequentis* orationis serie quæro in iisdem *Rectoribus* & *Proceribus* Populi Judæi, quos Vates descripserat in *Concione superiore*, ℣. 14. 15. ad quem locum de iis prolixe scripsi, quæ hic repetere nihil juvat. Erant Herodiadæ, & his obnoxii Sectæ Sadducæorum Proceres, Pontifices, Sacerdotes, Politici, Romanis impense faventes, & turpissime adulantes, cum dedecore suæ Gentis & Religionis; de *Providentia Dei* impie sentientes; spem Patrum abnegantes; & in omni erga Rempublicam cura ac regimine hanc unam observantes Legem, ab amicitia ac tutela *Romani Imperii* ac *Præsidum* ejus salutem ejus ac Populi pendere. Qui quidem hominès dum id agebant, non videbantur renunciare Religioni Patrum: quin Nomen Judæum profitebantur; sacra Publica diligenter curabant & observabant ipsi; dignitatem suam quà Synedri quà Pontifices & Sacerdotes probe tuebantur, atque adeo *profunda simulatione* tegebant personam quam interiora eorum consilia & actiones refellebant. Sed veniret aliquando tempus quo *consulta in tenebris & occulta cordis* demonstrarentur esse τοῖχοι κεκονιαμένοι *parietes dealbati*, quod Apostolus uni horum objecit [d]. certe intelligerent, & experirentur ex eventu consiliorum suorum vanitatem, eorumque frustraneos & contrarios effectus. quippe per Divinam providentiam contra se verti in exitium quod sibi crediderant fore saluti.

De Implemento prophetiæ necessaria monentur.

β. JUDICIUM SPIRITUALE in majorem partem Gentis Judææ *oblique* propositum in Prædictione & Promisso de *Vocatione Gentium*, Judæis substituendarum.

Propositio hujus *Eventus.*

℣. 17. *Nonne adhuc* EXIGUUM PUSILLUM temporis est, *ut convertatur Libanus in* AGRUM FRUGIFERUM; *& frugifer ager pro* SYLVA *reputetur*] Videri possem nomina dare rebus earum naturæ minus congruentia, ubi luculentum promissum status Ecclesiæ mutandi in melius & amplificandi, recenseo sub nomine *Judicii spiritualis*. Nec tamen putem me hic deludi à falsa imagine. Sequor ductum Prophetæ, qui Promissum hoc insigne ita subnectit *superiori Judicio* tanquam ejus partem faceret. Et facit sane ex hypothesi nostræ interpretationis. Cum enim hic secundum nos prædicatur *Conversio Gentium* quæ majori Judæorum parti indurandæ, excæcandæ, & à flagellis Divinæ Justitiæ per tractum longi temporis affligendæ supponerentur: patet satis hujus *Prædicti & Promissi* geminum esse aspectum. Quà enim Judæos concernit, quorum Ἀποβολὴ *Rejectio* hic clare consignatur, speciem habet *Judicii*, estque consequens ejus quod Vates in superioribus descripserat. quà vero meliorem licet minorem Ecclesiæ partem spectat, quæ cum *Gentibus* credentibus in idem coalesceret corpus: speciem præfert *Promissi* amplissimi boni, quo Deus Ecclesiam mactam faceret. Decurrit autem oratio hujus argumenti usque ad finem hujus *Sectionis*, hoc ordine, ut Propheta *Beneficium* ipsum memorabilis *Conversionis* rerum in genere *proponat*, ℣. 17. Dein specialius illius enarret Consequentia & effecta tria, α. Bona spiritualia *Lucis & intelligentiæ rerum Divinarum*, & *hilaritatis* ac *consolationis* per Gentes olim *surdas & cæcas* diffundenda, ℣. 18. 19. β. *Oppressionem hostium* qui veritati Evangelicæ hactenus strenue contradixerant, & Præconibus ejus multum facessiverant negotii, ℣. 20. 21. γ. *Incrementum mirabile veri Seminis Abrahæ & Jacobi*, dissemindi per orbem terrarum, in quo illi Patriarchæ secundum promissa sibi à Deo facta recognoscere possent *veram* suam *imaginem*, ℣. 22. 23.

Judicium spirituale idem *oblique* propositum, in *Prædictione* de *Conversione* Gentium *Judæis* substituendarum.

Propositio hujus Eventus.

Animadversio in modum tractandæ hujus Pericopæ.

Conversio Gentium est argumentum α κεφαλαίως majoris partis Judæorum.

Diversus unius ejusdumque rei aspectus.

Analysis hujus Pericopæ.

Propositionem hujus memorabilis *Conversionis* quæ statui

[a] Jes. XLI. 7. [b] Cl. Davide Clerico, *Quæst. Sacr.* Cap. III. [c] Rom. IX. 10. [d] Act. XXIII. 3.

Propositio Vatis hic exhibita.

tui Ecclesiæ accideret, mysticis phrasibus descriptæ, hic exhibeo. Sententia Vatis fert, *brevi tempore* futurum esse, ut *Libanus convertatur in Arvum frugiferum* (Heb. כרמל CARMEL,) & *Arvum frugiferum* (CARMEL,) *pro sylva reputetur*. Grammaticum dubium nullum est in hac sententia, nisi quod magis ambigua videri queat interpretatio vocis כרמל *Carmel* in hoc loco: quæ tamen differentia interpretationis hic spernenda non est. Vox כרמל *Carmel*, in Sacris vel *appellative* sumitur, pro *quovis loco arboribus consito, frugibusque aut gramine fertili*, ut Cl. Bochartus [a] definivit; (quam significationem vocis jam observavi ad Cap. x. 18. & XVI. 10.) vel *proprie*, sive, ut *nomen proprium* quod impositum fuisse ait *duobus in Judæa montibus: quorum unus ad Aquilonem est προσθαλάσσιος in confinibus Aser & Zabulon, de quo* Jos. XII. 22. XIX. 26. *alter ad Meridiem μεσόγειος, prope Hebronem in tribu Judæ, de quo* Jos. XV. 55. & in historia *Saulis* [b] ac *Nabalis* [c]. Accipio observatum cum aliquo temperamento. Montem, sive Montanum, ad mare in Aquilonari Judææ tractu ad Meridiem Ptolemaidis CARMELUM famosissimum illum, exteris quoque Scriptoribus celebratum, in quo versatus est & sedem quoque fixit Elias Propheta [d], agnosco: sed dubium magis, an pars aliqua Montani Judæ apud Hebronem proprie dicta fuerit *Carmel*; etsi Hieronymus ita præiverit [e]. *Urbs* fuit in montano Judæ sic dicta in iis locis quæ modo designavi, quæ tempore Eusebii abierat in *vicum* [f]; cui nomen ab ubertate pascui agri circumjacentis inditum esse potuit: æque ac *Bethlehemo* Urbi ob similem caussam. Sed cum id incertum sit: id certum habeo, ubi in prophetiis *Carmel* ut nomen *proprium* sumitur, ad hunc tractum Judææ meridionalem neutiquam respici, sed ad *Carmelum* montem sive Montanum illud famosum *Carmeli*, (fuit enim integer *Montium* tractus,) sic dictum. Quæritur jam, utra harum significationum hic obtinere debeat *Nominis proprii*, an *appellativi?* vertendane sint verba, fore ut LIBANUS mutetur in CARMELUM, num vero, in *Arvum* sive *Agrum frugiferum*. Prius elegerunt Intt. Veteres, *ut ó.* Chaldæus, Hieronymus; & videtur ad primam speciem sensum dare elegantissimum, ut *Montanum Libani & Antilibani*, sterile & infructuosum, passim nive contectum, (excipe ornamentum *cedrorum* atque *abietum:*) hic comparetur cum *Montano Carmeli* frugifero & fertili. Diceret itaque Propheta, fore ut *Libanus*, mons sterilis, mutetur in *Carmelum*, h. e. fiat mons frugifer. Ubi suppono, *Carmelum* montem vere fuisse *frugiferum* & fertilis soli: olim non tantum *oleis consitum & arbustis, vineisque condensum*, quod de eo Hieronymus tradit [g]: sed & aliquam sui partem, ut reor, *pascuum*, quippe quod ex locis Scripturæ S. in quibus hic mons *Carmelus* designatur, certo colligitur. Sic apud Prophetam nostrum [h]: *Luget, languet terra. pudore suffunditur Libanus, languet.* SARON *factus est instar solitudinis; & rudit* BASAN *&* CARMEL. *Carmel* qui hic conjungitur cum *Sarone* & *Basane* non potest esse alius quam Montes *Carmel*, hoc nomine dicti. Est enim *Sarona* campestris Regio fertilissima subjecta *Carmelo* monti ad Austrum; & *Basan* oppositus Carmelo ad *Orientem*, trans mare Galilææ. Uterque autem ille tractus *Sarone* & *Basanis* magnam partem erat *pascuus*, & hoc nomine in Scriptura celebratus. Alio loco [i]: *Gloria Libani dabitur ei: decus* CARMELI *&* SARONIS. *Carmel* qui *Saroni* jungitur, est *mons Carmel*. Jeremias [k]: *Et reducam Israëlem ad caulam suam,* ורעה הכרמל ובשן *&* PASTUM AGET *in* CARMELO *ac* BASANE, (sive, *fruetur Carmelo & Basane,*) *& in montibus* EPHRAIMI *&* GILEADIS *satiabitur anima ejus.* Alluditur manifeste ad agrum pascuum cis & trans-Jardenensem sibi oppositum. Amos [l]: *Jehova ex Tsione rugiet, & ex Hierosolyma edet vocem suam, &*

Quo modo in ea accipienda vox כרמל; an ut nomen proprium, num ut appellativum? Significationes *vocis* distinctius exponuntur.

An *Ager* in *Montano Judææ* hoc nomine celebris fuerit?

In prophetiis si nomen *proprie* sumatur, designatur famosus Mons *Carmel* in tractu Judææ Aquilonari.

Veteres hic acceperunt Carmel ut *nomen proprium.*

Qui recte supposuerunt, hunc Montem fuisse *frugiferum*, & aliqua parte *pascuum*: quod & evincitur ex claris locis Prophetarum.

lugebunt mansiones Pastorum, ויבש ראש הכרמל *& exarescet* VERTEX CARMELI. Non potest esse dubium quin hic designetur *Carmelus*, mons altus, cui adscribitur ראש *vertex*, qui illi Monti fuit altissimus; qui mons si non fuerit aliqua sui parte *pascuus*, nulla est ratio quare ei jungantur *mansiones Pastorum*. confer Mich. VII. 14. Quare neutiquam illis accedo, qui ad partem illam Montani Judæi, in qua sita fuit Urbs *Carmel*, (quos Cl. Bochartus nec juvat, nec refellit,) referunt dicta Prophetarum de fertilitate *Carmeli*, etsi ego non nego, illi quoque *Montano*, sed remotiori & minus illustri, suam fœcunditatis laudem. Verum quod ad hunc locum nostrum attinet; etiamsi sit in versione Hieronymi quod me affecerit: putem tamen, rectius fieri, ut כרמל hic *appellative* vertatur per *Arvum frugiferum*; primo quidem quia hæc significatio absque dubitatione obtinet in loco huic plane parallelo, Cap. XXXII. 15. *Donec effundatur super nos Spiritus ex alto, & futurum est Desertum* לכרמל *in* AGRUM FRUGIFERUM, *&* AGER FRUGIFER (הכרמל) *pro* SYLVA *reputabitur.* Locus hunc nostrum illustrat. Deinde, quia alterum membrum hujus propositionis: *Et Carmel pro sylva reputabitur:* hanc significationem commodius admittit: ut quisque videt.

Quæramus, quid sibi velit dictum Prophetæ; quemque involvat sensum mysticum? Interpretes qui argumentum hujus prophetiæ circumscribunt temporibus Hiskiæ, statuunt dicere velle Prophetam, *sublimes* quales erant *Assyrii*, *dejectum iri:* contra vero *afflictissimos* quales erant Hebræi, *fore victores*, ut sc. factum in clade Assyrii. כרמל enim notare *Agrum planum*, quem Propheta ait *attollendum in speciem montis.* Sic fere Grotius, quem presse sequitur Brenius. Kimchius contra, supponens, prophetiam hanc editam esse sub Achazo, docere Prophetam ait, *superbos & feroces* Proceres tempore Achazi depressum iri sub Hiskia; contra vero *humiles & afflictos* ponendos in statu dignitatis & gloriæ. notare enim כרמל *Agrum boni proventus, vinearum, & arborum humilium* quæ *cedris & abietibus* Libani contradistinguantur. Neutram interpretationem probo, Primo, quia in neutra hac interpretatione mystica ulla ratio habetur præcipuorum attributorum vocis *Carmel* appellative sumptæ. Non in illa Grotii, quia כרמל proprie non significat *campum planum*, atque adeo *humilem*, sed *fertilem*, fœcundum, sive is sit *montanus* sive *campestris*, Græcis πεδίον. Avenarius: כרמל *Campus fertilis. Est nomen cujuslibet* LOCI *&* MONTIS *fertilissimi & uberrimi fructuum aut pascuorum.* Inde ipsi *monti* Carmelo nomen; & favet etymologia vocis quam superius [m] attigi. Hoc vero in loco *Carmelum* opponi *Libano*, ut locum *frugiferum* infructuoso, liquet ex loco parallelo Cap. XXXII. 15. ubi ערבה *Desertum* opponitur כרמל שדה *Arvo* aut *Pascuo.* perinde ac hoc in loco Libanus. Nec Kimchii interpretatio felicius procedit, quia hoc in loco *Arbores Libani* non contradistinguuntur *Arboribus humilioribus*, ut sunt vites, oleæ, ficus; sed *Libanus* contradistinguitur שדה כרמל respectu *soli* ipsius. Potest esse *Ager* כרמל *Carmel* qui plane sit *pascuus* in quo nullæ arbores. Hæc prima mea est ratio, satis per se valida. Accedit gravior altera: videlicet, patere ex universo hujus orationis contextu, respici hic *mutationem* sive *conversionem* rerum *spiritualem* quæ accideret duobus *subjectis*, sibi mutuo oppositis. quod facile probo. α. Quia *Effecta & Consequentia* hujus *Conversionis Libani* in *Carmelum* essent *spiritualia*, ut liquet ex *sequentibus.* sunt autem effecta talia qualis est caussa. β. Quia Vates noster in parallelo loco [n] docet *mutationem* Deserti in *Carmelum* fore consequens Spiritus S. copiose *effundendi.* γ. Quia per Vaticinia sequentia idem hoc emblema repetitum semper eandem obtinet significationem [o]. Est autem significatio mystica, certa, facilis: *Regna & Imperia*

Quæ loci Prophetarum non recte referuntur ad *Carmel* in *Montano Judæ.*

Et tamen hoc loco rectius sumitur *appellative*, secundum parallela loca nostri Prophetæ.

Inquiritur in verum & mysticum sensum hujus prophetiæ.

Sententia Intt. qui prophetiam restringunt ad tempus Hiskiæ.

Grotii & Kimchii.

Utraque refellitur.

Primum Ill. Grotii.

Inde Kimchii.

Prædicitur hic conversio rerum spiritualis.

Quod probatur ex *effectis.*

Et adstruitur ex parallelo loco Cap. XXXII. 15. & analogis.

Sensus verus loci.

a *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XLVIII. b 1 Sam. XV. 12. c 1 Sam. XXV. 2. seqq. d 1 Reg. XVIII. 18. seqq. 2 Reg. II. 25. e Ad *Amos.* I. 2. f De *Locis Heb.* ad h. v. g Ad Jer. IV. 26. Vide Cell. *Geog. Antiq.* Lib. III. Cap. XIII. h Cap. XXXIII. 9. i Cap. XXXV. 2. k Cap. L. 19. l Cap. I. 2. m Ad Cap. X. 18. n Cap. XXXII. 15. o Cap. XXXV. I. 6. XLIII. 19. 20.

Imperia & Regna Mundi susciperent cultum veræ Religionis, dum major Judæorum pars reprobatur.

Mundi, alta, eminentia, Proceribus, Magnatibus & celsi ordinis Viris, conspicua, sed huc usque nullum fructum proferentia, Deo & hominibus gratum, (quæ Regna & Imperia Mundi hic comparantur *Libano*, caput alte exerenti & decus celsarum arborum ostentanti:) immutanda esse in *Campos fertiles*, irrigandos pluvia cœlesti, & producturos *frugem* spiritualem, Deo & hominibus gratam & utilem. è contrario vero, illum Populum & Regnum, quod huc usque solum in Mundo tuitum erat characterem *Campi fertilis*, subiturum esse conditionem *Gentium*, olim exclusarum communione Dei, & evasurum *Desertum sterile*, infructuosum, sive *sylvam*, nemus incultum, confusum, quæ sors esset Judæorum post suam ἀποβολὴν *rejectionem*. Si Propheta solummodo scripsisset, *Libanum mutandum* esse in *Carmelum:* non adeo opus erat hic cogitare de duobus subjectis. Poterat enim de uno *subjecto*, hoc est, de *Judæis* & rerum Judæarum immutatione accipi: sed quando Propheta ipse orationem suam convertit, & mox subjicit; *Carmelum* simul mutandum esse in *sylvam:* cogitandum hic necessario est de *duobus subjectis* quæ attributa *Libani* & *Carmeli* præstent: quæ subjecta quocunque modo rem ceperis, non possunt esse alia ac *Judæi* & *Gentes* cum respectu ad statum eorum spiritualem. Ad statum Judæorum & Assyriorum nunquam applicabis emblema, salva partium ejus genuina significatione, ut jam probavi. Emblema quod hic exhibetur eandem habet significationem mysticam quam VELLUS *Gideonis* LANEUM [a], modo solum *rore cœlesti* aspersum rigatumque dum *terra* circumcirca *arida* esset: modo solum *aridum*, *terra* circumcirca *rore sparsa florente*. Apostolus magnum hoc mysterium vocat τὴν ἀποβολὴν REJECTIONEM *Judæorum*, (non sane omnium, sed majoris partis,) oppositam τῇ ἐκλογῇ sive τῇ προσλήψει *assumptioni Gentium* [b]: in quo *Judicio* & *Providentia Divina* agnoscit τὴν ἀποτομίαν *severitatem* Dei erga illos, & in has χρηστότητα, *benignitatem* ac *clementiam*. Sed adscribenda sunt aurea ejus verba quæ canonem faciunt interpretationis prophetiarum [c]: *Quid igitur? Quod Israël diligenter quærit, non est adeptus: sed* ELECTI *adepti sunt*; RELIQUI *vero* (qui majorem partem faciebant communitatis Populi,) ἐπωρώθησαν, *occalluerunt*. Est autem comparatio partium pulcherrima. *Libanus* mons *sylvestris*, infructuosus, sed altus, vastus, longe extentus, ornatusque *arboribus celsis*, sed quæ nullum proferrent fructum edulem, figurans Imperia & Regna Mundi, eminentia & celsitate sua conspicua, sed vacua vera Dei cognitione, fide, cultu, & fructibus Justitiæ Deo gratis, fieret ex mirabili dispensatione Divinæ Gratiæ *Carmel*, h. e. sedes Ecclesiæ, & Verbo Dei rigatus & Spiritu ejus fotus produceret *fructus* Deo glorioſos, humano generi utiles, sibique decoros; sive ut clarius loquar, in *Libanum* hunc *spiritualem* transferrentur omnes prærogativæ quibus olim gavisa erat Ecclesia Judæa præ Gentibus; adeo ut qui in Gentibus olim erant ἄχρηστοι *inutiles*, *nunc* fierent εὔχρηστοι *utiles:* vicissim *Carmel*, h. e. *Populus Judæus* à Deo excultus in *Agrum* à se electum, sive *Arvum* sive *Pascuum*, ut solus in Mundo imbutus cognitione veri Dei frugem proferret spiritualem Deo gratam, *converteretur*, non in *Libanum:* (id enim ne diceret Propheta, curæ habuit, ne quis de aliis hic cogitaret attributis *Populi reprobati*, quam quæ ipse in oculis habebat:) sed לִיעַר, δρυμὸν, *nemus*, *saltum*, *locum sylvosum*; quippe post id tempus, destructa Republica, vagam efficeret & confusam multitudinem, nulla se commendaturam vera fruge spirituali; nulla salutifera institutione ad bonam frugem edendam excultam; nullo influxu Divinæ gratiæ feracem: quem miserabilem Populi statum descripserat Propheta Cap. v. 5. 6. Idem est quod Christus Jesus in oratione ad Judæos [d]: *Propterea dico vobis: tolletur à vobis* REGNUM *Dei & dabitur Genti quæ* EDAT EJUS FRUCTUS. quæ verba nostri loci interpretationem continent, collata cum Cap. VIII. II. 12. Atque hunc eventum Vates docet exspectandum esse מְעַט מְזֹעַר *exiguo & pauxillo tempore:* quod posses capere hoc sensu, quo omne tempus licet forte nobis longum videatur, Prophetis passim ut *breve* & *brevissimum* exhibetur, & præsertim constante Prophetarum stylo, tempus זַעַם *indignationis* & ὀργῆς *iræ*, sub Oeconomia Legali, ut Cap. LIV. 7. Hagg. II. 6. Mal. III. 1. confer Apoc. I. 1. 3. non modo ob rapidissimum ejus cursum & σχέσει ad æternitatem; verum ob hanc maxime rationem, quod *series eventuum* sequuturi temporis inter se cohærentium veluti in brevi tabella descripta ipsis ob oculos versaretur, haud aliter ac nos de *tempore præterito* semper ut *brevissimo* cogitamus. Et est tamen hic peculiaris ratio. Propheta sic loquitur, quod Deus mox post tempus Exilii Babylonici viam pararet ad *conversionem Gentium*, cujus initia jam illo tempore in Mundo conspicerentur, ut Propheta docuerat Cap. XIV. 2. 3. Ut enim viæ Dei sunt admirabiles & nostra cogitatione longe superiores: ἡ διασπορὰ *dispersio Judæorum* per omnes fere regiones Orbis terrarum in hunc finem à Deo est ordinata, ut *conversio Gentium ad veræ Religionis fidem* juxta promissa Abrahæ data commodius & facilius effectum suum obtineret. de quo videnda sunt quæ commentati sumus ad Cap. XVIII. 7. XIX. 18. seqq. XXIII. 18. Certitudinem autem indubiam hujus Eventus innuit *modo* Propositionis *interrogatorio*, הֲלֹא *Nonne?* qui interrogandi modus fortissime affirmat, ut alias satis notum, & Grammatici multis docent [e]. Valet, *Estne res dubia?* Imo certe, *Estne piis & viarum Dei scrutatoribus ignota?* An enim Propheta non satis clare de eo loquutus erat Cap. II. 1. seqq. v. 1. seqq. sed multo adhuc clarius loqueretur in sequentibus. Docuit eventus, & nihil hic dici potest clarius quam quod videmus ante oculos.

Interpretatio adstruitur ex oratione Prophetæ.

Duo hic memorantur Subjecta, quæ contrariam subirent mutationem.

Prophetia comparatur cum Viso Gideonis, Jud. VI. 37.

Verba Pauli Rom. XI. 15. *canonem* exhibent expositionis hujus loci.

Comparatio Subjectorum, *Gentium* cum *Libano*.

Et Judæorum cum *Carmele*, sive Agrofrugifero.

Consequens primum hujus mirabilis Eventus *Vocationis Gentium.*

℣. 18. *Et audient illo tempore* SURDI *verba Libri, & ex caligine atque ex tenebris oculi* CÆCORUM *videbunt.* ℣. 19. *Et* MANSUETI *in Jehova* CUMULATE GAUDEBUNT, *&* INOPES HOMINUM *in Sancto Israëlis exultabunt*] Estne id quod Propheta hic dicit, homines stupidos qui prophetiam Jesaiæ de lapsu Senacheribi & liberatione Populo Dei cœlitus procuranda ante id tempus non intellexerant, vel eam debita non exceperant reverentia, post implementum ejus clarissime cognituros illius sensum, & Divinam Revelationis originem facile sibi passuros persuaderi? Non nego sane, *Liberationes* insignes extraordinarias quas Deus Ecclesiæ suæ præstat, hunc effectum producere. sunt enim aptæ refellere incredulitatem, & pertinacis animi aut meticulosi judicii hominibus extorquere fidem; & alluditur illuc Cap. XXXV. 5. Verum si liberatio Populi Dei tempore Hiskiæ hunc effectum aliquatenus obtinuerit: de quo historia nihil testatur: estne probabile, Prophetam tam ample de hoc Eventu loquuturum esse? Imo vero non probabile tantum, sed & certum habeo, hypocritas & malevoli ingenii homines illo etiam tempore plurimos in præjudiciis & animi sui obstinatione perstitisse, nisi à Divina gratia illuminati excitatique fuerint. *Miracula* enim & *portenta* etiam ad veram & salutarem fidem in animis hominum generandam non sufficiunt, nisi *Jehova det oculos ad videndum* [f]. de quo defectio Populi sub Manasse satis testata est. Sed accedunt alia in rem observanda. Primo, Propheta non scripsit: *Et audient surdi* דִּבְרֵי הַסֵּפֶר *verba* HUJUS *Libri*, sed דִּבְרֵי סֵפֶר *verba* LIBRI. Cujus vero *Libri*, nisi ejusdem quem deinceps exerte appellat, סֵפֶר יְהוָה LIBRUM JEHOVÆ, his verbis [g]: *Quærite à summo in Libro Jehovæ, & legite.* per quem *Librum*

Consequens primum hujus Eventus.

Surdi audient verba Libri.

Cæci videbunt.

Non convenit hypothesi, quæ prophetiam refert ad tempus Hiskiæ.

Aspectus ille tempori.

Emphasis dicti: *Surdi audient verba* LIBRI.

Quid hic per *Librum* intelligatur?

[a] Jud. VI. 37. [b] Cap. XI. 15. [c] ℣. 7. [d] Matth. XXI. 43. [e] Glass. *Rhet. Sac.* Tract. II. Cap. V. [f] Deut. XXIX. 3. [g] Cap. XXXIV. 16.

Locus Cap. XXXIV. 16.

Librum Jehovæ an intelligemus ſolas prophetias Jeſaiæ editas de clade Senacheribi? Quin ſane intelligitur Volumen *Scriptorum Sacrorum & Concionum Propheticarum* uſque ad illud tempus editarum: quas Scripturas homines pios & Verbi Dei reverentes, certe Diſcipulos Prophetarum, collegiſſe & meditatos eſſe, non videtur dubitandum. Secundo, Propheta noſter ex ſe ipſo interpretandus eſt, qui *ſurdorum & cæcorum* myſtice ſic dictorum ſanationem aliis locis refert ad *Gentes*, ejuſque cauſſam facit *inſtitutionem Gentium* per diſciplinam Chriſti Jeſu, & Apoſtolorum ejus. Verba ejus [a]: *Ego Jehova vocavi* TE (mentio eſt de *Servo Jehovæ*, magno Propheta, in quo *anima* ejus ſibi *complacet:*) *in juſtitia & teneo manum tuam, & poſui te in* FOEDUS POPULI, *ad aperiendum* OCULOS CÆCORUM; *ad educendum ex clauſtro vinctum; ex carcere habitantes* IN TENEBRIS. Nec alius aſpectus eſt loci Cap. XXXV. 5. ubi *ſanationis cæcorum & ſurdorum* ratio redditur his verbis, ỳſ. 6. *quia prorumpent in* DESERTO *aquæ, & torrentes in* SOLITUDINE. Dominus Jeſus ipſe apparens Paulo, in ſua ad eum oratione [b]: *Eruens te ex hoc Populo &* GENTIBUS *ad quas te nunc mitto, ut* APERIAS OCULOS CÆCORUM, *& convertas eas à* TENEBRIS *ad lucem, & è poteſtate Satanæ ad Deum.* quæ loca nullum dubium nobis amplius relinquunt. Erat enim inter illuſtria promiſſa, Chriſto data, fore illum לאור גוים *in* LUCEM GENTIUM, ut Propheta noſter alibi [c]: cujus Interpres eſt Simeon [d]. Erant illæ quo tempore Filius Dei ut ſalutare ſidus mundo apparuit, in denſiſſima poſitæ caligine erroris, ignorantiæ, vitiorum, ſcelerum, vanitatis, *tenebris obſcuratam mentem habentes & abalienatæ à vita Dei propter ignorantiam quæ* erat *in ipſis, per obdurationem cordis earum* [e]. myſtico ſenſu *ſurdæ* quod ob craſſitiem ignorantiæ & præjudiciorum atque affectuum carnalium ineptæ eſſent ad *veritatem* Evangelii recte *percipiendam*; & *cæcæ*, quod eam ob eaſdem cauſſas aptæ non eſſent *diſcernere*, (διακρίνειν) ac *dijudicare*, (id enim in ſpiritualibus eſt *videre:*) abſque ope ſingularis Gratiæ Divinæ, qua *ſenſus intellectus* ac *judicii ſpiritualis* iis reſtitueretur per *aperturam aurium* [f] & *illuminationem oculorum mentis* [g]: h. e. collationem facultatis ſive aptitudinis ſpiritualis ſpiritualia *percipiendi* & prudenter *diſcernendi*. cujus Gratiæ emblema fuit in frequentibus miraculis à Domino editis in *auditu* ſurdis & *viſu* cæcis reſtituendo. quæ miracula Dominus tanto lubentius edidit, quanto in iis clariorem habuit imaginem *veri finis adventus ſui in mundum*, & mirabilis illius *Beneficii* Gratiæ Divinæ, quo miſerum genus mortalium ſibi obſtringeret. Eventus docuit, & nos ipſi exemplo ſumus ſi vere ſimus in Chriſto. Quicquid in nobis lucis eſt, huic debemus promiſſo.

Parallela evincunt, ſignificari *Converſionem Gentium.*

Loca varia cum hoc collata.

Status Gentium tempore vulgati Evangelii.

Quo ſenſu myſtice dicantur *cæcæ & ſurdæ?*

Emblema hujus gratiæ in *miraculis*, à Chriſto Jeſu editis.

Inde jam & ex ſimilibus beneficiis gratiæ in ſe collatis & conferendis materiam *lætitiæ & gaudii* ſpiritualis peterent עניים *manſueti*, & אביוני אדם *inopes hominum*, ut Propheta teſtatur ỳſ. 19. Intelliguntur Diſcipuli Chriſti Jeſu ex *Judæis ex gratia quærentes ſalvari per fidem abſque operibus Legis*; de ſe & ſtatu ſuo ſpirituali coram Deo modeſte ſentientes quippe de miſeria & damnabilitate ſua & neceſſitate Gratiæ Divinæ plane perſuaſi; contradiſtincti incredulis, ſuperbis, ex opinione *juſtitiæ operum* ebriis, induratis, cæcis qui *Regnum cœlorum* non admitterent. Illos enim hoc *titulo* in prophetiis proponi & circumſcribi, vidimus Cap. XI. 4. ubi de neceſſariis quæ huc pertinent, monui, hic loci non repetendis. Stylo Chriſti Jeſu oracula Prophetarum in *Sermonibus* ſuis interpretantis, ad imitationem hujus aliorumque locorum, dicuntur πραεῖς & πτωχοὶ τῷ πνεύματι [h]. ut adeo alienum ſit hic cogitare de *paupertate Domeſtica* aut *Civili*. Eſſet autem *gaudium & exultatio* ſtatui illorum ſpirituali congruens *ſpirituale*, ſc. ביהוה *in Jehova* & בקדוש ישראל *Sancto Iſraëlis*; ab omnibus Diis Gentium diſcreto; per naturæ ſuæ excellentiam ſupra omnem gloriam evecto; per naturæ ſuæ puritatem integritatemque peccatorum vindice, & Salvatore Eccleſiæ per *Juſtitiam & Judicium*; & his nominibus *ſancte* colendo, atque æternum in cœtibus ſanctorum *ſanctificando*, celebrando, extollendo. Implementum habes in his Lucæ [i]: *His autem auditis* (quæ Petrus narraverat de gratia Dei communi facta cum *Domo Cornelii*, primitiis Gentium,) *quieverunt &* GLORIFICARUNT *Deum, dicentes: Nempe etiam Deus Gentibus dedit reſipiſcentiam ad vitam.* Plura non allego in re omnibus nota.

Gratia hæc in *Gentes* collata argumentum eſſet *lætitiæ manſuetorum & inopum hominum.*

Sunt *Diſcipuli* Chriſti Domini & *Credentes* ex Judæis.

Quare ita dicti?

Quare Deus dicatur *Sanctus Iſraëlis*?

Conſequens alterum Reprobationis Judæorum.

Implementum in Act. XI. 18. Eph. I. 3.

Conſequens alterum Reprobationis Judæorum. Punitio & excidium *Perſequutorum* Eccleſiæ ex Judæis. Verba Prophetæ declarantur per *Paraphraſin*, quæ implementum prophetiæ demonſtrat per ſingulas partes in hiſtoria.

Conſectarium.

Conſectarium. Punitio *Perſequutorum* Eccleſiæ ex Judæis.

ỳſ. 20. *Quia defecit* VIOLENTUS, *& conſumptus eſt* IRRISOR, *& exciſi ſunt omnes* VIGILANTES *ad* INIQUITATEM. ỳſ. 21. *Qui hominem reum agunt* PROPTER VERBUM, *& redarguenti in porta tendiculam ponunt, &* JUSTUM *propter rem inanem* EVERTUNT] *Feroces* & ſuperbi, qualis fuit Herodes Agrippa, perſecutus Principes Apoſtolorum ad necem [k]: *irriſores* blaſphemi, χλευασταὶ, quales illi qui Apoſtolos *impletos* à *Spiritu S.* traduxerunt ut *ebrios* [l]: *vigilantes ad iniquitatem*, (שקדי און proprie *vigilantes iniquitatis*,) quales illi fuerunt *primarii Sacerdotes & Scribæ, & Seniores Populi*, quorum Principes erant *Annas & Caiphas*, qui *ſimul conſultarunt, ut Jeſum dolo prehenderent*, & *interimerent* [m]; & qui dein *nocte* ipſa & *ſummo* MANE [n] (πρωΐας γενομένης,) fuerunt *congregati* ad illum *condemnandum* & Pilato Procuratori Romano *tradendum* ad *ſupplicium Crucis*, idque exequuti ſunt: qui *hominem reum faciunt propter* VERBUM; quales illi fuerunt qui Stephanum, ob *dictum* ipſi imputatum, *Jeſum Nazarenum deſtructurum hunc locum, & mutaturum ritus quos tradidit Moſes*, magno furore ex Synedrio ejectum, *lapidibus obruerunt* [o]: & *redarguenti ponentes tendiculam in* PORTA; quales illi fuerunt *primarii Sacerdotes & Seniores*, qui deliberato conſilio conſtituerant, à *Tribuno* petere, ut Paulum qui eos *redargueraat*, reduceret in *Synedrium*, & interea illum per *quadraginta Viros*, qui ſe ad id facinus perpetrandum diris execrationibus *devoverant*, interciperent atque *interimerent* [p]: denique *juſtum propter rem inanem* (hoc eſt, *abſque cauſſa*, ficto obtentu;) EVERTENTES; (collige ſignificationem vocis השרה ex Amoſ. V. 12. Prov. XVIII. 5.) quales illi fuerunt, qui *Jacobum* Minorem, *Juſtum* dictum, ἀδελφὸν Ἰησοῦ λεγομένου Χριστοῦ, *fratrem Jeſu dicti Chriſti*, (ſc. cognatum ejus,) & *aliquot alios* (Chriſtianam profeſſos diſciplinam,) *accuſatione* ipſis tanquam *Legis tranſgreſſoribus* in *Synedrio* (h. e. in *porta*) intentata, ad *lapidationis ſupplicium* damnarunt idque exequuti ſunt, *indignantibus* omnibus in Civitate *bonis* & *Legum ſtudioſis*, ut ſcribit Joſephus [q]; quorum Princeps fuit *Annas*, ſive *Ananus* Pontifex, Annæ illius qui Judicio Chriſti Jeſu præſederat, Filius, ejuſdem Joſephi teſtimonio θρασὺς τὸν τρόπον καὶ τολμητὴς διαφερόντως, *homo audax ingenio, & ſupra modum ferox* (ſtylo Prophetæ noſtri, עריץ VIOLENTUS,) *ſecta Sadducæus:* hi omnes, inquam, & his ſimiles, qui *Dominum Jeſum & proprios Prophetas occiderunt, & Apoſtolos expulerunt; Deo non placentes, & omnibus hominibus adverſantes* [r], cum deſtructa Republica *deficerent, conſumerentur, exſcinderentur*, & Eccleſiam deſinerent vexare quo modo quave auctoritate hactenus inſtituerant; quippe poſt rebellionem adverſus Romanos eorum fractæ eſſent vires, & vox parum valeret in Judiciis. quod quatenus Eccleſiæ pareret pacem tranquillitatemque, *gaudium* ejus *in Domino* promoveret.

Caſus Jacobi minoris, Cognati Domini, ab Anano Pontifice damnati ad Lapidationem ex Joſepho.

Collectio univerſæ ſententiæ, ejuſque applicatio ad prophetiam.

a Cap. XLII. 6. b Act. XXVI. 17. c Cap. XLIX. 6. d Luc. II. 32. e Epheſ. IV. 18. f Act XVI. 14. g Epheſ. I. 18. h Matth. V. 3. 5. i Act. XI. 18. k Act. XII. 1. ſeqq. l Act. II. 13. m Matth. XXVI. 3. n Matth XXVII. 1. o Act. VII. 58. p Cap. XXIII. 12. q *Antiq.* Lib. XX. Cap. VIII. r 1 Theſſ. II. 15.

Conſequens tertium Vocationis Gentium. Læta ſoboles *Iſraëlitarum ſpiritualium*, in qua Jacobi fulgeret imago.

Conſequens tertium Vocationis Gentium: *Læta ſoboles Iſraëlitarum ſpiritualium.*

℣. 22. *Propterea ſic loquitur Jehova ad Domum Jacobi, qui* REDEMIT ABRAHAMUM: *Nunc non amplius* PUDEFIET *Jacob, neque facies ejus nunc* EXALBESCET. ℣. 23. *Quia cum viderit* NATOS SUOS OPUS MANUUM MEARUM *in medio ſui; ſanctificabunt* NOMEN MEUM, *& ſanctificabunt* SANCTUM JACOBI, *&* DEUM ISRAELIS *formidabunt.* ℣. 24. *Et cognoſcent errantes ſpiritu intelligentiam, &* SUSURRONES *diſcent doctrinam*] Tertium hoc Conſequens eſt convertendi *Libani* in *Arvum*, & *Arvi in ſylvam*. Vocatis Gentibus ad communionem Dei in Chriſto, multi in Eccleſia naſcerentur *liberi ſpirituales*, in quibus vera Abrahami & Jacobi imago conſpiceretur; quoſque *veri Jacobitæ* (in quibus ſuperſtes eſt & vivit Jacob,) viderent abſque *pudore*, & quibuſcum *nomen Dei Jacobi ſanctificarent* & celebrarent. quæ converſio rerum mirabilis vim ſuam uſque eo exſereret, ut homines qui cenſeri poſſent *ſenſu mentis capti* & inprimis doctrinæ Evangelii longum tempus obſtrepuerant, tandem quoque ipſi *diſciplinam veritatis* reciperent. tanta lux eſſet Evangelii; tanta vis Divinæ Gratiæ. Quibus verbis ſi ſenſum ſententiæ Prophetæ recte expreſſerim: videt quiſque, illud לכן PROPTEREA connectendum eſſe cum ℣. 17. ubi prædicta erat *Converſio Libani* in *Arvum*. Id enim quod Propheta hic explicat, conſequens eſt veriſſimum Vocationis Gentium ad veram Religionem & communionem Beneficiorum Gratiæ. Cætera licet hæc verba eadem facilitate connectere cum his quæ Propheta ℣. 18. 19. prædixerat de *illuminatione Gentium & Lætitia manſuetorum in Jehova*. Prærogativæ enim hæ ſpirituales omnes ita inter ſe cohærent, ut una alteram ſupponat & involvat, vel una ex altera ſequatur. Sed cum Propheta magnum quid & eximium dicere vellet: præmittit vaticinationi ſuæ novum *præloquium*, ad argumentum orationis ſuæ accommodatum. quod primo expendam ex ℣. 22. dein *Beneficium ipſum*, Nativitatis fœcundæ ſobolis ſpiritualis in Domo Jacobi, ℣. 22. *med.* & 23. Tertio denique, ejus Beneficii *Conſequens* mirabile, in converſione *erronum* & *obſtrepentium*, ℣. 24. Singula ordine luſtrabo.

Summa ſententiæ Prophetæ.

Nexus orationis. Vox לכן *propterea* cohæret cum ℣. 17.

Nec minus connecti poteſt cum ℣. 18. 19.

Analyſis hujus Pericopæ.

Prologus. Animadverſio Grammatica de aliqua vocum μετάθεσει. Cl. Cocceji obſervatum.

In *Præloquio*, his verbis concepto; *Propterea ſic fatur Jehova ad Domum Jacobi qui* REDEMIT *Abrahamum:* Interpretes omnes obſervarunt μετάθεσιν, ſive *trajectionem* vocum minime inſolentem. naturalis enim conſtructio eſt: *Sic fatur Jehova qui redemit Abrahamum ad Domum Jacobi.* Solus forte Cl. Coccejus hic quæſivit myſterium. Adſcribit ille, DOMUM JACOBI, *ut* DOMUM DAVIDIS Zach. XII. 8. *poſſe ſignificare Filium Jacobi, nempe Chriſtum, redemptorem Abrahami, nempe ex peccato, ex morte, ex periculo.* coll. *Jeſ.* LXIII. 9. Sed plerique mecum judicabunt, eſſe quid quæſitum in hac interpretatione, & abludere eam ἀπὸ τῆ πιθανῆ. *Relativa* ſæpe longius abſunt à ſuis *ſubjectis*. Exempla Canonis. Unum nunc promo ex Pſ. XCIX. 6. 7. *Moſes & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuël in invocantibus nomen ejus, ... in columna Nubis loquutus eſt ad* EOS. nempe ad *Moſen* & *Aaronem*, non ad *Samuëlem*. adde alterum, ſi placet, à Glaſſio neglectum ex Act. VII. 18. *Uſque quo exortus eſt alius Rex qui non noverat Joſephum:* HIC *adverſus genus noſtrum ingenioſus, &c.* hic ſc. non *Joſephus*, ſed *alius ille Rex*. Ergo rectius hic quæritur, quid ſibi velit epitheton hoc ſingulare, nomini Jehovæ adjectum, quo dicitur *redemiſſe Abrahamum*, & quem emphaſin habeat in hac oratione? Dein, quid hic intelligendum ſit per *Domum Jacobi?* Quod ad prius: liquet ex Hiſtoria Sacra, Deum Abrahamum ſpe maximorum beneficiorum *evocaſſe* ex *Ure Chaldæorum* [b]: ſed *redemiſſe* ſive *liberaſſe*, non liquet. Imo vero liquet, ſi ſenſus noſtros conformemus ad notiones ſublimis noſtri Prophetæ, qui res ſpirituales oculo inſpexit vero & ſpirituali. Reſpicitur *vindicatio* non proprie *poſterorum Abrahami* (qui hic dici poſſent *Abraham* æquè ac *Iſraël* & *Jacob*: ſed qua phraſi Scriptura nullibi utitur:) ex *Ægypto*: verum *liberatio & redemptio* ipſius Abrahami ex *terra idololatrica*; ejuſque *aſſertio*, facta ex ſingulari prærogativa Divinæ Gratiæ, qua illum adverſus naturalem affectum quo in terram patriam ferebatur, & neceſſitudinum proximarum vota ac obteſtationes, ut credere par eſt, *pretio* præſtantium bonorum, quorum ipſi ſpem certam fecit, ex Natalitia ſede ſua eduxit, & veluti *eripuit*, ut in ejus Domo & Gente vera conſervaretur veri Dei Religio: deinceps vero cura ſuæ providentiæ ita complexus eſt, ut in diſcriminibus quæ reſpectu conjugis ſuæ Saræ [c] aut Loti, ex fratre Nepotis [d], ſubinde ſubiit in Ægypto & Palæſtina, nullam honoris aut ſalutis ſuæ jacturam fecerit. Nec dubito tamen quin Propheta vindicias ejus ex terra idololatrica hic potiſſimum ob oculos habuerit. *Patres veſtri*, ait Joſua [e], *trans Flumen* (Euphratem,) *ſedebant olim, Therah Pater Abrahami, & Pater Nachoris, & ſerviebant Diis alienis:* ואקח את אברהם *&* ASSUMPSI *Abrahamum*, (mihi illum *vindicavi*, & quidem *pretio* ingentium promiſſorum: quæ eſt emphaſis vocis פרת:) *ex terra Trans-Euphratenſi*, ואולך אותו *&* CIRCUMDUXI *illum in tota terra Canaanæa*. Id vero epitheton Deo glorioſum hoc in loco adſcribitur, quod *manſueti* illi & *inopes*, verum ſemen Abrahæ, qui Evangelium Chriſti Jeſu ferrent ad Gentes, omneſque alios pagani ortus homines, ad fidem Chriſti *convertendos*, ad exemplum Abrahami ſpeciali cura Divinæ Providentiæ educerentur & *vindicarentur* è ſedibus natalitiis in terra Judæa, ut inter Gentes veram plantarent Religionem, & cum tempore obtinerent hæreditatem Mundi, vi promiſſorum Abrahæ datorum. Sic Chriſtus Jeſus ipſe in Viſo ad Paulum [f]: Ἐξαιρούμενός σε ἐκ τῆ λαῆ καὶ τῶν ἐθνῶν, εἰς οὓς νῦν σε ἀποςέλλω· ERUENS TE *ex* HOC POPULO, *& Gentibus ad quas te nunc mitto.* Paulus ipſe alibi [g]: *Qui* (Chriſtus) *ſemet ipſum dedit pro peccatis noſtris,* ὅπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τῆ ἐνεςῶτος αἰῶνος πονηρῆ· *ut nos* EXIMERET EX PRÆSENTI SÆCULO MALO. Oportebat enim *Sponſam Chriſti oblivi ſci* (ad exemplum Abrahami,) *Populi ſui, & Domus Patris ſui* [h]. Inde jam alterum *Dubium* facile expeditur. Per *Domum Jacobi*, ad quam hæc oratio vertitur, intelligitur Eccleſia Apoſtolica, conſtans *veris Iſraëlitis*, in Judæa Gente reſiduis, ſecundum propoſitum gratiæ *electis*, quam Jacobidarum familiam Deus hac conſolatoria promiſſione erigit & fulcit. Eſſent illi numero pauciores, reſpectu multitudinis reprobatorum: ſed conſequerentur in Gentibus fœcundiſſimam ſobolem. Qui *puri ſunt manibus & puri corde*, nacti *juſtitiam à Jehova*, illi ſunt JACOB [i]. h. e. veri *Iſraëlitæ*, *in quibus nullus eſt dolus* [k]. Jacobitæ & Judæi ἐν τῷ κρυπτῷ· *in occulto* [l]. ad quos devoluta ſunt τὰ πρωτοτόκια, *ſpretis Eſavitis*, EDOMÆIS, qui *ſiti* odii & invidiæ urentes *biberant rubrum*, h. e. Sanguinem Chriſti Jeſu & Martyrum, & hoc ipſo exciderant *Jure Primogenituræ*. h. e. Beneficiis ſpiritualis Gratiæ. & quæ plura huc pertinent, quæ nunc non attingo.

Prologus. Animadverſio Grammatica de aliqua vocum μεταθέσει. Cl. Cocceji obſervatum.

Relativa ſæpe longius abſunt à ſuis *ſubjectis*.

Exempla Canonis.

Dubia quæ in *Prologo* occurrunt.

Quo ſenſu Deus hic dicatur *redemiſſe Abrahamum*?

Eventus ipſe conſolatorius Populi Jacobidarum his verbis eſt circumſcriptus: *Non nunc pudefiet Jacob, nec facies ejus exalbeſcet,* כי בראותו ילדיו מעשה ידי בקרבו יקדישו שמי והקדישו את קדוש יעקוב ואת אלהי ישראל יעריצו *quia cum viderit ille natos ſuos opus manuum mearum in medio ſui, ſanctificabunt nomen meum, & ſanctificabunt Sanctum Jacobi & Deum Iſraëlis horrebunt*, h. e. ſumma proſequentur reverentia. Sic proprie ſonant Hebræa, quæ ex noſtra verſione & ſententia hunc dant ſenſum: *veros* illos *Jacobidas & Iſraëlitas*, ad quos hic dirigitur ora-

Eventus ipſe, pars altera Sententiæ, ex hibetur verbis Prophetæ.

Senſus ſententiæ.

[a] Glaſſ. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. II. Can. X. [b] Gen. XII. 1. [c] Gen. XII. 14. XX. 2. ſeqq. [d] Gen. XIV. 1. ſeqq. [e] Cap. XXIV. 2. 3. [f] Act. XXVI. 17. [g] Gal. I. 4. [h] Pſ. XLV. 11. [i] Pſ. XXIV. 5. 6. [k] Joh. I. 48. [l] Rom. II. 29.

oratio, in quibus *Jacob* ipſe veluti reviviſceret, *hoc tempore* Evangelii tranſlati ad Gentes, non amplius affectos fore *pudore*, quod paucos adeo viderent in Gente Judæa qui *vera Jacobi progenies* dici mererentur; quippe cum viderent *in medio ſui*, h. e. cœtibus ſuis adſcriptos ex Gentibus tanto numero homines, opera & miniſterio ſuo *genitos* & *regenitos* per efficacem Spiritus S. Gratiam, ut *opus manuum Dei* dici mererentur, in quibus vera Jacobi imago apparebat: lætabundi cum hiſce ſuis *Natis ſpiritualibus* concurrerent ad *ſanctificandum Nomen Dei*, & *Sanctum Jacobi*, & *Deum Iſraëlis profunda reverentia colendum:* ut adeo facile obliviſci poſſent fratrum ſuorum Evangelio immorigerorum in Judæa. quo modo ſi hanc Prophetæ orationem accipiamus: res ipſa loquitur, Vatem noſtrum non potuiſſe clarius & verius in tabella deſcribere verum affectum & ſtatum Pauli, Barnabæ, Apollo, aliorumque Miniſtrorum Evangelii Diſcipulorum Chriſti ex *Judæis*, qui videntes mirabile *opus Dei* in converſione Gentium, in illarum Gentium communione cum profunda reverentia Deum glorificarunt & celebrarunt, quippe in mirifica hac diſpenſatione Divinæ Gratiæ erga Mundum Gentium obſervantes implementum luculentorum promiſſorum, Abrahæ & Jacobo, qui hæres declaratus erat ברכת אברהם *Benedictionis Abrahami* [a], factorum. Et tamen Interpretes plures hic alia & aliena non viderunt ſane ſed quæſiverunt, attamen inſtituto & conſilio diverſo.

Per περίλη-ψιν collatus cum Eventu.

Intt. quorundam cogitationes diverſæ.

Hieronymus, qui idem hic vidit quod nos, emblema tamen Prophetæ diverſe accepit. Vertit verba: *Non* MODO *confundetur Jacob, nec* MODO *vultus ejus erubeſcet:* SED *cum viderit filios ſuos opera manuum mearum in medio ſui ſanctificantes nomen meum, &c.* hoc ſenſu: Judæos qui Patribus ſuis diſſimiles falſo ſibi vindicabant nomen *Domus Abrahami & Jacobi*, aliquando magno ſuffuſum iri pudore, nec tamen *nunc* ſive *hoc tempore*, h. e. tempore Jeſaiæ, ſed *olim* cum *viderent Apoſtolos* & *Apoſtolicos viros qui eſſent de genere Judæorum in medio nationum Domini perpetrare virtutes, & Chriſti nomen Gentibus prædicare, &c.* tum videlicet illos videntes mirabilia effecta Regni Chriſti pudore affectos fore, ſed qui *pudor* plurimis illorum futurus ſit ſalutaris. Sequutus eſt Euſebium Cæſarienſem, & utrumque Procopius. Cyrillus eadem fere ſervata verborum verſione & interpretatione, *tempora* tamen, *nunc* & *olim*, aliter diſpenſat. Senſus ejus eſt, Jacobi poſteros, Judæos excæcatos & induratos, qui falſo ſe à Jacobo appellabant, non *nunc*, ſc. initio Evangelii & converſionis Gentium, *confuſos* fore & *pudore affectos:* ſed cum progreſſu temporis viderent mirabilem profectum Evangelii & magna Dei opera in vindiciis Eccleſiæ Chriſtianæ edita, tandem in fine ſæculorum ad ſe redituros eſſe, & *pudore ſuffuſos* ſe converſuros ad Chriſtum Jeſum, eumque & verum Deum & Salvatorem cum Chriſtianis celebraturos. Expoſitio tota nititur interpretatione voculæ כי per adverſativum SED, (ἀλλὰ) quomodo Interpres Alexandrinus, quem illi ſequuti ſunt, præiverat, & Symmachus quoque. Ἀλλ' ὅταν ἴδῃ. Quin Interpres Alex. præterea Hebræa: *Cum viderit* (Jacob) *natos ſuos opera manuum mearum in medio ſui*; verterat: Ἀλλ' ὅταν ἴδωσι τὰ τέκνα αὐτῶν τὰ ἔργα μου· *ſed cum viderint filii illorum opera mea.* quod cum Hebræis non conſiſtit, quare Hieronymus id recte emendavit. Ἐπίκρισις mea eſt, in *Verſione* Hieronymi, ſi Hebræa ſpectes, nihil eſſe vitii quod ad voculam כי quæ ſignificationem *adverſativi* admittit: ſed ſenſus, quem Prophetæ affingit, eſt coactus, & ſententia frigidior, licet in ſumma rei nobis conſentiat. Si vocula כי hic vertatur per ὅτι *quia*, ut inſtituit Theodotio, elegantior exſurgit ſenſus. Idem vitium eſt in expoſitione Cyrilli. Coactum & quæſitum eſt hic cogitare de oppoſitione inter *initia* temporis Oeconomiæ Novæ, & *extrema* quibus futura eſt Judæorum converſio; & nihil eſt in verbis quod nos de tanta terminorum intercapedine cogitare jubet.

Cyrilli quoque, emblema eodem modo accipientis, nec tamen explicantis.

Interpretatio fundata eſt in vocula כי, quæ ab ipſis *adverſative* ſumitur, ut & in *Verſionibus Vett.*

Ἐπίκρισις ad Verſionem Hieron. Nihil in ea vitii. Sed ſenſus, quem Prophetæ imputat, eſt coactus.

Et tamen Hebræi Interpretes & Chriſtiani aliqui illos ſequuti, cum in his verbis agnoſcere nollent *myſterium Vocationis Gentium*, multo hic longius à nobis diſcedunt: quorum interpretationis mihi reddenda eſt ratio. David Kimchius cum nihil in hac prophetia videret vel videre vellet præter id quod geſtum eſt in Judæa circa tempus expeditionis Senacheribi & liberationis Populi Judæi ab ejus jugo: verba Prophetæ ad hanc hypotheſin flectere inſtituit. quod hac ratione eſt exequutus. Supponit *Jacobum* ipſum hic à Propheta fingi præſentem per figuram προσωποποιΐας: qui cum ſub Regno Achazi, (quo tempore vult hanc editam eſſe prophetiam:) plures videret ex natis ſuis incredulos, malos, profanos, eoſque videret cum pudore ut Pater videre ſolet *liberos degeneres*; *hoc tempore*, id eſt, ſub Hiskia, poſt perditos vel latitantes improbos contrarium indueret affectum: quia *cum videret natos ſuos*, bonæ indolis, frugi, manſuetos, & *opus manuum Dei in medio ejus*, h. e. exercitum Senacheribi magno opere Divinæ manus proſtratum, eoſque nomen Dei celebrantes, quippe qui *Deum ſanctificando* illum appellarent *Sanctum* JACOBI, & illum venerarentur nomine *Dei* ISRAELIS: hoc ipſo non *pudefieret*, ſed *gauderet*, & hos demum agnoſceret pro vera ſua progenie. Sic enim ſupplet ellipſin, quam in his verbis ineſſe fingit. Grotius ab eo nulla parte diſcedit, niſi quod non ut Kimchius per *opus manuum Dei* hic intelligat *opus Dei* in proſtrato Exercitu Senacheribi [A]: ſed prudentius longe ipſos illos *natos mirabiliter à Deo ſervatos*. qua parte, ut & in cæteris, Brenius illum ſequitur. Adſcribam judicium meum de hac interpretatione paucis. Et quidem primo quod attinet ad hypotheſin interpretationis, per *Jacobum* hic intelligi ipſam *Jacobi perſonam*, non vero ejus poſteros, quæ videlicet perſona Jacobi hic tanquam præſens fingitur figurata dicendi ratione: nihil vitii habet, ſi cum oratione Prophetæ conciliari queat. quin ſane elegans eſt figura προσωποποιΐας, & uſu in Verbo Dei ſatis recepta, & ipſe quoque eam hic lubens admiſiſſem, & aliqua etiam ratione admittere velim. verum oratio Prophetæ illi non favet: contra vero ſuadet, per *Jacobum* hic intelligi *cœtum* verorum Iſraëlitarum, in quibus *Jacobus* eſſe & vivere fingitur. α. Quia quod dicitur de *Jacobo: cum viderit natos ſuos opus manuum mearum* בקרבו *in* MEDIO SUI: non convenit *perſonæ ſingulari*, ſed *cœtui:* nec elevat hanc difficultatem Interpres. Eſt [b] qui vocem בקרבו *in medio ſui* refert ad *natos*, & connectit cum *membro ſequenti* in hunc modum: Qui ſc. nati *in medio ſui ſanctificabunt nomen meum.* Sed ſi hic ſenſus obtineret, deberet Hebraice ſcriptum eſſe בקרבם. β. Quia quod additur: יקדישו שמי *ſanctificabunt nomen meum:* ad *Jacobum* quoque referri debet. Senſus enim eſt, *Jacobum cum natis ſuis Dei nomen ſanctificaturum eſſe.* Et ſunt qui dictum Prophetæ ita exponunt ſervata eadem figura προσωποποιΐας: ſed id duriſſimum eſt; nec poteſt figura eo uſque extendi. *Jacobus* per fictionem figuratam recte dicitur poſteros ſuos veluti præſens inſpicere, eorumque ſtatu inſpecto *gaudere* vel *dolere:* ſed neutiquam, *cum illis ſuis natis Deum ſanctificare.* id enim figuræ poteſtatem excedit. quare Chaldæus hoc in loco recte: *Deinceps non confundetur* DOMUS JACOBI, ſive *qui ſunt de Domo Jacobi.* Alterum expoſitionis vitium eſt, quod Interpres præter neceſſitatem ex ſententia abſoluta & integra cui nihil deeſt, faciat ellipticam, & quidem ellipſes in eam in-

Ut & ille interpretationis Cyrilli.

Hebræi Intt. & Chriſtiani aliqui illos ſequuti quomodo ſe hic expediant?

Davidis Kimchii ſententia exponitur.

Refert verba ad converſionem rerum ſub Hiskia factam oppoſite ad tempus Achazi.

Ill. Grotius quatenus Kimchio conſentiat.

Ἐπίκρισις in hanc ſententiam.

Nihil vitii eſt hic admittere *Proſopopœiam* in nomine Jacobi, ſi contextus id permitteret.

Sed non favet, quod dicitur, בקרבו *in medio ſui.*

Jacobus non recte dicitur *figurate* Deum cum *natis ſuis ſanctificare.*

Vitium interpretationis alterum, quod præter neceſſitatem

---

a Gen. XXVIII. 4. b Brenius.

A Verba Kimchius: כי בראותו פי׳ בראות יעקוב ילדיו שהם ילדין ובניו באמרת בלבתם בדרך הטובה ובראותו מעשי ידין בקרבו והוא מרמז שיעשה במחנה אשור הבא בארצו ובראותו כי יקדישו ילדיו שמי על הנס הגדול וכו׳ *Quia cum viderit ille*] *Senſus eſt cum viderit Jacob natos ſuos, qui vere nati filique ejus dici merentur dum incedunt via bona; & cum viderit ille opera manuum ejus* (rectius ידי *manuum mearum*) *in medio ſui, & hoc illud eſt quod patrabo in Exercitu Aſſyrii, qui venit in terram ejus; & cum viderit quod filii ejus ſanctificent nomen meum propter magnum hoc miraculum &c.*

In textum inducat ellipsin.

ducat varias. Exhibet hæc ſententia ex Kimchii interpretatione ſolum *antecedens*: *conſequens* integrum ei deeſt. Propoſitio enim hæc: *Quia cum viderit Jacob natos ſuos & opus manuum mearum*; & cum viderit natos ſuos me *celebrantes* & *ſanctificantes* ob *magnum* illud *miraculum*, in ipſorum gratiam editum: hæc, inquam, propoſitio ſolum continet *antecedens*, cui aptandum eſſet conſequens: *Non pudefiet* Jacob, ſed *lætabitur*. Verum integrum hoc *conſequens* hic ſecundum hypotheſin Interpretis abeſt. Pariter quod dicitur in textu: *Cum viderit ille natos ſuos, opus manuum mearum*; quiſque videt capiendum eſſe per modum appoſitionis, ut ſenſus ſit, *natos ſuos* qui ſunt *opus manuum mearum:* ipſe hic fingit ellipſin copulæ, & verba reddit: *Cum viderit natos ſuos, & opus manuum mearum.*

Kimchius *natos Jacobi & opus manuum* Dei perperam ab invicem diſtinguit.

Tertium vitium, quod *Beneficium ſpirituale* convertatur in *corporale.*

Tertium vitium idque graviſſimum Interpretibus hujus ſpeciei commune eſt, quod ſententiam quæ *ſpirituale beneficium* explicat, torqueant in ſenſum *beneficii temporalis.* quod ſpero me clare poſſe evincere. Suppono itaque hic, (quod mihi ſupponere licet, probe perſuaſo, neminem id cum ratione negare poſſe,) non eſſe dubium, quin hic agatur de *beneficio* aliquo *ſpirituali*, ſi verba, OPUS MANUUM MEARUM, relata ad *natos Jacobi*, hic ſint intelligenda de *Beneficio ſpirituali*, non vero de Beneficio *temporali.* Ratio eſt quia hiſce *ſolis verbis* comprehenditur *cauſſa* cur Domus Jacobi non ſit ſuffundenda pudore. quæ proinde verba ſi agant de *Beneficio ſpirituali*, non eſt dubium, quin pericopa tota admittere debeat ſenſum ſpiritualem. Verba autem, *opus manuum mearum*, admittere ſenſum ſpiritualem, ut probem; mihi in anteceſſum dari poſtulo, referenda eſſe hæc verba per modum *appoſitionis* ad *natos Jacobi*, ut ſenſus ſit: *Cum viderit Jacob natos ſuos*, OPUS MANUUM MEARUM. h. e. qui ſunt opus manuum mearum. per modum *appoſitionis.* Nihil verius; & largitur Grotius, & favent parallela Prophetæ noſtri, mox producenda. Jam vero pertendo, verba, *opus manuum Dei*, dicta de *natis Jacobi*, non poſſe intelligi niſi de beneficio ſpirituali notiſſimo in Regno Dei, quo Deus hominem per gratiam ſuam *regenerat* in hominem novum eumque format ac fingit ad gloriam ſuam. Ajo ego, & ajo veriſſime, Prophetam noſtrum hanc phraſin non aliter uſurpare. *Nati*, inquam, *Jacobi*, *opera manuum* Dei, hic ſunt *renati per Gratiam Spiritus S.* à Deo *creati*, *formati*, *ficti*, ad ejus laudem & gloriam. Conferantur loca Cap. XIX. 25. *Benedictus ſit Populus meus Ægyptii*; & מעשה ידי OPUS MANUUM MEARUM Aſſur. Intelliguntur *Aſſyrii* per Proſelytiſmum aut Fidem in Chriſtum *Eccleſiæ* inſerendi, ut ibidem evici; qui dici nequeunt *opus manuum Dei* quam ſenſu ſpirituali. Cap. XLIII. 5. *Qui* (Jehova) *dicit Aquiloni, Da, & Auſtro, Ne cohibeas. adduc* FILIOS MEOS *è longinquo.* (fidem Evangelii ſuſcepturos ex Gentibus.) *& filias meas à fine terræ: omnem qui de nomine meo appellatur:* QUEM *ad gloriam meam* CREAVI, FORMAVI, אף עשיתיו *etiam* FECI. En *opus manuum Dei*, *creatura & factura gratiæ!* Cap. LX. 21. *Et populus tuus* (mentio eſt de Hieroſolyma & cœtu Populi Dei,) *omnes Juſti; in æternum poſſidebunt terram: ſurculus plantationum mearum*; מעשה ידי OPUS MANUUM MEARUM, *ad gloriationem.* Idem eſt quod Cap. XLV. 11. Deum inferat loquentem de *filiis ſuis* ut פעל ידיו OPERE MAGNO *manuum ſuarum.* ea enim vis eſt in voce פעל. Notio מעשה refertur ad *operis perfectionem.* qui regeneratur in hominem novum per Divinam gratiam, fit *opus Dei perfectum*, exaſciatum. qui ex homine *naturali* & *animali* ſit *ſpiritualis*, fit *opus Dei.* qui ex *Iſraëlita carnali* fit *ſpiritualis*, effingitur in *opus Dei:* cujus generis hominibus aptatur illa celebris Confeſſio, quæ eſt confeſſio novi hominis in gratia [a]: הוא עשנו *Ipſe* FECIT NOS, *& non nos.* ſive: *nos ſumus ipſius.* & Votum effuſum ad Deum [b]: *Ne miſſum facias*, Domine, מעשי ידיך OPERA MANUUM TUARUM. Sola ignorantia *operis gratiæ*, inolitum Judææ Gentis vitium, fecit, ut Interpres Judæus ad lucem hic clauſerit oculos: nec tamen debebat videri inſolens phraſis his qui Jeſaiam legerunt. Interpres quoque Chaldæus nos hic deſtituit; non Symmachus cujus verſio ſupereſt apud Procopium optima: Ἀλλ' ὅταν ἴδῃ τὰ τέκνα αὐτῦ ἔργα χειρῶν μᾶ ἐν μέσῳ αὐτῦ. Curterius vertit & Druſius quoque illum non emendans: *Sed cum viderint filii ejus opera manuum mearum in medio ſui.* Omnino perperam, & per errorem qui mutat integram Prophetæ ſententiam. Equidem Græca, ὅταν ἴδῃ τέκνα αὐτῦ, verti poſſe, *ſi viderint filii ejus*, pueri non ignorant: ſed nego hoc in loco ſic vertenda eſſe, quia ſi id voluiſſet Interpres, non ſcripſiſſet, ἐν μέσῳ αὐτῦ, ſed ἐν μέσῳ αὐτῶν. Ergo verba reddenda ſunt, ut Hebræa ſonant: *Cum viderit filios ſuos opera manuum mearum, in medio ſui.* Jarchium quoque hic non fraudo ſuo honore. Scribit ille exerte, *natos* Domus Jacobi hic appellari *opera Dei*, & deſignari hoc nomine צדיקים *Juſtos.*

Obſervatum ad Verſionem Symmachi.

Animadverſum hoc plane convellit interpretationem Kimchii, & Grotii quoque. Nec tamen ego hic ſubſiſto. quin addo, probabile videri, per *natos Jacobi*, ſive *Domus Jacobi*, qui hic dicuntur *Opera manuum Dei* & cum *Domo vera Jacobi* Deum *ſanctificaturi eſſe*, hoc in loco non intelligi *filios* Jacobi, naturali ſatu ex ipſo ortos ſive orituros, ſed *filios ſpirituales*, ex gentibus, in Eccleſia *verorum Jacobidarum*, h. e. in Eccleſia Apoſtolica, per *natales ſpirituales* prodituros, & ibidem hauſturos *principium veræ vitæ ſpiritualis*; Domuique Jacobi inferendos & accenſendos non minore ſed majore jure, quam Jacobidæ carnales. Ratio mea prima eſt, quia epitheton, *opera manuum Dei*, σχέσιν habet ad *Natos Jacobi* ſive *Domus Jacobi* qui hic memorantur. quam phraſin cum modo docuerim *myſtice* exponendam eſſe: non videtur res aliter ſe habere cum hac noſtra. Poſſunt, fateor, *nati* ex ipſo Jacobo κατὰ σάρκα, eſſe & fieri *opera manuum Dei* κατὰ πνεῦμα: ſed nati illi ex Jacobo κατὰ σάρκα hic deſignantur nomine *Jacobi*, ſive Domus *Jacobi.* à quibus diſtinguuntur hic *nati*, *opera manuum Dei*, qui cum *Domo Jacobi* & *in medio ejus* Deum *ſanctificarent.* Certe ſi hic omnino cogitandum eſſet de *Natis*, naturali ſatu ex Jacobo ortis: non poterat de aliis cogitari quam de *Ephraimitis*, qui ſibi vindicabant nomen *filiorum Iſraëlis*, & quorum tamen ut filiorum degenerum Jacobum pudebat: ſed, qui tamen poſtmodum agnito errore per veram pœnitentiam & fidem Eccleſiæ rurſus inſererentur. Sed contextus huic meditationi non favet, quippe qui totus *myſticus* eſt, & *Gentes* ut *Deſertum* convertendum in *Carmelum*, opponit *Judæis* in univerſum ſumptis, qui gaudebant prærogativis exterioribus Populi Dei. Altera mea ratio petitur ex conſenſu harmonico aliarum partium Scripturæ S. in quibus eadem hæc attributa de Gentibus, *ſpirituali ſatu* in Eccleſia naſcituris, affirmantur. Propheta noſter hic eſt conferendus in locis Cap. II. 1. ſeqq. XI. 10. XIX. 23. 24. LIV. 1. LXVI. 8. *Quis audivit tale quale hoc eſt? quis vidit ſimilia? An terra parturitur uno die? num naſcitur Gens una vice? quia doloribus parturitionis correpta Tſion* (uno die) PEPERIT FILIOS SUOS. ſc. partu ſpirituali, integris populis & Gentibus adſcitis in ejus communionem. Pſ. LXXXVII. 3. 4. *Commemorabo Ægyptios & Babylonios inter eos qui me familiarius norunt. Ecce Paleſtina & Tyrus cum Arabe*; זה ילד שם *hic* NATUS EST IBI. *& dicetur Tſioni: quilibet* ילד בה NATUS EST IN EA. *Jehova recenſebit in deſcribendis Populis:* HIC NATUS EST IBI. Jehova non reſpiciet in *recenſendis* veris Tſionitis, an *ortu* ſint Judæi, Syrii, Ægyptii, Babylonii: ſed omnes abſque diſcrimine, in quibus agnoverit characteres *Natalium ſpiritualium*, cujuſcunque demum ſint Gentis aut Populi, adſcribet civibus Tſioneis. Memini me alibi huc referre locum Michæ, Cap. V. 2. *Propterea tradam illos uſque ad tempus quo* PARITU-

Per *Natos Jacobi* hic non intelliguntur *Filii Jacobi* naturali ſatu ex ipſo oriturı ſed *ſpirituales*, oriturı ex Gentibu

Quod ex eo evincitu quia à *Do Jacobi* diſtinguuntu

Sed certı probatur antecedent contextu, locis analo in quibus mentio fi de Vocat ne Gentiu ſub hoc tributo,

Locus Cap. XLIII. 5.

Animadverſio ad loc. Cap. XLV. 11.

Vis vocis מעשה

[a] Pſ. c. 3. [b] Pſ. CXXXVIII. 8.

TURA PEPERERIT. alluditur ad locum Prophetæ noſtri Cap. LIV. 1. hoc eſt, uſque ad tempus quo Eccleſia libera *multos* ederet *liberos* ſpirituales, Orbem terrarum repleturos. quibus locis reſpondent parallela ex Codice Novo. Paulina ſunt [a]: *Hieroſolyma ſuperior libera eſt quæ eſt omnium noſtrum mater.* Paulo ante [b]: *Filioli mei* (loquitur ad Galatas Gentiles,) *quos iterum ὠδίνω* PARTURIO, *uſque quo formetur Chriſtus in vobis.* Alio loco ad Philemonem [c]: *Intercedo autem pro* FILIO MEO *quem* GENUI *in vinculis, Oneſimo.* Sed nulla hic verba efficaciora ſunt & magis faciunt ad hunc locum noſtrum illuſtrandum, quam illa Domini ipſius, hunc Prophetæ interpretantis [d]: *Amen dico vobis: Nemo eſt qui reliquerit domum aut fratres aut ſorores aut patrem aut matrem aut uxorem aut* LIBEROS *aut agros mea & Evangelii cauſſa: quin accipiat centuplicia* NUNC HOC IPSO TEMPORE *domos & fratres, & ſorores & matres, &* LIBEROS *& agros, cum perſecutionibus; & in ſæculo venturo vitam æternam.* Viden', quo ſenſu *Domus Jacobi* videre queat *natos ſuos, opera manuum* Dei, in medio ſui? Eſt autem id quoque animadverſu non indignum quod ultimo loco adſcribo, Paulum lubenter *Gentes* adſcitas in communionem Sanctorum & regenitas per gratiam Sancti Spiritus appellare *Opus manuum Dei*, quod videlicet illæ ex *mero nihilo ſpirituali* (majore jure quam *Judæi* qui jam erant in commmnione Eccleſiæ,) eductæ, formatæ, factæ eſſent in *novas creaturas*, ſecundum Prophetam noſtrum Cap. XLIII. 5. Sic ad Epheſios [e]: *Nam* IPSIUS *ſumus* OPUS (ποίημα, ποιημα) CREATI *in Chriſto Jeſu ad bona opera.* Deinceps [f]: *Et induere novum illum hominem, κατὰ Θεὸν κτισθέντα qui ſecundum Deum* CONDITUS EST. Ad Corinthios [g]: *Si quis igitur eſt in Chriſto, καινὴ κτίσις* NOVA CREATURA *eſt.* ut proinde non videatur eſſe dubitandum quin per *natos, opus manuum Dei*, quos *Jacob* (Eccleſia Jacobi) *in* MEDIO SUI *videret*, intelligendi ſint credentes ex Gentibus, per *natales ſpirituales* adepturi *nomen & locum* [h] in Eccleſia *Jacobidarum*, h. e. Apoſtolica primi temporis.

Analoga ex Scriptis N. T.

Inſignis locus Marc. x. 29.

Paulus luculenter de *Gentibus* loquitur ut de *Opere manuum Dei.* Loca huc facientia.

His poſitis &, ut putem, rite adſtructis, principiis interpretationis, cætera facilia erunt; quæ curſim expediam. CUM VIDERIT JACOB, (h. e. veri Jacobitæ, vera Domus Jacobi, Paulus, Barnabas, Apollo, aliique plures origine Judæi,) NATOS SUOS ſpirituales, OPUS MANUUM MEARUM, per gratiam meam regenitos ad typum novi hominis ſpiritualis, in MEDIO SUI, h. e. cœtibus Judæorum credentium adſcriptos, (quæ ſignificatio vocis eſt genuina, Pſ. XXII. 23. *In* MEDIO קהל *Eccleſiæ celebrabo te.* Act. I. 15. *Et per eos dies cum ſurrexiſſet Petrus ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν· in* MEDIO *Diſcipulorum.*) SANCTIFICABUNT NOMEN MEUM, ſc. Judæi & Gentes uno animo, una voce, parili zelo, dicent; *Pater noſter qui es in cœlis,* SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. eſt luſus ingenii Hieronymi, quem hic negligere nolui. Notio *ſanctificare* hic eſt electi uſus, cujus vim jam oſtendi ad Cap. VIII. 13. Eſt primo & ſimplice ſenſu *Deum* qui ſe Patriarchis revelavit, SOLUM ut *verum Deum* colere, laudare, extollere, ejuſque *majeſtatem*, ſublimitatem, & naturæ ejus rectitudinem agnoſcere, deprædicare, celebrare. *Sanctificetur Nomen tuum* in Oratione Domini eſt, agnoſcaris, extollaris, celebreris *ſolus* ut verus Deus in omni perfectione Naturæ tuæ per univerſum Orbem terrarum, *deſtructa* omni *idololatria.* Sed *ſanctificare Nomen Dei* altiore ſenſu eſt, *ſanctitatem* Dei, h. e. puritatem ejus, juſtitiam, veracitatem, *odium* peccati ac peccatoris, & zelum majeſtatis ejus vindicandæ, & virtutes his cognatas, patefactas in mirabili diſpenſatione ſalutis humano generi procuratæ per *redemptionem in ſanguine Filii*, (quod magnum illud eſt fidei Chriſtianæ myſterium:) humiliter agnoſcere; huic Verbo Evangelii adſtipulari; Deum ut *ſolum verum Deum* in hiſce ſuis *virtutibus* celebrare & glorificare, cum reſpectu ad magnum hoc *Opus gratiæ*, ejuſque diſpenſandæ *modum:* id inquam, eſt *Nomen Dei ſanctificare.* Hoc opus, hæc exercitatio eſſet *novæ Eccleſiæ* Redemptorum ex Judæis & Gentibus, quæ in imagine exhibetur, Apoc. V. 9. Additur denique: *Et ſanctificabunt* SANCTUM JACOBI, *&* DEUM ISRAELIS יראיצו FORMIDABUNT. Interpres Græc. Φοβηθήσονται. Sym. κραταιώσουσι· quod vertitur à Curterio, *fortiter prædicabunt.* rectius ut putem: *fortem prædicabunt.* Sic Chaldæus: אלהיא דישראל ימרון תקיף *Deum Iſraëlis dicent fortem.* Genuina ſignificatio vocis eſt *formidare.* hoc eſt, ut verti, *Deum profunda proſequi reverentia:* quemadmodum monui ad Cap. VIII. 12. 13. ubi in ſimilibus circumſtantiis uſurpatur. nec tamen hoc in loco obſervatum Symmachi & Chaldæi velim ſpernere. ut enim הצריך eſt quem *juſtum prædicare.* הגדיל quem *extollere* ut *magnum.* ſic תעריץ poteſt valere, *quem extollere* ut עריץ κραταιὸν, *fortem, validum,* violentum, magnis viribus præditum, h. e. formidabilem. Certe nihil vetat *cognata*, quæ in poteſtate vocis latent, ſimul intelligere. Quid vero ſibi vult horum *verborum*, & *objectorum* iis reſpondentium, *triplicatio?* Quid geminatio nominum יעקב קדוש *Sancti* JACOBI, & אלהי ישראל *Dei* ISRAELIS? Cur enim *Jacobi* hic magis quam *Abrahami* habetur ratio? Certe, fateor, vel nullam mihi hujus rei patere rationem; vel petendam illam eſſe ex triplici objecto *cultus* JACOBI quod conſignatum eſt in benedictione qua proſequutus eſt filios Joſephi, in hæc verba [i]: DEUS ILLE *coram quo ambularunt Patres mei, Abraham & Iſaac:* DEUS ILLE *qui me* PAVIT *à quo tempore fui uſque ad hunc diem:* ANGELUS ILLE *qui me vindicavit ab omni malo: benedicat his pueris.* Magnum & tremendum myſterium Naturæ Divinæ, ſecundum quod verum Deum Patriarcharum veneramur ut PATREM, FILIUM, & SPIRITUM S. qui objectum fuit cultus Jacobi, idemque objectum cultus verorum Jacobidarum, à Prophèta noſtro æque clare expoſitum Cap. LXIII. 7. 8. his verbis involvitur. quod myſterium quia ex Doctrina Chriſti & Apoſtolorum clarius intelligeretur, uſque adeo ut omnes catechumeni in Confeſſione fidei ſuæ illud explicare & profiteri tenerentur, & vota ac preces Eccleſiæ nomine trium harum Perſonarum conciperentur: Vates noſter à Spiritu Dei actus & in interioribus Sanctuarii cœleſtis verſatus, illud hic expreſſit. Eſt itaque præter PATREM, cujus perſonæ mentio hic eſt in voce שמי *Nomen* MEUM: magnum objectum fidei noſtræ DEUS ISRAELIS, Filius Dei, *Angelus* REDEMPTOR Jacobi; & SANCTUS ISRAELIS, Spiritus SANCTUS, Deus PASTOR, h. e. Doctor, Illuminator, Sanctificator, Conſolator, & Ductor Jacobi, qui Fons Sanctitatis Iſraëlem *ſanctificat* & ab eo *ſanctificatur*, qui in cœtibus Sanctorum, verorum Natorum Jacobi, laudaretur, celebraretur, & debita ac profunda coleretur reverentia.

Ex his principiis exponitur locus. *Domus Jacobi* notat Eccleſiam Apoſtolicam quæ in ſinum ſuum recepit Gentes.

Phraſis, *In medio ſui*, illuſtrata.

Quo ſenſu *Gentes* cum Judæis conjunctæ in cœtibus ſanctorum Deum *ſanctificarent?* Quid ſit, *ſanctificare Nomen Dei* primo ſenſu? Quid altiore & interiore?

Conſequens ejus eſſet, quod proponitur ℣. 24. *ut errabundi ſpiritu cognoſcerent intelligentiam, & ſuſurrores* (רוגנים οἱ γογγυσμοί, οἱ γογγύζοντες, Hier. *Muſſitatores,*) *reciperent diſciplinam.* proprie, *diſcerent doctrinam* (לקח) ex *inſtitutione orali* ſc. ex præconio Evangelii perceptam. hoc eſt, Oratores, Sophiſtæ, Philoſophi, qui licet pro doctis haberentur, nulla tamen habebant certa & ſolida ſcientiæ principia, & poſtquam ſæpe per omnes vagati eſſent diſciplinarum ſectas, ſubinde cum parum certi in ſcientiis deprehenderent, relabebantur ad dubitationem univerſalem; & qui tamen in initiis Oeconomiæ Gratiæ ſe maxime opponebant Evangelio, eique *ſuſurrationibus*, murmurationibus, & ἀντιλογίαις ſuis obſtrepebant: tandem quoque ipſi ad ſummam laudem Evangelii ejuſque virtutis & efficaciæ, Chriſtianam amplecterentur doctrinam & diſciplinam, & triumphum veritatis de errore con-

Exercitatio ut expoſita eſt, applicatur ad *Statum* Eccleſiæ N. T.

Quid ſit, *Deum Iſraëlis formidare?* Verbum ערץ quid h. l. ſignificet?

Chaldæi & Symmachi interpretatio.

Quare Deus hic magis dicatur *Deus Jacobi & Iſraëlis* quam *Abrahami?* Tria nomina Dei hic exponuntur ex Gen. XLVIII. 16.

Quid diſtinctius declaratur.

Conſequens ejus, ℣. 24. *Errabundi ſpiritu cognoſcerent intelligentiam, &c.* Intelliguntur Oratores, Philoſophi, &c ad Deum convertendi.

Hi omnes qui ſe Evangelio maxime oppoſuerant, doctri-

---

a Cap. IV. 26. b ℣. 19. c ℣. 10. d Marc. X. 29. e Epheſ. II. 10. f Cap. IV. 24. g 2 Cor. V. 17. h Cap. LVI. 5. i Gen. XLVIII. 16.

nam ejus tuſciperent. Quod veris Jacobidis argumentum fuit gaudii.

condecorarent atque illuſtrarent. quod innumeris in Mundo comprobatum eſt exemplis. Viderunt hunc *diem Chriſti Jeſu* Abraham & Jacob, & *gaviſi ſunt*. Viderunt quoque in initiis Eccleſiæ Novæ veri *Jacobidæ*, & *exultarunt* in Domino, depoſito *pudore*, quo tot degeneres Abrahamidæ, Iſaacidæ, & Jacobidæ *veros* Iſraëlitas huc uſque affecerant & contriſtarant, dum Promiſſa Abrahamo & Patribus data de *hæreditate* Mundi & *Gentium* obtinenda in hac *ſpirituali ſobole*, quæ *Abrahamum* in fide Fatrem ſuum appellabat, impleta agnoverunt, & lætati ſunt. Plura non addo. Solummodo non eſt mihi prætereundum, in *Verſione Alexandrina* paucula hic eſſe adjecta, quorum nullum veſtigium ſupereſt in Hebræo textu, aut Verſionibus ejus antiquis. Sunt autem hæc: Καὶ αἱ γλῶσσαι αἱ ψελλίζουσαι μαθήσονται λαλεῖν εἰρήνην· *Et linguæ balbutientes diſcent loqui pacem.* Non eſt mihi dubium quin verba hæc ad marginem ſcripta à Scholiaſte vel Librario irrepſerint in contextum, deſumpta videlicet ex Cap. XXXII. 4. ubi in *Verſione Græca* leguntur.

Animadverſio ad Verſionem Alexandrinam.

SERMONIS SECUNDI

Libri Tertii Prophetiarum JESAIÆ

Sectio Tertia:

Qua Propheta declamans in *Ephraimitas* & *Judæos*, ſuppetias *Ægyptiorum* adverſus *Aſſyrios* implorantes, neglecto officio in Deum verum Populi ſui Defenſorem, infelicem ſucceſſum horum conſiliorum oſtendit, & ſimul de Fatis Eccleſiæ ſubſequentis temporis, ejuſque Liberatione à potentibus hoſtibus, quorum exemplum & typus exiſteret *Aſſyriæ Rex*, irreparabili clade à Deo proſternendus, ſive proprie ſive myſtice, vaticinatur.

Argumentum & Analyſis Sectionis tertiæ Sermonis Secundi.

Sectio hæc *Prophetica*, quatuor comprehenſa *Capitibus*, XXX--XXXIII. ſi *Baſin* ſive *hypotheſes* ejus ſpectes, vere in eodem verſatur argumento, licet prophetiæ his hypotheſibus ſuperſtructæ paſſim in poſteriora Eccleſiæ tempora excurrant. Sunt autem hypotheſes hujus Sectionis, α. Infelix Exitus *Conſilii Ephraimitarum* de implorando Ægyptiorum auxilio adverſus Aſſyrios, ipſis allaturus exitium. β. Pariis Eventus Ejuſdem *Conſilii* Judæorum, ſive hoc tempore Ephraimitis faventium; ſive eorum qui circa extrema Reipublicæ oppugnati à *Babyloniis* hoc inſtitutum ſequerentur: quare Vates hanc ſuam prophetiam in uſum hominum poſterioris temporis conſignare jubetur, Cap. XXX. 8. γ. *Vaſtatio* à Rege Aſſyriæ in ipſam quoque inducenda Judæam cum magno illius terræ & incolarum ejus diſpendio. δ. *Defenſio* Divina *Hieroſolymæ* ac *Tſionei Montis* adverſus ejus potentiam, inſidias, dolos. ε. Subitaria ac memorabilis *Clades* qua afficiendus ac proſternendus ſit Aſſyrius cum florentiſſimo Exercitu ejus in ipſa Canaanæa, tremendo Dei judicio, cujus Conſequens eſſet Imperii Domus ejus Imminutio. ϛ. Proſpera tempora Hiskiæ Regis poſt Aſſyrii lapſum, tam reſpectu *ſpiritualis* quàm *temporalis* ſtatus Populi Judæi. Super has hypotheſes ſtructa eſt prophetia hac *Sectione* contenta, nec tamen his hypotheſibus circumſcripta. Propheta enim quotiens occaſio favet, digreditur ad citeriora tempora; ſed pro more ſuo identidem retrogreditur ad principia ſua, & filum orationis ſuæ repetit ac retexit. Et quidem *Conciones* Cap. XXX. & XXXI. ſunt diviſæ, ita ut nemini non liqueat, *Concionem poſteriorem* complecti ἀνακεφαλαίωσιν prioris. Sed *Secunda Concio* minus eſt diſtincta à *tertia*, cui integrum *Caput* dederunt qui Scripturam S. in *Sectiones* partiti ſunt: quod etſi nos parum aut nihil etiam impediat; rectius tamen fieri putem, ut *Secunda* Concio, quæ incipit Cap. XXXI. ſequenti *Capite* claudatur. *Tertia Concio* quæ comprehenditur Cap. XXXIII. novum præfert VÆ, ſpeciemque habet Concionis diſtinctæ, licet non diverſi argumenti. quare cum eædem fere res ſe hiſce in Concionibus *triplice forma* conſpiciendas præbeant: commodum mihi viſum eſt eas in tria σχήματα dividere.

ΣΧΗΜΑ PRIMUM.

Vates Sacer vehementer improbans Conſilium *Ephraimitarum*, cui factioſi aliqui Proceres *Judæorum* hoc tempore favebant, quodque prævidebat Judæos circa extrema Reipublicæ ſuæ tempora ſequuturos eſſe, tanquam Deo Defenſori Populi ſui ſumme injurium, tantum abeſſe docet, ut Ægyptiorum ſuppetiæ ipſis in uſum profuturæ ſint, ut è contrario ſtultum hocce Conſilium *Ephraimitis* futurum ſit exitio, & Calamitatem *Judaicam* ab Aſſyriis exſpectandam hoc tempore ſit aggravaturum, & deinceps poſteris illorum, qui idem hoc pravum inſtitutum ſequerentur Ægyptiorum opem implorando adverſus Chaldæos, pariter fraudi eſſet: mox tamen, oratione verſa ad ſolatium piorum, pollicetur *reſipiſcentibus* & ſalutem ſuam *patienter exſpectantibus* poſt exactam moram ſeveritatis Judicii ſui commiſerationem Gratiamque in Statu Reipublicæ atque Eccleſiæ reſtituendo, conſervando, variiſque Beneficiis ac prærogativis (maxime ſpiritualibus) cumulate ditando, & proſternendis Eccleſiæ ſuæ hoſtibus; cujus exemplum edendum erat in terribili vindicta ſumenda de Aſſyrio.

CAPUT XXX.

Textus Cap. XXX.

1. VÆ filiis refractariis, ait Jehova, qui ineunt conſilium, ſed non ex me; & ſuperinducunt operimentum, ſed non *ex* Spiritu meo, ut peccatum peccato addant.

2. Qui proficiſcuntur ut deſcendant in Ægyptum, ore meo non conſulto, ut ſe firment robore Pharaonis, & ſe recipiant ſub umbram Ægypti.

3. Erit autem vobis robur Pharaonis in pudo-

dorem, & receptus sub umbram Ægypti in ignominiam.

4. Cum Principes ejus fuerint Tsoane, & Legati ejus Hanesam venerint:

5. Omnes pudore affecti sunt caussa populi, ipsis non profuturi, neque ad auxilium, neque ad quam utilitatem aliam: quin contra futuri in pudorem atque etiam in ignominiam.

6. *Quod attinet ad* Onus quod jumentis versus Austrum fertur: in terram angustiæ & pressuræ, ex qua leæna & leo fortis, item vipera & prester volans *prodire solent*, deportant super humerum pullorum divitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos ad populum qui non proderit.

7. Quippe Ægyptii in vanum & inaniter auxiliabuntur, propterea vocavi hanc: Rhahab (Ferocia,) est cessatio.

8. Nunc itaque ades, scribe illud in tabula apud ipsos, & in libro exara illud, ut permaneat in dies subsequuturos; in perpetuum, usque in sæculum.

9. Quod populus hic rebellis sit; filii mendaces; filii qui recusant audire Legem Jehovæ.

10. Qui dicunt videntibus, Ne videatis; & cernentibus, Ne cernatis nobis recta: loquimini nobis blanda: videte errores.

11. Recedite à via, declinate à semita: facite ut à facie nostra faceSSat Sanctus Israëlis.

12. Propterea sic fatur Sanctus Israëlis: Propterea quia hoc verbum respuistis, & confisi estis fraudationi ac pravitati, & in eam innixi estis:

13. Ideo erit vobis iniquitas hæc tanquam ruptura cadens, tumor in alto muro, cujus repente & subito venit fractura.

14. Eritque fractura ejus ut contritio vasis figulini, quod ita comminuitur ut ei non parcatur, ut in ejus fractura non reperiatur testa ad ignem è foco ferendum aut aquam è puteo hauriendam.

15. Nam sic fatur Dominus Jehova, Sanctus Israëlis: In conversione & quiete salvi eritis: in tranquillitate & in fiducia erit victoria vestra: sed noluistis.

16. Quin dixistis, Non: sed equis fugiemus. propterea fugietis. Super celerem equitabimus. propterea celeres erunt qui vos persequentur.

17. Mille unum à facie increpationis unius; à facie increpationis quinque fugietis *omnes*: donec relicti fueritis sicut malus in vertice montis, & sicut signum in colle.

18. Et propterea moram trahet Jehova in gratia vobis facienda, & propterea exaltabitur vestri miserturus: quia Deus judicii est Jehova. Beati omnes qui illum patienter exspectant.

19. Certe Populus in Tsione habitabit, Hierosolymis: flendo non flebis: miserendo miserebitur tui ad vocem clamoris tui: simul ac audierit, respondebit tibi.

20. Siquidem vero dederit vobis Dominus panem afflictionis & aquas angustiæ: non tamen delitescent amplius Doctores tui; imo vero videbunt oculi tui Doctores tuos.

21. Et aures tuæ audient verbum à tergo tuo, dicentium; Hæc est via, incedite ea, si dextrorsum aut sinistrorsum flectatis.

22. Et immundum ducetis *quisque* tectorium sculptilium argenteorum tuorum, & amictum fusilium aureorum tuorum: abjicies ea tanquam pannum menstruo excremento infectum, diceSque ei; Apage, sis.

23. Dabitque pluviam semini tuo quo conSerueris terram: & panem proventus terræ: & erit uber ac pinguis: pascent pecora tua illo die in pascuis amplis.

24. Boves quoque & pulli, colentes terram, farraginem subacidam comedent, vanno & ventilabro ventilatam.

25. Futurumque est ut in omni monte alto, & super omnem collem elatum sint rivi, fluenta aquarum, die cædis magnæ quando corruent turres.

26. Et erit lux Lunæ tanquam lux Solis; & lux Solis septupla erit quasi lux septem dierum, quo die Jehova obligabit fracturam populi sui, & vulnus plagæ ejus sanabit.

27. Ecce, Nomen Jehovæ venit è longinquo: ardet ira ejus & est grave incendium: labia ejus plena sunt indignatione, & lingua ejus ut ignis devorans.

28. Et spiritus ejus tanquam torrens inundans qui ad medium collum pertingit: ad agitandas Gentes agitatione vanitatis; & ut sit frænum seducens in maxillis populorum.

29. Canticum erit vobis (*illa nocte*,) ut nocte qua sanctificatur festum; & lætitia cordis quasi ejus qui ad tibiam incedit, ut veniat ad Montem Jehovæ, ad Rupem Israëlis.

30. Et audire faciet Jehova claritatem vocis suæ, & descensionem brachii sui videri faciet in commotione iræ, & flamma ignis vorantis; dissipatione, inundatione, & lapide grandinis.

31. Quoniam à voce Jehovæ consternabitur Assur, virga percussurus.

32. Et omnis transitus baculi illius fundati, super quem Jehova illum fecerit requiescere, *transibitur* tympanis & citharis: quippe præliis agitationis pugnabit adversus illos.

33. Quoniam ordinatum est Topheth ab hesterno; etiam Regi paratum est: profundum illud latumque fecit: pyra ejus ignis, lignaque multa: flatus Jehovæ quasi torrens sulphuris succendit eam.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Concionis.

Argumentum hujus *Concionis.*

CUm Propheta sibi hac *Concione* objectos haberet sive *Ephraimitas*, sive *Judæos*, (de quo mox disputaturus sum:) qui magna tempestate sibi impendente ab Assyriis, spreto Dei consilio & auxilio in dubio Reipublicæ statu se convertebant ad Ægyptios, eorumque favorem & opem per Legatos ac Munera supplices implorabant; Deum hoc *Sermone* infert Filios hosce refractarios ac degeneres acri oratione redarguentem; & quidem primo docentem, Legationem solennem, qua supplices ac blandi cum Muneribus à Camelis vectis ambiebant favorem & suppetias Ægyptiorum, nullum productura esse optatum effectum. contra vero non tantum sibi pudori & ignominiæ fore, sed & exitio, & quidem peremptorio. Rempublicam enim eum in modum dissolutum iri ab Assyriis ut nihil integrum in ea supersit. Nec aliter se rem habituram cum *Judæis* quotquot eorum his consiliis vel hoc tempore favebant, vel ea in futurum sequerentur. quod Vates prævidebat futurum esse circa extrema Reipublicæ à Chaldæis destruendæ. Deum enim gloriæ suæ æmulum non esse præstiturum salutem & liberationem Populo suo antequam per veram resipiscentiam ad ipsum se convertissent, & se salutemque suam totam fidei ejus commisissent. Verum simul ac hanc subiissent conditionem, protenus esse adfuturum integro animo se invocantibus, eosque non defensurum modo, verum etiam pluribus benedictionibus quà spiritualibus quà temporalibus cumulate prosequuturum esse: quas benedictiones Vates ita recitat, ut dum de temporalibus loqui videtur, spirituales maxime sub iis comprehendat: edicturum interim illustre ac terribile exemplum Justitiæ Potentiæque suæ in profligando ac dejiciendo superbo Assyriæ Rege, ut typo potentium hostium Populi sui, quippe cui tanquam alteri cuidam Pharaoni hoc supplicium dudum parasset.

Scopus Ejus.

II. Intelligis utique ex *Argumento* Concionis *Scopum* ejus primarium esse ἐλέγχειν *redarguere*: secundarium, παρακαλεῖν, *consolari*. medium & utrique communem διδάσκειν *docere* & ἐπανορθῶν, *corrigere* & *emendare* mores: quo tendit totum Verbum Propheticum. Vates noster cum suo tempore deprehenderet Ephraimitas in statu defectionis à Deo & gravissimorum vitiorum, licet tamen illi hactenus viderentur tueri velle statum Populi Dei: Judæos autem majorem partem in incredulitate, hypocrisi, vacuitate fidei & spei, & magno frigore erga verum Dei cultum: ubique tanquam verus & fidelis Dei minister, Μάντις ἀμύμων, se accingit ad hæc vitia & crimina Populi acriter insectanda & debellanda; hypocrisin ejus in lucem protrahendam, incredulitatemque si non expugnandam, certe prostituendam. quare detegit consilia eorum interiora, ex incredulitate nata, eorumque infelicem exitum clare prædicit: ut si illæ ejus convictiones non faciant ad populum revocandum ad seriam resipiscentiam; saltem argumento sint, tam ipsis quam posteris *veritatis prophetiæ*, ℣ſ. 8. 9. ut scirent, *Prophetam Dei inter ipsos fuisse* [a], & sua se culpa perire. Contra vero cum Deus sibi illo tempore adhuc servasset *semen electum* in Deum verum credentium, qui Scholam Prophetæ frequentabant; & Deo propositum esset, illud *semen sanctorum* per omnem Ecclesiæ ætatem *in vita conservare*: id agit Propheta, ut passim alias sic in hac nostra Concione, ut veros hosce Israëlitas erigat, sustineat, confirmet, quæsitissimis consolationibus, quibus Beneficia Gratiæ in Ecclesiam posterioris temporis conferenda & Judicium pœnale hostium Ecclesiæ, quorum typum exhiberet Assyrius, luculenter & graphice explicat, ea varietate & elegantia emblematum, quæ apta esset credentes in Deum ejusque reverentes Nominis μετεωρίζειν, *in magnam spem attollere*.

Scena V in quo fig da tempo

III. *Scena* Visi ex hypothesi nostra mox disputanda constituenda est in illo temporis articulo quo Hoseas ultimus Ephraimitarum Rex Assyrii Regis jugo excusso, solenni *Legatione* & *Muneribus* imploravit auxilium Ægyptiorum, de quo Historia Sacra exerte testatur [b].

Analysis hujus *Ser nis.*

IV. Concio ipsa est bipertita. pars ejus *Elenctica*, ℣ſ. 1--18. Pars *Paracletica*, ℣ſ. 19--33.

Pars ELENCTICA rursus est bimembris. Primum ejus Membrum spectat *Ephraimitas*, ℣ſ. 1--7. Membrum alterum utrosque tam *Ephraimitas* quam *Judæos*, sive hoc tempore faventes Ephraimitarum Consilio, sive in posterum illud sequuturos, quod Propheta ex Divina Revelatione futurum esse prævidit, ℣ſ. 8--18.

In *priori Membro* occurrit, α. Πρόθεσις increpatoria Consilii *Ephraimitarum* de implorandis *Ægyptiorum* suppetiis, ℣ſ. 1. 2. β. *Prædictio* infelicis Exitus illius Consilii, quæ proponitur ℣ſ. 3. & fusius declaratur, ℣ſ. 4--7.

In *posteriori* Membro α. exhibetur acris *Convictio* incredulitatis & in Verbum Propheticum irreverentiæ Populi non *Ephraimitarum* tantum, sed & *Judæorum*, tum eorum qui hoc tempore consilio Ephraimitarum favebant, tum qui illud in posterum sequerentur, ℣ſ. 8--11. β. Denunciatio gravissimi Dei Judicii, utrique Reipublicæ funestum allaturi excidium, ℣ſ. 12--18. quæ binis absolvitur gradationibus. altera, ℣ſ. 12--14. altera, ℣ſ. 15--18.

Pars PARACLETICA pariter est bipertita. *Prius Membrum* continet Beneficia in Ecclesiam post *Liberationem* ejus conferenda, ℣ſ. 19--26. *Posterius*, Judicium Dei gravissimum exequendum in Assyrium, ℣ſ. 27--33.

Beneficia insignia, *priori Membro* comprehensa, sunt, *Restitutionis Reipublicæ*, ℣ſ. 19. *Copiosæ & puræ institutionis*, bono animo recipiendæ, ℣ſ. 20. 21. *Sanctificationis*, ℣ſ. 22. *Pastus puri spiritualis*, cum benedictionibus temporalibus conjungendi, ℣ſ. 23--25. *Illuminationis* Sanctorum mirabilis, & *gloriæ* Ecclesiæ *gloriosæ*, ℣ſ. 26.

Judicium Assyrii *duobus articulis* continetur. uterque exhibet *Judicium* & illius *Consequentia*. In *priore* Judicium, ℣ſ. 27. 28. Consequens ejus, ℣ſ. 29. In *posteriore* Judicium, ℣ſ. 30. 31. Consequentia ejus, ℣ſ. 32. 33.

Ἀνάλυσις veræ *hypothesios* hujus prophetiæ interpretandæ, ejusque editæ *temporis*.

Vera hypothesis hujus Visi exponendi investigatur.

NOn licet mihi hic pedem promovere absque investigata hujus *Concionis* hypothesi. *Argumentum* sive *Objectum* ejus verum & proprium facit *Legatio* aliqua solennis à *filiis refractariis* missa in Ægyptum cum *muneribus* ad ejus Gentis Regem caussa ineundi cum ipso fœderis & supplicandarum suppetiarum adversus Assyrios, ut patet ex ℣ſ. 4. 6. Quæritur, *qualis* hæc sit *Legatio*, & à *quibus*, *quove tempore* instituta? Quæ quæstio in duas resolvitur. prima est, Duplex quæsitum. an in hac prophetia agatur de *Ægypto* verè & proprie sic dicta, qualis extitit & floruit circa tempora Prophetæ; num potius de *Ægypto* mystica, & *Legatis* ei notioni vocis congruentibus? Altera, si de *Ægypto* proprie sic dicta agatur: cui *casui* & *tempori* conveniat objectum prophetiæ?

II. *Ægy-*

[a] Ezech. 11. 5. [b] 2 Reg. XVII. 4.

Primum, an prophetia hæc primo sensu *literaliter*, num mystice accipienda sit?

II. *Ægyptum* in hac prophetia mystice accipiendam esse, nemo, quod sciam, statuit præter Cl. Coccejum. Censet ille, hac Concione increpari Christianos, quod σχῆμα Ecclesiæ adversus primam institutionem Cultus & Regiminis ejus conformarent ad typum *Imperii Mundani*, & quidem *Romani*, quod *spiritualiter* Ægyptus dicitur; & præter superstitionem ac cærimonias in Ecclesiam inveherent auctoritatem Ecclesiasticam, Romanæ Paganæ Potestati similem: quippe quod consilium tandem Ecclesiæ esset *pudori*. quem *pudorem* explicari dicit ℣. 4. 5. ubi supponitur, *in magna illa Civitate quæ Ægyptus dicitur, aliquando extiturum esse dissidium, & maxime in quibusdam partibus tanquam in Tsoan & in Chanes quæ partes Ægypti erant. Tum Pharaonem, sive caput illius Regni missurum esse suos Principes & Legatos ad illos locos in quibus erunt dissentientes. sed illos se turpiter daturos, & universos pudefactum iri propter illos, &c.* Hæc satis videntur implicita, & tamen longe adhuc clariora & intelligibiliora his quæ in posteriore *Commentatione* ad hæc verba adscripsit. Nullus tamen dubito, quin respexerit Legationem non Pauli Vergeri, Nuncii Julii III Papæ ad Principes Smalcaldico fœdere junctos, iis persuasuri Consilium Ecclesiasticum Tridenti celebrandum [a]: sed solennem illam Pii IV Papæ duorum Legatorum, tribus Ferdinandi Cæsaris junctorum, ad Conventum Principum Protestantium, Novioburgii ad Salam coactum [b], cujus infelix successus quod ad negotium Papæ, eos rursus invitantis ad Concilium Tridentinum, notus est ex historia. Et miror tamen merito, Doctissimum Virum in explicando Libro Prophetico sic satis obscuro versatum planius, quod poterat, & evolutius meditationes suas noluisse proponere. Quæ porro ad ℣. 6. commentatur de *farcina jumentorum Austri*, h. e. bonis in Orientem abducendis & Francorum Romanæ potestati obnoxiorum fidei committendis, sed tandem à Saracenis & Turcis diripiendis: ejusmodi sunt, ut apud ipsum potius legi, quam hic excerpere velim. Quod ad hypothesin ipsam attinet; observo, primo, neutiquam alienum videri, ubi apud Prophetas de *Ægypto* mentio est, cogitare de *Ægypto spirituali*, h. e. Imperio quod idololatriæ & superstitioni patrocinatur cujus sedes est Roma, si necessitas id flagitet, & attributa prophetiæ ad Ægyptum sic proprie dictam applicari nequeant: sed si nulla id flagitet necessitas, contra vero si circumstantiæ locorum & temporum, & attributa prophetiæ, faveant interpretationi literali: absque ratione ab hac hypothesi discedit. Habuit haud dubie ille suas rationes, petitas ex nexu cum prophetia superiore, & ex luculentis promissis Gratiæ sub finem hujus *Concionis* commemoratis. Sed prior ratio exigui est ponderis, cum *propositio* satis arguat, esse *Concionem novam*. posterior quanti valeat, interpretatio nostra patefaciet. Secundo, si Vir Cl. hanc prophetiam mystice accipere vellet; videtur alio modo debuisse instituere. Prophetia manifeste agit de Legatis missis in Ægyptum, (non à Rege Ægypti,) ad ejus impetrandum *auxilium*, idque clarissime patet ex toto contextu & ex collata *Concione sequenti*, Cap. XXXI. 1. seqq. Qui hic *Ægyptum* adeunt, petunt ab Ægypto *suppetias*, fisi *equis* & *equitibus* Ægypti: quod coacte in alium flectitur sensum quam propriæ vocum significationi congruentem. Si prophetia *mystice* applicanda sit, (quod ego hic non plane excludere velim,) deberet continere increpationem *Societatum* & *Ecclesiarum* Christianarum, quæ communionem Ecclesiæ sive Imperii Politico-Ecclesiastici Romanensis deseruerunt, ubi positæ sunt in angustiis non fidentium auxilio Divino, sed à Papa, (quod forte nunquam accidit,) aut à Principibus potentibus ei obnoxiis, Ecclesiæ persecutoribus, expetentium suppetias ad sui defensionem: ut v. gr. Belgæ in initiis formatæ Reipublicæ nostræ solenni Legatione implorarunt opem & defensionem Henrici III, Galliarum Regis, purioris Religionis adversarii, non illo tantum tempore quo Gandavensi Fœdere juncti impetrarunt Fratrem ejus Franciscum, Andium Ducem, successu infelice, etsi etiam tum per hoc totum Belgium prævalerent partes Protestantium: sed etiam post illud Fœdus ruptum *Septem Civitates*, Trajectina Conventione unitæ. Sic, inquam, instituenda esset applicatio hujus prophetiæ ad statum Ecclesiæ Christianæ purioris: verum fieri id nequit, nisi cum summa & circumspecta prudentia atque solicitudine. Rerumpublicarum enim Christianarum, quarum *status Civilis* ab *Ecclesiastico* discretus est, non eadem hic est ratio & respectus qui Reipublicæ Judaicæ; nec ausim dicere, Judæis ipsis non licuisse quibusdam in casibus externa auxilia respicere. de quo multa moneri possent, si hanc rem nunc agerem. Cætera commentationis Cl. Viri in priore parte hujus prophetiæ, quæ paucis probabilia videbuntur, non attingo nec refello, cum alias etiam cum lubentius sequar quam deseram.

Verba ejus.

Obiter exposita.

Ἐπίκρισις ad hanc sententiam.

Hypothesis in se spectata non est absurda.

Sed nulla necessitas eam hic flagitat.

Verba Prophetæ non conveniunt Expositioni mysticæ Cl. Viri.

Quo modo mysticus sensus hic tractandus esset, secundum hypothesin?

III. Interpretes reliqui, quos inspexi, qui prophetiam *literaliter* accipiunt, secundum *primum* ejus *sensum*, ipsi quoque partes faciunt, in definienda scena prophetiæ, sive vero ejus *Objecto* & *Casu* peculiari, ad quem *Concio* hæc referenda sit. Veteres, quibus præivit Eusebius; Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, quos Sanctius nolens sequitur, prædictionem hanc interpretantur de *Judæis illis* qui post destructam Urbem & Rempublicam à Chaldæis superstites relicti in terra Canaanæa, post Gedaliam Ahikami Filium, eorum præfectum, ab Ismaële Nethaniæ Filio, perfide interemptum, adversus consilium ipsis ex Divina revelatione datum à Jeremia, Duce Johanne Kareachi Filio se receperunt in Ægyptum, & ipsum quoque Prophetam Jeremiam eo invitum abduxerunt. quæ historia in *Libro Jeremiæ* accurate perscripta est [c]. cui sententiæ proxima est, quæ vaticinium hoc refert ad tempus Zedekiæ, ultimi Judæorum Regis, ante Exilium Babylonicum, qui violato fœdere cum Nebucadnezare icto, à Chaldæis palam deficiens, solenni Legatione imploravit auxilium Regis Ægypti, cum Chaldæi Urbi minarentur obsidionem, aut eam obsidione premerent. sed eo eventu qui in hoc Vaticinio narratur. Cum enim Rex Ægypti, se movens cum Exercitu ad succurrendum obsessis, intellexisset, Chaldæos, relicta obsidione recta contra se tendere ad se repellendum & tentandum conflictum: reversus ipse est in Ægyptum, Hierosolyma Urbe relicta præda Chaldæis, cum ignominia sua & Judæorum pudore. Historia petenda est ex Jeremia [d] & Ezechiele [e]. Placet hæc sententia Tremellio, Piscatori, Belgis, & quoque Ludovico Cappello. Ratio præcipua Doctissimis Viris est, quod historia superioris temporis nullum alium eventum huic prophetiæ convenientem clare satis exhibeat.

Diversæ sententiæ Eorum qui prophetiam *literaliter* accipiunt.

Hypothesis Veterum: referendam esse prophetiam ad *Reliquias* Populi quæ post Rempubl. à Chaldæis destructam contra consilium Jeremiæ in Ægyptum concesserunt,

Hypothesis altera quæ hanc prophetiam refert ad Judæos sub Tsedekia extremo statu Reipublicæ implorantes Opem Ægyptiorum adversus Chaldæos.

IV. Non est dubium, quin hæc sententia priore illa, quæ Veterum est, longe sit probabilior. Cum enim Propheta passim de magnis eventibus loqui soleat: non est simile veri, illum de *casu* quodam *singulari* qualis hic est *reliquiarum* minime spectabilium Populi Judæi in terra Canaanæa post eversam Rempublicam vaticinaturum esse. Certe cum Interpretes ante oculos suos haberent Eventum cognati temporis, hoc est, Tsedekiæ Regis, auxilium Ægyptiorum implorantis cum suo & Ægyptiorum pudore: mirum videatur, in mentem iis venisse, ut cogitaverint de Fato *reliquiarum tenuium* Populi in Canaanæa superstitis post eversam Rempublicam. Sed sunt in historia hujus Casus aliquæ circumstantiæ, quas illi judicabant ad prophetiam satis commode applicari posse; & videbatur Versio Græca quibusdam locis huic hypothesi favere. quæ singula excutere, non est operæ pretium. Non putem enim, quenquam nostri temporis hominem eorum judicium amplius sequuturum esse. Sed quod ad

Judicium de his hypothesibus.

Posterior probabilior priore.

a A. 1535. b A. 1561. c Cap. XLII. 1. seqq. d Jer. XXXVII. 7. e Ezech. XVII. 15.

Et admitti poterit cum temperamento aliquo

Tremellii & Piscatoris hypothesin: non est dubium quin prophetia potiore sui parte secundum eam commode exponi queat: & ipse quoque ego teneo, in ea parte Concionis hujus quæ Judæos æque ac Ephraimitas contingit, (à ỳ. 8. seqq.) Prophetam, qui *Concionem* hanc suam jubetur *literis exarare* in usum *sequentium æratum*, ad hunc Casum Tsedekiæ respicere: verum quotquot Sermonem hunc attente legerint, plerique consenserint, longe rectius fieri, si *Casus* aliquis *Legationis* ad Ægyptios à Populo Israëlitico curatæ demonstrari queat, qui acciderit circa ipsum tempus Jesaiæ, in quo *Scena* prophetiæ figatur. Deus enim in hac Concione Judæos aut Ephraimitas appellat ut præsentes, & tanquam in flagranti crimine deprehensos redarguit. *Munera* enim *camelis* portanda in Ægyptum cum *Legatis* veluti digito demonstrantur, ỳ. 4. 6. Nec tamen id me summe movet. Novi enim, & eorum qui prophetas legerunt nemo ignorat, illos *futura* sæpe ut *præsentia* repræsentare. Potior ratio est, quod ex utraque Concione hujus argumenti, (hac nimirum & sequutura,) liqueat, *Casum* hunc præcessisse lapsum Assyrii, sc. Senacheribi, quippe cujus *Judicium* pœnale in utraque hac prophetia consignatur; & quidem hac nostra Cap. xxx. 27. seqq. & Cap. xxxi. 8. seqq. quibus in locis de Assyrio Senacheribo agi, ipse Piscator non negat. Atqui *Assyriorum* nomen, ais, subinde etiam Chaldæos amplitudine sua complectitur. Non nego sane. habeo enim id verissimum. sed adsunt hic manifesti characteres Senacheribi superbi Regis, à Deo prosternendi; & tamen hoc ipso quoque in loco ut in pluribus aliis respiciendi ut *typi* similium hostium Populi Dei, quos similis maneret exitus.

Locus 2 Reg. xvii 20. expendi tur.

Ex verbis Legatorum Senacheribi nihil certi hac de re colligi potest.

Et qui præcessit Lapsum Senacheribi, qui in utraque hac Concione memoratur.

Hypothesis non conve nit Statui Laudi Hiskiæ, qui Deo fisus ỳ

Hypothesis Intr. qui hunc Casum quarunt circa ætatem Hiskiæ.

V. Ergo ex Interpretibus aut Chronologis recentioris ætatis plures in hanc venerunt sententiam, crimen *Legationis* in Ægyptum susceptæ, quod hac prophetia redarguitur, quærendum esse sub Hiskia. Achazi enim neminem hic vidi mentionem facere præter Kimchium: sed qui tamen mox ipse fluctuat, & se non negare ait, cogitari quoque posse de temporibus Hiskiæ, quippe quibus Proceres Regni moribus nihilominus fuerint corrupti. Recte hactenus, quia tota historia Achazi reclamat; qui, Deo & Propheta ejus indignante, pressus ab Ephraimitarum & Syrorum Regibus imploravit suppetias Assyrii Tiglath-Pulassaris, de quo ex Propheta ipso prolixe egimus ad Cap. vii. 1. seqq. Respicienda igitur hic sunt tempora Hiskiæ, si *Concio* hæc Prophetica directa fuerit adversus *Judæos:* quod vulgo Interpretes supponunt. Videamus, ut se expediant. Communis fere illorum sententia est, Hiskiam Regem, vel Proceres ejus, cum certus allatus esset nuncius de Expeditione Senacheribi in Judæam Legatos misisse muneribus graves ad Regem Ægyptium ejus temporis, ad opem ejus in casu dubio adversus communem hostem expetendam: certe id agere *Proceres*, decrevisse, sive *connivente Rege*, ut fere Brentius, sive etiam *repugnante*. Grotius, *cum primum ex Assyria veniſſe audiretur Senacheribus, Judæos*, ait, *extra Hierosolyma in diversa distractos esse consilia: alios deditionem Assyriis faciendam putasse: alios Ægyptios advocandos: & quidem tam fœde, ut hi Ægyptia Sacra, illi Assyria, vitæ causſa suscipienda censerent: solum Hiskiam, paucosque cum eo, Dei per Jesaiam promissis fidem habuisse, &c.* Nec tamen definit Vir Illustris, an consilium illud exequuti sint. Favent hypothesi generatim sumptæ Usserius Armachanus [a], Ligtfootus [b], præter alios quos non recenseo.

Achazi enim ætatis hic ratio haberi nequit.

Kimchii fluctuans sententia.

Plerique supponunt, Hiskiam vel Proceres ejus ad famam Expeditionis Senacheribi, *Legatos* misisse in Ægyptum auxilii implorandi causſa adversus Assyrium.

Ill. Grotii verba.

Aliorum consensus.

VI. Sed sunt sane quæ hanc hypothesin gravant. Primò, cum hæc pars Historiæ Sacræ, quæ Expeditionem Senacheribi spectat, plenius conscripta sit quam cognatæ aliæ, nihil ejus quod hic ab Eruditis Viris supponitur, in ea occurrit. Unicum quod hic profertur, est in verbis historiæ, ubi Rabsake, per Legatos Hiskiæ, illum compellans [c]: *Et nunc quo fretus adversus me rebellasti? Nunc ecce confidis scipioni illi arundineo fracto, sc. Ægypto, cui si quis innixus fuerit, manum ejus subibit, eamque perforabit: sic Pharao Ægypti Rex est omnibus ipsi fidentibus.* Sed nihil ejus hic est quod quæritur. Rabsake id dubitanter & per conjecturam profert, quod sciret, Hiskiam in humanis nullam aliam ac Ægyptiorum vel Æthiopum opem in hoc casu respicere posse. Mox enim subjicit: *Si autem mihi dicatis: Jehovæ Deo nostro fidimus, & seqq.* Nihil itaque certi de eo habebat Rabsake. Mox in oratione ad Populum, persuasurus ei discessionem ab Hiskia, nihil de Ægypto memorat, sed simpliciter [d]: *Ne faciat Hiskias vos fidere Jehovæ, dicendo: Jehova nos certo eripiet, &c.* Quin prior illa oratio tota composita fuit ad μυκτηρισμὸν, quo Rex pius irridetur cique insultatur. Deinde, hypothesis hæc non congruit personæ Hiskiæ, cujus elogium honorificum his verbis consignatur in historia [e]: *Fiduciam reponebat in Jehova Deo Israëlis, & post ipsum nemo inter omnes Reges Judæ ei sc.* hac parte *comparari potuit, ut nec qui fuerunt ante ipsum.* Si Hiskias confisus fuerit *brachio carnali* Regis Ægypti, ejusque solicitaverit opem: non videtur hoc elogium ei belle convenire: ne quidem si *vacillaverit* primo, dein vero *se confirmaverit*, ut Vir quidam Doctus. Forte itaque, si Hiskias ipse hic excusandus sit, *Proceres* quorum magna auctoritas fuit & inter quos plures fuerunt corrupti ingenii homines, ut ex Propheta nostro & Micha patet, fuerunt in culpa. Utrumque sane agnosco, Procerum plures sub ipso etiam Hiskia fuisse profani animi & in Deum ac Prophetam ejus non bene affectos; eorumque sub Hiskia, ut passim sub postremis Regibus Reipublicæ Judaicæ, auctoritatem fuisse spectabilem; maxime in initiis Regni, ad quod Hiskias admodum Juvenis accessit. Præterea id facile largior, Proceres & Populum non satis fidentem vaticiniis Jesaiæ & verorum Prophetarum secundum rationes Politicæ Mundanæ non potuisse oculos suos alio vertere ac ad Reges Ægypti, qui illo tempore soli videbantur librare posse Assyriaci Imperii late dominantis vires ac potentiam; idque satis patet ex Cap. xx. 6. & ex Ezechielis loco insigni Cap. xxix. 6. 7. quorumque etiam Ægypti Regum ratio status suadebat Judæis & Ephraimitis, inter se & Assyrios mediis, laborantibus succurrere; nec dubito adeo, quin ubi Ephraimitæ Ægyptiorum opem in initiis Hiskiæ implorabant, Judæorum Procerum & ex populo plures huic ipsorum consilio faverint. Verum quod ad præsentem casum attinet; ægre mihi persuadeo, Proceres circa tempus irruptionis Senacheribi, cum Hiskias jam per plures regnasset annos & in Regno magis esset confirmatus, tantum valuisse auctoritate, ut Rege Hiskia invito vel ægre connivente, Legationem honorificam & solennem cum Muneribus potente & opulento Ægypti Rege dignis expediverint in Ægyptum, quod in hac vaticinatione supponitur. Propheta enim in hac Concione declamat non adversus Consilium & Decretum, sed adversus *ipsum* Legationis *actum*, ut patet ex hoc *Capite*, ỳ. 6. & ex *sequenti*, ỳ. 1. Contra vero Historia *Chronicorum* docet [f], tempore adventus Regis Assyrii in Judæam inter Regem Hiskiam, & Proceres ac Militiæ Præfectos, Populumque ipsum, consensum consiliorum constitisse amabilem, & concurrisse omnes cum Rege ad officia sibi mandata pro salute Urbis fideliter exequenda, & exemplo Regis animatos fuisse ad fiduciam in Deo Jehova constante animo reponendam. Quod vero Vir Illustris addit, Proceres Judæos qui *deditionem Assyriam* aut *fœdus Ægyptium* suadebant, fœda hac conditione illorum Principum statuisse redimere favorem, ut *sacra* illarum Gentium simul susciperent: nescio unde Vir Doctissimus hauserit, aut quo modo ei in mentem venerit. Chaldæi enim ne quidem à victis hanc exe-

Procerum quæ fuerit auctoritas sub Hiskia

Probabile fit, quosdam illorum fa visse propos to implorar di opem Æ gyptiorum

Nec tame tanta fuisse auctoritate, ut id execu sint, invito Rege,

Tempore expeditioni Senacheribi inter Reges & Procere fuit consen sus.

In hypothesin Grotii singularis animadversio,

Sed obstat hypothesi, Historiam Sacram hujus Casus non meminisse.

[a] *Annall.* ad A. M. 3294. [b] *Chron. Temp. & Ordo Text.* ad eundem *Annum* M. [c] 2 Reg. xviii. 20. [d] ỳ. 30. [e] 2 Reg. xviii. 5. [f] 2 Chron. xxxii. 1. seqq.

exegerunt conditionem; & non erat de more illorum temporum.

Prophetia hæc directe pertinet ad *Ephraimitas*, petentes auxilium à Rege Ægypti adversus Salmanassarem.

VII. Quorsum vero tot ambages? Prophetia pertinet, ut hoc tempore non dubito, ad *Legationem solennem* quam Hoseas, extremus Ephraimitarum Rex, anno Hiskiæ Regis *secundo* vel *tertio* mandavit in Ægyptum ad percutiendum *fœdus* cum Rege Ægyptio, ejusque implorandas suppetias, quo se defenderet adversus Assyrium Salmanassarem, potentissimum Principem, à quo novissime defecerat: qui Eventus nobis totidem verbis in Historia Sacra relictus est, ne eum ignoraremus, quippe ad intellectum hujus & sequentis Concionis scitu necessarium. Verba historiæ [a]: *Adversus illum expeditionem suscepit*, (Heb. עלה *ascendit*,) *Salmanassar Rex Assyriæ, & factus est Rex Hoseas ei obnoxius, & persolvit tributum: sed deprehendit Rex Assyriæ apud Hoseam* CONJURATIONEM, *quod* LEGATOS (מלאכי) *misisset ad Soum* (Sevechum,) *Ægypti Regem, nec anniversarium munus, ut quotannis solebat, obtulerit Assyriæ Regi.* Equidem *munerum* hic nulla mentio: sed res omnibus est nota, Orientis Principes absque *muneribus* non adiri. Conciones jam si perlegas: omnia favent hypothesi; quin phrases Prophetæ ultro hanc cogitationem nobis subjiciunt, ut ex ipsa interpretatione liquebit. Legati Ephraimitarum cum camelis onustis muneribus deportandis in Ægyptum, necesse habebant viam carpere in Ægyptum per Judæam vel confinia ejus. quod cum fieri non posset absque magno motu Populi Hierosolymitani, & ex Proceribus aliqui prudens Ephraimitarum consilium probarent ac laudarent: Propheta hac occasione à Spiritu Divino impulsus has Conciones, ut nostra sententia est, edidit; idque dum egit, simul refutavit judicia Procerum Judæorum huic consilio faventium. Verum cum idem prævideret, Judæos, in eodem hærentes luto, posterioribus temporibus idem consilium sequuturos esse, idque iis pariter fraudi fore; jussu Divino has Conciones posteris in usum commendavit, qui tamen ex iis suo tempore non plus profecerunt quam ex iis Jeremiæ fœdus cum Ægyptiis dissuadentis. Huc tendit oratio Prophetæ à ℣. 8. ubi oratio à *speciali* ad *generalem* transit, *mutata* etiam *persona*, tam videlicet ad *Judæos* quam ad *Ephraimitas* directa, & more Prophetæ, ad ulteriora tempora excurrens. Inter Judæos hanc hypothesin absque dubitatione tenuerunt Jarchius & Abarbenel. Liranus eam non improbat: veruntamen discedens à sententia Veterum potiorem habet hypothesin quæ Vaticinationem hanc refert ad extrema Reipublicæ tempora sub Tsedekia, de qua mentem meam jam explicui. De *tempore* & *scena* Concionis hujus vulgatæ nihil nunc necesse habeo addere, cum utrumque jam in ipsa hac disputatione definiverim.

Verba Historiæ ex 2 Reg. XVII. 3.

Hypothesis hæc ex historia prolixius declaratur.

Et tamen Vates prævidens, Judæos sequenti tempore in eundem impacturos esse lapidem, à ℣. 8. ad ipsos quoque orationem suam vertit.

Auctores hujus sententiæ.

Tmema PRIUS hujus Concionis, complexum PARTEM ejus ELENCTICAM.

Membrum Primum damnans consilium EPHRAIMITARUM de advocandis in auxilium *Ægyptiis*.

a. Πρόθεσις *increpatoria* Consilii Ephraimitarum.

Pars Elenctica hujus Concionis. Membrum primum. Propositio.

℣. 1. *Væ filiis* REFRACTARIIS, *ait Jehova, ad ineundum consilium, sed non ex me, &* SUPERINDUCENDUM OPERIMENTUM, *sed non ex Spiritu meo, ut* PECCATO *addant* PECCATUM. ℣. 2. *Qui vadunt ad descendendum in Ægyptum, ore meo non consulto; ut se firment robore Pharaonis, & se recipiant sub* UMBRAM *Ægypti*] *Propositio* est Concionis, *exhibens Consilium* Carnale Ephraimitarum à Deo damnatum, quæ basin facit Declamationis hujus Propheticæ: in cujus phrasi pauca sunt quæ illustrari merentur, antequam eam ad hypothesin applicem. Prima mihi hic occurrit vox סוררים, quam Belgæ verterunt per *Defectores*. Sic præiverant Græci: Ὀυαὶ τέκνα ἀποςάται. Sed major vis est in voce סוררים. Hieron. *Væ filii Desertores*. Alii, *Contumaces*. Cocc. *filiis refragantibus*. Hæc genuina est

Summa Propositionis.

Verba exposita. Vox סוררים. Ejus significatio.

significatio vocis סרר, quæ orta à themate סור ob geminationem *literæ radicalis* ר, fortiorem obtinet significationem, notatque *retrocedere* cum nisu & contumacia instar jumenti, quod cum ad procedendum adigas contranititur & petulanter ac pervicaciter refragatur, ut est apud Hoseam [b]. Difficilius est expeditu quod sequitur, לנכך מסכרה Integra verba Prophetæ sunt: *Ad ineundum consilium sed non ex me*, מסכרה ולנכך *& fundendam fusionem* vel *superinducendum operimentum*, *sed non* ex *Spiritu meo*. Utramque hanc versionem sustinet phrasis. מסכרה enim vel notat *fusionem*, sive etiam *fusile*, vel *operimentum*, *tegmen*, perinde ac thema נכך, receptum significatione *fundendi*, *libandi*, *unguendi*; adsciscit quoque eam *tegendi*, *obtegendi* ex affini ככך vel עכך. Imo vero vox מסכרה sumitur quoque notatione *jugi textorii*, *licii*, Jud. XVI. 13. 14. quo haud dubie respiciens Hieronymus, phrasin, נסוך מסכרה hic vertit, *ordiri telam*. In sensu nihil vitii: sed quod ad phrasin, interpretatio est rejicula. quare Intt. passim in duas illas partes secedunt quas demonstravi; & tamen vel sic expositionem suam secundum eandem lineam non componunt. *Fundere fusionem* quibusdam est *agitare consilia*. sic inter alios Cl. de Dieu, estque eadem sententia Aben-Ezræ, ut putem. Certe Paraphrastes sic præiit, qui vertit: ולאתכלבא מלך *& ad instituendam deliberationem*. Coccejus, eandem tenens significationem vocis נכך, *fundere fusionem* exponit [c] *facere unctionem*. quem ungere in Principem. Lud. Cappellus [d], *librare libationem*, h. e. facere fœdus. Observat ille, vocem נכך proprie idem valere quod *fundere*, *libare*. Græc. σπένδειν. Esse itaque נכך מסכרה idem quod σπένδειν σπονδάς. h. e. inire fœdus. solita enim fuisse *fœdera* & *confœderationes* olim iniri cum sacrificiis & libationibus. Illuc hoc loco respexisse Interpretem Græcum, qui vertit; Συνθήκας ἐποιήσατε. quod & observavit Cl. Coccejus. Doctæ sunt meditationes; sed ex analogis non adstructæ vel illustratæ. Etiamsi enim *fœdera* fierent cum *sacrificiis*, *libationibus*, *Epulis*: cum tamen hi ritus in aliis quoque casibus essent usu recepti, non mox recte adhibentur ad significanda fœdera. Deberent esse ritus *fœderibus* privi, si significarent *fœdera*. Et tamen ego has interpretationes magis sepono, quam refello. Kimchius hic amplexus est significationem *tegendi*, *obtegendi*; ut נכך מסכרה sit vel *inire consilium tectum*, *arcanum*; vel *superinducere operimentum*, h. e. confugere ad auxilium potentis alicujus Principis. Prius plane est improbabile: sed posterius pluribus placuit, inter quos Jun. Trem. Piscatori, Belgis. Ubi ad me redii & singula expendi; deprehendi me positum in bivio. Alterutrum mihi eligendum videbatur. vel ut phrasis vertatur, *fundere fusile*, vel, *superinducere operimentum*. Prius exhibet in interpretatione hujus Prophetæ Cl. Coccejus, præter bina specimina expositionum, *facere unctionem* & *superinducere operimentum*, in *Lexico* producta. quam ille versionem ad suam accommodat hypothesin, à qua ego in superioribus discessi: & mea interpretatio, licet in eadem *versione* fundata, re differt. *Fundere fusile* est ex sensu meo, (quem hic propono ἐις διάκρισιν,) *formare conceptum* de hac illa re *ex ingenio*. Qui *consilium* mente sua fingit, idem agit acsi *formaret imaginem*, εἴδωλον, ἰδέαν. quod est *fundere fusile*. procudere & extrudere consilium. Est hæc frequentior significatio vocis מסכה, quæ hac quoque notatione occurrit hoc *Sermone* ℣. 22. & favet interpretationi antecedens sententiæ membrum: *Ad* FACIENDUM (לעשות) *consilium*. Ad hanc phrasin adverti animum, quæ est singularis, & forte alibi non occurrit. FACERE *consilium* est extrudere *fœtum mentis*; formare *conceptum* sive rei gerendæ imaginem, eumque *conceptum* rationibus & verbis commendare. quod forte illi quoque voluerunt qui verba verterunt, *fundere fusionem*. sed nostrum elegantius. Verum cum analoga mihi hoc tempore non occurrant, ex quibus phrasin illustratam dare queam: tutius putavi in Versione com-

Phrasis, לנכך מסכרה. Gemina ejus interpretatio.

Usus vocis מסכרה, stylo Scripturæ *s.*

Versio Hieronymi.

Varia explicatio in *Versionibus* fundata.

Observata Doctorum Virorum, De Dieu, Cocceji, L. Cappelli.

Animadversio ad expositionem L. Cappelli.

Kimchii interpretatio.

Ἐπίκρισις. Ex duabus interpretationibus, *fundere fusile*, & *superinducere operimentum*, altera eligenda est.

Fundere fusile figurate est *formare rei alicujus conceptum*.

Idem quod *facere consilium*.

Phrasis singularis.

Nec tamen minus probabile illud.

[a] 2 Reg. XVII. 3. [b] Cap. IV. 16. [c] In *Lex.* [d] In *Posth.*

superinducere operimentum. mendare alterum illud, *superinducere operimentum*, quod certam claramque & ipsam quoque elegantem habet interpretationem. Peto præcipuum argumentum ex loco Cap. xxv. 7. ubi המסכה המכוסה על כל הגוים omnino notat *Operimentum obductum omnibus Gentibus*, phrasi eadem, h. e. Imperatorem τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τῦ θανάτυ, ut ibi interpretati sumus. præterquam quod Vates Cap. xxviii. 20. vocem מכסה rursus usurpaverit notione *tegumenti*, & quidem eadem significatione metaphorica Regis magni *Protectoris*, cui increduli inter Judæos fidebant. Favet præterea, quod mox addat, ℣. 2. Israëlitas sese *recepisse* בצל פרעה SUB UMBRAM *Pharaonis*. ut sc. ab ea obtegerentur. Estque metaphora usus recepti apud omnes Gentes, perinde ac in Sacris [a]. *Tegi* dicitur qui *protegitur*. auxilio destitutus à Potestate majore, *nudus* [b]. Jarchius: להמשיל עליהם מושל *Ut sibi præficiant Dominatorem*. rectius dixisset, *Protectorem*. sed respexit ille notationem vocis נכך qua valet, *ungere*.

Phrasis ex Cap. xxv. 7. cum hac collata.

Alia in textu quæ huic versioni favent.

Accedo ad rem ipsam, paucis perstringendam. *Væ*, ait Propheta Deum loquentem introducens quo majus pondus orationi adderet, *filiis refractariis*, contumacibus. Alluditur ad phrasin, בן סורר *filii refractarii*, Deut. xxi. 18. cujus pœnam Deus Lege definiverat: quare vocem הוי *Væ*, *heus*, *hei*, hic recte accipimus communi sensu *declarandæ indignationis* Divinæ & *denunciandæ calamitatis* quæ obstinatos Legum Divinarum transgressores manet. Ἐπίθετον ejus est generis, fateor, ut tam ad *Judæos* quam ad *Ephraimitas* applicari possit. Propheta enim exerte Proceres Populi Hierosolymitani notavit ut סוריים *Defectores* sive potius *refractarios*, & totum populum Cap. i. 5. postulavit *recessionis* à Deo. Et tamen nemo mihi inficias eat, longe potiore jure hanc notam inuri *Ephraimitis* quam *Judæis*, quippe qui pertinaciter adversus contestationes & convictiones asperrimas Prophetarum perstiterunt in *idololatria*, aliisque vitiis ac sceleribus quoque, & instar *filiorum degenerum*, pravæ indolis, aut *jumentorum* petulantium, reniti sunt Doctoribus recta & salutaria suadentibus. Sic Hoseas exerte in rem nostram [c]: כפרה סוררת *Ut* JUVENCA REFRACTARIA *refractarie se gessit* (סרר) ISRAEL. Et alibi [d]: *Ego illos Domo mea expellam: non pergam illos diligere*; כל שריהם סוררי *omnes Proceres illorum sunt* REFRACTARII. ℣. 9. appellantur *Populus rebellis*, *filii mendaces*, *qui Legem Dei audire noluerint*, & Cap. xxxi. 2. *Domus maleficorum*, *& operantes iniquitatem*. Exemplum Criminis novi mox subjicitur, primo in *genere* propositum; dein *in specie*, quod ajunt. Prius his verbis: *Ut forment consilium*, *sed non ex me*, *& superinducant operimentum*, *sed non* רוחי pro כרוחי *ex Spiritu meo*. Summa criminis, Deo neglecto coque non consulto circumspicere *auxilium externum*, quo adversus vim majorem consistere & se tueri possent, secundum eam potestatem phrasios quam modo declaravi. Non id vult oratio, Deum id à *filiis* hisce *refractariis* quos vocat, exspectasse. id enim satis tum ex ipso hoc attributo liquet, tum ex genuina corruptæ hujus sobolis imagine quam Propheta pingit, ℣. 9. 10. neque simpliciter etiam, illos de exotico auxilio cogitantes contra officium facere: id enim ipsis satis erat solenne: sed illos respicientes auxilia externa & quidem Ægyptia, de quo mox, committere crimen gravissimum quod scirent, Deum vehementer improbare, & ipsi summe esse injurium. Est igitur in hac phrasi species illa figuræ quam Rhetores μείωσιν vocant; qua de re minus dici videtur, quam qui loquitur aut scribit, intelligi vult. *Consilium* NON *ex Deo* est consilium pessimum, ex principio Deo maxime opposito & contrario, hoc est, ex Satana vel carne, derivatum. *Superinducere operimentum* NON *ex Spiritu Dei*, est auxilium sibi adsciscere ex suasione *falsorum Prophetarum* contra denunciationes & convictiones contrarias verorum Prophetarum, docentium, consilium illud Deo summopere displicere. quod significant verba: *Ut addant* (לכפות) *peccatum peccato*. Intelligitur PECCATUM illud insigne in emphasi sic dictum, quo Jeroboamus Rex Ephraimitas infeliciter obstrinxit, atro carbone hoc ipso nomine notatum in Historia & Prophetis. *Idololatria* erat *Bethelitica* toti fere Populo communis. Historia Sacra [e]: *Et hæc res* (*Vituli* in *Bethele* & *Dane*,) *facta est* לחטאת *in* PECCATUM. Hoseas [f]: *Et destruentur excelsa Aven*, PECCATUM ISRAELIS. Sunt autem *excelsa Aven* Aræ *Bethelis*, quæ ut sedes præcipua idololatriæ contemptus caussa & ex rei veritate dicebatur *Bethaven*, *Domus iniquitatis* abitura *in nihilum*. Huic *peccato* quod Ephraimitis jam evaserat hæreditarium, Deo præterito euntes in Ægyptum emendicatum suppetias, addebant *Delictum* aliud, priore non inferius. de quo mox pauca monebo. Propheta id *specialim* exequitur, ℣. 2. *Qui vadunt ad descendendum in Ægyptum*, *& os meum non interrogarunt*, *ut roborentur* ROBORE PHARAONIS, *& se recipiant sub* UMBRAM ÆGYPTI. Cl. Coccejus vertit: *Ut roborentur in muniticne Pharaonis*. Sic est, מעוז Hebræis proprie notat *arcem*, *munitionem*, *munimentum*. quam significationem hic locum habere posse, non nego. Qui enim ob suppetias ibant in Ægyptum, totum repræsentantes Populum: idem agebant, acsi se munimentis Ægyptiis crederent, *latibulum* ibi & *umbram* quæsituri adversus Assyrios. Suam quippe salutem qui alteri committit, eo utitur ut *munimento*, quo se tutum præstet; aut *umbra* sub quam se, flagrante æstu, recipiat. Et tamen facilius forte fuerit, vocem מעוז hic sumere significatione affinis vocis עז *roboris*, & per *robur Pharaonis* intelligere ejus *Copias militares*, & in his præcipue *equestres*, quibus Ægyptii hoc tempore præstabant. Sic Propheta se ipse interpretatur, tum hoc *Sermone*, ℣. 16. tum Cap. xxxi. 1. *Væ descendentibus in Ægyptum suppetiarum caussa*, *& qui nituntur equis*, *& confidunt curribus quia multi sunt*, *& equitibus quia robusti valde*. Propheta noster vocat עוז *robur* Cap. xliii. 17. Thucydidi est τὸ κράτιςον. Ut tamen Vates noster nihil non eleganter effert, omnino putem eum de *robore* sive *munitione* & de *umbra* Ægypti loquentem, alluisse ad Ægypti regionem quæ habita est per naturam ὀχυρωτάτην *munitissima*, & utrinque *magnis* vallabatur *montibus* ab *aquilonari* tractu ad *austrum* longa serie protensis, ob quam caussam docui appellari eam ארץ צלצל כנפים *terram binis obumbratam alis*, Cap. xviii. 1. Montes enim *umbram* faciunt, unde phrasis Jeremiæ ipsa quoque mystice exponenda [g]: הרי נשף *Montes crepusculi*, luci officientes. Poëtæ sunt Οὔρεα σκιόεντα, *Montes umbrosi* [h]. Erat autem Rex Ægypti, cujus favorem ambiverunt Ephraimitæ, Soo סוא sive סיוא SEVE dictus in Historia Sacra, Manethoni [i] SEVECHUS, Herodoto SETHON, quem Sabacon, Cuschæorum Rex, qui Ægyptum per plures annos obtinuerat, Ægyptiis præfecerat, consanguineum haud dubie suum, atque eo nomine Ægyptiis parum gratum. De quo videnda sunt quæ in *Notitia Ægypti* observavimus [k]. Grotius hoc loco ostendit Psammitichum, etsi prophetiam vulgatam statuat ante cladem Senacheribi. qua fide, aut ex qua hypothesi, me latet. Constat enim, & res certa est ex Herodoto, *Sethonem* hoc tempore præfuisse Ægypto, & Psammitichi initia quæri non posse nisi sub Manasse, Hiskiæ Filio, post τὴν Δωδεκαρχίαν, quæ insequuta est mortem Sethonis. Videbantur autem Ægyptii alias satis potentes, hoc tempore magis etiam ad Ephraimitas juvandos instructi, quod ipsorum vires firmarentur ab Arabibus Cuschæis, quibus dum arctissime juncti erant; & ad auxilium Ephraimitis ferendum admodum proni paratique futuri, quod inter duo hæc majora Imperia, Assyrium & Ægyptium, magna serveret æmulatio. Duo adhuc expedien-

Emphasis vocis, *peccatum*, in phrasi, *addere peccatum peccato*.

Idololatria Bethelitica notatur.

Peccatum alterum huic additum, *emendicare suppetias Regis Ægypti*.

Describitur ex ℣. 2.

Quid hic valeat, מעוז *Robur Pharaonis*?

Intelligitur *Exercitus ejus*.

Phrasis, *Munitio & umbra* Ægypti alluditur ad situm Ægypti naturalem. quod declaratur.

Rex Ægypti hic designatus, est *Sevechus*.

Grotius hic erronee Psammitichum demonstrat.

Status Regni Ægypti hoc tempore favebat petitioni Ephraimitarum.

Summa criminis, quod *consilium* caperent in re gravi Dei monitis contrarium.

Quod quomodo accipiendum sit, declaratur.

In phrasi, *Consilium non ex Deo*, est figura *meiosis*.

Ut & in altera, *superinducere tegumen*.

Sensus realis producitur.

Vates hic Deum loquentem infert.

Phrasis, *filii refractarii*. unde petita?

Vocula הוי quomodo hic accipienda?

Attributum, *Filii refractarii*, in summa emphasi convenit *Ephraimitis*. quod evincitur ex re ipsa, & ex analogia.

[a] Ps. xci. 4. cxl. 8. Jes. xlix. 2. [b] Exod. xxxii. 25. [c] Cap. iv. 16. [d] Cap. ix. 15. [e] 1 Reg. xii. 30. [f] Cap. x. 8. [g] Cap. xiii. 16. [h] *Iliad. a*, ℣. 166. [i] *Dynast.* xxv. [k] Ad Cap. xix. §. xxxvi.

Dubia duo ad rem rectius intelligendam expedienda.

dienda reſtant. α. Quid magni vitii fuerit in hoc Ephraimitarum actu quo ſuppetias expetierunt ab Ægyptiis? β. Qua ſpecie hic incuſentur Ephraimitæ, quod *os Jehovæ* non *conſuluerint*, cum id à Populo fœdifrago exſpectari non poſſet? De utroque ſuccincte.

Quid magni criminis fuerit in hoc conſilio Ephraimitarum?

Quod ad prius: injurium cenſebatur Deo, ejuſque gloriæ adverſum, Populum illum, qui dicebatur *Populus Dei* & nomen ejus profitebatur, ſalutis ſecuritatiſque ſuæ præſidium ac defenſionem à qualicunque Poteſtate alia arceſſere. Dum Deus populo ſuo per Prophetas offerebat defenſionem adverſus hoſtes qualeſcunque, modo populus ſibi *fideret*, & idololatriæ ac ſuperſtitioni vitiiſque ſuis ſerio renuncians ſe ſecundum voluntatem Dei componeret: nihil cauſſæ erat quod metuerent Aſſyrios, Ægyptios, Arabes, Babylonios, Syros, modo populus ſui in Deum officii eſſet memor. Sed Gens qualis hoc tempore erat, duræ cervicis, & *exigua fide* prædita, refractaria, contramitebatur & recalcitrabat. renuebat Deo Præſidi ac Defenſori ſuorum, *hanc* dare *gloriam*, quam ipſe, ſit reverenter dictum! affectabat. Certe inclinato tempore Reipublicæ, in caſu dubio, reſpiciebant auxilia exotica; ſive *Aſſyrium* quod imploravit Achazus à Regibus Syriæ & Ephraimitidis preſſus, adverſus acrem Prophetæ conteſtationem *a*; ſive *Ægyptium*, ut Ephraimitæ in præſenti inſtituebant; & poſtmodum Tſedekias. Cum enim duo illa magna Imperia id ætatis, plurimum florerent cum æmulatione mutua: pronum erat Regnis & Rebuſpublicis inferioribus hic eligere partes. Utrumque hoc fiduciæ carnalis objectum memorat Jeremias *b*: *Et nunc quid negotii tibi in via Ægypti, ut potes* AQUAS *Sichoris? & quid tibi in via Aſſyriæ, ut potes* AQUAS *Fluvii ſc.* Euphratis. Putem, agi hic de *auxilio*: nec excludo tamen *idololatriam*. *Potare aquas Sichoris*, h. e. Nili, eſt communionem Ægyptiorum colere, ſive reſpectu doctrinæ Religionis, ſive virium. Hoſeas explicans confeſſionem Eccleſiæ reſipiſcentis *c*: A$$UR *non ſervabit nos*; *non equitabimus* SUPER EQUOS. Character Ægyptiorum. Id vero ſive à Judæis, ſive ab Ephraimitis fieret, Deo, quem ſi non animo ſaltem ore adhuc venerabantur ut *Protectorem* ſuum, ſumme erat injurium, quippe quod directe tenderet ad abnegationem Divinæ ſive potentiæ ſive bonitatis, ſive etiam veracitatis in implendis promiſſis, Patribus datis. Summatim dicam, erat argumentum *incredulitatis*, *contemptui Dei* & *odio* ejus mixtæ: quæ hic tanto erat deteſtabilior, quanto minus erat excuſabilis. Deus enim Populo reſipiſcenti & ſuam opem imploranti in caſibus dubiis vindicias aut auxilium ſuum nunquam negaverat, erantque hujus rei exempla luculenta recentioris memoriæ in geſtis ſub Aſa, Jehoſaphato, & Uzzia. Sed quæ *incredulitas* cum *contemptu Dei* & *odio* ejus jungitur, cenſeri debet crimen graviſſimum. Inprimis vero ægerrime ferebat Deus, Populum ejus qui dicebatur, circumſpicere auxilia *Ægyptia*. Cum enim Gentem Abrahamidarum ipſe olim exerto brachio ex Ægypto liberaſſet, & Gregem innocuum omni ope humana deſtitutum vindicaſſet ex unguibus Pharaonis: probroſum erat Deo & invidioſum conſilium, Populum ad anguſtias redactum, abnegato Liberatore ſuo, opem emendicare illius Gentis, quæ majores illorum olim gravi preſſerat ſervitute, & hac de cauſſa meruerat à Deo ſeveriſſime puniri: quare Deus in *Lege Regia* *d* omni modo cavit, ne Populus *reverteretur in Ægyptum*. Et tamen Populi *Syriæ Cavæ*, ſub qua cenſebatur Palæſtina, jam olim ſic videntur fuiſſe affecti, ut ſi alterutri Genti *Aſſyriæ* aut *Ægyptiæ* ſervien-dum eſſet, ad has magis quam ad illas partes propenderent: quomodo illos recentiore tempore affectos fuiſſe teſtatur Polybius in Hiſtoria Antiochi M. & Ptolemæi Philopatoris *A*.

Quod ad alterum attinet, quomodo à Populo, dudum apoſtatico, exſpectari potuerit officium voluntatis Dei per veros ejus Prophetas explorandæ: facile expediam. Etiamſi Ephraimitæ per Cultum idololatricum *Vitulorum* in Dane & Bethele erectorum, & Ararum *Gilgale* aliiſque in locis conſtructarum, vere à Deo cenſerentur *defeciſſe*, & hujus criminis rei peragerentur à Prophetis: noluerunt tamen illi videri hujus *Culpæ* eſſe rei, quippe qui cultum idololatricum cum Cultu Dei Iſraëlis, exceptis temporibus Achabi & Iſabelis, conjunxerunt: nec Deus etiam neglexit hunc Populum, quippe apud quem Prophetas ſuos habuit uſque ad extrema Reipublicæ illius tempora, ut ex Monumentis præſtantium Prophetarum quæ ſuperſunt, liquet. Quin ſane Reges Iſraëlis Joramus, Achabi filius, licet Deo inviſus, Jehu, Joahaz, ejuſque filius Joas, non ſpreverunt *veros* Dei *Prophetas*, ut ex hiſtoria Joahazi, qui cum afflictus à Syris nomen JEHOVÆ ſerio *invocaſſet*, ab ipſo exauditus & liberatus fuiſſe dicitur *e*, & ex geſtis filii ejus Joaſi, qui Eliſam adiit, & ab ipſo meruit cum ſolatio dimitti *f*, liquet. Sub Jerobeamo II egregii Prophetæ Hoſeas & Amos officio ſuo functi ſunt: inde Michas, uſque ad extremum Regni illius fatum: nec Propheta noſter illos neglexit. Certe Hoſeas Rex ultimus, perſiſtens in Idololatria Bethelitica, dicitur *feciſſe quod malum erat in oculis Domini, ſed non ſicut Reges ejus Deceſſores g*. Sed ego, miſſis aliis, unum nunc produco exemplum certum ex hiſtoria Achazi, animadverſu dignum. Cum enim Pekah, Remaliæ filius, magno prœlio Achazum viciſſet, & ingentem utriuſque ſexus hominum multitudinem cum ſpoliis captivam duceret Samariam: obviam iviſſe dicitur *h* Exercitui victori verus Propheta JEHOVÆ, cui nomen erat *Oded*, incola Samariæ, & victores conteſtatus eſſe nomine veri Dei, ut captivos liberos dimitterent, & reatum tot criminum, quo ipſi non minus quam Judæi Deo obſtricti erant, hoc inclemente actu ſuo ne aggravarent. Nec ſpreverunt hanc convictionem quidam Ephraimitarum Primores: quin induxerunt multitudinem in ſententiam Prophetæ. Fuit igitur Status illius Regni quod ad Religionem peſſimus quidem, ſed tamen varius: & Reges etiam non optimi veros & celebres Prophetas Dei in caſibus majoris momenti non negligebant. Fac tamen, ipſos id egiſſe, & officio ſuo defuiſſe: an propterea non merebantur officii neglecti à veris Prophetis convinci? Quin erat id neceſſarium, ut victi deinceps intelligerent, ſe ob officium neglectum à Deo juſte puniri.

Cavè magis propendebant ad *Phœnices*.

Locus Polybii.

Alterum dubium, quomodo Deus ab Ephraimitis hoc *officium* exſpectare potuerit?

Ephraimitæ non obſtante defectione à Deo, ſemper ſe geſſerunt pro *Populo Dei*.

Semper apud ſe habuerunt *veros Prophetas*.

Qui à pleriſque Regibus honeſtati ſunt.

Exemplum ex hiſtoria.

Singulare quid geſtum ſub Achazo, ex 2 Chron. XXVIII. 9.

β. *Prædictio* infelicis *Exitus* hujus Conſilii,

a. *Propoſita*.

Criminis hujus ſpecies delignatur.

Majoris invidiæ fuit crimen, ab Ægyptiis auxilium petere.

Lex Dei hac in cauſſa.

Et tamen Populi *Syriæ*

Prædictio infelicis *Exitus* illius Conſilii.

Propoſita, vſ. 3.

Auxilium Ægypti Judæis eſſet *in pudorem*.

Paraphraſis verborum.

ſ Alius; Hoſeæ, Cap. XIV. 4.

vſ. 3. *Et erit vobis* ROBUR PHARAONIS *in pudorem, & profugium iſtud ad umbram Ægypti in ignominiam*] Sive ſc. quod Rex Ægypti *Sevechus*, militibus & populo parum gratus, novitius adhuc nec magnæ auctoritatis, & ſuperſtitione magis quam virtute militari inſignis, auxilium poſcentibus negaturus eſſet, Aſſyriorum potentiam ipſe metuens; ſive quod illud conderet & tentaret, nec tamen præſtiturus eſſet effectum. Poſterius probabilius, quia hiſtoria docet, illum *fœdus* cum Ephraimitis pepigiſſe *i*, quod appellatur עזר *conjuratio*. Quod ſi vero probabilia habeantur, quæ diſputavi ad Cap. XX. 1. ſeqq. videntur omnino Ægyptii & Cuſchæi poſt expugnatam Samariam bellum geſſiſſe cum Salmanaſſare, ſed infelice eventu, quod Propheta hic ſupponit. Vox עזר autem hic recte vertitur per *robur*, & exponitur de *Copiis* Pharaonis, ſive Regis Ægypti, Sevechi.

b. *Ex-*

---

a Cap. VII. 1. ſeqq. *b* Cap. II. 18. *c* Cap. XIV. 4. *d* Deut. XVII. 16. *e* 2 Reg. XIII. 4. *f* vſ. 14. *g* 2 Reg. XVII. 2. *h* 2 Chron. XXVIII. 9. *i* 2 Reg. XVII. 4.

A Polybius cum narraſſet, poſt victoriam à Philopatore de Antiocho M. reportatam, Urbes Palæſtinæ & Syriæ Cavæ ſe certatim rurſus Victori dedidiſſe, ſubjungit: (Lib. V. p. m. 596.) *Tunc vero cum jam ante animos hominum benevolentia erga Ægypti Reges occupaſſet, non mirum eſt id accidiſſe.* Τῇ δ' εἰκὸς ταύτῃ μᾶλλον ἀεὶ πᾶς οἱ κατὰ κοίλην Συρίαν ὄχλοι φορτικῶσθαι. *Fit enim neſcio quomodo, ut* COELÆ SYRIÆ POPULI AD VENERATIONEM HUJUS REGIÆ MAGIS INCLINENT. Sic expreſſit mentem Hiſtorici Caſaubonus.

b. *Expoſita.*

Articulus primus.

Propoſitionis Expoſitio. Sententia prima. Summa ſententiæ. Legati Hoſeæ R. cum adventu ſuo in Ægyptum, mox intelligerent, ſe fruſtra fore.

℣. 4. *Cum Principes* EJUS *fuerint* TSOANE, *& Legati ejus pervenerint ad* CHANES. ℣. 5. *Omnes pudore affecti ſunt cauſſa populi qui ipſis non ſit profuturus, neque ad auxilium, neque ad utilitatem* aliam: *quin potius futurus ſit pudori atque etiam ignominiæ.*] Id plane ex verbis Prophetæ liquet, Legatos Hoſeæ Regis, muneribus graves, poſtquam in Ægyptum veniſſent, omnia ibidem deprehenſuros eſſe imparata & votis ſuis adverſa; atque adeo pudore ſuffuſos mox intellecturos eſſe ex inſpecto rerum ſtatu, ſe ex hac confœderatione exiguam vel nullam percepturos utilitatem. Nec patet, Ægyptios illo triennio, quo obſeſſa fuit Samaria, quicquam tentaſſe, licet illud pro certo affirmare non auſim. Utique videri poſſet illuc facere quod ℣. 7. legitur: *Et Ægyptii vane ac inaniter auxiliabuntur.* Illud tamen teneo, Cuſchæos & Ægyptios poſt captam à Salmanaſſare *Azotum*, cum viderent, viam ſibi ſternere Aſſyrios ad invadendam ditiſſimam terrarum Ægyptum, poſt expugnatam Samariam, ſe ſerio moviſſe, & per triennium cum hoc Principe potente bellum, ſed infeliciter, geſſiſſe: quo retuli vaticinium Cap. xx. 3. ſeqq. Sufficit, eventum docuiſſe, Ephraimitas ex fœdere cum Sevecho percuſſo & muneribus in Ægyptum perlatis magno ſumptu, nullum collegiſſe fructum votis ſuis congruentem. Quæ cum in genere monuiſſe ſufficiat ad ſenſum ſententiæ Propheticæ, cuivis obvium: paucula ſolummodo ſublegam, ad intellectum phraſios obſervanda. Quod Propheta ſcripſit, *Principes* EJUS, & rurſus *Legati* EJUS: referendum eſt ad Hoſeam, Ephraimitarum Regem. quod ſubjectum mente conceptum habuit, licet verbis expreſſum non ſit. quam dicendi figuram ſæpius jam obſervavi.

Eventus congruens prophetiæ.

Obſervata ad phraſin. Sub relativo *Ejus* intelligitur *Hoſeas.*

Hypotheſis aſſumpta inde adſtruitur.

Patet autem ex hoc etiam loco veritas noſtræ hypotheſios. Non erat enim hæc Procerum Legatio in Ægyptum, invito Rege facta: quippe de iis non poterat Propheta loqui in ſingulari: ſed fuit ipſius Regis. Atqui grave eſt dicere, Hiskiam tale quid feciſſe, & à Propheta in hac Concione invidioſe adeo notatum fuiſſe. Porro TSOAN, quæ hic memoratur, abſque dubitatione eſt celebris illa eaque antiquiſſima Ægypti inferioris Urbs TANIS, (demptis punctis Maſorethárum, צֹעַן TSAN, & ſublato ſibilo, TAN, unde *Tanis*,) ſedes Regum Ægypti inferioris, de qua vidimus Cap. xix. 11. 13. Altera Urbs חָנֵס CHANES dicta, alibi in Sacris quidem hoc nomine non occurrit. Hieronymus conjecit, *ultimam juxta Ægyptios & Blemmyas eſſe Ægypti civitatem*: ſed quam ipſe non appellat, nec cum hoc nomine comparat. Reſpexit tamen, ut putem, *Syenen.* Sed ſi ea etiam Urbs hic intelligi poſſet: quam parum probabile fit, Legatos cum muneribus tantum confeciſſe iter? Chaldæus, Vir Doctus, חנס vertit per חחפנחס TAHPANHES, ſive TEHAPHNEHES (ut alibi ſignant Maſorethæ,) cujus Urbis mentio eſt inter celebres Ægypti Urbes apud Jeremiam [a] & Ezechielem [b]. Eſt autem Δάφνη πλησίον Πηλουσίου *Daphne prope Peluſium*, ut Stephano dicitur: Herodoto, Δάφναι Πηλούσιαι. ut Bochartus [c], aliique [d] jam obſervarunt. Eſt certe חחפנחס, ut ſemel ſcribitur apud Jeremiam [e], vel חחפנחס ſi adſpirationem literæ ה tollas, aut eam literam habeas pro *vocali*, ipſiſſimum *Thaphnes*, ſive *Daphnes*. Ego vero non habeo hanc ſententiam pro improbabili; & tamen cum in voce חנס *Chanes* abſit litera פ ad ejus ſtructuram ut videtur plane neceſſaria; (literæ enim ה abſentiam facilius fero, quia per *adſpirationem* literæ ה quodammodo compenſatur:) in ea non plane acquieſco. Accedit etiam illud, quod CHANES hic memoretur poſt TANIM ſive *Tſoanem*: cum tamen *Daphnæ* cuntibus ex Palæſtina in Ægyptum propiores fuerint quam *Tſoan*, quippe quæ trans Oſtium Peluſiacum, cum illa cis Oſtium non procul Peluſio ſita fuerit. Incidit itaque mihi in mentem, in ipſa *Ægypto inferiore* ſive בְּצֹעַן *Delta* forte fuiſſe Urbem nomine חנס CHANES, cui nomen dederit Rex ΑΝΤΣΙΣ, ANYSIS, veluti à ſe extructæ, ut ſolebant olim Ægypti Reges, vel nomina ſua dare Urbibus, vel eadem ab Urbibus mutuari. ut inter alia, exempla ſunt in nominibus Regis *Rhameſſis f*, cui reſpondet Urbs *Rhameſis*, & *Tachpanis g*, Reginæ Ægypti circa tempus Salomonis. Præfuerat autem *Anyſis* Rex Ægypto ante irruptionem *Sabaconis* Æthiopum Regis in Ægyptum, idemque ſe in quadam Ægypti inſula factitia in *paluſtribus* per totum tempus Regiminis Sabaconis ac Sevechi ſuſtinuiſſe fertur, & poſt Sevechi obitum rurſus Ægypto per breve imperaſſe. Sed expedivit me Herodotus [h], docuitque, *Anyſin* Regem ex Urbe ANYSI ortum traxiſſe. Eſt autem inter nomina CHANES & ANYSIS perfecta convenientia. Voces, כל הבאים recte verti, *Omnes* ſc. Legati, *pudore ſuffuſi ſunt*. Sumitur enim הובוש, tanquam eſſet à יבש, ſubinde *intranſitive* [i]: & Propheta noſter voce כל *omne*, pro *omnibus*, ſæpius elegantiæ cauſſa utitur. Obſervem ad calcem, Interpretem Græcum verba: *quando Principes ejus fuerint in Tani, & Legati ejus.* (hic enim abrumpit ſententiam:) vertiſſe, Ὅτι ἐσὶν ἐν Τάνει ἀρχηγοὶ, Ἄγγελοι πονηροί· *Quia ſunt in Tani Duces*, ANGELI MALI. Sic accepit Euſebius Caſarienſis, aliena à mente Prophetæ hic commentatus. alii, *nuncii mali.* Sequentia: חנם יגיעו vertit: Μάτην κοπιάσουσι· *fruſtra laborabunt.* ubi pro חנם legit הנם, & יגיעו duxit à יגע *laborare.* utrobique infeliciter.

Poteſt eſſe Urbs hujus nominis, quam à ſe appellaverit *Rex* ANYSIS. Exempla ſimilia.

Convenientia Nominum.

Vox הובוש recte vertitur, *pudore ſuffuſi ſunt.*

Animadverſio ad *Verſionem Græcam.*

Articulus alter.

℣. 6. QUOD ATTINET AD ONUS *quod jumentis* AUSTRUM *verſus fertur:* IN TERRAM ANGUSTIÆ *& preſſuræ ex qua leæna, & leo fortis, item vipera & preſter volans* prodire ſolent, *deportant ſuper humerum aſinorum opes ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos ad populum nihil profuturum.* ℣. 7. *Quippe Ægyptii vane & inaniter auxiliabuntur; propterea vocavi hanc:* RHAHAB, (*Ferocia*, Ægypti nomen) EST CESSATIO.] Si fida ſit quam dedi, hujus Pericopæ verſio, ut quidem arbitror: nemo non videt, ſententiam, in ſuperioribus propoſitam, ea explanari. Cum enim Propheta tanquam in re præſenti videret & cognoſceret, Legatos hoſce Populi alias ſatis exhauſti ſplendida ac ſumptuoſa munera, *aſinis & camelis* vecta, in Ægyptum invidioſi nominis Regionem abducere, cum injuria & contemptu Dei Iſraëlis, idemque perſpiceret, illos ex hac ſua ſuperba & ſumptuoſa Legatione nullam percepturos eſſe utilitatem; omnia incaſſum fore, quin potius ſummam iis conciliatura invidiam apud Aſſyrium, & exitium Samariæ ac Gentis acceleratura eſſe: non temperat ſibi quin ſchema totum hujus imprudentiæ, ſtultitiæ, & incredulitatis, quale id ipſi ob oculos verſabatur, ad vivum exhibeat cum ejus pœnitendo ac pudendo effectu, doceatque in fine, futurum eſſe, ut *Ægyptus*, quæ רהב RAHABH, *ferocia*, *tumor*, *elatio*, dicitur, (ſecundum notationem vocis Hebræis receptam,) plane *ſederet*, ſubſideret, *quieſceret.* In hunc ſenſum exit ſententia Prophetæ, facilem ſane & perſpicuum; ſed quæ ob dubiam quarundam vocum & phraſium ſtructuram & ſignificationem varie diſtorta eſt, præcipue à Græcis Hebrææ Linguæ imperitis. Illi enim Interpretem Alexandrinum ſequuti, cum exiſtimarent, priora verba hujus Pericopæ exhibere titulum novæ cujuſdam prophetiæ, licet ex cohærentia Contextus ſatis intelligere poſſent de eadem hic re agi, de qua in *ſuperiore oratione*: in hac Pericopa varie luſerunt. Mearum ſolummodo nunc partium erit, interpretationem quam inſtitui, adſtruere, & dubia quæ imperitiores & forte etiam peritiores morari poſſent, expedire. quod per partes exequar.

Sententia altera.

Summa ſententiæ Prophetæ. Confirmat ſuperiorem.

In ſe clara variis interpretationibus obſcurior facta.

משא בהמות נגב] Verba proprie ſonant, *Onus jumentorum Auſtri.* quæ duplice modo accipi poſſunt, ut vel notent *prophetiam oneroſam* ſive *ſententiam Prophe-*

Dubia expediuntur. Verba: משא בהמות נגב

Sunt quæ ſententiam gravant.

Obſcurior memoria Urbis *Chanes.*

An Urbs *Tahpanhes*, h. e. *Daphne?*

An Ægyptii hoc in caſu aliquid tentaverint?

a Jer. XLIII. 7. 8. XLIV. 1. *b* Ezech. XXX. 18. *c* *Geog. S.* Lib. IV. Cap. XXVII. *d* Grotius, Cellarius *Geog. Antiq.* Lib. IV. Cap. I. *e* Cap. II. 16. *f* Exod. XII. 37. *g* 1 Reg. XI. 19. 20. *h* *Hiſt.* Lib. II. p. 161. *i* Jer. II. 26. &c.

Duplicem admittunt sensum. Interpres Græc. & plures alii accipiunt ut *inscriptionem prophetiæ oneroſæ* adversus *Quadrupedes Austri.* Aliorum consensus.

pheticam gravem de Jumentis Austri editam, vel, *Onus* sive *sarcinam* quam *Jumenta Austrum versus deportant.* Priore sensu hæc verba accepit Interpres Græcus; qui, ut nunc legitur, prophetiæ tanquam novæ hunc præfixit titulum: Ἡ ὅρασις τῶν τετραπόδων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ *Visio quadrupedum in Deserto.* estque hoc *Capitulum* apud antiquos Scripturæ S. Interpretes satis famosum. Poterant gravius errare; & sunt sane inter Interpretes posteriores, qui in eandem concesserunt sententiam. Ipse quoque Kimchius, sed qui eo sensu accepit, ut Propheta hic prædixerit, *ex Deserto prodituras esse feras quæ absumerent ituros suppetias rogatum in Ægyptum.* quod plane improbabile est. imo etiam illud, vocem משא hic sumi significatione *prophetiæ gravis.* Primo enim levius est & minutius quam ut conveniat sapientiæ & gravitati nostri Vatis, prophetiæ præscribere titulum de *Bestiis* sive *Jumentis Australibus.* Secundo, si omnino prophetiæ hunc titulum dedisset: non est probabile, illum *uno* tantum hoc *versiculo* de iis acturum esse. Tertio, secundum hanc interpretationem *onus* concionis debebat incumbere *Jumentis*, h. e. *Asinis* & *Camelis*; cum tamen incumberet *hominibus.* Quarto denique, Propheta ipse vocem משא *onus* mox interpretatur, docens, se intelligere *onus* quod *portaretur* ab *asinis* & *camelis:* ubi adhibet ipsissimam vocem נשא, *ferre, portare*, unde formatum est הַמַּשָּׂא *onus*, quæ hoc sensu in Sacris [a] sumitur. Ergo *onus Jumentorum Austri*, est *onus* quod *Jumenta* in *Austrum* portant. Est autem *Auster* hic *Ægyptus*, ad *Austrum* Canaanææ sita, de qua hic mentio est, & cui attributa mox recensenda probe conveniunt: non sane *Desertum Australe* quod Canaanæam ab Ægypto dividebat, per quod Legati iter facerent: estque hic usus vocis נגב *Austri* pro *Ægypto*, Danieli frequens, ubi Reges *Austri* h. e. *Ægypti*, Regibus *Septentrionis*, h. e. Syriæ, opponit, de utrisque vaticinatus [b]. Per בהמות autem hic rectius intelliguntur *Jumenta Domestica*, mansueta, hominum usibus destinata, quam *feræ:* etsi has etiam latior significatio vocis subinde includat. sed prior est usu receptior, & בהמות *Jumentum* proprie sumptum contradistinguitur חַיַּת *feræ* [c]. Sunt autem בהמות נגב *Jumenta Austri*, stylo Hebræorum, *Jumenta in Austrum destinata*, ut צאן טבחות *Oves mactationi destinatæ.* בני תמותה *Homines morti destinati.* Integra locutio est, בהמות הולכות דרך נגב *Jumenta euntia via Austri.* *Genitivus* hic est *objecti* vel *caussæ finalis.* Denique cum Masorethæ *accentum distinctivum Athnah* potestate *coli*, prudenter supposuerint voci נגב: monuerunt nos, hæc verba priora *definitive* esse accipienda ut indicantia *subjectum* de quo Vates loqueretur, atque adeo iis esse præfigendum Latinum, *Quod attinet ad.* qui loquendi modus Hebræis usitatissimus est, & ubique occurrit. ut Ps. CXV. 16. השמים שמים ליי *Quod attinet ad cœlos: cœli sunt Jehovæ.* Ezech. X. 10. ומראיהם דמות אחד לארבעתם *Et quod attinet ad aspectum eorum: species una erat quatuor illis.* Hebr. *Aspectus illorum: species una erat quatuor illis.* Chaldæus sensum Prophetæ perfecte expressit: כטולין על בעיריהון באורח דרומא *Portant in jumentis suis in via Austri*, & *seqq.*

Rationes quæ hanc interpretationem improbabilem reddunt.

Per *onus Jumentorum Austri* intelliguntur *Munera* quæ Legati portabant in Ægyptum.

Auster Ægyptus.

בהמות notant *Jumenta Domestica.*

Phrasis integra illustrata.

Masorethæ favent interpretationi.

Recte præponitur: *Quod attinet ad.*

Verba sequentia: *In terram angustiæ & pressuræ.*

Sensus sententiæ.

In terram cohæret cum seqq.

Versio Piscatoris.

Ἐπιχείρησις in eam.

בארץ צרה וצוקה *In terram angustiæ & oppressionis*] Ægyptus designatur, cujus duo ponit attributa; alterum hoc loco, mox sequuturum alterum. Vocem בארץ reddidi vere, *in terram.* Sic recte Jun. Trem. Piscator. præfixum enim ב frequens obtinet significationem motus ad locum, ut exempla sunt Gen. XI. 4. Lev. XVI. 22. aliaque plura à Grammaticis observata [d]. Cohæret autem illud, *in terram*, cum eo quod mox sequitur, *portabunt* (ישאו) *facultates thesaurosque suos*, &c. Piscator, nulla ratione habita accentus *Athnach*, illud construit cum voce משא *onus*, in hunc modum instituta versione: *Quod attinet ad onus quod jumentis vehetur Austrum versus in terram oppressionis & angustiæ . . . deportabunt*, &c. Versio à nostra nihil vel parum distat, nisi quod *colon* transponatur; nec dubium, quin eodem modo locum tractaverit Chaldæus. Verum cum nulla ratio sit hic discedendi à Masorethis; & vox בארץ *in terram* commodius construatur cum voce ישאו *portabunt* quam cum משא *onus:* hac parte me ab eo disjunxi. Dicitur autem Ægyptus צרה וצוקה *angustiæ & pressuræ* tum respectu *angustiæ & pressuræ* qua majores Israëlitarum olim pressi & oppressi fuerant in Ægypto, de quo historia luculenter testatur [e]: tum ratione malorum gravissimorum quibus ipsa Ægyptus suo tempore premeretur; quæ Propheta in Vaticinio adversus hanc Gentem & Regionem edito prolixe explicat [f]. Sic passim Docti Viri, qui hæc nobiscum de Ægypto dicta acceperunt. quæ non plane repudio: etsi posterius mihi longiuscule quæsitum videatur. Rectius, meo judicio, sic dicitur Ægyptus, quod Reges Ægypti subditos & maxime *servos* hominesque sibi obnoxios, in terra aliàs æstu calente, ingente numero adhiberent ad *Opera gravissima* memoriæ immortalis, qualia erant *Pyramides*, *Colossi*, *Sepulchra*, *Labyrinthi*, *Stagna*, *Templa* cum amplissimis *Porticibus*, sub quibus miseri ad *ea* aut ad *lapidicinas* damnati valde gemebant ac sudabant: quod olim accidit Israëlitarum majoribus Ægypti inquilinis. Nec tamen mihi est dubium, quin Vates noster qui omnia docte effert, in voce צרה TSARA *angustia* simul alludat tum ad nomen Ægypti מצרים MITSRAIM ex voce צור formatum; tum ad situm Regionis, nomine hoc expressum, quo inter duos montes *Arabicum* & *Libycum* στενὴ ἐστι ANGUSTA est, ut Herodotus [g], ne nunc alios huc advocem: sub voce צוקה vero *pressuræ*, *arctationis*, respici velit ad ingentem *æstum* quo tempore *æstatis* magno suo incommodo premuntur Ægyptii, aut ad *inundationem* anniversariam Nili per totam Regionem aliquot diebus restagnantis, quo tempore incolæ Ægypti *obsessorum* instar undique *coarctantur:* quæ genuina significatio est vocis צוק. Certe, si ipsam Ægyptum hic directe spectare nolis, (etsi omnino putem respici posse:) sunt hæc attributa verissima *Libyæ*, quæ ut contermina Ægypti, pars ejus censebatur, cujusque attributa Vates Ægypto invidiam conciliaturus, ei pro instituto præsenti aptat. utique id usum habet in *attributo sequenti*, ut mox dicam.

Quo sensu Ægyptus dicatur *terra angustiæ & pressuræ?* Rationes ab Interp. huc allatæ.

Ratio probabilior.

Vates in voce צרה alludit ad Nomen מצרים.

Ut & ad situm Regionis.

Attributa pariter conveniunt *Libyæ.*

לביא וליש מהם אפעה ושרף מעופף *Ex qua est Lœna, & Leo fortis: vipera & præster volans.*] Proprie מהם valet *ex quibus:* sed Lud. de Dieu bene monet, rectissime hic verti *ex qua*, per enallagen frequentissimi usus, secundum quam *terra* & *incolæ ejus* reciprocantur. mox in fine *versus* habes exemplum simile in verbis, *Rhahab* ILLI sunt *cessatio.* & vſ. *seqq.* מצרים יעזרו *Ægyptus juvabunt.* Est autem *relativum* hoc numero *plurium* elatum, hic magni usus. Docet enim, de *Ægypto* agi in hoc loco: non de *Deserto Arabico*, per quod iter faciendum erat, ut inter Doctos aliqui opinantur: quod Propheta cæteroquin vere dubium reliquisset. *Arabiæ* enim *Petrææ* per quod iter faciendum erat, attributa quoque hæc convenire posse, non ausim negare. Illud enim *Desertum* quoque habuisse *chersydros* & *scorpiones* Moses exerte testatur [h], ac *Leones* quoque & quidem ferocissimos, affirmat Diodorus [i], aliique Auctores Veteres, quos jam produxit Bochartus [k], qui tamen ipse Vir Doctissimus in loco hoc nostro de *Ægypto* agi, censet. Quin sane qui ex Palæstina iter faciebant in Ægyptum, carpebant fere oram maritimam, fabulosi soli, à pluribus ultro citroque calcari solitam; *Leones* autem potissimum nidulantur in *montibus* aut *dumetis:* & *chersydri* ex Ægypti *paludibus* in hoc *Desertum* transvolabant, quod idem Vir Eruditus ad Historiam Sacram Num. XXI. 6. commode monuit. Adscribo tantum luculenta verba Ammiani, qui mihi nunc ante oculos est; qui in

Verba textus: *Ex qua est Lœna & Leo fortis: vipera, &c.* Vocula מהם quomodo hic accipienda?

Non agitur hic de *Deserto Arabiæ Petrææ:* etsi ejus non dissimilia sint attributa.

Ratio hujus sententiæ.

a 2 Reg. v. 17. b Dan. XI. 5. 6. c Ps. CXLVIII. 10 d Glass. Gramm. S. Lib. IV. Tract. I. Obs. V. e Exod. III. 7. 17. VI. 8. f Cap. XIX. 1. seqq. g Herod. Lib. II. p. 103. h Deut. VIII. 15. i Hist. Lib. XI. p. 93. k Hieroz. Part. I. Lib. III. Cap. 5.

Originaria sedes harum ferarum erat in Ægypto & Libya.

Ægypto describenda versatus, postquam monuisset de *pinnatis anguium qui ex Arabicis emergunt paludibus*, Ægyptum infestantibus, dein subjungit [a]: SERPENTES *quoque* Ægyptus *alit* INNUMERAS, *ultra omnem perniciem sævientes: basiliscos & amphisbænas, & scytalas, & acontias, & dipsadas & viperas, aliasque complures, quas omnes magnitudine & decore aspis facile supereminens, nunquam sponte sua fluenta egreditur Nili.* Ergo respicitur hic ad Ægyptum, terram vere singularem, hoc tempore Æthiopiæ sive Cuschææ junctam, omnium *ferarum* & *immanium* Belluarum, quas natura hominis horret, terrestrium ac aquatilium genitricem fœcundissimam. Thebais enim, Troglodytica, Æthiopia, Libya, Africa tota, hujus generis alit feras maxima copia, & videri de eo potest ipse ille Vir Summus [b], & cum eo conferri Leo Africanus [c]: præterquam quod res alias satis nota sit. Forte etiam nemo post ipsum lectum dubitaverit, per לביא intelligi *leænam*, non *leonem annosum*; per ליש *leonem robustum*, non *decrepitum*; per שרף מעופף *Chersydrum volucrem*, & per אפעה *viperam:* quæ suis ille locis abunde, ut putem, demonstravit. Tantum monebo, esse quid altius quod Propheta hic simul respicit, mystica naturalibus involvens: quod quisque ab ejus, imo à Spiritus S. sapientia, exspectare debebat. Cum enim Ægyptus ob alias suas prærogativas à tot hominibus incoleretur, & incommoda illius terræ à commodis ejus superarentur: frustra Propheta Ægyptum tam odiose describeret, si ipsi simul non esset propositum sub symbolicis hisce Ægypti attributis quid altius nobis cogitandum subjicere. Quæris, quid illud sit? Intellige ex loco parallelo Nahumi, Urbem Niniven describentis [d]: *Ubi est lustrum* LEONUM; *& quod pascuum erat* LEUNCULORUM: *ubi versabatur* LEO, LEÆNA, CATULUS LEONIS, *nemine terrente. Leo rapiens sufficienter pro catulis suis, & suffocans pro leænis suis, qui replebat præda antra sua, & lustra sua rapina.* An non vides, describi Urbem Regiam & Aulam Principum Assyriorum, in Urbe Nino stabulantium, ferarum instar in vicinas Gentes sævientium, easque immani sævitia ad necem aut prædam invadentium? Simile atque idem est quod hic docet Jesaias. Habuerat olim Ægyptus Reges potentissimos, Victores quoque illos & Vastatores Gentium exterarum, &, si illorum narrationibus credimus, totius Asiæ Dominatores: inter quos celebrantur Sesostris, Rhamses, Amenophis, sive Memnon, & tempore Rehabeami Sesonchis, sive Sisakus: etsi historia Ægypti mutila, imperfecta, & incerta nos hic plurimum destituat. Ex ipsis hisce Jesaiæ nostri Concionibus satis intelligimus, sapientiæ & militiæ Ægyptiorum magnam illo tempore fuisse existimationem. Erant itaque Tanis, Memphis, & Thebæ, non minus lustra *Leonum*, Belluarum Vastatricium, ac Babylon & Nineve, quarum Principes à Prophetis non tantum *Leonibus* comparantur, sed & *Leones* vocantur [e]. perinde ut Ægyptii *Leunculi* [f]. *Chersydros* autem & *viperas*, pestifera & venenata animalia, quæ flatu aut morsu homines lethaliter lædunt, quidni dixeris esse Sacerdotes, Hierophantas, Magos, Incantatores, Augures, Mystas Ægyptios, superstitionis & idololatriæ per majorem Orbis partem auctores & doctores? Ab his venenum lethale impurissimi cultus ac nefandorum Religionis mysteriorum diffusum est per Phœnicen, Syriam, Asiam inferiorem, & Græciam, &, quod pudendum dictu est, per ipsum Dei Populum horum superstitionibus, hoc est, *morsu* aut *afflatu*, correptum ad suum exitium. de quo nunc plura non addo. Quanto stultius erat consilium in hanc *terram* & ad hujus terræ *Reges* suppetiarum caussa mittere *Legatos* & *munera?* de quo Vates.

Sublimior sensus hujus Pericopæ illustratur ex Nah. II. 12. 13. *Ninive* sedes Leonum & Leænarum.

Applicatur emblema ad *Ægyptum*: tam respectu *tyrannidis*.

Quam *idolatriæ*.

Verba seqq. ℣. 6. *Portant super humerum*

Portant super humerum pullorum (עירים) *facultates suas & super gibbum camelorum thesauros suos ad populum nihil profuturum*] Nihil in his est κατὰ λέξιν quod nos moretur. Per עירין intelligi *pullos asininos*, & per רבשרת *gibbum camelorum* qui Græcis τύλος dicitur, consentiunt Docti, & res ipsa clamat, licet vox alibi in Sacris non occurrat. *Asinis* autem & *camelis*, utilissimo jumentorum genere, Orientis populos uti in rebus corporibusque suis transvehendis, necesse non est monere; minus, probare. Cave interim credas, quod Vates hic de *humero asinorum* & *gibbo camelorum* dicit, sua carere emphasi. Respicitur primo ad *donorum* in Ægyptum portandorum *gravitatem*, qualis inprimis gravitas est specierum metallicarum. secundo, oblique innuit Propheta miseram conditionem rerum sublunarium peccato & vanitati servientium. *Asinos* enim suis *humeris* & *camelos* suis *gibbis*, φερόζοντας καὶ ὠδίνοντας [g], portare *peccata* hominum, & stultitiæ vanitatique illorum cum suspirio inservire, dum ad meliores usus adhiberi possent. Ad rem itaque ipsam transiens, solummodo duo observo, *α.* Reges inferiores potentiorum vires reveritos, eorumque auxilia expetentes aut indignationem deprecantes, per *Legatos* non tantum verum etiam per *Munera* ipsos solitos fuisse adire. Mos vetus ex omni historia Vetere & recentiore notus: præcipue tamen in Oriente usitatissimus. Exempla habes in sacris luculenta 1 Reg. XV. 19. 2 Reg. XVI. 8. XVIII. 14. 15. *β.* Ex iisdem liquere locis, *munera* illa præcipue constitisse *auro* aut *argento*, cujus sitis avaros & rei pecuniariæ indigos Principes, in ampliissima copia sua semper fere exhaustos, vehementer urget; quæ metalli species hoc loco rectissime veniunt nominibus חיל *facultatis, copiæ*, & אוצר *thesauri*. In Historia Græca & Romana passim occurrit nomine *auri coronarii:* licet hujus quoque notionis latior sit significatio. Et tamen si quis electus terræ proventus esset, qui commode alio transvehi posset, in *muneribus* non negligebatur. Certe docuit nos Hoseas, adfuisse etiam in his muneribus *oleum*. Locus est insignis Cap. XII. 2. *Ephraim pascit se vento & persequitur Eurum: toto die mendacium & violentiam multiplicat:* וברית עם אשור יכרתו ושמן למצרים יובל *& percutiunt fœdus cum Assyriis, &* OLEUM *defertur in Ægyptum.* Res eadem quæ in hoc loco. Cum *fœdus percussissent* cum *Assyriis*, sive Salmanassare: perfidi *oleum* mittebant in Ægyptum, ut se per Reges Ægypti adversus Assyrios munirent; quam *perfidiam* Hoseas hic *mendacium* vocat. Est etiam legere apud Prophetam nostrum Cap. LVII. 9. *Et comparuisti apud Regem cum* OLEO, *& multiplicas pigmenta tua* (balsamum aromatibus conditum,) *& mittis Legatos tuos in longinquum, & demittis te usque ad infernum.* Verba, ut exterius sonant, casui huic nostro non male conveniunt: sed aliud plane est σχῆμα rerum: ut si hic de temporibus Jesaiæ ullo modo cogitaretur, (quod non putem,) referenda tamen Concio hæc aspera esset non ad tempus Hiskiæ sed Achazi, solicitantis opem Assyrii. quod mihi nunc curæ non est fusius exequi. Erat autem dolendum, pœnitentiam & ignominiam tam caro emi.

Emphasis dicti Prophetæ in phrasi, *in humero, & super gibbum.*

Mos Orientalium Populorum, per Munera Potentiorum ambire favorem.

Quæ præcipue constituerunt *auro & argento, & electis terræ* proventibus.

Locus Hoseæ ex Cap. XII. 2. hunc Eventum illustrans.

Locus alius Vatis nostri Cap. LVII. 9.

℣. 7. *Quin Ægyptus vane & inaniter auxiliabitur:* (Heb. יעזרו *auxiliabuntur:*) לכן קראתי לזאת רהב הם שבת *propterea vocavi eam:* רהב RHAHAB (*ferocia*)? Quin potius *cessatio.* sive RHAHAB, *qui* dicuntur, sunt CESSATIO. sic verto, præiveruntque Cll. de Dieu & Coccejus. Minore verborum ambitu dixeris: RHAHAB (ferocia, tumor,) SEDET. Sententia plane elegans est, ut ex ejus interpretatione vera mox patescet: & tamen cum potior Interpretum pars hic non attenderet ad emphasin & usum vocis רהב *Rhahab:* ad aliena deflexerunt. Interpretes Veteres nos hic omnino destituunt, nec dignæ sunt quæ recenseantur versiones, ne quidem intelligibiles, ut se res habet cum Græco & Chaldæo. Nihil plus assequor in versione Symmachi, quam servavit Hieronymus: παραχαὶ ἐστι κατοικεῖν, *tumultus sunt ut habitent.* ut ille vertit. Forte tamen respe-

Verba ℣. 7. *Ægyptus vane & inaniter auxiliabitur, &c.* Voces עירין & רבשת.

Verba: *Rhahab ferocia* est *cessatio.*

Veteres ea non recte acceperunt. Exempla ejusmodi versionum.

---

a *Hist.* Lib. XXII. Cap. XV. b *Hieroz.* Part. II. Lib. III. Cap. XIII. c Hist. *Afric.* Cap. XI. d Cap. II. 12. 13. e Jer. IV. 7. f Jer. II. 15. g Rom. VIII. 22.

respexit Symmachus ad hypothesin Veterum quæ hoc Vaticinium refert ad *reliquias* illas Judæorum quæ adversus consilium Jeremiæ magno cum tumultu se contulerunt in Ægyptum, ut ibi sedem figerent. Hieronymum ipsum quis intelligeret nisi se interpretaretur: *Ideo clamavi super hoc: superbia tantum est. quiesce.* Et est tamen interpretatio ejus tolerabilis: Clamavi ad Hierosolymam, *quod Ægyptii regni tantum haberent vocabulum, & absque viribus superbiam; & Israël in terra sua sedere vel habitare deberet, nec frustra ab infirmis auxilium petere.* Quomodo igitur vocem שְׁבֶת vertere potuit per Imperativum, *quiesce?* Legit vocem, ut putem, שָׁבַת Posteriores Intt. plerique supponunt, dictum Prophetæ pertinere ad *Hierosolymam*, vertuntque verba: *Propterea clamo ad hanc* sc. Hierosolymam: *Robur eorum* erit *sedere.* ut sit רהב הם pro רהבם. Sensus secundum ipsos: Nihil profecturos Hierosolymitanos auxilii caussa migrando in Ægyptum: contra vero, *robur ipsorum* fore *quiescere Hierosolymis*, ut Vates mox ℣. 15. Mercerus in eandem sententiam: *Fortitudo sunt manendo.* Aben-Ezra & Kimchius idem volunt. Non est inepta versio; & largior lubens, posse relativum זאת *hanc* referri ad *subjectum*, (Hierosolymam sc.) mente conceptum, licet in textu non expressum. Sed non persuadent nobis Intt. vocem רהב recte transferri per *robur*; & si persuaderent, æquum tamen est expositionem hanc meliori & elegantiori cedere. Ergo tota vis sententiæ in eo consistit, quod Vates hic alludat ad nomen Ægypti, quod stylo Scripturæ est רהב Rhahab. Sic præter alia loca [a] Vates noster [b]: *An non tu es qui percussisti* Rhahab? *vulnerasti Draconem?* Est autem hoc proprie Nomen *Ægypti inferioris.* h. e. τῆς Δέλτα, ei impositum à *forma pyri* qua se hæc Regio à famosis illis Nili ostiis scissa & irrigata ostentat. Est enim ῥιβὶ, (quod est ipsissimum *Rhahab*,) sive ῥιβὶ, Ægyptiis *pyrum*: quæ doctius exposita & demonstrata leges apud Cl. Bochartum [c], cujus hæc sunt observata. Verum ipsum illud nomen רהב, quod Ægyptiis *pyrum* notat & hoc sensu impositum fuit τῇ *Delta*, Hebræis notat *ferociam*, *tumorem*, *elationem*, quæ genuina vocis significatio est. Kimchius voci quoque aptat notationem *roboris*, producto loco ex Ps. xc. 10. ורהבם עמל ואון. Sed vox רהב vere hic notat *id quod in homine est τὸ κράτιστον optimum*, eximium, ubi floret ætas & blanditur fortuna, & præclarum aliquid gessit, quo se maxime videtur *efferre* & *superbire* posse: id quoque ait *laborem* esse ac vanitatem. Sensus itaque dicti Prophetæ est, se cum eventum hujus superbæ & sumptuosæ Legationis in *Ægyptum* inspiceret ac prævideret, non *clamasse* ad *Ægyptum*, sed *vocasse eam:* Rhahab *Ferocia*, tumor, *extumescentia*, (sit fas ita loqui:) *est cessatio, quies.* h. e. Ferocia sedet. metaphora desumpta à maris turgido, à ventis inflato, aut aqua ferveſcente atque ebulliente, quæ extincto motu quiescunt, planumque æquor & superficiem exhibent. tantum abesse, ait, ut à ferocibus & superbis Ægyptiis magnum quid & præclarum efficiendum sit ad ipsorum salutem, quod ipsi futurum exspectabant: ut contra vel *quiescerent* & *cessarent*, vel nihil plus rebus ipsorum proficerent, quam si cessarent, sederent, ac quiescerent, cum Sevechus Rex nec fortis & ad militiam probe instructus Princeps esset; nec Populo aut militibus gratus; nec auctoritate satis valeret: etsi post triennii aut quadriennii lapsum, expugnata jam Samaria, aliquid tentasse videantur Ægyptii, sed infeliciter & incassum. Secundum quam interpretationem, quæ sibi per omnes partes optime constat, verba, לכן קראתי לואת non sunt vertenda: *Propterea clamavi ad eam*; sed, *propterea vocavi eam*, sc. Ægyptum. quæ significatio vocis קרא cum præfixo ל usu Linguæ frequens est. cætera autem, רהב הם שבת, perinde est, ut acceperis, sive cum Coccejo: *Elatio illi? Cessatio.* h. e. Suntne illi appellandi *Elatio?* Imo vero *Cessatio.* sive cum de Dieu: *Rhahab est cessatio.* quod simplicissimum. ponitur הם *illi* pro היא *illa*, ut Propheta doceret, se non *terram* respicere, sed *homines.* ut in hoc ipso loco: מצרים יעזרו *Ægyptus opitulabuntur.* Viderat hunc sensum inter Hebræos Jarchius, cujus verba adscribo: רהב הם׳ נפי רוח: שבת׳ עם כפל ומתנאים חנם Rhahab *Illi elati spiritu.* Cessatio] *Populus otiosus, & qui se incassum cum fastu efferunt.*

Hieronymi.

Posteriorum Intt. hypothesis.

Putant hic verba fieri ad Hierosolymam.

De ea sententia judicium.

Vates hic alludit ad Nomen Ægypti Rhahab.

Proprie *Ægypti inferioris.*

Ratio nominis.

Id vero nomen Hebræis notat *Ferociam.*

An vox notet *robur?*

Locus Ps. xc. 10.

Sensus dicti Prophetæ ex superioribus collectus.

Paraphrasis verborum.

Verbum קרא cum ל, sæpe notat *vocare, appellare*, nomen rei imponere.

Jarchii consentiens versio.

Membrum Alterum Partis Convictoriæ hujus Concionis, directum non tantum ad *Ephraimitas*, sed & ad *Judæos*, consilio eorum faventes, idque in posterum sequuturos.

a. Culpa, utrique Genti communis, *incredulitatis* & *irreverentiæ* in Prophetas veros.

℣. 8. *Nunc* igitur *ades, scribe illud in tabula apud ipsos, & exara illud in* Libro, *ut permaneat in dies sequuturos, in* perpetuum, *usque in* sæculum. ℣. 9. *Quod populus hic rebellis sit; filii mendaces: filii qui recusant audire Legem Jehovæ.* ℣. 10. *Qui dicunt* videntibus, *Ne videatis: & cernentibus, Ne cernatis nobis recta: loquimini nobis* blanditias: *videte* errores. ℣. 11. Recedite a via, *declinate a semita: facite ut à facie nostra faceſſat Sanctus Israëlis*] Hic jam in latiorem campum exspatiatur Propheta, se movens ad omnem impulsum auræ cœlestis. Cum enim Spiritus Dei Populum degenerem convicturus de consiliorum suorum stoliditate, intime cognosceret *fontem* horum errorum, sc. sinistrum in Deum affectum & irreverentiam erga verum Dei Verbum, ejusque Verbi veros ac fideles administros; & consiliorum illorum ab iis nomine Dei suggestorum contemptum: simul etiam prævideret, Judæos degeneres, sive hoc tempore consilium Ephraimitarum probantes, sive illud in posterum ex eodem perverso affectu sequuturos simili eventu, cum Reipublicæ utriusque Populi exitio conjungendo: id agit hac pericopa, ut corruptissimam Populi degeneris indolem in lucem protrahat, eamque veris coloribus depingat; & Prophetam jubeat, hosce characteres Populi degeneris in *Libro* consignare, in memoriam posteritatis usque ad extrema Mundi tempora, ut monumento sit apud ætatem sequuturam, tum fidelis curæ ac providentiæ Dei erga suum Populum; tum pravitatis obstinatæ indolis ejus, & stultitiæ consiliorum qua sibi acceleraret exitium. Est autem Convictio sive Criminatio Dei erga Populum suum, ut in *Analysi* monui, bimembris, ut solet in Convictoriis. Culpa primo ostenditur his *verbis* quæ descripsi: inde Poena, ℣. 12--18. *Culpam*, variis articulis comprehensam, integram ob oculos posui, quod facilis sit intellectu, & crimina cognata magis quam diversa complectatur. Primo occurrit *mandatum* Spiritus Dei ad Prophetam de *Elencho* adversus fœdifragos instituendo, mandando memoriæ posteritatis, ℣. 8. Inde *Elenchus* ipse sequitur, ℣. 9. 10. 11. *Mandatum* est de prophetia *consignanda* in tabula, אתם *coram iis*, (proprie, *cum iis.*) *& exaranda in* Libro. Sensus mandati est, ut Propheta suum hunc Elenchum scriberet in *tabula* quam ipsis hoc tempore committeret legendam; & simul exararet in *Libro* in usum & memoriam posterorum. qui sensus Vatis mihi breviter illustrandus est. Cum apud Veteres, dum artes humanæ Societatis commodis inservientes nondum essent perpolitæ, varium obtinuerit scribendi genus; in lapidibus, saxis, ære, plumbo, foliis & corticibus arborum, pellibus & membranis, & deinceps etiam in papyro Ægyptiaca in hunc usum paratis, de quo mihi hic prolixius agere propositum non est: tum vero tempore Prophetæ nostri duplex potissimum scribendi modus usu receptus fuisse videtur; alter in *tabulis* expansis cujuscunque materiæ, æreis, plumbeis, sive ligneis, lævigatis dolatisque, iisque sive nudis sive obductis materiæ alicujus crusta, (quem usum apud Romanos

Membrum alterum *Partis Convictoriæ*, quod tam *Judæos*, quam *Ephraimitas* spectat. *a. Culpa.*

Summa Orationis Convictoriæ.

Analysis.

Specialior hujus *Pericopæ* quæ *Culpam* complectitur.

Primo occurrit *Mandatum* de prophetia consignanda in *tabula*, ℣. 8.

Sensus mandati.

Phrasis illustrata

Varium genus *scribendi* apud Veteres

Duplex scribendi modus tempore Prophetæ.

Primus in *tabulis expansis*, vel in *pellibus* sive *membranis.*

[a] Ps. lxxxvii. 4. lxxxix. 11. [b] Cap. li. 9. [c] Geog. S. Lib. iv. Cap. xxiv.

manos obtinuit *cera*,) quæ literarum capax esset, *stylo* in ea efformandarum: alter in *pellibus* sive *membranis*, huic usui aptatis, quæ inter se per *futuram* jungebantur, & circa *lignum teres* ac rotundum, extremæ plagulæ adjunctum, convolvebantur, in quibus membranis literæ stylo, *atramento scriptorio* aut *alterius coloris liquore* tincto, exarabantur. *Tabularum* usus erat, & adhucdum esse solet, in his quæ plebi ad legendum publice exponebantur: cujus exemplum, ab ipso Deo petitum qui Legem Decem Verborum Lapideis tabulis insculpserat, habes apud Habakukum [a]: *Et respondit mihi Jehova & dixit: Scribe visum, & illud dilucide expone* על הלוחות IN TABULIS, *ut currens illud legat.* Estque id ipsum quod Deus hic in mandatis dat Prophetæ ut *Convictoriam* suam orationem *scriberet* על לוח *super* TABULAM, quæ esset ante oculos Judæorum publice exponenda: quod sibi vult vox אתם *cum iis*, apud eos. Verum simul mandat Vati, ut eundem *Elenchum accurate* exararet, sive *stylo* perfecte efformaret, & clare *exprimeret*, (quæ est significatio & emphasis genuina vocis חקק) in *Libro*, sive *Volumine membranaceo* in usum posteritatis, cum tabularum usus *perpetuus* non esset; *volumina* autem majore cura tutis in locis reposita in longum servari possent. cujus exemplum jam habuimus animadversu dignum Cap. VIII. 1. 2. ubi Propheta jubetur sibi sumere גליון גדול VOLUMEN MAGNUM, & ei בחרט STYLO *inscribere* verba: *Maher, &c.* cujusmodi Volumen Hebræis ספר *Liber* dicitur. In Cantico Deboræ eleganter [b]: מושכי בשבט ספר *trahentes* VIRGA *Scribæ.* Judices designantur sententias suas conscribentes in Libris. Dubites tamen forte, an *atramenti* vel *liquoris* viscidi similis generis usus tam fuerit antiquus? Non dubitaveris vero, si expenderis historiam integram Jeremiæ Barucho dictantis revelationem Divinam sibi factam, & Baruchi eandem excipientis & scribentis במגלת ספר *in Volumine Libri*, & quidem, ut ipse Baruch retulit ad Proceres, בדיו ATRAMENTO [c]. Ita vocem accipiunt, quos vidi, Interpretes. ut & Visum Ezechielis [d], cui objectus fuit *Vir linea veste indutus, ad cujus lumbos fuit* קסת הספר ATRAMENTARIUM SCRIBÆ. cujus nimirum erat *signare signum in frontibus* [e] piorum Hierosolymitanorum. quod utique non est effectum *sculpturæ* sed *scripturæ*, medio liquoris atri aut rubri in hunc usum adhibiti. Est itaque קסת in hoc loco idem quod Græci ἐμβάφιον, μελανδόχιον vocant; Latinis *atramentale*, & *atramentarium.* Nec dubitem ego, quin usus *scribendi* tum antiquissimus sit, quippe quem ratio & necessitas hominibus suadent: tum vero in Populo Dei perfectius excultus quam alibi. de quo nunc pluribus non differo. Mandati rationem & finem subjungit Propheta his verbis: *Ut sit in diem postremum,* לעד in PERPÉTUUM, *in saeculum.* sic sonant Hebræa secundum punctaturam Masoretharum. Sed non est negandum, vocem לעד potuisse quoque ab iis punctari לעד, sive לעד *in testem*, h. e. *in testimonium.* Sic accepit Hieronymus; & Chaldæus quoque cujus versio hic docta est & valde emphatica: והוי ליום דין לסהדו קדמי עד עלמא *Et erit in* DIE JUDICII *in testimonium coram me usque in aeternum.* Vertit *diem ultimum* per *diem Judicii*, plane ut sumitur in oratione Marthæ ad Dominum [f]: *Novi illum resurrecturum esse in resurrectione* ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ· ULTIMO *illo* DIE. Dominus ipse [g]: *Sermo quem loquutus sum* κρινεῖ *αὐτὸν judicabit* sive *condemnabit illum* ULTIMO *illo* DIE. Nec tamen hunc ipse putem sensum phrasios à Propheta primo intentum; licet eum non excludam, si vox לעד hic sit *punctanda* לעד *in* TESTEM. cui lectioni quoque favet locus Deut. XXXI. 19. *Et nunc scribite vobis Canticum hoc; & doce illud posteros Israëlis; pone illud in ore ipsorum, ut hoc Canticum mihi sit* לעד *in* TESTEM *inter posteros Israëlis.* quod mox ℣. 21. & 26. repetitur. Quin videri posset Vates hic data opera scripsisse לעד עד עולם, non לעולם, (veluti in aliis locis [h]) ut hoc ipso nos moneret, prius עד hic esse accipiendum pro *teste.* ne jam dicam, solere Scriptores Sacros vocem עד sensu *perpetuitatis* jungentes voci עולם *aeternitas*, priorem passim postponere, & scribere; לעולם ועד. Sed cum summa necessitas nos hic non jubeat discedere à lectione Masorethica; non ausim mutare in textu illud לנצח *in perpetuum*, cum sensus sententiæ idem maneat, & ipsum quoque illud לעד in hujusmodi casu recte usurpetur: ut apud Jobum, Cap. XIX. 24. *Utinam verba mea ... scriberentur stylo ferreo in plumbo;* לעד בצור יחצבו *in* PERPETUUM *in rupe exciderentur!* Quando sensus dicti erit, ut *supersit* hic meus Elenchus sc. in testem, *in dies subsequentes, in perpetuum, & usque ad saeculum*, h. e. sæculorum consummationem. Sic sumitur יום אחרון pro *dies venturus*, tempus *subsequens*, ut Latini loquuntur. Confer Prov. XXXI. 25. *Et ridet* (fœmina prudens) ליום אחרון *diem subsequentem.* Alias dicitur, לדור אחרון *in aetatem subsequentem.* ut Ps. CII. 19. תכתב זאת לדור אחרון *Scribatur hoc in generationem subsequentem*, vel, si vis, postremam. Involvit notio omnes γενεὰς *generationes* successione continua extituras, post nostram usque ad Sæculorum finem. Primus itaque & communis *scopus* hujus mandati de Elencho Prophetæ literis consignando in usum posteritatis, est *convincere* Israëlitas sequentium temporum tum de vanitate & stultitia consiliorum quæ Majores eorum sequuti fuerant; tum de Justitia & æquitate Divinæ erga eos providentiæ in severa punitione quam suo tempore experirentur. Præstat itaque *Jesaias* hic rursus alterum *Mosen*, convictionem Populi Judæi in usum æternum ad exemplum Cantici ipsius [i] committens posteritati, estque Elenchus hic Prophetæ ita instructus, ut quod ad argumentum ejus, cum Mosaico comparari queat. Nec tamen id omne est quod potestate præclaræ hujus sententiæ involvitur. Sunt scopi speciales, hic non negligendi. Vates primo prævidit & supposuit, hunc suum Elenchum subsequente tempore usum habiturum esse verum & proprium in convincendis *Judæis*, qui licet infelicem exitum consiliorum Ephraimiticorum vidissent, nihilominus ipsi quoque eandem viam insisterent, & adversus contestationem verorum Prophetarum non desinerent suppetias expetere ab Ægyptiis, pare exitu. Casus extitit circa finem hujus Reipublicæ in Rege Tsedekia, qui Jechoniæ abducto Babylonem à Nebucadnezare suffectus, cum Jurejurando nomine Jehovæ concepto fidem suam Chaldæis obstrinxisset: nihilominus in Regno per aliquot annos confirmatus, fœdere cum Chaldæis inito perfide rupto, se commisit fidei Regis Ægyptiorum (sive Psammis, sive Apriæ, cujus initia conveniunt tempori rebellionis Tsedekiæ,) adversus disertas denunciationes Jeremiæ. de quo Jeremiæ [k] & Ezechielis [l] declamationes extant. qui Ægypti Rex, licet tum temporis conatus sit aliquid tentare ad solvendam Hierosolymorum obsidionem; exspectationem tamen Judæorum destituit, metu Chaldæorum se adversus ipsum moventium repressus & ad sua reversus. Consignanda itaque hæc Revelatio erat in *aetatem subsequentem*, qua certum haberet usum, non minus convincendis Ephraimitis hujus quam Judæis sequuturi temporis subservitura. Secundo, suppositum Propheta, hunc suum Elenchum literis consignatum posse habere & habiturum esse *usum* in Ecclesia sequentium quoque ætatum *usque ad consummationem saeculorum*, & prophetiam hanc æque ac alias in hunc finem cura Divinæ Providentiæ conservandam esse usque ad finem temporum Mundi. Etenim *a.* Gentes convertendæ ad fidem veri Dei hanc similesque prophetias legentes ex iis agnoscerent æquitatem, veracitatem, & Justitiam Dei in omni regimine providentiæ ejus erga Populum Judæum. Ventura enim erant tempora, quibus *omnes Populi* Orbis terrarum *dicerent: Quare Deus hanc Gentem* (sc. Judæorum)

Prior scribendi modus quibus in casibus obtineret?

Applicatur ad h. l.

Ut & posterior, qui locum habebat in Libris servandis in usum posteritatis.

Locus hujus Libri Cap. VIII. 1. 2.

Atramenti vel similis liquoris usus illo tempore jam obtinuit.

Loca huc adducta ex Jeremia & Ezechiele.

קסת apud Ezech. *Atramentarium.*

Antiquitas artis *scribendi.*

Mandati ratio.

An vos לעד recte *punctata* à Masorethis?

Potuit punctari, לעד *in testem*, vel *testimonium.*

Versio Veterum.

Dies ultimus Paraphrasti est *dies Judicii.*

Loca parallela N. T.

Alia quæ favent versioni Veterum.

Nec tamen mutatio *punctaturæ* hic plane est necessaria.

Sensus dicti secundum Masorethas.

Dies עולם est *tempus subsequens.*

Primus scopus *scribendæ* hujus prophetiæ.

Jesaiæ hac in parte comparatio cum Mose.

Scopus alter, & specialior. primo respectu Judæorum qui post plures annos stultitiam Ephraimitarum imitarentur.

Secundo, respectu Credentium omnium ætatum, usque ad finem Sæculorum.

Quod declaratur.

---

a Hab. II. 2. *b* Jud. V. 14. *c* Cap. XXXVI. 18. *d* Cap. IX. 2. *e* ℣. 4. *f* Joh. XI. 24. *g* Joh. XII. 48. *h* Ps. CXI. 8. CXLVIII. 6. *i* Deut. XXXI. 19. *k* Cap. XXXVII. 5. seqq. *l* Cap. XVII. 14. seqq.

rum) *ita tractavit*; & ex prophetiis Juſtitiam Dei, æquitatemque viarum Dei adverſus Judæos ipſos *defenderent*. quod jam prædixerat Moſes [a]. β. Ipſæ quoque Gentes adſcitæ in communionem Eccleſiæ ex hac aliiſque prophetiis uſque ad finem ſæculorum capere deberent documenta prudentiæ, non minus ſibi, qui *myſticum Iſraëlem* facerent, quam Judæis antiqui temporis neceſſaria. videlicet, in dubiis & incertis caſibus *non eſſe fidendum brachio carnali* [b], nec *Principibus*, quamlibet potentia & virtute inſignibus [c]. non eſſe ſuppetiarum cauſſa refugiendum ad *Ægyptium* & *Aſſyrium* [d]. *auxilium* exſpectandum *eſſe à Jehova qui fecit cœlum & terram* [e]. fugiendam eſſe communionem *Ægypti ſpiritualis*, hoc eſt, idololatriæ, ſuperſtitionis, & errorum ejus, nec ad eam, ex qua potente & benigna Dei manu ſemel liberati ſumus, eſſe redeundum. Sic hodiedum per Divinam gratiam LIBER prophetiarum Jeſaiæ hoc poſtremo mundi tempore, quod in emphaſi optime dixeris יום אחרון τὴν ἐσχάτην ἡμέραν, *ultimum diem*, eſt in noſtris manibus: à nobis legitur, teritur, exponitur: & Elenchus eo contentus ad vias Dei defendendas, Judæum Populum & Chriſtianum quoque degenerem convincendum de fiducia *in carne* poſita, noſtrumque uſum, doctrinam & conſolationem adhibetur; præſtabitque *Liber* hunc uſum לער עד עולם *in perpetuum*, uſque ad *conſummationem ſæculorum*: quod Propheta futurum prævidit.

Gentes ipſæ ex hac prophetia ſuo tempore caperent uſum, & documenta prudentiæ, quorum exhibentur ſpecimina.

Liber prophetiæ nobis vi hujus mandati uſui eſt.

Sequitur *Elenchus* ipſe intellectu non difficilis, ℣. 9. quem paucis perſtringam. Conſtat variis articulis, corruptiſſimam indolem Ephraimitarum & majoris partis Populi Judæi deformantibus. *Primus* eſt, כי עם מרי הוא *quod Populus ſit rebellis*, immoriger, contumax. proprie, *Populus pertinacis inobedientiæ*. ea enim eſt vis vocis מרי. notat *inobedientiam* obſtinatam. Vox frequens uſurpatur ab Ezechiele in criminatione Gentis Judææ [f]. Referenda eſt vox ad continuas defectiones Judæi Populi à Deo per idololatriam, ad quam indole pronus erat, & ad niſum adverſus ſana conſilia & monita ipſis à Deo ſuggeſta, cum ſemper in contraria tenderet, & *Spiritum Dei exacerbaret* [g]. Altius ſurgit quod addit, ſc. בנים כחשים *filii mendaces*, degeneres, Deum abnegantes, qui *ſecundus* criminationis articulus eſt. plus enim eſt, FILIUM eſſe *mendacem*, mentientem Patrem ſuum, eumque *abnegantem*, quam *Populum*. Vox כחש hic notat Deum *abnegare* & *mentiri* non verbis ſed actione, quod agunt qui *conſiliis Dei* & *Præceptis ejus* non auſcultant. ut Propheta Cap. LIX. 13. פשע וכחש ביהוה *deficiendo & mentiendo adverſum Jehovam*. Idem eſt quod ℣. 1. hujus *Sermonis* בנים סוררים *Filii refractarii*. Criminatio deſumpta eſt ex Cantico Moſis [h], & à nobis expoſita ad Cap. I. 2. 4. Quanto majus erat beneficium *adoptionis typicæ* quo Deus hanc Gentem donaverat nomine & Jure filiorum, (ad eam enim *adoptionem* hic reſpicitur, ut putem, non ad ortum ex Patriarchis:) tanto crimen gravius Deo mentiri, imo vero mentiri *Patrem*, eumque abnegare. Confirmat ſententiam Propheta *gradatione* tertia: *Filii qui nolunt audire* LEGEM JEHOVÆ. Cum Patrem haberent *Jehovam*, ſibi fœdere obſtrictum, Deum ſummum & gratioſum, qui illos ſolos ex omnibus Gentibus hac dignatus erat prærogativa, ut *Legem* iis dederit juſtam, æquam, ſanctam, complexam monita prudentiæ ipſis ſalutaria, & Prophetas veros Legem Divinam exponentes, & nomine Dei ſuadentes utilia: averterunt tamen ab ea aures, & recuſarunt *audire*, quanto magis, eam expendere, meditari, ac ei auſcultare. Sic, ne ad alia excurram, eſt apud Jeremiam de Tſedekia & Populo toto rejiciente ſalutares Jeremiæ declamationes adverſus Ægyptios [i]: *Et non auſcultavit ipſe, nec Miniſtri ejus, nec Populus terræ verbis Jehovæ quæ loquebatur per miniſterium Prophetæ Jeremiæ*. Forte tamen dixeris, illos id agere præ *incuria*, negligentia, ſocordia: imo vero ait Propheta, agunt id ex *odio veri* & *amore falſi*; & veri audiendi *impatientia*, ex *nauſea* & *faſtidio*. quæ *quarta* gradatio eſt, ℣. 10. *Qui dicunt videntibus, ne videatis; & proſpicientibus, ne proſpiciatis nobis recta. loquimini nobis* BLANDA, *videte errores*. Pulchra verba, quæ nobis detegunt tum corruptionem ſummam humani ingenii, tum verorum falſorumque Prophetarum characteres. Veri Prophetæ, cum acutis oculis obſervarent vitia in Populo Dei gliſcentia, & præterea per Revelationes Divinas de occultis Populi vitiis ac hypocriſi clarius edocerentur; paſſim acri oratione & concionibus aſperis tum in corruptionem ſæculi ſui dominantem tum in hypocriſin hominibus occultam, ſed Deo manifeſtam, invehebantur; hortabantur Populum ad reſipiſcentiam ſeveram; denunciabantque non reſipiſcentibus iram Dei & judicia ejus ad eorum exitium vulganda. id vero Doctores illi publici, ſumma morum ſeveritate & puritate valde commendabiles, non exequebantur timide & meticuloſe, ſed audacter, intrepide atque vehementer, tanquam à Spiritu Dei impulſi, Reges, Principes, Proceres, Sacerdotes, omniumque hominum ordines officii monendo, & neglecti convincendo; ob quam rationem nemo miretur, illos Principibus & Populo ſæpe fuiſſe graves, & ab ipſis repulſos. maxime cum exequutio Divinorum Judiciorum, quæ Prophetæ interminati fuerant Populo, ſæpe longius differretur. Sed falſorum Prophetarum ratio erat alia ac diverſa, mores alii & contrarii. Illi enim hominibus palpare, adulari; blanda eos oratione mulcere; in vitiis illorum connivere; orationem ſuam ad omnem auram accommodare; interminationes verorum Prophetarum refellere; & ipſis quoque publice inſultare, dum inhiabant lucro & indulgentes luxui inter plauſus auditorum molliter ac delicate agebant. quos proinde Ezechiel eleganter vocat [k] fœminas (Doctores blandos, molles,) *conſuentes pulvillos ſub omnibus axillis manuum & facientes culcitras ad caput omnis ſtaturæ ad venandum animas*. quod Prophetæ noſtro eſt רבר חלקות *loqui blanda* & *videre* מהתלות *errores*, *illuſiones*, ad captandam auram popularem. Apoſtolo eſt, ἀνθρώποις ἀρέσκειν, *hominibus placere*, ἀνθρώπως πείθειν, *orationem inſtituere ſuaſoriam ad gratiam hominum captandam*, aut *fictas ingenii humani ſententias oratione commendare* [l]. Græcis aliis, πρὸς χάριν λέγειν, (quomodo τὸν πρὸς χάριν λόγον μελιτίνην ἀγχόνην εἶναι, *ſermonem ad gratiam compoſitum mellitum laqueum eſſe*, ſcite dixit Diogenes [m] Cynicus:) λόγως πρὸς ἀρέσκειαν εἰρεῖν, ſive πρὸς χάριν δημηγορεῖν, quæ phraſes ſunt Diodori Siculi, vitium Oratorum Athenienſium deſcribentis [n]. Dixeris cum Scriptore Romano, *mellitos verborum globulos*, *dictaque quaſi papavere & ſeſamo ſparſa*. Sed eſt hic ſingularis emphaſis in voce חלקות. Vox חלק originarie notat *diſpertire*, μερίζειν. Inde *lævem*, *mollem eſſe*. חלק *Levitas*, *lubricitas*, *blanditiæ*. Cum enim qui ſe oratione ſuaſoria publice commendant, partes orationis apte *dividant*, & in dicendo eam affectent ſermonis *varietatem*, ut modo attollant vocem, modo demittant; modo vehementius, modo lenius & remiſſius agant, ut hac ipſa toni varietate auditorum aures jucunde demulceant: ſignificatio vocis ad *blandam* & *mollem* orationem, & inde ad res tactu *leves* tranſlata eſt. niſi potius dixeris, eos qui *blande* loquuntur & *adulatorie* dum orationem ſuam ad omnium guſtum accommodant, tantum ut placeant, non ut vera loquantur: *linguam* ſuam *dividere*, cum varia ſæpe & contraria loquantur, ut res exigit, ad omnem caſum mobiles & parati. Sic ſuadere videtur locus Pſ. v. 10. לשונם יחליקו *linguis ſuis* κολακεύσει, (quæ vox eſt à חלק) *blandiuntur*. imo *linguas ſuas dividunt*. diverſa loquuntur, ut blande loquantur. Contra vero Prophetarum verorum oratio paſſim

Verba *Elenchi* exponuntur, ex ℣. 9.

Populus rebellis.

Vis vocis מרי.

Quarta gradatio ex ℣. 10. *Nauſea* & faſtidium Verbi Dei.

Character verorum Prophetarum ex h. l. demonſtratus.

Eorum παῤῥησία in redarguendis vitiis publicis.

Character falſorum Prophetarum contrarius. qui deſcribitur.

Pulchra eorum deſcriptio apud Ezechielem.

Filii mendaces.

Phraſes, *blanda loqui & videre errores*, ex analogis illuſtratæ.

Vis vocis כחש.

Adoptio typica Iſraëlitarum.

Emphaſis ſingularis vocis חלקות.

Renuentes audire Legem Jehovæ.

Paraphraſis verborum.

Locus Pſ. v. 10.

Locus Jer. XXXVII. 2. de Tſedekia huc allatus.

---

a Deut. XXIX. 24. 25. ſeqq. *b* 2 Chron. XXXII. 8. Jer. XVII. 5. *c* Pſ. CXVIII. 9. CXLVI. 3. *d* Hoſ. XIV. 4. *e* Pſ. CXXI. 2. *f* Vide Ezech. II. 5. 6. XII. 2. *g* Pſ. CVI. 33. המרו את רוחו. *h* Cap. XXXII. 6. 20. *i* Jer. XXXVII. 2. *k* Ezech. XIII. 18. *l* Gal. I. 10. *m* Apud Laert. in *Vita ejus*, Cap. LI. *n* Lib. XIII. p. 359. & 386.

Verorum Prophetarum oratio passim erat vehemens, non interrupta: contra, falsorum.

passim erat vehemens; non interrupta sive divisa, unius toni; solebantque illi loqui uno ore, una lingua, sibi semper similes, & quidem נכחות *recta*, quæ ante oculos sunt, absque ambagibus, nihil dissimulando; non ad *deludendam* sed ad *instruendam* plebem. Vocat autem Propheta veros Doctores in hoc loco חזים & חוזים, h. e. τὰς θεοπροπίας ἀναφαίνοντας, oracula Divina recipientes eaque aliis declarantes. Utrumque enim notat *videntes*, & respectum habet ad *revelationes*, hominibus à Deo factas. Quæris, num qua sit significationis harum vocum differitas? Respondeo; esse aliquam, non videri dubitandum ex loco, 1 Chron. XXIX. 29. ubi *Samuel* dicitur הרואה VIDENS, *Nathan* הנביא PROPHETA, & Gad החוזה CERNENS. quas voces ita distinxeris. נביא est Doctor publicus, auctoritate præditus, à Deo doctus, rerum Divinarum Interpres. ראה est Vir Divinus qui per qualescunque revelationes sibi à Deo factas *futura* videt. quæ tamen notio generalius accepta, confusa est cum ea *Prophetæ*, ut patet ex 1 Sam. IX. 9. חוזה est Vir Divinus, quem Deus dignatur *Revelationibus ecstaticis*. qui character erat magnorum Prophetarum. Verto itaque vocem, non per *prospicientes*, ut aliqui, sed per, *cernentes*, sive, si mavis, *speculantes*. Hic summus erat honor. quare cum oratio Prophetæ semper surgat: חוזה hic subjungitur ראה פֹּה. En gravissimum crimen! *Nausea* & *fastidium* Verbi Dei; *fuga* & *aversatio* rectæ institutionis & fidelis admonitionis ac convictionis, quæ una est salutaris disciplina mentis. odium veri. amor falsi. Estne quid gravius? Est. sc. *Verbi Divini* & *Dei ipsius contemptus* & repulsio. quæ *quinta* est gradatio, superioris appendix, ỳ. 11. *Recedite à via; declinate à semita: facite ut à facie nostra faceſſat Sanctus Israëlis.* Lud. de Dieu monet, posse illud הטו *declinate* æque ac חשביתו *cessare facite* referri ad קדוש ישראל *Sanctum Israëlis*. ut sensus sit, *declinare facite de via Sanctum Israëlis*. Sed neutiquam ei consentio; nec videtur Vir Cl. percepisse genuinam Vatis sententiam. Equidem verum est, vocem השבית passim *transitive* sumi: sed nos ne hic quidem fugimus hanc significationem vocis. Phrasis est elliptica, & integre sonat: *declinare facite* רגליכם *pedes vestros de via.* quod idem est quod, *declinate de via.* Verba quæ Propheta hic aptat fastidiosis hisce Verbi Divini auditoribus, primo oculo lecta hunc videntur exhibere sensum: *Vos veri Prophetæ discedite è via, & locum facite aliis, vobis melioribus, qui ad palatum loquuntur.* Sed si inhæreas meditationi, videbis, quid aliud & plus significari. Vates per *viam* & per *semitam* intelligi vult *communem modum docendi verorum Prophetarum*, qui erat, ut modo observabamus, vitia hominum graviter taxare; redarguere hypocrisin; ante oculos ponere Judicia Dei; omnium ordinum homines exhortari ad resipiscentiam, & prædicere calamitates proximi aut futuri temporis. Hæc *via*, hæc *semita* erat *trita*, (quæ est vis vocis אורח) in qua incedebant veri Prophetæ. quæ significatio vocis *viæ* pro *materia exercitationis cujusque* sive *agendi modo* & *consuetudine*, in Sacris obvia est; & neminem fugit. Ab hac *via* & *semita* illos volunt *discedere*; *concionandi* formam mutare; orationes suas componere ad deliniendas auditorum aures; jucunda magis auditu quam utilia ac salutaria loqui. Eodem pertinet quod additur, *facite cessare à nobis Sanctum Israëlis.* Nimirum veri Prophetæ in Concionibus suis interminatoriis & exprobratoriis, earumque Præfationibus, sæpius soliti erant usurpare *nomen* veri Dei, quo appellatur *Sanctus Israëlis*, ad exemplum [a]: *Sic ait Jehova*, SANCTUS ISRAELIS. Inter omnes vero Prophetas nemo est qui hoc cognomine Dei frequentius utitur in Concionibus suis quam Vates noster. qui proinde ubi sic loquitur hoc in loco, haud dubie alludit ad aliquod dicterium, quo profanos aliquos homines de se suisque vaticinationibus loquentes usos fuisse noverat: unde illud in hac *Concione* sæpius repetit. Ajunt; *facite faceſſat à nobis* SANCTUS ISRAELIS: significantes, se correptos esse fastidio illarum Concionum quas ingrediebatur illud, *Sanctus Israëlis.* graves sibi esse, nec ferre amplius velle. quin contemnere eas & nihili facere. Verterant itaque protervi nomen *Sancti Israëlis* in *diverbium*: perinde ac vocem משא *Onus*, *prophetia gravis*, tempore Jeremiæ [b]. En gravissimum crimen non *fastidii* tantum sed & *contemptus Verbi Dei* quod inter summa recensetur 2 Par. XXXVI. 16. perinde ut Apostulus signum corruptissimi temporis ponit, quo auditores *sanam doctrinam non tolerabunt, sed auribus prurientes sibi ipsis secundum suas quique voluptates coacervabunt Doctores* [c]. quæ affectio in spirituali statu non minus prodit *morbum* gravem intus latentem & serpentem, quam *nausea* boni nutrimenti in statu animali. Erat autem hoc crimen utriusque, tam Judæis quam Ephraimitis, commune, de quo Prophetæ omnes conqueruntur. Falsorum Prophetarum personæ ac dicta in pretio erant; verorum vilipendebantur. scilicet quia *nihil super populum vaticinabantur boni.* quæ causa erat odii Achabi erga Micham [d]: & Agamemnonis erga Calchantem ex fictione Poëtæ [e], cujus fictionis vera est basis.

Gravitas hujus Delicti ostenditur.

β. POENA, Culpæ consequens, binis *gradationibus* proposita.

Articulus primus.

ỳ. 12. *Propterea sic dicit* SANCTUS ISRAELIS; *quia hoc verbum respuistis, & confisi estis* FRAUDATIONI *ac* PRAVITATI, *& in eam innixi estis.* ỳ. 13. *Ideo erit vobis iniquitas hæc tanquam ruptura cadens,* TUMOR IN ALTO MURO, *cujus repente, subito venit fractura.* ỳ. 14. *Eritque fractura ejus* UT CONTRITIO VASIS FIGULORUM, *quod ita comminuitur ut ei non parcatur; ut in ejus fractura non reperiatur testa ad ignem è foco ferendum, aut aquam è puteo hauriendam*] *Pœna*, Culpæ consequens, hic ordine suo exhibetur, binis expositis sententiis, quarum priorem hic exhibeo. Propheta docet, fore eam, πανωλεθρίαν Reipublicæ, propositam sub figura duorum electorum emblematum, apte constructorum. Ordinem autem in pœna declaranda hunc observat, ut ei præmittat *Prologum*, quo simul auctoritatem dictis suis conciliat nomine Ejus quem degeneres Israëlitæ fastidiebant; simul crimina præcipua punitionem gravissimam merita ordine repetit cum aliqua accessione, ỳ. 12. Inde *Supplicium* ipsum ex revelatione Divina sub duabus figuris parabolicis conspiciendum det, ỳ. 13. 14.

Pœna Culpæ Consequens. *Articulus primus*, ỳ. 12.

Consequens, sive *Pœna* esset, *Destructio* Reipublicæ figuratæ proposita.

Analysis hujus Periocopæ.

Prologus, pars prior, iis est conceptus verbis, quæ fastidiosos Verbi Prophetici veri auditores maxime apta erant urere, iisque ægre facere. *Propterea*, ait, *sic dicit* SANCTUS ISRAELIS. Cum vos, inquit, gravemini illas audire prophetias, quæ nomine *Sancti Israëlis* vobis intimantur, dicentes, *faceſſat à nobis Sanctus Israëlis*, easque revelationes cum nausea, fastidio & contemptu quoque excipiatis: neutiquam me dimovetis aut absterretis ab officio. quin ingeminabo vobis hoc nomen & hanc auctoritatem, etiam ingratiis vestris, idque jussum Domini mei sequutus invitis etiam vobis obtrudam. Cum enim sit *Sanctus Israëlis*, qui à vobis deberet *sanctificari*, quod turpiter negligitis: *sanctificabitur* tamen in vobis per *justitiam* & *judicium* [f]. Dictum ipsum incipit à *criminatione*, quam *Judicio* Divino exponendo, ut mos ipsi est, de novo prætexit. *Crimina* superius declarata repeturus summatim duo facit. α. *Spernere* רבר הזה VERBUM HOC. β. *Confidere fraudationi* sive *oppressioni*. Prius hic facillimum intellectu, ut quisque videt. Per *verbum hoc* recte intellexeris prophetiam hanc de inanitate fiduciæ in Ægypto positæ, ut typum & exemplum omnis prophetiæ, quam veri Prophetæ, & inprimis Vates noster, edebant in nomine *Sancti Israëlis*. quas *prophetias* Jesaias appellaverat *Verbum Jehovæ*, Cap. XXVIII. 13. 14. & תורת יהוה *Legem Jehovæ*, in *pericopa superiore*, ỳ. 9.

Prologus, in quo repetitur Nomen, *Sanctus Israëlis.*

Criminatio Prophetæ adversus Fœdifragos instituta.

Primum crimen, *respuere verbum hoc.* quod explicatur.

quod

---

a Cap. XLV. 11. b Cap. XXIII. 34. 36. c 2 Tim. IV. 3. d 1 Reg. XXII. 8. e Il. Lib. 1. ỳ. 105. Μάντι κακῶν, οὐ πώ- | ποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας; *Vates malorum, nunquam mihi gratum dixisti.* f Cap. V. 16.

Quinta gradatio: Contemptus & repulsio Verbi Dei, ỳ. 11.

Verba Prophetæ.

Observatum I. de Dieu non admissum.

Discedere de via quid hic loci notet?

Via & *semita* h. l. notant modum docendi tritum & vulgatum verorum Prophetarum.

Integra phrasis declaratur.

Grave illis erat in Concionibus Prophetæ identidem audire Nomen *Sancti Israëlis.*

quod *verbum* illi cum *fastidio* & *contemptu* repudiabant, quæ emphasis est vocis מאס. Gravissimum crimen quod Reipublicæ attulit exitium, ut modo docui. Adscribo solummodo insignem locum huic parallelum ex hoc ipso Libro Cap. v. 24. ubi Respublica instar *stipulæ* ab igne *tactæ* usque ad fundamenta diruenda dicitur, כי מאסו את תורת יהוה *quia cum nausea & contemptu repudiarunt Legem Jehovæ*, & DICTUM SANCTI ISRAELIS *spreverunt*. Alterum quod additur, *confidere fraudationi & recessioni*, morari posset lectorem. Utique enim fidebant suppetiis Ægyptiorum. Quid itaque hic sibi vult *vis* & *recessio*, cujus in superioribus nulla facta erat mentio? Certe sunt non indocti Interpretes qui se hic impediunt: sed res liquida est, nec fugit Expositores Hebræos. *Munera* & *thesauri* quæ in Ægyptum vehebantur *asinis* & *camelis* hic appellantur עשק *fraudatio*, *interversio juris*, *vis*, sive quia à subditis inique & per vim extorta erant; sive quod cum ad Assyrium ferenda essent, cui debebantur: jure perverso, feruntur ad Regem Ægyptium. eandemque ob rationem appellantur נלוז, sive sit *participium* Niphal *neutrius generis* pro *substantivo* formatum à לוז *recedere*, pervertere; ut idem significet quod מוטרת *declinatio*, *recessio*: sive *formæ adjectivæ*, secundum Aben-Ezram, subintellecta voce דבר *res perversa*, vel *verbum perversum* quale erat falsorum Prophetarum. qui usus vocis cognosci potest ex Prov. III. 21. & XIV. 2. Utrumque vitium erat in consilio & conatu Ephraimitarum hujus temporis, & esset in eo Judæorum temporis sequuturi, cum manifesto & publico Dei contemptu. magis quod hic non instituerent modeste, nec *siderent* tantum, sed his carnalis ingenii subsidiis *inniterentur*. Quo fructu & successu? Nullo quidem optato, sed contrario qui esset *Exitium plenarium* Reipublicæ utriusque Gentis, à Vate nostro duobus emblematibus exposito, ut modo monebam.

Primo docet, *flagitium hoc* (העון הזה prop. *iniquitatem hanc*) ipsis fore *instar ruptura procidentis & tumoris in muro alto, cujus fractura subito ac repente venit*. Sic Propheta ℣. 13. כפרץ נופל נבעה בחומה נשגבה Est autem פרץ נופל *ruptura cadens*, idem quod procidens, prominens, protuberans. quod additur נבעה, (*Participium Niphal* vel *nomen participiale* ex בעה) omnino vertendum per *tumens*, vel *tumor*. Equidem vox בעה Hebræis & Chaldæis quoque notat *quærere*, *inquirere*, unde Hieronymus hoc loco vertit, *interruptio* (rectius, *ruptura*,) *requisita*. Cl. Coccejus alibi *a*: *penetratum*, rimosum, *in alto muro*. quod ita interpretatur, ut sensum non plane incommodum fundat. sed in Versione ipsa exhibet, *tumens*. quod haud dubie rectius. Nempe vox בעה Chaldæis quoque est *bullare*, *ebullire*, *eructare*. בועה *tumor*, *pustula*, perinde ac בעי. unde בעי לבב *tumor cordis b*. quam eandem significationem vocis obtinuisse apud Hebræos liquet ex voce אבעבעות *ulcera tumentia*, *pustulæ*, Exod. IX. 9. quod exemplum Kimchius huc recte adfert, & ex loco Vatis nostri Cap. LXIV. 2. *Ut ardet ignis liquationum*; מים תבעה אש *aquas* EBULLIRE FACIT *ignis*. Sic vertendus locus. non vero, *scrutatur ignis*, ut habet Cl. Coccejus. Ergo פרץ נבעה est *ruptura tumens*, *ventrosa*, quæ *ventrem facit in muro edito*, ut optime Jun. Trem. Pisc. sive, נבעה est *tumens* quid, h. e. *tumor ventriosus in alto muro*. qui *tumor* hic supponitur esse in inferiore muri parte, ut erumpens totius muri lapsum & ruinam secum ferat. quod in vetustis muris & ædificiis accidere, docet experientia. Elegans vere emblema. Comparatur Respublica Ephraimitarum (quæ hic primo loco respicitur,) & Judæorum, *muro alto*, forte ex prima mente Prophetæ, non tam ad significandam eminentiam & celsitatem status, quam ad declarandam *gravitatem* lapsus. ut enim *murus* in altum *ductus* si quod in eo *tuber* qualicunque demum de caussa nascatur, ruinam minatus, gravissimo lapsu ruit: sic pariter Regna Populi Israëlitarum. Id primum ego existimo fuisse in mente Prophetæ; nec tamen inficias eo, eadem illa Regna in se spectata comparari posse *muro alto*, tum quod vere Regna fuerint suo tempore potentia & conspicua longe supra fidem vulgi, quippe quod ex magnificentia Regum & copiarum militarium amplitudine, & bellis ab iisdem gestis, ac munimentis Urbium de quibus historia abunde testatur, facile colligimus; unde Regnum Judæ aut Domus Davidica comparatur *Cedro* הרמה *altæ c*, & *Viti producenti multos ramos robustos in sceptra dominantium*, cujus EXALTATA EST STATURA *usque inter frondosas* arbores *d*: tum quod prærogativæ, quibus Deus hunc Populum supra alias omnes Mundi Gentes amplificaverat, Rempublicam ejus licet magnis Mundi Imperiis disparem supra alia Mundi Regna longe efferrent, adeo ut *species ejus celebrata fuerit inter Gentes*, quippe *quam per ornamenta à Deo in eum collata* כלילה *perfectam consequutus fuerat e*. Ad quæ accedebat opinio, quam Populus Ephraimitarum de statu suo Ægyptiorum viribus firmando conceperat; ut si minus re, saltem spe & judicii sui existimatione, *elati* essent: cui interpretationi vox נשגבה, quæ proprie *elatum* notat sc. murum, insigniter favet. Sed hic *murus* rueret, & quidem ex *tumore prominente* ac *ruinoso*, qui *tumor* hic notat tum *flagitium* apertum, quo fœdifragi spernebant institutiones, monita, & consilia verorum Prophetarum, nomine Sancti Israëlis edita; tum *stultum* vanumque *consilium* suppetiarum petendarum ex Ægypto. Præstitit enim eundem effectum *ruinæ* & *lapsus* utriusque Reipublicæ: Ephraimitarum primo, qui hac sua *perfidia* excitarunt Salmanassarem ad vindictam, & dein Judæorum, qui simili *perfidia* Nebucadnezarem provocarunt ad extrema, ut historia exerte docet *f*. perinde ac *defectio* illorum à Deo & *contemptus* Verbi ac Ministrorum ejus in gravissimis caussis fuit, cur Deus illos Assyriorum & Chaldæorum potestati tradiderit *g*. Sed accedunt hic alia quæ similitudinis elegantiam commendant. *α*. *Tuber* in muro alto est quid *conspicuum* quod in oculos incurrit omnium, & prudentes omnes vident ei minari ruinam. cujusmodi quid fuit institutum Ephraimitarum & postea Judæorum, Verbum Dei palam spernentium, & non clandestino fœdere, sed Legatis cum muneribus propalam missis se jungentium Ægyptio. *β*. Est quid *tumens*, prominens, & veluti ebulliens. quod hic significat *calida consilia* ex *tumore* & *fastu* concepta de Republica adversus conamina Assyriorum & Chaldæorum per Ægyptios servanda. Recole hic verba Prophetæ nostri de Ephraimitis, & magna quam conceperant spe de rebus suis, ubi iis exprobrat גאוה *fastum* & גדל לבב *magnitudinem cordis h*. Sed *γ*. ut *muri alti* ex ventrioso tumore lapsus est *gravis*, *repentinus*, *universalis*; ita se haberet Respublica utriusque Gentis brevi tempore post hanc *perfidiam*, quod Propheta פתאם לפתע *subito* admodum ac *repente*, casura. Potest autem similitudo quam Propheta hic adhibet, comparari cum non plane dissimili Ezechielis, Cap. XIII. 13. 14. de *Muro* Populi à falsis Prophetis levi ac dolosa calce oblito turbine diruendo. Dixeris tamen, *lapsi muri* recolligi posse lapides, & cum materia adsit, reparari. Negat Propheta; docetque *lapsum* hic producturum *fracturam* plenariam, non reparabilem. quod protenus ℣. 14. altera parabola exponit.

Sententia fert, *fracturam* muri fore *instar fracturæ lagenæ figulinæ quæ* eum in modum *contunditur* ut *ei non parcatur; & non reperiatur in contusis ejus particulis testa ad auferendum ignem ex foco, aut aquam hauriendam è puteo*. in quorum verborum sensu literali nihil occurrit, quod nos moretur, nisi dubium interpretationis vocis ושברה, quam Masorethæ punctarunt וְשִׁבְרָה quando vertenda est, *& franget eam*, sive *franget eam aliquis*: sed quæ punctari potuisset וְשִׁבְרָהּ, ut in fine ver-

Locus parallelus Cap. v. 24.

Alterum, *confidere fraudationi & recessioni.*

Respicitur ad *Munera* in Ægyptum portanda.

Quare sic dicta?

Significatio & forma vocis נלוז.

Gravitas horum Criminum.

Pœna culpæ, duobus emblematibus exposita.

Primum desumptum à *tumore* ventrioso *muri* alti, qui ejus caussatur ruinam, ℣. 13.

Quid hic loci sit *ruptura cadens*?

Vox נבעה declarata.

Tumor supponitur in inferiore muri parte.

Emblema applicatur ad Prototypum suum, Rempublicam Ephraimitarum, & Judæorum.

Cur ea comparetur *muro alto*?

Respicitur primo ad gravitatem lapsus.

Nec excluditur tamen respectus status illorum Regnorum.

Aut opinio & fiducia, quam Judæi & Ephraimitæ de statu suo conceperant.

Ruina hujus *muri*, quid?

Quid item *tumor*?

Specialiora attributa horum comparatorum.

Lapsus muri alti ex tumore est gravis ac repentinus.

Emblema ex simili illustratur.

Consequens lapsus, plenaria muri dissolutio declaratur novo emblemate, desumpto à *lagena confracta*, ℣. 14.

Animadversio ad

a In *Lex.* ad h. v. *b* Prov. XXI. 4. *c* Ezech. XVII. 22. *d* Ezech. XIX. 11. 12. *e* Idem, Cap. XVI. 14. *f* 2 Reg. XVII. 4. Ezech. XVII. 13. seqq. *g* 2 Par. XXXVI. 16. *h* Cap. IX. 8.

Punctaturam vocis וְשִׁבְרָהּ.

versiculi superioris: Et veniet subito repente שִׁבְרָהּ *fractura ejus.* quo modo legisse videtur Chaldæus, וְתִבְרָהּ, & Alexandrinus, qui hoc *comma* perfecte vertit: Καὶ τὸ πτῶμα αὐτῆς ἔςαι, *κ. τ. λ.* Interpretes autem, qui vocem vertunt, & *franget eum* sc. murum: hic vel subintelligunt subjectum *Deus*, ut sensus sit; *Et Deus franget* illum sc. murum; vel capiunt *impersonaliter*, hoc sensu, *franget eum aliquis.* Sed fateor, non videre me, quare Masorethæ vocem hic signare voluerint, שִׁבְרָהּ, & non potius, שִׁבְרָהּ, *fractura ejus*, cum hæc lectio orationi multo magis congruere videatur. Cum enim hic agatur de lapsu *muri* ex *tumore ventroso* qui in muro ab inferiore ejus parte subnasceretur: non convenit hic cogitare de *persona tertia* quæ muri partes disjectas comminueret & confringeret. Similitudo enim Parabolica, partes heterogeneas non admittens, infert, comminutionem & contritionem partium muri collapsi adscribendam esse lapsus gravitati: quare si liceret, mallem hic legere, וְשִׁבְרָהּ. Quod si non licere existiment, qui erga Masorethas rum lectionem non reverenter tantum, (inter hos enim nomen quoque meum profiteor:) sed & superstitiose sunt affecti: vocem וְשִׁבְרָהּ putem accipiendam esse *impersonaliter*, & vertendam, *Et franget eam aliquis*, ut Cl. Coccejus; sive *frangetur*, vel *comminuetur*, ut habet Hieronymus. *Impersonalia* enim æquivalent *passivis.* ut in hoc ipso loco, לא יחמול *cui nemo parcit*, est, *cui non parcitur.* absque misericordia. Sensus parabolæ est, fore ut Respublica utriusque Gentis tota intereat, & eum in modum dissolvatur, ut nemo in ea supersit vir habilis, quo quis uti possit ut instrumento in *publica calamitate & afflictione sublevanda*, quem usum præstat *testa* qua sitibundus *aquam* haurit ex *puteo*; aut *statu publicæ rei instaurando*, ad modum testæ qua *ignis* ex foco sumitur ad focum alibi accendendum. Utrumque docuit Eventus, & Prophetæ noster in superioribus *Concionibus* integris adversus Judæos & Ephraimitas editis clare prædixerat [a]. cum quibus conferendæ sunt prophetiæ Ezechielis & Jeremiæ per Libros illorum diffusæ [b]. Historia hic clarissima est, & à nemine, nisi plane indocto, ignoratur. Tantum observabo, eos qui hanc prophetiam referunt ad Judæos, Ezechia volente vel invito, Legatos mittentes in Ægyptum caussa suppetiarum impetrandarum adversus Assyrium, nihil hic in medium proferre posse ex historia aut eventu, quod respondeat prophetiæ. Si basin Concionis hujus prophetiæ de Ephraimitis capias: omnia liquida sunt.

Disquisitio de hac re.

Videtur aliam punctaturam admittere posse.

Secundum *punctaturam* Masorethicam *impersonaliter* accipienda est.

Sensus emblematis Parabolici.

Historia prophetiæ consentit.

Articulus alter.

Articulus alter Judicii Divini in Fœdifragos, ℣. 15. seqq.

℣. 15. *Nam sic fatur Dominus* JEHOVA, SANCTUS ISRAELIS: *In conversione & quiete salvi eritis: in tranquillitate & fiducia erit* VICTORIA VESTRA: *sed noluistis.* ℣. 16. *Et dixistis, Non: sed* EQUIS FUGIEMUS. *propterea fugietis. Et super celerem equitabimus. propterea veloces erunt qui vos persequentur.* ℣. 17. *Mille unum à facie increpationis unius*; A FACIE INCREPATIONIS QUINQUE FUGIETIS omnes: *donec relicti fueritis sicut malus super verticem montis, & sicut vexillum in colle.* ℣. 18. *Et propterea* MORAM TRAHET JEHOVA IN GRATIA VOBIS FACIENDA; *& propterea exaltabitur ut vestri misereatur: quia Deus judicii est Jehova.* BEATI OMNES QUI ILLUM EXSPECTANT.] Altera est *Denunciatio judicialis & convictoria*, in qua pœna à Deo irroganda inobedientibus & male consultis distinctius comparatur cum crimine. ut sane Deus, in omnibus viis suis admirabilis, homines carni fidentes passim in ipsis illis rebus suffundit pudore, quibus se efferunt. Crimen, hic denuo ingeminatum, proponitur pertinax nisus adversus consilium Populo à Deo per Prophetas suggestum, ejusque consilii contemptus, ℣. 15. 16. Consequens ejus, primo, frustratio spei, & interitus male consultorum, ℣. 17. dein, *tarditas Dei* in exercenda gratia, antequam Justitiæ ejus esset satisfactum, ℣. 18. cui subjicitur *sententia* monitoria *paracletica*, qua *piis* Deum in omni via Judiciorum ejus respicientibus gratia promittitur & prosperitas. Incipit autem nova hæc interminatio Judicii Divini rursus à *Prologo*, adversariis Prophetæ gravi: *Sic fatur Dominus Jehova, Sanctus Israëlis:* de quo ad superiorem pericopam, & aliàs suis locis, satis diximus.

Character hujus Denunciationis.

Analysis hujus Periocpæ.

Consilium Dei, Ephraimitis & Judæis hoc tempore à Propheta suggestum, his expressum est verbis ℣. 15. *In conversione & requie salvi eritis: in tranquillitate & fiducia erit victoria vestra, &c.* Sensus facilis; Ephraimitas & Judæos, si in dubio atque incerto Reipublicæ suæ statu, majori Imperio obnoxii, abstineant ab omni cura ac conamine Reipublicæ per auxilia externa sustinendæ ac defendendæ, sed in spe & fiducia composito animo se committant curæ ac providentiæ Divinæ; sic demum salvos fore & evitaturos calamitatem, quam illi Reipublicæ putabant imminere. qui enim per se stare non possent, substituros virtute ac providentia Divina: sed quod salutare consilium Propheta docet illos obstinate *sprevisse* & *spreturos esse.* contra vero certo iis esse propositum, auxilio Ægyptiorum, celeribus *equis* vectorum, suam tentare liberationem à jugo Assyriorum aut Chaldæorum, ℣. 16. atque inde incursuros in calamitatem, male consultis decretam, ut panico correpti terrore, cum ad rem ventum esset, terga darent hostibus, & ea *fugerent* celeritate qua cogitarant *fugare* hostes & *effugere* illorum irruptionem, eo quidem cum eventu ut pauciissimi interitum communem evaderent, ℣. 16. *med.* & 17. Etiamsi autem Deus constituisset *afflictis* & ad *extrema redactis*, postquam experti essent consiliorum suorum stultitiam, non denegare gratiam & auxilium suum: *tarde* tamen illud exequuturum esse, quod delicti enormitas postularet supplicii ad rationes Justitiæ ejus exigendi severitatem & satisfactionem publicam: nec tamen *spem* credentium suo tempore frustraturum, quin *beatos esse omnes qui se exspectent.* Hic sensus Pericopæ intellectu non difficilis: quam ita tractabo, ut ad intellectum phrasios prius pauca adscribam, quam prophetiam ipsam illustrem, & de implemento ejus necessaria moneam.

Crimen *spreti consilii Divini* repetitur ℣. 15.

Verba Prophetæ, salutare consilium continentia, exponuntur.

Qua occasione integer nexus orationis Prophetæ exhibetur.

℣. 15. בשובה ונחת תושעון *In conversione & quiete salvabimini*] Verto vocem בשובה ut plerique Intt. h. e. *in conversione*, sive *mutatione consilii.* Et tamen Hebræi Intt. vocem שובה hic interpretantur per *requiem*, השקט ex voce ישב *sedere*, collato loco Num. x. 36. מרגע שובה ׳י רבבות אלפי ישראל quem illi interpretantur, FAC QUIESCERE *Jehova myriades millium Israëlis.* loco quo alii, REVERTERE *a. m. J.* Interpretatio certe huic loco optime convenit, modo significatio illa vocis שוב, quam illi hic urgent, certius adstrui posset. Ellipsis enim vocula אל in loco *Num.* x. 36. quam vulgata interpretatio supponit, nihil plus duritiei habet, quam *mutatio* significationis vocis שוב ex *intransitiva* in *transitivam.* Aliud esset, si in illo loco scriptum esset השיבה.

Animadversa ad phrasin Prophetæ illustrandam.

Vox בשובה quomodo hic accipienda?

Sententia Intr. Judæorum.

גבורתכם *Victoria vestra*] Sic docte vertit Cl. Coccejus. alii, *fortitudo vestra.* Sensus idem. Sed est hæc genuina significatio vocis גבור, ut notet *vim* sive *virtutem prævalentem*, *victricem*, &, si dicere liceat, *victoriosam.* de qua jam monui ad Cap. IX. 5. Cogitatis, inquit Vates, victoriam obtinere per Ægyptios, eorumque equos: sed frustra eritis. Quiescendo vincetis. ἡσυχάζειν ἄμεινον· *melius est quiescere.*

Significatio vocis גבורה hoc loco.

℣. 16. כי על כום נגום על כן תנוסון *Quia equis* FUGIEMUS. *ideo* FUGIETIS] Non perspexerunt elegantiam hujus sententiæ qui verterunt: *Equis aufugiemus.* quod hic non spectatur. *Equis fugiemus* idem est, quod *equis celerrime vehemur. Fugere* in protasi hujus sententiæ est velocissimo motu se huc illuc transferre, sive in invadendis, sive in eludendis hostibus. Quod jactabundorum Ephraimitarum dictum Vates per illud figuræ genus quod Græci ὀξύμωρον vocant, eadem voce in

Phrasis, *equis fugiemus*, ℣. 16.

[a] Cap. III. per *tot.* V. per *tot.* IX. 7. seqq. XVII. 3. seqq. [b] Confer ex Ezech. V. 1. seqq. & ex Jer. XLIV. 11. 12.

in illos convertit. quod vos, ait, *metaphorice* dicitis, *Equis fugiemus:* id proprie & vere in vobis effectum obtinebit. *fugietis* enim vere & quidem *turpissime*, equis licet vecti, tanquam panico terrore incitati.

Super leve vehemur.

על קל נרכב *Super leve equitabimus*, sive *vehemur*] Ellipsis est, ut quisque facile observat, *substantivi*, h. e. super levi jumento, *equo Ægyptio* vel *camelo*. cujus affatim exemplorum est in Sacris [a]. sed nemo hic hæret.

℣. 17. *Mille* non notat *omnes*, sed proprie sumitur.

℣. 17. *Unum mille à facie increpationis unius; à facie increpationis quinque fugietis.* sc. *omnes*, quod Intt. hic passim observant. *Mille* & *omnes*, ait Vir Doctus qui plura exempla profert *ellipsium ex voce analoga & correlata eruendarum* [b], *analogæ voces sunt*. Equidem admiserim in quibusdam locis: sed hic habita ratione proportionis inter *unum* & *mille*, minus subintelligitur sub notione *mille*, quam universitas, quia *gradatio* orationis postulat, ut in altero membro plus dicatur quam in priore. Est autem oratio, ut quisque sentit, hyperbolica, docens, futurum esse, ut *multi* à *paucis* fugentur; composita ad imitationem orationis Mosis in Cantico [c]: *Quomodo* UNUS *persequeretur* MILLE, *&* DUO *fugarent* MYRIADEM? cui analoga sunt loca Lev. XXVI. 8. & Jos. XXIII. 10. Augetur hyperbole, ubi *fugituri* dicuntur ad *motum folii arboris*, etiam nemine persequente [d].

Verba, *Donec superstites sitis*, &c. illustrantur.

Donec superstites sitis ut MALUS *in jugo montis & signum super collem*] Tria significantur, sc. superfuturos esse α. raros. β. nudatos omni præsidio, Republica penitus dissoluta. γ. eosque in omnium incurrentes oculos, omnique expositos injuriæ. Est autem perinde, unde hic desumpta sit metaphora, sive à *malis* signifve quæ in montibus aut collibus ad mare sitis erecta monent mare sulcantes de *scopulo* vel *naufragio*, ut post Hieronymum Sanctius, (sed qui huc aliena adfert,) & Grotius: sive quod probabilius habeo, de *malis* aut *signis* in montibus positis ad dirigendum iter viatorum.

Verba ℣. 18. Jehova *rationem faciet in vestri miserendo.*

℣. 18. *Et propterea moram trahet Jehova in gratia vobis facienda, & propterea exaltabitur ut vestri misereatur*] Verba varie accepta sunt ab Intt. sed sensus is est quem jam expressi in paraphrasi, Deum ob gravitatem delicti tardius adfuturum ad *gratiam* & *misericordiam* quam Populo decreverat, ei exhibendam. Vox חכה hic notat *morari*, *moram trahere*, ut sæpe aliàs. inde *præstolari* & *opperiri*, quam significationem obtinet in sententia subjecta: *Beati omnes qui illum præstolantur.* h. e. cum patientia exspectant, licet mora longior sit, & veluti in incertum protrahatur. Sed hic nec commode vertas per *præstolari*, nedum per *exspectare*, quia nemo proprie actum à se exercendum *præstolari* dicitur. notat itaque hic *morari*, quod speciem habet *præstolationis*, quia Deus suo tempore gratiam exercere decreverat. *moraretur* autem Deus in exercenda gratia, quia delicti gravitas repentinam gratiam non ferebat secundum rationes Justitiæ Divinæ. Idem est quod additur: *Exaltabitur ut vestri misereatur.* Plures ita interpretantur, fore ut Deus *exaltetur exercitio misericordiæ* comparate ad *gravitatem delicti & afflictionis*, de qua Vates meminerat: sed sententia illorum se mihi hoc loco minus commendat. α. Quoniam mox sequitur, quia *Jehova est Deus judicii.* β. Quia *judicii severitas*, quæ superioribus descripta erat, non potest esse ratio *exercendæ gratiæ & misericordiæ*. Ergo *exaltabitur* hic est, *exaltabitur judicio & justitia* antequam *gratiam* in vos exerceat, cum *justitiæ* ejus rationes gratiæ exercendæ tarditatem suadeant. Sic scripserat Vates Cap. v. 16. *Et exaltabitur Jehova Exercituum* Dominus JUDICIO, *& Deus sanctus sanctificabitur* JUSTITIA. Verum simul atque expletum fuerit tempus moræ, quam τὸ δικαίωμα ejus postulat, *protenus* vobis aderit: non deseret ac destituet electos ex populo superstites atque afflictos, atque adeo memor fœderis cum Patriarchis initi vobis succurret, quare *beati sunt omnes illum præstolantes*, h. e. ejus auxilium & gratiam patienter exspectantes: de quo officio necessaria observavi ad similem sententiam, Cap. XXVIII. 16. Analoga ejus in pluribus occurrunt locis [e].

ut vestri misereatur: referenda sunt ad *demonstrationem Justitiæ Divinæ* quæ *Exercitium Gratiæ* præcederet.

Venio ad rem ipsam. *Crimen*, cujus Ephraimitæ & Judæi hic postulantur, est *fiducia* posita in *Equis Ægyptiis*. quod idem adhuc explicatius & distertius memoratur in *Concione sequente*, ℣. 1. *Væ his qui suppetiarum caussa descendunt in Ægyptum, atque* EQUIS *innituntur, & fiduciam ponunt in* CURRIBUS *quod multi sint &* EQUITIBUS *quod admodum sint validi.* Idem subaudiendum est in Confessione Ecclesiæ pœnitentis apud Hoseam [f]: *Assur non servabit nos, &* NON EQUITABIMUS SUPER EQUOS. h. e. auxilii caussa non ibimus in Ægyptum, fiducia posita in ejus Gentis militia Equestri. Ubi supponitur, circa id ætatis qua vixit Vates noster, Ægyptum *equis & militia equestri* abundasse atque inter alias Orientis regiones excelluisse. Imo vero id non supponitur tantum à Prophetis hujus & subsequentis temporis, verum etiam in tota historia Sacra, ubi rerum Ægyptiarum mentio occurrit. veluti Josephi expeditionem in Canaanæam Patris sui sepulturæ mandandi caussa suscipientis, cum *curribus & equitibus* [g]; Pharaonis persequentis Israëlitas Ægyptum derelicturos cum *curribus & Equitibus* multis [h]; Sesaki tempore Rehabeami irrumpentis in Judæam cum gravi *exercitu Equestri* [i]; Pharaonis Nechi, adversus Nebucadnezarem bellum gerentis [k], præter alia loca [l] jam à Cl. Bocharto producta. Et tamen Scriptores Exotici, in Ægypto describenda versati vel rerum Ægypti mentionem facientes, hanc Ægypti proprietatem minus celebrant. Ita quidem est; sed status Ægypti sub Persis, & deinceps sub Lagidis plurimum est immutatus; & postquam Ægyptus inferior tota in fossas & rivos scissa est, facta est *inequitabilis*. quod Herodotus exerte testatur: manifeste supponens, Ægyptum ante id tempus *Equis* non minus quam alio *Jumentorum* genere abundasse. Cave tamen credas, Veteres Scriptores omnes de Equis & Equestri Ægyptiorum militia siluisse: quin produxit Bochartus [A], semper honeste appellandus, loca Veterum plurima ex penu suæ doctrinæ, quæ hypothesin hanc

Transitus ad Rem ipsam. *Crimen* imputatum Fœditragis erat *fiducia* posita in *Equestri* Militia Ægyptiorum. Illustratur ex Cap. XXXI. 1. & Hos. XIV. 4.

Supponitur, Ægyptum illo tempore exundasse *equis & militia Equestri.*

Quæ hypothesis ex tota Historia Veteris confirmatur.

An Historici Exotici hanc proprietatem Ægypti antiquæ præterierint? Animadversa in hanc rem.

a Glass. Gr. S. Lib. III. Tract. I. Cap. XII. b Glass. Gr. S. Lib. IV. Tract. II. Obs. VII. c Cap. XXXII. 30. d Lev. XXVI. 36. 37. e Ps. II. 12. XXV. 3. Jes. XLIX. 23. Thren. III. 25. f Hos. XIV. 4. g Gen. L. 9. h Exod. XIV. 6. seqq. XV. 1. i 2 Par. XII. 3. k Jer. XLVI. 4, 9. l Cant. I. 9. 2 Reg. XVIII. 24.

A Extat Cl. Bocharti Dissertatio Erudita de hoc argumento, *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. IX. cujus observata non describam. En tantum locum Herodoti, ab ipso quoque non neglectum, Lib. II. p. m. 144. ubi de Ægypto in fossas & rivos scissa opera captivorum à Sesostri servituti mancipatorum: *Et fossas atque incilia, quæ nunc in Ægypto sunt, cuncta illi* (captivi à Sesostri in Ægyptum ducti,) *effodere adacti sunt:* Ἐπείσόν τε ὑπ' ἀνάγκης Αἰγυπτίους, ὁκόσοι ἐδόσαν ἱππασίμῳ καὶ ἁμαξευομένῳ πᾶσαν, σφέδρα τούτων. Διὸ δὴ τούτου ἕνεκα Αἰγυπτίοισι ἔδοσε πεδιὰς πᾶσα, ἀνιππος καὶ ἀναμάξευτος γένησι: *Fecerunt autem imprudentes, ut Ægyptus prius equis & plaustris agendis ubique idonea, commoditate ista careret. Nam ab eo tempore Ægyptus, quæ omnis plana est, tamen inequitabilis & plaustris inhabilis extitit.* Equidem id repetit Herodotus à temporibus Sesostris: sed verissimum haud dubie, formam illam in Ægyptum longi temporis tractu & à pluribus Regibus inductam esse. Ὀ πάνυ autem inde, & ab oppressione Persarum, merito repetit hunc Ægypti defectum posterioris ætatis. Sed accessit, ut opinor, præter has rationes alia quod Reges Ægypti (Lagidæ, Alexandri Successores,) sede Regni fixa Alexandriæ, quæ Urbs erat maritima, postquam in Regno suo confirmati fuerint, magis curaverint Rem navalem quam militiam terrestrem: maxime cum Equi olim in Ægypto præcipue alti nutritique fuerint in tractu ejus Orientali cis Nilum Fluvium à Memphi usque ad Thebas; quod Historia Vetus testatur; qui tractus longe æquabilioris soli per incilia & fossas minus divisus equis alendis ac sustinendis omnino fuit aptior, poterantque Reges Tani & Memphi residentes ejus fœturæ curam habere commodiorem: cum contra qui Alexandriæ sedebant in extrema Ægypto Occidentali ab hoc tractu longius abessent. Et tamen primi Principes Lagidæ equestrem militiam non neglexerunt: sed sub Philopatore, pessimi ingenii Principe, qui se totum luxui dedit, omnia hac parte collapsa sunt, ut quando bellum illi gerendum erat cum Antiocho Magno ex cohortibus Regiis & militia equestri per totam Ægyptum produci plures non potuerint *tribus millibus Equitum*, ad quæ accesserunt *duo millia Equitatus Græci*: licet exercitus quod ad *pedites*, magnam tamen partem pe-

Historicam Scripturæ S. firmant & illustrant: etsi si vetus historia id neglexisset, ut multa alia, in tanta antiqui status Ægypti obscuritate, absurdum sit de hypothesios hujus veritate dubitare. Nec magis de *Implemento* prophetiæ respectu *Pœnæ* quam Deus *Crimini* statuerat, h. e. fugæ imbellis à facie hostis qualis est hominum Panico terrore correptorum, ut hostium *unus* mille fugaret, & *quinque* omnes. quod hyperbolice dictum ita interpretandum est, quemadmodum supra jam monui, ut fuga turpissima esset hominum metu consternatorum quibus animus periit & sensus. Nec tamen hyperbole excedit fidem historiæ, quæ ejusmodi exempla multa exhibet, ut luculenta in Sacris sunt *Samgaris* [a] & *Jonathanis* atque *Armigeri ejus* [b]: cum quibus comparari possunt Maccabaica, gesta Alexandri, Luculli, & Julii Cæsaris, & Cruciatorum mirabiles eventus. Unum nunc profero quod ante oculos est ex Matthæo Parisio, qui describens conflictum apud Antiochiam commissum inter copias Imperatoris Persarum, quem ille Corboramum vocat, instructissimas & numeri ingentis ac exiguam Crucitorum manum, in summo discrimine rerum victricem [c]: *Tantum enim pavorem eis* (hostibus) *virtus Divina immiserat, ut nec resistere, nec à se insectantium possent injurias propulsare.* DECEM ENIM EX NOSTRIS DECEM MILLIA VIDEBANTUR EIS. Et est tamen non minus singulare illud Richardi, Angliæ Regis, in historia notissimi, cum octoginta instructis militibus *sexaginta duo hostium millia in fugam agentis* [d]. Confer ex vetere historia congressum Luculli, fortissimi & expeditissimi Viri, paucis instructi cohortibus, cum Tigrane, Armeniæ Rege potentissimo, universas fere Orientis vires ei opponente, sed turpissime fugato. Plutarchus de Equitatu numerosissimo [e]: Ἀλαλάξαντες καὶ Φεύγοντες ἄισχιστα· *sublato clamore turpissime fugientes.* Idem vero accidisse Ephraimitis, metu Assyriorum perculsis, non est dubitandum, etsi historia hujus eventus nos deficiat. Est enim probabile, illos copias aliquas ad munitiora loca occupanda & defendenda emisisse, postquam certiores facti fuerint de adventu Assyrii; sed quæ metu ejus propere recesserint, vel tentata commissione cum levis armaturæ militibus gravem Exercitum prægressis, mox se turpi dederint fugæ. Sed quod ex historia ob defectum ejus mihi demonstrare non licet, facile probem ex parallela prophetia Amosi, qui postquam eos redarguisset ejusdem criminis, cujus Vates noster, quod sc. dicerent Prophetis [f], *Non prophetabilis*; mox subjungit [g]: *Ecce ego angustiam faciam subter vos .... & tenens arcum non stabit; & levis pedibus suis non eripiet; & fessor equi* (fugiens sc.) *non eripiet animam suam: & qui firmo corde est inter potentes,* NUDUS FUGIET *die illa, ait Jehova.*

Tmema ALTERUM hujus Concionis, complexum PARTEM ejus PARACLETICAM.

Membrum Prius: Beneficia insignia in Populum Dei post superiorem Calamitatem conferenda.

a. RESTITUTIONIS REIPUBLICÆ.

℣. 19. *Quia Populus in* TSIONE *habitabit* HIEROSOLYMIS. *flendo non flebis. miserendo miserebitur tui ad vocem clamoris tui. simul ac audiverit, respondebit tibi*] Patet cuique *Sermonem* legenti partem hanc *Consolatoriam* ejus connecti cum *Elenctica*, medio sententiæ proximè superioris in qua *Elenctica* terminatur: *Beati omnes qui illum exspectant.* Sequitur itaque hic series plurium excellentium Beneficiorum, quæ Deus in Ecclesiam Populi sui, post exactam Judicii moram, esset collaturus; in quibus Beneficiis explicandis sic stylum suum temperavit Propheta, ut tum etiam quando temporalia Beneficia Ecclesiæ promittere videtur, sub figuratis emblematibus simul mystice intelligi velit. Primum horum est, *Restitutio Reipublicæ* ad *Respiscentiam* & *Vota* Populi sui. cujus promissi sensum paucis indicabo. inde in tempus, cui implementum ejus convenit, inquiram. quod si feliciter demonstraverim: cætera omnia ultro se in sensum nostrum ingerent. Habemus enim hic luculentam seriem fatorum Ecclesiæ, quæ in longum excurrunt. *Quia*, ait, *Populus in Tsione habitabit Hierosolymis.*] Respublica sive collapsa sive dissoluta penitus (de quo mox disputabo,) ita restituetur, ut Hierosolyma mansura sit sedes Religionis, & Metropolis Populi Dei. *Flendo non flebis*] Non semper flebis. luctus tuus post moram severitati Judicii definitam cessabit. Jarchius: לא תמשרך לבקש בקשה מאה הקב"ה בבכי כי לקול ויקך יחנך *Non necesse habebis petitiones* sive *preces, quas ad Deum fundes, proferre cum fletu, quia simul ac clamaveris gratiam tibi faciet.* Non necesse fuerit *supplicare* cum *fletu*: sed sufficerit *precari*. Non est spernenda meditatio: sed prior expositio melius convenit eventui. *Miserendo miserebitur tui ad vocem clamoris tui*] *Gratiam* suam tibi certissime *exhibebit*, (quæ est genuina significatio vocis חנן,) simulac vera *respiscentia* te ad me converteris, opemque ac gratiam meam supplex imploraveris. Phrasis est usu in Verbo Dei recepta [h]. *Cum audiverit, respondebit tibi*] Simul atque eas ad ipsum effuderis preces, quas Deo offerri & ab ipso exaudiri æquum est; gratiosum feres responsum, ad quod sequetur *Liberatio tua* ex afflictione & Reipublicæ restitutio. Est enim in attributis Dei, *audire preces* [i]: quas semper exaudit, si rite fundantur, h. e. in fide & respiscentia, secundum voluntatem Dei.

Quæritur, quorsum referenda sit hæc promissio? cui sit innectenda tempori? Ad quod quæsitum tuto responderi potest, duas hic tantum obtinere posse hypotheses, secundum Historicam hujus prophetiæ expositionem. Altera est, quæ promissum hoc & amplissima alia quæ sequuntur, refert ad tempus Hiskiæ post Liberationem ad preces Jesaiæ, Hiskiæ, & piorum impetratam à jugo Senacheribi: altera quæ implementum hujus & sequentium promissorum quærit in tempore & statu Populi Dei post reditum ex Exilio Babylonico. Non est sane mirandum, dubium hoc variis locis in interpretandis prophetiis hujus Libri recurrere, cum utriusque temporis attributa aliqua similia sint, & vere, ex mente Spiritus S., Liberatio Populi Hierosolymitani ab Assyriis spectanda sit ut præludium Liberationis Populi Judæi à Babyloniis, qui ipsi quoque *Assyrii* dicuntur, stylo Scripturæ [k], & ab *Assyriis* novis, h. e. Syriæ Regibus, Populum Dei rursus oppressuris & gravissime afflicturis: ut jam sæpius monui. Ut enim Deus tempore Hiskiæ Populum suum à gravi afflictione liberavit, & Rempublicam collapsam ac fere desperatam in integrum restituit, & post tempus illius Liberationis sub Regimine pii Regis, summa nunc auctoritate & florente rerum suarum statu regnantis, in Populum Judæum varia contulit beneficia: sic sane constat, non dispare modo Deum

De *Implemento* prophetiæ quæritur.

Verba Prophetæ hyperbolice accipienda.

Nec tamen hyperbole excedit fidem historiæ.

Exempla aliqua hic producta ex Historia Veteri & Nova.

Probabilitas & circumstantiæ hic supplent defectum historiæ.

TMEMA *alterum* Concionis Consolatorium.

Membrum Prius complexum Beneficia in Gentem conferenda.

Beneficium primum: *Restitutio Reipublicæ*, ℣. 19.

Nexus hujus *Partis Prophetiæ* cum *superiore.*

Summa ejus.

Stylus Prophetæ in his Promissis explicandis.

Primum est, instauratio Reipublicæ.

Verba Prophetæ: *Populus Tsione habitabit, &c.*

Sensus sententiæ.

Flendo non flebis, &c. Sententia Vatis.

Jarchii meditatio.

Cum audiverit, respondebit tibi: Sententia declaratur.

Quæritur ad quod tempus prophetia referenda sit?

Duplex hypothesis. altera refert ad tempus Jesaiæ: altera ad Reditum ex Exilio & tempus eum consequens.

Convenientia harum hypothesium.

---

regrinæ militiæ, fuerit instructissimus. Certus auctor est Polybius, *Hist.* Lib. v. p. m. 569. coll. cum p. 587. Persuadeo insuper mihi, *Equos* illos qui Ægypto tribuuntur, vere fuisse *Asros*, sed in Ægypto militiæ caussa altos, quia Scriptores Sacri illos laudant ab insigni *pernicitate*, ut Propheta noster in hoc *Sermone.* quæ proprietas est *Equorum* & *Camelorum Asrorum*, ut ex Leone Africano (*Hist. Afric.* Cap. IX) & aliunde notum. Cætera enim Palæstina non plane caruit *equis*; etsi fateor, non *abundasse* veteribus temporibus, & usum asinorum ac *asinarum* (quibus ipsi *Judices* & *Primores* Populi utebantur, ut liquet ex Jud. v. 10.) in communibus vecturis longe fuisse frequentissimum; quod Grotius recte observat & evincit quoque ex Deut. XVII. 6. Cujus rei ratio petenda præcipue est ex ipsius terræ Judææ natura, quæ maximam partem *montana asinorum* usum in vecturis longe facilius & commodius admitrebat quam *equorum.* Estne vero quod mireris, *Equos* terrestres deficere, cum *Fluvitiales*, (*Hippopotami*, inquam,) non minus Nilum in Ægypto destituant? Ammianus *Hist.* Lib. XII. Cap. XV. de iis loquens: *Et per ætates exinde plures huc ducti, nunc inveniri nusquam possunt.*

a Jud. III. 31. *b* 1 Sam. XIV. 6. seqq. *c* In *Wilhel.* II. p. 41. *d* In *Richardo Primo*, p. 164. *e* In *Lucullo*, p. 510. *f* Amos. II. 12. *g* ℣. 13. seqq. *h* Ps. CXLII. 2. 6. *i* Ps. LXV. 3. *k* 2 Reg. XXIII. 29.

Deum tractaſſe Populum ex Exilio Babylonico reducem, maxime poſt tempora Syriaca. Verum cum non ex uno charactere, ſed ex omnibus complexe ſumptis de tempore alicujus prophetiæ ferendum ſit judicium: non poſſum non ſubſcribere ſententiæ quæ poſteriorem admittit hypotheſin; certe in ea hypotheſi fundat *complementum* eorum beneficiorum, quæ Eccleſiæ Populi Judæi hic promittuntur: etſi facile patior *initium* & adumbrationem eorum tempore Hiskiæ quæri. Interpretatio ejus genuina cum *qualitate temporis* Reditum ex Tranſportatione Babylonica ſequuti eam adſtruet, & conſenſus cognatarum prophetiarum, ut adeo operoſa demonſtratione, ne neceſſe habeam idem bis dicere, hic ſupersedere queam. Et tamen aliqua hic ſunt attingenda, ne diſputationem neceſſariam hic loci ſubterfugere videar. Expende itaque, ſi placet, rationes ſequentes. Primo de tali hic agitur Reipublicæ Tſioneæ reſtitutæ ſtatu, qui conſequeretur *plenariam* ejus *diſſolutionem* ac *deſtructionem*, quam Vates deſcripſerat emblemate *muri alti*, tanta ruina lapſuri, ut non ſupereſſet *teſta* ad *ignem ex foco* aut *aquam ex puteo* auferendam, ỳſ. 13. 14. Atqui, inquis, id pertinet ad Rempublicam Ephraimitarum, qua deſtructa Populus tamen Judæus per Divinam Gratiam ſervatus, maneret Hieroſolymis ſecundum promiſſum hujus loci. Non nego ſane, illud huc primo referendum eſſe, & primum implementum hujus prophetiæ in illorum Republica penitus ſubverſa quærendum eſſe. Verum inſpice locum, & videbis, Prophetam cum prævideret, à Spiritu doctus, Judæos ſubſequente tempore in eundem impacturos lapidem, in quem hoc tempore impingebant Ephraimitæ, ad utroſque ſermonem ſuum convertiſſe, à ỳſ. 8. & *Judæos* criminatione, quam ibi inſtituit, excludi non poſſe. Indoles utriuſque Gentis, ſi multitudinem ſpectes & τὸ πολὺ μέρος, erat eadem; & vitia quæ hic taxantur, *incredulitatis*, *perfidiæ*, *contemptus Verbi verorum Prophetarum*, utrique Genti communia; & ne de eo dubitaremus, conſignatum eſt in hiſtoria, ipſiſſima hæc vitia exitium attuliſſe Reipublicæ Judææ, 2 Chron. XXXVI. 13. 14. 15. Secundo, *Reſtitutio Reipublicæ* hic promiſſa fieret poſt *longam* ſatis *moram*, quam Juſtitiæ Divinæ rationes exigebant, ut vidimus ỳſ. 18. quod de Exilio LXX annorum rectius intelligas, quam de *brevi* tempore afflictionis Aſſyriacæ. Tertio, quod hic loci prædicitur & Eccleſiæ promittitur, fore videlicet, ut ab hoc uſque tempore gauderet multo *clariore* & *copioſiore* inſtitutione *Doctorum publicorum* & *idololatriæ* ac *ſuperſtitionibus* plane renunciaret, licet his ipſis temporibus *ederent* & *biberent panem anguſtiæ*, ỳſ. 20. 21. clariſſime demonſtratur accidiſſe Populo poſt Reditum ex Exilio: ſed demonſtrari nequit eſſe attributum temporis Hiskiæ, ut verba hic jacent. Si enim auctoritas Jeſaiæ & verorum quorundam Prophetarum poſt tempus Liberationis à Senacheribo magis excelluerit quam ante illud tempus, & Populus alienior factus ſit ab idololatria: utique illud beneficium iſthoc tempore non fuit conjunctum cum *anguſtia* & *preſſura*. quod tamen ita ſe plane habuit ſtatu reſtitutæ Reipublicæ poſt Μετοικεσίαν *Babylonicam*. Sed animum Populi ne illo quidem tempore purgatum fuiſſe ab affectu idololatrico, docet hiſtoria Manaſſis, Hiskiæ filii, & Prophetæ noſtri Declamationes adverſus *Idololatras* in poſteriore parte Prophetiarum hujus Libri poſt *Liberationem* à Senacheribo ex Veterum ſententia editarum. Et tamen Propheta hic ſcripſerat; לֹא עוֹד NON AMPLIUS, ỳſ. 20. Quarto, cum Vates Eccleſiæ in hac Pericopa (ỳſ. 25. 26.) ſpem faciat Beneficiorum ampliſſimorum, quæ cum ſummis comparari mereantur: eſtne probabile, illum largiſſimam hanc Benedictionem voluiſſe connectere cum tempore non longo *quatuordecim* vel *quindecim annorum* Hiskiæ? quicquid hic loci & alibi fere apud Prophetam noſtrum magnifice dicitur, illuc referendum eſſe? Poſt obitum enim Hiskiæ omnia rurſus collapſa ſunt, & declamationes Prophetarum Jeſaia poſteriorum, ſatis docent, quam triſtis ſtatus fuerit Populi illorum temporum. Quinto denique, Prophetæ omnes, & noſter Vates iis conſentiens, in omnibus Vaticiniis ſuis ſupponunt, *Benedictionem* veram Populi ſecundum promiſſa Patribus facta exſpectandam non fuiſſe niſi poſt Populum ab idololatria per veram reſipiſcentiam purgatum & reſtitutam Rempublicam ab Exilio Babylonico. Omnium hic eadem vox eſt & ſententia. Confer ex Propheta noſtro ſpeciminis loco Cap. I. 26. 27. IV. 2. XXXII. 14. 15. LII. 1. ſeqq. Jer. III. 14. 15. XXX. 8. 9. XXXI. 1. ſeqq. Ezech. XX. 38. ſeqq. XXXVI. 11. 26. Hoſ. II. 17. 18. *Diſt. Heb. &c.*

Ex hiſce vero Vaticiniis noſtra hæc pericopa interpretanda eſt. Poſtquam Populus degener & rebellis Ephraimitarum ac Judæorum defunctus eſſet malis ſibi juſte decretis, & tandem in Exilio ſecundum prædictionem Moſaicam [a], ſe per ſinceram pœnitentiam abnegata idololatria ad Deum convertiſſet: ſub exitum *ſeptuaginta annorum*, quibus Judicium Divinum circumſcriptum erat: Pii anhelantes ad ſuam liberationem, in *precibus* & *ſupplicationibus* ſe verterunt ad Deum, cujus rei exemplum luculentum habemus in Daniele [b], & protenus à Deo impetrarunt exaudiri. Sic de eo ipſe Vir Sanctus [c]: ET ME ADHUC LOQUENTE *in precatione*, *Vir Gabriël.... me attigit*, *& ſeqq.* Cyrus enim Babylonici Imperii Monarcha factus, Populo Judæo indulſit liberum Reditum in ſedes Patrias, eumque ſua proſequutus eſt munificentia ac liberalitate: quando ſub piis Ducibus in integrum reſtitui cœpit Reſpublica; & ipſa quoque tandem Hieroſolyma, infrequentius primum habitata, poſt reædificatum Templum, cura Nehemiæ in priſtinam formam inſtaurata eſt, ſecundum prædictionem Jeremiæ, Cap. XXXI. 38. *Ecce dies veniunt*, *ait Jehova*, *& ædificabitur Urbs Jehovæ à turri Chananeel uſque ad portam anguli*, *& ſeqq.* & ſecundum promiſſum luculentum poſt tempora afflictionis certius implendum, Zach. VIII. 3. 4. Sic igitur Populus rurſus *habitavit Hieroſolymis in Tſione*; & *lacrymæ* quas profuderat in Exilio [d], abſterſæ ſunt, dum Deus poſtquam expiraſſet tempus *indignationis*, preces electorum & vota Populi ſui exaudivit.

Beneficium ſecundum: *Copioſa inſtitutio*, & quidem *temporibus anguſtiæ.*

ỳſ. 20. *Et* UT DEDERIT *vobis Dominus panem anguſtiæ & aquas preſſuræ: non tamen amplius* IN OBSCURO DELITESCENT DOCTORES TUI, *ſed oculi tui videbunt Doctores tuos.* ỳſ. 21. *Et aures tuæ audient verbum eorum qui à* TERGO TUO INCEDENTES *dicent; Hæc eſt via, calcate eam: ſi ad dextram vel ſiniſtram flexeritis*] Pertinet beneficium, ut mox clarius monebo, ad Statum Reipublicæ reſtitutæ inde à tempore Reditus ex Exilio, & præſertim à tempore Ezræ, uſque ad finem Calamitatis Syriacæ. pariter ac *comma* ſequens. ſed ordine procedendum. Ad intelligentiam orationis primo obſervandum eſt, primam partem ſententiæ ỳſ. 20. ונתן לכם אדני לחם צר quæ proprie valet: *Et dedit* vel *dabit vobis Dominus. p. a. e. a. p.* accipiendam eſſe hypothetice ſive συγχωρητικῶς, pro, *Si dederit*, ſive, *ut dederit*. Cum enim Propheta prævideret, temporibus illis Reipublicæ reſtitutæ Populum Eccleſiæ neutiquam liberum fore variis afflictionibus & preſſuris, ut apud Danielem exerte dicitur, *Urbem reædificandam eſſe cum foris foſſiſque*, ſed בצוק העתים *temporibus anguſtiæ*, ſive *quædam tempora fore in anguſtia* [e]: hic docet, anguſtiam illam temporalem penſandam ac ſuperandam eſſe à Beneficio ſpirituali, quo Deus Eccleſiam ejus temporis bearet; quod eſt copioſæ inſtitutionis *verorum* & quidem *ordinariorum Doctorum* qui Eccleſiæ poſt id tempus non deeſſent.

Posterior hypotheſis hic admittitur, tam reſpectu hujus quam ſequentium Beneficiorum.

Reſtitutio hæc Reipublicæ ſequeretur plenariam ejus Deſtructionem.

Exceptioni ad hanc rationem occurritur.

Inſtauratio hæc Reipublicæ fieret poſt longam ſatis moram.

Beneficium ſub ejus Copiæ plurium Doctorum in illa Eccleſia tempore preſſuræ & anguſtiæ continuandæ minus convenit temporibus Hiskiæ.

Tempus proſperi Regni Jeſaiæ nimis fuit breve quam ut ſufficiat implemento horum Promiſſorum.

Analogia totius Verbi Prophetici favet hypotheſi aſſumptæ.

Loca parallela.

Hiſtoria cum prophetia collata.

Pii ad preces ſuas impetrarunt Liberationem ex Exilio.

Templum & Urbs inſtaurata ſunt.

Populus rurſus *habitavit* & *floruit Hieroſolymis.*

Alterum Beneficium *Inſtitutionis Copioſæ*, & quidem *temporibus anguſtiæ*, ỳſ. 20. 21.

Summa prædicti & promiſſi.

Verba, ỳſ. 20. *Et dederit vobis Dominus panem afflictionis, &c.* accipienda hypothetice.

quod declaratur.

a Deut. IV. 29. 30. XXX. 2. b Cap. IX. 1. ſeqq. c ỳſ. 20. 21. d Pſ. CXXXVII. 1. e Dan. IX. 25.

sent. Verba hunc sensum necessario postulant, etiamsi in ipsa versione hypotheticam voculam *si* hic neglexeris. Est autem ejus non infrequens ellipsis. Sic 2 Sam. XIX. 8. כי אינך יוצא *Quia non egrederis.* pro, *si non egrederis in publicum.* Et in historia Ruthæ [a]: וצמרת והלכת אל הכלים *Et sitieris & iveris ad vasa.* pro, *Et si sitieris, ibis ad vasa.* quæ phrasis huic nostræ per omnia respondet. Produxit hæc exempla ex aliis Kimchius, cujus diligentiæ ea lubens debere volui. Est præterea ea elegantia in hac oratione, ut cum Vates hanc prophetiæ partem dirigere vellet ad consolationem piorum, atque adeo novæ *afflictionis* & *pressuræ* explicatiorem mentionem declinare vellet: hujus afflictionis *obiter* ita meminerit, ut confestim subjungat *Beneficium* insigne, quod Deus non obstante hac *pressura* in populum collaturus esset. Nec tamen hic sensus, licet facilis & obvius, placere potuit Cl. de Dieu, qui sibi persuasit, hæc quoque verba complecti promissum Beneficii quo Deus Populum suum honestaret, monuitque adeo, scribi in textu, מים לחץ *aquam angustiam*, non מי לחץ *aquam angustiæ.* Vertit itaque: *Et dabit vobis Deus panem angustiam & aquas afflictionem*, hoc sensu: *Tanta vos comitabitur benedictionis vis, ut ipsa angustia vobis cibo & tribulatio potui sit futura.* Profecto infeliciter. Non venit enim Doctissimo Viro in mentem, eandem hanc phrasin, ut hic scribitur, מים לחץ, non מי לחץ, *aquas pressuræ*, occurrere significatione communi 1 Reg. XXII. 27. ubi Achabus Rex Micham jussit includi carceri, cum hac adjunctione: והאכילהו לחם לחץ ומים לחץ *Et cibate illum pane pressuræ & aquis afflictionis.* qui idem locus destruit sententiam Jarchii qui hæc verba accipit de *tenuiore* & *modestiore victu* & vivendi ratione Populi Dei, qui *luxui* succederet. מים לחץ hic est pro מים מי לחץ, cujusmodi exemplorum integra series, alias jam observata, est apud Buxtorfium [b]. Beneficium ipsum est *copiosa institutio* & quidem *Doctorum ordinariorum*, quod his declarat verbis, ולא יכנף עוד מוריך quorum videri posset interpretatio magis esse dubia ob insolentem *usum verbalem* vocis כנף. Vox כנף, forma *Nominis*, Hebræis notat *alam* vel *oram* sive *extremitatem vestis.* quæ utraque significatio formata est ex originaria significatione vocis כנף, sive ea valeat *se extendere*, sive *se colligere.* utraque enim proprietas est tam *alarum* quam *orarum vestium*, quæ in longum extensæ per nodos aut fibulas constringebantur. unde Interpretes alii vocem vertunt per *avolare*, ut Hieronymus, & Recentiores illum sequuti plures: alii per, *includi angulo*, ut Jun. & Trem. sive, ut Coccejus, *ad oras detrudi.* Eandem differentiam interpretationis hujus vocis observare est apud Hebræos, quorum Aben-Ezra magis favet priori sententiæ; Jarchius & Kimchius posteriori: licet hic utramque adduxerit. Chaldæus metaphoricam loquutionem in propriam convertit *A.* Uterque sensus, fateor, satis est commodus & convenit subjecto. Non inconcinne dicitur: *Doctores tui non amplius avolabunt.* nec minus commode: *Non amplius sedebunt in angulo.* & tamen ego magis feror in posteriorem sensum. Si vox יכנף hic vertenda esset, *elongabitur*, sive *avolabit*, aut *alas assumet ut abs te fugiat*, ut Sanctius: scripsisset Propheta ex meo sensu, יכנף ממך *avolabit* ABS TE. Sola vox, *assumere alas*, id significare nequit. Deinde cum opposita se mutuo illustrent: sequens *affirmativum* præstat sensum hujus negativi. Est autem his conceptum verbis: *sed oculi tui* VIDEBUNT *Doctores tuos.* Non delitescent illi in obscuro, sed versabuntur in publico. Accedit, rem ipsam difficilius demonstrari posse secundum interpretationem priorem. Fuerunt tempora quibus veri Doctores *defecerunt* aut *latuerunt:* sed fuisse quibus tanquam pennis instructi *avolaverint:* non patet ex historia. Jonas enim quod exemplum hic producit Sanctius, non voluit aufugere in Tarteſſum, quod ægre versaretur in Canaanæa, sed quod omni modo niteretur subterfugere officium, sibi mandatum, denunciandi Ninevitis Judicii Divini. Significatio autem, quam ego hic tribuo voci כנף, translata est à ritu Veterum quo vel pallii lacinia *faciem* suam *obvolvebant*, cujus exemplum est in Elia [c]; vel extremis vestium oris aliquid *involvebant* sive *recondebant.* ut apud Ezechielem [d]: *Et sumes ex illis* (pilis *Capitis* & *barbæ*) *exiguum aliquid*, וצרת אותם בכנפיך *& involves illos alis tuis.* oris vestium tuarum. Pariter Hagg. II. 12. *Ecce tulerit quis carnem sanctam* בכנף בגדו *in ala* (ora) *vestis suæ.* In *saccis* & *loculis* qui sunt in extrema vestis ora. Patet elegantia locutionis. Propheta ait, *Doctores Publicos* & quidem *ordinarios*, non amplius in cellis aut conclavibus suis occulte latitaturos esse, vel etiam carceri includendos, ut tempore impiorum Regum: sed versaturos in publico atque in Cathedris libere suas professuros esse doctrinas. *Doctores ordinarios*, inquam. Eam enim potestatem latere puto in voce מורים *Doctores*, Monstratores. Non scripsit Propheta, PROPHETÆ *tui*, etsi ita scribere poterat; sed DOCTORES *tui:* ut hic cogitaremus de *Doctoribus* quibuscunque, maxime *ordinariis*, qui docerent per *demonstrationem.* quo pertinet, quod scite subjicitur, ℣. 21. *Et aures tuæ audient verbum* A TERGO TUI, *dicentis, Hæc est via, & seqq.* Quam docta metaphora! Doctores publici figurate dicuntur *præcedere* Discipulos, ut viam iis monstrent & præeant, similitudine desumpta à *viâ ducibus*, ut occurrit Cap. XLVIII. 17. coll. cum Deut. XXXII. 12. vel *sequi* dicuntur *ducendos* ut eos observent in omni motu & gressu, & si per errorem *dextrorsum* vel *sinistrorsum* deflectant, eos moneant de errore: metaphora accepta à *Patre* vel *Pædagogo*, qui liberos ante se euntes, curæ suæ commissos, presse sequuntur, & si eos de via declinare advertant, quo eundum sit, verbis docent. cujus metaphoræ usus est Ps. XXV. 4. 5. 8. Quam pulchre ex hac figura cognoscitur officium veri *Doctoris?* Ejus certe est eos qui curæ & disciplinæ suæ commissi sunt, diligenter observare, & quidem ex vero affectu: ad illorum actiones & motus continuo attendere; ipsos semper in oculis habere; aberrationes illorum, sive *dextrorsum* flectant, h. e. in cultu Dei vero vergant ad superstitiones non præceptas; sive *sinistrorsum*, hoc est, ad *idololatriam* aut *vitia*, castigare, & *veram viam salutis*, tam quod ad *fidem* quam quod ad *mores* attinet, *docere*, & quidem per *ἀπόδειξιν demonstrationem.* Est enim מורה proprie *monstrator*; & figurate, *Doctor rationalis* qui *utilia docet* & doctrinam ad conscientiam auditorum suorum patefacit ac demonstrat [e]. Esset autem ejusmodi *Doctorum* magna copia: veruntamen cum omnes *idem docerent*, & inter se conjuncti unum efficerent *corpus Doctorum:* Propheta voci *pluralis numeri* מוריך *Doctores tui* jungit singulare יכנף *delitescet*; cujus loquendi modi exempla in Sacris & apud Prophetam nostrum ubique occurrunt, suis locis sæpius jam observata [f]: scripsitque idem תאמינו pro תימינו, sed in quo nemo hæret.

Patet

Ellipsis voculæ אם *si.*

Orationis concinnitas.

Observatum Cl. de Dieu.

Quod plane improbatur.

Ut & sententia Jarchii.

Beneficium ipsum: *Doctores tui non amplius sedebunt in obscuro.*

Dubia interpretatio orationis Hebraæ, & vocis כנף. significatio ejus.

Specimina variarum versionum. Hebræorum sententia.

Interpretatio Paraphrastæ.

Judicium de utroque specimine interpretationis.

Rationes judicii

Quare vox כנף hic non notet *avolare?*

Senſus nōd convenit historiæ.

Doctores Judæorum olim non *avolarunt ab iis.*

Exemplum Jonæ huc nihil pertinet.

כנף hic notat *delitescere, latitare.* Unde desumpta metaphora?

Mos Veterum aliquid involvendi vel condendi in extremis *pallorum* vel *vestium.*

מורים hic notat *Doctores ordinarios.*

Vox à tergo. Docta locutio. Unde desumpta metaphora?

Officium Doctoris inde illustratum.

Quid sit *dextrorsum* & *sinistrorsum* flectere?

Emphasis vocis מורה.

Doctores illi omnes unum facerent corpus.

---

a Cap. II. 9. b *Thes.* Lib. II. Cap. IV. c 1 Reg. XIX. 13. d Cap. V. 3. e 2 Cor. IV. 2. f Vide Cap. II. 11.

A Chaldæi hic est expositio singularis, animadversione digna. Scripsit ille in Paraphrasi ad hæc verba: ולא יסלק עוד שכנתיה מביניהון ויהון עינך חזין ית שכנתי בבית מקדשא *Et* (Deus) *non tollet majestatem suam* (proprie, *Gloriosam suam Præsentiam*,) *amplius è Domo Sanctuarii; & oculi tui videbunt majestatem meam in Domo Sanctuarii.* Paradoxa ad primam speciem expositio, cujus nullum videtur esse indicium in oratione Prophetæ. Sic omnino, & est tamen secundum hypothesin Interpretis. Paraphrastes vocem מוריך accepit in singulari ex *Annotatione Masorethica* pro מורך *Doctor tuus*: per quem Doctorem intellexit *Deum*, gloriosa Præsentia sua Gentem in Templo illustrantem. Jarchius: ולא יכנף לא יתכסה ממך פניו: מוריך הקב"ה המלמדך להועיל [Non יכנף *Non obteget se* (abscondet) *à te ala vestium suarum, ast dicet. Non occultabit à te faciem suam.* מוריך *Doctor tuus*] *Deus S. B. qui te utilia docet.* Respicit ille, & respexit quoque Chaldæus, ad locum nostri Vatis Cap. XLVIII. 17. *Sic dicit Jehova, Redemptor tuus, Sanctus Israëlis: Ego sum Jehova Deus tuus,* מלמדך להועיל QUI TE DOCET UTILIA, *& te ducit in viam qua tibi eundum est.* Sed nulla hic ratio jubet aut suadet discedere à *lectione textuali*: quin phrasis Prophetæ nos potius monet cogitare de *Doctoribus ordinariis* qui homines docent *viam salutis.*

Summa beneficii ex superioribus collecta.

Patet ex his quæ attuli ad locum interpretandum, promitti hoc loco Ecclesiæ Beneficium magnum copiosæ institutionis fidorum Doctorum, qui in publico versarentur, & debita veneratione à Populo Dei exciperentur, & quidem ejusmodi temporibus quibus Ecclesia hactenus non penitus esset liberata ab afflictione & pressura: sed quod incommodum à Beneficio spirituali superaretur. Hic sensus est prophetiæ. Quæro implementum ejus. quod hic ægre demonstrant qui ab hypothesi nostra discedunt. Equidem nullus dubito, quin, florente statu rerum Hiskiæ post prostratum Assyrium quando auctoritas ejus plurimum crevit, Jesaias Propheta, hoc ipso tempore illustris factus, aliique Dei veri Ministri & cultores in magno fuerint honore & existimatione, & pius Rex diligenter accuraverit, ut *institutio publica* à prudentibus Doctoribus, Prophetis videlicet & Discipulis illorum, satis copiose administrata sit; etsi de eo historia diserte non testetur. Et supereſt tamen unum monumentum Prov. xxv. 1. ubi hæc leguntur verba: *Hæc quoque sunt proverbia Salomonis, quæ transcripserunt* אנשי חזקיה VIRI HISKIÆ, *Regis Juda.* Sunt *Scribæ sacri*, sive *Theologi Regii*, quibus cura digerendorum & supplendorum Librorum Sacrorum ex Monumentis, quæ hic illic latitabant, mandata est. Sed tempore illo florentis status Regni Hiskiæ non *ederunt* Judæi *panem angustiæ*, nec *biberunt aquas pressuræ:* nec de illo tempore dici potest quod Vates hic scripsit, NON AMPLIUS *in angulo delitescent Doctores tui.* Inspice enim mihi sequentia tempora Manassis, à quo veri Dei Prophetæ plane oppressi fuerunt, & forte aliqui illorum etiam occisi [a], & Populus idololatriæ detestabili ita immersus, ut verus veri Dei cultus plane videretur extinctus. quare etiam nullus Propheta in his quorum ad nos pervenerunt monumenta, ad ætatem ejus in *Inscriptione Vaticinii* refertur. Priorem difficultatem ut expediret Kimchius, sententiam hujus loci in alium conatus est flectere sensum, quem paucis inter Christianos persuasit. Monuit ille, vocem מורה hic accipi posse sensu *pluviæ* ex phrasi, יורה ומלקוש *pluvia autumnalis & verna*, atque adeo verba Prophetæ sic posse cohærere; Deum quidem usque ad hoc tempus Liberationis ab Assyrio daturum esse Populo Hierosolymitano *panem & aquam pressuræ:* sed post hoc tempus non amplius *cohibiturum esse* (& nubibus veluti *conclusurum*) *pluviam* quæ daret largum terræ proventum. Absurda est interpretatio quam sequentia refellunt; nec מורה unquam sumitur pro *pluvia*; nec *panis & aqua afflictionis* tempore irruptionis Senacheribi adscribi poterat defectui *pluviæ*, sed *vastationi terræ* faciendæ ab Assyriis: ut vehementer mirer, Calvinum eam adoptasse. Sed converte te ad Statum populi reducis ex Exilio Babylonico, & deprehendes rem ipsam, ut hic à Vate prædicitur. Status Populi ex Exilio reversi in Canaanæam per longum satis tempus fuit tenuis & afflictus, quippe de quo omnia illius temporis monumenta testantur. Vicinæ Gentes, ægris oculis adspicientes instaurationem Reipublicæ hujus Populi, proposito ejus adversabantur; & agri, qui longum tempus nullo cultu subacti fuerant, agricolarum spem sæpe frustrabantur: tum præterea Satrapæ Persarum exactionibus suis reducibus erant molesti; & multi illorum suæ utilitatis majore habita ratione quam Domus Dei, non impetrabant Benedictionem Divinam quam avide exspectabant. Sic Haggæus ante instauratum Templum sub Dario, ut putamus, Hystaspis Filio [b]: *Seminastis multum & inferis parum: editis, at non est ad satietatem; bibitis, at non ad ebrietatem: vestitus quis est, at non calesit.* Ezras in solenni illa ad Deum confessione, sub Artaxerxe primo [c]: *Et nunc ô Deus noster, Deus ille fortis, magnus ille ... ne sit res parva coram te omnis illa* MOLESTIA (התלאה) *quæ nos offendit juxta ac Reges nostros; Principes nostros, & Sacerdotes nostros, & Patres nostros, & totum Populum, à diebus Regum Assyriorum* (sub quibus Persas quoque comprehendit,) USQUE AD DIEM HUNC. Et mox [d]: *Ecce nos hoc tempore servi sumus, & terra quam dederas Patribus nostris, ut fructu ejus vescerenur, & bono ejus, ecce nos in ea servi sumus: & proventus ejus copiosus est pro Regibus, quos nobis imposuisti propter peccata nostra & qui corporibus nostris & jumentis dominantur pro placito suo,* ובצרה גדולה אנחנו ET NOS SUMUS IN ANGUSTIA MAGNA. Adde his historiam Nehemiæ, quæ de afflicto hoc reducum statu tota testatur; & luculentum Visum Zachariæ, his consonum [e]. Quin certe, etsi post instauratam Hierosolymam Respublica majus robur & incrementum acceperit: Judæi tamen qui in Canaanæa sedes domicilii sui fixerant, post dominatum Persarum variis pressi calamitatibus sub Lagidis & Seleucidis, & sub finem hujus Periodi quam Propheta hic designat, gravissime afflicti & oppressi, vix respirarunt ante Rempublicam in libertatem vindicatam sub Simone Ethnarcha, Maccabæorum qui curam ejus susceperunt fratre tertio. Et tamen hoc omni tempore Deus Ecclesiæ Populi sui procuravit sua providentia ingens beneficium, hic descriptum, copiosæ institutionis Ordinariorum Doctorum magno numero, qui Prophetis Haggæo, Zachariæ & Malachiæ, successerunt, juxta promissum ejusdem tenoris clare consignatum à Jeremia, de Statu Reducum ex Exilio vaticinante [f]: *Et assumam vos unum ex Urbe & duos ex familia, & reducam vos in Tsionem: & dabo vobis* PASTORES *secundum cor meum & pascent vos scienter ac prudenter.* An non vides, designari Ezram magnam ducentem familiam præstantium Virorum, qui Libros Scripturæ Sacræ, prioribus temporibus à vulgo parum tritæ, recensuerunt; in ordinem digesserunt; meditationibus suis subegerunt, & Populo ex suggestis non prælegerunt tantum sed & *exposuerunt*, (ut ex luculento loco Nehemiæ [g] liquet,) atque integram *formam Sacrorum* in cœtibus credentium *observandorum* scienter ordinarunt: in quibus Ecclesia præludium habuit institutionis ordinariorum Doctorum, quæ longe adhuc copiosior & spiritualior obtineret sub Oeconomia Nova, cujus disciplina ad hunc typum conformata est. Sic enim se res habet, Deum mox post Reditum Populi ex Exilio universum Statum Ecclesiæ suæ eum in modum gubernasse, ut eum præpararet ad Oeconomiam *spiritualem*, à Filio ejus & ipsius Apostolis instituendam, *carnali* quæ jam evilescebat, abrogata. quare Prophetæ subinde hos Doctores nobis sub *uno schemate* repræsentant. Ergo post hoc tempus non essent *Doctores rari*; nec *sederent in angulo*, sive *delitescerent*, ut tempore impiorum Regum; nec docerent more Prophetico, sed *familiari* & *communi* in Synagogis, & Scholis publicis, essentque inter eos plures Viri egregii, Magistri veritatis & virtutis. De quo ad *Contextum sequentem* plura adhuc monenda sunt.

An prophetia hæc implementum consequuta sit temporibus Hiskiæ? Quid hic concedi possit?

Hiskias promovit studia Literarum Divinarum.

Locus Prov. xxv. 1.

Sed florente statu Hiskiæ non *ederunt Judæi panem afflictionis*, &c.

Et beneficium hoc fuit brevis temporis.

Quod amplius illustratur,

Hoc tamen tempore gavisi sunt copia excellentium Doctorum Ordinariorum.

Analogus locus Jer. III. 14. 15.

Kimchii lusus in hoc loco accommodando ad tempus Hiskiæ.

Quæ rejicitur.

Perfectum implementum prophetiæ in statu reducum ex Exilio Babylonico.

Judæi tum *ederunt panem* afflict. &c.

Historia producta.

Illi præluserunt, Doctoribus Ecclesiæ N. T.

Beneficium tertium: *Expurgatio idololatriæ.*

Locus Hagg. I. 6.

Locus insignis ex Oratione Ezræ, Neh. IX. 32.

Beneficium tertium: *Sanctificatio & Purificatio ab idololatria.*

vſ. 22. *Et immundum reputabitis* OPERIMENTUM SCULPTILIUM TUORUM *argenteorum, & amictum fusilium* AUREORUM TUORUM. AMOVEBIS *ea ut* EXCREMENTUM MENSTRUUM. *Apage sis; dices ei*] Hebræa proprie sonant, *Operimentum sculptilium argenti tui, & amictum fusilium auri tui.* ubi cum rursus occurrat *enallage personarum*, cum videretur scribendum fuisse, *argenti* VESTRI & *auri* VESTRI: observandum hic rursus est quod sæpe alias, nihil hic Prophetæ per incuriam excidisse. Oratio composita est ad emphasin, & sic interpretanda; *immundum reputabitis* quisque pro se, tu Jacobe, *operimentum sculptilium tuorum*; & tu Jonathan, *amictum fusilium tuorum.* Rursus in fine: *Apage*, sis, *dices ei*, pro *iis.* h. e. unicuique eorum. Nihil itaque est quod nos hic moretur quod ad *interpretationem literalem*, præter phrasin, תורם כמו רוה quam verti, *expurgabis ea ut ex-*

Observatum ad phrasin Hebræam.

Verba: תורם כמו רוה. Eorum interpretatio.

[a] 2 Reg. XXI. 16. [b] Cap. I. 6. [c] Neh. IX. 32. [d] vſ. 36. 37. [e] Cap. I. 8. [f] Cap. III. 14. 15. [g] Cap. VIII. 2. ſeqq.

crementum menſtruum; vel, quod idem eſt: *veſtem menſtruo excremento tinctam*, ut plures Interpretes alii. Hieron. *Et diſperges ea ſicut immunditiem menſtruatæ.* Græcus: Ὡς ὕδωρ ἀποκαθημένης. Piſc. *Abjicies ea ut* mulierem *laborantem ex menſtruis.* quod durius. Mulier enim laborans menſtruis proprie non *abjicitur.* Coccejus: *Sparges illa tanquam nauteam.* Doctius forte quam hic neceſſum erat. *Nautea* enim quæ dicitur, liquor quilibet fœtidus, nauſeam movens, proprie non *diſpergitur.* Noſtra ſententia דוה hic omnino ſumi debet vel pro *muliere* menſtrua infirmitate laborante, quo ſenſu manifeſte ſumitur Lev. xv. 33. vel per *Synecdochen* familiaris uſus pro *aliquo ejus*, h. e. pro *panno* aut *linteo*, menſtruatæ ſanguine tincto, quod Vates בגד עדים *veſtimentum menſtruatum* vocat Cap. lxiv. 5. *Diſt. Heb.* ut דוה hic elliptice ſcriptum ſit pro דבר דוה *res* aliqua *menſtruatæ*, ellipſi uſus familiaris. Agi enim hic de *re immunda*, patet ex initio *verſiculi: Et* IMMUNDA *illa reputabitis.* Sanguis autem *menſtruus* ex Lege habebatur inter res maxime immundas. Vocem autem תזרם hic verto per *abjicies* vel *amovebis ea*, ſeparabis, alienabis ea: ſignificatione vocis זרה petita ex affinibus זור & נזר, *alienare*, *ſeparare*, amovere, excutere; unde ipſa quoque *diſpergendi* notio, quæ voci זרה adhæret, originem ducit. Sequentia quod hic dicitur explicant: *Exi*, apage, *dices ei.*

Verſio Cl. Cocceji.

Sententia probabilis de ſignificatione vocis דוה h. l. & ſenſu orationis Prophetæ.

Summa hujus Pericopæ. Populus Dei h. t. abſtineret *idololatria*, tam *publica* quam *Domeſtica.*

Poſterior ſpecies deſcribitur.

Summa ſententiæ, his verbis expreſſæ, eſt, Populum Dei illa *periodo temporis*, quæ hic ſignatur, ſe abſtenturum eſſe ab idololatria, non *publica* tantum, ſed & *privata* ac *domeſtica* quam hic potiſſimum deſcribi putem. Cum enim Populus, magnam partem rudis & carnalis, ad idololatriam, divinationes, & auguria, valde proclivis, ſub bonis Regibus prohiberetur idololatriæ in publico operam dare: non deſinebant tamen plures in interioribus Domus ſuæ conclavibus habere *imagines* ſive *imagunculas Divinatorias*, quas Latini *Penates* vocant, Hebræi antiquitus THERAPHIM. Locus de eo eſt inſignis Deut. xxvii. 15. *Maledictus ille vir ſit qui fecerit imaginem* SCULPTILEM *aut* FUSILEM, *abominabilia Domino*, *opus manus artificis*, & POSUERIT בסתר IN OCCULTO. Quod hic Legiſlator סתר *occultum* vocat, interius conclave ædium, Græci appellabant ἐφέστιον, Latini *Lararium*, ſive ut Feſtus, *Deorum penatium Sacrarium.* Fiebant autem *imagines* ejuſmodi paſſim ex *ligno*, ſed exaſciatæ formataque obducebantur *argento* vel *auro*: vel etiam *fundebantur ex ære*, ſed *operimento aureo* vel *argenteo* exornandæ. De utraque ſpecie locus eſt apud Prophetam noſtrum inſignis Cap. xl. 19. FUSILE (הפסל *imaginem*,) *fudit artifex*, & *aurifaber* AUREIS LAMINIS ILLUD TEGIT, & *ſunt catenæ argenteæ aurifabri. Qui frugalior eſt in re a ſubſtantia ſua decerpenda in uſum Divinum*, *Lignum quod non putreſcit*, *eligit*, *fabrum ſapientem quærit ſibi*, *ad aptandum* SCULPTILE quod *non nutet.* Sed in ſequentibus [a] Propheta preſſius adhuc & copioſius de eo differit, docetque ſimul has *imagines* ſolitas eſſe fingi כתבנית איש *ad ſpeciem humanam*, & תפארת אדם *decus hominis*, (quæ vera erat figura תרפים *Theraphim*,) & quidem לשבת בית *ut reſideant domi.* h. e. ut non in *Sacrariis* publicis, ſed *domeſticis* colantur: de quo ſuperſtitionis uſitatiſſimæ genere ad Cap. ii. 8. & ℣. 20. quantum ſatis eſt, me agere memini. Hoc autem tempore, quod Vates circumſcribit, Populus liberatus renunciaret errori ac ſuperſtitioni; abſtineret ab idololatria, non publica tantum verum etiam domeſtica: imo vero abhorreret ab ea tanquam à re maxime immunda, qualis erat, eamque exigeret atque eliminaret. Sic factum poſt tempus *Reditus* Populi ex *Exilio Babylonico*, eſtque hic indubius ejus temporis character. Res enim vere digna eſt admiratione, illam Gentem, quæ ante Exilii tempus nullis Prophetarum admonitionibus, convictionibus, increpationibus, & Judicii Divini plagis, ab hac putida ac deteſtabili ſuperſtitione revocari potuit: in Exilio, ubi metus erat juſtiſſimus, ne inter idololatricas Gentes verſata longius etiam à Deo recederet, tam ſerio *ad animum revocaſſe* (phraſi Moſis [b], qui hanc *converſionem* in Exilio tot annis ante prædixerat,) transgreſſiones Majorum ſuorum, ut deinceps conſtanter (exceptis *profanis* & impiis tempore Antiochi Epiphanis,) in fide & cultu veri Dei perſtiterit, & à craſſo hoc vitio ſe perfecte purgaverit, ut hic dicitur. Propheta de eo diſerte vaticinatus fuerat, Cap. i. 25. 26. ii. 20. iv. 4. ubi quæ ſcripſimus inſpicienda ſunt. Prophetæ omnes idem futurum prædixerant, veluti Jeremias, Cap. xxxi. 9. Ezech. xxxvi. 24. 25. Hoſ. ii. 15. 16. (*Diſt. Heb.* ℣. 18. 19.) Tſeph. iii. 12. 13. &c. Equidem non eſt mihi dubium, quin poſt graviſſimas plagas Judicii Ephraimitis inflictas, aliqui ex iis ſe ad verum Deum, abjectis idolis converterint, de quo vidimus ad Cap. xvi. 7. [c] & inſigne Beneficium Liberationis ab Aſſyrio ſub Hiskia bene multos retraxerit à vaniſſimo idololatriæ ſtudio: ſed conſtat ſimul, Ephraimitarum multos tempore Hiskiæ, ſat jam graviter à Deo afflictos, in idololatria ſua pervicaciter obduraſſe [d]; & Judæos poſt Hiskiæ obitum exemplum Manaſſis impii Regis ſequutos ſe ad omnem idololatriæ ſpurcitiem denuo effudiſſe, ut ſatis inde liqueat, plurimos etiam hoc tempore in hypocriſi ſua perſtitiſſe, cujus paſſim à Propheta redarguuntur. Propheta etiam noſter in his Concionibus, quas poſt cladem Aſſyrii edidiſſe fertur, adverſus idololatriam (*domeſticam* maxime) fortiter declamat; etſi ego non negem, eſſe earum Concionum ſcopum ſublimiorem. Certe ſua tempora nullibi hiſtorice laudat: beneficia ab Eccleſia exſpectanda ad ſequutura tempora ablegat. ut adeo promiſſi hujus implementum non niſi tenuiſſimum in ejus temporibus demonſtrari queat.

Vaticinia de eo parallela.

Quatenus hoc conſequens locum habuerit in Ephraimitis & Judæis tempore Hiskiæ.

Beneficium Quartum: *Purus paſtus ſpiritualis*, cum Benedictionibus temporalibus conjungendus.

℣. 23. *Et dabit* PLUVIAM *ſemini tuo quo conſeraueris terram*; *& panem proventus terræ*; *iſque uber & pinguis erit. pecus tuum paſcet illo die in paſcuis amplis.* ℣. 24. *Et* BOVES *ac* PULLI, *colentes terram*, FARRAGINEM ACIDAM *comedent*, *ventilatam vanno & ventilabro.* ℣. 25. *Et erunt ſuper omnem montem altum & ſuper omnem collem elatum* RIVI, FLUENTA AQUARUM, *die* CÆDIS MAGNÆ *quando* CORRUENT TURRES] Qui hæc verba legere incipit, ei mox ſubnaſcitur cogitatio de ſingulari aliqua Benedictione temporali, qua Deus illa Periodo, quæ iis deſignatur, Populum ſuum proſequeretur & fortunaret: ſed qui *extrema* legit, in quibus deſinunt, & ſimul expendit *Comma ſequens* de incremento mirabili Luminis *Solis* & *Lunæ:* hunc pœnitet præcipitis judicii. Non revocaverat enim ſatis ad animum, ſe Prophetam tractare ejus ſapientiæ & ſublimitatis, ut tum etiam ubi de *temporalibus beneficiis* loqui videtur, in oculis habeat ſpiritualia; cuique in more eſt poſitum, utrorumque imagines tam ſcienter inter ſe miſcere, ut doctis etiam viris negotium ſit eas ab invicem diſcernere. Ita eſt, quæ in ℣. 25. dicuntur; *ſuper omnem montem altum & collem elatum fore rivos & fluenta aquarum*, & quidem *die cædis magnæ* ubi *turres ruent:* quis non videt, πνευματικῶς intelligenda eſſe? Ut enim de *ruina turrium* quod narratur, nullum dubium eſt quin figurate capiendum ſit: ſic vanus fuerit qui exſpectaverit ejuſmodi aliquem mundi ſtatum, quo *colles monteſque omnes*, (vel ſolius Canaanææ, ſi ejus tantum hic rationem habeas:) exhibeant *rivos & fluenta aquarum.* Nec dixeris facile, ſi in temporalium contemplatione hæreas, quæ proportio intercedat inter *cædem magnam* ac *ruinam turrium* & inter commodum *rivorum* ac *fluentorum* in *montibus* ac *collibus.* Poſſunt enim eſſe *rivi* & *fluenta* in montibus ex ordine naturæ, etiamſi *cædes* nulla perpetretur, & *nullæ* lapſum minentur *turres.*

Beneficium Quartum: *Purus paſtus ſpiritualis*, ℣. 23. 24.

Primus ſpectus verborum Prophetæ.

Interior ſpiritualis.

Qui confirmatur ex ipſa oratione Prophetæ.

Imaginum poſterioris generis ſpecies deſcribitur.

Locus Cap. xl. 19.

Status temporis reſipiſcentiæ ſuperiori oppoſitus.

Implementum prophetiæ & promiſſi poſt Reditum ex Exilio Babylonico.

Animadverſio in hanc rem.

[a] Cap. xliv. 12. ſeqq. [b] Deut. xxx. 1. 2. [c] Confer 2 Chron. xxxiv. 9. [d] 2 Chron. xxx. 10.

res. Ne nunc addam, cum *boum* & *pullorum Deo* non sit *singularis cura* ex dicto Apostoli [a]: altius ascendendum esse nostra meditatione ad ℣. 24. si sensum ejus perfectum assequi velimus. Ergo res ita se habet, Vatem nostrum orationem suam sic temperare, ut apta sit lectorem à benedictione terrestri educere ad benedictionem spiritualem ac cœlestem, notionesque Beneficiorum temporalium & spiritualium eum in modum inter se permiscere, ut verba ejus legentes à corporalibus ad spiritualia assurgerent. qui mos est Prophetarum. Sic Amosus loquens de Statu Ecclesiæ ejusdem *Periodi*, quæ hic designatur, mox circumscribenda [b]: *Ecce dies veniunt, ait Jehova, & accedet arator ad messorem, & calcans uvas ad spargentem semina; & diffluent montes musto, & omnes colles liquescent*, & seqq. Pariter Joël [c]: *Et futurum est illo tempore ut stillent montes musto, & colles fluant lacte, & omnes alvei Judæ eant aquis; & fons ex Domo Jehovæ exeat, atque irriget vallem Sutim.* Sed nemo ditior est his emblematibus Propheta noster, apud quem in sequentibus [d] plura hujus generis occurrent. Hoc oculo percurram insignem hanc pericopam, ejusque genuinum exponam sensum. Observas in ea luculentum promissum *pastus Ecclesiæ puri & abundantis*, quod *quatuor articulis* exhibetur: dein *signum temporis*, quo hoc Beneficium in Ecclesiam conferendum esset.

Vera hypothesis hujus Pericopæ tractandæ.

Spiritualia hic latent sub cortice *corporalium.*

Analoga exempla ex aliis Prophetis producta.

Primus articulus sententiæ: Deus *daret pluviam semini*, &c.

Primus *articulus* sententiæ est, *daturum esse* DOMINUM, (quem hic subintelligendum esse, nemo dubitat: etiamsi vocem ונתן hic vertere institueres, & *dabitur*,) *pluviam semini quo consereretur terra, & panem proventus terræ, eumque pinguem & opimum.* Non excludo hic sensum *literalem*, licet Vates altius spiret. Mystice significat, Deum *sationem spiritualem*, quæ est pura & sobria institutio Verbi Justitiæ, faciendam à *Satoribus spiritualibus*, h. e. à Doctoribus Verbo Justitiæ probe innutritis, prosequuturum esse copiosa benedictione & gratia cœlesti Sancti Spiritus & donorum ejus, eo cum eventu, ut fructum producat uberem & solidum, h. e. profectum in eruditione, sapientia, prudentia, sanctimonia, virtute, ad consolationem, vivificationem, lætitiam & sustentationem atque incrementum animarum, in statu vitæ spiritualis. Omnis enim profectus in vera doctrina & sanctimonia, ut tendit ad confirmationem fidei & spei: sic conjunctus cum consolatione Spiritus S. fit spirituale pabulum animarum, *quo vivitur, & in quo est vita spiritus*, quæ phrasis est Hiskiæ [e]. qui profectus, quanto est verior, solidior, & in certiore demonstratione veritatis fundatus: tanto hic *panis* censetur esse *pinguior* & *succosior*. qualis is est profectus quem *Libri* boni à Doctis sanctisque hominibus elaborati & illustria *Opera Pietatis* & *charitatis* produnt. Hic *panis* est qui ex pingui terræ proventu conficitur. Sic Propheta usus erat hoc emblemate *Satoris*, Cap. XXVIII. 24. ubi illud ex analogis illustravimus [f], & rursus Cap. XXXII. 14. *Beati qui* SEMINANT *apud omnes aquas.* Eandem mysticam significationem *aquæ* poscit locus Cap. V. 6. *Et nubibus præcipiam, ne in eam demittant pluviam.* Rursus Cap. XLIV. 3. Zacharias [g]: *Petite à Jehova* AQUAM PLUVIALEM *tempore pluviæ vernæ.* Benedictionem spiritualem. Alio loco [h]: *Et futurum est, ut qui non ascenderit ex omnibus familiis terræ ad se incurvandum coram Rege Jehova, Exercituum* Domino: *super eum non sit* PLUVIA. h. e. privetur gratia, benedictione, & consolatione spirituali. Articulus alter (℣. 23. med.) fert, *Pecora* illo tempore *pastura esse in pascuis spatiosis.* Quid significent verba κατὰ γράμμα, vides. Mystice sic accipies, id ætatis quod Vates in oculis habet, *Gregem Domini*, (τὸ πόιμνιον τῦ Κυρίᾳ, phrasi sacra [i]:) amplissimam consecuturum esse copiam ingenii sui exercendi in intelligentia & scrutinio rerum spiritualium non ad necessitatem tantum vitæ spiritualis sustinendæ, verum etiam ad delectationem & delicias. quod fit, ubi *Verbo Dei*, pluribus Libris comprehenso, omnium oculis exposito, cuique facultas datur per ejus versandi & expatiandi latifundia; sensus ejus sive in *Historicis*, sive etiam *Dogmaticis*, *Moralibus* & *Propheticis*, perscrutandi; sententias inde perceptas inter se conferendi; Libros & Meditationes Doctorum varias in hunc usum inspiciendi, pervolvendi, & libero animi judicio ex iis seligendi quod ad solidam ædificationem & incrementum doctrinæ ac virtutis facere posse videtur. Hæc sunt *pascua spatiosa* Gregis Dei & Ecclesiæ. Quicquid enim Deus ut *suum possidet*, (quæ est significatio genuina vocis מקנה) idem quoque Ecclesia *possidet ut suum. Grex Dei* est *Grex Ecclesiæ.* Emblema ipsum *pascendi* non necesse habeo illustrare, cum in Libris utriusque Fœderis nullum sit vulgatius: de quo commentatus sum ad Cap. XI. 7. *Articulus* tertius, in eadem decurrens metaphora, habet ℣. 24. *Boves & pullos* (asinorum) *colentes terram farraginem subacidam comesturos esse, vanno & ventilabro purgatam.* Docta rursus metaphora. Hebræa habent: בליל חמץ יאכלו quod Interpretes Kimchium sequuti, passim vertunt, *farraginem puram comedent.* Hieron. *Commistum migma.* Vox בליל proprie significat *pabulum jumentorum*, quod מספוא dicitur Gen. XXIV. 25, Est autem jumentorum sive *boum pabulum* תבן *stramen*, *palea*, ut vidimus Cap. XI. 7. vel *μίγμα*, sive *mixtum ex palea, fœno, furfure*; quæ significatio est genuina vocis בליל *mixtum*, ex בלל *miscere*, confundere. Sed quod passim alias fit, flexa est notatio vocis ex peculiari in communem, & recte generatim usurpatur pro *pabulo* jumentorum. Sed vocis חמץ dubia magis est significatio. Kimchius vertit per נקי *purum*, *mundum*, ut modo monebam. quæ interpretatio satis bene videtur convenire ei quod sequitur, *vanno & ventilabro ventilatum:* sed non satis commode respondet genuinæ notationi vocabuli חמץ, quod est à חמן *fermentescere*, *acidum factum esse.* unde חמץ *acetum.* Cl. Coccejus reddit per *farraginem maceratam.* Ergo alterutrum videtur admittendum, vel ut חמץ hoc in loco notet *hordei quoddam genus acidum, fermentaceum*, quale illud Palæstinæ fuisse Magistri tradunt, & in Hispania reperiri, docet Sanctius; vel, ut בליל חמץ valeat *farraginem subacidam*, h. e. farraginem *acido* cuidam *condimento* (*salis, granorum*, aut *herbarum aliarum*,) mixtam, qua rustici fastidienti jumentorum stomacho subvenire solent: quod pabuli genus jumentis gratissimum accidit. quod ipsum quoque observatum apud Sanctium reperies. Prius hic manifeste sequuti sunt *ol ό.* qui hic habent: Ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ λελιμμένῃ· *paleæ mixtæ hordeo ventilato*, vel λελιμμένα, *ventilatæ.* Posterius ut verissimum probavit Bochartus [k], cæteras interpretationes late rejiciens; docens insuper, hoc *Pabuli* genus Arabibus simili notione efferri, & *dulci pabulo*, quod *camelorum* est, contradistingui. à quo peritissimo Viro hic discedere nolui. Avenarius quoque, cui plurimum tribuo, בליל חמץ transfert per *pabulum acidum*, jumentis sc. jucundissimum & saluberrimum; idque solidum, sive *hordeo* constans, sive à furfure inutili purgatum. Dubitas insuper ad hæc verba, an *asini* & *asinorum pulli* olim quoque adhibiti sint ad *arationem*, (de *bobus* enim res est notissima:) adi eundem Virum eruditum [l], & recedes doctior. Nobis hic plane sufficit locus parallelus Cap. XXXII. 20. Mystice significat, Ministros omnes Rerum Sacrarum κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, *laborantes in sermone & doctrina*, superioris & inferioris otdinis, honeste sustentatos, & *salubribus sanantium & sanorum verborum* (τῶν ὑγιαινόντων λόγων,) *studiis*, iisque puris & castis, in tanta Literarum copia, liberaliter *pastos*, ad opus Doctoræ & Ministerii Verbi abunde suffecturos esse. quæ interpretatio mystica,

Spiritualis sustinendæ, verum etiam ad delectationem & delicias. quod fit, ubi *Verbo Dei*, pluribus Libris comprehenso, omnium oculis exposito, cuique facultas datur per ejus versandi & expatiandi latifundia; sensus ejus sive in *Historicis*, sive etiam *Dogmaticis*, *Moralibus* & *Propheticis*, perscrutandi; sententias inde perceptas inter se conferendi; Libros & Meditationes Doctorum varias in hunc usum inspiciendi, pervolvendi, & libero animi judicio ex iis seligendi quod ad solidam ædificationem & incrementum doctrinæ ac virtutis facere posse videtur. Hæc sunt *pascua spatiosa* Gregis Dei & Ecclesiæ. Quicquid enim Deus ut *suum possidet*, (quæ est significatio genuina vocis מקנה) idem quoque Ecclesia *possidet ut suum. Grex Dei* est *Grex Ecclesiæ.* Emblema ipsum *pascendi* non necesse habeo illustrare, cum in Libris utriusque Fœderis nullum sit vulgatius: de quo commentatus sum ad Cap. XI. 7. *Articulus* tertius, in eadem decurrens metaphora, habet ℣. 24. *Boves & pullos* (asinorum) *colentes terram farraginem subacidam comesturos esse, vanno & ventilabro purgatam.* Docta rursus metaphora. Hebræa habent: בליל חמץ יאכלו quod Interpretes Kimchium sequuti, passim vertunt, *farraginem puram comedent.* Hieron. *Commistum migma.* Vox בליל proprie significat *pabulum jumentorum*, quod מספוא dicitur Gen. XXIV. 25, Est autem jumentorum sive *boum pabulum* תבן *stramen*, *palea*, ut vidimus Cap. XI. 7. vel *μίγμα*, sive *mixtum ex palea, fœno, furfure*; quæ significatio est genuina vocis בליל *mixtum*, ex בלל *miscere*, confundere. Sed quod passim alias fit, flexa est notatio vocis ex peculiari in communem, & recte generatim usurpatur pro *pabulo* jumentorum. Sed vocis חמץ dubia magis est significatio. Kimchius vertit per נקי *purum*, *mundum*, ut modo monebam. quæ interpretatio satis bene videtur convenire ei quod sequitur, *vanno & ventilabro ventilatum:* sed non satis commode respondet genuinæ notationi vocabuli חמץ, quod est à חמן *fermentescere*, *acidum factum esse.* unde חמץ *acetum.* Cl. Coccejus reddit per *farraginem maceratam.* Ergo alterutrum videtur admittendum, vel ut חמץ hoc in loco notet *hordei quoddam genus acidum, fermentaceum*, quale illud Palæstinæ fuisse Magistri tradunt, & in Hispania reperiri, docet Sanctius; vel, ut בליל חמץ valeat *farraginem subacidam*, h. e. farraginem *acido* cuidam *condimento* (*salis, granorum*, aut *herbarum aliarum*,) mixtam, qua rustici fastidienti jumentorum stomacho subvenire solent: quod pabuli genus jumentis gratissimum accidit. quod ipsum quoque observatum apud Sanctium reperies. Prius hic manifeste sequuti sunt *ol ό.* qui hic habent: Ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ λελιμμένῃ· *paleæ mixtæ hordeo ventilato*, vel λελιμμένα, *ventilatæ.* Posterius ut verissimum probavit Bochartus [k], cæteras interpretationes late rejiciens; docens insuper, hoc *Pabuli* genus Arabibus simili notione efferri, & *dulci pabulo*, quod *camelorum* est, contradistingui. à quo peritissimo Viro hic discedere nolui. Avenarius quoque, cui plurimum tribuo, בליל חמץ transfert per *pabulum acidum*, jumentis sc. jucundissimum & saluberrimum; idque solidum, sive *hordeo* constans, sive à furfure inutili purgatum. Dubitas insuper ad hæc verba, an *asini* & *asinorum pulli* olim quoque adhibiti sint ad *arationem*, (de *bobus* enim res est notissima:) adi eundem Virum eruditum [l], & recedes doctior. Nobis hic plane sufficit locus parallelus Cap. XXXII. 20. Mystice significat, Ministros omnes Rerum Sacrarum κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, *laborantes in sermone & doctrina*, superioris & inferioris otdinis, honeste sustentatos, & *salubribus sanantium & sanorum verborum* (τῶν ὑγιαινόντων λόγων,) *studiis*, iisque puris & castis, in tanta Literarum copia, liberaliter *pastos*, ad opus Doctoræ & Ministerii Verbi abunde suffecturos esse. quæ interpretatio mystica,

Sensus ejus spiritualis.

Pabulum spirituale in statu gratiæ describitur, ex re ipsa & locis analogis.

Articulus alter: *Pecora pascerent in locis spatiosis.*

Sensus sententiæ mysticus, qui illustratur.

Communio bonorum Dei & Ecclesiæ.

Articulus tertius, ℣. 24. *Boves & pulli colentes terram farraginem subacidam comederent.*

Significatio vocis בליל generalis & specialis.

Diligentior consideratio vocis חמין h. l.

Gemina vocis notatio, utraque exponitur.

Probatur sententia altera, quæ vocem reddit per *subacidam* sc. farraginem. Cl. Bochartus aliique laudati.

Asini & *asinorum pulli* olim adhibiti ad arationem.

Mysticus sensus sententiæ.

---

a 1 Cor. IX. 9. *b* Cap. IX. 13. *c* Cap. III. 10. *d* Cap. XXXV. XLI. XLIV. &c. *e* Jes. XXXVIII. 14. *f* Matth. XIII. 3. 1 Cor. III. 6. *g* Cap. X. 1. *h* Cap. XIV. 17. *i* Act. XX. 28. 1 Pet. V. 2. *k* Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. VII. *l* Part. I. Lib. II. Cap. III.

stica, non nostra est, sed Paulina [a]. Conferatur locus modo designatus Cap. XXXII. 20. Quartus denique articulus habet, ℣. 25. *In montibus omnibus & collibus elatis fore rivos, fluenta aquarum.* Hic oculos aperiunt, quotquot fere Interpretes in superioribus nihil spirituale viderunt. Sive enim verba de Canaanæa sola accipias, sive de quibuscunque montibus & collibus per Orbem sparsis: sive Hiskiæ tempora respicias, sive sequutura: nemo facile crediderit, naturam rerum sic immutandam esse, vel immutatam unquam fuisse, ut *rivi* & *fluenta aquarum* ex omnibus fluxerint vel fluxura sint montibus & collibus: licet cætera nemo neget, secundum naturæ Legem rivos & fluenta, imo & fluvios majores, passim ex montibus, sive ex fontibus, qui in montibus scaturiunt, aut ex nive & pluviis ibi collectis originem ducere. Mystice significatur, in omnibus locis celebrioribus, sive Regnorum celebriorum, sive Urbium, fore *Synagogas*, *Scholas* publicas, *Oratoria*, in quibus Verbum Dei & Doctrina puræ Religionis copiose docetur, ut veræ Sapientiæ avidi ibi sitim suam explere, aut *aquas* Doctrinæ solidæ in usum suum convertere possint. Sic sumitur emblema Cap. XXXV. 6. *Findentur in Deserto aquæ & torrentes in solitudine.* Cap. XLI. 18. *Aperiam in locis eminentibus fluvios, & in medio convallium fontes.*

Articulus quartus, ℣. 25. *In omnibus montibus & collibus* essent *rivi, fluenta aquarum.*

Verba, ut jacent, κατὰ γράμμα accipi nequeunt.

Intellectus sententiæ spiritualis.

Beneficia equidem sunt amplissima: sed quo tempore in Ecclesiam conferenda? Id vero signatur hoc σημείῳ, sive *charactere*, ℣. 25. med. *Die cædis magnæ, quando corruent turres.* Loquutio mystica. Notatur utique tempus aliquod illustre, quo Deus de hostibus Ecclesiæ sumpturus est severam vindictam cum plurimorum, & quidem *Principum*, *Magnatum*, *Procerum*, strage. Illos enim hic metaphorice *turres* dici, neminem fugit. Chaldæus: מלכין, רברבין, MAGNATES, REGES. Sym. Ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς πολλῆς, ἐν τῷ πεσεῖν μεγάλους· *Die cædis multæ, cum ceciderint* MAGNI. non *multi*, ut in *Excerptis* ex Procopio exhibetur. Aq. Ἐν τῷ πεσεῖν μεγαλουμένους· *Cum ceciderint* MAGNIFICI. Conferendus est Vates noster Cap. II. 15. Emblema per se tam clare lucet, ut nulla illustratione indigeat.

Tempus hujus Beneficii in Ecclesiam conferendi, fine ℣. 25. *Die cædis magnæ, qua ruent turres.*

Sensus sententiæ.

Quid hic sint *turres*?

Majoris prudentiæ est, hunc characterem applicare ad verum tempus suum, à Spiritu Dei intentum: unde pendet demonstratio implementi hujus prophetiæ. Ubi Exercitus Senacheribi à Deo prostratus est gravi clade: non nego, dici posse commissam esse הרג רב *cædem magnam* ac *cecidisse turres*. Magnates, & Præfectos aulæ ac militiæ Assyrii. quod Propheta alio emblemate huic consono expresserat Cap. X. 33. Largior quoque, Deum posteriora Hiskiæ tempora prosequutum esse singulari favore & benedictione, quæ terræ postquam ab Assyriis desolata fuisset, pepererit abundantiam Beneficiorum corporalium, penuriæ superioris temporis contradistinctam: ut vere umbra aliqua ejus quod hic dicitur, in statu rerum ejus ætatis observari possit. Sed *umbra* tantum; nec dixerim omnium, sed aliquorum. Quod enim novissime vidimus, ℣. 25. *Super omnem montem altum & collem elatum fore rivos, fluenta aquarum:* si ex primo sensu, me non contranitente, intelligas de Judæa, & *hyperbolice* dictum accipias: qui præstes mihi hyperboles fundamentum, quod sane in omni hyperbole, maxime in hyperbole Prophetica, demonstrari oportet. Utique enim major pars Canaanææ illo tempore fuit vastata, tristemque exhibuit tremendi Judicii Divini aspectum. Hierosolymis autem si cultus Dei ex Lege celebratus fuerit, & Scholæ ibi viguerint Prophetarum: quam parum probabile est, reliquarum Urbium celebriorum eandem fuisse conditionem? Sed cum veri sensus æstimatio non ex ipsis tantum verbis, sed omnino etiam ex *antecedente* & *consequente* contextu fieri debeat: ut demonstravi, *antecedentia* non favere huic hypothesi; sic consequens, ℣. 26. de *septiplicando lumine Solis* & *Lunæ*, vere nimium est, quam ut ad tempora Hiskiæ referas. Ne jam repetam, tempus illud *quindecim* fere *annorum* nimis fuisse breve, quam ut Jesaias ejus prærogativas magnifice adeo prædicaret. Mihi itaque certa stat sententia, *Pericopam* hanc nostram ex primo & literali sensu secundum ductum prophetiæ *typice* esse applicandam ad tempora Maccabaica, toto Verbo Prophetico consentiente; sed cum Prophetæ omnes in *externis* & *corporalibus* Eventibus temporum illorum observaverint figuram & præludium *spiritualium rerum*, iis analogarum, quæ conspicerentur in REGNO CHRISTI JESU: prophetiam hanc nostram *antitypice* & *vere* ad analoga illa tempora, mox demonstranda, referendam esse, quando omnem emphasin orationis integram atque illibatam præstare possumus. Prophetæ enim sublimes, (inter quos primus est Jesaias,) dum vaticinabantur de *Benedictione corporali*, quam Deus Ecclesiæ Judaicæ præstaret post tempora Maccabaica, dumque illum Reipublicæ Statum videbant terminandum esse in *Regno Messiæ*, omnium promissorum complemento: passim se ipsi deseruerunt, seque altius extollentes, dum putabas illos adhuc in *typicis* & *literalibus* hærere, observas jam versari in *spiritualibus*, veris, & antitypicis. de quo sæpius jam monui, quodque verissimum deprehendent omnes Verbi Prophetici Scrutatores.

Inquiritur in tempus hujus Beneficii in Populum Dei collati.

Quatenus id censeri possit obtigisse Ecclesiæ tempore Hiskiæ in prostrato Assyrio?

Beneficium ℣. 25. de *Rivis & fluentis in omni monte & colle* h. t. non videtur demonstrari posse.

Antecedentia & *Consequentia* orationis non favent hypothesi quæ hæc refert ad tempus Hiskiæ.

Pericopa pertinet ad phænomena temporum Maccabaicorum: quæ secundum sensum spiritualem cohærent cum phænomenis Regni Messiæ.

Hypothesis Prophetarum vaticinantium de Maccabaicis.

Moses in illustri prophetia, à Cl. Coccejo vere exposita & illustrata, qua fata Gentis Judaicæ ordine consignavit, postquam prædixisset, Deum Populum hunc propter peccata in Exilium actum, *respiscentem* reducturum esse in *terram suam*, subjunxit [b]: והיטיבך והרבך מאבותיך *Et* BENEFACIET *tibi*, & MULTIPLICABIT TE PRÆ PATRIBUS TUIS. cujus promissi implementum Populus ex Exilio redux non est consecutus nisi temporibus Maccabaicis. Illud tempus fuit הרג רב *Occidionis magnæ*, secundum veram & propriam vocis notionem. Etiamsi enim fatear, posse vocem significare qualemcunque stragem, qua Deus hostes suos per judicia extraordinaria prosternit, ut sane sumitur vox הרג de *strage* qua percussi sunt *primogeniti* in Ægypto [c]: vere tamen & proprie notat occidionem, quæ *ferro* peragitur. qualis ea fuit quæ commissa est ab Heroibus Maccabæis dextra Dei armatis in hostium qualiumcunque cæde. quo eodem tempore ceciderunt *turres*, à tempestate varia Divino Judicio prostratæ, ut tempestas in *turres* eminentiores, ei expositas, maxime sævire solet. Fuerunt Syriæ Reges, eorumque Copiarum Duces, uni post alios, memorabili Dei Judicio dejecti ac prostrati, de quibus ubertim commentatus sum & ex historia necessaria adduxi ad Cap. XXIV. 21. 22. & Cap. XXVII. 1. quæ inspici & huc adferri poterunt. Est enim ex nostro sensu ejusdem argumenti prophetia. Hoc vero eodem tempore Respublica Judæorum qui usque ad hoc tempus recte dici possunt *comedisse panem afflictionis & aquas pressuræ* (quod sc. *signum temporis* huic nostro oppositum, designatum vidimus,) ratione quadam arcana & incredibili, incepit florere hominum ac proventuum satu. Tota enim terra Canaanæa ea omni latitudine & amplitudine occupata & vindicata fuit in libertatem, qua olim promissa erat Abrahamo. Hostes Judæorum proximi, ut Idumæi, Cuthæi, Philistæi, Arabes, subacti. Syri ob dissidia domestica fracti. Ægyptii tum hac de caussa, tum quod luxui, intemperantiæ, vitiisque turpissimis obnoxii essent, ad bella magis imparati. Populus liber opibus & divitiis ex cultu terræ, mercatura, industria comparatis, efloruit. Urbes, vici, agri, frequenter habitati. Religio suo restituta fuit decori & magnifice culta. Synedria, Synagogæ, Scholæ, in omnibus locis celebrioribus fundatæ, in quibus Sacra ex instituto Sapientum solenniter exercita sunt, jusque dictum & doctum est. quos Doctores in initio restitutæ Reipublicæ bonæ fuisse notæ, secundum prophetiam Danielis, Cap. XII. 3. nullus dubitem. Ut adeo in hoc intervallum inci-

Illo tempore Deus Populo *benedixit supra Patres.*

Fuit tempus *cædis magnæ.*

Et *ceciderunt turres.*

Florens Status Reipublicæ Judaicæ circa hoc tempus, qui describitur.

[a] 1 Cor. IX. 9. 1 Tim. V. 17. 18. [b] Deut. XXX. 5. [c] Exod. XIII. 15.

inciderit implementum præstantium illorum promissorum, quæ passim apud Prophetas, Mosen interpretantes, leguntur [a], & novissime apud Zachariam [b]. Equidem verum est, hæc quoque tempora, ut sunt res humanæ, non caruisse suis incommodis & calamitatibus; & Doctores cum tempore scissos in sectas (in initiis ex nimio zelo & superstitione ortas,) corrupisse salutarem doctrinam Patrum per suas traditiones, & à simplicitate veræ Doctrinæ deviasse: verum ne nunc dicam, Prophetas de bonis futuri temporis loquentes sæpe *comparate* intelligi velle quæ nos *absolute* accipimus: id præcipue ad rem pertinet observasse quod suis locis sæpius inculcavi; Prophetas, cum viderent *tempus Messiæ* cum hoc statu Reipublicæ restitutæ proxime conjungendum esse, in his *initiis Regni Dei* oculo spirituali contemplatos esse illius *complementum*, quod exspectandum erat tempore Messiæ hunc Statum Reipublicæ proxime subsequuturo, atque ea de caussa ubique spirituales prærogativas Regni Messiæ cum his corporalibus commiscuisse. quod ipsum quoque in hac prophetia obtinere, clarissime liquet ex ℣. 25.

Prophetiæ pleræque de lætis & prosperis Judæorum rebus, hoc tempore impletæ.

Sed cum respectu ad Regnum Messiæ, in quo Beneficia hæc externa complementum suum consequerentur & consequuta sunt.

Mystice itaque & *antitypice* in Regno Christi Jesu duo nobis occurrunt tempora, ad quæ hæc prophetia ex scopo auctoris ejus referri debet. Primum est tempus Constantini Magni, in quod duo characteres, hac prophetia expressi, concurrerunt. Id tempestatis commissa est *Occidio magna & ceciderunt turres*, dum plerique Rectores Romani Imperii, qui à Satana incitati, viribus totius Imperii Romani, cui *Draco rufus* præsidebat, Ecclesiam Christi Jesu oppugnantes ut eam debellarent & exterminarent, vel victi bello, vel singularibus Judiciis Divinis prostrati interierunt, (secundum vaticinium illustre Ps. cx. 5. *Dominus* מחץ *percussit die iræ suæ* REGES:) & Ecclesia, quæ Doctoribus licet fidis gavisa longum tempus *comederat panem afflictionis & biberat aquas pressuræ*, vindicata est in Statum Libertatis, & gavisa est omni optata copia *Benedictionum spiritualium* ac *temporalium*; & vere per vastum illud Imperium Romanum in omni *monte & colle fluxerunt rivi & ductus aquarum; in locis eminentibus aperti sunt fluvii, & in medio convallium fontes* [c]; Pluvia gratiæ & benedictionis salutaris comitata est sationem & sementem spiritualem; *fructus* studiorum & laboris præstantium Virorum, iique *uberes & pingues*, h. e. cultu eruditionis solide compacti & ad ædificationem publicam probe instructi, magna copia proveuerunt in lucem; & studiosis Literarum Divinarum Cultoribus ac Rerum Sacrarum Præfectis ac Ministris nihil defuit quo se liberaliter pascerent omni nutrimento & condimento, statui spirituali congruo. Eadem vero *attributa* erunt, & gradu longe ampliora, *temporis* huic *analogi*, *Periodi* Ecclesiæ *septimæ*, h. e. Anni magni Sabbathici Ecclesiæ, in *Schemate Antitypico* temporum Oeconomiæ Veteris vere respondentis tempori florentis Reipublicæ Judaicæ ab Assamonæis Ducibus instauratæ. Exitum Ecclesiæ ex Babylone mystica, (æque ac Judaicæ ex Babylone Vetere,) sequi debebant afflictiones, luctæ, & Calamitates variæ. Etiamsi enim Ecclesia ab eo tempore haberet *Doctores* magna copia, purum Evangelium profitentes, eosque in publico versantes: comederent tamen pii multis in locis *panem angustiæ & biberent aquas pressuræ*, & quidem longum satis tempus, (licet in variis locis varie,) dum interim Religio ab erroribus purgata & Literarum Divinarum Studia magis confirmarentur. veruntamen sub finem *Periodi sextæ* (quæ respondet *Sæculo Reformationis*,) ante Statum Ecclesiæ gloriosius emersurum gravissima quædam exspectanda esset lucta Ecclesiæ, similis Epiphanicæ, dum *Reges & Principes terræ congregarentur ad prælium magni illius diei Dei Omnipotentis* [d]: sed qui cum Populus electus in summis positus fuerit angustiis, à Deo MAGNA OCCIDIONE (הרג רב) prosternentur atque exscindentur. quæ *clades* & *strages* hostium, ubi *aruerit messis terræ & maturerint botri*, terribilibus emblematibus, non sane *spiritualem*, sed *corporalem* punitionem adversariorum Ecclesiæ figurantibus, declaratur [e]. de quo ad *superiores Sermones* uberius commentatus sum [f]. Certe hoc est illud tempus, à Prophetis descriptum, quo ingente *tempestate* à Deo concitanda *corruent* TURRES [g]. Et vero eopse tempore, postquam Populus Dei hac afflictione fuerit defunctus, *Deus erit in medio Ecclesiæ. fluvius & rivi ejus exhilarabunt civitatem Dei.* Gentes omnes *Deum videbunt sublimatum in Ecclesia* Populi sui [h]. *Gratia & veritas sibi mutuo occurrent: justitia & pax se invicem osculabuntur. Veritas ex terra progerminabit, & Justitia ex cœlo prospectabit. Simul Jehova dabit bonum & terra nostra proventum suum* [i]. Hæc spes est Ecclesiæ.

Mysticum Implementum horum promissorum.

Duo tempora insignia.

Alterum Constantini. ad quod characteres prophetiæ applicantur.

Locus Ps. cx. 5.

Prærogativæ gratiæ extremæ Periodi Ecclesiæ.

Beneficium Quintum: *Gloriosa & mirabilis Ecclesiæ Illuminatio.*

℣. 26. *Et erit* LUX LUNÆ UT LUX SOLIS, & LUX SOLIS *erit septupla tanquam* LUX SEPTEM DIERUM *quo die Jehova obligabit fracturam Populi sui, & vulnus plagæ ejus sanabit*] Magnum quid & magnificum est quod hic dicitur; estque emblema hic pictum ex pulcherrimis, quæ sub fictionem ingenii cadunt. In verbis Prophetæ nihil est quod nos moratur. Quod enim dicitur, *lumen Lunæ* fore ut *lucem Solis*, & *lucem Solis* fore שבעתים *septempliciter ut lucem septem dierum:* alium dare sensum nequit, quam *Lumen Lunæ* ea fulsurum esse claritate qua Sol communiter Orbem illustrare solet; *lucis* vero *Solis* tantum fore incrementum quantum mente concipi potest, si *lucem septidui collectam* per Orbem spargeret. Est id vere satis magnum mysterium: sed quod Veteres aliqui Judæi sua interpretatione longe majus fecerunt. Extat hic lusus vere subtilis apud Chaldæum hoc loco. Vertit ille: *Et futurum est ut Sol splendescat* על הר תלת מארה וארבעים ותלתא *trecenties quadragies ter ut lux septem dierum.* Nempe שבעתים כאור שבעת הימים accepit *septies ut lux septem dierum.* h. e. *septies septem septenæ*, sive *septem cubice* in *se ducta.* Septies septem faciunt 49. quos si per 7 augeas, reddent tibi 343. ut recte hic monuit Jarchius, jam adductus à Raymundo [k]. Nos verba, *septies, ut lux septem dierum*, divise sumimus, ut posterius prius explicet, ut ratio suadet, & Grammatici Judæorum Interpretes recte monent. Accedo itaque absque ambagibus ad rem ipsam. Pericopa hæc nostra duo exhibet. primo illustre aliquod *Beneficium* in Ecclesiam conferendum, sub eleganti emblemate propositum. dein *Signum temporis* adjunctum, quo illud in Ecclesiam conferendum esset. Utriusque sanus intellectus nos ducet ad implementum ex historia demonstrandum.

Beneficium Quintum: *Gloriosa illuminatio Ecclesiæ*, ℣. 26. *Lux Lunæ esset ut Lux Solis, &c.*

Elegantia emblematis.

Sensus Grammaticus dicti Prophetæ.

Singularis lusus Doctorum Hebræorum antiqui temporis, in Paraphrasi Chaldæa. quæ non probatur.

Analysis Pericopæ. *Beneficium illustre* cum *signo temporis.*

Primum est quod in interpretando emblemate suppono, esse illud non *physice* sed *figurate*, *mystice*, *allegorice*, accipiendum: ut adeo curæ non habeam, hic refellere Hieronymum, ejusque sequaces, hæc verba referentes ad *finem sæculorum* quo Deus *cœlum creaturus est novum & terram novam, & Luna quoque ac Sol laboris & cursus sui præmia consequentur.* quod mirum est homini in Scripturis S. diligenter versato potuisse excidere. Maimonides hic acutius vidit [l]: si acumen dicendum sit videre quod tam claris lineis pictum fictumque est. Alterum itaque & rectius hic observo, interpretationem emblematis spiritualem constringendam esse intra certos limites, quos scopus ejus sano judicio demonstrat. Proinde, ubi hic *Solis* & *Lunæ* mentio fit quæ clarius solito lucerent: non est hic cogitandum de *Sole* aliquo aut *Luna* mystice sic dictis,

Hypothesis interpretationis, verba Prophetæ *figurate* accipienda esse.

Et, interpretationem mysticam esse constringendam intra certos limites.

a Jer. III. 15. 16. XXX. 10. seqq. XXXI. 4. seqq. Ezech. XX. 41. seqq. XXXVI. 28. 29. Hos. II. 17. seqq. Obad. ℣. 17. 18. Adde loca modo adducta. b Cap. II. 10. seqq. VIII. 3. seqq. c Cap. XLI. 18. d Apoc. XVI. 14. e Apoc. XIV. 15. 19. XIX. 17. Coll. Deut. XXXII. 42. Joël, III. 11. 12. f Cap. XXVI. XXVII. g Apoc. VI. 12. h Cap. XLVI. 4. 5. seqq. i Ps. LXXXV. 11. seqq. k Pug. Fid. Part. II. Cap. XIII. l More Nev. Lib. II. Cap. XXIX.

Τὸ ὅλον complexum sententiæ hic respiciendum est. quod illustratur.

ut in aliis locis Scripturæ S. in quibus *Solis* & *Lunæ* mysticæ respectus admitti potest. ut v. gr. Cap. XXIV. 21. *Et pudefiet* LUNA, *ac pudore suffundetur* SOL. Ps. CXXI. 4. SOL *te non feriet de die, nec* LUNA *de nocte.* Non eo id dico, acsi hypothesi meæ incommodum esset, *Solem* & *Lunam* hic specialius interpretari: sed quod clarissime intelligam & perspiciam, emblema ad id paratum non esse. Pariter ut emblema fictum non est ad figurandam *perpetuam lucem* Ecclesiæ, etsi id quoque lateat in potestate emblematis. nam ubi *Luna* de *nocte* tantum splendorem dat, quantum Sol de die: ibi nunquam *nox* est. quod videtur ad speciem belle comparari posse cum prophetia Zachariæ de eodem tempore vaticinantis [a]: *Et erit dies unus notus Jehovæ: non erit dies & nox:* (h. e. nulla erit diei & noctis vicissitudo:) *& tempore vespertino erit lux.* Attributa temporis ab utroque Propheta signati eadem sunt: nec tamen emblemata proprie idem significant. Adde etiam illud; Solis est non *lucere* tantum, sed & *calere*, *calefacere*, *urere*. Nec tamen hic ad *calorem* Solis, sed unice ad *lucem* respicitur. Quid igitur? dicam paucis. Emblema Prophetæ nostri unice ordinatum est ad figurandam magnam atque exuberantem copiam *lucis* qua Populus Dei illo tempore gavisurus esset. Orbis hujus terræ à duobus magnis Luminaribus *Solis* & *Lunæ* illustratur. hæc itaque magna corpora respicit ut caussas lucis, respectu *effectus*. Etiamsi enim Luna per se non luceat: illustrat tamen hunc Orbem terræ, perinde ac Sol, undecunque lumen suum habeat. Dicere itaque vult Propheta, Ecclesiam illo tempore tanta gavisuram copia *lucis*, ut si præcedentium temporum ratio habeatur, videri posset à collecta septem dierum luce illustrari, sive *Sol* septemplici incremento auctior ornatiorque factus esse. *Lux* autem hic significare potest claram & profundam veritatum Divinarum *cognitionem*; *puritatem*, sanctimoniam, claritatemque *morum*, si mihi sic loqui fas est; *gaudium* & consolationem; ac denique *gloriam*. quarum rerum symbolum esse *lucem*, nemo ignorat: quare suffecerit exempla pauca singularum significationum infra subsignare [b]. Poëtæ Gentiles emblemate simili passim usi sunt ad significandam *serenitatem* & *prosperitatem* temporum *A* quæ designant. Summa itaque ejus quod hic dicitur est, Deum Ecclesiam hoc tempore *copiose* & *gloriose* illuminaturum esse per Spiritum & Gloriam suam, eandemque in *gloria sua sanctificaturum* & *lætificaturum* [c]: & quidem si comparatio superioris temporis instituatur, tanto majore mensura & gradu, quanto *septenarius* superat *unitatem*, sive *septem dierum lux collecta* lucem *unius diei*, & *lux Solis* vincit lumen debilius *Lunæ*. Est autem exemplum similis auxesios qualis hic à Propheta instituitur, luculentum apud Zachariam, mox producendum. Ecquo vero tempore tantum beneficium in Populum Dei conferretur? Propheta *Signum* ejus his verbis circumscripsit: QUO DIE *Jehova obligaverit* FRACTURAM *Populi sui, & vulgus plagæ ejus sanaverit.* h. e. quo tempore Rempublicam, plane collapsam fractamque, & in Republica *Ecclesiam* quod ad statum suum per idololatriam, vitia, hypocrisin, lethaliter affectam & afflictam, instauraverit, & Religioni suum restituerit decus ac nitorem. Phrasis utraque in Sacris & Exoticis est usitatissima, ut alibi jam observavi [d]. Alludit autem Propheta, ubi de *obligatione* שבר *fracturæ Populi Dei* loquitur, ad id quod de שבר *fractura* muri dixerat, ỳ. 13. 14.

Emblema unice tendit ad figurandam magnam copiam lucis spiritualis quæ Ecclesiæ certi temporis obtingeret.

Declaratur ex ipsa natura emblematis.

Sensus sententiæ integer.

Quid *lux* h. l. sensu spirituali significet?

Respectus mysticus hujus Promissi.

Signum temporis.

Ecclesia hoc Beneficio gauderet, cum *Deus obligaret fracturam Populi sui.*

Sensus dicti.

Hoc *tempus* demonstrare, est *implementum* prophetiæ ostendere. Conficienda autem est demonstratio ex *duobus* hisce *attributis* temporis inter se conjunctis: ut ex. gr. ubi videmus *obligationem fracturæ Populi Dei* & *sanationem plagæ* ejus, & tamen simul non videmus *Lumen Lunæ* clarusse ut *Lucem Solis*, & *Lucem Solis septemplicem:* certo statuere liceat, hoc non esse tempus à Prophera designatum. Oportet enim duos hosce characteres inter se concurrere in tempus prophetiæ. Veterum post Hieronymum multi, cum oculi illorum caligarent ad splendorem orationis Prophetæ, implementum quæsiverunt in *consummatione Sæculorum:* qui hic consentientes habent Kabbalistas quosdam & Allegoricos inter Judæos, quorum acumen & peritiam in interpretanda Scriptura S. nemo sanus laudavit. Cl. Hackspanius quædam hujus generis excerpsit, qui hic inspici potest, si res tanti sit. Nobis sententiam hanc recensuisse sufficiat. est enim refutatione indigna. In his qui implementum prophetiæ in his quærunt terris, ut fas est & ratio suadet; Judæi quidem prudentiores consentiunt, dictionem Prophetæ allegorice accipiendam esse de copia *prosperitatis* & *felicitatis* illorum temporum, de quibus Propheta vaticinatur: sed in definiendis illis temporibus in diversa eunt. Veteres quidem, testantibus Aben-Ezra & Kimchio, emblema applicant ad tempora Messiæ post confectum Bellum Gogi & Magogi: sed R. Moses Haccohen hic demonstrat tempora Hiskiæ post prostratum Senacheribi Exercitum: quod ipsum Kimchius fluctuans non plane improbat, ut nec Abarbenel. Inter nostrarum partium Interpretes huc plane vergit Ill. Grotius, imo & plures alii in Verbo Prophetico interpretando alias passim liberaliores [e], (& in his tamen aliqui *typice*) dum alii hic respiciunt tempus solutæ Captivitatis Babylonicæ, ut Piscator & sequaces: alii tempus Messiæ, complexe spectatum, ut Calvinus: Recentiores autem plures cum Coccejo, (sententiam suam hic parcius & involutius exponente,) beatiora Mundi tempora, quæ post fusos Ecclesiæ hostes in fine Sæculorum exspectantur, quorum initia nos jam consecutos esse supponunt.

Quærltur de *Implemento* prophetiæ.

Ad duo hæc Beneficia junctim attendendum est.

Hieronymus & Veterum aliqui putarunt hæc implenda esse novissima Judicii die.

Judæorum Intt. sententia de *objecto* vero seu *tempore* hujus pericopæ propheticæ.

Et Christianorum diversæ.

Miraris, Verbum Propheticum non suetus tractare, hoc divortium sententiarum quod ubique fere in insignioribus prophetiis exponendis occurrit. Equidem videtur esse justa caussa; nec tamen est justissima. Cum enim plurium temporum similia sint attribnta; (licet in hoc tempore clarius, in alio obscurius exhibeantur:) minus mirandum est, Interpretes pro suis quosque hypothesibus illa tempora diverse definire; & fieri sane potest, ut licet vel maxime ab invicem dissentire videantur, divortium tamen longe minus sit quam apparet, quia Spiritus Dei omnia tempora, in quibus hæc attributa recurrerent, prænognita & perspecta habens, forte voluit, ut in variis illis temporum articulis per gradationes agnosceremus implementum prophetiæ usque quo secundum omnem emphasin dictorum & phrasium clarissimum & perfectissimum evaserit. quod in variis prophetiis, ubi circumstantiæ orationis nos ad certum tempus non adstringunt, admittendum esse, certum atque exploratum habeo: etsi vagum Verbi Prophetici commentandi genus non amo nec sector, neque in hac etiam prophetia judicium meum fluctuet aut vacillet. Ibo itaque hic rursus per singulas hypotheses, ut verum assequar.

Divortia Interpretum excusantur, expositæ eorum ratione.

In temporibus Hiskiæ post prostratum Senacheribum agnosco *umbram* aliquam ejus quod hic dicitur, sed *levissimam* & *valde imperfectam:* nec possum à me impetrare, ut credam, Prophetam de felicitate *temporis* illius, quod secundum historiæ certam fidem circumscriptum fuit *quatuordecim* solummodo vel *quindecim annis*, tam magnifice loquuturum esse, cum ipse sibi in tabella objectas haberet omnes calamitates, quæ tempora Hiskiæ sequerentur, ut ipse Regi modicis suis fortunis nimium se efferenti clare prædixit *f*: *Ecce dies*

Implementum ejus verum demonstrari nequit tempore Hiskiæ.

---

a Cap. XIV. 7. *b* Cap. XLII. 6. LX. 1. 1 Joh. 1. 5. Esth. VIII. 16. *c* Exod. XXIX. 43. *d* Ad Cap. 1. 5. 6. *e* Brentius, Schmuckius, &c. *f* Cap. XXXIX. 6.

A Solent utique illi *felicitatem* status sui sive Reipublicæ temporumque suorum pingentes, *Solem* sibi dicere *oriri candidiorem*, vel *melius nitere*, ut Flaccus eleganter in *Ode* ad Augustum, Lib. IV, Od. V.

Lucem redde tuæ, Dux bone, Patriæ!
Instar veris enim vultus ubi tuus
Adfulsit populo; gratior it dies,
Et SOLES MELIUS NITENT.

dies veniunt, & auferetur omne id quod eſt in domo tua, & quod in theſaurum collegerunt Majores tui uſque ad hanc diem BABYLONEM. *nihil reliquum fiet, ait Jehova:* & quæ ſeqq. Quid vero quod *fractura Populi Dei & vulnus plagæ ejus* eo tempore dici nequeat vere *ſanatum eſſe*, etiamſi Judæi ſubditi Regni Hiskiæ liberati fuerint à vaſtatione Senacheribi? Cum enim *decem tribus* abductæ eſſent in Aſſyriam & Mediam, & maxima ac præſtantiſſima pars Canaanææ vaſtata & incolis ſuis ſpoliata relinqueretur: eſtne ut dicere queamus, illo tempore reparatam reſartamque eſſe jacturam Populi Dei, cum triſtiſſimus illius terræ aſpectus omnium pateret oculis & provocaret dolorem? Certe Prophetæ *fracturam Populi Dei* referunt ad utriuſque Regni Ephraimitici & Judaici everſionem & utriuſque Gentis abductionem in Exilium. Sic Eccleſia ejus temporis apud Jeremiam [a]: *Væ mihi quod ad* FRACTURAM MEAM! PLAGA MEA (מכתי) *eſt incurabilis.* Alibi [b]: FRACTURA TUA *eſt lethalis.* PLAGA *tua eſt incurabilis.* Metaphora utraque hic concurrit. ipſa enim vox שבר *fractura* hic refertur ad vulnus quo *integritas* carnis aut membrorum ſolvitur. In *Threnis* [c]: *Quia* FRACTURA *tua tam magna eſt quam mare: quis te ſanet?* Ut paſſim alias *Calamitatem Babylonicam* vocat *fracturam* (שבר) *filiæ populi ſui* [d]. Si jam comparatio inſtituatur inter *Beneficium* hujus temporis & ex eo ortam *lætitiam* proſperitatemque ſtatus, & inter *Beneficia ſimilia*, in Populum Dei & Regnum Judæ collata: dicendumne videtur, lumen Solis hoc tempore *in ſeptuplum* auctius eſſe factum? Utique caſus Liberationis quæ Genti obtigit ad preces Aſæ & Populi, à Zera Cuſchæorum Rege, ducente Exercitum *mille millium hominum*, cœleſti plaga diſſipatum [e]; & parilis exempli Liberationis Populi Judæi ab Ammonitis, Moabitis, Idumæis, junctis viribus [f] ſub Joſaphato ingente multitudine in Judæam irrumpentibus à parte Auſtrali, conſilio Reipublicæ & Eccleſiæ Populi Dei extirpandæ, ad preces Regis & Populi in magna verſati anguſtia abſque ulla opera ſua fuſis & proſtratis, armis viribuſque ſuis in ſe invicem verſis, quorum ſpolia Judæi magna lætitia legerunt: hi inquam, caſus ſi comparentur Eventui proſtrati Exercitus Senacheribi plaga Divina, an tanto cui minores videri queant, ut magnorum Luminarium ſplendor hoc tempore ſeptuplo auctior factus fuiſſe dicatur? Nec tamen quicquam ego de beneficii hujus magnitudine detrahere velim, quod ampliſſimum fuiſſe agnoſco: tantum arguo, emblema nimis eſſe auguſtum quam ut ad hunc caſum aut proſperitatem temporis Hiskiæ applicetur; utique ita applicetur, ut in eo nihil altius & ſublimius videamus.

Nec allubeſcit mihi magis hypotheſis Piſcatoris & ſequacium, qui implementum prophetiæ demonſtrant in Reditu Judæorum ex Exilio Babylonico. Equidem non nego, Deum illo tempore cœpiſſe *obligare fracturam & vulnus plagæ Populi ſui:* ſed illa ſalus non fuit perfecta, neque adeo creavit *gaudium perfectum*, in ſua ſaltem ſpecie. Judæi enim Reduces longum ſatis tempus *ederunt* adhuc *panem preſſuræ*, & *biberunt aquas afflictionis*, ut vidimus ad vſ. 20. nec opus habeo plura addere. Hiſtoria reducum, quam habemus in Libris Ezræ & Nehemiæ, & ſubſequens Joſephi, de eo abunde teſtatur.

Ergo prophetia hæc, ut plures aliæ per totum Librum Propheticum ſparſæ, manifeſte referenda eſt ad *Statum inſtaurandæ Reipublicæ per Maccabæos, conſummandum in ſpirituali Regno Meſſiæ per varios articulos temporum, temporibus Maccabaicis* reſpondentium, inter quæ tempora antitypica *proprium* & *veriſſimum eſt illud inſtaurandæ Eccleſiæ poſt graviſſimam luctam in fine temporum.* Hanc hypotheſin jeci ad *Pericopam ſuperiorem*, cum qua hæc noſtra immediate cohæret; & deprehendet quiſque, cui curæ eſt Prophetas inter ſe conferre, hanc unam eſſe clavem, qua reſolvi poſſunt myſtica illorum dicta, in quibus *corporalia beneficia* ſpiritualibus permiſcentur, quia ſcilicet Prophetæ prævidebant, *Benedictionem* & *Multiplicationem* Populi Judæi SUPRA PATRES proximum fore *Signum temporis* antegreſſurum *Manifeſtationem Regni Chriſti Jeſu*, in quo *defectus* omnis *implementi corporalis & typici* abunde penſaretur magnitudine & copia *Beneficiorum ſpiritualium*, in Eccleſiam conferendorum: quæ *Beneficia ſpiritualia* ut antitypica & vera veluti abſorberent *corporalia* & typica. Sic demonſtravi in prophetia præcellente Cap. XI. II. 12. ſeqq. ubi Vates verſatur in deſcribendo Regno Meſſiæ, illum in Prærogativis *ſpiritualibus* illius Regni explicandis continuo alludere ad Attributa *Status Reipublicæ Maccabaicæ*, quod tamen & alii viderant Interpretes, cum res clariſſima ſit; ſed quæ uberius per omnes ſuas partes proſequutus ſum & ex hiſtoria illuſtravi ad Caput XXV. & ſeqq. cum hac pericopa noſtra comparanda. Nunc itaque, cum eadem ubique repetere nolim, adſcribam unicum locum Zachariæ, in quo ſimilis occurrit gradatio qualis in hoc noſtro, licet alterius generis [g]: *Illo tempore proteget Jehova incolas Hieroſolymæ, & erit qui offendit inter eos* (lapſabundus præ dibilitate) UT DAVID, *& Domus Davidis* UT DEUS, *ut* ANGELUS JEHOVÆ *eos antecedens.* Nihil auguſtius dici potuit. Lege autem prophetiam, inſpice eam & meditare, & videbis κατὰ γράμμα deſcribi Heröes Maccabaicos cum omnibus ſuis coloribus: myſtice vero & ſublimiore ſenſu *Apoſtolos*, cum præcedente eos *Deo*, Angelo Jehovæ, à cujus Spiritu illi animarentur, intrepide egreſſuros ad Mundum Chriſto Jeſu ſubjiciendum. quem poſteriorem ſenſum Cl. Coccejus ibi docte illuſtravit. Tempus autem quod hic deſigno, eſt *Simonis Ethnarchæ annus primus*, Æræ Seleucidarum *ſeptuageſimus ſupra centeſimum*, æternis Literis conſignatus in Hiſtoria [h]: ANNO CENTESIMO SEPTUAGESIMO SUBLATUM EST JUGUM GENTIUM AB ISRAELE. cujus temporis gloriam, lætitiam, proſperitatem, zelum Religionis Populi à tam longa oppreſſione liberati, ſcientiæ incrementum, (diffuſis per Canaanæam Synagogis,) eadem Hiſtoria clare enarrat [i]. Summa eſt, ut ibi legitur: Ἐυφράνθη Ἰσραὴλ εὐφροσύνην μεγάλην· *Gaviſus eſt Iſraël gaudium magnum.* Verba integra alibi deſcripſi. Nullus antecedentium temporum ſtatus (ſi omnia attributa lucis complexe ſumas,) cum hoc comparari poteſt: quod fuſe, ſi liceret, poſſem demonſtrare. Et hæc tamen, qualia ſunt, non ſufficerent auguſto emblemati Prophetæ, niſi complenda eſſent, ut completa fuerunt, in Regno veri Meſſiæ Chriſti Jeſu. Character Regni Chriſti Jeſu, ubi ſe vera ſua facie oſtentat, eſt *illuminatio & ſanctimonia ſpiritualis* conjuncta cum GAUDIO *ineffabili &* GLORIOSO, quæ phraſis eſt Petri [k]. Apoſtolus vocat τὸν φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, *illuminationem cognitionis gloriæ Dei* [l]. Quæ *illuminatio & illuſtratio Dei glorioſa*, conjuncta cum *lætitia ſpirituali* ei reſpondente, illuminationem ſpiritualem antiqui ævi tanto gradu tranſcendit, quanto *Lux Solis* lumen debilius *Lunæ*, & *Lux Solis ſeptem dierum* in unum collecta *lucem* Solis quotidianam. Et tamen ſpectanda hæc *Illuminatio* Eccleſiæ Novi Fœderis iis præcipue eſt temporibus Eccleſiæ Novæ Oeconomiæ, quibus Signa *gloriæ Chriſti Jeſu Regis* in proſtratis hoſtibus ejus & copia donorum ſpiritualium, Scientiæ, Sapientiæ, Sanctimoniæ, zeli Religionis, ut & in proſperitate & felicitate Eccleſiæ quod ad exteriorem ejus Statum, clarius effulſerunt. Singula enim hæc inter ſe conjuncta præſtant Lucem, gloriam, & lætitiam Eccleſiæ perfectiſſimam. Ejus vero Status Eccleſia vere imaginem aliquam habuit tempore Conſtantini, incredibili lætitia & jubilo Eccleſiæ, graviſſima afflictione defunctæ, celebrato: ſed, cum ea Lux variis injucundis accidentibus in ipſa Eccleſia na-

Vulnus Populi Dei illo tempore ſtylo Prophetarum non eſt *ſanatum.*

Loca analoga.

Lux Solis & Lunæ comparate ad alia Beneficia in Populum Dei collata dici nequit hoc tempore *ſeptuplo* auctior facta.

Exempla ex hiſtoria.

Eorum comparatio cum præſente caſu.

Hypotheſis Piſcatoris & ſequacium pariter non probatur.

Prophetia pertinet ad Statum Eccleſiæ temporis Maccabaici complendum in Regno Chriſti Jeſu.

Hypotheſis declaratur.

Evincitur ex ſimilibus & cognatis.

Locus Zachariæ, Cap. XII. 8. huc adductus & ab πάσχα illuſtratus.

Tempus Implementi ſpecialius definitur ex Hiſtoria Maccabaica.

Et tamen attributa hujus temporis ſola non præſtant omnem vim & emphaſin prophetiæ.

Status hic complendus fuit in ſtatu ſpirituali Regni Chriſti Jeſu.

Certa tempora Oeconomiæ N. ad quæ hic reſpicitur.

Aſpectus temporis Conſtantini.

[a] Cap. X. 19. [b] Cap. XXX. 12. [c] Cap. II. 13. [d] Thren. III. 48. [e] 2 Par. XIV. 12. [f] 2 Par. XX. 23. ſeqq. [g] Cap. XII. 8. [h] Macc. Lib. I. Cap. XIII. 41. [i] Cap. XIV. 1. ſeqq. [k] 1 Pet. I. 8. [l] 2 Cor. IV. 6.

tis deinceps fuerit obfuscata: exspectant Sancti, futurum esse, ut eadem attributa multo clarius & vividius exhibeantur in novissimo Ecclesiæ Statu, h. e. magno *Anno Sabbathico*, *Periodo Septima* & extrema temporis *Ecclesiæ*, quando Christus Jesus Ecclesiam à Persecutione omni & Afflictione gravissima longi temporis vindicatam glorioſe & potenter illuminabit, & perfundet omnigenis donis Sancti Spiritus, & *cœnam* suam *Nuptialem* cum Ecclesia celebrabit: simul eam ditabit omni copia Benedictionis temporalis, quæ spirituali ejus Statui confirmando & perficiendo sufficiet. Hæc erit *Benedictio Ecclesiæ N. T. supra Patres*, per Benedictionem Ecclesiæ antiquæ temporum Maccabaicorum figurata. Omnis *Lux* vera qua Ecclesia superioribus *sex Periodis* gavisa est, in hanc Lucem *magni Diei Septimi* colligetur, atque adeo erit ut *Lux septem dierum*. Hoc tempore celebrabit Ecclesia *Festum Tabernaculorum* [a], & *Templo Dei aperto in cœlo, videbitur Arca Fœderis ejus in Templo ejus* [b]. In eo omnes Prophetæ desinunt: omnium hic eadem vox; & ratio clamat, tale quid exspectandum esse. Est enim credibile, Deum Statum Ecclesiæ in his terris aliquando perfecturum esse, ut aliquando post tot graves Ecclesiæ Casus Regnum Christi Jesu omnem suam vim exerat. Incrementa etiam Scientiæ rerum Sacrarum & eruditionis (utinam etiam sanctimoniæ!) quæ Deus pro infinita sua gratia indulsit proximis hisce Ecclesiæ temporibus, longe auctiora doctrina sacra superiorum temporum, hanc spem augent & confirmant. Cogita quod dictum est in Nuptiis Canæ, quas sua præsentia Dominus honestavit [c]: *Tu vero servasti* BONUM VINUM *huc usque*. sc. ad extremum Convivii.

Emphasis summa quærenda est in extrema Periodo Ecclesiæ.

Attributa hujus temporis secundum prophetias.

TMEMATIS *Paracletici* hujus Concionis, *Membrum Posterius*, complexum *Judicium in Assyrium*.

Articulus primus: *Judicium* ipsum.

Membrum Posterius Tmematis Paracletici hujus prophetiæ. *Articulus Primus. Judicium in Assyrium.*

℣. 27. *Ecce* NOMEN JEHOVÆ *venit è longinquo*; ARDET IRA EJUS, *& est grave incendium: labia ejus plena sunt indignatione, & lingua ejus est ut ignis devorans.* ℣. 28. *Et spiritus ejus tanquam torrens inundans: ad medium collum pertingit*; AD AGITANDAS GENTES AGITATIONE VANITATIS, *& ut sit frænum seducens in maxillis Populorum*] Huc usque excurrerat oratio Prophetæ, qui, ut solent in ecstasin rapti, tanquam soluti essent carceribus, in longum exspatiari, ad proximiora revertitur, cum primo prophetiæ scopo & argumento ejus cohærentia; explicans admirabili facundia, Rhetorum & Poëtarum elegantias ac fictiones omnes longe transcendente, Judicium Dei formidabile, quo decreverat animadvertere in Assyrium, tanquam typum aliorum potentium hostium, qui per varia Ecclesiæ tempora adversus eam suscitarentur. Agi enim hac pericopa de clade Exercitus Senacheribi, suppono, non demonstro, quia oratio Vatis inspecta lectaque cuique mox hanc cogitationem subjicit, & sequens *Sermo* ejusdem argumenti, (℣. 4. seqq.) eandem hanc sententiam plane confirmat: estque hic plerorumque Interpretum amica satis concordia. Et sunt tamen, fateor, qui etiam hic dissentiunt, sive inter Veteres, quibus hic etiam obversatur conspectus Judicii ultimi; sive inter eosdem & recentiores qui hic potius de punitione Chaldæorum quam Assyriorum cogitant, vel etiam indefinite & vage de interitu hostium Regni Christi. Sed cum hic dissentiant absque ulla ratione probabili, quod nullibi magis quam in interpretatione Scripturæ Propheticæ accidit; & ego non soleam disputare de certis, sed de dubiis quæ sani judicii hominibus ob probabilem aliquam rationem sic videri queant: has partes hoc in casu prudens declino. Tantum cum plurimum faciat ad Pericopam hanc recte intelligendam, nexum ejus cum superiore oratione Prophetæ cognoscere: ad rem meam facere arbitror, eum in anteccessum perspicue ostendere. quod si rite peregerim: cætera quod ad rem ipsam neminem morabuntur.

Nexus orationis Prophetæ.

Hypothesis certa, agi in hac Pericopa de Judicio Assyrii.

Dissensus aliorum ob rei claritatem hic negligitur.

Qui magnifica promissa orationis superioris omnia referunt ad tempus Jesaiæ post plagam inflictam Assyrio, hoc præcipue nituntur argumento, quod oratio Prophetæ secundum illam hypothesin pulchre inter se cohæreat: & largior ego, dici posse ex illa hypothesi non male cohærere, quia *caussa* vel *medium* non incommode subjicitur *effectui*. Et tamen si Propheta id intendisset: forte caussam effectui præposuisset, quod manifeste agit in *Concione sequente*, & alias etiam per Librum harum prophetiarum. Sed cum id largiar: tum vero mihi vicissim dari velim, eandem hanc Pericopam de Judicio Assyrii cum argumento prophetiæ & oratione Prophetæ ut à nobis exposita est, non minus commode connecti. quod si forte non detur: mihi nunc curæ est evincere. Primo loco cohæret hæc Pericopa cum *Argumento* & *Scopo* totius Concionis, & quidem duplice modo. Propheta convincit hac Concione Ephraimitas de stultitia & vanitate Consilii sui, in imploranda ope Ægyptiorum in dubio Reipublicæ suæ Statu adversus Assyrios, neglecto suo in Deum officio, iisque prædicit funestum hujus Consilii eventum, qui esset plenaria Reipublicæ illorum eversio, ut vidimus ℣. 3. 4. & 13. 14. Cum utraque hac parte argumenti prophetiæ nectitur, eique respondet hæc Pericopa de *Judicio* Assyrii. Docet nimirum hac Pericopa, (a.) non esse opus ad Ægyptios recurrere in casu dubio, adversus monita Prophetarum veri Dei, cum utique ipse potens satis paratusque sit, à resipiscentibus & sibi fidentibus rite invocatus, suos defendere, hostesque suos prosternere; quippe quod exemplum defensionis suorum & funestæ cladis hostium certo constituerit edere in prosternendo Senacheribo. quæ cohærentia orationis ut verissima deprehendatur, inspice *Concionem sequentem* ejusdem *Argumenti & Scopi*, ubi Vates prædictionem cladis Senacheribi *immediate* connectit ℣. 4. cum *Elencho*, ut demonstret, frustra alio ire Populum de nomine Dei appellatum ad emendicandas suppetias, cum ipse in prosternendo Assyrio post aliquod tempus Hierosolymam tentaturo clarissime sit demonstraturus, quid possit & velit in salutem eorum, qui spreto auxilio humano sibi confidunt. (b.) Cum Vates hic prædixisset, futurum esse, ut Respublica Ephraimitarum ab Assyriis evertatur: subjungit *Judicium Assyrii*, ut intelligerent pii & Deo fidentes, nihil hic præter voluntatem Dei fieri. uti enim Eum Assyrio ut executore Decretorum suæ Justitiæ adversus Populum rebellem: veruntamen simul illos scire & intelligere vult, illum non esse impune abiturum; sed suo tempore, post aliquot annos, experturum esse severam Dei vindictam. Sic observabis in hoc Libro, ubi manifeste prædicitur eversio Reipublicæ Ephraimitarum per Assyrios, immediate subjungi *Judicium Assyrii*. veluti in Cap. IX. & X. 1--4. postquam prædicta esset subversio Reipublicæ Ephraimiticæ, mox subjungitur Declamatio in Assyrium à ℣. 5. seqq. & prænunciatur clades Senacheribi. Eodem modo in Cap. XVII. post idem Fatum Ephraimitarum descriptum, mox *ἀμέσως* ℣. 12. adjicitur prophetia de animadversione Assyrii. Quare etsi Prophetæ oratio hic longius excucurrisset: ex more tamen suo non negligit ultionem Assyrii, quam frequens in oculis habet in suis Concionibus. Sic sibi primo constat nexus hujus Pericopæ cum *Argumento* & *Scopo* hujus prophetiæ. Secundo hæc nostra lacinia *immediate* cohæret cum ℣. 25. ubi dixerat Vates, *in omni monte & colle fore rivos & fluenta aquarum die* OCCIDIONIS MAGNÆ, *ubi caderent* TURRES. Supponit itaque, illo tempore, quo Deus Ecclesiam suam perfectius instituret instaurare & liberare, potentes Ecclesiæ ejus hostes cœlesti Judicio gravi ruina lapsuros esse. Ejus vero nunc docet exemplum luculentum eden-

De nexu hujus Pericopæ cum superiore disquisitio accuratior.

Nexus Pericopæ cum *Argumento* & *Scopo* totius Concionis.

Qui specialim ostendatur.

Nexus hujus pericopæ cum prædictione Calamitatis Ephraimitarum.

Exempla analoga hujus nexus ex superioribus adducta.

Nexus prior hujus Pericopæ cum ℣. 25. ubi mentio est de *ruina turrium*. h. e. Magnatum.

Ejus exem-

[a] Zach. XIV. 16. [b] Apoc. XI. 16. [c] Joh. II. 10.

typum edendum erat in Assyrio, qui hic sustinet typum hostium Populi Dei.

edendum esse in clade funesta quam decreverat Assyrio, quem Propheta ex vera mente Spiritus S. hic spectari vult ut *typum* & *figuram* omnium potentium hostium Populi Dei qui cornua sua adversus Ecclesiam erigerent. omnes docet ad idem exemplum casuros & interituros esse; non Chaldæos tantum Imperatores, sed & Assyrios novos, h. e. Syriæ Reges, de quibus ibi *κατὰ γράμμα* directe agi existimamus: inde sub Oeconomia meliore Imperium Romanum, verum & adulterimum, ejusque Præsides, in hac scena suo tempore compariturос. Omnium idem esset fatum, & priores in posterioribus, posteriores in prioribus punirentur. Sic belle sibi constat, suisque partibus cohæret oratio Prophetæ.

Structura hujus Pericopæ commendatur ab elegantia. Summa ejus exhibetur.

Est autem totius hujus Pericopæ structura & fictio, ut modo monebam, supra modum elegans æque ac dictio omni parte perfecta. Vates specimen hoc tremendi Dei judicii emphatice declaraturus introducit Deum, ut Principem iratum atque excandescentem, qui insigni affectus injuria, gloriæ suæ vindicandæ & illustrandæ cupidus, magnam animo conceperit iram; oculisque, ore, gestu, prodat se ad ultionem ex certa decreti sui sententia summa severitate exigendam esse incitatum inflammatumque, tantamque pectore pleno iram coquere, ut usque ad colli medium ebulliat, in hostes copiose effundenda: cujus proin effectus sit hostium interitus. Basis fictionis nihil habet insolens: quippe ubique per Scripturam S. non antiqui tantum sed & novi Fœderis Deo Vindici suæ majestatis *indignatio*, *ira*, *excandescentia*, *æstus iræ*, metaphorice, stylo populari, adscribuntur. quod *πάθος* proprie sumptum, idque consequens *commotio* & *perturbatio* animi, cum Naturæ Divinæ ejusque statu Perfectioni non conveniant: sufficerit hic uno monuisse verbo, per *iram* Dei intelligi sanctam puramque ejus voluntatem majestatis suæ graviter læsæ vindicandæ, fundatam non modo in *Justitia* ejus ut Rectoris & Judicis hujus Universi, (*ira* enim proprie non est *Judicis*, sed *Principis:*) verum etiam in ipsa Dei natura per quam ad se eo quo est statu conservandum ac defendendum fertur. quæ radix & scaturigo affectuum atque his respondentium effectuum est in omni Ente intelligente. Quanto jam gravior & spectatior est violatio Majestatis Divinæ & justior causa ejus læsæ vindicandæ, atque adeo quanto graviora sunt effecta Divinæ voluntatis jus suum vindiciasque suæ gloriæ & majestatis repetentis à peccatore per ejus animadversionem & punitionem: tanto *ira* Dei gravior vel levior dicitur, & modo *indignatio*, modo *ira* aut *excandescentia* appellatur. Hoc vero in casu cum Vates sibi objectum haberet Senacheribum, qui ex mera superbia atque insolentia Deum Israëlis summa affecerat injuria eaque de causa gravissime plectendus esset ex certa Dei sententia: Deum infert ut *iram* & *excandescentiam* maximam animo suo dudum conceptam in hunc suum adversarium paratum effundere, eamque figuram omni arte eloquii exornat. Quod cum in antecessum monuisse sufficiat ad interpretationem rei ipsius hac pericopa comprehensæ: nihil mihi supereſt, nisi ut phrasin Prophetæ, ubi necessum fuerit, illustrem. Pericopa, ut in *Analysi* indicavi, duobus constat articulis, quorum uterque *Judicium* complectitur, & illius *Consequens*. Prioris articuli *prius membrum*, h. e. *Judicium* Senacheribi cum causa sua, *ira Dei gravi*, hic exhibui, ordine lustrandum.

Basis fictionis nihil habet insolens.

Ira, excandescentia, æstus iræ, &c. Deo passim adscribuntur.

Quid proprie in Deo significet? Respectum habet ad Deum ut ad *Principem.*

Quid *ira* gravis & *effervescens?*

Applicatur ad figuram hujus Orationis.

Analysis Pericopæ. *Articulus* primus *Judicii.*

Phrasis Prophetæ illustratur. ℣. 27. *Ecce Nomen Jehovæ.*

℣. 27. *Ecce* NOMEN JEHOVÆ *venit*] Non dicit Propheta, *Jehovam venturum esse*, sc. ad vindictam de hostibus suis sumendam, sed *Nomen Jehovæ*, h. e. Jehovam *se celebrem* redditurum magnumque sibi comparaturum *Nomen* & conciliaturum *gloriam* in Populo suo & inter Gentes demonstratione publica illustrium attributorum quæ involvuntur potestate Nominis *Jehovæ*, h. e. *Gratiæ* & *Justitiæ*. Id valet *Nomen Jehovæ*, emphatica dictio, ubi de Deo *subjective*, (liceat ita loqui,) non *attributive* usurpatur: Deus se celebrem reddens gloriamque suam patefaciens illustratione illorum attributorum quæ nomine *Jehova* comprehenduntur. Sic Vates noster alio loco [a]: *Ad filios tuos è longinquo adducendos* לשם יהוה אלהיך *ad* NOMEN *Jehovæ Dei tui.* h. e. ad Deum hoc tempore in omnibus suis attributis glorioſe agnitum, exaltatum, celebratum. Clarius adhuc patefit hæc emphasis in verbis Mosis [b]: *Ad timendum* NOMEN *hoc* GLORIOSUM *ac reverendum, Jehovam Deum tuum.* h. e. Deum qui se tot miraculis in usum & salutem Populi sui patratis magnum conciliavit nomen ac laudem. Id sane hoc in casu facere rursus meditabatur, Populum afflictum ex gratia & clementia sua liberaturus, & terribile edicturus exemplum *Justitiæ* suæ in adversario suo illustri prosternendo. Altiore sensu eoque verissimo notat ANGELUM JEHOVÆ illustrem in quo est *Nomen Jehovæ* [c], hoc *judicium* executurum [d], quem Propheta vocaverat אדיר *Eximium, magnificum* [e]. E LONGINQUO] Geminam sustinet interpretationem, vel, Angelum Jehovæ illustrem venturum esse EX COELO, ut Aben-Ezra, & inter nostros plures, (plane ut Apost. ad *Rom.* I. 18. *Revelatur enim* IRA DEI *ἀπ' οὐρανοῦ*, EX COELO. quando conferri posset quod dixerat Propheta, Deum usque ad hoc tempus Judicii diu meditati quieturum esse in *Mansione sua fixa* cœlesti, Cap. XVIII. 4.) vel significat Deum hoc Judicium exequuturum esse post interpositam veluti justi temporis moram, cum à Propheta nostro dudum ante esset prædictum, acsi instar Principis ad vindictam vel judicium properantis, longum iter conficiendum haberet. quo modo figuram accepit Iut. Græcus; "Ερχεται διὰ χρόνου *venit post tempus.* sive, ut MS. A. διὰ χρόνου ἔρχεται πολλοῦ *venit post multum temporis.* Chaldæus adhuc pressius, agens Paraphrasten: *Ecce Nomen Domini revelabitur, sicut de eo prophetaverunt Prophetæ* מלקדמין AB ANTIQUO. Hic mihi sensus placet, etiamsi uterque se sua commendet elegantia. Forte tamen si prius fuisset in mente Vatis, scripsisset ממרום EX ALTO. quod tamen non reverenter tantum, sed & timide dico. Propheta noster jam sub Achazo hoc Judicium prænunciaverat, ut vidimus ad Cap. x. 5. seqq. & tamen usque ad *quartum decimum* annum Hiskiæ Deus id exequi distulerat. *Ardet ira ejus*] sc. instar *ignis* quæ emphasis est vocis בער. *ira* enim instar *ignis* sanguinem facit ebullire. Sic Moses [f]: *Ignis accensus est in naso meo*, vel, *ira mea.* Parallela alia quæ ubivis occurrunt, mitto. *Et est grave* INCENDIUM] Sic eleganter & vere hic vertitur vox משאה, quæ hoc sensu sumitur Jud. xx. 40. & alibi, à נשא *efferre*, quod flamma & fumus quem ignis spargit, se in altum efferant. Minus hic emphaticum est quod alii habent, ut Belgæ: *Onus est grave.* Solent altos gerentes spiritus vel irati veluti incensi copiosos per nares emittere vapores instar *fumi.* quo alluditur Ps. XVIII. 9. *Labia ejus plena sunt severitate, & lingua ejus ut ignis consumens*] Vocem דעם rectè vertimus cum Cl. Coccejo per *severitatem*, cujus ille significationem illustravit [g]: & refertur ad *linguam*, ut hic ad *labia* Hos. VII. 16. Potest autem hic alludi ad severitatem sententiarum, quas Deus adversus hostes eloqueretur & pronunciaret: etsi, ut ira gravis totum hominem occupat & commovet, eadem quoque se ostentare soleat in *lingua* & *labiis* loquentium. Sic prudenter accepit Chaldæus: *A coram ipso egressa est maledictio super impios, & verbum ejus ignis consumens.* Sic dixerat Propheta de Christo [h]: *Et* SPIRITU LABIORUM *suorum interficiet impium.* h. e. halitu Decretoriam sententiam cum effectu conjunctam fulminante, ℣. 28. *Et spiritus ejus est ut torrens inundans. ad collum pertingit*] Interpretes passim hoc emblema infeliciter acceperunt, acsi hic ageretur de *halitu oris Dei* obruturo & inundaturo Assyrios.

Quid hic valeat *Nomen Jehovæ?*

Locus Jes. LX. 9.

Et Deut. XXVIII. 58.

Altiore sensu notat *Angelum* illum *in quo est Nomen Dei.*

Quare hic venturus dicatur *è longinquo?*

Geminum admittit sensum qui declaratur.

Posterior accipitur.

Propheta hoc Judicium dudum prænunciaverat.

Ardor iræ Dei, & *grave* ejus *incendium.*

Sensus vocis משאה h. l.

Metaphora illustratur.

Labia plena severitate, &c.

Usus vocis דעם.

Declaratur ex simili.

℣. 28. *Spiritus ejus ut torrens inundans, &c.*

Figura pas-

a Cap. LX. 9. b Deut. XXVIII. 58. c Exod. XXIII. 21. d Cap. XXXVII. 36. e Cap. X. 34. f Deut. XXXII. 22. g In Lex. ad h. v. h Cap. XI. 4.

sien infeliciter accepta.

rios. quod plane non putem fuisse in mente Prophetæ. Si enim id voluisset, non dixisset, ut opinor, habitum illum Dei *ad collum* perventurum esse, sed Assyrios penitus inundaturum & collum ipsum supergressurum esse. Hæret itaque Vates in eadem figura, qua κατ' ἀνθρωποπάθειαν Deum describit ut *iratum & excandescentem. Spiritus* (רוח) hic est *ira* vehementior quæ sanguinem usque eo facit *ebullire*, ut subtiliores ejus partes undique collectæ ad superiora corporis ferantur; unde facies rubet, oculi ardent, labia tremunt, & dum ebulliens sanguis, pectore impleto ac distento, exitum quærit & spatium solito majus, veluti ad medium collum assurgit. hoc schema est metaphoræ, quam Propheta hic loci adhibens, justissimam caussam vindictæ & gravitatem ejus solummodo describere intendit. Sic occurrit metaphora Eccles. x. 4. *Si* SPIRITUS (רוח) *Dominatoris ascendat contra te, ne discede ex loco tuo.* Intellige *iram* instar torrentis *ascendentem* in partibus sanguinis subtilioribus. Vult Vir Sapiens, in ejusmodi casu quiescendum esse. nihil movendum usque quo ira *resederit*, sive *sedata fuerit:* quæ ipsa notio inde quoque petita est. Pariter Jud. VIII. 3. רפתה רוחם *Sedata est ira illorum.* proprie. *spiritus illorum.* sc. Ephraimitarum. Inde vox עברה *excandescentia*, θυμὸς, ira exuberans & inundans, à עבר *transire*, exsuperare, figura à torrente aut fluvio ripas suas transcendente desumpta. Vates noster scite usus est Cap. XIII. 9. *Ecce dies Jehovæ venit horribilis, & excandescentiæ & æstus iræ.* Compara autem cum hac imagine iræ Divinæ à Propheta nostro docte picta, similem figuram Mosis in Cantico [a]. *Ad agitandas Gentes agitatione vanitatis*] Deus, secundum arcanas providentiæ suæ rationes vehementem excitaret motum inter Assyrios, Gentium illius temporis potentissimos & populosissimos ad magna & vasta consilia, quæ mente sua conceperat Senacheribus, exequenda: sed qui motus non tantum *in nihilum exiret*, verum etiam cum *strage & interitu* eorum conjungeretur, adeo quidem ut eventus doceret, omnem hunc motum fuisse effectum Divinæ Providentiæ vindicatricis, huic populo gravissimum parantis supplicium. Metaphora desumpta est à cribratione quæ tam violenter instituitur, ut cribranda comminuantur, & in nihilum exeant. Confer Amos, IX. 9. R. Moses Haccohen apud A. E. hoc emblema eodem modo accipit quo sequens de *ductu* jumenti per *frænum.* quod non videtur convenire genuinæ significationi vocis נוף. *Et ut sit frænum seducens in maxillis Populorum*] Hieronymus verterat: *Ad perdendum Gentes pro nihili* (in nihilum) *& frænum erroris quod erat in maxillis populorum:* ut sensus sit, venisse Deum *ad concutiendum* vel *perdendum frænum quod erat in maxillis Populorum*, h. e. Assyrium. quæ versio Forerium, Sanctium, & ipsum quoque Grotium, duxit in errorem. Utique potuissent videre Viri docti, non convenire *fræno*, ut dicatur *concuti* vel *agitari* tanquam in cribro. Forerius tamen aliud etiam subjecit; sed non probabile: & plures hic hæserunt, cum tamen satis sit attendenti facile, & cum superiori membro cohæreat. Deus hic dicitur esse *frænum seducens in maxillis populorum*, quod secundum occultas vias providentiæ suæ admirabilis Assyrium cum ingente ejus exercitu *fræno moderatus* duxerit in propriam suam perniciem, cum ipse interea sibi spes proposuisset amplas ingentium successuum. Mutata hic est metaphora, sed res eadem quæ occurrit Cap. x. 15. Homines in omni suo motu diriguntur à Divina Providentia secundum arcanas Decretorum ejus rationes, ad fines à Deo provisos; quæ hac de caussa comparatur *fræno* quod est *in maxillis hominum.* quod si vero eventus doceat, exitum esse hominis perniciem: appellatur *frænum seducens.* Propheta ipse in explicanda Dei sententia de Assyrio eadem figura utitur, his verbis [b]: *Ponam* (Deus loquitur,) *hamum meum in naso tuo, & frænum meum in labiis tuis.* Durum dictu, ais. Sic videtur; & tamen Veteres Sancti omnes, observantes in omni hominum casu & eventu nihil accidere, Deo nolente vel non providente ac gubernante, sic locuti sunt; & Propheta noster clarissime in loco modo allegato [c], ubi sententiam meam de hac re explicui. Utique persuasus sum, peccata & vitia hominum Deo adscribi non posse, nec debere. purissimus est in omni actu, & peccati osor, non sane caussator. Et tamen subest peccator cum omni creatura arcanis voluntatis Divinæ ductibus, quomodocunque res se habeat, ut à Diabolo, Deo juste permittente, seductus, non absque Deo seductus esse videatur.

Expositio certior.

Usus vocis רוח *spiritus* h. l.

Notat *iram*, quæ *sanguinem & spiritus* facit *ebullire.*

Loca analoga.

Eccles. x. 4. declaratur.

Significatio vocis עברה.

Ad agitandas Gentes, &c.

Verba exposita.

Et ut sit frænum seducens in maxillis Populorum.

Hieronymi & aliorum versio & interpretatio. quæ non laudatur.

Probabilior expositio.

Doctrina Veterum

Sanctorum de Providentia Divina.

Consequens Judicii.

℣. 29. *Canticum vobis erit* (illa nocte) *tanquam* NOCTE QUA SANCTIFICATUR FESTUM; *& lætitia cordis tanquam* EJUS QUI INCEDIT AD TIBIAM, *veniendo* (eundo) *ad montem Jehovæ, ad rupem Israëlis*] Consequens Judicii in Assyrium esset ingens Ecclesiæ Judaicæ plausus & jubilum, canticis & hymnis celebrandum, illa *nocte* qua superbus hostis Populi Dei prosterneretur: haud aliter ac Israëlitæ vindicati è servitute Ægyptiaca, Duce Mose, & ab oppressione Canaanæa, præeuntibus Barako & Debora, Deum *cantilenis*, (quæ hic genuina significatio est vocis שיר, ut alibi jam sæpius monui [d]:) solenniter celebrarunt [e]: cujusmodi *Hymnologiarum* exempla jam in superioribus habuimus [f]. Cum autem *gaudium* ob beneficium magnum & inopinatum significari soleat *ore & gestu*, dum *lætitia* se intus per mentem diffundit: utrumque hic designat Vates, *canticum* ore celebrandum conjungens cum *lætitia cordis.* utrumque vero illustrat duobus emblematibus in rem scienter adductis. *Canticum*, ait, ejusmodi iis fore quale est *noctis* qua *sanctificatur Festum.* Manifeste respicitur ad *Noctem Paschalem*, qua Festum omnium anni Sacri primum & celeberrimum, h. e. *Paschatis* sive *Azymorum* celebrari incipiebat, ut Judæi dudum monuerunt, & passim quoque Christiani Interpretes tenent. Miror itaque merito, ab hac sententia facili & liquida Grotium voluisse discedere. Scripsit ille, *in cœna quæ diem Festum sequitur, in qua fiebat postcœnium, & seqq.* Sed adsunt hic omnes characteres Festi Paschalis, *u.* Quia illud in emphasi dicebatur *Festum*, ut inter alia Num. XXVIII. 17. *Et quintodecimo die illius Mensis* (Abib) ΕΙΣ FESTUM, absolute sic dictum. Apud Matthæum [g]: Κατὰ δὲ ἑορτὴν. h. e. Festum Paschale κυρίως sic appellatum. Joannem [h]: Ἐν τῷ πάσχα, ἐν τῇ ἑορτῇ. Rursus [i]: Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων· *Post hæc erat* FESTUM JUDÆORUM. Pascha sc. ut probabiliter Docti Viri conjiciunt. β. *Festum* hoc *sanctificandum* restringitur ad *noctem*, quod proprium fuit *Festo Paschali.* Equidem non ignoro, aliorum Festorum Noctes sæpe à Judæis magna lætitia celebratas esse, & imprimis Festi Tabernaculorum: sed nulla *nox* Festi ex præcepto Divino *sanctificando* Festo impendenda fuit, præter eam Paschalis, de qua Moses [k]: NOX HÆC *est diligentissime observanda Jehovæ, & seqq.* γ. Illa *nocte Paschali*, unde Festum vere initium ducebat, Judæi *magnum Hillel* canentes, ὑμνήσαντες, phrasi Matthæi [l], Deum hisce ipsis *Canticis* celebrabant ob *liberationem* procuratam Populo suo cum exitu ex Ægypto, & prostratos illa *eadem nocte Primogenitos* per totam Ægyptum per *Angelum Jehovæ.* ut notum ex historia. Illud vero *Canticum* hac nocte merito repeteretur, dum Deus simile exerceret Judicium in Liberatione Populi sui ab Assyrio. Potest autem esse specimen hujusmodi *Cantilenæ* Psalmus LXXVI. cui Interpres Alexandrinus præfectipsit, Ὠδὴ πρὸς τὸν Ἀσσύριον· ODE DE ASSYRIO. quæ Inscriptio, ut plures aliæ Interpretis Græci, non comparet in Hebraicis. Si tamen legas *Carmen:* observabis, optime huic Casui quadrare. Judæi præterea in traditionibus Scholæ suæ habent,

Consequens Judicii, ℣. 29.

Quod secundum verba Prophetæ describitur.

Mos Veterum in *Cantilenis* argumenti Doxologici.

Emphasis in verbis Vatis, ubi de *duplice* loquitur *lætitia.*

Nox quæ sanctificatur *Festum*, est *Paschalis.*

Ill. Grotii observatum non admittitur.

Pascha Judæis in emphasi dicebatur *Festum.*

Judæi nocte Paschali *magnum* cantabant *Hillel.*

Cujus argumentum optime respondet huic Eventui.

Animadversio in Inscriptionem Græcam Psalmi LXXVI. quæ non plane spernenda.

---

a Deut. XXXII. 22. *b* Cap. XXXVII. 29. *c* Cap. X. 15. *d* Ad Cap. V. 1. XXVI. 1. *e* Exod. XV. 1. Jud. V. 1. *f* Cap. XII. 1. XIV. 4. XXV. 1. XXVI. 1. *g* Cap. XXVII. 15. *h* Cap. II. 23. *i* Cap. V. 1. *k* Exod. XII. 42. *l* Cap. XXVI. 30.

Judæorum traditio de Nocte qua profligatus eſt Exercitus Aſſyrii.

bent, Senacheribum *Nocte Paſchali*, qua *Feſtum* hoc ſanctificabatur, à Deo vindicatum eſſe. ſic narrat Aben-Ezra. Non recipio temere, nec ſperno. Certe, ſi id ita ſe habuiſſet, comparatio Judicii Pharaonis & Senacheribi valde ſplenderet: etſi nunc etiam nihil luminis nobis hic deſit. Alterum emblema, quod Vates hic uſurpat in declaranda *latitia cordis*, æque pulchrum eſt, deſumptum ab eo qui ad *tibiam* hilaris progreditur *ad montem Jehovæ, ad Rupem Iſraëlis*. Nihil clarius, ſi non fallat *Traditio* Gentis in Codice *Biccurim* conſignata, certe quidem in probabili fundata ratione: nimirum, ubi *Primitiæ* (בכורים) ex Lege [a] ſolenniter deferendæ eſſent Hieroſolymam: unius tractus qui erant incolæ in primariam aliquam ejus Regionis Urbem conveniſſe, & ne polluerentur, in plateis pernoctaſſe; Primarium vero cœtus Virum Chori Ductorem, eos excitando his fere uſum verbis quæ ad hæc noſtra proxime accedunt: *Surgite, ac eamus Tſionem ad Dominum Deum noſtrum:* proceſſiſſe autem hoc ordine, ut ante chorum iret *taurus cornibus auratis, & oleæ ramo coronatus:* tum quoque TIBICEN, tibia ludens: procedentes autem & Hieroſolymæ appropinquantes, ſæpius repetiiſſe verba Poëtæ ſacri [b]: *Lætus eram cum dicerent, Eamus Domum Domini.* inde vero à Populo Hieroſolymitano fauſtis acclamationibus & à Sacerdotibus honeſte eſſe receptos, primitiaſque quas in vaſis aut corbibus adferebant, ſolenniter Deo conſecraſſe, recitata *Confeſſione* ſecundum formulam à Moſe præſcriptam. Extat traditio in Tractatu Talmudico [c] & apud Rituales, à Doctis Viris, qui antiquos ritus Gentis ſcrutati ſunt, jam ſedulo excerpta. Certe nihil verius, quam ſolennes ejuſmodi proceſſiones Religionis cauſſa in lætis caſibus inſtitutas, cujuſmodi erat caſus deferendarum *Primitiarum*, ſummam parere ac fovere mentis hilaritatem. Cætera nihil fere habeo quod hic amplius obſervem. Vocat *Deum*, ut Hieroſolymis colitur, *Rupem Iſraëlis*, quod hoc ipſo tempore Urbem Monteſque ſibi ſacros præſidio efficaci adverſus potentiſſimum hoſtem defendiſſet. De ratione hujus *Epitheti* in ſuperioribus ſæpe egi [d].

Alterum emblema lætitiæ deſumptum ab eo qui cum *tibia* incedit ad Montem Sanctum.

Metaphora deſumpta à Ritu *Primitiarum*, deferendarum Hieroſolymam. qui enarratur.

Quare Deus hic ſpeciatim vocetur *rupes*?

Articulus alter: *Judicium* Aſſyrii.

Articulus alter *Judicii*, vſ. 30. quo ſpecies Judicii deſcribitur. quæ ex hoc & analogis locis declaratur.

vſ. 30. *Et audire faciet Jehova* CLARITATEM *vocis ſuæ & deſcenſionem brachii ſui videre faciet in commotione iræ, & flamma ignis voranis; diſſipatione & imbre, ac lapidibus grandinis.* vſ. 31. *Quia à* VOCE *Jehovæ proſternetur Aſſur, virga percuſſurus*] Repetit Propheta filum narrationis ſuæ, & cum *ſuperiore commate* non obſcure innuiſſet *tempus* exequutionis hujus Judicii, quod eſſet tempus *noctis:* deſcribit hoc loco ipſius *Judicii* ſpeciem, quam tum ex hoc loco, tum ei parallelo Cap. XXIX. 6. in hunc modum concipimus: fore nimirum, ut à Deo excitetur tempeſtas gravis ac terribilis, qua tonitrua, fulmina, imber, grando, venti diſpergentes, ita inter ſe commiſcerentur, ut omnes mortales intelligerent, Deum juſtum Judicem deſcendiſſe in nubes ad hoſtes ſuos perterrefaciendos agitandoſque & majeſtatem ſuam ac vim iræ ſuæ publice declarandam, ad conſolationem ſuorum & interitum hoſtium: qua tempeſtate ſæviente, *Angelus Jehovæ* ſive per *tonitrua & lapides grandinis*, (quod videri queat probabile:) ſive quo alio modo, *proſterneret* optimam & florentiſſimam partem Exercitus Aſſyrii, cujus *virga* à longo tempore gravis fuerat Populo Dei. Etenim vel verba hæc *figurate* ſunt accipienda in omni ſua circumſtantia: quod ſimplicitas utriuſque loci inter ſe collati non videtur permittere: vel id ſubaudiendum eſt hoc in loco quod modo explicavi. Videtur itaque nunc in rem meam neceſſarium, ut tam *ſpeciem* hujus Judicii in Aſſyrium exercendi illuſtrem, quam *phraſin* Prophetæ. Sed de *ſpecie Judicii* mihi hoc tempore fuſius agere propoſitum non eſt, quippe quod, faciente Deo, differo ad locum proprium hiſtoriæ hujus Libri [e]. Tantum adſcribam verba illius Odes quam Veteres ad Aſſyrium retuliſſe modo monui [f]: Tu! *tremendus es* TU! *& quis ſtabit coram te à quo ira tua exardeſcit?* Ex COELO (משמים) *promulgaſti* JUDICIUM: *terra timuit, & tranquilla fuit: cum ſurgeret* AD JUDICIUM *Deus, ad ſalvandum omnes manſuetos terræ.* In phraſi cætera nihil occurrit obſervandum, quod veri ſtudioſum moretur. Vocem חור optime per *claritatem* reddi, jam ab aliis monitum eſt. eſt enim genuina vocis notio, quæ ad Reges tranſlata *majeſtatem* illorum, h. e. claritatem Regiam, ſignificat: ad *vocem* vero, *claritatem*, imo ſane *majeſtatem vocis.* Per *vocem* (קול) enim hoc in loco intelligitur *tonitru* grave, ſignum Majeſtatis Divinæ, ut ſæpe aliàs. In loco parallelo [g] dicitur רעם *tonitru*, & קול גרול *vox gravis.* Vocabulum נפץ *diſſipatio* ab Interpretibus quibuſdam accipitur de *fulguribus:* ſed noſtra ſententia omnino hic exponendum eſt de *vento procelloſo*, qui סופרת *turbo* dicitur in loco parallelo: Jeremiæ [h], רוח משחיתה *Ventus perdens*, pernicioſus. Emblema illuſtrandum eſt ex his quæ ſcripſi ad Cap. XXI. 1. *Lapis grandinis* (אבן ברד) hic notat *grandineos lapides* majoris molis, quibus homines, pecudes, aves, ſubinde proſternuntur, de quibus in illuſtranda hiſtoria cladis Aſſyrio infligendæ plura monebo. Tali tempeſtate ſæviente proſternendus erat, & proſtratus eſt Exercitus ſuperbi & faſtoſi Regis.

Qua hypotheſis confirmatur.

Animadverſio ad ſpeciem Judicii, quo periit Exercitus Aſſyrii.

Locus Pſ. LXXVI. 9. ſeqq.

Conſequens Judicii cum *Clauſula* ejus *confirmatoria.*

vſ. 32. *Et futurum eſt, ut omnis tranſitus* BACULI ILLIUS FUNDATI, *ſuper quem Jehova* eum *fecerit requieſcere*, tranſeatur *tympanis & citharis, quippe* PROELIIS AGITATIONIS *iiſdem pugnabit.* vſ. 33. *Quia* TOPHETH *ab heſterno ordinatum eſt: omnino vero Regi paratum eſt: amplum illud latumque fecit: pyra ejus ignis lignaque multa:* HALITUS JEHOVÆ *inſtar torrentis ſulphuris accendit eam.*] *Conſequens* rurſus narratur lapſus Aſſyrii ad exemplum *Articuli ſuperioris*, idque denuo confirmatur & illuſtratur ex certitudine Judicii Divini, ſuperbo huic Dei adverſario decreti. Summa eſt; futurum eſſe, ut in omni loco, quem Aſſyrius cum gravi Exercitu ſuo tranſiens vaſtatum reliquerit, vel ubi cum Exercitu ſuo reſederit, poſt ejus cladem celebretur lætitia cum tympanis & citharis, ſiquidem Deus ipſe adverſus Aſſyrios proditurus, eos eum in modum ſit concuſſurus & agitaturus ut plane diſpareant. eſſe enim à Deo à longo ſupplicium terribile huic hoſti ſuo in Canaanæa deſtinatum, quo ipſe cum florentiſſima Copiarum ſuarum parte ſit conſumendus. eſſe illi paratam pyram, ab ira Dei accendendam, in quam tanquam Gehennam terreſtrem conjiciendus, conflagraturus ſit. Hæc ſumma eſt ſententiæ, *bimembris*, ut quiſque videt, cui *verſio* noſtra reſpondet, per utrumque *membrum* ſigillatim relegenda & confirmanda.

Conſequens Judicii cum *clauſula* ejus *Confirmatoria.*

Argumentum & Summa hujus Pericopæ.

Analyſis ejus.

Prius membrum, vſ. 32. comprehenſum, deſcribens ex noſtra ſententia *Conſequens* Judicii Aſſyrii, multum negotii faceſſivit Interpretibus, ſuntque ejus tot interpretationes & expoſitiones diverſæ, & in ſe invicem incurrentes, aliquæ etiam ab omni probabili ratione alienæ, ut abſque tædio aliquo eas percurrere non potuerim: nec hic excipio ipſum Cl. de Dieu in tribus, quæ produxit, *verſionum* h. l. ſpeciminibus: nec laudo etiam hic ſingularitatem Cl. Cocceji. Belgæ noſtri, maximam partem Piſcatorem, (ut hic Junium & Tremellium,) ſequuti merita ſua laude hic non ſunt fraudandi. Inſtituerunt enim prudenter, & ut plurimum iis conſentio. Cum autem abſque magna opera, & mediocri etiam operæ pretio, ſingulorum Intt. ſententias expendere non liceat: id agere & exequi conabor, ut interpretationem noſtram eum in modum

Prius Membrum, quod complectitur *Conſequens* Judicii, vſ. 32. variis ſubjectum interpretationibus.

Belgarum Intt. laus.

---

a Deut. XXVI. 1. 2. ſeqq. *b* Pſ. CXXII. 1. *c* *Biccur.* Cap. III. vide Ligtf. in Tract. de *Miniſt. Templ. Hieroſ.* Cap. XVII. Sect. V. Ainſworth, ad Deut. XXVI. 1. ſeqq. *d* Cap. XVII. 10. XXVI. 4. *e* Cap. XXXVII. 36. *f* Pſ. LXXVI. 9. 10. 11. *g* Cap. XXIX. 6. *h* Cap. LI. 1.

dum adſtruam & illuminem, ut cum cæteris comparata ſani judicii hominibus melior videatur. Ibo itaque per partes, ne quid temere neglexiſſe videar.

Verba Prophetæ ſigillatim recenſentur.

והיה כל מעבר מטה מוסדה *Et erit omnis tranſitus Baculi illius fundati*] h. e. *Futurum eſt ut omnis locus, per quem tranſiverit baculus ille fundatus*, h. e. Aſſyrius Rex cum Exercitu, ſc. tranſeatur *cum tympanis & citharis*, quod mox ſequetur. מטה מוסדה proprie valet, *baculus fundatus*. Aben-Ezra ſic directe vertit, ſumens מוסדה pro *adjectivo participiali generis debilioris*, docetque vocem מטה ſubinde hoc *genus* admittere, ut Mich. VI. 9. *Audite* מטה *virgam*, ומי יעדה & *qui eam ordinavit*. Nihil ſane vitii eſſet ſic accipere, ſi Maſorethæ voci מטה non ſuppoſuiſſent punctum *Tſeri*, notam *conſtructi*, cujus *abſolutus ſtatus* ſignatur *Segol*. ad quod doctus Grammaticus hic non videtur attendiſſe.

Per *Baculum fundatum* intelligitur *Aſſyrius*.

Obſervatum ad vocem מוסדה.

Cl. Cocceji verſio, & ad eam ἐπίκρισις.

Cl. Coccejus vertit *perticam* ſive *virgam fundationis*, per quam intelligit *Verbum Dei*, ad cujus ſc. menſuram ædificanda eſt Eccleſia. Sed eſt ea ſignificatio aliena à voce מטה, quæ nunquam, quod norim, hoc ſenſu ſtylo Scripturæ uſurpatur. מטה notat *baculum* firmum, robuſtum, quo quis percutitur, æquivalens notioni שבט. *Pertica* autem Hebræis eſt קנה המדה *calamus menſuræ*. Ne jam dicam, ſententiam ipſam nihil commune habere cum contextu orationis. *Baculus fundatus* ſive *virga fundata* hic eſt Rex Aſſyrius Senacheribus. Propheta autem eandem hanc denominationem Aſſyrii aſſumit ex verbis proxime antecedentibus, ℣. 31. *Quia voce Jehovæ proſternetur Aſſyrius*, בשבט יכה BACULO (virga) *percuſſurus*, vel *percutiens*. non, quod vult L. de Dieu, *a Deo virga percutiendus*. Eſtne obſcurum his qui Prophetam noſtrum triverunt, hunc eſſe characterem Aſſyrii? Sic ille Cap. X. 5. *Væ Aſſyrio* BACULO (שבט) *iræ meæ, & quorum in manibus quæ eſt* VIRGA, (מטה) *eſt ſeveritas mea*. ℣. 15. *Acſi agitaret* (שבט) BACULUS *agitantem ſe; acſi tolleret* VIRGA (מטה) *non-lignum!* ℣. 24. *Ne metue tibi, Populo mi qui habitas Tſionem, ab Aſſyrio, quando* VIRGA (בשבט) *percutiet, &* BACULUM SUUM (מטהו) *tollet contra te, via Ægypti*. In Cantilena Eccleſiæ Cap. XIV. 5. *Confregit Jehova* BACULUM (מטה) *improborum*; VIRGAM (שבט) *Dominantium*. Appellatur autem *Aſſyrius* BACULUS מוסדה *fundatus*, ſtylo Prophetico, quod ex Decreto Divinæ Providentiæ Imperium Aſſyriacum ad illud perveniſſet *robur* & ſtabilitatem, ut exequi poſſet judicia Dei tum in alias Gentes, tum in Populum ejus. quæ certa interpretatio phraſios hoc in loco petenda eſt ex Habakuko, de Rege Babylonio, propagine Aſſyrii, vaticinante, in hæc verba [a]: *Jehova! in judicium* (ad judicia tua exequenda,) *conſtituiſti eum, & ô Rupes! ad redarguendum* יסדתו FUNDASTI EUM. eadem emphaſis, quæ in hoc loco. Erat Baculus firmus, robuſtus, qui ſtabilitatem ſuam habebat ex ipſo Decreto Divinæ Providentiæ. Miſcet Propheta metaphoras, ut ſæpe aliàs, & attributum Imperii Aſſyriaci & Regis Imperii poteſtate fulti, transfert ad *Baculum*, ſub quo Regem Aſſyriæ & Exercitum ejus, robur Imperii, intelligi voluit. Sic eſt, Imperium Aſſyriacum jam ſatis longum tempus ſteterat, multas ſubegerat ac ſpoliaverat Gentes; & quidem eo cum ſucceſſu, ut prudentes homines obſervarent, Deum ſua providentia favere proſperitati & amplificationi hujus Imperii. videbatur itaque eam jam conſecutum eſſe auctoritatem, ut impune & pro libitu Gentes alias diripere, fortunas earum evertere, terras vaſtare, innocuos cædere, & nolentibus jugum ſuum imponere poſſet; cujus reſpectu à Vate dicitur *Baculus fundatus*. *Tranſitus* autem *Baculi fundati* eſt locus omnis, per quem Aſſyrius cum Exercitu ſuo tranſiit in terra Canaanæa; ubi reſedit & caſtra metatus eſt; quemque occupavit, expugnavit, vaſtavit. Sic Propheta de ſimili caſu in Oratione ſuperiore: *Flagellum inundans* (metaphora mixta.) בי יעבור *quando* PERTRANSIVERIT.

Aſſyrius hoc epitheto apud Jeſaiam venit.

Loca analoga.

Cur appelletur *Virga* FUNDATA?

Locus Habakuki, Cap. 1. 12. de *Babylonio*.

Quid intelligatur per *tranſitum Baculi fundati*?

אשר יניח יהוה עליו *Super quem Jehova fecerit requieſcere*] ſc. hunc baculum, hanc virgam. Ellipſis eſt *relativi* familiaris, cum ex contextu orationis facile colligi poſſet. Integra oratio eſt, אשר יניחו יהוה עליו *ſuper quem Jehova eum baculum*, vel *virgam fecerit quieſcere*. hoc eſt, cui ex voluntate Dei gravis incubuit Aſſyrii manus, ſceptrum, virga. Sunt, ut jam anticipavi, loca, quæ ille cum Exercitu vaſtatore pervaſit; in quibus caſtra metatus eſt; quæque expugnavit, aut ab incolis deſerta occupavit: quorum locorum ſpecies Vates recenſet Cap. X. 28. Eſt autem phraſis, Hebræis recepta, qua *Baculus* ſive *Sceptrum* ſuper quem *quieſcere* dicitur, ut Pſ. CXXV. 3. *Quia non requieſcet* שבט הרשע *ſceptrum improbitatis ſuper ſortem juſtorum*. h. e. non incumbet grave ac moleſtum. Metaphora deſumpta eſt à bobus ſub jugum miſſis, aut aſinis onera gravia portantibus, qui ab actoribus ſuis baculo percutiuntur, citantur, reguntur, & quidem cura continua actoris, ut baculus ab humero, vel tergo jumenti vix unquam recedat, & ſuper ea jumenta quaſi *quieſcere* videatur. Hoc ſtatu ſunt Populi, olim liberi, qui in ſervitutem acti, imperioſis Rectorum ſuorum Edictis, oneroſiſque tributis, premuntur, ac tantum non opprimuntur; ſubinde etiam gravius affliguntur, & ad opera ſervilia ſub gravi pœna aut plagis adiguntur. quo ſtatu erant Gentes ab Aſſyriis ſubactæ, *libertate & voce privatæ*. Et tamen Vates non ſimpliciter ſcripſit, *Super quem* ſc. locum, *ſceptrum illud quieverit*; ſed, *Super quem Jehova illum baculum fecerit quieſcere*: ut intelligeret Populus Dei illius temporis, & intelligeremus quoque nos, nihil ne in minimis quidem circumſtantiis ab Aſſyrio gerendum aut geſtum eſſe, citra Dei voluntatem, decretum, providentiam. omnia hic fuiſſe circumſcripta definitionibus ſancti juſtique conſilii ejus; quod magnum præceptum Vates late inculcaverat Cap. X. 5. 15. ſeqq.

Verba: *Super quem Jehova eum fecerit requieſcere*.

Ellipſis dictionis.

Senſus orationis.

Unde deſumpta ſit metaphora?

Applicatur ad ſubjectum.

בתפים ובכנורות *Cum tympanis & citharis*] ſc. *erit*, quod habetur in initio ſententiæ: *Et erit omnis tranſitus baculi illius fundati cum tympanis & citharis*. h. e. futurum eſt ut tranſeatur cum *tympanis* & *citharis*. Senſus eſt perfectus; futurum nimirum, ut illa loca quæ ab Aſſyrio obſeſſa, vaſtata, incultaque relicta erant, quibuſque durum ejus ſceptrum grave incubuerat, poſt ejus lapſum *tranſirentur* cum *tympanis* & *citharis*, cum jubilo & plauſu, ob liberationem ab hoſte adeo importuno Divinitus procuratam. quod, ſi ſenſum reſpicias, idem eſt quod Vates noſter anticiparat, ℣. 29. Hic itaque claudenda eſt ſententia *commatis* hujus *prior*, ut rectiſſime monuerunt Maſorethæ, accentum *Atnach* diſtinctivum majorem ſuffigentes voci כנורות *citharæ*. Eſt autem illud monitu plane neceſſarium, quia Interpretes aliqui, iique vere nec pauci nec indocti, quà Judæi quà Chriſtiani, verba hæc cum ſequentibus uſque ad finem *verſiculi* connexerunt, in hanc ſententiam: *tympanis & citharis & bellis agitationis pugnabit cum iis*, ſc. Aſſyriis. Veluti dicere vellet Propheta; Angelum Jehovæ leviſſima opera veluti *ludendo & cithara canendo* (ſic enim interpretantur vocem תנופה *agitationem*, *motitationem*, qualis eſt *digitorum* aut *pectinis citharam pulſantis*) Aſſyrios victurum & proſtraturum eſſe. Cogitatio mihi viſa eſt Doctis Viris plane indigna: niſi forte meum mihi hoc loco illudat judicium. Præterquam enim quod emblema ipſum nihil concinnum & acutum, nihil non valde quæſitum & remotum, habeat ſecundum hanc interpretationem: (quis enim cum dicere velit, ſe *ludendo* vincere, idem ſic efferat, ſe pugnare cum *tympanis & citharis?*) an Deus vel Angelus Dei, ubi terribilem Dei irati exequitur actum Judicii, excitata tempeſtate horrida qua hoſtes ingente numero proſternit, inferri poteſt ut *cithara ludens* aut *tympanum pulſans?* Noſtra vero interpretatio facilis eſt, & textui orationis accurate convenit. De *tympanis* vero (in-

Cum tympanis & citharis ſc. erit.

Integra ſententia Prophetæ exhibetur, & ſenſus ejus indicatur.

In voce *citharæ* recte fixerunt diſtinctionem Maſorethæ.

Aliorum diverſæ rationes erroneæ.

Paradoxa illorum interpretatio. quæ refelliſtur.

[a] Cap. I. 12.

intellige *tympana minora*, affabre facta, ab ipsis quoque fœminis pulsari solita:) & *citharis* lætitiæ & musicæ instrumentis, nihil speciatim nunc observo, cum in *superioribus* jam occurrerint [a]. Solummodo emphasin hic observari volo, ad quam certus sum omnes non attendere. *Tympana* minora & *citharæ* potissimum tractabantur à *fœminis*, fidicinis. Posterius omnibus notum: sed de *tympanis* non minus clare liquet ex Exod. xv. 20. unde *fœminæ* illæ appellantur תופפות, τυμπανίςριαι, Ps. LXVIII. 26. Vult itaque dicere Propheta, loca illa non tantum summa cum *lætitia*, sed & cum *securitate* transeunda esse, paulo ante à truculentis hostibus obsessa.

Deusu tympanorum & cithararum, quæ tractabantur à fœminis.

Et bellis agitationis pugnabitur adversus eam. Masoretharum animadversio ad lectionem: quæ probatur. Versio & expositio Piscatoris. quæ emendatur.

ובמלחמות תנופה נלחם בה *Et bellis agitationis pugnabitur adversus* EAM.] sc. *Virgam*, sive *virgæ* σημαντικὸν, *Assyrium*. Sed Masorethæ nos monent legere בם *adversus* EOS, sc. Assyrios: quod commodius & facilius. Piscator vertit; *Idque post prælia agitationis quibus prœliatus fuerit adversus eam.* sensu facili. Loca desolata vastataque ab Assyrio dehinc transirentur cum tympanis & citharis, postquam Deus *prœliis agitationis* destruxisset hostes. Certe nihil vitii est in sensu quem lubens amplector; sed minus probo versionem. Etsi enim Litera ב præfixa verbis *temporis*, ut sunt שנה, ימים, quoque significet *post*: durissimum tamen cuivis videatur, במלחמות vertere, *post bella*, & non, *bellis*, ut proprie sonat. Durius adhuc, id fieri post alterum *præfixum* ו ei additum. Quare longe facilius & rectius verba, eodem retento sensu, vertuntur, ut fecerunt Belgæ; QUIA *prœliis agitationis pugnabitur adversus eos*. Præfixum ו hic sumitur λογικῶς, *causaliter*, ut frequentissime apud Prophetam nostrum, & per Scripturam S. totam. Sume exempla ex hac ipsa *Concione*, ℣. 3. 7. Potuisset Propheta, caussam hic cum effectu suo connectens, scribere, כי QUIA, quoniam. Sed quia in eadem serie orationis voculam כי mox ἀμέσως post hæc verba adhiberet: hic potius usurpavit præfixum ו eodem sensu. Dicit igitur Propheta, id ipsum quod in tota hac pericopa alternatim repetit, *caussam* effectui, *antecedens* consequenti, & è contrario *effectum* causæ subjungens & copulans: fore ut loca ab Assyrio vastata cum instrumentis lætitiæ publicis transeantur, quia Deus ipse de cœlo *prœliis agitationis* adversus hostes suos pugnaret. Sunt autem *Bella agitationis* prœlia *fortia*, (sic Chaldæus, qui locum hunc recte accepit:) valida, in quibus Deus ipse, liceat mihi ita loqui, manum brachiumque exerit ad hostes suos concutiendos & conterendos. Alludit Vates hac phrasi ad id quod dixerat ℣. 28. Deum iratum *agitaturum esse Gentes* (Assyrios) *agitatione vanitatis*. Certam deprehendes interpretationem, si conferas Cap. XIX. 16. ubi Ægyptii à Deo graviter puniendi inter alia mala dicuntur afficiendi metu fœmineo, מפני תנופת יד יהוה צבאות *propter* AGITATIONEM MANUS *Jehovæ Exercituum quam agitaverit supra* vel *contra illum*. sc. Ægyptios. Angelus Jehovæ Assyrios tonitru, grandine, fulminibus, lapidibusque grandineis è cœlo missis ex variis plagis cœli valide invasurus esset atque in vertiginem ageret dextra veluti exerta gladium vibraturus, vel hostes suos instar cribrantis validissime concussurus, usque quo in nihilum redigerentur. metaphorica enim locutio ad duas hasce similitudines referri potest. quem sensum eventus illustravit.

Præfixum ו hic sumitur λογικῶς, *causaliter*.

Sensus Prophetæ.

Quid sint *bella agitationis*?

Locus Cap. XIX. 16.

℣. 33. *Quia Topheth ab hesterno ordinatum est; etiam Regi paratum est, &c.*] Clausula confirmatoria, integram hanc pericopam de Judicio Assyrii obsignans. Continet autem eandem quam superiora, sententiam: solummodo schema figuræ mutatur, quod hic totum est parabolicum. Fingit Vates, interitum Assyrii ejusque Exercitus descripturus, magnam quandam pyram ex materia ustili ligniſque multis in lata aliqua valle paratam instructamque esse, ab halitu Divino incendendam, in quam conjiciendus sit Assyrius cum Exercitu ejus consumendus. Fictio elegans est, in cujus sensu literali vix quicquam occurrit quod nos moretur. *Topheth* (תפת) est vallis in tractu Orientali & Australi Urbis Hierosolymæ, ut si Urbem Hierosolymam circuiturus ab Oriente deflectas versus Austrum, mox occurrat Vallis, olim dicta *Vallis filii Hinnom*, (בני בן הנם) vel *Vallis Hinnom* (גיא הנום) ad latus, inquam, *Tjionis Australe*, quà se flectit ad Orientem, extra murum Urbis. ut clarissime liquet ex Libro Josuæ [b]. In hac *Valle* erat locus dictus *Topheth*, (hic loci תפתה *Tophthe* cum ה paragogico) ut patet ex verbis Jeremiæ [c]: *Et edificarunt excelsa* TOPHETH, *quod est in Valle filii Hinnom*: unde integra hæc *Vallis* appellatur TOPHETH, secundum eundem Jeremiam qui utrumque nomen alternat [d]: *Non appellabitur amplius hic locus Topheth & Vallis filii Hinnom.* Ex quo eodem Sermone Jeremiæ discimus, exeuntibus Hierosolyma per Portam Orientalem, quæ dicta est *Solis*, Vallem hanc in flexu versus Austrum obviam fuisse [e]. Pariter tradit Historia Sacra, Reges Judæorum idololatras in hac Valle sacra feciſſe Molecho, ex detestabili Ammonitarum & Phœnicum instituto, atque adeo ibi foviſſe *ignem*, per quem liberos suos lustrabant, vel, quæ genuina illius idololatriæ species est; cui eos Molecho devotos cremandos tradebant: quo scelere se obstrinxerunt Achaz & Manasse [f]. Sed cum hæc certa sunt: tum vero obscura est nominis etymologia & genuina origo. Judæorum quidem traditio habet, loco nomini inditum esse à תף *tympanum*, quod videlicet idololatræ, dum liberi Molecho ut hostiæ consecratæ comburebantur, *tympana* pulsarint, ne ejulatus eorum exaudiretur. Sed id plane est incertum, & minus probabile. Miselli magno igni traditi à flamma ejus sic sunt suffocati, ut ejulatus iis ademptus fuerit: quod secus accidit in his qui lento igne consumuntur. Ne jam dicam, Doctos Viros jam monuisse, majorum illorum tympanorum, in usum bellicum paratorum, recentiorem esse originem [g]. Si omnino vox תפת explicanda sit ex voce תף *tympanum*: (quod non nego probabile fieri ex loco Job. XVII. 6. & ex forma vocabuli ipsius:) forte sic dici potuit, quod cum *vallis amœna esset*, ut credibile est & testatur Hieronymus [h], delectationi honestæ civium Hierosolymitanorum, à tympanistriis, citharœdis, fidicinis more Veterum excitandæ inservierit; vel sic dictus sit locus à *tympanis* minoribus, quæ in *Cultu Molochi* usum habebant. Sed licet id ignorare, salva hujus loci nostri vera intelligentia. Quod dein additur, *Pyra* sive *Focus ejus ignis & ligna multa*: sic est accipiendum; in Topheth *magnum* struendum esse focum, ex multis lignis congestum, eumque ab igne incensum ingentem daturum esse flammam. Quæris, unde *ignis?* Respondet Vates, *halitum Jehovæ* instar *torrentis sulfuris* hanc pyram *incensurum esse*, ut subitò flammam concipiat, & in eam conjecta brevi consumat. Hebræa phrasis proprie valet, *ardet in ea.* sed id idem est. Propheta sic scripsit, ut mentem suam certius exprimeret. Vox enim בער in *Pihel* alias etiam adsciscit significationes. Et fateor tamen, hanc ipsam loquutionem Prophetæ aliam nobis, licet affinem, subjicere cogitationem, eamque speciosissimam, quæ in hunc exit sensum: *igni* huic *lignis* constanti multis, accessurum *halitum* Jehovæ eum excitaturum, ut flammas concipiat majores atque acriores; quod evenire solet, ubi igni ardenti miscetur *sulphur*, ustilium omnium acerrimum & motus rapidissimi. Exhibet itaque hoc emblema *infernum* quendam non *subterraneum*, sed *terrestrem*, in quem conjiciendus *Rex* cum Exercitu repente sit interiturus.

Realis interpretatio emblematis non potest videri obscura peritis Verbi Prophetici. Hieronymus hic secundum hypothesin suam rectà cogitat de *lata* & *spatiosa*

quam constructa est oratio.

Animadversa paucula ad sensum Literalem.

Topheth quis olim dictus sit locus? *Vallis filii* Hinnom. Ubi sita?

Loca Jeremiæ, Cap. VII. 31. XIX. 6.

In hac Valle Reges Idololatræ sacra fecerunt Molecho, & fuit ibi *Ignis magnus* in hunc usum paratus.

Unde nomen *Topheth*?

Judæorum traditio. quæ non admittitur.

Quo sensu hæc *Vallis* dici queat denominata esse à תף *tympanum*?

Verba: *Pyra* ejus *ignis* & *Ligna multa*.

Sensus eorum expositus.

Alia meditatio quæ sensum Prophetæ perfectius exponit.

Inquiritur in *realem sensum* emblematis.

a Cap. V. 12. XXIV. 8. b Cap. XV. 8. c Cap. VII. 31. XIX. 6. d ℣. 2. e 2 Reg. XXIII. 10. coll. cum Cap. XVI. 3. 2 Chron. XXVIII. 3. f Vide Cler. ad 2 Reg. XXIII. 10. g Ad Jer. VII. 31.

Hieron. & Paraphraſtes quoque hic *directe* cogitant de *Gehenna*.

tioſa Gehenna, Dæmones hoſteſque Populi Dei *æternis uſtura ardoribus*. Nec aliter Paraphraſtes. Verba ejus: אתי מסדרא בן עלמין לקבריל חוביהון ניתנום *Etenim ordinata eſt à Sæculis* GEHENNA *propter peccata eorum*. Certe Propheta ſic ſcripſit, ut pingendo *infernum terreſtrem* ac *temporarium*, qualem hic deformat, nobis ob oculos poneret imaginem *inferni veri* & *æterni*. Prudentiores tamen vident, contextum orationis flagitare, ut prima cogitatio de his verbis verſetur circa *propius* aliquod *attributum* illius Subjecti de quo Vates in tota pericopa loquitur: hoc eſt, circa ſupplicium Aſſyrio decretum. Secundum quam hypotheſin, quam extra dubitationem pono, emblema parabolicum Vatis abſque ambagibus declaratum eo. Primo itaque, *Ignis* & *ligna multa*, ignem factura & fotura, hic notant *materiam ſupplicii*, Aſſyrio Regi & Exercitui ejus à Deo deſtinati & decreti, tam cum reſpectu ad ejus naturam & effectum, quam cum reſpectu ad ejus cauſſam. Veritas hypotheſios, à qua tota interpretatio pendet, facile demonſtratur ex *ſimili* ſive *cognato*. In *Apocalypſi* Joannis *Beſtia* & *Pſeudopropheta* dicuntur *conjecti eſſe εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην ἐν τῷ θείῳ* *in* STAGNUM IGNIS, ARDENS SULPHURE [a]. Imago æque ad hunc locum eſt expreſſa ac ad emblema Ignis Sodomæi, ex Propheta noſtra Cap. XXXIV. 9. 10. Quæro, quid hic notet *ſtagnum ignis?* Video mihi reſpondendum eſſe, deſignari eo *materiam ſupplicii* deſtinati iis ſubjectis quæ *Beſtia* & *Pſeudopropheta* appellantur, qualecunque tandem hoc ſupplicium ſit. Idem itaque in analogo hoc obtineat, oportet. *Ignis*, ardens ſtructus *ex lignis multis*, magnamque faciens flammam, hic ſignificat *materiam* Judicii illius quo *Exercitus Senacheribi* & tandem quoque ipſe ille *Rex*, eſſet interiturus, qualis qualis Judicii hujus fuerit ſpecies: de qua ſpecie Judicii ex hac phraſi nihil præciſe colligi poteſt. Rationes comparationis ſunt, *α.* Quia pœna Aſſyrio decreta Exercitum ejus Eumque ipſum *conſumeret*, qui effectus eſt *ignis*. *β.* Repente & quidem perfecte *conſumeret*; & *γ.* haud dubie cum cruciatu & dolore eorum qui interirent. quæ ipſa quoque ſunt effecta *ignis*. *δ.* Quoniam cauſſam haberet Dei iram, Juſtitiam vindicantem, Sanctitatem, majeſtatiſquæ ejus læſæ vindicandæ zelum, quæ ſtylo Scripturæ S. veniunt nomine *ignis*. Singula non probo, vel adſtruo, ut ſatis aliunde nota, cum prolixitatem vitem. Solummodo hic comparari velim locum parallelum Cap. x. 17. ſeqq. Secundo, *Ignis magnus* qualis hic fingitur, ex multis lignis coacervatus, notat Judicium Dei graviſſimum & clariſſimum, omnibus Gentibus conſpicuum, magna fama celebrandum, in quo ineſſet luculenta ſignificatio iræ Dei in hoſtes ſuos conceptæ, quale illud fuit Judicium quo conſumpta ſunt *centum & octuaginta quinque millia hominum*. Magnum oportet eſſe *ignem* qui tot capiat & perdat hominum millia. Tertio, *Topheth* hic notat ipſum ſupplicii *locum*, inferni imaginem, in quo Judicium hoc exercendum eſſet. Cum enim *Judicium* hoc Divinum *pœnale* requireret locum in quo exequendum eſſet: ipſe ille locus, qualiſcunque eſſet, hic proponitur tanquam *ſtagnum* aliquod *infernale* in quo hoſtes abſumerentur: locus, inquam, ille, in quo hoſtes proſternendi caſtra metarentur & reſiderent, cum reſpectu ad ignem *Judicialem*, ibi accendendum. Nomen itaque hic myſtice ſumitur, ut apud Joëlem *b Vallis Joſaphati*, & in Apocalypſi *c*, *Hermageddon*. Sunt ex Interpretibus plures, (inter quos Sanctius, alios ὁμοψήφους laudans, & Grotius,) qui exiſtimant, *Aſſyrios* ab Angelo percuſſos vere in ipſa Valle *Topheth* conſediſſe, eoque hic manifeſte alludi. Sed ſi id omnino ita ſe habeat, partem aliquam Copiarum Aſſyrii in ipſa quoque conſediſſe Valle *Topheth*: quod præfracte negare nolim *A*: primo certum eſt, Vallem ſuburbanam Topheth totum Exercitum Aſſyrii capere non potuiſſe. Deinde, Prophetam vocem Topheth hic myſtice accipi velle ex ipſius patet verbis, ubi addit, *Latam illam & profundam fecit*. quod nemo *κατὰ γράμμα* dictum putabit. *Vallis* enim *Topheth* illo tempore cauſſa Aſſyriorum à Deo non eſt facta latior & profundior. Ergo *Topheth* hoc in loco *ſenſu ſpirituali* notat *locum ſupplicii* Aſſyriis ex ira Dei ardente infligendi, ut modo monui, perinde ac *Gehenna* notat *locum ſupplicii* reproborum. Ratio comparationis analogicæ eſt quia in *Valle Hinnom* ſive *Topheth* ſub Rege Achazo Molechi cultore, magnus arſit ignis deteſtabili idolo ſacer, in quem conſecranei ſuperſtitioſe oblati, dejecti & miſere conſumpti ſunt. Huc enim alludi, ex locis Jeremiæ & hiſtoria Joſiæ ſupra adductis clare liquet. Eſt ſententia, quæ ſtatuit, Vallem Topheth fuiſſe locum in ſuburbano tractu meridionali Urbis Hieroſolymæ in quem ſordes, quiſquiliæ, fæces, cineres, & expurgamenta Civium conjecta ſunt, ibidem aduri ſolita; & inde loco eſſe nomen, & emblematis petendam eſſe expoſitionem. Patior id dici: neque enim mihi obeſt. Sufficit mihi, Topheth eſſe locum in quo magnus nutritur ignis. Agnoſco etiam, fuiſſe extra Urbem Hieroſolymam locum ad id ſecretum, eſtque is ipſe qui in verbis Jeremiæ modo adductis venit nomine CINERES *d*: ſed ille locus fuit in Tractu Urbis Occiduo quà flectitur ad Meridiem, & reſpondit ei *Porta Sterquilinii* in *Climate Occiduo e*, verſus Meridiem. Sed *Topheth*, ut jam ſæpius monui, fuit in *Climate Eoo*, qua flectitur ad *Auſtrum*. Certe probabile non eſt, Vallem amœnam prope Torrentem Cedronem in vilem hujuſmodi uſum converſam eſſe; vel Reges idololatras in loco impuriſſimo ſacra voluiſſe facere Numinibus quorum ſe devoverant venerationi. Atqui non Achaz tantum & Manaſſe, ſed & ipſe Salomo eadem Divinitatis propudia in hoc vel ei pro-

Illuſtratur ex analogo Apoc. XIX. 20.

Rationes comparationis.

Forma hujus Ignis refertur ad conſpicuitatem Judicii.

Topheth hic notat ipſum ſupplicii locum.

Nomen hic myſtice ſumitur.

Locus Joël, III. 12.

Quæritur, num Aſſyrii in ipſa *Valle Topheth* à Deo proſtrati ſint?

Quatenus ſententia hæc admitti queat?

Topheth hic quocunque caſu myſtice accipiendum eſt.

Ratio comparationis.

Uſus *Topheti* ſub Regibus idololatris.

An *Topheth* olim fuerit locus impurus in quem ſordes & excrementa Urbis conjecta ſint?

Hypotheſis non admittitur.

---

a Cap. XIX. 20. *b* Joël, III. 12. *c* Cap. XVI. 16. *d* Jer. XXXI. 40. *e* Vide Neh. II. 13. III. 14.

A Equidem non inficior, fieri potuiſſe, ut pars aliqua copiarum Aſſyrii in ipſa quoque hac Valle conſederit, licet probabile quin certum habeam, potiſſimam Copiarum partem caſtra fixiſſe ad Occiduum Urbis tractum, ubi Rabſake cum Delegatis Hiskiæ Regis colloquutus fuiſſe fertur, quippe qui locus exerte deſignatur in hiſtoria 2 Reg. XVIII. 17. Colligo inſuper non obſcure ex inſigni loco Jeremiæ, in tractu Occiduo Urbis præcipue proſtratum fuiſſe Exercitum Senacheribi. Extat Cap. XXXI. 38. 39. ubi Propheta reducibus promittit inſtaurationem Urbis Hieroſolymæ in omni ejus ambitu quem ita deſcribit, ut incipiendo à muro Orientali per clima Septentrionale tranſiens ad Occiduum, & inde per Meridionale redeat ad Eoum. Flexus à Septentrione ad Occiduum eſt apud collem *Garef*, & perducitur uſque ad GOAM, (געה,) qui videtur eſſe ὁ λόφος ὃς ἐπίκειται τῇ κοιλάδι τοῦ Σιλωὰμ φάραγγι, *collis qui imminet Valli Siloæ*, quem vocat Joſephus, B. J. Lib VI. Cap. XIII. Niſi forte *Collis Goa* idem ſit qui *Golgotha*, (Γολγοθᾶ,) Matth. XXVII. 33. locus *crucifixi* Chriſti Domini: ut *Golgotha* ſit גל גלגלתא *Golgoatha Tumulus Goa*. Sed docuerunt nos Evangeliſtæ, vocem Γολγοθᾶ idem valere quod Κρανίου τόπος, *Calvariæ locus*; ut adeo dicatur Γολγοθᾶ, pro Γολγολθᾶ, à Syriaco גלגלתא *Cranium*. Sequitur apud Prophetam: *Et tota vallis* הפגרים CADAVERUM, *& cineris, & omnis Ager* (וכל השדמות *omne Agrorum*. ſed שדמות Hebræis complexe ſumitur pro πεδίῳ.) *uſque ad torrentem Cedron*. Deſcribitur his verbis totus ambitus ſuburbanus Hieroſolymorum, qua flectitur ab Occidente in Meridiem, & per totum latus Meridionale Urbis ad Orientale percurrit, ubi eſt *torrens Cedron*. Dicitur autem *Vallis Cadaverum* (הפגרים) quod Aſſyrii ab Angelo Jehovæ proſtrati eam ſuis impleverint *Cadaveribus*. Sic putem cum Hebræis, non ductus eorum auctoritate, ſed ratione. *Vallis* enim *Cadaverum* non eſt *vallis ſepulturæ*, ſed *cadaverum* occiſorum, proſtratorum. Quorum vero? *Aſſyriorum*, inquam, ſecundum verba Hiſtoriæ, 2 Reg. XIX. 35. *Et ſurrexerunt mane, & ecce* כלם פגרים מתים *omnes illi* CADAVERA *vita caſſa*. Atqui hæc Vallis quæ fuit in flexu Meridionali Occiduo multum disjacet à *Valle Filii Hinnom*, quæ eſt in flexu Meridionali Orientali apud *Cedronem* torrentem. Eſt enim hæc *Vallis Filii Hinnom* ipſe ille locus quem Vates hic vocat גי בן הנם πεδίον. Sed decido litem ex ipſo Vate noſtro, qui in Vaticinio de ipſo hoc Caſu, Cap. XIV. 25. ait, Deum *fracturum eſſe Aſſyrium in terra ſua, & in* MONTIBUS SUIS *eum conculcaturum*. Objeceris mihi, Joſephum B. J. Lib. VI. Cap. XIII. deſignare locum quendam ad Ortum Hieroſolymæ, videlicet *partem* Montis Oliveti, nomine τὸ Ἀσσυρίων παρεμβολῆς, CASTRORUM ASSYRII. Sane non nego. ſed, ſi traditio fidem mereatur: dubium mihi, an *Aſſyriorum*, num *Chaldæorum*, *caſtra* intelligenda ſint. *Chaldæi* enim, ut ſæpius jam monui, ipſi quoque Veteribus Aſſyrii dicti ſunt. Certe liquet ex hiſtoria, Copias à Senacheribo miſſas cum Rabſake Hieroſolymam, ab Occiduo tractu veniſſe ad Urbem, ut probabile ſit, ibi eas quoque caſtra feciſſe.

proximo loco honoravit [a], docètque historia, Josiam demum hanc Vallem, ne deinceps idololatriæ inserviret, *polluisse* [b]: haud dubie eam destinando sepulturæ mortuorum. Quarto, quod Propheta dicit, Deum hanc *Vallem profundam latamque fecisse*: idem significat quod de pyra ex *multis lignis* constructa diximus. h. e. magnam edendam esse stragem per Castra Assyrii late diffusa. Cum enim dubium sit, an Copiæ, quas Rabsake secum duxit Hierosolymam, tantum numerum fecerint quantus judicio Dei hoc tempore prostratus fuit: horrenda hæc tempestas Judicii Divini per utraque castra sæviit. Quinto, quod *Topheth ab hesterno ad id* dicatur *dispositum ordinatumque fuisse*: notat haud dubie, Casum hunc lugendum certo fixoque Dei decreto à longo jam tempore præfinitum fuisse. quod *decretum* Dei ὁρισμένον Propheta exponit Cap. XIV. 24. 27. coll. cum Cap. X. 17. seqq. Vox מאתמל proprie valet, *ab hesterno*; sed recte exponitur per *pridem*. h. e. ante justum tempus lapsum. ut sumitur Exod. IV. 10. in oratione Mosis ad Deum: *Quæso, mi Domine,* NON *valeo eloquio ab* HERI, *& nudius tertius.* 2 Sam. III. 17. in verbis Abneris ad Seniores Israëlitarum: *Etiam* HERI, *etiam nudius tertius quæsiistis Davidem Regem vobis præficere.* Propheta certe noster jam in initiis Achazi de hoc Eventu vaticinatus fuerat, & licet implementum jam per plures annos differretur: identidem tamen, occasione favente, de eo disserebat ut de re certissima à Deo in omni sua circumstantia accurate definita. Et nobis tamen licet hic altius ascendere. *Nota Deo sunt ab omni ævo opera sua*; & inter ea infelix exitus hostium & persecutorum Ecclesiæ, qui omnes temporibus & locis consilio ejus circumscriptis & ante sæcula accurate ordinatis gravi lapsu interibunt. Id majusculis literis clare exaratum est in Libro Jehovæ, cujus nullum *Jota* peribit [c]: *Quia ecce hostes tui, ô Jehova! quia ecce hostes tui peribunt: dispergentur omnes operantes iniquitatem.* Si HERI in Deo τῷ HODIE contradistinguatur, notat *statum Dei* quo fuit ante condita sæcula. Hæc locutio est mystica & Scholæ Sanctorum. Sexto, quod Propheta subjicit, *Etiam* REGI *paratum est*: utique innuit, *Exercitum Regis* primo, dein ipsum quoque *Regem* Senacheribum lapsurum esse; ut si in prima clade evasisset, non effugeret tamen manus Dei vindicis, ab ipsis filiis suis feriendus. ut docet historia [d]. Est autem המלך ὁ βασιλεὺς, in emphasi sic dictus, is ipse quem Jesaias jactabundum sic dicere fecerat [e]: *Nonne Principes mei pariter Reges sunt?* qui proin dicebatur תרול תגלך *Rex ille magnus* [f], æque ac exteris Scriptoribus ubi de Imperatoribus Persarum loquuntur, horum fastum imitantibus, ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας, vel βασιλεὺς ὁ μέγας [g], מלכיא מלך *Rex Regum* [h]. Imo vero etiam simpliciter antonomastice, βασιλεὺς *Rex*, ut apud Thucydidem [i]; καὶ ἐς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλὴν, *in magnam partem regionis* REGIS, h. e. Imperatoris Persarum. Septimo denique, quod Vates noster in fine addit, HALITUM JEHOVÆ *instar torrentis sulphuris hunc ignem accensurum*, sive *flammam ejus auctarum*: quem hic intelligas per *Halitum Jehovæ* nisi *Angelum Faciei Jehovæ* [k], Executorem hujus Judicii, Processionem Dei Patris, Effulgentiam gloriæ ejus, Salvatorem, Protectorem & Vindicem Ecclesiæ, qui summa uteretur celeritate & severitate in hoc Judicio exequendo? Cum enim Deus in puniendis hostibus suis pro summa sua longanimitate subinde videri queat tardius & gradatim incedere: hoc tempore Angelus Jehovæ uno ictu hostes ejus prosterneret ac consumeret. Didici quod scribo ab ipso Propheta nostro hoc Judicium alio loco [l] explicante: *Et erit* LUX ISRAELIS *in ignem, &* SANCTUS EJUS *in flammam, & consumet sentes & vepres ejus* UNO DIE.

Quid mystice notet, Deum hanc *Vallem* fecisse *latam* ac *profundam*?

Item, quod *Topheth* dicatur *paratum ab hesterno*?

Quis hic designetur per *Regem* cui *Topheth* paratum fuit?

Est Assyrius. Epitheton illustratur.

Quid hic loci *Halitus Jehovæ* huic Igni subjecturus materiam?

Et hæc quidem prima & literalis est expositio hujus Pericopæ; sed quæ altiora & sublimiora involvit. Primo enim Vates respici hic vult Assyrium ut typum & figuram omnium hostium & persecutorum Populi Dei qui suis singuli temporibus per totum tractum Sæculorum Mundi à Deo qualibuscunque suis Judiciis prostrati delerentur atque exscinderentur, usque quo *omnis iniquitas os suum clauderet* [m]. Deinde, *Ignem* in terris à Deo *accensum* (intellige Judicia omnia, *in quibus est manifestatio iræ Dei ex cœlo* [n],) vult spectari ut figuram *Ignis infernalis* quo æternum cruciandi sunt impœnitentes omnes Ecclesiæ Persecutores, qui dicitur ἡτοιμασμένος *paratus* (phrasi ex hoc loco sumpta) *Diabolo & Angelis ejus* [o]. Vis & emphasis phrasium, quibus Sp. S. in hoc supplicio describendo utitur, & superiora, secundum hypothesin nostram & analogiam Verbi Prophetici exposita, nos eo manifeste ducunt. Cum enim Deus qui Ecclesiæ suæ ad ejus probationem & purgationem variam in hoc Mundo definivit luctam, simul definiverit tempora *liberationis*, quibus hostibus רב הרג *magna occidione* cæsis ei procuraret *refrigerium*, ad gloriam gratiæ Justitiæque suæ toti Orbi patefaciendam: in una hac imagine oportet contemplari sortem communem, quam omnes Ecclesiæ hostes, qui inter se communitatem aliquam faciunt, experirentur. Argumento est quod in aliis locis Verbi Prophetici Judicia hostium professorum Populi Dei iisdem vel similibus phrasibus explicentur. Confer ex V. T. Ps. XI. 6. Ezech. XXXVIII. 22. & N. T. Apoc. XX. 9. Quicquid igitur Chaldæi, Syri, Romani; quicquid etiam Roma Apostatica & Persecutrix Sanctorum; quicquid Tatari, Chorezmini, Turci, oppugnantes Ecclesiam huc usque singularibus Dei Judiciis & Casibus experti sunt; (quæ *Judicia* historia demonstrat fuisse gravissima:) quicquid etiam ad consummationem Operis Dei hostes ejus in posterum experientur; se in hoc *Speculo* conspiciendum offert. Et inprimis tamen hic sub Oeconomia Vetere nobis obversantur Assyrii novi, Persecutores & Vastatores Ecclesiæ, h. e. Syriæ Reges Seleucidæ, de quorum *Judicio* κατὰ γράμμα agit Ezechiel in dicto loco; & his respondentes, ultimi Ecclesiæ persecutores, Civitatem Sanctam obsessuri & *igne* cœlitus misso delendi qui in *Apocalypsi* designantur nomine *Gogi* & *Magogi*, in illo loco quem modo adscripsi. cujus loci emblema ex hoc ipso sumptum est. De utrorumque autem supplicio notabili, cœlitus infligendo, à Deo prædefinito, Prophetæ veri Dei servi longo tempore ante exerte loquuti fuerant, ut Deus testatur apud Ezechielem [p]. Quicquid enim Prophetæ priores loquuti fuerant de hostibus Ecclesiæ aliquando notabili Dei Judicio perimendis: in hos tandem resolvi debebat. Pœna autem terrestris, qua delerentur osores Dei & veritatis, prænuncia esset æternæ, quam Scriptura S. vocat *ignem inextinguibilem*, γέενναν, GEHENNAM, & γέενναν τῦ πυρὸς, GEHENNAM IGNIS [q], λίμνην τῦ πυρὸς, *stagnum ignis ardens sulphure* [r], sive *stagnum ignis & sulphuris* [s]. sub qua dira imagine Scriptura N. T. nobis ob oculos ponit gravissimos cruciatus ab iis perferendos qui gratia Dei abusi aut Ecclesiam persequuti fuerunt. Sunt autem phrases & emblemata ex hoc loco petita. Γέεννα enim est ipsissimum גיהנום VALLIS HINNOM. h. e. Topheth. Erat autem vox pro *loco supplicii damnatorum* jam in usu apud Sanctos antiqui temporis secundum mysticum hujus loci sensum; eamque adeo Dominus Jesus absque offensa in Sermonibus suis usurpavit. Paraphrastes eam, ut supra observavi, in ipso quoque hoc loco exhibet, & in pluribus aliis quæ inter Doctos Cll. Buxtorfius [t] & Ligtfootus [u] dudum observarunt.

Penitior contemplatio horum verborum.

Assyrius hic respiciendus ut *typus* & *figura* magnorum Hostium Ecclesiæ.

Ignis hic sustinet emblema *Ignis infernalis*.

Confirmatio sententiæ.

Latior aspectus sententiæ secundum hanc hypothesin.

Præcipue hic occurrunt *Assyrii Novi*, h. e. Syri, sub Antiocho Epiphane & Successoribus ejus: & his respondentes *Hostes Ecclesiæ N. T.* in fine temporum.

Pœna temporalis hic est prænuncia *æternæ*, quæ in Scriptis N. T. designatur nomine *Gehennæ*. *Lacus* & *Stagni sulphurei*.

Vox *Gehenna* jam tempore Domini usu erat recepta hac notatione.

a 2 Reg. XXIII. 13. b 2 Reg. XXIII. 10. c Ps. XCII. 10. d Cap. XXXVII. 38. e Cap. X. 8. f 2 Reg. XVIII. 19. 28. g Ælian. Lib. XII. Cap. 1. h Ezr. VII. 12. i Hist. Lib. II. p. 63. k Cap XXXVII. 36. l Cap. X. 17. m Ps. CVII. 42. n Rom. I. 18. o Matth. XXV. 41. p Cap. XXXVIII. 17. q Matth. V. 22. r Apoc. XIX. 20. s Apoc. XX. 20. t In *Lex.* ad h. v. u *Præf.* in Op. Tom. II.

De Sensu Mystico *Prioris Partis* hujus Concionis.

Inquiritur in Sensum *mysticum* prioris partis hujus *Concionis* de *Suppetiis* ex Ægypto arcessitis.

I. Priorem partem hujus Prophetiæ, quæ complectitur *Elenchum* Populi Dei quærentis *suppetias apud Ægyptios*, admittere *Sensum Literalem*, in *Anacrisi* hujus *Concionis* evici: verum addidi, me *typicum* non prorsus excludere, si ex analogia rerum spiritualium, & Verbi Prophetici, demonstrari queat. quod paucis propositum est investigare, ne videar curæ aut officio defuisse.

Mysticus ejus Sensus *Tropologicus*.

II. *Mysticus* sensus hujus Partis prophetiæ fingi potest geminus: *Tropologicus* videlicet & *Allegorico-Propheticus*. *Tropologicus* fere is ipse est quem ad interpretationem directam hujus prophetiæ attulit Cl. Coccejus: vitandam esse omnem communionem Ægypti, sive Paganæ idololatricæ, sive Pseudo-Christianæ, ut ne tempore necessitatis ejus respiciamus opem; aut doctrinam, cultum, disciplinam, mores, ad ejus superstitiones & ritus conformemus: sed potius consilium ac præscriptum verorum Dei Prophetarum, h. e. unicum Dei Verbum, in omni instituto Religionis exacte sequamur, abnegata fiducia posita in brachio carnali. Hoc thema morale Eusebius Cæsarienſis *A* ex verbis Prophetæ jam expressit, cujus hic est liquida sententia. Idem est, quod *a*, *Exite ex Babylone Populi mi*. Certe non refragor: quin laudo proboque. Solummodo observandum est, prophetiam ex hac hypothesi in omni sua circumstantia explicari non posse; sed hunc sensum respiciendum esse ut *thema* quoddam *doctrinale* quod ex historico complexe sumpto sensu elicitur. Circumstantiæ enim omnes hujus prophetiæ flagitant *Sensum* aliquem *historicum*, tropologici basin & fundamentum.

Eusebii Cæsar. observatum bonæ notæ.

Sensus *Allegorico-Propheticus*.

Hypothesis hic admittenda, *Regnum Judæ* olim gessisse figuram Ecclesiæ *Occidentalis* & *Israëlis*, *Orientalis*.

Hypothesis hæc à Veteribus jam fuit recepta.

III. *Allegorico-Propheticum* Sensum investigaturo hæc jacienda est hypothesis: *Regnum Israëlitarum*, quale fuit antequam destructum est ab Assyriis, oppositum *Regno Judæ*, in Typo *Allegorico-Prophetico* figurasse *Ecclesiam Orientalem* corruptam vitiis, superstitionibus, & idololatria, quæ Ecclesia maximam partem subjecta fuit Imperio Constantinopolitano: perinde ac *Regnum Judæ* illius temporis typum gessit *Ecclesiæ Occidentalis*, non minoribus laborantis vitiis. Hanc hypothesin assumpsit Cl. Coccejus in expositione Libri Prophetiarum *Hoseæ*; estque hypothesis in hoc studii genere certissima. Ipsi Græci & Latini, à quo tempore per schisma pudendum inter se divisi fuerunt, id viderunt & agnoverunt; quod est animadversione dignissimum. Poterant enim, hoc emblema agnoscentes, in hoc speculo videre statum suum, & Dei de statu suo judicium. Sic Germanus II, Archiepiscopus Constantinopolitanus, Literis doctis ad Gregor. IX Papam *b*, in querela sua de Statu Ecclesiæ: *Qualiter electus Populus Dei in* Judam & Israel *divisi sumus, & civitates nostræ in* Hierusalem & Samariam! cui respondens Gregorius idem luculenter confirmat & in commodum suum vertit. *Sane*, ait *c*, *sub Jeroboam, qui peccare fecit*, (*ut legitur*,) *Israël, præsumpta divisio tributum* (tribuum) PATENTER SIGNAT *schisma Græcorum; & multitudo abominationum Samariæ, diversas hæreses multitudinis, à veneratione veri Templi separata*. Imo, Papa Gregori! juxta ipsum quoque hoc emblema in Occidente destruendi, & reliquiis corruptæ Ecclesiæ abducendis in Babylonem spiritualem.

Excerpta ex Literis *Germani* Const. & *Gregorii* Papæ, apud Matthæum Parisium.

Cujus consequens est, Assyrios gessisse figuram *Turcarum*, qui Imperium & Ecclesiam Orientalem destruxerunt & sub jugum miserunt.

IV. Ex eadem jam hypothesi sequitur, *Assyrios* qui per varios gradus sub Pule, Tiglath-Pilassare, Salmanassare, vexarunt, imminuerunt, & afflixerunt Regnum Ephraimiticum, antequam illud plane pessunderint & destruxerint, figurare in genere quidem *Turcos*, quorum altiores sunt origines (repetendæ à Sæc. XI.) sed speciatim *Turcos Otmanidas*, qui huic Imperio à primo suo ortu (initiis Sæc. XIV.) graves esse inceperunt; & cum quibus Imperium suum identidem promoventibus Imperatores Palæologi, & medius inter illos Joannes Cantacuzenus Imperii Usurpator, fœdera inierunt, quibusque tandem tributa persolvere coacti sunt: plane ad eundem modum quo Israëlitæ se habuerunt erga *Assyrios*.

Orientales ad angustias redacti auxilium petierunt à *Roma*, quæ stylo Scripturæ Propheticæ dicitur *Ægyptus*.

Historia hujus temporis à Sæc. XIII.

V. Quærimus itaque hic *Ægyptum*, quam Israëlitæ hi ab Assyriis hisce novis pressi & ad incitas redacti adiverint suppetiarum caussa, & quidem cum Legatis & Muneribus pretiosissimis: sed frustra, cum pudore & ignominia sua. Atqui constat, Imperatores Palæologos, observantes, Turcos licet subinde sibi fœderatos non in minore tantum Asia sed & in Europa vasti jecisse fundamentum Imperii, & plerisque Thraciæ locis occupatis inhiare Constantinopoli, Urbi in terris præstantissimæ, ut in ea figerent dominationis suæ sedem; hos, inquam, Imperatores Palæologos (misso Michaële, qui Paparum Clem. IV. & Gregor. X. ambivit favorem & doctrinam Latinorum amplexus professusque est, ut se liberaret à metu Caroli Andegavensis, Apuliæ & Siciliæ Regis *d*:) Andronicum II *e*, Michaëlis Palæologi Pronepotem; Joannem Palæologum, Manuëlem Filium ejus, & eo genitum Joannem II *f*, Patrem Constantini, quo imperante capta est Constantinopolis, ipsos per se aut per Legatos suos, muneribus splendidissimis onustos, immenso sumptu facto, expetiisse suppetias à Papis Romanis, & per ipsos vel præter ipsos à Regibus Occidentalibus Papæ subjectis; absque effectu ullo: quin cum pudore, ignominia, (quod Joannes Andronici II Filius, Venetiis expertus est:) & summo suo detrimento, cum Turcis hoc ipso magis redderentur suspecti & exosi: dum ipsi interea temporis contra sententiam & communia vota Ecclesiæ sui Imperii vel ditionis se manciparent Papis Romanis, & acceptarent doctrinam Ecclesiæ Occidentalis. Certe lugenda est historia Joannis, Palæologorum penultimi, fiduciam unicam ponentis in auxilio Latinorum ad conservandam Constantinopolin, postquam ipse in Concilio Florentino *g* se cum ignominia sua auctoritatisque & majestatis vilipendio subjecisset superbo Papæ Eugenio IV, ejusque fidei Formulam solenniter admisisset; tamen vel sic turpiter elusi, subditisque suis hoc nomine exosi redditi. Gesta res est, ut notum, non adeo multis annis ante Constantinopolin expugnatam, & destructum Græcorum Imperium ab Assyriis nostri temporis Turcis. Jam vero Roma, Roma, inquam, doctrina, superstitione, idololatria, avaritia, vitiisque aliis & tyrannide tandem corruptissima, (quæ corruptio illis adhuc temporibus multo erat magis conspicienda,) est *Ægyptus spiritualis* quam Deus suppetiarum aut communionis caussa adiri non vult, & sic dicitur in *Apocalypsi h*. Dixeris, esse odiosum nomen, quod nostra Societas Romanæ Ecclesiæ imputat. Nego, rem ita se habere. Viderunt Sancti in crassissimis tenebris Papatus cum dolore & gemitu, in communione illius Ecclesiæ versati & mortui. Sic sane Robertus ille pius & prudens Lincolniensis Episcopus in querela acerba, quam in extrema ad Clerum oratione edidit de corruptione Curiæ Romanæ, in qua præter *enormia* plura alia (sunt verba fidelissimi Historici Matthæi Parisii *i*,) *detestatus omne genus avaritiæ, usuram, simoniam, & rapinam; omne genus luxuriæ, libidinem, gulam, & ornatum quæ in Curia illa regnant, ut vere de ipsa judicetur*,

Roma Ægyptus spiritualis.

Sed absque ullo effectu aut successu optato.

Historia Joannis Palæologi.

Sententia liberatur ab invidia.

Ejus

a Apoc. XVIII. 4. *b* Sæc. XIII. apud Matth. Paris. in *Henric. III.* p. 443. *c* Pag. 448. *d* Sæc. XIII. *e* Sæc. XIV. *f* Sæc. XV. *g* A. CIↃ CCCCXXXVIII. *h* Apoc. XI. 8. *i* *Hist.* ad A. 1253. p. 848.

A Euseb. ad Cap. XXXI. 1. *In tota igitur præsenti historia docet; si quando visum fuerit Deo Populum suum, sive Ecclesiam suam, persequutionis tempore piam Religionem insectantibus tradere:* μὴ δεῖν ἀναχωρεῖν τῆς ὑγιοῦς πίστεως, μηδὲ ἐπὶ τῇ τῶν πεποιθήσεως ἀφίστασθαι, *à Divina fide recedendum non esse, neque absistendum à fiducia erga Deum. nec de ejus reconciliatione desperandum*, μηδὲ ἐπὶ τῷ Αἰγυπτιακὸν βίον αὐτομολεῖν, λέγω δὴ τῷ εἰδωλολατρῶν, NEC DECLINANDUM AD ÆGYPTIACAM VITAM; VIDELICET AD IDOLOLATRARUM INSTITUTUM.

Ejus avaritiæ totus non sufficit Orbis:
Ejus luxuriæ meretrix non sufficit omnis:

tandem subjunxit: *Nec liberabitur Ecclesia* AB ÆGYPTIACA SERVITUTE *nisi in ore gladii cruentandi.* quem extremum Viri pii Sermonem Fratres merito ut Propheticum acceperunt.

Dubium; quod adversus hypothesin moveri potest, resolvitur.

VI. Atqui, ais, per Judam ex hypothesi tua figuratur *Ecclesia Romana Occidentalis* hujus temporis, Orientali opposita? Non videtur vere dubium moveri absque ratione; & faxim tamen patescat, non moveri cum summa ratione. Dic enim, qui hic hæsitas, quomodo eadem Ecclesia evaserit & in Apocalypsi appelletur *Babylon*, & qui in ea erant Ecclesia pii veritatis confessores, à Roma oppressi, stylo Prophetico, dicantur abducti *Babylonem?* Expedio itaque rem totam uno verbo. Magnus ille & ingens Populus temporibus superstitiosis & idololatricis Romæ obnoxius, per plura Regna divisus, quatenus sustinebat nomen & professionem *Populi Dei & Ecclesiæ Christianæ*, figuratus fuit per Ecclesiam *Judæ*, corruptam quoque ipsam, hypocriticam, idololatricam, qualis à Prophetis omnibus illorum temporum pingitur; sed in qua Deus sibi servabat *semen* verorum confessorum sub paucorum verorum Doctorum & Prophetarum ministerio: sed eadem magna illa & ingens Societas, quatenus se ostentavit Forma *Imperii*, cujus sedes erat *Roma*, quod Imperium per tyrannidem manifestam patrocinabatur superstitioni & idololatriæ, & persequebatur Confessores veritatis; ex quo Imperio exibant *Leo* & *Leæna*; *chersydri* & *aspides*, per Expeditiones Cruciatas & Inquisitores Fidei sic dictos summa crudelitate sævientes in innocuos, sub *Regibus Ægypti & Babylonis spiritualis* ministros suos ad omnem sævitiam instruentibus & animantibus: eatenus hæc ipsa magna Societas appellatur *Ægyptus* & *Babylon*, æque ac *Hierosolyma* in qua Christus Jesus *crucifixus est* [a]. Attributa & respectus diversi, secundum quæ res in *Allegorico-Propheticis* æstimantur, mutant earum nomina.

Romæ Apostaticæ duplex est adspectus.

Hypothesis elucidatur.

VII. Hic subsisto, ne oratio in longius excurrat. Sufficiat mihi clavem indicasse interpretationis mysticæ, secundum quam reliqua hujus *Sermonis* facile explicari poterunt, salvo sensu *Historico*. Nec tamen in tanta etiam horum emblematum convenientia ausim asserere, id directe à Spiritu Dei intentum fuisse, ut Græcos absterreret à solicitandis suppetiis Latinorum sive Occidentalium. Novi enim probe, in comparatione *typico-Prophetica* non ad singula, sed ad præcipua & extantiora typorum attributa attendendum esse. Videbunt itaque & judicabunt prudentes, suo potius quam meo fisi judicio, quatenus hæc admittenda, aut exigenda sint.

Conclusio disputationis superioris.

SERMONIS SECUNDI

Libri Tertii Prophetiarum JESAIÆ

Sectionis Tertiæ

ΣΧΗΜΑ ALTERUM:

Quo post repetitum Elenchum *Concionis Superioris*, Vates rursus stulta consilia Israëlitarum nutante Reipublicæ suæ statu aliud circumspicientium auxilium ac Divinum redarguit ex potente Defensione quam Deus ipse Populo Tsioneo præstaret ac procuraret adversus Assyrios absque ulla ope humana profligandos, ad preces & intercessionem pii & justi Regis Hiskiæ, Deo fidentis; cujus Regni statum glorioſum has Dei vindicias insequuturum, ut typum Regni Messiæ describit: simul retexit seriem fatorum calamitosorum quæ Judææ Genti, tam ante quam post hoc tempus, evenirent usque quo Deus Regnum Filii sui in Mundo potenter manifestum faceret.

CAPUT XXXI.

Textus Cap. XXXI.

1. VÆ descendentibus in Ægyptum auxilii caussa: quique innituntur equis: & confidunt curribus quia multi sunt; & equitibus quia valde numerosi sunt: & non respiciunt ad Sanctum Israëlis, & Jehovam non consulunt.

2. Attamen ipse quoque sapiens est, & adducit malum, & verba sua non facit irrita: quin insurget adversus domum malignorum, & adversus auxilium operantium iniquitatem.

3. Ægyptii vero sunt homo, & non Deus: atque equi illorum caro, & non Spiritus: itaque simulac Jehova manum suam extenderit, ruet auxiliator & cadet adjutus; omnesque illi simul deficient.

4. Quippe Jehova ita ad me fatus est: Quemadmodum stridit leo & juvenis leo super prædam suam, ut si adversus eum convocetur cœtus Pastorum, à clamore illorum non commoveatur, neque propter eorum multitudinem se submittat: sic descendet Jehova Exercituum *Dominus* ad prœliandum pro monte Tsionis, & pro colle ejus.

5. Instar avium alas suas expandentium: sic proteget Jehova Exercituum *Rector* Hierosolymam. protegens liberabit: obtegens eripiet.

6. Revertimini pro eo ac profundam fecerunt recessionem filii Israëlis.

7. Quippe illa die abjiciet homo idola argentea sua & idola sua aurea, quæ fecerunt vobis manus vestræ, peccatum.

8. Cadetque Assyrius gladio non-Viri; & gladius non-Hominis eum consumet: & fuga sibi consulet à facie gladii, & juvenes ejus colliquescent.

9. Et petram suam præ formidine præteribit; & Principes ejus à vexillo consternabuntur. Sic fatus est Jehova cui ignis est Tsione, & cui focus est Hierosolymis.

[a] Apoc. xi. 8.

Caput XXXII.

Textus Cap. xxxii.

1. Ecce in justitia regnabit Rex, & ipsi quoque Principes secundum judicium principatum gerent.

2. Et erit Vir ille ut latibulum à vento, & receptus ab imbre: ut rivi aquarum in loco arido: ut umbra rupis magnæ in terra siticulosa.

3. Tunc non oblinentur oculi videntium, & aures audientium auscultabunt.

4. Et cor festinorum considerate intelligere discet, ac lingua balborum expedita erit ad loquendum diserte.

5. Non vocabitur amplius stultus ingenuus, & avarus non dicetur liberalis.

6. Sed homo nequam stulta loquetur, & cor ejus machinabitur iniquitatem, exercendo hypocrisin & de Jehova erronee loquendo, ut vacuam faciat animam famelici, ac sitienti subtrahat potum.

7. Quippe quod ad illiberalis animi hominem attinet: instrumenta ejus mala sunt. ipse scelerata consilia init ad perdendum mansuetos sermonibus fallacibus, idque cum egenus jus loquatur.

8. Ingenuus vero ingenua consulet, & ipse pro ingenuis stabit.

9. Mulieres tranquillæ surgite; audite vocem meam: Filiæ confidentes aures advertite ad sententiam meam.

10. Dies ultra annum commovebimini confidentes; quod defecerit vindemia, collectio non venerit.

11. Trepidate tranquillæ, conturbamini confidentes; exuite ac nudate vos, & accingite ad lumbos *saccum.*

12. Propter ubera plangunt: propter agros desiderabiles, propter vites frugiferas.

13. Super terram populi mei spina & vepres ascendit: quin immo super omnes domos gaudii; civitatem exultabundam.

14. Nam Palatium missum factum est: strepera urbis multitudo derelicta: Ophel & specula exploratoria erunt pro speluncis in sæculum: gaudio onagris, pascuo gregibus.

15. Donec super nos effundatur Spiritus ex alto: quando desertum erit in arvum frugiferum, & arvum frugiferum pro sylva reputabitur.

16. Et habitabit in deserto judicium, & justitia in agro frugifero sedem figet.

17. Eritque opus justitiæ, pax: effectus, inquam, justitiæ, securitas & quies in perpetuum.

18. Et residebit populus meus in tabernaculo pacis, & in mansionibus securis, & in refrigeriis quietis.

19. Sed grandinabit in descensu sylvæ; & in humili loco humilis erit status Civitatis.

20. Beati vos qui seritis apud omnes aquas; qui immittitis pedem bovis & asini.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Concionis.

Argumentum *alterius* Concionis, *Sermonis Secundi*, *Sectionis tertiæ.*

Concio hæc, quam auctores *Sectionum Biblicarum* in duas absque justa ratione divisérunt, ejusdem fere est argumenti cujus superior. Propheta enim noster veluti instituta ἀναπεφαλαιώσει, non contentus semel monuisse Populum Fœdifragum de stoliditate consilii sui in supplicandis Ægyptiorum suppetiis, eum de novo redarguit, haud dubie nova aliqua occasione ad id invitatus. Frustra defectores hosce gloriari ait Ægyptiorum viribus & sapientia: quippe Deum tanto iis esse potentiorem & sapientiorem ad carnalia hæc consilia eludenda, quanto Deus homini, Spiritus per naturam suam incorruptibilis homini corruptibili præstat. Posse autem & velle Deum absque ulla manu humana Populum suum ad extrema redactum, sed sibi fidentem, protegere & hostes suos humi prosternere, demonstraturum palam omnibus Gentibus in Assyrio Hierosolymam obsidente, vel obsidere meditante manu ejus non aliena casuro: medium insuper demonstrat pium Regem & justum, quem Deus in Regni sui regimine ac statu constabiliret, quique fiducia sua in Deo solo ponenda precibusque suis plus efficeret ad Populi sui salutem quam Reges Principesque alii, humanis viribus nixi: ut adeo tam hoc nomine quam respectu prærogativarum Regni sui mereretur respici ut peculiaris typus Messiæ, veri Salvatoris Populi sui absque ullo carnalis brachii subsidio. Ne tamen hypocritæ & fœdifragi in ipso Populo Judæo se hoc nomine efferrent & cogitarent evadere punitionem gravissimam, quam justissime promeriti erant: Vates valide retundit hanc ipsorum arrogantiam, & ordine prosequitur Calamitates Judiciales Genti non respiscenti decretas, (Cap. xxxii. 9. seqq.) tam per Assyrios quam per Chaldæos in Judæam inducendas usque ad illud tempus quo Deus Urbem Hierosolymam & Rempublicam penitus dissolutam instauraturus Spiritum suum uberiore copia in Ecclesiam effunderet, viamque tandem sterneret Oeconomiæ externæ & carnali convertendæ in internam & spiritualem, in quam Gentes huc usque à Deo & communione Sanctorum divisæ reciperentur, & *Desertum* olim sterile instar uberis ac feracis pascui germinaret ac floreret.

Occasio hujus propheticæ.

II. *Occasio generalis* hujus Concionis editæ ex *Argumento* ejus, & ex tota pertractatione *Sermonis superioris*, liquidissime colligitur. *Specialis* ex prophetia hac nec ex historia liquet. Est autem credibile, diverso, licet proximo tempore, vulgatam esse, quia Sermo hic novam præfert *Propositionem* Propositioni *Sermonis superioris* consentientem, quæ extremis *superioris Concionis* non satis commode subnectitur. Forte prior Revelatio Vati facta fuit quando Ephraimitæ consilium ceperant de amplectendis partibus Ægyptiorum, & Legati se ad iter instruebant: posterior, cum ipsum illud iter jam ingrederentur. Dixeris etiam, Prophetam in ecstasin raptum exigua interposita mora post priorem Concionem enunciatam hanc instituisse ἀναπεφαλαίωσιν, & telam sibi sumpsisse retexendam; quod ab ecstaticorum more neutiquam alienum est. quare id ut maxime probabile mihi nunc vindico.

Scopus ejus

III. *Scopus* idem plane qui *Sermonis superioris*. Propheta fœdifragos, hypocritas, & ὀλιγοπίστως *redarguit*; ac *suffundit pudore*, ostendens, salutem Populi Dei non pendere à prudentia carnali sed spirituali; non ab humana sed à Divina defensione ac tutela. *Consolatur* pios & Nomini Dei fidentes ex promisso certi auxilii, quod Deus laborantibus & se respicientibus supra fidem humanam præstaret. *Perterrefacit* impios & profanos in-

ter-

terminationibus magnorum malorum, in ipsa terminandorum Reipublicæ eversione. Rursus *erigit* semen electum in omni Ecclesiæ statu conservandum *in spem ingentem* Beneficiorum Gratiæ novissimo tempori reservatorum. Patet id quod verissimum est, materiam prophetiarum esse ἐλέγχους & παραιλήσεις, inter se scienter permixtas: *effecta* earum, gignere *metum* vel *spem*, dolorem vel consolationem, &, Deo volente, animos hominum *convertere* ac *sanctificare*, vel *indurare* & *obstupefacere*.

Analysis ejus.

IV. Resolvitur autem integra hæc Concio, binis *Capitulis* contenta, in duos ELENCHOS sive *Redarguutiones* interminatorias; iisque subjecta promissa *Consolatoria*: quarum *Redargutionum* prima EPHRAIMITAS respicit ex hypothesi nostra, Cap. XXXI. 1--9. XXXII. 1--8. Altera JUDÆOS, Cap. XXXII. 9--20.

Primus *Elenchus* Ephraimitas respiciens complectitur *Propositionem interminatoriam* de *Stultitia Consilii* implorandæ Opis Ægyptiacæ, (℣. 1.) ejusque *Propositionis Rationes*,

α. Ex comparatione Divinæ perfectionis, potentiæ, sapientiæ, cum similibus attributis Ægyptiorum, ℣. 2. 3.

β. Ex opposito, h. e. ex effecto fiduciæ in Deo positæ, cujus ederetur exemplum illustre in singulari defensione & protectione quam Deus procuraret Judæis Hierosolymitanis per eosdem Assyrios ad magnas angustias redigendis: quod *Beneficium* describitur cum suis *Adjunctis* & *Consequentibus*, & quidem

Beneficium ipsum, ℣. 4. 5.

Adjuncta ejus. α. *Respiscentia*, ℣. 6. 7.

β. *Lapsus Assyrii*, ℣. 8. 9.

Consequentia ejus, α. Justum & glorioſum Regnum pii Regis, Cap. XXXII. 1. 2.

β. Multorum conversio ab inconsiderantia & imprudentia ad prudens discrimen viarum Dei & rerum spiritualium, ℣. 3-8.

Elenchus Alter est bimembris. pars ejus est *Elenctica*; pars *Paracletica* sive *Consolatoria*.

Pars *Elenctica*, Cap. XXXII. 9--14. constat duobus articulis, geminam Calamitatem prophetice enarrantibus.

Prior Articulus, respiciens Calamitatem Assyriacam, ℣. 9. 10.

Alter Articulus, depingens Chaldæam, ℣. 11--14.

Pars *Consolatoria* varia exhibet *Beneficia*, in Ecclesiam post afflictionem illorum temporum conferenda, (℣. 15--20.) inter quæ

Radicale & *Caussale*: Effusio donorum Sp. S. ℣. 15.

Consequentia, inter quæ essent

α. *Conversio Gentium*, ℣. 15. med. 16.

β. *Justitia* & *Pax* spiritualis, ℣. 17.

γ. *Securitas* illius Status Gratiæ sub tegmine Divino, ℣. 17. *med.* 18.

δ. *Judicia Dei* in hostes Ecclesiæ, ℣. 19.

ε. Sedula Cura Procerum & Præfectorum Populi Dei in Opere Gratiæ diligenter promovendo, ℣. 20.

V. *Anacrisios* hic non est locus, cum huic rei operam dederim in *Concione superiore* ejusdem argumenti & temporis.

Admonitio de Anacrisi.

ELENCHUS PRIMUS hujus Concionis institutus adversus *Ephraimitas*, cum subjecta *Consolatione* Ecclesiæ *Tsioneæ*.

Propositio interminatoria.

Elenchus primus hujus Concionis. Propositio interminatoria. Quæ in genere ex superioribus illustratur.

℣. 1. VÆ *descendentibus in Ægyptum auxilii caussa, quique innituntur equis: & confidunt curribus quia multi sunt, &* EQUITIBUS *quia numerosi sunt valde; & non respiciunt ad Sanctum Israëlis, &* JEHOVAM NON CONSULUNT] Elenchus instruitur adversus Ephraimitas, ut in superioribus probabiliter disputavimus. *Propositio* autem quam hic exhibeo, tam θετικῶς *affirmative*, quam ἀρνητικῶς *negative* effertur. Utrumque inter se conjunctum aggravat crimen hujus Gentis. Vitium erat grave adire Ægyptios in caussa magni momenti auxilii ab iis expetendi caussa, & non *respicere Sanctum Israëlis*, in omni casu à Populo suo sanctificandum; nec *consulere Jehovam*, cujus *Oracula* plena sapientiæ in casibus dubiis incerta & fluxa consilia Populi sui regere ac dirigere poterant absque errore, & lumen accendere in tenebris. Vitium erat gravius, Ægyptiorum militiæ equestri & suppetiis cum certa fiducia inniti cum contemptu manifestario Dei Israëlis, acsi nescirent, *equum* optime licet instructum *fallere ad salutem*, & *copia roboris* vel *armaturæ suæ non eripere* [a]. Certe in Populo Dei, licet adsit Exercitus à quo victoriam de hoste speres, semper obtinet dictum Dei apud Prophetam [b]: *Maledictus ille Vir est qui confidit homini, & brachium suum ponit carnem, & cujus cor à Jehova recedit.* quare etiam hoc loco præfigitur *interminatorium* aut *denunciatorium* Divinæ maledictionis, *Væ*. Cætera nihil hic habeo quod observem in materia *Propositionis*. De *descensu* enim *in Ægyptum* suppetiarum caussa, egi ad *Concionem superiorem*, ℣. 2. de *Equestri militia* Ægyptiorum, ad ℣. 16. Quid autem sit, *respicere Sanctum Israëlis*, declaravi ad Cap. XVII. 7. 8. In phrasi etiam nihil occurrit quod nos moretur. Vox סוס hic non est vertenda per *equum*, (quam significationem ei vindicat quibusdam locis Cl. Bochartus: sed per *equitem*, ut passim:) quia id suadet ordo sententiæ Prophetæ, ad quem hic attendi velim. Dixerat in propositione, *Væ his .... qui innituntur* EQUIS. Id vero mox declarat. Cum enim *equorum* duplex possit esse usus in prœliis, ut vel jungantur *curribus*, ex quibus more Veterum à Bellatoribus pugnabatur; vel *sessoribus* in prœlio serviant: utrumque distincte recitat, *Quique*, ait, *confidunt* CURRIBUS *quia multi sunt*, & EQUITIBUS *quia valde numerosi sunt*. Porro emphasin vocis דרש *quærere* pro *consulere* explicui ad Cap. XI. 10.

Usus vocis סוס in h. l.

Rationes *Propositionis*,

α. Perfectio Divina comparata imbecillitati Ægyptiorum.

℣. 2. *Atque etiam ipse* SAPIENS *est, & adducet malum, &* VERBA SUA NON AMOVET; *& stabit adversus Domum malesicorum, & adversus auxilium operantium iniquitatem.* ℣. 3. *Ægyptii vero sunt homo, & non-Deus; & equi illorum caro, & non-*SPIRITUS. *itaque ubi extenderit Jehova manum suam, & impinget auxiliator, & cadet cui auxilium fertur; & pariter omnes illi consumentur*] Duo erant quæ carnalis hujusce consilii homines in Ægyptiis prædicabant, *Sapientiam* videlicet, & *Vires*, potissimum militiæ equestris, quæ magnum in Bello usum habet. Utraque parte Vates Ægyptios Deo comparans, retundit vanitatem fiduciæ

α. Rationes Propositionis. Prima ratio desumpta à Perfectione Divina comparata cum imbecillitate Ægyptiorum. Argumentum Orationis. Qui Ægy-

[a] Ps. XXXIII. 17. [b] Jer. XVII. 5.

ciæ carnalis. Ut enim *sapientes* Ægyptii sint ac *potentes*: sapientiorem tamen ait & potentiorem esse Deum, cui ad concipienda media commodissima per quæ ad fines suos tendat, non desit ingenium; nec ad decreta sua exequenda vires.

Prius agit ℣. 2. cujus orationis sententia plana est, & nihil fere difficultatis reliquum facit. Vates redarguit stoliditatem Consilii Ephraimitarum, Deum negligentium, contra vero Ægyptiorum *sapientiam* laudantium, acsi quod in Ægyptiis magni faciebant, in Deo desideraretur. *Atqui*, Dei causam vindicans Vates subsumit; *Atqui etiam ipse* SAPIENS *est*. Figura dicendi est *meiosis*, hoc in loco usus elegantissimi. Poterat Propheta altiore tono utens Ægyptiis veram sapientiam negare aut eam vilipendendo imminuere: certe docere, si sapientia Ægyptiis inter mortales non plane neganda sit; sapientiæ Divinæ cum humana nullam esse comparationem. proinde summa Deum afficere injuria, qui Ægyptiorum sapientiam ad invidiam conciliandam sapientiæ Divinæ extollebant. Contra vero Vates frigide accipit hanc illorum jactantiam: quod in ejusmodi casibus facere solemus, in quibus injuria gravis nimis ac manifesta est quam ut calide refelli mereatur. Jactate, ait, vos stulti *sapientiam* Ægyptiorum: sint illi vestro judicio prudentes, callidi, astuti. Esto vero: patior vos hac suavi imaginatione deludi. tantum ne negetis mihi, *sapientem* quoque Deum esse, nec deesse ei ingenium ad excogitanda media per quæ consilia decretaque sua adversus vos vestrosque auxiliatores Ægyptios exequatur. Id autem est quod hoc in loco intelligi oportet per *sapientiam*. Cum enim sapientia gemina sit; altera virtus intellectus qua quis res præstantissimas in natura, ordine, nexu atque finibus suis cognoscit: altera judicii, qua quis media ad fines assequendos aptissima ordinat atque disponit: posterior hæc species sapientiæ est, quam Deus in decretis suis formandis & exequendis patefacit, ex mente Prophetæ hic respicienda, quæ involvit *solertiam* ingenii in ordine mediorum & finium recte constituendo, secundum id quod de se prædicat ipsa *Sapientia* summa [a]: *Ego Sapientia inhabito* ערמה *solertiam*. prudentiam solertem. Est autem virtus hæc Divina admirabilis, omni cogitatione humana longissime superior, conspicienda in omni opere & ordine Divinæ Providentiæ, quemque Operis Naturæ & Gratiæ spectatorem rapiens in stuporem, quam Apostolus νοῦν Κυρίου MENTEM *Domini* vocat, cujusque respectu Deo adscribit *βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως, profunditatem divitiarum tum* SAPIENTIÆ, *tum cognitionis* [b]. imitatus videlicet phrasin Vatis nostri [c]; eam designantis nomine תבונות *intelligentiæ summæ* [d]. de qua mox [e]: אין חקר לתבונתו *Nulla est pervestigatio intelligentiæ ejus*. Nemo profundum ejus ulla bolide metiatur. Erat autem hæc ipsa quoque *sapientiæ* species quam aliæ Gentes in Ægyptiis respiciebant ac mirabantur, quamque ipsi Ægyptii in se respici & celebrari volebant, esse nimirum ipsos *πάντων ἀνθρώπων λογιωτάτους prudentissimos* & *σοφωτάτους sapientissimos*: non tantum quod de Natura Divinitatis, ejusque colendæ Ritibus ac cærimoniis, & Originibus rerum ac Rationibus temporum plus intelligerent quam alii mortales; verum etiam quod calliditate, subtilitate & solertia ingenii, judiciique prudentia, & animi sui cultu cæteros homines superarent; unde Regi Ægyptio Concilium erat Virorum electorum, qui *σοφώτατοι sapientissimi* dicebantur, ut testatur Herodotus [f]; de quo videnda sunt quæ commentatus sum ad Cap. XIX. 12. Sed qualiscunque hæc fuerit sapientia Ægyptiaca, antiquitus non absque omni vero celebrata, quæ cum tempore degeneravit in vanitatem & versutiam: ne cogitate, ait, Propheta, illorum sapientiam obstare posse quo minus Deus per sapientiam suam illorum calliditatem eludat & exequatur judicia vobis decreta. Sic cohærent verba Scriptoris nostri: *Atqui etiam ipse* SAPIENS *est* וינא רע *ut adducat malum*, loco sc. boni quod vos à sapientia Ægyptiorum exspectatis. sic præfixa ו hic optime sumitur, ut sæpe aliàs, *consecutive*. Sequitur apud Prophetam: *Et verba sua non vult esse irrita*, Poterat esse *sapiens* Deus in Decretis Justitiæ suæ rite formandis, & tamen eorum executionem parum curare, sive ob voluntatis suæ inconstantiam, sive quod executionem illam Decretorum suorum tanti non faceret. Negat Propheta, rem ita se habere. Ejus esse naturæ Deum ait, ut dictorum per se aut Ministros ejus editorum eum non *pœniteat*, nec *dicta removeat*. sic proprie sonat phrasis Hebræa hic singularis. *Dicta removere* (הסיר) contrarium est ejus quod Hebræis dicitur *dicta sua confirmare*, (הקים) rata esse velle & jubere: unde recte hic vertitur, *dicta sua non sinit esse irrita*. dictis suis præstat fidem. Imo vero amplius etiam significat, nihil minus præstare actu & effectu quam promissa, minæ, aut mandata ferunt. nihil minus præstare & efficere quam verbis declaratum est. Exemplum est in Libro Josuæ [g], quod huic loco lucem fœneratur. Verba hæc sunt: *Sicut Jehova præceperat Mosi servo suo*, SIC *præcepit Moses Josuæ*, & SIC *fecit Josua*; לא הסיר דבר *non* REMOVIT VERBUM (irritum fivit aut fecit; dictum nullum pro non dicto habuit,) *ex omnibus quæ Jehova Mosi in mandatis dederat*. Inde elicit Jesaias, Deum certissime executurum esse minas adversus Ephraimitas & Ægyptios enunciatas per Prophetas, quod ipse ita effert: *Et surget adversus domum* מרעים *maleficorum, & adversus auxilium operantium iniquitatem*. Prius membrum pertinet ad Ephraimitas: posterius ad Ægyptios, estque epithetorum ratio nemini hic obscura. Tantum observem, eam hic esse vim in voce קם SURGET, ut notet *insurrectionem hostilem*, qualis est hominis ad prœlium aut vindictam exsurgentis.

Alterum argumentum fiduciæ carnalis repositæ in Ægyptiis sumptum erat ab illorum *viribus* ac *militiæ equestris præstantia*, quod Vates refellit ℣. 3. Ægyptios, ait, quales quales sint, inter mortales homines non contemnendæ laudis & existimationis, *homines* tamen esse, imbecilles, infirmos, naturæ dissolubilis; & neutiquam comparari posse cum *Deo*, per naturam suam omnipotente, invicto, immortali, incorrupto, qui simulac se partibus miscuerit & *manum* suam exeruerit ad illos conturbandos, utrosque adjutores & adjutos gravi offensa lapsuros esse & absumendos. Hic sensus est Pericopæ in qua nihil occurrit quod ad difficiliora properantem detineat, si ad pauca mecum advertas animum, observatu necessaria. Primo, cum hic inter se comparentur *Deus* & *Ægyptii* respectu attributorum non similium sed oppositorum: voces quibus Propheta hic utitur, in omni emphasi & potestate significationis suæ accipiendas esse. Primum membrum est, *Ægyptii sunt homo* אדם *& non Deus* לא־אל sive, secundum elegantiam locutionis Hebrææ, *non-Deus*. h. e. nihil minus quam Deus, ut לא־עץ *non-lignum*, quod nihil minus est quam *lignum*, quod cum natura ligni nihil commune habet, Cap. X. 15. ubi inspicienda sunt quæ ad hanc phrasin scripsi. Sensus est, Ægyptios esse *homines*, imbecillos, infirmos, fragiles, à superiore providentia & illius influxu pendentes in omni sua natura, actu, motu. contra vero Deum Israëlis esse אל Deum per naturam suam *validum*, omnipotentem, *vi invicta*, *insuperabili* & *æterna* instructum, (quæ genuina notatio est vocis אל,) qui *vim in se* & *ex se* habet, ut eam aliunde necesse non habeat mutuari. Sic usurpaverat Vates vocem אדם *homo* Cap. II. 22. *Desistite ab* HOMINE ILLO, (האדם) *in cujus naribus est anima ejus*. Et Poëta facer, in insigni *Ode*, cum nostra hac *Pericopa* comparanda [h]: *Fiduciam repono in Deo. non timebo.* מה יעשה אדם לי *quid faciet mihi* HOMO? imbecillus, qui ex se nihil valet.

Judæi fidebant, in iis laudabant *sapientiam* & *potentiam*.

Prius Vates h. l. refellit, *Deum* quoque *sapientem* & Ægyptiis sapientiorem esse, docens.

Figura *Meiosios*, quæ elegantiam Orationis plurimum commendat. cuæ exponitur.

Quid h. l. proprie per *sapientiam* intelligatur? & quidem per *sapientiam Dei*?

Phrasis, Νοῦς Κυρίου ex Rom. XI. 33. 34. illustrata.

Præjudicium Gentium de *Sapientia Ægyptiorum*.

Qua re constiterit?

Prophetæ oratio quomodo huic præjudicio occurrat?

Quid sibi velit quod additur: *Et verba sua non vult esse irrita*.

Vitium inconstantiæ à Deo removetur.

Nihil præstat minus ea quod promittit aut minatur.

Phrasis, *removere dictum*, illustrata.

Sequentia verba: *Et surget adversus Domum Maleficorum &c.*

Verba strictim declarata.

Alterum argumentum *Fiduciæ* in Ægyptiis positæ: *Potentia eorum & Militia Equestris*; refellitur ℣. 3.

Ægyptii sunt *homo & Non-Deus*.

Emphasis locutionis.

Integer sensus orationis.

Voces אדם & אל sibi invicem oppositæ illustrantur ex analogia.

[a] Prov. VIII. 12. [b] Rom. XI. 33. 34. [c] Cap. XL. 12. 13. [d] ℣. 14. [e] ℣. 28. [f] Lib. II. p. 172. 566. [g] Cap. XXI. 15. [h] Ps. LVI. 12.

valet. quod alibi [a] repetitur. ubi mox additur [b]: *Melius est Jehovæ fidere, quam fiduciam ponere* באדם *in* HOMINE. Exteris Scriptoribus idem usus est vocis cum respectu ad naturæ humanæ fragilitatem, impotentiam, errandi facilitatem; cujus exemplum unum nunc tantum produco, singulare quidem sed vulgatum satis, ex historia Philippi, Macedonum Regis, qui post victoriam ad Chæroneam de Athenienſibus reportatam, ne insolesceret, quotidie sibi per famulum ter dici jussit [c]: Φίλιππε, Ἄνθρωπος εἶ· *Philippe*, HOMO ES. Vocis autem אל *Deus fortis, victor*, in quo est ἀΐδιος δύναμις, idem usus est emphaticus qui hoc in loco, ut vidimus Cap. XII. 2. Suntque analoga ubique per Verbum Dei sparsa. ut apud Jobum [d]: *Estne tibi* BRACHIUM כאל *ut* DEI FORTIS, robusti, qui in se *vim* & *robur* habet? In Psalmis [e]: *Serva me*, אל *ô Deus fortis, robuste!* Alio loco [f]: האל *Deus ille fortis qui me accingit virtute.* Item [g]: *Et recordati sunt*, -- DEUM FORTEM *supremum esse redemptorem suum.* Imbecillitas itaque humana cum *æterna vi* Divina comparata quantum deficit & subsidit! Plus emphasios adhuc est in lectione Mosorethica; *Ægyptii sunt homo, &* NON-DEUS. h. e. *nihil minus* quam *Deus.* Est enim inter potentiam Divinam & Humanam tantum discrimen, ut ejus potentiæ & virtutis quæ in Deo est, homo nihil habeat. Mera impotentia & imbecillitas est si cum vi Divina insuperabili comparetur. Eadem vis comparationis splendescit in altero membro; *Equi illorum sunt* בשר CARO, & NON-SPIRITUS. h. e. sunt naturæ corruptibilis, dissolubilis, & hac parte plane oppositi Naturæ æternæ, spirituali, summe potenti, inter cujus attributa est ἡ ἀΦθαρσία, *incorruptibilitas* [h]. Non quæritur hic, an in brutis animantibus sit principium aliquod vitæ animalis à materia distinctum: id enim si se ita haberet, ut probabile videtur; nihilominus dicuntur *caro*; cum *spiritus* hic notet Naturam æternam, vi suæ perfectionis existentem, *naturæ corruptibili* quæ omnem essentiam suam Enti perfectiori debet, contradistinctam. quo sensu ipse *homo* contradistinctus Deo *caro* dicitur, ut in *Ode*, modo memorata, Ps. LVI. 5. *Non timebo. quid faciet mihi* בשר CARO? quod ℣. 12. dicitur, *Quid faciat mihi* אדם HOMO? Certe *mens rationalis*, qua homo supra bestias excellit, parata est ad permansionem æternam, estque naturæ ejus spiritualis ea simplicitas, ut per se ipsam concidere aut ab aliis Entibus Deo inferioribus dissolvi ac destrui nequeat: veruntamen cum durationem suam Deo debeat, à quo pendet & à quo destrui posse supponitur; censetur esse, ut est, comparatione Naturæ Divinæ *corruptibilis*, & totus homo *caro.* estque id utile observatu, ut phrasin Scriptorum N. T. in Christo Jesu duas distinguentium Naturas sub nominibus *Carnis* & *Spiritus* [i] recte percipiamus. Intelligunt enim vere illi per *Carnem* Naturam Domini humanam secundum utramque ejus partem, *corpus* & *mentem*; & per *Spiritum* Naturam ejus æternam, Divinam, incorruptibilem, quam aliàs vocant τὸ πνεῦμα ἀιώνιον, τὸ πνεῦμα τῆς ἁγιωσύνης. Trita est animadversio, sed insignis plane ad sectam Socini manifesti erroris convincendam. Sed cum in homine ad imaginem Dei formato respectu melioris sui partis aliquid analogum sit τῆς ἀΦθορίας & ἀΦθαρσίας: nihil ejusmodi est in *Equis* Ægyptiorum qui proinde sunt לא־רוח *Non-spiritus.* in quibus sc. nihil ejus inest quod in Spiritu æterno, summe potente, omnis actuositatis fonte & principio; qui si *manum suam* omnipotentem exereret, *offenderet adjutor, & caderet adjutus, & simul omnes* יכלין *consumerentur, conficerentur.* quæ vis est vocis כלה. Quæ verba Prophetæ recte accipiuntur καθ' ὑπόθεσιν, si Ægyptii hic aliquid tentarent: quod historia dubium & incertum relinquit. Id utique certum & extra dubium positum est, Ephraimitas per ipsorum auxilia nihil hoc tempore profeciſſe; & cum probabile habeam, post expugnatam Samariam Salmanassarem cum illis per triennium bellum gessisse: constat, illos tum temporis succubuisse, secundum prophetiam Cap. XX. 1. seqq. ubi commentatio nostra recolenda est. Imo vero quod hic dicitur, *Et simul* OMNES *illi conficientur:* quidni cum docto Interprete accipias in omni sensus sui amplitudine? tandem videlicet eventurum esse, ut non Israëlitæ tantum Fœdifragi & Ægyptii illorum adjutores, sed & ipsi Assyrii, & quicquid hominum aliunde quam à Deo salutem exspectat, consumantur, conficiantur.

β. *Defensio* quam Deus præstaret Hierosolymitanis adversus Assyrios eosdem. quæ *altera Ratio* est *Propositionis* ex opposito vel obliquo petita.

Ubi (a) BENEFICIUM ipsum.

℣. 4. *Quia sic dixit Jehova ad me: Quemadmodum* STRIDIT *Leo & Leo Juvenis super prædam suam; adversus quem si convocetur multitudo Pastorum, à voce illorum non terretur, & propter multitudinem illorum non submittit se:* SIC DESCENDET *Jehova Exercituum* Dominus *ad belligerandum pro monte Tsion, & pro colle ejus.* ℣. 5. *Instar avium* VOLITANTIUM: *sic proteget Jehova Exercituum* Dominus *Hierosolymam: protegendo & eripiendo; obtegendo & evadere faciendo*]

Alterum argumentum quo refellitur Stultitia Ephraimitarum: *Defensio* quam Deus Populo suo præstaret.

Alterum argumentum est, quo redarguitur stultitia Consilii Ephraimitarum. Homines ingenii carnalis, qui interiora viarum Dei non perspiciebant, adversus prolixa Prophetarum promissa nomine Dei exposita, sæpe inferebant, auxilium Divinum in quibusdam casibus frustra exspectari. gemere enim illos sub Assyriorum jugo, nec præsentem Dei opem, ut nec in pluribus bellis adversus Syros gestis, expertos esse. flagitare itaque rationem, ut aliorum potentiorum Populorum auxilia circumspiciant. Quod cum agerent, dissimulabant illi, non Deum illis, sed ipsos sibi defuisse, siquidem conditionem Resipiscentiæ & Fiduciæ in Deo ponendæ, quam Prophetæ omnibus Promissis Gratiæ adjungebant, superbe respuerent. Sed Propheta ut hanc exceptionem penitus retunderet: iis ob oculos ponit Exemplum Defensionis quod Deus Populo Tsionco, in simili circumstantia constituendo, indubie præstaret; ut publice pateret, nec *vires* nec *affectum* & *curam* Deo deesse in protegendis resipiscentibus & sibi unice fidentibus. Nec *vires*, inquam, nec *affectum curamque:* quod duobus similibus illustrat, quorum alterum ad *vires* & *imperterritum animum*; alterum ad *affectum* & curam referendum est. utrumque expositu facile.

Cohærentia hujus partis orationis cum superiore.

Refellitur maligna quorundam Exceptio, Deum Populo suo sæpe deesse.

Similitudines duæ quas Propheta hic adhibet, quo tendant?

Prius desumptum est à *Leone*, animalium ferocissimo, & quidem *Leone juvene*, animoso, esuriente, qui ut prædam nactus, super eo *mussitans* aut *stridens*, non patitur se à multitudine Pastorum coacta terreri, aut sibi eripi *prædam:* sic Deum *prœliaturum* esse ait pro *Monte Tsione* & pro *Colle ejus*, h. e. pro Moria in quo *Templum* extructum erat. In cujus similitudinis *Protasi* observandus est usus singularis vocis הגה, quam Interpretes plures cum Hieronymo, imo vero etiam cum Judæis Intt. Aben-Ezra & Kimchio, vertunt, *rugit.* Dubium tamen videri posset, an si Propheta id voluisset, non potius scripsisset ישאג, vel יהם, quibus notionibus uti solet, ubi de *rugitu Leonis* loquitur Cap. V. 29. Vox enim הגה, etiamsi vere quoque notet *proferre* & *laxare spiritum:* passim tamen significat *sonum* edere *demissiorem*, ex imo pectore expressum, qualis est *mussitationis*, murmuris, ut vidimus ad Cap. VIII. 19. Existimavit igitur Cl. Bochartus [k], posse vocem הגה hic quid minus significare quam *rugitum*,

Prima à *Leonibus* desumpta probat, Deo non deesse vires in suis defendendis.

In *Protasi* similitudinis usus singularis vocis הגה.

An hic loci notet *rugire?*

Cl. Bocharti observatum.

Non-Deus hic est nihil minus quam *Deus.*

Caro & *Spiritus* quo modo sibi invicem hic opponantur?

Quid *caro* hic præcipue notet?

Quo sensu homo totus secundum utramque sui partem *caro* dicatur?

Quid Scriptores N. T. intelligant per *Spiritum* & *Carnem* in persona Christi Jesu?

Equi Ægyptiorum sensu perfecto dicuntur *caro.*

[a] Ps. CXVIII. 6. [b] ℣. 8. [c] Ælian. *Var. Hist.* Lib. VIII. Cap. XV. [d] Cap. XL. 9. [e] Ps. XVI. 2. [f] Ps. XVIII. 33. [g] Ps. LXXVIII. 35. [h] Rom. I. 23. 1 Tim. I. 17. [i] Rom. I. 3. 4. 1 Tim. III. 16. Heb. X. 20. 1 Pet. III. 18. [k] Hieroz. Part. I. Lib. III. Cap. II.

qui vertit per *ſtridere*.

gitum, obſervatque, Leones ubi prædam in oculis habent, eam invaſuros horrendum *rugire*, eamque mox invadere & rapere; ſed præda potitos *demiſſiorem* edere *ſonum*, qui à *pleno rugitu non minus differt*, quam à latratu *gannitus*, *aut a pleno ſermone muſſitatio*. Græcis ὑποβρύχημα. quod recte expreſſeris Latina voce, *ſtridere*. Docta eſt obſervatio, ſed cujus hypotheſin Vir Eruditus ex *hiſtoria Naturali* clare non adſtruxit. הגה notat *ſonum* ex imo pectore expreſſum, qui *Leonum* eſt *rugitus*. Idem autem Vir Doctus tum hoc loco tum alibi [a] operam dat illuſtrandæ baſi ſive hypotheſi hujus Protaſios; nimirum, *Leonem* tam eſſe ferocem & intrepidum, ut à *multitudine Paſtorum*, canibus licet & haſtis inſtructorum, ſe non patiatur abſterreri à raptu aut defenſione prædæ cui intentus eſt; produxitque antiquiſſimi Poëtæ [b] loca, huic noſtro quod ad ipſam quoque phraſin conſona. Quanto plus eſt quod Leo Africanus de ſævis Leonibus Afris narrat, unum Leonem non vereri *ducentos Equites* bene armatos invadere [c]? Adeo verum eſt quod Parœmiaſtes; *Leonem fortem* non *recedere* מפני כל *ullius cauſſa* [d]. Apodoſis huic protaſi reſpondens exhibet nobis Deum eodem modo prœliaturum pro Monte *Tſionis* & pro *Colle ejus*. Jam monui, intelligi *Collem* (Joſepho λόφον [e],) *Moriæ*, qui Tſioni monti erat ad latus Septentrionale verſus Ortum æſtivum. unde paſſim Mons Moria ad ipſum Tſionem, tanquam ejus appendix, in Scriptura refertur. Sic Propheta noſter ante dixerat, Aſſyrium manum ſuam agitaturum verſus MONTEM *Filiæ Tſionis*, גבעת ירושלים COLLEM *Hieroſolymæ* [f]. Et Ezechiel [g]: *Et ponam illos* (reduces factos Hieroſolymam,) וסביבותיו גבעתי *etiam circum* COLLEM MEUM *benedictionem*.

De eo judicium.

Leoni proprietas hic ſignata à Scriptoribus aliis vindicatur.

Ad *Apodoſin* hujus ſimilitudinis animadverſio.

Collis Tſionis *Moria*

Loca analoga.

Comparatio comparatorum facilis eſt, & ἡ Ἀπόδοσις in ea τῇ Προτάσει belle reſpondet. DEUS *fortis*, *robuſtus*, Deus VICTOR, in quo vis eſt *invincibilis*, idemque ἀδεὴς, neminem timens, ab omnibus metuendus, hoſtibus ſuis terribilis, hic eſt *Leo*, & quidem *Leo Juvenis*, integris viribus. PRÆDA eſt Hieroſolyma, quam olim munitiſſimam ſuperſtitioſarum Gentium ſedem ſua vi eripuerat Gentibus, ut in ea fundaret veram Religionem in cujus cultu acquieſceret, quamque ipſe vi ſua defendendam ſuſceperat. Ingens *multitudo* PASTORUM ad *prædam* hanc ſibi magno cum *tumultu* vindicandam *congregatorum* eſt utique Princeps Gentium illius temporis *Aſſyrius*, cum numeroſo & tumultuoſo Exercitu ſe accincturus ad Hieroſolymam rurſus eripiendam Judæis & illorum Præſidi Deo cujus Religioni conſecrata erat, eamque vindicandam in ditionem & ſuperſtitionem Gentium. Sed Deus in ſua vi confidens, ſuis nixus viribus, *murmure* edito terribili, (intellige *tonitrua*, vocem Divinæ majeſtatis [h], *fulgura* & *tempeſtatem gravem* ab ipſo excitandam,) hoſtibus ſuis ſignificaret, eſſe ſibi propoſitum hanc *prædam* ſuam tueri, eoſque conſternaret ac dejiceret, ut ſalva maneret & illæſa Urbs, ab imminenti periculo per Deum ipſum liberanda. Eſtne forte ut exiſtimes, fictionem eſſe infra Divinam majeſtatem? Imperitiæ eſt & meræ ignorantiæ ita ſentire. In *Parabolicis* enim nulla ratio habetur niſi *attributorum*, quæ in *tertio*, quod ajunt Philoſophi, ad *comparata* applicantur. cætera negliguntur. Quare Deus ſive *Judiciis ſuis* in hoſtes ſuos ſæviens, ſive per terribiles denunciationes Prophetarum ſuorum Populum ſuum perterrefaciens, frequens in Scriptis Propheticis *Leoni* aſſimilatur, & hoc nomine appellatur. ut apud Hoſeam [i]: *Ego ero ut* LEO *Ephraimo*, *& ut Juvenis Leo Domui Judæ*. & apud Amoſum [k]: LEO *rugiit: quis non timeat?* Quin ſane Jeremias eandem ſimilitudinem adhibet, & Deum pro Templo ſuo excubantem cum Juvene Leone antrum ſuum defendente confert. Extat locus Cap. XXV. 37. 38. *Exciſæ ſunt caulæ paratæ pro-*

Comparatio comparatorum. *Leo*, Deus. Dei attributa, eſſe *fortem*, *robuſtum*, abſque metu.

Præda Hieroſolyma.

Multitudo Paſtorum exercitus Aſſyrii.

Rugitus Dei ſuper prædam ſuam.

Similitudo non eſt incongrua Majeſtati Divinæ.

Analoga.

Locus Jer. XXV. 37. 38.

pter eſtum iræ Jehovæ: dereliquit UT JUVENIS LEO *tugurium ſuum*. pro quo ſc. ſolebat excubare. Imo vero *Leo* & *Leo Juvenis* in hoc loco eſt ipſe *Angelus faciei Dei* requieſcens *inter humeros Benjaminis* [l]. (in cujus ſorte ſecundum primam diviſionem fuit Hieroſolyma.) protector & defenſor Populi ſui, de quo hic dicitur: *Sic* DESCENDET *Jehova Exercituum ad præliandum pro Monte Tſione*. perinde ac in Hiſtoria [m]: *Et* EGRESSUS *eſt Angelus Jehovæ, & percuſſit, & ſeqq.* Cum autem vox הגרת vere notet vocem ex *imo pectore* attractam & productam: eleganter hic adhibetur ad ſignificandam illam vocem *terribilis tonitru*, quæ ex interiore vi Divinæ majeſtatis & potentiæ producta, (qualis eſſe cenſetur *tonitru grave*,) hoſtes perterrefaceret ac proſterneret.

Leo & Juvenis Leo hic ſpecialiter eſt *Angelus* Jehovæ.

Alterum emblema penitiorem requirit meditationem & ſtudium. Propheta ait, (℣. 5.) Deum *protecturum eſſe Hieroſolymam*, כצפורים עפורת *ut aves volitantes*, ſive *alas expendentes* ad *volitantium* figuram. ſic vertenda ſunt verba. Vox צפור ſumitur Hebræis non tantum pro *paſſere* aut *avicula*, ſed pro qualicunque *ave*, ut Doctis jam obſervatum [n]. Jungitur autem voci עפורת *debilioris generis*, ſecundum ſtylum Scriptorum Sacrorum, ut Grammatici Hebræi jam monuerunt. Addit Propheta: גנון והצל פסוח והמליט quod proprie ſonat, *protegendo & eripit*; *tranſiliendo* ſive *obtegendo*, *& evadere facit* ſive *faciet*. quod non ſatis concinne dicitur. Adſcripſit igitur Kimchius, quod haud dubie veriſſimum, voces והציל & והמליט *formæ præteriti* accipiendas eſſe *forma infinitivi* acſi punctatæ eſſent להציל & להמליט, productis exemplis aliis hujus generis, quæ etiam à noſtris [o] neglecta non ſunt. Recte igitur vertas, *protegendo & eripiendo*; *obtegendo & evadere faciendo*. qui ſenſus eſt Vatis.

Alterum emblema de *Cura* & *Affectu* Dei in ſuis defendendis deſumpta ab *Avibus*.

Animadverſa ad ſenſum Grammaticum.

Elegans eſt emblema & jucundæ meditationis, ſi quis id recte acceperit. Certe paradoxum videri poſſet ad primam ſpeciem, Deum comparari cum *avibus* vel *aviculis*, *pullitiem ſuam defendentibus*. Cum enim *aves*, ſi forte accipiter aut quod aliud rapacium alitium genus nido aut pullis rapiendis inhiet, ſæpe impares ſint pullis defendendis, nec defenſionem iis præſtent perfectam: eſtne idem vitium Defenſionis Divinæ? an itaque ſimilitudo ſatis in rem apta eſt? Equidem fuit inter antiquos Interpretes, qui exiſtimavit, hic non reſpici ad *protectionem* ipſam, ſed ad *celeritatem* Angeli Domini in Defenſione hac præſtanda, & Judicio exequendo. David Kimchi: וכתב אאו"ל המשיל מלאך ה' אשר הכה מחנה אשור לאריה בגבורתו ולצפורים עפורת למהירותו *Scripſit Pater meus b. m. Comparat Angelum Jehovæ qui percuſſit Exercitum Aſſyrii Leoni propter fortitudinem ſuam; & avibus volitantibus propter* CELERITATEM SUAM. Sed non favet huic meditationi ἡ Ἀπόδοσις Prophetæ, quæ ſimpliciter exhibet: SIC *protegeet Jehova Exercituum Hieroſolymam*. ut proinde *Aves volitantes* hic ſpectari debeant ut *protegentes* pullos ſuos. Quin ſi Propheta hic reſpexiſſet *celeritatem*: non puto ſcripturum eſſe *ut* AVES *volitantes*: ſed potius, *ut avis volitans*. Ergo rectius illi ſentiunt, qui emblema referunt ad *curam*, *ſtudium*, & *affectum avium*, pullitiem ſuam defendentium: etſi ne ſic quidem videantur integrum & verum emblematis hujus ſenſum exhauſiſſe. quod patefiet, ſi rem diſtinctius diſcuſſerim. *Aves* ſtudium & affectum ſuum erga ova vel pullitiem defendendam, duplice modo, quatenus mihi cognitum eſt, demonſtrare ſolent. Et quidem primo, ſunt ex avibus & aviculis, quæ ave rapace aut raptore homine, à quibus periculum metuunt, nido inhiante, circa nidum aliquo ab eo ſpatio celere motu volitant, modo huc modo illuc ſe moventes, & omni motu ſignificantes ſe magna cura & ſolicitudine circa pullitiem eſſe affectas. Deinde, Aves periculum aliquod metuentes pullis, eos, quod Gallinæ & plures

Τὸ παράδοξον hujus ſimilitudinis.

An ſimilitudo referenda ſit ad celeritatem? Sententia Kimchii Patris.

Apodoſis ſimilitudini ei non convenit.

Aliorum ſententia qui emblema referunt ad *ſtudium* & *affectum* erga ſuos defendendos.

Aves quotuplice modo detegant *affectum* erga *pullos ſuos* defendendos?

aliæ

---

a Part. I. Lib. II. Cap. XLIV. *b* Homer. *Iliad.* σ. ℣. 161. & μ. ℣. 302. *c* *Hiſt. Afric.* Cap. XI. *d* Prov. XXX. 30. *e* B. J. Lib. VI. Cap. VI. *f* Cap. X. 32. *g* Cap. XXXIV. 26. *h* Job. XXVI. 14. *i* Cap. V. 14. *k* Cap. III. 8. *l* Deut. XXXIII. 12. *m* Cap. XXXVII. 36. *n* Boch. *Hieroz.* Part. I. Lib. I. Cap. XXI. IX. *o* Buxtorf. in *Theſ.* Lib. I. Cap. XVII.

Non respicitur hic ad *Aves* circa *nidum* volitantes, sed *expansis alis* pullos defendentes.

aliæ faciunt, alis suis expansis tegunt & obtegunt, ut periculum ab iis arceant eosque defendant. Quæritur, utrum horum hic fuerit in mente Prophetæ? Posterius, crediderim. *Aves* enim circum *nidum* volitantes, periculo imminenti, magis *affectum* suum erga pullos produnt, quam iis præstant *defensionem*. Propheta autem id referri vult ad *defensionem* ac protectionem ipsam. Accedit quod *defensio* & *protectio* quam Deus suis præstat, stylo Scripturæ S. frequens eodem emblemate explicetur. ut Ps. XVII. 8. *Umbra alarum tuarum absconde me.* Alio loco [a]: *Obteget te alis suis latis, & sub alis ejus cum fiducia ages.* quibus similia sunt alia [b]. Et pertinet quoque huc emblema quo Christus Dominus utitur in Oratione ad Hierosolymitanos, apud Matthæum [c], se comparans *Gallinæ* pullos suos *sub alas suas congreganti*. Magis vero huc spectat, quod hæc expositio egregie conveniat scopo Prophetæ, qui docet & docere vult, Deum Populo Hierosolymitano præstiturum esse *defensionem perfectam*, cum summa cura & studio erga Populum suum conjunctam. *Avis* enim *pullos* sub alas suas recipiens & sub iis condens *pullitiem suam* totam obtegit, & obtegendo protegit, corpusque suum pro pullitie sua defendenda objectat. Sic Deus Populo Hierosolymitano præstaret protectionem, ut jam dixi, perfectam, si, liceat ita loqui, pro Populo suo objectando hostibus & pro eo prœliando, populo quiescente & sub alis Divinæ Providentiæ secure latitante. estque emblema aliis quoque Scriptoribus receptum, ut Eruditi Viri jam monuerunt [d]. Quid itaque, ais, sibi vult illud עפורת *volitantes?* Dicam uno verbo. *Volitantes*, quod vulgo vertitur, hic idem valet, quod *expansis alis*, quæ signa sunt *avium volitantium*. Sensus Prophetæ est, Ut *aves expansis alis*, instar *volitantium*, nido incumbentes, eum obtegunt ut pullitiem defendant ac recondant: sic Deus *alis* suæ curæ, providentiæ, potentiæ, gratiæ, totum Populum Tsioneum obteget ac proteget.

Comparatio ex analogis illustratur.

Sententia comparatur cum scopo Prophetæ, & cum re ipsa.

Similitudo elucidatur.

Sed ne sic quidem omnia expedita sunt. Vates sacer idem hoc emblema suum amplius explicans & declarans, addit: *Protegendo & eripiendo; transiliendo* sive *obtegendo, & evadere faciendo.* Sensus est, quem quisque videt: Deum non tantum suos esse *protecturum* quod aves faciunt pullitiem suam obtegendo; sed simul eos dehinc ab omni periculo immunes præstiturum, liberaturum, vindicaturumque esse; quod *aves* non faciunt. Si enim *aves* pullitiem ad tempus protegant: non tamen arcent periculum. in quo hactenus nulla residet difficultas. Dubium solummodo idque non contemnendum supereſt in voce פסוח, quam Interpretes passim vertunt per *transilire*, sive raptim vel cum *saltu transire*. Quid sibi id vult, quem *transiliendo* vel *raptim transeundo* eripere? Id enim minus convenire videtur emblemati. *Avis* enim protegens pullitiem *expansis alis* acsi volitaret, an *transilit* vel *saltuatim eam transit?* Commune observatum Interpretum est, alludi hic ad *salvationem* quam Deus Populo suo olim præstitit, eum redimendo ex Ægypto, ubi *una nocte* interficiens *Primogenitos Ægypti*, perinde ac *una nocte* constituerat prosternere Exercitum Assyrii, dicitur *transiliisse* ædes Israëlitarum, quarum postes & superliminaria tincta erant sanguine Agni Paschalis, & Populum suum vel primogenitos Populi sui *servasse:* ubi historia exhibet hanc ipsam vocem פסח, quæ postea nomen dedit Festo, inde dicto *Pesah*, sive *Pascha*. Sic habent verba historiæ [e]: *Et ubi videro sanguinem*, (sunt verba Domini:) ופסחתי עליכם *transibo vos saltuatim*, (ut vulgo vertunt; *transiliam vos:*) *& non erit in vobis plaga ad noxam.* quod deinceps repetitur, in rei gestæ narratione [f]. Admitto hypothesin, nec dubium est quin huc respiciatur. Sed quid illud ad præsens emblema, si פסח hic notet *transire*, *præterire*, salvandi caussa? Id enim non faciunt *aves*. Dicendum itaque, Prophetam cum hic ageret de *liberatione* quam Deus protectione sua Populo suo procuraret, novum hic adhibuisse emblema ad liberationem hanc illustrandam. Certe id dici posset; sed id mihi ægre persuadeo. Repetit enim manifeste vocem גנן *protegere*, cui hic in altero membro respondet vox פסוח. Ergo ne longior sim, dicam, me nullatenus dubitare, quin vox פסח tam in hoc loco nostro, quam in historia Exodi notet quem *totum protegere*. Equidem ὁ πάντυ Bochartus tuetur in historia Exodi significationem vocis פסח τῷ διαβαίνειν, ὑπερβαίνειν, *præterire*, *prætergredi* [g]: sed mihi rem altius inquirenti non persuasit. Versio Alexandrina antiquissima, in Pentateucho satis laudata, illud ופסחתי עליכם in Exodo transfert: Καὶ σκεπάσω ὑμᾶς· *Et obtegam vos.* Onkelos: ואיחום עליכון *Et parcam vobis.* Unde etiam Jarchius in h. l. admittere quoque vocem פסח notationem τῷ חיים *parcere*. Favet autem huic interpretationi historia Exodi cum in cæteris locis modo signatis tum præcipue Cap. XII. 23. *Et cum transibit Jehova ad percutiendam Ægyptum, & viderit sanguinem super superliminare & utrumque postem,* ופסח יהוה על הפתח *& Jehova* OBTEGET OSTIUM, *& non permittet perditori venire in ædes vestras ad faciendam cædem.* Schema hic est clarissimum ad formam humani captus concinnatum. cum Angelus perditor transiret ad faciendam cædem Primogenitorum: ædes autem Israëlitarum permixtæ essent ædibus Ægyptiorum: Angelus Servator Jehova se interponeret obtegendo ostium Ædium Israëlitarum, vel illud protegendo, ne perditor intraret. unde dicitur ἐξηγητικῶς, ỳ. 27. *Et sacrificium Paschatis* (פסח) *Jehovæ qui protexit,* (*obtexit,* פסח) *ædes Israëlitarum in Ægypto, cum caderet Ægyptios,* ואת בתינו הציל *& ædes nostras* LIBERAVIT. quæ eadem vox est in hoc loco Jesaiæ, h. e. liberavit, *protegendo, obtegendo*, se objiciendo ad defendendas Israëlitarum ædes. Græcus Interpres in aliis minus acutus cum videret hunc sensum Prophetæ, vocem פסח hic vertit per περιποιεῖσθαι, *liberare*. Atqui, ais, vox פסח in analogis aliis locis admittit significationem דילוג *saltus*, notatque *saltare*, *subsilire*; & פסח Hebræis est *claudus*, quia saltuatim incedit. Imo vero res ita se habet, nec ego recedere velim ab analogia significationis hujus vocis. פסח, ubi notat *protectionem, obtectionem, defensionem*, vere notat ὑπερβαίνειν, quomodo eam hic docte verterunt Aq. Sym. & Theod. h. e. veluti cum saltu se conjicere ad *rem occupandam, protegendam, sibi vindicandam, & suam faciendam*, ut eam tibi asseras. ut qui equum conscendit, eum ὑπερβαίνει, *transcendit* cum saltu, eum occupando & suo corpore simul *obtegendo*; potestque hæc significatio vocis colligi cum ex Exoticis Scriptoribus, tum ex metaphorico ejus usu 1 Thess. IV. 6. estque hæc ipsissima vocis notatio quæ obtinet in historia Exodi. Ubi perditor & vastator Angelus ingressurus esset ædes Israëlitarum: Angelus Servator se repente & veluti cum saltu trajiceret ad eas, liceat ita loqui, transcendendas, h. e. corpore suo toto objecto eas protegendas ac defendendas, & ita Israëlitas eriperet. quod idem *aves* faciunt expansis alis pullitiem obtegendo & corpus suum pro iis interponendo defendendis: *transtate* vero Deus faceret, Populum Tsioneum tempore obsidionis Senacheribi OBTEGENDO liberaturus. Sic sibi optime constat concinnitas orationis Prophetæ. De historia nihil moneo, cum jam sæpius relata sit.

Interpretatio Prophetæ. Verba: *Protegens eripiet; obtegens, evadere faciet.*

Vox פסוח hic ab Intr. passim redditur per *transilire.*

Quomodo eam expositionem applicent ad h. l.?

Putant alludi ad historiam *Paschatis* sive *Liberationis* ex Ægypto.

Angelus tum dicitur *transiliisse* (sic vertunt vocem פסח) *ædes* Israëlitarum.

Sed quæ significatio huic loco non satis commode aptatur.

Vox פסח in historia Paschatis recte vertitur per *obtegere.*

Versio ỳ. & Onkelosi.

Demonstratur significatio vocis פסוח *obtegere* ex Historia Mosaica, Exod. XII. 23.

Locus illustratur.

Irem, ex ỳ. 27.

Conciliatur hæc significatio alteri qua notat *transilire*, sive ὑπερβαίνειν.

Applicatur ad h. l.

(b) Beneficii hujus ADJUNCTA.

Primum, *Resipiscentia* Judæorum afflictorum.

ỳ. 6. *Revertimini, pro eo ac profundam fecerunt recessionem* POSTERI ISRAELIS. ỳ. 7. *Quia illo die sper-*

Adjuncta hujus Beneficii

[a] Ps. XCI. 4. [b] Confer Ps. XXXVI. 8. LVII. 2. LXI. 5. [c] Matth. XXIII. 37. [d] Vide Grotium ad Matth. XXIII. 37. [e] Exod. XII. 13. [f] ỳ. 23. 27. [g] Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. I.

ficii. Primum, *Respiscentia* Populi in arctum redacti.

net quisque idola sua argentea, & idola sua aurea quæ manus vestræ vobis fecerunt; peccatum] Oratio est Prophetæ ad Judæos, tum monitoria Officii, absque quo Beneficium hoc Protectionis & Liberationis ex statuto Dei in ipsos conferendum non esset; tum prophetica, qua docet, Deum illo tempore hanc gratiam Respiscentiæ ab idololatria, non tam publica quam domestica, iis concessurum esse, ut Beneficii hujus secundum Legem Divinæ Providentiæ compotes evadere possent. *Admonitio* directe spectat *Judæos* oppositæ ad *Ephraimitas*, qui hic, ut passim alias quando notio hæc restricte sumitur, appellantur *Filii* sive *Posteri Israëlis*. Sensus manifestus pericopæ in hanc exit sententiam: Cum itaque Deus vobis Judæis, Tsioneis & Hierosolymitanis, tanti beneficii spem faciat, ut vos adversus Assyrios sua dextra defendere ac protegere statuerit, quod Propheta futurum prædixerat: agite, *convertite* vos ad ipsum seria *respiscentia*, à quo *Ephraimitæ*, auxilium quærentes apud *Ægyptios*, ipsius auxilio posthabito ac spreto, longissime recesserunt; & ponite fiduciam non in Ægyptiis, sed in ipso vero Jehova, quod contribules vestri Ephraimitæ agere gravantur. imo quanto gravius hic peccarunt Ephraimitæ, & quanto profundius illi recesserunt à Deo, tanto vos sincerius respicite, & arctius vos ei adjungite. Hic sensus est naturalis & facilis, hypothesi à nobis in superioribus jactæ quod sc. hæ prophetiæ directe editæ sint adversus Ephraimitas, plane consentaneus. quam hypothesin qui non tenent, in his verbis interpretandis se manifeste impediunt, ut ex aliarum interpretationum exemplis quisque facile observaverit. Si Propheta hic per בני ישראל *Filios Israëlis* ipsos intelligeret *Judæos* & ad eos orationem suam verteret, scripsisset haud dubie, לאשר העמקתם סרה *Convertite vos ad eum à quo longe* RECESSISTIS, *ô Filii Israëlis*. Sed scripsit ille, *Convertite vos* (Judæi sc.) *ad eum à quo longe recesserunt*, sive, *pro eo ac profunde recesserunt filii Israëlis*. sc. Ephraimitæ. Quæ cum liquidissima sint, ut tempori & otio parcam, supersedeo aliis versionibus & expositionibus in medium producendis ac refellendis, & paucula tantum ad phrasin Vatis illustrandam adnotabo. Primo quod hic dicitur, שובו *revertimini* vel *convertite vos*, manifestum est ex tota oratione Prophetæ duo præcipue vitia respici, quæ Judæi communia habebant cum Ephraimitis, *idololatriam* nimirum, si non publicam, saltem *domesticam* & ad eam propensionem summam, & *respectum* carnalis auxilii externi: quod utrumque vitium Judæi Populi in publicum proruperat sub Achazo Rege, Hiskiæ Patre, arcessente adversus contestationem Jesaiæ auxilium Assyrii contra Ephraimitas & Syros. qui affectus Populi licet repressus esset ab Hiskia, clanculum tamen à longe majore parte fovebatur. Monet itaque eos Propheta, frustra illos à Deo auxilium exspectare, nisi hunc pessimum & adulterinum animi affectum Deo injurium exuerent. Secundo, sub voce לאשר *ad quem* geminum latet *relativum*, ut notet *ad eum à quo*, ut Piscator & alii hæc verba acceperunt, veluti scriptum esset, שובו אליו אשר ממנו העמיקו כרה בני ישראל. Significatus est διπλᾶς, ut si Latine dixeris, *Redite ad quem vos ire oportet*. Sic Ruth. II. 9. ושתית מאשר ישאבון הנערים *Et bibes ex* eo *quod hauserint pueri*. Non spernо; & tamen elegantior & forte verior versio altera, quæ verba reddit, *pro eo ac profunde recesserunt*, vel, *secundum quod p. r. f. J.* ut לאשר sumitur significatu *exemplari* Gen. XXVII. 8. Tertio, quod hic dicitur; העמיקו סרה *profunde recesserunt filii Israëlis*, proprie valet Hebraice, *profundarunt recedendo*. quomodo fere Propheta usus fuerat voce העמק, in oratione ad Achazum [a]: העמק שאלה *Profunda petitionem, aut eleva in altum*. pete aliquid vel in *inferis* vel in *superis*; signum terrestre vel cœleste. *Profunda* autem illa *recessio* Ephraimitarum, à qua eos in initio harum Declamationum [b] appellaverat בנים סוררים *filios refractarios*, hic respicit, α. *Idololatriam* publicam, per tot jam annos continuo usu confirmatam, quod signum erat profundæ latæque ἀποστασίας à Deo. β. Consilium temerarium & Deo summe injurium, ex profundis Politicæ mundanæ & carnalis haustum, de arcessendo auxilio Ægyptiorum, Gentis Deo invisæ, ad Dei Israëlis opprobrium & ignominiam; acsi Populus ab ipso olim contra Ægyptios vindicatus, nunc per Ægyptios vindicandus esset, deficiente Dei potentia & ad liberandum viribus. quæ recessio &, liceat dicere, prostitutio Dei Servatoris & Liberatoris sui Populi, erat turpissima, ac profunda. Nihil poterant deterius agere ac profundius consulere, si animum à Deo alienatum ac profundam ab eo recessionem manifestam facere vellent.

Et sic quidem se habet admonitio Jesaiæ ut Doctoris Publici; sed mox Prophetam rursus agens prædicit, ℣. 7. Judæos Hierosolymitanos ad arctum redactos, à Divina gratia adjutos, huic admonitioni parituros esse, ut Deo congruum ac decorum censeri posset hoc Beneficium Defensionis ac Liberationis singularis iis indulgere, his verbis: *Quin die illo spernet quisque idola argentea sua & aurea sua, quæ manus vestræ vobis fecerunt* חטאה *peccatum*. pro לחטאה *in peccatum*. Sed oratio Prophetæ magis est emphatica. docet enim *peccatum* in ipsis illis *idolis* ita inesse, ut à peccato separari & absque peccato fieri aut tractari nequeant. *Idola* enim nullum usum habent nisi *peccaminosum*. ut ubi *idolum* est & habetur, ibi peccatum sit. Intelliguntur autem hic *idola domestica*, divinatoria, *Therapim*, *Penates*, quibus Gens perdite dedita erat, *auro* vel *argento* obducta, quorumque cultum sub optimis etiam Regibus plurimi in clandestinis ædium suarum conclavibus fovebant, ut prolixius docui ad Cap. II. 8. & novissime ad Cap. XXX. 22. Ad angustias vero acti, urgente Assyrio, & haud dubie ad acres admonitiones & convictiones Prophetæ, renunciarent plures huic damnabili superstitioni, & præcipue in sententia fidei de vero Deo Israëlis insigniter confirmati fuerunt post Liberationem juxta prædictiones Vatis nostri inopinato impetratam adversus Assyrios, quorum manus non videbantur evadere posse. Simile est quod Propheta prædixerat, Ephraimitas, certe illorum aliquos, facturos esse, postquam vidissent idola quæ studiose coluerant, sibi non profuisse, Cap. XVII. 7. 8. Certe non præstat Deus gratiam nisi respicentibus & sibi fidentibus. Est de eo luculentum exemplum cum hoc nostro comparandum in Libro *Judicum*, ubi cum Israëlitæ sæpius jam à Deo vindicati rursus ad fœdam idololatriam prolapsi, & in pœnam criminis oppressi ab Ammonitis opem Divinam supplices implorarent: per Virum Divinum nomine Dei accusati & convicti suæ defectionis, ut Divina Liberatione se dignos præstarent, post editam criminis sui confessionem, dicuntur *removisse Deos peregrinos è medio sui, & Jehovam coluisse*: cujus gratiam hoc ipso nacti, eum obtinuerunt Vindicem [c].

Clades Assyrii. Adjunctum alterum *Defensionis* Populi Dei.

℣. 8. *Et cadet Assyrius gladio* NON-VIRI, *& gladius* NON-HOMINIS *eum consumet, & fugiet à gladio, & Juvenes ejus colliquescent.* ℣. 9. *Et* PETRAM SUAM PRÆ TIMORE PRÆTERIBIT, *& Principes ejus à vexillo consternabuntur, inquit Jehova, cui ignis est Tsione & cui focus est Hierosolymis.*] Alterum adjunctum Defensionis quam Deus summa cura & affectu populo Tsioneo præstaret, esset strages & occidio per immediatam ejus potentiam in hostibus ejus edenda. Poterat Populum suum defendendo pro mirabili ordine Providentiæ suæ hostibus parcere, vel saltem eousque parcere, ut eos non puniret nisi in paucis exemplis, per quæ alii à conamine Populi Dei invadendi possent abster-

Summa *Admonitionis*.

Sensus commendatur ex nexu orationis & ipsius admonitionis verbis.

Constructio orationis suader, hic per *Filios Israëlis* intelligi Ephraimitas.

Qualis *conversio* ad Deum, & à quibus vitiis hic designetur?

Vox לאשר hic duplice sensu sumi potest, vel *ad eum à quo*, vel, *pro eo ac*.

Uterque exhibetur.

Phrasis, *profunde recedere*, proprie, *profundare recessionem*, illustratur.

Profunda recessio Ephraimitarum qua ratione constiterit?

Propheta prævidet, & prædicit, *Judæos* circa tempus liberationis ipsis decretæ se ad Deum conversuros esse.

Verba ℣. 7. Emphasis in voce חטאה. *Idola* sunt *peccatum*.

Qualia *idola* hic intelligantur?

Eventus ex historia probabilis.

Ex ordine viarum Dei, & exemplo simili illustratus.

Alterum Adjunctum *Defensionis Populi Dei: Clades Assyrii.*

Summa sententiæ, & nexus orationis.

[a] Cap. VII. 11. [b] Cap. XXX. 1. [c] Jud. X. 11. 12. seqq.

sterreri. Sed Deus ita volebat Populum suum *protegere* ut simul hostes ejus plane enervaret ac prosterneret, & luculentum specimen publico daret, posse se Populum suum ita *protegere* ut eum simul *eripiat* & *liberet*, ut Prophetam modo dicentem audivimus. Id vero ipsum est quod his verbis declarat, ut exposuerat late & emphatice in fine *Sermonis superioris*. Quod commune thema hujus Pericopæ cum nulla difficultate laboret, & historia ipsa cladis Assyrio inflictæ sæpius jam à nobis relata, & in sequentibus declaranda sit: nihil mihi hic supereſt, nisi ut phrasin orationis illustrem; quæ sane ejusmodi est ut illustrari mereatur.

Verba Prophetæ relegantur, ℣. 8. Quid ibi sit *Non-Vir*, & *Non-homo*?

℣. 8. *Et cadet Assyrius*, sive, *cadent Assyrii*, *gladio* NON-VIRI, *& gladius* NON-HOMINIS *illum consumet*] Ille NON-VIR & NON-HOMO est is idem qui in historia appellatur מלאך יהוה ANGELUS JEHOVÆ [a], & à Vate nostro alibi [b] *Lux Israëlis* & *Sanctus ejus*; item אדיר *magnificus*, ὑπερμεγέθης [c], & in *Sermone superiore*, JEHOVA [d], & forte etiam *Halitus Jehovæ*. Id vero ipsissimum est quod hæc phrasis infert. *Non-homo* hic est persona aliqua quæ nihil minus est quam homo, sive *in qua nihil ejus est quod in homine est*. pariter *Non-vir* est *in quo nihil ejus est quod in Viro est*. qui nihil minus est quam *vir*. ut *idola*, Dii fictitii, sunt לא־אלוה & לא־אל *Non-Deus* quod nihil minus sint quam Deus [e]. perinde ac phrasin modo interpretati sumus, ℣. 3. Id vero epitheton in hac emphasi non competit Angelo λειτουργῷ gregario, Divinæ Providentiæ Ministro, sed *Angelo Faciei Dei*, in quo *Nomen Dei* est & *omnis* ejus *gloria* refulget; qui hoc judicium exequeretur. Sic Hoseas, loci hujus nostri certus Interpres, cum suscepisset *filiam Lo-ruchamam* quæ in ejus prophetia emblema sustinet Regni Ephraimitarum, collapsi & tandem destructi sub Menahemo, Pekachja, Pekah, Hosea [f]: *Non pergam amplius misereri Domus Israëlis, sed omnino perferam in eos* sententiam: *sed domui Judæ miserebor, & salvabo eos per* JEHOVAM DEUM IPSORUM, *& non servabo eos per arcum, aut per gladium, aut per bellum, aut per equos, aut per equites*. Prophetia huc directe pertinet; sed est in ea typus liberationis veræ & spiritualis quam Filius Dei Ecclesiæ suæ procuraret absque externis subsidiis.

Locus Hos. 1. 6. 7. cum hoc collatus.

Verba: *Et fugiet sibi à facie gladii.* Phrasis exponitur. Hieronymi non fida versio. Unde nata?

ונס לו מפני חרב *Et fugiet sibi à facie gladii*] Sic ad verbum sonant Hebræa, in qua phrasi nihil vitii est magis quam in ea Latinorum, *sibi metuet*. Et Hieronymus tamen vertere voluit in contrarium, *Et fugiet* NON *à facie gladii*. sequutus Alexandrinum; καὶ φεύξεται οὐκ ἀπὸ προσώπου μαχαίρας· acsi legissent לא pro לו. quod tamen ægre mihi persuadeo. Vera haud dubie ratio est, (si Alexandrinus versionem non instituerit ad Amanuensis lectionem,) quod non perspexerint, quomodo id quod hic dicitur, secundum interpretationem nostram cohæreat cum *immediate* præcedentibus, quibus Assyrius dicitur esse casurus *gladio non-hominis*. Et tamen non negem, esse rarissima loca in quibus לו pro לא usurpatur. Chaldæus quoque hic hæsit, sed alio modo occurrere voluit difficultati, acsi dicere vellet Propheta, fore ut fugeret Assyrius *tanquam* qui fugiunt in facie gladii. Sed non indigemus hoc supplemento. Historia utique ipsius hujus Libri nos docet, quod hic legitur. nempe cum Hiskias per Delegatos ad Jesaiam retulisset blasphemias quas Rabsake effutierat: Prophetam Dei illum jussisse securum esse, & se exsolvere metu, & mox subjunxisse [g]: *Ecce ego indam ei spiritum*, (h. e. affectum metus. incutiam ei metum. causa mox subjungitur:) *& audiet rumorem, & revertetur in terram suam*. quando post pauca adjicitur [h]: *Et audivit de Tirhaka Rege Cuschæo dicentes: Egressus est ut prælio tecum decertet. & audivit & misit*, (h. e. simulac audivit, misit, jam hoc tempore metu correptus,) *Legatos ad Hiskiam, & seqq.* Quando autem non longe post florentior Exercitus ejus pars Judicio Divino prostrata jacuit, quanto ocyus potuit cum reliquiis Copiarum suarum imbellibus & metu consternatis se in Assyriam fuga recepit; quod Josephus recte accepit [i]: Τὸ δὲ τοιοῦτον τῆς συμφορᾶς εἰς φόβον καὶ δεινὴν ἀγωνίαν κατασὰς, καὶ δείσας περὶ τῷ στρατῷ παντὶ, φεύγει μετὰ τῆς λοιπῆς δυνάμεως εἰς τὴν αὐτῶ βασιλείαν εἰς τὴν νῦν προσαγορευθεῖσαν· *Ex hoc vero casu inopinato* (sc. cladis) *metu & gravi animi angore affectus, & toti exercitui metuens, fugit cum reliquis copiis in Regnum suum ad Ninum Urbem*. Sic itaque verum est, superbum hunc Regem à Deo percussum in Exercitu per *gladium*, h. e. potentiam ultricem Angeli Jehovæ, simul *fugisse à gladio* clarissimi in historia Regis Taraconis, metuens valde ne post hanc cladem in ejus incideret manus quem integro adhuc Exercitu jam timuerat. Herodoti narratio de Senacheribo, (licet Ægyptum ille cum Canaanæa confuderit,) idem supponit.

Josephi verba historiam recte interpretantia.

Verba: *Et Juvenes ejus colliquescent.* Heb. למס יהיו. Dubia significatio phrasios Hebræa. Versio Hieron & Coceji.

ובחוריו למס יהיו *Et Juvenes ejus colliquescent*] Hieron. *Et Juvenes ejus vectigales erunt*. quod non temere est spernendum. pariter Coccejus: *Et Juvenes ejus erunt in delectum servientium*. Hebræa enim phrasis, היורז למס *esse in tributum*, hanc significationem optime admittit, ut ex analogis [k] videre est. Sic sensus esset, fore ut reliqui milites quos secum redux in terram suam abduceret Senacheribus, in via dissipentur, *capiantur*, & veniant in potestatem Populorum vicinorum, qui ex iis delectum facerent ad operas quas Principi aut Regi suo debebant. quem sensum intendit Aben-Ezra. Obstat tamen, historiam & rationem probabilem non favere interpretationi. Historia tantum docet, Senacheribum post cladem acceptam cum Copiarum suarum reliquiis *reversum esse*, sc. in Regnum, in quod utique brevi reverti potuit; & dein resedisse in Urbe Nino. Assyriorum autem potentiæ & Imperii apud Populos confines ea erat reverentia, ut non videantur facile, nisi clandestinis raptibus, in Assyrios licet graviter afflictos quicquam tentasse. Deinde tota hæc pericopa versatur in describendo pavore superstitum ex Exercitu Senacheribi. Verti itaque phrasin cum Kimchio inter Hebræos, Piscatore aliisque inter nostros, per *colliquescere*. proprie, *in liquefactionem erunt*. h. e. dissolventur præ *metu*, & in via per properam fugam *dissipati*, ut fit, magnam partem peribunt. Sic Alexandrinus: Οἱ δὲ νεανίσκοι ἔσονται εἰς ἥττημα· Chald. *Robusti ejus in interitum erunt*. לחבר יהון proprie, *in confractionem, rupturam*. Est autem חבר Chaldæis proprie *confractio, contritio animi* qualis ea est *metus & pavoris*. Constat, hanc esse genuinam & propriam notationem radicalis thematis *liquescere, colliquescere*, & Prophetam nostrum æque ac Scriptores Sacros alios voce hoc sensu frequenter uti, ut notet *dissolutionem* animi quæ est à *metu*. Confer Cap. x. 18. XIII. 7. XIX. 1. Per *Juvenes* autem ne dubites hic intelligi *milites*. poscit enim *militia* in delectu ætatem vegetam ac florentem. Jeremias [l]: בחוריהם מכי חרב במלחמה JUVENES ILLORUM *cæsi gladio in bello*. Idem usus vocis fuit Romanis. Florus [m] de Regulo: *Quumque magnam vim* JUVENTUTIS *Ducesque ipsos aut cecidisset aut haberet in vinculis*. Hic tamen, *juvenibus* licet, in flore ætatis, fugientibus etiam solveretur præ metu animus ac deficeret.

Dubia significatio phrasios Hebræa. Versio Hieron & Coceji.

דיות למס recte hic vertitur per *colliquescere*. Altera versio, *tributarii erunt*, minus favet historiæ.

Persio Alexandrina, & Paraphrastæ.

Liquescere hic est animo dissolvi præ *metu*.

Per *Juvenes* hic intelliguntur *milites*.

Animadversio ad Paraphrasin Chaldæam.

Historia de fuga Assyrii clade Divina affecti prophetiam illustrat.

℣. 9. וכלעו מפגור יעבור *Et petram suam præ timore transibit*] h. e. Tanto metu perculsus erit Senacheribus ex clade ipsi à Deo inflicta & fama adventantis Taraconis, ut munimenta quæ habet in finibus Imperii sit transiturus fugiens, quippe non ausurus præ metu se iis committere. Vidit Aben-Ezra, & sequutus est Grotius. Kimchius hunc dat sensum; *& ad petram suam se præ timore conferet*. ut sit כלעו pro אל כלעו *ad petram suam*. sc. ad Urbem Ninum, ubi Arx & Palatium ejus est. quem Piscator & Belgæ sequuti sunt. Sed ellipsis voculæ אל hic est durior, &

Verba ℣. 9. *Et petram suam præ timore præteribit.* Sensus dicti. Kimchii & sequacium expositio & ad eam animadversio.

a Cap. XXXVII. 36. b Cap. X. 17. c ℣. 34. d ℣. 31. 33. e Deut. XXXII. 17. 21. f Cap. I. 6. 7. g Cap. XXXVII. 7. h ℣. 9. i *Antiq.* Lib. X. Cap. II. k Gen. XLIX. 15. Prov. XII. 24. l Cap. XVIII. 21. m *Hist.* Lib. II. Cap. II.

elegantia sententiæ nostræ longe est major. Qui enim magno correpti sunt metu, ne quidem tutis fidunt. Jesaias autem ita loqui solet, ut imagines omnes vividissime pingat, sæpe ut oratio ejus videatur hyperbolica. *Petra* autem hoc loco notat *munimenta, arces*, in petris, si quæ darentur, extrui solitas, quas ipse alibi [a] vocat מצורות סלעים *Arces Petrarum*. Alias interpretationes dissonas & longe quæsitas hic non produco. Tantum observo, Historiam clare docere, superbum Regem, spiritu metus affectum non quievisse, donec præteritis Imperii sui Munimentis pervenerit Niniven, ibidem à filiis suis confodiendus, ne quid deesset calamitatis [b].

Quid *petra* in h. e. significet? Historia collata cum prophetia.

Et consternabuntur ex vexillo Principes ejus. Sensus verborum.

ויחתו מגם שריו *Et consternabuntur ex vexillo Principes ejus*] h. e. Principes ejus, Copiarum Præfecti, quos clades θεήλατος ipsi reliquos fecerit, tanto correpti erunt terrore fugientes, ut ubi *vexillum* vel *signum* qualecunque viderint in *montibus* vel *collibus*, (qui ritus olim receptus erat in colligendis Exercitibus, ut vidimus ad Cap. XIII. 2.) hoc ipsum iis allaturum sit consternationem. Feroces olim & superbi ex levissimo signo, quod in pejorem partem videntur interpretari posse, accipient argumentum pavoris & consternationis.

Clausula obsignatoria: *Dictum Jehovæ, &c.*

Dictum Jehovæ, cui ignis est Tsione, & cui focus est Hierosolymis] Hoc sigillo claudit Vates insignem hanc Pericopam, & sane ad rem, ut mox patebit. Chaldæus pro אור *ignis* quod exhibent Masorethæ, legisse videtur אור *Lux*, estque ejus versio animadversu digna: *Dicit Dominus, cujus* SPLENDOR *est in Tsione observantibus Legem, & caminus ignis ardens Hierosolymis transgressoribus verbi ejus.* Sic pariter Theodotio, ut notat Eusebius: Φῶς αὐτῷ ἐν Σιών. Sed non est dubitandum de veritate lectionis nostræ, ob paralleliam vocum *ignis* & *focus*, quæ rursus occurret Cap. XXXIII. 14. Respicitur autem hic manifeste ad Templum Hierosolymitanum, quod vulgo dicebatur, ut erat, *Domus Dei*, in qua Domo Deus habebat *focum* & *ignem* perpetuum, ἄσβεστον, *inextinctum*, à Sacerdotibus diligenter curandum fovendumque ex certo Dei præcepto [c]. Hic autem *ignis* & *focus* sustinebat symbolum sanctissimæ ac purissimæ *Voluntatis Divinæ*, cui omne sacrificium, Deo oblatum, probari debet. Ut autem Deo statutum erat, quandiu transgressiones Populi hactenus summum non attigerant gradum, nec assecutæ erant terminum Longanimitati ejus præfinitum, Domum hanc focumque suum defendere: sic *ignis* in *foco* cubans & ardens inextinctus, docebat, paratum esse Deum, ex justa voluntatis suæ sententia consumere, qui scelerati peccatores contra Legem se nimis prope huic igni admoverent; adeo ut Hierosolyma evaderet אריאל *ignis* sive *focus Dei*, hostes ejus, & Legis Divinæ transgressores consumens, ut vidimus Cap. XXIX. 2. secundum id quod *peccatores* & hypocritæ Tsionei dicebant [d]: *Quis nostrum versari potest cum igne consumente, & quis nostrum versari potest cum foco æterno?* Id vero ipsum est quod experiretur Assyrius. Ignis exiret ex Domo & Foco Dei, & ipsum præter voluntatem Dei huic Foco appropinquare nitentem consumeret.

Versio Chaldæi notabilis. Vocem אור vertit per *lucem*.

Rectius vertitur per *Ignem*.

Quo sensu Deus *ignem* dicatur habere *Tsione*?

Quare ejus hic mentio?

Quid *ignis* in Deo notet?

Beneficii hujus CONSEQUENTIA.

(a) *Regnum* florens justi, pii & sapientis Regis.

CAP. XXXII. ỳ. 1. *Ecce in justitia regnabit* REX, & IPSI QUOQUE PRINCIPES *secundum judicium principatum gerent.* ỳ. 2. *Et erit* VIR ille *ut* PROTECTIO ADVERSUS VENTUM *& latibulum adversus imbrem; ut rivi aquarum in loco arido: ut umbra* RUPIS MAGNÆ *in terra* SITICULOSA.] *Consequentia* duo demonstrat Propheta gratiosi hujus & glorioſi Beneficii in Populum Dei conferendi in Defensione ejus adversus potentem ac arrogantem Assyrium: *florens* nimirum ac *prosperum Regnum Hiskiæ*, hoc demum tempore se ostentaturi omni auctoritate & decore virtutis, ut typi Christi Jesu perfectissimi Regis ex ipso orituri, qualis ipse se ostentaret in Regno suo postquam Ecclesiam suam adversus Satanam per Præsides Romani Imperii Ecclesiam ejus oppugnantem atque extirpare nitentem vindicasset; & *respiscentiam* ac conversionem multorum ab ignorantia, inconsiderantia, errore, & vitiis, quibus ante hoc tempus delusi atque immersi fuerant. Prius, h. e. Statum Regni sub Rege & Principibus piis prosperum ac glorioſum, exhibet his verbis quæ descripsi. posterius ỳ. 3-8. Sic mea fert sententia de argumento hujus *Pericopæ*, de quo rursus inter Interpretes non perfecte convenit. Veteres [e] hic passim solum respexerunt Messiam, Christum Jesum, & sunt ex recentioris ævi Intt. qui cum iis faciunt. Hebræi hic solum vident Hiskiam, & Paraphrastes quoque nullam Messiæ mentionem facit. Sed medii ævi Interpretes [f] eosque sequuti recentiores plures [g], Hiskiæ quidem Regnum, ejusque Regni attributa hic directe describi censent, κατὰ γράμμα: sed sub illo Regno ut typo & figura Prophetam spectari velle Regnum perfectius & glorioſius veri Messiæ, Christi Jesu. His ego me aggrego partibus, typicam rationem tamen uberius declaraturus. Rationes autem, quare Hiskias non videatur excludendus conspectu hujus Pericopæ, sunt, α. Quia in ea nihil dicitur quod non *historice* ad ipsum commode applicari queat. Quod si ita se habeat; patebit, nullam esse justam rationem ipsum hic magis excludendi, quam in prophetia huic parallela Cap. XVI. 5. de qua prolixe commentatus sum. β. Nemo negaverit, expositionem hanc, si locum habere queat, *antecedenti* & *consequenti* contextui optime convenire. In *antecedente* enim contextu manifeste actum est de lapsu Senacheribi; & in *consequentis* parte priore, ỳ. 9. 10. rursus agitur, ut demonstrabo, de *Desolatione* per ipsum in Canaanæa efficienda, *Elencho* ad Judæos converso. Et fateor tamen, rationem ex *consequente contextu* apud me hic plus ponderis habere quam ex *antecedente*, quia ipse non nego, Prophetam nostrum subinde, cum in Hiskiæ Regno videret typum Regni Messiæ, ipso præterito de quo locuturus fuisse videbatur, directe de Regno Messiæ vaticinatum esse. Sed id ubi fit, semper tam clari adsunt Messiæ characteres, ut quisque eos absque opera observet, ut Cap. IX. 5. & XI. 1. seqq. licet alias ne hæc quidem specimina similia sint. Nexum enim posterioris prophetiæ postmodum clarius detexi. γ. Dubito etiam, an Propheta noster de Regno Christi Jesu directe vaticinaturus, quod ipse clarissime proposuit ut *spirituale*, Apostolos Christi Jesu & Præfectos Ecclesiæ repræsentare voluerit sub typo *Principum*, qui *principatum gererent secundum judicium*: quos Apostolos & Ministros Domini, ἄρχοντας τῶν ἐκλησιῶν, Eusebius & sequaces hic intelligi volunt; ut & sub *typo tegminis* adversus *ventum* & *inundationem*. Etsi enim id sano sensu de Christo Jesu rectissime dicatur, & vere sit inter ejus proprietates: non putem tamen, Prophetam nos ducturum in ejus notitiam inde orsurum esse. Est locus Ps. LXVIII. 28. in quo *Apostoli Domini* nomine שרים *Principum*, ex nostra quoque hypothesi, occurrunt, & nomen iis mystice probe convenit. Sed est cuique Scriptori Sacro suus stylus. Certe sunt propiores & certiores characteres ex quibus Christus Dominus & spirituales ministri Regni ejus à nobis cognosci queunt. Unum est quod videatur obstare; nimirum Vatem nostrum de hoc Rege loqui tanquam *futuro*, cum tamen Hiskias Rex ex hypothesi nostra tempore editæ hujus prophetiæ jam regnaret. Dubium certe non videtur contemnendum, quod tamen à plerisque plane negligitur. Incidit cogitatio, quid negem? forte has prophetias con-

Consequenta hujus *Beneficii*. inter quæ

α. *Regnum* justi & pii Regis ac *Principum* similium.

Summa &

nexus orationis Prophetæ.

Analysis totius Pericopæ.

Quis hic intelligendus sit per *Regem*? Sententiæ Intt.

Rationes cur Hiskiæ Regnum hic non videatur excludendum.

Prophetia non recusat hanc expositionem, & *contextus* favet.

Quod prolixius excutitur.

Dubium, an Propheta Apostolos Christi Jesu proponere voluerit sub titulo *Principum*.

Locus Ps. LXVIII. 28.

Dubium, quod Jesaias qui hanc prophetiam edidisse videtur sub Hiskia, de hoc Regno ut *futuro* vaticinetur.

a Cap. XXXIII. 16. b Cap. XXXVII. 37. c Lev. VI. 12. 13. d Cap. XXXIII. 14. e Euseb. Hieron. Cyrill. Procop. f Thom. Hugo, Liranus, &c. g Pagninus, Osorius, Forer. Sanctius.

Cogitatio hac de re.

convictorias duas adversus auxilium petitum ex Ægypto esse referendas ad tempus Achazi, ut nimirum ille Rex pressus ab Ephraimitidis & Syriæ Regibus prius ambiverit suppetias Regis Ægypti, (sed irrito effectu,) quam se contulit ad Assyrium Tiglath-Pulassarem. Certe Kimchius sentit, hos Sermones pertinere ad tempus Achazi, ut in *Anacrisi* monui [a]. Sed, ut ibi quoque observavi, historia tota Achazi huic sententiæ reclamat. Non tantum enim nullam prorsus hujus rei mentionem facit: verum è contrario luculenter docet, Achazum quæsiviſse opem Assyrii *Tiglath-Puleseris* [b] & impetrasse: quicquid autem in thesauris habuit suis & Procerum, & ab ornatu Templi abradere potuit, in eam rem impendisse [c]. Ægypti nulla hic memoria est. Idem confirmatur ex Concione Prophetæ nostri illo ipso temporis articulo edita, in qua Assyrius appellatur *novacula conductitia* [d]: sed de Ægypto nihil monetur. Lege quoque hos Sermones, & videbis, hostes, adversus quos auxilium conquirendum esset, solos proponi *Assyrios*: non *Syros* aut *Ephraimitas*, ut se res habuit tempore Achazi. Quare desinunt hi Sermones in prophetia de perditione Assyrii. Percipimus insuper ex certa ratione, opem Assyrii Achazo longe fuisse commodiorem quam Ægyptii, quod hostes illum à Septentrione invaderent, qui ab illa parte aptius & facilius reprimi potuerunt ab Assyrio, quam ab Ægyptio. ut quoque docuit eventus. Sed en tibi rationem quæ nos hac parte securos præstat ex ipsius hujus *Capitis* vſ. 9. 10. ubi Propheta Judæos ejus ætatis, qua hanc Concionem edidit, appellat *mulieres tranquillas* & *de statu suo securas*. qui character non convenit tempori Achazi, quod totum fere fuit infaustum & turbulentum. Ergo necessario illuc veniendum est, ut statuamus, editam hanc esse Concionem sub Hiskia; sed, ut in superioribus contra Illustrem Grotium defendi, in ipsis Hiskiæ Regis initiis, sive primis ejus annis. quo tempore, ut in antecedentibus sæpe monui, Rex Hiskias in Regno suo nondum solide erat confirmatus; undique obseptus Proceribus magnæ dignationis & auctoritatis, qui Patri ejus Achazo à consilio, manu, aut armis fuerant. Totus Liber harum prophetiarum postulat hanc hypothesin, quæ alias etiam ætati Hiskiæ, & constitutioni rerum illius temporis, optime convenit. Floruit demum Hiskiæ auctoritas Regnique ejus status cum tempore postquam se absolvit à veteris Aulæ ministris, & maxime postquam opem Divinam luculenter adeo expertus est in strage Assyrii. Hoc beneficium Divinæ Providentiæ conciliavit illi auctoritatem apud omnes, affectum Populi sui, & apud exteros existimationem; ipsum vero Regem ad cultum pietatis & justitiæ & veræ Religionis studium ardentius etiam incendit. Historia exerte [e]: *Et exaltatus est coram* OCULIS *omnium Gentium* מאחרי כן POST HÆC. sc. clades Senacheribi. Sic intelligendus est Propheta. Ante hoc tempus res Hiskiæ fuerunt tenues ac modicæ, ut ex ipsa *Rabsakis* oratione facile est colligere [f]. Quo observato, progredior ad meditationem accuratiorem orationis Jesaiæ.

Sed quæ rejicitur. Prophetiæ hæ non sunt editæ sub Achazo.

Achaz non videtur opem petiisse ab Ægyptiis.

Observatum aliud, quod hypothesin fulcit.

Confirmatur ex hoc *Cap.* vſ. 9. 10.

Concio edita est in initiis Hiskiæ.

Regnum Hiskiæ demum floruit post cladem Assyrii.

Primum thema est: הן לצדק ימלך מלך *Ecce secundum justitiam regnabit Rex.* h. e. Hiskias omnem vim auctoritatemque Regni sui cum tempore complexus magis magisque in statu suo confirmabitur, subditisque suis æquum præstabit justumque Regem & Judicem, & laudabile pietatis virtutisque omnis exemplum. quæ omnia latent in voce צדק, quæ non *justitiam* tantum, sed & *æquitatem* notat quæ omnem virtutem comprehendit. *Justitia* enim, ex Veterum dicto, πᾶσαν ἀρετὴν *omnem virtutem* involvit. Dictum cum respectu ad Achazum Patrem ejus, sub quo status Regni plurimum fuit collapsus. Princeps ille ad superstitiones Gentium proclivis & à vero Deo alienatus, ab ipso quoque derelictus, haud dubie gravis fuerat Populo quem juxta secum in tristem conjecit calamitatem. Sententia eadem est quam habuimus de hoc ipso Rege, ut typo Filii Dei, Cap. xvi. 5. *Et constabilietur thronus in clementia, & sedebit super eum in veritate in tentorio Davidis Judex, & persequens judicium, & festinus ad Justitiam.* qui locus, & quæ ad eum commentatus sum, inspicienda & cum hoc nostro conferenda sunt. Eadem laus ejus in historia [g]: *Et adhæsit Jehovæ: non recessit ab eo; & observavit præcepta ejus quæ Jehova Mosi præceperat.* Sic se gessit Hiskias per totum Regni tempus quod exegit; sed non est dubium, quin fides ejus insigne robur adepta sit post singulare illud Beneficium Liberationis quo à Deo ipso publice honestatus est ante oculos omnium Gentium. In phrasi duo hic occurrunt quæ animadversionem nostram merentur. Primum leve ad vocem לצדק, quam hic reddidi *secundum justitiam*, h. e. secundum justitiæ æquitatisque canonem: perinde ac mox למשפט sonat *secundum judicium.* Sed licet etiam vertere, si placet, *in justitia*, ut Hieronymus; sive ut Symmachus, ἐις δικαιοσύνην, *ad justitiam.* sc. exercendam. præfixa enim ל omnes has notationes admittit, & sensus non variat. Alterum penitioris contemplationis est in voce מלך REX, βασιλεύς. Sic scripsit Propheta, cum scripturus videretur, המלך *Rex hic*, vel *Rex ille*, ὁ βασιλεὺς, ut præfixum ה designaret certum *Regem*, sc. Hiskiam. Dici potest, & ego dici patior, illum sic scripsisse, non sane ut videretur de vago aliquo & ἀορίστῳ subjecto loqui, sed ut demonstraret *Regem eximium*, antonomastice sic dictum, ut Moses dicitur נביא *Propheta* [h], & ad ejus exemplum *Christus Dominus* [i]: Euphrates *fluvius* [k], & apud Thucydidem *Rex Persarum*; βασιλεὺς *Rex*, loco ante etiam observato [l], & ipse Messias מלך REX, ἐμφατικῶς [m]. Propheta rursus eodem modo usurpat, Cap. xxxiii. 17. מלך REGEM *in pulchritudine sua videbunt oculi tui.* sed sensu sublimiore, quem ibi indicabo. Certe habuit Hiskias ipse quid in se ἔξοχον *eximium* quo Regibus omnibus Populi Judæi præstare visus est secundum historiam: *Jehovæ Deo Israëlis fisus est; & post ipsum* NEMO EI COMPARARI POTUIT *inter omnes Reges Judæ, ut nec inter Decessores ejus.* Forte tamen Propheta illum quoque absque præfixa ὁριστικῇ sic appellavit, ut illum hac etiam nota distingueret ab Assyrio quem in superioribus appellaverat המלך REGEM ILLUM *cui præparatum erat Topheth* [n]. Personæ dissimiles, & invicem contrariæ, non debebant inter se confundi.

Verba Prophetæ, Cap. xxxii. 1. *Ecce secundum Justitiam regnabit* REX.

Paraphrasis eorum.

Quid hic *Justitia*?

Elogium illustratur ex analogis & ex historia.

Observata ad phrasin. לצדק *secundum justitiam.*

Emphasis præfixæ ל.

Et vocis מלך, non ה cum המלך *Demonstrativo.*

An h. l. sic dicatur antonomastice?

Constructio illa illustrata.

Forte tamen hic contradistincte ad *Assyrium*, respectu loci Cap. xxx. 33.

Quid si vero, licet ad æquitatis justitiæque studium Rex propendeat, improbi sint Principes & Proceres Regni, quorum illo tempore magna erat auctoritas? Addit itaque Vates; ושרים למשפט ישורו *Et Principes secundum judicium principatum gerent.* Potuisset scribere, ut videtur, vocem שרים *Principes*, *Proceres*, absque *præfixa* ל; & tamen non est dubium quin Jesaias, qui nihil frustra scripsit, eo sectatus sit emphasin; cujus tamen fatetur Aben-Ezra sibi non constare rationem hoc aliisque in locis, in quibus hoc *præfixum* redundare videtur, quorum ipse unum, Kimchius hic tria allegat exempla, 2 Sam. iii. 30. *Et occiderunt* לאבשלום לאבנר *Abnerum.* 1 Chron. iii. 2. *Et tertius Absalom.* 2 Chron. xxiii. 11. לאמות *Cubiti quinque.* Sed sunt plura etiam ejus generis ab ipso alibi [o] producta, & à nostris [p]. Idem Kimchius hoc loco scribit, valere *præfixum* לחורות על העצרת, sed proculdubio legendum העצם, ut ipse alio loco: quod est, nisi fallor, ut *specialius demonstret subjectum*, sive *moneat de subjecto* [A]. Sic sensus esset: quod attinet ad *Principes*, ipsi

Emphasis præfixæ ל.

Exempla constructionis similia.

Grammaticorum Hebræorum de eo observata.

---

a Ad Cap. xxx. *b* 2 Reg. xvi. 7. *c* 2 Chron. xxviii. 16. 20. *d* Cap. vii. 20. *e* 2 Chron. xxxii. 23. *f* Jes. xxxvi. 8. *g* 2 Reg. xviii. 6. *h* Hos. xii. 14. *i* Deut. xviii. 28. *k* Mich. vii. 12. *l* Hist. Lib. ii. p. 63. *m* Ps. xlv. 1. Zach. xiv. 16. *n* Cap. xxx. 33. *o* Ad 1 Chron. iii. 2. *p* Glass. *Gr. S.* Lib. iv. Tract. ii. Obs. vi. Coccej. in *Lex.*

A Sic ipse ad Jer. xxx. 12. ad vocem לשברך scribit: הלמ"ד במקום העצם ויסכים זולתה *Lamed litera est loco ipsius nominis, & subsistere posset sententia sine ipsa.* עצם Magistris est *res ipsa*; *persona ipsa*: Nomen *proprium* respectu *appellativi*, vel *substantivum* respectu *accidentium.*

ipſi quoque *Principes*, nimirum certi quos ſc. Vates in oculis habuit. Sed forte rectius in hoc loco ſumitur *incluſive*, quam ſignificationem *præfixæ* hujus Cl. Coccejus docte illuſtravit [a], qui hic vertit, *Et ipſi adeo Principes.* ſed *adeo* eſt *illativum*, & poteſtatem *præfixæ* excedit. Mallem itaque, ut reddidi, *Et ipſi quoque Principes &c.* Intelliguntur autem *Proceres Regni*, & ex iis, ut probabile eſt, plures ſanguine regio creti, quorum hoc nomine שרים *Principum*, Rei *Civili* & *Judiciariæ* præſidentium, & in intimum Regis conſilium admiſſorum, mentio fit in Hiſtoria [b]. Hi vero ita gererent *principatum* dignitatemque ſuam, ut ſecundum juſti ac pii Regis voluntatem officio, in judiciis maxime, fungerentur. Eſt autem credibile, Hiskiam auctoritatem Regni adeptum cum tempore huic rei providiſſe, atque adeo ipſum etiam *Sebnam*, præcipuum Achazi Miniſtrum, à præfectura Palatii removiſſe, & ei ſubſtituiſſe Eliakimum, Virum pium, prudentem, induſtrium, ut ſupra vidimus: ſed præcipue poſt cladem Senacheribi univerſi Regni ſtatum ita ordinaſſe, ut in eo nihil jure deſiderari potuerit.

Præfixa ל recte hic ſumitur *incluſive*.

Quales hic innuantur *Principes*?

Laus illorum verbis Vatis declarata.

Additur illuſtre Regis attributum, ſive potius attributa illuſtria, eodem fere vergentia, à tribus ſimilitudinibus deſcripta, ℣ſ. 2. Primum eſt, *Et erit Vir ut protectio adverſus venum, & latibulum adverſus inundationem.* Hebræa proprie ſonant: *Ut protectio venti, & latibulum inundationis.* quæ non recte accepta hic erroris præbuerunt anſam Paraphraſtæ qui ſub his verbis deſcribi putat *juſtos* temporibus malis *latitantes*, hoc tempore doctrinam liberaliter ad aliorum ſolatium tradituros. Sic enim ea cum ſequentibus componit. Symmachus ſenſum perfecte expreſſit: Καὶ ἔσται ἀνὴρ ὡς ἀποκρυφὴ ἀπὸ πνεύματος καὶ λαίλαπος· *Et erit vir quaſi abſconſio a vento & procella. Genitivus* hic eſt *objecti* & *reſpectus*, apud Hebræos uſu ſatis frequens. Nihil itaque dubii eſt in hac ſententia, niſi quod latet in voce איש *vir*. Propheta ſcripſit: והיה איש כמחבא רוח *Et erit vir ut protectio venti.* quod gemino modo accipi poteſt, vel nimirum ὁριστικῶς & ἐξόχως *inſignite* cum reſpectu ad *Regem*, ut ſenſus ſit: *Et erit Vir ille*, ſc. Rex; vel διανεμητικῶς *diſtributive*, *Et erit quiſque eorum, &c.* h. e. tam Rex quam Principes. Interpretes hic partes faciunt, & non abſque ratione, cum oratio Hebræa & res quoque ipſa utramque interpretationem admittat. Differentia vere exigua eſt, & putavi tamen, illos hic rectius inſtituere qui attributa hæc referunt ad *Regem*; ſub quo ſi quis *Principes* complecti velit, non obnitar. Non videtur enim dubitandum, quin Regi plus honoris tribuere voluerit quam miniſtris ejus; & verba de ipſo accepta emphaſin majorem ferunt quam ſi de ſingulis miniſtris ex æquo prædicentur. Quod autem Vates ſcripſerit איש *vir*, non האיש *vir ille*, hæc mihi ratio eſt quia vocem quod ad formam reſpondere voluit voci מלך, quæ pariter *præfixo demonſtrativo* caret. Eſt itaque איש hic *Vir inſignis*, perſona illuſtris, ſic ἐξαιρέτως dicta, qualis vere fuit pius & ſapiens Rex Hiskias, ut Ennius de Fabio Maximo [c]: *Ergo poſtque magiſque* VIRI *nunc gloria claret.* Is vero dicitur fore *protectio venti* ſive *tempeſtatis* & *latibulum imbris*, α. Senſu communi, quod in genere quidem omnibus ſubditis ſuis, ſed præcipue piis & juſtis hominibus, Prophetis inprimis & Doctoribus Religionis, qui ſub Regno Patris ejus ſuſtinuerant perſecutiones magnatum & vexationes eorum, jus æquum diſtribueret & adverſus oppreſſiones eos defenderet. β. Senſu grandiore, quod ille pietate ſua, fiducia in Deo repoſita, & precibus ſuis Populo Hieroſolymitano *præſidio* eſſet & *latibulo* adverſus Aſſyrium, cujus irruptionem in Canaanæam Vates noſter cum *imbre*, magna tempeſtate effuſo, comparare ſolet. Vide Cap. XXVIII. 2. & confer Cap. XXV. 4. ubi de ea re quantum ſatis eſt, diſſerui. Fere idem eſt, licet circumſtantia variet, quod *Fabius* ille *Maximus*, cujus modo mentionem faciebam, ſuo tempore CLYPEUS *ſit appellatus, quod ejus virtute, ut Poſidonius ait, Romani ab hoſtium impetu protegerentur.* Sic obſervat Vir præclare eruditus [d]. Imo vero Judæi Regis ſui *pietate*, quam ille Deo debuit ut donum gratiæ. Sic de eo hiſtoria [e]: *Et preces fudit Hiskias Rex & Jeſaias filius Amotſi Propheta ſuper hac re*, (blaſphemiis Aſſyriis,) *& clamorem extulerunt cœlum verſus, & miſit Jehova Angelum*, & ſeqq. Alterum eſt, huic cognatum: *ut rivi aquarum in terra arida.* Hebraice: כפלגי מים בצין Videri poteſt Propheta, ſi de ſolo Hiskia hic commentatus eſſet, ſcripturus fuiſſe, כפלג מים *ut rivus aquarum.* Sed obſervandum, α. Hebræos amare *numerum pluralem* in voce פלג, etiamſi commode uti poſſent ſingulari, ut Pſ. I. 3. *Et erit tanquam arbor plantata* על פלגי מים *apud* RIVOS *aquarum.* potuiſſet ſcribere, *apud* RIVUM *aquarum.* β. In terra *ſiticuloſa* non ſufficere unum rivum: certe plus facit ad ſolatium & refectionem, ſi rivi adſint plures & ſparſi. Emblema pulchrum eſt, & ſignificat. α. Regem pium ſic adminiſtraturum eſſe Regnum ſuum, ut ſubditis ſuis omnibus, ſub Regno Patris exhauſtis & ad meliorem Reipublicæ ſtatum anhelis, magnum adferret ſolatium ac refrigerium. β. Eundem non Rectoris modo, ſed & Doctoris functurum officio, procuraturum eſſe ſubditis ſuis omnibus copiam inſtitutionis ſalutaris, & inſtaurata vera Religione hominibus piis ac Verbi Divini reverentibus ſub Paterno Regno anhelis ac defectis præbiturum eſſe amplam materiam conſolationis ſpiritualis, & deſideria eorum juſta hac etiam parte expleturum eſſe. Utrumque vidimus in Exemplo hujus Regis Eliakimo, præfecto Palatii, qui dicitur futurus eſſe in *Patrem incolis Hieroſolymæ & Domui Jehudæ* [f]. Uſus autem eſt Propheta voce שין hoc in loco, ut exiſtimo, ut eo etiam alluderet ad nomen montis *Tſion*, cujus notatio vera ab eodem hoc themate derivanda eſſe videtur. Tertium ſuccedit ejuſdem ſenſus: *Ut umbra rupis gravis in terra ſiticuloſa.* Per *petram gravem* intelligitur *magna*, *ingens*, ut Cap. XXX. 27. *Et incendium eſt* GRAVE. magnum, ingens. Cap. XXXVI. 2. חיל כבד *Exercitus gravis.* magnus, ingens. Sic vetus Poëta [g] qui nunc ante oculos eſt: PETREISQUE INGENTIBUS *tecta.* qui locus hujus noſtri phraſin inſigniter illuſtrat. Significatur enim *ſaxum grave*, (eſt enim ſaxis magnum pondus:) idque *prominens*, ſub quo radiis acuti & acris Solis impenetrabili quis tuto delitescere queat, ut jucundam ejus umbram æſtuante Sole captet. Sic Vates noſter nihil non eleganter & ἐμφατικῶς effert. Eadem vis hic loci eſt in voce עיפה, quam recte vertimus *ſiticuloſam.* ut Interpres Alexandrinus, qui cætera perperam accepit, ἐν γῇ διψώσῃ· Hieron. *In terra deſerta.* Coccej. *In terra vertiginoſa.* Vox עיף de homine uſurpata notat *laſſum*, *fatiſcentem*, & *deliquio* proximum aut *deliquium animi* paſſum, ut vidimus Cap. XXIX. 8. Inde ad *terram* tranſlata notat terram ſterilem, aridam, fatiſcentem, &, ut nos vertimus, *ſiticuloſam*, ut Pſ. LXIII. 2. *terra* ציה ועיף *arida &* SITICULOSA, *abſque aquis*, eſtque adeo notio non *metonymice*, ſed *metaphorice* accipienda. Eſt enim *terra* eadem ratio quæ hominis, qui ut aquis & refrigerio carens fatiſcit ac flacceſcit, laſſus & anhelus; ſic plane *terra* defecta pluvia quam indigaſitit, abſumptis viribus areſcit & veluti deliquium ſubit. Senſus emblematis eſt, ut quiſque videt, pium juſtumque Regem ſubditis ſuis omnibus perfectam præſtiturum eſſe ἀνάψυξιν *refrigerationem*, tum à vexationibus & afflictionibus quibus ſuperiore ætate ſub Achazi Regno & malorum Procerum præfectura expoſiti fuerant; tum reſpectu flagrantis æſtus quo Sol Aſſyrius ipſos percuſſurus & exuſturus eſſet. Expoſui emblema quod ex ipſa voce metaphorica ἀνάψυξις *refrigerium* [h] illuſtratur, ad Cap. XXV. 4. 5. De *Senſu myſtico* mox.

Attributum Regis illuſtre: *Eſſet tegmen adverſus tempeſtatem, &c.* ℣ſ. 2.

Chaldæus verba Prophetæ non recte accepit.

Symmachi verſio laudatur.

Vox איש *Vir*, an hic accipienda *definitive* de Hiskia, num *diſtributive* de *Proceribus*, *&c.*

Prius videtur probabilius.

Rationes illius ſententiæ.

Quare Vates hic non ſcripſerit האיש *Vir ille*?

Locus Ennii.

Quo ſenſu Hiskias hic dicatur *protectio* adverſus *tempeſtatem*?

Attributum illuſtratur ex hiſtoria.

Comparatio Fabii Max. ex Ennio.

Hiskiæ æque ac Jeſaiæ preces Populo profuerunt adverſus Aſſyrium.

Attributum alterum: *Ut rivi aquarum in terra arida, &c.*

Quare hic ſcribatur פלגי in *plurali*?

Emblema explicatur & ad Hiskiam applicatur.

Locus parallelus Cap. XXII. 21.

Tertium attributum: *Ut umbra rupis gravis.*

Quid hic ſit *Rupes gravis*?

Phraſis illuſtratur.

Vis vocis עיפה exponitur, ex themate originario.

Senſus emblematis.

Rex pius Populo præſtaret *refrigerium.*

Locus Act. III. 20.

Con-

---

a In *Lex. Annal.* ℣ſ. 3. b 2 Chron. XXXI. 8. XXXII. 3. c *Fragm.* CXXII *Annal.* d *Hieron. Columna* ad Enn. l. c. e 2 Chron. XXXII. 20. 21. f Cap. XXII. 21. g Enn. *Fragm.* XI *Annal.* ℣ſ. 5. h Act. III. 20.

β. *Prærogativæ* hujus *Status temporis & Regni. Multorum illuminatio & conversio.*

Articulus primus.

Consequens alterum: *Prærogativæ* hujus temporis. Articulus primus: *Illuminatio cæcorum, & attentio surdorum.* ℣. 3.

℣. 3. *Et non* OBSCURABUNTUR (oblinentur) *oculi videntium, & aures audientium attendent*] Tam clara & lucida esset demonstratio gloriæ, Justitiæ, & Gratiæ Divinæ in paradoxo illo eventu prostrati Exercitus Assyrii & Liberationis præterordinariæ Populo Dei procuratæ, nec non in *signis* aliis cognatis, tempore Hiskiæ edendis, qualia manifesta fuerunt in illius Regis sanatione [a], ut qui ante hoc tempus subinde dubii hæserant de cura & providentia Dei erga suum populum, veluti ob oculos eorum objectum esset glaucoma, hoc tempore plane convincerentur de Divina apud Populum suum præsentia & auxilii ejus certitudine ac efficacia, si Populus Deo fideret & defensionem ac salutem ejus animo humili ac pœnitente patienter exspectaret; atque adeo ut ad Prophetarum dicta, exhortationes, convictiones & promissa diligentius attenderent. Certè enim cum sub pio & justo Rege, qualis erat Hiskias, cultu Dei in integrum restituto, & juxta ritum externum celebrato, Senacheribus, Assyriæ Rex, irrumperet in Judæam, eamque desolaret, munitasque ejus Urbes multas occuparet: credibile est, plures judicium suum de ratione & ordine Divinæ Providentiæ erga Populum suum suspendisse, & pios quoque qui supererant, in magnam incertitudinem & tenebras conjectos esse. quicquid autem Jesaias & veri Prophetæ alii, docerent ac clamarent, excitasse Deum hanc tempestatem ad hypocrisin Populi sui castigandam, & expurganda quæ supererant Procerum scelera; adfuturum tamen in tempore ad Populi Hierosolymitani defensionem ac præsidium: credibile, inquam, est, plures has Conciones frigide excepisse, nec ad eas reverenter satis attendisse aut advertisse animum. Sed post hunc glorioſum eventum omnium illustrarentur oculi: celebrarent Divinam providentiam: damnarent incredulitatem & dubitationem superioris temporis: corroborarent se in fide veri Dei: cultum ejus cum zelo obirent, & Prophetarum doctrinas *attente* ac reverenter non *auribus* tantum, sed & *animo* admitterent, quæ vis est vocis קשב *attendere*, constructæ cum notione *aures*. Est enim *animi* proprie *attendere*, ut τῶν ὀφθαλμῶν τῆς διανοίας *oculorum mentis* est *videre*, quales hic intelliguntur *oculi*; intellectus, inquam, & judicii, doctrinas propositas intelligentis ac discernentis, de quo alio loco [b] abunde monui. Verti autem hic recte vocem תשעינה per *obscurabuntur*, significatione vocis שעה petita ex themate שוע, de quo egi ad Cap. VI. 10. & XXIX. 9. Hoc primum *Consequens* est Beneficii illius illustris, quod Propheta in superioribus describerat, & *Adjunctum* Regni Hiskiæ, hoc Beneficio in magnam gloriam evecti. Sequitur alterum, ei affine.

Tempore irruptionis Senacheribi multorum fides de Divina Providentia vacillavit.

Beneficium Liberationis ab Assyrio tenebras fidei objectas plane dispulit, & excitavit studia erga Verbum Dei.

Oculi & *aures* hic intelliguntur spirituales.

Significatio vocis שעה in h. l.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 4: *Multi vespiscerent ab inconsiderantia & balbutie.*

℣. 4. *Et cor festinorum* CONSIDERABIT AD COGNOSCENDUM, *& lingua balbutientium expedita erit ad diserte loquendum*] Quicquid in hac sententia est, est ἐμφατικώτατον: aut licet semper mirer copiam & vim orationis Prophetæ nostri, nunquam tamen satis mirari queam, & prædicare. Sensus utique est, homines præcipitis judicii, qui ante hoc tempus de ratione & ordine Divinæ Providentiæ in dispensandis Gentium fatis & administrando Populo suo inconsiderate judicabant, & sententiam suam de Deo Israëlis ejusque viis vel infeliciter & inconsulte vel hæsitabundi & involute explicabant, hoc tempore cum ex eventu cognovissent, totam hanc Assyrii expeditionem ordinatam fuisse ad fines Deo glorioſos & Ecclesiæ utiles, considerate ac perfecte intellecturos esse vias & ordinem Divinæ Providentiæ, seque ad ea profunde cognoscenda frunito judicio amplius etiam cum voluptate applicaturos esse; ac de virtutibus & viis Dei plane, aperte, diserte, absque hæsitatione ac dubitatione, cogitationes fidemque suam declaraturos, quod quin ita se habuerit post lapsum Assyrii: neutiquam est dubitandum. Rei enim ipsius natura & miraculi magnitudo, se in omnium ingerens oculos; id postulabat. quare hic sufficerit, phrasin Prophetæ percurrere & illustrare. נמהרים proprie sunt *festini*, h. e. præcipitis judicii homines, ἀνόητοι, *inconsiderati*. Occurrit notio rursus Cap. XXXV. 4. *Dicite* לנמהרי לב *festinis corde: Corroboramini. ne timete. ecce Deus vester veniet ad vindictam.* Vitium est, quo nullum aliud inter homines communius, ut per consuetudinem pravam ab infantia contractam fere in naturam abiverit, & difficillimum sit iis etiam qui hunc sibi canonem præscribunt sanioris judicii eumque aliis commendant ac vindicant, eo se exsolvere. Quod si tantum committeretur circa res hominum, suas aut alienas, civiles aut naturales: videri posset tolerabile. Sed cum homines non minus judicare præsumant de actionibus Dei quam suis: (quam facultatem modeste ac prudenter exercitam Deus iis permittit:) inferunt quoque hoc vitium *præcipitationis* sive *festinationis* in judicium suum de viis & actionibus Dei: quod sane imprudenter ac inconsiderate fit. Quare ubi partem operis Dei viderunt, mox judicant de toto antequam nexum & exitum ejus viderint. Ubi pars operis Dei manifesta, pars occulta est & eorum notitiam aut perspicaciam fugit: ex eo quod obscurum est judicant de eo quod manifestum est. Inprimis vero actiones & opera Divinæ Providentiæ ad suos exigunt affectus & utilitates; ingenium Divinum comparant ingenio suo; fines quos ipsi sibi in actionibus suis proponunt, existimant, eosdem debere esse fines Dei. id vero si aliter se habere deprehendant; opus Dei suo præjudicio damnant. Inde jam si sceleratos homines, & judicio suo indignos meliore fortuna, evehi videant ad honores, & scelera sua bonum tempus impune ferre; Ecclesiam aliquandiu violentorum & superborum hostium permitti potestati; homines pios ac Dei reverentes plures cum variis luctari malis & afflictionibus; se excidere spe ad quam jure merito videbantur adspirare, eamque ab inferioribus præripi, & his similia: illi προπετεῖς antequam exitum viderint operis Dei vel prudenter considaverint, causas actionum Divinarum nexumque & ordinem Providentiæ ejus sibi cognitum perspectumque non esse, atque adeo de opere & ordine Divinæ Providentiæ nobis incognito non esse temerarie & inconsulto judicandum; illi, inquam, nihilominus, his postpositis, præcipiti judicio, vel Deum interesse negant rebus hominum; vel statuunt falli hypothesin, quæ illum erga Ecclesiam suam aut cultores suos reverentes ac studioſos peculiari cura versari supponit, cujus generis plures fuisse circa ætatem Jesaiæ qui negabant observari posse peculiarem Providentiam Dei erga Ecclesiam Judæam, jam observavi ad Cap. V. 18. 19. & Cap. XXII. 12. 13. Certe probabile fit, ad famam expeditionis Senacheribi plurium fidem incepisse vacillare, & cum de se ac rerum suarum statu optime sentirent, rationes Divinæ Providentiæ erga Populum suum, dum superbo Principi tantum in eum permitteret, præcipiti judicio improbasse, non animo tantum, sed & ore & sermone liberiore, ut fieri assolet. Sed ipsi hi homines *festini*, *increduli*, præcipites, postquam vidissent gloriam Dei in prostrato Assyrio & Ecclesia sua defensa illustrissimo modo patefactam: redirent ad sobrietatem & moderamen judicii, & quod Vates ait, *considerarent ad cognoscendum.* sic vere vertit Cl. Coccejus phrasin, הבין לדעת quæ hic valde est emphatica. notat, se prudenti judicio applicare ad vias Dei perfecte ac profunde intelligendas. הבין est rem cogitate, prudenter, moderate intelligere, cujus fructus est דעת *cognoscere*, h. e. rem percipere in interiore sua natura & causis. Non itaque illi nunc de sapientia

Phrasis Prophetæ illustrata. נמהרים *festini.*

Vitium præcipitandi judicii.

Quod describitur.

Committitur ab imprudentibus circa actiones Providentiæ.

Quod pro varia specie sua enarratur.

Frequens committebatur à Judæis tempore Prophetæ.

Maxime ad famam Expeditionis Assyrii.

Sed illi tempore liberationis resipiscerent.

Emphasis phrasis, הבין לדעת *considerare ad cognoscendum.*

[a] Cap. XXXVIII. 1. seqq. [b] Ad Cap. VI. 10. XVII. 7. XXIX. 10. 18.

Virtus vitio oppoſita deſcribitur.

Divinæ Providentiæ & rationibus ejus ex eventu edocti, de operibus, viis, & actionibus Dei temere, inconſulto, præcipitate amplius judicium ferrent; ſed ingrederentur in Sanctuarium Dei: acutiore oculo virtutes viaſque Dei earumque ordinem & nexum ſpecularentur: moram darent judicio: caverent ſibi à præcipitatione ac incredulitate, & patienter attenderent exitum, ſecundum Prophetæ noſtri ſcitum [a]: *Qui credit, non feſtinabit.* nec propere judicabit, nec timebit. Eadem autem prudentia regnaret poſtmodum in eorum ſermone. quod Vates noſter pulchre ita effert, fore *ut lingua balbutientium feſtinaret ad diſerte loquendum.* Dicuntur hic *balbutientes*, incondite, imperfecte, & involute loquentes, qui ab aliis interrogati, ut judicium ſuum explicarent de viis Dei erga Populum ſuum, cum reſpectu ad Expeditionem Aſſyrii, illud hæſitanter, imperfecte aut involute enunciarent, dum ab altera parte nollent aperte quicquam dicere quod in injuriam aut contumeliam Dei publice verti poſſet; ab altera tamen parte interiore judicii ſenſu ordinem hunc Divinæ Providentiæ prædamnarent; à quibus proinde hoc animi ipſorum ſtatu exſpectari non poterat clara, liquida, & fiduciæ plena oratio. Loquerentur obſcure, involute, implicite, ut ſolent quorum non eſt ſententia animi libera & liquida, non aliter acſi *balbutirent*, ut quid proprie vellent, clare non intelligeretur. non multo meliores aliis qui ſuſpenſis humeris ſilerent, & ora ſua comprimerent, quos Propheta alio loco [b] *mutos* vocat. Sed nunc, teſtes Divinæ gloriæ & gratiæ, in alios mutarentur homines. *lingua* illorum *ſolveretur*; *aperirentur ora*; nec exſpectarent uſque quo ab aliis interrogarentur de viis Dei, ſed *feſtinarent* ad judicium ſuum declarandum Deique ſui celebrandas virtutes; nec lingua eorum tarde, ut ſolent balbi, ſed *expedite* & *feſtine* declararet ſenſum mentis: quin *loquerentur* זכורו *nitide*, (prop. nitida,) diſerte, caſtigate, eleganter, &, quæ vera vis eſt vocis, *ſplendida* uterentur *oratione*, quæ ipſa quoque genuina Latinorum dictio eſt. Et tamen cave, putes, Prophetam hic directe de oratione ipſa aut orationis ſtructura intelligi velle; etſi ſane cultus eleganter loquendi & ſcribendi Sapientibus Orientalibus forte olim magis curæ fuerit quam ullis Gentium Orbis aliis. Loquitur hic & intelligi directe vult de ſententiis claris, liquidis, nitidis, quibus hæſitabundi olim & increduli animi ſui mentem de Deo, ejuſque virtutibus, viis, operibus, judiciis, perfecte exponerent, ut viderent & ſentirent omnes, *ἐκ τῆ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ ςόμα λαλεῖ· os loqui ex abundantia cordis* [c].

Pariter *balbutientes* diſcerent *diſerte* loqui.

Quinam hoc in loco *balbi*, *blæſi*, ſpirituali ſenſu ſic dicti?

Vitium deſcribitur.

Et illi oppoſita *virtus*, qua quis expedite, libere, eleganter de viis Dei diſſerit.

Verba Prophetæ intelligenda ſunt de *ſententiis*, non de *phraſi*.

Articulus tertius.

Articulus tertius, ℣. 5. 6. 7. 8.

℣. 5. *Non vocabitur amplius* STULTUS INGENUUS; *& avarus non dicetur munificus.* ℣. 6. *Sed ſtultus ſtultitiam loquetur, & cor ejus machinabitur iniquitatem, exercendo hypocriſin, & de Jehova* ERRONEE *loquendo, ut* VACUAM FACIAT ANIMAM FAMELICI, *& ſubtrahat* POTUM SITIENTI. ℣. 7. *Quippe inſtrumenta avari mala ſunt: ipſe ſcelerata conſilia init ad perdendum* MANSUETOS *ſermonibus fallacibus, idque cum* EGENUS JUS LOQUATUR. ℣. 8. *Ingenuus vero ingenua conſulet, & ipſe pro ingenuis ſtabit.*] Clara ſententia verborum eſt; poſt hoc tempus Liberationis ſub Regno pii & juſti Regis res perſonaſque, quæ ſe falſis coloribus oſtentaverant, veris ſuis nominibus appellandas eſſe, veriſque coloribus ſuis apparituras eſſe & in publicam lucem protrahendas: cujus rei ſuperioribus temporibus magna fuerat inopia. Poterant improbi & hypocritæ ante tempus illuſtris hujus Judicii Divini, dum impune graſſabatur Aſſyrius, animi ſui hypocriſin, malignitatem pravitatemque aliquo obtentu & colore tegere. poterant impietati inducere fucum. obſcuras dicere eſſe vias Dei. ſi vere curam gerat Populi ſui; intelligi non poſſe, cur tantum permittat Aſſyrio. ſi Deus probet pietatem Hiskiæ; mirum videri, graviſſimam hanc calamitatem, qua majorem Reſpublica poſt Davidis tempora experta non ſit, in ejus incidere Regnum & tempus. Jeſaiam quidem magnifice & eleganter vaticinari de Liberatione à Deo procuranda Populo ſuo: ſed non eſſe alienum à more Prophetarum ſortes efferre magni ponderis ſententias promiſſorum ac minarum; verum non eſſe ſemper implementorum tantam evidentiam, ut non ſubinde dubitari queat, an non Deus aliquando conſilia ſua mutet; vel eorum exſecutionem in longum differat; vel etiam Prophetæ, ſi ſemper perſuaſi ſatis ſint de revelationis veritate, revelata ſibi facta non ſubinde oratione copioſa præter fas amplificent. Sub hujuſmodi latebris poterat ſe hypocriſis & profanitas animi ante hoc tempus condere; nec videbatur ſpecies plane inhoneſta. Sed hoc tempore profanitas & hypocriſis, latebris ſuis nudata, in lucem protraheretur. Poſt editum enim hoc illuſtre ſpecimen Divinæ gloriæ & veritatis prædictionum noſtri Vatis, ſi qui adhucdum homines hujuſmodi offuciis ſuſtinerent aliorum fidem tentare, aut peſſimi ſenſus de Religione ſigna prodere, & blæſa lingua de magno hoc Opere Providentiæ Divinæ loqui: hi protenus ab omnibus damnarentur ut mali, impii, profani, eorumque ut obſtinatorum & refractariorum commercium à bonis omnibus vitaretur: quin removerentur illi, cura pii Regis, à præfecturis & dignitatibus, quas in Republica gerebant, eorumque locum occuparent alii honeſtatis, ſanæ fidei & pietatis nomine laudati, qui inopes & manſuetos Veritatis Virtutiſque cultores non opprimerent, expilarent, ſpoliarent, & quidem juris obtentu, ut ſuperiores, ſed eos protegerent ac defenderent, ut bonum piumque Magiſtratum decet. Hæc ſumma eſt ſententiæ Prophetæ, *κατὰ γράμμα* acceptæ; hic ordo & nexus. Quæ cum laus Hiskiæ in hiſtoria, ejuſque indoles & pietas, & parallelus locus Cap. XVI. 5. ita ſe habuiſſe, inprimis poſt proſtratum Aſſyrium, quando integram Regni auctoritatem obtinuit, nos dubitare non ſinant: nihil mihi hic ſupereſt, quam ut phraſin Prophetæ illuſtrem. quod orationis ejus ductum ſequutus, per partes exequar.

Poſt tempus Liberationis profi ni nullo co lore ampliu animi ſui profanitatem tegere poſſent, ac proin mox piis cogniti damnaren tur.

Maxime a Hiskia & pi Magiſtrati bus.

℣. 5. לא יקרא עוד לנבל נדיב Prop. *Non dicetur amplius ſtulto, ingenuus.*] h. e. *Stultus non amplius appellabitur ingenuus.* Hieron. *Non vocabitur ultra is qui inſipiens eſt, Princeps.* Equidem verum eſt, vocem נדיב *liberalis, ingenuus*, ſubinde admittere ſignificationem *Principis*, cujus eſt eſſe liberalem, munificum, *ἐυεργέτην* [d]: ſed notio hic oppoſita voci נבל, quæ notat hominem *flagitioſe ſtultum, impium*, profanum, peſſimis imbutum ſententiis de Providentia ac Religione, aliam poſcit ſignificationem. נדיב in hoc loco eſt homo recti animi, & ingenui ſenſus de Religione, ſive, ut Coccejus pie & docte ſcripſit [e]: eſt homo *qui vult & agit quæ hominem bonum & liberum decent, qui bonam conſcientiam amat.* Contra vero נבל *ſtultus* in emphaſi ſic dictus, eſt qui de Providentia Divina profane ſentit [f], quod Grotius hic optime obſervat. Nimirum qui animum inducunt in ſententias profanas, nexum & ordinem omnem Divinæ Providentiæ moroſe & illiberali judicio exagitant: nihil inveniunt quod ſibi arridet: vias Dei damnant ac criminantur, ut ſe in impietate obfirment. contra vero homines recti animi & bonæ conſcientiæ de actionibus & operibus Dei liberaliter judicant. Certos ſe eſſe ajunt de principiis veræ Religionis: iis ſe tenaciter inhærere: ſi quid vero obſcuri ſit in ordine Divinæ Providentiæ; mirandum non eſſe, cum ejus nexum omnem non perſpiciant; atque adeo ſe id quale eſt Deo relinquere ſapientiſſimo Mundi & Eccleſiæ Rectori. Hoc judicium eſt ingenuum, liberale; alterum hominis malæ conſcientiæ & perverſæ indolis, qui quærit ratiocinia prava, ut ſe alioſque ſeducat ad errorem, dum veritatem non amat. Senſus igitur dicti eſt, poſt hoc tempus impios & profanos, qui de Providentia Dei erga Populum ſuum non recte ſenſerant, & impie muſſitarant, (quod huc uſque

Oratio V tis illuſtrat ℣. 5. *Stult non amplius dicetur ing nuus.*

Vox נדיב *liberalis*, *genuus*, quam ſign ficationem obtineat i h. l.

Quo mod hic oppona tur לנבל *Stulto*, *Ne quam*?

Qui deſcr bitur ex mente Scr ptorum Sa crorum.

Ut & iis o poſiti hom nes *ingenu & rectæ me tis.*

Aſſyrii eorum.

Senſus di ti.

Quo modo *profani* ante tempus Liberationis hypocriſin ſuam tegerent?

Eorum ratiociniorum ſpecimina.

[a] Cap. XXVIII. 16. [b] Cap. XXXV. 6. [c] Matth. XII. 34. [d] Luc. XXII. 25. [e] In Lex. ad h. v. [f] Pſ. XIV. 1. LIII. 2.

usque visi fuerant facere specie aliqua prudentiæ veluti qui sibi caverent à credulitate vulgi:) casuros esse de existimatione, & si contra hiscere auderent, agnoscendos esse pro impiis & profanis.

Et avarus non dicetur munificus. Versio Hieronymi notata, & aliorum.

ולכילי לא יאמר שוע *Et avarus non dicetur munificus*] Hieron. *Neque fraudulentus appellabitur Major.* Sane non perspexit sententiam Prophetæ; ut nec alii passim Interpretes qui hic agi putant de *avaris*, proprie sic dictis. Qua enim lingua hominum *avarus* dicitur *munificus?* Non scripsit autem Vates, *avarum* non esse constituendum, ut illi volunt, *Majorem*, δυνάςην, sed non esse *dicendum* amplius & *appellandum*. Accipe igitur, per *avarum* hic stylo Prophetæ intelligi hominem *sordide* & *illiberaliter* de rationibus Divinæ Providentiæ sentientem ac balbutientem; qui nulla utitur liberalitate animi in judicio de ordine viarum Dei perinde ac נבל *flagitiose stultus* quem modo descripsi; contra per שוע *munificum* hominem bonæ conscientiæ & liberalis judicii, qui sententiam expromens de ordine viarum Dei aliquid de *suo* liberaliter dat, h. e. ignorantiam suam fatetur, exiguitatem sensus, & imprudentiam, ut Deo tribuat gloriam, cum *avarus* & *tenax* nihil hac parte remittat, sed *suo* tenaciter inhæreat, ut Deum abneget. Applica sensum ad tempus Hiskiæ ut in sententia *superiore*. altera enim alteram illustrat. Quin Propheta ipse utrumque actutum suis lineis depingit. Primo, נבל *Nequam*, profanum, ℣. 6. inde *avarum*, ℣. 7. quibus opponit נדיב עם *ingenuum*, ex sensu suo, ℣. 8. quæ cursim illustrabo.

Avarus hic mystice significat hominem *illiberaliter* judicantem de viis Dei.

Cui opponitur שוע *munificus.*

Stultus, nequam, profanus, amplius describitur ℣. 6.

Machinatur stultitiam, & iniquitatem.

Verba Vatis declarantur.

Exercendo hypocrisin, &c.

Phrasis דבר אל יהוה exponitur.

℣. 6. *Quia stultus stultitiam loquitur & animus ejus machinatur* (prop. *facit*, exercet) *iniquitatem*] h. e. Homo profane sentiens de Deo & Opere Providentiæ ejus, atque adeo de *Religione* quæ in *Providentia Dei* fundatur, huc ratiocinia & studia sua improbe convertit; in eo se *inique* & flagitiose exercet, ut conquirat ratiocinia quibus infirmiorum fidem de Deo ac Providentia ejus tentet ac labefactet. Alibi, sed latiore sensu, dicitur [a]: דבר תהפוכות *loqui perversa*, iniqua, inversa, in sanam incurrentia rationem. *Exercendo hypocrisin, & de Jehova erronee loquendo*] Sic omnino hic verto phrasin, דבר אל יהוה *loqui de Jehova*, non ut Cl. Coccejus: *Ad Deum, ad Jehovam*. quod hic alienius videtur. Voculam autem על significationem *objecti* sive *materiæ* ferre, satis notum, & aliquotiens jam à nobis observatum est. Sensus est, malevolos hosce censores viarum Dei, etiamsi de Deo *erronee* (prop. *errorem*) *loquantur*, in loquendo & aliorum labefactanda fide eam adhibere speciem & modestiam, acsi verum de Deo sensum nondum plane exuissent. scrupulos igitur objicere; dubia movere; à credulitate nimia alios dehortari; prudentiæ canonem laudare, *Nihil scire*; contradicentes non aperte refellere, sed gestu prodere, se illorum non acquiescere rationibus: etsi interim videri nolint aperte ab iis dissentire. Id est *exercere hypocrisin* & interea de *Deo loqui errorem*. Imo vero de Deo *Jehova*, quæ vox hic non caret sua emphasi. Id enim maxime sibi videntur elegisse orationis argumentum, num ex evidentibus signis liqueat, Deum Jehovam esse solum verum Deum, Rectorem Mundi, eumque sub nomine *Jehovæ* majore cura versari erga Populum Judæum quam erga Gentes. id enim si se ita habeat, paradoxum videri, illum aliis Gentibus majus Imperium prosperitatemque majorem dispensare quam Populo suo, & permittere etiam, ut Populus ille suus ab illis Imperiis afflictus opprimatur. Quorsum vero hæc? Addit Vates.

Senſus dicti Prophetæ.

Quid profani maxime reprehenderint in viis Dei?

Scopus illorum: *Evacuaee animam famelici, & sitienti subtrahere potum.*

Phrasis Prophetæ explicatur.

Ut evacuet animam famelici, & subtrahat potum sitienti] h. e. ut pios avidissime anhelantes & adspirantes ad verbum aliquod bonæ & solidæ consolationis quo se in adversis fulciant & contra ea muniant, & tentationes carnis superent, omni vera consolatione, quæ in adversis pabulum & potus animæ est, privent, ac eam *deficere faciant*, h. e. animæ famelicæ ac sitibundæ subtrahant, eamque plane *exinaniant* (quæ vis est vocis הריק) & *vacuam faciant* ac relinquant. Nihil scribi potuit aptius ac doctius ad fructum studiorum hominum Atheorum, Scepticorum, Dubitantium & Incredulorum secundum veram ejus naturam describendum: quanto molestius tuli, Interpretes quosdam hæc applicare ad Judices & Principes, qui pauperes inique vexando & opprimendo necessario vitæ nutrimento privant. Nihil ejus est in his verbis. Agunt id certe Judices & Principes feroces & injusti, sed agunt Edictis onerosis, oppressionibus iniquis aut sententiis injustis: sed non *exercendo hypocrisin*, & *de Deo erronee loquendo*, aut dubia movendo de Providentia Divina. Res itaque ita se habet, ut jam exponam. Piis & Dei reverentibus hominibus in afflictionibus publicis ac domesticis supereſt Verbum Dei, quod illi credunt veras complecti Revelationes à Deo editas. Olim etiam Verbo Dei juncti erant veri Prophetæ, qui auctoritatem præferentes Divinam exhortationibus & promissis piorum fidem sustinebant. Ex his intelligebant, Deum verum, universi Mundi Rectorem, olim Abrahamum, magnis gravem promissis, ejusque posteros elegisse in Populum; eduxisse ex Ægypto in Canaanæam; circa eos huc usque singulari cura & providentia versatum esse; Ecclesiam à se electam nunquam destituturum; quin contra promissa omnia ei facta licet amplissima certo repræsentaturum; adversa quæ Ecclesiæ in his terris accidunt, ad eam probandam aut purgandam immitti; hostes Ecclesiæ suis temporibus gravi lapsu casuros & exscindendos esse; quin Deum fidentibus suæ gratiæ & promissis in Messia liberatore implendis reservare præmium æternæ felicitatis & gloriæ. Hoc verbum verum, bonum, rationale, ut generat *spem* in adversissimis vitæ casibus: sic unicum est animæ *famelicæ* pabulum; unicus *sitibundæ* potus. Sed hypocritæ profani animi dubia injicientes adversus Providentiam Divinam, omne hoc fundamentum fidei & spei solicitabant, luxabant, subtervertebant movebantque loco; & qui *unicus* supererat *panis* & *potus* animæ, hunc ei *subtrahebant*, atque adeo *animam famelicam* exinaniebant atque evacuabant, ut in afflictionibus hujus vitæ nullum supereſſet verbum bonum quo se consolaretur & fulciret. Quid vero aliud agunt exulceratæ conscientiæ homines, qui de Deo & natura rerum impie philosophantur? Quid enim tandem assecuti sunt, si se & alios vacuos fecerint *omni spe & consolatione* quæ ex Religione & vera Religionis Doctrina unice haurienda est? Si, inquam, dolosa ratiocinatione sibi, ad æternam felicitatem anhelantibus, (quod omni homini proprium:) persuaserint, nullam homini misero post mortem spem supereſſe; eundem esse finem hominis ac brutorum animantium; virtutis & sceleris eadem esse merita; & quæ his similia. Confer quod ad phrasin ex Propheta nostro Cap. XXXIII. 16. XLIX. 10. LXV. 13. Jer. XXXI. 14. Matth. V. 6. Omne verbum & res in quibus est argumentum solatii, est stylo constante Scriptorum Sacrorum *pabulum* & *potus*, *panis* & *aqua*. Omnes in statu afflictionis positi, veræ consolationis cupidi, sunt *famelici* & *sitibundi*.

Ejus elegantia commendatur.

Pabulum & potus spiritualis animæ in adversis & afflictionibus hujus vitæ: præcipue cum respectu ad Judæos.

Verbum Dei ejusque *Historia & Promissa.*

Quod profani suis ratiociniis intervertunt.

Quorum hic est stultorum consilium.

℣. 7. וכילי כליו רעים *Ad avarum vero* quod attinet: *instrumenta ejus mala sunt*] Sordidus & illiberalis censor viarum Dei & Operis Divinæ Providentiæ, qui hic *avarus* dicitur, *pessimis* utitur *mediis* & *subsidiis* per quæ ad scopum pertingat; h. e. ut alios conjiciat in dubitationem erroneam, & fundamentum fidei illorum luxet. Per *media* autem illa & *subsidia* intellige omnem paratum quo impii hi utuntur in aliis seducendis. ut sunt ratiocinia affectatæ subtilitatis dolosa & implicita; oratio & demonstratio fundata in notionibus ambigui sensus; signa fastidii & contemptus, non obscure edita ubi alios de Deo aut operibus ejus operumque ejus rectitudine differentes audiunt; libri etiam per vulgus sparsi, impiæ doctrinæ semina involute complexi, & quæ plura hujus generis. Hæc sunt כלים: *instrumenta*, *paratus*, *armatura*, profanorum. Sic

Avarus mystice sic dictus propius describitur, ℣. 7. *Instrumenta ejus mala sunt.* Quæ describuntur.

[a] Prov. II. 12.

Exemplum ex Tertulliano.

Marcionitæ, Deum in magno & perfecto Opere Naturæ iniquiſſime ſugillando blaſphemantes, ſecundum Tertullianum [a], *narem contrahentes*, *Nimirum*, inquiunt, *grande opus & dignum Deo mundus!* Obſerva, interim, paronomaſiam quæ eſt in affinitate vocum כולי & כילו. Propheta ſe ipſe interpretatur, ubi addit; *Ipſe ſcelerata conſilia init.* Eſt, ut Docti Viri jam obſervarunt, זמה *cogitatum* ac *deliberatum ſcelus.* Nihil autem ſceleratius & flagitioſius eſt, nihil magis impium & deteſtabile, quam alios abducere à *fide in Deum*, quod hic ſubjicitur, *Ad perdendum inopes dictis doloſis, & quidem dum egenus jus loquitur.* Sic proprie ſonant Hebræa, ובדבר אביון משפט Hieron. *Cum loqueretur pauper judicium.* Hic genuinus ſenſus eſt phraſios. Interpretes plurimi, Hebræi etiam, cum ſibi perſuaderent hic de *avaris* Principibus, Judicibus aut cauſſarum Patronis agi, verba in hunc acceperunt ſenſum; avaros illos & iniquos Judices aut cauſſarum Patronos, doloſis ſermonibus pauperes implicuiſſe litibus, eorum fraudandorum gratia, eoſque etiam circumveniſſe, cum *in judicio* illos *alloquerentur*, ſive *interrogarent*, ſive *pro illis* vel *contra* illos *loquerentur in judicio.* quam interpretationem verba non ferunt, niſi duplex admittatur ellipſis, & prior quidem duriſſima. *Egenus* ipſe hic loqui dicitur, non alius *illum alloqui*, vel *pro* aut *contra eum loqui. Loqui judicium*, *juſtitiam*, *æquitatem*, receptiſſima apud Hebræos phraſi (ubi vox דבר cum *nomine quarto caſu* conſtruitur,) eſt loqui æqua, recta, rationi conſentanea, & tribuitur *egenis*, h. e. ut mox dicam, hominibus recti animi, modeſte de ſe ſentientibus, Dei reverentibus. Sic eadem phraſi, Pſ. XXXVII. 30. *Os juſti meditate profert ſapientiam, & lingua ejus* תדבר משפט LOQUETUR JUS. ſc. verum, æquum, rationi conſentaneum. Atqui qui hoc loco dicuntur *juſti*, in eadem hac *Ode*, appellantur ענוים *manſueti* [b], & עניים ואביוני *Pauperes, & inopes* [c]. quæ notiones paſſim alternantur. Alio loco [d]: *Amas malum præ bono; mendacium* מדבר צדק *quam* LOQUI JUSTITIAM. Vates noſter [e]: *Qui juſte ambulat,* ודבר מישרים *& loquitur æquitates.* Contrarium ejus eſt, *loqui* עושר תהפוכות *iniqua*, *perverſa*, *errores*, *mendacium*, תועה שקר נבלה *ſtultitiam* ſive impietatem, quæ locutiones ubique occurrunt, modo etiam obſervatæ, ℣. 6. Ergo ſenſus Prophetæ planus is ipſe eſt quem in *verſione* jam expreſſi; improbos hoſce & illiberales viarum Dei Cenſores, animo atheos & profanos, id agere ut *doloſis ratiociniis* ſolicitent & ſolicitare pergant *animos manſuetorum & inopum*, etiam tum cum illi palam profiteantur, ſe, licet omnem ordinem & συμμετρίαν viarum Dei ſuo non complectantur judicio, adhærere principiis certæ fidei de Divina erga Eccleſiam & veros Dei cultores peculiari providentia, eamque ſuæ fidei ſententiam bonis ſolidiſque rationibus adſtruant. Id eſt *loqui* משפט *rectum*, *jus*, rationi conſentaneum, κατ' ἀντίθεσιν ejus quod Propheta appellaverat *loqui flagitium & errorem.* Appellat autem Dei veros cultores ענוים *manſuetos.* Sic ſcriptum eſt in textu, & forte ſcripſit Propheta; ſed Maſorethæ monuerunt legendum eſſe עניים *pauperes*, ob hanc, ut probabile eſt, rationem, quod Vates de eodem ſubjecto loquens, illud appellet אביון *egenum.* Nihil hic in mutata legendi ratione magni vitii eſt, quia notiones עני *pauper*, & ענו *manſuetus*, ut & אביון *egenus*, ubi de *veris credentibus* agitur, paſſim alternantur in Verbo Dei, & in *Odis Davidicis* ubique ubi homines Dei reverentes ſuis characteribus circumſcribuntur: non modo ob hanc rationem, quod ab impiis, potentibus, audacibus ſæpius opprimantur, ſed & quod modeſte, tenuiter, humiliter, de ſe ſentiant, *pauperes ſpiritu*, & in commercio civili pariter ſe modeſte gerant; de viis & actionibus Dei nunquam ſuperbe & arroganter, ſed circumſpecte ac modeſte, judicent; jus ſuum adverſus alios nunquam rigide perſequantur, ſed potius aliorum violentiæ & audaciæ cedant. Sic nobis hæ notiones jam occurrerunt Cap. XI. 4. XIV. 30. XXV. 3. & recurrent poſtea non ſemel. Horum vero *ſenſum judicii* ut *corrumpant doloſis ratiociniis*, operam dant impii illi & illiberales cenſores viarum Dei. ubi vox חבל *corrumpere* eandem poteſtatem ſignificationis obtinet quam φθείρω in vulgato illo Menandri, quod Apoſtolus ſuum facere non eſt dedignatus [f]: Φθείρουσιν ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί· *Mores bonos* CORRUMPUNT *commercia prava.*

Vox דבר cum *quarto caſu* conſtructa quid ſignificet?

Senſus Prophetæ ex obſervatis productus.

Loqui jus, judicium, h. l. eſt loqui ſecundum dictamen ſanæ rationis.

Voces עני & ענו alternantur.

Inops, manſuetus. Quales illi?

Characteres piorum qui iis deſignantur.

℣. 8. *Sed ingenuus ingenua* (propr. *ingenuitates*, נדיבות) *conſulit, & ipſe pro ingenuitatibus ſtabit.*] Sententia clara eſt, hominem ingenuum, recti animi, bonæ conſcientiæ, veri amantem, ingenue & liberaliter de Operibus, actionibus, & viis Dei atque univerſo ordine providentiæ ejus, quem hypocritæ hi maligni identidem lancinabant, judicia ſua explicaturum eſſe, eaque ſtrenue defenſurum adverſus cenſores hoſce iniquos ac mordaces. Eſt autem יעץ *conſulere* in hoc loco *dicere ſententiam*, ut catechreſtice ſumitur in ℣. *ſuperiore*, in phraſi, יעץ ומורת *conſulere ſcelera.* machinari & meditate proferre ſententias impias, quod Nahumo eſt, יעץ בליעל *conſulere ſceleſta* [g]. Vox autem קום *ſtare* conſtructa cum על, hic valet, *ſtare* pro aliqua perſona vel re, ad eam defendendam, tuendam, vindicandam, ſive vi, ſive verbis, ut Patroni cauſſarum ſolent in judicio. ut Dan. XII. 1. *Michaël, Princeps ille magnus* העומד על בני עמך *qui* STAT PRO *filiis Populi tui.* qui illorum cauſſam agit, eoſque defendit. Prophetæ noſtro alio loco eſt, *clamare pro juſtitia*, & משפט באמונה *ſe judicio committere pro veritate* [h]. Agere patronum cauſſæ veritatis, ſpreto odio & invidia adverſantium. En characteres hominum diverſi generis, quorum diviſa erant ſtudia quandiu Senacheribus Judææ imminebat, eam deſolando & vaſtando. Sed poſtquam Deus dextram ſuam exeruiſſet in Populo ſuo glorioſe vindicando: ingenuorum & piorum cauſſa ut *victrix* ab omnibus quorum fere *pes nutaverat*, paſſim agnoſceretur: maligni hypocritæ qui illo adhuc tempore ſe latebris aliquibus condere poterant, ſuffunderentur pudore; &, ſi qui illorum poſtea ſupereſſent qui à perverſis principiis nollent diſcedere; illi latebris ſuis nudati ac in lucem protracti ab omnibus damnarentur, ac ſcelerati animi meritam luerent pœnam.

Ingenuus his oppoſitus, ℣. 8. *Loquitur ingenua & pro iis ſtat.*

Uſus vocis יעץ *conſulere* h. l.

Notio קום *ſtare* conſtructa cum על *pro* quid valeat?

Loc. Dan. XII. 1.

Sententia Prophetæ applicatur ad Statum Populi Judæi ſub Hiskia.

De SENSU MYSTICO hujus Pericopæ.

Senſus myſticus hujus Pericopæ.

I. Etiamſi in hac *Pericopa* nihil occurrat quod ſecundum canones *Hermeneuticæ* rationalis applicari nequeat ad Hiskiam Regem, Regnique ejus Statum qualem eum fuiſſe novimus vel conjicimus poſt ultionem Aſſyrii: nemo tamen inficias eat, eſſe *Subjectum* analogum cui attributa in majore emphaſi conveniunt; *Regem* nimirum Hiskia illuſtriorem & perfectiorem, hoc eſt, Meſſiam, JESUM, ejuſque Regnum, de cujus Regno Propheta luculenter vaticinatus fuerat Cap. IX. 6. & Cap. XI. 1. ſeqq. etſi ſane Propheta doctus & ſpiritualis, qui intimam naturam Regni Meſſiæ perſpiciebat, Meſſiam ſparſim per vaticinationes ſuas magis amet proponere ſub typo & figura *Doctoris Divini*, Mediatoris, Sequeſtri, Redemptoris, quam *Regis*: haud dubie ut cogitationes lectorum arctius adſtringeret contemplationi veræ naturæ Regni CHRISTI JESU, veri Meſſiæ, Patribus promiſſi. Quam enim difficile ſit hominibus formare ideam *Regni ſpiritualis*, docuit experientia. Sed cum in *Hiskia* videret typum Chriſti Jeſu ut REGIS; in *ſe* vero ut Prophetæ & Doctoris illuſtris, & quidem PROPHETÆ SALVATORIS: utrumque hunc typum inter ſe conjunxit, &, ut occaſio tulit, commendavit. Ratio autem, cur hic ſub *Hiskia* videamus *Meſſiam* Regem, ea eſt quam jam conſignavi, quod verba Prophetæ de *Chriſto Jeſu* accepta perfectiorem & profundiorem ſenſum exhibeant: Prophetæ autem ductum Sancti Spiritus ſequuti

Jeſaias de Meſſia ſæpius vaticinatur ſub figura *Doctoris.*

Ejus rei ratio.

Aliquando utramque notionem *Doctoris* & *Regis* inter ſe conjungit. Fundamentum Senſus myſtici h. l.

---

[a] Adverſ. *Marc.* Lib. I. [b] ℣. 11. [c] ℣. 14. [d] Pſ. LII. 5. [e] Cap. XXXIII. 15. [f] 1 Cor. XV. 33. [g] Cap. I. 11. [h] Cap. LIX. 4.

quuti nihil scripserint, quod non aliquando implementum suum in summa emphasi obtineret. tum præterea, quod *Regnum* Oeconomiæ Veteris, à piis Regibus Davide ortis & ejus vestigia prementibus, administratum, ex institutione sua typicum fuerit & mysticum, in *Regno* Christi perficiendum, ut jam monuimus ad Cap. XVI. 5. qui locus huic nostro parallelus cum eo conferendus est. Et est tamen *Regni Christi Jesu* duplex aspectus; vel mere *spiritualis* & Ecclesiasticus, ut se ostentat illud Regnum secundum interiorem suam naturam in *Regimine animarum* per arcanum ductum & influxum Spiritus S. vel *externus* & *visibilis* in cœtibus credentium, à Ministris Evangelii legitime vocatis secundum disciplinam ab Apostolis constitutam ordine ac decenter administratis. Posterius σχῆμα hic potissimum obtinet, ut ex attributis Regni Christi Jesu, quæ hic occurrunt, mox patescet. Nec tamen in materia satis trita propositum est latius excurrere. Tantum unam hic admitti postulo hypothesin: describi hic Regnum Christi Jesu mystice eo statu quo ipse Satanam à se victum triumphatumque publice demonstraret in prostratis hostibus, Ecclesiam oppugnaturis, & Ecclesiæ suæ à gravi afflictione & metu excidii præstaret *refrigerium*, & obturaret ora omnium malevolorum qui ex afflicto Ecclesiæ statu argumentum ceperant, vel dubitandi de ejus erga Ecclesiam suam providentia; vel aliorum fidem ac spem solicitandi.

Regni Christi Jesu duplex *aspectus*: qui exhibentur.

Hypothesis hic admittenda: Regnum Christi hic describitur quale conspiendum esset post prostratos hostes qui se ei opponerent.

II. *Status* Christi Jesu, post *peractam purificationem peccatorum nostrorum* & *debellatum* in cruce Satanam, est, esse eum מלך REGEM, *antonomastice* sic dictum, longe majore amplitudine & vi significationis quam ulli Principes ac Monarchæ Mundi; Regem summum, perfectum, καθολικὸν *universalem*, omnipotentem, gloriosum, Divinum, cujus *Regnum* verum non est *de hoc* Mundo, sed *spirituale*, *cœleste*, ἀσάλευτον, *immobile*, *æternum*, *Regnum Dei*, quod ipse Ecclesiæ *Rex* idem *Deus esset* [a]. ut ipse *absolute* & *antonomastice* dicitur משיח UNCTUS [b], omnium olim Unctorum ἀντίτυπον. Sic ipse ἁπλῶς מלך REX dicitur Ps. XLV. 2. *Ego dico poëmata mea* (מעשי) למלך *de* REGE. cujusmodi *Regem victorem*, νικάτορα, se publice demonstrat, ubi hostes Ecclesiæ suæ graves ac infestos prosternit eadem dextra & gladio quo Angelus Michaël qui *stat pro Populo Dei* [c] Senacheribum alioisque Populi sui hostes sub Oeconomia Vetere prostravit; quando in *vestimento* & *femore* suo præfert nomen [d]: Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ Κύριος κυρίων· REX REGUM & DOMINUS DOMINORUM. qualem se ostentare Orbi cepit in *Potestatibus* Romani Imperii, à Satana armatis, aliisque hostibus ejus sibi subjectis tempore Constantini, Theodosii, Justiniani, & tractu plurium Sæculorum subigendis ad Ecclesiæ suæ procurandam pacem securitatemque donec *omnia* videat pedibus suis subjecta. *Officium* ejus Regium huic statui conveniens est *regnare in justitia*, tam visibili modo per legitimum Verbi Ministerium secundum canonem æquissimæ Legis Evangelii, quam modo Divino, invisibili & insensili per præmia & pœnas à se via arcanæ providentiæ dispensandas. de quo egi ad Cap. XI. 5. & XVI. 5. coll. cum Ps. LXXII. 1. Quam virtutem homines, licet æqui amantes, ob prudentiæ aut providentiæ defectum, imperfecte, Filius Dei perfecte exercet. Adjunctum ejus: *Et Principes juxta judicium principatum gerent*. Si verba sensu mere spirituali inspicias, recte intelligis cum Veteribus *Apostolos* Christi Jesu, (coll. Ps. LXVIII. 28.) qui in statu Ecclesiæ renatæ *sederent* cum Christo Jesu *in duodecim thronis*, κρίνοντες JUDICANTES *duodecim tribus Israëlis* [e]; (Ecclesiam universam,) omnesque veros Ecclesiæ ἄρχοντας *Rectores* (voce sensu Ecclesiastico receptissimi usus,) τῶν Ἐκκλησιῶν, veros προεστῶτας, & προηγουμένους, qui doctrinam & judicia Apostolorum in omni cura ac regimine Ecclesiæ sibi commissa sectarentur. Apostoli jus scripserunt Ecclesiæ universali, ejusque ordinarunt disciplinam; & hoc ipso tempore in omni legitimo Ecclesiæ judicio præsident, quatenus in iis & per eos loquutus est Christus Jesus, unicus verus Ecclesiæ Judex. Et tamen si *Regnum* Christi hic Oeconomice spectes, ea forma qua conspectum est in Mundo, à quo Imperium Romanum & Regna ac Respublicæ Mundi Filio Dei subjecta fuerunt: nihil vetat hic intelligere *Potestates sæculares*, Reges, Principes, & Judices pios, qui ex principio veræ fidei & reverentiæ Dei jus dicerent & scriberent subditis, conforme præceptis Domini & sanæ rationi, quales designat Vates noster Cap. XLIX. 23. *Et erunt Reges nutritii tui*. quod Apostolus *f*: *Num ignoratis*, SANCTOS (Christianos) MUNDUM JUDICATUROS ESSE. & in Apocalypsi *g*: *Regnabimus in terra*. Impleri cœptum tempore Constantini.

Veri Principes in Regno ejus *principatum gerunt secundum justitiam*.

Quod spirituali sensu in veris Ecclesiæ Rectoribus verat.

Sed Oeconomice in *Principibus* Christianis.

III. Attributum *Regis*, Regnique ejus Status, ℣. 2. *Et erit Vir* ille *ut protectio venti*, &c. Si verba accipias secundum aspectum Regni Christi purum & spiritualem: significat, Filium Dei homini omni per veram & vivam fidem in suam translato communionem præstare *conscientiam consummatam*, *pacem*, *consolationem*, *refrigerium*, *lætitiam*, in mediis tempestatibus Mundi, adversus Ecclesiam sævientis; in medio æstu Potestatum sæcularium eam urentium; in medio calamitatum ei undique ingruentium, quod Dominus ipse unico hoc complexus est dicto [h]: *Hæc loquutus sum vobis, ut* IN ME PACEM HABEATIS. *in mundo oppressionem habebitis. sed confidite*, EGO VICI MUNDUM. Oeconomice vero, (ad quod nos horum ipsorum verborum & præsentis typi meditatio ducit:) docet Propheta, Christum Jesum Ecclesiæ suæ, afflictionibus ipsi destinatis defunctæ, præstiturum καιροὺς ἀναψύξεως *tempora* REFRIGERII [i], à Prophetis omnibus prædicta, quibus vindicata ab injuria, oppressione, afflictione, sub alis Christi Jesu in Mundo tuta & secura delitesceret. Confer Cap. IV. 5. & Apoc. VI. 15--17.

Ille emphatice dicitur esse *protectio adversus tempestatem*.

Spirituali sensu quomodo?

Quomodo Oeconomice?

IV. Consequens ejus primum, ℣. 3. *Et non obscurabuntur oculi videntium*, &c. Attributum, consequens, & effectum verissimum Regni Christi Jesu, quod est *Regnum lucis*, *fidei*, *charitatis*, *hæreditas sanctorum in luce* [k]. cujus subditi omnes sunt πεφωτισμένοι *illuminati* [l]; *ambulantes in luce Dei Jacobi* [m]; & ab ipso illustrati *ad illuminationem notitiæ gloriæ Dei in facie Jesu Christi* [n]. quæ lux Christi tum maxime vim suam exerit, & oculos mortalium perstringit, ubi non tantum veritas per certas solidasque rationes demonstratur ad conscientiam; verum etiam gloria ac majestas Christi Regis se exerit in Judiciis ab ipso ad vindicias Ecclesiæ suæ publice habitis. Idem usus est in Regno Christi Jesu *aurium spiritualium*, tam in discernendis ac dijudicandis doctrinis publice propositis, quam in prompto obsequio præceptis Regni exhibendo, de quo egimus ad Cap. XXIX. 18. XXX. 21. coll. cum Cap. XXXV. 5. Alterum est, quod *cor hominum præcipitis judicii consideraret ad cognoscendum & balbi ac blæsi perfecte loquerentur*. Est verissimum effectum puræ fidei qualis exercetur in statu gratiæ semper conjunctæ cum νοήσει, φρονήσει, ac debito affectuum moderamine, (quam qualitatem laudabilem ubertim explicui ad Cap. XXVIII. 16.) & quæ una docet homines olim imperitos, stupidos, in explicandis rebus spiritualibus hæsitantes, post veritatem Evangelii ex certa demonstratione cognitam ac revelatam majestatem Christi Jesu in mirabilibus Judiciorum ejus effectis, intrepide, prompte, plane edisserere *magnalia Dei* & *enarrare virtutes Sæculi Gratiæ*, mysteria *Regni cœlorum*. *Qui credit, loquitur* [o]. Specimen ejus gratiæ, (figuratæ miraculis, à Christo Jesu editis, quibus *cæcos*, *surdos*, & *mutos*, in integrum restituit,) in prima Ecclesia conspicuum fuit in hominibus inculti ingenii,

Adjunctum Regni Christi est *illuminatio* subditorum ejus.

Et *confidenter attentio animi* ad doctrinam & Leges ejus.

Alterum: *prudens moderamen judicii* in discernendis viis Dei; & facultas de iis sapienter differendi.

Figuratum per miracula à Domino editat.

a Jes. LII. 7. b Dan. IX. 24. c Dan. XII. 1. d Apoc. XIX. 16. e Matth. XIX. 28. f 1 Cor. VI. 2. g Cap. V. 10. h Joh. XVI. 33. i Act. III. 19. k Col. I. 12. l Ephes. V. 18. m Jes. II. 5. n 2 Cor. IV. 6. o 2 Cor. IV. 13.

olim rerum spiritualium ignaris, à Spiritu Divino eum in modum affectis, ut exprompte & libere, & summo quidem cum affectu, de interioribus mysteriis Regni Dei in cœtibus credentium sententias suas explicarint. quam gratiam excepit eruditio varia, ad Verbum Dei illustrandum atque interpretandum parata, in quam se Christianum genus procedente tempore diffudit, sensim & per partes expolienda ac perficienda florente Regni Christi statu. Tertium denique hujus Regni consequens est; *Φανέρωσις Manifestatio & Convictio publica* hominum illiberalis ingenii, qui adhærentes principiis superstitionis Paganæ, (quæ vera ἀθεότης est,) Doctrinam ac disciplinam Scholæ Christianæ rodere, calumniari, & providentiam Dei singularem erga Ecclesiam Judæam antiqui & Christianam subsequentis temporis impugnare nisi sunt, ut recti sensus homines à fide abducerent, de quo Vates ℣. 5. *Non vocabitur amplius stultus ingenuus, &c.* Hi luce Evangelii orta protracti sunt in publicam lucem, eorumque doli & machinationes elusæ; & prodierunt jam *Sæc.* Christianismi *secundo* in hunc campum Justinus Martyr, Melito, Tatianus, Hermias, Athenagoras, Theophilus; & deinceps Tertullianus, Minutius Felix, Origenes: postmodum (cum illustrata gloria Christi Jesu in hostibus ejus publice victis ac triumphatis,) Eusebius, Augustinus, Cyrillus, Salvianus, plures. Discreta itaque turba profana est & agnita suis characteribus; idemque studium nostra ætate, qua *impietas* profanæ sententiæ se audacius extulit quam ullis aliis Christianismi temporibus, exercuit zelum τῶν נדיבים *liberalis & recti ingenii* hominum, à Spiritu Christi Jesu *generoso* motorum; certe sanioris Philosophiæ principiis imbutorum. quæ nunc specimini loco, pro instituto nostro, sufficiant.

Progressus illius gratiæ.

Tertium: Convictio publica impiorum ac profani ingenii hominum.

Maxime post vindicatam à Domino Evangelii sui causam.

Docti Viri qui se in hoc stadio primis Sæculis exercuerunt.

Elenchus Alter hujus Concionis, institutus adversus *Judæos*, demonstrans nexum & ordinem Divinæ Providentiæ erga eos observandæ, cum *temperamento* superioris Promissi ac prædicti.

Pars Prior *Elenctica*.

Articulus primus, Exhibens Fatum *Calamitatis Assyriacæ*.

Elenchus alter hujus Concionis.

Pars ejus *Elenctica*.

Articulus primus.

℣. 9. Mulieres tranquillæ *surgite, audite vocem meam: filiæ securæ aures advertite ad dictum meum.* ℣. 10. Dies ultra annum *commovebimini securæ, quia defecerit vindemia; collectio fructuum non venerit*] Dum Propheta huc usque excurrerat: se ipse veluti reprimit, & cursum suum sistit. Cum enim occasione Vaticinationis institutæ adversus Ephraimitas mentionem fecisset prærogativæ qua *Hierosolymitani & Tsionei Cives* cum *Rege* Deo fidentes gauderent præ *Ephraimitis* Divino auxilio diffidentibus, & lætorum illius prærogativæ *Consequentium* sub Regno Hiskiæ tum maxime temporis insigniter illustrando: poterant sibi profani & hypocritæ persuadere, Prophetam nostrum sententiam stylumque mutasse, & se levi calamitate defunctos, licet transgressionum gravium reos, impune abituros esse. Cum enim alias in Concionibus suis alte tonare soleret, & gravissima mala hypocritis & fœdifragis minari, quales Declamationes Propheticas in superioribus plures habuimus: nunc contra videri poterat Populum Hierosolymitanum jucunda ac delectabili mulcere oratione. Et erat tamen illud longe remotum à sensu Prophetæ, cui fata Gentis in futurum omnia obversabantur. Ergo ne *peccatores & hypocritæ in Tsione*, quos deinceps ita appellat [b], ex hac ipsa prophetia spes conciperent de rerum suarum prosperitate inanes, & argumentum ejus ad suum verterent exitium: Vates noster mox subjicit hunc *Elenchum*, proprie & vere directum ad *Judæos*, eoque exponit ordinem Divinæ Providentiæ erga eos in futurum observandæ, antequam veræ Dei gratiæ participes fieri queant. Beneficia sc. à Deo in ipsos conferenda, quorum Vates in integra hac Concione mentionem fecerat, non esse danda Populo antequam Justitiæ Divinæ esset provisum per animadversionem Judicialem satis severam quam Deus *hypocritis* & fœdifragis destinarat: sed præterito *tempore* זעם *indignationis* Deum cœpturum esse Ecclesiæ explicare divitias gratiæ ac miserationis suæ in Beneficiis, *superiore* Concione *integra* recensitis. Calamitatis autem duos docet fore gradus. *leviorem* alteram (si comparate sumas, cæteroquin ipsam quoque satis gravem,) quam efficeret Assyrius priusquam à Deo prosterneretur: alteram *graviorem* cum Reipublicæ excidio conjungendam, quam in eam inducerent Chaldæi. ut adeo vere hæc pars *Concionis* faciat ad *Pericopam Interminatoriam* de Republica Fœdifragorum & Contemtorum Dei plane subvertenda, Cap. xxx. 13--18. (quatenus ea *Pericopa* ad *Judæos* spectat, ad quos perinde ac ad *Ephraimitas* eam spectare dixi:) clarius certiusque exponendam. quod hic observasse, non est nullius momenti. Monui autem in *Analysi*, Elenchum hunc rursus, esse bimembrem. partem esse *Elencticam*, ℣. 9--14. partem *Paracleticam*, ℣. 15--20. Partem *Elencticam* duos complecti *articulos*, geminam explicantes Calamitatem; alteram *leviorem*, *graviorem* alteram, ut modo præmonebam. Hæc clavis est interpretationis hujus Pericopæ. quam dum Interpretes ad eam non admoverunt, se impediverunt præter necessitatem. *Leviorem* hic exhibeo, ex ℣. 9. 10. ad cujus *intellectum historicum* pauca tantum monenda habeo.

Nexus hujus orationis cum Superiore.

Et Analysis.

Duplex hi describitur *Calamitas*, *levior & gravior*.

Vates in ea compellat *Urbes & Vicos Judææ* sub nomine mystico *Mulierum tranquillarum*, temporum statusque sui securitati fidentium, ℣. 9. iisque denunciat *judicium* duraturum ימים על שנה *dies super annum*. Prius his verbis: *Mulieres tranquillæ surgite; audite vocem meam!* Intelligit *Urbes & Vicos* Judææ quos hoc Judicium Divinum feriret. Sunt hic vere Interpretes qui cogitant de *Mulieribus* sic proprie dictis, & concionis objectum faciunt *Matronas & Virgines nobiliores* Judæi Populi; fastosas illas, lascivas, statusque sui prosperitate & securitate superbas, quales Vates descripserat Cap. III. 16. seqq. Sed sententia hoc loco plane non est ferenda; & nollem Viros doctos, styli Prophetici ac Jesaiani peritos, (inter quos ipse quoque est Grotius,) in clara luce impingere. Equidem absurdum non est, fastum securitatemque muliebrem suis locis comprimi à Prophetis: sed ejus sexus nulli hic comparent characteres. Vates generatim describit Vastationem Judææ, & hoc in loco *Vindemiæ* ac *Messis* defectum, quem nemo sanus dixerit magis ad *fœminas* quam *Viros* pertinere: etsi quid vetat dicere, Oleaster ex hoc loco colligat, *Matronas* hujus ætatis *egregie bibisse*. Chaldæus itaque & Hebræi Intt. hic verum viderunt, intelligi Urbes Canaanææ. Sic Paraphrastes: מדינן דיתבין שליין כרכין די שרן לרוחצן *Provinciæ* (Regiones) *tranquillæ*. -- *Urbes quæ habitamini confidenter*. Hieron. *Quas* (mulieres,) *vel Urbes Judææ, vel Synagogas illius temporis, vel, ut plerique arbitrantur, matronas divitum quondam Populi Judæorum debemus accipere*. Pisc. *Oppida Judææ*. Nihil verius. Mos est Hebræis *Communitates* quasque proponere sub nominibus *Mulierum, Virginum, filiarum*. etenim vox בת in ejusmodi casu notat *virginem*. Sic *filia Babelis, Tsidonis, Tarteſſi, Tsionis, Gallim*, & his similia. Vates Sacer [c]: Filiæ Regum *sunt in preciosis tuis*. Regna, Respublicæ, Populi Regibus subjecti. Alibi [d]: Filiæ Judæ *exultarunt propter judicia tua, ô Jehova*. & apud Ezechielem [e]: *Coram oculis plurium mulierum*. quem locum huc optume adduxit Cl. Coccejus. Ferunt

Prior exhibetur, ℣. 10.

Oratio dirigitur ad *Mulieres tranquillas*.

Quæ phrasis hic non proprie, sed mystice accipienda.

Elenchus hic continet temperamentum superiorum promissorum ad redarguendos hypocritas Populi Dei.

Quod declaratur.

Summa hujus Elenchi.

Chaldæus Intt. laudatur.

Interpretatio Hieronymi.

Intelligitur Communitates terræ Judææ.

Quæ patrum in Sacra venitur nomine *mulierum*.

Ratio ejus metaphoræ.

Scopus ejus.

---

a Ps. cx. 3. b Cap. xxxiii. 14. c Ps. xlv. 10. d Ps. xcvii. 8. e Cap. xvi. 41.

runt autem *communitates* hoc nomen honoris cauſſa, reſpectu *libertatis*, *decoris*, *elegantiæ*, & *formæ* ſpecioſæ qua ſe publice commendant. Addo, *Societatem* omnem (קהלת) quatenus conſtat *conjunctione* & *unione* plurium in idem *Corpus*, cadere ſub conceptum *fœminini*. Si omnino hic per *Mulieres* & *virgines* intelligendæ eſſent proprie ſic dictæ fœminæ: ſic capienda eſſet oratio Prophetæ, acſi ſermone ad eas verſo hoc ſcopo & fine iis exponeret calamitatem futuri temporis, ut ex ea caperent argumentum *threnorum* & *næniarum* quibus cantillandis olim operam dabat ſexus debilior. Certe ſic accipienda eſt ſimilis appellatio apud Jeremiam [a]: *Quin audite* MULIERES (נשים) *verbum Jehovæ, & accipiat auris veſtra verbum oris ejus, & docete filias veſtras lamentum, & quæque alteram threnos.* Sed Prophetam noſtrum id non intendere, patet quia eas hoc loco vocat שאננות *tranquillas* cum reſpectu ad *ſtatum*. Eſt autem mihi in mea interpretatione perinde, an per *mulieres* & *filias* idem ſubjectum intelligas, appellatione mutata ſic dictum; h. e. oppida Judææ; num *Mulieres* de Regionibus, *Filias* de Urbibus; ſive potius illas de *Urbibus*, has de *Vicis*, exponas. Res enim eodem recidit: licet poſtremum probabilius habeam. *Pagi* enim & *vici* Urbibus majoribus ſubjecti, earumque Juriſdictioni obnoxii, ſtylo S. Codicis בנות *filiæ* earum dicuntur, ut notum. Has vero vocat *tranquillas*, & בטחות *ſecuras*, quod eo tempore quo Deus per *Aſſyrium* judicia ſua in Judæam exequeretur, nihil mali metuerent, quod ipſum Propheta clare ſignificat Cap. XXII. 12. ſeqq. Patet etiam inde, quod Aſſyrio in Judæam irrumpente, omnia repererit ad ipſi reſiſtendum imparata, in ipſa quoque Metropoli Hieroſolyma, quod Vates ipſe pariter in eadem *Concione* docet, ℣ſ. 9. 10. atque etiam hiſtoria clare explicat [b]. Eſt autem nobis hoc tempore dubium, unde *ſecuritas* illa animorum concepta fuerit; ſed forte non fallemur, ſi inter alias cauſſas, ex circumſtantiis illius temporis petendas, (quæ nos latent,) ponamus obitum Salmanaſſaris, potentiſſimi Imperatoris, qui Syriam Cavam, Phœnicen, Palæſtinam, & Arabiam confinem plurimum exercuerat: quo fatis functo videtur Hiskias jugum Aſſyrii excuſſiſſe, à filio ejus Succeſſore ob qualemcunque rationem, nobis incognitam, ſibi minus metuens. Has itaque *Urbes* & *vicos Judææ* ſub Achazi Regno miſere turbatas & vaſtatas, ſed ſub Regno pii & juſti Regis refloreſcentes, ſtatuque ſuo præſente ſecuras, jubet *ſurgere* (ſive *reverentiæ* cauſſa, ut ſolebant ad verba Prophetarum [c]; ſive ut eas moneret ſecuritatem, quæ *ſeſſione* adumbratur, excutere:) *& orationem ejus excipere*, per quam de ſtatu ſecuritatis & fiduciæ, mente conceptæ, dejicerentur.

Si ad *mulieres* proprie dictas verteretur oratio; quo ſenſu capienda eſſet? Locus Jer. IX. 19.

Quomodo *mulieres* & *filiæ* hic diſtingui poſſint?

Quo ſenſu hic appellentur *tranquillæ* & *ſecuræ*? Status Judæorum tempore irruptionis Aſſyrii.

Unde illa *ſecuritas* nata fuerit?

Quare Vates eas hic jubeat *ſurgere*?

Oratio Prophetæ dura, ipſis denuncianda, in hunc concepta eſt modum ℣ſ. 10. *Dies ſuper annum commovebimini ſecuræ, quia defecit vindemia; collectio*, ſc. fructuum, *non venit*. Senſus facilis, futurum eſſe, ut ad certum aliquod tempus, quod Vates hic vocat *dies ſuper annum*, Terra Canaanæa non ſane per cœli inclementiam aut aëris vitium, (de quo aliqui hic intempeſtive cogitarunt,) ſed cauſſa vaſtitatis in eam inducendæ ab hoſtibus fruſtraretur ſpem communem incolarum ejus, qui fructibus ejus uberibus & optimi generis non ad neceſſitatem modo ſuam verum etiam ad delicias fruebantur. Vox אסף in hoc loco notat *collectionem* & *comportationem fructuum* quæ fiebat tempore *meſſis*, quam Græci vocant συλλογὴν ſive συγκομιδὴν τῶν καρπῶν, & ſumitur hoc ſenſu ἐλλειπτικῶς pro *collectione* ſive *comportatione fructuum*, Mich. VII. 1. perinde ac אסיף Exod. XXIII. 16. Utraque autem minus reſpicit ad *meſſem vernam*, *hordei*, *tritici*, *frumenti*, quam ad *æſtivam* ſive *autumnalem* quæ dicebatur collectio קיץ *æſtatis* ſive *autumni* quæ incidebat in Menſem Tiſri, quæ erat collectio fructuum autumnalium, *ficuum*, *uvarum*, *olivarum*, *malogranatorum*, & ſimilium arboreorum: quod ut ex inſpectis locis modo allegatis facile colligas, ſic videbis huic ipſi noſtro maxime convenire. Propheta enim hic manifeſte alludit ad collectionem fructuum quorum uſus erat ad delectationem & delicias. ut ſane hanc orationem vertit ad *Mulieres* שאננות *tranquillas*, divites, luxuriantes, h. e. Urbes & Vicos Judææ proſpere, hilariter, ac ſecure ad omnem copiam atque abundantiam paſtos. Hanc *meſſem* & *vindemiam* Vates ait *defecturam* eſſe, dum ea ex ſententia Judicii Divini vaſtanda permitteretur hoſtibus; atque adeo incolas Judææ luxurioſos carituros copia atque abundantia pretioſorum terræ proventuum, cum animi ſui moleſtia ac mœrore.

Oratio ad eas Prophetæ, ℣ſ. 2. qua iis denunciat *Calamitatem*, in perdita *vindemia* & *collectione fructuum*. Quæ cauſſa ejus?

Notatio vocis אסף hoc loco. Reſpicit *Meſſem autumnalem*.

Meſſis hæc deficeret. Specimen Judicii Divini expenditur.

Nihil itaque dubii ſupereſt quod nos hic teneat, niſi quod latet in verbis, ימים על שנה *Dies ultra annum*, quæ complectuntur notam temporis quo judicium hoc Divinum duraret, & à quorum recta vel ſequiore interpretatione vere pendet intellectus hujus Pericopæ. Faceſſiverunt illa ob phraſios inſolentiam Interpretibus negotium: quorum cum diverſæ ſint hypotheſes in hac prophetia exponenda; interpretationem quiſque ad hypotheſin ſuam applicare ſtudet. Sunt qui Hebræa vertunt, *Poſt dies & annum*. Sic Hieronymus, qui eum in modum neceſſe habebat inſtituere, ut verba hæc applicaret ad *Deſolationem Judææ* efficiendam à Romanis. Grotius pariter ad hæc verba adſcripſit, INTRA *triennium*, *ut ſupra Cap.* XXIX. 1. Excidit calamo; *triennium* pro *biennium*, quia cenſet, hanc prophetiam omnino pertinere ad Deſolationem Aſſyriacam, eamque *biennio* ante irruptionem Senacheribi editam eſſe. Sanctius vellet; *poſt annum*. putat enim, *dies ad annum* Hebræis ſignificare poſſe, dies annum complentes, annum facientes. Exiſtimat autem hic deſcribi *Deſolationem terræ Ephraimitarum per Salmanaſſarem*; hanc vero prophetiam *anno* circiter ante illam calamitatem ſive cœptam ſive conſummatam in initiis Hiskiæ vulgatam eſſe. Forerius fere in eandem ſententiam ſcribit, niſi quod inter vulgatam prophetiam & implementum ejus *annum & aliquot dies* interceſſiſſe, ſtatuat. Pariter Doctus Schmuckius noſter, *Paulo poſt*, ſeu *ſuo tempore*. *Indefinite enim loqui Prophetam*, ait, *& tempus excidii ita determinare, ut ſingulis temporibus metuendum ſignificet*. Cætera arbitratur, hic deſcribi *Deſolationem Chaldaicam*. Mirari vere ſubit, qua fiducia Interpretes hunc ſenſum Jeſaiæ obtrudere potuerint. Ne enim nunc de diverſis hypotheſibus ipſorum quicquam moneam, de quo mox videbo: nego plane, phraſin Hebræam hanc interpretationem obtinere poſſe. *Dies ſuper annum* Hebræis non ſignificat, POST *dies ſuper annum*: nec adducitur ab Interr. ullum verſionis hujus documentum vel exemplum. Phraſis ſemper notat *durationem temporis*, ad qualemcunque eventum relati. Si Vates tempus antecedens deſignare voluiſſet, ſcripſiſſet, בימים על שנה *poſt dies ſuper annum*, vel בעוד ימים על שנה *Adhuc diebus ſuper annum*, ſive ימים על שנה ותרגזנה *dies ſuper annum*, ET *commovebimini tranquillæ*, *& ſeqq.* cujuſmodi exempla habuimus Cap. XVI. 14. & XXI. 16. Præfixum hic non poterat abeſſe à voce ימים vel ותרגזנה. Eſt itaque hæc interpretatio precaria ad quamcunque hypotheſin applicetur. Ergo id ſupponendum, deſignari hic tempus *duraturæ* hujus *calamitatis*. Quæritur, quantum? Interpretes qui in tota hac pericopa putarunt agi de una tantum calamitatis ſpecie, eaque infligenda Judææ, cum obſervarent ex *ſequente* ℣ſ. 14. hanc *calamitatem* in *longum* protrahendam eſſe: interpretationem hujus phraſios ad eam hypotheſin accommodant, atque adeo vertunt, *Annis multis continentibus*: per quos intelligunt annos Exilii Babylonici, ut Jun. Trem. Piſcator, alii. Auctor fuit Kimchius; obſervans, in phraſi, *dies ſuper annum*, voculam על *ſuper* idem valere quod עם *cum*, ad exemplum [d]: *Et venerunt viri* על הנשים SUPER MULIERES, h. e. cum mulieribus. Admitto lubens, nec res eſt dubia. Inde *dies cum anno* idem valebit quod *annus cum anno*, *annus*

Duratio hujus Calamitatis: *Dies ultra annum*? Inſolentia phraſios. Diverſæ Interpretationes.

Verſio Hieron. *Poſt dies & annum*. Annotatio Ill. Grotii, & aliorum.

Interpretatio non admittitur. Hebræa phraſis eam non fert.

Tempus hoc eſt *durationis calamitatis*. Quantum temporis hac phraſi deſignetur? An hic explicari queat per *annos multos continentes*? Auctores ſententiæ.

[a] Cap. IX. 19. [b] 2 Chron. XXXII. 2. 3. ſeqq. [c] Jud. III. 20. Ezech. II. 1. [d] Exod. XXXV. 22.

nus super annum, ut sensus sit; non *uno* tantum *anno*, sed *anno post annum commovebimini*, *& seqq.* Quod *tempus* definiturus fluctuat; dubius hærens, an hic respiciatur desolatio terræ Urbisque & Templi destructio per Chaldæos; an Samariæ & Ephraimitidis per Assyrios, & quæ alia. Est certe hæc interpretatio superiore multo probabilior; nec negem ego, phrasin hanc expositionem forte admittere posse, si circumstantiæ eam necessario exigant. Vox enim ימים *Dies*, stylo Scripturæ V. T. subinde *annum* significat [a]; & *annus super annum* posset, si necessitas id flagitaret, plus notare quam *biennium*. Sed dubito vehementer, an ימים *dies* hic *annum* notent, cum *anno* contradistinguantur. Nihil simplicius & probabilius est, quam phrasin hic valere, ut sonat, *plures dies ultra annum*. Forte enim alias scripsisset Vates, שנה על שנה *annus super annum*, ut Cap. XXIX. 1. vel ימים רבים *Dies plures*. Sumitur autem vox ימים *absolute* posita etiam pro *aliquot diebus*, ut inter alia Gen. XXIV. 55. XL. 4. Si quis tamen hic vehementius urgeat significationem *anni*: mox patefiet, nullam habere me rationem hanc notationem vocis in hoc loco fugiendi. Videamus de re tota, & expediamus dubium.

Ad eam *ἐπίνευσιν*.

Dubium, an ימים *dies* hic notare possint *annum*?

Probabilior expositio.

Interpretes hujus Pericopæ Interminatoriæ omnes forte (diversi enim non occurrerunt:) sibi persuaserunt, *unam* tantum eandemque in toto contextu hic describi calamitatem, sive *Desolationem* terræ Ephraimitarum & Urbis Samariæ per Salmanassarem: sive terræ Judæorum per Assyrios, ut Grotius & Ligtfootus quoque [b]; sive ejusdem per Chaldæos: sive ejusdem per Romanos. Prima hypothesis non adeo multos habet sectatores, & suscepit tamen ejus patrocinium Sanctius, sed refragante toto *contextu*, cum ℣. 14. attributa *Urbi* subvertendæ magis conveniant Hierosolymæ quam Samariæ; & Propheta *terminum* Desolationis designans subjungat ℣. 15. *donec effundatur* SUPER NOS *Spiritus ex alto*. ubi manifeste innuit, se de *sua* Gente proprie sic dicta loqui. Ne jam dicam, *nexum* orationis, quem modo indicabam, ei favere sententiæ quæ Pericopam de *Judæis* capiendam supponit, sive affligendis per Assyrios, sive per Chaldæos, sive per Romanos, de quo mox ad ℣. 11. disseram. Verum singulæ hypotheses suis gravantur dubiis. Grotii quidem illa & Ligtfooti, quia vastatio per Assyrios inducta in Judæam, intactam reliquit Hierosolymam, de cujus subversione agitur, ℣. 14. & eodem loco *futura* dicitur esse לעולם *in tempus longum*, & in universum describitur ut *vastatio* perfecta ac plenaria: quæ attributa non conveniunt calamitati sive populationi Assyriacæ. Transi itaque, si placet, ad Calamitatem Chaldæam aut Romanam, & ne sic quidem te liberaveris omni difficultate. Quæris enim, quomodo cohæreat nexus hujus *Pericopæ* interminatoriæ cum *oratione superiore*, qua descriptum fuerat *Regnum prosperum Huskiæ?* quare Propheta à conspectu ejus Regni nos mox ducat ad contemplationem Calamitatis Chaldææ vel Romanæ? Deinde, quomodo temporibus illarum Calamitatum quadret illud, ימים על שנה *Diebus super annum?* Id enim minus est quam de tempore harum *Calamitatum* dicendum videbatur. Dici ad has difficultates expediendas aliquid potest, fateor: sed vel coacta sunt quæ à quibusdam adferuntur, (quale quid illud est Cl. Cocceji hoc *tempus* Prophetæ comparantis cum *tribus annis ut sunt anni mercenarii*, Cap. XVI. 14. per quos intelligit *triennium* à Romanis impensum excidio Reipublicæ Judææ:) vel saltem ita se habent, ut liquidius aliquid desideretur. quod existimem, me demonstrare posse. Prophèta in *Pericopa* hac *Interminatoria* non describit unam Calamitatem Judæis obventuram; sed duas, alteram leviorem, Assyriacam; graviorem alteram, sc. Chaldaicam, perinde ac instituerat Cap. XXII. 1. seqq. & XXIX. 1. seqq. Ideo *bis* compellat Urbes & Vicos Judææ. Pertinet itaque *prima* hæc *appellatio & denunciatio* ad Calamitatem Assyriacam: altera ad Chaldaicam. Nihil facilius, & genio Vatis nostri convenientius; præstatque hoc unum observatum verum nexum orationis, (quem supra indicavi,) & perfecte expedit dubia quæ diversas sententias gravant. En itaque characteres Calamitatis Assyriacæ in his verbis. Primus est, desolatio & vastatio Judææ quæ Judæis interciperet *Messem autumnalem*, vindemiam & collectionem fructuum æstivorum. Hic verus est character Assyrii Senacheribi. Fuit magnus *vastator Gentium*, ut eum Hiskias in Oratione ad Deum depingit [c]; & Propheta noster plurium sententia Cap. XXXIII. 1. Ingens exercitus quem Assyrius per Judæam duceret in Ægyptum, mox ex Ægypto rediturus in terram Judæam, magnam per agros, vineas, arboreta, instituit populationem, fructusque exspectatos perdidit aut consumpsit, idque *inopinato*, ut supra monui. Sic defecit *vindemia & collectio* non venit. Est autem mihi probabile, Senacheribum in Judæam venisse cum numerosissimis Copiis suis *æstate*, primæ messis *collectione* jam facta; sed tum mox properasse in Ægyptum. Alter character est *duratio* hujus *Calamitatis*, quam Propheta definit per *dies* super *annum*, vel, si vis, *annum super annum*, h. e. biennium. Disputavi supra adversus immortalis memoriæ & meriti Virum, Jacobum Usserium [d], Senacheribum non *triennium* (ut ὁ πάνυ vult,) sed *annum* & forte quod excurrit, in oris Syriæ, Phœniciæ, Ægypti triviisse, adeo ut *duorum annorum* corruperit vindemias. Etiamsi enim ante vindemiam anni secundi à Deo prostratus fuerit: *devastatio* tamen in *vineis & arboretis* facta fructus quoque *anni secundi* intervertit. Insequens autem annus fuit *Sabbathicus*. ut Assyrius probabiliter aliquot diebus supra annum in Expeditione consumpserit. Nihil hic à nobis disertius tradi potest quam quod Historia Sacra ipsa exhibet in verbis Jesaiæ ad Hiskiam [e]: *Et hoc vobis erit signum. Comedetis* HOC ANNO *sponte natum*, *&* ANNO SECUNDO *sponte renatum. sed* ANNO TERTIO *seminate & metite; & plantate vineas, & comedite fructum earum.* Patet, justam satis fuisse caussam *commotionis*, cum Judicium hoc per se satis grave esset, & gravioris judicii prænuncium. Est præterea *corruptio vindemiæ* symbolum auferendi gaudii & hilaritatis, caussarumque ejus, de quo vide Cap. XVI. 7.

Assyriacam leviorem: *Chaldæam* graviorem.

Character Desolationis Assyriacæ, *Corruptis Messis*.

Qua anni tempestate Assyrius in Judæam venerit?

Quantum temporis ibidem hæserit?

Locus Cap. XXXVII. 30.

Corruptio Vindemiæ auferendi gaudii.

Hypothesis quæ integram hanc prophetiam refert ad *afflictionem temporis Hiskiæ*, conciliari nequit cum contextu.

Nec commode applicatur tota ad Calamitatem Chaldaicam, vel Romanam.

Rationes sententiæ.

Articulus alter, Exhibens Fatum Calamitatis Chaldaicæ.

Articulus alter Fatum *Calamitatis Chaldaicæ*.

℣. 11. *Trepidate tranquillæ: commovemini securæ: exuite ac nudate vos, &* CINGITE saccum *ad* LUMBOS. ℣. 12. PROPTER UBERA PLANGUNT: *propter agros desiderabiles; propter vites frugiferas.* ℣. 13. *In terra populi mei spina sentis ascendet: quin imo super omnes domus gaudii; civitatem exultabundam.* ℣. 14. *Nam* PALATIUM *missum factum est: turba Urbis derelicta:* CLIVUS (Ophel,) *&* EXPLORATORIA SPECULA *erunt pro speluncis in seculum; gaudio onagris, pascuo gregibus*] Altiore tono incipit & procedit hæc oratio quam superior, quod videlicet Calamitas vastandæ terræ & ipsius Urbis Hierosolymæ, hic descripta, longe gravior esset superiore. Est autem Calamitas Chaldaica, quæ hic veris lineis suis pingitur, ut evincam, simulac phrasin Prophetæ expendero. quod ita exequar, ut ductum orationis ejus presse secter. Est enim in phrasi quod illustrari meretur. חרדו שאננות *Trepidate tranquillæ*] Videbatur constructio postulare, חרדנה vel חרודנה, ut modo ℣. 9. קמנה שמענה: sed aptat Vates *terminationem masculini* voci *debilioris generis*. Ratio petenda est ex hypothesi quam modo jeci, sc. Prophetam per *tranquillas* non intelligere hoc loco *mulieres* tantum, ex sexu cognitas, sed incolas Canaanææ, Urbesque ac Vicos Judææ: ut recte notavit Kimchius. Est autem *trepidatio* ex graviore malo

Argumentum prophetiæ.

Phrasis illustratur.

Animadversio Grammatica ad vocem חרדו.

Clavis veræ expositionis.

Propheta hic non *unam*, sed *duas* memorat Calamitates.

---

[a] Ut Exod. III. 10. Lev. XXIII. 29. & multorum sententia probabili Gen. IV. 3. [b] *Chron. Temp. & Ord. Text.* Ad A. M. 3294.
[c] Cap. XXXVII. 18. [d] *Anacr.* Cap. XX. §. IV. [e] Isa. XXXVII. 30.

malo imminente, vel graviſſimi mali metu, quale eſſet excidium in Rempublicam & terram inducendum à Chaldæis. רגזו בטחות *Commovemini confidentes*] Vox רְגָזָה, ut & ſequentes, פַּשְׁטָה עֹרָה חגורו, cujus formæ ſint, diſceptant Grammatici, *Imperativi*, an *Infinitivi*. Si poſterius obtinet; omnino ſtatuendum eſt, *Infinitivi formam* hic pro *Imperativi* uſurpari ut ſæpe alias, quando ſub *Infinitivi forma* latet *Imperativus* modus, ut *commoveri, nudari*, ſit; *commovendo commovemini, nudando nudamini*. Sic litera ה in רגזה eſſet *paragogica*. Sed nullus dubito, quin prior ſententia hic admitti debeat, & רגזו hic *contracte* ſcriptum ſit pro רגזוה, eliſa litera ה. Obſervat Kimchius triplicem dari Imperativi formam; unam quidem perfectam, imperfectas duas, in quarum altera elidatur ה *finale*, ut v. gr. pro רגזה ſcribatur רגז; altera ו, ut in hoc loco רגזו. Nec tamen producit exempla hujus generis. Unum Doctus Grammaticus, de hac re dubie diſſerens, adſert ex Paraphraſi Chaldæa Jer. IX. 20. ubi eſt שמעא pro שמעוא. Imo vero vocem רגזו hic eſſe *formæ Imperativi*, ut & *tres notiones verbales* ſubſequentes, Maſorethæ nos ſua *punctatione* docuerunt. Si enim ה eſſet *paragogicum* ex analogia ſignari debuiſſet רְגָזָה vel רַגָּזָה, *accentu fixo* in *ultima*: non ut hoc in loco, רָגְזוּ, פָּשְׁטוּ. Moſes Haccohen accepit *quatuor* hæc *verba* pro *nominibus verbalibus*: ſed ſententia eſt coacta nec συντακτικῶς procedit. noſtra facillima. *Exuite vos & nudamini, & accingimini ſuper lumbos*] Servatur ubique proprietas allegoriæ parabolicæ, ſecundum quam Propheta hanc orationem formavit. Introducuntur hic matronæ nobiliores, elegantioribus indutæ veſtibus, quæ jubentur ſe *veſtibus exuere, nudare*, & *ad lumbos accingere* ſc. ſaccum, ut ſe componerent ad luctum. Hæc ſimpliciſſima eſt fictio Prophetæ, quam tamen aliter accepit Cl. Coccejus. *Pergit*, ait, *trepidationem denuntiare, & quidem ut ſubitam, tanquam ſi in nocte ſuperveniat malum, jubet veſtes ponere, & vigilare vel excitari, ut exiliendum ſit ex lecto, & non quidem veſtes induendæ, ſed vix lumbi tegendi propter fugam.* quæ neutiquam ſunt facilia & expedita, vel forte à me non perfecte intelliguntur. Si enim malum Matronis hic de nocte denuncietur nondum veſtibus ſuis exutis, ſed adhuc vigilantibus, eædemque excitentur ad fugam propere capeſſendam: fruſtra jubentur ſe exuere veſtibus, & nudare, cum veſtitæ rectius & honeſtius ſe conjicere poſſent in fugam, abſque interpoſita mora, in ejuſmodi caſu noxia. Si autem oratio dirigatur ad fœminas quæ de nocte jam cubitum iverant, tanquam quæ *excitentur ad fugam:* fruſtra illæ quoque jubentur *ſe nudare* aut ſe *exuere veſtibus* cum eas jam depoſuiſſe ſupponantur. Sed in verbis Prophetæ nulla mentio eſt excitationis ex ſomno; nec erat vox עורה hic vertenda per *excitamini*, ut Vir Doctiſſimus inſtituit. Etiamſi enim formata ſit ad analogiam vocis עור: adſciſcere tamen hic ſignificationem affinis ערה *nudari*, totus contextus evincit. Quæ hic excitantur: excitantur ad planctum, ad quem qui ſe componebant, ſolebant ſe *veſtibus* ſuis honeſtioribus & laxioribus, (quales imprimis erant veſtes *muliebres*, h. e. ſtolæ,) *exuere, nudare*, & *ſaccum*, h. e. arctiſſimam tunicam, ex viliore materia compoſitam, *ad lumbos* adſtringere. Sic apud Prophetam noſtrum [a]: *Age & ſolve ſaccum à* LUMBIS TUIS. Jeremiam [b]: *Super* LUMBOS *eſt ſaccus.* Amoſum [c]: *Et ego adducam* על כל מתנים שק *ſuper omnes* LUMBOS *ſaccum.* Ipſum vero *ſaccum*, (quem alibi [d] deſcripſi:) hic non memorat Propheta, quod ex phraſi ipſa ſatis intelligi poſſet. Erat enim ſtrictior & ex craſſiore materia compoſita veſtis utriuſque ſexus hominibus tempore graviſſimi luctus & calamitatis communis, & maxime oppoſita fluxis laxiſque ac luxurioſis veſtibus, ſtolis palliſque ſexus debilioris. Sic Propheta noſter, Cap. III. 24. in interminatoria Declamatione qua luxum muliebrem perſtringit: תחת מתגיל מחגורת שק *Pro laxiore toga cinctura cilicii.* & Joël [e]: *Ejula ut virgo* מחגורת שק *cincta ſacco.* Erat ſtatus Judæi Populi ſub Joſia, pio Rege, ſatis florens; & licet Prophetæ ſuis interminatoriis vehementer tonarent, videbatur tamen Populus illo tempore refloreſcens ſibi polliceri poſſe ſecuritatem longi temporis: quando cum infelici hujus Regis lapſu ſubitaria facta eſt rerum omnium immutatio, & *tranquilli, confidentes, divites, ſecuri*, rerum ſuarum ſtatu ſuperbi, (quas notiones omnes nobis ſubjiciunt voces שאננות & בוטחות,) vocati ſunt ad *luctum, planctum, jejunium, cilicium*, properante ſenſim die magni Judicii quod Deus exequi ſtatuerat, & ſe à longo executurum dixerat, per Chaldæos.

ỳs. 12. *Propter ubera plangunt: propter agros deſiderii; propter vitem frugiferam*] Argumentum luctus & humiliationis hic exhibetur, idque *duobus commatibus ſequentibus* continuatur. Eſt vero ingens calamitas, Judææ Genti obventura, in vaſtanda terra, latam ſegetem & luxurioſum proventum fructuum deſiderabilium producere ſolita; Urbium terræ & ipſius quoque Hieroſolymæ, perditione ac incendio; & everſione Reipublicæ, eaque longum tempus duratura. Procedit autem oratio Prophetæ, ut ſolet, per gradationem, & à levioribus, (quæ tamen ἁπλῶς ſumpta, ipſa quoque ſatis erant gravia,) ad graviora aſſurgit. Mala enim hæc omnia quendam faciunt cumulum: unum alteri implicitum eſt; unum gravat & ſuſtinet alterum. In hac parte ſententiæ, ſi κατὰ γράμμα accipiatur, nihil eſt quod nos moretur præter id quod in initio ejus legitur: על שדים סופדים *Propter ubera plangunt.* quod videtur obſcurius. Hieron. *Super ubera plangite.* Sequutus eſt τὰς ὀ. Καὶ ἐπὶ τῶν μαζῶν κόπτεσθε. quod idem ſonat. Sed Hebræa conſtructio non fert hanc interpretationem. Non legitur apud Prophetam, forma *Imperativi*, ספדו vel ספדנה, aut ex ſtructura hujus loci ספדה: ſed ספדים *plangentes* ſive *plangunt.* Schema orationis hic à Propheta mutatur, quod ubique agere ſolet elegantiæ cauſſa. Cum incolas Judææ excitaſſet ad teſtificationem luctus graviſſimi: mox, variata orationis figura, eos hic digito monſtrat veluti præſentes qui plangunt ob terræ vaſtationem, quam protenus deſcribit. Quæritur igitur, quid illud ſit, *plangere propter ubera?* Certe cum Intt. aliqui non clare perſpicerent, quid ſibi hæc verba vellent; cogitarunt de nova eorum verſione. Et Lutherus quidem vertit [f], *propter agros.* quod ſatis commodum eſſet, ſi Hebrææ Linguæ ratio id permitteret. Vox שדים legitur ſecundum Maſorethas cum ש *adſpirato*, non cum *leni*, quale poſtulat vox שוה. Dein punctata vox eſt cum terminatione *duali*, non שָׁדִים, ſed שָׁדַיִם. Si abſque punctorum notis legantur verba: ſententia pulchre exit, grata & Prophetæ noſtro non inſolita reſonantia: *Propter agros plangunt: propter agros deſiderii, & ſeqq.* Sed Intt. Alexandrinus & Chaldæus ipſi quoque hic legerunt שָׁדַיִם *ubera*, atque adeo nihil hic mutare ſuſtineo. Cl. de Dieu ſubjecit, verti poſſe; *Propter ubera plangentia*; ut שדים סופדי idem ſit quod apud Hoſeam [g]: שדים צומקי *Ubera arentia.* quod plane eſt coactum. *Ubera*, ſive rectius *pectora*, dici poſſunt *plangi*, feriri: (quæ vera vocis notatio eſt antiqui uſus:) ſed non, *plangere.* Coccejus: *Tundunt ubera.* quo etiam ſpectat annotatio Grotii. Deprehendi quoque apud Jarchium: סופדי יטפחו על לבם *Plangentes*] *Cor ſuum* ſive *pectora ſua feriunt.* Facillimum videtur ad ſpeciem, ſi phraſis id ferre queat, quod vere dubium. Vox על conſtructa cum ספר ubique, quod ſciam, notat cauſſam luctus. ut Jer. IV. 8. על זאת אספדה *Propter hoc plangam, & ejulabo.* Zach. XII. 10. וספדו עליו כמספד על היחיד *Et plangent propter ipſum, ut planctus*

Sunt forma Imperativi.

Sententia Moſis Haccohen.

Cinctura lumborum hic pertinet ad ſaccum.

Coccejii ſententia non admiſſa.

Rationes quædam ei oppoſitæ.

Mulieres hic non excitantur ex ſomno, ſed ad planctum.

Tempore luctus ſolebant ſe exuere veſtibus honeſtioribus.

Opponitur hic ſaccus ſtolis togiſque muliebribus, veſtibus laxioribus.

Quomodo conveniat appellatio Statui Populi Dei circa tempus imminentis Calamitatis Chaldaïcæ?

Argumentum luctus, ỳs. 12.

Quod in genere exhibetur.

Quid ſit plangere על שדים *propter ubera?*

Animadverſio ad Verſionem Hieronymi.

An verba non rectius vertantur, propter agros?

Lutheri expoſitio.

Ἐπίκρισις.

Lectio Maſorethica vocis שדים *hic videtur genuina.*

Lud. de Dieu obſervatio neglecta.

Verſio Coccejii.

Ad eam animadverſio.

Phraſis ספר על *cum quid valeat?*

a Cap. XX. 2. b Jer. XLVIII. 37. c Amoſ. VIII. 10. d Ad Cap. III. 24. XX. 2. e Cap. I. 8. f Apud Schmid. g Cap. IX. 14.

Ctus est propter unigenitum. Accedit, voculam עַל mox bis repeti significatione *caussæ impulsivæ*. Non memini etiam, in luctu & planctu *ubera* dici *tundi* sive *plangi*. Mollis enim cum sint substantiæ, respuunt ictus. *Ubera, mamma*, tempore luctus dicuntur *lacerari, laniari*; *Pectus* vero *tundi*, ut in Parabola Publicani *a*: Ἀλλ' ἔτυπτε τὸ στῆθος αὐτοῦ. Et deinceps in Historia Domini *b*: Τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη. Græci una voce vocarunt στερνοτυπίαν. Hesychius: Στερνοτύπτης. ὁ τὸ στῆθος τύπτων. Si tamen omnino hic admittendus esset sensus; (quod quidem ego non putem:) statuenda hic esset ellipsis vocis סוֹפְקִים *percutientes*, ferientes, ut sensus sit: *Lamentantes, ferientes ubera*, acsi Hebraice scriptum esset, סוֹפְרִים כַּפִּים עַל שָׁדַיִם Hujus enim vocis סָפַק proprie ea vis est quæ Latinæ *plangere, ferire, percutere*, ut apud Jeremiam describentem gestum pœnitentis *c*: סָפַקְתִּי עַל יָרֵךְ *Percussi femur*. Sunt qui per *ubera* hic *synecdochice* liberos & quidem *filios* designari putant, quos bello interemptos plangendo lugerent matres, de quibus, ut mox monebo, oratio continuatur. Sic Sanctius, adducto loco Gen. XLIX. 25. & Hos. IX. 14. & ante illum Pellicanus, Vir doctissimus. Alii *luctum propter ubera* exponunt de *caritate annonæ*, qua fieret, ut ubera matrum marcesserent. Kimchius: עַל שְׁדַיִם שֶׁהִיוּ צוֹמְקִים מֵהָרָעָב *Propter ubera* sc. *marcida ex fame*. Sequuti sunt plures. Piscatoris sententia est peculiaris, minime prætereunda, per *ubera* hic intelligi *agros & vites, quæ sint veluti duo ubera ad alendum incolas*. sic enim Prophetam ipsum metaphoram mox interpretari. Non est meditatio plane spernenda, nec tamen solida. *Agri & vineæ* vere sunt ubera *terræ* sive *regionis ipsius*, ex quibus *uberibus* populus alitur: sed non sunt *ubera* ipsius *Populi* qui hic metaphorice proponitur sub figura *matrumfamilias*. Agri, inquam, vineæ, montesque & colles frugiferi sunt *ubera* terræ; non *hominum*, sive *populi*. Quid plura? Vates per *ubera* quæ materiam luctus gravis & lamenti præberent, hic concinne intelligit Matresfamilias lactantes tenellos suos, ab uberibus pendentes, quarum hoc tempore calamitatis communis esset luctuosissima conditio. Dominus Jesus in describenda calamitate Hierosolymitana id perfecte explicat, apud Matthæum *d*: *Væ autem gravidis καὶ ταῖς θηλαζούσαις & LANCTANTIBUS per illos dies*. Pariter Dominus, à cruce pendens, videns mulieres *plangentes & lamentantes*, oratione ad eas versa *e*: *Filiæ Hierosolymæ, ne flete super me, verum super vobis ipsis & liberis vestris: nam ecce venient dies quibus dicent, Beatæ steriles, & uteri qui non genuerunt, καὶ μαστοὶ οἱ οὐ ἐθήλασαν· & UBERA QUÆ NON LACTAVERUNT*. Respexit, ut arbitror, tum ad locum hunc nostrum, tum ad parallelum Hoseæ *f*: *Da iis, Jehova! quid vero dabis? Da iis uterum abortientem, & UBERA ARESCENTIA*. Sensus loci, nullum ejus tempore calamitatis beneficium majus moderaminis Divinæ severitatis dari posse, quam ut matresfamilias nullos gignerent & lactarent liberos, quippe quarum conditio esset illo in casu maxime miseranda. Jeremias in *Threnis g*: *Adhæret lingua lactentis palato suo præ siti*. sed hoc nostrum generalus est. Est enim Matris lactantis in omni calamitate publica sors tristissima. Sic constat sibi, ut puto, sensus Prophetæ, ubique perfectus. Præter quæ duo adhuc observabis. *α*. Vatem nostrum vocem שָׁדַיִם hic lubentius adhibuisse, ut locum faceret eleganti paronomasiæ, quæ hæret in vocibus *consonantis soni* sed *differentis sensus*, שָׁדַיִם *Schadaim, Ubera*, & שָׁדִים *agri*. Sic enim ipse hic format *terminationem pluralem*, non שׂדות, quæ ipsa quoque *terminatio* usu recepta est. *β*. Scribere illum, licet *Populum* sub figura *matrum* sive *matronarum* proponat, ספרים, *terminatione masculini* cum respectu ad vocem נָשִׁים *fœminæ*, quæ *terminationis* est *masculinæ*, ut servaret genus constructionis. Sic recte supplevit Aben-Ezra. Integra sententia est. כל הנשים על שדים סופרי׳ *Omnes mulieres plangunt propter ubera, & seqq.*

Ubera tempore luctus an recte dicantur *tundi*?

Pectora proprie *tunduntur*.

Phrasis illustratur.

Num per *ubera* hic recte intelligantur *liberi*?

Kimchii expositio.

Et Piscatoris.

Agri & vineæ sunt *ubera* terræ, non *populi*.

Sensus Prophetæ. *Plangere propter ubera* est *plangere* proprer tenellos ab uberibus pendentes.

Phrasis illustratur ex analogia.

Paronomasia in hoc loco.

Vox סופרי׳ cur hic sit *terminationis masculinæ*?

℣. 13. *Super terram populi mei spina, sentis ascendet*] Signum vastationis γενικῆς, terra incolis suis, sive bello interemptis, sive in exilium abductis, nudata. Conferendus est Vates noster secum ipso, ubi eandem rem eadem phrasi depingit Cap. v. 6. VII. 23—25. In verbis, שָׁמִיר שֵׁיחַ *sentis, vepres*, deest *copula*, ut sæpe alias, ob rerum contiguitatem. Sequitur: כִּי עַל כָּל בָּתֵי מָשׂוֹשׂ קִרְיָה עֲלִיזָה quæ verba indigent lumine. Vocula כִּי secundum vulgatam significationem suam est ἀιτιολογικὴ *causalis*, & passim valet *quia, nam*: quando sententia hæc ex verbis exsurgeret: *Nam*, (sive *quia*) *super omnes Domus gaudii Urbis exultabunda*. quæ sententia cum sit imperfecta: Intt. ut eam supplerent, diverse instituerunt. Hieronymus vertit: *Quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis*. Sed qua fiducia vocem כי transposuit per *quanto magis?* Debebat esse אף כי. Deinde quomodo secundum hunc sensum cohæret oratio? an si *in terra populi Dei sentis & vepres enascereturr*: tanto magis excresceret in ædibus & Palatiis Magnatum? Non video, nec probabilis est oratio. Facilius enim sentes & vepres crescunt in agris incultis quam in Palatiis & Domibus Voluptariis Divitum. Cl. de Dieu *non videre se* ait, *cur variis interpretationibus se hic torserint Intt. cum ipsa verba ut jacent, liquidum satis sensum præ se ferant*. Versio ejus est, *Super terram populi mei spina, sentis ascendet, quia propter omnes domos gaudii civitas exultabunda est*. Sensus secundum ipsum: *Ferre diutius Deus non potest hujus Civitatis luxum & petulantiam. omnes domus plenæ sunt gaudio, & seqq.* Sed pauci forte cum ipso in hac sententia videbunt nervosum quid, h. e. Jesaianum. Duplex interpretatio est horum verborum commendabilis, vel ut vocula כי hic vertatur per *imo, quinimo*, quæ notatio est exaggerationis vel gradationis à minori ad majus, quando exurgit sententia facilis; QUINIMO *super omnes domos gaudii*, sive, *in omnibus domibus gaudii*. quod Piscatori, Forerio, & Belgis placuit, & inter Hebræos Kimchio: vel ut vox כי hic *nominaliter* sumatur pro *adustione*, ex כוה *adurere*, quo sensu vocem habuimus Cap. III. 24. ut visum est Jun. Trem. & Coccejo. Neutrum temere est spernendum; & videtur posteriori versioni favere eventus, quia historia clare docet, Ædes Magnatum æque ac Templum & Palatium Regium igne cremata destructaque fuisse in Calamitate Chaldaica *b*: Et sentio tamen me magis ferri in priorem, non tantum ob insolentiorem usum voculæ כי significatu *ustionis*; sed præcipue quia Propheta res adeo ab invicem diversas, ut sunt *sentis ac vepres & ustio*, non videtur complexurus esse sub eadem phrasi. Accedit quod *sequens comma* doceat, has Ædes voluptarias destructas soloque æquatas partim conversum iri in *humum* in qua herba agrestis ultro propullularet. Imo vero Propheta in vaticinio de Desolatione *Edomi* exerte eadem phrasi *i*: *Et ascendent in palatiis ejus spina: carduus & urtica in munitionibus ejus*. Usus autem ille *gradationis, asseverationis, exaggerationis* vocule כי per Scripturam S. est frequens receptus. Apud Vatem nostrum habuimus exempla Cap. v. 10. VII. 22. Sic Joël *k*: *Vitis exaruit, & ficus languet*, -- כי IMMO *exaruit gaudium à filiis hominum*. Vates facer in insigni Ode *l*: כִּי עִמְּךָ הַסְלִיחָה QUINIMO *apud te est condonatio propitiatoria*. Sunt autem בתי משוש *Domus gaudii*, quod quisque intelligit, *Prætoria* vel *Villæ Magnatum* voluptariæ, in agris aut suburbanis ad delicias captandas extructæ, ut mos est divitum & potentiorum hominum, quibus res amplior & opulentior est. Caverunt autem Masorethæ, prudentissimi ac doctissimi Viri, ne has *Ædes voluptarias* quæreremus in ipsa *Urbe* Hierosolyma, quæ hic dicitur עִיר עֲלִיזָה *Urbs exultabunda*, h. e. plena luxu & vitulatione, de quo videnda quæ scripsi ad Cap. XXII. 2. & XXIII. 2. Vocem itaque מָשׂוֹשׂ *punctarum* notis *status absoluti*, eique superposuerunt *accen-*

℣. 13. S
per terram Populi mei spina & *pres ascen* Sensus d *eti*.

Verba se quentia ob scriora. Hierony versio.

Quæ no probatur,

Meditati Cl. de Di

Gemini hujus loci versio prob bilis. quæ proponitur

De utraq judicium.

Usus voc læ כי sens *gradationis* exemplis lustratus.

Domus g dii quid sit

Voces עליזה *Urbs exultabund* non sunt *struenda*

a Luc. XVIII. 13. *b* Cap. XXIII. 48. *c* Cap XXXI. 19. *d* Cap. XXIV. 19. Marc. XIII. 17. *e* Luc. XXIII. 28. 29. *f* Cap. IX. 14. *g* Cap. IV. 4. *h* 2 Reg. XXV. 9. 2 Par. XXXVI. 19. *i* Cap. XXXIV. 13. *k* Cap. I. 12. *l* Ps. CXXX. 4.

cum superioribus. Masoretharum observatio.

accentum distinctivum. Non sunt itaque vertenda verba: *Super omnes domos gaudii civitatis exultabundæ*, sive *luxuriosæ.* neque etiam, *Super omnes domos gaudii* IN *Urbe exultabunda:* quia *Domus gaudii* maxime quærendæ sunt extra Urbem: sed, *Super omnes domos voluptarias; civitatem exultabundam.* per modum *gradationis.* Super *domos gaudii*, & vero super *ipsam* quoque *civitatem exultabundam.* ut recte præivit Cl. Coccejus.

Verba vſ. 14. *Quia Palatium omissum est.* Tertia gradatio orationis: quæ declaratur. Sensus sententiæ.

vſ. 14. *Quia Palatium omissum est*] Equidem non obscure Vates jam prædixerat imminentem Urbi Hierosolymæ & Agro vastitatem. Nec tamen in eo subsistit. Tertia itaque ἀυξήσει, quod in *fine* superioris *commatis* significaverat, fore ut in ipsa *Urbe exultabunda sentis & vepres* nascerentur; amplius declarat, docetque, *Hierosolymam* esse, de qua loquitur; (ne quis hic de *Samaria* cogitet, quod tamen facit Aben-Ezra:) ejusque Urbis fatum sane quam paradoxum diserte explicat. Primus ejus articulus est quem hic exhibeo, fore ut *Palatium omittatur*, missum fiat, relinquatur: quæ genuina notatio est vocis נטש. Intellige cum Cl. Coccejo TEMPLUM, juxta locum Jer. xxx. 18. *Sic dicit Jehova: Ecce ego reduco captivitatem tentoriorum Jacobi, & Tabernaculorum ejus miserebor; & ædificabitur Urbs super tumulum suum,* וארמון על משפטו ישב *&* PALATIUM *pro more suo consistet.* Sic Chaldæus: בירת מקדשא DOMUS SANCTUARII. pariter ut in hoc loco nostro: ארי בית מקדשא חריב *Quoniam* DOMUS SANCTUARII *destructa est.* Equidem est hujus vocis latior usus & usurpatur promiscue de Palatiis Regum ac Principum quoque, æque ac affines, בירה, היכל: sed ubi de Hierosolymæ *Palatio* in emphasi sumitur, perinde ac affines, rectissime usurpatur de *Templo*, de quo David [a]: *Quia non est hominis* הבירה PALATIUM HOC, *sed Jehovæ Dei.* Sed certior ratio ex eo petitur, quod mox mentio fiat *Palatii Regii* sub nominibus *Ophel* & *Bachan*, sive *Turris Exploratoriæ*; ut ostendam. Putem præterea, Dominum hæc verba respexisse in sua ad Hierosolymitanos Evangelii contemptores interminatoria [b]: *Ecce* DOMUS VESTRA (jam sc. à Deo derelinquenda,) ἀφίεται ὑμῖν ἔρημος· *vobis* RELINQUITUR *deserta.* ut & in parallela, Psl. LXIX. 26. *Sit* שיריתם PALATIUM IPSORUM *desolatum.* Est sane ea vis in voce נטש, ut notet, *Templum* solo Deo protectore stare: ipso illud veluti *Hospite* derelinquente, casurum esse. Sic Jeremias ad exemplum hujus loci [c]: *Dereliqui* DOMUM MEAM: *missam feci* (נטשתי) *hæreditatem meam.* secundum id quod ante scripserat [d]: *Quid* DILECTO MEO (Filio meo) *amplius est in* DOMO MEA? Inde Ezechieli in eleganti emblemate exhibitus est excessus Dei ex Templo, Domo sua [e]. quemadmodum inter præsagia Templi destruendi per Romanos est, post *antecedaneum motum* auditam fuisse à Sacerdotibus nocte Festi Pentecostis vocem [f]: Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν· *Discedamus hinc.* Quo pertinet Taciti illud [g]: *Expassæ repente Delubri fores, & audita major humana vox,* EXCEDERE DEOS: *simul ingens motus Excedentium.* Fatum utriusque Calamitatis simile & idem, singulari lusu Divinæ Providentiæ, ut intelligeremus, posterius Excidium Reipublicæ & Templi esse prioris complementum. Imo non ad *Deum* tantum pertinet hæc *omissio Templi*, verum etiam ad homines. Tot millia Sacerdotum, qui in Templo munia sacra partiti suis quique vicibus Sacra facere; tot myriades hominum qui Atria Domus Dei calcare & frequentare solebant, hoc tempore locum sacrum destituerent. Alter articulus: המון עיר עוב *Multitudo strepera urbis derelicta est*] Sic proprie sonant Hebræa: sed videtur esse præpostere dictum. *Multitudo* enim *strepera* (quæ est genuina notatio vocis המון) proprie non *derelinquitur.* Ita est, Vates elegantiæ caussa sic est loquutus. Est in phrasi *hypallage*, quæ dicitur. *Multitudo Urbis* est urbs multitudine hominum strepera & frequens. ut γέεννα τῦ πυρὸς *Gehenna ignis*, pro πῦρ τῆς γεέννης *ignis Gehennæ.* שכבת זרע *concubitus seminis* pro *semine concubitus.* νόμος δικαιοσύνης pro δικαιοσύνη τῦ νόμυ. & plura ejus generis. Phrasis, המון קריה *Multitudo strepera urbis* est quoque in Libro Jobi [h]. Historici & Prophetæ supponunt omnes, Urbem Hierosolymam olim frequentissime habitatam fuisse. Tertius articulus: *Ophel &* turris *exploratoria erunt pro speluncis in longum: gaudium onagrorum, pascuum gregum*] Id complementum est vastitatis. Loca munitissima Urbis usque eo relinquerentur deserta, ut tanquam *antra & spelunca* solummodo inservirent prædatoribus vel peregrinatoribus qui se in iis occultarent; vel ferarum aut gregum vagis ac tumultuariis incursionibus exposita jacerent. Hieronymus hæc verba vertit: *Tenebræ & palpatio* (palpitatio) *factæ sunt super speluncas usque in æternum.* nullo sensu. Grotius putat, legisse illum ירפל ובוהל. Sufficit, de nostræ lectionis veritate non esse dubitandum. OPHEL (עפל) fuit *Clivus Orientalis Montis Tsionis*, muro proprio circumdatus & à Tsione separatus, ad meridiem Templi, (Templum enim ad Austrum partim Tsionem respexit, partim hunc *Clivum*, qui proprio & vero suo nomine עפל sive *clivus* dicitur, quo sensu vox *heuvel* inde ducta Belgis est recepta:) excurrens ad *murum* usque *Templi Orientalem.* unde Michæ est [i]: עפל בת ציון *Ophel filiæ Tsionis.* Clivus Tsionis. *Filia Tsionis* est ipsa *Tsion.* Tsionis enim Montis ea fuit species, ut culmen conspicuum habens in tractu Occiduo, inde directus in Orientem & sensim aliquanto declivior factus, se in Oriente rursus erexerit, & *clivum* fecerit, *Ophel* dictum. secundum quam hypothesin loca quæ in Scriptura Sacra [k], & apud Josephum [l] de *Ophel*, (ipse τὸν Ὀφλᾶν καλούμενον τόπον vocat, *locum qui dicitur Ophlas:*) occurrunt, non difficulter intelligentur. Videri interim possunt quæ Cl. Coccejus docte de hoc argumento binis locis [m] est commentatus; & quæ nos ante plures annos edidimus in Meditationibus de *Templo Ezechielis* [n], si tanti visa fuerint. Alter locus hic expressus nomine בחן *Exploratoriæ* quis fuerit; magis est incertum. *turrem* vel *speculam* fuisse, non videtur esse dubitandum ex parallelo loco Cap. XXIII. 13. coll. cum Jer. VI. 27. in quibus בחון obtinet notationem *turris exploratoriæ.* Sed cum in Muro, & forte etiam in Palatiis Regiis, plures fuerint *turres*, secundum illud Vatis sacri [o]: *Circuite Tsionem, & complectimini eam: numerate* TURRES EJUS: videri queat hæc *turris* ex cæteris difficilius cognosci. Et poterat certe ignorari à nobis, salva interpretatione hujus loci. Putem tamen, Doctos Viros recte usos esse suo judicio qui hic demonstrarunt *turrim* sive *speculam* altam & prominentem *Palatii Regii* quod fuit in *Ophel*, cujus exerta mentio occurrit in Historia Nehemiæ, quæ ibi appellatur [p]: TURRIS ILLA insignis (המגדל) *prominens*, (היוצא) *egrediens*, (*prodiens*) *ex* DOMO REGIA SUPERIORE, *quæ proxima est Atrio* sive *Aulæ Custodiæ publicæ.* Sic Vir Doctus [q] feliciter vertit hunc locum Nehemiæ & explicuit. Mox rursus [r]: המגדל הגדול היוצא *Turris magna illa prominens.* Patebit autem locum relegenti, *turrim* hanc fuisse *Palatii* Regii proxime *Murum* Urbis Orientalem quod *Palatium* Regium ob ipsam eam caussam appellatur העליון *superius*, ut distingueretur à *Palatio Regio* התחתון *inferiore* quod erat in culmine Montis Tsionis *Occiduo*, ubi erat *Arx Davidis.* Loca enim Urbis ad *Ortum* vergentia dicta sunt *superiora*; quæ ad *Occiduum*, *inferiora*, ut colligi potest ex his quæ commentatus sum de *Piscina superiore* ad Cap. VII. 3. *Palatium* autem hoc *Regium* ipsissimum illud

Per *Palatium* hic intelligitur *Templum.* Locus Jer. xxx. 18.

Expositio confirmatur.

Vis vocis נטש h. l. *Desertio Templi.* Dei ex eo recessus. Illustratur ex cognatis.

Derelictio Templi non tantum pertinet ad Deum, verum etiam ad homines. Verba: *Multitudo strepera Urbis derelicta est.*

Hypallage in phrasi, quæ explicatur. Exempla ejus.

Idem fatum esset *Ophelis & turris exploratoriæ.* Verba Prophetæ.

Versio Hieronymi.

Qualis locus fuerit *Ophel* in Urbe Hierosolyma?

Michæ est *Ophel filiæ Tsion.* Phrasis exponitur. Mons *Tsion* describitur, & ei ad Orientem subjectus *Ophel.*

Quænam *turris exploratoria* hic memoretur?

Est *turris alta & prominens Palatii Regii* in *Ophele.* Demonstratur ex Nehemia. *Palatium* illud describitur.

[a] 1 Chron. XXIX. 1. [b] Matth. XXIII. 38. [c] Cap. XII. 7. [d] Cap. XI. 15. [e] Cap. X. 19. [f] Jos. B. J. Lib. VII. Cap. XII. [g] *Hist.* Lib. V. Cap. XIII. [h] Cap. XXXIX. 7. [i] Cap. IV. 8. [k] Neh. III. 26. 27. 2 Chron. XXVII. 3. [l] Bell. Jud. Lib. VI. Cap. VI. & Lib. VII. Cap XIII. [m] In *Comm.* ad Psl. XLVIII. 2. 3. & Lex. ad h. v. [n] De *Templ. Ezech.* Lib. I. Cap. III. p. 159. [o] Psl. XLVIII. 13. [p] Neh. III. 25. [q] Cl. Cler. ad h. l. [r] vſ. 27.

Est *Domus Saltus Libani.* est quod à Salomone extructum dicitur *Domus Saltus Libani*, ubi fuit *Armamentarium Regium*, in Ophel situm, ut ostendi ad Cap. XXII. 8. Appellatur ibi נשק בירת היער *Armamentarium Domus Saltus.* Specula autem hæc ex ipsa Regia alte prominens jucundissimum præbebat aspectum non tantum in Montana & Valles subjectas, (qua parte comparari potest cum Turri *Psephino* in *Angulo Septentrionali & Occiduo* in LXX *cubitos* exsurgente, ex qua *Sole orto* Arabia prospici poterat, & ad Occiduum *Mare Magnum*, sic dicta צפוני quod esset in tractu Urbis *Aquilonari*, quomodo eam describit Josephus [a]:) verum etiam in ipsum Templum quod *Ophlæ* erat ad Septentrionem. Omnia enim Templi Sacra, ritus, cærimoniæ, cultus omnis, & colentium turbarum accessus & recessus, ex hac *specula* videri & observari poterant: estque probabile, Reges se ob structuræ magnificentiam & situs amœnitatem in hac *Regia* maximam partem detinuisse. ex qua hypothesi explicari potest insignis locus Michææ, Cap. IV. 8. *Et tu* TURRIS GREGIS (superposita *portæ* quæ erat è regione Templi in *Muro Orientali* Hierosolymæ, per quam probabile est Reges Urbem in solennibus esse ingressos:) OPHEL *filiæ Tsionis, ad te usque veniet; & redibit Dominatus prior, Regnum Hierosolymæ.* Nimirum *Opheli* hæc promittitur prærogativa, quod is locus à Regibus in superba basilica potissimum coleretur. Sed nunc deserta Urbe & Aula hoc ipsum Palatium cum turri ex eo eminente essent *pro speluncis*, in quibus sive Viatores tempore intempesto aut prædatores commodis suis intenti latitarent; & quidem עד עולם *in longum.* Sic enim hic necessario vertenda est vox לעולם, non *in æternum*, quia *terminus ἐφ' ὃ ad quem* mox additur: USQUE QUO *super nos effundatur*, *& seqq.* quæ ipsa quoque vocis constructæ significatio obtinet mox in ℣. 17. secundum primum illius loci sensum. Vocis עולם significatio, hic altius à me non repetenda, respondet Latinæ notioni *Olim*, ut Eruditi Viri [b] jam observarunt. מעולם est *olim* sive ab *olim*, à longo tempore. לעולם usque ad ejusmodi terminum temporis quo dici potest *olim.* Sic Jos. XXIV. 2. *Trans fluvium* (Euphratem) *habitarunt Patres vestri* מעולם *à sæculo*, sc. à longo, *Therach, Pater Abrahæ & Pater Nachoris.* Ps. CXLIII. 3. *Posuit me in tenebricosis locis* כמתי עולם *ut mortuos sæculi*, h. e. *olim* & diu mortuos: de quo mox plura. Subjicitur: *Gaudium onagrorum, pascuum Gregum.* Hebraice scribitur: מרעה עירים *Marhe* HHADARIM. Cl. Bochartus observat [c], forte non *incommode* in hoc loco legi posse עירים HHARADIM, transpositis literis affinis figuræ ד & ר, quippe quæ vox ipsa quoque *asinos sylvestres* significat, & cum voce פרא *Onager* alternatur, Job. XXXIX. 5. coll. cum Dan. V. 21. etsi ille, reverentia Scripturæ Sacræ, nihil hic mutatum velit ob lectionis communis constantiam & consensum antiquæ Versionis Alexandrinæ quæ hic habet βοσκήματα ποιμνίων. sic enim legendum pro ποιμένων. Ita est, non esset incommoda lectio; nec tamen necessaria, quia *pascuum Gregum* hic non accipitur de *pascuo stabili*, sed de vago ac tumultuario, quomodo Pastores Arabes vagos ducentes *ovium* & *caprarum* greges eos promiscue sinunt recumbere & in locis quoque incultis herbida sponte nata carpere. plane eodem sensu quo Vates noster de præstantioribus *montibus* frugiferis, ait, tempore desolationis terræ fore *in missionem bovis & conculcationem parvæ pecudis* [d]. Quod si non placet, dicas, licet, vocem עירי hic designare *Greges* sive catervas *onagrorum.* Est autem signum loci *deserti* & versi in meram solitudinem, quæ sedes est *onagrorum:* de quo videri potest Vir summus, hac de re ubertim commentatus.

Reges Judæ hic præcipue *aulam* habuerunt. Locus Mich. IV. 8. Prædictio Vatis de plorando statu Ophelis: & quidem עד עולם *in longum.* Sensus phrasios. Significatio vocis עולם. *Ophel* esset *Gaudium Onagrorum.* Cl. Bochartι ad lectionem loci observatio. Ejusdem temperamentum. Communis lectio se recte sustinet, bene accepta. Sensus declaratur.

Quæro, *qualis* hæc sit, & cujus *terræ* vastatio, demonstrabilis in historia? Movi jam hanc disputationem, & sententiam meam finivi, ad ℣. 9. De Samaritana & Ephraimitidos desolatione non agi, ut vult Aben-Ezra: ex *commate integro*, modo exposito, liquet, nec diffitetur Grotius. Eadem ratio vetat hic cogitare de Calamitate Assyriaca, quæ Hierosolymæ Urbi noxam non attulit, & terram Judææ vastatam non reliquit לעולם *in longum tempus.* Addo, Beneficium *effusionis Spiritus S.* qui terminus ponitur hujus Desolationis, Genti promissum non fuisse nisi cum Reditu ex Exilio, ut mox demonstrabo. Et tamen Grotius id vult, & Ligtfootus quoque: nec interim resolvunt difficultatem vocis עולם *temporis longi* quæ cuique incurrit in sensum. An enim *vastatio* terræ, biennii aut *triennii*, (secundum hypothesin venerandi Usserii & aliorum de qua supra disputavi [e]:) præstare potest ullam emphasin vocis עולם quæ vulgo per *æternitatem* vel *sæculum* vertitur? Equidem scribit Ligtfootus alio loco [f], *duraturas turbas hasce* (sc. Assyriacas respectu Judææ, cum *invasione Senacheribi*) *diebus* ANNISQUE *continentibus* PLURIMIS, *indeque sentes & spinas per regionem enasciturας:* sed fateor, me id non assequi; & quid sibi hic Vir doctus velit, plane non intelligere. Calamitatem enim, quam Assyrius Senacheribus in Judæam induxit, durasse per *annos continentes plurimos*, forte præter Ligtfootum nemo dixit aut cogitavit unquam. Historia tota reclamat. Quæ porro Viri Docti hic commentantur de *Palatio* & *Ophele* quæ necesse habent quærere extra Hierosolymam; coacta sunt. Qui superiora legerint, non ambigent, quin vere hic de Hierosolyma ejusque Excidio agatur. Ergo alterutrum hic eligendum est; vel nimirum referenda hæc esse verba ad Excidium Reipublicæ per Chaldæos, vel per Romanos. quod in variis prophetiis diremtu difficilius videtur ob similitudinem attributorum utriusque Calamitatis. Eusebius, Hieronymus, Cyrillus, Procopius, eosque sequutus Cl. Cocejus, hic respiciunt novissimam Desolationem terræ per Romanos: plures alii ex Recentioribus Fatum eversæ Reipublicæ & Urbis per Chaldæos. ad quorum partes non dubius transeo. Ratio est quia hic agitur de tali desolatione terræ cujus *terminus ἐφ' ὃ ad quod* esset *effusio Spiritus S.* Atqui *effusio* Sp. S. non sequuta est, sed præcessit vastationem terræ & excidium Reipublicæ per Romanos. Contra vero secundum prophetias effusio donorum uberiorum Sp. S. esse debuit & fuit *terminus ad quod* Vastationis terræ per Chaldæos. Hæc ratio satis videtur esse clara: ad quam tamen reponi posse videtur, Prophetam hic non agere de *Effusione Spiritus S. prima* qua Ecclesia gavisa est post Dominum Jesum cœlo receptum in initiis Oeconomiæ Novæ, verum de *Effusione Spiritus S.* in illuminatione Gentis Judææ reducendæ ad Dei communionem in *fine temporum.* Velle igitur dicere Prophetam, terram Canaanæam statu extremæ desolationis permansuram esse *usque ad* illum temporis articulum quo Deus Spiritu S. large effuso Populo præstaret gratiam resipiscentiæ ad salutem. Id certe unum hic κατ' ἀναλογίαν excipi potest. Et tamen ipsi illi Docti Viri, qui hanc Pericopam explicant de Vastitate in terram Judæam inducta pet Romanos, *effusionem* illam Spiritus S. quæ hic memoratur, referunt ad ipsum illud beneficium Gratiæ effusi S. Spiritus, quod Deus Ecclesiæ impertit in initiis Oeconomiæ Novæ. Sic Eusebius Cæsariensis, Hieronymus, & ipse quoque Coccejus. quæ vere inter se non consistunt. *Effusio* enim Sp. S. hic ponitur ut *terminus*, non *à quo* vastatio debebat incipere (licet ne id quidem hic dici queat:) sed *ad quod* vastatio debebat durare. Vide, ut hæc componat Vir Cl. [g] Notat ad ℣. 15. *Annunciatur bonum eventurum exspectantibus Deum inter commotionem securorum. Primum est effusio Spiritus ex alto. Jungitur hoc bonum cum præcedenti malo per particulam* עד, *ut significetur, deletionem Templi & Urbis esse medium multiplicandi lætitiam in credentibus, atque etiam*

Mæ Prophetæ hic agatur. Verba Prophetæ referri nequeunt ad Calamitatem Assyriacam. Illa dici nequit duraſſe לעולם *in sæculum.* Ligtfooti verba. Sententia non probatur. Alterutra eligenda est sententia, vel referendam esse hanc prophetiam ad Excidium Hierosolymæ per Chaldæos, vel per Romanos. Auctores utriusque sententiæ. Ratio quæ vaticinium hoc allegat ad subversionem Urbis per Chaldæos. Exceptio quæ eam enervare videtur. Sed quæ ab auctoribus hujus sententiæ declinatur. Verba Cl. Cocceji.

De *qualis vastatione* Hierosoly-

[a] Jos. B. J. Lib. VI. Cap. VI. [b] Mat. Voss. *Ord. Text.* V. T. ad Cap. XXII. A. M. 3294. [c] *Hieroz.* Part. I. Lib. III. Cap. XVI. [d] Cap. VII. 25. [e] Ad Cap. XXI. 1. [f] *Chorogr.* [g] Coccej.

etiam intelligendi verba mysterii Divini, ... Fuit autem effusio Sp. S. conspecta in Christianis qui ex illo tempore frequentissime obierunt martyria, & seqq. Dubito plurimum, an veri studiosi in eo acquiescere queant. Παρεμπίγματα enim *à quo* & *ad quem*, quæ hic dicuntur distare per עולם *tempus longum*, plurimum differunt, nec inter se possunt permisceri. Certe Cl. Altingius consequens videns certum & ἀνεξέλεγκτον, nihil tergiversatur, secundum hypothesin ἀναλογικῶς professus, agi hic de *Conversione Gentis Judaæ* ad Dominum *in fine temporum* cum qua terminanda sit Vastitas terræ Canaanææ [a]. Tolerabilem judico sententiam, sed minime facilem & vere magnis dubiis gravatam. Primo, cum Prophetæ reducibus ex Exilio promittant Spiritum Sp. & historia planissime doceat, hoc promissum esse repræsentatum in Spiritu S. copiose effuso super cœtus Judæorum Credentium; & cum Apostoli ipsi in illo dono Spiritus S. *agnoverint* illorum promissorum ac prædictorum implementum [b]: durum dictu est, Jesaiam Beneficium *effundendi Spiritus S.* hic differre usque ad finem Sæculorum. Dices, loqui Prophetam de effusione Spiritus in *Judæos*, non in Gentes. Esto. sed pertendo, promissum illud effundendi Spiritus S. in Ecclesiam Judaicam jam impletum fuisse, utique impleri cœpisse (ex amico consensu prophetiæ & historiæ,) in initiis Oeconomiæ Novæ, interim non negans, complementum hujus promissi pertinere ad ultima tempora. Id teneo & evincam ad *comma sequens*, Prophetas de *effusione Spiritus S.* vaticinantes, eam intelligere effusionem Sp. S. quæ obtingeret Ecclesiæ Calamitate Chaldaica defunctæ, in Canaanæam reducendæ ac reductæ, & quidem præcipue in initiis Oeconomiæ Novæ, quæ tempora illi in uno complexu sumunt. Durum dictu est, inquam, Jesaiam prætereuntem totum tempus Manifestationis Regni Christi, & tot sæcula Regni Christi Jesu quibus Sp. S. vim suam exeruit, *promissum Spiritus S.* connectere cum *termino* Desolationis terræ Judææ per Romanos. Conferatur Propheta noster secum ipso Cap. XLIV. 3. 4. Secundo, ex hac hypothesi commode explicari nequit, quantum video, *Consequens* donorum Spiritus S. profusorum in Ecclesiam, quod Vates docet fore *mutationem Deserti in arvum*, ỳ. 15. & *habitationem Judicii in Deserto*, ỳ. 16. & *sationem ad aquas multas*, ỳ. 20. quæ attributa constat esse primi temporis Gratiæ. Equidem non eo inficias, extrema illa periodo temporis Ecclesiæ N. T. quando *totus Israël servabitur*, *multitudinem* quoque *Gentium ingressuram esse* in Ecclesiam, atque adeo *Desertum Gentium* illo quoque tempore mutandum esse in *Arvum frugiferum*, perinde ac in initiis Anni Gratiæ. Etiamsi enim hic rursus sit magna utriusque attributorum similitudo: non impetro tamen à me, ut statuam, ex mente Prophetæ *Desertum Gentium* demum convertendum esse in *Arvum* postquam Evangelium Christi à cultioribus Populis Orbis per tot sæcula receptum fuerit. Si autem *Desertum* hic explices de *Judæis:* non dissimiliter hærebis in expositione *Carmeli*, ut ibi loci videbimus. Utique cum proxima tempori Prophetæ esset Desolatio terræ per Chaldæos, eamque sequutura Effusio Donorum S. Spiritus: non videtur Vates noster, proximis illis præteritis, tanto saltu facto orationem recta transferre voluisse ad extrema tempora Ecclesiæ N. T. absque ulla mentione facta Eventuum intermediorum memorabilium in quibus certo demonstrari potest prophetia hæc suum implementum consequuta esse. Sic stat nostra sententia, & hujus pericopæ interpretatio, & possunt hic quod ad rem ipsam & phrasin conferri quæ Vates noster in superioribus Sermonibus sæpius de hoc eodem Gentis & Hierosolymorum fato prædixerat, Cap. I. 25. seqq. II. 18, seqq. III. 1. seqq. V. 1. seqq. XXII. 1. seqq. De historia autem, quæ hic clarissima est, nemo dubitat. Dixeris, non satisfieri secundum hanc interpretationem potestati vocis לעולם *in æternum*, sive, ut nos vertimus, *in longum*. Respondeo, omnino satisfieri secundum genuinam notationem hujus loquutionis, quam supra indicavi. Non intelligitur hic *tempus* longum *indefinitum*, sed *definitum* & *restrictum*, quia *terminus ad quod* mox subjicitur. Certe si *quinquaginta anni* quibus circumscriptus fuit *Jubilæus* in historia appellari possint עולם *longum tempus* [c]: an in prophetia quæ omnia ad speciem hyperboles amplificat, *septuaginta anni* Desolationis hac notione designari nequeant? Quid quod longum tempus post Reditum Populi ex Exilio Hierosolyma & Palatia ejus, imo ipsa quoque area Templi, neutiquam vindicata fuerint à *sentibus* & *vepribus*, vastitateque in eam inducta à Chaldæis?

Pars *Elenchi Paracletica.*

Beneficium Radicale & Caussale: *Effusio donorum Spiritus S.*

ỳ. 15. USQUE QUO *super nos* EFFUNDATUR SPIRITUS EX ALTO] Hic terminus esset Vastationis & Afflictionis variæ Populi Dei, in superioribus descriptæ ac prædictæ, quæ verba prudenter exposita lumen affundent illustri huic prophetiæ. Docet Prophetа, Calamitatem quam enarraverat, terminandam tandem esse post longam moram in excellentibus Beneficiis in Populum Dei conferendis, perinde ac instituerat Cap. XXIX. 17. seqq. & XXX. 19. seqq. Res hic eadem est, suntque analoga ex analogis illustranda. Beneficia autem illa hic recensetur maximam partem spiritualia; & quidem hoc ordine, ut præmittat *Beneficium Principale* sive *Caussale*, quod hic exhibeo; eique subjiciat *Consequentia* ac *Derivata quatuor*, quæ in *Analysi* ostendi, & mox recurrent. De sensu grammatico hujus sententiæ nulla hic justa lis est. Hieronymus vocem ישרה eodem modo interpretatur quo nos. Alexandrinus Int. affini: Ἕως ἂν ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πνεῦμα ἀφ' ὑψηλοῦ· *Donec veniat super vos* (scripsit forte ἡμᾶς *nos*) *Spiritus ab excelso*, quod recte & proprie dicitur. Forte Chaldæus idem voluit. [A] Sed Jarchius & Kimchius plane vocem ערה hic explicant per שפך *effundere:* etsi hic *Spiritum* hoc loco exponat de רוח *voluntate* & *beneplacito Divino:* quod plane *Judaicum* & ἀπροσδιόνυσον est, ut nos abducat à contemplatione rei spiritualis. Vox ערה, *forma Piel*, notat *nudare*, *denudare*, inde *effundere*, quia vasa *effusis liquidis* nudantur. Sic sumitur Gen. XXIV. 20. ותער כדה *Et denudabat* (Rebecca) *situlam suam*. evacuabat, effundendo aquam, qui locus huc commode à Jarchio translatus est. Vates noster eodem modo usurpavit vocem העיה Cap. LIII. 12. Oratio ipsa hunc sensum evincit. Ait enim Propheta, *donec effundatur* עלינו *super nos*, & quidem ממרום EX ALTO, *excelso*. quod minus commode de *refrigerio* aut *benevolentia* dicitur. Quin verba Christi Jesu valedictoria ad Discipulos apud Lucam [d], ad hæc nostra conformata, hunc sensum omnino præstant: *Vos autem residete Hierosolymis*, ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους· *usque quo induamini virtute* EX ALTO. quod in Actis [e]: *Recipietis virtutem* ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς· *superventuri vobis* SPIRITUS S. Quin omnino mihi persuadeo, Vatem nostrum vocem ערה hic usurpasse lubentius, ut ea declararet non qualemcunque sed *copiosam* effusionem Spiritus S. plane ita acsi vas donorum Cœlestium (liceat mihi ita loqui,) huc usque veluti clausum, *apertis cœlis*, evacuaretur, & Ecclesia Spiritu S. *baptizaretur*, ex phrasi Joannis τῇ Προδρόμου [f]. Per *Spiritum* autem hoc in loco intelligi par est *dona* πνευματικὰ *spiritualia*, (τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου

Ad ea animadversio.

Cl. Altingii sententia liquidior.

Rationes quæ ei obstant.

Implementum prophetiarum de effundendo dono Sp. S. cadit in primum tempus Gratiæ.

Consensus prophetiarum hujus argumenti.

Ratio superior urgetur.

Consequens effusi Sp. S. hic memoratum non convenit hypothesi Cl. Altingii.

Temperamentum sententiæ.

Sed quod non elevat dubium propositum.

Urgetur nova ratio ex nimio saltu, quem Propheta facere supponitur, si prophetia ad extrema N. T. referatur.

Analogia aliorum Vaticiniorum hujus Libri.

Objectioni ex voce לעולם *in sæculum* occurritur.

Latior usus vocis עולם pro *tempore longo*.

Pars Elenchi Paracletica, complexa *Promissa Bonorum Gratiæ*.

Beneficium Radicale: *Effusio Donorum Sp. S.*

Nexus orationis & summa hujus *Pericopæ Consolatoriæ*. Ordo ejus & *Analysis*.

Sensus sententiæ Grammaticus.

Versio vocis ערה h. l. Sententiæ Intt.

Usus vocis ערה in Scriptura V. T.

Contextus suadet significationem *effundendi*

Verba Domini de *effundendo Sp. S.* cum his collata.

Emphasis vocis in h. l.

Per *Spiritum* hic in-

 ἁγίου

---

a Op. Tom. II. in h. l. *b* Act. II. 17. *c* Exod. XXI. 6. Deut. XV. 17. *d* Cap. XXIV. 49. *e* Act. I. 8. *f* Matth. III. 12.

[A] Verba Chaldæi sunt: כל דנהו עד דייתי לנא רוח מן קדם ושכנתיה בשמי מרומא quæ Interpres vertit: *Omnia hæc sustinemus* (proprie, *erunt*) *donec veniat nobis* RESPIRATIO *à facie ejus cujus majestas est in cœlis excelsis*. Id recte, si vox רוח hic punctetur רוּח, ut fit, sed eadem absque vitio hic quoque punctari potest רוּח SPIRITUS: quando eadem sententia est quæ Græci. Et tamen Aquila quoque hic verterat רוח per ἀνάψυξιν *refrigerium*: secundum quam versionem hanc conferri potest phrasis Petri, καιροὶ ἀναψύξεως, Act. III. 19.

Intelliguntur *dona ſpiritualia* cum Eccleſia communicanda. quæ ſtylo Scripturæ S. varie commendantur.

ἁγίς πνεύματος [a],) à Spiritu S. cum Eccleſia communicanda, recepta phraſi Scripturæ Vet. & Novæ. Hoc enim unum donum, pignus Divinæ Gratiæ, in emphaſi vocatur δωρεὰ ἡ ἐπεράνιος, *donum cœleſte* [b], δόσις ἀγαθὴ *donatio bona*, & δώρημα τέλειον *donum perfectum* quod ἄνωθέν ἐςι, καταβαῖνον ἀπὸ τῦ Πατρὸς τῶν Φώτων, SUPERNE eſt, *deſcendens à Patre luminum* [c], h. e. ut Vates noſter, ממרום, *ex* ALTO, *excelſo*, cœlo ſupremo, cujus Oeconomia eſt Spiritus S. Sed cum hæc *dona Cœleſtia* ſint ſpeciei diverſæ, ut ex ipſo Propheta noſtro hæc *dona* recenſente [d] liquet: hic quidem per *Spiritum S.* primo loco deſignat *Spiritum* veræ *fidei*, *reſipiſcentiæ*, & *reverentiæ Dei:* ſecundo loco, ex vero ductu orationis, *clariorem* ac *diffuſiorem intelligentiam Doctrinæ ſalutis*, ejuſque explicandæ *facultatem ſpiritualem*, (quæ *donum prophetiæ* dicitur,) ac *potentem prædicationem Verbi Dei per Orbem*; tum denique *Spiritum Gratiæ* (h. e. *Spiritum adoptionis*, *filiationis*, qui datur ſub *Regno Meſſiæ*, quod eſt *Gratiæ*,) & *precum*. Sequentia Vatis noſtri & Eventus hunc ſenſum adſtruunt. Et tamen hæc *dona* Eccleſiæ danda erant ſuo ordine. de quo mihi nunc diſtinctius eſt diſſerendum ad neceſſariam hujus Pericopæ intelligentiam.

Qualia doni Sp. S. hic præcipue ſpectentur?

Prophetæ tempus *Donationis Sp. S.* trifariam definiunt.

Quo modo prophetiæ hic inter ſe componendæ ſint?

Prophetæ Veteres ubi vaticinantur de dono *effundendi Spiritus S.* omnes illud beneficium connectunt ſive in genere cum tempore *Reditus* ex Exilio Babylonico; ſive cum tempore Liberationis Populi ab Afflictione Syriaca; ſive cum Regno Meſſiæ. quod illi ita intelligi volunt, ut res ſe habet & eventu comprobata eſt; fore nimirum, ut circa illud tempus, quo Deo placeret Populum Judæum reducere ex Exilio Babylonico, Deus inciperet Spiritum ſuum, (ſc. *Reſipiſcentiæ*, *Fidei*, *Cognitionis accuratioris Verbi Divini* ac *Viæ ſalutis*, *Zeli Religionis*,) uberiore copia cum Eccleſia communicare quam hactenus fecerat, & hoc ipſo viam ſternere ad Oeconomiam Meliorem, abolita Vetere, introducendam in Eccleſiam: inde poſtquam Eccleſia denuo emerſiſſet difficillimam luctam Afflictionis Syriacæ, repetiturum eſſe hanc donationem ſui Spiritus erga Populum ſuum, *igne* hujus probationis purgatum, quippe cui procuraret Doctores plures zelotas, ſanctos, prudentes, qui multos *juſtificarent:* verum, hoc ſtatu Eccleſiæ rurſus ſenſim collapſo, proditurum Meſſiam, qui Spiritum, *abſque menſura à Patre acceptum*, divite manu in Eccleſiam effunderet, & quidem ממרום EX ALTO, poſtquam ipſe *cœlos*, huc uſque veluti *clauſos*, aperuiſſet, &, *via* ſibi *per ſanguinem ſuum facta*, *conſediſſet ad dextram Divinæ Majeſtatis in cœlis*. Hos vero tres gradus & articulos effundendi Sancti Spiritus Prophetæ ſic ſpectari volunt, ut priores illæ donationes Sancti Spiritus complementum ſuum acciperent in poſtrema. Cum enim illi, ut ſæpius monui, viderent Regnum Meſſiæ in Republica poſt Reditum ex Exilio inſtauranda pateſactum iri: Beneficia omnia in Populum reducem conferenda ad hunc *Caſum Apoteleſmaticum* complexe retulerunt, intermediis ſæpe præteritis, quod intelligerent, τὰ ὑςερήματα ſive *defectus* omnes ſuperioris temporis in hoc magno Eventu ſupplenda ac perficienda eſſe. Singula nunc exemplis aliquot declaranda ſunt. Primo nobis hic occurrit vaticinium clariſſimum Ezechielis in hæc verba [e]: *Et accipiam vos ex Gentibus, & colligam vos ex omnibus terris, &* ADDUCAM VOS IN TERRAM VESTRAM: *&* SPARGAM SUPER VOS AQUAS MUNDAS *& mundabimini; ab omnibus fœditatibus veſtris & ab omnibus ſtercoribus veſtris purificabo vos: & dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in medio veſtri, & auferam cor illud lapideum ex carne veſtra, & dabo vobis cor carneum:* וארח רוחי אתן בקרבכם *&* SPIRITUM MEUM DABO IN MEDIO VESTRI, *& faciam ut in ſtatutis meis ambuletis, & ſeqq.* Vides promiſſum *purificationis* & *doni Spiritus* (reſipiſcentiæ, ſanctimoniæ, cognitionis Dei & veræ fidei,) hic connecti cum Reditu Populi ex Exilio, quippe Populus, in Exilio converſus ad Deum, reſipiſceret à fœda idolatria & pudendis vitiis ſuperioris temporis, & per Gratiam Spiritus S. imbueretur puriore in Deum affectu ac fide, & clariore viarum ejus cognitione, opera præſtantium Doctorum quos Deus id temporis per Spiritum ſuum excitaret in præludium temporis gratiæ, de quo vidimus ad Cap. xxx. 20. 21. coll. cum Jer. III. 15. Et tamen ſi vim orationis inſpicias atque attentius mediteris: ſimul vides, ipſa hæc *Beneficia ſpiritualia purificationis per aquas mundas & dationis Spiritus* altius involvere myſterium & amplius vere promiſſum quam ut Eccleſia reducum iis perfecte dici poſſit gaviſa eſſe. Non fallit oculus ſpiritualis qui in his excellentibus Beneficiis videt vera Bona Gratiæ *Purificationis peccatorum* procurandæ per *ſanguinem Meſſiæ*, unicum verum purgatorium animarum & conſcientiæ pollutæ, & *donationem Spiritus S.* virtute hujus ſanguinis uberiore copia effundendi. Quid itaque? Hoc unum ſupereſt, ut ex communi conſenſu omnium Prophetarum de *Statu reducum ex Exilio* vaticinantium *initia* gratiæ Divinæ hic ſpectemus in ſuo ἀποτελέσματι ſive *complemento:* quæ illi junctim & complexe ſumpſerunt. *Spiritus Gratiæ* cum dono *purificationis* ſpiritualis, reſipiſcentiæ, reverentiæ ac amoris Dei ac veræ fidei, dari inciperet cum Reditu ex Exilio; ſed *primitias* illas inſequeretur magna & copioſa *meſſis* hujus gratiæ deſtribuendæ tempore Meſſiæ fundaturi Regnum ſpirituale, cujus reſpectu dici poſſet *Spiritus* hucdum *non fuiſſe* quia *Jeſus nondum erat glorificatus* [f]. Eodem plane modo accipiendum eſt ſequens vaticinium de Liberatione Populi ex Exilio Babylonico propoſita ſub typo Reſurrectionis mortuorum [g]: *Et cognoſcetis quod Ego Jehova, quando aperiam ſepulchra veſtra*, (loca Exilii) *& quum vos aſcendere faciam ex ſepulchris veſtris, Populo mi;* ונתתי רוחי בכם *&* PONAM SPIRITUM MEUM *in vobis, & vivetis.* Idem tamen Propheta hoc idem beneficium deinceps alligat ad tempus Liberationis Populi Dei à Gogo & Magogo, qui primo & typico ſenſu exponendi ſunt de Syriæ Regibus Eccleſiæ perſequutoribus & terræ Judææ Vaſtatoribus, intra ipſos Canaanææ limites & in montibus ejus, caſuris. Verba Prophetæ [h]: *Et non occultabo amplius faciem meam ab iis,* אשר שפכתי את רוחי על בית ישראל *quando* EFFUDERO SPIRITUM MEUM *ſuper Domum Iſraëlis.* Confer Dan. XII. 3. 4. Hæc erat ſecunda gradatio ſive donatio Spiritus S. ſequuta reditum ex Exilio, ipſa quoque complenda in munifica donatione Spiritus S. per Meſſiam curanda. Cognatus huic locus eſt apud Zachariam, vere mixti generis. Relege eum mecum his verbis [i]: *Illo die quæram exſcindere omnes Gentes quæ veniunt contra Hieroſolymam: &* EFFUNDAM *in Domum Davidis & incolas Hieroſolymæ* SPIRITUM GRATIÆ (*Spiritum reſipiſcentiæ*, altiore ſenſu, *Spiritum adoptionis* qui datur ſub Oeconomia *Gratiæ*.) *&* SUPPLICATIONIS, & ſeqq. Facta erat proxime mentio Maccabaicorum, ut alias monui: quo tempore Deus vere Populo ſuo per Spiritum ſuum daret Gratiam reſipiſcentiæ. Sed quicquid etiam ejus ſit, emblema prophetiæ perfecte conformatum eſt ad tempus Meſſiæ, qui *Spiritu* ſuo *effuſo* excitaret Judæos ad reſipiſcentiam ſinceram & planctum pœnitentialem ab *Unigenito* Dei à ſe *confoſſum* [k]. Sed ſunt indubia & præclara loca de larga Effuſione Sp. S. ſub Regno Meſſiæ, paſſim ſatis nota, apud Prophetam noſtrum Cap. XLIV. 3. Joël, Cap. II. 28. Pſ. LXVIII. 19. Prov. I. 23. quæ impleri cœperunt illuſtri illa die Pentecoſtis, qua Jeſus noſter demonſtratus eſt *Dominus* eſſe & CHRISTUS. Poſtea hæc Donatio cœleſtis, ubique primis Sæculis comitata præconium Evangelii, eam in potiore parte Orbis terrarum effecit mutationem admirabilem quam Vates noſter mox commemorat.

connectitur cum *Reditu ex Exilio.*

Et tamen ita ut emphaſis ejus cadat in tempus Meſſiæ.

Quomodo hæc & analogæ prophetiæ accipiendæ ſint?

Vaticinium ſimile ex Cap. XXXVI. 14.

Rurſus refertur ad tempus Liberationis Eccleſiæ à Gogo & Magogo. Cap. XXXIX. 2.

Locus analogus Zach. XII. 9. 10. Quo modo accipiendus ut & alia juſdem generis?

Inde

Promiſſum Sp. S. in eo

---

a Act. II. 38. *b* Heb. VI. 4. *c* Jac. I. 17. coll. cum Luc. XI 13. *d* Cap. XI. 2. *e* Cap. XXXVI. 24. ſeqq. *f* Joh. VII. 39. *g* Cap. XXXVII. 13. 14. *h* Cap. XXXIX. 29. *i* Cap. XII. 9. 10. *k* Act. II. 37.

Ex superioribus colligitur vera significatio voculæ ע, usque quo. Sensus aliorum Intt.

Inde jam luculenter patet, quo sensu illud ע USQUE QUO hic sit accipiendum. Plerique Interpretes, nullam agnoscentes *effusionem Spiritus S.* nisi apoteleſmaticam illam factam in initiis Regni Gratiæ, se ægre hic expediunt, finguntque nobis integram seriem malorum & calamitatum Populi Judæi continuandam usque ad tempus Messiæ, inter cujus characteres esset *donatio uberior Sancti Spiritus.* Sed Prophetam legenti patet, τὴν δόσιν τῦ Πνεύματος ἐπεράνιον *Communicationem Sp. S.* hic poni *terminum* illius Desolationis Hierosolymæ quam in superioribus descripserat; quam ipsi largiuntur factam fuisse à Chaldæis. Atqui quis neget, illam Desolationem *terminum* suum attigisse post Reditum Populi ex Exilio, Republica sensim instaurata secundum prædictiones omnium Prophetarum & fidem historiæ? Pertinet itaque necessario ad intellectum hujus & cognatarum prophetiarum, *initia* hujus Gratiæ recte distinguere à suo *complemento.* Populus superstes non erat reducendus ex Exilio, nec Respublica instaurari debebat nisi post *præcedaneam conversionem ad Deum*, quæ esset effectum Spiritus respiscentiæ & fidei, secundum clarissimas prædictiones Mosis Lev. xxvi. 40. seqq. Deut. iv. 29. seqq. xxx. 3. 4. coll. cum Hos. ii. 16. (*Dist. Heb.*) Ezech. xx. 35. idque in hac prophetia æque ac in omnibus aliis hujus argumenti supponitur. Hæc vero *conversio* Populi *sincera* ad Deum, qua omni idololatriæ cum pœnitentia puri & integri animi renunciavit, & quidem in ipso *Deserto Gentium* ad *convictiones* verorum Doctorum quos Deus suo Spiritu eam in rem potenter instruxit, fuit luculentum effectum Spiritus Gratiæ, quod Liberationem ex Exilio debebat præcedere. cui effecto Gratiæ in omni Historia Populi superiorum temporum nullum hactenus simile extiterat. Usque enim ad tempus Reditus ex Exilio affectus Gentis in idololatriam proniſſimus fuit: hac tempestate ab hoc morbo lethali sanata est. Post reditum vero ex Exilio Ezras, Vir plane eximius, à Spiritu Dei affectus, cum turba Sacerdotum & studiosorum Divinæ Legis, Populo instruendo & Sacris Publicis ordinandis strenue incubuit. quo eodem tempore, cura Nehemia, Hierosolyma instaurata est. Hæc illa *initia* erant hujus *Donationis* Spiritus quæ Propheta hic directe respici vult ut terminum impositura Vastationi Terræ & Urbis. Sed procedente tempore, hæ prolusoriæ Donationes Spiritus, deinceps repetitæ temporibus Afflictionis Syriacæ, erant complendæ sub Regno Messiæ exaltandi ad Dextram Patris, *in cœlis supremis* qui hic vocantur מרום *Locus excelsus*, ut sæpe alias, quando hoc promissum perfecte repræsentatum est. Sic Vates Sacer Deo Messiæ acclamans, eadem usus voce מרום *Locus excelsus* [a]: *Ascendisti* למרום *in* ALTUM (ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν [b],) *captivam duxisti captivitatem; accepisti dona in hominibus.* Si itaque errare nolis in hujus prophetiæ interpretatione: quod Vates *complexe* vidit, cave dividas; & nullibi hærebis.

Terminus ad quem hic in genere est Respublica instaurata post Reditum ex Exilio Babylonico.

Effecta Donationis Sp. S. fuerunt Conversio Populi in Exilio, & Institutio Publica in Exilio facta à præstantibus Doctoribus.

Quæ initia deinceps suum consequuta sunt complementum. quod demonstratur.

Beneficia *Consequentia.*

Primum: *Conversio Gentium.*

Beneficia Consequentia Donationis Sp. S.

Primum illorum, *Conversio Gentium.*

Aspectus verborum Prophetæ.

vſ. 15. med. *Et erit Desertum in arvum frugiferum, &* ARVUM FRUGIFERUM SYLVA REPUTABITUR. vſ. 16. *Et habitabit in Deserto* JUS, *& Justitia in Arvo frugifero residebit.*] Consequens est, ut quisque videt, *Beneficii principalis*, modo recensiti. Addo, esse *consequens spirituale.* Causſa enim, h. e. effusio donorum Sancti Spiritus, est res spiritualis. Imo vero adjicio, videri esse *consequens lætum* ac jucundum, quippe pericopa hæc consolatoria pertinet ad sustinendam spem seminis sancti de instauranda Ecclesia. Et tamen si inspicias verba Prophetæ: mox sentis esse quod te in diversum trahat. Id recte intelligitur ex hypothesi quod in initio perscriptum est, *Desertum* fore *in Arvum frugiferum*, h. e. Gentes huc usque torridas & steriles producturas esse fructum justitiæ ad gloriam Dei & usum Ecclesiæ. Est enim hoc verum consequens effusi Spiritus Gratiæ. Sed quod additur, *Carmelum* sive *Arvum frugiferum reputandum esse pro sylva:* videtur incurrere in hypothesin. Intelligas enim, sis, sententiam Vatis in hunc modum, fore ut Judæi externi, carnales, justitiarii, excidant nomine & prærogativis Ecclesiæ quibus hactenus gavisi erant: (quo modo hæc verba accepimus Cap. xxix. 17.) primo quidem durum dictu videtur, τὴν Ἀποβολὴν *Rejectionem Judæorum* fore consequens Beneficii *Communicationis Sp. S.* Deinde, si hic sit sensus Prophetæ, quare protenus additur: *Et habitabit Jus in Deserto, & Justitia* בכרמל *in* CARMELE (sive *Agro frugifero*) *residebit.* Hic vero Interpretes, hæc inter se & cum loco Cap. xxix. 17. composituri, diverse rursus instituunt, quorum interpretationes recensere, consilii non est. Cl. de Dieu, de difficultate loci præfatus, expendit sententias Junii & Vatabli, (quæ hic eadem est quæ Kimchii,) quibus ipse suam meditationem adscribit. Sed ea specimina potius apud ipsum legi velim quam hic repetere. certe ipsius Viri Doctissimi expositio nihil habet probabile. Inter tolerabiles loci hujus interpretationes has seligi. Sunt qui verbis: *Et Carmel* sive *Arvum frugiferum pro sylva reputabitur:* hunc dant sensum: *Desertum* mutabitur *in Carmel* sive *Agrum frugiferum: Ager* autem *frugifer*, amœnus & fœcundus antea, eam subibit mutationem, ut *si prioris temporis speciem spectes* sive si eum cum priore suo statu compares, *vidisse te ante putes Desertum aliquod, aut sylvam horridam & incultam.* tanto scilicet nunc videbitur amœnior ac fœcundior, quanto sylva inculta distat ab Agro frugifero. Laudat Sanctius Thomam, in hunc fere euntem sensum quem ipse quoque adoptat. Kimchius idem volebat, sensum loci docens esse, *progressuros esse Israëlitas* ממדרגה למדרגה *ex uno gradu* perfectionis status *in alium*, quod identidem melior illorum fieret conditio: sed emblema aliter accepit. Vult enim verba, *Agrum frugiferum reputandum esse saltum*, id significare; in Agro fertili arbores frugiferas & pomiferas tanta copia nunc emasciturus esse ut speciem *sylvæ & saltus* sint ostentaturæ. quæ interpretatio non est ferenda. Vox enim יער *sylva* opposita *Arvo* apud Prophetam nostrum semper sumitur in deteriorem partem; & *Arvum* potest esse ferax ac fœcundum, licet non consitum arboribus. Forte tamen Chaldæus eodem modo accepit, hoc membrum vertens: וכרמלא קרוין כניאין יתיב *Et Carmel civitatibus multis habitabitur.* Rectius itaque in hoc genere se habet interpretatio Sanctii: quam eandem deprehendi apud Schmuckium, & Altingium quoque sed qui eam mox rursus deserit. Altera sententia est, phrasin Prophetæ non id proprie velle dicere, *deteriorem* fore *conditionem Carmeli*, sed *exequandam esse Deserto.* adeo ut mutatio *Carmeli* & *Deserti* hoc loco notet *exæquationem Judæorum & Gentilium* in Regno Christi post effusum Spiritum Gratiæ. Sententia est Sebastiani Schmidii, qui proin fatetur, verba hoc loco *sensu alio* sumi ac Cap. xxix. 17. licet non *contrario.* Tertia denique expositio fert, per *Desertum mutandum in Carmelum* intelligi electos qui per Gratiam Dei fertiles redderentur ad producendos fructus Justitiæ; & per *Carmelum reputandum pro sylva*, hypocritas qui *videbantur esse fertiles & apti ad bona opera* publice demonstrandos esse *arbores sylvestres*, nullum *fructum* proferentes Deo gratum. Sic fere Piscator, & Altingius, qui hunc sensum uberius prosequutus est: licet neuter tentaverit hanc expositionem conciliare cum eo quod sequitur; *Carmelum* sive *Arvum frugiferum fore sedem Justitiæ.* Primus sensus vere sua se commendat elegantia & experientiæ pulchre quadrat. *Ecclesia* enim *Judæa* donis S. Spiritus perfusa tantum cepit incrementum *fertilitatis* in Apostolis, Evangelistis, & *Discipulis Christi*, ut comparatione institutæ pristinæ suæ conditionis videri posset fuisse *saltus.* quod ipsum quoque hic placuit Liranо. Sed sensus hic

Difficultas quæ hæret in verbis Prophetæ.

Quo modo Intt. aliqui eam expediant?

Expositio Cl. de Dieu.

Speciosa aliqua hujus loci interpretatio.

Expositio Kimchii.

In eam ἐπίκρισις.

Cl. Schmidii sententia.

Tertia quædam interpretatio horum verborum.

Auctores ejus.

De singulis interpretationibus judicium.

[a] Pſ. LXVIII. 19. [b] Ephes. IV. 10.

hic minus bene convenit loco parallelo Cap. XXIX. 17. in quo Vates eandem exhibuerat sententiam, nisi quod loco *Deserti* ibi posuerit *Libanum*. quod hoc in casu idem est. Circumstantiæ autem ejus loci ei favent sensui quem ibi adstruxi. Accedit, loquutionis hujus nullum adferri exemplum aliud ex Scriptura, ut res dicatur æstimari id esse non quod est in præsenti, sed quod dici posset esse respectu præteritæ suæ conditionis. Eadem παραλλαγὴ desideratur in sensu Cl. Schmidii; quam tamen servare præstat in ejusdem Scriptoris expositione. Postrema itaque hypothesis ex meo sensu proxime accedit ad scopum Prophetæ, sed latius paulo accipienda & distinctius exponenda.

Verba Vatis relegantur, eorumque demonstratur sensus

Primum membrum hujus sententiæ: *Et Desertum fiet in Arvum frugiferum:* docet fore ut Deus hoc tempore gratiam suam inciperet communicare cum *Gentibus*, huc usque vacuis vera gratia & consolatione, quæ cum *humilibus*, *mansuetis* & *gratiæ Divinæ sitibundis* in Populo Dei coalescerent in *Cœtum* qui veram *Ecclesiam* faceret, non carnalem amplius sed spiritualem, à Spiritu Divino irrigandam, fructuosam bonorum Operum; ut adeo Deus ab hoc usque tempore viam sterneret ad Oeconomiam Carnalem, externam, cum spirituali commutandam. Sustinet itaque hic *Desertum* geminam sed affinem significationem. Primo notat *humiles*, (עניים) *tenues*, (דלים) *inopes* in Populo Dei, sitibundos veræ consolationis, passim à Proceribus & Præfectis Ecclesiæ carnalis neglectos & oppressos: dein altiore & veriore sensu *Gentes* quæ huc usque vera consolatione vacuæ instar terræ inculti, sterilis ac sitibundi soli frugem non dederant ullam Deo acceptam & humano generi ad salutem proficuam. Hoc vero Desertum, utroque sensu sumptum, coalesceret in unam Societatem, & veram faceret Ecclesiam, h. e. *Carmelum*, sive Arvum frugiferum.

Prius membrum: *Et Desertum fiet in Arvum frugiferum.*

Sensus sententiæ.

Referenda sunt ad *conversionem Gentium.*

Locus parallelus Cap. XXIX. 17. & analoga alia.

Hic certus sensus subest loco Cap. XXIX. 17. ut ex illo cum circumstantia contextus lecto atque expenso colliges. Utraque notio *Deserti* non divise sed junctim sumpta, involvitur hac voce Cap. XLIV. 3. *Effundam aquas super* SITIENTEM; (humiles, paupere spiritu, sitibundos veræ Gratiæ & consolationis in Populo Judæo,) *& fluenta super* ARIDAM, sc. terram: (h. e. super Gentes hactenus pluvia cœlestis gratiæ non rigatas.) *Effundam* SPIRITUM MEUM *super semen* TUUM, *& Benedictionem meam super propaginem tuam.* Alia loca, in quibus *Deserti* hæc notio recurret, in consequentibus videbimus [a]. Propheta noster sibi ubique similis est. Alterum membrum: *Et Carmel* sive *Arvum pro sylva reputabitur:* demonstrat, cum *effusa Spiritu Gratiæ* procedente tempore sensim abolendam esse Oeconomiam carnalem & externam Populi Dei, & Præfectos, Proceres, ac Doctores, cum potiore Populi parte, justitiarios, carnales, & feroces quoque ac superbos, qui sibi arrogabant nomen & titulum *Ecclesiæ*, *reputandos esse* tanquam *exortes* communionis Dei & Sanctorum, & exclusos vero Dei Regno spirituali quod per Filium suum & Apostolos ejus in Orbe terrarum toto fundaret. Dictum Domini [b]: *Dico autem vobis, multos ab Oriente & Occidente venturos, & discubituros esse cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo in* REGNO COELORUM; FILIOS *autem* REGNI EJECTUM IRI *in tenebras illas extimas.* Locum ex plurimis hujus argumenti ideo selegi, ut ex eo observaremus, vocem *Regni* æque ac hoc in loco *Carmeli*, geminam sustinere significationem. *Regnum* cœlorum in priore membro utique notat *veram Ecclesiam*, à Messia fundandam, modo spirituali ac cœlesti administrandam: in posteriore *Ecclesiam* externam, carnalem, putatitiam, quæ sibi arrogabat nomen, jus & titulum *Regni Dei*, cujusque membra jactabant *Regnum* Dei suum esse, idque sibi solis deberi. Hæsitas, an hic effectus recte referatur ad *effusionem* Spiritus S.? Cognosce rem ex Vate nostro [c]: *Vox clamantis:* (an non Pauli?) *Omnis caro gramen & omnis gratia ejus ut flos agri.* (subintellige Oeconomiam Veterem cum omni suo spendore, decore, & apparatu carnali.) *Exaresçit gramen, decidit flos,* כי רוח יהוה נשבה בו *quando* SPIRITUS JEHOVÆ *in eum sufflat. certe gramen est hic Populus.* sc. carnalis. Oeconomia spiritualis Regni Christi destrueret carnalem & typicam, quippe quæ simul non possent consistere. Si tamen omnino dicere graveris, *Abolitionem Oeconomiæ* V. *& Rejectionem Populi carnalis*, esse effectum Donationis Sp. S. nihil est quod te moretur. Verba enim Prophetæ in hanc sententiam rectissime accipiuntur, *Desertum mutandum esse in Carmelum*, dum *Carmel pro sylva reputaretur:* ut posterius membrum sententiæ non immediate pendeat ab *Effusione Sp. S.* sed à membro antecedenti *conversionis Deserti in Carmelum.* ut nimirum Propheta simpliciter doceat, *mutationem Carmeli in sylvam* fore *accidens* ejusdem temporis, quo *Desertum mutaretur in Carmelum.* Prius penderet ab Effusione Sp. S. posterius esset consequens & cognatum prioris.

Alterum membrum: *Et Carmel pro sylva reputabitur.*

Sensus ejus. Notatur abolitio Oeconomiæ Veteris.

Locus Matth. VIII. 12.

Effectus hic recte refertur ad *Effusionem Sp. S.*

Alia meditatio quæ sensum emollit.

Tertium membrum sententiæ superiora confirmans, ℣. 16.

Tertium membrum, superiora confirmans, Propheta his effert verbis, ℣. 16. *Et habitabit in Deserto judicium, & justitia in Carmele*, sive *Arvo frugifero residebit.* Sensus est, Deum ab hoc tempore inter Gentes habiturum esse *Regnum stabile*, fundatum in *Doctrina Rationali* Christi Jesu, quæ *canon* esset *judicii* & disciplinæ illius Regni; & Desertum conversum in *Carmelum* habiturum esse incolas, indutos ornatosque *habitu Justitiæ*, statui Regni Gratiæ conveniente. Idem est quod Vates noster scripserat Cap. II. 4. *Et judicabit inter Gentes*, sive, *judicabitur inter Gentes*, (h. e. Regnum habebit Filius Dei magnus Doctor inter Gentes,) *& convincet* demonstratione rationali *Populos multos magnosque.* משפט *Judicium*, *absolute* sumptum, hic est *Doctrina* Religionis rationalis, canon juris subditorum Regni Dei, eique conjuncta *disciplina*, à Rectoribus Ecclesiæ exercenda. Sic Jesaias noster de *Servo* Jehovæ *electo* [d]: משפט לגוים יוציא *Proferet* JUDICIUM *Gentibus.* Rursus [e]: *In veritate proferet* JUDICIUM. Mox in eundem sensum [f]: *Non hebescet, & non conteretur,* עד ישים בארץ משפט *usque quo posuerit in terra* JUDICIUM, *& Doctrinam ejus insulæ exspectabunt.* Idem sensus his subest locis, Christum Jesum, verum Messiam, Regnum erecturum esse inter Gentes per præconium Evangelii, & Gentibus, solidæ doctrinæ salutis sitibundis, procuraturum esse *Doctrinam* salutarem, in principiis rationis & conscientiæ fundatam, qualis est Doctrina *Evangelii*, ad quam conformanda sit *disciplina* Regiminis & morum subditorum illius Regni. *Habitus* autem hominis in Statu Gratiæ, phrasi Scholæ sanctorum, dicitur *justitia:* qui habitus involvit *fidem* qua peccator amplectitur & sibi vindicat magnum donum *Justitiæ Dei*, sibi Verbo Gratiæ oblatum, & ex principio fidei se gnaviter exercet in studio omnis *Virtutis* & praxi omnium officiorum vitæ spiritualis. Ubivis occurrit hoc sensu, ubi de *justitia hominum* usurpatur. In vero enim Dei Regno, sive antiquo sive novo, nulla *justitia* præter hanc cognita receptaque est. Sic Propheta noster de Hierosolyma qualis fuerat sub piis Regibus [g]: JUSTITIA (צדק) *in ea pernoctabat.* Multos habebat Proceres & Cives virtutis ex principiis amoris Dei & fidei studiosos. Christus Dominus [h]: *Dico enim vobis, nisi exundaverit* ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν JUSTITIA VESTRA *supra eam Pharisæorum & Scribarum: vos nequaquam esse ingressuros in Regnum Cœlorum. Justitia* hic est omnis *habitus* hominis positi in statu communionis Dei, qui in statu Gratiæ involvit *fidem* & ex fide *operosam charitatem*, h. e. omnis virtutis spiritualis, sanctimoniæ & justitiæ, exercitium. Esset autem hoc *Regnum Dei* inter Gentes, in *Deserto* convertendo in *Carmelum*, sive *Arvum frugiferum*, stabile, duraturum usque ad Sæculorum fines, ut scriptum erat in tabulis Pacti Gratiæ [i].

Per *Justitiam* quæ habitaret in Deserto quid hic intelligatur?

Locus Cap. I. 21. & analoga.

Describitur ex mente Scriptorum Sacrorum.

Hæc

[a] Cap. XXXV. 6. XLI. 18. 19. XLIII. 20. [b] Matth. VIII. 12. [c] Cap. XL. 5. 6. [d] Cap. XLII. 1. [e] ℣. 3. [f] ℣. 4. [g] Cap. I. 21. [h] Matth. V. 20. [i] Ps. LXXII. 7–17. Jes. XLIX. 6.

Vis vocis *habitare, residere*, in h. l.

Hæc vis est in verbis, *habitabit, residebit.* ut in analogo, Ps. LXXXV. 10. *Ut* HABITET GLORIA *in terra nostra.* pariter ac in loco Prophetæ modo allegato, Cap. I. 21. usurpatur *pernoctandi* notio. Phrasis desumpta est à Regibus, ac Ministris illorum, Justitiæ Præsidibus, Sapientibus, Philosophis, qui Palatia, Prætoria, & Scholas suas habent inter Populos, in quibus jus administratur & sapientia vera docetur, quod cuique terræ censetur esse decori & ornamento. *Doctrina* itaque & *disciplina* Regni Dei & *Religio* ejusque *Fides & Cultus*, per Gentes & Populos sua haberent Templa, Διδασκήρια, Scholas, in quibus publice celebrarentur; non transitoria, sed stata, solennia, in ævum duraturа, & cultores ac professores magno numero qui se huic doctrinæ aut disciplinæ subjicerent. Hoc consequens esset effusi Spiritus Gratiæ, quod idem Vates describit Cap. XLIV. 3--5.

Metaphora unde desumpta?

Implementum Apotelesmaticum hujus prophetiæ est quærendum in initiis Ecclesiæ N. T.

Implementum *Apotelesmaticum* hujus prophetiæ præcipue adstringendum esse ad initia temporis Oeconomiæ Novæ, ubi post effusum Spiritum Gratiæ hi Eventus coram oculis omnium Gentium conspicui evaserunt, historia & experientia non docent tantum, sed & clamant: de quo quantum satis est, monui ad Cap. XXIX. 17. Et tamen non inutile fuerit hic obfervare gradationes per quas hoc σχῆμα sensim ex ordine Divinæ Providentiæ in Orbem terrarum inductum est.

Et tamen plura ejus fuerunt præludia. quæ recensentur.

Prima gradatio circa tempus Reditus ex Exilio.

Postquam Populus Dei defunctus esset malis secundum rationes Justitiæ Divinæ ad scorias Ecclesiæ expurgandas, ei decretis: Deus *Spiritum conversionis, pœnitentiæ, respiscentiæ, fidei, amoris sui*, cum illo Populo communicavit in *Deserto Gentium*, in Exilio Babylonico, secundum Ezechielem [a]: *Et adducam vos in* DESERTUM POPULORUM, *& disceptabo ibi vobiscum facie ad faciem.* Populus autem ille ἐλεγχόμενος & *eruditus* per Gratiam Spiritus S. (cujus opus est τὸ ἐλέγχειν [b],) fuit *tenuis, afflictus*, gratiæ & consolationis indigus, in Deserto Gentium sterili versatus. Tsephanias [c]: *Et reliquum faciam in medio tui* POPULUM INOPEM *&* TENUEM, *& confugiet ad nomen Jehovæ.* Eopse autem tempore ex Gentibus plures se aggregarunt *novæ* illi Ecclesiæ *instauratæ*, ut vidimus Cap. XIV. 1. 2. quæ *primitiæ vocationis Gentium* procedente ætate in magnum numerum non jam inter Babylonios amplius, Medos, Persas, verum etiam inter Ægyptios & Asianos excreverunt. Hæc prima est *abjudicatio Carmeli* carnalis; hoc primum specimen *Judicii* & *Justitiæ*, residentium in *Deserto*. Post instauratam Ecclesiam & Rempublicam, appropinquante magno Die salutis, Deus novum *Judicium* exercuit in *Carnem* tempore Regum Syriæ, Persecutorum Ecclesiæ. Proceres, Sacerdotes, & Præfecti Populi, præsertim Hierosolymitani, qui sibi arrogabant jus, titulum, prærogativas, veræ Ecclesiæ, à Deo publice destituti & prostituti sunt, perieruntque gravissimis Dei Judiciis: sed confessores veritatis Sacerdotalis & Plebeji ordinis, tenues, pauperes, afflicti, consolatione vacui, latitantes in antris & desertis, meruerunt à Deo *visitari in gratia*, & accipere *Spiritum*, ausim dicere, uberiore mensura. Huc pertinet insignis ille locus Zachariæ, in circumstantia orationis legendus [d]: *Petite à Jehova pluviam tempore pluviæ serotinæ.* (erat jam *vespera* Ecclesiæ N. T. non longe ante *messem* Gratiæ:) *Jehova facit fulgetra; &* PLUVIAM IMBRIS DABIT IIS; *cuique herbam in agro.* Intellige rem totam ex sequentibus Prophetæ [e]: *In* PASTORES *efferbuit ira mea; & in* ARIETES MAJORES *visitabo. Nam visitavit Jehova* Deus *Exercituum* GREGEM SUUM (Plebem Judaicam,) *Domum Judæ. Ab ipso angulus, ab ipso clavus; ab ipso exibit omnis exactor pariter.* Carmelus florens mutaretur in sylvam: Plebs misera, afflicta, egena opis & gratiæ, Spiritum gratiæ acciperet insigni copia. Sed hæc præludia complementum suum sortirentur in illustri Die Christi Jesu, ut sane consequuta sunt absque dubitatione luculentum. Regnum Christi Jesu eum in modum revelatum est, ut omnibus clarissimum evaserit, esse Deo propositum *destituere* ac *prostituere* Judæos magnam partem carnales, hypocritas, Justitiarios, *sapientes & potentes* hujus Sæculi, interque eos plures profani animi homines, veros Ismaëlitas ac Esavitas, qui sibi vindicabant titulum veræ Ecclesiæ, veri Carmeli: contra vero *Regnum* erigere *spirituale* ex paucis qui supererant in Israële Divinam gratiam & consolationem veramque Justitiam *esurientibus* ac *sitientibus*; qui cum Gentibus coalescerent in unum Populum, cui dehinc competerent nomen & prærogativæ Regni Dei. Sic docuit eventus. Dominus neglectis Pharisæis, Scribis, Potentibus Sæculi, Hierosolymitanis, ex ordine plebejo *duodecim* elegit *Viros*, honestos ac prudentes, sed fortis vitæ in re humana humilioris, illiteratos & docendi dicendique artibus non instructos, magnam partem Galilæos, ab Hierosolymitanis contemtos, quibus subordinavit LXX Evangelistas ejusdem generis; ut iis perfundendis donatione sui Spiritus uteretur ut instrumentis Regni sui per præconium Verbi Evangelii, quod est Verbum Justitiæ, fundandi & stabiliendi inter *Judæos electos*, ipsi à Patre datos, *semen residuum secundum electionem gratiæ*, & dein *inter Gentes*, quæ cum *nova* hac *Ecclesia* electorum coalescerent in unum Populum Christi, veram facturum Ecclesiam in Mundo: abjudicatis & reprobatis post obstinatam impœnitentiam & incredulitatem carnalibus, Justitiariis, interque eos profanis & impiis qui externe tuebantur nomen Ecclesiæ. Sic Deus *f forte facinus fecit brachio suo. dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum. detraxit potentes de thronis &* EXTULIT HUMILES. *famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes.* Sic *conversum est Desertum in Carmelum, & Carmel reputatus est ut saltus*; & *Judicium* ac *Justitia in Deserto stabilem* obtinuerunt *sedem*, atque hucdum obtinent.

Eventus interpretationem hujus prophetiæ illustravit. qui demonstratur ex historia fusi dati Regni Christi Jesu.

Altera circa tempus Persecutionis Syriacæ.

Locus Zach. X. 1.

Complementum implementi sub Oeconomia Nova.

Consequens alterum: PAX cum Deo.

℣. 17. *Et erit* OPUS JUSTITIÆ PAX] Beneficia hæc Gratiæ, consequentia effusi *Spiritus Gratiæ*, ita sibi invicem subordinantur, ut posteriora tanquam effecta immediate pendeant à proximis antecedentibus; remote & mediate à Beneficio principali & caussali effusi Spiritus. Est autem Beneficium Gratiæ hic signatum non simplex, sed complexum, *spirituale temporali* mixtum. *Spirituale* exhibetur priore membro: *Et opus Justitiæ erit* PAX. *Temporale* sequenti *membro*, & ℣. 18. Qualis vero *Pax* & cujus generis? Mysterium salutis & nexus beneficiorum Gratiæ nos de eo dubitare non sinit. Est *pax* spiritualis, comes, consequens, & effectum *Justitiæ*, h. e. doni gratuitæ remissionis peccatorum in *fide* Messiæ. quæ est tranquillitas & serenitas animi orta ex reconciliatione cum Deo & certa persuasione gratiæ ejus, oppositа inquietudini & molestæ perturbationi animi quam producit *conscientia peccati*, nondum expiati aut remissi; sive sensus aut metus iræ Dei ut *Vindicis* suæ Majestatis & respectus justi judicii ejus. Equidem est hæc *pax* effectum & consequens naturale τῆς δικαιώσεως per omnia Ecclesiæ tempora. Ut enim conscientia peccati parit *mœrem & perturbationem* animi: sic reconciliatio cum Deo & sensus favoris ejus, (quod ipsissimum est beneficium *Justitiæ:*) producit serenitatem, pacem, lætitiam, animi & conscientiæ, quam Vates sacer vocat *lætitiam salutis Dei* [g]. Ipse de eo pressius in eadem supplicatione [h]: *Audire me fac gaudium & lætitiam: exultent ossa quæ contrivisti.* h. e. Paca animum conturbatum nuncio & sensu tuæ gratiæ. Alio loco [i]: *Nulla* PAX *est in ossibus meis propter peccatum meum.* Sed cum Oeconomia Nova esset meræ gratiæ, qua peccata electorum expiarentur per Messiam, adducturum *justitiam æternam* & procuraturum Ecclesiæ τὴν ἀπολύτρωσιν *redemptionem*

Consequens alterum *Effusi Spiritus*: *Pax cum Deo*, ℣. 17.

Nexus orationis Propheticæ.

Cujus generis *Pax* hic designetur?

Est *spiritualis* quæ describitur.

Est certo sensu commune bonum omnis Oeconomiæ Ecclesiæ.

Sed præsertim Oeconomiæ Novæ. quod declaratur.

[a] Cap. XX. 35. [b] Joh. XVI. 8. [c] Cap. III. 12. [d] Zach. X. 1. [e] ℣. 3. [f] Cant. Mar. Luc. I. 51. seqq. [g] Ps. LI. 14. [h] ℣. 10. [i] Ps. XXXVIII. 4.

perfectam cum ἀΦέσει τῶν ἁμαρτιῶν *remissione peccatorum perfecta*, quæ expungeret omnem ἀνάμνησιν *recordationem peccati*, solenni ritu receptam sub Oeconomia Vetere, & obsignaretur copiosa donatione Sp. S. quod unum verum & certum pignus est Divinæ Gratiæ: PAX in emphasi sic dicta est *conscientia* illa *purgata* & *consummata*, quam in Christum Jesum credentes, & per fidem ejus adepti *justitiam*, consequuntur, Judæi & Gentiles, Græci & Barbari, quotquot sortem habent in Communione Sanctorum. cujus *pacis* ea æstimatio est, ut ipsa *omni cogitatione superior* [a], infinito superet omnia hujus Mundi bona. Dispellit enim omnes animi nebulas & tenebras: compescit tumultum affectuum, eosque suo subjicit *imperio* [b]: sanat vagas animi perturbationes, & per totum hominem repandit lumen, seneritatem, gratiam. Est autem hæc ipsa *pax* Regni Messiæ, de qua Propheta noster Cap. IX. 5. ubi Messiam vocat *Principem pacis*, & mox subjungit ℣. 6. *copiæ imperii &* PACIS *nullum fore finem*. & de qua Cap. LIV. 7. *Magna erit* PAX *filiorum tuorum*. sc. Hierosolymæ justificatæ. Et possunt hic conferri loca, Cap. LII. 7. & LIII. 5. Esse autem illam *pacem* hic intelligendam, monuerunt nos Scriptores N. T. ubi de hac *pace* comite *Justitiæ* loquentes ad hunc locum respexerunt. Sic Apostolus [c]: JUSTIFICATI *igitur ex fide* PACEM *habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum*. Rursus [d]: *Regnum Dei .... est* JUSTITIA, PAX *& lætitia per Spiritum S.* Est autem paci cum Deo cognata *pax* cum hominibus, quæ nascitur ex communione Religionis inter Judæos & Gentes. Est amicitia, charitas, concordia, quæ sibi constat inter Judæos & Gentes, olim per *parietem intergerinum* ab invicem divisos, procurata *sanguine Christi*, verissimum effectum *Justitiæ* per ipsum adductæ, & nostræ δικαιώσεως *Justificationis* per *Redemptionem Christi Jesu*. Nostra enim δικαίωσις involvit ἄΦεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. *remissio* autem *peccatorum* quæ ἄΦεσις dicitur, infert & supponit τὴν κατάργησιν *abolitionem peccati* cum omnibus ejus effectis, inter quæ est *paries intergerinus*. Apostolus exerte [e]: *Ut ex duobus illis conderet unum hominem novum in semet ipso*, ποιῶν εἰρήνην PACE *facta*, *& utrosque in uno corpore conciliaret Deo* PER CRUCEM. quo respexerunt Chori cœlestes, inter effecta adventus Filii Dei in mundum recensentes ἐπὶ γῆς εἰρήνην PACEM *in terra* [f]. Imo vero *justificatus per fidem* Deum sibi nactus propitium in sanguine Christi Jesu, Angelos omnes, potestates cœlestes, sanctos consummatos in cœlis, Reges, Principes, Patriarchas; æque ac sanctos adhuc laborantes in terris, respicit ut *amicos* & proximos suos, imo ut *suos*; totamque naturam rerum, olim ipsi adversam, inimicam, contrariam, nunc ad voluntatem summi Rectoris, Patris sui cœlestis, sibi ad salutem æternam subservientem ac subjectam. Pater enim, PACE *per sanguinem* Christi *facta*, *per eum sibi conciliavit omnia*, *tum quæ in terra*, *tum quæ in cœlis* [g]. Dissidium quod erat inter *cœlum* & *terram*, & inter incolas terræ *Judæos* & *Gentes*, per ipsum sublatum est. Hic fructus est *Justitiæ* per ipsum adductæ, & nobis aptatæ in habitum spiritualem.

Ex attributis & effectis ejus.

Analoga loca de *Pace Regni Christi*.

Consensus Scripturæ N. T. hanc *pacem* demonstrat.

Latior ejus aspectus.

Involvit *pacem* cum hominibus, & quoque *Judæorum* cum *Gentibus*.

Ut & cum Sanctis in cœlo, *Angelis* & *Spiritibus* justorum consummatorum.

Consequens tertium: *Tranquillitas & Securitas temporalis.*

℣. 17. med. *Et* EFFECTUS *Justitiæ tranquillitas & securitas in sæculum.* ℣. 18. *Et habitabit populus meus in tabernaculo pacis, & in mansionibus securis, & in refrigeriis quietis*] Nec tamen hic subsistit Vates. Prævidens enim, per *fidem* Evangelii *vincendum* tandem esse *mundum*, & Christo Jesu vi *Justitiæ* ab ipso *adductæ* subjiciendum, atque adeo Populum Dei occupata hæreditate Mundi gavisurum tandem esse pace, tranquillitate, & securitate cum Religionis suæ pacato ac tranquillo cultu, addit: *Et* EFFECTUS *justitiæ tranquillitas* (השקט. proprie, *quiescere*, *tranquille agere*,) *& securitas in sæculum.* Sensus is est quem dixi; *Justificatos* per fidem Christi Jesu post antecedaneam luctam hunc tandem obtenturos esse *effectum*, ut cum pace vera, interna, spirituali, gauderent etiam *pace externa* quod ad *Religionem* & *Religionis cultum*, occupata & sibi subjecta hæreditate Mundi. Fateor, orationem Prophetæ ferre posse, ut notiones *tranquillitatis* ac *securitatis* ad ipsum quoque referantur animi statum spiritualem, h. e. ad τὴν πληροΦορίαν τῆς ἐλπίδος *plenam spei certiorationem* sive *persuasionem*, quam parit *fides* sub Oeconomia Gratiæ [h]. Sed facilior est interpretatio quæ hæc verba, in complexu & emphasi sumpta, & conjuncta cum ℣. 18. accipit de pacato & tranquillo Ecclesiæ statu in Mundo post antecedaneam gravissimam luctam, quam Ecclesia ex Exilio Babylonico redux consequuta est temporibus Maccabaicis: Ecclesia vero Christiana tempore Constantini. Ea vis est in voce עמורה, quæ proprie notat effectum, *opere* ac *labore* difficili acquisitum. *Justi* in Ecclesia Judæa non consequuti sunt hunc statum tranquillitatis & liberationis à persecutione nisi post difficillimam luctam sub Antiocho Epiphane & Successoribus ejus, quando primum implementum consequutum est vaticinium Haggæi [i]: *Et ego ponam in hoc loco* PACEM. & cognata Zachariæ [k]. Nec tamen putem id maxime velle Prophetam. Versabatur ipsi jam in hoc orationis suæ progressu ob oculos *Desertum Gentium* ut sedes *Judicii* Christi Jesu & incolarum *Justitiæ* habitu indutorum. Quicquid igitur hic vaticinatur de *pace* ut *Justitiæ* hujus consequente; & de *tranquillitate & securitate* ut *effectu difficili* ac *molesto* hujus *Justitiæ*, h. e. Regni Christi cujus subditi *Justitia* gaudent: respiciendum est ut effectum Regni Gratiæ & Spiritus. Victoria autem quam Ecclesia adepta est cum *tranquillitate* & *securitate* post antecedaneam difficillimam luctam tot annorum, & præcipue post novissimam persecutionis Diocletianeæ, est *victoria fidei*, cujus esset *vincere mundum*; & עמורת התרקרי *Opus difficile ac molestum Justitiæ* de injustitia, errore, superstitione, idololatria ac tyrannide, tandem triumphaturæ. Sequentia ℣. 18. id abunde declarant. Non *resedit* Populus Dei, post *Desertum* Gentium conversum in *Carmelum*, in *Tabernaculo pacis*, & *in mansionibus securis*, & *in refrigeriis* (non succurrit aliud verbum quo aptius exprimerem notationem vocis מנוחה quæ proprie notat *quietem* & synecdochice *locum quietum*) *tranquillis*, nisi postquam liberatus est à furore immani persecutorum qui à Satana incitati Ecclesiam cogitarant exterminare, & in mundo consequutus est עיר מושב *Urbem habitationis* [m]; & *sancti* inceperunt *judicare mundum* [n], & *regnare in terra* [o]; contra exspectationem omnium mortalium. Intelliges autem sub nomine *Tabernaculi*, *Mansionum*, *Refrigeriorum*, sive *locorum quietis*, *Ecclesias* sic stylo Ecclesiastico dictas; hoc est, *Oratoria* sacra in quæ credentes ad sacra sua celebranda coëunt, quæ Veteribus familiari loquendi modo dicuntur οἶκοι *Domus*, & οἶκοι εὐκτήριοι *Domus oratoriæ*. Quæ cum antehac subverterentur ab hostibus Religionis, aut in quibus cum turbarentur Religionem professuri: hoc tempore liceret secure in ea convenire, & ad consolationem ac refrigerium communia Sacra tranquille ac quiete sub tutela Principum Christianæ fidei sacratorum obire. Id ipsum est quod Vates facet in excellente Ode, Ps. LXVIII. 7. hæc tempora respiciens celebrat: *Deus! reducens solitarios* בישרים *Domum*, *educens vinctos catenis*, in libertatem. Factum ætate Constantini. Et cum Principes Romani Imperii ab hoc tempore (Juliano excepto, sed qui Philosophiæ præceptis imbutus Ecclesiam oblique magis quam directe impetiit:) Religionem Christianam professi ad clavum federint, & *securitas* quod ad Christianismi professionem *in longum* duraret: scribere potuit Propheta verissime, illum statum duraturum לעולם, h. e. *in*

Sensus sententiæ.

An Propheta hic agat de pace *temporali*, num *spirituali*?

Prius admittitur. Vis vocis עמורה h. l.

Refringitur ad Statum Regni Christi Jesu triumpharuri de Mundo.

Quomodo consequens Spiritus Gratiæ & Justitiæ Christi?

Verba ℣. 18. hunc sensum illustrant.

Quando hæc prophetia consequuta fit implementum suum?

Quid hic intelligatur per *Tabernacula* & *Mansiones* Ecclesiæ?

Locus Ps. LXVIII. 7. huc relatus.

Quo sensu Status ille Ecclesiæ durare debuerit לעולם *in sæculum*?

[a] Phil. IV. 7. [b] Col. III. 15. [c] Rom. V. 1. [d] Cap. XIV. 17. [e] Ephes. II. 15. [f] Luc. II. 14. [g] Col. I. 20. [h] Heb. VI. 11. [i] Cap. II. 10. [k] Cap. II. 5. [l] Cap. VIII. 3. seqq. [m] Ps. CVII. 7. [n] 1 Cor. VI. 2. [o] Apoc. V. 10.

Occurritur objectioni, quæ adversus expositionem moveri posse videtur.

in longum tempus, ut vidimus ℣. 14. Equidem non ignoro horum quoque temporum incommoda & turbas, maxime cauſſa Arianiſmi ab Imperatoribus huic hæreſi faventibus in Aſia & Ægypto, & Vandalorum Regibus in Africa, excitatas. Sed Prophetæ temporis hujus vel illius Eccleſiæ generalem conſpectum exhibentes, ſingularium & ſingulorum Caſuum non habent rationem, nec habere poſſunt. Cum enim nullus Eccleſiæ ſtatus ſit in Mundo, nec, ut ſunt res humanæ, fingi queat exiſtere, qui vitia, incommoda, & ſcandala omnia excludat: vel in prædictionibus de qualicunque Eccleſiæ ſtatu mille à Prophetis adhibendæ eſſent reſtrictiones; vel prædictio conformanda erat ad *generale* aliquod *attributum dominans*, quod totum Eccleſiæ ſtatum, ſecundum majorem ejus partem, occupat. quod, ſuadente ratione, à Prophetis factum. Liberatio Eccleſiæ à Perſecutione Paganiſmi erat attributum prædominans, ingens Dei beneficium. quo ſi inter Chriſtianos plures non recte uſi ſunt: Eccleſiam κατὰ τὸ πολὺ μέρος non privavit attributi hujus prærogativa.

Conſequens quartum: *Judicia in hoſtes Eccleſiæ.*

Conſequens quartum: *Judicia in hoſtes Eccleſiæ.*

Nexus orationis.

℣. 19. *Et grandinabit in* DESCENSU SYLVÆ, *& in humili ſtatu humilis erit* CIVITAS] Recta eſt & ſapiens oratio Prophetæ, qui cum in deſcribenda felicitate Eccleſiæ negligere non poſſet Judicium Divinum in hoſtes ejus; id ipſum his literis conſignat: quod licet hic in genere aliqui Interpretes viderint, hæſerunt tamen potiſſimum in *priore membro* hujus ſententiæ.

Loci difficultas.

cujus cauſſa ſcripſit Lud. de Dieu, *difficillimum hunc eſſe locum, quem qui illuſtrare vel conatur, laudem mereri.* Si ita eſt, laudem meritus eſt Vir Cl. *ob conatum:*

Cl. de Dieu conamen, non laudatum.

ſed, ſi effectum ſpectes, quod ſalva ejus laude dictum velim, non eſt aſſequutus. Cum enim verba verterit: *Et grandinabit in imo ſylvæ, & in planitiem humiliabitur civitas:* hunc ex iis effecit ſenſum: *Ita tum omnia erunt tuta & innocua, ut nullus amplius ſylvarum & civitatum uſus ſit futurus.* quod quomodo Viro non inepti ingenii in mentem venire potuerit, non intelligo. Nec enim hic ſenſus ex verbis exſculpi poteſt; nec in ipſa ſententia quicquam ſani eſt. Sed ad rem.

Prius membrum ſententiæ: *Et grandinabit in deſcenſu ſylvæ.*

Prius membrum, his verbis conceptum: וברד בררת היער recte cum aliis verti: *Et grandinabit in deſcenſu ſylvæ.* id enim proprie ſonant. Hieron. *Grando autem in deſcenſione ſaltus.* Senſus idem. ſed non vidit Maſorethas, prudentes vere & eruditos Viros, qui poſteriori ſyllabæ ſuppoſuerunt punctum *Patach*, non *Kamets:*

Verſio Hieron.

hoc ipſo nos monentes, accipi hic ברד ut *verbum*, non ut *nomen.*

Ejus ratio.

quod Hebræi hic recte obſervarunt: eſtque ſignificatio hic aptiſſima.

Vox ברד an hic *neutraliter* ſit accipienda?

Paſſim autem qui huic inſiſtunt verſioni, vocem ברד *neutraliter* accipiunt, ut *grandinabit* idem ſonet, quod, *grando erit.* idque rectiſſime.

Piſcatoris verſio non commendabilis.

Piſcator in alia ivit, paucis forte placitura. Verſio ejus: *Et grandinabit; cum deſcendet in ſylvam.* Quo ſenſu? quæris. *Populus meus*, (inquit, (*ex verſu præc.*) *inſtar grandinis dejiciet & conſternabit conſcientias impiorum per comminationes in contemtores Evangelii.* Ad verba autem: *Cum deſcendet in ſylvam:* adſcripſit: *Quum verbo Dei penetrabit in conſcientias reproborum.* Sed nec *populi Dei* eſt *grandinare*; nec *grando* emblema facit Verbi Evangelii.

Hebræa duplicem admittere poſſunt ſenſum, qui exhibetur.

Verba: *Grandinabit in deſcenſu ſylvæ:* vere duplicem dare poſſunt ſenſum: vel, *grandinaturum eſſe* illo loco *ubi ex ſylva deſcenditur:* vel, *grandinaturum eſſe* QUUM DESCENDERIT h. e. ceciderit, ruerit, SYLVA. Prius quid ſibi vellet cum Interpretes non aſſequerentur: poſterius fere elegerunt. quem ſenſum in Verſione ſic expreſſit Cl. Coccejus: *Et grandinabit* UT *deſcendat ſylva.* de verbo, *propter deſcendere ſylvam.* Scilicet, dum *quieſcerent & ſecure agerent* pii: *grandinaret* in reprobos: *grando autem ad hoc comparata eſſet, ut ſylva deſcendat & Urbs humilietur.*

Verſio Cl. Cocceji.

Quid ei obſtet?

Quod ad verſionem attinet: ſi id voluiſſet Prophetа, omnino videtur ſcripturus fuiſſe לררת היער UT *deſcendat ſylva*; non, ut nunc ſcribitur, ברדת היער *in deſcendere faciendo ſylvam.* Notat, fateor, *præfixa* ב ſubinde *cauſſam finalem:* ſed ambigo, num conſtructa cum *infinitivo.* Rectius Vir Cl. eandem alibi expreſſit ſententiam: *Et grando cadet quum cadet ſylva.* Plane docte. Vocem enim ירד *deſcendere*, idem ſignificare quod *cadere*, *ruere*, liquet clariſſime ex Deut. XXVIII. 52. Non auſim fidenter dicere, Prophetam id noluiſſe; nec velim adeo contraniti aut diſputare. Unum illud dubium me tenuit, *grandinem* non videri eſſe ſatis validam & efficacem ad *dejiciendam ſylvam.* Jun. & Trem. idem fere voluerant ubi verterant: *Ut ut grandinet, ruente ſylva:* & Grotius quoque amplexus eſt ſenſum; licet locum feſtine legens non feliciter verterit: *Grando autem deſcendet ſuper ſylvam.* Hebræa hanc ſententiam non exhibent; licet exhibere poſſint ſenſum, ut modo monui.

Alia ejus verſio clarius expreſſa laudatur.

In eam ἐπίκρισις.

Dicet Vates, ſecundum hanc verſionem; Eccleſiam manu Dei vindicis liberandam gaviſuram eſſe tranquillitate ſecuritateque, dum Deus *hoſtes Eccleſiæ*, ſuperſtitionem atque idololatriam profeſſos, judiciis ſuis exerceret ac proſterneret. *Sylva* ſymbolum eſt *hoſtium* Eccleſiæ ſive *Regnorum adverſariorum* Regni Chriſti, quorum antiquo tempore figuram geſſit *Imperium Aſſyriacum.* Cap. X. 18. 19. 34. Sic Exercitus Aſſyrii Senacheribi in ſuperioribus nobis occurrit. *Imperii* eadem ratio eſt. Alluditur ad *Libanum montem*, infrugiferum, ſed magnis celſiſque arboribus conſpicuum, ut vidimus Cap. XXIX. 17. *Grando* figurat *Divina judicia*, cujuſcunque ſint generis, per quæ Deus in hoſtes Eccleſiæ ſuæ animadvertit, ut obſervavimus ad Cap. XXVIII. 2. & 17. Cum autem Deo propoſitum eſſet, Exercitum Aſſyrii horrenda tempeſtate, imbre & grandine mixta, proſternere, (ut jecimus ad Cap. XXIX. 6. XXX. 30.) rectiſſime hic dici poterit, *grandinaturum* eſſe, ubi *deſcenderit*, h. e. *ruet ſylva.* h. e. Judicia Dei in hoſtes ſuos & Eccleſiæ, quorum figuram geſſit Aſſyrius ejuſque punitio, interim manifeſta evaſura eſſe, dum Eccleſia gauderet ſecuritate & pace. Sic accepit Chaldæus, cujus verſionem hic non negligo adſcribere: *Et deſcendet grando*, & INTERFICIET CASTRA POPULORUM, *& deſtruentur ac conſumentur habitatores eorum.* Verſio eſt docta, quæ manifeſte reſpicit judicium Aſſyrii. Sic Propheta, ubi dixerat, Deum *vinctos catenis* duxiſſe DOMUM ex carceribus; mox ſubjungit [a]: *At refractarii habitant* SITICULOSAM. Mutata ſc. nunc conditione, vacui omni conſolatione. Senſus eſt, ut dixi, bonus, elegans, ſapientiæ Prophetæ noſtri & phraſi Hebrææ congruens, quem hic eligi patior. Ajo tamen, priorem ſenſum ſive verſionem: *Et grando erit* QUA DESCENDITUR *in ſylvam* ſive *ſaltum:* ferre poſſe interpretationem non minus commodam & elegantem. Per *deſcenſum ſylvæ* hic intelligi poteſt *tractus terræ* Libano Monti ſubjectus, quem *Syriam* vocare ſolemus, cum Urbibus majoribus, quæ ſive in ipſa *Valle* quæ Libanum & Antilibanum Montes dividit, ſive ſub aut ſupra Libanum, ut *Damaſcus*, *Hamatha*, aliæque plures, ſitæ fuerunt. Sic diceret Propheta, hoſtes Populi Dei, veluti Syros, & Babylonios, (typos hoſtium Eccleſiæ,) hoc tempore affligendos eſſe Judiciis Divinis, quando Deus Eccleſiæ ſuæ procuraret pacem. *Sylva* ſive *ſaltus* (יער) hic eſt LIBANUS mons, hoc nomine inſignis; & in altero membro; *Et in humili loco humilis erit ſtatus* CIVITATIS: per *Civitatem* (עיר) intelligetur BABYLON, quam hypotheſin jam admiſi Cap. XXV. 2. & Cap. XXVII. 10. quæ Urbs juxta hoc Vaticinium redigenda erat ad conditionem humillimam. quod Propheta in hunc modum expreſſit: ובשפלרת תשפל Hieron. *Humilitate humiliabitur civitas.* Plane ad eundem modum Coccejus. Alii: *In loco humili humilis erit civitas.* Res eodem recidit. Exponenda ſunt verba ex analogo Cap. XXVI. 5. *Quia depreſſit habitatores celſitatis;* URBEM *elatam.* HUMILIABIT *eam, humiliabit eam uſque ad*

Senſus plenius declaratur.

Alterum membrum: *In humili loco humilis erit Civitas.*

Verba Prophetæ: *Humilis erit ſtatus Civitatis.* Illuſtrantur ex parallelis Cap. XXVI. 5.

a Pſ. LXVIII. 7.

terram. fecit eam pertingere ad pulverem. Implementum hic est certissimum, diffusum per totum tempus implementi prophetiæ superioris. Cum reditu Judæorum ex Exilio, in quod tempus incidunt *primitiæ Spiritus S.* ut supra docui, Urbs BABYLON, magni Imperii sedes, primum suum fatum experta est, sub Cyro: alterum sub Dario Hystaspis Filio: (erat enim *bis* insigniter humilianda & lapsura:) inde sensim per varios gradus & articulos temporum, Civitate Populi Dei crescente, magis magisque depressa est, neglecta, vastata, donec tandem penitus evanuerit. quod fatum ex historia declaravi ad prophetiam hujus argumenti [a], & ad loca huic nostro parallela in *Concionibus proximis* [b]. Syriaci Regni Seleucidarum, (quod Vates noster respicit ut propaginem *Assyriaci*, sive ut *Assyriacum Novum*,) sub Antiocho Epiphane & proximis ejus Successoribus impio conatu ausi subvertere cultum veræ Religionis, simile fuit judicium, de quo luculenter vaticinatur Zacharias, & ego in superioribus sæpe egi. Id vero ipsum est Regnum hostile Populi Dei quod hic dicitur יער SYLVA, vel ירד היער DESCENSUS SYLVÆ, respectu famosissimi Montis *Libani & Antilibani*, illius munimenti & ornamenti, cui hæc Regio subjecta fuit. Sic Vates Sacer Antiochum vocat חזיר מיער *Porcum de* SYLVA [c], &, quod nunc probabile habeo, Propheta noster Cap. x. 34. Sed utraque hæc Urbs, BABYLON, inquam, & ANTIOCHIA, & Imperia utrique subjecta, stylo Prophetico, analoga sunt ROMÆ, & Imperii vasti ei subjecti, quod instar sylvæ *Libani* se celsis potestatibus in Mundo commendavit, cujus Imperii sedes κατ' ἐμφασιν ad exemplum BABYLONIS dicta est ΠΟΛΙΣ, URBS, Orbis caput, Metropolis idololatriæ & superstitionis, Arx Satanæ adversus innocuos furentis, eandem Mundo exhibitura scenam respectu persecutionis & afflictionis Ecclesiæ, quam olim *Babylon & Antiochia*: ad quod in *Apocalypsi* continuo alluditur. Cum tandem tempus Liberationis Ecclesiæ advenisset, Deus quicquid in hoc Imperio hostile erat Ecclesiæ, judiciis suis, (quorum emblema sunt *grando*,) cœlitus missis, instar fulguris lucentibus, prostravit ac dejecit, &, ut Vates sacer, *perculit die iræ suæ* REGES [d]. intellige Maximianum Herculium, Galerium, Maxentium, Maximinum, & in semine suo, Diocletianum. *Reges Gentium* illo tempore *fugerunt, fugerunt, & manens domi*, (Ecclesia se his prœliis non miscens, adhuc *afflicta*,) *divisit spolia* [e]. Deus enim *universos persecutores nominis sui* id temporis ita *debellavit, ut eorum nec stirps nec radix ulla remanserit*, quæ verba sunt Lactantii, vel *Auctoris* insignis Libelli de *Mortibus Persecutorum* [f]. Ecclesiæ autem spem conceperunt *perpetuæ quietis*, quæ ejusdem dictio est, Jesaianæ similis. *Improbus violentus* sive *tyrannus* se late expandens instar *Arboris viridis* sive *Cedri* grandine cœlesti percussus ita exaruit, ut plane *evanuerit*. quem Psalmi locum [g] inter plura analoga Eusebius aliique ad hunc eventum recte retulerunt. *Roma* deinceps variis articulis & gradibus longo tractu tot cladibus afflicta humiliataque est per Gothos & Vandalos, ut, destructo tandem Imperio Occidentali, in eam publice illusum sit, & Barbari cujusque Raptoris evaserit præda. Nec tamen vel sic omnibus malis suis defuncta. ubi enim completa fuerit peccatorum ejus mensura, insignibus Dei judiciis percussa penitus interibit. de quo luculenta sunt loca *Apocalypseos* [h], hæc judicia ultima sub emblemate *grandinis* exponentis.

Implementum prophetiæ ostenditur in *Babylone* per gradus & articulos temporum.

Et in Regno Syriaco Seleucidarum.

Illud dicitur *sylva & descensus sylvæ.*

Babylon & Antiochia analoga ROMÆ, quæ in emphasi, stylo Prophetarum, dicitur URBS.

Implementum prophetiæ in *Roma.* Demonstratur ex historia.

Quintum consequens: *Cura & studium* in promovendo Regno Dei inter Gentes.

Quintum *Beneficium*

℣. 20. *Beati vos, qui seritis* AD OMNES AQUAS; *qui pedem bovis & asini* eò *immittitis.*] Nemo hic cæcutire potest, ubi historia temporum prophetiam tanta claritate illuminat. Cum *Desertum Gentium* mutandum esset in *Arvum frugiferum:* prævidebat Propheta, futurum esse, ut Apostoli & Discipuli Christi Jesu egressi Judæam per totum Orbem terrarum notum cultumque illius temporis, inter Græcos, Romanos, Barbaros, & iis præcipue in locis apud quæ celebrabantur Fora Gentium, *seminarent semen* Doctrinæ Evangelicæ, Gentesque ad semen illud recipiendum pararent per *orationem spiritualem*, qua evellerentur noxia offendicula præjudicatorum errorum, superstitionum, consuetudinum, quæ cum statu Regni Christi Jesu non possent consistere. Videbat idem, post occupatam hæreditatem Mundi Ministros Verbi Gratiæ qui se ad id devoverant, ipsorum quoque piorum Principum & Synodorum cura & studio, idem opus ingente zelo promoturos esse ut *plenitudo Gentium intraret*, & Orbis totus converteretur in *Arvum & Paradisum Dei*; & limites Ecclesiæ se tam late extenderent, quam Orbis hujus quà à mortalibus colitur. Hos videt & laudat in clausula hujus prophetiæ, laborisque & studii dignitatem sub emblemate μακαρισμῶ prædicans & extollens, eos oblique exhortatur ad opus hoc pium & Deo gratum diligenter urgendum promovendumque. quem sensum huic dicto subesse etsi plures Interpretes viderint: (sunt enim & alii qui hic nihil nisi *temporalia* vident, non digni qui refellantur:) non tamen omnes phrasin prioris membri perinde acceperunt. Sunt non pauci qui illud, ושלחי עלי כל המים vertunt, *ferentes* SUPER *omnes aquas:* nec tamen ipsi quoque illi versioni suæ eundem aptant sensum. Lud. de Dieu cum unam hanc admisisset hypothesin, nihil hoc in loco dici nisi paradoxum & Legi Naturæ contrarium: sensum hunc dat verbis; *sub Regno Messiæ omnium rerum faciem ita in melius mutatum iri, ut etiamsi* hoc tempore *maria, flumina, paludes, & stagna inepta sint & frugum sationi & jumentorum pastioni; illo tempore beati futuri sint qui super quasvis aquas severint, & in quasvis aquas boves agnosque* (Jesaias scripsat, *asinos*,) *pastum immiserint.* Miror, rursus placere potuisse Viro Docto tam grande paradoxum. Pagninus *serere super omnes aquas* vult esse *super omnem locum aquosum.* Id sane tolerabilius, & præiverat Kimchius. Sed cum vox על Hebræis sæpe valeat *juxta, secundum*; alii malunt, ambiguitatis & obscuritatis vitandæ caussa; *apud*, (*ad, secundum, juxta*,) *omnes aquas.* Sic Junius, Piscator, Belgæ. Intelligunt *loca irrigua.* Cum autem loca *irrigari* possint duplice modo; vel, ut sita ad *ripam* & *fluvium* ab aquis sibi proximis irrigentur; vel, ut à *pluvia cœlesti* fœcundentur: quæritur, utrum horum fuerit in mente Prophetæ? Fororius prius elegit, plerique alii posterius: sed utrumque recte hic inter se conjungitur. Est enim quod hic dicitur, omnino conferendum cum Cap. xxx. 25. ubi *super omnem montem altum & collem elatum* dicuntur *futuri rivi & fluenta aquarum.* sc. pluvialium, quæ in montes & colles descendentes *fluenta aquarum* efficerent & *terram sterilem* irrigarent. Est enim inter utramque hanc prophetiam, quod Aben-Ezra Judæus jam observavit [i], cognatio summa.

Consequens? Cura & Studium in Regno Dei promovendo inter Gentes.

Argumentum prophetiæ.

Præconium Evangelii sive *satio spiritualis* est medium *convertendi Deserti* in *Carmelum.*

Quinam hic per *Apostrophen* à Prophera compellentur?

Phrasis Hebræa, *serere* SUPER vel APUD *omnes aquas.*

L. de Dieu ad h. l. meditatio.

Et Pagninii.

Rectius vertitur, *Apud omnes aquas.*

Quæritur, quo sensu?

Locus Cap. xxx. 25. huc adfertur.

Id vero ipsum hic recte observatum nos ducet in veram intelligentiam hujus emblematis. Posset alicui in mentem venire, & venit certe Doctis Viris, per *aquas* hic intelligi mystice Populos, Gentes, Gentiumque Metropoles & Fora, secundum canonem interpretationis *Babylonis sedentis apud aquas multas* in *Apocalypsi* [k]: *Aquæ quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt & turbæ, & Gentes, & Linguæ.* Sic Jesaias *beatos* prædicaret Apostolos & Evangelistas qui per totum Mundum in confluxu Gentium, veluti Antiochiæ, Alexandriæ, Ephesi, Corinthi, Romæ, Carthaginæ, Mediolani, Lugduni, Viennæ; & deinceps inter populosas Gentes Germanorum, Saxonum, Bulgarorum,

An per *Aquas* hic mystice intelligantur *Populi, Gentes?*

---

[a] Implem. prophet. Cap. xlii. 19. seqq. & Cap. xxi. 9. [b] Cap. xxv. 2. xxvi. 5. xxvii. 10. [c] Ps. lxxx. 14. [d] Ps. cx. 5. [e] Ps. lxviii. 13. [f] Cap. l. [g] Ps. xxxvii. 35. [h] Apoc. xi. 19. xvi. 21. [i] Ad ℣. 20. in fine. [k] Cap. xvii. 15.

rum, &c. Evangelii semen spargerent. Pulchra vere est expositio, cui in prima horum verborum meditatione adhæsi, sed cui duo obstant. Id primum, quod modo explicui; Prophetam hic alludere ad *aquas* cœlestes, pluviales, quando hæc expositio locum habere nequit. Illæ enim sunt signum Benedictionis & Gratiæ Cœlestis. Alterum vero, quod Statum Gentium, quo fuerat ante fidem Evangelii, exhibuerit sub emblemate DESERTI, quod per effusum Spiritum Dei converteretur in *Arvum frugiferum*. A quo emblemate illum hactenus non patet recedere. Et tamen ne sic quidem omnia rem exactius expendenti satis liquida videntur. Utique enim *irrigatio Sp. S.* sequi debebat *sationem Verbi Gratiæ* inter Gentes, non *præcedere*. Quomodo itaque Præcones primi temporis *sererent ad aquas multas?* Vide, ut se hic expediverit Forerius. putat ille Jesaiam, veluti dolentem suorum temporum ministeriique sui sterilitatem, cum prævideret *Desertum Gentium* cura Apostolorum & Evangelistarum jam *conversum in Carmelum:* laudasse felicitatem *Seminatorum* illorum posterioris temporis, quod iis liceret in Ecclesia meliore, irrigata gratia cœlesti, pascenda, ædificanda, perficienda, operam laboremque suum ponere, ut felices sunt seminatores qui in uber solum semen suum jaciunt. Equidem fateor, nihil vitii esse, ita accipere: & tamen vix absolvo me ab hac cogitatione, eos hic maxime à Propheta laudari, non *qui in aliorum ingrederentur labores*, ut phrasi Domini hic utar [a], sed qui ipsi in Agros Gentium hactenus non cultos laboratosque semen Verbi Gratiæ conjicerent, quo emblema totum tendere videtur. quod ipsum haud dubie considerans Cl. Coccejus, illud, *serere ad omnem aquam*, explicuit; *Verbum Dei prædicare, explicare, inculcare, ubicunque ostium aperitur; ubi Divinæ benedictionis vel tenue vestigium est.* Est docta expositio, quæ nobis reddit sensum Prophetæ. *Serere ad omnem aquam* est ex mea sententia, *semen spargere* per Desertum Gentium ex certo Dei proposito & promisso *irrigandum* larga gratia cœlesti; ut simulac *aratio* institueretur & *satio* à bonis & fidis Dei Ministris, mox se proderet Divina Gratia, Benedictio & Donatio Sp. S. illud opus Evangelii large irrigatura ad insigne incrementum fructumque uberem. *Aratio* & *satio* cum aquis *Divinæ Gratiæ* conjungeretur. Ad *arationem* enim pertinet quod dicitur, *Qui immittunt* (sc. eo) *pedem bovis & asini.* Comparandus est locus Cap. xxx. 24. *Boves autem & PULLI asinorum vescentur pabulo subacido.* non uni sc. copulandi jugo, sed diversis. quippe, ut ibi observatum est, Veteres in *arando asinis* æque ac *bobus* uti solebant. Equidem verum est, Boves olim perinde adhibitos esse ad *trituram* ac ad *arationem*, atque adeo sunt ex Intt. plures qui hic utriusque mentionem faciunt. Patior illos sensum suum obtinere; quod hic absque gravi errore fit, si forte id minus fuerit in mente Prophetæ. utrumque enim obtinet in Ministerio Verbi, ut vidimus & copiose executi sumus ad Cap. XXVIII, 23. seqq. Forte tamen Propheta hic *arationi* intentus fuisse videatur, α. quia de tali *immissione bovis & asini* hic mentio fit, quæ subserviret *sationi*. β. Non occurrit, *Asinos* olim ad *trituram* esse adhibitos. *Aratores* hi *spirituales* sunt *Ministri Verbi*, (οἱ Ἐργάται τῆ Λόγε,) cujuscunque ordinis qui Evangelio inter Gentes promovendo, *arando*, inquam, & *conserendo* agro Gentium, operam navant: *Mittentes pedem bovis & asini* sunt qualescunque auctoritate præditi Homines aut Consessus qui alios sibi subordinatos ad hoc pium opus destinant, ordinant, ablegant, suaque auctoritate, mandato, aut persuasione curam ejus illis committunt. quod fecerunt Apostoli [b], Synodi & Congressus Ecclesiastici [c], Episcopi majorum Urbium, primo tempore Christianismi: deinceps vero ipsi quoque Imperatores, Reges & Principes qualescunque qui Christianæ Religionis curam & patrocinium susceperunt. Estne vero tibi grave, quisquis es in communionem hujus Ministerii vocatus, ei te adscribi ordini hominum qui in hoc Prophetæ nostri loco comparatur *asinis?* Videtur certe Hieronymus hanc comparationem voluisse declinare. cum enim locum recte vertisset, ita eum περιφράζει: *Beati estis Apostoli cæterique Doctores qui seminatis super omnes aquas Scripturæ S. in quibus calcat bos & asinus. Bos mundum animal propter electionem Patrum: Asinus immundum, propter idololatriam quondam Gentilium.* Meditatio est confusa quæ deflectit à scopo Prophetæ, & aliena est à natura rerum. Quid enim est *seminare super aquas Scripturæ S. in quibus calcat bos & asinus?* Non opus sane est hic declinare ullam comparationis invidiam. In similibus enim, quibus Prophetæ frequentissime utuntur, unice respiciuntur attributa comparatorum principalia quæ comparationi substernuntur: quod attributum hic est *aratio*. Jumentum ad arationem adhibitum, sive *bos* sit sive *asinus*, sustinet typum Ministri Evangelii præparantis Arvum Gentium ad recipiendam sationem spiritualem. Quid si Apostolus credentibus omnis generis & ordinis commendans mutuæ officium charitatis, metaphoram ab *asino* mutuetur. Verba ejus sunt [d]: Ἀλλήλων τὰ βάρη βαςάζετε. ALII ALIORUM ONERA PORTATE, *& ita complete Legem Christi.* Emblema ipsum *arationis & sationis* jam non declaro, cum in hoc versatus sim argumento ad Cap. XXVIII. 23. 24. XXX. 24. Hos vero *satores & aratores* Evangelicos qui suas terras egressi in Agris Gentium *laborarent*, ad copiosam irrigationem & benedictionem cœlestem, aut hanc curam mandatu suo aut auctoritate aliis committerent, Propheta Evangelicus per μακαρισμὸν sive ἐπιφώνημα ad eos directum BEATOS vocat, summa sane cum ratione, sive rem *absolute* spectes, sive *comparate*. *Absolute* quidem α. Ob operis ipsius præstantiam. Nullum ajo in terris dignius, honestius & gloriosius officium geri quam Divina dignatione & electione *Ministrum* agere Novi Fœderis, non *Literæ* sed *Spiritus* cum fide & bona conscientia [e]: extirpare & eradere ex animis hominum semina erroris & vitii, eosdemque conspergere seminibus veritatis & virtutis: cooperari ad salutem æternam humani generis mancipati peccato ad exitium. β. Nulli operi & labori in rationibus Divinæ Providentiæ constat major & amplior merces, laboris molestiam, gravitatem, difficultatemque olim pensatura [f]. γ. Cum omne hoc opus in se præclarum, sit; tum vero insigne habet argumentum Divinæ gratiæ, ad id eligi & à Spiritu Dei instrui atque animari, ut quis *Christum prædicet in iis locis* ubi hactenus *non est nominatus*, & instar puri Sacerdotis *oblationem Gentium Deo offerat, sanctificandam per Spiritum Sanctum.* de quo Apostolus variis locis ex suo exemplo luculenter differit [g]. Gratiæ est, inquam, ad id eligi; ad id potenter à Spiritu S. instrui; & magnum hoc opus cum optato successu conficere ad laudem Dei & incrementum Regni Filii ejus. *Comparate* idem non minus vere dixeris. Propheta enim noster, observans cum dolore suorum temporum suique soli sterilitatem, cum sibi ob oculos poneret ex Divina Revelatione admirabile illud incrementum Regni Dei in Mundo sub Oeconomia Gratiæ, quando Desertum Gentium biberet pluviam cœlestem: quanto jure prædicavit felicitatem illorum Ministrorum quos Deus ad magnum hoc Opus admoveret? quanta cum ratione illorum sortem ut *beatiorem* supra suam extulit? Laboravit enim ille sine, aravit, & seminavit in Arvo infrugifero exigui soli ad *paucas aquas*. Imo vero plus est in hoc μακαρισμῷ. Dum enim laudat & extollit fortunatam sortem Ministrorum Gratiæ: simul illos, omnesque Principes ac Præfectos Ecclesiæ ad id incitat & exhortatur, ut hæc tempora sua diligenter curarent: ut *mane sererent & vesperi non remitterent* [h], & *Deo non claudente cœlos* sua negligentia & pigritia exspectationem Ecclesiæ frustrarentur.

Hypothesis non admittitur.

Forerii meditatio. Ad eam ἐπίκρισις.

Et Cocceji. Sensus Prophetæ clarius expositus.

Aratio & *Satio* spiritualis conjungeretur cum larga pluvia cœlesti.

Verba Prophetæ de *Aratione*: Qui illuc *mittunt pedem bovis & asini.*

Locus Cap. XXX. 24. cum hoc collatus.

Propheta hic non videtur respicere ad *trituram.*

Rationes sententiæ.

Quinam hic sint *mittentes pedem bovis & asini?*

An *invidia* subsit comparationi qua Ministri Verbi comparantur *Asinis aranti-bus?*

Dubium plane contemnitur, ut motum ex imperitia.

Apost. loc. Gal. VI. 2.

Quo sensu Propheta illos *beatos* vocet?

Absolute ob præstantiam operis Evangelii: quæ commendatur.

Præcipue si Evangelium *doceatur* in iis locis ubi hucusque non penetraverat.

Præstantia Muneris Præconii Evangelii *comparate* spectata, cum respectu ad exiguum fructum Verbi sub Oecon. Veteris.

[a] Joh. IV. 38. [b] Tit. I. 5. Phil. II. 19. Col. IV. 8. [c] Act. XIII. 1. XV. 12. [d] Gal. VI. 2. [e] 2 Cor. III. 6. 9. [f] Ps. CXVIII. 5. 6. [g] Rom. XV. 16. seqq. Ephes. III. 8. 9. [h] Eccles. XI. 6.

Implementum prophetiæ hic clarissimum in Historia.

De *Implemento* hujus prophetiæ nihil habeo quod addam. Zelus Apostolorum Christi Jesu, Evangelistarum, & Nunciorum Apostolicorum in Regno Dei promovendo inter mille discrimina & obstacula fuit ingens & incredibilis; nec minor, quin omni cogitatione major, fructus ac successus: & tamen in tanto studio & diligentia summa hic est laus Pauli, qui non vane profitetur & in Deo gloriatur, *amplius se quam omnes alios laborasse* [a]. Sic se gessit ille Vir, acsi mandatu Divino totum illud vastum Desertum Gentium sibi *arandum*, *conserendum* & Christo Jesu subjiciendum commissum esset. Quantus huic Viro animus fuit! quanta diligentia! quanta donatus gratia! Sed *sevit* ille vere, & *aravit*, ad *omnes* & ad *multas aquas*. O te beatum Virum qui ex Divina dignatione ad tantum opus eligi & allegari meruisti! quod Jesaias noster, tui figura, voluisset, tu ab eodem Spiritu Evangelico animatus complesti. Sequentibus sæculis, decrescentibus licet veris Christianismi virtutibus, idem *zelus* Christianos non destituit, de quo testimonia & exempla per Veterem Historiam sparsa ubique occurrunt. Post Paganismum in Romano Imperio de fastigio dejectum Principes Romani Imperii ipsi quoque multum studii posuerunt in promovenda re Christiana, tum in convertendis Gentibus, tum in Hæreticis aut Schismaticis qui dicebantur, revocandis ab errore, interque eos Constantinus, Theodosius uterque, Justinianus, & Carolus Magnus, ejusque proximi Successores. quod dum refero, ita intelligi velim, ut in pluribus zelum magis quam prudentiam laudem; & in missionibus ab Episcopis posteriorum temporum administratis plus videam *ambitionis* quam *zeli*. Sed excurrit id ultra tempus implementi hujus Vaticinii, & mihi nunc non licet in tam vastum campum exspatiari.

Laus peculiaris Pauli Apostoli Gentium, & *Comitum* ac *Cooperariorum* ejus.

Reliqua quæ huc pertinent, compendio exhibentur.

SERMONIS SECUNDI

Libri Tertii Prophetiarum Jesaiæ

Sectionis Tertiæ

ΣΧΗΜΑ Tertium.

Cum Propheta in conspectu habens decursum fatorum, quæ Ecclesia post Reditum ex Exilio subiret, in fine *Concionis superioris* sub emblemate *grandinis*, casuræ *in descensu Saltus* Libani, meminisset malorum quæ Deus deplueret in *Regnum Syriacum*, adversarium Populi Dei: Principem impiæ propaginis, magnum & perfidum Judææ Vastatorem, quem in Viso ante oculos habebat, recta compellat eique denunciat Judicium Divinum, secundum quod ex Lege talionis ipse & Successores ejus, vestigiis ipsius insistentes, paria referrent. inde oratione variis emblematibus & figuris ornata describit conditionem Ecclesiæ illius temporis afflictæ; liberationem ejus, eventusque cognatos ac consequentes, inter quos esset florens Reipublicæ late extentæ & Ecclesiæ Deum ut *Regem*, *Judicem*, & *Legislatorem* suum agnituræ status; contra vero afflictus ac depressus hostium quorum spolia Populum Dei ditarent: sub iisque omnibus contemplanda exhibet oculo spirituali Statum & Eventus Ecclesiæ novissimi temporis similem in plerisque circumstantiis experturæ sortem.

Caput XXXIII.

Textus Cap. XXXIII.

1. Væ qui vastas, cum tu non sis vastatus; & qui perfide agis, cum perfide non egerint tecum. Ubi desieris vastare, vastaberis: quum absolveris perfidiam, perfide agent tecum.

2. Jehova, esto nobis propitius! te exspectavimus. Esto brachium illorum quolibet mane: etiam salus nostra tempore angustiæ.

3. A voce tumultus fugerunt populi: ab exaltatione tua dissipatæ sunt Gentes.

4. Et colligetur præda vestra collectione bruchi: qualis est discursatio locustarum, in ea subsultim discurretur.

5. Exaltatus est Jehova qui in excelsis habitat: implevit Tsionem judicio & justitia.

6. Et erit stabilitas temporum tuorum, possessio salutum, sapientia & cognitio. Reverentia Jehovæ est thesaurus ejus.

7. Ecce Heröes illorum! Vociferantur foris. Angeli pacis! amare flent.

8. Desolatæ sunt viæ publicæ: desiit viator. irritum fecit fœdus: sprevit Urbes: non habet rationem hominis.

9. Luget, languet terra. pudore suffunditur Libanus, aret. Saron factus est ut solitudo, ruditque Basan & Carmel.

10. Nunc surgam, ait Jehova: nunc exaltabor; nunc extollar.

11. Gravidi estis ex palea: parietis stramen. Spiritus vester est ignis qui vos consumet.

12. Et erunt populi crematione calcis: spinæ desectæ igne succendendæ.

13. Audite longinqui quod feci, & propinqui cognoscite potentiam meam!

14. Paverunt in Tsione qui sunt peccatores; tremor corripuit hypocritas, *ut dixerint*: Ecquis nostrum conversetur cum igne consumente; ecquis nostrum cohabitet foco æterno?

15. Qui in justitiis ambulat, & recta loquitur; qui spernit lucrum fraudationum; qui excutit manus suas ne prehendant munus; qui aures suas obturat, ne audiat cædes; oculosque suos obstipat, ne videant malum.

16. Hic in celsis habitabit: arces petrarum erunt asylum ejus. panis ejus dabitur: aquæ ejus certæ erunt.

17. Re-

[a] 1 Cor. xv. 10.

17. Regem in decore ſuo videbunt oculi tui: videbunt terram longe patentem.

18. Cor tuum meditabitur terrorem: ubi eſt ſcriba? ubi appenſor? ubi qui recenſet turres?

19. Populum barbarum non videbis: populum labii profundi ut non intelligas; linguæ blæſæ ut non percipias.

20. Adſpice Tſionem, civitatem conventuum noſtrorum! Oculi tui videbunt Hieroſolymam, manſionem tranquillam: tentorium quod non inclinabitur; cujus paxilli non luxabuntur in æternum; cujuſque funium nullus diſrumpetur.

21. Quin immo Jehova ibi magnificus erit nobis; *eritque* locus fluviorum & rivorum ſpatioſorum, per quem non ibit navis longa; quemque navis magnifica non pervadet.

22. Quia Jehova eſt Judex noſter; Jehova Legiſlator noſter; Jehova Rex noſter: ipſe ſalvabit nos.

23. Laxati ſunt funes tui: non ſunt apti firmare thecam mali ſui; aut expandere velum. tunc diviſa eſt præda ſpolii multi: ipſi quoque claudi diripuerunt prædam.

24. Nec dicet recumbens, Ægrotus ſum. Populus habitans in ea habebit condonationem iniquitatis.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus Concionis.

Argumentum hujus Concionis.

COncio hæc Prophetica, ſuperiori arcte adhærens, & ad partem aliquam ejus illuſtrandam parata, (ut ex interpretatione ejus liquebit,) exhibet inſignem aliquem & perfidum Vaſtatorem terræ Populi Dei, cum quo Eccleſia diu luctaretur; cui Adverſario Vates Divinam denunciat maledictionem *a*; ſimul enarrat victoriam Eccleſiæ, ad preces ejus & ſupplicationem *b* impetrandam, cum rei ex ſpoliis hoſtium augendæ incremento *c*, & exaltatione Nominis & Gloriæ Divinæ *d*; docetque inſuper quo medio ſtatum hunc Reipublicæ inſtauratæ optime tueretur *e*. Mox repetita digreſſione latius ſe diffundit, & poſt deſcriptam lugendam totius terræ Canaanææ vaſtitatem, in eam ab hoc Hoſte Dei & Populi ejus inducendam *f*: repræſentat Deum tanquam ſe armantem ad vindictam, eamque ſevere exequentem, hoſteſque ſuos ad ſupplicium hoc paratos cum ſtrepitu conſumentem *g*: quorum judiciorum Divinorum juſtitiam tanquam æquitati bonitatique Dei non contrariam vindicat *h*. Inde depingit ſtatum florentem Eccleſiæ liberatæ, REGEM ſuum, (Jehovam Exercituum Dominum,) in omni decore ſuo cum nova hac gloria ſua viſuræ *i*, eumque agnituræ ut unicum ſuum *Regem*, *Judicem*, *Legiſlatorem*, *Vindicem*, cum abnegatione aliarum celſarum Poteſtatum ipſi non proxime ſubordinatarum *k*; ſtatuſque ejus durationem *l* & incrementum ex ſpoliis hoſtium *m*, & decrementum Imperii adverſarii; quod cum auctoritatem ſuam amplius ſuſtinere non poſſet, concideret *n*.

Occaſio quâ prophetia hæc inſpirata editaque eſt.

II. *Occaſio* hujus prophetiæ inſpiratæ vel editæ gemina eſt. proxima quidem ex *Concionis ſuperioris* ℣ſ. 19. ubi Propheta de Judiciis hoſtium Eccleſiæ diſſerens dixerat; *grandinem fore in deſcenſu ſylvæ*, ſive *cum grandine caſuram eſſe ſylvam:* & ex noſtra ſententia directe alluſerat ad everſionem Regni Syriaci poſt longam ſeriem Calamitatum Divinitus ei infligendarum. Qui Eventus cum maxime memorabilis eſſet: Spiritus Dei rurſus excitat Vatem ad fata hujus temporis canenda. quod jam egerat ſatis prolixe in prophetia Cap. XXIV—XXVII. cui hæc noſtra analoga eſt, cujuſque compendium dici meretur; ut in *ſequentibus* diſtinctius monebo. Nimirum occaſio nova illum iterum incendit ad vaticinandum de hoc adeo ſingulari & nec opinato caſu; ad quem præterea in Vaticiniis extremis hujus Libri frequens alludit. Sed accedit aliud, ad quod *ſecundo loco* animum adverti velim. Propheta in *Concione ſuperiore* à ℣ſ. 9. ordine incipit enarrare *Judicia Dei in Eccleſiam* cum ſuis Eventibus & Conſequentibus. Videlicet (a) *Judicium* ASSYRIACUM, ℣ſ. 9. 10. cujus Eventum in *ſuperioribus* ἀμέσως præcedentibus deſcripſerat. (b) Judicium BABYLONICUM, cum ſuis conſequentibus longius excurrentibus, ℣ſ. 11—20. (c) Tertio itaque loco cum perveniſſet ad Judicium SYRIACUM: id exequitur in *Sermone* hujus *Capituli*. quarto denique tranſit ad *Judicium* ROMANUM, quod ſub myſtico nomine EDOMI proſequitur Cap. XXXIV. XXXV. atque ita terminantur prophetiæ de afflictionibus Eccleſiæ, ejuſque Liberationibus; item de Hoſtibus ejus, Hoſtiumque fatis. Non nego, aliquam mihi viſam eſſe oriri lucem in dubiis, cum id obſervarem. Videbunt alii, an eadem ſibi quoque prodeſſe queat.

Ejuſdem *Scopus*.

III. *Scopus* hujus Sermonis eſt *conſolari* & *docere*. *Conſolari* quidem præcipue propoſitum eſt Jeſaiæ in hac Concione, eſtque verus & proprius prophetiarum finis, ut per *tolerantiam* & *conſolationem Scripturarum ſpem retineamus o*. Eccleſia autem hac parte opus habebat conſolatione valida. Eventus enim eſſet paradoxus & tentatio fidei ejus graviſſima, qualem hactenus experta non fuerat. Ajo, & quidem veriſſime, hujus Caſus Perſecutionis Syriacæ in variis ſuis circumſtantiis nullam eſſe comparationem cum Calamitate Babylonica. Babylonii enim Judæos non ſunt perſecuti cauſſa Religionis. quin potius eorum in Babyloniam tranſportatio inſervire debebat ipſis Babyloniis & Chaldæis ad fidem veri Dei convertendis. Sed hoc tempore Deus Populum ſuum electum omnium primo vocavit ad certamen fidei: *ad agonem*, inquam, *in quo Agonotheta Deus vivus eſt: Xyſtarches, Spiritus S.: corona, æternitatis: bravium, angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis, gloria in ſæcula ſæculorum.* loquor cum Tertulliano *p*. Eſſent hoc tempore pii in magnis tenebris, multo ſane majoribus quam Judæi circa ætatem Senacheribi Judæam vaſtantis, ſalva hactenus Hieroſolyma. Nulla videbatur alicunde allucere ſpes liberationis. Dira ubique confeſſoribus veræ fidei obverſabatur imago mortis. Indigerent itaque hoc tempore fulcimine quo niterentur: quod Propheta iis hic rurſus præſtat; & poſt ipſum Ezechiel, Daniel, & Zacharias de his temporibus abunde vaticinati, quorum momenta Daniel à Spiritu S. edoctus exacte prænotavit. Ad hunc itaque ſcopum referenda ſunt larga promiſſa per hunc Sermonem ſparſa. Nec tamen Propheta negligit, Populum Dei eodem hoc Sermone *docere*. primo quidem, quo modo ſe tempore ſævientis afflictionis componeret, *precibus* nimirum & *ſupplicationibus* Deum adeundo, ejuſque opem implorando, ℣ſ. 2. deinde, quo modo *ſperantes* & *liberati* in omni ſua conſuetudine & commercio cum Deo & hominibus vitæ ſuæ praxin inſtituerent, ℣ſ. 6. 13. ſeqq. Ne nunc illud repetam, quod ſæpe alias monui: omne Verbum Propheticum Mundum & Eccleſiam convincere tum de Providentia Divina rerum humanarum diſpenſatrice; tum de Dei ut cœleſtis Patris erga Eccleſiam cura & affectu.

Scena hujus Concionis.

IV. *Scena* hujus Concionis, ut mox diſputabimus, ſigen-

---

a ℣ſ. 1. *b* ℣ſ. 2. *c* ℣ſ. 3. 4. *d* ℣ſ. 5. *e* ℣ſ. 6. *f* ℣ſ. 7—9. *g* ℣ſ. 10—12. *h* ℣ſ. 13. 14. 16. *i* ℣ſ. 17. *k* ℣ſ. 18. 22. 22. *l* ℣ſ. 20. *m* ℣ſ. 23. med. *n* ℣ſ. 24. *o* Rom. XV. 4. *p* Ad *Martyr.* Cap. III.

figenda est in ipso illo tempore quo Antiochus Epiphanes Judæam desolavit totam per Exercitus suos, & pios Religionis Zelotas per Edicta sua sanguinaria sub interminatione sævæ mortis ac dirorum cruciatuum jussit Religionem Patriam cum Græcanica mutare. Est autem, ut jam præmonui, ornatissime instructa, & omnino exhibet Prophetam, in ecstasin raptum, pro variis horum temporum *attributis* varias veluti induentem formas, vel introducentem personas, quæ, dum suas singulæ partes agunt, nos ducunt in notitiam Eventuum notabilium qui hac tempestate Ecclesiæ acciderent. Innotescent illæ nobis ex *Διαθέσει analytica* hujus *Concionis* quam hic subjicio. Est ea bipertita, ut cuique eam legenti manifestum fit. Pars prior habet Πρόθεσιν PROPOSITIONEM, quæ Calamitatem cum ejus finali eventu summatim enarrat, ℣ſ. 1--6. Posterior Ἔκθεσιν EXPOSITIONEM explicatiorem universi eventus, ℣ſ. 7--24.

Analysis ejus.

PARS PRIOR, *Propositio* sive *Enarratio summaria* in hunc modum est constructa.

α. Occurrit *Denunciatio Prophetica*, ad magnum Vastatorem directa, qua ei præsenti Divinum Judicium à Propheta aliquo sive Choro sanctorum hominum præsente intimatur, ℣ſ. 1.

β. *Apostrophe*,

α. Ad *Deum* edita, tam *supplicatoria* qua ejus imploratur auxilium tum respectu Ecclesiæ totius, tum Fratrum qui pro cæterorum salute expeditionem susceperant, ℣ſ. 2. quam *declaratoria* Eventus glorioſi ad preces à Deo impetrati, ℣ſ. 3.

β. Ad *Hostes victos* vel Judicio Divino prostratos, complexa optatum Consequens *Victoriæ* Ecclesiæ, ℣ſ. 4.

γ. Rursus ad *Deum Doxologica*, Beneficium in Ecclesiam collatum celebrans, ℣ſ. 5.

δ. Et ad fratres *Monitoria* sive *Didascalica* de medio favoris Divini jam obtenti sibi conservandi, ℣ſ. 6.

Apostrophe convenit *Choro Præfectorum Ecclesiæ*, quorum *Personam* Vates noster sustinuit.

PARS POSTERIOR, sive *Expositio* complectitur,

α. *Beneficium Liberationis & Punitionis* hostium re veluti desperata in Ecclesiam conferendum, ℣ſ. 10. 11.

β. *Celebrationem* hujus Beneficii cum defensione severitatis à Deo in hoc Casu adhibitæ, ℣ſ. 13--16.

γ. Beneficia luculenta à Deo in Ecclesiam liberatam conferenda, inter quæ

(a) *Præsentia glorioſa Dei* REGIS & IMPERATORIS apud illam Ecclesiam, ℣ſ. 17. 18.

(b) *Immunitas* ab hostibus, ℣ſ. 19.

(c) *Duratio* illius Status absorbendi ab Oeconomia Nova, ℣ſ. 20.

(d) *Regnum* Dei *immediatum* in Ecclesiam se glorioſe exerturum, ℣ſ. 21. 22.

(e) Oppositus *Status Hostium* vacillans comparatus firmitati & felicitati *Status* Populi Dei, ℣ſ. 23. 24.

Constat etiam hæc Pars *Concionis* continuatis *Apostrophis* ad ea *objecta* directis quorum attributa describuntur: quæ *Apostrophæ* optime conveniunt *Præfectis Ecclesiæ.*

Ἀνάλυσις hypothesios hujus Concionis interpretandæ, ejusque editæ temporis.

Instituitur Anacrisis hujus Concionis recte interpretandæ.

PRæclara Concio est quam hic tractamus, belle ornata, & res complexa dignissimas animadversione; quod multo clarius liquebit, si veram hypothesin ejus exponendæ assecuti fuerimus. Equidem minus hic est divortium inter Interpretes quam alibi: sed id ipsum quale est, nobis non est negligendum. Qui inter Christianos Intt. primi se ad hoc Vaticinium interpretandum applicarunt [a], *objectum* hujus prophetiæ fecerunt *Proceres Judæorum*, persequutores Ecclesiæ Apostolicæ; figentes scenam hujus prophetiæ in primo tempore gratiæ, quo Evangelium per Orbem terrarum promulgaretur. His persequutoribus (in universum quidem omnibus, sed speciatim *Judæis*, ut ex commentationibus ipsorum liquet:) illi censent denunciari Judicium Divinum, exequendum per Romanos; dum contra Ecclesia Christiana post desolationem Terræ Judaicæ & Rempublicam incredulæ Gentis eversam se late diffunderet, & gauderet Beneficiis Divinæ Gratiæ, hac prophetia consignatis. Argumentum sententiæ petunt ex *ultimis Concionis superioris* quibus agitur de *labore* ab Apostolis & Evangelistis impendendo convertendis *Judæis* & *Gentibus*; quibus prophetia hujus argumenti commode subnecti videtur. Græci præterea, Versione Alexandrina usi, sibi persuaserunt, eam huic meditationi favere. Sic enim secundum eam incipit Concio: *Væ qui vos miseros faciunt, vos autem nemo miseros facit; & qui reprobat vos, non reprobat.* Hieronymus vero etiamsi hanc versionem secundum potiorem partem emendaverit: adhæret tamen ipse quoque hypothesi hujus interpretationis quæ sibi aliquam jam videbatur acquisivisse auctoritatem. Sed sane qui Concionem hanc fideliter versam attente legerit: facile viderit, hypothesin male jactam esse; nec putem quoque Græcos ita instituturos fuisse, si meliorem Versionem sequi voluissent. Alexandrina enim hic plane est corrupta, & totum σχῆμα orationis Prophetæ immutat. Nemo itaque absque dolore videre potest, Interpretes ingenium fatigare eliciendo commodo sensu ex verbis absque sensu ab Interprete effusis. *Vastator* ille adversus quem hæc Concio dirigitur, ejus generis est Vastator cui tribui possent effecta quæ recensentur ℣ſ. 8. *Desolata sunt itinera; desiit viator; irritum fecit fœdus; sprevit Urbes; non reputat quemque.* Hæc, inquam, verba interpretantur Vastationem à Vastatore illo efficiendam; quod utique non convenit Judæis persecutoribus Ecclesiæ. Vide, quomodo se hic expediant. Accipiunt illi hæc verba non acsi describerent *vastationem* à *vastatore* efficiendam, sed ab ipso *patiendam.* referunt enim hæc ad *judicium* quod Deus in Templum, Hierosolymam, & Judæam administravit per Romanos. Sed id manifeste contra mentem Prophetæ, qui hanc *vastationem* respici vult ut gravissimum crimen *Vastatoris* quod ab ipso esset vindicandum. quare mox sequitur, ℣ſ. 10. *Nunc surgam, dicit Dominus: nunc erigar, nunc efferar.* Plura non adfero, quia hac parte amplius non laboramus. Nemo enim quod sciam, huic hypothesi amplius patrocinatur. alia indigemus clave ad hoc Sanctuarium reserandum.

Ratio hypothesios.

Firmarunt eam ex Versione Græca.

Hieronymi sententia.

Hypothesis primorum Ecclesiæ Doctorum, qui hic demonstrant Persecutores Ecclesiæ Christianæ ex Judæis.

Hypothesis non admittitur.

Σχῆμα Vastatoris & Vastationis non convenit Proceribus Judæorum.

Aspectus ℣ſ. 8.

Exceptio adversus hoc argumentum producta refellitur.

II. Pro-

[a] Euseb. Hieron. Cyrill. Theod. Procop.

Hypothesis Intt. aliorum, qui hoc Vaticinium faciunt *argumenti generalis*.

II. Proxime ad hos accedunt, qui prophetiam faciunt *argumenti generalis*, non *particularis*. in qua sententia deprehendi Pellicanum & Junium. Censent illi, (& hic quidem explicite) Prophetam defunctum vaticiniis quibus *singularia* Dei *Judicia* enarraverat: hanc generalem prophetiam, (tribus *Capitulis* absolutam,) cæteris subnectere, qua in genere omnibus qualibuscunque Ecclesiæ Persecutoribus & Vastatoribus denunciet Calamitates ex Decreto Justitiæ Divinæ iis obventuras: perinde ac bonis & Dei reverentibus hominibus, afflictionem Justitiæ caussa sustinentibus, prædicit læta ac prospera, rerumque suarum exitum felicem, ex Lege Providentiæ Divinæ iis dispensanda. Non placet hypothesis. Largior ego lubens, ex *themate speciali* formari posse *generale*, si non committatur vitium μεταβάσιος εἰς ἄλλο γένος, sive si similia similibus comparentur. Exemplum enim hujus Vastatoris insignis documento esset aliis qui eodem se obstringerent crimine. Nec tamen propterea autumem, propositum esse Prophetæ in hac *Concione* generale illud thema de *felici* piorum & *infelici* impiorum *sorte* inculcare; sed potius certo prædicere eventum infelicem alicujus φερωνύμου & insigniti Persequutoris Ecclesiæ, certo tempore in Mundo comparituri, qui ipsi in Viso ante oculos versabatur; & certam Ecclesiæ liberationem, suis characteribus circumscriptam. α. Quia *Vaticiniorum* objecta sunt *specialia*, non *generalia*. Prophetarum est exponere *particularia* Dei *consilia* in circumstantiis suis exequenda; sed Doctores in *generalibus* decurrunt. est autem aliud *vaticinari*, ac *docere*. Ut Historicum non agit, qui aliis tradit, multa olim inter homines gesta esse bella, diverso exitu; sic Vatem non præstat, qui ἐν πλάτει multa similia gerenda esse cum plurimorum mortalium exitio, prænunciat. Sunt fateor, Prophetæ ipsi quoque *Doctores publici*: sed vaticinatio absque majore opera facile à *doctrina* discernitur. β. Qui hanc Concionem legit, mox observat; *singularia* plura attributa *certi temporis* & *status Ecclesiæ*, tum *modi Vastationis* & *interitus Vastatoris*, hic occurrere, quæ ad omnes Casus Vastationis vel Persequutionis Ecclesiæ accommodari nequeunt. Non anticipo nunc illa κρίτήρια, quia id mihi mox agendum erit. Conferri interim possunt ℣s. 1. 4. 7--9. 14. 19. 23. Quam eandem ob rationem non concedo in *consequens* hujus hypothesios, quod hunc *Sermonem* tanquam *argumenti generalis* à *superioribus* divellit. Cohæret enim vere cum *superiore Concione* secundum eum modum quem ostendi: nec est ei ullus præscriptus titulus novus; nullum signum novæ prophetiæ. Sed ipsa nostra commentatio rem certius declarabit.

Quæ pariter non suscipitur.

Improbatur hypothesis quæ Vaticinium hoc facit generalis argumenti.

Vaticiniorum argumenta & objecta sunt specialia. quod declaratur.

Prophetia hæc multa singularia attributa certi status & temporis exhibet. quod evincitur.

Intt. plerique qui Vaticinium hoc faciunt argumenti *specialis*, per *Vastatorem* insignem hic intelligunt Senacheribum Assyrium.

III. Omnino itaque iisdem facimus qui hoc Vaticinium statuunt argumenti *specialis*, oculosque suos in interpretatione convertunt ad certum aliquem, suis characteribus insignitum ac notabilem, Vastatorem, tanquam Objectum Declamationis Propheticæ, in quo definiendo major hic consensus est quam alias. Designant frequente consensu Interpretes *Assyrium* Regem *Senacheribum*, ad cujus tempora & fata prædicenda Prophetam existimant hic recurrere. Sic sciverunt jam medii ævi Intt. Hugo, Thomas Aquinas, Liranus, eandemque sententiam plerique recentiores commendant α. Hebræi quoque, quibus Hieronymus hanc hypothesin tribuit, Aben-Ezra & Kimchius: etsi Kimchius inter utramque sententiam, quarum altera prophetiam refert ad Senacheribum, altera ad Gogum & Magogum, vacillet. Veteres tamen Hebræos hoc Vaticinium ad Assyrios retulisse, patet ex Jarchii & Kimchii observatis ad ℣s. 4. Jarchius autem vaticinium referre videtur ad tempora Messiæ, ut Liranus jam observavit; etsi oblique magis quam aperte mentem hanc suam explicet. Et sunt tamen ex his Expositoribus plures, inter quos Oecolampadius, qui Senacheribum hic respici volunt ut typum & figuram *Antichristi* vel *Hostium* Ecclesiæ N. F. qui exemplum ejus redderent.

Auctores hujus sententiæ.

Hebræorum Intt. hypothesis.

Temperamentum hujus hypothesis à quibusdam Intt. adjectum.

Cl. Cocceji sententia, qui prophetiam versari putat in describenda tristi Vastatione Germaniæ *Sæc. sup.*

Rationes ejus.

Coccejus noster hic rursus nullam Ecclesiæ antiqui temporis rationem habet: quin potius scenam prophetiæ directe figit in pœnitendis motibus Bohæmiæ & subsequentibus Germaniæ, *Seculi superioris* sub Ferdinando II. magno florentissimæ terrarum *Vastatore*, quem ille Virum hoc fulmine feriri censet. Ratio ab ipso petitur tam ex *characteribus* in prophetia consignatis, quam ex *nexu* ejus cum proxime præcedentibus, (Cap. XXXII. 19.) quibus mentio facta erat *Urbis deprimendæ*, per quam intelligit Babylonem mysticam: unde nimirum colligi queat, hunc *Vastatorem* ex illâ *Urbe* proditurum. Agedum, huic hypothesi expendendæ primum demus locum, ut dein liberior disputatio fit.

Judicium de posteriore hac hypothesi.

IV. Hypothesis Cl. Interpretis hoc loco ejusmodi est, ut si forte interpretatio secundum eam composita *directe* non respondeat scopo prophetiæ, prorsus tamen falsa ac rejectanea dici nequeat. Esto enim, Cæsarem Ferdinandum non esse illum Vastatorem insignem quem prophetia ἀμέσως ferit: non est tamen dubium, quin ad Corpus Vastatorum sub hoc emblemate comprehensorum pertineat, & in illo Corpore sit eximius valde ac notabilis. Imo vero non negem, plurâ attributa *Objecti* & *temporis* prophetiæ hujus in ejus historia detegi posse quam in plurium Principum hac nota insignium aliis; & exemplum Divini Judicii editi in Bello Germanico *Sæculi superioris* fuisse tremendum & cum paucis hujus generis comparandum. Nec tamen propterea mihi persuadeo, illum primum fuisse in mente Prophetæ hoc vaticinium consignantis. Rationes meæ sunt, α. Si attributa *Objecti* hujus prophetiæ, quæ Vir Doctus supponit demonstrari posse in Ferdinando II. clarius certiusque etiam ostendi possint in *Subjecto*, quod propius accessit ad tempus Prophetæ, ut sunt Senacheribus, aut Antiochus: ratio suadet, illud hic primo loco respiciendum esse. Quid ei veri subsit?

Quid ei veri subsit?

Non videtur tamen prophetia ad hoc tempus *primo & directe* referenda.

Non est enim necesse in quærendo hoc Vastatore tam longe ire, si in proximiori aliquo tempore monstrari queat. Dari autem in proximiore ætate *Subjectum* cui attributa temporis sive prophetiæ conveniunt, commentatio nostra evincet. β. Plane non existimo, omnia attributa hujus prophetiæ temporibus afflictæ vastatæque Germaniæ congruere. De quo ut certius feratur judicium, attributa temporis hujus prophetiæ strictim recensere juvat, quæ cum attributis temporis *Sæc. superioris* crescentis comparanda sunt. Sunt autem sequentia, ex quibus judicium ferendum est de implemento hujus Vaticinii. α. *Vastatio* hæc esset terrarum Populi Dei gravissima, universalis, (℣s. 8. 9.) & quidem in longum protracta, ℣s. 2. β. Cum respectu ad *Religionem*, quippe per quam Ecclesia poneretur in statu צרה ANGUSTIÆ, ℣s. 2. γ. Efficienda à *Vastatore* quodam famoso, Principe potente, inter reliquos sui generis insigni, florentis Imperii Præside, & quidem *perfide*, spretis Gentium juribus; ℣s. 1. δ. Quin etiam *barbaro*, alienæ *Gentis* & *Linguæ*, ℣s. 19. ε. Et quidem tali Ecclesiæ statu, quo divisa esset in duas partes, alteram meliorem, deteriorem alteram, in qua plures factiosi, profani, impii, ℣s. 13. 14. ζ. Cui Populus Dei se exiguis viribus opponeret, sed quæ absque singulari Dei auxilio ad id non sufficerent, ℣s. 2. η. Vastator tandem à Deo profligandus erat gravissimis Judiciis, per singularem Dei Providentiam administrandis, quorum fama Orbem terrarum pervolitaret, ℣s. 10. 11. 17. θ. Quorum Judiciorum Divinorum effectus esset Ecclesiæ liberatæ vindicatæque status florentissimus, late expansus, isque durabilis, sub regimine, cura, & judicio ipsius Dei, Jehovæ, ℣s. 17. seqq. ι. Dum interea Respublica Populi adversarii magis atque magis imminueretur, & Ecclesia ditaretur hostium suorum *spoliis*, ℣s. 4. 5. 23.

Attributa Objecti prophetiæ in propioribus *Subjectis* demonstrari queunt.

Omnia attributa prophetiæ demonstrari nequeunt in Eventu, à Cl. Viro designato.

Attributa hujus temporis characteristica ex prophetia recensentur.

V. Ex his characteribus judicium instituendum est de *Subjecto* sive *Objecto* hujus prophetiæ; quos dum comparo cum Statu Ecclesiæ afflictæ in Germania *Sæc. superioris*: disputatio in longum trahi posset, si ad singula;

α Brent. Pisc. Belgæ, Grotius, Lud. Capp. Schmuck. Forer. Sanct. &c.

An Bellum Germanicum *Sæc. sup.* dicendum sit fuisse Bellum Religionis.

gula, minus liquida, vellemus hærere. Veluti quod hic supponatur, Bellum illud *Sæc. superioris* fuisse *Religionis caussa* gestum: quod nemo prudens historiæ absque temperamento admiserit. Motus Bohæmici, qui huic Bello occasionem dederunt, absque dubitatione respectum habuerunt ad *Religionem*. Pariter magnus ille Sueciæ Rex Gustavus Adolphus rationem Religionis oppressæ in caussis belli adversus Ferdinandum susceptæ, non neglexit. Ipse etiam Ferdinandus Cæsar, Princeps superstitioni suæ addictissimus, Religioni Protestantium opprimendæ, & Romanensium promovendæ, (quatenus id honesto aliquo obtentu agere potuit,) maxime fuit intentus. Sed primo quidem Cæsar palam hanc personam non ausus est induere vel sustinere: dein post obitum Gustavi Adolphi universa facies Belli plane immutata est, dum Protestantes & Pontificii oppositarum partium, (Gallis videlicet cum Suecis, & Saxone cum Cæsare sociatis,) inter se permixti, neutiquam pro Religione, sed sive pro deprimenda Domo Austriaca, sive pro Germania in libertatem pristinam vindicanda, pugnarunt. Pariter, quæri & disputari posset, an *Austriaca Domus*, superioribus temporibus à Turcis tot afflicta & imminuta cladibus, venire queat sub nomine *Vastatoris* hactenus *non vastati*; tum quoque num Ferdinandus Cæsar Jura sua in Regnum Bohæmiæ vindicans, non sane absque omni jure & ratione, meruerit inter tot alios ipso non meliores Principes sui generis hic invidiosa hac nota insigniri? De his, inquam, ac similibus disputandi ampla materia esset; sed quam ego nunc missam faciam. Prophetiarum interpretatio requirit aliquam ingenii & tractationis liberalitatem. Duo sunt quæ desidero in hypothesi Doctissimi Interpretis, notabilia & majoris momenti. Primo, Judicii, quod hic describitur à Deo infligendum hostibus Ecclesiæ, esset universalis, peremptorius, ac durabilis effectus; quod in illo Bello demonstrari nequit. Sueciæ Rex glorioſus vere magnum quid præstitit ac illustre ad vindicandam Religionem oppressam, & Germaniam quoque à jugo Cæsaris. Sed fuit ejus ex Divina voluntate brevis victoriarum & vitæ cursus, quem si æquabiliter potuisset consummare cum insigni *Ecclesiæ* profectu ac incremento stabili: parum esset quod hic amplius requirerem. Ut enim Vir fuit præclarus, inter Principes eximius, sapiens, à Deo electus: sic negari nequit, Deum singulari quadam Providentia sua illum ad puniendam Ferdinandi ferociam & iniquitatem excitasse suaque dextra juvisse. Sed præstantissimus hic Princeps immaturo exitu suo rem reliquit imperfectam. Post ejus excessum triste bellum in longum protractum, continuatum est per omnes optimæ terræ regiones, eventibus quidem subinde magnis, sed instabilibus ac desultoriis, cum mutuis & fere æquatis cladibus partium se invicem atterentium & bellando lassantium. Urbes captæ, receptæ, interceptæ; servatæ, eversæ; arces occupatæ, dirutæ; agri, vineæ desolatæ; disjecti coloni; direptæ ac perditæ civium facultates; ars elusa arte, dolus dolo; prœlia sanguinaria refectis viribus redintegranda, conflictus, cædes, populationes; horumque sectaria, vastities, incultus, fames, feritas animorum, & communis calamitas. quæ si junctim sumas, magis exhibent speciem *Judicii Divini* Populum totum ob communia vitia graviter affligentis, quam Ecclesiam Populumque suum liberantis; certe si peremptorius effectus non sequatur. Vide mihi, ne longius & ad aliena excurram, statum lugendum Italiæ rapinis, populationibus, cædibus, Urbium hominumque excidiis immaniter desolatæ & exhaustæ sub Cæsare Friderico II. [a] Galliæ similem expertæ sortem, sub Regibus Joanne & Carolis VI & VII. [b] Angliæ sub Richardo II, & Henrico IV. [c] Specimina sunt *Judicii Divini* in Gentes ob vitia, scelera, & beneficiorum Divinorum abusum severe animadvertentis: qualia per omnes Mundi Populos extant. Oeconomia enim Providentiæ Divinæ est æquabilis. Enimvero censeo, si Interpres prophetiam hanc omnino directe referre voluisset ad hæc tempora posteriora: longe rectius & speciosius eam applicare potuisse ad Philippum II. in Belgium hoc nostrum Religionis caussa vere & proprie sævientem, sed à Divino Judicio insigniter de proposito & spe inani dejectum. Illa enim persecutio & afflictio habuit exitum peremptorium, Deo glorioſum & Ecclesiæ. Alterum quod hic desidero est, Ecclesiam Christi Jesu, si totum corpus ejus spectes, ex hoc Bello nullum notabile feciſſe incrementum ac profectum; neque adeo demonstrari posse consequentia læta quæ hic à Propheta recensentur, ℣ſ. 17. 18. seqq. Germania, fateor, *Pacificatione Monasterienſi* liberata est ab Oppressione quam ei ante plures annos intentaverat Ferdinandus II. adversus Leges Imperii, & ab illo tempore respiravit ac refloruit: sed, si Ecclesiæ faciem spectes, quis dixerit, eam ampliorem, meliorem, purgatiorem effectam? Contra vero Ecclesiæ purioris confessionis fidei olim egregie florentes in Bohæmia, Silesia, Moravia, Austria, cum hoc Bello durante ac finito maximam partem oppressæ, juribusque ac libertate sua spoliatæ sunt à Victoribus Cæsaribus, earum Ditionum Dominis. Sensit id Cl. Interpres, quare ipse hic ab hypothesi discessit. Finem prophetiæ de Bello Germanico jam statuit ℣ſ. 10. Inde Prophetam ℣ſ. 13. 14. transire ad ea quæ gerenda erant in Anglia. Quæ autem sequuntur ℣ſ. 17. seqq. Ecclesiam suo tempore ait hactenus non vidisse. Expositio autem tota vere obscurior est & ænigmatica, à me variis locis non intellecta; nec operæ pretium visum est me hic vehementer fatigare. Quæro demonstrationem in Verbo Prophetico, qualem rei natura patitur, & cohærentiam partium. Certe quis non videt, legens hanc prophetiam, totam in eodem argumento decurrere? Ne nunc quicquam addam de *nexu* qualem Vir Doctissimus concepit; & de Statu Domûs Austriacæ satis florente post Bellum hoc terminatum. non libet enim nec licet omnia movere.

Quatenus id admitti queat?

Quatenus negari?

Judicii Divini illo tempore administrati non fuit *universalis & peremptorius effectus.*

Facies rerum illius temporis.

Gustavi Adolphi Sueciæ Regis laus.

Opus Liberationis Ecclesiæ suo obitu reliquit imperfectum.

Aspectus rerum post ejus obitum.

Deus illo tempore exequutus est triste Judicium in ipsam Ecclesiam.

Comparatur cum similibus Judiciis aliarum Gentium.

VI. Quid igitur? Eundumque rursus est ad Assyrium Senacheribum? Sane eo illuc lubens, si Spiritus me denuo ad illum ducat. Est enim, quod alias monui & monitum non infrequens repetii, de more Prophetarum, in ecstasin raptorum, circa eadem Objecta vaticinationibus suis oberrare. Non refugio itaque hic rursus Assyrium, si characteres illum demonstrent. Nec potest esse dubium quin plerique ejus temporibus conveniant, quos modo recensui. Et tamen ubi inhæsi huic meditationi: certæ rationes mihi persuaserunt, *Vastatorem* quem Vates in hac prophetia respexit & appellavit, esse ANTIOCHUM EPIPHANEM, Caput & Principem illorum Syriæ Regum qui Ecclesiam Religionis caussa persecuti sunt: quem cujusque tempora maxime insignia & notabilia Vatem nostrum sæpe in oculis habuisse, ut in præcedentibus Vaticiniis jam evici: sic ex sequentibus in fine hujus Libri (aliorum etiam Interpretum consensu,) clarissime liquebit. Nihil verius, & ad Prophetam nostrum variis locis intelligendum certius. Rationes meæ sunt. *α.* Quod inter hanc Concionem, & antecedentem Cap. XXIV--XXVII. perfecta sit analogia, non tantum quod ad *res*, sed & *phrases*, ut ex. gr. Cap. XXIV. 5. 16. cum hoc *Sermone*, ℣ſ. 1. 8. *β.* Quia Vastatio in hac prophetia descripta, esset *universalis* totius terræ Canaanææ per omnes ejus partes, qualis describitur in *Concione* hac nostra ℣ſ. 8. coll. cum Cap. XXIV. 1. seqq. cum tamen Senacheribus præcipue populatus sit Judæam. *γ.* Tempore hujus Vastationis & Oppressionis esset *lucta* & *certamen* inter hostes & partem Ecclesiæ quæ hostilibus conatibus se opponens auxilium Divinum continuo respiceret, & *singulis matutinis* eo indigeret, ℣ſ. 2. *δ.* Alia quædam attributa horum temporum ægre in temporibus Hiskiæ, sed facillime & clarissime in Maccabaicis demonstrantur. veluti, (a) *Expansio* & amplitio

Attributa prophetiæ inter Principes recentiores rectius conveniunt Philippo II. quam Ferdinando II.

Consequentia Belli Germanici non respondent prophetiæ.

Motus Bohemici Ecclesiæ fuerunt noxii.

Quomodo Cl. Int. se hic expediat?

Sed non feliciter.

Transitus ad hypothesin de Senacheribo.

Ἐνέργεια in hanc hypothesin.

Rectius cogitatur de *Antiocho Epiphane.*

Ratio petitur ex analogia hujus prophetiæ cum superiore Cap. XXIV. seqq.

Vastatio, quæ hic describitur, esset universalis totius Canaanææ.

Lucta esset hoc tempore & Bellum eum discrimine gestum inter Populum

[a] Sæc. XIII. [b] Sæc. XIV. XV. [c] Sæc. XIV. XV.

Dei & ejus hostes.

tio Ecclesiæ liberatæ, ℣. 17. 21. (b) *Durabilitas* hujus Status Ecclesiæ in longum, ℣. 20. (c) *Immediata* ejus *dependentia* à Deo *liberatore*, ℣. 21. 22. quæ quomodo illis temporibus conveniat, spero me perspicue ostensurum. (d) *Nuncii pacis*, (Sacerdotes) iidemque *Heröes Ecclesiæ*, *foris* (extra Hierosolymam,) *amare* fleturi, ℣. 7. (e) *Spolia* Gentium Ecclesiam ditatura, ℣. 4. 23. Denique *e.* favet mirifice nostræ hypothesi nexus & series Prædictionis Propheticæ, quem jam indicavi. Vates noster ordine *quatuor afflictiones* Ecclesiæ subsequuturas cum totidem Liberationibus perstringit; & nostra quidem hæc *Concio* pertinet ad illustrandum *comma penultimum* Concionis proximæ, ut in superioribus jam monui. Nihil mihi hic obstabat, quam quod de *Rege* dicitur illo tempore vi-

Alia attributa quæ facilius in temporibus Maccabaicis quam Hiskiæ demonstrantur.

Nexus hujus Concionis cum Vaticiniis superioribus.

Objectio quæ contra

sendo in *pulchritudine sua*, ℣. 17. Stuporis mei fuit, non observasse, intelligi JEHOVAM ipsum; ex comparatis locis Cap. XXIV. 23. Zach. XIV. 9. 16. Sententiam teneo verissimam de qua forte posthac eorum qui nostra legerint pauci dubitaverint. Etiamsi vero hypothesis hæc nostra discedat à superiore, quæ prophetiam refert ad Senacheribum: est tamen hoc divortium longe minus quam alicui videri queat. Propheta enim noster ex observatione nostra sæpius repetita, in *Assyriis Veteribus* spectati vult *Assyrios novos*, (Seleucidas, inquam, Persequutores Populi Dei;) & *Assyrios novos* spectari vult ut *complementum* Veterum, quod jam docui Cap. XIV. 25. Ego vero commentationem meam ita instituam, ut in necessariis locis utramque interpretationem inter se sim comparaturus.

moveri posset ex ℣. 17. plane resolvitur.

Quid commune habeat hæc hypothesis cum superiore?

SECTIO PRIOR hujus Concionis. *Enarratio* summaria Eventuum notabilium mox latius explicandorum.

Membrum prius: *Denunciatio Prophetica* directa ad magnum aliquem Vastatorem Ecclesiæ, complexa veluti Propositionem prophetiæ.

Sectio prior hujus Concionis, Eventus *summarie* exhibens.

Membrum prius: *Apostrophe* ad magnum *Vastatorem.*

Summa sententiæ Vatis.

℣. 1. *Væ tu* QUI VASTAS, *cum tu non sis vastatus*; *& qui perfide agis, cum perfide non egerint tecum. Quum desieris vastare, vastaberis; quum* ABSOLVERIS *perfide agere, perfide agent tecum.*] Propheta orationem suam ita componit, acsi magnum illum Vastatorem, adversus quem hanc Declamationem instituit, in ipso vastationis crimine αὐτόφωρον deprehenderet, & præsens præsenti judicium Divinum recta denunciaret. Appellat itaque illum ab ipso invidioso *Vastatoris* & Prædatoris *perfidi* opere, & decreta ultricis Justitiæ Divinæ, secundum Legem talionis paria reddituræ, ipsi veluti coram explicat. Sunt autem verba à nobis eum in modum accipienda, ut complectantur *propositionem* sive *argumentum* hujus prophetiæ oblique *propositum:* quod ex interpretatione ipsa certius patescet.

Verba Prophetæ: *Et tu vastatus non es*: num interrogative sint accipienda?

In oratione Prophetæ id primum observari volo, esse inter Interpretes Vett. qui verba: ואתה לא שדוד *Et tu vastatus non es*, (sive, *cum tu non sis vastatus*,) accipiunt *interrogative*. Hieron. *Nonne & ipse prædaberis?* & videtur quoque Paraphrasis Chaldæa in hanc accipienda sententiam. Sed frustra. Certus sensus est quem dedimus cum plerisque aliis, *Cum tu vastatus non sis.* Sic Symmachus: Οὐαὶ ὁ ταλαιπωρίζων, ἀυτὸς δὲ μὴ ταλαιπωρηθείς· *Væ qui miseros facis, miser autem ipse non factus.* Quod sequitur; כהתכך שוד *Cum desieris* sive *consummaveris vastare*, (h. e. perfeceris vastationem,) Hebraice proprie sonat, *Cum consummaveris vastans.* Constructio Græcis est in frequente & elegantiore usu etiam in Libris N. T. ut apud Lucam [a]: Ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν. Proximum huic: כנלתך לבגוד *Cum absolveris perfide agere:* majorem animadversionem meretur ob infrequentiorem usum vocis נלה. Sententia, superiori respondens, postulat hic notionem *absolvendi*; ut, si etiam notatio & etymon vocis aliunde illustrari requirent, vel forte lectio vocis affecta esset: in sensu tamen hic non facile fallamur. Lud. Cappellus, observans, literas נ & ל *radicales* esse, ut ipse loquitur, *incompatibiles*, h. e. *alteram nunquam immediate sequi alteram:* posterius suspicatur. nimirum *literam* נ hic forte occupare locum כ, *affinis figuræ & facillimæ permutationis*, ut scripserit Propheta, בְּכַלּוֹתְךָ *cum absolveris*, quod huic loco non male quadrat: vel, כנלותך scriptum esse, pro כְּנִלְאוֹתְךָ cum *fatigatus*, sive *lassatus fueris* sc. *perfide agendo.* quomodo Chaldæus & Hieronymus vocem accepisse videntur. Nec id quoque præter omnem rationem. *Forma* enim *infinitivi Niphal* vocis לאה ferre potest *characteristicam formæ Conjugationis.* Equidem extat vox מנלם Job. XV. 29. quæ videtur formata esse à נלה: sed ejus quoque loci lectionem Vir Doctus solicitat. Res dubia est, in qua investiganda plus operæ ponerem, & partes facerem, si tanti esset. Sententia enim loci, vel ignorato etymo, incerta non est.

Verſio Symmachi.

Usus *participii* pro *Infinitivo.*

Significatio vocis נלה in posteriore sententia.

Lud. Cappelli observatum.

Ad rem ipsam ut veniam: attributa à quibus Objectum Divinæ indignationis & Declamationis Propheticæ hic appellatur, variis conveniunt *Subjectis.* Omnis enim Historia Mundi exhibet magnos *Venatores coram Domino*; Prædones, inquam, Vastatores, Bellatores, qui dominandi libidine incensi absque omni sæpe ratione vel rationis obtentu alio Populos aggressi bellis infestarunt & sub jugum suum miserunt, Orbemque terrarum cædibus & vastitie *perfide*, h. e. contra rationem juris & æqui, repleverunt, qui tamen ipsi longum tempus *vastati* non fuerunt. Missis Imperiis Mundi majoribus, (quæ omnia stylo Scripturæ S. veniunt sub imagine *Bestiarum ferarum*,) nomen hoc proprie competit Parthis, Gothis, Vandalis, Alanis, Francis, Normannis, Saracenis, Bojis, Hunnis, Tataris, Bulgaris, Turcis, Populatoribus Gentium, qui infinitas in Orbem induxerunt calamitates. Principes magni animi sæpe sed feri ac sævi catervas numerosissimas harum Gentium ducentes, *perfide*, (h. e. contra Gentium Jura,) alienas terras invaserunt, diripuerunt, *desolarunt*, occuparunt; sæpe ipsi longum tempus non *vastati*, & plures tamen illorum tandem Judiciis Divinis perditi aut dissipati. Cave tamen putes, te satisfacere huic prophetiæ, si eam ad universum hoc corpus Vastatorum Mundi directam putes. Intelliguntur certi *Vastatores* cum quibus Vastatoribus Ecclesia Populi Dei *luctatur*, & à quibus sibi plurimum metuit; *perfidi*, & quidem *terrarum Populi Dei*, illo tempore divisi in duas partes, *peccatores* & *sinceros* Dei *cultores*; qui ex Lege talionis paria relaturi, tandem profligandi erant Judicio Divino, & quidem cum insigni Ecclesiæ incremento ac profectu. Sunt inter illos quos recensui Vastatores qui vel terras Populi Dei non attigerunt; vel qui terras Ecclesiæ vastarunt, sed cum quibus Populo Dei nulla justa fuit *concertatio*; vel denique qui executi sunt *Judicia Dei* in Ecclesiam non veram, sed vitiatam, corruptam, falsam, quorumque adeo non fuit *punitio* exemplaris, conjuncta cum incremento Ecclesiæ. Sunt multi Vastatores Orbis quales Attila & Temir, *flagella* Divini Judicii, qui hic directe non respiciuntur. Cogitari hic posset de *Turcis* cum quibus Populo Christiano stabilis fuit concertatio: sed primo, probabile fit, hunc Vastatorem vel Vastatores hosce primo loco quærendos esse sub Oeconomia Vetere: *α.* quia si in proximo demonstrari queant, non est necessum longius excurrere. *β.* Quia legenti hanc prophetiam apparet, per totam alludi ad loca Canaanæa Veteris, ut ℣. 9. 20. Fateor, ea mystice accipi posse: sed non nisi necessitate flagitante. Secundo, *Turcis* non convenit emblema hujus prophetiæ; nedum Hunnis, Avaris, Tataris, aliisque Vastatoribus Gentium. In Statu illius Ecclesiæ, cui su-

Attributum *Vastatoris* absolute spectatum variis convenit subjectis.

Exempla Vastatorum Orbis.

Nec tamen propheta hæc promiscue ad omnes applicanda est.

Intelliguntur hic Vastatores Ecclesiæ, & quidem in duas partes divisæ.

Vastatorum Orbis discrimen.

An *Turcorum* hic haberi queat ratio?

Rationes adversus illam hypothesin.

[a] Cap. v. 4.

perveniret Vastator; ut jam prænonui. α. Ecclesia scissa esset in duas partes, חטאים PECCATORES & sinceros Dei *cultores* qui se à *profanis* discernerent, ℣. 14. β. Pars sincerior in concertatione sua cum hoc Vastatore, freta auxilio Divino, post variam luctam gloriose vinceret cum luculenta accessione Ecclesiæ. Neutrum obtinuit in Populo Christianorum Orientalium. Uniformis fere illius Ecclesiæ fuit conditio, (factio enim *Latina*, nunquam per se valida, altera melior non fuit:) quippe quæ singulari quodam Dei judicio tota demersa fuit in crassis tenebris ignorantiæ veri mysterii fidei & superstitionis ac idololatriæ, omnem modum supergressæ; & tandem post longi temporis decertationem per gradus succubuit Dominationi Turcicæ, & sub eadem adhuc misera gemit. Esse tempus à Deo definitum, quo hoc Imperium Vastatorum Mundi à Deo sit destruendum, spes nostra & Ecclesiæ est: sed ejus Liberationis typus directe non convenit huic prophetiæ. Hic intelligitur Vastator terrarum Ecclesiæ, Religioni & Ecclesiæ veræ destruendæ intentus, non reprimendus tantum, (quod sane Turcis etiam evenit, qui cæteroquin totum inundassent Orbem Christianum:) sed feriendus Divinis Judiciis & perdendus ad preces & supplicationes veræ Ecclesiæ laborantis, de hoc hoste suo glorioso triumphaturæ. Si itaque hujusmodi Vastator vel Persecutor Ecclesiæ quærendus sit sub Oeconomia Nova: cogitari hic nequit nisi de Statu Ecclesiæ recentioris temporis, quo magnus aliquis Princeps, sive potius Principes, hypocrisi in Ecclesia dominanti patrocinium præbituri, *sinceriorem* ejus *partem* palam niterentur opprimere, & hac ipsa de caussa in *terras* & *Populos Ecclesiæ* magnam inducerent calamitatem & vastitiem; cujusmodi Principes vere extiterunt *Sæculis* Christianismi XVI & XVII. quos *antitypico* respectu omnino excludere nolim, licet hæc & cognatæ prophetiæ perfectius adhuc *implementum antitypicum* desiderent. de quo abunde & copiose disserui in *Anacrisi* α & *Sensu mystico* β prophetiæ Cap. XXIV. quæ hic à veri studiosis diligenter recoli velim. nostra enim hæc prophetia ejusdem est argumenti & sensus. Sed cum *typum* ejus quod hic dicitur, in Historia Veteris Ecclesiæ quærere par sit, ob rationes supra adductas; & *Historia* atque *analogia* prophetiarum faveant huic hypothesi: definivi jam in *Anacrisi*, vel referendum esse Vaticinium hoc nostrum ad *Senacheribum*, magnum Vastatorem Gentium & terrarum Populi Dei, vel ad *Antiochum Epiphanem*, caput Regum *Assyriæ novæ*, (Regnum enim Seleucidarum hoc nomine *Assyriæ* apud Prophetas venire sæpe jam observavi & liquet invicte ex Zach. X. 11.) qui ejus exemplum longe adhuc perfectius & verius exprimeret atque expressit. Posterius elegi, & tamen, ut utriusque sententiæ lucidius sit discrimen, visum est interpretationem utramque inter se comparare.

Quod itaque ad hoc *thema* nostrum attinet: non potest esse dubium, quin Senacheribo conveniant *attributa*, hic consignata. Ipse de corpore Assyriorum Regum Princeps potentissimus, merito censetur in magnis *Vastatoribus* Orbis terrarum. Sic Hiskias in oratione ad Deum γ: *Certe Jehova! Reges Assyriæ* DEVASTARUNT החריבו *Gentes & terras illorum.* Confer Cap. X. 9. 13. XIV. 17. XXI. 2. Idemque *perfidus*, quod contra Leges & Jura Gentium ex mera ambitione & cupiditate amplificandi Imperii Gentes obvias quasque aggressus sit, ut deinceps Babylonius, qui ad idem Corpus Assyriorum Regum, stylo Scripturæ S. refertur, Cap. XXI. 2. XLVIII. 8. Hab. I. 13. II. 5. De eodem vere etiam affirmari potest, huc usque *vastatum non fuisse*, aut aliorum *perfidiam* expertum; sed ab hoc tempore post gravissimam cladem ei à Deo infligendam & parricidium in ipsius persona à filiis ejus committendum, Imperium ejus labefactatum iri, tum ipsis hisce adversissimis casibus; tum subsequutura Gentium defectione, quæ tandem conspirarent ad Nini Urbis, Urbium Orientis maximæ illius ætatis, excidium. Ita est, non patet ex historia, Imperium Assyriorum, olim à Nino & Semiramide fundatum, ante *quingentos* & quod excurrit annos, usque huc fecisse decrementum, aut notabili clade afflictum fuisse: contra ea limites Imperii, Gentibus plerisque Orientis sub jugum missis, latius latiusque identidem extentos esse, ut gloriatur Senacheribus δ: sed parallelia Historiæ Sacræ & Profanæ docet, ut jam ab Eruditis observatum est, ex traditione Herodoti ε *Medos* circa hoc ipsum tempus *ab iis* incepisse *deficere*, & post illos καὶ τ' ἄλλα ἔθνεα, *alias quoque Gentes*, & cum tempore quoque *Chaldæos*, qui tandem cum *Medis* (sub tertio Medorum Rege Cyaxare,) conspirarunt ad Ninum evertendam, idque etiam effectum dederunt ϛ. de quibus rebus ego alibi ζ prolixius commentatus sum.

Sed idem exemplum multo perfectius reddidit Antiochus Epiphanes, varii ingenii Princeps, idemque potentissimus, profligatus hostis Populi Dei. Induxit ille vastitiem in totam terram Populi Dei, quam late patet, longe graviorem quam unquam Senacheribus; longe infestiore in veram Religionem animo; multo etiam majore arrogantia, superbia, perfidia; & multo quoque tristioribus effectis. Ezechiel de Gogo & Magogo η: *Et ascendis; ut* VASTITAS (sive ut *procella vastans.* כשואה) *venies.* Danieli est *Defectio vastans*, qua *Sanctum & Exercitus* (ordo Sacerdotalis,) *datur in conculcationem* θ. En prosopographiam hujus Principis ex eodem Vate ι: *Et roborabuntur vires ejus, & non per vires ejus*, (sed spoliis ex Ægypto abductis auctiores) *&* MIRABILITER PERDET, *& prospere aget, & faciet; & perdet validos, & populum Sanctorum.* Deo sacrum. Sed nihil expressius in hanc rem quam quod Propheta noster scripsit, Cap. XXIV. 1. seqq. ubi prolixe hoc argumentum tractavi. Utique enim ille cum Regnum Syriæ, exclusō fratris seu Seleuci Philopatoris filio, *perfide* rapuisset, eademque *perfidia* sibi vindicasset *Syriam Cavam* ejusque partem Palæstinam, nepotibus suis Philometori & Euergetæ, impuberibus, ereptam; & bello sibi à Tutoribus eorum hac de caussa illato victor, totam Ægyptum, Alexandria fere excepta, variis expeditionibus occupasset, hactenus non *vastatus*, nec detrimenti quicquam passus, omnibus huc usque cœptis ex animi sententia & voto prospere ei succedentibus: iram suam *summa perfidia* in Judæos Hierosolymitanos magna in iis edita strage, effudit A. Seleuc. CXLIII. & biennio post per Romanos Ægypto excedere coactus, desolationem illam lugendam à Daniele accurate descriptam κ consummavit, ex Libris Maccabæorum & Josepho repetendam: Donec Exercitus ejus à Maccabæis fratribus, Hasidæorum Ducibus, valide repressi, cæsi, ac disjecti sunt, & ipse *absque humana manu confractus* λ, Filium Eupatorem, & nepotem ex Fratre Demetrium, cum tota Successione Regni Syriaci reliquit vindictæ & maledictioni Divinæ; Populis exteris & præsertim Ægyptiis, eadem nunc perfidia in Syros usis, Regno impedito turpiter illudentibus. quam historiam ad prophetias superiores μ prolixe exequutus sum, & alibi ν etiam illustravi.

Sectionis Prioris Membrum alterum, complexum varias *Apostrophas*, eventum hujus temporis illustrantes.

Apostrophe Prima ad *Deum.*

℣. 2. *Jehova, esto nobis propitius: te exspectavimus. sis brachium* ILLORUM *matutinis: etiam salus* NOSTRA *tempore angustiæ.* ℣. 3. *A voce* TUMULTUS FUGERUNT POPULI: *ab exaltatione tua dissipatæ sunt Gentes*] Appellatio ad *Vastatorem*, quem Propheta sibi in Viso obvium habe-

Attributa propheriæ non conveniunt huic subjecto.

Vastator hic adversarius veræ Religionis ad preces & supplicationes veræ Ecclesiæ erat feriendus, ac destruendus.

Si Vastator hic quarendus esset sub Oeconomia Nova; cui tempori conveniret?

Ratio flagitat, illum primo demonstrari ex historia Oeconomiæ Veteris.

Attributa non male quadrant in Senacheribum.

Fuit ille *Vastator*, & quidem *perfidus.*

Quo sensu ille dici queat huc usque *non* fuisse *vastatus*?

Historia Imp. Assyriaci.

Et tamen characteres hi multo rectius conguunt Antiocho Epiphani.

Prophetia Ezechielis de *Gogo* & *Magogo.*

Descriptio ejus ex Daniele.

Analogia Cap. XXIV. 1. seqq. Historia ejus.

Quomodo sævierit in Judæos?

Sectionis Prioris *Membrum alterum*, varias complexum *Apostrophas.*

α §. XII. XIII. β §. VIII. γ Cap. XXXVII. 12. δ Cap. X. 9. 13. ε Herod. Lib. I. p. 46. ϛ Pag. 50. ζ *Notit. Imp. Bab.* ad Cap. XIII. §. XIII. XIV. seqq. η Cap. XXXVIII. 9. θ Dan. VIII. 13. ι ℣. 24. κ Cap. XI. 21. seqq. λ Dan. VIII. 25. μ *Implem. prophet.* Cap. XI. 15. 16. §. III. Ad Cap. XXIV. 1. 2. seqq. & ℣. 21. 22. ν *Hypotyp.* Hist. S. §. 78.

habebat, denunciatoria Judicii Divini, ipsi imminentis, in *priore Sectione* hujus Concionis, declaratur per *Apostrophas* quæ æque ac *Propositio* ipsa hujus *Concionis*, optime conveniunt *Cœtui* verorum *Doctorum*, à Spiritu Divino affectorum, quorum personam Propheta noster hic induit. Sunt autem illi ipsi ex nostra hypothesi משכילי עם *Erudientes Populum* qui in prophetia Danielis de temporibus Antiochi edita celebrantur [a]; quosque Propheta noster complexus est nomine eorum qui *tempore angustiæ* officio suo fideliter fungerentur [b]. Eorum autem ad Deum oratio gemini est argumenti. Prior complectitur supplicationem, qua apud Deum intercedunt pro conservatione Populi & Ecclesiæ ejus tempore hujus gravissimæ pressuræ, vr. 2. Altera enarrat *salutem* insignem ad *supplicationem* suam à Deo impetratam, hostibus *in fugam actis* ac *disjectis*, vr. 3. quæ duo membra arcte inter se cohærentia docent, effectum *Supplicationis* protenus eam sequutum esse. In *Supplicatione* observamus illam *personarum* differentiam, ut pro *præsentibus* & *absentibus* orent. Præsentibus & toti communitati convenit oratio, *Esto* NOBIS *propitius*. absentibus altera: *Sis brachium* ILLORUM *matutinis*. Observat Kimchius, genium Hebrææ Linguæ ferre ejusmodi personarum variationem, qua præsentibus *tertia persona* aptatur. ut in oratione Michææ [c]: *Audite* עמים כלם *Populi, omnes* ILLI. pro כלכם *omnes vos*. Non nego sane, & sunt exempla plura. Sed id omnino non obest, quo minus in illa orationis varietate sectemur emphasin, si circumstantiæ eam ferant. Qui hanc supplicationem fundunt, supponunt, partem suæ communitatis abesse, sc. ex hypothesi nostra, *Zelotas*, qui sub Ducibus Maccabæis in expeditionem profecti pro salute sua & caussa Religionis cum hostibus luctabantur, dum pars debilior verorum Dei cultorum se in Desertis, antris, speluncis, & remotioribus locis sustinebat. Ab horum secundo vel sinistro successu pendebat totius Ecclesiæ, illo tempore in Judæa superstitis, salus & conservatio. Ergo illi oratione versa ad Deum, cujus arbitrio omnium rerum humanarum exitus finiuntur, cujusque *gratia* & *misericordia* Ecclesia in terris est & consistit, supplice prece apud eum intercedunt, ut sibi parcat, formula sueta & in Odis antiquis [d] frequentissimi usus, חנני *Sis nobis propitius*, *fac nobis* חן *gratiam. miserere nostri.* Ἐλέησον ἡμᾶς. Nihil illi tribuunt meritis suis; nihil viribus quæ nullæ erant aut exiguæ; nihil auxilio externo quod in præsenti casu exspectari non poterat: contra vero se deprehendentes in gravi culpa, & persuasi, res fortunasque suas omnes à gratia & misericordia Divina suspendi; hanc unam supplicant & exorant. Sic vult adiri Deus; sic vult se adeuntes adjuvare. Eruditi in Schola cœlesti ab hoc capite incipiunt: in eo orationem terminant. Comparandus hic est locus Cap. xxx. 19. חנן יחנך לקול זעקך *Omnino se tibi propitium exhibebit* (gratiam faciet,) *ad vocem clamoris tui*. Dictum propheticum hujus quoque temporis nostri peripheriam includit. Sed Deus adiri non vult in supplicatione gratiæ animo dubio & incerto, sed in *fide* & *spe*. Inde addunt, *te exspectavimus*. Comparandus est Propheta secum ipso de eodem hoc temporis articulo vaticinante, ubi Ecclesiam in Doxologica Confessione sic loqui facit [e]: *Ecce Deus noster! hunc* EXSPECTAVIMUS, *& salvavit nos. Hic est Jehova quem* EXSPECTAVIMUS. *Exspectare* plus est quam *sperare*, ut alias monui. Est quem certo tempore certisque in circumstantiis ex promisso, condicto, conventione, opperiri. Pii hujus temporis certiores facti ex Verbo Prophetico de gravi aliqua tentatione, Ecclesiæ superventura, & glorioso illius tentationis exitu, Deo dederunt gloriam sui nominis, & auxilium ejus certa animi fiducia statu rerum maxime deplorato exspectarunt. Actus hic Religionis Deo gratus est & acceptus. Honorat Deum, qui promissis gratiæ ejus fidit, & in fide sperat, & in spe exspectat. Spes enim & exspectatio in vera fide fundata nunquam est supra ejus potentiam. Deus potest *plus* efficere *quam oramus*, aut *cogitamus*; *imo & speramus*. Quod sequitur: *Sis brachium illorum matutinis*: jam anticipavi. Intercedunt pro fratribus, qui in Expeditione adversus hostes caput objiciebant magnis discriminibus, supplicantque, ut Deus *brachio suo*, h. e. robore & potentia sua invicta, (notione frequentis usus apud Prophetam nostrum [f] aliosque Scriptores Sacros [g],) eos sustineat, muniat, armet, animumque iis addat, virtute heröica eos induat, atque instruat prudentia, ut ejus vi & virtute aucti res suas prospere & absque offensa agant, hostesque debellent; & quidem לבקרי *matutinis*, h. e. בכל בקר ובקר *singulis matutinis*, ut Kimchius recte. Vox alibi [h] non semel hac constructione usurpatur. Vates id in superioribus [i] extulerat, בבקר בבקר *quolibet mane*. Oratio docet, α. Heröes Ecclesiæ, qui erant in Expeditione adversus hostes, omni die expositos fuisse novis discriminibus; atque adeo, β. Omni die opus habuisse novis subsidiis Divinæ Providentiæ & Gratiæ, ut opus Defensionis Ecclesiæ feliciter cœptum prospere exequantur. Estne præterea ut hic alludatur ad *sacrificium* quotidiani cultus, *quolibet mane* offerendum, cui jungebantur preces? Sunt qui ita existimant; sed videtur esse remotius. Rectius longe *matutini* temporis hic potius quam *vespertini* mentionem fieri censeam, ut eo simul alludatur ad auxilii tempestivitatem. Quod *mane* adest, non fallit de die. Quin censetur omne auxilium opportunum *mane* adesse, quod lucem præstet post tenebras calamitatis & afflictionis. Plus est quod adjicitur: *Etiam salus nostra tempore angustiæ*. Fuerunt ex Intt. qui cum non perspicerent emphasin voculæ אף *etiam* secundum interpretationem communem & nostram quoque: ex verbis Prophetæ hanc effecerunt sententiam, *Esto, qui fuisti brachium illorum in matutinis, etiam salus nostra in tempore tribulationis*. Non plane est spernenda sententia; sed nostra multo liquidior, & *punctaturæ* Masorethicæ congruentior. Quid vero hic hæsitamus? Petunt à Deo sancti, ut non tantum heröes suos virtute sua muniat ac sustineat; non modo illos protegat ac conservet; verum etiam ut Deus post luctam longioris temporis tandem Ecclesiæ suæ præstare velit *liberationem perfectam*; & quidem præcipue his temporibus, quibus Ecclesia graviter laboraret. Hæc genuina vis est vocis ישועה *salus*. Notat *salutem completam*, *perfectam*, statui *angustiæ* oppositam, ut ex hoc loco aliisque liquet. Sic usus fuerat hac voce Jesaias Cap. xii. 2. & in analogo Ps. cxviii. 14. ROBUR *meum* (laus mea,) *& canticum meum est Jah, qui mihi fuit* לישועה *in* SALUTEM. Rursus vr. 21. *Celebrabo te quod me exaudiveris, & mihi fueris* SALUTI.

Applica, sis, hanc orationem ad Ecclesiam Judæam, afflictam ab Assyrio Senacheribo. Non negavero prorsus, ei statui rerum & temporis aptari posse; sed pertendo, rectius convenire temporibus Maccabaicis. Quod enim hic dicitur: *Esto brachium illorum* QUOLIBET MANE: in ejus temporis circumstantia demonstrari nequit. Cum enim in his verbis duo supponantur, α. Inter hostes & heröes populi Dei quotidianos sive continuos intercessisse conflictus. β. Deum invicta virtute sua heröes vel defensores Populi Dei cum hostibus congressos armasse, ut feliciter cum iis pugnaverint: (supponimus enim, precationem hanc Ecclesiæ à Deo exauditam esse:) neutrum docet historia factum fuisse tempore Hiskiæ. Rex ille tempore irruptionis illius hostilis milites videtur continuisse in præsidiis, & meliorem illorum partem Hierosolymis, ad defendendam, si necessitas urgeret, Regni metropolin, cum copias suas intelligeret esse impares huic sistendo torrenti. Non legitur itaque Rex vel per se vel per suos hoc tempore egressus esse in prœlium; manus conseruisse cum hoste; victoriam reportasse;

Scopus harum *Apostropharum*. Cui conveniant *Subjecta*?

Argumentum hujus Apostrophæ ad Deum.

Communitas qua has preces fundit, corpus suum inter duas partes distinguit.

Hypothesis hujus Orationis. Preces fundunt pro fratribus absentibus, qui sub Ducibus Maccabæis pro salute Ecclesiæ pugnant.

Forma Supplicationis: *Esto nobis propitius*.

Supplicantes totos se committunt Gratiæ Divinæ.

Spes Populi Dei supplicationi mixta.

Quanto plus sit *exspectare* quam *sperare*?

Applicatur ad præsentem casum.

Verba: *Sis brachium* ILLORUM *matutinis*, ad quod Subjectum referenda sint?

Supplicationis sensus Declaratur.

Quid sibi hic velit, *Quolibet mane*?

An hic alludatur ad sacrificium Cultus quotidiani?

Emphasis in voce, *Mane*.

Aliorum Intt. meditatio, & de ea judicium.

Usus vocis ישועה h. e. Notat *salutem perfectam*.

Posteriora hæc rectius conveniunt temporibus Maccabaicis, quam Hiskiæ.

Quod demonstratur.

Rex Hiskias, non prodiit cum copiis suis ad confligendum cum Assyrio.

[a] Cap. xi. 33. 35. [b] Cap. xxx. 20. [c] 1 Reg. xxii. 28. [d] Ps. lxx. 3. lvii. 2. [e] Cap. xxv. 9. [f] Cap. xxx. 30. li. 9.
[g] Ps. lxxvii. 16. xcviii. 1. [h] Ps. ci. 8. [i] Cap. xxviii. 19.

vel saltem manu qualicunque quam secum præsentem habebat, se conatibus hostilibus per se aut per Duces suos opposuisse: contra ea vero legitur exspectasse auxilium à Deo, quod quoque precibus & fiducia sua in ipso certa fide reposita impetravit. Sed temporibus Maccabaicis, cum plura alia similia sint: status rerum hac parte dissimilis fuit. Dum pars Populi Ecclesiæ imbellis relinquebatur in Desertis, antris & speluncis, & deinceps etiam (post primos felices successus bellicos,) in *arcibus* aut urbibus munitis: heröes Ecclesiæ à virtute Divina affecti animatique egressi in Expeditionem se ubique pro salute fratrum obtulerunt hostibus, *quotidianos* fere cum iis exercentes conflictus & prœlia quibus passim superiores evaserunt; dum Ecclesia imbellis, in remotioribus aut munitis locis relicta, in magna versata solicitudine, precibus, supplicationibus, votis, ad Deum missis, pro fratribus hisce suis apud eum intercedebat ad eam fere formulam quæ hic expressa legitur. Deprehendimus supplicationes hujus argumenti in Odis Sanctorum, Ps. LXXIV. LXXIX. LXXX. LXXXIII. XCIV. CXV. CXXIII. quas qui applicaverit ad hæc ipsa tempora, fortean non hæserit in gravi errore.

Sed hypothesis de Maccabæis perfecte respondet huic parti prophetiæ.

Analoga loca ex Odis Davidicis, in quibus exhibentur specimina *Supplicationis* Sanctorum temporis Maccabaici.

Effectum supplicationis, ỳ. 3. *Fuga & dissipatio hostium.*

Effectum supplicationum mox subjungunt: sive oratio huic Choro adscribatur, sive alii ejusdem generis. Verba sunt, ỳ. 3. *A voce tumultus fugerunt populi: ab exaltatione tua dissipatæ sunt Gentes.* In priori membro est, קול המון quod ab Intt. varie vertitur ob dubiam significationem vocis המון, quæ reddi potest per *tumultum, multitudinem streperam, turbam, strepitum.* quarum significationum nulla est quin interpretationi hujus loci misceatur. Versio Hieronymi præfert: *A voce* ANGELI *fugerunt populi.* Si ita scripserit Hieronymus, qui notationem vocis המון ignorare non potuit, statuendum est, illum secundum hypothesin, quæ hæc verba de Assyrio interpretatur, *rem* ipsam, non *verba* Prophetæ, expressisse. Sed præterquam quod libertas hæc modum excedat & sit præter morem Hieronymi: non convenit ejus hypothesi, qui Prophetam hic censet versari in initiis Ecclesiæ N. T. Forte igitur aliud hic subest, & vox ex annotatione Librarii irrepsit in contextum. de quo tamen difficile est certi quid definire, cum ipse in *Expositione* hoc membrum præterierit. Non est mihi propositum hic moram trahere. Sunt ex Interpretibus, qui hæc verba æque ac *commatis sequentis* accipiunt de Assyrio, ut sensus sit; *A strepitu Exercitus Assyrii fugisse populos, & ab exaltatione* qua Deus illum evexerat in tantam magnitudinem ac potentiam, *dissipatas esse Gentes;* & ipsa quoque Israëlitarum *spolia* ab ipso *collecta esse.* Sententia est Aben-Ezræ; sed quæ vere non satisfacit huic loco. Durum est, *exaltationem Dei* eam dicere qua extulit Assyrium; & *spolia* hic Israëlitarum facere, quæ *hostium* facit ipse Propheta in fine hujus *Concionis*, ỳ. 23. Tenendum itaque hic est, per קול המון *vocem tumultus* sive *streperam* intelligi *vocem* ipsius *Dei* qua territi consternatique hostes *fugerint*; & per *exaltationem ejus*, potentiam ejus gloriosam in judiciis hostibus infligendis clarissime demonstratam, per quam hostes Ecclesiæ ejus adversus eam magno numero collecti, *dissipati* sint. Sic Vates sacer *a* de Sanctis: רוממות אל בגרונם EXALTATIONES *Dei sunt in gutture ipsorum.* Intelliguntur Virtutes Dei gloriosæ, quæ magnificentiam, altitudinem, celsitatemque Naturæ ejus perfectissimæ definiunt, & Beneficia Judiciaque ejus illas Virtutes declarantia. Hic effectus esset precum & supplicationum Ecclesiæ in angustiis positæ. Deus signa majestatis suæ manifesta faceret in auxilio quod Populo afflicto dubiis casibus præstaret, quæ hostes perterrefacerent ac disjicerent.

An *Subjectum* hujus sententiæ faciant Assyrii?

Sententia non probatur.

Exaltatio hic notat *Virtutes* Dei gloriosas.

Non nego, hunc Eventum rectissime applicari posse ad *Judicium Dei* quo perterrefecit, prostravit, & in fugam conjecit Exercitum Assyrii; imprimis, si hypothesis nostra obtineat, Deum hoc Judicium exequutum esse per tempestatem terribilem tonitruum, fulgurum, grandinis, qua Exercitum Assyrii perdidit, ut קול המון *vox strepera & sonora* hic id ipsum sit quod Propheta scripserat Cap. XXX. 30. *Et audire faciet Jehova* את הדר קולו *majestatem* VOCIS SUÆ, *& conspicietur demissio* BRACHII EJUS. Et rursus ỳ. 31. *Quia à* VOCE JEHOVÆ *prosternetur Assur.* Confer Cap. XXIX. 6. Certe verum est, per *exaltationem* Dei illo tempore *dissipatas* esse Gentes, & potest huc referri integra *Ode* LXXVI, eximia illa, quam Veteres ad *Judicium* Senacheribi explicandum compositam esse censuerunt.

Eventus hic probe convenit Judicio Senacheribi.

Ain' vero, hæc non convenire *Judicio Divino* quo per Heröes Maccabæos prostrati dissipatique sunt *Syro-Macedones* cum vicinis Gentibus quæ omnes ad exitium Popelli Sanctorum conspirarant? Inspice mihi, quæso, & expende luculentam prophetiam Zachariæ, *κατὰ γράμμα* de Heröibus Maccabæis accipiendam. Legitur in hæc verba *b*: *Nam tetendi mihi Judam; ut arcum implevi Ephraimum; & excitabo filios tuos, ô* TSION, *contra filios tuos, ô* JAVAN, (Syro-Macedones,) *& ponam te ut gladium Heröis. Et Jehova super illis* יראה CONSPICIETUR, (apparebit ἐπιφανῶς *illustri* & glorioso modo,) *&* EXIBIT UT FULGUR SAGITTA EJUS: *& Dominus Jehova* BUCCINA CLANGET, *& procedet cum* PROCELLIS AUSTRI. *Jehova* Deus *Exercituum proteget ipsos, & seqq.* Videlicet ubi Deus adest cum evidentibus signis præsentiæ suæ gloriosæ, (inprimis in claris & sonoris Judiciis ab ipso administrandis,) ibi adesse dicitur קול המון *Vox gravis Divinæ Majestatis*, (quæ hic genuina phrasios notio est,) & ibidem dicitur ἐπιφαίνεσθαι *gloriose apparere.* Sic eleganter apud Zephaniam, *signa Divinæ Majestatis*, ipsum Deum præsentem ostendentia, appellantur *Vox diei Jehovæ c*. Inde in *Apocalypsi* non semel *d*: *Et facta sunt tonitrua, &* VOCES, *& fulgura, & terræ motus.* Sc. evidentia signa Majestatis Divinæ & effecta judiciorum ejus. Quare prætermittens externa signa *gloriosæ* Dei *præsentiæ* in prœliis Maccabæorum, quorum Jason Cyrenæus mentionem facit *e*: (cujus historiam hac parte integram relinquo:) omnino censeo, huic vaticinio secundum stylum Prophetarum & analogum locum Zachariæ esse satisfactum, ubi Deus se notabili & conspicuo modo demonstravit esse præsentem in prœliis horum Zelotarum, hostibus *incutiendo metum* eosque *perterrefaciendo*, (quæ *commotio & perturbatio hostium* eidem Zachariæ dicitur מהומת יי' רבה *magnus Dei tumultus in ipsis*, sc. Gentibus, adversariis Populi Dei *f*:) & Maccabæos Heröes cum copiis ipsorum induendo atque armando virtute heroica, obvia quæque vincente ac prosternente. Sic Dux Assamonæus congressurus cum copiis Lysiæ ingentem ducentis exercitum in oratione ad Deum *g*: *Inde illis metum, καὶ τῆξον θράσος ἰσχύος αὐτῶν, &* LIQUEFAC *audax robur eorum, καὶ σαλευθήτωσαν τῇ συντριβῇ αὐτῶν: &* COMMOVEANTUR (intus) *contritione sua.* Nimirum quod idem Præfectus Exercitus sacri ubique præ se tulit; *in multitudine militum non esse sitam victoriam belli; ἀλλ' ἐν τῇ ἰσχύϊ τῇ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· sed in illa* VI QUÆ EX COELO EST *h*. Hæc *vox* fuit *Divina*, signum præsentiæ ejus, hostes dissipans ac proterens. *Fuga* enim & *dissipatio* magnorum Exercituum hostilium in nullis prœliis unquam fuit conspectior, quam in hisce ipsis de quibus agimus. Idem plane est quod legitur in historia antiqua *i*: *Et Philistæi se miscuerunt bello, & intonuit Jehova* VOCE MAGNA *illo die super Philistæos,* ויהמם *&* INCUSSO METU EOS CONTURBAVIT, *& cæsi sunt coram Israële.* Hæc vox est Divinæ Majestatis: hoc signum gloriosæ præsentiæ ejus.

Sed optime quoque & forte commodius applicatur ad tempora Maccabaica.

Locus insignis Zachariæ, cap. IX, 13. 14.

Vox Dei quo modo sumatur stylo Scripturæ Sacræ?

Modus implementi hujus Vaticinii, ut in illa tempora cadit, demonstratur.

Locus Zach. XIV, 13.

Historia Maccabaica in rem producta.

Apostrophe ad Hostes.

ỳ. 4. *Et colligetur spolium vestrum* COLLECTIONE BRUCHI: *qualis est* DISCURSATIO LOCUSTARUM *in eo subsultim discurretur*] Exhibent hæc verba *consequens* victorum fugatorumque hostium, quod esset *collectio spoliorum* cæsorum ac prostratorum, quæ promiscue

Apostrophe ad Hostes, ỳ. 4. quorum *colligenda* dicuntur *spolia.*

a Ps. CXLIX. 6. *b* Cap. IX. 13. 14. *c* Cap. I. 14. *d* Cap. VIII. 5. *e* 2 Macc. X. 30. 31. XII. 22. XIV. 15. *f* Cap. XIV. 13. *g* 1 Macc. IV. 32. *h* 1 Cap. III. 19. *i* 1 Sam. VII. 10.

Summa ſententiæ Prophetæ.

miſcue ab omnibus fieret abſque ordine & diſcrimine, perinde ac locuſtæ abſque ordine & metu diripiunt agros & in iis diſcurrunt, quaque earum quod primum occupat, ſibi vindicante. Hic ſenſus eſt ſententiæ, quæ ſi ulla alia Interpretes hujus Libri fatigavit ac diſtraxit. Cohærent autem verba, hoc ſenſu accepta, tum cum *immediate præcedentibus*, vſ. 3. tum cum *propoſitione* hujus Concionis, vſ. 1. In *ſuperiore commate* dixerat Propheta, Gentes adverſus Eccleſiam congregandas à *voce Divinæ Majeſtatis* & ejus *exaltatione* proſtratum ac diſſipatum iri. cujus *conſequens* cum eſſet *direptio ſpoliorum* proſtratorum hoſtium: orationem ſuam per *Apoſtrophen* ad ipſos vertit *hoſtes*, qua iis denunciat, illo tempore illos experturos eſſe effectum Judicii Divini, quod iis intimaverat vſ. 1. fore videlicet, ut qui *vaſtaverant* & ſpoliaverant alios, ipſi quoque *vaſtentur*. Sic oratio ſecundum naturalem ductum ſuum procedit. Si quis tamen hic, abſque ulla ſenſus mutatione, ſtatuere vellet; *apoſtrophen* fieri ad Populum Dei: fateor, Hebraiſmum id ferre poſſe. Verba, אסף שללכם *colligetur ſpolium veſtrum*: poſſunt Hebraice valere, אסף שלל לכם *colligetur* VOBIS *ſpolium*. *Affixa* enim *relativa poſſeſſiva* ſatis frequenter Hebræis ſumuntur pro *pronominibus ſeparatis*, ut alias jam in hoc *Libro* memini obſervare, & pluribus exemplis probatum dedit Buxtorfius [a]. Sed cum nulla ratio nos hic jubeat ab analogia conſtructionis diſcedere: quod facilius & obvium erat, elegi. Sententia ipſa propius inſpicienda eſt, ejuſque conſtituendus ſenſus. quod ut abſque perturbatione fiat, utrumque ejus membrum ſeorſim expendam.

Cohærentia horum verborum cum ſuperiore contextu.

Poſſunt tamen verba exigua mutatione complecti *Apoſtrophen* ad Populum Dei.

Prius his verbis Hebraice eſt conceptum: ואסף שללכם אסף החסיל quæ proprie valent: *Et colligetur ſpolium veſtrum collectione bruchi.* ubi ſuppono, vocem חסיל notare *bruchum* vel *locuſtam* à חסל *conſumere*, ut ex certis locis liquet [b]. Nec tamen eo mox liquet ſententia Prophetæ. Etenim phraſis, אסף החסיל *collectio bruchi* gemina ſignificatione ſumi poteſt, *active* vel *paſſive*. Priore ſenſu *collectio bruchi* eſt *actus locuſtarum* obvia abradentium ac decerpentium in ſuos uſus: *poſteriore* eſt ipſarum locuſtarum ſata conſumentium collectio quæ fit ab agricolis, eas ſata abrodentes *colligentibus in vaſa*, aut *cumulate* extrudentibus in foſſas aut foveas, ut eas enecent, quod in Africa & Hiſpania fieri Vir Doctus [c] obſervat. Poſterius plures hic elegerunt, quibus præivit Kimchius. Idem placuit Hieronymo, qui integram ſententiam vertit: *Et congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus velut cum foſſæ plenæ fuerint de eo.* Piſcator quoque & Belgæ hunc ſenſum in verſione ſua commendant: ſed nemo eum preſſius expoſuit quam Lud. Cappellus, cujus aliqua deſcribere non gravor. *Eſtque*, ait, *hæc locutio ducta à ruſticis, qui bruchos & locuſtas frugibus infeſtas colligunt cumulatim, collectaſque pedibus conculcant, ut eas elidant atque enecent. Hoc vult ergo Propheta, Judæi facile ac nullo negotio, nemine prohibente, ſpolia veſtra de caſtris diripient, ſimulque colligent, utque ea ſecum aſportent, in faſciculos ligabunt, pedibuſque conculcabunt ea, ut plura eodem faſciculo ſimul conſtringantur.* Quam coacte! Eſtne probabile, Prophetam elegantiæ ſtudioſiſſimum collectionem *ſpoliorum hoſtilium* comparaturum eſſe *collectioni locuſtarum*, fruges corrumpentium, à colligentibus necandarum? An inter hæc ſimilia ulla intercedit juſta comparatio? Num *ſpolia* hoſtium collectores ditantia quid commune habent cum *locuſtis* omnia radentibus & conſumentibus? Certe nihil hic niſi valde remotum & longe petitum produci poteſt. Hoſtes Aſſyrii aut qui alii in campo proſtrati & ad ſepulturam in foveas trudendi recte comparari poſſent *locuſtis*, quæ eum in modum necatæ colligi ſolent. Sed non loquitur hic Vates de *collectione hoſtium*, ſed de *collectione ſpoliorum*. Accedit, *membrum poſterius*, quod à Piſcatore & Belgis recte acceptum eſt, hanc interpretationem plane refellere. Ibi enim *locuſtæ* introducuntur tanquam quæ ſint *in actu & motu*, & omnino figurant Iſraëlitas ſpolia hoſtium colligentes. Ergo *collectio bruchi* hic eſt quæ fit à *bruchis* ſive *locuſtis*; quod etiam placuit Cl. Bocharto, etſi hunc locum ſolummodo obiter tractarit. Extant ad eum hæc ejus verba [d] inſtar παραφράσιος: *Vos ſpoliabit hoſtis, quomodo bruchus agrum quem non niſi nudum relinquit.* Imo vero, *Vos ſpoliabitis hoſtes.* cætera ſana ſunt, & conſentit quoque Grotius. Elegantiam locutionis intelliges ſimulac adverteris animum. Vox אסף proprie notat *collectionem ſatorum* aut *frugum* quæ fit tempore *meſſis*. Hanc *bruchi* & *locuſtæ* faciunt quando magnis agminibus ſe tempeſtate meſſis in agros bonam meſſem promittentes transferunt, eoſque inſident, abradunt & abſumunt, acſi ipſi *meſſionem* adminiſtrarent. Certe eſt hæc *meſſis* locuſtarum vera *præmeſſio*, ſi mihi ſic loqui fas ſit. Cum hoc actu *locuſtarum* comparat Vates actum Iſraëlitarum qui *legerent & colligerent ſpolia hoſtium*. Comparatio in eo conſiſtit, α. Ut *locuſtæ* abradunt ex agris & *colligunt* ſive *demetunt* quæ in ſuos uſus neceſſaria habent: ſic Iſraëlitæ *ſpolia* proſtratorum hoſtium per agros & campos disjectorum, tanquam ex *ipſis agris* legerent & colligerent in ſuos uſus. β. Sicut locuſtæ agros *impune* & abſque metu depaſcuntur: ſic Iſraëlitæ legerent & ſibi vindicarent ſpolia hoſtium. γ. Ut locuſtæ magno numero involantes in agrum, ſata ſparſim, promiſcue, tumultuario, abſque ordine & imperio, quæque pro ſe legunt & colligunt, ut occupata in ſuos uſus ſibi vindicent, ſpolia non conferendo in commune, nec cum aliis dividendo: ſic Iſraëlitæ promiſcue & tumultuario, in ſpolia hoſtium tanquam communis juris facta involarent, & quiſque eorum ſibi carperet & raperet, quod primum occuparet. Id vero hic primum & præcipuum eſt quod Vates intendit; eſt enim hæc vera proprietas *locuſtarum*, quam Cl. Bochartus illuſtrat ad locum Prov. xxx. 27. *Locuſta Regem non habet, & tamen exit* ad bellum, חוצץ כלו, *unaquæque ſibi dividens.* nempe *prædam & ſpolia bellica: quod alioquin Regum proprium & Imperatorum.* Sic Vir Eruditus hunc locum tractat. Viderunt hunc ſenſum Magiſtri Veteres ad hunc locum, ut ex Kimchio liquet. quod Doctiſſimum Virum [A], qui partem ejus loci exſcripſit, non præteriit [e].

Vox חסיל in *priori membro* recte vertitur per *bruchum*.

Collectio bruchi quid ſit hoc loco, & quo modo accipi debeat?

Accipi poteſt phraſis *active* & *paſſive*. utrumque quo ſenſu?

Lud. Cappellus poſteriorem commendat. Verba ejus.

Non admittitur expoſitio.

Membrum poſterius ei non reſpondet.

Cl. Bochartus active accipit, ſed diverſe exponit.

Senſus declaratur.

Uſus vocis אסף.

Vis comparationis.

Locuſtarum proprietas, ad quam hic præcipue reſpicitur.

Magiſtrorum Veterum commentatio.

Hujus membri conſtituta interpretatione, poſterius facile expedietur. Hebræa ſunt: כמשך גבים שוקק בו quæ recte redduntur: *Secundum diſcurſationem locuſtarum in eo* ſc. ſpolio *ſubſultim diſcurritur*, ſive *diſcurretur*. Senſus eſt, priori analogus, Iſraëlitas, ſpolia hoſtium proſtratorum per agros ſparſorum, inſtar locuſtarum lecturos, & ad earundem locuſtarum morem ſubſultim in iis legendis diſcurſaturos eſſe; modo huc modo illuc ſe converſuros veluti per ſaltum ad locuſtarum morem, quo cupiditas prædæ eos diverſe traheret, in tanta cæſorum multitudine. Hæc eſt hoc in loco genuina ſignificatio vocis שוק, à cujus definitione ſenſus ſententiæ pendet. Patet autem ex Joël. II. 9. notione hac

Poſterius membrum ſententiæ.

Senſus ejus.

Genuinus uſus vocis שוק tranſlatæ ad *Locuſtas*.

---

a Theſ. Gram. Lib. II. Cap. XVII. *b* Deut. XXVIII. 38. Pſ. LXXVIII. 46. *c* Forerius. *d Hieroz.* Part. II. Lib. IV. Cap. V. *e Hieroz.* Part. II. Lib. IV. Cap. II.

A. Verba Kimchii integra ſic habent: אבל רבותינו ז"ל פירשוהו בימי חזקיהו וכך אמרו: אמר להם נביא לישראל אספו שלליכם אמרו לו לבזו או לחלקי אמר להם אוקי' מה אסיפת החסיל' זה כל אחד ואחד כמעצמו אף שללכם כל אחד ואחד לעצמו אמרו לו והלא ממון עשרת שבטים מעורב בו אמר להם כמשך גבים שוקק בו מה גבים הללו מעלין את האדם ממאורה לטהורה אף ממונם של ישראל כיון שנפל ביד גוים מיד טהור *Sed Magiſtri noſtri b. m. id interpretantur de diebus Hiskiæ, & in hunc modum diſſerunt. Propheta dixit Iſraëli: Colligite ſpolia veſtra. Dixerunt illi, utrum ad deprædandum, num ad dividendum? Reſpondit ipſis, Collectione bruchi. Qualis eſt collectio bruchi? Eorum unuſquiſque ſibi deprædatur: ſic prædam veſtram unuſquiſque veſtrum ſibi diripiat. Dixerunt illi: Sed pecunia ab Aſſyriis rapta à Decem tribubus, an non eſt his ſpoliis permixta? Reſpondit ipſis: ſecundum diſcurſationem* גבים *locuſtarum diſcurrunt in eo. Quid vero* גבים *hoc loco? Educunt hominem ex impuritate in puritatem.* (An quod ex Lege Lev. XII. 22. *mundæ* cenſeantur & ad eſum conceſſæ?) *Sic facultates Iſraëlitarum poſtquam ceciderint in manus Gentium, mox puræ cenſentur.* h. e. licet eas rapere. Deſumpta eſt Traditio ex *Agadat* חלק, *Collectaneis* Talmudicis ad Cap. XI. Cod. Sanh. ut Jarchius docet.

hac involvi *discursationem locustarum*, non *pedibus* tantum ad gradiendum, (qui locustis sunt *quatuor*,) sed *cruribus* quoque *duobus* ad saliendum instructarum. Sic enim Propheta *locustas* veras, vel mysticas, (quod nunc perinde habeo;) describturus: *Per urbem* DISCURSITABUNT; (ישוטו) *per murum current*; *in ædes ascendent*. Notatio vocis deducta videtur à שוט *crus*; estque ab eodem hoc themate ducenda significatio vocabuli משט: etsi sane modo in vera notatione vocis non fallar, cætera mihi hoc tempore minus cordi sint. Viderunt hunc sensum loci Interpretum posteriorum plures; (Veteres enim notionem גבי exponentes per *fossas* cum Hieronymo non potuerunt non hic gravius impingere:) & tamen à se impetrare non potuit Cl. Cappellus [a], quin commendaverit versionem aliam hujus sensus: *Secundum conculcationem locustarum conculcabit* Judæus *illud*, nempe spolium, prædam. Quam profecto quæsite ac παραδόξως? An *spolia* apud ullas Gentes *conculcantur?* Nonne verum est, ea legi & colligi, & à quoque in usus suos verti. Nec de *locustis* quoque id ἁπλῶς dictum velim, quod Viri Docti [b] ad Hieronymi versionem tuendam sæpius hic repetunt, *locustas conculcari* vel *extrudi in fossas* aut *foveas*, ut enecentur: constat enim in Judæa, ut & aliis in locis, homines tenuioris fortunæ iis vesci solitos esse. Præclarus quoque Bochartus in interpretatione hujus loci, licet verbis vix differente, non videtur tamen eum plane ex nostro sensu accepisse. Sic vertit, *Tanquam gressu locustarum graditur in eum*; sc. hostis in Assyrium. *id est*, ait, *Ita graditur ut non possit averti. Nam quicquid agas, locustæ pergunt; nec, nisi saturæ, recedunt.* Scripsit id Vir Doctissimus, ut hunc locum compararet analogo *Joëlis*, Cap. II. 9. in cujus expositione versatur. Verum eodem manente usu vocis פשט in utroque loco, alius tamen plane est hujus nostri aspectus. Sed satis excursum in argumentum sterile. Tantum cum nostro hoc dicto comparabis simile Vatis nostri se ipsum interpretantis in fine hujus Concionis, ℣. 23. *Tum dividetur spolium longe amplissimum: claudi deprædabuntur prædam.*

Largior rursus quod hic dicitur, optime convenire temporibus Hiskiæ. Quo enim tempore prostrati dejectique sunt Assyrii plaga Cœlesti, ipso Assyrio Rege consternato se propere in fugam conjiciente: credibile est, Hierosolymitanos portis Urbis egressos, cum valles, montes, agros, deprehenderent plenos cadaveribus prostratorum, interque eos Procerum ac Præfectorum Exercitus: magnos, parvos, debiles æque ac fortes, magna multitudine civium instar *locustarum* se *effudisse* ad spolia hostium festinata fuga se ad sua recipientium, impune legenda & in usus suos colligenda, absque prædæ partitione, (cum posita esset in communi,) sola rei occupatæ vindicatione, ut solent *locustæ*: eodem plane modo, ut Samaritæ sub Joramo Rege legerunt spolia Syrorum, Samariam obsidentium, pavore iis Divinitus incusso pariter fugatorum [c]. Equidem historia de eo nihil habet; sed circumstantiæ rem omnino probabilem faciunt, atque adeo Intt. merito id ad hunc locum supponunt. Et tamen nihil minus, imo majus quid & amplius hic habet historia Herõum Maccabæorum. Cum enim Judas Maccabæus & Fratres ejus Assyriorum novorum, hoc est, Syrorum Seleucidarum instructissimos exercitus fuderint, ubique per totam historiam leguntur τὰ σκῦλα *spolia* devictorum hostium legisse, eaque in suos usus vertisse, & se iis auxisse ac locupletasse. Unum locum excerpam [d]: *Judas vero reversus ἐπὶ τὴν σκυλείαν τῆς παρεμβολῆς ad spolia castrorum*, (Gorgiæ,) *accepit aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, καὶ πλῆτον μέγαν, &* DIVITIAS MAGNAS. Res ipsa per se loquitur, nec habeo quod addam. Discucurrerunt illi quoque ut *locustæ* per castra & campos cæsorum hostium, & quæ in usum erant, impune legerunt.

Et משט inde deducta.

Cl. Cappelli expositio diversa.

A quo rursus discedit.

Cl Bocharti versio & expositio.

Comparatur ℣. 23.

Eventus non male quadrat in tempora Hiskiæ.

Hierosolymitani legerunt spolia Assyriorum prostratorum.

De Maccabæis res liquida est per totam historiam.

Apostrophe altera ad Deum.

℣. 5. *Exaltatus est Jehova* QUI *in excelsis habitat. implevit Tsionem judicio & justitia*] Apostrophe *altera* ad Deum directa *Doxologica*, qua celebratur ob illustre exemplum magnitudinis, justitiæ, potentiæ, Gratiæ, majestatisque suæ editum in prostratis hostibus, & vindicato populo. *Jehovam* ait *alte elatum esse*, *in sublime evectum esse*, (quæ est vis vocis,) sc. conspicuo & exemplari (sit fas verbo:) specimine suæ veritatis, justitiæ, majestatisque in vindiciis Ecclesiæ. Sic usurpaverat Propheta Cap. II. 11. 17. ותשגב יהוה לבדו ביום ההוא *Et Jehova solus* ALTE ELATUS *erit illo die*. Demonstrabitur solus esse verus Deus, Ecclesiæ suæ vindex. Rursus, Cap. XII. 4. *Commemorate*, כי נשגב שמו *quod* IN SUBLIME EVECTUM *sit nomen ejus*. Vates se ipse interpretatur ℣. 11. *Nunc surgam*, ait *Jehova: nunc* EXALTABOR, *nunc efferar in altum*. Subjungit, כי שכן מרום *quia habitat in excelsis*. Est epitheton Dei veri notissimum, qui secundum certam Verbi Divini traditionem & fidem Sanctorum supra visibiles cœlos sedem habet gloriæ, destinatam consummandæ saluti electorum, præsentiæ majestatisque ejus signis gloriosis illustratam: cujus respectu ipse apud Vatem nostrum, Cap. LVII. 15. CELSUM (מרום) *& sanctum inhabito*. Propheta jam usus fuerat notione hoc sensu Cap. XXXII. 15. estque trita in Odis Sanctorum. Solummodo quæritur, quomodo hæc duo membra sententiæ inter se cohæreant. Videntur enim inter se connecti ut *caussa* & *effectus*, secundum id quod verba Vatis proprie ferunt: *Jehova exaltatus est*, כי QUIA *habitat in excelsis*. Hæc enim est communis notio voculæ כי, quæ hic ab Interpretibus passim agnoscitur. Estne igitur *habitatio Dei in excelsis*, in Templo suæ majestatis, *caussa exaltationis ejus* in vindiciis Nominis & gloriæ suæ pro salute Ecclesiæ? Id sane non nisi remote dici posse videtur. Ita est, atque adeo si hic servetur communis significatio vocalæ כי *quia*, *quoniam:* verba in hunc capienda sunt sensum; Deum se exaltantem gloriosa demonstratione Justitiæ suæ manifestum facere omnibus Gentibus, se habitare in excelsis, unum verum Deum; esse Rectorem & Judicem Mundi; esse vindicem Ecclesiæ; & dum in *alto habitat* videre & cognoscere oppressiones suorum, & statuto tempore adesse ad illorum liberationem. imo vero si referantur ad cladem Assyrii, prosternendi & prostrati tempestate cœlesti, verba hunc dant sensum; exaltatum esse Deum quod se demonstraverit publice præsidere omnibus caussarum aëriarum sive cœlestium motibus, tempestatesque, tonitrua, fulgura, pro arbitrio suo moderari. quando vox מרום *altum* laxiore significatione sumenda esset. Sed mihi hic aliud sedet. Dubium enim non est, quin vocula כי hic elegantiæ caussa sustineat significationem *relativi*, vel *redundet*, ut in pluribus locis aliis perinde ac Græcorum ὅτι. ut adeo verba vere vertenda sint, ut institui: *Exaltatus est Jehova* QUI *habitat in excelsis*. Sic Ps. XC. 4. *Mille anni in oculis tuis sunt ut dies hesternus*, כי יעבור QUI (non *quia*,) *præterit*. Sic accepit locum nostrum Chaldæus: חקיף יי׳ דאשרי שכנתיה בשמי מרומא *Fortis est Dominus qui habitare fecit gloriosam præsentiam suam in cœlis excelsis*. Alexandrinus quoque: Ὁ κατοικῶν ἐν ὑψηλῷ. Alterum δοξολογίας membrum est: *Implevit Tsionem judicio & justitia*. Sensus est: Judiciis in Ecclesia editis, quibus impios, profanos, falsatores, & hypocritas detexit, punivit, atque à bonis discrevit, & genuinos veritatis confessores probavit, salvavit, atque adversus hostes glorioše defendit. Hæc vera vis phrasios, *facere jus & justitiam*, ubi de Deo aut Christo Jesu Rectore aut Judice Ecclesiæ suæ usurpatur, quam cognoscere licet ex Ps. XCIX. quæ Ode hanc nostram interpretatur. Composita est in laudem Dei, sive Christi Jesu Regis, Ecclesiam adversus hostes illustribus exemplis Justitiæ suæ foris vindicantis; ab hypo-

Apostrophe altera ad Deum: qua celebratur ejus magnitudo & gloria conspicua facta in hoc Judicio.

Loca analoga.

Epitheton veri Dei, *habitare in alto*, quod declaratur.

Quomodo duo membra sententiæ inter se cohæreant?

Significatio vocalæ כי in h. l.

Diversæ sententiæ inspectio.

Probabile est vocalam כי hic sumi significatione *relativi*.

Sensus sententiæ.

Argumentum Ps. XCIX. cum hoc loco collatum.

a In *Postum*. b Hieroz. Part. II. Lib. IV. Cap. V. c 2 Reg. VII. 16. seqq. d 1 Macc. IV. 23. confer 1 Macc. VI. 6. &c.

hypocritis & falsis fratribus purgantis; eandemque ob vitia sua castigantis: sed ea æquitate & moderamine, ut eam servet & per hæc ipsa sua judicia excitet ad intensiorem cultum pietatis, sanctimoniæ & veræ virtutis. Verba sunt: *Et robur* vel *laus* (עז) *est Regis qui* JUDICIUM *amat. tu constabiliviſti æquitatem.* (מישרים) JUDICIUM ET JUSTITIAM IN JACOBO TU FECISTI. unde Vates sacer sanctitatem puritatemque Dei celebrat & extollit. Certum habeo, specimen ejus quod hic dicitur, datum esse tempore Hiskiæ. Deus verus, ὁ ἐν ὑψίστοις [a], se hoc tempore manifestum fecit & *in sublime extulit* glorioso Judicio quo ultus est Assyrium, postquam hypocritas per ipsum tum puniviſſet, tum terruisset. Hoc temporis articulo probavit suos eosque purgavit: asseruit veritatem suæ Naturæ: confirmavit spem cultorum suorum: pudore affecit impios ac profanos: discrevit *liberales* à *munificis*; excitavitque omnes, magnos parvos, cujuscunque conditionis, ad Nomen suum glorioſum reverenter colendum. Sed idem non minus vere, (quin quod ad posterius membrum, certius & verius etiam,) impletum est temporibus Maccabaicis. Integra series est præclarorum effectuum Providentiæ ac Justitiæ Divinæ illius temporis qui pro præcipuo scopo suo habuerunt tum *punitionem hostium*, tum *purgationem Eccleſiæ* à profanis & *hypocritis* qui in ea amplius tolerari non poterant, siquidem bonis longe prævalerent. ut sane veriſſime dici queat; illo tempore Deum *impleſſe Tſionem Judicio & Juſtitia.* Sic de eo Propheta [b]: *Ad ipſos explorandos, & purgandos & candidandos uſque ad tempus finis.* Postmodum [c]: *Multi purgabuntur, & candidabuntur, & explorabuntur* instar auri; *ſed impii impie agent.* Illo itaque tempore Deus Eccleſiam *cribaret*, & Populum suum *inſtar auri probandum decimaret*, ac *tertiaret* [d], ut Zacharias.

Apoſtrophe ad Principem Reipublicæ Populi Dei.

℣. 6. *Et erit ſtabilitas temporis tui,* POSSESSIO SALUTUM, *ſapientia & cognitio. Reverentia Jehovæ eſt theſaurus ejus.*] Verba magnificum quid sonant, ut his etiam qui ea non intelligunt, præclaram videantur continere sententiam. Concepta sunt per modum *Apoſtrophæ*, & quidem, quod mihi nunc supponere liceat, ad Principem Reipublicæ Populi Dei, mox definiendum. Ratio hypotheſios est, quod ad Populum verba facta essent *numero plurium*, ℣. 2. hic vero appellatio instituatur in *ſingulari.* Largior, ad multitudinem & de multitudine passim *utriuſque numeri flexione* verba fieri; & appellationem *maſculini generis* hic referri posse ad עם *Populum:* sed facilior est hypotheſis illa quam proposui. Est Vir Doctus [e], qui *Apoſtrophen* verti censet ad *Tſionem:* verum ubi *Tſion* simpliciter ponitur, designans incolas Hierosolymæ; (non הר ציון *Mons Tſion:*) passim sibi adscisit *genus* debilius [f]. Sed hæc animadversio levis est. majoris momenti est assequi sensum illustris sententiæ, quem indaganti tanta se offert interpretationum & hariolationum diversitas, ut apta magis sit quem à tramite abducere, quam cursum moderari. Frustra sim, si omnes recenseam. Kimchio, Interpreti Hebræo, hic sua laus debetur, qui veram sententiam loci, ut autumo, perspexit: quem Jun. Trem. & Pisc. & hos sequuti Belgæ, fere expresserunt. Hieronymus verterat: *Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus ejus.* Sectatus fere est Symmachum, cujus versio extat apud Procopium: nisi quod *hic* verba, אמונת עתך recte reddiderit, ἡ πίϛις τῆ καιρῆ σῆ: cum Hieronymus eum hic deserens, ea transferat, *Fides in temporibus tuis:* quod ab Hebræis discedit. Coccejus exhibet: *Et erit fides temporis tui poſſeſſio ſalutum, ſapientiæ & cognitionis: cujus arca eſt timor Domini.* quod nemo negaverit esse obscurius. Extremi membri hunc vult esse sensum: *Timorem Domini* esse *arcam ſapientiæ & ſcientiæ.* quod sane, si in se spectes, satis recte & eleganter dicitur. Sed, si Propheta id voluisset, scripsisset haud dubie, אוצרה, non אוצרו, cum *relativo terminationis generis fortioris.* Mitto cætera, & me ad rem ipsam protenus admoveo. Primo hic observari velim, vocem אמונה hoc loco vertendam esse per *firmitatem, ſtabilitatem*, quæ significatio ei optime convenit. Exemplum ejus est Exod. XVII. 12. Hæc levis animadversio toti loco lumen fœneratur. Etiamsi enim, si vocem per *fidem* vertas, recte dixeris, *fidem temporis*, h. e. fidem quam Ecclesia hoc illo tempore exerit & publice demonstrat, esse *robur* vel *divitias ſalutum:* non tamen commode explices quomodo *fides* illa possit esse *ſapientia* & *ſcientia:* sed rectissime & commodissime dicis, *Sapientiam* & *Scientiam* esse *ſtabilitatem temporis.* quod Propheta dicere voluit. Secundo, quod huic cognatum est: *ſtabilitas temporis* hic non est *ſubjectum* sententiæ, sed *prædicatum.* Verba Prophetæ hunc dant sensum: *Sapientiam & ſcientiam* fore *ſtabilitatem temporis ejus* (Regis, Principis, aut Populi,) *& robur ſalutum.* quod facillimum intellectu, ut mox patebit. Patet utique ex extremo sententiæ membro, ubi additur: *Timor Jehovæ eſt theſaurus ejus.* ubi *timor Jehovæ* idem valet quod Vates appellaverat *ſapientiam & ſcientiam*, ut mox videbimus. Tertio, non est mihi dubium, quin vera lectio vocis עתך sit *terminationis ſingularis*, atque adeo vertenda sit, *ſtabilitas temporis tui*, non *tuorum.* Leve esset observatum, nisi ab eo penderet sensus membri extremi: *Et timor Jehovæ erit theſaurus* EJUS. ubi *relativum* ejus commode refertur ad *tempus*, ut sensus sit; *erit theſaurus ejus temporis.* Variant equidem hic Codices, quorum aliqui exhibent, עתיך. Sed Symmachus legit vocem in *ſingulari*, & Chaldæus quoque, ac Syrus. Sic patebit nobis via interpretationis. Docet Propheta Regem, sive Principem Reipublicæ, vel Populum, quo modo sibi conservaturus sit status sui prosperitatem felicitatemque, in quem per beneficium Liberationis sibi Divinitus procuratæ perducti erant. Unam viam conservandi status prosperitatisque ejus ostendit esse *ſapientiam*, *ſcientiam*, & *reverentiam Jehovæ.* hanc esse fulcimen Reipublicæ; stabilitatem temporis fortunati: vim, robur & divitias salutis perfectæ, & *bonum reconditum*, omnibus aliis præferendum; quod ubi adest, stabilis est & dives Respublica. cætera bona esse προσκείμενα *adjicialia*, ultro secutura. has solas veras esse divitias. Si salvam velit, si stabilem, si fortunatam Rempublicam: inde ordiendum, in eo desinendum esse. Per *ſapientiam* autem & *ſcientiam* hic haud dubie intelligitur illa virtus hominis qua ex principio cognitionis, fidei, amoris reverentiæ atque æstimationis Dei moderamine sanctæ rationis consilia actionesque suas omnes caute ac prudenter dirigit ad Dei gloriam, proximi ædificationem & salutem suam; sibi solicite cavens ab erroribus & vitiis. Sic passim in Verbo Dei sumitur. Ordine naturæ *ſcientia* præcedit *ſapientiam:* sed in Schola sanctorum hæ notiones, *ſapientia*, *ſcientia*, *timor Domini*, æquivalent. una harum virtutum cæteras, ut cognatas, involvit. Sic Parœmiastes trito dicto [g]: *Principium ſapientiæ eſt timor Jehovæ*, & *cognitio Sanctorum eſt intelligentia*, sive *prudentia.* Sapientia & cognitio videntur præcedere *timorem Domini*, ut per naturam anteriores: & tamen *timor Dei* rectissime dicitur *ſapientiæ principium*; quod fides, reverentia & respectus Dei unicum medium sit, quo animus componitur ad consilia actionesque suas prudenter administrandas. Accedit, vocem ידעת in hoc casu multisque aliis sumi pro illa *cognitione Dei* quæ conjungitur cum *amore Dei*, atque adeo pro ipso *amore Dei*, qui partem facit *reverentiæ* ejus & in ea supponitur. de quo videnda quæ commentatus sum ad Cap. XI. 1. Piscator, cum cætera ex mente nostra re-

Sensus extremi membri sententiæ secundum ipsum.

Vox אמונה hic vertenda est per *firmitatem, ſtabilitatem.*

Ratio ejus rei.

Stabilitas temporis hic non est *ſubjectum* sententiæ, sed *prædicatum.*

Propositio Prophetæ.

Vox עתך secundum veram lectionem vertenda est, *temporis tui.*

Usus hujus observati.

Et probabilitas ejus.

Quorsum tendat sententia?

Sensus ejus uberius declaratur.

Quid hic intelligatur per *Sapientiam & Scientiam?*

Quomodo consistant cum *timore Domini?*

Vox דעת *cognitio* hic involvit *amorem Dei.*

[a] Luc. II. 14. [b] Dan. XI. 35. [c] Cap. XII. 10. [d] Cap. XIII. 9. [e] Schmid. [f] Confer Pſ. LXXXVII. 5. CXLVII. 2. [g] Prov. IX. 10.

ćte acceperit: quod dicitur, *ſapientia & ſcientia*, ſupplevit per voculam relativam *tua*. Legitur itaque apud ipſum: *Eritque firmitas temporis tui... ſapientia* tua *& ſcientia*. Sed exiguum illud additamentum infringit omnem vim & nervum ſententiæ. Non reſpicitur hic tantum *ſapientia & ſcientia* ipſius Regis vel Principis Reipublicæ: ſed *ſapientia & ſcientia Divina* ſe diffuſura per totam Rempublicam & Populum. Voces *ſapientia & ſcientia* hic referuntur ad *Jehovam*, ut in ſequenti membro, in phraſi: *Reverentia Jehovæ.* Θεοσοφία. Et videtur hæc ipſa eſſe ratio, quare vox חכמת hic in *forma conſtructa* ſcribatur, חכמת: licet cætera hæc forma loco *abſolutæ* ſubinde abſque majore emphaſi uſurpetur, ut ſæpius jam obſervavimus [a]. Illa autem *ſapientia & ſcientia Divina*, hoc eſt, ſtudium ejus ſe prodens in inveſtigatione viarum Dei, in fide Verbi ejus, fiducia poſita in promiſſis gratiæ, cultu veræ pietatis & Religionis, exercitatione omnis virtutis, & reſipiſcentia ſincera à vitiis, (quæ omnia hac phraſi involvuntur,) eſſet *firmitas* ſive *ſtabilitas temporis fortunati* Regis ac Populi. Hæc vis eſt in voce עת. notat tempus commodum, opportunum, atque adeo etiam proſperum, Græcis *εὐκαιρίαν*. ut Pſ. LXXXI. 16. ויהי עתם לעולם *Et* TEMPUS IPSORUM (tempus fortunatum, proſperum,) *fuiſſet æternum*. ſemper duraſſet. Sententia analoga eſt in dicto pii Regis Joſaphati [b]: *Si fidem veſtram committatis Jehovæ Deo veſtro*, ותאמנו CONFIRMABIMINI. Confer Vatem noſtrum Cap. VII. 9. Hic fructus eſſet *ſapientia & ſcientiæ*. Si perſeveraret Rex cum Populo in fide veri Dei, cultu Religionis, & ſtudio virtutis: ſtabilis in poſterum eſſet temporum proſperitas. hoc fulcro niteretur Reſpublica, nec facile convelleretur; neque adeo metuerent amplius Aſſyrium, aut Aſſyrio hoſtes potentiores.

Sapientia & ſcientia hic non tantum reſtringitur ad *Regem* aut *Principem*, ſed ad totum corpus Reipublicæ.

Anomalon in ſcriptione vocis חכמת, *formæ conſtructæ* pro *abſoluta*.

Vis vocis עת *tempus* in h. l.

Sententia relegitur.

Non minus emphaticum eſt quod additur; eandem hanc *ſapientiam & ſcientiam* fore חסן ישועות *robur*, (*divitias, poſſeſſionem*,) *ſalutum*. Vox enim חסן haſce ſignificationes, invicem cognatas, admittit. Vera tamen & propria notatio eſt *poſſeſſionis*, *theſauri*, quam cur hic præteream nulla ratio eſt. Sententia Prophetæ eſt; in *ſapientia & ſcientia*, h. e. in cognitione & cultu veri Dei, omnem ſalutem poſſideri. qui hoc bonum obtinet, felicem & beatum eſſe. felicitatem & proſperitatem temporis non eſſe præcipue æſtimandam ex robore militiæ, proſperitate ſtatus, bonorumque externorum copia affluente. Præcipuum ornamentum & divitias temporis hujus fore *ſapientiam & cognitionem*. Qui eam poſſidet, non unam aut ſimplicem *poſſidere* ישועות *ſalutem*, ſed *ſalutes*, ישועות, (ſic ſcripſit Prophetæ:) h. e. Liberationes ſaluteſque multas, varias; ſalutem perfectam, conſummatam, in ſæcula duraturam. Sic *ſapientia* ſumma ipſa de fructu cultorum ſuorum [c]: *Divitiæ & honor apud me ſunt; ſubſtantia durabilis &* JUSTITIA. quæ doctrina per totum hunc Librum & per Odas Sanctorum, quin ſane per totum Dei Verbum, diffunditur: nimirum veram proſperitatem felicitatemque Populi, Reipublicæ, & temporis ejus, æque ac ſtabilitatem proſperitatemque ſtatus & domus ſingulorum, conſiſtere in ſapientia, prudentia, reverentia Dei; veræ Religionis ſcientia & cultu. ubi hoc bonum adeſt, in Populo & Republica prædominans: ibi ſalvam eſſe Rempublicam. in hoc bono ipſam poſſideri ſalutem. imo vero *ſalutes*. ſalutem variam, conſummatam, abſolutum. hoc enim unum verum eſſe bonum, veram ſalutis cauſſam. Ita ſe res habet in magnis & parvis, ſingulis & univerſis, domibus ac Reipubſpublicis, ut Parœmiaſtes [d]: *Per* SAPIENTIAM (חכמה) *ædificatur domus, &* PRUDENTIA (תבונה) *conſtabilitur; & in* SCIENTIA (דעת) *penetralia complentur omni abundantia copioſa & delectabili*. Hac nititur res quæque durabilis: quæ ſi deficiat, minatur lapſum; ut adeo *robur & vis* ſalutum in *ſapientia & ſcientia* æque conſiſtat, ac *ſalutes* in ea poſſidentur. Addo, ne longior ſim: in vera *ſapientia & ſcientia* ipſum poſſideri JESUM veræ ac conſummatæ ſalutis auctorem, aſſertorem; credentibus antiqui temporis *ſpe*, nobis *fide*, cognitum. In ipſo poſſidetur *omnis ſalus*. poſſidetur autem per *fidem* quæ eſt *σοφία καὶ σύνεσις πνευματική* [e]. ut adeo, quam fidei noſtræ ſententiam Judæi maligne ex hoc loco impuris ſannis ſuis diſtorquent [A], hanc nos in eo lubentes agnoſcamus, & agnitam ex eo profiteamur. Huic autem, quem dedi, ſenſui reſpondet perfecte ſententia extrema *verſiculi*, qua pro more Scriptorum Sacrorum idem mutatis verbis repetitur & confirmatur: *Et timor Jehovæ theſaurus* EJUS. h. e. ut jam prænonui, *temporis*. Erit primarium & ſummum illius temporis & ſtatus Reipublicæ bonum. Vin', *Reverentia Jehova erit theca ejus*: licet ſane. nihil obſtrepo. Sic exurget ſenſus, Reverentia Jehovæ tanquam theca & apotheca omnia bona & prærogativas alias in ſe comprehendet. omnia bona & prærogativæ hujus ſtatus & temporis hac una involventur. Ubi enim adeſt: ibi favor eſt Divinus, & hunc comitantia felicitas, ſalus, conſervatio, defenſio adverſus hoſtes, copia & affluentia cum omni genere benedictionis. Ditior theſaurus eſt æternæ vitæ & gloriæ qui in hoc bono poſſidetur: etſi Vates ad id directe in hoc loco non reſpiciat. Eſt autem proprietas & verus character *timoris Dei* ſibi ſolicite cavere à peccatis, eſtque idem fructus & effectus veræ prudentiæ & ſapientiæ, ſive potius, verum ejus attributum. Tertulliani dictum eſt inſigne quod hic appono, cum ad rem meam faciat [f]: TIMOR FUNDAMENTUM SALUTIS EST. *Præſumptio impedimentum timoris. Utilius ergo, ſi ſperemus, nos poſſe delinquere: ſperando enim timebimus, timendo cavebimus,* CAVENDO SALVI ERIMUS: *contra ſi præſumamus, neque timendo neque cavendo, difficile ſalvi erimus*. Transfer ſolummodo, quod hic de ſingulis dicitur, ad Rempublicam.

Quomodo *ſapientia & ſcientia* dicatur *robur* ſive *poſſeſſio ſalutum*, ſive, *ſalutis perfectæ*?

Uſus vocis חסן.

Senſus ſententiæ.

Vis vocis ישועות in h. l.

Locus Prov. VIII. 18. cum hoc collatus.

Univerſalitas & utilitas huius ſententiæ.

In vera *ſcientia & ſapientia* ipſe poſſidetur *Jeſus*, ſalutis omnis auctor.

Judæorum malignitas in hoc loco diſtorquendo.

In phraſi *theſaurus ejus*: relativum referendum eſt ad *tempus*.

Alia verſio extremi membri, ejuſque ſenſus.

Tertulliani dictum.

Attributum hoc ex ſenſu ejus à nobis dato utrique tempori, Hiskiæ poſt proſtratum Aſſyrium, & Aſſamonæorum Principum, eſt commune. Utrique *τὸν νόμον ἐξεζήτησαν καὶ τὰ ἅγια ἐδόξασαν, Legem exquiſiverunt & Sanctuarium honorarunt* [g]: ut phraſin Hiſtorici poſterioris temporis hic repetam. Honorarunt illi Religionem veram, eique collapſæ ſuum reſtituerunt decus: ſimul ſtudia Legis Divinæ & veræ pietatis ac virtutis, (quæ vera θεοσοφία eſt, *ſapientia & ſcientia*,) pro virili promoverunt. De quo ut hiſtoria luculenter teſtatur, ſic ego jam commentatus ſum ad Cap. XXX. 20. 21. De Maccabaicis utique temporibus *κατὰ γράμμα* & *typice* intelligendum eſt quod dicitur apud Danielem [h]: *Et qui alios intelligentes faciunt*, (Doctores publici,) *ſplendebunt ſecundum claritatem expanſi; & qui multos juſtos fecerint*, (purgaverint à vitiis,) *ut* STELLÆ *in ſæculum & ſempiternum*. Quandoquidem vero ſecundum perpetuum ſtylum Prophetarum, *beneficia temporis Maccabaici* complementum ſuum nanciſci debuerint in Beneficiis ſpiritualibus *temporis Gratiæ*: nihil certius & verius eſt, quam ipſam quoque hanc prærogativam in Regno Gratiæ commendari ut præcipuam & unicam, à qua omnis ſalus & felicitas pen-

Cui tempori hoc attributum conveniat?

Perinde pertinet ad tempus Aſſamonæorum Principum ac Hiskiæ?

Locus Danielis de temporibus Maccabaicis, Cap. XII. 3.

Sed Beneficium hoc complementum ſuum conſequutum eſt ſub Oeconomia Nova.

---

a Vide Cap. XXVIII. 16. *b* 2 Chron. XX. 20. *c* Prov. VIII. 18. *d* Cap. XXIV. 3. *e* Col. I. 9 *f* *Lib.* de *Cultu Fœm.* Cap. II, *g* 1 Macc. XIV. 14. 15. *h* Dan. XII. 3.

A Narrat ὁ πάνυ Buxtorfius, de literis Hebræis præclare meritus, (*Tract.* de *Abbreviat.* p. 10.) Magiſtrum quendam Francofurtenſem, ipſum quoque Jeſaiam nomine, datis ad ſe literis, hoc dictum Prophetæ in fronte conſignaſſe, in hunc modum exaratum: יהיה אמונת עתן חוסן ישו׳ עורת *Eritque firmitas temporis tui robur ſalutum*, h. e. *omnis ſalutis*. (ſic vertit Vir Doctus.) Subjungit Cl. Buxtorfius: *Voluit ſignificare, me credere in* JESUM, *& ab eo omnem ſalutem meam exſpectare: ſed obſervus venenatam lanceam in latus Chriſti infixam. Vocem* ישועות *divulſit, hoc modo,* ישו עורת, *ſupra poſitis apicibus, quibus ſignificatur, non fruſtra hanc vocem ſic à ſe ſcriptam eſſe, nempe quod* ישועות *ſit quaſi* ישו עורת JESCHU (ſic dicunt ipſi pro Jeſus,) PERVERSUS, *vel qui pervertit, ſc. Legem Dei. Ergo voluit ſignificare, robur meum eſſe perverſum iſtum Jeſum. O malitiam Judaicam! &c.* Huc uſque Vir Doctus. Tantum obſervo, Magiſtrum hunc, locum intorquendo in Chriſtianos, ſic eum verti voluiſſe: *Et erit* FIDES *temporis tui poſſeſſio* JESU, quem obſtinatum odium & malitia hic עורת *perverſum* vocat. Sit venia repetitæ blaſphemiæ.

Ejus status vera species.

pendet. In Oeconomia ſpirituali nulla æſtimatio eſt niſi *ſapientiæ*, *ſcientiæ*, *fidei*, & *timoris Dei*. Ab hac una virtute Beneficia alia omnia ſuſpenduntur: hoc uno dono omnes involvuntur gratiæ: nulla felicitas vera cenſetur, quæ ex hoc dono non derivetur: hæc una laudatur veræ felicitatis conditio; vera omnium bonorum theca; ſolus *theſaurus* hominem locupletans.

Sectio Poſterior hujus Concionis, complexa Ἔκθεσιν *Expoſitionem* ſpecialiorem ejus quod ſummatim in *Sectione priore* propoſitum erat.

Membrum primum: *Enarratio magnæ Calamitatis* à Vaſtatore inductæ in terram Populi Dei.

Sectio poſterior hujus Concionis, ſuperiora ſpecialius exponens.

Membrum primum: *Enarratio magnæ Calamitatis* à Vaſtatore in Judæam inducendæ, ℣℣ 7-9.

Σχῆμα orationis Prophetæ plenariam vaſtationem deſcribentis.

℣ſ. 7. *Ecce* HEROES ILLORUM! *Vociferantur foris.* ANGELI PACIS! *amare flent.* ℣ſ. 8. *Deſolatæ ſunt viæ publicæ: deſiit viator. Irritum fecit fœdus. ſprevit urbes. non habet rationem ullius mortalis.* ℣ſ. 9. *Luget, languet terra. pudore ſuffunditur Libanus, aret. factus eſt Saron ut ſolitudo; ruditque Baſan & Carmel.*] Nemo tam eſt imperitus, ut puto, Sermonis Prophetici qui non in his verbis videat exemplum veri Prophetæ in ecſtaſin rapti; cui cum ante oculos verſaretur VASTATIO aliqua inſignis terræ Populi Dei, (quam Vates commemoraverat, ℣ſ. 1.) & quidem in omni ſua circumſtantia, hoc eſt, cum EFFECTIS ejus, ut ſunt, *viarum publicarum deſolatio*; *viatorum raritas & defectus*; *arvorum marceſcentium & lugentium incultus*; *fertiliſſimorum locorum*, (ut *Baſanis*, *Carmeli*, *Saronis*,) *plorabilis ſterilitas*; & cum ADJUNCTO aliquo ejus Vaſtationis notabili, quod eſſet *Vociferatio* publica *Heröum* & quidem חוצה *foris*, h. e. extra Hieroſolymam, (ut opinor;) *& Nunciorum pacis fletus amarus:* hæc, inquam, Vaſtatio terræ Populi Dei ſpectabilis cum Prophetæ ecſtatico obveniret in omni ſua περιςάσει, cum *Effectis* & *Adjunctis* ejus; eandem ad vivum depinxit, &, ut primum quodque ei in Viſo ante oculos fuit, ita illud expreſſit & in hac tabula deformavit.

Vox אראלם quam hic ſuſtineat interpretationem?

In phraſi Prophetæ nihil obſcuri eſt niſi forte quod occurrit in primo ſententiæ membro: הן אראלם צעקו חוצה *Ecce heröes illorum vociferantur foris.* quomodo cum pleriſque Intt. vocem אראלם vertendam cenſeo. Veteres, & Hebræi quoque, ad hanc vocem hæſerunt. Chaldæus Paraphraſtes, vocem אראלם accepit ut *compoſitam* ex אראה להם pro אראה להם, vertitque: הא כד אתגלי לחון *Ecce quando revelatus fuero iis.* Interpres Latinus reddidit: *Quando revelatus fuerit iis.* quod non convenit ſignificationi vocis Hebrææ אראה, quæ poſtulat *perſonam primam.* Vitium in eo eſt, quod vocem אתגלי acceperit in *forma præteriti* quando eſt *perſona tertiæ:* ſed אתגלי *forma futuri* eſt *perſonæ primæ*, & idem ſonat, quod אראה. Sic pariter Sym. & Theod. Ἰδὲ ὀφθήσομαι αὐτοῖς· Aq. Ὀφθήσομαι αὐτοῖς· *Apparebo illis, videbor illis.* Verum ſententia Prophetæ ſibi ſecundum hanc interpretationem non conſtat: quod & Aben-Ezra obſervat. Quid enim illud ſibi vult: *Ecce apparebo illis. clamant foris.* Alii itaque vocem אריאל hic ſumunt pro *altari* ex loco Ezech. XLIII. 15. de qua ſignificatione vocis vidimus ad Cap. XXIX. 1. 2. Sic valeret ſententia: *Ecce altare illorum!* ſive hoc ſenſu quod Iſraëlitæ in communi hac calamitate lugerent *cauſſa altaris*, ut Jarchius: ſive quod *Aſſyrii foris* Judæos irridendo iis *inclamarent: Ecce altare illorum! Nihil illis proderunt victimæ.* quod longe quæſitum neſcio qui placere potuerit Grotio. Hieronymus reddidit per *videntes*, quod alienum eſt à ſtructura vocis: monuitque Hebræos interpretari per *Angelos*; quod verum eſt. Aben-Ezra & Kimchius ita interpretantur ex uſu Rabbinico, quo אראל ſumitur pro *Nuncio ſpirituali* aut *corporali.* Sed non fido huic auctoritati; & vix dubitem, quin uſus ille vocis ex hoc loco derivatus ſit. Eſt itaque maxime probabile, vocem אראל hic exponendam eſſe per *Virum fortem*, *heröem*, ex 2 Sam. XXIII. 20. quam ſignificationem notionis adſtruxi & elucidavi ad Cap. XXIX. 1. Convenit autem pulchre huic loco, ſi quis veram clavem interpretationis ad eum admoverit. Cæteroquin eſt ſententia obſcurior, à nemine facile intelligenda. cui diſquiſitioni me protenus committo.

Animadverſio ad paraphraſin Chaldæi.

An vox hic explicari poſſit ex voce ראה *videre*?

Num etiam vertu per *altare*?

Aliæ interpretationes diſcuſſæ.

Probabilior expoſitio adſtructa.

Expoſitores hujus loci, qui Vaſtationem Judææ à Senacheribo efficiendam & effectam hic in imagine exhiberi exiſtimant, per *Viros Heröes*, *fortes*, ſive etiam ſecundum Piſcatorem *valentiſſimos*, FORIS *clamantes* & *Legatos pacis*, *acerbe flentes*, alludi putant ad hiſtoriam 2 Reg. XVIII. 17. 18. in qua *Legati tres* Regis Hiskiæ, *Eliakim*, *Sebna*, & *Joahh* Aſaphi filius, ad Legatum Aſſyrii *Rabſaken* ejuſque Legationis Comites *egreſſi* eſſe dicuntur, (ut probabile eſt *extra Urbem*,) ut eorum intelligerent ſententiam vel etiam iiſcum agerent de conditionibus pacis & placanda Aſſyrii ira; ſed qui *Legati* cum per Legatos Aſſyrios edocti eſſent de voluntate Senacheribi, *ſciſſis veſtibus* ad Hiskiam rediiſſe dicuntur. Erant hi Legati Regis Hiskiæ מלאכי שלום *Nuncii pacis*, quippe *pacis* impetrandæ cauſſa ad Aſſyrios miſſi. Iidem autem dici poſſe videntur אראלם *Valentes eorum*, h. e. Viri Principes, Primores, eximii Judæorum. Videri autem queat credibile, Principes hoſce Viros & Legatos pacis ad arrogantem ac blaſphemam orationem Rabſakes *clamorem* extuliſſe cum *lacrymis.* quando nihil deeſſe videtur implemento hujus prophetiæ. Alii, ejuſdem hypotheſios tenaces, potius alludi putant ad hiſtoriam ſequentem [a], qua Hiskias eoſdem *Legatos*, (Eliakimum & Sebnam, & זקני הכהנים *Seniores Sacerdotum*) *indutos ſaccis* miſiſſe dicitur ad Jeſaiam Prophetam, ut urgente metu imminentis calamitatis hanc cauſſam per ipſum Deo commendarent. Nomen enim מלאכי שלום *Nunciorum pacis* optime convenit *Sacerdotibus.* Sunt denique qui ad hiſtoriam priorem accuratius attendentes, prima verba ita παραφράζουσι. *Ecce* HEROES ILLORUM!] h. e. Legati Aſſyriorum, *Tartan*, *Rabſaris*, *Rabſake*. *Clamant foris*] h. e. extra Urbem Hieroſolymam, vocem ſuam alte efferunt. Sic hiſtoria [b]: *Et ſtabat Rabſake &* CLAMABAT VOCE MAGNA *Lingua Judæa.* Ἐπιμιξις mea eſt, expoſitiones has eſſe tolerabiles; maxime primam. In poſtrema enim eſt quod deſiderem. *Relativum* in voce *Heröes illorum* rectius hic refertur ad Populum Dei quam ad Aſſyrios; & *clamor* commodius exponitur de *clamore* ſupplicantium & lamentantium in precibus quam de ſimplici aliqua *altiore elocutione* Legatorum Aſſyrii. Nimis id videtur leve quam ut in prophetia memorari debuerit. Solummodo in dubium mitti poſſet, an probabile videatur, Vatem Jeſaiam ſingularem ejuſmodi actum & circumſtantiam tam definite voluiſſe præſignificare in prophetia. Et tamen me non latet, Vatem noſtrum ſingulari prærogativa Gratiæ Divinæ hac parte gaviſum ſubinde captaſſe occaſionem, qua proderet & pateſaceret aliis, ſe accuratiſſima prænotione eventuum futuri temporis à Deo inſtructum eſſe. Abſit itaque, refellam quod laudari meretur. Id ſolummodo affirmo, ſecundum hypotheſin noſtram omnia multo adhuc eſſe liquidiora. Ex ſenſu meo, *Heröes* & *Nuncii pacis* ſunt eædem perſonæ, quod cuique locum accurate inſpicienti ac relegenti facillimum videbitur. Illi vero an non ſunt *Duces Aſſamonæi?* Iidem HEROES ac *Valentiſſimi* Populi *Dei* & NUNCII PACIS, h. e. Sacerdotes. Enimvero probabile habeo, per *Nuncios* ſive *Legatos Pacis* à Propheta deſignari *Sacerdotes.* Hi veri characteres ſunt Ducum Aſſamonæorum. Sacerdotes veri fuerunt ſequeſtri & arbitri *pacis* & *amicitiæ* inter Deum & homines inſtau-

Quomodo hunc locum accipiant qui prophetiam verſari putant in temporibus Hiskiæ?

Referuntur hic 2 Reg. XVIII. 17. 18.

Alii 2 Reg. XIX. 2.

Alia ſententia quæ verba Prophetæ refert ad 2 Reg. XVIII. 28.

Ἐπίμιξις ad hæc interpretamenta.

Liquidius hæc demonſtrantur in Maccabaicis.

Per *Nuncios pacis* hic commodiſſime intelliguntur *Sacerdotes.*

[a] 2 Reg. XIX. 2. [b] 2 Reg. XVIII. 28.

Quomodo hoc nomen iis conveniat?

randæ, *pacem Divum* (sic loquebantur Gentiles,) *exorare* soliti. Illi autem erant LEGATI *Jehovæ exercituum*, ut dicuntur Malachiæ [a], quippe ad hoc opus ab ipso Deo electi ac delegati, idque ejus nomine publice administrantes; de quibus idem Propheta [b]: *Fœdus meum erat cum iis, vitæ & PACIS.* Qui enim *pacem* facerent inter Deum & hominem: hos oportebat esse in pace & amicitia cum Deo. Accedit etiam illud, Sacerdotes, ut εἰρηνικὸς & εἰρηνοποιὸς, apud Gentes immunes fuisse ab opere & onere militiæ; non tractasse arma; sed vi muneris sui habitos esse *arbitros* & *nuncios pacis*, *indutos salute*, & in Deum ac homines *pios*, unde olim dicti חסידים *pii*, Dei gloriæ & hominum salutis *studiosi* [c], qui tamen hoc tempore pro Religione vindicanda arma cogerentur suscipere, & instar *heröum* prodire in publicum. Cæterum hi præstantes in Populo Viri, veri heröes, & vi muneris sui *nuncii pacis*, expulsi Hierosolyma & Templo, h. e. *Domo* in qua soliti erant sacra obire, *foris*, sive extra Hierosolymam & Templum *clamaverunt*, quod hic dicitur, & *amare fleverunt*. Historia horum heröum de eo non uno loco testatur. Sic utique cum Lysias volente Antiocho Ptolemæum Dorymenis filium, Nicanorem, Gorgiam cum gravi instructoque Exercitu misisset in Judæam adversus Judam Assamonæum, & popellum Hasidæorum, dum Hierosolyma adhuc esset instar *Deserti* & *Sanctuarium conculcatum*; *congregati illi in Maspha*, è regione Hierosolymæ, dicuntur [d] *jejunasse* & *induisse saccos*, *cineremque super caput sparsisse*, *& discidisse vestimenta sua*: qui actus & gestus semper conjuncti erant cum lacrymis & lamentis: tum porro post alia hujus generis interjecta subjicitur in historia [e]: Καὶ ἐβόησαν Φωνῇ εἰς τὸν οὐρανὸν, *Et* CLAMAVERUNT *voce in cœlum sublata dicentes: Quid faciemus istis, aut quo eos abducemus? ... Sancta tua conculcata sunt & profanata; καὶ οἱ ἱερεῖς σου ἐν πένθει καὶ ταπεινώσει· &* SACERDOTES TUI (nuncii pacis,) *in luctu ac dejectione.* Rursus post paucula [f]: Καὶ ἐσάλπισαν ταῖς σάλπιγξι, καὶ ἐβόησαν Φωνῇ μεγάλῃ· *Clanxeruntque tubis & CLAMAVERUNT voce magna.* En *heröes*, eosdemque *Nuncios pacis*, Sacerdotes, Sanctuario veluti *Domo sua* exclusos, *foris clamantes & amare flentes!*

Qui temporibus Maccabaicis arma susceperunt, & se ut Heröes gesserunt; & quidem *foris* extra Hierosolymam.

Supplicationibus & lacrymis implorarunt opem Dei.

Historia in rem producta.

Caussa esset *Vastatio terræ* universalis, ℣. 8. 9.

Ecquæ caussa? Mox subjicitur. sc. Universalis quædam Canaanææ Vastatio ac Desolatio, quæ describitur, ℣. 8. & 9. *Vastatæ sunt semitæ, & seqq.* Sunt ex Intt. qui verba accipiunt tanquam *Legatorum pacis flentium*, qui sc. ad Regem Hiskiam *retulerint*; *nullam spem pacis*, *omnia autem circum vastata.* Sic Grotius cujus hæc sunt verba, qui adscripto loco 2 Reg. XVIII. 18. seqq. huc applicat, quod iidem Legati ad Regem *redierint scissis vestibus.* Id vere est, quod dicitur, ἀσύγλωσσα συγκλώθειν. quod non scriberem, nisi res ita se vere haberet. An necesse habuerunt Legati ad Hiskiam referre, *omnia circum vastata esse?* Utique nemo Civium Hierosolymitanorum erat, qui id poterat ignorare, cum Exercitus Assyrii circa Urbem ipsam castra fixisset, & quæ à Copiis gesta fuerunt, non fugerint conspectum civium ex muris & turribus Oppidi motus Exercitus observantium. Legati autem cum solummodo processerint *extra muros Urbis*, & sub ipso vallo verba habuerint cum Legatis Assyrii: num de vastatione Agri suburbani quicquam certius referre potuerunt quam Hiskias ipse oculis suis ex Arce Tsionea vel Ophelitica cognovit? Ergo, ut historia illos de Vastatione Agri suburbani quicquam ad Regem retulisse, silet; quippe quæ non erat caussa Legationis: sic unice ad Hiskiam retulerunt blasphema & arrogantia dicta Assyrii, & propositum ejus à pace alienum, quam eandem ob rem illi suas *sciderunt vestes.* Copiæ Assyrii, primo adventu suo magnam ubique circumferentes vastitatem, jam fere per anni spatium grassatæ fuerant per Judæam, (parte earum majore dimissa ad invadendam Ægyptum,) & passim fœda reliquerant per terram Judæam inhumanitatis & ferociæ suæ vestigia: quod Hiskias cum aliunde sciverit, ex Legatis suis rescisci noluit. Quid si vero, (quod Vir Illustris vult,) Legati Hiskiæ ad ipsum retulerint, *omnia circum vastata esse*: idne sufficit ad hæc verba Prophetæ interpretanda? Ille enim non loquitur de desolatione suburbanorum Hierosolymæ, sed de *vastitie totius Canaanææ*; de quo Legati utique ad Regem nihil retulerunt. Res videtur esse levicula de qua serio quærere & disputare videor: sed non est. Invertit enim totum σχῆμα orationis: qua nihil est simplicius, si quis naturalem ejus ductum sequi velit. Complectitur enim declarationem sive enarrationem caussæ fletus *Angelorum pacis* & *quiritationis Virorum fortium*: quæ enarratio non fit ab his *Angelis*, sed est ipsius Prophetæ, sive Chori quem ipse repræsentat. Caussa fletus & clamoris sive quiritationis erat tristis florentissimæ terræ ab hostibus vastandæ status, qui proinde à Vate omni orationis figura & ornatu παθητικῶς describitur. *Vastatas esse* ait, מסלות *vias publicas*, bene munitas; (quæ certa vocis notatio est, in superioribus jam observata [g];) *cessasse viatores*; (prop. *transeuntem* per *iter*: facientem iter;) ipsum sc. hostem de quo loquitur, *irritum fecisse fœdus*; *sprevisse urbes*; *non reputasse hominem*, sc. nullius hominis habuisse rationem. quæ significatio vocis מאס nobis aliunde [h] jam innotuit. Scandit oratio ubi addit ℣. 9. *Luget, languet terra:* (cujusmodi ἀσύνδετα emphasios & elegantiæ caussa amat Propheta. confer Cap. XXIV. 4.) *pudore suffunditur Libanus*, *languet*: (sic recte hic vertitur vox חפר, qua Vates hac *forma* pariter *intransitive* utitur, Cap. LIV. 4. perinde ac usus fuit voce קטר Cap. XIX. 6. Respicitur autem ad succisas *Libani cedros & abietes*, ornamenta ejus, aut earum arborum *ramos*, quippe quorum usus erat in construendis machinis & apparatu bellico, confer Cap. XIV. 8.) *Factus est Saron instar solitudinis*, *& rudit Basan & Carmel.* Perelegans hic est usus vocis נער quæ etiam *rudere* notat quod proprie *asinorum* est, sed & *catulis Leonum* tribuitur Jer. LI. 38. non insolente metaphora, ut ὃ πάνυ observavit [i]. Belgæ nostri, deserentes Piscatorem, hic maluerunt: *Basan & Carmel concussi sunt.* Longe rectius videntur scripturi esse, *excussi sunt.* nempe gregibus pecorum spoliati. cum enim *loca* fuerint *pascua*, qualia à Propheta spectantur, non *nemorosa*: minus commode *concuti* dicuntur. Sed meminerunt illi nostræ quoque interpretationis in *Annotatis.* Sensus Vatis est, præstantes hosce uvidi soli agros aut clivos, cis & trans Jardenem soli Israëlitici celebratissimos, pascuo pecore copioso abundantes, hoc tempore vastatos, spoliatos, corruptos, pecudibus vacuos, non *lugere* tantum sed & *rudere*, & *triste* quid *sonare* ob vastitiem in eos inductam. Metaphora est fortioris generis, sed tanto magis Jesaiana. Propheta enim has figuratas dictiones non accumulat, nisi ut in lectore suo excitet sensum vastitatis summæ & universalis in totam Judæam inducendæ. De Locis ipsis *Basanis*, *Carmeli* & *Saronæ*, (quorum notitia necessaria non fugit nisi plane indoctos,) monui quantum satis est ad Cap. XXIX. 17.

Vates loquitur de Vastitie totius Canaanææ.

Figuræ & ornatus orationis Prophetæ in hac Vastitate describenda.

Verba Vatis releguntur & illustrantur.

Quo sensu Libanus hic dicatur *suffundi pudore?*

Usus elegantior vocis נער pro *rudere* in h. l.

Animadversio ad expositionem Ill. Grotii.

Verba Prophetæ illustrantur ex historia Expeditionis Assyrii.

Sensus sententiæ Vatis.

Non affirmo audacter, esse in hac descriptione Desolationis terræ quod applicari nequeat ad devastationem terræ Judææ factam per Senacheribum. Cum enim Propheta figurate loquatur, magis ῥητορικῶς quam ἱστορικῶς: de ipsa vastitate ab Assyrio in Judæam inducta sic loqui potuisse videtur. Est enim credibile, ingentem illum Exercitum majorem terræ non adeo magnæ partem occupasse, & se ad prædam ubique rapiendam late per eam diffudisse. Id etiam quod Vates addit de *fœdere irrito facto* ab Assyrio, secundum hanc hypothesin referri posset ad 2 Reg. XVIII. 14. ubi Senacheribus apud Lacischam hærens accepisse dicitur τὸ ἄπαυον quo Hiskias in magnis angustiis versatus reconciliatio-

Quatenus dictum Vatis applicari queat ad Vastitiem factam ab Assyrio?

---

[a] Cap. II. 7. [b] ℣. 5. [c] Ps. CXXXII. 16. [d] 1 Macc. III. 46. 47. [e] ℣. 50. [f] ℣. 54. [g] Cap. XI. 16. XIX. 23. [h] Cap. XXXI. 22. XLIII. 17. [i] Hieron. Part. I. Lib. III. Cap. II.

tionem cum ipso redemisse dicitur, *trecentorum talentorum argenti, & triginta auri.* cujus tamen conventionis ipse nulla habita ratione, se perfide composuit ad Hierosolymam occupandam. Et tamen omnia hic etiam liquidiora sunt ex hypothesi nostra, ut cuique patebit conferenti prophetiam Cap. XXIV. 1. seqq. cum commentatione nostra: quippe jam supra in *Anacrisi* observavi, inter utramque hanc prophetiam intercedere manifestam parallelism, quod ad ipsam quoque phrasin. Quæ enim hic dicuntur de *Vastitie terræ* totius, ibidem iisdem fere verbis explicantur. De *Fœdere* etiam quod memoratur, certius est in historia Antiochi. Senacheribus non erat in fœdere cum Hiskia cum primo irrumperet in Judæam. Excusserat enim hic jugum ejus: ut magis si rem hac facie spectes, Hiskias hic in culpa fuerit quam Assyrius. Sed Antiochus cum iram suam omnium primo effunderet in Judæos, cum iis erat in fœdere; & interposito biennio Procurator ejus Apollonius validis satis instructus copiis, pacem mentitus imparatos oppressit. Verba historiæ [a]: Καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς λόγους εἰρηνικὸς ἐν δόλῳ καὶ ἐνεπίστευσαν αὐτῷ· *Et locutus est iis* (Apollonius,) *verba pacifica per dolum, & crediderunt ei.* Reliqua jam quæ sequuntur in historia, quæ hic facili opera inspici potest, longe adhuc sunt fœdiora. Unum illud solummodo adscribo, quod ad rem pertinet: historiam plane tradere, Desolationem Canaanææ illius temporis fuisse *universalem*, per totam Canaanæam diffusam. qualis est descriptio vastationis terræ quæ occurrit in hoc loco Prophetæ. Historia irruptionis Senacheribi nihil speciatim tradit de vastatione aliarum partium terræ quam Benjaminitidis & Judææ ex collato loco Cap. x. 28. seqq. sed in hoc loco Jesaiæ in describenda calamitate totius terræ mentio fit desolatorum illustrium Palæstinæ locorum quæ extra Judæam, h. e. extra Regnum Hiskiæ, sita erant. ut sunt, *Basan*, mons fertilissimus, in ditione Menassitarum Trans-Jardenensi; *Carmel* (si is ipse sit mons fertilissimus de quo supra [b] disputavi:) in Galilæa inferiore; & *Saron*, celebris pinguedine & fœtura campestris regio inter urbes maritimas Cæsaream & Jamniam, in Ephraimitide. Propheta adhuc in sequentibus ejus non semel meminit [c]; & situs ejus cognosci potest ex propinquitate *Lyddæ* ex historia Lucæ [d]. Fateor, loca hæc jam ante irruptionem Senacheribi ab Assyriis vastata direptaque fuisse: copias quoque Assyrii totam terram pervagatas illuc potuisse excurrere. fieri etiam posse, ut Assyrius exercitum adversus Ægyptum ducens oram maritimam legerit: licet contrarium probabile sit ex loco Cap. x. 28. Verum ut hæc obscuriora sunt in historia Senacheribi, sic certa & indubia in historia Desolationis totius terræ factæ per Syros Seleucidas. Exercitus diversarum partium totam terram cæde & raptu pervagati omnia vastarunt loca nobiliora, & veluti totius terræ faciem inverterunt. ubi videnda quæ supra [e] commentatus sum.

Membrum alterum *Sectionis Posterioris: Beneficium Liberationis* Divinæ, statu ejus desperato.

℣. 10. NUNC *surgam, ait Jehova: nunc exaltabor; nunc efferar.* ℣. 11. *Gravidi estis ex palea: parietis stramen.* SPIRITUS VESTER est IGNIS qui VOS CONSUMET. ℣. 12. *Et erunt populi crematines calcis: spinæ desectæ* quæ *igne accenduntur*] Sic se habent rationes Longanimitatis & Justitiæ Divinæ. Non punit Deus peccata severe, nisi impleta eorum mensura: ut summa justitia, & severitas etiam, semper conjungatur cum summa æquitate. Docet itaque hæc pericopa, cum calamitas æque ac insolentia hostilis ad summum venisset: interventurum esse Deum, & oppressores vastatoresque valide repressurum, in eosque gravius animadversurum. hoc enim esse illud tempus verum & proprium quo *gloriam* suam ante oculos Gentium constituerat illustrare. quod cum adsit, moram amplius non producturum esse in ferenda hostium suorum arrogantia ac petulantia: imo vero futurum esse, ut consilia illorum omnia in fumos abeant, & ipsi Judicio Divino brevi consumantur, ad hoc supplicium dudum parati & velut aptati. Hæc summa est sententiæ Vatis, partibus quibusdam suis distinctius expendendæ. *Nunc surgam, ait Jehova.*] sc. ad vindictam, instar Heröis caussam meam & Populi mei vindicaturus, post patientiam longi temporis. verum & proprium tempus vindictæ nunc adest, quippe res ad extremum venit. Phrasis & metaphora est receptissimi usus in Verbo Dei. Cape exemplum ex Ps. VII. 7. SURGE, *Jehova! in ira tua: &* EXTOLLERE (תנשא) *in excandescentiis hostium meorum* [f]. Id idem est quod hic additur: NUNC *exaltabor*, NUNC *efferar*] Gloriam veritatis Naturæ meæ, majestatis, justitiæque meæ, clarissime patefaciam in vindiciis Populo meo procurandis. Habuimus phrasin Cap. II. II. v. 16. XXVI. II. & novissime in hoc ipso *Sermone*, ℣. 7. Ubi Deus silet, transmittendo scelera hominum absque severa & notoria animadversione, est sane acsi se ipse negligat, suæ majestatis nulla habita cura: sed ubi se publice manifestum facit ut Ecclesiæ suæ vindicem, veritas Essentiæ virtutesque ejus innotescunt mortalibus, & ipse ab iisdem hoc nomine vel honoratur, vel timetur. Tantum cave transeas vim trinæ repetitionis vocalæ עתה NUNC, in hac sententia. Notat, ut jam prænonui, hoc *tempus*, consilio Divino dispectum, esse verum, proprium, opportunum: esse εὐκαιρίαν, sive καιρὸν ἴδιον, ad gloriam Dei glorioissimo modo illustrandam aptum ordinatumque, ut, faventibus circumstantiis, magis ad gloriam Dei faciat judicia hostibus decreta hoc tempore exequi quam alio. ita sane ut omni rei & eventui sub sole non tantum est *tempus* ὡρισμένον *definitum* (זמן) *sed* & עת *tempus proprium* & opportunum.

Exegesis verborum. Quænam emphasis lateat in voce *surgere*, ubi Deo tribuitur.

Exaltari & *efferri* Dei.

Emphasis in trina repetitione vocis עתה NUNC.

℣. 11. *Gravidi estis palea: parietis stipulam*] h. e. Vana agitatis consilia, nullum fortitura effectum. Phrasis est elegantior, cujus analogam supra habuimus, *parere ventum* [h]; & deinceps occurret, *concipere laborem, & gignere vanitatem* [i]. In *palea, stipula, stramine*, (sunt enim vocabula ἰσοδύναμα:) nihil inest solidi: nihil veri pabuli: nihil etiam, quod si non nutriat, palatum delectet. Est igitur symbolum consiliorum, quæ mente *concipiuntur*, vastorum, inanium, levium, quæ similem, hoc est, nullum solidum, vanum, inanem, producunt effectum; exspectationem frustrantur, & in nihil exeunt. Id Deus interminatur hostibus sui Populi, ad quos oratio ejus hic convertitur.

℣. 11. *Gravidi estis palea: parietis stipulam.* Phrasis commendatur. Sensus ejus.

רוחכם אש תאכלכם *Spiritus vester est ignis* qui *vos consumet*] Sic lubens verto cum Cl. Coccejo. Plerique Intt. alii post Hieronymum: *Spiritus vester* UT *ignis vorabit vos.* Differentia videtur esse exigua; & est tamen aliqua. Nostra enim versio integram exhibet sententiam, sed altera ellipticam: quam tamen ellipsin præfixæ כ notæ similitudinis non esse insolentem, largior: &, nisi fallor, sententia nostra fortior est. qui character est orationis Prophetæ. Sed utro modo acceperis, videtur in sententia quid esse παράδοξον. Quid enim sibi vult, *Spiritus vester est ignis*, qui *vos consumet?* Si scripsisset Propheta, qui Deum hic loquentem facit: *Spiritus* MEUS sive *halitus meus est ignis qui vos consumet:* nemo in sensu hæreret, & conferri possent verba cum superioribus Cap. XXX. 33. HALITUS JEHOVÆ *instar torrentis sulfuris eum accendit.* Sed obscurius videtur, quomodo *spiritus* ipse hostium *ipsos consumeret.* Movit ratio Lud. Cappellum, quare vocem רוח hic non acceperit pro *nomine*, sed pro *verbo*, sensu *difflandi.* Sic vertit: *Difflabit vos. ignis consumet vos.* quando supponit, esse verba Prophetæ de Deo loquentis cum respectu ad Assyrios. Affinis est cogitatio alterius Viri Docti [k], qui רוחכם hic putat sumi posse pro רוח אתכם quod sonat, *spiritus vos*, quod sup-

Verba: *Spiritus meus est ignis qui vos consumet.* Versio Hieronymi cum ea Cocceji collata.

Sententia ad primam speciem obscurior.

Cl. Cappelli meditatio.

a 1 Macc. I. 30. b Ad Cap. XXIX. 17. c Cap. XXXV. 2. LXVI. 10. d Act. IX. 38. e Ad Cap. XXIV. 1. seqq. f Confer Ps. LXVIII. 2. g Eccles. III. 1. h Cap. XXVI. 18. i Cap. LIX. 4. k Cl. Schmid.

pleri vult, *auferet*. Sententia bona est & huic loco satis congruens: sed quis duritiem locutionis hic admittat? Integrum enim *prædicatum*, in quod vis totius sententiæ resolvitur, secundum hanc interpretationem abest. Sed meditatio Cl. Cappelli nihil vitii habet præter insolentiam usus vocis רוח in hujusmodi casu. Si mei arbitrii res esset, & à communi versione discederem, insistens vestigiis Cappelli, exigua mutatione redderem: *Afflabit vos*, sc. Deus sive *flabit in vos. ignis consumet vos*. Afflatus enim Dei, maxime *Dei irati*, censetur esse *igneus*, quod Propheta pariter supponit in loco modo allegato [a]. Sic Poëta sacer [b]: *Ascendit fumus in naribus ejus*, ואש מפיו תאכל *&* IGNIS EX ORE EJUS (halitus igneus,) *consumebat: carbones ex eo accensi sunt.* Fere ita hoc tempore sum affectus, ut huic interpretationi plurimum tribuam. Cum enim Propheta hostes hosce suos ut *stramen & stipulam parituros*, h. e. levis consilii homines, proposuisset: rectissime subjicit: *Afflabit vos*. sc. Deus. *ignis* iræ ejus *vos consumet*. Nec tamen alteram, vulgatiorem illam, sperno, cum receptior usus phrasios Hebrææ eam commendet, & sensum pariter fundat satis tolerabilem. Sensus autem hic est; *arrogantiam*, *superbiam*, *iram*, *blasphemias*, quas in Deum effutirent, ipsis *exitio fore*. facerent enim ut Deus tanquam *ignis* illos consumeret. *Spiritus vester*, ait Propheta, hoc est, ὁ θυμὸς ὑμῶν, *superbia*, *arrogantia*, ὑπερηφανία, *ira vestra*, (quæ se produnt in oratione blasphema ac superba & consiliis arrogantibus,) est *ignis* qui vos *consumet*. erit vobis exitio. Cum enim sitis *levis* ingenii & *consilii* homines, qui *paleam* concipitis, *stipulam paritis*; ipsi vos *stupæ* & *stipulæ*: (solent enim parentes referre fœtus:) affectu vestro arrogante atque consiliis iracundis ac violentis, quæ se habent instar *ignis*, peribitis. Vocem autem רוח *spiritus* hanc significationem admittere, ut idem valeat quod Græcorum θυμὸς, evici ad Cap. xxx. 28.

Alterius Viri Docti.

Sententia Cappelli adjuvatur aliqua animadversione.

Interpretatio vulgata quem commodum sensum ferat?

Verba ℣. 12. *Et erunt populi* ut *cremationes calcis, &c.*

℣. 12. *Et erunt populi veluti combustiones calcis: ut spinæ resectæ* quæ *igne succenduntur*] Clara est sententia: cum res ad summum venisset, interveniret suo judicio Dominus, & magnum accenderet ignem, quo consumerentur, *comminuerentur*, *contererentur*, (quod Hebræi exprimunt notionibus רקק׳ דכא׳ רעע) & plane ad nihilum redigerentur, ut lapides usti in fornace calcaria: & ut *spinæ resectæ* ac *aridæ* cum strepitu & murmure ab igne subjecto accensæ facile absumuntur.

Significatio vocis כסח.

Vox כסוחים, usus insolentioris, significationem suam arcessit ex Dialecto Chaldaica, qua vox כסח notat *putare*, *amputare*, *succidere*. quæ notatio huic loco recte videtur convenire. Propheta hic secum ipso comparandus est Cap. ix. 17. x. 17. Est præterea aliud quo metaphora se commendet. Lapis non uritur in calcem, nisi conclusus in fornace, magno igne accenso qui latum spargit fumum, & quidem tanta in eum vi agit ut eum plane comminuat, conterat, & veluti formam ejus invertat. quod symbolum est magni ac illustris Dei judicii quo hostes ejus in certum concluси locum magna fama contererentur & ad nihilum redigerentur. Est metaphora diversi generis, *montes triturare ac comminuere*, *& colles ponere tanquam glumam.* ut Vates noster alio loco [c]. Improbi vero & reprobi homines, hostes Dei, in quibus nihil bonæ frugis ineſt; nulla vera Dei cognitio, virtus nulla; nulla humanitas, bonitas, æquitas, per quam homo homini prodest: contra vero inhumanitas, sævitia, arrogantia, aliorum contemptus, odium, malitia, per quam homo homini nocet; & qui proinde quà tales censeri debent parati esse ad judicium Divinum, cum ad societatem humani generis utiles non sint: quam eleganter comparantur *spinis*, & quidem *resectis*, aridis quæ ab omnibus respiciuntur ut *sterile lignum*, ad ignem & flammam paratum, ad omnem alium usum *inutile*, imo *nocivum*, quippe quæ resectæ etiam & aridæ pungunt ac lædunt? Est character improborum & reproborum. Ut autem spinæ in ignem missæ cum sono & strepitu flammam suscipiunt [d]: idem obtinet, ubi Deus hostes suos judiciis publicis, manifestis, in omnium oculos incurrentibus, quorum fama late spargitur, consumit.

Elegantia metaphoræ à *crematione calcis* desumptæ.

Nihil in hac etiam pericopa est quod applicari nequeat ad pœnam à Deo sumptam ab Assyrio Senacheribo. Res isthoc tempore ad summum venerat, nec licebat Deo pro rationibus justitiæ suæ amplius differre punitionem hostium impiorum & arrogantium. Venerat itaque nunc *tempus* vindictæ opportunum, Divino consilio dispectum constitutumque; quod Vates noster pulchro emblemate illustratum dat Cap. xviii. 4. 5. Deus etiam hoc judicio notabili se valde *extulit* & *exaltavit*: consilia Assyrii inania irrita cesserunt: arrogantia, superbia, & blasphemia illorum ipsos perdiderunt; & magno strepitu *igne* à Deo ipso *accenso consumpti sunt*, de quo vidimus Cap. x. 17. & xxx. 33. Verum nemo mihi cum ratione neget, eadem quoque hæc obtinere in Eventu analogo *Syrorum Seleucidarum*, sive *Assyriorum novorum*, pariter illustri exemplo Divinæ justitiæ tempestate propria & opportuna consumptorum, & cum tempore ad nihilum redactorum: qui ipsi quoque suo perierunt *igne*, h. e. *flammis* quas ipsi concitarant: qua phrasi Propheta alibi [e] licet de alio subjecto utitur. *Arrogantia* illorum, *vanitas*, *ira*, *superbia*, blasphema in Deum dicta, ipsos perdiderunt & *ignis* instar consumpserunt. Auctor *secundi Maccabæorum* describens prœlium à Juda commissum cum Timotheo, Duce militiæ Antiochi Eupatoris [f]: *Mox itaque sole orto inter se commissi sunt.* οἱ μὲν ἔγγυον ἔχοντες εὐημερίας καὶ νίκης μετ᾽ ἀρετῆς τὴν ἐπὶ τὸν κύριον καταφυγὴν, οἱ δὲ καθηγεμόνα τῶν ἀγώνων ταττόμενοι τὸν θυμόν· HI *quidem* (Hasidæi,) *prosperi successus & victoriæ virtute impetrandæ sponsorem habentes refugium ad Dominum per preces:* ILLI *vero* (Syri Seleucidæ,) *præliorum præsidem summum statuentes* ANIMI *sui* CONFIDENTIAM; arrogantiam sc. iram, & in propria virtute fiduciam, qui *spiritus* illos incendens consumpsit.

Pericopa hæc rectè applicari potest ad judicium Dei in Assyrium.

Nec tamen minus commode ad judicium Syrorum.

Locus ex historia Maccabaica.

Membrum tertium *Sectionis Posterioris: Celebratio hujus Liberationis cum Defensione severitatis à Deo hoc in casu adhibitæ.*

Membrum tertium Sectionis Posterioris: Celebratio hujus *Liberationis*, & ejus *Defensio* ℣. 13. seqq.

℣. 13. *Audite longinqui quod feci, & propinqui cognoscite potentiam meam.* ℣. 14. PAVERUNT IN TSIONE PECCATORES: *tremor corripuit hypocritas. Ecquis* NOSTRUM *commoretur apud ignem consumentem? quis nostrum cohabitet Foco æterno?* ℣. 15. *Qui in justitiis ambulat, & recta loquitur; qui spernit lucrum fraudationum; qui excutit manus suas ne prehendant munus; qui obturat aurem suam ne audiat* CÆDES; *& oculos suos obstipat ne videant malum.* ℣. 16. *Hic in celsis habitabit: arces petrarum erunt locus ejus editus:* PANIS EJUS DABITUR; AQUÆ EJUS CERTÆ ERUNT] Mereretur hæc excellens pericopa insigni elogio commendari, si quicquam in hoc Libro & oratione Vatis occurreret non commendabile. Eadem enim vis & emphasis ubique occurrit. Idem ingenium est; eadem ingenii copia; idem Spiritus ingenium sublime agitans, sanctificans, & in altum extollens. Pericopa immediate cum superioribus cohæret, quippe celebrans *Judicium Divinum* in hostes, cujus modo facta erat mentio, ejusque severitatem defendens adversus hypocritas, qui eam in invidiam Dei interpretabantur. Vates persistens adhuc in eadem figura orationis, pergit Deo aptare verba, præsenti circumstantiæ congruentia. Supponit, Deum executum jam esse judicium illud illustre in hostes suos, quod se verbis ἀμέσως præcedentibus executurum esse dixerat. Introducit itaque hic Deum, (ut ordo rerum postulabat,) primo quidem tanquam invitantem populos propinquos, longinquos, Judæos, Gentes, ad hoc spectaculum Judicii Divini prudenter considerandum, ut vel ad fidem veritatis Dei ut Præsidis Populi sui hoc argumento perducerentur; vel in fide hujus veritatis confirmarentur, & Deo etiam in poste-

Elogium hujus pericopæ.

Nexus ejus cum oratione superiore

Summa ejus, & Analysis.

[a] Cap. xxx. 33. [b] Pſ. xviii. 9. [c] Jeſ. xli. 15. [d] Eccleſ. vii. 6. [e] Cap. l. 11. [f] 2 Macc. x. 28.

posterum fidere discerent, ℣. 13. Deinde Judicium hoc suum illustre defendentem adversus susurros & criminationes hypocritarum, qui id maligne & invidiose traducebant, ℣. 14. seqq. Non esse dicebant illi in ejusmodi Judiciis Dei illustribus argumentum, quo homines se permoveri sinant ad Dei communionem & amorem. contra vero facere ad hominem à communione Dei absterrendum. Quis enim quærat & amet Deum, cujus tanta sit severitas? qui tam rigide persequatur delicta hominum, maximam partem ex imprudentia commissa? qui tam grandia statuat exempla justitiæ, cum sufficeret ad cæterorum terrorem statuere in paucis? Hunc Deum quis non potius fugiat & horreat, quam sectetur & diligat? Esse enim *ignem consumentem*, ad quem propius accedere si lædi & perire nolis, non sit prudentis. felicissimos videri, quibus nihil cum eo est commercii. Has criminationes & calumnias Vates ipsius Dei nomine, (ut tanto majus pondus esset orationis:) retundit ac refellit. Docet, Deum non esse terribilem nisi malis, injustis, sceleratis, corrupti animi & conscientiæ: bonis vero, justis, veri & æqui tenacibus, esse amabilem: amare enim per naturam suam veritatem ac virtutem, & cultores earum amplissimis præmiis remunerari. posse illos versari illæsos in proxima etiam Dei communione: à Deo ut *igne* foveri, purgari, inflammari ad amorem perfectionis ejus, & veluti in substantiam similis puritatis transmutari; & tamen, non *absumi*. imo Deum quærentibus se esse rupem: præstare iis securitatem, & necessaria ad vitam, consolationem ac felicitatem sempiternam iis subministrare. Hæc summa est sententiæ, si complexum ejus sumas, neutiquam obscuræ: hic nexus orationis. Et tamen illustranda est phrasis Prophetæ, & sententia applicanda ad argumentum prophetiæ.

Querela impiorum & profanorum de nimia Dei severitate in ea retundi-tur.

Amabilis oratio & doctrina Prophetæ.

Exegesis orationis ℣. 13. *Audite longinqui, &c.*

℣. 13. *Audite longinqui quod feci, & propinqui cognoscite potentiam meam*] Ad primum aspectum hujus sententiæ videtur Propheta hic compellare cujuscunque generis & ordinis homines, sive Judæos, sive Gentiles, *tam propinquos* qui præsentes *cognoscerent* effecta Divinæ potentiæ & justitiæ quibus hostes suos prostraverat, quam *longinquos* qui eadem ex *fama* perciperent: unde *hos* ad *audiendum*, illos ad *cognoscendum* exhortatur: qui primus & communis usus est vocum *longinquus* & *propinquus*. ut apud Mosen [a]: *Ex Diis Gentium quæ circumcirca te sunt*, הקרובים אליך או הרחוקי מכך *quæ tibi prope adsunt, aut longius à te absunt.* Et sunt tamen ex Intt. qui majorem sectati sunt emphasin in hoc loco. Chaldæus Int. *A* per *longinquos* hic intelligit homines qui à pueritia operam dederant studiis pietatis & virtutis: per *propinquos* qui cum olim in peccatis vixissent, deinceps per *respiscentiam* cœtibus piorum adjuncti erant. Lusus est allegoricus vere delectabilis, licet neutiquam probabile sit, Jesaiam tale quid intendisse. Si quæ hic major sectanda sit emphasis, quam non abnuo: altiore sensu per *propinquos* intelligendi sunt Judæi; per *longinquos* Gentes, olim quidem *alienæ* & *remotæ* à communitate Ecclesiæ, imo sane longissime *remotæ*, sed cum tempore adducendæ ad Dei communionem, ad quas fama effectorum Potentiæ Divinæ in Ecclesia sua liberanda non perveniret tantum; sed quæ ipsæ quoque miracula & liberationes Ecclesiæ antiqui temporis in argumentum fidei suæ & fiduciæ in Deo reponendæ converterent, non aliter ac sancti temporis antiqui. Sic utique Vates noster Cap. LVII. 19. PAX, *pax* לרחוק ולקרוב LONGINQUO & PROPINQUO. Interpretatur Apostolus [b]: *At nunc in Christo Jesu* ὑμεῖς οἱ ποτὲ ὄντες μακρὰν, *vos* (Gentiles,) *qui olim* ERATIS PROCUL, ἐγγὺς ἐγενήθητε, FACTI ESTIS PROPE *in sanguine Christi.* Mox addit [c]: *Et veniens evangelizavit* PACEM ὑμῖν τοῖς μακρὰν, καὶ τοῖς ἐγγύς· *vobis tum qui* PROCUL *tum qui* PROPE ERATIS. Nationibus sc. & Judæis. Putemus itaque, hoc alloquium Dei ad nos quoque attinere tot sæculis remotos à temporibus Prophetæ, tanto intervallo dissitos ab illis locis quæ Deo olim visum est sua illustrare gloria. Id sane supponitur in hoc alloquio, futurum aliquando, ut Gentibus ad fidem veri Dei perductis, gloria illustrium facinorum Divinæ potentiæ & gratiæ olim editorum in salutem Ecclesiæ Judææ, universum illustraret Orbem; ut ipse Deus in historia pœnæ infligendæ malignis terræ Canaanææ exploratoribus, (quæ pœna infligenda erat in Deserto extra conspectum Gentium,) jurejurando firmat, fore ut *tota terra impleatur gloria ejus* [d]. Dictum illo tempore admiratione dignissimum, sed cujus fides non fefellit. Non vult enim Deus ut *propinqui* & *longinqui* hæc phænomena *oculis* & *auribus corporis*, sed *mentis*, exciperent; ea perpenderent, considerarent, ut hoc argumento in cæteris moverentur ad fidem, obsequium, & laudationem veri Dei. argumento, inquam, *potentiæ* Dei *prævalentis*; præpollentiæ ejus, τῆ ὑπερέχοντος τῆς δυνάμεως, quod conspicuum omnibus fit in *victoria* reportata de hostibus. quæ vis est genuina vocis גבורה. Est virtus Dei *Heroïs*, de potentibus hostibus triumphantis. גבור est *heros*.

Alloquium Prophetæ ad nos quoque pertinet.

Hypothesis hujus loci est futura vocatio & conversio Gentium.

℣. 14. *Paverunt in Tsione* PECCATORES: *prehendit consternatio hypocritas:* QUIS NOSTRUM *commoretur cum igne consumente, &c.*] Sic verba optime accipiuntur in *præterito* ex *punctura Maforetharum*; ut adeo quæ sequuntur: *Quis nostrum &c.* accipi debeant ut *dictum* ipsorum horum *peccatorum & hypocritarum* de quibus Propheta loquitur. Sunt autem חטאים *peccatores*, ἁπλῶς sic dicti, peccatores impœnitentes, obstinati, qui dudum in peccatis & vitiis vixerunt, officii in Deum & homines negligentes, nec se ad unum sed ad varium vitii genus simul applicantes; videlicet irreligiosi, fraudatores, corruptores juris, superbi, luxui & libidini dediti, persequutores piorum, quales passim apud Prophetas hujus & sequentium temporum depinguntur. Vates noster in *Sermone primo* [e]: *Et fractura erit* DEFECTORUM (פושעים, h. e. idololatrarum,) *&* PECCATORUM (חטאים) *pariter.* Amos [f]: *Et omnes* PECCATORES *populi mei gladio morientur. Hypocritæ* (חנפי) hoc in loco sunt homines animo profani, de ordine Divinæ Providentiæ erga Populum ejus & re Religionis impie sententes; veruntamen hasce animi sui sententias publice occultantes, dictisque ac moribus suis inducentes fucum falsæ speciei & coloris; veri simulatores ejus quod non erant, improbi ac mendaces: quod genus hominum, in scriptis Prophetarum obvium, Deo fuit invisissimum [g]; ut sane hypocrisis hujus generis censeri debet inter summa piacula. hypocritam agere est non *mentiri* tantum, verum etiam *mendacium* Deo palam obtrudere velle pro *veritate*. ipso spectatore & Judice mentiri. quod impium vere est & grande scelus. enimvero dedi ei describendæ operam minime perfunctoriam ad Cap. XXXII. 5. seqq. Hi vero *impii & hypocritæ* dicuntur *pavisse* & affecti esse *consternatione*, & dixisse: *Quis nostrum, & seqq.* Quæritur, unde ille *pavor* & *consternatio?* Quo sensu cum *pavore* & *consternatione* ipsorum cohæreat dictum insequens querulum: *Quis nostrum commorabitur cum igne consumente:* atque adeo quis *ille* sit *ignis consumens* de quo hic loquuntur, ut cujus difficile sit ac fugiendum commercium. Sunt ex Intt. plures, (inter quos etiam Piscator & Belgæ,) qui *pavorem* & *consternationem*

℣. 14. *Paverunt in Tsione Peccatores, &c.*

Verba Prophetæ recte accipiuntur in *forma præteriti.*

Per *Peccatores* quinam h. l. intelligantur?

Significatio vocis illustratur ex analogis.

Quinam designentur per *hypocritas*?

Unde *pavor* & *consternatio* quæ hic hypocritis tribuitur?

Sententia Intt. qui

---

a Deut. XIII. 8. Confer Ezech. XXII. 5. *b* Eph. II. 13. *c* ℣. 17. *d* Num. XIV. 21. *e* Cap. I. 28. *f* Cap. IX. 16. *g* Cap. X. 6. Jer. XXIII. 15.

A Verba Paraphrastæ sunt: שמעו צדיקיא דנטרו אוריתא מלקדמין ודעו חיביא דתבו לאוריתי *Audite justi qui servastis legem* AB ANTIQUO. -- *& cognoscite peccatores, qui rediistis,* (conversi estis,) *ad Legem meam.* Quod hic dicitur מלקדמין, quod Int. vertit *ab antiquo*, proprie est, ἀπ' ἀρχῆς, *à primo vitæ cursu*, à tenera ætate Jarchius: חסקיי המאמינים בי ועושים רצוני מנעוריהם REMORT] *Qui in me credunt & voluntatem meam faciunt à pueritia.* Plane ita ut est in symbolo fidei apud Irenæum, Lib. I. Cap. II. *Justis autem & æquis, & præcepta ejus servantibus, & in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem* AB INITIO, *quibusdam autem* EX POENITENTIA, *vitam donans, &c.*

orem hunc derivant ex irruptione Senacheribi.

nem hypocritarum derivant ex irruptione Senacheribi in Judæam, & proposito obsidendæ Hierosolymæ, & arrogantibus minis Legatorum ejus. *Paviſſe* igitur & *conſternatos* fuisse peccatores, appropinquante Exercitu Assyrii, cum intelligerent, non fieri id absque Divina Providentia, & Providentiam Dei explicarent ex Justitia ejus, hostem in Judæam immittendo, & Populum suum per eum puniendo. Præsertim referunt verba ad illum temporis articulum, quo Hierosolyma à Copiis Assyrii premebatur, & Legati ejus magnas intonabant minas, si Populus cum Rege deditionem differrent. tum sc. malos conquestos esse de *nimia* Dei *severitate* erga Populum suum: neminem enim coram Deo subsistere posse, & de ipsa quoque actum esse Ecclesia, si tanto rigore persequi velit peccata Populi sui: atque adeo erupisse in hanc querulam vocem: *Quis noſtrum cohabitare poteſt Igni conſumenti?* Ex qua interpretatione patet, illos per *ignem conſumentem* hic intelligere Deum peccata Populi sui per Assyrium punientem. Sic inter alios Pellicanus, Piscator. Grotius recta per *Ignem conſumentem* & *Focos æternos* intelligit Exercitum Assyrii, acsi dicerent qui *Hierosolymis mutata Religione ſalutem ab Aſſyrio quæri volebant, Quis ſuſtinere poteſt vim Aſſyriam?* Habuit sententiam à Vatablo, ut putem, & hic à Kimchio. Verba ejus sunt: מי יגור לנו כלומר מי יעמוד בעבורנו כנגד מחנה הזה שהוא אש אכלה ומוקדי עולם *Quis noſtrum cohabitet*] *Quasi dicat, quis noſtri cauſſa conſiſtet contra Exercitum hunc qui eſt Ignis conſumens & Focus æternus.* Ab utraque interpretatione discedo, & quidem ab hac posteriore longissime. Metaphora *ignis conſumentis* & *foci æterni* de Exercitu nimis est hyperbolica: etiamsi forte verum esset quod huc adfert Sanctius, (ipse tamen aliam sententiam de hoc loco professus,) *Aſſyriorum Exercitum vexilli loco anteceſſiſſe ignem:* quippe quod ab iis Babylonii, & ab his Persæ habuerint. De Persis Veteres tradunt: sed de Assyriis nihil occurrit, quod me in hanc fidem perducat. Et quid si Assyrii *ignem* ante Exercitum aut castra mota ferri jussissent: num Exercitus Assyrius inde appellari posset *Ignis?* Intelligendus esset *Deus* vel *Numen* adversariorum in *igne* cultum. Nos novimus ex Verbo Dei, ἐπίθετον *Ignis conſumentis* esse inter attributa Divina. Sic Moses [a]: *Quia Jehova Deus tuus eſt* אש אוכלה IGNIS CONSUMENS: *Deus fortis zelotes.* quod alio loco repetit. Scriptor ad Hebræos [b]: Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον. Respicit, ut putem, non minus locum hunc nostrum quam Mosaica, modo recensita. Poëta sacer [c]: *Deus noſter veniet, & non ſilebit:* אש לפניו תאכל IGNIS *coram facie ejus conſumet.* Quid vero, si *Exercitus Aſſyrius* appellari potest *ignis conſumens:* num eodem jure ei convenit appellatio *Focorum æternorum?* Quam dura hyperbole? Exercitus, inquam, mortalium hominum, licet numerosissimus, vario casu & fato, ut sunt res humanæ, absumendus, an tueri poterit titulum *Focorum æternorum?* Quod vero Vir Illustris hic repetit præter necessitatem; per *peccatores* & *hypocritas* in *Tſione* intelligi Judæos qui *mutata Religione ſalutem* ab Assyrio redemptam volebant: nescio, qua motus ratione hanc hypothesin identidem urgeat. Id enim curæ fuisse Senacheribo, non liquet; & erat alienum à more illorum temporum. Venio igitur ad interpretationem priorem, quam ipsam quoque non putem se justa ratione sustinere posse. Esto enim, hic designari Exercitum Assyrii ut flagellum Dei populum suum castigantis & punientis propter delicta & hypocrisin: primo scire velim, an illa *correctio Judicialis* Populi per Assyrium Senacheribum tam gravis & violenta fuerit, ut in hominibus illius temporis suscitare potuerit vel debuerit cogitationem de Deo ut de *Igne conſumente* & *Focis æternis?* Id vero putem dici non posse cum ratione. Irruptiones hostiles communis exempli per omnia mundi tempora, licet censeantur pendere à Deo Judice & Vindice suæ majestatis, hactenus non præstant hanc ideam Dei; qui ubi se ostentat ut *Ignem conſumentem*, longe se terribiliorem prodit, quam ubi Populum suum per hostes corrigit. Si occupata esset per Assyrium Respublica, eademque eversa tota cum cæde hominum & plurimorum excidio: gravior esset ratio hanc appellationem Deo tribuendi: sed ad ea extrema hoc tempore nondum venit. Secundo, certum est ex prophetiis hujus Libri, *Perſecutores & hypocritas* qui hic dicuntur, illos ipsos esse homines, qui irruptionem Assyrii, quam inter communia Orbis & Gentium Fata reputabant, hactenus non credebant esse effectum peculiaris Dei Providentiæ; & quibus proinde non convenit hæc oratio, *Quis noſtrum habitet apud ignem conſumentem?* Alienum id hactenus erat ab illorum præjudicio, licet brevi ex hoc sopore profundo per illustre specimen Divinæ Majestatis in prosternendo Exercitu Assyrii excitarentur. Ergo absque ulla hæsitatione statuo, hæc verba Prophetæ referenda esse ad *Judicia Dei*, quibus prosterneret *hostes Ecclesiæ:* quæ cum singularia essent, illustria, gravissima, (sive quibus prosterneret Assyrium, sive quibus perderet Syros Seleucidas, de quo mox:) excitarent lethargum *Peccatorum* & *Hypocritarum* qui in *Tſione* vel partibus hostium favebant, vel huc usque Divinæ erga Ecclesiam Providentiæ parum tribuerant. Illi, inquam, hoc tempore excitati ad hoc spectaculum tremerent & expavescerent, & vel queruli Divinam in Judiciis severitatem damnarent; vel similia metuentes se præ pavore occultarent, veluti in *rupibus* & *ſpeluncis*, dicendo: *Quis noſtrum cohabitare queat igni conſumenti?* Sic Vates noster Cap. II. 10. *Ingredere rupem, & occulta te in pulvere, propter gloriam Jehovæ, & decus magnificum excellentiæ ejus.* Confer Hos. x. 8. Apoc. VI. 16. Vidit sensum Aben-Ezra, cujus verba exsignabo: פחדו שיפחדו מהשם בראותם גבורתו במתרחה אשר ויאמרו מי ממנו שיוכל לגור מן השם שהוא אש אוכלה *Paverunt* sc. Peccatores] *Quippe pavore corriperentur & metu Dei cum viderent potentiam ejus se exerentem in Exercitu Aſſyrii, & dicerent, Quis noſtrum cohabitare queat Igni conſumenti?* Est etiam inter Interpretes, qui post diversam sententiam expositam subjungit [d]: *Niſi quis ita interpretari malit, quaſi poſt terribile illud in Aſſyrios Judicium ſermo iſte proferendus ſit à Judæis peccatoribus ob conſcientiam ante actorum ſimile ſibi Judicium formidaturis.* Id recte & ex mente nostra, contextu toto favente.

Auctores hujus sententiæ.

Ill. Grotii sententia, per *ignem conſumentem* ipsum intelligi *Exercitum Aſſyrii.*

Verba Kimchii idem sonantia.

Neutra interpretatio probatur.

Ut nec observatum Sanctii.

Per *Ignem conſumentem* hic intelligitur Deus.

Exercitus Assyrii incommode appellarur *Foci æterni?*

Prior interpretatio specialim discutitur, quæ hæc verba refert ad *calamitatem* ab Assyrio inductam in Judæam.

Nec tamen sic exhausimus emphasin sententiæ. restant utique paucula adhuc expedienda. Primo quod Propheta scripserit, *Quis* NOBIS (לנו) *commorabitur*; non, *Quis* ממנו EX NOBIS; non videtur transeundum absque animadversione. Equidem verum est, voculam לנו recte verti posse, *ex nobis*, *inter nos.* præfixa enim ל hanc quoque fert significationem, ut notet *inter*, *de numero*, ut exemplum habemus in hoc Libro, Cap. v. 26. Cape aliud ex Amoso, in verbis [e]: לא ינוס להם נם *Non aufugiet* IPSIS, (ex ipsis, inter ipsos,) *profugus; & non evadet* IPSIS, (להם *ex ipsis, inter ipsos,*) *qui evadere nititur.* Et tamen plus est in hac dictione. *Quis* NOBIS valet κατ' ἐνέργειαν, Quis inter nos se tam eximium habeat virum, ut non tantum *de* nobis sed & *pro* nobis ut primus, princeps, antesignanus, ausit se propius unire Deo ad communionem perfectam, ut cum ipso & coram ipso familiariter versetur? Supponitur in hac oratione, ex grege hominum esse multos indignos Dei communione; & quoque ex grege eorum qui hanc orationem fundunt: imo vero, si puritas & justitia Naturæ Divinæ diligenter revocetur ad animum: dubium videri, an ex mortalibus qui perspectam habent veram Dei Naturam ullus homo sit qui se ausit committere familiaritati Divinæ; qui cæteris hic velit vel ausit esse Dux, princeps, antesignanus. Sic usurpatur phrasis in Ode sacra [f]: *Quis ſtabit* לי MIHI (mecum, pro me, ut Dux & Princeps,) *adverſus maleficos: quis conſiſtet* MECUM *adverſus operam dantes inquitati.* Secundo, quod dicitur in his verbis: *Quis*

Peccatores & *hypocritæ* irruptionem Senacheribi non credebant esse effectum peculiaris Dei providentiæ.

Verba Prophetæ pertinent ad Judicium quo Deus prosterneret hostes Ecclesiæ.

Probabilitas sententiæ adstruitur ex analogia.

Verba Ezræ.

Quare Propheta scripserit, *Quis* NOBIS *commorabitur?*

Præfixa ל potest significare, *inter.*

Emphasis major dictionis Prophetæ exponitur.

Phrasis analoga ex Ps. XCIV. 16.

[a] Deut. IV. 24. IX. 3. [b] Cap. XII. 29. [c] Ps. L. 3. [d] Brenius. [e] Cap. IX. 1. [f] Ps. XCIV. 16.

Quorſum ſpiciat vox *cohabitare* in altero membro?

Quis noſtrum יגור COHABITET *cum igne ardente:* (את אוכלה pro את אש ſive עם אש) omnino referendum eſt ad id quod præceſſerat; *Peccatores & hypocritas in* TSIONE hæc verba profudiſſe. Erat in parte Tſionis, h. e. in Templo, *thronus Divinæ Majeſtatis*, (כסא הכבוד) in quo Deus ſe manifeſtum faciebat ſymbolo externo gloriæ ſuæ per *Ignem* incluſum *Nubi*. Erant igitur Tſionei Cives Deo proximi. erant & verſabantur veluti ſub oculis Dei; ut ſi delinquerent, facilius incurrerent in vindictam Dei, quam ſi in aliis agerent locis, à loco præſentiæ Majeſtatis & Gloriæ Divinæ longe remotis. Certe id præjudicium adhæſit Veteribus. Grave ſibi profitentur, & metuendum, Deo tam prope adeſſe. Chaldæus hanc emphaſin ſententiæ vidit, vertitque verba: *Quis noſtrum habitet* IN TSIONE, *ubi eſt* שכינתיה יקר *ſplendor Majeſtatis ejus ut ignis conſumens*. Poteſt quis ad *ignem* vel *focum* magna flamma ardentem *accedere* abſque noxa aut læſione, ſi protenus *recedat*, & flamma non ſatis familiariter, ſi ita loqui liceat, utatur. Sed *magno igni* COHABITARE, gravius videatur: nec fieri poteſt abſque noxa aut incommodo. Tertio, quod hypocritis tribuitur dictum, Deum eſſe *ignem conſumentem* & *focos æternos:* omnino arceſſendum eſt ex reſpectu tam ipſius hujuſce ſymboli Sacri & ſymbolorum ſimilium Majeſtatis Divinæ quam *ignis* & *foci* altaris, de quo Vates Deum deſcribens, in ſuperioribus [a]: *Cui* IGNIS *eſt Tſione, &* FOCUS *Hieroſolymis*. Quotiens enim Deus ſe Populo Judæo manifeſtum fecit publico ſymbolo ſuæ gloriæ, apparuit ſymbolo *ignis* lucidi ac fulgentiſſimi nube circumvoluti. Sic in hiſtoria Moſis [b]: *Et apparuit ei Angelus Jehovæ* אש בלבת *in* FLAMMA IGNIS. Alio loco [c]: *Et mons Sinai fumabat totus, quia Jehova ſuper eum deſcendit* באש *in* IGNE. & clarius adhuc in ſequentibus [d]: *Et ſpecies gloriæ Jehovæ erat* כאש אוכלת *ut* IGNIS CONSUMENTIS *in faſtigio montis*. Quare etſi alii quoque Populi Deum hoc ſymbolo expreſſerint, & quidem *Ignis æterni* ſive *Focorum æternorum:* non eſt exiſtimandum, Scriptores Sacros ad illorum ſymbola hic ullo modo reſpexiſſe. Quod domi habuerunt ex ipſa Dei revelatione, foris neceſſe non habuerunt quærere. Quarto obſervo, ſymbolum *ignis* lucidi, ſplendentis, coruſcantis, durabilis, ἀσβέςε *inextinctι*, qualis eſt *ignis Solis*, inter omnia emblemata figurata aptiſſimum videri ad vim atque eſſentiam Naturæ Divinæ explicandam: *actuoſitatem*, inquam, ejus *æternam*, *ſimplicitatem*, quæ non admittat ulla heterogenea; *puritatem* caſtigatiſſimam quæ expurget omne vitium, ſordeſque omnes, cui cognata eſt *ſanctimonia* & *juſtitia* ejus; & denique *intenſiſſimum gloriæ* majeſtatiſque ſuæ amorem ejuſque *vindicandæ ſtudium* quod Scripturæ S. *zelum* vocat: de quo alibi [e] diligentius commentatus ſum. quæ ipſa quoque ratio eſt cur prima antiquitas deflectens ad idololatriam, cum *ſolem* inſtar *ignis* & *foci æterni* [A] videret eſſe veriſſimum Dei ſymbolum: Deum inſtituerit colere ſpecie *ignis*, ſive *puri* & *flammantis*, ut Phœnices; ſive *ignis æterni* in *foco* conſervati. Quis vero non videt, magnam hic emphaſin eſſe in phraſi *Focorum æternorum*, ſive, ut Vir Doctiſſimus vertit, *ardentium ſæculi?* Vis & ἐνέργειαι Divinæ Naturæ Veteribus propria quadam notione ἐντελέχειαι dicta, Ciceroni *motio* & *agitatio perennis*, intrinſecus character ejus, ab eſſentia ejus inſeparabilis, per quam ex ſe & per ſe exiſtit, ſumma puritate cogitationum, volitionum, operationum; ſummo ſtudio veri & boni; & ſimul ſummo zelo Majeſtatis ſuæ violatæ vindicandæ & peccati puniendi, (quæ proprietates gradu *ſummo* & perfectiſſimo, nullius augmenti capace, in ipſo inſunt:) præſtant id vere quod Vates hic vocat *Focos æternos*. Nihil dici potuit efficacius. Certa Dei voluntas eſt & æterna, in Natura ejus fundata, ulciſci gloriam ſuam læſam in impœnitentibus. Quinto, ſub notione *Ignis conſumentis* & *Focorum* ÆTERNORUM non tantum cogitabis de puritate & zelo Dei in vindicanda gloria ſua veluti fundata in *æterna* Dei *Natura:* verum etiam de certa Dei voluntate gloriæ ſuæ læſæ in peccatoribus impœnitentibus ulciſcendæ IN ÆTERNUM, ſupplicio ſummo & graviſſimo. Sententiæ verba [f]: *Execrandi, abite,* εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον *in* IGNEM *illum* ÆTERNUM. Chaldæus hoc loco de *impiis judicandis*, & *tradendis* לגהנום GEHENNÆ incendio æterno. Hoc poſtulatum eſt Juſtitiæ Divinæ. Supplicia hujus vitæ temporaria non explent emphaſin phraſios, *Ignis conſumentis* & *Focorum æternorum*. Sexto denique obſervo, Dictum ſive quæſitum, quod hic aptatur perſonis peccatorum & hypocritarum, *Quis noſtrum commoretur cum igne æterno:* eſſe, ſi baſin ejus ſpectes, fundatum in notionibus conſcientiæ, & melioribus perſonis digniſſimum. Poteſt non tantum ſed debet quæri ab omni mortali ſalutis ſuæ cupido & ad communionem Dei adſpirante, qua via ſibi natalibus & vitiis impuro aditus pateat ad commercium puriſſimi Entis abſque metu exitii? qua conditione ei *cohabitare* queat cum fiducia & ſpe? Ecquis peccatorum ſperare auſit interiorem Dei communionem abſque metu, ne ab hoc igne devoretur? Sanctum eſt, honeſtum, & rationale interrogatum, ſi inſtituatur cum ſolicitudine, timore, reverentia Majeſtatis Divinæ, & ſtudio quæſitionis Dei: quod proinde ſanctis in Scriptura veriſſime tribuitur, ut in Ode Sacra [g]: QUIS *conſcendet montem Jehovæ, &* QUIS *ſtabit in loco Sanctitatis ejus?* ſive quod propius ad hæc noſtra accedit [h]: *Quis* COMMORABITUR (יגור) *in tentorio tuo: quis habitabit in monte ſanctitatis tuæ?* Ecquis ut Sacerdos ſpiritualis ad hunc *Focum* accedere queat abſque læſionis & conſumptionis metu? Verum idem quæſitum, ſi ab impœnitentibus & ulceratæ conſcientiæ hominibus ad exempla publica Divinæ Juſtitiæ & ſeveritatis inſtituatur ex metu, pavore, conſternatione, & diffidentia: convenit *hypocritis* & *peccatoribus*, qui ſcelerum ſuorum conſcientia gravati & ex præſentibus Dei judiciis præſumentes de futuris illum ut Judicem & Vindicem peccati horrent: qui aſpectus eſt hujus loci.

Doctа verſio Int. Chaldæi.

Quo hic alludatur in phraſi *Ignis conſumentis & Focorum æternorum?*

Non videtur hic ullo modo alludi ad ſymbola ſuperſtitionis profanæ.

Symbolum *ignis* aptiſſimum ad explicandam Dei Naturam.

Superſtitio Gentium quæ Deum coluerunt ſymbolo *ignis*.

Emphaſis in phraſi *Focorum æternorum*

Symbolum declaratur.

Dictio *Focorum æternorum* involvit attributum Dei vindicaturi Gloriam ſuam punitione æterna.

Quæſitum hoc *peccatorum & hypocritarum* fundatum eſt in notionibus *Conſcientiæ*.

Poteſt eſſe quæſitum pii hominis, ſanctitatem Dei reverentis.

Quo ſenſu impœnitentibus tribuatur?

Reſponſum ad hoc quæſitum.

Summa ejus.

Reſponſum ad quæſitum, ſive Dei ſive Prophetæ, (id enim perinde habeo,) (vſ. 15. 16.) ſubvertit invidioſæ querelæ hypotheſin. Docet, Deum non eſſe ens terribile & metuendum, niſi malis. contra vero, eſſe bonis & juſtis amabilem. Etiamſi enim infinita inter Deum & hominem diſtantia ſit: velle tamen ab homine coli & quæri, eumque admittere ad ſuam communionem: ſed purum & ſanctum nolle commercium habere niſi cum puris & rectis corde. Id convenire Naturæ Divinæ & Legibus quas in conſcientia conſignavit, & tabulis Fœderis in gratia ſanxit. quas qui implent, his eſſe *clypeum* & *ſolem:* non urere eos & conſumere, ſed fovere & tueri. Scribit igitur hic Propheta Dei miniſter æternas Leges, quibus Deus commercium ſuum ad ſecuritatem, ſalutem felicitatemque homini, & peccatori quoque, in gratia offert, eo ordine quem

a Cap. XXXI. 9. *b* Exod. III. 2. *c* Cap. XIX. 18. *d* Cap. XXIV. 17. *e* *Obſerv. S.* Lib. V. Cap. XVI. §. XI. XII. ſeqq. *f* Matth. XXV. 41. *g* Pſ. XXIV. 3. *h* Pſ. XV. 1.

A Certe ut de Aſſyriis res dubia eſt: ſic conſtat, Perſas, Phœnices, Cappadoces, Trojanos, & ad horum exemplum Romanos, Divinitatem *in igne* veneratos eſſe; etſi dubium, an Romani in cultu Veſtæ *ignem* reſpexerint *cæleſtem*, num *terreſtrem*. Tantum obſervabo, ipſiſſimam hanc notionem *Ignis* ſive *Foci æterni* apud exteros quoque obtinuiſſe uſu, non tantum ubi de *ſtellis* & *ſideribus* locuti ſunt ut de IGNIBUS SEMPITERNIS, de qua phraſi Ciceronis videbis Macrobium in *Somn. Scipionis*, Cap. XIV. (id enim minus nunc ad rem facit:) ſed ubi de *Igne* loquuntur *ſacro*, ſymbolo Divinitatis. Strabo, Lib. XV. p. 504. *In his* (ſeptis, quæ πυραθεῖα dicebantur,) *mediis eſt ara, in qua* πολλάκις σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ Μάγοι· *multum cineris, &* IGNEM ÆTERNUM *ſervant Magi*. Curtius, Lib. III. Cap. III. *Ignis quem ipſi ſacrum & ÆTERNUM vocabant, argenteis altaribus præferebatur*. Ammianus, de Magis Lib. XXIII. Cap. VI. *Feruntque ſi juſtum eſt credi, etiam ignem cœlitus lapſum apud ſe* SEMPITERNIS FOCULIS *cuſtodiri*. Poëta de *Veſta*, ſive *igne ſacro*, abducto ab Æneа, Æneid. Lib. II. vſ. 297. ÆTERNUMQUE *adytis effert penetralibus* IGNEM. Dicitur autem *Veſta* non ab Ἑστία FOCUS, ſed ab אש IGNE.

Analysis Pericopæ.

quem rei natura postulat. *Leges* Divini commercii consignat quinque ℣. 15. *Prærogativas* ℣. 16.

Prima Lex Divini Commercii: *Justa facere & vera loqui.*

Prima *Lex* sive Conditio est: *Qui justa facit & vera loquitur.* Poterat dividi in duas: sed quæ Prophetæ per *copulam* conjunxit, nolui dividere; & constat aliàs, esse contigua & fere ejusdem generis, certe principii ejusdem. pertinet enim ad *justitiam* æque *vera loqui* ac *recta justaque facere.* Virtutes hasce ipsas, quarum notiones omnibus familiares alte impressæ sunt conscientiis hominum, mihi hoc tempore curæ non erit exponere, ne necessum habeam in longum excurrere. tantum emphasin potestatemque phrasios declarabo. *Ambulare in justitiis* est continuo vitæ actu ac regimine non unum sed omne justitiæ genus ex uno & æquabili principio exercere. Poëta Divinus de homine sic affecto in eadem orationis circumstantia [a]: *Qui integre ambulat* (integer vitæ,) *& operatur justitiam.* Micha [b]: חישר הולך *qui integre ambulat.* Joannes [c]: Ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην· *qui facit justitiam.* h. e. qui justitiam exercet eique operam dat. ut ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν, eidem Apostolo in eadem hac Epistola est *exercere veritatem*, operam dare veritati. Cap. I. 6. Sectemur emphasin phrasios. Primo non scripsit Propheta, FACERE *justitiam* vel *justitias*, (licet ipsa quoque phrasis hæc satis usitata sit:) sed AMBULARE *in justitiis*, ut cogitaremus de *continuo* quodam justitiæ exercendæ *actu.* Qui enim in hac illa via *ambulat*, se intra limites ejus perpetuo movet. *Qualitas* quam Deus in familiaribus suis requirit in fœdere gratiæ, non est *actus justitiæ*, sed *servitus justitiæ* [d]. perpetuum & continuum justitiæ exercitium. Secundo, non scripsit, *ambulare in justitia:* sed *in* JUSTITIIS. quod est *exercere*, non simplicem actum justitiæ, vel aliquod genus justitiæ, sed *omne genus*, omnem speciem justitiæ: ut eodem loquendi modo דבר מישרים *loqui recta* est operam dare ut *omnis* oratio oris pro captu nostro exprimat veras sententias cordis, & sententiæ cordis conveniant notionibus recti verique nobis impressis. Tertio, non scripsit Propheta, *ambulare in justitiis*, הלך בצדקות sed *ambulare justitias*, הלך צדקות sive rectius, *calcare justitias.* Constructio vocis הלך cum nomine absque præfixa ב omnino recepta est Hebræis [e]. Notat *ambulare justitias* (sit fas ita loqui,) se in facienda justitia ita exercere, ut nihil aliud agas, atque adeo hanc virtutem tibi plane subigas, &, si id dici patiaris, calces. Altera conditio, *Spernens lucrum* מעשקות *oppressionum*, & tertia ei adjuncta, *Excutiens manus suas ne teneant munus:* respiciunt *manus.* Cum enim Vates singulari orationis artificio in describendis *officiis* sive *qualitibus* hominis hic alludat ad singula ejus membra, quæ in irregenitis peccato serviunt ad injustitiam: ut in voce *ambulare* generatim respexit ad PEDES, & in phrasi, *loqui vera*, ad OS & LINGUAM, licet radix virtutum sit in mente: sic in duabus hisce Adjunctionibus, quas descripsi, demonstrat qualitates laudabiles oppositas vitiis MANUUM in hominibus impuri animi & conscientiæ. Sunt autem duplicis generis, *oppressiones Judiciales* aut *Civiles. Judiciales* ubi sub specie judicii justi à Judicibus corruptis jus pervertitur. *Civiles*, ubi vel *privati* ordinis homines iniquissimis artibus concives suos circumveniunt, fraudant, aut ubi cupiditati fræna laxantur, eorum bona rapiunt: vel homines Ordinis *publici*, *Magistratus*, Principes, Proceres in Regimine civili injustis exactionibus & extorsionibus, vi armata munitis, inferiores sibi subjectos vexant, eorumque fortunas pervertunt. Utrumque Hebræis dicitur עשק *opprimere*, (quam vocem novissime habuimus, Cap. XXX. 12.) *fraudare*, quæ vox sæpe jungitur notioni גזל *rapere.* Est inter *Præcepta negativa* sive *Interdicta* Legalia quæ dicuntur, illud memorabile [f]: לא תעשק את רעך *Non fraudabis*, (opprimes,) *proximum tuum, & non exercebis raptum.* Marcus vocat latiore voce ἁποστερεῖν [g]. Chaldæus ad prius membrum: מתרחק ממון דרשקר *Qui se separat à* MAMMONE INIQUITATIS. ἀπὸ τῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, quæ phrasis est Lucæ [h]. Sunt opes injuste partæ, aut congeri solitæ. Erant vitia dominantia hujus temporis, ut liquet ex Propheta nostro Cap. I. 23. & Micha, Cap. III. 9. seqq. Quarta Lex: *Qui obturat aurem suam ne audiat sanguinem.* h. e. qui aurem non præbet consiliis sanguinariis de cæde odii aut lucri caussa perpetranda; eaque consilia nec cudit ipse, nec cusis auscultat. Ipsum quoque vitium horum aut cognatorum temporum, ut liquet ex Cap. I. 21. & Mich. III. 10. quod tamen vitium laxe sumptum involvit omnem oppressionem pauperum qua bonis spoliantur necessariis cum vitæ dispendio conjunctis. Significationem vocis רמים cognoscas ex Ps. v. 7. Vides, *ad* AURES pertinere, quod hic præscribitur officium. Quinta vero & extrema Lex ad OCULOS, his verbis: *Et qui* OCULOS SUOS *claudit, ne videant malum.* h. e. μὴ συνευδοκῶν τοῖς τὰ πονηρὰ πράσσουσι [i]· qui non consentit aliorum vitiis aut sceleribus, licet forte ipse ea non administret, eorumque aspectu non delectatur; hoc est, qui peccatorum ac sceleratorum hominum commercia vitat, & omni more & gestu prodit, se ab illorum consiliis ac facinoribus abhorrere; oculos ab iis avertere; aut, si non liceat aliter, *claudere.* Ps. CI. 5. *Videre* (ראה *cum* vel *sine* præfixa ב,) hic est *videre cum delectatione, voluptate*, ut variis in locis [k]. Sic Habakuko [l] Deus *purior oculis quam ut* VIDEAT MALUM. Licet etiam aliter accipere, ut *claudere oculos ne videant malum*, sit oculos avertere ab illecebris Mundi & tentaminibus concupiscentiæ ne occasionem præbeant peccato, *conventione* cum oculis *inita* [m].

Hæc Lex est æterna communionis cum Deo colendæ, quocunque statu homo spectetur, Naturæ vel Gratiæ. Puritas Divinæ Naturæ & amor majestatis ejus vetant eum commercium habere cum impuris. Si itaque peccator admittendus sit ad interius Dei commercium: necessum est, illum *ablui*, *purificari*, *sanctificari*, (quod non fit nisi per gratiam Sancti Spiritus:) antequam dignus habeatur in ipso statu gratiæ Deo appropinquare. Sed qui exuto vetere homine per μεταμόρφωσιν gratiæ has adeptus fuerit qualitates: ei licet ex concessione Divina & secundum prærogativas tabulis promissorum exaratas, non tantum coram Deo in *Templo ejus* comparere, verum etiam in *ipso Cœlo*: nec *comparere* tantum, verum etiam, *sedem* ibi & *domicilium figere*, & ante oculos Dei *habitare*, ejusque *procuratione* ac *defensione* gaudere. quod Vates pulchre ita effert, ℣. 16. *Ipse excelsa habitabit, & seqq.* Certa sententia loci est, hominem qualemcunque ita affectum in communione Dei gavisurum prærogativis VITÆ ex benedictione aut procuratione Divina absque gravi labore transigendæ, & in vita SECURITATIS. Ad *vitam* à Deo ipso sustinendam pertinet quod dicitur; *panis ejus* נתן DATUR & *aquæ ejus sunt* CERTÆ. non deficiunt. quod videlicet supponatur, esse *fontem perennis aquæ* ex quo præsente sitis levari queat. Ad *Securitatem* in vita refer verba: *Excelsa habitabit: propugnacula petrarum* sunt *præsidium ejus*, sive *Locus editus* in quo tuto delitescit. Est vera & perfecta descriptio *vitæ beatæ* quæ agitur in Divina communione. *Beatitudinem* enim cum duo efficiant, *Copia* optabilium Bonorum, & *Securitas status:* utrumque Vates his verbis consignat. Initium hujus vitæ in terris est: complementum in cœlis. Qui in his terris commercium cum Deo colunt, veniunt in certam persuasionem favoris ac defensionis ejus, & in spem vitæ beatæ, & per spem beatitatis mittuntur in partem ipsius beatitatis, *spe salvi facti* [n]; consequuntur *tranquillitatem animi*, pacem conscientiæ; gaudent benedictione ejus ac providentia patèrna in omnibus sibi πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν, *vitam ac pietatem* [o], necessariis: nituntur etiam in dubiis

Quæ emphasis hic sit in voce *ambulare*?

Et quidem in JUSTITIIS. non in *Justitia*?

Quare item, *ambulare Justitias*, non proprie in Justitiis?

Conditio altera, *Spernere lucrum*; & tertia, *Non accipere munus*: respiciunt *manus.*

Alluditur his phrasibus ad membra exteriora corporis quæ possunt esse *instrumenta peccati.*

Oppressiones quæ hic describuntur, vel sunt *Judiciales* vel *Civiles.*

Utriusque generis describuntur.

Usus vocis עשק apud Hebræos.

Versio Chaldæi. *Mammon iniquitatis.*

Conditio quarta: *Non audire sanguinem.*

Officium & ei oppositum.

Vitium describuntur.

Conditio quinta: *Non videre malum.*

Duplice modo exposita.

Legis sive *Conditionis* Communionis Dei hic scriptæ commendatio.

Est æterna.

Quomodo locum habeat in Fœdere Gratiæ?

Prærogativæ cum hoc statu conjunctæ.

Sunt in universum duæ; *Vitæ* & *Securitatis.*

Quæ faciunt *Beatitudinem.*

Cujus initia in terris.

---

[a] Ps. XV. 2. [b] Mich. II. 7. [c] 1 Joh. II. 29. [d] Rom. VI. 18. [e] Jer. XXXI. 21. [f] Lev. XIX. 13. [g] Marc. X. 19. [h] Evang. XVI. 9. [i] Rom. I. 32. [k] Ps. CXIX. 74. Eccles. II. 1. [l] Hab. I. 13. [m] Job. XXXI. 1. Matth. V. 28. [n] Rom. VIII. 24. [o] 2 Pet. I. 3.

biis casibus ejus patrocinio ac defensione, veluti in *Arce* habitarent bene munita, semper tuti præsidio Divino. Sed Beneficia hæc terrestria, variis sæpe turbata incommodis & rerum vicissitudinibus, minime exhauriunt prærogativas cum communione Dei conjunctas, hoc in loco à Jesaia consignatas. Quis enim Orbem hujus terræ, ut nunc colitur à mortalibus, tanta status instabilitate; tot miseriis, tentationibus, adversis; tot funestis ac lugendis casibus; tot agitatum procellis ac tempestatibus; dixerit veram *sedem beatitatis?* Ne quidem Seneca cum Stoicis suis dixerit, beatitatem in sola virtutis possessione constituens; quin contra disputat in Libris *Consolationum* [a] suarum & de *Ira* [b]. Propheta sub his verbis spectari vult *statum perfectiorem, beatiorem*, transigendum in cœlis, destinatum τῷ μακαριομῷ omnium electorum, quem sancti respiciebant ut terminum luctæ & laborum hujus vitæ, passim clarissime expressum in *Odis Davidicis*. Hunc autem *beatitatis* statum exigendum in *cœlis superis* in Dei communione describit metaphora, ut putem, petita à Sacerdotibus in Templo, veluti in *Arce* in arctissima Dei communione viventibus, ibidemque liberaliter absque solicitudine quærendi *panis* & *aquæ* sustentatis. Alludi hic ad *prærogativas* Sacerdotum in Templo habitantium, & Deo cohabitantium, duo mihi persuadent. α. Quia loca analoga nos illuc manifeste ducunt. veluti in Ps. XXIV. 3. *Quis ascendet* MONTEM JEHOVÆ, *& quis stabit in* LOCO SANCTITATIS EJUS. ubi ad *Templum* alludi & *Sacerdotum* in Templo *stationes*, non est dubitandum. β. Phrases, quibus Propheta hic utitur, idem nobis subjiciunt. Mons *Tsion*, cujus clivus erat Moria, sedes Templi, appellatur *Mons* הר ישראל *celsitatis Israëlis* [c], & absolute הר ציון *celsitas Tsionis* [d]. Ejusdem *Montis*, (cujus attributa quoque ad Moriam transferuntur,) sunt מצורות צלעים *arces petrarum*, & Templum ipsum speciem præbuit *Arcis*. Utrumque Tacitus in describenda Hierosolyma versatus [e]: EXTREMA RUPIS *abrupta*. Respicit Tsionem. Mox de Templo: *Templum in modum* ARCIS *propriique muri, labore & opere ante alios. Ipsæ porticus quis Templum ambiebatur, egregium* PROPUGNACULUM. Ergo qui in Templo habitant quod *Sacerdotum* erat, versati in perpetuo commercio cum Deo, habitant in *alto & arce petrosa*. Pariter Sacerdotibus competit quod hic additur, *panem ejus dari, & aquas esse certas*. Sacerdotes enim securi erant de victu, nec necesse habebant eum sibi labore comparare aliorum more hominum. Aderant aquæ *perennis fontis*, per canales in ipsum ductæ Templum: Gibeonitæ autem servilibus ministeriis addicti Sacerdotibus necessaria omnia subministrabant. Nec tamen Propheta dum heic alludit ad prærogativas Sacerdotum in communione Dei externa versantium, hic agit de *Sacerdotio carnali, externo*; sed *spirituali*, interno: imo vero describit hic prærogativas SACERDOTUM COELESTIUM; cum *Sanctuarium terrestre* olim sustineret emblema *Sanctuarii ἐπουρανίε Cœlestis*. Illuc transferes quæ Divinus Vates hic consignavit. Qui per gratiam Spiritus S. ex principio fidei & amoris Dei operam dat pietati, justitiæ, puritati, animumque purgat à vitiis, non censetur tantum dignus in ipsis *terris* cohabitare Deo, sed & *in cœlis*. *Cœli* enim supremi, thronus Majestatis Divinæ, veniunt in Scriptura Vetere nomine מרום *Loci sublimis*, & מרומים *Locorum celsorum*, ut evici ad ℣. 5. hujus Sermonis, ubi Deus dicitur שכן מרום *habitans* ALTUM. Idem Locus, Palatium & sedes Dei, securitatem præstat perfectam incolis ejus qui cum Deo & coram facie Dei versantur, & ipsi cohabitant, atque inde recte dicitur, ARX *petrarum*. En confessionem animæ piæ Deo fidentis [f]: *Abscondet me* IN TENTORIO SUO *tempore mali: occultabit me in occulto* TABERNACULI SUI: *evexit me in* RUPEM. Eadem alibi frequentia occurrunt. Veteres ideo cœlum *Arcem* appellarunt. Seneca [g]: *Puta itaque ex illa* ARCE COELESTI *Patrem tuum Marcia, cui tantum apud te auctoritatis erat, & seqq.* Prophetæ nostro dicitur מכון יהוה *habitatio Jehovæ* [h]; Amoso [i], מעלות בשמי *Cœnacula cœlestia*; Christo Domino, σκηναὶ ἀιώνιοι TABERNACULA ÆTERNA [k], DOMUS PATRIS [l]; Scriptori ad Hebræos, ἡ τὰς θεμελίας ἔχουσα πόλις, *civitas quæ* FUNDAMENTA *habet* [m]. veluti in *Arce posita*. Alluditur hic quoque ad Civitatem Tsioneam. confer Ps. LXXXVII. 1. Est autem habitationis beatitatisque cœlestis vera proprietas, PANEM *ibi* DARI, & AQUAS esse CERTAS, perennes. h. e. quicquid ad conservationem & sustentationem vitæ ac status; quicquid ad solatium ac lætitiam, atque adeo ad felicitatem beatitatemque pertinet; salvandi in cœlis Deo cohabitantes ex ejus procuratione ac donatione ἀμέσως accipient, omnibus saturandi bonis ipsa manu Dei dispensandis. Ergo tandem mystica hujus loci sententia in id exit; justos piosque homines qui voluntatem suam conformant ad voluntatem Divinam, adeo nullam habere rationem pertimescendi Deum ut *ignem consumentem & incendia æterna*, ut contra ea tanquam *Sacerdotes* spirituales ac cœlestes coram Deo & ante faciem ejus in proxima & immediata ejus communione in cœlesti *Arce* ac *Templo* habitare queant, & ex Decreto Gratiæ Divinæ habituri sint, & Deo cohabituri in statu securitatis & copiæ ac satietatis omnium bonorum delectabilium, absque molestia ac labore suo paratorum. Sic refellit Vates querelam maligni ingenii hominum, qui severitatem in malos exercitam trahebant ad Dei invidiam. Deus non est terribilis bonis, sed malis.

Quæro tandem, cui tempori conveniat hæc Pericopa cujus declaravi sensum? Duo sunt characteres in ea Prophetici. Primus, editum hoc tempore effectum Divinæ Gratiæ ac potentiæ in Populo suo defendendo & severitatis in hostibus suis prosternendis, tam fore illustre, ut *fama* in longinquas spargeretur regiones, & serperet ad posteritatem, & ab ipsis quoque celebraretur Gentibus, qui character consignatur ℣. 13. Alter, extituros illo tempore *peccatores & hypocritas* Tsione & Hierosolymis qui per exemplum hoc Divinæ Justitiæ & severitatis perterrefierent, ac de salute sua inciperent desperare, ℣. 14. Uterque character, non nego, rectissime convenit temporibus Hiskiæ, prostrato Assyrio. Agnoverunt Gentes remotæ etiam ejus ætatis illustre hoc exemplum Divinæ Potentiæ ac Providentiæ erga Hiskiam & Populum Hierosolymitanum, quippe de quo historia exerte testatur. Verba ejus [n]: *Et multi adducebant* MUNUS JEHOVÆ HIEROSOLYMAM, *& res pretiosas Hiskiæ Regi Judæ, & exaltatus est coram oculis omnium Gentium post hoc tempus. Peccatores* autem, h. e. profanos, impios, hypocritas, eodem tempore plures fuisse Hierosolymis, sub pio licet Rege Hiskia, docui ad Cap. I. 28. XXII. 12. seqq. XXXII. 3. seqq. Eos autem judicio Dei tremendo in Assyriis edito esse perterrefactos, etsi historia totidem verbis non tradat, (quod hic exspectari nequit:) ex rei ipsius natura & illorum ingenio non est dubitandum. Ergo in his verbis hactenus nihil observo διακριτικόν. Verum quod ad rem meam pertinet observasse: uterque etiam character egregie convenit temporibus Maccabaicis. Præclaræ victoriæ relatæ de tot Exercitibus instructissimis exigua manu fusis, per famam ubique sparsæ sunt, feceruntque ut Gentes in iis observarent manum Dei. Sic Auctor *Libri Primi* hujus tituli [o]: *Καὶ ὠνομάσθη ἕως ἐσχάτε τῆς γῆς: Et celebratus est usque ad* FINES TERRÆ. Imo vero celebratus est in ipso Deus, quippe Judas Deo vindicabat soli horum successuum gloriam, usus symbolo, Θεῷ νίκη VICTORIA EST DEI [p]. Rursus alio loco [q]: *Καὶ ὑπὲρ τῶν παρατάξεων Ἰούδα ἐξηγείτο πᾶν ἔθνος·*

Complementum in cœlis.

Metaphoræ loquutiones hic desumptæ à Statu Sacerdotum in Templo.

Rationes ejus sententiæ.

Partes sententiæ illuc relatæ.

Et reliqua ex hac hypothesi declarantur.

Sacerdotium quod hic describitur, est *spirituale* ac *cœleste*.

Usus vocis מרום *Locus altus, excelsus*, pro *cœlis*.

Et *Arcis* de *Cœlo* etiam apud exteros.

Attributa Statui cœlesti præcipue conveniunt.

Mystica & sublimior loci sententia complexe exposita.

Cui tempori conveniat *Pericopa*? Characteres temporis discritici hic observandi.

Qui non male conveniunt tempori Hiskiæ, quod ostenditur ex historia.

Sed non minus certo ac clare Maccabaicis.

Quod ex historia declaratur.

a Confer *Consol.* ad *Helv.* Cap. V. b Lib. III. Cap. XXXVII. c Ezech. XVII. 23. d Jer. XXXI. 12. e Hist. Lib. V. Cap. XII. f Ps. XXVII. 5. g *Consol.* ad *Marc.* Cap. XXII. h Cap. XVIII. 4. i Cap. IX. 9. k Luc. XVI. 9. l Joh. XIV. 2. m Heb. XI. 10. n 2 Chron. XXXII. 23. o 1 Macc. III. 9. p Cap. XIII. 15. q 1 Macc. IV. 26.

Et de proeliis Judæ narrabant omnes Gentes. Memini de eo agere ad Cap. xxiv. 16. Alter vero character *peccatorum* in Tsione, multo etiam hic luculentius transparet. Notum est ex historia hujus temporis, Judæam hoc tempore scissam fuisse in duas partes. Erant חסידי Hasidæi, pii, Legisi studiosi, quorum patrocinium susceperunt Fratres Maccabæi: pars alia erant פושעים Defectores à Deo & Fœdere ejus, (quomodo dicuntur Danieli [a]:) profani, hypocritæ, qui se adjungebant Syris eorumque sequebantur sectam. qui ipsi homines cum Syris ante purgatum Templum à Juda Hierosolymam ac Tsionem Acramque montes in potestate sua habuerunt per triennium, donec Templo à Juda post Lysiam fusum purgato & occupato munitoque Tsione, *Acra*, hoc est, *Arx* validissima in Monte Templo ad Occiduum subjecto, occupata mansit à Syris & Fœdifragis, usque ad tempora Simonis Ethnarchæ [b], cui laus debetur Reipublicæ penitus liberatæ. Hi vero sunt illi ἁμαρτωλοὶ peccatores Tsionei & Hierosolymitani, sic passim dicti in historia Maccabaica. Sic mox in initio [c]: Καὶ συνεχύσαντο δύναμιν, καὶ ἐπάταξαν ἁμαρτωλὸς ἐν ὀργῇ αὐτῶν, καὶ ἄνδρας ἀνόμους ἐν θυμῷ αὐτῶν· *Et conflato exercitu percusserunt* peccatores *in ira sua, & impios in furore suo.* Alio loco, οἱ ἀσεβεῖς ἐξ Ἰσραὴλ· *impii ex Israële*, qui erant in Arce [d]. οἱ ἄνομοι· *peccatores iniqui* [e]. οἱ ἀλιτήριοι· *scelesti* [f]. Estne vero à re alienum, hos homines observantes admirabilem providentiam Dei in defendendis suis & interimendis hostibus perterrefactos stupuisse ad exempla Divinæ Justitiæ quam per Maccabæos *auxilio cœlitus misso*, administravit: cum historia exerte narret [g], *metum Judæ fratrumque ejus* καὶ τὴν πτόησιν consternationem *irruisse super omnes vicinas Gentes?* Propheta noster de eodem hoc eventu [h]: *Domine! alta est manus tua. non vident. videbunt utique & pudefient.*

Alter Character h. e. Populi divisi in *Justos* & *Peccatores*, in Maccabaicis clarius demonstratur.

Historia ejus temporis.

Nomen ipsum *Peccatorum* in ea pro factione piis adversa receptum.

Membrum quartum *Sectionis Posterioris*, complexum varia Beneficia in Ecclesiam Liberatam conferenda.

Beneficium primum: *Præsentia gloriosa* Dei ut *Regis* & *Liberatoris* apud illam Ecclesiam.

℣. 17. Regem *in pulchritudine sua videbunt oculi tui: videbunt* terram longe extentam. ℣. 18. *Cor tuum meditabitur terrorem: ubi est* scriba? *ubi* appensor? *ubi qui* recenset turres?] Patet consideranti pericopam sequentem, Prophetam pro more suo Beneficio Liberationis Ecclesiæ ex difficillima lucta subjicere Prærogativas Ecclesiæ liberatæ; quas variatis figuris orationis metaphoricæ, ut solet, docte rursus ac scienter pingit, sed hoc ipso sæpe obscurior; non sane ipsius, sed nostro vitio. Deest enim nobis justa exercitationis peritia. Qui Judicium Dei in Senacherib um in interpretatione hujus Sermonis respiciunt: demonstrant hic Regem Hiskiam, exaltatum coram oculis Gentium post deletum Assyrii Exercitum, ut historia exerte narrat [i]. Alii ob emphasin sermonis, *Regem* Messiam. Estne præterea ut addam, esse qui hic respici velit ipsum *Regem Assyriæ*, muneribus honorandum à Legatis Hiskiæ? Mihi hoc tempore certa & clara sententia est quæ hypothesi meæ plurimum favet, per Regem in pulchritudine sua videndum intelligi Jehovam Deum se clarissimis majestatis suæ indiciis demonstraturum esse talem in liberatione & *salvatione* Populi sui, tam *temporali* Maccabaica; quam *spirituali* in & per Messiam. hæc enim duo Prophetæ antiqui temporis sæpe *complexe* sumunt, ut in superioribus non semel monui, quia *Liberatio* & *Salvatio Populi externa* per Maccabæos typus esset *Liberationis spiritualis* procurandæ per Messiam. Sed id mihi mox curæ erit. Fateor, priores meditationes meas in hunc *Sermonem* me reliquisse in magnis tenebris; cum identidem recurrerem ad hypothesin, designari hoc loco Regem Hiskiam. Sed vidi & sensi postea, me esse in errore; eratque lux, ubi mihi hic oriebatur, jucundissima. Sententia mea est, per *Regem* in pulchritudine sua videndum omnino hic intelligendum esse Jehovam Deum & Regem verum Populi sui sub Oeconomia Vetere. Cave, judices, antequam rationes meas expenderis. Prima ratio mea est, quia tota oratio paracletica Prophetæ quæ decurrit à ℣. 17. usque ad *finem*, huc tendit ut doceat, prærogativam Ecclesiæ liberatæ fore, *à solo Deo immediate dependere.* Patescet quod suppono, mox ex fideli verborum expositione. inspice interim inprimis ℣. 18. & 21. Quod si ita se habeat: estne probabile, eundem Prophetam hic veluti totius scopi sui oblitum conversurum esse oculos credentium à *Deo Jehová* Liberatore ad *Hiskiam?* Secundo, Jesaias se ipse, quid velit, in sequente orationis contextu interpretatur, ubi confessionem Ecclesiæ à Deo solo pendentis, hanc consignat, ℣. 22. *Quia* Jehova *est Judex noster: Jehova est Legislator noster: Jehova est* Rex noster: *ipse salvabit nos.* Estne quid pressius vel clarius quod ad sententiam ejus perfecte explicandam desideretur? Tertio, quia Zacharias eundem Ecclesiæ statum qui hic describitur, exponens, eidem hoc attributum eodem modo vindicat, Cap. xiv. 9. *Et erit Jehova in* Regem *super totam terram*, & ℣. 16. *Et futurum est, ut omnes superstites ex omnibus Gentibus venientibus Hierosolymam, ascendant quotannis ad se incurvandum,* להשתחות ליהוה צבאות *coram* Rege, Jehova Exercituum, *& ad celebrandum Festum Tabernaculorum.* Videlicet secundum hunc sensum Civitas Tsionea dicitur קריית מלך רב *Urbs* Regis magni [k]. In qua expositione vox מלך *Rex*, antonomastice usurpata, absque *articulo*, omnem vim suam obtinet. Est enim Rex magnus, universalis, gloriosus, suo charactere ab aliis distinctus, κυρίως sic dictus. qui titulus Hiskiæ dari non potuit in superioribus [l], nisi quatenus in ipsius Regno spectari debuit *Regnum Dei* & *Messiæ.* Chaldæus vidit mentem Prophetæ. Paraphrasis ejus: תחזי יקר שכינת מלך עלמיא *Gloriam majestatis Regis sæculorum in decore suo videbunt oculi tui.* Est quoque in Interlineari Glossa Strabi: Deum ipsum. Ostentat autem Deus se ut Regem in *decore* & *pulchritudine* sua, ubi se publice conspiciendum dat ut *Regem*, *Judicem* & *Vindicem* Ecclesiæ suæ: metaphora desumpta à *Rege*, eodemque *Judice* sui Populi, qui in throno locatus, splendida amictus veste, splendorem suæ majestatis omnium ingerit oculis; aut ab *Imperatore*, qui exercitum ducturus in hostes, pro more Gentium quam ornatissimus prodit. Sic de Deo ut Judice Poëta sacer [m]: *Ex Tsione, cujus est perfecta pulchritudo,* אלהים הופיע *Deus* splendide apparet. Alio loco [n]: *Deus ultionum, Jehova: Deus ultionum* הופיע splendide effulsit. *Effer te, ô* Judex terræ! Oratio vero hic & in *sequentibus* in *singulari numero* à Propheta (cui hæc oratio recte tribuitur,) generis fortioris dirigitur ad עם *Populum*, Deum se manifestum facientem in Regimine & Vindiciis Ecclesiæ suæ suis *visurum oculis.* Phrasis recepta est de *visione Dei*, se patefacientis in effectis illustrium attributorum suorum *Justitiæ* & *Potentiæ.* ut Ps. lxxix. 10. *Innotescat inter Gentes coram* oculis nostris *vindicta sanguinis servorum tuorum effusi.* Vates noster Cap. xl. 26. *Tollite in sublime* oculos vestros, & videte *quis creaverit ista.* Conjunguntur in hoc actu oculi *mentis* & *corporis*, ut quod *oculis corporis* videtur, *oculis mentis* prudenter consideretur & prudenti ratiocinatione ex effectis colligantur attributa caussæ. Subsequitur alterum membrum cum priore arcte cohærens: *Videbunt*, sc. oculi tui, ארץ מרחקים *terram spatiosam.* Hieron. *Cernent terram de longe.* Sequutus est τὴς 6. Γῆς πόρρωθεν. Jun. Trem. Pisc.

Membrum quartum Sectionis Posterioris, complexum Beneficia Ecclesiæ Liberatæ.

Beneficium Primum: *Præsentia Dei* ut Regis apud Ecclesiam.

Admonitio de affectione sententiæ.

Quis hic intelligendus sit per *Regem*?

Diversæ opinationes.

Intelligitur Deus Jehova ipse.

Hypothesis commendatur.

Tota oratio Prophetæ huc rendit, ut doceat, fore ut Ecclesia hoc tempore à solo Deo dependeat.

Idem confirmatur ex ℣. 22.

Ut & ex analoga prophetia Zachariæ, Cap. xiv. 9. 16.

Vox מלך *Rex* hic antonomastice usurpatur: in emphasi de Deo.

Paraphrasis Chaldæa laudata.

Unde hic desumpta metaphora, ubi mentio sit Regis conspiciendi in *decore suo*?

Quid sit *Deum videre*?

Quid hic sit, *videre terram spatiosam*?

Phrasis He-

---

a Cap. viii. 23. *b* 1 Macc. xiii. 49. seqq. *c* 1 Macc. ii. 44. *d* 1 Macc. vi. 21. & Cap. ix. 73. *e* 1 Macc. ix. 58. *f* 2 Macc. xiv. 42. *g* 1 Macc. iii. 25. *h* Cap. xxvi. 11. *i* 2 Chron. xxxii. 23. *k* Ps. xlviii. 3. *l* Cap. xxxii. 1. *m* Ps. l. 2. *n* Ps. xciv. 1.

ארץ מרחקים.

Variæ ejus versiones.

Piscatoris sententia exploratur.

Ut & Vatablus ac Belgarum.

Probabilior sententia proposita.

Ejusque cohærentia cum oratione superiore.

Modus quo Deus hoc Beneficium Populo procuraverat, declaratur, ℣. 18. *Cor tuum meditabitur terrorem: Ubi Scriba, &c.*

Communis Interpretatio hujus sententiæ.

In eam animadversio.

Pisc. *Terram longinquissimam.* Cocc. *Terram longinquis terminis.* Quæ interpretationes neutiquam sunt faciles; unde mirum non est, distrahi Intt. in earum reddendo sensu. Kimchius sic accipit: *Oculi vestri qui viderunt terram longinquam*, h. e. Regem Assyriæ, remotæ vastæque terræ, *videbunt hoc tempore Regem in pulchritudine sua.* sc. Hiskiam. Coactum est & quæsitum. *Remota terra* enim non est *Rex remotæ terræ.* Piscator intelligit *Legatos* ex remota & longe dissita terra venturos gratulatum recuperatam valetudinem Hiskiæ, secundum historiam *a*. Id quidem tolerabilius; & tamen ipsum quoque aliquid longius quæsitum habet. Cui enim probabile fiat, (si vel maxime admiserit hypothesin, hic de temporibus Hiskiæ agi:) Jesaiam de ejusmodi singulari casu, tanquam de magno beneficio in Gentem conferendo, voluisse vaticinari? Vatablus id Prophetam velle putat, Judæos qui tempore irruptionis Assyrii Hierosolymæ & aliarum Urbium mœnibus veluti concluſi & constricti fuerant, hoc tempore post prostratum Exercitum ejus terra ab hostibus libera, quo quo velint & in remotas quoque terras posse exspatiari, absque metu hostili. quod Belgis etiam nostris placuit. Utique illud, meo judicio, propius accedit ad mentem Prophetæ; nec tamen putem id esse ipsum quod intendit. Quid enim necesse haberant in alias excurrere terras, sua satis contenti? Sensus Prophetæ ex mea sententia est, Judæos hoc tempore visuros esse limites terræ suæ longe extentos & in ipsam terram hostilem excurrentes; ut cum huc usque pressi fuerint ab hostibus; clausi mœnibus; limites terræ acciſi aut ab hostibus occupati: hoc tempore integram terram usque ad extremos limites sibi subjectam viderent; nec *terram* tantum *suam*, sed & bonam partem terræ *hostilis remotioris*, à se occupandam, veluti Philistæorum, Idumæorum, Moabitarum, Phœnicum, & Syrorum quoque. Hæc est illa *terra longinqua* sive *longe extenta* quam Vates hic memorat. Conferri debet locus huic parallelus, eumque interpretans, Cap. XXVI. 15. *Addidisti huic Genti, Jehova: addidisti huic Genti. glorificatus es.* רחקת כל קצי ארץ *longe* DIMOVISTI OMNES TERMINOS TERRÆ. terram ejusque limites amplificasti. ארץ מרחקים *terra longinqua, remota*, vel *in longum extenta* idem valet, ut opinor, quod Græcis γῆ εὐρύχωρος, sive, notione Homerica, εὐρυόδειος, *late patens*; nec fugio ego significationem vocis *longinquæ.* Propheta inversa phrasi, מרחקי ארץ *remotæ terræ*, usus fuerat Cap. VIII. 9. Cohæret autem sententia Prophetæ suis partibus in hac interpretatione. Ecclesiam ait *visuram* esse Deum *in pulchritudine sua*, h. e. ut interpretatus sum, ut *Judicem.* & IMPERATOREM, publice ad vindicias Ecclesiæ suæ procedentem; cujus consequens & effectus esset *occupatio* & *visio terræ* late patentis & remotæ. victoria ampliſſima. Quorsum referendum sit vaticinium, mox videbimus.

Declarat Vates magnitudinem beneficii, quo Populus Deo solo gauderet *Rege* & *Vindice* ab *oppoſito* sive *contrario* temporis superioris, ut Interpretes vulgo putant; sed secundum sententiam nostram ex *modo singulari* quo Deus illud Populo suo procuraverat, his verbis ℣. 18. *Cor tuum meditabitur terrorem: Ubi scriba? ubi ponderator? ubi recensens turres?* quæ cum obscuriora videantur, diverse accipiuntur. Sunt qui id velle putant Prophetam, hoc tempore Liberationis à Deo impetratæ populum Dei meditaturum esse, quo statu *ante hoc tempus* fuerat cum omnia plena essent *terrore*, & una salus exspectanda videretur ab hominibus rei bellicæ præfectis, hoc est, à *Scriba*, milites recensente; à *Ponderatore*, tributa colligente & expendente, & à *Recensitore turrium*, cui machinarum bellicarum & turrium inspectio commissa esset, ut adeo ad hos homines veluti ad *præsidia salutis* respiceretur, & passim audiretur vox publica: *Ubi est Scriba, &c.* Sed etiamsi absurda non sit sententia, in se spectata: hic tamen locum obtinere nequit. Si enim hæc verba essent consternatorum Judæorum tempore irruptionis hostilis, non dicerent illi: *Ubi est Scriba? ubi ponderator*, h. e. *tributorum collector?* Sed potius: *Ubi sunt heroës? ubi præfecti militiæ? ubi arma* quibus nos defendamus adversus hostes? aut quæ his similia. Verba Jesaiæ: *Ubi est Scriba, &c.* sunt exultantium statu præsente & insultantium calamitati superioris temporis, quomodo etiam ea accepit Apostolus 1 Cor. I. 20. estque hic genuinus sensus orationis; ut adeo si quis in hoc genere interpretationis maneat, id significare deberent: Liberatos à Deo ipso, *terrorem* superioris temporis *meditantes*, dicturos: *Ubi est Scriba, Ponderator, Recensitor turrium?* Non *tali auxilio*, non *defensoribus istis* hoc tempore egemus. Qui si obtineat sensus, statuendum est, Jesaiam sententia una involvisse duas, cum eorundem verborum repetitio pugnaret cum elegantia orationis. Sententia integra esset: *Cor tuum meditabitur terrorem* superioris temporis quo salus omnis pendere videbatur ab hominibus qui res bellicas administrabant: quo terrore liberatus, nunc dices: *Ubi est Scriba? ubi Ponderator? ubi Recensitor turrium?* Est autem secundum hanc interpretationem fere perinde, an *Scribam, Ponderatorem, Recensitorem turrium*, hic interpreteris de Ministris Regis Hiskiæ *tributis conscribendis & colligendis* præfectis in gratiam Assyriorum: num de Ministris Principis adversarii, puta Senacheribi, tributa conscribentibus & colligentibus. quando sensus est: *Cor tuum meditabitur terrorem.* sc. qui tibi incussus fuerit per minas Assyrii, & à quo nunc per Dominum liberatus es. *Ubi est Scriba, &c.* h. e. Ubi nunc sunt Consiliarii bellici & ministri primarii ipsius Regis Senacheribi? Nusquam amplius apparent; perierunt; non amplius terrebunt nos. Sic fere Piscator, quem sequuti sunt Belgæ. Grotius pariter; si sententiam complexe sumas. nam in singularibus, *Scribæ, Ponderatoris, Recensitoris turrium*, suis quisque indulget conjecturis. Per סופר *Scribam* Interpres Hebræus *b* intelligit כותב המס Ministrum publicum, *qui conscribit tributum*; sc. quantum cuique in tributo publico pendendum sit. Pisc. *Consiliarios bellicos.* Grot. Ministrum Assyrii *qui captivos matriculæ inscribebat.* Per שוקל *Ponderatorem* Kimch. *tributum collectum* census publici è tributariorum manibus acceptum *ponderantem.* Sic Grot. *Collector tributorum.* Pisc. *Qui appendebant nummos in mercedem militum.* Per *Recensentem turres* Hebræus designari putat Ministros publicos, qui *turres prominentes ex Palatiis & Prætoriis Magnatum*, ipsas quoque vectigales, *recensebant.* Pisc. *Architecti bellici qui monent quotnam turres seu munitiones exstruendæ sint ad obsidendam aliquam Urbem.* Grotius, *Metiens turres.* quæ docta est observatio.

Alia hypothesis & expositio. quæ gemino modo declaratur.

De singularibus phrasibus & muniis, ut sunt *Scriba, Ponderator, Recensitor turrium*; judicia Interpretum.

Expositio ejusmodi est, ut licet spernenda non videatur, eidem tamen subscribere non audeam. Rationes mihi sunt, *a*. Quia interpretatio hæc vix quicquam commune habet cum Paulina, quæ extat in *priore ad Corinthios c*. Apostolus ibi in eo est ut demonstret, *sub Oeconomia Nova* SAPIENTIAM *& prudentiam carnalem debere* ABOLERI. in quem finem allegat bina loca ex Propheta nostro, alterum ex Cap. XXIX. 14. *Et peribit sapientia sapientum ejus, & seqq.* alterum ex loco hoc nostro scribens; Πῦ σοφός; πῦ γραμματεύς; πῦ συζητητὴς τῦ αἰῶνος τύτε; *Ubi* SAPIENS? *ubi* SCRIBA? *ubi* DISQUISITOR SÆCULI HUJUS? *Nonne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus?* Dixeris, Apostolum hunc locum mystice accipere. Non nego sane, idque mox in usus meos vertam: verum necessum est, inter sensum literalem & mysticum aliquam intercedere analogiam. Ecqua vero analogia demonstretur inter *abolitionem Scribarum* qui milites recensent aut censum conficiunt, *Collectorum tributorum* aut *Architectorum bellicorum*, & inter abolitionem *Sapientum, Doctorum, Scribarum*, literali ac verbali eruditione sua superbientium? Non video sane, nec occurrit hactenus qui de-

Judicium de hac hypothesi. Non convenit interpretationi Paulinæ, 1 Cor. I. 20.

Exceptioni in contrarium occurritur.

a 2 Reg. XX. 12. 14. *b* Kimchius. *c* 1 Cor. I. 20.

monstraverit. Sum autem plane persuasus, Paulum qui hic à versione שׂשׂ 6. discessit, pro sapientia sua sensum hujus loci recte accepisse. β. Interpretes hujus loci voces *Scribæ*, *Ponderatoris*, & *Recensitoris turrium*, ea accipiunt significatione quæ alibi non occurrit. quod ipsum nobis hanc subjicere debebat cogitationem, Jesaiam mystice loquutum esse. Si enim de ordinariis quibusdam muneribus *civilibus* ac *militaribus* loquutus esset: forte voces adhibuisset usitatiores, & communis fori. γ. Membra interpretationis minus commode videntur cohærere. Si Propheta per verba: *Cor tuum meditabitur terrorem*; hoc vellet dicere, *meditabitur terrorem superioris temporis dum hostes tibi imminebant*; forte subjecisset graviora quæ terrorem & consternationem ante id tempus maxime moverant, & movere apta sunt. ut si dixisset: *Ubi est spoliator? ubi vastator? ubi truculentus miles?* Recensio enim tributorum, eorumque collectio, ut & *dimensio turrium*, hactenus præstare non poterant *terrorem*. Ergo fide non mihi, sed Paulo, & sequere alium interpretationis ductum. Est autem, ut existimo, hæc interpretatio loci Paulina. *Cor tuum meditabitur terrorem.* h. e. terribile effectum Divinæ Potentiæ & Justitiæ in hostibus suis prosternendis, quod nemo mortalium secum exputare & ex ratione sua colligere posset. *Ubi est* SCRIBA? h. e. Doctus sapientia literali & carnali? *ubi est* שׁוקל *libripens*, *ponderator*, *librator*, hoc est, Vir ingenio exercitatus, solitus rationes cujusque rei judicii sui lance librare, & consilii prudentia cæteris melior habitus? *ubi est qui recenset* TURRES? h. e. Dialecticus subtilis, ingenii vafri, qui pro hac illa quam defendit sententia, in medium producit varia *argumenta*, quæ ut extantia commendat, quibus nititur & quibus sive ex quibus tanquam robore & munimento suo pugnat. cujusmodi argumenta Vates noster alio loco vocat עצומות *robora*, *argumenta valida* [a]. Hanc, ait Propheta, sapientiam carnalem Deus Ecclesiam suam contra omnium carnalium hominum exspectationem & opinionem salvando confudit ac pudefecit. Mirabile quid effecit & terribile supra omnium prudentium sæcularium cogitationem. Existimabant illi, nullam salutis spem esse; vel, si omnino aliqua esset, ab aliis exspectandam caussis & per alia media eam efficiendam esse. Sed Deus abolevit *Sapientiam Sapientum*, eosque *pudefecit*.

Interpretatio vulgata, *Scribæ, Ponderatoris, Recensitoris turrium*: non videtur satis solida.

Probabilius est, Prophetam hic mystice loquutum esse & intelligi velle.

Expositio illa non recte consistit cum ipsius rei natura.

Interpretatio loci Paulina producitur & illustratur.

Interpretationis hujus ea est elegantia, ut non opus habeat à me commendari. Vocem אימה *terrorem* eodem modo accepit Chaldæus, quo nos, vertens: לבך יחשוב ורגזן *Cor tuum cogitabit* (reputabit) MAGNALIA. Et potest ipsa hanc significationem ferre. notat non semel *terribilia Dei judicia* [b]. Si quis tamen omnino hic adhærere malit communi interpretationi: nullus intercedo. Recte sonat & procedit sententia: *Cor tuum meditabitur terrorem superioris temporis* quo omnia videbantur desperata, ut docti omnes, prudentes de sæculo; & ratiocinatores subtiles omnes perinde hærerent ac stuperent; & rectissime dici posset: *Ubi est Scriba? &c.* Cætera autem nulla elucidatione indigent. Vox סופר hic obtinet significationem suam communem, si *absolute* sumatur. Notat æque ac γραμματεὺς *Virum doctum*, eruditione literali imbutum. *Ponderare*, *librare*, pro actu judicii qualis est consultantium ac deliberantium, forte omnibus populis est recepta metaphora. Tertium autem, *recensere turres*, si species me non deludat, de *Dialectico* qui subtilitate ingenii & fastu elatus argumenta pro sententia sua plura *numerat*, pulcherrime usurpatur. Non provoco hic ad consensum aliorum: & tamen esse ex Judæis antiquis qui simile quid in hoc loco viderint, non est indignum animadversione *A*. Sed cum illi futilia utilibus miscere soleant: illum consensum non jacto. Sufficit nobis Paulinus summi momenti. Restat videamus, cui tempori hæc pericopa conveniat.

Eademque confirmatur. אימה *terror* hic notat *stupendum* effectum Providentiæ Divinæ.

Vox סופר *Scriba* hic notat *Virum Doctum*.

Tres sunt characteres Prophetici hujus pericopæ. Primus est, *videre Regem in pulchritudine sua*, h. e. Deum ut Vindicem Ecclesiæ. Alter, *videre terram late patentem*. Tertius, Deum effecisse *magnum* & *mirabile opus salutis cum confusione Sapientium sæculi*. Non eo rursus inficias, hos characteres convenire phænomenis temporis Hiskiæ. Deus se illo tempore pulchre ostentavit in sua majestate gloriosa, & Regnum suum ac Filii sui conspiciendum dedit in typico Regno Hiskiæ per singulare Dei beneficium gloriose illustrato. Effecit hoc tempore opus magnum in salutem Ecclesiæ, non cogitatum à sapientibus & prudentibus Sæculi. Liberavit Ecclesiam à metu & terrore temporis superioris, & Populum Dei ex angustiis quibus undique arctatus constrictusque erat ab Assyrio, vindicavit in *terram* late *patentem*, dum ipsis liberatis à Senacheribo licuit quaquavorsum excurrere. Sed ajo, longe hæc attributa, (certe duo priora,) clarius conspicienda fuisse ac demonstrari posse in temporibus Maccabaicis. *Regnum* Dei *immediatum* in Populum suum illa tempestate magis fuit conspicuum cum Deus omnia gereret & administraret per proprios suos Ministros *Sacerdotes*, de quo distinctius monebo ad ℣. 21. En vaticinium insigne Zachariæ de *apparitione* (ἐπιφανείᾳ) *gloriosa Dei* in *pulchritudine* sua ad Populum suum defendendum [c]: *Et exibit Jehova, & pugnabit adversus* GENTES ILLAS (congregandas adversus Hierosolymam, eamque quod ad partem expugnaturas,) *ut die quo prœliari solet, die conflictus.* Deus hoc tempore salutem procuravit Populo suo per *media* omnium ut videbatur, ineptissima, à se immediate pendentia, h. e. per Sacerdotes. Circa ipsum quoque illud tempus Populus Dei vidit *terram late extentam*, de quo pluribus egi ad locum parallelum Cap. XXVI. 15. Judæi terminos terræ suæ latius longe possederunt quam majores eorum, & loca alia, proximiora, remotiora, veluti Ægyptus, Babylonia, Media, Syria, Asia Inferior, hujus Gentis Judææ incolatu inceperunt exundare, veluti jam hoc tempore se mitterent ad occupandam hæreditatem mundi. Certe Historicus Maccabaicus exerte in describendis prosperis illis temporibus [d]: καὶ ἐπλάτυνε τὰ ὅρια τῷ ἔθνει αὐτῶ καὶ ἐκράτησε τῆς χώρας· *Et* DILATAVIT FINES *Gentis suæ, & obtinuit regionem:* & Deus *mirabili liberatione* ac *instauratione* Status Ecclesiæ sui populi plane collapsi omnem sapientiam humanam hujus temporis prostituit, ac prudentiam sæcularem pudefecit.

Ponderator est Vir gravis, senator, consiliarius, judicio excellens.

Recensitor turrium est *Dialecticus* & *Disputator subtilis* qui *argumenta* multa *valida* in promptu habet pro hac illa sententia.

Quæritur, cui tempori propheta conveniat?

Characteres temporis ex ea collecti tres.

Qui certo sensu possunt convenire tempori Hiskiæ.

Regnum Dei in Populum suum conspicuum fuit temporibus Maccabaicis.

Locus Zach. XIV. 2. 3.

Populus Dei illo tempore vidit *terram late extentam*.

Verum cum *Beneficia temporalia* in Ecclesiam temporis

---

a Cap. XLI. 21. *b* Job. XX. 25. Ps. LXXXVIII. 16. *c* Cap. XIV. 2. 3. *d* 1 Macc. XIV. 6.

A Sic est in Collectaneis Samuelis Laniado ad h. l. במכתר סנהדרין שמואל אשכחיה לרבי יהודה דקאי ותלי בעבראי דדשא ובכי א"ל אמאי קא בכית א"ל ומי זוטרא מאי דכתיב בהם ברננו איה סופר איה שוקל איה סופר שהיו סופרים כל אותיות שבתורה איה שוקל שהיו שוקלים כל קלים וחמורים שבתורה איה סופר את המגדלים שהיו שונים שלוש מאות הלכות בנגדיל הפורח באויר וכ"ו *In Tractatu Sanhedrin: Samuel invenit R. Jehudam inhærentem huic Pericopæ.... & flentem. Dixit ipsi, Quamobrem vero lacrymaris? Dixit ei Umi Sutra: Quid illud est quod scriptum est de Rabbinis nostris: Ubi est Scriba? ubi Ponderator? ubi Recensitor turrium? Intelliguntur qui recensent omnes literas quæ sunt in Lege.* UBI PONDERATOR? *Sunt qui ponderant omnia levia & gravia quæ sunt in Lege.* UBI EST RECENSITOR TURRIUM? *Sunt qui legunt trecentas Decisiones* (paragraphos,) *Talmudicas in turre quæ volitat in aere.* Phrasis est mystica & Kabbalistica. Legere Constitutiones Talmudicas in *turre volitante in aere* est, nisi fallor, operam dare studio Legis aut Traditionum Talmudicarum; ut te separes à terrestribus ac mundanis omnibus ac veluti ἐν τοῖς ἐπουρανίοις videaris versari. Addo Abarbenelem, ad hunc haud dubie locum respicientem: ויש מפרשים שהיו ישראל בגלות מקוננים על חכמי ישראל גדולי הדור שספו תמו חכמיהם ועליהם היו אומרים איה סופר ואיכם בספר התורה איה שוקל הדברים בדקת ותבונה איה סופר נם כן את המגדלים ר"ל כותב על כפר הדברים הגדולים והרשומים כעורא וקרוב לזה פירשתו בפרק בי דמגילה *Sunt autem qui verba ita accipiunt, acsi Israëlitæ in Exilio lamentarentur propter Sapientes Israëlis, illustres Viros Sæculi sui, quod videlicet illi consumerentur ac deficerent; atque adeo horum respectu in has erumperent querelas:* UBI EST SCRIBA & SAPIENS *exercitatus in Libro Legis? Ubi est qui res* PONDERAT *cum sapientia & intelligentia? Enimvero ubi est qui* RECENSET TURRES? *Vult dicere qui scribit in Libro res magnas & mysticas ut Ezra. ad quæ proxime accedit quod commentantur* ad Cap. II. *Megillæ.* Quid quod Hieronymus eundem amplexus sit sensum. Sic vertit: *Ubi est Scriba? ubi Legis verba ponderans? ubi* DOCTOR PARVULORUM? Male. pro מגדלים legit הַמְגַדְּלִים, ut pariter Symmachus.

poris Maccabaici conferenda responderent *spiritualibus* Regni Christi Jesu, & in iis *consummanda* essent: quam hypothesin verissimam in superioribus jeci & variis locis adstruxi: nihil certius & evidentius, quam ipsa hæc attributa in summa emphasi exhiberi debuisse & exhibita esse in *Statu Ecclesiæ Novi Fœderis*. Hoc statu temporis & Ecclesiæ *Deus Jehova* se IN FILIO SUO MESSIA JESU cum omni *gloria suæ perfectionis* tanquam vindicem & *Liberatorem*, tanquam unicum *Regem* & *Judicem* Ecclesiæ suæ, tanquam Imperatorem hæreditatem Gentium occupaturum, in *pulchritudine* & vera specie sua publice ostentat omnibus Populis, destructa triumphataque omni *alia potestate*. Hoc tempore Ecclesia egressa Judæam videt ארץ מרחקים *terram latissime extentam*, quippe occupans & sibi vindicans *hæreditatem mundi* usque ad fines terræ. Hoc tempore Ecclesia cum admiratione & stupore perpendit τὸ κράτος (אימה) MAGNUM & FORTE FACINUS quo Deus eludendo omnem fastum hominum sæcularium, omnemque subtilitatem ingenii Scribarum Legis & Philosophorum Gentilium, contra omnium exspectationem & opinionem, Regnum suum in Mundo fundavit; de quo sancta Maria mater Domini [a]: FORTE FACINUS FECIT BRACHIO SUO: *dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum: detraxit potentes de thronis & extulit humiles*. Suppono has hypotheses, non adstruo, cum ex consensu prophetiarum & per experientiam ipsam notissimæ sint, & in superioribus Vaticiniis eas fusius pertractaverim [b]. Tantum itaque hic suo loco observo & repeto, de quo jam in superioribus monui: hunc mysticum & maxime emphaticum sensum hujus prophetiæ Paulo versatum esse ante oculos, ubi in *priore ad Corinthios* [c] hæc ipsa verba adhibuit ad probandam sententiam; Oeconomiam Novam institui debuisse per *inopinata media* ut *aboleretur* ac *infatuaretur sapientia Literalis & carnalis* Doctorum Γραμματικῶν Gentis Judææ, eruditione sua & ingenii subtilitate superbientium; & Philosophorum quoque atque Oratorum Gentilium: ubi Paulina his Jesaianis pulchre respondent. Sunt autem, Πᾶ σοφὸς; πᾶ γραμματεύς; πᾶ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου; *Ubi est* SAPIENS? h. e. איה שוקל *Ubi* PONDERATOR. ponderans rerum quarumque, *levium* & *gravium* quæsitorum, rationes. quod sapientis est. *Ubi* SCRIBA? h. e. איה סופר. Vox eadem. h. e. ubi Vir eruditus, literatus, qui se in Divinarum ac humanarum rerum scientia jactat, quo sensu vox Hebræis erat usitatissima. *Ubi* DISQUISITOR *hujus sæculi?* h. e. Philosophus acutus, disputator, qui animi sui vanitate inflatus, argumentis ut putat, fortissimis, pro sententiis suis acriter pugnat easque tuetur; qui Prophetæ nostro est *Recensens turres*. En perfectum consensum Jesaiæ & Apostoli; quem demonstrasse, erat operæ pretium.

Alterum Beneficium Status Ecclesiæ Liberatæ: *Immunitas ab hostibus.*

ỳ. 19. *Populum* BARBARUM *non videbis: populum* PROFUNDI LABII *ut non intelligas; blæsæ Linguæ, ut non percipias*] Dum Populus Dei *videret* Regem *in pulchritudine sua*: dum *videret* terram *late patentem*: hostem *barbarum* & *blæsæ linguæ* amplius *non videret*. ab hoste truce ac molesto, cujus aspectus & commercium terrori fuerant, liberaretur. Sic cohæret oratio. Sensus jucundorum tanto est gratior, quanto molestior adversorum, iis oppositorum, si memoria recolantur. Inspiciamus phrasin. Vocis נועז est obscurior significatio. Secundum *Grammaticæ* canones est *formæ Niphal* à themate עזז, *invalescere, valide agere, se fortiter sustinere*. quomodo vocem accepisse videtur Chaldæus eam vertens per תקיפא *validum, fortem*. Pariter Kimchi, per עז *durum, validum*. Hieronymus reddiderat, *Populum* IMPUDENTEM, pro quo in Vulgata ante correctionem Sixtinam legebatur, *imprudentem*. manifesto vitio. Hieronymus transcripserat ex Symmacho, cujus est, τὸν λαὸν τὸν ἀναιδῆ. Respexit haud dubie ad phrasin Danielis [d] de Antiocho Epiphane, qui ei dicitur עז פנים VALIDUS FACIE. audax, impudens. ἀναιδὴς προσώπῳ. Patior lubens id dici, cum nemo hic facile gravius hallucinetur. Mihi probabilius videtur, vocem hoc loco esse usus electi, & obtinere significationem his quæ ἀμέσως sequuntur, cognatam; ut נועז idem notet quod לועז *populum linguæ barbaræ*: cujus vocis usus, derivatus ex Ps. CXIV. 1. Magistris frequentissimus est. Veniunt autem passim Magistris hoc nomine כל האומות שאין לשונם לשון הקדש *Populi omnes qui alia utuntur lingua ac Hebræa*. perinde ac Græci τὰς ἑτερογλώσσους omnes appellabant *barbaros*; & Latini quoque. Putem itaque ע literas נ & ל hic inter se permutari, alias sæpius inter se converti solitas, ut Docti Viri [e] dudum alibi in casibus observarunt. נועז idem est quod לועז, ut in vocibus *Nebucadnezar* & *Leborezarcad*. *Nabonidus* qui Herodoto *Labynitus*. נשכה & לשכה *cubiculum*. βέλτιος βέντιος. Uterque Ludovicus, de Dieu & Cappellus, probant sententiam. Idem est quem mutata dictione mox vocat Propheta *populum profundi labii, ut non intelligas; & linguæ ridiculæ ut non percipias*. Descriptio est hominum dissonæ & à nobis non intelligibilis Linguæ. *Profundi* dicuntur esse *labii* homines *gravis eloquii*, qualis exteris videntur Helvetii, Saxones, & olim nostri quoque Frisii, Saxonibus orti: de quo prolixa esset disserendi materia. *Ridiculæ Linguæ* dicuntur Populi, sive quorum sermo à me plane non intelligitur; sive quorum lingua in loquendo valde est volubilis, ut vix videantur imperitis distinctos vocibus dare sonos. quales exteris inter Europæos videntur esse Franci nostri temporis, & Anglobritanni. Certe nisi satis constaret, omne opus Dei mirabile esse & longissime superare humani ingenii captum: fieri plane posse non videtur, ut cum lingua summa volubilitate varias producat vel producere nitatur elocutionum formas, easque imprimat corporibus cœlestibus aut aëreis, huic usui destinatis: distinctæ illæ formæ vocum & vocularum raptissime enunciatarum per distinctas formas atque ideas referantur ad mentem. Sed experientia docet, non esse effectum supra omnipotentiam Divinam. Videnda sunt ad phrasin quæ in superioribus notavi ad Cap. XXVIII. 11. & in *Observatis* de *Confusione Labii* [f], hic non repetenda.

Promissum ipsum, ut hic legitur, haud dubie accipiendum est *restricte*, non *absolute*; ad quemcunque statum Ecclesiæ *temporalem* vel *spiritualem* applices. Judæi enim, stante eorum Republica, nunquam vixerunt absque commercio Gentium Exoticarum. multo minus Ecclesia Christi Jesu quæ *Græcos* ac *Barbaros* æque ac *Judæos* gremio suo exciperet. *Non videre* itaque *Populum* ἀλλότριον *profundii labii* hoc loco est *non videre* cum terrore, noxa, detrimento. liberari ab illorum imperio. non videre Reges ejus te amplius suo subjicientes jugo. R. Salomo: לא תראה לא תחשוב בלבך כי כולם יהיו חשיכים ושפלים *Non videbis*] *Non reputabis eos* (magni facies,) *animo tuo, quia omnes illi tenui erunt & humili statu*. Deinde, si prophetiam referas ad statum temporalem Populi Judæi: nullum ejus implementum ostendi potest in historia, nisi eam *restringas* ad *certum Populum* certumque ac definitum Ecclesiæ Veteris *Statum* quem Propheta vaticinans in oculis habet. Cætera enim docet historia, Judæos per magnum tempus Reipublicæ suæ luctatos esse cum Populis *exteris*, qui eos vel sibi habuerunt obnoxios, vel liberos redegerunt sub Imperium. sc. Assyriis successisse Chaldæos, his Persas, *Ægyptio* ac *Syro* Macedones, & tandem Romanos qui Rempublicam everterunt. Propheta itaque respicit hic certum Ecclesiæ tempus: quod quale sit, videndum.

Si prophetiam cum plerisque Intt. referas ad tempus

Amplius implementum in mittis Ecclesiæ N. T. quando *corporalia beneficia* completa sunt in *spiritualibus. Regnum Dei* hoc tempore gloriose actum est conspicuum.

Ecclesia N. T. vidit *terram late patentem.* Deus hoc tempore fecit אימה *forte facinus.*

Expositio loci Paulina 1 Cor. 1. 20, ex hac hypothesi illustratur.

Alterum Beneficium Status Ecclesiæ liberatæ: *Immunitas ab hostibus*, ỳ. 19.

Summa sententiæ Prophetæ, & cohærentia ejus cum superioribus.

Animadversio ad vocem נועז.

Variæ ejus versiones.

Reddenda hic est per *barbarus.*

Idem valet quod לועז.

Usus hujus vocis apud Hebræos.

Literæ ל & נ sæpe inter se permutantur.

Exempla producta.

Propheta se ipse interpretatur.

Lingua ridicula quæ dicatur?

Mirabile artificium elocutionis;

Promissum accipiendum est *restricte*, non *absolute.*

Quid hic sit, *Non videre Populum profundi labii.*

Implementum ejus restringendum est ad certum aliquod tempus.

---

a Luc. 1. 51. 52. *b* Cap. IX. 5. 6. XV. 10. XIX. 23. *c* 1 Cor. 1. 20. *d* Cap. VIII. 23. *e* Vide Bochartum, *Geog. S.* Lib. 2. Cap. XXIV. *f* *Observ. Sacr.* Lib. 1. Diss. 1. Cap. IX. §. XVI.

Quæritur, cui tempori conveniat?

pus Hiskiæ, & Caſum Reipublicæ liberatæ ab Aſſyriis, florente ejus Regni ſtatu: non eo inficias, characterem hunc ei tempori convenire. *Aſſyrii* enim, à quibus illo tempore vindicatus eſt Populus Dei, à vulgo Judæorum illius temporis non *intelligebantur loquentes*. Docti tantum & culti ingenii Viri illius ætatis *Aſſyriacæ Dialecti*, (quæ eadem eſt *Syriaca* & *Chaldæa*,) per late dominans Aſſyriorum illius temporis Imperium diffuſæ, ſibi videntur comparaſſe notitiam; ut ex hiſtoria *a* congreſſus Legatorum Hiskiæ & Senacheribi liquet. Quin Jeremias, Chaldæos deſcribens, id totidem verbis docet *b*: *Ecce ego adduco adverſus vos Gentem è longinquo, ô Domus Iſraël, ait Jehova:* גוי איתן הוא GENS VALIDA EST: (quod comparari poſſet cum voce נועז:) *Gens antiqua* (מעולם *ab olim, à ſæculo:*) לא תדע לשונו ולא תשמע מה יאמר *cujus linguam non intelliges, nec percipies quid loquatur.* Et tamen certum eſt ex monumentis Sacris, Linguam Chaldæam illius temporis Dialecto tantum diverſam fuiſſe ab Hebræa: ſed erat *Dialectus gravis & maſculi eloquii*, cujus enunciatio ob terminationes plures in א deſinentes *os* loquentis replebant, ut ex profundo hauſtæ viderentur voces. eodem fere modo, ut diſſerentes *Germanica* ſive *Saxonica* Dialecto in vulgari commercio Belgæ inferiores non aſſequuntur. Verum etſi id ita ſe habeat: ad quam exiguum tempus adſtringitur uſura hujus beneficii? Poſt Hiskiæ enim ætatem collapſa rurſus eſt ſub Manaſſe Reſpublica; & cum *Aſſaradinus*, Senacheribi filius, cum tempore ſe rurſus confirmaſſet in Imperio, ipſum Judæorum Regem abduci juſſit Babylonem *c*: etſi interim, fateor, hiſtoria non doceat, quo caſu id factum fuerit. Sed Chaldæi, Aſſyriis ſuccedentes, & ipſi quoque *Aſſyrii* dicti, menſuram Judicii Judæis decreti compleverunt. Et tamen, quod hic repeto: non auſim negare, Prophetam *reſtricte* vaticinantem ſic loqui potuiſſe. Sed noſtra hypotheſis hic latiorem præbet aſpectum. Syro-Macedones, Græca utentes Dialecto, vere erant Judæorum reſpectu Populus לועז ſive נועז *barbarus, profundi* ac *ridiculi labii.* Inde ubi Judæi in *Conſtitutionibus Talmudicis* abſolute uſurpant vocem לעז *Linguæ barbaræ:* per eam potiſſimum intelligunt *Linguam* יונית GRÆCAM, ut Cl. Buxtorfius *d* obſervavit. etſi paſſim latius ſumunt pro omni Lingua *non Hebræa e*. Appellantur Scriptori hujus Hiſtoriæ βάρβαρα ἔθνη *f*, βάρβαρα πλήθη. Judæi in Canaane etſi medii eſſent inter Populos, apud quos frequentiſſimus uſus erat Linguæ Græcæ, poſt tempora Alexandri, nimirum Syros & Ægyptios: paſſim idiomatis Græci fuerunt imperiti. Nobiliores tantum & eruditionis ſtudioſi ejus notitiam ſectabantur, ut Joſephus prodit. Liberati autem à jugo Syro-Macedonum ſub Simone Ethnarcha: poſt illud tempus adverſus Syros libertatem eum in modum tuiti ſunt, ut illud deinceps nunquam ſibi rurſus à Græcis paſſi ſint imponi; duravitque uſus libertatis, deinceps accidendæ per Romanos, per plures quam octoginta annos. Et tamen ne hoc quidem Beneficium temporale tantum videri poſſet, niſi complendum eſſet, ut completum fuit in Oeconomia Gratiæ; cujus prærogativæ ſpirituales omnem defectum prærogativarum temporalium debebant ſupplere. Gentes, in initiis temporis Gratiæ graves & infeſtæ Eccleſiæ ejuſque ſtrenui perſecutores, quarumque Doctores & Philoſophi de Deo rebuſque Divinis ac via ſalutis huc uſque diſſerebant *Lingua blæſa* ac *ridicula*, vere ἑτερόγλωττοι & βραδύγλωττοι, domitæ per fidem Evangelii Chriſti, exuerent *feritatem*, *barbariem*, & dediſcerent *noxias* propalare ac ridiculas de Divinitate doctrinas; *loquerentur Lingua Canaanæa g*, poſtquam Deus ad eas *vertiſſet* שפה ברורה LABIUM PURUM *h*. quo medio Eccleſia perveniret ad ſtatum ſecuritatis, ad quem Vates nos vult conjicere oculos.

Et tamen Chaldæa illius temporis vix dici poteſt *barbara* reſpectu Judæorum.

Sed beneficium hoc tempore Hiskiæ fuit brevis temporis.

Liquidius rurſus implementum in Maccabaicis.

Syro-Macedones. Græci, *Judæorum* reſpectu erant *barbari.*

Uſus vocis לעז apud Judæos.

Phraſis analoga ex Maccabaicis.

In quod tempus incidat beneficium, ejuſque duratio.

Complementum ejus in Statu Eccleſiæ N. T.

Beneficium tertium: *Status Eccleſiæ Securitas & perpetuitas.*

ỳſ. 20. *Adſpice Tſionem, Civitatem conventuum noſtrorum: oculi tui videbunt Hieroſolymam, manſionem tranquillam; tentorium quod non* INCLINABITUR; *cujus paxilli non* LUXABUNTUR *in ſæculum; cujuſque funium nullus diſrumpetur*] Delectabilis eſt oratio. Propheta ſuſtinens perſonam Chori Doctorum Populum Dei conſolantium circa tempus, in quod cadit implementum hujus prophetiæ, jubet hic Populum liberatum oculos animumque vertere ad Hieroſolymam, ſive Civitatem Tſioneam, poſt inſtauratum Reipublicæ & Religionis Statum egregie florentem, celebratam Conventibus ſolennibus Gentis Judææ, eique promittit perpetuam & durabilem ſtatus ſui ſtabilitatem, ſub metaphora *tentorii* paxillis & funibus validis ſe in certo ſixoque loco ita ſuſtinentis, ut adverſus tempeſtatem omnem ſævientemque Africum immotum perſiſtat, nec minetur aut metuat ruinam, ſed tutum ac ſecurum latibulum præbeat in eo deliteſcentibus. Pulchra equidem eſt promiſſio; ſed cui ſubjecto eam aptes? Secundum pleroſque Interpretes hæc prophetia pertinet ad Beneficium Liberationis Divinæ Populo Dei indultum ſub Hiskia. Eſtne igitur Hieroſolyma hæc ſive Civitas Tſionea liberata ab Aſſyrio hæc ipſa Urbs Conventuum Eccleſiæ cujus *ſtabilitas* hic à Propheta celebratur? Illa ipſa, inquam, Urbs Hieroſolyma, quam conſtat incendio conſumptam eſſe à Chaldæis, profanatam ab Antiocho Epiphane, & everſam tandem & ſolo æquatam à Romanis? Eadem vero difficultas premere videtur hypotheſin noſtram. An enim Reſpublica vel Eccleſia Judæa à Maccabæis inſtaurata dici poteſt *tentorium* cujus *paxilli* non *luxentur* לנצח IN ÆTERNUM? Videamus, ut hic inſtituant Interpretes.

Beneficium tertium: *Perpetuitas Status*, ỳſ. 20.

Summa ſententiæ & χῆσις orationis.

Beneficium eſt *perpetuitatis & ſecuritatis ſtatus.*

An conveniat tempori Hiskiæ?

Inter Hebræos Kimchius perſiſtit in hypotheſi: dirigi ſc. orationem ad Eccleſiam temporis Hiskiæ. Quod autem ea liberata ab Aſſyrio dicatur *tentorium* non citandum loco לנצח IN ÆTERNUM: accipiendum eſſe de זמן רב *tempore longo.* Grotius quoque & Brenius non deſerunt hypotheſin: nec tamen curæ iis eſt reſolvere dubium hoc quod in omnium incurrit ſenſum. Nemo prudens exiſtimaverit, Prophetam, ſi nihil aliud in oculis habuerit, Hieroſolymæ illius temporis, licet jam ab Aſſyrio liberatæ, quam ipſe utique ſciebat à Chaldæis poſt ſæculum & quod excurrit deſtruendam eſſe, tribuere voluiſſe *ſtabilitatem æternam, perpetuam.* quæ vera eſt ſignificatio vocis נצח quæ recte vertitur per *perpetuitatem.*

Num temporibus Maccabaicis?

Non videtur ad Hiskiæ tempus commode referri.

Oppoſita huic ſententia eſt, in qua non vulgares Viros deprehendi: Prophetam hic piis contemplandam exhibere *Hieroſolymam* non *terreſtrem*, ſed *Cœleſtem*, ſive Statum gloriæ & felicitatis futuræ vitæ, quippe cui unice competere putant attributum *ſtabilitatis* ac *perpetuitatis*, quod *ſpirituali* huic *tentorio* vindicatur. Quæris, quomodo Interpretes hanc expoſitionem ſuam connectant cum argumento & contextu prophetiæ. Intellige ex Pellicano, cujus prudentia & peritia in exponendo Verbo Dei meritam in aliis laudem obtinet. Sic nectit orationem Vatis, & ad hæc verba commentari inſtituit: *Utcunque autem ſub ſanctis Regibus ſuaviter vivant ſancti in hoc mundo: ſemper tamen deſiderant Regnum cœlorum, & eſſe cum Sancto Sanctorum, & Rege regum, cum Chriſto in gloria Dei Patris, ... Ad illam Propheta adhortatur fideles ut videant & contemplentur Tſionem, & ſeqq.* In eundem fere ſenſum ſcribit Sanctius. Non eſt mihi propoſitum contra diſputare, ſatis certo, paucis noſtro tempore, clariore intelligentia Verbi Prophetici illuſtrato, placituram ſententiam. Prudentes Interpretes conſentient, implementum prophetiarum non eſſe quærendum in cœlis, ſi demonſtrari queat in terris.

Num Vates loquatur de Statu *Hieroſolymæ Cœleſtis?*

Sententia Intt.

Quomodo illi orationem Prophetæ connectant?

Verba Pellicani,

Hypotheſis improbatur.

Communior itaque poſt Hieronymum opinatio eſt, Prophetam invitare pios hoc loco ad contemplandam

Sententia communior.

Hie-

a Cap. XXXVI. 11. 12. *b* Cap. V. 15. *c* 2 Chron. XXXIII. 11. *d* Ex *Talm. Hieroſ.* Fol. VII. col. 2. *e* Jarch. ad Cod. Meg. Cap. §1. §. 1. *f* 2 Macc. X. 4. *g* Cap. XIX. 18. *h* Tſeph. III. 9.

Hierosolymam spiritualem, h. e. Ecclesiam N. T. substituram usque ad *consummationem seculorum*. quod dum agunt, aliqui de nexu orationis minus sunt soliciti: prudentiorum huc vergit sententia, quam meis verbis proponam; Jesaiam in *typo* Ecclesiæ Judææ ab Assyrio liberatæ contemplatum esse Ecclesiam Christi Jesu veram, antitypicam, adversus omnes tempestates & procellas substituram. Huc tendit commentatio Calvini; & tamen nemo forte hic felicius sententiam suam expressit quam Diodati *A*. Duo videri possent remoram aliquam injicere huic meditationi, *α*. Quod Propheta sic loquatur de *Tsione*, ut *Civitate Conventuum* Populi Dei, ut hic non prorsus videatur excludere *Hierosolymam externam*, aut transire à *subjecto* ad *subjectum*. *β*. Quod sequens contextus clare satis doceat, Vatem nostrum easdem adhuc imagines sibi ante oculos propositas habuisse in *fine prophetiæ*, quas *in initio*, ut patet ex ℣. 23. coll. cum ℣. 4. Utrobique agitur de *dividendis spoliis* hostium. Id hic præcipuum est. oratio Prophetæ non mutatur, sed quantum judicare licet, decurrit in uno argumento.

Hypothesis mea sola præstat orationi huic propheticæ eam, quam quærimus, *ἀναλογίαν*, sive *uniformitatem*. Ubi Prophetæ loquuntur de Statu Ecclesiæ temporis Maccabaici, stylum suum sic moderari solent, ut beneficia & prærogativas illius temporis censeri velint *complenda & consummanda* in prærogativis spiritualibus Regni Christi Jesu: quam in superioribus jam monui ac demonstravi unam esse clavem recte interpretandi prophetias quæ prærogativas Ecclesiæ post Reditum ex Exilio, & præcipue temporum Maccabaicorum, explicant. Unicum nunc solummodo producam vel repetam exemplum ex *Viso tertio* *a* Zachariæ, de Hierosolyma Urbe *mensuranda secundum longitudinem & latitudinem suam*. Quid vero id sibi vult? Angelus interpretatur: *Curre, loquere ad puerum hunc, dicendo: Pagis habitabitur Hierosolyma præ multitudine hominum & animalium in medio ejus: Et* EGO FIAM EI, *ait Jehova,* MURUS IGNEUS CIRCUMQUAQUE; *& ero in gloriam in medio ejus.* Quæro, ut hoc in loco, de utra Hierosolyma agatur, *terrestri* an *spirituali*? De *terrestri*, nemo dubitet. Ejus enim post Reditum ex Exilio parum habitatæ, frequentatæ, munitæ, cura vexabat sanctos. Attributum quoque sive promissum quod additur, *ad pagorum morem inhabitandam esse*: id ita evincit, ut dubitandi hic ratio nulla supersit. Quæro itaque secundo, de cujus temporis Hierosolyma terrestri hic agatur? Respondeo, non posse intelligi Prophetam nisi de Hierosolyma instaurandæ per Maccabæos Reipublicæ. Ante illud tempus implementum ejus quod hic dicitur, demonstrari nequit in historia: & id quoque quod hic assumo, positum est extra dubium. Sequitur itaque quæsitum tertium, Quo commodo sensu *Deus* illi Hierosolymæ factus sit *in murum igneum, & in gloriam in medio ejus*? h. e. eam repleverit præsentia Majestatis suæ gloriosæ? Id enim magnum quid esse videtur & majus quam ut statui Hierosolymæ illius temporis conveniat. Respondeo, eodem modo quo hoc in loco Hierosolymæ eidem promittitur stabilitas ac perpetuitas status. Angelo ad Zachariam verba facienti obversata est idea, non rei simplicis, sed complexæ; h. e. *Hierosolymæ terrestris* temporum Maccabaicorum singulari cura ac providentia Divina defendendæ, sed tandem, evanescente Oeconomia antiqua, absorbendæ ab *Hierosolyma Nova & spirituali*, h. e. à Regno Christi Jesu; in qua Hierosolyma Nova Status Hierosolymæ Maccabaicæ consummaretur ac complementum suum acciperet, & attributa ejus laudabilia multo certius & clarius exhiberentur. Ita plane ex hypothesi mea se res habet in hoc loco. Hierosolyma terrestris æterna, perpetua, durabilis est ac duratura usque ad consummationem temporum quatenus absorbenda fuit & absorpta est ab Hierosolyma Nova sive spirituali, quippe illius tempore Maccabaico florentis attributa in hac suum consequerentur apotelesma. Id Vates noster vidit *in Spiritu*, & extra se raptus attributa *rei ipsius* tribuit *imagini* ejus, ut cæteri solent Prophetæ.

Hoc præmisso explicatoque, cætera me minus morabuntur, ut si forte unius aut alterius verbi dubia sit significatio: summa tamen & complexum rei nos non fugiat. Similitudo enim quam hic adhibet, ut elegans, sic facilis est expositu. *Adspice*, ait, *Tsionem locum conventuum nostrorum*, (h. e. Festorum ac solennium sacrorum celebrandorum *b*,) hoc tempore liberatam ab ipso Deo, instauratam, reflorescentem, à Divina manu defensam! *Adspice* illam, *κατανόησον* *c*, non oculis corporis, sed oculis mentis, ut typum & repræsentamen veræ *Civitatis Dei spiritualis*, à Messia fundandæ, in quam non tantum tribus Israëlis sive in Canaanæa satæ sive per alias Mundi regiones dispersæ, sed tribus omnes Gentium ac Populorum, qui Israëlem novum ac spiritualem faciunt, confluent: ut si Hierosolyma terrestris, circumdans Templum splendidissimum in quo sacra concinno ordine & puriſſimo ritu cum admiratione Gentium quotidie celebrabantur, & hoc nomine frequentata ab ingente multitudine hominum, illuc Religionis causſa in Festis concurrentium, jucundissimum præbuerit aspectum Urbem hanc electam, sedem veri Dei, contemplantibus: Hierosolyma hæc eadem quatenus typum, figuram, & emblema sustinet Civitatis Dei veræ, spiritualis, cœlestis, longe sit dignior consideratione & jucundioris aspectus; quippe ex ejus aspectu & contemplatione agnosci queant attributa omnia Civitatis Dei veræ, rei omnium in hisce terris pulcherrimæ, æternum substituræ. *Oculi tui videbunt Hierosolymam, mansionem securam.*] Vox נוה genuina significatione sua notat *ovile, caulam ovium*, *ἄυλιον*, *ἄυλὴν τῶν προβάτων*. quæ notio hic est elegantioris usus & in rem aptissima. Ecclesia à Christo Jesu fundata, civitas Conventus omnium electorum, est *ovile*, ut à Domino describitur; quod suam habet *munitionem* & *ostium*: undique obsessum à feris, lupis, furibus, qui insidiantes ovibus in hoc *ovile* nituntur irrumpere. Non convenit promissio Hierosolymæ Veteri, nisi sensu restricto, respectu illius Ecclesiæ Maccabaicæ temporis ad quod hæc pertinet prophetia; h. e. Simonis Ethnarchæ & Joannis Hyrcani; sed convenit Hierosolymæ veræ & antitypicæ *ἁπλῶς absolute*, secundum statum ejus internum & spiritualem. Domini dictum est de *ovibus suis*, *ovili* conclusis *d*: *Nemo rapiet eas ex manu mea. Tabernaculum quod non inclinatur*] Hebræa sunt, אהל בל יצע quæ ob insolentiorem usum vocis יצע varie vertuntur; sed differitas ejusmodi est, ut loci sensum non mutet. Hieron. *Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.* Id plures sequuti sunt: nec tamen putem, id proprie velle Prophetam. Ratio est, quia non est inter attributa Tentorii, *non transferri*. Imo vero est inter attributa *tentorii*, *transferri posse*. Cum enim sit *Domus mobilis*; censetur semper de uno in alium locum posse transponi. Potest autem transferri tentorium absque ulla sua noxa aut vitio. Hic vero necessario alluditur ad *mutationem violentam*, cujus effectus est non ut transferatur tentorium, sed ut vel solvatur ac diruatur, vel inclinetur. Ut rem planius explicem: metaphora hic desumpta est à Tentoriis Arabum Deserticolarum, (quorum Principes solent in *tentoriis* amplissimis habitare:) quæ in vasto Arabiæ Deserto, ubi nulla tegmina & munimenta adsunt, exponuntur procellis ac tempestatibus quæ ibi maxime sæviunt; per quas, ut Historici testantur, Tabernacula non satis bene procurata sæpe disjiciuntur, prosternuntur, rumpuntur. Placent igitur versiones quæ simile quid exprimunt.

Hypothesis applicatur ad hunc locum Jesaiæ.

Paraphrasis verborum Prophetæ.

Hierosolyma *Locus conventuum*: quo sensu?

Quo item sensu *adspicienda*, consideranda?

Adspicienda erat ut typus Ecclesiæ N. T.

Omnia attributa status Ecclesiæ N. T. in ea spiritualiter accepta, detegi possunt.

Sequentia verba, ℣. 20. *Oculi tui videbunt Hierosolymam, mansionem securam.*

Usus vocis נוה h. l.

Notat *ovile*.

Applicatur ad Ecclesiam Christi Jesu.

Verba Textus: *Tabernaculum quod non inclinatur.*

Usus dubius vocis יצע h. l.

Non videtur commode verti per *transferri*.

Hic innuitur *inclinatio* aut *solutio* violenta.

Unde hic desumpta sit metaphora?

a Cap. II. ℣. 5. seqq. *Dist. Heb.* *b* Ps. CXXII. 4. *c* Heb. III. 1. *d* Joh. X. 1. seqq. ℣. 28.

A Verba ejus: *Adspice*,] O *credentes considerate in exemplo Liberationis hujus miraculosæ, stabilitatem securitatemque Ecclesiæ quoad Statum suum spiritualem.*

Interpretationes consonæ.

Jun. Trem. Pisc. *quod non dissipabitur.* etsi vox *dissipari* hic minus commode usurpari videtur. Chaldæus: כמשכנא דלא מתפרק *Ut Tabernaculum quod non disrumpitur.* sive, ut alii, *quod non avellitur*, sive *loco dimovetur.* Nostrum rectius, notatur mutatio violenta. Kimchius Pater: *Non prosternetur.* Deducit vocem à נפל *sternere*, & literam נ finalem vult esse paragogicam. Sententia nihil probabile habet. Aliud est *sternere*, aliud *prosternere.* Mihi placet, vocem נפל hic optime reddi per *inclinari*, gravius & cum noxa commoveri. Putem vocem proxime accedere ad affinem יטל *commoveri*, unde Græcum, Σείω. Interpres Alex. Σκηναὶ αἳ οὐ μὴ σεισθῶσιν. *tentoria quæ non commovebuntur.* Vitium est in *numero:* cætera recte. Vates noster efficacissime loqui solet. Justo minus dicere videretur, si dixisset, Hierosolymam esse tentorium quod *non disrumpitur.* Fortius est, *non inclinari:* ne quidem sæviente procella gravius concuti & commoveri. Præcipue vero hæc versio commendatur ex his quæ sequuntur. Propheta enim hic componit *effectum* cum *caussa sua.* *Non inclinabitur*, ait, quia *paxilli* ejus *non cedent*, nec *funes rumpentur.* Sic cohæret oratio, cujus membra seorsim inspicienda sunt. *Cujus paxilli non cedunt in æternum*] Proprie: *Cujus paxilli non cedet.* h. e. cujus paxillorum nullus cedet. Rursus fortissime enunciatum. Poterat unus vel alter paxillorum luxari aut cedere, & tamen *Tabernaculum* hactenus *stare:* sed Propheta ait, paxillorum *nullum cessurum* esse. Hæc genuina significatio est vocis נסע, hoc in loco, *cedere, vacillare, luxari. Et nullus funium ejus rumpetur*] Hieron. *Et omnes funiculi ejus non rumpentur.* Anitaque aliqui rumpentur? Equidem verum est, Hebræa ad verbum sic sonare: sed quod Hebræis hoc sensu secundum idiotismum Linguæ recte & eleganter, id Latinis eadem phrasi inficete dicitur. Verti debet, *Et funiculorum ejus nullus rumpetur.* Siquidem vero *stabilitas* omnis *tentorii* probe instructi pendeat à *paxillis* & *funibus*, ut locum tueatur: his manentibus suo ordine, persistet tentorium, nec vacillabit aut minabitur ruinam. Id vero attributum applicat Propheta ad Ecclesiam, aut Rempublicam Judæam ejus temporis de quo loquitur. Ecclesia omnis temporis est instar *tentorii* lati & ampli, ejusque ornatissimi; (qualia erant tentoria Principum Arabum, ad quæ Vates alio loco [a] clarius adhuc alludit:) quod qua communitatem facit, apta sit multos capere, fovere, & commodam ac securam iis præbere habitationem; &, ut verbo dicam, quod capiat *familiam* amplam ab aliis distinctam, cum Principe ac Ministris suis. Possum addere, esse Domum *mobilem.* potest enim de Gente in Gentem, de Populo in Populum transferri [b]. Ad *Ornatum* Tabernaculi & pulchritudinem ejus, quæ ingens erat & hodiedum est in Tentoriis Principum Orientalium, (Jeremiæ dicitur יריעת *Tentorium pulchrum* [c].) pariter in hac comparatione respici, jure dixerim, si à *principali attributo* discesserim. Id vero attributum est immota *stabilitas. Tentorium* suos habet *paxillos* & *funes* qui illud sustinent. Idem est attributum Ecclesiæ. *Paxilli* (πάσσαλοι) in hoc aspectu spirituali significant id quod Ecclesiam sustinet. Sunt promissa gratiæ nixa attributis potentiæ & veracitatis Divinæ. *Funes* significant sensu spirituali, id quod Ecclesiam quod ad Statum suum cum his promissis *connectit.* Sunt autem *fides* & *spes* se unientes promissis gratiæ. Junctim faciunt *fœdus Dei* cum Ecclesia, quod ab altera parte constat *promissis Divinis*; ab altera *fide, spe, Religione.* Hæc instar *medii* connectunt Ecclesiam cum Promissis Divinis. In aspectu status singularium credentium *fides* & *spes* instar *funiculorum* connectuntur cum *Promissis Gratiæ* Divina potentia ac veracitate nixis tanquam *paxillis.* Ecclesia nititur τῇ δυνάμει τοῦ Θεοῦ. *Promissa Gratiæ fide susceptæ* τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν *potentiam Dei* connectunt cum statu Ecclesiæ. Ubi hic nexus solvitur, & *promissa Gratiæ* abolentur, aut Ecclesia à Deo desciscente *fides spesque* credentium solvitur à *promissis Gratiæ: funiculi Ecclesiæ* dicuntur *rumpi.* Sic est apud Jeremiam [d]: *Tentorium meum vastatum est:* (querela Prophetæ sub persona Hierosolymæ:) *& omnes* FUNES MEI *soluti sunt. Paxilli* & *funes* in spiritualibus idem significant quod *fundamentum* Ecclesiæ ut *Domus spiritualis.* Refer promissum sive prædictum hoc ad statum Ecclesiæ Maccabaicæ, non poteris nisi restricte accipere, ut modo monui: sed laxa cogitationem, & videbis in statu Ecclesiæ hoc tempore liberatæ & se egregie sustinentis statum *Ecclesiæ Tsionææ Novæ* à Christo Jesu & Apostolis ejus fundandæ, liberatæ ab hostibus suis spiritualibus, quæ instar Tentorii alicujus in vasto Mundi Deserto exposita tempestatibus, procellis, turbinibus, sulta potentia Dei & promissis gratiæ, persisteret immota, *Regnum* consecuta ἀσάλευτον *moveri nescium* [e]. Est itaque hoc verissimum attributum Ecclesiæ Christi Jesu, secundum aspectum ejus internum & spiritualem quod ei passim in omni Dei Verbo tribuitur. Vates facer [f]: *Fundatio ejus* (Hierosolymæ,) *est in montibus Sanctitatis.* Alio loco [g]: *Qui fiduciam ponunt in Jehova, sunt instar montis Tsionis qui non commovetur in æternum.* Dictum Domini [g]: *Portæ inferorum non prævalebunt ei.* Inprimis huc referenda est insignis & huic parallela similitudo quam adhibet Matth. VII. 24. seqq. Plura non adfero in argumento sic satis trito. Experientia docuit, & hodiedum docet. Attributum hoc Ecclesiæ temporis Maccabaici complendum erat in Ecclesia Apostolica, ut dici possent *paxilli* ejus *non moveri* לנצח IN ÆTERNUM. Temporalia omnia complentur in spiritualibus; visibilia in invisibilibus. Τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια [h]. Ecclesia Domini non tantum durat per omnia Mundi sæcula, sed eadem perdurat & absorbet.

Illustratur ex seqq. *paxilli ejus non cedent*, nec *funes rumpentur.*

Emphasis orationis Propheræ demonstrata.

Versio Hieron. emendata.

Ecclesia concinne comparatur *tentorio.*

Convenientia attributorum.

Principale attributum quo hic alludit, est *stabilitas* Ecclesiæ *immota.*

Funes & *paxilli* Ecclesiæ ut tentorii.

Beneficium quartum: *Regnum Dei* IMMEDIATUM *se in Ecclesiam gloriose exerturum.*

℣. 21. *Quin sane Jehova* IBI *magnificus erit nobis.* LOCUS FLUVIORUM, & AMNIUM SPATIOSORUM: *per quem non ibit* NAVIS LONGA; *& quem* NAVIS MAGNIFICA *non pervadet.* ℣. 22. *Quia* JEHOVA *est Judex noster:* JEHOVA *est Legislator noster:* JEHOVA *est Rex noster: ipse salvabit nos*] Emblemata Prophetæ semper altius exurgunt & fictionis pulchritudine inter se certant: in quorum interiorem sensum & scopum penetrare, id verò est, vaticinia ejus recte interpretari. Sensus hujus Pericopæ est; fore ut Ecclesia illo statu temporis, cujus attributa hic describuntur, à solo Deo immediate pendere censeatur: solus verus Deus illo tempore agnoscatur, colatur, celebretur, ut verus Ecclesiæ suæ Rex, Doctor, Judex, Salvator; solus habeatur eximius. Quod ut declaret Vates, comparat Ecclesiam cum *Urbe* fita in terra fortunata *ad* & *inter fluvios* & *amnes*, in quibus nulla navis magna & magnifica, h. e. imperatoria, sive *bellica, præter eam* solius Jehovæ conspiciatur. Hic enim videtur esse genuinus aspectus emblematis, sed cujus sensus disputando investigandus erit. Veniam illuc ordine, cum plura in his verbis observanda occurrant.

Beneficium quartum: *Regnum Dei immediatum in Ecclesiam*, ℣. 21. 22.

Quando *funes* Ecclesiæ dicantur *rumpi?*

Attributum non nisi *restricte* convenit *Ecclesiæ* temporis Maccabaici.

Verissimum attributum est Ecclesiæ N. T.

Ex sensu Propheræ.

Pericopæ commendatio, & summa ejus.

Fictio & metaphora hic adhibita.

Primum est in Exordio sententiæ, quæ incipit à vocibus כי אם. Sustinent illæ passim significationem adversativæ, *sed*, & ita à quibusdam Intt. Hebræis ac Christianis & Belgis quoque nostris, vertuntur: qui proinde *adversativum* referunt vel ad *proxime præcedentia*, quibus dictum erat, *Clavos Tabernaculi Ecclesiæ non iri luxatum:* vel, ad verba ℣. 18. *Cor tuum meditabitur* TERROREM: ut Aben-Ezra instituit. Sed utrumque durius. Prius, quia oratio in eodem argumento decurrit; quando *adversativa* minor locus est: posterius, quia longius abest. Non sperno itaque observatum Kimchii, illud כי אם hic vertentis per *Quia*

Verba Prophetæ seorsim expenduntur.

Voculæ כי אם quid hic loci valeant?

[a] Cap. LIV. 1. [b] Matth. XXI. 42. 43. [c] Cap. XLIII. 10. [d] Cap. X. 20. [e] Heb. XII. 28. [f] Ps. LXXXVII. 1. [g] Ps. CXXV. 1. [h] 2 Cor. IV. 18.

Recte verruntur, *Quia certe*, cum Kimchio.

certe, paulo rectius quam Hieronymus, *Quia solummodo*. ut 1 Sam. XXI. 5. כי אם QUIN SANE, (*imo vero*,) *uxores à nobis abstentæ fuerunt heri & nudius tertius*. & Prov. XXIII. 18. כי אם יש אחרית QUIN CERTE *est exspectatio*. Hunc quoque locum produxit Grammaticus Hebræus; sed quem illi conjungit ex hujus Libri Cap. XXIX. 16. in hunc censum non refero. Nec legitur etiam ibi כי אם, ut *vitiose* exhibetur apud Kimchium: sed simpliciter, אם. Coccejus noster ipse quoque vertit, *Certe siquidem*. quod tamen durius sonat. Sic optime procedit oratio. Docet Propheta, non tantum stabilem fore Ecclesiæ statum: verum etiam ea gavisurum conditionis prærogativa, ut Deo solo Rectore ac Defensore utatur ac nitatur. Alterum in interpretatione sententiæ observandum, est, primum ejus membrum terminari voce לנו *nobis*. Sententia sic distinguenda est: *Immovero Jehova ibidem nobis magnificus erit*: sive ut Hebræa verbotenus sonant; *Immo vero ibi magnificus Jehova* NOBIS: *locus fluviorum, amnium late patentium*. Sic distinxerunt Masorethæ. contra ac Pagninus & Junius, qui duo membra in unam compegerunt sententiam, cujus subjectum fecerunt *magnificus Jehova* & prædicatum, *locus fluminum, amnium*, hoc modo: *Sed ibi magnificus Jehova* erit *nobis loco fluviorum, &c.* Si Propheta id voluisset, secundum analogiam Linguæ scripsisset, יהוה אדיר *Jehova magnificus*. Stare tamen posset sententia, si voces אדיר יהוה vertantur, MAGNIFICUS JEHOVÆ: quomodo sane verti possunt. Posset esse titulus ANGELI illustris Defensoris & Protectoris Populi Dei, qui utique exerte appellatur אדיר *Magnificus, illustris*, Cap. X. 34. Sic thema Prophetæ resolveretur in hanc sententiam: *Quinimo Magnificus Jehova nobis ibidem erit locus* vel *loco fluviorum & amnium*. Cui sententiæ si alia omnia faverent: non faceret *accentus distinctivus Sakeph* supra vocem לנו, ut eam temere improbarem. Phrasis, fateor, אדיר יהוה *Magnificus Jehovæ*, alibi quod sciam, non reperitur. Sed nihil habet insolens, & de *Filio Dei* rectissime usurpatur. Tertio observari velim, in *distinctione sententiæ* Masorethica quam modo ursi, voculam שם IBI quæ extat in *priore* membro, repetendam esse in *posteriori*. Concipe sententiam in hunc modum: *Siquidem* IBI *Jehova nobis erit magnificus: erit* IBI *locus fluviorum & amnium spatiosorum*. Sic ipsi quoque Belgæ. Coccejus aliter instituit. Supplevit hunc *versum* ex superiore, vertitque: *Certe siquidem ibi Princeps Dominus noster: locum fluviorum, amnium spatiosorum*, sc. *videbunt oculi tui*. Sed est illud durius & vere coactum. Quarto notabis, in verbis מקום נהרים יארים *Locus fluviorum amnium*, pro *fluviorum & amnium*; inesse ἀσύνδετον, quia Propheta intelligit *amnes* ex *fluviis* derivatos & iisdem concurrentes. Pertinet ad elegantiam orationis sæpius jam observatam. Sunt autem נהרים *Fluvii* hoc in loco *Fluvii majores*, veluti Nilus ejusque brachia, Euphrates, Tigris: יארים *amnes* sive *flumina* iis contradistincta, sunt *amnes minores*, majores *fossæ*, lacus, *stagna*, ex majoribus hisce fluviis sive naturæ ductu, sive industria humana derivata vel collecta: quam significationem vocis יארים in prophetia de Ægypto jam observavi [a]. Sic οἱ ὁ. hoc in loco: Ποταμοὶ καὶ διώρυχες. Symchus quoque: Διώρυγες εὐρύχωροι. Si vox יאור *absolute* usurpatur, in *singulari* passim significat *Nilum*: sed in plurali, יאורי מצור *fluvii Ægypti*, Prophetæ nostro [b] & Ezechieli [c], sunt *fossæ* in quas cum brachiis Nili scissa erat Ægyptus inferior. Potest etiam *appositio* aliam admittere emphasin; ut נהרים יאורים *Fluvii, amnes*, sint *fluvii* ad maximum incolarum terræ usum parati; non violenti, terræ graves, sed modesti, terram irrigantes ac fœcundantes, quales erant Fluvius & amnes fossitii Ægypti. Quinto, quod additur; רחבי ירים *spatiosorum*, (proprie, *latarum extentarumque manuum*: quæ significatio usu Scripturæ S. est recepta [d]:) referendum esse,

Nexus orationis secundum hanc versionem ostenditur.

Alterum observatum necessarium: primum membrum sententiæ terminari in verbis, *magnificus erit nobis*.

Interpretes qui duo membra inter se confuderunt.

quorum versio notatur.

Temperamentum κείσεως superioris.

Vocula שם quæ in priori membro occurrit, repetenda est in posteriori.

Quartum observatum. Ἀσύνδετον in oratione.

Discrimen significationis inter voces נהר & יאור.

Aliud observatum ad voces hasce conbinatas, ut & ad phrasin, רחבי ירים.

non ad *fluvios* tantum, verum etiam ad אגמים *stagna voluptaria*. Vati nostro dicta אגמי נפש [e], quorum in Ægypto, (si forte ad eam hic alludatur;) magna erat copia. Sexto denique, quod Jesaias subjungit: *Per quem* sive *in quo* sc. loco fluviorum & amnium, *non ibit* אני שט NAVIS REMI, & *quem non pervadet* צי אדיר NAVIS MAGNIFICA: esse intelligendas *Naves bellicas*, & ab eo pendere vim sententiæ. Id plures jam observarant, sed nemo prosequutus est doctius & fusius Doctissimo Viro, Marco Meibomio, in Tractatu de *Triremibus* [f]. Laudat ille hic merito Versionem Aquilæ, qui verba scienter vertit: Οὐ μὴ πορευθῇ ἐν αὐτῇ ναῦς κώπης, καὶ τριήρης ὑπερμεγέθης οὐ διαβήσεται αὐτόν· *Non ibit in ea* NAVIS REMIS ACTA, & TRIREMIS *supra modum magna non transibit illum*. simul castigat Versionem Paraphrastæ, qui vere hic non capiens mentem Prophetæ, *Navem remis actam* accipit de ספינת צירין *Nave* sive *scapha piscatoris*; & Grotii quoque animadversionem, qui cum Hieronymus *Navem Magnificam* hic secundum Aquilam perite vertisset; *Neque trieris magna transgredietur illum*; ad hæc verba adscribit: *Aliud trieres, aliud triremes. Triremes tribus remis aguntur: trieres ternis remorum ordinibus*: imputatque inscitiam has notiones confundentibus. Vir Eruditus hoc tempore aliis fuit distractus. Ut enim certissimum est, *Triremem* esse Latinis non *trium remorum*, sed *trium ordinum remorum Navem*, æque ac τριήρης Græcis: sic insolens est, navem minorem, scapham, lembum, *tribus remis agi*: poscit enim *pares*. Nec dixeris, *tertium* pro *gubernaculo* esse, cum duorum remorum navicula gubernaculo non indigeat. Docet autem idem Vir Doctus, characterem *Navis bellicæ* esse *impelli remis: onerarias* enim *naves velis*, non *remis*, impulsas fuisse. velle itaque dicere Prophetam, *Navem bellicam nullam, triremem, quinquiremem*, has aquas *transituram esse*. Largior ego, per אני שט *Navem remi* omnino hic intelligi *Navem longam*, ut erudite vertit Coccejus noster, hoc est, bellicam: perinde ac per צי אדיר *Navem magnificam, Triremem*, quam significationem vocis צי Hebræi confirmant & Paraphrastes quoque, qui צי אדיר *Navem magnificam* hic vertit per בורני רבתא *Liburnicam magnam*. Erant autem *Liburnicæ* Naves passim biremes ob magnum earum usum in prœlio Actiaco circa & post tempora Augusti Romanis celebratæ. Circumstantia hujus loci id postulat. Passim etiam verum est, *onerarias* latiores, *longis* contradistinctas, *velis* agitatas esse: sed ita, ut si res ferret, *remos* quoque admiserint, ut Docti Viri adversus Baisium & Salmasium jam observarunt. Hæc quod ad verba; nec tamen vel sic expeditus est sensus loci. Dubium enim, quomodo hæc cohæreant, & quorsum tendat emblema: quod plane necessarium est distinctius discuti & explicari.

Per *Navem* magnificam & *Navem remi* intelligenda est *Navis Bellica*.

Cl. Meibomius laudatus.

Animadversio in alios Interp. & Grotium.

Triremium, Liburnicarum, Onerariarum & *scapharum* differentia.

Navis remi hic est *Navis bellica*.

Cl. Cocceji versio laudata.

Longe maxima pars Interpretum Prophetam hic versari videntes in declaranda *stabilitate Ecclesiæ*, ejusque stabilitatis caussa, *Defensione Divina*; emblema orationis ita accipiunt, acsi dicere velit Propheta; Jehovam, se *Magnificum* exhibiturum hoc tempore, Populo suo & Metropoli Regni sui, h. e. Hierosolymæ, fore pro *munimento*, quale munimentum præstare solent magnis Urbibus *fluvii & amnes late patentes*, quos *fluvios* & *amnes* Naves non temere audeant trajicere, sive pervadere. Huc fere tendunt omnes; licet aliqui membra sententiæ cum Masorethis distinguentes, quod dicitur: *Locus fluviorum & amnium*: non intelligant de *Jehova*, acsi dicere velit Vates: *Jehova ibi nobis erit magnificus*, idemque Jehova nobis erit *loco fluviorum & amnium* late *patentium*; sed de Hierosolyma Metropoli cum respectu ad vocem שם IBI; vertantque, *Et erit*, sc. IBI, vel *Et erit ibi* sc. Hierosolymæ, *locus fluviorum & amnium late patentium*. Sed alii id plane referunt ad Subjectum *Jehova*; ut sensus sit, Jehovam præstiturum esse Populo suo *munimentum*

Quomodo passim hoc emblema ab Interp. accipiatur?

Differentia Interp. in constituendo *Subjecto* Membri posterioris: quod alii faciunt *Hierosolymam* & Judæam. Alii, *Jehovam*.

[a] Cap. XIX. 6. [b] Cap. VII. 18. XXXVI. 25. [c] Cap. XXIX. 10. Confer Exod. VII. 19. [d] Gen. XXXIV. 21. Ps. CIV. 25. [e] Cap. XIX. 10. Confer Exod. VIII. 1. [f] *Antiq. Rom. Græv.* Tom. XII. p. 626.

certum quale præstare solent Urbibus *fluvii & amnes*. ipsum itaque Populo & Metropoli Hierosolymæ aut Ecclesiæ fore *pro fluviis & amnibus*, eamque defensurum adversus hostilem impetum. quod autem additur, *nullam triremem* aut *navem magnificam* hunc *fluvium transituram esse*; eodem referunt, sc. per *triremem & navem magnificam* intelligi *naves hostiles* majores; ut sensus sit, *Nullos fore hostes, Ecclesiam oppugnaturos. omnia fore tranquilla.* Hieronymus emblema sic accepit, & inter recentiores plures ipsi quoque Belgæ nostri & Coccejus. Hebræi Intt. Aben-Ezra & Kimchius in eadem sunt sententia. Cl. Meibomius, modo laudatus, de loco hoc nostro optime meritus, eandem tenet hypothesin: sed sunt illius aliqua observata peculiaria, non negligenda, veluti, α. Prophetam hic in oculis habere *Urbem* quandam *illustrem*, puta *Memphin* vel *Alexandriam*, aquis munitam & quasi circumdatam. Quam posteriorem si respexerit: prophetice de ea locutum esse, cum nemo ignoret, Urbem *Alexandriam* tempore Prophetæ ortu posteriorem esse. β. Per *Fluvios*, *amnes latarum manuum*, h. e. spatiosos, hic omnino videri alludi ad *fluvios & amnes* Ægypti; ut נהרים *fluvii* sint majores illi *fluvii*, brachia Nili, in quæ scissus fuit hic fluvius infra Memphin; sed יאורים *amnes* sint *fossæ* majores, ex brachiis Nili derivatæ, aut *stagna* iis cognata, qualia in Ægypto plura fuerunt. Cætera modo jam anticipavi. Adscribam ἐπίκρισιν meam modeste, ut par est, &, dum id facio, sententiam his verbis reconditam in medium producere nitar.

Primo loco, probo hujus pericopæ distinctionem Masorethicam, per quam primum membrum ejus à sequentibus discernitur, ut jam in superioribus monui. Primo ait Propheta, *Jehovam se* IBI, h. e. in Republica instaurata *magnifice* ac glorioſe *ostentaturum*, sc. ut mox ℣. 22. instar *Judicis, Legislatoris, Regis*, ac *Defensoris sui Populi*. Secundo docet, *Statum* Reipublicæ instauratæ, Deo Rege & Præside, tam fore florentem & fortunatum, ut comparari queat cum *terra fertilissima*, Fluviis ac Rivis scissa atque irrigata, ad omnem abundantiam Populo procurandam facta: ut Hierosolyma hic proponatur in emblemate tanquam *Urbs* in terra fertilissima in mediis fluviis & amnibus sita. unde verba, *Locus fluviorum amnium spatiosorum*, referenda sunt ad eandem vocalem שם IBI, ut sensus sit; IBI, ubi Jehova se illustrem & glorioſum ostenderet Populo, fore locum *fluviorum & amnium*, h. e. speciem exhibendam esse *terræ fortunatæ*, omnibus Naturæ beneficiis exundantis, ut mox clarius docebo. Non putem itaque, dicere velle Prophetam, *Jehovam* (aut *Magnificum Jehovæ*,) fore *locum fluviorum* vel *loco* ac *vice fluviorum*, ut Interpretes aliqui accipiunt. Est enim durior metaphora, qua Jehova dicitur fore *locus fluviorum & amnium*. Si id voluisset Propheta, stylo Sacro, dixisset, eum fore לנהרים יאורים *in fluvios & amnes*. Si autem dicas, fore *loco* sive *vice fluviorum & amnium*: h. e. eadem commoda & munimenta præstiturum Populo suo quæ *fluvii & amnes*: non respondent sequentia: *Non ibit in eo* sc. loco, *navis longa* aut *magnifica*: quippe quæ secundum hanc fictionem emblematis nullum habent usum. *Navis* enim *longa* aut *magnifica* non commode concipitur *Deum transire posse ut fluvium*. Est itaque sententia ita concipienda ut dixi, speciem terræ & Reipublicæ, in qua Deus se *magnificum* præberet, hanc futuram esse, ut referret locum *scissum in fluvios & amnes*. Secundo, probe plane & recipio Docti Viri hypothesin, alludi hoc in loco ad Ægyptum, & speciatim ad Memphin Urbem, illo jam tempore celebratissimam. Est hæc vera proprietas Ægypti, & præcipue Ægypti inferioris, quæ hic describitur. Erat circumdata brachiis Nili, & per eadem illa, ut & per fossas ex iis derivatas, scissa, ut satis notum. Memphis autem Urbs, post Thebas, Metropolis Regni, aquis ex Nilo & stagno proximo ductis egregie munita; ῥέοντος τῆ Νείλῳ περὶ τὴν πόλιν, *Nilo Urbem circumfluente*, ut describitur à Diodoro Siculo α, speciem præbet ejusmodi Urbis Regiæ qualem Propheta hic pingit: ut facile concedam, in fictione hujus emblematis ejus habitum esse respectum, ac necesse non sit dicere, Vatem hic Alexandriæ proleptice meminisse, cujus attributa aliqua huic emblemati non conveniunt. de quo prolixius non disputo, quod in ipsa necessaria prolixitate brevitati studeam. Tertio, cum hæc largiar: in eo tamen à Doctis Interpretibus dissentio, quod existiment, emblema *fluviorum & amnium*, quorum hic mentio fit, paratum esse ad significandum munimentum *terræ & metropolis Regiæ* quæ hic describitur. Id præjudicium alte inhæret Interpretibus, per quod plures se in interpretatione hujus loci in magnas redegerunt angustias. Fateor, fluvios, amnes, stagna, fossas, esse munimenta Urbium, idque sane patet ex insigni loco Nah. III. 8. ubi *No-Ammon* (*Thebæ Ægyptiæ*, vel forte, ut alibi conjeci, ipsa hæc Urbs Memphis,) à munitione sua describitur ut sita in *fluminibus*, (ביאורים) *aquis eam circumdantibus, ut* MARE (h. e. aquæ copiosæ,) *essent ejus* ANTEMURALE, *& mare ejus* MURUS. Verum omnium emblematum non est idem respectus. Discernendum est ex circumstantiis cujusque loci quorsum emblemata tendant. Rationes meæ sunt. α. Quia Propheta *absolute* scripsit, fore ibi *locum fluviorum & amnium*. Atqui ad *Urbem* qualemcunque probe *muniendam* sufficit *fluvius*. ut v. g. Euphrates Babyloni, Orontes Antiochiæ. Ubi plures *fluvii* aut *amnes* memorantur, videtur eorum alius usus respici. Nec tamen est hæc ratio palmaria. β. Quia munitio & defensio Urbis & terræ in hoc loco non petitur à munimento *fluviorum & amnium*, sed à *defensione Jehovæ*, ut patet ex ℣. 22. γ. Interpretes, qui in hoc hærent præjudicio, hæc verba infeliciter connectunt cum sequentibus, in quibus dicitur, *nullam Navem bellicam* has aquas esse *pervasuram*. Cum enim sibi persuadeant, omnem Urbis firmitatem & robur his verbis tribui *fluviis & amnibus spatiosis*: ex ipsis hisce *fluviis & amnibus spatiosis* petunt rationem, quare nulla *navis* eas sit transitura ad Urbem aut terram oppugnandam. plane contra mentem Prophetæ. Fingunt itaque, id velle Jesaiam, ob *fluviorum & amnium* amplitudinem aut *gurgitum profunditatem* nullas naves, majores etiam, se ausuras esse his *fluviis & amnibus* committere ad Urbem oppugnandam; quando simul supponunt, nullas omnino naves, actuarias aut onerarias, nedum lembos, pristes, cymbas, (ad quod genus navigiorum vellent, si liceret, restringere dictum Prophetæ:) in hisce fluviis & amnibus usum habituras esse: quod ut pugnat cum natura rerum ex quibus hoc emblema constructum est: sic alienum est à mente Prophetæ, ut modo monui. quippe α. Propheta non loquitur de *navigiis parvis*, cymbis piscatoriis, lembis, pistribus, quæ ספנות dicuntur, sed de *majoribus*, h. e. *biremibus, triremibus*, quæ dicuntur *Naves remorum & Magnificæ*. β. Non loquitur idem de *Navibus onerariis*, quæ Urbibus omnibus ad fluvios sitis prosunt ad omnium rerum copiam & abundantiam; sed de *bellicis*, ut in superioribus evici. γ. Experientia tempore Prophetæ abunde docuerat mortales, nullum posse esse *fluvium* tam *vastum* ac *profundum*, quin Naves majores, (ne de *lembis* & *cymbis* dicam quarum in omnibus fluviis usus est:) eum sulcare queant. Quod autem hic de *gurgitibus* horum fluviorum memorant, non est in verbis Prophetæ, sed in ipsorum ingenio. δ. Tantum abest, ut dictum Vatis sacri: *Nullam navem bellicam* hunc fluvium *transituram esse*: petatur à conditione fluviorum aut navium, ut è contrario hæc verba à Propheta addantur ad animis lectorum eximendum scrupulum, qui ex ipsa *fluviorum & amnium* consideratione nasci posset. Cum enim *fluvii & amnes omnes*, & terra ac oppida ad amnes sita, exposita sint incursibus hostilibus qui medio

α Diodor. Sic. Lib. I. p. 32.

pomodo
t verba:
ullam na-
ma-
m hos
am.
esse.
ioris
hanc sen-
tiam.
Cl. Meibo-
mii observa-
ta peculiaria.

Per *Fluvios & Amnes* hic alludi ad *Fluvios Ægypti*.

Ἐπίκρισις ad hasce sententias.

Primo probatur distinctio Masorethica in hoc versu.

Ut subjectum posterioris membri sit esse *Locum Fluviorum & Amnium*.

Ratio sententiæ petita ex textu.

Secundo, probatur hypothesis Viri Docti, alludi hic ad Ægyptum: & quidem ad *Memphin & Fluvios* ac *Fossas* Nili.

Proprietas terræ Ægypti; & speciatim *Memphis*.

Tertio: Non laudatur sententia, quæ putat, *fluviorum & amnium* hic fieri mentionem acsi essent *munimentum* Hierosolymæ.

Propheta hic mentionem non facit *usus fluvii*, qui pro munimento esse posset, sed *plurium*.

Munitio & Securitas Urbis hic petitur à *Defensione Jehovæ*.

Intt. sequentia cum hac hypothesi infeliciter connectunt.

Refellitur hypothesis, quæ statuit *Naves* non esse transituras fluvium ob earum profunditatem aut vorticis.

Quod Vates dicit, *Nullam navem bellicam esse transituram hunc Fluvium*: his verbis occurrit scrupulo qui ad-

versus hanc prærogativam moveri posset.

dio *Navium bellicarum* per *fluvios* & *amnes* tentantur, ut adeo *fluvii* tam obesse possint terris & Urbibus quam prodesse: Propheta amplitudinem hujus prærogativæ explicans occurrit huic scrupulo. etiamsi, ait, fluvii pateant incursibus hostilibus per *naves bellicas:* in hisce tamen *fluviis* nulla ejusmodi *Navis bellica* aut *magnifica* comparebit. Quare vero? An ob amplitudinem aut profunditatem *fluviorum?* Neutiquam sane: nullus enim tam amplus aut profundus est fluvius quin tractari possit à navibus: sed, ut ipse declarat, ℣. 22. quia Jehova ut *Salvator* & *Defensor* solus sua *Nave Prætoria* (ita mihi loqui liceat:) in his aquis & fluviis ita dominabitur ut eas tutas sit præstiturus sua cura ac defensione adversus omnem insultum bellicum. Vertenda itaque sunt verba: *nec* tamen *eo ibit navis bellica.* ut recte instituit Cappellus. Id vero esse quo Vates hic respicit, duo me docent. *α.* Quia huc pertinet quod dicitur in initio sententiæ: *Jehova se ibi nobis* GLORIOSUM sive MAGNIFICUM exhibebit, & quidem in *loco fluviorum* & *amnium*, in quibus ipse solus instar *Imperatoris* NAVE MAGNIFICA vectus dominabitur. Eo enim referendam esse vocem אדיר *magnificus*, patet ex oppositio membro: *Nulla navis* MAGNIFICA (גי אדיר) *eum locum transibit.* Sententia Prophetæ est, Deum solum in hisce maribus, sive fluviis spatiosis esse *dominaturum* & se gloriose ostentaturum, eosque defensurum. *β.* Quia mox de *Nave Imperatoria* hostili oppositio ad *Navem Imperatoriam* Jehovæ Vindicis sui Populi mentio fit, ℣. 23. Desumitur autem metaphora à *Nave Imperatoria* ad exprimendum Regnum Dei in terra & Populo omnibus bonis abundante ob fictionis pulchritudinem: etsi metaphora rarior sit in Verbo Dei, quod Israëlitæ Navium exiguum haberent usum. Solebant illo tempore *Phœnices* & ipsi quoque *Ægyptii* Naves suas, & præsertim Prætorias ac Bellicas, splendidissime instruere, ut non nisi summa cum voluptate videri possent & omnium in se verterent oculos, quod alibi [a] jam docui: ut proin pulcherrimum posset esse emblema Dei se in *fluviis* & *amnibus* sui Populi magnifice ac gloriose ostentaturi ut Imperatoris ac Prætoris Populi sui.

Sententia confirmatur ex verbis & scopo Prophetæ.

Metaphora hic desumpta à Deo veluti Prætore vel Imperatore in *Nave Prætoria* his Fluviis vecto, & Populum defendente.

Quid itaque? Si *fluviorum* & *amnium* hic non fiat explicata mentio cum respectu ad *terræ* & *Urbis munitionem:* quorsum igitur tendit emblema, & quid sibi vult fictio Prophetæ? Dicam absque circuitu, respici ad amœnitatem, fœcunditatem, copiam & abundantiam bonorum desiderabilium illius terræ & populi, cui Jehova, ut Rex, Prætor, ac Defensor præesset. Hoc nomine apud Gentes omnes celebrata erat Ægyptus, acsi à fluviis & rivis scissa rigataque præberet speciem *Paradisi Dei.* Sic Lotus in historia *totam planitiem Jardenis* ut se habuit *ante perditam Sodomam & Gomorrham, vidisse* dicitur [b] *totam* IRRIGUAM גן יהוה כארץ מצרים *instar* HORTI JEHOVÆ; (PARADISI,) *instar* TERRÆ ÆGYPTI. Cum enim Judæa magnam partem montana esset, & sæpius laboraret *penuria aquæ*; contra vero qui excurrebant in Ægyptum, celebrarent illius terræ *fœcunditatem* amœnitatemque ob copiam fluviorum ac rivorum eam secantium: videbatur hæc prærogativa Ægypti Judæis singularis esse atque invidenda; ac proin Propheta felicitatem illorum temporum in emblemate depicturus desumit comparationem proxime quidem ab Ægypto: remote vero ab ipso Paradiso. Sed ne quis mihi hic hæsitet, comparet Prophetam secum ipso, non tantum Cap. xxx. 25. (est enim aliqua hic emblematis differentia:) sed Cap. LI. 3. *Quia consolatus est Jehova Tsionem: solatus est omnia loca ejus Deserta; & posuit* DESERTUM EJUS UT EDENEM, *& SOLITUDINES EJUS UT HORTUM JEHOVÆ. Gaudium & lætitia ibi invenietur; confessio & vox cantus.* Confer Cap. xxxv. 7. Id plane idem est quod hic dicitur. *Tota terra* sub Deo Rege *irrigua* esset *instar Paradisi* sive Ægypti, scissa *amnibus* ac *rivis*, ad commoditatem & abundantiam omnem plurimum conferentibus: quem genuinum loci hujus sensum inter Interpretes Pellicanus *A* vidit, sed aliquanto fortius expressit quam vellem, magis intentus statui cœlestis gloriæ quam Gratiæ in his terris. Ut autem terra Ecclesiæ gauderet commodo & voluptate amnium: sic libera esset ab *incommodis*, quibus terræ ad fluvios majores sitæ expositæ jacent. Nulla enim *Navis bellica* has aquas ingrederetur, nulla transiret; & quidem cura ac providentia Dei instar Imperatoris aut Prætoris terram fluviosque defensuri.

Emblema *Fluviorum* & *Amnium* hic referendum est ad *terræ* fortunatum latum describendum.

Celebritas Egypti respectu commodi *Fluviorum* & *Amnium.* Comparate ad Judæam.

Loca hujus libri analoga, in quibus simul aluditur ad *Paradisum.*

Terra Ecclesiæ his commodis gauderet absque *incommodo.*

Sic cohærent cum his nostris sequentia, insignia illa, ℣. 22. QUIA *Jehova est Judex noster, & seqq.* ad quam sententiam, fundatam in notionibus communis usus, pauca observabo. Primo, vocis שפט in his verbis esse significationem geminam, sive complexam. Notat non tantum *Legis datorem*, sed & *Doctorem:* atque adeo complexe, *Legis doctorem* summa potestate *Legislatoria* instructum. Legis datores omnes, (θεσμοθέται,) veluti Minos, Draco, Solon, Lycurgus, Numa, & his similes, censeri debent esse *Doctores* publici. Docent enim, tum Leges dando, tum datas interpretando. Publicus itaque omnis *Legis Doctor & Interpres*, docens μετ' ἐξουσίας, proprie id est quod Hebræi vocant שפט. quam significationem hæc notio obtinet in loco triti usus Gen. XLIX. 10. ut & in Ps. CVIII. 9. Specimen ejus potestatis observatur olim sub Oeconomia Vetere in Sacerdotibus & Levitis, *sedentibus super cathedram Mosis*, de quibus ipse [c]: *Docebunt Judicia tua Jacobum; & Legem tuam Israëlem.* Et Malachias [d]: *Labia Sacerdotis servabunt scientiam, & Legem requirunt ex ore ejus.* Imo vero residebat sub Mose & circa tempora Maccabaica hæc potestas in Assessoribus omnibus amplissimi illius Senatus Presbyterorum qui *Synedrium* dicebatur, ex quacunque tribu oriundi essent; quippe quibus verissime competebat nomen שפטים. Erant *Legis* διδάσκαλοι *Doctores* non tantum sed & Interpretes in dubiis casibus, auctoritate summa muniti. Secundo, notari velim in hac sententia gradationem, Prophetæ solennem. Primum ait, *Jehovam* esse JUDICEM Ecclesiæ. Sed cum *Judices* esse possunt qui *secundum Leges judicant*, licet non præditi potestate *Legislatoria*, ut sane plus est, *Legislatorem* quam *Judicem* esse veluti summum atque αὐτοκρατορικὸν Legis Interpretem: addit, eundem esse Νομοθέτην LEGISLATOREM, quæ vere est Potestas *Civilis* contradistincta *Judiciali.* Surgit oratio, ubi addit, *Jehova est* REX NOSTER. quippe cum *Legislatoria* potestas possit esse restricta à Populo apud quem residet Jus majestatis ad hoc tantum genus Imperii: latior est & amplior potestas *Regia*, tanquam quæ involvit Regimen non tantum *Judiciale*, sed & *Civile* cum respectu ad Oeconomiam totius Reipublicæ. Nihil enim in tota Oeconomia Reipublicæ geritur aut geri par est, quod non pendeat à Rege ut Oeconomo & Episcopo totius Civitatis. Sed esto Rex sapiens & prudens Oeconomus, qui Regimini & Judiciis in Civitate cum laude præsit: ne sic quidem functus est omnibus Muneris sui partibus. Cum enim *Regis* sit non *judicare* tantum & *gubernare* Populum; sed quoque *Prætoris* instar sive *Imperatoris* eundem adversus vim externam defendere, eaque de caussa in bellis *præire:* Vates noster ut ideam perfecti *Regis* exhibeat, addit: IPSE SALVABIT NOS.

Verba ℣. 22. *Quia Jehova est Judex noster, &c.* eorumque *cohærentia* cum superioribus.

Usus vocis שפט in his verbis pro *Legislatore* & *Legis Doctore.*

Illustratur ex analogis.

Gradatio in his verbis observanda.

Quæ ostenditur.

Plus est, esse *Legislatorem* quam *Judicem.*

Plus rursus, esse *Regem* quam *Legislatorem.*

Item, esse Regem Imperatorem, quam simpliciter sic dictum.

a Ad Cap. II. 16. b Gen. XIII. 10. c Deut. XXXIII. 10. d Mal. II. 7.

A Verba Pellicani sunt: *Sed in eadem Urbe cœlesti Hierosolyma omnibus piis declarabitur & conspicua erit majestas Domini, mysterium Emanuëlis, qui nobiscum Deus dicitur & comprobatur. Locus ibi erit torrentium omnium voluptatum sanctarum. ibi erumpent aquæ vivæ, per omnes Urbis plateas descendentes; fontes salutis, gratiæ, & PARADISI FLUMINA circumquaque longe lateque diffundenda, & mare ipsum totius felicitatis; ubi nulla navis piratica, nec periculum aliquod naufragii locum habet, nec labor aliquis remigum, nec vigiliæ anxiæ speculatorum, nullius nec scopuli nec syrtis, vel quorumcunque incommodorum timor: omnia illic placida, jucunda, felicia, certaque erunt.* Nimis fortiter, nec secundum Prophetam, in singularibus satis accurate picta est imago.

Emphasis sententiæ fert, Deum illo tempore *solum* fore Regem Populi sui.

nos. Tertio, ubi Propheta ait: JEHOVA *est* JUDEX NOSTER, idemque *Legislator* & *Rex noster*: verba sunt accipienda in ea emphasi, ut doceant, illo temporis rerumque statu *Jehovam* solum & quidem ἀμέσως Populum suum administraturum salvaturumque esse. Res ipsa hic clamat, & cohærentia cum *superioribus*. Esset locus amnium, fluviorum, rivorum, in quo nulla *Navis magnifica* appareret præter solam Prætoriam *Jehovæ*. Solus in illis aquis & maribus dominaretur. Solus se efferret & ostentaret omni alia potestate. Solus suos defenderet. Quarto denique animadverti velim, esse in hoc loco ut in pluribus aliis V. T. dudum observatis *trinam* repetitionem nominis יהוה JEHOVÆ, quam omnino putamus & pie credimus referendam esse ad mysterium sanctæ *Triadis*, quod Propheta non minus clare explicat Cap. LXIII. 7. 8. Quod dum facio, non habeo necesse hæc attributa tria vere cognata ab invicem divellere & ad distincta ὑφιστάμενα adorandæ Essentiæ applicare, ut v. gr. in FILIO videamus Jehovam JUDICEM [a]; in Sp. S. Jehovam DOCTOREM & *Legislatorem* [A]; (ut in Oratione Ezræ [b]: *Et* SPIRITUM TUUM *bonum dedisti iis*, sc. Israëlitis ex Ægypto ductis, *ad illos erudiendos*:) & in PATRE Jehovam REGEM, *ex quo omnia*, & *in quem omnia* ut in primum Oeconomiæ Divinitatis principium resolvuntur: etiamsi non valde contranitar, si quis ita instituere velit: verum simplicius ita statuo, *ter* repeti *Nomen Jehova*, ut hoc ipso significaretur, *Patrem* & *Sp. S.* in FILIO & per FILIUM, ut per *Regem*, *Judicem* ac *Defensorem Ecclesiæ*, (ejus enim Personæ hic præcipuum respectum esse putem:) se gloriose demonstraturos esse ut *Regem* & *Judicem Ecclesiæ*. Ad notiones ipsas interpretandas nihil nunc adjicio. Suppono eas non ignorari ab his in quorum gratiam scribo.

Trina repetitio Nominis JEHOVA in h. l. observanda.

Ad eam animadversio.

Emphasis sententiæ.

Quæritur, cui *tempori* & *Statui Ecclesiæ* conveniat prophetia? Jam respondimus ad quæsitum in commentatione *Pericopæ superioris*. Res hic eadem est. Plerique Intt. paucis exceptis, hic deserunt hypothesin de *temporibus Hiskiæ*; & aliqui non nisi timide verba hæc nostra applicant ad tempus Regni *Messiæ* in his *terris*: potius cogitant de statu illius Regni consummandi in æternitate glorioſa. Nos nostram hypothesin non deserimus. Agnoscimus equidem, magnum quid esse quod Vates hic effert; nec diffitemur, omnem Ecclesiæ felicitatem in his terris in qualicunque statu ejus aliquando consummandam esse in cœlis: & tamen nulli dubitamus, quin Jesaias hic ut alibi vaticinatus fuerit de Statu Ecclesiæ in his terris. Decurrere autem vaticinium in eodem tempore & subjecto, sequens *pericopa*, qua hæc Vaticinatio clauditur, docebit, ut jam supra monui. Nostra hypothesis hic est æquabilis. Demonstro tempus instauratæ per Maccabæos Reipublicæ consummandæ in statu spirituali Regni Christi Jesu: quæ cognata tempora à Prophetis passim complexe sumuntur. In eo figo scenam prophetiæ κατὰ γράμμα acceptæ. Videamus, an & quomodo *characteres* ea expressi ad hypothesin nostram conformari queant.

Quæritur de *tempore* & *Statu Ecclesiæ* ad quæ prophetia applicanda sit.

Insistitur hypothesi superiori.

Sententia uberius explicatur cum suis temperamentis.

Characteres temporis ex prophetia collecti.

Characteres hujus temporis duo sunt. α. *Immediata dependentia* à Deo ut Judice, Legislatore, & Rege Ecclesiæ, eandem defensuro. β. Locus Regni & Populi Dei *scissus* per amnes & fluvios per quos nulla *navis bellica* iret, h. e. *Copia* & *abundantia* omnium rerum, quæ ad utilitatem, commoditatem voluptatemque faciunt, cum earum rerum *fruitione secura*. Sic enim ratio suadet emblema interpretari. Utriusque, fateor, non nisi *umbram* demonstrari posse in temporibus Maccabaicis: sed *umbra* nobis hic sufficit. Quod ad primum attinet characterem, h. e. *immediatam dependentiam Ecclesiæ à Deo*: ægre κατὰ τύπον in temporibus Hiskiæ ostenditur. Etiamsi enim à Rege & Populo hoc tempore summa Dei majestas summisse agnita cultaque sit: aderat tamen Rex, Davide ortus, Deo Regi subordinatus, qui in se convertebat subditorum suorum oculos & cultum. Sed erat hic quid singulare temporibus Maccabaicis. Nulli tum Reges & Principes populo præerant ex Domo Davidis. Series successionis Pontificalis fuit interrupta. Abolita Potestas Politica & Ecclesiastica quæ magno splendore fulserat in Domo Dei. Hoc tempore cum omnia desperata viderentur: Deus *comparuit* in decore & gloria sua cum omnibus *sanctis suis* [c]. Suscepit vindicias Populi sui, excitavit Heröes, & quidem non ex Domo Davidica sed ex ordine gregario Sacerdotali, per quos hostes suos fudit ac prostravit, & Rempublicam instauravit; quique iidem deinceps Populo ut *Duces* præfuerunt. Cum autem *Sacerdotes* tanquam personæ Deo sacræ *Deo* eum in modum subsint, ut ipsorum regimen censeri debeat esse Regimen ipsius Dei, cui consecrati & proximi sunt: ob hanc ipsam rationem imago hujus temporis & status Ecclesiæ obversata est Prophetæ tanquam à Deo *immediate pendentis*. Sacerdotes enim erant Dei. Regimen sacerdotale erat & censebatur esse Divinum. Equidem verum est, Principes Assamonæos Pontifices licet, instituisse mutare formam Regiminis, & coronam capiti suo aptasse. Sed infelici successu. consilium Deo displicuit qui hanc coronam humano, non Divino consilio sumptam, deinceps *invertit*. Propheta noster respicit illud Regimen quale erat in initiis, inprimis sub Simone & Joanne Hyrcano: & solent vere Prophetæ ubi de lætis & prosperis vaticinantur, vitia & ἀποτεύγματα illorum temporum sub lætorum ac prosperorum velo condere. Alter character copiæ & abundantiæ omnium beneficiorum conjunctæ cum securitate, qui depingitur sub emblemate terræ scissæ ab *amnibus* ac *rivis*, ut instar quoddam Paradisi Dei videatur: in eundem hunc articulum temporis quadrat. Est enim hoc idem tempus cui convenit *benedictio* Populi supra Patres: *quando colebant tellurem cum* PACE; *terra dabat proventus suos, & arbores camporum fructum suum; civitates abundabant annonis; Israël gaudebat gaudium magnum, dum unusquisque sedebat subter vitem suam & ficum suam, nec erat qui exterreret illos:* NAM DEFECERAT OPPUGNANS ILLOS IN TERRA. quæ rursus excerpsi ex historia Maccabaica [d]. Estne aliud vel minus quod de eodem hoc tempore legis apud Amosum [e]: *Ecce veniunt dies ait Jehova, & accedet arator ad messorem, & calcans uvas ad satorem; &* MANABUNT MONTES MUSTO ET COLLES LIQUESCENT. Et apud Joëlem [f]: *Et colles fluent lacte, & omnes alvei Judæ ibunt aquis, & fons ex Domo Jehova exibit & irrigabit vallem Sittim.* Non nego his prophetiis sensum mysticum: sed primus sensus his temporibus quadrat. Plura non allego. De ipsis hisce temporibus *Obadja* [g]: *Et* REGNUM ERIT JEHOVÆ. Videnda sunt & cum his conferenda quæ commentatus sum ad Cap. XXV. 6. seqq.

Primus character: *Immediata dependentia*

Ecclesiæ à Deo.

Minus convenit *typice* quoque & *umbratiliter* tempori Hiskiæ.

Sed temporibus Maccabaicis. quod ostenditur & declaratur.

Imperium Sacerdotum censetur esse *Regnum Dei*.

Vitia hujus prærogativæ in typicis prærereuntur.

Alter character: *Copia & exuberantia* omnium Bonorum desiderabilium.

Convenit in typo temporibus Maccabaicis.

Verum etiamsi hæc ita se habeant: teneo absque dubitatione, Prophetas de prærogativis hujus temporis nunquam tam graphice locuturos fuisse, nisi hæc beneficia vidissent complenda in cognato *statu Regni Christi Jesu*, & terrarum quæ sedem Regni ejus in Mundo facerent. Ejus hi sunt certi & indubii characteres. Character est Regni Messiæ, esse βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *Regnum cœlorum*, REGNUM DEI, ut passim appellatur. Deus hic *in Filio* & per *Filium*, verum Deum ipsum, *regnat*, abolita omni in Ecclesiam potestate, auctoritate, dominatione quæ est *ex peccato* [h]. Destructo Regno externo Domus Davidis, & Cathedra Mosis in qua sedebant οἱ מחוקקים θεσμοθέται: *Schilo* verus ex

Analoga loca prophetiarum quæ hæc tempora respiciunt.

Beneficia hæc complenda erant & completa fuerunt in Statu Ecclesiæ N. T. *spirituali*. *Regnum* Dei *immediatum* in Ecclesiam h. t. vere obtinet, non typice. quod demonstratur.

Juda

---

a Joh. v. 22. *b* Neh. IX. 20. *c* Zach. XIV. 5. *d* 1 Macc. XIV. 8. seqq. *e* Cap. IX. 13. *f* Cap. III. 18. *g* ℣. 21. *h* Ephes. I. 21. Col. II. 15.

A Sic pariter accepit hoc loco Paraphrastes. retulit מחוקק *ad* Νομοθεσίαν Sinaïticam. Sic habet ejus Versio animadversione digna: *Quoniam Dominus Judex noster, qui eduxit nos potentia sua ex Ægypto*: כי מלפנא דיהב לנא אולפן מסיני *Dominus* DOCTOR NOSTER *qui* NOBIS DEDIT DOCTRINAM LEGIS EX SINAI: *Dominus Rex noster, ipse salvabit nos, & faciet nobis vindictam judicii de castris* Gog.

Juda ortus, Dei ac Davidis Filius, ſe præſtat Populo ſuo *Regem*, *Legiſlatorem*, *Judicem*, & *Vindicem Eccleſiæ*. Ejus eſt dictum [a]: *Nec vocamini Doctores:* UNUS *enim* EST DOCTOR VESTER, *nempe Chriſtus.* Unus Chriſtus Jeſus hic omnia: in uno Chriſto Jeſu omnia. Jehova ſolus hic eminet, & *Eccleſiæ eſt* IN DEUM [b]. h. e. præſtat ei immediate per ſe ipſum omnes prærogativas beneficiorum ſalutarium, quæ ab ejus Regno merito expectantur. Nullius auctoritas hoc tempore in Religione valet; nullius juſtitia & gratia ad ſalutem; nullius potentia ad defenſionem ac præſidium, agnoſcitur niſi Chriſti Jeſu. nullum nomen præter ejus nomen auditur. Hæc interior forma eſt Regni Dei, expreſſa per formam exteriorem ſtatus Eccleſiæ Maccabaicæ. Equidem uſus eſt Chriſtus Jeſus mediis externis in Regno ſuo adminiſtrando ac promovendo, & adhucdum utitur. Sed erant illi de commuui grege homines; nihil præferentes carnale, nullam auctoritatem; à Spiritu ejus acti & affecti; qui non niſi in ejus nomine ac verbis loquebantur; in quibus ipſe Jeſus vivebat & per quos loquebatur; quod hucdum obtinet in omni vero Dei Regno, ubi *falſum nomen* nomini vero, auctoritas adulterina genuinæ Chriſti Jeſu non ſupponitur. Idem vero hoc Regnum Chriſti Jeſu, ſecundum aſpectum ejus ſpiritualem, ſe oſtentat inſtar *terræ* frugiferæ per *fluvios & rivos* ſciſſæ, quæ incolis ſuis præſtat copiam & abundantiam omnium beneficiorum ſalutarium. Hic verus ejus eſt aſpectus, vera ſpecies, quæ eleganter depingitur in *Odis Davidicis* hujus argumenti [c]. Propheta noſter ſtatum ejus deſcribit ſub imagine Paradiſi, ut vidimus ex Cap. LI. 3. Eſt in hoc Regno copia & exundantia omnium bonorum ſpiritualium, quæ animum hominis paſcunt, delectant, ſaturant. Eſt in eo mercatus & negotiatio veluti per amnes & fluvios, cum inter varias Eccleſias per Orbem terræ diffuſas obtineat communio bonorum ac donorum ſpiritualium. Cum copia autem & exundantia bonorum ſpiritualium, ea obtinet ſecuritas ſtatus, ut veri hujus Regni ſubditi adverſus omnes inſultus hoſtium ſpiritualium potentia Regis ſui tuti munitique ſint. Et tamen Propheta altius quid reſpexit. Obverſatum ipſi hic eſt Regnum Chriſti Jeſu ſtatu ejus quam maxime florente, ubi fundatum in Romano Imperio, inde in Regnis & Rebuſpublicis aliis, Populos ex ſtatu ruditatis, barbariei, vitiorum, ſcelerum, tenebrarum, ἀταξίας, tranſtulit in ſtatum cognitionis, ſanctimoniæ, lucis, eoſque non tantum ſpiritualibus ſed & ſæcularibus beneficiis ditavit. Certa enim ſententia eſt, Chriſtianiſmum, in terris aut Rebuſpublicis fundatum, ubi à Principibus & Populo pure colitur, Gentes fortunatas facere & felices: eſt autem Prophetis in more Regnum Chriſti Jeſu exhibere in ſumma ſua perfectione. Sed eſt mihi de eò in *Senſu myſtico* hujus prophetiæ quid diſtinctius monendum.

Beneficium Quintum: *Oppoſitus Status* conturbatus *hoſtium Populi Dei.*

vſ. 23. *Laxati ſunt funes* TUI: *non firmant* THECAM *mali ſui: non expandunt velum. tunc diviſa eſt præda ſpolii multi. claudi diripuerunt prædam.* vſ. 24. *Et* DECUMBENS *non dicet, Ægrotus ſum. populus qui in ea habitat* LEVATUS ERIT INIQUITATE.] Duo ſupponenda ſunt in interpretatione horum verborum. Primo, *Apoſtrophen* hanc dirigi ad Rempublicam Populi adverſarii. Secundo, cum ſtatus ejus deſcribatur ſub imagine *navis* cujus *laxati* ſint *funes* ſive *rudentes:* accipiendum id eſſe in deteriorem partem. Poſterius omnes admittunt, quod putem, præter Coccejum, qui quod hic de *laxatis funibus* ſive *Navis* ſive *Tentorii* dicitur; in meliorem accepit partem, eſtque vere interpretatio ejus hic valde paradoxa, quam ſuo relinquam loco. Prius pariter tam ipſe quam Sanctius, & forte plures, in dubium vocant. Exiſtimat Sanctius, orationem hic verti ad Hieroſolymam. Cum enim Propheta cœleſtem deſcripſiſſet Hieroſolymam, eamque credentibus contemplandam objeciſſet: redire ad Hieroſolymam terreſtrem, ſtatu ſuo afflicto tempore Aſſyrii Senacheribi Judæam vaſtantis, ut comparari potuerit cum *tentorio*, (inde enim deſumptam ſimilitudinem putat:) cujus *laxati ſint funes*. Sententia eſt inconſequens, coacta, & neutiquam probabilis. Superior contextus complectitur promiſſa gratiæ: inferior in iiſdem promiſſis gratiæ terminatur. quare quam parum probabile eſt, Prophetam paſcentem animos credentium excellentium promiſſorum bonis, *intermedia* hac *pericopa* illis rurſus ante oculos ponere velle ſtatum Hieroſolymæ afflictum ac miſerabilem? Neque id verum eſt, quod ille vult: ſuperiorem orationem in Hieroſolyma cœleſti depingenda decurrere; ut adeo oppoſitio hæc non lateat in verbis Prophetæ, ſed ex ingenio Interpretis ficta ſit. Certa ſententia eſt, totius orationis partibus conſona, hic dirigi ſermonem per *Apoſtrophen* ad Rempublicam adverſariam, cujus ſtatus hic deſcribitur afflictus ac deſperatus, ut oppoſitum ſtatum florentem Reipublicæ Populi Dei illuſtraret. Compellat autem eam Propheta *forma generis debilioris*, non tantum quod Civitates, Regna, Reſpublicæ, hoc *genus* ament; neque etiam quod Populum adverſarium reſpiciat ut debilem, infirmum, dejectum: (licet utrumque cum ſpecie dici queat:) ſed quod populum adverſarium hic exhibeat ſub imagine NAVIS, (Hebræis, אֳנִיָּה) quæ notio hoc genus admittit. Inde enim ſumptam eſſe comparationem, cuique verba rite expendenti facile liqueat. Sic ſe habet *antecedens* orationis membrum: *Soluti ſunt funes tui: non firmant thecam mali ſui: non expandunt velum.* Sanctius hic alludi putat ad *tentorium*; & Coccejus noſter utriuſque ſimilis, (*navis* ſc. & *tentorii*,) in expoſitione ſua meminit. Sed, ut quidem ego opinor, citra rationem. Equidem *tentoriis* æque ac *navibus* conveniunt *funes* per quos ſuſtinentur: at *tentoriis majoribus* non convenit יָתֵן MALUS; nec *funes* EXPANDENTES נֵס SIGNUM. *Minora tentoria* ſubinde conſtrui poſſunt medio *mali* eadem ſuſtinentis: ſed *majora tentoria* qualia erant Principum Orientis, conſtruuntur ex aſſeribus, baſibus, columnis, aulæis, ut ex idea Tabernaculi Divini cuique facile patet. Subinde etiam *tentoria* præferunt *vexillum*, quod hic ſignificare poſſet vocabulum נס. Sed nullius tentorii *vexillum per funes expanditur*. *Aulæa* autem *tabernaculi* hic venire nomine נס, alienum eſt à ratione. נס *ſignum* hic eſt aliquid in re quod in altum erigitur ac præfertur: nec unum aulæum, ſed varia Tabernaculum obtegunt. Comparatio itaque hic promitur à *Nave*, quippe in quod ſubjectum attributa omnia quadrant. Cum enim Propheta in *proximè antecedentibus* terram Populi Dei propoſuiſſet ſub emblemate terræ fertiliſſimæ tanquam ſciſſam in *fluvios & rivos*, Navibus, lembis, cymbis, mercatum ac commeatum undique adferentibus navigari ſolitos, in quibus magnifica appareret *Navis Prætoria Populi Dei:* in eadem comparatione perſiſtens Vates florenti huic Statui Populi Dei contradiſtinguit Statum diſſolutum ac disjectum Reipublicæ adverſariæ pariter ſub emblemate *Navis* cujus ſint *laxatæ* ſive *corruptæ reſtes*. Emblema omnibus Populis & Scriptoribus eſt receptum. unde Reſpublica pacato ac tranquillo ſtatu ſuo comparatur *Navi* placido æquore vectæ: bellis ac ſeditionibus agitata turbataque Reſpublica Navi à tempeſtatibus fluctibuſque concuſſæ: Rectores civitatis dicuntur ſedere ad clavum. Placuit inprimis metaphora Ciceroni, qui eam ubique ad manus habet. MALUS Navis cujuſque Reipublicæ eſt *Status* Reipublicæ publicus; vel *Perſona publica* quæ Statum Reipublicæ ſuſtinet, veluti Rex, vel Princeps. FUNES qui *malum* ſuſtinent, ſunt *ſubſidia Statum publicum ſuſtinentia:* inter quæ ſubſidia Duo ſunt inſignia, α. Prudentium Senatorum conſilia. β. Vis ſive nervus rerum gerendarum,

Speciatim Sanctii quæ refellitur.

Oratio hic dirigitur ad Rempublicam adverſariam.

Genus debilius in appellatione quo hic reſpiciat?

Similitudo hic deſumpta eſt non à *tentorio*, ſed à *navi*.

Quod demonſtratur ex *attributis*.

Quid hoc in loco ſignificet vox נס?

Ratio proximæ quare Vates hic ſimilitudinem a *Nave* deſumat.

Navis aptiſſima figura Reipublicæ.

Quid *Malus* Navis myſtice denotet?

Item, *Funes*.

a Matth. XXIII. 10. b Jer. XXXI. 33. c Pſ. XXII. 27. ſeqq. LXXII. 3. ſeqq.

Mystica significatio *Veli.*

rum, pecunia. VELUM est medium Reipublicæ promovendæ & ad usum applicandæ quod immediate à *statu* ejus pendet; quod expanditur, & per *funes* sive per *media* ac subsidia status sustinendi paratur. Hæsitas, quid sit? Cogita de *Exercitu* & *Copiis militaribus*, & applica ad eum attributa *Veli* quæ demonstravi. Attributa eadem deprehendes in *Navibus* per quas exercetur negotiatio cum Populis exteris. ut si quæras, quodnam sit *Velum* Reipublicæ *Tyriæ*, Batavæ, Venetæ, statu ejus pacato: recte responderis, esse Naves Nautasque per quæ Respublica promovetur & veluti ad usum suum applicatur. Ex his hypothesibus intelligi poterit Propheta, cujus verba nunc singulatim percensebo.

Primum membrum sententiæ: *Laxati sunt funes tui.*

Primum membrum antecedentis est: נשו חבליך, quod verti potest, *Laxati sunt funes tui.* fere ut Hieron. *Laxati sunt funiculi tui.* Cocc. *Diffusi sunt funes tui.* quod ille in meliorem partem accepit: vere, ut putem, adversus genuinam significationem vocis נשו, quæ proprie notat *omittere*, *missum facere*, התפשט *dissolutum esse*, ut Kimchius, atque inde *concidere*. Veteres tamen Intt. fortius acceperunt. Alexandrinus: Ἐῤῥάγησαν τὰ σχοινία σου· *Disrupti sunt funiculi tui.* Symm. Ἐξεῤῥάφη τὰ σχοινία σου· *Abrupti sunt funes tui.* Chaldæus: אתפסקו חבלהאי *Abscissi sunt funes ejus.* Cl. Cappellus monet, vocem נשו hic usurpari posse significatione affinis נתש *avellere*, *convellere*, quod non probo. Vox enim נתש *evellere*, *eradicare*, non convenit *rudentibus*. Sunt item alii, qui, metaphora tota immutata, vertunt: *Relicti sunt funes tui.* sc. à Nautis, eos tractare solitis. quæ interpretatio est Aben-Ezræ. Confer locum Cap. 11. 6. ubi similis usus est vocis נשו. Judicium hac de re unice pendet à vero conceptu emblematis, ut hic à Propheta pingitur. *Funes* concipi possunt *laxari*, vel, ubi vetustate attriti & corrupti ad usum sunt inepti; vel, ubi incuria Nautarum non adstringuntur; vel, ubi nave à tempestate jactata, quando vis tota in *funes* incumbit, funes rumpuntur aut dissolvuntur. Sunt etiam qui addunt, tranquillo cœlo ubi ventus non spirat acrior, funes veli laxatos non distendi. Sed etsi hæc fictio satis elegans sit, si eam in se spectes, & ego eam plane non rejiciam: videri tamen posset minus convenire orationi Prophetæ. Vates enim hic loquitur de *funibus* qui sustinent *malum*, & *velum expandunt*, sc. ad *antennam:* non de his qui velo nexi navem trahunt. Ex tribus autem quæ in hac fictione supponi possunt locum habere, ultimum hic censeri debet maxime probabile, si Propheta *verbis* proxime *sequentibus* adhuc persistat in eadem metaphora. Subjungit enim protenus: TUNC *divisum iri prædam spolii multi.* quod rectissime videtur convenire emblemati, si Navis adversaria hic supponatur magna jactata fuisse tempestate, quæ eam vehementius concusserit, funesque ejus fregerit vel corruperit, certe laxarit. Sunt tamen ex Interpretibus qui hoc emblema fortiter adeo urgent, ut vix audeam iis per omnia subscribere. Cl. Cappellus *Exercitum Assyrii*, (de eo enim hic agi putat:) hic Prophetæ exhibitum esse statuit sub figura *Navium* quæ *veluti tempestate quadam disjecta essent; vela scissa; rudentes violentia ventorum diffracti; malus ipse inclinatus & casui proximus; ut qui ruptis rudentibus nullis funium retinaculis à casu prohiberetur.* Aben-Ezra fingit Navem, naufragio mersam, & à Nautis derelictam. Non ausim obstrepere, nec velim; & tamen, cum nihil obtrudere velim Prophetæ ex ingenio meo; sufficit omnino mihi, hic proponi Navem, tempestate jactatam, cujus eadem de caussa *laxati*, *corrupti*, vel etiam *disrupti* fuerint *funes*, ad *Malum* sustinendum & *Velum* ad antennam expandendum inepti: ut adeo lubens patiar, vocem נשו hic obtinere omnem vim suæ significationis. h. e. ut significet, *Dissolvi*, *laxari*, *corrumpi*, *concidere*. in expositione enim metaphoræ res eodem recidit. Si hic liceret à punctatura Masorethica discedere, & pro חֲבָלֶיךָ *Funes tui*, legere, absque mutata litera, חֲבָלֶיהָ *Nautæ tui:* pulchra exiret sententia & facillima fictio emblematis: *Remissi sunt*, (remisse, dissolute agunt,) *Nautæ tui: non firmant thecam mali sui: non expandunt velum.* Sed cum necessitas hic nulla nos urgeat: licebit superiori sententiæ adhærere. *Laxati* dicuntur *funes* navis Reipublicæ qui solent sustinere malum, ubi exhausti sunt cives; deest pecunia ad colligendos exercitus; deficit flos & robur juventutis quæ militiæ nomina det; penuria est prudentium Virorum qui Rempublicam consiliis suis juvent, & Doctorum quoque publicorum qui ruditatem expellant & forment mores; & concordia civitatis vinculum rupta solutaque est. Hi sunt *funes* Reipublicæ; qui si *laxentur*, *malus navis*, h. e. status publicus, vacillat. Additur sequenti membro, בל יחוקו כן תרנם *Non firmant thecam mali sui.* Sic vertit Cl. Coccejus, & ut putem recte. Et tamen hæc verba varie accepta & constructa sunt ab Intt. quod non perciperent usum voculæ כן in hoc loco. Hieron. integram sententiam sic accepit: *Laxati sunt funiculi tui, & non prævalebunt. sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas.* Plane infeliciter. verba enim nullum commodum sensum exhibent. Sequutus est distinctionem τῶν ὁ. & Symmachi, qui tamen multo rectius vertit: *Abrupti sunt funiculi tui,* ὥςε μὴ κρατεῖν *ita ut non retineant.* Οὕτως ὁ ἱςὸς αὐτῶν ὥςε μὴ ἁπλῶσαι ἱςίον· *sic malus illorum ita ut non extendat velum.* Vitium omne hæret in male accepta voce כן quæ passim notat *sic*, *ita*. Recentiores plerique longe prudentius sequuti sunt Kimchium, qui vertit: *Non firmant rectum*, sive *non firmant* BENE *malum suum.* Placuit quoque Belgis interpretatio, satis, fateor, speciosa, & probabilis: quam proinde non refellam. Vox כן admittit significationem *rei rectæ*, *certæ*. Notat quoque *probe*, *bene*. Sed eadem quoque significat *thecam*, *loculamentum*. Est autem *malis* omnibus *theca* & *loculamentum*, ut notum: sed quæ theca sola non sufficit malo sustinendo. oportet accedere *funes* qui *thecam firment*, h. e. qui malum sustinentes thecæ succurrant: qui quod *theca* sola per se præstare nequit absque funibus, cum ea veluti concurrentes efficiant. Patet ex experientia nostrorum quoque temporum; & tamen infra legi faciam locum Homeri *A*, qui mihi visus est phrasin hujus nostri illustrare posse. Est enim ejus phrasis, καταδεῖν προτόνοισιν τὸν ἱςόν· *Malum rudentibus deligare.* Aben-Ezra & Kimchius prædicatum hoc referunt non ad חבלים *funes*, sed ad חובליהם *Nautas*, ut dicere velit Propheta, *Nautas non firmare malum suum.* Sed primo, *Nautarum* non erat facta mentio, sed *funium:* Deinde, *malus* non satis commode dicitur *malus nautarum*; sed longe commodius *Malus navis* vel *funium* qui eum sustinent. Sensus metaphoræ est, deesse media & subsidia publica qui sustineant *statum Reipublicæ* aut *principem* qui *statum* repræsentat. sunt autem media & subsidia illa ipsa quæ modo recensui. *Theca* Mali Navis Reipublicæ est *Consensus Populi.* In eo fundatur *Status Publicus* vel *Princeps* qui Statum repræsentat. Sed is solus non sufficit ad Statum Publicum sustinendum. Oportet accedere *funes*, qui malum erectum teneant & the-

Judicium de interpretatione hic pendet à vero conceptu emblematis.

Hypotheses variæ de emblemate orationis.

Propius vero videtur, Prophetam hic exhibere navem cujus funes vi tempestatis laxati aut rupti sint.

Alia meditatio.

Funes Navis Reipublicæ quo sensu mystice dicantur *laxati.*

Alterum membrum: *Non firmant thecam mali sui.*

Hieron. versio excussa.

Vera significatio vocis כן h. l. Notat *thecam* ex mente Cl. Coccejii.

Res ipsa exposita.

Aben-Ezræ & Kimchii meditatio.

Sensus metaphoræ.

Quis sit *Malus*, quæ *theca* Mali Reipublicæ?

A Verba Poëtæ sunt in historia Telemachi, *Odyss.* Lib. XV. ℣. 290.

Ἰ᾽ὸν δὲ ἰλαπίνοι κήλης ἔντοσθε μεσόδμης
Σῆσαν ἀείροντες· κοῖλῃ δὲ σφοτόνοισιν ἔδησαν·
Ἕλκον δ᾽ ἱστία λευκὰ ἰυπρέπεσιν βοέῃσι·
MALUM *autem abiegnum intra tabulatum*
STATUERUNT ERECTUM: FUNIBUS AUDEM DELIGAVERUNT.
Traxerunt VELA *alba bene versis* LORIS.

Sic fere Interpres. Sed quod ille, ἔντοσθε μεσόδμης *intra tabulatum*, clarius vertitur *intra thecam*. Hesych. Μεσόδμη· ξύλον τὸ κάτω τῆς τρόπεως ἕως ἔσω· *Lignum quod à carina exurgit ad malum.* Id ipsum est quod Pollux voce propria vocat ἰσοδόκιον. Lib. I. Cap. IX. Est *theca* & *loculamentum mali*, quod Propheta כן vocat. Idem quatuor vel quinque recensens species *funium*, quorum in nave usus est, tertium facit τὸ σφεξόνιον, *funium crassiorum* qui sustinent malum. Illust. Grotius, qui ipse quoque censet Vatem nostrum in fictione sua supponere figuram Navis à tempestate jactatæ, huc allegat verba Lyrici, (Lib. I. Od. XIV.) *Ac* SINE FUNIBUS *vix durare carinæ possint* (possunt) *imperiosius æquor.* Sed nuper Vir Eruditus, de hoc Poëta bene meritus, ostendit, per *funes* in hoc loco intelligendas esse *anchoras:* nec videtur esse res dubia.

& thecam roborent. Opes, pecuniam, vires, arma, prudentiam, robur Juventutis, & quæ his similia. Absque his non potest *expandi velum*, h. e. Respublica non potest res suas agere, aut promoveri: non est apta ad usum cui destinata est. Verba Prophetæ, tertium sententiæ membrum complectentia, sunt: בל פרשו נס quæ nos bene vertimus: *Non expandunt velum.* Sic Kimchius recte, וילון VELUM. Utique נס notat proprie *signum*, *vexillum*. Sed *vexilli* & *veli* magna est communio. *Velum* enim æque ac *vexillum* in altum erigitur; malo alligatur; & linteo cum constet, expanditur. Quin Ezechiel vocem eadem significatione usurpat[a]. Est autem *velo* proprium, quod hic dicitur, *Expandi funibus*: quod locum non habet in vexillo. Int. Alex. hic habet: Οὐ χαλάσει τὰ ἱστία, οὐκ ἀρεῖ σημεῖον· *Non demittet vela; non elevabit signum.* Neutrum accurate: sed alterutrum horum, & quidem posterius, putem ex margine irrepsisse in contextum. Utrumque enim respondet uni huic sententiæ membro. Estne dubia interpretatio metaphoræ? sane non est. *Non expandunt velum*, sc. *funes*, supra expositi ubi Respublica mediis & subsidiis Status sui sustinendi destituta, apta non est *bellum gerere* cum hostibus; fœdera facere cum aliis Populis; negotiationem exercere; opera publica ad communem Civitatis utilitatem decusque ejus efficere vel consummare. In his est *expansio veli* Navis Reipublicæ.

Tertium membrum sententiæ: *Non expandunt velum.* Vera significatio vocis נס h. l. Recte hic sumitur pro *velo.*

Interpretatio metaphoræ. *Velum* Reipublicæ non *expansum* quid significet?

Consequens hujus Status Navis Reipublicæ adversariæ: *Direptio spolorum ejus.*

Consequens Status Reipublicæ adversariæ demonstratur *direptio & spoliatio hostium*; tribus membris expositis, sed quæ, more orationis Prophetæ nostri, per gradationem scandunt. Simplex propositio est, ℣. 23. *med. Tum dividetur præda spolii multi.* Sic recte vertuntur verba: in quibus id unum observandum erat, voculam עד hic non notare *usque* sive ἕως, ut Symmachus, (*usque ad spolia multa*, licet sensus sit quodammodo tolerabilis:) sed *prædam*, ut alibi[b]. Est à ערה *se amicire*, *ornare*. solent enim quæ maximi pretii sunt in præda & spoliis, præcipue concupisci & rapi. quæ notio עד emphasin suam hic egregie tuetur. PRÆDA enim *spoliorum* notat spolia pretiosissimi generis. Alias dicere licet cum Kimchio, esse ἀσύνδετον, ut *præda spolia multa* sit pro *præda & spolia multa.* Hieron. recte: *Tunc dividentur spolia prædarum multarum.* Quæritur, quomodo cohæreat sententia cum superiore? Respondeo, nexum hic duobus modis concipi posse. Primo, ut dicamus, Prophetam hic deserentem metaphoram, consequens connectere non cum *simili*, sed cum *re comparata*, h. e. cum desperato & dissoluto statu Reipublicæ adversariæ. docere itaque simpliciter, fore, ut illo tempore, quo Respublica adversaria instar *Navis* jaceret cum *laxatis funibus*, *spolia multa colligerentur.* quod idem dixerat explicate ℣. 4. Secundo, si quis malit, Prophetam hic superiori metaphoræ adhuc inhærere: similitudo hic censeri potest desumpta à *nave oneraria*, (cujusmodi naves proprie erant ἱππαγωγοὶ *veliferæ*, ut in superioribus observavi:) multis bonis pretiosis onusta, quæ *laxatis* graviore tempestate *funibus* cursum non valens promovere nec sustinere statum; exponitur prædatoribus, vel allisa ad litus, merces bonaque quæ vehit diripienda exhibet. Non rejicio sententiam, quæ sua se commendat specie & rei ipsi optime convenit. Prima ejus gradatio est in verbis: *Claudi diripient prædam.* h. e. ipsi quoque *claudi*, absque metu ullo, participabunt direptionem facultatum hostilium in tanta copia, ut absque discrimine omnes locustarum instar in ea sint discursaturi, quemadmodum Vates dixerat ℣. 4. Phrasis est parabolica & popularis, cujus similis extat 2 Sam. v. 6. *Cæci & claudi te removebunt.* At dixeris, *ægros* tamen forte hac prærogativa excluſos fore. Non esse, ait Vates. *Ægros* enim felice statu Reipublicæ nullos futuros esse. quæ altera est gradatio. Verba Vatis sunt ℣. 24. *Et non dicet decumbens, Ægrotus sum. Populus, qui in ea habitat, levatus erit iniquitate.* Sic docti Intt. & inter

Gradatio sententiæ: *Claudi ipsi diriperent prædam.* Exponitur sententia.

Gradatio altera ex mente Intt. ℣. 24. ipsos

eos Lud. Cappellus, hæc verba cum superioribus connectunt. Sed non est necesse hanc gradationem exponere cum respectu ad divisionem spoliorum. Rectius longe & ἐμφατικωτέρως *absolute* accipitur cum respectu ad totam promissionem, complexe sumptam, superiore oratione paracletica comprehensam. Nempe postquam Propheta Hierosolymæ ejus temporis, de quo loquitur, prospera quæque & fausta prænunciasset: excipi poterat, ægros saltem & morbo lethifero affectos homines partem nullam habituros esse in hisce beneficiis, ut si cætera recte se habeant, ipsi tamen excludantur hujus Prosperitatis fructu. Respondet Propheta, Statum illum Civitatis Dei de quo loquitur, nullum admissurum esse morbum, languorem & ægritudinem nullam, quippe Populus Dei ejus temporis gauderet beneficio *Remissionis peccatorum.* Ubi ad τὸ γράμμα orationis pauca observanda sunt prius quam sensum sententiæ demonstrem. Primo, Hebræa ובל יאמר שכן vertit Hieronymus: *Nec dicet vicinus.* Sic pariter accepit Chaldæus. sed sensu incommodo, etiamsi vox שכן hanc interpretationem ferat. Hebræi igitur vertunt per *Habitatorem*, sc. Hierosolymæ vel *Tsionis.* Sed Cl. Coccejus videtur optime reddidisse per *procumbens*, *decumbens* sc. ex languore vel ægritudine, quem sensum consequens determinat; חליתי *Infirmus sum*, *laboro ex ægritudine.* Hanc significationem vox שכן, quæ proprie valet *procumbere*, *decumbere*, admittit, licet analogum restrictæ hujus *significationis* pro *procumbente ex ægritudine*, desit. Secundo, in verbis, *Populus habitans in ea erit levatus iniquitate*: est ellipsis *ratiocinativæ* voculæ כי *quia*, *quoniam.* Res ipsa flagitat. Sed Propheta amat ellipses, & vitat omne περίλογον *superfluum* orationis. Tertio, illud, בה *in EA*, haud dubie referendum est ad Hierosolymam, cum respectu ad ℣. 20. Quarto denique, נשוא עון לו omnino vertendum est, *levatus est iniquitate.* proprie, *ablatus iniquitates. ablatus iniquitatem.* ut נשוי פשע *ablatus transgressionem.* תאר כסוי *tectus peccatum*, in Ode *Confessionali* c. h. e. *cujus sublata fuerit transgressio. cujus tectum fuerit peccatum.* eodem genere constructionis, apud Græcos pariter & Latinos usitatissimo, quo ℣. 19. barbarus homo dicitur נלעז לשון *ridiculus Linguæ.* h. e. κατὰ τὴν γλῶσσαν, *quod ad linguam.* Sensus itaque dicti planus est, Populum Tsioneum *habiturum esse remissionem peccatorum.* gavisurum condonatione delictorum. Ad sensum dicti recte capiendum, id unum pertinet observare, Vatem hic non loqui de qualicunque morbo aut Symptomate naturali; quippe experientia docet, liberationem à morbis & ægritudinibus hujus vitæ perinde ac consequens eorum *Mortem*, nullo excludi statu gratiæ. Ergo vox חלה primo sensu, hic notat *languorem ex malis Calamitatis publicæ*, quæ Ecclesiæ ob *peccata* & scandala *publica* à Deo infliguntur. Hoc sensu dicet Propheta, Hierosolymam illius temporis, de quo loquitur, statu florentissimo, excluſuram esse omnem materiam luctus ac doloris publici, omnemque ex luctu infirmationem ac languorem. contra cives ejus omnes, liberatos sensu Divinæ iræ, gavisuros esse *in Domino*; & certos ac persuasos de favore ejus, summa animi alacritate & hilaritate ipsum culturos & functuros esse officio, suo quosque ordine ac statu, quippe *populus* haberet *remissionem peccatorum*; h. e. gauderet effectu remissionis peccatorum in Liberatione à malis publicis. Simile est quod dicitur apud Vatem nostrum[d], & mystice in *Apocalypsi: Et absterſurus est Deus omnem lacrymam ab oculis illorum; & mors non extabit amplius: neque* CLAMOR, *neque* LUCTUS *extabit* AMPLIUS. Sed altiore sensu vox חלי *languor*, *infirmatio*, ἀσθένεια, hic notat *languorem* omnem vitæ spiritualis conjunctum cum animi tristitia & dolore, qui oritur sive ex defectu gratiæ ad alacritatem exercitationis vitæ spiritualis necessariæ; sive ex inquietudine animi circa Gratiam Divinam, & ex sensu iræ atque indignationis ejus. *Valet* in spirituali statu qui certo per-

ægros non sc. re expertes hujus beneficii.

Et tamen sententia ℣. 24. non respuit sensum generaliorem.

Animadversa ad textum.

Vox שכן hic optime redditur à Coccejo per *Decumbentem*, languidum.

Ellipsis voculæ כי in altero membro: *Populus habitans in ea, &c.*

Relativum in voce בה, referendum est ad Hierosolymam.

Significatio phrasios, נשוא עון *Levatus iniquitate.*

Propheta hic non loquitur de *infirmitatibus corporis.*

Primo hic respiciuntur *Calamitates publicæ* propter peccata inflictæ.

Locus parallelus ex Cap. xxv. 8.

Deinde *languores spirituales* qui describuntur.

Emblema Declaratur.

a Cap. xxvii. 7. b Gen. xlix. 27. c Pſ. xxxii. 2. d Cap. xxv. 8. coll. cum Apoc. xxi. 4.

to perſuaſus de Divina Gratia & gaudens perenni influxu Gratiæ Spiritus S. *munia* omnia ſtatui ſuo congruentia cum alacritate & hilaritate animi æquabiliter obit: *Æger* contra appellatur & *languere* dicitur cui ad functiones vitæ ſpiritualis alacritas illa deeſt; ſive animus affectus *conſcientia peccati* prematur vivo ſenſu iræ Dei vel ſaltem hæreat in incertitudine & inquietudine circa Divinam gratiam; ſive animus laboret penuria influxus gratiæ Sp. S. qua ad functiones Vitæ ſpiritualis indiget. Prius hic potiſſimum obtinet ſtylo Scholæ Sanctorum. Ad alacritatem in vita ſpirituali neceſſario requiritur perſuaſio Divini favoris, quæ tamen ſuos admittit gradus. Hic baculus, hic ſcipio eſt animæ. hoc pabulum, hæc vita. Hæc diſpellit curas, ſolicitudinem, triſtitiam, languoremque omnem; contra producit alacritatem ac lætitiam in omni vitæ ſtatu ac curſu. Sed ubi animus *laborat conſcientia peccati* vel *ſuccumbit vitiis*: alacritati ſuccedit languor, torpor, ſegnities, & infirmatio quæ homini poteſt eſſe lethifera, niſi Deus ei ſua gratia ſuccurrat. *Sanatio* itaque hominis hac parte conſiſtit in perſuaſione de favore & gratia ejus. Sic cohærent membra hujus ſententiæ: *Nemo dicet, Æger ſum* ex ſenſu Divinæ iræ, aut ex inquietudine erga Gratiam ejus, aut ex Gratiæ defectu, quia Populus ejus Civitatis gaudebit *remiſſione peccatorum*, quæ huic languori eſt oppoſita. Intellige phraſin Scholæ Sanctorum ex Pſ. CIII. 3. *Qui condonat omnes iniquitates tuas:* הרופא כל תחלואיכי *qui ſanat omnes* INFIRMITATES TUAS. morbos tuos. Eſt enim vocis חלה ſignificatio generalis, licet in emphaſi notet infirmationem languidam, lethiferam, perinde ac Græcorum ἀσθένεια, ἀῤῥωστία. Omnes cives Hieroſolymæ hujus temporis recente gratia Sp. S. quotidie excitati ad alacritatem officio naviter fungerentur, & *infirmus inter illos diceret*, HEROS SUM. quod analogum eſt Vaticinio Joëlis [a].

Patet ſenſus dicti Prophetæ. quæritur cui conveniat tempori? Interpretes maxima longe parte hic certatim demonſtrant *Exercitum Aſſyriorum* qui poſt cladem à Deo acceptam comparetur *Navi* cujus laxati vel rupti ſint funes, cujuſque ſpolia undique coacervata poſt properam fugam Senacheribi inciderent in manus Civium Hieroſolymitanorum & ab iis ſecure diriperentur; & ab ipſis quoque ſi vellent, *claudis*: quo itaque eodem tempore Populus Tſioneus per miraculum hoc inſigne in ſui gratiam editum certo perſuaderetur de Divino erga ſe favore, & liberaretur ab omni languore & inquietudine animi, cujus huc uſque cauſſa irruptionis Aſſyrii in Judæam publicarumque Calamitatum aliarum habuerat graviſſimam rationem. Ipſe quoque Kimchius Judæus hic pedem figit; & cum præmonuiſſet, eſſe inter Interpretes ſuæ Gentis qui quicquid in hac prophetia dicitur, referant ad tempus Meſſiæ, & in initio interpretationis circa hoc thema vacillaſſet: ſententiam quæ implementum ejus oſtendit in Senacheribo, recte ſe habere ait. Ego vero non nego rurſus, id dici poſſe, & quidem cum ſpecie. Ubi Exercitus Aſſyrii proſtratus eſt à Deo, laxati veluti vel ſuccifi fuerunt *funes* qui ſuſtinebant *malum* ſive Statum magni illius Imperii: eodemque tempore Judæis *parata* fuerunt *ſpolia*. Quis vero miretur, eadem attributa in analogis demonſtrari poſſe? Analoga ſunt apud Prophetam noſtrum, Liberatio Populi Dei tempore Hiskiæ à Rege Aſſyriæ; & Liberatio Eccleſiæ Judææ ab afflictione graviſſima Syrorum Seleucidarum per Maccabæos. Sed quærimus hic umbram, ſive imaginem cujus ſint clariores & expreſſiores lineæ. quærimus etiam analogiam aliorum vaticiniorum: quando non dubito, vincere ſententiam quæ hanc Concionem refert ad tempora Maccabaica; ut huc uſque demonſtravi. Omnia hic fuerunt majora. *Funes* magnæ illius Navis Imperii Syriaci ſive Aſſyriaci Novi laxati & vero ſuccifi fuerunt, α. Quando Exercitus ſplendide inſtructi, vis & robur Regni, adverſus Judæos miſſi, à Maccabæis fuſi fuerunt, fugati ac disjecti. β. Regnum ſciſſum in factiones, ſublata concordia, vinculo civitatis. γ. Populi tot bellis, quæ identidem ex factionibus nova enaſcebantur, fatigati & exhauſti ſunt, ut tandem tantum & tam formidabile Regnum evaſerit in prædam Judæorum, Ægyptiorum, Parthorum, Armeniorum, ac denique Romanorum. Hic itaque vere id accidit, *laxatis* vel *corruptis funibus* non potuiſſe *malum* hujus Navis *Statum* ſuum amplius tueri, vel *velum* ad eum *expandi*. De *Spoliis* autem eo tempore colligendis & collectis vidimus ad ℣. 4. Spolia Syrorum, Philiſtæorum, Idumæorum, Phœnicum, Judæos temporis Maccabaici ditarunt. Tantum nunc adſcribo inſignem locum Tſephaniæ, qui ad idem hoc tempus pertinet. Verba ſunt [b]: *Propterea vivo, ait Jehova, Deus Exercituum, Deus Iſraël: quod Moab ut Sodoma fiet, & Ammonitæ ut Gomorrha; ... Reliquiæ Populi mei* PRÆDABUNTUR ILLOS, *& reſiduum Gentis meæ hæreditabunt eos.* Prophetia abſque dubitatione referenda eſt ad Maccabaica. Navis Syriaca tempeſtatibus longum tempus jactata, laxatis corruptiſque funibus, facultates ſuas prædatoribus diripiendas præbuit; perinde ut vicini Arabes, Moabitæ atque Ammonitæ, ſtatu Rerumpublicarum harum Gentium diſſoluto, Maccabæis ſubjecti fuerunt. Judæi tunc *captivos duxerunt captivatores ſuos & exactoribus ſuis imperarunt*: ut idem Propheta noſter [c]. Sed hæc externa, literalia, temporum Maccabaicorum commutanda erant cum ſpiritualibus analogis in Regno Chriſti Jeſu, & in iis conſummanda: quam certam hujus Vaticinii exponendi hypotheſin in ſuperioribus jeci. *Navis* hic myſtice figurat univerſam Societatem hominum quæ tempore orientis Regni Chriſti Paganiſmo patrocinabatur. Hujus *magnæ Navis* ſuperſtitionis & idololatriæ hoc tempore *laxati* vel *ſuccifi* fuerunt funes: non hoc ſolum ſenſu, quod ſenęſcente mundo per cultum Philoſophiæ ſuperſtitiones ac cærimoniæ prudentibus hominibus dudum incepiſſent fordere: verum, α. Quod Populi per Doctrinam Evangelii per mundum vulgatam & validas demonſtrationes falſitatis Religionis antiquæ à Doctoribus Chriſtianis factas abducti ſint à *credulitate* ſua, eorumque ad clariorem lucem aperti fuerint oculi. β. Quod Populi à credulitate ſua abducti, cum ſuperſtitionem antiquam falſi ſuſpectam haberent; *nullos ſumptus* amplius facere voluerint in ſacrificia, hecatombas, Epula, Ludos ſacros, pompoſaque Feſta ac cærimonias, ac curationem Sacrorum ac Poparum. quibus *duobus funibus* laxatis & corruptis non potuit Paganiſmus amplius *malum*, h. e. ſtatum ſuum ſuſtinere, ac *expandere velum*, atque inde brevi *Templa jam prope fuerunt deſolata, ſacra ſolennia intermiſſa, & rariſſimus victimarum emptor inveniebatur.* qui, ut ex Plinio liquet [d], aſpectus fuit ſtatus Bithyniæ ſub Trajano. Illo autem ipſo tempore Eccleſia *diviſit ſpolia Gentium*, olim Eccleſiæ infeſtarum & adverſariarum. Id ipſum eſt quod apud Prophetam noſtrum clariſſime expreſſum legitur [e]: *Et volabunt in humerum Philiſtæorum: ſimul* DIRIPIENT (יבו) *filios Orientis.* Alluditur ad Maccabaica, ut hoc noſtro loco, & transfertur ſenſu ſpirituali ad hoſtes Regni Dei vi Verbi gratiæ vincendos atque expugnandos & cum *facultatibus ſuis* Eccleſiæ ſubjiciendos. Hæc eſt victoria & prædatio ſpiritualis: de qua ibi loci copioſius diſſerui. Sunt enim multa quæ huc pertinent, nunc non repetenda. De hoc autem Populo Chriſti Jeſu, qui gauderet incolatu Hieroſolymæ ſpiritualis, multo verius affirmatur quod *typice* & κατά τι dici poteſt de incolis Hieroſolymæ liberatæ à jugo Syriaco, *habere* eum τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, *Remiſſionem peccatorum*; perfectam illam, conſummatam, conjunctam cum ſerenitate animi, lætitia, conſolatione, & profuſiore donatione Spiritus S. quæ interimit omnem ægritudinem animi, languorem, perturbationem, quibus affligebantur pii ſub Oeconomia Legali, tot experi-

Qualis *languoris ſpiritualis* ſpecies hic potiſſimum deſignetur?

Cauſſa potiſſima *alacritatis ſpiritualis*.

Cohærentia membrorum orationis ex hac hypotheſi exponitur.

Summa ſententiæ.

Cui tempori conveniat ſententia & promiſſio Vatis?

Communis ſententia Intt. reſpici cladem Aſſyrii, & felicitatem temporum Hiskiæ.

Ἐπίκρισις in hanc ſententiam.

Rectius rurſus refertur ad tempora Maccabaica.

Emblema Prophetæ ad hiſtoriam & eventa ejus temporis applicatur.

Locus Tſephaniæ cum hoc loco collatus.

Status Regni Syriaci & Rerumpublicarum proximarum hujus temporis.

Præcipuum implementum quærendum in Regno Chriſti.

Navis hic eſt Societas Paganiſmi. Quo ſenſu ejus laxati fuerint *funes*?

Eccleſia hoc tempore *diviſit ſpolia* Gentium. Locus Cap. XI. 14.

Populo N. T. in emphaſi vindicatur *Remiſſio peccatorum*.

[a] Joël. Cap. III. 10. *Diſſ. Heb.* Cap. IV. 2. [b] *Tſephan.* II. 9. [c] Cap. XIV. 2. [d] *Epiſt.* Lib. X. Ep. XCVII. [e] Cap. XI. 14.

Prærogativa ejus præ Eccleſia Oeçon. Veteris.

perimentis Divinæ *ſeveritatis* inſignita. quæ Oeconomia proinde deſcribitur ut *militiæ*, *luctæ*, *ſervitutis*, *luctus*, *detentionis in carcere*; perinde ut Oeconomia Nova tanquam ſtatus *lætitiæ*, *conſolationis*, *æternorum gaudiorum*, *gloriationis:* non utique dubiis ſed certis locis [a], verum *comparate* & ſpirituali ſenſu intelligendis. Erat apud veros Credentes antiqui temporis deſiderium & exſpectatio ingens magnæ illius ſalutis, quam ſperabant per Meſſiam adductum iri cum cauſſa Juſtitiæ æternæ, ἀΦέσει τῶν ἁμαρτιῶν, lætitia, conſolatione, quæ languorem, laborem & ægritudinem animæ ſitientis diſcuteret atque expelleret. Verba Hiſtorici [b]: *Eccleſiæ igitur per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam, habebant pacem, ædificabantur, & pergentes in timore Domini & conſolatione Spiritus S. multiplicabantur.* Alibi [c]: *Frangentes* (Diſcipuli,) *domatim panem capiebant cibum* ἐν ἀγαλλιάσει CUM EXULTATIONE *& ſimplicitate cordis.* Hæc erat *alacritas* Chriſtianorum primi temporis gratiæ. hic character credentium, in quo conſummabatur defectus implementi hujus prophetiæ in Maccabaicis ex continuo Prophetarum ſtylo.

Notitia Status ejus ex *Actis Lucæ.*

De SENSU MYSTICO, ſive *Allegorico-Prophetico*, hujus Vaticinii.

Inquiſitio in Senſum myſticum hujus prophetiæ.

I. Quicquid huc uſque adtuli ad interpretationem hujus Vaticinii, referri volo ad Senſum ejus Literalem & Hiſtoricum. Sed non nego ei ſublimiorem Senſum *Allegorico-Propheticum.* Eſt enim Senſus Verbi Prophetici fœcunditas quædam mirabilis, quæ imperitis videri poſſet interpretationem noſtram vagam facere, ſed abſque ratione. Id enim unum eſt quod maxime fugere cupio. Omnia noſtra conſtant intra certas lineas & canones, quos in Verbo Prophetico fundatos eſſe deprehendent, qui illud ſedulo excuſſerint. Sed Spiritus Divinus, qui novit τὰ βάθη τῦ Θεῦ *profunda Dei*, orationem ſuam ea temperavit ſapientia, ut quarundam prophetiarum implementa in *protypis* ſuis *inchoate*; in *antitypis* ſuis *complete* demonſtrentur. quod prudentes Interpretes, puto omnes, nemine excepto, admittunt. Eſſe autem in hac prophetia quid majus quod nobis contemplandum objiciatur, quam quod *Literalis* interpretatio infert, facile ſuadet, α. Excellentia promiſſorum quæ vſ. 20. ſeqq. continentur; quorum implementum perfectum non tantum in *ſpirituali* ſed & *temporali* ſtatu Eccleſiæ florente quærendum videtur. β. Analogia aliorum Vaticiniorum, quæ Eccleſiam ultimi temporis ab omni perſecutione publica liberandam proponunt ſub emblemate *Paradiſi*, variis amnibus ac rivis, ex Domo Dei derivandis, irrigandi. Sunt autem luculentæ illæ prophetiæ, veluti Vatis noſtri Cap. XXXV. 6. ſeqq. LX. 1. ſeqq. Joël, III. 18. ſeqq. Amos, IX. 13. Ezech. XLVII. 1. ſeqq. Zach. XIV. 8. In hiſce autem prophetiis ſtatum Eccleſiæ ultimi temporis deſcribi cum reſpectu ad Maccabaica, ſæpe monui. Videamus, quorſum hæc nos ducant.

Affectio Verbi Prophetici.

Rationes quæ ſuadent *Senſum myſticum* in hoc caſu.

Status Reipublicæ Maccabaicæ cui Statui & Tempori Eccleſiæ Chriſtianæ reſpondeat in *Syſtemate Allegorico-Prophetico*?

II. In Syſtemate *Allegorico-Prophetico*, Status Reipublicæ & Eccleſiæ Maccabaicæ reſpondet Statui Eccleſiæ Chriſtianæ quæ egreſſa Babylonem myſticam premitur à magnis iiſque Potentiſſimis Regnis, quæ à Duabus præcipue *Domibus Auguſtis* ſuſtinentur; ex quibus prodierunt Violenti Eccleſiæ Proteſtantium Perſecutores, idololatriæ ac ſuperſtitioni Romanenſi patrocinaturi, & ſedem dudum nutantem ſua auctoritate ac viribus ſuffulturi. Prope duo nunc lapſa ſunt Sæcula, à quo tragica hæc ſcena aperta fuit, in qua magni Principes, à Papis Romanenſibus incitati, ſe oſtentarunt, qui *Vaſtatores* Gentium dici merentur. Nulli enim magis hoc nomen merentur quam qui in ſubditos ſuos cauſſa Religionis veræ ſæviunt, eorumque fortunas evertunt. In hiſce autem Regibus vel Imperatoribus quales quales fuerint, conſpiciendi ſunt ſanguinarii illi Principes ſive Præſules Novæ Babylonis, ad quorum nutum Reges terræ ipſis obnoxii ſe movent; qui tanto faſtu ſe extulerunt adverſus Deum & Sanctos; tot Exercitus Cruciatorum conſcripſerunt ad Populos abſque jure invadendos, & perdendos atque exterminandos confeſſores veritatis, eorumque vaſtandas terras, ac diripienda bona; tanta ſiti expetierunt innocuum ſanguinem piorum qui qualicunque tandem de cauſſa auſi fuerunt ſe illorum opponere auctoritati: hi, inquam, ipſi Reges Babylonis myſticæ, veri ἐρημόλαοι, ſive ἐρημωτὰι λαῶν, *Vaſtatores Gentium*, contemplandi ſunt in *Imperatoribus* & *Regibus*, auctoritati illorum ſubjectis, iiſque in Religione *conſentientibus* & *poteſtatem ſuam iis tradentibus* [d].

Vaſtatores terræ in hac prophetia memorati quales myſtice dicendi ſint?

III. Recenſui autem horum Regum vel Imperatorum aliquos, & diſputavi de iis ad prophetiam Cap. XXIV. 1. ſeqq. quæ hujus noſtræ cenſeri debet analoga. Veruntamen ſi omnia attributa hujus prophetiæ inter ſe comparentur: non putem affirmari poſſe, ullum huc uſque comparuiſſe Principem, cui omnia *attributa* hujus *Vaſtatoris*, & *temporis* quo in Populum Dei ſæviret; & *Liberationis* quam Deus Populo ſuo indulgeret; & *Effectuum* ac *Conſequentium* Liberationis glorioſorum, in hac prophetia deſcriptorum, aptari queant. Cl. Coccejus hic demonſtravit Ferdinandum II. & fateor, non abſque ratione: nec nego, multa attributa hic concurrere. Verum in *Anacriſi* oſtendi, eſſe quod hic deſideretur. Omnes enim lineæ imaginis hic perinde non comparent. Nec enim effectus & conſequentia Liberationis tam fuerunt illuſtria ac hic exhibentur; nec judicium in Domum Perſecutricem tam conſpicuum, ut in hac prophetia ſupponitur: & patior tamen lubens, illum inſtar exempli cujuſdam ejus quod hic exhibetur, proponi. Homines pii & veri amantes noſtri temporis cum oculos ſuos conjicerent in potentiſſimum Monarcham florentiſſimi Europæ Regni, qui abolito ſolenni *Edicto* quo cautum erat confeſſoribus purioris Religionis per Regnum ſuum ſparſis, adverſus fidem æqui bonique Principis, ſubditos numero ingente vel coëgit quibuſlibet mediis violentis ſuæ ſectam ſuperſtitionis in Religione ſequi & mutare ſententiam; vel bonis ac prærogativis ſuis ſpoliatos ſolum vertere: ſimul Oratoria illorum & Scholas disjecit, deſtruxit aut ſacris ſuis vindicavit; Miniſtros puriorum ſacrorum Regno expulit; terras vicinorum Principum ac Rerumpublicarum inſtructiſſimis exercitibus quocunque tandem jure aut obtentu, & ſubinde ſolius *gloriæ* ſuæ cauſſa, (vanitas deteſtabilis!) invaſit, obruit, ſibi vindicavit & rapuit; idque per longum annorum tractum ſumma proſperitate, magna ubique effecta vaſtitie: viſi tandem ſibi ſunt reperiſſe & certius demonſtrare poſſe magnum illum *Vaſtatorem*, Perſecutorem confeſſorum veræ Religionis quem Vates noſter hic deformat. Equidem verum eſt, magnam hic eſſe ſimilitudinem characterum utriuſque imaginis; & quod plus eſt, Principem hunc cum ad ſummum perveniſſet gloriæ faſtigium, & Europæ toti minaretur jugum, ſingulari quadam cura Divinæ Providentiæ, pro Regnis & Eccleſiis purioris fidei vigilantis, validiſſime fuiſſe repreſſum; copias ejus quæ invictæ ferebantur, variis conflictibus fuſas ac diſſipatas; obſidiones magnarum Urbium ingenti ſumptu tentatas, & tantum non perfectas, cum jactura rerum & hominum maxima ſolutas; claſſes ſuperbiſſime inſtructas devictas; oppida & arces munitiſſimas, Regni propugnacula, expugnata; opes theſauroſque ingentes exhauſtos; & tandem Domum Regiam, florentiſſima prole ac ſucceſſione ſubnixam, veluti fulmine cœleſti proſtratam; in quibus nemo ſani ſenſus & bonæ mentis homo non obſervavit manum Dei vindicis, faſtum humanum & vitia cætera ſevere punientis, ut homines ſe eſſe meminiſſent qui ſe in Deos efferunt *A*.

Nec tamen hactenus offendimus *Subjectum*, quod omnes *lineas* imaginis Propheticæ exhibet.

Num Ferdinandus II. hic recte oſtenteretur?

Alterius potentis Monarchæ noſtri temporis reſpectus.

Singularis in eum animadverſio.

a Cap. XL. 1. 2. LI. 3. LXI. 1. 2. ſeqq. b Act. IX. 31. c Cap. II. 46. d Apoc. XVII. 13.

A Sic prima manus ſcripſerat: ſed dum ſcripta ad prælum parantur, Princeps potentiſſimus qui Europam per multos annos turbavit, vocatur ad tribunal Dei, Regnum florentiſſimum Pronepoti tenello relinquens exhauſtum atque afflictum.

Nec tamen hæc tanta, licet maxima, hactenus præstant implementum hujus Vaticinii, nisi graviora accedant quæ usque huc non vidimus; quæque Deus propitius avertat si hostes resipiscant & salus ipsorum sibi curæ sit. Requiritur hic punitio παραδειγματική, quæ statum Ecclesiæ in melius restituat, eique præstet refrigerium perfectum; pacem, securitatem, affluentiam omnium bonorum, liberationem à malis publicis eorumque caussis, sub Deo Rege, Judice, & Prætore Ecclesiæ. quæ dum adhuc latent in arcanis Consiliorum Divinorum, & ab anteriore difficilius definiuntur: non ausim ego hoc Exemplum pressius urgere.

Quid hic desiderari possit?

IV. Ex mea sententia, si quis consideret historiam Ecclesiæ, Dei gratia vindicatæ à servitute idololatriæ, superstitionis, ac tyrannidis conscientiarum intolerabilis: nullum editum est specimen ejus quod hac prophetia declaratur luculentius quam in Belgio hoc nostro liberato à tyrannide Philippi II, Hispaniarum Regis, Principis omnium sui temporis potentissimi; simul superstitionis Romanæ cultoris obstinatione animi ac sævitia nemini secundi. Nemo majore jure dici potest *Vastator*, quam qui multa millia innocuorum hominum utriusque sexus hoc solum nomine quod à placitis Romanis dissentirent, ferro, flamma, aquis, rotis, crucibus, aliisque sævitiæ instrumentis, neci dedit. Sed hoc habuit ille cum Patre suo & Regibus Galliarum temporis sui commune. Quæ autem illorum sors fuit, ut post terras Regni sui miserandum in modum vastatas violenta aut præternaturali morte occubuerint, experti *Judicium Dei* singulare: idem quoque hic Rex opulentissimus, hoc dum egit, opes suas & thesauros immensos exhausit; proprias terras suas suis viris & armis vastavit; maximis ausis per vitam excidit; & tandem consiliis opibusque exhaustus, post florentissimas terras amissas à vermibus corrosus, pestilente pure diffluens, humano generi in documentum miseriæ datus, ad exemplum Antiochi Epiphanis, cujus imaginem expresserat, fatum suum invenit. Constat autem, ab ipso illo tempore fractam esse & imminui ac concidere cœpisse magnitudinem ac potentiam Domus Austriacæ, Regnique inprimis Hispanensis, paulo ante toti Europæ formidabilis; donec ipsa Regni illius, variis casibus aliis imminuti atque afflicti, Successio nostro tempore defecerit. quæ longa oratione prosequi possem, si id nunc agerem, aut nota non esset historia.

Imago Philippi II. ex historia pingitur, & exempli loco producitur. Characteres ejus cum prophetia collati.

V. Tantum id moneo ac monere propositum erat, *Effectum* hujus *Liberationis* multo magis hic conspicuum esse quam in aliis Liberationibus hujus generis. Enata est ex hoc tot annorum Bello pertinaci *Respublica Libera* qualis est hæc nostra *Belgii Fœderati*, similis *Maccabaïcæ*; libertate per arma ab Heröibus à Deo excitatis, Libertatis ac Religionis Vindicibus, hostibus extorta. Hæc Respublica aucta à Deo est singulari benedictione, quæ Regnorum ac Rerumpublicarum aliarum in eam convertit oculos; & inter duros casus conspicienda cura ac providentia Dei Vindicis huc usque defensa. Ecclesia Christi quæ in hac Republica hospitatur, ejusque potiorem partem facit, in hac Civitate Libera puram professa Religionem in decus suum pristinum instauratam, nullam in sacris auctoritatem agnoscit nisi solius Dei, *Regis*, *Judicis*, ac *Legislatoris*; *forma* etiam Regiminis ejus *externa* in eum modum composita, ut omnem dignitatis spectabilem eminentiam excludat, ut gloria Christi Jesu tanquam veri, summi & unici Ecclesiæ suæ Rectoris atque Episcopi, tanto clarius conspiceretur, & altius excelleret. Quæris in ea *locum amnium* ac *rivorum?* Est proprietas terræ hujus Belgii quæ cum ad exemplum Ægypti inferioris scissa sit in *amnes* ac *rivos*; eadem quoque in statu suo spirituali hoc conspectu se publice ostentat, quod studia Eruditionis, & quidem sacræ, in eadem certatim, nec contemnendo cum fructu, excolantur, ut exteri etiam in hisce oris grati agnoscant minime parcam mensuram donorum Spiritus S. ac Beneficiorum Divinæ Gratiæ. Id ajo, estque res certissima, earum Rerumpublicarum, quæ puriorem Religionem profitentur, nullam esse quæ characteres Reipublicæ Maccabaicæ clarius exhibeat quam hæc ipsa. Non facit caritas Patriæ ut prærogativas ejus extollam. id enim dum ago, non contemno nec deprecior dona ac beneficia insignia Gratiæ Divinæ apud alias Gentes Gentiumque Ecclesias ejusdem fidei consortes deposita; nec abnego aut dissimulo defectus & ἀποτεύγματα Status Ecclesiæ nostrorum temporum: solummodo teneo, quod negari nequit, Luctam, Liberationem, & præcipua Effecta & Consequentia Ecclesiæ temporum Maccabaicorum in nulla imagine Ecclesiarum Protestantium *simul* lucidius exhiberi, quam in hoc *Subjecto*: etsi propterea non abnuam, clarius & certius implementum hujus prophetiæ secundum aspectum ejus *Allegorico-Prophetic*um adhuc merito exspectari. Estque hæc ipsa ratio cur me hic latius non diffundam, vel singula per partes exequar. Cæteroquin quid facilius quam in Ecclesia adversaria demonstrare *Navem* cujus *funes* tempore Reformationis *laxati* vel *rupti*, apti amplius non sint sustinere *malum*, aut *expandere velum*, dum auctoritas Pontificia, tot olim Populis & Populorum Rectoribus terribilis, vere concidit, & non nisi precario exercetur, Regibus ac Principibus Romæ titulo tenus servientibus obnoxia. Quid item verius, quam *Doctrinam* Remissionis peccatorum *gratuitæ* per veram & vivam fidem in Christum Jesum, ex qua una petenda est consolatio animi, *ægri* ac laborantis, (quæ doctrina consolatoria in Ecclesia Romanensi variis erroribus conscientiam miserorum gravantibus obscuratur & intervertitur:) hanc, inquam, doctrinam consolatoriam clare expositam & applicatam ad *ægras* credentium *animas*, esse characterem illius *Civitatis* Populi Dei quæ se à *Romanensi* discrevit? Estne etiam illud obscurum, Parti adversariæ hominum malæ conscientiæ, observanti stupendum Reformationis progressum & acres impietatis suæ convictiones, expressas esse voces quales sunt *peccatorum Tsionis*, ℣. 14. Interim orandus est Deus, ut Ecclesiis Protestantium omnibus, vindicatis ab auctoritate falsi Nominis, Jehovæ vero Deo Filio *Salvatori* ut *Legislatori*, *Judici* ac *Regi Ecclesiæ* suæ unico suppositi, præstare velit prærogativam & effectum *mansionis æternæ* & *tentorii fixi*, cujus *paxilli* nunquam *luxentur*, cujusque *funes* nunquam *rumpantur*.

Effectum notabile punitionis hujus Principis est *Liberatio* ac *Libertas* Fœderati Belgii, & in eo *Reformatus* & florens Ecclesiæ *Status*. Qui effectus latius describitur.

Respublica Maccabaica callata cum Fœderato Belgio.

Ecclesiæ adversariæ *Funes* sunt laxati.

Doctrina *Remissionis peccatorum gratuitæ* in hac Ecclesia clarissime illustrata.

Epilogus.

Partis Tertiæ Libri Prophetiarum Jesaiæ.

SERMO TERTIUS,

Complexus Vaticinium grave adversus Potestates Mundi, adversarias Ecclesiæ, & ad eam exterminandam conspiraturas, inque iis adversus *Imperium* aliquod *sanguinarium*, Ecclesiæ hostile atque infestum, sub nomine Edomi propositum, cui æterna & horribilis vastatio, graphice descripta, denunciatur: quod severum Dei judicium proponitur ut argumentum gaudii & jubili Ecclesiæ veræ, post hoc exemplum Vindictæ Divinæ per Orbem totum diffundendæ; cujus status felix, singularibus prærogativis Divinæ Gratiæ exuberans, sub elegantium emblematum figuris explicatur.

Sermo

Sermonis tertii Partis tertiæ hujus libri respectus. Cohærentia ejus cum superioribus, & argumenti generalis propositum.

SErmo hic *tertius* binis *Capitulis* expositus sua se *præfatione* à superiore discernit. Non sane quod cum eo nullo modo cohæreat; (cohærere enim supra [a] jam demonstravi:) aut quod diverso tempore editus sit: (est enim probabile, circa idem fere tempus editum esse, ut mox monebo:) sed quod Propheta à Sp. Dei valide actus superiores vaticinationes de Gravissimis Judiciis, Ecclesiæ procedente tempore infligendis, veluti obsignaturus, in hac prophetia se directe convertat ad Hostes Ecclesiæ confœderatos, pluribus Gentibus constantes, Populo Dei maxime formidabiles, qui unirentur in aliqua Gente quam Vates hic proponit sub Nomine EDOMI, & in Metropoli hujus Gentis quam appellat BOTSRAM; iisque denunciet Judicium Dei *completorium*, quod exhiberet specimen & exemplum omnis Vindictæ huc usque de hostibus Ecclesiæ sumptæ; ac proinde Ecclesiæ præstaret ingens status sui incrementum & prosperitatem cum jubilo ob hostium obstinatorum interitum conjunctam. quam prophetiam cum ipse *nova præfatione* munitam à superioribus eatemus distinxerit, ut eam respici velit tanquam *Conclusionem argumenti singularis*: nos quoque in distinctione prophetiarum hujus Libri alium ei Locum facere non debuimus.

Est *bimembris*.

II. Est autem secundum argumentum ejus rudioribus lineis deformatum *Sermo* hic bimembris. *Prior Sectio*, Cap. XXXIV. comprehensa exhibet *Judicium* adversariorum Ecclesiæ & speciatim Edomi. *Posterior*, Cap. XXXV. Jubilum Ecclesiæ, ejusque Statum florentem ac fortunatum.

Sectio Prima,

Qua Judicium exemplare Gentium omnium, quæ conjuratæ in perniciem Ecclesiæ, eam oppugnando Deum graviter offenderent, & inprimis EDOMI, qui proponitur ut illarum Gentium typus veluti ac centrum, diserte scribitur, & æterna EDOMI desolatio, foro cœlesti decreta, terribili oratione enarratur, tanquam terra & Gens olim divitiis suis florens ac superba converteretur in infernum.

CAPUT XXXIV.

Textus Cap. XXXIV.

1. ACcedite Gentes ad audiendum & Populi advertite animum! Audiat terra & plenitudo ejus; Orbis habitabilis, & cuncta germina ejus!

2. Quippe ira efferveſcens Jehovæ est in omnes Gentes, & æstus in omnem exercitum earum: devovit eas, tradidit eas in mactationem.

3. Et confossi earum projicientur; & cadaverum earum ascendet fœtor; & liquescent montes à sanguine earum.

4. Atque contabescet omnis exercitus cœlorum; & cœli instar Libri convolventur, & omnis eorum exercitus defluet, quemadmodum defluit folium de vite, & decidua de ficu.

5. Quoniam inebriatus est in cœlis gladius meus: ecce super Edomum descendet, & super populum anathemate à me devotum, in judicium.

6. Gladius Jehovæ plenus est sanguine; impinguatus ex adipe: ex sanguine agnorum & hircorum; ex adipe renum arietum: quippe est Jehovæ mactatio sacrificalis in Botsra; & mactatus magnus in terra Edomi.

7. Et iisdem descendent alticornes, & juvenci cum tauris: & terra eorum inebriabitur sanguine, & pulvis eorum ex adipe impinguabitur.

8. Quia dies est vindictæ Jehovæ; annus retributionum, ad vindicandum Tsionem.

9. Et convertentur torrentes ejus in picem, & pulvis ejus in sulphur: & fiet terra ejus pix ardens.

10. Interdiu & noctu non extinguetur: in æternum ascendet fumus ejus: ab ætate in ætatem desolata manebit: in omne sempiternum nemo ea transibit.

11. Et possidebunt eam jure hæreditario pelicanus atque ericius; & bubo cum corvo eam inhabitabunt; & extendetur super eam linea inanitatis ac perpendiculum confusionis.

12. *Ad* Nobiles ejus *quod attinet*: nulli aderunt si Regnum clament *instaurandum*; & cuncti Principes ejus nihilum evadent.

13. Et palatiis ejus increscent spinæ; carduus & urtica munitionibus ejus: eritque habitaculum Draconum; atrium ululorum.

14. Atque occurrent feles agrestes thoibus; & satyrus socio suo acclamabit. Quinimmo strix quoque ibi requiescet; sibique inveniet quietem.

15. Ibi nidulabitur acontias atque enitetur; excludetque (*ova*) postquam (*illa*) foverit in umbra sua: utique ibi congregabuntur vultures unus cum altero.

16. Quærite à summo Libri Jehovæ & legite. unum horum non deficit; unum non desiderat alterum: quia os meum ipsum præcepit, & Spiritus ejus ipse ea congregavit.

17. Et ipse sortem iis jecit, & manus ejus eam ipsis ad lineam divisit: in æternum eam possidebunt; in quamque ætatem eam inhabitabunt.

[a] In exponendo *Argum.* Cap. XXXIII. §. 2.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus prophetiæ.

PRophetiæ hujus *Sectio prior* sic scripta est, ut legenti incutiat terrorem. tam vividum in ea exhibetur repræsentamen Judicii Divini, & iræ ejus in contemptores Gratiæ ac Longanimitatis suæ, hostesque suos & Ecclesiæ, exardescentis, acsi ipse Deus coram adesset omni illa specie Judicis ac Vindicis irati, qua hostibus suis terribilis appareat, suæque acueret ensem severitatis ad eos perdendos. Convocat itaque Vates in *Concionis* hujus *initio* omnes per Orbem terrarum Populos [a] ad audiendam sententiam adversus Gentes Ecclesiæ persecutrices latam, ejusque sententiæ executionem suis spectandam oculis: quam sententiam peremptoriam actutum explicat [b]. Mox oratione à generali objecto ad specificum conversa, in hisce Gentibus oppugnatricibus Ecclesiæ demonstrat Populum & Regionem propositam titulo EDOMI, (sive EDOM hic respiciatur ut centrum & metropolis harum Gentium; sive inter eas sustineat typum infestissimi Ecclesiæ adversarii:) cui proinde Populo & terræ desolationem extremam, finalem, irreparabilem, æternam, cum omnibus characteribus iræ Divinæ in Populum exterminio devotum conjunctam, denunciat, eamque desolationem ac vastitiem per figuras ac emblemata Rhetorum sive Poëtarum Sacrorum copiose enarrat, per totum hujus *Sectionis* corpus [c].

Occasio hujus prophetiæ editæ.

II. *Occasio* hujus Sermonis editi à me est demonstrata in explicando *Argumento Concionis superioris*. Spiritus S. ordine persequitur tristia fata Ecclesiæ; afflictiones ejus, & earum afflictionum causas & auctores: quando tandem devenit ad Imperium, quod tempore Prophetæ tantum quod ortum, proponi non poterat nisi nomine mystico, quod ei dedit, EDOMI. Videbimus autem mox & de eo disputabimus, an clades *Idumæis* & vicinis Gentibus inflictæ circa tempora Maccabaica hic in typo umbratili spectari possint; num potius plane sint prætereundæ.

Scopus ejus.

III. *Scopus* hujus prophetiæ est, sustinere *spem credentium*: quem sæpius jam monui præcipuum esse Verbi Prophetici [d]. Dum vera Ecclesia Christi Jesu vel exposita persecutionibus violentis adversariorum ejus destruitur aut dissipatur; vel obruta scandalis verum suum decus & nitorem vix ostentat; & præterea magna pars Orbis terrarum, Filio Dei addicti in hæreditatem, falsis Religionibus deluditur: pii quotquot sunt anhelant ad tempus aliquod *Refrigerii* & purioris perfectiorisque Status *Ecclesiæ*, quo *iniquitas* omnis *os suum claudat*, & Populus Dei diffusus per totum orbem, vindicatusque ab hostibus & offendiculis, præstet veram *Sponsam* Christi Jesu, *Hierosolymam cœlestem*, *Regnum Dei*, & ad satietatem suam bibat ex fontibus salutis & consolationis. Hæc spes est fidelium, consentiente Verbo Prophetico ac Typico, & suffragante ratione. Est enim credibile, Deum statum Ecclesiæ suæ in hisce terris post longam ac difficilem luctam aliquando esse consummaturum. Quam *spem* Ecclesiæ ut Prophetæ tam corroborarent quam excitarent: de infelice exitu hostium ejus, & Statu ejus glorioso sæpius vaticinati sunt; docueruntque planissime, fore ut lucta Ecclesiæ in hisce terris aliquando finiatur, & *scandala omnia* omnesque *operam dantes iniquitati*, de *Regno Dei* removeantur [e]. Insuper voluerunt, ut pii, prudentes, ac veri amantes homines Eventa temporum accurate observarent, eaque cum Verbo Prophetico sedulo conferrent, atque hac de caussa in lectione hujus Verbi se studiose exercitarent, ut extrema cum mediis, initium cum fine comparantes, omnes Dei vias erga Ecclesiam cognoscerent exire in clarissimam sapientiæ virtutumque ejus gloriam. Sic Vates noster ipse in hoc *Sermone*, ℣. 16.

Et *Analysis*.

IV. Resolvitur *Sectio* hæc in membra duo. prius complectitur *Vaticinationem* GENERALEM adversus Gentes omnes Persecutrices Ecclesiæ, ℣. 1--4. posterius SPECIALEM adversus Populum aut terram propositam nomine aut titulo EDOMI, ℣. 5--17.

In *Vaticinatione* GENERALI adversus Gentes omnes occurrit

- α. *Convocatio* Populorum omnium *Judicialis* ad audiendam sententiam Fori Cœlestis de Gentibus Persecutricibus Ecclesiæ, ℣. 1.
- β. *Sententia* ipsa Fori Cœlestis exposita, atque ex caussa effectisque suis illustrata, ℣. 2--4.

Prophetia SPECIALIS de *Edomo* complectitur

- α. *Sententiam* in *Edomum* latam, ℣. 5--15. eamque bimembrem,
  - (a) De terribili ultione à Deo sumenda de Edomo cum magnorum ac parvorum, divitum ac pauperum, excidio, ℣. 5--8.
  - (b) De plenaria eaque æterna terræ illius Vastatione, quæ prolixe variis sententiis enarratur, ℣. 9--15.
- β. *Sententiæ* illius *Confirmationem*, ℣. 16. 17.

Ἀνάκρισις veri *Subjecti* hujus prophetiæ, ejusque editæ *temporis*.

Anacrisis hujus prophetiæ. Argumentum ejus magnam meretur animadversionem.

PRæfatio prophetiæ hujus, ejusque orationis emphasis, merito excitant animos lectorum ad *Subjectum* sive *Argumentum* ejus propius cognoscendum. Vaticinatio enim grande quid & magnificum spirat: nimirum terribile effectum severitatis Divinæ tum in Gentes Populosque alios qui *universe* appellantur; tum in Gentem & Populum aliquem, sive vere sive mystice dictum *Edomum*. Sed, ut fit, dum Intt. se ad id applicant, rursus feruntur in diversa: quod ob prophetiæ sublimitatem & aspectum ejus μυστικώτερον nemo prudens miretur.

Sententia Hebræorum de *Edomo*, hujus prophetiæ subjecto.

II. Interpretes Hebræi, omnes ex traditione Veteri prophetiam hanc interpretantur de destructione Imperii Romani, quod illi existimant hic venire sub mystico nomine EDOMI ab rationes mox investigandas; excepto solo Mose Haccohen, qui de desolatione *Idumææ* sic proprie dictæ hic agi putat, & prophetiam impletam esse per Assyrium. Sic exerte Aben-Ezra [f]. Expectant autem illi destructionem Romani Imperii cum tempore Φανερώσεως *Manifestationis Messiæ* ex præjudicio suo ficti quem incredulitas miseræ Gentis habet pro spei suæ objecto. An aliquid veri, & quantum, huic traditioni subsit, deinceps disputabimus.

Christianorum in ea interpretanda hypotheses. Eusebii judicium.

III. Christiani qui huic Vaticinio operam dederunt, pars κατὰ γράμμα accipiunt; pars mystice. Veteres posteriorem viam institerunt. Eusebius perculsus magnitudine emblematum quibus Vates utitur in initio orationis, non ausus implementum tam sublimis prædictionis quærere in hisce terris, *septem priores versiculos* hujus prophetiæ exponit de Judicio *Universali*, habendo in *Consummatione Sæculorum*. Μετὰ τὴν συντέλειαν τῶ κόσμω τότε γενήσεται τὰ προλεχθέντα, ait. quod, ut obtineat, vocem אדום EDOM mystice accipiens interpretatur per γεώδης terrenus, *terrestris*: & בצרה

---

a ℣. 1. *b* ℣. 2--4. *c* ℣. 5--17. *d* Rom. xv. 4. *e* Matth. xiii. 43. *f* In h. l. כל המפרשים אומרים כי זה לעתיד רק רבי משה הכהן אומר כי אדום חרבה בימי אשור וכל הפרשה היא דבקרה

Omnes Intt. dicunt, prophetiam hanc de FUTURO (temporibus Messiæ,) *exponendam esse. Solummodo R. Moses Haccohen dicit, Edomum vastatam esse diebus Assyrii, & totum contextum harum prophetiarum cohærere.*

בוצרה BOTSRA per *vápnæ carnem*; confundens voces בוצר & בשר, enunciationis non adeo multum differentis, sed scriptionis diversæ. inde cum in ℣. 8. dicatur, venisse *annum retributionum* & יום נקם JUDICII TSIONIS: (quod ipse intelligit non de *Judicio* quo vindicaretur *Tsion*, sed quod ipsi *Tsioni* infligeretur:) de hoc Judicio incredulorum Judæorum & Hierosolymæ destruendæ per Romanos, sed consummando in supplicio Gehennali futuræ vitæ, reliqua hujus *Capitis* explicat, eaque sic commode satis connectit cum argumento *Capituli sequentis*; quod ille interpretatur de *Statu* & prærogativis Ecclesiæ Christianæ per Orbem diffundendæ post destructam Hierosolymam terrestrem. Hieronymus Eusebio per omnia fere adhæret, nisi quod errorem ejus de notatione Nominis BOTSRA in transitu castiget. Cyrillus eandem fere hypothesin sequitur, sed differitate exigua. Putat ille, Judicium Consummationis Sæculi describi *quatuor versiculis prioribus* hujus Concionis; sed transire Prophetam in ℣. 5. à *Judicio Universali* ad *Judicium particulare* exequendum in IDUMÆAM, h. e. JUDÆAM, cujus perinde ac Hierosolymæ desolatio efficienda à Romanis hic graphice pingitur: quando *consequens Capitulum* argumenti consolatorii eodem modo quo Eusebius, ad Statum Ecclesiæ Christi colligendæ ex Gentibus applicat. Theodoretus adhuc pressius. totam enim hanc prophetiam, ne prioribus quidem exceptis, accipit de Judicio Hierosolymæ, & Judæorum incredulorum, collato loco Matth. XXIV. 29. Procopius nihil hic diversum habet, sed interpretationes hasce pro more inter se componit. Deseruerat hanc hypothesin inter medii ævi Interpretes Liranus: sed Paulus Burgensis Episcopus, ipse olim Judæus, hanc sententiam resumpsit, ac prolixe vindicavit, certe vindicare conatus est. Quid? Placuit eadem inter recentiores Romanenses Forerio, & inter Protestantes Luthero, Pellicano, Coccejo, Schmuckio. Et Coccejus quidem noster in variis aliis vaticiniis sub *Edomo* cogitat de *Judæis* carnalibus, tempore Christi. Et hæc quidem secunda hypothesis est. Tertiam facio Doctorum Interpretum quorundam Sæculi instauratæ Ecclesiæ, qui quicquid in hoc *Capitulo* dicitur, mystice accipiunt de *Judicio spirituali* quod Christus Jesus per Verbum Evangelii exequitur in omnes impios, incredulos, impœnitentes; quippe eodem illo Verbo, quod ordinatum est ut medium salvandarum animarum, absque discrimine, incredulis, impiis, inobedientibus Evangelio, iram Dei & condemnationem æternam denunciat, cujus denunciationis vi illi jam in hisce terris gravati præjudicio damnationis, olim æternum misere interibunt. Sic fere Brentius *A* & Oecolampadius. licet hic sub nomine *Edomi*, cum Veteribus præcipue respiciat Judæos incredulos sub iram Dei conclusos: ille generalius accipiat pro quibuslibet Evangelii adversariis. Sententia pia est: an vera, mox videbimus.

IV. Ab his diversi sunt, qui hic non excludunt sensum *literalem*, sed quod Vates noster de *Edomo* prophetat, de iis κατὰ ῥητὸν primo sensu accipi pertendunt; quorum tamen aliqui *mysticum* literali adaptant. Sed quodnam illud triste ac tremendum Edomi judicium sit quod hic describitur, inter eos non convenit. Grotius refert ad judicium quod Deus circa ipsam illam ætatem exequeretur *super omnes Gentes Assyriorum vel subditas vel socias*; & speciatim in *Idumæos* per *Æthiopes*, ut alibi [a] monuerat. Alii existimant prædici Calamitatem Idumææ vicinisque terris ac Populis adversariis Judææ inferendam & illatam per Nebucadnezarem. Sic Liranus, & alii aliqui inter recentiores. Piscator & Belgæ generalius accipiunt, nec restringunt implementum prophetiæ ad certum tempus. Volunt hac prophetia prædici omnibus Gentibus adversariis Populi Dei sub Oeconomia Vetere, veluti Assyriis, Babyloniis, Syris, Moabitis, & in hisce insignibus Idumæis, severitatem Judicii Divini, quo omnes perirent: sed sub hoc typo proponi infelicem exitum hostium Populi Christi sub Oeconomia Nova, & quidem sub emblemate destructionis EDOMI subversionem ROMÆ, metropolis infestorum hostium Ecclesiæ.

Piscatoris & Belgarum Intt. sententia.

V. Diversæ viæ sunt, ut quisque videt, & videtur esse res anticipitis judicii, non tantum in biviis, & triviis, sed & in quadriviis veram eligere. Veruntamen, si sanctæ rationis ductum, & analogiam Verbi Prophetici, presse sequamur: forte non pœnitebit operæ in vero investigando positæ. Exsequar rem per theses ordine digestas.

Dubium ex mente Interpretis definitur.

Prima est, *in priore parte hujus Vaticinii non describi Judicium universale, habendum in consummatione sæculorum*; sed *Judicium* aliquod Dei *habendum in hisce terris*. Hæc prima hypothesis nostra directe est opposita sententiæ Veterum; quam non necesse habeo prolixe adstruere, quia postquam lux Verbi Prophetici Orbem clarius illustravit, Exercitatorum hominum nemo alteram illam tuetur. Equidem largior, α. hic describi speciem aliquam *Judicii Universalis*; & quidem β. hoc Judicium ita describi, ut typum aliquem exhibere queat Judicii Catholici habendi in fine temporum. ut sane omnia majora & generaliora Judicia præferunt imaginem Judicii Universalis, in quo tanquam exemplari suo omnia Judicia Dei in hoc Mundo habita vel habenda terminabuntur; sed erronea sententia est de alio hic cogitare Judicio ac de eo quod habendum est in hisce terris. Prophetæ enim ad id à Deo ordinati sunt, ut prædicant fata Ecclesiæ in his terris, decursura usque ad finem temporum: de *futuro sæculo* illos directe vaticinari, non liquet. Sed sunt mihi rationes aliæ. Prima est, quod hic non describatur *Judicium* habendum de omnibus hominibus; sed solummodo de certo aliquo hominum genere, h. e. de impiis, & quidem persecutoribus Ecclesiæ. Judicii Catholici est aspectus amplior. Judicandi tum erunt non *mali* tantum, verum etiam *boni*: non ἄδικοι modo, verum etiam δίκαιοι. Secundo, phrases quibus effectus hujus Judicii, h. e. pœna impiis infligenda circumscribitur, non conveniunt supplicio iis destinato post Consummationem Sæculorum. veluti quod dicitur, fore ut *cadavera illorum putrescant, & montes à sanguine illorum liquescant*, ℣. 3. Tertio, cum inter illas Gentes quarum Judicium hic describitur, eximia esset *Gens* aliqua *Idumæa*, & Interpretes ipsi illi agnoscant, illud Judicium in Edomum, quocunque modo acceptum, exponendum esse de Judicio aliquo celebrando in hisce terris: ratio suadet, Judicium in Gentes eodem modo interpretari. *species* enim imitatur naturam sui *generis*. Quarto, nexus prophetiæ immediate sequentis, quæ continetur *Capitulo* XXXV, hanc hypothesin invicte refellit. Exhibet enim typum florentis status Ecclesiæ in hisce terris, post celebratum superius Judicium in Gentes atque Idumæos: ut quisque videt, & ipsi illi Intt. non negant. Consequens itaque docet, quale sit antecedens. Movet illos quod in recensendis Effectis hujus Judicii dicitur, ℣. 4. futurum ut in hoc Judicio *contabescat omnis Exercitus cœlorum & cœli convolvantur instar Voluminis*. Sed emblema satis est recepti usus apud Prophetas in describendis quibuslibet Judiciis majoribus, absque dubitatione celebrandis in hisce terris.

Positio prima: *In priore parte hujus prophetiæ non describi Judicium universale.*

Temperamentum sententiæ quæ uberius declaratur.

Rationes ejus.

Contextus Prophetæ non habet characteres Judicii Novissimi.

quod evincitur.

Altera

---

[a] Ad Cap. XXI. 16.

A Brentius: *Quare grandiloquentia Prophetæ in descriptione Belli Christi cum hostibus Ecclesiæ suæ metaphorica est, & intelligi debet de spirituali & cælesti prælio, quod Christus commisit cum impiis, non corporali gladio suo, sed spirituali, prædicatione videlicet Evangelii sui. Verbum enim Dei gladius est Spiritus qui inebriatus est sanguine impiorum. Itaque primum, cum Propheta ait,* DOMINUM *interficere omnes Gentes adversarias videlicet Populi sui, & tradere eas mactationi, tum cœptum est impleri, cum* DOMINUS *Jesus Christus concionatus est: non misit, inquiens, Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum. qui credit in eum non condemnatur:* QUI VERO NON CREDIT, JAM CONDEMNATUS EST.... *Quot putas myriadas impiorum hominum, contemnentium Evangelium Christi .... hac una sententia* VERE *ac* SPIRITUALITER TRUCIDANDI, *ac in æternum damnari?*

Positio altera: Per *Edomum hic non* videri directe designari *Judæos* impœnitentes, contemptores Evangelii: sed intelligendas esse *Gentes*.

Altera positio: *Prophetiam hanc quatenus Judicium in* EDOMUM *describit, non videri referendam esse ad Judæos impœnitentes & inobedientes Evangelio, sub nomine figurato Edomi propositos: sed interpretandam esse de Judicio* GENTIUM. Non sum ejus ingenii, ut facile spernam aut repudiem meditationes in quibus plures exercitæ mentis homines conquieverunt; & agnosco lubens, hypothesin de *Judæis* destructis per Romanos hic propositis sub nomine & titulo *Edomi* prudente oculo inspectam habendam non esse tam paradoxam, ac imperitoribus ad primam speciem videri queat. Ecclesia credentium in Christum Jesum omnino figurata fuit per *Jacobum*; & Ecclesia carnalis ei opposita, eique infesta, excluſa Benedictione vera Abrahami, cui ordine nascendi debebantur prærogativæ Divinorum promissorum, olim latuit sub typo *Esavi* sive *Edomi*. Quin sane negari etiam illud nequit, specimen terribilis illius Judicii quod hic describitur, in ipsis quoque Hierosolymis, per Romanos destructis, editum esse. Veruntamen ut diversus est rerum in typicis aspectus; adeo ut implementa sæpe in pluribus Subjectis demonstrari queant: sic sola hæc ratio non sufficit ad hypothesin hanc substernendam interpretationi hujus Vaticinii. Potest enim *Edom* aliorum vel analogorum attributorum respectu in typicis quid aliud significare, si circumstantiæ & analogia Verbi Prophetici idem exigant. *Subjecta* enim in Propheticis cognoscuntur ex suis attributis: quod & alibi obtinet. Expende itaque tecum hasce rationes, quæ diversum suadent, & hypothesin nostram fulciunt. Primo, Inscriptio prophetiæ huic hypothesi directe adversatur. Ne quis enim hic hæsitaret: Vates exerte *Gentes*, quas hoc Judicium feriret, *Judæis* contradistinguit. Sententia Fori cœlestis inter Gentes omnes vulganda his verbis est concepta [a]; *Ira æstuans Domino est super omnes* גוים GENTES, & *excandescentia in omnem* EXERCITUM EARUM. Quis non videt, hic Gentes Judæis contradistingui? Id vero amplius etiam patet, ex ℣. 8. ubi *dies* hic dicitur *vindictæ* & *retributionis* לריב ציון *ad vindicias* TSIONIS: non sane *ad Tsionem ipsum judicandum*, ut aliqui Intt. acceperunt. Sic Cap. XXXV. 10. *Et redempti Jehovæ revertentur, & venient* TSIONEM *cum cantu*. Dixeris, *Tsionem* hic mystice sumi pro Ecclesia. Esto vero, non nego. Ajo tamen, neutiquam probabile fieri, Spiritum S. in prophetia adversus ipsos *Judæos* edita ita locuturum esse, ut reprobos, incredulos, credentibus contradistinctos, sub titulo & emblemate *Gentium* proponeret, aut nomen Gentium iis aptaret. Secundo, recte observandum est, Judicium EDOMI incidere in tempus *Judicii omnium Gentium*. Eo, inquam, tempore quo vindicandus esset Edom, simul vindicarentur *Gentes*, eidem crimini obnoxiæ. Id vero secus se habuit in Judicio Judæorum administrato per Romanos. Soli steterunt illo tempore sub Vespasiano, Tito, Hadriano. soli tulerunt ultionem Divinam. Hæc ratio sola omnem controversiam dirimit. est enim liquida, nec reliquum facit effugium. Tertio, cum tempore Prophetæ Idumæi ita divisi essent à Judæis, ut haberentur non pro unius Gentis duabus ac diversis sectis, sed pro Gentibus diversis & sibi invicem oppositis: non videntur pii illius temporis sub nomine & titulo *Edomi* ullo modo cogitare potuisse de secta *Judæorum inobedientium Evangelio* Judæis in Christum Jesum credituris contradistincta. Cogitatio nimis erat remota & mystica, quæ piorum nemini citra Revelationem extraordinariam subnasci poterat. Voluisse autem Prophetam ita loqui, ut à nemine piorum illius temporis intelligi potuerit: non videtur probabile. Quarto, analogia Verbi Prophetici mox producenda nos docebit, esse aliud quoddam Imperium in Mundo, hostile Regno Dei inter Gentes, quod hoc nomine mystice commodius appelletur. quare hic plura non urgebo. neque illud etiam, quod urgeri poterat, triste Judicium Hierosolymæ exequutioni mandatum per Romanos, licet faceret ad profectum Ecclesiæ, non videri tamen ei præbuisse materiam gaudii & jubili. Et possunt tamen hic duo contra moveri, quæ sententiæ adversæ conciliant speciem, verbo diluenda. Primum est, quod *Edom* in hac prophetia videatur contradistingui *Deserto & siticulosis locis* quæ ex ejus destructione caperent incrementum status sui, ut liquet ex Cap. XXXV. 12. sub qua figura cum veniant *Gentes*, *Judæis* contradistinctæ: æquum videtur sub nomine *Edomi* intelligere *Judæos*. Respondeo, procedere argumentationem, si sub nomine *Gentium* & *Edomi* quæ ferirentur judicio hoc Divino, hic intelligeremus *omnes* vel *omnis generis* Gentes. Videbimus mox, intelligi Gentes persecutrices Ecclesiæ, adversarias *Tsionis*; quibus opponuntur & contradistinguuntur *Ecclesiæ* earundem Gentium, gravia quæque passæ, ad tristem statum redactæ, & consolationis indigæ ac cupidæ, omnesque Gentes aliæ *αἱ εἰς μακρὰν quæ procul sunt* [b], hactenus excluſæ Divina communione, quotquot Deo placeret Ecclesiæ suæ aggregare. Alterum pro adversa sententia peti potest ex comparatione loci Matth. XXIV. 29. cum ℣. 4. hujus *Sermonis* nostri: in quo loco censent Intt. dissolutionem Reipublicæ Judææ exhiberi sub emblemate *obscurationis Solis & Lunæ*, ac *cadentium de cœlo siderum*. Respondeo, emblema hoc Propheticum esse generalis usus per prophetias, ubi prænunciant destructionem Imperiorum & Rerumpublicarum: in Sermone autem Domini apud Matthæum, nec admitti ab Interpretibus omnibus, agi de dissolutione Reipublicæ Judaicæ; nec magis locum hunc nostrum respici quam analoga Prophetica hujus nostri Vatis Cap. XIII. 10. & Joël, II. 31. III. 15. Nos contra docebimus, esse hoc emblema analogum *Viso sexto* Apocalytico [c], in quo agitur de Dissolutione magni alicujus Imperii adversarii Regni Christi Jesu.

Positio tertia: *Prophetiam hanc non institui adversus omnes Gentes promiscue sumptas, sed adversus certas Gentes, h. e. persecutrices & adversarias Populi Dei.* Hæc animadversio plane est necessaria. posset enim imperitior aliquis hærere ad hæc verba Prophetæ ℣. 2. *quia excandescentia Jehovæ est* על כל הגוים *super* vel *contra* OMNES GENTES. (proprie, *τὸ πᾶν τῶν ἐθνῶν universitatem:*) *& devovit* OMNEM EXERCITUM *earum*. Certe si quis inspiciat historiam temporum Mundi: deprehendit in ea certis temporum periodis integras series Judiciorum Dei, non vulgarium, sed insignium atque exemplarium, quibus percussæ & concussæ, atque ingente numero consumptæ sunt Gentes, per bella una ex aliis sata; vastationes Urbium, populationes agrorum, & Regnorum ac Dominiorum occupationes ac transmutationes violentas. Inprimis nunc respicio gesta in vasto Imperio Alexandri Macedonis, post ejus obitum, de quibus motibus Mundi luculenter vaticinatus est Haggæus [d]. Et tamen id non esse quod Propheta intendit, facile demonstrem. Primo, quia quocunque modo sumatur Concio prophetica, nunquam implementum consequuta est aut consequetur in omnibus absque discrimine Gentibus. Dictum est Servatoris Mundi apud Vatem nostrum [e]: *Convertite vos ad me, & salvamini omnes fines terræ.* & Joëlis [f]: *Quisquis invocaverit Nomen Domini*, sc. inter Gentes, *salvabitur*. Clarius Poëta facer [g]: *Recordabuntur & se convertent ad Jehovam* כל אפסי ארץ OMNES FINES TERRÆ, *& se incurvabunt coram eo omnes familiæ Gentium*. Secundo, Vates explicate ℣. 8. fore *diem vindictæ Jehovæ; annum retributionis ad judicandum* sive *vindicandum Tsionem*. Pertinet itaque prophetia ad Gentes hostiles & adversarias Ecclesiæ, quæ ei plurimum attulerant detrimenti, quæ exerte dicuntur הגוים *Gentes* ILLÆ. Tertio, Judicium Dei in has Gentes præberet Populo Dei argumentum *gaudii* ac *jubili* [h].

Sed

Rationes quæ vetant hic directe cogitare de Judicio *Judæorum*.

Inscriptio prophetiæ repugnat huic hypothesi.

Gentes in hac prophetia Judæis contradistinguuntur.

Judicium *Edomi* incideret in tempus *Judicii omnium Gentium*. quod non convenit *Judæis*, gravia passis à Romanis.

Difficile erat piis sub Oeconomia Vet. sub nomine *Edomi* cogitare de *Judæis ipsis*.

Analogia Verbi Prophetici favet sententiæ quæ per *Edomum* intelligi statuit aliud Subjectum.

Solvitur dubium, quod *Edom* in hac prophetia contradistinguatur *Gentibus*.

Item aliud ductum ex loco Matth. XXIV. 29.

Positio tertia: Prophetiam hanc non institui adversus *omnes Gentes* promiscue sumptas, sed adversus *certas Gentes*.

Rationes hujus hypothesios.

[a] ℣. 2. [b] Act. II. 39. [c] *Apoc.* VI. 12. [d] Cap. II. 23. [e] Cap. XLV. 22. [f] Cap. II. 32. [g] Ps. XXII. 28. [h] Cap. XXXV. 1. 2.

Sed quis unquam de cœtu Ecclesiæ gavisus est vel gaudere queat bona conscientia Judiciis illis quibus Deus olim severe animadvertit in Gentes illas quibus nihil negotii fuit cum Ecclesia? Quarto denique, Gentes hæ à Deo ulciscendæ omnino distinguuntur ab illis Gentibus, quæ ℣s. 1. in *Inscriptione* hujus *Concionis* invitantur ad audiendam sententiam Fori Cœlestis. Nec video esse quod pro adversa sententia in medium produci possit.

Positio quarta: *Judicium pœnale, quod Gentibus & Edomo hac prophetia prænunciatur, non videri tantum explicandum esse de Judicio spirituali, quod Deus exercet per Verbum Evangelii, quo inobedientibus Evangelio denunciatur Exitium æternum vi hujus denunciationis suo tempore iis infligendum: sed omnino quoque, & quidem primo sensu, intelligendum esse de Judicio corporali, externo, vastationis ac desolationis, quale verba & phrases, ex figuratis in proprias convertendæ, inferunt.* Sane non est contemnendum studium Brentii & aliorum, qui Vaticinium hoc interminatorium spiritualiter interpretantur; & vere iis manus darem, si mihi persuadere possem, Prophetam id primo sensu intendisse. Primo, inquam, sensu. nam quod ad secundum, μυςικώτερον: nullum est dubium. Spiritualia semper faciunt complementum corporalium. hæc in illis terminantur. Et ipse adeo largior, Spiritum S. pœnam temporalem, transitoriam, multis terris & Populis communem, non tam graphice descripturum esse, si pœnæ *spirituales & æternæ* hostibus Populi Dei decretæ, simul non habuisset rationem. Verum primo sensu ad *mala corporalia*, hostibus Ecclesiæ destinata in supplicium, hic alludi; primo facile quis colligat ex stylo & phrasi Prophetæ quæ vere non videtur ad sensum spiritualem directe significandum accommodata esse. Tota oratio Prophetæ conspirat ad excitandam in lectoribus ideam magnæ cujusdam Vastitatis, Cædis, Desolationis, Calamitatis, in Orbem impiorum & adversariorum Ecclesiæ inducendæ in exemplum severitatis Divinæ, & non facile absque vi quadam retraxeris animum ab hac cogitatione. quod si jam probarem: tota hæc Concio mihi describenda esset. velim itaque superiora respici, & integram relegi. Secundo, analogia aliarum prophetiarum & Apocalypticarum quoque, similis argumenti in quibus Judicium Dei in hostes Ecclesiæ sub similibus figuris & emblematibus proponitur, & tamen absque dubitatione ex primo sensu *Judicia corporalia* intelligenda veniunt, idem in prophetia hac nostra suadet & exigit. Inspiciantur loca deinceps non negligenda, Cap. XIII. 9. 10. 20. seqq. Joël, II. 31. III. 12--15. Matth. XXIV. 29. Apoc. VI. 12. seqq. XIV. 15. 18. XVIII. 8. Spiritualia Judicia semper censentur graviora corporalibus, & sunt vere; & tamen corporalia Gentibus & populis inflicta, ipsa quoque tristissima & clarissima signa iræ Divinæ, magis incurrunt in sensum; quæ causa est quod à Prophetis, qui sensum & imaginationem afficere student, sæpius in medium producantur. à quo stylo cum Vates noster in hac Concione non discedat: necesse est, nostram quoque interpretationem ad eundem scopum dirigi.

Positio quinta: *Per* GENTES OMNES *&* EDOMUM *à Deo judicandas non videri hac prophetia* PRÆCIPUE *intelligendas esse Gentes & Idumæos antiqui temporis, licet emblema inde petitum sit: sed potius* GENTES ADVERSARIAS REGNI CHRISTI JESU, *earumque Gentium Populum aliquem, & Populi illius Regionem ac Metropolin,* ROMAM, *ebriam* sive RUBRAM *ex sanguine sanctorum & martyrum Jesu.* Bimembris est positio, per partes demonstranda.

Quod ad prius membrum: Si per *omnes Gentes & Edomum*, quarum judicium in hac prophetia consignatur, denotentur Gentes adversariæ Ecclesiæ Veteris Oeconomiæ: non potest esse dubium, quin hic præter *Idumæos*, sic proprie dictos, intelligendi sint Moabitæ, Ammonitæ, Philistæi, Arabes Ismaëlitæ, Phœnices, Cuthæi, qui Judææ circumjacentes Regno ac Reipublicæ Populi Dei infestos gerebant animos; omni commoda occasione eam invadebant; malisque ac calamitatibus ejus lætabantur. Has enim potissimum respiciunt Prophetæ, si de *finitimarum Gentium* calamitatibus fatisque vaticinentur: veluti Jeremias *a*: *Et adducam eos* (Nebucadnezarem & omnes familias Septentrionis,) *in terram hanc & in incolas ejus,* ועל כל הגוים סביב האלה *& in* OMNES HASCE GENTES CIRCUMJACENTES; *& devovebo eas & ponam eas in stuporem, & in sibilum, & in vastitates perpetuas.* Joël *b*: *Nam ecce in diebus illis, & in tempore illo quo restituam captivitatem Judæ & Hierosolymæ, congregabo* כל הגוים OMNES GENTES, *& faciam eas descendere in vallem Jehosaphat.* quæ *Gentes* appellantur מסביב כל הגוי *omnes Gentes circumsitæ* c. Alluditur ad Maccabaica: licet prophetia altius quid spectet, & omnino referenda sit ad tempora N. T. Obadja *d*: *Nam propinquus est dies Jehovæ* על כל הגוים SUPER OMNES GENTES. Zacharias *e*: *Et congregabo* OMNES GENTES *contra Hierosolymam.* cui loco respondet analogus Ps. LXXXIII. 6. *Quia consilium inierunt ex corde pariter contra te: fœdus pepigerunt, tentoria Edomi & Ismaëlitæ, Moabitæ & Hagareni; Gabalitæ & Ammonitæ, & Amalekitæ; Palæstina cum habitantibus Tyrum. Etiam Assur se iis adjunxit.* Idem est quod in Maccabaicis legitur totidem verbis *f*: GENTES *autem* IN CIRCUITU (τὰ ἔθνη κυκλόθεν,) *cum audivissent ædificatum esse altare ... iratæ sunt supra modum, & decreverunt tollere genus Jacobidarum quod inter ipsos erat.* Utique negari nequit, Deum hasce Gentes, & in iis exerte *Idumæos*, severitate Judiciorum suorum prosequutum esse, tum per Chaldæos, tum per Duces Assamonæos, secundum analogas Vatum antiquorum prædictiones, quarum aliquas produxi ad prophetiam de *Duma*, superius recensitam *g*. Certe ut de judiciis in has Gentes exercitis per Chaldæos & desolatione *Idumææ* ab iis effecta nullum potest esse dubium ob certitudinem prophetiarum & respectum circumstantiarum, huic eventui faventium: sic de Maccabaicis luculenter testantur auctores hujus historiæ *h*, & Josephus *i*. Viderer itaque ego insuper qui superiorem prophetiam explicui de Syris Seleucidis Vastatoribus Judææ, repressis à Maccabæis: hanc prophetiam commodissime referre ad Gentes finitimas, & in iis Gentibus insignes Idumæos, qui cum Syris circa illud tempus conspiraverant in exitium Judæorum, quæque à Deo vindice Populi sui severe coërcerentur. Equidem non abnuo, & si quis ita instituere velit, non vehementer repugnabo: veruntamen non ausim dicere id primum hic fuisse in mente Prophetæ; sed plane feror in hanc sententiam, Prophetam, cum secundum ductum & seriem prædictionum suarum vaticinari deberet de ROMANO IMPERIO, & potentibus Populis qui se Regno Christi Jesu in Mundo opponerent; emblema quidem mutuatum esse ex Populis notis & Judææ finitimis sui temporis; at directe intelligi voluisse de Gentibus adversariis Regni Christi aliquando solenniter à Deo judicandis, & de Romano Imperio. Rationes meæ sunt.

α. Præfatio qua omnes Populi Orbis terrarum invitantur ad *spectaculum & animadversionem Judicii hujus Divini*, nimis est emphatica quam ut salva dignitate Verbi Prophetici referri posse videatur ad Judicium in Gentes, non sane maximas ac potentissimas, quales fuerunt finitimæ Judææ. Non fuit hoc Judicium, qualecunque tandem, adeo illustre, ut omnes Populi Orbis necesse habuerint huc convertere oculos. historia enim multo exhibet illustriora. β. Implementum prophetiæ de subversione harum Gentium, & præsertim Idumæorum, minus est in historia quam in prædictione: quod de *Idumæis* facile est demonstratu.

Positio quarta: *Judicium pœnale in Edomum* on videtur rimo sensu xplicandum esse de *Judicio spirituali*, sed *rporali.*

Temperamentum ententiæ.

Rationes ententiæ, petitæ ex implicitate orationis.

Et ex analogia aliarum prophetiarum.

Positio quinta: Per *Gentes* & *Edomum* hic præcipue videri designari *Gentes adversarias Regni* Christi Jesu.

Si hic cogitandum esset de Statu Ecclesiæ T. V. intelligendæ

essent Gentes notissimæ, Judæis vicinæ, Populo Dei infestæ, inprimis cirta tempora Maccabaica. Loca Vet. Test. in quibus de iis sub hac notione *omnium Gentium* mentio occurrit.

Certum est, Deum eas prosequutum esse Judiciis suis per Chaldæos & per Maccabæos.

Quatenus earum respectus admitti queat in hac prophetia interpretanda.

Et verior tamen videtur sententia, quæ hic directe monstrat *adversarios Regni Christi Jesu.*

Rationes positionis. *Emphasis* Præfationis hujus Sermonis.

Et prophetiæ totius, cui historia Veteris non satisfacit.

a Cap. XXV. 9. *b* Cap. III. 2. *c* ℣s. 12. *d* ℣s. 15. *e* Cap. XIV. 2. *f* 1 Macc. V. 1. *g* Cap. XXI. 11. *h* 1 Macc. V. 3. 4. seqq. 2 Macc. X. 16. 17. *i* *Antiq.* Lib. XII. Cap. XI. XIV. Lib. XIII. Cap. XVII.

Edom in hac prophetia ita erat desolanda, ut plane interiret, & quidem in æternum, absque ulla spe instaurationis. Verum ex consensu Verbi Prophetici, *Idumæi* postquam sustinuissent severitatem Judiciorum Divinorum, ad verum Deum debebant converti & Judæis obnoxii in eorum communione veram celebrare Religionem [a]. quo sensu impleretur quod prædixerat Obadja [b], *Edomæis* (à *Domo Jacobi* tempore Maccabaico *vorandis*,) *nullum fore superstitem:* siquidem coalescerent cum Judæis in unam eandemque Gentem. Certe non ignoro, alios Prophetas de Idumæorum interitu insignite quoque vaticinatos esse: sed characteres styli Prophetici hic adeo sunt singulares, ut Vates merito plurimum censeatur dedisse hyperbolæ, si de Vastatione *terræ* non *magnæ*, & *Populi* non valde *illustris*, qualis fuit terra & Populus *Idumæorum*, tam diserte & copiose scripsisset. Tertio rursus recurro ad analogiam Verbi Prophetici; cujus summa est, sub finem temporum celebrandum à Deo esse judicium generale in Ecclesiæ suæ hostes, junctis consiliis ac viribus eam oppugnaturos, exequendum cum effusione *multi sanguinis.* Clarissima ejus mentio est in *Apocalypsi* variis locis [c]; ex qua simul liquet, Populos Romæ superstitiosæ ac degeneri servientes, eorumque Populorum Reges ac Principes, ipsos esse illos qui hoc Judicio Divino ferirentur & pœnam persolverent vindictæ Divinæ; appellaturque *Dies* ille, *magnus* ille *Dies Dei Omnipotentis* [d]. Prophetia autem illa *Apocalyptica* plane est conformata ad hanc nostram, & huic nostræ parallelam Cap. LXIII. 1. 2. seqq. Joëlis, Cap. III. 11. 13. 14. seqq. Zachariæ, Cap. XIV. 3. Quæ harmonia Verbi Prophetici ut certum canonem præstat interpretationis ejus: sic lucem hanc sequentes tutissime nobis cavebimus ab errore. δ. Jubilum Ecclesiæ & Gentium aliarum, sinu ejus recipiendarum, ob destructam Edomum, & ob supplicium confœderatorum Populorum, quod describitur Cap. XXXV. sequenti, hanc hypothesin nostram valide sustinet. An enim *Edomi* Veteris, quo fuit statu sub Oeconomia antiqua, ea unquam habita est aut habenda fuit ratio, ut ab ejus fato pependerit prosperitas Ecclesiæ, & quidem diffusæ per Orbem totum? Num ejus destructio plenaria, eaque æterna tantæ præbere debebat materiam lætitiæ? tantum post se traheret momentum benedictionum & prærogativarum spiritualium, in Ecclesiam effundendarum? Non videtur probabile.

Analogia Verbi Prophetici. Summa ejus quod ad argumentum hujus prophetiæ.

Respectus Prophetiæ Apocalypticæ.

Consequens Cap. XXXV. huic hypothesi favet. *Desolatio Edomi* non poterat esse caussa tantæ prosperitatis Ecclesiæ.

Alterius membri positionis nostræ inspectio superiorem demonstrationem nostram firmabit ac conficiet. Hypothesis nostra est, nomine EDOMI & BOTSRÆ designari ROMAM, adversariam veri Regni Christi Jesu, Metropolin sanguinariorum hostium, quorum consilia & molimina unice tendunt ad Ecclesiam Dei veram, suæ auctoritati non subjectam, excindendam. Sic habet traditio Judaica, sed in qua nemo prudens fidem suam fundet, si non sit suffulta ratione. Ratio autem hic à me petitur ex prophetia Apocalyptica, in qua vastatio *Babylonis magnæ*, sive *Romæ*, verbis ex hoc Vaticinio desumptis describitur. Confer Cap. XIX. 3. Καὶ ὁ καπνὸς αὐτῆς ἀναβαίνει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, cum hoc *Sermone* ℣. 10. *In sæculum ascendet fumus ejus.* Rursus, eodem *Capite Apocal.* ℣. 13. ubi Christus Jesus Heros & Vindex Ecclesiæ adversus Babylonem mysticam figurate introducitur, ut περιβεβλημένος ἱμάτιον βεβαμμένον αἵματι, *indutus veste sanguine tincta, & calcans lacum vini excandescentiæ & iræ Dei omnipotentis:* constat desumptum esse emblema ex Cap. LXIII. 1. nostri Prophetæ cujus hoc est exordium: *Quis est ille qui venit ex* EDOMO? *tinctus veste coloris rubri ex* BOTSRA? An non sentis, mysticum esse nomen, fictum ad describendum Imperium sanguinarium, à quo Christus Dominus severam sumeret ultionem, *calcaturus hunc Populum in ira sua?* Patet itaque invicte, *Edomum* esse Populum Regni sanguinarii, adversarii Regni Christi Jesu. Sunt autem duo hæc loca Prophetæ nostri inter se comparanda. ex illis enim inter se junctis lux nobis oritur. Ecquis vero miretur, Romanenses hunc sensum fugisse? Nolunt enim Romam, quam colunt ac venerantur, hac pingi imagine, etsi Joannes quicquid hic de *Edomo* dicitur ad *Romam* diserte transferat. Quæ autem ratio insit in nomine; quid significet in hoc loco; quidque moverit Judæos, quare *Romam* hoc nomine & titulo passim insigniant: declarabo ad ℣. 5. hujus *Sermonis.*

Probabilis videtur hypothesis nomine *Edomi* & *Botsræ* hic intelligendam esse *Romam*, vel *Populum* & *terram* Romæ subjectam.

Demonstratio hypothesios petitur ex *Apocalypsi.*

Loca ex ea producta, & cum hac prophetia collata.

VI. De *tempore* hujus prophetiæ editæ nihil habeo quod moneam. Analogia enim, quæ inter eam & superiores Sermones intercedit, nobis persuadet, Revelationem hanc Prophetæ obtigisse in initiis Hiskiæ, de quo videnda sunt & relegenda quæ monui ad Ἀναπίσεις *Concionum* XXIV. & XXVIII. Quare jacta hypothesi me ad ipsam interpretationem protenus confero.

Admonitio de *tempore* hujus prophetiæ.

Pars prior SECTIONIS PRIMÆ hujus prophetiæ, complexa Vaticinationem Generalem de solenni eoque Gravissimo Judicio à Deo exequendo in Gentes Ecclesiæ adversarias.

α. *Convocatio* Populorum omnium ad audiendam judicialem Fori cœlestis sententiam.

℣. 1. *Accedite* GENTES *ad audiendum, &* POPULI *attendite! Audiat terra & plenitudo ejus; Orbis habitabilis & cuncta* GERMINA EJUS] Præfatio augusta est, ut jam prænonui, tardorum auditorum & scrutatorum Verbi Prophetici apta excitare segnitiem. Duo observanda sunt ad ejus intelligentiam. Primo, dirigi orationem hanc proprie ad omnes *incolas Orbis*; non figurate, ut alibi [e], ad res quoque inanimatas. Ergo per *plenitudinem terræ* intelligimus homines, incolas terræ, eam replentes; & per *Germina ejus* propagines & satus generis humani in terra. Phrasis, *plenitudo terræ*, passim latius sumitur; sed hic, ut putem, restringitur ab argumento orationis, perinde ac apud Micham, in initio prophetiæ suæ imitantem hoc σχῆμα Prophetæ nostri. Verba ejus [f]: *Audite populi quotquot sunt; attende terra &* PLENITUDO EJUS; *& sit Dominus Jehova inter eos in testem.* Oratio enim hæc non est proprie contestatoria; sed declaratoria sententiæ Fori cœlestis, quæ requirit *perceptionem* qualis est creaturæ intelligentis. Sic pariter *Germina* (צמאים) *terræ* sive *Orbis habitabilis* sunt hic loci non sane gramina, herbæ, flores, arbores, frumenta; sed *propagines* & *satus* hominum in terris, qui alias dicuntur צאצאי מעים *propagines, genimina, viscerum* [g]. Habuimus hoc sensu vocem Cap. XXII. 24. Chaldæus: תבל וכל דריין בה *Orbis & omnes in eo habitantes.* Græcus: Ἡ οἰκουμένη καὶ ὁ λαὸς ὁ ἐν αὐτῇ. Alterum, quod hic observo, est; non videri per *Gentes* illas & *Populos* qui hic convocantur ad audiendam sententiam Fori cœlestis, intelligi ipsos illos Populos, quibus hoc judicium infligeretur, quippe qui supponuntur esse obstinati & inemendabiles, ἀυτοκατάκριτοι: sed Gentes omnes cujuscunque generis ab iis distinctas. α. Quia in ipso orationis contextu ab invicem distinguuntur, tanquam גוים *Gentes*, universim sumptæ, (quæ appellantur ℣. 1.) & הגוים *Gentes* HÆ sive ILLÆ, à Deo judicandæ, ℣. 2. β. Non potest esse alius respectus appellationis hujus in hoc loco, ac in parallelo, Mich. 1. 2. Verum in verbis Michæ convocantur Populi ad audiendam testificationem Dei adversus Populum suum. γ. Officium quod Deus hic à Gentibus requirit, non convenit *damnandis* vel *damnatis.* Jubentur enim *appropinquare ad audiendum*, & הקשיב *attendere* sive *advertere animum.* h. e. in communione Dei explorare, perpendere, & ad animum revocare hujus judicii causas, fines, æquitatem justitiamque ad documentum suum, idque hoc oculo, hac mente, in fide spectare ac considerare. Supponitur itaque hic loci, futurum aliquando esse ut omnes Gentes Orbis terrarum cognoscerent & pruden-

Pars prior *Sectionis primæ* hujus prophetiæ. In qua α. *Convocatio* Gentium ad audiendam sententiam Fori cœlestis, ℣. 1. Oratio hic proprie dirigitur ad *incolas* Orbis hujus animatos, intelligentia præditos.

Quid hic proprie intelligendum sit per *plenitudinem terræ*?

Ut & per *Germina terræ.*

Per *Gentes* & *Populos* qui hic convocantur ad audiendam sententiam Fori Cœlestis, non videntur intelligendi ipsi illi Populi quibus *Judicium* infligeretur.

Rationes hujus hypothesios.

Supponitur, Gentes

---

[a] Num. XXIV. 18. [b] ℣. 18. [c] Apoc. XIV. 14. seqq. XVI. 16. XIX. 16. 17. seqq. [d] Apoc. XVI. 14. [e] Vide ad Cap. I. 2. [f] Cap. I. 2. [g] Cap. XLVIII. 19.

ad Deum convertendas olim inquisituras in rationes notabilium Dei judiciorum. Locus Deut. XXIX. 24.

denter discernerent causſas Judicii Divini in adversarios Ecclesiæ: perinde ac Moses de Judicio Dei in Populum Judæum [a]: *Et dicent* כל הגוים *omnes* GENTES, *quare Jehova sic fecit huic populo? ... & mutuo respondebunt, quia dereliquerant fœdus Jehovæ Dei Patrum suorum.* Venit illud tempus, & prophetia hodiedum in nobis impletur. Scopus itaque hujus appellationis est, Gentes & Populos omnes (sive qui jam supponuntur fidem veri Dei suscepisse, sive eandem fidem post hoc judicium adversariis inflictum suscepturi esse:) edocere de hoc Eventu singulari, eosque excitare per præconium Verbi sui ad cognoscendas hujus severitatis Divinæ causſas, & ex iis capere documentum tum Justitiæ Divinæ, tum officii sui in prudenti regimine vitæ & morum cum respectu ad Ecclesiam, quam nemo impune lædit.

β. Sententia ipsa Judicii Cœlestis ex causſa effectisque ejus illustrata.

β. Sententia ipsa Judicii Cœlestis, ejusque *causſa* & *effecta*, ỳſ. 2. 3 4.

ỳſ. 2. *Quippe* IRA EFFERVESCENS *Jehovæ est in omnes hasce Gentes, & æstus in omnem exercitum earum: devovit eas, tradidit eas in mactationem.* ỳſ. 3. *Et confossi earum projicientur; & ad cadavera illarum* quod attinet, *ascendet fœtor eorum, & liquescent montes à sanguine eorum.* ỳſ. 4. *Et contabescet omnis exercitus cœlorum; &* COELI INSTAR LIBRI CONVOLVENTUR; *& omnis exercitus eorum decidet, sicut decidit folium de vite, & sicut decidua de ficu.*] Sententia gravis est, apta cuique auditori aut lectori incutere terrorem aut movere admirationem. Exhibet veluti Judicium aliquod generale in Populos hostiles Regni Dei exequendum per gladium Dei, h. e. Principum ac Heröum à Deo excitandorum, ad potestatem adversariam Ecclesiæ in his terris destruendam cum cæde & sanguine multo. Hoc primum schema est quod mox repetitur ỳſ. 5. Alterum hoc involutum ante oculos nostros sistit tempestatem horridam, immane sævientem, qua cœli contrahuntur in atrorem; Sol disparet; Luna rubet; & Sidera cadere videntur in terram; veluti totum corpus cœlorum tanta elegantia se fereniore tempestate ostentantium solutum esset & ipsi terræ à cœlis pendenti minaretur excidium. In primo schemate nihil κατὰ γράμμα est quod nos teneat, nisi quod in eo observanda sit gradatio, Prophetæ nostro familiaris. *Æstus* iræ Divinæ *ardens* qui hic exprimitur notionibus propriis חמה & קצף dicitur fore manifestus super omnes HASCE GENTES, sc. adversarias Ecclesiæ eique proximas; Deusque eas *devovisse*, (החרים) tanquam *victimas iræ suæ* penitus abolendas, ac *tradidisse* לטבח in *cædem* qua bestiarum instar *mactarentur* ac *jugularentur*. Hæc prima est propositio. Scandit oratio ubi additur, *Confossos* earum esse *projiciendos insepultos*. Poterant enim prœlio cadere ac mactari, & tamen *sepeliri*, secundum morem omnibus fere Gentibus receptum. sed id his mactatis negaretur. Negaretur autem iis non tantum ad tempus, sed & in perpetuum. quæ tertia est gradatio his concepta verbis: *Fœtorem cadaverum ipsorum ascensurum esse.* Denique ut de hac cæde amplissimam excitaret cogitationem Vates, ait, futurum esse ut *liquescant montes à sanguine occisorum.* quæ hyperbole est summæ gradationis. Nihil majus & altius dici potest. Alterum emblema, desumptum à tempestate horrida, totum systema cœlorum veluti dissolvente, ipsum quoque non difficulter intelligitur, si dextre accipiatur. Constat tribus sententiis quas singulas recensebo. Prima est, *Et* TABESCET (ונמקו) *omnis Exercitus cœlorum.* Sic quoque Hieronymus. Intt. Vett. Καὶ ταπήσονται πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν. Eadem est notio τήκομαι quam in dissolutione cœlorum exponenda adhibuit Petrus [b]. Cl. Coccejus ipse quoque sic vertit, & tamen alibi [c] atque in ipsa quoque commentatione explicat per *computrescere*. quod tamen hic non videtur habere usum. Cœli enim non sunt ejus substantiæ in quam cadere queat putredo. Vidi quoque, alios Intt. hæsisse in figura hac ex mente Prophetæ interpretanda. Piscator ad illud, *tabescet*, adscripsit: sc. *præ anxietate*. Quo modo vero? An in *stellas* & *sidera* quæ absque dubio intelliguntur phrasi *Exercitus cœlorum*, quadrat figura *anxietatis?* Grotii hæc sunt: *Aër ipse ex sanguine & tabo attracto obducetur turpibus nebulis, & quidem tam crassis, ut siderum conspectum adimant.* Salvus sit honor illustris Viri: nihil hic probabile adfert. Quis enim unquam intellexit, vel animo concipiat, *aërem* ex *sanguine* vel *tabo occisorum obduci posse tam crassis nebulis ut siderum conspectum adimant?* Hyperbole est, ais. Esto. sed necesse est, hyperbolen aliquid trahere de vero. Falso sibi persuasit Vir Doctissimus, emblemata hæc Prophetæ inter se cohærere. sunt diversa. non cohærent. Cæteroquin enim ipsa quoque *convolutio cœlorum* & *lapsus siderum* exponi debebant ex *cæde*, *sanguine* & *tabo* interemptorum: quod quisque sentit abs re esse. Metaphora plane est Poëtica desumpta à populari præjudicio, quo *cœli* illi supremi, in quibus *astra* superiora ut *gemmæ* fulgent, statuuntur esse substantiæ non fluidæ & mobilis, sed concretæ & consistentis, veluti *crystallinæ*, in qua *sidera* certa lege & ordine instar *gemmarum* defixa sint; & qui proinde admoto igne vel qua alia materia naturæ suæ contraria possint *liquescere*, *dissolvi*, & *tabi* instar *diffluere*. [A]. Alterum est quod addit, *Cœlos instar libri convolutum iri.* Notatur destructio cœlorum. Metaphora sumpta est ab ea specie cœlorum qua dicuntur רקיע EXPANSUM, instar laminæ tenuis in longum ductæ. Sic Historicus sacer [d]: *Et Deus* EXPANSUM (רקיע) *appellavit* COELOS. In hunc sensum Vates sacer de Deo [e]: *Qui* EXTENDIT (נוטה) *cœlos instar* AULÆI. Vates noster [f]: *Qui* EXTENDIT *ut tenue cœlos.* Ut autem Libri, h. e. volumina, (qualia erant Veterum Hebræorum,) in longum expansa, circa teres aliquod lignum convoluta, videntur veluti disparere: sic cœlum ubi coorta tempestate contrahitur in nubes & atrorem. Lyricus [g]: *Horrida tempestas* COELUM CONTRAXIT. Quicquid in eo pulchrum distinctumque nitet, ejusmodi in casu totum disparet. Tertium membrum habet, omnem *Exercitum cœlorum*, (h. e. stellaturam,) *casurum*, ut *cadit folium de vite & marcida de ficu.* intellige *folium marcidum* & *ficum immaturam*, tempestate sæviente & vites ac ficus concutiente. Sic Spiritus interpretatur ipse in *Apocalypsi* [h]: *Et stellæ ceciderunt in terram*, ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς, ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη, *ut ficus projicit grossos suos à vento magno concussa.* Simile est in prophetia Domini [i]. Metaphora rursus desumpta est à vehementiore aliqua tempestate, qua stellæ, non utique veræ sed imaginariæ, h. e. faculæ sulphereæ in aëre

Constat tribus sententiis.

Prima est ỳſ. 4. *Et contabescet omnis Exercitus cœlorum.*

Versiones Intt. hic collatæ.

In versiones Cl. Cocceji & Piscatoris animadversio.

Et Ill. Grotii.

Unde metaphora Prophetæ desumpta sit? Vett. crediderunt, cœlos constare *substantia concreta.*

Sententia altera: *Cœli* instar *voluminis convolverentur.*

Unde desumpta sit metaphora? Alluditur ad *substantiam cœlorum expansam.* Hypothesi adstruitur.

Gradatio in priore parte Schematis orationis Prophetæ ostenditur.

Sententia tertia: *Exercitus cœlorum defluxeret*, instar *deciduæ.* Metaphora declaratur. Coll. loco Apoc. VI. 13.

Alterum schema exhibetur.

a Deut. XXIX. 24. b 2 Pet. III. 12. c In *Lex* ad v. מקק. d Gen. I. 8. e Ps. CIV. 2. f Cap. XL. 22. g *Epod.* XIII. 1. h Cap. VI. 13. i Matth. XXIV. 29.

A Præjudicium est populare, ad quod Poëtæ & figuratæ dictionis amantes soliti sunt orationem suam componere: quod tamen ipsi Philosophi non respuerunt. Plato in *Timæo*, mundum esse ait *extrinsecus undique politum*, & cum *æqualitate summa tornatum.* Martianus Capella globosum ac tenerum corpus vocat *superni roris levitate* COMPACTUM *instar* SPECULI PRÆNITENTIS. Sic Viri Docti jam observarunt ad Plinium, *Hist. Nat.* Lib. II. Cap. III. Ipse in rem nostram *Sydera* vocat AFFIXA *mundo*, Cap. VIII. Et mox addit: *Cæterum æterna est cœlestibus natura, intexentibus Mundum, intextuque* CONCRETIS. Lyricus hoc sensu dixit *refixa cœlo sidera*, h. e. arctissime affixa: quod locus plane suadet, *Epod.* XVII. ỳſ. 5. Compara quod apud Ezechielem dicitur, Cap. I. 22. *Supra* capita quatuor illorum animatorum quæ Prophetæ ibi exhibita sunt, *visa est species expansi* כעין הקרח הנורא *instar* CRYSTALLI *terribilis.* Sic recte verterunt vocem קרח οἱ ὁ. & Docti Intt. alii. Est enim crystallum corpus nitens gelu *concretum.* Sic videtur cæruleum illud & hyacinthinum, in quo visus noster terminatur, esse corpus concretum, nitens, in quo sidera certo ordine dispositæ sunt; quod Veteres instar *rotæ* cum globulis ei affixis crediderunt motu quotidiano circa tellurem volvi. Pertinet huc manifeste phrasis in oratione Petrina, quæ hanc nostram insigniter illustrat. Sic ille 2 Epist. III. 12. Καὶ στοιχεῖα καυσούμενα τακήσεται· *Et elementa æstuantia* LIQUEFIENT. Ante ỳſ. 11. Τούτων οὖν πάντων λυομένων· *Cum igitur hæc omnia* DISSOLVENDA SINT. Christus Dominus alia usus metaphora, apud Matth. Cap. XXIV. 29. ait: Αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται· *Potestates cœlorum* CONCUTIENTUR. Veluti cœli *Domum* facerent aut Palatium cujus concuterentur *cardines* ac *columnæ.*

aëre accensæ, videntur veluti è cœlis in terram labi ac interire *A*. Sed est hoc observatum tralatitium. Veniamus ad rem ipsam, & quid ex emblemate hoc inferendum sit, videamus.

Ex oratione Prophetæ duo colliguntur attributa illustris hujus Judicii.

Emblema Propheticum, ut id constructum esse vidimus, nos, nisi fallor, duo docet de magno hoc & illustri judicio à Deo habendo in adversarios Ecclesiæ suæ. Primum est, in illo judicio immensam vim sanguinis hostium effusum iri, & quidem, ut probabile est, in prœliis & conflictibus, in quibus heröes iiscum manus consererent. Alterum, illo tempore ingens aliquod σχῆμα magni cujusdam Imperii sive Politici, sive Politico-Ecclesiastici, dissolutum destructumque iri. Quod ad prius attinet: harmonia Verbi Prophetici infert, Deum aliquo tempore à se definito exequuturum esse judicium aliquod tremendum in hostes Ecclesiæ suæ & quidem per gladium Heröum à se suscitandorum, qui in Bello ab adversa parte contra Populum Dei movendo victores abirent, & ingentem ubique ederent stragem cum adversæ partis obstinatæ internecione plenaria. Loca de eo sunt omni exceptione majora modo allegata in Apoc. XIV. 14. 19. XVI. 17. XIX. 17. 18. coll. cum Deut. XXXII. 42. Jes. LXIII. 1. 2. Joël, III. 12. 13. Zach. XIV. 2. 3. Quod ad posterius: eadem harmonia Verbi Prophetici docet, magnum aliquod Imperium, sive Politicum tantum, sive Politico-Ecclesiasticum, Ecclesiæ adversarium, eodem illo tempore abolitum destructumque iri, ut patet ex Apoc. VI. 12. seqq. ad quem locum videnda quæ alibi commentatus sum. Est autem locus huic nostro plane parallelus, ut supra jam observavi. Tantum quæritur, cui tempori Ecclesiæ N. T. hæc conveniat memorabilis Catastrophe? Primo certum est, eventum hunc non posse demonstrari in abolitione Judaismi: ne quis hic in medium proferat locum Matth. XXIV. 29. 30. Non disputo nunc; an prophetia illa Domini ad Judaismum pertineat, ut plures censent. Mihi alia sedet sententia, & existimo, esse locum plane analogum emblemati *Sigilli sexti*, Apoc. VI. 12. seqq. Sed quicquid ea de re sit: apud veri amantes indubium censeri debet, emblema Apocalypticum *Sigilli sexti*, in quo *Sol* obscurandus, *Luna* rubore suffundenda, *Stellæ* de cœlo casuræ, & *cœli* convolvendi dicuntur, non pertinere ad abolitionem Politiæ & Oeconomiæ Judaicæ, ob judicii illius *universalitatem*, quippe quo REGES *terræ*, *Proceres*, *& divites*, *& tribuni*, *& potentes*, *omnesque tum servi tum ingenui se in speluncis & petris montium occultarent a*. coll. cum Jes. II. 19. Ergo proximum est, ut hic cogitemus de *Judicio* Dei *singulari* quo prostratus dejectusque est *Paganismus* tempore Constantini Magni; de qua notabili catastrophe plures Intt. emblema illud Apocalypticum, huic loco nostro parallelum, exponunt. Certe admitti deberet expositio, si historia illius temporis tam grave Judicium Dei in hostes Ecclesiæ demonstraret quam in hac prophetia consignatur. Edita est strages in fusis Exercitibus Maxentii & Maximini à Constantino & Licinio; rursus in Copiis Licinii victis à Constantino. Sed Constantinus & Maxentius inter se proprie non gesserunt bellum caussa Religionis, licet Deus victoriam Constantini ad hunc finem direxerit; & caussæ quoque Belli Liciniani fuere mixtæ. Ego quidem sic censeo, magnum quid & maximum illo tempore esse gestum in commodum Ecclesiæ, & magnifica ac luculenta promissa Ecclesiæ Christi Jesu facta hoc tempore primum suum implementum nacta esse: verùntamen quod attinet ad effectum *Judicii* in prostratis exercitibus Maxentii & Maximini; majus quid & amplius requiritur secundum augustam hujus prophetiæ nostræ imaginem, quam historia ejus temporis demonstrat. In aliis etiam Bellis Religionis caussa gestis (quibus famosum illud *Bellum Sacrum* non excludo:) licet magna sæpe edita sint fortitudinis exempla, & hostes Religionis Christianæ magnis sint affecti cladibus: nihil huc usque gestum est peremptorium. Clades datæ sunt & vicissim acceptæ; bellis sæpe injustis ac profanis falsum prætextum est nomen Religionis; & ambitio ac vindictæ cupiditas in pluribus potiores partes habuerunt quam verus amor & zelus Religionis: quare rotundo ore dicere licet, hactenus Ecclesiam in emphasi non vidisse illud Judicium quod hic deformatur. Imo vero consensus prophetiarum demonstrat, Judicium illud habendum esse in *fine temporum Ecclesiæ* antequam Deus statum Ecclesiæ secundum prædictiones omnium Prophetarum post longam ac difficilem luctam in melius instauret. Id sane manifeste innuunt emblemata *Messis* & *Vindemiæ*, Apoc. XIV. 14. 19. & Visum *phialæ sextæ*, ubi *tres spiritus dæmoniorum* dicuntur *congregaturi esse Reges terræ & totius mundi ad prœlium magni illius diei Dei Omnipotentis in locum qui Hebraice vocatur Harmageddon*, apud Joëlem, *Vallis Josaphati:* qui proinde hostes hac & sequente phiala erunt judicandi. Idem patet ex Viso *Sigilli* SEXTI, cujus implementum ex analogia prophetiarum cadit in finem temporum: ut alibi pluribus evici. Quare profiteor, ex Verbo Prophetico sic me edoctum persuasumque esse, fore ut sub finem hujus ipsius *Periodi Ecclesiæ* in qua nos circumagimur, hostes Ecclesiæ Romanæ, hoc est, sanguinariæ sedi obsequio devoti conspirent ad purioris Ecclesiæ excidium: sed infelice successu: siquidem Deus ubi res videbitur desperata, susciturus est Heröes, caussam Ecclesiæ gladio vindicaturos, & secundum Dei voluntatem in hostibus severum statuturos exemplum. Prophetia Domini *b*: *Filius hominis mittet* ANGELOS SUOS (non sane immortales, sed mortales,) *qui colligent ex ejus Regno* OMNIA OFFENDICULA, *& eos qui dant operam iniquitati*. Dies hic Judicii erit tremendus, de quo ægre commentor. Non sitio sanguinem adversariorum Ecclesiæ, nec sitire licet. Sed erit hoc Opus Domini, qui ejus modum & gradum demonstrabit *B*.

Loca Prophetarum de Judicio Dei corporali in hostes Ecclesiæ.

Et de magno aliquo Imperio, Ecclesiæ adversario destruendo.

Quæ commode applicari nequeunt ad *abolitionem Judaismi*.

De loco Matth. XXIV. 29. ὁ παρὼν.

Prophetia hæc est analoga Apoc. VI. 12. seqq. in Viso *Sigilli sexti*. quod non potest referri ad Judaismum.

Nec dici potest perfecte implectum esse tempore Constantini.

Rationes ejus hypothesios.

Ut nec in aliis Casibus Bellorum, Religionis caussa gestorum.

Harmonia prophetiarum docet, judicium hoc habendum esse in fine temporum.

Hypothesis adstruitur.

Et secundum sensum Prophetarum declaratur.

Altera pars Emblematis complexa *destructionem magni alicujus Imperii*, superiorem hypothesin confirmat.

Eandem hanc hypothesin nostram confirmat altera pars Emblematis complexa dissolutionem & ἀφανισμὸν totius Systematis Cœlestis, qui in hanc temporis periodum incideret. Largior ego, emblema applicari posse juxta stylum propheticum ad destructionem omnium Imperiorum ac Rerumpublicarum majorum, in quibus *Sol* Rectores summos Politicos, *Luna* Ecclesiasticos, & *Sidera* illustres quosque Viros, in Dignitate Politica aut Ecclesiastica eminentes, figurant, ut vidimus ad

---

a Apoc. VI. 15. 16. *b* Matth. XIII. 41.

A Sic Poëta, *Georg.* Lib I. vs. 365.

Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites COELO LABI, *noctisque per umbram*
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

Plutarchus inter prodigia Belli Carthaginensis ab Annibale gesti, rem proprie appellat, sc. λίθους μὲν ἐκ τοῦ ἀέρος ἀλλ᾽ πύρους καὶ φλεγμώδεις φέρεσθαι, *lapides ignitos ardentesque cœlo cecidisse*, in *Fab. Maximo*, p. 174. Sed ego præter ea quæ ad hoc emblema illustrandum adduxi in *Commentario Apocal.* ad Cap. VI. 12. seqq. unicum tantum exemplum ætheris turbati ad modum hujus emblematis exsignabo. Sic Ammianus de calamitate Nicomediæ sub Constantio tempore *terræmotus horrendi* qui per Macedoniam, Asiam & Pontum sæviit, *Hist.* Lib. XVII. Cap. VII. *Primo lucis exortu die nono Kal. Septembrium*, CONCRETI *nubium globi nigrantium*, *lætam paullo ante speciem cœli confuderunt: & amandato Solis splendore*, *nec contigua vel apposita cernebantur: ita oculorum obtutu præstricto*, *humo involutus crassæ caliginis squalor insedit. Dein velut numine summo fatales contorquente manubias*, *ventosque ab ipsis excitante cardinibus*, *magnitudo furentium incubuit procellarum*, *& elisi litoris fragor: hæque sequuti typhones atque prestheres*, *cum horrifico tremore terrarum*, *civitatem & suburbana funditus everterunt.* Quibus postquam descripsisset sigillatim miseriæ magnitudinem, subjungit: *Et superesse potuit ædium sacrarum hominumque pars major*, *ni palantes abrupte flammarum ardores per quinquaginta dies & noctes*, *quicquid consumi poterat*, *exussissent.*

B Professus est hanc hypothesin in Concionibus summa fiducia corruptissimis Italiæ temporibus (sine Sæc. XV.) fidus pœnitentiæ Præco, Hieronymus Savonarola; videlicet, *Statum Ecclesiæ gladio reformandum esse.* Sic narrat insignis Historicus, Philippus Comminæus, Hist. Lib. VIII. Cap. II. Equidem exspectaverat Vir pius, Carolum VIII, Galliæ Regem, fore executorem hujus Judicii; eumque ad id animaverat: sed licet ea ipsum fefellerit spes, perstitit tamen in sententia, ait Historicus.

ad Cap. XIII. 10. coll. cum Ezech. XXXII. 7. atque adeo non nego, hoc Emblema noſtrum, ſi cætera faverent, in prophetia Apocalyptica *Sigilli ſexti* [a], applicari poſſe ad deſtructionem Paganiſmi. Verum, ſi rem rite putemus, multo certius & ἐμφατικωτέρως idem emblema exponitur de ejuſmodi aliqua *Politia*, quæ imaginem exhibet Oeconomiæ Populi Dei, ſive vere ſive falſo ſic dicti. Cum enim Deus ſub antiquo Fœdere ad montem Sina, creaverit *cœlum & terram* myſticam, ſecundum Haggæum [b], h. e. inſtituerit integrum σχῆμα *Politico-Eccleſiaſticum*: merito ſtatuimus, omnem Politiam, in qua antiquæ illius Oeconomiæ figuram deprehendimus, hoc emblemate aptiſſime proponi. Sic ſane ut Oeconomia Vetus habuit *Solem*, h. e. Regem; *Lunam*, h. e. Pontificem; *Sidera* h. e. Sacerdotes ac Doctores; *Nubes*, h. e. Prophetas; & *terram* cœlo illi ſubjectam; h. e. plebem: ſic nemo negaverit, Orbem Chriſtianum cum Carolo Magno in Occidente Imperio Cæſarum & Potentium Regum ſubjectum cum tempore in eandem redactum eſſe formam; ut proinde Cæſares & potentes Reges Rerumpublicarum Chriſtianarum, (qui conſentientes in eadem Religione cenſentur unum quoddam corpus facere,) ſuſtinuerint figuram *Solis*; Pontifices Romani *Lunæ*; & Miniſtri ſacrorum variæ dignitatis & Ordinis qui *Sacerdotes* dici amant, *Siderum*, in illo cœlo fulgentium: non aliter ſane acſi vetus illud σχῆμα totum tranſlatum eſſet in novum. Cæterum ut σχῆμα illud Oeconomiæ antiquæ, poſtquam *Sol*, h. e. Reges Herodiadæ, Antipas & Agrippa; & *Luna*, h. e. Pontifices, veluti Annas Senior, Caiphas, & Annas junior; & *Sidera*, h. e. Sacerdotes & Sacrorum Miniſtri; *urere* cœperint Eccleſiam; non vero pro officio ſuo illuminare, fovere, ornare; ex voluntate Dei diſſolvendum erat ſecundum prophetiam Joëlis [c], & *cœli* illi antiqui *convolvendi*, ut convoluti ſunt in deſtructione Reipublicæ per Romanos: ſic ſane factitium hoc Cœlum Politico-Eccleſiaſticum Chriſtianum, poſtquam Rectores Politici & Eccleſiaſtici officii immemores inceperint perſequi Eccleſiam veram Chriſti & auctoritate ac poteſtate ſua turpiter abuti in noxam Regni Dei. Veniet enim tempus quo hoc Σχῆμα totum, quatenus adverſarium & inimicum eſt veræ Eccleſiæ, diſſolvetur; nec dubitem, quin illuc pertineat Emblema Apocalypticum *Sigilli ſexti*, perinde ac hoc noſtrum: de quo ubertim ad illum locum commentatus ſum. Tempore inſtauratæ Eccleſiæ Sæc. XVI. *cœli* hi myſtici jam inceperunt *liquefieri*; auctoritas Pontificia cœpit evileſcere; potentes Reges & Reipublicæ ſubductæ ſunt communioni Romanenſi; & *Sidera* adulterina multa delapſa ſunt in terram. Sed hoc emblema quid majus & magè peremptorium exigit, quod poſteriora tempora demonſtrabunt. Omne Dei opus & motus quoque majores noſtri temporis, reſpiciunt notabilem quandam cataſtrophen.

Pars poſterior Sectionis primæ hujus prophetiæ, comprehendens Judicium *Edomi*.

a. Sententia ipſa Fori Cœleſtis.

Membrum prius. Inſignis ultio ſumenda de *Edomo*, cum omnis ordinis hominum excidio.

℣. 5. *Quia* INEBRIATUS EST IN COELIS GLADIUS MEUS: *Ecce ſuper* EDOM *deſcendet & ſuper Populum anathematis mei in judicium.* ℣. 6. *Gladius Jehovæ plenus eſt ſanguine; impinguatus ex adipe; ex ſanguine agnorum & hircorum; ex adipe renum arietum: quia ſacrificium Jehovæ eſt in Botſra; & mactatio magna in terra* EDOMI. ℣. 7. *Et deſcendent* ALTICORNES *cum illis, & juvenci cum tauris; & inebriabitur terra illorum ſanguine, & pulvis illorum ex adipe impinguabitur.* ℣. 8. *Quia dies vindictæ eſt Jehovæ; annus retributionum ad vindicandum Tſionem.*] Oratio apta eſt cuique incutere horrorem; quippe exponit & late declarat judicium terribile quo Deus per *gladium* quem *ſuum* vocat, vindictam ſeveriſſimam ab hoſtibus quorum *princeps* hic ponitur *Edom*, exigeret. Cohæret autem cum ſuperiore per voculam כי *quia*, *quoniam*, eum in modum, ut à *generali* objecto deſcendat ad *particulare*. cætera enim ſunt ejuſdem argumenti, ut cuique liquet. Summa ejus eſt, certo aliquo die *Judicii* qui alibi dicitur *magnus dies iræ Dei*, ingentem patrandam eſſe cædem induratorum hoſtium Eccleſiæ, longum tempus ab iiſdem oppreſſæ atque afflictæ, cum effuſione multi ſanguinis, multorumque Divitum, Procerum, Magnatum, Principum, excidio: figura orationis deſumpta à Patreſamilias qui magnum cogitans apparare Epulum, & quidem ſacrum, neceſſe habet Agnorum, Arietum, & altilium animantium vim acuto Sacrificulorum aut Lanionum cultro ſubjicere, qui proinde *culter* ſive *gladius* mactatorius ex ſanguine & adipe animantium mactatarum veluti inebriatur. Hoc σχῆμα orationis cuique incurrit in oculos, eſtque perceptu facile; ut adeo paucula tantum ſuperſint in *Litera* orationis de quibus aliquid monere neceſſe habeam. Primum & præcipuum illud eſt quod mox in initio ſententiæ occurrit, ℣. 5. *Quia inebriatus eſt in cœlis gladius meus*, ſive potius, *culter meus mactatorius*. Quo modo enim dici poteſt *gladius* jam *inebriatus eſſe in cœlis* qui demum *inebriandus* erat *in terris*? Viſa eſt difficultas ejuſmodi, ut ad eam adhæſerint Interpretes, inter quos ſunt qui hic aliena finxiſſe videntur. Nemo hic Coccejo noſtro vere eſt παραδοξότερος. Contendit ille, hic explicari non *judicium* ipſum, ſed *judicii* in Edomum exequendi *cauſſam*. Verba itaque, *Quia enſis Domini ſe inebriavit in cœlo*, ſic παραφράζει: *Quia illi qui ex cœlo ſunt & ad cœlum pertinent, h. e. Chriſtus & Diſcipuli ipſius, gladio interfecti ſunt.* Durius eſt vere & quæſitum. Equidem negari nequit, ea quæ Chriſtus & Diſcipuli ejus à Judæis violenter paſſi ſunt, quatenus ſingulari Dei providentia adminiſtrata ſunt, dici poſſe à Deo *effecta* eſſe, atque adeo ipſe quoque Filius Dei Dux ſalvandorum in *gladium Dei* incurriſſe, ſiquidem Zacharias ita præit, Cap. XIII. 7. Sed quod in uno loco recte dicitur, non mox recte dicitur in omni loco. Cum in ſequente contextu *gladius Dei* dicatur *inebriandus eſſe ex ſanguine hoſtium*: ſi Propheta ejus judicii cauſſam demonſtrare vellet necem Chriſto Jeſu & Diſcipulis ejus à Judæis violenter illatam, non videtur eam hoc in loco adſcripturus eſſe *Deo*, ut *cauſſæ*. Cauſſa enim Judicii Divini in Judæos, hic debebat in ipſis *Judæis* quæri, non in *Deo*. Sententia enim, Deum Judæos *gladio* Romanorum devoviſſe quia ipſe *gladium ſuum* ſanguine Filii ſui & Diſcipulorum ejus qui *ex cœlo ſunt & ad cœlum pertinent*, *inebriaverat*: quam dura eſt & ἀσύνδετος? Grotius ad verba, *Gladius meus in cœlo inebriatus eſt*, adſcripſit: *Furere cœpit. Ideo ſequitur, Deſcendet.* Sed adverſus quos *furere cœpit in cœlis?* An adverſus *Poteſtates cœleſtes* quibus Populi à Deo vindicandi ſubjecti erant, ut Jarchius? Plerique Intt. Kimchium ſequuti referunt ad *decretum Divinum* quod in cœlis cuditur & in terris per effecta manifeſtatur, ut effecta omnia quæ in terris fiunt, pendent à decretis cœleſtibus. Id ſane non incongrue dicitur, & admitti poſſet, atque ex analogis illuſtrari quoque: nec tamen id ipſum eſſe puto quod Propheta intendit. In oratione Prophetæ eſt μετάληψις ſive σύνθεσις, frequentiſſimi uſus, qua uni verbo duæ implicantur ſignificationes. *Gladius meus in cœlis inebriatus eſt*, valet; *in cœlis acutus* ſive *paratus eſt ut ſe inebriet in terris*. Deus *acuit* gladium in cœlis ut *ſe inebriet in terris* ſanguine victimarum, iræ Divinæ decretarum. Exemplorum affatim eſt apud Grammaticos [d]. Obſerva præterea, per חרב *gladium* in hoc loco vere intelligi *cultrum mactatorium* quo jugulantur victimæ, qualem Scriptor Apoſtolicus ad Hebræos vocat μάχαιραν δίςομον, *gladium ancipitem*: quem uſum vocis חרב apud Hebræos peritiores non igno-

Probabilis expoſitio Emblematis, ut hic occurrit.

Partes Emblematis, *Sol*, *Luna*, *Sidera*, quid hic ſignificent? Applicatur ad Statum Reipublicæ Chriſtianæ in Occidente Sæc. VIII. & IX.

Comparatum cum ſimili Schemate Reipublicæ Judaæ.

Quod, Eccleſiæ adverſarium fatum, aliquando deſtruendum erit.

Pars poſterior Sectionis. a. Sententia Fori cœleſtis de *Edomo*. Membrum prius. *Vindicta Dei* in *Idumæos* ſic dictos. Affectio orationis Prophetæ.

Cohærentia ejus cum ſuperiore.

Summa ejus.

Unde hic deſumpta ſit metaphora?

Phraſis Prophetæ relegitur.

Quo modo *gladius Dei* dici queat *inebriatus eſſe in cœlis*?

Cl. Cocceji ſententia, quæ non laudatur.

Interpretatio Ill. Grotii.

Kimchii & communis Intt. ſententia.

In eam animadverſio.

Verus ſenſus orationis Prophetæ indicatur.

Uſus vocis חרב *gladius*, h. l.

a Cap. VI. 12. b Cap. II. 7. c Cap. II. 31. d Vide Glaſſ. *Gram. S.* Lib. III. Tract. III. Can. II.

Est *culter Lanionis.* ignorant *a*. Sequens figura hanc sententiam confirmat. Deus enim hic non comparet ut Bellator, Idumæos gladio persecuturus, sed ut eos instar victimarum cædi destinatarum jugulaturus & mactaturus. Huc tendunt quæ sequuntur, ubi *culter Jehovæ* dicitur *replendus* esse *sanguine* (id vero ipsum est quod metaphorice dixerat *inebriandus*, figura recepti usus qua *gladio* animatorum actiones tribuuntur, cujus multa exempla alibi *b* produxit Bochartus:) & *impinguandus adipe. Sanguine* quidem *ovium* sive agnorum *pascualium*, (quam significationem vocis כרים idem *ὁ πάνυ* illustravit *c*:) *& hircorum: adipe* vero *renum arietum.* Sic loquitur Propheta semper ad modum & mensuram. Constat enim *adipem* in animantibus, sed præsertim *ovibus* & *arietibus*, nullibi certius reperiri quam apud *renes* qui eo involuti obductique sunt: de quo multa idem Vir Eruditus *d* congessit. Sed quid clarius eo quòd additur: *Quia sacrificium Jehovæ est in Botsra, & mactatio magna in terra Edom.* Coccejus noster vocem זבח hic vertit per *apparatum epularum magnum.* Versio est docta. Omnino enim hic cogitandum est de *mactatione* & *jugulatione* animantium qualis in apparatu Epuli institui solet. Nec tamen ulla ratio est hic deserendi communiorem significationem vocis זבח qua notat *sacrificium.* Epulum enim hoc esset *sacrificale*, apparandum in usum Dei, ut solebant sacrificia; quippe victimæ hæ devotæ essent iræ & justitiæ ejus. Eodem tendit quod additur, ℣. 7. *Et descendent* ראמים *alticornes cum iis*, sc. in terram Edomi, ut mactentur aut jugulentur, & Deo præparentur in Epulum *regium*, licet non prorsus *legale.* Cujus generis sit animal, prolixe disquisivit Cl. Bochartus *e*, & excussis aliorum sententiis, atque fabulosa opinione antiqua, quæ *monocerotem*, commentitiam animalis speciem, sub hoc nomine in versionem Scripturæ S. invexit, definivit, hac voce designari *bicornem capream* aut *Orycem:* etsi interim attributa aliqua τῶν ראמים ex variis locis collecta ægre ad hanc speciem applicet. Sed nihil nobis melius suppetit, & præsentis instituti ratio non fert disputationem ejus relegere. Est animal *procerum*, *πηδητικὸν assultim gradiens*, *indomitum*, *cornuque* vel *cornibus altis*; quod nobis hic omnino sufficit, licet genus certo finiri nequiret. Certe junguntur ei mox majoris formæ animalia פרים עם אבירי *Juvenci cum robustis*, h. e. *tauris*; quæ significatio vocis אבירי ab ipso quoque Viro Erudito illustrata est *f*.

Et hæc quidem ad sensum grammaticum *Judicii* ipsius. *Causa* ejus adscribitur ℣. 8. quod *dies* hic sit *vindictæ Jehovæ & annus retributionum* לריב ציון *ad agendas Vindicias Tsionis.* Sic vertenda sunt verba, à quorum sano intellectu non leve pendet momentum. Interpretum aliqui qui opinantur nomine *Edom* mystice designari *Judæos* incredulos & impœnitentes qui gratiam Evangelii spernerent & in Christum Jesum ac Discipulos ejus impie sævirent; quod hic dicitur de *lite Tsionis*, in deteriorem partem accipiunt, acsi sensus esset; tempus hoc esse ultionis & vindictæ quo Deus cum *ipsa Tsione* contenderet, & ab ea exigeret pœnam facinorum. Nollem inter illos esse Forerium, Virum Doctum, qui tamen hanc caussam timide agit; & simul fatetur, si verba in meliorem partem accipiantur, per Tsionem hic intelligi posse Ecclesiam, cujus caussam Deus ageret adversus Judæos. Ratio Viro Docto est, quod notio ריב, ubi sumitur significatione *contendendi pro aliquo*, construi soleat cum ל. Hieronymus ipse in hunc lapidem impegit. Error est vere non levis, & his viris indignus. Cum enim ipsi pertendant, sub nomine & emblemate *Edomi* hic intelligi Judæos incredulos; estne probabile, eosdem in eadem prophetia rursus venire nomine *Tsionis?* Quid? an non *Tsion* & *Edom* sibi ut partes adversissimæ in ipsa hac Concione opponuntur, atque adeo *Tsion* sumitur in meliorem partem pro vera Ecclesia, ut Cap. xxxv. 10. Phrasin autem Prophetæ si respicias: secundum genium Linguæ Hebrææ optime fert hanc interpretationem & verissime. tantum observandum, phrasin esse ellipticam, & verba לריב ציון sumenda acsi integre scriptum esset, לריב ריב ציון *ad litigandum litem Tsionis.* h. e. ad agendas ejus vindicias & exigendam pœnam pro injuriis, ei illatis. Inspice loca, inter quæ primum producam huic nostro plane parallelum ex Jer. l. 34. *Redemptor illorum est validus; Jehova Exercituum est nomen ejus,* ריב יריב את ריבם *contendendo contendet* LITEM IPSORUM. nempe caussam aget *Judæorum afflictorum*, (de quibus agitur,) adversus Babylonios. Poëta facer *g*: ריבה ריבי וגאלני *Litiga litem meam*, (caussam meam age,) *& vindica me.* Alio loco *h*: *Judica me Jehova*, וריבה ריבי מגוי לא חסיד *& vindica litem meam adversas Gentem non piam.* Propheta noster *i*: ריבו אלמנה *Agite caussam viduæ.* Scriptum est pro ריבו בא אלמנה. Id itaque ipsum est quod Vates hoc loco dicit, Deum videlicet hoc die vindictæ & retributionis injurias Tsioni illatas solenniter vindicaturum esse. Sic Chaldæus, למעבד פורענות דין עול וציין *Ad sumendam vindictam justam injuriæ Tsioni illatæ.* Pertinet autem *vindicta* ad Deum tam *Naturæ* justi & æqui suæque gloriæ amantis, quam *Officii* respectu, quà Rector, Judex, & Vindex est humani generis, Nah. I. 1. ut adeo qui cum Tacito ait *k*, calamitosis temporibus Gentium, (quod ipse ad Imperium Romanum suæ ætatis refert,) demonstrari, ESSE ULTIONEM: nihil Deo præter verum & rationem tribuat.

Denique locus hujus *Judicii* sive *sacrificii* à Deo celebrandi dicitur ℣. 6. ארץ אדום *Terra* EDOM, & בצרה BOTSRA. Si *τὸ γράμμα* spectes: nemini in Historia Sacra non plane hospiti ignota potest esse Idumæa antiqua, ejusque situs. Posteri Esavi occuparunt *Montanum Seir*, quod fuit ad *Austrum* Judææ, proxime *Moabitidem. Moabitis* autem, ut notum, occupavit tractum Orientalem Maris Sodomæi. Proxima huic Idumæa deflexit ad Austrum, ubi fortalitia habuit in editis locis munitissima; nec tamen Canaanæam à parte Australi totam clausit, sed aliquam solummodo ejus partem quæ Orientem spectat. reliqua patuit ad Arabiam Petræam, quam ipsa quoque Idumæa respexit ad Austrum: ut vere Idumæa partem fecerit Arabiæ Petrææ, & in eam late excurrerit. Inter Metropoles ejus olim fuit BOTSRA; cujus Propheta hic meminit & Cap. LXIII. 1. perinde ac Amosus *l* & Jeremias *m*. quæ Urbs Idumææ omnino distinguenda est ab Urbe cognomine Moabitidis, sita in Arabia Moabitica versus Septentrionem, posterioribus temporibus præcipue nota nomine *βοσρῶν Bostrorum*; cujus Episcopus tempore Origenis fuit Beryllus, apud Eusebium *n*; cujus Urbis inter Urbes Moabitidis meminit Jeremias *o*. quæ itaque Botsra non fuit Urbs Arabiæ Petrææ, ut Lucas Holstenius recte observavit *p*, sed Arabiæ Syriacæ. Videlicet בצורה proprie notat *Urbem* בצורה *munitam*, *altis muris* cinctam, quales describuntur apud Mosen *q*, sive *arcem munitam*, in arduo & prærupto loco sitam: quam eandem significationem obtinent notiones ejusdem etymi בצר & מבצר. unde cum ex *appellativo* nomen factum sit *proprium:* non est mirum, pluribus Urbibus munitis impositum esse. Sic sane *Arcem Carthaginis*, *τὸ ὀχυρώτατον τῆς πόλεως* Appiano, ad idem exemplum Pœni *Botsram*, & Græci transpositis literis *Βύρσαν* appellarunt, ut Vir Doctissimus alibi *r* observavit. Videamus, quid mysterii sub litera ut cortice reconditum lateat.

Orationi Prophetæ subesse figuram quod ad aliquam ejus partem, Interpretes omnes agnoscunt; & res ipsa clamat. Sive itaque *Edom* & *Botsra* hic proprie sumantur pro *terra* & *Populo* Idumæorum hoc nomine appella-

Prudentia orationis Prophetæ in hac figura pingenda.

Vox זבח quomodo hic loci vertenda?

Nulla ratio est hic fugiendi notionem *sacrificii.*

Epulum hic fertur instruendum sacrificale.

Cujus generis animal hic designetur nomine ראמים *alticornium?*

Attributa ejus.

Caussa hujus Judicii, ℣. 8. *Ultio Tsionis.*

Perversa interpretatio verborum, qua *Tsion* hic accipitur ut *subjectum* hujus Judicii.

Sententia refellitur ex ipsa Doctorum Virorum hypothesi.

Vera interpretatio phrasios, ריב ציון *Vindiciæ Tsionis* in h. l.

Loca parallela ex quibus phrasis illustratur.

Sensus declaratur.

Et res ipsa, quo sensu Deo vindicta tribuatur?

Locus hujus *Judicii* & *Sacrificii* est *terra Edom*, ℣. 6. & *Botsra.*

Situs Idumææ antiquæ.

Ut & *Botsræ.*

Significatio vocis.

Sensus orationis Prophetæ investigatur.

Intt. omne

a Vide 1 Reg. XVIII. 28. Ezech. V. 1. *b* Hieroz. Part I. Lib. II. Cap. VIII. *c* Part. I. Lib. II. Cap. XLII. *d* P. I. L. II. C. XLV. *e* P. I. L. III. C. XXVII. *f* P. I. L. II. C. XXIX. *g* Ps. CXIX. 154. *h* Ps. XLIII. 1. *i* Cap. I. 17. *k* Tac. *Hist.* Lib. I. Cap. III. *l* Cap. I. 12. *m* Cap. XLIX. 13. 22. *n* *Hist. Eccles.* Lib. VI. Cap. XXXIII. *o* Jerem. XLIX. 13. 22. *p* Notis ad *Carol. à S. Paul. Geogr. S.* p. 295. *q* Deut. III. 5. *r* De *Colon. Phœnic.* Lib. I. Cap. XXIV. & de *Animal. S.* P. I. L. II, C. XLVIII.

pellato; sive mystice & symbolice significet Populum & Regionem analogam, sensu spirituali sic dictam: consentiunt omnes, figura hujus Orationis qua Deus *gladium* sive *cultrum* suum acuisse fertur ad magnam faciendam *mactationem* sive *cædem ovium* & quidem *pinguium*; *hircorum*; *juvencorum*; *taurorum*, & *alticornium* quoque, in Epulum sacrificale à se celebrandum, hanc involvi doctrinam ac sententiam, ingentem à Deo cædem cœlesti judicio consignatam parari divitum, potentum, magnatum, & sublimis dignitatis hominum, obstinatorum hostium suorum & Populi sui, ad explendas rationes justissimæ vindictæ & ultionis, quam dudum erant promeriti. Deus enim non exigit vindictam ab animantibus, sed ab hominibus; nec sane *oves*, *hirci*, *juvenci*, *alticornes*, injuria affecerant Tsionem, sed homines. Vanum est de eo pluribus differere. nemo hic cæcutit. Chaldæus qui passim metaphoricam orationem in propriam convertit, hic sane emphatice, ad ℣. 6. *Gladius enim in conspectu Dei repletus est sanguine*, *impinguatus est adipe*, מדם מלכין ושלטנים מתרב כליות רברבין ד ויתקטלון גברין עמהון ושולטנין עם טורין *sanguine* REGUM *&* DOMINATORUM, *& adipe renum* PRINCIPUM. -- *Et occidentur* FORTES *cum iis*, *&* DOMINATORES *cum* DUCIBUS. Sic Deus ipse, qui hic loquens introducitur, *gladium suum* descensurum esse dicit ℣. 5. in *Edomum*, & *in* POPULUM *devotionis suæ*, instar περιπαθάρματος h. e. iræ & vindictæ suæ ad certum exitium destinatum. Est autem figura hæc apud Prophetas vulgatissimi usus, qua *animantes* variæ speciei respectu attributorum suorum proponuntur ut imagines symbolicæ hominum, & subinde Dei ipsius, Christi Jesu, & Angelorum quoque, nemini qui sacra tractavit, ignota, & omnium etiam Gentium Linguis & oratione recepta, de quo late vidimus ad prophetiam Cap. XI. 6. seqq. Speciatim *alticornes*, *tauri*, *hirci*, *arietes*, occurrunt ut emblemata *indomitorum*, *arrogantium*, *fortium*, *petulcorum* & obstinatorum hostium adversus Ecclesiam arietantium [a]. Equidem *ovium* & *juvencorum* mitior solet esse aspectus in aliis figuris metaphoricæ structuræ: sed quod alibi semper obtinet, ut comparata unice æstimentur ex attributis suis; idem quoque in hoc loco. *Oves* & *juvenci*, & illæ quidem bene *saginatæ*, hi *robusti*, hic unice spectantur respectu usus quem obtinent in Epulis sacrificalibus; quæ ut instruant & impleant, inter primas animantium species destinantur cædi, mactantur, jugulantur; & quidem speciei suæ optimi quique. Notant itaque hic רשני ארץ *pingues terræ*, phrasi sacra [b], & *robustos*, ad explendas rationes Justitiæ Divinæ imprimis aptos paratosque. Integra autem figura Prophetæ de Epulo à Deo parando, sive de Mactatione ab ipso facienda, adhibetur quoque à Jeremia in prophetia de clade Exercitus Pharaonis Necuntis apud Circesium [c].

Et hæc quidem hactenus liquida & extra omnem dubitationem posita sunt. Alterum quod hic quæritur, est majoris indaginis; an nomine *Edomi* & *Botsræ* hic à Propheta designetur *Populus* & Regio *Idumæa* illius temporis, ejusque Regionis *Metropolis*, vel certe Urbs celebris & munita? Ego quidem sententiam de eo jam anticipavi in *Anacrisi*. Certus prophetici Verbi interpretandi canon est, non discedere à Literali sensu, nisi attributa rerum aut auctoritas Scriptorum N. T. idem suadeant aut jubeant. Attributorum autem hic geminus est aspectus. Si non conveniant *Subjecto* de quo affirmantur; vel, si ei non conveniant in *tanta emphasi*, quantam oratio Prophetica infert: cogitandum est de *Sensu mystico*: certe ibi non est subsistendum in *Sensu literali*, sed complementum ejus quod in prophetia consignatur, quærendum est in sensu sublimiore sive mystico. Id nunquam fallit. Quæ enim à Prophetis dicta & prædicta sunt, ad extremas minutias etiam oportet impleri, & certissime implebuntur. Atqui posterius horum hic obtinet. Emphasis orationis de excidio & clade *Idumææ* per totam prophetiam longe major est quam ut probabile sit, Spiritum S. tam magnifice de *Edomo*, ejusque excidio, loqui velle. Si ad hanc solummodo pericopam nostram advertas animum: vides, *Edomum* in ea proponi ut illustrem quandam sedem Magnatum, Divitum, Procerum, Heröum, & celsa dignitate locatorum hominum, qui in se converterent aliorum oculos & nullibi magis, ut videtur, quam hic florerent; adeo quidem ut *Judicium Edomi* habendum esset pro *exemplo* Judicii veluti universalis & maximi, quod Deus in hoc mundo in hostes Ecclesiæ suæ exequeretur. Sed id vere videtur esse majus & amplius quam dici aut cogitari debeat de *Idumæa Arabica*, Judææ æmula, & tamen longum tempus ei subjecta & tributaria; in qua etsi non inficior floruisse antiquo illo tempore plures homines Sapientia, Dignitate, Virtute, Opibus, insignes: (id enim facile ex historia & prophetiis cognatis liquet:) augustior tamen aspectus ejus est in hac pericopa quam ut Idumææ sic proprie dictæ convenire posse videatur. Novimus enim, fuisse Regionem si cum florentium Rerumpublicarum aut Regnorum terris comparetur, modicam valde, eamque minus commode sitam; de cujus opibus & florente statu quæ à Scriptoribus Sacris dicuntur, *comparate* accipienda sunt; non ἁπλῶς *absolute*, ut multa alia. Equidem prophetiæ Obadiæ & Jeremiæ [d], adversus Idumæam editæ, proprie intelligendæ, altum & magnificum quid sonant; & sunt in iis quædam huic nostræ analoga: nec tamen emphasis phrasios exæquat eam hujus Concionis. Verum id solum & unicum non est quod in superioribus ursi. Contextus & aliarum prophetiarum analogia conficiunt hanc ἀπόδειξιν. Judicium hoc in *Edomum* id ipsum est ad quod spectandum in initio hujus Concionis omnes convocantur Gentes; ejusque *Consequens* mox [e] narratur fore florentissimus Ecclesiæ huc usque languentis, afflictæ, & sitibundæ, status per Orbem. quod nemo vere dixerit cohærere cum Judicio in Idumæos sic proprie dictos. De παραλληλίᾳ autem aliarum prophetiarum jam monui, hanc Concionem nostram absque dubitatione ulla conferendam esse cum ea Vatis nostri Cap. LXIII. 1. *Quis hic est qui venit ex* EDOMO; *tinctus veste coloris rubri acuti ex* BOTSRA? Atqui hæc prophetia in *Apocalypsi* [f] transfertur ad Christum Jesum hostes suos in fine temporum decretorio prœlio subacturum: perinde ut quæ sequuntur in hac prophetia de *Judicio Idumææ* in eadem *Apocalypsi* transferuntur ad *Judicium Babylonis Magnæ*, hoc est, Romæ persecutricis Sanctorum, ut mox videbimus. Fateor interim, ex hoc argumento postremo non posse invicte colligi, huic prophetiæ non subesse *sensum literalem*, quia in eadem *Apocalypsi* multa etiam huc transferuntur ex prophetiis Jesaiæ & Jeremiæ de *Babylone antiqua*, quibus tamen certum est sensum *Literalem* non excludi: etsi inde recte colligatur, sensu *Literali* earum prophetiarum involvi quoque *Sensum mysticum*. Addo etiam illud; si prophetia hæc Judicialis in Edomum lata *literalem sensum* involveret: non posse respici aliud *Judicium* quam quod Deus executus est in Idumæos per Nebucadnezarem, & forte etiam, ut alibi [g] conjeci, per Cyrum, de quo Amos, Obadja, (in priore parte prophetiæ ejus,) & Jeremias vaticinantur: sed ei non cohærent læta illa & prospera tempora exequutionem Judicii hujus secundum Vatem nostrum sequutura. Deberet itaque intelligi hæc prophetia κατὰ γράμμα, de *Judicio* quod in *Idumæos* exequuti sunt Maccabæi, & id cum hypothesi nostra, quam in superiorum prophetiarum interpretatione sequuti sumus, quodammodo posset conciliari; & agit de hoc *Judicio* Obadja in *posteriore parte* prophetiæ suæ, ℣. 17. 18. seqq. Verum non respondet huic eventui prophetia hæc nostra. Etiamsi enim Maccabæi

Emphasis orationis hic major est quam ut *Subjecto*, sic proprie dicto, conveniat.

Quod demonstratur.

Aspectus Idumææ antiqui temporis cum prophetia comparatus.

Antecedentia & *Consequentia* favent hypothesi quæ prophetiam hanc mystice interpretatur.

Ut & παραλληλία aliarum prophetiarum, & præsertim Cap. LXIII. 1. seqq. & Apoc. XIX. 12. 13.

Temperamentum hujus sententiæ.

Aspectus Historiæ hic observandus.

Quid hic desideretur in implemento prophetiarum de Edomo, proprie sic dicta tempore Nebucadnezaris?

Et Maccabæorum?

[a] Ps. XXII. 22. LXVIII. 30. Ezech. XXXIV. 17. [b] Ps. XXII. 30. [c] Cap. XLVI. 10. [d] Cap. XLIX. 7. seqq. [e] Cap. XXXV. 1. seqq. [f] Cap. XIX. 12. 13. [g] Ad Cap. XXI. 11.

gnoscunt, rationi Prohetæ subesse figuram.

Quæ generatim exponitur. *Animantes* varii generis *mactandæ* hic significant *homines*, à Deo cum effusione sanguinis notabili modo vindicandos.

Paraphrasis Chaldæa animadversione digna.

Figura orationis ex Paralellis illustratur.

Animadversio in diversas species animantium hic membratas.

Mystica significatio *Ovium*, *Hircorum*, *Alticornium*.

Majoris indaginis quæstum, an *Edom* & *Botsra* hic proprie sumantur?

Canon Verbi Prophetici interpretandi hic observandus.

cabæi in Idumæes magna usi sint severitate, & *arces* ac *munimenta* quædam eorum expugnarint ac diruerint: neutiquam tamen illi tantam vastitiem fecerunt quantam Propheta hic describit; nec proprie arma sua verterunt adversus Idumæam antiquam, ejusque Metropolin *Botsram:* sed contra Idumæam sui temporis sic dictam, quæ erat *Australis pars Judææ*, haud dubie tempore Desolationis Patriæ suæ à reliquiis Idumæorum occupatam. Denique, si tamen hæc omnia non obstent quo minus aliqui censeant, Prophetam in hoc loco *directe* & *κατὰ γράμμα* de *Idumæis* vaticinari: (quos quidem ego patior suo gaudere sensu:) id saltem nobis largientur, prophetiam hanc mysticum involvere sensum: mysticum autem illum sensum referendum esse ad *Babylonem spiritualem*, h. e. Imperium Romanum, & Romam Metropolin ejus, atque ad Juducia ei decreta. quare, ut ut res ceciderit, non possumus errare in illius interpretatione secundum hanc hypothesin illustranda. Si itaque in *Apocalypsi* quæras analogum hujus Pericopæ nostræ in qua Deus ingentem facturus dicitur *mactationem* gladio sive cultro in eum finem acuto, Ovium pinguium, hircorum, juvencorum, taurorum, alticornium: & quidem DIE VINDICTÆ ac *retributionum*, ad id destinato, relege hæc verba Visi *Sigilli sexti*[a]: *Et* REGES TERRÆ, PROCERES *&* DIVITES, *&* TRIBUNI, *&* POTENTES, *omnesque tum servi, tum ingenui, se occultarunt in speluncis, & in petris montium, & dixerunt montibus ac petris, Cadite in nos, ... nam venit* DIES ILLE MAGNUS IRÆ EJUS (qui insidet throno & Agni,) *& quis poterit stare?* Rursus in prophetia de Victoria peremptoria Christi Jesu de hostibus suis, invitantur *omnes aves cœlorum* ut adsint ad *cœnam Dei magnam*, h. e. magnum illud Epulum hic descriptum quod Deus Justitiæ suæ pararat, ut *edant carnes* REGUM, *& carnes* TRIBUNORUM, *& carnes* POTENTIUM, & seqq[b]. Plura non addo. Malo enim ab aliis colligi ex verbis ipsis prophetiæ quæ in ea latent; quam explicando digredi in argumentum quod cuique merito incutiat horrorem. Tantum duo expedienda sunt. Si Prophetia hæc pertineat ad *Romam* & *Imperium Romanum:* utra hic intelligenda sit *Roma* cum Imperio ei subjecto, an *Pagana* Vetus; num *Christiana adultera* & *ψευδώνυμος*? Deinde, quare *Populus* Romæ subjectus hic veniat nomine EDOM?

Ad prius respondeo, eam hic præcipue intelligendam esse *Romam* sive Populum *Romæ* subjectum, cui optime convenit nomen *Edom*; & attributa ei hic & alibi adscripta; & de qua agitur in prophetia *Apocalyptica:* qui hic tres sunt judicii nostri non dubii Canones. Jam vero Prophetia Apocalyptica agens de plenario Excidio *Romæ* sub nomine *Babylonis:* intelligi nequit de *Pagana.* Ea enim licet à Gothis & Vandalis sit direpta & magnis cladibus afflicta, supereſt tamen adhuc, & post id tempus novo titulo eandem quam olim, imo majorem etiam, præ se tulit auctoritatem. Prophetæ etiam nostri de plenaria & irreparabili subversione terræ EDOM, quæ mox inspiciemus, ei non conveniunt. *Cædes* autem illa ingens & mactatio hostium Ecclesiæ non potest in historia Imperii Romani Pagani demonstrari. Victus est à Constantino Maxentius, & à Licinio qui in partibus Constantini erat, Maximinus; & quidem sanguine satis multo fuso. Sed nihil hic præter ordinem gestum est; & similes, imo majores & illustriores casus prœliorum inter adversas partes commissorum, in historia sunt sexcenti. Effectus fateor, harum victoriarum respectu Ecclesiæ fuerunt magni & maximi: sed exemplum Divinæ severitatis in puniendis Ecclesiæ hostibus non explet emphasin hujus prophetiæ. De quo cum in *Anacrisi Sigillorum* & in *Commentatione* ad hoc *Visum sextum*[c] fuse egerim: plura huc adducere supersedeo. Nomen autem EDOM mystice sumptum *Imperio Romano Pagano* recte aptes; & tamen verius atque emphatice magis quadrat in *Populum* ROMÆ *Apostaticæ & Apostaticæ subjectum; Romæ*, inquam, *adulteræ*, quæ *omnem formam* Romæ Paganæ antiquæ, mirabili quodam & stupendo Satanæ lusu, in se transtulit: ut si *Christianam* sive *Pseudochristianam Ecclesiasticam* compares cum *Pagana* antiqua, nominum tantum mutationem factam esse videas; res, & rerum quoque species ac colores, eadem sint. quæ caussa est, cur Spiritus S. prævidens, *Romam Paganam* aliquando in *Pseudo-christiana* resurrecturam, & utramque fore matrem ac magistram idololatriæ ac superstitionis, & *persecutricem* sanctorum; utramque ob communitatem attributorum iisdem nominibus *Ægypti*, *Babylonis*, *Tyri*, & hoc nostro in loco *Edomi* appellaverit, & priorem in posteriore spectari, ac judicia prioris in judiciis Romæ posterioris terminanda esse docuerit: quæ doctrina manifeste supponitur in prophetia *Apocalyptica* de *Tubiciniis* ac *Phialis*, quippe in qua *Judicia* Romæ *Sæcularis antiquæ* præmittuntur plagis *Romæ* Christianæ *adulteræ*. Quæris itaque tandem interpretationem Nominis. Facilis est sane, in qua ne puer quidem offendat. Illud *Imperium* Mundi dicitur EDOM; illius Imperii Populus dicitur EDOM, cujus Imperii Populus inter omnes Populos Orbis terrarum maxime RUBET ex effuso sanguine confessorum veræ Religionis. Hæc nominis significatio vera est & mystica; quam si Judæi Veteres, qui ipsi quoque viderunt *Romam Romanumque Imperium* in Verbo Prophetico venire nomine EDOMI *A*, perspexissent: non habuiss-

Quo quo modo hæc prophetia accipiatur: negari ei nequit *sensus mysticus.*

Subjectum ad quod prior pars hujus prophetiæ in Apocalypsi refertur, est idem quod *Visi Sigilli sexti*, h. e. ROMA & Terræ ei subjectæ.

Attributa autem Subjecti hic demonstrant *Romam* Apostaticam.

Ratio ejus ex prophetia, comparata cum historia.

Nomen EDOM utrique *Romæ*, Paganæ & Apostaticæ recte convenit; & tamen huic in majore emphasi.

Utriusque convenientia.

Quæ in prophetia Apocalyptica demonstratur.

Ratio mystica Nominis EDOM.

Est Populus qui *rubet ex sanguine* Confessorum Veritatis.

Animad-

---

a Cap. VI. 15. *b* Apoc. XIX. 17. 18. *c* In *Anacrisi Apocal.*

A Traditiones Judaicæ licet antiquæ, hac nostra ætate magis obsunt quam prosunt Demonstrationi veritatis, quod passim multis adsperſæ fabulis Viris prudentibus falsi suspectæ habeantur tanquam manantes ex impuris fontibus. Nec certe ego iis plus tribuo quam oportet: etsi probabile habeam, esse inter eas non plane contemnendas quæ originem suam arcessunt à Schola Prophetarum & Sanctorum Veterum. Quod ad hanc nostram attinet: videlicet *Populum* & *Imperium Romanum* in Verbo Prophetico antiqui temporis venire nomine EDOM, (& quidem hoc nostro in loco;) est vulgatissima & fere *χριτὸς* recepta, ab iis quoque qui alias minus nugari solent, veluti Maimonide in *More Nevochim* (Lib. II. Cap. XXIX) licet oblique, & Aben Ezra, quem mox adducam. Occurrit sententia in Codicibus Talmudicis & in *Paraphrasibus Chaldæis*, unde loca quæ huc pertinent, (nec tamen omnia,) excerpsit Cl. Buxtorfius *Lex. Talm.* voce אדום. Hieronymus exerte: BOSRA, *id est, muntam atque firmatam: & Edom, sive Duma & Iaunæam, Judæorum magistri* ROMAM *intelligi volunt, & omnia de ipsa dici quæ sequenti Capitulo continentur.* Imo vero Paraphrasis Chaldæa ipsius hujus prophetiæ nostræ id exhibet ad ℣. 9. non sane in Editione Basileensi, sed, ut probabile habeo, in prima Veneta. Sic enim eam adducit Grellotus in *Apoc.* ad Cap. VI. 12. ויתהפכון נחלי דרומי לנפא *Et convertentur flumina* ROMÆ *in picem.* & Buxtorfius quoque exigua variatione, נחלהא דרומי in *Lex.* ad voc. נחל. cum in *Editione Basileensi* simpliciter nunc legatur נחלהא *torrentes ejus*, omissa mentione Romæ. quam differentiam Editionum Venetarum & Basileensis, (dum in hac odiosa omnia rescinduntur,) Docti plures, & inter illos Cl. Buxtorf. ad hanc ipsam vocem אדום, observarunt. Putem quoque ego, eodem referendam esse Literam *minusculam* ד in voce אדם in sententia Prov. XXVIII. 17. *Homo* (אדם) *oppressus propter sanguinem innocui* (*animæ*, h. e. *personæ innocuæ*,) *ad exitium properabit: non sustentabunt illum.* Cl. Buxtorfius in doctissimo *Commentario Masorethico* mysterium non videtur assequutus esse. Sunt enim quæ huc adfert, magis coacta. אדם HOMO mystice hic est HOMO RUBER ex sanguine innocui, qui est אדום EDOM, gravatus à conscientia, à Deo deprimendus, cujus symbolum est minuta litera ד. Cæterum etsi hæc sententia tum valde communis sit inter Judæos, tum etiam alte iis sedeat: duo tamen illi hic commiserunt vitia, quæ sententiam, si forte veri quid ei subesset, falsi suspectam reddere possent. Primum est, quod hanc interpretationem nominis *Edom* non applicaverint tantum ad certa quædam loca Prophetica quæ mysticum sensum requirebant, sed ad plura alia in quibus absurdum sit de Romanis cogitare. Mitto nunc prophetiam Obadjæ, quam ab Idumæis ad Romanos absque rationis ulla specie transferunt; sed unicum nunc allego exemplum ex Gen. XXVII. 40. ubi Benedictionem qua Isaacus prosecutus est Filium suum *Edomum*, his verbis: *Gladio tuo vives -- & ubi* DOMINABERIS *excuties jugum fratris tui:* de Romanis exponunt. Videri possunt verba Aben-Ezræ apud Buxtorf. (d. l.) & Heidegg. (*Hist. Patr.* Part. II. Diss. XIV. §. XXI.) sed quæ Cl. Coccejus perfectius exscripsit & legi voluit in Notis eruditis ad Excerpta *Gem. Sanhedrin*, Cap. XI. §. XXXIV. ubi *Imperium Romanum* in textu Gemaræ appellatur אדום רשיעה *Imperium Idumæum*, sive *Romanum*, *Impium*, nefarium. Hæc vere frivola & inepta sunt. Nihil enim in hoc similibusque pluribus locis est, quod ad *Imperium Romanum* ullo modo pertinet, vel quod ulla specie rationis quis eò referat. Alterum vitium est, quod excogitaturi & in medium producturi rationes quare Imperium Romanum ex hypothesi sua in Verbo Prophetico appelletur EDOM, non falsis tantum adferant, sed

habuiſſent neceſſe tam quæſita & remota & quædam etiam abſurda ac ridicula adferre ad nominis hujus interpretationem. אדום notat RUFUM, ut omnibus notum. quod nomen olim Eſavo fuit impoſitum, tum quod ipſe ex utero matris prodierit אדמוני *rufus* [a]; tum quod idem ingenti deſiderio expetierit *pultem rufam* (האדם האדם הזה *rufum, rufum illud,*) quam à venatione recens paratam inveniebat apud fratrem Jacobum [b]. ubi habet hiſtoria: *Propterea appellatur nomen ejus* EDOM. Aptatur autem hoc nomen *Populo Romano*, non hoc ſenſu præcipue quod Imperium Romanum, *Marti* tanquam *Conditori Populi Romani*, (ſic Livius [c],) ſacrum, (eſt autem MARS, Æliano Μάρης, *Martialis* homo, vel ex מהרם *Deſtructor*, ut memini alibi legere apud Voſſium; vel, quod probabilius ab Erudito Viro affertur [d], ex מעריץ, *Violenter agens*, & quod ipſe quoque Abarbenel obſervavit, *à colore* Hebræis dictus מאדים *Rubicundus* vel *Rubrum faciens*,) omnium Imperiorum Mundi maxime fuerit *ſanguinarium*, quippe bellis ex bellis ſatis natiſque & ingente ſanguine humano hauſto cretum, ut ſane *Roma* in *ſanguine fraterno* fundata fuit, ejus *Civitatis* antitypum quam condidit fratricida Cain [e]: (etſi hæc abs re non aliena hic non excludam:) ſed hoc maxime ſenſu, quod unus hic Populus, & Populi hujus Imperium, plus biberit ſanguinis martyrum & confeſſorum veritatis quam ullum Imperium aliud: imo vero unum hoc Imperium ſe directe oppoſuerit Regno Chriſti Jeſu, & ad illud exterminandum omnem ſuam poteſtatem, auctoritatem, & vim longi temporis tractu adhibuerit. Hæc genuina eſt hujus nominis interpretatio. *Rubet* hic Populus ex *ſanguine Chriſti Jeſu*, (cujus ut *Martyris* primi 1 Tim. VI. 13. *ſanguinem* primo fudit:) & *Confeſſorum omnium* veritatis cauſſa jugulatorum. Chriſti Jeſu, inquam, ipſius. Judæa enim illo tempore erat accenſita Syriæ Provinciæ Romani Imperii, & Dominus Jeſus ſententia Romani Præſidis ad crucem damnatus eſt, Romamque ſuo ſanguine pollutam reliquit. Inde Rectores hujus Imperii Eccleſiam perſequentes in Viſo *Sigilli ſecundi* occurrunt ſub emblemate *Equitis inſidentis Equo* RUFO, inſtructi *gladio magno* [f], ad homines *mactandos* parato; & *Draco* ſanguinarius huic Imperio præſidens & per illud oppugnans Eccleſiam ſub imagine *Draconis magni* RUFI, cujus erant *capita ſeptem & cornua decem* [g]. Joannes idem Babylonem myſticam ſibi vidit exhibitam [h] ſub figura ſymbolica *Mulieris*, indutæ *purpura* & *cocco*, inſidentis *Beſtiæ coccineæ*, videlicet tinctæ *colore ſanguineo*, viditque *mulierem illam ebriam* SANGUINE SANCTORUM & SANGUINE MARTYRUM; *& admiratus eſt admiratione magna.* quippe *effuderat ſanguinem ſanctorum ac Prophetarum* [i]: imo vero in hac Civitate *inventus eſt ſanguis Prophetarum & ſanctorum, καὶ πάντων ἐσφαγμένων ἐπὶ τῆς γῆς, &* OMNIUM QUI MACTATI SUNT (inſtar innocuarum *ovium*,) IN TERRA [k]. Omnes enim cædes *ſanctorum*; quorum effuſus eſt *ſanguis*, non tantum calculo ſuo probavit, & exemplo obſignavit; verum etiam ſuperavit & complevit. Nec ſumitur tantum hoc ſenſu *color rufus* in hoc Libro, ſed quoque in Viſis Zachariæ [l]. Vides, cur Imperium Romanum veniat ſub emblemate אדום EDOM h. e. RUFI. Inter Regna Mundi antiqui temporis nullum præter Syriacum directe impetiit Religionem veram, & Eccleſiam Dei in terris niſum eſt extinguere, cujus Regni veſtigia hac parte legit Romanum: ut proinde attributa Antiochi Epiphanis & Perſecutionis Epiphanicæ ad Romam perſecutricem Sanctorum & Rectores ejus in Apocalypſi applicentur. Inter Regna autem & Imperia quæ in Mundo comparuerunt cum fundato vel poſt fundatum Regnum Filii Dei; præter Romanenſe, (ſub quo cenſita fuit *Judæa*, Perſecutrix Chriſti Jeſu & Populi ejus,) nullum fuit quod data opera & conſilio ſe inſtruxit ad Regnum Filii Dei ſufflaminandum atque evertendum: non ſane hoc ſenſu acſi aliorum Regnorum Rectores non ſubinde inſtituerint perſecutionem adverſus Chriſtianos; verum quod nullius Imperii & Regni Mundi hoc certum fuerit & conſtans propoſitum aut conamen. perſecutiones enim illæ vel non fuerunt ad necem & exterminium; vel fuerunt tranſitoriæ ac caſuales. Reſpicio hic Regna vel Imperia Parthicum, Perſicum, (Gothicum enim Chriſtianam Religionem licet cum errore profeſſum hic prætereo:) Francicum, Hunnicum, Saracenicum, Bulgaricum, Turcicum, Tataro-Mogulenſe, Tataro-Sinenſe. Hæc, inquam, Regna ſubinde vexarunt vel adhuc vexant (ut facit Turcicum,) Chriſtianos atque affligunt etiam aliquo reſpectu Religionis: ſed cauſſa Religionis illos non perſequuntur ad necem. ferunt illos, & ſinunt ſacris ſuis certa lege defungi. Solum *Imperium Romanum* ſive *Paganum* vetus, ſive *Pontificium* recentioris temporis cum Regnis ei ſubjectis, *rubet totum* ſanguine Doctorum & martyrum veritatis, præſtatque vim & emphaſin nominis *Edom*; & Metropolis ejus ROMA (quod nomen רומה ROMA vel רמה RAMA tribui ſolebat *Munimentis* in collibus extructis:) præſtat vim nominis בצרה BOTSRA,

cinea veſte indutæ, & inſidentis *Beſtiæ Coccineæ*: quæ *ebria* erat ex *ſanguine ſanctorum*, Cap. XVII. 3. 4. Quod declaratur.

Verus aſpectus Romæ, perſecutricis Sanctorum, comparatæ cum Regno Syriaco.

Comparatio ejus cum aliis Imperiis Mundi quæ perſequuta ſunt Eccleſiam.

ROMA præſtat vim nominis BOTSRA.

ſtultas quoque ac ridiculas, corrupto ingenio ſuo dignas. Extat de hoc argumento *Diſſertatio* Abarbenelis in *Commentario* ad hanc Concionem, in Latinum Sermonem verſa à Cl. Buxtorfio, Filio, & ſubjecta Libro Cozri, ab ipſo edito, in qua, excuſſis omnibus ingenii & qualiſcunque doctrinæ ſuæ loculis, traditioni huic Majorum firmandæ quam poteſt adhibet operam. Sunt inter rationes hujus appellationis ingenii Judaici. (*a.*) *Romanos accepiſſe Religionem Jeſu Nazareni ex ore Sacerdotis Idumæi*, ut Nachmanides, Niſſim, & Kimchi, fabulantur; ſive, ut Aben-Ezra ad Gen. XXVII. 40. quo tempore Conſtantinus in Vexillo ſuo erexit imaginem Crucifixi, (ſive, Viri illius Jeſu,) *paucos* tantum fuiſſe *Idumæos qui in ipſum crediderint.* (*b.*) Quod Veſpaſianus & Titus ortum ſuum traxerint ex Idumæis. (*c.*) Quod Romani deſcendant ex *Duce Magdiel*, qui inter Idumæorum Duces recenſetur penultimus Gen. XXXVI. 43. 1 Chron. I. 54. (*d.*) Quod Tſepho, Eliphazi Filius, Eſavi Nepos, (Gen. XXXVI. 11. 15.) à Joſepho in expeditione ad curandam Hebronе ſepulturam Patris Jacobi captus & in Ægyptum abductus aufugerit in Africam ad ÆNEAM Regem Carthaginis & Africæ, (ſic rectiſſime accepit nomen אנגיאם, ad quod Cl. Buxtorfius hæſerat, Nobiliſſimus idemque Doctiſſimus Vir, J. F. Breithauptus, in noviſſima Editione Gorionidis:) & ab ipſo Exercitui Præfectus adverſus Italos; poſtquam rem ſtrenue geſſiſſet, eum omnibus copiis ſuis trajecerit in Italiam, ubi cum gaudio exceptus, poſt edita virtutis ſuæ multa ſpecimina in fuſis aut ſubactis Italorum hoſtibus præmium virtutis conſecutus fuerit Regnum, & dictus Tſepho-Janus, inſtar divi ſub nomine Jani aut Saturni cultus. Hoc vero poſtremum illud eſt quod arripit Abarbenel, & in quo figit pedem, deſcripta hiſtoria Gorionidis, (quæ extat Lib. I. Cap. II.) futiliſſimi Scriptoris recentioris temporis, quam ipſe ſub ſpecioſo nomine Joſephi, Principis Hiſtoricorum, nugivendulis & ſui ſimilibus commendat, ut inde demonſtret, Romanos Idumæis ortos eſſe. Vah τῶν φλυαρίων! Quantum intereſt inter ſapere & nugari! Quid ſi vero ſe abſtinuiſſet blaſphemia Kabbaliſtarum, nomen ישוע cum nomine עשו comparantium! Equidem ſub finem ei tandem in mentem venit, ipſum Nomen *Edom* reſpectu ſignificationis ſuæ applicare ad Imperium Romanum: quod ſi in initio agere anticipaſſet, parcere potuiſſet verbis & nugis. Sed ipſæ hæ nugæ nihil derogant veritati, ſi aliunde demonſtrari queat; & licet teneam cum Cl. Bocharto, (*Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XLVIII.) *de Idumæis* QUICQUID LEGITUR *in Prophetarum ſcriptis Hebræos perabſurde ad Romanos transferre*: cenſeo tamen hic admittendum eſſe temperamentum. Abſurdum & a ratione alienum eſt, *quicquid* de Idumæis legitur in Scriptis Propherarum ad Romanos transferre; ſed abſurdum non eſt, illos in quibuſdam locis reſpicere. Belgæ Interpreſ non refugiunt reſpectum *Romæ* in ipſa hujus *Capitis* interpretatione, nec Viri Docti alii. Oecolampadius ad *Obadj.* vſ. 1. *Idumæus Populus eſt omnis Populus Antichriſtianorum & falſorum fratrum. omnia quadrant.* Mercerus, Interpres prudens juxta ac doctus, ad eundem locum: *Mihi Idumæi ſunt ſive* ROMANI, *ſive quicunque alii Populi* (*quicunque tandem ſint,*) *qui ſub Chriſti & Eccleſiæ nomine Chriſtum oppugnant & Eccleſiam. unde & ſolitī ſunt Hebræi hujuſmodi Regnum appellare* מלכות אדום הרשעה *Regnum Edomi impium, quod haud dubie* ANTICHRISTI REGNUM *eſt.* Hæc hactenus. Addo ſolummodo ob argumenti affinitatem, quod legere memini apud Doctum Itineratorem Petrum Vallenſem, (Part. III. Cap. IV.) *Perſas* æque ac *Turcos* ROMAM appellare *Chizilalma*, id eſt, POMUM RUBRUM. Et monet tamen Cl. Hydius ad *Coſmographiam* Peritſolii, (Cap. VII. p. 52.) *Conſtantinopolim* ab iis eodem nomine appellari, forte quod ſit νέα Ῥώμη *Nova Roma*, & deſtructo Imperio Occidentali Romano, ipſi ſibi vindicaverint *Romanorum Nomen.* Leges autem ibi memorabile Vaticinium, inter Turcos conſervatum, de *Aureo Pomo & Turcarum fato*, de quo videbis Eruditiſſimi Viri cogitata.

a Gen. XXV. 25. *b* vſ. 30. *c* In Præf. *Hiſt.* *d* Ad Ælian. Var. Hiſt. Lib. IX. Cap. XVI. *e* Gen. IV. 17. *f* Apoc. VI. 4. *g* Cap. XII. 3. *h* Cap. XVII. 3. 4. 6. *i* Cap. XVI. 6. *k* Cap. XVIII. 24. *l* Cap. I. 8. VI. 2. 7.

TSRA, Urbis munitæ, in *collibus* fundatæ; qui verus eſt aſpectus ROMÆ, in *collibus* ſive *montibus* ſitæ, à cujus ſalute totius Imperii illius ſive Politici ſive Eccleſiaſtici ſalus credita eſt dependere.

Hæc ſola interpretatio ſufficit propheriæ.

In his mihi liceret ſubſiſtere, nec neceſſe eſſet ullam aliam ſectari analogiam inter *Edomum* & inter *Populum Romanum*. Nomina enim *Edom* & *Botſra* hic ſimpliciter accipi poſſunt myſtice ſecundum veram ſuam ſignificationem ſpiritualem; etiamſi inter ſubjecta alia quibus idem nomen olim adſcriptum eſt, nulla plane ſit analogia. Sic v. gr. *Vallis Joſaphath* apud Joëlem [a], *Armageddon* in Apocalypſi [b], & in eodem Libro *Nicolaitæ* ſive *Bileamitæ* [c]; perinde ac *Sodoma & Gomorrha*, tranſlatæ ad Hieroſolymam, à Vate noſtro [d], & plura ejus generis; ſunt nomina myſtica, ex ſe ipſis & ſignificatione ſua, non aliunde declaranda. Sed eſt hic vere aliud etiam, quod præterire non licet. Veritas & neceſſitas urgent; etſi ingenium meum ab invidioſa oratione alienum ſit. Populus omnis qui ſe jactat eſſe Abrahamo ortum, h. e. veram profiteri Religionem & partem facere Eccleſiæ, & qui in illa Eccleſia ſibi prærogativas primæ dignitatis vindicat; ſed qui tamen carnalis animo & moribus, carnalia & externa in Religione ſectatur; qui veram Religionem cum tempore corrupit; & fratres ſuos Dei reverentes, promiſſa gratiæ interioris magnificientes, ac *ſpiritualem* purumque ac ſimplicem Dei cultum abſque choragio ſuperſtitionis & idololatriæ ſectantes, odio habet, & ad necem acriter perſequitur; eorumque *ſanguinem ſitit*, &, ſi occaſio ita ferat, *effundit*, aut *effundentibus* applaudit: (qui ſunt characteres *Edomi* & *Edomæorum* [e];) hic Populus myſtice dicitur EDOM. Conveniunt autem hi characteres tum *Judæis carnalibus* qui Chriſtum Jeſum & Eccleſiam ejus perſecuti ſunt ad necem; tum Populo Chriſtianam Religionem adulteratam profeſſo qui ſe à *Roma* denominari vult. Hujus Populi magni character eſt longe infenſius odiſſe & longe infeſtius perſequi *confeſſores puri Evangelii* quam Pagani qualeſcunque antiqui temporis. Hic Populus, hæc magna civitas, plures confeſſores & martyres dedit, & in illos multo inhumanius ſæviit quam Roma Pagana. Verba Amoſi [f]: *Sic dixit Jehova: Ob tres defectiones Edomi, imo ob quatuor non revocabo illud: eo quod perſecutus eſt cum gladio fratrem ſuum, & corrupit miſericordiam ſuam, & laniavit in perpetuum ira ejus, & excandeſcentiam ſuam etiam atque etiam retinet.* Huc pertinet quod *Eſavus* dictus ſit *Edom* quia ſitiit & vehementer expetiit RUBRUM ILLUD. Eſt *ſitis ſanguinis*, verus & manifeſtus character ſubditorum Romæ adulteræ.

Propior comparatio. Quo ſenſu interiore *Roma adultera* cum priſco Idumæorum Populo *comparata*, dici queat EDOM?

Edomi aſpectus myſticus propius declaratur & illuſtratur.

Membrum alterum ſententiæ Judicialis: Peremptoria atque æterna Regionis Edomi deſolatio.

Membrum alterum ſententiæ Judicialis: *Æterna Edomi deſolatio.*

ỳſ. 9. *Et convertentur torrentes ejus in picem, & pulvis ejus in ſulphur, & fiet terra ejus pix ardens.* ỳſ. 10. *Interdiu & noctu non extinguetur: in æternum aſcendet fumus ejus: à generatione in generationem vaſta manebit: in omne æternum nemo per eam tranſibit.* ỳſ. 11. *Et poſſidebunt eam jure hæreditario* PELICANUS & ERICIUS; & BUBO *ac corvus eam inhabitabunt*; & *extendetur ſuper eam linea inanitatis*, & PERPENDICULUM *confuſionis.* ỳſ. 12. *Ad Nobiles ejus* quod attinet: *nulli aderunt* SI QUOS AD REGNUM VOCARE VELINT; *& omnes Principes ejus nihilum evadent.* ỳſ. 13. *Et palatiis ejus increſcent ſpinæ; carduus & urtica munitionibus ejus; eritque habitaculum Draconum;* ATRIUM *ululatum.* ỳſ. 14. *Et occurrent* FELES AGRESTES THOIBUS; & SATYRUS *ſocio ſuo acclamabit. quin imo* STRIX *quoque ibi requieſcet, ſibique inveniet quietem.* ỳſ. 15. *Ibi nidulabitur* ACONTIAS *& enitetur; excludetque* (ova) *poſtquam* (illa) *foverit in umbra ſua: utique ibi congregabuntur* VULTURES *unus cum altero.*] Alterum hoc eſt membrum ſententiæ Judicialis, in Edomum prolatæ: cujus oratio rurſus eum in modum eſt concepta, ut legenti incutiat horrorem. Propheta, cujus vis & copia dicendi inexhauſta ubique nobis admirationem parit, pingit electis quæſitiſſimiſque figuris imaginem terræ & Urbis, bello deſolatæ, igne vaſtatæ, & æternæ vaſtitati Judicio Divino devotæ, quæ non modo incolis ſuis Bello ſæviſſimo abſumptis ſit orbata, relictaque feris impuriſque avibus, in eremis & devaſtatis locis nidulari ſolitis; verum etiam cum vaſtitie in eam inducta facta ſit ἄξενος, *inhabitabilis*, ſpeciemque præbeat *inferni* ardentis, aut flammivomorum montium, fumum gravem tetrumque odorem exhalantium. Hic ſenſus ſubeſt pericopæ ἐν πλάτει ſumptæ, qui neminem fugit. Duo tamen mihi hic agenda incumbunt. Primum, ut phraſin orationis difficilioribus partibus illuſtrem: alterum, ut ſenſum ex phraſi collectum ad Subjectum hujus Judicii quod eſt Objectum prophetiæ applicem.

Affectio orationis & ſumma ejus.

Phraſis Prophetæ illuſtratur, ỳſ. 11. Cujus generis animal ſit קאת?

ỳſ. 11. *Et poſſidebunt eam jure hæreditario* קאת וקפוד PELICACUS *&* ERICIUS] Vocem קפוד jam habuimus Cap. XIV. 23. ubi commendavimus ſententiam Cl. Bocharti, qui *Hericium* eſſe contendit aut etiam *Hyſtricem* [g]: qui idem Vir Eruditus Græcorum & Hieronymi ſententiam ſequutus docet קאת eſſe *Pelicanum* [h]. Hieronymus hoc loco per *onocrotalum* vertit, perinde ac Tſephan. II. 14. ſed ſpecies eſt affinis, & ſæpe confunduntur.

Et ינשוף?

ונשוף ועורב ישכנו בה *Et* BUBO *ac corvus eam inhabitabunt*]. Hieronymus, Alexandrinum ſequutus, vocem ינשוף per *ibin* verterat: ſed pluribus demonſtrat Vir Doctus [i], eſſe *bubonem*, ovem feralem, inauſpicatam, tardioris motus, qui in ruderibus deſolatorum Palatiorum aut Arcium deſidens triſti ſono aërem replet, ſic dictum à נשף *crepuſculum*, *tenebræ*. Hypotheſis eſt probabilis, & adſtruitur quoque ex cognato ערב עורב *corvus* cujus non eſt dubia ſignificatio.

Quid hic ſit *linea inanitatis & perpendiculum confuſionis?*

Et extendet ſuper eam lineam INANITATIS (תהו) *& perpendiculum* CONFUSIONIS, בהו] Phraſis valet, Deum hanc regionem perfecte & exacte vaſtaturum eſſe veluti ſecundum legem & canonem: ut videlicet omnia *ſolo æquentur*, (quæ dictio hic verum uſum ſuum obtinet:) & ſecundum perfectam deſtructionis & confuſionis Legem, (ſi qua talis Lex detur,) ſubvertantur, exinaniantur. Eſt enim metaphora deſumpta à *lineis* & *perpendiculis*, quibus artifices, fabri, architecti, utuntur in æquandis proportionibus arearum aut ædificiorum: alibi [k] quoque in Verbo Dei uſu recepta. Tantum obſervo, Belgas Intt. voces בהו & תהו rurſus vertere ut Gen. I. 2. תהו quidem per *vaſtitatem* & בהו per *vacuitatem*, in quo ſi fefellerint, error non eſt gravis aut ullius momenti. Voces enim junctæ notant confuſum quid, inordinatum, merum chaos; ἀκατασκεύαςον, in quo nullum decus, ordinem, ornatum, obſervare liceat. Et tamen ſi quis ex locis inter ſe collatis dijudicet verum earum notationem: forte veriorem deprehendet ſententiam, quæ ſignificationes haſce invertit, & voci תהו annectit notionem *vacuitatis*, *inanitatis*, ἀδυνείας *nihili*; & voci בהו ſignificatum *inordinationis* & *confuſionis*. Sed non eſt mihi propoſitum hic morari.

Unde hic deſumpta ſit metaphora?

Vera notatio vocum בהו & תהו. Quo modo accipiendæ Gen. I. 2.

ỳſ. 12. חריה ואין שם מלוכה יקראו Sententia ſic eſt concepta à Propheta, ut non excludat diverſas interpretationes. Ego verti: *Ad Nobiles ejus* quod attinet: *nulli adſunt quos ad Regnum vocent.* quæ ſententia, in ſe ſpectata, nihil difficultatis habet. Cum enim Vates deſcribat irreparabilem deſolationem terræ ac deſtructionem Status: docet, eum fore terræ aſpectum, ut ſi forte infimi ordinis plebeji pauculi aliqui ſuperſint, qui videri poſſent ſpem facere leviſſimam inſtaurandæ Reipublicæ: honeſtorum natalium homines nulli ſuper-

ỳſ. 12. explicatur. Ambiguum quod hic eſt in oratione Prophetæ. Sententia Prophetæ fert, nullos ſuperfuturos *nobiles* qui vocari

---

[a] Joël, III. 12. [b] Apoc. XVI. 16. [c] Apoc. II. 6. 15. [d] Cap. I. 10. [e] Amoſ. I. 11. Obadj. ỳſ. 10. 11. [f] Cap. I. 11. [g] *Hieroz.* Part. I. Lib. III. Cap. XXXVI. [h] Part. II. Lib. II. Cap. XXIV. [i] Part. II. Lib. II. Cap. XXII. [k] Zach. I. 16. IV. 10. Conf. 2 Reg. XXI. 13. Amoſ. VII. 7. 8.

possint ad *Regnum*.

perfuturi sint qui ad Rempublicam tractandam idonei sint aut sceptro pares censeri queant. Præfixa ו in voce ואין redundat elegantiæ causſa. ut Job. XXIII. 12. מצות שפתיו ולא אמיש Ad *Præceptum labiorum ejus* quod attinet: *illud non removi.* proprie. ET *illud non removi.* Voces vero מלוכה יקראו *Regnum vocant*, elliptice scriptæ sunt pro, אשר למלוכה יקראו *quos vocent ad Regnum.* De ellipsi *relativi* אשר *qui, quos*, nihil necesse habeo monere. refertur enim ipsa quoque ad elegantiam orationis, quæ omne περίλλειον, quantum licet, vitat. Ellipsis autem *præfixæ* ל ipsa quoque in hujusmodi casu non est inusitata. ut inter alia 1 Sam. v. 8. גת יסוב *Gatham deflectat*, sc. Arca Domini. pro לגת. Forma constructionis eadem est. in sententia enim nostra quoque, מלוכה יקראו, *objectum* sive *terminus* ad quem præponitur. Adde ex Vate nostro Cap. LI. 11. ובאו ציון *Et venient Tsionem*, pro לציון. Hos. VII. 11. אשור הלכו *Assurem eunt.* pro לאשור. Agnoscit quoque ellipsin Aben-Ezra, & Belgæ etiam nostri, qui sensu affini, nec tamen eodem: *Nobiles suos* (*sed non adsunt*,) *vocabunt ad Regnum.* Si tamen adverteris animum, videris, sententiam quodammodo in se incurrere. Quomodo enim *Nobiles* vocarent *ad Regnum*, si *nulli adessent?* Rectius longe si à nostra versione discesseris: *Nobiles ejus* quod attinet: *nulli ibi aderunt*, quando *Regnum clamabunt:* h. e. quando clamabunt, Regnum instaurandum esse. vel, quando *Regnum proclamabunt.* ut sc. Regno destructo aliquem præficiant, proximos consanguineos ad Regnum vacuum occupandum invitantes. In cæteris versionibus quæ multæ & diversæ sunt, expendendis attendes ad hoc κριτήριον; videlicet, sensum membri prioris hujus sententiæ definiri à posteriori membro, in cujus sensu nemo hæret. Est autem his conceptum verbis: *Et omnes Principes ejus evadent nihilum.* Id in aliis quoque locis dubii sensus magnum usum habet. solent enim Prophetæ & Poëtæ apud Hebræos sententias suas geminare. Sic ℣. gr. Cl. Coccejus vertit: *Nobiles ejus, & non* erit (sc. Regnum,) *Regnum proclamabunt, & omnes Principes ejus erunt nihil.* quæ non videntur inter se cohærere. Si enim *Principes* nulli futuri sint, quomodo *Nobiles* proclamarent *Regnum?* Plura non addo: neque etiam de significatione vocis חורים usurpatæ sensu *ingenuorum*, nobilium, & liberæ conditionis hominum; aut vocis קראו *καλέω voco* pro vocatione ad hoc vel illud munus, hanc vel illam provinciam administrandam. Posterius enim nemini non notum est: prius multorum observatis tritum.

Inprimis præfixæ ל.

Verſio alia commoda, ab hac non multum diversa.

Ἐπίκλησις in Versiones alias.

Et Cl. Coccejii.

De vocibus קרא & חרים admonitio.

℣. 14. *Et occurrent eremivagi thoibus, &c.*] De impurarum animantium speciebus quas Vates hic designat vocibus, ציים, איים, & quoque de שעירים sive *sylvestribus*, jam disserui ad Cap. XIII. 21. in oratione similis argumenti. Vocem לילית verti cum Cl. Bocharto, ex quo hic cum aliis lubens sapio, per *strigem.* Hieronymus Symmachum sequutus vertit per *lamiam.* quod mihi minime displicet. Fictam esse rem dixeris *lamias* quales vulgo describuntur. Esto. nihil contra moveo. Poëtæ sacri aut Prophetæ, quorum stylus ad eum Poëtarum proxime accedit, *se in scribendo vulgari loquendi modo accommodare solent:* quod recte observat eruditus Vir, Nicolaus Abramus, per occasionem de hoc ipso argumento disserens, & ipsam quoque hujus loci versionem, & ex ea petitum exemplum, in medium producens *A.* *a*

Dubia ℣. 14. in quo præcipuum est de voce לילית.

Eruditi Viri, Nic. Abrami observatum.

℣. 15. *Ibi nidificabit* KIPPOZ (קפוז) *& pariet, &c.*] Est hic incerta & dubia admodum significatio vocis קפוז. Esse animal *eremivagum* & *ovíparum*, ex hoc loco facile patet; sed cujus speciei, difficillimum est definire. Non absurda videbatur sententia, quæ *cypselum* designari statuit: sed Cl. Bochartus, cum data opera hoc argumentum tractaret *b*, pro more suo diversas vocis interpretationes discutiens, demonstravit, קפוז à *saltu* nomen habere: *cypselum* vero esse *apodem.* Ipse itaque conjecit, esse *acontiam*; quæ species est *serpentis* qui *jaculus* dicitur, *quia jaculorum instar impetu fertur.* Arabibus *Kipphaza*, ubi sursum enititur. cujus vocis cum nostra קפוז tam enunciationis quam etymi concordia est. Sed leges ipse quæ Vir Doctissimus ad conjecturam hanc adstruendam ac defendendam adfert. Idem te clarius docebit, quod jam ante ipsum observaverant docti Intt. vocem מלט hic induere notationem *pariendi*; & בקע *findere, rumpere*, idem hic valere quod *ovi ruptione parvulos excludere.* Denique דגר cum apud Chaldæos *a quibus desumptum est hoc verbum*, proprie sit *congregare*, hic loci speciatim notare quod dicitur, *congregare sub se ova vel pullos, ut calore materno foveantur.* quare pluribus hic abstinebo.

Quid sibi velit קפוז ℣. 15.

Cl. Bocharti observatum, laudatum.

Usus peculiaris vocum בקע & מלט h. l.

med. *Ibi congregabuntur* דיותה VULTURES, *unus apud alium.*] Hieronymus vocem דיה confundens cum דאה Lev. XI. 14. vertit per *milvum*; & plures sequuti sunt: sed Vir Doctissimus ostendit *c*, *milvos* non esse *gregales aves*, neque *unquam inter se convenire aut congregari*; sed rectius multo hic cogitari de *vulturibus:* in quam rem ex ingenio & doctrinæ penu multa adfert quæ hanc sententiam probabilem faciant. Est ante oculos cuique & inspici poterit. Summa sententiæ hæc est, illi Urbi & regioni quæ incoleretur à Populo hic mystice dicto EDOM, decretam esse vastitiem immanem, singularem, horrendam, quæ testari queat de Divina in eam severitate, ad exemplum Matris ejus Trojæ, (si satis certa sit traditio:) ubi secundum Lyricum *d*:

Per דיותה commode intelliguntur *vultures.*

Summa sententiæ Prophetæ. In *Edomum* extrema inducenda esset *Vastities.*

Priami Paridisque busto
Insultat armentum, & catulos
Feræ celant inultæ.

Certe phrases Prophetæ & quæsita pressaque oratio ejus hanc nobis subjiciunt cogitationem de *Vastitie plenaria & æterna*, ad exemplum similium Emblematum quæ apud Prophetam nostrum, in describendo Judicio Babylonis *e*, & ei cognatos Vates alios, de Judiciis Gentium vaticinantes, Jeremiam *f*, Tsephaniam *g*, Nahumum *h*, & in Apocalypsi, consignata leguntur.

Quæro implementum prophetiæ, juxta hypothesin à me jactam: quod dum ago, declinare vellem tractationis invidiam: & sane honeste declinare potero, cum integrum mihi fere non sit quicquam huc adferre quod non anticiparim in *Commentario Apocalyptico* ad prophetiam hujus argumenti, Cap. XVIII. 1. 2. seqq. Veruntamen dum mihi hic plane silere non licet: duas jacio hypotheses, in hac investigatione observandas. Prima est, in quærendo ac demonstrando prophetiæ *Implemento* non esse nimis inhærendum *literæ*; sed præcipue attendendum esse ad *sensum*, metaphoricis loquutionibus subjectum, qui infert *vastitiem* Urbis & terræ γενικὴν *universalem*, plenariam, æternam. ut v. gr. quod mox dicitur in initio hujus pericopæ ℣. 9. *Et convertentur torrentes ejus in picem, & pulvis ejus in sulphur, & fiet terra ejus pix ardens:* (quibus verbis constat alludi ad subversionem horrendi exempli

De Implemento ostendendo præfatio.

Animadvertenda duo.

Primo non esse nimis presse adhærendum literæ: sed attendendum ad rem ipsam.

a In *Pharo*, Lib. V. p. 126. *b* Hieroz. P. II. L. III. C. XI. *c* P. II. L. II. C. IX. *d* Carm. L. III, Od. III. *e* Cap. XIII. 19. 20. *f* In *Interminatoriis* sive *Denunciatoriis* Judiciorum Divinorum à Cap. XLVIII. *g* Cap. II. 4. seqq. *h* Cap II. 13.

A Quod hic dicitur: *Et* occurrent *feles agrestes thoibus, & satyrus socio suo* ACCLAMABIT: perinde ac Cap. XIII. 22. *Et thoës sibi mutuo* VOCES REDDENT *in Palatiis ejus magnificis*: videtur illustrari posse ex more ferarum atque impurarum animantium in Desertis locis vagantium, cujus exemplum ad impura & eremivaga animalia hic memorata illustranda aptum proferam ex fido peregrinatore Thevenotio, in ea historiæ parte qua itineris à Mosula per Tigrin fluvium usque Bagdadum confecti meminit, Part. II. Cap. XIII. *Per integram noctem*, ait, *vigiliæ agebamus* (in Litore Assyrio) *adversus Arabes & Leones*, (quorum rugitum omni momento audiebamus,) *æque ac vocem* KARA-KOULACUM *& ejulatum* CHAKALARUM, *& latratum* CANUM *Arabicorum.* KARAKOULACES *sunt animantes paulo majores felibus, & ejusdem figuræ. Aures habent semipedales & nigras: unde ipsis nomen. Leonibus inserviunt pro ductoribus, prædam ipsis inducentibus quam iisdem partiuntur. Ubi hoc animal Leonem appellat, vocem fere imitatur humanam, nisi quod paulo tenuior sit.* CHACALÆ *vulpes referunt, medii generis inter vulpem & lupum.* Post pauca interjecta de Chacalis: *Ululant fere instar canum, aliæ altiore aliæ demissiore voce; & ululante una ululant cæteræ.* sc. sibi mutuo veluti acclamantes.

Sodomæ, Gomorrhæ & confinium Urbium:) & in sequentibus, ℣. 14. *Et occurrent feles agrestes thoibus; & satyrus socio suo acclamabit*, & quæ his similia sunt: licet, ut existimo, bono Interpreti hic sensum præcipue respicere, non vero presse nimis sectari aut urgere verba, cum locutiones sint figuratæ sive translatæ, ad gravitatem Judicii deformandam adhibitæ: perinde ut res se habet in analogis. Veruntamen cum fata futuri temporis, à Dei consiliis pendentia, sint incerti dubiique eventus; & Deus in omni opere providentiæ suæ mirabilis sit; & Propheta Jesaias in *Pericopa Confirmatoria* hujus vaticinationis nos exerte moneat, prophetiam hanc exactissime impletum iri: addo hypothesin

Alterum; non esse nimis à litera recedendum ob incertitudinem futuri. Ratio ejus ex potentia Dei & veritate prophetiæ.

Alteram; in quærendo implemento hujus prophetiæ non esse nimis à *litera* recedendum. Potentia Dei nullis limitibus includitur. omnia potest quæ vult; vult autem, quæ decrevit, & ut decreta per Ministros suos vulgavit. Imo vero adeo non vult ut nos mortales de veracitate & potentia ejus sinistrum quid suspicemur, ut prædicta, promissa, minas, supra cogitationem & exspectationem mortalium implere soleat. adeo ut v. gr. cum Propheta scripserit, *terram Edomi* conversum iri *in picem ardentem:* ante eventum nemo dixerit, quatenus Deo placiturum sit etiam *κατὰ γράμμα* huic prophetiæ præstare implementum. Cum enim Latium æque ac ei vicina Campania sit sulphurei soli, quod facile compares solo amœnissimæ illius & fertilissimæ planitiei tractus Jardenensis, in qua Sodoma & Gomorrha cum confinibus Urbibus olim in exemplum severitatis Divinæ igne cœlesti & subterraneo consumptæ, demersæ, & medio aquarum fluvii Jardenis hunc tractum perluentis in stagnum picis conversæ sunt: nemo dixerit, quodnam Fatum maneat Romam cum fluviis Tiberi atque Aniene, & torrentibus in eos influentibus: de quo quid præsumi possit, ad prophetiam *Apocalypsios* adscripsi. Id teneo, huic prophetiæ nostræ, si ad *Romam* pertineat & *Regionem* Italiæ *suburbicariam*, ut conjeci; (certe *Apocalyptica*, ad hanc nostram conformata, indubie illuc referenda est:) hactenus perfectum implementum non constitisse. Roma (& Italia maximam partem,) ab initiis Sæc. Christianismi quinti exerceri cœpit gravissimis Dei judiciis, calamitate una aliam premente. Direpta, spoliata, magnam partem diruta, & his illis locis incensa quoque est à Visegothis, Vandalis [a], Ostrogrothis [b]; dejecta de summa & gloria Imperii; pressa & arctata à Longobardis, novi in Italia Regni conditoribus [c]; & intus variis factionibus corrupta. Videbatur autem Imperium Carolinum, quod Paparum auctoritatem evexit, extincto Regno Longobardico [d], ei & Italiæ redditurum esse decus prosperitatemque; nec fefellisset eventus, si ejus fuisset successio certa & durabilis, Principum bonorum ac prudentium, Carolinæ virtutis æque ac terrarum hæredum. Sed illa deficiente, Romæ sub pessimæ notæ & indolis Pontificibus & impurarum Fœminarum Dominio tristissimus fuit aspectus [e]; Italia vero tracta in partes, ab æmulis Principibus, qui sibi successionem Carolinam vindicabant, bello inter se commissis, multis afflicta malis; interim quoque à Saracenis populata [f], cum perveniisset tandem in potestatem Regum Germanorum, (quorum primus Otto Imperatoris titulo rursus honestatus fuit [g]:) nec tamen facile se huic jugo submitteret, sed identidem concitaretur in rebellionem, gravissime ab iis puniri meruit; æque ac Roma, ubi Ottones coacti fuerunt inter varia exempla severitatis in factiosis edita vi auctoritatem suam sustinere. Sed Italia vere facta fuit theatrum Divinorum Judiciorum sub utroque Frederico, *primo* hujus nominis [h], & *secundo* [i], quando & bella à fortissimis hisce Imperatoribus ad tyrannidem Papalem comprimendam, & Italorum ac Romanorum rebellionem ac perfidiam vindicandam, cum rebellibus in Italia gesta; & factiones Gibellinorum & Guelphorum, in quas Roma & Italia tota scissa fuit, incredibili odio & partium studio in mutua viscera sævientes, Romam exhausserunt, & florentissimam terrarum plane vastarunt cum ingente effusione humani sanguinis & omnium miseriarum cumulo. Quid vero quod recentioribus temporibus [k] Roma sub regimine Papæ Clementis VII, ab exercitu Caroli V, Duce Borbonio rursus vi occupata, dispoliata, direpta, animadvertendo Dei judicio, (ex certa historicorum fide, variis prodigiis prænunciato,) indignissima ac miseranda quæque passa sit; nullam non experta calamitatem ac petulantiam bellicam, nisi quod tota inflammata atque in cineres redacta non fuerit: simili rursus funesto casui proxima sub filio Caroli, Philippo II, Pontificatum administrante Paulo IV; sed quem Divina Providentia avertit. His defuncta cladibus & calamitatibus Roma, subsistit tamen, eo quo olim fuit loco; licet incolarum numero & cultu, (quippe magnam partem non habitata,) antiquæ dissimilis, in spiritualibus se ægre sustineat apud Populos superstitioni ejus adhuc adhærentes. Consenuit enim jam, & superstitio olim cæca Gentium veneratione supra modum celebrata, exolevit. Verum etiam est, terras illas Italiæ quæ Papale Dominium faciunt, ita esse exhaustas tam cultorum raritate quam paupertate, (scilicet ob clarissimas & vulgo satis notas rationes,) ut parum differant à solitudine, & Regiminis tyrannidem Rectorumque avaritiam & rapacitatem satis prodant. Sic enim Itinerarores [l] uno ore narrant. Nec tamen id quale est, æquat emphasin hujus prophetiæ. Non urgemus illud quod ex aliorum calamitate & miseriis delectationem capiamus, quem pessimum animi affectum ab indole nostra alienissimum Deus ut vitium detestabile à nobis avertat: sed quod interpretationis fides id à nobis exigat. Per nos salva sit Roma, si per Divinam gloriam & Justitiam ejus liceat. Licebit autem si resipiscat. Sed quomodo resipiscet, certa non resipiscere licet erroris clarissime convicta; imo nequidem ad clamores omnium Gentium in erroribus notoriis quicquam remittere solita, ne in aliis quoque errasse videatur, si deprehensa fuerit in errore qualicunque. Certe Deus *dedit Izabeli tempus resipiscendi à fornicatione sua; sed non resipuit.* Dictum Domini [m]: *Ecce ego abjiciam eam in lectum, & eos qui adulterium cum ea committunt, in afflictionem maximam, nisi resipuerint ab operibus suis; & liberos ejus occidam morte.* Ergo secundum versiculos inventos in cubiculo Gregorii IX Papæ apud Matthæum Parisium [n]:

ROMA *diu titubans, variis erroribus acta,*
Totius Mundi desinet esse caput.

Vidit jam Scipio, licet minime Propheta, illachrymatus ruinæ Carthaginis, cui sive volenti sive imprudenti hoc carmen illo tempore excidit:

Ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμελίω Πριάμοιο·
Famque dies aderit quo concidat Ilion ingens,
Et Priamus, Priamique ruat Plebs armipotentis.

Meditabatur ROMAM. Sic ex Polybio Ælianus [o]: Præludii & ominis vicem sustinere possunt *Ignes Neroniani*, quibus terribili incendio *novem dierum*, (ut habet Monumentum Vetus,) arsit, & magnam partem consumpta fuit. Notum ex Tacito [p], & Scriptoribus Romanis.

Aspectus Romæ & Italiæ hoc tempore.

Quid de ea in futurum exspectandum sit juxta prophetias.

Aspectus Imperii Caroli M. & seqq. temporum.

Et Cæsarum Germanorum.

Speciatim utriusque Friderici.

β. *Confirmatio Sententiæ Judicialis in Edomum:* Pars altera prophetiæ specialis hujus Sectionis.

℣. 16. *Quærite* A SUMMO LIBRI JEHOVÆ *& legite. unum horum non deficit. unum non desiderat alterum: quia os Jehovæ præcepit, &* SPIRITUS EJUS *ipse eas* CONGREGABIT. ℣. 17. *Et ipse sortem iis jecit, & manus*

Sententiæ Judicialis Confirmatio. ℣. 16. 17.

---

a Sæc. v. *b* Sæc. vi. *c* Sæc. vi. vii. viii. *d* Sæc. viii. *e* Sæc. x. *f* Sæc. ix. & x. *g* Sæc. x. *h* Sæc. xii. *i* Sæc. xiii. & seqq. *k* Sæc. xvi. *l* Vide inter alios Hist. *Itinerar.* Pl. Rev. D. Burneti. *m* Apoc. ii. 21. 22. *n* In *Heinr.* III. p. 475. *o* De *Bel. Pun.* p. 136. *p* *Annal.* Lib. xii. Cap. xxxviii. xxxix.

manus ejus eam ipsis divisit per lineam: in æternum eam possidebunt; in quamque ætatem eam inhabitabunt.] Pericopa complectitur superioris sententiæ Confirmationem. Cum enim non pauci essent hypocritæ qui asseverationes Prophetarum dubio animo admittebant; & pii etiam subinde ad prædictionum gravitatem ac magnificentiam stuperent: necesse habebant illi identidem provocare ad implementum, vel certam persuasionem suam de futuro implemento quovis modo iis declarare. quo tendit Exhortatio hujus loci. Scena orationis sic est constructa acsi prophetia jam impleta esset. quando Vates supponens, prophetiam tempore implementi adhuc superfuturam esse: omnes incertæ fidei homines invitat ad inspiciendam prophetiam secundum omnes partes suas, eamque cum implemento conferendam. Et hæc quidem summa pericopæ hactenus facilis est perceptu: sed si quis se ad eam propius admoveat, videt, eandem se gemina ostentare fronte. potest enim diverse accipi, ut faciunt Interpretes.

Sunt qui per *Librum Jehovæ* solummodo intelligunt ipsam hanc prophetiam Jesaiæ editam adversus Idumæos; quam prophetiam ubi legi vult Propheta & cum implemento conferri, ad id ipsum attendi & animum adverti velle, num *impurarum* illarum avium & *animantium* quas dixerat insessuras esse Idumæam vastatam, *ulla desideretur*. Deum enim eas certo *convocaturum* esse, & terram hanc possidendam iis *divisurum*, secundum id quod dicitur v. 17. Grotius: *Ubi tempus illud advenit, tum in manus sumite Volumen prophetiarum & hoc caput legite.* Kimchius: *Scrutamini & legite in* LIBRO JEHOVÆ: והוא הספר הזה וקראו החיות והעופות הנזכרות בצורת הפרשה *Est autem ipse hic Liber: & legite animantes & aves in ipsa hac Pericopa memoratas.* Pariter Sanctius.

Alii qui plus mysterii in his verbis quærunt, per *Librum Jehovæ* hic existimant designari *Libros Mosaicos:* Prophetam autem illos Libros hoc scopo legi velle, ut ex iis cognoscant pii, jam ab antiquissimis temporibus Deum per sanctos Viros prædixisse fata *Idumæorum* & *Judicium Dei* suo tempore in eos exequendum. alludi autem hic præcipue ad duo loca Gen. xxv. 23. & Num. xxiv. 18. quam sententiam adoptavit quoque & alibi *a* expositi Cl. Altingius. Et de *Libro Jehovæ*, sunt etiam qui latius accipiunt, & quicquid apud cæteros Prophetas & in Psalmis adversus *Idumæos* editum est, illuc referunt. Pater Kimchius ipse quoque intelligit Volumen Mosaicorum Librorum: sed alio sensu interpretatur. Existimat enim, hic respici Textum Legum Mosaicarum de *Animantibus puris* & *impuris* qui extat Lev. xi. 1. velle autem dicere Prophetam, impurarum illarum animantium quæ ibi recensentur, nullam desideratum iri *A*. Jarchius Librum GENESIOS designari vult & in eo historiam *Diluvii*, ubi ad jussum & decretum Dei omnium animantium species conveniisse dicuntur in arcam, ut nulla desiderata fuerit: quod idem hoc tempore futurum esset, ut decretum & jussus Dei eundem sortiretur effectum. Quid quod Aben-Ezra intelligat *Decreta Dei* veluti *digito ejus* in cœlis scripta.

Hinc ordiri placet in investiganda vera sententia phrasios *Libri Jehovæ. Decreta Jehovæ* omnino, stylo Scripturæ S. recte dicuntur *Liber Jehovæ:* sed ea significatio non convenit huic loco. *Decreta* enim *Dei* non sunt objectum nostræ *inquisitionis* & *scrutinii*, nisi quatenus nobis revelata sunt. Multo adhuc minus à nobis *legi* possunt. Altera mea hypothesis est, per *Librum Jehovæ* omnino hic videri intelligi debere *Volumen prophetiarum*; & quidem primo loco ipsum Volumen prophetiarum *Jesaiæ*; neque adeo videri hic directe respici *Libros Mosaicos*. Rationes sententiæ has habeo. *a*. Liber cujus hic mentio fit, est *Propheticus*, ut patet ex argumento hujus loci. Mosaicus autem secundum præcipuum argumentum suum est *Historicus* vel *Legalis*. Sane quidem non nego, Libros Mosis tempore Jesaiæ jam fuisse collectos in eam formam quam nunc præferunt, & fuisse in manibus doctorum piorumque hominum. Vates enim noster ipse ad historiam ejus ut eam nunc scriptam habemus, non uno loco alludit, ut Cap. xxiv. 18. liv. 9. lxiii. 12. 13. ne nunc alia, & inprimis Odas Davidicas, huc adferam. Non eam quoque inficias, illos Libros posse appellari *Librum Jehovæ*; neque id nunc disputabo. Verum respectu præcipui argumenti sui habiti appellatique sunt *Legales*, veluti *Lex Mosis b*, *Liber Mosis c*. Sume tibi exemplum antiquissimi usus ex Jos. xxiii. 6. ubi exerte: כפר תורת משה LIBER LEGIS MOSIS. etsi interea nemo neget, illis Libris contineri quoque prophetias; quas ego generaliore sensu hujus loci excludere nolim. Quæro nunc de primo sensu Prophetæ. β. Per *Librum Jehovæ* intelligitur *Liber* aliquis *Propheticus* in quo *singularia* eventa & accidentia vastandæ Idumææ sive proprie sive mystice sic dictæ omnia perscripta erant. Exhortatio enim Prophetæ eo tendit, ut *singularia* illa *accidentia* cum ipsa prophetia compararentur. Huc sane pertinet quod dicitur: *unum* HORUM *non defecit.* UNUM *non desideravit* ALTERUM. Sed in prophetiis quæ apud Mosen extant de *Edomo*, in genere tantum *Fatum Edomi* cum respectu ad *Jacobidas* prædicitur: specialia attributa, hic consignata, non extant. Rectius hic cogitaretur de prophetiis Joëlis, Cap. iii. 19. & Amosi, Cap. i. ii. si illæ jam hoc tempore collectæ in *Volumen* fuerint in manu Discipulorum Jesaiæ: quod ut non ausim negare, sic nec fidenter affirmare. Reliquæ prophetiæ de *Edomo* sunt posteriores; perinde ac Ode cxxxvii. 7. composita tempore Exilii Babylonici. γ. Jesaias noster prophetias suas speciatim nomine LIBRI insignit, ut Cap. xxix. 18. *Et audient illo die surdi verba* LIBRI. Jam sane negari nequit, *Librum Jesaiæ* ut complexum prædictiones à Deo ipso inspiratas in summa emphasi appellari posse *Librum Jehovæ*, h. e. elliptice *Librum Verborum Jehovæ*. Id enim ubique per omnes Conciones suas inculcat, non esse hæc *sua* sed *Dei verba*; sive, *Deum* ipsum *loquutum esse*, Cap. i. 2. 10. xxiv. 3. xxviii. 14. Objicit nobis Vir Doctus *c*, *Jesaiam cum hæc vaticinaretur, nondum scripsisse*; ac proinde Volumen prophetiarum, vel saltem hanc prophetiam, ejus hic intelligi non posse. Respondeo, non esse dubitandum quin plures prophetiæ Jesaiæ jam fuerint scripto consignatæ & à Discipulis ejus collectæ quando hæc edita est: quod vero ad hanc nostram attinet, dubium mihi non esse quin ipso illo tempore quo edita est, dictata sit à Propheta vel ab ipso literis commissa: verum etiamsi id factum non esset, quod tamen omnino probabile est; sufficit plane in rem nostram, Vatem nostrum in schemate hujus orationis supponere, prophetiam hanc, illo tempore quo impleretur, dudum literis exaratam extituram esse: ad quod schema orationis, supra declaratum, hic attendendum est. Addit, *Prophetam non potuisse testimonium Libri sui verum probare, siquidem is de se ipso testaretur.* Atqui Propheta hic ad demonstrandam prophetiæ suæ veritatem non provocat ad alias prophetias, sed ad implementum prædictioni suæ responsurum. Sed ego neutiquam defugio generaliorem hujus sententiæ conspectum, quem mox exhibebo. Tantum in primum sensum verborum inquiro.

De priore parte interpretationis non esset ulla ratione dubitandum, si posterior eum exhiberet sensum quem plerique Intt. urgent, &, quod negari nequit, cum specie probabili. Propheta omnes veri amantes exhortatur ad *scrutandum & legendum Librum Jehovæ*,

Non negatur, Libros Mosis tempore Prophetæ jam fuisse digestos in eam formam quæ jam compareat.

Libri illi semper a *Mose* appellantur.

In Libris Mosis nulla habentur singularia de *Idumæis*, ad quæ hic alludatur.

Liber Propheticus Jesaiæ habet characteres hic expressos. quod evincitur.

Occurritur Objectioni adversus sententiam hanc illatæ.

Dubium in hac pericopa Prophetæ: an quod dicit, *unum horum non*

a Com. Homil. ad Rom. ix. 14. Op. Tom. iii. P. iii. p. 48.
b Mal. iv. 4. 2 Chron. xxv. 4. Ezr. vi. 18. *c* Cl. Alting.

A ואחיני אבי ז"ל פירש כפר ה' זה ספר תורת משה רבינו דרשו כל חיות ועופות הכתובות בפרשת ויהי ביום השמיני אשר מהן לא נחסרה

Dominus vero Pater meus b. m. interpretatur Librum hunc de Libro Legis Mosis Doctoris nostri, hoc sensu: Inquirite in omnes animantes & aves scriptas in Textu Legali, qui præfert titulum: Et factum est die octavo: (incipit Lev. ix. 1.) *una ex iis non deerit.*

Defuturum esse, restringendum sit ad *animalia infausta* Edomum vastandam occupatura?

ut cognoscant & intelligant, *unum horum*, (proprie, *unam ex his:*) *non defuisse*. Quæritur quid *illud* sit, quod Vates sciri vult, *non defuisse*. Tenent communiter & respondent, Prophetam hic intelligi velle *impuras* illas *animantes*, *infaustas aves*, *satyros*, de quibus in proxime superioribus loquutus erat. velle itaque, ut post implementum prophetiæ accurate observent, num quæ ferarum, inauspicatarum avium & immundarum animantium sit, quas dixerat hanc infessuras esse Regionem desolatam, quæ hic desideretur. Sententia ad speciem paradoxa; & cui tamen videtur favere contextus, qui ita cohæret: *una ex* ILLIS *non defecit: altera alteram non desideravit; quia os meum ipsum præcepit, & Spiritus ejus* EAS *congregavit, & ipse sorte* IIS *divisit, & manus ejus illam* IPSIS *per lineam divisit. usque in sæculum possidebunt eam: per omnem ætatem in ea habitabunt.* Non nego speciem: nec tamen mihi persuadere possum, id intendisse Prophetam. Sive enim verba secundum hanc hypothesin *literaliter* intelligantur; sive *mystice* de populis *barbaris* & *impuris* eam regionem infessuris: sensum fundunt incommodum. Quid enim? An id vult Propheta, ut lectores prophetiæ suæ catalogum faciant *impurarum avium* & *animantium* quæ insiderent Idumæam sive vere, sive mystice sic dictam, & accurate explorarent, num quæ illarum animantium in prophetia recensitarum *deficiat?* Atqui ut per se erat difficillimum, species omnium harum infaustarum ac terribilium animantium nosse, & cognitas in locis, desolatis cum speciebus suis conferre: sic dici nequit, quem fructum diligens explorator inde referret? Quorsum illa ἀκρίβεια *accuratio* in re nullius usus? Si enim satis constet, loca illa desolata vastataque esse, & impuris animantibus relicta: quid præterea juvat in species earum operose inquirere? Eadem difficultas manet, si verba *mystice* accipias. Si enim *impuræ aves* & *animantes* hic designent homines barbaros, immundos corde & lingua, tenebricolas, osores lucis, terribiles: quis species earum mysticas secundum prophetiam accurate teneat, & in implemento recognoscat? Ergo non absolvo me ab hac cogitatione, priora hujus pericopæ generalius accipienda esse de omnibus *prædictis* à Propheta, tum in aliis prophetiis suis, tum in hac ipsa consignatis. Ratio mihi hæc una & certa est, quia non est probabile, solam hanc prophetiam adversus *Edomum* editam appellari *Librum Jehovæ*. Quin si hic non ageretur nisi de *animantibus* Edomum infessuris: ne quidem tota hæc prophetia adversus Edomum appellaretur *Liber Jehovæ*, sed ea tantum prædictionis pars quæ *versibus quinque* proxime antecedentibus comprehenditur. quod à ratione alienum videtur. Separa itaque hic quæ alii conjungunt, ut disjuncta sunt in oratione, & verba: אחת מהנה לא־ נעדרה אשה רעותה לא פקדו verte, *Unum ex his non defecit: unum non desideravit alterum:* eaque generatim accipe de omnibus à Propheta prædictis, nullo excepto: quando oratio mox descendit ad singularia, hoc sensu: Non tantum, si prophetiam scrutatus cum implemento contuleris, deprehendes, nihil ejus quod prædictum est, desiderari; verum etiam ne in minimis quidem *circumstantiis* & *accidentibus* inter quæ est *impurarum avium* & *animantium* in ea loca congregatio, quicquam deesse implemento. Deus enim qui *loquutus est*, per *Spiritum suum*, omnia prædicta ex ordine consilii Divini implentem, providentiæ Divinæ directorem, curaturus est, ut prophetia ad extremas minutias implementum suum consequatur. Versio secundum genium Linguæ rectissime se habet. Cum enim Hebræi *genus neutrum* singularis terminationis non habeant: solent illud passim & propriissime per terminationem *Fœminini* exprimere. *Una non defecit*, valet, *unum non defecit*. Et hæc quidem quod ad generalem conspectum sententiæ attinet. Duo mihi agenda restant, primo, ut emphasin phrasios illustrem: deinde, ut sententiæ amplitudinem & vim declarem.

Species hujus sententiæ.

Quæ tamen variam involvit difficultatem.

Rectius statuitur, priora hujus pericopæ generalius accipienda esse de omnibus Prophetæ prædictis.

Ratio desumpta ex appellatione *Libri Jehovæ*.

Sensus integer orationis declaratur.

Terminatio *Fœminini* Hebræis pro ea *Neutrius* usurpatur.

Primum in phrasi occurrit, דרשו וקראו *Inquirite & legite*. In voce דרש ea emphasis est, ut notet cum diligentia & cura in rem inquirere eamque *scrutari*, ἐρευνᾶν, ἐξερευνᾶν, ἀνακρίνειν, & differt quodammodo à בקש, ζητεῖν, ἐπιζητεῖν, *quærere*, sc. *quod perditum est*. Utraque tamen adhibetur vero sensu; æque ac חקר similis potestatis, ubi agitur de *investigatione veritatis*, *sapientiæ*, aut *sensus verbi Dei* *a*. Notio & phrasis Prophetæ nos monet, Verbum sive Librum Jehovæ non tantum complecti res magni gravisque momenti & scitu utiles, verum etiam sapientiam arcanam & intellectualem à sensuali & carnali remotam: proinde ad ejus lectionem primo adferendam esse mentem veri cupidam, studiosam, attentam, de pretio & momento revelationis Divinæ probe persuasam. h. e. oculos apertos, simplices, perspicaces: deinde lectionem conjungendam esse cum debito studio, diligentia, patientia, & ἀναμένειν, ut si forte non contingat ad primum exercitationis tentamen penetrare in sensum Verborum Dei, novis iteratisque curis scrutando scisitandoque instemus, usque quo veritatem in profundo delitescentem instar thesauri occulti detexerimus eaque fuerimus potiti. Quos hujus operæ & laboris piget; qui Verba Dei & ipsius nostri Prophetæ sublimis tanti non faciunt: ne sibi creduli persuadeant, se sensa illorum assequuturos esse. Scriptura S. requirit lectores diligentes, patientes, & veri curiosos. Altera hic emphasis animadversu digna est in voce מעל quæ proprie valet *à summo*, & hic retinere potest genuinam suam significationem. Non scribit Propheta, דרשו בספר יהוה *Requirite diligenter in Libro Jehovæ*, ut Hieron. & Intt. alii passim: sed *requirite* A SUMMO *Libri Jehovæ*. Sic ad verbum. Vocula enim מעל pro more *adverbiorum Hebræorum* ad modum nominis flectitur, estque hic accipienda tanquam in *statu constructo*. A SUMMO itaque hic est *à summa linea*, *à capite*. metaphora desumpta à more scribendi apud Hebræos usitato, quo *scriptura* in *Voluminibus* à summo ad imum, h. e. à *capite* ad *calcem* sive *umbilicum* perducebatur. Non succurrit nunc, unde mihi animadversio hæserit, bonæ certe notæ, cujuscunque sit ingenii. Viden' itaque quomodo legi velit Propheta noster; quomodo legi velit Librum totum Jehovæ? Non sane ut quis indiligente & perfunctoria opera supinus hanc illam particulam Verbi Divini decerpat & à corpore suo avellat: sed ut argumento, scopo & nexui orationis attentus lectionem à summa linea instituat & ad finem usque persequatur. Nihil enim esse in Verbo Dei non lectu dignum. inferiora à superioribus pendere & ex iis explicanda esse. nihil non cohærere. frustra autem esse qui sensum orationis absque nexu ejus se assequuturum speret. Eja piger vide quid agas, ubi te ad lectionem Scripturæ S. applicas. Proximum huic est observatum tertium, quod latet in verbis, *Unum ex his non deficiet*, vel *defecit: unum non desiderat* sive *desideravit alterum.* proprie. *socia non desiderat sociam*; quod alibi recte verti; *cognata se mutuo non* DESIDERANT. quam significationem vox מקר hic necessario requirit, & alibi quoque obtinet *b*. Vis sententiæ est, inter omnes partes Consilii Divini, atque adeo inter partes Revelationis ejus, ac proinde inter eventa & partes implementi, intercedere συνάφειαν, *connexionem* & *conjunctionem* arctissimam. Eventa omnia Mundi, Consilio Divino & Prophetiis respondentia, spectari debere ut socia, sororia & cognata. Unum supponere alterum: unum respicere alterum: unum ab altero pendere: unum alterius caussa fieri: ut posito antecedenti sequatur consequens; posito uno ponantur omnia. Spectant se mutuo adversis frontibus, & prædicant simul infinitam sapientiam Conditoris & Rectoris hujus Universi. Additur, de quo *quarto* monendum est: *quia os* MEUM *ipsum præcepit, & Spiritus* EJUS *eas congregavit*. Duo sunt in his verbis quæ veri studiosum morantur. Primum est, enallage personarum ut videtur,

Phrasis Prophetæ exponitur, ex ℣. 16.

Usus vocis דרש in h. l.

Applicatur ad sententiam Vatis.

Qualem affectum & quale studium requirat in lectore Verbi Propheticī?

Altera emphasis sententiæ, quæ hic latet in voce מעל *à summo*. quæ versio hic adscribitur.

Phrasis declaratur, & res ipsa.

Tertium observatum ad verba: *Unum ex his non deficiet*

Vis sententiæ producitur.

Verba: MEUM *ipse præcepit, Spiritus* EJ. &c.

a Prov. II. 4. Ps. CXIX. 45. Joan. V. 39. VII. 5. Act. XVII. 11. *b* 1 Sam. XXV. 15. &c.

tur, duriuſcula hujus ſententiæ, quod cum ex oratione Deo aptata dictum eſſet, *Os* MEUM *ipſum illud præcepit*; ſtatim ſequatur, *Spiritus* EJUS *congregavit eas*. Si exigua variatione unius literæ ſcriptum eſſet, פי *Os* EJUS, pro מי *Os* MEUM, vel רוחי *Spiritus* MEUS pro רוחו *Spiritus* EJUS: nihil anomali eſſet in oratione. Hieronymus obſervans incommodum, cum præſtare vellet orationis analogiam, vertit verba: *quia quod ex ore meo procedit, ipſe mandavit.* proprie. *Os meum ipſe mandavit.* quod laudat Forerius, & ſequitur Grotius, abſque ulla probabili ſpecie. Hebræi Intt. [a] aliter expediunt. Reddunt verba, *quia os meum præcepit, & Spiritus ejus* ſc. oris, *ea congregavit.* quod ipſum quoque durius eſt. Equidem in enallage perſonarum *primæ & tertiæ* difficultas nulla reſidet, cum ubique in hoc Libro & Propheticis aliis occurrat. Difficultas in eo hæret, quod ſententia hæc tota ſit Prophetæ, cui convenit oratio, *Requirite in Libro Jehovæ*; & cujus perſonæ tamen non convenit illud; *Os* MEUM *præcepit*. Cogitavi, fateor, fieri poſſe, ut ſcriptum fuerit per compendium: פי יי *Os* JEHOVÆ *præcepit*: more ſcribendi noſtri Prophetæ [b]; & poſterius ' ob concurſum prioris exciderit: ſed non opus eſt eo venire. Subeſt phraſi ellipſis, Integra ſententia eſt, *quia os meum*, inquit Jehova, *præcepit*; *& Spiritus* EJUS (ſunt rurſus verba Prophetæ qui enallagen hanc elegantiæ cauſſa affectat,) *ea congregavit.* Alterum in his verbis dubium eſt, quo commodo ſenſu *congregatio immundarum animantium* Spiritui Dei tribui queat? Reſpondeo hic abſque hæſitatione, omnem *motum* qui ſubſervit exequutioni Providentiæ Divinæ, æque ac *motum* per quem univerſum hoc in ordinem redactum eſt, ſecundum Oeconomicas Divinæ Naturæ rationes, in Scriptis Prophetarum referri ad *Spiritum Dei*, ſummam omnis motus cauſſam. Confer ex Propheta noſtro Cap. XL. 13. LIX. 19. Zach. IV. 6. Pſ. CIV. 30. Quinto denique, quod additur, ỳſ. 17. *Et ipſe cadere iis fecit ſortem, & manus ejus eam ipſis divijit ad lineam:* metaphora deſumpta eſt ab hæreditatibus quæ inter æqui juris hæredes ſorte dividebantur, æquatis partibus agri per *lineam menſoriam* quæ hic קו dicitur: alibi *funis* ſive *funiculus* [c]; vel, פתיל משחים *funiculus lineus* [d]. Exemplum eſt notiſſimum in diviſione terræ Canaanææ inter reſiduas tribus apud Joſuam [e]. Vox חלק *dividere, partiri*, hic eandem obtinet notationem quam apud Latinos Veteres *erciſcere*. Impuræ itaque animantes ex Dei voluntate, hoc eſt, ſecundum Leges providentiæ ejus, *cernerent* hæreditatem terræ olim optimæ ac florentiſſimæ.

Abſolvi quæ ad phraſin Prophetæ obſervatu neceſſaria erant: nec tamen hactenus demonſtravi ſententiæ uſum & amplitudinem. Si forte Propheta per *Librum Jehovæ* hic primo ſenſu intelligi velit Volumen prophetiarum ſuarum, ut conjeci: cave tamen ſententiam hujus loci intra hoc ſubjectum, etiam ex ejus mente, reſtringas. *Similium* enim, & quidem nulla parte *diſſimilium*, *eadem ſunt attributa.* Licet itaque nobis quod ipſe de *Volumine prophetiarum ſuarum* primo ſenſu dixit, ſummo jure & ratione transferre ad omnia *prædicta*, & in his ad *promiſſa* & *minas*, per modum prædictionis abſolute enunciata: videlicet, *omne Verbum* quod bona fide à Jehova dictum eſſe conſtat, *exacte* ad extremas minutias implendum eſſe, ita ut implemento perfecto nihil omnino deſit: quod Vates noſter ubique inculcat. Sententia eſt gravis & veriſſima, baſis fidei & ſpei, & unicum fundamentum conſolationis, graviſſimis nixa rationibus. *Os* enim *Jehovæ* non poteſt *falſum loqui*; & *Spiritui Jehovæ* non deeſt *potentia* ac providentia in dictis oris Jehovæ efficiendis ac repræſentandis. Quod ipſum ſupponit, prophetias continere declarationes *Decretorum* Dei *abſolutorum*. Si enim Decreta Divina, prophetiis declarata, ſuſpenſa eſſent à conditione: dubium eſſet earum implementum atque adeo deſinerent eſſe fundamentum fidei & ſpei. contra ea Scriptores N. T. ubique ſupponunt, docent, urgent; prophetias eſſe baſin fidei ac Religionis & ex earum implemento de veritate & certitudine Religionis judicandum eſſe. implementum autem hic requiri non qualecunque, ſed exactum, completum, cui nihil deſit. Sic Dominus [f]: *Oportet* IMPLERI πάντα τὰ γεγραμμένα OMNIA *quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, & Prophetis & Pſalmis de me.* Imo vero non *fieri* tantum, ſed πληρωθῆναι IMPLERI, perfecte atque exacte ſiſti. Rurſus in prophetia de Deſolatione Hieroſolymorum [g]: τῦ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα, *ut impleantur* OMNIA *quæ ſcripta ſunt.* OMNIA, inquam. minimorum enim ac maximorum hic eadem ratio eſt. Cum enim implementum prophetiarum fundatum ſit in *veracitate & potentia* Divina: virtutum harum Divinarum idem reſpectus eſt ad minima qui ad maxima. Et ſane ad *prophetias* æque pertinet ac ad *Legem*, quod Os veri ait [h]: *Uſque dum præterierit cœlum & terra,* JOTA *unum aut* CORNICULA UNA (κεραία, רא ſive קוץ *apicula* ſurſum elevata & cornuta, in elegantiore Scriptura Hebræa,) *nequaquam præterierit ex* LEGE (ſc. Scriptura tota. loquitur enim de *Lege & Prophetis*, ut patet ex ỳſ. 17.) ἕως ἂ πάντα γένηται· *uſque quo* OMNIA *facta fuerint.* h. e. promiſſa & prædicta à parte Dei: præcepta & Leges, à parte hominis. Senſus eſt, Verbo Dei ad extremas minutias conſtare debere veritatem; atque adeo Verbum Propheticum requirere implementum *liberale*; non parcum ac ſterile, quod Interpretes aliqui ei aptant. Conſentient pii & veri amantes in hac hypotheſi: nec tamen eos dimitto. habeo enim quod eos, certe imperitiores, moneam, ne offendant; eſtque admonitio plane neceſſaria.

Primum eſt, perfecta implementa prophetiarum quæri debere per gradus in eventis analogis uſque quo tandem deveniatur ad implementum extremum quod ſuperioribus præſtat complementum: videlicet, *implementa inchoata* per varios temporum articulos decurrentia, probe diſtinguenda eſſe à *completis* quæ ſuperiora implementa conſummant & perficiunt, Sic v. gr. prophetiis antiquis de *Deſolatione Hieroſolymæ*, non eſt ſatisfactum ante Titum: imo ne per Titum quidem ſatisfactum eſt prophetiis Domini Jeſu. Exſpectandus erat Hadrianus qui iis ad extremas minutias præſtaret implementum. Quare quotiens nobis contingit alicujus Vaticinii videre implementum *aliquale*: abſit in eo acquieſcamus. Cogitemus ſemper, ſequuturum eſſe implementum perfectius, imo vero perfectiſſimum cui ad extremas minutias nihil deſit. Id poſtulat veritas Dei & fides noſtra. Implementa perfecta non ſunt ſupra potentiam Divinam: potentia autem Divina æquat ejus veritatem.

Alterum hic obſervandum, *Implementa* plane perfecta, *completa*, exuberantia, prophetiarum de *Eventis corporalibus*, quærenda eſſe in *ſpiritualibus analogis*. Legis prophetias de Babylone, Tyro, & Ægypto quoque apud Ezechielem; apud Zachariam de Hieroſolyma glorioſe inſtauranda, munienda, liberanda per Maccabæos: vides, Prophetas ſacros dum in eo ſunt vehementer affectos altiſone, & ſubinde, ut videtur, hyperbolice loqui, ut non tantum quæ prophetant contra exſpectationem, ſed & ſupra fidem videantur: cogita jam, nec fallet cogitatio; prophetias illas altiſonas myſticum involvere ſenſum, & quæ videri queant hyperbolice dicta eſſe, eorum implementum quærendum eſſe in *ſpiritualibus* antitypicis & analogis. Spiritualia autem ut præſtantiora ſunt corporalibus: ſic implementa corporalia à ſpiritualibus plane abſorbentur. Certe Apoſtoli & Evangeliſtæ ob hanc ipſam rationem implementorum corporalium fere nullam rationem habent: reſpiciunt ſpiritualia ut præſtantiora & extantiora. quorum morem & agendi rationem nobis licet modeſte imitari. Non promam nunc alia exempla quam

Enallage perſonarum in h. l. ut videtur, dubior.

An pro פי ſic legere liceat פיו? Obſervatum Hieronymi, & aliorum. Intt. Hebræorum.

Qua in re hic præcipue ita ſit difficultas?

Cogitatio uberior de hoc loco.

Commodiſſime abſque ulla mutatione exponitur per ellipſin.

Alterum dubium: Quo ſenſu congregatio animum impurarum Spiritui tribui queat? Dubium expeditur.

Phraſis ỳſ. 17. *Ipſe cadere iis fecit ſortem, & diviſit ad lineam.*

Mos Veterum in dividendis agris.

Illuſtratur ex analogia.

Dictum Domini Matth. v. 18. Quid ibi κεραία?

Prophetiarum implementa quomodo quæri debeant?

Sæpe implementum conſequuntur per gradus.

Exemplum in prophetiis editis de Deſolatione Hieroſolymæ.

Latior & amplior ſenſus hoc dicto involutus.

Omnia prædicta Prophetarum exacte implenda ſunt.

Implementa perfecta promiſſorum Beneficiorum corporalium quærenda ſunt in ſpiritualibus analogis. Exempla ejus.

Admonitio de ſtylo Prophetarum.

Ratio ex hoc loco deprompta.

Prophetiæ explicant *Decreta* Dei *abſoluta*.

Modus quo Apoſtoli tractant prophetias V. T.

[a] Aben-Ezr. Kimch. [b] Cap. I. 20. XL. 5. LVIII. 14. [c] Pſ. XVI. 6. [d] Ezech. XL. 3. [e] Joſ. XVIII. 5. [f] Luc. XXIV. 44. [g] Luc. XXI. 22. [h] Matth. V. 18.

Rationes desumptæ ex ipsa hac prophetia, quæ doceant, respiciendum esse implementum spirituale.

quam ex hac ipsa prophetia. Primo quidem, si res ita se omnino haberet, ut Propheta primo sensu respexisset ipsum Populum Idumæum ejusque terras: (licet id mihi minus probabile videatur ob rationes supra productas:) tanta tamen vis & emphasis est orationis & scena prophetiæ tam magnifice & auguste instructa, ut plane certi & persuasi simus, sub emblemate hoc corporali illum aliud mystice spectari voluisse altius & sublimius in quo hæc ipsa de Edomo prædicta verius & perfectius impleri debebant. Rursus, in ipsa hac prophetia quod refertur de *animantibus impuris Desertícolis & noctivagis omnis speciei* quibus vastata desolataque terra ercisceretur hæreditas: presse nimis dicta videntur quam ut in *animantibus solis* hic subsisteremus. possunt enim esse figuræ hominum osorum veritatis, corrupti sensus, terribilium, à communione Dei & Ecclesiæ secluforum, in erroribus & vitiis suis obduratorum, à spiritibus malis obsessorum & agitatorum, quibus hæc terra veluti in terrestrem infernum conversa, in exemplum Divinæ severitatis, æternum relinqueretur, ut proinde idem sit quod Ezechiel exerte in describenda Canaanæa ut typo hæreditatis Gentium [a]: COENOSA ILLIUS *& paludes ejus* (respicitur ad Mare Sodomæum,) NON SANABUNTUR: *sali data sunt.* Quod ego nunc in genere monuisse contentus, plura non addo, ne incerta & dubia certis, & liquida obscuris, ante eventum difficulter definiendis, permisceam. Certe officii nostri est, de quo in hoc loco monemur, non *legere* tantum Verbum Propheticum, sed & *scrutari*, debita adhibita prudentia, diligentia, exercitatione; idque dum agimus, ad verba omnia & circumstantias accurate attendere, & singula rite expendere. potest enim in Oraculis esse quid quod cum minutum videatur, *non animadversum* vel *prætermissum* magni erroris ansam præbeat. Agnoverunt quoque Gentiles, idque disputat Macrobius [b], cujus in eo terminatur oratio: *posse quoquo modo deprehendi veritatem,* MODO DILIGENS ADSIT SCRUTATOR.

Animadversio in animantes impuras, hic memoratas. Spiritualis hujus Emblematis aspectus.

Officium commune studiosorum Veritatis ex hoc loco commendatum.

Partis Tertiæ Libri Prophetiarum JESAIÆ.

SERMONIS TERTII,

Sectio Altera,

Enarrans Jubilum Ecclesiæ ob destructam vastatamque Edomum mysticam, ejusque Judicii Divini læta ac glorioſa consequentia; inter quæ sunt nova vita, vigor, statusque Ecclesiæ refloreſcens; splendor, & incrementum ejus notabile per Gentes & Populos diffundendæ; lux clarioris notitiæ viarum Dei; alacritas Populi Dei in obeundis muniis vitæ spiritualis; sanctimonia, puritas; disciplina ad Legem Regni Dei exacta castigataque; & denique status hujus adversus publicam persecutionem & afflictionem Dei providentia muniendi securitas cum lætitia & gaudio sempiterno conjungenda.

CAPUT XXXV.

Textus Cap. xxxv.

1. LÆtabitur Desertum & aridum; & gaudebit solitudo; & florebit tanquam rosa.

2. Omnino valde florebit & exsultabit; etiam exultatione & jubilo: gloria Libani data est ei: decus eximium Carmeli & Saronis. Ipsi videbunt gloriam Jehovæ; decus reverendum Dei nostri.

3. Firmate manus remissas, & genua labantia roborate.

4. Dicite festinis corde, Confortamini, ne timete: Ecce Deus vester! Ultio veniet, retributio Dei. Ipse veniet, & salvabit vos.

5. Tum aperientur oculi cæcorum; & aures surdorum late patebunt.

6. Tum saliet claudus tanquam cervus, & lingua muti jubilabit: quippe prorumpent in Deserto aquæ, & torrentes in solitudine.

7. Eritque æstuosa in stagnum, & siticulosa in scaturigines aquarum: in caula Draconum *loco quo* recubare solebant, late excrescet calamus & juncus.

8. Et agger ibi erit ac via, quæ via sancta appellabitur. Immundus ea non incedet: sed ipsorum erit. Iter facere solitus, ne stulti quidem, deerrabunt.

9. Non erit ibi leo, nec violenta fera ulla eam ascendet. Et ibunt asserti,

10. Et redempti Jehovæ revertentur & venient Tsionem cum jubilo; & lætitia æterna erit super capita eorum. Gaudium & lætitia *eos* assequentur; mœror autem & gemitus fugient.

Argumentum & *Analysis* hujus *Sectionis.*

Argumentum hujus Sectionis.

QUanti momenti esset Destructio Populi Edomæi superiore *Sectione* descripta, colligi potest ex lætis consequentibus illius Judicii Divini quæ hac *Sectione* enarrantur, cujus vere jucunda est contemplatio. Vates enim noster stylum suum ubique sic moderatur, ut illi etiam qui eum non intelligunt, lectione ejus delectentur & se affici sentiant. Oratio hac methodo procedit. Vir Divinus primo generalem conspectum exhibet læti, florentis & glorioſi Status quo Ecclesia se post vindictam à Deo de *Edomo* sumptam ostentaret: figuram mutuatus à Deserto sterili, sitibundo, languente, quod aqua pluvia copiose irrigatum, aut fontibus à terra erumpentibus humectum, faciem subito mutat; in arvum & pascuum floridum convertitur; arbores alit læta fronde & culmine conspicuas, & instar Paradisi oculos magna pascit delectatione [c]. Mox ipse orationem suam vertit ad fideles Ministros Dei & Ecclesiæ, eosque exhortatur, ut ex spe certa hujus beneficii concepta, dum salus ante fores est, mœstos, afflictos, fatiscentes in Populo Dei qui jam fere desponderant animum, valide consolentur, & Deum Vindicem Ecclesiæ præsentem ostendentes, animos illorum erigant, ad fidem, alacritatem & vigorem, ut *firment manus remissas & laban-*

[a] Cap. XLVII. 11. [b] In *Somn. Scip.* Lib. I. Cap. VII. [c] *vs.* 1. 2.

bantia genua sustineant [a]. Inde frena laxat orationi, & ordine enarrat ac recenset insignes prærogativas hujus Status Ecclesiæ florentis ac glorioſi, ut sunt [b]; illuminatio Spiritus S. ad clariorem & uberiorem notitiam viarum Dei; alacritas in obeundis muniis vitæ spiritualis; copia gratiæ Divinæ diffusa per homines omnium ordinum; incrementum Regni Dei in locis olim superstitioni & idololatriæ dicatis; puritas vitæ; sanctitas & castimonia morum per exactam disciplinam conservanda fovendaque; & denique status illius securitas conjungenda cum ubere mensura lætitiæ & consolationis. En excellentem materiam non tantum consolationis, verum etiam doctrinæ & institutionis! Vates enim hic exhibet canonem Ecclesiæ perfectæ; quam ut nos jubet sperare, sic simul proponit ut canonem ad quem statum nostrum exigamus, & vitia nostra emendemus. Non est itaque opus moneam *Argumentum* esse generis *Consolatorii*, quod per totam *Sectionem* regnat, & *Didactici* eo subnixi.

Analysis ejus.

II. De scena orationis nihil habeo quod moneam præter id quod ex *Argumento* ejus à me recensito colligi potest: ex quo ipso *Analysis* à quolibet facile instruitur.

Sectio est tripertita. Partes sunt

α. PROPOSITIO Prophetæ de *Consolatione* quam Ecclesia perciperet ex *Judicio Edomi*, & de floridissimo ejus *Statu* post hoc tempus, ac *Divina* apud eam *præsentia*, ℣. 1. 2.

β. EXHORTATIO directa ad fidos Ministros Ecclesiæ, ut infirmos, languidos, afflictos Populi Dei, ex certa spe hujus Beneficii consolarentur, ℣. 3. 4.

γ. ENARRATIO prærogativarum Status Ecclesiæ hujus temporis: cujusmodi sunt,

(a) Major gratia *illuminationis* Sp. S. ad clariorem notitiam viarum Dei, ℣. 5.

(b) *Alacritas* in obeundis muniis spiritualibus, ℣. 6.

(c) *Diffusio* Gratiæ Divinæ per homines omnis ordinis, & loca Orbis olim subjecta Satanæ, ℣. 6. *med.* 7.

(d) *Puritas* & sanctimonia Ecclesiæ, eamque conservans *casta disciplina*, ℣. 8.

(e) Conservatio Populi Dei in Statu *Pacis* & *Securitatis* adversus tentationes Satanæ, aut Persecutiones publicas, ℣. 9.

(f) *Unitas* Ecclesiæ, ejusque in hoc statu suo florente *Lætitia* ac *Consolatio*, ℣. 10.

Membrum primum hujus Sectionis: *Jubilum Ecclesiæ* ejusque *floridus Status* post Judicium Edomi, & Divina apud eam *præsentia*.

Membrum primum hujus Sectionis: Jubilum Ecclesiæ, ejusque floridus Status post subversam Edomum.

℣. 1. *Lætabitur* DESERTUM & ARIDUM; *& gaudebit solitudo; & florebit tanquam rosa.* ℣. 2. *Omnino valde florebit, & gaudebit; etiam exultatione & jubilo. Gloria Libani data est ei: decus eximium Carmeli & Saronis. Ipsi videbunt gloriam Jehovæ: decus reverendum Dei nostri.*] Sectionem hanc partem facere prophetiæ de Edomo, non est dubitandum: non hanc præcipue ob rationem quod cum ea absque præscripto titulo cohæreat; neque etiam, quod vox שושון *gaudebunt* PROPTER EA, ℣. 1. id suadeat: (ejus enim vocis est interpretatio dubia:) sed quod utriusque Sectionis argumenta secundum rei naturam & morem scribendi Prophetæ Populum Dei ex hostium ejus interitu ubique consolantis inter se cohærcant, eaque cohærentia clarissime pateſcat ex hujus Sectionis ℣. 4. *Ecce Deus vester ad* VINDICTAM EXERCENDAM *veniet, &c.* Vides argumentum ejus idque modo à me declaratum est. Læta, prospera, glorioſa quæque hic prædicantur de Statu Ecclesiæ post *Judicium* gravissimum pœnale Edomo inflictum. Quicquid ad consummationem & gloriam Ecclesiæ in hisce terris censeri potest pertinere; vera ejus forma & decus, Statusque ejus Paradisiacus, cœlesti proximus, hac imagine pingitur.

Admonitio necessaria de cohærentia hujus Sectionis cum superiore.

In *contextu* Pericopæ *literali* nihil dubii est, nisi quod non satis certa sit genuina interpretatio vocis שושום quæ in fronte comparet: sed differentia exigua quæ sensum non turbat vel corrumpit. Sunt qui *literam* מ *finalem* volunt esse *paragogicam* pro ו causſa commodi & analogiæ enunciationis quia immediate sequitur vox incipiens à litera מ, מרבר, quando verba simpliciter vertenda sunt: *Gaudebunt* (exhilarabuntur,) *Desertum & aridum.* quod non est alienum ab elegantia Prophetæ. Aben-Ezra, hanc sententiam amplexus, profert exemplum vocis פריום pro פרין, ex Num. III. 49. ubi pariter ἀμέσως sequitur vox incipiens ab eadem litera מ. Alii מ *finale* vocis accipiunt tanquam *affixum*, ut ישושום sit pro ישושו בם vel ישושו עליהם *gaudebunt propter illa; lætabuntur de illis.* Sunt enim voces plures compositæ structuræ, in quibus *pronomen affixum* per *pronomen separatum* explicandum est: cujus generis multa exempla ex Kimchio adducit Buxtorfius [c]. Kimchius ipse id hic dubium relinquit; & merito sane, cum definiri nequeat. Prius tamen est simplicius: non ob rationem, ab Aben-Ezra adductam, quod vox cum *affixo* hic commodum sensum non fundat; verum quod Propheta, si vocem cum *affixo* construere voluisset, videtur usurus fuisse *singulari*, non *plurali* numero: estque analogia hæc enunciationis in Linguis fere omnibus, ut vetere Græca & Latina, recepti usus ad vitandam δυσφωνίαν. Sed sensus idem manet. *Lætitia* enim & *hilaritas* cum requirat causſam: causſa utique lætitiæ & instaurandi Ecclesiæ status peti nequit nisi ex *superioribus.*

Observata ad phrasin Prophetæ. Vox שושום quomodo h. l. accipienda? Aliorum sententiæ recensentur & dijudicantur.

Ad rem ipsam ut veniam: videt quisque hic introduci aliquod *subjectum* sub nominibus *Deserti, aridi, solitudinis*, cui varia vindicantur attributa, ut sunt, α. *Gaudium & lætitia* cum *jubilo & exultatione*, & quidem, ut ex nexu orationis liquet, ob *Judicium* quod Deus exequutus est in *Edomum.* β. Efflorescentia, vita, vigor, gratia, instar *rosæ.* γ. Decus, gloria, ad modum *Libani & Carmeli.* δ. Visio *gloriæ & decoris* Dei. Hic vero dubium non est, per *Desertum, solitudinem, aridum*, intelligi *subjectum* aliquod *rationale*; & quidem *Ecclesiam Dei*, *Populosque* & *Gentes* huc usque à Gratia & communione Dei alienas quæ *Ecclesiæ* accrescerent. Attributa enim & argumentum hujus orationis hoc & nullum aliud subjectum ferunt. Ecquæ vero, & cujus temporis Ecclesia illa est status optati & glorioſi, quæ post judicium *Edomi* hic pingitur? Nostra quidem hic certa est sententia, intelligi Ecclesiam superfuturam Judicio *Edomi*, mystice sic dicti, sive ut jam formatam, sive etiam formandam ex Gentibus & Populis huc usque alienis à communione Divina: à qua hypothesi qui discedunt, se non facile expediunt. quod operæ pretium est ostendere, vel ostensum repetere & rursus inculcare, antequam expositionem ipsam aggrediar, quia superior hypothesis nostra inde valide adstruitur. Primo cogitari potest, describi his verbis florentem sive refloreſcentem statum Ecclesiæ Judææ sub Hiskia Rege, postquam Deus exequutus esset Judicium in Idumæos, & quidem, ut Grotius statuit, per *Æthiopes.* Verba Viri illustris [d]: *Dum hæc Dei judicia in Idumæam exercebuntur, Judæa interim quæ Deserta fuerat, coletur tuto & refloreſcet sub Rege Hiskia.* R. Mose Haccohen affini sententia intelligit *Hierosolymam ereptam* à Deo fau-

Sensus orationis investigatur. Subjectum ejus est Desertum & Solitudo: quæ mystice accipienda.

Attributa ejus conveniunt Ecclesiæ ex statu afflicto in meliorem mutandæ, cum Populis qui ei accrescerent.

Cujus temporis sit Ecclesia quæ hic designetur?

An Ecclesia temporis Hiskiæ post vindictam Senacheribi? Expositio Ill. Grotii valde sterilis.

a ℣. 3. 4. b à ℣. 5. seqq. c *Thes.* Lib. II. Cap. XVII. d Ad ℣. 1.

cibus Assyrii, apud Aben-Ezram. Potuisset Grotius eandem sibi servare hypothesin, & tamen *Desertum & aridum* potius explicare de *Ecclesia afflicta & consolatione vacua* hoc tempore à Deo reficienda; quam de *Judæa ipsa* quæ cum *deserta fuisset*, dilapsis tempore irruptionis Senacheribi agricolis, hoc demum tempore rursus coleretur. Sic instituit & instituere voluit Vir illustris, ut Prophetæ spirituali & sublimi nihil tandem spirituale relinqueret. An non ejusdem *subjecti* quod hic *Desertum* dicitur & cui *refloreſcentia* tribuitur, est *videre gloriam & decus Dei?* Estne æquum existimare, Prophetam per *Desertum & solitudinem* hic aliud intelligere quam in ℣. 6. hujus ipsius Sectionis, & in locis analogis quæ statim producam? Quod ad hypothesin ipsam attinet: primo, de Judicio ejusmodi gravi ab Æthiopibus in Idumæos circa illud tempus exercito nihil plane legimus: imo è contrario liquet ex Vaticiniis Prophetarum sequentium, Idumæam post tempus Hiskiæ non substitisse tantum, sed & floruisse, ac Judæis afflictis & calamitatibus eorum insultasse. Secundo, cum lætior ac florentior Ecclesiæ ac Reipublicæ Status hic referatur ad vastatam Edomum tanquam ad *causſam suam:* quis mihi æquæ mentis homo id interpretetur ex Statu Idumææ antiquæ cum respectu ad Judæam temporis Hiskiæ? Erat sane inter has Respublicas, se invicem attingentes, magna æmulatio, & ex æmulatione atque ex injuriis ultro citroque datis & acceptis odium intestinum. Sed Idumæi suis viribus non adeo erant metuendi Judæis, ut Reipublicæ Judaicæ salus ab Idumæis penderet, quin certe ut ambitu & bonitate terræ, sic viribus longe fuerunt & censiti sunt fuisse Judæis inferiores. Vastatio Idumææ ab Æthiopibus (si quæ facta fuerit,) non poterat reddere vitam, vigorem, decus & gloriam quoque Reipublicæ Judææ. Ad quæ accedit tertio, conspectum hujus prophetiæ tam augustam exhibere imaginem florentissimi status Ecclesiæ, ejusque durabilis, ut te ipsum volens apertisque oculis fallas, & Prophetam perdas, si nihil hic majus & augustius cogites. Equidem non nego, statum Judææ post prostratum Assyrium sub Regimine pii Regis lætissime refloruisse, & statum Ecclesiæ ejus temporis gessisse *typum & figuram* Ecclesiæ Christi Jesu liberandæ ab hostibus *spiritualibus & corporalibus* per Messiam: Sed fuit ille Status florens vel refloreſcens Judææ sub Hiskia post dejectum Assyrium brevis temporis; nec sustinet tam magnifica & glorioſa attributa, qualia in hac *Sectione* leguntur. Faciendum ita est cum interpretatione Verbi Prophetici, ne nobis vileſcat. Vileſcet autem, si putemus, Prophetas de rebus parvis & exilibus magnifice loquutos esse.

Refellitur ex oratione Prophetæ.

Obstat ei nexus hujus Sectionis cum superiore.

Florens Ecclesiæ status hic coharet cum destructa Edomo ut cum causſa sua.

Et emphasis ac amplitudo promissorum.

Transi itaque cum aliis ad *Statum* Populi Reducis ex Exilio Babylonico, & vide, an verba prophetiæ eidem commode aptare queas. Equidem non licet dubitare, Idumæos id temporis expertos esse ultionem Divinam cum subversione Reipublicæ suæ. id enim omnes subsequentes Prophetæ futurum docent. Sed quem fructum inde retulerunt Judæi ejus temporis? Læta quoque & prospera quæ hic de Statu Ecclesiæ prædicantur, neutiquam conveniunt Statui reducum ex Exilio Babylonico, si ea vel maxime *κατὰ γράμμα* accipias. Nullum tempus est cui quæ hic dicuntur *typice & grammatice* aptes præter tempus Maccabaicum, ad quod in superioribus sæpe recurrimus, ut vere Interpreti prophetiarum eo sæpe recurrendum est. Et est omnino inter hanc prophetiam & superiores Cap. xxv. 1. seqq. xxx. 23. seqq. xxxii. 15. seqq. xxxiii. 20. seqq. analogia quod ad res & phrasin. Illo tempore depressi, magnis cladibus afflicti, ac subacti fuerunt Idumæi, refloreſcente Judæorum Republica & Ecclesia: sed non erant illi Idumæi qui sic proprie dictam Idumæam inhabitabant; verum qui insederant australia Judææ; nec eventa ejus temporis licet satis spectabilia satisfaciunt prophetiæ huic Jesaianæ de Edomo, ut in superioribus monui: unde certi sumus, *consequens* quod in hac prophetia consignatur, non pertinere quoque ad ea tempora. est enim *consequentis* ex *antecedenti* æstimatio. Ad quæ accedit, pericopam hanc totam à Propheta sic esse conceptam, ut maxime apta sit exhibere imaginem Status Ecclesiæ spiritualis, ad exemplum earum prophetiarum quæ in fine Libri, Cap. lx. 1. seqq. & lxv. 17. seqq. exhibentur.

Num magnifica hæc promissa applicari queant ad Statum Ecclesiæ formatæ post Exilium Babylonicum?

Superior prophetia de vastanda *Edomo*, satis docet, hic non licere subsistere in Maccabaicis.

Plus itaque hic proficiunt & felicius se expediunt qui *Judicium Edomi* interpretantur de *subversione Reipublicæ Judaicæ* ac *Desolatione Hierosolymæ* effecta à Romanis; cui Judicio commodissime subjici videtur formatio & fundatio Ecclesiæ inter *Gentes*, quæ huc usque præbuerant speciem *Deserti* sitibundi ac sterilis; quarumque *ἀνάλημψις assumptio* consequens esset *τῆς ἀποβολῆς Rejectionis* magnæ partis *Gentis Judææ*. Est sane in hac hypothesi quod nemo temere spernat; est quod quis desideret. *Edom* vere notat mystice omnem Populum sitibundum *sanguinis* Ecclesiæ, ejusque sanguine *cruentatum*; atque adeo nomen hoc mysticum ad Judæos Evangelio rebelles, persecutores Christi & Ecclesiæ, rectissime transfertur. Sed cum idem attributum in longe majore emphasi conveniat magno alicui Imperio, adversario Imperii Christi, h. e. *Imperio Romano*; & cum in *Apocalypsi* attributa *Edomi* huic Imperio vindicentur: ratio suadet huic hypothesi adhærere. Equidem cum inter omnia subjecta similium attributorum intercedat proportio aliqua & cognatio: non nego, id etiam hic obtinere. *Judæi* rebelles Evangelio, persequutores Ecclesiæ, illo tempore quo Christum Jesum & Discipulos ejus persecuti sunt ad sanguinem, partem faciebant *Romani Imperii*; & *Judicium Divinum Edomo* decretum in iis anticipatum est. Omnium enim Populorum Persecutorum Ecclesiæ eadem sors est. Veruntamen cum in quaque prophetia recte exponenda omnia attributa & *περιεχόμενα* simul consideranda sint; evici in *Anacrisi*, orationem Prophetæ non favere huic sententiæ: nec dicta repetam. Ergo nihil restat, nisi ut dicamus, prophetiâ hac exhiberi imaginem *Status Ecclesiæ* glorioſi novissimi temporis post expurgata scandala & destructum *Antichristianismum* in Orbe apparituri; atque adeo quod ad argumentum suum parallelam esse analogis Cap. lx. 1. seqq. lxv. 17. seqq. Quod autem attributa hujus temporis & Status Ecclesiæ quoque conveniant Statui *Ecclesiæ Apostolicæ* fundandæ inter Gentes: quis miretur? Florentis enim Ecclesiæ Status eadem semper sunt attributa; estque inter *primum* & *septimum* tempus Ecclesiæ, (ambo designata per *Sabbatha* duo *Festorum primi* & *septimi diei*,) magna analogia. Missis itaque cæteris secundum hanc hypothesin commentationem instituam; orationem Prophetæ ne quid neglexisse videar, presse sectatus.

Num hæc prophetia referenda sit ad initia temporis Gratiæ: secundum hypothesin, quæ tenet, per *Edomi* desolationem intelligendam esse desolationem Reipublicæ Judææ per Romanos?

Quid veri subsit huic sententiæ?

Temperamenta hic observanda.

Parallelismus aliarum prophetiarum evincit, applicandam eam esse ad *Statum glorioſum* Ecclesiæ N. T. post hostes ejus absumptos.

℣. 1. *Exhilarabuntur* (ישושׂ) Desertum & aridum & *exultabit* Solitudo.] Cl. Coccejus: *Exhilarentur Desertum & siticuloſa!* Exigua differentia est. Nos tamen terminationem *Futuri* cum plerisque Intt. hic præferimus, quia mox sequitur, *Et florebit ut roſa.* quod longe rectius, quam si quis cum Viro Docto vertat, *Et floreat ut roſa.* Sensus est, Judicium Dei in *Edomum* occasionem præbiturum Statui Ecclesiæ insigniter instaurando, convertendisque Gentibus & Populis qui huc usque vacui gratia Sp. S. instar *Deserti*, & *terræ siticuloſæ* nullos protulerant fructus Deo gratos. Inter emblemata corporalia harum rerum nullus est nexus naturalis. Corruptio enim terræ qualiscunque non poterat fertiliorem reddere aliam. Sed nexus constat inter *res ipsas* symbolicis hisce nominibus appellatas, quippe Judicium Dei in hostes Ecclesiæ in causſa esset ut Ecclesia quæ se hoc tempore tristi & miseranda facie ostentabat, vitam recuperaret ac vigorem & in pristinum instauraretur decus ac splendorem; & Populi alii qui huc usque secluſi fuerant à Divina communione ad sinum Ecclesiæ adducerentur. Ea latitudine sumo sententiam Prophetæ, quippe nulla mihi ratio est, cur sensum ejus ullo modo restrin-

Verba Prophetæ explicantur.

℣. 1. *Exhilarabuntur. Desertum &c.*

Verba recte vertuntur in futuro.

Sensus Pericopæ.

Nexus partium orationis Prophetæ quærendus est in cognatione quæ intercedit inter *res spirituales*.

Notiones Hebrææ tres, quæ vertuntur, *Desertum*, *solitudo*, *aridum*, quam hic admittant significationis differentiam? Speciatim מדבר & ערבה.

restringam. Propheta in hac pericopa usurpat tres voces, quibus designat *Subjecta rationalia* quibus ex Judicio Edomi parata esset materia gaudii & consolationis: מדבר *Desertum*; ציה *terram sitibundam*, aridam; & ערבה *solitudinem*. Voces מדבר & ערבה subinde in Scriptura S. laxiorem admittunt significationem; notantque non plane vasta Deserta & solitudines ex quibus nullus usus percipitur à mortalibus, verum loca qualiacunque continua & promiscui usus sed ἄνυδρα *inaquosa* & *sterilioris soli*, à certis hominibus ea colentibus ad stabilem pasturam aut sationem non destinata; estque res certa, non tantum tractum *Circum-Jardenensem* in longum extensum à Mari Tiberiadis usque ad *Mare Mortuum*, verum etiam τὰ περίχωρα *Maris Mortui* ad Occidentem, nomine ערבה in Scriptura Vetere passim venire. Hoc loco nostro mediam obtinent significationem, & sumuntur voces (in quarum etyma vitandæ prolixitatis caussa non excurro:) pro *regione* ἀνύδρῳ *inaquosa*, *siticulosa*, non *arva* aut *pascua* fertiliore, ut non tantum patet ex voce ציה *terra siticulosa*, arida, per quam Vates hic affines interpretatur; verum etiam ex ℣. 6. *Erumpent in Deserto* (במדבר) *aquæ*; *& torrentes* בערבה *in solitudine*. Cogitari posset, Prophetam hic usum esse voce non una sed varia, ut nos doceret, varias esse species *Desertorum spiritualium*, quæ ex Judicio Dei in Edomum usum perciperent: etsi has species secundum vocum significationem nobis difficile sit definire; si forte ipse id intenderit. Sed non putem quoque ego, illum id intendisse. Generalis notio nobis hic abunde sufficit. Primo itaque, nomine *Deserti & regionis inaquosæ*, siticulosæ, hic intelligimus *Populum Dei*, qualis esset circa tempus hujus Judicii, h. e. afflictum ex persecutione longi temporis, & veluti à Deo desertum; ad minorem redactum numerum; laborantem ex inopia Gratiæ ac Consolationis Divinæ; & simul magno metu plenariæ oppressionis; atque inde spe fideque sua, statu ut videbatur desperato, subinde nutantem; & tamen hoc ipso statu suo majoris mensuræ gratiæ & consolationis sitibundum. Durius videtur esse emblema: & tamen certissime hoc sensu usurpatur. veluti Cap. LI. 3. *Nam Jehova consolatur Tsionem; consolatur omnia loca ejus desolata; & posuit* DESERTUM EJUS (מדברה) *instar Edenis, &* SOLITUDINES EJUS *ut hortum Jehovæ. Deserta & solitudines* Tsionis hic sunt *afflicti*, *inopes*, *laborantes*, sitibundi majoris copiæ gratiæ & consolationis, in ipsa Ecclesia: imo vero *Desertum Tsionis* est *Tsion ipse*, h. e. Ecclesia redacta veluti in statum Deserti. Secundo, ampliore & augustiore sensu nomine *Deserti & Solitudinis*, ubi voces *absolute* sumuntur, intelligimus Gentes qualescunque, quæ hactenus in superstitione, errore, idololatria perstiterant, aut falsæ Religioni adhæserant, occasione Judicii à Deo exequendi in Edomum ad Deum verum, veramque Religionem convertendas, & zelo numeroque suo in Ecclesiam non vulgare illaturas decus. Sic usurpatur emblema à Propheta nostro certis locis, quorum jam vidimus aliqua [a]; alia & clariora adhuc videbimus in sequentibus [b]. *Gentes* statu suo naturali faciunt *terram* ἄνυδρον *inaquosam*, *sterilem*, *incultam*, & quidem terram vastam atque amplam, quippe *inopes cognitionis & gratiæ* Dei salutaris; exsortes influxus Sp. S.; alienæ à Divina communione; absque certa spe & vera consolatione quæ à spe unice pendet; ac denique hoc statu ineptæ ad producendas fruges Deo acceptas. Eædem pariter recte dici possunt *sitire & sitiisse* pluviam Divinæ Gratiæ vel fontes consolationis salutaris, non sane *directe*, sed *oblique*. Cum enim ad rationalem naturam pertineat bona omnia ad vitam aut statum necessaria appetere: homini oblique tribuitur *sitis* omnium quorum eget; licet forte de necessitate boni hactenus non sit persuasus. Quanta hic messis est (præter Gentes à superstitione Romanensi aut Græca delusas, in crassa versatas ignorantia puriοris Religionis:) Turcorum, Persarum, Tatarorum Mogulensium, Chinensium, & idololatrarum antiqui ritus, qui in Asiano, Africano, aut Novo Orbe, aut majoribus insulis Orientis, inter quas Japonia, supersunt? Censemus, venturum olim esse tempus quo hæc *Deserta* vertantur in *arva & pascua*, & irrigentur à *pluvia cœlesti*, bibantque limpidas aquas fontium salutis. Et tamen cum certa nos spes teneat, fore ut Deus circa idem hoc tempus *reconcilietur* Judæis, soboli Abrahami, superstiti adhuc & vagabundæ per Gentes: quidni illos hic speciatim designari putemus voce ציה TERRÆ SITICULOSÆ? Propheta illos, (sive primo sive ultimo tempore gratiæ victuros quod hic perinde est:) suo charactere ab iis distinguit. veluti, Cap. XLIV. 3. *Effundam aquas in* SITIENTEM, Judæos, & *fluenta in* ARIDAM. Gentes. Cap. LV. 1. *Hei omnis* SITIENS (Judæi,) *venite ad aquas; &* QUIBUS NULLUM EST ARGENTUM, (Gentes,) *venite, & seqq. Sitiunt* illi magis quam Gentes quippe ardenter desiderant & cupidissime exspectant salutem quam sibi apud Prophetas promissam tenent, licet eam perverse interpretentur; & conditio illorum in Orbe tristis vere & miseranda facit, ut majori jure dici mereantur terra *sitibunda*, pluviæ inops, quam alius quiscunque Orbis terrarum Populus. Hæc illa *Deserta* sunt quæ dicuntur *gavisura* esse *Judicio Edomi*, imo vero *exhilaranda & jubilatura* esse. Ea enim vis est in vocibus שוש & גול, ut notent non tantum *lætitiam animi* quæ designatur voce שמח, sed quoque *motu* corporis aut *oris* proditam, ut fit in vehementiore animi affectu. est enim plus εὐφραίνεσθαι, ἀγαλλιᾶσθαι, quam χαίρειν. Gaudebunt autem suo quæque modo. Et quidem primo, sancti afflictique qui in Ecclesia superessent, affectu non *carnali*, sed *spirituali*, necessitatem hujus Judicii agnoscerent, & *Justitiam* Dei in eo patefactam; tum quoque veracitatem ejus, fidemque & constantiam voluntatis erga Ecclesiam aperto ore celebrarent atque extollerent. Affectu, inquam, non carnali, sed spirituali. Nemini licet alterius, licet infensissimi hostis sui aut Ecclesiæ, interitu lætari: maxime sub Oeconomia Nova cujus perfectissima Lex charitatis vindictam privatam excludit. Sed cum sanctorum sit, omnem suam voluntatem conformare ad voluntatem Divinam, ejusque gloriam ardenter amare; licet ipsis, ubi vident Judicia Dei in hostes obstinate impœnitentes ad gloriam ejus vindicandam & Ecclesiæ commoda procuranda plane necessaria, affectum suæ voluntatis proxime unire affectui voluntatis Divinæ, & ipsum veluti voluntatis Divinæ affectum induere, ut *in spiritu* gaudeant manifestatione gloriæ Justitiæque Divinæ. Inspice sis, Apoc. XV. 3. 4. Est hic peculiaris character Judicii in *Babylonem mysticam* sub Oeconomia Nova, quod sancti ejus Judicio lætarentur. En verba prophetiæ post expositum Judicium Babylonis [c]: EXULTA *super ea cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quod Deus judicium vestrum ex ea judicaverit.* h. e. quod Deus pœnam, quam vestri caussa justitiæ ejus debebat, ab ea sumpserit. Nec tamen hæc sola caussa esset lætitiæ Ecclesiæ *afflictæ* hujus temporis: verum accederet alia, huic analoga; magna sc. copia Beneficiorum ac Prærogativarum Gratiæ Divinæ qua Deus Ecclesiam post hoc tempus honestaret. Secundo, Gentes & Populi à superstitione liberandi aut ad puram Religionem hac occasione convertendi dicuntur *gavisuri* esse quod *Judicium in Edomum mysticam* ipsis occasionem præbuisset tanto bono. Omnes prophetiæ docent, *Vocationem* completam Gentium & *Conversionem* γενικὴν *Judæorum* hoc illustre & glorioſum Dei Judicium consequuturam esse. Legenda sunt extrema Cantici Mosaici, quæ in his terminantur [d]: JUBILATE GENTES & POPULUS EJUS, (sive, μετὰ τῦ λαῦ ἀυτῦ, *cum populo ejus*, ut Apost. [e] post τῆς ὁ.) *quia sanguinem*

Ampliore sensu nomine *Deserti* intelliguntur Gentes, exclusæ communione Divina, & ad Deum illo tempore convertendæ.

Comparatio *Subjectorum*.

Quo sensu vocentur terra *siticulosa*?

Messis Gentium adducendarum ad communionem Ecclesiæ.

Spes Ecclesiæ de illis.

An sub emblemate *terræ siticulosæ* hic speciatim cogitari nequeat de *Judæis incredulis* ad fidem Jesu Christi perducendis?

Loca huc facientia.

Quo sensu hic capiendæ?

Ducunt nos ad cogitandum de variis speciebus *Desertorum spiritualium*.

Primo sensu per *Desertum & Solitudinem* hic designatur *Ecclesia* afflicta & solatio vacua, tempore *Liberationis & Judicii in hostes*.

Deserto & Solitudini huic & *siticulosæ*, tribuitur *gaudium & jubilum*.

Vis vocum Hebræarum שוש & גול.

Gaudium hoc interpretandum est pro *qualitate Subjectorum* quibus tribuitur.

Significatio illa mystica adstruitur ex Cap. LI. 3.

Caussa ejus: *Desolatio Edomi* mystica.

Quomodo illud *Sanctis* convenire possit?

Alia caussa: *Copia beneficiorum* Divinæ Gratiæ.

Quas caussas *Gaudii* habituræ sint *Gentes* ad Deum convertendæ?

Locus Deut. XXXII. 43.

a Cap. XXIX. 17. XXXII. 15. 16. b Cap. XLI. 18. 19. XLIII. 19. 20. c Apoc. XVIII. 20. d Deut. XXXII. 43. Confer Rom. XI. 25. e Rom. XV. 10.

neim servorum suorum vindicavit, & vindictam retribuit HOSTIBUS SUIS, *& expiavit terram suam, populum suum.* quæ prophetia commentarium præstat nostræ. Sed confer ex Propheta nostro Cap. LX. 1. seqq. quæ pariter complectuntur ἐξήγησιν ejus quod hic dicitur, coll. cum Apoc. XI. 15. XXI. 24. 25. Quæris, qua via, quo modo, Judicium in Babylonem occasionem præbere queat huic Eventui? Respondeo, quatenus mihi de occultis futuri temporis judicare licet, α. Quod hoc Judicium in omni sua circumstantia tam futurum sit illustre & conspicuum, ut in se provocaturum sit oculos omnium Gentium. β. Quod Deus *præsentiam* suam apud Ecclesiam illo tempore certis clarisque *signis* gloriæ gratiæque suæ sit declaraturus. absque qua demonstratione clariore præsentiæ Dei apud Ecclesiam, ut nunquam effecta fuisset *conversio Gentium* in initio temporis Gratiæ: sic efficienda non erit, nec exspectari poterit, novissimo Mundi tempore; ut neque ea *Judæorum* convertendorum nisi ad *signum Filii hominis.* γ. Ut scandala idololatriæ, superstitionis, tyrannidis Ecclesiæ Romanæ vehementer obstiterunt progressui Regni Christi Jesu inter Gentes & Judæos quoque: sic remotis hisce repagulis, si cætera accedant, spes est fore ut Regnum verum Dei in Orbe felicius propagetur.

Quo modo Judicium Dei in Babylonem mysticam occasionem præbere queat Statui Ecclesiæ in melius instaurando, & convertendis Gentibus?

℣. 1. *med.* *Et* EFFLORESCET, (solitudo,) *ut* ROSA.] Heb. כחבצלת. Veteres Intt. vocem חבצלת vertunt per *κρίνον lilium.* Sic *οἱ ο'.* Chaldæus, Hieron. Sed Kimchius, quem plerique recentiores sequuntur, reddit per ורד *Rosam.* & ipse quoque Chaldæus vocem חבצלת per ורדא *Rosam* exponit Cant. II. 1. in quo uno loco præter hunc nostrum vox reperitur. Sed est hæc paraphrasis posterioris temporis. Interpretatio Kimchii probabilis est, quia *Lilia* designantur voce שושן vel שושנה; & tamen nullus dubito quin Aquila, qui significationes vocum presse sectatur, veram ejus vim & sensum Prophetæ detexerit. Transfert vocem per *κάλυξ.* Est autem *calyx* sive *calyculus* Aquilæ non ipsum Rosæ involucrum, sed *Rosa tumens, foliis nondum dilatatis*, ut recte Hieronymus. *Rosa* ipsa antequam se pandat & dilatet, dehiscente involucro, in flores. Nihil elegantius & huic loco aptius. *Vis* & *vigor vitæ*, conjunctus cum amœnitate aspectus ac delectabilitate odoris, in nullo flore se fortius ostentat quam in *Rosa* vivente & efflorescente: ut decus in *Lilio.* Sed ad prius attributum hic præcipue respicitur. In *Rosa* non tantum concurrunt duo colores fortissimi, vim suam in ea mirifice exerentes, *viridis*, & *ruber*, oculos valide percutientes: sed *rubedo* Rosæ *purpurea* proxime accedit ad colorem *sanguinis Juvenilis & virginei* qualis ille est qui per valentium hominum carnem cutemque transpirat. *Pressa* quoque & *coacervata folia*, folliculis clausa, de vi vitæ hujus floris testantur. Id vero ipsum est quod hic Propheta respicit, usus voce פרח *efflorescere.* Sensus mysticus est, Ecclesiam hujus temporis profuturam esse veram vim & vigorem vitæ spiritualis, animatæ & nutritæ à Gratia Spiritus S. in *oratione*, *gestu*, *actione omni*; præcipue in cultu publico, in precibus, Sermonibus, colloquiis sanctorum. Omnia fore viva & virentia; omnia læta, ut solent vere flores & gramina, & rosæ dum incipiunt prorumpere è folliculis. omnia plena fragrantis odoris; satiatura oculum & animum spiritualem. Compara Vatem nostrum cum se ipso Cap. LX. 21. 22. *Populus tuus universus justi. in sæculum hæreditabunt terram. surculus plantationum mearum; opus manuum mearum, ut condecorer.* PARVUS ERIT IN MILLE ET EXIGUUS IN GENTEM VALIDAM. Et hoc quidem *alterum* est *Attributum* Ecclesiæ hujus temporis.

Verba Prophetæ, ℣. 1. *Et efflorescet ut* ROSA.

Significatio vocis חבצלת.

Versio Aquilæ laudatur.

Vertit vocem per *κάλυξ*, *Rosa tumens.*

Cur similitudo hic sumatur à *rosa*?

Proprietates ejus.

Præcipue respicitur *vis vitæ* quæ est in *Rosa.*

Transfertur ad Ecclesiam extremæ Periodi.

℣. 2. *Efflorescendo efflorescet, & exultabit*; ETIAM *exultando & jubilando.* GLORIA LIBANI *data est ei:* DECUS CARMELI & SARONIS.] Tertium attributum hujus temporis hic consignatur *Gloria Ecclesiæ*, & *decus* ejus. Verba inter se cohærent tanquam quæ describant *caussam* & *effectum*; *antecedens* & *consequens.* Gauderet, exultaret, jubilaret Ecclesia hujus temporis non tantum de *hostibus* suis *destructis* & remoto magno Antichristianismi scandalo: verum etiam & vel maxime statu suo plane glorioso, in quem à Deo hoc tempore evecta esset. Argumentum itaque & caussa gaudii esset, quod in eam collata esset *gloria Libani*, & *decus Carmeli.* In priori membro nihil habeo quod observem præter emphasin orationis. Non satis habuit Propheta dicere; futurum esse ut Ecclesia hoc tempore *gauderet* & *efflorescret.* Cum enim hoc attributum Ecclesiæ in alia quoque cecidisset superiora tempora, inter quæ eximium est Apostolicum, & Constantinianum: ut doceret, Ecclesiam hoc tempore hac gavisuram prærogativa gradu excellente & completo, primo quidem addit, *Efflorescendo efflorescet.* Dixeris Latine, *Etiam atque etiam efflorescet*, insigniter & supra modum efflorescet. Deinde, *Et exultabit*, ETIAM *exultatione & jubilo*, sive *cantu.* Duo significat, α. Ecclesiam non lætaturam tantum, verum etiam *exultaturam & jubilaturam:* h. e. gestu & voce lætitiam suam esse prodituram, quia videlicet maxima esset gaudii caussa. β. Unum gaudii actum esse subsequuturum alterum; quippe gaudium Ecclesiæ non terminandum uno actu, neque etiam subito defecturum: sed cum caussa & materia perennis esset, semper duraturum & continua facturum incrementa. Hæc vis est in voce אף ETIAM, *omnino*, *amplius etiam.* Caussa esset gravissima, quippe Ecclesia hoc tempore beneficio Divino honestaretur *gloria Libani* & *decore Carmeli* ac *Saronis.* GLORIAM *Libani* faciunt arbores altæ, grandes, celsæ, vertice cœlum ferientes, late expansæ, virenti & non marcescenti folio, ut sunt *cedri* inprimis, tum quoque *fraxini*, *larices*, *abietes*, *pini*, & his similes, quibus Libanus præcipue superbiebat; quæ ob ipsius hujus Montis celsitatem augustiorem etiam præbebant speciem: de quibus videnda quæ alibi [a] observavi. *Decus Carmeli & Saronis* faciebant gramine atque agresti flore læta ac florida pascua, jucundissimi aspectus, in quibus numerosi præstantioris pecudis greges alebantur. de quibus locis quoque in superioribus [b] necessaria monui. Emblema utrumque hic est expositu facillimum. Prius mystice significat, Ecclesiam hujus temporis plures habituram esse Viros dotibus, doctrina, virtute, pietate, dignitate, excellentes; firmitate fidei, vigore vitæ spiritualis, & stabilitate atque amplitudine status sui conspicuos, interque eos, Pastores fidos, Doctores præclaros, celebres; Proceres, Magnates, Principes quoque Regesque pios, doctrinæ pietatisque studio deditissimos. Hi facerent *Gloriam* Ecclesiæ, hoc tempore *instar Libani* à Deo exaltandæ. Nihil hic addo. *Arborum* enim celsarum, virentium, & quidem *cedrorum* Libani, hunc esse aspectum spiritualem, omnes norunt [c]. Alterum emblema quod petitum est à *decore* Carmeli & Saronæ, nos monet, *Greges* Populi Christiani hoc tempore gavisuros esse beneficio *pasturæ spiritualis* copiosæ, exuberantis, amœnæ, ob ubertatem *pabuli spiritualis*, h. e. *Verbi* institutionis, sapientiæ, interpretationis Scripturæ S. & solidæ consolationis animarum: tum quoque *fracturæ Panis* in Cœna Domini, cum sensu vivido Gratiæ Divinæ conjungendæ: quod Verbum & *Sacramentum Gratiæ* à prudentibus Ecclesiæ Ministris, qui *Pastores* dicuntur, ubertim & sapienter administrarentur. Emblema ipsum quoque in Scriptura S. V. & N. F. est recepti usus, cui nunc non licet inhærere [d]. Hæc prærogativa esset Status Ecclesiæ florentis hujus temporis, quæ in prophetia parallela Cap. LX. 13. GLORIA LIBANI *ad te veniet*; *abies*, *teda*, *& buxus*, *pariter*, *ad ornandum locum Sanctuarii mei*, *& locum pedum meorum eo honestandum.* Confer Cap. XLI. 19. LV. 13.

Tertium attributum Ecclesiæ hujus temporis, ℣. 2. *Gloria*

Ecclesiæ & *Decus* ejus.

Quæ comparatur cum *Gloria Libani* & *Carmeli.*

Emphasis summa orationis, docens, attributum *florentis* Ecclesiæ status hoc potissimum tempore in Ecclesia confpiciendum esse.

Quæ emphasis explicatur.

Vis vocalis אף *Etiam* in h. l.

Quid intelligatur per *gloriam Libani*?

Ut & per *Decus Carmeli* ac *Saronis.*

Prius emblema quid hic significet?

Ecclesia hoc tempore floreret excellentibus Viris.

Alterum emblema declaratur.

Ecclesia hoc tempore gauderet *copiosa pastura* spirituali.

Locus Cap. LX. 13. cum hoc loco collatus.

Verba Pro-

a Ad Cap. II. 13. XIV. 8. b Cap. XXIX. 17. XXXII. 9. c Confer loca Ps. I. 3. LXXX. 11. XCII. 13. Jer. XVII. 8. Jud. IX. 8. d Ezech. XXXIV. 13. 14. Mich. V. 3. Jer. III. 15. Ps. XXIII. 2.

rem reve-

verendum Dei noſtri.] Ipſi ſc. illi quos Propheta figurate propoſuerat ſub emblemate *Deſerti, terræ aridæ, ſolitudinis*, videbunt hoc tempore gloriam Jehovæ clariſſime illuſtratam tum in Judiciis quæ exequutus eſt in hoſtes ſuos, tum in gratioſa cohabitatione cum Eccleſia. Hoc enim tempore viderent omnes, Deum efficaci gratiæ influxu & providentia ſua peculiari apud Eccleſiam præſentem adeſſe, quæ gloria Jehovæ, ſtylo Scripturæ S., dicitur הדר, quando Deo conciliat *reverentiam:* quæ genuina eſt vocis ſignificatio. הדר eſt decus *reverendum.* Id ipſum eſt quod Vates noſter in prophetia parallela his conſignat verbis [a]: *Surge, luce, quia venit lux tua, &* GLORIA JEHOVÆ *ſuper te exorta eſt, & ſeqq.* Hæc ſcilicet eſt illa Hieroſolyma cœleſtis, è cœlo in terram deſcendens, ἡ ἔχουσα τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. Id ipſum eſt quod in *Apocalypſi* de effecto *Tubicinii ſeptimi* habetur [b]: *Tum apertum eſt Templum Dei in cœlo, & viſa eſt Arca Fœderis ejus in Templo ejus.* Hoc eſt, gloria Dei in Eccleſia clariſſime conſpecta obſervataque eſt. Non negamus hanc prærogativam aliis quoque temporibus Eccleſiæ: ſed beneficia omnia ſuperiorum temporum hac periodo ætatis Eccleſiæ complementum ſuum acciperent.

Membrum alterum hujus Sectionis: *Exhortatio ad fidos Dei Miniſtros de piis ex hoc promiſſo conſolandis.*

℣. 3. *Firmate* MANUS REMISSAS, *&* GENUA LABANTIA *roborate.* ℣. 4. DICITE *feſtinis corde, Confortamini, ne timete: ecce Deus veſter! ultio veniet, retributio Dei: ipſe veniet & ſalvabit vos.*] Verba rectiſſime, ut putem, in hanc accipiuntur ſententiam, ut Propheta hic ſermonem cenſeatur vertere ad Doctores Eccleſiæ illius temporis, de quo loquitur, eoſque exhortetur, ut ex promiſſo *certæ liberationis & glorioſæ inſtaurationis* Eccleſiæ oppreſſæ & afflictæ, dejectos piorum animos erigerent ac conſolarentur, remiſſaque illorum ſtudia excitarent. Ad eos enim pertinet quod habetur in initio ℣. 4. DICITE *feſtinis corde.* ſc. vos Paſtores & Doctores Eccleſiæ illius temporis, *Dicite feſtinis corde.* Si quis tamen priora verba ſententiæ, *Firmate manus remiſſas, &c.* ſtatuat eſſe Prophetæ, ſub perſona Doctorum, *directe* compellantis *pios* illius temporis, eoſque exhortantis ad repetenda intermiſſa ſtudia ſuperioris ætatis: nihil vitii committit. Utique Auctor *Epiſtolæ ad Hebræos*, hæc verba in uſum ſuum vertens, ſententiam ſic accepit [c]. Per *manus* in ſpiritualibus intelliguntur *facultates operatrices:* per *genua* vero *habitus ſpirituales* qui ſuſtinent ſtatum hominis per gratiam Dei regeniti. *Facultas operatrix* eſt facultas ſpiritualis in hominem per gratiam Divinam collata qua aptus redditur ad omnem functionem vitæ ſpiritualis obeundam, & officia ſibi mandata exequenda. *Habitus* qui ſuſtinent ſtatum hominis ſpiritualem ſunt *fides & ſpes. Manus remiſſæ* ſunt languida & remiſſa ſtudia hominis in facultate operatrice ſpirituali exerenda; ſive ipſa illa *Facultas* quatenus languidius & negligentius exeritur & ad actionem applicatur. *Genua labantia* notant *ſpem fidemque* vacillantem ac nutantem. *Manus remiſſæ* dicuntur *firmari* à Miniſtris Verbi Dei, ubi fideles efficaci oratione bonis ſolidiſque rationibus atque argumentis munita excitant ad priſtinum ſtudium & zelum in opere Domini & exercitatione vitæ ſpiritualis: quo eodem officio quiſque erga ſe fungitur, ubi monitus vel convictus de negligentia & remiſſo ſtudio ſe ipſum rationibus ſolidis inducit ad curſum in Domino alacriter repetendum. Pariter *labantia genua* credentium à Doctoribus publicis aut ab ipſis credentibus dicuntur *erigi* vel *roborari* & *ſtabiliri*, ubi fidei & ſpei nutanti ſubjiciuntur argumenta valida, quibus tanquam fulcris ſe erigat & ſuſtineat adverſus omnem impetum tentationis, ut apta ſit ſtatum hominis in Divina communione tueri. Ita eſt, ut dixi. Et tamen, ſi quis orationem Prophetæ attente inſpiciat, videbit, illum per *manus remiſſas* & *genua labantia* metonymice intelligi velle ipſas perſonas *credentium*, non qualiumcunque, ſed *infirmorum*, quarum *manus* erant *remiſſæ*, quarumque refrixerat ſtudium *charitatis. Firmate manus remiſſas & genua labantia*, idem valet, quod *Firmate imbecillos* in grege Populi Dei, quorum fides non excludit dubitationem, quorumque remiſſum eſt ſtudium Religionis. Cæterum cum variæ dentur cauſſæ *publicæ*, (*privatas* enim hoc tempore non attingo:) cur *fides & ſpes* credentium ſubinde nutent, infirmentur, ac decrementum faciant; & ſtudium pietatis ac virtutis laxetur; veluti ſunt, Proſperitas durabilis ſtatus temporalis; invaleſcens & prædominans corruptio morum; ſuperſtitio publice in Religionem recepta quæ veritatem Religionis ſuſpectam facit; ſcandala à Præfectis & Doctoribus Eccleſiæ publice edita, cujus generis inter alia plura ſunt lites & contentiones quas ſæpe de rebus ſublimibus aut levibus cum mutua infectatione pertinaciter exercent; & denique *gravis afflictio* Eccleſiæ ſub imperio tyrannorum & improborum gementi longum tempus incumbens: hæ, inquam, cum poſſunt eſſe cauſſæ remiſſi ſtudii Fidei & charitatis; poſterior cauſſa eſt quæ hic reſpicitur, ut ſequentia declarant. Sane ubi *ſceptrum Improborum* diu *requieſcit ſuper ſortem juſtorum*, ut, ſæviente tempeſtate, Chriſtus Jeſus videatur *dormire* & Populi ſui curam depoſuiſſe; *infirmorum* ac *præcipitis judicii* hominum inrer credentes incipit labare ſpes fideſque; remittitur *charitas prima*, ſtylo Domini [d], laxatur pietatis virtutiſque ſtudium. Cum enim effecta omnia Divinæ Providentiæ contraria ſint ſuæ exſpectationi, eamque eludant: ſubinde oritur in mente dubitatio de veritate fidei, in qua ſitum eſt fundamentum ſpei. quæ tentatio ubi locum habet: commodius & facilius refelli nequit, quam ut Liberatio Eccleſiæ certiſſimis argumentis aſſeratur, & Deus ipſe demonſtretur proxime adfuturus eſſe, imo vero jam adeſſe, ad vindicias Eccleſiæ ſuæ ſuſcipiendas. Id vero agere, pertinet ad officium Præfectorum Eccleſiæ, quibus cura animarum commiſſa eſt. Huc referenda eſt oratio Prophetæ in altero hujus ſententiæ membro, ℣. 4. *Dicite feſtinis corde, Confortamini, ne timete. Ecce Deus veſter! Vindicta veniet, retributio Dei. ipſe veniet, & ſalvabit vos.* Senſus eſt, vos Præcones & adminiſtri Verbi Dei quorum eſt plebem curæ veſtræ commiſſam docere, monere, exhortari; monete homines præcipitis judicii & exiguæ fidei, ne amplius luctentur & animi pendeant, ſed ut depoſita puſillanimitate & cogitationum inconſtantia, induant affectum animi *certi* ac *confidentis*; fiduciam roborent; vires reſumant; quippe liberationem & exitum tentationis, ut certo à Deo decretus non fallet; ſic jam præ foribus eſſe, & ſe non dubiis indiciis prodere. Per *feſtinos corde* utique intelligendi ſunt homines ὀλιγόπιστοι, meticuloſi, puſillanimes, ac *præcipitis* judicii, qui tempus implementi promiſſorum & decretorum Dei per Prophetas vulgatorum judicio ſuo anticipare, idque judicium ſuum præcipitare ſolent, nec à ſe impetrant, ut Deo juſtum tempus concedant promiſſis decretiſque juſtitiæ ſuæ implendis. de quo affectu ſub ipſa hac phraſi prolixius egi ad Cap. XXVIII. 16. & XXXII. 4. Vox חזקו recte vertitur, *Confirmamini*, ſive, ſi liceat dicere, *Confortamini.* reſumite animum. (λαμβάνετε θάρσος, θαρσεῖτε, in oratione Domini [e].) ſuſcipite animi fiduciam, conſtantiam, robur, & confidentiam, excuſſo *metu* ac puſillanimitate. Confer quod ad rem & phraſin loca Pſ. XXVII. 14. XXXI. 25. 1 Cor. XV. 58. XVI. 13. Argumentum ſubjicitur: *Ecce Deus veſter!* ſc. adeſt, ultor & vindex juſtus, ad liberationem ſalutemque veſtram. *ultio veniet, retributio Dei.* adeſt tempus quo Deus exequatur vindictam, dudum decretam, *ſibi* juſtitiæque ſuæ debitam. IPSE *veniet*, juſtitiam clariſſimo præſentiæ ſuæ indicio immediate adminiſtraturus; *veniendo* autem *ſalvabit vos* ut θεὸς ἐπιφανὴς & σωτήρ. certam vobis efficiet ac procurabit ſalutem. Hæc ge-

quina

Quænam ſint quæ ſtatum Eccleſiæ labefactant?

Quid præcipue huc conferant graves & diuturnæ Eccleſiæ afflictiones?

Verba ℣. 4. ex ſuperioribus hypotheſibus declarantur.

Quinam hic dicantur *Feſtini corde*?

Emphaſis vocis חזקו

O o 3

[a] Jeſ. LX. 1. Confer Ap. XXI. 23. [b] Cap. XI. 16. [c] Cap. XII. 12. [d] Apoc. II. 4. [e] Matth. IX. 2. XIV. 27.

phetæ ℣. 2. ned. Eccleſia videret gloriam Jehovæ, &c. Senſus ſententiæ.

Emphaſis vocis הדר in v. 1.

Illuſtratur ex analogia.

Alterum membrum hujus Sectionis. Exhortatio ad fidos Dei miniſtros de erigendis animis Credentium, ℣. 3.

Genuinus ſpectus ſententiæ Vatis.

Oratio vertitur ad Paſtores Eccleſiarum.

Locus ad Heb. XII. 12. in quo hæc verba elegantur.

Quid *manus* & *genua* myſtice ſignifi-cant?

Quid *manus remiſſæ* & *genua labantia*, & eorum *confirmatio*?

Propior aſpectus ſententiæ Prophetæ.

Distinctio genuina ultimorum verborum sententiæ.

nuina videtur esse orationis Prophetæ distinctio. Et sunt tamen aliqui, inter quos Belgæ quoque nostri, qui quæ nos per distinctas explicuimus sententias, junctim accipiunt, illatis in textum duabus ellipsibus, hunc in modum: *Ecce Deus vester ad vindictam veniet*, (ut נקם *vindicta* sit pro לנקם *ad vindictam*,) *ad retributionem Dei.* sc. exequendam. Sic Tac. de Claudio: *Venire promptum ultioni.* Sensus idem est. Equidem non nego, ellipsin præfixæ ל esse frequentis usus: sed durius paulo est, eam hic geminari. certe necessitas nulla eam hoc in loco exigit. imo vero Propheta noster amat *concisas* & abruptas sententias. id enim fortissimum est dicendi genus. Ajo, nullam necessitatem hic exigere ellipsin, quippe rectissime stylo sacro, *vindicta* & *retributio* dicitur *venire*, ubi patefit & omnium exponitur oculis. ut apud Prophetam nostrum [a]: *Salus mea in proximo est* לבוא *ut* VENIAT. Alio loco [b]: *Dicite filiæ Tsionis: Ecce salus tua* VENIT. Apud Tsephaniam [c]: *Antequam* VENIAT *super vos æstus iræ Jehovæ.* Si hic statuenda esset ellipsis; magis placeret sententia, *vindictam* Dei hic sumi pro DIE *vindictæ* ac *retributionis Divinæ*: quæ phrasis in sacris est recepta. Hoseas [d]: *Venerunt dies visitationis; venerunt dies retributionis.* Propheta noster [e]: *Quia dies vindictæ in corde meo, & annus redemptorum meorum venit.* Id verius addo, sub voce יבוא latere geminam significationem *præsentis* & *futuri.* Valet in hoc loco *veniet* & jam *venit.* Initia liberationis jam adsunt. ECCE *Deus vester!* Videte & agnoscite illum præsentem in præludiis Liberationis brevi consummandæ. Confer Cap. xxv. 9.

Vox נקם hic non est posita pro לנקם.

Locus absque ellipsi explicari potest.

Vindicta stylo sacro recte dicitur venire.

Analoga huc collata.

Sub voce יבוא latet indicatio *præsentis* & *præteriti.*

Convenit oratio Ministris Evangelii, proximis tempori extremæ Liberationis: etsi nihil vetet eam in majore amplitudine vindicare omnibus purioris Evangelii Præconibus, qui à tempore instauratæ Religionis & Ecclesiæ Sæc. XVI. plenarium lapsum Imperii Antichristiani aperto ore prædixerunt; quique iidem initia hujus Liberationis Ecclesiæ tandem per Divinam gratiam perficiendæ viderunt. Respice mecum & agnosce illos in Angelo illo Apocalyptico [f], immediate sequuto Angelum volantem per medium cœlum, & exhibentem Populis *Evangelium æternum.* Ejus vox & præconium fuit: *Cecidit, cecidit Babylon, Urbs illa magna, &c.* Scilicet, nunc incepit cadere. Erat enim duplice lapsu interitura. Eadem vero hæc vox, idemque præconium Propheticum vehementer intonuit, percussitque piorum aures, ubi ætate nostra acris persecutio adversus Confessores veritatis excitata fuit in florentissimo Europæ Regno, effectu sane immani & pœnitendo, quippe Ecclesias omnes & Scholas purioribus Sacris dicatas per illud vastum Regnum bono adhuc numero diffusas vastarit plane ac destruxerit. O Deus! Si ministri Christi Jesu hoc tempore os suum non aperuissent, & Regi persecutori Regnique illius Populo superstitione delusо non denunciassent severa Dei Judicia: ipsi lapides clamassent vindictam; etsi difficile esset prævidere, quo modo quibusve mediis Deus eam esset exequuturus. Sed fata invenerunt viam; & vidimus nostris diebus mirabilia Judicia Domini erga Principum sui temporis maximum & potentissimum eum in modum administrata, ut in se defixerint oculos omnium mortalium. Hoc itaque tempore usurpata sunt hæc Jesaiana à Ministris Verbi, afflictos nutantesque animos erigentibus: *Estote fortes! Ecce Deus vester! Vindicta adest, &c.* Sed Deus Ecclesiæ suæ, si Divina gratia se dignam gerat, cum tempore majora monstrabit.

Cui tempori Ecclesiæ conveniat hæc Exhortatio directa ad fidos Evangelii ministros?

Conferuntur cum Angelo Apocalyptico, Ap. XIV. 8.

Quid ejus spectari queat in Ministris Status Ecclesiæ nostrorum temporum?

Membrum tertium: Privilegia singularia quibus gloriosus hic & felix Status Ecclesiæ *honestaretur.*

a. Privilegium primum: *Illuminatio* Sp. S. ad clariorem notitiam viarum Dei.

℣. 5. *Tum aperientur oculi* CÆCORUM; *& aures* SURDORUM *aperientur.*] Propheta repetit orationis suæ contextum, & post *παρένθεσιν* propositioni subjectam, latius expandit sermonem, ac specialius enarrat prærogativas Ecclesiæ hujus temporis, quæ veram ejus felicitatem dignitatemque constituerent. Sunt autem *spirituales*, monentque nos de natura spirituali illius Ecclesiæ cui hæc beneficia competerent. Primum horum est, *Illuminatio Spiritus S. ad clariorem Notitiam viarum Dei.* Id enim ipsum est quod hic significatur per *aperturam oculorum cæcorum & aurium surdorum.* Interpretes qui hanc prophetiam nostram applicant ad initia temporis gratiæ, Prærogativam quæ hoc loco Ecclesiæ promittitur, primo loco referunt ad *Beneficium* illud *corporale* quod Christus Jesus ipse inter Judæos præsens contulit in *cæcos* & *surdos* plures opem ejus implorantes dum *oculorum* & *aurium* affectarum usum iis restituit, & conferri hic jubent loca Evangelii [g] in quibus Beneficii hujus memoria relicta est. Quare quod hic dicitur, IN TUNC, interpretantur: *Quum advenerit Christus.* Sic inter alios Piscator & Belgæ. Equidem lubens largior, illustre illud Opus Domini, quo inter homines versatus oculis auribusque captos sanavit, veluti in typo quodam aut imagine figurasse magnum illud Beneficium Gratiæ quo homines liberaret ab affectibus *cæcitatis* & *surditatis* spirituali sensu sic dictis, h. e. à vitiis ignorantiæ & ineptitudinis percipiendi ac discriminandi res spirituales: ut sane miranda Opera omnia à Christo Jesu edita singularem *σχέσιν* habuerunt ad Oeconomiam Gratiæ: verum longe absum à sententia, quæ statuit, Prophetam his verbis *directe* de Miraculis Messiæ corporalibus vaticinatum esse. Primo quidem Vates noster clarissime docet, Beneficia hæc *aperturæ oculorum* & *aurium* fore consequentia gravissimi Judicii inflicti hostibus Ecclesiæ & vindictæ singularis exempli à Deo exercitæ: imo vero illud *Judicium* Dei *illustre* & *Vindictam* ab ipso administrandam se habituram esse instar *medii caussalis* respectu hujus *aperturæ oculorum* & *aurium.* quod utique non convenit illi tempori Oeconomico quo Dominus in his terris egit. Deinde cum ex hac ipsa ratione, tum ex contextu orationis & ex analogia constante phrasios Prophetæ liquet, sub his verbis explicari *Beneficium spirituale* illuminationis intellectus & rectificationis Judicii in discernendis rebus spiritualibus; atque etiam (ut *aurium* in mysticis duplex est aspectus:) inclinationis voluntatis ad promptitudinem obsequii Voluntatis Divinæ. quæ duo in spirituali statu ita inter se cohærent, ut alterum ab altero nunquam sejungatur. Sic phrasis nobis occurrit Cap. XXIX. 18. XXXII. 3. & deinceps recurret Cap. XLII. 7. Sensus itaque Prophetæ est, illo tempore quo Deus sua *Judicia* illustria in commodum Ecclesiæ erit vulgaturus, & *gloriosam suam præsentiam* apud Ecclesiam exhibiturus erit argumentis clarissimis incredulitatem & incredulitatis pertinaciam victuris; homines vel plane ineptos ad pervidendam veritatem salutarem ex communibus argumentis quæ ad eam demonstrandam adhiberi solent, ob vim erroris & præjudiciorum in quibus hærent; (quæ *cæcitas* est spiritualis,) & æque ineptos ad res spirituales rite discernendas ac discriminandas, & ob affectuum vitiosorum imperium imparatos ad attentionem & obsequium præstandum illi veritati ac voluntati Divinæ: (quæ *surditas* est spiritualis:) vel si non plane *ineptos*, tamen ob præjudicia quædam sibi adhærentia *minus aptos* ad officia hæc spiritualia, nec ab omni incredulitate liberos: illos, inquam, hoc tempore per claram lucem ac demonstrationem veritatis & gloriæ Dei fulgentis in mirabilibus effectis gratiæ & justitiæ ejus excitatos ac per gratiam illuminantem S. Spiritus motos ac convictos de veritate Dei & doctrinæ salutis, ut & de veritate Ecclesiæ, veram doctrinam salutis ab erroribus purgatam esse intellecturos, agnituros; patulis auribus eam exceptu-

Membrum tertium hujus Sectionis, complexum *Privilegia* hujus Status Ecclesiæ.

Privilegium Primum, ℣. 5. *Oculi cæcorum & aures surdorum aperientur.*

Nexus & summa Orationis.

Primum horum Beneficiorum: *Clarior notitia viarum Dei.*

Vulgata interpretatio, secundum quam hoc *Beneficium* refertur ad *miracula* Christi in *cæcis, surdis,* edita.

Quid veri subsit huic meditationi?

Primo sensu horum verborum ad hæc *Miracula* non respicitur: sed ad *Beneficia spiritualia* analoga iis figurata.

Rationes ejus sententiæ petitæ ex nexu orationis.

Et ex analogis.

Sensus primus & genuinus Vatis expositus, & descriptio Beneficiorum spiritualium, hic memoratorum.

[a] Cap. LVI. 1. [b] Cap. LXII. 11. [c] Cap. II. 2. [d] Cap. IX. 7. [e] Cap. LXIII. 4. [f] Apoc. XIV. 8. [g] Matth. IX. 27. XI. 5. XII. 22. &c.

cepturos; prudente mente discreturos; voluntatemque & affectus inclinaturos esse ad obsequium Dei & veritatis. Hæc est illa gratia Φωτισμῶ *illuminationis*, ad superiora loca, modo notata, à me uberius exposita, quam Deus majore mensura dispertiet Ecclesiæ statu ejus glorioso, quem secundum typos & Oracula Prophetarum exspectamus, quam fecerat superioribus. Quandoquidem enim Ecclesia Christi Jesu illo tempore perveniet ad summum gradum perfectionis ei decretæ in his terris: inter Beneficia & Prærogativas ejus erit Notitia clarior & uberior Dei, viarumque ejus ac doctrinæ salutis, & certior intelligentia atque interpretatio Verbi ipsius, quam superioribus Ecclesiæ ætatibus: si donum ἀποκαλύψεως *Revelationis Apostolicæ* hic excludas. α. Quia ex Judiciis Dei & singularibus effectis Gratiæ ejus vera Ecclesia, atque adeo vera Fidei Christianæ confessio, illa ætate certius erit demonstranda. β. Oracula & Promissa antiqui temporis veluti maximam partem implementum suum consequuta clarius intelligentur. Liber Propheticus olim obsignatus reclusis sigillis evolvetur & explicabitur totus; & priora ex posterioribus cognoscentur. γ. Omnis labor, diligentia, exercitatio, observata laudabilia superiorum Ecclesiæ temporum inter se collecta, huic tempori inservient idque illustrabunt. *Lux Solis* se hoc tempore ostentabit ut *lucem septem dierum.* δ. Deus Ministris suis illa Ecclesiæ ætate indulgebit gratiam majoris lucis, perspicacitatis & acuminis spiritualis, in perspiciendis mysteriis Verbi sui ac revelandis arcanis tegmine typorum ac figurarum antiqui temporis involutis. quod ipsum accendet studia & indaginem hominum simplicioris ingenii, qui ad hanc exercitationem spiritualem minus videbantur parati. Ecclesia tota plena erit luce. Verbum Dei in medio positum & prudenter expositum subjicietur ἀναπρίσει & διακρίσει multorum. APERIENTUR *oculi*, & APERIENTUR *aures:* h. e. homo spiritualis facultates suas hoc tempore perfecte exercebit. Ad hoc itaque tempus non tantum referendæ sunt prophetiæ quæ hanc prærogativam directe explicant [a]; verum etiam aliæ iis analogæ quæ Beneficium uberioris illuminationis generatim vindicant Regno Messiæ, per gradus & articulos temporum implendæ [b]. Quid vero hic negamus aut dissimulamus initia hujus prærogativæ, ex dispensatione Gratiæ Divinæ nostris temporibus indulta? Quis enim recti animi hominum neget, scientiam rerum Divinarum, scrutinium & intelligentiam Verbi Dei, & studia Literarum his cognata proximis Sæculis duobus maxima fecisse incrementa, & adhudum facere? Quo vero fine, nisi ut per gradus & partes perficiantur? Non est enim probabile, Deum cura singularis providentiæ suæ hanc accendisse lucem, ut eam extingueret. Vel maligni sunt judicii, vel ingrati animi, qui id agnoscere ac Divinam gratiam hac parte prædicare & celebrare gravantur.

Prærogativa secunda: *Alacritas in obeundis muniis spiritualibus.*

℣. 6. TUNC *saliet* CLAUDUS *tanquam cervus*; *& lingua* MUTI *jubilabit.*] In statu spirituali affectus sive vitiosi sive laudabiles tam arcte inter se cohærent, ut vitium unum & vicissim beneficium unum gratiæ cognata involvat: quod in temporali statu secus se habet. Qui in spirituali statu *cæcus* & *surdus* audit: idem censebitur captus esse pedibus, *claudus*, *mutus*, *æger*, *languidus*, & quæ sunt hujus generis vitia alia. Et tamen oratio Prophetæ sic est comparata ut nobis non tantum subjiciat cogitationem de *sanatione* horum affectuum, verum etiam de singulari *alacritate* qua liberati à vitiis & instaurati in statum valentiæ spiritualis functiones omnes vitæ spiritualis obirent. *Claudus* pedibusque captus non *incederet* tantum recte sed & *saliret: mutus* non loqueretur modo, verum etiam cantaret, & *jubilaret:* quæ signa sunt sanationis perfectæ cum alacritate & agilitate conjunctæ. *Claudus*, mancus, curtus, qui utroque vel alterutro pede *claudicat*, vel *pedibus captus* ut gradum recte administrare nequeat: (utramque enim significationem involvit vox נכה:) dicitur in statu spirituali homo *incerti* & *instabilis judicii*, modo in hanc, modo in illam inclinatus partem: quod *vitium* incredulitatis est. Hæc significatio obtinet, si vitium referas ad judicium. Sed si ad *facultatem actricem:* claudus vel *pedibus captus* notat quem destitutum facultate spirituali *incedendi*, h. e. se movendi aut recte movendi secundum præscriptum Divinæ Legis, & obeundi officia sibi mandata. quæ facultas spiritualis cum unice pendeat à vera & viva fide: vitium hoc vel ex ignorantia veræ Religionis vel ex incredulitate arcessendum est. *Mutus* dicitur defectus facultate de rebus spiritualibus differendi. quod vitium rursus derivatur vel ex *ignorantia* viarum Dei & rerum spiritualium; vel ex ἀπιστίᾳ *incredulitate*, aut δυστιστίᾳ *credendi difficultate* ac *tarditate*. Fides enim viva & certa homini aperit os. *qui credit, loquitur.* Posterior caussa, h. e. *incredulitas*, credendi tarditas, & judicii incertitudo atque instabilitas, hoc in loco utriusque vitii respectu ex primo sensu contemplanda est. Tempore sævientis persecutionis & status Ecclesiæ languentis multisque obrutæ scandalis homines non pauci inciperent claudicare, vacillare judicio, judicium suspendere, &, desperato veluti Ecclesiæ statu, *silere*, os & linguam comprimere: certe de spe meliorum temporum & optato rerum exitu non loqui fidenter ac diserte; in ipso etiam charitatis ac Christianarum virtutum exercitio remissius versari: verum postquam Deus ultionum vindictam notabilem ac conspicuam sumpsisset de hostibus suis & palam suscepisset vindicias Ecclesiæ afflictæ; resumerent animum; officium qualecunque Legis Christianæ obirent alacriter & ἐν ἀγαλλιάσει *cum exultatione* [c]; non *incederent* tantum sed & *cervorum* instar gradiendo veluti saltantium aut cursitantium, facultates spirituales agiliter ac lætabundi exercerent, & de mysteriis fidei ac viis Dei intrepide, diserte, fidenter dissererent. de quo videnda sunt quæ prolixius explicui ad ℣. 3. & ad Cap. XXXII. 4. Et hic quidem primus est sententiæ sensus, sed qui ampliorem involvit. Cum enim verba Prophetarum in summa emphasi accipienda sint, si eam ferant circumstantiæ orationis: rectissime in hoc loco, ut sequentia evincent, subaudimus; hoc ipso tempore quo Deus per Spiritum suum *claudos* & *mutos in Ecclesia* à defectibus suis spiritualibus liberaret, futurum esse, ut ingente numero homines extra Ecclesiam huc usque versati in *ignorantia veri Dei*, superstitione aut idololatria delusi, & ad officia spiritualia obeunda ac vias Dei edisserendas plane inepti, per Gratiam Divinam donarentur aptitudine spirituali Deo cum alacritate serviendi, eumque cum jubilo celebrandi; quippe hoc tempore *multitudo Gentium* in Ecclesiam *iret*. Sic Moses [d]: *Jubilate* GENTES, *Populus ejus.* h. e. cum Judæis arctissime conjunctæ. Confer Jes. LXV. 14. Quæ prærogativa Regni Christi Jesu *miraculis* hujus generis à Domino in hisce terris editis olim figurata, ut ad totam Regni ejus Oeconomiam pertinet: sic primo & extremo tempore Ecclesiæ potissimum conspicienda erat, ut ad antecedentia jam præmonui. Primum docuit experientia: alterum juxta prædictiones & promissa exspectamus.

Prærogativa tertia hujus temporis: *Diffusio Gratiæ Divinæ* per Orbem, & per *Loca* olim Satanæ subjecta.

℣. 6. *med.* *Quippe prorumpent in* DESERTO *aquæ & torrentes in solitudine.* ℣. 7. *Eritque æstuosa in stagnum, & siticulosa in scaturigines aquarum:* IN CAULA DRANONUM, loco quo RECUBARE SOLEBANT, *late excrescet calamus & juncus.*] Novum specimen paradoxæ inversionis naturæ rerum respectu status ejus spiri-

Claudus mystice sic dictus describitur.

Caussæ hujus vitiosi affectus. Quis in statu spirituali *mutus* dicatur? Ejus vitii caussæ.

Penitior aspectus sententiæ Prophetæ. Beneficium ultimi temporis Ecclesiæ.

Miracula Domini hoc Beneficium Gratiæ figurantia.

Privilegium tertium hujus Status Ecclesiæ: *Diffusa Dei gratia per Orbem idolo-*

[a] Jes. LX. 2. 3. 20. Ezech. XLVII. 1. 2. seqq. Dan. XII. 3. 4. Zach. XIV. 7. 8. 9. Apoc. X. 7. XXI. 23. 24. [b] Jes. XI. 1. 2. seqq. XI. 9. XXX. 26. LIV. 12. 83. Jer. XXXI. 32. seqq. [c] Act. II. 46. Jud. ℣. 24. [d] Deut. XXXII. 42.

Interlicum, ℣. 6. med. & 7. Mirabilis aspectus beneficii hic descripti.

spiritualis; quod huic tempori redderet imaginem temporis Apostolici. Non tantum languidi, solatio defecti, & sitibundi gratiæ in Populo Dei qui speciem exhibuerant Deserti, hac tempestate explerent sitim & bonis Gratiæ Divinæ large ditarentur: verum etiam Gentes, eæque maxime barbaræ, vacuæ olim omni gratia & vero solatio, occupatæ inhabitatæque à Satana ejusque satellitibus, hoc tempore præferrent speciem Populi donis Spiritus S. & bonis Divinæ gratiæ ad omnem copiam & exuberantiam consolationis & vigorem vitæ spiritualis large instructi: imo vero inter illas Gentes, olim aridas, steriles, cognitione Dei & gratia ejus vacuas, emergerent Doctores docti, sapientes, egregie exercitati in sermone justitiæ, qui laticem salutarem doctrinæ veræ cum gratia Sp. S. conjunctæ ad aliorum institutionem ac consolationem affatim exhiberent. Hic sensus est illustris pericopæ; sed quæ in dubiis illustrari meretur.

Vocula כי, hanc partem orationis cum superiore connectens, quomodo hic accipienda?

Primum est quod hic observo, fere perinde se habere, ut vocula כי, quæ hanc partem orationis cum superiore connectit, in hoc loco acceperis: sive simpliciter ut notam *copulæ conjunctionis*, quando demonstrabit, hoc Beneficium superiori conjunctum fore; sive *αἰτιολογικῶς*, verteris, *quippe*, *quia*, *siquidem*, *etenim*; sive, ut signum temporis, *quum:* ut Cl. Coccejus: Quum *proruperint in Deserto aquæ.* Sensus enim Prophetæ, inferius declarandus, omnes has notationes admittit. quippe Beneficia Gratiæ Divinæ hujus temporis ita inter se cohærent, ut unum ex alio explicari queat & sibi mutuo præstent *σχέσιν antecedentium* ac *consequentium.* Et tamen nihil vetat hic discedere à communi notatione voculæ *ratiocinativa.* Copia enim Gratiæ Divinæ cum *sitibundis* & *defectis* communicanda, quæ hic describitur, in caussa esset quod *cæci*, *surdi*, *muti*, spirituali sensu sic dicti, à tristibus affectibus quibus laborabant, liberarentur. Secundo, quod in initio ℣. 7. dicitur: והיה השרב לאגם haud dubie recte vertitur: *Et erit locus æstuosus* sive *torridus in stagnum.* Vox שרב Chaldæis notat *æstum*, ardorem *Solis*, & usurpatur hac significatione à Vate nostro Cap. XLIX. 10. ut adeo *Synecdochice* hic recte sumatur pro loco æstui Solis urenti subjecto. Et tamen extat ad hanc vocem animadversio Doctissimi Viri, hic non prætereunda. Est Cl. Golius qui observavit, & ex eo Eruditissimus Monachus [a], vocem שרב Arabibus peculiari sensu usurpari pro *vapore quodam* seu *splendore in Desertorum planitie* qui procul contuentibus appareat sub *phantasmate* sive *forma vasti lacus quem ab arenis repercussi faciunt radii solares:* quo phantasmate viatores siti pressi in Desertis sæpe deludantur. Cum enim hæc *aquæ species illos procul invitet; propius accedentes fallit, quippe quæ tantundem recedit, & eodem semper intervallo distat, vel propius evanescit.* Comparat Vir Doctus quæ apud Curtium de Desertis Sogdianorum locis leguntur [b]: *Per quadraginta stadia ne modicus quidem humor exstitit. Arenas vapor æstivi Solis accendit, quæ ubi flagrare cœperunt, haud secus quam continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ fervore excitata, lucem tegit: camporumque non alia, quam vasti & profundi æquoris species est.* Id equidem si Jesaias respexerit, pulchre ad rem facit. Propheta docet, futurum esse, ut loca vel maxime sterilia ut sunt arenosa & fabulosa, quæ æstu solis adusta æquoris & stagni phantasma exhibent, hoc tempore in stagna non ficta sed vera convertantur. Tertia animadversio pertinet ad extrema sententiæ, quæ non carent dubio. Hebræa sunt: בנוה תנים רבצה חציר לקנה וגומא quæ verti: *In caula Draconum* ipsum locum *in quo recubare solebant, obtinebunt arundo & juncus.* Si sensum spectes, nihil fere dissentiunt Chaldæus & Hieronymus. Ille simpliciter: אתר דהוה ירודין שרין תנן יסקון קנה וגומא *In loco in quo Dracones habitabant, ascendet* (Int. *multiplicabuntur*,) *calamus & juncus.* Hieron. *In cubilibus in quibus prius Dracones habitabant, orietur viror calami & junci.* Plerique alii se ad has partes admovent. Piscator: *In caula Draconum, in cubili cujusque illorum, gramen erit cum arundine & junco.* Sequutus fere est Tremellium. Est docta versio, ut mox monebo. Cl. Coccejus hic à cæteris longius abit. *Cujus in mansione Draconum erat recubatio, ejus gramen in arundinem & juncum erit.* Sententia non est facilis, & absque ambagibus explicari nequit. Obstat certe, α. Quod ex hac interpretatione ratio reddi nequeat, quare *affixum* in voce רִבְצָהּ sit *debilioris generis.* debebat esse רבצו. Subjectum enim sententiæ secundum hanc versionem est *homo.* β. Quod partes emblematis minus cohæreant. Durius enim est dictu, hominem *recubare in ipsa mansione Draconum:* ut quoque illud, *gramen esse in arundinem & juncum.* Cl. de Dieu, de difficultate loci præfatus, *affixum* vocis רִבְצָהּ non refert ad *serpentes*, sed ad *subjectum*, mente Prophetæ conceptum, sed in textu non expressum, h. e. ad *terram.* Vertit itaque: *Cujus* sc. terræ, *accubitus erat pro habitaculo Draconum*, erit *atrium calamo ac junco.* Id est, *quæ terra non alium habebat usum quam ut cubationem præberet Draconibus, iisque pro habitaculo esset: illa verteretur in amœnum pratum, &c.* Mox tamen rursus se ipse deserit, & se convertit ad Junium; & aliud etiam deinde subjicit quod nihil commendabile præfert. Præstat dicere, si res ita ferat, nos sensum Vatis non perspicere, quam dura & insolentia ei impingere. Quid enim durius dictu, quam *accubitum terræ esse pro habitaculo Draconum?* Verba Prophetæ alterutro modo vertenda sunt, vel, *In habitaculo Draconum*, ipso illo loco quo *recubare solebant, gramen erit cum arundine & junco.* vel, erit *atrium* sive *locus spatiosus calamo & junco.* In priore membro non hæsito. Verto verba: *In caula Draconum* quo loco *recubare solebant.* Piscator: *In cubili cujusque illorum.* In quâ versione supponitur, affixum vocis רִבְצָהּ referendum esse ad תנים *Dracones*, in quo resident difficultas. Est enim affixum *generis debilioris* & *numeri singularis*, cum vox תנים *Dracones* flexa sit *numero plurali* & videatur esse *terminationis masculinæ.* Sed utrumque jam expedivit Kimchius, ut neminem hic necesse sit hærere. Enallage *numeri* nullam habet difficultatem quippe frequentissimi usus. explicanda est vel *distributive*, ut notet, *cujusque illorum*, vel *κατὰ συγκομιδὴν collective*, ut affixum referatur ad totum *corpus* Draconum collectim sumptum. Id sæpe jam à nobis & à Grammaticis observatum est [c]. Sume tibi exemplum quod nunc ante oculos versatur, ex I Sam. XIII. 6. ויראו איש ישראל כי צר לו Proprie. *Et vir Israëlis* sc. collectim sumptus, h. e. Israëlitæ,) *viderunt quod* SIBI (singulari numero,) *esset angustia.* Alterum vero dubium, ex *generis* differentia natum, plane nullum evadit, si ad animum referas, vocem תנים utrumque genus admittere, quippe complexam *mares* & *fœmellas:* & quidem ut תנינים, in *plurali* frequentius usurpatur de maribus, sic תנים de fœmellis. Certe occurrit hac terminatione in Threnodia Prophetæ [d]: גם תנים חלצו שד הניקו גוריהן *Etiam Dracones*, (תנים, ut hic legunt Masorethæ,) *expediunt* UBER: *lactant catulos suos.* Intelliguntur Dracones marini. Prophetam autem nostrum id in oculis habere, facile videas, si ad orationis emphasin attendas. Non dicit Propheta, *Locum* in quo simpliciter versantur Dracones; sed quem locum illi amant, in quo recubare solent, & ubi fœmellæ ponere solent ova sua, (qui locus supponitur maxime esse *sterilis*, ac *defectus*,) convertendum esse in locum frugiferum. Sic legendus Propheta: *In mansione Draconum*, רבצה ipse ille *locus in quo recubare solent*, erit *atrium* sive *locus spatiosus pro arundine & junco:* vel, *In mansione Draconum*, ipso illo loco quo *recubare solent*, (רבצה pro ברבצה) erit *gramen cum arundine & junco.* Uterque sensus est bonus, & huic loco optime conveniens. Sed priorem hic eli-

Variæ versiones adductæ.

Animadversa ad versionem Cl. Cocceji.

Et Cl. de Dieu.

Duplex versio Verborum commendabilis in medium producta.

Prioris membri sententiæ Versio illustratur.

Enallage in voce רבצה expedita.

Locutio illustratur ex analogis. Locus 1 Sam. XIII. 6.

Vox תנין utrumque genus admittit.

Interpretatio adstruitur ex ipsa oratione Prophetæ.

Poteſt hic obtinere vulgata ſignificatio *quia*, *quoniam.*

Notatio vocis שרב in ℣. 7.

Eruditi Viri de hac voce obſervatum, quod exponitur.

Locus Hiſtorici Romani de *Deſertis inaquoſis*, ad verba Prophetæ illuſtranda adductus.

Extrema ſententiæ Prophetæ expenduntur, ℣. 7. *In caula Draconum* quo loco *recubare* ſolent, *arundo & juncus* creſcerent.

a *Not. & Obſerv. ad Epiſt. Polycarpi, Var. Sacr.* Tom. II. p. 123. b Hiſt. Alex. Lib. VII. Cap. V. c Glaſſ. Gr. S. Lib. III. Tract. III. Can. LII. d Thren. Cap. IV. 3.

eligunt Aben-Ezra & Kimchius. Illi vocem חציר hic sumunt pro חצר quod proprie notat *atrium*, mansionem laxiorem, primo quidem quia hic opponitur voci נוה *habitaculum*, *mansio*; & deinde, quia Propheta vocem sic usurpaverat in *Sermone superiore* [a]: *Et erit* נוה תנים *mansio Draconum: atrium* (חציר) *struthionibus.* Sic sensus facilis & planus exurgit; *Ipsam mansionem Draconum* convertendam esse in locum spatiosum & irriguum in quo *calamus* & *juncus* alte enascantur. Sed verba Prophetæ non minus commode quoque illum ferunt sensum, quem amplexi sunt Belgæ, ut dicat Propheta, *In ipsa mansione Draconum* ubi *recubare* solent, fore *gramen* CUM *calamo* & *junco*. Videlicet vox חציר communiter *gramen* significat; & præfixa ל Hebræis quibusdam locis elegantius sumitur *inclusive*: quam notationem cum Cl. Coccejus ipse docte illustraverit [b], mirum videatur, hoc in loco ejus nullam habuisse rationem. Sic Gen. IX. 10. *Ex omnibus egressis Arcam*, לכל חיית הארץ ET *omni animante terræ.* sive, CUM *omni animante terræ.* Sed egi de eo nuper ad vocem לשרים Cap. XXXII. 1. Forte tamen prior interpretatio, quæ חציר reddit per *locum, spatium, aulam*, exhibet veram mentem Prophetæ ob eas quas modo producebam, rationes. חצר notat *aulam, atrium, suburbium.* Sententia Vatis elegantior est, *Deserta* arenosa, sterilia, infrugifera, æstu urentia, in quibus *recubabant Dracones*, convertenda esse in stagna, in quorum *ambitu* luxuriose excrescerent *arundo* & *juncus.* Ita est, ut dixi. Propheta per *sedem* sive *locum recubitus Draconum* hic intelligi vult locum maxime desertum, vastum, sabulosum, æstu torridum. Etiamsi enim *Dracones* minime quoque abhorreant ab *irriguis vallibus* & in illis subinde stabulentur: quod experientia docet: pertinet tamen fera ad *solitudines*, & quidem vastas, desertas, siticulosas, à Sole adustas; & ipsa sane Draconum ac plerorumque serpentium natura tota veluti ignea convenit conditioni locorum in quibus hospitantur. Propheta noster id palam in superioribus supposuit, ubi loca penitus vastanda ac desolanda facit sedem *Draconum* [c], & Naturalium rerum historia id confirmat. Non est autem necessarium dictu, Vatem his verbis certum aliquod *Desertum* in oculis habuisse ad quod alluserit. Mystice enim intelligi non vult de uno aliquo *Deserto* sic dicto: sed de pluribus & variis. Et consentient tamen facile peritiores, nullius Deserti hic potiorem haberi posse rationem quam vasti illius, inaquosi, & aliquam sui partem sabulosi Deserti Arabiæ Petrææ & Desertæ, sic dictæ. En attributa ejus ad hunc locum illustrandum facientia ex Oratione Mosis: Deut. VIII. 15. *Qui te duxit* (sermo est de Deo:) *per Desertum hoc magnum ac terribile, ubi est serpens cherſydrus & scorpio;* וצמאון & SITICULOSUM (h. e. per Desertum siticulosum;) *in quo* NULLÆ AQUÆ. Operam dedit ὁ πάνυ loco illustrando [d]. Mitto Asiæ, & in ea Indiæ, Libyæ & Africæ Deserta sabulosa, vasta, torrida, ἄνυδρα, mansiones serpentum ac scorpionum, de quibus historia.

Quid mysterii latet sub hoc velo? Esse enim beneficium spirituale quod hic sub emblemate corporali commendetur, omnes largiuntur. Equidem videri jam possemus id expediviſse ad ℣. 1. 2. hujus *Sermonis*; nec placet ibi in rem dicta repetere. tantum ad singularia & propria hujus loci attendere juvat. Non satisfaciunt emblemati, qui hic tantum cogitant de piis, afflictis, solatio vacuis in Populo Dei, vera & copiosa consolatione hoc tempore reficiendis, tum ex singulari mutatione rerum, quæ in hanc tempestatem incideret; tum ex influxu exuberante Divinæ Gratiæ. Non excludo hanc interpretationem mysticam emblematis. tenui enim sensu id significare potest: de quo in superioribus differui. Sed Vates nos hoc in loco ducit in aspectum longe augustiorem. Exhibet nobis hic Deserta vasta, torrida, sabulosa, in quibus hospitari soleant Dracones, convertenda in prata amœna, frugifera, irrigua; quippe fontium plena ac stagnorum. Perscrutemur, sive potius, cum res obscura non sit, indicemus quid hæc sibi velint.

Primo quod Propheta ait, *Erumpent* (proprie, *findentur*,) *in Deserto aquæ & torrentes in solitudine:* cum manifesto respiciat *fontes* in Deserto erupturos & *torrentes* ex fontibus promanaturos: eo significatur, inter Gentes & Populos sive in ignorantia veræ Religionis versatos sive superstitione delusos, & utraque de causa destitutos Gratia ac consolatione, (cujusmodi Gentes & Populi stylo Scriptura S. veniunt nomine *Deserti:*) exorituros esse *Doctores* egregios, à Spiritu Dei affectos, notitia Dei ac viarum ejus subactos, qui doctrinam veræ Sapientiæ & Religionis ore ac scriptis ex divite vena tanquam ex fonte inexhausto (certe ex inexhausta scaturigine Verbi Dei,) publice profiterentur in plurium usum; & quidem eo cum successu, ut fructus concionum, laborum ac studiorum horum Doctorum se *torrentium* instar longe lateque diffunderent. Id facillimum. Est enim hæc mystica interpretatio *fontium* de Doctoribus, & *aquarum* de *institutione* veræ Religionis copiosa, salutari, frugifera, consolatoria, ubique in sacris recepta: perinde ut *Deserta* ἄνυδρα è contrario significant terras & populos vera Religione, Religionisque Doctrina, ac proin consolatione, vacuos. De *Fontibus* ut Doctoribus vide Ps. LXXXVII. 7. 2 Pet. II. 17. Apoc. VIII. 10. XIV. 7. Comparatio hic est facillima, & in cujusque incurrit sensum. Secundo, quod Propheta affirmat, *æstuosum* illo tempore evasurum esse *stagnum* & *siticulosum in scatebras aquarum:* notat, inter Gentes hoc tempore futuras esse *Scholas*, *Academias*, *Seminaria* publica, in quibus Doctores plures collecti institutionibus veræ Religionis ac Scientiis affinibus tradendis affatim vacarent. Hæc interpretatio genuina est, ut putem, *Stagni aquarum:* quam natura comparatorum infert. Significat mystice Academiam, Scholam, Seminarium, in quo plurium Doctorum congressus fit, & *aqua*, h. e. doctrina, institutio, Scientia, veluti in communem locum colligitur. Confer hic locum insignem & huic nostro parallelum ex Ps. CVII. 35. Tertio, quod Propheta addat, ipsam *mansionem Draconum* & quidem illum locum ubi fœmellæ *recubare* & *eniti* solebant; convertendam in stagna in quorum *atriis* sive circumjacentibus ripis *arundo* & *juncus* excrescerent: (ad exemplum fertilissimorum arvorum Ægypti [e]:) quam est jucundæ contemplationis? Intelligis inde, hoc tempore Populos, Regna, Urbes, in quibus Satanas vel maxime dominari aut hospitari solebat, quippe crassæ idololatriæ, falsæ Religioni, aut superstitioni, vitiisque cognatis obnoxia, non liberanda tantum esse ab errore & vitiis, verum etiam irrigata doctrina & gratia salutari, ac donis Sp. S. productura esse insignem proventum præstantium Virorum qui vigorem & virorem vitæ spiritualis ac veri Christianismi ostentarent, & doctrina, pietate, sanctimonia, studioque virtutis alte, & quidem supra commune *gramen*, eminerent. Hic fuerat aspectus primi temporis gratiæ. Loca in quibus recubare solebant *Dracones*, persecutores Veritatis, odio & ira inflammati, terribiles, patulo oris rictu plebem Christi Jesu deglutire parati, veluti Roma, Mediolanum, Vienna, Carthago, Corinthus, Athenæ, Ephesus, Nicomedia, Antiochia, Alexandria, & his similia, metropoles idololatriæ & superstitionis omnisque impuritatis, conversa sunt in Ecclesias, Academias, Scholas, in quibus doctrina veræ Religionis tradita assertaque est ab egregiis Viris qui ex ipso Paganismo oriundi, mutato conversoque solo, (imo mutata veluti natura rerum,) in magnum Ecclesiæ decus excreverunt. Inde præjudicium capere licet de fato Ecclesiæ novissimi Sæculi, quando Deus magnum opus gratiæ suæ in

Vox חציר hic tu-nenda pro *gramine*; num pro *loco spatioso*?

Utraque sententia e-ucidatur.

Usus præfixæ ל, quæ aliquando sumitur *inclusive*.

Posterior interpretatio præcipue commenda-tur.

Hypothesis sententiæ: *Dracones* po-tissimum re-cubare & fœtus suos eniti in locis maxime si-ticulosis. quæ illustra-tur.

Alluditur præcipue hoc loco ad vasta *Deserta Arabiæ*.

Mysterium, quod his verbis sub-est, evolvi-tur.

Beneficium, quod Eccle-siæ hic pro-mittitur, est spirituale.

Sensus my-sticus de-monstratur.

In *Deserto Gentium* exi-sterent plu-res *Doctores* egregii, do-ctrinam salutis inter Gentes co-piose expo-nerent.

Doctores hic sunt *fon-tes* & *torren-tes*, qui in *Deserto* ebul-lirent.

Emblemati-tis significa-tio ex ana-logis illu-stratur.

Per *Stagna aquarum* in Desertis lo-cis appariturа, intelligun-tur *Scholæ* & *Academiæ*.

Emblema explicatur.

Locus Ps. CVII. 35.

Gradatio Prophetæ, quod in ipso *Loco* quo *re-cubare* solent *Dracones*, Scholæ illæ aperirentur, quid myste-rii involvat?

In Locis Satanæ olim consecratis, publica cele-braretur Re-ligionis pro-fessio.

Aspectus primi tem-poris Gratiæ.

Præjudi-cium inde sumptum de Statu Eccle-

[a] Cap. XXXIV. 13. [b] In Lex. [c] Cap. XIII. 21. XXXIV. 13. &c. Vide Bochart. *Hieroz.* P. II. L. III. C. XIV. [d] *Hieroz.* P. II. L. III. C. VIII. [e] Cap. XIX. 6.

ſiæ noviſſimæ Periodi. Spes de eo Eccleſiæ explicatur.

converſione Gentium conſummabit. O Deus! quanta hic meſſis demetenda reſtat in tribus partibus Orbis terrarum! Quam vaſta ſunt *Deſerta* Mundi exſortia Divinæ Gratiæ, ac quam amplæ ac frequentes Metropoles Orbis in quibus Satanas per falſam Religionem aut ſuperſtitionem atque idololatriam quoque, licet jam valde attritam, adhuc hoſpitatur? Quid dicam de Urbibus florentium Regnorum Regno Chriſti Jeſu recta adverſantibus & de aulis Principum, tyrannorum ac perſecutorum Eccleſiæ, longa jam majorum ſerie, id maxime nitentium, ut verum Chriſti Jeſu Regnum in Mundo opprimant atque exterminent? Hæc ſunt *loca* in quibus *recubare* ſolent *Dracones:* ſive, ut Vates noſter alibi *foramina aſpidis & caverna baſiliſci* [a]. Eſtne ſupra potentiam Dei efficere, ut hæc loca convertantur in *atria*, aulas, h. e. loca libera & ſpacioſa in quibus arundo & juncus apud ſtagna aquarum ſalutarium luxurientur? Sane magnum erit & paradoxum opus Gratiæ Divinæ: ſed Deo dignum, nec infra ejus vires, majeſtatique ejus glorioſum. Eſt enim ejuſdem potentiæ *ponere deſertum in ſtagnum aquarum, & terram aridam in ſcaturigines aquarum*, h. e. populis extra communionem ſuam verſatis ac defectis gratiam ſuam large diſpenſare, cujus eſt vice verſa, *ponere flumina in deſertum & ſcaturigines aquarum in ſiticuloſam, & terram frugiferam in ſalſam propter malitiam habitantium eam.* h. e. à Populis qui magnum beneficium Veritatis cœleſtis non ſatis reverenter habuerant & *veritatis amorem non receperant*, Regnum ſuum, h. e. Lumen & Gratiam ſuam, auferre, ut exemplum edendum erat in Edomo myſtice ſic dicta. Sic eleganter utrumque cum reſpectu ad hunc ipſum vel ſimilem eventum conjungit Vates ſacer Pſ. CVII. 33. ſeqq. Convenire autem hanc prærogativam, ut eam declaravi, ultimæ Periodo Eccleſiæ, qua exſpectatur *ingreſſus plenitudinis Gentium:* nemo eorum negat, qui hypotheſin de inſtaurando ſtatu Eccleſiæ admittunt. Fateor, eſſe Beneficium commune toti Oeconomiæ Novæ & pertinere ad ejus characteres, ut patet ex parallelis ſupra adductis ex Cap. XLI. 18. 19. XLIII. 20. ſed quicquid tota Oeconomia Regni Chriſti ſibi vindicat, hoc tempore eximium apparebit. Hoc tempore *κατ' ἔμφασιν terra* PLENA ERIT *cognitione Jehovæ ut aquæ tegunt fundum maris* [b]; & *omnes alvei Judæ ibunt* repleti *aquis* [c]. Plura non addo, cum de re ipſa ad initia hujus *Capitis* preſſe ſatis diſſeruerim.

Effectum hoc non eſt ſupra Dei potentiam.

Comparatio ejus cum ſimili Dei opere.

Prærogativa hæc maxime convenit ultimo tempori Eccleſiæ.

Prærogativa quarta: *Puritas Eccleſiæ, ejuſque caſta diſciplina.*

Prærogativa quarta: *Puritas Eccleſiæ, ejuſque caſta diſciplina*, vſ. 8.

vſ. 8. *Et erit ibi* AGGER *&* VIA *quæ appellabitur* VIA SANCTA: *immundus ea non incedet: ſed* IPSORUM ERIT. *Ambulans hac via, ne ſtulti quidem, deerrabunt*] Senſus eſt, CANONEM FIDEI & MORUM, ſecundum quem incedendum eſt Iſraëli Dei, hoc tempore tam clare & perſpicue ex Verbo Dei demonſtratum iri, ut ne quidem ſimplicioris & minus exercitati ingenii homines, veritatis amantes & ad communionem Eccleſiæ veræ properantes, ab eo temere deerraturi ſint. quam ſententiam elegantis hujus pericopæ ita adſtruam & illuſtrabo, ut quæ mihi ad phraſin Prophetæ monenda ſunt, cum ipſarum rerum, h. e. myſtici ſenſus interpretatione commiſceam. quare per ſingula ibo, ne quid inconſulto præteriiſſe videar.

Senſus & ſumma dicti Prophetæ.

Quo modo Intt. aliqui hic concipiant ductum cogitationum Prophetæ?

Et erit IBI *agger* (מסלול) *& via*] Sc. *in* DESERTO erit *agger & via.* Ad id enim hic alludi, patet ex *ſequentibus.* Interpretes aliqui, inter quos Aben-Ezra, orationem ſive ideas Vatis ita connectunt; ut cum dixiſſet, in Deſerto erupturos eſſe *fontes*, & multa ibi fore *Stagna aquarum:* dubium videretur relinquere, an in tanta aquarum copia, qua Deſertum exundaret, iter per illud ſatis commodum & tutum concederetur viatoribus. Sed meditatio hæc aliena eſt ab elegantia Prophetæ. Fictio Prophetæ ſuperior in eum non eſt accipienda modum acſi totum Deſertum converteretur in ſtagna aquarum, cum plane dicere voluerit, Deſertum convertendum eſſe in terram frugiferam, aquis exundantem, cujuſmodi terræ non excludunt vias & ſemitas. Oratio igitur Prophetæ in hoc loco ſic eſt accipienda, ut *novum* hic proponat *attributum Deſerti* ſpirituali ſenſu ſic dicti. Cum enim Deſertorum incommoda ſint, α. Eſſe *ἔνυδρα aquis defecta.* β. eſſe per ea iter incertum & vagum. γ. nec ſatis tutum, ob feras in iis ſtabulantes eaque pervagantes: tribus hiſce incommodis occurrit, docetque α. Deſertum Gentium hoc tempore exundaturum eſſe aquis. β. Fore in eo claram demonſtrationem viæ juſtitiæ & vitæ. γ. Et liberum fore à malis beſtiis, tyrannis videlicet, Perſecutoribus, & falſis Doctoribus in eo verſari ſolitis. Sic cohærent cogitata Prophetæ. Emblemata ſunt diſcreta, ex natura *Deſertorum*, non ex eorum cognatione explicanda. Quod autem dicit, fore in *Deſerto aggerem & viam:* cave, credas, eſſe quid *παρέλκον exundans* in oratione Vatis. *Agger* (מסלול quæ vox eandem hic poteſtatem obtinet quam affinis מסלה, ſed cujus fortior terminatio majorem ei emphaſin addit:) proprie eſt *via aggeſta*, æquabilis, clare patens, expoſita oculis, quæ tuto calcetur. *Agger* autem & *via* eſt *agger* inſtar *viæ* directus in certum locum & ad eum uſque ducens; & quidem *agger* tritus, calcatu commodus. Poteſt enim dari *aggeſta terra* eminentior, quæ nec *via*, nec *tuta* ſit. Erit itaque in *Deſerto agger*, in modum viæ paratus. Attributum oppoſitum eſt, ut jam prænonui, incommodis Deſertorum. Cum enim in *Deſertis* nulla ſit via certa, nulla ſemita & callis, nedum *agger* ſive *via aggeſta*, unde qui per ea iter faciunt facile errent & in vagos incidant curſus, ut alibi Vates ſacer [d]: *Errabant in Deſerto, in* VASTO VIÆ: hoc tempore ait properantibus Tſionem, h. e. ad communionem veræ Eccleſiæ; in ipſis Gentium Deſertis fore viam planam, rectam, tutam, commodam, omnium oculis expoſitam, à qua nemo niſi volens deerrare queat. Intellige, ut jam anticipavi, *canonem fidei & morum* ſive *diſciplinæ ſacræ* omnium oculis liquido & patenter expoſitum. *Senſus hujus verſus eſt*, ait Cl. Coccejus, *Deum tam clare laquuturum eſſe de via juſtitiæ, & tam inſignibus & illuſtribus verbis eam traditurum, deinde adjumentum ad viam illam tenendam ſuppeditaturum, tanquam aggerem, ut qui ſemel eam viam ingreſſus ſit*, (potius, *qui eam viam calcare* ſibi propoſuerit,) *deinceps aberrare non poſſit, & ſeqq.* quæ verba lubens legi & exſcripſi, quod ſententiam Prophetæ recte explicent. Eſt cujuſque hominis, in negotio Religionis judicium actioneſque ſuas inſtituere, non arbitratu ſuo ſed *ad canonem*, ſecundum illud Apoſtoli [e]: *Et quicunque* SECUNDUM HUNC CANONEM *incedent, pax erit ſuper eos & miſericordia, & ſuper Iſraëlem Dei. Canon* autem ille generatim ſumptus eſt *doctrina Religionis*, quæ involvit *diſciplinam morum.* Doctrina enim Religionis quid de Deo & via ſalutis ſentiendum credendumque ſit docet, & quid ſecundum eam fidem ſit faciendum. Eſt ergo norma judicii & actionum. Qui *canon* latius acceptus haud dubie eſt totum Dei Verbum; ſed reſtrictius reſpectu hominis Chriſtiani, *Doctrina Chriſti Jeſu & Apoſtolorum ejus.* Sed cum Doctrina Verbi Dei & quidem Chriſti Domini de *Credendis* & *Faciendis*, reſolvatur in *Dogmata* quædam *Radicalia* & *Fundamentalia*, quæ phraſi Scriptorum S. recte dicuntur, *Fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum*, τύπος τῆς διδαχῆς, ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων, quæ dogmata à prudente Lectore Verbi Dei ex eo facile eruuntur: pertinet ad rem Eccleſiæ & omni tempore, quod vere dixerim, uſu receptum fuit, ut præcipua illa Dogmata Fidei ac Cultus & Præcepta morum comprehenſa ſint quibuſdam Symbolis, Confeſſionibus, Formulis, ad quorum profeſſionem & praxin ſe ſolenniter obligarent qui in Eccleſiæ communionem adſciſcerentur. Qui proinde *canon* id ipſum eſt quod Propheta in hoc loco *viam* vocat. *Via* enim inſtar *canonis* & normæ dirigit greſſum;

Ad eam ἐπίκρισις.

Novum hic proponitur attributum Deſertorum ſpiritualium, cum reſpectu ad incommodum Deſertorum, quod per ea non ſatis *certum & tutum* ſit iter.

Quo modo *agger & via* hic diſtinguenda ſint ex mente Vatis?

Attributum *Aggeris & viæ* in Deſerto ex oppoſito declaratur.

Myſtice intelligitur *Canon fidei & morum* Eccleſiæ.

Ad Statum Eccleſiæ pertinet certus canon.

Qui expo-nitur.

Reſpectu *Fidei & Morum.*

a Cap. XI. 8. b Cap. XI. 9. c Joël, III 18. d Pſ. CVII. 4. e Gal. VI. 16.

Similitudo comparatorum.

sum, ut canon Doctrinæ ac Disciplinæ dirigit judicium, professionem, & mores sive actiones eorum qui in fide & spe vitæ æternæ Deo serviunt. Id vero ipsum est, quod spirituali sensu dicitur, *incedere*, ambulare, progredi; phrasi receptissimi usus in Verbo Dei. In via itur, per viam inceditur: via est subjectum exercitationis & motionis hominis. quod ipsum quoque *attributum* est canonis Fidei & morum quem descripsi. Exercitatio hominis versati in communione Ecclesiæ non tantum *secundum eum* ut normam instituitur, sed & in eo ipso quod canon demonstrat, h. e. in fide & bonis operibus, se exercet ad *continuum profectum*. Hæc tertia proprietas est viæ. Via ducit ad certum locum tanquam *terminum ἐφ' ὃ* exercitationis; & qui ea incedunt, continuum faciunt profectum. quod perinde se habet in omni exercitatione quæ ad normam *Doctrinæ* ac *disciplinæ sacræ* componitur. Est autem hæc significatio *viæ* ut naturæ rei congruens, sic usitata in Verbo Dei. Jeremias [a]: *Sic fatur Jehova: Consistite ad vias* (bivia, trivia,) *& considerate, & inquirite in semitas æternas*, אי זרך הטוב *quænam sit via illa bona, & ambulate in ea.* Vides, designari diversas *formas* Religionis quæ *Canonibus*, *Typis*, *Formulis*, (quibus nulla Religio caret,) definiuntur. Alio loco [b]: *Pone tibi signa*, (ציונים palos, columnas aut quæ alia quæ ducunt in notitiam viarum:) *colloca tibi* SIGNA EMINENTIA, (תמרורי, vox est obscura cujus significatio ex circumstantiis loci definienda est:) *adverte animum tuum ad* VIAM *qua* AMBULASTI. Confer *viam* qua incessisti cum *antiqua* illa quam calcarunt majores tui. Paulus in oratione coram Felice [c]: *Hoc vero tibi confiteor, me κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν secundum* VIAM ILLAM *quam hæresin dicunt, ita* COLERE *Deum Patrium ut qui* CREDAM *omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, &* SPEM HABEAM *in Deo, & seqq.* Nihil his verbis clarius, quare nihil addo. Eadem significatio mystica est מסלול *viæ aggestæ*. Notat Doctrinam Fidei & Disciplinam Morum clare demonstratam, cognoscibilem, manifestam, omnium expositam oculis, quam cuique secure & commode profiteri & exercere liceat. Ubi Doctrina de *Justitia Christi Jesu & Pietate interiore Evangelica* qualem disciplina Christiana postulat, à fidis Dei Ministris ex Verbo Dei clare proponitur ac demonstratur ad tranquillationem conscientiæ, & in Synodis prudentium Virorum adstructa & ab errore vindicata mittitur in publicum, & commendatur ut *certus canon* Fidei & Morum: ibi est *agger*, sensu Jesaiano, quem redempti Jehovæ, salutis suæ cupidi, calcare queant. *agger*, inquam, qui idem esset *via*. Hoc privilegio gauderet Ecclesia novissimi temporis.

Loca analoga in quibus *via* hoc sensu mystice sumitur.

Loc. Act. XXIV. 14.

Significatio mystica congrua *Aggeris*.

Attributum hujus viæ. Diceretur *via sancta*. Quo sensu?

Et via sancta appellabitur ea.] Proprie: *Et via sanctitatis dicetur ei.* sc. quia Religioni esset sacra, & hoc nomine à cæteris viis secreta, *sola* duceret ad Tsionem, & sola atque unica calcari posset ab his qui ad communionem Dei in Tsione adspirabant; imo vero à sanctis solis, vel sanctitatem simulantibus, (utique enim nullus Ecclesiæ Status hypocritas omnes excludit:) tereretur. huc enim alludi, ex consequente contextu patet. Emblema posset esse desumptum à viis tritis & cura publica paratis aptatisque per inculta & incommoda loca qualia in ipsa Canaanæa non defuerunt in usum viatorum qui primitias & decimas Hierosolymam solenniter ferebant. Significatur mystice, fore ut in ipso *Deserto Gentium* Canon Fidei & Morum, Doctrina & Disciplina veræ Religionis, quæ veram Ecclesiam à falsa & ψευδωνύμῳ discerneret, tam clare & dilucide omnium exponeretur oculis, ut qui adspirarent ad communionem Dei in gratia & gloria eam liquido discernere & absque dubitatione aut metu eligere possent. Cum itaque ne ille quidem Ecclesiæ status qui ad perfectionem proxime accederet, excluderet vias alias, h. e. alias dissentientes Fidei confessiones, quas ne Apostolici quidem temporis Ecclesia excluserit: *una* tamen *via* quæ *sancta* diceretur, per quam solam adiri posset communio Civitatis Dei, luculenter adeo proponeretur & commendaretur in ipso Deserto Gentium inter vagas hominum de Religione sententias, ut supra cæteras longe emineret, nec dubium faceret, qua eundum esset. Est enim *una via* qua itur in cœlum; unum *ostium* caulæ ovium Christi. Verba Apostoli [d]: *Unum est corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ. unus Dominus,* UNA FIDES, UNUM BAPTISMA. *unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes & in omnibus vobis.* Unum est *fundamentum præter quod aliud nemo ponere potest* [e]. Evangelium *non est* ALIUD [f]. Hæc facies erat *Deserti Gentium* in initiis Regni Gratiæ. Cum in Canaanæa ipsa multi zelotæ Legis puram Doctrinam Fidei, quæ est Doctrina *Justitiæ* Filii Dei, corrumperent atque adulterarent: Paulus ejusque comites in vasto illo Deserto Gentium inter tot diversas dissentientium opiniones, inter tot errores Religionis alios, Doctrinam puri Evangelii de unica Justitia Christi ut medio salutis, & disciplinam puræ, castæ, interioris ac spiritualis sanctimoniæ ac pietatis, ex hac doctrina derivatam, tam perspicue asseruerunt ac demonstrarunt, ut ab illo tempore in Deserto Gentium fuerit *agger* & *via* quæ diceretur *sancta*, à cæteris secreta, clare exposita, sola commendabilis, unicum *sanctimoniæ* & *salutis* obtinendæ medium. Quæ *via sancta*, qui *agger*, post disputationes de Fide & post Doctrinam Justitiæ Christi cum tempore Reformatæ Ecclesiæ in clarissima luce positam, quanto certius & clarius novissimo illo tempore inter cæteras eminebit?

Unde hic desumptum sit emblema?

Senſus Vatis declaratur.

Inter varias Confessiones *una* excelleret, quam sancti amplecterentur, clare demonstratam.

Canon verus fidei *unus* est.

Verba Apostoli Ephes. IV. 6.

Loca analoga.

Illustratur ex statu Ecclesiæ primæva.

Et nostri temporis.

Non ibit per eam impurus.] Hebræa sunt: לא יעברנו טמא, quæ vulgo redduntur: *Non transibit per eam impurus:* idque non male cum *transire* Latinis idem sæpe sit quod *ire*, incedere. Ne quid tamen dubii supersit, malui scribere, *non ibit ea*, sive *non ibit eam impurus.* Ea enim hic est significatio genuina vocis עבר, quæ non tantum notat *transitum*; sed & simpliciter *itionem.* Sensus Prophetæ est, *impuros sententiis & moribus* statu Ecclesiæ hujus temporis per sanctiorem ac severiorem disciplinam excluſum iri. Sic stabilita erat disciplina Ecclesiæ ab Apostolis, quæ rigide satis observata est primis Christianismi sæculis. Sed cum *Mundus* deinceps in Ecclesiam irrumperet, & difficillimum esset tum ob multitudinem, tum ob auctoritatem, dignitatemque eorum qui ad communionem Ecclesiæ admittebantur, Leges disciplinæ Christianæ, (quæ tam Doctrinam quam Mores respicit,) exacte servare; & quod plus est; cum ipsi Sacri Ordinis homines decus suum ut par erat, sæpe non sustinerent, nec satis vigilarent ex officio sibi mandato: cum tempore laxata est disciplina morum, & tandem penitus collapsa, ita ut Christianismus omnem suum splendorem amiserit, & pudendas contraxerit sordes; à quibus tempore instauratæ Ecclesiæ sic purgatus non est ut non plurimum purgandum restet. Zelus Domini & Ministri Verbi, sancti ipsi, zelo Domus Dei flagrantes, id perficient: quod, fateor, in tanta credentium copia omnium esse difficillimum. Sed sic est in promissis. Jesaias [g]: *Et Populus tuus omnes justi.* Ezechiel [h]: *Nullus alienigena præputiatus corde* (inquinatus μολυσμοῖς σαρκὸς καὶ πνεύματος [i],) *& præputiatus carne veniet in Sanctuarum meum.* Zacharias [k]: *Illo tempore tintinnabula equorum præferent Sanctitatem Jehovæ.* Joannes [l]: *Non intrabit in eam* (Novam Hierosolymam,) πᾶν κοινὸν *quicquam quod inquinat.* Sic Beza. Latinus Vetus rectius: *Quicquam coinquinatum.* Participium *activum* hic *passive* exponendum est: etsi non negem, quod inquinatum est ipsum inquinare quoque suo commercio alios. Inde intelligis, quo sensu inter alia hæc *via* diceretur *via sancta.* non calcaretur nisi à *sanctis.* Est autem hæc puritas interna animi conjuncta

Non transiret per eam impurus.

Significatio vocis עבר.

Sensus dicti.

Respicitur ad disciplinam Ecclesiæ.

Status ejus ex historia.

Spes Ecclesiæ de ejus instauratione.

Quo sensu hæc *via* dicatur *sancta*.

a Cap. VI. 16. b Cap. XXVI. 21. c Act. XXIV. 14. d Eph. IV. 6. e 1 Cor. III. 6. f Gal. I. 7. g Cap. LX. 21. confer Cap. LII. 1. h Cap. XLIV. 9. i 2 Cor. VII. 1. k Cap. XIV. 20. l Apoc. XXI. 27.

cum puritate morum, abnegatione rerum mundanarum, & pietate ac simplicitate infucata, verus character Christianorum, qui primo Ecclesiæ tempore passim dicebantur ἅγιοι SANCTI, ut ex *Actis* Lucæ & Epistolis Apostolorum liquet; estque hic conferendus locus Cap. IV. 3. O pulchrum nomen rei omnium pulcherrimæ signaculum, quo hominibus carne natis, terra ortis, & in terra versantibus, vindicatur decus Angelorum cœlestium!

Christianis præcipue competit titulus *sanctorum.*

Verba Prophetæ: *Et ea ipsorum erit.* sc. *via.*

Sed ea sc. *via ipsis*, sive, *ipsorum erit.*] Sic nos legere, distinguere, & verba Prophetæ accipere monuerunt Masorethæ, prudentissimi Viri, qui voci למו suffixerunt *Accentum Atnach:* quos proinde plerique Intt. sequuntur. Sed Hieronymus, qui illorum opera usus non fuit, cum sensum non perspiceret concisæ sententiæ: hæc verba cum sequentibus infeliciter connexit, non hujus tantum, sed & sequentis membri sensum intervertendo. imo vero ipse quoque Paraphrastes similiter instituit; & alii etiam Interpretes luci jam à Masorethis datæ objecerunt nebulam: sed frustra *A.* Oratio Prophetæ nullum admittit sensum commodum, si ab eo discesseris quem Masorethæ ostendunt: quem proin simpliciter expositum dabo. *Et* ILLE, ait Propheta, sc. *agger* vel ILLA sc. *via.* Res enim sic satis nota est, vocem דרך utrumque genus admittere: etsi plane nobis perinde sit, sive *relativum* retuleris ad דרך *viam*, sive ad מסלול *aggerem:* quæ notio solum *genus fortius* admittit. Sed hic nulla parte laboramus. Scripserat enim Propheta in *membro superiori:* לא יעברנו טמא *Non ibit ea* (proprie, *eo,*) *immundus.* Terminatio est *generis fortioris*, & constat tamen de *via* agi. *Illa* autem *via*, ait, *ipsis* sive IPSORUM *erit.* Quorum vero? *Illorum*, inquam, qui in hoc ipso loco, tum quoque in *antecedente* & *consequente* contextu demonstrantur, ut longe quærendi non sint. Si ipsum locum nostrum respicias: *ipsi* illi sunt *sancti*, & *mundi.* id Propheta habebat in mente, & proprie intendit. Dixerat enim, *viam* hanc appellandam esse *viam sanctam*, quia sc. à *sanctis* calcaretur, & *immundi per eam non transirent*; & subjungit, sed *ipsorum erit*, h. e. sanctorum & mundorum. Si ad *superiorem contextum* orationis te convertas: *ipsi* illi sunt *cæci* illi, *claudi*, *muti*, per Divinam Gratiam ab his affectibus sanandi ac sanati, ℣. 5, 6. Si ad *contextum inferiorem:* sunt *redempti Jehovæ* reversuri hac via *Tsionem*, ut adeo nihil hic liquidius sit. Inde jam simul intelliges, ℣. 9. 10. *præfixum* ו hic rectius verti *adversative* per *sed*, quam per &. Est enim quod hic dicitur, κατ' ἀντίθεσιν ejus quod Vates dixerat *versu superiore.*

Quam varie hæc verba ab Intt. accepta sint?

Masorethæ dinstinctio hic omnino est tenenda.

Difficultas Grammatica expedita.

Ambulator viæ, & ne stulti quidem, errabunt.] Sententia jam claruit ex dictis. Propheta emblemata omnia, quæ usurpat, perfecte pingit, & ad extremam lineam persequitur. Cum dixisset, fore in *Deserto aggerem* & *viam* quam *sancti* tantum calcarent, non *immundi:* excipi hic posset, viam illam inservire posse usui viatorum, qui itinera sæpe confecerant ac conficere soliti erant, h. e. viatorum peritorum, qui hic appellantur הולכי דרך *euntes viam*, ad iter accincti & instructi: sed fieri tamen forte posse, ut simplicioris ingenii homines, qui hic comparative *stulti* dicuntur, per naturam minus considerati & prudentes, ab hac via aberrent: docet Propheta, futurum esse, ut non tantum *viatores*, ire & iter facere soliti, ab hac via non deerrent; sed ne *stulti* quidem, h. e. comparate sic dicti, simplicioris ingenii & imperiti homines ab ea temere deerraturi sint. Sententia Prophetæ est, claram adeo fore hoc tempore demonstrationem *viæ salutis*, calcandæ à sanctis, ut plebeji ordinis homines, qui ingenium studiis minime excoluerant aut ad studia graviora excolenda satis aptum haberent, modo veritatis & salutis cupidi communionem Dei in gratia & gloria sincere affectarent, veram salutis doctrinam atque adeo veram Ecclesiam, facile essent discreturi absque errore aut erroris metu. Nihil hac sententia planius, nihil verius. Vox הלך cum דרך quoque à Propheta nostro eodem modo construitur, Cap. LXV. 2. & alibi quoque [a]. Et אוילים *stulti* hic eodem sensu dicuntur quo Apostolus ait Deum *stulta* hujus mundi *elegisse* [b]. Alibi appellantur פתאים *simplices* [c]. Certe pertinet ad felicitatem nostrorum temporum, *viam justitiæ* & *vitæ* ex Verbo Dei tam clare & liquido esse demonstratam, ut in his quæ fundamentum salutis spectant, errori omnis ademptus sit obtentus. Quanto certior & clarior erit demonstratio hujus viæ, ubi Ecclesia quæ hanc doctrinam profitetur, veritatem sanctitatemque ejus, & sanctificandi vim, adhibita severiore & castiore disciplina, suo exemplo cum decore & splendore exhibitura est? Plura non addo, cum de eo in superioribus quantum satis est, disseruerim.

Sensus Prophetæ, fore hoc tempore clarissimam demonstrationem veritatis.

Vox הלך cum voce דרך constructa.

Loca analoga.

Quid hic intelligendi per *stultos.*

Privilegium quintum Ecclesiæ hujus temporis: *Securitas Status & liberatio à persecutione.*

℣. 9. *Non erit ibi* LEO, *nec* VIOLENTA FERA ULLA *eam ascendet. non deprehendetur* IBI.] Posset imo vero in Deserto esse *via* & quidem *aggesta*, in qua non facile erretur: veruntamen eadem poterat esse exposita feris ac indomitis bestiis quæ in Deserto grassari solent; ac, urgente fame, viatores impetere. Negat Vates, docetque, fore ut *via* illa & *agger* quem memoraverat, non modo vadatur absque metu erroris; verum etiam absque metu ferarum, quæ in Desertis stabulantes sæpe in viatores incurrunt. Sensus sententiæ

Privilegium quintum Ecclesiæ hujus temporis: *Securitas status*, ℣. 9. Attributum hujus viæ quod *secure* calcari posset.

Via hæc ideo diceretur *sancta*, quia à sanctis calcaretur.

Et potest tamen subjectum quoque ex *antecedente* & *consequente* contextu colligi.

Stulti hac *via* non erarent: nec dum *viatores.*

---

a Gen. XXVIII. 19. *b* 1 Cor. I. 27. *c* Prov. IX. 3. 4.

A Hebræa, de quibus hic quæritur, ἀδιαιρέτως, nulla distinctione interpuncta, sic se habent: והוא למו הלך דרך ואוילים לא יתעו quæ latine versa, pariter non distincta, hanc exhibent sententiam: *Et ille ipsis* sive *ipsorum ambulans via & stulti non errabunt.* Masorethæ jam verba ita distinguere nos docent, ut *colon* adscribatur post verba, *Et ille ipsis*, & prius sententiæ membrum ibi terminetur, ut sensus sit: Et *via illa* sive *agger iste ipsorum erit*; h. e. redemptorum Jehovæ, immundis oppositorum: quando sequens membrum per se subsistit: *Ambulans via*, sive *viator*, *imo ne simplices quidem, errabunt.* quæ sententia facilis est intellectu & plane Jesaiana est. Vide jam, ut hic instituerit Hieronymus. Versio ejus: *Et hæc erit* VOBIS *directa via, ita ut stulti non errent per eam.* Sic exhibetur in Vulgata, sed haud dubie vitiose. Hieronymus ipse scripserat, *Et hæc erit* NOBIS, ut ex ipso inspecto liquet: nec tamen quicquam hic mutatum est in Editione Sixtina & Clementina, secundum fidem Lucæ Brugensis. Sed id leve est. Hebræa vox למו non verti potest majore jure per *nobis* quam per *vobis.* Notat *ipsis*, *ipsorum*; vel etiam, *ipsi*, *ipsius.* Gravius est quod verba, הלך דרך vertit per *directam viam*; accipiens haud dubie vocem הלך pro nomine ut הלך דרך *ambulatio viæ*, *processio viæ*, sit *via directa.* Chaldæus sic vertit Hebræa: ולא יפסקון עדי אורחא ודלא אליפו לא ישגון quæ Int. sic reddidit: *Et non deficient usque in viam*; *& qui non didicerint, non errabunt per eam.* Sed quid illud est, *Non deficient usque in viam.* Nemo id facile intellexerit, nec fuit in mente Chaldæi. Decepit Interpretem ambigua significatio vocis עדי, quæ Hebræis notat *ad*, *usque*; & minus fuit attentus in re ipsi non ignota. Vertenda sunt verba: *Et non deficient* עדי אורחא *ambulantes* sive *transeuntes viam.* non deficient viatores. Vox עדי est participium vocis עדה receptæ significationis, *aliquo ire, transire, recedere.* Valet itaque phrasis idem quod והלכי דרך *transeuntes per viam*; sive, *viatores.* Sic Paraphrastes utitur Ezech. XXXIX. 15. ubi Interpres recte accepit. Sententia Chaldæi bona est; sed quo modo eam exsculpserit ex Hebræis, non perspicio. Syrus nihil hic plus videns, verterat: ולא תהוא ברה אורחא quod Interpres convertit: *Nec patebit aditus iniquitati*: sed videtur vertendum: *Nec erit in ea viator.* Utrumque alienum ab oratione Jesaiana. Inter Recentiores, qui neglecta distinctione Masorethica hic aliquid tentarunt, obvii nunc sunt Forerius & Lud. de Dieu. Ille duplex edidit interpretationis χάος hujus generis. Prius est: *Et ipse* (nempe Deus,) *ipsis* (vel, *cum ipsis,*) *ambulans viam.* i. e. socius erit itineris. Id vero ipsum est quod quoque proposuit de Dieu: *Non transibit eam immundus*; *sed ipse illis ambulator viæ*, (id est, *comes erit,*) *& stulti non aberrabunt.* Sed quis probet interpretationem adeo coactam? An *ambulator viæ* sive *viator* est *comes & socius itineris*? Potest quis dici, fateor, ut *socius itineris cum aliquo ambulare*: sed in ejusmodi casu adhibetur vocula עם *cum*, ut Mich. II. 7. idque analogia manifeste postulat; atque adeo scripsisset Propheta: והוא עמם הולך דרך *Et ipse* (sc. Deus,) *cum iis ambulat viam.* Cur vero Docti Viri clara & liquida, quæ ad manus sunt, obscurioribus & longe quæsitis postponunt? Alterum specimen Forerii est: *Et ipsa* (nempe *via*,) *vocabit eos ambulantes viam.* i. e. viatores seu itineris peritos, *ut neque stulti aberrent.* quem ille sensum commendat ut *augustum* & *Jesaia dignum.* Plane viderur Vir cætera doctus hic sui ipsius oblitus fuisse. Ut enim *vocationis* notio quam ex superioribus sc. repeti vult, hic non extat: cui mortali persuadeat sanitatem sententiæ qua *via* dicitur *vocare* aliquos *peritos viatores*? Non conciliant ejusmodi interpretationes decus orationi sapientissimæ qualis ea est nostri Vatis.

Senſus ſententiæ eſt, fore ut qui veram Religionem hoc tempore ſunt profeſſuri, & juxta doctrinam ac diſciplinam veræ Eccleſiæ vitam moreſque compoſituri, liberi ſint à violenta perſecutione ac tyrannide Regum, Principum, Magnatum qui à Satana incitati ſubinde Eccleſiam Chriſti & veræ Religionis confeſſores infeſtant. Ceſſabit *afflictio*, *perſecutio*, *tyrannis*, in cauſſa veræ Religionis. Chaldæus prudenter & vere: לא יהי תמן מלך מבאיש ושלטן מעק לאיש יהודה *Non erit ibi* REX MALEFACIENS, *nec* DOMINATOR TRIBULANS *eam pervadet*. Status Eccleſiæ ſanctior non excludet Reges, Principes, Proceres, qui utique inferent gloriam ſuam in Novam hanc Hieroſolymam *a*: ſed excludet tyrannos & Perſecutores, qui ſanctos cauſſa confeſſionis veritatis aut ſtudii pietatis qualicunque modo infeſtant. Perſecutores, inquam, ſævos, feroces, ſuperbos, terribiles, ex feritate indolis ſuæ ſitientes ſanguinem; & præcipue quidem *innocuorum* & Societati humanæ utilium hominum: cujuſmodi perſecutores & tyranni ſtylo Scripturæ S. *b Leones* dicuntur. Loca alibi *c* à Doctiſſimo Viro congeſta, nec peritioribus ignota ſunt. Sed ego de hoc emblemate & attributo Eccleſiæ abunde egi ad Cap. XI. 6. 7. & XXV. 8. & recurret Cap. LXV. 25. Eccleſia Chriſti Jeſu ea latitudine & amplitudine quam verba Prophetæ inferunt, hunc ſtatum hactenus experta non eſt. Quis autem in oratione Vatis quid inane dixerit ineſſe? Quis, verba Prophetæ plus ſignificare quam à nobis intelligi voluit? Equidem beneficium temporis Conſtantini agnoſco fuiſſe maximum, idemque ſentio ac præ me fero, id pro merito à noſtræ ætatis hominibus non celebrari. Multa enim vaticinia de Liberatione Eccleſiæ & feliciore ejus ſtatu in id tempus conveniunt, & implementum eorum prolepticum in ſtatu Eccleſiæ ac rerum hujus temporis recte demonſtratur. Idem quoque Pacem Religionis in Germania Conventione Paſſavienſi ſancitam *d*, ac deinceps non ſemel confirmatam, quæ in vaſto illo hominum Mundo adhucdum vim ſuam obtinet, habeo pro magno opere Providentiæ ac Gratiæ Divinæ. Deus illo tempore ex tenebris produxit lucem. Nihil minus dico aut cogito de libertate ac ſecuritate profitentium Religionem veram in aliis quibuſdam Regnis ac Rebuſpublicis Europæ. Sed ſuperfuerunt tempore Conſtantini & Succeſſorum ejus חיות רעות *Beſtiæ feræ* & *indomitæ* quæ viatores itineris ſancti infeſtarunt & etiamdum ſuperſunt. Dictum Prophetæ eſt: *Leo* & *Beſtia violenta* NON DEPREHENDETUR IBI: nulla amplius extabit aut ſupererit.

Privilegium ſextum hujus Status Eccleſiæ: *Unitas Eccleſiæ* hujus temporis, ejuſque Felicitatis *Senſus*.

ỳſ. 9. *med.* *Et* IBUNT ASSERTI: (ỳſ. 10.) *&* REDEMPTI *Jehovæ revertentur ac venient Tſionem cum jubilo; & lætitia æterna erit ſuper capita eorum: gaudium & lætitia eos* ASSEQUENTUR; *fugient vero mœror & gemitus.*] Prius membrum, *Et ibunt aſſerti*, Maſorethæ retulerunt ad *comma ſuperius*; idque agere potuerunt abſque vitio. Senſus enim eſt, *Aſſertos* à metu malarum beſtiarum liberos illa via *commode* itutos eſſe, ut neceſſe non ſint habituri curſu aut feſtinatione nimia ex formidine mali orta cum incommodo iter ſuum conficere. quem ſenſum verborum hic unice amplector, atque adeo nihil vitii hic adſcribo Maſorethis: & tamen ob affinitatem materiæ viſum eſt ea cum verbis ỳſ. 10. connectere. Res eodem recidit. Sententia Prophetæ *Subjectum* illorum beneficiorum quæ glorioſo huic Eccleſiæ ſtatui adſcripſerat, hic emphatice appellat; eique vindicat attributa duo, *α*. Quæſitionem communionis Dei in communione Eccleſiæ, quæ infert Eccleſiæ unitatem. β. Felicitatem Status ejuſque *Senſum*. Subjectum deſignat nomine *aſſertorum* & *redemptorum*. Sic enim rectiſſime vertuntur voces גאולים & פדויים. inter quas ea ſignificationis differentia eſt, ut licet utraque notet vindicationem in libertatem, ad diverſas tamen ejus referantur ſpecies. גאל valet rem aut perſonam alienatam à familia primi poſſeſſoris ſibi *aſſerere* & *vindicare* ut *ſuam* jure *proximitatis ſanguinis*, (ex Lege Divina,) oblato pretio, vel, ſi neceſſitas poſtulet, *vi*, manu forti in rem aut perſonam injecta eaque prehenſa vindicataque. פדה ſimpliciter ſignificat perſonam certo reſpectu extra ſtatum Libertatis naturalis poſitam *pretio* redimere & vindicare in Libertatem: cujus generis erat redemptio primogenitorum & annua marium majorennium inter Iſraëlitas: de quo in ſuperioribus *e* jam monere memini. Alluditur utraque voce ad Beneficium antiqui temporis, quo Jacobi poſteri *manu* Dei *valida* vindicati ſunt à Deo è poteſtate renitentis & inviti Pharaonis, & tamen interveniente *pretio ſanguinis*: cui beneficio analoga eſt antitypica Vindicatio Populi electi credentium Judæorum & Gentium è poteſtate Satanæ, virtute *ſanguinis* Filii Dei, tanquam pretii Juſtitiæ Divinæ perſoluti. Hoc illud eſt magnum fidei noſtræ myſterium, quod nos omni tempore in oculis habere oportet. Verum cum illud Beneficium λυτρώσεως & ἀπολυτρώσεως ſanguine Filii Dei procuratum Credentibus electis vim ſuam exerat in omnibus *Liberationibus* ac *Vindiciis* quas Deus Eccleſiæ ſuæ præſtat per totum tempus Oeconomiæ Novæ, & vim ſuam præcipue exerturum ſit noviſſimo illo Sæculo quo Deus hoſtes Eccleſiæ gravi ultione proſequetur: Populus Dei totiens dicitur *aſſeri* ac *redimi* quotiens virtute ſanguinis Filii Dei ejuſque manu & dextra è poteſtate & oppreſſione hoſtium ſpiritualium ac corporalium liberatur, vindicatur. Sic Jeſaias de Populo hujus temporis *f*: *Et vocabunt illos Populum ſanctum*, גאולי יהוה ASSERTOS JEHOVÆ. Hi vero *reverterentur* & *venirent Tſionem* cum jubilo.

Hoc primum attributum illis in hoc loco vindicatur. Senſus eſt, illos quæſituros eſſe communionem Dei & profectum in communione Dei in communione Eccleſiæ veræ quæ tum originis ſuæ reſpectu, tum myſtice ob convenientiam attributorum ſenſu ſpirituali *Tſion* dicitur. Sic Propheta noſter Cap. LX. 14. de Eccleſia hujus ejuſdem temporis: *Et ibunt ad te corpore demiſſo filii eorum qui te afflixerunt; ... & vocabunt te Civitatem Jehovæ*, TSIONEM SANCTI ISRAELIS. Plura loca in obſervato tralatitii uſus non adſcribo. Eſt autem ratio appellationis duplex; altera literalis; altera myſtica plane & ſpiritualis. Priore reſpectu ſic appellatur Eccleſia Populi Chriſti, quia ortum trahit ex Tſione. Ibi fundata eſt prima Eccleſia Chriſti Jeſu, & fundari debuit; ibi locatus eſt thronus Regni Chriſti; hæc ſedes fuit judicii: de quo egi ad Cap. II. 1. ſeqq. Ad hanc Eccleſiam matricem & radicalem tota Eccleſia Chriſti Jeſu refertur; in hac cenſetur; ad hanc aggregatur: ut qui hoc ipſo tempore ſuſcipit fidem Eccleſiæ Apoſtolicæ, dicatur *naſci* TSIONE *g*. Eccleſia itaque omnium temporum retinet nomen *Tſionis*. Sed myſticus reſpectus hujus Nominis Literalem complet ac perficit. Quæ attributa externa & corporalia demonſtrari poſſunt in Tſione & Hieroſolyma antiqua; veluti, Deum illum locum elegiſſe ut *ſedem* ſuæ *majeſtatis*; ibi tantum ut in loco à ſe electo ſolenniter coli voluiſſe, & re ipſa antiquitus cultum eſſe; ibi ſe communicare cum Populo ſuo, voluntatem ſuam patefacere, & præmia ac pœnas diſpenſare: tum quoque, eſſe eam ſedem Regni *Davidis*, Domuſque ejus, & Populum Hieroſolymitanum tanquam populum ſacrum ac liberum eam veluti gloriam participaſſe; eſſe locum altum, tutum, probe munitum: hæc inquam, attributa & his ſimilia vere ac ſpiritualiter conveniunt in Eccleſiam Chriſti Jeſu ejuſque ſtatum ſpiritualem ac cœleſtem; eſtque hæc ratio quare Spiritus S. loquens per Prophetas Populum Chriſti in ſpirituali ſua communione inſtar *Civita-*

Sensus sententiæ. Liceret hoc tempore veram Religionem absque metu profiteri.
Cessaret persecutio.
Paraphrasis Chaldæa.
Cui tempori conveniat hæc prærogativa?
Promissum nondum perfecte impletum.
Privilegium sextum: Unitas Ecclesiæ hujus temporis. ỳſ. 9. med. ỳſ. 10.
Animadversio ad prius membrum.
Quomodo Masorethæ id accepe, rint?
Duo attributa Eccles. in his verbis.
Redempti Jehovæ qui?
Emphasis vocum גאל & פדה.
Alluditur ad Liberationem antiquam Populi Jacobidarum ex Ægypto.
Beneficium *Redemptionis*, à Christo procuratum, causſa est omnis Redemptionis Ecclesiæ.
Redempti irent *Tsionem*, h. e. quærerent communionem Dei in communione Ecclesiæ.
Quare Ecclesia Christi Jesu appelletur *Tsion*?
Duplex ratio?
Ratio *literalis*.
Mystica.

a Apoc. XXI. 24. *b* Pſ. X. 9. Prov. XXVIII. 15. *c* Bochart. *Hieroz.* Part. I. Lib. III. Cap. V. *d* A. 1552. *e* Ad Cap. II. 27. XXIX. 22. *f* Cap. LXII. 12. *g* Pſ. LXXXVII. 5.

tis *Sacræ* ſpectatum; propoſuerit ſub nomine *Tſionis* atque *Hieroſolymæ*, ſc. ſpiritualis. Sic Scriptor ad Hebræos Chriſtianos [a]: *Acceſſiſtis ad* MONTEM TSION, *& Civitatem Dei vivi*, HIEROSOLYMAM COELESTEM. Unde petes rationem, quare *Agnus* cum ſuis *centum & quadraginta millibus* (quæ repræſentant Eccleſiam veram fidei Apoſtolicæ adhærentem contradiſtinctam adulterinæ,) exhibeatur in *Apocalypſi* [b] ut ſtans in Monte *Tſion*; & cur Spiritus S. Joanni Eccleſiam ultimi temporis ob oculos ponat ſub nomine *Hieroſolymæ Novæ deſcendentis de cœlis*. Ergo *ire* & *redire Tſionem* myſtico ſenſu eſt quærere communionem Dei in communione Eccleſiæ ſecundum certam viam & canonem publice demonſtratum. Sancti in Chriſtum Dominum credentes ſunt *in Tſione*, quatenus ſunt in communione Dei & Eccleſiæ. Iidem rurſus alio ſenſu dicuntur *ire Tſionem*, &, ſi ab hac Civitate Dei alienati fuerunt, dicuntur ad eam redire, quia omnes actus Religionis, Pietatis, & Charitatis quos exercent, eo tendunt, ut ſe *Deo* & *Eccleſiæ veræ* magis magiſque uniant. Datur enim in unione Dei & Eccleſiæ profectus, perficiendus in ſtatu perfectæ unionis Dei & Eccleſiæ in futura vita. Sic eleganter Poëta facer [c]: *Ibunt de virtute in virtutem:* (ſive *ex turma in turmam:*) *comparebit* quiſque eorum *coram Deo* IN TSIONE. Et ſane viderunt myſticum ſenſum phraſios in hoc loco ipſi Judæi. Extat in Bereſchit Rabba commentatio ad Gen. XXIV. 67. excerpta à Raymundo Martini [d] & inde à Galatino, ubi cum ex traditione R. Joſuæ Ben Levi hoc dictum Prophetæ noſtri allegetur: *Et redempti Domini redibunt & venient Tſionem:* adſcribitur ex ejus ſententia: ואין ציון האמור כאן אלא גן עדן TSION *autem hic memoratus non eſt alius quam* PARADISUS. Quod Magiſtri dictum ſplendidius luceret, ſi fabuloſis aliis, ſed haud dubie myſtice intelligendis, non eſſet commixtum. Certe ſpectanda eſt in hoc dicto Prophetæ *unitas* & *communio ſanctorum* qui una via ad eandem tenderent Civitatem, Hieroſolymam ſpiritualem ac cœleſtem.

Illuſtratur ex analogia.

Quid ex hac hypotheſi ſit *ire Tſionem*?

Reſpicitur *profectus* credentium.

Veterum Judæorum obſervatum ad h. l.

Alterum attributum Redemptorum, his verbis circumſcriptum, dicitur fore *felicitas* ſtatus ejuſque *Senſus*. Poſterius enim prius ſupponit atque involvit. quippe dicuntur *ituri* eſſe *Tſionem* & illuc *venturi* cum *jubilo*, *lætitia*, *gaudio*, abſque mixtura *mœroris* ac *gemitus*. Res ipſa hic liquida eſt. Totum enim Verbum Propheticum hoc attributum vindicat Statui Eccleſiæ noviſſimi Sæculi; de quo diſerte commentatus ſum ad Cap. XXV. 6. 7. 8. & ſuo loco multa erit explicandi materia [e]. Suffragatur clariſſima ratio. Ubi enim cauſſæ *doloris publici* ceſſant, calamitates videlicet, afflictiones, perſecutiones, ſcandala, imminutio & decrementum Regni Chriſti, parcior menſura gratiæ, exiguus fidelium Miniſtrorum numerus, & quæ his ſunt ſimilia; & hiſce contraria, quæ argumentum lætitiæ faciunt, adſunt: neceſſum eſt lætitiam mœrori, jubila ſuſpiriis & gemitibus ſuccedere. Quod tamen attributum eo cum temperamento à nobis accipiendum eſt, ut ne illud præter mentem Spiritus S. ad privatos credentium ſtatus eorumque accidentia *naturalia* aut *civilia* referamus. Status enim Gratiæ nullus unquam mutabit curſum Divinæ Providentiæ certa Lege definitum. Propheta reſpicit *ſtatum ſpiritualem* Populi Dei quà Eccleſiam facit, eumque *publicum* magis quàm *privatum*. quæ noſtra limitatio non limitabit menſuram Gratiæ Divinæ illo tempore Eccleſiæ diſpenſandam. Deus enim majora poteſt noſtra cogitatione ac ſpe, & haud dubie majora efficiet. Tantum itaque cum res ipſa hic ex hypotheſi noſtra liquida & aperta ſit: id agam ut illuſtrem phraſin. in qua vere eſt quod illuſtrari meretur.

Attributum noviſſimi temporis ex conſenſu omnium prophetarum.

Ratio ejus ex ſtatu Eccleſiæ illius temporis.

Primum hic dubium videri queat, quorſum pertineat quod dicitur: *Et lætitia æterna erit* SUPER CAPUT EORUM. על ראשם. Phraſis ſane eſt ſingularis, & eo magis obſervanda, quod Veteres *affectus* & inter eos *lætitiam* adſcripſerint *cordi*: ut paſſim in *Odis* Sanctorum. Et tamen omnes Intt. mentem ſuam hic non explicarunt; & aliqui etiam aliena attulerunt: certe pauci aſſequuti ſunt. Sunt ex iis qui monent, eo indicari, *lætitiam* fore *ſpiritualem* cujus ſedes ſit in capite. quo forte etiam reſpexit Walafridus Strabus, ſive quis alius auctor Gloſſæ ordinariæ, qui ſuperſcripſit. MENTEM. Aben-Ezra quoque Judæus: כי כח התשמה בראש *Quia* VIS (facultas,) MENTIS *eſt in capite*. Meditatio non eſt ſpernenda; nec eam excludo ſenſu loci. Et tamen probabile eſt, Vatem hic non voluiſſe Philoſophum agere, ſed potius metaphorica uſum phraſi reſpexiſſe ritum aliquem aut morem ſui temporis quo *ſignum lætitiæ* aliquod oſtentabatur in capite. Sanctius cum hic hæreret, *caput* dixit hic ſumi poſſe pro *toto ſubjecto*, ſive, ut nunc loquimur, pro tota *perſona hominis*: ut quando dicitur [f]: *Benedictiones ſunt* CAPITI *juſti*. Sed hic locus ipſe quoque metaphorice explicandus eſt & plura ejus generis quæ Vir Doctus allegat; & in nullis eorum quæ adducit, vox abſque emphaſi uſurpatur. Coccejus noſter hic adſcripſit: *Cum* LÆTITIA ÆTERNA *quæ ſit* CIRCA CAPUT ILLORUM, h. e. *ſive ſit ipſis* προκειμένη, *ſive ipſos ſequatur*. Meditatio eſt pia & boni ſenſus; nec de re ipſa hic poteſt eſſe dubium. Sed quod ad phraſin ipſam: Propheta non ſcripſit, fore *circa caput*, ſed *ſuper caput*. Inter hos qui phraſin metaphorice accipiunt, nemo hic infelicius verſatus eſt Forerio. Vide mihi quid ſcripſerit ille Vir. *Metaphora*, ait, *ſumpta eſſe videtur à feminarum conſuetudine, quæ ſuper caput ingentia interdum volumina veſtium ac linteaminum ex lavacro afferunt, quo lætitiæ & gaudii non temporarii abundantiam deſignavit Propheta*. Quid ſcribi potuit vilius ac vulgatius, & minus ad rem aut decus orationis Prophetæ? Kimchius eo alludi putat quod læti & hilares recto capite & corpore incedant. Verba ejus: כרך משל כי ילכו קוממורת ראש נשוא בשמחת *Metaphorice dictum quod incederent erecti capite cum gaudio elato*. Sed ne ſic quidem intelligitur, quare Propheta ſcripſerit, *gaudium fore ſuper caput*. Eſſe qui ſimilitudinem hic peti cenſeant à *tectorio* ſive *umbraculo* quo *caput* obtegitur, monet Aben-Ezra, certe ſic accepit Chaldæus. Verba ejus: וענן יקר תהי מטל על ראשיהם *Et* NUBES GLORIÆ *obumbrabit capita illorum*. Sic recte Interpres. Eſt enim vox מטל hic à טלל. Non ſperno temere, nec rejicit plane Doctor Hebræus. Et tamen *umbraculum* quo quis obtegitur adverſus æſtum Solis, proprie non eſt ſignum lætitiæ. Proxime ad verum accedunt, nec tamen illi quoque forte rem ipſam aſſequuti qui hic autumant alludi ad *coronas* vel forte *corollas*, (nam auctores non offendi qui mentem ſuam hic diſerte explicent:) quibus ornati procederent redempti Jehovæ; quam cogitationem quoque offendi in *Collectaneis* Samuëlis Laniado, qui hic multa ex variis adfert non digna lectu vel repetitu [A]. Sane verum eſt, apud Populos pleroſque jam ab antiquo coronas vel corollas & ſerta recepta fuiſſe uſu ſive in Sacris à Sacerdotibus aut Rei Sacræ vacantibus & ſupplicantibus; ſive diebus Lætitiæ publicæ aut privatæ, veluti in Comeſſationibus, Ludis, Nuptiis, & hujus generis aliis, de

Temperamentum hujus ſententiæ.

Phraſis illuſtratur. Quo ſenſu *lætitia* dicatur eſſe *ſuper* CAPUT *redemptorum*?

An reſpiciatur ad *Lætitiæ ſpiritualitatem*?

Num potius *caput* hic ſumatur pro *toto homine*?

Cl. Coccejii meditatio.

Forerii à re aliena.

Kimchii.

Sententia eorum qui hic alludi putant ad *umbraculum* ſive *tegmen capitis*.

Aut ad *corollas* quibus ornati procederent *redempti*.

Animadverſum ad hanc ſententiam.

---

a Cap. XII. 22. *b* Cap. XIV. 1. 2. *c* Pſ. LXXXIV. 8. *d* *Pug. Fid.* Part. III. Diſt. II. Cap. VIII. §. IV. *e* Jeſ. LX. 5. ſeqq. Confer Apoc. VII. 16. 17. *f* Prov. X. 6.

A Eſt quoque vere ejus generis quod hic adſcribo; quod tamen quia ad primam ſpeciem dubiæ videtur interpretationis, hic convertam. Verba ejus: ופדויי ה' ישובון ונו' דרש רבי סימאי בשעה שהקדימו ישראל נעשה לנשמע באו ששים רבוא של מלאכי השרת ולכל אחד מישראל קשרו לו שני כתרים אחד כנגד נעשה ואחד כנגד נשמע וכו' *Et redempti Jehovæ revertentur, & ſeqq.*] *Docuit R. Simai, Illo temporis articulo quo Iſraëlitæ prius dixerunt,* נעשה FACIEMUS *quam* נשמע AUDIEMUS, *venerunt ſexaginta myriades Angelorum Miniſterii, & redimiverunt quemque Iſraëlitam duabus coronis; altera reſpectu illius* FACIEMUS, *& altera reſpectu* AUDIEMUS, & ſeqq. Alluditur ad locum Exod. XXIV. 7. ubi ad verba Fœderis à Moſe prælecta reſpondiſſe fertur Populus: *Quicquid loquutus fuerit Jehova* FACIEMUS (נעשה) & AUDIEMUS, (נשמע) & ſeqq. Id ſane dicere voluit, promptitudinem obſequii & praxios Deo eſſe acceptiorem quam externum ſtudium diligentiæ audiendi.

de quo consuli possunt qui de *Coronis* egerunt, aut agentes descripserunt. In casibus privatis constat coronas semper fuisse *insignia lætitiæ*; sed an in Sacris omnis generis, merito dubitem; quod tamen video Virum Doctissimum instituisse probare [a]. Fuit in Sacris non tantum signum lætitiæ, sed & reverentiæ quæ id exigebat ut coram Deo comparentes quam ornatissimi prodirent. Sed non succurrunt mihi nunc exempla hujus moris apud Hebræos Veteres, veluti quod Populus *diebus festis* lætitiæque publicæ *coronatus* vel *corollatus* processisset aut prodiisset in publicum. Josephus narrat [b], (sive vera historia sit sive ficta, nunc minus cordi est:) Alexandro Macedone, à Judæis offenso iisque irato, se post Tyrum & Gazam expugnatam Hierosolymam vertente, & Pontifice Populoque in magno versatis metu: Deum Jaddo per quietem apparuisse qui eum monuerit *bono* esse *animo*, καὶ σεφανῶντας τὴν πόλιν, ἀνοίγειν τὰς πύλας. καὶ τὸν μὲν ἄλλας λευκαῖς ἐσθῆσιν, αὐτὸν δὲ μετὰ τῶν ἱερέων ταῖς νομίμοις στολαῖς ποιεῖσθαι τὴν ὑπάντησιν· & CORONATA URBE (videlicet ut Templa, Statuæ, Aræ, Ædes, quibusdam casibus, illo tempore apud Græcos coronari solebant,) *aperire portas*; & *alios quidem* (Populum Plebemque,) ALBIS VESTIBUS, *ipsum vero cum Sacerdotibus solennibus vestibus* Regi *obviam procedere*. quod eum ad modum fuisse administratum, narrat. *Coronarum* hic nulla mentio. Ergo ne longior sim, etiamsi hanc meditationem magis seponam quam spernam: dicam verbo, ex mea sententia hic omnino alludi ad OLEUM quo diebus lætitiæ publicæ *caput perungi* solebat, quod proprium ac verissimum *lætitiæ* symbolum est. Insignis hic est locus Eccles. IX. 8. *Sint vestes tuæ omni tempore* ALBÆ, ושמן על ראשך אל יחסר *& oleum ne desit* SUPER CAPUT TUUM. Confer Luc. VII. 46. Ἔλαίῳ τὴν κεφαλήν μὲ οὐκ ἤλειψας. Esse autem *gaudii* & *lætitiæ* hujusque auctoris Sp. S. ac donorum ejus, symbolum vulgatissimum & propriissimum *oleum*, unde ortum trahit phrasis OLEUM GAUDII [c], idemque in omni processione ac lætitia publica antiquitus solitum fuisse usurpari, non adstruo, quippe quod probari opus non habeat. Sancti itaque hi Domini properantes Tsionem procederent uncti oleo *lætitiæ æternæ*. Pulchra enimvero sententia. Est autem *lætitia æterna* non tantum æternum duratura, interminabilis, perpetua; verum etiam lætitia *spiritualis* ac cœlestis. Nihil enim æternum nisi *spirituale* ac *cœleste*. *Oleum* ipsum ut corruptioni minus obnoxium: sic res alias à corruptione servat, estque symbolum *æternitatis*. Est *lætitia per* SPIRITUM S. [d] derivata ex *Justitia Filii Dei* & certo sensu *gratiæ remissionis peccatorum in sanguine ejus*. ab ipso quoque Vate nostro alibi [e] dicta *Oleum gaudii*. *Gaudium* proprium credentium in Christum Jesum, de quo ipse [f]: *Et gaudebit cor vestrum*, & GAUDIUM VESTRUM *nemo tollet à vobis*. Species enim gaudii spiritualis, *ineffabilis*, ac *glorioſi* [g], (*gaudium* enim ut cum statu ignominiæ non consistit, sic inseparabile est à *gloria*:) quo sancti in hac vita perfunduntur & unguntur à Spiritu S., durat in futura vita, tantum quod ad *gradum* consummanda. *Aqua*, ait Dominus [h], *quam ego ei* (sitienti justitiam,) *dabo, fiet in ipso fons aquæ salientis in vitam æternam*. Species eadem: gradus variat. Patior autem Prophetam nostrum *lætitiam* hanc & hilaritatem hoc etiam sensu mystico *capiti* adscribere, sedi mentis, quod esset *spiritualis*: metaphora tamen ab oleo desumpta, ut jam declaravi. Jarchius *lætitiam* hanc vocari vult עולם *æternam* non respectu *sequentis* sed *antecedentis* temporis, veluti scripsisset Propheta מעולם *à sæculo*, quippe lætitia hæc conformanda esset ad lætitiam & gloriam *antiqui temporis* quo Deus Israëlitas eduxerat ex Ægypto, quando comparens in Nube cum symbolo gloriæ suæ hostibus prostratis sua illos luce & gloria illustravit & providentia sua texit, ac nutrivit. Nihil hic absurde scripsit Vir doctus; & tamen meditatio nostra rem propius attingit. Solummodo addo, cum respectu ad præsentem Ecclesiæ statum quem Propheta in oculis habet: *lætitiam* hic *hilaritatemque* redemptorum Jehovæ simul dici *æternam* quia cum *æterna lætitia cœlesti* proxime conjungenda esset & in ipsa hac terra nunquam denuo turbanda cum effectu. [i]

Restat alterum membrum quod nobilissimum hoc vaticinium claudit. Verba Prophetæ sunt: ששון ושמחה ינסו יגון ואנחה sc. אותם *eos*. ישיגו quæ nos vertimus: *Gaudium & lætitia assequentur* eos; *& fugient mœror & gemitus*. Sequutus est hanc interpretationem Aben-Ezra; quam jam ante probaveram. Imo ante eum Interpres Alexandrinus: Εὐφροσύνη καταλήψεται αὐτούς· *Lætitia* APPREHENDET sive comprehendet *eos*. Proprie & recte. Est enim inter genuinas significationes vocis καταλαμβάνεσθαι, *occupare*. Et tamen potior pars Intt. subjectum sententiæ faciunt ipsos Redemptos, vertuntque, *Gaudium & lætitiam assequentur*. sive, obtinebunt, ut Hieron. Quisque videt, sententiæ sensum manere eundem: tantum quæritur, sub qua *forma* cogitationis res eadem Prophetæ obversata sit. Rationes pro interpretatione mea has habeo. α. Quia in omni lingua nobis nota *affectus* hominem dicuntur *prehendere*, assequi, καταλαμβάνειν *capere*, ut exempla ubique prostant; quippe quod convenit naturæ rei. *Affectus* enim hominem veluti *vi* invadunt, eumque sæpe nolentem & invitum occupant, prehendunt, tenent, ut se iis exsolvere nequeat. Rectius itaque longe dici videtur, *gaudium* esse *apprehensurum*, assequuturum *redemptos*; quam *redemptos* esse prehensuros gaudium. β. Vox תשיג in aliis casibus ita usurpatur, ut inter alia exemplum est Job. XXVII. 20. PREHENDANT *illum terrores instar aquarum*. Sic Vates vocem תשיג *capere* usurpaverat Cap. XXXIII. 14. *Tremor* PREHENDIT *hypocritas*. γ. Sententia emphasin suam perdit in vulgata interpretatione. Videlicet vox נשג à תשיג Hebræis proprie notat assequi rem aut personam postquam eam acriter persequutus fueris; ut si quis alium currentem & à se fugientem acri cursu assequatur. Utrum jam dictu elegantius & ἐμφατικώτερον videtur: *Lætitiam persequuturam & assequuturam esse* Redemptos Jehovæ? num, *ipsos persequuturos esse & assequuturos lætitiam?* δ. Judicium hac de re potest esse ex opposito. Additur enim protenus: *Mœror & gemitus* FUGIENT. Affectuum igitur hic est *persequi* aut *fugere*. Affectus enim *doloris* hic non opponitur homini persequenti & assequenti lætitiam; sed *lætitiæ* persequenti & assequenti hominem. Idque enimvero scite. Cum enim inter affectus contrarios censeatur esse hostilitas, quippe qui simul in eodem subjecto inesse nequeant: unus expellit alterum, unus *fugit* alterum. Cum igitur *gaudium* & *lætitia* Sanctos *prehenderent* eosque totos occuparent & in potestatem suam redigerent, (quæ vis est vocis נשג:) *fugerent mœror & gemitus*, ob τὸ ἀντιπαθές. Quæ enim sunt diversæ & contrariæ naturæ: se invicem non ferunt. Cl. Coccejus, id haud dubie considerans, ut in oratione Prophetæ servaret Legem oppositionis, posteriora hæc vertit: *Et effugient mœrorem & suspirium*. quod non laudo. In phrasi ipsa minus est elegantiæ; & vox נוס passim *intransitive* sumitur pro *fugere*. *Transitivi* usus vocis נוס in *Kal* dubito num detur exemplum. Nostra interpretatio id videtur habere vitii quod statuat ellipsin *relativi*: sed quam illæ sunt frequentes in Verbo Dei? non sane vitio aut incuria Scriptorum, sed quod omne παρέλκον in oratione vitarent. Id sufficit, & in eo acquiesco: licet forte Critico audaciori non deesset materia alia via expediendi dubium ex collato loco hoc nostro cum parallelo Cap. LI. 11. ubi eadem sententia legitur, sed cum exigua variatione lectionis. Scribitur ibi: *Gaudium & lætitia* ישיגון, non ישיגו: *fugient* נסו, non ut in loco nostro נוסו, *& fugient*.

quam

Quem usum *Corollæ* habuerint in sacris?

Locus Josephi, de *Urbe* Hierosolyma *coronata*, tempore Jaddi.

Alluditur hic ad *Oleum*, quo *capita Redemptorum* ungerentur.

Locus Eccles. IX. 8.

Oleum signum lætitiæ.

Oleum symbolum æternitatis; unde hic *lætitia æterna*.

Quale gaudium hic designetur?

Jarchii meditatio de *æternitate* hujus *Gaudii*.

Lætitia hæc cum *æterna* proxime conjungeretur.

Alterum pericopæ membrum. Versio verborum Prophetæ: *Lætitia & Gaudium* eos assequentur.

Diversa versio aliorum, acsi ipsi assequerentur *lætitiam*.

Rationes quæ priorem versionem adstruunt.

Usus vocis תשיג in hujusmodi casu.

Metaphoræ elegantia in priore versione.

Illustratur ex membro opposito.

Concinnitas metaphoricæ dictionis demonstratur.

Cl. Coccejii versio, & ad eam ἐπίκρισις.

Usus vocis נוס *fugere* in Scriptura S.

Animadversio Critica ex collato hoc loco cum Cap. LI. 11.

---

a Cl. Periz. ad Ælian. Lib. III. Cap. III. *b* *Antiq.* Lib. XI. Cap. VIII. *c* Ps. XLV. 8. *d* Rom. XIV. 17. *e* Cap. LXI. 3. *f* Joh. XVI. 22. *g* 1 Pet. I. 8. *h* Joh. IV. 14. Confer Ps. XVI. 11. *i* Apoc. VII. 16. 17.

quam differentiam Lectionis Masorethæ diligenter annotarunt. Dubitari hic posset, an illud ו in voce ונמו in loco nostro non adhæserit voci errore Librarii ex ו vocis וישינו, ut Propheta etiam hic vere scripserit: וישינו ונמו, non וישינו ונמו. Certe si id admitteretur, inter utrumque locum omnimoda esset consonantia. וישינו autem posset esse pro וישנם ad evitandam κακοφωνίαν, quia sequitur ו in voce ונמו. cujusmodi exemplum nuper observavimus. Sic litera ו non esset *paragogica*, sed *affixi relativi*. Sed quorsum illud? Nulla enim necessitas nos hic ad *crisin* compellit. Sufficit, liquere nobis sententiam Vatis claram, perfectam. Vides, quanta *spe* futuri temporis Verbum Propheticum nos gravidos relinquat! Ora mecum Dominum supplex, ut eam suo tempore propitius impleat. Interim *credens non festinabit*. Deus omne *opus suum pulchrum facit tempore suo*.

Sed hic loci non necessaria.

Pars *Historica* Libri Prophetiarum Jesaiæ,

Qua irruptio Senacheribi, Assyriorum Regis, in Judæam cum numerosissimis Copiis; Legationes ejus ad Hiskiam Regem minaces, insolentes, & blasphemæ; Hiskiæ Regis pietas, & Jesaiæ Prophetæ, per Legatos Regis in hoc statu calamitoso quæsiti, certæ prædictiones de Liberatione Hierosolymorum, easque sequuta paradoxa & admirabilis Liberatio eidem Urbi & Regi Hiskiæ à Deo procurata, ex prostrata florentissima parte Copiarum Assyrii; Hiskiæ Regis morbus lethalis, & curatio ejus ex prædicto Prophetæ miraculosa, illustri signo ipsi confirmata; Ode ejus Eucharistica; & denique Legatorum à Rege Babylonio ad Hiskiam missorum Historia, & functio à Propheta hoc in casu ex mandatu Divino obita; describuntur.

Argumentum, & *Scopus* hujus Historiæ.

Pars Historica hujus Libri. Argumentum ejus.

Hucusque decurrit primus prophetiarum contextus, eique ἀμέσως subjicitur *Compendium* quoddam *Historicum* Eventuum notabilium Regni & temporis Hiskiæ, Achazi Filii: non sane totius, sed mediæ partis, biennii forte aut triennii. Legenti illud primo loco occurrit historia Expeditionis Senacheribi Assyrii in Judæam, ejusque cognatorum ac consequentium, inter quæ afflictissimus Status Judææ; metus Regis & Populi Hierosolymitani; Legationes minaces & insolentes Senacheribi ad Hiskiam; pietas Regis & ejus ad Jesaiam Legatio; hujus certa & fiduciæ plena prædictio futuræ Liberationis, & insolentiæ Assyriacæ castigatio; & denique Liberatio Urbis ac Regis gloriosa & illustris: quæ narratio duobus *Capitulis* (xxxvi. xxxvii.) comprehenditur. Postea morbus difficillimus & absque Divina ope desperatus quo Rex Hiskias circa hoc ipsum tempus est defunctus, & curatio ejus miraculosa ac præternaturalis describuntur; adjecta elegante *Ode* ipsius Regis Eucharistica qua Beneficium in se collatum celebrat. (Cap. xxxviii.) Sequitur denique Narratio de Legatis Babyloniis, qui Hierosolymam venerunt gratulatum Regi valetudinem recuperatam; simul accuratius perveſtigatum mirabile phænomenon retrogradi Solis in Horario Achazi; cum illius casus *Adjuncto* sive *consequente*, h. e. mandato Divino id temporis ad Jesaiam delato, ad Hiskiam allegando, quod ille intrepide exequutus est. quibus clauditur hæc narratio contenta Cap. xxxix. quando repetitur contextus prophetiarum. Hæc summa est historiæ, in arctissimos cancellos à me redactæ; non tantum quod lecta non difficulter intelligatur, verum etiam quod ob τὸ παράδοξον Eventuum frequentius legatur quam similes aliæ, & vulgo notior sit.

Complectitur ipsa quoque prophetias à Vate nostro editas.

Eadem ratio est historiæ ægrotationis Hiskiæ.

Exemplum simile historiæ insertæ prophetiis Jeremiæ.

Scopus Historiæ Libro huic Prophetico insertæ. Respectum habet ad prophetias superiores.

II. *Scopus* Historiæ hic insertæ non indicatur in contextu orationis; sed à nobis facile colligitur ex dispositione prophetiarum hujus Libri. Quippe cum in superioribus prædictionibus inter fata futuri temporis sæpius multisque in locis recensitus esset Casus lugubris irruptionis Senacheribi in Judæam, & ei cognatus eventus mirabilis ac paradoxus Liberationis gloriosæ Hiskiæ Regis ac Populi Hierosolymitani in extremis angustias versati à Deo ipso Exercitum Assyrii perditurò ἀμέσως procurandæ: visum est Scribis Sacris, aut Jesaiæ ipsi, (de quo mox disputabo:) historiam hanc sive à Propheta conscriptam, sive ex Commentariis Regiis depromptam, tanquam ad prophetias superiores intelligendas plane necessariam, ipsi huic Libro inserere: & quidem hoc potius quam alio loco, quod prophetiæ in quibus speciatim respiciebatur ad hunc casum & ad tempora Hiskiæ, hic terminarentur. Ad quod accedit, ipsam quoque hanc historiam complecti *Revelationes Divinas*, Jesaiæ factas, insignes, non tantum quod ad *materiam* quod dicitur, verum etiam quod ad *formam* ejus ipsius verbis editas. Quæ eadem est ratio quare hic subjiciatur *historia morbi Hiskiæ*, non quod in prophetiis superioribus ullus ejus respectus esset, sed quod *consequens* illius eventus ad prophetias aliquas superiores illustrandas faceret. Exhibet enim clarissimum dictum sive prædictum Jesaiæ ad Regem Hiskiam Dei jussu prolatum, de futura Hierosolymitanæ Urbis & Reipublicæ destructione per Chaldæos, Babylone fixuros sedem Imperii. Fieri poterat, ut historia si non periret integra, (quod sæpe accidit,) ad manus non esset prophetiam legenti: quare ne deesset copia omni casu prophetiæ conferendæ cum historia; adjecta est prophetiis, in quibus eventus temporis Hiskiæ prænuncian-tur. Et hæc quidem ratio, hic scopus mihi visus est primarius. Pare enim modo eandemque ob rationem prophetiis Jeremiæ, in quibus Judicium Dei in Hierosolymam sæpius prædictum repetitumque erat, historia Urbis & Templi desolatorum & populi in exilium abducti ad calcem Prophetiarum ejus adjicitur *a*. Et forte tamen etiam hic accedit aliud, nimirum fieri posse, ut qui prophetias hujus Libri digesserunt; sive ex certa notitia sive ex conjectura, sibi persuaserint, prophetias superiores ante tempus irruptionis Assyrii in Judæam conscriptas vulgatasque fuisse: sed quæ sequuntur Cap. xl. esse illo Eventu posteriores. Sed quanti ponderis auctoritatisque hæc sit hypothesis, præcipue dijudicandum erit ex cognito *Auctore* hujus historiæ: quæ disputatio sequentia involvit quæsita, æquo animo discutienda. α. Utrum Propheta Jesaias ipse historiam, ut hic legitur, conscripserit, & in hunc Librum digesserit, an quis alius? β. Si forte ad alium referenda sit auctorem, qui eam ex Commentariis publicis contraxerit: cui vindicanda, & à quo huic Libro inserta sit? De his breviter pro ratione nostri instituti.

Quæsita quæ hic moveri possunt.

Ἀνά-

a Cap. lii.

Ἀνάκρισις auctoris hujus historiæ, tum compositæ, tum in hunc Librum digestæ.

Investigatio Auctoris hujus historiæ. Communis Intt. sententia, esse eam à manu Jesaiæ.

MAteriam disputandi, hoc loco non quæsitam sed necessariam, modo proposui. Primum horum est, *utrum Propheta noster hanc historiam composuerit ipse & in hunc Librum digesserit*, ut hic legitur, *an quis alius?* Interpretes passim historiam, ut hic legitur, referunt compositam & digestam quoque ad Prophetam Jesaiam; idque tam certo tradunt, ut de eo ne quidem dubitare vel dubitasse videantur. certe dissentientem hactenus non offendi. Monent Commentatores secure, Jesaiam ipsum prophetiis suis voluisse subjicere implementum earum ex historia, ut hoc ipso earum assereret veritatem auctoritatemque Divinam.

Sententia non est improbabilis. Rationes ejus.

II. Sane quidem sententia, si eam in se spectes, valde est probabilis quod attinet ad rei summam. Cum enim Prophetæ passim manus admoverint ad conscribendam Historiam Sacram Ecclesiæ antiquæ, ut ex certis exemplis Gadis, Nathanis, Ahiæ, Idduntis, liquet; & Jesaias ipse conscripserit res gestas Uzziæ, ut ipsa historia docet [a]: & præterea eventus temporis Hiskiæ valde fuerint memorabiles, dignissimi si qui alii qui committerentur memoriæ posteritatis; in quibus ipse Jesaias personam sustinuit insignem: verisimile est, illum hac quoque parte officio suo non defuisse. Videtur insuper huic sententiæ favere locus Libri *Chronicorum*, in quo historiæ Hiskiæ hæc subjiciuntur verba [b]: *Et reliquum rerum Hiskiæ ac piorum factorum ejus*, (חסדיו) *ecce ea scripta sunt* IN VISIONE JESAIÆ FILII AMOTSI *Prophetæ*, (&) *in Libro Regum Judæ ac Israëlis.* Et tamen locus probe inspectus nos non liberat omni dubio. Primo non dicitur in hoc loco, *res gestas* ab Hiskia vel ætatis ejus scriptas esse à Jesaia ipso, ut dicitur in historia Uzziæ [c]: *Et reliquum rerum Uzziæ, priora & posteriora,* SCRIPSIT *Jesaias filius Amotsi Prophetæ:* sed Historicus hoc loco dicit, scripta esse in *Visione Jesaiæ*; h. e. legi posse in Libro Prophetiarum Jesaiæ, ut ille vel à Propheta ipso vel à Scribis Propheticis est digestus: supponens videlicet, jam suo tempore historiam hanc sive à Jesaia ipso, sive ab alio compositam concinnatamque sit, in Libro Jesaiæ legi. Deinde, est in his verbis quid in structura verborum quod sensum loci obscurat. Verba sic vere habent; *Scripta sunt* IN VISIONE *Jesaiæ,* (בחזון) *in Libro* (ספר על) *Regum Judæ & Israëlis.* quæ sensum non dant facilem. Vel itaque statuendum est, *præfixam copulativam* ו ἐκλείπειν ante voculam על, & accipienda esse verba, acsi scriptum esset, *In Visione Jesaiæ, Filii Amotsi Prophetæ,* ET (ועל) *in Libro Regum, &c.* vel vertenda esse verba: *Scripta sunt* IN *Visione Jesaiæ* ... JUXTA (על) *Librum Regum Judæ & Israëlis.* ut sensus sit, historiam quæ legitur in Libro prophetiarum Jesaiæ desumptam esse ex Libro Regum Judæ & ad eum conformatam. Prior interpretatio quæ ellipsin supponit, licet hoc loco durissimam, sed haud dubie ex incuria Librariorum ortam, (ut vere hi Libri *Chronicorum* negligentius habiti sunt:) hic facilior est, & Paraphrastes Chaldæus, ut in utraque Editione [d] legitur, eam supplevit, perinde ac οἱ ὁ. Etiamsi enim vocula על rectissime admittat significationem normæ, *juxta, secundum*; & sensus optime sibi constet secundum hanc notationem vocis: est tamen observandum, auctorem hujus *Historiæ* ac *Librorum Regum* passim adhibere voculam על, aliis in locis, ubi dicere voluit, Gesta hujus vel illius Regis consignata esse *in* Libris Regum Judæ & Israëlis. Et tamen verum est, potuisse auctorem Libri Chronicorum qui post Reditum Judæorum ex Exilio floruit, id scribere quod hic legitur, etiamsi forte Jesaias ipse per se historiam hanc non scripsisset: perinde ut extrema Libri Regum leguntur ad calcem Libri Prophetici Jeremiæ, licet certum non sit, quod Judæi Veteres præ se tulerunt, hæc à Jeremia ipso scripta esse.

Obscurum aliquid in phrasi hujus loci.

Duplex interpretatio loci excutitur.

Animadversio ad sensum loci.

Admittitur hypothesis, Jesaiam scripsisse aliquam partem Historiæ Hiskiæ.

III. Sed nolim ego contra disputare; quin admittam lubens, quod probabile est, Jesaiam historiam sive Regni Hiskiæ totius usque ad ipsius Prophetæ nostri obitum: (suppono enim, illum regnante Hiskia jam gravem senecta vivere desiisse:) sive memorabilis illius Casus irruptionis Senacheribi in Judæam, ejusque punitionis ac Liberationis Populi Dei, quem sæpius in Vaticiniis suis prædixerat, scriptam reliquisse posteritati. Et tamen non dissimulabo, subinde me in hoc incidisse dubium, an ea *forma* qua nunc legitur in Libro prophetiarum ejus, præcise edita sit à Propheta. Forte enim alicui videri posset, hanc historiam æque ac historiam horum temporum quæ extat in *Libris Regum*, esse compendium excerptum ex *majoribus* Prophetæ *commentariis.* Ne fraudi sit, id non statuere, sed disputare. Nihil enim hic datur petulantiæ aut luxuriæ ingenii, nodum in scirpo quærentis, aut fluctus moventis in simpulo. Ipsa hujus sermonis inspectio, & analogia similis exempli apud Jeremiam, mihi aliquando hanc subjecit cogitationem. Sed frustra vagor, & suspendo lectorem: accedo protenus ad rem ipsam.

Dubium, an ea forma scripserit, qua hic legitur?

An non forte sit excerptum ex majoribus Prophetæ commentariis?

Locus Libri *Chronicorum*, qui huic sententiæ videtur favere, ad quem aliqua observantur.

IV. Primò quidem conferenti hanc historiam cum ea quæ extat in *Libro Regum posteriore*, à ℣. 13. Cap. XVIII, usque ad ℣. 20. Cap. XX. clarissime liquet, vel historiam hanc, ut in nostro hoc Libro legitur, esse transcriptam & quidem contractam ex *Libris Regum*; vel Auctorem historiæ *Libri Regum* hanc nostram quibusdam locis auctiorem fecisse. Suppono hic, historiam esse eandem; sive utraque sit ejusdem manus; sive altera ad alterius typum efformata. Conformitas enim materiæ, styli, phrasios, (exceptis exiguis variationibus,) id luculenter evincit; nec de eo prudentibus dubitare licet. Tantum quæritur, an utraque sit ejusdem manus; &, si non sit, utra ad alterius typum descripta sit. Ejusdem esse manus, non videtur asserendum ob variationes quæ in phrasi utriusque inter se collatæ observantur. Quas variationes, à Masorethis jam diligentissime annotatas, hic exhiberem singulas, nisi id in *Annotationibus* historiæ mox percensendæ subjiciendis, facere propositum esset. Si una manus, unusque auctor, eandem scripsisset & descripsisset: non videtur se describendo tot locis in phrasi voluisse variare, aut se ipsum non quidem emendare, (variationes enim hæ non habent speciem emendationum, cum utræque rectæ sint & sensum bonum dent:) sed *contrahere* & compendifacere. Atqui patet, quod modo supponebam: historiam ut legitur in Libro hoc nostro, esse paulo *contractiorem* ea quæ in *Libro Regum.* ut proinde probabile videri posset, historiam *Libri Regum* esse typum ad quem hæc nostra excerpta sit; vel, Prophetam aut Scribam Sacrum hanc nostram quibusdam locis ampliasse. Grotius hic adscribit: *Ex hoc capite & tribus sequentibus desumpta ea quæ habemus* 2 *Reg.* XVIII. 17. *& deinceps usque ad* Cap. XX. 19. Sed sane si Vir illustris tantum inter se contulisset prima verba contextus historiæ, à quo ipse eam orditur, mox observasset variationem quæ clare satis docet, quæ in *Libro Regum* extant, omnia non esse *desumpta* ex historia hujus Libri. In *Historia Regum* ita scribitur hoc loco [e]: *Et misit Rex Assyriæ Thartanem, & Rabsarisum, & Rabsaken Lacischa ad Regem Hiskiam, cum exercitu gravi Hierosolymam; & ascenderunt ac venerunt Hierosolymam; & ascenderunt & steterunt ad aquæ ductum piscinæ superioris.* Vide mihi jam ut hæc per compendium exhibeantur in hoc Libro [f]: *Et misit Rex Assyriæ Rabsaken Lacischa Hierosolymam ad Regem Hiskiam, cum exercitu gra-*

Primum observatum Historiam *Libri Regum* aliquanto esse auctiorem.

Ubi supponitur, historiam esse eandem.

Nec tamen videtur per omnia esse ab eadem manu, ob *variationes*, quæ inter utramque occurrunt.

Consequens inde elicitum distinctius proponitur.

Ill. Grotii annotatio.

De ea judicium.

Exemplum variationis mox in initio historiæ.

a 2 Chron. XXVI. 22. b 2 Chron. XXXII. 32. c l. c. d Cll. Beckii & Wilkinsii. e 2 Reg. XVIII. 17. f Cap. XXXVI. 2.

gravi, stetitque ad aquæductum piscinæ superioris. Reciſſa ſunt quæ videri poterant ad corpus ipſum hiſtoriæ minus neceſſaria; & neceſſaria tantum, quæ ad ſummam hiſtoriæ ſufficiebant, retenta. Deinde, collatio hiſtoriæ utriuſque non erat ordienda in Libro Regum à ℣ſ. 17. Cap. XVIII. ſed à ℣ſ. 13. ut cuique ambas conferenti liquet. quod ſi fiat, ut ſane fieri neceſſe eſt; mox obſervaveris, *verſus* tres *ſequentes*, (℣ſ. 14. 15. 16.) in Hiſtoria Libri Jeſaiani negligi, quod ſcilicet directe non facerent ad ſcopum illius qui hanc hiſtoriam in Libro prophetiarum Jeſaiæ recenſuit, & continuari contextum ℣ſ. 17. Sed ego aliis nunc tantiſper miſſis, exemplum unum producam certiſſimum ex hiſtoria morbi Hiskiæ. Verba hæc ſunt orationis conſolatoriæ ad preces Hiskiæ Dei mandatu à Jeſaia ad eum habitæ; & conſequentia hiſtoriæ: quæ juxta ſe poſita ex utraque exhibebo.

Aliud exemplum notabile utriuſque hiſtoriæ inter ſe collatæ.

Hiſtoria Regum: [a]	Hiſtoria Libri Jeſaiæ.
Audivi preces tuas; vidi lacrimas tuas: ecce ſano te; die tertio aſcendes in Domum Jehovæ: & addam diebus tuis annos quindecim; & è manu Regis Aſſyriæ liberabo te, & Urbem hanc, & protegam Urbem hanc propter me, & propter Davidem Servum meum. Et dixit Jeſaias; ſumite maſſam ficuum, & ſumptam impoſuerunt ulceri; & convaluit. Et dixerat Hiskias ad Jeſaiam: Quodnam mihi ſignum promis, fore ut Dominus me ſanet; & tertio die aſcendam in Domum Jehovæ: Et dixit Jeſaias: Hoc tibi erit ſignum à Jehova, facturum Jehovam quod dixit. An progredietur umbra per decem gradus, num vero per totidem gradus retrocedet? Et dixit Hiskias: Facile eſt umbræ declinare per decem gradus. non, cedat potius umbra retrorſum per decem gradus. Et Jeſaias Propheta Jehovam invocavit, & reduxit umbram per gradus per quos deſcenderat in gradibus Achazi retrorſum per decem gradus.	*Audivi preces tuas, vidi lacrimas tuas; ecce addam diebus tuis annos quindecim; & è manu Regis Aſſyriæ te liberabo, & Urbem hanc, & protegam hanc Urbem. Et hoc tibi ſignum erit à Jehova, facturum illum hanc rem, de qua loquutus eſt. Ecce reducam umbram graduum quibus deſcendit in gradibus Achazi cum Sole retrorſum per gradus decem; & retroceſſit Sol decem gradibus in gradibus per quos deſcenderat.* Inde poſt inſertum Carmen Hiskiæ Eucharisticum, velut ad ſupplementum ſuperioris hiſtoriæ additur [b]: *Et dixerat Jeſaias: Sumant maſſam ficuum, & imponant ulceri & convaleſcet: & dixerat Hiskias: Ex quo ſigno cognoſcam, me aſcenſurum eſſe in Domum Jehovæ.*

Conſequens inde elicitum.

Sane probabile videri poſſet, hiſtoriam Libri Jeſaiani ut contractiorem ad priorem ut typum deſcriptam eſſe; & auctorem ejus ſub calcem, cum videretur in hoc compendio aliqua neglexiſſe, quæ ad integritatem hiſtoriæ cenſeri poterant pertinere, eadem ipſi Odæ Eucharisticæ ſubjeciſſe: licet videri poſſet hac narratione in ſuperioribus jam eſſe defunctus.

Conſectarium ex ſuperioribus animadverſis.

V. Ægre tamen à me impetravi, ut ſtatuerem, hanc noſtram huc eſſe tranſlatam ex Libro *Regum*; tum quod *Ode Euchariſtica* in Libro *Regum* non compareat; tum quod ratio probabilis vix dari queat variationum, quæ inter utramque occurrunt. Probabilius videbatur, ipſam quoque illam hiſtoriam ut legitur in Libris *Regum*, eſſe compendium majoris & longe amplioris hiſtoriæ harum rerum à Propheta noſtro conſcriptæ, ex qua ampliore hiſtoria hoc compendium primo quod extat in Libro *Regum*, & ad eundem tenorem exigua variatione id ipſum quod legitur in hoc Libro, compoſitum fuerit. Prima mihi ratio erat, quia huic hiſtoriæ Hiskiæ ut narratur in *Libro Regum*, æque ac aliorum Regum hiſtoriæ, ſubjicitur; eſſe eam per modum compendii excerptam ex longe amplioribus Commentariis. Verba ſunt [c]: *Et cætera Hiskiæ, & omnis potentia ejus, ... ſcripta ſunt in diurnis Commentariis Regum Judæ.* Secundo, quia per ſe veriſimile videtur, res ſingulares adeo ac memorabiles, quales tempore Hiskiæ, & quidem irruptionis Senacheribi, geſtæ ſunt, prolixius memoriæ mandatas eſſe. Utique liquet ex hiſtoria *Libri Chronicorum* collata cum ea *Libri Regum* extitiſſe longe explicatiorem & fuſiorem hiſtoriam rerum tempore Hiskiæ geſtarum, unde auctor Ephemeridum illarum multa excerpſit, quorum veſtigium nullum occurrit in Hiſtoria Regum, quippe quæ habenda eſt pro amplioris hiſtoriæ ſynopſi. Tertio, quia exemplum huic noſtro ſimile eſt in Libro Prophetiarum Jeremiæ; cui ſubjecta eſt hiſtoria Zedekiæ Regis & expugnatorum Hieroſolymorum, abductique in Exilium Populi, uſque ad mortem Nebucadnezaris vel Jehojachinis, excerpta & deſcripta ex ipſis hiſce *Libris Regum* [d]; quam tamen pericopam hiſtoricam conſtat non eſſe profectam à manu Jeremiæ: quicquid Judæi ipſum auctorem Librorum Regum faciant. Sic enim exerte additur fine Cap. LI. 64. USQUE HUC VERBA JEREMIÆ. Et tamen, ut dixi, hiſtoria in ejus Libro legitur. Fac vero, hiſtoriam *Libri Regum* eſſe longioris hiſtoriæ ſynopſin: non dixeris, Jeſaiam noſtrum hanc ſynopſin in hiſtoria ſua manu ſcripta imitari & in Librum ſuum transferre voluiſſe. Eſt præterea probabile, *Libros Regum* non niſi in Exilio Babylonico in uſum Eccleſiæ inſtructos & ex longiore hiſtoria contractos eſſe. certe ante id tempus non potuerunt abſolvi, quia hiſtoria in Exilio terminatur. Equidem in hoc *Compendio* ſubinde repetitur illud, USQUE IN DIEM HUNC [e]; & quidem in ejuſmodi caſibus in quibus ſupponitur Reſpublica adhuc ſubſtitiſſe. Ita eſt, ſed idem occurrit in *Libris Chronicorum* quos nemo negat poſt Reditum ex Exilio conſcriptos eſſe; quippe quod ex extremis illius hiſtoriæ clariſſime liquet. Ex hac itaque formula nihil aliud colligi debet, quam Scribam ſacrum *Commentarios Regum* in breve contrahentem, ſequutum eſſe formulam & ſtylum ſcribendi quem in *Commentariis* illis *publicis* per ſingula Regum tempora adornatis deprehendebat. Id veriſſimum haud dubie, atque adeo hypotheſin, quæ communiter hac de re recepta eſt, non infringit.

Rationes hujus ſententiæ in ſpeciem probabiles.

Libri *Regum* ex amplioribus Commentariis contracti ſunt.

Quo tempore?

Summa ſuperioris diſputationis, theſibus quibuſdam exemplis poſita.

VI. Ex iis quæ huc uſque diſputavi, hæc eliciebam conſectaria. *α.* Jeſaiam noſtrum hiſtoriam Hiskiæ, non quidem totius Regni ejus, (non videtur enim ei ſupervixiſſe,) ſed partis ejus & quidem præcipue temporis illius notabilis afflictæ ab Aſſyriis & liberatæ Hieroſolymæ ſcripto mandaſſe in uſum Eccleſiæ, eamque hiſtoriam ejus relatam eſſe in Commentarios Regios. *β.* Ex iis excerptum eſſe compendium quod hucdum ſervatur in *Libris Regum*. *γ.* Scribas ſacros qui prophetias Jeſaiæ digeſſerunt, cum viderent hiſtoriam hanc ad intellectum quarundam prophetiarum Jeſaiæ plane neceſſariam eſſe, eandem, reſectis non plane neceſſariis, paulo contractiorem huc tranſtuliſſe & huic Libro inſeruiſſe, ut Lector eam ſemper in promptu & ante oculos haberet, nec opus eſſet eam alibi quærere. perinde ac iidem Scribæ inſtituerunt in recenſendis prophetiis Jeremiæ; quibus ſubjecerunt hiſtoriam ex eodem hoc *Libro Regum* deſumptam ad demonſtrandam prophetiarum ejus veritatem, & lectori imperito, qui vel non ſemper ad manus haberet Hiſtoriam, vel eam non evolverat, ſuccurrendum. Utique explorata res eſt, hiſtoricos Libros rudioribus ſæculis longe infrequentius tractatos deſcriptoſque eſſe quam Legales aut Propheticos & Odas Sanctorum.

An non potius tam *hæc Pericopa* Hiſtorica quam *Libri Regum* fit contracta ex uberioribus Prophetæ noſtri Commentariis?

In qua nihil eſt quod imminuat auctoritatem

VII. Quæ cum ſcriberem, non exiſtimabam, quicquam in iis ineſſe, quod vel tantillum imminuat hujus pericopæ hiſtoricæ auctoritatem: eſt enim vere prudenter

---

a 2 Reg. XX. 5. ſeqq. *b* Cap. XXXVIII. 21. 22. *c* 2 Reg. XX. 20. *d* à 2 Reg. XXIV. 11. ſeqq. Cap. XXV. ad finem. *e* 1 Reg. VIII. 8. XII. 19. XIV. 7.

hujus Pericopæ.

ter instructa, nec ipsius Jesaiæ manu indigna. Primo enim supponebam, *materiam* integram esse Jesaiæ, ex longioribus ejus Commentariis relatam in Libros Regum. Deinde, quod ad *formam*, α. Notabiliores ejus partes & pericopas quæ complectuntur Revelationes Prophetæ à Deo factas & mandatu Dei ad solatium Hiskiæ & piorum Hierosolymitanorum enunciatas, totas esse à Jesaia: perinde ac Ode Eucharistica Hiskiæ quæ hic legitur & non comparet in Libris Regum; tota ad exemplum manus Hiskiæ expressa est. β. Non esse dubitandum, quin *Synopsios* auctor qui Libros Regum concinnavit, phrasin & verba longioris historiæ passim imitatus sit, quippe à quibus recedendi nullam habuit rationem. γ. Auctorem *Synopsios* Commentariorum Regum fuisse Scribam sacrum, aut Virum Propheticum, publica auctoritate munitum, qui in Exilio vixerit; licet à nobis non cognoscatur aut certo definiri possit. Veteres enim Judæi hosce *Libros Regum* recensuerunt in *Propheticis*, (non verò *Libros Chronicorum* licet ex iisdem Commentariis per modum supplementi contractos,) quia à Propheta adornati sunt. Libri Chronicorum iis posteriores ipsi quoque à sanctis & sapientibus Viris, quales fuerunt Ezra & socii ejus, confecti sunt; nec tamen eundem locum in *Canone* meruerunt; ut proinde quacunque parte rem verses, nihil plane decedat auctoritati hujus Synopsios.

Superioris sententiæ temperamentum & emendatio.

VIII. Sic luseram hactenus, nec absque probabili rationis specie. Sed dum ad ipsum hunc *textum* historiæ Jesaianæ accessi, & singula accuratius expendi: vidi clarissimè & agnovi, quæ nunc certa mea sententia est, Pericopam hanc historicam totam esse à manu Jesaiæ; Historicum autem *Libri Regum* id egisse, ut passim ductum ejus sequutus necessariis locis, contractiorem hanc explanaverit, ut in historia morbi & curationis Hiskiæ: ut quæ plus extant in *Historia Regum* haberi debeant pro hujus historiæ interpretamentis & elucidationibus. In qua sententia nunc certus subsisto.

Ratio observanda in hujus Pericopæ Historicæ pertractatione.

IX. Ego vero ita hic instituam, ut historicam hanc Libri partem, intellectu non difficilem, dubiis solummodo aut obscurioribus locis, meis perstringam aut illustrem *Annotationibus*; quod hic plane videtur sufficere. Si enim absque necessitate me hic committerem prolixiori commentationi: viderer materiam scribendi quærere, quam in tanta dicendorum copia magis evitare velim. *Analyses* pariter nullam hic habebo rationem aliam, nisi ut sequutus filum historiæ, *Eventus* continuos in ea memoratos, recensem, eorumque *summam* præscribam: quæ unica in Libris Historicis observanda est *Analyseos* species.

CAPUT XXXVI.

Expeditio Senacheribi in Judæam, ejusque *Successus*.

Textus Cap. XXXVI.

1. ACcidit autem ut anno quarto decimo Regis Hiskiæ venerit Sancherib, Assyriorum Rex, contra omnes Urbes munitas Judææ; easque ceperit.

Pars prima hujus Historiæ. *Expeditio Senacheribi in Judæam.*

Anno quarto decimo] Disputavi satis prolixe ad Cap. XX. 1. an Rex Assyriæ hoc demum anno expeditionem in Ægyptum susceperit; num vero per Præfectos suos eam jam anticipaverit A. XII. ut Chronologorum & Intt. pars statuit. Definivi autem posterius tanquam congruens historiæ ejusque circumstantiis: tum quoque, Expeditionem hanc uno fere anni circulo circumscriptam fuisse; secus ac opinatur reverendæ memoriæ Usserius. Alia insuper huic argumento affinia, ad Casum hunc illustrandum facientia, in medium produxi; quæ cum hic repeti nequeant, suo loco legenda sunt. Incidit autem famosa hæc Expeditio in A. P. J. 4001. Ante N. Ch. 713. cui Chronologiæ hic non potest subesse magnus error: etsi ob dubia quædam & incerta, quæ rationes sequentium temporum relinquunt, (aliàs certiores multo antecedentibus,) annus non nisi in aliqua latitudine definiri queat. Marshamus, qui *Chronologiam Regum Judæ* secundum hypotheses suas sed à paucis probandas contractiorem exhibet [a], hic demonstrat Nabonassari XX. qui ex ipso Canone Ptolemæi facile errorem suum cognoscere potuisset, quia *Merdokempad*, (quem ipse quoque agnoscit esse *Merodachum Baladanem*, Babyloniæ Regem, (de quo mox videbimus Cap. XXXIX. 1.) demum A. XXVII. Nabonassari regnare incepit: cum tamen historia S. doceat, illum jam tempore Morbi Hiskiæ, qui proxime excepit hanc expeditionem, regnasse. Rectius dixeris incidisse in Nabon. XXXIV.

Animadversio ad *tempus* hujus Expeditionis.

Quod distinctius definitur.

Marshami sententia.

Senacheribus quis fuerit qualisque Princeps? Notitia ejus ex historia Vetere.

SENACHERIBUS] Multus nobis de hoc Principe sermo fuit in *Superioribus*, quatenus historia notitiam ejus nobis indulsit; & quis non mecum eam expeteret ampliorem? Quæ præter notitiam hujus historiæ nostræ de eo aliunde cognosci possunt, dudum ab Eruditis Viris producta excussaque sunt. In Libro Tobiæ, cujuscunque demum auctoritatis, dicitur [b] Filius Ἐνεμεσσάρ, per quem ibi intelligitur *Salmanassar*: quod per se satis videtur probabile. Herodotus in historia *Sethonis* Ægypti Regis, sæpius jam à nobis memorata, illius clarissime meminit [c]. Vocat illum Σανα-χάριβον Βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων· SANACHARIBUM, ARABUM & ASSYRIORUM REGEM. Sic legitur hoc tempore in Codicibus nostris; & tamen Josephus Herodotum hoc nomine exerte notat, quod Senacheribum non *Assyriorum*, sed *Arabum* Regem esse dixerit [d]; mutilum haud dubie Codicem nactus. Nihil vere vitii in eo est, quod illum juxta cum Assyriis Regem dixerit *Arabum*; quippe omnino probabile est, illum hoc tempore magnam partem *Arabiæ Desertæ* sibi obnoxiam habuisse, ab Oriente quidem spectabilem partem regionis Arabiæ Babyloniæ proximam, ab Occidente vero Moabitarum & Ammonitarum atque vicinorum Arabum terras ab Euphrate usque ad Jardenem, quæ terræ Scriptis Gentium Arabiæ accensentur. Josephus idem monet, [e] Berosum quoque, celebrem rerum Chaldæarum Scriptorem, mentionem facere τῦ Βασιλέως τῦ Σεναχηρίβε, *Regis Senacheribi*, καὶ ὅτι τῶν Ἀσσυρίων ὑπῆρχε καὶ ὅτι πάσης ἐπεστρατεύσατο, τῆ Ἀσίᾳ καὶ τῆ Αἰγύπτῳ, λέγων ὅτως· *& quod apud Assyrios regnaverit, totamque Asiam atque Ægyptum bello infestaverit, sic dicens*, sive *his verbis*. Postrema illa, λέγων ὅτως, *sic dicens*, Interpres vetus sic accepit, acsi quæ sequuntur, verba essent Berosi, cum tamen omnino sint Josephi. Si sint ipsius Josephi: referenda sunt ad superiorem contextum, ut dicere velit Josephus, Berosum *hac ipsa phrasi* usum esse, videlicet, Senacheribum *Assyriis imperasse & totam Asiam ac Ægyptum bello infestasse*. ut ipse alibi [f] Berosi testimonio & verbis usus, subjicit: Ταῦτα μὲν ὅτως ἱστόρησε περὶ τῦ προειρημένε Βασιλέως. Scaliger à sciolo addita vult [g]: quod nos facile patimur. Nobis ex ipsis hisce Josephi satis patet, Berosum vel obiter tantum Senacheribi meminisse; vel testimonium ejus non fuisse notabile aut plane ad mentem & gustum Josephi.

In Herodotum animadversio.

Recte ab illo appellari potuit *Arabum Rex*.

Ad Berosi de *Senacheribo* testimonium ex Josepho.

De eo admonitio.

Phrasis ejus expositæ.

a *Can. Chron.* ad Sæc. XVII. p. m. 512. & 529. b Cap. I. 16. 18. c Lib. II. p. 163. d Ant. lib. X. Cap. I. e l. c. f Contra Ap. L. I. p. 1045. g *Not. in Fragm.* p. 46.

Nomen סנחריב *Senacherib*, quid significet?

phi. Cætera enim non neglexisset hic vel alibi verba ejus in medium producere. Nomen ipsum סנחריב SANCHERIB Doctorum nemo, à me inspectus, interpretatur; nec vexat me ambitio, ut aliis in re valde incerta videri velim doctior. Nisi tamen fallor, notat OSOREM BELLI sive VASTATIONIS. ut compositа sit vox ex סנא (sic Chaldæi eadem enunciatione qua Hebræum שנא,) *Odio habuit*, & חרב *Vastatio*, *Bellum*. Quam pulchre quadrat, ais, nomen in *Vastatorem Gentium?* Parce dicto, & siste gradum.

De eo conjectatio.

Principes Orientis affectant nomina fausti ominis. Exempla ex historia.

Principes Orientales antiqui & recentioris temporis, imo & Occidentales, sæpe affectarunt titulos & nomina veræ eorum indoli & gestis plane contraria. certe omnes affectarunt nomina vel epitheta honesta, vulgo commendabilia. Quid? Nonne Pater Senacheribi appellatus est שלמן SALMAN, PACIFICUS [a], (quod nomen ejusdem est potestatis cujus שלמה *Salomo*) & cum vulgari epitheto sive terminatione, שלמנ־אסר *Princeps* PACIFICUS; & tamen idem Princeps an non describitur ut *Bellatorum* sui temporis maximus? Missis exemplis & epithetis aliis, ut sunt Φιλοπάτωρ, Φιλομήτωρ, Φιλάδελφος, Ἐπιφανὴς, Εὐεργέτης, *Pius*, *Clemens*, *Justus*, (boni quidem ominis, sed subjectis, quibus aptabantur, sæpe non convenientibus,) expende mihi exempla recentioris historiæ plane similia in SELIMO & SOLIMANNO, (Scriptores rerum Pannonicarum aliquando SALOMONEM vocant,) Imperatoribus Turcarum sic dictis. Fuerunt illi terribiles Bellatores ac Vastatores Gentium, indole ac Gestis Senacheribo pares; & tamen dici voluerunt eodem nomine PACIFICI. Tam sc. gratum *pacis* nomen est, ut ipsi quoque turbatores Mundi, dum rem ipsam aversantur, hoc nomine se efferre ament. Qui maxime bellum amant, videri tamen omnes volunt *Bellum Odisse*. OSOR BELLI (סנחריב) idem est quod שלמן PACIFICUS.

Quo sensu omnes Urbes Judææ *cepisse* dicatur?

Contra OMNES *Urbes Judææ* MUNITAS, *easque* CEPERIT.] Cum primum adversus Judæam expeditionem susciperet Senacheribus, videtur cum majore Copiarum suarum parte iter per Judæam directe instituisse versus Ægyptum, ut monui ad Cap. x. 28. & sæpe alias. quando primo terrore perculsi incolæ Judææ vicos & agros plerique deseruerunt, & Urbes pleraque *munitas* dictas, (sed, ut probabile est, minus probe *munitas* curataque) hosti occupandas dederunt. Nec tamen *omnes*, sed Regi in expeditione obvias. quo in Ægyptum digresso, Judæi consilio & cura Hiskiæ provide pro ratione temporis eas munierunt, atque adeo animis jam paulo confirmatioribus Regi redeunti ex Ægypto eas objecerunt: ut occurrent exempla in *Libna* & *Lachisha*. [b]

Prima Legatio Assyrii ad Hiskiam Regem, *ejusque Successus.*

Prior pars *Orationis* Legatorum ad *Delegatos Hiskiæ.*

Textus Cap. xxxvi. 2--10. Prima Legatio Assyrii ad Hiskiam.

2. Et misit Rex Assyriæ Rabsaken Lachisha Hierosolymam ad Regem Hiskiam cum magna manu; stetitque ad aquæductum piscinæ superioris apud aggerem agri Fullonis.

3. Egressusque est ad ipsum Eliakim, Filius Hilkiæ, Domui *regiæ* Præfectus; & Sebna, Scriba; & Joah, Asaphi Filius, Commentariensis.

4. Dixitque ad eos Rabsake: Referte ad Hiskiam, Sic dicit Rex ille magnus, Rex Assyriæ; Quænam hæc est fiducia, qua confidis?

5. Dixi, Certe verbum labiorum est. consilium & vis ad bellum *requiruntur*. Nunc vero in quo confidis, quod adversus me institueris rebellare?

6. Ecce confidis scipioni huic arundinis fractæ, *nimirum* Ægypto: cui si quis innititur, subibit volam ejus eamque pertundet. Talem se Pharao Rex Ægypti præstat omnibus ei fidentibus.

7. Sin vero mihi dixeris, In Jehova Deo nostro fiduciam reponimus: nonne is ipsus est cujus excelsa & altaria Hiskias amovit; dixitque Judæ & Hierosolymis, Coram altari hoc *Deum* adorabitis?

8. Et nunc fac quæso sponsionem cum Domino meo, Assyriæ Rege: Dedero tibi duo millia equorum, si potis sis ex te præstare sessores qui eos insideant.

9. Quomodo igitur posses repellere faciem vel unius Ducis è minimis Domini mei servis? Sed confidis Ægypto, ejusque curribus & equitibus.

10. Jam vero an citra Jehovam ascendi in hanc terram ad eam perdendam? Jehova dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & perde eam.

Accipienda quæ hic dicuntur tanquam gesta post Reditum Assyrii ab Expeditione Ægyptia.

ỳ. 2. *Et misit Rex Assyriæ Rabsaken.*] Prætermittuntur hic quæ ἀμέσως consequentia in historia Libri *Regum*, ỳ. 14--16. (Lib. II. Cap. XVIII.) nos docent, Hiskiam per Legatos ad Senacheribum missos Lachisham tum confessione culpæ defectionis tum munere oblato conatum esse animum Regis offensi placare, vel saltem mitigare. Est autem probabile quæ hic narrantur gesta esse postquam Rex Assyrius redierit ab Expeditione Ægyptia. quomodo Josephum [c] sequuti Usserius Armachanus [d] & Marshamus [e], ratione suffragante, historiam accipiunt. Sed de eo mox, & in sequentibus.

Rabsake, ejus notitia. Variatio lectionis Libri *Regum*.

Rabsaken.] Plenius idem in historia *Libri Regum: Deinde misit Rex Assyriæ Thartanem, Rabsarisum, & Rabsaken, ad Hiskiam:* sed cum Rabsake ex Legatis verba fecerit, forte quod Hebræi idiomatis peritior esset, solus appellatur, & narratio de illo continuatur in *singulari:* at in historia *Regum*, in *plurali*. Differitas est nullius notæ. Vir Doctus [f] vocem *Rabsake* in parallela historia vertit *Præfectum Pincernarum*, ut *Rabsaris* (רב־סרים) *Præfectum Eunuchorum*. quod posterius ut satis est certum: sic prius secundum eandem analogiam constructum, est probabile. רבשקה proprie valet *Princeps pincerna*, qui dicitur שר המשקים *Princeps pocillatorum*, Gen. XL. 2. 3. unde simul patet, quam antiqui usus fuerit munus in Aulis Regum Orientalium. Liquet ex Xenophonte, aliisque, (& ex sacris quoque,) fuisse munus primæ dignitatis in Aula imprimis Persica; & ex historia Romana, in aulam quoque hanc fuisse translatum. Recte dicitur A POCULIS, sive A POTIONE. Vide Lipsium ad Tacitum [g]. De *Eunuchis* autem, (sive *spadonibus*, quod hic rectius dicitur,) merito quis dubitare posse videatur, an jam hoc tempore antiquo tanta copia dehonestaverint aulam Senacheribi, ut *præfectum* habuerint peculiarem, hoc nomine inter primæ dignitatis Aulicos honoratum. Certe, non nego ampliorem usum vocis סריס, quo in Sacris pro *aulico* sive *cubiculario*

Viri Docti animadversio ad nomen *Rabsake*. Officii species in aulis Principum.

De *Rabsaris* quæstio. An jam hoc tempore Eunuchi?

Re-

[a] Hos. x. 14. [b] Cap. XXXVII. 8. [c] Antiq. L. X. C. 1. [d] Ad A. P. J. 4004. Ante N. C. 710. [e] Ad Sæc. XVII. p. m. 313. [f] Cl. Clericus. [g] *Annal.* Lib. XIV. Cap. LXVII.

Usus generalior vocis סריס pro *Aulico.*

Regis *honorario* subinde sumitur: sed præterquam quod Liber *Esthera* & Historia Persica tota clarissime doceat, *spadones* in Aula Persica integris catervis fuisse: verisimile est, originem illius luxus altius arcessendam esse quam à Persis, (etsi sic censeat Stephanus de *Urbibus* [a];) & quidem ab Assyriis repetendam. certe Ammianus repetit à Semiramide [b]. Patet sane ex hoc ipso exemplo antiquo, quod Tacitus in historia recentiore, sc. Artabani [c], de *Abdo*, quem ut *ademptæ virilitatis* descripserat: *Non despectum id apud barbaros, ultroque potentiam habet.* Retinui tamen ego hic nomina *Rabsakis* & *Rabsaris*, quia ad formam Nominis proprii constructa sunt.

Notitia Urbis Laciſchæ.

Lachisha] Urbs erat ditionis tribus Judæ, sita in *Campestri* sive humilioris & planioris terræ tractu, (qui tractus terræ *montano* contradistinctus שפלה *Schephela* dicitur, stylo Vetere,) ad Occiduum Hierosolymæ versus Austrum, quippe quod colligitur ex historia Josuæ, Cap. x. 31. & xv. 39. coll. cum ℣. 33. unde simul patet Urbem fuisse antiquam, Reguli alicujus Amorrhæi à Josua devicti, sedem. Eusebius scribit, *septem milliaribus distitisse Eleutheropoli ad Austrum euntibus ἐις τὸ Δαρωμάν in Daromam.* Atqui *Daroma* notat *Austrum.* Ita est, sed peculiari sensu *tractum* Judææ *maxime Australem*, excurrentem usque ad montana Deserti ab Amalekitis infesta. Eleutheropolis autem, ut ex *Itinerario Antonini* patet, (cui hac parte fidere liceat,) fere media fuit inter *Æliam* (Hierosolymam,) & *Ascalonem:* quod Masius jam diligenter & ad rem observavit [d]. Eusebius enim ipse non levi incuria situm Eleutheropolios, quam tot locorum aliorum dimetiendorum mensuram facit, nullibi definit. Sita itaque fuit *Lacischa* in Occiduo Hierosolymæ versus *Africum*, sive in Climate *Occiduo-Australi*, in tractu Campestri, &, ut probabile est, non longe à *Montano.* Id enim colligi quoque potest ex 2 Reg. xviii. 17. ubi de Legatis Assyrii *Lacischa* profectis Hierosolymam exerte dicitur: *Et* ASCENDERUNT; *& venerunt Hierosolymam*; *&* ASCENDERUNT; *& venerunt, & steterunt ad aquæductum, & seqq. Ascenderunt* sc. *ex campestri* MONTANUM. Erat Urbs sub Regibus munitissima, (quo alluditur Mich. i. 13.) haud dubie opposita excursibus Philistæorum, illustris, & veluti æmula Hierosolymæ [e], ut hoc tempore à Senacheribo, sic deinceps à Nebucadnezare obsessa [f]. Quare si supponas, Senacheribum ex Ægypto venisse consilio tentandi Hierosolymam: vides, illum sibi obviam habuisse *Lacischam*, & absque ea expugnata nihil magnopere proficere potuisse.

Daroma quid Eusebio? Ubi sita Eleutheropolis?

Urbis Laciſchæ, munitio, amplitudo, decus.

Verba Hebræa: *cum magna manu.*

Cum magna manu.] Sic rectius quam Hieron. *In manu gravi.* Heb. בחיל כבד. Intt. passim ita accipiunt hæc verba, ut Assyrius cum hisce Legatis miserit *partem exercitus spectabilem* quæ se ostentaret Hierosolymitanis, ut Hiskiæ & Populo facilius persuaderetur deditio, quippe quæ receptior significatio est vocis חיל. Sic *oi ὁ. Μετὰ δυνάμεως πολλῆς.* Chaldæus: במשרית *Cum exercitu magno.* Sed Sanctius in medium conjicit, an non forte *gravis manus* hic significare queat *gravem legationem*, id est, *minarum & contumeliarum plenam, seu potestatem quam Rex Assyriorum summam permiserit Rabsaki.* Rabsaken enim secum non habuisse Exercitum, videtur patere ex 2 Chron. xxxii. 9. ubi exerte dicitur, Senacheribum fuisse *apud Lacischam, & omnem vim imperii ejus* (כל ממשלתו) *cum ipso.* Certe dubium non movetur frustra, & absque specie. Sed si omnino admittenda esset hypothesis: vitiosa tamen est phrasios interpretatio. phrasis enim חיל כבד, quod ipse vult, omnino significare nequit. Si hypothesis ejus obtineret, vertenda esset phrasis, *cum comitatu magno*; ut eo tantum significaretur, fuisse *Legationem splendidam*, comitatu, famulitio honorario, servis, equis, camelis, & apparatu alio gravem. Sic vere sumitur phrasis 1 Reg. x. 2. ubi de Regina Schevæ: *Et venit Hierosolymam* בחיל כבד *cum* COMITATU GRAVI *admodum: camelis portantibus aromata, & aurum multum lapidesque pretiosos, & seqq.* Ita est, & tamen communior significatio vocis חיל in hujusmodi casu favet sententiæ quæ hic *Exercitum* & *Copias militares* intelligit; & ipsa quoque phrasis, חיל כבד sumitur pro *gravi exercitu* armatorum, in historia Regis Syriæ, *Dothanem*, Elisæ capiendi caussa, mittentis *equos & currus*, וחיל כבד *&* EXERCITUM GRAVEM [g]. Danieli [h] non semel חיל גדול *Copiæ militares multæ.* Observa præterea, *α.* Adfuisse huic Legationi *Thartanem*, inter Legatos in Historia *Regum* principe loco recensitum [i]: quem in superioribus intelleximus inter primos fuisse Præfectos militiæ Regis Assyrii [k]. *β.* Esse quid singulare in phrasi quod hic faciat. Non scribitur in textu ex *punctatura Masorethica* בְּחֵיל כָּבֵד, sed חֵיל כבד, *forma* vocis *constructa*, tam hic loci, quam in *Libro Regum*, quæ *forma* cum anomala sit, nos monet de ellipsi, ut integra oratio sit, בְּחֵיל עִם כָּבֵד *cum copia multi populi*, ut Grammaticus Hebræus ad parallelum locum *Libri Regum* docte observat. certe Masorethæ id intendisse videntur. *γ.* Omnino videri probabile, Assyrium, ut terrorem incuteret Hiskiæ & Populo Hierosolymitano, partem Copiarum suarum aliquam cum Legatis misisse, quippe quod in rem præsentem consilia ejus maxime videretur promoturum. Inde jam in historia Libri *Regum* tres hi Legati non dicuntur ad Assyrium esse reversi, sed *unus* tantum *Rabsake* [l]: ut *Thartan* apud *Copias* permanserit, nova per Rabsaken ab Assyrio exspectans mandata. Adde quæ ex interpretatione nostra pro hac sententia faciunt in hoc Libro, Cap. xxii. 6. 7. seqq. Quod autem in *Libro Chronicorum* Sancherib cum toto *dominatu suo* (במשלה) dicatur perstitisse apud Lacischam: restricte intelligendum est. Tabernacula Regia, Concubinæ, Consiliarii, Proceres multi, apparatus machinarum, cameli, sarcinæ, militia equestris, cum utensilibus pretiosissimis, impedimentis, pedissequis, (ut mos erat Assyriis & Persis bellum gerere, omnemque copiam & magnificentiam suam in Expeditionibus ostentare:) hoc nomine designantur.

Phrasis Hebræa, חיל כבד *Exercitus gravis*, ejusque usus in Sacris.

Probabile est, adfuisse Copias. Rationes illius sententiæ.

Animadversio ad vocem חיל, ut hic punctata est a Masorethis.

Ad aquæductum piscinæ superioris, &c.] Videnda quæ de hoc loco commentatus sum ad Cap. vii. 3. Legati ab Occidente progressi versus Hierosolymam hac via sua perducti sunt usque ad murum *Tsionis*, in tractu Urbis Occiduo, apud *aggerem* sive *viam stratam* quæ proxima *Agro fullonis* excurrebat ad *Piscinam superiorem*, cujus erat necessarius & frequentissimus usus: adeo ut sub *murum* stantes intelligi potuerint à Populo, qui murum Urbis conscenderat, ut patet ex ℣. 11.

Aquæductus piscinæ superioris.

℣. 3. *Egressusque ad ipsum est Eliakim, filius Hilkiæ, Domui* Regiæ *Præfectus.*] De *Persona* & *Officio* à nobis disputatum explicatumque est ad Cap. xxii. 15. 20. seqq. Patet, prophetiam Jesaiæ de hoc præstante Viro jam hoc tempore implementum suum nactam esse.

Ad ℣. 3. *Sebna*, SCRIBA. Cujus generis Officium in Aulis Veterum?

Et Sebna, (שבנא Lib. *Regg.* שבנה) SCRIBA.] Heb. הספר. Secunda erat apud Aulam dignitas. Appellatur hoc nomine qui Regi erat *ab Actis*, *Epistolis*, *Manu*, ut Latini loquuntur: notione vulgata nostri temporis, à *Secretis*, Actis sc. aut Epistolis. Pertinebat ad eosdem sententias & Edicta Regis conscribere. unde iis adhæsit nomen *Scribarum.* Cave, fugias vocem Latinam Hebrææ exacte respondentem & hoc sensu bonam. Nepos in Eumene [m]: *Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis: itaque eum habuit* (Philippus Amyntæ F.) *ad manum* SCRIBÆ *loco: quod multo apud Grajos honorificentius est quam apud Romanos. nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii Scribæ existimantur: at apud illos contrario nemo ad hoc officium admittitur, nisi honesto loco, & fide & industria cognita,*

Nomen *Scribæ* Latinum collatum cum Hebræo סופר. Usus ejus.

a Ad vocem *Spada.* b Hist. Lib. xiv. Cap. vi. c *Annal.* Lib. vi. Cap. xxxi. d Ad Jos. x. 5. e 2 Reg. xiv. 19. f Jer. xxxiv. 7. g 2 Reg. vi. 14. h Cap. xi. 13. i 2 Reg. xviii. 17. k Cap. xx. 1. l 2 Reg. xix. 8. m In *Eumene* Cap. i.

quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem. Vere ἀρχιγραμματεὺς, quo officio pariter functus eſt apud Alexandrum; quomodo vocis ſenſum recte reddit Plutarchus. Curtius in hiſtoria Darii non ſemel eadem hac voce *ſcribæ* hoc ſenſu utitur. Herodotus [a]: Γραμματιζὰς δὲ βασιλῆας οἱ πάντες ὑπαρχοι ἔχεσι· *Regios autem Scribas omnes Præſides habent.* Narrat exitum Orœtis pluribus Aſiæ inferioribus Provinciis Præfecti. Conſer 2 Sam. VIII. 17. Eſth. III. 12. Jer. XXXVI. 10. Cave autem credas, hunc SEBNAM fuiſſe eundem qui occurrit Cap. XXII. 15. Vide ibi dicta.

Alia quæ ad dignitatem illuſtrandam faciunt.

Et Joah Aſaphi Filius COMMENTARIENSIS] Sic recte reddo Hebræam notionem המזכיר. Hieron. *A commentariis:* quod idem eſt. Pertinet ad conſuetudinem laudatiſſimam in Aulis Principum & illuſtrium Virorum antiqui temporis, non modo apud Orientales, ſed & apud Græcos & Romanos receptam, qua Scribæ, prudentes Viri, ad honeſtum hoc munus delecti, quotidianos actus aut caſus Perſonarum regiarum in commentarios referebant: quæ diſciplina erat egregii uſus. Arrianus Βασιλείας ἐφημερίδας vocat [b]. Hebræis eadem phraſi: דברי הימי *Res quot diebus geſtæ.* ex quibus conſtructi ſunt Libri Hiſtorici Regum Iſraëlis ac Judæ. Suetonius [c]: *Filiam & neptes ita inſtituit, ut ... vetaret loqui aut agere quidquam niſi propalam, & quod in* DIURNOS COMMENTARIOS *referretur.* Interpres Græcus hoc loco docte: Τὸ μνημα-τογράφος. Id proprie dicitur. Tu vide Eſth. VI. 1.

Officium מזכיר *Commentarienſis.*

℣. 4. *Sic ait* REX *ille* MAGNUS, *Rex Aſſyriæ.*] Epitheton receptiſſimi uſus Monarcharum Veterum Aſſyriorum & Perſarum, ut paſſim ſatis notum. Videnda quæ de eo adſcripſi ad Cap. x. 8. & XXX. 33. Hoſeæ Aſſyrius hoc ſenſu eleganter dicitur [d] מלך שרים REX PRINCIPUM.

Ad ℣. 4. *Aſſyrius Rex magnus.* Locus Hoſ. Cap. VIII. 10.

℣. 5. *Dixi*, (poſtquam intellexi fundamentum fiduciæ Hiskiæ:) *Certe verbum labiorum: conſilium & vis ad bellum* requiruntur.] Eſt in his verbis quod exerceat Interpretes; & eo quidem magis quod diverſe legantur in parallelo loco Libri *Regum* [e], ubi pro אמרתי DIXI, legitur, אמרת DIXISTI. Hieronymus Hebræis hæc tantum ſuppoſuit latina: *Aut quo conſilio & (Vulg. vel) fortitudine rebellare diſponis?* Potuit videre Hieronymus, plus & aliud eſſe in *textu* quam hic poſuit: ſed cum ſententiam Hebræam non aſſequeretur, viſus ſibi eſt ſatisfacere officio ſi ſenſum ſententiæ daret, qualem mente conceperat. Jun. & Trem. ſic accipiunt: *Dixero*, (*veruntamen verba futilia!*) *adeſſe Conſilium & fortitudinem ad bellum.* Piſcator exigua variatione: *conſilium & potentiam* tibi eſſe *ad bellum.* Placuit quoque Doctiſſimis Belgis; nec abeſt ſpecies. Utraque enim lectio ſe ſecundum hanc interpretationem commode tuetur. Nimirum, quod in Libro *Regum* eſt: *Dixiſti*, (tu ſc. Hiskia:) *ſed verba futilia! eſſe tibi conſilium & vires ad bellum:* id hoc loco tribuitur Aſſyrio veluti ſua cogitatione repetenti dictum Hiskiæ: *Dixi* vel *dixero* ſc. tecum, tua ſequutus verba, ſed *quæ verba futilia ſunt; eſſe tibi conſilium & vim ad bellum.* Id dixi, h. e. à te dictum repetii; mihi ipſi hac de re cogitanti objeci; eſſe tibi forte conſilium & vires ad bellum quæ tantam tibi inſpirent audaciam & fiduciam ut te mihi opponere ſuſtineas. Probat ſententiam Cl. de Dieu; & tamen ægre à me impetro ut ei ſubſcribam. Eſtne enim probabile, Hiskiam, ſuæ conſcium impotentiæ, eamque impotentiam ſuam confeſſione culpæ rebellionis & oblatione muneris honorarii publice profeſſum, *vires & conſilium* quæ ſibi ad bellum ſuppeterent, apud Aſſyrium per Legatos jactaſſe? Contra vero nonne ubique in omni ſua oratione præ ſe tulit, fiduciam in ſolo Jehova ſe repoſuiſſe; ac ab illo ſe exſpectare opem & ſalutem? Grotius ita accepit: *Dixi certe, Verbum labiorum* (eſt nempe in quo Ezechias confidit: quaſi dicat, Credit adulantibus: at) *conſilium & fortitudo ad bellum requiruntur.* Sed quo jure ſuo Princeps modeſtus cadit ſub hanc ſuſpicionem quod *adulatoribus* fidat, & quidem urgente neceſſitate, ubi in ſummo verſatur diſcrimine ſalutis? Res Hiskiæ hoc tempore eo fuerunt ſtatu, ut ſi pro more Principum integro ſtatu Reipublicæ aures ſubinde adverterit ad blanda aliorum dicta; manifeſtus fuerit ſtultitiæ ac vanitatis ſummæ, ſi ab adulatoribus ſe decipi paſſus fuerit. Obſervabis etiam, voculam אך non recte conſtrui cum voce אמרתי *dixi*, hoc ſenſu, *Dixi certe*, ut ab ipſo diſtincta ſunt verba; ſed conſtruendam cum ſequentibus, *Certe verbum labiorum.* Sed id Viro illuſtri non imputo. Sententia enim ejus genuinum uſum vocis אך non reſpuit. Cl. Clericus paulo aliter accepit. Vertit verba: *Labiis tantum verba protuliſti.* Proprie: *Dixiſti tantum verbum labiorum.* Illuſtrat porro ſententiam, ex eo Poëtæ: *Larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi. Tum cum bella manus poſcunt.* Id quidem longe commodius, ut putem, & probabilius: nec tamen explicat, quænam illa & cujus generis verba ab Hiskia prolata hic reſpiciat Rabſake. Non eſt enim veriſimile, Principem ad arcta redactum ac Aſſyrium merito metuentem jactabunda apud ipſum oratione uſum eſſe, cum per Legatos iram ejus deprecaretur, & ἀπουσίαν offerret. Adſcribam itaque ſententiam paucis. Obſcuritas hiſtoriæ omnis inde fere oritur, quod prolixitatis vitandæ cauſſa res geſtæ in omni ſua circumſtantia perfecte non narrentur; unde fit, ut in *oratione* his illis perſonis tributa ſubinde ad aliqua alludatur, quorum in hiſtoria diſerta mentio facta non erat. Arbitror itaque, Rabſaken qui hic verbis Regis Aſſyrii loquitur, ad id alludere quod narratur in *Chronicis* [f]; nimirum Hiskiam, ad famam propinquantis Exercitus Senacheribi, poſt neceſſaria alia procurata, concionem habuiſſe ad Populum in foro ante Portam Urbis congregatum, metu imminentis mali conſternatum; cujus orationis ſumma erat: *fiduciam eſſe ponendam in Deo; fortiorem eſſe hoſte qui à ſuis ſtaret partibus; eſſe cum hoſtibus brachium carnale*, ſed cauſſam ſuam *brachio Divino* niti; Deum ipſum Populi Protectorem adeſſe & *pro eo depugnaturum*; nihil itaque extimeſcendum eſſe; & quæ his ſimilia: eaque oratione ita mulſiſſe & confirmaſſe Populi & Præfectorum animos, ut Jehova nixi & cum ſolatio dimiſſi fuerint. Hujus rei fama pervenerat ad Aſſyrium, & ad Rabſaken qui Dominum ſuum loquentem infert. Id vero ipſum eſt quod hic vocat *verba labiorum.* Dixi ait, ubi intellexi, *quo medio* uſus ſis in confirmandis Populi Hieroſolymitani animis, quod ſc. blanda concione habita iis perſuaſeris *fiduciam in Deo ponendam:* Dixi, inquit, hoc *eſſe verbum labiorum*, inane, cui tute ipſe parum tribues, licet plebem hac arte deludas. ipſe enim ſatis noſti, ad bellum requiri *conſilium* & *vires* quæ tibi deſunt. Sunt itaque hæc mera verba in quibus nihil rei & ſolidi eſt. Id vero eſſe ad quod Rabſake hic reſpicit, patet utique ex tota ejus oratione conſequente. Sic mox ℣. 7. *Si autem dixeris*; JEHOVÆ DEO *noſtro* FIDIMUS, & ſeqq. Inde Rabſake ad Populum, ℣. 15. *Et ne perſuadeat vobis Hiskias fiduciam in Jehova, dicendo*, JEHOVA NOS CERTISSIME ERIPIET, ... *Ne* AUSCULTATE *Hiskiæ, & ſeqq.* Hæc vocat *verba labiorum:* nuda verba, inania, logos meros, ῥήματα, non πράγματα. Confer verba Catonis apud Salluſtium in cauſa Catilinaria [g]: *Alios alium exſpectantes cunctamini, videlicet* DIIS IMMORTALIBUS CONFISI, *qui hanc rempublicam in maximis ſæpe periculis ſervavere. Non votis, neque ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur. vigilando, agendo, conſulendo, proſpere omnia cedunt.* Quæ interpretatio noſtra hoc inſuper laudis habet, quod utrique lectioni Maſorethicæ rectiſſime aptetur; etſi hanc noſtram veriorem putem. Kimchius alludi putat ad *preces Hiskiæ:* quæ affinis eſt ſententia. ſed noſtra eſt commodior.

Ad ℣. 5. Differitas lectionis. Verſio Hieronymi.

Jun. Trem. & aliorum de h. l. ſententiæ.

Hiskias Rex apud Aſſyrium non jactavit ſuas vires.

Ill. Grotii ſententia. Ad eam animadverſio.

Sententia alia Eruditi Viri commodior.

Probabilis interpretatio loci. Obſcuritas ejus ex defectu hiſtoriæ.

Alluditur verbis Rabſakis ad Orationem Hiskiæ ad Populum habitam, qua ii perſuaſerat, *fidere Jehovæ.*

Paraphraſis loci.

Interpretatio ex ipſa hac hiſtoria adſtruitur.

Verba Catonis apud Salluſtium.

Nunc

[a] Hiſt. Lib. III. p. 240. [b] Lib. VII Cap. XXV. [c] Cap. LXIV. [d] Cap. VIII. 10. [e] 2 Reg. XVIII. 20. [f] 2 Chron. XXXII. 7. 8. [g] *Bell. Catil.* Cap. LII.

Sequentia: *Nunc in quo confidis, &c.* Sensus eorum producitur.

Nunc in quo confidis, quod adversus me REBELLES] h. e. quod mandatis meis te morigerum non præstes; quod deditionem non facias Urbis; renuas imperata facere. vel, *in quo confisus es quod adversus me rebellaveris.* Prius hic longe præfero. Loquitur enim de statu rerum præsente; & *rebellionem* Hiskiæ vocat quod imperatam sibi Urbis deditionem recusaret. Verba autem hæc cum superioribus ita cohærent. Deludis Populum verbis inanibus, quibus ipse Vir prudens nihil tribuis. Nosti satis, in bello opus esse *consilio* & *virtute.* atque adeo necessum est, aliam esse spem qua te sustineas: videlicet, *fidere te Ægyptiis.* quod mox subjicit.

Notata ad ℣. 6. Quid hic sit *Scipio arundinis fractæ?*

℣. 6. *Ecce* (in *Lib. Regg.* עתה NUNC *ecce:* sed עתה forte rectius abest:) *confidis* (*Lib. Regg.* לך *Tibi*) *scipioni* HUIC *arundinis infractæ, Ægypto.*] Plerique Intt. *Scipioni arundineo fracto.* Sed vox הרצוץ ob terminationem *generis masculini* rectius construitur cum voce קנה *arundo*, quam cum משענת *Scipio.* Deinde, *arundini* proprie convenit vox רצץ *quassare, contundere*, ut liquet ex Cap. XLII. 3. *Scipio* itaque *arundinis fractæ* est ex arundine jam collisa & infracta confectus. Quæsivi etiam vocem quæ proprie redderet vim Hebrææ vocis רצוץ hoc in loco. Intt. passim *scipionem fractum, confractum*, sive *arundinem fractam* memorant. Equidem vox רצוץ hanc significationem probe admittit; verum ea hic minus convenit emblemati. Quis enim *scipionem ex arundine fracta* conficiat, aut confecto niti velit? Nec id dicere vult Rabsake in hac oratione sua de Ægypto. cæteroquin enim absurdum fuerit, Hiskiæ objicere fiduciam in Ægypti Rege repositam. Vox רצוץ hic proprie notat *arundinem* ex agitatione venti tempestatisque gravioris & quassatione læsam; non fractam, sed semifractam; contusam, collisam, &, ut antiqua voce usus Latini utar, *fressam.* Festus: *Frendere est frangere. unde est faba* FRESSA. Belgæ proprie & vere dicunt; *kreucken*; *knersen.* cui proxime convenit Græcum θλάω. Sic Int. Græcus docte hoc in loco: Τὴν ῥάβδον τὴν καλαμίνην τὴν τεθλασμένην ταύτην. Durius est τρίβω, συντρίβω. Ego reddidi *infractam*, quippe cujus vocis apud Ciceronem subinde remissior usus est, licet forte alibi intensior. Assyrius tria exprobat Hiskiæ vitia imprudentiæ. α. Quod nixus sit *scipione* confecto ex *arundine.* calamo. canna. Poterat enim sceptro aut scipione durioris materiæ niti. β. Quod nitatur *scipione* confecto ex *arundine* quassata, læsa, collisa & jam fere infracta. γ. Quod *calamo*, non solidiore, crassiore, robustiore, sed *tenui.* Id enim liquet ex his quæ mox addit, *Cannam subituram volam manus ipsius & perforaturam:* quod non convenit nisi *calamo tenuiori.* Desumit autem metaphoram à *calamo*, hoc quidem in loco propriissime. Ut enim in *Ægypto* apud Nilum & alveos ejus, ac paludes Ægypti, frequens nascitur [a]: sic olim fuit inter Ægypti symbola, ut palma Judææ: quod Sanctius hic ad rem observat. Id certe liquidissimum est ex Ezech. XXIX. 6. in prophetia de Ægypto, ubi hoc emblema repetitur. Ad rem ipsam quod attinet: non satis claret ex historia, quo sensu Rabsake Ægyptum hic appellet *arundinem* non plane fractam, sed *semifractam*, & qualicunque modo læsam aut contusam: & vellem sane, historiam hic esse planiorem & explaciorem. Secundum hypotheses nostras, alibi in superioribus [b] expositas, quibus hic aliquid tribuo: Salmanassar bellum gessit cum Ægyptiis & Cuschæis per *triennium*, eosque contudit virosque Ægypti fregit. Ipse quoque Senacheribus in hac ipsa expeditione directe cum potissima copiarum suarum parte petiit Ægyptum, eamque tentavit; etsi non liqueat, quo effectu & successu; de quo in sequentibus [c] videbimus. Forte tamen Ægyptum affecerit aliquo damno, dum Cuschæi, (quibus præcipue defensoribus Ægyptus cum Rege suo Sethone hoc tempore nitebatur,) hactenus non erant parati ad ipsum repellendum aut manus cum ipso conserendas. expeditionem enim hanc Senacheribi inopinatam fuisse, ex historia *Chronicorum* clarissime colligas. Herodoti historia de expeditione Senacheribi in Ægyptum nos dubitare non sinit; nec Josephi quoque, sed cujus hic minorem rationem habeo. Silentium vero Scripturæ S. hic nobis non obstat magis quam quod Vastatio Judææ à copiis Senacheribi hoc tempore effecta in ea quoque plane prætereatur, licet interim id clare supponatur in oratione Jesaiæ hujus ipsius historiæ Cap. XXXVII. 30. & passim per prophetias ejus. Quin sane habes indicium in ipsis hisce verbis. Ait Rabsake, Hiskiam fidere *scipioni arundineo* הזה HUIC, Regi Ægypti. Recens scilicet ex Ægypto, ipsum Ægypti *Regem* demonstrat. Docet tamen simul, illum non fuisse plane *fractum.* Cæteroquin enim absurde Hiskiæ objiceret *fiduciam* in Ægyptio positam. Ais, vertenda verba in *præterito*, ut plures instituunt, *Confisus es.* Non videtur probabile. Non quærebatur enim hoc tempore, nec quæri opus erat, quid ante hoc tempus movisset Regem Hiskiam se absolvere à jugo Assyrii; sed cur hoc ipso tempore imperata non faceret; cur deditionem recusaret, de qua cum maxime agebatur. Sequentia id luculenter evincunt, ubi protinus addit: *Si autem dixeris mihi, Jehovæ Deo nostro* בטחנו CONFIDIMUS, non sane, *confisi sumus.* Porro quod Rabsake *fiduciam* IN ÆGYPTO, h. e. Ægypti Rege, (ut mox declaratur,) hic imputet Hiskiæ: per meram facit conjecturam. Non patet enim ex historia, aliquid veri huic sententiæ subesse. quare ipse etiam hic fluctuat, & mox aliud in medium profert. Hiskias Jehova solo nixus est: quod cum neutiquam convenire videretur principiis prudentiæ carnalis, ab impio & Dei veri ignaro ac irreverente homine non admittitur. Sensum Hiskiæ ex sensu suo æstimabat: de quo in superioribus [d] data opera disputavi.

Significatio vocis Hebrææ רצץ.

Vitia quæ Assyrius Hiskiæ exprobrat.

Metaphora *calami* hic elegantius adhibetur, quia eorum ferax erat Ægyptus.

Quo sensu Ægyptus hic dicatur *arundo contusa?* Salmanassaris conamina adversus Ægyptum.

Et Senacheribi ipsius.

Silentium Historiæ Sacræ quanti hic valeat?

Et tamen ex h. l. saltem patet, illum Ægyptum non occupasse, & eam sibi subjecisse, ut Viri aliqui Docti volunt.

Verba hic vertenda sunt, *in præsenti.*

Hiskiæ filio tribuitur fiducia in Ægypto.

Subibit volam ejus eamque perfundet.] Sic Hebræa, alias non obscura, elegantius vertit Vir Eruditus. Ad rem ipsam observandum est, alteram tantum partem τῆς ἀποδόσεως his verbis comprehendi: alteram vero reticeri quippe quæ ex ipsa προτάσει, sive ex similitudine proposita, facile colligi posset. Prima pars *Apodosios* hic non expressa, sed subintellecta est; Hiskiam Ægyptio fidentem, cum ipso casurum esse, ut solent qui calamo arundineo semifracto innituntur. Ægyptium enim Regem, ægre se ipsum sustinentem, Hiskiæ sustinendo imparem esse. Altera apodosis est quæ hic exerte explicatur. Ut enim qui *calamo acuto & tenui*, quem manus suæ vola complexi fuerint, acrius & toto corpore nituntur, metuere debent vulnus, ne forte canna volam subeat, eamque perforet: sic Hiskiam Regi Ægyptio Sethoni hoc tempore modicis viribus circumscripto innitentem, facile sibi conciliaturum esse noxam cum pœnitentia.

Verba: *Subibit volam ejus, & perfundet.* Observatum ad ea. Altera pars ἀποδόσεως reticetur.

Talem se Pharao Rex Ægypti præstat omnibus, &c.] Respicit ad id quod Ephraimitarum, & forte Syriæ quoque Reges, certe Philistæi, Ægyptio nixi, ejusque opem implorantes, ab ipso destituti fuerint: de quo vide, sis, quæ commentatus sum ad Cap. XXX. 3. seqq.

Pharao decipit Ephraimitarum.

℣. 7. *Et si mihi dixeris.*] Veluti de Hiskia. Sed in *Lib. Regg.* וכי תאמרון אלי *Et si* DIXERITIS *mihi.* quod melius respondet sequentibus; *Jehovæ Deo nostro* CONFIDIMUS. Utraque tamen lectio ferri potest.

Notata ad ℣. 7. Assyrius improbat studium Hiskiæ in reformanda Religione.

Nonne is ipsius est cujus celsa & altaria Hiskias amovit?] Patet, quam altas radices egerit illo tempore idololatria sub Achazo, ut Hiskias Religionis Reformator sive Illustrator visus sit exteris novam instituere Religionem. Sed locus hic manifestò referendus est ad impietatem Achazi qui superstitionem idololatricam Assyriorum invexerat in Templum Hierosolymitanum. Cum enim præsens adesset apud Tiglath-Puleserem, Assyriæ Regem, & ibi vidisset speciem *Aræ* ad Assyriorum ritum extructæ: ad typum ejus simi-

Achaz susceperat ido-

[a] Confer Cap. XIX. 6. [b] Ad Cap. XX. 1. seqq. [c] Cap. XXXVII. 25. [d] In *Anacr.* Cap. XXX. §. VI.

Idolatriam Assyriacam.

similem efformari jussit, & amota Ara Holocaustorum à Salomone consecrata ad latus Aquilonare, Aram hanc suam ei suppositam commendavit Pontifici & Sacerdotibus in omnem usum Religionis; ut pluribus traditur in historia [a]: quam *Aram* Hiskias inter cætera superstitionis instrumenta ab Achazo in Religionem inducta per Sacerdotes Templum purgantes removerat [b]. Huc pertinet quod hic dicitur, *Nonne is* IPSUS EST, &c. ille Deus, quem nos Assyrii colimus, ab Hiskia spretus, is ipsus est à quo exspectare deberet salutem, si hic magis respiceret opem Divinam quam humanam?

Verba: *Ante altare hoc adorabitis.* Quo sensu dicatur?

Et dixit Juda & Hierosolymæ, ante ALTARE HOC *adorabitis.*] sc. Deum. השתחוו. *Vos prosternetis.* Gentes omnes sacrificiis & victimis in *altari* offerendis jungebant vota, preces, λιτανείας supplicationes, gratiarum actiones, δοξολογίας: & cum crederent, Deum apud Aram præsentem, ei exhibebant reverentiam. Imo vero, etiamsi victimas nullas offerrent: apud *aras* si quas in honorem Numinis, Genii aut Heröis erectas viderent, *supplicabant*, ut ex omni historia notum. Verba eodem pertinent quo superiora. Ægre habet Assyrium, Hiskiam cultum suæ Gentis sprevisse. In *Lib. Regg.* est, *Ante altare* HOC (sc. Salomonæum, unicum, solum) *adorabitis* בירושלים HIEROSOLYMIS. quod hic videri posset habere emphasin.

Ad ℣. 8. Usus vocis התערב

℣. 8. *Et nunc fac, quæso, sponsionem cum Domino meo, Rege Assyriæ, &c.*] Sic plures Intt. recte verterunt vocem התערב, *se cum aliquo miscere. certare pignore. facere sponsionem*, & quod eleganter dicitur; aliquem *sponsione provocare.* Patet ex hoc loco, quod aliàs quoque observavimus, Judæam maximam partem montanam non abundasse equis, quod *equorum* in montanis locis minor sit usus; & simul, tenues valde & modicas hoc tempore fuisse vires Hiskiæ. Assyrii, Mediam sibi habentes subjectam, militia equestri maxime superbiebant. Pro המלך hoc loco in *Lib. Regg.* est את מלך. Utrumque bonum.

Ad ℣. 9. Exprobrat ei rursus fiduciam in Ægypto.

℣. 9. *Sed confidis Ægypto curruum & equitum caussa*] Proprie: *Confidis tibi in Ægypto.* ut Latinis, *metuis tibi.* Phrasin jam notavimus in *variante lectione* ℣. 6. coll. cum 2 Reg. XVIII. 21. Vir Doctus vertit: *licet confidas tibi propter Ægyptum ad currus & ad equites quod attinet.* paulo coactius, nisi fallor. Oratio postulat *adversativum*, ut quisque eam legens observaverit, & exit in hunc sensum: SED novi ipsum te Principem prudentem satis conscium tuæ tenuitatis tuis viribus & robori fidere non posse: *fidis* omnino, licet aliud apud vulgum simules, *curribus & equitibus Ægypti.* h. e. Regis Ægypti. Præfixa ל ante voces רכב & פרשים, hic non videtur esse *restrictiva*, & vertenda *quod attinet ad*; sed *caussalis*, quia vere si Deus sua ope non succurrisset Hiskiæ, secundum rationes rerum humanarum nullum auxilium aliunde adversus Copias Assyrii sibi comparare potuisset. Patet autem rursus clarissime ex hoc loco, Hiskiæ imputari fiduciam in Ægypto positam, non *præteriti* sed *præsentis temporis*, ut superiora recte accepimus. Cæterum de *Equis Ægypti* vide, si placet, quæ explicite commentatus sum ad Cap. XXX. 16.

Usus præfixæ ל in h. l.

Hiskiæ imputatur fiducia in Ægypto in præsenti tempore.

Annotata ad ℣. 10. Lectionis differitas.

℣. 10. *Et nunc, an* PRÆTER JEHOVAM *ascendi in terram hanc ad eam perdendam? Jehova dixit mihi; Ascende, &c.*] Sic rectissime legitur in hoc loco, ועתה Et *nunc*: sed in *Lib. Regg.* simpliciter, עתה *nunc.* Oratio tamen omnino postulabat aliquam *copulam.* Sensus utique manifestus hic est; cum tamen tu, Hiskia Rex, & qui in partibus ejus estis, identidem jactetis Deum vobis propitium caussam vestram suscepturum, & hanc præ vobis feratis fiduciæ rationem: ajo EGO, (verba sunt Assyrii Regis cui Rabsake hanc orationem aptat:) vos turpiter falli; sive vos fallatis ipsi, sive vos fallant alii. Ego enim cum Deo volente ejusque monitu hanc expeditionem suscepi. ipse me jussit hanc terram vastare & perdere. Frustra itaque Deo fiditis tanquam propitio quem vobis experiemini adversum. Paradoxa oratio, ut videtur, in ore Regis Assyrii! Ita est, & sunt adeo qui hæc verba putant complecti *purum putum mendacium, à Pincerna Assyrio inventum: nisi forte Rex Assyrius à Pseudopropheta aliquo Israëlita deceptus fuerit.* Non est absurda sententia; cum hominis blasphemi atque in Deum injurii non sit necesse defendere fidem. Et solet tamen Principum publice dictis aliquid subesse veri; & videmur verbis dare posse sensum tolerabilem. Primo, Rabsake sub nomine *Dei Jehova* (si ipse hoc nomine *Jehovæ* usus fuerit in oratione:) simpliciter intelligit *Deum* quem Assyrius & ipse credebant *verum Deum esse.* perinde ac acceperat ℣. 7. Potuit itaque id velle dicere, *se non absque hortatu & monitu ejus Dei qui verus Deus sit, hanc expeditionem suscepisse.* non hoc sensu quod ipse ἔνθεος AFFLATU DIVINO TACTUS motusque hanc expeditionem instituisset, quod de Scipione in Africam cum Exercitu trajiciente Appianus [c]: sed quod ab Hierophantis, Prophetis mystisque suæ superstitionis, futurorum Interpretibus, (absque quibus consultis Orientales rerum gravioris momenti nihil aggrediebantur,) ad hoc iter fuerit incitatus, lætisque ac faustis ominibus illud ingressus fuerit. Sic vocem *Jehova* hic sumeret *appellative*, ut sæpe sumitur, pro eo *Numine* quod ipse pro vero Deo habebat: ut sane Gentiles plures sibi persuadebant, Gentes plerumque magis *nominibus* quam *objecto cultus* variasse. Dictum est Celsi apud Origenem [d]: Οὐδὲν ἧττον οἶμαι διαφέρειν, Δία Ὕψιστον καλεῖν, ἢ Ζῆνα, ἢ Ἀδωναῖον, ἢ Σαβαὼθ, ἢ Ἀμμᾶν, (ὡς Αἰγύπτιοι,) ἢ Παππαῖον, ὡς Σκῦθαι· *Non puto enim multum referre, sive quis Jovem supremum appellet Jovem, aut Adonæum, aut Sabaoth, aut Ammum, (ut Ægyptii,) aut Pappæum, ut Scythæ.* Secundo, potuit ad illum pervenire, (& perveniisse puto,) fama Vaticiniorum hac de re à Jesaia editorum, qui Propheta in Concionibus suis de hac expeditione sæpius palam vaticinatus fuerat; quin aperte dixerat, Deum illum MISSURUM ESSE *ad faciendum spolium & prædam* [e]. Deum enim ipso uti velle ut *flagello & virga* qua in Populum suum animadverteret. Et tamen rectius etiam huc referuntur verba Cap. VIII. 6. ubi Deus in Ephraimitas primo, dein in Judæos dicitur inducturus esse *aquas* illas *validas*, REGEM ASSYRIÆ *cum omni ejus gloria, &c.* Id vero ipse hic sive in usum suum sive in falsum μυκτηρισμὸν vertit. Estne ait, ut *Deum Jehovam* mihi hic objiciatis Vobis propitium, mihi adversum: ipsi utique Prophetæ vestri vos monuerunt longe ante, *Deum me missurum esse.* Num itaque *citra Deum Jehovam* ad hanc expeditionem me accinxi? Adsum *flagellum Dei*; *virga* ex ejus mandatu *vos percussura.*

Quo sensu Assyrius dicat, se non absque Deo ascendisse ad vastandam Judæam?

An dictum accipi debeat pro *mero mendacio*?

Potest ita intelligi, quod Prophetæ & Hierophantæ suæ Gentis ipsum incitaverint ad hanc Expeditionem.

Probabilius est, illum alludere ad prædictiones Jesaiæ, de quibus aliquid intellexerat.

Altera Pars Orationis *Legatorum* ad *Plebem* aut *Militem* in Muro Urbis coactos.

Altera Pars Orationis Legatorum ad *Plebem.*

11. Et dixit Eliakim, & Schebna, & Joah, ad Rabsaken: Loquere quæso ad servos tuos Lingua Syriaca, quam probe intelligimus; & ne loquere ad nos Judaice, audiente Populo qui est super murum.

12. Ad quæ Rabsake: Num ad Dominum tuum & ad te me misit Dominus meus, ut his loquerer verbis; an non *simul* ad viros qui sedent super murum, ut vescantur excrementis suis, & bibant lotium suum vobiscum?

13. Et

[a] 2 Reg. XVI. 10. seqq. [b] 2 Chron. XXIX. 16. [c] *Bell. Pun.* p. m. 9. [d] Cap. V. 6. [e] Cap. X. 6.

13. Et ſtans Rabſake clamavit voce alta Judaice, & dixit: Audite verba Regis illius magni, Regis Aſſyriæ.

14. Sic dicit Rex: Ne decipiat vos Hiskias, non poterit enim vos *manui meæ* eripere.

15. Neque vos confidere faciat Jehovæ Hiskias, dicens: Jehova nos omnino liberabit: non veniet hæc Urbs in poteſtatem Regis Aſſyriæ.

16. Ne auſcultate Hiskiæ; quia ſic dicit Rex Aſſyriæ: Facite mecum pacem, & exite ad me, & comedite quiſque de vite ſua & de ficu ſua quiſque; & bibat quiſque de aquis ciſternæ ſuæ.

17. Uſque quo veniam & vos transferam in terram ſimilem terræ veſtræ; terram frumenti & olei; terram panis & vinearum.

18. Ne ſeducat vos Hiskias hujuſmodi verbis: Jehova nos eripiet. Num Dii Gentium quiſque terram ſuam eripuerunt è manu Regis Aſſyriæ?

19. Ubi ſunt Dii Hamathæ & Arphadi? Ubi Dii Sepharvajimorum? An liberarunt Samariam è manu mea *Dii ſui?*

20. Quis tandem inter omnes Deos harum terrarum eſt qui eripuerit terram ſuam de manu mea, ut Jehova Hieroſolymam manui meæ eripiat?

21. Et ſiluerunt, nec reſponderunt ei verbum. Rex enim caverat interdicto in hæc verba, Non reſpondebitis ei.

22. Et redierunt Eliakim Hilkiæ Filius, Præfectus Palatio; & Sebna, Scriba; & Joah, Aſaphi Filius, Commentarienſis, ad Regem; & retulerunt ad ipſum verba Rabſakes.

Annotata ad ℣. 11.

℣. 11. *Et dixit Eliakim.*] In Lib. Regg. *Eliakim, Filius Hilkiæ.* Et pro שבנא ibi legis שבנה.

Et ne loquere ad nos יהודית JUDAICE.] Sc. Lingua Hebræa ſive Canaanæa; ut Neh. XIII. 24. Nova notio eſt, &, ut putem, circa hoc tempus demum uſurpari cœpta poſtquam Ephraimitæ abducti eſſent Babylonem & deſiiſſent facere Populum. Ante hoc tempus enim *Lingua* non magis dici poterat *Judaica* quam *Ephraimitica:* ſed eversâ Ephraimitarum Republica omnes Jacobidæ cœperunt cenſeri ſub *Judæis*, & nomen *Judæorum* evaſit nomen totius Gentis & Religionis. Vox יהודי *Judæus* ante hunc locum occurrit, niſi fallor, ſemel in hiſtoria Achazi [a] pro *ſubditis Regni Judæ*, quatenus contradiſtincti ſunt Ephraimitis: ſed hactenus non de nomine totius *Gentis:* ut nomen ſæpius uſurpatur in *Hagiographis* ſcriptis poſt tempus Μετοικεσίας Babylonicæ. Et erat tamen hæc appellatio Judæorum jam ſatis uſitata ætate Jeremiæ, ut ex ejus prophetiis liquet variis in locis [b]. Hoc ſenſu ipſe Mordechai Benjaminita dicitur איש יהודי *Vir Judæus* [c]. Nihil igitur verius quam quod docte diſputavit Cunæus [d], Reſpublicas *Hebræorum* & *Judæorum* probe ab invicem diſtinguendas eſſe; & Hebræorum Rempublicam ſero demum *Judæam* dici cœpiſſe. De quo videri etiam poſſunt quæ Cl. Altingius alibi [e] monuit. Jeſaias ipſe in prophetia quod hic dicitur יהודית JUDAICE, appellaverat שפת כנען *Linguam Canaanæam* [f]. Cætera nihil habeo quod hic obſervem, quam ex hoc etiam liquere loco quod ex monumentis & reliquiis antiqui ævi, Syros & Aſſyrios eadem uſos fuiſſe Lingua: ut ſane Aſſyrii Scriptoribus Exoticis quoque *Syri* dicti ſunt.

Quo ſenſu Lingua Hebræa hic dicatur *Judæa?*

Differitas inter voces Judæus & Hebræus.

Obſervata ad ℣. 12.

℣. 12. *Ut comedant excrementa ſua & bibant lotium ſuum vobiſcum.*] Scilicet, ſi Urbs forte arcta premeretur obſidione, ut hoc ipſo cogeretur ad deditionem. Liquet ex tota hiſtoria antiqua, *Poliorceticen*, ſive artem Urbium per obſidionem expugnandarum, à Populis dominantibus priſci ævi minus excultam fuiſſe; atque adeo illos ſæpe in munitarum Urbium obſidione hæſiſſe per plures annos: ut ſane Samaria per triennium vim Salmanaſſaris ſuſtinuit, & tantum fere temporis Hieroſolyma jam exhauſta & afflicta Chaldæorum exercitum deluſit ſub fortiſſimo Rege Nebucadnezare. qua de re plura dici poſſent, ſi excurſum quærerem. Hic itaque tantum obſervari velim, primo quidem vocem Hebræam quæ *excrementa ſua* notat, hic ſcriptam eſſe תריהם, quæ in *Lib. Regg.* ſcribitur חריהם. Dein, Maſorethas utrobique tam huic voci quam alteri שיניהם *latium ſuum*, ſuppoſuiſſe, non per errorem, ſed data opera & ſtudio, *vocalia puncta peregrina*; ſc. *vocales aliarum* vocum, quas præteritis *textualibus* pro iis legi voluerunt, quas voces ad *marginem* appoſuerunt. Voci תריהם ſubſtituerunt *puncta* vocis צואתם in hanc formam, חֲרֵיאֵיהֶם: & voci שיניהם *puncta* vocum מֵימֵי רַגְלֵיהֶם, in hunc modum, שֵׁנֵיהֶם. Ratio eſt, quod cum voces חורים *ſtercus* & שינים *lotium* durius ſonarent apud verecundas aures: in lectione Biblica publice inſtituenda viderentur, ſi non honeſtius, ſaltem verecundius vel mollius, abſque ulla offenſione pudoris, exprimi per *Ἰσοδύναμα*; *Excrementa*, quæ proprie vis eſt vocis צואה, & *aquas pedum*, quod valet מימי רגליהם. Nec hoc tantum in loco ſic inſtituerunt, ſed in variis aliis quæ recenſet Cappellus in *Critica Sacra* [g]: qui idem duritiem quam Maſorethæ ut inimicam verecundiæ conceperunt ineſſe in utraque voce, planius explicat, & ibi explicata magnam partem repetit in *Notis Criticis* [h] ad hunc locum noſtrum, quàm ego hic legi velim. In vocibus enim illis olim innocui uſus minus duritiei eſt quam in indagatione ſignificationis earum, quam nimis accurate, & dubitem an per omnia feliciter, exequitur. Sed non eſt meum de eo hic diſputare. Obſervatum autem hoc ipſum ſatis tritum eſt, à quo inter Eruditos diſputari cœptum eſt tum de *antiquitate Punctorum Vocalium*; tum de *Punctis* Nomini Tetragrammato יהוה ſuppoſitis, genuinis, num peregrinis, ex voce אדני aſſumptis. Magni facio Maſorethas, quales fuerint; nec improbo illorum ſtudium: & tamen nemo æqui animi homo neget, illorum *accurationem* ſubinde aliquid traxiſſe de ſuperſtitione. non erat enim opus mutare lectionem vocum olim à Sanctis Viris recte & commode uſurpatarum; & ipſe quoque Cl. Buxtorfius docte quidem in hoc argumento verſatus, ad hanc rationem adverſæ partis frigidius reſpondet [i]. Mihi unum tantum ſupereſt quod hic obſervem, à Doctis Viris neglectum. Putem omnino literam א in voce תריהם inſertam eſſe voci huic à Maſorethis, ut nos monerent de voce צואתם, & ex hac voce deſumptam eſſe: genuinam autem ejus ſcriptionem eſſe eam quæ occurrit in *Lib. Regg.* חריהם. Vox enim haud dubie eſt ex חר *foramen.* Litera א hic aliena eſt & redundat. Porro in *initio* hujus *verſus* deeſt vox אליהם *ad ipſos*, quæ eſt in *Lib. Regg.* & pro האל אדנך ibi legis הער, mox etiam in hoc loco noſtro, על האנשים. Sed utraque lectio bona & nihil turbat. Ita mox ℣. 13. דברי המלך *Verba Regis magni.* pro quo in *Lib. Regg.* דבר *Verbum Regis magni*, & verbis ℣. 14. *non poterit eripere vos*, addicur in *Lib. Regg.* מידו *è manu ejus.* quod poteſt abeſſe, vel ſcribendum erat מידי *è manu mea*, de quo Docti Viri jam monuerunt. Item ℣. 15. לא *non trædetur.* In *Lib. Regg.* ולא *Et non.* העיר in *Lib. Regg.* ארם העיר. Sunt minuta, ſed quæ præterire nolui.

Poliorcetice à Veteribus minus curate culta.

Obſervatum ad puncturam vocis תריהם inſolentem, factam à Maſorethis.

Genuina ſcriptio hic eſt תריהם

Maſorethæ non plane liberi ab omni ſuperſtitione.

Animadverſa Cl. Cappelli.

Cauſſa ejus.

a 2 Reg. XVI. 6. b Vide Jer. XLIV. 1. c Eſth. II. 5. d De Reg. Heb. Lib. I. Cap. 13. e Schol. Lib. III. Cap. XIII. f Cap. XIX. 18. g Crit. Sac. Lib. III. Cap. XI. h In Poſtumis. i De Antiq. Punct. Part. I. Cap. XIII.

Ad ℣. 16. Ellipsis hic observanda.

℣. 16. *Ne auscultate Hiskiæ, quia sic dicit Rex Assyriæ.*] Debebat, ut videtur, sequi in oratione aliquid quo dicta Hiskiæ refellerentur: sed id demum fit ℣. 18. Ergo his verbis subest ellipsis. Integra oratio est; *ne auscultate Hiskiæ, sed potius auscultate mihi, quia sic dicit, & seqq.*

Phrasis, עשות ברכה *Facere benedictionem* proprie. alias, *facere pacem.*

Facite mecum PACEM, *& exite, & comedite unusquisque, &c.*] Satis patet, hanc vel similem sententiam subesse phrasi, עשו אתי ברכה quam verti, *Facite mecum pacem:* & tamen difficile est genuinum ejus sensum definire; ut adeo si ab aliorum opinione hic dissideamus, non modestiæ minus quam veritatis habenda sit ratio. Verba proprie valent: *Facite mecum benedictionem.* Sunt itaque, qui vocem ברכה, quæ proprie valet *benedictio*, hic accipiunt pro *munere honorario*, liberaliter oblato, ut stylo sacro vox sumitur, veluti Gen. XXXIII. 11. 2 Reg. V. 15. Sic Jun. Trem. Pisc. Grotius. Vertunt verba; *Transigite mecum munere. Agite mecum per munus.* ut ברכה sit pro בברכה. Sic ipsi quoque Belgæ. Verum etsi sensus non sit incommodus, & significatio vocis ברכה sic satis recepta: non putem tamen, phrasin Hebræam eam ferre posse. Phrasis proprie valeret: *Facite mecum per munus.* quæ locutio insolens est. Cur enim Orator non potius dixisset, תנו לי ברכה *Date mihi munus.* Id præceptum est quod me moratur; etsi addi posset, munus jam ante in Regem collatum & thesauros Regios eo exhaustos fuisse. Sed verum est, Reges Orientis ne hoc quidem tempore absque munere oblato adiri. Vir Eruditus vertit, *me salutatum venite*, quia *benedicere alicui* sæpe perinde valet ac *eum salutare*; *& salutatio non fiebat nisi addita faustæ alicui precatione.* Fere idem cogitaverat inter Hebræos Jarchius. Adscripsit ad hæc verba in loco parallelo *Lib. Regg.* שאילת שלום כמו ויברך יעקב את פרעה *Adprecatio pacis, ut in verbis a: Et benedixit Jacob Pharaoni.* Sed hic plenius, duos sensus inter se conjungens: צאו אלי לשלום וברכוני והביאו אלי תשורת שלום *Egredimini ad me in pace, & benedicite mihi, & adducite ad me munus honorarium pacis.* Non est longe quæsita interpretatio, & satis digna quæ inter alias commendetur. Nec tamen ea excludit duritiem phrasios. Verba enim sonant, *Facite* MECUM (את) *benedictionem.* h. e. salutationem, secundum hanc sententiam. Si id dicere voluisset Legatus, nomine Domini sui loquens, cur non potius dixisset, *Facite* לי *mihi benedictionem.* h. e. venite me salutatum. Accedit, non adeo probabile videri, Rabsaken voce ברכה, ad hunc modum exposita, voluisse declarare *reverentiam* quam Judæi in congressu Regi Assyriorum exhiberent. Qui Regem salutabat, haud dubie ei fausta quæque adprecabatur: sed Reges Orientis, Assyrii, Persæ, Medi, non adibantur nisi difficulter, & non absque προσκυνήσει *adoratione*, ut satis notum. *prompti aditus & obvia comitas*, virtutes erant iis ignotæ; ut alibi Tacitus de Parthis *b*, ut proinde Propheta, si hic de *aditu* ad *Regem* mentio fieret; non videatur usus esse simplici voce ברכה significatu *salutationis* sive *apprecationis faustæ.* quæ in omni congressu hominum promiscue locum habet. Usurpatur tamen alibi *c* hujusmodi in casu pro *gratulatione* Regi facienda. Si vox ברכה hic sumenda sit pro *reverentia* Regi exhibenda: aliud est quod hic dici posset, longe majore cum specie, ut putem. Notio ברך originatie notat *ingeniculari* à ברך *genu.* Posset itaque ברכה hoc in loco significare ipsum actum προσκυνήσεως *adorationis*, qua adibantur Monarchæ Orientis. Est autem προσκυνεῖν *adulantium more procumbere*, ut Livius *d*: quod qui agebant primum *procumbebant in genua*; inde *caput* in pedes Principis aut solum inflectebant. Sic valeret phrasis, *Facite mihi reverentiam* προσκυνήσεως. Et hæc mihi placeret sententia, si scriptum esset in textu, עשו לי ברכה *Facite* MIHI *reverentiam* προσκυνήσεως. *submittite vos mihi.* Sed oratio habet, *Facite* MECUM. quod in rem non quadrat. Omnino itaque probo sententiam ut veriorem quæ per ברכה *Benedictio* hic intelligit *Pacem*, locutione metonymica, sed facilis interpretationis. Cum enim *Benedictiones* vulgo hac conciperentur formula: PAX *tibi, vobis:* ipsa *Pax* dicta est *Benedictio.* Sic accepit Paraphrastes: עברו עמי שלמיא *Facite mecum* PACEM. Conciliamini mihi. Inite fœdus amicitiæ & pacis. Sequutus est Kimchius. Syrus Hebræam orationem presse sectatus est e עברו עמי בורכתיא *Facite mecum benedictionem.* Vertit Interpres: *Hac me gratia obstringite.* Acsi diceret, *Liberaliter mecum agite.* Phrasin, *facere pacem*, habuimus Cap. XXVII. 4. Quod autem additur, צאו *Exite*, hoc loco valet, *gaudete vestra libertate.* Cum enim hoc tempore metus eos concluderet Hierosolymis: invitat illos Assyrius, ut instaurato fœdere & conventione fiduciaria omni libertate sua absque metu aut noxa fruerentur.

Benedictio hic recte sumitur pro *pace.* Paraphrastes laudatus.

Quid hic *exire?*

℣. 17. *Usque quo veniam & vos* ASSUMAM *in terram similem terræ vestræ.*] Frequentissimi antiquis temporibus instituti, quo Populi subditi aut victi translocabantur, sive mitterentur in colonias; sive sedes inter se juberentur permutare; secundum id quod Histiæus finxit apud Herodotum *e*, *Regem Darium constituisse Φοίνικας μὲν ἐξαναστήσαντα, ἐν τῇ Ἰωνίῃ κατοικίσαι, Ἴωνας δὲ ἐν Φοινίκῃ Phœnices quidem sedibus suis amotos in Joniam transferre, & Jones in Phœnicen.* Actus ipse dicebatur μετοικισμὸς, & *transmigratio* ipsa μετοικεσία. Ratio erat, ut Populos facilius retinerent in obsequio. Fuit etiam moris Romani. Suetonius de Augusto *f*: *Suevos* (an, Ubios,) *& Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* Factum à Tiberio auspiciis Augusti, ut liquet ex Tacito. *g*

Ad ℣. 17. Translationes Gentium antiquitus usu receptæ.

In terram frumenti & musti; terram panis & vinearum.] Additur his in *Lib. Regg. Terram Olearum, olei & mellis, ut vivatis & ne moriamini.*

℣. 18. *Ne seducat vos Hiskias, &c.*] In *Lib. Regg.* *Et ne auscultate Hiskiæ*, כי QUIA sive *quando vos seducit.* Mox rursus, pro יחתילו in *Lib. Regg.* ההציל הצילו.

Ad ℣. 18. Differitas lectionis.

℣. 19. *Ubi sunt Dii Hamathæ & Arphadi.*] Exposui quæ probabilia occurrebant de his locis ad Cap. x. 9. De *Arphado* nihil etiamnum certius habeo. *Chamatam* autem esse EMISAM, *Emesam*, *Emissam*, ut varie scribitur, non pœnitet conjecisse. Nec negabo tamen, me postea cogitasse de HELIOPOLI, Urbe celeberrima, in Valle amœnissima quæ *Libanum* & *Antilibanum* distinguit, sita, *Damasco* ad *Occiduum æstivum.* Nomen idem est. חמת sive חמה est à SOLE, qui Hebræis ab æstu חמה HHAMMA dicitur. Vocis EMESÆ eadem significatio est. Ipsa quoque, à qua non adeo longe versus Austrum distat HELIOPOLIS, vi significationis nominis est HELIOPOLIS, h. e. CIVITAS SOLIS.

Ad ℣. 19. De *Chamatha* conjectura. Forte est *Heliopolis*, in Valle Libani.

Ubi sunt Dii Sepharvajimorum.] Non possum accedere Eruditis Viris, qui *Sepharvaima* (ספרוים) quorum hic mentio est, existimant esse *Sippharam* Ptolemæi, quæ Eusebio *h* dicitur Σιπφαρηνῶν πόλις, quæ Urbs sita fuit in Mesopotamia ad Euphratem proxime illum locum ubi Fluvius ille scinditur, parte ejus vera & nativa in Austrum versa, parte in Ortum se effusura in Tigrin. Rationes mihi sunt non obscuræ. *α.* Quia liquet ex Historia *Libri Regum i*, Sepharvaimæos *liberos suos adoleviſſe Adramelecho & Anamelecho, Diis Sepharvaimorum.* Atqui hic cultus, *Molechi* inquam, non est Mesopotamenorum, sed Phœnicum; ut ipsa quoque terminatio horum idolorum, (Solis, puta & Saturni, ut probabile habeo:) non est *Syriaca*, sive *Mesopotamena*, sed *Phœnicia.* Debebat enim aliàs dici אדרמלכיא & אנמלכיא *Adramalcha*, & *Anamalcha.* *β.* Nullo modo dubitari potest, quin *Sipphara* Urbs, si tum extiterit, tanquam Assyriæ & Babylonico tractui proxima, semper vel longum fuerit in potestate Assyriorum Regum, qui Babylonem

Notitia *Sepharvaimæ.* Non videtur esse *Urbs Sipparenorum*, in Mesopotamia. Rationes in ejus sententiæ.

Vox ברכה an hic recte vertatur per *Salutationem?*

Rectius hic acciperetur pro *ingeniculatione* & προσκυνήσει.

Interpretationis illius incommodum.

Affinis interpretationis specimen.

Non satis bene convenit phrasi Hebraæ.

An vox ברכה hic accipi queat pro *Munere honorario?*

Phrasis, עשות ברכה *Facere benedictionem* proprie. alias, *facere pacem.*

Ad ℣. 16. Ellipsis hic observanda.

---

a Gen. XLVII. 9. 10. *b* Tacit. *Annal.* Lib. II. Cap. II. *c* 1 Chron. XVIII. 10. *d* *Hist.* Lib. XXX. Cap. XVI. *e* *Hist.* Lib. VI. p. 382. *f* In *Aug.* Cap. XXI. *g* *Annal.* Lib. II. Cap. XXVI. *h* *Præp. Evang.* L. IX. C. XLI. *i* 2 Reg. XVII. 31.

nem & Babylonicum tractum non potuerunt sibi habere obnoxium absque Sipphara. Assyrius autem hic recenset Urbes non longum à se aut Majoribus suis devictas. γ. Urbes cæteræ quæ hic & alibi in confinio Sepharvaimorum recensentur; fuerunt in Syria vel Cis-Euphratensi, vel Damascena; vel etiam in Phœnicia: à quibus locis *Sipphara* longe remota fuit. Quare etsi mihi promptum non est, hanc Urbem demonstrare cum plurimis aliis antiquo tempore florentibus quarum nulla plane supereſt memoria: putem tamen, ex circumstantibus facile colligi posse, fuisse olim Urbem Syro-Phœniciæ, suo tempore celebrem, eamque ad exemplum Hierosolymorum divisam in *superiorem* & *inferiorem*; vel per fluvium Eleutherum, vel quem alium hujus tractus eam permeantem, in duas scissam partes: quippe quod terminatio *dualis* evincere videtur. Adduntur in *Lib. Regg.* his Urbibus *Hena* & *Ivva:* de quibus mox Cap. XXXVII. 13.

Probabile est, fuisse Urbem Syro-Phœniciæ.

Et an (וכי) *eripuerunt Samariam è manu mea*] Sc. Dii sui. sic necessario supplenda est ellipsis. De usu vocularum כי in *interrogationibus* jam monuerunt Docti Viri.

Usus vocularum כי in Interrogationibus.

℣. 20. *Quis inter omnes Deos harum terrarum* (הארצות האלה) *qui eripuerunt terram suam è manu mea?*] Sic perfectius quam in *Lib. Regg.* ubi simpliciter est הארצות: sed vis & potestas locutionis eadem est. Est enim הארצות ibi quoque vertendum, *harum terrarum*, ut ה *præfixum* gaudeat genuino suo usu. Cognoscis autem tum ex his verbis, tum ex tota oratione superiore, hypotheses Gentium de Divinitate. α. Esse Deos, sive Genios Naturæ immortalis plures, ut Divinitas non constet *Subjecto individuo*, sed *specie*, perinde ac se res habet cum Natura humana. β. Alios aliis superiores & potentiores. γ. Divisum partitumque inter eos esse Orbem hujus terræ, ita ut cuique *Regioni*, *Reipublicæ*, *Regno*, *Populo*, suus præsideat genius, qui dicatur DEUS ILLIUS TERRÆ [a]. In verbis Arminii apud Tacitum [b]: PENETRALES *Germaniæ* DEOS. Ita sane. Erant enim alii cum aliis quoque Populis communes. Posses itaque secundum hanc hypothesin verba: איה אלהי חמת *Ubi sunt Dii Chamathæ:* recte vertere: *Ubi est Deus Chamathæ!* & ita in seqq. Addo solummodo, Gentiles qui magnitudinem Imperii & victorias suas passim referebant ad *Deos suos:* tanto eos aliis Diis potentiores credidisse, quanto illi cultores suos beatiores faciebant.

Ad ℣. 20. Collatio lectionis *Lib. Regg.*

Hypotheses Gentium de Divinitate ex hoc loco collectæ.

℣. 21. ויחרשו *Et siluerunt*,] Sc. Populus. Sic enim est in *Lib. Regg.* והחרישו העם *Et siluit Populus*. Legatos ipsos quoque multa verba non fecisse, satis est probabile; & decus tamen postulabat, ut quæ audiverant, se ad Regem relaturos esse dicerent. Sufficit, illos ad summam rei nihil respondisse, aut insolentem orationem refutasse.

Ad ℣. 21. *Et siluerunt.* Referendum ad Populum.

℣. 22. *Et venit Eliakim ... ad Hiskiam* קרועי בגדים *dilaceratis vestibus.*] Sc. Eliakim & Legati cæteri lacerarunt *Vestes superiores* & *honestiores*. Erat autem *tunica* laxior, ornatissimo baltheo constricta, ad pectus aperta: unde scissu facilior. Receptus erat ritus inter signa doloris summi cum stupore & tantum non cum desperatione conjuncti: quæ caussa est quod passim aliis signis luctus gravissimi *induendi sacci* & *cineris inspergendi capiti* jungatur. ut exemplum mox occurrit in hisce Legatis & Hiskia Rege ipso se induente sacco [c]. Qui enim vestem discindebant, hoc ipso testabantur, jubere luctus publici aut domestici magnitudinem se exuere decore atque ornatu omni, & se induere vilissima arctissimaque veste quæ *saccus* dicitur. Sic David ad suos in lugendo casu intercepti Abneri [d]: *Scindite vestes vestras & induite vos saccis.* Rursus in historia Achabi [e], & alibi. Et accedebant tamen hic quoque rationes aliæ. *Scissis vestibus* pectus veluti aperiebatur, sive ut contundi posset; sive ut angoribus presso laxamentum quæreretur. Hoc in casu nostro dolori & stupori materies erat tum ex blasphemia Rabsakes; tum ex minis & metu instantis calamitatis. Utrumque Legatis & mox Hiskiæ concitaverat dolorem stupori & consternationi mixtum; & patet ex narratione sequenti. Stuporem enim & consternationem animi ob malum præsens aut metuendum dedisse occassionem scindendis vestibus, liquet ex exemplo amicorum Jobi [f], & ex loco Jeremiæ [g]. Et facile tamen largior, *blasphemiæ* hic fuisse potiorem respectum; quippe in quo casu moris erat *vestes lacerare*, ut Eruditi Viri jam docuerunt ad Matth. XXVI. 64. Origo haud dubie fuit antiqua; & videbatur ritus convenire reverentiæ Divinæ Majestati debitæ.

Ad ℣. 22. *Dilaceratio vestium* in quibus casibus usurpata?

Ejus ritus rationes.

Rationes lacerandarum vestium in hoc casu.

CAPUT XXXVII.

Consequens hujus Legationis. Hiskiæ Regis ad eam *Habitus* & *Gesta.*

Textus Cap. XXXVII.

1. QUæ cum intellexisset Rex Hiskias: vestes suas scidit, seque obtexit sacco, & ivit ad Ædem Jehovæ.

2. Simul misit Eliakimum Domus *Regiæ* Præfectum, & Sebnam Scribam, & Seniores Sacerdotum opertos saccis ad Jesaiam, Amotsi Filium, Prophetam,

3. Ut ei dicerent: Sic ait Hiskias, Dies angustiæ, & redargutionis, & probrosæ insectationis hic est dies. Venerunt filii ad collum uteri, & nulla pariendi vis est.

4. Forte audiverit Jehova Deus tuus verba Rabsakes, quem Dominus ejus Rex Assyriæ misit, ut convitiis proscinderet Deum vivum, & redargueret verbis. quæ audiverit Jehova Deus tuus. Fac itaque precationem pro reliquiis quæ supersunt.

5. Et venerunt servi Regis Hiskiæ ad Jesaiam.

6. Loquutusque ad eos est Jesaias: Sic dicetis domino vestro: Jehova sic fatur, Ne te corripiat metus caussa verborum quibus intellexisti servos Regis Assyriæ mihi convitiatos esse.

7. Ecce indam ei spiritum cum audiverit rumorem, & revertetur in terram suam, & faciam cadat gladio in terra sua.

Ad ℣. 1. Cap. XXXVII. *Venire* Hebræis est *ire.*

ET *ivit ad Ædem Jehovæ.*] Proprie, *venit ad Ædem Jehovæ.* Intt. passim: *Ingressus est*, vel, *ut ingrederetur Ædem Jehovæ.* sed genuina significatio phrasios ea est quam hic expressi. *Venire* huc illuc Hebræis est, huc illuc ire. Observatum est leve. Videtur autem Hiskias hoc tempore fuisse in Domo Saltus Libani, unde ad Templum commodus & facilis aditus.

℣. 2. *Ad Jesaiam Amotsi filium Prophetam.*] Pariter in *Lib. Regg.* mutatis tantum epithetis: *Ad Jesaiam Prophetam, Filium Amotsi.* Dictio infert, fuisse *Prophetam* non de grege, sed valde illustrem ac conspicuum, magnæ ac constabilitæ auctoritatis; & quidem honestis ortum natalibus. hæc enim caussa est cur

Ad ℣. 2. Jesajas Propheta emphatice sic dictus.

a 2 Reg XVII. 26. b *Ann.* L. II. C. X. c Cap. XXXVII. 1. 2. d 2 Sam. III. 31. e 1 Reg. XXI. 27. f Job. II. 12. g Jer. XXXVI. 24.

Nomen *Patris* hic adscribatur. Sed diximus de eo in loco quantum satis est. Fuisse autem moris, ut Prophetæ spectabilis auctoritatis in casibus dubiis consulti sint, per totam historiam sacram liquet; estque huic plane parallelum exemplum Josiæ, Huldam Prophetissam per Legatos adeuntis [a]. Aliàs Prophetas, quos statutum erat consulere, ad se accersebant, ut liquet ex notis exemplis Michæ [b] & Jeremiæ.

Prophetæ in casibus dubiis consulti.

ỳ. 3. *Ut ei dicerent.*] Sic recte vertimus Hebræa, ויאמרו אליו. quæ proprie valent, *Et dixerunt ei.* Videlicet involvitur iis duplex sensus. Valet enim, *Ut ei dicerent* quemadmodum *ei dixerunt.* quare ubi ỳ. 5. Legati Regis Hiskiæ dicuntur convenisse Jesaiam: alterum illud reticetur, eos hæc verba proloquutos esse, quia Historicus id jam censebatur anticipasse.

Ad ỳ. 3. Sensus vocum, *Et ei dixerunt.*

Sic ait Rex Hiskias: Dies est ANGUSTIÆ, (צרה) *&* REDARGUTIONIS *& infectationis probrosæ hic dies.*] Quod primo loco dicitur, *Diem esse angustiæ:* non accipitur passim ab Intt. in omni illa emphasi quam, ut putem, intendit Hiskias. Non id tantum dicere vult Rex pius, se metu minarum Assyrii, potentiæque ac virium ejus atque imminentis obsidionis ejusque consequentium, in magno versari metu: verum etiam, se per blasphemias & convicia Assyrii in Deum Jehovam conjecta ad magnas compelli angustias. Si enim ad probra illa & convitia blasphema, Deo summe injuria, sileret: non videbatur satisfacere officio, quod respectus Divinæ Majestatis ac reverentiæ ei debitæ ab ipso videbatur exigere. Sin contra blasphemias illas acriter refutaret quod poterat: Principem superbum magis etiam irritaret, & in se concitaret; quod non videbatur consultum. Inter hæc duo pius Rex hærebat, in magna versatus angustia. Quod additur, *Diem esse* תוכחה *redargutionis*, ut cum Cl. Coccejo vertere instituit: Intt. alii verterunt sive per *correptionem*, ut Hieron. sive per *increpationem*, *objurgationem*, *opprobrium.* Int. Græcus duas hic adhibuit notiones, ὀνειδισμῶ, καὶ ἐλεγμῶ *probri & correptionis.* Sed posterius forte genuinum est: prius irrepsit in contextum, quod ἔλεγμὸς *convictio*, *correptio*, videatur minus esse eo quod dicere voluit Hiskias. quod ipsum in aliis quoque Versionibus hujus vocis desiderari posse videatur. Dicam igitur quorsum vox heic loci pertineat, & quam obtinere debeat emphasin. Rabsake oratione sua superiore contemtim loquens de Deo Jehova, cui fidebat Hiskias & Populus, hanc spem & fiduciam, suas extollendo vires, *rejutare* ac *redarguere* instituerat. Est enim *redarguere* alicujus orationem, fiduciam, spem, mores, contra disputando refellere, aut falsi, vanitatis, vel imprudentiæ *convincere*, sive quis id vere præstet, sive præstare nitatur. Propheta id mox ỳ. 4. appellat, חרפת ברגרים *verbis redarguere.*

Verba Hiskiæ: *Dies angustiæ & redargutionis.* Sensus illorum. Blasphemiæ Assyrii Hiskiam in magnas egerunt angustias. Vox תוכחה quam notationem hic admittat? Sensus loci definitus.

Quia venerunt filii ad collum uteri, & nulla pariendi vis est.] Intt. quod ad generalem sententiæ aspectum attinet, hic non luserunt operam. Locutio est adagialis, ex emphaticis scitis prudentium antiqui temporis deprompta, qua significare volunt; Rem versari in summo discrimine, ut nisi *extraordinarium* aliquod *remedium* sive *auxilium* aliunde adferatur, actum sit de salute publica vel domestica: similitudine desumpta à puerpera, præcedaneis doloribus debilitata, quam deficiunt vires enitendi dum fœtus in eo jam est ut uterum perrupturus sit, modo à vi & conamine matris secundum naturæ leges adjuvetur: qua vi deficiente & labefactata, nulla spes est salutis fœtus, nisi aliunde auxilium aut remedium arcessatur. De quo sensu cum satis constet, non est mihi animus, subtilius disputare de genuina significatione vocis משבר, quam cum Cl. Clerico [c], qui sententiam Prophetæ recte accepit, verti per *collum uteri.* ut Drusius, qui sententiæ huic locum fecit inter *Adagia* sua [d], per *fauces uteri.* Pisc. *Os matricis.* Est à voce שבר *rumpere:* atque adeo vel referri debet ad rupturam membranæ, qua fœtus involvitur, quæ Græcis ἀμνίον dicitur; vel ad actum fœtus, enitente matre, ex utero erumpentis, & eum veluti perrumpentis. quod posterius hic maxime ad rem facere videtur, ut & in altero loco huic parallelo, apud Hoseam [e]: *Dolores parturientis ei venerunt. ipse filius est non prudens, quia tempus non subsistit in partitudine filiorum.* Sic vertit phrasin Cl. Coccejus. Sensus est; quia dum fœtus est ad collum uteri ut perrumpat, de vi & conamine enitendi remittit, ut dolores evitet. Hieron. *Quia filii venerunt ad partum.* Græcus. Ὅτι ἥκει ἡ ὠδὶν τῇ τικτούσῃ. Nihil vitii. Si applices similitudinem ad rem præsentem: per *fœtum* hic non est intelligendus Populus Judæus, ut sunt inter Intt. qui instituunt; sed *salus Populi & conservatio ejus* de qua agebatur. Ea venerat in summum discrimen. Hic fœtus enitendus erat hoc tempore summæ angustiæ. Docet autem Rex, hunc *fœtum* non posse hoc tempore in lucem protrudi à se aut Populo viribus externis deficiente; sed requiri extraordinarium Dei auxilium & remedium.

Verba, *Venerunt filii ad collum uteri, &c.* Phrasis adagialis. Sensus ejus. Usus vocis משבר h. l. Doctorum Virorum sententiæ. Locus Hos. XIII. 13. cum hoc collatus. Vers. versio hujus loci. Per *fœtum* hic intelligitur *salus populi.*

ỳ. 4. *Forte audiverit Jehova* DEUS TUUS *verba Rabsakes, &c.*] *Audire* hic est *ad animum revocare*, ut eorum quæ audis & noris rationem te habere demonstres. Vult itaque dicere, Forte ea res *advertit Jehovam Deum tuum*, ut Latini loquuntur. Sic passim stylo sacro & sæpius in Odis Sanctorum, æque ac *videre.* Sume tibi exemplum ex Exod. II. 24. & III. 7. seqq. Est autem hic observandum, Hiskiam per Legatos adeuntem Prophetam singulari emphasi non dicere, *Jehova Deus noster*, sed, *Deus tuus.* Dedit hoc honori Jesaiæ, Deo devoti, ejusque favore & communione peculiari gavisi: perinde suam hoc ipso professus modestiam humilitatemque; ad quam pertinet, de sua apud Deum gratia ob interiorem tenuitatis & indignitatis conscientiam parce loqui, eamque magis ambire & sperare, quam jactare.

Ad ỳ. 4. *Audire* h. l. ad animum revocare. Phrasis, *Deus tuus*, in h. l.

Fac itaque precationem pro reliquiis quæ supersunt.] Proprie, *Et tolles precationem pro reliquiis quæ inveniuntur.* Et id quoque satis latine dicitur; *tollere precationem*, ut *tollere sententiam.* Obtinet hic vox נמצא, ad *orationem* relata, veram suam significationem qua notat *proferre, efferre, enunciare orationem*, rite conceptam & minime vulgarem, de quo alibi *f* monui. Notio autem נמצא *inventum* hic notat, stylo sacro, quod *actu existit, revera datur, comparet, supereſt.* quo sensu Philosophis Hebræorum deinceps usu fuit receptissimum. Sic Maimonides, mox in initio Tractatus de *Fundamentis Legis* [g]; primum esse ait credendorum dogma, שיש שם מצוי ראשון והוא ממציא כל הנמצא *Esse aliquod Existens primum, illudque existentiam largiri omni existenti.* Scriptor ad Hebræos vocavit τὸ Φαινόμενον [h], ex vera interpretatione Theophili [i], τὸ ὄν.

Dictio, *attollere precationem.* Usus vocis מצא *invenire* apud Judæos.

ỳ. 6. *Quibus* (verbis) *me probrose infectati sunt* (גדפו) *servi Regis Assyriorum.*] Vox גדף constante usu Scripturæ notat ὑβρίζειν, ὀνειδίζειν, *convitiis* quem *proscindere, infectari probris*; Tacito, *probrosis sermonibus* quem *illudere*; *probra* in aliquem *jacere.* A. Gellio, *Probra in aliquem ingerere.* quod ad Deum relatum propria notione dicitur βλασφημεῖν. *Verbum* σκληρὸν *durum* [k] & ἀργὸν *otiosum* [l] in quo nihil bonæ frugis est, Divinæ majestati injurium, *effutire.* Est enim verbum blasphemum quod Divinam majestatem non oblique, sed directe impetit. Non absolvo etiam me ab hac cogitatione, esse emphasin in voce נער, ubi Propheta ait, *servos* Regis Assyriæ Deum prosidisse convitiis. Valet vox proprie *puerum rudem:* sed usurpatur in Scriptura V. T. æque ac ad illius imitationem vox παῖς in Scriptis N. T. subinde pro *servis*, quod ad servitium passim eligerentur *Juvenes* florentis ætatis, in primo Juventæ robore, qui illis æque ac Latinis *pueri* dicuntur. Hic nulla est ratio, quare Propheta

Ad ỳ. 6. Significatio vocis גדף. Ex analogis illustrata. Emphasis vocis נער in h. l.

---

a 2 Reg. XXII. 12. seqq. *b* 1 Reg. XXII. 13. *c Comm.* ad 2 Reg. XIX. 3. *d Adag. Classe*, II. Lib. II. Cap. XLI. *e* Cap. XIII. 13. *f* Ad Cap. XIII. 1. *g* Cap. I. §. 1. *h* Cap. XI. 3. *i* Ad *Autol.* L. I. p. m. 72. *k* Jud. ỳ. 15. *l* Matth. XII. 36.

pheta Deum loquentem inducens de Legatis Assyrii non sit usus hac voce per contemptum.

Ad ℣. 7. Per *spiritum* qui immitteretur in Assyrium, hic intelligitur *metus*.

℣. 7. *Et indam ei spiritum & audiet rumorem.*] h. e. indam ei *spiritum* CUM *audiet rumorem.* Proprie intellige *spiritum metus.* πνεῦμα δειλίας, quæ phrasis est Apostoli [a]. Si vox רוח hic referretur sive ad *Angelum* sive ad *tempestatem* qua Deus prostraturus esset Exercitum Assyrii: non posset dici, *dabo* sive *ponam spiritum* בו IN EO. Phrasis enim Hebræa valet, in ipso subjecto de quo agitur, *motum producere*, sive *principium* motus ei *indere.* Usus ejus est apud Ezechielem, ubi agitur de cadaveribus Israëlitarum resuscitatis, & jam huc usque perfectis ut præter principium vitæ nihil iis deesset. Verba Prophetæ [b]: ונתתי בכם רוח וחייתם *Et dabo in vobis spiritum, & vivetis.* Eodem modo Propheta in sermone superiore, sed de Re sanctiore loquens [c]: *Et* SPIRITUM *novum* DABO *in medio vestrum.* Si aliud voluisset Propheta, minimum scripsisset: *Et dabo spiritum* בצבאו *in exercitu ejus.* etsi ne sic quidem phrasis id commode significare posset quod alii in medium conjiciunt. Hebræi Intt. [d] hic per רוח intelligunt *Voluntatem*, quod à nostro non longe discedit. Sic sensus esset, *Indam ei voluntatem ad sua revertendi*, simul ac ad ipsum pervenerit rumor de Expeditione *Taraconis.* Sed esse *affectum metus & trepidationis*, qui hic significatur, liquet clarissime ex Cap. xxxi. 8. 9. ubi hic *affectus* Assyrio inditus, מגר *trepidatio, tremor*, dicitur. Monui autem alias, *affectum* Hebræis non dici רוח nisi sensu metonymico, & secundario; cum Veteres secundum hypotheses Philosophiæ suæ sic essent persuasi, *affectus* omnes administrari à *spiritibus*, illos motus præterordinarios in homine producentibus ac conservantibus; qui *spiritus* ita censebantur subesse Divinæ Providentiæ ut non nisi ea vel faciente vel permittente hominem commoverent: ne quidem *spiritus melancholiæ* [e] aut *mendacii* [f]. Miraris interim qui hæc legis, Prophetam prænunciantem proxime futura quæ facerent ad Liberationem Hiskiæ, hic plane præterire *Casum* principalem prosternendi Exercitus ejus. Respondeo, vix esse dubitandum quin responsum Prophetæ hic aliquibus rescissis per compendium narretur; aut, si Propheta id reticuerit, vel eam ob causam reticuisse quod in prophetiis suis antecedaneis illum casum sæpius & clarissime commemorasset; vel quod Deus effectum hoc tempore præteriri voluerit, ut cum adesset, tanto videretur major & παραδοξότερος. Pro ארי ארצו quod hic legitur, est in *Lib. Regg.* לארצו.

Affectus quo sensu Hebræis dicatur רוח *spiritus?*

Phrasis, *indere spiritum*, illustrata.

Hebræorum Intt. sententia de voce רוח h. l.

Altera Legatio ab Assyrio ad Hiskiam cum Antecedentibus ac Consequentibus ejus.

Legatio ipsa.

8. Et reversus Rabsake invenit Regem Assyriæ oppugnantem Libnam. intellexerat enim, illum movisse à Lacischa.

9. Et pervenit ad eum rumor de Tirhaka Rege Cuschææ, ferens: Egressus est ut tecum pugnet. Simul audivit, simul misit Legatos ad Hiskiam his mandatis.

10. In hæc verba loquemini ad Hiskiam, Regem Judæ: Ne decipiat te Deus tuus cui fidis, dicens: Non tradetur Hierosolyma in manum Regis Assyriæ.

11. Ecce utique intellexisti, quid fecerint Reges Assyriæ omnibus hisce terris ut eas exsciderint: tu vero liberareris?

12. Liberaruntne eos Dii Gentium quorum *terras* Majores mei perdiderunt: Gozanem, *inquam*, Charanem, & Resepham, & Hedenenses qui sunt Thelassare?

13. Ubi est Rex Hamathæ, & Arphadi Rex, atque item Rex Urbis Sepharvaimorum; Henæ & Ivvæ?

Ad ℣. 8. An Rex Assyriæ *Lachischam* in potestatem suam redegerit? Notitia *Libnæ*.

℣. 8. *Oppugnantem* LIBNAM.] Num Lacischam in potestatem suam redegerit Rex Assyriæ, non adscribitur in historia: sed probabile est, excidisse voto, quod Urbs tam situ quam munitione probe curata fuerit. *Libna* Urbs antiquo tempore fuit spectabilis, ætate Josuæ à Regulo Amorrhæo administrata, sita ad Occiduum Hierosolymæ flexum versus Austrum, Lacischæ ad Septentrionem, à qua non longe distitit; estque probabile, ipsam quoque ad modum Lacischæ situm obtinuisse illic loci, ubi campestris regio in montanam assurgebat. Characteres ejus clarissime colliguntur ex historia Josuæ [g]; ubi ille soluta Gibeonis obsidione & fusis Regibus Amorrhæis cum Copiis suis Makkedam primo, inde Libnam; mox Lacischam expugnasse dicitur. Erat autem Makkeda ipsa quoque ad Occiduum Hierosolymæ jam inclinatum versus Austrum, quippe cum Hierosolyma in prima divisione terræ fuerit in extrema sorte Benjaminis, quæ sorti Judæ ad Septentrionem adhæsit: Makkeda tamen inter Urbes ditionis Judæ censetur [h]: perinde ac Libna [i], inter Sacerdotales postea & Refugii Urbes electa [k]. Eusebius nihil dissentit: etsi ejus testimonii, ob interceptam vetustate & excidio plurium Urbium memoriam, passim minorem rationem habeam quam characterum situs Urbium qui in ipsa historia Sacra extant.

Et Makkedæ.

℣. 9. *Et pervenit ad eum rumor de* TIRHAKA *Rege* CUSCHÆÆ.] Proprie, *Et audivit de Tirhaka.* על תרהקה quod in *Lib. Regg.* אל תרהקה. Neutrum vitiose. *Tirhakam* Cuschæ Regem mihi hic non licet indictum præterire: etsi in *Notitiis Ægypti* [l] & *Arabiæ Cuschææ* [m], illum jam produxerim. De *Cuschæa* enim quæ prolixe disputavi, non repetam. *Tirhaka* in *Antiquitate Exotica* nulla mentio superest, quam in *Dynastiis* Manethonis, & in testimonio Megasthenis apud Strabonem. In Dynastiis Manethonis Dynastia xxv datur Regibus *Æthiopibus*, sive *Cuschæis:* quæ *Dynastia* constat tribus Regibus, SABBACONE, Æthiopum Rege qui Ægyptum occupavit; SEVECHO, Filio ejus; & *Tarco*, secundum Africanum, sive *Taraco*, secundum Eusebium; quibus Regibus dantur Anni 40. Videbis illam *Dynasticam* à me exhibitam in *Notitia Ægypti*, §. xxxiv. Sed *Vetus Chronicon* apud Syncellum [n] ipsum quoque *tribus Regibus Æthiopibus* assignans *Dynastiam* xxv. illis dat annos 44. Herodotus *Sabbaconi*, Æthiopum Regi, qui Ægyptum sibi subjecit, dat annos 50. Inter quæ si pugna aliqua esse videatur: nulla ejusmodi est, quæ à veri studiosis & memoriarum antiquarum justis arbitris componi nequeat. Nec lusit hic operam Doctissimus Pezronus [o]; cujus tamen hypothesibus omnibus aliquanto audaciоribus per omnia non subscribo. Tria mihi hic dari postulo, quorum primum certum habeo & præstare possum: duo alia ut summe probabilia commendare ausim. Primum est, Dynastiam hanc Manethonis xxv *trium Regum Æthiopum* qui Ægyptum obtinuerint, incidere in hoc ipsum tempus nostrum. Ratio ejus manifesta petitur ex Herodoto, qui Sabaconi successorem dat *Sethonem* sub quo Senacheribus invaserit

ex historia vetere.

Ex Manethone.

Qui conciliatur Herodoto.

Ad ℣. 9. Notitia Tirhakæ Cuschæorum Regis

[a] 2 Tim. i. 7. [b] Ezech. xxxvii 6. [c] Cap. xxxvi. 27. [d] Kimch. Levi B. Gersom. [e] 1 Sam. xvi. 14. [f] 1 Reg. xxii. 22. [g] Cap. x. 29. seqq. [h] Cap. xv. 41. [i] ℣. 42. [k] Cap. xxi. 13. [l] §. xxxvi. ad Cap. xix. [m] §. xiii. ad Cap. xx. [n] *Chron.* p. 52. [o] *Antiq. Temp.* Cap. xiii. p. 215. seqq.

Ægyptum, cujus tamen *Sethonis* nullos signat Regiminis annos, videlicet annos ejus includens annis *Sabaconis* cujus beneficio & auspiciis regnum tenuerit: docetque Herodotus ipse & supponit, Sethonem fuisse extraneum, h. e. Cuschæum, quæ hic non probo, cum in *Notitia Ægypti* de eo ample tractaverim. Alterum quod hic admitti velim, est; *Sevechum* Sabaconis Successorem in Dynastia Manethonis esse eundem illum Regem qui in Historia Sacra סוא Soo sive Seve dicitur [a]; cujus opem imploravit Hoseas Rex adversus Salmanassarem, in initiis Regni Hiskiæ: tum quoque *Tirhakam* qui hic memoratur, eundem esse hominem qui in hac Dynastia dicitur Ταρακὸς, Taracus. Nomina plane eadem sunt; nec licet absque vi quadam dissentire. Tertio suppono, Sethonem Herodoti eundem esse qui Manethoni dicitur *Sevechus*. Ratio hic rursus est clarissima, quia *Sevechum* constat præfuisse Ægypto in initiis Hiskiæ, & inter *Sethonis* & *Sevechi* nomina perfecta analogia est. Si enim terminationem auferas à nomine *Sethonis*, manet *Soo*, *See*, *Seve*. Equidem Conringius [b] in contrarium nititur, caussatus, secundum Chronologiam Manethonis *Taracum quinquaginta annis* serius vixisse. Nollem factum ab Erudito & perspicaci Viro. Quanto facilius erat cogitatu & dictu, quod hic omnino dicendum est, *Dynastias* illas, cum proximis temporibus in Regimine Ægypti ab Æthiopibus liberatæ magna mutatio acciderit, sive Chronologiam illam Dynastiarum, in temporibus hisce accurate metiendis laborare, & cum historia Herodoti conferendas & tempora ex ea supplenda esse. de quo ipso quoque in loco [c] non indiligenter disputavi. His admissis, res tota in hunc concipienda est modum; Sabaconem Cuschæorum Regem circa tempora turbati Regni Ephraimitarum occupasse Ægyptum, interfecto Rege ejus Bocchori: eam vero aliquot annis per se administrasse: at confirmato jam imperio Regem ei imposuisse sive filium sive consanguineum aliquem suum *Sevechum*, Herodoto *Sethonem*, Principem superstitiosum magis quam bellicosum; qui proinde si statum tueretur, necesse haberet à potentiore protegi. Sabaconem itaque primo dein Taraconem sive Taracum, Successorem ejus, forte filium Sabaconis alterum & Sethonis fratrem natu majorem, tempore toto regiminis Sethonis curam habuisse Regni Ægypti; res statumque ejus inspexisse, & Filii aut Fratris defensionem, rebus dubiis ac nutantibus, in se suscepisse; eamque esse rationem quare Herodotus tempus Regni Sethonis involverit annis Regni Sabaconis, ut præcipui Ægypti Inspectoris. *Tirhaka* itaque sive *Taracus* hic est, ex hypothesi probabili, *Sabaconis* filius natu major, sive Patri superstiti adscitus in Regnum Cuschæorum; sive ejus fato functi successor legitimus: qui ubi intellexit, fratrem laborare, se mox instruxit ad ei ferendas suppetias. Quæris, cur tam sero accedat, Senacheribo jam à limitibus Ægypti regresso in Canaanæam? Respondeo, caussam hic non esse quærendam è longinquo, sed è re ipsa. Expeditio Senacheribi in Judæam æque ac Ægyptum plane fuit inopinata, ut ex historia *Chronicorum* certo colligis. cogitabat enim Assyrius imparatos opprimere. Ingressus igitur Judæam, ibi non substitit; sed propere movit versus Ægyptum, ex qua intellexerat discessisse Sabaconem, imposito Ægyptiis Rege iis invisо, & belli impotente. cujus rei fama cum perveniisset ad Sabaconem vel Taraconem filium ejus, se mox instruxerunt ad fratri aut fœderato Principi laboranti succurrendum; quod in magnis rebus tempus aliquod requirebat. Interim Senacheribus (quocunque tandem cum successu Ægyptum tentaverit, de quo videbimus ad ℣. 25.) id metuens vel prævidens, meditata in Ægyptum executus cum Copiarum suarum parte majore rediit in Judæam, oram legens maritimam ac campestrem, & primum hærens ad Lacischam, dein ad Libnam, ut hæ Urbes regredienti ex Ægypto se obtulerunt: quæ non videntur perceptu difficilia. Id tantum quod quæratur superest, cur potentissimus hic Princeps tot viris & equis superbiens, *Tirhakam* Cuschæorum Regem metuerit? cur *fama* adventus ejus eum exterruerit? Ratio in promptu & in proximo. Non tantum Cuschæorum Reges illius temporis potentia, peritia & genere belli gerendi erant metuendi ac terribiles; verum etiam virtutis & peritiæ bellicæ Taraconis magna erat fama: quippe de quo liquet ex Megasthene apud Strabonem. Certe Megasthenes, ordinem temporis exacte sequutus, locum ei facit medium inter Sesostrim & Nebucadnezarem celebratissimos Heröes. Verba alibi [d] jam exscripta hic juvat repetere. Sunt autem [e]: Καί τοι Σέσωστρίν μεν τὸν Αἰγύπτιον καὶ Τέαρκωνα τὸν Αἰθίοπα ἕως Εὐρώπης προελθεῖν· Ναυοκοδρόσορον τὸν παρὰ Χαλδαίοις ἐνδοκιμήσαντα Ἡρακλέους μᾶλλον, καὶ ἕως στηλῶν ἐλάσαι· μέχρι μὲν δὴ δεῦρο καὶ Τέαρκωνα ἀφικέσθαι· *Et* Sesostrim *quidem Ægyptium &* Tearconem Æthiopem *usque in Europam processisse.* Nauocodrosorum *autem magis apud Chaldæos celebratum quam Herculem, usque ad Columnas pervenisse, quas ipsas quoque attigerit* Tearco. En famam Heröis nostri, forte à Veteribus, ut fit, in majus auctam! Sed sufficit illud plane quod hic legitur, loco huic nostro illustrando. Accessit ad hæc, Taraconem cum recentibus Copiis & viribus Assyrium, cujus Exercitus molesta & longa Expeditione haud dubie fatigatus fuerit, aggressurum: quæ ipsa quoque non spernenda fuit caussa metus. Cætera conferri possunt cum his quæ hic exhibeo, alio loco [f] adducta ad Historiam Expeditionis Senacheribi illustrandam.

Sevechus Manethonis idem est qui *Soo* in Historia Sacra.

Et Herodoti *Setho*.

Respondetur Conringio in contrarium nitenti.

Hypothesis secundum quam historia hujus temporis exponenda est.

Quare Tirhaka tam sero adsit ad opem ferendam Sethoni & Hiskiæ?

Casus integer, ut se habuit, probabiliter enarratur.

Simul intellexit, simul misit Nuncios ad Hiskiam.] Sic visus sum commode reddere elegantiorem Hebraismum qui Hebræis subest: Et *audivit*, et *misit Nuncios*. Non eosdem, ut videtur, nec adeo honestos: nec eos nudos, sed ad Hiskiam & forte etiam ad Populum laturos ספרים *Epistolas*, ut liquet ex ℣. 14. Voluit scilicet Hiskiam, ut probabile est, adventus Tirhakæ adhuc ignarum, prævenire, ut quanto ocyus ei persuaderet deditionem. Quæris, quid moverit Principem, tantarum Copiarum potentem, per *Legatos* identidem adire Hiskiam, & non potius cum Exercitu integro se ostentare Hierosolymitanis, & obsidionem Urbis actu aggredi ac tentare? Sane quidem, ubi omnes circumstantiæ in Historia non perscribuntur, in quoque fere Casu Historico multa moveri possunt dubia, facillima solutu, integra omnium rerum & circumstantiarum notitia; sed cæteroquin difficillima. Et videmur tamen hic rationes hujus consilii expromere posse non contemnendas, nec longe quæsitas. Existimavit ille quod probabile videbatur, se minis & terrore ingentis Exercitus impetrare posse, quod vere citra voluntariæ deditionis persuasionem adsequi non poterat absque difficillima opera. Est enim probabile, Exercitum ejus potissimum constitisse militia Equestri, cujus in *montanis locis* & in ipsis quoque Urbium Obsidionibus, ut minor usus est; sic regimen, cura, & metatio ob locorum inæqualitatem incommoda ac difficilis: ob quam ipsam quoque rationem castra metatus est in *Campestri*, Occidua & Australi, montanæ regioni subjecta. Hierosolyma autem *cincta* erat *montibus*, ut Vates sacer [g]. Accedebat ad hæc, [u]. *Obturatis* ab Hiskia *fontibus* aut *aqua* per canales in Urbem *ducta*, & ipso quoque *torrente* Cedrone siccato, (cui rei providisse Hiskiam Historia Sacra exerte docet:) magnum Exercitum non nisi summo incommodo in circumjacentibus Hierosolymæ longum durare posse. quod omnes experti sunt qui obsidionem Hierosolymæ, & Æliæ quoque recentioris temporis, tentarunt. quod nunc non adstruo, cum peritioribus ignotum non sit, & hanc rem ex instituto non

Anim. ad versio ad phrasin: *Et audivit, & misit.*

Sensus ejus.

Quare Sanherib novos ad Hiskiam legatos miserit?

Quare Assyrius cum omni Exercitu directe non venerit Hierosolymam?

Rationes illius consilii productæ probabiles.

Exercitus Assyrii maximam partem fuit Equestris.

Aquatio apud Hierosolymam difficilis.

[a] 2 Reg. XVII. 4. [b] In *Adversar. Chronol.* Cap. XVIII. [c] *Notit. Ægypt.* §. XXIII. [d] *Notitia Cuschæorum*, ad Cap. XX. §. XIII. [e] 2 Chron. XXXII. 10. [f] *Geog.* Lib. XV. p. 472. [g] Ad *Implem. Prophet.* Cap. XX. §. VI. [u] Ps. CXXV. 1.

non ago. β. Hierosolymam cura Hiskiæ & Principum pro tempore & occasione fuisse munitam, & munimenta qua parte laborabant, instaurata: de quo vidimus ad Cap. XXII. 6. seqq. & ipsa historia docet: cum alioquin Urbs ipsa quoque situ satis munita esset, &, quod supra monui, Poliorcetice ab illis Vastatoribus Gentium, qui incursionibus & populationibus magis quam arte bella gerebant, minus culta. Tacitus [a]: *Nihil tam ignarum barbaris quam machinamenta & æstus oppugnantium. At nobis ea pars militiæ maxime gnara est.* Huc pertinet quod est in Libro *Chronicorum* inter verba Legatorum [b]: *Cui rei fiditis, quod resideatis* במצור בירושלם *in* MUNIMENTO *Hierosolymis. Nonne Hiskias vos seducit, ut vos* FAME *aut* SITI (non itaque vi ob loci munitionem,) *ad mortem ducat?* γ. Si Exercitus ductus esset in montes: potuisset ibi à Copiis Taraconis facillime claudi, & levi opera interire. Quam enim difficilis sit ex montanis Hierosolymæ proximis in æqua & plana descensus, magno suo detrimento expertus est Cestius Gallus, Legiones copiasque auxiliares Hierosolyma reducturus in Syriam: de quo videndus Josephus [c]. Hæ caussæ missorum Legatorum & Epistolarum; quibus tanto ferocius & superbius loquutus est, ut fieri assolet, quanto magis premebatur. qui æstus multis Imperatoribus ex voto successit.

Imperitia Poliorceticæs.

Respectus Taraconis.

Ad ỳſ. 10. Verba exposita.

ỳſ. 10. *Ne* DECIPIAT *te* DEUS TUUS *cui fidis.*] Geminum sensum admittit. Vel enim sonat, Ne decipiant te Sacerdotes, Prophetæ, Vates, Interpretes Sacrorum illius Dei quem colis: vel, ne in eo quem colis Deo, vanam vel nimiam colloces fiduciam. Utrumque in rem convenit.

Ad ỳſ. 12. Nomina *Gozan, Haran, &c.* Difficilis notitia antiquorum nominum & locorum.

ỳſ. 12. GOZANEM, & CHARANEM, & RETSEPHAM, & HEDENENSES *qui sunt in* THELASSARE.] Difficilis est veterum locorum & nominum quorum mentio sit in Historia Vetere, indicatio & comparatio nostris tam longe remotis temporibus. Nec etiam hic *nominibus* ipsis satis fidas. sunt enim sæpe ad veterum memoriam aliis in locis instauratæ Urbes; vel nomina ad alia loca & Urbes translata. Hic tamen in duobus vel tribus etiam fere consentiunt Docti Viri: de Edene & Thelassare supereſſe potest dubium. Convenit inter illos, *Haranem* (חרן *Haran* sive *Charan*,) olim Nachoris fratris Abrahami, ejusque Nepotis ex fratre Labanis sedem, ubi Therach Pater ejus vitam finivit, esse *Carras*, Mesopotamiæ Urbem clade Crassi satis celebrem in historia, sitam ad Chaboram fluvium qui incidit in Euphratem, latere Euphratis Occiduo: *Resseph* (רצף) esse Urbem *Rescipham* Ptolemæi in eadem illa Mesopotamia sitam ad Confluentem *Saocoræ* & *Euphratis*, latere ejus *Eo*. Est autem Saocoras ipse quoque Fluvius influens in Euphratem, Chabora Orientalior. Utrumque locum mox observaveris in tabula Ptolemæi. Tum quoque in eo convenire Eruditos ait Illustris Huetius [d], *Gozanem* (גזן) esse *Gauzanitidem*. Est autem *Gauzanitis* Regio inter fluvios Mesopotamiæ Chaboram & Saocoram, secundum Ptolemæum. Ita est: ipse quoque Bochartus hanc sententiam de *Gozane* quæ hic memoratur, alibi [e] exerte professus est: licet in locis 2 Reg. XVII. 6. & XVIII. 11. per *Gozanem* alio loco [f] intelligat *Gozaniam Urbem quæ eunibus à monte Chabora* (est autem ille medius inter Mediam & Assyriam:) *ad Mare Caspium medio fere spatio occurrit.* Verba ejus de loco hoc nostro sunt: *Gozan ex Ptolemæo est Gauzanitis in Mesopotamia, ad Chaboræ & Saocoræ fontes posita.* Id hactenus non male, & largiri possem Doctis Viris. Veruntamen cum in loco hoc nostro magis de Urbibus agatur munitis quas expugnavisse feruntur Assyrii Reges, quam de Regionibus: omnino mihi persuadeo, *Gozanem* hic memoratam olim fuisse Urbem quæ ad Chaboram fluvium sita ad latus alvei Orientalis, nomen dederit regioni ei subjectæ, quomodo recte accipis quod dicitur 2 Reg. XVII. 6. XVIII. 11. translatos esse Ephraimitas inter alia loca ad *Chaboram*, נהר גזן *fluvium Gozanis & Gauzanitidis*, ei subjectæ. Est autem par credere, quod Vir Eruditus anticipavit, sitam fuisse Urbem ad fontes Chaboræ versus Septentrionem, proxime Armeniam. Morantur itaque nos hic præcipue *Hedenenses* (proprie, filii *Hedenis*) *qui sunt Thelassare.* Sane quidem à quo Eruditi Viri diligentius investigarunt situm *Paradisi terrestris*, qui partem fecit *Edenis*, de situ hujus terræ prolixe disputatum est: qui tamen si vel maxime nobis notus esset; ne sic quidem satis certo pateret, illam *Edenem* quæ hic memoratur, antiquam illam esse quæ Paradiso locum fecit; cum nomen illud cum tempore ad plura loca, quæ fœcunditate & amœnitate cæteris præstabant, sit translatum. עדן enim idem valet quod Græcorum ἡδονή, inde formata, h. e. *voluptas.* Antiquam *Edenem* Paradisiacam tenemus cum Cll. Viris, Bocharto & Huetio, illam esse regionem quæ supra confluentem Tigris & Euphratis, ad illum fluvium Tigrin sita, deinceps *Babylonia* dicta est. Ipsa illa regio quæ circum Babylonem erat, olim dicta est terra *Sinear*: terra autem ei ad Austrum subjecta, appellata est *Eden.* Æstimatio ejus rei primo fit ex terra *Nod*, loco Exilii Cainis, quæ dicitur sita fuisse *ad ortum Edenis* [g]. Illa autem absque dubitatione quærenda est in terra *Trans-tigritana*, quam coluerunt Patriarchæ ante Diluvium. Quam rectius post Susidas Pylas in Persia quæras, quam in Assyria & Media, Mesopotamiæ ad Ortum objecta, quæ culta fuit à Patriarchis sanctis, ut ex historia Diluvii colligas. Fuit autem Cain expulsus à facie Domini, & à sanctorum consortio secretus. β. Fluvius aliquis Paradisi *Gihon* circuivit terram *Cusch* [h], quæ est Arabia Deserta: qui non potest esse alius quam alveus Fluvii Tigridis Occidentalis (non sane Orientalis, ut Ill. Huetio placuit:) se effundens in Sinum Persicum. γ. Si Eden sita esset in Mesopotamia prope Tigrin: qui fieri potest ut Reges Assyrii ea subacta hic glorientur? Ea enim ut Assyriæ trans Tigrin proxima à primo ortu Imperii haud dubie iis subjecta fuit. δ. Ezechiel [i] *Edenem* mediam ponit inter *Cannen* (Calnen) Urbem, ut probabile facit ὁ πάνυ, *Chalonem* quæ ortum dederit *Chalonitidi*, regioni Assyriæ ad Tigrin objectæ Babyloniæ; & שבאי *Sabæos*, felicis Arabiæ incolas. Accedit jam, in hac regione demonstrari Urbem *Talatha*, vel *Thalatha* ad Tigrin sitam, à Ptolemæo recensitam, quam Eruditi Viri [k] censent recte comparari posse cum *Thelassare* hic memorata. Non ausim iis fidenter adsentiri, cum enunciationis conspicua sit differentia; perinde in medio relinquo, num urbs nomen tulerit compositum ex תל—אשר *Tal-assar*, quod valere potest, *tumulus elevatus Assyriorum*, ut Vir Doctus censet, conjectura neutiquam spernenda & ab ipso illustrata, quam puto ejus esse ingenii [l]; vel *Elevatio fortunata*, quod aliis in mentem venit. Poterant enim Assyrii Urbi à se occupatæ, in plani campi altiore aliquo clivo sitæ, & munimentis suis se egregie ostentanti, hoc nomen dedisse. Hæc vera significatio est vocis תל THAL. Notat *tumulum*; tumulatum quid, clivosum, erectum, suis veluti consistens talis, quæ notio plurium nominum urbium antiquarum ingreditur compositionem. Jeremias de Hierosolyma [m]: *Et ædificabitur Urbs* על תלה *super tumulum suum.* ut stet in erectione & proceritate sua. Non addo plura quæ liceret, ut in re non necessaria.

probabilitas de *Urbe* exponitur.

Difficilior notitia *Hedenensium* qui sunt in *Thelassare.*

Nomen עדן *Heden* olim variis locis impositum.

Situs *Edenis Paradisiacæ* probabiliter demonstratur.

Terra *Nod* ubi?

Alia criteria quæ huc pertinent.

Urbs Talatha. Situs ejus.

Etymologia vocis *Talassar.*

Notatio vocabuli תל *Thal.*

ỳſ. 13. *Ubi est* REX *Chamathæ? &* REX *Arphadi?*] Observat Vir Eruditus [n], *Reges* hic vocari qui in *superioribus* [o] dicti sunt *Dii*; & illustrat phrasin ex Homero, qui Regiones Orbis quæ Diis tutelaribus subsunt,

Ad ỳſ. 13. An *Rex* hic sumatur pro *Deo tutelari?*

---

[a] Ann. L. XII. C. XLV. [b] 2 Chron. XXXII. 3, 4. [c] B. J. Lib. VI. Cap. XXIV. [d] De *Situ Paradisi*, Cap. VI. §. VII. [e] *Epist.* ad Lud. Cappell. [f] *Phaleg.* Lib. III. Cap. XIV. [g] Gen. IV. 16. [h] Gen. II. 13. [i] Cap. XXVII. 23. [k] Bochart. *Phal.* Lib. IV. Cap. XVIII. & Huet. l. c. [l] Cl. Tit. de *Situ Parad. Terr.* Lib. I. Cap. VII. [m] Jer. XXX. 18. [n] Cl. Clericus [o] Cap. XXVI. 19.

sunt, eorum *Regna* vocat. Cogitatio est bonæ notæ: etsi hic summa necessitas non urgeat discedere à communi significatione. Pro אית *Ubi* in *Lib. Regg.* est איה.

Notitia Urbium *Henæ* & *Ivvæ*.

Henæ & Ivvæ] De cæteris *Urbibus* hic memoratis monui ad Cap. XXXVI. 19. De his nihil fere dicendum habeo. Ex cognatis probabiliter judicamus, fuisse urbes munitas Syriæ. *Henæ* extra hanc historiam non occurrit. *Ivvæ* mentio est sub nomine *Havvæ*, (עוא) 2 Reg. XVII. 24. & putem ex hac urbe & regione oriundos *Avvitas* qui partem ditionis Philistæorum antiquis temporibus occuparuut: quorum mentio est Deut. II. 23. Gentes enim prisci ævi faciles erant sive ad ducendas colonias, sive ad mutandas sedes.

Consequentia hujus Legationis

Gesta Hiskiæ, & *Oratio* ejus.

14. Et accepit Hiskias epistolas è manu Legatorum, legitque eas & ascendit in Ædem Jehovæ, explicuitque eas Hiskias coram Jehova.

15. Et supplicavit Hiskias Jehovæ, in hæc verba:

16. Jehova Exercituum *Domine*, Deus Israëlis qui insides Cherubis. tu solus es ille Deus omnium Regnorum terræ: tu fecisti cœlos & terram.

17. Adverte Jehova aurem tuam & audi: aperi Jehova oculos tuos & vide; & audi omnia verba Senacheribi quæ transmisit ut iis conviciaretur Deo vivo.

18. Equidem ô Jehova! Reges Assyriæ vastarunt *populos* omnium harum terrarum, & terram eorum.

19. Miseruntque Deos illorum in ignem, quia Dii non erant; sed opus manuum hominum, lignum & lapis; & perdiderunt illos.

20. Et nunc ô Jehova Deus noster! salva nos è manu ejus, ut cognoscant omnia Regna hujus Orbis, te *esse* Jehovam: *te* solum.

Ad ỳ. 14. Differentia lectionis, & ad eam animadversio.

ỳ. 14. *Legitque eas.*] In Hebræo textu hujus loci est, *legitque* EAM. ויקראהו sed in *Lib. Regg.* exrte legitur, ויקראם *legitque* EAS: etsi mox ibi loci subjungatur, ויפרשהו *& explicuit* EAM. Enallage est *numeri relativi*, frequens in Verbo Dei, quæ si *pluralis* inter *duo* constet, vertenda est, *unam & alteram*; si inter plures, *quamque earum.* Sic Jos. II. 4. *Et suscepit fœmina illa* (Rachab,) *duos illos viros*, ותצפנו *& abscondit* EUM. h. e. utrumque eorum. Plura exempla dabit Glassius [a]. Divisa complexe sumuntur. Sed hic forte alia etiam ratio est ex re ipsa desumpta. Cum hic memorentur *Epistolæ* traditæ à Nunciis Senacheribi: probabile est, præter Literas ad Regem datas, alias fuisse ad Proceres, vel Populum Hierosolymitanum. quæ Epistolæ licet inspectæ fuerint Hiskiæ; est tamen credibile, illum præcipue inhæsisse Literis ad se scriptis, blasphemiarum plenis, & eas solas secum tulisse in Templum & coram Jehova expandisse. Chaldæus hic exerte: וקרא חזקיה מנהון וקרא *Et legit unam ex iis.* Græcus, ut analogiam servaret: Καὶ ἔλαβεν Ἐζεκίας τὸ βιβλίον παρὰ τῶν ἀγγέλων καὶ ἀνέγνω αὐτό.

Hypothesis in interpretatione loci observanda.

Explicatio Epistolarum blasphemarum coram Deo.

Et explicuit eas Hiskia coram Jehova.] Hebr. ויפרשהו *Et explicuit eam.* sc. Epistolam quam manu tenebat. Sic Chaldæus, sic Intt. Hebræi quos nunc ante oculos habeo. Græcus quoque: Καὶ ἤνοιξεν αὐτὸ (βιβλίον,) ἐναντίον Κυρίου· *Et aperuit illam coram Domino.* Et videri tamen posset Josephus hæc verba diverse accepisse, & quod hic dicitur, ויפרשהו vertisse, *Et expandit se coram Domino.* ut videlicet Hiskias Templum ingressus, se prostraverit humi, & *expansis pedibus manibusque* Deo se supplicem præbuerit. Verba ejus in narratione hujus historiæ [b]: *Ille vero ad hæc deposita regia veste, sacco autem cinctus, & humili specie assumpta, τῷ πατρίῳ νόμῳ πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, τὸν Θεὸν ἱκέτευε, &c. secundum* LEGEM PATRIAM PROCIDENS IN FACIEM DEO SUPPLICAVIT, & seqq. Certe fuit apud Judæos ejusmodi Ritus precandi in usu, ipsis dictus השתחויה προσκύνησις, sive חנונה ἱκεσία, ἱκετεία, *supplicatio*, quo preces fusuri humi procumbebant expansis pedibus manibusque, & prono in terram capite supplices Deo: quem *Ritum* alibi [c] in *Sacris Synagogæ Veteris* descripsi. Et tamen dubito, an Josephus id scribens ad nostra hæc verba respexerit. Quod enim hic legitur, narrat de *Hiskia* post primum adventum Legatorum Hiskiæ, ubi Rex pius se dicitur *induisse sacco*, & *ingressus esse in Ædem Domini.* Ex his verbis collegit Josephus, illum indutum sacco, more supplicantium, se prostravisse humi: haud dubie respiciens exemplum Davidis, de quo legitur in historia [d]: *Et* CECIDERUNT *David & Seniores* TECTI SACCIS *in faciem suam.* sc. postquam vidissent Angelum vibrantem gladium contra Hierosolymam. Quod vero ad nostram hanc historiam: Historicus ait, Hiskiam *Epistolas* quas acceperat à Legatis *lectas contempsisse propter fiduciam quam in Deo collocaverat*; Epistolas complicatas in Templo deposuisse; & novis supplicationibus salutem Urbis Deo commendasse. Nihil hic de ritu quo in faciem supplicans prociderit; ut proinde non putem, Josephum superiora scribentem respexisse vocem פרש *expandere* in hoc loco, sed per modum commentationis, ut solet, ea addidisse. Estque illuc quoque referendum quod scripserit, Τὰς δὲ ἐπιστολὰς πτύξας εἰς τὸν ναὸν ἔστω κατέθετο· *Et epistolas* COMPLICATAS *in Templo reposuit.* Nihil ejus extat in textu: quin contrarium ibi legitur; videlicet, Hiskiam *Epistolas* in Templum *apertas* evolutasque intulisse. Sed collegit ille ex re ipsa, complicatas deinde in Templo depositas esse. Si tamen pro πτύξας legeretur ἀναπτύξας, narratio ejus magis consentiret Historiæ Sacræ. Addo nunc, vocem פרש *expandere*, vel *expandere se*, non usurpari in Scriptura S. ritu *supplicantis* se coram Deo prosternentis. Ubique, nisi fallor, appellatur, *procidere in faciem:* etiam in Historia Domini [e], in summis angoribus suis Patri supplicantis. *Manus* à stantibus aut genubus innixis *expandi* dicuntur: sed de supplicante humi prostrato, quod putem, non usurpatur. Oratio quoque Hiskiæ docet, illum ad blasphemias Literis illis contentas alludere, easque Deo veluti ipsi legendas exhibere. Ritus est singularis; sed animi boni, Deo caussæque suæ fidentis, & de justitia Divina ac providentia ejus plenissime persuasi. Imitatus est, sive exemplum sive rationem sequutus, in casu non perinde simili nec dissimili quoque, Amurathes in difficillimo illo & tristis recordationis ad Varnam prœlio inter Turcas & Christianos, suasore Legato Pontificio Juliano fœderis ruptores. *A*

Ritus se prosternendi humi à Judæis in supplicationibus usitatus.

Josephi locus declaratus.

Addimentum ejus ad historiam.

Animadversio ad historiam Josephi.

Quorsum pertineat explicatio Epistolarum Assyrii in Supplicatione Hiskiæ?

ỳ. 15.

---

[a] *Gramm. S.* Lib. III. Tr. II. Can. XVIII. [b] *Antiq.* Lib. X. Cap. I. [c] *Syn. Vet.* Lib. III. Part. II. Cap. XVI. p. 1073. [d] 1 Chron. XXI. 16. [e] Matth. XXVI. 39.

A Amurathes cum suos laborare cerneret & *ab Uladislao Regnum sine magna cæde fugari*: *depromptum è sinu* CODICEM *initi sanctissimæ fœderis*, EXPLICAT, INTENTIS IN COELUM OCULIS. *Hæc sunt*

℣. 15. לאמר *dicendo.* in *Lib. Regg.* ויאמר *& dixit.*

Ad ℣. 16. Quo sensu Dominus *Deus* dicatur *omnium Regnorum terræ?*

℣. 16. *Jehova Exercituum* Rector, *Deus Israëlis, insidens Cherubis.*] Abest vox צבאות *Exercituum* Rector in *Lib. Regg.*

Tu Deus ille SOLUS *es*, OMNIUM REGNORUM TERRÆ.] Phrasis est insolentior. Deus enim passim dicitur tantum *Deus Populi sui*, non vero Deus *aliorum Populorum* aut *Regnorum*: quippe *eorum* proprie *est Deus* à quibus cognoscitur & colitur, quosque ipse peculiari cura providentiæ suæ complectitur. quamobrem nemo negat, Deum illo tempore rectissime dictum iri *Deum omnium Regnorum terræ*, quando *Regna mundi* (αἱ βασιλεῖαι τοῦ κόσμου,) *facta fuerint Jehovæ & Christi ejus regnaturi in secula* [a]: & acclamabitur Regnis ac Rebuspublicis Orbis terrarum [b]: *Regna terræ cantate Deo!* De quo Propheta noster ipse: DEUS TOTIUS TERRÆ (כל הארץ) *appellabitur.* sc. Jehova Redemptor Populi sui quà talis ubique agnitus & cultus. Et tamen extat phrasis huic nostræ parallela Ezr. v. 11. ubi Deus appellatur אלה שמיא וארעא DEUS COELI ET TERRÆ. Nempe notione *Dei* involvitur notio *Domini*, Curatoris, Præsidis ac *Rectoris* totius Universitatis rerum, ut sensus phrasios sit: *Deum* solum esse *Dominum summum* qui providentia sua influit in inferiora omnia, & à cujus arbitrio ac regimine Regnorum omnium Oeconomia pendeat: *Dominum Dominorum, & Deum Deorum* [c]. Deum sc. qui genios omnes à Populis pro Diis cultos suæ subjectos habet potestati. Quin Rex Hiskias, sic loquens, supposuit, venturum esse tempus quo omnes Populi & Regna *cognoscerent*, *Deum solum Jehovam verum Deum esse.* ut ipse in eadem hac precatione mentem suam declarat [d]. Secundum quem sensum sententia duo involvit. α. Dei Regimen *universale* esse, cum Populi omnes suis *Diis* sive *Geniis* quos pro Diis colebant, passim tribuerent *Regimen* particulare. β. Regimen ejus esse *solum*, *verum* & *unicum*, quippe *solum Deum* omnibus Regnis præsidere. reliquos Deos Gentium esse falsos. Et hæc recte se habent, estque mihi persuasum, posterius illud præcipue à pio Rege fuisse intentum. Verba ejus: *Tu Deus solus es omnium Regnorum terræ*: proprie valent: *Tu Deus solus es Deus inter Deos Regnorum terræ.* Hic sensus Regis: hæc vis sententiæ. Confer dictum Poëtæ sacri [e]: *Omnes Dii Populorum sunt* אלילים *Dii nihili, idola: at Jehova cœlos fecit.*

Notione Dei involvitur notio *Domini.* Phrasis certius exponitur.

Spes Hiskiæ ex h. l. collecta.

Ad ℣. 17. Phrasis, *advertere aurem*, non, *aures.* Ratio ejus.

℣. 17. *Adverte Jehova* AUREM TUAM.] Cur non, *aures tuas?* Phrasis est desumpta ex ipsius rei natura: qui enim se applicat ad audiendum, cum simul duas aures applicare nequeat ad loquentem, unam & præcipue *dextram* in eum usum adhibet. quare locutio aliis quoque in locis de Deo est recepta [f]. Non habeo itaque hic necesse recurrere ad mythologica Gentium, quæ Jovem in cœlis ad preces votaque hominum cum *inclinatione auris unius* attendentem inferunt; ab ingenio profano irrisui exposita [g]. Veritas eadem est & manebit in æternum, sive colatur, sive irrideatur [h], *Deum audire preces.* nempe ad se fusas humili ac summisso animo, absque hypocrisi, in fide & spe. Est in fine hujus *versiculi*, אשר שלח, sed in *Lib. Regg.* אשר שלחו. Neutri lectioni subest vitium.

Proprietas Dei, *audire preces.*

Dubium ad ℣. 18. Quo sensu accipiendum dictum de *Vastatione* omnium terrarum ab Assyriis effecta?

℣. 18. *Reges Assyriæ vastarunt* את כל הארצות *omnes hasce terras*, וארצם *& terram eorum* vel *suam.*] Sic proprie sonant Hebræa, ut hoc in loco leguntur: quæ videntur obscuriora. Est enim durior phrasis, *vastare terram terrarum.* Ne dicam, non respondere genus *relativi* ארצם voci ארצות. Postularet enim secundum analogiam ארצן. Et tamen plerique Intt. se ita expediunt, ut vocem ארצות *terræ* explicent de *Regionibus* & *Provinciis Populorum*: sed quod sequitur, ארצם *terra eorum*, accipiant de agris & fundis ipsis quibus Regiones illæ constant: sive de ipsius terræ *solo.* Sic Chaldæus quem Hebræi laudant: *Vere, Domine, vastarunt Reges Assyrii* ארעהון כל מדינתא וית *omnes Regiones* (Provincias,) *& terram earum.* Οἱ ὁ. Τὴν οἰκουμένην ὅλην καὶ τὴν χώραν αὐτῶν. Et supereſt tamen vel sic anomalia constructionis, respectu *generis* relativi. Commodius dicitur, ut putem, subesse phrasi ellipsin, ut כל הארצות *omnes terræ* hic valeant נויי כל הארצות *Populos omnium harum terrarum* & *terram ipsorum.* Sic exerte scribitur 2 Reg. XIX. 17. *Reges Assyriæ vastarunt* גוים וית ארעהון *Gentes & terram earum.* Et forte tamen aliud voluit qui hæc scripsit. Vertenda secundum Virum sanctum sunt verba: *Desolarunt* sc. Reges Assyriæ *omnes hasce terras, & terram* SUAM. Paradoxum, ais! Sic videtur, & tamen sic præivit ipse Vates noster in Cantilena composita in Reges Assyriæ. Verba sunt ad ipsum Assyrium directa [i]: *Non adunaberis iis in sepultura*, כי ארצך שחת *quia* TERRAM TUAM PERDIDISTI: *populum tuum occidisti.* sive hoc sensu, quod terras victarum Gentium vastando, *terras suas* vastasse censeantur: sive quod bella ex bellis serendo Populos sibi subjectos exhauserint atque oppresserint; ut solent magni Monarchæ.

Ellipsis in phrasi Prophetæ observata.

Alia meditatio ad hæc verba.

Locus Cap. XIV. 20. cum hoc collatus.

℣. 19. *Et miserunt Deos ipsorum* sc. populorum, *in ignem.*] proprie, *Et dando.* sc. secundum Hebraismum, *dando dederunt; mittendo miserunt.* quare in *Lib. Regg.* scribitur, ויתנו *Et dederunt.* Patet ex hoc loco, Reges Assyriæ illius temporis, ut postea Babyloniæ, zelotypia quadam fuisse affectos erga Deos aliarum Gentium: quod minus respondet moribus antiqui temporis, si Populum Judæum solum excipias. Romani victarum Gentium Deos in suam receperunt Civitatem, (Sacra Ægyptia, & μαντεῖας Chaldaicas, & superstitiones arcanas si seponas:) & alii Populi superstitionis antiquæ Gentium aliarum Deos suo loco reliquerunt & illæsos. Putem tamen, Assyrios & Chaldæos hoc modo instituisse cum respectu ad *Respublicas* illarum Gentium: quas cum scirent fundatas esse in sive cum *Religione*; ipsa quoque Religionis *objecta* sive *Idola* (illa enim hic *Dii* dicuntur, ut satis patet ex ipsa oratione, & passim aliis locis, ut Cap. XLIV. 10. *Qui format* DEUM, *& fundit idolum.*) sibi corrumpenda esse existimarunt, quippe fulcra sustinendæ aut instaurandæ Reipublicæ. Religiones, si veram excipias, nascuntur cum Imperiis, & passim intereunt: sustinent ea & vicissim ab iis sustinentur.

Ad ℣. 19. Principum Victorum antiqui temporis rario observata circa Religionem victarum Gentium.

℣. 20. *Quod tu sis Jehova, solus tu.*] Vulgo vertunt: *Quod tu Jehova solus sis.* vel, *Quod tu solus sis Jehova.* Non abnuo sane, nec variat sententia. Vocula enim לבד cum *affixo* subinde absque emphasi usurpatur. quæ tamen cum non facile spernenda sit: hic utique elegantior exit sententia in eam formam qua eam exhibui. ut Neh. IX. 6. אתה הוא יהוה לבדך TU *es Jehova, solus* TU: TU *fecisti cœlos, cœlos cœlorum, & seqq.* Et in Ode Asaphi [k]: *Et cognoscant*, כי אתה שמך *te nomine tuo esse Jehovam: te solum.* Eadem emphasis est in Symbolo Fidei Judaicæ [l]: JEHOVA *est Deus noster:* יהוה אחד *Jehova* UNUS, sive SOLUS. exclusis aliis Divinitatibus. In quibus locis *Jehova* est nomen eminentissimæ *Perfectionis*, quæ involvit tum Divinitatem veram & cum Divinitate Potestatem in omnia absolutam: tum *veracitatem* & *Gratiam* in implendis promissis, & *Justitiam* in refractarios & impœnitentes majestatis suæ hostes. In *Lib. Regg.* scriptum est in eandem sententiam, auctam voce אלהים. Verba ibi: כי אתה יהוה אלהים לבדך *Te Jehovam esse Deum, te solum.* Sic Chaldæus in h. l. ארי את ׳י׳ לית בר מנך TE ESSE JEHOVAM: NULLUM PRÆTER TE.

Ad ℣. 20. Phrasis: *Deus Jehova: Deus* SOLUS.

(*inquit ingeminans,*) JESU CHRISTE, *fœdera, quæ Christiani tui mecum percussere: per numen tuum sancte jurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfide suum Deum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es, (ut ajunt, & nos hallucinamur,) tuas measque hic injurias, te quæso ulcisci, & his qui sanctum tuum nomen nondum agnovere, violatæ fidei pœnas ostende. Vix hæc dixerat, ... cum prælium, quod anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cœpit, &c.* Bonfin *Rerum Ungar.* Dec. III. Lib. VI. p. 464. ad A. 1444.

[a] Apoc. XI. 15. [b] Ps. LXVIII. 33. [c] Deut. X. 17. [d] ℣. 20. [e] Ps. XCVI. 5. confer Jer. X. 11. [f] Ps. X. 17. Jes. LIV. 1. Dan. IX. 18. [g] Lucian. in *Dialog.* [h] Ps. LXV. 3. [i] Cap. XIV. 20. [k] Ps. LXXXIII. 19. [l] Deut. VI. 4.

Jesaiæ Prophetæ ad Hiskiam Regem *Nuncius Epistolaris.*

21. Et misit Jesaias Amotsi filius ad Hiskiam in hæc verba: Sic fatur Jehova Deus Israelis quod ad preces attinet quas fudisti ad me caussa Senacheribi, Regis Assyriæ.

22. Hæc est sententia quam Jehova de eo protulit: Contemnit te, subsannat te, Virgo Filia Tsionis: post te movet caput Filia Hierosolymæ.

23. Quem proscidisti probris & convitiis insectatus es; & adversus quem extulisti vocem, & in sublime sustulisti oculos tuos? Adversus Sanctum Israëlis.

24. Per servos tuos incessisti Dominum probris, & dixisti: Multitudine equitatus mei conscendi fastigium montium, juga Libani; & succidam altissimas cedros ejus atque electissimas fraxinos; & pertingam ad celsitatem ejus extremam; saltum arvi ejus frugiferi.

25. Ego fodi & bibi aquas; & planta pedum meorum exsiccabo omnes rivos Ægypti.

26. Nonne audivisti, me inde à longo tempore illud parasse; inde à diebus antiquis illud præformasse? Nunc adduxi illud, ut sis ad efficiendam vastationem, quò urbes munitæ *fiant* tumuli ruderum.

27. Ideo incolæ earum breves habuerunt manus; consternati fuerunt & pudore suffusi: effecti sunt ut herba agri; ut herba tenera viridis; ut gramen tectorum; & ut seges tacta uredine antequam excreverit in culmum.

28. Et sedere tuum, & exire tuum, & introire tuum, novi; & furibundam tuam in me commotionem.

29. Propterea vero quod furibundus ille tuus in me impetus & insolentia tua in aures meas adscendit: immittam hamum meum in nares tuas; & frænum meum in labia tua; & reducam te via qua venisti.

30. Eritque hoc tibi, *Hiskia*, signum: Comedite hoc anno sponte nata; & anno altero sponte renata: sed anno tertio serite, & metite, & plantate vineas, & vescimini fructu earum.

31. Et reliquiæ Domus Judæ quæ superfuerint pergent radices mittere deorsum; & fructus facere sursum.

32. Quia reliquiæ exibunt ex Hierosolymis, & residuum ex monte Tsionis. Zelus Jehovæ Exercituum *Domini* hoc efficiet.

33. Propterea sic dicit Jehova de Rege Assyriæ: Non veniet ad Urbem hanc; neque in eam jaciet telum; neque prævertet eam clypeo; neque aggerem adversus eam struet.

34. Via qua venit, revertetur; sed Urbem hanc non ingredietur, ait Jehova.

35. Et protegam Urbem hanc ad eam servandam, mei caussa & Davidis servi mei.

Qua via, quo modo Hiskias receperit responsum Jesaiæ?

℣. 21. *Et misit Jesaias Amotsi filius ad Hiskiam, in hac verba.*] prop. *dicendo.* sc. à Deo ammonitus & per revelationem de præsentibus & futuris clarissime edoctus, misit aliquem de *filiis Prophetarum*, qui hæc verba ei Dei nomine & suo nunciaret; ut probabile est per *schedam* sive *epistolam* ad Regem per hunc nuncium curatam. Sententia enim poëtice & metrice concepta, & verbotenus enuncianda, non potuit commode memoriæ nuncii, quamvis exercitati Viri, absque metu erroris, committi. Et solebant Prophetæ tam per *literas* quam *coram* cum Regibus agere, ut exemplum est in Literis à Propheta Elia (an potius Elisa?) ad Regem Joramum datis [a]. Sed Propheta Jesaias ipse cur hoc in casu dubio Regem Hiskiam non adiit? cur sua illum voce non est consolatus & confirmavit? ut ipse jussu Divino convenit Patrem ejus Achazum [b]; & Sebnam quoque, durum ei portaturus nuncium [c]. Posset hic cogitari, obstitisse valetudinem Prophetæ, ætate gravis, & senio, si non confecti, certe affecti. Et de valetudine, non intercedo. Sed quod ad senium: videbimus illum in *sequente historia* [d] Regem Divino jussu adire, & quæ scire illum Deus volebat, exponere. Ergo dum alias circumstantias status utriusque, Regis, inquam, & Prophetæ, ignoramus: rectius tutiusque dicimus, omnes motus magnorum Prophetarum, in opere Divino versantium, à jussione Divina pependisse. Pleni Deo, sic actus motusque suos administrarunt, ut citra Deum nihil egerint, & veluti in continua ἐκστάσει ad Divina & cœlestia rapti plurima præter ordinem & communes humanæ vitæ rationes gesserint.

Quare Propheta Jesaias ipse Regem non adiverit? Dubium expeditum.

Animadversio ad sequentia.

Sic dicit Jehova Deus Israëlis: Quod precatus es ad me de Senacheribo Rege Assyriæ.] Sic ad verba legitur Hebraice. quæ sententia satis integra est, si pro more Hebræis receptissimo præfigatur, *Quod attinet ad.* ut sententia sit: *Quod ad ea attinet quæ in precatione de Senacheribo mihi proposuisti.* Verum lectio *Libri Regg.* non requirit hoc supplementum. Adscribitur ibi exerte, שמעתי *audivi.* sc. quæ mihi in precatione tua de Senacheribo objecisti.

Ad ℣. 22. Societates & Respublicæ comparantur *Virginibus.* Ratio ejus locutionis.

℣. 22. *Subsannat te virgo,* FILIA TSIONIS.] Societates civitatesque bellæ, florentes, bene compositæ, liberæ, sive honesto ac Legali Regimini parentes, ubique per Scripturam S. comparantur *virginibus*, ob ipsas has quas dixi, rationes. Per *filiam* autem *Tsionis* hic intelliguntur *ipsi incolæ* Tsionis, ut per *filiam Tyri*, *Babylonis*, *Gallimi*, *Tarteffi*, ipsi harum Urbium incolæ; qui censentur in illis Urbibus & veluti ex illis nati, nutriti, & adulti esse, phrasi Ps. LXXXVII. 5. Ipse ille cœtus qui Urbem incolit, instruit, ornat illius *filia* dicitur. *Societas* enim, quod sæpe monui, cadit sub *genus fœmininum.* Exemplum cape ex eo quod mox sequitur, *filia Hierosolymæ.* per quam non intelligitur *Urbs* alia *ex Hierosolyma* nata & creta, sed ipse *Populus Hierosolymitanus.*

Ad ℣. 23. Phrasis, *efferre vocem*, quid hoc in loco significet?

℣. 23. *Adversus quem* EXTULISTI VOCEM, *& sustulisti oculos tuos in sublime?*] *Efferre vocem* hoc in loco est *audaciæ*, iracundiæ & contemptui mixtæ; & *efferre oculos in sublime*, arrogantiæ ac superbiæ. Posterius satis notum: prioris exemplum habes, Prov. XIV. 29. *Longanimis multam prodit prudentiam:* וקצר רוח מרים אולת *sed iracundus* (prop. *brevis spiritu.*) ALTA VOCE EFFERT *stultitiam.* pœnitenda loquitur voce elata. Phrasis hanc nostram illustrans est insignis in Cantico Hannæ, ubi oratio vertitur ad irrisores Divinæ Providentiæ [e]: *Ne multiplicetis loqui* גבהה גבהה ALTUM, ALTUM: *ne exeat* עתק DURUM *quid* (verbum blasphemum,) *ex ore vestro, quia Deus scientiarum est Jehova.*

Locus ex Cantico Hannæ, 1 Sam. II. 3.

Adversus SANCTUM ISRAELIS.] Ἀκόδωσις est Prophe-

a 2 Chron. XXI. 12. b Cap. VII. 1. seqq. c Cap. XXII. 15. d Cap. XXXVIII. 1. seqq. e 1 Sam. II. 3.

Epitheton Dei, *Sanctus Israëlis.* Potestas ejus.

phetæ, ut quisque facile intelligit. Pertinet autem ad intellectum & emphasin orationis observare, Prophetam hoc nomine complecti quicquid de Deo vero, *objecto sanctificationis Populi sui*, excellenter cogitari, & glorioſe dici poteſt. *Sanctus Iſraëlis* eſt Ens eminentiſſimæ perfectionis & puriſſimæ naturæ, cujus majeſtatem nemo impune lædit & violat. qui ubi ab homine non *ſanctificatur*, ſe *ſanctificat* ipſe per *judicium.* Confer dicta Cap. v. 16. x. 17. xxix. 23.

Ad ℣. 24.

℣. 24. *Per ſervos tuos convitiis proſcidiſti Dominum.*] Prop. *per manum ſervorum tuorum.* In *Lib. Regg.* מלאכין *Legatorum tuorum.*

Per רכב hic intelligendus eſt *Equitatus*, non, *Currus.*

Et dixiſti multitudine EQITATUS *mei conſcendi celſitatem montium*, LATERA LIBANI.] Plerique Intt. vertunt Hebræa, ברב רכבי *multitudine curruum meorum.* Hieron. *quadrigarum mearum.* Οἱ ϛ'. τῶν ἁρμάτων. Non auſim vehementer improbare, cum oratio Thraſonica ſit & myſtica. Credi enim vult hic Princeps, ſe magna patraſſe ſuper opinionem atque exſpectationem, & majoribus parem eſſe. Nec tamen ego præter neceſſitatem τὸ παράδοξον orationis augere velim. Non eſt in more, (niſi ſumma flagitet neceſſitas,) *Montes altos* & aſcenſu difficiles conſcendi *curribus:* ſi vero omnino conſcendendi ſint, ut in Expeditionibus Bellicis; quam rariſſimi adhiberi ſolent. Montes enim non ferunt *multitudinem curruum.* Ergo cum montes vere adeantur *Equis*, & ipſi quoque Montes *Libanus* dicti; & cum dubitandum non videatur quin longe maxima pars Exercitus Aſſyrii conſtiterit *Equitibus*, etſi *currus* hic pro more Veterum non excludam: commodius viſum eſt, vocem רכב hic vertere per *Equitatum.* Sic ſumpſi vocem & quadantenus adſtruxi ad Cap. xxi. 7. Sic quod dicitur Pſ. lxviii. 18. רכב אלהים רבותים recte vertitur à Genevenſibus: *Equitatus Dei* ſunt *duæ myriades*, & 2 Sam. viii. 4. ויעקר דוד את כל הרכב omnino vertendum: *Et ſubnervavit David omnem Equitatum.* Cl. Bochartus [a] intelligit *Equos curules*, & hanc ſignificationem vocis adſtruit; quod eatenus nobis favet. Vidit Procopius, & optime accepit de ἱππικῇ δυνάμει *Copiis Equeſtribus.* Majoris momenti hic eſt notaſſe, vocem עליתי hic non eſſe vertendam, *aſcendam*, ut Eruditi aliqui Viri inſtituunt ex comparatione *ſequentium* quæ pleraque ſunt *futuri tempore:* ſed per *aſcendi.* Commemorat Rex glorioſus, quid jam effecerit; & quid deinceps efficere cogitet. *Aſcendiſſe* ſe, ait, מרום הרים *celſitatem montium*, h. e. montes celſos ac ſublimes; ירכתי לבנון LATERA *Libani.* De *Libano* nihil dico, cum ſæpius dixerim. De phraſi tantum verbum moneo. *Latera Libani* quod hic dicitur, Græco Int. ſunt τὰ ἔσχατα τῆ Λιβάνε. Hieronymo, *Juga Libani.* Docte quidem & vere. Vox ירכתים cum notionibus aliis conſtructa notat id quod *intimum*, *ſummum*, *penitiſſimum*, *extremum* in quaque re eſt: ut te docebunt exempla ſuis locis quæſita. Non itaque hic reſpicitur ad *latera* quæ mons ſive *forinſecus* ſive *intrinſecus* habet ab utraque parte *vallis:* nec neceſſe eſt dicere, reſpici ad quid aliud analogum. ירכתי לבנון ſunt *Juga Libani*; ſumma & penitiſſima Libani. Si tamen hic ad aliquam reſpiceretur *Libani* proprietatem: id ipſum eſſe oportet quod Vir Eruditus [b] in hoc Monte deſcribendo nobis ſubjecit. Verba ejus ut apud nos leguntur: *Magna eſt ruptura* (ſive, *ſciſſura*,) *in latere Libani, quæ minimum per ſpatium ſeptem horarum recta excurrit in montem* LIBANI, *ab utraque* rupturæ *parte* ALTI *ac* PRÆRUPTI. Et hæc quidem quod ad phraſin. Vim ſententiæ Parabolicæ ſi aſſequi velis: intellige mecum per *Libanum* JUDÆAM, & per *Latera* ſive *ſumma Libani*, IMA JUDÆÆ. Viderunt jam Intt. Judæi, ſed quorum auctoritas mihi nihil prodeſt: ſed nec ullius mortalis in interpretatione Verbi Divini. Ratio hic petenda eſt, (unde eam unice peto,) ex ſcopo orationis, & partium ejus analogia, quæ juxta hanc hypotheſin pulchre procedit. Et gratum tamen fuit obſervaſſe, non Hieronymum tantum hypotheſios hujus meminiſſe, eamque non obſcure commendaſſe: (niſi quod ſententiam ita recenſeat acſi *Libanus* hic eſſet emblema *Hieroſolymæ*, quod ſecus eſt:) ſed & Procopium. Poſtquam enim in ſuperioribus memoraſſet, per *Libanum* & *Cedros* ejus hic figurari τὰς ἐπηρμένας τῶν λοιπῶν ἐθνῶν βασιλείας· *elata atque ſuperba Gentium Regna*, (quæ ſententia eſt Euſebii:) ſubjicit tamen deinceps: Τινὲς δὲ τὴν τῶν Ἰουδαίων χώραν ΑΙΒΑΝΟΝ ἐιρῆσθαι φασι καὶ τὴν ἐν ᾗ κατώκουν αἱ ϕ'. Φύλαι. *Sunt tamen qui Libani nomine non* JUDÆORUM REGIONEM *tantum, verum etiam eam quæ à decem tribubus occupabatur, intelligi velint.* Id recte. Quæ ratio appellationis? Num quod Judæa altior *cæteris terris?* Sic Judæi qui hic ſane altum non vident & ſapiunt. Judæa media ſui parte ab Abrahamidis potiſſimum occupata magnam partem erat *montoſa*, ſed neutiquam comparanda *Libano* montibus longe ſe ſupra eam exollentibus. Ratio appellationis hic eſt petenda ex interiore aſpectu emblematis. Ut *montes* ſunt emblemata *Regnorum* & *Imperiorum: ſic Regnum Judææ* cenſebatur omnium *Regnorum Mundi* eſſe præſtantiſſimum, quod Regnum eſſet *Divinum*, à Deo *electum*, & quod hic præcipue reſpicitur, ab ipſo vero Deo *defenſum*, ob quam cauſſam cenſebatur occupatu eſſe arduum ac difficile. Perſpexit Procopius, quem hic lubens pro merito ejus laudo. Poſtquam enim dixiſſet, eſſe qui hic Judæam & Ephraimitidem intelligunt, ſubjungit: Τ'ψηλαὶ μὲν γὰρ ἀυταὶ, Θεὸν ἔχουσαι βοηθόν· ALTÆ *enim & ſublimes fuerunt, cum Deum haberent adjutorem.* Præſtantia Reipublicæ Populi Dei, vero pretio ſuo æſtimata, & defenſio Divina faciebat, ut judicio Sanctorum ſupra alias Reſpublicas cenſeretur eminere & difficulter ab hoſtibus adiri ac tentari poſſet: unde hic comparatur *Libano.* Nec Noſter tantum, ſed aperte Ezechiel [c]: *Sic ait Jehova: Aquila magna, magnis alis -- venit in* LIBANUM, *& abſtulit ſummum ramum alicujus Cedri.* Eſt utique Nebucadnezar abducens Jechoniam Babylonem. Libanus *Judæa.* Alia hic non adduco. tantum moneo; huc pertinere quod in emphaſi de Eccleſia dictum accepimus Cap. xxxv. 2. *Gloria* LIBANI *data eſt ei.* Pertinet ad *celſitatem* Eccleſiæ ſe ſupra alios montes, h. e. Regna, in Mundo oſtentaturæ, & Rectorum ejus decus.

Hieronymi & Procopii obſervata.

Ratio hujus emblematis à Judæis falſo adducitur.

Ratio verior, à Procopio viſa.

Reſpicitur ad præſtantiam Reipublicæ Populi Dei.

Locus parallelus Ezechielis, Cap. xvii. 3.

Et ſuccidam celſas cedros ejus & electas fraxinos.] De ſignificatione vocis ברושים quam hic rurſus per *fraxinos* verti, ſcripſi quæ in promptu erant, ad Cap. xiv. 8. Hic ad ſignificationem myſticam parum refert, ut vocem verteris. Superbiebat Libanus Cedris, abietibus, cypariſſis, pinis, buxis, iiſque ſuæ ſpeciei optimis & in celſitudinem ſpectabilem erectis. Pertinet illuc quod dicitur, קומרו ארזיו *proceritas cedrorum ejus*, & מבחר ברושיו *electum fraxinorum ejus.* Sic Græcus: Τὸ ὕψος τῆς κέδρε ἀυτῦ. ſcribere debuiſſet, τῶν κέδρων. Eſtque genuina notio vocis קומה, *altitudo.* Malim itaque hic loci *proceras* quam *ſtantes cedros.* Intellige hoc loco myſtice Regem & Principes Domus Davidicæ, ut in analogo Ezechielis, modo adducto; Viroſque primarios, in re Politica aut Eccleſiaſtica verſatos, Rempublicam aut Eccleſiam Populi Dei ornantes, & in his Pontificem, Principes Sacerdotum, Judices Rectoreſque Hieroſolymitanæ Civitatis, &, ſi placet, aliarum Judææ Urbium, rerum Divinarum humanarumque intelligentia claros: ut emblema interpretati ſumus ad Cap. xxxv. 2. etſi Hieroſolymam hic præcipue reſpici, ſequentia declarent. Vidit Chaldæus, vertitque: ואקטול עפר גבריהון מבחר שלטוניהון *Et occidam eximios inter fortes eorum, & electos inter Principes*, (Dominatores,) *eorum.* Eſt autem hic diligenter obſervandum, quæ hic jactabundus effert Aſſyrius, ut illum Propheta loquentem facit, non *efferri* in *præterito*; ſed in *futuro.* Explicat hic ſolummodo gloriabundus ſpem, quam jam putabat habere ſe in manibus. Pater ejus occupaverat majorem partem Canaa-

ברושי ſunt *fraxini.*

Intelligendi ſunt *Reges & Principes Domus Davidicæ*, & Proceres Populi.

Chaldæus laudatus.

Verba Prophetæ explicant *ſpem* Regis ſuperbi: accipiendæ in *futuro.*

[a] Hieroz. Part. 1. Lib. II. Cap. VI. §. IV. [b] Cl. Maundrell. *Itin. Hieroſ.* p. m. 179. [c] Cap. XVII. 3.

Loca alia, in quibus hic obtinet uſus vocis.

Procopius laudatus. Vox עליתי hic accipienda, ut ſonat, in *præterito.*

Quid hic intelligendum per *Latera Libani?* Sunt *Juga Libani*, Hieronymi verbo laudata, quæ illuſtratur.

Aliud de hac re obſervatum, ex aſpectu Libani.

Per *Libanum* hic intelligitur *Judæa*: per *Juga Libani*, *ima Judææ.*

Sententia demonſtratur.

nææ & vastaverat. Ipse cum ingente exercitu hoc tempore insidebat Judææ: ceperat plerasque Urbes ejus: proximus erat Hierosolymæ, cui inhiabat.

Quid hic sit *altitudo extrema* vel *tugurium extremum* Libani?

Et veniam ad ALTITUDINEM *ejus* EXTREMAM, *ad* SALTUM ARVI EJUS FRUGIFERI.] Hebræa proprie sonant, *ad summitatem extremi ejus.* Symmachus optime: Τὸ ὕψος τῆ ἄκρᾳ αὐτῆ. Hieron. *Altitudinem summitatis ejus.* quod ad sensum recte. In *Lib. Regg.* hic legitur קצו מלון, quod proprie sonat, *Diversorium extremitatis ejus.* Coccejus vertit [a], *mansionem ejus extremam.* Notatur *tugurium* sive *diversorium* quod in summo montis extructum viatoribus pernoctandi copiam & commoditatem facit. In incerto est, num errorem hic commiserint Librarii: num Scribæ Sacri quod obscurius videri poterat in voce מלון *diversorium*, clarius facere voluerint supposita voce מרום *celsitudo.* Videri enim poterat paradoxum, in *jugo* Libani esse *diversorium:* etsi vere paradoxum non est. *Libanus* enim, ut à multis mortalibus calcari debuit & calcatur; imo in his locis Libani in quibus *Cedri* crescunt, (visuntur autem illæ potissimum, fide *Itineratorum*, in *altioribus montis jugis* [b], quod ad hunc locum proxime spectat:) operarii qui ad eas cædendas abhibebantur, necesse habuerunt in *Diversoriis* ibidem structis pernoctare. quales erant Salomonei illi qui ad *millia decem* per vices integrum *mensem* in Libano exigebant [c]. Ne jam dicam quod notissimum est, Libanum commodioribus locis suis habitari, non à Monachis tantum sequentium temporum qui sedes in Libano sibi frequentissimas elegerunt, aut à militibus præsidiariis, ut moris fuit: sed per vicos & pagos, etiam à statis incolis [d]. Narrant præterea Itineratores plures, in *extremo Montis*, *prærupto loco*, cui subjecta est planities Agri Damascæni, hoc tempore ostentari *exiguum* aliquod *ædificium*, originis quidem, ut fertur, Arabicæ: sed in quo loco putem olim fuisse *turrim*, *Damascum respicientem*, ad quam in *Cantico* suo [e] alludit Salomo. Si diversa lectio מרום pro מלון hic orta sit à Librariis: litera ל primo accepta est pro ר, à qua forma ejus secundum scripturam Veterem exigua tantum apicula distabat; & cum vox מרון sensum non daret, mutata est in מרום. Sed opus non fuerit illuc venire, cum sensus utrinque bonus & perfectus sit. Notantur enim manifeste *summa montis*, ut Veteres loqui solent. Id enim *extremum* in re quod *summum* est. In altero quoque membro est quod expediri mereatur. Quæritur enim merito de genuina significatione verborum Prophetæ, יער כרמלו quæ cum Belgis nostris & Coccejo verti, *saltum arvi ejus frugiferi.* Hieron. imitatus Alexandrinum & Symmachum: *Saltum Carmeli ejus.* utique minus perite, cum *affixum* doceat, vocem *Carmel* hic sumi *forma appellativi.* Accedit, quod cum hic ad *Libanum* alludatur, & de *Libano* agatur: *saltum* ejus non videri commode appellari *saltum Carmeli*; nedum, *saltum Carmeli* EJUS. Jun. & Trem. quæ nos *constructa*, acceperunt *divisè*, & interpretantur: *silvas*, *arva ejus.* Pisc. Ad *sylvas* & *arva ejus.* Respexerunt ad locum Cap. x. 18. ubi יער *sylva* & *arvum* distinguuntur: etsi vere, ut mox patescet, hic nulla resideat difficultas. Alius Vir Eruditus: *Saltum arboreti ejus.* Speciosa videtur versio, & non malè convenire loco Cap. x. 18. & tamen forte hic non admittenda. Primo quidem quia vox כרמל nullibi in Scriptura *appellative* sumitur pro *arboreto:* deinde quia locus Michææ huic nostro parallelus communem significationem vocis כרמל, qua sumitur pro *arvo frugifero*, definit. Verba Prophetæ sunt [f]: *Pasce populum tuum pedo tuo, gregem hæreditatis tuæ, habitantem seorsim;* SALTUM IN MEDIO ARVI FRUGIFERI (כרמל): *pascant Basanem & Gileadum, ut diebus antiquis.* Sic habet distinctio Masorethica, haud dubie optima. Veruntamen cum Intt. non assequerentur quid sibi vellet *saltus in medio arvi frugiferi* sive *carmeli*, (ut alii,) divellerunt quæ Propheta conjunxit, verteruntque locum: *Pasce populum tuum cum pedo tuo, gregem possessionis tuæ, habitantem solitarie in sylva, in medio Carmeli.* Sic ipse quoque Doctissimus Bochartus [g], sensum tamen loci pluribus non prosequutus. Sed versio vere quacunque parte accipiatur, commodum sensum non admittit: quod latius discuterem, si id nunc agerem. Sensus orationis Prophetæ ad Deum directæ est: O magne Pastor, *pasce populum tuum instar densi & conferti gregis* ut videatur esse *saltus in medio arvi frugiferi.* Respicitur *densitas* & *copia gregis* sub notione *saltus.* Patior autem hic alludi ad montem fertilissimum *Carmelum* qui ut olim *pascuus* erat, ut suo loco demonstravi: sic pariter, fide communi auctorum, quibusdam partibus fuit *nemorosus.* Id vero ais quomodo convenit *Libano* ad quem hic alluditur, qui alio loco ut *sterilis* opponitur *arvo frugifero*, ut in *superioribus* [h] habuimus? Respondeo, non modo totius Libani hunc esse situm ut exsurgat ex floridissimis arvis pratisque, secundum illud Ammiani [i]: *Acclinis Libano monti Phœnice regio plena gratiarum & venustatis*, ut sane ab altera parte *Damascena:* verum etiam ipsius montis in se spectati diversissimum esse aspectum. Sunt enim rupibus ob sterilitatem aut jugis montium ob frigus & nives incultis, subjectæ valles amœnæ ac graminis frugumque feraces. Cotovicus [k], de Libano: *Natura humidus, imbribus frequens, plurimis ac limpidissimis fontibus scaturit, non solum in radicibus atque imis locis, sed & in mediis, atque etiam in summis jugis; è quibus adeo copiosæ emanant aquæ, ut earum potu* NUMEROSI PECUDUM GREGES, (*quibus maxime abundat*; *ob* FREQUENTIA, LÆTA ATQUE UBERRIMA PRATORUM PASCUA,) *satis superque satiari queant.* Nuperus Itinerator, sæpius laudatus [l]: *Ruptura est magna in latere Libani, minimum per septem horarum iter in montem excurrens, monte utrinque prærupto & sublimi, ab imo ad summum herbidi ac floridissimi aspectus; insuper distincta fontibus, quorum aquæ ex rupibus in inferiora grato murmure cadunt, & seqq.* Hoc itaque respectu Propheta rei ipsi quam in oculis habebat, præcipue intentus, extulit verba, *saltum arvi ejus frugiferi.* Ecquo vero respexit? Ad *Templum*, inquam, & *Hierosolymam.* quod Veteres jam viderunt. *Saltus arvi frugiferi* Montis Libani (qui hic symbolum sustinet Judææ,) est ipsa *Urbs Hierosolyma*, confertim habitata; Principibus Davidicæ Domus, Proceribus in dignitate positis, & Judicibus sapientia Divinarum humanarumque rerum claris, *eminens* & se late ostentans, eodem dicendi genere, quod alibi [m] enotavi, quo ROMA apud Vellejum SYLVA dicitur. *Altitudo ejus extrema* est *Templum* sive *Sanctuarium:* non sane hoc sensu acsi Templum situm esset in *summo Hierosolymæ:* (illuc enim non respicitur, etiamsi verum sit; Ædificium illud per gradus in Monte Moria humana opera aggesto, ab Ortu versus Occasum altius altiusque ascendens, & in altum eductum, valde fuisse conspicuum & peregre venientibus augusti aspectus præbuisse imaginem:) sed quod *Sanctuarium* res esset totius Judææ & Hierosolymæ sanctissima, spectatissima, & summe veneranda. Id *summum* & *extremum* censetur in Judæa, Libano comparata, quod cæteris ejus partibus sanctius & cœlo proximius est. quod nemo neget esse *Sanctuarium.* Id vero ipsum ob hanc rationem in *altera lectione* dicitur מלון *Diversorium*, *tugurium*, quod haberet jugem *custodiam* Sacerdotum, hanc *Domum sanctam* curantium, & hominum undique illud frequentantium. Erat enim *Domus publica*, omnes recipiens ad Deum venerandum illuc confluentes. Hanc Arcem & sedem

Expenditur versio quæ reddit, *Saltum arboreti ejus.*

Locus Michææ, Cap. VII. 14. hic definit significationem vocis כרמל.

Et *varia lectio.*

Diversæ interpretationes.

Libanus mons quibusdam partibus fuit habitatus.

Tugurium quod ostentatur in Libano.

An diversa lectio מרום & מלון hic orta sit à Librariis?

Quid in altero membro sit *saltus arvi ejus*?

Dubium quod in hac phrasi residet.

Cogitationes Interpretum.

Locus illæ expositus.

Carmeli montis aspectus.

Quo sensu *arvum* hic jungatur *saltui Libani*?

In *Libano* sunt *arva.*

Fides historiæ.

Genuinus Libani aspectus.

Propheta sub hoc emblemate mystice designat *Templum* & *Hierosolymam.*

Saltus arvi frugiferi est *Hierosolyma.*

Comparationis ratio.

Altitudo vel *Tugurium extremum* est *Templum.*

Ratio ejus similitudinis.

Præcipue petenda à Loci sanctitate & reverentia.

Quo sensu dici possit *tugurium* secundum alteram lectionem?

Divi-

---

[a] In *Lex* ad voc. מלון. [b] Sic Cl. Maund. *Præstantes hæ arbores nascuntur sub glacie in* SUMMO LIBANI VERTICE. [c] 1 Reg. v. 14. [d] Vide Cotovic. *Itin.* Lib. III. Cap. XII. Rursus Cap. XVII. *Hi Drusi, vel, (ut alii volunt) Trusci appellati, partim* LIBANI MONTIS JUGA *& editissimas rupes ... incolunt.* [e] Cant. VII. 4. [f] Cap. VII. 14. [g] *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XLVIII. [h] Vide Cap. XXIX. 17. [i] Hist. Lib. XIV. Cap. XXVI. [k] *Itin.* Lib. III. Cap. XII. [l] Cl. Maundrell. [m] Ad Cap. X. 18.

Divinitatis occupare, hanc Urbem fama Orientis vulgatam ut ſedem Populi Deo ſummo ſacri, nitebatur Aſſyrius, qui jactabundus effert, hanc ſe ſpem habere in poteſtate. Hic ſenſus ſententiæ. Chaldæus ſe hic paulo latius diffudit, & tamen inter cætera hæc leguntur in paraphraſi ad hæc noſtra referenda: ואף איתור בירת מקדשהון־ואכבוש קירת תוקפהון *Et capiam quoque* DOMUM SANCTUARII IPSORUM, *& mihi ſubjiciam* CIVITATEM *illorum* MUNITAM. Id erat in voto & ſpe Aſſyrii.

Paraphraſis Chaldæa obſervanda.

Ad ℣. 25. Verba: *Fodi & bibi aquas.* Varia lectio *Lib. Regg. Aquas alienas.* Communis Intt. expoſitio. Cl. Druſii meditatio.

℣. 25. *Ego* FODI *&* BIBI AQUAS.] In *Lib. Regg.* eſt, *Ego fodi & bibi* AQUAS וזרים ALIENAS. Interpretes ita accipiunt, acſi dicere velit jactabunda oratio, ſe *alienas terras occupaſſe*, ſuis non contentum. Sed plus eſt in loco, nec vidi aſſequutos eſſe commentatores qui mihi nunc ante oculos ſunt. Druſius tamen noſter illuc proxime acceſſit. Locum fecit huic dicto inter *Adagia* Hebræorum Veterum, idque ſane rectiſſime [a], eſt enim vere, ut mox patebit, *ſententia adagialis*, cujus quidem vim aliquam, ſed non omnem, eſt aſſequutus. Exponit autem, *Res omnes quas aggreſſus ſum, feliciter terminavi: ſicut qui puteum fodit, & exitum invenit cum animo congruentem.* Sic fere Jarchius: & conferri hic poſſent Alarici Gothorum Ducis jactabunda verba apud Claudianum [b]:

Cum ceſſerit omnis Obſequiis Natura meis.

Preſſior interpretatio phraſis. Eſt *volitis cupitiſque potiri* ac *frui.*

Imo vero *fodere* & *bibere aquas* eſt *cupitis deſideratiſque* labore quæſitis potiri; voti compotem fieri; deliciis quæſitis cum delectatione gaudere. *Fodiunt aquarum quærendarum* cauſſa qui *ſitiunt*, h. e. vehementer cupiunt ac deſiderant. *Bibere* illas *aquas* eſt re deſiderata potiri & cum voluptate frui. *Fodere* & *bibere aquas alienas* eſt *alienis deliciis* in alieno ſolo cupide quæſitis deſideratiſque gaudere. Lucem fœneratur dicto adagium ſimile myſtici ſenſus Salomonis Prov. v. 15. *Bibe aquas è ciſterna tua & fluenta è puteo tuo.* Senſus eſt, ut ex ℣. 18. liquet: Utere uxore tua & vita delicias alienas. Analogia comparatorum eadem. Ergo id dicere vult Aſſyrius, omnia ſibi hactenus ex voto fluxiſſe; deſideriorum compotem evaſiſſe; alienas delicias ſuas feciſſe.

Locus Prov. v. 15.

In ſequenti *membro*, vox מצור eſt accipienda de *Ægypto.* Variæ Interpretationes aliæ.

Et EXSICCABO PLANTA PEDUM MEORUM *omnes* RIVOS ÆGYPTI.] Eſt in hoc loco quod Veteres Intt. non viderunt, nempe in phraſi, יאורי מצור *Fluvios* MATSÔR, vocem מצור accipiendam ut nomen *proprium* pro מצרים *Ægypto*; non ut *appellativum*; quando valet *obſidio*, *munitio*, & forte etiam *arctatio.* Alexandrinus hic nihil videns, verba fere neglexit. Chald. נהרין עמיקין *Fluvios profundos.* acſi legiſſet מצוק. Symm. Ποταμὸς συνεχομένους *Fluvios cohærentes.* Hieron. *Fluvios aggerum.* Alii, ut Piſc. Belgæ: *Rivos obſeſſorum locorum.* Coccejus quoque noſter: *Amnes munitionis.* Et tamen Propheta noſter uſus fuerat eadem phraſi Cap. XIX. 6. in prophetia de *Ægypto*; ſenſu ibidem ſatis claro ac manifeſto, licet ne ibi quidem ab Intt. multis agnito; & præterea Michas vocem מצור MATSÔR pro *Mitſraim* Ægypto adhibet Cap. VII. 12. viditque Bochartus [c], ὁ πάνυ, ad ſuperiorem locum merito à nobis laudatus. Nec tamen vidit ſolus: ſed ante cum Oecolampadius, Schindlerus [d] & Forerius, & ante utrumque & forte plures, Kimchius ad analogum locum *Libri Regum* exerte: ויש מפרשים יאורי מצור כמו מצרים לפי שהוא נהר גדול על דרך ההפלגה *Et ſunt qui* FLUVIOS MATSÔR *interpretantur, acſi dictum eſſet* MITSRAIM *Ægypti; cujus fluvius cum magnus fuerit, hyperbolice ita appellari.* ſc. efferri in *plurali.* Patet, quid tenuerit Interpretes. Cum enim in Ægypto unicum tantum noſſent Fluvium *Nilum*: non ſunt aſſequuti qua commoda ratione Vates hoc loco ei *plures* & quidem aliquo numero tribuat. Nec tamen valde opus erat hic confugere ad locutionis ὑπερβολήν. Poſſet equidem Nilus ſtylo ſacro recte & excellenter dici יאורים *fluvii*: ſed an ſatis commode *omnes fluvii Ægypti?* Phraſis, recepta Prophetæ noſtro [e] & Ezechieli [f] referenda eſt ad *brachia* Nili quæ totidem magnorum fluviorum ſpeciem præbebant, & ad *foſſas* ex iis eductas, in quas ſciſſa fuit Ægyptus inferior. Atqui in hiſtoria [g] adhuc magis emphatice התעלות היאורים האגמים FLUVII, (brachia Nili,) RIVI, fluenta & foſſæ ex iis ductæ, & STAGNA ſive *Æſtuaria*, dicuntur. Eſſe autem Nomen *Ægypti* מצרים *terminationis dualis* cum reſpectu ad *Ægyptum ſuperiorem & inferiorem*, vel *terram Ægypti cis & uls Nilum*, cujus ſingulare מצור ſit verum Ægypti nomen: dictum à me eſt alibi & hic non repeto. Plus expediendum reſtat in his verbis. Quo enim commodo ſenſu tribuit ſibi Aſſyrius per jactantiam licet, (talis enim hic à Propheta loquens inducitur:) ſe *exſiccaturum eſſe planta pedum ſuorum omnes rivos Ægypti?* Sic enim haud dubie vertenda verba. Equidem Symm. habet ἠρήμωσα *deſolavi*, quam ſignificationem quoque admittit vox חרב, ſed quæ cum de *aquis* agatur & *fluviis*, hic ſatis commode non adhibetur; nec difficultatem minuit. Plerique Intt. obſervant, jactare hic Regem Aſſyrium, *à copioſo exercitu ſuo ſiccatas eſſe aquas, nempe collectitias* (ſive *clauſas*, ut vocem מצור vertit Sanctius.) *quæ ab Iſraëlitis in ciſternis ex more ſervabantur.* Sic fere Sanctius: qui ut vocem מצור hic non recte accepit, ſic erravit in emblemate. Non eſt enim hic mentio de *epotis fluviis*, atque adeo vulgatum exemplum *epotorum fluviorum* à Copiis Xerxis ex Herodoto, huc proprie non pertinet. Vates loquitur de *aquis ſiccatis planta pedum.* Pellicanus: *Exercitus magnitudinem jactat quo ... flumina quantumlibet copioſa tranſvadare poſſit, infiniti exercitus labore & ſingulis operis. quaſi dicat: Si tot millia hominum ſingulos abſtulerint urceos aquarum, ſine impedimento tranſibunt quo volent, rivis ſiccatis plantis pedum.* Deſcripſi verba ejus, quod Vir Doctiſſimus in dubiis locis audiri mereatur. In majus ſurgit hyperbole, ſi oratio in hunc accipiatur modum; tantum ſe ducere exercitum, ut *pulvis*, plantæ pedum militum adhærens, *rivis Nili* eo pulvere *exſiccandis*, & abſque impedimento tranſeundis, ſuffecturus ſit. Sic fere Cl. Bochartus [h], & eum ſequutus Vir Eruditus. Confert ὁ πάνυ orationem Alarici jactabundi apud Claudianum [i], inter quam ſane & hanc Senacheribi ſumma affinitas eſt:

Differentia inter terminationem *ſingularem* & *dualem*, in voce מצרים *Ægyptus.*

Quo ſenſu Aſſyrius ſibi tribuat, *ſe planta pedum ſuorum ſiccaſſe rivos Ægypti?*

Notatio vocis חרב h. l.

Sanctii interpretatio.

Quæ non admittitur.

Pellicani: Verba ejus.

Bochart. meditatio.

Claudiani verba de Alarico.

Subſidere noſtris
SUB PEDIBUS *montes*, ARESCERE VIDIMUS AMNES.

Ipſe ita explicat mentem: *Ægyptus cui confiditis, mihi tam erit pervia, quam ſi me veniente, omnes fluvii, quibus munitur, exareſcerent.* Sed eſt & manet durior hyperbole. oportet enim omnem hyperbolicam & Thraſonicam quoque orationem aliquid trahere de vero. Nilus ſane & Nili Brachia, lati amnes, qua ulla veri ſpecie cenſeri poſſunt *exſiccari pulvere pedum* quantumvis numeroſiſſimi exercitus? Si *exſiccare fluvios* idem valere poſſet quod *eos* tanquam *ſiccos & exſiccatos tranſire*, ut flumina minus profunda tranſeuntur *vado*; vel *pontibus ſtructis*, ut non morentur curſum vel expeditionem; (quo ſenſu Claudianus intelligi debet:) in hac ſententia acquieſcerem. Sed ſi id dicere voluerit Vates: quare non potius dixit *pedibus*, quam *planta pedum* ſive *greſſuum*, ut Hebræa ſonant? Eſſe enim in eo emphaſin, non dubito. Fluvii majores ex lege & inſtituto Gentium non exſiccantur, niſi *aquis* eorum *abactis*, ut exemplum eſt in Fluvio Aſſyriæ *Gynde*, in CCCLX rivos à Cyro diducto, & ſimile aliud, idque certius, in Euphrate. utrumque prodit Herodotus [k], & ſunt exempla alia in ipſo hoc Scriptore. Grotius id vidit, & locum hunc noſtrum de *abactis* fluviorum *aquis* interpretatus eſt: nec tamen hic monuit, quo modo id effici potuerit *planta*

Docti Viri laudati qui verum ſenſum hic viderunt.

Quo ſenſu Ægypto hic tribuantur *Fluvii?*

Loca parallela. Intelliguntur *Brachia* & *Foſſæ Nili.*

Incommodum illius interpretationis.

Quo modo Fluvii majores ab Exercitibus tranſeantur?

Grotii expoſitio.

a *Proverb. Lib.* 1. *Claſſ.* 1. *Num.* XXXIX. b De *Bello Getic.* ℣. 26. c *Geogr. Sacr.* Lib. IV. Cap. XXIV. d *Lex* ad v. צור. e Cap. VII. 18. f Cap. XXIX. 10. & ſeqq. g Exod. VIII. 5. Diſt. Heb. ℣ 1. h *Hieroz.* Part. II. Lib. V. Cap. XV. i De *Laud. Stil.* Lib. II, ſive de *Bell. Get.* ℣. 16. k Lib. 5. p. m. 87. & 93.

greſſum Aſſyrii, ſive exercitus ejus. Nec ſane mihi id nunc docere in promptu eſſet, niſi ab ipſo alium locum illuſtrante adjuto. Reſpicitur ad *ritum* ipſorum *Ægyptiorum*, (ad quorum mores Propheta noſter de iis agens ſæpe alludit:) apud quos uſu receptiſſimæ erant *machinæ aquariæ Helices* dictæ, per quas *planta pedum* calcatas & circumvolutas, *aqua* à fluviis in agros & hortos ad eos irrigandos vel foſſas vacuandas abducebatur. Erant iis ab inferiore parte *gradus* fere ad inſtar *molarum aquaticarum* noſtri ævi, quibus *planta pedis* innitens operarius huic rei admotus, machinam circumvolvebat ad aquas ejiciendas, dum interea *manibus* prehendit *fulcrum* in ſuperiore machinæ parte, à quo ſuſpenſus ſe ſuſtinet, atque adeo ἀντὶ μὲν ποδῶν χερσὶν, ἀντὶ δὲ χειρῶν ποσὶ χρῆται· *loco pedum manibus, & loco manuum pedibus utitur:* videlicet, rotam gradibus diſtinctam *pedibus* ciacumagendo, dum ſe *manibus* ſuſtinet. Sic Philo hoc inſtrumentum deſcribit [a], cujus locum Vir Illuſtris feliciter produxit ad explicanda verba Moſis [b], Interpretibus obſcura, quibus terram Canaanæam hoc præſtantiorem prædicat Ægyptia, quod non neceſſe haberet *irrigari pede*, (quod abſque magna opera fieri non poterat:) ſed quod *pluviam* biberet *cœleſtem* & irrigaretur *fontibus*, ut ſolent terræ *montibus* & *vallibus* diſtinctæ. Sic dicet Aſſyrius, ſe opera numeroſiſſimi exercitus *planta pedum ſuorum* abacturum & *exſiccaturum fluvios Ægypti*, ut non morentur expeditionis ſucceſſum. Quod ipſum quoque ſatis hyperbolice & thraſonice dictum exempla tamen habet quæ ſpeciem omnem veri non excludunt. Poterat enim magna ſperare, tot copiis ſuccinctus. *Sperare*, inquam. Sunt enim hæc verba ſecundum *punctaturam Maſorethicam* accipienda non de *effecto*, ſed de *ſpe* Regis. Oratio ſonat, ואחריב *Et* EXSICCABO: non, *exſiccavi:* & pendet tamen illud, fateor, ab *unius puncti* poſitione. Sed circumſtantia orationis totius favet Maſorethis. Primo quidem, quia in utroque hoc *commate* verba *formæ perfecti* contradiſtinguuntur *formis futuri*. In ſuperiore ℣ſ. 24. *Aſcendi* (עליתי) *celſa montium*, pertinet ad *præteritum:* ſed ad *futurum*, ואכרות *& exſcindam.* ut declaravi. Rurſus *hoc commate*, *Fodi* (קרתי) *& bibi* (שתיתי) *aquas*, pertinet ad *præteritum:* ſed ad *futurum*, *Et exſiccabo*, *& ſeqq.* Deinde, quia Legati Aſſyrii in *ſuperiore Oratione* non ſunt gloriati proſperis ſucceſſibus Senacheribi rerum in Ægypto geſtarum. Alios populos ſubactos memorant: de Ægyptiis ſilent. quod plane adverſatur hypotheſi Præſtantiſſimi Viri, Jacobi Uſſerii, & aliorum, qui Aſſyrium noſtrum circa hoc tempus in *tertium* uſque *annum* feliciter adverſus Ægyptios & Æthiopes bellum geſſiſſe, & Ægypto non exiguum detrimentum attuliſſe ſtatuunt, tota Hiſtoria Sacra, & Herodoto quoque ac Joſepho, (licet ejus hic tantam rationem non habeam:) reclamante. Non ſum alienus à ſententia, Senacheribum primo impetu in Ægyptum ruentem aliquid plus effeciſſe, cum imparatis, Taracone abſente, & Sethone imbelli, atque Ægyptiis inviſo, ſuperveniret: dein cum Taraconis motum vel fama vel ratione perciperet, Ægyptum dereliquiſſe, & rediiſſe in Judæam, ad Hieroſolymam cujus expugnatio conatibus ejus plurimum favere poterat; ſibi ſubjiciendam. Sed vere de ſucceſſu Expeditionis Ægyptiæ nihil certi habemus. Oratio Jeſaiæ quam ille hic Aſſyrio tribuit, convenit perſonæ ejus quo tempore ſpe plenus expeditionem in Ægyptum & Judæam ſuſcipiebat: quo tempore, inquam, vaſta animo conſilia agitans ſe omnium primo movebat. Si autem aliquid ſit in hac oratione quod ad jactantiam de ſucceſſu belli adverſus Ægyptios geſti pertinet, id ex hypotheſi noſtra referendum eſt ad Patrem ejus Salmanaſſarem, magnum bellatorem, totum enim corpus Regum Aſſyriorum hic nobis ſpectandum exhibetur ſub una perſona. quæ majores geſſerant, Filius ſibi vindicat. Sed ego de his hypotheſibus diſputavi & ſententiam meam data opera explicui in *Anacriſi* [c] & *Implemento* [d] Prophetiæ Cap. xx. 1. ſeqq. & alio quoque loco. [e]

Reſpicitur hic ad *machinas aquarias*, per quas *planta pedum calcatas* abducebantur *aquæ* quæ deſcribuntur ex Philone.

Grotius laudatus.

Locus Deut xi. 10. expoſitus.

Senſus ſententiæ Aſſyrii.

An Aſſyrius hic loquatur de re geſta, num gerenda? Poſterius videtur. Rationes ejus ſententiæ.

Doctorum Virorum hypotheſis de Ægypto ab Aſſyrio occupata ex hoc loco non recte adſtruitur.

Quid Viris Doctis hic concedi queat?

Aſſyrius hanc Expeditionem ſuſcipiens vaſta animo conceperat conſilia.

℣ſ. 26. *An non audiviſti, me illud à longinquo* FECISSE, *& a diebus antiquis illud* FORMASSE: *nunc adduco illud, ut ſis ad vaſtandum Urbes munitas in acervos ruderum.*] Continuatur hic oratio Dei, Aſſyrium appellantis: qui cum arrogantiam jactantiamque ſuam ipſi reddidiſſet, Principem hunc ſuperbum docet, eorum quæ vel vere fecit vel ſe feciſſe aut effecturum jactat, nihil ipſum ſc. Aſſyrium ſibi tribuere poſſe; ſuorum conſiliorum ſapientiæ; ſuorum magnitudini virium; copiarumve ſuarum virtuti aut numero. pependiſſe hæc eventa omnia & adhucdum pendere à ſuperiore cauſſa, *decreto* videlicet ac *providentia ſua*, cujus *executorem* ipſe ordinarit ſtatuitque Aſſyrium. Nihil itaque illum agere, nihil plus vel minus agere quam ſupremo Rectori ſecundum cujus conſilii ac providentiæ rationes rota rerum humanarum volvitur, placet. quæ doctrina Prophetæ eſt per totum hunc Librum, ad quam continuo recurrit, ut os occludat hypocritis ac profanis ſui temporis qui ex hiſce ſucceſſibus Aſſyrii argumentum captabant redarguendi affectum curamque Dei erga Populum ſuum; & ſimul retundat arrogantiam ſuperbi Principis. An *tu* jactabunde, ait, *non intellexiſti*, ſc. ex fama vulgatarum in Populo meo prophetiarum de tua hac expeditione, *me illud à longinquo* FECISSE, (h. e. paraſſe, ordinaſſe, efficiendum ſuo tempore curaſſe. ut in verbis Eccleſiaſtis [f]: *Quemadmodum neſcis viam venti: .... ſic non cognoſces* OPUS DEI אשר יעשה את הכל *qui omnia* FACIT, ordinat, parat, diſponit. & Vatis noſtri Cap. XXII. 11. *Et non reſpexiſtis* עשיה אל *ad eum qui illud* FECIT, *&* יצרה מרחוק *qui illud* FORMAVIT A LONGO, *non obſervaſtis.*) *& me illud à diebus antiquis* FORMASSE, (h. e. Eventum hunc in omni ſua περιςάσει præformaſſe in Conſilio meæ providentiæ. quomodo vox יצר *formare* ſumitur in loco modo allegato Cap. XXII. 11. & Cap. XLVI. 11. confer Cap. X. 5. ſeqq. XIV. 27. ſeqq.) *Nunc* ADDUCO ILLUD, h. e. actu ſiſto & repræſento juxta decretum à me formatum, *ut ſis ad Urbes munitas per vaſtationem earum efficiendos acervos ruderum.* Sic recte verto verba: והיתי להשאות גלים נצים ערים בצורות Ad verbum: *Ut ſis ad confundendum acervos ruderum Urbes arduas.* h. e. *ad confundendum* (ſive *vaſtandum*) *Urbes arduas ut fiant acervi ruderum.* Sec recte Cl. Coccejus. Habuimus vocem שאה hoc ſenſu Cap. VI. 11. Erant prophetiæ Vatis noſtri hac de re ante plures annos vulgatæ, & fama earum late ſparſa. quæ tamen ſi forte non perveniſſet ad Aſſyrium, poterat in rem inquirere atque intelligere, *Deum* hunc eventum à longo decretum per Prophetas ſuos prænunciaſſe, & arcana via providentiæ ſuæ Aſſyrium ut executorem terribilium judiciorum ſuorum adverſus hypocritas ordinaſſe. Viderunt hunc ſenſum ſententiæ & agnoverunt certatim Interpretes, Hebræi ac Chriſtiani, eſtque abſque dubitatione veriſſimus: ſed ſunt inter Chriſtianos, quibus inviſa eſt doctrina de *abſolutis* Dei *decretis* quæ reſpiciunt *liberos* hominum *actus*, (quæ doctrina hoc ac parallelis locis involvitur:) & qui proin clariſſima Prophetæ verba in alium nituntur flectere ſenſum. qui conatus ut non eſt laudabilis; ſic nemini mortalium unquam ſuccedet. Senſus Verbi Dei ac Prophetæ noſtri hic non ſunt obſcuri, & vere neminem niſi volentem latent aut fallunt. Expendamus æqua mente quæ Vir doctus harum partium huc adfert. Vertit verba: *An non audiviſti à longinquo? Feci hanc antiquis temporibus & eam formavi. Nunc vero adducam* eo *illam ut deſoletur, urbeſque munitæ* fient *acervi ruderum.* Verſio nihil delectabile nec facilem præfert ſententiam. Quandoquidem tamen vox למרחוק *è longinquo* vel *à longinquo* ſecundum ſtructuram orationis Hebrææ æque jungi poteſt cum voce *audiviſti*, quam cum ea *feci*, & quæ de

Ad ℣ſ. 26. *An non audiviſti, me id à longinquo feciſſe, &c.*

Oratio hæc eſt Dei faſtum Aſſyrii retundentis.

Docet, nihil geri niſi ſecundum decretum ſuum, ac providentiam.

Paraphraſis verborum.

Uſus vocis עשה *facere*, *parare*, h. l.

Locus analogus Cap. XXII. 11.

Et vocis יצר.

Verba Prophetæ, *vaſtare acervos ruderum Urbes arduas*, explicantur. Sententia illuſtratur.

Docti Viri inter Chriſtianos ex hypotheſi ſua de *Decretis* hanc ſententiam non libenter amplectuntur.

Viri Eruditi Verſio hujus loci.

[a] Lib. de *Confuſ. Ling.* p. 255. [b] Deut. xi. 10. [c] §. III. [d] §. III. [e] *Anacriſ.* Cap. XIX. §. VIII. [f] Cap. XI. 5.

de verſione vocis הנאחיד monenda habeo, mox locum invenient: cognoſcamus expoſitionem quam Vir Cl. huic ſententiæ aptat. *Prorſus ſe cenſere*, ait, *hæc verba & quæ ſequenti ℣ſ. continentur, quæ vulgo Dei per Prophetam loquentis exiſtimantur, non ſecus ac ſuperiora, Aſſyriorum Regis eſſe, & ad Ægyptios ſpectare.* Equidem recte; nihil enim abſurdi habet hypotheſis ſi perſonæ ejus conveniant. Ergo audiamus, quem hic *alloquatur* Aſſyrius, ubi inquit, *An non audiviſti à longinquo?* Deinde, quo ſenſu Aſſyrius Rex dicere poſſit, *ſe feciſſe & formaſſe Ægyptum?* Tertio, quo *conſilio* & *ſcopo* Aſſyrius orationem hic cenſeri queat transferre ad Ægyptum, & Ægypti deſolationem? Tum denique quarto, quomodo conſequens oratio ℣ſ. 26. cum ſententia ſic expoſita cohæreat? Singula enim hæc ſimul conſiderare, ad rem pertinet. Sed Vir Cl. cæteris miſſis, exiſtimavit, ſe ſententiæ exponendæ ſatisfacere, ſi docere poſſit, quo ſenſu Aſſyrius Rex dicere poſſit, *ſe feciſſe & formaſſe Ægyptum ab antiquo tempore.* Ergo videamus, an id tolerabili modo exſecutus fuerit, de cæteris dein monituri. Sunt autem ejus verba; *Is* (ſc. Rex Aſſyrius,) *ſe quondam* FECISSE *ac* FORMASSE *Ægyptum dicit, quod in eam ex Aſſyria coloni iviſſent; nam Chamus, Noachi filius, & Chuſus, ex Aſſyria profecti in Ægyptum vicinaſque oras iverant, ut oſtendit ipſum nomen terræ Chami, quo Hebræi Ægyptum deſignabant. Vide* Pſ. LXXVIII. 51. &c. Deſcripſi verba, non inſectandi ſtudio, ſed ne ſententiæ quicquam detraxiſſe videar. Veri ſtudium præfero, ſalva exiſtimatione Docti Interpretis. Secundum Virum Cl. *Chamus* & *Chuſus* ex *Aſſyria* venerunt in *Ægyptum*, & ibi ſedes ſuas fixerunt: ergo Aſſyrii Reges gloriari poſſunt, ſe feciſſe ac *formaſſe Ægyptum.* Primo, ſi id nunc largiar, Chamum & Chuſum ex *Aſſyria* vel conterminis regionibus veniſſe in Ægyptum: ſc. hoc ſenſu quod Noach cum liberis ſuis poſtquam deſediſſet Diluvium, ſedes ſuas fixerit circa illas terras quæ poſtmodum venerunt nomine Aſſyriæ: an inde ſequitur, Aſſyrios Reges *feciſſe* & *formaſſe* Ægyptum? Nego, ſpeciem ullam eſſe in hac collectione. α. Quia eodem ſenſu iidem Aſſyrii dici poſſent *formaſſe* Aſiam, Græciam, Italiam, Franciam, & quicquid eſt terrarum in toto Orbe. Cum enim incolæ omnium harum regionum orti ſint Noachidis qui omnium primo conſederunt in Aſſyria: Aſſyrii dici poſſent *feciſſe* & *formaſſe* univerſum Orbem terrarum. quod inepte dicitur. β. Quia quo tempore Chamus & Chuſus occuparunt Ægyptum, (imitor Virum Cl. ſed *Chuſch* occupavit Arabiam Deſertam:) illa terra quæ deinceps *Aſſyria* dicta eſt, nondum appellabatur *Aſſyria.* Utique *Aſſyria* hoc demum nomen adepta eſt ab *Aſſure*, Semi filio, qui hanc terram occupavit poſtquam Nimrodus Regnum condere cœpiſſet in Babylonia, ut Hiſtoricus Sacer exerte explicat Gen. x. 11. quod communi & veriſſima ſententia factum poſt diſperſionem Gentium. multo minus tum conditum fuit illud vaſtum Imperium Aſſyriacum cujus origines à Nino repetuntur. quod ipſe Vir Cl. multis poſt ſæculis poſterius facit [a]: eſtque plane incertum, an Dominationis ab Aſſure ſtructæ continua fuerit ſucceſſio, nec ne; quod tamen in hac diſputatione perinde habeo. γ. Etiamſi Chamus ex illa terra quæ poſtea Aſſyria appellata eſt, iverit in Ægyptum, ad illam veluti hæreditatem ſibi aſſignatam occupandam: nihil id ad *Aſſurem* vel *Aſſyrios* pertinuit. Neque enim id ſuaſu aut conſilio Aſſuris, Semi Filii, fecit, neque ab Aſſure illuc miſſus eſt, ſed ſuo arbitratu, & Divinæ Providentiæ ductu, illuc ivit, ut proin Aſſyrii nihil ejus ſibi vindicare poſſint. *Aſſur* enim, unde Aſſyrii, fuit ex *Semo: Chamus* ejus Patruus & *Miſraim* ſuæ Gentis ſtirpem fecerunt: ut adeo Aſſyrii ſibi tribuere nequeant quod Ægyptus inſeſſa & occupata fuerit à Chamo & ejus poſteris. Hæc liquidiſſima obſtant hypotheſi Doctiſſimi Viri, ſi vel maxime conſtaret, Chamum ex Aſſyria iviſſe occupatum Ægyptum. Verum addo nunc, ſecundo: id ipſum quod hic ſupponitur, ſecundum omnem probabilem rationem aliter ſe habere. Ægyptus enim non eſt occupata à Chamo & Filio ejus Miſraimo, ut Arabia Deſerta non eſt occupata à Chuſo, niſi poſt diſperſionem Populorum. Illa vero ſecuta eſt conſilium extruendæ turris Babylonicæ, quando Noachidæ ſive omnes, ſive aliqui, (inter quos nemo negaverit Chamitas primo loco ſpectandos eſſe ut maxime rebelles Voluntati Divinæ de Orbe terræ quam latiſſime occupando:) relicta Aſſyria, *Tigrim fluvium* jam transgreſſi erant [b]. Inde itaque, Deo per providentiam ſuam judicialem interveniente, coacti ſunt occupare terras ſibi per Noam deſtinatas. Vides itaque non tantum quam ſit longe quæſita hæc interpretatio, ſi vel ſola in ſe ſpectetur: verum etiam quam infidis nitatur hypotheſibus. Quid ſi jam veniamus ad cætera, quæ modo attingebam? Primo enim quæro, ſi hæc Aſſyrii ſint verba: *An non audiviſti à longinquo:* ad quem dirigatur oratio? An ad *Regem Hiskiam*, aut *Populum Hieroſolymitanum*; num ad *Regem* aut *Populum Ægyptium?* Prius juxta hypotheſin ſtatui deberet; ſed utrum placuerit, optio erit. Quam enim frigida hæc erit interrogatio; an tu Hiskia Rex vel vos Judæi non intellexiſtis, ante tot ſæcula Chamum (licet minime Aſſyrium ante conditum Imperium Aſſyriacum:) ex iis terris quæ nunc mihi parent, veniſſe in Ægyptum ad eam occupandam? Quid ſi enim venerit: quid inde colligi vult Aſſyrius? An ſibi jus eſſe eam terram repetendi? Atqui occupavit eam ex conſilio Divino ut hæreditatem ſibi deſtinatam, & vacuam, in quam occupanti jus erat: non utique nomine *Aſſuris*, cui in eam terram nihil erat juris. Sane quidem ſi hoc jure uteretur; eodem jure occupare poterat omnes terras Orbis terrarum: & poſſent hoc tempore Saxones, ſi valerent, Angliam, quod Angli olim ex Saxonia egreſſi Inſulam illam occuparint. Jus Aſſyrii erat in armis; nec aliud jactat vel oſtentat. An Aſſyrius alias invadendo terras cogitavit de prima diviſione Orbis terrarum inter Noachidas facta? Num quicquam ejus eum percepiſſe, probabile eſt? Num potius id dicet, ſe qui *Ægyptum fecit & formavit*, eandem poſſe, ſi velit, *deſolare?* Quæ in eo rationis ſpecies eſt? Romani ex Latinis orti ſunt: Latini ipſi ex Græcis; Carthaginienſes ex Tyriis; Chaldæi ipſi ex Aſſyriis: an itaque in poteſtate fuit Latinorum, Græcorum, Tyriorum, Aſſyriorum, earum Gentium quæ ex iis ortæ fuerunt, terras, ſi libido eas inceſſeret, deſtruere ac deſolare? Quam inconſequens hæc eſt oratio? Addo ſecundo, Hebræam phraſin hanc ſententiam non ferre. Quod enim Latinè dicitur: *nunc eo* EAM *adduxi ut eam deſolarem:* non latet in Hebræa, quæ ſimpliciter ſonat: *nunc illud* vel *eam adduxi*, hoc eſt, præſentem ſtiti, repræſentavi. Alienum id à locutione Hebræa. Nec Latinis facilis illa locutio. *Adducere* ſimpliciter poſitum non eſt iis, quod recte dicitur, *adducere in diſcrimen*, Græcis, καταζῆσαι εἰς κίνδυνον. Tandem, quam emphaſin habebit in hac interrogatione illud, *è longinquo?* Nonne ſufficiebat dicere, *An non hoc audiviſti?* Quid neceſſe erat, *audire ex longinquo?* Tertio notavi, ex hac interpretatione nullam cohærentiam eſſe hujus orationis cum ſequenti. Cum enim Aſſyrius (ex hypotheſi) hic dixerit, *ſe* EO *adduxiſſe Ægyptum ut eam vaſtaret*, ſequitur ℣ſ. 27. *Ideo incolas earum Urbium curtas habuiſſe manus*, & non potuiſſe Aſſyrio *reſiſtere.* quod plane eſt ἀνακόλουθον. An enim ideo, quod Aſſyrius conſilium cepiſſet de Ægypto invadenda ac deſolanda & in hunc uſum & finem comparaſſet Exercitum: ſequitur, incolas Ægypti habuiſſe vel habituros eſſe *breves manus:* ſive, in manibus ſuis nihil habituros auxilii? Eventus utique & hoc in caſu & in mille ac mille aliis contrarium docuit. Magni apparatus potentium etiam Bellatorum an ſem-

Supponit, hæc verba eſſe *Aſſyrii*, qui olim *fecerit Ægyptum*, &c.

Expendenda in examine hujus ſententiæ.

Quo ſenſu Rex Aſſyrius ex hypotheſi, hic dicatur feciſſe *Ægyptum?*

An quod Chamus ſupponatur ex Aſſyria veniſſe in Ægyptum: Aſſyrius Rex ſibi vindicare poſſit, ſe *feciſſe Ægyptum?*

In conſequens illius ſententiæ variis rationibus oſtenditur.

Chamus cum iret in Ægyptum, nondum Trans-tigritana erat Aſſyria: nec fecit id *Aſſuris* conſilio aut auctoritate; nec conditum tum Imperium Aſſyriacum.

Chamus ex Aſſyria non venit in Ægyptum.

Ratio ejus ſententiæ.

Sententia hæc non convenit perſonæ Aſſyrii.

Quod oſtenditur.

An Aſſyrio ullum jus fuerit occupandi Ægyptum, quia Chamitæ olim ex Aſſyria in Ægyptum venerunt?

Item, an eodem titulo eam potuerit *deſolare*?

Phraſis ipſa quoque non faveret illi interpretationi.

Nec cohærentia orationis.

[a] Comm. ad Gen. x. 8. [b] Gen. xi. 1.

Nec convenit gloriatio Assyrio de desolata Ægypto, adversus quam ex hypothesi nihil aut parum profecerat.

semper effectum sortiuntur, vel populos absterrent à defensione? Volebam quarto addere; absque ulla probabili specie abduci orationem Assyrii ad jactandas opes viresque suas & successus bellicos adversus Ægyptum; cum ex ipsius Viri Cl. sententia jam ex Ægypto redux voto quod de ea occupanda conceperat, excidisset? Quid jactat Rex magnifice, esse sub viribus suis, quod eventus docuerat supra vires esse? Sed satis horum. Constet hoc exemplo, quam sit difficile, sensum clarorum dictorum Scripturæ alienare. Illustris Grotius simile hic tentavit, sed suis non satisfecit. nec diffido hic judicio mei lectoris. Mihi, dum incalesco, non lubet huic rei amplius inhærere, ne quid durius excidat. Demus Deo gloriam quam ei Vates vindicat, omnia ipsum potestati suæ obnoxia habere, & eventus rerum in longum provisos ab ejus pendere Decretis. Hæc doctrina sita est hoc in loco: & germana est Jesaiana per totum hunc Librum: quam qui obscurare nitetur, fugiens lucem se condet tenebris. Cursim moneo, voce השאוה *vastare, turbare, confundere* hoc loco geminam involvi significationem. notat *vastare* & *per vastationem facere* ut *Urbes munitæ* evadant *acervi ruderum.* Sed id jam ab aliis monitum; & Intt. hic non dissentiunt.

Deo convenit gloria præscientiæ futurorum, & providentiæ executricis circa consilia sua exequenda.

Ad ℣. 27. Prosperitas Assyrii pendebat à Consilio Dei.

℣. 27. *Et incolarum earum* (sc. Urbium) *erant breves manus: consternati & pudefacti sunt.*] Sensus certus & clarus: Eam ipsam ob rationem, quod Senacheribus nihil gessisset nisi ex consilio Providentiæ Divinæ, *breves* fuisse *manus incolis earum Urbium & Regionum* ad quas occupandas accesserit. fuisse enim illum in omni hoc opere executorem consiliorum Divinæ Providentiæ: nihil egisse, nisi quod supremus Rector pro rationibus justitiæ suæ fieri permiserat ac circumscripserat. *Præfixa* ו ET hic accipienda est *ratiocinative* ut in multis aliis locis, vertendaque per *ideo, iccirco. Brevem* esse *manu* (aliis quoque populis recepta phrasi,) est *exiguis esse viribus.* Jesaias eam repetit Cap. L. 2. LIX. 1. Confer Num. XI. 23. locis à Docto Interprete [a] jam observatis.

Phrasis, *brevis manus.*

Quare *Populi invalidi* hic comparentur cum *herba agri?*

Effecti sunt ut herba agri; ut herba tenera viridis, & seqq.] Certus sensus quem hic demonstravit Piscator: *Destituuntur viribus ad tibi resistendum.* Id ipsum est quod vult Propheta. Non respicit hic ad *gramen* aut *herbam teneram viridem* sub hoc attributo quod *cito arescat:* neque etiam quod *herba tenera* & *gramen* facili negotio *secetur*, secundum illud Alarici apud Zosimum de Populo Romano loquentis [b]: Δασύτερος ὢν ὁ χόρτος τέμνεται ῥᾴων ἢ ἀραιότερος· *Spissius fœnum rariore facilius secatur.* Sed quod in *ea* ut & in *herba adusta ante segetem* nulla sit soliditas, nulla ad resistendum vis. cedit omni quem recipit motui absque ulla resistendi vi. ut idem Zosimus de eodem Gothorum Principe Peloponnesum occupante [c]: Μηδεμιᾶς πειρώμενος ἀντιςάσεως· *Nemine invento qui* RESISTERET.

Verus aspectus metaphoræ.

Usus vocis שרמה h. l.

Vox שרמה, quæ hic usurpatur, quæ aliis locis *agrum, arvum*, notat, hic omnino est interpretanda ex analoga שרפה, quæ extat in *Lib. Regg.* & ipsa quoque illic tantum loci reperitur, sed ex themate suo שרף *Euro ussit, arefecit*; & *agnato* שרפון *uredo* per Eurum *effecta* recte exponitur. Est hic loci *herba tenera* cujus spicæ in primo ortu uredine afflantur, antequam excreverint in segetem & stabilitatem aliquam adeptæ fuerint. Sic fere Kimchius. Literæ מ & ם facile inter se permutantur, quod sint, ut ille recte ait, מוצא אחד *unius organi.* sc. labiales.

Ad ℣. 28. Sententia insignis. Omnes motus Assyrii subfuerunt Providentiæ Divinæ.

℣. 28. *Et sedere tuum, & egredi tuum, & intrare tuum novi; & commoveri tuum vehementius adversus me.*] Sic proprie sonat oratio Hebræa. Similis phrasis, in eodem argumento orationis, in Ps. CXXXIX. 2. 3. unde expositio peti potest. Oratio Divina ad Assyrium partibus suis perfecte cohæret. Quod enim in superioribus dixerat, nihil ipsum in omni suo motu extra rationes consilii ac Providentiæ Divinæ agere aut egisse, hic clarius adhuc & planius inculcat: videlicet, omnes motus Senacheribi providentia summi Rectoris fuisse circumscriptos. In voce התהרו, usurpata in forma *Hithpaël*, ea vis & potestas significationis est, ut notet commotionem furibundam quæ ex ira nascitur superbiæ mixta. Belgæ feliciter: *Sævire tuum.* Pisc. *furibundum impetum tuum.* Equidem ex his quæ de Senacheribo apud Vatem nostrum legimus, omnino colligendum videtur, Principem fuisse non tantum ferocem & superbum: quod fere commune erat ingenium Dominatorum Orientalium: verum etiam superstitionis suæ Gentilitiæ æmulum, & Numinum quæ ab aliis Gentibus colebantur, tanquam inferiorum illa Divinitate quam venerabatur ipse, contemptorem. Et cum vere *Dei Israëlis* qui Hierosolymis adorabatur, magna esset fama inter Gentes ejus ætatis, & reverentia quoque, ut ex variis exemplis liquet: cordi habuisse videtur, Judæos vincere, Hierosolymam sibi subjicere, & occupare Templum; &, si liceret, Judæorum Religioni in sanctissimo loco insultare [d]. Hoc flagitium, hoc scelus, meditabatur Impius. Deus advertit. Adscribo antequam hinc discedam doctam meditationem ad hanc pericopam quæ est apud Chaldæum. Sic habet ejus interpretatio: *Et sessio tua in* CONSILIO, *& egressus tuus foras* AD PUGNANDUM; *& introitus tuus* IN TERRAM ISRAELIS, *coram me manifesta sunt.*

Emphasis vocis התהרו h. l.

Assyrius non tantum superbus erat Princeps, sed & *superstitiosus.*

Interpretatio Chaldæi hic loci animadversione digna.

℣. 29. *Propterea vero quod ille vehementior motus tuus, & insolentia tua, in aures meas ascendit:*] Nihil hic novi nec difficile quod quem moretur, nisi quod animadversionem aliquam mereatur vox שאנן quam hic per *insolentiam* reddidi, & quæ æque commode verti potest per *tumultum.* Circumstantia hujus orationis satis determinat significationem ejus: etiamsi forte etymon nos falleret. Vox שאנן, ut hoc in loco occurrit, necessario significare debet ἀλαζονείαν, *strepitum, insolentiam, jactantiam, furorem*, vel quid simile: & tamen שאנן Hebræis venit notatione plane contraria; *tranquillum, securum, quietum*, esse. quas significationes Intt. ita componunt, quod ex nimia prosperitate & bonorum omnium affluentia nascatur *insolentia, fastus*, jactantia. quod per me dici licet. Mihi tamen nullum est dubium, quin secundum sententiam R. Jonæ quam Kimchius allegat, & adoptat, (licet ejus quoque quam modo allegavi, non neglecta mentione:) vox שאנן explicanda sit ex notione שאון *tumultus, strepitus, commotio*, ex שאה. Solummodo Vates, qui summam ubique sectatur dictionis emphasin, *literam* נ geminavit. Signum est duplicatæ auctæque significationis, notatque insolentiam, jactantiam, strepitum maximum. Chald. אתרגושתך *tumultus tuus.* Græc. Ἡ πικρία σου, *amaritudo tua.* respexit vocem שנן *acuere.* Symm. ἡ ἀλαζονεία σου.

Ad ℣. 29 Emphasis & genuina significatio vocis שאנן.

Iccirco circulum meum immittam in nares tuas, & frænum meum in labia tua; & reducam te per viam qua veneris.] Sensus sententiæ neminem fallit. Deus rationes providentiæ suæ sic disponeret, ut Assyrius Rex ingratiis suis cogeretur ad suos cum exercitu reverti, Deo illum instar jumenti vel feræ providentia sua circumscribente ac ducente quo vellet: ut sane cum non animus tantum tyrannorum, (ad quem hic minus respicitur:) sed & circumstantiæ omnes quibus circumscripti sunt & quæ actiones eorum circumscribunt, determinant, ac limitant, sint in Divina potestate, vere se habent instar *jumentorum* vel *ferarum* eum in modum competitarum ut circulos suos egredi nequeant, sed invitæ ductoris arbitrio obsequi teneantur. Posterior metaphora de *fræno* quo *equi, asini, muli*, domantur & secundum Rectoris nutum ducuntur, nemini obscura. Sed de priore dubitant Intt. an similitudo hic desumpta sit à *piscibus* qui *angulo* sive *unco*, maxillam & nares perforante, capiuntur, ut Ezech. XXIX. 3. *Et immittam* UNCOS *in maxillas tuas* (mentio est de Pharaone, proposito sub emblemate Crocodili:) *& adhærescere faciam pisces fluviorum tuorum squa-*

Circulus narinibus & frænum in labiis Assyrii Deo ponendum. Sensus sententiæ.

Unde hic desumpta metaphora de *circulo narium?* An à piscibus?

[a] Cl. Clerico. [b] Hist. Lib. V. Cap. XL. [c] Lib. V. Cap. VI. [d] Confer Cap. XIV. 17. seqq.

squamis tuis, & ego te educam è medio fluviorum tuorum: potestque hic conferri Job. XL. 21. num potius à feris, aut ferocientibus jumentis, quæ *uncis* per nares missis trahuntur ducunturque. quò omnino alludi videtur apud eundem Ezechielem *a* in prophetia de Joahazo, Josiæ filio, à Pharaone Necunte ducto in Ægyptum, sub emblemate *Juvenis Leonis*, in fovea sua capti & *uncis* abducti in Ægyptum. Verba Prophetæ: ויביאהו בחחים אל ארץ מצרים *Et duxerunt illum* (juvenem leonem,) UNCIS *in terram Ægypti.* Recurrit emblema in prophetia de Gogo & Magogo *b*: *Et convertam me, & indam* חחים UNCOS *maxillis tuis, & educam te, totumque exercitum tuum.* Quo modo, ait Bochartus *c*, *hodieque Itali bubalos, annulo naribus inserto, quovis ducunt.* Posterius hoc haud dubie magis ad rem facit. *Piscis* enim *unco* sive *hamo* magis *educitur* & extrahitur; quam *ducitur*. Et vidi Jarchium jam ita sensisse, emblema accipientem de *jumentis ferocientibus* quæ *catenis* (sic enim ipse vocem חח interpretatur per שיר *catenam*, qua ferocia jumenta constringuntur, adducto loco ex Codice *Sabbath:*) vinciuntur & quo lubet ducuntur. Intellige autem sub *freno* & *hamo* sive *unco* naribus aut maxillis immittendo hoc loco *directricem* Dei *Providentiam* quæ effectum certo obtinet. Deus hominem tam arcte circumscribit, &, liceat dicere, undique premit & urget, ut exitus nullus detur nisi ab ipso prævisus ac definitus. Circumstantiæ autem quæ Senacheribum in hoc casu circumscripserunt, fuerunt utique *florentior Exercitus* ejus *pars* Judicio Divino *prostrata*; *fama* de Taracone; & *metus* quo has ob causas affectus fuit.

Num potius a *feris*?

Loca Ezechielis duo cum hoc collata.

Posterius præfertur. Judicium Cl. Bocharti.

Quænam circumstantiæ Senacheribum circumscripserint?

℣. 30. *Et hoc tibi erit* SIGNUM] Oratio vertitur ad Hiskiam, ut quisque videt. Per *signum* autem quod Deus hic monstrat Regi per Prophetam, non vult intelligi *Cladem Senacheribi*, tanquam antecedens ejus quod hic sequitur, ut Interpres Hebræus verba accepit: (ejus enim non nisi oblique facta erat mentio:) sed pertinet quod hic dicitur, ad id quod sequitur. *Signum* hoc in loco est casus paradoxus futuri temporis qui prædicta superiora compleret ac terminaret. Est, inquam, *casus completorius* in quo eventus aliqui præcedanei complementum suum acciperent, & ex cujus veritate superiores eventus confirmarentur, eodem plane modo ut hæc notio sumitur Exod. III. 12. Confer Cap. VII. 14. Quo tempore Jesaias hæc loquebatur, nihil videri poterat παραδοξότερον, quam Judæos ab Assyriis liberatos terra sua libere usuros & ex *sponte natis* tam hoc quam sequente *anno Sabbathico* sustentatum iri. Omnia hoc tempore extrema à necessariorum penuria poterant exspectare.

Signum quod hic memorat Jesaias, pertinet ad tempus *consequens.*

Verba: *Comedite hoc anno sponte natum, &c.*

Comedite HOC ANNO *sponte natum, &* ANNO ALTERO *sponte renatum:* ANNO *autem* TERTIO *serite & metite, & plantate vineas & comedite fructum earum.*] Verba in hanc sententiam optime accipiuntur, ut jam accepta sunt à prudentioribus Interpretibus; fore singulari beneficio Divinæ Providentiæ, ut Judæi ab Assyriis liberandi *hoc* ipso *anno* (sive is sit XIV. sive XV. Hiskiæ, in quod pronior sum ob locum Cap. XXXII. 10.) ex *sponte natis* se sustentarent, quippe agris Judææ passim à colonis desertis aut ab Assyriis vastatis: sequenti autem, qui *Sabbathicus*, ex *sponte renatis: tertio* autem qui hebdomadæ novæ primus, *sererent* & *messem* suo tempore amplissimam colligerent. Hæc eadem sententia est Sethi Calvisii *d*, qui *Sabbathicum annum* facit illum ipsum qui annum hunc *Liberationis* insequutus est; (quem tamen ille Hiskiæ vult esse XV. quod nobis nunc perinde est:) dissentiens hic à Scaligero, cujus sententiis passim solet adhærere: quod inobservatum non transmisit Petavius *e*. Scaliger annum Hiskiæ XIII, qui irruptionem Senacheribi præcessit, Sabbathicum facit, secundum rationes Chronologiæ suæ eamque suam sententiam explicat in *Prolegomenis* Librorum de *Emendatione Temporum f* & in Canonibus *Isagogicis g*. Demonstrationis genus utrobique idem est. Supponens annum illum quo expugnata sunt Hierosolyma sub Tsedekia, sive ultimum Tsedekiæ, esse *Sabbathicum:* retrogreditur ad Hiskiæ initium, docetque, illum ingressum esse Regnum anno hebdomadæ *secundo:* ac proin VI & XIII esse Sabbathicos. Sed hypothesis illustris Viri de *undecimo* Tsedekiæ, ut *Sabbathico*, certo demonstrari nequit ex Jer. XXXIV. 8. non magis ac eorum qui ex eodem loco contendunt, *nonum* aut *decimum* ejusdem fuisse *Sabbathicum.* quod enim ibi legitur de *manumissione servorum*, factum est extra ordinem per pœnitentiam officii superioribus annis Sabbathicis neglecti: qua de re feliciter disputat Jungmannus *h*, Vir Doctissimus. Dein demonstrari nequit, annos Regum Judæ qui hoc latere culo occurrunt, accipiendos esse pro *completis*, & nullos illorum esse συγχρόνους, ut videlicet *unus* aut *alter* annus simul, Patri ac Filio in societatem Regni assumpto, tribuantur. veluti, si annus Amonis primus cum ultimo Manassis, & extremus cum primo Josiæ confundantur, quod idem Vir Eruditus alio loco arguit, & plane suadere videtur locus Ezech. IV. 5. Non convenit præsenti instituto singula excutere: &, si quis hic hæreat, inspicere poterit *typum Chronologiæ*, à me editum. Quod Vir illustris insuper urget, vocem כפיח, quæ *sponte nata* notat, usurpari de his quæ sponte crescerent *Anno Sabbathico*; (Lev. XXV. 5.) respondeo, vocem illam usurpari quidem in illo loco de his quæ *sponte excrescerent* anno Sabbathico, sed usum illius vocis ad *sponte nata* illius anni non restringi. Usus est communis; & frustra ad speciem certam allegatur. Debuisset Scaliger docere, quid obstiterit quo minus Israëlitæ post digressum Senacheribum cum Exercitu potuerint *sementem facere* anno sequente, si *annus* ille non fuerit *Sabbathicus.* quod Vir illustris non præstat. Lud. Cappellus *i* ipsum annum Hiskiæ XIV facit Sabbathicum, quæ eadem fuit sententia Langii: miro instituto. Auctor *Seder Olam* expeditionem Senacheribi in *mediam hebdomadam* incidisse tradit *k*. (בשנת הרביעית בשבוע *anno quarto hebdomadæ.*) Sed refugio ineptas & otiosas disputationes, nullo fundamento nixas. Vocem כפיח hic recte cum plerisque Intt. verti per *sponte nata.* Ex etymo valet *accessorium*, ut Cl. Coccejus recte, *quod sponte nascitur post sementem.* Hanc enim esse genuinam notationem vocis liquet manifeste ex Lev. XXV. 5. Int. Græcus in *Lib. Regg.* habet *αὐτόματα*, *spontanea:* sed hoc in loco, *ἃ ἔσπαρκας quæ seminasti.* directe contra mentem Prophetæ. Jungmannus *l* subtilius & operosius quam necesse erat, in significationem vocis inquirens, vertere instituit per *fruges in agris existentes* qui in Jure dicantur *fructus pendentes* sive *accessiones agrorum.* Vertit itaque locum Mosis: *Non metetis* כפיח *segetem in agris existentem.* Obscure sane & otiose. *Seges* enim jam erat *demessa*, cum inciperet Sabbathicus, idque clarissime docetur Exod. XXIII. 10. 11. *Septimo anno relinques eam* (terram) *incultam & deseres eam. Sponte* autem *nata* quis proprie dixerit *segetem?* In voce שחים, quæ in *Lib. Regg.* mutatis literis dicitur סחיש, pariter fere consentiunt esse *sponte nata.* Int. Græc. hic vertit per *κατάλειμμα.* Aquil. Theod. *ἀυτοφυῆ sponte nata.* Sed Sym. per *poma*, quem sequutus est Hieronymus. Nimis restricte ut opinor. Vox alibi non occurrit: sed circumstantia hujus loci significationem ejus generalem satis determinat. Comparo locum Thucydidis ad illustrandam phrasin, ubi de Lacedæmoniis Atticam vastantibus *m*: Ἐδήωσαν δὲ τῆς Ἀττικῆς τά τε πρότερον τετμημένα, καὶ ἔτι ἐβεβλαςήκει· *Populatique sunt in Attica tum ea quæ prius vastata fuerant, & si quid* REFRUCTICAVERAT. Id ipsum est כפיח & שחים.

Supponitur hic, consequentem annum fore *Sabbathicum.*

Scaligeri paradoxa sententia de Annis Sabbathicis, qui in

hæc tempora inciderint. Ratiocinatio ejus.

Hypothesis ejus vacillat.

Argumentum ejus ex voce כפיח quanti valeat?

Cl. Cappelli sententia de A. XIV Hiskiæ Sabbathico.

Usus vocis כפיח h. l.

Jungmanni interpretatio.

Significatio vocis שחים.

Locus Thucydidis.

a Cap. XIX. 4. *b* Cap. XXXVIII. 4. confer Cap. XXXIX. 2. *c* *Hieroz.* Part. I. Lib. III. Cap. IV. *d* *Chronol.* Cap. XXV. *e* De *Doctr. Temp.* Lib. IX. Cap. XXVI. & Cap. LXII. *f* *Pag.* 10. *g* Lib. III. ad N. XLVIII. p. 292. *h* In *Dan.* Lib. I. Sect. II. Cap. II. *Posit.* III. *i* In *Post.* *k* Cap. XXIII. *l* l. c. Quæst. III. *m* Lib. III. p. 91.

Ad ℣. 31. Usus vocis פליטה & שאריה, ut & *reliquus* apud Latinos.

℣. 31. *Et pergat reſiduum Domus Judæ quod* RELIQUUM FACTUM FUERIT, *radices mittere deorſum & fructus facere ſurſum.*] Ea vis eſt in voce פליטה, ut notet *qui evaſerunt* ex calamitate & afflictione. perinde ac שאריה, & RELIQUUS, *reliqui*, apud Latinos. Cicero [a]: *Reliqui? Quo ex bello, qua ex vaſtitate?* Τὸ κατάλειμμα. *οἱ καταλελειμμένοι· οἱ σωζόμενοι.* Lud. Cappellus hic docte obſervat, orationem Prophetæ ſic cohærere, ut ab *agris* tranſeat ad *homines*, & ad Reipublicæ atque Eccleſiæ ſtatum. Cum enim modo dixiſſet, fore ut liberati ab Aſſyriis terram pro more colerent & ex ea perciperent optatos fructus: docet ſimiliter futurum eſſe, ut quoque Reſpublica atque Eccleſia ipſo illo tempore hanc calamitatem eluctata reflorescat, creſcat, conſtabiliatur, & ſolida incrementa faciat: veluti lætus aſpectus terræ, cultuſque ejus novus, & repullulaſcentia germina, ſymbolum ſuſtinerent Eccleſiæ in meliorem ac novam formam inſtaurandæ. Et ſane verum eſt, ſtatum Regni pii Principis poſt hoc tempus fuiſſe florentiſſimum ac proſperrimum, ut liquet ex hiſtoria [b]. Nec tamen Verbi Prophetici & ſtyli Jeſaiani gnarus dictum Prophetæ reſtringet intra hos limites, cum ſatis conſtet, reliquum Hiskiæ ævum non adeo multorum fuiſſe annorum, & ſubſequentes calamitates hujus temporis proſperitatem obſcuraſſe. Ergo hoc promiſſum & prædictum, ut plura ejus generis alia, per gradus & articulos temporum complementum ſuum conſequeretur; primum quidem hoc tempore, ubi *reliquiæ* ſervarentur & copioſum *fructum ferrent:* deinde poſt *Reditum ex Exilio* & tempore *Maccabæorum*, quando eadem ſcena denuo repræſentaretur, & rurſus *reliquiæ* ſervarentur, ac fructum facerent ampliſſimum: ſed perfecte in omni ſua ἐμφάσει & περιφάσει ſub Oeconomia Nova. Senſus dicti eadem patet latitudine qua in parallelo Cap. x. 21. *Reliquiæ revertentur: reliquum Jacobi ad Deum fortem.* ubi commentatio noſtra videnda. perinde ac Cap. iv. 2. ſeqq. Totum opus Divinæ providentiæ erga Eccleſiam eſt *ſervatio reliquiarum* ex deſtinatione æterni conſilii ejus quo non omnes, ſed aliquos, *elegit.*

Propheta à proſpero cultu agrorum tranſit ad reflorescentem Statum Reipublicæ.

Eſt tamen hoc ejus dictum in majore latitudine accipiendum.

Aſpectus totius ſententiæ.

Ad ℣. 32. Quid ſit *zelus Jehovæ?*

℣. 32. *Zelus Jehovæ Exercituum* Domini *hoc efficiet.*] Vide quæ huc pertinent ad Cap. ix. 6. *Zelus* hic eſt *zelotypia*, h. e. eſt ſtudium gloriæ ſuæ vindicandæ adverſus graviſſimos peccatores aut blaſphemos. Confer Num. xiv. 14. 15. In textu *Lib. Regg.* deeſt vox צבאות, ſed à Maſorethis ad marginem adſcripta.

Ad ℣. 33. Gradatio in Oratione Prophetæ quæ ſingulatim oſtenditur.

℣. 33. *Propterea ſic dicit Jehova de Rege Aſſyriæ: Non veniet in Urbem hanc, & in eam non conjiciet ſagittam; & non prævertet eam ſcuto; neque fundet aggerem adverſus eam.*] Eſt in his verbis gradatio, orationi Divinæ apud Jeſaiam familiaris. Prima ſententia eſt, Senacheribum Regem, ſi forte Urbem oppugnare inſtitueret, nunquam eam *capturum* aut *expugnaturum.* Id eſt quod ait, *Non veniet in Urbem hanc.* Altera; ne quidem tam prope ad Urbem admoturum exercitum, ut eam *ſcuto antevertat* aut *adverſus eam aggerem fundat. Antevertere ſcuto* hic eſt Urbem oppugnando, aut ei inſidiando, aut muris inſultando, ſe *clypeo* aut *ſcuto* defendere. Tertia; ne quidem in Urbem *conjecturum* eſſe *ſagittam*, quod à longo fieri poterat. Sunt autem hæc proprie & directe accipienda de Senacheribo ipſo & Exercitus parte majore ac ſpectabiliore quam hærens apud Laciſcham & Libnam ſecum habebat: etſi dum Legationes ejus ad Regem Hiskiam allegabantur, & ſpes erat Aſſyrio, ſe abſque oppugnatione voti ſui potiturum eſſe, eæ etiam Copiæ quæ circa Urbem metabantur, Urbe oppugnanda ſuperſediſſe videantur.

Verba Prophetæ proprie accipienda ſunt de illa Exercitus parte cum qua erat Senacheribus ipſe.

Ad ℣. 35. Quo ſenſu Urbs dicatur conſervanda propter *Davidem?* Locus parallelus 2 Reg. VIII. 19.

℣. 35. *Et protegam Urbem hanc eam ſervaturus propter me &* PROPTER DAVIDEM SERVUM MEUM.] Referendum præcipue ad promiſſa gratiæ ex *electione* Dei facta Davidi, animique ejus in cultu Divino *integritatem:* magis quàm ad *merita* ejus. Confer 2 Reg. VIII. 19. *At Jehova noluit perdere Judam* PROPTER DAVIDEM SERVUM SUUM *prouti* DIXERAT: (h. e. promiſerat:) *ſe ipſi daturum eſſe lampadem pro filiis ejus omne tempus.* Reſpicitur ad 1 Reg. xi. 34. ubi Deus negat ſe Rehabeamum amoturum eſſe à Regno Judæ propter *Davidem ſervum ſuum* à ſe *electum.* Verba Dei: *Propter Dauidem ſervum meum* QUEM *elegi, qui obſervavit præcepta mea & ſtatuta mea.* Inde Vir ſanctus in Ode eximia [c]: *Ubi ſunt* חסדיך BENIGNITATES *tuæ* PRISTINÆ, *Domine, quas juraſti Davidi per fidem tuam?* Sed res habet altiorem reſpectum. Omnia promiſſa Davidi facta, ſunt ei facta in Chriſto. Ipſe & Regnum ejus ſunt typi Regni Meſſiæ, Filii Davidis. Cætera enim nemo dixerit, merita ejus perſonalia majora fuiſſe meritis Hiskiæ.

Conſequens proximum hujus prædictionis.

36. Et egreſſus eſt Angelus Jehovæ, & proſtravit in exercitu Aſſyrii centum & octoginta quinque millia hominum: cumque mane ſurgerent *reliqui*; ecce illi omnes erant cadavera vita caſſa.

37. Et profectus abiit, ac reverſus eſt Senacheribus Rex Aſſyriæ ad ſua, & reſedit Nini.

38. Accidit autem cum in Æde Niſrochi Dei ſui adoraret, ut filii ejus Adrammelech & Saretſer ipſum peremerint gladio: qui evaſerunt fuga in terram Ararat, regnavitque filius ejus Eſar-haddon ejus loco.

Ad ℣. 36. Hiſtoria cladis qua affectus eſt Exercitus Senacheribi.

Per *Angelum* hic intelligitur *Angelus Jehova.*

Loca parallela ex Vate noſtro.

℣. 36. *Et egreſſus eſt* ANGELUS JEHOVÆ.] Intellige hic non gregarium aliquem, ſed eximium illum Dei *Angelum*, qui *ſtat pro Populo Dei* [d]: qui *caſtra metatur circa reverentes Jehovæ, eoſque eripit ex adverſis* [e]: DILECTUS JEHOVÆ *qui habitat inter humeros Benjaminis* [f]: Prophetæ noſtro cum reſpectu ad hunc ipſum caſum LUX & SANCTUS ISRAELIS [g]: אריר EXIMIUS, magnificus [h]: NON VIR & NON-HOMO [i]. qui Angelus *Archangelus* omnium Poteſtatum cœleſtium Princeps veluti in quo cæteri Angeli boni uniuntur tanquam in *capite ſuo*, executor decretorum Divinæ Providentiæ & Juſtitiæ, cum huc uſque *moratus eſſet in Habitatione ſua*, (*Cœlo* aut *Templo*,) terribilem hanc dedit *ſtragem.* Effectus ejuſmodi eſt ut Angeli gregarii vires excedere videatur. Eſt effectus potentiæ Divinæ. In hiſtoria *Regum* amplius quid legitur in hoc loco, magni momenti. Scribitur ibi: *Et accidit* ILLA IPSA NOCTE, *ut egreſſus ſit Angelus Jehovæ.* ſc. poſt Legatos Aſſyrii altera vice expeditos, antequam Senacheribus ſe cum copiis ſuis Libna movere potuerit verſus Hieroſolymam. Unde liquet clariſſime, quam vana fide nitantur quæ plures ſive Chronologi ſive Interpretes hic ſuo arbitratu tradunt de congreſſu Senacheribi cum Tirhaka ſive Taracone Cuſchæorum Rege, ejuſque de hoc Rege reportata victoria. Supponitur id in *Seder Olam* [k], & ipſe quoque ὁ πάνυ Uſſerius, licet non certus ſententiæ, hujus traditionis meminit [l]. Et tamen nemo ſe hic fidentius extulit Pezrono [m], qui acſi ipſe rebus geſtis hujus temporis interfuiſſet: accurate narrat, Hiskiam Regem, ad extrema actum, imploraſſe opem Taraconis; cum illo percuſſiſſe fœdus; hunc Principem ad vota ejus

Amplior lectio *Lib. Regg.* Cladem accidit *ipſa illa Nocte.*

Quod non congruit illorum Hypotheſi, qui putant, Senacheribum congreſſum eſſe cum Taracone.

---

[a] Orat. III. *in Verr.* [b] 2 Chron. XXXII. 22. [c] Pſ. LXXXIX. 50. [d] Dan. XII. 1. [e] Pſ. XXXIV. 8. [f] Deut. XXXIII. 12. [g] Cap. X. 17. [h] ℣. 34. [i] Cap. XXXI. 8. [k] Cap. XXIII. [l] *Annal.* A. ante N. Ch. 710. [m] *Antiq. Temp.* Cap. XIII.

ejus paratum cum instructo exercitu ad suppetias ei ferendas accurrisse; sed fusum fuisse ab Assyrio, & quæ alia. Modestius longe Marshamus *a*: *Qua-fortuna congressus cum Tirhaka sit Senacheribus, non liquet.* Imo verius dixerim, *congressum esse non liquet.* Si enim congressus fuerit, oportet id accidisse medio tempore quod inter utramque Legationem interceſſit: atqui, ut historia de eo prorsus silet, sic plane contraria docet, nempe, *α.* Senacheribum *metuisse* congressum Taraconis, *affectu* ipsi à Deo *indito*, ut vidimus Cap. XXXVII. 7. *β.* Illum ad famam adventus Taraconis *Lacisicha* movisse *Libnam*, h. e. ab *Austro* versus *Septentrionem*, Cap. XXXVII. 8. non sane se vertisse in *Austrum* ad occurrendum Taraconi. Tota hæc traditio fundata est in prophetiis Cap. XX. 1. seqq. XXX. 1. & XLV. 14. seqq. non recte acceptis: ut in locis docui, & docebo.

Marshami sententia, & ad eam ἐπίκρισις.

Et PERCUSSIT *in exercitu Assyrii centum & octoginta quinque millia hominum.*] Licet vertere, si velis, *occidit*, *prostravit*. Historia Libri *Chronicorum* explicatius *b*: *Et misit Jehova Angelum, qui excidit omnem heröem fortem, & Ducem, & Præfectum copiarum Regis Assyrii.* Nec tamen dicitur, quo cladis genere tot millia hominum ceciderint. Josephus *c* refert ad νόσον λοιμώδη *pestem*, quem Marshamus & ex Doctis alii sequuntur: sed auctoritas ejus in ejusmodi rebus, de quibus ex tabulis Veterum nihil docere potuit certius, nullius est pretii. Scripsit id ex conjectura; & tradidit in eodem loco alia Historiæ non satis consentanea, ut passim per *Antiquitatum* Libros. Nostra sententia est, quam jam plus semel anticipavi, in tempestate horribili ab Angelo excitata, hæc hominum millia prostrata esse *fulmine*, *corporibus* intus aduſtis, *vestibus salvis A:* à qua sententia non longe abfuerunt Hieronymus, Liranus, Sanctius.

Verba historiæ de Occidione Exercitus Senacheribi.

Quodnam fuerit *genus* funestæ illius *cladis*?

An *pestis*? Sententia Josephi, & Doctorum.

Alia probabilior, in *Annotatis* exposita.

℣. 37. *Et profectus est, & ivit, & reversus est Sanherib.*] Sic sonant Hebræa. Significatur, illum propera fuga, absque interposita mora, ad sua reversum esse, ut Propheta plane prædixerat Cap. XXXI. 8. & res ipsa probabile facit.

Ad ℣. 37. Propera fuga Assyrii.

℣. 38. *Et accidit, ut cum adoraret in* ÆDE NISROCHI, *Dei sui.*] Alibi *d* conjeci, esse BELUM ASSYRIUM, cultum schemate MARTIS. Posset esse vox composita ex נשא *efferre* (ejusdem enunciationis cum נסר) & רך *Rex*, ut notet *Regem elatum*, glorioſum: etsi id fateor esse incertum, & à nobis ignorari queat absque dispendio.

Ad ℣. 38. Quod idolum intelligatur per *Nizroch*?

Et illi (filii ejus, parricidæ,) *evaserunt in terram Ararat.*] Antiqui & Recentiores fere consentiunt, *terram Ararat* esse Armeniam, ad cujus *montes* hæserit Arca, qui in Historia dicantur *Montes Ararat e*. Sic in hoc loco Interpres Alexandrinus, & Josephus *f* qui hunc locum nostrum interpretatus *filios parricidas aufugisse* ait εἰς τὴν Ἀρμηνίαν *in Armeniam*, à Ninivitis pulsos. sunt enim hæc Josephi, non Berosi verba; ut Vir quidam doctus alibi accepit. Chaldæus in hoc loco: ארעא קרדו *Terra Kardu.* Intelligitur *Mons* CORDYÆUS, ut Cl. Bochartus observavit *g*, qui hic inspici debet. Sic Berosus fide Josephi *h*, reliquias Arcæ supereſſe πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων *apud montem Cordyæorum.* Cætera nihil docet historia exotica de Senacheribi exitu. tantum supereſt traditio Libri Tobiæ *i*, qua Assyrius ad sua reversus in Judæos valde sæviisse dicitur; & percussus esse à filiis *quinquaginta quinque* à reditu *diebus.* Sed auctori fabuloso parum tribuo.

Terra *Ararat*, in quam evaserunt Filii Senacheribi, qualis?

Terra *Kardu*, quæ sit Paraphrastæ?

Traditio Libri Tobiæ de Senacheribo.

Et regnavit ASSAR-HADDON *Filius ejus, loco ejus.*] Est vero ipsus ille Ἀσσαράδινος ASSARADINUS, qui succeſſione *decima*, cum duobus *interregnis*, à Nabonassaro in Canone Ptolemæi comparet, Anno LXIX Ære Nabonassareæ. Is ipse est qui *colonos* traduxit in Samaritidem *k*, quod vulgo per errorem ad Salmanassarem Avum ejus refertur: ut liquet ex Libro Esdræ *l*, in quo appellatur *Asnappar* ille *magnus & glorioſus*: si

Assar-haddon regnavit loco Patris. Notitia ejus ex historia.

a Ad *Sæc.* XVII. p. 514. *b* 2 Chron. XXXII. 21. *c Antiq.* Lib. X. Cap. I. *d* Ad Cap. X. 12. p. 171. *e* Gen. VIII. 4. *f Antiq.* Lib. X. Cap. I. *g Geogr. S.* Lib. I. Cap. III. & Lib. IV. Cap. XXXVIII. *h Antiq.* Lib. I. Cap. IV. *i* Cap. I. 24. *k* 2 Reg. XVII. 24. *l* Cap. IV. 2.

A De exercitu Senacheribi *peste* consumpto, sunt ex Intr. plures qui statuunt, & inter illos ipse quoque Piscator ad Cap. X. 16. & Belgæ nostri, Viri prudentissimi. Haud dubie illud intellexerint de *morbo pestilenti extraordinario.* Et tamen ne sic quidem res libera est difficultate. *Pestis* enim & lues qualiscunque, licet vel maxime sæviat, (si hoc nomen vere retineat,) plus temporis requirit, quam unius noctis spatium. Sume tibi exemplum memorabile illud & simul tristissimum Exercitus Carthaginiensium in Sicilia, Siracusas obsidentis, Duce Imilcone, *pestilentis sideris vi*, (verba sunt Justini, Hist Lib. XIX. Cap. II.) REPENTE deleti. Historia integra legi debet apud Diodorum, (Hist. Lib. XIX. p. 434. 436.) quæ Carthaginiensium, fortuna sua insolenter usorum, exhibet πυττακοσίους μυριάδας *centum quinquaginta millia*, peste exstinctorum quorum *cadavera* insepulta abjecta sint. Exemplum vere ad hoc nostrum proxime videtur accedere, & quidem eo magis, quod Imilco hanc subisse punitionem Numinis severam dicatur, quod *Templa Deorum* eorumque *Donaria* irreverenter habuisset. Certe animadversio Divina hic fuit singularis; sed cujus caussam facile reperias in Carthaginiensium insolentia aliisque vitiis, ut necesse non habeas alia hic respicere. Ad me tantum nunc pertinet, observare, illam *luem* sive *pestem* licet vehementissime sævientem per aliquod tempus duraſſe, nec subitarium adeo præstitisse effectum, ac hoc nostrum. Similis fere generis illud est Prusiæ, impii illius Bithyniæ Regis, cujus copiæ maximam partem *dysenteria consumptæ fuisse* dicuntur, & *naves ingenti tempestate* in Propontide excitata *pleræque absorptæ*, postquam *Templum* sub ipsis *Pergami mœnibus situm* augustum destruxisset, susque spoliasset imagini bus & ornamentis. Verba Diodori in *Excerptis Valesii*, p. 336. Τῆς δυσπραγίας δυσπειρόσκοπον οἱ πολῖται τὴν αἰτίαν διεφθάρησαν. Id ut factum fuerit & ad puniendam hujus Regis insolentiam: non accidit tamen nisi secundum communiores vias Divinæ Providentiæ, & plus temporis requisivit. Clades hæc Senacheribi accidit ILLA *ipsa* NOCTE. Estque ejus quoque traditionis memoria conservata apud Herodotum, sæpius jam adductum, (Hist Lib. II. Cap. 141.) qui *Sethoni*, Ægyptio Regi, (quem a *pietate* laudat,) tribuens quod debebatur Hiskiæ, docet, *Deum* (Vulcanum sc. cujus Sacerdotio se devoverat Rex Setho,) νυκτὸς NOCTU in Exercitum Senacheribi in confiniis Ægypti hærentem, dum Rex Setho in magnis versabatur angustiis & ad opem Divinam ab humana imparatus confugiebat, *immisisse vim murium agrestium*, qui *illorum* (militum Senacheribi,) *tum pharetras, tum arcus, tum scutorum habenas abederint, ita ut* POSTERA DIE (τῇ ὑστεραίῃ) *hostes armis exuti fugam fecerint, multis amissis*: Regem ve ò Sethonem hujus beneficii miraculosi memoriæ conservandæ caussa erexisse monumentum in Templo Vulcani, *imaginem Regis, manu murem tenentis, cum hac inscriptione*: Ἐς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔστω· IN ME QUIS INTUENS, PIUS ESTO. Ægyptii Sacerdotes ad Sethonem flexerunt quod debebatur Hiskiæ; ad Senacheribum apud Pelusium hærentem quod pertinet ad eum castra metantem apud Hierosolymam vel Libnam; & traditio speciem cladis corrupit: & tamen in vetustissimo hoc Scriptore pars traditionis conservata est, quam jam demonstravi. Nobis hoc tempore certa est sententia, Angelum Jehovæ terribilem excitasse tempestatem *tonitruum* & *fulminum*, & ex cœlo *detonantem* ac *fulgurantem* prostravisse florentissimam copiarum Assyrii partem. Favent huic sententiæ certa loca in superioribus ex hac hypothesi jam illustrata, Jes. XXIX. 6. *A Jehova Exercituum* Domino *visitabitur in* TONITRU, & TERRÆ MOTU, & VOCE MAGNA; *procella & tempestate*, & FLAMMA IGNIS *vorantis.* Cap. XXX. 30. *Et audire faciet Jehova claritatem vocis suæ & descensionem brachii sui videre faciet in commotione iræ*, & FLAMMA IGNIS VORANTIS; *dissipatione ac imbre & lapidibus grandinis. quippe à* VOCE JEHOVÆ (tonitru) PROSTERNETUR ASSUR, *virga percussurus.* Confer Cap. X. 16. de quo loco in superioribus meticulosius scripsi: *Propterea mittet Dominus Exercituum in pingues ejus maciem*, & *subter* GLORIAM EJUS (sc. Assyrii. h. e. Duces & Præfectos militiæ ejus:) *ardebit ardor, qualis est* ARDOR IGNIS; *eritque* LUX *Israëlis in ignem, & Sanctus ejus in flammam*, & INCENDET & CONSUMET *sentem & veprem ejus uno die.* Ps. LXXVI. 8. TU! *terribilis es tu*; & *quis stabit coram te? Ex eo tempore est ira tua.* EX COELO PROMULGASTI JUDICIUM: *terra timuit & conquievit, cum exsurgeret ad judicium Deus, ad salvandum omnes mansuetos terræ.* Ode composita est in hunc Eventum, ut probabile; & præfertur in *Inscriptione Græca.* Certe Gentiles ipsi, sive vera, sive ficta tradant, supposuerunt, in hujusmodi judicii specie præcipuam esse significationem iræ Dei. Sume tibi exemplum ex Diodoro, (Lib. XI. p. 250.) narrante, qua calamitate afflictæ fuerint copiæ quas Xerxes, superbus Princeps, misit ad evertendum spoliandumque celebre illud Fanum Apollinis Delphicum: *Ibi* (cum usque *Minervæ Templum* processissent:) *ex improviso magna vis imbrium ex aëre decidit*, καὶ μεγάλων κεραυνῶν πολλῶν MULTAQUE MAGNA FULGURA; *& abscissæ tempestate rupes in Barbarorum exercitu stragem ediderunt.* Similia fere sunt quæ Justinus aliique accidisse narrant Gallis Brenno Duce eosdem Delphos tentantibus. Verba Historici Lib. XXIV. Cap. VIII. *Præsentiam Dei & ipsi statim sensere: nam & terræ motu portio montis abrupta, Gallorum stravit exercitum, & confertissimi cunei non sine vulneribus hostium dissipati ruebant.* INSEQUUTA *deinde* TEMPESTAS *est quæ grandine & frigore saucios ex vulneribus absumpsit.* Confer Pausaniam in *Atticis*, Lib. I. p. m. 5. De fide harum traditionum nihil moneo; nec adscribo etiam ex historia exempla alia *tempestatum fulminantium*, quæ in promptu sunt, cum nemo ea tanquam per experientiam satis nota, desideret. Effectus hic plane fuit extraordinarius, ut in casibus Jos. X. 11. XXIV. 11. 12. 1 Sam. VII. 10.

nomini non subsit scripturæ error. Marshamus [a] ad nominis etymologiam advertens animum, scripsit, Ἀδὶν *vel potius* ADON, est *Adonis Dominus*. Id sane verissime. Est enim Hebræum אדון, & contracte דין. *Dominus*. Sed hoc nomen scriptum est אסר־חדן *Esarchaddon*, non, quod ille suppositit, אסר־אדן Josepho, Ἀσσυραχόδδας. In Lib. *Tobiæ* Ἀχειρδωνός. rectius ex Alex. Σαχερδὰν ὁ υἱός. Alexandrinus Int. Ἀσορδάν. Valet autem *Princeps* ACER. quam significationem vox חדר non apud Hebræos tantum, sed & in cognatis Linguis, tuetur. Cæterum ubi initia *Assaradini* in Canone Ptolemæi connectuntur cum anno Nabonassari LXIX, non id ita est accipiendum acsi tum demum Imperio post obitum Patris potiri cœpisset; sed quod tum demum vel compos rursus factus fuerit *Babylonis* cujus *Pro-reges* ad cladem Senacheribi cum Medis aliisque Gentibus ab Imperio Assyriaco defecerant, cui hypothesi favet historia Herodotea, & ipse *Canon* qui initia ejus connectit cum *Interregno secundo*; vel quod ipse remotis *Pro-regibus* tum *Babylone* resederit. Habuisse enim *Assarhuddonem* in potestate sua *Babylonem* liquet ex locis 2 Reg. XVII. 24. & 2 Chron. XXXIII. 11. Utramque hypothesin discussi in *Notitia Imperii Babylonici* [b], unde necessaria hic repeti possunt.

Etymologia Nominis. Marshami lapsus.

Car in Canone Ptole-

mæi tam sero compareat? Dubium expeditur.

Historia *Morbi Hiskiæ* Regis, ejusque *Curationis* præternaturalis.

CAPUT XXXVIII.

1. ILlis diebus ægrotavit Hiskias lethaliter, venitque ad illum Jesaias, Amotsi filius, Propheta, & dixit ei: Sic fatur Jehova; dispensa mandata domui tuæ, quia tu morieris, & non vives.

2. Tum vertit Hiskias faciem suam ad parietem, oravitque Jehovam.

3. Et dixit: Obsecro *te*, Jehova; memento, quæso, me incessisse coram te sincere & corde integro, & quæ tibi placita erant fecisse: flevitque Hiskias fletu magno.

4. Tunc factum est verbum Dei ad Jesaiam in hanc sententiam.

5. Vade & loquere ad Hiskiam: Sic dicit Jehova, Deus Davidis Patris tui: Audivi precationem tuam: vidi lacrimas tuas: ecce ego adjicio ad dies tuos annos quindecim.

6. Et ex manu Regis Assyriorum eripiam te, & Urbem hanc; & protegam Urbem hanc.

7. Eritque tibi hoc signum à Jehova; *quo certus sis*, præstiturum Jehovam hanc rem de qua loquutus est.

8. Ecce ego umbram graduum, quæ descendit in Solario Achazi cum sole, reducam per decem gradus retrorsum; & reversus est Sol per decem gradus in Solario quibus descenderat.

Ad Cap. XXXVIII. 1. Historia morbi Hiskiæ.

IN *diebus illis ægrotavit Hiskias ad mortem.*] Sic verbotenus. Patet satis ex historia hujus Principis [c], qui per XXIX *annos* regnavit, incidisse hunc morbum Regis in annum ejus XV. Quando enim in historia regnasse dicitur per XXIX annos: intelligendi sunt *anni completi*, ut adeo mortuus fuerit anno Regni XXX. Sic enim intelligi velle Historicum *Libri Regum* in *Chronologia* Regum Judæ jam observarunt Eruditi. Secundum quam hypothesin nihil vetat dicere morbum hunc Hiskiæ accidisse brevi post *Liberationem* ipsi & Hierosolymorum Urbi à Deo procuratam. Certe casus hic loci superiori eventui postponitur; & multo adhuc clarius in parallelo loco Historiæ *Chronicorum*, ubi postquam mentio jam facta fuisset non tantum *Liberationis* Regis ab Assyrio, sed & *gratulationis* Hiskiæ hujus rei caussa per *munera* factæ à variis Regibus sc. & Populis vicinis, hæc historia subtexitur [d]: *Et in diebus illis ægrotavit, & seqq.* Et tamen Usserius, ὁ πάνυ, eumque sequuti alii qui *Expeditioni* Senacheribi *triennium* dant, (cujus primus annus fuerit XIV Regis Hiskiæ,) morbum Hiskiæ in finem ipsius hujus anni XIV accidisse volunt quo tempore Assyrius in Judæa vel in confiniis ejus cum Exercitu suo versatus fuerit. Traditio Judæa recentior eandem hypothesin tuetur in *Seder Olam Rabba* [e]; ubi exerte scribitur: לפני מפלתו של סנחריב חלה חזקיהו שלשה ימים ANTE HANC CLADEM SENACHERIBI *ægrotavit Hiskias per triduum:* estque qui addit, *cladem Senacheribi in diem tertium hujus morbi incidisse.* quæ ludicra sunt. Esse enim hæc per traditionem conservata, quæ in scripta historia non extant, non est probabile. Certe Josephus [f] plane contrarium habet, & *morbum* nobiscum *non longe post* Liberationem incidisse, docet. Si quis hypothesin in se spectet: nihil absurdi habet. Poterat enim Hiskias circa idem hoc tempus quo Assyrius in Judæa aut Ægypto versabatur, nondum tentata Hierosolyma, morbo affligi. Sed contextus & ordo historicæ narrationis huic sententiæ parum favet, ut dixi: & multo minus alterum quod subjicitur de *Legatis Regis Babylonii*, Merodachi, qui ab Usserio supponitur circa hoc ipsum tempus, Senacheribo in Judæa vel vicinia ejus hærente, venisse Hierosolymam, quibus Hiskias opes suas & thesauros ostentaverit, ut videbimus *Capitulo sequenti.* Quam id incommode aptatur huic tempori ex hypothesi Viri magni? Quanto commodius Legati à Babylonio Rege missi dicuntur post cladem Senacheribi? *Babylon* enim hoc tempore ex consensu Historiæ supponitur obnoxia fuisse Assyrio; cujus *Rex* aliquis *tributarius* quo modo ausus fuerit gratulari Hiskiæ adversus Assyrios rebelli, dum ipse Assyriæ Rex in Judæa aut confiniis ejus cum exercitu grassabatur? Sed post cladem Senacheribi ejusque regressum, idem *tuto & libere* fieri potuit; visumque est probabile Eruditis Viris, Babylonios Reges tributarios circa hoc ipsum tempus excussisse *jugum Assyrii*, & eo lubentius hoc officio honoris defunctos erga Hiskiam, quò certius noverant, illum ab Assyriis maxime esse alienatum. Et tamen duo hic objiciuntur. Primum est, *ægrotationem Hiskiæ* dici accidisse בימים ההם *hisce diebus.* Sed ad id facillime & verissime respondetur, *præfixam* ב in ejusmodi casibus æque notare *post*, ac *in.* quin elegantior usus est, si notet *post*, ut sæpius jam observavimus in phrasi prophetica ביום ההוא *illo die.* quæ magnam admittit latitudinem. Sic Exod. II. 23. *Et accidit* בימים רבים ההם IN *diebus hisce multis.* sc. POST *dies multos.* Sic Deut. IV. 45. בצאת ממצרים IN *egressu ex Ægypto:* valet, POST *exitum ex Ægypto.* Ad idem exemplum Marc. XIII. 24. Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις IN ILLIS DIEBUS, valet, *post illos dies.* Alterum inde petitur, quod Propheta Hiskiæ nomine Dei cum spe curationis ei facta nunciasse dicatur, *Deum ipsum & Urbem hanc erepturum esse è manu Assyrii, & Urbem protecturum.* Respondeo, id referri non ad hunc Eventum

Anni Regni Hiskiæ. Probabile est, illum in Morbum hunc incidisse post Liberationem ab Assyriis.

Dissensus Doctorum hac de re. Traditio Judæorum in *Seder Olam.*

Rationes quæ suadent ægrotationem Hiskiæ Liberato ab Assyrio accidisse.

Dubium; quod morbus incidisse dicatur in *illos dies*, expeditur. Literæ ב, ubi præfigitur verbis *temporis*, valet sæpe *post.* Exempla hujus observati.

[a] Ad Sæc. XVII. p. 514. [b] Ad Cap. XIII. §. XIV. [c] 2 Reg. XVIII. 2. [d] 2 Chron. XXXII. 24. [e] Cap. XXIII. [f] *Antiq.* Lib. X. Cap. III.

Respondetur ad objectum.

tum irruptionis Senacheribi; sed ad Eventus similes futuri temporis merito metuendos. Erat enim probabile, magnum hunc & glorioſum Principem, Hiskiæ graviter offenſum, reparato exercitu & confirmato Rerum ſuarum ſtatu ad urgendum propoſitum & honorem vindicandum, ſtabiliendamque auctoritatem, reverſurum eſſe. Cætera non inficior, *morbum* hujus *Principis*, ex *inflammatione* (שחין) *ortum*, (ut liquet ex 2 Reg. xx. 7.) fuiſſe *brevis temporis*: & addo etiam, ſecundum hypotheſes noſtras parum vel nihil referre, ſive *Rex* ante, ſive poſt cladem Senacheribi morbo hoc defunctus fuerit.

Quo morbi genere afflictus fuerit Hiskias?

Phraſis, *Domui ſuæ præcipere.*

Diſpenſa mandata domui tuæ.] Heb. צו לביתך *Præcipe domui tuæ.* Explicanda phraſis ex re ipſa, & ex loco 2 Sam. xvii. 23. Valet, Conde teſtamentum, & oſtende tuis, quid poſt obitum tuum fieri velis.

Quo ſenſu Jeſaias Hiskiæ dixerit, *Eſſe ipſi moriendum.*

Quia moriendum tibi eſt, & non vives.] Non explicat hic Propheta totum Dei decretum, ſed partem ejus. conditio qua vita protrahi poſſet, reticetur. *Moriendum* illi *eſſet* ſecundum *cauſſas naturales*, niſi Deus ſua ope præter ordinem interveniret. erat autem Deo ſtatutum non intervenire, niſi ad ſupplicationem Regis, ejuſque fidei & ſpei experimenta; ut intelligeret, ſe tam vitam ſuam quam Liberationem ſui & Urbis ab Aſſyrio in ſolidum Deo debere. Exemplum ſimile eſt Gen. xx. 3. *Ecce moriendum tibi eſt cauſſa feminæ quam aſſumpſiſti.* h. e. niſi interveniat mea gratia, & tua reſipiſcentia. Reticetur autem in ejuſmodi caſibus conditio, ut Deus illam tanquam voluntariam eliciat.

Cur Hiskias in precibus faciendis *faciem converterit ad parietem?*

℣. 2. *Et convertit Hiskias faciem ſuam ad parietem.*] Sc. ut tanto liberius animæ ſuæ deſideria & lacrimas coram Deo profunderet. Paraphraſtes: לכותל בית מקדשא *ad parietem Domus Sanctuarii.* Nimis ſubtiliter: nec eſt tamen abſurdi ingenii meditatio. Deeſt hic vox *Hiskia* in *Lib. Regg.* & legitur ibi את פני pro פני. quæ leviſſima ſunt. mox pro ויאמר ibi eſt ואמר.

Cauſſæ lacrimarum Hiskiæ poſtquam Jeſaias ei denunciaſſet inſtantem mortem.

℣. 3. *Et flevit Hiskias fletu magno.*] Referri poſſunt lacrimæ Regis uberiores vel ad magnam vitæ hujus terreſtris cupiditatem à qua ægre ſe avelli patiebatur; vel ad commotionem ex nuncio inexſpectato in ſe excitatam; vel ex ſenſu Divinæ indignationis quem in hoc nuncio duro ineſſe credidit. Cupiditas autem moderata vitæ hujus terreſtris producendæ cum nihil vitii in ſe habeat, quippe fundata in naturali inſtinctu: ſi magna & nimia videatur; vel naſci poteſt ex mollitie animi; vel ex rationibus publicis ac domeſticis, quæ animum prudentis etiam Viri ſic afficiunt, ut vitam ſuam protenſam quam abruptam malit. Quod ad hunc caſum attinet; ratio ſuadet de pio & ſapiente Rege quod dicitur, in optimam partem accipere. Adhæſiſſe præſtantiſſimo huic Principi vitium animi ſe proſperis rebus nimium efferentis, liquet ex hiſtoria quæ id diſerte adſcripſit *a*: ſed fuiſſe Virum ſapientem & fortem, ab animi mollitie liberum, liquet ex conſilio excuſſi jugi Aſſyrii, & conſtantia animi in recuſanda Urbis deditione; & quoque ex fiducia in Deo repoſita. Eſt enim animorum non mollium, ſed fortium, Deo fidere. Ergo id dicamus, τὸ ἀπροσδόκητον hujus nuncii, dum à benevolo Dei in ſe affectu meliora exſpectabat, ipſum gravius commoviſſe, quippe in quo certum videbatur habere argumentum Divinæ in ſe indignationis. Certe durum quid & grave inerat in hoc procedendi modo plane ſingulari. Si enim Deus omnino decreſſet Regi laboranti non ſuccurrere: eratne neceſſe, inſtans fatum ipſi nomine Dei à Propheta nunciari? Num miramur, id in Rege florentis ætatis, modo ab Aſſyriis liberato, qui præterea rationes habebat graviſſimas ex reſpectu tam Reipublicæ politicæ & ſacræ, quam Domus ſuæ, cur vivere quam mori mallet, excitaſſe ſenſum ſummæ triſtitiæ? Habet enim certæ mortis denunciatio ſubinde quid ipſa morte gravius. Et tamen multo pluris hæc valebant ſub Oeconomia antiqua, quam nunc temporis ſub Nova. *Vita* enim *longæva* agenda in terra *Canaanæa* in pace & affluentia Benedictionum terreſtrium, ipſiſſimum illud *Bonum* erat, quod *Fœdere Sinaitico promiſſum* à Fœderatis ſpectari debuit ut *argumentum Divini favoris*, & ut *pignus vitæ* ſpiritualis, æternæ, *cœleſtis*, cum perfecta lætitia æternum agendæ in Divina communione *b*. Sunt hic, fateor, quædam temperamenta obſervanda: ſed in univerſum obtinet. Joſephus, hujus hiſtoriæ magis paraphraſten agens quàm narratorem *c*, commotionem animi & triſtitiam Regis non arceſſit à *metu mortis*, ſed ex eo quòd nullam hactenus *genuiſſet prolem* cui Regnum relinquere poſſet: *hoc* igitur *mœrore confectum* Deum *cum lacrimis rogaſſe*, *ut tantiſper differretur vitæ terminus*, *donec procrearet ſobolem.* Nimis ſane fidenter, acſi novas ipſe horum temporum memorias habuiſſet. Verum interim eſt, Manaſſen, qui illi ſucceſſit, illo tempore nondum fuiſſe natum; &, ſi alia ei proles tum temporis nulla fuerit, non eſt abſurdum hanc rationem per conjecturam cæteris addere: ſed non licet de re incerta prorſus certi quid definire.

Oeconomia Vetere.

Joſephi commentatio in hæc verba.

℣. 4. *Et fuit verbum Jehovæ ad Jeſaiam, dicendo.*] Sic γραμματικῶς. At in *Lib. Regg. Et accidit, cum Jeſaias nondum pervaſiſſet* ATRIUM MEDIUM, *ut Jehova ad ipſum loquutus ſit.* Legitur ibi in textu חצר, acſi eſſet *Urbs media*: ſed Maſorethæ monuerunt, legendum eſſe, חצר *atrium*, haud dubie rectiſſime. Intelligitur autem *atrium aulæ.* Modus Revelationis fuit per ἔκστασιν, nec tamen *ordinariam.* Propheta à Spiritu affectus, viſus eſt ſibi *audire vocem*, qua juſſus eſt redire ad Regem & ei ſpem facere vitæ, & valetudinis brevi recuperandæ. quam *vocem* intus ipſe percipiebat: extus nemo.

Ad ℣. 4. Varia lectio, quæ componitur.

℣. 5. *Ito & dic Hiskiæ: Sic ait Jehova, &c.*] In *Lib. Regg.* eſt, שוב ואמרת *Revertere & dic.* ſive, *Iterum dic Hiskiæ* נגיד עמי *Anteceſſori Populi mei.* quæ genuina notio eſt vocis נגיד. Summa mandati eſt, ut Propheta ad eum portaret lætum nuntium impetratæ ad preces & ſupplicationes ſuas Gratiæ Divinæ ad valetudinem brevi recuperandam: quam benevolam Dei voluntatem Vates ei confirmaret certo *ſigno*, ei à Vate exhibendo. Quorſum vero illud? Tota hæc ſcena quem in finem inſtructa eſt? Id paucis explicabo. Cum Hiskias hoc tempore vere lethaliter decumberet: ſi tamen per miraculum Divinum à morte certa & imminente ſecundum Leges naturæ, fuiſſet ſervatus; non intellexiſſet, ſe tantum beneficium Deo debere. Videri enim potuit neſciis effectuum naturalium, nec percipientibus ſummum vitæ diſcrimen, in quo Rex verſabatur, mutatio ad valetudinem eſſe effectus naturalis, à communi Dei providentia adminiſtratus. Atqui Deus voluit, ſcire Regem, ſecundum Leges naturæ moriendum ſibi eſſe; tum ut eliceret ejus preces & ſupplicationem; tum ut certo intelligeret, ſe beneficium vitæ prolongandæ extraordinariæ Dei Providentiæ debere. quod argumentum eſſet Divini in ſe amoris & curæ plane ſingularis, quo Deus teſtatum faceret, pietatem Regis ſibi gratam eſſe. Huc ſpectavit tota res geſta: nec tantum quod Hiskias Regi certam ſpem dederit recuperandæ valetudinis; verum etiam quod tempus convaleſcendi circumſcripſerit *triduo*; & quod Regi Dei mandatu *ſigno* quodam *præternaturali* certitudinem hujus Eventus confirmaverit. Omnia huc tendebant, ut intelligeret Rex pius, ſe hoc tempore *præternaturali Providentia Divina* liberari à morte, ſecundum naturæ ductum inevitabili.

Ad ℣. 5. Varia lectio.

Summa mandati ad Hiskiam perlati à Jeſaia.

Quorſum hæc ſcena inſtructa ſit, cum utique Deo propoſitum eſſet Hiskiam in vivis ſervare?

Deus voluit, ut Rex intelligeret, Vitam ſibi à Deo per miraculum conſervari.

Ecce adjicio diebus tuis quindecim annos.] ſc. quos hactenus tranſegiſti ſecundum Legis naturalis ductum. יסף hic *punctatur* pro יוסף, ut תוכף pro תוכף. *d* Jarchius: הוא אשר יוסיף *Ipſe erit qui addet.* Nihil vitii habet; quin conforme eſt ſtylo Prophetæ, ſæpius jam obſervato: & tamen hic non neceſſarium. Cæterum hic & in ſequentibus hiſtoria *Regum* multo incipit eſſe productior, ut in *Anacriſi* obſervavi. Hoc loco exhibetur: *Ecce ego ſano te: eis triduum aſcendes Domum Jehovæ, & addam diebus tuis annos quindecim.* Sed ego

Quo ſenſu *diebus Hiskiæ* adjecti ſint *quindecim anni?*

Obſervatum ad vocem יסף. Varia & amplior lectio *Libri Regum.*

Peculiaris aſpectus hujus rei ſub

a 2 Chron. xxxii. 25. *b* Exod. xx. 12. Deut. v. 33. xxx. 16. *c* *Antiq.* Lib. x. Cap. iii. *d* Pſ. xvi. 5.

ſpecimen harum variationum jam in loco dedi; nec neceſſe habeo repetere. Propheta noſter pro ſapientia gravitateque ſua omnia compendio narravit: ſed Scriba ſacer *Librorum Regum*, preſſe Vatem noſtrum ſequutus, ſupplevit & illuſtravit hiſtoricum hoc Monumentum ex prolixioribus Regum *Commentariis*.

℣. 6. *Et ex manu Regis Aſſyrii eripiam te.*] Tractavi hunc locum ad ℣. 1. unde expoſitio ejus repeti poterit.

Ad ℣. 8. Dubia inter Doctos diſputata de *reducta umbra* Solis in *gradibus* Achazi.

℣. 8. *Ecce reduco umbram graduum quæ deſcendit in gradibus Achazi cum Sole retrorſum per decem gradus, &c.*] Locus hic, ſi quis alius, varie exercuit ingenia Doctorum. Quæſitum eſt tum de his *gradibus Achazi*; tum de *miraculo* ipſo. De *gradibus* hiſce *Achazi* ſcire juvat, quid Hiſtoricus ſacer ſub hoc nomine intelligi voluerit: utrum *Solarium*, *Horologium*, (ut hic Hieronymus,) *Sciothericum*, quod medio *umbræ gnomonis horas diei* diſtinguit: an quid aliud? Plerique Intt. Hieronymum ſequuti hanc amplexi ſunt ſententiam perinde ac Judæi: ſed reclamarunt Doctiſſimi Viri, demonſtrantes multa opera, uſum *horarum*, in quas lux cujuſque diei partita fuerit, (quæ horæ καιρικαὶ dicuntur,) eſſe recentioris temporis. Cl. Clericus qui ad hunc locum illuſtrandum in parallela Hiſtoria *Regum* longius excurrit, ſtudioſe recenſuit ſententiam Salmaſii ex prolixa hac de re Diſſertatione *ad Solinum* [a]: eique oppoſitam Petavii in *Diſſertationibus*, *Uranologio* ſubjectis [b], qui Veteri ſententiæ patrocinatur: tum quoque Scaligeri [c], qui hic *gradus Palatii Achazi* intelligi vult; ſententiamque ſuam ita definit, ut in eam Petavii propendere videatur. Et ſunt præterea aliorum quoque ex Doctis Viris, qui hic partes elegerunt [A] vel de partibus judicarunt, cogitationes diverſæ. Ad inſtitutum meum non pertinet, ſingula relegere. Solummodo ſententiam meam paucis definiam, quæ his conſtat. Primo, Partitionem diei in *horas*, non *æquinoctiales*, ſed καιρικὰς *populares*, quæ *lucem* cujuſque diei in *duodecim partes*, ſive *uncias*, ſecabant, ſatis eſſe antiquam, liquet ex loco Herodoti, hiſce diſputationibus dudum trito, qui ita habet [d]: Πόλου μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες· *Polum enim, & gnomonem, & duodecim diei partes à Babyloniis Græci didicerunt.* Quo tempore Græci receperint: non dicit Herodotus. Sed cum ipſe ſub Artaxerxe Longimano floruerit, & hac de re loqui videatur ut de vetuſta & dudum recepta uſu: non eſt improbabilis ſententia, quæ inde colligit, uſum *horarum* & quidem καιρικῶν (de quibus loqui videtur Herodotus:) apud Græcos antiquiorem fuiſſe quam Viri docti ſupponunt. quod ipſum aliunde etiam adſtrui poſſet, ſi id ad præſentis loci intellectum faceret, ut vere non facit. Ajo itaque ſecundo, hos *gradus Achazi* qualeſcunque fuerint, (de quo mox:) non fuiſſe *Sciotherici* in *duodecim partes* ſive *horas* diviſi, qualeſcunque demum *horas* intellexeris. ad quod Docti Viri ſi diligentius attendiſſent, ſupersedere potuiſſent varia de horis diſputatione. Demonſtratio utique afferti liquidiſſima eſt, quia Propheta optionem dedit Regi, num velit *umbram aſcendere* vel *deſcendere per decem gradus*. Neceſſum itaque eſt, *gradus* hos ad captandam Solis umbram deſtinatos *vicenarium numerum* exceſſiſſe. Ad id haud dubie animum advertens Vir Doctus [e], adverſus quem Scaliger diſputat, *Solarium hoc Achazi* dixerat *in ſemihoras fuiſſe diſtinctum*. Ad quæ Scaliger: *Sed quod illud Horologium in ſemihoras diſtinctum ait, unde habeat, aut unde colligat, libenter ab eo didicerim.* Poterat Vir Illuſtris, ſi advertiſſet animum, ejus conjecturam per ſe facere, ut feci, ex ipſo contextu narrationis ſacræ. Nec tamen propterea certa eſt Viri Docti ſententia de *ſemihoris*, licet animadverſionem mereatur. Tertio probabile habeo, hos *gradus Achazi* inſerviiſſe *uſui Aſtronomico*, quem ab Aſſyriis vel Babyloniis, (apud quos Aſtronomia tum florebat, & quibuſcum Achazo commercium fuerat:) perceperat Achaz, ad *metiendum ſolis profectum*, vel *diſcernendas* temporum *inæqualitates* ordinatos: non vero ſimpliciter *gradus Palatii Achazi*, ut Scaliger, vel *ſcalas ab Achazo extructas*, ut Uſſerius: etſi cujuſmodi generis Sciothericum fuerit, nemo facile dixerit. an videlicet medio *gnomonis*, converſionem, aſcenſionem, deſcenſionem, & altitudinem Solis, per *umbræ converſionem* & *longitudinem*, demonſtraverit: num vero Ædicula fuerit in hunc uſum parata, Sole ſe ab Oriente ad Occidentem convertenti obverſa, in qua *gradus* qualeſcunque alii, Solis aſcenſum & deſcenſum exhibentes, diſpoſiti fuerint. Rationes mihi ſunt. α. Quia dicuntur abſque ullo epitheto, מעלות אחז GRADUS ACHAZI. non ſane, *gradus Domus Achazi*, aut *Palatii ejus*. β. Fuiſſe inſtrumentum aliquod ſingularis uſus & fabricæ, quod illo tempore exercuerit ingenia & ſtudia hominum, inde ſatis liquet, quod Propheta id unum è pluribus elegerit, in quo exhiberetur *ſignum* illuſtre. γ. In hiſtoria parallela *Chronicorum* [f] clare traditur, Principes Babylonis miſiſſe Legatos ad Hiskiam, qui *inquirerent* in המופת אשר היה בארץ PRODIGIUM ILLUD *quod extiterat in terra.* Erant hi Principes Aſtronomiæ dediti; nec tamen inquiſituri, ut videtur, in hanc rem, ſi *mutatio umbræ* diceretur obſervata fuiſſe in communibus gradibus Palatii. Res fateor, eſt eadem; ſed minus excitat aliorum curioſitatem. Quod cum teneam, ſimul propendeo in hanc ſententiam, fuiſſe genus *Sciotherici* ſive *Heliotropii Gnomonici*, quia quod hic dicitur de *graduum aſcenſu* vel *deſcenſu* ex eo clariſſime intelligi poteſt: licet illud *Sciothericum* in multo plures *gradus* diviſum fuerit quam noſtra *horaria*. Majoris vere momenti eſt quærere & definire, qua re miraculum conſtiterit. an vere in hoc caſu ſive Sol fuerit regreſſus ab Occiduo in Ortum, vel Tellus circa axem mota ab Ortu ad Occiduum: (id enim hic ad phænomeni expoſitionem perinde eſt:) num potius *ſignum* tantum editum fuerit in *umbra*. Prior ſententia communis eſt antiquorum; ſed poſteriorem hujus ſigni interpretandi rationem plures recentioris Sæculi & Scholæ ſive Aſtronomi ſive Philoſophi defenderunt. quod facere non potuit *Auctor Tractatus Theologico-Politici*, quem omnis narratio Hiſtorica Scripturæ S. offendit, abſque notato Jeſaia. Verba ejus [g]: *Sic etiam Jeſaiæ ſignum umbræ retrogradæ ad ipſius captum revelatum fuit, nempe per retrogradationem Solis: nam etiam putabat Solem moveri, terram quieſcere. Et de parheliis forte nunquam nec per ſomnium cogitavit, quod nobis ſine ullo ſcrupulo ſtatuere licet: nam ſignum revera contingere potuit & Regi ab Eſaia prædici, quamvis Propheta veram ejus cauſſam ignoraret.* Eſt Epiſtola lectu digna Pauli Antonii Foſcarini de *Pythagoricorum* & *Copernici opinione* de *Mobilitate terræ* & *Stabilitate Solis*, ubi reſpondens ad objecta adverſus hanc hypotheſin ex Scriptura S. & tandem quoque poſt expoſitam conſiſtentiam *Solis temporis Joſuæ* [h], ad hunc locum noſtrum deveniens, adſcribit [i]: *Eodem etiam modo proportionaliter explicatur auctoritas Jeſaia, miraculi retrogreſſionis Solis decem lineis,*

Sententiæ variæ de *gradibus Achazi*.

An *horologium*?

Sententia Hieronymi, à Doctis refutata.

Ἐπίκρισις ad has ſententias.

Diviſio diei in horas, ſatis eſt antiqua.

Locus Herodoti.

Ad eum animadverſio.

Sed certum eſt ex ipſo hoc loco, hos *gradus* non fuiſſe *horarios*.

Scaligeri dictum non bene expenſum.

Probabile tamen eſt, hos *gradus* inſerviiſſe uſui Aſtronomico.

Scaligeri ſententia de *gradibus Palatii Achazi* rejicitur.

Rationes jactæ hypotheſios.

Locus 2 Chron. xxxii. 31.

Probabile eſt, fuiſſe genus *Sciotherici Gnomonici*, ſed in multo plures gradus diviſi.

Qua in re miraculum conſtiterit:

An editum in *Sole* aut *Tellure* ipſa motu ſuo retrogreſſa, num in *umbra*?

Diviſæ ſententiæ.

Animadverſum Auctoris *Tractatus Theo-Polit.*

P. A. Foſcarini.

---

a Ad Cap. xxxvii. p. 445. *b* Lib. vii. Cap. vii. viii. ix. *c* *Prolegom.* In *Canon. Iſagog.* ℣. 1. *d* *Hiſt.* Lib. ii. Cap. 109. *e* Merlinus. *f* 2 Chron. xxxii. 31. *g* Cap. ii. p. 22. *h* In Galilæi Gal. *Syſtem. Coſm.* pi 474. *i* Cap. x. 13.

A Eſt vere acſi ſtudia diverſa, quam Viri Eruditi in negotio Religionis ſectati ſunt, ſe huic quoque miſcuerint diſputationi: forte etiam, quod Romanenſi Eccleſiæ addicti, honori ſibi ducant patrocinari verſioni Hieronymi. Pro recentiore *horarum* uſu cum Scaligero, (de *Emend.* Temp. Lib. i. p. 4.) ſtat quoque Caſaubonus, (ad *Athenæum*, Lib. i. p. 5.) & Scaligeri quoque ſententiam de *gradibus*, non *Solarii*, ſed *ſcalarum ab Achazo extructarum gradus* innui, amplectitur Armachanus Præſul, ad A. ante Chr. 713. ne jam memorem, Stephanum Morinum in Diſſertatione de *Horis Salvificæ Paſſionis* diſputationem de *Recentiore horarum* & *horologiorum* uſu prolixe exequi, eorum, ex quibus forte profecerat, exigua facta mentione. Sed extat Leonis Allatii *Exercitatio* de *Menſura Temporum antiquorum & præcipue Græcorum*, in qua nihil eorum neglexit, quæ ad ſententiam Petavii adſtruendam faciunt; & univerſam hoc argumentum de *Horis*, earum ortu & varietate, ut & *Horologiorum inventoribus*, varie & fuſe diſputat.

neis, in horologio Achaz. Sc. intelligendum esse locum de *splendore* quodam *Solis*, à corpore Solis diverso, qui hunc effectum *κατὰ τὸ Φαινόμενον* veri Solis, produxerit. Et vero Pererius etiam in *Systemate Præadamitico* eandem proponit sententiam [a], non esse *miraculum factum in Sole*, sed *in Solario Achazi*; & adoptarunt eam recentioris Scholæ Philosophi plures. Ratio pro hac hypothesi producitur, non spernenda, non sane quod Deo liberrimo Moderatori motuum hujus Universi non sit æque facile *telluris* aut *Solis* motum retroagere, quam effectum idem ex alia causa producere in *umbra*: sed quod probabile non videatur, Deum ob rem non majoris momenti, quam est persuasio Hiskiæ Regis de instauranda ejus cis breve valetudine, constantes motus machinæ cœlestis voluisse turbare. Ego hæc sequentia teneo, α. Si omnino hoc effectum editum fuerit in *motu telluris*, (sive ejus respectu *in motu Solis*,) retroacto: *Divina* tamen *providentia* hoc phænomenon ita fuisse *temperatum, ut constans & sibi perpetuo similis cœlestium corporum motus nullum inde detrimentum ceperit*, quippe quod ex *Eclipsibus à Ptolemæo notatis* liquet, ut scisit ὁ πάνυ Usserius [b]. Nec est ejus rei difficilis perceptio. β. Non videri illos auctores, qui *effectum* tantum *in umbra editum* volunt, quicquam dicere quod incurrat in reverentiam quam Divino Verbo debemus. Est enim res manifesta, illud sæpe loqui de rebus naturalibus *κατὰ τὸ Φαινόμενον secundum id quod apparet*: ut sapientissimi auctores in omni casu facere solent. *Id* autem quod *in re apparet*, & de ea *populariter & proportionaliter* affirmatur, non minus *vere* dicitur quam quod de *re* philosophice effertur. quod jam ab Eruditis Viris est evictum & large probatum. γ. Si quis hanc posteriorem amplectatur sententiam; probe illi cavendum esse, ne vim *miraculi* illustris hic loci editi obscuret aut intervertat. ut si v. gr. effectus productus sit à parhelio, vero Sole ob interjectum corpus nubilosum radios occultante: ipsum hoc phænomenon subito apparens instar imaginis veri Solis, censeri debeat mirificum & singulare productum liberrimæ Dei Omnipotentiæ ad preces Prophetæ impetratum. Equidem paucis ab hinc annis Vir eruditus in *Observatis Physicis*, produxit exemplum *Retrogradationis Umbræ* in *Horologio Solari*, quod adscribitur *refractioni in aëre vaporoso factæ* [c]; sed neutiquam cum hoc nostro comparandum, cum ejusmodi *Retrogradationes* sint *exiguæ*. Propheta noster omne hic dubium excluſit, ubi *umbram retro movendam*, vel *promovendam* statuit per *decem gradus*, notabili adeo incremento vel decremento, ut omnes egerit in stuporem, atque adeo non tantum אות *signum*, sed & מופת *portentum* dicatur in Historia. quod sane ipsi quoque Docti Viri largiuntur, & ipsi observant. δ. Si quis *miraculum* illud in hunc modum interpretetur: nihil inde præsumendum de ignorantia Prophetæ circa veram caussam hujus retrogradationis. Jesaias noster fuit sublimi ingenio Vir, mirabile Dei organon, doctrina & sapientia eximius æque ac sanctimonia, qui *miraculum* hoc populari modo *κατὰ τὸ Φαινόμενον* explicare potuit, etiamsi ipse veram illius naturam intellexerit. Et tamen ego præ summa reverentia quâ feror in Verbum Dei non Propheticum tantum, sed & Historicum, ab ipso Propheta conscriptum, non ausim hic fidenter asserere, non esse editum miraculum in *retroacto* telluris *motu*; sed potius liberum de eo judicium lectori committo.

Et Pererii.

Ratio eorum, qui miraculum in *umbra* quærunt.

Temperamentum sententiæ.

Qualecunque hoc fuerit miraculum: ordo motus Corporum cœlestium, si turbatus fuerit, est restitutus.

Non videntur accusandi irreverentiæ in Scripturam, qui miraculum quærunt in umbra.

Diligenter cavendum est, ne quis vim miraculi minuat.

Observata de *Parhelio* & *Retrogradatione Umbræ* cum hoc comparata.

Absurdum est, Propheram hic postulare ignorantiæ. Laus ejus.

Ode Eucharistica Hiskiæ Regis ob recuperatam Divino beneficio valetudinem.

Textus Cap. xxxviii. 9. &c.

9. Scriptum Hiskiæ Regis Judæ, cum ægrotasset, & à morbo convaluisset.

10. Ego dixi, dum succiduntur dies mei, vadam, *& quidem* in portas inferorum: privor residuo annorum meorum.

11. Dixi, Non videbo Jah: Jah in terra viventium. non intuebor amplius hominem cum habitatoribus *terræ* Cessationis.

12. Habitatio mea translata & transportata est à me ut tentorium Pastoris. Feci ut inciderit tanquam textor *telam*, vitam meam: à primis filis resecat me: à die ad noctem absolvet me.

13. Composui *animum meum* ad matutinum: tanquam leo sic confringebat omnia ossa mea. ab aurora ad noctem absolvet me.

14. Ut hirundo, *ut* grus, sic pipiebam: gemebam instar columbæ: exhausti sunt oculi mei *spectando* in sublime. Jehova, vis mihi fit, sponde pro me!

15. Quid loquar? Et dixit mihi, & ipse fecit. Incedam alacriter per omnes annos meos defunctus amaritudine animæ meæ.

16. Domine! his vivitur; & in omnibus hisce est vita spiritus mei. Et facies me convalescere, & vivificabis me.

17. Ecce in pace obtigit mihi amaror valde amarus: at tu tenero amore complexus animam meam, *eruisti eam* è fovea interitus, quia projeciſti post tergum tuum omnia peccata mea.

18. Nam infernus te non celebrat: mors *non* laudat te: non exspectant descendentes in foveam veritatem tuam.

19. Vivus, vivus, ipse celebrabit te, ut ego hodie. Pater filios certos faciet de veritate tua.

20. Jehova fuit ad salvandum me: ideo citharis cantillabimus carmina mea musica per omnes dies vitæ nostræ in Æde Jehovæ.

Supplementum Historiæ superioris.

21. Et dixerat Jesaias, Sumatur palatha ficuum, & facto emplastro imponant inflammationi; & convaluit.

22. Dixerat autem Hiskias, Ex quo signo certus ero, me ascensurum esse Ædem Jehovæ.

Ad ℣. 9. Ode Regis Hiskiæ. Genus Carminis. An ab Hiskia ipso composita?

℣. 9. *Scriptum Hiskiæ Regis Judæ.*] Exemplum pietatis Regis Hiskiæ tanquam veri filii Davidis, *cithara* docte *pulsantis* [d]; (fuisse enim hanc Oden *ποίημα ψαλμιζόμενον, carmen ad citharam aptatum*, liquet ex ℣. 20.) & moris antiqui, quo sancti meditationes suas *carminibus* frequentes solebant committere, dum semina pietatis in hac Gente non erant extincta: nec est mihi dubium quin in Odis Davidicis supersint plures hoc tempore compositæ. Oden hanc *dictatam fuisse Hiskiæ à Jesaia*, quod probabile habet Grotius: non dixerim. Est in stylo quid magis implicitum & minus sublime quam passim in Jesaianis.

℣. 10.

---

a Cap. XLV. *b* l. c. *c* Cl. Parent in *Disquis. Mathemat. & Physic. Act. Lipsi. Suppl.* Tom. IV. Sect. I. p. 28. *d* 1 Sam. XIX. 9; 2 Sam. XXIII. 1.

Ad ℣. 10. Vox דמי quid hic loci significet? Recte vertitur per *Succisionem.*

℣. 10. *Ego dixi, dum succiduntur dies mei, Vadam, in portas inferorum.*] Sic verti primum membrum hujus *commatis.* Vocem דמי à דמה alii cum Kimchio vertunt per כריתה *succisionem, extinctionem, intercisionem:* alii per *silentium*, ut fere Aquila & cognati Intt. Utrumque sensum dat bonum, significationi vocis, analogiæ rei & phrasios Scripturæ S. receptæ, congruentem. Prius hic adoptavi, quia vidi, Poëtam sacrum huic metaphoræ in sequentibus inhærere. Hieronymus vertit: *In dimidio dierum meorum.* Enimvero docte, sensu analogo. Id ipsum enim dicere vult Rex Poëta, *filum vitæ suæ*, dum in medio cursu erat, *rescindi* & *abrumpi.* Quod additur: *Vadam ad portas* שאול *inferni:* (sic enim rectius videtur exprimi sententia quam à Coccejo: *Eo in portis inferni:*) durius videtur sonare ex usu vocis *infernus* vel *inferorum*, vulgo recepto: sed nihil duritiei habet ex usu vetere & vero vocis Hebrææ שאול, eique respondentis Græcæ, ᾅδης, quam Latini per *infernum* vel *inferos* vertunt. Notat enim שאול Hebræis proprie & vere *statum mortis*, ut adeo *portæ inferni* ipsis idem plane sonent quod in Odis sacris [a] שערי מות *portæ mortis*; & in oratione Dei apud Jobum [b]: שערי צלמות *portæ umbræ mortis.* Est autem phrasis, πύλαι ᾅδου *portæ inferorum*, pariter in oratione Domini ad Petrum [c]; & exoticis quoque Scriptoribus usitatissima, ut docte observavit Grotius [d], qui hic inspici potest: ne nunc alios memorem. Desumpta est locutio à fictione Poëtica antiqui temporis, quæ *voraginem subterraneam*, quæ secundum ipsos recipit *animas* sive *umbras* Fato functorum [e], conceperunt sub imagine *magnæ Civitatis*, in quam per *mortem* patebat ingressus. quam fictionem ubertim explicui ad Cap. XIV. 9. ut adeo αἱ πύλαι ᾅδου *portæ inferorum* sint ἡ πόλις τοῦ ᾅδου *Civitas inferorum*; quomodo vox πύλαι Homero, & Poëtis, subinde sumitur; & vox *portæ* in Sacris frequentissime. Vult itaque simpliciter hic dicere Poëta facer, se *ire ad mortem*, *in terram silentii.*

Alterum membrum: *Vadam ad portas inferni*, exponitur.

Notatio vocum שאול, Ἅιδης, apud Hebræos.

Phrasis, *Portæ inferorum.*

Unde desumpta?

Verba: *Privor reliquo dierum meorum.*

Privor reliquo dierum meorum.] Heb. פקדתי יתר שנותי *Destituor* quod ad *reliquum dierum meorum.* sive latine, *Reliquum dierum deficit me.* Hieron. *Quæsivi residuum dierum meorum.* quasi legisset פָּקַדְתִּי. Sensus idem. Significatio vocis פקד, quæ hic obtinet, eadem plane est quam habuimus Cap. XXXIV. 16. אשה רעותה לא פקדו *Unum non desiderat alterum*; & aliàs sæpe occurrit. Utique dicere vult, quod cuique patet; hos dies, quos videbatur victurus esse secundum naturæ legem & ductum, se frustrari. excidere se contra exspectationem voto longioris vitæ.

Significatio vocis פקד in h. l.

Ad ℣. 11. *Dixi, Non videbo Jah, &c.*

Qualis *Visio* hic intelligatur?

Gemina interpretatio.

Utraque species Visionis Dei, *Contemplativæ* & *Sensualis*, describitur.

Locus Ps. LXIII. 3.

Videre subinde idem valet quod *sentire.*

Ratio loquutionis.

℣. 11. *Dixi, Non videbo* JAH: JAH *in terra viventium.*] *Visio* quæ hic memoratur, geminum sustinet sensum; vel enim notat contemplationem Dei in præstantia Naturæ ejus, excellentium attributorum, & regimine gratiosæ providentiæ ejus erga Populum suum; passim conjunctam cum glorificatione Dei ad quam sancti se in solenni cultu sacrorum in Templo excitabant, ut sumitur vox Ps. LXIII. 3. *Imo vero in Sanctuario spectavi te*, VIDENDO *robur tuum*, (gratiam tuam,) *& gloriam tuam:* vel significat *fruitionem sensualem* Divinæ gratiæ & bonitatis, cujusmodi vocis usus est Ps. XXXIV. 9. *Gustate &* VIDETE, *Jehovam esse bonum.* Sic *mortem videre* [e], *malum videre* [f], est *mortem* & *malum* subire, ipso sensu cognoscere. Metaphora inde desumpta est, quod quæ præsentia nobis adsunt, his per oculos fruimur. Objecta visus præsentia sunt oculorum veluti pabulum. Sive etiam, quod nemo rem qualemcunque clarius cognoscat quam qui eam sentit, & per experientiam cognoscit. Rem autem *intime cognoscere*, est *eam videre.* Prius hic placuit Veteribus Judæis, quorum sensa explicat Paraphrastes. *Non videbo Deum* amplius *in terra viventium*, ipsis est, non colam illum amplius, celebrabo, laudabo, in *illa terra* in qua posuit *symbolum* suæ *præsentiæ*, sive in *Sanctuario*, sede actuum veræ vitæ. Jarchius: בעיה המקדש בארץ החיים [IN TERRA VIVENTIUM.] *In Domo Sanctuarii.* Equidem lusus est pius, sed nimis μυςικός. Non excludo hunc sensum, sed qui involvitur posteriore, quem ut simpliciorem & uberiorem hic præfero. *Videre Deum* hic eodem sensu sumitur quo *videre homines*, in *membro sequente*, h. é. cum iis habere commercium, & ex commercio percipere voluptatem: plane ut occurrit phrasis Ps. XXVII. 13. ראות בטוב יהוה בארץ חיים VIDERE BONITATEM *Jehovæ in terra viventium. Videre Deum Jah*, est eo cum voluptate frui. Incidit autem emphasis sententiæ in vocem *Jah*, quæ proprie notat *Deum Liberatorem* populi sui ex angustiis & afflictione; *Deum salutis, gratiam suam*, (quæ virtus symbolum est *decentiæ* & *pulchritudinis* Dei, & omnium virtutum Divinarum ornamentum ac complementum:) patefacientem in liberando & vindicando populo suo. quam emphasin hujus nominis explicui ad Cap. XII. 2. & XXVI. 4. Sive itaque Hiskias hoc morbo defunctus sit ante Liberationem ab Assyrio jam effectam; sive, quæ nostra hypothesis est, post eandem Liberationem jam impetratam: dolet, se Deo illo *Liberatore*, ejusque *gratiæ* & *bonitatis* effectis atque experimentis, rupto vitæ filo, in hac vita non amplius esse gavisurum, fruiturum. Quid dolet Rex, ais; certus *vitæ melioris* ex Doctrina Ecclesiæ nostræ? Vel itaque inde colligenda videtur imbecillitas fidei & spei, quam pio Regi grave est imputare: vel statuendum, *vitam meliorem* illo tempore *nondum plene fuisse revelatam*, ut Illustris Interpres; aut, pios intellexisse, animas suas ante adventum Christi Jesu mittendas esse in *Limbum Patrum* quem vocant, in quo *Visione Divina* non *fruerentur.* Neutrum, ut opinor. Posterius directe pugnat cum spe sanctorum antiqui temporis qui post hanc vitam exspectarunt *gloriam* [g]: & fato functi *vixisse* dicuntur *Deo* [h]. ne hic plura addam in argumento dudum protrito. Prius quoque admitti nequit absque temperamento. Oeconomia Nova habet *clariorem revelationem Vitæ æternæ*, quam *Dispensatio Vetus*; sed valide tenemus, notitiam Vitæ æternæ ut præmii gratuiti fidei, spei, operum & luctæ credentium, id temporis clare satis traditam & in Scholis Sanctorum inculcatam fuisse, ut ex *Odis* Sanctorum integris de hoc argumento compositis quisque clarissime colligat [i]; ut nunc alia mittam. Res ita se habet; artis fuisse in hoc Poëmate, quod ad celebrandum beneficium in Hiskiam collatum compositum fuit, privationem præsentis vitæ, & quæ ex ea percipitur honestæ voluptatis, exaggerare, & dissimulare quod huic incommodo sive malo opponi posset, quippe quod imminueret beneficii magnitudinem. Addo, spem vitæ melioris non extinguere instinctum naturalem conservandi compositi, cujus dissolutio naturæ contraria est: sensum præsentium bonorum passim multo esse acriorem & vividiorem quam futurorum, licet non dubia spe exspectatorum: Hiskiam se hic describere ad vivum quo statu erat cum ad subitarium Jesaiæ nuncium imminentis mortis affectus naturalis mentem obscuravit & judicium spirituale turbavit: & denique nulla nos injuria afficere pii Regis memoriam, si dicamus, illum licet Dei reverentem neutiquam tamen esse assequutum gradum *spiritualitatis*, quem per gratiam Divinam consequuntur sancti sub Oeconomia Nova, quæ spei credentium sola bona melioris vitæ objicit. quod secus se habebat sub Oeconomia Vetere, quæ bona cœlestia terrestribus involvebat. de quo in superioribus [k] disserui.

Interpretatio Veterum.

Posterior sensus eligitur.

Quænam hic emphasis vocis *Jah*?

Sensus integer sententiæ.

Quæ causa doloris tanti ob Vitæ *animalis* jacturam, si *spem* haberet melioris?

Quid hic dici possit ad levandam difficultatem?

Non est pretenda causa ab ignorato vel non credito statu Vitæ melioris. Veteres hanc spem habuerunt.

Lenior & probabilior ratio.

Quid speciatim cogitari queat de *statu Hiskiæ.*

Non intuebor amplius hominem cum incolis terræ cessationis.] Verba gemini sunt aspectus ob dubiam significationem vocis חדל. Sunt qui accipiunt pro *mundo*, ut חדל per metathesin literarum sit pro חלד, quando sensus est; *Non intuebor amplius homines cum cæteris terræ incolis, in eorum communione versatus.* Sic

Alterum membrum *Non intuebor amplius hominem*, &c.

Notatio vocis חדל h. l.

יושבי

[a] Ps. IX. 14. CVII. 18. [b] Cap. XXXVIII. 17. [c] Matth. XVI. 18. [d] Ad locum Matth. XVI. 18. [e] Ps. LXXXIX. 49. [f] Ps. XC. 15. [g] Ps. LXXIII. 24. [h] Luc. XX. 38. [i] Ps. XVII. XLIX. XC. &c. [k] Ad ℣. 3.

ישבי חלד sunt *habitatores Orbis*; proprie, participes ævi quod vivitur cum jucunditate, Pſ. XLIX. 2. Alii חלד hic vertunt per *Nihilum*, *ceſſationem*, quando dicet Vir Sanctus; ſe ponendum in terra ſilentii, in qua ceſſatur ab omni opere & actione, non amplius intuiturum eſſe homines, eorumque gaviſurum commercio, & ex commercio eorum percepturum voluptatem. Et tamen Docti illi Viri, qui חדל interpretantur per *nihilum*, (ut Cl. Coccejus,) volunt Vatem ſacrum per *nihilum* hic intelligere *mundum* hunc ſive *ævum* quod in hoc mundo vivitur, hoc ſenſu quod vita ſit *ævi brevis* & *plena vanitatis*, & tandem diſſolvatur & in nihilum exeat; ut *mundus* qui חלד dicitur cauſſa jucunditatis quæ ex vita percipitur, mereatur per paronomaſiam appellari חדל, *terra ceſſationis*. Diſcedo longiſſime. Poëta hic plorans, ſe per mortem ſeparari à commercio hominum, hunc *mundum* incolentium, non poterat *mundum* appellare ab epitheto quod pretium ejus imminuerit. Si enim præſens vita ſit *nihili*: quid plorat Rex, ſe ab ea abſolvi? Senſus itaque verus & proprius hic eſt, *Ego* cum *habitatoribus terræ Ceſſationis*, (hoc eſt, inferorum,) conjunctus, non videbo amplius homines in terra eorumque fruar commercio, & ex commercio voluptate. Ut mundus & *mundanum ævum* dicitur חלד, quando ab hominibus in lumine mundi verſatis & ſuis quibuſque negotiis occupatis alacriter agitur: ſic ſtatus *mortis παρονομαστικῶς* appellatur חדל ſtatus *ceſſationis*, *intermiſſionis*, & *non-actionis*: videlicet *κατὰ τὸ Φαινόμενον*, ſecundum externam rei ſpeciem; ſecundum quam fato functi *nihil ſcire*, nihil agere, dicuntur [a]. Ego, inquit Rex pius, ſolutus à vita eximar commercio hominum, & *conjunctus cum incolis terræ ceſſationis* cum hominibus in terris amplius non convivam.

Duplex expoſitio. Utraque recenſetur.

Mundus hic non dicitur חלד ab attributo *nihili*, vel *ceſſationis*.

Probabilior ſenſus ſententiæ.

Status Mortis eleganter dicitur חדל oppoſite ad חלד.

יſ. 12. *Habitatio mea migrare coacta & tranſportata eſt à me ut tentorium paſtoris.*] Hebræa ſunt, דורי נסע ונגלה מני כאהל רעי *Ætas mea*, (vita mea, habitatio mea,) *à me profecta & deportata eſt ut tentorium Paſtoris.* Durior videtur metaphora ad primam ſpeciem; nec auſim etiamnum aſſerere, me omnem ejus venuſtatem aſſequutum eſſe. Vox דור Hebræis vulgo notat *ætatem* quæ eſt *generatio hominum* eodem tempore inter ſe viventium, Græcis *γενεά*. Sed de ea difficulter intelligas quod hic legitur. Rex enim moriturus eximendus erat *ætati*: *ætas* proprie & generatio hominum, cujus partem faciebat, non migravit ab ipſo. Paſſim igitur Interpretes per *ætatem* hic intelligunt *vitam*, ut idem valeat דור quod חיים *vita* in *membro ſequenti*: quam metaphoram ita paſſim explicant, ut hic non tantum alludatur ad *tranſlationem*, ſed & ad *convolutionem* ſive *diſſolutionem Tabernaculi*, ut *diſſolutio vitæ* cum *diſſolutione Tabernaculi* comparetur. Forte aliquid veri ſubeſt illi meditationi: ſed dubitem an ſatisfaciat genuinæ notioni vocis דור à Poëta intentæ. Et tamen præferenda interpretatio alteri quæ per vocem דור in hoc loco intelligit *ſucceſſionem Hiskiæ*, acſi quereretur Rex hactenus improles, ſpem ſibi obtinendæ poſteritatis periiſſe. Durum enim eſt, ſpem ſucceſſionis amotam comparari cum tentorio in alium locum tranſlato. Ad me quod attinet, non auſim dicere, me omnem vim hujus metaphoræ aſſequutum eſſe: ſufficiat itaque nunc ſaltem quod in promptu habeo, exhibere. Vocem דור cum Doctis Magiſtris Aben-Ezra & Kimchio hic explico ex voce דור *habitare*, qua ſignificatione Chaldæis receptiſſima eſt, & extat Pſ. LXXXIV. 11. in phraſi, דור באהלי רשע *habitare in tentoriis improbitatis*. Unde ſimul intelligimus, vocem proprie convenire *habitationi in tentoriis*, quippe reſpondet apud Chaldæos Hebrææ גור *peregrinari*, inſtar peregrini habitare vel verſari, cui inſerviunt *domus*, non fixæ ſed mobiles quales ſunt *tentoria*. Eſt itaque mihi דור in hoc loco ipſum *corpus*, in quo animali vita vivitur; *domicilium* in quo anima magis peregrinatur & hoſpitatur, tanquam in *tentorio mobili*, quam vivit tanquam in *domo fixa* & *ſtabili*. Vult itaque dicere Poëta, τὸ *σκήνωμα Tabernaculum corporis*, phraſi Scriptoribus quoque N. T. hoc eodem ſenſu recepta [b], à ſe eſſe amotum & quidem vi, ac tranſportatum, inſtar tentorii Paſtoris, quod vi urgente ſubito diſſolvitur & alio tranſfertur. Alludi autem hic ad *ſolutionem* & *tranſportationem tentorii paſtoritii*, quod, imminente ex hoſtibus metu, vel alias ob cauſſas, ſubito ſolvitur & in remota loca tranſportatur, (quod ut ſatis per ſe credibile, ſic hoc tempore lego apud Chardinium [c], vix magno Tabernaculo ſolvendo impendi *ſemihoram*;) patet ex verbis נסע & נגלה, quæ hic adhibentur. Poſterioris hoc ſenſu nota eſt ſignificatio: ad prius itaque tantum obſervari velim, eſſe vocem conſtructam forma *Niphal*, quæ ei vim ſignificationis addit. Si tantum dicere voluiſſet, σκήνωσιν ſuam in tabernaculo corporis ſui vel ipſum illud *σκήνωμα* à ſe receſſiſſe: ſimpliciter dicere potuiſſet נָסַע: ſed *forma Niphal* arguit *ſolutionem* & *tranſportationem* fuiſſe coactam ac violentam, ſive fuiſſe in ea *πάθημα paſſionem* præternaturalem. Petrina phraſis eſt [d]: *Cum ſciam*, ὅτι *ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματός μου cito futurum eſſe ut deponam tabernaculum meum.* h. e. ut tabernaculum meum, & in eo *σκήνωσις*, à me auferatur, diſſolvatur, & in alienum locum tranſportetur. Habuit in comparatione ſua in oculis, ut putem, *tentoria* Arabum. Eſt autem רעי hoc loco pro רעה, de quo Hebræi & Grammatici jam monuerunt.

Ad יſ. 12. *Habitatio mea migrare coacta eſt, &c.*

Vox דור h. l. quid valeat?

Intt. hic paſſim accipiunt pro *vita*.

Quid in eo veri ſit?

Num potius reſpiciatur *Succeſſio* Hiskiæ?

Vox דור hic commodiſſime verti videtur per *Habitationem*, & quidem in *Tentoriis*.

Hoc loco metaphorice notat *corpus*, in quo anima hoſpitatur.

Senſus Poëtæ ſacri.

Alluditur ad ſolutionem Tentorii Paſtoritii.

Vis vocis נסע in h. l. Forma *Niphal* quam emphaſin hic habeat?

Sensus ſententiæ.

INCIDI *ut textor vitam meam.*] Sic proprie ſonant Hebræa: קפרתי כאורג חיי, & Intt. paſſim conſentiunt in ſignificatione vocis קפר, quæ hoc loco ſolo extat, *incidendi*, *ſuccidendi*, *abbreviandi*: tum quia vox hac notatione uſurpatur Chaldæis: tum quia קפרה commode *excidium* vertitur apud Ezechiëlem [e]: tum denique quia analogia ſequentium huic ſignificationi favet. Cl. Coccejus tamen alibi [f] vertit, *Velociter tranſmiſi ut textor vitam meam*, coll. loco Jobi, Cap. VII. 6. *Dies mei leviores ſunt textu.* Sed aliunde hanc interpretationem non adſtruit, & in hoc ipſo loco cum cæteris Intt. vertit per, *incidi*. At in eo non latet præcipua difficultas. Id gravius eſt, quod metaphora integra hic in aliam mutari videatur formam. Si ſcripſiſſet Poëta, *Incidit* ſc. Deus, *ut textor vitam meam*: nihil hic nos moraretur. Sic enim continuatur metaphora in ſequentibus, eſtque uſitatiſſimi generis. Sed primo, minus videtur concinnum, Poëtam *ſe* hic inducere ut *textorem*; mox vero eandem metaphoram transferre ad alium, h. e. ad Deum, cui vitæ humanæ arbitrium eſt, vitam ſuam pertexentem. Deinde, durius videtur, illum præciſionem telæ ſive ſtaminis vitæ ſuæ referre non ad alium, ſed ad *ſe* ut cauſſam. Et tamen nolui hæc duo, quæ in elegantiam poëſios incurrere videntur, Poëtæ pio imputare. Putem itaque, in voce קפרתי *formæ Pihel* latere ſignificationem formæ *Hiphil*, ut ſæpe aliis in caſibus, & verba vertenda; *feci ut inciderit tanquam textor vitam meam.* quando omnia ſe integre habent. Reſpicit Rex animo dejectus, pro more ſanctorum ſemper ſecum ferentium conſcientiam ſuarum infirmitatum quæ ipſis adhærent; peccata quibus Deum offenderit, eique occaſionem dederit ſtaminis vitæ ſuæ nondum contexti abrumpendi. Imo vero horumce ſuorum *peccatorum* explicatam mentionem facit, יſ. 17. Hieronymus ſenſum optime reddidit, *Præciſa eſt veluti à texente vita mea.* Chaldæus: אתקפרו כנוול גרדאן חיי מיקר מלכותי *Præciſa eſt inſtar telæ textorum vita mea, à gloria Regni mei.* Metaphora, ut notum, Poëtis & Mythicis frequens uſurpatur, & in rem apta eſt.

Alterum membrum: *Incidi ut textor vitam, &c.*

Uſus vocis קפר h. l.

Quomodo accipienda ſit *figura loquutionis* in h. l.?

In voce קפרתי latet ſignificatio *formæ Hiphil.*

Hieron. & Chaldæi expoſitio laudata.

A primis filis reſecat me.] Heb. מדלה יבצעני Verba rurſus varie vertuntur, eſtque eorum, ut videtur, obſcurior interpretatio. Hieron. *Dum adhuc ordirer, ſuccidit me.* Jun. Trem. *A peniculis reſecturus eſt me.* Piſc. *A liciis r. e. m.* Cocc. *Præ tenuiſſimo filo abſolvit me.* Alii: *Ex attenuatione concidit me.* quæ inter-

Sequens membrum: *A primis filis reſecat me.* Variæ verſiones eorum.

a Eccleſ. IX. 5. b 2 Cor. V. 4. c *Hiſt. Itin.* Perſici per *Colchid.* Tom. 1. d 2 Pet. I. 13. e Cap. VII. 25. f In *Lex.*

Quomodo vulgo accipiatur vox דלה?

pretatio est Aben-Ezræ & Kimchii. Exponunt vocem מחלה de *morbo*, ex 2 Sam. XIII. 4. ut dicere velit Poëta facer, præsentem infirmationem & morbum Deo occasionem præbiturum vitæ staminis resecandi. Sed in eo minor est elegantia. Probabile est, Poëtam inhærere metaphoræ, & per דלה intelligere aliquid quod ad *telam textoriam* pertinet. Equidem דל Hebræis usurpatur de homine tenuis valetudinis, succis & viribus exhaustis: sed minus commode usurpatur de *infirmatione subitaria* quæ ex qualicunque morbo acuto nascitur. Nec tamen probem illud Piscatoris: *A liciis resecturus est me.* h. e. *vitam meam resecturus est dum adhuc stamen liciis implicabit.* quod valde obscurum & impeditum est. *Licia* proprie non resecantur: sed *stamen & tela.* Rectius itaque multo דלה exponi videtur de *peniculis* sive *peniculamentis*, h. e. tenuibus filis, quæ in extrema tela relinquuntur, unde textura incipit; sive pro *pano* qui dicitur qui est *involucrum tramæ*, (secundum doctam Illustris Grotii conjecturam:) ut sensus sit per modum ἀυξήσεως, textorem cum *telam* tantum quod texere incepisset, eam mox rescindere veluti ab ipsis peniculis & pano. Cum enim Hiskias Rex, ætate florens & modo ab Assyriis liberatus, nunc demum sibi proposuisset vitam agere tranquilliorem, jucundiorem, glorioſorem: ecce, manus adest, quæ hanc telam exorsa mox videbatur rescissura.

Vera ejus significatio. Quomodo in h. l. accipienda? Refertur hic ad *telam textoriam.* Recte vertitur per *prima fila.* Sensus sententiæ.

Membrum tertium: *A mane ad vesp. &c.* Sensus verborum.

A die ad vesperam absolves me.] Sic proprie Hebræa. Sensus est, *à mane ad vesperam.* Ex quo lux fuit, ad vesperam. ut apud Jobum [a]: מנקר לערב יכתו *A mane ad vesperam succiduntur.* Sensus est: Tela vitæ meæ quam texere orsus es, (oratione ad Deum versa, persona elegantiæ caussa mutata,) videbatur esse brevis operis, & vix unius diei, ut cum mane inceperis, ante vesperam me videreris absoluturus esse. Respondet membro superiori; Deum telam tantum quod orsum mox & ante vesperam videri rescissurum, acsi texturæ pœniteret. Scilicet graviter laborans Vir pius non putabat se ad vesperam superfuturum esse.

Ad ℣. 13. *Composui animum, &c.* Variæ interpretationes. Speciatim Vatabli.

℣. 13. *Composui* animum meum *usque in matutinum: tanquam leo, sic confringebat omnia ossa mea.*] Dubii rursus sensus verba. Hieron. *Sperabam usque ad mane tanquam leo sic contrivit omnia ossa mea.* Vatablus: *Tum posui* vitam meam *usque ad mane. veluti leo sic contrivit omnia ossa mea.* Est interpretatio Kimchii, Sensus, Cum viderem, me vesperi adhuc supereſſe; constitui mihi extremum vitæ terminum proximum matutinum: sed interea expertus sum dolores gravissimos veluti leo ossa mea confringeret. Pisc. *Cogitabam, dum mane erat, tanquam leo ita franget omnia ossa mea.* Imitatus fere est Jun. & Tremell. Sed notatio vocis שוה, *absolute* sumptæ pro *cogitare*, est insolens; & ער בקר non recte vertitur, *dum mane erat.* Valet, *ad matutinum.* Nec secundum hanc sententiam explicat Poëta, quid noctu passus sit. quod hic plane erat necessarium. Cocc. *Posui usque ad mane.* h. e. *Cum me composuissem & perdurassem ad matutinum alterum; ibi nulla fuit remissio; sed tanquam leo ita aliquis me laniavit.* Extat etiam Lud. de Dieu interpretatio, sed quæ nihil commendabile præfert. Coccejus, ut putem, ad verum proxime accessit: licet Hieronymi & vulgatæ aliæ, si eam Piscatoris excipias, à sensu non multum recedant. Verti possunt verba largius: *Composui* patienter animum meum *usque ad matutinum:* sed ipsa illa nocte *tanquam leo confringebat omnia ossa mea.* morbus hac nocte ita sæviebat acsi ossa mea à leone conterentur. Vox שוה hanc significationem eleganter & ἐμφατικῶς obtinet, qua notat actum *animi* se modeste & patienter componentis ad omnem subeundam sortem quam Divina Providentia & Justitia homini decernit. Exemplum sume ex Ps. CXXXI. 2, אם לא שויתי ודוממתי *Si non composui* (proprie, *æquavi*, sedavi,) *& ad silentium redegi animam meam instar ablactati apud matrem suam.* In gravioribus afflictionibus & παθήμασι subinde contingit, ut affectus insurgat adversus Deum, & mens per tumultum affectuum de statu dejecta, plena inquietudinis, vias Dei criminetur. Sed piorum & sanctorum est, tumultum affectuum carnalium sedare; mentem componere ad quietem; se Deo patienter subjicere; nolle videri eo plus sapere: contra vero omnes providentiæ ejus rationes laudare, celebrare. Ait itaque Vir pius, se defunctum die illo quo graviter laborabat, cum adhuc supereſſet; animum composuisse, ut patienter exspectaret, quid sibi adferret matutinum: sed ipso illo tempore nocturno conflictatum esse cum gravissimis doloribus. Videtur enim ejus generis fuisse *ulcus* vel *inflammatio* qua Hiskias laboravit, ut acres ei conciverit dolores. Verum etiamsi hic sensus merito habeatur tolerabilis: nullus tamen dubito, quin aliud fuerit in mente Masoretharum, cum quorum *punctatura* hæc interpretatio non satis commode conciliatur. Secundum illos sententia sic legenda est: *Posui*, (sive *composui* me,) *ad matutinum tanquam leo: sic confregit omnia ossa mea.* Fixerunt Masorethæ super vocem כארי *Zakeph parvum, distinctivum insignis notæ*; & super vocem בקר *accentum Paschta*, qui *distinctivus minor* τῷ *Zakeph* subservit; ut adeo vox כארי secundum ipsos à voce בקר divelli nequeat. Etsi vero Intt. quos inspexi id plane transeant; putabam tamen Cl. Bochartum id respexisse, dum locum alibi [b] allegans, ita vertit: *Proponebam, dum mane erat, tanquam leonem, ita* Deum *fracturum esse omnia ossa mea:* sed observavi postea, esse ipsissimam Versionem Tremellianam. Deinceps hunc locum comparans cum voce כארי Ps. XXII. 17. omnino vertit; *Sicut leo sic franget omnia ossa mea.* Jarchius tamen observavit *punctaturam* in loco exponendo, cujus verba non negligam exhibere, quia ab aliis laudata non vidi. שויתי] *Composui me per totam noctem ad ferendas afflictiones morbi mei, ונתגברתי כארי לסבול & corroborabam me* INSTAR LEONIS *ad ferendum. Verum quicquid ego me obfirmarem ad prævalendum: vel sic tamen prævaluit mihi morbus, ut fregerit omnia ossa me.* Si admittenda esset sententia, in hunc concipienda esset modum, quod cum morbus instar leonis sæviens ossa laborantis frangeret: ipse *leoninum* ei opposuerit animum. Nam sane attributum, *frangere ossa*, pertinet ad *leones*, ut patet ex locis 1 Reg. XIII. 26. Dan. VI. 24. quæ loca juxta hunc nostrum à Viro summo docte illustrata sunt [d]. Sed forte tanti non fuerit Masoretharum auctoritas, ut necesse sit discedere à superiore interpretatione quæ simplicior videtur. *Leo* enim *ossa frangit*, ubi in homines aut pecudes sævit; non in *leones*. *Morbus* itaque *sævions* hic comparatur cum *leone*, vel morbo fortior Deus Regem gravissime per morbum affligens.

Probabilis verborum versio.

Significatio vocis שוה. Notat *componere animum.* Res ipsa declaratur.

Ulcus sive inflammatio Hiskiæ magnos ei attulit dolores.

Quomodo Masorethæ hanc acceperint sententiam?

Cl. Bochartii versio.

Jarchii versio punctaturæ Masorethicarum aptata.

Quomodo explicari possit & in melius accipi?

Temperamentum superioris sententiæ.

A die ad noctem absolves me.] Repetitur sententia *commatis* superioris; nec tamen frustra, ut alicui videri posset. Est enim hic alter dies gravissimi laboris, qui sequutus est noctem difficillimam cujus proxime meminerat. Haud dubie is ipse quo Jesaias Propheta mandatu Divino illum adiit. Repetendum autem hic, ut in sententia tota superiore, est illud, אמרתי *dixi*, quod est in initio ℣. 11. unde tota sententia pendet.

Verba sequentia: *A die ad noctem absolves me.* Iteratio sententiæ quid valeat h. l.?

℣. 14. *Ut hirundo, grus, sic pipiebam: gemebam ut columba.*] Affectu sane nimio in vitam hanc naturalem, qui nobis nec pietatem Regis, nec animi ejus fortitudinem admodum commendaret, nisi ipse hic affectus in bonis sanctisque principiis fundatus fuerit. Sunt autem illa principia in ipso hoc Carmine consignata. *a.* Persuasio de Divina in se indignatione ex peccatis quibusdam à se commissis, qualiacunque fuerint: sive suas infirmitates viderit acutiore sensu, quam necesse erat; quod non est à sanctis alienum: sive vere aliquid perpetraverit, quo Deum gravius offenderit, aut eum offendisse sibi persuasit. Illuc certe referendum est quod dicitur ℣. 17. *Projecisti post tergum tuum* כל חטאי OMNIA PECCATA MEA. β. Studium intensissimum sui ab omni vitio Divinam indignationem

Ad ℣. 14. *Ut hirundo, grus, &c.* Verba produnt magnum affectum Regis erga vitam terrestrem. Unde ille ortus? Persuasum se habuit de Divina in se indignatione.

Fuit in illo studium e-

[a] Cap. IV. 20. [b] Hieron. Part. I. Lib. III. Cap. V. §. I. [c] Cap. VI. [d] Hieron. Part. I. Lib. III. Cap. II.

mendandi etiam in melius instituti vitæ.

nem movere solito diligenter purgandi, & instituti vitæ hac parte emendandi, & honesti exempli ostentandi aliis, ac relinquendi posteris. quod principium nemo neget esse laudatissimum, & producere posse validum & simul optimum affectum. γ. Studium huic affine Dei in cœtibus sanctorum in Templo publice celebrandi, & in laudibus Dei cantandis præeundi aliis. Id certe studium ipse graphice describit ℣. 18. 19. 20. quæ mox inspiciemus. Ad quæ si accesserint, α. Affectus naturalis qui ab omni violenta & intempestiva præsentis status mutatione abhorret. β. Status dignitatis Regiæ qui faciebat, ut vita naturalis ei jucundior & glorioſior obversaretur quam multis mortalibus aliis. γ. Cupiditas certæ & stabilis successionis, qua hactenus destitutus fuisse videtur. utique Manasse filius hoc tempore nondum erat genitus. Quæ omnia universe sumpta Regem facile excusaverint ab animi mollitie, certe mollitie animi indecora, quam ei imputare nolim. Plures causſæ hic concurrerunt; & possunt esse occultæ aliæ, & nobis ignotæ, quas historia non ostendit. Ad cætera quod attinet, quæ ad penitiorem verborum intelligentiam Grammaticam faciunt: petenda sunt ex Cl. Bocharto qui hoc *comma* nostrum operose tractavit illustratumque dedit. Ex ipso discęs, α. per סוס, (quod docuit rectius scribi סיס) hic intelligendam esse *hirundinem*, & per עגור *gruem*, tam in hoc loco, quam in parallelo, Jer. VIII. 7. (ubi סיס & עגור præter hunc locum tantum occurrunt:) contra atque Intt. vulgo opinantur qui סוס per *gruem*, & עגור per *hirundinem* reddunt. β. Commune iis esse צפצף *pipire*, quod Romanis antiquis, in Hirundinibus est *frutinnire* [a], Græcis τιτυβίζειν, ψιθυρίζειν: in *gruibus* vero *gruere*; in *columbis* & *turturibus* הגיה *gemere* [b]. γ. In sonis harum avium quid luctuosum & querulum ineſse; quod locis & exemplis multis evincit, aliàs non ignotum. Tantum observa, dum hic legis כסוס עגור, ut *hirundo*, *grus*, inter quas voces deest *copula* ו: non esse hoc exemplum simpliciter referendum inter ἀσύνδετα, quorum magna in sacris est copia: sed Poëtam sacrum emphasios causſa sic dictasse, ut doceret, vocem suam imitatam esse vocem *querulam* qualem quis ex *hirundinis* & *gruis* querulis sonis inter se conjunctis, quos *pipitum* vocat, per imaginationem concipiat.

Per סיס hic intelligenda *hirundo*: per עגור *grus*.

Ἀσύνδετον in his verbis.

Exhausti sunt oculi mei, spectando *altum versus*.] Hieron. *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* Recte & feliciter. Coccejus: *Exhausti sunt oculi mei.* quod sequutus sum. Addit per modum paraphrasios: *Et tanquam in cavernas suas descenderunt aut demersi sunt, spectando.* Docte, ut opinor, & ad rem. Belgæ nostri: *Oculi mei se extollebant in excelsum.* quod minus convenit significationi vocis רלל. Sensus est, oculos summa intentione in altum elevatos incepisse *deficere*, *attenuari*, & in orbibus suis imminui, ac veluti concidere ac demergi in cavernas suas. Scriptores Sacri aliàs usurpant vocem כלה *deficere*. Sic Ps. LXIX. 4. *Fatigatus sum clamando: exasperatum est guttur meum:* כלו עיני DEFECERUNT (consumpti sunt) *oculi mei*, *sperando* tendentes *in Deum meum.* Confer Ps. CXIX. 123. Thren. IV. 17.

Exhausti sunt oculi mei spectando altum versus.

Belgarum versio commendatur.

Usus vocis כלה in Scriptura.

Jehova! Vis mihi fit: recipe me in fidem tuam.] Subintelligendum rursus, אמרתי *dixi*. sc. positus in summis angustiis, tuam respiciendo opem & salutem. Pulchra est sententia, & vera confessio fidei pii Regis. ערב Hebræis valet *miscere*; atque inde *spondere*, *fide jubere*, *in fidem suam recipere*. Quod locum habet, ubi *debitor*, impar solvendo, dum à creditore prehenditur, ex lege ducendus in carcerem: circumspicit diligentiorem & potentiorem, cujus se committat fidei ut *tertii* eumque orat & exorat, ut *se* causſæ ipsius *misceat*; laboranti succurrat; fide sua interveniat & caveat; è potestate creditoris laborantem suo interventu & fidejussione vindicet; eique præstet libertatem ac salutem.

Verba: *Jehova! Vis mihi fit*, *spondepro me.*

Sententia insignis.

Significatio genuina vocis ערב, *spondere.*

Actus ipse explicatur.

Sancti, in Schola Dei versati, intelligebant, *Deum* id posse, salva justitia: posse, inquam, homini laboranti succurrere, & se pro eo interponere, eumque הושיע *salvare*, ut Poëta noster ℣. 20. Deum autem hunc effectum præstare peccatori medio *Angeli salutis*, qui est apud Deum, in proxima & naturali ejus conjunctione, Divinam gloriam omnem in se tanquam ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ recipientis, quem vocabant ANGELUM גואל REDEMPTOREM [c]. Unde Propheta noster alio loco [d] cum dixisset, Deum Populo suo fuisse למושיע *in Salvatorem*: se ipse interpretatus, mox addit: *Et* ANGELUS FACIEI EJUS הושיעם SERVAVIT IPSOS *amore suo & clementia sua*, בחבתו ובחמלתו הוא גאלם *ipse tanquam* GÖEL EOS VINDICAVIT. se videlicet pro iis interponendo, & dicendo; *Ne descendat in foveam*, *inveni* כפר λύτρον, *pretium redemptionis* [e]. Est enim גאל proprie qui quid sibi, ut *suum* vindicat, exerta manu; sed, secundum Legem, soluto pretio ejus quod alienatum erat. quod mysterium *sponsionis* & *fide jussionis Filii Dei* pro peccatore nobis clarissime revelatum est in Scriptis N. T. etsi difficile dictu est, quo claritatis gradu id perceperint Sancti sub Oeconomia antiqua. Et tamen teneo, Sanctos illustriores per nebulas, quibus obsidebantur, summam ejus perspexisse. Phrasis ipsa hujus loci tam est emphatica, ut id satis evincat. Quod enim dicit, עשקה לי *vis mihi fit*; respicit ad *Angelum mortis*, τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου *qui* executor Divinæ justitiæ *mortis habet imperium:* qui dum peccatorem ut *debitorem* vi Legis prehendit, & sibi vindicat: nullum ille refugium habet, nullam spem salutis, nisi ut imploret opem *Angeli salutis* & *vitæ*, qui est *apud Deum*, ut per ejus interpositionem inter Divinam Justitiam & se, ab *oppressione Angeli mortis* vindicetur & liberetur. Hæc una spes est peccatoris, quam, statu etiam Christianismi jam degenerantis [f], plures ex præstantioribus ejus Doctoribus inculcarunt: ut patet ex *quæstionibus*, auctore Anselmo *proponendis* apud ægros, ex Ulenbergio excerptis ab Usserio [g], lectu dignissimis. Sunt in his aurea verba ex alloquio ad ægrum faciendo: *Et si Dominus Deus te voluerit judicare: dic, Domine, mortem Domini mei Jesu Christi* OBJICIO *inter te & me & judicium tuum. aliter tecum non contendo.* Pie dictum. Simile huic nostro est quod occurrit Ps. CXIX. 122. FIDEJUBE (ערב) *pro servo tuo in bonum: ne vim mihi faciant superbi.* Doctrina integra exponitur in Ode Evangelica, Ps. CXXX. 1. seqq. *Deus fidejubens*, vindicans, liberans, est *Deus* יה JAH, de quo ℣. 11.

Fides Sanctorum antiqui Fœderis de *sponsione Filii Dei* pro peccatore.

Usus vocis גאל.

Vox עשקה in h. l. quid significet?

Illustre exemplum veræ fidei de *Sponsione Christi*, statu Ecclesiæ degeneris.

Loca analoga.

℣. 15. *Quid loquar? Et* DIXIT *mihi*, *&* FECIT *ipse.*] Hieronymus in his verbis & sequentibus nihil aut parum vidit. Recentiores sensum jam detexerunt. *Quid loquar?* h. e. quid multis verbis prædicabo & celebrabo beneficium ad hanc meam supplicationem in me collatum? Hæc significatio subest voci רבר, proprie sumptæ. notat, longiore orationis ductu aliquid enarrare, prædicare, celebrare. Sic Ps. XL. 6. אגידה ואדברה *Si ea enarrem aut* ELOQUAR, (sc. magnalia & beneficia Divina de quibus verba fecerat:) *potiora sunt quam ut ea recensere valeam.* Ps. CXLV. 21. *Laudem Jehovæ* ידבר פי ELOQUETUR, (enarrabit, celebrabit,) *os meum.* Complectitur itaque paucis, sed ἐνεργητικῶς. *Et* DIXIT *mihi*, *&* FECIT *ipse.* Ipse ad humillimam meam supplicationem, qua me ad mortem raptum committebam ejus gratiæ & fidejussioni, mihi per Prophetam Jesaiam suum *condixit* auxilium; & *fidem* liberaliter datam actutum liberavit. Vox אמר hic est *prædicere* vel *promittere*, (quod posterius hic præcipue obtinet:) & עשה *promissa repræsentare*; rem promissam actu exhibere. quæ notatio vocis reservata est in vocabulis אמר & אמרה, quæ in Sacris pro *condicto* aut *promisso* usurpantur. Sic Vates facer [h]: *Num defecit in æternum* חסדו *benignitas ejus: finem suum consequutum est* אמר DICTUM (condictum, promissum,)

Ad ℣. 15. *Quid loquar? &c.*

Sensus dicti exponitur.

Significatio vocis דבר.

Verba. *Et dixit mihi, & fecit ipse.* Sensus eorum.

Vis vocis אמר.

Subinde notat *promittere.*

Exempla ejus generis.

a *Hieroz.* Part. II. Lib. I. Cap. X. XI. b Part. I. Lib. I. Cap. III. c Gen. XLVIII. 16. d Cap. LXIII. 7. e Job. XXXIII. 24. f Sæc. XII. g De *Succeſſ. Eccleſ.* Cap. VII. §. XXII. h Ps. LXXVII. 9.

in quamque ætatem. Alibi [a]: *Sustine me* כאמרתך *secundum* CONDICTUM *tuum, & vivam.* Notio אמר hoc differt à דבר, ut significet, quid præcisè *dicere* aut *dicto definire.* quid eloqui per sententias. Integra vero phrasis, quæ hic adhibetur, explicanda est ex loco parallelo [b]: ההוא אמר ולא יעשה *An ipse* DICERET, *& non* FACERET; *loqueretur, idemque non præstaret?* Repetita autem copula ו *&* hanc habet emphasin, ut significet: *simul dixit, simul fecit.* quam jam observavi Cap. XXXVII. 7. in phrasi: ושמע שמועה ושב. Promissi & condicti Hiskiæ facti executio non est dilata in longum. Simul atque Deus Regi per Jesaiam valetudinem & vitæ prolongationem promisit: medicam adhibuit manum ad ejus curationem efficiendam. Dictum, factum.

Præfixa quomodo hic accipienda?

Procedam alaciter per omnes annos meos defunctus amaritudine animæ meæ.] Dubium rursus in his verbis facit vox אֲהַלְּכָה, quæ passim statuitur esse pro אֶתְהַלֵּךְ terminationis *Hithpahel*, à voce דלה, quam vertunt per *procedere* sive *alaciter procedere:* idque etiam mihi videtur probabile ex loco Ps. XLII. 5. in quo solo præter hunc nostrum legitur. Verba mentis querulæ ita se habent: *Horum recordor, & effundo apud me animam meam cum irem in cœtu frequente,* אֲבַהֵם (pro אֶתְהַלֵּךְ עִמָּם *procedebam cum ipsis,*) *ad domum Jehovæ, voce cantus & confessionis turba festiva.* Certe si significatio vocis ex hoc loco definienda est, notat processionem solennem eamque alacrem, qua turba magna in Festis cum jubilo per modum processionis it ad Templum, & in ejus atriis cum lætitia versatur. quæ notatio vocis huic loco aptissime convenit. Dicet enim Rex pius, se recuperata valetudine deinceps processurum cum lætitia & alacritate; & vero maxime in sacris in Templo in festiva turba versaturum & nomen Divinum celebraturum esse. Tantum quod hic additur, על מר נפשי quod verti potest *propter amaritudinem animæ meæ*, Doctos quosdam Intt. à priore sensu definiendo distraxit. Quo enim commodo sensu pius Rex solatio Divino recreatus & ægritudine levatus dicere queat, *se alacriter processurum esse propter amaritudinem animæ suæ?* Et sunt tamen plures qui se huic interpretamento adstrinxerunt. Sed sane præter rationem. Vocula על hic vertenda est per *super* vel *supra*, ut sensus sit; se postquam *superior factus* sit animæ suæ ægritudine, sive postquam ea defunctus sit, nunc recordatione beneficii in se collati alacriter coram Deo processurum esse per reliquum tempus vitæ sibi sorte Divina destinatum. plane ut Ps. XLVIII. 15. *Quia hic Deus est Deus noster in sæculum & sempiternum:* הוא יהנהגנו על מות *ille nos ducet* SUPRA MORTEM. non, *ad mortem.* Viderunt jam hunc sensum loci nostri Docti Viri, quos tamen miror meliora monentes alios deseruisse. Jun. & Trem. *Ultra amaritudinem animæ meæ.* Pisc. *Post amaritudinem animæ meæ.* Cocc. *Non obstante animæ meæ ægritudine.* quod paulo videtur durius.

Procedam alaciter, &c. Vox אדרך quomodo hic accipienda?

Locus Ps. XLII. 5. ad ejus notationem illustrandam adductus.

Significatio ejus in h. l.

Sententia hujus loci inde declarata.

Quomodo ei expositioni respondeant verba, על מר נפשי *propter* vel *supra amarorem animæ meæ.*

Verus illorum sensus. על hic valet *supra.*

Locus insignis Ps. XLVIII. 15. illustratus.

℣. 16. *Domine! his vivitur, & in omnibus hisce est vita spiritus mei, & facies me convalescere, & vivificabis me.*] Sensus est, à plerisque Intt. probe perspectus, promissa gratiæ ad supplicationes humillimas sanctorum impetrata, eorundemque exhibitionem & repræsentationem promptam atque expeditam præstare vitam animæ; sive, brevioribus verbis, gratiam Divinam & gratiæ Divinæ promissa, esse animæ vitam, & vitæ veræ pabulum ac nutrimentum. Sic Vir Sanctus in eximia Ode [c]: *Anima mea adhæret pulveri: vivifica me secundum* VERBUM TUUM. Rursus [d]: *Vivifica me secundum* VIAS TUAS. Lud. de Dieu de difficultate loci præfatus eundem diversis curis tentavit; quas aliorum judiciis lubens committam, dum meo non probantur. in quibus speciminibus, in cæteris varius, hoc unum firmiter tenet, verba, אודי עליהם quæ in initio pericopæ occurrunt, vertenda esse: *pro quibus*, vel, *supra quos Dominus* est, *illi vivent.* Vel, *Dominus illis præest*, sc. annis meis: *vivent*, sc. *anni mei.* prius censeo tolerabile, quod pariter placuit Coccejo; sed posterius nihil boni sensus aut elegantiæ præfert. Orationem Prophetæ attente legens poterit observare, vocem אדוני hic *appellative* vertendam esse, *Domine*, quippe quod non tantum reliqua hujus *versiculi*, sed & tota *insequens* oratio exigit, ad Deum directa. Vox autem עליהם, quæ reddi potest, *in his, propter hæc, per hæc*, manifeste refertur ad præcedentia, h. e. *promissa gratiæ & eorum exhibitionem*, quæ Vir pius proxime commemoraverat. *Consistere* autem his veram *vitam animæ*, prosperitatem, felicitatemque omnem, quis neget vel in dubium vocet? Cur igitur id dicere nolimus Virum pium, quod quisque videt in rem aptissime dici? Chaldæus qui quantum licet, semper sublimia videt & sapit in interpretatione Verbi Dei, quod cum voluptate observo, in priori illo membro, *Domine! propter hæc vivent:* vidit *vivificationem mortuorum novissimi diei.* Verba ejus: *Domine! de omnibus mortuis dixisti, te eos vivificaturum esse; & ante omnes illos vivificasti spiritum meum.* In extremis, ותחלמנו והחייני duo observanda sunt. Primo, vocem חלם hic ex usu Chaldaico vertendam per *convalescere*, ut החלים sit *valetudinem* ægro *reddere*, instaurare, *facere convalescere*, ut Chaldæus quoque hoc loco. Supereſt notatio vocis apud Jobum [e]. Certe oratio præsens hanc significationem flagitat. Deinde, vocem החייני hic recte reddi, *vivificabis me*, non, ut Cl. Coccejus, *Vivifica me.* Est *formæ Infinitivi*, quæ alias formas, ut usu venit, adoptat. Exemplum *Futuri* habuimus Cap. v. 5. [f]

Quæ non probatur.

Chaldæi Int. paraphrasis singularis.

Extrema, *Et facies me convalescere*, &c. exposita.

Usus vocis חלם hoc loco.

Vox החייני cujus *formæ?*

℣. 17. *Ecce in pace obtigit mihi amaror valde amarus.*] Hebræa: הנה לשלום מר לי מר Hieron. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Sensus est, Cum nihil mali sentirem aut præsentirem & metuerem; & optata viderer uti valetudine: sive, ut Piscator & Belgæ: Cum modo liberatus essem ab Assyriis, & viderer cum voluptate gavisurus pace & tranquillitate, tam ardenter desiderata. Neutrum improbo; & si ægrotatio Regis inciderit in tempus Liberationis ab Assyrio, quæ nostra est hypothesis: posterius æque ac prius locum habere potest. Sed sunt specimina duo interpretationum aliarum, ab hac nostra diversarum. Sunt qui vertunt, *Ad pacem* advenit *amara mihi amaritudo.* Sic Jun. & Trem. Sensus; difficillimi & desperati morbi symptoma, quod fidem & spem Regis non parum exercuit, etiamsi in præsenti videretur esse λύπης *tristitiæ*, vere tamen produxisse καρπὸν εἰρηνικὸν, *fructum pacificum.* h. e. incrementum sanctificationis, consolationis, fiduciæ reponendæ in Divina gratia. Sic Scriptor Apostolicus ad *Hebræos* [g], veluti ad hunc locum alluſisset. Altera interpretatio est Cl. Cocceji, & ei nisi fallor, peculiaris: *Ecce in pacem amarum mihi vertit.* Intransitive. Alio loco: *In incolumitatem amaror mihi versus est.* Secundum quam interpretationis formam in oratione Prophetæ ineſſet figura dictionis quam Rhetores *Antanaclasin* vocant, qua una vox in una sententia diversas admittit significationes, frequentis usus in Sacris [h]. Alterum מר hic esset ex מרר *amarum esse*; alterum ex מור *converti*, (qua tamen forma alibi non usurpatur:) in *Hiph.* המיר *mutare.* In utraque interpretatione, (præsertim posteriore,) multum elegantiæ est; atque adeo non dubitarem alterutram earum adoptare, si insequens membrum faveret. Sed manifeste obstat. Sequitur enim, *Et tu eo me es complexus amore, ut me vindicaveris ex fovea* ἀφανισμῷ *abolitionis.* Ubi copula ET necessario accipienda est *adversative* pro *sed.* quod non consistit cum interpretamentis proxime productis. Obstat etiam interpretationi Cl. Cocceji *punctatura* Masorethica. Prius enim מר debuisset signari puncto *Kamets.* In *posteriori* Kamets est ex accentu. Duplicatio autem vocis מר *amaror*

Ad ℣. 17. *Ecce in pace obtigit mihi amaror*, &c. Sensus sententiæ.

Specimen interpretationis Jun. & Trem. non contemnendum.

Et Cocceji animadversu digna.

Non satis commode conciliantur cum *sequenti membro.*

Usus in eo voculæ *Et.*

Geminatio vocis מר.

Ad ℣. 16. *Domine! his vivitur.* Sensus sententiæ.

Promissa Gratiæ sunt vita animæ.

L. de Dieu meditatio.

---

a Ps. CXIX. 116. *b* Num. XXIII. 19. *Dist. Heb.* *c* Ps. CXIX. 25. *d* ℣. 37. *e* Cap. XXXIX. 4. *f* Vide Glass. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. III. Can. XLIV. *g* Cap. XII. 11. *h* Vide Glass. *Rhet. S.* Tract. II. Cap. III.

maror meræ est elegantiæ, nec inusitatæ, ad augendam emphasin. Exemplum mox recurret ℣. 19.

Verba, *Sed tu amplexatus es animam meam, &c.*

Sed tu amplexatus es animam meam è fovea inanitionis.] Sic proprie sonant Hebræa: ואתה חשקת נפשי משחת בלי ubi id unum observandum, in voce חשק latere geminam significationem. Valet enim, tu summa teneritudine affectus complexus *animam* sive *vitam meam*, eam *vindicasti è fovea* ἀφανισμῷ *abolitionis*. חשק notat quem summa propensione voluntatis *complecti*, & se proxime ei ita unire ut totum ambeas & amplectaris. Certe affectus Dei erga Regem pium plane fuit singularis, idque ut intelligeret Hiskias, Deus curavit.

Gemina significatio involuta voce חשק.

Abjecisti post tergum omnia peccata mea. Character piorum ex h. l. demonstratur.

Quia abjecisti POST TERGUM TUUM *omnia peccata mea.*] En characterem verum piorum! Agnoscunt, α. Se à natalibus esse impuros & peccatores. β. Etiam in communione Dei versatos in multis *deficere*. γ. *Aberrationum* suarum & culpæ coram Deo vivam circumferunt conscientiam. δ. Afflictiones quæ sibi per vitam occurrunt, referunt ad peccata tanquam earum veram causam. ε. Eorum coram Deo, iis maxime casibus quibus à manu Divina gravius premuntur, confessionem edunt. quod officium Rex pius non neglexit. Etiamsi autem Jesaias in promisso gratiæ ipsi exposito nullam mentionem fecerit *peccatorum* ipsi *remissorum*: assurrexit tamen ipse, ut ratio suadebat, ab effecto ad causam; & rectissime collegit, se in instauranda & instaurata præter ordinem valetudine habere indubium pignus gratiæ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν. Est autem phrasis, *abjicere peccata post tergum*, admodum emphatica, desumpta ab his quæ oculos offendunt, & ut è conspectu removeantur, *post tergum abjiciuntur*. Oratio Scholæ Veterum Sanctorum luxuriatur, quod vere dixerim, in exprimendo Beneficio *Remissionis peccatorum*, quod unicum Sancti Veteres recte intellexerunt homini præstare veram consolationem. Nostra hæc βῆσις alio loco, nisi fallor, non occurrit: sed proxime ad eam accedit dictio Michæ animadvertenda, *peccata projicere in profundum maris*. Verba integra sunt *a*: *Rursus miserebitur nostri:* יכבוש SUBIGET *iniquitates nostras*, (ut adversus nos non consistant aut hiscere audeant coram tribunali Divino:) *& projicies in profundo maris omnia peccata ipsorum.* Abolebis illa & interimes ita acsi nunquam extitissent, remissione perfecta & æterna. Contrarium ejus quod hic dicitur est, Ps. CIX. 14. 15. *Iniquitas Patrum ejus* COMMEMORETUR (יזכר) *apud Jehovam: & peccatum matris ejus ne deleatur:* יהיו נגד יהוה תמיד *sint* CORAM JEHOVA (ante Jehovam,) *semper*. Pariter apud Jeremiam *b*: *Oculi mei sunt super omnes vias eorum; non sunt occultæ coram facie mea,* ולא נצפן עונם מנגד עיני *& non occultatur iniquitas illorum à* CORAM FACIE MEA. Et Hoseam *c*: *Nunc circumdant eos opera ipsorum:* נגד פני היו CORAM FACIE MEA SUNT. Phrasis desumpta est ab accusatore Judiciali, qui coram Judice clare explicat crimina adversus Legem aut Majestatem Principis commissa; & in *judicio sanguinis* ipsas profert occisi vestes aut criteria alia reum convincentia criminis commissi, & justitiam Judicis aut vindictam Principis provocantia. quibus remotis & post tergum abjectis, sequitur placamentum iræ & exhibitio gratiæ.

Hiskias afflictionem suam piè retulit ad peccata sua.

Phrasis, *abjicere peccata post tergum*, unde desumpta?

Beneficium *Remissionis peccatorum* variis phrasibus exprimitur.

Locus Mich. VII. 19. cum hoc collatus.

Illustratur ex contrariis.

Peccata *non remissa* dicuntur esse *coram facie Dei.*

Unde desumpta phrasis?

Ad ℣. 18. & 19.

℣. 18. *Quia status inferorum te non confitebitur*, sive, *laudabit:* MORS TE NON CELEBRABIT: *non sperabunt descendentes in foveam ad veritatem tuam.* ℣. 19. *Vivens, vivens ipse celebrabit te ut ego hodie: Pater filiis notam faciet veritatem tuam.*] Id agit Rex pius ut Beneficium in se collatum quam amplissime extollat, & quidem ex rationibus, quas principia fidei & pietatis ipsi suggesserunt. Docet itaque, præcipuam causam, cur *vitam* amet, esse *confessionem* Divini Nominis *laudationi* mixtam, (quæ emphasis est vocis הודה) & *celebrationem Celsitatis, Virtutum*, & *Beneficiorum* Dei Jehovæ, *Veritatisque* ejus in repræsentandis *Promissis Gratiæ*, instituendam in cœtibus publicis Populi Dei: quæ sane vivendi causa est honestissima, fundata in sincera agnitione & fide Dei veri, & in sincero studio gloriæ ejus. qui character est sanctorum. Quanto autem Regis est spectabilior & eminentior persona quam privatorum eique subditorum: tanto exemplum Ejus Populo Dei in publico Religionis officio præeuntis erat celebratius & magis faciebat ad gloriam Dei, Religionis decus, & ædificationem publicam. Solummodo videri posset, dum præsentis vitæ statum extollit, spem futuræ nimium deprimere & extenuare. De quo necessario hic rursus monendum est, licet videri possent sufficere quæ ad ℣. 10. 11. & 12. de eo jam anticipavi. Si verba; *Status inferorum*, (שאול, h. e. *Status mortis*, ut monui ad ℣. 10.) *te non confitebitur cum laudatione*, accipiantur *absolute*: hanc exhibent sententiam; mortuis nullum esse sensum aut intellectum: nullum ab iis committi actum Dei glorificandi & celebrandi: nulla illos in communione sanctorum gaudere consolatione & lætitia: nulla superesse promissa in iis implenda: actum de illis esse, & plane interiisse ad æternas damnatos tenebras, & perpetuum ἀφανισμόν. Qui sensus cum absurdus sit, & recta incurrat in fidem ac spem sanctorum omnis temporis, ætate Davidis imprimis clarissime explicatam, ut supra observavi: necessario dicendum est, hæc verba de *Functorum statu* non esse accipienda ἁπλῶς *absolute*, sed σχετικῶς *relative*, cum respectu ad *Laudationem* & *Celebrationem* Dei veritatisque ejus in implendis promissis gratiæ, quæ obtinet in cœtibus sanctorum in hisce terris. Cum enim Deus Ecclesiam habeat & habere velit in hisce terris: facit plurimum ad gloriam & honorem ejus & ad scopum quem sibi in æternis consiliis suis proposuit, ut sint in terris spectabiles homines qui Ecclesiam sustineant; nomen Virtutesque ejus celebrent; & Deum celebrando ac laudando aliis præeant. cujus gloriæ & honoris Divini cum sancti piique homines valde studiosi sint; & ex eo officio vere decentissimo magnam consolationem ipsi quoque percipiant: id ipsum in supplicationibus & doxologiis suis urgent; esse vel fuisse Deo rationem sui liberandi & servandi justissimam, quia Vita functi per ipsam mortem inepti & inhabiles evadunt ad Deum in Ecclesia Populi sui confitendum ac celebrandum: quod tamen ipsum maxime velle, satis constat. Suntque hic analoga loca *d* plura, dudum ab aliis observata, sed ultra scopum non extendenda. Accedit ad hæc, in celebrando Beneficio quanto magis opposita extenuantur; tanto plus efferri Beneficii magnitudinem, & plus laudis redundare in Beneficii auctorem. Cætera observandum, α. vocem אמרת *veritas* hic bis occurrere pro illa Dei virtute qua fidem præstat promissis, in eorum repræsentatione & exhibitione, ut sæpe alias *e*. sive metonymice, pro ipso *promissorum Divinorum implemento*. β. Quod est in initio sententiæ: חי חי VIVENS, VIVENS *confitebitur tibi*; rectissime, ut putem, sensu μυχιωτέρῳ ita accipi potest, ut prius *Vivens* pertineat ad *Vitam Naturæ* sive *Animalem:* posterius ad *Vitam Gratiæ*. Pulchra est sententia. Deus non celebratur in terris nisi ab his qui duplicem vitam, *spiritualem* æque ac *animalem*, participant. γ. In extremo membro hujus sententiæ: אב לבנים יודיע אל אמתך *Pater Filiis notum faciet* AD *veritatem tuam:* ut proprie videntur sonare Hebræa: admitti posse sententiam Kimchii, voculam אל hic positam esse pro את, ut subinde את ponitur pro אל, quando simplicissima exurgit versio, *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Sic quæ ipse promit exempla, Jud. VII. 25. וירדפו אל מדין *Et persequebantur Midianitas.* Ps. II. 7. אספרה אל חק *Narrabo statutum.* Ut pariter Ps. LXIX. 27. ואל מכאב חלליך יספרו *Et dolorem exanimatorum tuorum narrant.* Sed non est negandum, posse in his locis vocem אל quoque admittere propiorem emphasin. *Persequi* aliquem ut *eum assequaris*, proprie est רדף constructum cum אל. In cæteris את recte vertitur per *secundum.* quod Cl. Coccejus etiam

Ut & ad voc. אל in extremo sententiæ.

Sententia Kimchii, אל hic esse pro את.

Exempla ab ipso prolata.

Hiskias ipse præcipuam causam amoris vitæ temporalis demonstrat esse studium Dei in Ecclesia glorificandi.

Pondus ejus rationis.

An oratio Regis non subverat *spem melioris vitæ?*

Oratio Regis non est accipienda *absolute*, sed *relative.*

Deus vult in terris habere Ecclesiam, & in ea celebrari.

Res tota ex his principiis declaratur.

Observata textualia, ad vocem אמרת *Veritas*, & geminum חי *Vivens.*

a Cap. VII. 19. *b* Cap. XVI. 17. *c* Cap. VII. 2. *d* Ps. VI. 6. XXX. 10. CXV. 17. *e* Confer Ps. XXXI. 6. CXV. 1. &c.

Aliorum meditationes.

hic præfert *a*, ſed minus commode ſonat. In ipſo hoc loco habet, *Cognoſcere faciet de veritate tua.* quod ab interpretatione Kimchii parum diſſidet. Chaldæus אר accepit pro *potentia*; ſed in eo ſequutus eſt ingenium ſuum. Maſorethica *punctatura* non favet interpretationi: ut neque notio vocis אר, & conſtructio. Ex meo ſenſu, gemina ſignificatio involuta eſt conciſa & abrupta ſententia, in hunc modum: *Patres filiis notam facient* veritatem tuam *ad veritatem tuam*, h. e. ut promiſſis tuis fidem habeant; ſive ut eos ad fidem habendam promiſſis tuis adducant, & ad fidem promiſſorum tuorum celebrandam inducant.

Commodior interpretatio.

Ad ℣. 20. *Jehova eſt ſalvandum me, &c.*

℣. 20. *Jehova* eſt *ad ſalvandum me; iccirco Odes meas Lyricas fidibus canemus per omnes vitæ noſtræ dies in Æde Jehovæ.*] Priori membro ſubeſt ellipſis, quæ ab Intt. varie ſuppletur; eodem fere manente ſenſu. Kimchius: *Jehova dixit de me ſalvando.* Alii: *Jehova præſto eſt*, ſive, *fuit ad ſalvandum me.* Sic Jun. Trem. Piſc. Belgæ. Simpliciſſimum eſt quod Coccejus habet, *Jehova* eſt *ad ſalvandum me.* h. e. me ſalvat. id ipſo actu agit ut me ſervet. Sic enim moris eſt apud Hebræos verbum היה *cum infinitivo παραφραστικῶς* uſurpare: ut ipſe variis exemplis docet ad Job. xx. 22. Senſus is eſt; Jehova me ipſo actu ſalvat. præſtat ſe mihi Servatorem & Liberatorem. quod expoſitione alia non indiget. Vox נגן Hebræis idem valet quod Græcis, *κιθαρίζειν*, *cithara canere*, ludere. qui cantus paſſim cum *voce* conjungebatur, & dicebantur qui ei rei operam dabant *κιθαρῳδοί*. unde נגינה *Ψαλμῳδία*, *Oda lyrica* *b*. Sane videtur ex hoc ipſo loco patere, Regem, Religionis ſtudioſiſſimum, ad exemplum Davidis Patris ſui, cum quo multa communia habuit, doctum fuiſſe artem *κιθαριστικὴν ludendi lyra* ſive *cithara*, & *Poëmata Lyrica* in hunc uſum ipſum compoſuiſſe: nec eſt mihi dubium, quin extent ejus compoſitionis aliqua in Odis Davidicis, incertæ *Inſcriptionis*. Interim obſervemus ex hoc loco, verum fructum & effectum Liberationis eſſe *εὐχαριστίαν Gratiarumactionem*, ſe diffundentem per omnes vitæ actus. Typum exhibet officii ſtatuſque noſtri, quibus pretioſo ſanguine Filii Dei vindicatis ab æterno & imminenti exitio convenit per omnes vitæ noſtræ dies Nomen Dei, Virtutes ejus, & Beneficia in nos collata, animo, ore, geſtu, laudare & celebrare in cœtibus ſanctorum & omni commoda occaſione, ut univerſus vitæ noſtræ curſus ſpeciem præferat honeſtæ *εὐχαριστίας*.

Ellipſis in *priore membro.*

Quomodo ſupplenda ſit?

Uſus vocis רוח cum *Infinitivo.*

Significatio vocis נגן.

Doctrina Practica ex hoc loco elicita cum reſpectu ad ſtatum noſtrum.

Ad ℣. 21. Modus curationis Hiskiæ.

℣. 21. Et dixerat Jesaias: *Sumant palatham ficuum, &c.*] Supplementum eſt hiſtoriæ ſuperioris, quod ad primam ſpeciem videri queat non poſitum ſuo loco & ordine, quippe ſubnexum Odæ Regis Euchariſticæ pro Beneficio Liberationis ex morbo & morte; cum in eo regreſſus fiat ad ſuperiora, & deſcribatur *modus* & *remedium* curationis Regiæ à Jeſaia commendatum. Ita ſane videtur, atque adeo Grammatici hanc pericopam recenſent inter *Hyſteroſes hiſtoricas* *c*: cujuſmodi non paucas dari, exploratum eſt. Veruntamen quod ad hanc ſpeciem attinet, ut eam nunc inſpicio; putem, Doctos Hiſtoricos antiqui temporis, ut ſane Jeſaiæ noſtri manus doctiſſime ſcripſit, in more habuiſſe, non conjicere omnia quæ ad argumentum pertinebant, in unum locum; ſed ea; ut uſu veniebat, dividere, ſtudio elegantiæ; eſtque mihi exemplum prorſus huic noſtro ſimile in hiſtoria Davidis & Nabalis, accurate & eleganter ſcripta, 1 Sam. xxv. 21. ubi poſtquam in ſuperioribus jam narrata eſſet indignatio Davidis in Nabalem concepta, ejuſque conſequens expeditio ad ſumendam vindictam, & Abigailis conamina ad iram ejus placandam: demum referuntur verba, quæ David juſta ira motus locutus fuerat, cum ad ſe referrentur inhumana ac probroſa Nabalis dicta, ad eundem plane modum: ואמר דור Et David dixerat: *An itaque in vanum, & ſeqq.*

Superioribus cohæreat?

Docti Viri hæc explicant per figuram *hypallages.*

Commodior ſententia.

Modus ſcribendæ hiſtoriæ antiqui temporis.

Exemplum ſimile ex 1 Sam. xxv. 21.

Sumant palatham ſive *maſſam ficuum, & facto cataplaſmate imponant* INFLAMMATIONI.] Dubia magis eſt ſignificatio vocis מרח, rarius uſurpatæ: ſed docuit Cl. de Dieu, quod jam monuerat Aben-Ezra, notionem מרח valere apud Arabes notatione *inungendi*, *fricandi*, atque adeo verba: ויברחו על השחין recte verti, *Fricent ſuper ulcus*, ſive potius, *inflammationem.* Sic enim rectius reddi vocem שחין, patet ex loco Exod. ix. 9. ſeqq. Οἱ ὁ. h. l. Λάβε παλάθην ἐκ σύκων, καὶ τρίψον, καὶ κατάπλασαι· *Sume maſſam de ficubus, & tere*, (contunde, comminue,) *& fac cataplaſma.* Cæterum non patet ex hiſtoria, cujus generis hæc fuerit *inflammatio* peſtifera & lethifera, & difficile eſt, id aſſequi per conjecturam. In hiſtoria tamen nihil mihi occurrit quod cum hoc caſu morbi Regii, ex inflammatione valde dolorifera ſubito orti, commodum compares quam quod recentior hiſtoria exhibet in Ladiſlao, Auſtriæ Principe, Alberti Cæſaris Filio, Bohemiæ & Hungariæ Rege, qui prima & florente ætate ſubitaria inflammatione cum multis conjuncta doloribus breviſſimo tempore vitam finiit *A*. Adſcripſit Grotius, ad verba: Massam de ficis: *Quæ vi nativa magis nocitura fuiſſe creditur.* Sic præiverat Aben-Ezra, qui proinde id inter miranda hujus caſus refert. Sed non putem, id ita ſe habere. contra verò *ficus* ea videntur eſſe, ut cenſentur, vi nativa ut quod noxium eſt in inflammationibus ad ſe attrahant.

Vox מרח in h. l. commode illuſtrata à Cl. de Dieu.

Cujus generis hæc fuerit *inflammatio Hiskiæ?*

Illuſtratur ex exemplo recentioris temporis.

Ill. Grotii *Annotatum* ad remedium Hiskiæ præſcriptum: quanti valeat?

℣. 22. *Et dixerat Hiskias: Quodnam erit ſignum*, ex quo cognoſcam, *me aſcenſurum eſſe in Ædem Jehovæ.*] Scilicet ad ei gratias agendas pro recuperata valetudine, ut recte Ill. Grotius. Cætera hujus hiſtoriæ ex parallelo loco *Libri Regum* explicanda ſunt.

Ad ℣. 22. Quæſtio Hiskiæ de *ſigno.*

Legatio Regis Babylonii ad Hiskiam, ejuſque *Accidens memorabile* Officii, quo Propheta illo tempore apud Regem functus eſt.

CAPUT XXXIX.

Textus Cap. xxxix.

1. ILlo tempore miſit Merodach Baladan filius Baladanis, Rex Babylonis, Literas cum munere ad Hiskiam. quippe intellexerat, illum ægrotaſſe, & convaluiſſe.

2. Quorum adventu lætatus Hiskias, oſtendit iis gazophylacium ſuum: argentum, aurum, aromata, & præſtantioris generis oleum, & totam domum ſuppellectilium ſuorum, & quicquid in theſauris ſuis inveniebatur. Nihil rerum fuit quod iis non viſendum præbuerit Hiskias, cum domi ſuæ, tum in omni ditione ſua.

3. Et venit Jeſaias Propheta ad Hiskiam Regem, dixitque ei: Quid dixerunt Viri illi, & unde ad te venerunt? Et reſpondit Hiskias: E terra remota ad me venerunt, ex Babylone.

4. Quid vero, ait, viderunt domi tuæ? Ad

a In Lex. ad voc. אר. *b* Pſ. lxxvii. 7. *c* Glaſſ. *Gramm. S.* Lib. iv. Tract. ii. Obſerv. xxix.

A Æneas Sylvius *Hiſt. Bohæm.* Cap. lxx. *Ladiſlaus igitur* x *Kal. Dec. hora circiter* xii *noctis ægrotare cœpit. Sunt qui* ULCERE PESTIFERO *percuſſum inguine dicunt; plerique nullum peſtilentiæ ſignum apparuiſſe. Verum ita mihi res conſcripta eſt ab his qui diligenter cum medicos tum cubicularios audivere.* Conſtitit morbus *ſex & triginta horis.*

Ad quæ Hiskias: Quicquid in domo mea est viderunt; nihil rerum est in thesauris meis quod iis non ostenderim.

5. Tum vero Jesaias ad Hiskiam: Audi verbum Jehovæ Exercituum *Domini*.

6. Ecce dies veniunt quibus quicquid fuerit in Domo tua, & Majores tui congesserunt usque in hunc diem, deportabitur Babylonem: nihil reliquum erit, inquit Jehova.

7. Quin etiam ex posteris tuis, ex te prodituris, quos geniturus es, sumentur qui Aulici sint in Palatio Regis Babylonis.

8. Et reposuit Hiskias Jesaiæ: Bonum est verbum Jehovæ quod locutus es; addiditque: Utique erit pax & fides in diebus meis.

Ad vs. 1. Merodach Baladan. Differitas scripturæ in lib. Regg. Unde orta sit?

Mentio est hujus Regis in *Canone Ptolemæi*. Quo loco & ordine ibi recensetur? Tempora consentiunt.

Nomen Μαρδοκέμπαδος quo modo compositum & resolvendum sit? Scaligeri judicium.

Nominum eorum Etymologia. Composita sunt ex Nominibus *Idolorum*. Etyma nominis *Bel-adan*. *Nabonassar*. *Nebo* Nomen *Beli*.

Merodach. Nomen idoli. Jer. L. 2.

Qua conditione hi Reges Regnum Babyloniæ tenuerint?

IN ILLO TEMPORE *misit* MERODACH *Baladan, Filius Baladanis, Rex Babylonis, &c.*] In parallelo *Lib. Regg.* nomen Regis scribitur מרדך *Berodach*, sive ex permutatione literarum ejusdem organi: sive transversa declivi virgula literæ מ, quæ eam à כ distinguit, erasa, Librarius literam כ cum מ confuderit. In nostra hac scriptura nulla suspicio vitii, siquidem in *Canone Ptolemæi*, in quo uno Vetustatis Exoticæ Monumento nomen hujus Regis conservatum est, appellatur Μαρδοκέμπαδος *Mardokempadus*, à Nabonassaro *quintus*, qui A. XXVII illius Æræ Regnum inierit, initiis Hiskiæ, quinto nimirum, vel sexto ejus Anno. Æra enim Nabonassari, illigata A. P. J. 3967. incidit in Nonum aut Decimum Jothami, secundum nostras hypotheses: ut adeo, cum regnum ejus XII annis circumscribatur, A. XIV & XV Hiskiæ adhuc superfuerit. Nomen Regis in *Canone* exhibetur, ut jam monui, Μαρδοκέμπαδος, (Scaligero passim Μαρδοκένπαδος, sive lectionis vitio, sive judicio ejus [a]:) quod quisque facile videat esse compositum, & à Scaligero resolvitur in מרוך־כן־פר *Mardoch*, sive *Merodach-kem-pad*, prius rursus in מרו־דך *Mero* vel *Mardach* [b]. Idem censet quod plerique postea secuti sunt, *Baladanem*, cujus Filius hic Rex dicitur, ipsissimum esse *Nabonassarum*, celebrem hujus successionis Principem, in cujus Filiis vel Nepotibus hic fuerit *Merodachus*. Sunt autem nomina hæc fere composita ex nominibus *Idolorum* quorum cultui devoti erant Babylonii, superstitionis suæ gens tenacissima & hoc nomine celebrata. בלאדן *Baladan* manifeste conflatum est ex בל־אדן BEL-DOMINUS. Verba fere sunt ἰσοδύναμα. Est enim בל contractum ex בעל *Baal*, unde Beël, *Bel*. Ejusdem potestatis est, נבו־נסר NEBO-NASSAR, cum ו epentheticò propter ἐυφωνίαν. Valet enim NEBO-PRINCEPS. Esse autem NEBO ipsius *Beli* Babylonii nomen, sive epitheton alterum, liquet ex Prophetâ nostro [c], & ex Nominibus Principum Babyloniorum *Nabopolassari*; *Nabocolassari*, sive *Nebucadnezaris*; *Nebuzaradanis*; *Nebuschasbanis*, quæ in Sacris aut Exoticis occurrunt. Pariter מרדך MERODACH vel *Mardach* esse nomen *Idoli Babylonici*, patet ex Jer. L. 2. in prophetia adversus Babelem: *Pudefactus est* BEL: *consternatus est* MERODACH: *pudore suffusa sunt idola ejus*. Inde Filius Nebucadnezaris אויל־מרודך *Evilmerodach* [d]. Non excludit investigatio significationis ejus omnes hariolationes, easque non plane absurdas; veruntamen incertas, quamobrem iis hoc tempore non vaco. Cæterum quales hi fuerint Reges Babylonii, an sui juris, num tributarii & Assyrio obnoxii; quo tempore orti sint, & ex quibus originem traxerint, prolixe exequutus sum & disputavi, in *Notitia Imperii Babylonici*: ibidemque aliquantum indulsi conjecturæ Eruditorum Virorum recentioris temporis, cujus summa est; Reges Babylonicos ab Assyriis distinctos, sed saltem usque hoc tempus iis obnoxios ad famam memorabilis cladis Senacheribi cum Medis aliisque Gentibus ab Assyriis *defeciſſe*. quam defectionem accidisse narrat Herodotus 150 annis & quod excurrit, ante initia Cyri. Legi possunt ibi [e] studiosè disquisita, hic non repetenda. Certe si hic *Princeps* vel *Proceres Babylonii*, (sic enim dicuntur, שרי בבל PRINCIPES BABYLONIS, in *Chronicis*, sc. *Merodach & Consiliarii* ac *Ministri* ejus, Assyrio perinde obnoxii [f]:) hoc temporis multum reveriti essent majestatem Regis Assyrii: non utique ausi fuissent committere, ut tam solenni Legatione Hiskiam honorarent, quem sciebant esse inter rebelles & adversarios magni Regis. Hæc nunc monuisse contentus non sectabor paradoxa, inter quæ refero sententiam Viri cætera Eruditissimi, Joannis Georgii Herwarti, qui aliis persuasum vult [g], *Merodachum esse Medorum Regem Deiocem; & Ben Merodachi nomine ejusdem Merodachi, seu Medorum Deiocis Liberos esse accipiendos*. Adeone Medi in prima sua defectione ab Assyriis absque Assyriis subactis, (qui medii fuerunt inter ipsos & Babylonios,) jam potiti fuerint Babylone? An Babylonii Reges orti fuerunt à Medis, eorumque Regnum in Medicum convertendum est quod à Medis olim erat destruendum? Babylonios Assyrios fuisse ortu docet Scriptura S. & Herodotus. Et tamen Grotius quoque Merodachum vult esse *Medum*, addens, Medos post Assarhaddonem tenuisse Babylonem, & expulsos demum à Nabopolassaro, Nebucadnezaris Patre: non memor dum hæc scriberet, ipsum Assarahaddonem secundum Historiam S. Scripturæ & fidem *Canonis*, *Babylonem* aliquot post annis habuisse in potestate. Sed satis de hisce. *Tempus* autem hujus Legationis, non est probabile longe fuisse remotum ab Eventu recuperatæ valetudinis Regis, quippe Legati ea præcipue de caussa ad Hiskiam missi dicuntur, ut hoc Beneficium Divinæ Providentiæ ipsi gratularentur. Quin exerte dicitur verbis historiæ; בעת ההיא *hoc tempore*. Et tamen Marshamus, annos aliquot Regiminis Achazi & Hiskiæ inter se commiscens, cum ex hac sua hypothesi necesse haberet statuere, *Mardokempadum* demum Regnum ingressum esse Anno Hiskiæ XXI, Officium hujus Legationis demum in hunc Annum conjicit [h], & simpliciter adscribit: *Neque constat, quo anno hæc Legatio contigerit*. Imo sane satis constat, Legatos *sexennio* post Eventum curationis Hiskiæ hoc officio functos non esse. quod quisque videt, fore ridiculum. Potuisset Vir Eruditus inde colligere, Chronologiam suam laborare. cujus vitium manifestum aliunde etiam demonstrari posset, si hanc rem nunc agerem. Legati haud dubie adfuerunt ipso anno XV Hiskiæ post rem novissime gestam.

Præjudicium ejus ex hoc loco.

Cl. Herwarti sententia paradoxa.

In quod tempus inciderit hæc Legatio?

Non longe abfuit à tempore Sanationis Hiskiæ.

Marshami sententia, à ratione aliena.

Literas & munus ad Hiskiam.] Sic moris est in Oriente, fuitque ab antiquissimis temporibus, ut satis notum. Principes non adeuntur, absque muneribus. Pertinet huc quod dicitur in Historia *Chronicorum: Et* MULTI *adducebant munus Domino Hierosolymam; & munera honoraria Hiskiæ, Regi Judæ.*

Ad verba: *Literas & Munus ad Hiskiam.*

Mos Orientalium.

Quippe audiverat, illum ægrotasse & CONVALUISSE.] Sic propriissime vertitur hoc loco vox חזק *corroborari, convalescere, recuperare vires*. In *Lib. Regg.* simpliciter habetur, כי שמע כי חלה חזקיהו *quia audiverat ægrotasse Hiskiam*; videlicet, *& ex morbo convaluisse*. Ellipsis est historica non infrequentis usus. Cæterum, ut hæc præcipua fuit caussa Legationis quam præ se tulerunt Legati ipsi: sic neutiquam dubitandum est, subfuisse etiam alias. Historia *Chronicotum* exerte docet [i], Legatos hosce *missos esse* לדרוש המופת אשר היה בארץ *ut*

In verbis: *Ægrotasse, & convaluisse*. Differitas lectionis.

Aliæ caussæ Legationis ex historia *Lib. Chron.*

[a] De *Emend. Temp.* Lib. V. p. 394. [b] *Fragm.* p. 22. [c] Cap. XLVI. 1. [d] 2 Reg. XXV. 7. [e] §. XIV. seqq. [f] 2 Chron. XXXII. 31. [g] *Chron.* Cap. XXXVIII. XXXIX. [h] Ad Sæc. XVII. p. 329. [i] 2 Chron. XXXII. 22. [k] 2 Chron. XXXII. 31.

Inquiſiverunt in *prodigium* factum *in Sole.* Illuſtratur ex hiſtoria.

ut inquirerent in prodigium illud quod extiterat in terra. Umbræ nimirum retrocedentis in Solario Achazi. Aſtronomiæ ſtudium apud Chaldæos vigebat, fueratque excitatum & diligenter excultum à Nabonaſſaro, &, ut probabile, ab ipſo quoque Merodacho, cujus Regni initium characteriſmis *duarum Lunæ Eclipſium* ſignatum eſt à Ptolemæo; & forte ipſi quoque hi Legati Rei Aſtronomicæ ſcientia excelluere, ut tanto doctiores rei arbitri eſſent. Certe ſi hic Rex Babylonius adhuc perſtiterit in fide Aſſyrii, quod ad externam ſpeciem: hæc ratio ipſi potuit eſſe obtentui quo excuſaret liberius cum Hiskia Rege adverſario commercium. At probabile habeo, interiorem Legationis cauſſam fuiſſe amicitiam inter hoſce Principes firmandam, haud dubie Hiskiæ à Babylonio oblatam, quam ille acceptare, ſibi honori duxit. Sequentia id non obſcure innuunt.

Aliæ cauſſæ non excluduntur.

Ad ℣. 2. Differentia lectionis. De ea judicium.

℣. 2. *Et lætatus iis eſt Hiskias.*] וישמח. Id vere & proprie, nec dubio ſenſu: ſed in *Lib. Regg.* eſt, וישמע עליהם quod ſonat, *Et audivit eos attente.* Non nego, illam lectionem ſubſiſtere poſſe, quia vox שמע raris locis [a] conſtruitur cum על, pro אל, quæ conſtructio propria & genuina eſt. Et tamen Criticæ rei periti vix dubitent, quin quod hic legitur *proprie* magis & *ad rem* dicatur; & forte vocula ישמח errore Librarii ob affinitatem literarum mutata fuerit in ישמע. Utique Interpres Græcus in illo quoque loco habet, Καὶ ἐχάρη ἐπ' αὐτοῖς Ἐζεκίας. Sed eſto de eo ſuum cuique arbitrium. De re ipſa mox.

Vox נכחו inſolentis uſus. Hic recte verti videtur per *gazophylacium.* An per *Domum aromatum*?

Et oſtendit iis GAZOPHYLACIUM SUUM.] Heb. את בית נכחו *Domum Nechotho.* Sic legendum ex *punctatura*, quod idem valet quod נכחו, quod Maſorethæ ad loc. *Lib. Regg.* appoſuerunt ad marginem. Vox נכחו eſt inſolentis uſus, ut adeo ſignificatio ejus ex ipſo hoc loco definienda ſit. Vox נכאוח ſemel & iterum legitur [b] ſignificatione certæ ſpeciei *Aromatis*, quam Doctiſſimi Viri *ſtoracem* ſive *ſtyracem* (στύρακα) fuiſſe putant. quæ ſignificatio ſi huc transferretur, metonymice בית נכחו vertenda eſſet *Domus* ſive *Promptuarium Aromatum.* Sic verterunt Aq. & Sym. hoc loco, Τὸν οἶκον τῶν ἀρωμάτων. cum contra Interpres Alex. ſignificationis ignarus vocem νεχωθὰ in Verſione ſua retinuerit. Chaldæus præivit aliis multis בית גנוזי *Domus Gazophylacii ejus*; quæ ſpecioſa ſententia eſt, & loco probe convenit. Et tamen propendeo ad ſententiam Aq. & Sym. & putem hanc *Domum Rerum pretioſarum* à præſtantiſſimis *aromatum* ſpeciebus quæ ibi aſſervabantur & quorum ſpecies una & altera mox recenſentur, metonymice appellatam eſſe, etſi theſauros & pretioſa quoque alia contineret; & hoc nomine contradiſtinctam fuiſſe *Domui ſupellectilium*, vel, quod rectius puto, *Armamentario*, quod mox dicitur בית הכלים *Domus Armorum*, quæ erat apud *Palatium Saltus Libani.* In cæteris, ſi literam hiſtoriæ ſecteris, nihil hic obſcurum eſt; nec quod hic fecit Hiskias præter morem erat. Paſſim enim Legatis Regum & Principum, & Hoſpitibus honoratioribus, hic honor exhiberi ſolet, ut quod in deliciis & theſauris magnifice oſtentari ſolet, inſpiciendum ipſis detur. Herodotus de Solone, hoſpite Crœſi [d]: Μετὰ δὲ ἡμέρῃ τρίτῃ ἢ τετάρτῃ, τελεύσαντος Κροίσου, τὸν Σόλωνα θεράποντες περιήγον κατὰ τὰς θησαυρὰς καὶ ἐπιδείκνυσαν πάντα ἐόντα μεγάλα τε καὶ ὄλβια· *Tertioque aut quarto quam venerat die, juſſu Crœſi, miniſtri circumduxerunt hominem circa* THESAUROS, *omniaque quæ illic erant magna ac beata, oſtentarunt.* Pauca tamen mihi adhuc obſervanda reſtant, quæ ad rem ipſam quæ hic agitur, pertinent. Primo, quod hic narratur, Hiskiam Legatis exhibuiſſe ſpectanda non tantum quæ in *Domo ſua* erant, verum etiam בכל ממשלתו *in* TOTA DITIONE SUA: neutiquam convenire hypotheſi Doctiſſimi Uſſerii, qui Caſum morbi Regis & hujuſce Legationis in ipſum illum annum conjicit, quo Senacheribus expeditionem in Judæam ſuſcepit: quæ non cohærent. Regi Hiskiæ, illa calamitate preſſo, vel affecto metu, & in magnis conſtituto anguſtiis, non fuiſſet animus ſe hac legatione tantopere efferre, aut opes & theſauros ſuos jactare atque oſtentare: minus vero, quod nunc urgeo, id agere non tantum *domi*, ſed & per totum *dominatum ſuum.* quod & ſi voluiſſet agere; exequi non potuiſſet. Secundo, facile in mentem veniat hanc legenti hiſtoriam, unde Hiskiæ Regi tot theſauri hoc tempore oſtentandi Legatis Babylonii, cum nuper Aſſyrio perſoluturus *munus honorarium trecentorum talentorum argenti*, & *triginta talentorum auri* uſque adeo exhauſtus eſſet, ut *omnem pecuniam* quæ in theſauris Templi aut Palatii Regii erat expendiſſe, & valvas ac limina Templi *laminis* quibus eadem obduxerat, *nudaſſe* dicatur [d]? Reſpondeo paucis; primo, habuiſſe Palatium Regium, ab opulentis Regibus olim magnifice & ingente ſumptu ſtructum, ſua ornamenta & decora non mobilia, & haud dubie quoque recondita cimelia, in armoriis repoſita, quæ Reges non alienarint: ut fere Principibus omnibus in more eſt, quo pertinet quod dicitur, ℣. 6. *Quicquid in theſaurum collegerunt Majores tui uſque hunc diem.* Deinde quod hic præcipuum eſt; Regem ab Aſſyrio liberatum locupletatum fuiſſe ex *liberalibus muneribus* quæ Proceres, ſubditi ditiores, & Principes vicini, Liberationem ei gratulantes ipſi munifice obtulerunt: quippe quod exerte in *Chronicis* [e] ſcriptum eſt. Tempore neceſſitatis publicæ & imminentis calamitatis quiſque manus claudit, paupertatem ſimulat, & quæ in promptu habet in omnem uſum ſibi ſervat: ſed tempore *Liberationis* publicæ à malis & malorum metu, manus juxta cum animis aperiuntur, & quiſque liberaliter expromit in ſpem meliorum temporum quæ nuper avare ac tenaciter premebat. Addo denique cauſſam tertiam, non prætereundam; Regem ditiorem factum eſſe ex ſpoliis hoſtium magnæ dignitatis & haud dubie machinarum, Tabernaculorum & Apparatus Bellici, atque utenſilium pretioſorum quæ Aſſyrii propera fuga coacti fuerunt in prædam Judæis relinquere. quod licet in breviſſima hiſtoria prætereatur, ex omnium rerum circumſtantia tamen facile colligimus. Tertio denique quæri poteſt, quamobrem Hiskias tanto ſtudio Legatis Babylonii opes theſaurosque ſuos oſtentarit? Repono, factum id eſſe, ut ſe Babylonio commendaret, & ut confœderatione atque amicitia ejus interiore indignus ne cenſeretur. Eruditi Viri ex hoc ipſo caſu jam collegerunt, Reges Babylonios ipſos hoc tempore, Aſſyriis huc uſque tributarios, non aſſurrexiſſe hactenus ad magnum faſtigium dignitatis & amplitudinem potentiæ. Si enim magni fuiſſent Reges & ſui juris, Aſſyriis comparandi, haud dubie Rex Merodachus Hiskiæ Regi minoris ditionis & virium non habuiſſet hoc honoris, ut ſolenni Legatione tanquam pari & amico ſalutem ex morbo gratulatus eſſet. Deinde, Hiskias theſauros opeſque ſuas quæ cum theſauris & opibus potentiſſimorum Regum comparata facile vileſcerent, tanta jactantia non oſtentaſſet. Rex itaque omnino hanc affectavit laudem & gloriam, ut Legatis perſuaderet, ſe inter Reges & Principes pares locum ſtatumque tueri poſſe, nec habendum eſſe indignum arctiore confœderatione Babylonii; & affectavit forte ob hanc rationem ſtudioſius, quod fama tenuitatis virium Hiskiæ tanquam qui plane imparatus fuerit ad Aſſyrio reſiſtendum, & non alia quam Divina ope ſervari potuerit, late ſparſa eſſet. Stimulus gloriæ egit Regem quod ita inſtituerit. In *Variis Lectionibus* ad hunc *Verſiculum* obſerva, pro בית נכחו legi in *Lib. Regg.* בכל בית נכחו, & viciſſim pro בכל בית כליו ibi ſimpliciter exhiberi בית כליו.

Sententia Paraphraſtæ. Quæ inter ſe componuntur.

Factum Hiskiæ nihil novum habet. Exemplum Crœſi.

Hiſtoria hæc non recte conciliatur cum hypotheſi Doctorum Virorum, qui putant, Legationem

hanc incidiſſe in tempus irruptionis Aſſyrii. quod evincitur.

Unde Hiskiæ *theſauri* quos oſtentavit *Legatis*?

Dubium expeditur. Animadverſa ad ſtatum Hiskiæ.

Præter alia non eſt abſurdum cogitatu, Regem ditiorem eſſe factum ex ſpoliis hoſtium.

Quæ cauſſa lætitiæ Hiskiæ, & tanti ſtudii erga Legatos?

Probabilis ejus rei ratio.

Variæ lectiones.

℣. 3. *Et venit Jeſaias Propheta ad Regem Hiskiam.*] Scilicet mandatu Divino, non arbitratu proprio, ut liquet ex ℣. 5.

Ad ℣. 3. Jeſaias Regem adiit.

Et dixit illi: Quid dixerunt Viri illi; & unde ad te venerunt?] Non eſt mirandum, veros Prophetas, magna præditos auctoritate, graves fuiſſe his Regibus

Ejus ad Regem ſermo. De Prophe-

qui

[a] 2 Reg. XXII. 13. [b] Gen. XXXVII. 25. XLIII. 11. [c] Lib. I. p. m. 12. [d] 2 Reg. XVIII. 15. 16. [e] 2 Chron. XXXII. 23.

tis animadversum.

qui non erant affecti interiore sensu reverentiæ erga Divinam majestatem, quod tanquam Censores publici aut Modimperatores ipsorum Actiones, quas Reges passim ex voluntate sua metiri cupiunt, censerent; earumque non absque specie quadam Magisterii, exigerent rationes. Sed pii Principes, qui sciebant, illos non motu proprio hanc sibi vindicare libertatem, sed Divinæ apud se Voluntatis Interpretum officio fungi, id libenter ferebant; eratque iis in omni casu maximo solatio, ex Prophetis rescíscere Dei Voluntatem, ejusque in se affectum.

Responsum Hiskiæ. Ad id observatum. Ellipsis historica.

Et dixit Hiskias: Ex terra longinqua ad me venerunt, ex Babylone.] Observa hic rursus *Ellipsin Historicam*. Non docet hæc historia, quid responderit Rex ad priorem Quæsiti partem, *quid* nimirum *dixerint Legati*: quia ex ipsa historia superiore colligi poterat, quid Hiskias ad id responderit, & Propheta hæc narrans omne παρέλκον *redundans* voluit evitare, ut passim alibi. Tantum id addit, quod Hiskias veluti ad excusandam summam humanitatem qua usus fuerat erga hos Legatos profert, *venisse illos ex* TERRA REMOTA: fuisse itaque liberalius honorandos. Intelligendum est, non *absolute*, sed *comparate*, quia Babylon longius aberat Hierosolymis quam Principes alii cum quibus Hiskiæ aut Judæo Populo commercium erat Fœdere. Illustravi loquendi modum ad Cap. v. 27. XIII. 5. Confer Jer. IV. 16. XXX. 10.

Ad ỳ. 4. Hiskiæ in respondendo candor.

ỳ. 4. *Quicquid in Domo mea est, viderunt, &c.*] Insigne argumentum candoris & ingenuitatis Hiskiæ, qui affectus & motus animi sui Deo displicentes hactenus non recognoverat. Nimirum dum interiora omnia Palatii sui, rerumque suarum, inspicienda dedit Legatis Regis Babylonii; non inspexit ipse affectu præreptus interiora sui animi, qui sua cujusque domus est, ubi neminem oportet esse hospitem. Dictum Sapientis *a*: *Præ omni custodia diligenter observa cor tuum, nam ex eo sunt exitus vitæ.*

Ad ỳ. 5. Gravis oratio Prophetæ.

ỳ. 5. *Et dixit Jesaias Hiskiæ: Audi verbum Jehovæ Exercituum* Domini.] In *Lib. Regg.* simpliciter: *Audi verbum Jehovæ*. Sed integra sententia hic perscripta est Jesaiæ, qui epitheto veri Dei ut *Jehovæ Exercituum* Domini frequentissime utitur; & faciebat hic ad rem, ubi Providentiæ Divinæ insigne specimen in medium producit.

Clare prædicit Regi fatum Domus suæ, & Exilium Babylonicum. Vitia Hiskiæ, quæ Vates in censura sua oblique tetigit.

ỳ. 6. *Ecce dies veniunt, quibus omne quod in domo tua est, &c.*] Triste est Oraculum, quod graphice à Prophetâ nomine Dei enunciatum, Regem poterat percellere, eumque de gravi errore & imprudentia à se in hoc casu admissa commonefacere. Complectitur utique censuram Regis, non quidem directam, dum peccatum ab ipso commissum à Vate (si pluribus verbis usus non fuerit;) recta non exprimitur: sed obliquam, quippe oppositam duobus Vitiis gravioribus à Rege in hoc casu commissis, h. e. *Vanitati* & *Studio* nimio placendi Regi Babylonio. Ad hæc Vitia refero, α. Quod animus ejus *se extulerit* tum divitiis suis & fortunis; tum potentiæ suæ amplitudine, quodque adeo talem se gesserit erga Legatos Babylonii, acsi ex vero sensu animi sui felicitatem suam æstimari voluerit ex opibus & thesauris, quos possidebat. quod summæ fuit imprudentiæ. Non solent ita sapientes; & Rex meliora doctus erat. β. Quod majoris fecerit quam par erat, honorem quo à Babylonio fuit affectus, nimiamque ex eo conceperit lætitiam; cujus consequens fuit, quod Legatis hujus Regis nimium studuerit placere, & contentione atque æmulatione quadam non laudabili videri voluerit major, ditior, potentior, quam erat; certe quicquid in se erat fecerit, ut Rex Babylonius intelligeret, se favorem aut amicitiam ejus maximi æstimare, acsi *salus* ejus favore & amicitia hujus Principis niteretur. Historia Libri *Chronicorum*, peccati hujus speciem designatura, vere & proprie, ait, Regem tot beneficiorum peculiarium Deo debitorem *non retulisse ipsi gratiam*, sed *se extulisse*. Verba sunt *b*: *Et non secundum Beneficium in se collatum retribuit Hiskias*, כי גבה לבו *quia* ANIMUS *ejus* SE EXTULIT. Id vitium est Vanitatis, cui proprium, se nimium efferre rebus externis, perituris, dubiis, in quibus vera felicitas non consistit; & de his quæ in se sunt aut à se possidentur, magnifice nimis sentire, & id pro viribus agere ut idem quoque sentiant alii. Nec Hiskias tantum hujus criminis reus erat; sed & Proceres ac Populus, qui omnes in *gravem* incurrerunt Dei *indignationem*, ut eadem historia habet & ex hoc loco liquet. Subjicit dein pius Scriptor, hoc peccatum Regis rursus attingens *c*, *Deum illum deseruisse, ut ipsum tentaret & exploraret omne quod in corde ejus erat*, h. e. ut patefieret, pietatem Regis esse in ipso effectum Divinæ Gratiæ, non naturæ aut indolis ejus, quippe non excludentis *vanitatem*, *fastum*, *ambitionem*. Huic vitio sive crimini ecce! quam apte quadret Denunciatio Prophetica pœnæ, Regi & Populo quoque infligendæ, quæ duobus præcipue absolvitur articulis. Primo docet Propheta, *venturum tempus & sensim appropinquare* (quæ vis est phrasios, ימים באים *Dies veniunt*:) quo omnes gazæ Regiæ & Regiæ Domus vasa, supellectilia, cimelia, aromata, quæ Rex hoc tempore tanto studio inspicienda dabat Legatis Babylonii, quibusque se efferebat, transportanda sint *Babylonem*. Deinde, Reges Babylonios, quorum societate & amicitia hic Rex tantopere se efferebat, quamque cupide adeo sectabatur, Reges Babylonios, inquam, hujus Regis Successores ipsos fore qui cum tempore Judæos maxime sint afflicturi, & Domus Regiæ Davidicæ superstites vilissime habituri. Patet, hanc imprudentiæ culpam à Rege Hiskia admissam Deum graviter offendisse, quam offensam Historicus *Chronicorum* vocat קצף *Iram efferveſcentem d*; graviorem motum indignationis; παροξυσμὸν, ob actionis indecentiam: quippe faciebat ad Dei ignominiam, & Rex ipse prostituebat suam dignitatem. Et tamen hoc delictum non fuit inter summa ob quæ Deus hoc judicium suo tempore exequutus est; estque adeo hic magis respiciendum tanquam quod occasionem præbuerit huic prædictioni & Denunciationi vulgandæ, quam ut causa hujus Judicii Regi & Populo infligendi. Prædictio & Denunciatio ejus præcipue in hunc finem fit, ut Deus Hiskiæ per Prophetam exprobret stultitiam & imprudentiam suam.

Illustratur hypothesis historia ex 2 Chron. XXXII. 25.

Proprium *Vanitatis*.

Rex à Deo *Desertus*.

Denunciatio Prophetica, huic crimini aptata, duobus constans articulis.

Thesauri Regii deportarentur Babylonem.

Et posteri ejus Babylonio servirent inter Aulicos.

Quomodo hæc Denunciatio Prophetica accipienda sit?

Et transportabitur quicquid fuerit in Domo tua, & quicquid in thesaurum congesserunt Majores tui usque in hunc diem, BABYLONEM.] Hæc prima prophetia est quæ plane explicat rationes Divini Consilii de Populo Judæo graviſſimis vitiis jam inquinato & amplius inquinando, transportando BABYLONEM; estque huic cognata Michæ Cap. IV. 10. coll. cum Jer. XXVI. 18. Apud cæteros Prophetas de *Babylone* altum est silentium. Sed Jeremias multis post annis sub Josia Rege hanc calamitatem Judæis obventuram amplissime declaravit, ut & Urias, Semajæ Filius, sub Jehojakimo *e*. Cætera Moses clarissime prædixerat Calamitatem Populi ob defectionem à Deo deportandi in Exilium & inde reducendi *f*: sed locum quo transferendus esset, non definiverat. Ahia in initiis Jerobeami primi prædixerat clare Israëlitas transportandos esse *trans Euphratem g*; & Amosus, *longe ultra Damascum h*. Vates vero noster in prophetiis interminatoriis, quæ in *priore parte* hujus Libri occurrunt, explicitè prænunciaverat plenariam Reipublicæ dissolutionem, ac terræ vastationem, efficiendam à Populis ferocibus Justitiæ Divinæ executoribus *i*: sed *Babyloniorum* aut Chaldæorum hactenus nullam fecerat mentionem. Poterant enim hactenus quæ dixerat, de *Assyriis* intelligi. Verum in prophetia contra *Babylonem* hoc judicium suppoſuerat, Cap. XIV. 1. 2. at ibidem quoque *involutius*, ut & Cap. XXI. 1. seqq. Sed

Verba Prophetæ. Prima prophetia clara de *Exilio Babylonico*.

Aliæ suppares recentioris temporis.

Sed analogæ generaliores extiterunt plures, quæ recensentur.

a Prov. IV. 23. *b* 2 Chron. XXXII. 25. *c* ỳ. 31. *d* ỳ. 25. 26. *e* Jer. XXVI. 20. *f* Lev. XXVI. 33. 34. Deut. IV. 27. XXX. 1. 2. *g* 1 Reg. XIV. 15. *h* Cap. V. 27. *i* Cap. I. III. V. VI. VII.

hic plane, explicite, evolute, absque tegmine, absque figuris Propheticis ullis, memorabilem hunc eventum declarat & prænunciat. Implementum prophetia consequi incepit à IV Jehojakimi, & terminatum est in Tsedekia, ut vulgo ex lectione historiæ notum. Casus enim, qui Manassi accidit, fuit προληπτικὸς, & mere casualis. *a*

Ad ℣. 7. Vox סריס an *aulicum*, num *eunuchum* notet?

℣. 7. *Et erunt aulici in Palatio Regis Babylonis.*] Dubia hic significatio est vocis סריסי quam vel per *aulicos* vel per *eunuchos* vertere licet. Prius malim. Specimen implementi hujus prædictionis habes Dan. I. 1. 2. seqq.

Ad ℣. 8. Hiskias agnovit culpam, & Denunciationem Prophetæ modeste accepit.

℣. 8. *Et dixit Hiskias Jesaiæ: Bonum est verbum Jehovæ quod locutus es. Et dixit; Utique quia erit pax & fides in diebus meis.*] Hiskias erroris monitus & sentiens, se Divinam indignationem in se juste provocasse, agnovit culpam, & se coram Deo *profunde humiliavit*, ut ad laudem ejus scriptum est in historia *b*: cujus affectus ipsius argumentum est in his verbis, ex interiore reverentia Dei & humilis animi affectu prolatis, quibus, α. Acquiescit in Decreto Divinæ justitiæ sibi à Propheta denunciato, quod non feciſſet nisi illius agnovisset justitiam culpamque suam: persuasus omne *Verbum Dei*, & rigidiores etiam sententias Decretorum ejus esse æquas, justas, & bene meritas, quod Sancti Viri in omni casu duro licet & sibi injucundo, præstiterunt *c*. β. Laudat Decreti Divini temperamentum, quod cum Deus pro rationibus Justitiæ suæ ipsum se huic calamitati potuisset objicere, sibi tamen pro clementia sua voluerit parcere, & malum transferre in posteritatem. Sic accipienda est extrema pars sententiæ: *Et dixit*, h. e. priori dicto post exiguam moram subjecit, *quia erit pax & fides in diebus meis*, h. e. quia Deus pro clementia sua mihi præstiturus est gratiam, ut ego pœnæ eximar, & *pace* gaudeam ac *stabili* rerum mearum *statu* usque ad finem vitæ. quem genuinum sensum dicti confirmat historia parallela *Lib. Regg.* in qua eadem verba sic efferuntur: הלוא אם שלום ואמת יהיה בימי *An non, si pax & fides futura sit in diebus meis?* h. e. an non habeo gravissimam rationem acquiescendi in hoc Decreto Justitiæ Divinæ, cum Deo placuerit eo temperamento illud mitigare & lenire, ut mea ætate stabilis adhuc futurus sit Reipublicæ status. Id enim ex verbis Prophetæ recte collegerat. A quo sensu si discedendum esset: verba: ויאמר כי וגו׳ sic accipienda essent, ut geminam contineant sententiam, quod sæpe accidit: Nempe cum Propheta ipsi declarasset Decretum Divinæ Justitiæ: Regem protenus subjecisse: An (כי, non insolente significatu,) itaque *futura erit pax & veritas in diebus meis?* Quod cum annuisset Propheta, respondisse, *Bonum esse verbum Jehovæ*, & subjecisse; *An non, si futura sit pax & fides in diebus meis?* Est autem אמת *veritas* hoc loco *status stabilis*. Idem hic valet quod אמונה Cap. XXXIII. 6. Sane magni facienda est pax & prosperitas status dierum nostrorum, atque adeo Historiæ Romanæ Scriptor *d* merito *gratulatur Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque & Hortensio, qui cum sine invidia in Republica floruissent, eminuissentque sine periculo, quieta, aut certe non præcipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt.* Desumpsit ex Cicerone, in initiis Lib. III. de *Orat.* Et tamen par est credere, Hiskiam non fuisse absque sensu malorum posteritati imminentium, nec usurpare voluisse Tiberianum illud de Galba, cum illum intellexisset perventurum ad Imperium, sed sero; quod fieri non poterat absque Augusteæ Domus interitu aut dispendio *e*: *Vivat sane, quando id ad nos nihil pertinet.*

Dicti ejus, quo *bonum* esse ait *Verbum Jehovæ*, sententia explicatur.

Verba in fine sententiæ, *Et dixit*, &c.

Sensus eorum.

Varia lecti *Lib. Regg.* Ad eam a nimadversio

Observatum aliud a intelligentiam perico pæ.

Notatio vocis אמת h. l.

Dicta Exoticorum ad hanc sententiam illustrandam facientia.

Libri Prophetiarum Jesaiæ

Pars Quarta.

Liber Quartus Prophetiarum Jesaiæ. Ejus *Argumentum* & *Status*.

Quartam aperio *Libri* hujus *Prophetici* partem, favente Deo, *Consolatorii* maximam partem & *Doctrinalis* ac *Convictorii Argumenti*, cujus læta nobis & jucunda accidit inspectio; quam Libri *Partem Novem Capitibus*, (à Cap. XL. usque ad XLIX.) per *quatuor Conciones* dispertiendis; complector. Fateor, id si aliquo fiat judicio nostro: partes etiam suas hic exercere arbitrium, quia vere Jesaiana Concio à Cap. XL. usque ad finem Libri absque ullis *Titulis* aut *Inscriptionibus Novis* integra decurrit, acsi Concio tota instar fluminis cujusdam ex pectore à Sp. S. toto occupato & impleto circa eandem tempestatem effusa esset. Ad quod accedit, *Argumentum Concionum* hujus Libri non æquabile, sed varium, & in una eademque Concione sæpe variatum, licet maximam partem *Consolatorium*, eas insigniter non discernere: etsi, quod suo loco doceo, prophetiæ quæ à Cap. XLIX & usque sequuntur, pressius de *Persona Christi Jesu*, Ejusque, ut & Ecclesiæ ejus, Attributis, Fatisque tractant. quare eam *Libri Partem* ab hac nostra sejunxi. Sed in *Quarta* hac *Parte* nostra major adhuc varietas & distinctio τῆς ὑποθέσεως occurrit. Præcipuum ejus Argumentum est Explicare magnum Mysterium *Manifestationis Regni Dei* & *Justitiæ ejus* in Mundo per Messiam, ejus *Præcursorem*, & Apostolos, cum *Instauratione* Ecclesiæ electorum, ad exiguum numerum redactæ, cum Signis ejus Notabilioribus *Præcedaneis*, & Mediis, tanto Operi Gratiæ subserviturus. Inter *Signa* autem ejus *Antecedanea* cum illustre esset *Liberatio Populi Dei* ex Babylone per Cyrum, conjungenda cum ipsius Babylonis Destructione, ut typo Destructionis Regni Satanæ, h. e. Idololatriæ & Superstitionis in Orbe terrarum; inter *Media* autem cum necessarium & insigne esset Convictio Judæorum & Gentium de *Vanitate Idolorum* & *Idololatriæ* & de *Veritate Veri Dei* ac *Religionis* puræ ac spiritualis: observare est, *duobus* hisce *Articulis* explanandis maximam partem harum Concionum absolvi, intermixtis ubique alloquiis Consolatoriis ad Ecclesiam Electorum Dei directis: ut Propheta sæpe oratione ad finem ducta ad idem recurrat, eandemque telam retexat, ubique efficax, Divinus, ac spiritualis, à Spiritu Dei inflammatus. Et tamen, licet *Argumentum* affine sit & Ejusdem fere generis: commodum visum est, hæc *Capita novem* ad *Quatuor Conciones* referre, in *Minores Sectiones* distinguendas, favente materia. *Primæ Concioni* à me dantur *Capita* XL & XLI. Secundæ, Capp. XLII. XLIII. Tertiæ, Capp. XLIV--XLVII. Quartæ denique Cap. XLVIII. Primam Concionem in duas resolvo *Sectiones* quarum *Argumenta* seorsim recensebo.

Argumentum uberius declaratur.

Analysis Concionum eo comprehensarum.

Par-

a 2 Chron. XXXIII. 11. *b* 2 Chron. XXXII. 26. *c* Lev. X. 3. 1 Sam. III. 18. *d* Vellej. Lib. II. p. 45. *e* Sueton. in *Galba*, Cap. IV.

Partis Quartæ Libri Prophetiarum JESAIÆ,

CONCIO PRIMA,

Sectio Prior:

Qua post præmissam *Præfationem consolatoriam*, summam sequentis Vaticinii complexam, clare prædicitur *Manifestatio* REGNI DEI sive MESSIÆ in Mundo, ejusque *spiritualis*, & *Justitiæ* ejus; ejusque Manifestandi *Media*, *Ordo*, *Modus*, & *Effectus* notabilis; *Coërcitio Satanæ* in Mundo dominantis, demonstrantur: *Modus* autem cum videri posset paradoxus & in sapientiam carnalem incurrere; *Effectus* vero ob dominantem idololatriam & potentiam Principum eam sustinentium major quàm à vilissimo *Medio* præconii Evangelii exspectari posse videbatur: utrumque Vates gravi oratione diluit, de sapientia Dei summa ejusque potentia ac majestate, & idolorum ac instrumentorum iis subservientium vanitate, magnifice differens; & tandem doctrinam hanc suam propheticam applicat ad afflictos credentium electorum animos erigendos & constabilendos.

CAPUT XL.

Textus Cap. XL.

1. SOlamini, solamini Populum meum, dicit Deus vester.

2. Loquimini ad cor Hierosolymæ, & prædicate apud eam, Expletum esse tempus definitum luctæ ejus laboriosæ: Iniquitatem ejus expiatam esse: Accepisse eam è manu Jehovæ duplum pro omnibus peccatis suis.

3. Vox prædicantis *in Deserto:* In Deserto parate viam Jehovæ: complanate in solitudine semitam Deo nostro!

4. Omnis vallis attolletur, & omnis mons atque collis deprimentur; & fiet inæquale in viam æquam, & protuberantia in planam vallem.

5. Et revelabitur gloria Jehovæ, & videbit omnis caro pariter, quod os Jehovæ loquutum sit.

6. Vox quæ dicit, Clama: estque qui dicit, Quid clamabo? Omnis caro gramen; & omnis gratia ejus ut flos agri.

7. Arescit gramen, decidit flos, quando Spiritus Jehovæ in eum sufflat. Certe gramen est hic Populus.

8. Arescit gramen, decidit flos; sed Verbum Dei nostri persistit in æternum.

9. Ascende in montem altum, ô Tsion, annunciatrix boni nuncii! Effer potenter vocem tuam, ô prædicatrix nuncii boni Hierosolyma! Effer *eam:* ne timeto. Dic civitatibus Judæ, Ecce Deus vester!

10. Ecce Dominus Jehova adversus robustum veniet; & brachium ejus in ipsum obtinebit imperium. Ecce merces ejus est cum ipso, & operæ pretium ejus ante ipsum.

11. Ut Pastor gregem suum pascet: brachio suo colliget agnos, & sinu suo exceptos portabit: fœtas leniter aget.

12. Quis mensus est pugillo suo aquas; & cœlos spithama mensuratos aptavit; dimensusque est trientali pulverem terræ: Ponderavitque statera montes, & colles bilancibus?

13. Ecquis direxit Spiritum Jehovæ; quisve ut consiliarius ejus eum doctiorem fecit?

14. Cum quo consilium iniit, ut ipsum instruxerit, docueritque ipsum viam Juris; docueritque ipsum scientiam, & viam excellentis intelligentiæ ei notam fecerit?

15. Ecce Gentes sunt ut gutta de situla, reputanturque ut pulviculus bilancium! En insulæ sunt ut minutum quid quod avolat!

16. Et Libanus non sufficit ad pyram; neque animalium ejus satis est ad holocaustum.

17. Gentes omnes sunt ut nihilum coram ipso: minus nihilo & inani apud ipsum reputantur.

18. Et vero cui assimiletis Deum fortem; quamve figuram ei aptetis?

19. Artifex fundit simulacrum, & aurifaber illud aureis laminis obducit: catenulas item argenteas conflat.

20. Qui frugalior est in oblatione sua, eligit sibi lignum quod non putrescit; quæritque sibi peritum aliquem artificem qui paret sculptile quod non dimoveatur.

21. Num nescitis; an non audivistis; an non annunciatum vobis est ab initio; num intelligentia vestra assequuti non estis, Fundamenta terræ?

22. Qui sedet super Orbem telluris, dum incolæ ejus ipsi obversantur ut locustæ: Qui extendit cœlos tanquam cortinam, eosque expandit ut tentorium quod habitetur.

23. Redigit Principes in nihilum, & Gubernatores terræ reddit tanquam inane quid.

24. Quin etiam non plantantur; quin etiam non seruntur: quin imo non agit radices in terris stirps illorum. Etiam dum sufflat in illos exarescunt; & turbo eos instar stipulæ aufert.

25. Cui itaque assimilabitis me, ut *ei* æquer? dicit Sanctus.

26. Attollite in sublime oculos vestros, & videte, quis creaverit ista; qui exercitum eorum educit ad numerum; omnia illa nominatim appellat: præ copia virium & robore potentiæ: nullum deficit.

27. Cur *igitur* dicis, ô Jacob, & loqueris, ô Israël: Abscondita est via mea à Jehova, & à Deo meo judicium meum recessit?

28. Nonne cognovisti; an non audivisti, Deum æternum Jehovam Creatorem finium terræ, non laborare, nec lassitudine fatigari; ejusque intelligentiæ nullam esse perveſtigationem?

29. Dat lasso virtutem; & cui nihil est virium, robur affatim suppeditat.

30. Quin imo fatigantur adolescentes & lassantur; & juvenes (*præ lassitudine subinde*) gravius impingunt.

31. At exspectantes Jehovam, novas colligent vires: attollent se alis ut aquilæ. current & non defatigabuntur; ibunt, & non defetiscentur.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Prophetiæ.

Argumentum Sectionis Prioris *Concionis Primæ.*

APeriuntur hic à Propheta fontes puræ & liquidæ consolationis, ex quibus ipse rigatus plenis hausti bus potandum dat Ecclesiæ consolationis indigæ. Prima hac *Concione* hujus *Argumenti*, ejusque *Sectione Priore* quam hic exhibui, revelat nobis totum mysterium *Manifestationis Regni Dei*, sive, quod idem est, *Regni Messiæ*, in Mundo, cum ejus *Signis* proxime *præcedaneis*, *Mediis*, *Modo*, & præcipue Effectu, *Coërcitionis Regni* Satanæ & Tenebrarum: quando Ejusdem manifestandi *Modum* paradoxum & *Effectus* certitudinem vindicat atque illustrat tum ex amplitudine ingenii, sapientiæ ac potentiæ Divinæ; tum ex vanitate idololatriæ & superstitionis ac impotentia Principum, instrumentorum Satanæ qui eam sustinerent; vertitque tandem hanc prophetiam ad animos piorum, consolationem Israëlis exspectantium & sitientium, ac post tanti temporis moram fere desperantium, erigendos ac fulciendos. Hic generalis est conspectus *Argumenti* primæ hujus *Sectionis*; sed quod ex scena Visi lucidius intelligetur.

Scena hujus Prophetiæ.

II. Est autem *Scena* hic mirifice instructa. sic enim recte appello, cum cuique prophetiam legenti pateat, Vati, dum raptus fuit in extasin, obversatum fuisse integrum σχῆμα rerum à se visarum & auditarum. Exhibetur ipsi *Apparitio Filii Dei in carne* secundum promissa Patribus data, *tanquam magni cujusdam Regis & Principis*, erecturi in Mundo Regnum spirituale ac Divinum, cum demonstratione *gloriæ* Dei veræ ac spiritualis, & *præsentiæ* ejus apud Ecclesiam: unde facile patet, scenam hujus Visi figendam esse in *primis initiis temporis Evangelii*, quando impletum erat tempus *severitatis* & *spei* Ecclesiæ V. T. Dum itaque hic *Deus* Populi sui *ipse* inter homines appareret; gloriam salutemque suam patefaceret Judæis & Gentibus, & *Regnum* erigeret inter Judæos & Gentes medio spirituali præconii Evangelii: Propheta percipit emblemata quatuor *Vocum* à Spiritu S. editarum, totidem continentium Mandata, sive ad Populum Dei, sive ad Ministros Ecclesiæ directa, ex quibus *Signa* hujus *Regni*; *Officia* à subditis illud composituris observanda; *Natura* ejus interior, & *Effectus* ac *Scopus* ejus, cognosci atque intelligi possunt. Prodit itaque *prima Vox* mere doctrinalis & consolatoria, jubens Populum Dei consolari, quod *propinquum* esset *Regnum cœlorum*, & terminatum *tempus severitatis*, commutandum cum *tempore gratiæ* [a]. Sequitur *Vox altera*, ipsa quoque Sp. S. sed enuncianda per Ministrum ejus, Joannem Baptistam, quæ explicat mandatum de paranda & plananda semita *Regi* proxime affuturo, quo facto *gloria Dei conspicua* fieret *omni carni* [b]. *Tertia* vertitur ad *Chorum Ministrorum Dei*, & illius Chori *Ministrum* quendam Dei excellentiorem, cui præscribitur *formula* præconii illius Regni quæ declarat illius *Naturam* & Statum [c]. *Quarta* denique directa ad Evangelistas & communes Præcones illius Regni, Effectum & Scopum ejus in Mundo fundandi exponens [d]. Quandoquidem vero *Modus fundandi* hujus *Regni* merito videri posset paradoxus; & *Effectus* à *causis* ut videbatur vilioribus vix videretur exspectandus esse: prodit sive Propheta à Spiritu illuminatus, sive Doctor aliquis sublimis, qui primo vindicat *Modum* illius Regni erigendi ac promovendi per præconium Evangelii, & quidem spiritualis, magnifice differendo de summa & perfectissima prudentia & intelligentia Sp. S. in ordinando opere *Creationis* & *Providentiæ* [e]: dein demonstrat, effectum non esse superiorem suis causis, ubi luculenter differit de *vanitate Idololatriæ*, & *Gentium*, eam sustinentium [f]: & tandem doctrinam hanc suam cum similibus rationibus applicat ad solandos afflictos animos piorum, quos longior mora implementi promissorum gratiæ fere dejecerat de Statu *spei*. [g]

Figenda est inprimis in initiis temporis Evangelii.

Ordo & Ratio ejus integra declaratur.

III. Ex hoc *Argumento* prophetiæ quisque *genus* ejus & *Scopum* facile colligat. Est utique generis *consolatorii* & ad hunc *scopum* tota directa: sed quæ *consolatio* non pertinebat ad homines mundanos, carnales, miseriæ suæ & generis humani æque ac veræ salutis & necessitatis ejus ignaros; sed ad pios, Dei reverentes, persuasos de necessitate gratiæ per Messiam adducendæ, & Regni Dei per totum Orbem diffundendi, qui stylo Scripturæ S. dicuntur *exspectasse consolationem Israëlis* [h]. Hi sane cum ex Promissis Patrum & Oraculis Prophetarum magnas concepissent spes de gratia Divina olim uberiore mensura Ecclesiæ dispensanda & feliciore Ecclesiæ statu; & interea observarent, implementum illorum promissorum ac prædictorum in longius tempus differri; imo vero Prophetas, & quidem Prophetam nostrum, exerte vaticinari de Calamitate gravissima Populi abducendi in *Exilium Babylonicum*, cujus videri poterat esse tristis & dubius exitus: indigebant claris validisque prædictionibus, quæ tantam salutem iis assererent, & animos illorum adversus tentationes fidei confirmarent: qualis hæc nostra est, & subsequentes plures. Et tamen ut consolationes omnes ed Ecclesiam directæ utilibus superstruuntur doctrinis: sic Concioni huic Propheticæ insignes doctrinæ immiscentur, quales sunt de *Modo* & *Ordine* Regni *Dei* exhibendi, ejusque *Natura* & *Effectis*: tum quoque de Excellentibus Dei attributis, *Sapientiæ*, *Potentiæ*, & *Majestatis*; & *vilitate* ac *impotentia carnis*; & *vanitate idololatriæ* ejusque *Cultorum* ac *Patronorum*, quæ tum maxime patefierent, quando Deus Regnum suum in Mundo per simplicissimum Evangelii præconium cum gratia Sp. S. conjungendum erigeret.

Scopus hujus Prophetiæ, & *Genus* orationis in colligendo.

Est argumenti *Consolatorii*, *Elenctici*, & *Doctrinalis*. Prius hic prævalet.

IV. De *Occasione* hujus prophetiæ editæ jam aliquid præmonuimus; & plura adhuc dicenda restant. Miseriæ & calamitates temporum, tam præsentes quam prævisæ & prædictæ à Prophetis, iisdem Prophetis occasionem præbuerunt, piorum animos, ne labascerent, erigendi & fulciendi quæsitissimis consolationibus. Inprimis vero Calamitas Exilii Babylonici à Vate nostro primo omnium clare prædicta secundum res humanas plane videbatur insuperabilis, & conjungenda cum exterminio plenario Ecclesiæ Dei in hisce terris. Nec sane absque ratione. Ergo si non plane omnis fides & spes, h. e. omnis vita piorum, extingueretur: *balsamum consolationum* efficacium applicandum erat ad animas afflictas, dejectas, prostratas, ad cinerem usque depressas. Hæc *generalis Occasio* est harum *Concionum*: de *Speciali* nihil liquet.

Qua occasione hæc Prophetia edita sit?

V. Ex dictis facile est componere hujus Concionis *Analysin*. Constat illa

Analysis prioris par-

a. Con-

---

a ℣. 1. 2. b ℣. 3–5. c ℣. 6–8. d ℣. 9–11. e ℣. 12–17. f ℣. 18–26. g ℣. 27–31. h Luc. 11. 25.

tis hujus Concionis.

α. *Concione* PROPHETICA de *Manifestatione Regni* Filii Dei in Mundo, quatuor *Vocibus* Sp. S. exposita, ℣ſ. 1--11. Quarum
Prima pios, Regnum Dei exſpectantes, monet de *imminenti* illius Regni *adventu*, ℣ſ. 1. 2.
Altera de præparandis animis ſubditorum ad Regem qui in proximo eſt, decore recipiendum, ℣ſ. 3--5.
Tertia explicat *naturam hujus Regni*, h. e. ejus ſpiritualitatem, ℣ſ. 6--8.
Quarta, declarat *effectum* ejus, *Coërcitionem Satanæ*, & *Fructum*, Regiminis Eccleſiæ ab ipſo Deo *immediate* adminiſtrandi, ℣ſ. 9--11.

β. *Concione* DOCTRINALI, & *Elenctica*, ℣ſ. 12--26. qua
α. *Modus* hujus Regni fundandi ut ſummæ Dei *ſapientiæ* convenientiſſimus defenditur adverſus *prudentiam carnalem*, ℣ſ. 12--17.
β. *Vanitas Idololatriæ* & *Gentium* ac *Principum* eam ſuſtinentium demonſtratur inſtituta comparatione cum *Potentia*, *Veritate* & *Majeſtate* Divina, ℣ſ. 18--26.

γ. *Concione* CONSOLATORIA, à Miniſtris Dei inſtituenda, ad Eccleſiam afflictam directa, qua prædictio & doctrina ſuperior ad animum ejus ſolandum applicatur, ℣ſ. 27--31.

Cui ſubjicitur *Capite ſequenti* ORATIO DEI IPSIUS nomine concepta tum ad *Gentes Elenctica*, tum ad *Populum ſuum doctrinalis* huic Argumento conſentanea, quæ *Quartam Partem generalem* facit totius *Concionis*. de qua ſuo loco.

Ἀνάλυσις hujus Prophetiæ interpretandæ, ejuſque editæ *Temporis*.

Anacriſis hujus Concionis.

BInas deprehendi hypotheſes quas Docti Viri in hac prophetia exponenda ſectantur. Altera eam directe refert ad Regnum Meſſiæ, & quidem ſpecialius ad Regnum veri Meſſiæ Jeſu, ejuſque *Signa* & *Effecta*: altera ad *Statum Eccleſiæ Judaicæ*, liberandæ ex Exilio Babylonico, ejuſque Status & temporis prærogativas. Priori ſententiæ plerique ſubſcribunt Interpretes Chriſtiani; Veteres certe omnes, Euſeb. Hieron. Cyrill. Theod. Procop. & Liranus quoque; ad quos eouſque accedunt Judæi, ut ipſi quoque hanc prophetiam noſtram & pleraſque ſequentes ad tempora Meſſiæ referant, & plane aſſerant, ſermonem hic verti ad Eccleſiam Judaicam afflictam, ut ſe habet in præſenti Exilio. Ipſe quoque Aben-Ezra hic nihil fluctuat, ſed ſe non dubiis verbis ſejungit à R. Moſe Haccohen, qui priores harum prophetiarum applicat ad Statum Reducum ex Exilio Babylonico. Hæc Altera hypotheſis eſt de qua præmonui, quam inter Chriſtianos quoque Intt. aliqui tenent, ſed cum hoc temperamento, ut quæ oratio *liberaliter* & *typice* dirigitur ad Populum Dei afflictum in Exilio Babylonico verſatum, quem Deus hic *conſolari* jubeat certa ſpe facta liberationis per Cyrum obtinendæ: eadem *antitypice* & *myſtice* applicari debeat ad Beneficium veræ Liberationis Eccleſiæ defectæ multiſque vitiis ac ſcandalis obſcuratæ, & magna laborantis penuria Divinæ Gratiæ ut tanquam in *Deſerto* verſari videretur; efficiendæ per Chriſtum Jeſum, Filium Dei. quam hypotheſin inter celebres medii ævi Doctores tenuerunt Thomas Aquinas, & Hugo de S. Caro; & inter Pontificiæ ſectæ Doctores recentioris temporis Pintus, Maldonatus[a], Alvarezius, & timidius ad eos accedens Sanctius. Ex noſtris Calvinus eandem ſententiam complectitur; &, ne nunc alios recenſeam, Hugo Grotius, qui tamen verba *ſæpiſſime* ſic *à Deo* in hoc & ſequentibus vaticiniis ad finem Libri *directa eſſe* fatetur, *ut ſimplicius liquidiuſque in res Chriſti, quam in illas quas primo ſignificare voluit Jeſaias, convenirent*; neque negat, *Beneficia* in Statum Eccleſiæ ex Babylone reducis conferenda ſpectari poſſe ut *umbram* Beneficiorum Eccleſiæ melioris.

Hypotheſes duæ. altera eam *directe* refert ad initia Regni Chriſti: altera *literaliter* ad Statum Populi Judæi in Exilio Babylonico.

Prioris ſententiæ auctores.

Quibus in genere conſentiunt Judæi, prophetiam referentes ad tempus *Meſſiæ*.

Alterius hypotheſios temperamentum ex ſententia Auctorum.

Auctores ejus.

II. Diſcedo ab hac ſententia, non ſane quod negem, Beneficium Liberationis Populi Dei ex Exilio Babylonico, ſuſtinuiſſe typum Liberationis Eccleſiæ electorum Judæorum & Gentium è poteſtate Satanæ & peccati, & Prophetam Beneficium Liberationis ſpiritualis phraſibus ſumptis à temporali Beneficio Liberationis ex Exilio Babylonico ſubinde exhibere, vel in ipſis Concionibus ſequentibus: neque etiam quod alienus ſim ab illo commentandi genere quod geminum ſenſum *Literalem* & *Myſticum* alterum alteri implicitum in Conciones Propheticas infert: (quippe quam methodum interpretandi in neceſſariis locis ipſe ſequor:) ſed quia Σχῆμα hujus prophetiæ huic hypotheſi refragatur; & præterea certæ ac directæ interpretationes ſingularium partium hujus Concionis quas Apoſtoli Chriſti Jeſu nobis reliquerunt, eam non ferunt. Unum hic ſuſtinet alterum; quare rationes meas ſic digeram & componam, ut non ſeorſim, ſed ſimul & mixte, utrumque hoc ſuppoſitum meum proponam & evincam.

Poſterior ſententia deſeritur poſt neceſſariam præmonitionem.

III. Primo Docti Viri qui in diverſa ſententia ſunt, ſupponunt, α. *Populum* ad quem hæc conſolatio dirigitur, obverſatum eſſe Prophetæ tanquam agentem in *Deſerto*, loco ſterili & inculto, ſive cum reſpectu ad Statum Populi in Exilio in Agris Babylonicis, ſive cum reſpectu ad *terram Canaaneam* ipſo hoc tempore Deſertam deſolatamque. β. Vocem quæ in hoc Deſerto *audita* fuiſſe fertur de *planandis vallibus & collibus*, indicare *viam* huic Populo ex Babylonico Exilio reducendo in Canaaneam Divina providentia ſic eſſe parandam, ut reditio in Patriam populo obtingeret facilis, & commoda. Sic paſſim Intt. qui ante ſpiritualem ſenſum hic carpunt literalem. Sed quid ſi hæc aliter ſe habeant in ſchemate hujus prophetiæ? Schema hujus prophetiæ non exhibet nobis *Populum* aliquem in Exilio agentem ad ſua *rediturum*: ſed DEUM *Jehovam* tanquam magnum aliquem *Regem* & *Principem* venturum ad ſuos & præſentiam ſuam cum *gloria* ſumma ipſi exhibiturum. Ideo non dicitur, *Parate viam* POPULO, afflictis, tenuibus: ſed, *Parate viam* JEHOVÆ, DEO NOSTRO. Nec ſermo ille, *Parate viam*; dirigitur ad Gentes, ut illæ pararent viam Populo Dei, (quod fieri deberet ſecundum hypotheſin:) ſed ad ipſum Dei Populum, quo Deum ad ſe venturum decore exciperent. Quare etiam Populus, ad quem hæc conſolatio dirigitur, non ſupponitur eſſe extra *terram*, ſed *in terra* ipſa & *Hieroſolymis*. unde ℣ſ. 1. *Loquimini ad cor* HIEROSOLYMÆ. ℣ſ. 9. *Montem altum conſcende Evangelizatrix* HIEROSOLYMA, & additur: *Dicite Urbibus Jude; Ecce Deus veſter* ſc. adeſt. Hoc verum & genuinum eſt ſchema Viſi, quod recta adverſatur hypotheſibus quibus diverſa interpretatio literalis ſuperſtruitur. Nulla hic Babylonis mentio: nulla reditus ex Babylone. Hieroſolyma & Urbes Judæ hic ſupponuntur ſupereſſe, & exſpectare Divinam apud ſe Φανέρωσιν.

Primo obſervatur, hypotheſes, in quibus Docti Viri ſententiam ſuam fundant, pugnare cum ſcena Prophetiæ, quæ ſupponit *Populum Dei* in Tilione & Hieroſolymis.

Quod evincitur.

IV. Secundo, interpretatio ſignatorum locorum hujus Viſi, ſecundum hypotheſin illam Doctorum Virorum inſtituta, plane enervat interpretationem eorundem locorum quæ edita eſt ab Apoſtolis & Evangeliſtis. Verbi gratia, Evangeliſtæ nos docent, Verba ℣ſ. 3. *Vox clamantis ſive clamans in Deſerto, Parate viam Domino:* referenda eſſe ad *Miniſterium Joannis Baptiſtæ*,

Secundo, Scriptores N. T. hanc prophetiam *directe* & Φανερῶς applicant ad initia Evangelii, & ejus

[a] Ad Matth. III. 3.

temporis phænomena. Quod demonſtratur.

paraturi animos Populi Dei ad recipiendum Meſſiam: quæ interpretatio convenit ſcenæ & ſchemati genuino hujus Viſi. Diverſa expoſitio ſupponere debet, quod manifeſte ſupponit Maldonatus, eſſe vocem *Præconum Cyri* promulgantium Edicta illius Regis quibus populo facilis & commodus reditus parabatur in terram Patriam. quæ inter ſe plane non conſiſtunt; nec, quod in aliis locum habet, tanquam *typus* & *antitypus* ſibi invicem facile ſubordinantur. Equidem verum eſt, Calvinum & Grotium, cum hoc incommodum obſervarent: verba illa ſecundum eandem illam hypotheſin paulo aliter accepiſſe; ſed coacte & minus feliciter, ut ſuo loco docebo. Rurſus quod dicitur ℣ſ. 8. *Verbum Jehovæ manet in æternum:* Petrus [a] plane docet, referendum eſſe ad *Verbum Evangelii* de Regno Filii Dei: ſed ſecundum alteram hypotheſin de *Verbo promiſſi reditus Judæorum ex Exilio Babylonico.* Poſſunt hic, fateor, ſenſus *literalis* & *myſticus* facilius inter ſe ordinari; nec tamen, ſi id in oculis habuiſſet Petrus, videtur ſcripturus eſſe, Τοῦτο δέ ἐστι τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς. HOC *autem* EST ILLUD VERBUM, *quod evangelizatum eſt vobis.*

Tertio, interpretatio propheriæ ſecundum priorem hypotheſin facilis eſt; ſecundum poſteriorem difficilis.

V. Tertio, ſi prophetia hæc accipiatur de *Manifeſtatione Regni Gratiæ:* oratio tota, ſive quod ad integram ſcenam ejus, ſive quod ad *Beneficia* & *Eventa* hujus temporis, in ſumma emphaſi perfecte intelligi poteſt, ut *Commentatio* noſtra docebit: ſed ſecundum hypotheſin diverſam non niſi difficulter, in multis locis, coacte, & exiliter. veluti quod mox ℣ſ. 1. dicitur: *terminatam* eſſe *militiam Populi*; *expiatam iniquitatem*; *accepiſſe duplum è manu Domini:* quam tenuem admittit ſenſum, ſi ad ſtatum Reducendorum ex Exilio referas? Rurſus, ut alia præteream: quod de *Manifeſtatione gloriæ Jehovæ*, ℣ſ. 4. de *Abolitione omnis carnis* quæ *inſtar graminis* cum omni *decore ſuo exareſceret*, ℣ſ. 7. 8. de *prudentia* Dei *ſublimi* & *ſpirituali* comparata cum *prudentia carnis*, ℣ſ. 12. ſeqq. hæc, inquam, & his ſimilia vel tenuem tantum vel communem admittunt ſenſum, & nihil magnum ſonant, ſi ſecundum diverſam hypotheſin accipiantur: ſed ſecundum noſtram obtinent expoſitionem emphaticam congruentem ſapientiæ Spiritus Sancti.

De *Tempore*

VI. De *Tempore* editæ hujus Concionis, & ſequentium, nemo quicquam certi definiat: ſed probabilem habeo ſententiam vulgatam, Prophetam pacato & florente rerum ſtatu ſub Hiskia, poſt cladem Aſſyrii, cum proximus eſſet ipſe fato, longi temporis miniſterio defunctus, hoc *Volumen Propheticum* & *Conſolatorium* in uſum Eccleſiæ ſequentis temporis, & noſtri quoque conſignaſſe. Cum enim ex Divina revelatione edoctus eſſet de *adverſis* varii generis cum quibus Eccleſia progreſſu temporum luctaretur; ſimul prævideret, idololatriam poſt ſuum & Hiskiæ Regis exceſſum de novo in Populo ex interno affectu idololatrico vim ſuam exerturam eſſe, ſub Regno Meſſiæ inter ipſas quoque Gentes extirpandam; & Eccleſiæ neceſſariam eſſe notitiam interiorem Meſſiæ & Regni ejus, olim illuſtri ac glorioſo ſtatu Mundo exhibendi: impetraſſe à Sp. S. ante obitum hanc gratiam, ut ejus motu & inſtinctu de ſingulis fuſe vaticinaretur; *concionibus*, ut putem, diverſis, ſed non longo adeo tempore ab invicem diſcretis. Sunt ſane inter has aliquæ, continentes *Elenchos* conſolationibus mixtos, de quibus ſeorſim monebo, quæ ad anteriora tempora, veluti Achazi, referri poſſent: & tamen nulla hic neceſſitas urget. Rationes quæ probabilem hanc faciunt ſententiam, ſunt, *α.* Quia Veteres Scribæ, forte ex Diſcipulis ejus, qui Conciones ipſius digeſſerunt, has certo conſilio ſubjecerunt hiſtoriæ Expeditionis & Cladis Senacheribi. *β.* Quia argumenta harum Concionum maximam partem Conſolatoriarum huic tempori maxime conveniunt; quippe, primo non eſt probabile, Prophetam tempore corrupti Eccleſiæ Status veluti ſub Jothamo & Achazo, populum demulſurum eſſe *conſolationibus*; ſed potius *Elenchicis* vitia ejus, quod fecit, redarguturum. Deinde, quia noviſſima eaque clariſſima *Revelatio* Hiskiæ & Populo abſque ullis verborum involucris occaſione vanitatis & imprudentiæ Regis facta de *ſubverſione Reipublicæ* & *Urbis* per Babylonios, quæ haud dubie pios vehementer perculit ac proſtravit, aliquod requirebat *balſamum* conſolatorium ad hoc vulnus applicandum; ut poſt illud tempus major ratio fuerit populi ſolatiis validis erigendi quam ante. Certe primam hanc *Concionem* noſtram huic *tempori* adſcribo, cujus cæteroquin notitia ad earum intellectum plane neceſſaria non eſt.

harum Concionum editarum quæritur.

Vulgata ſententia, editas eſſe poſt *Liberationem* Populi Dei ab Aſſyrio.

Quæ probabiliter *in genere* adſtruitur.

Rationes ſpeciales, quæ eam commendant.

PARS *Prima* hujus Concionis, PROPHETICA, de proxima Exhibitione *Regni Dei* ſive *Meſſiæ*, cum Ejus phænomenis; per quatuor *Voces* Sp. S. expoſita.

VOX PRIMA qua monentur pii de inſtante & proximo illius *Regni adventu.*

Pars prima hujus Concionis, eaque Prophetica, per quatuor *Voces* expoſita. *Vox* prima, ℣ſ. 1. 2.

℣ſ. 1. *Solamini, ſolamini Populum meum, dicit Deus veſter.* ℣ſ. 2. *Loquimini ad cor Hieroſolymæ, & prædicate apud eam, Expletum eſſe* DEFINITUM TEMPUS LUCTÆ EJUS LABORIOSÆ; *iniquitatem ejus expiatam eſſe; accepiſſe eam è manu Jehovæ* DUPLUM *pro omnibus peccatis ſuis.*] Verba hæc ſunt Prophetæ narrantis, quid ipſe in hac ſcena qua ipſi conſpicienda dabatur *Manifeſtatio Regni Dei* cum *Signis* & *Concomitantibus* ſuis; *viderit*, quidve *audiverit.* Narrat autem, ſe audiviſſe *primam vocem Jehovæ*, directam ad quoſdam miniſtros ſuos, qua illos jubet populum ſuum conſolari ex argumento proximi adventus Regni Dei. quæ cauſſa eſt, quare verba, יאמר אלהיכם verti malim, *Dicit Deus veſter:* non, *dicet.* ut plurimi Intt. ſed præter rationem. Si enim vertas, *dicet:* primo ſupponitur, Prophetam in extaſin raptum nihil ejus *audiviſſe*, ſed ex revelatione accepiſſe, Deum id aliquando dicturum eſſe; cum tamen in præſenti hac ſcena alias audiverit voces. Dein, incertum relinquitur, *quando* Deus id dicturus eſſet, cum nulla hic ſit adſcripta nota temporis. Sed quando vertis, *dicit Deus veſter:* ſupponitur certum aliquod tempus, ex phænomenis ſuis cognoſcendum, quo Deus hoc mandatum edidiſſe fertur. Eſt itaque prima hæc vox *Domini* quam Propheta in hac ſcena audivit, qua Eccleſia afflicta monetur de *proximo adventu Regni Dei.* Quæritur, *α.* Cujus *Perſonæ* in Divinis hic præcipue habenda ſit ratio? *β.* Ad quos qualeſque hoc mandatum dirigatur? *γ.* Quæ ſit Mandati ſumma & argumentum? *δ.* Cui tempori Mandatum hoc conveniat? De ſingulis ordine, ex materiæ ductu.

Schema hujus *Exordii.*

Prophetæ audivit *Vocem* Domini directam ad Miniſtros ejus, qua jubentur *Populum Dei* conſolari.

Verbum, יאמר hic in præſenti vertendum, *Dicit*, non, *Dicet.*

Ratio ejus rei.

Mandatum eſt *Patris* per *Spiritum.* Cum enim mandatum hoc edatur ad Miniſtros & Doctores Eccleſiæ, ut mox videbimus; & ſatis conſtet, ad Oeconomicum officium Sp. S. pertinere, ut ex voluntate Patris Doctores Eccleſiæ inſtruat mandatis eorum quæ quoque tempore Eccleſiæ ab iis dicenda vulgandaque ſunt; ratio ſuadet, mandatum hoc proxime & immediate referre ad *Spiritum* illum qui in communione *Patris* & *Filii* eſt *Deus Iſraëlis.* Gen. VI. 3. *Et dixit Jehova,* SPIRITUS MEUS *non contendet cum homine in ſæculum.* ſc. per Patriarchas ut Prophetas, mandatis ejus & facultate ad id per ipſum inſtructos. 2 Sam. XXIII. 2. SPIRITUS JEHOVÆ *loquutus eſt in me, & dictum ejus ſuper linguam meam.* Act. XIII. 2. *Illis autem* (Prophetis & Doctoribus Antiochenis,) *ſacris vacantibus,* DIXIT SPIRITUS S. *ſeparate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod illos advocavi.* quod hic ſemel monuiſſe ſuffecerit, dum in ſequentibus recurret. Dirigitur autem Mandatum haud dubie ad *Doctores Eccleſiæ*,

Cui hæc Vox Oeconomice in Perſonas vinas ſit buenda?

Eſt vox S ritus S. Ratio ej ſententiæ.

Mandat hoc edit

[a] 1 Cap. 1. 25.

ad *Doctores Eccleſiæ.* Paraphraſis Chaldæa.

ſiæ, quorum eſt ex Officio Verbum Dei ſive elencticum ſive didacticum, ſive doctrinale, pro vario ejus ſtatu Eccleſiæ adminiſtrare. Sic Chaldæus h. l. נביאי אתנביאו תנחומין על עמי אמר אלהכון *Prophetæ prophetate conſolationes ſuper Populum meum, dicit Deus veſter.* Interpres Alexandrinus ad verba proxime ſequentia, *Loquimini ad cor Hieroſolymæ*, hic introduxerat *Sacerdotes.* Sic enim ibi legitur: Ἱερεῖς λαλήσατε εἰς τὴν καρδίαν Ἱερουσαλήμ. de quo Procopius: Τὸ δὲ Ἱερεῖς ὡς μὴ κείμενον παρὰ τοῖς ἄλλοις, ὠβέλισαι παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα· *Vocabulum autem* SACERDOTES *quod apud alios* (Sym. Aq. Theod.) *non extat; obelo confoſſum eſt apud* LXX. Sic vertendum; non, *confodi.* ut Curterius. Procopius enim non *confoderat*, ſed obſervaverat, illud in Græco Codice quo utebatur, confoſſum eſſe ex nota ſc. Origenis. cujus *obeli* hic ſupereſt nota in Verſione Latina τῶν ὁ. apud Hieronymum, in hanc formam: ÷ *Sacerdotes* ÷ *loquimini, &c.* Si vox à Chriſtianis hominibus infarta ſit: ejus aliqua dari poteſt ratio, quæ mox pateſcet: cætera, nihil hic divino, in tot hujus Verſionis corruptelis aliis quarum nulla dari poteſt ratio. Nos intelligimus per rationem, Mandatum hoc à Deo editum eſſe ad omnes veros Dei & Eccleſiæ Miniſtros qui circa initia temporis Gratiæ viverent, & Verbum Dei Eccleſiæ adminiſtrarent. Omnes ſc. qualeſcunque Miniſtri Dei quibus ſubjecta oratio conſolatoria ſecundum circumſtantias hujus prophetiæ tribui poteſt, hic recte intelliguntur, & quidem in aliqua latitudine temporis. Eſt enim præfatio generalis quæ toti huic prophetiæ inſtar capitis aptatur. Primum initium illuceſcentis auroræ Eccleſiæ repetendum eſt à Revelationibus quæ Zachariæ Patri Joannis Baptiſtæ, Simeoni, Annæ Prophetiſſæ, & in his inſigni Matri Domini Jeſu Mariæ, inter feminas benedictæ, de inſtante tempore Gratiæ factæ ſunt. Inde intellexerunt ſancti qui exſpectarunt *conſolationem Iſraëlis*, præſto adeſſe Regnum Dei tandiu ſperatum optatumque. Ad illos itaque & illis ſimiles omnium primo hæc vertitur oratio. Non *ſiluerunt* enim illi, (Zacharias quoque poſt linguam ejus ſolutam,) ſed aperto ore apud omnes vulgarunt & celebrarunt revelationes quæ ſibi obtigerant. Sic de eo Lucas in hiſtoria Zachariæ [a]: *Suborius itaque metus eſt omnibus accolis eorum; & in tota montana Regione Judææ divulgata ſunt omnia verba iſta.* h. e. omnes iſtæ res geſtæ cum ſuis circumſtantiis. Et in hiſtoria Annæ Prophetiſſæ [b]: *Palam agnoſcebat Dominum* (Jeſum) *& loquebatur de eo apud omnes qui redemptionem exſpectabant Hieroſolymis.* Hi primi fuerunt Evangeliſtæ, & his cognati qui revelationes ipſis factas in fide receperunt, & eas cum aliis communicarunt. Nec tamen in eo ſubſiſto. Pertinet hoc mandatum, ut jam prænonui, ad omnes miniſtros primi temporis gratiæ quibus competeret ea loqui verba quæ ſubſequuntur. Verbum enim *Evangelii* quod eſt Verbum Regni Chriſti Jeſu, eſt *Verbum παρακλήσεως conſolationis.*

In Verſione Alex. hic eſt vox *Sacerdotes.* Procopii ad eam animadverſio. quæ illuſtratur.

Unde profecta?

Verum ſubjectum ad quod hæc vox edita eſt, diſtinctius enarratur.

Primi illi Propræcones Evangelii ex Hiſtoria Evang. demonſtrantur.

Aſpectus generalior hujus Subjecti.

Summa & argumentum *Mandati.*

Deus jubet Populum ſuum *ſolari.* Senſus vocis h. l.

Et *loqui ad cor electorum.* Significatio phraſios.

Geminatio vocis *ſolari* quid ſibi velit?

Ejus autem generis verbum eſſet quod his Evangeliſtis ex mandatu Divino loquendum eſſet. Argumentum ejus: *Solamini, ſolamini populum meum: loquimini ad cor Hieroſolymæ.* h. e. afflictis & laborantibus, & ad ſalutem diu exſpectatam anhelis grata nunciate, delectabilia, auditu jucunda, & deſideriis illorum congruentia, quæ illos liberent à metu & ſolicitudine, & *cor gravatum levent.* hæc enim genuina vis eſt phraſios Hebræis receptæ, *loqui ad alicujus cor* [c]. h. e. loqui affectui conſentanea, quæ quis lubens volenſque audit. quò pertinet, ut non tantum *res ipſæ* quæ dicuntur, ſed & dicendi proponendique modus aptus ſit mulcere animum, eumque ab ægritudine & anxietate liberare. Geminatio autem vocis, *ſolamini*, docet, conſolationem fore perfectam, veram, durabilem. h. e. *ſpiritualem*, quæ credentibus adferret æternam lætitiæ materiam, & labores omnes ſuperiorum temporum abunde penſaret: qualis eſt Evangelica quam Apoſtolus vocat [d] *conſolationem æternam & ſpem bonam per gratiam.* Inde *dies* N. T. Prophetæ noſtro eſt *dies conſolationis lugentium* [e]. Hoc eſt illud *duplum* quod Vates mox memorat. Qui aliud hic myſterium quærunt, aliena & longius quæſita ſectantur, Ipſa conſolationis *materia*, rite inſpecta & intellecta, id evincit. conſtat autem tribus *articulis*, ſeorſim conſiderandis. Primus eſt, *Et acclamate ei*, כי מלאה צבאה *quod expleta ſit militia ejus.* Vulgatus habet, *Malitia.* haud dubie vitio *Librarii*, non Hieronymi qui ſcripſit *militia:* quod ſi nobiſcum dicerent Pontificiæ ſectæ Interpretes, rectius conſulerent honori Hieronymi, quam verſionem loco incongruentem excuſando aut defendendo etiam, quod agunt. Certe Intt. Chriſtianorum plures vocem צבא hic vertunt per *militiam.* Sed Hebræi, Aben-Ezra & Kimchius, vocem צבא hic ſimpliciter vertunt per זמן *tempus*, reſpectu habito ad loca Job. VII. 1. XIV. 14. At Chaldæus vocem צבא hic ſumpſit communiore ſua ſignificatione pro *exercitu, agmine*, vertens: ארי עתידא דתתכלי עמא גלוחרא *quia futurum eſt ut impleatur* (ſc. Hieroſolyma, nunc vaſta, deſolata, incolis ſuis orba,) *populo tranſmigrationis ſuæ.* Probat Abarbenel, & verſionem ut veriorem commendat, nec tamen perſuadet. α. Quia nimis abrupte in ipſo orationis exordio hic memoraretur beneficium ſingulare Hieroſolymæ incolis implendæ, cum *orbitatis* ejus nulla facta eſſet mentio. β. Non ſuccurrit, vocem צבא unquam uſurpari pro *incolis Urbis.* Utique datur hic interpretatio commodior, & ſubjecto congruentior. Doctos Hebræos dixi per *definitum tempus* vertere, quando reddenda ſunt verba: *Impletum eſt tempus tuum definitum.* Non eſt ſpernenda verſio: quin favet ei inſigniter locus Marci, qui ad formam hujus locutionis conceptus videri poſſet. Verba ſunt [f]: *Jeſus venit in Galilæam, prædicans & evangelizans Regnum Dei, & dicens:* Ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρὸς, EXPLETUM EST TEMPUS, *& appropinquavit Regnum Dei.* Ipſiſſima illa ſcena eſt hujus prophetiæ, quam in ſuperioribus exhibui. Et tamen, nihil vetat hic plus intelligere, ſi demonſtrari queat latere in poteſtate vocis, & convenire ſubjecto. Vox צבא, ut *agmen, exercitum, catervam* inſtructam, notat; ſic pariter obtinet ſignificationem *ſtationis moleſtæ, laborioſæ*, functionis ordinatæ & adſtrictæ, certo tempore circumſcriptæ, cujuſmodi eſt *ſtatio militaris:* eſtque ea ratio, quare *ſtationes* & *functiones Sacerdotales* tempore certo definitæ, quibus Sacerdotes ſinguli moleſto & laborioſo opere occupati, militum inſtar *ſuo ordine* poſiti, in Sanctuario defungebantur, hac ipſa notione צבא deſignentur [g]. Inde tranſlata eſt ſignificatio ad omnem ſtatum humanæ vitæ laborioſum, *definito tempore* limitatum, quo quis *ordine* ſuo inter alios agit & ſubſiſtit, ſuamque vicem explet: quo modo ſumitur apud Jobum, illis locis, quæ modò notabam. In priore ſic legitur [h]: הלא צבא לאנוש על הארץ וכימי שכיר ימיו *Nonne eſt ſtatio definita, laborioſa, moleſta, homini miſero ſuper terram, & dies ejus ut dies mercenarii?* Poſterius membrum, ut paſſim, ſenſum prioris definit & illuſtrat. *Mercenarius* adſtrictus eſt *moleſto labori* ad certum ac definitum tempus: ſic ſe habet ſtatio hominis in terra. Conſequens oratio id confirmat; ut quiſque, eam expendens, facile per ſe viderit. In altero ſic ſcriptum eſt [i]: כל ימי צבאי איחל *Per omnes dies moleſtæ meæ ac definitæ luctæ ſperabo, donec veniat deceſſio mea.* h. e. de ſtatione decedam, ut Intt. recte. Metaphora hic manifeſte ſumpta eſt à Sacerdote, milite, mercenario, qui moleſtam obeuntes ſtationem, ſibi à Sacrorum Præfecto aut Principe ad certum tempus commiſſam, patienter exſpectant tempus *miſſionis* ac *libertatis* quo ipſi de ſtatione decedant, & alius iis ſuccedat. Neque aliter accipio vocem apud Danielem, inſigni loco, ex his quæ diximus illuſtrando. Verba habent,

Materia Conſolationis. Tres ejus articuli. Articulus primus. Error *Vulgatæ.*

Vox צבא quomodo hic interpretanda; Judæorum Intt. ſenſus. Diſſentiens Paraphraſtæ, & Abarbenelis, quorum ſententia refellitur.

Hebræi Intt. intelligunt *tempus definitum.* Locus Marci Cap. 1. 15. ei congruens.

Vox צבא rectè vertitur per *ſtationem moleſtam* definito tempore circumſcriptam. Speciatim transfertur ad *Stationes* Sacerdotales.

Inde generaliùs pro omni *moleſto* vitæ ſtatu, certo tempore definito. Loca Jobi, Cap. VII. 1. & XIV. 14. expoſita.

---

a Cap. 1. 65. *b* Cap. 11. 38. *c* Gen. XXXIV. 3. L. 21. Hoſ. 1. 15. *g* Num. IV. 23. VIII. 24. 25. *h* Cap. VII. 1. *i* Cap. 11. 16. *Diſt. Heb.* *d* 2 Theſſ. 11. 16. *e* Cap. LXI. 2. *f* Cap. XIV. 14.

habent, *obtigisse* Danielli *revelationem*, ubi additur [a]: ואמרת הרבר וצבא נרול *Et verbum illud certum est, & lucta definita longa.* h. e. longa series eventuum, magnam partem molestorum. longum tempus definitum cum lucta transigendum. quod est argumentum illius Visi his paucis verbis declaratum. Sensus itaque perfectus hujus articuli est: *Tempus definitum* molestæ luctæ, laboris, exercitationis operosæ, quod Populus Dei ex præscripto consilii Divini huc usque exegerat, nunc transiisse ac impletum esse. adesse tempus חליפה *missionis in libertatem* & vicissitudinis status; dudum optatum speratumque. Estne jam qui dubitet quo hic respiciatur? Designatur hoc loco tempus, non Exilii Babylonici, (quod multis Intt. hic adhæret:) sed tempus totum Oeconomiæ & Pædagogiæ Legalis, ex consilio Divino certo annorum dierumque intervallo circumscriptum, cum respectu ad incommoda *servitutis*, *laboris*, *luctæ* fidei & spei, & *malorum pœnalium*, Populo identidem rebelli à Deo pro severitate illius Oeconomiæ inflictorum. Hoc est illud *tempus*, de quo Dominus ipse apud Marcum [b]: IMPLETUM EST TEMPUS. sc. luctæ, laboris, servitutis, pædagogiæ, severitatis, Ecclesiæ sub Lege à Deo destinatum. Et Paulus [c]: *Quando autem venit τὸ πλήρωμα τῦ χρόνυ* PLENITUDO TEMPORIS, *emisit Deus Filium suum.* Putem, illum hunc ipsum quoque locum nostrum in oculis habuisse, & phrasin inde mutuatum. Omnia hic concurrunt quæ ad emphasin vocis צבא perfectissime explicandam pertinent. Primus hic aspectus est *servitutis Legis Mosaicæ*, quæ conjuncta erat cum *jugi* eaque *molestissima exercitatione.* Onus illud primo quidem incumbebat *Sacerdotibus & Levitis*; sed existimandum est, ut res vere se habet, totam Gentem Judæam in Sacerdotibus & Levitis & per ipsos tanquam toti Genti substitutos molesta hac λειτεργίᾳ, quæ stylo Scripturæ S. צבא *militia*, *laboriosa functio*, dicitur, defunctam esse. Quid? Omnes quotquot fuerunt *sub Lege*, per *totam vitam damnates servitutis*, versati sunt tanquam in *Ergasterio* & *militia*, addicti Lege Divina laborioso vitæ generi, variisque functionibus molestis ad numerum obeundis tanquam in militia, sub gravi pœna. Apostolus vocat ζυγὸν δελείας, *jugum servitutis* [d]. Propheta noster eos qui hoc statu erant, describit [e] ut שבוים *captivos* & אסורים *vinctos*, conclusos *carcere*, qui Zachariæ [f], אסירי התקוה *Vincti exspectationis*, quod à *Lege* tanquam φρεᾷ *præsidio circumscripti*, in statu molestæ servitutis, *conclusi* essent in ergasterio ad *fidem* suo tempore *revelandam:* ut Apostolus [g] hunc statum describit. Accedit secundo, *lucta fidei* & *spei*, quæ credentes hoc tempore & statu plurimum exercebat. unde Apostolo *οἱ προηλπικότες* [h]. Symbolum ejus est [i]: *Anima mea ad Dominum, ut custodes ad matutinum, custodes ad matutinum.* Stabant enim in *specula* [k], instar *militum vigilum* ἐν ἐντενείᾳ *intente dies* & *noctes* observantium illum temporis articulum, quo Deo placeret *promissionem Patribus factam implere* [l]. Id vero pusillamines non faciebant absque magna animi *lucta*; dum ab altera parte tempus cogitatione & spe sua præceptum longe extendebatur; ab altera verò per totum tempus Oeconomiæ Veteris Ecclesiam laborare videbant multis iisque gravissimis incommodis, adversis, calamitatibus, indiciis *severitatis* Divinæ, per illam Oeconomiam regnantis; & obrui gravibus scandalis, inprimis sub Regimine postremorum Principum Domus Assamonaicæ, & Herodis M. quæ faciem Ecclesiæ plane fœdabant. quod tertio loco involvitur voce צבא *luctæ laboriosæ.* unde credentes ejus temporis quo Dominus apparuit, qui spirituali oculo tristem ac degenerem Ecclesiæ statum inspiciebant, Vati nostro dicuntur אבלי ציון *lugentes Tsionis* [m]. Id unum cupiebant, desiderabant, anhelabant, ut liberati à servitute & *è manu inimicorum* Deo *servire* possent statu libertatis *absque metu cum sanctitate & justitia*, ut in *Ode* sua Zacharias [n]. Accedit ad hæc Attributum quartum, latens in voce צבא, fuisse sc. hunc statum *laboris & luctæ laboriosæ* adstrictum ad certum ac definitum tempus, כועד *tempus* præstitutum [o], suis *σημείοις signis* à Prophetis prænotatum: quo præcipue pertinet, quod *Consolatores* Hierosolymæ, id hoc tempore prædicarent *impletum esse*, vel Hierosolymam hoc tempus suum *impleviss*e. utrumque enim idem sonat. metaphora ducta à tempore *definito* ac *præciso*, quod per momenta accresceret usque quo terminum suum assequeretur, instar *vasis* per stillicidia liquorem ad mensuram certam recipientis.

Alter articulus huic cohærens, his conceptus est verbis: כי נרצה עונה *quod expiata sit iniquitas ejus.* Sic recte verto phrasin, primo aspectu paradoxam. Debebat enim valere, *grata acceptaque habita est* vel *facta est iniquitas ejus*, secundum communem notationem thematis רצה *gratum*, *placitum habere.* Quod cum durum dictu sit; Magistri Judæorum vocem רצה hoc loco vertunt per *perficere*, *absolvere*, & עון accipiunt non pro *peccato*, sed pro עונש *peccati pœna*, ut sensus sit; *absoluta perfectaque est pœna iniquitatis ejus.* quod sequutus Piscator vertit, *perfectam esse pœnam ejus.* Argumentum hujus significationis vocis petunt ad speciem non contemnendum ex locis Lev. XXVI. 34. & Job. XIV. 6. In priore sic scriptum legitur: אז תרצה הארץ את שבתותיה *Tum* ABSOLVET (sic illi vertunt vocem תרצה) *terra Sabbatha sua, omnibus diebus desolationis, quibus vos eritis in terra hostium vestrorum: tum quiescet terra,* והרצת את שבתותיה *& absoluta præstabit Sabbatha sua.* Confer ℣. 41. 43. & 2 Chron. XXXVI. 21. In loco Libri Jobi hæc extant verba: עד ירצה כשכיר יומו *Usque quo absolverit ut mercenarius diem suum.* Quin in ipsa illa memorabili Concione Mosaica in *Levitico* ibidem loci, (nec alibi, si non fallor:) vox רצה constructur cum voce עון *iniquitas*, diciturque ℣. 41. *Atque etiam cum iis versabor negligenter, & ducam eos in terram hostium suorum. O! tum subigetur cor ipsorum præputiatum,* ואז ירצו את עונם *& tunc absolvent iniquitatem suam.* h. e. ex sententia Doctorum Virorum, *pœnam* suæ *iniquitatis.* Rursus ℣. 43. *Et terra ab iis derelinquetur,* ותרץ את שבתותיה *&* ABSOLVET *Sabbatha sua ubi eorum caussa desolata jacuerit,* והם ירצו את עונם *& illi* ABSOLVENT INIQUITATEM SUAM. Cl. Coccejus ipse vertit [p], *Et ipsi absolvent pœnam suam.* Sed ægre mihi persuadeo, voci רצה in his ipsis locis non inesse majorem emphasin. Valet vox in his locis, nisi fallor, *se re aliqua perfecte exsolvere cum complacentia vel sua vel alterius cujus interest*, ut nimirum alteri cujus interest, perfecte satisfiat. *Terra* dicitur *accepta habere Sabbatha sua* ubi ei *abunde* satisfit quod ad neglectum Sabbathorum quæ terræ debebantur. *Mercenarius* dicitur *acceptum habere* vel *præstare diem suum*, ubi se opere illius diei exsolvit cum *complacentia* sua & aliorum; gavisus, se laboris terminum attigisse. Inde *iniquitas* dicitur *accepta haberi*, ubi per exuberantem satisfactionem *expiatur.* Æquivalens enim satisfactio pœnalis *culpam* ejus plane expungit, abolet, & compensat, ut *iniquitas* per se res minime grata & accepta hoc ipso *accepta fieri* & haberi censeatur. Sic Judæi in Exilio *cum complacentia Dei se exsolverent sua iniquitate*, ubi per humiliationem, pœnitentiam, fidem, & respiscentiam sinceram explerent officium ad quod secundum Legem Gratiæ exspectari potest remissio peccatorum per Messiam expiandorum. Qui illa officia præstat, censetur præstare quo Deo ex Lege Gratiæ satisfiat, & hoc ipso peccata sua expiare; *iniquitatem* suam *acceptam reddere.* Ea vis est in voce רצה ubi de eo qui *sacrificium* ritu Legali Deo obtulit, per illud scilicet expiandus, usurpatur. ut Lev. I. 4. *Et imponet manum suam capiti holocausti,* ונרצה לו לכפר עליו *idque*

Analogus quoque Dan. X. 1.

Integer sensus in omni sua amplitudine.

Designatur *tempus* Oeconomiæ Legalis.

Collata phrasis Marci, Cap. I. 15. *Impletum est tempus.* Et Pauli Gal. IV. 1.

Tempus *luctæ* & *servitutis* Ecclesiæ sub Oecon. Vetere optime designatur voce צבא. Fuit tempus molestæ & laboriosæ exercitationis.

Primus hic est aspectus *Sacerdotum & Levitarum.*

Loca analoga Scriptorum Sacrorum, qui *Statum* Ecclesiæ sub Lege describunt.

Etiam *luctæ fidei & spei.*

Loca analoga hunc articulum illustrantia.

Caussæ ejus luctæ.

Tempus fuit *Severitatis Divinæ.*

Ecclesia ejus temporis varias sustinuit Calamitates, Afflictiones, &c.

Loca analoga.

Erat lucta adstricta certo tempori.

Alter articulus: *Expiata est iniquitas ejus.*

Usus vocis רצה, quæ proprie valet, *accepta habita est*, hic ad speciem paradoxus.

Sententia Intt. Judæorum qua levatur difficultas.

Sumunt רצה pro *absolvere*, & עון *iniquitas* de *pœna peccati.*

Loca Scripturæ S. huic interpretationi subservientia.

Animadversio ad notationem vocis in illis locis. Loca Lev. XXVI. 34. & Job. XIV. 6. explicantur.

Quo sensu *iniquitas* stylo Hebræorum dicatur *accepta haberi?*

Usus hicce vocis רצה ex aliis etiam locis illustratur.

a Cap. X. 1. *b* Marc. I. 15. *c* Gal. IV. 4. *d* Gal. V. 1. Act. XV. 10. *e* Cap. LXI. 1. *f* Cap. IX. 12. *g* Gal. III. 23. *h* Ephes. I. 12. *i* Ps. CXXX. 6. *k* Hab. II. 1. *l* Act. XXVI. 7. *m* Cap. LXI. 1. *n* Luc. I. 74. *o* Hab. II. 3. *p* In *Lex.* ad voc. רצה.

Notat *expiationem.*

idque habebitur in ejus gratiam acceptum ut pro eo fiat EXPIATIO. Idem usus est vocis רצון. Sic est in Lege de Manipulis [a]: *Et agitabitur manipulus coram Domino* לרצונכם *ad acceptilationem vestri.* ut Deo grati & accepti sitis, impetrata peccatorum vestrorum expiatione. & Propheta noster [b]: *Holocausta illorum & sacrificia illorum erunt* לרצון *in beneplacitum* (grata habebuntur ad expiationem,) *in altari meo.* Recte igitur verteris in h. l. *Et expiata est iniquitas ejus cum perfecta Dei complacentia.* Jarchius: נתפיים *Expiata, reconciliata est.* ἱλάσθη. Chaldæus: *Quia remittentur ei debita ejus.* Non nego hic laudem suam Abarbeneli qui ex sua sententia expressurus sensum hujus dicti hæc verba reliquit: והשני שיכפר השכם יתכר בער עוונותיה ויסלח לכל חטאתיה וזהו כי נרצה עונה שהוא ענין הכפרה והסליחה כמו שאמר ונרצה לו לכפר עליו *Altera vero* (consolatio) *est; Deum S. B. admissurum esse expiationem pro iniquitatibus ejus; & condonaturum esse omnia delicta ejus; & hoc illud est quod dicitur:* QUOD EXPIATA SIT INIQUITAS EJUS: *quod accipiendum sensu* EXPIATIONIS *&* CONDONATIONIS, *sicut dicitur:* (Lev. I. 4.) *Et acceptum pro ipso habebitur, ut impetret expiationem.* Non est nullius hunc sensum voci reddidisse. Utique enim, qui hæc verba accipiunt de *pœna delictorum* jam perfecta & absoluta, secundum hypothesin suam eam exponunt de *pœna* quâ Judæus Populus defunctus est in Exilio Babylonico. Sed quis mihi dixerit, Beneficium *perfectæ remissionis peccatorum cum eorum expiatione* conjunctum Ecclesiæ tum temporis obtigisse? Longe aliud sonat supplicatio Angeli Intercessoris pro Populo dudum reduce in terram apud Zachariam [c]; aliud historia Ecclesiæ sequuturi temporis. Deus ita iis remiserat pœnam ut adhuc exerceret ועם *severitatem.* Zacharias alter τὴν γνῶσιν τῆς σωτηρίας ἐν ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν· *cognitionem salutis cum* REMISSIONE PECCATORUM, h. e. remissione perfecta, docet fore attributum temporis gratiæ aperiendi per Filium suum Joannem, Messiæ præcursorem [d]. Et nos ex consensu Verbi Dei intelligimus, *veram & perfectam remissionem peccatorum*, qua credentes cum perfecta Dei *complacentia* exsolverentur reatu, fundatam in *sanguine Filii Dei*, non præstari nisi sub Oeconomia Gratiæ; nec præstitam esse Ecclesiæ absque hostia piaculari per magnum hunc Pontificem oblata [e]. Id itaque ipsum hic demonstrari, persuasi sumus. Oratores & consolatores, ad quos mandatum Dei dirigitur, dicerent, docerent, prædicarent; *finitam esse luctam Ecclesiæ*; & adesse tempus quo Deus *expiatione peccatorum facta per ipsum Filium Dei f*, Ecclesiæ perfecte reconciliaretur, & *scisso chirographo* peccata *remitteret* absque ἀναμνήσει cum *uberrima gratia Spiritus S.* signaculo ἱλασμῷ & favoris Divini, cujus beneficii symbolum fuit *Baptismus Joannis.* Lex enim & Prophetæ sunt *ad Joannem g*. inde incipit tempus Gratiæ. Adscribo tantum in argumento dudum trito aurea Apostoli verba ex Concione ejus ad Antiochenos Pisidiæ [h]: *Notum igitur sit vobis, fratres, annunciari vobis* ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν REMISSIONEM PECCATORUM PER ISTUM; *& ab omnibus à quibus non potuistis per Legem Mosis justificari, quemvis credentem per hunc absolvi.* Ecclesia à *laboriosa lucta* sub *servitute Legali* liberari non potuit nisi interveniente כפרה ἱλασμῷ per *sanguinem* Messiæ [i]. quæ inter se cohærent ut *caussa* & *effectus*, atque adeò à Propheta arcte inter se junguntur.

Abarbeneli ius datur. Verba ejus.

Utilitas veræ expositionis hujus phrasios cum respectu ad hypothesin hujus prophetiæ.

Populus redux ex Exilio non est gavisus hoc beneficio in emphasi.

Est attributum temporis Gratiæ. quod evincitur.

Locus Act. XIII. 38.

Tertius articulus ejusdem est argumenti: *Quod à manu Jehovæ duplum acceperit pro omnibus peccatis suis.* Paradoxa rursus ad speciem sententia. Cum enim *duplum* hoc videatur intelligendum de *Beneficio:* an non durum dictu sit, *beneficium* dari & quidem *duplum*, pro *peccatis?* Sunt, fateor, inter Intt. qui duritiem emolliunt, & sententiam sic efferunt; Ecclesiam *duplum* accepisse בחטאתיה IN *peccatis ejus.* ut videlicet hoc ipso magis commendent Divinam Gratiam, & explodant hominum merita. Sed licet principia hæc doctrinæ sana sint: sententiæ tamen Prophetæ omnis perit elegantia, si præfixa ב hic vertatur per *in.* Vertenda est per *pro* ut in aliis casibus, ubi de *dato & accepto* agitur. Ergo Magistri, & inter Christianos non pauci, verba accipiunt de *duplo pœnæ*; ut sensus sit, Deum pro tenero erga Populum suum affectu sic censere, pœnam quam Populo suo inflixit, *peccata ejus* abunde expleviisse, & videri posse nimia exactam severitate, acsi *duplum* ejus esset quod promeriti erant. Junius, Piscator, Belgæ, hunc sensum eligunt; & Coccejus quoque, qui hunc articulum priori tam arcte jungit, acsi unam tantum faceret sententiam. Vertit complexum utriusque membri: *Quod absolutum sit peccatum ejus* (reconciliatum) *ad acceptationem ipsorum* QUIA *accepit ex manu Jehovæ duplum, &c.* Vidi etiam alios quibus placet, *Quia*, siquidem, *è manu Jehovæ duplum acceperit.* Id sane commodum est huic hypothesi, sed neutiquam convenit in orationem Prophetæ, qua vocula כי *ter* absque *copula* repetitur, & clare satis innuit, Verba Prophetæ tria complecti membra, divise accipienda, & inter se non confundenda. Quod si ita se habet: nequaquam probabile fit, membrum hoc postremum accipiendum esse de *duplo pœnæ.* Vide enim, an Deo satis digna sit & conveniens oratio, qua consolaturus Populum suum ad animum ejus leniendum confessionem edit nimiæ in eam severitatis. Sane *magna severitas* à Deo in Populum suum exercenda *dupla* vocari potest *afflictio* vel *contritio*, & omnino sic dicitur à Jeremia [k], (qui hic adhibet vocem משנה, non כפלים quæ est in hoc loco:) nec incongrua Deo interminanti est oratio, qua dicit, se *duplum pœnæ* ab immorigeris exacturum esse: sed non putem, post pœnam inflictam, imperaturum esse Deum, ut publice promulgetur & prædicetur ad Populi sui consolationem, *se duplam ab ipso exegisse pœnam.* Nulla hæc consolatio est, nisi jungatur promissio *dupli beneficii* pro *duplo pœnæ* recipiendi. Id vidit Chaldæus, ac proin utrumque sensum hic conjunxit. Παραφράζει in hunc modum: *Quia accepit calicem consolationis à facie Domini acsi percussa esset dupliciter pro omnibus peccatis suis.* Id ut opinor, proxime accedit ad mentem Prophetæ qui hic omnino intelligendus de *duplo beneficii*; estque sensus ejus quem Vatablus non infeliciter expressit: *Conferet illi Dominus multa beneficia loco pœnarum quas merito & juste datura esset pro peccatis suis.* Ita est. Sententia Prophetæ sonat; Deum, licet pro severitate sua Populum respectu peccatorum ejus longius adhuc & gravius punire possit: tamen hoc tempore gratiæ abrupturum severitatem; condonaturum peccata; & non *simplice* sed *duplice* benedictione exuberante eum prosequuturum esse: licet simplice omnino videretur posse esse contentus. Non compensaret Deus illorum peccata suis beneficiis: id enim plane absurdum esset dictu: sed abrumpendo pœnam peccatorum, quam pro severitate sua potuisset protrahere, & Ecclesiam uberrima prosequendo gratia, esset & plane ita videretur, acsi Deus *pro peccatis* beneficium & quidem *duplum* redderet, quia *beneficia* pœnam nondum, ut videri posset, terminatam immediate exciperent. Tanta vis esset Divinæ gratiæ hoc tempore manifestandæ. Est etiam aliud in phrasi ipsa quod monere posset Doctos, hic de *beneficio*, non de *pœna*, agi, quia dicuntur *accepturi esse* vel *accepisse* DE MANU EJUS *duplum.* Id sane propius est *beneficio* quam *pœnæ. Accipere* enim *aliquid è manu alicujus*, proprie dicitur de *beneficio.* Nec obstat hic locus Cap. LI. 17. quia phrasis ibi non *absolute*, sed *relate* usurpatur ad *calicem vertiginis. Duplum* autem hoc *beneficii* hic non est referendum ad *duplex bonum* quod paulo ante memoraverat, h. e. ad *terminationem militiæ & luctæ* Ecclesiæ, & *Remissionem peccatorum:* ut aliqui instituunt: sed ad Beneficium, cum his quidem proxime connexum, (ut sane omnia beneficia

Articulus tertius: *Quod à manu Jehovæ* DUPLUM *acceperit* PRO *omnibus peccatis suis.*

Τὸ παράδοξον tententiæ.

Præfixa ב in voce בחטאתיה an hic vertí queat per *in*?

An potius accipienda sententia de *duplo pœnæ*?

Auctores hujus expositionis.

Sententia Cocceji.

Et aliorum. Ad eam animadversio.

Duplum hic non est exponendum de *duplo pœnæ.*

Quid ea phrasis valere queat?

Nec tamen usus hic locum habere videtur.

Duplum hic intelligendum est *beneficii.*

Sententia Prophetæ declarata.

Alia ratio hujus expositionis ex textu.

Quale hoc sit *duplum beneficii* de quo h. l.? Errans sententia.

a Lev. XXIII. 11. b Cap. LVI. 7. c Cap. I. 12. d Luc. I. 77. e Matth. XXVI. 26. f Heb. I. 3. g Matth. XI. 13. h Act. XIII. 38. i Dan. IX. 24. k Cap. XVI. 18. XVII. 18.

neficia Gratiæ inter se cohærent:) & tamen quodammodo distinctum. Notat *cumulum* exuberantium *benedictionum* & *donationum spiritualium* quibus Deus honoraret & locupletaret Ecclesiam Oeconomiæ Novæ supra Veterem, in quibus donis bonisque gratiæ credentes haberent argumentum *perfectæ remissionis peccatorum* & fundamentum *solidissimæ consolationis*. Cum *justitia Christi Jesu* acciperet Ecclesia ex liberali manu Dei ut Patris reconciliati donum Spiritus S. ad illuminationem, sanctificationem, consolationem, lætitiam, pacem, moderationem animi, charitatem, fiduciam Dei in precibus adeundi, prophetiam, cum testimonio gratiosæ & gloriosæ præsentiæ Dei apud Ecclesiam in sanationibus & miraculis quæ in cœtibus credentium à Ministris Christi Jesu ederentur; & quidem longe *uberiore mensura* quam Deus hæc dona spiritualia distribuerat sub imperfecta Oeconomia Vetere, sive illa Beneficia in se respicias; sive subjecta quibus dispertirentur; videlicet omnis ordinis & generis homines, nec Judæos tantum sed & Gentes per totum Mundum. Scriptores Sacri una voce appellant *gratiam*, ut ad Corinthios [a]: *Potens est autem Deus facere ut omnis gratia in vos exundet.* Huc pertinet dictum Joannis Baptistæ de Christo [b]: *Et ex plenitudine ipsius omnes accipimus* GRATIAM *pro* GRATIA. *pro* (ἀντὶ) gratia *Justitiæ* per ipsum adducendæ *gratiam Sp. S.* Paulus ad Romanos [c]: *Ubi redundavit peccatum*, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις, ADMODUM SUPERABUNDAVIT GRATIA. Videri posset Apostolus ad hæc nostra verba respexisse; viditque Brentius, qui illum locum cum hoc nostro feliciter contulit. Ad Ephesios [d]: *Benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis benedixit* OMNI BENEDICTIONE SPIRITUALI *in cœlis in Christo.* In primis hic confer 2 Pet. 1. 3. 4. Alia quæ huc pertinent, ultro prætereo. sufficit rem indicasse. Id tantum addo, meo judicio כפלים DUPLUM hic pertinere ad *Benedictiones spirituales* quippe quæ maxime oppositæ sunt *peccatis*. *Benedictiones spirituales* ut longe præstantiores *corporalibus*, eleganter proponuntur sub notione *dupli*. Cæteræ simplices sunt: hæ altero tanto præstantiores. Qui *spirituales benedictiones* accipit, *duplo* gaudet. qui *corporalibus*, accipit *simplex*.

Hoc argumentum erat *consolationis* qua Deus refici & erigi vult animos afflictorum, exspectantium *consolationem Israëlis*. Quin vult eam alta & sonora voce iis *prædicari*, sive apud eos *publice promulgari*; quæ vis est vocis קרא, in dicto Prophetæ, וקראו אליה *Et promulgate apud* EAM; sc. *Hierosolymam:* per quam nemo hic dubitat intelligi *pios*, in Ecclesia superstites, qui veram Ecclesiam efficiebant; Judæorum phrasi, כנסת ישראל *Cœtum, Ecclesiam, Israëlis.* Sic ipsi Magistri hoc loco. Videlicet ab hoc tempore illucescentis auroræ Evangelii hoc κήρυγμα *publice* audiretur. Sancti qui revelationem temporis gratiæ acceperunt, primi Nuncii & Præcones essent hujus gratiæ; eosque insequutus verus *Præcursor* Christi Jesu, *Joannes*; & hunc proxime excipiens ipse *Dominus*, cum caterva *evangelizantium* & *consolatorum Tjionis*, υἱῶν παρακλήσεως, *filiorum consolationis*, quo nomine Barnabas speciatim honestari meruit. de quibus ordine videbimus, ut & de potestate vocis קרא in sequente pericopa.

VOX ALTERA Sp. S. edenda per *Joannem Baptistam* præparatoria ad proximam *Manifestationem Regni Dei* sive Messiæ.

℣. 3. *Vox* PRÆDICANTIS in Deserto: IN DESERTO *parate viam Jehovæ; complanate in* SOLITUDINE *semitam Deo nostro.* ℣. 4. *Omnis* VALLIS *attolletur; &* OMNIS MONS *&* COLLIS DEPRIMENTUR; *& fiet* INÆQUALE *in viam æquam, & protuberantia in planam vallem.* ℣. 5. *Et* REVELABITUR GLORIA JEHOVÆ; *& videbit omnis caro simul, quod* OS JEHOVÆ LOCUTUM SIT.] Cuique hanc pericopam legenti claret, hic exhiberi Vocem publici alicujus Præconis Regii, qui instante exspectato & significato *Regis* illustris *adventu* monet mandatque vias asperas, salebrosas, inæquales, ad ipsum honeste recipiendum planari & æquari, ut absque offensa per æquum planumque callem incedere & viam confitere queat; metaphora sumpta à consuetudine receptissimi usus antiqui & novi inter omnes Populos, viarum publicarum in usum Regum aut illustrium Principum, hic illic exspectatorum, curate parandarum, vel faciendarum: quod Græcis ὁδοποιεῖν. Arrianus [e]: *Ipse* (Alexander,) *jam pergit ad Indum fluvium, nisi ἡ στρατιὰ αὐτῷ ὁδοποιεῖτο πρόσω ἴσσα, ἄπορα ἄλλως ὄντα τὰ ταύτη χωρία, exercitu qui viam ei faceret, antecedente, neque enim aliter illa loca transiri possunt.* Id hic primum observandum est ut plane necessarium ad intelligentiam hujus loci, & rectissime observarunt Evangelistæ, qui cum hæc verba referrent ad Joannem Baptistam, summam concionis ejus fuisse tradunt [f]: *Resipiscite*, APPROPINQUAVIT ENIM REGNUM COELORUM. Male itaque Chaldæus: *Parate viam* קדם עמא דיי *coram* POPULO DOMINI; & *coram* כנישתא דאלהנא ECCLESIA DEI NOSTRI. Agitur de *Jehova*, ut *Rege*, apparituro inter suos. Cætera in *versione* hujus pericopæ parum occurrit quod Interpretem moretur. Prima solummodo ejus verba animadversionem aliquam postulant. Hebræa, קול קורא במדבר פנו דרך יהוה ad verbum ita sonant, secundum distinctionem Masorethicam: *Vox clamans: in Deserto planate viam Jehovæ.* ut nimirum τὸ IN DESERTO non cohæreat cum voce *clamans*, sed cum sequentibus, *planate viam.* quod videri queat probabile, quia mox additur, *Et æquate* IN SOLITUDINE *semitam Deo nostro.* Et tamen Evangelistæ [g] vocem במדבר *in Deserto*, junxerunt voci *clamans*, sequuti τὴς ϕ. Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίε· *Vox clamantis in Deserto, Præparate viam Domini.* Fateor sane, Græca non recusare eandem distinctionem quam Hebræa ad quorum formam concepta sunt: attamen satis patet, Evangelistas, cum ea applicent ad præconium Joannis factum in *Deserto*, voces ἐν τῇ ἐρήμῳ junctas velle notioni βοῶντος; nec dubitem quin Int. Alexandrinus idem intenderit, quippe qui vocem בערבה *in solitudine* in *altero membro* neglexit. Et tamen si res ipsa inspiciatur, nulla hic est difficultas. Quod enim ad prius attinet, קול קורא æque verti potest, *vox clamantis*, ac *vox clamans*, (ut mox ℣. 6. קול אומר *Vox dicens:*) unde Aquila quoque hic loci, Φωνὴ κυλδντος. quin sane alterum altero involvitur. Ubi enim est *vox clamans*, oportet supponere *clamantem.* ut idem sit, sive dicas, *Vox clamans:* sive, *Vox clamantis.* Perinde se habet phrasis ac ea Velleji [h], qui Ciceronem, eloquentissimum sui temporis Virum, vocavit VOCEM PUBLICAM, *scelere Antonii abscissam.* De altero autem ita habe; Prophetam nostrum data opera sic scripsisse, ut lectori suo subjiceret hanc cogitationem, *clamorem* hunc edendum esse *in Deserto.* Poterat enim scribere, *Vox clamans: Parate* IN DESERTO *viam Jehovæ*; idque secundum stylum & simplicitatem Hebraismi videri posset commodius: sed scribere maluit, *Vox clamans* IN DESERTO *parate viam, &c.* quo fine, nisi ut nobis cogitandum subjiceret, τὸ במדבר *in Deserto* æque referendum ad *prius* ac ad *posterius.* quod ipsum vere intendisse puto, ut integer sensus sit, *Vox clamantis* in Deserto: *In Deserto parate viam Jehovæ.* Res ipsa quoque id postulat. Cum enim hic exponatur mandatum de *via paranda in Deserto:* ubi, nisi *in Deserto*, hæc vox edenda esset? Ibi ederetur *vox*, ubi efficiendum erat mandatum. Exempla autem gemini usus ejusdem vocis perinde cum *antecedente* quam *sequente contextu* cohærentis in superioribus nobis jam occurrerunt. Nihil itaque est quod nos amplius teneat quo minus sententiæ hujus sensum vestigemus & illustre-

Vera expositio.

Dona gratiæ quæ Deus in Ecclesiam N. T. confert, majore mensura quam olim.

Sive in se spectentur, sive respectu Subjectorum quibus Deus illa dispensat.

Locus Joh. 1. 16. obiter illustratus.

Alia analogia.

Duplum hic pertinet ad Benedictiones spirituales.

Hæ consolationes apud Ecclesiam *prædicarentur.*

Quid per *Hierosolymam* h. l. intelligendum?

Vox altera Sp. S. edenda per *Joannem Baptistam.*

Schema hujus Periocopæ.

Mos antiquus vias publicas parandi ad adventum Regis vel Exercitus.

Animadversio necessaria, hic respici ad *adventum Regni Dei.*

Versio hujus loci, ut ab Evangelistis instituta est, comparatur cum verbis Prophetæ.

An voces, *in Deserto*, pertineant ad τὸ *clamans*, num ad *sequens membrum*? Prius obtinet ex mente τῶ ϕ., & Evangelistarum.

Conciliatur Versio cum dicto Vatis.

Voces *in Deserto* ad utrumque membrum pertinent.

Quod ex ipsa quoque re evincitur.

[a] 2 Cor. IX. 8. [b] Joh. I. 16. [c] Rom. V. 20. [d] Ephes. I. 3. [e] Hist. Lib. IV. Cap. XXX. [f] Matth. III. 2. [g] Matth. III. 3. Joan. I. 23. [h] Hist. Lib. II.

Analysis hujus Pericopæ.

ſtremus. Pericopa complectitur, ANTECEDENS, *Præparationem viæ in Deſerto*, ante *faciem Jehovæ* ſolenniter manifeſtandi, ỳſ. 3. 4. & CONSEQUENS, Ipſam *Jehovæ Φανέρωσιν* cum gloria ſua & ſalute Populo ſuo procuranda, ỳſ. 5. ANTECEDENS duo exhibet, *Propoſitionem* de illa *Præparatione* facienda, ỳſ. 3. & *Propoſitionis Declarationem*, ỳſ. 4. In quorum expoſitione, ne quid præterlabatur, ſic procedam, ut verba Prophetæ ſingula ordine proſequar, & expoſitionem hujus loci factam ab *Evangeliſtis*, non tantum elucidem, verum etiam demonſtrem.

ANTECEDENS. PROPOSITIO.

Antecedens: *Vox clamans*, vel *clamantis.*

ỳſ. 3. VOX PRÆDICANS.] Sive, *Prædicantis.* Evangeliſtæ Alexandrinum imitati, *Φωνὴ βοῶντος*, *Vox* CLAMANTIS. abſque vitio. Eſt enim ea genuina ſignificatio vocis קרא hoc loco, ut notet vocem *Præconis* publici, eamque altiſſimam, qua ex officio aliquid vulgat, & publico nomine promulgat. Sic vox ſæpe à Scriptoribus Sacris uſurpatur, & à Propheta noſtro. Sume tibi exemplum ex Cap. LVIII. 1. קרא בגרון CLAMA *alto gutture: ne cohibe. Inſtar buccinæ extolle vocem tuam.* Græcis eſt *κηρύσσειν*, (quæ ipſa quoque notio à קרא originem ſuam trahit:) *voce Præconis* aliquid *promulgare*, ſive etiam *prædicare*; quæ vox paſſim à Scriptoribus Eccleſiaſticis in hunc uſum trahitur: non plane abſurde, nec præter omnem rationem analogiæ antiquorum Scriptorum, qui actum *Præconum* aliquando deſignarunt voce *prædicandi*; etſi ſatis conſtat, hujus ſignificationem longe patere latius. Ferri tamen poteſt, cum Latina nulla exacte reddat poteſtatem vocabuli *κηρύσσειν*. Cum autem tam Græci quam Romani ſuos haberent *κήρυκας Præcones publicos*, qui publice in uſum neceſſaria ex mandato promulgabant vulgabantque: nullos ad hoc officium eligebant, niſi *μεγαλοφώνους*, *alta* præditos & *ſtentorea voce*, ut quæ edicebantur ab omnibus exaudiri poſſent *A*. Intelligenda itaque hic eſt vox *Doctoris* alicujus illuſtris, Viri Dei, Prophetæ, ut Præconis Divini, à Sp. S. acti. non ſecundum *myſticum*, ſed ſecundum *literalem ſenſum*. quod hic diligenter obſervandum adverſus illos Interpretes, quibus hic adhæret idea *Præconis*, Populo Judæo facilem reditum prænunciantis ex Exilio Babylonico; à qua ſe abſolvere non poſſunt. Sequentia id peremptorie docebunt. Argumentum enim hujus *Concionis* ſive *Præconii* id neceſſario exigit. Id vero rectiſſime ſuppoſuerunt Evangeliſtæ omnes, uno ore docentes, deſignari hic *Joannem Baptiſtam*, Prærſorem Domini, viam ei venienti paraturum. quin Joannes Apoſtolus exerte ait *a*, Baptiſtam ipſum hæc verba ad ſe directe applicaſſe: Ἔφη· Ἐγὼ *φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ*· *Dicebat*, EGO *ſum Vox clamantis in Deſerto.* Alia, ut putem, auctoritate hic opus non habemus; & tamen commodum accidit, id quod ipſi nobis monſtrant, noſtris quoque videre poſſe oculis. Primo itaque obſervo, attributa omnia ſive communia, ſive characteriſtica, hujus perſonæ quæ hic ſignantur, in Joannem Baptiſtam optime convenire: characteriſtica vero in illum ſolum convenire. Sunt autem ſequentia. *α.* Joannes Baptiſta fuit *Præco Divinus.* Matthæus *b*: *Illo tempore adfuit Joannes Baptiſta, κηρύσσων* PRÆDICANS *in Deſerto Judææ.* Monuit Populum Judæum de erroribus; redarguit ejus peccata; exhortatus eſt eum ad reſipiſcentiam; idque in *Concionibus publicis* alta voce ad auditores habitis; tam *βοῶν*, *clamans*, quam *κηρύσσων prædicans.* *β.* Joannes Baptiſta *Præco* fuit illuſtris, eximius, in emphaſi ſic dictus, idque duplici nomine; primo quidem, quod per vitam tantum egerit *Præconem*, & hoc officio ſpeciatim functus ſit. Etiamſi enim ortu fuerit Aaronida, Sacerdos: non patet tamen, illum ad aliud officium quam ad illud *prædicandi* & populi ad reſipiſcentiam errorum & morum exhortandi ſe applicaſſe; quod teſtimonium ſane luculentum illi quoque perhibet Joſephus *c*. Verba ejus: *Κτείνει γὰρ τοῦτον Ἡρώδης ἀγαθὸν ἄνδρα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις κελεύοντα ἀρετὴν ἐπασκοῦσιν, καὶ τὰ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ καὶ πρὸς τὸν Θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένοις, βαπτισμῷ συνιέναι· Necavit enim hunc Herodes,* (Tetrarcha,) *optimum Virum, & Judæos jubentem virtutem diligenter colentes, & inter ſe invicem juſtitiam ac pietatem apud Deum exercentes, baptizari.* Hoc fuit exercitium Joannis: *præconium* junxit *Baptiſmo.* Secundo, Joannes fuit Præco in majore emphaſi ſic dictus quam Præcones alii, quia *immediate* à Deo *miſſus* nihil locutus eſt niſi quod ſibi à Deo imperatum erat. *Erat autem homo* MISSUS A DEO *cui nomen Joannes*, ut de ipſo Joannes alter *d*. Id proprium *Præconum* vere ſic dictorum. quare jam anticipavi, *vocem* hanc clamantis habendam accipiendamque eſſe tanquam vocem Sp. S. in & per Joannem loquentis. Auguſtinus *e*: *Cum verba Judicis* PRÆCO *pronunciat, non ſcribitur in geſtis, Ille* PRÆCO *dixit, ſed, Ille* JUDEX. *γ.* Joannes fuit *Præco Reſipiſcentiæ*, quod non quidem *aperte* ſed *tecte* latet in voce קרא. Id ſane jam obſervaverat Abarbenel ad verba ỳſ. 2. ſed non ſuo loco. Solent *Præcones reſipiſcentiæ* magis quam alii Dei Miniſtri *efferre* vocem ſuam, atque inde illis in emphaſi competit, *τὸ* קרא *κηρύσσειν, βοᾶν.* Confer Cap. LVIII. 1. Jer. II. 2. Jon. III. 2. Hæc formula erat & ſumma quædam orationis Joannis *f*, METANOEITE, RESIPISCITE. *ε.* *Vox*, ſive vere ſive myſtice ſit dictum: audiretur in *Deſerto*, quod mox videbimus verum eſſe attributum Joannis. *ζ.* *Præco* hic illuſtris prænuncius eſſet proximi *adventus Meſſiæ*, qui illum protinus exciperet. Dictum Joannis, ex hoc loco petitum *g*: *Ἤγγικε ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν· Prope eſt Regnum cœlorum.* ſive Dei vel Meſſiæ. *η.* Ejuſque Conciones eò dirigerentur, ut animi Populi Dei ad Meſſiam recipiendum pararentur, ut ſequentia declarant. Quod rurſus eſt privum Joannis Baptiſtæ. *θ.* Idemque Præco ab aliis exciperetur *Evangelizantibus*, qui ſpiritualitatem Regni Dei & Bona Gratiæ clarius declararent atque exponerent: ut liquet ex ỳſ. 6. ſeqq. quod rurſus in Joannem convenit. Quæ demonſtratio ut liquida eſt & facilis: ſic aliam interpretationem hic excludit. Accedit argumentum Alterum deſumptum ex parallelo loco Mal. III. 1. *Ecce mitto* LEGATUM MEUM *qui coram facie mea viam paraturus eſt; & repente veniet ad Templum ſuum ille Dominus, quem vos quæritis, & Angelus Fœderis, in quo vobis complacetis.* quem locum non Zacharias tantum Pater Joannis *h*, aut Evangeliſtæ ad Joannem applicarunt *i*: ſed ipſe quoque Dominus Jeſus *k*. Conſtat autem inter hæc loca manifeſta parallelia: ut adeo reſipiſcere queant qui neſcio quo ſpiritu acti hæc verba ſecundum primum ſenſum referre nituntur ad Statum Judææ Gentis in Exilio Babylonico.

Reſpicitur ad *Præconem publicum.*

Uſus vocum קרא, *κηρύσσειν*, *præicare.*

Præcones publici apud Gentes, paſſim *altæ voces.*

Intelligitur Vox illuſtris alicujus Doctoris.

Deſignatur Joannes Baptiſta.

Conſenſus diſertus Evangeliſtarum.

Cui conveniunt omnia attributa hujus Præconis.

Fuit Præco Divinus.

Iſque illuſtris, qui per vitam nihil aliud egit.

Joſephi de ipſo verba.

Qui nihil locutus eſt niſi ex Dei mandato.

Locus Auguſtini.

Fuit *Præco reſipiſcentiæ.* quorum proprie eſt *clamare.*

Vox ejus perſonuit *in Deſerto.*

Eſſet proximus prænuncius *adventus Regni Dei.*

Scopus Concionum ejus, ut *animi Populi* parentur ad *recipiendum* Meſſiam.

Idemque ab Evangeliſtis exciperetur.

Locus Mal. III. 1. ex quo *novum argumentum* deſumitur.

IN DESERTO] Id hic bis ſubaudiendum eſſe, modo monui. Qui ſequens argumentum Concionis hujus Præconis expendit; facile videt, *Deſertum* & *ſolitudinem* Propior contemplatio verborum, *In Deſerto.*

a Joan. 1. 23. *b* Cap. III. 5. *c* *Antiq.* Lib. XVIII. Cap. VII. *d* Evang. 1. 6. Confer Matth. XXI. 25. 26. *e* De *Trin.* Lib. III. Cap. XI. *f* Matth. III. 2. *g* Ibid. *h* Luc. 1. 76. *i* Marc. 1. 2. *k* Matth. XI. 10.

A Id ſane officii ratio ſuadebat. Plutarchus in *Timoleonte*, p. 255. Δημήτριος, ὃς ἦν μεγαλοφωνότατος τῶν τότε κηρύκων, γεγραμμένον ἀνέπτε κήρυγμα τοιοῦτον, κ. τ. ἀ. *Demetrius* PRÆCONUM *illius temporis omnium* VOCALISSIMUS, *ſcriptum decretum recitavit hujuſmodi, & ſeqq* Diodor. Sic. Lib. XI. p. 260 *Leotychides vero cum tota claſſe probe inſtructus directo in Barbaros ad Mycalen curſu, navem cum* PRÆCONE, ἔχουσαν κήρυκα τὸν μεγαλοφωνότατον τῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ, *qui* VOCE OMNES IN EXERCITU SUPERABAT, *præmittit, &c.* Conſcendebant autem in publicis conventibus *βῆμα ſuggeſtum*, quod ex antiquo uſu & ritu *λίθος lapis* dicebatur, ut eſt apud Plutarchum in *Solone*, p. 12. Idem mos Romanis, ut ex Livio, aliiſque notum. Magiſtratus majores juxta tribunal ſuum habebant Præconem, ut *quæ illi edicebant, præco ad illorum imperium contentiſſima voce pronuntiaret.* de quo videbis Valeſium ad Ammianum Lib. XXII. Cap. III. cum quo eleganter conferri poteſt quod eſt apud Jonam, Cap. III. 2. ubi Deus ad ipſum: קרא אליה אתה קריאה *Prædica apud eam* (Niniven,) *præconium, quod ego tibi dixi.* Græcis non tantum *μεγαλόφωνοι*, ſed & *χαλκεόφωνοι, æneæ voce*, h. e. magna, forti, valida (Heſychio *ἰσχυρόφωνοι*,) prædiri, dicuntur. Vox recepta eſt Homero & Heſiodo. Vide, ſis, ἃ πάνυ Grævium ad *Heſiod.* de *Gen. Deor.* ad ỳſ. 311. Cap. XXIII.

Pertinent ad utrumque membrum.

nem ex primo & vero sensu Prophetæ ibi mystice accipienda esse, ut actutum declarabo. Sed cum Evangelistæ viderent, verba Prophetæ sic esse constructa, ut voces, *in Deserto*, æque cohærerent cum hoc Procœmio, *Vox clamans*, ac cum sequentibus; & cum experientia docuisset, Joannem singulari quodam lusu Divinæ Providentiæ docuisse in loco qui dicebatur *Desertum:* ipsi affecti ab eodem Spiritu simul intellexerunt, Spiritum S. sic gubernasse mentem & orationem Prophetæ, ut una illa notione duo affinia complexus sit. Prævidens enim Propheta, Joannem doctu-

Aspectus hujus loci ex mente Evangelistarum.

rum *in Deserto*, orationem suam sic temperavit, ut in argumento Concionis ejus exponendo ad id alluserit, & ex aspectu *Deserti* literalis captaverit occasionem *Populi illius*, in quo Regnum Dei manifestandum erat, proponendi sub imagine *Deserti*, ante faciem Christi Jesu *æquandi*. quod acumen Scriptores N. T. verba Prophetarum subtiliter, nec minus vere, interpretantes, variis in locis affectarunt. Est autem *Deser-*

Quid hic per *Desertum* intelligendum sit?

tum, quod Propheta hic in oculis habet, id ipsum quod Scriptores N. T. appellant τὴν Ἔρημον τῆς Ἰδουμαίας, DESERTUM JUDÆÆ [a], ubi Joannes Præconis & Baptistæ officio functus est. Res videri queat paradoxa his qui nulla imbuti sunt locorum Sacrorum notitia. Quid enim in *Deserto* doceat, qui ad Judæam Gentem missus quærere debebat & sibi conciliare concursum & confluxum auditorum? ubi *aquas* inveniat in *Deserto*, quibus per verum βαπτισμὸν tingeret doctrinæ suæ cupidos & sequaces? Et tamen utrumque est consecutus. *Desertum Judææ* dicitur Historicis S. ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, Terra proxima circumjacens Jardenis Fluvii, & Maris Asphaltitis, inter Montes & Jardenem media; quod terra per ingenium soli esset sterilior, (excepta planitie Hierichuntina à Fonte irrigata,) nec secta in arva, sed communibus usibus exposita. Phrasi Pausaniæ [b] Sarmatarum terras describentis dixeris, ut res vere habet, מדבר esse γῆν ἅτε ἐς ἰδιωτῶν κλήρους μεμερισμένην, ἅτέ τι φέρουσαν, πλὴν ὕλης ἀγρίας, ἅτε ὄντων νομάδων· *terram non in sortes privatorum descriptam divisamque, neque quicquam ferentem præter herbam agrestem, qua ipsi ut Nomades utuntur.* Præcipue hoc nomine venit ἡ περίχωρος Jardenis *Hierichuntina*, excurrens ad Mare mortuum, ubi Joannes se primo manifestum fecit Israëli. quod *Desertum Judææ* sub hoc ipso nomine מדבר *Deserti* à Propheta nostro memoratum Cap. XVI. 1. ibidem plane descripsi tradita nominis & rei ipsius notitia: unde, si placet, repetes. Sic ipsi Evangelistæ nos diserte docent, Joannem *baptismum* administrasse apud Jardenem, & quidem apud *Bethabaram*, h. e. celebrem Jardenis *Trajectum* [c], apud quem hominum ex Peræa in Judæam & vicissim ultro citroque euntium & redeuntium magnus erat concursus, adeo quidem ut *Judæa*, & *Hierosolyma* & ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου *circumjacens Jardenis Regio* ad eum *confluxerit* [d]. quod *Desertum Judææ* omnino distinguendum est ab illis *Desertis* in quibus versatus esse dicitur Joannes usque ad *illum diem quo se manifestum fecit Israëli* [e]. Intelligitur non ipsum *Montanum Judææ*, sed loca ei proxima versus *Lacum Asphaltitis*, in quibus *Deserta*, sic Hebraice dicta, plura; nec tamen prorsus inculta & non habitata, sed minus frequentata.

Intelligitur *Desertum Judææ.*

Circumjacens ager Jardenensis, apud Hierichuntem.

Cur *Desertum* dicatur?

Locus Pausaniæ.

Coll. loc. Cap. XVI. 1.

Bethabara, Joan. 1. 28.

Locus distinguendus à *Deserto* in quo Joannes fuit educatus.

Verba Prophetæ, quibus *in Deserto parari* dicitur *via*, & *æquanda in solitudine.*

Alluditur ad tria viarum incommoda.

In Deserto parate viam Jehovæ: adæquate in solitudine semitam Deo nostro.] Si quis Princeps iter facere velit in Deserto, tria offendit incommoda. α. Viam in Deserto non esse puram, & ab offendiculis, scandalis aut purgamentis liberam. β. Non esse æquam & planam, sed admittere ἀνωμαλίας *inæqualitates*, sublimium ac depressorum locorum. γ. Non esse rectam, sed passim ob loci incommodum curvam, & per ambages calcari. Huc alluditur in argumento Concionis Præconis illius publici, qui hic exhibetur. Quod enim dicitur, *Parate viam*, Hebræis proprie est *evacuate*, *verrite*, expurgate, liberate eam sordibus, lapidibus, offendiculis. quæ emphasis vocis פנו cognosci potest ex Cap. LVII. 14. פנו דרך הרימו מכשול מדרך עמי *Expurgate viam: tollite offendiculum è via populi mei.* Ol. 6. tamen hic generaliore notione recte vertunt, ἑτοιμάζετε, *præparate.* Alterum vero illud, ישרו *æquate*, planate, *dirigite*, *rectam facite*, (quam constat esse vim vocis:) ad altera incommoda duo *viæ inæqualis* & *inflexæ* tuto referas. Joannes ex suo ingenio propriissime vertit [f], εὐθύνατε, *dirigite*, rectam facite. Si rem ipsam inspicias: sentis, mysticum esse quod hic dicitur; imo vero mere mysticum & spirituale. *Viam parare Jehovæ* hoc in loco est animum affectumque suum parare atque disponere ad *Jehovam*, & *Deum Populi sui* in carne *manifestandum*, cum reverentia & obsequio fidei recipiendum. Quod mandatum dum ad *Populum* editur apud quem Messias se cum Gloria Divinitatis suæ manifestum faceret: supponitur illius mandati necessitas, hoc est, animos Populi Judæi ad Deum suum tandiu exspectatum optatumque recipiendum esse imparatos. quod ut significaret Propheta, eos comparat *Deserto. Statum*, inquam, *Populi* & *Ecclesiæ* Judææ illius temporis assimilat *Deserto.* Sub hac imagine ipsi obversabatur *Populus* & *Ecclesia*, apud quem Messias cum omni gloria Divinitatis appareret. Id velle Prophetam, imo id unicum & solum velle, idque directe intendisse, sumus persuasi, non tantum quia Evangelistæ omnes verba hoc unico sensu acceperunt & interpretati sunt: verum etiam, α. quia parallelus locus Mal. III. 1. hunc & nullum sensum alium admittit. Ibi exerte legitur in eandem sententiam: *Ecce ego mitto Angelum*, sive LEGATUM MEUM, *coram facie mea*, ופנה דרך לפני *ut* VIAM CORAM ME PARET. eadem phrasi, ut pateat, ad hoc ipsum Jesaiæ dictum alludi, & Spiritum S. quod hic dicitur, ibidem interpretari. Negent itaque, qui in loco hoc nostro de Reditu Judæorum ex Exilio Babylonico cogitant, hæc loca parallela esse; vel, Malachiam loqui de *animis* Judæorum ad Messiam recipiendum decore parandis. Neutrum fieri potest absque vi illata veritati. β. Quæ sequuntur ℣. 4. *Omnis vallis attolletur, &c.* necessario sensum postulant mysticum & spiritualem, ut ibi videbimus. Sunt autem inter se analoga. Eadem hæc ratio me movet, quare per *Desertum* & *Solitudinem* hic loci presse & præcise intelligam *Populum Judæum*, secundum aspectum ejus spiritualem, quatenus videlicet ille Populus multis obsitus falsis præjudiciis de Messia & Regno ejus, & affectibus ac vitiis corruptus, secundum statum suum spiritualem Vati obversabatur instar *Deserti inculti*, cujus *viæ calcari non possent à Messia inter ipsos apparituro*, h. e. cujus animi plane imparati essent ad Messiam cum fide & obsequio recipiendum. Cl. Coccejus & qui illum sequuntur Docti Interpretes, eandem quidem tenent hypothesin; attamen *Deserti* notionem majore hic latitudine accipi volunt. Putant enim, simul alludi ad *Statum Judæorum* qualis se haberet in Mundo quo tempore Joannes, & post Joannem Christus Jesus, inter eos apparerent; quippe Judæi illo tempore versarentur in DESERTO GENTIUM, ex Vaticinio Ezechielis Cap. XX. 35. per quod intelligunt *Imperium* Romanum, vel etiam Parthicum; quæ Imperia id temporis in Orbe terrarum præcipue excellebant, & mystice hoc nomine venire possunt. *Vasta* enim *Imperia* stylo Sp. S. veniunt sub imagine *Desertorum.* Qui extra Canaanæam vivebant Judæi per omnes fere Gentes Orbis terrarum erant diffusi, & magnorum Imperiorum illarum Gentium partem faciebant. Judæi autem sub ipso licet Herode Rege jam obnoxii erant Romanis, ut censeri possent ejus magni Imperii partem facere. Equidem non videntur hæc dici absque specie, & tamen non ferunt rigidius examen: licet mihi non sit statutum hanc disputationem prolixe exequi. Largior, magna Imperia dici posse *Deserta*, de quo docui ad Cap. XXI. 1. & apud Ezechielem per *Desertum Gentium* intelligi Vastum aliquod

Dictum Prophetæ cum iis collatum, & cum Versione Evangelistarum.

Quid sit h. l. *viam parare Jehovæ?*

Propheta Statum spiritualem Populi Dei comparat *Deserto.*

Adstruitur interpretatio cum ex aliis, tum ex parallelo loco Mal. III. 1.

Idem ex *sequentibus* arguitur.

Cocceji sententia de *Deserto* in h. l.

Putat, alludi ad Statum Judæorum hoc tempore partem facientium Romani Imperii.

[a] Matth. III. 1. [b] In *Attic.* Lib. I. p. 19. [c] Joan. I. 28. [d] Matth. III. 5. [e] Luc. I. 80. [f] Evang. Cap. I. 23.

quod Imperium, sive Babylonicum, sive Romanum: de quo nunc non disputabo. Sed vide, & tecum expende, α. Num Joanni apte tribuatur hæc oratio: *Parate viam Jehovæ in Imperio Romano* vel *Parthico.* Sive, *Vos Judæi* qui veluti partem facitis magnorum Mundi Imperiorum, & inter Romanos, Medos, Ægyptios, Græcos, sedem fixistis, *parate viam Jehovæ* in Judæa *manifestando?* Non videtur. Simplicitas orationis & concionis Joannis id non admittit. Sive Judæi inter Romanos, Parthos, Medos, Ægyptios, Syros, Græcos, versarentur; sive sui juris essent: nihil ad ipsum. Nec ipse, nec Dominus Jesus, quicquam ejus in Concionibus suis attigerunt. Respexerunt tantum statum hominum spiritualem cum quibus ipsis res erat. β. Tale hic est *Desertum*, qualis *via* in Deserto. Sed *via* respicit ad statum animorum spiritualem: quæ cum hic proponatur ut *pars Deserti*; *Deserti* ipsius oportet esse interpretationem analogam. γ. Quæ sequuntur in ℣. 4. consequente, explicant attributa *Deserti:* at clare referenda sunt ad *statum animorum spiritualem.* Ne nunc dicam, Judæos, dum suberant Herodi Magno, (quod tempus Vir Cl. hic signat:) Romanis quidem fuisse obnoxios; sed nondum partem fecisse Romani Imperii: etsi verum est, quo tempore Joannes ut Præco prodiit, Judæam jam fuisse accensitam Syriæ & Romano Imperio. Quin sane addo, in aliis locis, ubi Christus Jesus tanquam Imperator dicitur *viam facere* per *Deserta*, ipsarum etiam Gentium, eadem phrasi: *Deserta* mystice perinde ac in hoc loco designare statum *spiritualem Populorum*, per Verbum Evangelii Christo subjiciendorum, quatenus illi Populi secundum statum suum spirituale inculti & imparati sunt ad Dominum tanquam Regem recipiendum. Sic est in illustri Ode, qua expeditio Christi Regis Mundum sibi subjicientis describitur, verbis cum hoc loco comparandis [a]: *Exaggerate* VIAM *ei qui equitat* PER DESERTA. sc. instar Imperatoris. Res eadem est mutatis subjectis. Joannes ipse huc respexit, ubi ad auditores suos in hæc verba loquutus est [b]: *Ferte igitur fructus dignos respiscentia.* Docet & supponit, illos sibi obversari ut *Desertum infrugiferum.* Hic aspectus erat spiritualis Populi Judæi illius temporis. Nec *fructus* edebant *veros* quales à vero Dei populo exspectari debebant: nec ob præjudicia, vitia, hypocrisin, parati erant ad *Regnum* Dei *recipiendum:* ad quod posterius in metaphora, ut hic jacet, præcipue respicitur. *Animus hominis* censetur esse *via* quæ à Deo occupari & in qua Deus ambulare ac procedere potest, quando ad id paratus dispositusque est ut admittat propiorem Dei communionem; ut, inquam, Deus se ei propius uniat; animum hominis cum omnibus facultatibus suis occupet, eumque sibi subjiciat; eoque uti possit ut instrumento & medio per quod tendat ad executionem glorioforum consiliorum suæ gratiæ. quæ sunt attributa *viæ.* Illa autem animi διάθεσις *dispositio* requirit, α. ut instructus sit sana intelligentia principiorum veræ fidei, & purgatus à præjudiciis, erroribus noxiis, & affectionibus pravis, unioni Dei cum anima adversantibus. β. ut liber ab *hypocrisi*, affectus sit interno studio veritatis, sanctimoniæ & virtutis: quod pertinet ad viæ *rectitudinem.* γ. ut nec falsa *fiducia* suæ *justitiæ* & *meritorum* turgeat; quod spirituali sensu venit nomine *collis*; neque etiam *desperatione de Divina gratia* sit dejectus ac nimium prostratus, quod mystice venit nomine *vallis*; sed Divinam gratiam in fide speret. qui aspectus est animi *adæquati* ac *complanati* instar *viæ planæ* & *æquæ*, non superbientis neque *se extollentis* suis meritis, nec *desperantis* de Divina Gratia. Huc pertinet insignis locus Ps. LXXXIV. 6. *Beatus homo, cujus robur in te est:* (fiducia unice posita in tua gratia:) מכלורת בלבבם *in quorum corde sunt* SEMITÆ, æquæ, planæ, calcatæ, subactæ. h. e. in quibus sunt rectæ cogitationes de Deo & via justitiæ ac salutis; recti purique ac *subacti affectus*; ut nec nimium de se nec nimis parum sperent: non fidant sibi suisque meritis, nec de Divina Gratia desperent. quo quoque referri possunt loca Job. XXIII. 10. Prov. XVI. 17. licet ea etiam aliam admittant metaphoram. Eadem contemplatio est integri Populi qui dicitur *Populus Dei*, qui si rite subactus sit disciplina Legis & Fidei, & à gravioribus præjudiciis, vitiis & scandalis purgatus, Deo præstat *viam*, quam calcet, inambulet, & in qua consilia sua exequuturus procedat. Id nunc applicemus ad rem præsentem. Cum Christus Jesus, secundum promissa Patrum, manifestandus esset in carne, & ad *sua suosque venturus* [b]: Populus Judæus, noxiis imbutus præjudiciis & erroribus de via justitiæ & salutis, plurimisque gravatus scandalis, imparatus erat ad *ipsum* Salvatorem & Messiam recipiendum: quem in finem missus sive præmissus est Joannes Baptista, Vir singularis, magnus Propheta, ut Judæos ad id *disponeret* ac *præpararet. Primo*, Populus Judæus maximam partem versabatur in crassa ignorantia viæ salutis, obsessusque erat præjudiciis & erroribus damnosis & saluti noxiis, atque *Gratiæ* Messiæ & *Regno* ejus plane contrariis: inter quæ Præjudicia conspectiora erant, α. Nulla se indigere *justitia apud Deum* aut *caussa remissionis peccatorum* quam quæ comparari posset ex observantia Legali externa Legis Mosaicæ, conjuncta cum prærogativa Natalium ex Abrahamo & Patriarchis: proinde nullo se indigere *Messia*, qui adduceret *justitiam veram*, caussamque veram *Remissionis peccatorum.* β. Sanctimoniam externam puritatemque Legalem absolvere officium omne Legis Divinæ. γ. Regnum Messiæ fore externum, carnale, cum libertate, prosperitate & gloria externa conjungendum. Sic passim Docti indoctique erant persuasi. His *lapidibus* & *scandalis* consita erat *via*, h. e. animi Populi Judæi. Quæ præjudicia nisi eliminarentur & expurgarentur: plane inepti erant ad Regnum Dei admittendum. Hæc vero ipsissima præjudicia Joannes illos docuit *exuere*, ubi clamavit, *Parate viam*, h. e. expurgate animis vestris scandala, lapides, sordes, quæ impedimento sunt quo minus *Regnum Dei* apud vos manifestum futurum admittatis. Docuit itaque, illos esse graves peccatores: indigere justitia apud Deum & respiscentia [c]: *instare Regnum Dei* quod esset justitiæ perfectæ & sanctimoniæ internæ [d]: Messiam Jesum esse *Agnum* illum Dei *qui tolleret peccata Mundi* [e]: esse è cœlo & *Regnum* ejus *cœleste* ac *Divinum* [f]: summum ejus Beneficium esse *Remissionem peccatorum* & *donationem Spiritus S.* ad illuminationem & clariorem Dei cognitionem [g]: prærogativas externas, ut Natalium ex Abrahamo & merita Patrum ad veram justitiam nihil conferre [h]: eamque suam doctrinam obsignavit baptismo conjuncto cum *confessione peccatorum* [i]. Sic Evangelistæ, imo & Josephus [k]; *non sufficere*, illum docuisse, *quorundam peccatorum abstinentiam*, sed requiri ψυχὴν δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένην, *animam per Justitiam prius* MUNDATAM. Plane idem quod in hoc loco. Secundo, quod Propheta Joanni in Concione tribuit, RECTAM FACITE *viam*; huc pertinet, quod, prædominante Pharisaismo, observaret, omnem pietatem eorum, qui se ex disciplina Pharisæa ad Religionem studiosius videbantur applicare, in meram conversam esse hypocrisin. Est autem hypocrita, stylo Scripturæ S. *cujus animus non est* ישר RECTUS *in ipso*, phrasi Habakuki [l]. Animus hypocritæ est callis tortuosus. Præfert enim & profitetur *munditiem*, & ostentat *justitiam operum*, eamque coram Deo jactat, reclamante conscientia, & illum redarguente impuritatis animi & affectuum. quare Joannes hoc genus hominum durissime excepit, ut est in historia [m]. *Rectificare viam* hoc sensu est, *justitiam* veram cum confessione peccatorum, non in se, sed extra se, in Deo & Messia quærere. Huc præcipue respexit

Eadem attributa applicantur ad integrum Populum.

Populus Judæus tempore Christi erat imparatus ad Messiam, Filium Dei, recipiendum.

Quod demonstratur.

Præjudicia noxia Populi Judæi de *via salutis.*

Concio Joannis huic statui aptata.

Doctrina Joannis ex variis locis collecta & clare proposita.

Locus de eo Josephi.

Quorsum pertineat dictum Prophetæ, *Rectam facite viam?*

Monent Judæos de deponenda hypocrisi.

Qua re constiterit Judeorum hypocrisis?

Sententia non admittitur.

Non convenit scopo Joannis, suadentis resipiscentiam.

Desertum hic tale est intelligendum, qualis *via* in Deserto.

Sequentia ℣. 4. non avent interpretationi.

Aspectus *Deserti* in loco Ps. XVIII. 5.

Ipsius Joannis interpretatio.

Quo sensu animus hominis dicatur esse *via* vel *semita?*

Quænam requirantur in animo qui ut *via* Deum recepturus sit?

Locus insignis Ps. LXXXIV. 6.

a Ps. LXVIII. 5. b Joh. I. 11. c Matth. III. 2. 6. d ℣ 8. 9. e Joan. I. 29. f Matth. III. 2. Joan. III. 31. g Joan. I. 16. h Matth. III. 9. i Matth. III. 6. k *Antiq.* Lib. XVIII. Cap. VII. l Hab. II. 5. m Matth. III. 7.

ſpexit Malachias, quando Joannem, Eliam alterum, dixit [a], *converſurum eſſe corda Patrum ad filios; & filiorum ad Patres.* nempe facturum, ut filii ſe compararent ad eandem fidem de *via Juſtitiæ*, quam profeſſi erant & obtinuerant Patriarchæ; & eundem ſectarentur habitum ſanctimoniæ internæ, à quibus affectionibus per Phariſæos abducti erant. Confer quæ ſcripſi ad Cap. XXIX. 22. Tertio, Joannes, cum inter Judæos appareret, deprehenderet, in illo Populo tanquam in Deſerto, non eſſe *viam planam & æquam*, quæ à Meſſia *calcari* poſſet: eſſe *colles & valles*. Eſſe nimirum *turgidos & ſe extollentes Juſtitia Operum*, qui ea apud Deum & homines gloriabantur [b], apud quos Meſſias veram Juſtitiam & Sanctimoniam commendaturus nihil poſſet proficere: eſſe viciſſim ἁμαρτωλοὺς *peccatores graves*, ex commercio Gentium pollutos, qui de Gratia Divina prope deſperabant [c]. qui hic *valles* dicuntur. Quam *viam* ut æquaret & planaret; illos *depreſſit*, hos *erexit*. de quo mox. *Cui* vero, & *in cujus* uſum? Ait, Propheta, *Jehovæ & Deo noſtro.* Id vero Evangeliſtæ directe transferunt ad *Jeſum* τὸν Κύριον DOMINUM: quod ſane non egiſſent, niſi in Chriſto Jeſu *veram* agnoviſſent *Divinitatem*. Quin docent nos, Joannem eam Chriſti Jeſu excellentiam & Divinitatem clariſſime profeſſum eſſe [d]. Utique eſt hic idem *Jehova*, cujus *gloria manifeſtanda* dicitur, ℣. 5. Nimirum ſecundum Doctrinam Joannis Baptiſtæ, *Unigenitus* Dei *Filius*, qui *ſuperne venit*, & ante eum perſonaliter extiterat; in quo eſt πλήρωμα *plenitudo* GRATIÆ & VERITATIS, (quæ eſt interpretatio Nominis יהוה) & *Deus Populi Judæi*, in quo *Pater* ſe Judæis manifeſtum fecerat ſub Oeconomia Vetere ad Montem Sinai, & cui curam ac defenſionem illius Populi mandarat: Malachiæ [e] האדון DOMINUS ILLE qui *veniret ad* TEMPLUM SUUM, & *Angelus Fœderis*, (ὁ Ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας,) magnus ille Dei *Legatus*, *in quo ſibi complacebant.* quem habebant, ut ſummum objectum fidei & ſpei ſuæ.

Quo tempore in Populo Judæo fuerint *colles & valles*?

Intelliguntur homines vel nimium ſperantes de ſuis meritis, vel de ſalute deſperantes.

Quo ſenſu hæc *via paranda* eſſet *Domino*?

Evangeliſtæ intelligunt Chriſtum Jeſum, cujus hinc Divinitas clariſſime adſtruitur.

Propoſitionis DECLARATIO.

Propoſitionis *Declaratio*, quæ fit à Propheta.

Argumentum ejus.

℣. 4. *Omnis* VALLIS *attolletur*; *& omnis* MONS & COLLIS *deprimentur.*] Verba ſunt Prophetæ, ut Cl. Coccejus bene vidit, declarantis *Propoſitionem* ſive *Argumentum* Concionis Joannis Baptiſtæ, ex noſtra ſententia explicantis Conſilium Dei de modo & ratione fundandi & promovendi *Regni Dei*, ſive *Meſſiæ* primo inter Judæos, initio facto à præconio Joannis: & inde per totum Orbem; ſecundum canonem Decreto Divino definitum. quam ſententiam protinus exponam.

Cl. Cocceji de eo meditatio.

Sed Cl. Interpres hic in alia ivit. Putat, Prophetam hic declarare, quo ſtatu Orbis terrarum ſe haberet circa tempus *Manifeſtationis Regni Dei.* nempe Deum ſecundum rationes Providentiæ ſuæ curaturum eſſe, ut potior pars Orbis terrarum ſubjecta eſſet Romano Imperio, Regnis & Rebuſpublicis aliis, quæ olim in Orbe excellebant, depreſſis & redactis in *planitiem*, ut omnes Populi cultioris Orbis terrarum aggregati in unam Civitatem ſub Auguſto in pace agerent ac florerent, & inter illos ipſi quoque Judæi. Certe agnoſco hoc magnum Opus Divinæ Providentiæ, & omnino perſuaſus ſum, hanc æquationem & complanationem Status Orbis terrarum ſingulari cura Divina factam eſſe, ut Regnum Chriſti Jeſu inter Gentes & Populos per univerſum illud Imperium commodius ac facilius procederet ac promoveretur, idque prolixius docui ad Cap. XI. 15. 16. Sed plane non arbitror, de eo agi hoc loco, aut interpretationem hanc convenire ſcopo Prophetæ & circumſtantiis, in quibus verſatur. Quod enim uno loco recte dicitur; non mox recte dicitur omni loco. Verba hæc Prophetæ, faciunt ad illuſtrandum argumentum Concionis, RECTAM FACITE, (planate, (inæquate,) VIAM *in ſolitudine.* His ſubmittuntur noſtra: *Omnis enim vallis attolletur: omnis mons & collis deprimentur.* Priora autem cum pertineant ad ſtatum ſpiritualem Populi Judæi, quod doctus Int. non negat: poſteriora hæc non licet referre ad *ſtatum Politicum* Orbis terrarum, qualis eſſet circa tempora Joannis. Senſus Prophetæ eſt, ſub illa Oeconomia quæ initium ſumeret à Joanne, Deum ſuam gratiam tanta ubertate diſpenſaturum eſſe, ut afflicti omnes, dejecti, & veluti in profundam deſperationem merſi peccatores, (qui hic cum *valle* comparantur,) modo ſincera pœnitentia & fide Divinam Gratiam amplectantur, eam gratiam ſperare poſſint, & conſequuturi ſint: rurſus omnes ſuperbi, arrogantes, ſui fiducia pleni, meritis ſuis aut prærogativis fidentes, (qui hic veniunt ſub emblemate *montium & collium*,) ſint dejiciendi, proſternendi, ſi partem habere velint in communione Dei & Regno Gratiæ; ut proinde omnes de neceſſitate gratiæ peræque perſuaſi, & per fidem ejuſdem juſtitiæ per gratiam participes, & inter ſe conjuncti, *æquam* facerent *planitiem*, per quam Chriſtus Jeſus procedere & Regnum ſuum promovere poſſet. *Valles attolluntur*, ubi peccatores grandes ſenſu magnitudinis peccatorum aut miſeriæ ſuæ affecti, ex *deſperatione* eriguntur in *ſpem:* humili ac ſummiſſo & depreſſo qui ſunt animo, replentur *conſolatione*, & audiunt bonum illud verbum Gratiæ, *Confide, mi fili; remiſſa ſunt tibi peccata:* nec non ubi contempti, viles, ab aliis neglecti, eliguntur tum ad communionem Regni Dei; tum ad inſigniora Beneficia Gratiæ, cujuſmodi illa fuerunt quibus ornati ſunt Apoſtoli & Evangeliſtæ. In his omnibus id ineſt quod hic dicitur, *Attollentur valles.* Viciſſim, *montes & colles* deprimuntur, ubi vana opinio, & fiducia quam homines de juſtitia ſua conceperunt ex meritis ſuis, prærogativis, aut obſervantia accurata Legis Ritualis, convellitur. Hic tumor, hæc altitudo animi, ſi dejicitur aut comprimitur: fiunt *via & planities* æqua, per quam Deus procedat. Tum quoque, ubi ſuperbi, arrogantes, divites, à Deo deſtituuntur, deprimuntur, excluduntur favore & gratia Dei: *humiles* replentur bonis; *divites* ablegantur *inanes* [f]; qui *lugent* ad gaudium; qui *gaudent*, ad luctum vocantur; in quibus obtinet quædam quaſi *æquatio.* O quam hæc eſt Divinæ Gratiæ diſpenſatio mirabilis in Oeconomia Regni Chriſti Jeſu! Joannes pœnitentes omnes, peccata ſua confitentes, & reſipiſcentiam pollicitos, admiſit, iiſque per baptiſmum obſignavit *Remiſſionem peccatorum:* ſed *Phariſæos & Sadducæos* duriſſime excepit, depreſſit, ſubegit. Domini Jeſu eadem fuit ratio & diſciplina. An non vides ex toto Miniſterii ejus curſu, eo ſibi maxime placuiſſe, ut grandes peccatores in ſpem erigeret, iiſque gratiam faceret: ſed Phariſæos, qui ſe gratia non indigere exiſtimabant, retunderet & comprimeret? Hanc eſſe Legem ſuæ Oeconomiæ ipſe profeſſus eſt, eamque ubique obſervavit [g]. Idem ad Phariſæos, eorum faſtum depreſſurus [h]: *Quod apud homines* SUBLIME EST, (ὕψηλὸν, inſtar *montis* aut *collis*,) *abominationi eſt coram Deo.* Eadem Oeconomia Gratiæ obtinuit vimque ſuam exſeruit inter Gentes. Eos inter homines, iisque in locis, ubi regnabant vitia & cenſeri poterant Gentiles in vitiis & peccatis demerſi, Divina Gratia maxime indigni, fundatæ ſunt Eccleſiæ florentiſſimæ, *vallibus repletis & æquatis:* contra Philoſophi, Oratores, Sophiſtæ, Legales, vel valide repulſi aut repreſſi ſunt; vel, ſi Gratiam Chriſti expeterent, coacti ſunt faſtum ſuum deponere, ut cum cæteris in communione ejuſdem Gratiæ æquarentur. Sic Apoſtolus verus hujus noſtræ ſententiæ Interpres [i]: *Ratiocinationes evertendo, & πᾶν ὕψωμα* OMNEM SUBLIMITATEM, *ſe efferentem* (inſtar montis aut collis,) *adverſus cognitionem Dei, & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obedientiam Chriſti.* h. e. ex animis hominum faciendo viam planam & ſubactam, quæ à Chriſto Jeſu calcari

Quem ſenſum horum verborum antecedentia flagitent?

Quando *valles* myſtice dicantur *attolli*?

Quando *montes & colles* deprimi?

Quomodo Joannes Baptiſta id exequutus ſit?

Et Dominus Jeſus veſtigiis ejus inhærens.

Admirabilis diſpenſatio Divinæ Gratiæ, inter Gentes ſecundum hunc canonem inſtituta.

Ἐπίκρισις ad eam meditationem.

Interpretatio illa non videtur convenire ſcopo Prophetæ.

---

a Cap. IV. ℣. ult. *b* Luc. XVIII. 11. *c* Luc. VII. 37. XVIII. 13. *d* Matth. III. 10. 14. Joan. I. 15. ſeqq. III. 31. *e* Cap. III. 2. *f* Luc. I. 53. Matth. V. 4. Luc. VI. 15. *g* Matth. IX. 13. Luc. VII. 37. ſeqq. XV. 1. 2. Joh. VIII. 1. ſeqq. 1 Tim. I. 15. *h* Luc. XVI. 15. *i* 2 Cor. X. 5.

cari poſſit. Quæ eadem Gratiæ Divinæ diſpenſatio conſpicua fuit in *electione* hominum ad communionem Regni Dei, aut ad honeſta officia in Domo Dei obeunda. *Elevatæ* ſunt *valles: depreſſi colles & montes.* Præteriti ſunt ſapientes, potentes, divites, magnæ dignationis homines, in ampliſſimis muneribus verſati, hiſce ſuis prærogativis ſuperbi & cum ſupercilio alios deſpicientes: electi ſunt humiles animo & ſtatu, & ad magnam evecti dignitatem, *vallibus & collibus* inter ſe hoc etiam modo peræquatis. Quid addo plura? Tanta vis eſt hujus ſententiæ, ut nos doceat, ſub Oeconomia Nova *omnem altitudinem*, quæ ſe effert adverſus Regnum Chriſti Jeſu, eſſe proſternendam ac dejiciendam, ut mundus totus *æqua* fiat *planities* in qua Imperator Deus abſque offenſa equitet ac procedat. Phraſis eſt analoga apud Zachariam [a]. Populi & Gentes demerſæ in ſtatum *profundæ miſeriæ*, verſatæ in craſſa ignorantia Dei & viæ ſalutis, ſervæ concupiſcentiæ & omnis iniquitatis, barbaræ, ſævæ, & à Deo prorſus alienatæ, quarum ſtatus ſpiritualis plane videbatur *deſperatus*, per Verbum Gratiæ ex hoc ſtatu educerentur atque erigerentur in planitiem, à Chriſto Jeſu & Eccleſia ejus occupandam, inſidendam, equitandam. Viciſſim *Regna & Reſpublicæ Mundi* quatenus ſe *efferrent* adverſus Regnum Chriſti, cum omni ſua idololatria, ſuperſtitione, ſapientia carnali Philoſophorum & Oratorum, ac denique vi externa perſecutrice ſanctorum, per idem Verbum gratiæ dejicerentur, debellarentur, ſubjicerentur Chriſto Jeſu, & redigerentur in *æquam planitiem*, à Chriſto Jeſu & Eccleſia occupandam, uſque quo dici poſſet, *Regna Mundi facta eſſe Dei & Chriſti ejus, regnaturi in omnia ſæcula* [b]. Quod pervenuſte declaratum eſt emblemate *Lapidis*, ex Monte excidendi, *abſque manibus*, omnia Imperia Mundi adverſaria Regni Dei, *contrituri & complanaturi* [c]. Sic ſibi conſtat vis ſententiæ; OMNIS *vallis extolletur: omnis mons & collis deprimetur.* Primum ejus ſpecimen edendum erat in Judæis, editumque eſt in Miniſterio Joannis Baptiſtæ: reliqua ſequerentur.

Et in diſponendo Statu Regni Cœlorum.

Summa vis & emphaſis hujus ſententiæ.

Omnis altitudo quæ ſe effert adverſus *Regnum Chriſti Jeſu*, aliquando dejicietur.

Populi & Gentes in profundæ ignorantiæ & miſeriæ ſtatu poſitæ, ex eo aliquando educentur.

Locus Danielis, Cap. II. 44. 45.

Et fiet quod CURVUM *eſt in rectitudinem, &* PROTUBERANTIA *in æquam vallem.*] Sic Lucas [d]: Καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδὸς λείας· *Et curva fient via recta; & viæ aſperæ fient via plana.* perinde ut apud τὰς ὁ. legitur in MS. Alexandrino. Vulgatæ tamen editiones habent: Πάντα τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ ἡ τραχεῖα εἰς πεδία. quæ haud dubie genuina lectio: ſed differentia eſt exigua. Tenemus inde, vocem עקוב, cujus cæteroquin magis dubia eſt ſignificatio, hic notare *curvum*, obliquum, tortuoſum, inæquale. Vox eſt à עקב *calx, calcaneus*, planta pedis. Intelligitur talis inæqualitas qualis eſt *calcis & plantæ*: hujus *depreſſæ*, illius *eminentis*, & extantis. Cl. Coccejus vertit per *lamoſum*, quod *lacunas* habet: quod licet idem non ſit, tamen ferri poteſt. Certe ex hoc loco patet, τὸ עקוב opponi τῷ מישור *recto, plano, æquo*, ut adeo ſit quid non rectum, curvum, tortuoſum; nec ſumitur alio ſenſu Jer. XVII. 9. De voce רכסים eadem æſtimatio ſit. Notat proprie *nodoſa, protuberantia, aſperæ, ſalebroſa*, & hic opponitur τῇ נקעה *Valli* ſive *Planitiei* quæ interjecta eſt inter montes. Senſus ſententiæ idem fere qui ſuperioris. Omnis *doctrina falſa* de Deo, & Regno ac Juſtitia ejus; error omnis & præjudicia gravia de Religione & via ſalutis, cujuſmodi erat primo quidem doctrina Phariſæorum & Sadducæorum, deinde Philoſophorum Gentilium de Deo ejuſque vero cultu: refutaretur, convelleretur, ejiceretur, & cum vera ac æqua ſalutis doctrina commutaretur. Errores de via juſtitiæ & ſalutis ex animis hominum evellerentur. Diſcerent de Deo & via ſalutis ac ſtatu ſuo recte cogitare. Eſt itaque hic obſervandum, & pertinet ad loci hujus intelligentiam, Doctrinas de Deo & via ſalutis tum Phariſæorum & Sadducæorum, tum Philoſophorum Paganorum ita ſe habuiſſe, ut in

Verba Prophetæ: *Et fiet curvum in rectitudinem, & ſeqq.*

Verſio Lucæ, & Alexandrina.

Exigua lectionis differitas.

Significatio vocis עקוב.

Et רכסים. Utraque indicatur.

Senſus ſententiæ Prophetæ.

Doctrina falſa de via ſalutis convelleretur: vera adſtrueretur.

Quis Status fuerit Doctrinæ de Deo & Via ſalutis inter Judæos & Gentes?

his vera eſſent permixa falſis: aliquâ recte, alia ſecus dicerentur & traderentur. Erat itaque corpus doctrinæ inæquale, aſperum, ſalebroſum, lamoſum, continuis conſtans ἀνωμαλίαις; erantque doctrinæ huic ſimiles animi, ea imbuti, & ſecundum eaſdem hypotheſes de ſtatu ſuo judicium ferentes. quæ omnia *rectificarentur & planarentur* in Regno Meſſiæ. Errores omnes Religionis convellerentur, & corpus doctrinæ Religionis, & judicium de ſtatibus hominum, redderetur æquale, ac ſalebris atque ἀνωμαλίαις liberum. Sic Dominus Jeſus fere in eundem modum ac ſenſum, apud Matthæum [e]: *Nihil enim eſt apertum, quod non detegetur: καὶ κρυπτὸν ὃ οὐ γνωσθήσεται· aut occultum quod non cognoſcetur.* Omnis error convelletur: omnis veritas producetur in lucem, & triumphabit de errore ſub Regno Meſſiæ.

Conſequens Vocis in *Deſerto clamantis.*

Conſequens ſuperiorum: *Revelatio gloriæ Jehovæ, vſ. 5.*

Quis ille *Jehova* cujus hic *revelanda erat gloria?*

Scriptores N. T. apparitionem Filii Dei in carne concipiunt ſub notione *Revelationis Gloriæ.*

Qui eſt character Divinitatis.

Loca plura hujus argumenti expoſita.

ỳſ. 5. *Et revelabitur* GLORIA JEHOVÆ] Cujus vero, niſi ejus *cui* paranda erat *via?* Eſt igitur hoc ſubſequens apparitionis Joannis Baptiſtæ, quod eodem modo & ordine expoſitum eſt à Malachia, *Repente*, confeſtim, poſt Joannem *appariturum* eſſe *Filium Dei* [f]. De quo Joannes, cum reſpectu ad hunc locum, ut opinor [g]: *Et* SERMO *ille caro factus eſt*, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, & HABITAVIT INTER NOS (tanquam in שכינה *Nube* qua *Gloriam* ſuæ Divinitatis obumbravit:) *& vidimus* GLORIAM *ejus*; GLORIAM, inquam, *ut Unigeniti à Patre: plenus gratia & veritate.* h. e. oſtentans in ſe omnem vim nominis יהוה *Jehovæ*, quod nomen eſt gratiæ & veritatis. Sic Joannes paſſim, ut Cap. II. 11. *Hoc initium ſignorum fecit Jeſus in Cana Galilææ, καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ, &* MANIFESTAM FECIT GLORIAM SUAM. Phraſis eadem quæ in hoc loco. Id non potuit dici de homine qualicunque, maximis licet prærogativis ornato, qualem Chriſtum Jeſum voluit eſſe Socinus & ſequaces. Nullius eſt quid *gloriæ ſuæ manifeſtandæ* cauſſa facere, niſi Dei. Non licet homini, nec poteſt. Si *potentia*, qua Dominus hoc miraculum patravit, ſit *Patris*, non *ipſius*: non ſuam ſane, ſed Patris ſui gloriam, manifeſtam fecit. Rurſus Cap. XII. 41. *Hæc dixit Jeſaias, quando ſpectavit* GLORIAM EJUS. utique veræ Deitatis, quæ ſpectanda exhibita eſt Jeſaiæ [h]. Confer Cap. XVII. 5. Paulus [i]: *Deus* MANIFESTATUS (ἐφανερώθη) *in carne.* Phraſis eadem, quæ in hoc loco, cujus Lectio, in Græcis Codd. conſtans, fruſtra ſolicitatur. Petrus [k]: *Non enim arte compoſitas fabulas ſequuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Jeſu Chriſti* POTENTIAM *&* ADVENTUM, *ſed ut qui oculis noſtris ſpectavimus* τὴν ἐκείνου μεγαλειότητα *ejus* MAGNIFICENTIAM, ſive *majeſtatem.* Stupet hic judicium carnale, ſive Judæorum ex incredulitate, ſive Chriſtianorum quorundam degenerum ex obfirmato præjudicio, qui etſi videant & legant in Evangeliis, Dominum Jeſum ubique POTENTIAM & GRATIAM Divinam exercuiſſe tanquam *ſuam*; eandemque ſibi arrogaſſe; & data opera ſic inſtituiſſe ut ſtupentes & dubios in hanc fidem adduceret; eandemque in ipſo agnitam eſſe non à credentibus tantum ſed & à ſtupidioribus; & Dominum Jeſum omnem honorem qui ſibi hoc nomine deferebatur, veluti *invocationis & adorationis*, admiſiſſe, nemine repulſo aut objurgato, quod ipſi nimium tribueret: tamen hoc tantum *gloriæ Divinæ* lumen gravantur videre & agnoſcere: non quod in re minus ſit quam eſſe debebat, ſed quod illi quod in re eſt, cum ſuo obfirmato præjudicio neſciant conciliare. qui Deo ſuæ incredulitatis debent rationem. Nec tamen ego quod hic dicitur, conſtringo intra limites illius temporis, quod Dominus in *carne fragili* egit. Pertinet quod hic dicitur quoque ad omnem *Φανέρωσιν manifeſtationem Gloriæ* Filii Dei quæ deinceps conſecuta eſt. *Reſuſcitatus* enim ex mortuis, licet vera indutus carne, totus veluti Divinus apparuit; & evectus ad dextram Dei Patris, invictis

Stupor Judæorum, & quorundam Chriſtianorum, hac in parte.

Ejus cauſſa.

Latius patet hæc *Revelatio Gloriæ Dei.*

Non conſtringitur tantum intra *Dies carnis Chriſti.*

---

a Cap. IV. 7. *b* Apoc. XI. 15. *c* Dan. II. 44. 45. *d* Cap. III. 5. *e* Cap. X. 26. *f* Luc. III. 23. *g* Joh. I. 14. *h* Cap. VI. 1. 2. *i* 1 Tim. III. 16. *k* 2 Cap. I. 16.

victis argumentis testatum fecit, tam Ecclesiæ quam hostibus, & toti Mundo, Gloriam Divinitatis veræ, & vim Nominis *Jehovæ* in se conspiciendam & adorandam esse, in quod argumentum nunc longius non excurro. Id tantum observari velim, quod præcipue ad rem pertinet: *gloriam Jehovæ revelandam*, cujus hic est mentio, esse *gloriam Jehovæ* ut magni REDEMPTORIS & REGIS sui Populi, fundaturi in Mundo *Regnum spirituale*, & præstituri *salutem* tot sæculis exspectatam, cujus ipse *primus* & *summus Præco* esset, de quo Propheta,

Verba Vatis: *Et videbit omnis caro pariter*, *quod* (quia) *os Jehovæ locutum sit.* (est.)

Et videbit omnis caro pariter, quod OS JEHOVÆ LOCUTUM SIT.] Verba diverse ab Intt. accipiuntur; nec mirandum, cum diversam interpretationem sustineant.

Verba diverse accipiuntur.

Sunt qui vertunt, *Quia os Jehovæ locutum est.*

Sunt qui stigma ponunt post vocem *pariter*, & sententias divellunt, hoc sensu: *Et videbit omnis caro pariter*, sc. gloriam Jehovæ revelatam ad salutem sui Populi: *quia os Jehovæ locutum est.* h. e. quia Deus ex decreto suo hanc prædictionem ipse edi jussit, qui eam ratam facere potest, & faciet. Sic Masorethæ interpunxerunt, & Int. Alexandrinus, & Chaldæus quoque; imo etiam Lucas Alexandrinum maxime sequutus: Καὶ ὄψεται πᾶσα σάρξ τὸ Σωτήριον τοῦ Θεοῦ· *Et videbit omnis caro* SALUTARE ILLUD DEI.

Alii, *quod Os Jehovæ locutum sit.*

Alii sententiam complexe sumunt in hunc modum: *Et videbit omnis caro simul quod os Jehovæ locutum sit.* quod geminum rursus admittit sensum.

Quæ posterior sententia geminum admittit sensum.

vel enim ita accipi potest, *Et videbit omnis caro simul quod os Jehovæ* per me *locutum sit.* quod sc. Revelatio hæc quam vulgo, non ex meo ingenio, sed ex ejus inspiratione edita sit; sive, quod affine est, *Videbit omnis caro, Os Jehovæ* vere *loquutum esse* per Prophetas, & Deum *veracem* esse in *implendis promissis*, per eos factis. Vel in hanc sententiam: *Et videbit omnis caro simul*, quod *Jehova* ipse in *carne* manifestatus, *humano sit locutus ore* [a], eaque locutus sit verba quæ præter eum & Jehovam nemo loqui poterat, secundum illud dictum Joannis Baptistæ de Domino [b]: *Nam is quem misit Deus*, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ· VERBA DEI LOQUITUR. ea verba quæ nemo nisi Deus loqui poterat. Sic Propheta [c]: *Propterea cognoscet Populus meus Nomen meum; propterea illo die* cognoscet, *quod* EGO *ipse is sim* QUI LOQUOR, ECCE ME.

Ubi Filius Dei *in carnem venit*, *os Jehovæ* vere locutum est.

Postrema hæc sententia, quam elegit Cl. Coccejus, sensum fundit optimum, & antecedenti membro analogum. Eventus enim docuit, Deum in carne manifestum factum, *locutum* esse promiscue apud omnes, magnos parvos, doctos indoctos, divites pauperes, in publicis concionibus, *absque discrimine*, apud *omnem carnem*, omnis ordinis & generis homines, *stupentibus auditoribus*, & agnoscentibus, ea ipsum verba loqui quæ homini loqui fas non erat [d]: ut si vera loqueretur, deberet esse Jehova; si falsa, blasphemus. quæ verba ab ipso dicta in Judæa, in illis locis non sunt intermortua nec extincta, sed per Evangelium diffusa per *omnem carnem*, quæ in his agnoscit *Sapientiam Divinam*, quæ partem facit *Gloriæ Jehovæ manifesti facti in carne*.

Christus Jesus locutus est quæ homini nefas erat loqui.

Quo sensu dici queat *videri* quod *os Jehovæ loquutum est.*

Objici tamen hic potest, *loquelam Jehovæ* non esse objectum *Visus*: sed dubio exprompte occurritur, si observes, *videndi* notionem Hebræis, imo forte omnibus Gentibus, latissime patere. idem vere multis in casibus valet, quod *cognoscere*, & *sentire* [A]. En exemplum similis usus, Hab. II. I. *Ego speculatus sum* AD VIDENDUM (לראות) *quid* LOCUTURUS ESSET IN ME. Sed directum exemplum habes Gen. XLV. 12. *Ecce oculi vestri* VIDENT, *& oculi fratris mei Benjaminis*, *quod* OS MEUM *ad vos* LOQUITUR. Et tamen non nego, in prima sententia eam vim inesse, ut nulla nos ratio aut necessitas jubeat ab ea discedere. Ut enim præter antiquos Intt. Lucæ placuit, qui sensum ejus juxta τοὺς 6. expressit; sic favet ei phrasis Prophetæ recepta, qua illustres prædictiones suas confirmare solet, *Quia os Jehovæ locutum est.* [e]

TERTIA VOX Præconis, explicantis *Naturam Regni Dei*, sive ejus *spiritualitatem*.

Vox Tertia Præconis explicantis Naturam Regni Dei.

℣. 6. *Est* VOX *quæ dicit*, *clama*; *&* AIT, *Quid clamabo? Omnis* CARO GRAMEN; *& omnis gratia ejus ut flos agri.* ℣. 7. *Arescit gramen*, *decidit flos*, *quando* SPIRITUS JEHOVÆ IN EUM SUFFLAT. *Certe gramen est* HIC POPULUS. ℣. 8. *Arescit gramen*, *decidit flos*; *sed* VERBUM DEI NOSTRI PERSISTIT IN ÆTERNUM.] Insignis est pericopa, & altæ contemplationis: in cujus oratione quanto minus laborandum est, (est enim facilis intellectu & neminem impedit:) tanto magis nobis incumbendum est in sensum ejus producendum. Ipsa quoque scena, quæ hic singulari modo instructa est, nihil difficultatis habet, & facile cadit sub fictionem ingenii.

Schema hujus Pericopæ.

Prophetæ in ecstasin rapto spectanda data sunt initia Regni Dei, ejusque progressus, per varias veluti scenas quarum una alteri succedebat. Binas jam audiverat Voces *Præconum*. succedit *tertius*, qui honestissime introducitur.

Novus hic *Præco* prioribus subordinatus producitur.

Propheta audit *Vocem*, quæ *Præconem* aliquem *novum* cum auctoritate jubeat aliquid promulgare. Quærit *Præco*, auctoritati summæ obsequi paratus, Quid sibi vulgandum sit? Inde *Vox* prior ipsi explicat argumentum *Concionis*, quæ resolvitur in Πρόθεσιν *Propositionem* de *Carne* ut *gramine*, & *Gratia ejus*, ut *flore Agri*, ℣. 6. & Propositionis Ἔνθεσιν, *Expositionem*, qua sensus & ratio ejus declaratur, ℣. 7. 8. Statutum mihi est, hæc verba, quæ inter se arcte cohærent, junctim tractare. Vere enim unam tantum continent sententiam, sed quæ magna splendet luce & claritate.

Hypothesis Intt. qui schema hoc aptant Statui Populi Dei in Exilio Babylonico.

Interpretes qui cogitationes suas in exponendo hoc Viso defixas habent in scenam Liberationis Populi ex Exilio Babylonico: totum hoc schema hunc in finem instructum esse putant, ut declaret, Babylonios, qui circa tempus implementi hujus promissi magni florerent gloria & amplitudine Imperii, instar *graminis* aut *floris* repente mutaturos speciem, privatumque iri omni suo decore & ornatu, cum Imperium ipsorum concideret & collaberetur, ubi *Spiritus Dei* hostes ad illud evertendum suscitaret, quippe *Verbi Dei*, quo ejus destructio & Populi Judæi Liberatio prædicta erat, fallere non poterat implementum & effectum. Esse illud æternum: semper subsistere: nunquam deludere homines ei credentes.

Sed quæ convellitur.

Verum Babyloniorum nulla hic occurrit mentio. nullum Babylonis vestigium apparet. Contra vero Spiritus S. ipse demonstraturus subjectum, cui hæc attributa conveniant, ait fine ℣. 7. *Certe* העם HIC POPULUS *est gramen.* Quis vero Populus nisi *Judæus* secundum aspectum suum externum ac carnalem?

Nomine *hujus Populi* non possunt designari Babylonii, quorum nulla facta erat mentio.

Sic Propheta sæpius & passim utitur hac phrasi pro *Populo Judæo*, secundum aspectum suum externum, eumque minime laudabilem [f]; & in initio hujus Libri ea quoque designat Populum *Ephraimiticum.* Aliter, quod nunc succurrit, non usurpatur. Babylonios autem ea designari, quorum nulla plane memoria præcesserat, qui reddi queat probabile? Accedit jam, non contextum modo orationis alium & longe ἐμφατικώτερον sensum demonstrare hujus pericopæ: verum etiam Petrum Apostolum, cujus auctoritas nobis fraudi non erit.

Allegatio loci Petrinæ non consistit cum hac hypothesi.

Docet nos ille [g], hic agi de *Verbo Evangelii* ut medio unico hominis *regenerandi* ad spem vivam & immortalem, opposite ad *justitias* ac *cærimonias* externas, aut qualemcunque doctrinam aliam à Verbo Gratiæ diversam. Sed id nunc agimus, ut hunc sensum uberius exequamur, & analogiam orationis Prophetæ ostendamus.

Vox quæ hic edita fertur ad *Præconem*, vel *Præconum Chorum*, est Personæ Divinæ, &

VOX quæ hic cum auctoritate mandatum edidit ad *Præconem* sive *Præcones* ad id ordinatos, non potest esse alia quam *Personæ Divinæ*, cujus solius est Mandata distribuere *Præconibus*, qui apud Ecclesiam Officio suo funguntur. Id sane Patris est, Filii & Sp. S. & tamen κατ' οἰκονομίαν *Spiritus S.* qui idem est *Spiritus Filii*,

[a] Heb. II. 3. [b] Joan. III. 34. [c] Jes. LII. 6. [d] Matth. IX. 3. Joan. V. 18. X. 30. [e] Cap. I. 20. XXXIV. 16. LVIII. 14. [f] Cap. VI. 9. 10. VIII. 6. 11. IX. 12. &c. [g] 1 Pet. I. 24. 25.

[A] Cicero pro *Sylla*: *Adestote omnes* ANIMIS *qui adestis corporibus.... erigite* MENTES *auresque vestras*, *&c.*

Filii, de quo monui ad ℣. 1. & 3. Personæ, ad quas ea vox hic dirigitur, sunt certi homines, ad officium Præconii spiritualis à Deo ordinati, consistentes in *specula*, & observantes quid Deus ad se loquuturus, aut sibi mandaturus sit. quos ex sequentibus cognoscemus, esse *Apostolos* Christi, & inter illos eximium *Paulum*, ejusque Συνέργους in Opere Domini. Equidem sunt inter Intt. qui hic rursus cogitant de Joanne Baptista, & utramque vocem unius Præconis faciunt: sed citra rationem. Scena est alia, licet affinis. Sed nos de eo post inspectum concionis argumentum certius judicabimus.

Argumentum Concionis prudenter inspectum exhibet comparationem inter duas res, quarum altera CARO dicitur, ℣. 6. altera VERBUM DEI NOSTRI, ℣. 8. quarum rerum ostenduntur contraria attributa. CARO licet ad tempus egregia specie & forma se ostentet, & oculos specie sua captet, demonstratur esse quid inconstans, instabile, quod certo pereat & cito marcescat, & nullum impetum graviorem sustinere queat; quod attributum illustratur ex comparatione ejus cum *herba* & *flore Agri*, brevi tempore florenti & virorem ac decus non vulgare præferenti, sed brevi admodum & repente etiam emarcescenti, si *gravior* aliquis *ventus* eadem concutiat & flagellet: sed VERBUM DEI NOSTRI dicitur *permanere* & *subsistere in æternum*: nulli motui cedere; omnem impetum sustinere; durare in æternum. Ne quis vero ignoraret, quid per *Carnem* intelligendum sit: applicat præcipue quod dixerat, ad *hunc Populum*, ubi subjungit ℣. 7. *Certe gramen est hic Populus.*

Id vero ipsum est quod respicere oportet, ut *clavem* interpretationis totius hujus Pericopæ, à cujus intelligentia longe deviarunt, qui in oratione Spiritus Sancti nihil quærunt altius & sublimius quam quod communis ratio sensualis, experientia roborata & collustrata, omnibus mortalibus contemplandum exhibet. Equidem Propositio hæc, *Omnis caro gramen; & omnis ejus gratia est ut flos Agri*; sumpta cum respectu ad *carnis* instabilitatem & fragilitatem, ut hoc in loco; in varias resolvi potest sententias, easque vero consentaneas & minime contemnendas, quas tamen prudens Interpres nemo dixerit à Spiritu S. hic perinde intentas. Primo quidem, ubi *caro* comparatur cum *gramine* & *herba Agri*: sub his verbis in genere spectatis cogitare licet de *fragilitate hominis*, & *brevitate ævi*, tum vitæ ejus, tum omnis *decoris*, formæ, speciei, gloriæ, qua ad tempus in his terris inter cæteros eminet fulgetque, atque ipse gloriatur & superbit: ut videlicet cum aliàs vita ejus mortalis brevi tempore sit circumscripta; tum imprimis si carnalis hic status ejus graviore aliquo casu morbi aut calamitatis cujuscunque impetatur, subito corruat ac concidat, omnisque ejus gloria instar fumi evanescat, sive instar *graminis* arescat, aut floris instar vento percussi marcescat. Emblema hujus metaphoricæ locutionis occupatum est non Poëtarum tantum, & Scriptorum qualiumcunque, verum etiam sententiis vulgi; licet metaphora ipsa propterea venustatis ac proprietatis suæ nihil perdat. Certe non negem, Scriptores Divinos ipsos ita accepisse. Sic Poëta Sacer [a]: Ad *hominem* quod attinet: *dies ejus sunt instar graminis: instar floris agri, sic florere solet. Si ventus eum pervaserit: non exstitit amplius, nec locus ejus cognoscitur.* Suntque analoga alia [b]. Augustius se effert sententia, ubi sub ea intelligis, omne decus, speciem, gloriam, majestatem, quæ in *externis* & *corporalibus* rebus inest; prudentiam, mundanam, pompamque & splendorem externum; potentiam denique, vires, robur, opes, sive singulorum hominum, sive magnorum Imperiorum, brevi interire ac flaccescere: nihil in iis esse durabile: Deo volente, & in ea sufflante, instar graminis *arescere*, instar *floris* concidere. perinde ut Apostolus ait, τὰ βλεπόμενα *visibilia* esse *temporaria* [c]; & *Schema hujus mundi præterire* [d]. Non est sane insolens hæc notio *carnis*, stylo Sacro [e], & Jacobus sententiam in genere spectatam hoc sensu applicat ad *divites* [f]. Nec tamen probabile sit, si Vox Divina hæc excluſa noluerit, (quod ego non dixerim, nec dicere opus habeo:) id præcipuum esse quod his verbis intenderit. Quod enim omnes vident & sentiunt mortales; quod in omnium, & stupidorum quoque, sensu & ore est; & mille exemplis omni fere die constat: non admodum opus erat per Præcones ad id à Deo destinatos, ubique prædicari ac promulgari. Verba sic explicanda sunt ut pertineant ad *Regnum Dei* & *Statum* hominis atque Ecclesiæ *spiritualem*; ut speciali sensu applicari possint ad *Populum Judæum*; & ut *fragilitas* atque *inconstantia carnis* opponi ac contradistingui queat *constantiæ* ac *stabilitati Verbi Dei.*

Nec tamen probabile sit, id præcipue in hoc loco intendi.

Ratio ejus sententiæ.

Quam sequuti hypothesin meliores Intt. qui in hunc locum altius inspexerunt, per *Carnem* hic intellexerunt quicquid per *Naturam* est in homine aut inventis humanis, quo sibi persuadet obtinere posse *Justitiam* apud Deum & ad *salutem æternam* adspirare, extra illam *Justitiam* & *Justificandi modum* quem Verbum Evangelii declarat. quam *Carnem* ubi Vox Divina dicit esse instar *fœni* & *floris* cito marcescentis; id dicere velle: Quicquid in homine per Naturam est ingenii, sapientiæ ac prudentiæ; quicquid operum ac meritorum quæ ipsi apud alios laudem conciliant; quæcunque imitamenta virtutis; inventa omnia Religionum incerta traditione aut superstitione nixarum cum omni earum apparatu, pompa, magnificentia, & quicquid his simile est, *nihil valere ad Justitiam coram Deo*, nihil ad veram hominis *regenerationem* & *sanctificationem.* Solam illam *Justitiam* quæ Verbo Evangelii commendatur, Deo probari. id Verbum solum & unicum esse medium atque instrumentum hominis *vivificandi* ac *perducendi* ad *vitam æternam.* Sententia est Apostoli cum de hisce iisdem rebus ageret, & Evangelii simplicitatem opponeret *Sapientiæ carnali*, in Epistola ad Corinthios [g]: *Ut ne glorietur* ULLA CARO *in ejus conspectu.* & ad Romanos [h]: Οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες, Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται· *Qui autem* IN CARNE *sunt*, (in statu Naturæ absque gratia,) *Deo placere non possunt.* Hæc omnis *caro*, Sapientia Græcorum, pomposæ superstitiones Gentium, infinitæ cærimoniæ in Religionem inductæ ad Deum aut Deos placandos, marcescerent, interciderent, exinanirentur, quando Spiritus Dei junctus Verbo præconii Evangelii in ea *sufflaret*: sed *Verbum Evangelii* vetam commendans *Justitiæ causſam*, veram tradens doctrinam salutis, eos ederet effectus in animos hominum, qui æternum durarent ac subsisterent.

Vis sententiæ referenda est ad *Statum Religionis.*

Cogitata Intt.

In *externis* quæ in homine per *naturam* insunt, quæri non posse *Justitiam* hominis apud Deum: nec sufficere ad *salutem.*

Elucidatur ex analogia.

Hic primus est penitior aspectus elegantis sententiæ, scopo orationis consentaneus: sed qui tamen nondum exhaurit intimum ejus reconditum, quod Spiritus S. his verbis involvere voluit. Est quid aliud adhuc interius, proxime ac directe scopum feriens, de quo nos monuit ipse, ubi quæ generatim extulerat, nominatim applicat ad Judæam Gentem, in *fine* ℣. 7. *Certe gramen est* HIC POPULUS. ubi per *hunc Populum*, stylo Prophetæ, esse intelligendum *Populum Judæum*, jam anticipavi. Quid igitur? Ajo, per *Carnem* in hoc loco κατ' ἔμφασιν designari *Cultum Religionis externum*, Verbo Legis quod *promissioni* superaccessit, ad *Montem Sinai* institutum; *Opera* externa, secundum hanc Legem peracta; ac *Prærogativas externas*, *carnales*, illius Populi, qui solenni Fœdere ad hanc Legem observandam obstrictus erat: Populi, inquam, Posterorum Abrahami: & metonymice ipsum illum *Populum*, quatenus externum hujus Legis cultum observabat, & his prærogativis ornatus erat. Hanc *carnem* Præcones à Spiritu excitandi, ejusque mandatis instructi, dicerent, prædicarent, clamarent, *esse gramen*, quod

Penitior aspectus sententiæ.

Per *Carnem* in emphasi hic designatur *Cultus externus* & *carnalis*, qui locum habuit sub Oecon. Veteri. Propheta ipse ficturer præteritum, ℣. 7.

[a] Ps. ciii. 15. 16. [b] Job. xiv. 1. 2. Ps. xc. 5. 6. [c] 2 Cor. iv. 18. [d] 1 Cor. vii. 31. [e] 1 Cor. i. 26. [f] Cap. ii. 10. 11. [g] 1 Cor. i. 29. [h] Cap. viii. 9.

areſceret; & *florem agri* qui, Spiritu flante, marceſceret: Dum contra *Verbum Evangelii* fide receptum ſolum in credentibus *Juſtitiam* cauſſaretur & *Vitam*, eamque *æternam*. Non eſt nova ſententia: licet id perinde habeam, vero abſque auctoritatis reſpectu intentus. Vidit Brentius, & cum ipſo alii, & inter Pontificiæ quoque ſectæ Intt. Forerius. *Caro* hic ſignificat id omne quod Gentem Judæam externe commendat, quatenus illud ab hac Gente habebatur ut *argumentum* & *materia* Juſtitiæ & gloriationis apud Deum. *Lex* omnis generis, & *Opera* ſecundum Legem facta; *Circumciſio*; *Prærogativa* Populi Dei, & *Promiſſorum* Patribus datorum: quæ omnia in omni ſuo complexu ſumpta, ſtylo ſacro, dicuntur CARO. Paulus Rom. VI. 1. *Quid igitur dicemus, Abrahamum Patrem noſtrum nactum eſſe κατὰ σάρκα ſecundum* CARNEM? 2 Cor. V. 16. *Itaque poſthac neminem novimus κατὰ σάρκα ſecundum* CARNEM. Gal. III. 3. *Adeo amentes eſtis: cum Spiritu inceperitis, nunc* CARNE *vos perficere ſtudetis?* Confer Cap. IV. 23--29. VI. 12. Phil. III. 4. *Quanquam ego etiam habeo* IN CARNE *quo glorier. -- Circumciſus octavo die, & ſeqq.* Heb. VII. 16. *Qui non ex Lege ἐντολῆς σαρκινῆς* PRÆCEPTI CARNALIS *factus eſt* Sacerdos: *ſed ſecundum vim indiſſolubilis vitæ.* Appellatio tum fundata eſt in ipſius rei natura, tum hauſta ex idea *circumciſionis*; in qua cum Deus juberet præcidere CARNEM, viderunt exercitii ingenii homines eo ſignificari, non tantum beneficium *ſanctificationis*, quo peccator liberatur à *ſervitute* peccati & concupiſcentiæ: verum etiam *juſtitiæ* abſque *operibus Legis* per *ſolam fidem* obtinendæ, & *ſpiritualitatis* cultus ac Religionis, quo Deus in *Spiritu* & *veritate* abſque Ritibus & cærimoniis Legis externæ coleretur.

Laudantur Viri Docti qui hunc ſenſum viderunt.

Loca analoga, in quibus vox *caro* ita uſurpatur.

Rationes illius appellationis.

Caro eſt quid *externum*.

ut Apoſtolus hoc ſymbolum ſapienter accepit *a*. α. *Caro* eſt quid *externum*, quod in oculos & ſenſum incurrit, *ſpiritui* contradiſtinctum: cujus generis conſtat fuiſſe omnia quæ Statum externum Populi Judæi circumſcripſerunt: ut Natales ex Patribus; Circumciſio; Liberationes variæ Populo à Deo procuratæ; Adoptio typica; Lex & Legis Opera; Inhabitatio Dei in Populo; Cultus in Tabernaculo aut Templo magna ſpecie & pompa celebratus; Hæreditas Canaanæa, & his cognata. β. *Caro* eſt *quid externum* quod *ſpiritum tegit* & *occultat*. Omnes res ad montem Sinai inſtitutæ habebant δήλωσιν πνευματικὴν *ſignificationem* & *adumbrationem ſpiritualem*. ut Scriptor Apoſtolicus ait, *umbram futurorum bonorum b*. Occultabant myſticum quid & *ſpirituale* quod locum haberet in Oeconomia Nova, ad quam omne opus Dei referri debet. Tabernaculum, Sacerdotium, Cultus totus, Feſta, Circumciſio, Ritus alii omnes, myſticam involvebant doctrinam & indicationem. γ. Accedebat id ſingulare, quod Ritus & cærimoniæ magnam partem circa res vere & proprie *carnales* verſarentur. Reſpicio nunc *ſacrificia* variis generis ex animantibus præcipue offerenda, quibus potior pars Religionis carnalis conſiſtebat. δ. *Caro* ut ſe externe oſtentat in homine valente & virente; *ſuam* habet *ſpeciem* & *formam* oculis delectabilem, quæ hoc in loco חסד dicitur. Recte verteris latina voce *gratia*. Propenſum ſtudium Dei erga homines, quod *benignitas* & *gratia* dicitur; & hominum erga Deum, quod *pietas* audit; vel hominum erga homines, quod *liberalitatem* appellamus; hac notione ſignificatur. quod ſtudium cum ſemper conjungi ſoleat cum *gratia* & *liberalitate* oris ac faciei, quæ alios ad ſe allicit ac delectat: *bonitas* rei externa, decus, ſpecies, gratia, metaphorice hac notione deſignatur. Ergo converte fis, hic oculos ad omnem ſpeciem, decus, ſplendorem externum, qui ſe oculis & ſenſibus obtulit in Religione Judæa externa Rituali & carnali: Templi auro intus obducti, extus ex materia præſtantioris generis validiſſimo opere exſtructi, Atriorumque & Porticuum ejus magnificentiam; inſtrumentorum ejus & vaſorum pretium ac ornatum; Pontificis ſuperbum, ſumptuoſum & Regium Veſtitum, *floribus* quoque diſtinctum; reliquorum Sacerdotum puritatem; ordinem & decus ſacrorum; celebritatem & pompam Feſtorum; vim innumeram ſacrificiorum quæ ad aras certo ritu mactabantur; clangorem tubarum, & modulationem cithararum ac tibiarum, inter Sacra, & quæ his ſimilia ſunt multa: cognoſces, quid illud ſit quod Vates hic vocat חסד *gratiam*, decus, ſpeciem, quæ *cultui carnali* aderant. Hæc enim ejuſmodi erant ut ſatiarent aſpectum, & delectarent ſenſus hominum carnalium, qualis longe maximam partem erat Populus Judæus. ε. Ut *caro* abſque *ſpiritu* nihil valet, ſed res eſt *mortua*, abſque vita, abſque ſenſu: ſic certe omnis ille externus apparatus Religionis, cum omni ſuo *decore* & *ſplendore*, ſi celebraretur abſque *fide* & *ſpe*; nihili valebat apud Deum; nihil conferebat ad *Juſtitiam* coram Deo, imo vero ei maxime oberat. Homines enim in hoc cultu cum aſſiduitate verſati, qui nec veras cauſſas nec fines veros hujus cultus inſtituti perſpiciebant, difficulter ſibi perſuadebant, non eſſe in his rebus *juſtitiam* & *vitam*. Quæ itaque gravis erat ratio, quare hunc *cultum* aliquando oporteret *aboleri*, cum tantum ob cauſſas quaſdam occaſionales inſtitutus eſſet ad tempus, atque cum Oeconomia Gratiæ non poſſet conſiſtere. Atqui id ipſum eſt quod Propheta hic docet, poſt adventum Chriſti Jeſu *clamandum* ac *prædicandum* eſſe, *alta voce*, omnem illam *Carnem* eſſe *gramen*, & *decus* gratiamque ejus ut *florem agri*, ſc. reſpectu *certi* cujuſdam *attributi*, quod *areſceret* & *concideret*, *Spiritu* in eam *ſufflante*. Duo ſignificantur, α. Per doctrinam Evangelii clariſſime vulgandum eſſe, nullam rem qualemcunque abſque vera *fide* in Chriſtum Jeſum, & *regeneratione* ac *ſanctificatione* per veram fidem in Verbum Evangelii obtinenda, cuiquam mortali profuturam ad *Juſtitiam* aut *Salutem*. Non modo ingenium, eloquentiam, Sapientiam Honeſtatemque civilem, & ſimulationem Virtutum aliarum, qualis in Gentilibus multis deprehenſa eſt; ſed ne quidem ulla *Opera*, ſecundum Legem Moſaicam Ritualem edita; *cultum* ſecundum illam Legem ſplendidiſſime celebratum cum pompa & magnificentia externa; *prærogativas* alias, Judæo Populo præ aliis Gentibus indultas; & *Studium* quoque ipſum externæ Literæ Legis licet diligentiſſime exactum, homini peccatori procurare poſſe *Juſtitiam* apud Deum. Hæc eſt Doctrina Chriſti Jeſu in omnibus ejus Concionibus, quibus Phariſæos oppugnavit: quam Paulus Apoſtolus in omni ſua latitudine explicuit ac demonſtravit ex ipſa etiam Lege & Prophetis, in Epiſtola ad *Romanos*, & reſtricte cum reſpectu ad *Legem Ritualem* & *Circumciſionem*, in ea ad *Galatas*, & in aliis ubique Epiſtolis æque ac cæteri Apoſtoli. Summa ſententiæ eſt *c*: *Ex operibus Legis* NULLA CARO *juſtificabitur in conſpectu Dei*. Nemihem in *ſtatu Naturæ* & *Legis* externæ ſervari poſſe. β. *Legem Externam Ritualem*, per Moſen datam, cum omni ejus pompa, ſplendore, apparatu, & totam Oeconomiam Eccleſiæ in ea fundatam, abrogandam abolendamque ſub Oeconomia Gratiæ & Regno Meſſiæ, ut ſolummodo ſuperſit & remaneat Oeconomia ſpiritualis, quæ eſt Oeconomia Gratiæ per ſolam *fidem* non mortuam ſed vivam, obtinendæ. Sic Dominus Jeſus ad Samaritanam *d*: *Mulier, crede mihi, venit tempus, quando neque in monte hoc neque Hieroſolymis adorabitis Patrem: ... ſed venit tempus & nunc eſt, cum veri adoratores adorabunt Patrem* SPIRITU *ac* VERITATE. Idem eſt quod criminis loco imputarunt Stephano dictum accuſatores ejus *e*: *Jeſum Nazarænum deſtructurum illum locum*, (Hieroſolymam & Templum,) *&* MUTATURUM RITUS *quos tradidit Moſes*. Certe Dominus Hieroſolymorum & Templi deſtructionem clare prædixit, viamque munivit ad *Oeconomiam* plane *ſpiritualem*, quæ in Regno ejus poſt *effuſum Spiritum S.* ſtabiliretur. Quod ipſum quoque Propheta hic addit, ubi ait vſ. 7. *Gramen exare-*

Ritus & cærimoniæ V. T. magnam partem verſabantur circa *carnem*.

Caro ſecundum externam *ſpeciem* eſt delectabilis aſpectus in homine valente, quæ *ſpecies* hic dicitur חסד *gratia*.

Vis vocis & emphaſis ejus h. l.

Applicatur ad decus & ſplendorem externæ Religionis Populi Judæi.

a Rom. IV. 11. *b* Heb. X. 1. *c* Rom. III. 20. Gal. II. 16. *d* Joh. IV. 21, 23. *e* Act. VI. 14.

Caro abſque *ſpiritu* nihil valet, eſt res m tua.

Applicat ad Religi nem exte nam Oec nomiæ V

Ob has cauſſas ra dem inſt *carnis* co rumpere & marce ret.

Et quid per *Spiri* in herba hanc *ſuffi tem*.

Senſus r ſticus di α. Præ *fidem in Chriſtum Jeſum*, præter ip Chriſti J Juſtitiam hil valer *Juſtitiam* apud De

Legem faicam e ternam a lendam

Dictum Domini Samarita nam, Jo IV. 21.

Analog alia huc cientia.

exareſcere בי רוח יהוה נשבה בו *quando ventus Jehovæ in illud ſufflat.* Sic recte vertis verba cum reſpectu ad ſimilitudinem ipſam. Si aſſimilatum reſpicias, vertes: *quando Spiritus Jehovæ in illud ſufflat.* Notatur utique *vis Spiritus S.* conjuncta cum Verbo Evangelii, quæ vis hominum mutaret animos, eoſque ad fidem Evangelii efficaciter adduceret, atque ex carnalibus faceret ſpirituales. Apoſtolus cauſſam demonſtraturus obſequii à Gentibus præſtiti Verbo Evangelii [a]: *Virtute ſignorum ac prodigiorum: ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου*, VIRTUTE SPIRITUS S. An non vides, *violentum* illum *ventum* qui *implevit* & concuſſit *Domum totam* in qua erant *Apoſtoli* cum Eccleſia primorum credentium, figuram ſuſtinuiſſe tum mutationis Oeconomiæ Eccleſiæ & Status Mundani; tum Virtutis efficacis Sp. S. per quam illa mutatio efficeretur [b]. Dominus ipſe vocat *δύναμιν ἐξ ὕψους, virtutem ex alto* [c]. Certe vis illa quæ comitata eſt Verbum Evangelii, fuit efficaciſſima ac violenta; ventus omnia obvia perrumpens; omnia movens; omnia pervadens; & contraria proſternens. Spiritu S. per Apoſtolos docente *infirmitatem* ac *inutilitatem Elementorum Mundi*, eorumque *καταργησιν abolitionem:* concidere debuit Oeconomia illa Vetus ac plane deſtrui. Imo vero Spiritus S. non tantum docet, demonſtrat, redarguit, & quidem ea vi inſuperabili qua animos hominum convertit; verum etiam explicat conſilia Dei, eaque exequitur, dum motus mundanos omnes ſibi ſubjectos habet [d]. quo proin violentius *flante*, areſceret *gramen*, & *decideret flos*, h. e. concideret ac deſtrueretur Oeconomia externa & carnalis.

Quid hic intelligatur per *Ventum*, ſive *Spiritum* Jehovæ, in *gramen* ſufflantem?

Eſt *vis Spiritus S.* commutaturi Oeconomiam carnalem in Spiritualem.

Emblema Act. II. 2. inde expoſitum.

Spiritus S. ſubſervit exequutioni Conſiliorum Dei.

Contra vero *Verbum Dei noſtri*, ait Vates, *ſubſiſtet in æternum. Verbum* DEI NOSTRI eſt utique illud Verbum, quod *Deus noſter* in carne apparens *loqueretur, ore humano*, ℣. 5. Id eſt Verbum *puri Evangelii*, GRATIÆ, VERITATIS, LIBERTATIS, quod Propheta explicat Cap. LXI. 1. 2. Imo clarius dico; eſt VERBUM *τῆς καινῆς διαθήκης* NOVI FOEDERIS, quod Filius Dei in ſanguine ſuo ſanciret. Deus enim in *fœdere* fit & dicitur *Deus hominis.* Quod *Verbum* opponitur tum omni Verbo quod loquuti ſunt homines extra veram Dei communionem in ſtatu Naturæ poſiti; Philoſophi, Oratores, Legiſlatores, Sacrificuli, Sibyllæ, Oracula inter Gentes jactata: tum quoque ipſi Verbo Legis à Deo per Moſen datæ [e]. Sic Apoſtolus poſtquam hæc ipſa verba allegaſſet [f]: *Τοῦτο δέ ἐστι τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς· Hoc autem eſt illud Verbum quod evangelizatum eſt vobis.* Id vero *æternum* dicitur *ſubſiſtere* gemino ſenſu. α. Quod Oeconomia per Verbum Evangelii fundanda & fundata eſſet *immutabilis, βασιλεία ἀσάλευτος* [g]. β. Quod *effecta* per Verbum Evangelii edenda in animis hominum eſſent durabilia & æterna, *συνεχόμενα τῆς σωτηρίας cohærentia cum ſalute.* Mutatio quæ per Verbum Dei producitur in animo hominis, in *Donatione Fidei*, *Regeneratione*, *Sanctificatione*, eſt æterna; nunquam intercidit; nunquam deſtruitur: ſed durat in æternum, quippe conjuncta cum ejus ſalute & gloria ſempiterna. Hoc ſenſu idem Apoſtolus ibidem [h] ait, nos *non eſſe regenitos ex ſemine corruptibili, ſed* INCORRUPTIBILI; *διὰ λόγου Θεοῦ ζῶντος καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα· per ſermonem Dei vivum & manentem in æternum.* Sic vertenda verba; non vero cum Beza, *Sermonem Dei vivi & manentis in æternum*, ut alibi jam monere memini. Apoſtolus enim mox ſubjicit ipſa hæc verba Prophetæ quæ tractamus. ubi illud *attributum* refertur non ad *Deum*, ſed ad *Verbum Dei.* Secundum hos ſenſus *Verbum Evangelii*, Verbum Novi Fœderis, *ſolum ſubſiſtit in æternum.* Quod ſi ad *veritatem* reſpicias quæ in omni dicto Dei & quoque in omni ſententia rationis ineſt: de omni dicto Dei & veris dictis hominum prædicari poteſt. Omnis enim veritas eſt æterna. Pleraque expedivi quæ ad intellectum pericopæ pertinent. Paucula tantum ſuperſunt ad ſummam ſententiæ obſervanda. Primum, ubi *Cultus carnalis* Oeconomiæ Veteris & Prærogativæ quibus Populus Judæus excellebat, comparantur *flori agri:* præcipue quidem ad duo alludi attributa *floris*, veluti quod magno ſe decore, elegantia & varietate oſtentet, ſed quod cito *marceſcat* ac *concidat*, & impetum gravioris venti non facile ferat. Veruntamen ſi quis mentem defigat in hanc ſimilitudinem: plura facile deteget attributa; quæ ego hic non excludo, neque etiam in tanta materiæ copia attingo. Secundo, quod ſententia illa Prophetæ, *Areſcit gramen, decidit flos*, bis enuncietur: vel ad venuſtatem & emphaſin orationis referendum videtur, vel ad ſtatum *Judæorum* & *Gentium.* In utriſque veraſceret ſententia. Tertio, quærere nobis nunc integrum eſt, *Quis* ille ſit *Præco*, vel qui *Præcones* ad quos mandatum *Vocis*, illos jubentis *clamare*, delatum ſit. Ajo hic abſque hæſitatione, deſignari *Apoſtolos Chriſti Jeſu*, & in iis eximium PAULUM, magnum illum & illuſtrem *Præconem* Evangelii, qui majorem cultioris Orbis partem Doctrina Evangelii implevit, & inter omnes Apoſtolos Domini hanc Prophetæ ſententiam de *impotentia* hominis in ſtatu naturæ; *inſufficientia* omnium ejus meritorum & Operum; imo Operum Legis & Privilegiorum Populi Judæi ad *Juſtitiam & ſalutem*; eorumque *inutilitate*, & neceſſaria *abolitione* ſub Oeconomia Nova: ubique, à Deo actus, à Chriſto Jeſu doctus, à Sp. S. illuminatus & impulſus, docuit, inculcavit, adſtruxit ac demonſtravit, atque adverſus Pſeudapoſtolos & Operarios fortiter ac ſapienter defendit. Hic eſt ille eximius PRÆCO, qui *alta voce* in Synagogis, Scholis, Dicaſteriis, hanc doctrinam juſſus à Chriſto Jeſu & Spiritu ejus, promulgavit. Ipſe de ſe [i]: *Væ mihi niſi evangelizem.* Lucas de ipſo [k]: *Spiritus S. dixit: Separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos advocavi.* Subaudi itaque hic *vocem* Spiritus S. dicentis, PAULE *clama!* ipſius Reſpondentis, *Quid clamabo?* Imo ſubaudi idem de reliquis quoque Apoſtolis Domini quorum eadem doctrina fuit, ut ex hiſtoria *Concilii Hieroſolymitani*, & Paulina narratione ad *Galatas*, liquet. Unus Spiritus omnes egit; ab eo didicerunt omnes quod docuerunt, *Omnem carnem eſſe gramen. omne decus* ejus ut *florem agri.* Quarto denique obſervo, ſcopum totius hujus Pericopæ eſſe, ut nos edoceat de vera *Natura Regni Chriſti Jeſu* & Oeconomiæ Novæ. eſſe videlicet Oeconomiam ſpiritualem, Regnum ſpirituale & cœleſte, diſſimillimum Oeconomiæ antiquæ. nihil in hoc *Regno* & *Oeconomia* eſſe quod *carni* placeat. omnia eſſe interna, æterna, vera, ſolida. ſolam hic regnare *fidem*, feracem fructu Juſtitiæ & bonorum Operum. Hanc eſſe vim Regni Chriſti Jeſu.

Cui *Verbo* contradiſtinguatur?

Quare illud, & quo ſenſu *in æternum* dicatur *ſubſiſtere*?

Vera verſio loci 1 Pet. 1. 23.

Obſervanda ad ſummam ſententiæ.

α. Quare *Cultus carnalis* Oeconomiæ Ver. comparetur *flori agri*?

β. Quare ſententia, *Areſcit gramen, decidit flos*: bis reperatur?

γ. Ex dictis colligi poteſt, quis ille ſit *Præco* vel *Præcones* cui hoc præconium mandatur?

Sunt *Apoſtoli* Chriſti Jeſu, & in iis eximius PAULUS.

Quæ hypotheſis ex comparato præconii argumento illuſtratur.

VOX QUARTA Evangeliſtarum explicantium *Beneficia* Oeconomiæ Novi Fœderis.

℣. 9. *Aſcende in montem altum*, ô TSION, ANNUNCIATRIX BONI NUNCII: *effer potenter vocem tuam annunciatrix boni nuncii Hieroſolyma! Extolle* eam: *ne timeto. Dic civitatibus Judæ: Ecce Deus veſter!* ℣. 10. *Ecce Dominus Jehova adverſus* ROBUSTUM *veniet; &* BRACHIUM EJUS IN IPSUM OBTINEBIT IMPERIUM. *Ecce merces ejus eſt cum ipſo, & operæ pretium ejus ante ipſum.* ℣. 11. *Ut Paſtor gregem ſuum paſcet: brachio ſuo colliget agnos, &* SINU SUO EXCEPTOS PORTABIT: *fœtas leniter aget.*] En *quartam Vocem*, directam ad *Evangeliſtas*, quibus in mandatis datur, ut veram *præſentiam* Dei Servatoris & Regis Eccleſiæ ſuæ inter omnes Populos promulgent. Equidem diſerte non dicitur, *Vox dicit*; ut in ſuperioribus. Sed id hic ex analogia præcedentium ſubintelligendum eſt, accipiendaque ſunt verba acſi Vates ſcripſiſſet, *Vox dicit*, ſc. Divina: *Aſcende in montem altum*, ô TSION ANNUNCIATRIX BONI NUNCII! Sic verto verba, ut *Tſion annunciatrix boni nuncii* hic ſit *ſubjectum*

Vox quarta, Evangeliſtis mandans explicare Beneficia N. F. ℣. 9. ſeqq.

Schema & ſumma hujus pericopæ.

Subjectum Præconii, ſive Præcones

[a] Rom. XV. 19. [b] Act. II. 2. [c] Luc. XXIV. 49. [d] Jeſ. LIX. 19. Zach. IV. 6. [e] Joh. I. 17. [f] 1 Pet. I. 25. [g] Heb. XII. 28. [h] 1 Pet. I. 23. [i] 1 Cor. IX. 16. [k] Act. XIII. 2.

ipſi hic dicuntur *Tſion Evangelizatrix, &c.*

ctum ſive *Objectum* ad quod oratio hujus Vocis vertitur; perinde ac mox, *ô Hieroſolyma, annunciatrix boni nuncii!* Id hic recte obſervaſſe, eſt alicujus momenti, quia intellectus totius ſchematis orationis ab eo bene vel ſecus percepto pendet. Junius & Piſcator, quod hic dicitur מבשרת ציון vertunt, *O tu quæ annuncias Tſioni!* Rurſus, *O tu quæ annuncias Hieroſolymis!* Equidem Hebræa non reſpuunt hunc ſenſum, quem prom in dubio reliquit Hieronymus; Paraphraſtes autem palam amplexus eſt: ſed, ut jam prænonui, perturbat figuram totius Orationis. Propheta enim hic manifeſte deſignat ipſam Tſionem & Hieroſolymam annunciatricem boni Nuncii, h. e. Evangeliſtas Tſioneos & Hieroſolymitanos exituros *Hieroſolymis* & *Tſione*, & *bonum* illum *nuncium* communicaturos cum *Urbibus Judæ*. Viderunt οἱ τρεῖς, Aq. Sym. & Theod. atque adeo prudenter verterunt, Εὐαγγελιζομένη Σιών· εὐαγγελιζομένη Ἱερσαλήμ. Sunt autem hic duo obſervanda. α. Intt. non ſatisfacere poteſtati vocis מבשרת, qui eam ſimpliciter vertunt per *annunciatrix*. vertenda omnino eſt, *annunciatrix boni nuncii*. בשר Hebræis eſt εὐαγγελίζεσθαι. Sic Jeſaias eam vocem propria ſua notatione & emphaſi uſurpat Cap. LII. 7. *Quam amœni ſunt ſuper montes pedes* NUNCII BONI. מבשר. τῦ̃ εὐαγγελιζομένυ. Subjungit expoſitionis gratia: *Ejus qui audire facit* PACEM; *qui annunciat* BONUM; *qui audire facit* (prædicat) SALUTEM, Cap. LXI. 1. *Jehova me unxit* לבשר ענים *ad bonum nuncium ferendum manſuetis.* Addo inſignem locum 2 Sam. IV. 10. *Quia is qui me certum faciebat*, (המגיד לי *mihi indicabat*,) *Saulem mortuum eſſe*, והוא היה כמבשר בעיניו *qui ſibi videbatur* BONUS eſſe NUNCIUS, & ſeqq. Patet ex hoc loco, quantum interſit inter id quod Hebræi vocant הגיד *indicare*, *notificare*, & בשר *bona* ac optata *nunciare*. β. Per מבשרת ציון *Tſionem & Hieroſolymam Evangelizatricem* hic intelligi *Tſionem & Hieroſolymam* cum reſpectu ad *Doctores & Evangeliſtas*, quos Hieroſolyma gremio ſuo complectebatur. *Salus Jehovæ & Bona* ad quæ hic reſpicitur, *Hieroſolymæ* vulgarentur. inde exiret Verbum Dei. inde Præcones ſe diffunderent per totam Judæam. quos mox patebit, eſſe *Apoſtolos & Evangeliſtas* imbutos donis Spiritus S. poſt Chriſtum Jeſum cœlo receptum ubique promulgaturos *Evangelium Regni Dei* [a]. Pertinet itaque illa terminatio *Fœminini* ad ipſam *Tſionem & Hieroſolymam:* etſi ſi referatur ad *Cœtum Doctorum*, eodem *genere* enunciari deberet, ut præter alia vulgatum exemplum eſt in voce קהלת, quæ præfigitur Libro *Eccleſiaſtis*.

Verſio Junii: *O tu quæ annuncias Tſioni.*

Prior præferenda videtur, quod conſentanea ſit ſchemati Orationis.

Verſiones Vett.

Emphaſis vocis בשר. Notat ſimpliciter *annunciare bonum nuncium.*

Adſtruitur ex certis locis.

Tſion hic dicitur *Evangelizatrix* cum reſpectu ad Doctores & Evangeliſtas, qui in ea erant.

Terminatio *Fœminini* unde hic repetenda?

Inſpectio *Mandati* his Doctoribus dati.

Mandatum ad hos *Evangeliſtas* voce cœleſti delatum mox *proponitur*, hoc ipſo ℣ſ. 9. & rurſus à Vate exponitur ac declaratur, ℣ſ. 10. & 11. *Mandatum* ipſum, ut proponitur, *Evangeliſtas* hoſce obſtringit ad officium ſtatui ac vocationi ſuæ conveniens. Jubentur *altum* conſcendere *montem*, & ſumma fiducia *abſque metu* bonum nuncium de *præſentia* Dei Salvatoris apud Urbes Judææ promulgare. Conſilii mei eſt ſingula ordine perſequi & enarrare.

Verba Juſſionis Divinæ: *Aſcende tibi in Montem altum, &c.*

Hebraiſmus hic notatus.

Senſus ſententiæ.

Aſcende tibi in montem altum.... attolle vocem tuam, Ne timeto.] Sic proprie Hebræa, in quibus illud לו *tibi* pertinet ad venuſtatem Sermonis Hebræi. Locutio plane eſt emblematica. Senſus eſt, Ite vos Evangeliſtæ per terram Judæam; ingredimini Synagogas ejus; conſcendite ſuggeſta; ingerite vos, ubi favet occaſio, in Conciones hominum; & ex altis editiſque locis quæ occupare poteritis, hunc vulgate, qui ſubſequitur, *bonum nuncium*, ut ad omnium perveniat notitiam. agite autem id intrepide, fidente animo, tanquam de veritate ejus plane perſuaſi. Nihil myſticum amplius in hoc dicto quærendum eſt; ut quæ aliqui hic cogitant de *Monte myſtico* alio à *Tſione* diſtincto, ex quo faciunt Eccleſiam, vel Romanum Imperium: hic minus ad rem faciant. Scena enim hic figitur in Judæa, cum vox primo loco dirigenda eſſet ad Urbes Judæ; & *Tſion* hic exhibetur ut *ſedes* prima veræ Eccleſiæ, & quoque Evangeliſtarum qui ex ea prodirent. Eſt autem ſymbolica hæc locutio deſumpta à ritu vulgato ejus temporis, quo aliquid vulgaturi vel promulgaturi quod à pluribus ſciri vellent, conſcendebant *montem*, ex quo tanquam ex ſuggeſto ad concionem habebant orationem, ut luculentum exemplum eſt in Jothamo Gideonis filio ex *monte Gerizim* concionante. Sic de ipſo hiſtoria [b]: *Et ſtetit* בראש הר גריזים *in* VERTICE MONTIS GERIZIM, *&* SUSTULIT VOCEM SUAM, *& clamavit, & dixit.* Quid? Eſtne alia ratio quare Deus de *Monte Sinai* Leges ſuas promulgarit [c], & Dominus Jeſus ipſe *de monte* concionatus ſit [d]? Eſt de eo locus inſignis apud Jeremiam, in hæc verba, noſtris ſimillima [e]: *Conſcende* LIBANUM, (Montium in illo tractu altiſſimum,) *& clama; & in* BASANE *ede vocem tuam, & clama ad tranſeuntes, & ſeqq.* Intelliges tamen ex hoc emblemate, α. *Evangelium* Chriſti Jeſu complecti *nuncium* ſumme ſalutarem, & quidem argumenti plane neceſſarii. β. Abſque diſcrimine perſonarum apud omnes in publicis locis vulgandum. γ. Cum *fiducia*, abſque metu & pudore, quippe certum & indubiis nixum argumentis. δ. Et quidem *clara* atque *alta* voce, ut hoc ipſo patefieret, eſſe conſilii & voluntatis Divinæ, ut longe lateque audiretur ac vulgaretur; ut ſi *Urbes Judæ* ſaturaſſet, à Gentibus quoque & Populis exaudiri, fraudi non eſſet & vitio.

Scena hujus ſchematis hic figitur in *Judæa*.

Veteres a populum *concionaturi* conſcendebant *montes*. Exempla ejus generis

Conſecraria, ex hoc Mandato elicita.

Dicite civitatibus Judæ: ECCE DEUS VESTER!] Argumentum Concionis breve: *Ecce Deus veſter*: cujus emphaſis declaratur. Breve argumentum Concionis, ſed ſenſus ampliſſimi & jucundiſſimi, qui in hunc reſolvitur: *Ecce Deus veſter* adeſt cum omni copia ſalutis, gratiæ, & benedictionis ſpiritualis quam prædictiones & promiſſa, Patribus facta, Vobis aſſeruerunt. *Ecce Deus veſter* adeſt Liberator, Rex, Paſtor, Doctor, & cauſſa Juſtitiæ ac Vitæ ſui Populi! Eſt huic parallelus locus Cap. LXII. 11. *Dicite filiæ Tſionis: Ecce* SALUS TUA *venit! Ecce merces ejus eſt cum ipſo, & opera pretium ejus coram facie ejus.* Valent igitur verba, *Ecce Deus veſter adeſt ad ſalutem veſtram*, ſive cum ſalute à vobis exſpectata. Prædixerant Prophetæ, eratque conſignatum promiſſis gratiæ, venturum aliquando eſſe tempus quo *Deus* populo ſuo eſſet *in Deum:* h. e. ſe *immediate* cum populo ſuo communicaret; *immediate* in eum influeret; cum eo ageret, & divitias ſuæ gratiæ & omniſufficientiæ in eum profunderet. Verba Prophetæ [f]: *Illo tempore, inquit Jehova:* ERO IN DEUM *omnibus familiis Iſraëlis, & illi mihi erunt in Populum.* Videlicet juxta promiſſum Abrahæ datum, Gen. XVII. 7. quod hoc demum tempore perfectum implementum ſortiretur. Pertinebat illuc, ut Filius Dei, Deus ipſe, τὸ Σωτήριον Populi, præſens ipſe in Populo ſuo appareret, ſub carne humanitatis conditurus *gloriam tranſparentem Divinitatis.* quod Vates noſter prædixerat futurum ℣ſ. 5. ut *ore ſuo* magnus Præco doctrinam *veritatis, gratiæ, ſapientiæ*, Verbum *æternum* in quo Nova Oeconomia fundaretur, traderet atque explicaret, ℣ſ. 6--8. ut ſe omnibus oſtentaret tanquam *Salvatorem & Medicum* verum Populi ſui; & conſummatus per paſſiones occupato throno gloriæ, ſibi à Patre deſtinato, credentes omnium ordinum abſque diſcrimine perfunderet ex cœlo donis ſui Spiritus, & in eorum cœtibus & apud ipſos ſe præſentem exhiberet, tum copia *gratiæ* quam populo ſuo impertiret ad illuminationem, ſanctimoniam, & conſolationem ac lætitiam incredibilem; tum virtute chariſmatum & miraculorum omnis generis ad credentium corroborandam fidem & aliorum expugnandam incredulitatem; ut vere de iis dici poſſet [g]: *Dominus eſt inter eos.* SINAI EST IN SANCTUARIO. Gloria omnis quam Angelus Jehovæ olim apud Sinai montem oſtentaverat, hoc tempore conſpiceretur in Eccleſia. Atqui ut nihil horum excludo ſententia hujus dicti, *Ecce Deus veſter:*

Hypotheſis hujus Concionis: Deus certo aliquo tempore ut *Deus ſalutis* apud Populum ſuum debebat *manifeſtari.*

Promiſſa & prædicta de eo Prophetarum: quæ latius exponuntur.

Locus Pſ. LXVIII. 18. declaratus.

[a] Marc. I. 14. [b] Jud. IX. 7. [c] Exod. XX. 1. Deut. XXXIII. 1. 2. [d] Matth. V. 1. [e] Jer. XXII. 20. [f] Jer. XXXI. 1. [g] Pſ. LXVIII. 18.

veſter: ſic tamen ea præcipue reſpicit ultimum illum temporis articulum, quo Chriſtus Jeſus ex mortuis reſuſcitatus & evectus in cœlos *Spiritum S.* effudit in credentes, ut indubium *præſentiæ ejus* & veritatis Perſonæ ac Doctrinæ ejus, argumentum, quo ipſe demonſtratus eſt verus Eccleſiæ ſuæ Rex, Dominus, Servator, Novi conditor ſæculi Gratiæ. Sic Petrus [a]: *Certo itaque ſciat* TOTA DOMUS *Iſraëlis, Deum hunc feciſſe* DOMINUM *&* CHRISTUM; *hunc ipſum*, inquam, *Jeſum quem vos crucifixiſtis.* Id vero dici vult & prædicari Vates *Civitatibus Judæ.* h. e. prædicari, vulgari, proclamari, apud omnes cœtus & Eccleſias Populi Judæi per omnes Synagogas, primum quidem in Judæa tota quam late patebat, ne Samaria quidem & Idumæa excluſis: deinde etiam per Synagogas quæ erant ἐν ταῖς διασποραῖς per Imperia Romanum & Parthicum diffuſas. Quem ſenſum ſi hæc verba comprehendant: nemo nunc ex me quæſiverit, *Quinam* hi ſint *Præcones* ad quos hæc oratio dirigatur; & qui officio hoc functi fuerint? Sunt utique non Apoſtoli tantum, qui Hieroſolymis primis annis perſtiterunt, ſed & Evangeliſtæ qui loca omnia Judææ, & inde Syriæ atque Arabiæ vicinæ, peragrantes, Evangelii nuncium ubique ſeminarunt. Audi Hiſtoriam [b]: *Et omnes* (occaſione perſecutionis cauſſa Stephani excitatæ,) *diſperſi ſunt per Regiones Judææ & Samariæ præter Apoſtolos... at qui diſperſi fuerant*, PERAGRABANT *regionem*, εὐαγγελιζόμενοι τὸν λόγον· EVANGELIZANTES *ſermonem. Philippus* (Evangeliſta,) *vero quum veniſſet in Urbem Samariæ* PRÆDICAVIT *iis* CHRISTUM. Nec tamen id ajo hoc demum tempore eſſe factum. Patet enim ex eadem hiſtoria, jam hoc tempore *Diſcipulos* fuiſſe *Damaſci* [c]. Rurſus [d]: *Cæterum qui diſperſi fuerant ex afflictione propter Stephanum facta pervenerunt uſque in Phœniciam & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes ſermonem Dei niſi* SOLIS JUDÆIS. Sic quoque Paulus & Barnabas cum ſociis ſuis illos inſequuti, inſtituerunt. Detulerunt hoc præconium ad *Civitates Judæ*, h. e. Eccleſias Judæorum: nec niſi illis Verbo immorigeris, ſe converterunt ad Gentes [e]. Sic enim præceperat Dominus [f]. Quid? *ſeptuaginta* illi *Evangeliſtæ* an non à Domino in hunc finem electi ſunt, ut per omnes *Urbes* & *vicos* Judææ ejus nunciarent apparitionem & adventum, iiſdem fere verbis quæ hic leguntur [g]: Ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· *Appropinquavit ſuper vos Regnum Dei.* Supervenit vobis, jam adeſt. *Ecce Deus veſter!* Horum autem Officium illo tempore non fuit circumſcriptum, quo Dominus in carne verſatus eſt: ſed per vitam duravit, dictique ab eo ſunt ΕΤΑΓΓΕΛΙΣΤΑΙ, (מבשרים) eodem nomine quo hic utitur Jeſaias. Mox ingens extitit caterva Doctorum & Præconum, à Spiritu illuminatorum & ſanctificatorum; factumque adeo eſt, ut Eccleſiæ Chriſto Jeſu ubique, ex ipſis quoque Judæis, fundatæ ſint, quo pertinet illud Vatis Sacri [h]: *Dominus dedit loqui:* NUNCIORUM BONI NUNCII (המבשרות τῶν Εὐαγγελιζῶν,) MAGNA CATERVA. Obſerva hic eandem conſtructionem *fœminini.* Sunt Cœtus præconum Evangelii poſt effuſam gratiam Sp. S.

Hic lætus nuncius quo ſenſu vulgandus eſſet apud *Civitates Judæ?*

Quinam illi ſint *Præcones Gratiæ*, ad quos hic alluditur?

Demonſtrantur ex Hiſtoria Apoſtolica.

Primum præconium Gratiæ fieri debebat & factum eſt *Judæis.*

Officium *Evangeliſtarum*, ſic ſpeciatim dictorum.

ỳſ. 10. *Ecce Dominus Jehova* ADVERSUS ROBUSTUM *veniet.*] Sic verto verba, בחזק יבוא cum Jun. Piſcat. Belgis: etſi Intt. Veteres paſſim reddiderint, *in fortitudine.* Sic Hieron. Chaldæus, οἱ ὁ. μετὰ ἰσχύος. & ipſe quoque noſter Coccejus. Aben-Ezra & Kimchius בחזק accipiunt acſi ſcriptum eſſet ביד חזקה *manu valida.* Lud. de Dieu *præfixum* ב hic putat vacare, & verti poſſe verba: *Dominus fortis veniet.* Sed obſtat huic verſioni, α. Vocem חזק ut hic ſcribitur & punctatur, habere formam *adjectivi*; nec poſſe commode verti per *fortitudinem:* idque ſane agnoſcunt peritiores Interpretes. β. Quod Aben-Ezra & Kimchius velint ſubeſſe phraſi ellipſin: non tantum durius eſt in hoc loco, ſed non convenit quoque *generi* vocis יד quæ amat *genus debilius*; unde ubique ſtylo Scripturæ S. dicitur יד חזקה *Manus valida.* non, יד חזק. Cui difficultati ut occurrant, producunt locum Ezech. II. 9. *Et vidi, & ecce manus ad me porrecta,* והנה בו כגלת ספר *in qua erat volumen Libri.* Agnoſco ſane, *relativum* in hoc loco eſſe *generis fortioris:* ſed *adjectivum* voci יד adjectum eſt *debilioris*, pro ſueta conſtructione vocis, יד שליחות. Si neceſſitas nulla urgeat: nemo prudens verſionis regulam faciet anomaliam rariſſimam in voce frequentiſſimi uſus. γ. Noſtra hæc verſio conſtructioni Hebrææ propriiſſime convenit. Litera enim præfixa ב in ejuſmodi caſibus proprie & vere uſurpatur, in quibus quis adverſus alium *venire* dicitur *pugnandi* cauſſa, & cum illo *congredi.* ut de Iſmaële [i]: *Manus ejus* בכל CONTRA *omnes.* Alia ubique offendes. δ. Oratio Prophetæ exigit hanc verſionem. Si enim Deus Jehova venturus eſſet ad aliquem oppugnandum vel debellandum: neceſſe utique erat deſignari *ſubjectum* ſive *objectum* adverſus quod *venturus eſſet.* ε. Confirmant hanc interpretationem & commendant verba Domini Matth. XII. 29. quibus ad hæc noſtra, ut opinor, alluditur; & Jeſaias ipſe alio loco ſe ipſe interpretans, ut mox docebo. Tantum addo, inter Judæos Jarchium dictum Prophetæ eodem modo accepiſſe. Sic ad vocem בחזק adſcribit: על הרשעים ליפרע *Adverſus improbos in vindictam.* Ecquis vero hic hæret? Dictum eſt Joannis, veluti ad hæc noſtra verba alluderet [k]: Εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ Διαβόλου· *Ad hoc* CONSPICUUS EST FACTUS FILIUS DEI (eadem phraſi qua Propheta,) *ut diſſolvat opera* DIABOLI. Certe reſpexit Joannes ad promiſſum Gratiæ Paradiſiacum Gen. III. 15. omnium promiſſorum & prædictorum ſummam complectens. Omnis Verbi dicti à Prophetis, omnis promiſſi facti Patribus, ſumma hæc eſt, *Filium Dei*, eundemque *Filium hominis*, venturum eſſe in Mundum ad debellandum Satanam, ejuſque in Mundo deſtruendum Imperium. quod itaque ubi dicere facimus Jeſaiam, nihil ei niſi ſuum & proprium vindicamus. Sed non ceſſo amplius producere verba Domini Jeſu de fine *adventus ſui* in *carnem* loquentis, verbis Prophetæ [l]: *Nam quomodo poterit quis ingredi* εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἰσχυροῦ· *in domum* (Arcem) ROBUSTI, *& vaſa ejus diripere niſi prius vinxerit* ROBUSTUM ILLUM, *quo facto domum ejus diripiet.* Eloquutus eſt Dominus hæc verba circa illud tempus quo adverſus Phariſæos vindicabat miraculum *Dæmoniaci cæci & muti*, à ſe expulſo Dæmone ſanati ac liberati, demonſtrans hoc eſſe κριτήριον *Regni Dei*, videlicet à Jeſaia in hoc loco prædicti ac prænunciati; deſtructionem Satanæ ejuſque Imperii inter homines, cujus argumentum extare voluit in tot obſeſſis à ſe vindicatis ex poteſtate Satanæ. Atqui ille ἰσχυρὸς alio loco, ad quem Dominus pariter hiſce in verbis alluſit, appellatur *Potens*, *Severus*, *Tyrannus*, his ipſis verbis quæ deſcribo [m]: *An accipietur à* POTENTE *præda? & an quod captivum abductum eſt à* SEVERO (צדיק) POTENTE *accipietur*, (recuperabitur,) *& præda* VIOLENTI (עריץ ferocis, tyranni,) *evadet?* Cogita hic, ſi placet, de Principibus Mundi potentibus, ferocibus, tyrannis, robuſtis, (ut ſane Aſſyrius à Propheta חזק *ἰσχυρὸς robuſtus* dicitur, Cap. XXVIII. 2.) qui Populum Dei affligunt, opprimunt, captivum ducunt: ſed ſimul cogita quod cogitarunt & viderunt Prophetæ, omnem vim, poteſtatem, imperium, quod adverſus Eccleſiam exercent, eſſe Satanæ in iis & per eos regnantis, & libita ſua exequentis [n]. Is eſt ὁ ἰσχυρὸς *Fortis*, *robuſtus*, quia vere, ut nobis in Verbo Dei deſcribitur, tam præditus eſt naturali *vi* in maximis effectis ſecundum naturæ Legem producendis; quam *aſtutia*, & *poteſtate* in *Dæmones*, & in *Rectores Mundi*, temporibus *ignorantiæ* ipſi ſubjectos & obnoxios, quam, Deo permittente, ita exercuit, ut dicatur *ſeduxiſſe totum orbem* [o], & à Domino ipſo

Scopus adventus Filii Dei in Mundum, ỳſ. 10. *Dominus Jehova veniet adverſus* ROBUSTUM.

Verſio vocis, בחזק.

Variæ Interpretationes.

L. de Dieu ſententia. quæ refellitur.

Verſio, *Adverſus Robuſtum*, convenit genio linguæ.

Oratio Prophetæ eam exigit.

Dictum Joh. I Cap. III. 8.

Quod declaratur.

Locus Matth. XII. 29. adducitur & explicatur.

Analogus Prophetæ noſtri Cap. XLIX. 24.

Qui obiter exponitur.

Quo ſenſu Satanæ Nomen *Fortis*, *Robuſti*, ἰσχυροῦ, aptetur?

Reſpicitur tam ad *potentiam* ejus

[a] Act. II. 36. [b] Act. VIII. 2. 4. [c] Act. IX. 19. [d] Cap. XI. 19. [e] Act. XIII. 46. [f] Matth. X. 6. [g] Luc. X. 9. [h] Pſ. LXVIII. 12. [i] Gen. XVI. 12. [k] 1 Joh. III. 8. [l] Matth. XII. 29. [m] Cap. XLIX. 24. [n] Apoc. XIII. 1. [o] Apoc. XX. 1.

quam ad *potestatem.*

ipso appelletur ὁ ἄρχων τῆς κόσμου τούτου *Princeps hujus Mundi* [a]. Certe illum oportet esse *fortem & potentem* quem vincere & vincire honori sibi duxit ipse *Filius Dei*, ipso ἰσχυρότερος *fortior*, cum inter creatos Angelos nullus esset, à quo vinci & vinciri posset. qui proinde adversus illum hoc loco *venire* dicitur, scilicet ad illum debellandum, & imperium ejus destruendum. sic enim rectissime vox יבוא in *præsenti* vertitur: etsi nihil vitii est vertere in *futuro*, *veniet*. Cum enim Dominus Jesus Satanam triplice modo vinceret, tum OBEDIENTIA *perfecta* Patri præstanda in dirissimis παθήμασι, *morte* violenta terminandis, (Heb. II. 14. coll. cum Gen. III. 15.) tum EFFICACIA DOCTRINÆ SUÆ, conjungenda cum summa virtute & abundante gratia Sp. S. ad quam ipsa quoque *miracula* ei subservitura refero: tum POTENTIA ac providentia sua ut Regis Ecclesiæ & Mundi, qua tyrannos Ecclesiæ infestos, à Satana incitatos, reprimeret, coërceret, circumscriberet, ac puniret: hic potissimum loci ad duo posteriora respicitur, quæ Apostolus in oculis habuit, ubi ad Romanos scripsit [b]: *Deus pacis conteret Satanam cito sub pedibus vestris.* Filius enim Dei hic à Propheta introducitur ut *Rex*, Regnum quod in Tsione fundaverat, adversus Satanam, & Potestates Mundanas ei subservientes destructurus, & hunc adversarium suum subacturus ac protriturus. quod ipsum quæ sequuntur, clarius adhuc docent.

Quot *modis* Christus D. *Satanam vicerit?*

Vox יבוא recte hic verti potest per *veniet.*

Locus Rom. XVI. 20.

Et brachium ejus in ipsum obtinebit imperium.

Animadversa ad Versionem.

Differentia Intt. circa voculam לו in h. l.

Et brachium ejus IN IPSUM *obtinebit imperium.*] Hebræa habent; וזרעו מושלה לו quæ ad verbum sonant, *Et brachium ejus imperabit* SIBI, vel, *Et brachium ejus imperabit* IPSI, h. e. *Forti* illi & *Robusto* de quo facta erat mentio. brachium ejus in ipsum obtinebit imperium, potestatem. Qui prius hic admittunt, (admittunt autem omnes & admittere coguntur qui vocem בחוק superioris *hemistichii* vertunt, *in fortitudine*; non vero, ut nos, *adversus Robustum:*) Alii voculam לו hic accipiunt ut *redundantem*, quod à more Hebræorum non esse alienum modo vidimus ex exemplo עלי לך ℣. 9. atque adeo simpliciter vertunt: *Brachium ejus exercebit imperium:* Alii quibus grave est emphasin voculæ לו hic spernere, reddunt, *Potens erit sibi*, vel, *potens erit ex se*, h. e. brachium ejus non necesse habebit sibi aliunde vires comparare, sed sibi ipsi in hanc rem sufficiet. Neutrum absurde dicitur, & tamen si vocula לו omnino referenda esset ad *subjectum* sententiæ, h. e. ad Jehovam: vertendum censeo, *Et brachium suum sibi comparabit imperium.* quam sententiam cur refugiam, nullam habeo rationem. constat enim sibi optime cum nostra quoque hypothesi. Veruntamen si superius membrum ita transponatur ut nos instituimus, *Dominum Jehovam venturum esse* ADVERSUS ROBUSTUM: nihil facilius & clarius est, quam voculam לו hic sumere *objective*, sive *relative* cum respectu ad *objectum*, in hanc sententiam, *Et brachium ejus in* ILLUM (sc. חזק *Robustum*,) *prævalebit*; sive, in illum obtinebit imperium; illum rediget sub suam potestatem. Certe vox משל *imperare*, *dominari*, *imperium obtinere*, licet subinde *absolute* usurpetur: ex nativo suo usu requirit *objectum* in quod imperium illud exerceatur. Solummodo videri posset huic expositioni obstare, quod notio משל passim construatur cum ב; & fateor sane, esse eam structuram satis constantem: veruntamen altera illa cum ל non repugnat analogiæ & genio Linguæ; & occurrit quoque ejus exemplum apud Jeremiam [c]: *Ut non sumam ex semine ejus* (Davidis,) מושלים אל זרע *qui imperent semini Abrahami, Isaaci, & Jacobi.* En vocem משל constructam cum אל, quod idem est acsi construatur cum ל, quia *præfixa* ל est ex אל. Sensus pulcherrimæ sententiæ est, Christum Dominum, sedentem ad dextram Patris, (*Jehovam* demonstratum *Dominum* Ecclesiæ,) sibi parantem Regnum in Mundo, destructurum esse *Imperium Satanæ*; ARCEM ejus (erat autem præcipue ROMA,) occupaturum; ipsum in Arce sua *vincturum*; dejecturum, prostraturum, & enervaturum esse, per gradus scilicet & articulos temporum à Deo definitos; tam *doctrinæ* & *gratiæ* suæ efficacia; quam *vi* ac *potentia* omnipotente. Ea vis significationis est in voce משל, quæ hic valet καταδυναστεύειν, sive καταυριεύειν. Usus vocis est insignis in historia Lucæ de *Spiritu malo* [d]: Καὶ ἐφαλλόμενος ἐπ' αὐτὲς ὁ ἄνθρωπος ἐν ᾧ ἦν τὸ πνεῦμα τὸ πονηρὸν, καὶ κατακυριεύσας αὐτῶν, ἴσχυσε κατ' αὐτῶν. Experientia docuit, & historia omnibus nota est. Eventus criticus hujus luctæ & completorius incidit in tempora Constantini. de quo Apoc. XII. 7. 8. 9. Prædixerat Dominus, cum Discipuli ejus ad ipsum retulissent, *Dæmonia* SIBI IN NOMINE *ejus subjici*, ad ea reponens [e]: *Spectabam Satanam ut fulgur è cœlo cadentem.* Et apud Joannem [f]: *Nunc adest judicium hujus mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Juxta dictum Vatis Sacri [g]: *Ex ore infantium & lactentium fundasti robur* vel *laudem*, להשבית אויב ומתנקם *ad cessare faciendum* (καταργῆσαι *abolendum*,) HOSTEM & VINDICANTEM *se*. Satanam odio & vindicta in Sanctos inflammatum. Est hic comparanda Ode excellens integra XCI, ne nunc in argumento trito alia allegem.

Vis vocis משל in h.

Analogia loca, quæ dimonstrant scopum Adventus Christi in Mundum, huc adducta.

Ecce merces ejus est cum ipso, & opera pretium ejus coram facie ejus.] Quisque videt, verba in hunc esse accipienda sensum; Deum Jehovam in Mundo constabiliturum Regnum suum & hostes suos vindicaturum paratam in manibus habere *mercedem* & *opera pretium* quod repensurus sit Ministris suis omnibus, sanctis, in se credentibus, & sui reverentibus, qui salutem ejus tandiu exspectaverant, & inter adversa & discrimina multa spem suam constanter sustinuerant, & adhuc sustinebant. quem sensum plane confirmat locus huic parallelus Cap. LXII. 11. *Dicite Filiæ Tsionis, ecce* SALUS TUA *venit: ecce merces ejus est cum ipso, & opera pretium ejus coram facie ejus.* Certe Deus, ubi Ecclesiam suam liberando & vindicando, aut Regnum suum in Mundo promovendo, censetur *facere opera pretium*, ut Latini loquuntur: dici potest paratam habere *mercedem* suam & *opera pretium.* Assequitur enim fines quos intendit, qui operi & *labori*, si sic loqui fas est, æquivalent. Nihil enim frustra facit. certus est de *operis* sui fructu & effectu. Veruntamen etsi hic sensus, quo *merces* & *opera pretium* passive sumuntur pro *mercede* & *opera pretio* quod quis *accipit*, in Deum vere convenire potest: nullus tamen dubito, quin Vates *active* accipi velit, (ut Hebræi loquuntur, שכר פועל) pro *mercede* quam quis *alii* dat, *mercenario* videlicet *libero*, quæ eadem *merces* Hebræis dicitur פעלה *opera pretium.* Ratio mihi est ex loco Apoc. XI. 18. ubi ad *clangorem* Tubicinii *Septimi* tempus dicitur venisse quo Deus *judicet mortuos & det* MERCEDEM SERVIS *suis Prophetis, & sanctis & nominis ipsius reverentibus; & perdat vastatores terræ.* Phrasis etiam in se spectata id probabile facit. Rectius enim longe *Deus Jehova* qui hic loquens introducitur, dicitur persolvere *mercedem* aliis quam sibi. Merces *Ministrorum* Dei, est *apud Deum* [h]. Et quod additur, *mercedem* esse CUM IPSO, & *opera pretium* ejus CORAM FACIE EJUS, nostro sensui optime respondet. Notat utique, Deum veluti *in manibus habere* & *præ se ferre* non tam *mercedem operis* adhuc *peragendi*, quam *peracti*, quam persoluturus sit bene merentibus. *Affixa* autem vocum שכר & פעולה *merces* EJUS, *opera pretium* EJUS, tam *activam* quam *passivam* sustinere expositionem, (quod Kimchius hic variis exemplis confirmat,) non opus habet ulla probatione. Obtinet locutio aliis quoque Linguis nobis notis. Ecqua vero hæc *merces*, hoc *opera pretium?* Respondeo uno verbo, intelligi *omnia Promissa Gratiæ* olim facta dataque Ecclesiæ, quæ huc usque fecerant objectum *spei* piorum. Ubi Deus *solvit*, quod

Ecce merces ejus cum ipso &c. Sensus sententiæ.

Locus analogus Cap. LXII. 11. Deus quo sensu *possit* dici queat recipere opera pretium.

Hic tam rectius *active* accipitur.

Locus Apoc. XI. 18.

Quo sensu *merces* & *opera pretii* dicantur esse *cum Deo* & *apud Deum.*

Quid hic nomine *operæ pretii* intelligendum sit?

Relativum in vocula לו optime refertur ad *Robustum* illum de quo facta erat mentio.

Exceptio ex usu vocis משל cum ב, diluitur.

Sensus sententiæ Prophetæ secundum hanc versionem.

[a] Joh. XIV. 30. [b] Rom. XVI. 10. [c] Jer. XXXIII. 26. [d] Act. XIX. 15. [e] Luc. X. 17. 18. [f] Cap. XII. 31. [g] Ps. VIII. 3. [h] Cap. XLIX. 4.

Distinctius declaratur.

quod ex pacto & liberali promisso *debet*: dicitur suis dare *mercedem* & *opera pretium*. *Debet* autem quod promisit. Dominus Jesus explicat rem totam in parabola de *Vinea* [a]. Deus promiserat Ecclesiæ inter alia *Benedictionem Gentium*; Lucem clarioris Notitiæ viarum Dei; *Salutem perfectam*; Sanctificationem Nominis sui per totum Orbem, cum *destructione Imperii Satanæ*; Hæreditatem Mundi, & Regnum diffusum per omnes Populos. quæ bona cum similibus aliis à piis pressis jugo Legis Mosaicæ & alioquin inter scandala, afflictiones & calamitates magna penuria gratiæ laborantibus patienter in *fide* & *spe exspectabantur* ut *merces* & *opera pretium* illius suæ laboriosæ ac molestæ militiæ. Hanc Deus ostendit se nunc habere *in promptu*. omnibus *credentibus* ostendit *magnam salutem* à Filio suo *partam* cum implemento omnium promissorum gratiæ. Et tamen nullus dubito quin hoc generali sensu involvatur particularis, certissime respiciendus in allegato *Apocalypseos* loco. Deus dicitur in emphasi *mercedem* & *opera pretium* dare *suis*, ubi ποιεῖ τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν, *vindicias agit electorum* [b]. ubi, inquam, eos *vindicat* adversus *Satanam* ejusque *Ministros*, & populo suo præstat λύτρωσιν *redemptionem* καὶ σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν αὐτῶν *salutem ab hostibus suis* [c] cum hostium interitu. Jeremiæ verba hic sunt insignia, quippe in eodem versati argumento [d]: *Quia Jehova Jacobum* REDEMIT, *eumque vindicavit* (גאל) *ex manu* EJUS *qui se* FORTIOR EST. Estne alius ac *Satanas*, eodem hoc loco sic dictus? quæ Jeremiæ verba Zacharias in *Cantico* suo præcipue in oculis habuit. Certe Satanas spectandus est in omni *potestate* quæ se opponit & effert adversus Ecclesiam. Quare vero Deus *jus Ecclesiæ* exequendo ei dare dicitur *mercedem* & *opera pretium*? Nimirum quia id Ecclesiæ maxime *debet*; & Ecclesia id maxime ab ipso *exspectat* in *afflictionibus* quibus ab hostibus angitur & premitur cum gravissima lucta *fidei* & *spei* suæ.

Quænam bona cognata Regni Dei Credentes olim maxime exspectarent?

Specialis hic respectus est *Vindictæ* de Adversariis Dei & Ecclesiæ sumendæ.

Locus Jer. xxxi. 10.

ver. 11. *Ut Pastor gregem suum pascet, &c.*

Nexus orationis demonstratur.

ver. 11. *Ut Pastor gregem suum pascet.*] Estne qui hic dubitet de nexu orationis Prophetæ? An non vides, *severitati*, justitiæ, potentiæ, qua Dominus uteretur erga hostes suos in redemptione & vindiciis quas Ecclesiæ suæ præstaret, & in destructione omnis *potestatis adversariæ* quæ se Ecclesiæ opponeret; imo vero *severitati* quoque qua tractaverat Ecclesiam sub Oeconomia Vetere; contradistingui *clementiam*, *æquitatem*, *bonitatem*, & *indulgentiam* singularem qua Populum suum administraret sub Oeconomia Nova? Cura Dei erga Ecclesiam omnis ævi & temporis est *Pastoralis*. Amat Ecclesiam ut *suam*, sive ut *peculium suum*. PROCURAT electis & vocatis ad suam communionem, qui *Populum* Dei faciunt, omnia ad vitam & pietatem necessaria. Nulla iis deesse patitur media salutis. DUCIT illos *Spiritu*, *Providentia* & *Verbo* consilioque suo, (h. e. Pedo suo Pastorali,) in loca ipsis commodissima, statumque eorum ad summam utilitatem illorum circumscribit; *sustinet* ac DEFENDIT illos adversus hostes spirituales Leonum & Luporum instar Ecclesiæ insidiantes; CURAT singulos & non promiscue, sed nominatim omnes qui Ecclesiam faciunt, pro cujusque statu; studet Ecclesiæ suæ amplificationi atque incremento: hos vero actus erga Ecclesiam electorum exercet ex puro ac tenero amore, & summa administrat *indulgentia*, qui characteres *Pastorem* verum à mercenario facile discernunt. *Ecclesia* itaque omnium temporum exhibet aspectum *Gregis*: quod sit Populus, α. A Mundo secretus. β. à Deo comparatus & acquisitus. γ. Peculiare objectum amoris, curæ, ac procurationis Divinæ. δ. Ut ab altera parte est objectum odii & invidiæ Satanæ & Mundi, iis insidiantis. ε. Adversus quæ ipse ut Populus *imbellis*, *inermis*, mansuetus, unice pendens à cura ac protectione Dei, se defendere imparatus est. Quare Sancti antiqui temporis *Deum* ut *Regem* suum indulgentem, providum, clementem, (ut sane Reges Gentium olim dicti sunt *Pastores*,) respexerunt ut *Pastorem* [e]. Veruntamen Prophetæ prædixerant, venturum esse tempus quo *Deus* regimen Ecclesiæ suæ suscepturus se singulari & clariore modo demonstraret *Pastorem Ecclesiæ*. quas prophetias Dominus docuit in se atque in Oeconomia Nova ab ipso fundata & fundanda implementum fortitas esse. Dictum ejus [f]: Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός· *Ego sum* PASTOR *ille* BONUS. h. e. Ille *Pastor* de quo Jesaias in hoc loco, Michas [g], Jeremias [h], Ezechiel [i], Zacharias [k], diserte vaticinati sunt. Rationes sunt, α. Quia verus hic & bonus Pastor Ecclesiæ *vitam poneret pro ovibus*, & peculium suo sibi pararet sanguine. β. Genus Pasturæ excellentius ac nobilius esset, quippe *pastura* esset *animarum*, sive hominum quod ad *partem* sui *spiritualem*. γ. Cura, charitas, indulgentia erga Gregem ut peculium magno pretio emptum, & *charactere Sp. S. signatum*, longe hic esset major & efficacior. quæ jam caussa est, quare Scriptores N. T. de Ecclesia loquentes sibi maxime in hoc emblemate placeant, quippe soliti Ecclesiam appellare *Gregem*; administros ejus *Pastores*; Dominum ipsum *Pastorum Principem*. de quo nunc ut in vulgato argumento plura non adscribo.

Beneficium ipsum, sive Cura Dei Pastoralis erga suos exponitur.

Analogia *Ecclesiæ* & *Gregis*.

Appellatio metaphorica antiqui usus.

Et tamen hoc schema præcipue aptatur Regno Filii Dei.

Loca Propheratum à Christo D. ad se applicata.

Rationes peculiaris usus hujus Emblematis.

Brachio suo colliget agnos & sinu suo portabit.] Nihil difficile habet sententia. Vocis טלא significatio illustrata est à Cl. Bocharto [l]. Notat *agnum subrumum*, *agniculum tenellum*, adhuc pendentem ab uberibus matris. Phrasis, *in sinu portare*, idem valet quod *brachiis* apprehensos ad *latus portare*; ut facile colligis ex Num. XI. 12. & ex Propheta nostro, Cap. LX. 12. LXVI. 12. Est autem indicium summæ curæ & indulgentiæ erga *pecudem*, si *Pastor* hunc in modum instituat. Sensus mysticus est, Christum Jesum *tenellos credentium*, infantes in Christo, ἀρτιγέννητα βρέφη, qui opus habent *lacte* foveri & leniter tractari, sic esse sustenturum sua gratia, potentia ac providentia, ut incommoda exteriora Status Christianismi commode sint laturi & facile superaturi. *Agni* hic non simpliciter notant *innocentes*, ut Grotius hic adscripsit. Equidem sic appellari possunt, ubi vox, sensu mystico, ἁπλῶς *absolute* usurpatur, ut Cap. XI. 6. LXV. 25. Sed notio hic manifeste sumitur *comparate* cum respectu ad differentiam statuum *ovium*, quarum aliquæ sunt robustiores & confirmatæ ætatis, annum supergressæ: aliæ debiliores, teneriores & tenellæ, ut *Agni* & *agniculi subrumi*. qui itaque mystice designant credentes in Christum, in quibus habitus vitæ spiritualis, ut fidei, scientiæ, sapientiæ, fortitudinis, sanctimoniæ, teneriore ac debiliore modo insunt, & usu atque exercitatione nondum probe confirmati; qui tamen à Christo Jesu summo Pastore suscepti ita curarentur, & à gratia ac potentia ejus sustinerentur, ut statum Christianismi commode tuerentur Christo Jesu per veram fidem arcte adhærentes, ejusque curæ & gratiæ se totos committentes. Opus ipsum ab Apostolo dicitur [m], ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων, *subvenire infirmis*.

Brachio suo colliget Agnos &c. Usus vocis טלא stylo S. Scripturæ.

Sensus sententiæ ex mente Prophetæ.

Animadversio in expositionem Grotianam.

Vox hic *comparate* sumenda est.

Quales credentes mystice hic dicantur *Agni*?

Lactantes leniter ducet.] Heb. עלות ינהל Hieronymus: *Fœtas ipse portabit*. Non per omnia recte. ינהל est *leniter*, commode, placide, ducet. De sensu vocis עלות major videri posset esse dubitandi ratio: sed Intt. pars consentit, & inprimis Cl. Bochartus docuit [n] probavitque, rectius verti per *lactantes* quam per *gravidas*, ex loco 1 Sam. VI. 7. & locis analogis aliis in quibus usus est hujus vocis. Nec tamen Hieronymus male per *fœtas* reddidit, cum ea notio Latinis tam de *lactantibus* quam de *gravidis* usurpetur, quod idem Vir Doctissimus curæ habuit adstruere [o]. Intelliguntur Doctores Evangelii, patres & *matres fœtuum spiritualium* [p], iisque præbentes τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα *lac rationale* [q] (h. e. spirituale,) *sincerum* Evangelii Chri-

Fœtas leniter ducet. Versio Hieronymi.

Quid vox עלות significet?

Versio Hieron. vocem עלות per *fœtas* reddentis, est absque vitio.

Quinam hic mystice intelligantur

---

a Matth. XX. 1. seqq. b Luc XVIII. 7. c Luc. I. 71. d Cap. XXXI. 10. e Ps. LXXX. 1. Confer Ps. XXVIII. 9. LXXIV. 1. f Joh. X. 11. g Mich. V. 3. VII. 23. h Jer. XXIII. 1. seqq. i Ezech. XXXIV. 23. seqq. k Zach. XI. 7. l Hieroz. Part. 1. Lib. II. Cap. XLIII. m Act. XX. 35. n Hieroz. P. 1. L. II. C. XXX. o l. c. p Gal. IV. 19. q 1 Pet. II. 2.

per Ovis fortes? Integræ sententiæ sensus.

Christi, inter varios labores, curas, solicitudines. His Christus Dominus magnus Pastor in omni *infirmitate sua* sic *subveniret*, sua singulari cura & providentia, ut in ipso illo statu neutiquam deficerent, sed operi, labori, molestiis, caussa Evangelii sustinendis sufficerent, continuis experimentis suæ gratiæ, curæ ac providentiæ peculiaris corroborati, ut in omni *infirmitate sua* se sentirent *fortes* [a], quod Apostolus de se profitetur. Hæc vero ipsa sunt experimenta singularis gratiæ, providentiæ, curæ, tenerrimi amoris, quibus gavisa est prima Ecclesia credentium: imo, quod verissime dico, omnis Ecclesia credentium, ejusque vera membra, in omni suo statu. Providentia Dei & Christi gratiosa iis nunquam deest, ne in ipsis quidem afflictionibus & persecutionibus publicis aut privatis. συμπαθεῖ ταῖς ἀσθενείαις αὐτῶν *commiseratione ducitur*, non verbali sed reali, *infirmitatum ipsorum* [b]: modo ipsius se committant curæ, & tenaciter ei adhæreant.

Implementum dicti in Ecclesia primi temporis.

PARS ALTERA hujus Sermonis, complexa CONCIONEM DOCTRINALEM &c *Elenchticam*.

Membrum Primum, quo *Modus Regni* Dei in Mundo fundandi ac promovendi & *Justitiæ* secundum Verbum Evangelii obtinendæ, adversus *Prudentiam carnalem* defenditur.

Pars Altera sive Elenctica hujus Concionis.

℣. 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas? &* COELOS SPITHAMA MENSURATOS IN JUSTUM ORDINEM COMPOSUIT? *& mensus est trientali pulverem terræ? & ponderavit statera montes, & colles bilancibus?* ℣. 13. *Quis* DIREXIT SPIRITUM JEHOVÆ? *quisve* ut *Vir a consiliis ejus eum doctiorem fecit?* ℣. 14. *Cum quo consilium iniit, ut ipsum instruxerit? docueritque ipsum viam judicii; docueritque illum scientiam, & viam* EXCELLENTIS SCIENTIÆ *ei notam fecerit?* ℣. 15. *Ecce Gentes sunt ut gutta de situla; æstimanturque ut pulviseulus bilancium:* EN INSULÆ *sunt ut minutum quid quod avolat.*] ℣. 16. *Et* LIBANUS NON SUFFICIT AD PYRAM; *atque animalia ejus non sufficiunt ad holocaustum.* ℣. 17. *Omnes Gentes sunt ut nihilum coram ipso: minus nihilo & inani apud ipsum reputantur.*] Oratio est altisona & insignis, celebrans Divinam majestatem, altitudinem, & præcipue *sapientiam:* quam superiori cohærere eique respondere, nemo dubitat. Quæritur, quomodo? Cum enim in superioribus facta esset mentio *Liberationis* ac *Salutis* per Deum præsentem inter homines Populo suo procurandæ; Regni ejus fundandi in Mundo; & quidem Regni *spiritualis*; medio Verbi *Evangelii*, cum abolitione Oeconomiæ carnalis ac destructione Regni Satanæ, quando ipse magnus Pastor curam Ecclesiæ suæ susciperet, eamque Verbo, Spiritu, Potentia & Providentia administraret, sustineret, defenderet: quid huc facit prædicatio magnifica *ingenii, judicii,* & *prudentiæ* Divinæ, (eò enim refertur oratio, non ad *potentiam Divinam* celebrandam, ut plures Intt. qui nexum orationis Prophetæ non perceperunt:) qualis hic à Vate instituitur? Id vero mihi est luculenter declarandum, quippe quod toti orationi lucem fœnerabitur. Propheta, raptus in ecstasin, postquam descripsisset *initia & naturam* Oeconomiæ Novæ à Filio Dei fundandæ: videt, multos fore homines *prudentia carnali* instructos, qui ad rationes Consilii hujus Divini hærerent ac stuperent. pios etiam ipsos, qui considerarent Imperii Satanæ in Mundo amplitudinem ac firmitatem; præjudicia tenacia quibus obsitæ erat Gentes; vim *idololatriæ* per Orbem regnantis; de *effectu & successu* optato Regni Messiæ timide cogitaturos & præsumpturos esse. Utique enim paradoxa res est, fundari *Regnum spirituale*, abolita Oeconomia externa & carnali, promovendum per *Præcones*, à gratia quidem Spiritus S. affectos & animatos, sed absque mediis & subsidiis externis, per solum *Verbum Evangelii* quo commendaretur *Justitia Christi Jesu* per *fidem* acceptanda ut unicum medium salutis. Quam enim præter & contra exspectationem erat, *hoc medio* debellandum esse Satanam; ejus in Mundo destruendum esse Regnum; exterminandam esse idololatriam? Ergo cum id prævideret ac præsentiret Propheta: his cogitationibus occurrit, docens, primo, Divinum hoc Consilium, licet judicio carnali videretur paradoxum, fundatum esse in summa & perfectissima Dei scientia & prudentia cujus indicia & argumenta omnibus obversantur in structura hujus Universi. esse Deum hominibus sapientiorem. consilium ejus rite deliberatum esse. ad sapientiam, prudentiam & gloriam ejus pertinere, ut *Regnum suum* in Mundo *hoc modo* potius fundet & promoveat quàm alio, ut pudefaciat *sapientiam carnalem* omnem tam Judæorum quam Gentium: *esse* enim *stultitiam* Dei, quæ sic videtur carnalibus, *hominibus sapientiorem*; & *infirmitatem Dei hominibus validiorem:* (ut Apostolus cujus integra oratio in *priore ad Corinthios* paraphrasin continet hujus Pericopæ [c]:) nosse itaque illum, hunc *modum* Regni sui fundandi & promovendi certum præstiturum effectum; & nolle *Justitiam* aliam atque eam quæ Verbo Evangelii commendaretur. hoc Verbum, hanc fidem *victuram esse, Mundum*, & *eversuram* idololatriam. Hæc summa est sententiæ, hic nexus orationis. De *prudentia* Consilii hujus Divini differit Propheta his verbis quæ descripsi: de *idololatria*, ejusque inanitate, à ℣. 18. usque ad ℣. 27. Et hæc quidem *pericopa* nostra duo pertractat affinia. Primo laudat *prudentiam Dei* in constituendo *statu Regni sui*, quale Vates id in superioribus descripserat, ℣. 12--14. Deinde speciatim *Justitiam* peccatoris Evangelio commendandam, (in qua Regnum Filii Dei fundaretur,) *comparate & oppositè* ad *Justitiam* qualemcunque aliam Judæorum & Gentium, tanquam quæ in Judicio Divino nihili reputaretur. ℣. 15--17. Persequar orationem emphaticam per partes, & ad scopum, quem ostendi, referam.

Analysis totius hujus Partis Elenticæ.

℣. 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas?*] Verba sunt Prophetæ, defendentis *Oeconomiam* Regni Messiæ, & *Justitiam* quæ in ea valeret contra omnes rationes prudentiæ carnalis ab ingenio & Judicio Divino excogitatam probatamque. Estne igitur qui eam damnet ac fastidiat? estne ὀλιγόψυχος, qui metuat, ne præstet præclara illa beneficia quæ sub Regno Messiæ exspectabantur, *destructionem Regni Satanæ, extirpationem idololatriæ; conversionem Gentium, & hæreditatem Mundi:* cogitet, Deum esse qui hanc Oeconomiam & rationem modumque *Justificandi peccatoris* excogitarit ad gloriam suam; *Spiritum Dei* qui eam conceperit; quique in *Oeconomia Mundi* hujus *spiritualis* idem ingenium, eandemque *Judicii* ac *sapientiæ* perfectionem demonstraverit, quam omnibus mortalibus sensu præditis in admirabili structura hujus Universi, quam nemo absque stupore contemplatur. Idem est ingenium: eadem perfectio judicii. imo in hoc Opere Gratiæ tanto major, quanto spiritualia sapientiam Dei qui Spiritus est, perfectius reddunt. Propositio hujus membri æque ac sequentium duo involvit. α. Deum pugillo suo mensum esse aquas. β. Solum id fecisse; neminem præter ipsum facere potuisse. quod in sequentibus quoque observandum. Valet itaque, *Quis præter solum Deum?* h. e. *præter Deum nemo.* Opus ipsum id evincit. dicitur illud, *metiri pugno aquas*; idque supponitur à Deo factum in prima hujus Universi productione. Genus locutionis, quod hyperbolen sapit, formatum est ad ingenia Populorum Orientalium, altos sibi in loquendo aptantium cothurnos: in quo nihil vitii est, si hyperbolæ non sint sensu inanes. Nostra certe non est ejus generis. De Deo enim nihil tam ample aut magnifice dici & cogitari potest, ut censeri debeat vel jure queat ὑπερβολικόν. Omnis oratio infra ejus majestatem subsidit. Per *aquas* licet hic intelligere *inferiores & terrestres*; etsi alicui in mentem venire posset *superiores*, (vapores nubibus in-

Verba ℣. 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas?*

Deus in ordinanda Oeconomia salutis idem ingenium judicium demonstravit, quod constituendo ordine hujus Universi.

Supposita hujus Propositionis.

Vis ejus.

Hyperbole in phrasi.

Per *aquas* an hic *superiores*, nu *inferiores*,

cla-

Summa hujus Pericopæ. Cohærentia ejus cum *superiore*.

Quæ investigatur.

Paradoxum ad speciem in hac Oratione.

Nexus declaratur.

Spiritualitas Regni Christi, & Modus hujus Regni promovendi, vindicantur adversus ratiocinia Carnis.

[a] 2 Cor. xii. 10. [b] Heb. iv. 15. [c] 1 Cor. i. 22. seqq.

cluſos, ſic dictos ſtylo Scripturæ S. [a]) hic ſimul ſubaudire. Utique videri poſſet illi ſententiæ favere locus huic noſtro maxime parallelus, Prov. xxx. 4. *Quis aſcendit in cœlos & deſcendit? quis ventum pugno ſuo collegit?* מי צרר מים בשמלה *quis colligavit* AQUAS *veſte?* h. e. eas concluſit nubibus, quibus inſtar amictus circumdentur. Verum quia hic mentio eſt *dimenſionis aquarum*, quæ fit per volam vel *vas*, aptum recipere *liquorem*; & mox mentio fit cœlorum: rectius hic intelligimus *inferiores* ſive terreſtres, maribus, fluviis, foſſis, contentas. Incertior vere eſt genuina ſignificatio vocis שעל quam Interpretes communiter per *pugnum*, *pugillum*, exponunt. Sic Hieronymus & inter Hebræos, D. Kimchi. Interpres Alex. ſimpliciter reddit χεῖρα *manum*; Aquila λιχανὸν *digitum indicem*, monente Hieronymo; & Jarchius vult eſſe *ſpeciem vaſis*. Nobis verius viderur, notare *cavum* ſive *volam* manus quodammodo in *pugnum* contractæ, ut liquoris aut aridi tenendi capax ſit, quippe quæ ſignificatio optime convenit locis 1 Reg. xx. 10. & Ezech. XIII. 19. in quibus præter hunc noſtrum uſus eſt vocis. Belgis dicitur, *ſchaal*, ejuſdem enunciationis nomine. Notari enim hic non *vas* qualecunque minus *concavum*, ſed ipſius corporis partem, inde liquet quod ſcribatur, כשעלו *pugno ſuo*. Duo ſignificantur, α. *Aquas* quæ in hoc telluris globo cavernis & voraginibus ejus tenentur, reſpectu habito ad magnitudinem Dei & excellentiam potentiæ ejus, eſſe quid *exiguum* quod manus ſuæ vola in pugnum contracta Orbi ſit admenſus. β. *Aquas* illas, cum hoc Univerſum inſtrueretur, à Deo productas eſſe ea *proportione* cum reſpectu ad ſtatum & neceſſitatem hujus telluris, ut *menſura* earum ſcopo ad quem productæ ſunt, exacte reſponderit, quippe conſilio Divino ſapienter librata. quod vere dixit auctor cætera non multa laude dignus, *Libri Sapientiæ*, famoſa ſententia à Veteribus ſæpe celebrata [b]: Ἀλλὰ πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας· *Sed omnia menſura, & numero, & pondere, diſpoſuiſti.* Verus auctor Sapientiæ ait [c]: *Jehova in ſapientia fundavit terram: paravit cœlos intelligentia.* Nihil igitur plus aquæ in hoc Orbe eſt; nihil minus; imo nihil plus vel minus in Univerſo, quam Deus intellexit ſapienti ac perfecto judicio ſuo ad ſtatum ejus ſuſtinendum neceſſarium fuiſſe. Menſus eas eſt pugillo. γ. Deum cuique loco & regioni Orbis terrarum *aquas* pro ejus neceſſitate ſapienter *admenſum eſſe*. Sic Vir ſapiens in Libro Jobi [d]: מים תכן במדה *Aquas libravit ad menſuram.* ut *ventos* ad *pondus*, quod ibidem dicitur. Sic ſe res habet, eſtque hæc ſapientia Divina in ordinando Univerſi ſtatu plane mirabilis.

Et cœlos ſpithama menſuratos in juſtum ordinem compoſuit.] Sic exiſtimavi genuinum ſenſum & vim ſententiæ à me vere exhiberi. Subeſt enim voci תכן quæ proprie valet, *librare*, gemina ſignificatio. Cum enim *ſpithamæ* ſit non *librare*, ſed *menſurare*: utrumque vult dicere Propheta; videlicet, Cœlos ſpithama menſuratos, eſſe libratos. *Cœli* nobis obverſantur ut vaſtum aliquod *expanſum* (רקיע) corporis fluidiſſimi ejuſque tenuiſſimi, cujus extrema ipſa cogitatione difficulter aſſequimur, in quo magna quædam *Corpora* luminarium, ſive verorum, ſive apparentium, vel certo ſitu & poſitu ſtatum ſuum tueri videmus; vel certis legibus & ordine vagari & circumagi: ne nunc de atmoſphæra Cœli inferioris, meteororum ſede, ejuſque phænomenis meminerim. Sic Propheta ℣. 22. *Qui cœlos expandit ut tenue.* Erga hos vero *cœlos* duplex ait fuiſſe opus Dei in creatione rerum, *ſummi ingenii* ac *judicii*, α. Etiamſi *cœli* nobis obverſentur ut corpus vagum & fere immenſum, cujus limites plane videantur incerti & vix cogitatione inveſtigandi: Deum tamen hoc vaſtum & longiſſime extentum corpus ingenio ſuo complecti & ad modulum ac menſuram exegiſſe; nec majus feciſſe nec minus quam Univerſi hujus ordo & συμμετρία exigebat. β. Corpora cœleſtia per ætherem diffuſa, quæ ſuum in cœlis ſtatum & ordinem accurate tuentur, eo numero locaſſe in expanſo; eo diſpoſuiſſe ordine, & inter ſe σχέσει ac proportione, ut univerſa illa διάθεσις *diſpoſitio* cenſeri debeat ſummo judicio *librata*. Diſtantia planetarum à Sole; & horum à ſe invicem, & à tellure, (quam inter eos cenſemus,) non eſt quid caſuale, fortuitum, tumultuarium: ſed certum, definitum, & accurate atque ad amuſſim libratum, ut Leges Naturæ à ſummo Rectore fixæ aliam non admiſerint, & ipſa hæc diſpoſitio cœlorum tum ad Univerſi conſervationem neceſſaria ſit; tum ad ornatum atque elegantiam cœlorum plurimum conferat. Atqui hoc Opus utrumque tanti ingenii, tanti judicii eſt, ut abſurdum ſit ulli rei creatæ aut finitæ tantam tribuere mentis capacitatem, tanti vim ac perfectionem judicii, ut huic operi ſufficiat. Unde Vates, QUIS SPITHAMA *libravit* ſive *aptavit cœlos?* Nemo utique præter illum ſolum. Intellige per *ſpithamam* canonem & menſuram perfectiſſimi Judicii, quæ eſt perfecta *Ratio* ſummæ *Potentiæ* juncta, quæ in nullo Ente eſt quam in Deo. Hæc eſt confeſſio omnium Gentium quam rudibus etiam & barbaris ad Opus naturæ & cœlorum attendentibus exprimit conſcientia, à cujus teſtimonio fides hic non differt. Sic Jeremias [e]: *Qui fecit terram potentia ſua: diſponit orbem habitabilem ſapientia ſua*, ובתבונתו נטה שמים *&* INTELLIGENTIA SUA EXTENDIT COELOS. Sancti inde referunt ad SPIRITUM DEI, ut mox ℣. 13. Eſt enim Spiritus Dei ea Divinitatis ὑπόστασις quæ omni operi Dei dat motum, ordinem, vitam atque ornatum. Sic Jobus [f]: SPIRITU SUO *pulchros fecit cœlos.* ἐκόσμησε, ornavit, inſtruxit. Poëta ſanctus [g]: *Verbo Jehovæ* COELI *facti ſunt, &* SPIRITU ORIS *ejus omnis exercitus* ILLORUM. Aſtra intellige omnis generis. In *Spiritu Dei* eſt intelligentia perfectiſſima. Inde *cœli* myſtice dicuntur *Opus* DIGITORUM DEI [h]. *Digiti Dei* myſtice notant *Spiritum Dei* qui omne opus Dei ornat ac perficit; metaphora deſumpta ab artibus manuariis, & imprimis *acupictura* & *textura*, in quibus *digitorum* præcipuus uſus eſt. Solebant autem olim committi feminis ingenio, dexteritate, arte excellentibus.

Et menſus eſt triente pulverem terræ.] Hebræa ſunt: וכל בשליש עפר הארץ Hieron. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Non ſane, ut opinor, feliciter. Vocem כל licet reddere, *complexus eſt*, ſed ſubintelliges, *menſurando.* qui enim liquida aut arida metitur, *& menſuram* iis implet; eadem menſura complectitur & comprehendit. Sed ne dubius ſit ſenſus, malui cum Cl. Coccejo vertere, *menſus eſt.* De eo enim hic vere agitur. Græcus quoque Int. hic repeti vult illud, ἐμέτρησε. Utique (quod hic ad rem facit obſervaſſe,) notio כול apud Chaldæos ſignificat *metiri*, *menſurare.* Conſequens eſt ut vocem שליש hic accipiam pro nomine *menſuræ*, ſive aridorum, ſive liquidorum, quo ſenſu ſumitur Pſ. LXXX. 6. quo uno in loco præter hunc noſtrum reperitur. Verba ſunt: *Potaſti illos* (afflictos populi tui,) *lacrimis* è *trientali.* ut locus vulgo vertitur. Hebræi Aben-Ezra & Kimchius *menſuræ majoris genus* hic denotari ſtatuunt: ſed *ſpeciem* definiri non poſſe. Sic quoque Chaldæus hoc loco: מכילא *menſura.* Vox valet *triens*, vel *triental.* An forte *triens Bathi* vel *Ephæ?* Non putem. Nimis hæc magna *menſura* eſſet quam ut commode inſervire poſſit *potationi:* quod tamen in loco allegato ſupponitur. Hieronymi meditatio de *tribus digitis* non commendat ſe magna ſpecie. Notio כל non notat *appendit*, ſed *menſuravit*, ut jam dictum, quando *trium digitorum* nullus eſt uſus. Sed fac, notionem *appendendi* involvi amplitudine ſignificationis hujus vocis: nec שליש, ut *punctatur* à Maſorethis, idem valet quod שָׁלֹשׁ *tres:* nec שָׁלִשׁ *tres*, notat *tres digitos*; nec non quæſitum quid ineſſe vide-

rutæ certi limites.

Corpora majora cœleſtia in eo diſpoſita ſunt inſigni ordine atque Œconomia.

Effectum hoc demonſtratur ut *Divinum.*

Loca analoga.

Quare ſpeciatim referatur ad *Spiritum S.*?

Et menſus eſt triente pulverem terræ.

Verſio Hieron. Vitium ejus.

Vox כל hic vertenda, *Et menſus eſt.*

Vox שליש hic ſumenda ſignificatione *menſuræ.*

Dubium, cujus ſpeciei.

Hieronymi ſententia de voce שליש non probatur.

a Gen. 1. 6. Pſ. CXLVIII. 4. b Cap. XI. 20. c Prov. III. 19. d Cap. XXVIII. 25. e Jer. X. 12. f Job. XXVI. 13. g Pſ. XXXIII. 6. h Pſ. VIII. 4.

Sententia Prophetæ declarata. Quid in ea sit *triental*?

tur in ipsa phrasi: ut adeo non discedam ab ea quam exhibui interpretatione. Sententia ipsa significat, *pulverem*, sive *terrestrem materiam* hujus Universi, quæ in minutos pulviſculos soluta, nobis ut ἄπειρόν τι *infinitum quid* obversatur & vagum, prudenti Dei judicio ea proportione & mensura ei ordinatam dispertitamque esse acsi *trientali* mensurata definitaque esset. Cum enim Globus hic *terraqueus* in aridum & liquidum divisus sit: Deum accuratissima ratione utriusque modum ac mensuram siniviſse; quod ab alio ingenio & judicio ac Divino exspectari & effici non poterat. Est itaque *triental* hic ipsum Dei judicium, cuique rei pro sua necessitate ac utilitate admetiens modum ac mensuram. Vir Sapiens hoc sensu Deum ait per *Sapientiam quæ apud se erat* produxisse ראש עפרות תבל *summam pulverum Orbis habitabilis* [a]; *& descripsisse circulum adversus superficiem abyssi* [b]. terræ suam aptasse mensuram, aquis undique circumfusæ. Non latuit Gentiles hoc attributum Divinæ Naturæ, extantque ab aliis jam collecta testimonia & emblemata hujus argumenti. Et tamen nihil in hoc genere dici potuit pulchrius & ἐνεργητικώτερον eo quod Pindarus exhibet in oratione Centauri ad Apollinem [c]: Κύριον ὃς πάντων τέλος ἴσθα, καὶ πάσας κελεύθους, ὁσσά τε χθὼν ἠρινὰ φύλ' ἀναπέμπει χώποσαι ἐν θαλάσσᾳ καὶ ποταμοῖς ψάμαθοι Κύμασι βιπαῖς τ' ἀνέμων κλονέονται χῶ, τι μέλλει, χώπόθεν ἔσσεται, ἔυ καθορᾷς· *Certum qui omnium exitum nosti, & omnes vias, quotque tellus verna folia emittat,* QUOTQUE *in mari & fluviis* ARENÆ FLUCTIBUS IMPETUQUE VENTORUM VOLVANTUR, *Quique quod futurum est, & unde futurum sit,* BENE PERSPICIS. Laudavit alibi dictum suo loco [d] Cl. Coccejus.

Loca analoga.

Pindari elegans sententia.

Et Montes appendit statera, &c. De *Montibus* & *collibus* aliqua præmonendum.

Et montes appendit statera & colles bilancibus.] Quam vetusta & speciosa sententia! Distincta est superficies hujus telluris *montibus* & *collibus*, tum ad summam ejus utilitatem, (quippe ex quibus in regionibus inprimis æstui solis expositis magni percipiuntur usus; quique insuper ad certum genus frugum producendum aptissimi sunt; *Fluviis*, qui ex montibus & collibus origines suas trahunt, generandis serviunt; *animantibus* varii generis, in quibus producendis mirabilis Dei sapientia lusit, domicilium præbent [e]; & terras regionesque Orbis terrarum ab invicem distinguunt, circumscribunt & muniunt:) tum quoque ad ornatum. ut sane longissime absimus à paradoxa Viri Doctissimi sententia [f], qui terræ planam & æquam in primo ortu suo fingens superficiem, montium colliumque & inæqualitatum telluris origines rudera voluit esse & fragmenta Corticis terræ æqualis in Diluvio perrupti. Absurda est hypothesis undecunque inspiciatur; falsis nititur principiis; & certæ claræque traditioni sacræ de specie telluris è chao emergentis contraria [g]. Varietas hæc & distinctio *montium* & *collium*, cum frugiferis vallibus illis subjectis, & fluviis rivisque ex iis prorumpentibus aut defluentibus, ut oculis jucundum præbet spectaculum; sic telluri ad illos quos ostendi, usus plane fuit necessaria. Quos cum observent per tellurem hanc diffusos esse admirabili quadam prudentia, suis locis ordinatos, regionum terrarumque limites & munimenta: non mirantur tantum has magnas moles ut opera infinitæ potentiæ; verum etiam docti spectatores Naturæ rerum ut effecta perfectissimi judicii, easdem suis locis secundum accuratissimas rationes providentiæ suæ disponentis, majores minores, prout Sapientia summe perfecta arbitrata est & intellexit commoditati & usui telluris maxime convenire; veluti *appensæ statera & bilancibus* terræ huic dispertitæ essent. imo sane *appensæ statera & bilancibus*, quæ hic rursus symbolum sustinent sapientissimi & æquissimi Judicii Conditoris & Rectoris hujus Universi. Pertinet huc dictum Prophetæ [h]: *Qui disposuit Orbem habitabilem* בחכמתו *sapientia sua.*

Hypothesis Viri Docti, quæ plane improbatur.

Sententia hujus loci.

℣. 13. *Quis direxit Spiritum Jehovæ?*] Sic mihi visus sum rectissime reddere vim sententiæ. Propheta hic rursus adhibet vocem תכן, & quidem emphasios caussa in forma *Piël*, quam jam usus fuerat *Commate* superiore. Notat ea, ut tum monebamus, *librare*, sive etiam *artificiose fabricare, dirigere, examussim disponere.* Græca, τέχνη *ars*, τεχνάομαι, τεχνάζω, τεχνόω, *machinor, adorno, struo, arte facio, solerter invenio*, inde formata videntur, ut docte Avenarius. *Dirigendi*, rectum faciendi, disponendi, notio manifeste adhæret huic voci Pſ. LXXV. 4. *Colliquefactum erat terra, & incolæ ejus:* אני תכנתי עמודיה *Ego apte disposui*, (direxi, artificiose collocavi,) *columnas ejus.* Ex meo sensu Vates hic usus est voce in omni sua latitudine & duplicem ea involvit sententiam. Si vertas, *Quis* LIBRAVIT *Spiritum Domini*; hic emerget sensus: Quis exploravit, perscrutatus est, se penetravit in interiorem sensum Spiritus Domini. Sed redde si placet, *Quis direxit*, (*aptavit*, ut Coccejus, apte disposuit:) *Spiritum Domini:* quis judicium Spiritus Domini in constituendo ordine hujus Universi, imo vero in construendo ordine omnium viarum Divinæ Providentiæ, instruxit, direxit, aptavit? Quis ordinem hujus Universi construenti & Providentiæ suæ rationes disponenti dixit, Rectius hoc quam alio modo fieri? Id enim proprie est *dirigere*, vel *instruere* judicium. Utraque significatio locum habere potest in sententia hac nostra, & utrumque respexit Apostolus eam allegando. In Epist. ad *Rom.* Cap. XI. 34. cum disseruisset de adorando Dei consilio in reprobanda majore parte Populi Judæi & Gentibus ei substituendis; & exclamasset, *O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei, & ſeqq.* subjungit hoc dictum, sequutus Versionem τῶν ὁ. in hæc verba: Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου· *Quis enim cognovit mentem Domini?* h. e. interiora Divini consilii perspexit, exploravit, libravit; suo ingenio & judicio judicii ejus profunda rimatus est? Sed ipse plus observans in hac voce in *Epist.* ad Corinthios [i] παραφραστικῶς addit, vel cum respectu ad sequens membrum, aut ℣. seqq. ubi Int. Alex. hanc vocem habet: *Quis cognovit mentem Domini*, ὃς συμβιβάσει αὐτὸν, *qui* INSTRUCTURUS SIT EUM? Sic recte hic vertitur vox συμβιβάζω. Hesychius: Συμβιβασθέντες. διδαχθέντες, διαλεχθέντες. Συμβίβασις. πεῖσις, διδαχή. Ergo tantum abest, ut Spiritui Dei in constituendo Ordine hujus Universi, & universo ordine viarum Dei, quisquam à consilio fuerit, Angelorum, nedum hominum, nondum productorum, ut ne quidem interiora consilii ejus quisquam exploraverit, libraverit aut perspexerit unquam. Sapientia enim hæc & prudentia omnem superat finiti ingenii captum. de quo consulenda est Tsopharis Naamathitæ elegans sententia, huic consentiens, ubi explicat [k], תכן אלהים *profundum Dei* à nemine perspici & cognosci mortalium; & similis *Jobi* [l], in eodem Libro. Duo tantum ad perfectiorem loci hujus intelligentiam adscribenda sunt. *a.* Per *Spiritum Jehovæ* hic recte intelligi, ut passim, tertiam hypostasin SS. Divinitatis, cujus in historia formati constitutique Universi exerta mentio fit [m]. Est enim ea in Divinitate hypostasis, quæ *judicium* Divinitatis Oeconomice administrare dicitur in disponendo omni Opere Dei & rationibus omnibus Providentiæ erga Mundum & Ecclesiam. Est enim hic ipse Spiritus, quem Apostolus cum respectu ad hunc locum exerte appellat 1 Cor. II. 10. *Spiritus enim omnia* ἐρευνᾷ PERSCRUTATUR; *etiam profunditates Dei.* & mox ℣. 11. *Neminem nosse quæ Dei sunt, nisi Spiritum Dei qui in Deo est.* Equidem Apostolus cum LXX Intt. vertit, Νοῦν Κυρίου, MENTEM DOMINI. Sed Spiritus S. est ὁ Νοῦς Κυρίου, quatenus Judicium Divinitatis administrat; ut Secunda Hypostasis, ἡ Σοφία, ὁ Λόγος. β. Quod hic dicitur, non opus esse restringere ad solum Opus Creationis & Ordinem hujus

℣. 13. *Quis direxit Spiritum Jehovæ?* Vis vocis תכן.

Aliunde illustratur.

Genuina ejus significatio in h.

Sensus

Locus Rom. XI. 34.

Ut & 1 Cor. I. 16.

Usus vocis συμβιβάζω h. l. Vis & plitudo tentiæ.

Dictum pientis Jo XI. 7. se

Per *Spiritum Jehovæ* hic recte intelligitur *Spiritus*.

Non agi hic tantum de Operi Creation

a Prov. VIII. 26. b ℣. 27. c *Pyth.* Od. IX. d Ad Job. XXVI. 6. e Pſ. L. X. LIV. 18. f Thom. Burnet. in *Theor. Tell. Sacr.* g Pſ. CIV. 8. h Jer. X. 12. i 1 Cor. II. 16. k Job. XI. 7. ſeqq. l Cap. XXVIII. 12. 21. ſeqq. m Gen. I. 2.

jus Universi: sed recte accipi in majore latitudine de omni ordine tum Operum Dei in initio rerum productorum; tum Consilii & Ordinis totius Providentiæ Dei erga Mundum & Ecclesiam; qui ordo ejusdem est *Judicii*. Vidit Paraphrastes, & latius sumpsit: etsi dubitem, an assequutus sit verum scopum Vatis. Est tamen ejus meditatio pia digna quæ adscribatur: מן תקן יח רוח קודשא נפום כל נביא הלא י *Quis direxit* SPIRITUM SANCTUM *in ore omnium Prophetarum? Nonne Dominus?*

Et consiliarius illum intelligentem fecit?] Non est dubia sententia loci. איש עצרו *Vir consilii* idem valet hic loci quod יועץ *consiliarius*, Cap. I. 26. III. 3. Simili phrasi, אנשי עצרו *homines consilii* Ps. CXIX. 24. Vox עצה constructa cum *affixo personali*, (non *reali*, ut sæpius,) notat *doctum, scientem, intelligentem facere* [a]. Recte igitur Int. Alex. Τίς ἀυτῦ σύμβουλος ἐγένετο. fere ut Apostolus ad *Romanos* [b]. Hieron. *Aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi?* Minus venuste. Putem, esse in verbis gradationem ut passim in oratione Prophetæ. Primo quærit, *Quis instruxerit Spiritum Jehovæ?* quis aptaverit? direxerit? Deinde, Quis ei *à consilio* fuerit? Sapientes & prudentes etiam Viri non spernunt aliorum consilia, non fidunt semper suis judiciis & ratiociniis. explorant diligenter, quid sit in aliorum mente & sensu. Sed Spiritus Dei, qui administrat perfectissimum Judicium Divinitatis, in constituendo Ordine Universi, & disponendis ordinandisque rationibus Providentiæ Divinæ, nullius usus est consilio; nullius uti potuit. Superant hæc captum ingenii & judicii finiti. *Nullus oculus* hæc *vidit*, secundum dictum Prophetæ alio loco [c]. Soli Deo constant rationes ordinis & finium particularium omnium rerum, in quos tamen prudentibus inquirere licet, quorumque aliquos iis scire datur. Sed summa & perfecta intelligentia nexus, ordinis & finium omnium rerum, à solo Deo explorate cognoscitur. Hominum & Angelorum quoque est magis ea admirari & stupere, quam scire. [d]

℣. 14. *Cum quo consilium iniit, ut illum intelligentiorem fecerit, docueritque ipsum viam judicii?*] Valida est asseveratio Prophetæ, retundentis omnem fastum prudentiæ carnalis; quo tota oratio tendit: quam qui ita accipiunt acsi de *Potentia Divina* ageretur, ex ipso contextu refelluntur. Et tamen plerique Interr. in hunc lapidem impingunt. Nulla hic in verbis est difficultas quod ad illorum sensum attinet. Tantum levandus est scrupulus, qui imperitis suboriri posset, acsi Propheta hac pericopa plane idem diceret, quod in superiore. Quod si tamen ita se haberet, nihil haberet vitii. Est enim in more Prophetis ac Poëtis Sacris sæpe eidem themati diutius inhærere, idque mutatis figuris dictionis amplificare atque illustrare. Ut si hæc verba & quæ proxime sequuntur tantum complecterentur declarationem & confirmationem sententiæ superioris: novi nihil fieret, nihil etiam eo decederet decori aut sapientiæ orationis. solummodo indicium faceret fœcunditatis ingenii Vatis nostri, qui omnia sua veluti ex ubere fonte profudit. Sed cum undecunque mihi constet, & constiterit, Prophetam nostrum uni argumento inhærentem ea sapientia orationem suam construere, ut semper in majus surgat: idem facile observavi hic obtinere. Viam jam struxi huic observato ad comma superius. Prima erat sententia, *Quis aptavit, libravit Spiritum Jehovæ?* Quis eum instruxit ingenio aut ingenium judiciumque ejus exploratum habuit? Sed potuit tamen habere *Consiliarium*; ut non imprudentes etiam Rectores *consiliariis* utuntur *statis* & solennibus absque quorum consilio nihil majoris momenti tentant. Id quoque negat Propheta, membro altero: *Quis consiliarius illum doctum fecit?* Verum forte accidit, ut licet *stato consilio* non sit usus, cum alio tamen *consilium inierit*, & in negotio gravi consilium ejus quæsiverit. Id vero negat hac sententia, *Cum quo*, ait, unquam *consilium iniit*, ut illum instruxerit prudentia & *ipsum docuerit viam judicii?* Vox משפט hic significat idem quod *κατόρθωμα recte factum*, secundum accuratos canones juris & æqui exactum; sanæ rationi per omnia congruens. Phrasis eadem Parœmiastæ [e] ארחת משפט *Semitæ judicii*. recte factorum virtutis. & sæpe aliàs [f]. Sunt autem illa *κατορθώματα recte facta* non modo *αι διαθέσεις ordinationes* & *dispositiones* canonum & legum hujus Universi; aut *leges* æquitatis & juris inscriptæ conscientiis omnium mortalium: verum etiam omnes doctrinæ, revelationes, institutiones, constitutiones, Leges, præcepta, interdicta, in negotio Religionis quæ *Spiritum Jehovæ* immediate respiciunt. Sic Ezras Neh. IX. 20. *Et* SPIRITUM *tuum* BONUM *dedisti iis ad illos erudiendos*. Loquitur de Israëlitis ductis ex Ægypto.

Et docuerit illum scientiam, & viam intelligentiæ perfectæ ei notam fecerit.] Esto autem, *Spiritum Dei* nullius usum esse consilio in his quæ pertinent ad *jus, æquum, rectum*, mortalium conscientiis impressum: forte tamen *sublimiorem* aliquam *scientiam* quæ complectitur scientiam *naturæ* & *caussarum* omnium rerum, (quæ hic dicitur דעת *scientia*, vero & proprio suo nomine [g],) earumque rerum *nexus* & *ordinis*, eventuumque non tantum præteriti sed & sequuturi temporis, (quæ *sublimis* & plane Divina ac perfecta *scientia* hic dicitur תבונה, *intelligentiæ* [h],) debeat Spiritus Dei Doctori alicui à quo eam acceperit! quæ quarta est hujus orationis gradatio. Propheta negat hoc loco atque adeo caussam plane peroravit. *Quis*, ait, *illum docuit, & seqq.?* Hæc vero digressio tota non eò tendit, acsi res dubia esset & in disceptationem venire posset, an Deus & Spiritus ejus summam illam qua pollet scientiam & intelligentiam alii alicui caussæ præter se debeat, vel debere possit: cui enim deberet aliquid qui ab omnibus supponitur esse omnium rerum caussa & principium? verum ut refutaret ac contunderet fastum & arrogantiam *sciolorum carnalium* qui in *Oeconomia Evangelii*, à Filio Dei fundanda, & ab Apostolis per *præconium Verbi crucis Christi* promovenda, & in rationibus aliis Providentiæ Dei erga Ecclesiam, deprehendebant quod culparent, certe minus probarent; sive id proficisceretur ex ingenio præjudiciis carnalibus corrupto; sive ex affectu meticuloso. Hisce se Propheta strenue opponit, eosque valide refutat. Patere, ait, ex universa Natura rerum, ejusque ordine & partium ejus omnium *συμμετρίᾳ* admirabili, & omni Opere Divinæ Providentiæ, *Sapientiam* Divinam esse summam; ingenium summum; judicium perfectissimum; notitiam juris & æqui, boni malique, accuratissimam. hanc vero perfectionem ingenii, judicii, intelligentiæ Deum sibi & excellentiæ naturæ suæ debere. alii caussæ acceptam non ferre. tantum vero abesse ut alii caussæ acceptam ferat, ut nemo Angelorum aut hominum ad perfectissimam Dei intelligentiam ac sapientiam, quam in omni ordine ac proportione operis sui manifestam fecit, suo ingenio apprehendendam sufficiat. Divinam intelligentiam, nexumque & ordinem Operum actorumque Dei, longe esse supra ingenium & captum Mentium finitarum. *Cogitationes Divinas* tanto sublimiores esse humanis quanto *cœli altiores terra* [i]. Quantæ itaque vanitatis & arrogantiæ est, illam Oeconomiam non credere à Deo fundatam cujus rationes tibi ad primam speciem *mirabiles* ac *paradoxæ* videantur? Quid enim in tota natura rerum paradoxum & mirabile non est? Quam vanæ atque otiosæ solicitudinis ac metus est, dubitare, an Regnum Christi Jesu *eo modo* fundatum, quo fundatum esse constat, præstare possit effecta quæ ab eo exspectantur? Cum enim videamus Universam rerum Naturam ea Dei sapientia fundatam esse, ut effecta caussas suas nunquam fru-

Et docuerit illum Scientiam, &c. Ad quam speciem Scientiæ quod hic dicitur, præcipue restringendum sit?

Quarta Gradatio.

Quorsum tendat hæc digressio, & quare Propheta hic disputet per modum *interrogationis*?

Hypothesis Prophetæ in in hac Oratione clare proposita, ejusque Ratiocinatio illustratur.

a Ps. XXV. 14. b Cap. XI. 34. c Cap. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. d Eccles. VIII. 17. e Prov. II. 8. f Confer Cap. LIX. 8. g 1 Sam. II. 4. h Ps. CXLVII. 5. i Cap. LV. 8. 9.

Opera Naturæ & Gratiæ quod ad Ordinem inter se comparantur.

Paradoxa institutio & dispositio Oeconomiæ Novæ.

strentur: estne qui ambigere ausit, quin hoc magnum Opus Spiritus S. rite libratum sit, & Spiritus perspexerit, illud effectum præstare posse? Est enim sane ejusdem ingenii & judicii opus, cujus est ordo totius Universi qui omnes rapit in admirationem. Utique res ita se habet, *Oeconomiam Novam* & *Regnum Filii Dei* in Mundo esse dispositionis paradoxæ, quam omnes sæcularis & carnalis ingenii homines improbant. *Scandalum* erat Judæis qui per *prædicationem Evangelii* concitabantur ad iram, invidiam, odium & persequutionem præconum ac ministrorum ejus. Sapientes Gentium illud irridebant, & Verbum hoc Crucis Christi habebant pro *stultitia*. ut Apostolus [a]. Nullum itaque Verbum unquam auditum est in Mundo à quo ingenium hominis ψυχικῦ *animalis* sive *naturalis* magis abhorruit quam ab hoc ipso, cujus summa est; nullam homini ex se esse Justitiam apud Deum, sed eam unice fundari in *morte & obedientia Filii Dei:* omnem *carnem esse gramen:* hominem ex se nihil posse: Oeconomiam Mosaicam Dei voluntate & consilio institutam quà carnalem, nihil prodesse ad salutem: caussam salutis veram sitam esse in obedientia & παθήμασι Christi Jesu sub Pontio Pilato *crucifixi* & *mortui*, sed ex morte resuscitati. Quam parum probabile videbatur, hoc *Regnum Filii Dei* profectum facturum esse in Mundo? populos in hoc verbum credituros esse? destructurum esse Regnum Satanæ in Mundo? Et tamen Spiritus Dei perfectissimo ingenio & judicio suo hanc Oeconomiam hunc in modum conceperat, ut carnalium hominum fastum retunderet, & omnem in negotio salutis excluderet *gloriationem carnis*, qui scopus est Oeconomiæ Evangelii. Sic Propheta noster [b]: *Abolebo sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium è medio tollam.* Et [c], *Ubi est Sapiens? ubi scriba? &c.* quæ loca Apostolus in hanc rem allegat, disputans de hoc eodem argumento. Ergo teneamus ex hac disputatione, Oeconomiam Evangelii esse Opus Dei & Spiritus S. perfectissimo judicio & intelligentia libratum; hoc potius quam alio modo institutum esse ut magis illustraret Dei gloriam; certo præstiturum effectum quem Spiritus intendit; Regnum Filii Dei destructurum esse Regnum Satanæ contra cogitationem Sapientium de Mundo, qui id nunquam sint intellecturi, nisi depositio fastu se Christo Jesu crediderint in disciplinam & illuminati fuerint ab eodem illo Spiritu qui mirabilem hanc Oeconomiam instituit, ut Apostolus fuse disputat: qui tam in hac ad *Corinthios* quam in ea ad *Romanos* hunc locum Jesaiæ allegavit secundum verum ejus scopum, à Propheta intentum, à nobis expositum. Pertinet enim hæc digressio ad Oeconomiam omnis Operis Dei & Providentiæ erga Ecclesiam; & speciatim ad Oeconomiam Regni à Filio Dei in terris fundandi.

In qua tamen ipsa demonstratur summa Dei sapientia.

℣. 15. *Ecce Gentes ut gutta de situla & pulviſculus bilancium reputantur.*] Continuatur oratio in eodem argumento, quem nexum non perspiciunt qui hypothesin à nobis in superioribus jactam non observarunt. Consignatur hoc *commate* & *binis sequentibus* judicium Dei de *carne* ad illustrandum effatum superius ℣. 6. quod summam faceret præconii Evangelii, OMNIS CARO GRAMEN. Dici utique & excipi poterat ad proximam orationem de summa Dei & Spiritus ejus sapientia & intelligentia in fundanda Oeconomia Nova, sapientiæ carnali contraria; esse utique apud Gentes, *Sapientiam*, *Justitiam* & merita, *Potentiam*, ac *Fortitudinem*, & *Inventa varia* in negotio Religionis non imprudenter ut videri poterat, concepta, nec plane spernenda, & magna Populorum reverentia & admiratione celebrata. hæc enim præcipue sunt quibus *caro* se commendat. Respondet Propheta, hæc omnia *nihili* valere & æstimari apud Deum: neminem cum his coram tribunali Dei Judicis posse consistere: nihil prodesse aut valere ad salutem: omnia nulla esse: omnia peritura esse, & solum Verbum Gratiæ & Sapientiam Spiritus S. & Justitiam Viamque salutis, ea commendatam perstituram in æternum: *Sapientiam* Divinam victuram & abolituram esse *sapientiam carnis*; *Justitiam* Dei damnaturam esse *Justitiam carnis*; & *forte*, imo *imbecille Dei* fortius potentiusque fore *potentia & valore carnis* [d]. Oi ὁ. verba, כשחק מאזנים verterunt, Ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ· eosque sequutus Hieronymus: *Quasi momentum stateræ.* quam versionem laudat Grotius, nec ego vehementer improbo; nec tamen probo etiam, α. Quia vox נחשב nunquam ea significatione sumitur. notat *pulverem*, *substantiam tenuem & tenuissimam* quoque qualis est *æthereа*. β. Quia *momentum* sive *libramentum* quod dicitur, licet sit *ponderis levissimi*, est tamen *alicujus*, quod facere potest ut *lancium* altera *inclinet:* quantum Propheta *carni* tribuere velle vix videtur. Saltem adstruenda fuisset vocis significatio. *Gutta de situla* est res levis comparata gravi qualis est aqua situla comprehensa; quæ negligitur, ut si decidat, nulla jactura fieri censeatur. Perinde se res habet cum *pulviſculo bilancium.* Nullum is pondus, nullum *momentum* etiam ad lances adfert. nullam inclinationem facit. Ita se res habet cum Gentibus, earumque Sapientia, Justitia, Meritis, Potentia, Religione. Nihil in his est quod Judicio Divino hominem respectu *Status* sui judicaturo satisfaciat. Deus in judicio suo requirit quid *grave*, quid *magni momenti*, quod rationibus Justitiæ ejus satisfaciat. *Sapientia* Gentium falsis principiis superstructa vel præjudiciis & erroribus aut fabulis corrupta; *Religio* ex iisdem fontibus hausta; *Virtus* fucata; *Potentia* tota pendens à Divina, & Divinæ comparata; nulla.

Nexus orationis rursus demonstratus.

Diluitur his verbis *Exceptio* quæ adversus superiora videtur produci posse.

Evincitur vanitas *sapientiæ carnalis.*

Ecce insulæ sunt ut minutum quid quod avolat.] Sic cum Chaldæo verto Hebræa: הן איים כדק ישיל; nec dubitem quin assequutus sim sensum, quem plures alii non satis commode definiverunt. Jun. Trem. *En insulas ut pulverem minutissimum dispositurus esset.* Pisc. *Insulas ut pulverem disjicit.* Cocc. *Ecce insulas ut minimum tollit.* sc. ut alibi [e], *extare facit.* Ajo, plane præter rem. Non est hic mentio ejus, quid Deus cum *insulis* facere possit, si potentia sua uti velit: sed quanti fiant, valeant, æstimentur, judicio Divino; ut patet ex toto contextu. Deinde, נטל vel טול non admittunt significationem vel *disponendi* vel *disjiciendi.* Nec commode dicitur Deus *insulas attollere*, neque etiam quod Belgæ habent, *projicere*, etsi vox טול eam significationem ferre queat. Minus commode adhuc *insulæ* dicuntur *disponi* aut *projici ut pulvis. Pulvis* enim proprie nec *disponitur*, nec *projicitur.* Ergo, ut ad rem veniam: vox ישיל, ut hic *punctata* legitur, vel accipi potest ut *futurum Kal* ex voce נטל *tollere*; vel futurum *Niphal*, ex voce טול *projicere:* quam significationem obtinet in *Hiphil*, & aliis *Formis*, & habuimus jam vocem Cap. XXII. 17. Hic vero mihi nullum est dubium, quin posterius obtineat, quæ sententia est Jonæ Grammatici apud Aben-Ezram. Solummodo observandum erat, significationem vocis hic ampliari, ut *projici* hic idem valeat quod de *levioribus pulviſculis* in *aëre* volitantibus vel facile in *aërem raptis* observamus, illos esse in continuo motu, & à quolibet corpore graviore quod in eos incurrit & ab ipso etiam aëre agitato huc illuc propelli. Id vidit Chaldæus, atque adeo recte vertit, *avolat.* Aq. quoque, Λεπτὸν βαλλόμενον. Hieronymus: *Ut pulvis exiguus.* bene quidem quod ad sensum. sed non expressit vim vocis ישיל. Int. Alex. Ὡς σίελος λογισθήσονται· *ut sputum reputabuntur.* Absurde. Legit כדק pro כדק. Sententia itaque ita habet acsi Propheta scripsisset, כדק אשר ישל. sed אשר, ut superfluum, in ejusmodi casibus negligitur. Quid vero, ais, huc faciunt *Insulæ?* Recte rogas. id enim ipsum est quod bene expositum lucem dabit sententiæ. *Insulæ* hic notant, stylo Prophetæ nostri & aliorum, non tantum ipsas Insulas majores, minores, quæ sunt in Mari Mediterraneo: sed terras omnes illi Mari adjacentes, ad utrumque Litus Aquilonare

Voces: מאזנים Græca versio. De ea judicium. Num vox שחק recte vertatur *momentum*

Compara illustrantur

Sententia applicatur præsentem materiam.

Ecce insulæ sunt ut minutum quid quod avolat. Verfionem sententiæ, examini subjectæ.

Respectu vocis ישיל in h. l.

Explicatur vox est e themate significatione *projicere*, sed hic amplius tur.

Quorsum hic mentio fiat *Insularum*?

Appellatur hæc quam late patet

[a] 1 Cor. 1. 23. [b] Cap. XXIX. 14. [c] Cap. XXXIII. 18. [d] 1 Cor. 1. 17. [e] In *Lex.*

stylo Prophetæ.

lonare & Auſtrale, ut jam obſervavimus Cap. XI. 11. nec ſane illarum Inſularum aut terrarum Corpora aut Moles, ſed earum *incolas*, de quibus hic agitur. agitur enim de *Gentibus*. Sic paſſim ipſe, ut Cap. XLIX. 1. *Attendite ad me*, INSULÆ, *& aures advertite Populi longe diſſiti*. Cap. LI. 5. *Me* INSULÆ *exſpectabunt*. Harum vero terrarum & Populorum ſitus, inſtituta, mores, innoteſcere cœperant Judæis (certe doctioribus eorum,) poſtquam Tyrii navigatione ſua illos adiiſſent, & cum iis colere cœpiſſent commercium; & ipſi Judæi quoque tempore Salomonis & Joſaphati. Qui enim ante illud tempus ex Ægypto vel Phœnicia in eas regiones tranſierant: fere ſedibus in iis fixis ad ſuos non redierant. Ut autem qui in longe diſſitas regiones iter faciunt; ſi quæ apud illos populos viderint nova, laude digna, paradoxa, in majus ſolent efferre & prædicare reduces facti ad ſuos: ſic plane mihi videtur, jam tempore Prophetæ noſtri ingenia illorum Populorum, Leges, inſtituta Religionum & Ludorum, celebrata fuiſſe in ipſa Canaanæa. Verum eſt, Græciam hoc tempore nondum adeptam fuiſſe omnem ſuum cultum; & in Græcia ſic proprie dicta Legiſlatores & Philoſophos Propheta noſtro recentiores eſſe. Et tamen erat jam tum ſecunda fama Minois, Cretenſium Regis, celebratiſſimi Legiſlatoris, & Lycurgi, apud Spartanos; & Ludorum Olympiacorum ab ipſo & Cleoſthene rurſus inſtitutorum; & Poëſis ac Muſica longe ante à florentibus ingeniis excoli cœperat. Huc itaque vertens oculos Vates, & ſimul prævidens, fore ut circa tempus Evangelii hæc loca maxime florerent: Quicquid, ait, fama Gentium celebrat aut olim celebrabit in Populis Mare magnum Occidentale incolentibus vel accolentibus; de eorum ſapientia, fortitudine, induſtria, ſolertia, ingenio, ſuperſtitione: hæc omnia nihili apud Deum. *Quicquid ex carne eſt & fit, Deo placere nequit*. Omnia hæc ſunt inſtar pulviſculi minutiſſimi qui avolat; in quo nulla ſoliditas, nulla conſiſtentia aut reſiſtentia eſt.

Populi illi Occidentales circa tempus Prophetæ incipiebant celebrari.

Argumentum diſtinctius explicatur.

℣. 16. *Et Libanus non ſufficit ad pyram, &c.* Quorſum tendat Oratio?

Libani notio quam ample hic ſumatur?

℣. 16. *Libanus non ſatis eſt ad pyram; & animalia ejus non ſufficiunt ad Holocauſtum.*] Viden', agi de *Juſtitia* peccatoris apud Deum? de merito *Religionis* cujuſcunque *carnalis* ad impetrandam Juſtitiam apud Deum? Intellige hic per *Libanum* non hunc modo montem, ſed *montes* qualeſcunque alios inter quos Libanus excellebat, ſitos in *terris Gentium*: qui Libanus quique montes, veluti Hermon, Baſan, Taurus, Amanus, hic occurrunt ut ſymbola *Gentium* earumque *Rerumpublicarum* eminentium, cum facultatibus copiiſque ſuis omnibus, quas ut λύτρον *animarum ſuarum* Deo offerre cuperent. Erant autem tria in *Libano*, ex quibus videri poſſet inſtrui poſſe Religio externa carnalis, ut à Gentibus illius ætatis celebrabatur. *Libanus* plenus erit *ferarum ſylveſtrium* omnis generis ex conſenſu Scriptorum Exoticorum: ferax *aromatum* quorum uſus eſt in ſuffitu; & feraciſſimus *lignorum* optimi generis ex quibus pyra ad conſumenda ſacrificia paratur. Sed de *ſuffitu*, de quo non indocte cogitari poſſet, hic non autumem agi. Non putem enim, vocem לבנון commode de *ſuffitu* incendendo uſurpari. Vox proprie & vere uſurpatur ex uſu Scriptorum Sacrorum de his quæ incenſa *ardent*. Notat itaque hic *incendium*, pyram, ſtruem lignorum quæ incenſa ſubmoto igni ardent & flammam concipiunt; quod in *ſuffitu* non obtinet. Senſus itaque ſententiæ eſt, omnem *Juſtitiam* Gentium nullam eſſe coram Deo. Licet omnes ſuas copias & opes in Religionem quam celebrant, falſam ac carnalem inſumerent; licet quicquid ferarum eſt in montibus, quicquid pecorum eſt in agris, Deo offerrent in holocauſta; licet in eum uſum impenderent omne lignum Libani: nihil valitura apud Deum. Nullam illum juſtitiam, nullum juſtificamentum admittere aliud quam quod Verbo Evangelii, & in Oeconomia Gratiæ à Filio Dei fundata, commendatur. Hoc ſolum λύτρον, hoc *unicum ſacrificium*, ei probari. Quod de *Gentibus* dictum, Judæi carnales ſibi ſimul poſſent applicare. Conferenda cum hoc dicto eſt inſignis periocha ejuſdem plane argumenti Pſ. L. 8. ſeqq.

Montes hoc nomine dicti deſcribuntur.

Senſus ſententiæ Vatis. *Juſtitia carnis* damnatur.

℣. 17. *Omnes Gentes ſunt ut nihil coram ipſo: præ nihilo & inanitate ipſi reputantur.*] En gradationem fortiſſimam qua Vates hanc digreſſionem abſolvit. Cum in *ſuperioribus* Sapientiam & Juſtitiam Gentium cum rebus leviſſimis, & nullius pretii, ut ſunt *gutta* de *ſitula* & *pulviſculus de bilance* comparaſſet: videri poſſet iis tamen adhuc aliquid, licet minutiſſimum & tenuiſſimum quid, tribuiſſe. Sed hic altius adhuc ſurgens oratio, non tantum *omne* meritum abjudicat *carni*, ſed docet etiam & inculcat, eſſe hæc *omnia* quæ Gentes ex ingenio ſuo finxerunt ad placandum Numen; *Juſtitias* illorum omnes, *Religiones*, *ſuperſtitiones*, ſtudia & conamina in negotio *Religionis*, merum nihil & inane; nullum plane pondus afferre in commendatione cauſſæ ſuæ apud Deum: imo eſſe ipſo *nihilo* & *inani* inferiora, ſi quid *nihilo* minus fingi & cogitari poſſit. Non poteſt in natura: ſed fingi poteſt & obtinet in Oeconomia ſpirituali. Eſt enim ibi quod ita non *prodeſt* ad obtinendam Juſtitiam apud Deum, ut ſimul *noceat*, cujus generis omnes fuerunt Religiones & ſuperſtitiones Gentium; omnia ἐυρήματα & commenta Sapientiæ Carnis in Religione. Non tantum illas Deo non commendarunt: ſed potius iram & indignationem Divinam in eas provocarunt, & damnationem earum aggravarunt. Sic Apoſtolus, Jeſaias alter, optimus illius Interpres[a]: *Nam quod ſapit caro*, MORS EST.... *Quoniam quod ſapit caro, inimicitia eſt adverſus Deum.... ergo itaque qui in carne ſunt, placere Deo non poſſunt*. Pertinet dictum, in omni ſua latitudine ſumptum, ex mente Apoſtoli, ad omne cogitatum, ſtudium, conamen, actum, hominis poſiti in ſtatu Naturæ, & vacui Gratia Chriſti Jeſu, ejuſque Juſtitia & Spiritu.

℣. 17. *Omnes Gentes ſunt nihil coram ipſo, &c.*

Oratio Prophetæ in eodem verſatur argumento.

Juſtitia carnis nihili valet apud Deum.

Membrum alterum Partis *Secundæ* hujus Concionis, quo ſpeciatim Demonſtratur *Vanitas Idololatriæ*, & *Principum Mundi* qui eam adverſus Regnum Dei ſuſtinerent.

Membrum alterum *Partis Secundæ*. Diſputatio adverſus idololatriam.

℣. 18. ET *vero cui aſſimilabitis* DEUM FORTEM, *& quam figuram ei aptetis?* ℣. 19. *Artifex fundit ſimulacrum; & aurifaber illud aureis laminis obducit:* CATENAS item ARGENTEAS *conflat* aurifaber. ℣. 20. QUI FRUGALIOR EST IN OBLATIONE SUA, *eligit lignum quod non putreſcit; artificem peritum quærit ſibi qui paret ſulptile quod non dimoveatur.* ℣. 21. *An neſcitis? an non audiiſtis? an non vobis annunciatum eſt ab initio? an non* INTELLEXISTIS, FUNDAMENTA TERRÆ? ℣. 22. *Qui ſedet ſuper* ORBEM TELLURIS; *& incolæ ejus ſunt ut locuſtæ: qui extendit cœlos tanquam cortinam, eoſque expandit ut tentorium quod habitetur.* ℣. 23. *Redigit Principes in nihilum, & Gubernatores terræ reddit tanquam quid inane.* ℣. 24. *Etiam* NON PLANTANTUR, *etiam non ſeruntur; neque etiam radicatur in terra ſtirps illorum. Quin etiam dum ſufflat in eos, exareſcunt; & turbo illos veluti ſtipulam aufert.* ℣. 25. *Cui itaque aſſimilabitis me ut ei æquer? dicit Sanctus.* ℣. 26. *Tollite in ſublime oculos veſtros & videte, Quis creaverit illa: qui exercitum eorum educit ad numerum; omnia illa nominatim appellat:* PRÆ COPIA VIRIUM ET ROBORE POTENTIÆ: *nullum deficit.*] Summa ſuperioris eſt, Sapientiam humanam cedere debere Divinæ, & *Dagonem* mutilum caſurum *coram Arca*, & per eam de ſede ſua ad *limen Templi* protrudendum. Et tamen excipi poterat, primo, Idololatriam apud omnes Gentes non receptam tantum verum etiam conſtabilitam eſſe: deinde, Principes eſſe in Mundo potentes qui eam fulciant. Id ſane ita ſe habet: cuique rerum humanarum rationes inſpicienti videri deberet eſſe ἐκ τῶν ἀδυνάτων, vide-

Nexus orationis Prophetæ. Vanitas idololatriæ demonſtratur, & Principum eam ſuſtinentium. Regnum Chriſti Jeſu

a Rom. VIII. 6. ſeqq.

Videbatur difficulter deſtructurum eſſe idololatriam in Orbe jam conſtabilitam.

videlicet paradoxum plane & ſupra omnem fidem, *Idololatriam*, & *Superſtitionem*, tum aſſuetudine & uſu longi adeo temporis, confirmatam; viribus Principum & Gentium fultam, è Mundo poſſe eliminari; idque ſine *armis*, ab hominibus plebeji ortus, nulla munitis auctoritate, & quidem per medium præconii *Verbi Crucis Chriſti Jeſu*, doctrinæ non minus paradoxæ, &, ut videri poterat, hypotheſibus in ſe invicem incurrentibus: etſi libratæ judicio ſpirituali inter ſe optime conſiſtant & ſapientiam exhibeant plane Divinam. His itaque dubiis occurrens Propheta, Demonſtrat *α*. Vanitatem idololatriæ & quæ in illo cultu eſt ſtultitiam, ex idolorum materia, forma, eorumque formandorum modo, comparatis cum natura, excellentia, magnitudine *veræ Divinitatis*, Creatoris hujus Univerſi, iiſdem fere hic uſus argumentis quibus uterentur Præcones Evangelii in initiis Novi Teſtamenti, ỿſ. 18--22. *β*. Vanitatem & imbecillitatem Principum idololatriam ſuſtinentium comparate ad potentiſſimum & Sapientiſſimum Creatorem & Rectorem totius hujus Univerſi, ỿſ. 23--26. In Vanitate Idololatriæ demonſtranda primo proponit *Crimen* quod committebatur in fingendis idolis, ỿſ. 18--20. dein ſequitur Ἔλεγχος *Convictio*, qua illud redarguitur, ỿſ. 21. 22. Quæ Propheta ita diſputat acſi ipſe eſſet inter Apoſtolos Chriſti Jeſu; ipſe, inquam, illorum Apoſtolorum & inprimis Pauli Apoſtoli, verus typus, ſi vocem latius ſumpſeris. Idem in iis Spiritus, idem zelus, ejuſdem Gratiæ Præcones, ejuſdem gloriæ Chriſti Jeſu laudatores & promotores; idem utrique ſtudium erga Gentes, adducendas olim ad communionem Regni Dei. Quæ cum in genere dicta ſufficiant ad ſcopum hujus Pericopæ, ut neceſſe non ſit eadem continuo repetere: nihil nunc aliud agam quam ut verba Prophetæ, ubi opus fuerit, exponam & illuſtrem; clara & conſpecta, in quibus nemo hæret, tranſiturus.

Quid Propheta in contrarium inferat?

Propheta Jeſaias hic aſſumit perſonam Doctorum qui tempore Gratiæ adverſus idololatriam diſputarent.

ỿſ. 18. *Et cui aſſimilabitis Deum fortem? &c.* Reſpectus copulæ Et in hoc *commate.*

ỿſ. 18. ואל־מי תדמיון אל Et *cui aſſimilabitis Deum fortem?*] Plerique Intt. *copulam* ו Et hic ſumpſerunt λογιςικῶς per modum *concluſionis*, ex ſuperioribus ductæ, verteruntque: *Cui* IGITUR *α. D.* vel, ERGO *cui*, *&c.* Sed cum in ſuperioribus facta eſſet mentio de *altitudine ingenii* & *judicii Dei* quod prodidit in formando hoc Univerſo & ordinandis omnibus viis ſuæ providentiæ, & de *inanitate Juſtitiæ* Gentium: non abhorret quidem *concluſio*, fateor, ab illa propoſitione, nec tamen liquido & directe ex ea deducitur. Tum præterea obſervari velim, Prophetam, aſſimilationem Deo fieri poſſe negantem, aliud hic attributum Dei in medium producere, h. e. *potentiam ejus*. Sic enim capienda cum emphaſi ſunt verba hujus ſententiæ: *Et cui aſſimilabitis* אל DEUM FORTEM, robuſtum, Univerſi hujus Creatorem. ſub quo attributo in ſequentibus de Deo diſſerit. Qui per *imagines* & *ſimulacra* Deum ſibi repræſentare ſtudebant: minus attendebant ad *ingenium* & *ſapientiam* ejus quam ad *potentiam*. Perſuaſi erant paſſim, eſſe aliquod Ens cui hoc Univerſum Ortum ſuum debeat; eſſe Deum vel Deos qui illud gubernent & adminiſtrent. Hos illi, & ſub *hoc attributo*, ſimulacris atque *imaginibus*, exhibere & colere ſibi proponebant. ut adeo Propheta novam hic ordiatur periochen, priori quidem cohærentem; nec tamen ex ea ductam. Noſtra hic ſententia juxta hypotheſin à nobis jactam liquidiſſima eſt. Demonſtraverat Vates & vindicaverat ſummam Dei *ſapientiam* in conſtituenda Oeconomia Evangelii & Juſtitia peccatoris adverſus omnem carnalis ſapientiæ faſtum. Damnaverat Gentes cum ſua ſapientia in negotio Religionis & Juſtitia meritiſque earum. Cum tamen objici poſſet, Idololatriam per Orbem terræ totum ubique altas egiſſe radices, nec videri facile convelli poſſe: ipſam aggreditur, demonſtratque ejus *vanitatem*. Quare *copulam* juxta genuinum & proprium ſenſum verto per Et, ut Coccejus recte; vel per Et VERO, ut proceſſus orationis in non affini argumento demonſtretur.

Quam emphaſin hic habeat notio אל *Deus fortis?*

Idololatræ in Deo potiſſimum reſpiciebant attributum *potentiæ*.

Grotius aliique Intt. qui in ſuperioribus viderunt *Beneficium Liberationis* ex Exilio Babylonico, ad hanc periodum adhærent. Si Propheta hic ſimpliciter diſputaret *idolorum impotentiam*: poterant ſe expedire. Sed inſtituit hic diſputationem adverſus *idololatras*; quæ quo modo hic uſu veniat juxta ipſorum hypotheſin: nemo dixerit. Judæi enim eo tempore ſe ab idololatriæ vitio purgarunt. Fingit igitur hic retrogradi Prophetam ad ſuperiora tempora, & dirigi orationem tum ad Iſraëlitas jam per Salmanaſſarem abductos in Aſſyriam, tum ad Judæos abducendos à Chaldæis in Babyloniam, qua adverſus idololatriam munirentur. quæ plane coacta ſunt. Propheta hic diſputat contra *Gentes*, de quibus proxime loquutus fuerat, earumque illudit *ſtultitiæ* in negotio Religionis.

Aliorum Intt. ſententia de nexu orationis.

Et quam ſimilitudinem ei APTABITIS?] Sic recte verto vocem ערך, quæ valet *parare*, *apparare*, *ordine ſtruere*, *diſponere*, pro circumſtantiis in quibus vox uſurpatur. Ad rem ipſam quod attinet: minus videri queat probabile, Eos qui in cultum Divinum primi intulerunt εἴδωλα, ἀγάλματα, *ſtatuas*, *ſimulacra*, *imagines*, ſub quarum ſpeciebus Numen colerent, vel credidiſſe ipſos, vel aliis voluiſſe perſuaſum, *Deos*, quos ſub illis imaginibus colebant, illis ſimiles eſſe; vel ſimulacra illa figuram Deorum aut Numinis expreſſiſſe: illa enim cogitatio nimis videtur eſſe abſurda quam ut cadere potuerit in homines qui omnem rationis ſenſum & uſum hactenus non ejurarant: ſed cum *ſimilitudo* duplex ſit *phyſica* vel *ſymbolica*, dubium non videtur, quin poſterius hoc ſimilitudinis genus intenderint. Verum primo vulgus, excæcatis cum tempore mentibus ſuperſtitione, ſenſim inductum eſt in hanc ſententiam, hæc ſimulacra vel eſſe *Deos* vel iis ſubeſſe *Divinitatem*, quod Deus ille vel Numen quod ſub iis colebatur, ſe cum iis arcana quadam ratione uniret & in iis ineſſet; unde ſtatuas illas ut *Deos* veros coluerunt, & *Deos* quoque vocarunt, ut paſſim Gentiles in Scriptis ſuis, & jam antiquiſſimo & rudi ævo Laban *Theraphim*, imagunculas Divinatorias, appellavit *Deos ſuos* [a], quod Propheta planis verbis & ſcite docet, cæcitati huic & ſuperſtitioni inſultans, Cap. XLIV. 10. 11. ſeqq. & XLVI. 6. Secundo, quod huc maxime pertinet; negat Deus, ullam ſtatuam, imaginem, εἴδωλον, excogitari vel fingi poſſe, quod *Naturam veri Dei* ſymbolice etiam exprimeret; ac proinde vanum eſſe & ἄλογον omne ſtudium quod huc impenditur. quod & viderunt Gentilium prudentiores, Moſen ipſum hoc nomine laudantes, quod Judæo Populo hac ſuperſtitione interdixerit, quorum teſtimonia Illuſtris Vir, Hugo Grotius, docte collegit in fuſiore *Decalogi* Commentatione [b]. Eadem oratio eſt Pauli ad Athenienſes [c], veluti ad hanc expreſſa. Equidem Deus *homines* & *Angelos* quoque condidit cum *imagine ſua*: ſed quod in hominibus *imaginem Dei* facit, & in *Angelis*, eſt *inviſibile*. Nec ſunt illi imagines Dei *adæquatæ*, ſed *inadæquatæ*. Symbola quoque & emblemata Divinitatis, ut *Lucis*, *Ignis*, *&c.* nulla dantur quæ Naturam ejus perfecte *repræſentent*.

Et quam ſimilitudinem ei aptabitis? Vis & emphaſis vocis ערך h. l.

Qualis *ſimilitudo* hic intelligatur *phyſica*, nut *ſymbolica*?

Primi auctores idololatriæ haud dubie poſterius intenderunt: ſed *Vulgus* ſibi prius quoque perſuaſit.

ỿſ. 19. *Artifex fundit* SIMULACRUM.] In liquidi ſenſus oratione eſt tamen in quo Intt. hærent. Vox פסל à Jeſaia hic loci uſurpata, quam ego per ſimulacrum verti, proprie notat *ſculptile*, γλυπτὸν, à פסל *dolavit*, *ſculpſit*. Græcis valet, λαξεύειν, (quod ita proprie de *lapidibus* uſurpatur:) πελεκίζειν, γλύφειν, quod Grotii & commune Intt. obſervatum eſt. Difficultas jam in eo reſidet, quo ſenſu bono Propheta illud *ſculptile* dicat ab Artifice *fundi*? Obſtant enim ſibi *ſculpi* & *fundi*, & in Sacris מסכות *fuſilia* contradiſtinguuntur τοῖς פסלים *ſculptilibus*. Kimchius, ut evaderet, vocem נסך inſtituit vertere per *texit*: quod *artifex imaginem ex ligno aut lapide factam obducat auro vel argento*. Sequuti Jun. & Trem. *Sculptile tegit artifex*. Sed Propheta utique mox illius *obductionis* demum meminit, ut adeo hic intelligi nequeat. quod ipſe obſer-

ỿſ. 19. *Artifex fundit ſimulacrum.* Dubium hoc loco. פסל non proprie ſ *ptile*, quo non ſatis commode dicitur *fu*

Quo mo Intt. ſe hi expediant

[a] Gen. XXXI. 30. [b] Ad *Interdictum* II. & Deut. IV. 15. [c] Act. XVII. 29.

observans, concedit sumi posse significatu *fusionis* respectu *auri* aut *argenti*. quod quo sensu intelligi velit, ut ipse disertius non explicat, sic nobis curæ non est. Nec tamen libens hic vidi in re non incerta illam interpretationum varietatem. Hieron. *Nunquid sculptile conflavit faber?* Male accepit per interrogationem. Alii, *Artifex parat sculptile.* At vox נסך non notat *parare* & *conflare*, sed *fundere*. Pisc. *Simulacrum fundit faber ararius.* Cocc. *Fusile fudit artifex.* Belgæ pariter. Id recte. Observa itaque mecum, *α.* Vocem פסל, etiamsi proprie *sculptile* aut *dolatum* notet, in hujusmodi casibus latiorem admittere significationem, & designare qualecunque *Simulacrum* sive fusile sive *sculptile*. Cum enim commodum non esset utriusque speciei omni loco meminisse, unam speciem sub altera comprehendebant. Sic Interdicto Decalogi: לא תעשה לך פסל *Non facies tibi* PESEL: Int. Alexandrinus doctius vertit per εἴδωλον quam alii qui per γλυπτόν. Intelligit Legislator sub nomine פסל *sculptilis*, omne quoque *fusile*. Pariter in Ode insigni *a*: *Pudefiant omnes* עובדי פסל *cultores* proprie SCULPTILIUM; sed latius, SIMULACRORUM: *qui gloriantur* באלילים IDOLIS. Vates noster rursus eodem tenore Cap. XLIV. 10. *Quis format* DEUM (idolum,) *& fundit* PESEL, εἴδωλον, *simulacrum non profuturum?* β. Vatem sic construxisse hanc sententiam, ut geminum ea involveret sensum. Cum enim nimis longum esset dicere, *artifex fundit fusile & parat sculptile:* ex utroque sententiæ membro mente concepto alterum mutuatus est vocem. Inde locutio, *fundere sculptile*, h. e. *fundere* vel *sculpere simulacrum fusile* aut *sculptile*.

Vox פסל admittit latiorem significationem.

Exemplum ex Exod. xx. 4.

Vates una sententia duas involvit.

Et conflator, (aurifaber,) *laminis aureis illud obduxit.*] Heb. ירקענו Hieron. *Aurifex auro figuravit illud.* Non sane feliciter. Causa petenda à sequenti membro, quod rectis oculis non inspexit. Interpres Alex. hic non tantum bene, sed & docte ac pulchre: Ὁ χρυσοχόος χωνεύσας χρυσίον περιεχρύσωσεν αὐτόν· *aut aurifaber aurum conflans circumauravit illum.* Certe רקע Hebræis est *expandere*, *dispandere*, metalla præstantiora in *laminas ducere*. Patet, hic supponi vel *fusile* ex *ære*, viliore metalli specie, deaurandum aut laminis aureis vestiendum: vel *sculptile* auri aut argenti laminis obtegendum. Prius directe in oculis habuit: posterius subintellexit, & à prudente lectore subintelligi voluit.

Et conflator id obduxit laminis aureis. Versio Hieron. castigata. Alex. laudata.

Usus vocis רקע

Et sunt catenulæ argenteæ aurifabri.] Sic Coccejus vertit Hebræa: ורתוקות כסף צורף Ego malim cum Piscatore: *Et catenas argenteas conflat.* Sed sententia eadem. Consentiunt fere Intt. Hebræi, (inter quos quoque Paraphrastam censeo,) & Christiani in interpretatione vocis רתוקות per *catenas:* etiamsi ut hic legitur, alio non extet loco. Et tamen significatio ejus ex agnatis facile definitur. Solummodo Hieronymus, cum forte non mox perspiceret, quorsum hic mentio fiat *catenularum*, vertit, *Et laminis argenteis argentarius.* sed, ut jam prænonui, præter auctoritatem & rationem. Quæris, quid sibi velint *catenulæ argenteæ?* Dicam explicatius quam forte alii. Alludit Propheta, sic loquendo, ad *idola privata*, *domestica*, quæ Domi in conclavi locabantur *A*; *catenis* sive catenulis adstricta, ne vel *caderent*, (quod simulacris sæpe accidit:) si propter parvitatem stare nequeant; vel ut iisdem à pariete sub tectorio suspenderentur; vel ne ab aliis auferrentur aut furto raperentur. Conferendus est locus Cap. xxx. 22. ubi hunc nostrum jam adduxi & exposui. Id vero ipsissimum est quo Propheta alludit in ỳ. 20. *sequente*, ubi de *simulacro majore* ex solo *ligno* formando, & catenulis non alligato: להכין פסל לא ימוט *Ut ordinet* SCULPTILE *quod* NON MOVEATUR. sc. Majus aliquod *idolum* quod ex ligno minore sumptu confici posset, quod suis pedibus firmiter per se absque *catenularum* subsidio persisteret. Erat in his stultitia & ἀλογία *incredibilis*.

Et sunt catenulæ argenteæ aurifabri.

Significatio vocis רתוקות.

Quorsum huc pertineant *catenulæ argenteæ?*

Respiciuntur *idola Domestica.*

ỳ. 20. *Qui majore parsimonia utitur in sua oblatione, &c.*] Sic existimavi optime me reddere verba, המסוכן תרומה, quæ proprie valent, Qui *frugalis est* quod *ad oblationem.* sive sc. quod parcus sit & avarus;

ỳ. 20. *Qui majore parsimonia utitur in sua oblatione, &c.*

---

a Ps. XCVII. 7.

A Privata *idola*, (*lares*, *penates*, ædium aut familiarum *custodes*,) ubique Gentium fuerunt recepta: inprimis per Orientem, unde superstitio originem duxit. תרפים THERAPHIM dicuntur stylo Scripturæ S. *Dii Domestici*, quo nomine coluerunt *Angelos*, cujusque domus & foci tutores: & forte *cultus imaginum* ab his incepit. Certe in Sacris antiquior nullus memoratur; estque mihi probabile *imagines* in *cultum publicum* serius fuisse receptas. Egi jam de iis ad Cap. II. 8. XXX. 22. Cicero pro *Domo sua* ad Pontifices: *Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam Domus uniuscujusque civium? hic* ARÆ SUNT, *hic foci, hic* DII PENATES; *hic sacra, Religiones, cærimoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* Sic paulo ante oratione ad Clodium versa: *Ista tua pulcra Libertas* DEOS PENATES *&* FAMILIARES MEOS LARES *expulit.* Erat Ciceroni, (quis satis miretur de Viro sapiente, tot disciplinis exculto, attamen dubias vere fovente de Religione sententias?) SIGNUM quoddam (ἄγαλμα *imago*,) MINERVÆ, quod cum in exilium iret in Capitolio consecravit, ut Plutarchus & Dio, ab ipso religiosissime cultum. Ἀγαλμάτιον vocat Dio. Quo tempore Israelitæ educti sunt ex Ægypto, Statuas Deorum *fusiles* & *sculptiles* jam fuisse receptas in Ritum Religionis apud Ægyptios, Phœnices, Syros, ex *Interdicto secundo* Decalogi, & Legibus Mosaicis, & ex exemplo pudendæ superstitionis τῆς μοχολατρείας à Gente nuper à Deo liberata & sibi consecrata edito satis liquet. Herodotus tradit, auctores instituti primos fuisse Ægyptios, luculento loco Lib. II. Cap. IV. Βωμούς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀνιέναι σφέας πρώτους, καὶ ζῶα ἐν λίθοισι ἐκτύπωσαν· *Item primos ipsos Diis & aras & simulacra & delubra statuisse: quin & animalia in saxis sculpsisse.* Sic scilicet ipsi tradebant Ægyptii, superstitione insanientes, quibus hanc laudem nemo inviderit. Est sane de eo insignis locus Deut. XXIX. 16. 17, quem alibi jam produxi. Et tamen verum est, Veteres, interque eos præcipuos, Herodotum ipsum & Diodorum, ubi nos ducunt in conspectum idololatriæ Ægyptiæ, eamque ex professo describunt, totos fere versari in enarrando cultu *Animantium* & *Avium* vivarum, & in his *Apidis* bovis vivi, qui Memphi & Heliopoli ut summum Numen summa veneratione habebatur: sed *imaginum* & *statuarum* minorem facere mentionem, nec nisi per occasionem; & facit tamen Herodotus, veluti ubi describit Templum superbum Dianæ, & ei adjacentem Lucum, de quo: Ἐν τῷ δὲ τεμένεϊ τούτῳ ἐστὶ *In quo* STATUA *est*, (Lib. II. Cap. 138.) & in historia Amasis, Cap. 172. & Cambysis, Lib. III. cujus postremæ historiæ loca produxi & illustravi ad Cap. XIX. 1. Sane cum constet, quod Ammianus vere scribit fide & consensu Veterum (Lib. XXII. Cap. XV.) *Templa* per totam Ægyptum *molibus magnis extructa fuisse:* intelligunt non plane rudes antiquitatis, in omnibus illis expositas fuisse imagines & statuas *Deorum* quibus Templa consecrata erant. Templa enim Gentium non erant *inania*. Confer, si lubet, Theodoretum narrantem, ut idololatria in Ægypto sub Theodosio eversa fuerit, Hist. Lib. V. Cap. XXII. Quæris, quæ origo fuerit superstitionis nefandæ, quæ præstantissimam Divinitatis Naturam concepit sub formis rerum terrestrium, ac tandem sub speciebus humanis, cum nec speciem ullam Dei unquam vidissent, nec ejus Religionis accepissent mandatum? Plerique inde repetierunt, quod heroës fato functi à posteris in eorum statuis pro Diis culti sint. Cyprianus Tractatu Quarto, qui est de *Idolorum Vanitate*, mox in initio de *Diis Gentium*: *Reges olim fuerunt qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta Templa. Inde ad defunctorum cultus per imaginem detinendos expressa simulacra.* Sic plures alii. Non adeo male, si respexerit antiquissimam Idololatriam Græcanicam, quæ fere fuit *Heroica*: postmodum enim *Symbolicam* quoque ab Orientalibus acceptam in Sacra sua admiserunt, vel ipsi Symbolicas Idololatriæ species ex ingenio suo commenti sunt. Sed si respexerit primam Idololatriam Orientalium, & ei subservientes imagines: multum fallitur. Idololatria Orientalis fuit Symbolica, & Ægyptia quoque, licet absurdissima videatur, ut vere est. Verissima causa hujus superstitionis est quod Gentes, sensim à puriore ratione deflectentes, ingenti quodam & flagranti desiderio expetierint *præsentiam visibilem* illius Dei quem cultui suo objectum habebant. *Signa* enim illa *externa visibilia* Divinitatis, si quis sibi ulla ratione probabili persuadere queat, Numen iis præsens adesse: magna sunt Religionis incitamenta, & cultoribus Numinis magnum adferunt solatium. Est enim jucundum sibi persuadere, se Deum habere præsentem, & in sua veluti custodia. Ipsa illa persuasio, quantumvis debilibus aut falsis nitatur rationibus, parit delectationem; Deum videlicet præsentem habere ante suos oculos; ad præsentem dirigere vota & preces; & beneficia præsenti accepta ferre. Certe homo carnalis ineptus est ad cultum spiritualem. Huic itaque affectui subservierunt Sacerdotes, qui facile ex ingenio conceperunt *symbola*, & *signa*, quibus Divinitatem adumbraverint, vulgo persuadentes, Deos se his *signis* unire, & ea *insidere*. Quid, quod sub Christianissimo, ad cultum mere rationalem h. e. spiritualem ex instituto Christi Jesu & Apostolorum formato, vulgus superstitione, non Religione, à Sacrificulis similis ingenii imbutum, sensim ad eandem εἰκονολατρείαν maximo Christianæ Religionis scandalo prolapsum sit; tueturque suum locum & ordinem superstitio, licet orta denuo luce Evangelii ad pudorem usque falsi convicta, & plane prostituta. Placet scilicet hoc genus Religionis hominibus carnalibus Spiritu Dei vacuis. Quid hic excipiatur, non ignoro: sed excipitur frustra. Vulgus statuas Mariæ glorioſæ Virginis & Sanctorum Divina veneratione colit, parum gnarum distinctionum Scholæ. Sed de eo hic disputandi locus non est: imo esset, si mihi liceret ab instituto digredi.

Uſus vocis תרומה h. l.

rus; ſive quod ſubſtantia rei familiaris ei ſit tenuior. Kimchii hæc eſt ſententia quam plerique Intt. recentiores ſequuti ſunt. Jarchius vertit, *Qui aſſuetus* (edoctus, peritus eſt,) *fuerit* בירוח עצים *ligni* in hunc uſum rite *eligendis*. Vox נסן in formis *Niphal* & *Hiphil* adſciſcit ſignificatum *tentandi*, *periculi faciendi*, *aſſueſcendi*. adducit locum Num. xxii. 30. Et vocem תרומה *oblatio*, *ablatio*, vertit per הפרשה ἀφαίρεσιν, ἀφαίρεμα, *ablationem*, *ſeparationem* lignorum; ut bonum à malo diſcernat. Non plane ſpernenda eſt interpretatio: ſed Kimchii illa multo pulchrior & loco congruentior. Græcus Int. hic nihil vidit: ſed nec Hieronymus, qui verba cum non intelligeret, præteriit. Chaldæus pariter hic adhæſit. Tu ſolummodo obſerva, α. Vocem מסוכן hic ferre poſſe ſignificationem *paupertatis*, *frugalitatis*, ex uſu vocum מסכן & מסכנות, quarum hæc teſtata eſt ſignificatio, abunde liquere. β. Notionem תרומה hic à Propheta elegantius uſurpari. Notat enim proprie, id quod quis de *bonis ſuis* in uſum ſacrum liberaliter ſeparat. τὰ ἀκροθίνια. Erat תרומה *oblatio* legalis quidem ſed *liberalis*, cujus quantitas Lege non erat definita, contradiſtincta *Decimis*, quæ veniunt nomine מעשר. γ. Mentionem hic magis eſſe de *idolis* privatis quam publicis, quod modo præmonebam, ex ipſis hiſce verbis clareſcere. Eſt enim *idolum* quod *privatus* ſibi ſuo ſumptu & impendio faceret. *Lignum* autem *quod non putreſcit*, hoc loco eſt generis *oleaginei*, cujus fere hæc eſt proprietas. *Cypreſſinum* ſc. *cedrinum*, *abietinum*, *quernum*, de quibus *Ligni non putreſcentis* ſpeciebus Plinius agit Lib. xvi. Capp. xl. & xli. à Grotio jam adductus. Sed nos hic non laboramus. Vates in eodem verſatus argumento, ſe ipſe interpretatur Cap. xliv. 14. ubi recenſet in hunc uſum *cedrum*, *quercum*, *ornum*, (cujus etiam hic mentio eſt apud Paraphraſten; ſed ut ego putem, non ab ejus manu:) & תורח *cupreſſum*. Sunt utique ſpecies ejus generis quæ *lineam* aut *cariem* minus ſentiunt.

Jarchii expoſitio integræ phraſios.

Significatio vocis מסוכן

Oratio Prophetæ præcipue referenda eſt ad Idola Domeſtica.

Species *ligni* quæ ad hæc idola formanda adhibebantur.

ỳſ. 21. *An non cognoviſti, &c.*

Gradatio in oratione Prophetæ, quæ oſtenditur.

ỳſ. 21. *An non cognoviſtis? an non audiviſtis? an non annunciatum eſt vobis ab initio? an non intellexiſtis, fundamenta terræ?*] Gradatio eſt orationis, ſi recte capiatur, valde venuſta; quam Kimchius Hebræus jam vidit ſane ac feliciter expoſuit: cui laudem bene meritam hic negare iniquum ſit, certe non mei moris. Videlicet poſtquam Propheta ipſum *crimen* idololatrarum proximis verbis deſcripſiſſet: inſtituit *elenchum* ſive *convictionem* ſtultitiæ quæ in hoc facto ineſt, & teſtatiſſimi ſtuporis. Cum enim ex lectione, inſtitutione, traditione, & ratiocinio ac νοήσει propria de *originibus rerum* percipere poſſent, Deum ſummum eſſe hujus Univerſi Creatorem, Fundatorem, Rectorem, excellentia Naturæ, perfectionis & Potentiæ ſupra mortales & mundana omnia evectum, & metallorum ipſorum auri, argenti, æris, & lignorum cujuſque ſpeciei Productorem: abſurdum eſſe arguit, *ſpeciem* Deo ex his rebus dare velle, vel ex illa *materia*, quæ tam longe infra Deum ſunt & Naturæ ejus excellentiam, ut nulla inter hæc comparatio locum habere queat; & ab ejus natura tantum diſtant quantum natura producti materialis inertis, patibilis, finiti, diſtat à Natura ſpirituali, actuoſiſſima, perfectiſſima & infinite perfecta ſui Productoris. Secundum hanc hypotheſin facile accipies ſententiam hujus loci, cujus gradationes paraphraſtice oſtendam. Primum eſt, *An non cognoviſtis?* Vos ſtupidi, ait, & inſulſi an non ex ſtudio veſtro aliquo vel lectione monumentorum aliquorum quæ apud vos extant, didiciſtis ac percepiſtis, ſc. quod deinceps ſequitur; *Fundamenta terræ.* quod in fine exhibetur, & cum omnibus cohæret. h. e. Deum eſſe hujus Univerſi Conductorem & Productorem, Perfectione & Potentia infinitum, ad quem tota hujus Univerſi ſtructura & conditio ut ad primam ſuam cauſſam referenda ſit? *An non audiviſtis?* Si ipſi ex lectione ſtudioque veſtro, id non didiceritis, aut perceperitis: an tamen forte id non *audiviſtis* ab aliis qui literis docti cultique id vos docuerint? *An non annunciatum eſt vobis a principio?* Si forte id non didiceritis ex lectione & ſtudio veſtro; neque etiam hauſeritis ab aliis doctis cultique ingenii viris: an itaque tam rudes eſtis, ut nihil etiam ejus rei ad vos pervenerit ex *traditione?* Eſt enim traditio conſtans per Orbem, (utique ſane erat apud Orientales:) hoc Univerſum ortum ſuum debere perfectiſſimo alicui Enti, quod *Deum* appellamus. *An non intellexiſtis? fundamenta terræ?* Si forte nec ex lectione veſtra, nec ex inſtitutione, neque etiam ex traditione perceperitis: an tamen ex ratiocinio & *νοήσει rationali intelligentia veſtra*, cogitando de *primis rerum originibus* & *principiis*, non eſtis aſſequuti, Univerſum hoc, & Tellurem hanc Univerſi partem, ortum ſuum debere alicui Enti Perfecto, & quidem Naturæ à producto ſuo diverſiſſimæ? Productor enim & productum tantum ab invicem excellentia & perfectione diſtant, quantum infinitum à finito; natura ſpiritualis à materiali; immenſus & eſſentia ſua τὰ πάντα κρατῶν *complectens omnia* à ſubſtantia per naturam ſuam reſtricta. Si itaque per rationem intellexeritis, (quod non eſt ſupra facultatem ingenii humani:) eâs res ex quibus vobis paratis & conficitis imagines, ut ſunt *aurum*, *argentum*, *æs*, *lignum cypreſſinum* aut *cedrinum*, non creaſſe hoc Univerſum: quomodo eaſdem illas res colere poteritis ut Univerſi hujus Conditorem? Si per rationem aſſequamini, Productorem hujus Orbis non eſſe aurum, argentum, lignum, ſed Rem auro, argento, ligno, diſſimillimam: quo modo ſub his ſpeciebus colere poteſtis *Creatorem* & *Rectorem* hujus Univerſi? Si ex ratione pateſcat, Productorem hujus Univerſi eſſe productorem hominis, atque adeo homine ut producto multo perfectiorem atque excellentiorem: (homo enim homini producendo impar eſt:) quid illum ſub *humana* colitis *figura?* Sic diſputat Propheta, quem mox videbimus ipſum telam ſuam pertexentem. Ut enim ſenſum ſententiæ redderem, aliqua me oportuit anticipare. Chaldus Int. qui hic operam non luſit, verba, הלא הגר מראש לכם *an non annunciatum eſt vobis ab initio*, vertit: הלא אתחוא מן אולא עובר סדרי בראשית לכון *An non annunciatum eſt vobis à principio opus ordinum Creationis?* Univerſa creationis ſeries, ordo, & ratio. Recte quidem, quippe ſupplendum eſt ex eo quod ſequitur. Vocula מראש *ab initio* (Græcis ἀπ' ἀρχῆς, in Scriptis Novi Fœderis *a*: &, exerte, ἀπ' ἀρχῆς κόσμε *b*,) valet à primo tempore conditionis hujus Univerſi & generis humani in Orbe locati, ut Cap. xli. 4. & xlviii. 16. Extrema tantum pars ſententiæ morari queat veri ſtudioſum. Hebræa: הלא הבינותם מוסדות הארץ ad verbum ſonant: *An non intelleXiſtis fundamenta terræ.* h. e. an non attendiſtis ad fundamenta terræ? ut Int. Alex. Hieron. & recentiorum plures, & inter eos Belgæ. Cocc. *An non conſideratis fundamenta terræ?* Et tamen Jun. Trem. Piſc. ſententiam elliptice acceperunt; vertuntque, *Inde à fundamentis terræ.* ἀπὸ καταβολῆς κόσμε. Kimchius, Ex *fundamentis terræ.* per quæ ille intelligit *quatuor Elementa* Phyſica Scholæ Peripateticæ. Neutrum poſteriorum interpretamentorum probo, non tantum quia ellipſis paulo durior, ſed quia abſque neceſſitate in hunc locum inducitur. Nec tamen propterea plane acquieſco in illa verſione, quam cum Hieronymo ſectati ſunt plures, etſi ad eam proxime accedam. Maſorethis debeo, quod veram Jeſaiæ mentem perſpexerim. Poſuerunt illi *accentum Zakeph*, diſtinctivum majorem, ſupra vocem הבינתם, *animadvertiſtis*; atque eo ipſo nos monuerunt, ſequentia מוסדות ארץ *fundamenta terræ* per aliquam moram ab hac voce diſtare. Legendum ſecundum ipſos: *An non conſideraſtis*; *fundamenta terræ.* Id quid ſibi vult? ais. Dicam verbo. Docent nos, has voces *fundamenta terræ* non tantum eſſe referendas ad vocem *animadverſtis*; ſed ad ſuperiora omnia prædicata hujus *verſiculi*, quæ

Gradatio ordo orationis & ratiocinationis Prophetæ.

Verba Prophetæ ex illa hypotheſi expoſita.

Quid hic, *audire?*

Diſtinguitur ab eo modus aliquid cognoſcendi ex *traditione.*

Et ex νοήσει prudent

Ratiocinium Prophetæ.

Quod continuatur.

Paraphraſis Chaldæa.

Emphaſis vocularum מראש *ab initio.*

Extremæ ſententiæ, *An non intelleXiſtis fundamenta terræ?*

Verus eorum ſenſus productus.

Maſorethorum laudabilis cura circa hunc locum.

Quomodo ſecundum eos hic diſtinguenda & exponenda

a Matth. xix. 8. Joh. viii. 44. *b* Matth. xxiv. 21.

quæ ſententia eſt veriſſima. Itaque quod Propheta dicit, *An non cognoviſtis? audiviſtis?* per *traditionem* aut famam accepiſtis? & tandem, an non *conſideraſtis?* hæc omnia pro objecto habent *fundamenta terræ.* Ibi terminatur ſententia. quæ enim ſequuntur, directe cum his non cohærent. Ergo ponenda erat diſtinctionis nota poſt vocem, *animadvertiſtis.* Sic ſententia pulchre exit. Per *fundamenta terræ* autem hic æque ac Prov. VIII. 28. per מוסדי ארץ, late intelligas hujus noſtræ telluris primas origines, ſive ortum primigenium; ſc. quomodo producta ſit; ex chao emergens fundata; partes ejus inter ſe coaluerint & concretæ diſpoſitæque ſint: non ſane ſuo arbitrio, voluntate, conſenſu, ſed vi & voluntate ſuperioris cujuſdam cauſſæ quam *Deum* vocamus. quod etſi homines neque *legerint* unquam, neque *audiverint*, neque ex *traditione* hauſerint: aſſequi tamen poſſunt *νοήσει prudente conſideratione* & *animadverſione*, (quæ hic genuina ſignificatio eſt vocis חכין, plane reſpondentis Græcæ *νοεῖν*,) qua Apoſtolus in eodem argumento verſatus utitur *a*. An itaque tanto obſeſſi, ait, & occæcati eſtis ſtupore, ut ex his rebus vobis *Deos* faciatis, aut Deum ſub earum rerum *ſpecie* ac *forma* vobis proponatis, quas res intelligere poteſtis non eſſe æternas, ſed nuper natas ortaſque eſſe, non ſuo arbitrio ſed voluntate ſuperioris cauſſæ productas, à Productore ſuo eſſentia & natura diverſiſſimas? Quam enim abſurdum, & ſummæ majeſtati injurium, *formam* ei & *ſpeciem* affingi & impingi; per omnia diſſimilem?

℣. 22. *Qui ſedet ſupra ambitum terræ, & incolæ ejus* ſe ad eum habent *per modum locuſtarum.*] Dubium primo in his verbis, quorſum pertineat illud, היושב QUI *ſedet*. Cum enim præfixa ה hic vere ſumatur ſignificatione *relativi* pro אשר, ut ſæpiſſime in aliis locis: quæris quorſum illud, QUI *ſedet*, referendum ſit? Duæ hic tantum obtinere poſſunt ſententiæ; ut videlicet vel referatur ad id quod proxime præceſſit, *An non* INTELLEXISTIS, ſive *ratione aſſequuti eſtis* .... EUM *qui ſedet, & ſeqq.* vel ut cohæreat cum verbis ℣. 18. *Et* CUI *aſſimiletis Deum fortem; & quam figuram* EI *aptetis?* ... *Ei* ſc. *Qui ſedet ſupra* ORBEM TERRÆ. Poſterius amplector, quod facillimum. Intermedia enim quæ intercedunt inter ℣. 18. & hoc noſtrum *comma* ℣. 22. ſe habent per modum parentheticæ *Declarationis* illius hypotheſios quæ ℣. 18. jacta erat, hoc eſt, ſtudii hominum in *Deo aſſimilando*, ſive in *fingendis imaginibus* in quibus *Deum* colerent. Alterum eſt quod docta ingenia exercet, Quid fuerit in mente Prophetæ, ubi hic memorat חוג הארץ ORBEM TERRÆ? Vox חוג notat quid *rotundum, orbicum, circulare.* quod *terræ* vario modo aptari poteſt. Poteſt enim *Circulus terræ* notare *cœlum* quod per modum *Circuli terram* ambit, in quo ſedes eſt Divinæ Majeſtatis: quæ eſt ſententia Kimchii. Si vero ad *terram* referatur: quæritur, Utrum Propheta noſter cogitaverit de *tellure* hac noſtra ut de *Corpore globoſo*, ſphærico, *σφαιροειδεῖ b*: ſub qua forma hanc Tellurem noſtram Phyſici vere concipiunt: ſive de *terra* ut de *Corpore rotundo* quidem, ſed *Orbico & Circulari*, ad modum *Orbium & Circulorum* qui circino deformantur in plana ſuperficie. Obſervarunt enim Docti Viri, ante phyſicam diligentius excultam, Vulgus hominum in ea hæſiſſe opinione, Tellurem hanc noſtram non eſſe *rotundæ*, ſed *planæ* ſuperficiei, eamque ſe habere per modum magnæ cujuſdam *inſulæ*, ejuſque *rotundæ*, ab Oceano undique circumfuſæ, veluti *circino* deſcripta deformataque eſſet. Eſt autem difficile, hic certi quid definire, cum vere vox חוג *circulus* cum *terra* conſtructa nullum horum ſenſuum excludat; & à nobis certo definiri nequeat, quid Propheta ſub hac notione comprehenderit. Phraſi tamen & ſchemati Vatis alterutrum maxime convenit, ut Deum tanquam ſummum Univerſi hujus Rectorem hic proponat ſedentem in *ſupremo circulo* Cœlorum qui terram ex opinione vulgata antiquorum *ſemiſphærica* figura ambiebant, quando חוג הארץ *Circulus terræ* ipſi ſignificabit ipſos *Cœlos* figura *ſemi-ſphærica* terram ambientes, & idem valebit quod חוג שמים *circulus cœlorum*, apud Jobum *c*: quæ ſententia Kimchii eſt omni ratione non deſtituta *A*: vel, ut חוג הארץ *Orbis terræ* hic notet *terram rotundam* inſtar

Quænam notio hic involvatur phraſi, *Orbis terræ*?

Præjudicium vulgi hac de re.

Cogitatio Prophetæ inveſtigatur.

Sententia Kimchii.

---

a Rom. I. 20. Heb. XI. 3. *b* Vox eſt apud Ariſtot. Lib. II. de *Cœlo*, Cap. *ult.* *c* Cap. XXII. 14.

A Kimchii verba hic allegaſſe juvat, quod ſententiam ejus ab iis quos inſpexi, neglectam videam: היושב כאלו אמר על השמים כי הם חוג הארץ כמו שעשה אדם במחוגה העגולה כי למחוגה ש שתי אצבעו האחד יעמוד ובשניה יקיף העגולה והנה הנקודה בתוך העגולה והארץ כמו הנקודה כי היא התחתון שבעגולה והשמים סביב הארץ כמו העגולה וכו' QUI SEDET] *Acſi loqueretur de* COELIS, *qui faciunt Orbem* ſive CIRCULUM TERRÆ, *quemadmodum ſi quis circino deſcribat circulum. Sunt enim circino duo digiti. unus perſiſtit ſuo loco. altero circumducto fit orbis* ſive *circulus*; (*περιφέρεια*, *circumferentia*,) *& ecce punctum eſt in medio circuli. Terra autem ſe habet inſtar* PUNCTI, *quia eſt infima pars Orbis; & cœli circumdant terram inſtar Orbis* ſive *Circuli.* Favet huic expoſitioni, quod, ubi vox ישב *ſedere* conſtruitur cum על *ſuper*: paſſim notet *ſedem* in qua quis conſidet, ut Pſ. XLVII. 9. Confer Vatem noſtrum Cap. VI. 1. XVI. 5. Et poſſet etiam hic comparari inſignis locus Pſ. LXXVII. 19. קול רעמך בגלגל *Vox tonitrui tui in Orbe* cœlorum. Proprie in *Atmoſphæra.* Interim (*a*) non nego, Notionem חוג ſecundum genium Linguæ magis ſignificare *rotundum circulare* ſive *Orbicum*, (eſt enim hæc genuina ſignificatio vocis *Orbis*:) quod in plano deſcribitur, quam *ſphæricum*, *σφαιροειδές*, ſive *περιχοειδές*. Siquidem מחוגה Prophetæ noſtro eſt *circinus*, Cap. XLIV. 13. Jarch. בלעז קומ"פש *Verriaculâ*, (Gallicana,) *Compas.* & חג loco Job. XXVI. 10. mox producendo, ſignificat *circulum*, cujuſmodi eſt figuræ in plano deſcriptæ. Græcis, *γύρος*. qua notione Alexandrinus etiam hic uſus eſt. Rotundum ſphæricum Hebræis magis dicitur ענגל, quam חוג. (*b*) Non licet ire inficias, ante figuram hujus Telluris à Phyſicis aut Aſtronomis clarius detectam demonſtratamque, vulgo hanc inſedisſe opinionem, Tellurem hanc noſtram ſe habere per modum magnæ cujuſdam Inſulæ, undique circumfuſam Oceano, veluti circulo circumſcripta, aut deſcripta eſſet circino. *Ὁ πάνυ* Bochartus, (*Geogr. S.* Part. II. ſive de *Colon. Phœnic.* Lib. I. Cap. XXXVI.) id fuſe atque erudite pro more ſuo adſtruit, & noſtrum quoque hunc locum ex eo exponit. multa etiam huc attulit Cl. Cellarius, ſententias Veterum de figura hujus Telluris ſtudioſe recenſens, *Geogr. Antiq.* Part. I. Cap. II. & noviſſime Vir Eruditiſſimus, Bernardus Montfauconius, *Præfatione* in Coſmæ Indicopleuſtæ, Monachi Ægyptii, eandem hanc ſententiam tuentis, Coſmographiam Cap. II. *Collect. Nova Patr.* Tom. II. Sed nihil hic poteſt eſſe diſertius Strabone ipſo, qui hanc ſententiam cum Veteribus aliis, tum præcipue Homero tribuit, Lib. I. p. 3. 4. & aliis quoque locis, ubi de eo uſu venit differere, docens, ejus eſſe ſententiam, *τῷ κύκλῳ περιεκτὴν τὴν γῆν Ὠκεανὸν Oceano terram in Orbem ambiri*, eandemque illum terræ ſpeciem exhibere in deſcribendo *Clypeo Achillis*. Ita eſt. Heſiodus eodem modo inſtituit in *Clypeo Herculis*; in quo cum Terram omnibus fere partibus ſuis habitatam pinxiſſet, ſubdit, (℣. 314.) Ἀμφὶ δ' ἔπειτα ῥέεν Ὠκεανὸς ποταμοῖο πλήθουσι ἐοικώς. CIRCA *extremam autem oram manabat Oceanus inundanti ſimilis.* Quin ſane ipſius *Clypei* figura terræ hujus figuram declarabat. Ἔιτες hic eſt extrema terræ *ora* & *circumferentia*. Extremos autem illos Oceani *fines* ſe per modum *circuli* habere ſibi perſuaſerunt, ut modo præmonebam. Pertinent huc liquida hæc Strabonis, Homeri ſententiam explicantis. Τοῖς γὰρ πέρασι πᾶσι συνάπτειν λέγει τὸν Ὠκεανόν· τὸ δὲ ἔχειν πέρατα κύκλῳ περίκειται· *Omnibus finibus* (terræ) *Oceanum eſſe adjunctum dicens.* EXTREMI AUTEM FINES CIRCULO eam AMBIUNT. Videri poſſent verba hanc quoque ferre poſſe interpretationem. *Extremos* autem *fines ejus*, ſc. terræ, *per modum circuli circumit Oceanus.* Sed ſi id voluiſſet Strabo: idem repetiiſſet, quod eum non agere vocula δὲ ſatis innuit. Ne jam dicam, rectius illum tum ſcripturum fuiſſe τοῖς ἐχάτοις πέρασι: licet non neſciam, vocem περιεκτὴν quoque conſtrui ſatis frequenter cum *quarto caſu*: ſed in aliis circumſtantiis. Vult itaque dicere Auctor, *extrema Oceani* ſe habere per *modum circuli*, & eum in modum hanc Tellurem circumdare, quo ſane eleganter, & commode referuntur loca inſignia duo. Alter eſt Prov. VIII. 27. *Cum diſponeres cœlos, ibi eram:* (verba ſunt ſummæ Sapientiæ:) בחקו חוג על פני תהום CUM DESCRIBERET CIRCULUM SUPER SUPERFICIEM ABYSSI. h. e. cum Oceanum circulo includeret & circumſcriberet. Alter analogus in verbis Jobi, Cap. XXVI. 10. חק חג על פני מים *Circulum deſcripſit ſuper ſuperficiem aquarum, uſque ad conſummationem lucis cum tenebris.* Sic proprie Hebræa. h. e. uſque ad illum locum qui lucem & tenebras diſcernit, quod cenſebatur fieri in *extremis Oceani.* Viſum inſuper eſt Eruditiſſimo Voſſio, de *Idololat.* Lib. II. Cap. LXXVII. & in *Etymol.* nec repudiavit Bochartus, vocem Ὠγὴν, quæ antiquis Græcis *Oceanum* ſignificavit, & unde haud dubie ipſa *Oceani* vox orta eſt, originem ſuam arceſſere ab hac ipſa voce חוג HHOOG, quod *circuli* inſtar circumeat terram: quod ita eſſe patior, & mallem tamen *ſpiritum aſperum*, qui proprie reſpondet literæ ה, in hac voce quam *lenem*, cum quo nunc legitur. Cenſuerunt itaque Veteres de vulgo, Oceani extrema veluti *circulo*, qui *aquas* continuerit, fuiſſe circumſcripta: etſi difficile dictu eſt, quam ideam huic rei annexerint. Sed abſit hic à Sanctis Viris omnis ſuſpicio falſi aut erroris. Locuti ſunt de rebus *κατὰ τὸ φαινόμενον*, ut intelligerentur, nec auſim aut velim dicere, eos veram rotunditatem ſphæricam *Telluris* non percepiſſe. Quin de *Rotunditate Oceani ſphæ-*

ſtar diſci, ex opinione vulgi, ab Oceano περιλυζομένην *circumfuſam*; cui ſententiæ, à Cl. Bocharto illuſtratæ, analoga quædam loca Scripturæ Sacræ videntur favere. Cum enim Propheta Deum hic exhibeat tanquam Regem in Excelſo ſedentem qui homines pedibus ſuis ſubjectos habeat tanquam *locuſtas*: ſchema illud metaphoricæ fictionis rectius convenit figuræ terræ vel *planæ* vel *ſemi-ſphæricæ*, quam *ſphæricæ*; ut quiſque facile per ſe obſervat. Utra accipiatur, nihil addit, vel demit emphaſi orationis. Kimchii illi vere favet vocula על; ſed eadem quoque alteri non obſtat. Notat enim æque *ſupra*, ac *ſuper*. Addit Propheta ſecundum figuræ ſuæ ſchema, *incolas terræ* Deo obverſari *ut locuſtas*. Nimirum dum Deum ſibi hic fictione figurata proponit ut Regem, in altiſſimis cœlis longe ſupra terram veluti in ſolio ſedentem; in terram autem tanquam *pedibus ſuis* ſubjectam è longinquo proſpicientem; eundem infert tanquam qui *homines* in omni ſuo *motu & actu* videat inſtar *locuſtarum* in terris diſcurrentium. Fictio non eſt inſolens Prophetæ noſtro [a]; aut Poëtis ſacris. Sic Vates Pſ. XXXIII. 13. *Ex cœlis proſpicit Jehova: videt omnes filios hominum.* Pſ. CXIII. 5. 6. *Quis ſicut Jehova Deus noſter, qui ſedem occupat altiſſimam, idemque demiſſiſſime ſpeculatur in cœlo & in terra.* Quæritur, quorſum comparatio *locuſtarum* proprie referenda ſit? Nobis quidem nullum eſt dubium, quin pertineat ad contemptum, exiguitatem, & ἐξαθενισμὸν, quæ vulgata, & ipſius quoque Bocharti [b] ſententia eſt, in cujuſque incurrens ſenſum. Sic Exploratores terræ Canaanææ de ſe cum reſpectu ad Enakæos, quos deſcripſerant ut Gigantes [c]: *Et fuimus in oculis noſtris*, (videbamur nobis eſſe,) כחגבים *ut* LOCUSTÆ; *& tales quoque iis videbamur.* Nec tamen dixerim id omne eſſe, quod in hac ſimilitudine latet. Homines, Dei reſpectu puſilli, neutiquam comparandi magnitudini ac ſublimitati ejus tanquam Rectoris Univerſi, qui in terra & humanis nil niſi parvum videt; homines, inquam, ipſi obverſantes in continuo actu, commercio, motu, agitatione, ut neceſſaria ſibi ad victum comparent, dum interim præſentia & obvia abſumunt, abradunt, & abliguriunt, vere præbent ſpeciem *Locuſtarum*, in terris diſcurſitantium, & obvia abſumentium. Cl. Coccejus *homines* hic *locuſtas* dici, ait, non *tam ratione exiguitatis, quam ratione impotentiæ & inſciitiæ ad ſibi providendum neceſſaria.* quod longius quæſitum videtur; utique hic à Propheta minus intentum. Cæterum quod verba ferunt, *Qui ſedet ſupra circulum terræ, & incolæ ejus ut locuſtæ:* neceſſario ſic accipiendum eſt, ut ſignificavi in Verſione, *dum incolæ ejus ipſi obverſantur ut locuſtæ.* ſive, *adeo ut incolæ ejus ipſi obverſentur ut locuſtæ.* Vocula & hic eſt ἀκολουθίας *conſequentiæ*, ut ſæpe.

Qui extendit cœlos tanquam cortinam, eoſque expandit ut tentorium quod habitetur.] Vocem דק ſingularis uſus hic verti per *cortinam* ſive *linteum tenue*, aut, ſi mavis, *conopeum*, *carbaſum*. Etymon vocis, & circumſtantia loci, definiunt ſignificationem. Hieron. *Veluti nihilum.* quod ſane *nihilum* elegantiæ & veritatis habet. quis enim rem dici queat *extendere* ut *nihilum? Nihilum* enim non *extenditur*. Int. Alex. Ὁ τήσας ὡς καμάραν τὸν ὐρανόν· *Qui ſtatuit cœlos ut cameram*, ſive *fornicem*. Senſus equidem non eſt contemnendus; nec tamen latet in poteſtate vocum. Altera quoque vox מתח, quam juxta cum aliis vertimus per *expandere*, inuſitata eſt in Sacris; & tamen nemo dubitat, convenire ei notionem, פרישה, נטיה *extenſionis*, *expanſionis*. Obtinet hanc ſignificationem apud Chaldæos, & Magiſtros quoque, quod Kimchius monet, eſtque ejus indicium in voce Hebræa אמתחת *ſaccus* [a], qui ſic dicitur ab expanſione. Int. Alex. h. l. recte, διατείνας. Sunt excellentia Dei attributa quæ ei hic vindicantur; affinia quidem, & tamen aliquo charactere ſuo diſtincta. vindicantur autem Deo heic loci tam reſpectu operis Providentiæ quam Creationis, quod Veteres recte accipiebant ut *opus*, ſive phraſi Domini, *operationem continuam* [b], dum res eadem *vi* conſervandæ erant qua primum productæ. Et quidem primum opus ſive attributum *extenſionis cœlorum*, Deo ut eximium quid tribuitur in confeſſione Sanctorum, vel oratione Dei ipſius excellentem potentiam ſuam celebrantis. Sic Jobus [f]: *Qui extendit cœlos ſolus.* Vates ſacer [g]: *Qui extendit cœlos* כיריעה INSTAR AULÆI. quod illuſtrat noſtrum דק *linteum tenue*. Propheta noſter in ſequentibus [h], Deum loquentem inferens: *Ego Jehova facio omnia:* EXTENDO COELOS SOLUS. & ſunt analoga plura [i]. Intelligitur utique vaſtum illud extenſum, cujus ſpatia intellectu vix aſſequimur, complexum materiam *aëriam* & *ætheream*, in qua *ſidera* vel fixum obtinent ſtatum ſedemque, vel certa lege errant ac volvuntur: quod corpus, ſtylo ſacro רקיע *Expanſum* dictum, opus quoddam eſt admirabile Divinæ potentiæ. Videtur enim eſſe *corpus*, *non-corpus*. Corpus quidem eſt non ſolidum tantum ſed ſoliditſimum, ex maximis effectis ejus nobis notiſſimum: ſed cum ſit rarum, fluidum, tenuiſſimum, diaphanum, non tantum mobile ſed ſemper motum, & viſum noſtrum fugiat; videtur eſſe *corpus ſpirituale*, naturæ ſuæ vim poteſtatemque egreſſum. *Corpora* enim cum ſub conceptu populari nobis obverſentur, ut *viſibilia* & *tangibilia*: ſubſtantia quæ eſt in motu, nec tamen videtur aut tangitur, proxime videtur accedere ad naturam ſpiritualem. Eſt igitur mirabile quoddam quod Deus effecit in extendendis cœlis, ſive hic ingenium, ſive potentiam Dixinam reſpicias. Et tamen quid plus vel aliud adhuc dicere voluit Vates, paulo obſcurius intellectu, ubi addit, Deum *illos extendere ut tentorium ad habitandum.* Sic proprie ſonant Hebræa: ויטחם כאהל לשבת. Quæ verba ubi primo aſpectu intueris, ſimpliciter dicere videntur, *Deum cœlos* non aliter extendere, ac ſi quis Tabernaculum diſtendat inhabitationi deſtinatum, ut לשבת *ad inhabitandum*, valeat אשר ישכן *quod habitetur.* quando nulla hic ſupereſt difficultas, ſed poſterius hoc membrum idem ſignificabit quod prius. Verum ſic ſimul ſtatuendum eſſet, verbum, לשבת *ad habitandum*, hic παρέλκειν, & otiari, quippe, ſalva & integra ſententia, poſſe abeſſe. Eſt itaque probabile, Prophetam dicere velle, *cœlos* vere à Deo extendi veluti *tentorium* ad *habitandum*, h. e. ut uſum præſtent inhabitationis. perinde ac de *terra* dicit [k]; לשבת יצרה AD INHABITANDUM *formavit eam.* Sed ubi Propheta ſic loquitur, incidit dubium: quorſum reſpexerit? Quorum enim *habitazioni* deſtinatum eſt cœlum? in cujus vel quorum uſum tanquam habitandum extenditur? Pleroſque Intt. vidi hic cogitare de hominibus. Adſcribit Sanctius, ad *commodam hominum habitationem*, nihil amplius adjiciens. Alius quidam Vir doctus: *Ut terra ab animalibus habitetur, quæ ſine attactu aëris nullo modo ſubſiſtere poſſunt.* Omnium clariſſime Coccejus: *Ut ſit* (Cœlum) *tanquam lacunar aptum hominum commoditatibus, ſive calore, ſive umbra, ſive madore, ſive luce opus ſit; ſive etiam homines indigeant tenebris, ut tanquam clauſis foribus quieſcant.* Kimchius quoque & Aben-Ezra ſayent interpretationi, & exponunt, *ad habitandum ſub illis.* nullam enim domum eſſe *abſque contignatione.* Sic diceret Propheta, convexum *cœlorum*, hemiſphæricum, cæruleum illud in quod obtutus noſter defigitur, ſpectandum eſſe inſtar *cortinarum* ſive *auleorum* tentorii, longiſſime extentorum, terram domicilium humani generis undique circumdantium, & veluti obtegentium. Sane Docti inter Judæos, Philo [l] & Joſe-

Doctorum aliorum, in quibus laudatur Bochartus.

Propheticæ verba, *Incolas Orbis Deo* obverſari *ut locuſtas*, ad idem ſchema referenda ſunt.

Similitudo *locuſtarum* quorſum proprie pertineat?

Res planius illuſtratur.

Qui extendit cœlos tanquam cortinam.

Uſus vocis דק h. l.

Animadverſio ad vocem מתח.

Attributa quæ Deo vindicant

Opus extenſionis cœlorum Deo gloriosum

Analogia loca in bus ejus mentio fi

Quod Divinæ videntiæ claratur.

Cœli vi tur eſſe pus non pus. cor ſpirituale

Plus eſt quod ad tur, Cœ extendi tentorium habitandi Senſus borum p mus.

Quod tur ad h tandum: ferendum ad habita nem act lem.

Int. id ſim refer ad homi terram in bitantes per quan cœlum in cortinæ tenſum ef

rica dici quoque poteſt, Deum Oceanum & terram circino veluti circumſcripſiſſe. Pythagoras, qui Telluris rotunditatem ſphæricam jam agnovit, ſententiam haud dubie ab Orientalibus habuit. Sed ſatis de luſce.

a Jeſ. LVII. 15. LXVI. 1. *b* *Hieroz.* Part. II. Lib. IV. Cap. IV. *c* Num. XIII. 33. *d* Gen. XLII. 28. *e* Joh. V. 17. *f* Cap. IX. 8. *g* Pſ. CIV. 2. *h* Cap. XLIV. 24. *i* Cap. XLII. 5. &c. Jer. X. 12. Zach. XII. 1. *k* Cap. XLV. 18. *l* Lib. de *Vita Moſis.*

Philonis Judæi & Josephi cogitationes de sensu mystico Tabernaculi Mosaici.

Josephus [a], ignari verorum mysteriorum Tabernaculi, jussu Divino à Mose ad præscriptum extructi, persuasum voluerunt Gentilibus, esse illud figuram Universitatis rerum, in omni sua proportione, quod Josephus ita extulit [b]: Τὴν διαμέτρησιν τῆς σκηνῆς πρὸς μίμησιν τῆς τῶν ὅλων φύσεως συνέβαινεν εἶναι· *Commensurationem Tabernaculi ad imitationem totius Universitatis rerum* compositam *esse contigit*. Sed hæc fictio falsa est, nec se partibus suis sustinet. De interpretatione etiam hac ipsa, in se spectata, etiamsi eam plane non rejiciam, vehementer tamen dubito. Ubi Propheta scripsit, *cœlos* extendi *ad habitandum:* phrasis hunc postulat sensum, ut *ipsi habitentur*; non, *ut habitetur terra sub cœlis*. perinde ac ubi dicit [c], *terram factam esse* לשבת *ad habitandum:* h. e. ut *ipsa habitetur*. Homines autem ut non inhabitant cœlos, sic non dicuntur etiam stylo Scripturæ eos inhabitare. Dictum Viri Sancti [d]: *Cœli, cœli, sunt Jehovæ; at terram dedit filiis hominum*. Quod ipsum cum haud dubie alii quoque considerarent: retulerunt dictum Prophetæ ad *Deum ipsum*, ut dicere velit Propheta, Deum extendisse *cœlos*, ut sint veluti *tentorium* quod *ipse inhabitet*. Sic Piscator. Chaldæus: למשכן יקרא לבית שכנתא *Ut sit habitaculum gloriæ Domus majestatis*. Utique nihil est familiarius Prophetis, & Scriptoribus Sacris, quam cœlos dicere *Domum Dei*, & *ipsum habitare in cœlis*. Vates noster, Cap. XXXIII. 5. *Dominus est elatus, siquidem habitat in sublimi*. sc. cœlo. Rursus Cap. LVII. 15. Pſ. II. 6. *Qui in cœlis habitat*, (ישב) *ridebit*. Sic sæpius in oratione Salomonis [e]: *Et tu audies* שבתך מקום IN *loco habitationis tuæ*, IN COELIS. Inde Cœli, non tantum summi, sed & inferiores, & ipsa quoque *atmosphæra*, veniunt nomine עליות *Cœnaculorum Dei*. Amosus [f]: *Qui in cœlis* ÆDIFICAT (instar domus,) מעלותיו COENACULA SUA. Poëta Divinus [g]: *Extendens cœlos instar cortinæ. Contabulans in aquis* עליותיו COENACULA SUA. Deinceps [h]; *Potat montes ex* COENACULIS SUIS. Cœli itaque oppositi ad terram spectantur ut tentorium quod à *Deo* & *Angelis* qui *Angeli cœlorum* dicuntur [i], inhabitatur: quod Deus in suos usus sibi extendit; sub quibus ipse *latens & invisibilem* suam naturam majestatemque veluti condens, mirabilia illa phænomena & effecta producit quæ homines in terris stupent. Poëta sacer [k]: *Qui ponit tenebras latibulum suum*; (ubi aër in tempestatibus atro veluti velamine obducitur:) סביבותיו סכתו CIRCA IPSUM EST TENTORIUM EJUS: *obscuritatem aquarum; nubes aetheris*. *Columnæ* autem sive *stylobatæ* hujus *tentorii*, qui dicuntur *columnæ cœlorum* [l], non sunt sane *montes*, ut Viri Docti ex comparatione duorum locorum, sive *variantium lectionum* 2 Sam. XXII. 8. & Pſ. XVIII. 8. in quorum altero legitur, מוסדות השמים *fundamenta cœlorum*, in altero, מוסדי הרים *fundamenta montium*, sibi persuaserunt: (quia FUNDAMENTA *montium* non possunt esse idem quod FUNDAMENTA *cœlorum*, siquidem *cœli* non sunt idem quod *montes*; & *cœli* valde quæsite dicuntur niti *montibus:*) neque etiam *aër* inferior aut *atmosphæra*, ut Vir Eruditus; sed potius αἱ δυνάμεις αἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *potentiæ* sive *virtutes cœlestes* [m], h. e. caussæ interiores, nobis incognitæ & invisibiles, quæ universam cœlorum machinam sustinent, & in libramento suo conservant. ut adeo duo illa loca analoga affinia nobis, non eadem exhibeant. quod in *variantibus lectionibus* certis de caussis, quas hic non explico, non raro accidit. Sic putem me Prophetæ suum reddidisse sensum in phrasi, quam plures levi pede transierunt. Sed est à more nostro alienum ut clarum simulare & transmittere, quod vere obscurum videri queat, & in quo non indocti tantum, sed & docti vix effugiunt errorem. Nec tamen complexum sententiæ totius nobis negligendum erat. Propheta hic

Dubium quod residet in hac interpretatione.

Cœli proprie non sunt conditi ut *habitentur* ab hominibus.

Verba relata ad *habitatorem* Dei & *Angelorum in cœlis*.

Loca analoga ex quibus phrasis illustratur.

Pertinet quoque illuc *Atmosphæra*.

Sensus declaratus.

Columnæ Cœlorum non videntur esse *montes*.

Sed *Potentiæ & Virtutes Cœlestes*.

Propositum Variis his

refellit vanitatem idololatrarum, hoc argumento, quod absurdum sit, Deum omni modo, majestate, magnitudine, potentia, *immensitate* sive ἀμετρίᾳ plane *incomparabilem*; qui mundana omnia tanquam vilia, parva, despecta, suis pedibus, sive potestati suæ subjecta habet; cui vastissima cœlorum extensio instar præbet tentorii sub quo majestatem suam condit: comparare *figuræ* qualicunque, maximè vero *hominum*, in quibus præter *invisibile* illud rationis quod in sensum non incurrit, nihil est Deo simile: quanto minus in auro, argento, ligno, ex quibus *idola* conficiuntur: quæ nihil exhibent ejus quod Deus est; naturæ ejus plane disparia; & ad magnitudinem atque excellentiam ejus ullo modo figurandam plane inepta; ut nemo absque manifestario Majestatis Divinæ dehonestamento, & absque summa injuria ejus, illum sub hujusmodi schematibus colere possit.

verbis refellere vanitatem idololatrarum. Ratiocinationis ejus typus.

ỳ. 23. *Qui redigit Principes in nihilum; & Rectores terræ ut quid inane reddit.*] Nulla hic difficultas, si τὸ γράμμα respicias. Vox רוזנים, undecunque originem habeat, in genere notat ἄρχοντας, Principes, Proceres, Dynastas: ut, si forte etymi sui respectu quid minus notet quam Principes, h. e. Principum *consiliarios*; à Principe proximos: usus tamen sui ratione generatim sumatur pro hominibus in summa Dignitate positis, Rectoribus Gentium, & Populorum. Sic Debora [n]: *Audite* REGES; *aures advertite* רוזנים PRINCIPES. Hab. I. 10. *Et ipse* (Chaldæus) *Regibus illudet; &* PRINCIPES (רוזנים) *irridebit*. Pariter qui Pſ. II. 2. appellantur *Reges* & רוזנים *Dynastæ*, Judices, Præsides, ỳ. 10. vocantur *Reges* & JUDICES sive RECTORES TERRÆ. Ea enim hic potestas est vocis שופט JUDEX, de quo jam vidimus ad Cap. XXXIII. 22. Notat promiscue Rectores Gentium, sive Reges sive Dynastas aut Proreges, quorum erat, α. constituere statum Populi, aut constitutum ordine conservare. β. Eum defendere adversus hostes, exercitus summo imperio suisque auspiciis ducendo & regendo. Et γ. quod præcipuum omnium erat; *jus dicere* in publico [o]. sive Potestas esset originaria, sive delegata. Sic Pſ. CXLVIII. 11. ubi ordine memorantur, *Reges, Principes*, & *Judices:* gradatio videtur institui à majoribus ad minores. Sed, ut dixi, id perinde se habet. Hos dicitur Deus *dare in nihilum*, (sic enim proprie sonat phrasis Hebræa:) & *quid inane efficere*. h. e. de summo, in quo positi sunt, fastigio dignitatis, honoris, gloriæ, subito dejicere, prosternere, *nullos facere*, & cum omni sua stirpe extirpare; idque ita facere, ut omnes mortales videant, esse opus Dei, & cum ad culmen gloriæ ac felicitatis perducti durabilem sibi polliciti sint prosperitatem; stamen vitæ & cum vita spes vastas omnes, subito rescindi; atque ut ipsi sentiant, ejus se judicio cadere: sive Deus illos per morbum gravem nec opinato prosternat, ut exemplum est in Herode [p]: sive Judicio extraordinario eos perdat, instar Pharaonis & Procerum Copiarum Senacheribi [q]: sive judicium illud suum exequatur per adversarios ipsius providentia suscitatos, subinde etiam, quod gravissimum est, proximos; quod Senacheribo ipsi [r], & Achabo [s], accidit: sive etiam quo alio casu aut infortunio, (non tamen præter Dei consilium,) inexspectato intereant, ut Eli [t]. Exemplorum horum generum in Historia Exotica tanta seges est & copia, eorumque non vulgarium sed plane memorabilium, ut narrandi nullus sit finis. Sume tamen tibi ex Vetere historia specimina si placet, ex Alexandro Macedone & Copiarum ejus Ducibus qui post ipsum Orbem Imperii ejus occuparunt & inter se diviserunt, & mutuo fere exitio inter se Bella gesserunt, animadvertenda Judiciorum Divinorum varietate, & catena, ex Diodoro & Justino; in quibus

ỳ. 23. *Qui Principes redigit in nihilum, &c.* Usus vocis רוזנים.

Judices ſt. Scripturæ S. *Rectores*. qui usus vocis declaratur.

Summa sententiæ.

Quot modis Deus Principes prosternat, eorumque *Domus* evertat?

Specimina exemplorum hujus generis ex historia.

a *Antiq.* Lib. III. Cap. V. b l. c. c l. c. d Pſ. CXV. 16. e 1 Reg. VIII. 30. f Cap. IX. 6. g Pſ. CIV. 2. 3. h ỳ. 13. i Marc. XII. 25. XIII. 32. k Pſ. XVIII. 12. l Job. XXVII. 11. m Marc. XIII. 25. n Jud. V. 3. o 1 Sam. VIII. 5. 6 20. 2 Sam. XV. 4. Pſ. LXXII. 1. p Act. XII. 23. q Exod. XV. 1. 2 Chron. XXXII. 21. r Jeſ. XXXVII. 38. s 1 Reg. XXII. 34. t 1 Sam. IV. 18.

conſpicienda eſt hiſtoria Regni Thraciæ & Macedoniæ: ex *Bellis Civilibus* Romanorum Appiani; & ex Hiſtoria Romana expende Fata Principum poſt extinctum Tiberium; inde poſt Alexandrum Severum; rurſus poſt depoſitum Imperium à Diocletiano: ex recentiore meditaberis Judicia Dei in Italiam & Principes ejus ex Franciſco Guiccardinio *A*; catena ducta ab obitu Ferdinandi Senioris, Regis Neapolitani; & Domus Valeſiæ poſt proſtratum Divino judicio Henricum II, ex Hiſtoricis Gallicanis. Sed piget etiam hæc recenſuiſſe. Omnis hiſtoria clamat; omnis Gentis & Populi Annales hic loquuntur. Quantum enim hujus generis eſt quod triſtis hiſtoria Imperii Conſtantinopolitani; turbulenta ſucceſſio Regum Angliæ & Scotiæ; & ipſorum quoque Belgarum Principum ante Philippum Caroli V Patrem tibi non ſubminiſtret? Longus ubique eſt Judiciorum Divinorum contextus, longa ſeries. Tonitrua & fulmina plagarum cœleſtium ubique detonuerunt in capita Principum, paſſim magnis obſtrictorum criminibus, eoſque proſtraverunt, deturbarunt, disjecerunt. Sic ſibi conſtat ſententia Vatis, Pſ. LXXVI. 13. *Amputat ſpiritum Principum tanquam botros: tremendus Regibus terræ.* Confer elegantiores analogas, eaſque inſignes, ejuſdem argumenti Job. XII. 17. ſeqq. Hagg. II. 23. Pſ. II. 9. Dan. II. 21. De ſcopo hujus dicti mox.

In hiſtoria occurrit Contextus *Judiciorum Dei.*

℣. 24. ETIAM NON *plantantur; etiam non ſeruntur; etiam non agit in terra radices ſucciſus truncus eorum; atque etiam ſufflat in illos, & exareſcunt, ac turbo eos tanquam ſtipulam aufert.*] Sic proprie ad verbum ſonant Hebræa, quæ ad primam ſpeciem obſcuriora videntur. Quomodo enim Principes non *plantantur*, non *ſeruntur*, cum utique conſtet, eos ſe in terris oſtentare tanquam *celſas arbores*, vertice cœlum ferientes; quos Vates ipſe afflatu Divino *exareſcere* dicit. Hæc itaque difficultas apta nebulas objicere judicio, induxit Intt. ad diſcedendum ab illa ſententia, quam verba directe important, ut occaſionem habeant ejus leniendæ aut commoda interpretatione juvandæ: quod tamen fruſtra & abſque neceſſitate fieri, mox pateſcet. Piſcator, qui poſt Jun. Trem. preſſe inhæſit ſententiæ verborum: UNDE *neque plantantur, ſeqq.* Sed illud *unde* ut non eſt in ſententia Jeſaiana: ſic poteſt, & debet abeſſe. Kimchi: כל כך יתנם לאין ער שיאמרו עליהם לא נטעו ולא זורעו וכו' *Uſque eo eos redigit ad nihilum uſque quo de iis dicatur: Non ſunt plantati, non ſati, &c.* Ergo ſecundum ipſum ſic ſupplenda eſſet ſententia: *Ut etiam de iis dicatur: Non ſunt plantati, & ſeqq.* Aben-Ezræ non eſt diſſimilis ſententia. Adſcripſit ad hæc verba: המעם כעצים שיאבדו כאלו לא נטעו וכו' Senſus eſt: *Inſtar arboris quæ pereunt* ACSI *non eſſent plantatæ.* Ad poſteriorem hanc proxime videtur accedere Cl. Coccejus, qui nihil mutat in *verſione*, ſed ad hunc proxime ſenſum accedit, acſi dicere velit Propheta; *Ut videantur non eſſe plantati, non ſati, &c.* Non ſperno hæc, nec improbo plane: attamen quæro aliquid ſimplicius & planius, quod ſententiæ perfecte ſatisfaciat. Suntne itaque verba ſic concipienda: NON SUNT *plantati, non ſati, --- &* ETIAM *dum in illos ſufflat, exareſcunt.* Hoc eſt, VIX SUNT *plantati, vix ſati, ... quin ubi in eos ſufflat, exareſcant.* Placuit etiam hæc Doctis quibuſdam Viris interpretatio ſane non contemnenda. Equidem fero eam lubens, & non invitus largior, non tantum voculam נרל, ſed & לא, *negantes particulas*, ſubinde ſumi pro *vix*, *ſtatim*, *ſimulatque*, ut recte dicatur, *Non ſunt plantati*, h. e. VIX *ſunt plantati*, CUM ...: Verum obſervo, *a.* Si ea interpretatio hic locum obtineret, non videre me nec agnoſcere uſum voculæ גם ETIAM, quæ, niſi plane fallor, debebat abeſſe. Illa hunc ſenſum non juvat, ſed turbat. Recte dicitur, *Non* (vix) *ſunt plantati ... &* (quin) *ipſo ſufflante exareſcant*: vel abſque copula, quæ in ejuſmodi caſibus recte abeſt, *Ipſo ſufflante exareſcunt.* ſed incommode: Non (vix) ſunt plantati ... & ETIAM *illo ſufflante exareſcunt.* β. Quod additur, *Truncus illorum ſucciſus non agit in terra radices:* ſupponit utique, Principes illos de quibus loquitur, jam dudum fuiſſe plantatos & excreviſſe in altas magnaſque arbores, cum iis jam adſcribatur גזע *truncus ſucciſus.* ut ſane ad gloriam Dei facit, non, arbores *vix plantatas*, vel *vix ſatas*, h. e. Principes vix conſtitutos in imperio, & nondum in eo confirmatos, dejicere ac proſternere; ſed arbores magnas altaſque & proceras, in magnum exſurgentes faſtigium. Quid plura? Senſus Prophetæ ſimpliciſſimus & facillimus eſt, Deum Principes ac Tyrannos Orbis hujus terræ, licet ſe *oſtentent* inſtar *magnarum* & *late expanſarum arborum*, (emblemate in Sacris uſitatiſſimo, reſpectu habito tum ad earum *altitudinem* & celſitatem; tum ad *inumbrationem* quam præbent animantibus omnis generis; tum ad frondium & foliorum decus atque ornamentum [a]:) ita proſternere & dejicere, ut non ipſi tantum ſoli cadant, & intereant, ſed ut intercidant cum omni prole ac ſobole, ſive, ut non ſoboleſcant; ut nulla ex ipſis ſtirps ſuccreſcat; ſed memoria illorum omnis pereat atque intercidat. Sic habet oratio Prophetæ, per gradationem ex ejus more aſcendens. Primo ait, ETIAM *non plantantur.* Nempe etiamſi Deus Principes in nihilum redigeret: fieri tamen poſſet, ut *planta* aliqua ſive ſurculus ex ramis aut radicibus *arboris* decerptus infigeretur terræ & ſenſim excreſcens fructum faceret; eodem plane modo quo apud Ezechielem in ſimili emblemate ex ſummis ramis *altæ cedri* Domus Davidicæ decerpendus dicitur ſtolo ſive ſurculus, *plantandus in monte alto* [b]. ubi de Zerubabele, & præcipue de Chriſto Jeſu cogitabis, ut Rege ſub eodem emblemate propoſito. Verum ſi ne id quidem locum habeat: poſſet tamen ex *ſemine*, quod arbores omnes & frutices ex inſtitutione naturæ ferunt & occultant, in terram conjecto nova planta enaſci & rurſus in ejuſdem ſpeciei arborem exſurgere. Verum ne id quidem fieret, ex dicto Prophetæ. Perdit Deus & proſternit Principes eum in modum, ut ne ſemen quidem ullum licet tenellum, reliquum faciant. Sic Nahumus plane in eandem ſententiam de Aſſyrio [c]: לא יזרע ממך עוד *Nullus amplius de nomine tuo ſeretur.* Denique fieri poſſet, ut *arbor* jam dejecta, proſtrata, *ſucciſa*, (גזע *truncus*, de qua voce vidimus Cap. XI. 1.) ut in *nihilum redacta* videatur: tamen cum tempore refloreſcat, novoſque ſtolones emittat & radices agat, atque adeo propullulet; ut ſane hiſtoria multa exempla exhibet Principum de ſolio ſuo & dignitate deturbatorum, ex Regnis ſuis profugorum, & ut videbatur, plane proſtratorum, qui tamen, variante fortuna, priſtinam cum tempore recuperarunt dignitatem, eamque ad poſteros tranſmiſerunt: quod emblema dicto loco illuſtravi. Sed ne id quidem futurum eſſe, docet Propheta. Proſtrati ita jacebunt, ut plane nulli ſint, intereant; & æternum aboleantur; quippe quod ipſe addit, *exareſcent.* Ubi autem arbor proſtrata *exareſcit*, *nulla planta*, nullum *ſemen*, nullus *fructus*, nulla nova ejus *efflorescentia*, exſpectari poteſt. Id vero non fieri docet *magna* Dei *opera*, *ſufflante* ipſo hunc exiſtere effectum. Intellige *vim* ſummam quæ potentiam Divinæ Voluntatis quò quò ſe converterit, ejuſque Voluntatis decreta & judicii Divini ſententias, ſemper comitatur; quæ fundata eſt in *ipſa* Dei *vita*. Similitudo deſumpta eſt ab halitu forti quem majoris & vaſti corporis homines, *maxime ira incenſi*, emittunt: ut vere Vates in tota hac oratione magnitudinem Divinam humanæ comparans ab ipſo homine comparationem deſumit. Tan-

Sententia ad ſpeciem paradoxa.

De Verſione verborum quæritur.

Sententia Kimchii.

Et Aben-Ezræ.

Cl. Cocceji.

Alia interpretatio, ut *non* hic exponendum ſit per *vix*.

Ad eam ἔνστασις.

Sunt quæ ei obſtant.

Non agitur hic de *Principibus* nupe *plantatis.*

Senſus Vatis probabilior: Principes & Tyrannos cum omni ſua poſteritate deleri, & Domus illorum penitus exſcindi.

Gradatio Prophetæ ordine expoſita.

Primum, *Non plantantur.*

Nulla planta ex arboribus excisis decerpitur.

Locus Ezech. XVII. 22.

Alterum, *Non ſeruntur.* ne quidem ſeruntur.

Dictum Nah. I. 14.

Tertium, *Ne quidem truncus ſuboleſcit.*

Sententia myſtica.

Arbor percuſſa & proſtrata plane *exareſceret.*

Deus id non agit magna opera.

Ipſo *ſufflante exareſcunt* hæ magnæ arbores.

Metachora unde hic deſumpta?

Quid *halitus* myſtice h. l. noteſt?

---

a Pſ. XXXVII. 35. Ezech. XVII. 3. 7. &c. Dan. IV. 10. 11. & ſeqq. Confer Cap. II. 15. *b* Ezech. XVII. 22. *c* Cap. I. 14.

A Guiccard. Lib III. *Mortuus eſt impubes, atque adeo ſucceſſit illi in Regno* (Neapolitano) *Fridericus Patruus; eratque hic quintus Rex qui comparebat in hoc Regno ante elapſum triennium*, ſc. Ferdinandus ſenior, Alphonſus, Carolus VIII Galliarum Rex, Ferdinandus junior, & Patruus ejus Fridericus, ipſe etiam non longo poſt Regno exuendus: perinde ac Car. VIII. Galliarum Rex brevi rebus humanis exemptus eſt.

Tanta in Deo est *vis vitæ*, ut prosternat omnes adversus quos potentiam suam direxerit: tanta *Verbi ejus* (quod per *halitum* emissum enunciari censetur:) vis & efficacia, ut illud emissum mox sequatur effectus: quod *Verbum* sive sit exequutorium Decretorum & Judiciorum Divinorum: sive declaratorium Divinæ Voluntatis, quo damnatur *Justitia carnis*, & commendatur *Justitia* Dei, (quod fit Verbo Evangelii,) semper sortitur effectum. Nihil horum excludimus in sententia superiore Cap. XL. 7. ubi *Spiritu Dei sufflante* OMNIS CARO *instar graminis* dicitur *exarescere*. Est enim dictum analogum: res eadem. nisi quod hic magis respiciatur *halitus* Dei ut Principis irati, aut *Verbum* ejus ut *Judicis*. Sic apud Ezechielem de Ammonitis [a]: *Et effundam adversus te indignationem meam:* באש עברתי אפיח עליך *igne excandescentiæ meæ in* TE SUFFLABO. *Igneus* autem *halitus* qualis censetur esse Dei pro summa vi vitæ ejus *arbores; plantas*, facit *exarescere*. Est in dictis Eliphazi grave illud & insigne, de impiis [b]: FLATU DEI *pereunt*; & SPIRITU IRÆ EJUS *consumuntur*. Et possunt hic conferri quæ monuimus ad Cap. XI. 4. XXXI. 33. & Ps. XVIII. 16. Persistit Vates in eadem metaphora, & subjungit: *Et turbo instar stipulæ illos tollit*. Quà halitus Dei *igneus* est, facit exarescere *viride* & florens omne in quod sufflat: sed quà idem vehemens est ac violentus, instar præbet *turbinis*, sive *tempestatis* quæ Principes tanquam *rem levissimam* aufert: quod ipse vel per *ordinaria* media suæ Providentiæ, vel per *extraordinaria*, ἀμέσως, efficit. Forte ea vis est in voce נשף, ut notet *halitum*, ventum vehementem. Certe sic accipitur Exod. XV. 10. Quicquid in Deo concipitur, censetur est grande, vehemens. Omnia Θεῖα *Divina*, sunt μεγάλα *magna*. Confer Dan. II. 35. Percipimus sententiam dicti: veritatem ejus omnis historia docet, suntque hic documenta adeo diffusa, ut ea non attingere præstet. Propheta unum exhibuit in Assyrio, vel Babylonio, Cap. XIV. 18. 19. estque hic in promptu cogitare de Belschazare, cujus fuit triste & singulare fatum [c]. Certe etsi exempla hujus generis historia tam Populi Dei in Saule, & *Domibus regnatricibus quatuor Ephraimitarum*; quàm Exotica in Dario Persa, Alexandro Macedone, Lysimacho, Perse, Mario, Mithridate, Ptolemæo, Dionysi Filio, Cajo Caligula, aliaque absque numero, (ne nunc ad recentiora tempora eam:) ostendat: patescet tamen ex his quæ mox dicam, hic rectissime cogitari de Tyrannis, Persecutoribus Ecclesiæ, sive cum tota Domo sua sive cum maxima ejus parte, dejectis ac prostratis, cujus generis fuerunt Pharao, Antiochus Epiphanes, Nero, Domitianus, Decius, Gallus, Maximianus Herculius, Galerius, Maxentius, Maximinus, Julianus, Valens; & ex Historia recentiore Principes ultimi Domus Valesiæ, in Galliis, sævi Ecclesiæ purioris Persecutores: qui omnes memorabilibus Dei judiciis ceciderunt; quorumque *exarsit stirps:* sive nullam reliquerint prolem; sive cum prole extincti fuerint. Quæris, quorsum pertineat præclara hæc sententia? Quid enim Propheta hic adversus idololatriæ vanitatem disserens mentionem injicit vanitatis & ἀδυναίας Principum, Magnatum, Procerum, qui se tanquam celsas arbores in Mundo ostentantes ejus afflatu subito dejiciuntur atque exarescunt? Equidem dici hic potest, Prophetam eidem adhuc inhærere argumento, idque hac pericopa demonstrare velle, Deum nulli in Mundo rei, *comparari* aut *æquari* posse; atque adeo absurde sub hac vel illa *imagine* conspiciendum & colendum exhiberi. Si autem cui forte in mentem veniat, *Reges & Principes* mundi, magna dignitate atque auctoritate fulgentes, qui stylo Veterum ipsi quoque אלהים DII dicuntur, & *Filii altissimi*, (juxta communem sententiam:) Deo reliquis hominibus similiores videri, atque adeo Deum recte exhiberi figura *sceptrigeri & diademate cincti Regis:* quod schema Veteres idololatræ inter multa alia Deo etiam aptarunt & haud dubie Babylonii *Belo* suo ex descriptione Herodoti, ut Vejentes Junoni *Reginæ*, apud Livium: id ipsum quoque absurde fieri arguere Vatem, quippe Divinam majestatem & potestatem non esse comparabilem majestati humanæ. esse hic distantiam: infinitam. Deum infinito plus Principibus præstare, quàm Principes vulgo. nullum schema humanum Deo convenire, qui Principes & Reges Mundi potentissimos nullos facit quando vult. cui hypothesi videri posset favere *comma sequens*, quippe subjicitur: *Et cui assimilabitis me, ut ei æquer?* Non ausim fidenter contraniti; & tamen omnino mihi persuadeo, Prophetam quid plus intendisse, quando hic de *vanitate* & *inanitate Principum* loquitur. Pulchre procedit oratio, Prophetam cum in eo esset, ut *vanitatem idololatriæ* demonstraret: sibi proposuisse *Principes Mundi*, imperio, auctoritate, viribus, claros atque insignes, eam sustinere, defendere; idque etiam prævidere, futurum esse, quo tempore *idololatria* sub Regno Messiæ in Mundo debellaretur per Verbum Evangelii. Docere autem, nullam esse *vim* Mundi quæ vim Verbi Dei queat infringere aut ei resistere. Ut enim *idololatriæ* vanitas clarissimis rationibus convinci potest & convincenda est: sic Deum, Regibus ac Principibus Mundi infinito excellentiorem ac potentiorem, eorum conamina & vires infringere posse, & infracturum esse; eos dejicere posse ac prosternere, & vero dejecturum ac prostraturum esse, ut plane intereant & nulli evadant: quod exempla docuerunt. ut adeo vanus sit metus, qui ab hac parte animis credentium injiciatur. Certe non patet ex hoc aliisque locis, Prophetam disputare adversus certam aliquam *figuram humanam* quæ Deo ab idololatris aptabatur; sed in genere adversus omnem *formam*, & *humanam* quoque, sub qua idololatræ sibi Deum proponebant.

Oratio verius refertur ad vanitatem Principum, qui *idololatriæ* patrocinarentur. quod distinctius exponitur.

℣. 25. *Et cui assimilabitis me, ut ei æquer? dicit* SANCTUS.] Sic nos recte, *Assimilabitis*. Hieron. *Et cui assimilastis me & adæquastis*. quæ eadem versio aptata est Chaldææ Paraphrasi, etsi ea vere habet, תדמון תשוון *Assimilabitis, adæquabitis*. Nulla certe ratio est discedendi à plano verborum sensu. Nova est ἔνσασις *instantia* quæ dicitur, ejus quod proposuerat ℣. 18. Cum enim ibi redarguisset idololatras stultitiæ ex consideratione *originum terræ:* hic altius gradiens, eadem fere propositione repetita, illos meræ insipientiæ convincere instituit *ex contemplatione cœlorum*. quomodo si hæc verba accipiamus, (ut sane accipienda sunt,) optime consistunt cum proxima *superioris versiculi* interpretatione. Propheta hic productus veluti in palæstram aut theatrum, disputando, arguendo, redarguendo, contestando, agit Dei causam veluti præsens ipse adversus præsentes adversarios disputaret; sustinens, ut mox monebo, personam Ministrorum Evangelii primi temporis. Vis sententiæ in duo incidit. Primo ait, Deum non posse rei alteri *assimilari ut* ei ÆQUETUR. Est in homine aliquid quod Deo secundum aliqua ejus attributa & genus naturæ *simile* dici potest, pars sc. ejus rationalis: sed ea non incurrit in sensum, & nulla imagine picta, sculpta, fusa, describi potest. Et sunt tamen inter homines *nomina attributorum*, quæ cum nominibus eorundem attributorum quæ in Deo sunt, comparari posse videntur, ut sunt nomina *Domini*, *Regis*, *Judicis*, & quæ his similia. Sed etiamsi in hisce attributis aut muneribus aliqua sit non nominum tantum, sed & rerum ipsarum similitudo, fundata in natura idearum: nulla tamen hic est *æquatio*, *coæquatio*. Simile nihil in Mundo est quod Deum æquet. Domini, Reges, Judices, potentes, qui inter homines sunt, nulla proportione attingunt Deum. Dehonestat autem Divinam majestatem, qui Deum *Regem* exhibet sub figura hominis *Regis*, quippe non *æquantis* ejus majestatem. Omnis enim hæc comparatio magis aptâ est obscurare quam illustrare ideam Dei ut Regis, quam animo fingere & concipere oportet amplissi-

℣. 25. *Et cui assimilabitis me ut ei æquer, ait Sanctus?* Animadversio ad Versionem verborum. Scopus & schema orationis.

Vis sententiæ Prophetæ. *Nihil simile Deo: nedum quod eum æquet.* Exceptio quæ hic videretur produci posse, diluitur.

Comparatio aliarum rerum cum Deo obscu-

a Cap. XXI. 3 6. *Dist. Heb.* b Job. IV. 9. c Dan. V. 25--30.

rat ejus majestatem.

plissimam, vastissimam. Nemo si Deo sub hoc illo attributo ob aliqualem convenientiam, quæ fundata est in ipsa illorum attributorum natura, dici potest similis esse; ei *æquari* & κατ' ἰσότητα ei comparari potest. Quare præstat, nullam ei imaginem aptare rei tam longe inferioris ejus majestate. Id vero ipsum est quod ipse clarius urget, ubi addit, *Dicit* SANCTUS. quod alterum hic observandum prænonui. Eo enim involvit & demonstrat, Deum nulli alii rei aptari aut æquari posse. *Sanctus* hic non proprie valet *purus ab omni impuritate morali*; justi & veri amans; vitiorum osor; vindex suæ majestatis: (illas enim notationes vocis hic non admodum usu venire, quisque facile videt:) sed SANCTUS hic proprie valet, propter Naturæ suæ excellentiam, præstantiam, sublimitatem, ab omnibus aliis rebus longissime discretus separatusque: quo modo illam vocem in summa emphasi accepi secundum verum sensum Prophetæ Cap. VI. 3. Deum ait, non posse alii rei assimilari, nedum æquari, cum per excellentiam & sublimitatem celsitatemque profundam interioris naturæ atque essentiæ à creaturis infinitum distet, ut ne Angelis quidem datum sit interiora ejus naturæ & essentiæ inspicere, nedum comprehendere; ut illi ipsi licet purissimæ substantiæ, & magno instructi ingenio, magna potentia, vitiis puri, non tamen *puri sint in oculis Dei* [a]; non sane quod aliquid iis adhæreat vitii, sed quod Deus eos videat tanto intervallo à *sua perfectione gloriosa* divisos. Hæc ratio plurimum urget. Si enim Deus habitet *lucem inaccessam*; si per sublimitatem suam immensum sit subvectus supra vilitatem rerum aliarum omnium: absurdum sit, ei qualemcunque aptare figuram rerum inferiorum. Est autem in eo magna vis & elegantia quod vox SANCTUS sola, in emphasi hic de Deo usurpetur, qui SOLUS SANCTUS [b] est, sc. vere, originaliter, sublimi vocis sensu, vi perfectionis suæ naturæ. De re ipsa nihil amplius addo, cum in superioribus sæpius [c] egerim.

Quænam hic emphasis sit in verbis, *dicit* SANCTUS.

Vox hic refertur ad Dei sublimitatem & excellentiam.

Ratiocinium Prophetæ urgetur.

℣. 26. *Tollite in sublime oculos vestros, &c.* Summa hujus Pericopæ. Propheta arguit incomparabilem Dei excellentiam.

℣. 26. *Tollite in sublime oculos vestros, & videte, quis creaverit ista; qui educit ad numerum exercitum eorum; omnia ea nominatim appellat; præ multitudine virium & robore potentiæ: nullum deficit.*] Excellentiam Divinæ Naturæ, majestatisque, sublimitatemque ejus quâ infinitum à creaturis distat, quam proxime proposuerat sub voce SANCTUS, arguit ex *creatione* & *administratione* hujus Universi, quæ demonstrat, tanto Deum rebus cæteris præstare quanto Creatorem creaturæ; & quidem Creatorem & Rectorem *totius* Universi, *creaturis singulis*, potestati, imperio, & potentiæ ejus subjectis, quas omnes intellectu suo complectitur, ingenio judicioque suo disposuit, & potente manu sua in statu atque ordine suo administrat: subjicit igitur cogitandum cultoribus idolorum, an in *idolo* cujuscunque speciei, sive ex metallo sive ex ligno confecto, stipite inerti, ex rebus creatis formato, in quo nulla vis, nullus vigor & sensus ineat, aliqua possit esse adumbratio Dei *Creatoris*, supra creaturas omnes summe evecti, qui *æterna potentia* sua non terram tantum sed & *cœlos* quorum aspectus omnes eos contemplantes rapit in admirationem & stuporem, produxit; sideribus omnibus ordinem suum designavit & fixit; singula eorum conservat, curat, & in motu suo administrat: quod si vero nulla hic sit proportio, nulla similitudo nedum adæquatio, absurde & stulte eos instituere ait contra prima principia rationis & sensus, quibus Deus omnes res creatas intelligentes imbuit, quod *gloriam incorruptibilis Dei transmutent in simulacrum corruptibilis hominis, aut volucrium, aut quadrupedum, aut reptilium* [d]. Et tamen tantus stupor, tanta ἀνοησία & insipientia occuparat mentes hominum, judicio Divino occæcatas, & à Satana in errorem ductas, ut homines per Orbem terrarum hoc genus cultus non probarent tantum & sectarentur, verum in illud etiam arderent & furerent; non eo tantum modo & sensu, ut ex iis emblemata & symbola facerent Divinitatis, verum etiam tandem omni sensu perdito illa *idola* tanquam Deos colerent, quod eadem à Diis aut Geniis sibi persuaderent inhabitari. Tota itaque hæc pericopa subordinatur ei sententiæ quam Vates extulerat ℣. 18. *Cui comparabitis Deum fortem*; coll. cum ℣. 21. *An non considerastis fundamenta terræ?* per modum gradationis, Prophetæ familiaris. Si terræ fundationem & origines spectantes, non intelligitis, illud *lignum*, illud *æs*, *argentum*, *aurum*, quod idolis formandis impenditis, olim non extitisse, & à Deo cum hujus telluris fundatione & formatione esse producta; atque ex iis non convincimini stultitiæ Vestræ, dum ex hisce speciebus rerum creatarum Deos fabricatis: *tollite*, ait, *in sublime oculos vestros*; contemplamini cœlos; considerate eorum origines & ordinem admirandum hujus magnæ machinæ, & cum ratione reputate, numquid in Idolis vestris ex *terrestri* materia formatis, sit, quod tantum Deum, tam sublimem majestatem, non terræ tantum, sed & *cœlorum* conditorem, repræsentare aptum sit. Cætera jam satis facilia sunt, leviter à me perstringenda. Eam humano corpori animali figuram aptavit Deus, rectam & erectam, ut cœli ultro in sensum hominis incurrant, &, dum videt reliqua animantia terrestria omnia prono esse & inflexo versus humum corpore, hoc ipso moneatur, productum se à Deo esse, non tantum ad *terram* sed & ad *cœlos* contemplandos. Et id sane mortales omnes omnium temporum observarunt, abiitque in diverbium. Dionis sententia est quam ipse Agrippæ aptat in Oratione ad Cæsarem [e]: Τὸ ἀνθρώπινον πᾶν, ὅτε ἓκ τε θεῶν γεγονὸς καὶ ἐς θεὸς ἀφῖξον, ἄνω βλέπει· *Homines omnes cum & ex Diis orti sint, & ad eos abituri*, SURSUM RESPICIUNT. Verum satis non est *oculos* in *sublime tollere*, sive, *sublimi ore cœlos tueri & erectos ad sidera vultus tollere*. vult Deus, & minister ejus Propheta, id à nobis fieri *cum ratione*. vult ut cœlos tuendo, & mirando etiam ac stupendo, aliquid *cogitemus*. cogitemus autem, de illorum caussa productrice, de finibus, usibus & effectis. Primus hic est respectus *caussæ*: secundum naturalem ratiocinandi ductum. Quærit, cœlos contemplatus, qui sapit & ratione valet, unde sint? quis mirabilis hujus structuræ inventor, quis *fabricator*, ut cum Quintiliano loquar. Si autem per rationem assequutus sit, cœlos nec ex se genitos, nec fortuito in hunc coaluisse ordinem; sed esse productum liberi Entis: sequitur cogitatio de attributis illius Entis quod cœlos produxerit ac fabricaverit. Esse videlicet ingenio, sapientia, potentia, perfectissimum, maximum, summum, omni cogitatione & comprehensione intellectus humani superius. Nihil simile habere cum creaturis quæ oculis videntur & sensu hauriuntur; atque adeo absurde agere, qui Enti tam perfecto, tam celso Numini, quod vis æternæ, perfectissimæ, ac spiritualis vitæ, à rebus inferioribus infinitum discernit, aptent figuram. Si enim vis vitæ necessariæ, si magnitudo & gloria ejus, perfectissimum ingenium, sapientia & potentia summa, (quæ attributa Dei patent ex tuitione cœlorum:) nulla re terrestri, nulla etiam cœlesti adumbrari, nulla similitudine efformari queant: non tantum frustranea esse idola, sed per se tendere ad veri Dei dehonestamentum. Id proprie est *oculos in sublime attollendo* VIDERE *quis creaverit ista*. Visio est mentis & rationis juncta visioni corporis, ut sane si cum ratione videmus, ipsa mens & ratio est in oculis. Scriptores S. vocant νοεῖν, κατανοεῖν, *considerare*. est autem νόησις *prudens animadversio*, consideratio, cogitatio de *caussis* & *finibus* rerum [f]. Aliam multam meditandi materiam præbent cœli prudenti eorum spectatori, cujus exemplum est Ps. VIII. 4. sed nobis non licet nunc ire ultra scopum & limites. Vocem ראה *videre* eodem hoc sensu in superio-

Stupor idolatrarum inde evictus.

Oratio subordinatur & cohæret ℣.

Paraphrastica verborum explicatio.

Figura corporis humani hominem invitat ad tuendos eos.

Sed ostenditur ipsius esse agere cum ratione.

Ratiocinatio contemplatio cœli qua refutat?

Primum est respectus caussæ.

Ejusque tributorum

Ex quo consideratione tur cultus imaginum

Videre pertinet mentem

Græca νοεῖν, νοεῖν,

[a] Job. XXV. 5. Conf. Cap. XV. 15. [b] Apoc. XV. 4. [c] Cap. V. 16. VI. 3. XXIX. 23. Conf. Hos. XI. 3. [d] Rom. I. 23. [e] Hist. Lib. LII. p. 315. [f] Rom. I. 20. Heb. XI. 3. Ps. XIX. 1.

petioribus jam habuimus, & frequens occurrit [a]. Amplificat orationem Vates, Deum *ad numerum educere omnem exercitum eorum, eaque omnia nominatim appellare.* Est attributum ingenii capacitatis immensæ, ad quod omnis mortalium cogitatio stupet, quod Deo pariter vindicatur in loco analogo Ps. CXLVII. 4. quo magnitudo & excellentia Naturæ Divinæ celebratur: *Qui recenset numerum stellarum: omnes eas nominatim appellat.* Subjicitur, *Magnus est Dominus noster, & amplus potentia, & intelligentiæ ejus nullus est numerus.* Siderum, quæ stylo Scripturæ *exercitus cœlorum* dicuntur tum *numeri* tum *ordinis* sui respectu [b], numerus videtur innumerabilis; certe hominibus est [c]: & licet ratio doceat finitum esse, ad maximum tamen proxime accedere. quod sane verissimum, non tantum eorum *siderum* respectu quæ oppositum cœlorum clima ornantia in sensus nostros non incurrunt: verum etiam ratione stellarum minoris magnitudinis quæ oculorum nostrorum aciem fugiunt, non nisi per Opticæ subsidia, (Telescopia,) cognoscibiles: ut vere alibi Augustinus [d], *quanto quisque acutius intuetur, tanto videre plures.* Quid de *Galaxia*, sive *Circulo Lacteo* dicemus, quem Recentiores *stellarum minoris magnitudinis contextum esse*, (quæ olim Democriti sententia fuit,) conjiciunt? Et tamen hunc *tantum exercitum* Deus *educit.* Sic Hieronymus. Id hic rectius quam *producit.* Equidem de productione germinum & plantarum commodissime usurpatur vox הוציא, quia Deus ea *exire facit ex terra:* sed minus proprie de *stellis*, corporibus sui generis. Respicit igitur hic Vates atque intelligi vult stellarum *ortum* & *occasum* quotidianum, quippe quæ ad *præceptum Dei* quotidie prodeunt constante variatione, majore ordine quam Exercitus in aciem producitur ab Imperatore peritissimo [e]. Sic Poëta Divinus, de Sole [f]: *A fine cœlorum* מוצאו EGRESSIO *ejus.* unde מוצא *egressio* Hebræis *aurora.* Insigne est quod addit, *Deum omnia illa nominatim appellare.* Inhæret adhuc eidem metaphoræ quæ hic rursus desumpta est ab Imperatore, qui in quantumvis magno Exercitu militum gregariorum merita & nomina quoque memoria tenace servat, ut iis cum discrimine uti, & bene merentes laudare ac remunerari possit: quod Præfectorum militarium præstantissimorum laudi adscribitur in historia. Nemo mihi hic cogitet de nominibus quæ Astronomi *Astris* extantioribus *primæ & secundæ magnitudinis*, (faciunt autem illi magnitudinis gradus sex:) (ut sunt *Oculus Tauri, Cor Scorpii, Cauda Arietis, &c.*) Planetis septem, & præcipue Asterismis & Constellationibus, (instar sint duodecim Stellaturæ Zodiaci, *Ursa* utraque, ambo *Canes*, *Orion*, *Eridanus*, *&c.*) imposuerunt, jam antiquis adeo temporibus, ut aliquorum etiam mentio fiat in Libro Jobi [g]. Dicere vult Vates, cujusque stellæ proprietates & usum Deo accurate cognita esse, atque adeo singulas in commodum hujus Universi scienter admovere, & per varias anni tempestates *producere*, sive *educere* quando id è re est. *producere* autem ad mandatum suum, ut si Imperator militibus mandata distribuens, tu Marce, ait, tu Tite, ades. Eodem tendit quod addit, *nullum eorum deficere.* Aliquid hic plus dicit, quam nullum eorum officio aut obsequo ergo Deum deesse, ut passim Intt. Plane id significat, *Stellas* in Cœlorum Orbe sive Fornice fixas æque ac Erraticas locum statumque & ordinem suum constanter tueri: ut cum experientia doceat individua terrestria sive animantia sive inanimata extingui, dissolvi, variasque subire mutationes & vicissitudines status; secus se habeat cum *Corporibus* hisce *magnis cœlestibus*, statum ordinemque suum mirabili quadam harmonia ac proportione æquabiliter sustinentibus. Unde vero ipsis hic status, ordo, leges motus veri vel apparentis, & præcipue status stabilitas? Ait Vates, מרוב אונים ואמיץ כוח quæ verba docte vertit Coccejus [h]: *Præ copia*, (hic loci, *multitudine*,) *sufficientiæ & contentione virium.* Vox אין idem valet quod מן הוה ex הוה *esse.* Notat interiorem cujusque rei vim; naturalium virium essentiam & ὑπόστασιν, earumque *affluentiam* & *sufficientiam.* Notio אמיץ hic est accipienda ut *nomen substantivum*, ut fecerunt οἱ ὁ. Chaldæus, Hieronymus, alii: ad formam nominis חריש *Aratio.* Id simplicissimum. Cæteroquin si pro *adjectivo* accipias, subest ellipsis, sumendaque sunt verba acsi integre scriptum esset, ואשר הוא אמיץ כח *Et quia ipse est potens robore.* Kimchius ad ipsa *stellarum corpora* refert, eorumque vim & efficaciam qua influunt in *inferiora*; ut dicere velit Propheta, Deum qui omnium stellarum proprietates perspectas habet, eas *educere* pro *viribus* cuique earum inditis, ut suo loco & ordine iis utatur. Sed est interpretatio coacta, quæ phraseologiæ Hebrææ minus commode respondet, (debebat enim esse במרוב, pro מרוב) & invertit totam vim sententiæ Prophetæ; qui hoc argumento adstruit infinitam virtutem Creatoris & Rectoris Universi, (τὴν ἄϊδιον δύναμιν,) quod vastissimos cœlos cum Stellis Stellaturisque omnibus scientia sua complexus, sic regat, ut ordinem suum, (in motu quoque,) absque confusione, permutatione, aut facultatum naturalium decremento aut detrimento suo conservent. Id vere est quid mirabile, cujus causas præter Caussatorem Universi neminem scire arbitror; & certe caussa prima in Ejus potentia quærenda est. Vim argumenti Prophetæ, quo idololatriam convellit, modo indicavi; nec opus est dicta repetere.

Quorsum verò hæc operosa disputatio adversus Idololatras? Ratio, inquam, petenda est ex nexu Orationis, ut in superioribus à nobis digestus est. Regnum Christi Jesu per Verbum Evangelii in Mundo promovendum, promoveri non poterat, nisi destructa idololatria, quæ videbatur magnum fore ejus promovendi obstaculum; & abolita potestate Principum, eam sustinentium ac pro viribus defendentium. Id vero futurum esse docet Vates hac pericopa, præmonstrans Præconibus Evangelii certam facilemque vanitatis idololatriæ demonstrandæ methodum, quam illi deinceps in usum suum converterunt [A]: simul certam faciens Eccle-

Quo sensu Deus ad *numerum* dicatur *educere exercitum cœlorum*?

Exercitus cœlorum sunt *sidera*, quorum jam *numerum* scire, solius Dei est.

Augustini dictum hac de re.

Vox הוציא hic rectius vertitur per *producit*, quam *educit*. Res declarata.

Metaphora unde desumta?

Quo sensu Deus *sidera nominatim* vocatur *appellare*?

Et *nullum eorum deficere*?

Caussa hujus mirabilis stabilitatis Orbis cœlestis.

Significatio vocis אין.

Ad notionem אמיץ observatum.

Kimchii sententia h. l. Sed quæ improbatur.

Scopus totius disputationis adversus *idola*.

---

[a] Cap. v. 1, 2. XVII. 7. Conf. Eccles. VIII. 17. [b] Deut. IV. 19. Jer. VIII. 2. Conf. Cap. XXXIV. 4. [c] Gen. XV. 5. [d] De Civ. Dei Lib. XVI. Cap. XXIII. [e] Confer Cap. XLV. 12. [f] Ps. XIX. 7. [g] Cap. IX. 9. XXXVIII. 31. Conf. Amos v. 8. [h] In *Lex.*

A Pauli Apostoli, eximii Ministri Christi Jesu, oratio ad Athenienses, ad eam Jesaiæ conformata, extat Act. XVII. 24. seqq. suntque hic conferenda loca, Rom. I. 21. seqq. I Thess. I. 9. Apologistæ autem omnes, quos Christiana Ecclesia produxit primis Christianismi sæculis, eodem fere hoc genere argumenti usi sunt adversus Gentiles; quos cum longum sit describere, nec necessarium: unum tantum & alterum locum Minutii Felicis & Arnobii, quæ insignes & huic parallelas sententias complectuntur, hic subsignabo. Cum Octavius adversus Cæcilium disputans, (apud Minutium Felic. p. m. 10. *Edit. Elmenh.*) arguisset, hominis origines cognosci & intelligi non posse absque investigatione sedula ortus totius Universi, cujus ipse partem facit; sic prosequitur discursum: *Præcipue cum à feris, belluis, hoc differamus, quod illa prona, in terramque vergentia, nihil nata sint prospicere, nisi pabulum: nos quibus vultus est erectus, quibus suspectus in cœlum datus est, sermo & ratio, per quæ Deum sentimus, imitamur, ignorare, nec fas, nec licet, ingerentem sese oculis, & sensibus nostris talestem claritatem. Sacrilegii enim vel maximi instar est, humi quærere; quod* IN SUBLIMI *debeas invenire. Quo magis mihi videntur qui hunc Mundi totius ornatum non Divina ratione perfectum volunt, sed fortuitis quibusdam temere cohærentibus conglobatum: mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum,* CUM OCULOS IN COELUM SUSTULERIS, *& quæ sunt supra circaque lustraveris, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipsum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur,* & quæ plura hujus generis sequuntur. Deinceps adversus *idola* disputans, en quam imitetur Jesaiam! *Quodsi in animum quis inducat, tormentis quibus, & quibus machinis simulacrum omne formetur: erubescet tinnere se, materiam ab artifice ut Deum faceret, illusam. Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur. Et Deus æreus vel argenteus de immundo vasculo, ut sæpius factum Ægyptio Regi, constatur, tunditur malleis, in incudibus figuratur: & lædendus ceditur, scalpitur, & ab impurato homine lævigatur: nec sentit suæ nativitatis injuriam, ita ut nec postea de vestra veneratione cultura: nisi forte nondum Deus saxum est, vel lignum, vel argentum. Quando igitur hic nascitur? Ecce fenditur, scalpitur, fabricatur: nondum Deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur: nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur: tum postremo Deus est cum homo ille voluit & dedicavit. Quanto verius de Dis vestris animalia muta, naturaliter jactant, mures, hirundines, milvi: non sentire eos sciunt. rodunt, insul-*

Ecclesiam, Deum potestatem Principum, qui se Regno Dei pertinaciter opponerent, aboliturum, exinaniturum ac perditurum. Cætera ex superioribus repetenda sunt.

PARS TERTIA hujus Concionis, CONSOLATORIA, qua prædictio & doctrina superior ad animum afflictæ Ecclesiæ solandum applicatur.

Basis hujus *Consolationis: Querela* Ecclesiæ, de se à Deo neglecta.

Pars tertia hujus Concionis *Consolatoria*, ℣. 27. seqq.

℣. 27. *Quare itaque dicis, ô Jacob, & loqueris, ô Israël,* VIA MEA *occulta est à Jehova, & à Deo meo* JUS MEUM *abiit.*] Hic incipit *Applicatio Practica Consolatoriæ*, qua Prædictio & Doctrina superior propius admovetur ad vulnus Ecclesiæ afflictæ. Querebatur illa sæpe, cum Statum suum variis casibus & temporibus expenderet, de se à Deo neglecta; de minore erga se cura Divinæ Providentiæ quam sibi merito videbatur promittere, cum Regnum Christi Jesu à Prophetis promissum longe quærendum videretur; Ecclesia obruta scandalis; & pii hypocritis ac peccatoribus permixti partem haberent suam in malis & calamitatibus publicis, quibus Gens Hebræa laborabat. quæ *Querela* basin facit hujus Consolationis, ejusque primam partem. Sequitur pars altera, *Consolatio ipsa*, binis constans membris. Prius membrum docet, non fatigari aut lassari Deum cura Ecclesiæ: non esse illam Deo gravem, & oneri: providentiam ejus omnia complecti; nihil ea excipi, ℣. 28. Alterum, eundem Deum *languentibus, fatiscentibus*, laborantibus in Populo suo, quorum fides & spes valde imminutæ essent, subministrare posse, & subministraturum esse vires, & spem fidemque eorum usque ad manifestationem tantæ salutis fulturum, ut non sint defecturi, sed ad tempus gratiæ perstituri, & cum illo gratiæ tempore novas resumpturi vires. quæ doctrina vel promissio *proponitur*, ℣. 29. & *exponitur* atque ex simili illustratur, ℣. 30. 31. *Querelam* Ecclesiæ hic exhibui; cujus non est obscurus sensus. *Per viam Jacobi & Israëlis* hic omnino intelligendus est *status, vivendi ratio, conditio vitæ*, qua Jacob & Israël circumscripti erant. Sed cum aliàs latius pateat, & significet vitæ modum & consuetudinem: (ut Cap. VIII. 11.) hic proprie ipsum notat vitæ *statum*, ejusque accidentia & circumstantias. In *statu* enim quisque suo agit, versatur, se movet atque exercet, occupatus est: quæ eadem sunt attributa *viæ*. *Status* cujusque *suus* & *conditio vitæ* ipsi inservit ut medium quo ad ampliorem perfectionem tendit. Locutio in Verbo Dei est recepti usus: veluti in hisce, quæ exempli caussa tantum allego, Job. XXIII. 10. *Quia novit* VIAM *quæ mecum est:* qua sum circumscriptus. totum statum meum. Prov. XV. 9. VIA *impii Jehovæ est abominatio.* Ps. I. 6. *Jehova novit* VIAM *justorum.* Jer. XII. 1. *Quare* VIA *impiorum prospera est? cur gaudent quiete?* Hanc *viam* suam queritur *absconditam esse à Jehova*, h. e. *à Deo ignorari*, & ab eo non curari, negligi. prius ἰδίως latet in potestate phrasios. Unus ab altero dicitur *absconditus*, ubi alter alterius statum & conditionem ignorat. Sic sumitur Gen. XXXI. 49. in verbis Labanis: כי יסתר איש מרעהו *Quando occultus fuerit unus ab alio.* h. e. unus alterius statum & conditionem ignoraverit. Vates noster alio loco [a]: *Quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & occultatæ sunt ab oculis meis.* h. e. non cogito de iis. In qua phrasi *præfixa* מ non habet significationem *caussæ efficientis*, (Jehova enim non *occultaverat* illam *viam* Ecclesiæ, neque sane illud dicere volunt:) sed *privationis*; estque idem acsi scriptum esset, *à Jehova ignoratur, negligitur. Jehova de ea non cogitat.* quæ enim *occultata* sunt, exempta sunt notitiæ. Integra itaque phrasis habet, Via mea tanquam occultata, à Jehova ignoratur & negligitur. Et tamen admittere quoque potest significationem *caussæ efficientis*, si *via Ecclesiæ occultata* dicatur *à Jehova*, quod *oculos*, h. e. curam providentiamque suam, alio vertat, retrahens oculos à Populo Jacobæo. Alterum simile hic additur, *Jus ejus à Deo suo præteriisse.* abiisse. Intellige *vindicias sui juris & caussæ.* Sic sæpissime, ut inter alia Ps. IX. 5. עשית משפטי וריבי *Fecisti* JUS MEUM *& judicium* (caussam) *meum.* Præstitisti mihi juris mei vindicias: metaphora desumpta à *comite* vel *socio itineris* à quo quis deseritur. Quandiu quem tenet exspectatio vindiciarum caussæ suæ: tandiu *jus* ipsum *comitari* censetur. ubi hæc exspectatio perit, ab ipso *recessisse* dicitur. Analoga phrasis est in dicto Jobi [b]: *Vivit Deus, qui removit* משפטי JUS MEUM. Querela itaque Ecclesiæ in hoc resolvitur argumentum, conditionem suam miseram à Deo ignorari; (si enim sciret, videri credibile, Deum jus vindiciasque caussæ ejus ad animum revocaturum esse:) ac proin negligi, non curari, atque adeo convenit querelæ simili Tsionis Cap. XLIX. 14. *Tsion dicit, Jehova me dereliquit: &* DOMINUS MEI OBLITUS EST. Idem hic valet *Tsion*, quod apud nos *Jacob* & *Israël*, cui querela hæc tribuitur. Sunt nomina Ecclesiæ *Electorum Dei*, veram exspectantium consolationem, quos aliàs sæpe descripsi. Hic autem mysticus Jacob querelam hanc suam non simpliciter effunderet; verum etiam quod Vates habet, *diceret & loqueretur.* Aliàs jam monui, inter voces אמר & דבר hanc intercedere differentiam, ut illa *dictum*, hæc *loquelam* sive *orationem* per modum ratiocinationis *conceptam* indicet. Vult igitur dicere Scriptor sacer, non modo *Jacobum & Israëlem* subinde hanc *querelam* proponere, verum etiam se in eam diffundere, eamque oratione explicare; cujusmodi *querelarum* sive *Odarum querularum* exempla plura sunt in Davidicis. Est autem mihi fere perinde, sive verba verteris, *Cur igitur dicat Jacob?* sive, *Cur dicit?* Prius valet, nullam habere id dicendi rationem. Posterius, reapse & actu ipso id sæpe dicere. Quæritur, quænam illa cujusque temporis Ecclesia sit cui hæc *querela* convenit, & ex mente Prophetæ aptanda est? Cl. Coccejus demonstrat Ecclesiam Christi *omnis* illius *temporis* quo Deus *per os ipsius idololatriam destruebat.* Est tempus à Claudio ad Constantinum. Verum etiamsi conspectum hujus subjecti & temporis non plane excludam; (inprimis in locis similis argumenti [c]:) hoc tamen in casu ratio suadet cogitare de *Ecclesia afflicta* ejus temporis quod præcederet manifestationem Regni Christi Jesu. Idem enim hic est Jacob, idem Israël, qui ℣. 2. hujus *Concionis* dicitur *Populus Dei & Hierosolyma*, cui promittitur ἡ Ἀπολύτρωσις *Redemptio, Liberatio, Regnum Dei* inter ipsos se manifestum exhibiturum. Illi ipsi, qui ante tempus Exhibitionis Regni Christi Jesu sæpe se *diffuderant* in amaras querelas, veluti de se rebusque suis à Deo neglectis & minore ad speciem erga se cura Divinæ Providentiæ, cujusmodi tempora fuerunt Exilii Babylonici, Afflictionis Syriacæ, ac denique Dominationis Romanæ, post Hierosolymam à Pompejo expugnatam, cum qua in Populum multa irrepserunt scandala, & novum ei impositum

Argumentum & Scopus hujus Pericopæ.

Ex superioribus educitur *Consolatio* & applicatur ad vulnus Ecclesiæ.

Analysis ejus.

Occasio sive basis consolationis, querela Ecclesiæ de Statu suo afflicto.

Quid h. l. intelligatur per *viam* Ecclesiæ?

Via hic est *status.*

Quo sensu Ecclesia queratur, hanc viam suam esse *absconditam*?

Phrasis illustratur.

Usus præfixæ מ h. l.

Alius illius respectus.

Alterum querelæ membrum: *Jus* Ecclesiæ *à Deo abiisse.*

Jus quid hic loci?

Integra phrasis expositа.

Nomina, *Tsion, Jacob, Israël*, quid hic significent?

Jacob & Israel hanc suam querelam *late explicarent.*

Emphasis vocum *loqui, dicere*, hoc loco.

Cujus ætatis Ecclesia hæc querela conveniat?

Cl. Coccejus sententia.

Ecclesia hic respicienda est *afflicta* ante Manifestationem Christi Jesu in carne.

quod evincitur & latius declaratur.

---

tant, insident: ac nisi abigatis, in ipso Dei vestri ore nidificant, & quæ plura. Audi jam Arnobium, Lib. VI. Ed. Lugd. p. 200. *Simulacra ista quæ vos terrent, quæque Templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso; ex ornamentis fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente; ex caccabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obscænioribus vasculis congesta, conflata, in has species ducta sunt, atque in formas quas cernitis, exierunt: fornacibus incocta figulinis, ex incudibus & malleis nata, tornis rasa, descobinata dolamis; serris, perforaculis, asciis, secta, dolata, effossa, tenebrarum excavata vertigine, runcinarum levigata de planis. Ita iste non error est non; ut proprie dicatur, amentia, Deum credere, quem tute ipse formaris; supplicare tremebundum fabricatæ abs te rei; & cum scias & certus sis, tui esse operis, & digitorum artem; pronum in faciem ruere, opem rogare suppliciter, adversisque in rebus, atque in temporibus asperis propitii Numinis favorem succurrere.* Cætera eodem modo procedunt, sed non describo plura, neque attingo etiam Julium Firmicum & Lactantium. Sufficiunt hæc specimina, quæ vellem diligenter expenderent qui *imaginum cultu* castissimam & purissimam Religionem conspurcarunt. Obtentus hic alius est: sed scena eadem.

a Cap. LXV. 16. *b* Cap. XXVII. 2. *c* Jes. XLI. 10. XLIX. 14.

ſitum eſt jugum: ut adeo, cum Populus Dei ſumma exſpectaret, viderent pii, Statum Reipublicæ identidem in novas incidere calamitates, veluti *via ſua* Deo ignorata *occultaque eſſet*, & Deus vindicias tàm gloriæ ſuæ, quam *Juris ſui Populi*, (ſive reſpectu promiſſorum ei factorum; ſive reſpectu Defenſionis & Vindiciarum quas ei debebat,) plane negligeret, & de *implemento* maximorum promiſſorum Gratiæ parum cogitaret; certe Statum Eccleſiæ ad animum non revocaret. His vero temporibus, horumque temporum Eccleſiæ, convenit oratio Prophetæ. Eccleſia videbatur poſt Reditum ex Exilio exſpectare poſſe Regnum Dei. Sed ecce! quam longe adhuc dilatum eſt? quot interceſſerunt calamitates? quot mutationes? quam dura ei ſuſtinenda fuerunt fata, ut ſubinde pii animam agerent, & tanquam in agone verſarentur, de promiſſis gratiæ vindiciiſque ſuis & Regno Dei tantum non deſperantes: unde quam ſæpe in Odis Davidicis occurrit illud, QUANDIU [a]? Ergo Conſecutio hæc conſolatoria educitur ex tota ſuperiore oratione Prophetæ complexe ſumpta, eſtque in hunc modum accipienda: Cum Deus certo tempore poſt finitam Eccleſiæ luctam per *media* & *gradus* in conſilio ejus ordinatos vere erecturus ſit *Regnum ſpirituale*; præſentem ſe exhibiturus Eccleſiæ cum omni copia bonorum ſpiritualium; Regnum Satanæ deſtructurus; idololatriam convulſurus, & potentia ſua infinita Principes ei patrocinium præbituros proſtraturus ſit: cum vero idem Deus intellectu ſuo res omnes cœleſtes & terreſtres complectatur; cum providentia ſua omnia ſuſtineat, ferat, gubernet; cum ne minima quidem res ejus intellectionem & curam fugiat: cur igitur dicat *Jacob* & *Iſraël*, & querantur pii, *viam ſuam* coram Deo *occultam eſſe? Deo*, inquam, *Jehova*, cui nec ſapientia deeſt in conſiliis ſuis omnibus rite librandis; nec ut creatori & conſervatori hujus Univerſi potentia in exequendis; nec voluntas erga Eccleſiam fidelis voluntatiſque conſtantia; nec in repræſentandis promiſſis veracitas; & in quem tanquam Creatorem, Conſervatorem, Rectorem totius Naturæ rerum, cœleſtium ac terreſtrium, nulla cadit ignorantia? Dirigitur itaque hæc Conſolatio primo loco ad Eccleſiam laborantem & in agone verſantem ſub Oeconomia Vetere. Nec tamen hic excludo omnem reſpectum Populi Chriſti Jeſu *laborantis in Mundo* & ſecundum promiſſa gratiæ exſpectantis *perfectiorem manifeſtationem Regni Dei*. Reſpicio hic præcipue *Credentes ex Hebræis*, qui poſtquam ſuſcepiſſent *Regnum Dei*, dum obſervabant, Judæos & Gentes ſe progreſſui ejus opponere, & profitentibus fidem in Dominum multas paratas eſſe afflictiones; & nullo modo perſpiciebant, quem tandem exitum reperirent magnifica promiſſa Eccleſiæ ſub Meſſia facta: inceperunt aliqui eorum (nec tamen omnes,) ſub Imperio Neronis, flacceſcere, & de zelo & ſtudio, quo doctrinam Chriſti Jeſu complexi erant, multum remittere; eſtque probabile, aliquos illorum ſe in haſce vel ſimiles querelas diffudiſſe; adverſus quos præcipue ſcripta eſt Epiſtola ad *Hebræos*. Utique Apoſtolus vel Vir Apoſtolicus illius *Epiſtolæ* auctor illos erigit ejuſmodi verbis quæ huic querelæ maxime cenſeri poſſunt oppoſita [b]. Ad Eccleſias tamen Gentium, ſub eadem afflictione & perſecutione laborantes, forte hic minus reſpicitur. Erant enim illæ paſſim, (certe boni qui in iis erant,) ad omnes afflictiones patienter ferendas egregie paratæ & animatæ, iiſque gloriabantur: imo gaudebant ſe in iis oſtentare ad pudorem mundi & Satanæ, quippe quæ jam ab initio hac veluti Lege & Conditione Chriſtianiſmum ſuſceperant: ut adeo illæ hac parte nec deſperarent, nec animo linquerentur. contra ſe audacius & fortius erigebant.

Conſolatio ipſa.

Membrum prius: *Deum non laſſari cura Eccleſiæ*, nec labores ejus ipſum *fugere*.

ỳſ. 28. *An non intellexiſti; an non audiviſti? Deus æternus Jehova Creator finium terræ non laſſatur, nec defatigatur: nulla eſt perveſtigatio intelligentiæ ejus.*] Prius hoc eſt conſolationis membrum quod exacte reſpondet querelæ piorum: ut Poſterius convenit ſtatui Subjectorum quæ hanc querelam effundebant. Qui ſuperiorem querelam inſtituerant, videbantur ſuppoſuiſſe, grave Deo eſſe, qui per tot ſæcula Eccleſiam Populi ſui in mille caſibus ſuſtinuerat ac defenderat, curam ac providentiam ſuam ejus cauſſæ amplius impendere. inſpectionem illam Deum laſſare ac fatigare. cum univerſitas rerum tota, quam late patet, ejus procurationi ſubjecta ſit: ſingulares populi ſui caſus, ſtatum, afflictiones, minus ad animum vocare. eſſe enim difficile omnia & ſingularia intellectu ſuo complecti, vel ſingularium eventuum fines & exitus inter ſe componere, & ad communem ſcopum dirigere. Non quaſi pii id vere cogitarent: ſed quod querela eorum, ſi de ea judicandum ſit ex materia ejus & argumento, in hiſce hypotheſibus animo ſubinde occurrentibus, videretur eſſe fundata. Has itaque, ut ſemina & principia incredulitatis, fortiter repellit. *An non intellexiſti*, ait, h. e. ex propria ratiocinatione tua didiciſti, & aſſequutus es, ὁ ὁλιγόπιςε? *an non audiviſti?* videlicet, ſi per ratiocinationem prudentem & ſanctam id ipſe non didiceris aut aſſequutus ſis; an non ex inſtitutione prudentium aut traditione majorum id forte percepiſti? (quomodo has notiones recte interpretatus ſum ỳſ. 21.) Quid vero? DEUM *non laſſari aut fatigari*. Quare autem? Nimirum quia Natura perfectiſſima omnem laſſitudinem & fatigationem excludit, tum ob excellentiam præſtantiamque ſuam qua omnem imperfectionem repellit & ſuperat; tum quod vis operandi, quæ in ea ineſt, infinita ſit, cum laſſitudo omnis à finitis & circumſcriptis viribus oriatur. Et ſane id ſolum hic videbatur poſſe ſufficere, ut vere ſufficit. Verum cum Gentiles admitterent plures Deos, eoſque gradu perfectionis diverſos, hos aliis perfectiores, affectibus obnoxios, quos abſurdum non ſit ſuſpectos habere laſſitudinis ad graviores occupationes & curas: (ut Elias Sacerdotibus ſecundum illorum hypotheſes inſultans [c], de Baale; *Siquidem Deus eſt: verum eſt ei meditatio, negotium, iter:*) neceſſe habuit Propheta *Deum verum*, cujus natura laſſationem ſecludit, à Diis Gentium diſtinguere. Huc igitur pertinet quod addit, Deum ÆTERNUM, JEHOVAM, CREATOREM FINIUM TERRÆ, *non laſſari*. Si forte ait *laſſitudo* cadat in Deos Gentium, quorum multos ipſæ faciunt naturæ imperfectæ ac circumſcriptæ: nulla delaſſatio, fatigatio nulla, cadit in *Deum æternum*, cujus cum perfectiſſima natura vis eſt operandi infinita, inexhauſta, ex ipſa ducta æternitate, quam Apoſtolus hunc locum reſpiciens vocat τὴν ἀΐδιον αὐτοῦ δύναμιν ÆTERNAM *Ejus* POTENTIAM [d]: qui idem eſt JEHOVA, per naturam ſuam & voluntatis ſuæ conſtantiam non variabilis, in quem nulla mutatio cadit aut converſionis adumbratio; nedum ſtatus imminutio aut decrementum, cujus generis eſt laſſitudo: denique qui idem eſt CREATOR FINIUM TERRÆ, h. e. terræ quam late patet, quippe qui vi ſua perfecta & infinita quicquid in hoc Orbe telluris rerum eſt, & quam late ejus patent fines ac termini, produxit, eademque omnia producta curat ac regit. Quid itaque quiritando ſupponis, ô anima afflicta & laborans, vel curam Dei circumſcribi Populo Judæo, aut Eccleſia: vel curam Populi Judæi in Palæſtina, aut Eccleſiæ Populi electi, Deum ſummum delaſſare ac fatigare? Vis vitæ & activitatis quæ in ipſo eſt, nulla ejus operatione exhauritur, nulla noſtra cogitatione comprehen-

Conſolatio ipſa.

Membrum prius, ỳſ. 28. *Deum non laſſari cura Eccleſiæ.*

Hypotheſis querelæ ſuperioris, ad ſpeciem aſſumpta.

Quæ hic convellitur.

Sententia Vatis, Naturam Perfectiſſimam non laſſari.

Quam emphaſin hic habeant epitheta, à quibus Vates Deum denominat; eſſe *æternum*, *Jehovam*, *Creatorem finium terræ*.

Ratio Prophetæ urgetur.

a Conferantur Pſalmi XLIV. LXXIV. LXXIX. LXXXIX. &c. b Cap. XIII. 5. 6. c 1 Reg. XVIII. 27. d Rom. I. 20. coll. cum Gen. XXI. 33.

ditur. Sufficit sententiam Vatis indicasse: quæ enim plura hic moneri possent de phrasi *finium terræ*, ultro prætereo. Populare præjudicium rudioris ævi nondum perfecte persuasi de terræ rotunditate globosa supposuit dari *fines terræ:* sed opus non est hanc phrasin ex eo interpretari. *Fines terræ* hic dicuntur *terra quam late patet.* Sic Vates sacer [a]: *Ut nomen tuum est, ô Deus! sic laus tua usque ad* קצי ארץ FINES TERRÆ. per universam terræ amplitudinem. Alterum quod Jesaias addit: *Nulla est pervestigatio intelligentiæ ejus:* geminum admittit sensum. Prior est, Deum intellectu suo omnia complecti; nullius rei notitiam eum fugere; omnia videre & coram oculis exposita habere. Alterius hæc est sententia; perspicaciam Divinæ mentis in disponendis viis & rationibus suæ Providentiæ esse infinitam, ut etiamsi nobis sæpe paradoxa videatur Divinæ providentiæ διάθεσις *dispositio* & *dispensatio:* Deus tamen, cujus cogitationes sunt profundissimæ & nobis inpervestigabiles, perfecte intelligat omnium viarum suarum nexum & cohærentiam, de quo late vidimus ỳ. 13. 14. Prior sensus hic à me eligitur, α. Quia directe oppositus est querelæ Ecclesiæ, *viam suam Jehovæ occultam esse.* β. Locus parallelus Ps. CXLVII. 5. qui eandem sententiam complectitur, hunc sensum maxime postulat, ut ex circumstantiis ejus facile videris. Hæc attributa Dei, *potentiæ* & *intelligentiæ infinitæ*, quorum *illud* lassitudinem excludit; *hoc* ignorantiam: non didicisse ex ratione aut institutione, indoctorum & imprudentium hominum est; ut adeo, etiamsi pii in Ecclesia laudem harum virtutum Deo lubenter tribuerent, & eas vere non ignorarent: iis minime conveniret ejusmodi profundere querelas, ne utriusque vel alterutrius laudem Deo viderentur negare. Ergo recte Propheta, *An non cognovisti? an non audivisti?* Novi, ait, te *cognovisse*, vel *audivisse:* sed si vere *cognoveris & intellexeris*, illustria hæc attributa in Deo inesse, & simul persuasus sis, eundem in te bene esse affectum: abstine querelis, quæ ejus rei ignorantiam tibi videntur exprobrare posse.

Fines terræ quo modo hic accipiendi sint?

Verba Vatis: *Nulla est pervestigatio intelligentiæ ejus.* Germana eorum interpretatio.

Prior eligitur. Ejus rationes.

Quænam emphasis in Modo proponendi, *An non cognovisti?*

Membrum alterum: *Deum* interim *debiles* & *infirmos* sua fulturum gratia.

Quod *absolute* proponitur.

ỳ. 29. *Qui dat defesso vires, & cui nulla est sufficientia, robur multiplicat.*] Alterum hoc Consolationis Membrum est, relatum ad *Subjecta* ipsa, eorumque *Statum spiritualem*, ad quæ hæc Consolatio dirigitur & applicatur. Esto enim, statum Ecclesiæ laborantis Deum non fugere. nihil clam esse ejus providentia. nihil exceptum ejus cura & procuratione. nec lassari illum, infinita sufficientia instructum, cura mundi; nedum Ecclesiæ & Populi sui: Forte tamen, dum Statum Ecclesiæ laborantis videtur negligere, & spem ejus in longum producere: interea temporis piis & afflictis concidat animus, ut tandem deficiant, & cum iis Ecclesia. Si enim Deus non *lassetur*: ipsi utique debiles & infirmi *lassari* possunt & *fatigari.* Huic dubio occurrit Vates his & sequentibus verbis, duabus sententiis, eandem rem complexis, quarum prima *absolute* docet, Deum credentes & promissis gratiæ fidentes hoc ipso in statu suo non esse destituturum, sed gratia sua in mediis laboribus & afflictionibus, quibus fides & spes illorum tentatur, esse sustentaturum & confirmaturum: altera hanc gratiosam Dei pollicitationem ex *comparato* illustrat. Priorem hic exhibeo, in cujus intellectu nemo hæret. Per *lassos, defessos, fatigatos*, (יעפים) intelliguntur hoc loco iidem qui mox ỳ. 31. קוי יהוה *Exspectantes Jehovam*, qui dum sub jugo Disciplinæ Mosaicæ inter varias calamitates, afflictiones & scandala suorum temporum gemebant, longa exspectatione Salutis à Deo promissæ fatigabantur, & respicientes *quietem* intenso desiderio & voto expetitam, nullum prævidebant laborum suorum exitum; quos Propheta eodem charactere jam signaverat Cap. XXVIII. 12. & rursus Cap. L. 4. ubi summus Doctor & Propheta ait, datam sibi esse *linguam eruditorum*, לעת אמר יעף דבר *ut possit cum* FESSIS *verbum tempestive loqui.* ad eos applicare verbum veræ consolationis. Ad quos Dominus ipse orationem vertens, ait [b]: *Venite ad me omnes* κοπιῶντες LABORANTES, & πεφορτισμένοι *gravati; & ego dabo vobis requiem.* Per hos *quibus nullæ sunt vires*, (אונים *sufficientia*, ut Coccejus:) designat ejusdem conditionis homines qui vivo indignitatis suæ sensu affecti, cum abnegatione omnium virium meritorumque suorum se unice committunt Divinæ Gratiæ, & ab ea omne subsidium, omne fulcimentum & ςήριγμα status sui spiritualis exspectant: de quibus Poëta Divinus [c]: *Beatus ille homo est, cujus* ROBUR *in te est.* h.e. Qui cum abnegatione suæ *justitiæ*, suarum virium & meritorum in statu spirituali, tibi soli fidit, & à tua gratia & influxu Spiritus tui pendet. quod ipse in eadem Ode ita explicat [d]: *Jehova Exercituum! Beatus homo*, בוטח בך *qui* IN TE CONFIDIT. Licet etiam, si quis amet, sub hac notione respicere languidos, exhaustos, subinde in agone spirituali cum tentationibus gravioribus luctantes, ut exigui tantum igniculi fidei & spei in ipsis supersint, quos Propheta describit sub nomine *calami contriti & lini fumigantis* [e], & Poëta sacer in *Ode*, hanc pericopam illustrante [f], vocat שבורי לב *fractos corde.* Utique sane Deus hunc *affectum* animi, quo quis inter varias tentationes, afflictiones, labores, adversitates, ipso firmiter & constanter nititur, ipsius gratiam & auxilium cum abnegatione virium & meritorum suorum unice respicit, requirit in omnibus veræ gratiæ subjectis per omnes Oeconomias temporum. His vero DAT *vires*, sc. ex gratia: (quæ vis est vocis,) quin iis *sufficientiam multiplicat*, abunde subministrat, ut non tantum pares sint iis ferendis laboribus, afflictionibus, calamitatibus, quas Divina providentia iis dispensat, sed & majoribus & gravioribus, per Divinam gratiam *plus quam victores.* Sic Dominus ad Apostolum [g]: SUFFICIT TIBI *gratia mea. mea enim potentia in infirmitate* τελειοῦται *consummatur.* h. e. complementum suum accipit. Non enim tanta videretur Dei potentia, nec tam excellens, valida, efficax appareret vis Divinæ gratiæ, si fides & spes sanctorum non exponerentur gravissimis tentationibus. Intellige itaque hoc in loco per *vires & robur* influxum Divinæ Gratiæ suos nunquam destituentis, sed in difficillimis tentationibus ita eos fulcientis & sustinentis, ut vis fidei & spei, & robur vitæ spiritualis, multo clarius & illustrius se ostentent & conspiciantur, quam in plano & æquabili vitæ aut Ecclesiæ statu. quod thema facile est ex consensu Scripturæ S. uberius explanare: sed in tanta difficilioris materiæ copia ultro abstineo. Res per experientiam notissima est omnibus qui in Schola Dei & Sanctorum versati sunt. Omnes experti didicerunt, quod Apostolus [h]: Ὅτε γὰρ ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι· QUANDO ENIM INFIRMUS SUM: TUM POTENS SUM. Hæc est gloria Dei, hæc delectatio ejus. sic ludit, (sit fas dicere,) in suis & cum suis. Et hic quidem sensus sententiæ est *moralis*, experimentis omnium temporum confirmatus. Sed recte statuas, esse quoque loci sensum *Propheticum*; sive, Prophetæ certum aliquod tempus vel tempora ob oculos versari quibus experimentum hoc Divinæ gratiæ in Ecclesia conspiciendo modo ederetur. de quo mox.

Membrum alterum *Consolationis*, relatum ad Statum *Subjecti*, de quo hic agitur, ỳ. 29. *Qui dat defesso vires, &c.*

Hypothesis assumpta superioris querelæ respectu *Subjecti.*

Deus promittit, se *debiles* & *lassos* esse *fulturum* & *sustentaturum.*

Quinam hic intelligantur per *lassos, defessos, fatigatos?*

Describuntur ex ỳ. 31.

Erant Credentes, statu afflicto, spectantes Adventum Messiæ.

Et *comparate.*

ỳ. 30. *Et fatigabuntur adolescentes &* LASSABUNTUR; *& juvenes* præ lassitudine *graviter offendent.* ỳ. 31. *Sed exspectantes Jehovam* RECENTABUNT *vires:* SUCCRESCENT iis ALÆ *ut aquilis. current & non lassabuntur; ambulabunt, & non fatigabuntur.*] Confirmat

Locus Matth. XI. 28.

Amplior spectus Subjecti.

Vires dat *lassis*, qu Propheta

Quid h nomine *rium* int gendum?

Admon de sensu Prophetic hujus loc

Promissi Divini au lii *compar* propositæ, ỳ. 30. 3

[a] Ps. XLVIII. 11. [b] Matth. XI. 28. [c] Ps. LXXXIV. 6. [d] ỳ. 13. [e] Cap. XLII. 3. [f] Ps. CXLVII. 3. [g] 2 Cor. XII. 9. [h] 2 Cor. XII. 10.

Summa sententiæ hujus Periopæ.

mat insignis sententia superiorem, eamque illustrat ex comparato, sed quod in disparatum convertitur. Comparantur *Exspectantes Jehovam* Juvenibus & Adolescentibus, quorum cum sint integræ vires, rarius accidit ut *fatigentur* ac *delassentur*. Et tamen si longum tempus in cursu & labore sint: id fit aliquando. Verum *Exspectantes Jehovam* hac in parte longe iis potiores fore dicuntur. *Recentarent* illi identidem vires, gravissimis licet laboribus pressi: nec tantum tuerentur statum, verum etiam altius se eveherent, veluti *pennis* vecti *aquilarum*, & cursum summa alacritate absolverent, citra lassitudinis metum. Hæc summa est sententiæ, in cujus *Versione literali* nemo hæret. Aspectus ejus vel est *Moralis* qui convenit omni statui & tempori Ecclesiæ; vel *Propheticus*. In aspectu verborum *Morali*, quod Propheta dicit, *Et fatigabuntur adolescentes & lassabuntur, & seqq.* hunc dat sensum facilem & perspicuum: Etiamsi subinde contingat, ut *adolescentes & Juvenes* lassentur, & vero etiam offendant: idem tamen non eveniet Exspectantibus Jehovam. quin licet illi ad gravissimos labores atque afflictiones durosque casus vocentur: confirmati à Divina gratia recentibus semper utentur viribus. non *fatigabuntur* illi: nedum *lassabuntur*, aut *offendent*. Solummodo itaque emphasin sententiæ Prophetæ respectu utriusque comparati demonstrabo. In προτάσει, sive *Propositione comparationis*, ℣. 30. primo observari velim, per נערים *pueros* hic recte intelligi *adolescentes*, ut aliis locis [a]. Notat enim in genere *juniorem*, contradistinctum seni [b], unde τοῖς ὁ. promiscue, νεώτερος, νεανίσκος, νεανίας. Circumstantia hujus loci postulat adolescentem firmis & integris viribus, cui ætatis vis & robur consistit. Secundo, quod Propheta ait, ויעפו נערים ויגעו *Et* FATIGABUNTUR *adolescentes, &* LASSABUNTUR: clarissime liquere ex ipsa oratione Vatis nostri, esse in verbis gradationem quæ assurgit à *minori* ad *majus*. Plus est יגע, quàm יעף. Vox יעף hic simpliciter notat *fatigari*, lassum fieri: sed יגע *præ lassitudine laborare, fatiscere*, κατακοπιᾶσθαι. Dicit itaque, subinde accidere, ut adolescentes integris viribus, si longum tempus fuerint in labore, non *fatigentur* tantum verum etiam plane *exhauriantur*, ut nihil amplius valeant. Tertio, in altero membro; *Et Juvenes* כשול יכשלו *offendendo offendunt*. h. e. gravius offendunt, impingunt: per τὸ כשל *offendere* hic consequenter intelligi *lapsationem*, quam significationem hæc notio perinde admittit, ut vidimus Cap. XXXI. 3. Sed exempla ubivis prostant. Desumpta est metaphora, quod absque me monitore quisque facile intelligit, ab his qui cum longum tempus in contento cursu fuerint, tandem cum vires se deficiunt, præ lassitudine, ut fit, facile impingunt, & impingendo lapsant, & quidem *lapsant* gravius, ut solent lassi, quorum lapsus ob defectum virium, quibus se sustineant, magis est metuendus. Verbis non utor pluribus ad hanc propositionem illustrandam, quæ ex communi usu humanæ vitæ, *experientia* inquam, deprompta est. His comparat, imo vero ab his disparat, quos (℣. 31.) vocat קוי יהוה *exspectantes Jehovam*. Est character verorum *credentium*, qui iidem sunt ἐλπιδότες *sperantes*, exspectantes. Quandiu enim promissa gratiæ omnia nondum impleta sunt, manet *spes*. Et tamen notio ex usu Scripturæ S. præcipue usurpatur de iis qui adventum Dei ut Regis & Salvatoris ad salutem Populi sui ex condicto & promisso exspectant cum certa fiducia & non dubia spe, ad qualemcunque demum adventum Domini vox referatur. Videnda de eo sunt clarissima loca in superioribus exposita, Cap. VIII. 17. XXV. 9. estque frequens ejus usus in Odis Sanctorum [c]. Chaldæus: דמסברו לפורקניתא דיי *Qui exspectant* τὴν λύτρωσιν (Int. *salutare*,) *Jehovæ*. Sic Lucas [d]: Προσδέχεσθαι λύτρωσιν. Marco eleganter [e], προσδέχεσθαι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ· *exspectare* REGNUM DEI. Ita est, *spes* sive *exspectatio* τῆς σωτηρίας *salutis*, fundata in *fide*, distinguit omnes in Orbe quot sunt homines, in duas classes. *Exspectatio Jehovæ*, non vana, sed vera & fiducialis, nititur viva fide: fides vero notitia Dei veri ac promissorum gratiæ, & assensu iis præbito cum certo animi Judicio. Nec magis est sejuncta à sanctimonia & puritate animi. Qui enim *spem habent, puros se conservant, ut ipse purus est*. Hi vero *exspectantes Jehovæ* eo similes essent *Adolescentibus* & *Juvenibus*, quod æque ac illi essent in magno labore, contentione, cursu, qui fortissimos quoque posset delassare. Intellige tentationes gravissimas afflictionum & scandalorum, cum quibus luctabantur, & continuam *intensionem* fidei ac spei, inter dubia & adversa, quæ à vi fidei & spei superanda erant; & *cursum* sanctimoniæ atque observantiæ præceptorum Dei, qui absque contentis viribus ex voluntate Dei nunquam perficitur. Hac igitur parte comparari poterant Juvenibus florentis ætatis, integrarum virium, qui ad difficillimos labores admoventur. Sed erat multum quod ipsos disparabat. Cum enim illi, licet robusti, longo labore & cursu fatigentur atque exhauriantur: alia conditio esset *sperantium in Jehovam*, quippe illi nunquam fatigarentur, nunquam lassarentur, videlicet quod Deus illos omni momento nova ac recente gratia ad ferendas, quin & ad superandas afflictiones ac labores, instrueret. Hæc summa est sententiæ, sed quam Vates *tribus articulis* complectitur, seorsim inspiciendis. Primum est quod ait, *Exspectantes Jehovam mutaturos esse vires*. Hebræa sunt: יחליפו כח Cl. Coccejus doctissime vertit, *Recentabunt vires*. h. e. novis semper instauratisque utentur viribus. Est verbum vetus formatum ex *recens*, quod A. Gellius [f] nobis servavit ex Mattio, & à Nonio exponitur per *renovari*, ἀνανεοῦσθαι. quod ex loco patet. *Recens* autem apud Veteres opponitur *fesso*. Habuimus vocem sensu *permutandi*. Sed sunt insignia loca apud Jobum [g] duo, in quibus החליף usurpatur de *arbore succisa revirescente*, & *arcu laxato se in integrum restituente*. ut החליף in hujusmodi casibus vere sit *integrari, renovari*. Phrasis mox repetitur in initio Cap. *seq.* Inde Chaldæus docte: *Renovabuntur Juventuti suæ sicut germen quod crescit*. Alterum sequitur, illustrans dictum & novam ei emphasin addens: יעלו אבר כנשרים, quod Intt. diverse accipiunt. Sunt qui reddunt, *Ascendent ala tanquam aquilæ*. sive, *Attollent se ala* sive *alis tanquam aquilæ*. ut sensus sit, hos qui certam in Deo ponunt fiduciam summa celeritate absque defatigatione tanquam aquilarum pennis vectos cursum suum continuaturos & confecturos esse. perinde ac Saul & Jonathan dicuntur *velociores* sive *leviores aquilis*, in Encomiastico Davidis [h]. Sic Chaldæus: *Super alis aquilarum current*. Alii vero referunt ad *renovationem pennarum aquilinarum*, vertuntque verba, *Ascendent* (succrescent) *pennæ tanquam aquilarum*. Sic Cl. Bochartus gemino loco [i], comparans verba Ps. CIII. 5. תתחדש כנשר נעוריכי *Renovas tanquam aquilæ juventutem meam*. & similia de *Accipitre* Job. XXXIX. 6. *An ex intelligentia tua* יאבר PLUMESCET *accipiter*? Non est nova interpretatio. Saadjas apud Kimchium, de *renovatione pennarum aquilæ* ibidem fabulosa plura adspergens, eam jam produxit; & paratus eram commentationem ejus hic subscribere, sed offendi in posteriore loco jam exsignatam à Bocharto. Quin sane Interpres Alexandrinus, omnium utique antiquissimus, hæc nostra vertit πτεροφυήσουσιν ὡς ἀετοί, quod Vetus Interpres apud Morinum: *Assument alas quasi aquilæ*. unde Hieronymus suum illud petiit, *Assument pennas sicut aquilæ*. Non est mihi dubium quin illud πτεροφυεῖν ex πτεροφυέω vel πτερόφυμι *pennas facio*, pennas sumo, plumis induor, (rarissimi usus,) hic sit appositum τῷ πτεροῤῥυεῖν, *pennas demit-*

Emphasis verborum. Vis vocis נערים h. l. explicanda est per *adolescentes*.

Gradatio in oratione prophetæ. Usus vocum יעף & יגע.

Ut & notiones כשל, quæ hic notat *lapsationem*.

Metaphora unde desumta?

Quinam sint *exspectantes Jehovam*?

Significatio ejus h. l. restricta.

Animadversio ad Paraphrasin Chaldæam.

Duplex aspectus sententiæ. *Moralis* ejus sententiæ expositus.

Et ad Rem ipsam.

Est character Sanctorum.

Similitudo inter *exspectantes Jehovam* & *Juvenes*.

Qua parte inter se dissimiles?

Quid hic *mutatio virium*?

Vox *recentare* hic scienter adhibita à Cl. Coccejo, & expolita.

His vocis יחליף

Sequens membrum: *Succrescent iis ala ut aquilis*.

Diversa interpretatio verborum.

Sunt qui vertunt: *Ascendent ala ut aquilæ*.

Alii referunt ad *Renovationem Pennarum Aquilinarum*.

Auctores sententiæ.

Interpretatio Græca.

Usus vocis πτεροφυῶ.

a Confer Cap. XIII. 18. Exod. XXIV. 5. Job. I, 19. b Confer Cap. III. 5. c Ps. XXV. 3. XXXVII. 9. CXXX. 5. Conf. Thren. III. 25. 1 Thess. I. 10. Heb. IX. 28. d Luc. II. 38. e Marc. XV. 43. f *Noct. Attic.* Lib. XV. Cap. XXV. g Cap. XIV. 7. XXIX. 20. h 2 Sam. I. 23. i *Hieroz.* Part. I. Lib. I. Cap. III. Part. II. Lib. II. Cap. I.

demittere, *amittere*, quod uſus eſt receptioris. Sumpſit tamen Hieron. vocem יעלו ſignificatione *tranſitiva*, formæ *Hiphil*, pro *educent*, *proferent*, *aſſument*, perinde ut alii apud Vatablum: cum Bochartus ſimpliciter vertat, *Aſcendent*, pro *ſuccreſcent*. Certe verſio hæc ſua ſe commendat venuſtate, eſtque ſenſus ejus huic loco congruentiſſimus. Et tamen quis inficias eat, dictionem Prophetæ ſecundum verſionem τῷ πάνυ minus eſſe facilem & liquidam. Durius paulo videtur vocem עלה *aſcendere* ſimpliciter uſurpari pro *naſci*, *ſuccreſcere*; &, ſi Vates vocem hoc ſenſu adhibere voluiſſet: videri poſſet ſcripturus fuiſſe יעלו להם אבר *aſcendent* IPSIS *alæ*, *ut aquilæ*. Forte hæreat etiam aliquis in voce אבר, *ala*, *penna*, quæ ſecundum hanc expoſitionem jungitur voci יעלו: ſed abſque ratione, ſiquidem notio אבר non uſurpatur in *forma plurali*, ut adeo *ſingularis* hic gaudeat poteſtate *pluralis*. Nec tamen hæ difficultates ejuſmodi ſunt, ut neceſſario vim obtineant: atque adeo integrum facio peritis harum rerum arbitris hujus quæſiti judicium. Uterque ſenſus vere eſt egregius & commendabilis, & *ſubjecto* æque ac circumſtantiis convenit. Poſterior in hanc exit ſententiam, *Sperantes in Dominum integris & recentibus uſuros eſſe viribus*; & cum vires exhauſtæ videantur, *novas identidem iis ſuccreturas eſſe*. Quod jam in tertio membro additur: *Current & non laſſabuntur: ibunt & non fatigabuntur:* rurſus ſcientiſſime dictum eſt. *Curſui* convenit *laſſatio: itioni* ſive *ambulationi*, *fatigatio:* ſecundum uſum harum vocum modo obſervatum. Neutrum accideret *ſperantibus in Jehovam:* ſemper vigerent, virerent, & exhauſti, ut videri poſſet, vires identidem recuperarent, *repueraſcerent*, *juveneſcerent*.

'Επίκρισις in hanc verſionem.

Membrum extremum: *Current & non laſſabuntur, &c.*

Senſus moralis hujus ſententiæ.

Deus ſpem fidemque ſuorum ſuſtinet.

Senſus hiſtoricus & moralis qui huic pericopæ ſubeſt, à nemine non perſpicitur. Videlicet, Deum nunquam deſtituere in ſe ſperantes; ſed eos omni caſu ſuſtinere, ut licet juſtus *cadat* vel *cadere* videatur, non tamen *proſternatur*, *quia Jehova manum ejus ſuſtinet* [a]. quin tempore afflictionis, laboris, tentationum, & gravioris luctæ fidei & ſpei, Deum eos qui ſe reverentur, colunt, exſpectant, non deſtituere: ſed tum maxime vi ſuæ gratiæ ita eos fulcire, atque animare & vivificare, ut tempore calamitatum, afflictionum & perſecutionum publicarum paſſim longe majore conſolatione ac vividiore ſenſu favoris Divini ſe affectos deprehendant quam temporibus pacis & proſperitatis publicæ. De eo Poëta Divinus [b]: *Juſtus ut palma florebit: ut cedrus Libani ſe diffundet. Plantati in Domo Jehovæ in atriis Dei noſtri* יפריחו FLORESCENT: *adhuc* FRUCTUM FACIENT IN SENECTUTE. *pingues & virides erunt.* nunquam deciduo folio marceſcent. Semper vim vigoremque ſuum integrum ſibi habebunt, vireſque integrabunt. Confer inſignem plane locum Jer. XVII. 8. coll. cum Pſ. I. 3. & ex Propheta noſtro Cap. XXXIII. 16. Quid pulchrius ſententia Deboræ [c]: *Amatores ejus* (Jehovæ,) ſe habent ut *Sol quando* ORITUR (ſic pulcre in hoc loco vertitur vox יצאת *egreditur*,) *in virtute ſua.* in omni vi majeſtateque ſua, in omni ſuo vigore. Quæ cauſſa? Haud dubie influxus continuus, recens, durabilis, Divinæ Gratiæ. Vates noſter de *vinea Eccleſiæ* [d]: *Ego Jehova cuſtodio eam:* בכל רגעים אשקנה OMNIBUS MOMENTIS *irrigo illam.* Hic influxus eſt vita animæ. inde vires, inde impetus animi, ut non *eant*, ſed *currant: currant* autem abſque *defatigatione*; & magnis hiſce *pennis* Divinæ Gratiæ inſtructi, *leviter* ſe efferant & extollant in altum, & tanquam *depoſito* omni *onere* [e] quod terram verſus attrahit, ſe velociter moveant; alioquin etiam *aquilis* ſimiles, tum quod ad *alta*, h. e. cœleſtia, adſpirent; tum quod ſpiritualia, (neceſſitatem miſeriamque ſuam, momentum ſalutis, ſpem futuri, virtuteſque ac perfectiones Divinas,) majore perſpicacia videant, & futura provideant, quàm de ſæculo homines. Sed de eo hic longa differendi materia eſt. Sufficiat verbo indicaſſe.

Inprimis in adverſis & tentationibus.

Recentem iis ſemper ſubminiſtrat gratiam.

Quod uberius declaratur.

Et ita quidem ſibi conſtat ſenſus ſententiæ hiſtoricus, moralem continens doctrinam, ſe diffundentem per omnes temporum Oeconomias: quem ſenſum qui hic ſolum ſectantur, iidem *verba* hujus pericopæ, quæ apud Prophetam in *futuro* efferuntur, veluti, *defatigabuntur*, *laborabunt*, *offendentur*, *mutabunt vires:* explicant ex more Linguæ per *præſens*, vertuntque, *fatigantur*, *laſſantur*, *mutant vires*, *currunt*, & *ſeqq.* in quo nihil vitii eſt. Verum viderunt plures, majus quid in hiſce verbis latere, & Vatem noſtrum hic omnino videri in oculis habere certum aliquod tempus vel tempora quibus id manifeſtiſſimis documentis comprobandum ſit, Deum *laſſis* & *feſſis* ſuppeditare *vires*, eoſque jugi gratiæ ſuæ influxu in mediis laboribus atque afflictionibus *integrare* & *inſtaurare* ne *deficiant*, dum interea aliqui ſive myſtice, ſive Prophetice *Juvenes* dicti & *adoleſcentes*, deficerent, offenderent, ac graviter lapſarent. Nec negari poteſt, vim atque emphaſin orationis hoc ſenſu compleri. Vidit Chaldæus, & aliquid hic tentavit. Quod Propheta ait, *Fatigabuntur adoleſcentes*, & *ſeqq.* vertit, *Et defatigabuntur Juvenes* PECCATORES, (חיבים) ... & JUVENES IMPII (רשיעיא) *corruent.* Rurſus quod ſequitur, *Qui autem ſperant in Dominum, mutabunt vires*, παραφράζει in hunc modum: *Qui autem ſperant in ſalutare Domini*, יתכנשון מבני גלותהון CONGREGABUNTUR DE MEDIO EXILII SUI, & ſeqq. Inhæret plane huic meditationi Kimchius. Refert verba ad Populum Dei in Exilio cum Liberatione ſua recentaturum vires. Aben-Ezra, paſſim mere γραμματικὸς, eodem fere modo niſi quod reſtringat ad Statum Iſraëlitarum in Exilio Babylonico. Verba ejus: ויתכן היות זרז המעם כי ישראל שקוו השם הוא יחזקם וישיבם אל ירושלם והכלים שהם גבורים יחלשו Senſus hic verbis ſubeſſe videtur: *Iſraëlitas qui Dominum exſpectarunt, ipſum confirmaturum eſſe, eoſque reducturum Hieroſolymum; ſed Babylonios, fortes ſtrenuoſque Viros, infirmandos eſſe.* Chriſtiani Intt. antiqui, Euſebius, Cyrillus, Theodoretus, (licet hic paucis,) præcipue demonſtrant in diverſa ſorte quam ſubierunt *Judæi increduli* ac *credentes* in Chriſtum ſub Oeconomia gratiæ, quando illi *defecerunt*, hi *confirmati* ſunt à Divina Gratia, & laboribus hujus vitæ fortiter defuncti complementum hujus promiſſi *acceperunt* in futura vita. Poſtremum quoque arripuit Hieronymus, & Procopius. Viſa enim hæc promiſſio prophetica ipſis eſt nimis excellens & magnifica, quam ut in hac vita perfecte impleatur. Certe magnum quid eſt quod hic dicitur; nec plane inficior, vim hujus prædicti vel promiſſi ſe ad ipſam uſque extendere æternitatem. Cl. Coccejus hic prophetice tres demonſtrat *Juvenes*, ſic myſtice dictos, perfecto robore ac vigore conſtitutos, qui deficerent: *Judæos*, *fatigandos* bello cum Romanis: *Romanos* ipſos tandem *laſſandos* perſequutionibus Eccleſiæ; & Juvenes qui ducunt *Exercitus* ac *copias Antichriſti*, adverſus confeſſores veritatis, tandem offenſuros: quod ait non eſſe *unius temporis*. Contra *Exſpectantes Jehovæ* novis viribus inſtruendos & virtute *aquilina*, demonſtrat in Exemplis *Martyrum* in prima Eccleſia; Sanctorum qui viderunt *proſtratas Gentes & Hereſes*; Eorum qui *in oppreſſione Antichriſti cum Beſtia luctati ſunt*; & denique *Illorum qui in fine ſeculi habebunt pacem.* quæ pie meditata non ſperno. Si enim forte non id dicatur, ad quod Propheta ſecundum circumſtantias hujus loci *directe* reſpexit: nihil tamen falſum dicitur, quia *veritas* hujus gratioſi Dei ſtatuti per omnes temporum Oeconomias obtinet. Meum ſi quæras Judicium: non eſt abſurdum dictu, Vatem hic reſpexiſſe *Reduces* ex Exilio *Babylonico*, in quibus in initio magna vis fidei, magna virtus & fortitudo fuit; quæ eadem conſpicua fuit in altera *Expeditione Ezræ:* attamen vere exiſtimo, Prophetam hic reſpexiſſe & ſibi ob oculos habuiſſe, (κατὰ γράμμα,) HERÖES MACCABÆOS: ſed κατὰ πνεῦμα HERÖES SPIRITUALES

Moralis ſenſus quam hic verſionem poſtulet?

Subeſt hiſ verbis quoque Senſus Propheticus.

Ejus aſpectus.

Chaldæi notabilis paraphraſis.

Conſenſus aliorum Intt. Judæorum.

Verba Aben-Ezræ.

Chriſtianorum Intt. Vett. de ea ſententia.

Summum implementum promiſſi quærunt in Vita futura.

Sententia Cl. Coccejiana. Diſtinguit hic Periodos temporum.

Probabilis expoſitio a Senſus Prophetici. Literalitèr reſpicitur *Heröes Maccabæos*: myſtice ad *Heröes ſpirituales*.

[a] Pſ. XXXVII. 24. [b] Pſ. XCII. 14. [c] Jud. V. 31. [d] Cap. XXVII. 3. [e] Heb. XII. 1.

, Apostolos & Ministros Gratiæ mi temporis.

LES temporis Apostolici & Ecclesiæ primæ: *illos* quidem oppositos *Juvenibus & adolescentibus*, robore & viribus nixis, (militibus sc. Syriacis, fiducia virium superbis, quo sensu *milites* Sacris & Exoticis Scriptoribus *Juvenes* dicuntur, ut vidimus Cap. XXXI. 8.) *hos* verò oppositos *Judæis carnalibus*, meritis, prærogativis, viribusque suis fidentibus & Ecclesiam Christi Jesu horum fiducia opprimere laborantibus. quorum *illi* incredibili *virtute Divina* & novis identidem viribus *fidei & spei* succincti ac suffulti hostes suos, fatigatos, lassatos, laborantes, profligarunt, debellarunt, discrimina difficillima sibi adversa superarunt, de quo præter historiam magnifice disserit Auctor Epistolæ ad Hebræos [a]: *hi* vero gregarii ortus homines, nullis externis subsidiis muniti, nullis armis instructi, nulla doctrina Literali culti, à Spiritu S. affecti & valide incitati, à fide & spe animati, per gratiæ Divinæ vim incredibilem, semper in iis recentem, per mille adversitates & discrimina, per mortes & cruces, non *ivere-runt*, sed *cucurrerunt*, non fatigati nedum lassati, nec fatigabiles, & se veluti alis aquilinis efferentes, & superiora ac cœlestia respicientes, tanquam humanæ conditionis obliti essent, persequuti sunt scopum eodem cursu, tenore, contentione, usque ad terminum sibi à Deo præfixum [b]. Ab hoc Spiritu incensi, hoc igne ardentes, Regna & Regiones Mundi longissime etiam dissitas peragrantes & percurrentes, Populos & Regna Christo Jesu subjecerunt: dum adversarii illos impugnantes, Judæi & Gentiles, fatigati, lassati, gravi lapsu lapsarunt. Martyrum & Confessorum, & Doctorum Evangelii primi temporis, ad omnia adversa induratorum, idem est respectus. Sed non ausim longius ire, nec me brevitatis quoque studio amplius diffundere, ne forte à primo scopo Prophetæ discedam. Tantum comparari hic velim loca Joël, III. 10. (al. IV. 2.) *Debilis & infirmatus dicat*, HEROS SUM. Zach. XII. 8. *Die illo proteget Jehova incolas Hierosolymæ; & erit languidus inter illos illa die ut David; & Domus Davidis ut Dii; ut Angelus Jehovæ eos præcedens.* Confer Cap. X. 5. & ex Propheta nostro Cap. XXXIII. 24.

primi temporis, cognatus describitur.

irtus Divina miralis, quæ mirata est postolos Credentes

Libri Quarti Prophetiarum JESAIÆ,

CONCIONIS PRIMÆ,

Sectio Altera,

Qua Propheta proximum *Concionis* suæ argumentum de *Idolorum vanitate* persequens, Deum introducit, orationem convertentem ad Gentes, & cum iis pro veritate sua adversus Idololatras disputantem, argumento sumpto ex Liberatione, quam Populo suo procuraverat per Cyrum, (qui casus hic tanquam gestus supponitur,) sua providentia excitatum, & à Propheta nostro prænunciatum, & in persona attributisque suis accurate deformatum, antequam magnum illud opus Liberationis externæ Populi Dei, cui consilio Divino destinatus erat, exequutus fuerit: silentibus interim idolis omnibus, hujus tanti Eventus ignaris, & stupentibus idololatris, ac opem fictitiorum Deorum suorum frustra implorantibus. Inde, eadem figura & schemate dictionis, Oratio Divina dirigitur ad Populum Ecclesiæ afflictum, anhelantem, & laborantem, eumque *variis* consolationum *articulis*, luculenta promissa complexis, de novo erigit in spem insignium beneficiorum, facta non dubia fide ex ipso hoc glorioso & critico eventu Liberationis externæ per Cyrum, contra communem omnium exspectationem effectæ. Mox repetitur disputatio cum Idololatris, qui convincuntur crassi erroris ac stultitiæ, quod pro Diis habeant colantque quos Eventus futuri temporis summe notabiles, (qualis ille est Cyri, supra memoratus,) à vero interim Deo præcise præformati, lateant.

CAPUT XLI.

extus p. XLI.

1. TAcete mihi Insulæ, & Populi vires renovent: accedant propius; tum loquantur: pariter ad disceptationem juris congrediamur.

2. Quis excitavit ab Oriente Eum cui justitia ad pedem occurrebat? Dedit ante faciem ejus Gentes, & Reges imperio ejus subjecit? Posuit instar pulveris gladium ejus; instar stipulæ propulsæ arcum ejus?

3. Persequutus est eos; progressus est in pace, per viam quam pedibus suis non calcaverat.

4. Ecquis molitus est & effecit? Is qui generationes vocat à principio. Ego Jehova primus; & cum ultimis Ego idem.

5. Viderunt Insulæ, & timuerunt: extrema terrarum contremuerunt: inter se contulerunt & venerunt.

6. Alter auxiliatus est alteri; dixitque socio, Præsta te virum.

7. Et confirmavit Faber lignarius Aurifabrum: Qui levigat malleo Eum qui tundit incudem; dicens de ferrumine, Bonum est: firmavitque illud (*Idolum*,) clavis ne dimoveatur.

8. Tu vero Israël, serve mi; Jacob, quem elegi; semen Abrahami amantis mei!

9. Quem apprehendi ab extremis terræ; quemque ex lateribus ejus evocavi, cuique dixi: Servus meus es tu: elegi te; & non sprevi te.

10. Ne timeto, quia Ego tecum sum: ne circumspice timide, quia Ego Deus tuus. Corroboro te; etiam auxilior tibi: etiam sustento te dextera justitiæ meæ.

11. Ecce! pudefient ac suffundentur pudore omnes qui in te exarserunt: ut nihilum evadent & interibunt qui tecum litigant.

12. Quæres eos & non invenies eos: viros, *inquam*, qui tecum contendunt. Fient

a Cap. XI. 33. 34. seqq. b Confer 1 Cor. IV. 11. 2 Cor. IV. 8. XI. 26. Rom. VIII. 37.

tanquam nihilum & res nulla viri qui tecum pugnant.

13. Quia Ego Jehova Deus tuus prehendo dexteram tuam: dicens tibi, Ne timeto. ego auxilior tibi.

14. Ne timeto, Vermicule Jacob; Popelle Iſraël! Ego auxilior tibi, ait Jehova; & Redemptor tuus eſt Sanctus Iſraëlis.

15. Ecce pono te in tribulam acuminatam novam, inſtructam dentibus acutis: triturabis montes, & comminues, & colles efficies tanquam glumam.

16. Ventilabis eos, & ventus illos auferet, & procella eos diſperget. ſed tu exultabis in Jehova: Sancto Iſraëlis gloriaberis.

17. Pauperes & inopes quærunt aquam; ſed nulla adeſt. lingua illorum præ ſiti aret. Ego Jehova reſpondebo ipſis: Deus Iſraëlis non deſeram ipſos.

18. Aperiam in jugis fluvios, & in medio convallium fontes. Ponam Deſertum in ſtagnum aquarum, & terram ſiticuloſam in ſcaturigines aquarum.

19. Faciam ut exiſtat in Deſerto Cedrus præſtantiſſima, & myrtus, & arbores oleoſæ. Ponam in ſolitudine fraxinum, tedam, & populum pariter.

20. Ut videant, & cognoſcant, & advertant animum, & prudenter conſiderent una, Manum Jehovæ hoc feciſſe, & Sanctum Iſraëlis illud creaſſe.

21. Admovete litem veſtram, ait Jehova: in medium producite robora veſtra, dicit Rex Jacobi.

22. Siſtant & indicent nobis quæ fortuito eveniunt. Priora quæ ſint clare explicate, ut apponamus cor noſtrum, & cognoſcamus extrema eorum; aut ventura in longum nobis ediſſerite.

23. Annunciate quæ ventura ſunt in poſterum, & cognoſcemus, Vos eſſe Deos. Etiam bonum facite & malum facite; ut diſpiciamus, & videamus pariter.

24. Ecce omnes Vos minus eſtis nihilo; & opus veſtrum minus quam nauci. Abominabilis quiſque vos eligit.

25. Excitavi ab Aquilone & venit; ab Oriente Sole qui invocet Nomen meum: & invadet Antiſtites tanquam lutum, & *ut eos calcet* quemadmodum figulus calcat cœnum.

26. Quis indicavit ab initio, ut cognoſceremus; & longe ante, ut diceremus, Verum eſt. Quin vero nemo eſt qui indicet; nemo etiam qui illud clare prædicat: quin etiam nemo qui audit dicta veſtra.

27. Primus Ego Tſioni, Ecce, ecce illa! & Hieroſolymæ Præconem boni Nuncii dedi.

28. Quippe circumſpicio; ſed nullus adeſt Vir: & quidem ex illis *aliquem circumſpicio*; ſed nullus adeſt conſiliarius; & *nulli adſunt* quos aliquid interrogem, ut referant verbum.

29. Ecce omnes illi vanitas: opera illorum ſunt nihilum: ventus & inane quid fuſilia ipſorum.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis*.

COncio hæc ſic eſt contexta, ut dum Propheta Deum loquentem introducens diſputat pro veritate veri Dei Iſraëlis adverſus idola & idololatras, quos cæcitatis ſuæ convincit ac plane confundit: huic ſuæ diſputationi continuo miſceat & intexat digreſſiones Conſolatorias ad Populum Dei directas, argumento ex ipſis illis *Convictionibus* petito, ut ſive demonſtret, idolis hominum manu ſculptis fuſiſque & ex materia terreſtri paratis, non poſſe convenire attributa Creatoris & Rectoris hujus Univerſi: (quod fecerat in *priore Sectione:*) ſive doceat, & evincat, falſo atque erroneè pro Numinibus haberi & coli, qui futurorum Mundi Eventuum, eorumque notabilium & gravis momenti, plane ignari ſunt: contra, eſſe inter *κριτήρια* veri Dei illuſtres Caſus futuri temporis in omni ſua circumſtantia prædicere ac ante rem geſtam enarrare, cujuſmodi exemplum Jeſaias hujus Dei Propheta edebat in Cyro Liberatore Populi Dei, à nemine cogitato, à nemine exſpectato, à nomine, gerendis, virtutibuſque ſuis propriiſſime deſcripto: (quod Vates exequitur hac *Sectione:*) doctrinam illam à ſe in *Ἐλέγξει* demonſtratam applicet ad ſolandos animos dejectos & afflictos Populi Dei, cui Deus vere deſtinaverat ingentia beneficia, finito luctæ ſuæ tempore per gradus & articulos temporum adeunda. Sic inſtituerat in *Sectione Priore:* ſic pariter in hac Noſtra, ut ex ſchemate, quod hic exhibeo, pateſcet. Eſt autem fere in hunc modum conſtructum.

Schema compoſitionis hujus Concionis enarratur.

II. Comparet hic in publico Deus verus [a], Gentes omnes & in his *Maritimas* ac *Inſulanas* provocans ad ſecum congrediendum in diſputatione, ut idolorum falſitatem, & ſuæ Divinitatis veritatem, probet. Argumentum deſumit ab illuſtri quadam Perſona, (Imperatore, Principe, quem mox demonſtrabimus eſſe Cyrum:) à ſe excitata ex *Oriente* ad deſtruendam Babyloniorum Monarchiam, & Populo ſuo procurandam Liberationem, ſtupentibus ac trementibus Babyloniis, idolorum cultoribus; eoque Populi ſui Liberatore longo ante tempore à Prophetis, (certe à Propheta noſtro) deſignato, & in omni charactere ſuo deformato ac deſcripto [b]. qua demonſtratione peracta idem Deus ſecundum figuram hujus orationis ſe mox convertit ad *Populum*, ſive *Popellum Eccleſiæ* afflictum & à vi potentiore oppreſſum, atque obrutum ſcandalis, & ante Maccabaica tempora & Regnum Chriſti Jeſu revelatum cum variis luctantem adverſitatibus. Hunc benigne admodum appellat, & erigit electa conſolatione; monens, docens, inculcans, ſe hunc Popellum ſuum non eſſe deſerturum, ſed conſervaturum, fulturum, defenſurum [c]; adverſarios ejus & æmulos perditurum, deſtructurum [d]: quin per hunc Popellum ſuum exequuturum eſſe glorioſa decreta gratiæ juſtitiæque ſuæ in ſubigendis hoſtibus ejus tam temporalibus quam ſpiritualibus [e]; & venturum tempus quo hic Popellus Gentes viſurus ſit ſubjectas Regno Dei, & *Deſertum Gentium* converſum in *Paradiſum Dei* [f]. Inde (hac conſolatione ad Populum ſuum quaſi *παρενθετικῶς* interjecta,) regreditur ad diſputationem ſuperiorem, eamque pertexit, & Gentes idololatriæ patrocinantes de novo provocat, urgetque, ut veritatem Numinum quæ venerabantur, adſtructuri, *argumenta* quæ optima in mundo habeant, in medium proferant. Ipſe interim adverſarios ſuos, ad ſilentium redactos prævenit, & ſui Numinis veritatem demonſtrat ex certis prædictionibus Eventuum futu-

rorum,

[a] Cap. XLI. 1. [b] ℣. 2--7. [c] ℣. 8. 9. 10. [d] ℣. 11. 12. [e] ℣. 14. 15. 16. [f] ℣. 17--20.

rorum, eorumque maximi momenti, qualis est prædictio de *Cyro*, glorioso Principe & idolorum destructore, & Liberatore Populi Dei, à Deo vero per Prophetam nostrum prænunciato, præfigurato, & omni colore suo descripto *a*. Unde tandem defunctus hac disputatione, dicta disputataque in summam colligit, formatque *conclusionem* quæ in hanc exit sententiam *b*, *Idola esse rem vanam & nihili, & cultores suos suffundere pudore.*

In quo tempore figenda est scena hujus Visi?

III. *Prima scena* hujus Visi ex nostra hypothesi omnino figenda est in tempore afflictæ Ecclesiæ Populi Dei longo jam satis tempore post *Reditum ex Exilio Babylonico*, dum Res Statusque Populi Dei, de quo pii maximas spes conceperant secundum prophetias, sensim in deterius ibant, & scandala ac vitia in Populo invalescebant; & idololatria à profanis in Gentem introducta, rursus prævalitura metuebatur: pii autem in magnis constituti tenebris non prævidebant, quem qualemque exitum præsens rerum status habiturus esset, in magnas redacti angustias. qui status fuit Populi Dei sub Seleucidis & Lagidis, non longe ante emergentem persecutionem Antiochi Epiphanis. Huic *Subjecto*, & *tempori* quod idem designavi in *Concione superiore*, ℣. 27. seqq. convenit *primus* articulus consolationis, ℣. 8. seqq. qui hic præcipue respicitur. *alter* enim articulus ℣. 14. seqq. complectitur quoque *tempora* Ecclesiæ proxime *sequentia*, incluso tempore afflictæ Ecclesiæ Apostolicæ; ut ibi videbimus. Hæc *clavis* est interpretationis hujus Vaticinii, ut clarissime patescet ex ipsa interpretatione. Omnes partes prophetiæ hic amice inter se consentiunt.

Analysis hujus Sectionis.

IV. *Analysin* quisque ex dictis facile conficiat. Continuatur disputatio adversus idololatras in *superiore Sectione* instituta, duplice *Aggressione*, sive *Instantia* quæ dicitur, discriminatim proposita; & in particulas suas secundum subjectum schema resolvenda.

Pars Prior, *Aggressio* sive INSTANTIA PRIMA, in qua

- *α. Prologus* Dei veri provocantis idololatras ad disputationem, Cap. XLI. 1.
- β. *Argumentum* quod in medium producit ad illos erroris convincendos, ℣. 2--7.
  - Quod *Argumentum* desumitur ex illustri aliqua *persona* à Deo *excitata*,
  - Cujus *Apparitio*, & attributa recensentur, ℣. 2--4.
  - Ejus *Consequens*, Stupor *idolatrarum*, ℣. 5--7.
- γ. *Apostrophe* consolatoria, parenthetica, directa ad Populum Dei afflictum, constans tribus articulis,
  - *Primus*, ad Ecclesiam Maccabaicis temporibus proximam, ℣. 8--13.
  - *Alter* ad Ecclesiam Apostolici temporis, in initiis exiguam & contemptam, victuram mundum, ℣. 14--16.
  - *Tertius* ad Ecclesiam Christianam afflictam primo tempore gratiæ, ℣. 17--20.

Pars Posterior: *Aggressio* sive INSTANTIA Disputatoria ALTERA, adversus Idololatras instituta, Ubi rursus

- *α. Prologus* illos provocans ad Actum Disputatorium, ℣. 21.
- β. *Argumentum* ipsum: Prædictio certa *futurorum* Eventuum magni momenti; quod Argumentum
  - (a.) In genere proponitur, ℣. 22--24.
  - (b.) Urgetur ex singulari exemplo Cyri, à Deo suscitati, & per Prophetam Jesaiam prænunciati, ℣. 25--28.
- γ. *Epilogus*, sive *Conclusio*, Cap. XLI. ℣. 29.

Admonitio de *Anacrisi* hujus Sectionis.

V. *Anacrisin* huic *Sectioni* non præmitto, quod *Sectio* hæc nostra vere partem faciat *Concionis* superioris, de cujus *Subjecto* & *Tempore* disquisivi, ejusque veluti appendix quædam haberi debeat. Et sunt tamen aliqua ad veram interpretationem hujus Sermonis constituendam plane necessaria, quæ justissimæ disputationi materiam præbent, & judicia Intt. merito exercent. Veluti, *α.* De qua Persona illustri *ex Oriente excitanda* Propheta loquatur? ℣. 2. 3. & in fine hujus *Capitis*, ℣. 25. β. Quis ille sit *Popellus Israël*, cujusque sit Status & temporis ad quem consolatio Dei emphatica in hac Concione dirigitur, tum ℣. 8. tum ℣. 14. & 17. Verum cum de his quæsitis in expositione ipsa commode disputetur: recte fecerim, si dicenda de hoc argumento in illa loca conjiciam.

ACTUS PRIMUS Disputationis cum Gentibus instituendæ de *Veritate* veri & falsitate *falsorum Deorum.*

Actus primus Disputationis cum Gentibus instituendæ.

α. Prologus Dei Pseudopropheras Gentium invitantis ad secum congrediendum in Disputatione.

α. PROLOGUS, Deus invitat, Gentes ad hunc actum.

℣. 1. TACETE *mihi* INSULÆ, *& Populi vires renovent:* APPROPINQUENT, *tunc loquantur: pariter ad* DISCEPTATIONEM *congrediamur.*] Tota hæc *Sectio*, subnexa *Sectioni* superiori, ejusdem *Concionis* facit *Partem*; & quidem *Partem* ordine *Quartam*, atque adeo cum *Concione superiore* arctissime cohæret. Propheta, cum ipsi ob oculos versaretur *idololatria* sub Regno Messiæ destruenda: inceperat instituere Disputationem adversus idololatriam in *Sectione superiore*, à ℣. 18. deprompto argumento ex Essentia & Natura Dei, summi *Creatoris* & *Rectoris* hujus Universi, tanquam non *exprimibili* in ulla materia corporea, aut materiæ corporeæ figura atque imagine: idque exequutus fuerat usque ad ℣. 27. Huic Disputationi sive Ἐλέγξει primæ subjecerat *Consolationem* ad Populum Dei afflictum directam, à ℣. 27. usque ad *finem* illius *Sectionis* quæ cum *Capite* illo terminatur. Ergo post parenthesin hanc Consolatoriam sive continuat, sive redintegrat Disputationem adversus Idololatras, argumento vere desumpto, (si quis orationem Prophetæ totam rite expendat,) ex certa *prænotione* ac *prædictione* Eventuum futuri temporis; ex quibus seligit unum illum notabilem *Cyri*, tanquam Liberatoris Populi Dei & Destructoris Babylonis: ad quem eventum, ab idolis & idololatris ignoratum, Gentes omnes obstupuerunt; & quem tamen Deus in omni sua circumstantia per Prophetam nostrum tam longo tempore ante accuratissime prænunciaverat ac prædeformaverat. Hanc prædictionem futurorum Eventuum qui præstare queat: huic disputat negari non posse *Divinitatem veram*: qui non possit, ei falso hunc honorem tribui. Prædictio enim futurorum Eventuum pendet à certa illorum Eventuum prænotione; prænotio vero illa tantum concipi potest inesse in intellectu Rectoris τῶ ὅλω, cui competit *Providentia Universalis*. quæ ἀπόδειξις est certissima; in qua conficienda tota hæc *Sectio* vere decurrit, si exceperis *Partem Consolatorium* parentheticam ei intextam. quod recte observasse, totam hanc *Sectionem* lumine perfundit. Id vero argumentum Propheta arripit, quia Idololatræ eo maxime gloriaban-

Nexus totius orationis Prophetæ demonstratur.

Argumentum & Scopus hujus Sectionis clarius indicatur.

a ℣. 21--28. *b* ℣. 29.

riabantur; & vere in toto Paganismo præter hoc unum nihil erat quod ei conciliare poterat speciem. Habebat Paganismus suos Hariolos, Astrologos, Haruspices, Oneirocritas, Magos, Chaldæos, Sibyllas, qui jactabant commercium cum Diis, & vaticinandi facultatem, at vero falso iis adscriptam; & quoque Oracula. Primo itaque hic exhibetur *Deus* tanquam comparens in *Publico*, & se accingens ad disputandum cum *idololatris* pro veritate & gloria sua, eosque ad hunc actum provocans: quod rursus eadem *figura* agit ℣. 21. Videtur quid esse novum, & insolens: sed non est. Ne enim nunc dicam, alibi quoque hanc *figuram* in publico comparentis & disputantis Deo aptari, veluti Mich. VI. 1. à quo non multum distat schema primæ *Concionis* Prophetæ nostri: qui Deo minus conveniat figura disputantis aut convincentis, cum ipse utique per conscientiam cum omnibus mortalibus disputet, eosque non doceat tantum, verum etiam redarguat & convincat; idque agat idem per Prophetas & Doctores Publicos? Schema itaque sive figura nihil habet indecorum aut *ἀπρεπές*. Omnis demonstratio veri, omnis convictio falsi, à Deo ejusque Spiritu pendet. Verum etsi res ita se habeat: oratio tamen & disputatio licet sub persona Dei instituta censeri debet esse Prophetæ & Doctorum Ecclesiæ. Compellat autem אִיִּים INSULAS & לְאֻמִּים POPULOS. hos provocat & invitat, ad actum disputatorium de *Jure idololatriæ:* non itaque *Judæos*. quod hic probe observandum. Ratio inde petenda est, quod hæc Convictio ei conveniret tempori, quo Gens Judæa publice nuncium miserat idololatriæ; quodque eadem convictio subserviret Oeconomiæ N. per præconium Evangelii in Orbe terrarum stabiliendæ. Id tantum videri queat paradoxum, orationem hic verti ad אִיִּים *Insulas* aut *insulanos*. Intelliguntur, stylo Prophetæ, non *insulani* tantum proprie sic dicti: verum omnes maris & maritimarum regionum accolæ, *Asiæ Minoris*, (quæ fere *Peninsulæ* habet speciem:) Græciæ, Ponti, Peloponnesi, Illyrici, Italiæ, Hispaniæ, Galliarum, Africæ, ut vidimus Cap. XL. 15. coll. cum Cap. XXIV. 15. Quorsum vero illi hic comparent? Cur oratio non dirigitur ad incolas *Continentis* Asiæ, florentissimos complexæ Populos, Assyrios, Babylonios, Medos? Certe fuerunt inter Veteres, veluti Theodoretus, Cyrillus, eosque imitatus Procopius, qui per *Insulas* hic mystice intelligunt *Ecclesias*. Cogitatio non est spernenda: sed huic loco incongruens. Editur enim oratio ad Eos quibus vera Divinitas adhuc demonstranda erat. Apertæ & planæ rationes sunt, *a*. Quod *insulæ* & *maritima loca* illo jam tempore confertim habitarentur, & populosissimæ censerentur; cum contra Continens terra Asiæ variis iisque vastis Desertis interstincta esset. unde sub nomine *Insularum* subinde omnes intelliguntur Gentes, ut Cap. XLII. 4. β. Ubi *Insulæ* & *insulani* speciatim invitantur ad disputandum pro veritate suorum Idolorum: non hoc eo fit acsi cæteræ Gentes excluderentur, sed ut eo ipso declaretur, Deum ad hunc disputationis actum non tantum invitare populos proximos, sed & remotos, longe dissitos. velle enim omnes Populos & Gentes venire ad notitiam & fidem veri Dei. Sic manifeste ipse Propheta, Filium Dei loquentem introducens, Cap. XLIX. 1. *Auscultate me* אִיִּים INSULÆ, *& animum advertite* POPULI A LONGINQUO. Pariter apud Jeremiam *a*: *Audite verbum Jehovæ, Gentes,* וְהַגִּידוּ בָאִיִּים מִמֶּרְחָק *& annunciate in* INSULIS LONGE REMOTIS. Tsephaniam *b*: *Adorabunt ipsum* (Jehovam) *quisque ex loco suo* (Populi omnes:) כֹּל אִי הַגּוֹיִם *omnes* INSULÆ GENTIUM. h. e. ipsæ etiam insulæ Gentium, à quibus id minus exspectari posse videbatur. Sed *mystica* ratio inde arcessenda est, quod Propheta prævideret, futurum esse, (quod eventus docuit;) ut Regnum Dei inter hos Populos olim præcipue fundaretur ac vigeret; quodque iidem illi Populi ante Regnum Messiæ manifestandum se summa contentione darent Philosophiæ, h. e. veri investigandi studio, & cultui ingenii, in crassis illis tenebris, quibus Paganismus obseptus esset. Hos Philosophos aggreditur Propheta, & per Prophetam Deus ipse. hos provocat. vult eos prodire in medium, & acuminis sui in defendenda superstitione periculum facere. *Silete*, ait, *mihi*. proprie, *Silete* AD ME. h. e. silentio & patientia me auscultate. Gemina significatio una voce involvitur, ut sæpe alias. Sic Elihu ad Jobum *c*: *Attende Job; auscultata me:* הַחֲרֵשׁ TACE *tibi, & ego loquar.* Mox rursus *c*: *Auscultata me*, SILE, *& docebo te sapientiam.* Addit, *Et populi instaurent vires*, h. e. accingant se robore, ut quam instructissimi in medium prodeant, de qua significatione phrasios vidimus, *Cap. sup.* ℣. 31. Est Interpres, qui Gentes hic invitari vult ad *induendum robur gratiæ*, ut analogiam servet usus phrasios in *hoc* loco & *commate antecedente*. Sed de eo hic plane non agitur; nec attingerem, nisi sæpe imbecillis judicii homines se talibus occupari paterentur. Phrasis generalis est, & ad quemcunque casum instaurandarum virium applicari potest. Pergit: *Appropinquent*, (propius accedant:) *tum loquantur*. h. e. me primo silentio & attente dicentem audiant: quando ego iis dicendi copiam faciam, ut si quid habeant, quo eludere se posse putent ratiocinium meum, aut adstruere hypotheses superstitionis suæ, non sim intercessurus quo minus libere sententias suas explicent. *Simul ad disceptationem veniamus*. Itane vero tanquam par cum pare? Quid si dicam, salva reverentia qua Divinam majestatem prosequor, *certo respectu*, rem ita se habere. Deus enim cum homine disputando non agit auctoritate, sed ratione. ratione autem utitur eadem, atque ea est cujus seminibus mentem nostram imbuit. Equidem *vincit* semper ubi cum homine disputat *d*: sed vincit, non *viribus*, ut subinde iniqua Deo querela infert *e*: sed *ratione*. Non disputat autem aut litigat cum homine, nec eum convincit, nisi caussa & ratione potior. Duo hic observabis, *a*. Vocem מִשְׁפָּט hic rectissime verti per *disceptationem*, *actum disputatorium*, in quo agitur cum *ratione*, quæ ipsa quoque Hebræis מִשְׁפָּט dicitur, & qui suspenditur à rationali judicio auditorum. Sic sumitur eleganter apud Jobum, Cap. IX. 32. *Non non est vir sicut ego, cui respondeream,* נָבוֹא יְחַדָּו בְּמִשְׁפָּט *si simul veniremus in* JUDICIUM. si mihi liceret cum eo ut pare coram judice pro jure meo disputare. Confer Ps. CXLIII. 2. β. Proprium hic esse usum vocis קרב, ubi dicitur, *Simul in judicium* APPROPINQUEMUS. sic sonat oratio Hebræa, minus Latina. Qui se disputationi miscet, cum alio congreditur; pedem cum eo confert; se ad illum propius admovet, veluti cum eo certaturus & conserturus manum; coram ipso agit, ut caussæ suæ justitiam ipsi demonstret. quæ hic est *ἐπίτασις* vocis קרב. Latinis est, collatis rationibus cum aliquo congredi. Forerii observatio est, ordinem verborum videri inversum, sive esse in sententia *ὕστερον πρότερον*, non insolens Hebræis. Naturalem ductum orationis hunc concipit: *Commutent Gentes virtutem; accedant: pariter judicio appropinquemus: tacite auscultent me: tunc loquantur*. Non sperno industriam: sed in oratione Prophetæ hic loci nihil est quod quem offendat. Quæritur, cui tempori conveniat oratio? Respondeo, illi convenire tempori quod modo designabam, quo Regnum Dei Asianis Insulanis, Græcis, Romanis, æque ac Syris & Ægyptiis, præcipue cœpit innotescere, quod potissimum factum circa & post tempora Alexandri Macedonis, quando potissimum Judæi per omnes hasce Regiones dispergi cœpere, & eorum de vero Deo & idololatria sententiæ atque hypotheses inter Gentes inceperunt vulgari. Hæc prima initia fuerunt *Φανερώσεως* Regni Dei inter illas Gentes, ex quibus plures facti sunt proselyti. Sed hæc initia erant exigua. Conficienda potissimum & complenda hæc disputatio erat ab Apostolis & Ministris Regni

Ut & hujus Prologi.

In schemate Orationis Propheræ nihil est indecorum.

Convictio dirigitur ad *Gentes*.

Ejus rei ratio.

Quis hic peculiaris sit *Insularum* respectus?

Rationes ejus Rei.

Reliquæ Gentes hic non excluduntur.

Mystica ejus rei ratio.

Propheta prævidit futurum Sta-

tum terrarum Occidentis.

Vocis *sile* gemina significatio e.

Quale *robur* hic intelligatur, Gentibus instaurandum

Verba Prophetæ: *Simul ad disceptationem veniamus.*

Quo sensu capienda?

Quæ hic concipi queat *paritas* inter Deum & Hominem?

Vox משפט hoc loco vertenda per *disceptationem*.

Proprietas vocis קרב *misceri* h. l. Refertur ad *congressum* in disputatione.

Forerii observatio hunc locum

Cui tempori conveniat oratio Prophetæ?

Primus articulus temporis, ubi Judæi inter Gentes incepe-runt *dispergi*, circ & post tempora Alexandri.

a ℔ Cap. XXXI. 9. *b* Cap. II. 11. *c* Job. XXXIII. 31. *d* Ps. LI. 6. coll. cum Rom. III. 4. *e* Job. IX. 19. 20.

Sed *sequens* tempus hanc disputationem magis illustraret.

Regni Christi Jesu, qui collato pede se fortiter, audacter, obstinate opposuerunt idololatriæ, usque quo eam debellassent. de quo ad superiorem *Sectionem* plura monui. Hæc liquida sunt, & totius *Concionis* scopo ac partibus consentanea. Cl. Coccejus scenam hic figit in tempore Constantini, quando occasione hæresios Arianæ disputatum est de *vera Divinitate Filii Dei*, de qua hic agi vult. Significari itaque hoc in loco, *futurum esse*, ut *Populi Græciæ & Italiæ suspensis animis & tanquam dubii auscultaturi sint litem Dei pro gloria sua.* Quod autem dicitur, *Nationes renovaturas esse vires*, de Judæis accipit, hoc sensu, quod à Romanis gravissime profligati & cæsi, hoc tempore denuo per *os hæreticorum*, (sive Sabellianorum, sive Arianorum,) *Christum Deum Ecclesiæ impugnarent.* Mirum, quomodo Viro Erudito in mentem venire potuerit tam quæsita & remota sectari; quæ si cui placeant, libere profiteor, salva reverentia manium ejus, mihi maxime displicere, satis alioquin certo, non placitura æqui judicii hominibus. In sequentibus etiam nihil est quod hypothesi faveat. Sed parco verbis: non sedet enim disputare de his quæ meo judicio inter probabilia censeri nequeunt. Græci Intt. החרישו hic vertunt per Ἐγκαινίζεσθε *Innovamini.* Legerunt, ut videtur, החדישו. Sed alii jam de eo monuerunt.

β. *Argumentum* quod pro Divinitate Veri Numinis, Dei Israëlis, profertur,

(a.) Proponitur ex singulari *Effecto Apotelesmatico* Providentiæ Ejus.

Argumentum Disputationis, ℣. 2. seqq.

℣. 2. *Quis excitavit ab Oriente* EUM CUI JUSTITIA AD PEDEM EJUS OCCURREBAT? *dedit ante faciem ejus Gentes, & Reges imperio ejus subjecit? Posuit* INSTAR PULVERIS GLADIUM EJUS; *instar stipulæ propulsæ Arcum ejus?* ℣. 3. *Persequutus est eos; progressus est in* PACE *per viam quam pedibus suis non calcaverat.* ℣. 4. *Quis molitus est & effecit?* Nisi *is qui vocat Generationes à principio: Ego* JEHOVA PRIMUS ET CUM ULTIMIS EGO SUM. Quisque videt, & non opinor esse qui inficias eat, hæc verba eum in modum, eoque fine subtexi præcedentibus, ut Deus cum Gentibus & Populis disputans pro veritate Essentiæ Naturæque suæ hic exhibeat *argumentum* veritatis sui ut *Dei*, & quidem ut *solius veri Dei.* Nexus orationis id necessario postulat, quare de eo plura non monebo. Desumitur autem argumentum à magno aliquo Opere atque Effectu Divinæ Providentiæ, his quibuscum disputabat, notissimo; quem Effectum cum liqueat esse Opus Divinum, & tamen alii causse adscribi non posse quam Deo Israëlis: pertendit atque evincit, honorem veræ Divinitatis sibi absque participatione alterius Numinis competere. Sic concipiendum est argumentum, &, nisi fallor, ab omnibus accipitur. Sed permagni interest *vim* ejus cognoscere; quod unice pendet ab intellectu illius *Operis Providentiæ Divinæ*, à quo argumentum hic desumitur. Est Excitatio Personæ alicujus Illustris, suis characteribus circumscriptæ, ex Oriente, justitia, æquitate, & prosperitate celebris, qui bello egregia gessit, & hostes suos devicit, & quæ plura hic subintelliguntur, mox memoranda. Quæritur, quænam illa sit *Persona* de qua Vates hic verba facit, quamque in oculis habeat? Hic vero magna sunt & difficilia Interpretum divortia. Sed faxim, si Deo placet, ut dehinc minora sint. Interpretes verba Prophetæ vulgo contra sententiam Masorethorum sic vertunt, *Quis suscitavit ab Oriente* JUSTITIAM, sive JUSTUM: *vocavit* EUM *ad pedem suum?* qua versione supposita & admissa, (quam tanquam hypothesi meæ minime adversam, facile ferrem, si in ratione fundata esset:) Veteres quorum commentarii in manibus nostris sunt, hic per *Justitiam* intelligunt *Notitiam* veri Dei Evangelio declaratam, sive *Justitiam Evangelii*, ut Eusebius, Theodoretus, Procopius; sive directe ipsum *Christum Jesum*, veræ Justitiæ auctorem, qui tanquam *Sol ab Oriente Mundo apparuit.* Sic Cyrillus, & Hieronymus quoque, qui tamen adscribit, esse qui *Abrahamum*, esse etiam alios qui *Cyrum* intelligant. Est vere interpretatio Origenis, Eusebio non invisi. Sed Hebræa Schola hic dissentit. *Abrahamum* hic intelligit, ex Oriente vocatum, hæredem *Justitiæ quæ est per fidem*, ejusque Justitiæ obtinendæ Exemplum, qui Lotum fratris filium vindicaturus, ausus est quatuor Reges illius temporis potentiores jam *victores* persequi longo itinere, eosque devicit. Sic Chaldæus: מי איתי בגלאי ממרנחא אברהם בחיר צדיקיא בקשום קרביה לאתריה *Quis adduxit publice ab Oriente* ABRAHAMUM; ELECTUM JUSTORUM *in veritate accivit in locum suum?* Est fere apud Hebræos Interpretatio Canonica, quam fulciunt ut Aben-Ezra ait, התרגומים οἱ ἑρμηνεῖς, eosque sequuti Jarchius, uterque Kimchius, Abarbenel, excepto tamen Aben-Ezra qui hic de Cyro cogitat. Plerique Recentiores [a], quorum longa series est, inter quos Belgæ quoque nostri, huic sententiæ subscribunt. Alii se hic ad Cyrum vertunt, ut jam monui inter Judæos facere Aben-Ezram. Sunt in hac sententia Pagninus, Adamus Sasboutius, Interpres doctus, qui Thomam Aquinatem ut ejusdem opinionis laudat, Gulielmus Estius, Lud. de Dieu, & quem non negligo, Brenius. Sasboutius tamen & Estius Cyrum hic respici volunt ut typum Christi Jesu; quod miror me apud Brenium quoque legere. Quid? Cl. Coccejus hic in oculis habet PAULUM Apostolum qui armatus Verbo Justitiæ ivit ad *Insulas*, h. e. Regiones Judææ Occidentales, & Regnum Christi Jesu, cui cum tempore Reges & Principes subjecti fuerunt, ubique fundavit: sive solum hic intelligas Paulum; sive cum & sub ipso comites, Barnabam, Lucam, &c. Pellicanus cum videretur orationem Prophetæ de Virtute *Justitiæ* intelligere: mox monet, per *Justitiam* hic designari *Justum*, quorum alii velint esse Christum, alii Abrahamum vel Cyrum: sed litem hanc non decidit, acsi perinde se habeat, quodnam subjectum hic eligatur. Aliter sentio, ac proin operam dabo vero sensui Prophetæ investigando ac declarando. quod ita exequar, ut in Versione communi prioris membri hujus pericopæ hactenus nihil mutem, etsi in ea vere aliquid mutandum sit. Sententia Veterum hoc habet pietatis κριτήριον, quod lubenter de Christo Jesu cogitent in Scriptis Propheticis V. T. quod & nos facimus: sed suis locis, ubi veri ejus characteres occurrunt. Verum quod ad hunc locum, α. Estne probabile, Prophetam nostrum Gentes convicturum de veritate veri Dei, ex manifestatione Christi Jesu in Judæa, ipsum descripturum esse ut felicem *Bellatorem*, qui *Gentes & Reges* sibi subjiceret *gladio*, eosque per ignotas sibi vias *persequeretur?* Equidem in emblematibus Propheticis id subinde fit, quod non ignoro: sed in fictione metaphorica, & *Visis Propheticis* sublimibus, in quibus alii characteres Filii Dei ut *Regis & Triumphatoris* glorioſi, ex quibus cognosci potest, adscribuntur. At in disputatione simplice & plana cum Gentibus instituenda, per quam ducendæ essent in veram Christi Jesu notitiam, id locum habere non potest. Debebat in ejusmodi casu proponi ut *Doctor veritatis*, veræ doctrinæ salutis, & ut *Auctor veræ salutis & consolationis*, qualem Gentes desiderabant, secundum schema ejus quod Propheta exhibet Cap. XLII. 1. cui passim Jesaias inhæret, ubi de Messia loquitur. β. Attributa hæc Messiæ, mystice sumpta, non conveniunt illi *tempori*, quo hæc instituenda erat disputatio, & convictio, nec *statui Gentium* apud quas instituretur. Disputatio hæc instituretur illo tempore, quo Ecclesia adhuc erat *afflicta*, ut ex ℣. 8. seqq. patet, quo Christus Jesus hactenus nullos potentes *Reges & Populos* sibi subjecerat; & institueretur apud Gentes quæ Regnum Christi Jesu hactenus non admiserant: apud quas desumi non poterat argumentum ex *principiis* sive *hypothesibus*, quas æque repudiabant ac earum consequen-

Desumitur ab effectu quodam Divinæ Providentiæ.

Vulgata interpretatio, ℣. 2. *Quis suscitavit ab Oriente Justitiam?*

Quid Veteres hic nomine *Justitiæ* aut *Justi* intellexerint?

Intelligunt *Notitiam* Verbi *Evangelii*, aut *Christum.*

Hebræi Intt. hic passim de *Abrahamo* agi putant.

Alii de Cyro.

Auctores illius sententiæ.

Temperamentum Estii, & aliorum.

Cl. Cocceii expositio de *Paulo*, & comitibus ejus.

Pellicanus ut hic instituat?

Ἔπικρισις ad sententias superiores: & primo quidem in Eam *Veterum* qui de *Christo* aut *Doctrina Evangelii* Prophetam interpretantur.

Attributa quæ huic illustri personæ vindicantur, non favent hypothesi.

Nec tempori & Statui Ecclesiæ, cui hæc Ἔλεγξις adaptanda est.

a Post Liranum, Vatablus, Mariana, Forerius, Sanctius; tum quoque Brentius, Occolamp. Tremell. Piscator, Grotius.

quentias. Quare etsi nomen *Justi* & *Justitiæ* Christo Jesu & Doctrinæ ejus bene conveniant: non satisfit tamen contextui, nisi omnia attributa *personæ* & *temporis* simul spectentur. Possem urgere plura, ut quod hic dicitur de Excitatione ex *Oriente*: sed opus non fuerit, cum dudum Intt. ab hac hypothesi discesserint. Dicendum etiam est, Versionem τῶν ὁ. minus fidam, cui inhæserunt, Veteres in præjudicio confirmasse.

Hypothesis de *Abrahamo* expenditur.

Quid hic in speciem blandiatur?

De *Abrahamo* longe probabilior est sententia, nec absolute ausim vel velim dicere, pleraque attributa illustris illius *Personæ* quæ hic proponitur ut *excitatæ* ex Oriente, illi aliquo respectu non convenire. Et obstant tamen gravia quæ vetant in hanc hypothesin concedere. Primo, si nunc admittam, Personam illam illustrem quæ hic memoratur, appellari *Justum*, (de quo mox,) eumque titulum Abrahamo probe convenire: estne ille verus character κριτικὸς Abrahami, à quo Illustris illa Persona hic describitur; fuisse illum *bellatorem* qui à Deo adjutus *gladium* agiliter vibraverit, *Gentesque* & *Reges* imperio suo subjecerit? Verum est, Ægypti & Palæstinæ Reges à Deo monitos coactos esse illum *revereri*; & Abrahamum cum Domesticis suis *trecentis octodecim* persequutum esse *quatuor Reges* qui Lotum captivum trahebant usque Danem per totam Canaanææ longitudinem *a*: (ad quem casum hic præcipue respici volunt:) sed Casus hic unicus tantum occurrit in tota Vita Abrahami, qui non facit ejus *characterem*. Nemo enim Abrahamum ab hoc charactere privo & proprio describere velit. nemo ex eo colligat, fuisse Virum à Deo amatum, dilectum, electum. Quot enim magnos Imperatores recenset historia Gentium, quibus hæc laus potiore jure competat quam Abrahamo? Fides Abrahami, ejusque fidei sanitas, soliditas, constantia; fiducia in Divinis promissis; obsequii in Deum promptitudo; pietas, & in Deum reverentia; amor peculiaris quo Deus hunc Virum prosequutus est; magna & maxima promissa ei facta & præstita à Deo: sunt κριτήρια hujus Viri; non vero, illum tanquam magnum bellatorem populos Regesque Gentium debellasse atque Imperio suo subjecisse. β. Supponendum est, quod passim omnes dant; hæc verba Deo aptari in disputatione cum *Gentibus*, tanquam *argumentum* quo demonstret, *se esse verum Deum*. Sed, quæso, expende tecum, an in hoc argumento ulla vis sit qua moveri poterant *Gentes* ad suscipiendam fidem veræ Divinitatis. Sententia huc recideret: Extitit olim, antiquissimis temporibus, aliquis Abraham, Pater Gentis Judæorum, Vir Justitiæ & pietatis laude celebris, qui certo aliquo casu cum filius fratris ejus abductus esset captivus à Regibus sive Regulis Orientis illos cum Domesticis aliquanto plus quam trecentis, persequutus est, assequutus, & fratris filium vindicavit in libertatem; qui *effectus* non potest referri ad ullum Deum Gentium. nemo enim ejus laudem sibi vindicat. meum hoc opus, meum est effectum: ex quo vobis Gentibus, Populis insulanis, colligendum est, laudem veræ Divinitatis mihi, & quidem mihi soli, competere. Nihil ajo, probabile habet hæc demonstratio. Primo enim Gentes negarent, quicquam sibi de eo liquere. Abrahamum aliquem venisse ex partibus Orientis, & Reges vel Regulos aliquos, quos persequutus est, exiguis copiis deviciisse. nihil, inquam, sibi hac de re liquere, ut si forte memoria ejus in Judæorum monumentis conservetur, apud se nulla extet. Deinde dicerent, nihil se in hoc casu videre præterordinarium. nihil non naturale. extare mille exempla similia inter Gentes; & quæ hic addi possent plura. Si Deus hic disputaret cum *Judæis ipsis*, afflictis & oppressis, iisque promitteret efficax auxilium suæ providentiæ & gratiæ quo confirmati hostes suos vincerent ac debellarent, ut ℣. 15. 16. eumque in finem iis ob oculos poneret exemplum Abrahami, quem ipse cum armatis Domesticis ita instruxerit, ut quatuor Regum victor extiterit: plus

Vera Laus Abrahami.

Proprii characteres ejus hic non occurrunt.

Argumentum ab Abrahamo petitum in disputatione adversus Gentes minorem usum habet. quod demonstratur.

Deus hic non disputat cum Judæis, sed cum *Gentibus*.

rationis esset in hac sententia. Sed res aliter se habet. Disputat hic cum *Gentibus*, ut eas convincat de veritate Naturæ Essentiæque suæ. γ. Consequentia non favent huic interpretationi. Dicitur enim exerte ℣. 5. Gentes hunc Eventum vidisse, & obstupuisse, & *idololatras* eo commotos se mutuo *excitasse*, ut idola studiose facerent, & ea reverenter colerent, videlicet ut prævenirent mala sibi ab hoc Bellatore impendentia. quod plane non convenit vel *casui* vel *tempori* Abrahami. Ejus enim Gesta in Canaanæa ut nullum metum dederunt idololatris: sic satis constat, *idololatriam* illo tempore fuisse in primo suo ortu, ut si de τοῖς *Theraphim Labanis* non legeremus in Historia Sacra, merito dubitaremus, an illa *idololatriæ* species qua Deus in imaginibus colitur, illo jam tempore usu esset recepta. Id novimus, nihil simile ejus quod hic legitur id temporis accidisse. Ad has rationes accedit, α. Quæ hic dicuntur, qualia sunt, ægre ad Abrahamum applicari, ut vere scripserit Sasboutius, *majora esse quam quæ in Abrahamum competere possint*. An enim de ipso ex vero & proprie dici potest, *Deum coram facie ejus dedisse Gentes*, & ipsum *Reges subjecisse imperio suo*? Aliud enim vere est, Reges, quos persequeris, vincere prælio, & ablata spolia iis rursus extorquere: aliud Gentes Regesque Imperio suo subjicere. Dubito etiam, num id dici queat, quod hic legitur, *iisse via quam pedibus suis ante non calcaverat*, de Abrahamo Reges persequente, quos assequutus est apud *Danem*, (eundem locum, non alium quam qui postea sic dictus est:) in limite Aquilonari terræ Canaanææ, & apud *Damascum*. Videtur enim Abrahamus hac ipsa *via* venisse in Canaanæam. Certe sic habet Vetus traditio apud Nicolaum Damascenum *b*, qualis legitur apud Josephum, habitasse Abrahamum sive substitisse apud Damascum, venientem ex Mesopotamia. Verba ejus *c*: Ἀβράμης ἐβασίλευσε Δαμασκῆ ἔπηλυς σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίων λεγομένης· *Abrahamus regnavit apud Damascum advena cum exercitu veniens ex terra Chaldæorum supra Babylonem sita*. Traditio ut fit, omnia in majus extulit. Sed fac, illum, per Trajectum aliquem Jardenis infra Lacum Galilææ venisse in Canaanæam: cum tamen ille Reges persequutus tantum quod excesserit Canaanææ limites; estne probabile, Prophetam de eo tam magnifice loqui voluisse? β. Analogiam sequentis contextus hujus Concionis, & Concionum sequentium, manifeste favere *Cyro*, ut mox evincam. Docti Intt. qui hunc sensum elegerunt, præcipue respexerunt verba Prophetæ nostri in ℣. 8. *Et tu Israël serve mi, ... semen* Abrahami amici mei, *Tu quem prehendi ab extremitatibus terræ*. sc. ut illi volunt, ex Chaldæa. Sed in hoc loco nihil simile ejus est quod his verbis dicitur. *Abraham* enim hic dicitur tantum *Dei amicus*: *Israël* autem ipse, non Abraham, hic dicitur prehensus *ex extremis terræ*: quod sive de Chaldæa, sive de Ægypto dicatur, mihi nunc perinde est, etsi posterius probabilius habeam.

Consequentia excitatæ illustris hujus Personæ quæ hic commemorantur, non favent hypothesi de Abrahamo.

Prædicata non conveniunt Abrahamo.

Quid antiqua traditio nobis de Abrahamo servaverit?

Analogia aliorum Vaticiniorum favet hypothesi de *Cyro*.

Sententia Cl. Cocceji de *Paulo*, cui in prioribus meditationibus socium dat *Barnabam*, quam vere est, si æquo animo inspiciatur, paradoxa? Primo enim, estne probabile, Jesaiam de Paulo vaticinaturum, (quod non repudio, si circumstantiæ faveant:) hunc Apostolum Jesu Christi, Doctorem eximium, humilis animi, introducere velle ut *Bellatorem* magnum, *Reges* & *Populos* per ignotos calles persequentem, victurum eosque *imperio suo* subjecturum; dum *gladius* ejus esset instar *stipulæ* & *pulveris*? Esto enim, id sano sensu *mystice* dici posse: estne credibile, Jesaiam sapientissimum Vatem illum sub hoc insolenti schemate proponere voluisse, nullis aliis characteribus adjectis, ex quibus *genus* illius *pugnæ* vel *belli* intelligi posset? Deinde, quomodo id, si mystice accipiatur, ex vero de *Paulo* dici queat? Quos enim *Reges* ille imperio suo vel Christi subjecit? Historia nullos memorat; nisi

Sententia Cl. Cocceji de *Paulo* discutitur. Non est probabile. Vatem positurum esse Paulum sub schemate Bellatoris.

huc

a Gen. XIV. 15. *b* Hist. Lib. IV. *c* *Ant. Jud.* Lib. I. Cap. VIII.

huc referas Sergium Paulum, Proprætorem Cypri [a]. Si dicas, *Reges* poſtmodum ſubjectos fuiſſe illi Verbo, quod Paulus inter Gentes prædicavit: id ſane non negavero, ſed huic loco directe non convenit. Quod enim hic dicitur, omnino intelligendum de effectu ipſius illius Perſonæ, de qua hic mentio eſt. Verbum autem Evangelii non magis fuit Pauli quam aliorum Miniſtrorum Gratiæ. Tertio denique, quomodo Vir Doctus hanc interpretationem conciliet cum ſcopo ſuperioris *Prologi?* Vult, Chriſtum Jeſum hic introduci adverſus Arianos diſputantem pro *vera* ſua *Divinitate*. Quid? An conſequetur, Chriſtum Jeſum veræ Divinitatis cum Patre conſortem eſſe quia excitavit *Paulum*, qui Evangelium Dei inſigni ſucceſſu ad converſionem Gentium inter Populos Judææ Occidentales adminiſtravit? Eſtne id argumentum verum, proprium, directum, quo Chriſtus Dominus ſuam demonſtrare voluerit Divinitatem? An Ariani, qui in Filio Dei, Patre licet inferiore, agnoverunt *ſummam Potentiam*, hoc argumento ſe paſſi eſſent convinci de ejus ὁμοουσιότητι cum Patre? Num ulli mortali adverſus Arianos diſputanti pro vera Divinitate Filii Dei in mentem venit tali argumento uti? Quid addo plura? Dum enim fugere volo invidiam refellendi cogitata meritiſſimi Viri, ad quod per ſolam neceſſitatem me obligari patior: ſentio me in eam incurrere. Pellicani doctiſſimi cætera Viri ſententiam, vere vagam, non perſequor.

Reſtat itaque demonſtrem, hic vere agi de CYRO; quod ita me ſpero facturum, ut pauci in poſterum de eo ſint dubitaturi. Primo hic obſervo, omnia attributa, quæ Subjecto in hoc loco tribuuntur, Cyro exacte & accurate convenire: ut mox pateſcet ex ipſa interpretatione. Secundo, quod rem totam conficit, analoga loca Prophetæ in Concionibus ſequentibus quæ indubie de Cyro agunt, id evidenter evincunt. Subtexam ea, ut ſibi mutuo & loco huic noſtro lumen faciant. In hac ipſa Concione in repetito Elencho, poſtquam provocaſſet idola ut futura prænuncient, ỳſ. 25. EXCITABO vel EXCITAVI *à Septentrione, & veniet ab* ORTU SOLIS *qui invocabit nomen meum; & veniet* ſuper *Magnates tanquam ſuper cœnum, & tanquam figulus lutum calcabit.* Cap. XLV. 1. *Sic dicit Jehova unctо ſuo Cyro, cujus prehendi dextram, ut ſternam coram eo* ſive IMPERIO EJUS SUBJICIAM (לרד forma רדד, pro ורורו) GENTES; *ut lumbos* REGUM *ſolvam. Aperiam coram ipſo valvas, & portæ non claudentur.* ỳſ. 13. *Ego* EXCITAVI ILLUM (העירותהו) IN JUSTITIA, *& omnes vias ejus rectas faciam; ipſe ædificabit civitatem meam, & captivos meos dimittet, non pretio, nec munere, ait Jehova exercituum.* Cap. XLVI. 11. VOCANS AB ORIENTE *Volucrem*, (Aquilam,) *& a terra longinqua Virum conſilii mei. Etiam loquutus ſum, etiam adducam illum:* FORMAVI (in conſilio,) *etiam faciam illud.* Hæc loca noſtro præſtant vicem commentarii, plani & aperti. Eædem voces & phraſes occurrunt, eadem res agitur quæ in loco noſtro. Tertio, vox העיר *excitare* proprie non convenit *Vocationi Abrahami*, ſed *Principibus* & *Populis* qui à Deo ſuſcitantur: de quo nunc ago, verba percurſurus, & ſecundum hanc hypotheſin brevi paraphraſi illuſtraturus.

Quis excitavit ab Oriente Eum cui ad pedem occurrit juſtitia.] Verterat Alexandrinus: Τίς ἐξήγειρεν ἀπὸ ἀνατολῶν δικαιοσύνην, ἐκάλεσεν ἀυτὴν κατὰ πόδας ἀυτῦ, καὶ πορεύσεται· *Quis ſuſcitavit de Oriente* JUSTITIAM? *vocavit eam ad pedes ſuos, & vadet?* Poſterius illud, καὶ πορεύσεται, forte irrepſit ex ſcholio marginali adſcripto ad voces, κατὰ πόδας ἀυτῦ. Hieronymus videns incommodum in phraſi, *vocare juſtitiam*, cum non neſciret, *abſtracta* Hebræis ſubinde pro *concretis* uſurpari: incommodo occurrit, reddiditque verba: *Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum? vocavit eum ut ſequeretur ſe?* Inde eum ſequuti Romanenſis ſectæ Commentatores huic verſioni fere inſtiterunt. Quin ex noſtræ Communionis Interpretibus non pauci, inter quos Piſcator: *Quis excitavit ab Oriente* Virum illum *juſtum?* Placuit etiam venerandis & merito ſuo laudatiſſimis Belgis. Et tamen Maſorethæ ſic inſtituerunt interpunctionem, ut nos docuerint, vocem צדק *Juſtitia* proxime non cohærere cum verbis: *Quis ſuſcitavit ab Oriente.* Fixerunt enim accentum *Zakeph* ſuper vocem ממזרח *ab Oriente.* Secundum ipſos, prudentiſſimos ſane Magiſtros, ſententia in duo membra diſtinguitur, in hunc ſenſum: *Quis ſuſcitavit ab Oriente? Juſtitia vocavit eum*, vel *occurrit ei, ad pedem ejus.* Sed cum membrum Orationis videretur imperfectum, *Quis ſuſciiavit ab Oriente:* viſum eſt doctis Viris, neglecta accentuatione Maſorethica, (quod imputari nequit Hieronymo, qui eam non vidit:) ſupplere ex ſequenti membro, unde nata eſt verſio, *Quis ſuſcitavit ab Oriente Juſtitiam*, ſive, ut illi, *Juſtum?* Sic enim *Juſtitiam* interpretantur. Fateor, non eſſe id genus loquendi inſolens Hebræis, quo *abſtracta* uſurpantur pro *concretis*; & tamen hoc in caſu durius. maxime, ſi, (quod illi faciunt Intt.,) hic per *Juſtum* intelligas Abrahamum. Quis enim Abrahamum appellare velit *Juſtitiam?* Eſtque hæc vera ratio, quare Veteres hic Origenem ſequuti intellexerint *Chriſtum.* Verum, ut jam monui, fruſtra. Vox צדק *Juſtitia* ad alterum membrum pertinet, ut monuerunt Maſorethæ, & Interpretes Judæi, & ex recentioribus Intt. plures. Veruntamen, ſi id tentaveris, non ſatis videtur eſſe liquidum. Primo enim prius membrum imperfectum relinquitur, *Quis excitavit ab Oriente?* Deinde quid hoc ſibi vult, *Juſtitia vocavit eum ad pedem ejus.* Sane hic hæſitarunt multi, illorum etiam qui verum viderunt. Oecolampadius: Ad *Juſtitiam vocavit eum ad pedes ejus.* Jun. Tremell. *Juſte vocans eum ad veſtigia ſua.* Lud. de Dieu: Eum *quem Juſtitia advocabit ad pedem ejus; ante quem dabit.* David Kimchi: *In omni loco quo iter fecerit*; (hoc eſt, ad pedem ejus,) *in omni*, inquam, *loco in quo iter fecerit*, קורא צדק ואמרת *prædicat Juſtitiam & veritatem, quemadmodum dicitur*, (Gen. XIII. 4.) *Et Abraham ibi* יקרא INVOCAVIT *nomen Jehovæ. Affixum autem vocis* יקראהו *vocavit* EUM, *referendum eſt ad Juſtitiam.* Sc. vox Hebræa צדק *Juſtitia* Hebræis eſt terminationis *Maſculini.* Emergit ſenſus ſecundum Kimchium: *Quis excitavit ab Oriente, qui Juſtitiam* (veram Religionis doctrinam) *prædicavit qua iverit.* Sed omnia hæc coacta ſunt, ut facile quiſque ea excutiens viderit. Id unum verum quod poſt Hebræos vidit Cl. Coccejus, vocem יקראהו hic non eſſe vertendam, *vocavit eum*, ſed *occurrit ei.* acſi ſcriptum eſſet, יקרהו. Litera א, olim functa vice *vocalis*, relicta eſt in voce. Vox autem קרא cum affixo *accuſativi* uſurpatur pro *occurrere, obviam fieri*; & alias etiam confunditur cum קרא, ut quod dicitur, Gen. XLIV. 29. וקרהו אסון *Et obveniat ei noxa*; Cap. XLII. 38. ſcribitur, וקראהו אסון. eodem conſtructionis genere. Sic 2 Sam. XII. 1. 3. quod prius ſcriptum erat ראש, mox ſcribitur רש, *pauper, tenuis.* Jarchius docte: *Quis excitavit ab Oriente?* Eum *cui juſtitia ad pedem ejus occurrebat. Quis excitavit Abrahamum, ut eum educeret è Syria quæ eſt in Oriente, & juſtitia quam exercebat fuit in occurſum pedum ejus quaqua iter faciebat.* Nos transferemus ad Cyrum. Aben-Ezra: יפגע *Occurrit.* Verte igitur verba hæc Jeſaiæ integro ſenſu: *Quis excitavit ab Oriente?* Quem vero? *Eum qui juſtitiam ſibi obviam habuit ad pedem ſuum.* Elegans phraſis. Senſus eſt, *æquum juſtumque Principem, à cujus natura non erit alienum juſtitiam æquitatemque exercere*; (erga captivos abductos ex terra ſua à Chaldæis,) *ſed cui id maxime proprium erit*; quique adeo non neceſſe habebit juſtitiam ut rem à ſe remotam & fugientem, atque à natura ſua alienam ſectari & perſequi: ſed cui juſtitia & æquitas quaqua iverit, quoquo perrexerit, *ultro* ſe ſiſtent

Maſorethæ quomodo hæc verba acceperint & diſtinxerint?

Quare docti Intt. ab iis diſceſſerint?

Incommoda ſententiæ ſecundum ipſos diſtinctæ.

Sed quæ evaneſcunt, ſi voci יקראהו genuina ſua reddatur ſignificatio.

Notat, *occurrit ei.*

Voces קרא & קרה ſubinde inter ſe confunduntur.

Integra ſententia Vatis.

[a] Act. XIII. 7. ſeqq.

stent & occurrent. Sic de illo Propheta, Cap. XLV. 13. העירתיהו בצדק *Excitavi illum* IN JUSTITIA. Hæc una vera laus Cyri in omni historia & memoria Vetere, quare illum Xenophon ut Principum optimum omnibus in typum & exemplum proposuit. Laudant omnes in ipso ἐπιείκειαν *æquitatem* & εὐγνωμοσύνην, *benevolentiam*, *candorem*, *veritatem*, *sanitatem judicii*. Sic Nicolaus ille Vir prudens apud Diodorum [a], Popularibus suis Syracusanis commendaturus humanitatem æquitatemque erga Athenienses captivos, *Cyrum* totius Asiæ *Imperium* εὐγνωμοσύνῃ *æquanimitate* & *benevolentia sibi comparasse*, ostendit, & post productum Crœsi aliarumque Gentium victarum exemplum, subjicit: Τοιγαρῦν διαδοθείσης εἰς πάντα τόπον τῆς ἡμερότητος, ἅπαντες οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἀλλήλους φθάνοντες εἰς τὴν τῶ βασιλέως συμμαχίαν παρεγίνοντο· *Divulgata igitur per omnia passim loca Regis mansuetudine humanitateque, omnes Asiæ incolæ certatim alii alios prævenientes in Regis societatem se aggregarunt.* Plura suo loco [b]. Duo adhuc observo. α. Quod dicitur, *Quis* EXCITAVIT? propriissime referri ad Imperatorem & Populos à Deo suscitatos ad magnum aliquod opus Divinæ Providentiæ bello exequendum, & quidem ad *Persas* & *Medos*, suscitandos adversus Babylonios. Sic Vates noster Cap. XIII. 17. *Ecce* מעיר SUSCITO *contra eos* (Babylonios,) MEDOS. Rursus de Cyro, ỳ. 25. hujus *Concionis*, & XLV. 13. Jer. LI. 9. *Quia ecce ego* SUSCITO (מעיר) *& adduco adversus Babylonem congregationem Gentium magnarum è terra Aquilonis.* sc. ex Oriente Persas, & ex Septentrione, sive ex *Ortu æstivo*, qui Hebræis *Septentrio*, Medos, ut Propheta noster hac Concione, ỳ. 17. Adde Ezræ, Cap. I. 1. *Anno primo Cyri Regis Persiæ*, (sc. Imperii ejus Babylonici post obitum Cyaxaris,) SUSCITAVIT (מעיר) *Jehova spiritum Cyri Regis Persiæ, &c.* β. Quod dicitur *excitandus* vel *excitatus esse* hic Princeps ממזרח ab *Ortu*, sc. *Solis*, (ut ỳ. 25.) proprie & vere intelligitur de Regione Trans-tigritana, quæ Veteribus קדם *Oriens* dicebatur; ut adeo propriissime usurpetur de *Persis* & *Elymæis*. Magnum sane committunt errorem qui ממזרח *Orientem* תֵּל מערב *Occidenti* contradistinctam hic explicant de Judæa ipsa; cum utique constet, Judæos *plagas cœlorum* denominare à terra sua, atque adeo quod *Oriens* dicitur, statui minimum debeat sic dici quod sit ad *Orientem* Judææ: etsi stricte & proprie quod est supra Tigrin. Vim hujus argumenti Divini ex vero Prophetæ scopo sub finem pericopæ hujus demonstrabo.

Dedit coram facie ejus Gentes, & Reges Imperio ejus subjecit.] Scilicet Armenios, Cappadoces, Lydos, Phrygas, Jones, Babylonios, Asianos omnes, & forte etiam, fide Xenophontis, Ægyptios, ut tandem dicere potuerit [c]: OMNIA REGNA HUJUS ORBIS *dedit mihi Jehova Deus cœlorum.* Propheta hic usus est verbis terminationis *futuri*, quod nostræ quoque hypothesi favet. Sed id non urgeo, cum Prophetæ verba terminationis *futuri* formis *præteriti* permixta promiscue usurpent; & in hac disputatione casus ut *factus* supponatur. Transmitto etiam Versionem τῶν ὁ. quia Interpretis illius in hac Prophetia vitia notare, nulli usui est.

Dedit ut pulverem gladium ejus; ut stipulam propulsam ARCUM *ejus.*] Metaphora videtur esse paradoxa plane ac singularis. Quid enim commune habet *gladius* cum *pulvere*, *arcus cum stipula*, si rem ad primam speciem consideres? quare quis miretur, Interpretes, doctissimos etiam, ad eam adhæsisse. Sunt certe illorum miræ hic flexiones. Vulgata interpretatio Chaldæi [A], Hebræorum, Christianorum plerorumque, habet, *Quis dedit* illos Reges & Gentes ANTE *gladium & arcum ejus* ut *pulverem & stipulam propulsam?* quod videlicet *hostes* tanto numero ac copia fuderit fugaveritque hic Princeps bellator, ut cum *pulvere* comparari potuerint, vel *instar stipulæ propulsæ* disjecti fuerint. Grotius: *Ita Gentes & Reges isto gladio & arcu Abrahami disjecti sunt, quasi pulvis aut stipula.* Ad hunc sensum Hieronymus versionem suam accommodans scripsit: *Dabit* (sc. potestates adversarias,) *quasi pulverem gladio ejus; sicut stipulam vento raptam arcui ejus.* Esset itaque acsi scripsisset Vates להרבו vel בהרבו *gladio.* Sed verba Jesaiæ proprie exhibent, *Dedit ut pulverem gladium ejus; ut stipulam propulsam Arcum ejus.* Ipse *gladius* & *arcus* hic *pulveri* & *stipulæ* comparantur. Quin addo, locutionem esse insolentiorem, (sic mihi videtur,) *dare hostes ut pulverem gladio.* Gladius enim non facit *pulverem*, nec *in pulverem agit*; nec qui gladio confodiuntur, *rediguntur in pulverem.* Equidem Bellator felix recte dicitur hostes suos *conterere instar pulveris*, ut in Ode Sacra [d]: *Et contrivi illos* UT PULVEREM (כעפר) *coram vento.* Sed in ejusmodi casu metaphora sumitur à *tritura*, ut notum. *tritura* autem non administratur *gladio.* Kimchius esse memorat Intt. quos non appellat; qui hunc eligunt sensum: *Dabit gladium & arcum cujusque illorum* REGUM (adversariorum) *ut pulverem & stipulam.* Sed expositio est violenta quæ nihil sani præfert. Belgæ Intt. nostri hanc dant paraphrasin: *Quis dedit ut hostes tam facili negotio gladio suo cæciderit, acsi pulvis fuissent?* quod ipsum quoque nemo dixerit magna se commendare elegantia. Coccejus: *Dedit gladium ejus tanquam pulverem.* h. e. *tot gladios fecit pro ipso militare, quasi pulvis in gladios esset conversus.* Nemo etiam id probaverit, si quid melius aptiusque in medium produci queat. Verba Prophetæ complectuntur metaphoram venustissimam, non magna opera, si quis recte attendat, quærendam. Quis, ait Propheta, *dedit* (posuit,) *gladium ejus ut pulverem* sc. vento raptum, *& arcum ejus ut stipulam propulsam?* respectu levitatis, qua gladium administrabit, & vibrabit, & celeritatis qua hostes suos persequetur. Hic simplex, facilis, venustus sensus est pulchræ sententiæ. *Gladius* & *Arcus* hujus Bellatoris tam leviter ab ipso (& Comitibus ejus,) gereretur; tam rapide & agiliter moveretur; tanta celeritate & velocitate hostes *persequeretur*, ut videretur esse instar *pulveris* vel *stipulæ propulsæ.* Est character Cyri. Unde Cap. XLVI. 11. *Vocans ab Oriente* עיט VOLUCREM: *instar Aquilæ vel Accipitris*, celerrimę volantium. Ita Cyrus supervenit Armenio; sic Crœso, Jonibus, aliisque suis hostibus quos ubique summa celeritate vel prævenit vel assequutus est, & imperio suo subjecit, ut ex Xenophonte notum. Idem character Alexandri, *hœdi caprarum* apud Danielem [e], qui *celeritatis suæ* respectu, *terram non attigisse* dicitur. magis sc. *volasse* quam *ivisse.* Neque illud negligo, quod hic de ARCU dicitur, propriissime convenire *Persis*, hoc genere pugnæ exercitatissimis, ut nemini non notum. Confer Cap. XIII. 18. & Jer. L. 41. 42. Interim videant prioris interpreta-

Cyri laus in historia.

Locus Diodori.

Vox *excitavit* propriissime refertur ad Principes & Populos Dei providentia excitandos.

Cyro convenit, *excitatum* esse ab *ortu Solis.*

Ille, Deo favente, subjecit *Gentes & Reges* Imperio suo.

Gladius ejus *natus est* UT PULVIS.

Variæ phrasios expositiones.

Quomodo Paraphrastes & Hebræi Veteres hanc phrasin acceperint?

Sed quæ interpretatio discedit à simplicitate orationis.

Aliud ejus incommodum.

Alia interpretatio quæ apud Kimchium occurrit.

Expositio Belgarum Intt. & Cocceji.

Probabilis sensus verborum.

Ipse *gladius* & *arcus* celeritatem motus & effectus cum *pulvere* comparantur.

Applicatur ad Cyrum.

---

a *Hist.* Lib. XIII. p. 342. *b* Ad Cap. XLV. 1. *c* Ezræ, I. 1. seqq. *d* Ps. XVIII. 43. *e* Cap. VIII. 5.

A Versio Chaldæi ita passim legitur: ורמא כעפרא קטולין קדם חרביה כקשא רדפין קדם קשתיה quæ Interpres vertit: *Projecit, quasi pulverem interfectores ante gladium ejus, & quasi stipulam propulsos ante arcum ejus.* Nihil vitii est in Versione ut nunc legitur: vox enim קטולין recte redditur per *interfectores*, *occisores*: sed est in sensu quod desideres. Quid enim hic sibi vult illud *interfectores*? cur non dicit, *hostes*, inimicos? Reges enim & Populi, quos secundum hypothesin Chaldæi persequutus est Abrahamus & vicit, cur hic *interfectores* dicantur? Ergo nullus dubitabam, quin scripserit Chaldæus, קטילין *interfectos*, occisos, qui verus sensus ejus est. Atque ita legitur apud Jarchium, Paraphrastæ hæc verba allegantem, qui iis per modum expositionis subjicit: נתן את חרבו עושדה חללים רבים כעפר וארח קשתו נתן מרבה הרוגים וגופלים כקש נדף *Dedit gladium ejus ut faceret confossos multos instar pulveris, & Arcum ejus ut multiplicaverit occisos & cadentes instar stipulæ propulsæ.* Non dubito etiam quin hic hæreat vitium in Versione τῶ ὁ. Legitur vulgo: καὶ δώσῃ εἰς γῆν τὰς μαχαίρας αὐτῶν· *Et dabit in terram gladios eorum.* Eademque lectio exhibetur apud Eusebium & Cyrillum. Sed legendum est haud dubie vel ὡς γῆν, ut quod sequitur, Ὡς φρύγανα ἐξωσμένα: vel, quod malim, εἰς χῆν *in pulverem*: ut οἱ τρεῖς.

Sed ex hypothesi non convenit Abrahamo.

pretationis auctores, quomodo eam applicent ad Abrahamum, de quo pericopam intelligunt; & num probabile sit, *gladium ejus* dedisse interfectos & occisos *instar pulveris?* Expediunt se hic ut possunt: sed Sanctius cum videret hæc majora esse quam de Abrahamo Regulos Orientis per necessitatem & occasionem persequente dici queant; eatenus ab hypothesi discessit, ut statuerit, hic simul respici ad ejus posteros, hostes suos olim in Canaanæa sibi subjecturos. Sed quisque videt hypothesin huic loco incongruentem ex necessitate fictam esse; unde minus ei tribuendum.

℣. 3. Persequutus illos est: transiit in pace, &c. Distinctio Masoretharam in hoc commate.

℣. 3. *Persequutus illos est; transiit in pace* (שלום pro בשלום, *pacifice*; incolumis, absque noxa vel læsione,) *via quam pedibus suis non calcaverat.*] Heb. *qua pedibus suis non venerat.* Masorethæ fixerunt *Accentum* distinctivum majorem sub voce שלום *in pace*, unde videri posset sententia in duo membra divellenda esse, quod aliqui tentant, ut Hieron. *Semita in pedibus ejus non apparebit.* h. e. nulla itineris lassitudine afficietur. quin etiam Chaldæus. Sunt etiam qui aliter capiunt, sed qui me hoc tempore non morantur. Quod ad Masorethas attinet: cum pro more hunc *versiculum* in duo membra majora dividere vellent, non potuerunt *accentum* figere nisi in voce שלום *pax* sive in pace. Integra sententia sic legi debet ex eorum punctatura: *Persequutus est illos, ivit in pace*; & quidem *via quam pedibus suis nunquam calcaverat.* De Abrahamo si ex vero dici potuerit: certe dici non potuit cum emphasi ulla, ut modo monebam. Sed de Cyro verissime & emphasi summa. Non Tigrim tantum, & Euphratem, sed & Halym ipsum transiens, (quos fluvios, quasque terras, nunquam illum transisse aut visitasse credibile est,) ad extrema Minoris Asiæ progressus est: in magnis quæ commisit prœliis victor & incolumis: ipsos tandem Babyloniós visitavit, & *fores valvasque* ante non *apertas*, aliis huc usque clausas, *aperuit* [a]. ubi non ad Xenophontem tantum provoco, sed ad Herodotum [b], qui in historia ejus videndus.

Cujus redditur ratio.

Attributum convenit Cyro; non, Abrahamo.

℣. 4. Quis hoc operatus & efficit? Qui vocat, &c. Vocum דור & עשה significatio 1.

℣. 4. *Quis hoc operatus* (molitus) *est, & effecit?* Nisi is *qui vocat generationes ab initio.*] Sic capienda verba: hic sensus sententiæ. In vocibus פעל & עשה inter se comparatis hæc vis est significationis, ut פעל notet *molitionem* opusque *magnum*, quale vere habitum est à Gentibus & habendum, quod de Cyro ut Liberatore Populi Dei ejusque paradoxis successibus tum ex Exoticis Monumentis, (quæ tamen nemo non hic ampliora & accuratiora cuperet:) tum ex Sacris, intelligimus; עשה vero non *facere* tantum, *efficere*, sed & *perficere* & *complere* significet, ut sæpe monuimus, & deinceps patescet ex Cap. XLIII. 7. Vult enim Deus effectum hoc suæ providentiæ à nemine cogitatum aut prævisum, in Cyro editum, spectari ut quoddam *ἀποτέλεσμα Opus perfectum*: quale vere fuit. Ejus autem id solius esse dicit qui *vocat generationes ab initio*, h. e. qui successiones humani generis, à se productí, & in Gentes, familias, tum quoque in Regna & Respublicas, discreti, providentia sua ita administrat, & administravit ab ipsis Mundi natalibus, ut *constituerit* גבולות עמים *terminos populorum* [c], cuique sc. Genti & Populo suos constituerit *terminos*, & *ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν, definitos terminos habitationis cujusque*, (phrasi Apostoli [d],) & Imperiis Gentium & Populorum à se dependentium assignaverit *προτεταγμένας καιρὸς stata* ac *præfinita tempora* [e], omnibus ut pateat, Revolutiones magnas Imperiorum & Statuum ac Rerumpublicarum, non ex cœco aliquo ductu aut Fato fieri, sed à prudentissimo Rectore qui toti humano generi præsidet, sapienter ac provide curari: ipsum *mutare tempora & tempestates, Reges deponere & stabilire.* [f]

Quo sensu Deus *generationes* dicatur *vocare ab initio?*

Ego Jehova PRIMUS, *&* CUM *ultimis* IDEM SUM.] Attributum est veri Dei insigne, quod in sequentibus non semel [g] repetitur. Sensus utique est, non esse se *Deum* nuper natum, cujusmodi dabantur Dei inferioris ordinis ex hypothesi Gentium: sed esse Deum *ἀΐδιον aternum*, cujus existentia naturæ essentiæque suæ summa perfectione involvitur; omnium rerum caussam & principium; omnis alterius existentiæ ac substantiæ basin ac fundamentum; nunquam ortum, nunquam interiturum. Nulla notio videtur esse simplicior, nulla certior, nulla Divinitati propior, Θεὸν εἶναι τὶ ἀεὶ ὄν, *quid semper existens*, ut phrasi Xenophontis [h] utar; sive, *Deos semper fuisse & natos nunquam esse, siquidem futuri sunt æterni*, quod Ciceronis dictum est [i] inter plura hujus generis. Et tamen misere se hic perdidit ac destituit Ratio humana, sibi relicta. Non respicio nunc *Theologiam mythicam* Gentium, quæ id aperte refellit: etsi teneo, Hesiodum *Deorum Origines* (τὴν θεογονίαν,) scribentem, fabulis licet ad speciem absurdis verum aliquid voluisse involvere. Id ajo, Philosophiam Orientalem, Ægyptiam, Phœniciam, Græcam, utriusque sectæ, summum Deum, hoc est, Principium physicum omnium rerum, non quidem negasse ÆTERNUM: sed negasse, quod hic scribitur, illum esse PRIMUM, quod ejus verum est attributum. Associarunt enim *principio activo* aliud *passivum*, eidem coævum: cum tamen *primum* in summa emphasi dicatur, non tantum quo nihil prius sive anterius est, verum etiam *quod omnibus aliis rebus prius est* & anterius, ut ab ea Re tanquam à Principio vel Caussa cæteræ pendeant *A*. Docet Deus Israëlis, verum Deum, qualem se esse ferebat, eundem unum esse, & *primum*, omnium rerum caussam. Eundemne ULTIMUM? Id non scripsit Propheta hoc

Ego Jehova primus, &c.

Sensus sententiæ.

Attributi hujus Divini certitudo.

Traditio & Philosophia Gentium hac parte corrupta.

Non agnovit *primitatem Dei.*

---

a Cap. XLV. 1. 2. *b* Lib. I. à Cap. LXXV. & seqq. *c* Deut. XXXII. 8. *d* Act. XVII. 26. *e* Ibid. *f* Dan. II. 27. *g* Cap. XLIV. 6. XLVIII. 12. Confer Apoc. I. 17. XXII. 13. *h* Lib. I. Κυρου. in fine. *i* De *Natura Deorum*, Lib. I.

A Hesiodi ipsius non est alia mens. In rudi enim ejus & indigesta narratione Θεογονίας agnoscit tamen statuitque omnium Deorum, omnisque Entis duo principia, Γαῖαν καὶ Οὐρανὸν COELUM *&* TERRAM: de quibus ipse, Οἵ τ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοὶ, δωτῆρες ἐάων· *quique ex his prognati sunt Dii, datores bonorum. Theogon.* ℣. 44. 45. In tractatione ipsa principia omnium dicuntur Γαῖα TELLUS & Ἔρως AMOR. Sanchoniaton Phœnicum Theologus antiquissimus ex interpretatione Philonis Byblii apud Eusebium (*Præpar. Evang.* Lib. I. Cap. X.) τὸν τῶν ὅλων ἀρχὴν PRINCIPIUM OMNIUM facit Ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, καὶ χάος θολερὸν, ἐρεβώδες· *Aerem tenebrosum ac* SPIRITU FOETUM, *chaosque turbidum altaque caligine circumfusum.* Ex congressu autem hujus *Spiritus*, postquam *flagrare cœpisset amore principiorum suorum*, ex illius, inquam *congressu* & *mixtione* cum materia illa *tenebricosa*, genita ortaque esse omnia. Philosophia Ægyptia antiqua, quam symbolica illorum Sacra expresserunt, hoc disciplinæ suæ arcanum habuit; inde Pythagorica & Platonica: Persica etiam vetus auctore Zoroastre. De singulis Plutarchus diserte explicat in Libro de *Osiride* & *Iside*. De Chaldæis dubites. Illi enim feruntur UNUM *aliquod* PRINCIPIUM *omnium rerum* (ἀρχὴν τῶν πάντων,) *statuere*, idque BONUM, & videntur Oracula, quæ Zoroastri Chaldæo tribuuntur, hanc doctrinam complecti; eandemque in hunc sensum exposuit Vir Doctissimus, Thomas Stanleius, (de *Philos. Orient.* Lib. I. Sect. II. Cap. I.) Verum cum doctioribus vix possit esse dubium, quin unicus tantum fuerit Philosophus eximius κατ' ἐξοχὴν dictus *Zoroaster*, CONTEMPLATOR SIDERUM, Chaldaicæ æque ac Persicæ Philosophiæ auctor, non plures; & quin Oracula illa quæ supersunt ejus nomine, ficta sint à Pythagoricis & Platonicis, quorum in iis doctrina de Deo explicatur: docuit Plutarchus, attributa hæc quæ ab ipsis Divinitati tanquam UNI tribuuntur, ex Veterum sententia referenda esse ad *Principium Bonum* sive *Boni*, (τὸ ἀγαθοεργὸν ἀρχὴν,) τὸν Μονάδα *Pythagoricam*, eodem Libro p. 370. Cætera enim in confesso est, Platonicos omnes *materiæ*, principii passivi, æternitatem docuisse. Platonici Ægyptii recentiorum temporum Hermeti antiquissimo Theologo Ægyptio hanc tribuerunt doctrinam, ante omnes *Æthereos, Empyreos* & *cœlestes Deos*, esse *Deum quendam* sic dictum, πρῶτον καὶ ἕνα καὶ πρώτιστον Θεὸν καὶ βασιλέως, IPSO ETIAM PRIMO DEO ET REGE PRIOREM, immobilem, incomprehensibilem: Gnosticis sc. ΒΥΘΟΝ, PROFUNDUM. ipsam æternitatem. Ex hoc aliud natum esse Ens, quod SUI PATER, & *sibi sufficiens* dicitur, *Fontem omnium & Radicem intelligibilium Idearum.* Ἀρχὴν γάρ ἐστι καὶ Θεὸν Θεῶν· μονάδα ἐκ μιᾶς ἑνάδιον καὶ ἀπεριόριστον τῆς οὐσίας· *Hunc enim esse principium & Deum Deorum; unitatem ex unitate prima & incomprehensibili; omnis essentiæ causatorem & pro-principium.* Inde demum ordiendam seriem reliquorum Deorum. Declarat, quatenus explicari queunt, Jamblichus Libro de *Mysteriis*, Sect. VIII. Cap. II. III. Vides ex quibus puteis aquam hauserint Gnostici & Kabbalistæ: simul quantum Philosophia corrupta hic distiterit à simplice illa, casta, pura Hebræorum Veterum, qui unicum statuerunt *Principium bonum* & *boni*, omnium rerum *Caussam*, quam hoc attributo Divinitatis involvit Jesaias.

in loco, aſt in ſequentibus [a]: ſano & vero ſenſu. Sed hic cum emphaſi? *Eſſe illum* CUM ULTIMIS *eundem.* Illuc referendum eſt dictum, quod plures res ex Dei voluntate æternum duraturæ ſint; ut ſi forte Deus *poſt* alias res non exiſtat, utique *cum* aliis rebus ſua voluntate æviternis in æternum duraturus ſit. Æquivalet phraſis Hebræa *cum ultimis*, Latinæ *cum primis*; non *præprimis*, ut imperiti. In phraſi אני הוא EGO IPSE, nullum hic quæro myſterium: non magis quam in אתה הוא TU IPSE [b]; & *αὐτὸς ἐγὼ*, in verbis Domini apud Lucam [c]. Notat exiſtentiæ Divinæ identitatem & permanentiam, abſque ulla naturæ ejus corruptione aut detrimento.

Quo ſenſu Vates dicat, *Deum eundem eſſe* CUM *ultimis*?

Percepimus ſenſum ſententiæ; nec tamen hactenus vim argumenti. Quid enim? Eſto, Deum aliquem eſſe, (*δαιμόνιόν τι*, ſive *Θεῶν τινα*, ut loquebantur Gentiles, apud Arrianum [d]:) qui *ſuſcitaverit Cyrum*, perinde atque Alexandrum Macedonem: quod Gentes non negaverint, ob *τὸ παράδοξον* ſucceſſuum: quo jure ſibi hunc effectum vindicet Deus Iſraëlis? Cur non potius adſcribatur Numini Perſarum, SOLI, à quo ipſe CYRUS nomen forte mutuatus ſit? Id dicam paucis, quippe quod unum hic maxime ad rem pertinet obſervaſſe. Deus Iſraëlis hunc effectum ſibi vindicat, & quidem ſibi ſoli, quod *ipſe ſolus* inter Numina ficta à Gentibus culta hunc effectum paradoxum tot annis ante per Prophetam noſtrum æque ac poſtea per Jeremiam, prædixerit, prænunciaverit, & in omni ſua circumſtantia deformaverit, ipſo etiam CYRI nomine à Vate noſtro deſignato atque expreſſo. In eo latet vis argumenti invicti, nulla exceptione eludendi, ut clariſſime liquet ex collatis locis hujus ipſius Concionis, Cap. XLI. 21--25. XLVI. 8--11. Accedebat, Eventum docturum eſſe, ut ſane docuit, *Cyrum* excitandum fuiſſe & excitatum eſſe, ut *deſtructa Babyloniorum Monarchia* Libertatem & Reditum in ſua procuraret Populo Dei; idque ipſum publice eſſe confeſſum [e]. Quare ſub eo quod hic dicitur, QUIS EXCITAVIT *Eum cui juſtitia ad pedem occurrebat:* hic intelligendum eſt, *Quis excitavit illum* juxta accuratiſſimas prædictiones, ante ipſum Imperium Babyloniorum fundatum, à ſe factas & publice editas, ſilentibus idolis omnibus? Qui id egit & præſtitit, in hunc vera Divinitas, quin in *hunc ſolum*, ut totius Mundi Moderatorem, vera Divinitas competit.

Vis argumenti Prophetæ inveſtigatur.

Si enim certum ſit, Cyrum à Deo aliquo excitatum eſſe: unde patet, excitatum eſſe à Deo Iſraëlis?

Dubium expeditur.

Conſequens Excitati illuſtris hujus Principis. *Vanus* & irritus Conatus idololatrarum ad hunc Effectum impediendum.

Conſequens *excitati* Principis hujus illuſtris, ỳ. 5.

ỳ. 5. *Viderunt Inſulæ & timuerunt: extrema terræ tremuerunt: inter ſe contulerunt & venerunt.* ỳ. 6. *Alter alteri auxiliatus eſt, & ſocio dixit, Fortis eſto.* ỳ. 7. *Et confirmavit Faber lignarius Aurifabrum; Qui levigat malleo Eum qui tundit incudem*; (Fabrum *ferrarium* & Plumbarium,) *de Ferrumine dicens, Bonum eſt: firmatque illud* (idolum aliquod,) *clavis, ne dimoveatur.* Nihil hac pericopa facilius ex noſtra hypotheſi. Cum phænomenon hoc exiſteret, & Cyrus Medorum ac Perſarum viribus ſuccinctus, ſe moveret ingente ſucceſſu ad hoſtes ſuos ſibi ſubjiciendos, & Babylonios, idololatriæ olim deditiſſimos, ac Gentes iis confœderatas domandas: idololatræ vehementer commoti ſunt, & ſe invicem excitarunt ad fabricanda idola, & ab iis in hoc dubio & metuendo caſu petenda auxilia, impeditura ſucceſſum Cyri, & per conſequens, Liberationem Populi Dei, ac inſtaurationem veræ Religionis qua Deus verus Hieroſolymis pro more coleretur, tandem ex inſtituto ac propoſito Conſilii Divini inde per gradus & articulos temporum diffundendæ per univerſum terræ Orbem. quod Propheta pulchre exequitur, vanitatem ſuperſtitioſorum hominum, idolis ſuis fidentium, ad vivum, ut ſolet, depingens. Nihil itaque fere hic occurrit quod nos moretur. Rem enim ita ſe habuiſſe, ut hic narratur, ex more ſuperſtitioſarum Gentium quiſque facile per ſe colligat. Id certe temporis, quo Cyrus à Deo excitatus eſt, dum cultus veri Dei Hieroſolymis extinctus erat, Idololatria & Superſtitio pervenerant ad quandam *ἀκμὴν*, omnemque ſuam vim inter Populos omni vera Dei cognitione deſtitutos, & craſſa caligine circumfuſos, explicabant, ut ſi quis gravior caſus illos urgeret, aut majoris calamitatis immineret metus: illico confugerent ad idola ſua placanda & ab iis implorandam opem. Nemo itaque hic hæret, qui hæc de Cyro acceperit. Sed qui ſuperiora de Abrahamo interpretati ſunt, hic magnis anguſtiis incluſi tenentur. Quis enim hunc Eventum ad Vocationem Abrahami ex Ure, aut ad victoriam ab eo de Regulis Orientis impetratam, extitiſſe, vel exiſtere potuiſſe dixerit? Illa ætate omnia, quantum ex Sacris intelligimus, adhuc fuerunt ſimplicia. Artes cœlandi, ſculpendi, fundendi, haud dubie parum exercitæ; *nulla ξοάνων ἵδρυσις imaginum fundatio*, ſive *collocatio*, ut docte diſputat Euſebius [f]: ut vere *ſimulacrorum* in publico Religionis cultu recentior eſt uſus. Idololatria enim Vetus Populorum Orientis, quæ jam tempore Abrahami obtinuit, commiſſa eſt circa Corpora Cœleſtia, vel eorum Symbola. Sanctius igitur cum videret, hæc inter ſe non cohærere, nec in tempus Abrahami quadrare; hypotheſin hoc in loco deſeruit: ut modo jam obſervare memini. Nihil itaque mihi hic ſupereſt quam ut paucula adſcribam ad demonſtrandam emphaſin phraſios.

Motus Gentium ad expeditionem Cyri.

Facilis interpretatio totius pericopæ de Cyro.

INSULARUM hic mentio eſt eodem ſenſu quo ſupra, ỳ. 1. Intelliguntur hic cum reſpectu ad res Cyri, Lydi, Jones, Æoles, Phryges proximi Helleſponto, Cares, extrema Aſiæ Minoris verſus Occidentem incolentes, illo tempore florentiſſimæ Gentes. Quanti autem inter hos Populos fuerint motus ex cauſſa Expeditionis Cyri; imprimis poſt occupatas Sardis, & victum Crœſum: quam non *timuerint* tantum, verum etiam *trepidaverint*; petitis aliunde auxiliis, aliquibus quoque ſolum vertentibus & alio tranſlatis ſedibus, teſtis eſt præter Xenophontem [g] Herodotus [h]. Specimen ſit, quod Cumæi (erant autem ditionis Æolicæ in extremo Minoris Aſiæ,) per Ariſtodicum conſulentes Oraculum celebre illius temporis in Agro Mileſiorum ab Æolibus & Jonibus in dubiis caſibus conſuli ſolitum, de Pactya, qui à Cyro defecerat, & Cumam confugerat quemque Perſæ à Cumæis petebant ſibi dedi ad ſupplicium; inter alia his uſi ſint verbis [i]: Ἡμεῖς δὲ δειμαίνοντες τὴν Περσέων δύναμιν· NOS *vero* REFORMIDANTES *Perſarum* POTENTIAM. Cætera ad ſcopum noſtrum non faciunt. Equidem verum eſt, Herodotum teſtari, Inſulanos ipſos qui inſulas Aſiæ Græciæque ſubjectas habitarunt, minus huc uſque *timuiſſe* [k], quod Cyrus Phœnicen nondum ſubegiſſet, & naves ad uſum non haberet paratas: ſed, præterquam quod nominis אים *Inſularum* ea ſit latitudo ſignificationis, ut promiſcue notet Populos Occidentales, quorum terræ mare contingebant, ut ſuperius monui: poſtquam Cyrus Phœnicen occupaſſet, quod factum poſt captam Babylonem; habuetunt quod æque ac alii metuerent: quin auſus eſt Cyrus hærens Sardibus nondum parata claſſe, Spartanis per Legatum paulo ferocius apud ipſum loquutis, ita reſpondere, ut merito iis incuſſerit metum, eodem Herodoto teſte. Vox קרב in fine ỳ. 5. proprie valet, *appropinquare*. Hic itaque eleganter vertitur, *inter ſe conferre:* ut inſtitui. In cæteris nemo niſi volens offendat; niſi forte cui obſcurius videatur quod dicitur ỳ. 7. *Dicens* לרבק *de* DEVECK; (glutino, ferrumine,) *Bonum eſt.* Obſerva itaque, præfixam ל hic eſſe *objecti*, ut ſæpiſſime alias, vertendamque vocem, *de glu-*

Animadverſa ad phraſin.

Quid hic intelligatur per *Inſulas*.

Expoſitio comparata cum hiſtoria Herodoti & Xenophontis.

Significatio vocis קרב h. l.

Recte

---

a Cap. XLIV. 6. XLVIII. 12. *b* Pſ. CII. 28. *c* Cap. XXIV. 39. *d* *Exped. Alex.* Lib. II. Cap. VI. & Cap. XIV. *e* Ezr. Cap. I. 1. 2. *f* *Præp. Evang.* Lib. I. Cap. IX. *g* *Inſtit. Cyri*, Lib. VII. à p. 180. ſeqq. *h* Lib. I. Cap. 141. & ſeqq. *i* Cap. 159. *k* Cap. 143.

de glutine. Sic recte vertitur vox דבק à דבק *arctissime adhærere*; usurpaturque adeo in hoc loco commodissime, ut jam notarunt Viri Docti, pro *ferrumine* sive *plumbatura*, qua extrema laminæ sive bracteæ auri aut argenti, obducendæ simulacris ligneis aut æreis, inter se compingebantur, sive conglutinabantur: veteri verbo, *ferruminabantur*. Est aliqua conjectura Forerii, qui existimat, hic legi posse, דָּבֵק *adhærescens*, ut sensus sit, *Dicens socio*, sodali, arcte sibi adhærescenti: quam meditationem non plane improbat Sanctius. Sed vere ut necessaria non est: sic nihil habet commendabile.

℣. *Apostrophe* parenthetica, Consolatoria, ad Ecclesiam instituta, huic Elencho subjecta. Articulus primus: *Consolatio* Ecclesiæ *proximæ temporibus Maccabaicis.*

℣. 8. *Et tu* ISRAEL, *serve mi*; JACOB *quem elegi: semen Abrahami*, AMANTIS MEI. ℣. 9. *Quem prehendi* EX EXTREMIS TERRÆ, *quemque* EX LATERIBUS EJUS *vocavi, dixique tibi, Servus meus tu es: Elegi te, & non sprevi te.* ℣. 10. *Ne timeto, quia tecum* EGO *sum: ne obstupescas, quia Deus tuus sum. Corroboro te: etiam auxilior tibi: etiam sustento te* DEXTERA JUSTITIÆ MEÆ. ℣. 11. *Ecce pudefient, ac pudore suffundentur, omnes qui in te exarserunt; ut nihilum evadent & peribunt, qui tecum litigant.* ℣. 12. *Quæres illos, & non invenies, viros* sc. *qui contendunt tecum. Fient tanquam nihilum & res nulla qui tecum pugnant.* ℣. 13. *Quia Ego Jehova Deus tuus prehendo dexteram tuam: dicens tibi, Ne timeto. Ego auxilior tibi.*] Elencho adversus Gentes instituto subtexta est consolatio Populi Dei ex eodem argumento petita: cujusmodi exemplum Propheta jam ediderat in *Sectione* superiore. Consolatio est, non perfunctoria, sed accurata, ad Ecclesiam afflictam accommodata, in tres divisa articulos, ut in *Analysi* monui: qui articuli an ad Ecclesiam unius temporis, num diversorum ac subsequentium pertineant, ex eorum argumentis inspectis dijudicandum est. Est autem, ut existimo, basis sani intellectus hujus Consolationis, observasse quod in initio jam monui & anticipavi; scenam hujus Exhortationis figendam esse in medio tempore quod intercessit inter *Reditum Populi Dei ex Exilio Babylonico* & *Manifestationem Regni Filii Dei.* Ad hanc Ecclesiam, afflictam, tenuem, luctantem cum adversis & scandalis sui temporis: ad Ecclesiam, inquam, quæ post Reditum ex Exilio & Rempublicam *temporibus angustis* exspectavit *Redemptionem Israëlis* & *Implementum præstantium promissorum*, Patribus datorum, hæc pertinet Consolatio, perinde ac Consolatio *Sectionis prioris*, ut ibi monui. Ad Populum enim sive Ecclesiam afflictam in Exilio Babylonico hunc sermonem non verti, liquet, α. Quia nulla hic Exilii, nulla in promissis mentio fit Liberationis ex Exilio. tantum Deus fidem facit Ecclesiæ afflictæ, se eam non esse destituturum, quin sustentaturum, corroboraturum & hostes ejus perituros. β. Argumentum ex Cyro adversus idololatras productum, sic proponitur, veluti res jam gesta esset. Id certe in illa propositione supponitur. Cæterum cum tempus intercesserit plurium annorum inter Reditum ex Exilio Babylonico & Adventum Messiæ; eoque tempore medio varia fuerit sors & conditio Ecclesiæ: non est dubium quin oratio hic dirigatur ad *Populum* sive *Populum* Ecclesiæ, statu ejus non florente, sed afflicto. Afflictus autem Ecclesiæ Status cum spectari queat, sive σχέσει ad Mala & afflictiones publicas quibus Deus Populum suum exercet; sive σχέσει ad scandala & vitia quibus Ecclesia obruitur; sive σχέσει ad utrumque: assumo hic & teneo hypothesin, designari Ecclesiam quo fuit statu afflicto & afflictissimo, proxime illud tempus quo Antiochus Epiphanes in Populum Dei, illa ætate in Canaanæa cum maximis luctantem scandalis, quæ nunquam superaturus videbatur, incepit sævire. Illo enim tempore omnia videbantur labascere & collabi, & pessum ire. Piorum semen valde erat imminutum. Profani & impii qui Aulæ Syriacæ adulabantur, indies crescebant numero, & pios qui in Gente superarant, opprimebant. Rex Antiochus ingenio varius, Religionis Judææ osor, superstitionis Paganæ superstitiosus Sectator, animo impius, moribus callidus, adversus hunc Popellum piorum scelesta cudebat consilia. Inde piis concidebant animi; peribat spes meliorum temporum, post Reditum ex Exilio semper optata, nondum ex voto obtenta: subibat metus, ne Ecclesia Dei tota in terris, certe in Canaanæa, extingueretur atque interiret, ac proinde exspectatio Regni Dei in Orbe manifestandi plane eluderetur atque decollaret. Huic Ecclesiæ, huic Popello Dei afflicto & in magno versanti metu hæc Consolatio exacte ad extremas lineas competit; & sequentia egregie respondent, si hæc hypothesis admittatur. Alter enim *Articulus Consolatorius* omnino referendus est ad Ecclesiam sive Popellum Christi temporis Apostolici, à Judæis caussa Nominis Christi afflictum & persequutione pressum. Si quis urgeat, hunc etiam *Articulum primum Consolatorium* recte referri ad Ecclesiam Apostolicam ex Judæis collectam Hierosolymis & in Canaanæa, à Judæis impœnitentibus adversariis *in eam incensis* persecutione afflictam: fateor, nihil in ea hypothesi absurdi inesse, nec posse me eam firmis rationibus convellere. Attributa enim Ecclesiæ Maccabaicæ & Apostolicæ fere sunt similia. Hypothesis tamen mea magis convenit rei ipsius decentiæ, quam altera illa quam memoravi. Cum enim experientia doceret, illam Ecclesiam quæ medio Statu esset inter Reditum ex Exilio & Adventum Regni Dei gravissime rursus afflictum & per afflictiones purgatum iri ex certo Dei consilio; τὸ πρέπον *decentia* non videtur permittere, ut hæc Ecclesia afflicta, oppressa, imminuta, sperans & exspectans Salutem Domini, negligatur in Oratione Παρανετικῇ à Spiritu S. ad Ecclesiam afflictam ante Adventum Messiæ consolandam instituta. Plura occurrent in sequentibus Concionibus hanc hypothesin roborantia. Quid? quod Elenchus adversus Gentiles ex Exemplo Cyri confectus, huic hypothesi plane faveat. Dicam enim hic in initio, quod alioquin mihi dicendum erat in *fine* Commentationis hujus Pericopæ: *Consolationem* hanc subtexi superiori *Elencho*, ut Ecclesia afflicta argumentum solatii caperet ex ipso illo Paradoxo Eventu *suscitati* Divinitus *Cyri*, post certas ejus prædictiones, ex quo argumento Pagani convinci poterant *veritatis* & *veræ Divinitatis Dei Israëlis*. Qui enim illo tempore Cyrum è finibus terræ suscitavit contra omnium mortalium exspectationem in Liberationem Populi sui, ut aperiret valvas hactenus non reclusas, & Imperium Babylonicum in immota rupe fundatum dirueret ac subverteret: idem Ecclesiæ Populoque suo in auxilium præsto adesse posset aliis in casibus; imo vero actu adesset, & tandem aliquando omnem potestatem adversariam Ecclesiæ confunderet ac prosterneret. Qui Cyrum à se suscitandum in Liberationem sui Populi prædixerat, & hanc suam prædictionem accurate impleverat, stupentibus idololatris, & frustra contranitentibus: is idem alias Liberationes Ecclesiæ afflictæ, & inprimis magnam illam Salutem Ecclesiæ à se promissam & prædictam, Satana & Potestatibus Mundanis frustra obnixuris, tempore suo certo præstaret. Sic cohæret *Elenchus* superior cum *Pericopa Consolatoria*: quod hic semel monuisse suffecerit, deinceps non repetendum. Tantum igitur id agam, ut Orationem Prophetæ illustrem. Offendis in ea α. APPELLATIONEM Ecclesiæ afflictæ quæ Subjectum facit hujus *Consolationis*, ℣. 8. 9. β. Παράκλησιν, sive CONSOLATIONEM ipsam, complexam *Propositionem*, ejusque *Argumenta*, ℣. 10--13.

Ad *Appellationem* quod attinet: cum difficilis non sit oratio in complexu sumpta, nec singula necesse habeant

Status Ecclesiæ Judaicæ qui proxime præcessit tempora Epiphanica, describitur.

Consolatio Prophetæ huic Subjecto convenit.

Alter articulus quo referendus sit?

An non potius primus Articulus referatur ad Ecclesiam Apostolicam afflictam? Solvitur dubium.

Hypothesis hæc nostra optime respondet expositioni pericopæ superioris de Cyro. quod demonstratur.

Analysis hujus Periochæ.

Primo occurrit *Ap-*

pellatio Ecclesiæ afflictæ ℣. 8 9.

℣. 8. *Et tu Israel, Serve mi, &c.* Ellipsis phrasios, *Israël, Jacob*, pro *Domo* posteris, *Israëlis, &c.*

Appellatio pertinet ad *Jacobæos*, ipso quoque Jacobo *κατὰ σάρκα* oriundos.

Quam hic loci emphasin habeat hæc *appellatio*?

Quo sensu hic veniant Jacobidæ nomine *Servi Dei*?

Et quidem à *Deo electi*?

Emphasis vocis אתה Tu in h. l.

Semen Abrahami, amantis mei. Versio Græca, & *Jacobi*; *Amici mei.*

Versiones facile componuntur.

Abrahamus quo sensu *Dei amans*, & *Dei amicus*?

beant attingi: paucula solummodo adscribam & necessaria quæ animadverti merentur.

℣. 8. *Et tu, Israël, serve mi; Jacob quem elegi.*] Blanda appellatio, honesta, & conveniens scopo. Ellipsis subest phrasi, hoc in loco. Scribitur *Israël* & *Jacob* pro *Domo*, Posteris Israëlis. Vates noster perfecte, Cap. XLVI. 3. *Auscultate me*, DOMUS JACOBI; *& omnes* RELIQUIÆ DOMUS ISRAELIS. Raro ab Isaaco denominantur: non sane minore ejus reverentia, sed quod ipse æque Idumæorum ac Jacobidarum pater esset. Intelligitur hoc nomine in emphasi, & certe hoc in loco, *Ecclesia* electorum Populi Dei: subinde mystice tantum ob rationes analogicas; subinde etiam & simul proprie. ut hoc ipso in loco. Tenendum enim est, & pertinet ad intellectum loci, Prophetam hic omnino per Israëlem & Jacobum intelligi velle *Judæos*, qui veram Ecclesiam faciebant, non tantum *secundum spiritum*, sed & *κατὰ σάρκα secundum carnem* Jacobo satos: ut si hæc & sequentia directe transferas ad Ecclesiam afflictam primi temporis; primò tamen hic spectandi sint *Judæi* ipsi, fidem in Dominum amplexi. Convenit nomen Subjecto in præsente circumstantia. quippe *Jacob* olim à Deo per vitam exercitus fuit multis laboribus atque afflictionibus, quibus tamen cura & gratia Dei singulari nunquam succubuit; quin in gravissimis tentationibus fidei & spei suæ & adversis multis quæ per vitam sustinuit, luctatus cum Deo, *victor Dei* extitit, & *Israël* appellari meruit: hoc ipso *typus* omnis Ecclesiæ afflictæ & à Deo probatæ. Pertinet huc epitheton *Servi Dei electi*, quod apud hunc Populum solum esset Notitia veri Dei & veri cultus Religionis, quodque ad Deum secundum illam Notitiam *colendum* esset *electus*, scilicet in Abrahamo primum, dein specialius in Jacobo, fratre ejus neglecto; quam doctrinam Moses frequens in extremis Concionibus suis inculcavit, ut intelligerent Israëlitæ, Vocationem & prærogativas quibus præ-Gentibus gaudebant, esse *gratiæ*; non *meriti*; quippe unice repetendas esse à *προθέσει τῆς χάριτος τῦ Θεῦ proposito Divinæ Gratiæ* [a]. Quod ab *electione* pendet, est *gratiæ*; non, *meriti*. Sic Ezras apud Nehemiam [b]: *Tu es ille Jehova Deus, qui* ELEGISTI *Abrahamum*. Solent autem eorum quæ decreto nituntur libero, certiora & constantiora esse effecta, quam quæ nituntur decretis instabilibus, quæ fundantur in meritis personarum, quorumque exequutio suspenditur à conditione, ipsarum subjecta voluntati. Addo emphasin vocis אתה ATTA in hac appellatione. Est ob blanditias quæ in voce insunt, antiqui usus; de quo ipse alibi, & alii sæpius monuerunt.

Semen Abrahami, AMANTIS MEI.] Sic vertenda verba ex punctatura Masorethica. Sed *οἱ ὁ.* veluti legissent אוהבי, vertunt, *Ὃν ἠγάπησα quem dilexi.* Pariter Chaldæus: רחימי *Dilecti mei*, Amici mei. Sic Jacobus [c]: *Credidit autem Abraham Deo, & imputatum ei est ad Justitiam, καὶ Φίλος Θεῦ ἐκλήθη & AMICUS* DEI *appellatus est.* Amici autem notio magis *passiva* quam *activa* est. Amicus hujus illius dicitur qui ab eo diligitur. Sic Poëta vetus de primo hominum genere, recti verique studioso [d]: *Φίλοι μακάρεσσι Θεοῖσι cari Diis beatis.* Sed neutri versioni subest vitium. Vox אהב hic ut sæpe apud Prophetam, geminam involvit significationem. Valet, *Amantis mei*, & *Amati mei*, h. e. amici mei. Est enim amicitiæ notio & res reciproca. Epitheton alio adhuc loco Abrahamo datur 2 Chron. XX. 7. *Amor Dei* in Abrahamo ad illum præcipue referendus est Actum obsequii, quo caussa Dei, qui se ei in gratia revelaverat, & veræ Religionis, cujus studium & cultum profitebatur, dereliquit terram patriam; etsi eadem promptitudo obsequii in difficillimis tentationibus, Abrahamum per totam vitam comitata est. Imo sane non tantum in obsequio, sed & cultu veri Dei, ejusdemque cultus promovendi studio. id enim Deus ipse in Abrahamo laudat [e]. *Amicitiæ* Dei indicationem habuit in Vocatione sua; Donatione Justitiæ; & luculentis promissis Gratiæ ipsi factis; Commercio familiari quo Deus consilii sui decreta ei revelavit; cura singularis providentiæ qua eum ubique prosequutus est; eorundemque promissorum luculentis signaculis, *fœdere* datis. Summum tamen horum est *Donatio Justitiæ* [f], beneficiorum omnium quæ Deus in hominem confert in his *terris* maximum, quo videlicet illum certum facit de suo favore perfecto cum certa spe salutis æternæ. Ut autem honorifica est appellatio: sic ad rem caussamque præsentem facit. Honestam & honorificam dixi appellationem, cum Abrahamus Vir fuerit illustris, *Princeps Dei* [g], h. e. Deo dilectus & ipsi familiaris; Propheta magnus; Doctor & Pater omnium Gentium quibus vera Religio & veræ Religionis doctrina curæ esset; omnibus Populis reverendum Nomen; Credentium omnium typus & exemplum, unde *καύχημα* Gentis [h]: *Patrem habemus Abrahamum.* Moneo pariter, ad rem facere. Cum enim proprium Deo sit, *dilectionem*, studium, & cultum, quo homines ipsum prosequuntur, tanquam effecta suæ gratiæ, in semine & posteris eorum remunerari; idque Abrahamo se præstiturum solenniter spesponderit; & voluntatis constantia ac fidelitas promissorumque veracitas inter ea Dei attributa laudentur à quibus Deus maxime cognosci vult; & in quibus cultus Dei præcipue fundatur: non est credibile, illum verum Semen Abrahæ unquam destituturum, aut derelicturum esse, licet forte in magnas incidat calamitates & adversa.

Quam phasin habeat *Epi*

℣. 9. *te prehen finibus te &c.*

Quid significet Hebræa phrasis, צילי ארץ Notio cis צילי Exod. XI.

Hebræ rum In expositio

℣. 9. *Qui te prehendi ex finibus terræ, &* EX LATERIBUS *ejus te evocavi.*] Dubium hic, quid sibi velit illud, מאצילים, quod hic fidentius verti, *E lateribus ejus.* Hebræi Intt. vocem אצילים interpretantur ex Exod. XXIV. 11. ubi אצילי בני ישראל dicuntur *Delecti filiorum Israëlis.* sc. LXX Seniores, ex Israëlitis omnibus electi, quibus cum Mose datum fuit *Deo appropinquare.* Est enim אצל Hebræis, *separare, seponere.* Intelligunt itaque Principes, Reges, Potentes terræ Viros, ex quorum terris educti sunt, quibusque veluti erepti sunt, Judæi: sive hic Ægyptios intelligant, sive Chaldæos. R. Salomo: מן הגדולים שבהם *Ex magnatibus qui inter eas* (Gentes terræ) *erant.* Pressius Kimchius: *Ex Magnatibus terræ & Regibus ejus te evocavi ut exires ex illorum potestate, & non esset in illorum potestate id impedire.* Plerique Intt. postmodum subscripserunt, licet non eodem omnes sensu phrasin acceperint. Et tamen ægre mihi persuadeo, Vatem hunc sensum intendisse. Primo, si Propheta id dicere voluisset, quod Interpres Hebræus urget, non putem, illum usurum esse voce insolentiore אצילים quæ secundum illum sensum hic loci nullam obtinere potest significationem peculiarem. Principes enim illi qualescunque supponantur, sive Chaldæi, sive Ægyptii, non fuerunt אצילים *electi, eximii.* Deinde, non arbitror, phrasin Hebræam ferre, ut qui subducitur aliquorum potestati, *ex iis* dicatur *vocari* vel *evocari.* Ubi quis *ex terra* vel *Populo* vel qualicunque cœtu hominum dicitur evocari: censetur *partem* eorum *fecisse*: quod in hac interpretatione non obtinet. Belgæ Intt. cum forte ad id adverterent animum, versionem retinentes, alium ei aptarunt sensum. Cum enim existiment hic agi de *vocatione Abrahami*, id Prophetam dicere velle conjiciunt, Deum Abrahamum vocantem, eum *præstitisse magnatibus & divitibus* atque *eximiis terræ*, sc. Chaldææ. Sed phrasis ne illud quidem, ex meo sensu, significare apta est. Qui enim ex aliquibus vocatur, hoc ipso non censetur iis esse inferior, ex quorum numero vocatur, licet per prærogativam vocationis iis præferatur. Quin qui *ex aliquibus vocari* dicitur, censetur eorum partem facere, vel fecisse, ut modo monui. Si omnino amplecti voluis-

Quæ n probatur Ration ejus sent tiæ.

Belgaru Intt. alia plicatio. Ad ean nimadve

[a] Deut. IV. 37. VII. 6. 7. Ps. CXXXV. 4. [b] Neh. IX. 7. [c] Cap. II. 23. [d] Hesiod. *Op. & D.* ℣. 115. [e] Gen. XVIII. 19. [f] Gen. XV. 6. [g] Gen. XXIII. 6. [h] Matth. III. 9. Joh. VIII. 39.

voluiſſent hanc Verſionem: potuiſſent directe dicere, Abrahamum ipſum *divitem, potentem & illuſtrem Virum* ex eximiis & præſtantioribus Chaldææ ſive Sapientibus ſive Potentibus Viris vocatum electumque eſſe, ut hoc ipſo commendaretur ejus erga Deum obſequium & obſequii promptitudo. Si enim homo fuiſſet de vulgo, cui in terra & cognatione ſua res minus fuiſſet commoda & proſpera: minus mirandum eſſet, tam promptum & fidele Deo præſtitiſſe obſequium. Sed cum fuerit ipſe Vir illuſtris, dives, potens, præſtantioribus ſuæ Gentis par: tanto conſpectius & commendatius fuiſſe ſtudium ejus, & tanto acceptiorem Deo fuiſſe ejus obedientiam. Verum licet hunc ſenſum non ſpernam: vix tamen eſt ut dubitem, Vatem per אצילי הארץ deſignare voluiſſe quid ſimile ejus, quod in priore membro appellaverat, קצות הארץ *fines terræ*. Sic enim ſolent Prophetæ, & noſter paſſim. Coccejus in *Lexico* recte, *Remota terræ*: licet in Verſione amaverit, *A repoſitis ejus*. quod ad ſuam hypotheſin accommodat. Vox אצל, ut jam ſignificavi, notat quid *ſeparare, reponere, ſeponere*, ut ex uſu ejus liquet. inde אצל *apud, juxta*: אציליות *axillæ*, locus concavus, reconditus, ubi quid reponi poteſt. Secundum quem ſenſum vocis, אצילי ארץ vel idem ſignificare poteſt quod ירכתי ארץ *Latera terræ*, phraſi recepta [a]: vel *remota* & recondita terræ loca. Id videtur voluiſſe Symmachus, ubi ſcripſit, Ἀπὸ τῶν ἀγκώνων αὐτῆς· *à cubitis ejus*. h. e. ab angulis ejus. ab extremis ejus. Sunt enim ἀγκῶνες, τὰ ἄκρα *extrema* ubi duæ partes concurrunt. Hieron. optime, *Et à longinquis ejus*. Οἱ ὁ. Ἐκ τῶν σκοπιῶν αὐτῆς· *Ex ſummitatibus ejus*. proprie, *ſpeculis*. Sed deſignantur *loca alta*. quod ipſum reſpiciens Chaldæus verterat: *Et de* REGNIS *elegi te*. Myſtice accepit phraſin pro *Rebuſpublicis eminentibus*. Verterat ille pariter prius membrum liberius: דקריבתך מורעיהם ארץ *Quem mihi admovi ex familiis terræ*. quæ vera verborum interpretatio eſt *A*. Præcipuum eſt, quorſum hic reſpiciat Propheta: an ad Vocationem Abrahami ex Chaldæa? num potius ad Eductionem Iſraëlitarum ex Ægypto? vel etiam ex Exilio Babylonico? Harum ſententiarum nulla eſt quin ſuos habeat Patronos; & videtur eſſe difficilior hic dijudicatio veræ mentis Prophetæ, quod attributa hic fere ſimilia ſint ſubjectorum trium quæ demonſtravi. Habe ſententiam meam paucis. Non agi hic de Liberatione Populi ex Exilio qualicunque, inde facile liquet, quod Vates hic manifeſte agat de *prima* aliqua Electione & Vocatione Populi Judæi, ſive in Abrahamo facta, ſive Populo Judæo in Ægypto. Ad alterutrum itaque hic reſpiciendum eſt. Et quidem prius membrum: *Qui te prehendi manu* EX EXTREMIS TERRÆ: non videtur commode referri poſſe ad Liberationem ex Ægypto; quippe cum Ægyptus non adeo longe remota fuerit à Judæa, medio tantum Deſerto ab ea diviſa; non videtur probabile, Spiritum S. eam terram hic appellare *extrema* ſive *fines terræ*. Recte dicuntur poſteri Jacobi ex Ægypto *liberati* eſſe *brachio forti & extento*: ſed minus commode dicantur prehenſi à Deo & educti ab *extremis terræ*. Educti enim ſunt ex terra Goſenis, cis Nilum, quæ non adeo magnis intervallis à Canaanæa diſtabat. Dixeris, Ægypti hanc ſignificationem obtinere in phraſi Zachariæ [b]: *A mari ad mare, à* FLUVIO (Euphrate,) USQUE AD FINES TERRÆ. Videlicet à Mari Mediterraneo uſque ad Mare Meridionale, quod Veteribus *Rubrum* dicebatur; & ab *Euphrate* uſque ad *Ægyptum*. Ita eſt, ſed Ægypto hic accenſetur Æthiopia, quam Veteres reſpiciebant ut extimam terram Auſtralem. quo eodem ſenſu Arabia Sabæa, ſive Felix, venit nomine τῶν περάτων τῆς γῆς FINIUM TERRÆ, in Oratione Domini [c]. Sed ſi de Abrahamo hoc membrum accipias, pulchre dicitur. Is enim vere *à Deo eſt prehenſus manu*; h. e. ſingulari cura Divinæ Providentiæ evocatus ex terra & cognatione hominum, jam per idololatriam corrupta, in qua ipſi pereundum fuiſſet niſi à manu Divina prehenſus & ex exitio vindicatus fuiſſet. Eſt in voce מחזיק conſtructa cum ב ea emphaſis, ut notet actum potentioris imbecilliorem manu prehendentis, ut ipſum eripiat ex proximo periculo: cujus exemplum eſt in Liberatione Lothi & Domeſticorum ejus ex Sodoma. Sic de eo hiſtoria [d]: *Et prehenderunt Viri illi manum ejus, &c.* Heb. ויחזיקו האנשים בידו Hoc ſenſu dixerat Vates in ſuperioribus [e], *Deum Abrahamum* REDEMISSE. Ex terra Idololatrica manu veluti prehenſum eduxiſſe. quæ emphaſis augetur, ſi verum ſit quod Veteribus ex Libro Judithæ [f] adhæſit, Abrahamum cauſſa Religionis veræ à Gentibus perſecutione preſſum afflictumque fuiſſe. Deinde, Abrahamus manu prehenſus eductus eſt *ex extremis terræ*, in quibus Veteres cenſebant Chaldæam: ſive Ur Chaldæorum quærendum ſit in Meſopotamia Septentrionali proxime montes Armeniæ; ſive in Chaldæa poſtea ſic appellata, ſubjecta Babyloni; (de quo nunc non diſputo,) Prophetæ loca hæc ut longe diſſita appellabant ſtylo populari *extrema terræ*. Vide quæ ſcripſi ad Cap. v. 26. & Cap. XIII. 5. ubi de Medis, iis proximis: *Veniunt ex terra longinqua*, מקצה השמים *ex* EXTREMO COELORUM. Alterum membrum, *Et ex lateribus ejus te evocavi*: fateor, referri poſſet ad *vocationem Iſraëlitarum* ex Ægypto. Liberatio enim illa *vocatio* dicitur Hoſeæ [g]: & *Ægyptus* Canaanææ fuit, ut notum, ad *Latus Auſtrale*. Et tamen fateor me magis in eam propendere ſententiam, quæ hoc quoque membrum de Abrahamo interpretatur, ob has rationes, α. Quia *Vocationis* notio Abrahamo magis convenit quam Judæis in Ægypto; certe, cum & his tribuatur [h], Abrahamo propius & directius applicatur. β. Quia Propheta in his Concionibus Judæos ubique conſolatur ex Vocatione Abrahami, & Fœdere cum illo inito, Vocationis ex Ægypto rara facta mentione; haud dubie quia in Vocatione Abrahami & Teſtamento ei patefacto fundata fuit omnis prærogativa & ſpes Populi Judæi; & quia Vocationem ſive Liberationem Populi ex Ægypto varia inſecuta ſunt mala & calamitates in quas ob continuas defectiones & rebelliones inciderunt. Confer hic Cap. LI. 2. *Adſpicite ad Abrahamum Patrem veſtrum, & ad Saram quæ vos genuit*, כי אחד קראתיו *quia* UNUM *illum* (ſive, unum illud par,) VOCAVI, *& ei benedixi, & eum multiplicavi*. γ. Loca illa Orientis, ex quibus eductus eſt Abrahamus, ſive Meſopotamiæ ſive Chaldææ, dicuntur, ſtylo Scripturæ, ירכתי ארץ LATERA, h. e. extrema terræ, quam vim poteſtatemque eſſe in phraſi אצילי ארץ modo demonſtrabam. Sume tibi præter alia exemplum ex Jer. VI. 22. ubi agitur de Chaldæis: *Sic fatur Jehova: Ecce populus venit ex Septentrione, & Gens magna excitabitur* מירכתי ארץ EX LATERIBUS TERRÆ. Clariſſime vero de reductione Populi ex Meſopotamia & Aſſyria in Judæam [i]: *Ecce adducam illos ex terra Aquilonari, & congregabo eos* מירכתי ארץ EX LATERIBUS TERRÆ. Ergo Iſraël *vocatus fuit* in *Abrahamo*, Patre & Principe Gentis, ſive ex Chaldæa, ſive ex Extremis Meſopotamiæ; in qua Vocatione, ingentibus promiſſis ſignata ac roborata, ſita erat ſpes Gentis. Omnis exſpectatio Gratiæ fundata fuit in Fœdere cum Abrahamo icto & promiſſis ei homini Deo dilectiſſimo liberaliter datis, quæ impleri debebant in ejus poſteris.

Et dixi tibi, Servus meus tu es.] Dixi primo Abrahamo, inde Jacobo Patri veſtro; poſtmodum vobis per omnes Prophetas & Miniſtros meos per omne tem-

Rectiſſime id transfertur ad *Vocationem Abrahami ex Ure*.

Emphaſis vocis *prehendere*.

Vetus traditio de Abrahamo.

Chaldæa Vett. Hebræis cenſebatur inter *fines terræ*.

Alterum membrum: *Ex lateribus ejus te evocavi*: poſſet referri ad Liberationem ex Ægypto.

Sed rectius refertur ad Abrahamum.

Ejus ſententiæ rationes.

Latera terræ optime ſumitur de Chaldæa.

Locus Jer. VI. 22. & XXXI. 7.

Dixi tibi, Servus meus es tu, &c.

a Jer. XXV. 32. *b* Zach. IX. 10. *c* Matth. XII. 42. *d* Gen. XIX. 16. *e* Cap. XXIX. 12. *f* Cap. V. 7. 8. Vide Marsh. *Can. Chron.* ad Sac. v. p. m. 71. *g* Cap. XI. 1. *h* Cap. XLVIII. 12. *i* Cap. XXXI. 7. Dift. Heb.

A Int. invenuſte vertit: *Quem adjunxi de cognationibus terræ* nullo commodo ſenſu. Eſt etiam vitium *punctaturæ* in voce מִמְּרַעְתָּ, quæ his notata punctis ſignificat, *ex familia*. quod ſenſum non dat. Punctanda eſt, מִמִּרְעָתָ, ut ſit *plurale Status conſtructi*.

Paraphrasis verborum.

pus Oeconomiæ Legalis, me vos singulari consilio Gratiæ elegisse, ut solus essetis in Orbe terrarum Populus, quem ad me verum Deum ex certa notitia & fide *colendum* destinaram, & ex quo Populo mihi tandem excitarem SERVUM, in emphasi sic dictum, & à Vate nostro sæpius dicendum, qui omnem meam voluntatem perficeret. Sic Propheta in sequentibus integre, Cap. XLIV. 21. *Recordare horum, Jacob, & Israël! quia* SERVUS MEUS ES. *formavi te. tu servus meus es. non traderis à me oblivioni.* Supponitur, inter prærogativas, quibus Deus mortales beat, hanc summam esse & præcipuam, ut iis revelet verum sui colendi modum ac rationem; & ad servitium cultumque suum eos destinet atque admoveat. Ut enim cultus Dei homini honorificus est quippe per quem ei aditus patet ad proximam Dei communionem: sic illum comitantur & consequuntur omnia Beneficia gratiæ & gloriæ quæ à proxima Dei communione exspectantur. in communione autem Dei est vita & salus: extra eam mors & exitium [a]. *Beatus est quem tu eligis, ut tibi* (instar Sacerdotis spiritualis,) *propinquet*, seqq.

Hypothesis huius loci. *Notitia veræ Religionis* est magnum beneficium Gratiæ.

Elegi te, non reprobavi te.] Referenda sunt verba ad Statum præsentis calamitatis, afflictionis, & metus, in quo Ecclesia hoc tempore versabatur: illo, inquam, tempore quod proxime præcessit Afflictionem Epiphanicam. Sane quidem cuique legenti historiam Populi Dei, quo statu se habuit sub Lagidis & Seleucidis antequam per diriſſimam persecutionem Epiphanicam purgatus fuit, facile videatur, nullum tempus fuisse totius Oeconomiæ Veteris quo Ecclesia Judæa minora habuit argumenta Gratiæ Divinæ, ejusque erga se curæ ac providentiæ. Nullum illius tractu temporis signum apparebat externum, ex quo Gentes colligere poterant, hunc populum Deo peculiariter curæ esse & ab ipso electum diligi. Quin Ecclesia hujus temporis queritur ipsa, nullum tale argumentum aut signum sibi suppetere [b]. Prophetica Revelatio, & cum ea Miracula, dudum cessaverant; & Populus gemebat in statu paupertino & afflicto sub jugo externorum Dominorum, à quo graviter premebatur. Meliora & prosperiora tempora longum exspectaverant, sed frustra; nec poterant humanæ prudentiæ oculo providere ullum afflicti status exitum. quæ caussa est quod ex Populo, Proceribus, Sacerdotibus, non pauci locum fecerint profanis de Religione sententiis, patriamque Religionem contempserint. Cibus nullus supererat piis quo se sustentarent, quam *promissa gratiæ*. Et tamen en! hunc ipsum afflictum, & pusillanimem cœtum piorum, Dominus ait, *elegisse se*, sc. κατὰ τὴν πρόθεσιν sive, κατ' ἐκλογὴν τῆς χάριτος [c]; & *non reprobasse, sprevisse*, cum sane ob gravissima scandala & vitia, quæ in medio externi Cœtus Populi Dei grassabantur, quorumque communione polluebantur, *reprobari*; sperni, negligi, posthaberi, repudiari, ἀποδοκιμάζεσθαι, ἀπώθεῖσθαι, (quæ vis est in voce מאס) meruissent. Vides, fundari omne Beneficium in Ecclesiam conferendum, non in ejus meritis, sed in *electione* & destinatione Divina. electione, inquam, libera. Quicquid Ecclesia accipit, quicquid habet, quicquid sperat, quicquid plus habent qui ad verum Corpus Ecclesiæ pertinent, quam alii; est διαιρίσεως Divinæ, quod Vates noster & Scriptores Sacri ubique inculcant. Cæterum accepi hæc verba secundum mentem Masoretharum tanquam quæ partem faciant *Appellationis*, etsi cæteroquin non minus recte cohærent cum *Consolatione sequenti*. Ex nostro sensu itaque accipienda sunt, acsi scripsisset Propheta; *Quem elegi & non reprobavi.*

Elegi te, non reprobavi te. Sensus verborum. Sententia referenda est ad Statum Ecclesiæ, proxime Afflictionem Syriacam. Status Ecclesiæ illius temporis afflictus, absque *signis Divinæ Gratiæ.*

Electio & Reprobatio quo modo hic accipienda?

Appellationi quæ ipsa tota blanda est & veræ consolationis fundamenta complectitur, subtexta est *Consolatio*, quæ constat Exhortatione ad deponendum *metum*, & animo concipiendam *fiduciam*; & illius Exhortationis Rationibus. Exhortatio ipsa (℣. 10.) concepta est formula, *Ne metue, ne* OBSTUPESCE. Sic plerique Intt. reddunt vocem תשתע, *formæ Hithpahel* ex שעה, cum *Radicale* thema שתע Hebræis non sit in usu. Hieron. *Ne declines.* Chaldæus: *Ne frangaris*, sc. animo. Differui de significatione vocis שעה & משתעה ad Cap. XXIX. 9. eamque ibi derivavi ex themate שעע, quæ animadversio ibi necessaria hic minus ad rem facit. Propheta utitur hac voce in sequente contextu ℣. 23. notatione aliquid *videndi cum admiratione & stupore*. Hoc loco significat affectum animi qui proxime ad *metum* accedit. Vox שעה Hebræis est *respicere*. Est autem meticulosorum hominum, & præsenti statui diffidentium, ad omnem motum & casum subito *retrospicere, circumspicere, huc illuc vertere & flectere oculos*; ad omnem motum turbari & stupere: nec suppetit aliud quod hic occurrit, melius: quare aliorum diversas sententias, quæ nos doctiores non faciunt vel certius quid demonstrant, hic non recenseo. Atqui videbatur esse gravissima *metus* ac *perturbationis* ratio. Cum enim scandala indies crescerent; impii & profani se jungentes Syris veræ Religionis persecutoribus pios Religionis cultores persequerentur; sacra intermitterentur; Sanctuarium polluereturque & profanaretur; Populus autem sive Popellus Cultorum Dei & Religionis suæ studiosorum esset inermis, absque auxilio humano ullo aut auxilii spe, totus in potestate Syrorum, illo tempore potentium & belli expertorum: quid non *metuerent*, & præ metu turbarentur ac turbati sæpe *retrospicerent?* Necesse habebat Propheta graves adducere rationes, per quas statu veluti desperato, dum Ecclesia tota pessum itura & vera Religio exterminanda videbatur, ei inspiraret fiduciam. Et sane adducit gravissimas. Prima est, hoc ipso *commate* exposita; *Quia ego* TECUM SUM. sc. gratia mea, providentia, & potentia sive auxilio. Vulgata formula est qua Deus sanctis sibi fidentibus asserit præsens in dubiis casibus auxilium [d]. Ecquis vero *metuat*, Deo propitio & præsente, cujus potentiæ & providentiæ omnia obnoxia sunt? *Si Deus pro nobis, quis contra nos* [e]? Vates sacer in Ode Sacra quæ ad hoc ipsum tempus & schema pertinet [f]: *Jehova meus* vel *mecum* (mearum partium) *est. non timebo.* Incidit emphasis sententiæ in vocem EGO. EGO *tecum sum*; *Spiritus*, non *caro*. EGO *tecum sum*, cujus vis vim hostium infinito superat. EGO *Jehova tecum sum*, ad cujus gloriam pertinet promissis tibi factis fidem præstare. Eadem vis est in altero membro: *Quia* EGO *sum Deus tuus.* sc. vi Fœderis ad te defendendum obligatus, paratus tibi cum salute temporali præstare æternam, omnibusque Diis Gentium major & potior. *Corroboro te; etiam auxilior tibi; etiam sustento te, dextera mea justa.* Hebræa, אמצתי תמכתי enunciantur *forma præteriti*, sed quæ forma temporis, hoc loco tres simul complectitur. Valet, *Corroboravi te, corroboro te, corroboraturus sum te*; & ita in cæteris. Res ipsa id docet, & contextus exigit. *Corroboro te*, recte refertur ad fidem, spem, fiduciam. Sic Vates Sacer [g]: *Exspecta Jehovam; fortis esto*, ויאמץ לבך *&* CORROBORETUR COR TUUM, *& exspecta Jehovam.* Apostolus [h]: *Perstate in fide, viriliter agite*, κραταιοῦσθε ESTOTE FORTES. Deus huc usque sua gratia fidem spemque piorum qui Semen Ecclesiæ faciebant sustinuerat, idemque agebat in præsenti, & ageret quoque in posterum. *Robur fidei* consistit in clara perceptione mysteriorum Fidei fundata in demonstratione rationali; robur *spei* in certa persuasione de Divina veracitate & gratia. Addit, ETIAM *auxilior tibi*, ETIAM *sustento te.* Patet, esse gradationem in Oratione Prophetæ. Crescit ea identidem per voculam אף *Etiam. Auxilior tibi.* α. Per providentiam meam res quæ ad statum tuum pertinent, ita constituendo disponendoque, ut tibi commodo & auxilio sint. β. In præliis & conflictibus

Exhortatio Consolationi subjecta, ℣. 10.

Ne metue, ne obstupe

Significat vocis תתע h. l.

Quo sen vox תתעה hic capie sit?

Populus Dei illiu temporis debatur bere grav simam p turbation rationem

Ratione quibus V eum erig Prima quod *D cum ipso* Vis sen tiæ & ra nis.

Altera: *sum Deus tuus, & s* Verba phetæ ex sita.

Quo sen Deus Ec fiam dic *corroborat* Pertinet *robur fide spei.* Qua re confistat?

Quale *auxilium* D Ecclesiæ promittat

[a] Ps. LXV. 7. [b] Ps. LXXIV. 9. [c] Rom. XI. 5. [d] Cap. VIII. 10. Hagg. I. 13. II. 5. Matth. XXVIII. 20. [e] Rom. VIII. 31. [f] Ps. CXVIII. 6. [g] Ps. XXVII. 14. [h] 1 Cor. XVI. 13.

ctibus Duces qui causſam tuam armis defendendam ſuſcipiunt, induendo virtute, fortitudine animi, prudentia, & te ornando victoria in hoſtes. Sic Vates Sacer in Ode modo laudata [a]: *Jehova eſt inter auxiliatores meos; atque adeo videbo lapſum oſorum meorum.* Confer Cap. XII. 2. XXVI. 1. Obſerva nunc emphaſin gradationis. Videbantur pii in eo poſſe & debere acquieſcere in graviſſimis afflictionibus, ſi Deus illos non deſtitueret gratia ſua interna; ſi fidem & ſpem illorum ſuſtineret, ut non concideren. Sed plus ageret. Præſtaret quoque ipſis *auxilium externum* in ipſo illo luctæ & afflictionis ſtatu, quò emergerent. unde emphaſis, אף ETIAM *auxilior tibi.* Nec tamen id ſatis erat. Cum enim afflictio duraret per longum tempus: non ſufficiebat ipſis auxilio Divino in his illis caſibus, & per tempus aliquod, frui. Longum erat per calamitates plurium annorum, eaſque urgentiſſimas, durare, eaſque vincere, & tandem non ſuccumbere. Atqui id tertium eſt quod hic dicitur, ETIAM *ſuſtento te dextera mea* JUSTA. Suſtineo te, ne labaſcas: quin etiamſi labaſcere videaris, novis te inſtruo viribus, nova virtute, nova tibi demonſtro media & inſtrumenta per quæ ſtatum tuum ſuſtineas. *Dextera juſtitiæ* eſt quæ juſtam cauſſam agit atque defendit, quæque exequitur decreta & ſententias Juſtitiæ Divinæ. Vir Sanctus eodem ſenſu [b]: *Dextera tua plena eſt* JUSTITIÆ. Omnes Rationes providentiæ ejus, omnia Judicia ejus, tam de æquitate quam de Juſtitia ejus teſtantur. Hic ſenſus pericopæ; quem quiſque facili opera applicet ad Eccleſiam Maccabaicam. Geſta res eſt ita ut hic legitur: eodem ordine in iis effectum eſt & proceſſit opus Divinæ Gratiæ. Deus in dira illa calamitate & afflictione ſpem fidemque piorum qui *ſemen Eccleſiæ* faciebant mirifice ſuſtinuit & excitavit, ut qui in ſe debiles, omni præſidio & auxilio humano deſtituti, confeſtim ruituri, atque interituri omnes videbantur, & iiſcum interitura Eccleſia: hos tamen gratia ſua potenter confirmaverit, iiſque inſpiraverit animum heroicum ac leoninum, quo tanquam Heröes inſidentes equis probe inſtructis & *calcantes lutum platearum*, & quæ phraſis eſt Libri Maccabaici, ἔνψυχοι τῇ καρδίᾳ *generoſo & alacri animo præditi*, ſe fortiter opponerent graviſſimis adverſitatibus, eaſque ſuperarent, ut factum. Hiſtoria nota eſſe ſupponitur, & in *ſuperioribus* [c] ſæpe à nobis eſt producta.

Altera Conſolationis Ratio petita eſt à *certa* de *hoſtibus* victoria, eorumque interitu plenario, quæ comprehenditur ℣ſ. 11. 12. 13. Eſt ea ſecundum hypotheſin intellectu facillima, quare paucis animadverſis hic defungi licuerit. *Ecce*, verba ſunt Prophetæ, *pudefient ac pudore ſuffundentur* כל הנחרים בך *omnes qui* IN TE EXARSERUNT. Hic articulus obſervandus eſt. Propheta loquitur de duabus in una Eccleſia vel Republica factionibus, potentiore una, debiliore altera, quarum potentior inferiorem ac debiliorem ex *ira* & *odio* conaretur pervertere. Odio autem & iræ quæ duæ partes in ſe animantur, materiam potiſſimum præbet diſſenſio de Religione. Nullum odium inter concives ipſos & contribules acrius; nulla ſimultas acerbior; nulla ira ardentius flagrat. Intelliguntur itaque *Peccatores & profani* in Populo Dei, qui Syris juncti, patriæ Religionis piis confeſſoribus, idololatriam Græcam ac Syriacam conabantur obtrudere; & cum id non impetrarent, eos infeſto odio & ardente ira perſequebantur; qui proinde recte ὑπενάντιοι, ἀντίδικοι, dicuntur. Sic Poëta ſacer, ſimilem Eccleſiæ Statum caſumque deſcribens, ſub figura Sponſæ [d]: *Filii matris meæ in me exarſerunt.* Scriptori Maccabaico ſunt [e] μισοῦντες καὶ ἐχθραίνοντες τῷ Ἰσραήλ· *odio habentes & inimico animo affecti erga Iſraëlem.* Mox appellantur אנשי ריב *Viri qui litem cum* Eccleſia *exercent*, & ℣ſ. 12. אנשי מצורת *Viri contentionis*; qui iidem porro dicuntur, אנשי מלחמתך *Viri hoſtiles qui Eccleſiam oppugnant*; quippe eam in rem magnis ſuccincti erant *viribus*, quæ Eccleſiæ metum faciebant; quibuſque abſque auxilio Divino certo ſuccumberet, quales proponuntur, ℣ſ. 13. Qui characteres vere & proprie conveniunt Statui Eccleſiæ Maccabaicæ. Fateor, convenire quoque Eccleſiæ Apoſtolicæ, ſuſtinenti odia, invidiam, & perſequutiones Judæorum incredulorum & carnalium. Sed cum Romani illo tempore rerum potirentur, qui minime favebant ſanguinolentis conſiliis horum adulterinorum membrorum Eccleſiæ: non fuerunt tam formidabiles adverſarii Eccleſiæ Chriſtianæ, quam profani Proceres & Sacerdotes, qui à Syris ſuſtinebantur, ſuo tempore erant piis illis veræ Religionis confeſſoribus qui ſe neceſſe habebant in *ſpeluncis & deſertis locis* occultare, & ſua deſerere, ut vim adverſariorum ſuorum effugerent. Addo, quæ Propheta de *interitu* horum Eccleſiæ adverſariorum ad Conſolationem Eccleſiæ afflictæ adſcribit: in hoc ipſo *Subjecto* perfecte ad omnes lineas impleta eſſe. Ait futurum eſſe, primo ut iſi Pſeudonymi fratres, adverſus popellum reſiduum Populi Dei incenſi, *pudefiant & ſuffundantur pudore:* quod factum ubi Heröes ex hoc afflicto & diſperſo Grege exortos viderunt de Syris in congreſſu reportare victoriam, & Templum cujus Sacra per triennium intermiſſa fuerant, repurgare ab idolis & inquinamentis; deſolata ejus & corrupta inſtaurare; Religionem Patriam exercitio & decori ſuo reſtituere; Rempublicam de novo conſtituere & ordinare; & quæ plura hujus generis hiſtoria demonſtrat: deinde ut iidem hi Eccleſiæ adverſarii, ἀντίδικοι, *nulli fiant & pereant*; (℣ſ. 12. in fine,) ita ut *quæſiti non inveniantur*, tanquam *plane in nihilum redacti.* Sic factum illo tempore. Semen τῶν ἀσεβῶν *impiorum & profanorum* qui ſe adverſus Eccleſiam afflictam extulerant, plane intercidit. Omne hoc profanum genus, defectorum à Religione Patria ſive Maccabæorum armis ſive Judiciis Divinis, deſtructum abolitumque eſt; ut inſtaurata Republica & Eccleſia nulli hujus generis homines ſuperſuerint & inventi ſint. quod minus complete dici poteſt de Judæis qui ſe oppoſuerunt naſcenti Eccleſiæ Apoſtolicæ. Illi enim, everſa licet Republica & Templo in cineres redacto, non deſierunt per Provincias Romani Imperii Chriſtianos ſuis calumniis perſequi, eoſque apud Magiſtratus Paganos deferre, & ſi in poteſtatem ſuam venirent, illos diris ſuppliciis excruciare; & Gentilibus Chriſtianos perſequentibus applaudere, & ad eos perſequendos ipſos incendere. quæ Judæorum perſequutio longum duravit. Videbis de eo, ſi placet, in cæteris Juſtinum Martyrem [f], & Euſebium [g]. Sed in profanis & impiis Patriæ Religionis Deſertoribus & Fratrum ſuorum Perſecutoribus nihil hic quod ad implementum perfectum deſideres. Ne jam quicquam addam de enervato & tandem deſtructo penitus Perſecutorum ſuorum Syrorum Regno, de quo ad ſuperiora vaticinia frequens egi. Subjicit rurſus Propheta huic conſolationis parti fundamentum, quo ejus implementum unice niteretur. Dici enim & cogitari poterat, unde Populo afflicto & ad extrema redacto illæ vires, illa copia auxilii, quo eluctaretur afflictionem, & de adverſariis diverſæ factionis longe potentioribus, iiſdemque armatis auxilio magnorum Exercituum reportaret victoriam? Succurrit Deus ſcrupulo & repetit atque explicat quod ſupra propoſuerat, ℣ſ. 13. *Quia* EGO *Jehova Deus tuus*, ex fœdere, *prehendo dexteram tuam*, ut te educam ex diſcrimine: *qui tibi dicit, Ne timeas, quia Ego adjuvo te.* Docuit Eventus. Eccleſia afflicta hujus temporis à nemine auxilium exſpectavit quam à Deo, quod pulchre declaratur Pſ. CXXI. 1. 2. à nemine quàm à Deo impetravit. de quo in ſuperioribus ſæpe memini.

Gradatio rationis in hoc loco.

Quid hic ſit *dextera Juſtitiæ?*

Implementum prophetæ ex hiſtoria.

Altera Conſolationis Ratio ex promiſſo de *certa victoria* ab hoſtibus reportanda.

Articulus Primus de Eccleſia Maccabaica.

Verba Prophetæ: *Pudefient qui in te exarſerunt.*

Vis vocis *exardeſcere* in h. l.

Referenda eſt ad diverſas in Populo factiones, quarum *ſuperior* inferiorem ſtuderet opprimere.

Res ipſa illuſtratur ex Statu Eccleſiæ Maccabaicæ.

Quare hic potius reſpicienda ſit Eccleſia Maccabaica, quam Apoſtolica?

Quæ Propheta hic adſcribit de *interitu* hoſtium, favent hypotheſi.

Verba Prophetiæ ex hiſtoria illuſtrantur.

Character ille minus convenit Eccleſiæ Apoſtolicæ & Chriſtianæ primi temporis.

Judæi poſt deſtructam Hieroſolymam non deſierunt Chriſtianos perſequi.

Cauſſa Liberationis *Auxilium Dei.* Repetitur ex contextu.

[a] Pſ. CXVIII. 7. [b] Pſ. XLVIII. 11. [c] Ad Cap. XXIV. XXV. &c. [d] Cant. I. 6. [e] 1 Macc. VII. 26. [f] Apol. II. p. m. 72. & *Dialogo* adverſus *Typhon.* p. 234. [g] *Hiſt. Eccleſ.* Lib. IV. Cap. XV. Edit. Val. p. 133.

Articulus alter: *Consolatio Ecclesiæ Christianæ Apostolicæ, à Judæis fratribus suis persecutione pressæ.*

Articulus alter: *Consolatio Ecclesiæ Apostolicæ*, persecutione à Fratribus pressæ.

℣. 14. *Ne timeto*, VERMICULE JACOB, POPELLE ISRAEL! *Ego auxilior tibi, ait Jehova; & Redemptor tuus est Sanctus Israëlis.* ℣. 15. *Ecce pono te in tribulam acuminatam novam; instructam* DENTIBUS ACUTIS; *triturabis* MONTES *& comminues; & colles efficies tanquam glumam.* ℣. 16. *Ventilabis eos, & ventus eos auferet: & procella eos disperget: sed tu exultabis in Jehova: Sancto Israëlis gloriaberis.*] Nova est Exhortatio consolatoria, quam refero ad *Objectum* sive *Subjectum* affine, nec tamen idem, h. e. ad Populum Christi Jesu, tenerum, afflictum, contemptum, qualis fuit in primo suo ortu, in primis initiis fundati Regni Christi Jesu inter Judæos. Ipsa Orationis Prophetæ dispositio nos eò ducit. Incipit enim novo titulo, & novum Populo Afflicto promittit Beneficium. Sic pariter recte statuo, ℣. 17. novo rursus orationis exordio; variare subjectum. Sed est variatio exigua. Transit Propheta ab Ecclesia afflicta Maccabaica ad Apostolicam; inter quas ideas tam arctus intercedit nexus & conjunctio, ut sæpe quod de Maccabæis κατὰ γράμμα dicitur, de Apostolis & Evangelistis κατὰ πνεῦμα intelligendum sit; quod in superioribus sæpius monui. Quæris, cur hic non inhæream eidem Subjecto? cur mutem personam? Respondeo, esse duo quæ me ad id invitent. α. Amplitudinem prædicati quod afflicto huic Cœtui Popelli Dei vindicatur. *Montes triturare & colles comminuere*, magnum nimis est quam ut de Maccabæis dicatur, etsi vere ad eorum heroica facinora hic quoque alludatur. Sed quod sæpe faciunt Prophetæ & Propheta noster: à contemplatione paradoxorum Effectuum quos Deus per Maccabæos ederet, rapitur sive transfertur ad contemplationem *Subjecti* similis & *analogi*, h. e. Popelli Christi à contribulibus suis contempti & afflicti in initiis Evangelii, per quem Deus multa admirabiliora & παραδοξότερα efficeret. β. Dominum in Oratione ad Discipulos suos, qua animum eorum erigit, eosque ad persecutiones & afflictiones causa Evangelii patienter ferendas exhortatur, videri ad hunc locum alludere, Luc. XII. 32. Ne jam dicam, Beneficium quod hic promittitur Ecclesiæ, secundum analogiam prophetiarum in Ecclesiam Apostolicam competere; licet aliis phrasibus expositum. Complectitur Pericopa hæc nostra, α. Appellationem Ecclesiæ afflictæ statui ejus congruentem cum Exhortatione ad fiduciam, ℣. 14. β. Illius Exhortationis Rationem, petitam tum à præsenti auxilio Dei, tanquam Redemptoris Ecclesiæ, ℣. 14. *med.* tum à lucnlento aliquo Effectu illius Divini auxilii qui superaret omnium mortalium exspectationem. ℣. 15. 16.

Summa hujus Pericopæ.

Transfertur Oratio Dei ad Ecclesiam Apostolicam.

Rationes hypotheseos, quæ hic statuit transiri ad *Ecclesiam Apostolicam.*

Verba ℣. 14. *Ne time Vermicule Jacob! &c.*

℣. 14. *Ne time Vermicule Jacob, Popelle Israël.*] Sic verti cum aliis ex mente Prophetæ cujus orationi *diminutivum* loquendi genus optime convenit. Cætera vertere licet, *Vermis Jacob*, & *homines Israëlis.* Id enim proprie sonant verba מתי ישראל. Vox מתים Hebræis de *hominibus* sumitur, & credi posset esse formata notio ac significatio ex voce מות *mori*, ut מתים eodem sensu dicantur quo Latinis *mortales*, & Græcis, θνητοί, sive plene ἄνθρωποι θνητοί. Sed interceserunt Masorethæ qui vocem non punctarunt מֵתִים, tanquam esset ex מות, sed מְתִים: etsi interea alia radix nobis non patescat. Id fraudi fuit Hieronymo, qui מתים non semel vertit per *mortuos*, ut quoque hoc in loco: *Noli timere vermis Jacob, qui mortui estis ex Israël.* Quid? Aq. quoque & Theodotio, alter per τεθνεῶτες, alter per νεκροί, verterunt. Quod quam absurde fiat, quisque facile perspicit. Qui hoc loco compellantur, soli vivi in Populo supererant. Quin post punctaturam Masorethicam fuerunt ex doctis recentioris temporis, qui voces מֵתִים *mortui*, (cum *Tsêri* per naturam suam immutabili,) & מְתִים confuderunt, & hanc quoque nostram alibi verterunt, *mortuos:* non exiguo errore, nisi forte aliis persuasum velint, se punctaturam Masorethicam tanti non facere. Sed est sane, si seposita Lege Masorethica rem in se inspiciant, inter *mortuum* & *mortalem* magna differentia. Rectius itaque & probabilius quis dixerit, notionem מתים vere ductam ex מות *mori*, vertendam per *mortales*; esse autem signatam *Schevate*, ut hoc ipso à מתים *mortui*, signata *Tseri*, distingueretur. Et videtur tamen voci in quibusdam casibus adesse emphasis major, ut notet homines electos, insignioris notæ, veluti apud Prophetam nostrum in superioribus Cap. III. 25. quam significationem etiam hic locus non respuit, cum illi qui hic loci dicuntur *vermis Jacob*, vere essent *electi* ex Israële; eximii in cæteris; quippe in quibus solis reliquiæ Populi Dei conservabantur. Et vere in eo possemus acquiescere, nisi rem propius contemplanti videatur subesse ellipsis huic phrasi, ut מתי ישראל hic scriptum sit pro מתי מספר ישראל *homines exigui numeri ex Israële*, sive *Israël qui facis homines exigui numeri.* Sic apud Hebræos recepta est usu phrasis, מתי מספר *homines numeri*, variis in locis. Vates Sacer de Patriarchis peregrinantibus in Canaanæa [a]: *Cum essent* מתי מספר HOMINES NUMERI; *pauci, & per eam peregrinarentur.* Nec aliter accipio locum difficilem qui est in Benedictione Mosaica [b]: *Vivat Ruben, & ne moriatur, ut homines ejus numerum faciant.* h. e. ne redigatur tribus ad exiguum hominum numerum. Ergo hic sensus, *Tu vermis, Jacob; tu Israël ad exiguum hominum numerum redacte: ne timeto.* Cui Subjecto nomen rectius applices quam Ecclesiæ piorum exspectantium consolationem Israëlis, à Christo Jesu collectæ, cui præstari debebant ingentia promissa, Patribus facta? ad quam Dominus; ad nostra hæc, ut putem, alludens [c]: *Ne metue, τὸ μικρὸν ποίμνιον,* PARVE GREX, *nam libuit Patri vestro vobis dare* REGNUM. Hic Popellus electorum, Christo Jesu adhærentium, vocem ejus ut veri Pastoris agnoscentium, exiguo constans numero in primis initiis suis, dicuntur מתי ישראל *pauculi Israëlis*, electi κατ' ἐκλογὴν χάριτος. Imo etiam *vermis* & *vermiculus.* α. Quod humili essent conditione vitæ, non multi potentes, divites, sapientes. Jacobus [d]: PAUPERES HUJUS MUNDI *elegit Deus, divites fide.* β. A cæteris contempti & fastiditi. Id præcipuum est quod respicitur in metaphora ut hic usurpatur, ut liquet ex Ps. XXII. 7. *Et Ego* VERMIS, *&* NON VIR; *opprobrium hominum & contemptus populi.* Dicitur de Domino; sed veraret quoque in membris ejus, primo præsertim Ecclesiæ nascentis tempore. Confer ex Vate nostro Cap. XLIX. 7. *Sic dicit Jehova, Redemptor Israëlis, Sanctus ejus, ei qui est Contemptus animæ; quem Gens abominatur.* Dictum hoc & luculentum promissum subsequens, quod in hac prophetia consignatur, pertinet ad Christum Jesum ut caput Corporis sui mystici. *Verme* autem & *vermiculo* quid inter insecta omnia contemptius? γ. Corpus hoc piorum venit nomine *vermis*, quod de se modeste atque humiliter sentiret: sua non jactaret merita neque iis fideret; imo vero ea penitus abnegaret, & se coram Deo tantum humiliaret quantum maxime posset. Id proprium est *vermis.* non potest esse humiliore conditione quam est. Qui idem est character sanctorum. Sunt sensu animi עניים *egeni*, *humiles*, *ταπεινοὶ τῇ καρδίᾳ. animus* illorum non est *altus*; *cor* non *elevatum.* nihil pulchrius, nihil se dignius habent, quam coram Majestate Divina se ad summum abjicere; coram pedibus ejus obrepere; contemplatione Majestatis ejus & indignitatis suæ nihil sibi tribuere, omnia ejus gratiæ; & quæ his similia. δ. Qui hic describuntur nomine *vermis*, cum abjecta essent & humili conditione vitæ & ab aliis contempti: tum vero subjecti essent *potestati* hostium suorum, quod ipsum quoque est inter attributa vermium. *Vermis* enim pedibus aliorum subjectus, omni injuriæ expositus est. qui

Emphasis vocis מתים *homines* in h. l.

An vox sit ex מות *mori*?

Versio Hieronymi paradoxa.

In eam ἐπίπληξις.

Emphasis hujus vocis in aliquibus locis.

Videtur phrasi hîc subesse ellipsis, ut מתי fiat מתי מספר *Pauci numero.*

Loca analoga.

Epitheta applicantur ad Ecclesiam Apostolicam.

Loca Luc. XII. 32. Jac. II. 5.

Quænam significatio hic subsit vocibus *vermis* vel *vermiculus.*

Variæ meditationes huc allatæ ex variis *vermium* tributis.

a Ps. CV. 12. b Deut. XXXIII. 6. c Luc. XII. 32. d Cap. II. 5.

qui ſtatus fuit primorum Credentium in Chriſtum Jeſum. Plura attributa hic non ſector: cavendum enim in metaphoricis maxime eſt, ne in aliena incidamus, à quibus ſibi Interpretes rerum Divinarum omnes minime in hoc argumento caverunt, ut docuit Cl. Bochartus, qui metaphoras à *vermibus* ſumptas non reliquit intactas; quique idem obſervavit, genus hoc loquendi, quo abjectæ conditionis aut animi homines cum *vermibus* comparantur, non plane eſſe extra uſum Exoticum. *a*

Ego auxilior tibi, ait Jehova; & Redemptor tuus eſt Sanctus Iſraëlis.] Id unum verbum ſufficit animo meticuloſo, ſtatui rerum ſuarum diffidenti, erigendo & confirmando. Si Deus ſua potentia & providentia Jacobum *vermem* & *Popellum* ſuſtineat, defendat, adjuvet: *non timebit myriadas hoſtium b*: quin dextera ejus adjutus diſcriminibus omnibus ſuperior evadet, & victor recedet. Tu vero hæc verba legens ſubaudi dictum Domini ad ſuos; cum huic Mundo valediceret *c*: EGO VOBISCUM SUM *per omne tempus uſque ad conſummationem ſæculi.* Cura & providentia Chriſti Jeſu erga Eccleſiam ſuam nullo loco aut tempore circumſcribitur: nulli caſus aut ſtatus Populi ſui ipſum fugiunt. Eſt ad dexteram Eccleſiæ, etiam tum quando graviſſime laborat. quæ cura, quod auxilium Dei in nullo Eccleſiæ ſtatu magis conſpiciendum fuit quam in Eccleſia Apoſtolica, quæ videbatur mox obruenda à Judæis & Gentibus adverſus eam inſurgentibus, ſed quorum *minas* Deus *inutiles reddidit d*. Ejus fuit dicere, quod à Viro Apoſtolico ei aptatur dictum *e*: *Dominus mihi eſt* AUXILIATOR, *nec metuam quid mihi faciat homo.* Apoſtolus infinita diſcrimina eluctatus ut ex ejus hiſtoria liquet, de ſe ad Regem Agrippam *f*: Ἐπικουρίας οὖν τυχὼν τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ, ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης ἕστηκα· *Auxilium à Deo nactus, uſque ad hunc diem ſubſiſto.* quam providentiam & curam & auxilii præſentiam, ut propria hic voce utar, Dominus Jeſus ſuis late condixerat *g*. Sed hæc trita ſunt, à nemine ignorata, & ex ſequente contextu clarius intelligentur. Tantum hic obſervanda emphaſis, qua promiſſum *auxilii Dei* hic repetitum in hoc loco augetur. Refertur illud ad GOELEM, SANCTUM ISRAELIS. Non auſim dicere, apud Prophetam noſtrum ubique hoc epitheton tribui *Filio Dei*; nec eſt neceſſe in hoc loco & caſu reſpectum ejus reſtringere: ſed id dicere impune licet, ubi *Deus* Iſraëlis appellatur גואל GOEL, id ſemper fieri cum reſpectu ad arcanum illud Eſſentiæ Divinæ, quod idem recte appello magnum arcanum Fidei; eſſe nimirum in Deo & apud Deum Perſonam quandam cui commiſſæ ſunt *vindiciæ* Populi à Deo electi, quæque illas vindicias præſtet ſecundum *Leges* & *Ritum* illorum *Redemptorum* qui *Goëles* dicebantur ſub Oeconomia Vetere; h. e. ut ipſe *dives* oblato pretio Deo Patri ut Judici, cujus Juſtitiæ humanum genus ad æternam ſervitutem & miſeriam obnoxium eſt, electos fratres ſuos jure proximitatis ſive conſanguineitatis vindicet è poteſtate Juſtitiæ Divinæ in libertatem *h*; vel, (ſecundum alium reſpectum Goëlis,) *ſanguinem* conſanguineorum ſuorum occiſorum, à Satana qui eos interemerat, cum vindicta repetat *i*: nec fuit hæc doctrina ignota Sanctis antiqui temporis, apud quos expreſſiſſima mentio eſt ANGELI גואל ASSERTORIS, *Vindicis*, Liberatoris *k*, qui Jobo *l* κυρίως גואל *Vindex*, *Aſſertor*. Equidem ſub Oeconomia Vetere hactenus *Angelus* ille *Aſſertor* & *Vindex*, non fuerat functus omni officio GOELIS cui deſtinatus erat: veruntamen jam tum præludebat huic officio in omnibus Liberationibus & Vindiciis quas Populo Dei in calamitatibus præſtabat, ut Eccleſia jam tum illum reſpiceret ut *Goëlem* ſuum *typicum* qui officium hoc ſuum perfecte impleret ex voluntate Patris in fine ſæculorum. Verum etſi hoc nomen proprie competat *Filio*; Angelo Goëli: quando tamen Pater hunc Liberatorem deſtinavit Eccleſiæ, & in hoc Salvatore & Liberatore Eccleſiam ipſe ſuam ſalvat, liberat, vindicat; ad ipſum quoque hoc nomen, ut uſu venit, transfertur. Certe Propheta noſter vere Evangelicus, qui hoc loco Nomen *Goëlis* Deo Iſraëlis primo tribuit, (niſi quod *Redemptorum Jehovæ* jam mentionem fecerit Cap. xxxv. 9.) idem in ſequentibus Concionibus frequens repetit *m*. Simile feres judicium de titulo *Sancti Iſraëlis*, de quo in ſuperioribus *n* monui. Hoc vero in loco noſtro, ex hypotheſi à nobis locata ſententia Prophetæ reſpectu utriuſque hujus Nominis ſive Attributi Divini obtinere poteſt omnem ſuam emphaſin. Cum enim jam ſupponatur in hiſce verbis etiam noſtris *Filius* Dei Eccleſiæ ſe manifeſtum feciſſe in omni vi & poteſtate nominis *Goëlis*: conſequens ejus eſſet, ut ſe tanquam talem Eccleſiæ præſtaret in *auxilio* quod Popello ſuo redempto præberet; & quidem in exequendis magnis illis Operibus quæ per hoſce afflictos, oppreſſos, contemptibiles Mundo, conſtituerat efficere. quæ qualia ſint ex ſequentibus liquet.

Et tamen hoc nomen *Patri* quoque tribuitur cum reſpectu ad *Filium*.

℣. 15. *Ecce pono te in tribulam acuminatam, novam, dentibus inſtructam acutis.*] Magna cogitabat Deus per hunc Popellum ſuum afflictum & contemptum efficere, quæ omnium exſpectationem longe ſuperarent. Certe promiſſum, ut hic occurrit, magnum eſt & paradoxum. Non ſtaret tantum hic Populus afflictus & contemptus contra adverſarios & oſores ſuos, viribus Mundi ſuccinctos; nec tantum ſuſtineret eorum impetum: verum ope Divinæ Gratiæ adjutus occuparet hæreditatem Mundi, Genteſque & Populos magnos & validos Regi & Domino ſuo ſubjiceret, & *ſecundum eam partem & reſpectum*, ſecundum quem hoſtes & adverſarii erant Regni Dei, eos plane contereret, & nullos faceret. Hæc ſententia eſt emblematis, hic deſumpti à tribula ſerrata, acutis dentibus inſtructa, quales tribulæ apud Veteres ad trituram conficiendam adhibebantur. Ut autem Prophetæ proprium eſt nihil niſi ἐμφατικὸν efferre, & emblemata pingere perfecta: (de quo ſæpe monui:) ſic inſtituit in hoc loco. Nihil hic niſi electum & ἐνεργές. Utique neceſſum fuerit vim dictionum prius perſequi & intelligere quam ſenſui emblematis inveſtigando operam dem. Ait Propheta, *Pono te in traham* ſive *plauſtrum acutum novum.* Sic conjungenda ſunt verba, ut חרוץ HHARUUTS, *acuminatum*, ſit *adjunctum* ſive *adjectivum* quod dicitur, vocis מורג per quam hic *traham* aut *tribulam*, *plauſtrum*, intelligi, non eſt dubium. Sic Maſorethæ punctatura ſua nos docuerunt. Hieron. docte: *Ecce ego poſui te in plauſtrum triturans novum.* Sed Coccejus noſter: *Ecce poſui te in tribulam, raſtrum novum.* veluti חרוץ hic per modum *ſubjecti*, non *adjecti*, ſumeretur, haud dubie quia Vates noſter in ſuperioribus voce ſola חרוץ *Hharuuts* uſus erat pro *tribula*, non adjecta voce מורג *traha*, Cap. XXVIII. 27. Exigui hactenus momenti eſt differentia; & tamen quod nos elegimus, multo hic eſt ſimplicius. Ubi חרוץ ſola uſurpatur pro *tribula*, habenda eſt pro locutione elliptica, ut integrum nomen ſit quod Propheta hic exhibet, *Plauſtrum acutum, acuminatum.* Eam enim hic puto eſſe vim vocis חרוץ. *Plauſtrum* quale Vates noſter in oculis habet, eſt quid *inciſum*, *præciſum*, *acutum*, reſpectu habito ad *rotas* ejus ſerrantes, ſive dentatas, per quas *tritura* abſolvebatur; quod non obſcure colligitur ex loco illo Prophetæ parallelo, modo allegato *o*, ubi חרוץ & אופן עגלה *rota plauſtri* alternantur. Ego vero ad ipſum hunc locum de *tribulis* hiſce ſive *plauſtris ſerratis* ubertim commentatus ſum, ſecundum ductum Varronis; neque ibidem neglexi Cl. Bocharti & Eruditorum ad ea obſervata. Et tamen verſatur mihi hoc tempore ob oculos Doctus & accu-

℣. 15. *Ecce pono te in tribulam acuminatam, &c.*

Vis & magnitudo promiſſi Divini in h. l. ſita.

Metaphora hic deſumpta eſt à *tribula dentata*, cum qua Populus Dei hoſtes conteriturus comparatur.

Oratio Prophetæ commendatur.

Animadverſio ad eam.

Phraſis *plauſtrum acutum novum.*

Quæ lectio & verſio defenditur.

Loca Cap. XXVIII. 27.

Vis vocis חרוץ h. l.

Applicatur ad *plauſtra trituræ.*

Quæ deſcribuntur

a *Hieron.* Part. II. Lib. IV. Cap. XXVIII. *b* Pſ. III. 7. *c* Matth. XXVIII. 20. *d* Act. IV. 29. *e* Heb. XIII. 6. *f* Act. XXVI. 22. *g* Matth. X. 28. ſeqq. *h* Lev. XXV. 24. 25. *i* Num. XXXV. 25. ſeqq. *k* Gen. XLVIII. 16. Jeſ. LXIII. 9. *l* Cap. XIX. 25. *m* Cap. XLIII. 1. 14. L. 20. LX. 16. &c. *n* Cap. X. 17. XXIX. 23. *o* Cap. XXVIII. 27.

ex traditione experti Itineratoris.

accuratus Itinerator qui *plaustra* hæc sive *tribulas*, *triturum* exercentes, earumque administrandarum modum, plane describit, cujus verba infra exhibeo. ex quo typo quicquid est in hoc loco Prophetæ facili negotio intelligitur *A*. Sunt itaque trahæ sive plaustra rotata super *rotis dentatis*, atque inde recte, מורג חדוץ *Traha acuminata*, præcisa. Emphasin duo augent, *α*. Quod Plostellum hoc esset חדש *novum*, atque adeo ad exercendam *triturum* utilissimum & aptissimum. *β*. Idemque præditum esset פיפיות *aciebus* limatissimis, acutissimis, iisque multis. Hanc enim subesse voci genuinam significationem, supra jam monui *a*. פיות notant Hebræis *extremas* gladii sive instrumenti cæsorii *oras*. Poterat itaque dicere, *tribula acuminata nova quæ habet* פיות ACIES: h. e. cujus ferræ & dentes ferrei egregie acuti sunt. Sed scripsit voce insolente geminata significationis vi, פיפיות quod resolvitur in פיות. Cl. Bochartus hoc argumentum tractans, vertit, *incisum variis incisuris*. quod non directe respondet voci פיפיות, licet sensus non discedat à mente Prophetæ. Hieron. *Habens rostra serrantia*. probe & ad rem dictum. Per פיות intellexit eminentias illas acutas & serratas, in quas *orbes ferrei*, rotas circumdantes, secti sunt. Græcus ei præiverat qui hic optime: Ἰδὲ ἐποίησά σε ὡς τροχὸς ἁμάξης ἀλοῶντας καινὸς πριγροειδεῖς· (M. A. πριστοειδεῖς, quod præferendum.) *Ecce feci te quasi rotas plaustri triturantes novas, in serrarum modum*. Inde cum plaustrum *novum*, idque acuminatis rotis præditum esset: gravis ille effectus quem Propheta commemorat. Trituraret enim & subigeret hæc traha non sane demessam segetem & paleas; sed montes colles que, eosque ita contereret & comminueret, ut pulvis eorum instar paleæ ventilabro excussus & in altum conjectus à vento (*Zephyro* dixit Poëta,) dispergeretur: quæ in emblemate facilia intellectu. Propheta enim ejus lineas hic non egreditur. Res ipsa contemplanda est, videndumque, quorsum tendat.

Emphasis metaphoræ, quod *Plostellum* hoc non tantum esset *acutum*, sed & *novum*.

Et *instrumentum* multis dentibus acutissimis.

Vis vocis פיפיות h. l.

Cl. Bochartı, & aliorum versiones.

Effectus trituræ hujus *Plaustri*.

Tenuissimus sensus qui emblemati subest, in hanc exit sententiam; Deum providentia auxilioque suo Ecclesiæ tam potenter affuturum esse, ut hostes atque adversarios suos, interque eos Viros magnos, illustres, principes, *montium* instar & *collium eminentes*, sibi subjiceret, eosque plane contereret & nullos faceret. Sic plures Intt. in quibus Piscator & Belgæ. Mariana: *Per Colles & Montes Principes intellige*. Sensus ejusmodi est ut refutari non possit, nec debeat etiam, quia complexu sententiæ Vatis nostri continetur. Omnis *eminentia* stylo Scripturæ S. venire potest nomine *montis* & *collis*. Et tamen peritiores Verbi Prophetici hic cogitabunt de *Regnis* & *Rebuspublicis Gentium*, sive de Populis integris, magnis, claris, se in Orbe glorioso ostentantibus. Brentius: *Montes & Colles sunt magna & mediocria Imperia atque Regna hujus Mundi*. de quo sæpius scripsi *c*. sed res est notissima & tritissimæ meditationis: quare prætermissa comparatione, quæ inter hæc subjecta institui potest, hypothesin ut demonstratam accipiam. Sensus itaque emblematis est, à plerisque agnitus, venturum esse tempus, quo Ecclesia oppressa, afflicta, Regna, Respublicas, Populos, eosque claros & potentes sibi sit subjectura, eosque Populos & Regna destructura, & contritura.

Quid hoc emblema significet?

Sensus ejus tenuissimus.

Per *Montes* & *Colles* hic intelligi Principes in Mundo eminentes.

Rectius hic cogitatur de *Regnis* & *Imperiis*.

Integer & perfectus Sensus Emblematis metaphorici.

Huc tendit oratio. Quæritur, quorsum referenda sit? in quo tempore, subjecto, casu, prophetiæ sit quærendum implementum? Respondeo, Si ad fata Ecclesiæ Judææ post tempora Jesaiæ nostri respicias: implementum prophetiæ proprium, directum, literale, liquido demonstrari non posse, nisi *in umbra aliqua* temporibus Maccabaicis. Ante illa tempora Populus Dei passim fuit statu afflicto, ut notum. Ægre se sustinuit ante Exilium Babylonicum; & post Reditum ex Exilio usque ad instauratam sub Maccabæis Rempublicam. Illo vero tempore Idumæi, Philistæi, Moabitæ, Arabes, Damasceni, ab hoc ipso Popello Chasidæorum Redempto gravissimis cladibus afflicti, contriti, & ipsis subjecti fuerunt. Inprimis editum tunc est specimen Judicii Divini tremendi in Syris, de quo sæpius egi. Pertinet illuc in umbra quod Vates noster scripserat eadem phrasi, Cap. XXV. 10. *Et Moab in loco suo* TRITURABITUR. Sed Michæ hic est clarissimum & omni exceptione dictum majus, in hæc verba *d*: *Surge, &* TRITURA, FILIA TSION. *Nam cornu tuum faciam ferreum, & ungulas tuas faciam æneas; & comminues populos multos; & devovebo Jehovæ quæstum ipsorum, & opulentiam illorum Domino totius terræ*. Agit autem Michas de Reducibus ex Babylone, ut patet ex his quæ præcesserunt, ℣. 10. 11. *Et pervenies usque in Babyloniam*. IBI *eripieris, ibi asseret te Jehova è manu inimicorum tuorum*. Confer Joël, III. 14. ubi altius quid respicitur, & tamen ad Maccabaica alluditur. Quidni vero idem etiam hoc in loco nostro non subintelligimus? Cum enim demonstraverim, in proxime præcedentibus orationem verti ad Ecclesiam afflictam Maccabaicam: cur luculentum hoc promissum ad eam non referimus, in qua illud implendum fuit & impletum est? Populus Hasidæorum, vermis Jacob, popellus Israël, vere præstitit quod hic dicitur, *tribulam novam bene dentatam*, acutam, hostesque suos quasi in aream cumulatos per vices & articulos, pro modo exercitæ trituræ antiqui temporis, comminuit ac contrivit. Ita est, & contra animi conscientiam facerem, si oculos mei lectoris ab hoc Eventu prorsus abducerem. Veruntamen teneo & certo persuasus sum, Prophetas in imagine corporali Maccabæorum sæpe depingere imaginem *Heroum spiritualium*, Apostolorum & Evangelistarum primi temporis, & ab unius aspectu facile transire ad contemplationem alterius, ut quod in prioribus defecerat, in posterioribus complementum suum acciperet, quemadmodum sæpius in superioribus monui. Res certissima haberi debet ex Zacharia & ex Vate nostro in Concionibus superioribus; idemque in sequentibus recurret: ne nunc de aliis Prophetis dicam. Absque hac clave penetralia hujus Libri non aperientur. Fundamentum ejus rei quærendum est in similitudine attributorum utriusque subjecti, *corporalis* & *spiritualis*. Cur autem heic loci magis cogitem de Ecclesia *Apostolica* quam de *Maccabaica*; hæ sunt rationes, *α*. Quia quod hic de Ecclesia prædicatur, non nisi tenuem & umbratilem sensum obtinet in Ecclesia Maccabaica, sed plenum, perfectum, verissimum in Apostolica, cujus character πρωτικὸς hic consignatur. De Maccabæis non nisi absque hyperbole dici potest, illos

Quorsum referenda prophetia

Ante tempora Maccabaica nullejus impmentum monstrat poteſt: hoc tempobtinuit plementumbratil

Locus Mich. 13

Verius cogitatu Ecclesia postolica qua hæc phetia tius con quuta es plement

Macca & *Apost* Ecclesiæ nitas.

Imagin *corporali spirituali* compara

Ration hus sent tiæ quæ Pericop applicat Ecclesia Apostoli cam.

Imple

a Ad locum Cap. XXVIII. 27. *b* Part. I. Lib. II. Cap. XXXII. *c* Confer Cap. II. 2. 14. XLII. 15. Zach. IV. 7. Dan. II. 35. Apoc. VIII. 8. *d* Mich. IV. 13.

A Thevenotium designo, cujus hæc sunt verba in *Hist. Itin. per Orient.* Lib. I. Cap. V. *Damasci & fere per omnem regionem ditionis Turcicæ messa seges non excutitur flagellis: sed postquam seges demessa est cumulatim acervatur in area, de quo cumulo tantum demitur & circumquaque eum cumulum disponitur ambitu quinque pedum, ut assurgat ad binos pedes.* (quæ scilicet materia est trituranda.) *Adest jam species aliqua trahæ* sive *plaustri compositi ex assibus quatuor figuræ quadratæ, quorum duo præstant usum axium duabus crassis rotulis, quarum extrema hos asses ingrediuntur, ita ut facillime in iis volvantur. Circumcirca autem has rotulas sunt tres orbes ferrei, crassi dimidium pedem, diametri unius pedis, qui omnes instar serrarum dentati sunt. Est jam sedes posita super duos præcipuos plaustri asses, cui insidet aliquis, equos gubernans, hanc tribulam trahentes, actos in gyrum per ambitum cumuli, in quo ambitu materia trituranda ad altitudinem duorum pedum aggesta est. quo fit, ut grana scissis paleis & folliculis facile excutiantur absque læsione, quippe cedentia dentibus ferreis. Quando palea probe concisa est, aliam in ejus locum mittunt. Denique separatur granum à palea concisa* vel *attrita in hunc modum, ut ligneo ligone quicquid materiæ triturandæ est in altum mittant, quando ventus paleam longius propellit, frumentum autem ab iis separatum suo cadit loco. quam paleam concisam equis in pabulum reservant. In aliis tamen locis hoc instrumentum à priore figura aliquantum differt, ut vidi in Mesopotamia; ubi loco horum orbium ferreorum, quibus rotæ circumdatæ sunt, frusta sunt ferrea, sex præter propter pollices longa, & tres lata, fere formata figura asciarum, sed aliquanto latiora inferiore quam superiore parte, rotis promiscue inserta absque justo ordine, alia recta, alia ex transverso, quod instrumentum supra ferrum contectum est asseribus ligneis, quibus insidet qui equos tribulam trahentes agit. Alia enim sedes ei imposita nulla est. quo eodem modo triturant exercent Persæ.* Ex posteriore ritu intelliges locum cætera expositu difficillimum, 2 Sam. XII. 31.

los *montes & colles contrivisse*, licet vicinos Populos subegerint: sed majus quid & amplius factum ab Ecclesia primæva. Sensus per omnia ἐμφατικώτερος, est verior. In quod Subjectum enunciata certatim & quidem amplissimo sensu conveniunt, id ipsum censeri debet à Divino Spiritu magis esse intentum. β. Locus huic parallelus in *Concione sequente*, in qua agitur de tempore *Adventum Domini* proxime secuturo, hunc sensum determinat. Ibi legis exerte hæc verba, ℣. 15. DESOLABO MONTES & COLLES, *& omne gramen illorum faciam exarescere; & ponam fluvios in insulas, & stagna exarescere faciam.* Agitur de conversione rerum quæ futura esset sub Oeconomia Nova, & quidem in initiis ejus. Conferes etiam hic, si placet, Cap. XI. 14. & nostras de eo meditationes. γ. Quid etiam pulchrius, & in rem aptius quadret, quam quod *tribula* hæc trituræ destinata dicatur NOVA? *Novum* est & in emphasi dicitur quod in Oeconomia Nova obtinet cum respectu ad Veterem. Dictum Apostoli [a]: *Vetera præterierunt*; NOVA FACTA SUNT OMNIA. Sed quid cesso in rem ipsam venire? Sensus emblematis est, Apostolos, Evangelistas, Doctores, instructos Verbo Evangelii, in quo Verbo inest acris convictio erroris, & acutæ interminationes ac prædictiones judiciorum Divinorum incredulis & impœnitentibus infligendorum, Regna, Respublicas, Principes Regesque Mundi, magnos validosque Populos & Gentes, potentia, imperio, fama, celebres, Christo Jesu subjecturos, & in eum redacturos statum, ut omnis eminentia eorum Regno Christi adversa destruatur & aboleatur, secundum omnem vim & emphasin dicti nostri Prophetæ quod habuimus Cap. XL. 4. *Omnis vallis extolletur; &* OMNIS MONS & COLLIS DEPRIMETUR. *Montes & Colles* hoc in loco sunt, ut jam prædictum est, symbola Regnorum & Rerumpublicarum, & Regum ac Principum qui iis præsident; & in universum omnis *eminentia mundana*: sed quæ hic spectandæ sunt, non *absolute*, sed *comparate* cum respectu ad illud attributum *Regnorum* ac *Rerumpublicarum* quo se *efferunt* & *extollunt* adversus Regnum Christi Jesu & Ecclesiæ: phrasi Apostoli, πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ· *omnis sublimitas quæ se effert adversus cognitionem Dei* [b]. Regna itaque & Respublicæ, quatenus serviunt idololatriæ ac superstitioni; quatenus eandem idololatriam & superstitionem tuentur eidemque patrocinantur; quatenus impediunt incrementum ac progressum veræ Religionis; & quidem præcipue quatenus Ecclesiam Dei in terris veram oppugnant, persequuntur, infestant, eique exterminandæ incumbunt: hac σχέσει & aspectu contemplationi nostræ in hoc loco objiciuntur. Regnum Dei in terris non est oppositum & contrarium Regnis & Rebuspublicis civilibus, nisi secundum illum aspectum quo non sunt *Dei* & *Christi* [c]. Regnum enim Christi cum *non sit de hoc mundo*: non destruit Regna civilia. Nullus itaque aspectus illorum Regnorum & Rerumpublicarum hic usum habet nisi *spiritualis*, h. e. qui ad Religionem pertinet. Omnis alius hic excluditur. Illa sola *eminentia* quæ in Regnis Mundi se effert adversus Deum, destruenda est. Ad eam vero destruendam Deus utitur Ecclesia; ususque est inprimis Ecclesia Apostolica primi temporis quæ hanc ipsam ob rationem *tribulæ* ferrantibus dentibus *præditæ* comparatur. Aliæ similitudines nullæ hic spectandæ sunt, etsi in aliis locis vel maxime usum habeant. Ut enim *tribula* passim exercetur erga *demessam segetem* ad grana frumenti folliculis suis excutienda, & à paleis separanda: (quod ipsum quoque eleganter aptatur Ecclesiæ in cujus area tritura spiritualis administratur, ut vidimus ad Cap. XXI. 10. & XXVIII. 23. 24.:) nihil ejus in hoc loco respiciendum est. Si Spiritus S. id dicere voluisset: emblema aliter instruxisset. *Montes* enim & *colles* nobis hic non obversantur tanquam in se continentes *frumenti grana* iis excutienda, (nulla enim hic hactenus satio facta erat, nulla *sementis & messis*: præterquam quod *montes & colles* ipsi hic *triturandi* dicantur, non aliquid in montibus & collibus:) sed tanquam quid subigendum, proscindendum, destruendum, imminuendum, deprimendum, & quidem per Ecclesiam ut per medium spirituale ad id aptissimum, quæ hanc, ut jam prænonui, solam ob caussam hoc in loco comparatur *tribulæ ferratæ*. Convenit autem hoc attributum Ecclesiæ respectu *Doctorum* ejus, *Verbo Evangelii* virtuti Spiritus S. juncto instructorum, cujus Verbi hic emblema sustinent *ferratæ acies* rotarum tribulæ, quia in hoc Verbo juncto Virtuti Sp. S. inest *vis acuta* atterendi, comminuendi, destruendi, quicquid se adversus Regnum Dei & Christi opponit, & effert. Nihil hic certius & clarius oratione Apostoli ad Corinthios [d]: *Arma enim militiæ nostræ non sunt carnalia, sed divinitus valida* πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων AD DESTRUCTIONEM MUNITIONUM, *ratiocinationes evertendo omnemque sublimitatem quæ se extollit adversus cognitionem Dei, & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo, & paratum habendo quo ulciscamur omnem inobedientiam.* quæ continent paraphrasin hujus loci. Ea vis est Verbi tum respectu singulorum hominum, in quorum animis sunt altitudines quædam & eminentiæ adversæ Regno Dei; tum respectu Societatum Populorum & Gentium, & Principum iis præsidentium, hactenus idololatriæ & superstitioni servientium: primo, quia in hoc Verbo est clara demonstratio veritatis & acris convictio errorum Idololatriæ, superstitionis, falsæ Justitiæ, omnisque peccati & vitii in homine dominantis. *Vivus* enim *est sermo Dei, & efficax, & penetrantior quovis gladio* ACUTO (ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον. est autem μάχαιρα δίστομος *culter* sive gladius *duarum acierum*, quæ in hoc loco nostro dicuntur פִּיפִיּוֹת,) *& pertingit ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumque & medullarum* [e]. acute scindit & secat, scilicet ubi illum comitatur vis Spiritus S. Est in eo ἔλεγξις ἀπότομος *Redargutio, convictio, præcisa*, prærupta [f]. Secundo, quia in Verbo Evangelii, in omni sua amplitudine sumpto, insunt *Interminationes & Denunciationes Judiciales*, factæ impœnitentibus ac rebellibus Evangelio, per quas devoventur Judicio Divino ad exterminium & excidium, si se non subjiciant Sceptro Christi Jesu. Summa est in hac sententia Fori Cœlestis apud Vatem nostrum diserte consignata [g]: *Quia Gens & Regnum quæ non serviverint tibi, interibunt; & Gentes illæ plane vastabuntur.* Hæ interminationes ac denunciationes Judiciales fieri nequit quin sortiantur effectum, æque ac *Prædictiones* Regni Christi Jesu Regna & Imperia Mundi sibi subjecturi, quod tertio loco huc refero. *Oportet enim impleri omnia quæ scripta sunt* [h]. Qui secum ferunt Verbum his instructum aculeis ad pungendum, & acuminibus ad scindendum, ejusque gravitatis & ponderis ad subigendum & deprimendum atque atterendum materiam quæ ei subjicitur: recte comparantur *tribulæ acuminatæ* ac *ferratæ* quæ obvia proscindit, comminuit, atterit. Accedebat hic quarto in Apostolis hoc Verbum prædicaturis singulare illud donum Gratiæ Divinæ, quo instructi non tantum illustria patrabant miracula, si rationes Regni Dei id viderentur requirere; verum etiam, flagitante necessitate, *exercebant* SEVERITATEM, in obstinatis Evangelii hostibus puniendis ac reprimendis, ad stuporem spectatorum [i]. quod Apostolo est [k] ἀποτόμως χρῆσθαι, PRÆCISA SEVERITATE UTI: quæ phrasis ad emblema nostrum proxime accedit. Hæc vis est comparationis. Regna autem & Respublicæ, sive Populi & Gentes, *triturari* dicuntur hoc Verbo, sensu gemino, Evangelico & Judiciali. Ex primo sensu triturantur, ubi Verbo Evangelii sociato cum gratia Sp. S. resectis & prosciss erro-

Vis *Verbi* Evangelii in dejiciendis *eminentiis* Mundanis.

Quo respectu hoc Attributum Verbo Evangelii competat?

Non tantum hic respicitur *convictio erroris*: verum etiam *Interminationes & prophetiæ* quæ in hoc Verbo insunt.

Quæ comparantur cum attributis *tribulæ dentatæ.*

Pertinet quoque huc *severitas* ab Apostolis exercita in casibus necessariis.

Quo sensu Gentes & Populi dicantur *triturari*?

Primo sen-

[a] 2 Cor. v. 17. [b] 2 Cor. x. 5. [c] Apoc. XI. 15. [d] 2 Cor. x. 4. 5. [e] Heb. IV. 12. [f] Tit. I. 13. [g] Cap. LX. 12. [h] Luc. XXI. 22. [i] Act. XIII. 9. 10. [k] 2 Cor. XIII. 10.

su *Evangelico*, qui exponitur.

erroribus quibus occupati erant in negotio Religionis, animi illorum imbuuntur vero sensu miseriæ suæ, nuditatis, paupertatis, indigentiæ, eumque in modum atteruntur & subiguntur illius Verbi disciplina, ut depositio omni fastu humiles petant gratiam Dei in Christo Jesu, omnemque suam eminentiam, honorem, gloriam, Christo Jesu subjiciant. Pertinet enim ad vim & effectum hujus Verbi, ut quicquid in homine sublime est & adversum Deo, atterat, comminuat, destruat, & in paleas ventilabro & flabello Spiritus disjiciendas redigat. quo sensu Vates noster Cap. II. 4. *Et judicabit inter Populos, & convictionem faciet Gentibus multis, & cudent gladios suos in ligones, & seqq.*

Dein, *Sensu judiciali*, qui latius declaratur

Locus Mich. IV. 13.

Senſu Judiciali integri Populi & Gentes dicuntur *triturari*, ubi Judiciis Divinis, vi interminationum Evangelicarum & prædictionum Propheticarum in Oeconomia Regni Christi implendarum, ita deprimuntur & atteruntur, ut eminentia & viribus quibus Regnum Dei oppugnabant destructis, se Regno Dei amplius cum effectu opponere nequeant. quo sensu emblema usurpari dixi Cap. XXV. 10. & Mich. IV. 13. & conferri potest Cap. XI. 4. Sic de duobus testibus veritatis in Apocalypsi [a]: *Si quis eos velit lædere: ignis prodit ex ore ipsorum, & devorat inimicos ipsorum. nam si quis eos velit lædere, ita oportet eum occidi.* Neutrum horum hic excludo. Et tamen cum hic præcipue respiciatur ad Ecclesiam Apostolicam, & Propheta noster Evangelice loqui amet: prius hoc in loco præcipue spectari velim. Sunt autem hic locutiones plane analogæ de Effectu Evangelii, homines spirituali sensu acriter convincentis, conterentis, occidentis, ut eos Christo Jesu & Regno ejus subjiciat: quippe omne opus gratiæ est καταργησις *abolitio, destructio*, occidio, τῦ σώματος τῆς ἁμαρτίας [b]. Sic Vates noster, in sequentibus Filio Dei Doctori & Prophetæ hæc verba aptat [c]: *Et posuit os meum ut* GLADIUM ACUTUM; *umbra manus suæ me occultavit, & posuit me* SAGITTAM ELECTAM. Emblema eodem tendit. Attributum Christi Jesu ut Doctoris & Prophetæ acutissimi in Apostolis quoque ac Discipulis ejus oportebat conspici, ejus Spiritu actis & agendis. Ps. XLV. 6. TELA *tua sunt* ACUTA; *Populi subter te cadent: sunt in corde inimicorum Regis.* Ps. CX. 2. SCEPTRUM ROBORIS TUI *mittet Jehova ex Tsione: Dominare in medio hostium tuorum.* Utrobique constat mentionem esse de Evangelio Filii Dei. Apoc. I. 16. *Et ex* ORE EJUS *anceps* ROMPHÆA ACUTA *prodibat.* Confer Cap. VI. 2. Alia & tamen ejusdem generis parabolæ species est, qua *Verbum Regni Dei* comparatur FALCI, *segetem demetenti*, in oratione Domini apud Joannem [d]. Idem Apostolus [e]: *Quicquid natum est ex Deo, νικᾷ τὸν κόσμον*, VINCIT MUNDUM. Continetur amplitudine sensus hujus dicti, Sanctos armatos fide in Christum Jesum sibi subjecturos esse Mundum, & destructuros quicquid se Regno Dei in Mundo ferociter opponeret. Eventus docuit. Primi Discipuli Christi Jesu, contempti, numero exigui, & in his eximii Apostoli atque Evangelistæ, instructi aculeis & acuminibus Verbi Evangelii, efficacis ad dejiciendas moles omnes mundanas ei oppositas, & singulari virtute Spiritus S. præconium hujus Verbi & Ministros ejus comitante, mirabilia effecerunt & omni cogitatione superiora. Populos, Gentes, Regna, Respublicas, majores minores, quatenus adversæ erant Evangelio, subegerunt, contriverunt, & Christo Jesu sensim ac per articulos temporis subjecerunt. Syri, Mesopotameni, Ægyptii, Asiani, Græci, Romani, Afri, Celtæ, attriti, subacti, humiles gratiam Christi Jesu petierunt & oblatam amplexi sunt. Roma, Roma ipsa, sedes idololatriæ & superstitionis, thronus Satanæ, longum afflicta & deinceps quoque affligenda gravissimis Dei judiciis, hoc est, *triturata* ac *trituranda* à Doctoribus Evangelii tanquam *traha serrata*, à Spiritu S. administrata, tandem coacta est se Christo Jesu submittere. *excussæ, disjectæ, dispersæ*, Idololatria, cærimoniæ, superstitiones; Vis, & auctoritas Præsidum Imperii, qua Regnum Christi Jesu oppugnabat; solutæ sunt in *pulverem*, & tanquam in *paleas*, ut memoria earum ex antiquis monumentis non absque opera eruatur. Sic erat in Viso Danielis [f]. *Lapis* excidendus à Monte, rotatus *absque manibus*, Imperia Mundi quatenus contraria essent Regno Dei debebat *conterere & comminuere.* quod illo tempore fieri incepit; per sæcula continuandum usque quo Regna Mundi omnia Deo subjecta fuerint. Accidit autem sæpe, quod hic adscribitur, ut *ventus & procella* à Deo excitata hos *Montes & Colles* jam comminutos & attritos Verbo Dei, & vi ejus Verbi, disjiciat ac dissipet. Exemplum illustre extitit in *Republica Judæa*, longum triturata, convicta, & tandem tradita Divino Judicio, cujus effectum fuit Bellum cum Romanis ipsis funestum. Eadem species fuit Romani Imperii. Ipsi tandem Gothi & Vandali, Populi Barbari, (Christiani, fidei licet non purgatæ,) adhibiti sunt à Deo ad Romam purgandam à reliquiis inquinamentorum idololatriæ & superstitionis quibus superbiebat, licet dudum Christo *nomine* tenus subjecta: quæ sunt spirituales *procellæ* à Deo suscitatæ. Ecclesia interim videns mirabilem hunc progressum Evangelii inter Gentes & singulare incrementum Regni Dei, & in eo observans luculentum experimentum favoris Dei & præsentiæ ejus gratiosæ ac gloriosæ apud Ecclesiam, gloriatur *in Sancto Israëlis.* Diu afflicta, depressa, oppressa, nunc inciperet erigere caput, & Liberatorem suum Dominum, in opere & auxilio gratiæ ejus agnoscens, alta voce celebraret. Phrasin jam habuimus Cap. XXIX. 19. & sæpius alibi occurrit ubi describitur lætitia spiritualis data ex magna luce gratiæ & gloriæ Divinæ splendentis in Effectis Liberationis & Dispensationis liberalis donorum cœlestium quibus Deus Ecclesiam locupletat & ornat. Implementum videre licet in *Actis*, & per *Paulinas* omnes, ubi de *lætitia sua* ubique testatur, & credentes ad hunc affectum animi exhortatur.

Prior sensus hic præfertur.

Loca analoga.

Integer & amplissimus sensus hujus dicti.

Implementum prophetiæ ex historia.

Peculiaris respectus ad Romam in h. l.

Articulus tertius *Consolationis, respectu Ecclesiæ primi temporis, post læta initia ejus afflictæ.*

℣. 17. PAUPERES ET INOPES *quærunt* AQUAM: *sed nulla adest. lingua illorum* PRÆ SITI ARET. *Ego Jehova respondebo ipsis: Deus Israëlis non deseram ipsos.* ℣. 18. *Aperiam in* JUGIS *fluvios, & in medio convallium fontes. Ponam Desertum in stagnum aquarum, & terram siticulosam in scaturigines aquarum.* ℣. 19. *Faciam ut existat in Deserto* CEDRUS PRÆSTANTISSIMA, *& Myrtus, & Arbor oleosa. Ponam in solitudine* FRAXINUM, TÆDAM, *&* POPULUM *pariter.* ℣. 20. *Ut videant & cognoscant, & advertant, & prudenter considerent una, Manum Jehovæ hoc fecisse, & Sanctum Israëlis illud creasse.*] Describitur hic ex mea hypothesi, cujus rationes in superioribus explicui, Status Ecclesiæ Christianæ post læta initia ejus afflictæ, in primis sub Nerone, à quo scelerato Principe persecutionis publicæ profitentium Nominis Christi Jesu primum editum est exemplum. Postquam Israëlitæ egressi essent Ægyptum & transiissent Sinum Maris Arabici, noti nomine MARIS RUBRI, oberrantes per triduum in Deserto Sur, laborabant defectu *Aquæ*, cui Deus per Mosen postquam in stationem Mara perveniissent, providit [g]. Eadem facies est, idem aspectus primæ Ecclesiæ Christianæ. Separata à communione Imperii Romani, & Judaismi corrupti, Ægypti spiritualis, (faciebant autem Judæi hoc temporis partem Romani Imperii:) mox exposita videbatur quibusvis malis atque incommodis, perinde ac Judæi cum derelinquerent Ægyptum. Videbantur alienati à communione Paganorum & Judæorum, veluti se com-

[a] Cap. XI. 5. [b] Rom. VI. 6. Col II. 11. [c] Cap. XLIX. 2. [d] Joh. IV. 35. [e] 1 Joh. V. 4. [f] Dan. II. 34. [g] Exod. XV. 22. 23.

commisissent *Deserto*, in hoc *Deserto* esse perituri: quod sibi olim metuebant Abrahamidæ, Ægyptum egressi. Quin ut Judæis Ægyptum egressis post prima initia objectum est *Mare Rubrum*, quod eos persequente Pharaone videbatur deglutiturum: idem accidit Christianis in primo illo tempore Oeconomiæ Gratiæ. Respicio Persecutionem Neronianam *a*, terribilem sane, quæ Christianismo nascenti videbatur funesta fore. Hoc itaque tempore multorum languescebant studia; frangebantur animi; & temporarie credentium multi à fide deficiebant. errantes in *Deserto Gentium* non inveniebant *aquam*, h. e. solatium ex aspectu Status Reipublicæ Romani Imperii & ex communione fratrum cum libertate & gaudio eandem fidem profitentium: simili fere statu quo Israëlitæ transgressi Mare Rubrum. Obsidebantur ubique ab inimicis & hostibus suis, expositi illorum odio, invidiæ & injuriis, postquam porta persecutionis semel aperta fuerit. En locum huic plane parallelum in Ps. CVII. 4. in quo describitur Status *assertorum Jehovæ* primi temporis Gratiæ: *Errabant in Deserto, in vasto viæ; Urbem habitationis non reperiebant:* FAMELICI *atque item* SITIBUNDI *quorum anima in ipsis convolvebatur. Et clamarunt ad Jehovam cum ipsis arctum esset: ex angustiis ipsorum eruebat eos.* Est itaque quod hic dicitur, *pauperes* atque *inopes quæsiviſſe aquam* quæ *non erat:* accipiendum non *absolute*, sed *restricte*, quod redacti essent in eam conditionem, ut communione Christi Jesu in cœtibus credentium frui non possent cum *gaudio* illo & *solatio* quod exoptabant & sibi proposuerant: qui status quæque affectio fuit Populi Christianorum circa eam quam designavi ætatem. Sic Poëta sacer Ps. LXIII. 2. *Deus, Deus meus es tu: sitit te anima mea; in terra sterilitatis & vertiginis,* צי מים ABSQUE AQUA. Rursus quod *Lingua illorum* præ siti dicatur *exaruisse*, sive, *defecisse*, exhausta esse: qua notatione vox נשת occurrit, Cap. XIX. 5. respicitur *æstus afflictionum*, qui sane hoc tempore magnus fuit & late diffusus. Deus enim illo tempore vocabat Ecclesiam ad *eundum per ignem*, Cap. XLIII. 2. His subjectis convenit nomen העניים והאביונים *Humilium* sive *Afflictorum* & *Pauperum*, quales maximam partem erant Christiani primi temporis; præcipue ex Judæis, quorum pars assumpserunt nomen *Ebionitarum* ab hac ipsa voce אביונים EBIONIM. Verba Jacobi *b*: *Audite, fratres mei: nonne Deus elegit τὸς πτωχὸς τῦ κόσμε τύτε pauperes hujus Mundi, divites fide?* Primi Credentes non erant *multi potentes, multi nobiles c*. Nec tamen hic ad solum Statum externum respicitur. Populus Christi Jesu verus constat *humilibus* animo; à gratia Divina unice pendentibus; de *indigentia sua spirituali* (h. e. de necessitate *Justitiæ* aliunde adducendæ,) persuasis; moribus & universa vitæ ratione præ se ferentibus modestiam & mansuetudinem: de quo quantum satis est, egi ad Cap. XI. 4. Vates sacer de Messia *d*: *Judicabit* PAUPERES POPULI (עני עם *humiles, afflictos,*) *& servabit* EGENOS. Heb. בני אביון *Filios egeni.*

His Subjectis, hoc statu circumscriptis, competit solatium quod Deus iis per Prophetam dispertit. Primo in genere dicit, se *Jehovam*, (vi promissorum gratiæ electis factorum,) eos *exauditurum*, & se *Deum Israëlis* (vi fœderis cum iis initi,) *eos* non *esse deserturum.* Non interituram hac aliisque persecutionibus Ecclesiam, sed providentia, auxilio, gratia Divina ita sustinendam, ut tandem totum *Desertum Romani Imperii*, in quo Ecclesia certo respectu *sitibunda* errabat, converteretur in *Paradisum.* Id vero *speciale* promissum hic generali subnectitur. Primo ait se facturum esse ut in *Deserto*, sc. Romani Imperii, ubique in Locis *Campestribus* sive *Planitiebus* & *Convallibus*, erumpant *fluvii* & *fontes*, utque *Desertum* ob aquarum copiam veluti convertatur in *Stagnum aquarum & terra siticulosa in scaturiginès aquarum*, ℣. 18. h. e. facturum ut per totum Imperium Romanum in Urbibus &; Vicis, Locis celebribus & obscuris, essent Ecclesiæ & Scholæ Religioni veræ dicatæ, & apud Ecclesias & Scholas Doctores illustres cum magna Eruditionis spiritualis copia veritatem spiritualem professuri, destructo Paganismo qui hoc tempore dominabatur. Deinde, se curaturum esse sua Providentia, ut in *Deserto* sterilis soli Arbores præstantioris generis, naturæ oleosæ, & incorruptæ, interque eas celsæ & sublimes, vertice cœlum ferientes, Cedrus, abies, populus, prodirent, nutrirentur, idque ornarent, & instruerent. h. e. ut Proceres, Judices, Provinciarum Præsides, Militiæ Præfecti, & tandem Imperatores ipsi cum ipsis Aulæ Ministris, nomen darent Christo Jesu, & decus suum omne in Ecclesiam inferrent. ubi simul, me volente, intelliges Doctores eximios; oleo Spiritus S. imbutos & *inunctos*; naturæ spiritualis incorruptæ; doctrina, dotibus, sanctimonia illustres, qui se in Ecclesia conspiciendos præbent. quicquid enim altum est & eminet in Mundo & Ecclesia, sub hac figura venit. Confer Cap. XXXVII. 24. & Zach. XI. 2. Pertinet huc quod habuimus Cap. XXXV. 2. GLORIA LIBANI *data est ei*, sc. Ecclesiæ. Scopum denique hujus tanti gratiæ suæ effecti subjungit, ℣. 20. *Ut videant, & cognoscant, & apponant* cor, *& prudenter considerent una, Manum Jehovæ hoc fecisse, & Sanctum Israëlis hoc creasse.* h. e. ut intelligant & prudenter considerent omnes, Opus hoc transformati Orbis Romani Imperii in Ecclesium & Hortum Dei esse *Opus Divinum.* quale vere visum est & videri debuit omnibus ad mutationes quæ in Orbe terrarum accidunt, advertentibus animum. Vidit illo tempore Orbis totus, quod in *nullius* mortalis *animum unquam ascenderat:* quod fieri posse, omnes negarent ac negassent. Progressus admirabilis Evangelii ejusque inermis & viribus humanis nullis succincti, ringente Satana cum omni sua cohorte infernali & terrestri; censeri debet inter summa miracula quæ unquam in Orbe edita sunt; imo miraculorum unquam in Orbe editorum maximum. Quid? Ipsi Rectores Romani Imperii, infensissimi Ecclesiæ adversarii, Ecclesia sedente & afflicta, sed Judiciorum Divinorum spectatrice & admiratrice, vires adversus Christianos paratas converterunt ad se mutuo evertendos & Ecclesiæ procurandam pacem ac refrigerium. Insignia verba sunt Ps. XCVI. 12. *Exultet ager, & quicquid in eo est: tum cantabunt* OMNES ARBORES SYLVÆ (sc. Libani.) *coram Jehova, quando veniet, quando veniet ad judicandam terram, &c.* Implementum promissi sive prædicti perfectum cadit in tempora Constantini, quando Ecclesia vindicata in Libertatem ab ipso veluti Deo mirifice per Orbem totum Imperii Romani refloruit: & tamen ante tempora Constantini & Persecutionem Diocletianeam Religio Christiana jam fere cultores Ecclesiasque habuit per omnia Imperii Romani loca. Eusebius de Statu Ecclesiæ illius temporis quod gravissimam illam Afflictionem præcessit *e*: *Jam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam;* (τὰς μυριάνδρας ἐκείνας ἐπισυναγωγὰς;) *quis frequentissimas in quaque Urbe congregationes; quis illustres Populorum concursus in ædibus Sacris cumulate possit describere?* Quid? Origenes *f* jam suo tempore *g* scribere non dubitavit, *totam Græciam & quæ per Orbem terrarum patet Barbariam Legis Mosaicæ καὶ τῆς μαθητείας Ἰησῦ Χριςῦ λόγων· & Verborum disciplinæ Christi Jesu sectatores habere innumeros;* & porro de mirando Evangelii progressu per Orbem differens, addit, Μεῖζον ἢ κατὰ ἄνθρωπον τὸ πρᾶγμα εἶναι λέγειν ἃ διςάζομεν· *rem humanis viribus majorem esse, dicere non dubitamus.* Testimonia alia & jam Scriptorum Sæc. II. quæ in promptu sunt, satis alioquin vulgata non adduco. Tantum

Quid hic mystice notent *Arbores celsæ, oleosæ, Cedrus, Abies, &c.* nascituræ in *Deserto?*

Effectus hic illustris proponitur ut argumentum animadvertendum singularis Dei providentiæ, & potentiæ, & gratiæ, ℣. 20.

Verba Prophetæ declarantur, & res ipsa illustratur.

Paradoxa mutatio quæ effecta est in Mundo per Verbum Evangelii, censeri debet ut magnum & illustre miraculum.

Implementum perfectum cadit in tempus Constantini.

Verba Eusebii.

Origenis.

a A. XI Neronis. Æ. Chr. LXIV. *b* Cap. II. 5. *c* 1 Cor. I. 26. *d* Ps. LXXII. 4. *e* Hist. Eccl. Lib. VIII. Cap. I. *f* Philocal. Cap. I. *g* Sæc. III.

Theodoreti. adscribo disertum illud Theodoreti [a] in eodem hoc argumento versati & virtutes Evangelii ab Apostolis promulgati explicantis [b]: *Neque solum Romanos quique sub Romano vivunt Imperio*, sed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Seras, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios & Germanos; utque semel dicatur, omne hominum genus, *nationesque omnes induxerunt Leges Crucifixi accipere: ἀχ ὅπλοις χρησάμενοι καὶ πολλαῖς μυριάσι λογάδων, ἀδὲ τῇ τῆς Περσικῆς ὠμότητος χρώμενοι βίᾳ, ἀλλὰ πείθοντες καὶ δεικνύντες ὠνησιφόρους τὰς νόμους· non armis usi, non infinita vi militum delectorum, non sævitiæ Persicæ violentia; sed verborum suasu, ostensa Legum quas prædicabant utilitate.* En Creationem novam! *Desertum* conversum in *Hortum Dei!* Quo solatio nullum applicari potuit certius & aptius ad ægros Credentium animos, ex persecutionibus primi temporis afflictos, erigendos & blande demulcendos. Nec diu dilatum fuit promissi implementum, cujus initia recte repetuntur à reflorescente Statu Imperii Romani sub Trajano.

Ratio solatii quæ ex hoc eventu petitur.

Animadversa ad phrasin Prophetæ.

Et quidem in ℣. 18. ad phrasin מוצאי מים.

Recte vertitur per *fontes*.

Et שפיים per *juga*.

Cl. de Dieu observatum.

Adstructo sensu Pericopæ, pauca mihi supersunt monenda de phrasi. Et quidem primo, in ℣. 18. per מוצאי מים rectissime intelliges *fontes*, uberrimas aquarum scaturigines, ex quibus copiosæ erumpunt aquæ. Confer 2 Reg. II. 21. & Vatem nostrum Cap. LVIII. 11. Vocem verò שפיים cum vulgo Interpretum vertimus *Juga*, loca eminentia, quæ significatio vocis colligi potest ex phrasi הר נשפה *Mons elevatus*, Cap. XIII. 2. quamque obtinet Jer. III. 21. & in analogis aliis. Accedit, α. Fluvios omnes fere nasci in *montibus* & *collibus*. β. Prophetam scribere, על שפיים SUPER *Schepaim*. Et tamen Cl. de Dieu pertendit reddendam esse vocem per *planitiem* vel *campum* ex Syriaco שפיא *planities:* sed mihi non persuadet. Vide illum ad Num. XXIII. 3. & Cap. XLIX. 3. Secundo, quod dicitur ℣. 19. *Ponam in Deserto* ארז שטה videor mihi cum Coccejo recte vertisse per *Cedrum optimam*, ut vox שטה SHITTA non notet *arborem* ab ארז *Erez*, *Cedro*, diversam, sed speciem Cedri definiat: acsi dicere velit Propheta, non tantum in Deserto ponam Cedrum: verum etiam Cedrum præstantissimi generis quæ dicitur שטה. Hieron. divisit, vertitque *Cedrum & spinam*, interposita *copula*. ubi per *spinam* cum ipso intelliges *genus arboris nascentis in Eremo spina albæ habentis similitudinem; cujus lignum sit imputrescibile, & lignorum omnium levissimum:* ex qua ipsa arboris specie existimat paratum fuisse Tabernaculum & lignea ejus instrumenta, ex mandato Dei construenda ex ligno שטים SHITTIM [c]. Sed id plane probabile non est, cum *spina Arabica*, ut Eruditi Viri jam observarunt, tam *crassa* non sit, ut *columnæ & asseres Tabernaculi* ex ea confici potuerint; & adversetur schemati orationis Prophetæ in hoc loco. Docet enim, Deum hoc tempore curaturum sua providentia, ut in Deserto enascantur *arbores* magnæ, proceræ, oleaginei generis, in Deserto nasci non solitæ. Interpretes Recentiores plures quoque has species distinxerunt. Jun. & Trem. *Cedrum*, *lectissimam Cedrum*. Piscator: *Cedrum & Sittam*. Belgæ pariter. Sic & fecerat Alexandrinus: Κέδρον καὶ πύξον, *Cedrum & buxum*. Sed frustra. Oratio Vatis sic est composita, ut nos doceat, has species distinguendas non esse, cum proxime sequentes voces per *copulam* distinxerit. Scripsit ille *Cedrum*, *Shitta*, ET *myrtum*, ET *arborem oleosam*. Sic pariter Chaldæus, ארזן שטים: cui proin in Versione error Hieronymi male imputatur. Potius itaque hic arripiendus erat locus, ut ex eo demonstraretur, *Shittim*, ex cujus lignis parandum erat Sanctuarium portatile, fuisse speciem *Cedri*, & quidem lectissimæ. Tertio, quod in processu ejusdem hujus sententiæ dicitur: *Ponam in solitudine* ABIETEM, sive potius *fraxinum*, THIDHAR, & THEASSCHÛR; quæritur, cujus speciei arbores fuerint. Et quidem de ברוש dixi sententiam ad loca Cap. XIV. 8. XXXVII. 34. Cæteræ species difficilius discernuntur. Et tamen probabile est, per תאשור *Teasschûr*, cujus tam hic mentio est quam Jes. LX. 13. & Ezech. XXVII. 6. intelligendam esse *buxum*, cum Symmacho, Hieronymo, Chaldæo, probavitque interpretationem Cl. Bochartus, & alibi [d] quoque adstruxit, ut aptissimam loco Ezechielis. Arborem THIDHAR multi putant esse *pinum* vel *tædam*, arborem resiniferam, generis picei, dictam תדהר pro תוהר, à יהר *lucere*; sive quod ardens ob resinæ copiam lucem spargat; sive quod pice aut oleo illita faculæ in modum lumen det. Sed non habemus rationem discedendi ab Hieronymo, Interpretes Græcos sequuto, qui per *Ulmum* vertit, sic dictam à *fragore*, quem à ventis agitata percussaque edit. Mentio ejus tantum hoc loco & Cap. LX. 13. Quarto, in verbis ℣. 20. *ut videant, & cognoscant, & cor apponant, & prudenter considerent, & seqq.* quisque facile, me non monente, observat gradationem. Primum est, *videre*, h. e. oculis & sensu observare mirabilem mutationem quæ in Orbe Romani Imperii & in Deserto Gentium fieret. Alterum est, *cognoscere*, h. e. non sensu corporis tantum, sed & sensu mentis percipere atque intelligere rem tantam quanta effecta est per prædicationem Evangelii, esse Opus *Divinæ Omnipotentiæ & Gratiæ*. Tertium, שים *ponere*, h. e. *apponere animum & cor*, ut mox integra phrasis occurrit ℣. 22. est non obiter & perfunctorie intelligere, sed cogitationi huic inhærere, & animo expendere, non causas tantum, sed & fines paradoxi hujus phænomeni, & Sapientiam Dei profundam, vias providentiæ suæ mirabili adeo ratione disponentis. Quartum denique, השכיל *prudenter considerare*, has causas & fines investigatione detectos prudenter considerare, & Opus hoc Divinæ Gratiæ & Potentiæ cum aliis analogis Dei Operibus Physicis & Typicis comparare.

In ℣. 19. ארז שטה recte vertitur per *Cedrum optimæ speciei*.

Hieron. observatum. quod non probatur.

Locus Exod. XXV. 5.

Aliorum Interr. sententiæ.

Lignum Shittim, ex quo construendum erat Tabernaculum, cujus fuerit generis?

Cujus speciei Arbores fuerint *Teasschûr*

ACTUS ALTER Disputationis cum Gentibus instituendæ de *Veritate veri Dei*.

Primo *Prologus*, eas rursus provocans ad Actum Disputatorium.

℣. 21. *Admovete litem vestram, ait Jehova: in medium producite* ROBORA VESTRA, *ait Rex Jacobi.*] Redit Propheta, unde digressus erat; & novo quodam Actu provocat Idololatras & Idololatriæ Præsides, *Divinos* qui dicebantur, Haruspices, Hariolos, Oraculorum Interpretes, Oneirocritas, Sacrificulos, Popas, ut in medium prodirent ad Disputandum de veritate illorum Numinum, quorum cultum vulgo commendabant & persuadebant, ut tandem patefieret post legitimam Disputationem, num Idola Gentium Divinitatem suam tueri & ipsi in legitima disceptatione apud æquos Judices instituenda *firmis* & idoneis *argumentis* causam eorum sustinere possent. קָרְבוּ hic est *Litem intendere*, *admovere*, in Disputationem cum aliquo descendere, cum aliquo congredi. In Lite autem disputatoria fere sic procedi solet tanquam in conflictu non simulato, ut non mox gravissima argumenta in medium producantur; sed initium fiat à levioribus, tanquam à Velitibus pugnetur; mox, ubi calescere incipit disputatio, *solidiora* quæ in promptu sunt *argumento* ostententur, eaque rite urgeantur. Atqui id ipsum est quod Vates hic vocat עצמות *robora*, *munimenta*, *firmamenta*, quæ vis vocis est. Sic passim Hebræi. Jarchius: משמרות בריות והוקות שלכם ולשון ריב הוא זה בלשון ROBORA VESTRA] *Probationes gravissimas & validissimas quas vobis in promptu sunt; estque vox usu recepta hoc sensu in contentionibus judicialibus, ut in Cod. Sanh. Duo qui se mutuo per instantias urgent;* sive, *qui inter se contendentes causam suam utrinque nituntur bonis argumentis adstruere*, (מתעצמין *se roborant*,) *in Lite.* Symm. τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν. Aq. ϛερεώσεις. Hieron. optime: *Afferte si quid forte habetis.* In Chaldæo quis hæreat, quem uno verbo attingo. Scripsit ille: חזוכין אעילו quod Inter-

Alter Disputationis cum Gentibus instituendæ Primo *Prologus*, ℣ Summa sententiæ Propheticæ

Vis & phasis ריב. Notat *tendere* Alludit ad mor qui in D tationib vulgo o vatur. Per hic inte guntur *diora a menta.* Verba chii.

Paraph Chaldæ claratur

[a] Sæc. V. [b] De Curand. Græc. Affection. Serm. IX. [c] Exod. XXV. 5. 10. XXVI. 15. &c. [d] Geog. S. Lib. III. Cap. V.

terpres vertit: *Afferte quod vobis videtur.* quod non tantum *videtur*; ſed vere eſt obſcurius. Sonat ex mente Paraphraſtæ: *Adducite viſionem veſtram.* h. e. Revelationem rerum futurarum. notitiam rerum futurarum ex Divinatione qualicunque, auguriis, ſomniis, haruſpicina perceptam: ex iis enim tanquam ex *firmiſſimo argumento* vobis eſt facienda probatio Divinitatis Deorum veſtrorum. Metaphoricam orationem pro more ſuo in propriam vertit. Quod Propheta hic עצומות *robora* vocat, Græci elegantiores appellare ſolent *ἐνςάσεις, ἀντα-γωνίσματα.* Quid? An invitantur Haruſpices, Sacrificuli, Popæ, ut cum Deo ipſo diſputent? Non ita. Rectius dixeris, invitari ad diſputationem à Doctoribus veræ Religionis ſub Deo inſtituendam.

Secundo, *Argumentum* ipſum Diſputationis, petitum ex *Prædictione Futurorum Contingentium*: quod

Secundo, ipſum Diſputationis *Argumentum*, ỳſ. 22. ſeqq.

a. In genere proponitur.

ỳſ. 22. *Adducant, &* INDICENT *nobis quæ fortuito* EVENIUNT: *priora quæ ſint, clare explicate, ut apponamus cor noſtrum, & cognoſcamus extremum eorum; aut ventura in longum nobis edifſerite.* ỳſ. 23. *Annunciate quæ ventura ſunt in poſterum, & cognoſcemus, Vos eſſe Deos. Etiam* BONUM FACITE *aut* MALUM FACITE, *ut* DISPICIAMUS *& videamus pariter.* ỳſ. 24. *Ecce omnes vos* MINUS ESTIS NIHILO; *& opus veſtrum minus quam nauci. Abominabilis quiſque vos eligit.*] Nihil obſcuri eſt in ſententia generatim ſumpta, ſi eam recto oculo inſpexeris. Deus ſuos docens modum rite diſputandi adverſus idololatras, argumentum promit & urget ex *prædictione certa futurorum contingentium* magni momenti, in *nexu* & *ordine ſuo*, & in *priorum* ac *poſteriorum coharentia.* Qui id poteſt, ipſo vero Deo arbitro: huic negari nequit honor Divinitatis. In quo hæc proprietas deſideratur: abſurde pro Deo colitur, & colendus ſuadetur. Eſſe itaque putidos, qui aliis commendant cultum Deorum, qui attributa & decus Divinitatis tueri nequeunt. Quæ verba ſic tractabo, ut poſt aliquâ ad intelligentiam phraſios adſperſa, in vim argumenti Prophetæ inquiram; ejuſque urgendi opportunitatem comparem cum Statu Gentium, adverſus quas Propheta Diſputationem inſtituit.

Summa ententiæ Prophetæ.

ỳſ. 22. *Et annuncient nobis* את אשר תקריבנה *quæ caſualiter eventura ſunt.*] Ea poteſtas eſt in voce קרב. notat *caſualiter* ſive *accidentaliter evenire, accidere.* unde מקרה *caſus, eventus fortuitus*, qui pendet à cauſſis incertis & non proviſis. Græcis, *τὸ ἀπὸ τύχης.* in quam ſignificationem vocis קרב hic cadit tota vis ratiocinationis. Cum enim Eventus omnes futuri temporis alii ſint neceſſarii, qui à cauſſis neceſſariis à Divina Providentia inſtitutis pendent; alii fortuiti & eventuales cujus generis ſunt incertarum, incognitarum, aut non proviſarum cauſſarum effectus; & in univerſum *Eventus* omnes *arbitrio* humano ſubjecti, eorumque Eventuum Ἐπόμενα *Conſequentia*: ſupponitur, non eſſe ſupra facultatem & vires hominis ſe ad Opus Naturæ intelligendum diligenter applicantis, Eventus prioris generis prænoſſe. Sed de poſterioris generis diſputat Vates. Non omne futurum, ſtante Lege naturæ, dubium & incertum eſt: ſed aliquod futurum excipitur notitia intellectus humani, quod dicitur *συμβαῖνον contingens, caſuale.* De hoc quæritur. Eſt etiam in voce הגיד quæ in hac pericopa ter legitur, non ſpernenda emphaſis. Valet proprie quid *coram ſiſtere*, in conſpectum & claram notitiam ducere, ſiſtere ante oculos. Viden', alludere Vatem ad *τὸ λοξὸν dubium & ambiguum*, quod paſſim præferebatur in Oraculis & Divinationibus Gentium?

Animadverſa ad phraſin.

Ad ỳſ. 22. Poteſtas vocis קרב.

Refertur ad *fortuitum eventum.*

Significatio illuſtratur.

Eventus omnes duplicis generis, *Neceſſarii* vel *Caſuales.*

PRIORA *quæ ſint, annunciate, ut apponamus animum noſtrum & cognoſcamus* POSTERIORA *illorum.*] Senſus eſt, Declarate & prædicite accurate, quid *prius*, quid *poſterius* eventurum ſit. Requirit prædictionem claram & certam integræ catenæ & ſeriei rerum, quarum una alteram conſequeretur; nexus & ordinis rerum. Sic Cap. XLVI. 10. *Qui prænunciat à principio* EXTREMUM. Intelligis, ut *ἐν παρόδῳ* dicam, cur tot prædictiones in Verbo Dei reperiantur, referendæ ad *extrema* Mundi & Eccleſiæ tempora. Pertinet ad gloriam ejus prædicere *τὸ* אחרית *extremum*, ejuſque cum prioribus *συνάφειαν.*

Reliqua hujus *commatis* declarantur.

Et quæ ventura ſunt, nobis declarate] הבאות proprie ſonat *τὰ ἐρχόμενα*; ſed ſecundum poteſtatem vocis, *τὰ ἐσόμενα futura.* ut in phraſi apud Joannem [a]: *Qui eſt, qui erat,* καὶ *ὁ ἐρχόμενος &* VENTURUS, h. e. *ὁ ἐσόμενος futurus.* Intelliguntur *futura* ſive *ventura* in longum. Vox השמיע *audire facere* hic quoque ſuam habet emphaſin. Notat *declarare, promulgare*, clare & cum fiducia aliquid enunciare.

Quid Prophetæ ſint הבאות *ventura?*

ỳſ. 23. *Annunciate* FUTURA *in poſterum, & cognoſcemus, vos eſſe Deos.*] Sic recte. Significatio vocis אתיות pro *futuris, venturis*, ex אתי *venire*, definitur ex analogis locis Cap. XLIV. 7. & XLV. 11. Vox לאחר idem hic valet quod Græcis ὄπισθεν, *εἰς τὸ μέλλον.* אתיות לאחר ſunt *τὰ ὄπισθεν ἐρχόμενα.*

Ad ỳſ. 23. Significatio vocis אתיות.

Etiam bene vel male facite, & diſpiciemus, & videbimus pariter.] Nulla hic proprie hæret difficultas niſi quod dubia videri queat interpretatio vocis נשתעה quam Maſorethæ punctarunt נִשְׁתָּעֶה pro נִשְׁתָּעֶה: ſed ה hic eſt *paragogica*; & נִשְׁתָּע eſt pro נִשְׁתָּעֶה. Vox hic vertitur per *diſpiciemus.* Chaldæus optime, ונתכל *intelligemus, adſpiciemus.* Jun. Trem. Piſc. *Ut obſtupeſcamus videntes pariter.* Petierunt notationem vocis ex ỳſ. 10. ubi tamen commode ſatis tuetur ſignificationem ſuam, ut ibi vidimus. Hieron. *Et loquamur.* Paradoxum ad primam ſpeciem. thema enim שעה, quo uſu receptum eſt Hebræis, nihil ejuſmodi ſignificat. Et tamen Hebræi eodem fere modo: ונספר *Et narrabimus*, ſive miracula veſtra; ſive Deorum veſtrorum perfectionem, ut faciunt cultores veſtri: ducta ſignificatione ex Chaldæo אשתעי *Narrare, enarrare, loqui, proloqui.* Noſtrum planius & facilius. *Benefacere* & *malefacere* hic eſt *remunerari Cultores* & *Contemptores punire*, & quidem Beneficiis & Pœnis notabilibus quæ in omnium incurrunt ſenſum, & certum faciunt indicium Providentiæ Divinæ. Cultores proſequi magna & animadvertenda Benedictione, eoſque liberare ex periculis & vindicare adverſus hoſtes, eſt *benefacere*: Contemptores autem graviter plectere, & ubi uſu venit, delere, proſternere, deſtruere, eſt *malefacere.* Sic Jeremias de Idolis [b]: *Ne timeatis illa, quia non valent efficere mala, (malefacere,) & benefacere quoque non eſt ipſorum.* Profani inter Judæos, Deo Iſraëlis, horrendum! iiſdem verbis maledicebant, *non facere illum bene vel male*, apud Tſephaniam [c], Character veri Dei eſt, libere operari; providentia ſua res hominum curare; bene vel male meritos remunerari aut plectere, benedictionibus aut judiciis præterordinariis. Qui ex natura rerum & ei ſubjecta ſubſtantia Deum faciunt: ſibi quoddam cerebri ſui formant idolum, quod non eſt aptum *bene* vel *ſecus facere*, h. e. arbitrio & ſenſu ſuo præmia & pœnas diſtribuere.

Inquiritur in genuinam verſionem vocis נשתעה h. l.

Paradoxa Verſio Hieron. Et *loquamur.* Unde illa?

Locus Jer. x. 5. *Benefacere* & *Malefacere* quid ſit? Negatur idolis.

ỳſ. 24. *Ecce vos minus nihilo; & opus veſtrum minus quàm nauci.*] Hebræa: ופעלכם מאפע. ubi dubia cum videri poſſit ſignificatio vocis אפע, plane ſubſcribo illorum ſententiæ, qui אפע hic idem valere putant quod אפס, *nihilum, res nulla.* Quæ literæ in *Alphabetho* inter ſe arctiſſime junguntur: aliquo jure inter ſe permutari cenſentur: ſi *figuræ* earum ſimilitudo hic fraudi non fuerit Librariis. Sunt plures qui אפע hic capiunt pro *vipera*, ut ſenſus ſit, *Opus veſtrum minus eſt quam* opus *viperæ.* Sic quodammodo conferri poſſet Cap. LIX. 5. Sed longius videtur eſſe quæſitum. *Viperæ* enim quodnam eſt *opus* niſi ut *morſu* lædat? quod hic minus uſu venit. *Sibilum* enim à quo nomen habet, quis dicat *opus viperæ?* Dicuntur autem Pſeudoprophetæ & Vaticinatores Gentium, Cultores idolorum, minus *nihilo* & *nauci*, quia non tantum non proſunt, verum etiam obſunt. In omni dicto falſo, vitio, pec-

ỳſ. 24. *Ecce vos minus nihilo, &c.* Uſus vocis אפע in h. l.

Sententia Prophetæ illuſtratur.

a Apoc. 1. 4. b Cap. x. 5. c Cap. 1. 12.

cato, ſtylo Scripturæ S. cenſetur quid *minus* eſſe nihilo, quia ſunt nihilum vitioſum. Nihilum, negative ſumptum, non lædit, non nocet, nihil efficit. Sed in hoc *nihilo* vitium eſt. Scelus eſt humano generi nocivum: de quo jam monui ad ℣. 17. *Capituli ſuperioris.* Certe excuſari non poterant à graviſſimo crimine & ſcelere, qui futurorum vere ignari ſpreta ſceleris conſcientia ſimplicitatem vulgi ſuis divinationibus aut vaticationibus deludebant. Ideo ſubjicit,

Verba, *Abominabilis quiſque &c.* Senſus ſententia.

Abominabilis quiſque vos eligit.] Proprie, *Abominatio vos eligit*, ſive *Abominatio* eſt qui *vos eligit.* Senſus eſt, Abominabilis quiſque & mali corruptique animi homo, qui fallere & falli perinde habet, ſe vobis aggregat, & in conſcientiam meditati hujus ſceleris venit; Jehova enim vos non *elegit*, nec *eligit.* Vox תועבה hic *abſtracte* ſumitur pro notione *concreta:* quod ubi fit, *concreta* ſumenda ſunt in omni vi & amplitudine ſignificationis ſuæ. Valet igitur hic loci *maxime abominabilis:* ut *improbitas* virum notat valde improbum; *ſcelus*, valde corruptum; *ſpontaneitates*, Populum valde ſpontaneum [a]. Exempla in ſuperioribus plura habuimus. Phraſis ipſa præcipue explicanda eſt ex uſu quem habet in Legibus Moſaicis, earumque δευτερώσει in *Libro Quinto.* Ibi frequens occurrit [b]: כי תועבת יי כל עושה אלה *Abominatio eſt Jehovæ quiſquis illa fecerit.* Certe inviſiſſimi fuerunt Deo Iſraëlis, qui hanc veram ejus gloriam prædicendi futura tranſcripſerunt *idolis*, ut exemplum eſt in hiſtoria Ahaziæ [c]. Non videbantur alii ſe addicere velle huic negotiationi injuſtitiæ niſi fallere ac falli parati, h. e. impuri ac corrupti animi homines; homines nauci. Statutum erat hic ſubſiſtere, & antequam progrederer, argumentum quod Propheta hic producit pro veritate naturæ & exiſtentiæ veri Dei, illuſtrare & urgere; quod ad intelligentiam hujus Pericopæ plane neceſſarium eſt. Sed cum *Conſequentia* cum hiſce *Antecedentibus* arcte cohæreant, tanquam quæ eorum complectuntur demonſtrationem: recte fecerim, ſi hanc digreſſionem uſque eò diſtulerim.

Uſus vocis תועבה *Abominatio* h. l. Explicatur ex uſu quem habuit in Legibus Moſaicis.

Applicatur ad rem præſentem.

β. *Urgetur* ex ſpeciali *Exemplo* Cyri, à Deo ſuſcitandi, & à Propheta prædicti.

℣. 25. Excitavi *ab Aquilone & venit; ab Oriente Sole, qui* invocet Nomen meum; *& invadet Antiſtites tanquam lutum, &* ut eos calcet *quemadmodum figulus calcat cœnum.* ℣. 26. *Quis indicavit ab initio, ut cognoſceremus; & longe ante, ut diceremus* (ſc. poſt implementum:) Verum est. *Quin vero nemo eſt qui indicet; quin etiam nemo qui ejus rei famam ſpargat; quin etiam nemo qui audit dicta veſtra.* ℣. 27. *Primus Ego Tſioni: Ecce, Ecce* illa; *& Hieroſolymæ dedi præconem boni nuncii.* ℣. 28. *Nam circumſpicio; ſed nullus adeſt vir; & ex* illis aliquem circumſpicio; *ſed nullus adeſt conſiliarius; &* nulli adſunt *quos aliquid rogare queam, ut referant verbum.*] Generale thema Propheta convertit in particulare. Fruſtra tam alte extollit gloriam Dei Iſraëlis, tanquam ſolius Numinis in his terris, futurorum Eventuum præſcii; quæ proprietas ab omnibus mortalibus ſupponitur eſſe character ſolius Naturæ Divinæ: niſi idem certo documento demonſtrare queat. Promit itaque exemplum illuſtre Cyri, ſive potius id quod in *initio* hujus *Sermonis* prompſerat, repetit, & preſſius urget. quod exemplum cur ex cæteris ſelegerit, ut jam præmonui; ſic ex ſequentibus pateſcet. In Pericopa autem tota nihil fere eſt quod quem moretur, modo liqueat & certo conſtet, de quo *Subjecto* Vates loquatur. Ego quidem cum benemultis Interpretibus fidenter ajo, eſſe Cyrum, ex characteribus ſuis cognoſcibilem, cujus mentio in hiſce Sermonibus identidem recurrit: &, ut verum fatear, res tam citra ullam dubitationem hic poſita videtur, ut facile non ſit ſani judicii homines hic ab invicem diſſentire. Sed magna eſt judiciorum humanorum lubricitas & inconſtantia; & in multis caſibus præjudicia plus valent quam judicia. Aſſuetus, non amplius moveor: ſed, ut ab aliis ferri velim ipſe, ſic fero alios. Perſequar Prophetam ordine, ne quid temere prætermiſerim intactum.

Argumentum ſpeciale de *Vanitate Idolorum*, deſumptum ex ignorantia Cyri, ℣. 25. ſeqq.

Summa & Nexus orationis Prophetæ.

Hypotheſis interpretationis; agi hic de Cyro.

℣. 25. *Excitavi ab Aquilone & venit; ab Oriente Sole qui invocet Nomen meum.*] Sic diſtinguenda eſt ſententia ſecundum Maſorethas; figendum *ſemicolon* poſt vocem, *venit:* quæ doctrina illorum recte ſe habet. Hieron. *Suſcitavi ab Aquilone, & veniet ab Ortu Solis*; & paſſim Recentiores, & ipſi quoque Belgæ. Differentia videtur levicula; ſed peritiores videbunt quam ſolide hic ut paſſim, Maſorethæ judicium ſuum adminiſtraverint, & quid plus vel minus elegantiæ Jeſaianæ conveniat, diſcreverint. Lege cum ipſis, nec opus habebis cum Piſcatore inſerere copulam, Et *invocabit Nomen meum.* Ecquæ vero illuſtris illa perſona de qua Propheta loquitur? Sunt qui hic de Chriſto cogitant, quorum ſtudium ſemper eſt laudabile, modò exerceatur cum διακρίσει. Ipſi Belgæ Intt. id hic loci adſcripſerunt. Quæris, quo ſenſu noſter Meſſias, natus ex Maria Virgine Bethlehemi, dici queat *veniſſe ab* Aquilone, &c.? Interpretantur, de Chriſto id dici hoc ſenſu quod *Imperium ejus ab uno Orbis extremo ad aliud extenderetur:* & conferri volunt Matth. viii. 11. quod de Chriſto noſtro acceptum, valde quæſitum eſſe, quiſque videt. Et tamen quæſitius illud Pellicani, Viri ſane meritiſſimi, qui illud ex *Aquilone* hic exponit per *ex cœlis?* Vide quorſum labantur Docti etiam Viri, ubi in falſas incidunt hypotheſes. Sed Vir prudens mox ſe vertit ad *Cyrum*, ut Chriſti Jeſu typum. Judæi qui Chriſtum ſuum hic vident, quem ſibi perſuadent in Regionibus Mediæ, & Aſſyriæ, appariturum eſſe; ſe hic ſecundum hypotheſin ſuam melius expediunt: ſecundum hypotheſios abſurditatem, pejus: & facit illud ſane Joſephi Kimchi, cujus ſententiam filius confirmat. Antiqui Intt. Euſebius, Hieronymus, Cyrillus, cum viderent prius attributum Chriſto Jeſu non convenire: per *Excitatum* ſive *excitandum ab Aquilone* intellexerunt Gentes, vocandas ad communionem Dei per Verbum Evangelii, & per *Eum qui venit ab Ortu Solis*, Chriſtum Jeſum, in quem Gentes crederent. Verba itaque complexe ſecundum ipſos hunc dant ſenſum: *Excitavi Gentes ex Aquilone*, ubi cenſetur eſſe ſedes Gentium, *ut credant in Eum qui venit ab Ortu Solis.* Piſcator in univerſum intelligit *Electos ex Gentibus*, per Verbum Evangelii ad communionem Dei adducendas. Cocceji hic valde paradoxa eſt ſententia, quam non recenſeo. Non impetro autem à me ut hypotheſin de Chriſto & Populo Chriſtiano ſerio refellam. Nullus hic verus & proprius character Chriſti & Populi Chriſtiani reperitur. Contra eſt. Et ſi myſtice de alio ſubjecto cogitari poſſet: ab ipſo Propheta ſecum comparato refelleretur. Quod tamen Græci Intt. Euſebius quem Hieronymus ſequutus eſt, & Cyrillus, hic cogitaverint de *Gentibus*, h. e. pluribus Subjectis: haud dubie fecerunt in errorem ducti ab Int. Alexandrino, qui verba vertit: *Ego autem ſuſcitavi eum Qui ab Aquilone eſt, & Qui ab ortu Solis*, κληθήσονται τῷ ὀνόματί μου· vocabuntur *nomine meo.* Sed in Hebræo eſt, *Et invocabit nomen meum.* Plerique ſui ſenſus homines viderunt hic agi de Cyro, inter quos Liranus, Vatablus, Pintus, eſtque communis interpretatio. Chaldæus quoque eum in oculis habuit, & Jarchius ipſe etiam, licet allegoricis Veterum interpretationibus multum tribuens, hic Cyrum demonſtrat. Calvinus noſter eatenus à communi hac ſententia diſſentit, ut per *Excitandum ab Aquilone* intelligi velit *Chaldæos* formandos in illuſtre aliquod Imperium; & per *Venturum ab Oriente*, ipſum *Cyrum*, venturum ad hoc Imperium Chaldæorum deſtruendum. Nihil hic cogitavit Vir magnus, ſapientia ſua indignum. Erudita eſt quam proponit, conjectura, cui tamen plane non ſubſcribo.

℣. 25. Excitavi ab Aquilone, & Genuina diſtinctio ſententiæ hujus com matis.

Maſoreth laudati, qu rum lectio interpunct hic proba tur.

Quo ſen Intt. qui h verba ad Chriſtum referunt, cant, illu *excitatum eſſe ab Aq lone?*

Meditati illorum n laudatur.

Quomo Judæi hu locum ac piant?

Et Intr. Chriſtian Veteres.

Sententi Piſcatoris.

Intt. Gr corum Ve rum inte pretatio n tur Verſio Alexandri na.

Oratio P phetæ ac pienda eſt Cyro.

Sententi Calvini.

a Vide Glaſſ. *Gram. S.* Lib. iii. Tract. i. Can. xxxix. b Deut. xviii. 12. xxii. 5. c 2 Reg. i. 6.

ſcribo. Simplicitas totius contextus ſuadet locum exponere de *Uno Subjecto* ad quod referuntur omnia attributa. *Excitavi ab Aquilone*, ſc. Cyrum qui cum exercitu bene inſtructo movit ex Media, ad Aquilonem Babylonis & Judææ. Sic Vates ỳſ. 2. QUIS EXCITAVIT *ab Oriente Eum cui Juſtitia ad pedem occurrit?* Cap. XLV. 13. *Ego illum excitavi in Juſtitia. Et venit ab Ortu Solis Qui invocat Nomen meum.* Ex *Perſia* ſc. ad Ortum Solis tam Judææ quam Babyloni. Inde movit hic Princeps in Mediam, ut ỳſ. 2. *Invocaſſe* autem *Nomen* Dei, h. e. agnoviſſe veritatem Dei Iſraëlis, perſuaſum de eo à Daniele, & piis Judæis qui in Aula ejus & Cyaxaris verſabantur [a], &, quidem ex ipſis hiſce prophetiis Jeſaiæ, ipſi exhibitis, (quod pariter probabile eſt Joſepho [b]:) liquet ex Edicto ejus apud Ezram, Cap. I. 2. ſeqq. Nihil eo diſertius, ut vel dicendum ſit, fictam eſſe Edicti formulam, quod Deus avertat; vel agnoſcendum quod hic dicitur. Nec pugnat cum hypotheſi quod idem noſter Propheta de illo habet, Cap. XLV. 4. *Et ego vocabam te de nomine tuo, & appellabam te,* ולא ידעתני *& non cognoſcebas me.* ſc. ex Religione Patria, antequam me propius tibi revelavi. Sunt autem alia etiam quæ id efficere queant probabile. *A*

Et ſupervenit ſive *ſuperveniet Antiſtitibus*, ut eos tractet *tanquam lutum; & tanquam figulus conculcat argillam.*] Duplex eſt ellipſis in ſententia. Prior in verbis, ויבא סגנים *Et venit Principes.* h. e. veniens *invadet Principes*; vel, *ſuperveniet Principibus.* Debebat eſſe integre, ויבא על סגנים *Et veniet adverſus Principes.* Sed non eſſe illam ellipſin vocis inſolentem, jam obſervavi ad ỳſ. 3. Altera ellipſis eſt notoria. Hebræa oratio ſonat, *Et invadet Principes ut lutum*; ſive, *ſuperveniet Principibus ut luto.* h. e. ut eos ſubigat, ſibi ſubjiciat, tractetque pro arbitrio ut rem vilem cujus nulla habetur ratio. Metaphoram jam habuimus Cap. x. 6. & alibi [c] non infrequens occurrit. Similitudo *figuli* & *argillæ* eodem tendit. Ut enim in cœno pedibus noſtris ſubjecto nihil eſt quod calcantibus reſiſtit: perinde neque in argilla, manibus figuli tractata, aut pedibus calcata. Vox סגנים hic eſt electi uſus pro *Principibus*, *Proceribus*, & cujuſque generis *Ducibus* ac *Præfectis*, quippe quæ præcipue in uſu fuit apud Chaldæos, adverſus quos Cyrus à Deo ſuſcitandus erat. Sic apud Jeremiam in prophetia adverſus Babylonem, Cap. LI. 23. in alloquio ut videtur, ad Cyrum: *Ego contundam per te Duces* וסגניו *&* ANTISTITES, Præfectos. Rurſus ỳſ. 28. ſumitur de Magnatibus Mediæ. De re ipſa, ſi ad Cyrum referatur, nemo dubitat. Fuit Orbis domitor, cujus conaminibus omnibus ſucceſſus ex voto reſpondit, ut omnes intellexerint, ſingularem quandam Dei providentiam ejus eventus adminiſtrare. Videnda ſunt quæ ſcripſi ad hujus *Sectionis*, ỳſ. 2. & conferenda prophetia Cap. XLV. I. ſeqq.

ỳſ. 26. *Quis illud ab initio annunciavit, ut illud cognoſceremus? & longe ante, ut diceremus*, VERUM EST. *Quin vero nemo eſt qui id aperte promulgavit; nemo eſt qui audit dicta veſtra.*] Senſus clarus & perſpicuus; inter Vaticinatores, Divinos, Sciolos, Oneirocritas, Gentium neminem fuiſſe, qui Cyri à Deo adverſus Babylonem excitandi & Orbem Aſianum totum ſibi ſubjecturi ullam claram prædictionem ediderit. omnes hic ſiluiſſe. Deum verum per Prophetas ſuos, & quidem clariſſime per Vatem noſtrum, prænunciaſſe hunc paradoxum eventum, CLXX ante rem geſtam annis, ſi intra limites editæ hujus prophetiæ & expugnatæ Babylonis conſiſtas. tot enim fere ex noſtra hypotheſi interfluxerunt. Joſephus [d]: Ταῦτα δ' ἔγνω Κύρος, ἀναγινώσκων τὸ βιβλίον, ὃ τῆς αὐτῷ προφητείας ὁ Ἡσαΐας κατέλιπε πρὸ ἐτῶν σί· *Hoc autem Cyrus cognovit ex lectione Libri qui Jeſaiæ prophetias continet, ducentis & decem annis ante ejus ætatem conſcriptas.* Potuit ſic loqui in aliqua latitudine, ſi ad prima Jeſaiæ initia aſſurgeret. Mox addit: Ταῦτα Ἡσαΐας προεφήτευσεν ἔμπροσθεν ἢ κατασκαφῆναι τὸν ναὸν, ἔτεσιν ῥμ'· *Hæc Jeſaias prædixit centum quadraginta annis antequam Templum devaſtatum eſt.* Ex hypotheſi noſtra ſufficiunt centum & viginti. Sed Joſephus ſuas in Chronologia ſequutus eſt rationes, non ſemper accuratiſſimas: ſuppoſuit etiam, inter deſolatum Templum & initia Cyri Babylonica interfluxiſſe Annos LXX: quod ſatis conſtat ſecus ſe habere. Sed id plane nobis nunc perinde eſt. In phraſi Prophetæ obſervabis, hæc ejus verba; ונאמר צדיק הוא recte à nobis verſa videri: *Ut dicamus, Verum eſt:* hoc ſenſu, *Verum* eſt prædictionis implementum. Eventus prophetiæ exacte & ad numeros reſpondet. Hiſtoria à prædictione non aberrat. analogia perfecta eſt. Sic Alexand. Ὅτι ἀληθῆ ἐστιν. Chald. ונאמר קשוט *Ut dicamus, veritas eſt.* Eſt vera & propria notatio vocis צדיק. notat quid ſtabile, firmum, conſtans, in bonis fundatum rationibus, & principiis. Sic Cap. XLV. 23. צדקה pro דבר צדקה *Verbum verum.* proprie, *Verbum juſtitiæ.* Sed *juſtitiæ* & *veritatis* notiones inter ſe conveniunt. Res eadem, certe fundamentum rei idem eſt. Vidit quoque Cl. de Dieu, quem hic lubens laudo. Qui hic cum Hieronymo vertunt, *Juſtus es*, vel *Juſtus eſt:* non perſpexerunt ſententiam Prophetæ, & neceſſe habent longe quærere, quod ſe ultro iis non offert. Obſerva præterea gradationem, quæ in *fine commatis* occurrit. Primum eſt, אף אין מגיד *Etiam nemo clare prænunciat*, ſive *ante oculos ſiſtit.* Nemo clare & diſerte de hoc Eventu loquitur, aut loquutus eſt. Alterum, *Etiam nemo audiri facit:* de eo aliquid vulgat per *famam*, aut per præcones à ſe ſuſcitandos. Tertium, *Etiam non eſt qui audit dicta veſtra.* Eſt gradatio tertia, in hunc ſenſum: Nemo vel audit vos Vaticinatores & Divinos Gentium, ea de re qualicunque modo commemorantes aut narrantes, aut de hoc ſingulari eventu ſuſurrantes. Altum hic apud vos eſt ſilentium.

ỳſ. 27. *Primus Tſioni: Ecce, ecce illa! & Hieroſolymæ dabo præconem boni nuncii.*] Pertinent verba manifeſte

Cyrus ſuſcitatus eſt ex *Aquilone.*

Et *ab Ortu Solis.*

Quo ſenſu dicatur *invocare Nomen Dei?* Habuit notitiam veri Dei.

Locus Cap. LV. 4. cum hoc collatis.

Verba Prophetæ: *Et pervenit Antiſtitibus ut luto, &c.* Ellipſis genuina in ſententia Prophetæ.

Metaphora à *luto* rempta, non frequens Verbo Dei.

Uſus vocis סגנים h. l.

ỳſ. 26. *Quis illud ab initio annunciavit, &c.* Senſus orationis.

Transfertur ad Cyrum.

Locus Joſephi.

Verba Prophetæ: *Ut dicamus, Verum eſt.* Senſus eorum.

Uſus genuinus vocum צדיק & צדקה apud Hebræos.

Gradatio in fine *hujus commatis.*

ỳſ. 27. *Primus Tſioni:*

---

a Dan. VI. 29. *b Antiq.* Lib. XI. Cap. I. *c* Mich. VII. 10. Zach. X. 5. *d Antiq.* Lib. XI. Cap. I.

A Equidem verum eſt, Herodotum & Xenophontem de eo nihil tradere, & ex Xenophonte etiam, ubi extrema Cyri deſcribit, liquido patere, illum in Deorum Patriorum cultu perſtitiſſe. Sed quis exſpectet? Xenophon, qui hiſtoriam extremorum ejus ex ingenio ſuo ornavit, hic locutus eſt ex hypotheſi; & ex eo nihil hic colligi poteſt. Obſerva itaque, primo, Pauca nobis certa relicta eſſe de Cyro, poſtquam adeptus fuerit Monarchiam Babylonis. Ex hiſtoria itaque Vetere nihil hic affirmari vel negari poſſe. Et tamen non abhorrent ab hypotheſi verba quæ Cyro tribuit Herodotus in Oratione ad Hyſtaſpem, L. I. C. 209. Ἐμεῦ Θεοὶ κήδονται, καὶ μοι πάντα προδεδηλώκασι τὰ ἐπιφερόμενα· DII MEI CURAM GERUNT, *& quæcunque eventura ſunt mihi oſtendunt.* Pertinent hæc ad Cyrum jam totius Orientis Monarcham. Plane mihi perſuadeo, Cyrum ductum eſſe in notitiam veri Dei à Daniele & Aulicis Judæis, fide ei facta ex ipſis hiſce Prophetiis Jeſaiæ. Secundo, non videri probabile, Cyrum ita agnoviſſe *veritatem Dei Iſraëlis*, ut plane renunciaverit cultui Patriorum Deorum: quod nemini paradoxum videatur. Gentes enim cum plures conciperent Deos veros, majores minores; poterant utique veritatem plurium Deorum & inter eos *Dei Jehovæ* ut Dei excellentiſſimi agnoſcere, etiamſi propterea non ſpernerent Deos Patrios. Nec tamen id tantum volo. Inter omnes quotquot fuerunt Gentes, nullæ fuerunt quarum Religio ad Judaicam propius acceſſit, quam Perſarum. Colebant illi unum maxime Deum, Jovem ſive Solem, & quidem abſque *ſtatuis* & *imaginibus*, eique *ſacra* faciebant in *altis montibus*, & ſymbolum ejus conſervabant in *Igne.* Id ex Herodoto & Xenophonte, aliiſque Veterum melioris notæ, (ſunt enim & aliorum hic vagæ & confuſæ traditiones, ſe invicem deſtruentes,) notum. Nec à me probatur, quia plane nolo ad aliena digredi. Inſpiciendi ſunt doctiſſimi & notiſſimi nominis Viri qui de *Idololatria* & ſpeciatim de *Religione Perſarum* Veterum noſtro etiam tempore, commentati ſunt. Tertio, veriſimile habeo, quæ Magi Perſarum antiqui, Zoroaſter, Hyſtaſpes, Oſthanes, quos recenſet ex Veteribus Stanlejus (*Hiſt. Phil. Orient.* Lib. I. Cap. I. II. III.) de *vero Deo* tradiderunt, conſentanea Theologiæ Judaicæ, hauſiſſe illos ex Daniele & Judæis, in Perſia & Media & apud Aulas illorum Regum verſatis. Non ſum tam credulus, ut quæ Zoroaſtri tribuuntur, (Perſæ rectius quam Chaldæo,) pro veris omnia adoptem: tantum exiſtimo, veri aliquid iis ſubeſſe. quod mihi ſufficit. Vixerunt autem circa ipſum illud tempus quod hic ſigno, h. e. Cyri. quod abſonum non eſt de ipſo quoque Zoroaſtre prædicari, cujus eſt incerta ætas. De Hyſtaſpe, qui cum Cyro verſatus eſt, certiſſimum eſt. Etſne itaque alienum à ratione, Cyrum, Principem Philoſophum, rationis amantiſſimum, in eaſdem ſententias veniſſe; quæ tam ſimiles ſunt Judaicis ut ex Theoſophiæ Judaicæ fontibus manaſſe videantur?

Ecce, ecce illa! Sensus sententiæ.

niseste ad implementum superioris Vaticinii, estque sensus sententiæ; Deum, qui primus illum Eventum Cyri ut Liberatoris sui Populi & destructoris Monarchiæ Babylonicæ tot ante annis populo suo prædixit: primum quoque, ubi exituri sunt in Mundo motus inter Gentes, Medos, Persas, Armenios, Lydos, Babylonios qui tendent ad executionem magni hujus Operis à Deo præfiniti; sive, ubi Cyrus se primo moturus est ad hosce Populos bello oppugnandos; primum, inquam, Populo suo suscitaturum esse Prophetas & Doctores publicos, qui attendentes ad executionem Consiliorum Dei, ubi hos motus observaverint, tanquam Præcones boni nuncii Populo Dei dicturi sint; *Ecce, ecce illa adsunt*, quæ Jesaias, Michas, Habakuk, Jeremias, aliique Prophetæ de Liberatione à Deo Populo suo procuranda clare prædixerunt. *En*, dicent, *ecce*, adsunt quæ Prophetæ nostri soli inter omnes Divinos Orbis de magnis hisce rebus tanto ante tempore Ecclesiæ prænunciarunt! Conferri hic omnino debet Visio, cui titulus, *Desertum maris*, Cap. XXI. à ℣. 6. seqq. ubi exhibentur Prophetæ & Doctores Verbi Dei cum piis consistentes in specula circa tempus Liberationis à Prophetis definitum observantes *motus Mundi*; & ubi *primos* advertunt, mox declarantes Populo Dei ad ejus consolationem, adesse quæ fieri oportebat juxta prophetias: Deum nunc in eo esse, ut exequatur prædicta & promissa juxta consiliorum suorum accuratissimas rationes: cum contra Divini aliarum Gentium existimarent ac prædicerent, hosce motus tot potentium Regum & omnium fere Asiæ virium adversus Medos insurgentium iis funestos fore; Babylonii autem non viribus tantum suis, sed & munimentis Urbis suæ fidentes conatibus Cyri illuderent. Quod ad phrasin Prophetæ: Interpretes passim sententiam in duo membra divellunt, quando prius accipiunt ut ellipticum, hoc modo supplendum: *Primus* Ego *Tsioni* dico: (non, *dicit*, ut Hieronymus:) *Ecce, ecce illa*: sed Lud. de Dieu observavit, sententiam accipi posse, ut integram, cui nihil desit, modò hic admittatur *transpositio vocum*, in hac Lingua *mire elegans; sed aliis Linguis inimitabilis*, in hunc modum: *Primus dabo Tsioni & Hierosolymæ lete annunciantem*, (Præconem nuncii boni, dicentem,) *Ecce, ecce illa!* Observatio docta est; & nihil hic repugno. Si Propheta sententiam in duas dissolvi voluisset, haud dubie scripsisset: ראשון אני לציון *Primus Ego Tsioni* sc. dico. Nec dixerim tamen, *transpositionem* hanc aliis Linguis esse *inimitabilem*. nihil enim habet insolens. Elegantia quam Vates in omni sua oratione presse sectatur, in eo hic consistit, quod sententia tota concepta sit ad modum ejus, qui ad eventum aliquem lætum & jucundum, cujus notitiam consecutus est, *cum festinatione* ejus nuncium ad alios refert, concisa & abrupta sententia explicans & demonstrans *rem præsentem*, ab aliis ante se hactenus non observatam. Inde illud, *Primus Tsioni, Ecce, ecce illa!* Languidior & minus concitata oratio videretur, si illud, *Ecce, ecce illa!* integræ sententiæ esset subjectum. Oratio est hominum qui longum tempus exspectarunt lucem & ad eam anhelant, ubi primum auroræ crepusculum observant: *ecce*, ajunt, *ecce*, adest.

Doctorum Publicorum est, indicare implementum prophetiarum.

Animadversum ad phrasin Prophetæ.

Sententia non est divellenda in duo membra, sed accipi potest integra.

L. de Dieu laudatus.

Metaphora hujus sententiæ unde desumpta sit?

℣. 28. *Et circumspicio & nemo adest: & quidem ex his, sed nullus est consiliarius*; nulli *quos interrogem, & qui mihi respondeant.*] Sententia facilis, superioribus consentanea, Deum (sub quo hic Prophetæ & veri Doctores intelligi debent,) circumspexisse diligenter & quæsivisse, num quis esset, & quidem ex Vatibus, Hariolis, & Divinis Gentium præcipuis, qui de hoc Eventu paradoxo quicquam prænosceret, aut certi quid prædicere posset: sed inventum esse neminem. siluisse omnes. obmutuisse & profiteri coactos ignorantiam. Ita est, Propheta sic instituit omnem suam orationem & demonstrationem, ut nihil à tergo relinquat, sed ad extremam lineam omnia persequatur.

℣. 28. *Et circumspicio & nemo adest, &c.* Vis sententiæ.

Mos Prophetæ, omnia perfecte exequi.

Propheta retundit exceptionem, quæ ad superiora videbatur inferri posse.

Excipi poterat ad superiora, forte summam hic non esse adhibitam diligentiam in consulendis Divinis, Vatibus, Astrologis, Chaldæis, aut Oraculis Gentium, optimi generis, & fama maxime in Orbe celebratis: gregarios forsitan & imperitiores huic Disputationi mixtos in medium prodiisse: meliores se subtraxisse vel præteritos esse. Respondet Vates noster, summam hic adhibitam esse diligentiam, & adhiberi posse à quoque qui hanc Disputationem persequi velit. neminem inventum esse, neminem inveniendum, qui ad exemplum verorum Prophetarum hunc Eventum cum omnibus suis circumstantiis præsciverit unquam aut prædixerit. Laudem hanc & gloriam esse solius Dei Israëlis. Omnes potius Divinos Gentium, & Chaldæos maxime de quorum agebatur Imperio, contrarium prædixisse, & Imperio suæ Gentis, h. e. Babylonico, stabilem prædixisse fortunam. Ad eos præcipue referendum est, quod hic dicitur, ומאלה & EX HIS. Demonstat *Chaldæos*, (nomine sensu Veterum sumpto pro *Theosophis* hujus Gentis,) *Astrologos, Vates, Magos*, quorum fama erat celeberrima. Id vero luculenter patet ex Cap. XLIV. 24. ubi plane differit de eodem hoc argumento, h. e. de Liberatione Ecclesiæ per Cyrum: *Ego sum Jehova -- qui irrita facio signa Falsiloquorum, & DIVINOS infatuo; qui Sapientes retrorsum ago, & scientiam illorum in stultitiam verto.* Intelliguntur Chaldæi, Magi, Theosophi, Astrologi, qui in Libro Danielis [a] dicuntur *Incantatores, Astrologi, Præstigiatores, & CHALDÆI.* Ex *his* ait Deus celebribus futurorum Hariolis neminem fuisse qui de hoc memorabili Eventu aliquid auguratus sit: contra omnes in contrarium respondisse & ceciniisse.

Verba, & ex HIS, referenda sunt ad Chaldæos.

EPILOGUS sive *Conclusio* Disputationis.

℣. 29. *Ecce ad omnes illos* quod attinet: *vanitas, nihilum opera ipsorum* sunt: *ventus & inane quid fusilia ipsorum.*] Sic distinxerunt sententiam Masorethæ, nec dubium quin veram mentem Prophetæ assequuti sint. Licet alioquin legere, sensu nihil differente: *Ecce omnes illi vanitas: nihilum opera ipsorum.* Sic plerique olim Hieron. & ante eum Theodotio: sed sensu eodem, & nihil differente. Collectio instituitur ex superioribus, in hanc exiens sententiam, Idola à quorum influxu Vates Chaldæi videri volebant petere Revelationes futurorum, esse falsa, rem nihili, vanam, fictam, nec colendam, nec metuendam. Cultores autem & Vates illorum esse Impostores, Falsiloquos, Hariolos, simplicitati & credulitati plebis illudentes, qui Prophetarum nomen non mereantur. Nihil solidi iis subesse: omnia inania. Per מעשים OPERA hic intelliguntur omnia artificia, machinationes, doli, quibus Sacrificuli & Vates utebantur in deludenda plebe & existimatione sua conservanda ac stabilienda; & *Vaticinationes* omnes de rebus futuris ab ipsis editæ. Hæc *Opera omnia* declarat Propheta post legitimam demonstrationem, esse *rem inanem & nihili.* Sic Apostolus [b]: *Novimus, ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ. Idolum* NIHIL ESSE *in mundo.* In Vulgata Editione τῶν ὁ. ultimum membrum ita effertur: Καὶ μάτην οἱ πλανῶντες ὑμᾶς· *Et frustra sunt qui vos seducunt.* Sic quoque Codex Alexandrinus. Sed *Origeniana* in MSS. *Rupefucaldino*, & *tribus aliis*, quæ recenset Cl. Grabius [c], habent, οἱ πλάσσοντες ὑμᾶς· *qui vos fingunt.* cujus lectionis mentionem quoque facit Morinus. Nec dubium quin lectio sit genuina, etsi vitium sit antiquissimum. Scripserunt integre. Οἱ ποιοῦντες ὑμᾶς μάταιοι, καὶ ματαιότης οἱ πλάσσοντες ὑμᾶς.

EPILOGUS sive *Conclusio* Disputationis.

℣. 29. *Ecce, ad omnes illos* quod attinet, &c.

Masoretharum distinctio hujus sententiæ laudatur.

Quo sensu Hariolis & Prophetæ Gentium dicantur esse *nihil & vanitas?*

Vitium in Vulgata lectione ℣. 29. h. l.

Ad illud animadversio.

ANACRISIS & PENSITATIO ARGUMENTI JESAIANI, quo pugnat pro veritate Dei Israëlis ex *prophetiis*, & speciatim ex prædictione *Cyri* ut Liberatoris Populi Dei.

Pensitatio Argumenti.

I. Demonstratio Veritatis Dei Israëlis ex prophetiis, quam Jesaias Deum ipsum hic introducens loquentem, hac

[a] Cap. II. 2. [b] 1 Cor. VIII. 4. [c] De Vitiis LXX *Intt.* ante Orig. *Dissert.* II. §. 4.

hac in Pericopa instituit, gemini est aspectus. altera, ut vidimus, *generalis*, vſ. 21--24. Altera *specialis* de Cyro, non præcognito aut prædicto à falsis Prophetis, vſ. 25--29. Hypotheses, in quibus Propheta hanc disputationem & demonstrationem fundavit, sunt præcipue, α. Prædictionem *futurorum contingentium* quæ dicuntur, esse inter proprietates *veri Dei*, & quidem *Dei* solius. β. Eam desiderari inter Gentes. γ. argumento sumpto ex *Cyro*, Destructore Monarchiæ Babylonicæ, & Liberatore Populi Dei, ab ipsis non præscito & prædicto. δ. Quem tamen Eventum Prophetæ Populi Dei in omni circumstantia sua prænunciaverint. His, inquam, stat hypothesibus disputatio & demonstratio Prophetæ, in quarum veritatem soliditatemque operæ pretium est diligentius inquiri.

Pro vero Deo quo hic utitur Jesaias.

Hypotheses in quibus Propheta demonstrationem suam fundat.

II. Quod ad primam hypothesin attinet: Prænotionem futurorum fortuitorum esse inter proprietates *Dei*, h. e. Deum præscire & prænosse *futura*; omnes antiqui temporis mortales supposuerunt. Cum enim Divinatio inter Gentes ubique recepta esset: ratio docet, omnes id supposuisse. *Gentem quidem nullam video*, ait Tullius [a], *neque tam humanam atque doctam; neque tam immanem atque barbaram, quæ non significari futura, & à quibusdam intelligi, prædicique posse, censeat.* Eam autem *Scientiam* supposuerunt *solius Dei*, sive, ut ipsi loquebantur, *solorum Deorum* vel *Dæmonum* esse: superare perfectionem humanæ mentis. Inde enim *futura præcinentes* omnes habiti fuerunt ἔνθεοι *Enthei*, Deo pleni; θεοφορέμενοι *à Numine afflati*, & ex commercio ejus proximiore in *furorem acti*: Oraculis habiti sunt præesse Dii; Somnia vaticinantia à Diis immitti: & quæ hujus generis plura. unde recte se habet collectio apud eundem Tullium: *Si sit Divinatio: Dii sunt.* Cum enim *futurorum prænotio* tantum arcessi queat ex duabus caussis, h. e. vel ex scientia æternæ cujusdam seriei & nexus rerum, quem Veteres *fatum* appellarunt, ut quibusdam visum; vel ex potestate superiore causſas liberas in omni sua operatione dirigente actionesque earum suo consilio circumscribente ac moderante: neutrum humanæ imbecillitati convenit. Quippe si forte *fatum* detur, sic dictum Stoicis: ejus notitia fugit intellectum humanum. Neminis enim mortalis tanta est perspicacitas ut nexum illum & seriem acie mentis suæ perspiciat. Si vero futurorum prænotio pendeat à *directione causſarum liberarum in suis operationibus*: potestas illa humana facultate superior nullius nisi Dei est. Ejus itaque solius vera & propria est scientia & præscientia consiliorum suorum. Ut adeo id saltem certum & extra dubitationem maneat, Divinationem & certam prænotionem futurorum quæ *contingentia* dicuntur, supponere naturam humana excellentiorem, h. e. Divinam. *Divine* autem *Naturæ* hanc proprietatem adesse, vel collegerunt ex exemplis ipsis vaticinationum verarum, quas eventus comprobavit; vel ex perfectione Naturæ Divinæ, cujus intelligentiam censuerunt esse perfectissimam, & nullum intelligibile excludere. Cum enim intellectus hominum præterita & præsentia complectatur; ad futura stupeat vel conjecturam incertam adferat: Divinam intelligentiam par esse ut credamus non *præsentia* tantum & *præterita*, verum etiam *futura* prænoscere, ut de Calchante Augure apud Homerum,

Prima hypothesis: *Prænotionem futurorum esse inter Proprietates veri Dei.*

Quam passim Gentes admiserunt.

Ejus demonstratio ex M. Tullio.

Unde collegerint Veteres, Divinæ Naturæ hanc ineſſe perfectionem?

Οὃς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα·
Qui sciebat & PRÆSENTIA, & FUTURA, & PRÆTERITA.

Dicta quædam Exoticorum, huc allata.

Convenit illud Cambysis ad Cyrum apud Xenophontem [b]: Θεοὶ ἀεὶ ὄντες πάντα ἴσασι, τὰ γεγενημένα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ ὅ, τι ἐξ ἑκάστων αὐτῶν ἀποβήσεται· *Dii immortales omnia norunt, & præterita, & præsentia, & quorsum singula exitura sint.* Adscribo tantum illud Dionis de Pugna Philippensi [c]: Τὸ γὰρ δαιμόνιον, ὥσπερ πέ καὶ ἀεὶ πρὸ τῶν ἀτοπωτάτων φιλεῖ προσημαίνειν, πάντα σοφίσιν ἀκριβῶς καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ἐν τῇ Μακεδονίᾳ τὰ ἐκβάντα ἀπ' αὐτῆ προεμανθεύσατο· *Deus enim, quemadmodum res maxime mirandas semper fere prædicere amat, omnia hoc certamen sequutura, ipsis Romæ & in Macedonia præsignificaverat.* Hæc communis fuit opinatio Gentium. Equidem verum est, non defuisse inter Philosophos qui Divinationis omne genus exploserunt, ut præter Epicureos Colophonius Xenophanes: tum quoque qui negaverunt, ullam *futurorum prænotionem dari posse*, quippe *quibus non placet esse certum quod futurum sit*, ut eos describit Cicero [d]. Sed fuit hæc sententia paucissimorum. Persuasio de summa perfectione intellectus Divini vicit apud Vulgum & apud Philosophos, ut saltem *dari posse* statuerint, qui *dari* dicere noluerunt. Et tamen probabile est, exempla Revelationum Fatidicarum sive ex traditione sive ex experientia petita, ad hanc demonstrationem maximam attulisse vim. de quo nunc videndum.

Contraria sententia fuit paucorum.

III. Altera hypothesis Jesaiana est, *Prædictionem futurorum contingentium inter Gentes desiderari.* Propheta enim Deum infert, cum pro Divinitate sua apud Gentes disputet, ipsas illas Gentes Gentiumque Mystas ac Præfectos Sacrorum provocantem, ut in medium proferrent, si quid de *fortuitis futuri temporis* certi prædicere possent. Sic enim *Idolis* eorum constituram fidem & auctoritatem. Id si præstare nequeant, pro nullis habenda. Supponit itaque manifeste, nullam Vaticinationem apud Gentes ejus temporis celebratam esse. privilegium hoc esse solius Populi Dei. Quid vero? Utique Populi omnes cultiores Asiani, Ægyptii, Græci, jactarunt *Revelationes Rerum futurarum*: suos, inquam, habuerunt Vates, aut Vaticiniorum signorumque Prognosticorum Interpretes. ut certe, si Gentes pro superstitione sua probanda ullum producerent argumentum: non aliunde petere possent quam ex *Revelationibus futurorum*, quibus gloriabantur. Ubi enim est contingentium Revelatio certa, ibi Deus est. Quæ cum mecum expenderem: hæsitavi, an non hæc ipsa digressio Prophetæ nostri æque ac sequentium Concionum, quâ veritatem Dei Israëlis adstruit ex *Prædictionibus futurorum*, spectanda sit per modum *Responsi* ad argumentum ab ipsis Idololatris pro veritate Superstitionis suæ prolatum: Ut cum Propheta sustinuisset probare *Idolorum vanitatem*; Præfecti hujus superstitionis exciperent, Non esse Idola rem vanam atque inanem, liquere ex *Vaticinationibus* ac *prophetiis* quæ inter Gentes deprehendebantur: inde vero Prophetam nostrum negare, Rem ita se habere. contra vero illud argumentum retorquere in adversarios. Sed utcunque rem ceperis: Vates noster supponit, inter Gentes non extitisse Revelationes & Divinationes futurorum. Paradoxum! Si enim superstitio ulla in re luxuriata est & vim suam ostentavit: hic locus est. Habuerunt utique Gentes illius jam & longe antiquioris temporis Oracula; Astrologos qui *Chaldæi* dicebantur; augures, haruspices, Oneirocritas & Prodigiorum Interpretes; Sibyllas, si traditioni credere licet; pythones & hariolos; Vates furibundas; Necyomantas; sortilegia. Ex singulis vero harum Divinationum speciebus artes & disciplinæ effectæ erant. Quid igitur Jesaias congressurus cum Idololatris hac parte eos tentat, qua maxime ad ictum excipiendum muniti videbantur? Ita est, negari nequit, Gentes exteras hoc privilegium suæ superstitioni vindicasse: sed dicendum, Mystas, sacrorum Præfectos, Plebem vel turpiter delusisse, vel captos superstitione delusos esse ipsos; & hanc ipsam ob rationem Spiritum Dei captare voluisse occasionem vanitatis hujus superstitionis redarguendæ & confutandæ. Docet manifeste hoc in loco, in Idola & Idolorum ministros hanc facultatem futura prædicendi non competere. esse hanc proprietatem veri & summi Dei; idque ipse rursus confirmat Cap. XLIV. 23. XLVI. 10, 11. Sic Zacharias [e]: *Imagines* (THERAPHIM, Astro-

Altera hypothesis Prophetæ: *Prædictionem futurorum desiderari apud Gentes.* quod ex verbis Prophetæ educitur.

Hypothesis videtur paradoxa, cum Populi omnes jactarint *Oracula* vel *Divinationes.*

Animadversio ad nexum Orationis Prophetæ.

Hypothesis Prophetæ videtur paradoxa, Gentes non habuisse *Revelationes futurorum.* quas per varias species jactarunt.

Sed falso. quod declaratur.

Prophetæ Dei Genti-

a De *Divin.* Lib. I. in init. b Xenoph. *Inst. Cyri* Lib. I. p. 17. c *Hist.* Lib. XLVII. f. 234. d Lib. II. de *Divin.* e Cap. X. 2.

bus hoc privilegium negant.

strologiæ Judiciariæ inservientes, Talismanes,) *loquuntur vanitatem; & Divini vident falsum; & Somnia vana loquuntur.* quæ sententia Prophetæ ita à nobis tenenda est, ut ab ea discedere non liceat. Quid itaque? An apud Gentes nulla plane fuit prænotio vel præsignificatio futuri? nulli homines afflati à vi humana superiore, qui futura prædixerint? nulla signa prognostica Eventuum à præternaturali caussa edita? Num omnis hæc superstitio originem suam traxit ex ingenio, arte, dolo, Sacrificulorum & Vatum, credulitati hominum imponentium? Difficillimum solutu quæsitum est, & quod absque diligente disputatione terminari nequit. Marcus Tullius cum in Libris de *Divinatione*, primo eorum, Quinctum Fratrem introduxisset solicite recensentem argumenta quæ *Divinationis* fidem videbantur asserere posse secundum varias ejus species: ipse Academicorum more in contrariam partem disputans, quicquid hujus generis est refert ad dolum, aut ad superstitionem, in nulla certa & solida ratione fundatam. quam sententiam nostro tempore Docti Viri qui de *Oraculis* commentati sunt, ita amplificarunt, ut hoc genus omne prædictionum, *Oraculorum* videlicet, ut v. gr. Dodonæi, Libyci, Delphici, quod antiquiora sæcula exercuit, adscripserint versutiis & impostoris Sacrificulorum & Mystagogorum, qui hæc ficta & simulata Sacra administrabant: ut nihil in his nisi humanum spectari velint. Quæ si obtineat sententia, & rite demonstrata censeatur: nihil quod hic disputem supereſt. relinquit enim Prophetæ integram hypothesin. Sed ægre à me impetro post Veteris & Recentioris historiæ aliquam lectionem, ut in hanc veniam sententiam; & longe abest, meo quidem judicio, ut Cicero satisfaciat argumentis aut exemplis sub nomine Quincti fratris propositis. Absurdum est, *facta*, & quidem *possibilia*, quod illorum modum aut fines non assequaris: convellere tentare ex ratione. Vix ullum in historia gestum occurrit paradoxum & memorabile, licet certa fide traditum & ab omnibus receptum, quin contra disputare liceat summa rationis probabilitate. Ego vero clarissime intelligo, ad hypothesin Prophetæ nostri defendendam, opus non esse Gentibus sub Oeconomia Vetere negare omnem speciem *Revelationis* sive *Præsignificationis præsentium* aut *futurorum*, ex caussis *non-humanis*, (nec tamen à Deo, sed à *Dæmonibus*,) hausta. Scriptores enim Sacri ipsi id supponunt, ut clarissimum exemplum est in *ancilla Philippensi*, quæ à Luca [a] dicitur habuisse SPIRITUM PYTHONIS, & μαντευομένη *vaticinando* magnum Dominis suis attulisse quæstum, qui Paulum & Comites dixit esse *servos Dei altissimi*; quemque ipsum *spiritum* Paulus compellans, jussit à muliere *exire*, quod fecit; quando ancilla vaticinari desiit. Ergo, ut in breve contraham: audio & probo Marcum Tullium adversus Avispicia, Haruspicinam, Astrologiam Judiciariam, Sortilegia, & his cognatas superstitiones feliciter disputantem. Agnosco pariter, speciebus Vaticinationum reliquis (ut sunt Oraculorum, Sibyllarum, Signorum Prognosticorum majorum Eventuum:) multum adhæsisse superstitionis, & Oracula, Μαντεῖα, Χρησήρια antiqui temporis aliqua fuisse ficta, ac constitisse dolo ac versutiis Mystarum: quippe quod Veteres ipsi, suo judicio usi, antiquissimis temporibus suspicati sunt & judicarunt: ut ex historia Crœsi apud Herodotum & aliunde liquet. Etiamsi enim superstitio & credulitas in negotio Religionis antiquis temporibus vere fuerit maxima: frustra tamen est qui sibi persuadet, Veteres Rectores Civitatum, prudentia civili exercitos, & Philosophos, non observasse technas, strophas, ludificationes, dolos Sacrificulorum qui Religiones administrabant, & ad eas non advertisse animum; sed stupenti ingenio eorum fabellas & traditiones quales quales promiscue admisisse. Verum quod res est, nullam video rationem, cur salva & integra hypothesi Prophetæ statuere non liceat, vere apud Gentes quasdam fuisse *μαντείας vaticinationes* per *Somnia* & forte per *Oracula* quoque & per *fœminas furibundas Fatidicas* (ne de *Signis Prognosticis* majorum Mundi mutationum, Casuum illustrium, aut Calamitatum nunc memorem:) quippe ex invictis argumentis historiæ Recentioris & certioris liquet, inter Gentes sequentium temporum, & quoque apud Americanam nostræ adhuc ætatis, deprehendi genus quoddam *Vaticinationis* quod ad facultates humanas aut ingenii astutiam frustra referas. Sic Dicæarchus Peripateticus & Cratippus apud Ciceronem, *reliqua Divinationis genera* (inter Gentes) *rejecisse* dicuntur: *somniorum* & *furoris reliquisse*. quæ mihi visa est sanioris judicii sententia. Tantum tenendum est, α. Si statuendum sit, Vatinicationum aliquod genus, quod ex hominum ingenio & dolo fictum non sit, inter Gentes obtinuisse, id adscribendum esse cum Minutio Felice [b] aliisque Veterum, *Dæmonibus*, quibus Deus sæculis ignorantiæ inter Gentes plurimum permisit. β. Eos de *rebus futuris*, & præcipue de *futuris* in longum, in certa serie nihil nisi per debilem conjecturam præscire atque adeo prædicere potuisse. nihil tradere certum, clarum & explicatum, quod Propheta noster asserit & supponit. γ. Eaque de caussa Vaticinationes ab iis suggestas passim vel fuisse *ambiguis* conceptas verbis, in quibus luserint & deluserint Consulentes; quod Gentiles ipsi observarunt, & Apollini nomen dedit Λοξίας: vel etiam palam *fefellisse*, & à contrariis Eventibus confutatas esse. δ. Deum sua providentia Universali, qua excepti non sunt Dæmones, sic direxisse res Mundi, ut Dæmonum illas prædictiones & Vaticinationes, si quæ vere ab iis ederentur, confuderit ac prostituerit, ut *gloria* & *laus* certæ, claræ, & explicatæ Prænotionis ac Prædictionis futurorum cum *prioribus* & *posterioribus* integra sit & maneat *veri Dei*, & solius veri Dei, *Dei Israëlis*.

Quæritur, an omnes Vaticinationes Gentium dolo administratæ sint? nullæ præternaturalem agnoverint caussam?

M. Tullii hac de re disputatio.

Et Doctorum Virorum nostri temporis, qui omnes hac de re traditiones proscribunt.

Sed non opus est illud absolute asserere ad hypothesin Prophetæ defendendam.

Scriptura S. agnoscit ejusmodi quid inter Gentes fuisse.

Locus Act. XVI. 16.

Ἐπίκρισις ad Disputationem Ciceronis.

Durum videtur, secundum fidem historiæ omnia hujus generis referre ad technas & fraudes Mystarum.

Sententia Dicæarchi & Cratippi.

Temperamenta quatuor hic observanda recensentur.

IV. Tertia hypothesis à Vate nostro jacta est, *Vates Gentium nihil certi præsciviſſe vel prædixisse de* CYRO. Idne ita est? Utique enim historia antiqua exhibet aliquas de Cyro prædictiones, quarum mihi occurrerunt quatuor: sed vel fidei dubiæ ac subtestæ; vel falsæ, quæ sententiam Prophetæ confirmant. Primo huc refero vaticinium Nabuchodonosoris ex *Assyriacis* Abydeni, quod servavit Eusebius in Libris de *Præparatione Evangelica* [c]. Verba sunt: *Quibus peractis*, (sc. subacto orbe,) *Chaldæi ferunt*, eum *conscenso Palatio Divino afflatu repente correptum, hæc effudisse.* Οὗτος ἐγὼ Ναβυκοδρόσορος, ὦ Βαβυλώνιοι, τὴν μέλλουσαν ὑμῖν παραγγέλλω συμφορὴν, τὴν, ὅτε Βῆλος ἐμὸς Πρόγονος, ὅτε Βασίλεια Βῆλτις, ἀποτρέψαι Μοίρας πεῖσαι ἀσθενοῦσιν. Ἥξει Πέρσης ἡμίονος, ποῖοι ὑμετέροισι δαίμοσι χρεώμενος συμμάχοισιν, ἐπάξει δὲ δυλοσύνην· Οὗ δὲ συναίτιος ἔσται Μήδης, τὸ Ἀσσύριον ἄυχημα· κ. τ. λ. *Ille Ego Nabucodrosorus, ô Babylonii, imminentem vobis calamitatem prænuncio, quam Parcis uti averruncent, nec Belus generis nostri auctor, nec Regina Beltis, persuadere unquam potuerunt.* PERSICUS *veniet* MULUS, *qui Dæmonum vestrorum usus auxilio, vobis imponet Servitutem. Ejus vero adjutor erit Medus, Assyriorum gloriatio, & seqq.* h. e. quo Assyrii ante gloriabantur ut Socio. Alterum est apud Herodotum [d], qui Astyagi duo *Somnia* tribuit de Cyro: primum quidem, suscepta Mandane filia, quæ *visa est ei per quietem* ἐρῆσαι τοσοῦτον ὥστε πλῆσαι μὲν τὴν ἐωυτῆς πόλιν, καὶ τὴν Ἀσίαν πᾶσαν· *tantum urinæ fundere, ut omnem ipsius Urbem impleret, atque universam Asiam inundaret.* quod Visum Somniorum Interpretes ita exposuerunt, ut Astyagen conterruerint: alterum ei accidisse narrat post Mandanen Cambysi, nobili Persæ sed quieto homini, collocatam; in hunc modum: Ἐδόκεε δὲ οἱ ἐκ τῶν αἰδοίων τῆς θυγατρὸς ταύτης φύναι ἄμπελον· τὴν δὲ ἄμπελον κατασχεῖν τὴν Ἀσίην πᾶσαν· *Videbatur ei ex genitalibus filiæ vitis enasci, quæ omnem occuparet Asiam.*

Tertia hypothesis Vatis nostri: *Prophetas Gentium nihil prædixisse de Cyro*: expenditur.

Historia Exotica exhibet prædictiones aliquas de Cyro.

Vaticinium de eo Nebuchadnezaris ex Abydeno.

Somnia Astyagis de eodem apud Herodotum.

Ter-

[a] Act. XVI. 16. [b] Pag. m. 18. [c] Lib. IX. Cap. XLI. p. 456. [d] Hist. L. I. C. 107. 108.

Tertium est apud Herodotum in variis Oraculis, quæ Crœsus, Princeps superstitiosus, de Exitu Belli adversus Cyrum suscepti vel suscipiendi consuluerat, in quibus præcipue honoravit Apollinis Delphicum & Amphiarai apud Oropios, à quibus ambiguo delusus est responso, in hanc fere sententiam *a*: Ἦν στρατεύεται ἐπὶ Πέρσας, μεγάλην ἀρχὴν μὲν καταλύσει· *fore ut si arma Persis inferret, magnum quidem everteret Imperium.* quod ipse in commodum suum interpretatus est: ut & alterum, Delphis acceptum, ad novam illius Oraculi consultationem; ut fugam capesseret, ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται· *Rege Mulo apud Medos rerum potito.* Quartum denique Cyri ipsius de se Visum ex Dionysii Persicis refert Cicero *b*. *Visus* videlicet *ei per quietem est Sol ad pedes*, quem *ter frustra manibus appetiverit, cum se convolvens Sol elaberetur, & abiret.* quod Somnium Magi sic dicuntur interpretati esse, *ex triplici appetitione Solis Cyrum triginta annis regnaturum esse, portendi.* Quid vero? Si hæc ita se habeant: quid disputat Jesaias, Prophetas veri Dei solos de Cyro vaticinatos esse; exteros siluisse?

V. Poteram sane hæc præterire, non objecta mihi ab aliis, si non existimassem, ad me pertinere, non tantum ut Prophetam interpreter: verum etiam ut sententias ejus defendam. Respondeo itaque, Primo, in oratione Prophetæ, rite inspecta, id proprie dici, Prophetas Populi Dei *primos* de Critico hoc & memorabili Eventu loquutos esse. ante eos, ex Vatibus Gentium neminem. Nam post illorum Revelationes vulgatas quis miretur, aliquid, licet ante Eventum adhuc obscurius, ea de re sciri & præsciri potuisse ab hominibus, & quoque à *Dæmonibus? Dæmones* enim, quorum haud dubie species sunt variæ, qui possunt ignorare quod inter homines revelatur & scitur? Ut adeo si Dæmones post edita Jesaiæ vaticinia aliquid ea de re præsenserint: id plane non obstet huic disputationi ac demonstrationi. Revelata enim à Deo prænoscere ac prædicere, non est supra facultatem inferiorum Entium. Et, fateor, tamen, ignorare me nec certo statuere posse, quantum Dæmones percipiant, quantumque iis percipere detur, aut permittatur de his Doctrinæ Divinæ sententiis quæ in Ecclesia vulgantur: sed ex hypothesibus historiæ Evangelicæ clare intelligo, Dæmonibus ubique tribui notitiam aliquam *Christi Jesu*, & *Verbi Dei*. Secundo, quod ad hæc ipsa vaticinia attinet: quis mortalium eorum præstet veritatem historicam? Primum exemplum est ex Abydeno, cujus est incerta ætas, cujus *Assyriacis* nemo hactenus, quod sciam, auctoritatem aut fidem præstitit. Sic scribo, & verum me tenere putem. Scaliger qui hoc *Fragmentum* quadantenus illustravit *c*, & Marshamus quoque *d*, verba Eusebii de Abydeno, sic acceperunt acsi hæc Megasthenis essent, non Abydeni; & Abydenus ex Megasthene, (cujus notius est nomen & auctoritas,) hæc transcripsisset: sed non existimem, rem ita se habere. Verba Megasthenis de Nebucadnezare eo usque decurrunt quo dicitur, Nebucadnezarem *Hercule virtute & fortitudine præstantiorem Libyam & Iberiam armis domuisse.* Quæ jam sequuntur: Μετὰ δὲ, λέγεται πρὸς Χαλδαίων· *Post hæc*, DICITUR A CHALDÆIS, & seqq. non sunt Megasthenis, (cujus hoc testimonium de Nebucadnezare olim extabat in *Indic.* Lib. IV.) sed Abydeni ipsius Historiam Assyriacam conscribentis; nec dubitem quin prompserit ex Beroso. Megasthenis certe verba de Nebucadnezare bis recenset Josephus *e*: sed plura non refert quam quæ pertinent ad illum Herculi comparatum: quod ad scopum ejus in *Indicis* facere poterat, à quo reliqua abludunt. Quodsi vero Megasthenes scripsisset: notum est Eruditis, illius nec esse nullam, neque etiam summam auctoritatem in his quæ narrat. Ne longior sim, quæ Nebucadnezari *furenti* hic datur prophetia, plane ficta, nunquam edita, videtur, quippe quod *sequentia* magis declarant, quæ quod minus ad rem facerent, non descripsi, in quibus mala imprecatur *Cyro* vel *Medo* qui Babylonios in servitutem ageret. Fateor etiam, me non assequi quod hic scribitur, Cyrum ipsis Babyloniorum *Diis adjutoribus* Babylonem capturum esse. Prædictio hæc Nebucadnezari à Chaldæis tributa, sumpta est ex historia rei veræ gestæ, h. e. ex historia *Somnii Nebucadnezaris* de *Imperiis* post ipsum enascituris; & ex historia cognata hujus Principis, in Palatii sui tecto ambulantis, subitario Dei judicio percussi & alienati à sensu rationis: cujus utriusque traditio est apud Danielem *f*. Inde, inquam, conflata est Historia, & ex illa Herodoti, in qua Cyrus, Patre Persa, Matre Meda, genitus, *mulus* dicitur: non quidem ex proprio, sed analogo vocis usu. Id certum habeo: licet, si quis Nebucadnezari vere talem furorem Propheticum adscribat; recurrere hic possit ad peculiarem providentiam *veri Dei* erga hunc Principem, quem ex historia intelligimus per *somnia θεήλατα*, cura veri Dei administrata, de *futuris* monitum esse, absque *Dæmonum* concursu, quorum Ministri suffusi sunt pudore. *Somnia* de Cyro, quæ apud Herodotum Astyagi tribuuntur, vere sunt animadversu digna, & speciem præferunt aliquam verorum *Somniorum:* ut Visa fere omnia Principibus attributa apud Herodotum, magni ingenii Virum; nec dubito, illorum aliqua ingenio ejus aliquid debere. Sed si Visa ejusmodi obtigerint Astyagi: nulla est ratio quæ nos dicere vetet, eadem administrata esse à Dæmonibus post Revelationes Jesaiæ & Jeremiæ jam editas. Attamen, α. Observari velim, Magos in his Visis interpretandis errasse, si vere eadem interpretati sint in deteriorem partem. In *Visis* enim nihil est quod Astyagem terrere poterat. significant tantum Nepotis ejus Cyri amplitudinem Imperii & claritatem, quæ cum salute Astyagis optime poterant consistere, ut ex hypothesi nostra constiterunt. β. Historiam Astyagis & Cyri, his Visis substratam, qualis apud Herodotum legitur, secundum sententiam nostram, falsam esse & erroneam. Cum enim variæ circumferrentur de Cyro narrationes, quod ipse ait: elegit Historicus eam quæ maxime paradoxa videbatur, ut lectoribus tanto magis placeret. quod vitium Historicis Veteribus adhæsit. quod facit, ut ipsa quoque hæc Visa Astyagis ad eam hypothesin accommodata, falsi suspicionem non excludant. De Oraculis autem Apollinis & Amphiarai, quibus Crœsus solis in hoc negotio credidit, cæteris quæ exploraverat, fidem abnuens: si res vere sic gesta est: idem sentio quod Veteres jam observarunt, & omnes vident, Lydorum Regem iis turpiter delusum esse, de quo ipse postmodum graviter conquestus est. Veteres, inquam, omnes, ubi ambiguitatem Oraculorum antiquorum & vanam eorum fidem redarguunt, hoc exemplum in medium producere solent, estque nihil eo vulgatius quod dicitur, *Crœsus Halym penetrans, & seqq.* Quod denique Cicero ex *Persicis* Dionysii produxit de Cyro ipso; rerum suarum successum & Imperii terminum ex Viso cognoscente: absurdum non esset, ita existimare, Deum Principi, circa quem peculiari cura suæ providentiæ versatus est, simile quid indulsisse, quod Pharaoni & Nebucadnezari: verum interpretatio hujus Visi à Magis facta, quæ hic subjicitur, in nulla fundata est ratione, & nihil probabile suadet. *Trina* enim *Solis fuga*, qua specie refertur ad Regnum *triginta annorum?* Mihi certe hæc Jesaiana legenti dubium non est, quin Chaldæi Vates successibus Cyri contradixerint, eorumque prædictiones in contrarium tendentes cum summa ipsorum ignominia elusæ & prostitutæ fuerint. Id enim Propheta noster clare satis innuit Cap. XLIV. 25. & Jeremias, ubi ait *g*, BELUM *esse suffusum* PUDORE; *Merodachum consternatum; pudefacta esse idola ejus, & consternata stercora ejus.* sc.

Reſponſum e eodem raculi Delbici, Crœ- datum.

Aliud ex erſicis Dioyſii apud iceronem.

Reſponde- ir ad Obje- a.

Propheta roprie ait, primum, entibus O culis hac e re memo- ſſe.

Poſt reve- tionem à rophera fa- am non eſt ɔſurdum ctu, Dæ- ones hac e re aliquid otuiſſe præ- ire.

Veritas hi- orica ha- am prædi- ionum non t ſatis cer- .

Obſerva- m ad Fra- mentum bydeni.

Qui Vatici- ium Nebu- adnezaris e Cyro non eſcripſit ex legaſthene.

Hiſtoria lane vide- tur eſſe ficta.

Argumenta ejus ſuſpicionis.

Unde deſumpta ſit fictionis materia?

Cætera non opus eſſet hic recurrere ad Dæmones.

De *Somniis Aſtyagis* judicium.

Animadverſa in hanc rem.

Ad narrationem Herodoti de Cyro animadverſio.

Ut & ad narrationem Herodoti de Oraculis à Cyro conſultis.

Item ad hiſtoriam a Ciceronе productam ex Perſicis Dionyſii.

Chaldæi Magi videntur læta ceciniſſe de Exitu Belli adverſus Medos.

a Lib. I. Cap. 53. *b* De *Divinat.* Lib. I. *c* *Not. in Fragm.* p. 18. *d* Ad Sæc. XVIII. p. m. 592. *e* *Antiq.* Lib. X. Cap. XI. & contra *Apion.* Lib. I. p. 1045. *f* Cap. II. 28. 29. IV. 29. seqq. *g* Cap. L. 2.

tum quod Mystæ illorum falsa prædixerint; tum quod ipsi Babyloniis auxilio non fuerint.

Quarta hypothesis: *Prophetas veros hunc Eventum clare in omni circumstantia prædixisse.* quæ adstruitur.

VI. Quarta denique hypothesis est: *veros Dei Prophetas, in quibus præcipuus & primus Jesaias, hunc Eventum memorabilem in omni sua circumstantia prædixisse.* Atqui id ipsum est quod Propheta agit hoc in loco, licet id in superioribus Vaticiniis jam sæpius egisset; & deinceps repetiturus est. Insequutus est postmodum Jeremias qui circumstantias expugnandæ à Cyro Babylonis clare exposuit [a]. In Vate autem nostro id prorsus dignum est admiratione, ipsum nomen Cyri tot annis ante ab ipso expressum esse. de quo suo loco [b]. Stat itaque ordine suo invicta disputatio ac demonstratio Prophetæ, in bonis locata hypothesibus.

Partis Quartæ Libri Prophetiarum Jesaiæ,

CONCIO SECUNDA.

Sectio Prima.

Falsis Gentium Doctoribus opponitur Doctor magnus, verus, illustris, Servus Jehovæ, Filius Dei, Gentes illustraturus lumine Doctrinæ suæ castæ, sanctæ, rationalis, consolatoriæ, per quam abductæ à vano & superstitioso Idolorum cultu, venirent in communionem hæreditatis sanctorum quæ est in luce: perinde ac *Cyro*, Liberatori typico Populi Dei, contradistinguitur verus Imperator Exercitus Sanctorum, ex voluntate Patris Mundum sibi subjecturus inter gravissima Judicia, à se exercenda. Inde occasionem arripit excitandi Gentes ad nomen Dei, *Doctorisque* & *Rectoris* sibi à Deo dati, extollendum ac celebrandum; perinde ac Judæos convincit sui stuporis, impœnitentiæ, & criminum per quæ in se Divinam provocaverant indignationem.

Caput XLII.

Textus Cap. XLII.

1. Ecce servus meus, ad quem me applico; Electus meus in quo sibi complacet anima mea. Posui Spiritum meum super ipsum: Jus Gentibus proferet.

2. Non clamabit; nec attollet vocem suam; nec foris vocem suam audiri faciet.

3. Cannam quassatam non confringet; & linum fumans non extinguet: in veritate proferet jus.

4. Non hebescet, nec currentis instar festinabit, usque quo in terra posuerit Jus; & in doctrina ejus insulæ spem reponent.

5. Sic ait Deus ille fortis Jehova qui cœlos creavit, eosque extendit; qui constipat tellurem, & ex ea nata *producit:* qui halitum dat Populo qui super eam est, & spiritum versantibus in ea.

6. Ego Jehova te vocavi in justitia, & prehendam manum tuam; & custodiam te; & dabo te in fœdus Populi, in lucem Gentium.

7. Ad aperiendos oculos cæcos: ad educendum è claustro vinctum; ex carcere habitantes in tenebris.

8. Ego Jehova: hoc est nomen meum; & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.

9. *Ad* priora *quod attinet:* ecce venerunt; & nova ego clare prænuncio: antequam propullulent vos ea facio exaudire.

10. Cantate Jehovæ canticum novum: laudem ejus ab extremo Orbis. Vos qui descenditis in mare & plenitudo ejus; insulæ & incolæ earum!

11. Extollant vocem Desertum & communitates ejus: Villæ quas inhabitant Kedareni: Cantent habitatores Petræ: è vertice montium altum clament.

12. Tribuant Jehovæ gloriam; & laudem ejus per insulas prædicent.

13. Jehova in medium prodibit tanquam heros: tanquam peritus Bellator excitabit zelum. barritum edet, quin etiam terrificum fremet. contra hostes suos se roborabit.

14. Silui à longo; conticui; continui me: sibilabo instar parturientis *viperæ:* simul spiritum emittam, simul eum resorbebo.

15. Desolabo montes & colles; & omnem herbam eorum exarefaciam: & ponam fluvios in insulas, & stagna exsiccabo.

16. Et ducam cæcos per viam quam non noverant; per semitas quas exploratas non habebant, ire eos faciam: ponam tenebras coram iis in lucem, & tortuosa in rectum. Hæc sunt illa quæ iis faciam; nec deseram eos.

17. Cesserunt retro; magno affecti sunt pudore qui fidunt Sculptili; qui dicunt Fusili, Vos estis Deus noster.

18. O vos surdi auscultate; & cæci videndo intuemini!

19. Quis est cæcus nisi servus meus; & surdus tanquam nuncius meus *quem* mitterem? Quis est cæcus ut consummatus ille; & cæcus ut servus Jehovæ?

20. Vidisti multa, sed non observabas. Apertis erat auribus, sed non audiebat.

21. Jehova benevolebat *ipsi* propter justitiam suam: magnificum *illum* fecit lege, & condecoravit.

22. At ipse est Populus contemptus, & laceratus; omnes illi sunt objectum iracundæ Juvenum insolentiæ; & carceribus clausi detinentur: facti sunt in prædam; & nemo erat qui eriperet; in conculcationem; & nemo erat qui diceret, Restitue.

23. Quis

[a] Cap. L. LI. Vide Cap. XLI. à ℣. 28. [b] Cap. XLV. 1.

23. Quis inter vos est qui ad id aures advertat; attendat, & à tergo audiat?

24. Ecquis dedit Jacobum direptioni, & Israëlem prædatoribus? Nonne Jehova, adversus quem peccavimus; & in cujus viis noluerunt incedere; cujusque Legi non auscultarunt?

25. Quamobrem in eum effudit *cum* excandescentia iram suam, & vim belli; & inflammavit eum undique; sed non cognovit: & incendit eum; sed non revocavit ad animum.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Sermonis.

Altera Concio Libri Quarti. Dispositio ejus.

ALteram *Concionem* Libri hujusce *Quarti* Vaticiniorum Jesaiæ eam statui, quæ includitur Cap. XLII. & XLIII. secundum vulgatam distinctionem, in qua hic nihil magni vitii est: nisi quod *quinque commata priora* Cap. XLIV, facile queant subnecti Cap. XLIII. ut nova Concio incipiat Cap. XLIV. 6. Sed hæc differentia est exigua: quippe enim cum tota fere oratio Prophetæ inter se cohæreat: non nego, eadem hæc *commata* posse accenseri *Concioni* illi quæ ex communi sententia cum Cap. XLIV exordium sumere putatur. Integra autem *Concio*, binis hisce *Capitulis*, contenta, fere in eodem decurrit argumento, habetque *Prædictiones* luculentas insignium *Eventuum* futuri temporis quæ magnam in Orbem inducerent mutationem, (inter quas prædictiones præcipua est de Gentibus à Messia illuminandis eique in fide subjiciendis,) cum *Apostrophis* & Ἐλέγχοις *Convictionibus*, quæ hisce Prædictionibus tam intexuntur quam subtexuntur. Quandoquidem vero eam in duas divisérim *Sectiones*: utriusque *Argumentum* & *Analysin*, facilitatis commoditatisque majoris caussa, seorsim recensebo.

Integræ Concionis argumentum genera.

Speciale Sectionis Prioris, fusius eductum.

II. Propheta adversus idololatras disputans eosque acriter convincens erroris in Religione crassissimi, tandem demonstrat Basin sive hypothesin totius hujusce disputationis; quam basin esse docet *Vocationem Gentium* ad communionem Regni Dei per *Servum Dei*, *Messiam*, Filium Dei, qui cum Gentibus communicaret *veram doctrinam salutis*, in tantis Mundi tenebris longum tempus optatam speratamque. Infert itaque Deum Gentibus & Populis in initiis hujus *Concionis* demonstrantem Servum Dei verum, magnum Doctorem & Prophetam, Filium suum appariturum in carne, & Gentes omnes illuminaturum Doctrina sua rationali, spirituali, ac Divina; illum, inquam, falsis Mundi Doctoribus oppositum, & veris omnibus Doctoribus majorem, licet adhuc appariturum in carne, veluti præsentem sistit & Populis commendat Deus ipse; moresque ejus ut Doctoris placidi & rationalis, docendi modum ac rationem, & præclaros fructus atque effectus institutionis ejus, describit [a]. Inde excitat Gentes ad ingens hoc Beneficium Gratiæ in se conferendum, (quod hic ut collatum repræsentatur,) laudandum ac celebrandum; & dum id agit, ἐν παράδοξῳ magnitudinem hujus conaminis & mirabilem effectum ejus, videlicet conjungendum cum rerum mundanarum insigni mutatione, commemorat atque extollit [b]: quando tandem se convertit ad *Judæos*, quos convincit sui stuporis, ἀπιστίας, impœnitentiæ, inter Judicia Divina gravissima sibi ob transgressionem Legum Divinarum inflicta & amplius adhuc infligenda. [c]

Occasio editi hujus Sermonis.

III. De *Occasione* editi hujus Sermonis vel ex nexu superioris Concionis, vel ex argumento ejus judicandum est. Si *superiorem* respiciamus Concionem, & vero supponamus, hanc Concionem nostram illius aliquam partem facere, & ei subtexi: hæc duo dici possunt summa probabilis rationis specie. *a.* Prophetam postquam argumentum de Cyro ut *Servo Dei*, Liberatore typico Populi sui, à Deo excitando & à se prædicto, proposuisset & urgisset: in medium producere *Servum Dei verum*, Liberatorem spiritualem & verum, qui non Judæos tantum sed & Gentes doctrina sua salutari illuminaret, & utrisque procuraret salutem perfectam; quod Beneficium Gratiæ & Liberationis spiritualis magnam in Mundum induceret mutationem. *β.* Vatem nostrum, cum Idololatris disputantem, in conspectu Gentium Populorumque omnium, postquam illorum superstitionem falsi convicisset: totius hujusce disputationis tradere hypothesin: nempe, esse Deo propositum Gentes, hoc tempore versantes in densis tenebris, illuminare ad salutem; revelare iis doctrinam veræ Religionis & gratiæ; vocare eas ad communionem Regni sui per Verbum veritatis & Evangelii; id vero propositum suum executurum esse per *Filium suum*, mittendum in Mundum ut Servatorem *Gentium* æque ac *Judæorum*, cujus doctrina apud Gentes vulgata, ab iis magno cum desiderio, delectatione, & fructu reciperetur; quæque eam ob caussam excitantur ad ingens hoc Beneficium Gratiæ Divinæ agnoscendum & celebrandum. Hic nexus est facillimus & naturalis, quem proinde amplector. Non diffiteor interim, me subinde dubitasse ex descriptione Populi Judæi, qualis hic exhibetur à ℣. 18. seqq. an non forte hæc *Concio* edita esset *sub Achazo*, quando tristis fuit conditio Populi Dei, & ejusmodi fere qualis hic pingitur. Sed si id esset: non videtur probabile, Vatem Ecclesiam ejus temporis corruptam demulsurum esse tot luculentis promissis, quot huic Elencho subjiciuntur in *Capitulo sequenti*. Rectius itaque dicimus, *Pericopam* hanc *Elenchicam* proprie & vere respicere graviora Dei Judicia qualia Populus Dei expertus est per Assyrios, Babylonios, Syros, & Romanos, ob contemptum Verbi Dei, & Legis Messiæ, Servi Dei, magni Doctoris & Prophetæ: in qua sententia nunc subsisto. Patet inde, & patescet ex pertractatione ipsa, *Scenam* hujus Concionis Propheticæ figi in ipsis initiis Oeconomiæ Gratiæ, quando Filius Dei ut *Doctor* in medium prodiret ad *Judæos* primo, dein Gentes *lumine* doctrinæ suæ illustrandas, & liberandas ab idololatria & superstitione, in qua per tot sæcula versatæ fuerant. *In quo tempore figenda sit scena hujus Visi.*

Quæ hic probabiliter dici queant, ad Nexum hujus Concionis cum *superiore* ostendendum.

IV. De *Scopo* hujus *Concionis* non est hæsitandum. *Scopum* ejus esse ajo demonstrare *generalem Vocationem Gentium* ad communionem Regni Dei per medium Evangelii, à Filio Dei Doctore placido, mansueto, rationali, docendi, & per Apostolos ejus vulgandi inter Gentes, cujus consequens esset Regnum Dei inter Gentes, destructa idololatria & superstitione: qui magnus & paradoxus Eventus hic proponitur ad *Judæos* Verbi Dei pretiosissimi & perfectissimæ Legis Messiæ negligentes provocandos ad *æmulationem*; eodem fere modo quo Cap. II. 1. seqq. secundum Deut. XXXII. 21. Rom. X. 19. Huc tendit Concio. Si *Gentes* spectes: est argumenti *Paracletici* & Exhortatorii. Si *Judæos*: Elenctici. Christus Jesus hic promittitur ut *Doctor Gentium*, quæ Doctrinam ejus salutarem cupide haurirent & reverenter susciperent; & Judæi hoc exemplo provocantur ad æmulationem, & convincuntur stuporis incredibilis, quod præstantiam Verbi Dei & Legis Messiæ non dignoscerent, tanti beneficii negligentes & contemptores, eaque de caussa in se provocarent Divinam severitatem. *Scopus hujus Visi.*

V. Argumentum Ejus, quod modo percensui, demonstrat *Analysin* facillimæ inventionis. est enim prior *Sectio* hujus Concionis quæ hoc Capite occurrit, trimembris. *Analysis hujus Sectionis.*

Pars prima, PARACLETICA demonstrat Messiam ut *Lucem Mundi* & *Doctorem Gentium*, ℣. 1–9.

a Cap. XLII. 1–9. b ℣. 10–17. c ℣. 18–25.

Cujus magni Doctoris
- α. Describuntur *illustria attributa*, ℣. 1.
- β. Institutionis *modus*, ℣. 2. 3.
- γ. Illius *Successus* & *effectus*, ℣. 4.
- δ. *Fundamentum* successus atque *effectus* hujusce institutionis, quod docetur esse *Consilium Gratiæ* ex quo Christus Jesus ad magnum hoc Opus *vocatus est*, ℣. 5--9.

Pars altera, EXHORTATORIA, directa ad Gentes, ad Nomen Dei celebrandum pro tam illustri Beneficio in se collato, ubi
- α. *Exhortatio* ipsa, ℣. 10--12.
- β. Beneficium ipsum, quod laudationis materiam faceret, sub alio schemate rursus exponitur, ℣. 13-17.

Pars tertia, ELENCTICA, directa ad Judæos, tanti Beneficii quantum habebant in excellente Doctrina Verbi Dei & Messiæ, negligentes, ubi
- α. *Appellatio* ad ipsos directa qua monentur ad *Convictionem* illam attendere, ℣. 18.
- β. *Convictio* ipsa.
  - (a.) *Crimen* gravissimum incuriæ Gentis Judææ erga Verbum Dei & negligentiæ tantæ salutis ipsi oblatæ, ℣. 19--21.
  - (b.) *Pœna* severa, ei crimini decreta, cum ἀνομίᾳ & cæcitate spirituali majoris partis Gentis Judææ, ℣. 22--25.

Pars Prima hujus Concionis SOLATORIA, demonstrans Messiam ut *Lucem Mundi* & Doctorem Gentium.

Pars prima Concionis, demonstrans Messiam, ut Doctorem communem *Judæorum* & *Gentium*.

Attributa hujus *Doctoris*.

Nexus Orationis, ejusque *Commendatio*.

℣. 1. *Ecce* SERVUS MEUS, *ad quem me applico*; ELECTUS MEUS *in quo sibi complacet anima mea. posui Spiritum meum super ipsum:* JUS GENTIBUS PROFERET.] Continuatur Oratio Dei, & quidem hic loci Patris demonstrantis Filium suum, & digito veluti indicantis, ut Doctorem Gentium, tot sæculis optatum exspectatumque, eas revocaturum ab idololatria & superstitione, & illustraturum luce purissimæ castissimæque doctrinæ suæ. Schema vere est augustum, omni dignum animadversione, & nobis certe Gentibus, quibus in extremis hisce Mundi oris datum est partem habere in tanta salute. Suppono autem, *Subjectum* illustris hujus prophetiæ esse FILIUM DEI, magnum Doctorem Mundi & Lucem Gentium; ad quem hunc locum plane & directe retulit Matthæus, tum ipse eum allegans *a* & de Christo Jesu plane ac diserte exponens: tum etiam *b* commemorans vocem *Patris*, tempore Baptismi Christi Jesu è cœlo latam, complectentem testimonium de *Filio* ejus, ex hoc ipso loco desumptum *b*. Simeon quoque in Ode sua Doxologica *c* de Christo Jesu loquens huc manifeste respexit, & Paulus in oratione ad Agrippam Regem *d*. Viderunt quoque Judæi Veteres, quorum traditio antiqua hic conservata est in Paraphrasi: הא עבדי משיחא אקרבנוה בחירי רעותי ביה סימרית *Ecce servus meus Messias: admovebo ipsum: dilectus meus in quo sibi complacuit Verbum meum.* Produxit quoque Raymundus, docens, Judæos Veteres locum Ps. 11. 7. *Tu es* FILIUS MEUS, &c. de Messia interpretatos esse, commentationem *Midrasch Thillim*, in qua hic locus inter alia de *Messia* exponitur, & cum illo Ps. 11. 7. comparatur. Inter Recentiores Kimchius & Abarbenel eandem hanc sententiam diserte profitentur, & quidem posterior pro ea serio pugnat: dum interea alii hic vel in genere intelligunt *Justos* & *mansuetos* Populi Judæi, complexe sumptos; alii de Cyro aut Jesaia cogitant. Aben-Ezra ad hæc verba: *Benemulti Intt. dicunt, per Servum Jehovæ hic intelligendos esse Justos Israëlis; Gaon* (Saadja) *vero dicit, esse Cyrum: sed persuasum mihi est, esse Prophetam ipsum, de se ipso loquentem.* Sic quoque Grotius, etsi Jesaiam hic faciat typum Christi. Primam harum sententiarum tenuerunt quoque οἱ ὁ. quando hæc verba verterunt: Ἰακὼβ ὁ παῖς μου ... Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου. Nollem tamen factum, ut ipsa nomina *Jacob* & *Israël* intrusissent in orationem Prophetæ. quod jam improbavit Origenes, & hæc nomina in Editione sua *obelo* ut exundantia notaverat. Libramen harum sententiarum pendet à *prædicatis* quæ *subjecto* tribuuntur. Plures personæ dici possunt *Servi Dei*, & quidem ob varias rationes. Non negaverim hunc titulum Cyro, licet Vates noster eum hoc nomine non insigniat. Jesaias ipse ita appellatur Cap. xx. 3. Populus Judæus complexe sumptus, sive respectu originis & institutionis suæ; sive respectu piorum qui in eo supersunt, ℣. 19. coll. cum Cap. XLIV. 1. Sed *enunciata* in nullum horum Subjectorum competunt. Designatur hic nomine *Servi Jehovæ* persona *aliqua singularis*, à Deo electa, & eximie dilecta, quæ præstaret *Doctorem* universalem tam *Gentium* quam *Judæorum*, à Mundo exspectatum: doceret autem modo placido, æquo, rationali, absque pompa & fastu, absque tumultu & seditione, idque ageret maxime ut *animabus afflictis*, suæ justitiæ & salutis sitibundis, certum solidumque adferret solatium. Hæccine vero applices ad Cyrum? Feceris ex Imperatore glorioso, forti, bellatore & domitore Gentium, *Doctorem* in *Scholis* & *Synagogis* officio placide fungentem: quæ multum differunt. Idem respectus est *Populi Judæi*. Estne enim totius Populi Judæi *docere*; aut *docere Gentes*; &, quod plus est, docere τὸ κοινὸν τῶν ἐθνῶν, *omnes Gentes*; & quidem ex magna copia *Spiritus S.* in hunc finem sibi *dati*? Quin Populus *Judæus* ipse erat ab hoc magno Doctore erudiendus & convincendus, ut patet ex ℣. 3. 7. 8. 19. Ergo vel de JESAIA cogitandum est, vel de JESU. Putasne vero, Jesaiam, sapientem sanctumque Virum, de se modestissime sentientem, tam alte & magnifice de se loquuturum esse? tanta sibi tributurum quanta certum est illum non præstitisse? Quæ enim *conversio Gentium* consequuta est Prophetæ nostri præconium & doctrinam? Quid si vero aliquid ejus quod hic dicitur de *Servo Jehovæ*, in *imagine* adscribi posset Prophetæ nostro: (quod non ausim affirmare hic loci à Spiritu S. esse intentum; licet de Propheta meo præclare existimem:) tamen postquam experientia temporum nobis demonstravit perfectius exemplum, in quo quæ heic loci dicuntur, secundum omnem vim potestatemque orationis implementum sortita sunt, ab ipso oportet retrahere oculos, eosque in solum magnum Doctorem Jesum defigere. quod idem suadent analoga loca Prophetæ nostri Cap. XLIX. 1. seqq. LI. 4. LXI. 1. coll. cum Cap. II. 1. quæ loca in interpretatione ipsa attingam. Persequar verba ut hic leguntur, ne quid minus attentum fugiat.

Judæorum Vett. & Recentiorum de eo sententiæ.

Verba A. Ezræ.

Versio Græca hic redundat.

Appellatio *Servi Dei* in se spectata variis Subjecta applicari potest.

Attributa Servi Jehovæ qui hic memoratur; ex Prophetæ collecta.

Quæ non conveniunt Cyro.

An de Jesaia ipso hic cogitari queat?

Attributa demonstrant Christum Jesum.

ECCE *servus meus.*] Pater demonstrat Filium, manifestum factum in carne, ipso illo temporis articulo quo *tricenarius* Israëli publice est *propositus* ut *Messias*, per Baptismum à Joanne initiatus Officiis publicis, quibus erat destinatus: quo tempore Pater illum, voce cœlesti honoravit elogio quod hic extat *e*. Ipse, inquam, ille articulus est temporis, qui hic spectatur. Pater demonstrat Filium suum præsentem, eumque Judæis & Gentibus diu promissum repræsentat, quod factum esse novimus illo tempore quo à Joanne recepit

Expositio verborum. *Ecce Servus meus!*

Sunt verba Dei Patris Filium suum demonstrantis.

a Evang. Cap. XII. 17. seqq. *b* Cap. III. 17. *c* Luc. II. 31. 32. *d* Act. XXVI. 18. *e* Matth. III. 17.

pit *baptiſmum*. Id agens *Pater*, illum vocat SERVUM SUUM. Matthæus habet [a]: Ὁ παῖς μου· abſque vitio ullo. Solent enim οἱ Ο'. in longe plurimis locis vocem עבד vertere per παῖς *puer*; eſtque idem ille uſus vocis receptus in Hiſtoria N. T. [b] & apud Auctores exoticos: ut alii dudum obſervarunt. *Servi* autem Hebræis dicuntur omnes qui ex alterius mandatu officio aliquo, ſibi impoſito, fideliter & obſequioſe funguntur: ſuntque duplicis conditionis, vel *Honorarii* vel Οἰκέται, *Domeſtici* & ſerviles. *Honorarios* voco quibus provincia aliqua honoratior à Principe ſive Patre familias mandatur, in Statu Civili, Militari, Oeconomico. Sic Moſes, Prophetæ alii, Apoſtoli, dicuntur *Servi Dei* [c], quod ex mandatu Divino honeſtiſſima procuratio Domus & Familiæ Dei ipſis commiſſa ſit. Imo vero *Servi Dei* dicuntur omnes Deo devoti ad obſequium ex interno & propenſo animi affectu: quo ſenſu nomen aptatur Davidi [d], & apud Prophetam noſtrum Eliakimo [e]. In Meſſiam omnes hæ ſcheſes concurrunt. Primus hic eſt reſpectus generalis, eſſe illum Deo Patri devotiſſimum ad omne officium & obſequium, duriſſimum quoque, & ſubjectiſſimum, quod Pater à filio, Dominus à ſubdito aut ſervo, exſpectare queat, ex amore gloriæ Patris ſumma fide, cura, diligentia, exequendum. Id ipſum eſt quod Dominus ſe præparans ad Exitum ex hoc mundo, ita extulit [f]: *Nam ut norit Mundus, me* DILIGERE PATREM: *quippe* UT PRÆCEPIT MIHI PATER, ITA FACIO. Hoc vero ſtudium honoris Patris, hæc ſubjectio, in Chriſto Jeſu fuit animi humillimi, devotiſſimi & puriſſimi; unde ipſe κατ' ἔμφασιν חסיד PIUS [g] dicitur, & ut *Servo obedientiſſimo* tribuuntur *patulæ aures* [h]. Secundus reſpectus Chriſti Jeſu ut *Servi Dei* Patris eſt *ſpecialis*. Appellatur enim hoc nomine, quod obſequium præſtiturus eſſet, (ut ſane præſtitit,) Patri in magno aliquo opere, ad ſalutem humani generis exequendo: dicam phraſi Domini ipſius, ut *faceret voluntatem Patris ſui*, & quidem quod *Servorum* eſt, ex *formula & præſcripto*, ſecundum æternæ conventionis legem [i]. Et tamen provincia hæc ipſi ut *Servo Patris* mandanda eſſet honorifica, ſed difficillimæ exequutionis, quam ipſe deſcribit Cap. XLIX. 3. 4. ſeqq. ubi dicenda non anticipabo heic loci. Accedit ad hæc reſpectus hujus *epitheti* myſticus, qui omnem vim ſignificationis ejus exhaurit. Docuit enim eventus, Filium Dei comparuiſſe in mundo ad exequendam voluntatem Patris ſui *ſchemate humili*, non inſtar *Filii*, ſed *Servi*, & Patri præſtitiſſe obſequium obſequioſiſſimum in officio ad quod ſe obligaverat difficillimo, dum ſe pro ſalute generis humani ad voluntatem Patris devovit ad *mortem*, & ad *mortem crucis*, factus Patri ὑπήκοος *obediens* [k]. Id à priore ex hoc nomine cognoſci non poterat: ſed ex analogia Prophetiarum hoc myſterium fidei à piis Scrutatoribus Verbi Dei inveſtigandum ac detegendum erat, & ab eventu res clariſſime patuit. Inde itaque ipſe, qui omnem vim & poteſtatem nominis *Servi Jehovæ* exhauriret, in emphaſi à Propheta noſtro appellatur SERVUS JEHOVÆ, tam hic loci quam in *Concionibus ſequentibus* [l]. Ezechieli, ſub alia forma, *Servus Jehovæ Davidm*: Zachariæ, *Servus Jehovæ, Germen* [n]. Sic ſibi conſtat emphaſis hujus appellationis. *Ecce Servus meus!* verus, in emphaſi ſic dictus, à me excitandus, qui Gentes à ſuperſtitione & idololatria vindicandas veram docebit Religionem! Ecce *Servus meus*, Liberator verus, non Populo Judæo tantum ſed & Gentibus procuraturus ſalutem, Cyro Liberatori typico contradiſtinctus! *Ecce Servus meus*, humano generi ut Doctor & Servator revelandus, novum argumentum *præſcientiæ rerum* futurarum, centrum omnium viarum meæ providentiæ!

Ad quem me applico.] Sic exiſtimo veram me reddere emphaſin phraſi Hebrææ: אתמך בו, quam Matthæus Evangeliſta [o] vertit, Ὃν ᾑρέτισα *quem elegi*. qui hic diſceſſit à verſione τῶν ο'. diſceſſit autem abſque vitio ullo, nos docens analogiam inter hoc epitheton, & ſequens, *Electus meus in quo ſibi complacet anima mea*. Hebræa notio תמך conſtructa cum ב, proprie notat *quem ſuſtinere*, ut patet ex locis Exod. XVII. 12. Pſ. XLI. 13. non vero, quod Grotius hic loci, & alius etiam Vir Doctus, *alicui inniti*. Sed vidit Matthæus Apoſtolus, *binas* ſignificationes voce hic loci involvi, *prehendendi, tenendi*, (quæ notatio eſt vocis תמך abſque ב conſtructæ,) & *ſuſtinendi*. *Prehendere* autem quem eſt eum αἱρεῖσθαι, ἀιρετίζειν, προσλαμβάνειν, *eligere, aſſerere, ſibi aſſumere & vindicare, ſuſcipere*, ut hic loci Hieronymus; & quidem *eligere, ſuſcipere, prehendere, complecti*, ut illum *teneas & ſuſtineas*, & ſi id hic dicere liceat, *partes ejus ſectari*. quod utrumque cum hic loci ſpectetur, exiſtimavi me ſenſum Prophetæ recte reddere, dum verba verto, *Ad quem me applico*: quod hic loci propriiſſime dicitur. Duo itaque hic ſignificantur, α. Deum Patrem Jeſum Chriſtum inter omnes quot habuit Miniſtros, ad Opera magna exequenda à ſe delectos, Voluntatiſque ſuæ Interpretes, peculiari affectu & cura ſuæ Providentiæ ſibi aſſeruiſſe & vindicaſſe ut ἐξαίρετον eximium. β. Se ad eum peculiari ſtudio applicare, eumque ſua potentia & providentia in executione graviſſimi officii ipſi mandati inter varias difficultates ſuſtinere. Idem plane quod Filius Dei de ſe prædicat, Pſ. XVI. 5. *Tu ſuſtines ſortem meam*. Nempe *Deus erat cum ipſo*, ut Petrus [p]. Ipſe de ſe: *Noveram*, Pater, *te me ſemper audire* [q]. Cætera videri alicui poſſet non improbabile, Græca Matthæi, ὃν ᾑρέτισα, reſpondere voci בחירי *Electus meus*, quibus vere reſpondent: Evangeliſtam vero hæc noſtra, quod ad ſcopum ejus directe non facerent, prætermiſiſſe.

Electus meus.] בחירי. Apud Matthæum ſequitur, Ὁ ἀγαπητός μου· *Dilectus meus*: quæ facile inter ſe comparari poſſunt, ſi quis id agere inſtituat. Electio enim unius rei aut perſonæ præ alia paſſim vel naſcitur ex majore in eam affectu; vel cum eo conjungitur. Sic Moſes ad Iſraëlem [r]: *Non quod plures eſſetis reliquis populis, vos complexus eſt Jehova*, & ELEGIT VOS: .... *ſed quod Jehova vos* DILEXERIT. Inde Apoſtolus diſſerens de *electione hominum* ad ſalutem æternam, quod uno loco extulerat per ἐκλέγεσθαι *eligere* [ſ], altero vocat ἀγαπᾶν *diligere*, amare [t]. Sed ut verum fatear: non eſt mihi amplius dubium, quin illud, ὁ ἀγαπητός μου, pertineat ad *ſequens membrum*, paraphraſtice ei additum. Scriptores enim N. T. allegant dicta Librorum V. T. non ſemper γραμματικῶς, ſed ſæpe θεολογικῶς & παραφραστικῶς. Dicitur Dominus Jeſus, verus Meſſias, ELECTUS DEI, κατ' ἔμφασιν *ſecundum omnem vim vocis*: quod ex amore ſummo & plane peculiari in conſilio Patris delectus deſtinatuſque ſit omnium honorificentiſſimo, ſed pariter graviſſimo officio *glorificandi Nominis Patris in terris*; & ſimul ſummæ gloriæ, functionem officii in hiſce terris conſecuturæ: imo vero quod *electus* ad graviſſimum officium *ab utero* inſtructus fuerit dotibus & facultatibus ad opus ſibi mandatum exequendum neceſſariis. Electus eſt ut *Princeps redimendorum*; *Caput Eccleſiæ*; *Cauſſa juſtitiæ & ſalutis ſui Populi*: & ut Judæorum Gentiumque Doctor perfectiſſimus, univerſalis. Inde Petro, *Agnus* προεγνωσμένος *præcognitus ante jacta mundi fundamenta* [u]. Ipſe de ſe [x]: *Jehova ab utero* (licet etiam vertere, *ante uterum*,) *me* VOCAVIT; (me *elegit*, quæ vis eſt vocis apud Hebræos, ut alibi monebo:) *à viſceribus matris meæ*, (antequam ex ejus viſceribus prodiiſſem,) *memoravit nomen meum*. Et poſt

Verba Hebræa: אתמך בו.
Verſio Græca Matthæi.
Ejus ratio.
Significatio vocis תמך h. l.
Involvuntur ea h. l. binæ ſignificationes.
Recte vertuntur, *Ad quem me applico*.
Quo ſenſu de Chriſto id prædicetur?
Electus meus.
Verſio Matthæi: *Dilectus meus*, cujus redditur ratio.
Quo ſenſu hoc Epitheton Chriſto Jeſu tribuatur?

[a] Cap. XII. 18. [b] Matth. VIII. 6. Luc. XII. 45. [c] Num. XII. 7. Jeſ. XX. 3. Jer. VII. 35. Rom. I. 1. [d] Pſ. XVIII. 1. [e] Cap. XXII. 20. [f] Joh. XIV. 31. [g] Pſ. XVI. 10. [h] Pſ. XL. 7. [i] Joh. IV. 34. X. 18. [k] Phil. II. 7. Pſ. XC. 8. [l] Cap. XLIX. 5. ſeqq. LII. 13. LIII. 11. [m] Cap. XXXVII. 25. [n] Cap. III. 8. [o] Matth. XII. 10. [p] Act. X. 38. [q] Joh. XI. 42. [r] Deut. VII. 7. [ſ] Epheſ. I. 4. [t] Cap. II. 4. [u] 1 Epiſt. I. 20. [x] Cap. XLIX. 1.

pauca [a]: *Et nunc dicit Jehova, qui me formavit* AB UTERO, *ut sibi essem in servum.*

In quo sibi complacet anima mea.] Heb. רצתה נפשי Matthæus: Εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Integre: Ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Sed in alio loco [b]: Ἐν ᾧ εὐδόκησα. Res eadem. Hebræa phrasis est elliptica, & supplenda, ut opinor, אשר רצתה נפשי בו. Neglexit autem Propheta hic consulto vocem בו, quia repeti poterat *ex antecedente membro*, אחמך בו. Vox רצה, absque ב constructa, notat, *gratam acceptamque habere* rem vel personam: sed constructa cum ב, significat in objecto videre cum delectatione quod sibi placeat; illud ea de caussa eligere; erga illud bene affectum esse; & in eo sibi complacere cum acquiescientia: quam notationem vocis colliges ex 1 Chron. XXVIII. 4. quod Græci Hebræam locutionem imitati vocant εὐδοκεῖν ἔν τινι, vel εἴς τινα. quam phrasin integram Græcis receptam non esse, observat Vir Doctissimus, Joannes Croius [c], Polybio aliisque Scriptoribus eadem fere significatione construitur cum *casu tertio*. Deus Pater vidit in Christo Jesu omnes proprietates & qualitates, personæ & officio ejus congruentes; vidit autem cum delectatione; & hoc nomine in ipso perfecte acquievit. Vidit, hunc hominem Jesum esse *Sanctum* illud *Domini*; omni vitio & labe purum. vidit purissimum ejus erga se studium & affectum. vidit & agnovit in ipso ornamenta omnia excellentium dotium Sp. S. ad magnum opus liberationis generis humani necessaria. vidit, illum aptum & aptissimum esse ad nomen suum glorificandum. *Tu es Israël*, ait, *per quem glorificabor*. Sic in ipso *acquievit*, sibique *in eo complacuit*. Imo certe Deus Pater in Messia vidit integram & perfectam imaginem suam, dum illum quem vidit ut *Servum*, simul vidit ut *Filium suum*; verum, naturalem, proprium, coævum, in emphasi sic dictum. quæ emphasis est in dicto Patris: *Hic est* FILIUS MEUS *dilectus, in quo mihi complaceo*. Inde illud sæpius à Joanne repetitum [d]: *Pater* AMAT (ἀγαπᾷ, φιλεῖ,) *Filium*. Nec tamen sic exhausi integram vim phrasios. Deus Pater in Christo Jesu eam vidit *qualitatem*, secundum quam se suo tempore offerre posset & certo oblaturus esset in *sacrificium*, in quo sacrificio Deus *postulans sacrificium ad glorificationem Nominis sui* sacrificiis Legalibus perfectius, posset acquiescere & sibi complacere. Hanc enim esse vim & usum peculiarem vocis רצה, jam monui ad Cap. XL. 2. coll. cum Lev. I. 4. Apostolus [e]: *Christus dilexit nos, & tradidit semet ipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo εἰς ὀσμὴν εὐωδίας in* ODOREM *bonæ* FRAGRANTIÆ. Confer Heb. X. 5. 6. Chaldæus Paraphrastes hæc nostra vertit: בחירי דאתרעי ביה מימרי *Dilectus meus in quo sibi complacuit* VERBUM MEUM. ubi cum Raymundus Martini per VERBUM DEI intelligit FILIUM DEI, secundam hypostasin: ex hoc ipso loco fulcit doctrinam de mysterio conjunctionis duarum naturarum in Messia. Sed pauci existimaverint, Paraphrasten de hoc mysterio cogitasse. contra cum hic occurrat oratio Patris de *Filio*, & cum vos מימריה *Verbum meum* hic respondeat voci נפשי *anima mea:* judicaverint alii ex hoc ipso loco, Chaldæum per מימרא דיי intelligere vel *ipsum Deum* cum emphasi; vel Deum quatenus se revelat hominibus. Sed materia hæc vexatæ disquisitionis majus requirit spatium quam nobis hic suppetit, si prudenter tractanda sit.

In quo sibi complacet anima mea. Verbo Matthæi Evangelistæ. Ellipsis in phrasi Hebræa. Significatio vocis רצה cum ב & absque ea.

Locus 1 Chron. XXVIII. 4. Phrasis Græca, εὐδοκεῖν ἔν τινι, & εἴς τινα. Croji observatio de hac phrasi. Quo sensu attributum hoc illustre Christo Jesu competat?

Peculiaris respectus hujus Epitheti ad Munus Pontificale.

Observatio ad Paraphrasin Chaldæam hujus loci; & ad phrasin, מימרא דייי *Verbum Domini.*

Posui Spiritum meum super ipsum.] Sume rursus verba in omni suo pondere & vi. Sensus est, *Ego Spiritum meum super ipsum posui* majore μέτρῳ *mensura*, quam super alios meos Servos: imo illum tam large perfudi *donis* mei *Spiritus*, ut Spiritus ei censeri queat *datus esse*, non ἐκ μέτρου *ex mensura* [f]. Hic est character Messiæ, qui consignatur Cap. XI. 1. 2. LXI. 1. 2. Pf. XLV. 8. Scripsi de eo ad primum horum locorum quantum ad rei intelligentiam satis est. Tantum observa, α. *Aptitudines spirituales* quas Deus in homines confert, ubicunque sunt, semper spectari ut δῶρα *dona* & χαρίσματα, Hebræis מתנות, unde dicuntur *dari*, ut hoc loco. Nemo *Spiritum S.* per naturam habet. β. Spiritum S. *dari ex cœlo*; esse donum cœleste, δῶρον ἐπουράνιον: unde dicitur dari SUPER *ipsum*, tanquam *donum* è cœlis *descendens*, & quidem *spirituale* cujus sedes esset in mente. γ. Cum dona spiritualia varii sint generis: hic loci præcipue respici ejus generis dona, quæ officio ejus Prophetico subservirent, ut sunt dona *profundæ* ac *perfectæ intelligentiæ* consiliorum ac viarum Dei, Verbo Dei expositarum, vel ex Revelatione Divina perceptarum; *Sapientiæ*; *Prudentiæ*; Eloquii & dicendi docendique promptitudinis, claritatis, acuminis, facilitatis, efficaciæ, & *gratiæ* singularis; qua dote omnibus Doctoribus ipsum prægressis præcelleret, & Mosi *tardioris eloquii* [g] contradistingueretur.

Posui Spiritum meum super eum. Sensus dicti Prophetæ. Observata ad h. l. *Aptitudines spirituales* sunt *Dona Dei*, & quidem *cœlestia*. Respiciuntur hic præcipue *Dona* relata ad Munus Ejus *Propheticum*.

Jus Gentibus proferet.] Hoc est, tradet Gentibus *Doctrinam Religionis Canonicam*, rationalem, in principiis conscientiæ fundatam, secundum quam omnis doctrina Religionis alia; omnes hominum de Religione sensus; omniaque Gentium dicta, judicia & actiones, judicanda sunt: quæ est *doctrina Evangelii*, canon Judicii Divini; regula & norma Judicii Christi, cui Pater judicium tradidit, & omnium Ministrorum ejus qui Regnum ejus inter Gentes fundarent. Sic vertenda est hic loci vox משפט, quæ cum varias admittat significationes, & in his vulgatissimas *Juris & Judicii*, (ut Matthæus hic vertit per κρίσιν,) proprie notat omnem *sententiam* principiis æquitatis, veritatis, justitiæ, consentaneam, iisque subnixam; & omne *judicium*, secundum ejusmodi sententias *latum*. Ratio ipsa; Jus in ratione fundatum; Veritas omnis; omnis Justa & rationalis sententia, dogma, doctrina; omnis canon & norma actionum; & inde Canon Religionis, Hebræis dicitur משפט. Vide dicta ad Cap. XL. 14. Hic loci præcipue refertur ad Religionem in singulari emphasi, atque adeo in sequentibus bis repetitur, ℣. 3. 4. & in *posteriore loco* comparatur cum voce תורה LEX; *doctrina*, RELIGIONIS. Sic Exod. XV. 25. *Ibi posuit iis Statutum* (חק) *&* JUDICIUM, משפט, h. e. tradidit iis *Definitiones precisas*, ad Religionem & mores attinentes, secundum quas ut *canonem & normam* actiones suas componerent. Pf. XXV. 9. *Ire facit mansuetos* במשפט *in* JUS, (h. e. Doctrinam Religionis veram, justam, rationalem,) *& docet mansuetos* VIAM SUAM. veram Religionem, qua itur & venitur ad Deum. Inde *Statuta Religionis* in *Odis Davidicis* crebro dicuntur משפטי יהוה *Jura Jehovæ*. Justæ, æquæ & rationales definitiones. Idem usus vocis משפט obtinet in Historia Cuthæorum [h]. *Gentes*, transplantatæ ab Assyrio in Agrum Samaritanum, dicuntur non intelligere ארץ משפט אלהי הארץ JUS DEI *illius terræ*. Ritum & Statuta Religionis, Canonica, secundum quæ coli vult. Quin ut hæc pericopa nostra ejusdem argumenti & sensus est cum prophetia Cap. II. 1. seqq. sic Vates noster eadem phrasi eodem ibi utitur sensu: ושפט בין הגוים *Et* JUDICABIT *inter Gentes*, *& faciet convictionem Populis magnis*: h. e. Eriget *Regnum* inter Gentes, & dabit Gentibus *Legem Regni & Judicii*, quæ est doctrina Evangelii, demonstrabitque iis illius suæ *Legis* doctrinæque rationalitatem. Quam vera hæc est interpretatio, tam longe à vero abest Grotiana, qui hic videt *Judicia à Propheta enuncianda in Babylonios & Medos*. Utique agitur hic de *Doctore*, à Gentibus optato, qui eas educeret è caligine ad *lucem veritatis*, ut patet ex ℣. 6. nec dicitur ille *enunciaturus* משפטים *judicia*, sed משפט *Jus*, *judicium*, *Normam veritatis & veræ Religionis*; nec prolaturus *judicium* על הגוים ADVERSUS *Gentes*, sed לגוים *Gentibus*.

Jus Gentibus proferet. Verba Prophetæ expositra. Christus Doctor Gentibus traderet *Doctrinam Religionis Canonicam*. Significatio vocis משפט h. l. Ex consequente contextu & analogis declarata. Locus 2 Reg. XVII. 26. Pericopa tota illustratur ex parallelo loco Cap. II. 1. 2. seqq. Grotiana interpretatio refellitur.

a ℣. 5. b Cap. III. 17. c *Observ.* in N. T. Cap. XXXIV. d Joh. III. 35. V. 20. e Ephes. V. 2. f Joh. III. 34. g Exod. IV. 10. h 2 Reg. XVII. 26.

Modus Institutionis hujus magni Doctoris, ejusque Doctrinæ *qualitas*.

℣. 2. *Non vociferabitur, nec* ATTOLLET *vocem suam; nec foris faciet audiri vocem suam.* ℣. 3. *Cannam quassatam non franget; & linum fumans non extinguet: in veritate proferet jus.*] Pulchra pericopa, quæ explicat tam *docendi modum* illustris hujus Doctoris, quam doctrinæ ejus *rationem*, & *qualitatem* quæ dicitur. Inter illa enim duo tam arcta intercedit affinitas, ut unum alterum involvat. *Modus* enim *docendi* debebat esse conformatus ad *doctrinam* ipsam, ejusque *qualitatem*. *Qualitas* autem doctrinæ hic proponitur gemina. Esset *doctrina Pacifica*, & *Consolatoria*.

De *qualitate* doctrinæ Messiæ, ut *pacificæ*, capienda sunt quæ Vates exhibet ℣. 2. *Non vociferabitur, nec attollet, & seqq.* Matthæus vertit *a*: Οὐκ ἐρίσει οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ. *Non litigabit; neque clamabit; neque audiet quis in plateis vocem ejus.* quæ versio non tantum nihil vitii habet, verum etiam plurimum nobis prodest, cum Evangelista nos duxerit in notitiam distinctarum specierum *clamoris* qui hic Messiæ abjudicatur. Certum est, omne genus *clamoris* hic non intelligi. Est enim quædam species *clamoris*, quam nemo damnet. Quin Christus Jesus docens in publico apud magnum hominum confluxum, non abstinuit semper *clamore*, sive *alta voce*, quam zelus ipsius, doctrinæ ejus necessitas, & circumstantiæ subinde postularunt *b*. Ergo damnatur hic species quædam *clamoris* vitiosi, & ut videtur, *species* clamoris vitiosi plures, siquidem probabile non sit, Vatem nostrum trina phrasi unam tantum rem dicere voluisse. Primum itaque quod dicitur, *Non clamabit*, ex ejus expositione referendum est ad *clamorem litigiosum, rixosum*, ut sunt *litigatores* omnes, quod experientia docet, *clamosi*. Vertit igitur rectissime, sed παραφραστικῶς, quia ריב *clamare* directe non notat ἐρίζειν, sed oblique. Sensus itaque est, Doctorem hunc non esse versaturum in genere doctrinæ contentiosæ, disputatoriæ, ad ingenii aut doctrinæ laudem aucupandam institutæ. Quod sequitur, *Non efferet*, attollet, hic valet, *non attollet vocem suam:* quippe repetenda est notio קולו *vocem suam* ex *sequenti membro*. cujusmodi exemplum habuimus in *Versu antecedente* in vocula בו, semel scripta, sed bis legenda. Sed vox נשא sola sensu *eloquendi, pronunciandi*, frequens in Sacris occurrit, & habuimus exempla Cap. III. 7. & XIV. 4. Matthæus recte vertit per κραυγάζειν, *clamare*. Cl. Coccejus *c* existimat, Evangelistam has voces inverso ordine posuisse, ut τὸ οὐκ ἐρίζει respondeat huic nostro לא ישא, secundum ipsum, *non tollet opprobrium; non dicet convitium:* nostrum vero, οὐ κραυγάσει, respondeat תף לא יצעק. Sed vox נשא sola non notat *ferre convitium, dicere probrum*, quod sciam; eademque notio constructa cum קול *vox* vertitur rectissime κραυγάζειν: ut nulla sit mutandi ordinis ratio. Si rem respicias, duo hic significari posse videntur. α. Doctorem hunc os suum non esse resoluturum in sententias aut Conciones graves & interminatorias, quales illæ erant Prophetarum Veterum altissima voce ab iis enunciatæ *d*, quæ משאות *graves sententiæ* dicebantur. β. Non imitaturum esse Declamatores forenses, qui magna usi voce suas facultates, eruditionem, sanctimoniam, artis suæ arcana, publice jactant iisque se efferunt, ματαιολόγοι, μεγαλορρῆμονες. Posterius malim, cum hic mentio sit de *elatione vocis vitiosa*. Et mox videbimus, favere huic sententiæ expositionem Matthæi. Tertium, *Non faciet foris audiri vocem suam.* Matthæus fere ad verbum, Οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ. *neque audiet quis in plateis vocem ejus.* Quicquid in oppidis est *extra* ædes, censetur esse πλατεῖα *platea*; & tamen præcipue hoc nomine veniebant *fora* in medio Urbium vel apud Portas. Sic Vates noster describens planctum Moabitarum *e*: בחוצותיו חגרו שק *In plateis ipsorum* (foris, aut spatiosis Urbis locis,) *sibi accingunt saccum.* Ubi Alexandrinus Int. Ἐν ταῖς πλατείαις αὐτῶν περιζώσασθε σάκκους. Species designatur vitiosi clamoris Doctoris publici, à superioribus distincta. Dicere vult Propheta, Doctorem hunc illustrem quem describit, non abusurum dotibus & officio in *ciendis seditionibus*; in faciendis partibus; in captanda populari aura, ut plebem concitet in rebellionem; ejusque rei caussa in *foris & plateis Urbium* se non esse ostentaturum. Quæ si in summam colligas, elicies inde doctrinas magni momenti, α. Messiam, copiosis dotibus Sp. S. ornatum ac perfusum, inter Judæos compariturum esse forma Doctoris *Gregarii*; absque pompa, absque fastu, χωρὶς Φαντασίας, *absque ostentatione*; sed specie communi & humili. magnum licet Prophetam, Mosi similem, Mose majorem, proditurum esse ut *fratrem è medio fratrum f*. β. Illum traditurum esse *doctrinam pacificam* quæ tenderet ad *homines* cum Deo & inter se reconciliandos, & perfecta amicitia inter se devinciendos; nullo autem modo turbaret Statum Politicum Regnorum & Rerumpublicarum, cujus *ordinatio* sub cura Divinæ Providentiæ ab humana pendet voluntate. γ. Eandem doctrinam illum propositurum esse, modeste, placide, plane, absque ulla sui jactantia. δ. Et quidem vel in *Locis Ordinariis* institutioni publicæ dicatis, veluti in Templo & Synagogis; vel Domi, clausis foribus; vel in Locis à conventu hominum civili remotioribus: non in *plateis & foris* majorum Urbium ad concitandam seditionem. Sic Propheta Messiam pariter depingit in parallelis, quæ supra adduxi, ut & Prophetæ alii. Viden', Judæe, hos characteres in nostrum convenire Christum, JESUM, cujus veram imaginem Jesaias ad omnem lineam χαρακτηριστικῶς expressit: non autem convenire Messiæ tuo bellatori, qui Gentes armis sibi subjiceret, & in eas imperium vi vindicaret? De nostro Messia dixerat Zacharias *g*: דבר שלום לגוים *Loquetur pacem Gentibus.* Paulus vero, ostendens implementum in Jesu nostro *h*: *Et veniens* EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS, *tum qui procul, tum qui propeeratis.* Petrus ad eundem modum *i*: *Evangelizans* (Deus) PACEM *per Christum Jesum.* Reliqua, ex historia Evangelica omnibus nota, non opus est prolixius in Messia Jesu demonstrare: veluti, illum non esse versatum in rixosis, clamosis & contentiosis disputationibus, aut Declamationibus ad fastum ornatu Oratorio pro more sæculi instructis; sed in genere docendi plano, populari, placido: si forte ab adversariis protractus sit ad congressum disputatorium; ea vi orationis & convictionis dubia proposita solvisse, ut adversariis non reliquerit disputandi campum: docuisse passim in Templo & Synagogis: si ab his locis discederet, non versatum esse in foris aut plateis, sed abiisse in agrum, Deserta, montes, litus maris, ut absque perturbatione Discipulos sui sequaces silentio erudiret: nihil de se magnificum per jactantiæ modum extulisse; quin interdixisse suis, & sui beneficii hominibus, ne id agerent. quod cum Matthæus videret in hoc loco esse, postquam narrasset, Dominum *interminatum esse à se sanatis*, μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν: subjicit *k*, *Ut impleretur quod dictum est per Jesaiam Prophetam*, quando hanc nostram pericopam allegat. Non prohibuit Dominus se credi & dici Messiam, cum illuc tenderet omne Officium ipsi à Patre mandatum: non vetuit etiam idem credi & dici ab hominibus quos magno beneficio sanationis sibi obstrinxerat; cum utique beneficium in ipsos collatum ipsos obligaret ad beneficii agnoscendum & prædicandum auctorem: sed cum Pharisæi Christo Jesu struerent insidias & undique illi imminerent ex calumnia Sabbathi ab ipso non reverenter habiti; noluit utique, ut sanati ab ipso se ubique ex professo circumferrent, & cum jactantia se celebrarent; tum quod accensis

Sententia amplius declaratur.

Doctrinæ magni momenti de modo institutionis Messiæ inde elicitæ.

Qui characteres demonstrantur in Christo Jesu: sed neutiquam conveniunt Messiæ, quales Judæi fingunt.

Analoga loca, nostrum illustrantia.

Historia Evangelica de Christo Doctore, & illius docendi modo.

Matthæus hunc locum ad rem allegavit.

Occasio ex loco Matth. XII. 17. enarratur, & elucidatur.

a Cap. XII. 18. *b* Joh. VII. 37. XII. 44. *c* In *Lex.* *d* Cap. LVIII. 1. *e* Cap. XV. 3. *f* Deut. XVIII. 18. *g* Cap. IX. 10. *h* Ephes. II. 17. *i* Act. X. 36. *k* Cap. XII. 17.

sis in se studiis odii & invidiæ intempestivis sanatorum sermonibus novam noluerit subjicere materiam; tum quod cum doctrinæ ejus ea esset natura, ut odii, invidiæ & contentionis causas quantum pote sufflaminaret; Christi Jesu esset eam ubique præ se ferre modestiam, humilitatem, & placiditatem, quam Jesaias in hoc loco ut verum ejus characterem consignaverat: ut adeo pateſcat, hunc locum ex vera Prophetæ mente allegatum esse.

Qualitas Doctrinæ Messiæ consolatoria ex ℣. 3.

Ad *alteram* Doctrinæ Ejus *qualitatem*, secundum quam *consolatoria* esset & *blanda*, afflictas & prostratas animas erigere & sanare apta, sequentia pertinent, ℣. 3. *Calamum quassatum non confringet, & seqq.* quæ Evangelista vertit: Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει· *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* quæ haud dubie vera mens est Prophetæ. פשתה כהה proprie sonat, *linum hebescens.* atqui *linum lampadis*, ad quod hic alluditur, flamma imminuta & obscurius lumen & plus fumi quam luminis spargente ob defectum olei, *hebescit*; caligat. *Linum* כהה est *Linum* caliginosum, obscurius ardens, multum fumi, parum lucis exhalans, prope ut extinguatur. Sic Hebræi recte. Οἱ Τρεῖς, A. S. Th. hoc in loco docte, Λῖνον ἀμαυρὸν *Linum fuliginosum*, obscurius ardens, extinctioni proximum. Alexandrinus directe, καπνιζόμενον *fumigans.* Sed τυφόμενον Matthæi rectius. est enim τύφεσθαι quoque ἡσυχῇ ἐκκαίεσθαι *paululum exardere.* Sententia est adagialis, ut quisque facile videt, quæ in hunc resolvitur sensum; Messiam Doctorem sic instituturum esse, ut *peccatores graviores*, quorum conscientiæ illatum erat majus aliquod vulnus, quorumque quod Divinam gratiam fere desperarent, status erat incertus & instabilis, quique ob ipsam hanc rationem animo erant afflicto; non prosterneret, nec dejiceret, neque interminationibus tonantibus Divinæ iræ percelleret, aut plagas Divini judicii iis infligeret; verum eos erigeret consolationibus suis, si in iis observaret studium veræ pœnitentiæ; sensum suæ damnabilitatis; cupiditatem Divinæ Gratiæ; & ad se in fide accederent. Pariter, Messiam pauperes & afflictos in populo, à Pastoribus suis neglectos, falsis Doctrinis circumventos, in quibus exigua supererat notitia Doctrinæ Religionis & Fidei vis pusilla, pene ut quicquid in iis luminis residuum erat, extingueretur, instructurum esse solida notitia Regni cœlorum; fidem illorum doctrinis suis excitaturum; consolationibus suis eos corroboraturum & lætificaturum, ut dehinc se in mundo ostentarent tanquam *lampades ardentes. Calamus quassatus* in hoc loco symbolum sustinet hominis, α. Cujus animo est illatum *vulnus* ex gravioribus peccatis à se commissis. β. Qui ob hanc rationem est animo dejecto & statu instabili. γ. Veruntamen in quo adhuc supereſt aliqua *vis spiritualis* qua se quodammodo sustinet; h. e. seria pœnitentia peccati commissi; desiderium Divinæ Gratiæ; &, stylo Scripturæ S. *animus fractus* [a]. h. e. animus se ob sua peccata affligens, coram Deo humilians, depressus ac dejectus, qui se nec potest nec audet coram Deo erigere. quæ attributa hic concurrunt. Proprie tamen & vere, ex primo sensu similitudinis, *calamus quassatus & contusus* est homo cujus conscientiæ est inflictum gravius vulnus ob quod dejecto est animo & instabili statu, ut se vix in statu spirituali sustineat. *Linum* obscurius *ardens* symbolum exhibet hominis, in quo habitus vitæ spiritualis usque eo imminuti sunt, ut nisi aliunde subsidium adferatur, penitus interituri videantur: notitia Religionis veræ multis præjudiciis obscurata, fides exigua, spes vacillans, exercitatio vitæ spiritualis languida, ut status ejus difficulter ex evidentibus criteriis dignosci queat. His succurreret Messias in omni functione sui Ministerii, ut Propheta noster plane & plurimis explicat, Cap. LXI. 1. 2. & egimus jam de eo Cap. XL. 3. Ejus esset, *fesso loqui verbum tempestivum*, ut Vates alio loco [b]. Et pertinent vere huc insignia loca quibus Gratia Dei ut *sanantis* ægros *fractosque* animo, pœnitentes lugentesque erigentis, deprædicatur. pertinent, inquam, loca in emphasi ad Oeconomiam Gratiæ [c]. Hic character fuit Christi *Jesu*, hæc ejus nota, quam ipse in medium producit ut *signum* sui temporis ac ministerii privum, ex quo demonstraret se esse verum Messiam [d]: *Et* PAUPERIBUS EVANGELIUM PRÆDICATUR. *Pauperes* hic sunt indigi gratiæ, cupidi gratiæ, suæ miseriæ conscii, & de se humiliter sentientes: de quo criterio Regni Christi multis egi ad Cap. XI. 4. Fidem facit tota historia Evangelica; omnis Oeconomia Christi Jesu; & nemo est tam ignarus historiæ nostri Servatoris, qui id ignoret. Nihil itaque hic plus adscribam. tantum observari volo quam docte in hoc loco versatus sit Chaldæus. Paraphrasis ejus habet: MANSUETI *qui similes sunt calamo quassato, non confringentur*; & PAUPERES *qui sunt quasi linum obscurum, non extinguentur.* Amo virum quisquis fuerit. Mansuetudo vera animi Deo placitura nascitur ex sensu indignitatis miseriæque suæ. Quid vetat addere lusum Tertulliani ad hæc verba in Libro adversus *Judæos* [e], ubi demonstraturus Christo Jesu convenire characteres expressos in Oraculis V. T. in hæc verba scribit: *Sic neque contendit, neque clamavit, neque audita est foris vox ejus. Qui* ARUNDINEM CONTUSAM, ISRAELIS FIDEM, *non communuit: qui* LINUM ARDENS, *id est*, MOMENTANEUM ARDOREM *Gentium, non extinxit: sed lucernam magis fecit ortu luminis sui.* Accommodata est hæc paraphrasis ad antiquam Versionem Latinam ex LXX-Virali factam.

Ad veritatem (sive, *secundum veritatem*,) *proferet judicium*, sive *jus.*] Sic proprie sonant Hebræa. Sed apud Matthæum ordine sequitur: Ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν· *usque quo protulerit judicium ad victoriam:* quæ ad primam speciem Hebræis minus exacte videntur respondere; cum apud Jesaiam non habeatur עד *usque*, nec legatur quod æquivaleat vocibus, εἰς νῖκος, quæ verti possunt *in victoriam* vel *in æternitatem*, secundum stylum Græcorum Hebraizantium. Sic videtur ad primam speciem: sed dubium facile expeditur, estque jam expeditum à Doctis Viris. Evangelista enim hisce verbis involvit duas sententias Prophetæ, *alteram* hujus *commatis*, *In veritate proferet jus.* alteram *sequentis*, USQUE *quo posuerit in terra jus.* Sic habet integer contextus Prophetæ: IN VERITATE PROFERET JUS. *Non obscurabitur, & non conteretur* USQUE QUO POSUERIT JUS IN TERRA: ubi cum intermedia minus facerent ad scopum Prophetæ, & *prima* ac *ultima* sententiæ fere in eundem exirent sonum, sententiam in breve pro scopo suo contraxit, *sensum* potius quam *verba* sectatus; quod Scriptores Sacri aliis locis frequenter, imo omnis generis auctores variis in casibus faciunt; ut mirandum non sit, idem quoque subinde fecisse Judæos Veteres, & facere Talmudicos. Sententia verissima Prophetæ est, Christum Jesum Doctrinam veritatis, æquitatis, mansuetudinis Evangelicæ, ea vi & efficacia propositurum, inculcaturum & demonstraturum esse, ut nunquam postmodum sit *obscuranda*, sufflaminanda, intervertenda; sed ut alias omnes Doctrinas Religionis sit victura & de iis triumphatura, quod Evangelista ita extulit: *Proferet judicium* (Doctrinam *veritatis* Evangelicæ,) IN VICTORIAM. Id ipsum Jesaias intendit; nec alius sensus verbis ipsius subest. Vides ex his quæ jam anticipavi, me verba, לאמת יוציא משפט vertere, IN VERITATE sive *secundum veritatem proferet* JUS. h. e. tradet atque explicabit Doctrinam æquam, planam, rationalem, quæ *operibus* hominum in negotio salutis omne meritum abjudicat; & *salutem* cum *remissione peccatorum* derivat à *Divina Gratia:* quæ proinde doctrina blanda, consolatoria, excludit *severitatem* qua Deus utebatur sub Oeconomia Legali, & omnem προσωπολημψίαν *respectum externum* quem Doctrina Legalis & maxime Pharisaica inferebat. Certe Pha-

Verſio Evangeliſtæ.

פשתה כהה quid ſit *Propheta?*

Significatio vocis כהה.

Verſio Veterum.

Vox τύφεσθαι hic rectius adhibetur, quam καπνίζεσθαι.

Senſus ſententiæ Prophetæ.

Quomodo Chriſtus Dominus teneriores & afflictas *animas* tractaverit?

Calamus quaſſatus cujus rei ſymbolum h. l.

Quid myſtice notet *Linum* obſcurius ardens?

Characteres in Doctrina Chriſti demonſtrantur.

Doctrina ejus fuit *conſolatoria.*

Erexit animas laborantes & afflictas.

Paraphraſis Chaldæi.

Expoſitio Tertulliani.

Verba Prophetæ: *Ad veritatem proferet judicium.*

Verſio Matthæi.

Dubia in Verſione Evangeliſtæ.

Quæ expediuntur.

Evangeliſta ſua verſione duas complectitur ſententias Prophetæ.

Res tota declaratur.

Sententia Prophetæ in hoc loco.

Verba Prophetæ: *In veritate proferet judicium.*

Senſus illorum.

Doctrina Meſſiæ hic opponitur Phariſaicæ.

[a] Pſ. LI. 19. [b] Cap. L. 4. [c] Pſ. CIII. 1. & CXLVII. 2. 3. ſeqq. [d] Matth. XI. 5. [e] Cap. IX.

Pharisaica fundata in *Justitia Operum* mera erat hypocrisis, serviebatque fastui & superbiæ hominum carnalium. hypocrisi autem opponitur *veritas*. Imo vero Doctrina Evangelica ut *spiritualis tota* mera erat *veritas*, oppositæ Legali quæ Ritum carnalem Officiis spiritualibus miscebat. Inde loca Joh. I. 17. LEX *per Mosen data est: Gratia &* VERITAS *per Jesum Christum.* Matth. XXII. 16. *Magister, scimus, te* VERACEM *esse &* VIAM DEI IN VERITATE DOCERE. Res eadem quæ in hoc loco. *Via Dei* hic est משפט *Doctrina Religionis.* Joh. XVIII. 37. *Ego ad hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, ut testimonium dem* VERITATI. Et passim Evangelium Filii Dei in Scriptis N. T. dicitur *veritas, veritas Evangelii, veritas Christi* [a]. Sic de ipso Jesaias eodem sensu Cap. XI. 3. *Non secundum aspectum oculorum judicabit; nec secundum auditum aurium redarguet: sed judicabit* IN JUSTITIA *tenues.* Ergo Christi Domini Doctrina esset *consolatoria*, apta afflictos & prostratos erigere animos, quod Doctrina esset *puræ & meræ gratiæ* ac *veritatis*, respectus omnes carnales excludens. Cætera non nego, verba etiam in hunc modum verti & accipi posse, *Exire faciet* JUS *in veritatem.* h. e. Faciet ut Doctrina Religionis à se prædicata se manifestam faciat cum magna vi demonstrationis veritatis. Et tamen non defero interpretationem modo illustratam, ut servem analogiam phrasios הוציא משפט *proferre jus, judicium*, Doctrinam Religionis, quam adstruxi ad ℣. 1.

Successus hujus Institutionis.

℣. 4. *Non hebescet, neque currentis instar festinabit, jusque quo in terra posuerit* JUS.] Verba omnino referenda sunt ad successum Institutionis magni hujus Doctoris, ut ex eorum sana interpretatione liquebit. Nempe cum pluribus Doctoribus accidat, ut optatus institutionis suæ successus ipsos frustretur, sive quod ipsis desit æquabilis zelus in Doctrina sua tradenda ac promovenda, sed quod cito hebescant ac pigrescant; sive quod non satis temporis impendant Doctrinæ suæ perfecte tradendæ, sed nimium festinent ac præcipitanter instituant; & è medio abeant, antequam Scholam suam bene stabiliverint: hic Doctor illustris primo quidem æquabilem adhiberet constantemque diligentiam absque ulla remissione zeli aut intermissione operis in Doctrina sua proponenda & explicanda: deinde in hoc opus incumberet non festine, sed considerate, cum debita patientia; nec è medio abiret ac discederet, priusquam Scholam suam stabilivisset, & perfectum Doctrinæ canonem Discipulis suis reliquisset. Hic verus est, ut quidem ego opinor, sensus sententiæ Prophetæ; quæ tamen iis est constructa verbis ut legenti præbere queat variam meditandi materiam. Dubium hic præcipuum residet in voce ירוץ quæ aliquibus vertitur per *conteretur, frangetur.* unde sensus: Hic Doctor *non hebescet*, nec *turbabitur* in opere suo, aut *conteretur, frangetur*, sive animo sive statu, nec operi aut oneri succumbet, *antequam in in terra posuerit judicium.* quando vocem יָרוּץ explicant ex רצץ *quassare*, concutere, acsi secundum analogiam vox punctata esset יְרֻצֵּץ. Sensus equidem non est contemnendus; & lubens patior vocem ירוץ explicari ex רצץ; & ferri etiam potest hæc ejus *punctatura* non plane insolens in *geminatis radicalis secundæ:* sed vox רצץ nunquam quod sciam usurpatur nisi *active.* notat *conterere, quassare, concutere.* nec resolvit difficultatem Kimchius, sed dissimulavit; simpliciter ad hæc nostra adscribens. NON HEBESCET, NEC FRANGETUR] *Non pigrescet, nec infirmabitur, nec remisse aget, usque quo, &c.* Sed, ut dixi, manet difficultas. Alii itaque retinentes significationem eandem vocis רצץ reddunt, *non concutiet, non quassabit* sc. auditores suos, quos non necesse habebit ullo motu ad attentionem excitare; quippe omnes ipsum lubenter erant audituri: vel, ut Hieronymus, *non erit turbulentus.* Sed ipsum quoque illud coactum est. Qui autem dictum Prophetæ in hanc accipiunt sententiam, quam analogice præ se fert, *Non obscurabitur, &* NON CURRET, quo modo verterunt Aquila & Theodotio, & ex Recentioribus Cl. Coccejus: ne illi quidem eundem verbis sensum dant. Hieronymus hanc versionem ita accepit: *Nullum vultus tristitia deterrebit, nec festinabit ad pœnam, qui judicii veritatem ultimo tempori reservabit.* Coccejus: *Non hebetabitur*] *Regnum ipsius ... non suffiaminabitur, neque ipse à Diabolo enervabitur: tantum abest ut* CURRAT, *territus hominum potentia.* Nostra hic sententia liquida est & facilis. *Non hebescet*, ait Propheta, sive, *non obscurabitur, non fiet obscurus:* h. e. neque ipsius deferveſcet zelus in Schola sua fundanda, neque alii cursum & profectum institutionis ipsius poterunt retundere aut sufflaminare, aut Doctrinam ejus obscurare: *neque curret*, h. e. in Doctrinam & præceptis Scholæ suæ tradendis, & Schola sua fundanda, non versabitur præcipitanter aut inconsiderate, ut faciunt currentes & nimium festinantes; sed versabitur patienter, considerate, æquabili pede, se accommodando ad Discipulorum ingenia, & dogmata sua plane ac moderate explicando, *usque quo posuerit in terra judicium*, sive JUS: h. e. usque quo fundamenta Scholæ suæ spiritualis Regnique sui jecerit in solido, & certæ successioni Scholæ ejus adversus Satanam & hostes Doctrinæ ejus probe provisum fuerit. Pulchre & plane ad rem Procopius; interpretans Græca τῶν ὁ, his Hebræis respondentia, Ἕως θῇ ἐπὶ τῆς γῆς κρίσιν *usque quo posuerit in terra judicium:* pulchre, inquam, ipse in hunc modum: Τέτ' ἐστι, πρὶν ἐπὶ γῆς διατάξασθαι τὴν πέρι τῆς Ἐκκλησίας διοίκησιν τε καὶ κρίσιν, ἣν τοῖς αὐτοῦ παρέδωκε μαθηταῖς· *Id est, priusquam Ecclesiæ in terra administrationem & judicium, quod Discipulis suis commisit, ordinaret.* Subjungit, per *Judicium* hic videri *Legem* significari; neque esse vocis hanc significationem in Verbo Dei insolentem, & plura similia horum, quæ ad initium hujus pericopæ jam anticipavi. Hebræi Intt. hic plane consentiunt. משפט *Jus* hic idem est quod mox appellatur תורה *Lex*, Canon Doctrinæ & disciplinæ Messiæ. Quæ si rite expendisset Cl. de Dieu, maluisset non scribere, quæ ipse alibi commentatus est, *ponere judicium in terra* idem valere quod *abolere condemnationem:* perinde ac *in veritate exire facere judicium* ejus judicio est *vere ejicere condemnationem.* Profecto, Vir Docte, non judicio meo. Quid enim hic cogitari vel scribi potuit à phrasi alienius & remotius?

Et in Doctrina ejus insulæ spem reponent.] Hebræa ולתורתו איים יחלו gemino sensu accipi posse videntur, ut accepta sunt ab Intt. Prior est, Gentes indigas doctrinæ salutaris *cum desiderio exspectaturas* esse doctrinam Messiæ ad se quoque transferendam: quem sensum versione sua expressit Piscator, *Et doctrinam ejus insulæ cum desiderio exspectabunt.* etsi nec ipse nec Belgæ illum sequuti distincte declarent quid sub hac sententia cogitari velint, quam tamen ego non abnuo bonam pati interpretationem. Hebræis dicuntur *desiderari, sperari* sive *exspectari* omnia quorum quis indiget. Sentiebant autem Gentes se indigere vera sapientia quâ via perveniendi ad vitam sibi plane ac aperte exponeretur; quare omni modo se applicarunt ad veram sapientiam pro humanæ facultatis ratione indagandam. unde illud [b]: Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσι· *Græci* QUÆRUNT *sapientiam.* Quandoquidem vero ex re ipsa patescat, veram Sapientiam quæ viam vitæ monstret, nullam esse in Mundo præter Doctrinam Christi Jesu; & ex Eventu manifestum fuerit, Deum Gentibus ad illarum supplendum defectum hanc destinasse doctrinam, ut instar Deserti sterilis sitientis aquam, hac pluvia cœlesti irrigarentur: Gentes licet ignaræ Messiæ & Consiliorum ac Promissorum Dei recte dici possunt cum desiderio exspectasse Doctrinam Messiæ. Desiderabant enim, suæ indigentiæ consciæ, *Sapientiam veram*; quæ est Sapientia Messiæ, à se licet hactenus igno-

Doctrina Messiæ *veritas* quo sensu?

Summa superioris demonstrationis.

Successus institutionis Messiæ, ℣. 4. *Non hebescet, &c.*

Summa sententiæ hujus loci.

Doctor hic illustris stabiliret scholam suam, ut coinceps non posset everti, nec Doctrina ejus obscuri.

Dubia explicantur. Primum in voce יָרוּץ, cum vertenda per *curret*, vel *conteretur.*

Sed posteriorius non respondet significationi vocis רצץ.

Alia versio, *Non quassabit.*

Quæ pariter non probatur.

Qui dicuntur verunt, *Non curret*, diverse interpretantur.

Specimina interpretationum Hieron. & Cocceji.

Verba illa quidius exponuntur.

Qui sit *non hebescet?*

Currere hic est *præcipitanter* versari in Doctrina tradenda.

Ponere in terra Jus vel *Judicium* est, Doctrinam suam in Mundo stabilire.

Procopii interpretatio producta & laudata.

Hebræorum Intt. consensus.

Lud. de Dieu animadversio non laudata.

Verba sequentia: *Et in Doctrina ejus insulæ spem reponent.*

Geminus iis subesse potest sensus

Primus est, *Gentes cum desiderio Doctrinam ejus exspectaturas esse.*

Auctores sententiæ.

Quæ defenditur ut tolerabilis.

Gentes sano sensu dici possunt *exspectasse Doctrinam Messiæ*, licet sibi ignoti.

[a] Joh. VIII. 32. 2 Cor. VI. 7. XI. 10. [b] 1 Cor. I. 22.

ignorati. Desiderabant & cum desiderio *exspectabant salutem:* sed cum *salus* in nemine quam in Christo Jesu sit, ipsum exspectasse censentur, unde ipse ex multorum Intt. sententia Haggæo [a] dicitur, חמדת כל הגוים *Desiderium omnium Gentium.* qui tamen locus non respuit aliam expositionem. Status Gentium miser, tristis, corruptus, clamabat, Gentes indigere Doctore & Servatore, perinde ac Apostolus *creaturas omnes*, vanitati corruptionis subjectas, ait *exerto capite exspectare revelationem filiorum Dei* [b]. Alter sensus quem hæc verba ferunt, comprehenditur illa versione quam exhibui: *Et in doctrina ejus insulæ spem reponent.* h. e. Insulæ doctrinam ejus *cum fide & spe* admittent. Insulæ in doctrinam ejus credent, & in illa fide collocabunt *spem suam*; sive, in doctrina Messiæ invenient in quo spem suam reponant. Coccejus verba vertit: *Et ad legem ejus insulæ cum spe permanebunt.* In ipsa autem Commentatione: *Et ad doctrinam ejus insulæ perseverabunt.* Sic interpretatur: *Legem & doctrinam ejus cupide & constanter cum spe discendi sapientiam audient & accipient.* Verissime. nihil hoc loco scribi poterat rectius. Sic utique vox יחל passim adhibetur pro illo animi actu quo quis fiduciam collocat & spem reponit in aliquo tanquam in caussa, auctore & medio suæ salutis, à quo Salutem suam sperat & exspectat. Sic Poëta sacer [c]: *Confirmamini, & corroboretur cor vestrum*, כל המיחלים ליהוה *ô Omnes vos qui speratis in Jehova.* spem fiduciamque vestram in illo reponitis. Alibi [d]: *Qui te reverentur, videbunt me*, כי לדברך יחלתי *quia in* VERBO TUO *speravi:* spem reposui. Dicet itaque Propheta, doctrinam Messiæ non includendam limitibus Judææ, trasissituram ad Gentes, quæ eam cum fide & spe admissuræ essent, & in hac doctrina invenirent caussam suæ salutis & objectum spei suæ. Ita passim Hebræi; hic scite comparantes insignem prophetiam Vatis nostri de *Gentibus* recepturis *doctrinam* magni *Doctoris* Jehovæ, Cap. II. 3. *Et ibunt Populi multi, & dicent, Age, conscendamus Montem Jehovæ ad Domum Dei Jacobi, ut nos* DOCEAT *de viis suis, & ambulemus in semitis ejus, quia ex Tsione exibit* תורה LEX (doctrina Messiæ, magni Doctoris, Evangelium Filii Dei, ut hoc in loco:) *& Verbum Dei ex Hierosolymis.* Sic *credere in Christum* Apostolo est ἐλπίζειν ἐν Χριστῷ· [e] *in Christum sperare.* in Christo spem reponere salutis. Atque hic haud dubie genuinus est sensus dictæ, hæc vera mens Prophetæ, de qua nos dubitare non sinit locus huic analogus Cap. LI. 5. *Me* (Servatorem,) *insulæ exspectant*, ואל זרועי יחלון *&* IN BRACHIO MEO SPEM REPONUNT. Spes hic est consequens *fidei*; fides revelationis. Gentes edoctæ de magna sapientia quæ est in doctrina, & de certa atque excellente *spe* quæ est in *Caussa salutis*, quæ hac doctrina proponitur; in illa doctrina spem suam reponerent. Inde jam patet quare Matthæus hæc verba verterit: Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι· *Et* IN NOMINE *ejus Gentes sperabunt.* Nihil hic mysterii est. Evangelista sic vertendo verum demonstravit sententiæ sensum. Per איים *Insulas* ex vero Prophetæ sensu docet intelligi GENTES; quod jam observavimus ad Cap. XLI. 1. *Sperare* autem in *doctrina Messiæ* nos monet idem valere quod in *ipso sperare*, quia doctrina Messiæ hoc unicum nobis commendat objectum spei, & caussam salutis. Tota doctrina Messiæ huc tendit. In *doctrina Messiæ* nemo alio sensu potest *sperare* quam unico hoc & solo quem demonstravi, quod spem fiduciamque collocet in illa caussa salutis, in illo *Objecto spei* quod in illa doctrina proponitur & commendatur ut Caussa & auctor Salutis. *Nomen* itaque *Messiæ* hic loci non est ipsa *doctrina Messiæ*, ut sunt qui sentiunt: sed ipse *Messias* κεχαριτωμένος ut *Objectum spei.* Explicemus Jesaiam ex se ipso, nempe ex insigni loco parallelo, Cap. XI. 10. *Et futurum est illo tempore, ut* quod attinet ad *Radicem Isai, quæ stat in Signum Populorum:* אלין גוים ירדשו *eam Gentes* ut Oraculum Divinum *sint consulturæ*, vel *eam Gentes sint quæsturæ*, & in ea fiduciam reposituræ. Sic Apostolus hunc locum vertens [f], Ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν· IN IPSO GENTES SPERABUNT. Respicit uno ictu oculi tam illum quem signavi locum, quàm hunc nostrum. Id vero consequens esset Scholæ Messiæ ab ipso fundatæ in his terris, & quidem tam bene & solide fundatæ, ut non tantum Judæi electi ad illam Scholam Messiæ aggregarentur, suaque ei darent nomina: sed ipsæ etiam Gentes postquam hæc doctrina ad eas perlata esset, eam cum siti, desiderio, fide, spe, amplecterentur; in nomen magni hujus Doctoris crederent; & in eo fiduciam suam reponerent. Hic successus esset institutionis solidæ Messiæ, hic profectus optatus. De implemento nihil hic moneo, cum res ipsa clamet. Christus Jesus licet adversariam sibi in institutione sua promovenda, Schola fundanda, Regni inter homines jaciendis fundamentis, haberet totam factionem Pharisaicam: æquabili zelo, diligentia, moderatione, prudentia, in officio suo versatus est. Non refrixit ejus zelus, non deferbuit ejus studium; non festinavit nec cucurrit: sed eo tempore, quo consilium Divinum moram ejus in his terris circumscripserat, Scholam suam, doctrinam, disciplinam, & Ecclesiæ ac Regni sui Scholastici Oeconomiam tam bene ac solide fundavit, ut Portæ inferorum eam non potuerint convellere; sed ipsæ etiam Gentes per Universum Orbem terrarum hunc Doctorem auscultaverint, & doctrinam ejus cum fide & spe receperint. quod Prophetam mox explicantem audiamus.

Fundamentum Successus Institutionis Messiæ, *Consilium Gratiæ*, quo ipse destinatus est in lucem & salutem tam *Gentium* quam *Judæorum.*

℣. 5. *Sic ait Deus fortis Jehova, qui cœlos creavit eosque extendit; qui* CONSTIPAT *tellurem, & ex ea nata producit. qui halitum dat Populo qui super eam est; & spiritum in ea versantibus.* ℣. 6. *Ego Jehova te vocavi* IN JUSTITIA, *& prehendam manum tuam; & Ego custodiam te, & dabo te in fœdus populi, in lucem Gentium.* ℣. 7. *Ad* APERIENDOS OCULOS CÆCOS: *ad educendum è claustro vinctum; ex carcere habitantes in tenebris.* ℣. 8. EGO JEHOVA: *hoc est nomen meum; & gloriam meam alteri non dabo; nec laudem meam sculptilibus.* ℣. 9. Ad *priora* quod attinet: *ecce evenerunt; & nova* EGO *clare prænuncio: antequam propullulent, vos ea facio exaudire.*] Oratio cum superiore arctissime nexa sic est comparata, ut superiorem explicet ac declaret. Propheta Deum in ea continuat loquentem ad Messiam, & quidem altisona & magnifica usum dictione: agit autem hac pericopa duo, scopo consentanea. α. Oratione *ad Messiam* versa, erigit illum & animat ad cursum institutionis suæ quem modo inceperat, vel mox inciperet, alacriter continuandum inter adversa & scandala quæ hostes ei objicerent, siquidem Deus illum suo consilio destinasset in Salvatorem quà Judæorum quà Gentium, & *auxilio suo* potentissimo ac singulari cura providentiæ suæ ipsi adesset, ℣. 5--8. β. Oratione *ad homines* versa ex nova hac prædictione de adventu Filii sui in Mundum, ut communis Doctoris & Servatoris non *Judæorum* modo verum etiam *Gentium*, (quæ prædictio videbatur paradoxa & omni fide superior:) de novo urget suæ veritatem Divinitatis, ℣. 9. Quæ posterior Orationis pars licet Deo aptetur: proprie tamen censeri debet Prophetæ, ex introducta Dei loquentis persona ei conciliantis pondus.

℣. 5. *Sic ait Deus fortis, & seqq.*] In initio hujus prophetiæ Deus Pater Filium suum aggressurum Opus Ministerii sui inter homines demonstraverat hominibus, proposuerat, commendaverat, descripserat: nunc vero mutata figura dictionis, Vates infert illum loquentem ad Filium, eumque erigentem atque animantem ad magnum

Alter sensus: *Reponent fiduciam in ejus doctrina.*

Sensus qui versioni subest, declaratur.

Versio laudatur.

Significatio genuina vocis יחל.

Est *actus credentium.*

Adstruitur ex analogis.

Integra sententia exposita & laudata.

Locus Cap. II. 3. huc recte ab Hebræis Intt. adductus.

Analogus locus Cap. LI. 5.

Versio Matthæi cum hoc sensu comparata.

Quid Evangelista sit *Nomen Messiæ?*

Illustratur ex Cap. XI. 10.

Versio Apostoli, Rom. XV. 12.

Optatum consequens & effectus institutionis Messiæ.

Gentes ipsæ doctrinam & institutionem ejus amplecterentur.

Implementum in Christo Jesu ex historia.

Fundamentum Successus Institutionis Messiæ, *Consilium Gratiæ* ℣. 5. seqq.

Schema Orationis Prophetæ & cohærentia ejus.

Summa ejus, & *Analysis.*

Commentatio ℣. 5. *Sic ait Deus fortis, &c.*

Nexus orationis clarius demonstratus.

[a] Cap. II. 8. [b] Rom. VIII. 19. 20. [c] Ps. XXXI. 25. [d] Ps. CXIX. 74. [e] 1 Cor. XV. 19. [f] Rom. XV. 12.

gnum hoc Opus alacriter inchoandum, continuandum, perficiendum, aptans illi orationem, qua illum certum facit de auxilio suo, quod ex *consilio Gratiæ* quo illum destinaverat nobilissimo huic Officio Doctoræ Judæorum & Gentium, ipsi absque dubitatione præstaret, usque quo omnem Patris sui voluntatem exequutus fuerit. Inde se appellat אל DEUM FORTEM, validum. Messias enim servus Dei sustinendus erat omni *potentia* & *robore* Divinitatis, ut adversus Satanam & Potestatem infernalem statum tueretur; Scholam sive Regnum in Mundo fundaret tam per se quàm per Ministros suos; & in obseqnio erga Patrem adversus gravissimas ac difficillimas tentationes immotus persisteret. Vidimus de eo ℣. 1. & contulimus locum Ps. XVI. 5. Inspice etiam Ps. XL. 3. CXVIII. 7. Hic est respectus Messiæ secundum humanam ejus naturam, quæ indiguit jugi influxu Divinæ Naturæ Omnipotentis ad se sustinendam.

Qui cœlos creavit coſque extendit.] Perfecte dictum secundum Ordinem creationis. Deus primo *materiam creavit*, ex qua formandi erant *cœli*, crassam, nubilosam, aqueis particulis fœtam & gravem, quam deinde *extendisse* dicitur, ubi eandem ab heterogeneis particulis purgatam spectari fecit ut corpus tenue, subtile, pellucidum, *aquis* in nubes coactis, quod corpus *aërem* & *ætherem* vocamus. de quo opere Divinæ Sapientiæ & Potentiæ necessaria monuimus, Cap. XL. 22.

CONSTIPANS TERRAM, *& proventus ejus.*] Heb. רוקע הארץ וצאצאיה Utro modo verba vertantur, *Expandens terram* vel *firmans*, (*solidans*, *constipans*,) *terram & proventus ejus:* patet, subesse phrasi ellipsin, ita supplendam, *Et proventus ejus* producens. *Proventus* enim *terræ*, ut sunt gramina, germina, sata, arbores, metalla & lapides varii generis, commode nec *expandi*, nec *stipari* dicuntur. Habuimus vocem צאצאים Cap. XXXIV. 1. licet aliquanto laxiore significatione. Quod ad vocem רוקע attinet; jam submonui, eam gemino modo accipi. alii, inter quos cum Piscatore Belgæ, vertunt per *expandit:* alii per *firmat*, *consolidat*, *constipat*. Priores Kimchium sequuti voci hunc dant sensum, quod Deus *aquas*, terreis partibus mixtas, easque obtegens, secernens à terreis solidis, easque cogens in cavitates & voragines iis capiendis aptas, *terram* inter maria fecerit *amplam*, latam, *spatiosam*, ad hominum inhabitationem & usum commode paratam. quem sensum alibi [a] quoque amplexus est Cl. Coccejus. Equidem sensus est tolerabilis; si in se spectetur: licet nemo ad rem rite attendens dixerit, *terram* proprie & vere dici *expandi*, secundum genuinum usum vocis רקע. Notio hæc Hebræa ubi *secundarium* adsciscit significatum *expandendi:* ejusmodi notat *expansionem* qua corpus metallicum magna vi *contusum* in *laminas tenues* ducitur & extenditur: quæ significatio probe convenit *cœlis*, qui stylo Scripturæ *extenti* dicuntur, & quos proinde hoc sensu recte putem רקיע *expansum* quid dici in Historia Creationis [b]. Nam quod Schola physica sequentium temporum vidit & docuit, ipsum quoque *aërem* terram ambientem esse corpus constipatum, pressum, & *terram* undique *premens:* non putem fuisse in mente Veterum, qui rebus physicis notiones attribuerunt ad popularem captum accommodatas. Popularis autem de *aëre* sensus est, esse corpus leve, tenue, minime pressum aut premens. Sed quicquid hac de re sit: non convenit hæc notio *terræ*, quæ, *aquis* in *voragines abactis*, in latum & longum *expansa* non est, nec populari sensu expansa & extensa esse censetur. Accedit ad hæc, primo, vocis רקע genuinam notationem esse στερεῦν *firmare*, *stipare*, *solidare*, πιέζειν *premere*, quod ipse deprehendes si exempla usus vocis formæ *Kal* relegeris. Fullerus, cujus erudita extat de significatione hujus vocis dissertatio [c], eam comparat cum Græca notione πιλέω, *cogo*, *constipo*, qua Aquila in ea vertenda usus est; valetque idem Græcis πιλόω. Idem observat, vocem Syris hac eadem significatione usurpari. quod verum est, etsi Cl. Buxtorfius, qui Fullerum vidit, Syriacæ notioni aptet eandem *expandendi* significationem. Secundo, quisque facile videt, nemine monente, quam apte hæc significatio quadret *subjecto*, cui hoc loco tribuitur. Ut enim *cœli* nobis obversantur tanquam corpus leve, tenue, fluidum: sic *terra* cœlis opposita tanquam quid crassum, coactum, constipatum, pressum, πεπιεσμένον & πεπιλημένον. Tertio, Vates noster mutata locutione hanc significationem vocis roborat. Sic ipse Cap. LI. 13. de Deo: *Extendens cœlos*, ויוסר ארץ & FUNDANS *terram.* h. e. terram faciens rem solidam, ab aquis discretam, inhabitationi usui hominum atque animantium paratam. Pariter Zacharias [d]. Inde hoc loco Int. Alex. Ὁ στερεώσας τὴν γῆν. Hieron. *Firmans terram.* Chaldæus: שכליל ארעא *Fundans terram.* Vidit etiam & probabit Camero, Vir Doctus [e]: licet hanc significationem vocis רקע paulo pressius urserit, ad ipsos quoque cœlos eam extendens, quam vellem.

Quæ significatio Subjecto hoc in casu aptissime convenit.

Loca analoga expositioni nostræ favent.

Qui dat halitum populo super eam, & spiritum se in ea moventibus.] Int. Hebræus Kimchius prius membrum intelligit de *hominibus:* posterius de *animantibus* quæ se in terra movent: docens נשמה *halitum* non dici nisi de *hominibus*; sed רוח *respirationem* quoque de *bestiis*. Quod autem *hominis* hic prior fiat mentio, licet ordine posterior creatus sit: hanc esse rationem, quod inter animata & creata censeri debeat præcipuum esse sapientiæ ac potentiæ Divinæ productum. עיקר היצירה *fundamentum creationis.* Interpretatio nihil absurdi habet. רוח *spiritus* potest usurpari de *brutis animantibus* [f]. Et הלך בארץ explicari potest per se *movere in terra.* De re ipsa autem, h. e. Deum dedisse bestiis æque ac hominibus quod in iis vitæ & animæ est, nemo dubitat. Nec tamen propterea putem illum assequutum esse mentem Prophetæ, licet error non sit gravis. Etenim primo, Jesaias noster ubi sententias analogas duobus membris complectitur, passim sic instituit, ut in posteriori membro quid plus & excellentius prædicetur quam in priori, quod plane existimo etiam hic fieri. Secundo, cur Propheta, si dicere velit Deum præter hominem spiritum dedisse animatis omnibus, sic expressit sententiam, *Qui spiritum dedit ambulantibus in ea.* Utique enim inter animata non tantum sunt versantia & se moventia in *terra*; verum etiam in *aquis* & *cœlo.* ut, si id vellet, scribere potuisset, *dedisse* illum *spiritum* לכל חי *omni viventi.* Quare non est mihi dubium quin Propheta per *ambulantes*, euntes, se moventes *in terra*; omnino intelligi voluerit *homines.* Sic pariter Zacharias, ubi loco huic parallelo, Deum ait [g] *extendisse cœlos* & *formasse terram:* addit, *formasse spiritum hominis in medio ejus.* Quin mox visuri sumus, ad rem maxime facere, ut *hominum* hic mentio fiat, non bestiarum. Habe itaque sensum dicti paucis, *Deum Populo* qui in terris est, *dedisse vitam* quà animalem quà rationalem; & homines *qui in ea ambulant* instruxisse *ingenio*, *sapientia*, *intelligentia*, (quæ hic est significatio vocis רוח *spiritus:*) ut bonæ doctrinæ & institutionis capaces sint: quod hic respicitur & ad rem facit. Propheta enim epitheta quæ Deo hic loci tribuit, sic adaptat ad sequentem orationem, qua Deus Messiam Doctorem compellat, ut ei exacte respondeant. Dicit ille in sequentibus, [a]. Deum Patrem Messiam Servum suum esse corroboraturum & auxilio suo eum in modum confirmaturum, ut gravissimo operi sibi mandando non succumbat, quo pertinet Epitheton quo se dicit Creatorem hujus Universi qui *extenderit cœlos* & *firmavit terram*; cujus est potentia & vis infinita & invicta. β. Se Messiam dedisse Doctorem non Judæorum tantum, verum etiam Gentium, quippe qui homines per terram omnes instruxerit *mente*, *ingenio*, facultate διακρίσεως & *judicii*

Qui dat halitum Populo super eam, &c.

Kimchii animadversio ad h. l.

Quæ non probatur. Rationes ejus sententiæ.

Per *ambulantes in terra* hic videntur intelligendi *homines.*

Deus hic proponitur ut causa *Vitæ animalis & rationalis.*

Locus Zach. XII. 1.

Quomodo hæc Epitheta respondeant scopo orationis Prophetæ, sive Dei ad Messiam?

a In *Lex.* ad v. רקע. b Gen. XI. 6. c *Miscell. Sacr.* Lib. I. Cap. VI. d Cap. XII. 1. e *Prælect. in Matth.* Cap. XX. 3. f Eccles. III. 21. g Cap. XII. 1.

veræ doctrinæ ac disciplinæ capaci; atque adeo vult, ut genus hominum per legitimam doctrinam & disciplinam tandem à *mutis idolis* convertatur ad notitiam & fidem veri Dei; nec permissurus sit amplius ut in crassis tenebris errorum circa Divinitatem veram versetur, & laudem gloriamque sibi soli omnium Creatori & Universi Generis Doctori debitam transcribat idolis. Sic cohæret oratio. Quod jam ad phrasin Prophetæ attinet: notiones נשמה & רוח de *hominibus* & *animatis* usurpatæ significatione prima & propria usu Scripturæ S. fere æquivalent; quas tamen si quis paulo accuratius ab invicem distinguere velit, per נשמה intelliget *principium vitæ*, cujus effectus & signum est *respiratio*, reciprocus actus quo attrahimus & exspiramus *aërem*: per רוח vero ipsum *spiritum* sive *halitum* quem spirando efflamus: unde phrasis [a], נשמת רוח חיים *spiritus vitæ per respirationem emissus*; qui promiscue omnibus tribuitur animatis terrestribus. Sublimiore autem & translato significatu, נשמה *Halitus* & נשמת חיים *Halitus Vitæ* sumuntur pro *principio vitæ rationalis* æque ac *animalis*, quod est in hominibus; & רוח pro *Parte hominis rationali*, ingenii & judicii sede, & capace sapientiæ. Sic Zophar [b]: *Spiritus intelligentiæ meæ me faciet respondere*, sive, mihi suggeret responsum. Confer ex Vate nostro Cap. XXVI. 9. *Etiam spiritu meo qui in me est, te diluculo quæram.* Sensus itaque Vatis est, Deum dare *vitam* & cum vita *intelligentiam* his qui in terris sunt & in ea versantur, sc. hominibus: quippe qui omnes per *rationem* & *conscientiam* docet, *homines docens scientiam* [c]; eosque *doctiores facit bestiis terræ, & sapientiores alitibus cœlorum* [d]. Plus mysterii hic non quæro. Cl. Coccejus hic per עם *Populum super terram* intelligit *Judæos:* per *versantes in ea* designari vult *Gentes.* quod non putem fuisse in mente Prophetæ. Ubi עם *Populus* absolute usurpatur pro Judæis sæpe contradistinguitur *Gentibus*; sed in ejusmodi casu χαρακτηρίζεται ex quibusdam attributis, quæ Judæos à Gentibus distinguunt. נשמה *Principium vitæ & respirationis* Gentes cum Judæis commune habent: ut utrisque commune est super *terram esse & in ea versari.*

Animadversio ad significationes vocum נשמה & רוח.

Quomodo distingui queant?

Sublimiore & translato significatu quomodo sumantur?

Loca varia huc adducta.

ỳ. 6. *Ego Jehova te* VOCAVI IN JUSTITIA, *& prehendam manum tuam.*] Apostrophe est Patris ad Messiam, ut *Servum* ejus honorarium destinatum officio gravi, & inauguratum ut Doctorem Judæorum & Gentium. *Vocavi te in justitia* valet, *vocavi* te quod *justitiæ, veritatis, æquitatisque meæ rationes id postularent*, videlicet ob gravissimas quas mecum habui rationes. quo eodem sensu de Cyro usurpatur Cap. XLV. 13. Consilium Dei de mittendo humano generi Mediatore Filio, & mortalibus desidentibus in crassis ignorantiæ tenebris procurando Doctore perfecto, in æquissimis fundatum rationibus; promissa Ecclesiæ facta, & iis nixa spes & exspectatio electorum; hujusque Servatoris & Doctoris summa necessitas, fecerunt ut Deus illum *vocaverit*, h. e. vocatum adduxerit: quæ Hebræis est significatio notionis *vocare*, ut Cap. XLI. 4. Quæ nostra interpretatio ut convenientissima est genuinæ significationi vocis צדק, *æquitas, veritas, justitia:* sic rei ipsi, de qua hic agitur, exacte respondet: ut adeo præteream varias hujus dicti expositiones alias quas in *Commentationibus* aliorum offendi. Quod additur, *Et prehendam manum tuam*, est Ego eripiam te ex tentationibus gravissimis quas necesse habebis sustinere, & educam te ex insidiis quæ tibi structæ fuerint, & ex periculis in quæ delapsus fueris. Auxilium, potentia, gratia, providentia, & cura singularis, qua gauderet Ecclesia liberanda ex gravissimis malis, (de qua vidimus Cap. XLI. 10.) in Christo Jesu maxime debebat demonstrari. Confer similem usum hujus dictionis Cap. LI. 18. Res de Christo Jesu patet ex historia Evangelica. Dum versabatur inter medios hostes, undique ab iis circumscriptus, qui jam certum ceperant consilium de ipso obruendo, de monte præcipitando vel lapidando: manus eorum semper evasit, veluti à Deo manu ductus & prehensus [e], usque ad tempus moræ ejus in terris definitum; quando ex voluntate Dei neci datus, ad preces & supplicationes suas ardentes liberatus est à *metu* [f], & mortuus jam & sepultus *à morte.* Id vero ipsum est quod hic subjicitur, ואצרך *Et custodiam te.* ne labascas, aut succumbas sive tentationibus Satanæ quas subire ipsum oportebat; sive strophis & insidiis hostium; usque quo Scholam suam in terris probe fundasset, ut dictum erat, ỳ. 4. *Custodiam te* ne excidas scopo & fructu missionis tuæ.

Verba Prophetæ, *Et prehendam manum tuam.*

Sensus eorum.

Et dabo te in FOEDUS POPULI; *in lucem Gentium.*] Nihil hic obscurum aut difficile nisi in priore membro. Genuinus ejus sensus est, Ego te ad id ordinavi, idque efficiam, ut Populus meus per TE obtineat *promissa* sibi *fœdere* à me facta. Cl. Coccejus: *Ego te ad hoc do, ut populo impetres hæreditatem Testamento assignatam, & ut proponaris* POPULO sive *Israëli, tanquam* Ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἀυτῶν, & seqq. Alii, *Ut sis Mediator fœderis Gratiæ inter me & Abrahamum pacti*, & quæ his sunt similia. Hæc bona sunt, & sane atque orthodoxe scripta, nec à re aliena. Cum tamen in omni phrasi aliquid sit, quod proprie & directe per eam intenditur; hoc esse putem quod dixi. *Dari in fœdus Populi* est integra phrasis לתקים ברית עם *ut ratum faciat fœdus Populi*, h. e. ut Populo præstet promissa ipsi in Abrahamo Fœdere data: ut POPULUS, sc. Judæus, hic contradistinctus *Gentibus*, illa promissa per ipsum obtineat. phrasis est apud Danielem in illustri prophetia de Messia [g]. Id enim liquet ex loco parallelo Cap. XLIX. 8. *Ego te custodiam, & dabo te in* FOEDUS POPULI *ad erigendam terram, & pro hæreditate distribuendas hæreditates desolatas.* h. e. ad erigendum Regnum inter Gentes, & occupandam hæreditatem Gentium. Summa enim Fœderis quo hic respicitur, est, *in Semine Abrahami benedictum iri omnes Gentes terræ* [h]: Deum *semini Abrahami fore in Deum*, h. e. Deum perfectæ salutis [i]: *Populum Dei calcaturum celsa terræ* [k], & quæ his similia. Sic enim cohærent hæc duo membra: *Messiam* hoc ipso ratum facturum *Testamentum* quo Deus Abrahamum ejusque Semen scripserat *hæredem Gentium*, si *Gentes* illustraret *notitia* veri *Dei*, easque *à tenebris* transferret ad statum fidei, sanctimoniæ, consolationis & veræ lætitiæ. *Status* enim Oeconomiæ Novæ est *Status lucis* [l]. *Status lucis* est Status Notitiæ Dei & veræ Religionis, & Fidei: quæ ubi adest, cætera consequuntur. Confer hic Prophetam nostrum, Cap. XLIX. 6. & Simeonem, utriusque hujus loci interpretem, apud Lucam. [m]

ỳ. 7. *Ad aperiendum oculos cæcos.*] Cum in re ipsa respectu interpretationis hujus & sequentium *effectorum* Messiæ Servatoris & Doctoris hic nulla resideat difficultas: id unum hic quæri potest, ad quæ *Subjecta* referenda sint beneficia illa Gratiæ, quæ hic memorantur: utrum ad Judæos, an ad Gentes? Respondeo, in universum promiscue referri posse ad utrumque *Subjectum*; certe primum quod hic exhibeo ad utrumque Subjectum Judæos & Gentes referri debere: verum quæ sequuntur, *educere vinctum è claustro, & sedentes in tenebris è carcere:* (quæ affinia sunt:) prius recte referri ad Judæos, posterius ad Gentes. Et quidem quod hic suppono, sc. primum hoc Beneficium referendum esse ad utrumque Subjectum, *Judæos & Gentes*; liquet primo ex interpretatione Pauli ad hunc locum alludentis, sive potius ex oratione Domini Jesu ad Paulum, apud Lucam [n]: *Eruens te ex* HOC POPULO *&* GENTIBUS *ad quas te nunc mitto; ut* APERIAS OCULOS ILLORUM, *& convertas* EOS *à tenebris ad* LUCEM, *& à potestate Satanæ ad*

quod sequitur, *Et custodiam te.*

Et dabo te in fœdus Populi, in lucem Gentium.

De Sensu phrasios sententiæ Doctorum.

Dari in fœdus Populi proprie est *ad id dari* ut præstet promissa Judæi à Deo facta.

Locus parallelus Cap. XLIX. 8.

Cohærentia partium orationis.

ỳ. 7. *Ad aperiendum oculos cæcos &c.*

Cui *Subjecto* hæc conveniant promissa: num Judæis, an Gentibus?

Quod dubium distincte resolvitur.

Beneficium hic memoratum pertinet ad utrumque Subjectum.

Locus Act. XXVI. 18.

Applicatur ad Dominum, ex historia: ut &

---

a Gen. VII. 22. *b* Job. XX. 3. *c* Ps. XCIV. 10. *d* Job. XXXV. 11. *e* Confer Luc. IV. 30. Joh. VII. 30. 44. X. 39. *f* Heb. V. 9. *g* Cap. IX. 27. *h* Gen. XXII. 18. *i* Gen. XVII. 8. *k* Jes. LVIII. 14. *l* Col. I. 12. Ephes. V. 8. 1 Thess. V. 5. *m* Cap. II. 30. 31. *n* Act. XXVI. 18.

ad Deum. Ipse hic locus respicitur & declaratur, dum beneficium illuminationis & conversionis ad utrumque Subjectum refertur. Deinde ex ipsa hac Concione Prophetæ, ℣. 18. 19. ubi oratione ad Judæos versa ait: *Vos surdi audite, & CÆCI advertite oculos ad videndum. Quis cæcus nisi* SERVUS MEUS? & seqq. h. e. Populus quem Ego ad me colendum elegeram. Confer Cap. XLIII. 8. Quod ad Judæos attinet: etiamsi Deus iis vere revelasset doctrinam salutis, & non deessent in Populo qui fundamentum fidei & spei tenerent, *exspectantes consolationem Israëlis:* judicium tamen vulgi de via salutis plane corruptum erat falsis præjudiciis, quibus Doctores Pharisæi illud imbuerant; &, ut probabile est, longe maxima pars hæsit in *crassa ignorantia* rerum Divinarum, ut præter notitiam Rituum quorundam Religionis externorum, nihil solidum & spirituale de Deo intellexerint, unde Dominus de Pharisæis [a], *esse illos cæcos Duces* CÆCORUM. Horum vero *cæcorum* ea conditio fuit inter Judæos quo tempore Filius Dei hanc Gentem visitavit, ut longe plurimi, quorum voluntaria corruptela judicii ipsorum adscribenda erat culpæ, quales fuerunt Pharisæi, tristi Dei judicio per quandam vim erroris in hoc statu detenti fuerint ad ipsorum exitium: quod Judicium Divinum Propheta explicat Cap. VI. 9. Confer Joh. IX. 39. 40. & XII. 39. Alii multi qui *per accidens* quod dicitur, h. e. Doctorum suorum vitio & culpa in hunc statum devenerant, quos Dominus ait *peccatum non habere* [b], h. e. non laborare vitio insanabili, à Christo Jesu receperint *visum spiritualem*, intellectu illorum de via salutis ab ipso illuminato, & emendato judicio. *Gentium* similis hic ratio est. Perversus de Deo & Religione sensus ita corruperat judicium vulgi, ut *cæcorum & excæcatorum* instar in Divinis & spiritualibus nihil plane viderent, nihil saperent, sed *palparent parietem.* Nec Philosophos hic & Oratores excludo, licet Platonici cæteris plus viderint. Mysterium Evangelii omnibus promiscue visum est *stultitiæ.* Christum Jesum autem in hunc finem revelatum esse, ut *cæcis visum redderet*, palam fecit miraculis hujus generis.

Consequens ratio ℣. 8. 19.

Quo sensu Judæi cæci?

Varia illorum conditio tempore Christi Jesu?

Quo sensu entes?

Ad educendum ex claustro vinctum; ex carcere habitantes in tenebris.] Prius membrum refer, si placet, ad *Judæos*, phrasi Paulina [c], *συγκεκλεισμένους conclusos in fidem suo tempore revelandam*, quippe privatos *libertate* & sub custodia *τῶν παιδαγώγων* per Legem *circumscriptos* angustis cancellis, intra quos coacti erant consistere & exercitationem suam constringere; simul etiam *angustatos* & pressos à *conscientia peccati & execrationum* Legalium terribilium, sub quibus ad omnem Legum Mosaicarum observantiam obligati erant; item *vinctos exspectationis*, h. e. *pressos* à spe meliorum bonorum & temporum ad quam se ardenti desiderio extendebant [d]; eamque ob causam anhelantes ad *libertatem filiorum Dei*, quam à vero Messia unice exspectabant. Sic prædixerat Jesaias, ut hoc loco, sic exerte Cap. LXI. 1. & Paulus implementum in Christo Jesu demonstrat Gal. IV. 4. 5. docens, Deum *in plenitudine temporis emisisse Filium suum factum ex muliere, sub Lege, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ ut eos qui sub Lege sunt*, PERFECTE REDIMERET, *ut adoptionem filiorum consequeremur.* Posterius membrum dixi commodissime referri ad Gentes, quæ verissimo & propriissimo sensu dicuntur consedisse in tenebris; etsi idem de Judæis quoque vere dici posse, clarissime liquet ex Cap. IX. 1. coll. cum Matth. IV. 15. 16. Ajo tamen, verissimo & propriissimo sensu. *Cæcus* dicitur proprie, cui non deest *lux*, sed desunt *oculi* bene affecti ad lucem excipiendam, sustinetque adeo proprie emblema hominis cujus judicium corruptum est per præjudicia ut ad veritatem sibi clare satis revelatam & demonstratam videndam ineptus sit, quæ figura maxime convenit Judæis: sed *in tenebris* esse dicuntur quos ipsa *lux*, h. e. clara veritatis salutaris revelatio deficit: qui status proprie magis convenit Gentibus, *tenebris obscuratam mentem habentibus propter ignorantiam quæ in ipsis est* [e]: etsi satis notum sit hæc emblemata sæpe inter se confundi. Compara, si placet, quæ de hac materia scripsi ad loca superiorum prophetiarum in quibus hæ notiones nobis occurrerunt [f]. Est autem *tenebrarum* hic peculiaris respectus ad *Carcerem*, quo circumscripti dicuntur fuisse ex tenebris liberandi. Qui enim in *carcere* sunt, sedent *in tenebris.* conclavia & claustra ejus sunt tenebricosa. Intelligitur Status servitutis erroris, peccati, concupiscentiæ, vitiorum omnis generis, & metus supplicii ultimi, in quo Gentes vi detinebantur à Satana antequam venerunt in partem illuminationis & Liberationis Christi Jesu: videlicet *impliciti laqueo Diaboli, ἐξωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ ab eo* CAPTIVI *facti*, ex phrasi Apostoli [g]. Hic finis fuit missionis Christi Jesu in Mundum: Arcem Satanæ occupare, & fores Carceris effringere, ut miseri *ex tenebris* vindicarentur in lucem; ex *carcere* in *libertatem filiorum Dei.*

Ad educendum ex claustro vinctum. Hoc membrum refertur est Judæos. Quod monstratur.

Habitantes in carcere in tenebris hic Gentes.

Attributum Gentibus propriissime congruit.

Tenebrarum hic est respectus peculiaris ad *carcerem.* Metaphora declaratur.

Finis *missi in Mundum Christi.*

℣. 8. *Ego sum Jehova; hoc est Nomen meum; & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.*] Duplex sententia latet in verbis, *Ego sum Jehova: hoc est Nomen meum.* Prima hæc est, *Ego solus sum verus Deus*; de me solo vera Divinitas prædicari potest; quare *Gloriam meam alteri non dabo; & seqq.* Altera, Ego solus verus Deus sum *Jehova*, quo nomine appellari volui [h] ut Ecclesia in eo haberet symbolum sacramentale implendorum promissorum Abrahæ factorum, & gratiæ meæ diffundendæ ac *veritatis essentiæ meæ* demonstrandæ per omnes Gentes. Quod ad prius attinet: in nomine *Jehovæ* latet notio *veri Dei.* Cum enim solus ille Deus qui se Jehovam appellavit, sit *verus Deus:* subinde fit, ut illæ notiones alternentur: secundum illud Vatis sacri [i]: *Quippe omnes Dii Gentium sunt idola: sed* JEHOVA (verus Deus, iis contradistinctus,) *fecit cœlos.* Sic apud Zachariam [k]: *Illo tempore erit* JEHOVA *unus.* verus Deus solus coletur, idemque eodem affectu prosequetur omnes Populos. Secundum quem sensum verba hæc cum superioribus facillime connectuntur. Docet enim Propheta, (sive Deus ipse, quem loqui facit:) ideo Deum per Messiam Gentes quæ in crassissimis idololatriæ & superstitionis tenebris hærebant, *illuminaturum ad salutem*, quia ipse *solus verus Deus est*; & hoc *Nomen ejus*, h. e. verissimum ejus attributum; atque adeo fas postulabat, ut tandem aliquando *gloriam laudemque* suam publice vindicaret & sibi assereret. Sed major adhuc vis est in sententia, si Nomen JEHOVA sumatur vera & propria sua notione. JEHOVA (יהוה) ex vi vocis est Deus *manifestaturus veritatem Naturæ* ESSENTIÆQUE SUÆ: nempe veracitatem suam, gratiam, justitiam, & excellentes alias perfectiones suas, & quidem in repræsentandis *promissionibus* quarum fidem Abrahamo dederat. Non conveniebat itaque illi Gentes semper relinquere in tenebris erroris & ignorantiæ. Quomodo enim id si fieret, manifestam facere posset *essentiæ* suæ veritatem? Quandiu supersunt in Orbe Gentes, nondum perductæ ad notitiam & fidem veri Dei: tandiu Deus non obtinet omnem vim potestatemque Nominis JEHOVA. Quomodo præstaret fidem promissis Abrahamo factis, si Gentes in tristi illo & misero statu *alienationis à vero Deo* semper persisterent, cum utique in promissis Abrahæ esset *benedictio Gentium in ejus semine* [l]? Ita est. Tam gloriæ Divinæ studium & zelus laudabilis, quam Gratiæ exercendæ voluntas, & promissorum implendorum necessitas, postulabant Vocationem & Illuminationem Gentium. *Tota terra debebat repleri gloria Jehovæ.* [m]

℣. 8. *Ego sum Jehova; hoc est Nomen meum, &c.* Geminus loci sensus.

Admitti potest sensus: *Ego sum Jehova:* h. e. Ego sum verus Deus.

Major vis est in sententia, si vox *Jehova* hic in emphasi sumatur.

Explicatur secundum hanc hypothesin.

℣. 9. *Ad* PRIORA quod attinet, *ecce venerunt:*

---

a Matth. XV. 14. *b* Joh. IX. 41. *c* Gal. III. 23. *d* Zach. IX. 11. *e* Ephes. IV. 18. *f* Cap. IX. 1. XXIX. 18. XXXV. 5. Confer Luc. I. 79. *g* 2 Tim. II. 16. *h* Exod. III. 15. *i* Ps. XCVI. 5. *k* Cap. XIV. 9. *l* Gen. XVII. 4. XXII. 18. *m* Ps. LXXII. 19.

ỳs. 9. *Ad priora quod attinet: Ecce venerunt, &c.*

& NOVA *ego annuncio: antequam efflorescant vos exaudire facio.*] Intellige, sis, per *priora* in cæteris & primis Liberationes ex Ægypto & Exilio Babylonico: (quæ ipsa quoque hic facta supponitur:) & per *posteriora* Liberationem antitypicam & veram conjungendam cum illuminatione Judæorum & Gentium, de qua cum maxime agit, & modo loquutus fuerat. Posterior eventus magis adhuc videbatur esse paradoxus & supra fidem, ac prior: ut vere Vocatio & Illuminatio Gentium ad salutem opus est Gratiæ Divinæ mirabile; magnum mysterium viarum Dei; à nemine non docto à Deo, cogitatum aut exspectatum; quod Angeli cum admiratione contemplati sunt; quod Dæmones stupuerunt; & quod tamen hic, ut aliis in locis, à Vate nostro clare prædicitur. Id itaque observari vult, & ad *veritatem implementi* hujus prædictionis attendi, ut si illustris hic & paradoxus eventus tempore suo sistatur: omnes Populi videant & agnoscant veritatem hujus prædictionis, atque adeo veritatem missionis Prophetæ nostri, ejusque revereantur auctoritatem. quod utique nobis hoc tempore contingit. Confer modo dicta ad Cap. XLI. 21. 22. & dicenda adhuc ad *Conciones sequentes* in quibus idem recurrit.

Quid hic loci *priora*, quid *posteriora*?

Sensus totius dicti exponitur.

PARS ALTERA hujus Concionis EXHORTATORIA, directa ad Gentes, qua monentur Divinam Gratiam caussa hujus Beneficii in se collati celebrare.

a. Exhortatio ipsa.

Pars altera hujus Concionis *Exhortatoria* ad Gentes, quæ excitantur ad *glorificationem Dei* ob tantum Beneficium in se collatum, ỳs. 10. seqq.

ỳs. 10. *Cantate Jehovæ* CANTICUM NOVUM; *laudem ejus ab extremo terræ: Descendentes in mare & plenitudo ejus; insulæ & incolæ earum.* ỳs. 11. *Extollant* vocem *Desertum & communitates ejus; Villæ quas inhabitant Kedareni: Cantent habitatores* PETRÆ: *E vertice montium vociferentur.* ỳs. 12. *Tribuant Jehovæ gloriam, & laudem ejus in insulis annuncient.*] Excitantur, ut vides, Gentes omnes ad Deum Jehovam, qui se talem actu præstiterat & vim nominis hujus sui declaraverat in Vocatione & Illuminatione Gentium, ob singulare hoc & summum Beneficium, in se conferendum & collatum, extollendum ac celebrandum: quam παραίνεσιν Vates noster insigni orationis copia explicat. Si argumentum pericopæ generatim spectes, nihil habet dubii aut obscuri, & comparari potest cum pluribus aliis hujus Generis Exhortationibus in simili casu & argumento in Scriptura S. obviis. Sume tibi exemplum ex Ps. XCVI. ubi postquam Poëta sacer in eodem versatus esset argumento, subjicit ỳs. 11. *Lætentur cœli, & exultet terra: strepitum edat mare & quicquid illud implet: exiliat ager, & quicquid in eo, & seqq.* Rursus sequente Ode, XCVII. 1. JEHOVA REGNAT. *valde gaudeat terra. lætentur insulæ multæ.* Et possunt hic conferri ex Vate nostro loca Cap. XXXV. 10. & Cap. XLIX. 13. Estne vero, si rem in se spectes, Gentibus ulla *gaudii* & *lætitiæ*, atque adeo exhortationis ad *gaudium* & *lætitiam*, ad *cantum* & *jubilum*, materia justior & verior? Ut merito gaudet, qui cum longum tempus sederit in tenebris, sibi videt oriri lucem, mortalibus gratam & jucundam: qui claustris caliginosi carceris detentus miserrime vixit, ubi mittitur in lucem & libertatem: sic plane se res habet cum Gentibus, quibus orta est lux Evangelii, quæque missæ sunt in libertatem spiritualem post tristissimam tanti temporis noctem, & servitutem. Ipsarum itaque esset, magnitudinem bonitatis & gratiæ Divinæ voce sua altum celebrare; & lætitiam mente conceptam quibuslibet signis grati animi foris prodere. Ad quod officium cum per se satis propensæ essent: à Vate nostro insuper incitantur. Hic sensus pericopæ cuique patet. Supereſt, ut de phrasi sicubi luce aliqua indigere videatur, paucula moneam.

Summa hujus Pericopæ.

Confertur cum locis argumenti analogi.

Gentibus fuit justissima materia Dei glorificandi ob Regnum Dei inter se manifestum factum.

Verba Prophetæ ỳs. 10. *Cantate Je-*

ỳs. 10. *Cantate Jehovæ Canticum* NOVUM.] Heb. שיר חדש *Canticum novum*, tam respectu *argumenti ejus*, quippe celebrans beneficium Oeconomiæ novæ, quod ante illa tempora non extiterat: sive ratione *structuræ* & compositionis, quod insigni arte constructum esset: sive caussa *usus*, quod ante hoc tempus usurpatum tritumque non esset. quæ tria hic concurrunt ut monüi ad Apoc. v. 9. Phrasis sæpius occurrit in Odis Davidicis. Et tamen proprie & vere sic dicitur omnis *Ode excellentis argumenti* qua celebrantur Opera aut Beneficia Dei nova, grandia, admirabilia. *a*

hovæ Canticum novum. Quid, stylo Scripturæ, sit *Canticum novum*?

Laudem ejus ab extremo terræ! DESCENDENTES IN MARE, *& plenitudo ejus; insulæ & incolæ earum.*] Propheta sibi placet in gradationibus, ut sæpe monui. Dum Gentes excitat ad celebrandam magnitudinem beneficii in se collati: videri poterant intelligendæ esse Gentes culti Orbis, & quidem proximæ ei terræ in qua vulgandum erat *salutare Domini*: secludendæ autem esse ab usura hujus beneficii Gentes extimarum partium Orbis, & quidem *Insulanæ* ac *Deserticolæ*. Sed Vates docet fore beneficium γενικὸν *universale*, quod promiscue ad omnes pertineret absque discrimine. quare *Insulanis* id vindicat hoc *commate*: mox *Deserticolis*, ỳs. 11. ירדי הים *Descendentes in mare* hic eleganter dicuntur qui se mari committunt, non tantum quod mare sit inferius terra, verum etiam quod qui se mari committunt, ingrediantur *naves*, quarum *carinæ* infra maris superficiem subsidunt. Integra phrasis est Ps. CVII. 23. *Qui descendunt in mare navibus.* Unde de Jona *b*: *Descendit in navem.* qui iidem, mutata phrasi, hic appellantur *plenitudo maris*, h. e. qui *mare implent*. *Implere* autem *mare* dici possunt *homines*, mare navigantes; *insulæ*; *pisces*, qui mystice sic dicuntur Ps. XCVI. 11. Sed *piscium* in hoc schemate orationis nullus est respectus: *insularum* & *incolarum earum* mox meminit. Alluditur ad Tyrios & Zidonios qui jam tum frequentissima navigatione & velificatione petebant extrema Orbis, extra columnas Herculis progressi in vastum Oceanum, & *Occidua Hispaniæ* negotiationis caussa adeuntes; quæ illo tempore censebantur esse קצה הארץ *extrema terræ*, τὸ τέρμα τῆς δύσεως Clementi Romano. Hunc ipsum sibi Paulus præstituerat cursus sui *terminum c*, & forte solutus è prioribus Romæ vinculis voti potitus est.

Omnis generis Gentes partem haberent in hoc Beneficio.

Etiam *insulanæ*, & *descendentes in mare*.

Phrasis exposita.

Et altera, *Plenitudinis maris*.

ỳs. 11. *Tollant* vocem *Desertum & Urbes ejus; villæ quas inhabitant* KEDARENI.] Alterum est quod Vates occupat, ut modo præmonui. Si tanta salus obtingeret cultioribus Populis: non videbantur tamen *Arabes Deserticolæ* facile venturi in spem & communionem tanti beneficii. Sed Propheta docet, ne ipsas quidem hasce Gentes, licet vagas aut à commercio politiorum Gentium remotiores, præteritum iri in dispensatione hujus Beneficii; nec minus rationis habituras quàm cæteras, celebrandi Divinam bonitatem. Per *Desertum* hic intellige *Desertum* sic in emphasi dictum, h. e. Arabiæ Petrææ & Desertæ, quæ duæ Arabiæ Veteribus pro una censebantur. Sic Job. I. 19. *Et ecce magnus ventus veniebat ex parte* DESERTI. sc. magni illius & vasti Deserti Arabiæ quod medium est inter Euphratem & montes Arabiæ Felicis. Jer. XXV. 24. *Et omnes Reges turbæ mixtæ, qui habitant* IN DESERTO. Miraris vero, huic magno & vasto *Deserto*, inculto & inhospito, quod *Nomades* & *Scenitæ* percursitantes cum Gregibus camelorum & caprarum, potius *tentoriis suis nigri aspectus* quam *Domibus* instruebant, tribui *Urbes*, & חצרים *Loca circumscripta*. Ita est, sed res extra dubium est posita. Quæ pars hujus Arabiæ Euphrati propior fuit, *Urbes* olim habuit magnas & celebres: sed nec *Mediterranea* Arabiæ Desertæ vere & proprie sic dictæ iisdem caruit: quarum nomina licet sane obscuriora plura recensuit Ptolemæus *d*. *Petræa* Urbium nomina ex *Notitia* Civili Imperii Romani, cujus partem fecit, & *Ecclesiastica* quoque, notissima sunt. Sed ego de eo jam diligenter disserui in Notitia *Arabiæ Cuschææ e*. quem locum inspici velim: ut & ea quæ commentatus sum ad prophetiam adversus *Arabiam*, ad Cap. XXI. 16. ubi ipsum hunc

Quo Vate h. l. alludat.

Ipsi etiam *Deserticolæ*, ỳs. 11.

Nexus orationis Prophetæ.

Per *Desertum* in emphasi intelligitur *Arabia Deserta* & *Petræa*.

Usus vocis adstruitur.

An ei respondeant tribuantur *Urbes*?

Notitia ejus ad intelligentiam hujus loci.

a Vide Ps. XL. 4. XCVI. 1. &c. *b* Cap. I. 3. *c* Rom. XV. 24. 28. *d* Lib. V. Cap. XIX. *e* Ad Cap. XX. §. XIV. XV.

hunc locum jam produxi & illustravi. Verti ibi verba, תשב קרי חצרים *Per pagos quæ habitatur Kedarena*, ut vulgo Interp. qui vocem חצרים per *villas* reddunt, ut & Kimchius, secundum significationem vocis quæ obtinet Lev. XXV. 31. Arabes enim Ismaëlitæ dum per vastum hoc Desertum sparsim habitant in *tentoriis*, iisque mobilibus, raris locis: est sane acsi hoc Desertum per modum *pagorum* vel *villarum* undique patentium incolatur. Sic Interp. Græcus: Ἐπαύλεις, *villæ*. Hieronymus in alium plane sensum accepit. Vertit ille: *In Domibus habitabit Kedar*. Forte habuit à Magistro. certe Jarchius eodem modo exponit. Verba ejus: *Desertum Kedar quod nunc inhabitatur per tentoria, convertetur in Civitates & Domos stabiles*. Sed uterque longe abest à mente Prophetæ, dum non observarunt ellipsin sententiæ, quæ omnino vertenda est: *Tu Kedar quæ habitaris per villas*. Ratio certissima nobis est, quod utique constet, in *Deserto Arabiæ* de quo loquimur esse חצרים *Pagos, villas:* imo hanc vocem propriissime de *hoc Deserto* usurpari. Sic Historicus antiquus postquam recensuisset *Phylarchos Arabum* Scenitarum Ismaële ortos, inter quos fuit KEDAR, subjungit [a]: *Hi sunt Ismaële geniti, & hæc sunt nomina ipsorum,* בחצריהם IN PAGIS IPSORUM, *& in Castellis ipsorum*, cujusmodi sc. Castellorum rudera multa adhuc in hoc *Deserto* supersunt. Vox חצר originarie videtur significare *congregationem Domuum* quæ cingunt *Castellum* sive *Domum Magnatis* aut illustris Viri inter suos; unde *villæ* & *Pagi*; & deinceps *Urbes*, natæ sunt. Est enim חצר Hebræis *Atrium*. Dicitur autem *Atrium* locus circumscriptus qui Domum Principis cingit, & circumdat. Est quoque significatio vocis *circumdare, obsidere, cingere*, Arabibus recepta. Eadem Chaldæis notatio vocis חור *cingere, circuire, circumdare*. Inde translata notio est ad *suburbia* quæ *atriorum* instar patentium Urbes cingunt, & ad eas aditum faciunt. Principes Viri ubi hic illic Domos suos struxerant: alii ipsis subjecti vel sub illorum defensione vivere cupientes in *circuitu* ædes struxerunt: cujusmodi communitates dictæ sunt חצרים. quæ caussa est quare vox חצר adhæserit tot *nominibus propriis Urbium*, in Historia Scripturæ; ut *Hatsar Addar. Hatsar Enan. Hatsar Susa*. Sunt communitates quales describi; postmodum mutatæ in Urbes. quod apud Arabes eodem modo accidit. Docent nos qui illorum terram & mores propius inspexerunt, hosce ipsos Arabes *Kedarenos*, Ismaële ortos, distingui in BEDUINOS, nobilissimos ortu, per *Desertum* habitantes in Tentoriis amplissimis & ornatissimis: MAUDOS, qui vere sunt Nomades Scenitæ cum Gregibus pecudum & Camelorum, Deserta Arabiæ & Mesopotamiæ pervagantes; & HADROS, qui in *Urbibus* aut *vicis fixis sedibus habitant*, quomodo eos describit Petrus Vallensis [b]. Atqui vox *Hadri* est ex ipsa hac notione חצרים, imo ipsam hanc notionem reddit. Sic Carthago apud Plautum [c] dicitur *Chadre Anak*, h. e. ut ὁ πάνυ observavit חצרי ענק Ἐπαύλεις τῦ Ἀνάκ· *Villæ Anaki*. Cætera hic observanda leviora sunt. De *Kedarenis*, Ismaële satis, interiora vasti hujus Deserti occupantibus vel pervagantibus, egi ad Cap. XXI. 26. Hæres, quod hic dicatur תשב *terminatione Fœminini*, cum vox קרי videatur requirere Masculinum, ut dicatur *Kedar* QUI *habitas in villis*; non QUÆ *habitas*. Sed subintelliges vocem עדת *Cœtus*, ut *Kedar* sit pro קדר עדת *Societas Kedarenorum*. Vox ישאו *Extollant* in initio *versus* omnino accipienda est *elliptice* pro *extollant vocem*, sc. cantu, jubilo. Sic Propheta usurpaverat ỳ. 2.

Cantent incolæ PETRÆ.] סלע. Intelligitur PETRA, Nabatæorum Ismaëlitarum Metropolis celeberrima in Arabia Petræa, ut jam monui ad locum Cap. XVI. 1. ubi vox סלע PETRA eodem modo sumitur. Erat enim Urbs, omnium fere Arabum Arx munitissima, undique *Rupibus* circumdata. Eadem est, ut quidem ego existimo, quam Jeremias in prophetia adversus *Arabes* ob hanc ipsam rationem vocat חצור CHATSOR [d], quæ notio valet *circumdata, circumcincta*, sc. rupibus. Plane hic à vero aberrat Vulgus Interp. quod nomen hujus Urbis confundit cum nomine Urbis antiquæ CHATSOR [f], ubi Regiam habebat Jabin, in Galilæa, sive Aquilonari parte Palæstinæ. Nulla hic est Arabia. *Chatsoritas* autem alio, & quidem in *Desertum* Arabiæ secessisse, precario dicitur. Rectius longe quis hic cogitaret de PALMYRA, (THAMAR vel *Thadmar* dicta. prius verius [g].) quæ in *solitudine* (במדבר) reliquarum fere Urbium fuit Regina. Sed non habeo rationem ab hypothesi discedendi. Tantum observo, idem hoc nomen סלע SELA à Persis, qui Sacas Cimmerios prope Pontum fuderunt, datum esse Urbi, quam ΣΗΛΑ appellarunt. Erat autem PETRA, *ab ipsis aggere completa, ut rotundi collis figuram referret, muro cincta*. Sic Strabo, ubi agit de *Hyrcania*. [h]

A vertice MONTIUM *vociferentur.*] Intellige *montes Paranis* ad Septentrionem *montium Sinai* in Arabia Petræa [i]. Arabia enim proprie *Deserta* dicta exiguos & pene nullos habet *montes & colles*, ut præter Geographos Veteres Petrus Vallensis, & Tavernierius [k], (qui interiora hujus Deserti Arabiæ Felici proximiora peragravit,) fidem faciunt.

ỳ. 12. *Apponant Jehovæ gloriam, & seqq.*] Sic proprie sonat phrasis Hebræa. Confer Ps. LXVI. 2. *Decantate carmine gloriam Nominis ejus: ponite gloriam laudis ejus*. Statuite, apponite. Cætera nihil hic habeo quod moneam. De *Implemento* prophetiæ nullum hic est dubium. Patet ex *Historia & Notitia* Ecclesiastica, jam ab initiis Christianismi Ecclesias fundatas esse in *Arabia* Syriæ confermina; *Petræa* in *Desertam* excurrente; *Mesopotamia*, oppidisque & vicis ad Euphratem sitis, ad quæ hic alluditur. Ubi enim communitates stabiles nullæ sunt, ibi exspectandum non est fundari Ecclesias.

β. *Idem argumentum Laudationis* sub alio Schemate propositum. *Propositio* Consilii Divini de *Populo Electo* vindicando facta à Propheta.

ỳ. 13. *Jehova in medium prodibit tanquam heros; tanquam peritus Bellator excitabit zelum. barritum edet; quin etiam* TERRIFICUM FREMET. *contra hostes suos se reborabit.*] Verba hæc cum *superioribus* ita cohærent, ut complectantur *argumentum laudationis* ad quod Propheta Gentes proxime incitaverat; quod *argumentum* constat esse summum aliquod beneficium Gratiæ Divinæ, in *antecedente* hujus Concionis *parte* declaratum, quod Deus per *Filium suum* ut *Doctorem* & *Servatorem* in Gentes conferret: quippe Gentes longum adeo tempus à Satana detentas in statu *ignorantiæ veri Dei & servitutis Peccati* illustraret lumine Evangelii, & apertis clausstris carceris quo huc usque circumscriptæ fuerant, *mitteret in libertatem* in spem illius perfectæ *salutis* quam Mundo impetraverat. Ob hoc beneficium singulare, paradoxum, ingens, æquum censet Deum à Gentibus celebrari; ad quod proin eas proxime concitaverat. Sed in eo non terminat orationem. Continuat, ut fas erat, idem *argumentum*; sed quod sub alia figura proponit. Infert enim Jehovam ut *Heröem & Bellatorem* qui cum *longum tempus* injurias sibi illatas ab adversariis pertulisset, tandem injurioso lacessitus in medium prodit *instar Bellatoris heroica præditi virtute* ad hostes suos oppugnandos, iisque extorquendum Imperium longo temporis intervallo vi occupatum ac possessum, & ad *liberandum populum miserum* qui sub illo duro Imperio longum gemuerat. Schema quod *Deo* hic aptatur, *Heröis, Bellatoris*, in medium prodeuntis ad adversarium eumque æmulum suum debellandum ac prosternendum, ad primum aspectum vide-

Intelligitur celebris *Petra*, quæ originem dedit *Deserto*, hujus Nominis.

Jeremiæ dicitur CHATSOR.

Locus *Strabonis* de Urbe aliqua *Sela*.

A Vertice MONTIUM *vociferentur.* Intelliguntur *Montes Arabiæ Petræa*.

Ad ỳ. 12. Quid sit, *Apponere Jehovæ gloriam*?

Implementum prophetiæ.

Idem *Argumentum* Laudationis alio Schemate propositum.

Ubi, *Propositio Consilii* Divini de Populo Electo vindicando, ỳ. 13.

Cohærentia orationis Prophetæ.

Res eadem sub alia figura hic exhibetur.

Schema Orationis, quod enarratur.

An Schema Heröis, Bellatoris, parati ad vindicandas in-

---

a Gen XXV. 13. *b Itin.* Part. VI. §. 26. *c* In Pœn. *d* Chanan. Lib. II. Cap. VI. *e* Cap. XLIX. 28. *f* Jos. XI. 1. Jud. IV. 2. *g* 1 Reg. IX. 18. *h* Lib. XI. p. 352. *i* Deut. XXXIII. 2. Hab. III. 2. *k Itin.* Lib. II. Cap. III.

injurias sibi illatas, Deo recte tribuatur?

videri queat minus dignum Divina majestate: sed rem ipsam si inspexeris, deprehendes, in metaphora nihil esse novum, nihil incongruens Divinæ gloriæ & magnitudini. Scriptores enim Sacri, Prophetæ aut Poëtæ, (& inter eos jam ipse Moses,) figuratis locutionibus & fictionibus uti soliti, ubi Deum inferunt vel ut *Populum* aut *electos suos* liberantem è potestate hostium & adversus eos potentia sua defendentem; vel vindicias Nominis aut Gloriæ suæ læsæ repetentem ab hostibus per gravissima supplicia iis inflicta, soliti sunt passim illum sub hac figura exhibere; sub figura, inquam, HEROIS, Vindicis Gloriæ suæ, Populique sui. Pertinent illuc loca & emblemata Prophetæ nostri quæ in *superioribus* inspeximus, Cap. XXVII. 1. XXX. 30. XXXIV. 5. Vide inprimis Cap. LIX. 16. 17. ubi Deus tanquam *Heros* vindicias ab hostibus repetiturus ut *gravioris armaturæ* miles eleganter instruitur. Sic Ps. XXXV. 1. seqq. *Jehova! Pugna cum impugnatoribus meis. Apprehende* SCUTUM *&* CLYPEUM, *& ades in auxilium meum; & prome* HASTAM, & seqq. Confer ex *Cantico Mosis*, Deut. XXXII. 41. & ex Zacharia, Cap. XIV. 3. Dixi insuper, in re ipsa nihil esse quod quem offendat. In metaphoris enim unice spectatur convenientia attributorum, ut sæpe memini; ac proinde ab omnis generis rebus desumuntur. In emblemate vero præsenti inest quid pulchrum, decens, generosum: nihil, si in se spectes, turpe aut vitiosum. Solummodo quæritur, cujus generis beneficium *Liberationis & Vindiciarum* hic loci sub hac figura intelligendum sit; an externum, corporale, quale fuit *Liberatio Populi Dei ex Exilio Babylonico* conjungendum cum *Judiciis* in hostes: num forte *spirituale*, internum, cujusmodi fuit *Liberatio & Vindicatio* Populi electi non *ex Judæis* tantum, sed & *ex Gentibus* è potestate Satanæ, h. e. potestate erroris & peccati. Plures enim sententiæ hic apud prudentes locum habere nequeunt. Nos absque ulla dubitatione posteriorem sententiam amplectimur. Primo, quia argumentum hujus Pericopæ accipiendum tractandumque est, ut respondeat *Argumento* hujus prophetiæ, in *initio ejus* consignato. atqui illud *argumentum* esse vidimus Beneficium Liberationis Gentium è statu ignorantiæ, erroris, idololatriæ, servitutis peccati per medium *Doctrinæ Christi Jesu*, Servi Dei Electi, inter Gentes vulgandæ, ℣. 1. seqq. Secundo, cum *Gentes* per omnes Orbis terrarum partes in proxime *superiore oratione* incitentur ad *Deum celebrandum* pro magno aliquo *Beneficio* & Opere gratiæ suæ: (℣. 10. seqq.) res ipsa docet, Beneficium illud ejus esse generis, ut non *Judæi* tantum, verum etiam *Gentes* venirent in illius Beneficii communionem. Fac autem, hic agi de Beneficio Liberationis Populi Judæi ex Exilio Babylonico: quid id ad Gentes? quid ad Gentes remotas? quid ad Italos, Hispanos, Celtas, Scythas, Desertícolas, ut Deum celebrarent pro Beneficio Reditus aliquot millium Populi Judæi ex Exilio Babylonico? Ergo pericopa hæc exponenda est de Beneficio *Liberationis* quod Gentes cum Judæis commune haberent. Tertio, qui pericopam hanc nostram attente legerit: videbit, Deum hic introduci ut *Heroëm* se instructurum ad *gloriam suam* vindicandam adversus *Idololatras*, quippe *gloriam* suam non cessurum *alteri*, nec *laudem suam sculptilibus*, ℣. 8. unde pericopa his verbis claditur, ℣. 17. *Recedant retrorsum; pudore suffundantur qui fidunt sculptilibus; qui dicunt fusili, tu es Deus noster.* Deus igitur hic prodit ut Heros bene accinctus ad destruendam idololatriam, & pœnam sumendam de hostibus qui ei patrocinarentur. Denique quarto, argumentum hujus emblematis plane idem est quod Vates noster in parallelis sub eadem figura declarat. Explicat, inquam, hæc pericopa quod in *prima* Concione Evangelica dictum habuimus [a]: *Ecce Dominus Jehova adversus* ROBUSTUM *veniet, & seqq.* & quod in sequentibus occurret [b]: *An à* FORTI *capietur præda? & num captivitas Justi* (qui captivi tenentur à *Severo*) *evadet. Quin ita dicit Jehova, Etiam captivitas* FORTIS *capietur, & seqq.* Idem schema est quod in hoc loco. Electi ex Judæis & Gentibus hic proponuntur ut vindicandi è potestate Satanæ. Propheta autem noster hoc emblema ita exequitur, ut *α.* Ipse per modum *propositionis* summam eorum quæ dicturus est, præmittat *hoc commate* quod descripsi. *β. Deum* inferat enarrantem atque explicantem rationes consilii sui de idololatria & imperio Satanæ in Mundo destruendo, ℣. 14--17.

Exempla usus hujus Emblematis in Scriptura S.

Deo non est inhonestum.

Cujus generis Beneficium sub hac figura spectandum sit: *temporale*, num *spirituale*?

Posterius eligitur.

Interpretatio conformanda est ad *argumentum* prophetiæ.

Agitur hic de *Beneficio*, in cujus communionem venire debebant *Gentes*.

Deus hic introducitur ut heros se instruens adversus idololatras.

Jehova instar HEROIS *prodibit.*] Chaldæus eleganter: יהוה למעבד גבורן אתגלי *Jehova revelabitur ut faciat magnalia.* Intellige Jehovam, ut se manifestum faceret in *Filio*, collocando *ad dextram ejus*, ad Imperium Satanæ in Mundo & Potestatum mundanarum quæ illud sustinerent, destruendum. Schema idem est quod Ps. CX. 1. seqq. & conferri hic possunt loca analoga, alioquin satis nota [c]. גבור *Fortis, prævalens*, proprie est HEROS, nomen Filii Dei, ut monui ad Cap. IX. 5. quippe instructi illa δυνάμει *vi* & *virtute* prævalente, qualis est heroica, per quam sibi *omnia potest subjicere* [d]. Est autem vox יצא *prodire* hic pariter emphatica. Notat processum *Heroïs*, Imperatoris, bene armati, ad aggrediendum hostes, ut alibi observavit Bochartus [e]. Sic apud Zachariam [f]: *Et* EGREDIETUR *Jehova ut pugnet adversus Gentes illas.* Quorsum vero? Ad destruendum Imperium Satanæ. quod cum destruendum esset tam *obedientia Filii Dei* (secundum antiquissimam prædictionem Gen. III. 15.) quam *vi demonstrationis veritatis*, conjunctæ cum *gratia* invincibili Sp. S. & cum *potentia* ac *providentia Divina* Judiciali, rebelles & immorigeros hostes Evangelii prostratura; (de quo vidimus in emblemate: Cap. XLI. 15.) *posteriores* duo *respectus* hic potissimum spectandi sunt. Sic Dominus Jesus ipse de effectu *potentiæ* suæ in debellando Satanæ qualem edebat in ejiciendis Dæmonibus, loquens [g]; & tam ad locum hunc nostrum quam ad analoga modo adducta alludens: *Nam quomodo poterit quis ingredi Domum* ROBUSTI (Satanæ,) *& vasa ejus diripere, nisi prius* ROBUSTUM ILLUM *vinxerit?* Alio loco [h]: NUNC *adest judicium hujus Mundi: nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras.* Rursus [i]: *Vidi Satanam instar fulguris cadentem de cœlo.* sc. victum à Filio Dei, qui *Gentes* educeret è *claustris* in quibus miserrimam vivebant vitam, easque vindicaret ab idololatria & servitute peccati; & idololatriæ ac superstitionis Vindices ac munimenta *vi* sua *prævalente* invaderet ac dejiceret.

Hypothesis illustratur ex locis analogis.

Tanquam strenuus Bellator excitabit zelum.] Metaphora hæret in eodem schemate. Solent Heröes in prœlium aut duellum ituri se incendere & inflammare ad *zelum*, sive ex memoria injuriarum, quibus ab adversa parte affecti fuerunt; sive ex studio comparandæ laudis & vitandæ ignominiæ; ut omnes vires suas in pugnam & honoris sui vindicias adferant. quod hic *figurate* ad Deum refertur, *gloriæ suæ amantem & zelotem*, *honorem* veræ Divinitatis sibi per idololatriam turpissimam injuria per longum tempus ereptum, vindicaturum, quod professus fuerat ℣. 8. Videbatur enim Deus tantum temporis perpessus injuriam sibi in cultu falsorum Numinum illatam, sui honoris fuisse negligens & incuriosus. איש מלחמה *Vir belli* proprie est *Vir strenuus*, belli peritus & ad id instructus. Habuimus phrasin Cap. III. 2. Sym. Ἀνὴρ πολεμιστής.

Barritum edet: etiam vociferabitur: adversus hostes suos heroicum induet animum, quo iis prævaleat.] Hebræa, יריע אף יצריח diverse transponuntur; sed sensu consonante qui in interpretatione nihil turbat. Hieron. *Vociferabitur & clamabit.* Non sane secundum emphasin Prophetæ. quod enim ille vertit, ET *clamabit*; apud illum est, ETIAM *clamabit:* docetque nos sen-

Analysis hujus Pericopæ.

Verba Prophetæ ℣. 1. *Jehova instar Heroïs prodibit.*

Intelligendum de Deo Patre cum respectu ad Filium ejus.

Sensus sententiæ.

Significatus vocis גבור *Potens, Heros.*

Usus peculiaris vocis יצא *egredi.* h. l.

Finis egressus Dei ut *Heroïs.*

Debellari debebat Mundus idololatricus.

Qualis victoria de Satana intelligatur?

Tanquam bellator excitabit zelum.

Metaphora unde desumpta?

Ad Deum applicata.

Barritum edet; vociferabitur, &c.

Notatio Hebrææ vocis יצריח.

[a] Cap. XL. 10. [b] Cap. XLIX. 24. [c] Jes. LXIII. 1. Ps. XLV. 6. Apoc. VI. 2. XII. 7. XIX. 11. [d] Phil. III. 21. [e] *Geog. Sacr.* Lib. IV. Cap. XII. [f] Cap. XIV. 3. [g] Matth. XII. 29. [h] Joh. XII. 31. [i] Luc. X. 18.

tentia, plus poteſtatis eſſe in voce צרח, quam in voce רוע, ſive ורוע. Alexandrinus: Βοήσεται ἐπὶ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ μετὰ ἰσχύος· *Clamabit adverſus hoſtes ſuos cum vi.* Non ſane inepte. Senſum enim Prophetæ recte ceperis, ſi ita vertas: *Barritum faciet, & quidem altiſſima voce.* Piſc. *Jubilabit atque etiam barriet.* Coccejus: *Jubilat*, (barrit,) *etiam vociferatur.* Ne id quidem pro poteſtate phraſios. Verti verba: *Barritum edet, & terrificum fremet.* Vox הריע ex רוע valet *clangere*, altum ſonare; unde proprie refertur ad *tubas*, per quas *clangor* editur; quarum præcipuus uſus obtinet in *prœliis* & *conflictibus*, tum in initiis *congreſſus* ipſius; tum poſt *victoriam* de hoſte reportatam. Utroque ſenſu de *hominibus* uſurpatur, quibus congreſſuris in prœlio *barritus*; victoribus de hoſte *jubilum* tribuitur. Uſus ejus geminus eſt in hiſtoria Abiæ & Jerobeami, inter ſe belligerantium. Verba Abiæ in Oratione ante prœlium habita [a]: *Apud me ſunt tubæ* CLANGORIS, להריע עליכם *ad* CLANGOREM ADVERSUS *vos* (Iſraëlitas,) EXCITANDUM. Deinceps de Judæis [b]: ויריעו *Et clanxerunt*, (barritum fecerunt,) *Judæi*; *& accidit, ut cum barritum facerent Viri Juda orti, ut Jehova percuſſerit Jerobeamum.* Vox צרח aliquanto plus dicit, ut ex ipſo hoc loco liquet. Eſt *barritum edere ingentem* ſoni queruli aut terrifici qualis eſt hominum, ſive ſumma anguſtia quæ exitum vocis acuit, arctatorum; ſive à cupiditate vindictæ aut zelo gloriæ, dum hoſtem aggrediuntur, preſſorum. Supereſt præter hunc noſtrum unus locus Zephan. I. 14. ex quo uſus & ſignificatio ejus colligitur. Compara mihi hic Cap. IX. 4. ubi plura de *barritu* monui. Quod additur, על אויביו יתגבר, verti lubenter cum Coccejo: *Adverſus hoſtes ſuos ſe roborabit.* nec tamen id abſolvit integram vim phraſios. Eſt *heroicum induere animum*, *ut hoſti prævaleas.* Ad rem ipſam ſi referas: duo ſignificantur. α. Deum in initiis Oeconomiæ Novæ editurum eſſe *ſigna* ingentis zeli gloriæ ſuæ adverſus idololatras vindicandæ, & Imperii Satanæ in Mundo deſtruendi. Sunt autem *effecta* gratiæ ipſius, per quam Miniſtros ſuos incredibili affecit *zelo* in propagando Regno ſuo, & invadendo ac deſtruendo Imperio idololatriæ & ſuperſtitionis in Orbe fundato, quem *zelum* voce ac ſcriptis in omnibus concionibus, diſputationibus, apologiis, confeſſionibus, martyriis, patefecerunt ad adverſariorum ſtuporem & pudorem. Hiſtoria hic clamat, nemine negante. Abſque eo Regnum Filii Dei nunquam prævaluiſſet Regno Satanæ. β. Deſtructionem idololatriæ, Liberationem Gentium ab errore & peccato, & Fundationem Regni Dei in Mundo, conjungendam eſſe cum *magnis* Mundi *motibus* & effectis terribilibus *zeli*, *vindictæ* ac *iræ Divinæ*, quæ effecta altum in Mundo ſonarent [c], quorumque fama & ſenſus idololatras perterrefaceret. Ex throno Dei in initiis N. T. ſtabiliendo prodirent *tonitrua*, *fulgura*, *voces*, & *terræmotus.* Effecta magnorum Dei judiciorum, quæ docerent homines, Deum ab iis repetere vindicias honoris ſui per idololatriam læſi. Id vero ipſum eſt quod declaratur per *ſeptem* TUBICINIA ſive CLANGORES Apocalypticos [d], quorum implementum quærere incepimus in conſpiciendis Dei Judiciis quibus afflictum eſt Romanum Imperium *Sæculo tertio.* Sed hic loci præcipue reſpicitur ad magnos Principes idololatriæ Patronos & Perſecutores Eccleſiæ notabilibus Dei judiciis deſtruendos, & Imperium Romanum Chriſto Jeſu tandem ſubjiciendum, Sæc. IV. *Clauſtra* tum ſunt *aperta* [e]; Satanas cecidit de Cœlo, victus à *Michaële* [f]; & *fulgura Dei* illuſtrarunt Orbem [g], *tremente Orbe terrarum.*

Propoſitionis *Declaratio*, tanquam ab ipſo Deo facta.

ỳſ. 14. *Silui à ſeculo; conticui; continui me:* CONTENTA *voce ſibilabo inſtar parturientis; ſimul ſpiritum emittam, ſimul eundem reſorbebo.* ỳſ. 15. DESOLABO MONTES ET COLLES, *& omnem herbam ipſorum exarefaciam: & ponam fluvios in inſulas; & ſtagna exſiccabo.* ỳſ. 16. *Et ducam cæcos per viam, quam non noverant: per ſemitas, quas non cognoverant, ire eos faciam: ponam tenebras coram iis in lucem; & tortuoſa in rectum.* HÆC SUNT ILLA QUÆ IIS *faciam; & non derelinquam illos.* ỳſ. 17. *Cedent retrorſum; magno afficientur pudore, qui fidunt ſculptili; qui dicunt fuſili, Vos eſtis* DEUS NOSTER.] Verba continent Ἔκθεσιν *Expoſitionem* & *Declarationem* Conſilii Divini, qua Deus docet, ſe vocando Gentes ad ſuam communionem magnam in Mundo effecturum eſſe mutationem, ut tota Oeconomia ejus aliud accipiat ſchema, in alium compingatur ordinem. Procedit autem oratio hunc in modum. Primo conſilium de tempore futuro ſumptum ex *oppoſito* declarat, ỳſ. 14. Secundo Opus, conſilio decretum, explicat, ỳſ. 15. 16. Tertio, innuit *conſequens* exſequutionis Conſilii Divini, *Proſtitutionem idolorum* & *idololatriæ*, ỳſ. 17.

Summa ſententiæ hujus Periocopæ.

Analyſis ejus.

Silui à longo; conticui; continui me.] Sic recte verto Hebræa: החשיתי מעולם אתאפק Fere ut Hieron. *Tacui ſemper; ſilui; patiens fui.* Sed Piſcator: *Silui jam olim:* an diutius *tacerem?* an *continerem me?* Plane coacte. Induxit Virum Doctum in hanc ſententiam mutatio *temporum* in *Verbis*, quorum *prius* eſt *Perfecti*, *poſteriora duo* ſunt *Futuri.* Verum ſæpe jam monui, ſolere Prophetas & Poëtas Sacros elegantiæ cauſſa *tempora* in Verbis mutare, ut licet de *Præterito* mentio fiat, terminationes *Futuri* interminſceantur terminationibus *Præteriti.* Exempla quærens ubique inveneris. Porro in voce אתאפק, quæ omnino vertenda eſt per *continui me*, ea eſt emphaſis, ut manifeſte alludat ad fœminam parturientem, quæ ad partum faciliorem reddendum *halitum* comprimit & preſſo ore coërcet; qui tandem vi erumpit: ut mox ad *ſequentia* videbimus. Senſus figuratæ orationis hic planus & perſpicuus eſt. Poſtquam idololatria cultum veri Dei non longe à Gentibus poſt Diluvium diſperſis invaſit & corrupit, & tandem imperium ſuum cum omni impuritate carnali per univerſum Orbem hominum late extendit; videbatur Deus pro *zelo gloriæ ſuæ* huic graſſanti & florenti corruptioni humani generis, quæ vero Deo valde injuria erat, obicem poſiturus eſſe, & Imperium hoc Satanæ & Peccati deſtructurus. Sed id Deus non fecit. Solummodo ne vera Religio in Orbe interciderет: Abrahamum elegit, ejuſque poſteris ſe manifeſtum fecit, ut Populus aliquis in Mundo eſſet apud quem Cultus veri Dei conſervaretur uſque ad tempus à ſe præfinitum quo ſalus ejus per omnes vulgaretur Gentes. Cætera *Gentes* ſivit *ambulare in viis ſuis* [h]; *temporibus ignorantiæ* [i], conſilio ſuo circumſcriptis; nomen ſuum ab iis dehoneſtari; Dæmones ſub falſis & abſurdis imaginibus coli; à Satana eas ſeduci; veram Religionem ejuſque veros cultores ſæpe gravius affligi & opprimi; *vaſa iræ multa patientia ferens* [k]. Id vero cum adverſum videretur *gloriæ Dei* & *rationibus Juſtitiæ ejus*: (etſi vere Deo conſtiterit abunde hujus ſuæ Oeconomiæ ratio:) introducitur hic Deus tanquam qui *ſiluerit*, *conticuerit*, & veluti *vim* ſibi *fecerit* ad tantam patientiam exercendam, quantam Natura ejus ferre poſſe non videbatur. Et certe ita eſt. Diſpenſatio hæc Divinæ providentiæ, qua Gentes per longum adeo tempus ſivit ludificari à Satana, & interea Eccleſiam ſuam ipſam quoque corrumpi, affligi, graviter laborare, nobis etiamnum, qui de rationibus viarum Dei aliquid intelligimus, videtur mirabilis; ut ſane inter omnes Dei proprietates nulla admirabilior eſt ejus *patientia.* Rationes enim *Gratiæ ejus* multo facilius percipiuntur, quam *patientiæ* & *longanimitatis.* Et tamen ſic fieri oportebat, ut *Imperium peccati*, corruptionis, miſeriæ, & ſeveritatis, (in ipſa enim hac Oeconomia exemplum fuit gra-

ỳſ. 14. *Silui à longo; continui me.*] Hebræa verba: varia eorum verſio.

Modorum *Perfecti* & *Futuri* apud Hebræos frequens permutatio.

Emphaſis vocis אתאפק *continui me.* Alluditur ad *parturientem.*

Senſus figuratæ Orationis plane declaratur.

Hiſtoria diſpenſatæ Gratiæ reſpectu *Gentium* redactarum ſub Imperium Satanæ.

Finis Vocationis Abrami.

Silentium & *patientia* Dei ſub Oeconomia Vetere.

Lxus filius Virtutis.

[a] 2 Par. XIII. 12. [b] ỳſ. 15. [c] Apoc. IV. 5. VIII. 5. [d] Cap. VIII. 6. 7. ſeqq. [e] Pſ. LXVIII. 7. [f] Apoc. XII. 7. [g] Pſ. XCVII. 4. [h] Act. XIV. 16. [i] Act. XVII. 30. [k] Rom. IX. 22.

vis Judicii, incumbentis Gentibus:) illustraret *Regnum Gratiæ* [a]. Vox חרישׁ *silere* pariter sumitur de Deo *scelera* hominum ad tempus non puniente, Ps. L. 21. quod ubi facit, *vim* sibi *inferre videtur* [b]; non quod id alienum sit à natura Dei: (est enim per ipsam naturam suam *longanimis*:) sed quod exercitium hujus Virtutis mirabile non videatur comparari posse cum *zelo naturali* quo Gloriam suam prosequitur.

Silere quo sensu Deo tribuatur stylo Scripturæ S.?

Tanquam parturiens contenta voce sibilabo: simul spiritum emittam; simul resorbebo.] Indiget sententia opera Interpretis. Prius membrum habet: אפעה כיולדה ubi singularis usus est vox פעה, hoc tantum loco lecta. Int. Alexandrinus: Ὡς ἡ τίκτουσα ἐκαρτέρησε· *tanquam parturiens patienter egi.* Sed non patet; qua fide vel ratione ita instituerit, etsi sensus in se spectatus non sit absurdus. Interpretes Hebræi vertunt per צעק *clamare*; eamque notationem vocis quoque adoptavit Bochartus: quam sententiam binæ commendant rationes, &c. Quia *contextus* orationis suadet, *hoc membro* aliquid dici contrarium ejus quod in *superiore*. Cum enim dixisset, se *siluisse*, *conticuisse*, *se continuisse*, antecedente tempore: dicendum erat, *se nunc rupisse silentium*. Id enim nisi hic dicatur: non cohærebit oratio cum *versu sequenti*, ubi ait, se *desolaturum esse montes & colles*. β. Quia voce אפעה alludi videtur ad vocem אפעה quæ Hebræis notat *Viperam*; quæ cum in partu gravissimos dolores sustineat, edere solet *sibilum* clarissimi soni. Sic fere ὁ πάνυ, qui hic inspici potest [c]. Mihi cum nihil suppetat melius: in eo lubet acquiescere; & tamen scopo Vatis convenientius fuerit, vertere, *sibilabo*, quàm *clamabo*, ut mox patebit ex declaratione emblematis, ad cujus intellectum nos ducent sequentia recte exposita. Verba Prophetæ sunt: אשם ואשאף יחד, quæ Hieron. vertit: *Dissipabo & absorbebo simul.* Jun. & Tremell. *Desolabo exhauriamque pariter.* Pisc. *Exhauriamque* eos *pariter.* Imitati sunt Belgæ, & passim alii. Nec Hebræi hic aliud viderunt. Sed poterant intelligere Docti Interpretes, partes hujus Emblematis sic expositi minus cohærere. *Voces* enim *premere* & *se continere*, an commode satis respondent oppositis *desolare* & *absorbere?* Notio enim *absorbendi* quam hic duriter & improprie adhibetur de Deo ut *Heroe* qualis in hoc emblemate introducitur? Verti itaque verba, ut hic vides: *spiritum emittam; simul resorbebo.* ut ante me fecerunt Avenarius [d], Forerius, Coccejus. Vox אשם, ut hic *punctata est*, secundum analogiam Grammaticam, vel duci potest ex themate שמם *Desolare*, *vastare*; vel ex נשם *spiritus*, *halitus*, *anima*. Est autem *spiritus* proprie quod *exspiramus*, spirando emittimus; cui respondet שאף *haurire*, aërem spirando attrahere, resorbere [e]; estque genuina vocis שאף significatio *hauriendi*. Ergo, ut dicam quod res est, Propheta inhærens eidem emblemati Deum hic infert ut Heröem, qui postquam longum tempus se *continuerit* instar *parturientis*: tandem victus ab amore honoris sui magno concitatus zelo rumpit silentium, & instar *parturientis* sibilat; *spiritumque* simul *exhalat* simul *resorbet*; ut solent festinantes, & magno affecti zelo. Nihil hic aliud spectandum est in interpretatione emblematis. Nulla hic respicitur proprie *loquela* Dei *articulata*, qualem hic cogitat Hieronymus: (cum Propheta hic non *vocem*, sed *actionem Dei* ut *zelotæ* describat:) nec *parturitio* Dei tanquam *emittentis fœtum* diu animo conceptum: (quod idem Hieronymus & Calvinus quoque huc adferunt:) sunt enim hic loci vere ἀπροσδιόνυσα & aliena ab emblemate. Tantum hic spectandus est zelus Dei, ut Heröis cum *ingente sibilo* erumpens, perinde ac in *commate superiore*. *Sibilum* autem hoc & demonstratio *zeli* explicanda sunt ex *effectis*. *Regnum Cœlorum* manifestatum est *cum* VI. Matth. XI. 12. *A diebus Joannes Baptistæ usque hoc tempus Regnum cœlorum* βιάζεται *vim facit.* Marc. IX. 1. *Sunt quidam ex his qui hic adstant qui non gustabunt mortem, usque quo viderint Regnum Dei venisse ἐν δυνάμει* CUM POTENTIA. Rom. XV. 18. *Non enim sustinuerim quicquam loqui quod non effecerit Christus per me*, adducendis *ad obedientiam Gentibus verbis & factis*, VIRTUTE *signorum & prodigiorum*; VIRTUTE SPIRITUS DEI. Sic Deus apud Zachariam [f]: *Ego zelo pro Hierosolyma & Tsione* ZELO MAGNO. Extendit se ad citeriora tempora. Viderunt omnes Populi, Deum excitatum esse post longam moram ad gloriam suam vindicandam, & miserum genus hominum liberandum à *servitute corruptionis*, sub qua *gemebat.* [g]

Tanquam parturiens ... *sibilabo*, &c.

Versio vocis אפעה h. l. Interpretam de ea sensus. Bocharti sententia, & rationes.

h. l. פעה est *clamare acute.*

Verba sequentia: *Simul spiritum emittam*, &c.

Varia versio.

A communi sententia discedituri.

Versio alia.

Animadversio ad vocem אשם ut hic punctata est.

Explicanda est ex themate נשם *respirare.*

Metaphora declaratur.

Quomodo ad Deum applicanda? Innuitur hic *zelus Dei* qui explicandus est ex effectis suis.

℣. 15. *Desolabo montes & colles, & omne gramen illorum arefaciam; & ponam fluvios in insulas, & stagna arefaciam.*] Vox אחריב, quam in initio *commatis* verti per *desolabo*, reddi quoque potest *exsiccabo.* Vox enim חרב utramque hanc admittit significationem, & à Vate nostro promiscue [h] usurpatur. Veruntamen cum *montes* & *colles* improprie magis dicantur *exsiccari*: significatio *exsiccandi* hic videri queat minus ad rem facere. Imo sic videtur; & nihilominus censeo, Prophetam hac voce data opera usum esse, ut nobis subjiceret notionem ejusmodi *Desolationis* quæ fieret, non per *contritionem montium & collium*, (quod emblema adhibuerat Cap. XLI. 15.) sed per eorum *florentium & herbidorum exsiccationem.* Huc enim sequentia omnia nos ducunt. Dicitur enim facturus ut *gramen* illorum *montium* & *collium exaresceret*; viride scil. omne absumeretur; & *fluvii* ipsi quoque *exsiccati* mutarentur *in insulas*, & *stagna arefierent.* Quæris, ut hæc cohæreant emblemati superiori? Dicam paucis & explicate; de quo Intt. minus soliciti sunt, statuentes passim emblema hic mutari. Ubi Deus tanquam *heros* introducitur justo incensus zelo & veluti magna inflammatus ira: *halitus* ejus & *spiritus* omnia obvia humentia dicitur *exsiccare*, *arefacere*, *consumere.* Sic Ps. XVIII. 9. de Deo *irato*: *Fumus ascendit in nares ejus, & ignis ex ore ejus consumebat. carbones ex eo accensi sunt.* Rursus Ps. XCVII. 3. quam Oden ejusdem argumenti esse dixi, cujus est prophetia hæc nostra. Quando autem dicta sive sententiæ Dei judiciales, quæ dicuntur *increpationes Dei*, *halitu* sive *spiritu igneo* efferuntur: censentur *fluvios* & *stagna aquarum exsiccare.* Sic Propheta noster exerte, eodem emblemate usus, Cap. LXVI. 15. postquam dixisset, Deum *cum igne venturum esse ad hostes suos vindicandos*, addit: ונערתו בלהבי אש *Et increpatio ejus* CUM FLAMMIS IGNEIS. quò pertinet quod idem Vates noster Cap. L. 2. *Ecce increpatione mea exsiccabo mare: ponam fluvios in Desertum.* Videamus de Sensu Emblematis ad primam speciem non adeo facili. Grotius hic de Cyro agi putans Emblema quantum pote *literaliter* interpretari nisus est; & expertus tamen est prius membrum obstare. Intellexit igitur per *Montes* & *Colles* Urbes in *Montibus* constitui solitas; & per *Gramen* Cives; & idem tamen *fluvios* & *stagna* hic proprie accipi voluit. quæ non cohærent. Quæso etiam rem expende qui sapis. Quod Cyrus in expugnanda Babylone Euphratem abegerit: estne quid adeo magnum & magnificum, ut id hic adscribi mereatur Deo tanquam opus quoddam summæ Dei potentiæ & vindictæ, plane Heroicum? An etiam ex Euphrate facta est insula? Num Fluvius non rediit mox in Veteres alveos? Cl. Coccejus significari putat, *terram habitabilem mutatum iri in Desertum.* h. e. *eum Populum qui hactenus habuerat Verbum Dei, Prophetas, Justos, Christum, Templum, Statuta, Politiam, Fœdera, omnibus istis prærogativis esse orbandum.* Id pie scripsit Vir Doctus, &, si in se spectes, admitti posset. Sed minus convenit contextui. Agitur hic manifeste de Gentibus, earumque idololatria, & de pœna à Gentibus quà Idololatris sumenda. Sensus emblematis est: Quicquid vigebat, virebat, florebat, in Religione idololatrica Pagana, consumptum iri; Idoleja, Templa, Fana, in celebrio-

℣. 15. *Desolabo montes & colles*, &c. Animadversio ad vocem אחריב. Recte hic vertitur per *Desolabo*, & tamen plus involvit.

Quomodo hoc emblema cum superiori cohæreat?

Halitus D. zelotæ & irati omnia obvia consumitur *consumere*, & *arefacere.*

Loca analoga.

Sensus emblematis investigatur. Grotii de eo cogitata.

Ad ea animadversio.

Coccejii sententia.

Propior expositio Sensus emblematis.

[a] Rom. V. 21. [b] Num. XIV. 17. [c] *Hieron.* Part. II. Lib. III. Cap. I. [d] In *Lex.* [e] Confer Jer. XIV. 6. [f] Cap. I. 14. [g] Rom. VIII. 22. [h] Confer Cap. XXXVII. 18. & Cap. L. 2.

Destructio idololatriæ inter gravia Dei judicia.

lebrioribus Regnis & Rebuſpublicis deſtruenda imminuendaque eſſe; & doctrinas atque inſtitutiones, quarum ſymbola ſunt *aquæ*, perituras atque abolendas eſſe; & Scholas ac Gymnaſia ſuperſtitioni ac idololatriæ faventia eandemque promoventia, ſubverſum iri; *Oraculorum fontes* exarituros, ut Regnum Dei ubique per Orbem terrarum commode fundari, & electi ex Gentibus ſe illi Regno aggregare poſſent. Emblema explicandum eſt ex *primo Tubicinio Apocalyptico*, in quo ad hunc locum alluditur; ubi ad clangorem primæ Tubæ [a], *grando & ignis mixta ſanguine* dicuntur *projecta eſſe in terram, & tertia pars arborum exuſta eſſe, &* OMNE GRAMEN VIRIDE EXUSTUM. Videlicet per Bella, Famem, Peſtem, *quicquid floridum erat in Romano Imperio abſumeretur*, ut factum in ſingularibus judiciis *Secundo & Tertio Sæculo* inflictis Romano Imperio, quorum textum in Commentatione illius loci ex hiſtoria demonſtravi. Hic vero emblema ſenſu ſumptum ſpirituali rectius intelligitur de eo *quod floridum erat* in Romano Imperio, ſecundum *Statum* ejus *ſpiritualem*, h. e. Imperii illius Religionem, aliarumque Rerumpublicarum Sacra. Recurrendum hic eſt ad ipſum Vatem noſtrum, qui fundamenta ejus quod hic dicit, jam jecerat in ſententiis Propheticis [b]: *Omnis mons & collis deprimetur: omnis vallis extolletur.* Item [c]: *Omnis caro Gramen:* GRAMEN EXARESCIT. Sanctius in univerſum à nobis non diſſentit in myſtica emblematis interpretatione; ſed ſpeculationem ſuam altius evehit; obſervans, *Montes & Colles* olim præcipue inſerviiſſe ſuperſtitioni, & *Fluvios* quoque ac *Fontes* ſacros habitos fuiſſe Populis, & inſtar Numinum cultos; quod Doctis non ignotum adſtruit. Sed non exiſtimo, id hic loci directe à Spiritu eſſe intentum. certe quod hic de *gramine Montium & Collium* dicitur, non favet hypotheſi. Opus autem hoc illuſtre proponitur hoc in loco tanquam Dei ut Heröis, ira & zelo inflammati, idololatriam debellaturi eamque triumphaturi. Sic Zacharias, Cap. XIII. 2. *Et futurum erit illo die*, ſc. poſt apertum Fontem ablutionis peccatorum, *ut exſcindam nomina idolorum ex terra; nec memorabuntur amplius.* Plus hic non ſector. Quod enim alius forte huc adferre poſſet de Imperatoribus Orientis magnos ducentibus exercitus, qui *montes colleſque* vaſtabant, & *Rivos* ac *ſtagna aquarum* eporando *arefaciebant*, de quo videri poteſt exemplum Xerxis apud Herodotum [d]: huc vere non cenſeo pertinere. Schema fictionis Propheticæ ita ſe habet, ut illud modo deſcribebam. De Prophetiæ implemento nihil moneo. hiſtoria enim omnibus nota eſt.

Primum Tubicinium Apoc. VIII.

Imperium Romanum inter præcipue eſficiendum eſt ſecundum *Statum Religionis.*

Loca analoga.

Sancti, docti Viri, meditatio ſublimior ad h. l.

Ad eam πύκνωσιν.

℣. 16. *Et ducam cæcos via, &c.* Senſus & cohærentia verborum.

℣. 16. *Et* DUCAM *cæcos via quam non cognoverunt; ire eos faciam per ſemitas quas exploratas non habuerunt.*] Pertinent verba ad Populum N. T. à Filio Dei tanquam Heröe ſive Paſtore, ei præeunte, ducendum in Deſerto Romani Imperii; ſuſtentandum, illuminandum, uſque quò occupaſſet *Civitatem habitationis.* Si verba ad Judæos referas ex Babylone reducendos in Canaanæam: oratio Prophetæ valde fuerit hyperbolica, & ne hyperbolica quidem facile intelligitur. Sed *ſuperior contextus* te docebit, agi de Populo Chriſti ex *Gentibus* ſervando: de *Judæis* autem demum agi videbis ℣. 18. Oratio Prophetica hic illuſtrat excellentem pericopam *Concionis Conſolatoriæ primæ*, Cap. XL. 10. *Ecce Dominus Jehova adverſus* ROBUSTUM *veniet, ... tanquam* PASTOR *Gregem ſuum paſcet.* Per *viam quam non noverant*, & per *ſemitas quas exploratas non habuerant*, intellige *media omnia* eaque *varii generis* conſilio & providentia Divina ordinata ad Eccleſiam Chriſti Jeſu in Mundo ſtabiliendam, deſtruendam idololatriam, & obtinendam hæreditatem Mundi, à cogitatione & conſilio carnali valde remota, à nemine cogitata, quæ in nullius mortalis mentem venerant. *Duceret* illos Dominus ſecretos à communione Judæorum & Paganorum, *via fidei & patientiæ*, in Vaſto ac terribili Deſerto Romani Imperii in quo ſibi relicti videbantur perituri eſſe, eoſque ſuo colluſtraret lumine, ſua fulciret gratia, protegeret providentia, & inflammaret zelo, ad Regnum Satanæ contentis viribus oppugnandum; & faceret tandem ut hoſtes ſuis judiciis proſtrati victoriam relinquerent Eccleſiæ, per *fidem*, *confeſſionem Nominis Dei*, prædicationem Evangelii, zelum veritatis, *patientiam & conſtantiam*, impetrandam. Sic eſt Pſ. CVII. 4. *Errabant in Deſerto, in vaſto viæ: Urbem habitationis non reperiebant; famelici, item ſitibundi:* .... & DUXIT ILLOS *via recta, ut irent ad Urbem habitationis.* ut ſtabilem in Romano Imperio obtinerent locum, ejuſque terras occuparent ut hæreditatem. Confer 1 Joh. v. 4. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, nempe fides noſtra.* Appellantur autem *cæci* hoc in loco, ſive reſpectu *ſtatus vitæ antecedentis*, de quo ℣. 4. ut Cap. XXIX. 18. *Illo tempore* SURDI *audient verba hujus Libri.* h. e. qui ante fuerant *ſurdi*, ſed quorum nunc *aperirentur aures.* & mox ℣. 19. *Judæi* appellantur *rectus, perfectus, abſolutus*, ut ibi videbimus: vel dicuntur *cæci*, non abſolute ſed comparate, quod hactenus non perſpicerent rationes Divinæ Providentiæ, quibus utebatur in Eccleſia ſua adminiſtranda; & ſtuperent ad media, quæ Deo pro conſilii ſui ſapientia viſum fuerat ordinare ad finem quem ſibi propoſuerat. Neutrum hic abſurde dicitur; ſed ego hic poſterius præfero. Conſilium Dei & Chriſti in prima Eccleſia ducenda & ſuſtinenda in Imperio Romano fuit mirabile; nec exitus ejus niſi ex eventu perfecte intelligi poterant. Erant *cæci* quod veluti ambularent in *tenebris*, ut mox exponitur.

dentia erga Statum primæ Eccleſiæ in Rom. Imp.

Quare ducendi per *Deſertum Gentium* hic vocentur *cæci*?

Non *abſolute*, ſed *comparate.*

Ponam tenebras coram iis in lucem; & tortuoſa in rectum.] Faciam ut conamina adverſariorum, quæ tendebant ad Eccleſiam peſſundandam, convertantur in ejus ſalutem. quo pertinet, α. Quod Perſecutiones & afflictiones Eccleſiæ illatas direxerit ad eam purificandam a fæcibus & falſi nominis Chriſtianis à quibus jam fere in initiis Evangelii bona ſementis obſcurabatur. β. Conſtantiam & zelum Confeſſorum veritatis converterit in laudem & incrementum Evangelii. γ. Calamitates diriſſimas Romano Imperio inflictas Sæc. III. deſtinarit ad reprimendas *Perſecutiones* Eccleſiæ intentatas. δ. Judiciis notabilibus quibus Perſecutores Eccleſiæ veluti Neronem, Domitianum, Decium, Gallum, Valerianum, proſtravit, ſuam illuſtraverit gloriam. Et denique, ε. Quod Perſecutionem Diocletianeam, terribilem illam, quæ Eccleſiæ videbatur fore funeſta & exitialis, direxerit ad Eccleſiæ gloriam, commodum, & triumphum Veritatis ac veræ Religionis. Compara phraſin Prophetæ Cap. LVIII. 10. Videri poteſt hic alludi ad *lumen nocturnum*, quod Deus Iſraëlitis Ægyptum egreſſis in Deſerto ſubminiſtravit, de quo Cap. IV. 5. nec tamen auſim id affirmare.

Ponam tenebras coram iis in lucem, &c. Sententia declaratur & exponitur.

An hic alludatur ad Statum Iſraëlitarum exeuntium ex Ægypto?

Hæc ſunt quæ ipſis faciam, & non deſeram ipſos.] Sic verto cum bonis Interpretibus, inter quos Belgæ. Coccejus verba reddit: *Hæc ſunt verba* quæ *feci, & non deſerui.* Stare poteſt interpretatio, ſi Hebræam orationem in ſe ſpectes: ſed eſt in ea aliquid coactum; licet illam potius ſeponam, quam refellam. Senſus enim ei ſubeſt bonus & minime ſpernendus. *Facere verbum* Hebræis ſubinde valet *implere promiſſa*, & habuimus phraſin hoc ſenſu Cap. XXXVIII. 7. ſed *deſerere verba*, eſt inſolentius. Contra ſæpius in his Orationibus uſurpatur de Populo Dei, à Deo non deſerendo. Ergo obſerva, α. Terminationem *præteriti*, ut ſæpe in hoc Libro, occupare terminationem *futuri.* agitur enim hic manifeſte de re non *præterita*, ſed *futura.* β. In voce עשיתים *affixum* explicandum eſſe per pronomen *ſeparatum*, cujus exempla jam habuimus in *ſuperioribus*, & invenies multa apud Buxtorfium [e]. עשיתים itaque hoc loco eſt pro עשיתי להם *feci ipſis.* ut עשיתיו apud Ezechielem [f] pro עשיתי לי *feci mihi.* *Facere* autem *verba* Hebræis eſt *facere res* [g]. Sententia innuit, α. Ef-

Varia verſio ſententiæ.

Obſervanda ad verum ſenſum ſententiæ.

Affixum in voce עשיתים quomodo capiendum?

a Cap. VIII. 7. b Cap. XL. 3. 4. c ℣. 7. d Lib. VII. e *Theſ. Gram.* Lib. II. Cap. XVII. f Cap. XXIX. 3. g Confer Jer. XXII. 4.

Summa sententiæ Vatis.

fecta quæ Deus in superioribus promissis Ecclesiæ condicit, magna esse & maxima, in quibus manus & præsentia Dei peculiaris apud Ecclesiam clarissime perspicerentur. qualia vere sunt quæ in *superioribus* descripsi. Maximum opus Filii Dei in Mundo est victoria de Imperio Satanæ. β. Deum hæc effecta præstiturum esse Ecclesiæ, versanti in *Statu luctæ*: quo pertinet quod dicitur, *Non deseram illos.* qualis fuit Status Ecclesiæ usque ad triumphum Evangelii de idololatria.

℣. 17. *Cesserunt retro, affecti sunt pudore magno qui fidunt sculptili, &c.*] Sic vertenda sunt verba, quæ Hieronymus & Romanensis sectæ Scriptores passim non satis feliciter acceperunt. Idololatræ, videntes admirabilem Evangelii profectum, & gravissima Dei judicia inflicta Romano Imperio, stupuerunt, & magno affecti sunt pudore. quod si transferas ad *Reditum Judæorum* ex Exilio Babylonico, facile senties, quanto res minor fuerit, & Gentibus minus pudenda & molesta. Phrasis, *cedere retro* & *affici pudore* frequens occurrit in Odis Davidicis [a], estque desumpta phrasis ab *hominibus* qualicunque de caussa magno suffusis pudore, quem *coram* aliis graviter ferentes solent *retrocedere* & se aliorum præsentiæ sibi molestæ subducere.

℣. 17. *Cesserunt retro, affecti sunt pudore, &c.* Verba Prophetæ ab Hieronymo & sequacibus non bene accepta.

Prædicta hic loci minorem emphasin habent, si implementum alibi quæratur.

Pars Tertia hujus Concionis Elenctica ad Judæos, quorum Status miserrimus describitur, quique suæ *miseriæ spiritualis* & *temporalis* convincuntur.

Apostrophe ad hanc Gentem.

℣. 18. *Surdi audite, & cæci videndo intuemini!*] Dum Propheta futuram Gentium illuminationem & conversionem, & Idololatriæ abolitionem, prædicit, de qua ipse ubique luculenter vaticinatur: accipit inde occasionem *convincendi* Judæos sui & sequentis temporis de stupore summo in negotio Religionis, & stulto atque insano affectu erga idola. Cum enim Deus illos præ omnibus Orbis terrarum Populis honorasset Revelatione suæ Voluntatis & Doctrina veræ Religionis, quod privilegium censeri debebat esse maximum: ipsi susque deque habita hac excellente prærogativa Divinæ Gratiæ, insano quodam furore ferebantur in idololatriam Gentium, & quidem adversus acres convictiones & contestationes Prophetarum. Atqui Propheta prævidebat, & clare prædicebat, futurum esse, ut ipsæ Gentes, & quidem sub Oeconomia & Regno Messiæ, puram & castam Doctrinam Religionis Verbo Evangelii ad se deferendam susciperent, nuncio misso idololatriæ; ut ipsæ Gentes in Populum Dei transcriptæ ipsum verum Deum agnoscerent & studiose colerent, postquam doctrinæ hujus præconium ad se devenisset, idque tempus docet sensum appropinquare. Quanto igitur dedecori erat Judæis; quam res ipsis vere pudenda, neglecta Lege & Religione sua, tanto studio sectari instituta idololatrica Gentium? Id igitur agit, ut illos *exemplo* petito à Gentibus sub Regno Messiæ nuncium missuris idololatriæ, & falsas Religiones quibus per tot sæcula delusæ fuerant, repudiaturis, convincat de gravissimo crimine & pudenda stultitia, in qua deprehendebantur. Procedit itaque hic loci eodem plane modo quo Cap. II. 1. coll. cum ℣. 5--7. Idem plane schema est orationis: figura eadem. Cum enim ibidem quoque prædixisset, futurum esse cum tempore ut Gentes se ingente studio aggregarent ad Academiam Tsioneam & doctrinam summi Doctoris Jehovæ avide reciperent: mox convincit Judæos de insano erga Idololatriam affectu. Hæc clara & liquida sunt in quibus acquiesco absque hæsitatione. Cl. Coccejus existimat, *Apostrophen* hanc dirigi ad *Gentes*, Evangelio immorigeras, quæ hic, secundum ipsum, jubentur attendere ad triste exemplum Judæorum, qui spreto Dei Verbo inciderunt in grave Dei judicium, quod mox describitur; à quo prudentiæ sit sibi cavere. Id si quis malit, facile fero: sed non putem convenire sensui Jesaiæ, de cujus mente hic constare potest ex ℣. seq. *Quis est cæcus nisi servus meus? & seqq.* Ipse igitur nos docet, quales *cæcos* & *surdos* intelligat. Apostrophe itaque in hanc exit sententiam: Cum hæc ita se habeant, ait Propheta; & ipsæ Gentes à Messia Doctore ex Vobis orituro, sint illuminandæ & ad ipsum certatim confluxuræ, & idololatria per Messiam abolenda; eaque tempora instent & sensim propinquent: *quantam* itaque, Vos Jacobidæ, contribules mei, proditis *cæcitatem*, quantam stultitiam & insaniam; quantam quoque *surditatem*, sive, rebellionem adversus Verbum Dei, quod tam impenso studio sectemini instituta idololatrica Gentium; & dum inciditis in gravissima Dei Judicia, tanto sitis stupore, ut non animadvertatis, Deum vos propter hanc ipsam apostasiam vestram severe punire? *Animum* igitur *advertite* ad ea quæ nunc dico & prædico ut certo ventura; & *dum videtis*, in rem ipsam diligenter *intuemini* & inspicite. non obiter aut perfunctorie, sed studiose & attente animadvertite, quodnam officii vobis incumbat. Hæc vis est venustæ phrasios, לראות הבים *intueri videndo*, h. e. intentis fixisque in objectum oculis aliquid contemplari: non obiter aut perfunctorie. Intelligi potest hæc emphasis notionis ex Num. XXI. 9. Zach. XII. 10. & ex Vate nostro Cap. XX. 5.

Pars tertia hujus Concionis, *Elenctica* ad Judæos, qui convincuntur *cæcitatis* & *stuporis*, ℣. 18.

Apostrophe ad hanc Gentem.

Summa & Nexus orationis.

Status miser Populi Judæi, *spiritualis & temporalis.*

℣. 19. *Quis est cæcus nisi servus meus, & surdus tanquam angelus meus quem mitterem?*] Verba hæc se per modum ἀποδόσεως habent ad *Apostrophen* sive Ὑπόταξιν *Propositionem* superiorem. Cum enim dubitari posset, quinam illi essent, quos Propheta ut *cæcos* & *surdos* compellabat: demonstrat illos hoc loco. *Gentes*, ait, in antecedanea oratione exhibui ut *cæcas* & *surdas*, illuminandas à doctrina Messiæ, & perducendas ad *obsequium Legis ipsius*: sed quanto Vos *cæciores* ô degeneres Jacobidæ, quanto vos *surdiores*, qui cum soli ex omnibus Populis honestati sitis *Verbo meo*; soli *ad veræ Religionis professionem à me electi*; & à quibus proinde exspectari posset & deberet, ut tanquam *Legati Dei* alios Populos veram Religionem doceretis: non tantum ejus rei nullam habetis curam & rationem, verum etiam ipsissimam illam præstantem Religionem vestram contemnitis, dehonestatis, corrumpitis, & propensissimo animi affectu in Idololatrica Gentium instituta ferimini, & hoc ipso vos objicitis severæ Dei animadversioni: ad quam tamen ipsam, non cogitantes de criminis & defectionis vestræ gravitate, tanquam vera ejus caussa, *stupetis*: ne moniti quidem meliora docti & ad officium revertentes. Hæc summa est ἐλέγχιος. Judæi Interpretes hic misere hærent, non assequuti, quomodo epitheta *Servi Dei*, *Angeli*, & *Consummati*, transferri queant ad *Populum Judæum*, *cæcum* & *surdum*: & sane id ad primam speciem videtur paradoxum. Paraphrastes itaque nihil hic vidit, & expositionem adfert alienam. Recentiores per *Servum* & *Angelum* Dei hic intelligunt Prophetam Jesaiam ipsum; eum vero à Deo dici volunt *cæcum* & *surdum* non sane ex sensu ipsius Dei, sed ex sensu Judæorum incredulorum & rebellium. Cum enim Propheta eos in Concionibus suis appellaret *cæcos* & *surdos*: ipsos reposuisse, non esse hanc qualitatem suam, sed ipsius Prophetæ. Deum itaque hic *cæcos* appellare & *surdos*, quod ipsi Prophetam suum, verum Legatum suum, appellarent *cæcum* & *surdum*. Interpretatio est absurda; nec digna refelli. Abarbenel, postquam hanc recensuisset, in medium conjicit, Prophetam Jesaiam hic dici posse *cæcum* & *surdum*, perinde ac reliquos Prophetas, quod tempore illo quo Visiones per ecstasin recipiebant, *nihil externe videbant* & *audiebant*, sed omnes operationes retractæ erant ad sensus interiores; eamque sententiam ita proponit, acsi eam ex Maimonide haberet. Verba ejus: וכמו שזכר הרב המורה לכן קראם חרשים ועורים רוצה לומר מתחושים החיצונים ושלמים מהפנמיים *Et quem-*

Status miser Populi Judæi *spiritualis & temporalis*, ℣. 19.

Propheta hic definit *Subjectum*, ad quod orationem direxerat in *commate antecedenti.*

Nexus orationis, & summa ejus.

Argumentum & tractandi *modus* hujus Pericopæ per omnia confertur cum Cap. II. 1. seqq.

Judæorum Interr. incertæ sententiæ de *Subjecto* hujus Sermonis, sc. qui hic dicatur *Servus* & *Angelus Dei?*

Recentiorum hac de re opinatio.

Cl. Cocceji hypothesis de *Subjecto* hujus Elenxios.

De ea judicium.

Abarbenelis sententia exposita.

[a] Ps. XXXV. 4. LXX. 3. seqq.

quemadmodum memorat Maimonides in More Nevochim, propterea illos vocat SURDOS *&* CÆCOS, *nimirum ratione* SENSUUM EXTERNORUM, quod videlicet iis nihil intelligerent vel perciperent; *&* PERFECTOS, *respectu* SENSUUM INTERNORUM, intra quos illo tempore consistebat tota mentis operatio. Locus Maimonidis hoc tempore non est obvius: sed forte sola ejus sententia de statu Ecstaticorum hic spectatur. Quod ad rem ipsam attinet: nullum est dubium, quin ecstaticorum hæc sit affectio: sed non constat, nec probabile sit, illos quod in ecstasin rapti *nihil externe viderent, & audirent*, unquam à Judæis appellatos fuisse *cæcos & surdos*. Dicuntur משוגעים *furiosi, insanientes*, apud Hoseam [a], quod Abarbenel huc adducit: sed non *cæci & surdi*. quod tamen si ita se haberet: ipsum quoque absurde & violenter ad hunc locum applicaretur. Patet enim, Apostrophen hanc non complecti orationem Dei ad *Prophetas*, nedum ad *Prophetas veros*; sed ad *Populum* Judæum ipsum qui hic redarguitur *cæcitatis & stuporis*. Sunt etiam ex nostris qui hic omne verum non viderunt. Cum enim in eo facile consentiant, per *Servum Jehovæ* in hoc loco intelligi *Populum Judæum*: obscurius ipsis visum est, quod idem *Populus Judæus* hic appelletur *Legatus quem Jehova mittit* vel *mitteret*: quare Hieronymus aliam tentavit interpretationem, quæ difficultatem videbatur levare. Vertit verba: *Quis est surdus, nisi ad quem nuncios meos misi?* Sed Hebræa, כמלאכי אשלח hanc interpretationem non ferunt. Valent id quod nostra exhibet versio; sive quod habet Symmachus: *Καὶ τυφλὸς ὡς ὁ Ἄγγελός μου. Et* (quis est) *surdus ut Legatus meus?* Alii itaque per *Legatum quem Deus mittit* vel *mitteret*: hic non totum Populum Judæum, sed *Sacerdotes* designari putant, quod epitheton aptetur *Sacerdotibus* apud Malachiam [b]: in qua sententia sunt quoque Piscator, & Belgæ. Est, fateor, tolerabilis interpretatio, cui videri posset favere criminatio Sacerdotum & Præfectorum Sanctuarii quæ mox instituitur, Cap. XLIII. 27. 28. sed si inspexeris hunc locum; videbis, orationem vere verti ad *Communitatem Populi Judæi*, exceptis sc. *electis* qui in Populo supererant. Quare si qua detur expositio commoda, quæ huic adhæreat hypothesi: haud dubie præferenda est. Populus Judæus hic dicitur *Servus Jehovæ* respectu primæ institutionis sui status quia ad id electus erat vocatusque à Deo, ut solus in Orbe terrarum Populus secundum claram voluntatis ejus revelationem *ipsi serviret*, hoc est, eum coleret ac revereretur, ut jam vidimus Cap. XLI. 8. 9. confer Cap. XLIV. 1. Eodem plane modo dicitur *Angelus, legatus, nuncius quem Jehova missurus esset*: quippe hic Populus ex prima status sui institutione *A* ad id paratus ordinatusque erat, ut *Dei voluntatem* ad mandatum ac præscriptum ejus *faceret*, sive exequeretur. quod *nunciorum* sive *Legatorum* est. Sic Vates Sacer [c]: *Celebrate illum omnes Ministri ejus qui facitis beneplacitum ejus.* Intelliguntur *Angeli; exercitus cœlestes*. Sed posteri Jacobi ad id à Deo vocati, ut exequerentur volita ac placita Dei, facere debebant *exercitum Dei in terris*. Sic appellantur צבאות יהוה *Exercitus Jehovæ* [d]. Angeli Dei in terris electi ad ejus faciendam voluntatem. Propheta noster insigni loco agens de Ecclesia N. T. [e] *Et vos Sacerdotes Jehovæ appellabimini: ministri Dei nostri.* Quod si vere de Ecclesia N. T. prædicetur: typice æque obtinuit in Populo Judæo, à Deo electo, ut esset *Regale Sacerdotium*, sive *Regnum Sacerdotum* [f].

Totus igitur Populus sic à Deo instructus erat, ut continuo versaretur במלאכת *in opere & negotio Dei*; paratus esse deberet ad omnia ejus jussa exequenda; veram Religionem inter Gentes ostentandam; &, si Deus vellet, Gentes ab idololatria & superstitione avocandas. Sed hic *Dei servus & nuncius* sive *minister*, qui Gentibus debebat prælucere, ipse factus erat *cæcus & surdus*; quin Gentibus ipsis *cæcior & surdior*. Ea enim vis est in phrasi Prophetæ, Quis *cæcus sicut servus meus? &c.* Quod Propheta ita dicit, & intelligi vult, ut magna latitudine primo ad suum tempus & quidem ad id quod præcesserat, turpissimæ defectionis Populi à vero Deo sub Achazo respiciat: simul cum perspecta haberet fata Populi sequentis temporis, hic includat omne tempus quo pessima hæc affectio Populi erga veram Religionem se palam proderet, de quo mox aliquid distinctius monebo. Populus Judæus, potissima sui parte in *crassa* hærens *ignorantia*, & *carnalibus* obsessus *præjudiciis & affectibus*, interiorem vim suæ Religionis non perspiciebat; non discernebat illius præstantiam; non judicabat recte de via salutis & obtinendæ justitiæ coram Deo: cujus affectionis effecta erant, frequens defectio à Deo ad idololatriam Gentium, à qua non nisi exemplo piorum Principum retrahebatur; animus Deo ipsos per Prophetas docenti & obtestanti immoriger; quorundam incredulitas & profanitas; aliorum stupor; contemptus Verbi Dei; & tandem, postquam purgatus esset Populus ab idololatria, perversissimum judicium de *statu* suo *spirituali*, & de *Regno Messiæ* ac *Justitia* per ipsum adducenda. in quibus præjudiciis suis ita fuerunt obfirmati, ut pejore essent conditione quam Gentes [g]. *Videre* est *verum* rite demonstratum *percipere ut verum*. *Audire* est *verum cognoscere*, percipere, *discernere* à falso, vel *morigerum esse*. unde contrariæ qualitates facile intelliguntur. Sed ego de *cæcitate* & *surditate spirituali* in *superioribus* abunde commentatus sum. [h]

Quis est cæcus, ut CONSUMMATUS; *& cæcus ut* SERVUS JEHOVÆ?] Acrimonia convictionis in eo præcipue consistit, quod Status Judææ Gentis institutus cum ejus defectione comparetur. *Servus Jehovæ*, si officio rite fungeretur, debebat *acutum cernere*. *Nuncius Jehovæ*, ut mandata fideliter perciperet & exequeretur, *acutum audire*, & obsequiosus esse. *Consummatus Jehovæ* explorata habere interiora Voluntatis Divinæ, & in functione officii exercitatissimus esse. Sed contrarium hic obtinebat. Non tantum Servus Jehovæ erat *cæcus*, Nuncius Jehovæ *surdus*, Consummatus Jehovæ *nihil videbat*: sed hæ affectiones vitiosæ in ipso inerant summo gradu: ut cæco hoc nemo cæcior; surdo nemo surdior; consummato nemo alius imperfectior. Vocem משלם verti cum variis Intt. ut & cum Kimchio & Aben-Ezra, per *perfectus*. Sic olim Symmachus: Ὡς ὁ τέλειος. Interpres Alex. hic reddit: Οἱ κυριεύοντες αὐτῶν. *qui ipsis dominantur*. Nempe quod Masorethæ prudenter punctarunt מְשֻׁלָּם, illi legerunt מושלים. Hieronymus hic plane vagatus est, ubi eandem vocem transfert per *venundatus*. quod hic nihil venustatis præfert. Versio Cocceji in h. l. exhibet, *Consummatus*: sed alibi [i], *reconciliatus*. quod non probo. Vox vertenda est, *perfectus, consummatus*, ex loco qui huc apposite ab Aben-Ezra adducitur ex *Adagiis Salomonis* [k]: *Qui Verbum contemnit, corrumpetur: sed reverens præcepti,* ישלם PERFICIETUR, *consummabitur*, prospere aget. Populus Israëlitarum dicitur

Totus populus versabatur in Opere & Functione *Domini*.

Sed hic *servus* Dei factus erat *cæcus*.

Vis interrogationis, *Quis, &c.*

Quod tempus Propheta hic in oculis habeat?

Qua *latitudine* hic instituenda sit *applicatio*?

Status Populi Judæi tempore Prophetæ, & *sequente*.

Gens semper majorem partem inepta erat ad capienda spiritualia.

Quid sit spiritualiter *videre, audire*?

Quis cæcus ut *consummatus*? ut *servus Jehovæ*?

Interpretatio vocis משלם h. l.

Vox משלם reddenda per *consummatus*.

---

a Cap. IX. 7. *b* Cap. II. 7. *c* Ps. CIII. 21. *d* Exod. XII. 41. *e* Cap. LXI. 6. *f* Exod. XIX. 6. *g* Jer. II. 10. 11. *h* Cap. XXIX. 18. XXXV. 5. coll. cum Cap. VI. 10. *i* In *Lex.* ad h. v. *k* Prov. XIII. 13.

A Nihil est vulgatius omni Lingua, quàm nomina rebus aut personis aptari secundum primam institutionem sui Status. Sic Judæi etiam corruptissimi appellantur JESCHURUN, RECTUS, (ut videbimus, Cap. XLIV. 3.) Deut. XXXII. 15. & *Populus Dei*, passim apud Prophetas. *Angeli mali* licet desierint esse veri Dei Legati, tamen appellantur ANGELI, Rom. VIII. 38. 1 Cor. VI. 3. Sethitæ Apostatæ, FILII DEI, Gen. VI. 4. Doctores falsi STELLÆ, Apoc. VIII. 10. Credentes respectu pristinæ Status sui damnabilitatis IMPII, Rom. IV. 5. Idola passim DII. Aruna REX, quod vel tanquam *Rex* Jebusæis præfuisset, vel Regibus ortus esset. id enim hic dictu videtur simplicissimum. perinde ac *Rapilius* REX, apud Flaccum, *Satyr.* Lib. I. Sat. VII. ver. 1. Marcius REX apud Sallust. *Bell. Catilin.* Cap. XIX. Posteri Fabii, sive Rulliani, Verrucosi, celeberrimi illius Rei Romanæ instauratoris, dicti MAXIMI; non sane quod ipsi tales essent, sed Principes Domus suæ hunc titulum undecunque meruissent: & quæ his similia multa.

Quo sensu applicetur ad Populum Judæum?

tur *perfectus & consummatus* respectu *status* sui *instituti*, quod Respublica hujus Populi à Deo ipso sapienter constituta; Religio secundum circumstantias illius temporis perfecte ordinata; uterque Status Civilis & Sacer optimis Legibus munitus; & Deus hanc Rempublicam peculiari quadam providentia curaret. Confer hic Ezech. XVI. 9. 10. seqq. coll. cum Deut. XXXII. 10. 11. seqq. Sed respicitur speciatim ἡ νομοθεσία LEGISLATIO, & *Revelatio Verbi Gratiæ* [a]. In eo consistit τὸ περισσὸν hujus Populi. Secundum hanc partem erat *consummatus*. Cl. Coccejus hæc verba referens ad *Statum Judaismi* temporis Messiæ, per *consummatum* intelligit Populum cui *consummatio* vel *reconciliatio* obtigerat. quod non putem fuisse in mente Prophetæ. Deus enim hic appellat *multitudinem carnalem Populi Judaici* quæ nullam habebat partem in *consummatione* vel *reconciliatione* per Messiam effecta. præterquam quod oratio Prophetæ se ipsum mox interpretantis majorem postulet latitudinem temporis. Israël hic dicitur *Consummatus*, respectu primæ institutionis sui *status*, eodem modo ac ישרון *Rectus* [b], ejusdem fere significationis, de quo in loco agam. Cætera videri alicui posset, aliquid ταυτόλογον in hac sententia [c]. Illud enim, *Quis cæcus ut servus* JEHOVÆ, jam dictum erat in initio *commatis*. Intelliges itaque, emphasin in posteriori hoc membro cadere in vocem *Jehovæ*. Dixerat in primo membro, *Quis cæcus ut servus meus?* Sed *loquens* in hoc loco non expresserat suum nomen. Quandoquidem vero Propheta semper operam dat, ut orationi suæ summam conciliet emphasin, repetit illud, *Quis cæcus ut servus* JEHOVÆ? Si enim forte cæcutirent omnes; si Gentium Popæ, Sacerdotes, Ministri, *lumine orbi* deprehenderentur: utique *Servi* Jehovæ erat *videre*. Non nego etiam, cum viderem vocem *cæcus* hic *ter* repeti: cogitasse me de triplici intervallo quo *cæcitas* Populi hujus se maxime prodidit; ut ante Exilium Babylonicum: circa tempora Epiphanis; & circa tempus Apparitionis Filii Dei in Mundo: sed non ausim huic cogitationi fidere.

Præcipue referenda ad *Legislationem*.

In Cl. Cocceji meditationem ἐπίκλεισις.

Confertur cum voce ישרון *Rectus*.

Sententia Prophetæ liberatur à tautologia.

Emphasis h. l. appellatione *Servi Jehovæ*.

℣. 20. *Vidisti magna; at non observabas: apertis erat auribus at non audiebat.*] Explicat Propheta speciem *cæcitatis* & *surditatis* Populi Judæi. Præditum esse intelligendi ac ratiocinandi facultate, & tamen non referre *effecta*, quæ oculis videmus, ad *suas causas*; & ex iis non educere *consecutiones necessarias*: est *videre* & esse *cæcum*. *Audire verba Dei* & *Doctorum Publicorum*, eorumque percipere sensum; vel saltem instructum esse *facultate* percipiendi Verba Dei & ad ea advertendi animum: sed interea animum ad ea non advertere; decentiam illius Verbi non discriminare; nec ei se morigerum præstare: est *apertis auribus non audire*. In genere, *media Salutis* ex Dei indulgentia habere; sed iis non uti, & pretium eorum non discriminare. Id vitium Populo Judæo carnali ubique imputatur apud Prophetas, quod nos secundum ductum Vatis nostri data opera exposuimus Cap. VI. 9. 10. Sic ipse *Sectione sequenti* hujus Concionis [c]: *Produc populum cæcum, cui sunt oculi; & surdos quibus sunt aures*. suntque analoga apud alios Prophetas [d]. Populus Judæus, intelligentia naturali instructus, habuit apud se revelata Divinæ Voluntatis; Prophetas veros & Doctores meliora monentes: majores illius Gentis viderant miracula à Deo ad salutem suam edita: ipsi experti fuerant severa Dei judicia tum Ephraimitis idololatris, tum sibi quoque inflicta: sed nihil *observabant*: non referebant hæc effecta ad veras suas causas: potius ad ea stupebant: nec propterea ullo modo se patiebantur induci ad emendandum vitæ institutum, aut se præbendos morigeros Divinæ Voluntati. Subfuit autem his omnibus grave Dei judicium, quod homines non imbecillitate aut imprudentia, sed adversus clarissimas conscientiæ convictiones peccantes persequitur. Hæc in genere monuisse contentus, pauca ad propiorem sententiæ intellectum adscribam. Et quidem, α. Vocem ראות esse *formæ infinitivi*, sed explicandam per formam *præteriti*, ut sæpissime aliàs. Integra phrasis est ראות ראיתה *Videndo-vidisti*. Inde in scripturam textualem hujus vocis irrepsit *litera* ו, ut nos moneat, esse *futurum*, sed explicandum per præteritum. β. Notione רבות, *neutraliter* capienda, geminam involvi significationem. notat *magna* & *multa*; licet posterior significatio hic prævaleat. *magna* proprie dicuntur גדולות. Posteri Jacobi viderant *magna* & *multa*. γ. Per *magna* illa & *multa* quæ Populus Jacobidarum viderat, lato sensu intelligi posse omnia Effecta Providentiæ, potentiæ, justitiæ, gratiæ Dei erga hunc Populum edita à quo abductus fuerat ex Ægypto usque hoc tempus: sed restricte ex prima & propria mente Prophetæ intelligendas esse *calamitates*, *mala*, *judicia*, huic Populo & Ephraimitis inflicta & infligenda propter suam à Deo defectionem; & *Liberationes* Judæo Populo à Deo procuratas. Lato sensu dictum Prophetæ idem valet quod illud Mosis in Concione ad hunc Populum [e]: *Vidistis omnia quæ fecit Jehova coram oculis vestris in terra Ægypti, Pharaoni, & omnibus servis ejus, & toti terræ ejus*: EXPERIMENTA *illa* MAGNA *quæ viderunt oculi tui: signa illa & prodigia magna illa. Sed non dedit Jehova vobis cor ad cognoscendum*; & OCULOS AD VIDENDUM; & AURES AD AUDIENDUM, *usque hunc diem*. Non *viderant* sane illi ad quos Moses hanc Concionem habuit in *Campestribus Moabi*, illa *magna* de quibus hic loquitur: erant enim Liberi Parentum jam fato functorum qui illa magna sensibus suis hauserant: sed quæ Parentes viderant, ipsi quoque censebantur vidisse. Verum hoc in loco præcipue respici ad *Judicia* tum ipsis sub Achazo, tum Ephraimitis longa serie propter *idololatriam* inflicta, & novissimum *judicium* administratum à Senacheribo, non dubie liquet ex *contextu consequente*, ℣. 22. 23. & debet hic conferri clarissimus locus Cap. XXII. 11. Prævidebat autem Propheta, Populum post suum tempus similia experturum esse Judicia Dei usque quo deportaretur in Exilium Babylonicum; & semper tamen permansurum in eodem stupore & adultero erga Idololatriam affectu; nec unquam ad se rediturum, ut serio attenderet ad causas hujus judicii, ut ad Deum se in fide converteret: quin potius sperneret consilia, monita, & contestationes verorum Prophetarum. Quæris, an itaque directe hic non respiciantur *multa* illa & *magna* quæ Populus Judæus *videret* & *audiret tempore Messiæ* inter ipsos apparituri? Respondeo, secundum primum scopum Vatis illuc directe non respici. Propheta enim in eo est ut Populum Judæum convincat *idololatriæ* & *propensi affectus* erga idola Gentium, ut patet ex toto argumento *Concionis* hujus & sequentium. Vide ℣. 17. Sed cum oratio Prophetæ generalibus verbis sit concepta, & res ipsa docuerit, illo præcipue tempore populum Judæum *magna* & *multa vidisse* atque *audivisse*; & circa ea versatum esse eodem *affectu* ac *stupore*: nihil vetat, *secundo* & *remotiore sensu*, orationem Prophetæ illuc quoque transferri, cum sane *cæcitas* Populi *spiritualis*, ejusque *induratio*, & perversum judicium de *via salutis*, illo potissimum tempore deberent manifesta fieri, secundum Visum Vatis nostri Cap. VI. 10. coll. cum Matth. XIII. 14. & Joh. XII. 40. Distinguantur itaque prudenter hoc in loco, ut in tot aliis, *sensus inchoatus* & *completus*; primus & secundus; proximus & remotior; & non hærebis. δ. Quod dicitur, ולא תשמר non verto cum Docto Interprete, *Et non servasti* vel *non servas* sc. *memoria* ea *quæ vidisti*; *oblitus es eorum*: sed, *non observas illa*, non *advertis ad ea animum*, ὃ κατανοεῖς, ut Ps. CVII. 43. *Quis sapiens?* וישמר אלה *Observet illa*. animum ad illa advertat: estque significatio hæc vocis frequentissimi usus. Judæi judicia sibi incumbentia referebant ad alienas caus-

Illustratur ex historia Gentis.

Sensus sententiæ.

Vitium Populi Judæi circa media salutis.

Observata ad phrasin Prophetæ.

Vox ראות quomodo hic capienda?

Animadversio ad vocem רבות Emphasis ejus.

Quænam illa sint *magna* & *multa* quæ Populus Judæus *viderat*?

Locus Deut. XXI 1. 2.

Hic præ pue respic tur ad *jud cia* in Ge tem exerc ta.

Dictum Vatis non tantum a *præteritu* sed & ad *turum ten pus* exten tur.

Et remo ad tempu Messiæ, quando vitia in G te clarissi conspicer tur.

Sensus choatus & completus.

Usus vo שמר h. l. Notat *vare* & *servare*.

[a] Deut. IV. 8. Ps. CXLVII. 19. 20. [b] Cap. XLIV. 3. [c] Cap. XLIII. 8. [d] Jer. V. 21. VI. 10. Ezech. XII. 2. [e] Deut. XXIX. 1. 2.

cauſſas; de iis non prudenter ratiocinabantur. Denique, 6. quod additur: *Apertis eſſe auribus, & non audire:* valere poteſt, apertis auribus & animo admittere dicta Prophetarum ac Doctorum publicorum, eorumque *ſonum* & *ſenſum* percipere; ſed ſano judicio non diſcernere. *Aperta aures* hic poſſunt notare tam facultatem quam voluntatem *audiendi*, h. e. percipiendi ſonum & ſenſum eorum quæ nomine Dei dicuntur. Supponitur itaque hic, α. Aliquid à Deo dici, prædicari, moneri. β. Hominem ad *ſonum* & *ſenſum eorum* percipiendum aptum eſſe, & quidem *ſonum* & *ſenſum eorum* actu admittere ac percipere. γ. Eſſe quoque inſtructum *facultate remota* de veritate ac rationalitate eorum quæ nomine Dei dicuntur, recte judicandi, ſi per præjudicia & affectum ſiniſtrum non præpediatur hanc facultatem exercere. δ. Nec tamen actu *audire*, h. e. rite diſcriminare & dijudicare dicta Dei, & iis ſe præbere morigerum, quia intus eſt quod exercitium *facultatis* impediat. Metaphora deſumitur ab homine cui natura bonas & patulas aures dedit, & ad uſum, ut externe videtur, aptas: ſed qui tamen ob internum ſenſorii vitium non *audit*. Vox *audire* hoc ſenſu frequens eſt in Verbo Dei, & diximus de eo ad Cap. VI. 10. Forte tamen id verum eſt, quod Maimonides obſervat in *More Nevochim*[a], vocem שמע ſtylo Scripturæ S. tantum uſurpari de *Revelatione Cognitionis & ſcientiæ*, non vero de *Apertione Viſus* aut *Auditus ſenſibilis*; quando hunc locum quoque noſtrum inter cætera exempla adſcribit *b*. Sic ſimpliciter diceret Propheta, Deum huic Populo revelaſſe & patefeciſſe, quæ ad officium & ſalutem ejus pertinebant: revelaſſe autem clare & aperte: dicta Dei per aures ad mentem hujus Populi perveniſſe; ſed tamen ob præjudicia & contrarium affectum, non *diſcreviſſe* recte dicta Dei, nec iis ſe præſtitiſſe audientem. Sic *Deus* פקוח *aperiendo aperuit* eorum *aures*: ſed nihil *audiverunt*. Senſus eſt elegans, quem amplector. De re ipſa nihil opus eſt dicere. Omnes Prophetæ de *duritie cordis* & *ſtupore* Populi Judæi uno ore loquuntur. Mutatio perſonæ ſc. *ſecundæ & tertiæ*, in verbis, *Obſervas*; & *audit*: nihil inſolens habet. pertinet ad elegantiam orationis. Exemplum mox recurret ℣. 24.

℣. 21. *Jehova ſibi in eo complacebat propter* JUSTITIAM SUAM: *magnum illum fecit Lege & condecoravit.*] Verba ſunt obſcuriora quod ad phraſin & ſenſum. Hieron. *Et Dominus voluit, ut ſanctificaret eum; & magnificaret Legem & extolleret.* Nempe quod Maſorethæ legerunt & punctarunt יַצְדִּיקוֹ, ipſe legit, ut probabile fit, יַצְדִּיק. Sic præiverat Symm. Κύριος ἐθέλησεν ἵνα δικαιώσῃ αὐτόν· *Dominus voluit ut juſtificaret eum.* Hieronymus jam pro more ſui temporis *juſtificare* ſumpſit pro *ſanctificare*. Chaldæus, ut nunc legitur: יי רעי בריל לוכאותיה ישראל *Deus volens purificare Iſraëlem: magnificavit factores Legis ſuæ & confortavit eos.* Interpres incondite vertit: *Dominus voluit, ut juſtificaret Iſraël.* nullo vere ſenſu. Alex. Int. eodem fere tendit: Κύριος ὁ Θεὸς ἐβουλεύσατο, ἵνα δικαιωθῇ· *Dominus Deus cogitavit, ut juſtificaretur.* Sed Maſorethæ nos docent legere locum, *propter juſtitiam ſuam* vel *ejus:* quæ *juſtitia* cum hic alia eſſe nequeat ac Dei, duplex exoritur verſio & ſenſus hujus loci. Primus eſt, cum degeneres Iſraëlitæ *Verbum Dei contemnerent*, & *aures ab eo averterent:* Deum ipſum Verbum ſuum honoraſſe; & illuſtre feciſſe, infligendo ingratis & immorigeris ſevera judicia, per quæ *Juſtitiæ* ejus poſtulato ſatisfieret. Sed α. Si Propheta id dicere voluiſſet, non videtur adhibiturus eſſe vocem חפץ *voluit*, *ſibi complacuit.* Forte ſimpliciter dixiſſet, *Jehova propter juſtitiam ſuam magnificavit & illuſtrem fecit Legem.* β. Sequentia minus bene cohærent cum hoc ſenſu; certe præfixa ו optime ſumitur *ſenſu adverſativo* in proxime ſequentibus, ut mox liquebit. Alter itaque ſenſus per *Juſtitiam Dei* hoc loco intelligit ejus *æquitatem*, *veracitatem*, & *fidem*, ſecundum quam gratos acceptoſque ſibi habuit Iſraëlitas in prima ſua electione, eoſque *Lege* egregia honoravit & illuſtres fecit, ut ſc. impleret promiſſa Patribus facta, iiſque pro juſtitia ſua præſtaret fidem. qui mihi quoque videtur facillimus ſententiæ ſenſus. Deus enim in omni convictione Populi ſui id agit, ut invidiam à ſe repellat & amoveat; doceatque, Culpam non eſſe ſuam, ſed Populi. ſe enim quicquid ſexiſtimari poterat ad ſalutem Populi, ſtatumque ejus ſtabiliendum pertinere, liberaliter curaſſe. dediſſe Populo Leges optimas; auxiſſe eum & illuſtraſſe, & inter vicinos feciſſe & facere voluiſſe glorioſum: ſed Populum ſibi ipſi defuiſſe, & cum Legem Dei ſpreverit, & aures ab ea averterit, incidiſſe in graviſſima Dei judicia. Pauca adſcribam ad interpretationem illuſtrandam ac firmandam. Maſorethæ diſtinxerunt *hoc comma* in duo membra; quæ diſtinctio ſi negligatur, totum *comma* fere abſque ellipſi legi poteſt in hanc ſententiam: *Jehova benevolens* ſive *propitius, propter juſtitiam ſuam, magnificavit Legem, eamque glorioſam fecit*, ſive, *Magnificavit* eum (Iſraëlem,) *per Legem*, e. g. f. Sed rectius forte nos alligamus diſtinctioni Maſorethicæ, quando *priori membro* ſubeſt *ellipſis*, eſtque concipiendum acſi ſcriptum eſſet, יהוה חפץ בו למען צדקו *Jehova bene* IPSI *volebat propter juſtitiam ſuam.* qualem ellipſin habuimus in phraſi ſimili, ℣. 1. *Electus meus* רצתה נפשי *complacet anima mea.* h. e. IN QUO *ſibi complacet anima mea.* Senſus eſt, Deum amore & favore ſuo complexum eſſe Populum Judæum, eumque ſibi acceptum gratumque habuiſſe; non ſane propter merita hujus Populi, aut ullum ejus reſpectum exteriorem, ſed propter *veritatem, fidem, æquitatemque* ſuam, ut ſatisfaceret promiſſis, quæ Patribus dederat. quem tenerum Dei affectum & curam erga hunc Populum Moſes explicat voce חסד ſimilis poteſtatis in *Concione ſua* ad hunc Populum ה. צדק *Juſtitia* hic notat *æquitatem* ſummam, *fidem, veritatem, conſtantiam Dei*, quæ Virtutes ad *Juſtitiam* referuntur, ut pluribus in locis aliis. Confer quæ proxime habuimus loca Cap. XLI. 20. XLII. 6. Quo vero ſigno & argumento Deus hunc affectum ſuum benevolum erga Populum prodidit? Id vero declarat his quæ ſequuntur: יגדיל תורה ויאדיר quæ geminam ſuſtinent interpretationem, ſed ejuſdem fere ſenſus. *Magnificavit Legem & glorioſam fecit.* vel, *Magnificavit illum Lege; & ornatum fecit*, ſive condecoravit; quando ſubeſt ſententiæ ellipſis, acſi integre ſcripta eſſet, יגדילו בתורה ויאדיר Res fere, ut dixi, eadem eſt, nec ſperno interpretationem priorem; à qua nihil nos avocare poteſt, niſi quod epitheta, *magnificare & glorioſum reddere*, magis videantur convenire *perſonis* quàm *rebus*. Et tamen, fateor, הגדיל *magnum, amplum reddere*, refertur ad *promiſſa*, Pſ. CXXXVIII. 2. Licet igitur dicere, Prophetam hic ambigue loquutum eſſe, quod ſæpe facit, ut iiſdem verbis duas affines & cognatas involveret ſententias. *Legem* dando pro *Oeconomia* antiqui temporis perfectam, copioſam, amplam, qua univerſus Religionis & Civitatis ſtatus ſapienter ordinatur; illam *illuſtri modo* promulgavit de Monte Sinai inter varia ſigna glorioſæ ſuæ Majeſtatis & Præſentiæ, quæ faciebant ad Legi huic conciliandum honorem & reverentiam; eamque Legem ſolis dedit Iſraëlitis, quorum excellentia ſupra omnes alios Orbis terrarum Populos præcipue conſtitit hac Lege, ſibi tam ſolenniter & glorioſe data, & tot miraculis ſigniſque Divinæ Gratiæ obſignata. Majeſtas Legiſlatoris & Circumſtantiæ quibus Lex data eſt, gloriam conciliavit Legi & Legiſdationi: Lex & Legiſdatio decus & gloriam conciliavit Populo. Ita *magnificavit* Deus *Legem* eamque *condecoravit* ſplendidamque fecit; (quæ vis eſt vocis האדיר.) ſimul Populum, cui Legem hanc dedit, inſigniter *ornavit A*, & ma-

tiam hic intelligitur *veracitas & æquitas D.i.*

Deus in convictionibus Populi ſui invidiam à ſe amolitur.

Proceſſus orationis Jeſaiæ.

Obſervara ad expoſitionem illuſtrandam.

Diſtinctio *hujus commatis* facta à Maſorethis.

Ellipſis vocis בו in *priori membro.*

Senſus prioris membri declaratur.

Signum boni Dei affectus erga Populum Judæum, quod *magnam & glorioſam* fecerit *Legem.*

Duplex ſignificatio latens in voce *magnificare.*

Quod declaratur.

Privilegium Legis datæ Populo Judæo fuit maximum.

---

a Part. I. Cap. II. *b* Gen. XXI. 19. Jeſ. XXXV. 5. Ezech. XII. 2. *c* Deut. VII. 7. X. 15.

A Flaccus ad Auguſtum, *Epiſt.* Lib. II. I.
Res Italas armis tuteris, MORIBUS ORNES,
Legibus emendes.

& magno circumfudit ſplendore & decore. Sic Moſes, ſic Prophetæ & Sancti Viri de hac Lege loquuti ſunt [a], Ἡ διανοία τῶ θανάτῳ ἐν γράμμασιν, ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις ἐγενήθη ἐν δόξῃ· *Miniſterium Legale fuit* GLORIOSUM [b]. נאדר, magno decore & ſplendore fulſit. Sed quanto *excellentior* & *glorioſior* fuit *Legiſdatio*; inſtituta à CHRISTO JESU, vero Mediatore, ſummo Propheta, & ſapientiſſimo Rege, ſui Populi? *Dedit* ille *Legem* non tantum quod ad *materiam*, ſed etiam quod ad *formam* perfectiſſimam quæ dicitur LEX CHRISTI [c]. Doctrina, inſtitutio, præcepta ejus: de qua *Doctrina Meſſiæ* vidimus ſub hac ipſa notione *Legis*, ℣. 4. Si *Miniſterium* LITERÆ fuerit *glorioſum*; *quanto magis Miniſterium* SPIRITUS [d]? Hanc Legem *magnificavit* ipſe & *ſumme honoravit*: tum argumenti ejus reſpectu, quod Legem dederit excellentiſſimam: tum quod doctrinam hanc ſuam *illuſtrem* fecerit *miraculis*, & *donatione Sp. S.* Prius exiſtimem hic directe indicari: poſterius indirecte, ſenſu completo. Prophetata enim directe, ut dixi, convincit Judæos & Ephraimitas ſui temporis incredibilis cujuſdam cæcitatis & ſtuporis in negotio Religionis; etſi *Legem* Religionis haberent præſtantiſſimam, à Deo glorioſa Legiſlatione condecoratam. Sed cum Propheta idem prævideret & prænoſceret, Judæos circa *Legem Meſſiæ* eodem modo ſe geſturos eſſe; & experientia docuerit, illo tempore editum ab iis eſſe exemplum *cæcitatis* & *ſtuporis* clariſſimum & maximum: exiſtimandum eſt, Vatem noſtrum verba hæc accipi voluiſſe in *magna latitudine*, ut ſimilia ſub ſimilibus intelligerentur.

Loca Scriptorum Sacrorum huc facientia.

Majus adhuc in Lege Chriſti *quod ad formam* perfectiore.

Prius hic directe, poſterius indirecte ſignificatur.

℣. 22. *Sed ipſe populus eſt contemptus, &c.* Senſus Pericopæ.

Status Populi Judæi non reſpondit privilegiis in eum collatis.

Deſcribitur à Propheta.

℣. 22. *Sed ipſe Populus eſt contemptus, ac direptus, ... objectum inſolentiæ Juvenum. ...*] Exſpectandum eſſet, Populum poſterorum Jacobi hoc Privilegio Νομοθεσίας & præſtantium Promiſſorum ei junctorum eximium, Deo carum ac dilectum; ſe inter Gentes inſigniter oſtentaturum eſſe; rem ſuam publicam & privam proſperrime geſturum; omnibus Populis fore reverendum; à nemine temere & abſque ultione Divina læſum iri. Sane quidem, non fefelliſſet effectus, ſi ipſe voluntate ſua reſpondiſſet voluntati Divinæ. ſi Legem magno ornamento ſuo ſibi à Deo datam magnifeciſſet ipſe & ſtudioſe obſervaſſet. Sed en! omnia verſa ſunt in contrarium. Populus enim Judæus, qualis hic Prophetæ obverſatur, erat ſtatu plorabili. Concuſſus, fractus, direptus, aliis Populis contemptus, inſolentiæ militari objectus, carceribus concluſus, conculcatus, magnam cuique movere debebat miſerationem. Quæritur, quod tempus, quam ætatem ſtatumque Populi Vates in oculis habeat; quorſum reſpiciat? Sunt ex Interpretibus non pauci, qui hic directe demonſtrant triſtem afflictumque Statum Judæorum, quali fuerunt poſtquam in ſe provocarunt arma Romana, quæ Reipublicæ & Templo attulerunt excidium. Cenſent itaque, deſcribi hic à Propheta pœnam inflictam impœnitentibus & incredulis in Judæa Gente ob crimen rejectæ *Legis Meſſiæ*; ut inter Veteres Hieronymus, inter recentiores Coccejus, quos ſolos nunc appello. Sed ſunt mihi graves rationes, cur dictum hoc Prophetæ æque ac totam hanc Elenchicam accipiam in majore latitudine: ut ſane nullum in prophetia criterium eſt, quod *convictionem* huic tempori tantum alligat. Prima mihi ratio eſt, quia Propheta hanc pericopam noſtram mox declarans ℣. 24. de hac vaſtatione, direptione, & triſti Judicio Dei in Populum Jacobidarum, & illius judicii cauſſa, ſic diſſerit, ut plane liqueat, illum tempora ſua non excludere, ſed primo loco producere, & à nobis ſpectari velle. Sic utique ſonant ejus verba: *Quis dedit Jacobum conculcationi, & Iſraëlem prædatoribus? Nonne Jehova, adverſus quem peccavimus, & in cujus viis noluerunt ambulare, & cujus Legem non audiverunt?* Conferri poteſt *Concio prima* hujus Libri prophetiarum, & ad eam commentatio noſtra. Secundo, cum hiſtoria doceat, judicium Divinum quod hic deſcribitur, vere inflictum fuiſſe Populo Judæo, circa ætatem Prophetæ; & poſt ejus tempus in Exilio Babylonico; & quidem ab eandem illam cauſſam quæ hic memoratur: durum eſt, hæc Eventa in oſtendendo prophetiæ implemento aut veritate hypotheſios ejus plane præterire & Populum Judæum temporis Prophetæ, & proxime conſequentis, hic excludere. Tertio, Convictio hic inſtituta, & *ſequente contextu* inſtituenda, directe pertinet ad defectionem à Deo & contemptum Legis ac Verbi ejus qui factus eſt in idololatria. Propheta hic diſputat pro veritate Dei Iſraëlis. Quarto denique, ſi tam hic loci quam in *proxime ſequentibus* directe deſcriberetur Judicium Dei quod executi ſunt Romani: neceſſum eſt, per *Jacobum* & *Iſraëlem*, cui aptatur conſolatio, huic convictioni ſubjecta, Cap. XLIII. 1. 2. recta intelligi *Eccleſiam Chriſti Jeſu*, collectam *ex Judæis & Gentibus*, qualis fuit tempore ſubverſæ Hieroſolymæ & Templi per Romanos. Nec ſane id abnuunt docti Viri, concedunt conſequens. Verum rem ita ſe non habere, ſed per *Jacobum* & *Iſraëlem* ibi deſignari ſolos *Electos* ex *Judæis*, & quidem temporis altius repetiti, liquidum eſt ex ℣. 3. *Capitis ſequentis*, in quo ſecundum illam hypotheſin exponendo docti Viri infeliciter verſantur. Dicitur ibi, Deum *Ægyptios, Cuſchæos Arabes, & Sabæos* pro Eccleſia illa quam ſolatur, *dediſſe* tanquam ἀντίλυτρον: quod directe applicari nequit ad Eccleſiam Apoſtolicam. Hoc argumentum cenſeo eſſe invictum; & in eo figo pedem. Si Eccleſia Apoſtolica hic recta compellaretur: id uſum non haberet. Ergo quod Propheta hic dicit de Populo Poſterorum Jacobi, quorum deſcribit Statum, ajo, illum hic & in ſequentibus primo loco ſpectari velle triſtiſſimam conditionem Populi Judæi ſub Achazo, undique ab hoſtibus Syris, Ephraimitis, Idumæis, Philiſtæis, & ab ipſis quoque Aſſyriis, quorum auxilium imploraverat, preſſi & oppreſſi; qui Judæos expilarunt, diripuerunt, undique preſſerunt, magno numero *captivos duxerunt* in terras ſuas, ut hiſtoria *Libri Chronicorum* quæ integra hic legenda eſt, clariſſime tradit [e]. Deinde triſtiorem adhuc Statum Ephraimitarum à Tiglatpileſere, & mox à Salmanaſſare, cum Republica illorum penitus deſtructa, circa & brevi poſt abductorum in Exilium; quorumque adeo ea conditio fuit quæ hic depingitur [f]. Hic primus eſt articulus. Nec tamen hic ſubſiſto. Cum enim hæc *initia malorum* eſſent, cauſſa adhuc durante: alter gradus implementi hujus Judicii ſpectandus eſt in Exilio Babylonico, quando quæ hic & *in ſequentibus* dicuntur, ad numerum impleta ſunt. Sed cum Eventus docuerit, omnia Dei Judicia Populo Judæo olim inflicta, complementum ſuum extremum conſequuturа eſſe in Judicio quod Deus in hanc Gentem exequeretur per Romanos, ob contemptam Legem & Doctrinam Meſſiæ [g]; & cum Propheta præviderit ſeriem & textum harum Calamitatum: recte ſtatuimus & optima cum ratione, illum hanc Elenxin ſuam intelligi velle ea latitudine, ut *implementa inchoata* ſpectaremus cum ſuo *complemento*. quod ex ſequentibus clarius luceſcet. In phraſi Prophetæ nemo hic temere hæreat; nec eſt neceſſe ſingula recenſere. tantum de dictione, הפח בחרים aliquid monendum eſt. Propheta ait, Populum eſſe *direptum*, *contemptum*, *ſpoliatum* הפח בחרים, quod varie ab Intt. accipitur. Hieron. *Laqueus Juvenum omnes.* Sumpſit vocem פַּח, ſecundum punctaturam Maſorethicam formæ Infinitivæ *Hiphil* ex פוח *flare cum impetu*, acſi ſcripta eſſet הַפֵּחַ. Sic pariter Int. Alex. Παγὶς *laqueus*. Sed nullus inde ſenſus commodus, quem Hieronymus non ſatis feliciter exponit. Jun. & Trem. *Illaqueant juvenes quotquot ſunt*. Piſc. *Illaquearunt ſe in foraminibus cuncti ipſi.* quæ valde incommoda ſunt. Nempe Hebræi Intt. vocem בחרים hic accipiunt ut compoſitam ex *affixo*, & voce חר *fo-*

Prudentius videtur, Subjectum in majore latitudine capere.

Propheta ad ſua tempora reſpicit, ℣. 24.

Hiſtoria docet, Populum Judæum non uno tempore in hoc Statu deprehenſum fuiſſe.

Miſerabilis Populi Status qui hic deſcribitur, erat effectum idololatriæ.

Conſequens hujus hypotheſios eſt, ſub nomine *Jacobi* & *Iſraëlis* Cap. XLIII. 1. directe intelligi Eccleſiam Chriſti Jeſu.

Quæ hypotheſis refellitur ex Cap. XLIII. 3.

Reſpicitur hic primo Status Populi Judæi temporis Jeſaiæ, qualis fuerat ſub Achazo,

Et Ephraimitarum, quorum jam erat deſtructa Reſpublica.

Alter gradus implementi hujus judicii quæ rendus eſt in Exilio Bab. & remotius in Statu Exulii Romani.

Obſervata ad phraſin. Quid ſit הפח בחורים Verſio Hieronymi, Hebræorum, aliorumque.

---

a Deut. IV. 7. Pſ. CXLVII. 19. 20. Ezech. XX. 11. Neh. IX. 13. 14. Rom. IX. 4. b 2 Cor. III. 7. c Gal. VI. 2. d 2 Cor. III. 8. e 2 Chron. XXVIII. 5. 6. 17. ſeqq. f 2 Reg. XVII. 6. ſeqq. Confer Jeſ. IX. 7. 8. ſeqq. g Matth. XXIII. 35. 36. ſeqq.

חר *foramen, caverna*, ut Jes. XI. 8. vertitque Kimchius, *Omnes illos illaqueatos detinendo in cavernis*: sive carceribus, sive domiciliis quæ sic contemptus causſa appellentur; ut exire nequeant, sive cavernis, quibus se concluserunt; sive *domiciliis*, nisi incidant in *laqueos*, sibi ab hostibus paratos. Sic formata esset notio חפח ex פח *laqueus*. Equidem non esset adeo spernenda versio, si vox חפח non esset *formæ activæ Hiphil*. Debebat esse *Hophal*, חופח. Subjectum enim, de quo hæc enunciantur, sunt *Israëlitæ*, non *hostes*. Grotius ad imitationem hujus versionis aliquid etiam ipse tentaturus, reddit, *Laqueus in omnibus foraminibus ipsorum*. sed quam versionem, licet non incommodum sensum fundat, Hebræa non ferunt. Debebat esse, vel, חפח בחורי כלם, vel חפח בכל חוריהם. Vox חורים cum כלם composita debebat esse *statu constructo*. Non putem etiam, Vatem in ejusmodi casu scripturum esse חפח, sed simpliciter פח. Ergo verto cum Coccejo, *Insufflatio Juvenum*. h. e. Objectum insolentiæ militum, illis insultantium, illudentium, illos ferociter tractantium. *Juvenes* sunt *milites*, ut non semel observavimus, & nuper Cap. XXXI. 8. מות Hebræis est vehementiore impetu aliquid *efflare*. Usurpatur autem eleganter de his qui ex iracundia, fastu, tumore, alios insolenter excipiunt; in illos iracundi aut insolentes sufflant; eosque *halitu suo* lædunt. quo sensu de ipso Deo, hostes suos iracunde habente, metaphorice usurpatur *a*; & de hominibus ferociter alios tractantibus. *b*

Convictio ex præcedentibus instituta.

ỳ. 23. *Quis vestrum ad id aures admovet; animum advertit, & audit à tergo?*] h. e. aures & animum advertit ad *hanc meam convictionem*. Moniti à me Doctore publico de causſa horum malorum quæ jam exempli & speciminis causſa sustinuistis; quotusquisque Vestrum aures ad hanc meam Elencticam advertit? ad animum revocat quæ dico & obtestor? de causſis judiciorum Divinorum, quæ vobis & hoc tempore incumbunt, & tandem vos penitus perdent ac consument, prudenter ratiocinatur? Oratio Prophetæ satis videtur facilis, & est tamen in phrasi & re, de quo necessario aliquid monendum est. In phrasi dubium, quid illud sit, וישמע לאחור quod ego verti, *Et audit à tergo*. Plerique Intt. illud לאחור sumpserunt pro *venturis in posterum*, ut לאחור sit pro אחורית *post ventura*, quam phrasin adhibuerat Propheta Cap. XLI. 23. Hieron. *Auscultet futura*. Pisc. *Audiat quid in posterum futurum sit*. Cocc. *Audiet in posterum*. Sed nemo dixerit, huic versioni facilem subesse sensum. Propheta enim Judæos convincens, postulat illos ἀνοησίας, stuporis, non-animadversionis circa rem gestam, ut patet ex *commate sequenti*. Quod enim adhuc futurum & gerendum est, minus movet affectum. Quod tamen non impedit, quo minus mala quæ hic memorantur, se in longum extendant, & æque ad futurum ac ad præsens tempus referantur. Propheta enim supponit, Judæos futuri temporis circa mala calamitatesque sibi obventuras eadem ἀνοησίᾳ & stupore versaturos esse, quo Judæi præsentis temporis. Ergo nullus dubito, quin phrasis Prophetæ in alium longe accipienda sit sensum. *Audire à tergo* Vati nostro est *audita coram* ruminare, sibi novo mentis actu repræsentare, revolvere, recogitare. qui enim id agit, *bis audit*: semel A FRONTE, semel A TERGO, quæ est significatio vocis לאחור apud Jeremiam *c*. Convenit phrasis Ps. LXII. 12. *Deus semel loquutus est: ego bis audivi*. Auditum recoxi; mihi novo mentis actu præsens stiti. audivi auribus *coram*; intellectu *à tergo*, sive retrorsum, actu mentis reciproco. Id pulcre respondet scopo Vatis. tantum esse stuporem, ait, ut pauci aures accommodent ad convictiones Propheticas, quibus Judicia Divina in Populum incumbentia cum veris suis causſis declarantur; eos autem qui *aures accommodant*, non *advertere animum*; & semel tantum, non *bis*, audire. *à fronte* audire, non *à tergo*. Ad rem ipsam duo observanda sunt. *α*. Prophetam in hac sua convictione, QUIS EST *qui audiat hoc?* id intelligi nolle de *omnibus & singulis* Judæi ortus hominibus. Semper hic excipit *Electos ex proposito Gratiæ*. quos mox compellabit. Intelligi vult profanos, incredulos, hypocritas, carnales, Judicio Divino induratos, qui se obfirmabant adversus omnem convictionem Propheticam, & adversus omnia Judicia Divina quæ vel hoc tempore sentiebant, vel in futurum metuebant; qui potiorem faciebant Gentis Judææ partem. *β*. Vitium illud Ἀνοησίας *Non-animadversionis erga Judicia Dei & Convictiones Propheticas* non esse tantum restringendum ad *hoc tempus* Prophetæ; sed ad omne etiam *tempus consequens*, quo eadem attributa, quæ hic consignantur, in Judæa Gente demonstrari possent, h. e. idem stupor, ἀνοησία, *inconsiderantia*, *incredulitas*, affectus erga superstitionem & idololatriam Gentium, contemptus Legis Dei quam Messias suo tempore perfectissimam proponeret, perversum Judicium de viis Dei, & his similia crimina, cum *malis & calamitatibus* quæ Deus Populo propter hæc crimina infligeret. Propheta jam videbat hunc tristem statum Populi suo tempore, & initia severi judicii spiritualis *excæcationis & indurationis* huic Populo incumbentis. Sed idem prævidit, futurum esse, ut hoc Judicium spirituale magis ingravesceret, & Reipublicæ extremum adferret exitium, ut in Exilio Babylonico: tandem vero summum complementum acciperet, ubi Messias cum perfectissima Lege sua, ample exposita, & multis miraculis illustrata, à potiore Gentis parte cum insigni flagitio rejiceretur, quæ proin in se provocaret summam Judicii Divini severitatem, exequendam per Romanos: ut adeo videamus, eundem stuporem Gentis adhuc continuari. Vide quæ commentatus sum ad illustre visum Cap. VI. 10. seqq. & confer hic luculenta loca Cap. I. 1. 2. v. 13. 24. XXII. 11. XXX. 9. Jer. V. 21. VI. 19. &c.

ỳ. 24. *Quis dedit Jacobum direptioni, (Cocc. Dilacerationi,) & Israëlem prædatoribus? Nonne Jehova? Is idem in quem peccavimus; & noluerunt incedere in viis ejus & non auscultarunt Legem ejus.*] Pertinent verba ex primo sensu ad Judicium quod Deus exequutus fuit in Populum Judæum sub Achazo; in Ephraimiticum per Assyrios: quæ exempla & specimina Judiciorum Divinorum complerentur in *sequente tempore*; ut jam clare in superioribus exposui. Supponit autem Propheta in hac convictione doctrinas certas & animadversu dignas, licet vulgo satis notas. *α*. Mala & calamitates, quibus Gentes & Populi affliguntur, in eos non immitti *casu* vel *fortuito*, sed à *Providentia* aliqua superiore *directrice*, quæ nullius sit, nisi *Jehovæ*. *β*. Id vero inprimis supponendum esse de *Malis & Calamitatibus* gravissimis, quæ tendunt ad eorum Exitium. *γ*. Inter illa Crimina, quæ summam Dei severitatem in populos provocant, esse refractariam ac contumacem transgressionem *Divinæ Legis*, & contemptum *Verbi Dei*, maximi beneficii, quo homines in his terris afficit. quas hypotheses à quoque facile illustrandas hic simpliciter collocasse sufficiat. In phrasi, משמע ו vocula ו idem valet quod אשר, ut passim. Mutatio personarum *secundæ & tertiæ* in *Verbis* pertinet ad elegantiam linguæ, & ubivis occurrit.

ỳ. 25. *Et effudit in eum excandescentiam iræ suæ, & vim belli; & inflammavit eum circumcirca, & non animadvertit; & succendit eum, & non reponit in animo.*] Magna est hujus metaphoræ vis & venustas. Inter omnes causſas naturales, quæ sensum hominum afficiunt & excitant, omnemque stuporem vincunt, atque excutiunt, nulla majore acrimonia est quam *ignis*, & *flamma* undique hominem circumdans & consumens. Nulla lethargia, nullus sopor tantus est, quem *ignis* non expellat. Et tamen Judæorum tanta fertur

Animadvertenda ad intellectum verborum.

Propheta oratio ad *Judæos* non est accipienda *absolute*, sed restricte ad *partem impœnitentem*, & induratam.

Convictio pertinet ad omnem Statum & Tempus Populi Judæi quo *similia* attributa in eo demonstrari queunt.

ỳ. 24. *Quis dedit Jacobum direptioni, &c.*

Cui Statui Populi Judæi verba conveniant?

Supposita Propheræ in hac *Convictione*.

Contemptus Verbi Dei censetur in gravissimis criminibus.

ỳ. 25. *Et effudit in eum excandescentiam suam, &c.*

Venustas & elegantia metaphoræ, quæ hic usurpatur.

a Ps. X. 5. *b* Ps. XII. 6. *c* Cap. VII. 24.

esse insensualitas & stupor, ut in medio igne & flamma, quam cogitare poterant & debebant à Deo incensam, non *inquisiverint* in causas hujus Judicii; easque non *cognoverint*, neque ad eas *adverterint animum*, sed *stupentes* & in *impœnitentia* sua persistentes, perierint: non *respuerint*; non confugerint ad Deum in fide & pœnitentia; nec se coram eo humiliaverint. In phrasi nihil est quod quem moretur. חמת אפו vel accipi potest pro בחמת אפו *cum excandescentia iram suam effudit*: vel, *status absolutus* hic accipi potest pro *constructo*, ut sit pro חמת אפו. Kimchius in medio relinquit; & nos pariter. sensus enim idem est. עוז מלחמה *Robur belli* est *vis belli intrinseca*. עוז Hebræis est intima rei vis & substantia, quam Chimica vel Physica Schola *quintam essentiam* vocat. Sic Poëtæ sacro [a], עוז ונוראות *Robur terribilium Dei* est quicquid in terribilibus & stupendis Dei operibus ac Virtutibus censeri potest summe esse extollendum ac laudandum. *Vis belli* itaque est *bellum* ubi maxime sævit cædibus, populationibus, vastationibus, facinoribus, inclementia, & noxiis effectis aliis quæ *belli rabies* humano generi importat. In voce הלהטתו *inflammavit illum*, observabis, referendam esse ad notionem מלחמה *bellum*, quæ ἀμέσως præcedit. Est enim *terminationis Fœminini*. De re ipsa vix quicquam habeo quod moneam præter id quod jam anticipavi in superioribus. Experti sunt Ephraimitæ ab Assyriis, *undique flamma belli circumdati*, & *ea consumpti*, ut Propheta clare prædixerat Cap. IX. 11. 12. 13. ubi adscribitur eadem hujus Judicii causa, quod populus *se non converteret ad eum qui ipsum percutiebat, & Jehovam Exercituum non quæreret*. Quanta obstinatio fuerit illorum impœnitentium, post ipsam Rempublicam suam jam destructam, docet historia [b]. De *Judæis* sub Achazo ob *idololatriam suam* à Deo severissime punitis, nihil verius. Positi in flamma circumquaque à Syris, Ephraimitis, Idumæis, Philistæis, experti sunt vim belli sævientem, & magnam partem consumpti aut captivi in servitutem abducti sunt: licet propterea Achazus & Populus de *Idololatria* non remiserint. Lege historiam integram servatam magno commodo nostro in *Libro Chronicorum* [c]. Ego tantum ex eodem Libro hic excerpo hanc pericopam *Concionis Hiskiæ*, temporis illius Calamitatem describentis. Sic ille postquam recensuisset *defectionem Populi* à Deo sub Achazo, Patre ejus [d]: *Et fuit effervescens ira* (Dei) *magna super Judam & Hierosolymam, & dedit eos in commotionem, in vastationem, & in exsibilationem, sicut videtis oculis vestris: & ecce ceciderunt Patres nostri gladio, & filii nostri, ac filiæ nostræ, & uxores nostræ hujus rei caussa in Exilium abductæ sunt.* Mansit interim affectus idololatricus apud potiorem Gentis Judææ partem; nec dubium quin ob ipsam quoque hanc caussam Deus eos afflixerit per Senacheribum; licet potior pars ne hujus quidem judicii caussam perspexerit, sed in hypocrisi, incredulitate, aut superstitione & idololatria clandestina, (publica enim à Rege coërcita erat,) perstiterit. Sed sequens tempus tum judicium Dei in hunc Populum, tum stuporem ejus & finistrum in Deum affectum multo adhuc clarius proderet. quò pertinet illud Amosi [e]: *Sic fatur Jehova: Propter tres transgressiones Judæ, & propter quatuor non avertam illud: propterea quod spreverint Legem Jehovæ, & Statuta ejus non servarint; & seduxerint illos mendacia illorum* (præjudicia falsa de via salutis & idola,) *post quæ iverunt Patres ipsorum:* MITTAM IGNEM IN JUDAM QUI CONSUMAT PALATIA HIEROSOLYMÆ. Factum, ubi Urbs capta est sub Tsedekia à Chaldæis, & superba ædificia Urbis Hierosolymæ cum Templo in cineres redacta [f]. Grotius quoque implementum prophetiæ hujus nostræ in illo casu demonstrat: si rem ipsam spectes, absque errore. Propheta enim docet, Hierosolymam & Judæam bello affligendam & consumendam esse, sed nihil proprie definit de specie destructionis: siquidem phrases, *inflammari*, *accendere*, hic primo sensu metaphorice accipiendæ sunt pro *consumere*, *adferre exitium*, *in nihilum redigere*. Sed Deus, cujus est sapientia infinita, voluit in executione Judicii hujus sui intervenire *ignem*, siquidem Prophetæ Mosen sequuti [g] sub hoc emblemate frequentissime de hoc Judicio Dei loquuti fuerant [h]. Idem fatum fuit Gentis in Judicio severo quod Deus in eos exequutus est per Romanos in eadem caussa *cæcitatis*, ἀνοησίας, *stuporis* & *obdurationis* in omni vitio ac flagitio, ut prolixe declaravimus suis locis [i]. Hoc ipso tempore eadem sors est miseræ Gentis. Agnoscere illos oportet *in mediis* versatos *flammis* cum *Divite* [k], exactos Patria per Romanos, & undique circumscriptos Divino judicio, hujus summæ severitatis qua Deus in se usus est, gravissimam esse caussam, quam tamen demonstrare nequeunt: demonstratam autem à nobis, *rejectionem Legis Messiæ*, & *salutis per ipsum oblatæ*, non agnoscunt. Hærent *in stupore*, secundum prædictionem Danielis [l], & malunt non credentes perire, ut pereunt omni die, quam credentes salvari.

Animadversa varia ad phrasin Prophetæ.

Vis vocis מע h. l. notat *primam* rei *essentiam*. *Vis belli* quid sit?

Describitur *stupor Judæorum* temporis Achazi.

Locus 2 Chron. XXIX. 8.

Qui *affectus* potiorem partem Populi adhuc occupavit sub Hiskia.

Et post ejus obitum palam erupit.

Exequutio hujus judicii & implementum prophetiæ.

An necessario hic intelligatur judicium ignis?

Complementum hujus Judicii in Exilio Romano.

Partis Quartæ Libri Prophetiarum JESAIÆ,

GONGIONIS SECUNDÆ

Sectio Altera.

Postquam Propheta *potiorem* & *corruptam Partem Gentis Judææ* tam sui quàm consequentis temporis conviciisset stuporis, ἀνοησίας, & contemptus Verbi Dei ac Legis Messiæ, eique ob oculos posuisset mala calamitatesque, hujus sui Status Consectaria: in initio hujus Sectionis *meliorem* & *electam Partem* ejusdem hujus Gentis appellat, & valide solatur, spe facta, tum auxilii sui quo eam sustineret, sive in *Calamitatibus Publicis* quæ Gentem obruerent, sive in tentationibus & persecutionibus quas Ecclesia caussa fidei necesse haberet subire: tum quoque Status sui restituendi & constabiliendi ex incremento notabili non Judæorum modo, sed & Gentium, in sinum Ejus congregandarum. Inde eosdem Electos hosce, verum Ecclesiæ semen, ex illustribus hisce factis & eorum prædictione confirmat in *fide* veri Dei, cosque monet ut ex iis instituant convictionem adversus stupidos idololatras inter Judæos & Gentes, tanquam certis argumentis Veritatis Naturæ Essentiæque suæ; utroque hoc magno Opere à se efficiendo, videlicet *Liberationis* sc. Populi sui ex Exilio Babylonico per Cyrum, & *Conversionis Gentium*, clare rursus expositio: simul docet, Beneficia hæc in Ecclesiam conferenda, non deberi Populi Judæi meritis, sed soli Gratiæ Divinæ; & hoc nomine pios rursus consolatur.

C A-

a Ps. CXLV. 6. b 2 Chron. XXX. 10. c 2 Chron. XXVIII. 5. 6. 7. 17. 18. d 2 Chron. XXIX. 8. e Cap. II. 4. f 2 Reg. XXV. 9. g Deut. XXXII. 22. h Jes. I. 31. V. 24. Jer. XVII. 27. XXI. 14. i Cap. VI. 10. seqq. Cap. XXIX. 10. seqq. k Luc. XVI. 23. 24. l Cap. XII. 27.

Caput XLIII.

Textus Cap. XLIII.

1. NUnc vero sic fatur Jehova, Creator tuus, *ô* Jacob; & Formator tuus, *ô* Israël: Ne timeas quia vindicias tuas suscepi. Nuncupavi nomen tuum: meus es tu.

2. Cum transiveris per aquas; tecum Ego sum: & per fluvios, non summergent te. Cum iveris per ignem, non adureris, & flamma non accendet te.

3. Quippe Ego sum Jehova, Deus tuus: Sanctus Israëlis: Servator tuus. Dedi pretium redemptionis tuæ Ægyptios: Cuschæos & Sabæos tuo *dedi* loco.

4. A quo tempore pretiosus fuisti in oculis meis, honoratus es, & Ego dilexi te; & dabo homines pro te, & populos pro anima tua.

5. Ne metue, quia Ego tecum sum. Ex Oriente adducam semen tuum; & ab Occasu colligam te.

6. Dicens Aquiloni, Redde; & Austro, Ne cohibeto. Adduc filios meos è longinquo, & filias meas ab extremo terræ.

7. Omnem qui de nomine meo appellatur; quemque ad gloriam meam creavi; quem formavi; quem immo vero feci.

8. Producite populum cæcum, cui sunt oculi; & surdos quibus sunt aures.

9. Congregentur pariter omnes Gentes, & in unum colligantur Populi. Quis inter illos hoc clare ante oculos posuit? Aut priora nos faciant audire, *&* dent testes suos, ut veraces declarentur; aut audiant *ipsi*, & dicant, Verum est.

10. Vos estis testes mei, ait Jehova; & Servus meus quem elegi: ut cognoscatis & fidem mihi adhibeatis, atque intelligatis; Me esse Illum: ante me nullum fictum fuisse Deum, & post me non futurum esse ullum.

11. Ego, Ego, Jehova; & nullus est Servator præter me.

12. Ego prænunciavi, & servavi, & audire feci, & nemo inter vos peregrinus: Et vos estis testes mei, ait Jehova, me esse Deum fortem.

13. Etiam ex quo tempus fuit, Ego sum; & nemo est qui eripiat è manu mea. Operabor, & quis avertet illud?

14. Sic ait Jehova Redemptor vester, Sanctus Israëlis: Vestri caussa misi Babylonem; & descendere feci fugitivos omnes; quin etiam Chaldæos in naves ad jubilum ipsorum paratas.

15. Ego Jehova, Sanctus vester; Creator Israëlis; Rex vester.

16. Sic fatur Jehova qui facit in mari viam, & in aquis validis semitam.

17. Qui educit quadrigas & equos; copias, & Robustum quemque. pariter jacent; non resurgunt. Expirarunt; tanquam ellychnium extincti sunt.

18. Ne memineritis priorum; & antiqua ne considerate.

19. Ecce me, facio novum quid: jam jam efflorescet: an animum non applicabitis ad illud cognoscendum? Omnino ponam in Deserto viam, in Solitudine fluvios.

20. Feræ agrestes me honorabunt; Dracones & Struthiones: siquidem posuerim in Deserto aquas, Fluvios in solitudine, ad potandum Populum meum, Electum meum.

21. Populus hic est quem mihi formavi: laudes meas enarrabunt.

22. At vero tu me non invocasti, *ô* Jacob, quando mei caussa graviter laborasti, *ô* Israël.

23. Non adduxisti mihi pecudem holocaustorum tuorum, & sacrificiis tuis non honorasti me. Non facessivi tibi laborem in fertis *mihi offerendis:* nec tibi molestus fui caussa thuris.

24. Non emisti mihi argento calamum odoratum; & adipe sacrificiorum tuorum non irrigasti me. Imo vero negotium mihi fecisti peccatis tuis; lassasti me iniquis factis tuis.

25. Ego, Ego sum Ille qui delet transgressiones tuas mei caussa; & peccatorum tuorum non sum recordaturus.

26. Fac me venire in memoriam *meritorum tuorum:* una disceptemus. enarra tu, ut justificeris.

27. Pater tuus primus ille deliquit; & Interpretes tui à me defecerunt.

28. Quare profanabo Principes Sanctuarii; & tradam Jacobum anathemati, & Israëlem opprobriis.

Caput XLIV.

Textus Cap. XLIV. 1--5.

1. ET nunc audi, Jacobe, Serve mei, & Israël quem elegi.

2. Sic fatur Jehova factor tuus & formator tuus, qui ab utero tibi auxilio fuit. Ne metue, Serve mi, Jacobe, & Jeschurun, quem elegi.

3. Quia effundam aquas in siticulosum; & fluenta in aridum. effundam Spiritum meum in semen tuum, & benedictionem meam super propagines tuas.

4. Et efflorescent in graminoso loco tanquam salices ad aquæ profluentes.

5. Hic dicet, Ego sum Jehovæ; & ille se appellabit nomine Jacobi; & iste scribet manu sua, *Ego sum* Jehovæ; & se cognominari faciet nomine Israëlis.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Sectionis.

Argumentum hujus Sectionis fusius expositum.

COncio hæc sive *Sectio* tam arcte cohæret cum *superiore*, ut illius partem faciat, eamque maxime necessariam. Cum enim Propheta, Deum loquentem introducens, occasione luculentæ prophetiæ, qua prædixerat conversionem Gentium, earumque studium erga Doctrinam & Legem Messiæ, Judæos quod ad potiorem & affectam sui partem, tam sui quam sequuturi temporis convicisset inconsiderantiæ suæ, stuporis, negligentiæ & siniſtri affectus in Verbum Dei & Legem Messiæ, quæ vitia & crimina in illos jam provocaverant & ulterius provocarent gravissima Dei judicia: necessum erat, *meliorem* licet minorem *Partem Populi*, quæ sustinebat verum nomen & decus Ecclesiæ, aliqua erigi consolatione. Id vero ipsum mox pro more suo exequitur Vates in initio hujus *Sectionis*: ut sane in hisce Concionibus *Consolationes* ea arte miscet *Convictionibus*, ut pateat, illum in una Communitate Populi Dei duo respicere *Subjecta*, diversarum & oppositarum *qualitatum*; quorum illud Objectum esset Divinæ *Justitiæ*; hoc vero *Gratiæ*. Promittit autem Ecclesiæ duo beneficia insignia; *Conservationem in adversis Calamitatum & Afflictionum* [a]; & *Constabilitionem* atque incrementum notabile *Status sui* ex collectione Judæorum & Gentium, quæ ad Divinam Vocationem magno numero ad eam confluerent [b]. Inde procedit ad eosdem in Populo Credentes confirmandos in vera fide suæ Divinitatis, docetque eos adversus *Judæos* degeneres, & *Gentes*, disputare pro hac eadem fide, & in disputatione sua præcipue urgere duo hæc facta illustria, clare per Prophetas & per Prophetam nostrum prædicta, quæ facta, æque ac illorum prædictionem, à vero Deo, Deo Israëlis, tantum exspectari poterant, nempe *Liberationem Populi sui ex Exilio Babylonico efficiendam à Cyro* [c], quod Opus suæ Providentiæ cujusque Operis prædictionem ornate illustrat; & *Conversionem Gentium*, earumque maxime barbararum & Ecclesiæ infestarum, quam figurate sub emblemate Deserti in Paradisum convertendi rursus proponit [d]. Sed id dum agit, ne fœdifragi & impœnitentes peccatores in Judæa Gente se hoc promisso extollerent, & aliquid ejus suis tribuerent meritis: Propheta adversus illos novum infert *Elenchum*. Docet, totum hoc Beneficium deberi Gratiæ Divinæ, merita Populi Judæi nulla esse, & in contrarium clamare. cultum hujus Populi sibi non placere, neque unquam placuisse [e]. quod gratiam exerceat, suæ esse gratiæ [f]. nec tamen propterea destiturum se de rebellibus, impœnitentibus, profanis, induratisque peccatoribus, præsidibus Populi Dei, severam exigere vindictam quæ ibidem describitur [g]. licet memor gratiæ & promissorum Electis præstiturus sit optatissima illa Beneficia quæ in superioribus descripserat. [h]

Scopus hujus Concionis.

II. De *Scopo* Concionis ex *Argumento* ejus quisque facile judicet. Principalis rursus est *solari* & solatio erigere Ecclesiam Populi Dei, quæ vere solatio indigebat. Propheta enim noster ex revelatione Divina prævidebat, quot calamitates & adversa superanda haberet, antequam perveniret ad implementum suæ spei sub Regno Messiæ. quare ne mireris, tot solatoria in extremis hisce Jesaianis occurrere. Ecclesia hoc uno indigebat scipione quo niteretur. sola spes in adversis Statum spiritualem sustinet. Fines his cognati sunt διδάσκειν καὶ ἐλέγχειν, *docere & convincere*. *Docere* idololatras veritatem veri Dei Israëlis; tum ex Operibus magnis suæ providentiæ erga Ecclesiam quæ à nemine quam ab ipso exspectari poterant; tum ex illorum Operum sive Factorum prædictione. Sed nihil hic moneo, quod non cuique per se pateat: præterquam quod de eadem re ad *Sectionem priorem* hujus *Concionis* disseruerim.

Scena hujus Visi, sive *Concionis*.

III. *Scena* hujus Παρουσίας hic sumenda est in aliqua latitudine, ut ex *Commentatione prima Pericopæ* hujus Concionis liquebit. Subjectum ad quod consolatio hæc dirigitur, est *Ecclesia Electorum* qui supererant tempore Jesaiæ Prophetæ in medio multitudinis Populi carnalis & profani, vero sensu Dei & erga eum affectu non imbuti: quæ *Ecclesia* supponitur subitura esse processu temporis difficillimos casus, tum Calamitatum Publicarum; tum *afflictionum* & *persecutionum*, de quibus casibus Vates noster sæpius ad terrorem impiorum & impœnitentium in Concionibus suis meminerat; quæque Ecclesia, inter tot Casus & Adversa conservanda & sustinenda Gratia & auxilio Divino, tandem debebat mitti in hæreditatem Mundi, & Tentorium suum ad recipiendos Credentes ex Judæis & Gentibus late extendere. Est mihi de eo mox latius disputandum: atque adeo plura hic non addam.

Analysis ejus.

IV. *Analysis* hic absque negotio constituitur. Respicienda est hæc *Sectio* ut *Pars Sectionis superioris* cum qua cohæret. Illius vero *Sectionis* tres feci Partes. α. Prophetiam de Christo Jesu ut desideratissimo Mundi & Gentium Doctore, ℣ſ. 1--9. β. Exhortationem Gentium ad insigne hoc Beneficium Divinæ Gratiæ cum consectariis ejus celebrandum, ℣ſ. 10--17. γ. Elenchum institutum adversus Judæos idololatras & profanos quos Propheta studet excitare ad *æmulationem* ex Exemplo Gentium, quæ doctrinam & fidem Messiæ susciperent; quosque convincit suæ ἀνομίας ex Judiciis *præteritis* ac *futuris*, ℣ſ. 18--25. Quibus nunc succedit,

Pars Solatoria (ordine Quarta, hujus *Sectionis* Prima:) ubi

- α. *Propositio Consolatoria generalis*, qua spem Ecclesiæ fulcit & erigit, ℣ſ. 1.
- β. *Promissio specialis* prima, de Ecclesia conservanda inter *Calamitates* & *Afflictiones* futuri temporis, ℣ſ. 2. 3.
- γ. *Promissum alterum* de perditione hostium Ecclesiæ, ℣ſ. 4.
- δ. *Promissum tertium* de Ejus amplificatione & gloria ex Confluxu Judæorum & Gentium, ℣ſ. 5--7.

Pars Doctrinalis, (ordine *Quinta*; hujus *Sectionis altera:*) instituta ad Electos in Populo confirmandos in vera fide, eosque docendos, qua optima ratione *Judæos degeneres* & *Gentes* idololatras sint convicturi de veritate veri Dei, ex *Factis Dei* illustribus, eorumque Factorum *Prædictione*. Complectitur illa

- α. *Appellationem* directam ad Credentes & Doctores Ecclesiæ, quorum esset convincere Judæos idololatras & Gentes quascunque de vera Dei Divinitate ex certa prædictione illustrium illorum *Eventuum*, quos Vates supra memoraverat & mox repeteret, à Propheta nostro aliisque Dei Prophetis facta, ℣ſ. 8--10.
- β. *Opus Liberationis* Populi ex *Babylone* per Cyrum soli Deo Israëlis ut Vindici & Liberatori Ecclesiæ suæ vindicatur,
  - (a.) Quod primo illustratur ex Opere *Liberationis* antecedaneæ *à Senacheribo*, à Deo prædicto, ℣ſ. 11--13.
  - (b.) Ipsum illud *Opus Liberationis* describitur, ℣ſ. 14. 15.
  - (c.) Idem cum antiquo Opere *Liberationis* Populi Judæi ex Ægy-

[a] ℣ſ. 1--4. [b] ℣ſ. 5--7. [c] ℣ſ. 8--17. [d] ℣ſ. 18--21. [e] ℣ſ. 22--24. [f] ℣ſ. 25. [g] ℣ſ. 26--28. [h] Cap. XLIV. 1--5.

ex Ægypto comparatur, ℣. 16. 17.

γ. Novum *Opus Divinæ Providentiæ & Gratiæ* superioribus Operibus longe majus in medium producitur, *Conversio Gentium*, Judæis impœnitentibus substituendarum, figurate proposita, ℣. 18--21.

Pars Elenctica, (ordine *Sexta*; hujus *Sectionis tertia:*) qua Deus Populum suum docet & convincit, luculenta hæc Beneficia in Ecclesiam conferenda, suæ deberi *Gratiæ*, non *meritis Populi Judæi:* ubi,

α. *Convictio* imperfecti *Cultus* quem Populus Deo *obtulerat*, cujusque *nulla* censeri poterant *merita*, ℣. 22--24.

β. *Declaratio*, qua *sola Gratia* Dei ostenditur esse principium & caussa impulsiva horum Beneficiorum, ℣. 25.

γ. *Elenchus* criminum à Proceribus & Gente commissorum, propter quæ *omnia alia* erant meriti, h. e. gravissima supplicia impœnitentibus atque induratis certo infligenda, ℣. 26--28.

Pars Paracletica, (ordine *septima*, hujus *Sectionis quarta*,) nova & gratiosa appellatione continuat *Consolationem*, per *Elenxin* interruptam, & rursus condicit Ecclesiæ idem Beneficium Gratiæ & Donationis Sp. S. quod in superioribus commemoraverat, Cap. XLIV. 1--5.

Pars Prima hujus Sectionis, totius *Concionis* Quartæ, solatoria, directa ad Ecclesiam Electorum Populi Judæi.

α. *Propositio Consolatoria* generalis, quæ viam sternit ad sequentia.

Pars prima hujus Sectionis *Paracletica.*

α. *Propositio Solatoria* generalis, ℣. 1.

Summa & Scopus hujus periocæ.

℣. 1. *Nunc vero sic fatur Jehova*, Creator tuus, *ô Jacob! &* Formator tuus, *ô Israël! Ne timeas, siquidem Ego vindicias tuas suscepi: Nuncupavi nomen tuum. meus es tu.*] Ita est, Propheta, *Convictiones* & *Consolationes* in hac Concione alternans, Dei continuans orationem ut majus dictis suis pondus adderet: ne Semen piorum & electorum hominum, qui veram faciebant Ecclesiam, acriore suo *Elencho* consternaret, animum eorum rursus erigit blanda hac consolatoria, cujus *analysin* modo tradidimus. Vocat illos nomine *Jacobi* & *Israëlis*, quod Nomen hic veram suam vim potestatemque obtinet. Ecclesiæ Populi Dei externæ ea ratio & respectus est, ut Ecclesia sit in Ecclesia, *Israël* in *Israële*; Israël mysticus, verus, spiritualis, in Israële externo & literali; perinde ac *Sanctuarium interius* includebatur *Sanctuario* exteriori. Sic Apostolus [a]: *Non enim omnes qui sunt* ex Israele *sunt* Israel. Alio loco [b]: *Quod requirit* Israel, *non est adeptus: sed* electi *adepti sunt*; reliqui *vero occalluerunt.* Hæc basis, hæc clavis est interpretationis prophetiarum. Promissa Gratiæ, prophetiis consignata, non pertinent promiscue ad totum Corpus *Israëlitarum* nomine tenus sic dictorum; sed ad Electos, quos Deus sibi in hac Gente inter omnes ejus apostasias & judicia huic Populo inflicta semper servavit, qui erant ἀληθῶς Ἰσραηλῖται vere *Israëlitæ* [c], qui veram imaginem *quæstionis Dei* in gratia cum spe bonorum spiritualium Abrahæ promissorum, *fidei*, integritatis, affectus erga Deum purissimi, & in adversis constantiæ ac patientiæ, *luctæ fidei* & per fidem *victoriæ*, in se exprimerent; *Judæi* non *in manifesto* tantum, sed & in occulto [d]. de quo sæpe aliàs scripsi, hic non repetenda. Quæritur, cujus *temporis* & *status* Ecclesia sit, cui promissa hæc gratiæ fiunt? Quæritur autem rectissime, siquidem à definitione hujus Quæsiti pendet vera intelligentia hujus prophetiæ. Sunt ex Veteribus & Recentioribus, qui hic intelligunt *Ecclesiam Christianam*, primi temporis, Ecclesiæ defectrici Judaicæ contradistinctam. Hieronymus vocat *primam Christi Ecclesiam de Judæorum Populo congregatam.* Sic pariter Eusebius Cæsariensis, Cyrillus, Procopius, & aliqui ex medii ævi Interpretibus, & ex recentioribus quoque. Coccejus noster: *Intelligimus fideles ex omnibus tribubus cum iis qui ad eos accesserant ex Gentibus.* Poterat simpliciter persistere in sententia Hieronymi; intelligi videlicet primum Christi Jesu populum ex Judæis collectum, ad quem deinceps aggregari debebant Gentes, ut mox videbimus. Sententia ad primum conspectum videtur speciosa; sed rite inspecta & cum contextu Prophetæ collata, se non sustinet. Sunt rationes in contrarium gravissimæ.

Appellatio *Jacobi* & *Israëlis* hic veram vim obtinet.

Usurpatur le *Electis.*

Promissa Gratiæ in prophetiis quomodo spectanda sint?

Cujus temporis & Status Ecclesia hic appelletur?

Sunt qui hic intelligunt Ecclesiam Christianam primævam.

Auctores hujus sententiæ.

α. Quia quod dicitur ℣. 3. *Dedi* λύτρον *tuum Ægyptios, Cuschæos, & Sabæos*, de Ecclesia Apostolica intelligi nequit, in quamcunque formam flectatur. Id vero clarissime liquebit ex ipsa illorum verborum pertractatione. Refer eodem quod seq. ℣. 4. *Ex quo pretiosus fuisti in oculis meis, &c.* Intelligitur Ecclesia paulo ante, ut videbatur, neglecta. Hæc ratio est præcipua, & in hoc genere demonstrationis invicta. β. Evicimus ex *Capite superiore* ℣. 17. primum & præcipuum scopum Prophetæ in his verbis esse *refellere & confundere idololatras* inter ipsos Judæos; & per *mala pœnalia* quæ memorantur ℣. 24. 25. Judæis propter cæcitatem & indurationem suam infligenda, intelligi tantum non posse *Calamitatem* quam perpessi sunt à Romanis; sed primo loco intelligenda esse judicia ipsis inflicta & infligenda ab Assyriis & Babyloniis. γ. Liquidissimum est, à ℣. 9. describi Beneficium *Liberationis Populi Dei ex Exilio* Assyriaco & Babylonico per Cyrum; ut inde satis pateat, Prophetam sua cogitatione circa proxima sibi tempora versatum esse. Alia nobis ipsius pericopæ meditatio suggeret. Teneo itaque hypothesin absque dubitatione ulla; intelligi hic *Ecclesiam Electorum Judæorum Populi Dei in Ecclesia externa Literali latentem* & ex ea rursus emergentem & conspiciendam sub Hiskia *tempore ipsius Prophetæ Jesaiæ*, quæ Ecclesia esse debebat hæres *magnorum Promissorum Gratiæ*, Populo Dei factorum. Huic Subjecto soli conveniunt attributa, quæ hic memorantur. Ex Interpretibus medii ævi Thomas Aquinas, & Hugo de S. Caro, (non infelicis judicii circa interpretationem Verbi Dei,) hanc vel huic proximam elegerunt sententiam. Inde Pagninus, Mariana, Osorius, alii. Ex nostris, Pellicanus, Calvinus, Brentius, Piscator, Belgæ, quos exempli caussa tantum allego. Brentius: *Alloquitur veram & spiritualem Ecclesiam, primum quidem eam quæ erat temporibus Jesaiæ, ante captivitatem Babylonicam, in Populo Israël: Deinde, illam quæ postea dispersa est in vastatione Urbis Hierusalem, & in Exilio Babylonico ad omnes Gentes.* Est sani judicii definitio, cui per omnia subscribo. Sunt qui hic appellantur, *Electus Populus Jehovæ.* Sic Propheta se ipse explicat ℣. 20. Sanctius intelligit *duas tribus*, Judæ & Benjaminis, ad quas hæc Consolatio dirigatur, cum *superior convictio* secundum ipsum præcipue respiciat *Decem tribus defectrices & in Exilium Assyriacum abductas.* Sed *convictoriam orationem* Prophetæ nimis restricte interpretatur: *consolatoriam* nimis late. Medium hic tenendum est, & semper ad animum revocandi Canones interpretationis, *Talia esse Subjecta qualia sunt illorum attributa*, &, *Ubi eadem sunt attributa, ibi res eodem modo appellari posse.* Interim non nego, sensum horum promissorum se extendere ad tempora Oeconomiæ Novæ; quippe quod cum hypothesi nostra optime consistit, ut ex interpretatione liquebit. Etenim ut *superior convictio*, sic *consolatio* præsens magnam admittit latitudinem temporis. Inspicia-

Sed cui obstat ℣. 3. ubi Deus λύτρον pro iis dicitur *dedisse Cuschæos & Sabæos, &c.*

Propheta hic versatur directe in refellendis Idololatris.

Non favet illi hypothesi ℣. 9. ubi agitur de *Liberatione* Ecclesiæ per *Cyrum.*

Propheta orationem suam vertit ad *Electos & Credentes.* suæ ætatis.

Auctores qui hanc hypothesin laudant.

Sanctii hypothesis, & in eam animadversio.

Temperamentum sententiæ.

Promissum hoc late extenditur.

a Rom. IX. 6. b Cap. XI. 7. c Joh. I. 48. d Rom. II. 28. 29.

mus, hoc jacto fundamento, propius orationem Prophetæ.

Expositio verborum.

Vates noster, afflictos piorum animos blando solatio erecturus, Deum, quo dictis auctoritatem conciliaret majorem, infert loquentem, ut supra jam observavi. *Et* NUNC, ait, cum ex Elencho superiore merito consternati sitis, ô *Electe Populo* qui semen Ecclesiæ facis in medio Hypocritarum & dolosi animi hominum, verum semen *Jacobi & Israëlis: sic fatur* JEHOVA, in te impleturus promissa, Patribus facta, CREATOR & FORMATOR TUUS. Quo sensu? Respondeo, hoc sensu quo oratio prive convenire potest *vero Israëli, Populo* Dei *electo*; sc. quod Deus operatione interna & mystica suæ gratiæ hunc Populum à se ex gratia amatum *creasset & formasset ad gloriam suam*, illum imbuendo vera fide, reverentia sui nominis, spe promissorum gratiæ, in se affectu, & promptissimo studio observantiæ Mandatorum suorum; quæ *creatio & formatio* est nobilissimi generis; quæ sola hic in emphasi convenit *Subjecto*, de quo agitur. Equidem Deus est *omnium hominum* æque ac Cœlorum & Telluris *Creator:* sed qui respectus omnibus communis est. Idem est *Creator & Formator Populi Judæi* secundum externam Oeconomiam hujus Populi, dum posteros Abrahami *eduxit* ex Ægypto, eosque *formavit in Populum:* quæ est *Creatio Mystica* quidem sed *typica* [a]: sed hanc quoque *Creationem* communem habebant *Electi* cum omnibus Jacobi posteris, ductis ex Ægypto, & ad externam Dei communionem Fœderalem vocatis. Ergo respicitur hic *Creatio mystica interna & vera* qua Deus in homine *format* illos animi affectus qualitatesque quæ ipsum in statu gratiæ Deo commendant, ut dici possit ποίημα τῦ Θεῦ *factura Dei, condita ad bona opera* [b]. Sed forte secundum hypotheses & ad normam *Locorum Communium* quæ dicuntur, *Scholæ nostræ* hæc facta est interpretatio magis quam ad hypotheses veras Jesaiæ. Sunt sane qui id aliis persuasum cupiunt: sed utere hic quisquis es, tuo judicio, & inspice loca non longe petita quæ tibi ex hac ipsa Concione præmonstrabo. Sic scribit idem Propheta ℣. 7. loquens de Vocatione Electorum Judæorum & Gentium: *Omnem qui de nomine meo appellatur; quem ad gloriam meam* CREAVI, FORMAVI, *etiam* FECI. Agnoscis, ut opinor, *factionem* & *fictionem* internam, Divinæ Gratiæ. Rursus ℣. 15. *Ego Jehova, Sanctus vester;* CREATOR ISRAELIS, *Rex vester.* ℣. 20. 21. *Ad irrigandum populum meum electum:* POPULUM *quem* MIHI FORMAVI, *ut laudes meas enarret.* Cap. XLIV. 1. *Et nunc audi Jacob Serve mei, & Israël quem elegi. Sic ait Jehova:* FACTOR TUUS *&* FORMATOR TUUS *qui ab utero tibi auxilium tulit.* Poëta facer [c]: *Scitote, Jehovam ipsum Deum esse. Ipse* FECIT NOS, *& non nos.* Quanta vis sit in hac appellatione, quisque videt. *α.* Si enim *Factor & Creator sit Jacobi* non est dubium quin *operis* sui curam sit gesturus. β. Quin instructus sit potentia, si velit, suos servandi. Ad omnem enim creationem requiritur *omnipotentia.* Summa orationis: NE METUE. quæ est formula consolatoria suadentis fiduciam in adversis, quæ merito metuuntur ut caussa exitii; quam supra jam habuimus [d]. Quæ ratio? Cur non est metuendum, ubi caussæ metus adsunt? Prima ratio est in ipsis illis Epithetis quæ modo recensui, quia *Deus* est *Jehova, factor & creator sui Populi*, quæ aliis locis repetitur. Vis præfationis in id incumbit, *Jehova qui* FACTOR & CREATOR TUUS est, ait, NE METUE. Secunda his effertur, כי גאלתיך *quia te redemi.* Sic vulgo vertunt cum Hieronymo. alii, *quia te redimo*, vel *redimam.* Unde pro diversis hypothesibus, quas quisque sectatur, alii referunt ad *Redemptionem ex Ægypto*, alii ad *Redemptionem* faciendam per Filium Dei, quæ hic ut facta supponitur. Hypothesium earum neutra absurda est. Sed si de *redemptione ex Ægypto* Propheta loquutus esset; haud dubie id adscripsisset, *Ego redemi te ex Ægypto.* Nec de *redemptione* ex *Exilio Babylonico* aut *Redemptione facienda à Christo* Prophetam hactenus tanquam de *facta* directe loqui, certum habeo, quia *Ecclesia* ad quam hæc verba fiunt, vere est Ecclesia *piorum hominum* ipsius temporis Prophetæ nostri, ut supra monui, & mox luculenter patebit ex ℣. 3. Ergo si veram ames mentem & sententiam Prophetæ, verte verba & lege, *Ego vindicias tuas suscepi.* quæ genuina significatio est vocis גאל. Deus se jam præstiterat *Goëlem*, Vindicem, Liberatorem, Servatorem Populi sui in Filio suo, ANGELO LIBERATORE & VINDICE, in Liberatione ex Ægypto, & Vindiciis omnibus typicis quas Populo suo præstiterat usque hoc tempus, inter quas Liberationes minime negligenda est Liberatio Populi à Jugo Senacheribi; si ea jam hoc tempore facta fuerit, quod supponimus. Idem Ecclesiæ afflictæ præstaret *Vindicias* in Exilio Babylonico, & Afflictione Epiphanica. Tandem in *Filio suo* ΑΠΤΡΩΤΗ Populo suo exhiberet τὴν Λύτρωσιν & Ἀπολύτρωσιν ἀληθινὴν *Liberationem veram*, æternam, typicæ contradistinctam, cum omnibus ejus Effectis & Consequentibus. Id omne involvitur dicto Prophetæ, *Ego vindicias tuas caussaque & status tui in me suscepi. me vindicem tuum & Liberatorem profiteor. Ego sum Goël tuus.* De *re* ipsa videbis quæ scripsi ad Cap. XLI. 14. Nulla caussa metus, ubi Deus Vindex & Liberator adest. Tertia ratio & quarta, si vis: *Nuncupavi nomen tuum. meus tu es.* Id prædicari nequit de *multitudine* nisi cum respectu ad *singulos. Multitudo* sive *Cœtus* non potest dici vel censeri *nomine suo* vocari, nisi singuli, qui cœtum faciunt, à Deo *nominatim* h. e. *personaliter*, in consilio ejus electi sint ad communionem suam in Gratia & Gloria obtinendam, & à Deo *instructi paratique* sint dotibus gratiæ ad statum tuendum necessariis. *Vocari* hic est *eligi*, designari in consilio Dei, ut sæpe [e]. *Vocari de nomine* sive, secundum vim Hebraismi, *nomen alicujus vocari* (sic enim hic vertenda est phrasis:) dicitur, ubi quis *nominatim*, h. e. *personaliter*, eligitur, & in consilio Dei designatur. Phrasis exponenda est ex historia *Betsaleëlis*, Filii Uri, de quo hæc verba leguntur Dei ad Mosen [f]: *Ecce ego* DE NOMINE VOCAVI BETSALEELEM, *Filium Uri, Filii Churis de tribu Juda; & implevi illum Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, & omni arte, & seqq.* Atqui, cum Deus hæc verba ad Mosen daret: huc usque Betsaleël non erat *vocatus*, nec quicquam ipsi innotuerat de hoc consilio Divino; sed demum postquam Moses de *Monte* descendisset [g]. Eadem hic ratio est verorum Jacobidarum, quæ Jacobi. Nominatim à Deo electus, & designatus, ejus impetravit defensionem ac præsidium in adversis, & hæres factus est promissorum gratiæ. Per *vocationem* autem sive *designationem* personarum factam in decreto, Deus hos quos vocat & eligit, *suos facit*, sibi vindicat, atque arctissime unit; quos proinde nec gloriæ nec amoris Divini respectus permittit ab eo deseri, ac destitui. Quos Deus eligit, hos diligit: quos diligit, defendit ac tuetur. Quæ igitur caussa *metus?* Hæc consolatio *Ecclesiæ verorum Jacobidarum* ad omnia pertinet tempora. Nullum hic est discrimen temporum. Qui in Ecclesia veram Ecclesiam faciunt, nunquam pereunt. Deus autem in Ecclesia veram Ecclesiam semper conservat. Propheta tamen ex scopo suo directe applicat ad afflictos animos piorum *sui temporis* erigendos.

Notionis *Creationis* varius est respectus; sed hic intelligitur *mystica.*

Interpretatio vindicatur.

Et quidem ex ℣. 7. & sequente contextu toto.

Et confertur cum *scopo* Vatis in hac consolatione.

Vis formulæ, *Ne metue.*

Ratio consolationis prima in *Epithetis*, à quibus Deus hic appellatur.

Altera, quia Deus *vindicias* Ecclesiæ in se suscepit.

β. *Promissio specialis* de Ecclesia conservanda inter *Calamitates* & *Afflictiones*, ei obventuras.

Promissio ipsa.

℣. 2. *Cum iveris per* AQUAS, *tecum ego sum; & per* FLUVIOS, *non inundabunt te. Cum iveris per* IGNEM, *non adureris, & flamma non accendet te.*] Oratio

Vera interpretatio formulæ, *Redemi te.*

Quæ declaratur.

Tertia ratio: Deus *nuncupaverat nomen Ecclesiæ.*

Phrasis non potest usurpari nisi de *singulis.*

Phrasis, qua alicujus *nomen vocari* dicitur, exponitur.

Confertur locus Exod. XXXI. 1. 2. idemque exponitur.

Promissio specialis de Ecclesia conservanda in

[a] Deut. XXXII. 6. [b] Ephes. II. 10. [c] Ps. c. 2. [d] Cap. XLI. 13. [e] Confer Cap. XLII. 6. XLVIII. 12. XLIX. 1. [f] Exod. XXXI. 1. 2. [g] Confer Cap. XXXVI. 2.

ratio hic continuatur ad *Electos* Populi Dei qui *in Ecclesia* veram Ecclesiam faciebant. In *Ecclesia* enim *externa* qualicunque absque respectu ad *internam*, (sive tempus Oeconomiæ Veteris, sive Novæ spectes,) implementum promissi demonstrari nequit. Sensus promissi *generatim* sumpti est, Deum Ecclesiam suam in quibusvis Adversis & Calamitatibus, quæ ei videbantur exitium adferre posse, ita esse conservaturum, ut nunquam interitura sit & exscindenda. Ubi supponitur, *a. Ire per aquam & per ignem* idem esse quod *subire gravissimas calamitates* quæ interitum nobis minitantur. quo passim refertur locus Ps. LXVI. 12. Sed res ipsa id facile per se evincit. Cum enim inter elementa, hominis vitæ nociva si prævaleant, sint *aqua & ignis*; phrasis aliam interpretationem non patitur. β. Deum in ordine providentiæ suæ Ecclesiæ ejusmodi calamitates decrevisse, per quas adducenda videbatur in extremum discrimen status salutisque suæ. Hæc hypothesis est promissi. Summa promissi est quod jam dixi, Deum singulari cura providentiæ suæ circa Ecclesiam cum respectu ad partem ejus electam ita esse versaturum, ut non intereat, sed in omni casu adverso tueatur statum; *aquas & fluvios* exitium minitantes cohibendo, ne prævaleant; sive eos *exsiccando*, aut *discutiendo* ut dilabantur & alio divertant; sive *in aquis* monstrando vadum quo sui transire possint. *ignem* vero vel extinguendo, vel suos adversus vim & flammas ignis muniendo, & viam monstrando qua illæsi evadant. h. e. adversa & calamitates Ecclesiæ purgandæ aut probandæ destinatas sic temperando, ut *non sinat suos tentari supra id quod possunt ferre*, & *omne semen* Ecclesiæ in hisce terris non *extingui* sinat; & simul illos muniendo gratia sui Spiritus, ut afflictionibus & adversis omnibus sibi paratis ferendis pares sint. quam sententiam orationis generalem, nulli dubio obnoxiam, ubique in Verbo Dei consignatam, & ex omni historia Providentiæ Divinæ erga Ecclesiam illustribus casibus confirmatam, jam inspeximus Cap. XLI. 10. 13. 14. coll. cum Cap. XXVII. 3. Ps. CXXI. 7. 8. Matth. XVI. 18. Sic stat propositum Dei. Vult habere, ut habet, Ecclesiam in Mundo. Hanc ipsi curæ est conservare sua singulari providentia usque ad consummationem Sæculorum, ut in qualibuscunque mundi scandalis, tempestatibus, motibus, calamitatibus, adversis, in quibus ipsi dilecti & Discipuli Dei subinde *se perire* clamant *a*, non intercidat, sed tandem de omnibus malis & adversis triumphet. Sic fecit hactenus. Ducit suos *per mare*, *per ignes*, per discrimina & adversa, ad status sui felicitatem ac securitatem. Cave interim tibi, ne hoc promissum ultra scopum Prophetæ extendas. Pertinet ad Ecclesiam, quatenus est *corpus hominum mysticum*, à Deo electum: quomodo si illud acceperis, poteris illud ex sensu à nobis dato absolutissime absque ulla restrictione intelligere. Dein, pertinet ad Ecclesiam secundum respectum ejus spiritualem. Ad *singulos electos*, & *statum illorum temporalem*, non pertinet, nisi *restricte*. Scilicet Deus conservat Electos inter Calamitates Sæculi & Persecutiones; & pariter conservat *Ecclesias particulares* inter *aquam* & *ignem* quatenus id convenit rationibus Providentiæ Justitiæque ejus. in quo generali sensu hic possem subsistere. Sed cum Propheta noster omnes suas phrases docte & emphatice librare soleat; & hic exerte *itionem* per *aquas* & *fluvios* ab *itione per ignem* & *flammas* distinxerit: probabile fit, illum, forte alludendo ad Eventus antiqui temporis, per hasce phrases diversum aliquod genus afflictionis significare voluisse, quod respectum habeat ad historiam sequuturi temporis. Hebræi ita sunt persuasi; nec tamen assequuti sunt vim & sensum emblematis. Jarchius *transitum per aquas & per fluvios* explicat de *transitu Israelitarum* per *mare algosum*, & *itionem salvam per fluvios* de *conservatione* Israelitarum inter *Ægyptios* validasque *Gentes alias peregrinantium*, fere ut præiverat Chaldæus: sed *conservationem euntium per ignem* interpretatur de *conservatione Judææ Gentis* inter *gravissima Judicia* quæ Deus ex ipsorum hypothesi tempore Messiæ Orbi inflicturus est. Paraphrastes per *ignem* simpliciter intelligit *Populos* qui *fortes sunt ut ignis; & validi ut flamma.* quæ vere nihili sunt. Judæus ille, cujus opera Hieronymus usus est, ingenium suæ Gentis hic multo felicius expressit; estque sane specimen veteris commentationis pulcherrimum, hic neutiquam prætereundum. *Quanquam*, ait, Hieronymus, postquam suam dedisset exegesin, qua *aquam & ignem* in genere interpretatur de *persecutorum impetu & furore: Quanquam Judæi in aquis* Ægyptios; *in fluminibus* Babylonios; *in igne* Macedones; *in flamma* Romanos, *intelligi velint*. Non fuit levis judicii homo, qui id finxit. Nec tamen per omnia illum sequor. Promissio hæc tota referenda est ad tempus futurum; ut, si forte Propheta ad superiorem aliquem Ecclesiæ casum *alluserit:* id tamen dici & intelligi velit de *futuro*. Duæ hic tantum designantur species *Calamitatum* sive *Malorum* quorum sortem Ecclesia subiret; propositæ sub nominibus *Aquæ & Ignis*. *Fluvii* enim utique ad *Aquas* pertinent; & *flamma* ad *Ignem*. Per Aquam absque errore intelligas Calamitates Civiles, (quas mihi sic appellare liceat,) & Dei respectu *Judiciales:* per Ignem, si dicere fas sit, *spirituales*, Dei respectu *probatorias*, quæ respectum habent ad Religionem. Populi magni, validi, fortes, bello concitati, cum magnis Exercitibus minora Regna & Respublicas *inundantes* obruentes, vastantes, subvertentes, stylo Scripturæ S. sunt Aquæ, & speciatim *Fluvii*. Idem Populi acri odio veritatis inflammati, Ecclesiam fidei caussa persequentes & gravius affligentes, & ex ordine Divinæ Providentiæ eam *probantes*, appellantur Ignis, qui ubi maxime sævit, cum *flamma* ardet. Hic loci per *Aquas* & quidem per *Fluvios* cum respectu ad Populum Dei & circumstantiam hujus Vaticinii, intelliguntur *Assyrii*, *Babylonii*, *Ægyptii*, *Syri*, ad *Tigrin* & *Euphratem*, & *fluvios* in eum incidentes & ex eo derivatos, (stylo Scripturæ: נהרות נבל *Fluvios Babylonis b*:) *Nilum* ejusque Alveos, *Orontem*, siti, Populo Dei & Ecclesiæ infesti. *Ire* autem per has *aquas & fluvios* est venire in proximam harum Gentium vastatricium & extremum exitium minitantium communionem: metaphora desumpta ab eo qui per necessitatem cogitur summo discrimine *magnos transire fluvios*, qui ipsum videntur obruturi & absorpturi. *Ire per ignem* pariter est venire in proximam & prævalentem communionem Gentium Ecclesiam fidei & Religionis caussa acriter persequentium & ex ordine Providentiæ Divinæ fidem Ecclesiæ *probantium:* metaphora sumpta ab homine, qui Urbe aut Domo in qua est undique accensa cogitur, ut evadat, per *medios ignes ire* & saluti suæ consulere. *Judæi* post destructam Rempublicam Ephraimitarum iverunt per *aquam*, ubi Assyrii ingente exercitu sub Senacheribo invaserunt Judæam, eamque ad Collum usque *inundarunt*, h. e. sola tantum Hierosolyma salva: de quo Propheta luculenter vaticinatus fuerat sub eodem hoc emblemate, Cap. VIII. 7. 8. *Ecce Dominus in vos* (Ephraimitas,) *adducet aquas illas validas & copiosas Regem Assyriæ, & omnem gloriam ejus, ... & pervadet in Judam; inundabit & procedet; & ad collum usque pertinget.* Sed forte ille casus, cum hæc prophetia ederetur, jam acciderat. Verius itaque est, directe hic respici calamitates quas Populus subiret procedente tempore, ubi primo post mortem Josiæ incidit in potestatem Ægyptiorum sub Pharaone Necunte *c*; inde in Chaldæorum, qui postquam terram multis annis populati essent, & Hierosolymam non semel cepissent, tandem cum ea Rempublicam totam everterunt, Populo abducto in Exilium: quos casus Vates noster prædixerat Cap. VII. 18. 19. Hoc tempore ivit Populus Dei per *aquas*. fuerunt enim calamitates *civiles*, sc. quæ majo-

mediis gravissimis Calamitatibus.

Ubi primo, *Promissio ipsa*, ℣. 2.

Promissio pertinet ad *Electos*.

Summa ejus.

Quid hic sit *ire per aquam & ignem?*

Phrasis prolixius exponitur.

Sententia confertur cum *analogis*.

Propositum Dei de Ecclesia in Mundo conservanda.

Promissum non est extendendum ultra scopum.

Penitior inspectio phrasios.

Ire per aquam & per ignem, sunt cognata, sed diversa.

Meditatio Hebræorum ad phrasin Prophetæ.

Judæi apud Hieronymum.

Promissio hæc referenda est ad *tempus futurum*.

Per *Aquam* hic intelliguntur *afflictiones civiles:* per *ignem* quæ respectum habent ad *Religionem*. Utraque metaphora declaratur.

Aquæ hic sunt Assyrii, Babylonii, &c.

Quid sit *ire* per has *Aquas*?

Unde hic sumpta sit meraphora?

Quid *ire* per hunc *ignem*?

Quando Judæi iverint per *Aquam*?

Respectus Assyriorum.

Ægyptiorum sub Pharaone Nechunte & Chaldæorum.

a Matth. VIII. 25. *b* Ps. CXXXVII. 1. *c* 2 Reg. XXIII. 29. seqq.

majorem respectum habuerunt ad Civitatem, quàm ad Religionem. Sed in his *aquis & fluviis* qui videbantur Ecclesiæ funesti fore, Deus Ecclesiam suam servaret, & servatam in melius restitueret. Propheta illuc manifeste alludit Cap. XLIV. 27. ubi agit de Liberatione Populi ex Exilio Babylonico: *Qui* (Deus) *dicit profundo, Exsiccator, & omnes* FLUVIOS TUOS *arefaciam.* Id rectius dicimus quam Aben-Ezra, ubi Judæos *aquas transisse* & per *eas servatos* scribit, quando *Medi & Persæ*, quos hic per *aquas* intelligit, *Babylonem ceperunt*, Judæis salvis. Sed est illud longiusculè petitum: nec tamen merebatur acrem adeo censuram, atque ea est qua Abarbenel interpretationem hanc perstrinxit. Nos Medos & Persas, quibus Judæi restitutionem Reipublicæ suæ debuerunt, hic transimus; sed *aquas* Rempublicam *restitutam inundantes*, ex certo consensu prophetiarum, post Chaldæos spectari volumus in *Regibus Syriæ & Ægypti*, ex ruderibus Alexandrini Imperii natis, qui inter se bella gerentes ob varias causas magnis Exercitibus *Judæam* identidem pervaserunt, eamque fere obruerunt & gravius afflixerunt. Sed hi quoque *Fluvii* (h. e. Regna quæ sub hoc emblemate proponuntur,) gravioribus Judiciis Dei erant *exsiccandi*, & *aquæ* eorum *discutiendæ*, ut Respublica Populi Dei *emergeret*; Ecclesia conservaretur; & obstacula Regni Filii Dei promovendi removerentur: de quo Zacharias, & ante eum Jesaias noster [a], sub eodem emblemate clarissime vaticinatus fuerat. Ad hæc exempla, à Propheta prævisa, & his similia pertinet quod Vates & Poëta sacer in elegante Ode canit [b]: *Absque Jehova, qui fuit noster* vel *nobiscum, cum surgerent adversus nos homines: vivos absorpsissent nos, efferveſcente ira illorum in nos, qui inundassent nos: torrens transivisset per animam nostram.* Plura loca; in quibus *aquarum* hæc significatio obtinet, non allego, cum ubique haberi queant. Sed gravius periculum videbatur Ecclesiæ imminere ab *igne* persecutionis, causa Religionis instituendæ, per quem Ecclesia *ire*, probari, & purgari debebat. Editum est exemplum ab Antiocho Epiphane, &, si aliqua fides sit historiæ *tertii Libri Maccabæorum*, in Ægypto à Ptolemæo Philopatore: etsi præludium aliquod hujusmodi eventus fuerit sub *Ahasvero*, ex opinione nostra, Xerxe, quando Judæi in vastissimo Imperio Persico *causa Religionis* expositi fuerunt summo discrimini & ex eo servati, secundum *Historiam Esther*æ. Sed vere sub emblemate *itionis per ignem* respicitur primo loco tempus Antiochi Epiphanis. Persecutiones & afflictiones causa fidei institutæ veniunt passim nomine *ignis*: Dei quidem respectu qui Ecclesiam per hasce afflictiones probat & purgat: hominum respectu, quod *inflammati ardi odio veræ Religionis* has persecutiones ad Ecclesiam exscindendam adhibeant. ne jam dicam, (quod huc remotius spectat,) Ecclesiæ & veræ Religionis persecutores inter terribilia supplicia, quibus confessores veritatis tentant, ad exemplum Nebucadnezaris [c] ostentare *ignem*, cujus cruciatus & tormenta natura maxime metuit & horret. Zacharias [d]: *Et ego mittam tertiam illam partem*, ex omni populo servandam, IN IGNEM, *& conflabo eos ut conflatur argentum; & probabo eos, ut probatur aurum.* Vates sacer [e]: *Equitare fecisti* HOMINEM (Antiochum Epiphanem) *super capita nostra. Venimus* IN IGNEM *& in aquam.* Pertinet Ode ad hæc ipsa tempora. Petrus [f]: *Ut experimentum fidei vestræ multo sit pretiosius experimento auri corruptibilis quod* PER IGNEM *exploratur.* Sed Deus Ecclesiam in *ipso igne* servaret, ut sane eam conservavit; cujus prolusio aliqua facta est in piis Confessoribus veræ Religionis conservatis in fornace, jussu Nebucadnezaris incensa [g]: quod haud dubie certius exemplum est, quam Abrahami *causa Religionis* à Nimrodo in *fornacem ignis projecti & ex ea servati*, quæ traditio hausta ex nomine UR *Chaldim*, (IGNIS *Chaldæorum*, ut illi verterunt,) est in Paraphrasi Jonathanis ad Gen. XI. 28. ab Erudito quodam Viro ex fabulosis Arabum Monumentis multis illustrata [h]; vel Crœsi à Cyro ad rogum damnati, & ab Apolline à se invocato, servati, flammis subito vi pluviarum extinctis, apud Herodotum [i]. Sed promissum & prædictum Prophetæ de Ecclesia *per aquam & per ignem itura*, providentia potentiaque sua conservanda, hoc tempore Oeconomiæ Veteris non circumscribitur. Extendit se ad omnia Ecclesiæ tempora, quorum sunt similia attributa. Quod *Ecclesia Christi Jesu*, in qua Ecclesia electorum Dei temporis Jesaiæ conservata & continuata est, inter sævissimas Persecutiones Imperii Romani Pagani & Pseudochristiani ipsi intentatas, perstiterit; quod cum *rogis* qui recentioribus Sæculis ubique arserunt ad confessores veritatis è medio tollendos, non sit extincta [A]; quod à Barbaris Populis in florentes terras Romani Imperii irruentibus, Saracenis, Tataris, Turcis, obruta & oppressa non sit: factum est & fit vi hujus promissi. Res mirabilis. Ecclesia est *rubus ardens* qui tamen *non consumitur.*

Et Seleucidarum ac Lagidarum, inter se Belligerantium.

Ecclesia ire cœpit per *Ignem* tempore Antiochi Epiphanis.

Quare Afflictiones fidei caussa institutæ comparentur *igni?*

Locus Zach. XIII. 9. & Ps. LXVI. 12.

Promissum & prædictum Prophetæ se latius extendit.

Aspectus sequentium temporum.

Promissi hujus *Certioratio.*

℣. 3. *Quia Ego sum Jehova Deus tuus, Sanctus Israëlis, Servator tuus: dedi* PRETIUM REDEMPTIONIS *tuæ Ægyptios; Cuschæos, & Sabæos* LOCO TUO.] Sic legenda & distinguenda est sententia secundum Masorethas elegantiæ Jesaianæ optimos Judices. Patet legenti hæc verba, orationem Dei illuc tendere, ut Ecclesiam suam, quæ tot jam subierat afflictiones, tot alias metuebat, ex insigni aliquo argumento certam faciat de suo ergo eam affectu: argumentum autem hoc producere, quod mala calamitatesque, quæ Judææ Genti imminebant eique allatura videbantur exitium, ab iis sua providentia averterit, eaque derivarit in *Ægyptios*, *Cuschæos* & *Sabæos*, ut illi Populi, luendo mala quæ Judæis decreta & absque dubitatione obventura videbantur, visi sint pro iis persolvisse λύτρον quod Justitiæ Divinæ debebatur; h. e. ut eorum veluti *loco* & *vice* à Deo puniti sint; sive, ut illi calamitatibus & malis quæ pertulerunt, Populum Dei à malis ipsi imminentibus liberum præstiterint. quæ est gentilina significatio vocis כפר, quæ valet *λύτρου pretium redemptionis*, quo quis *suam* aut *alterius* libertatem salutemque æquivalenti pretio redimit, jacturam quam *tertius* facit, pretio ejusdem valoris pensans. Id vero fieri potest proprie, vel improprie. *Proprie* quidem, ubi quis passione aut solutione voluntaria, consentiente Principe aut Judice, alterius malum aut incommodum in se transferri patitur ut alium ab hoc malo liberet: *improprie*, ubi quis simpliciter *malo* quod ipse perfert, *alium* liberat; licet ipse illud nec voluntate sua ferat; nec immerito. veluti, si hostis paratus ad invadendos Phœnices, Syros, Philistæos, quorum singuli hoc malum metuunt, neglectis Phœnicibus & Philistæis, invadat Syros: qui improprie dicuntur כפר λύτρου, quod suis malis reliquas Gentes ab iisdem malis liberos præstiterint. Confer Prov. XXI. 18. Ad quem sensum tum firmandum, tum illustrandum, ut propius accedam, suppono hic, primo, notas esse Gentes quarum hic occurrit mentio. Et quidem *Ægyptiorum*, in omni historia clarorum; & *Cuschæorum*, notitiam suis locis suse tradidi; & demonstravi, *horum* nomine passim intelligi *Arabes*, Populos Ægypto Orientales & conterminos, qui ad *Sinum Arabicum* utrinque, (præsertim à Parte Orientali,) sedes habebant & amplum ac populosum sustinebant imperium. De *Sabæis* brevi expedio, quatenus eorum cognitio

Secundo, *Certioratio* hujus Promissi, ℣. 3.

Vera lectio sententiæ.

Summa & Scopus Orationis Prophetæ.

Sensus sententiæ.

Sensus phrasios, qua unus pro alio, Gens pro Gente, dicitur dari כפר λύτρον, *pretium redemptionis.*

Ægyptiorum & Cuschæorum notitia.

---

a Cap. XI. 15. 16. *b* Ps. CXXIV. 2. 3. *c* Dan. III. 21. *d* Zach. XIII. 9. *e* Ps. LXVI. 12. *f* 1 Pet. I. 7. *g* Dan. III. 25. *h* Thom. Hyde de *Relig. Vet. Pers.* Cap. II. *i* Hist. Lib. I. Cap. 87.

A Sane fuerunt hæc verba Prophetæ consolationi Martyribus veritatis ad rogum sævissimo & inhumano judicio damnatis. Exemplum cape ex Burneti *Hist. Reform.* ad a. 1534. sub Henrico VIII. Tom. I. Lib. II. sub finem. Narrat ille, Bilnejum, fortem veritatis confessorem, se ad terribile supplicium honeste ac fortiter subcundum animantem hæc nostra Jesaiæ frequenter repetiisse, *Quando procedes per medium ignem: non consumeris.*

Latitudo nominis *Sabæorum.*

gnitio nos spectat [a]. Observarunt jam Docti Viri, *Sabæorum* nomine venire posse quatuor Gentes, totidem conditoribus ortas; sed quarum una tantum scribitur סבא sc. per ס *samech.* cæteræ שבא per ש *schin.* SEBA per ס, quomodo hic loci vox scribitur, dicitur fuisse filius *Cuschi* [b]. Cæterorum qui per ש scribuntur, fuit aliquis *Chusi* nepos ex *Regma*: alter *filius Joctanis*, filii Heberi, fratris Pelegi, Semo oriundus: tertius *Jobabis*, Abrahamo & Ketura orti, filius. Sed hic loci nullum est dubium designari posteros *Sebæ* Cuscho geniti. Solent enim Scriptores Sacri discrimen illud literarum in scriptione hujus nominis diligenter observare, ut exemplum est Ps. LXXII. 10. Nec magis dubia haberi potest sedes horum *Sabæorum*, qui contigui *Minæis & Catabenis* Ἐρυθραίης πλευρὸν νείαιρα θαλάσσης *Rubri maris latus incolunt*: sc. Orientale, quam eandem nos demonstravimus sedem Cuschæorum. Sic Dionysius Periegetes, & Veteres cum Ptolemæo omnes, quorum testimonia bene multa Cl. Bochartus [c] de iis adduxit. Equidem verum est, eximium Virum Arabes illos *Sabæos*, incolas Arabiæ Felicis Mari Rubro & Arabiæ Desertæ proximos censuisse ortos fuisse *Joctane*, Heberi Filio; sed nullo modo mihi persuadeo, rem ita se habere. Arabia tota, tam Felix quam Deserta, cessit posteris Chusi, estque id rationi & analogiæ rerum plane consentaneum. Posteri Joctanis sedem suam habuerunt ad Ortum sinus Maris Persici, & quidem Sabæi Joctane orti, in Carmania: ad quos transferenda & applicanda sunt quæ Vir summus docte scripsit de Sabæis ex Chuso per Regmam ortis [d]. *Sabæi* prædones vagi in *Arabia Deserta* fuerunt Abrahamo & Ketura orti: sed Mari Rubro in Arabia Felice proximi sunt ex Chuso. Jeci jam alibi has vel his similes hypotheses [e]: in quas si quis diligentius æquo animo voluerit inquirere; putem, illum à judicio nostro non longe deerraturum. In præsenti non est statutum de eo accuratius disputare. Secundo suppono, probabile videri, Prophetam hic loqui de *Casu* aliquo *temporis præteriti* & quidem *proximi*, cujus recens erat apud omnes memoria. Ratio à me petitur ex phrasi Prophetæ; qui cum dicat in hoc loco nostro, נתתי DEDI, in *commate sequenti* ait, אתן DABO. Accedit, quod in sequentis temporis historia Casus hic demonstrari nequeat. Tertio probabile habeo cum Interpretibus & Historicis sani judicii, Casum, ad quem in his respicitur, explicandum esse ex prophetia Jesaiæ, quæ extat Cap. XX. 1. seqq. in *superioribus* à nobis exposita, in qua Deus, *Azoto* per Tarthanem Ducem Regis Assyriæ expugnata, per Prophetam nostrum clare prædicit, fore ut *Ægyptii* & *Cuschæi* per integrum *triennium* bello cum Assyriis infeliciter gesto ab iis magno numero *captivi* abducantur in Assyriam *nudi laceræque vestibus*, cum magno Ægyptiorum & Cuschæorum probro, & *pudore* Philistæorum qui ipsorum auxilio fisi fuerant. Hoc videlicet tempore, cum Judæi maxime metuere deberent Assyriorum arma, tanquam quæ Reipublicæ suæ funesta fore videbantur; Deus Assyriis objecit *Ægyptios* & *Cuschæos*, & vim ac furorem belli potentissimi hostis Assyrii contra omnium exspectationem à Judæis sua providentia avertit & in ipsos derivavit, qui proinde mala calamitatesque pertulerunt & veluti luerunt, quæ Judæis imminebant: quod Reipublicæ Judææ illo tempore fuit saluti. Quæritur, *quando* hic casus evenerit, & Judæi hoc Beneficium Divinæ Providentiæ & Gratiæ Deo debuerint? Equidem de eo prolixe disputavi, & Gestum hoc Historicum discussi in *Anacrisi* illius prophetiæ. Plures ex Chronologis antiqui ac recentioris temporis censent, prophetiam illam implementum suum consequutam esse illo ipso tempore quo Senacheribus Judæam invasit, quem illi statuunt per *integrum triennium*, antequam à Deo memorabili illa clade prostratus est in Judæa, bellum gessisse cum Ægyptiis & Cuschæis, prosperrima fortuna, & longe lateque victorem *captivos* de his Gentibus bono numero abduxisse in servitutem, aut tenuisse in vinculis; & paulo etiam ante quam Exercitus ejus cœlesti judicio periit, de Taracone Cuschæorum Rege præclaram reportasse victoriam. Sed, licet hypothesis hæc satis sit speciosa & tam illi prophetiæ quam loco huic nostro non male videatur convenire: Historia Sacra & Exotica ei non favet, sed adversatur, ut ibidem demonstravi. Addo nunc, si Propheta ad tempus Senacheribi respexisset; non videre me, cur non potius dixisset, se *Assyrios*, gravi adeo ac funesta clade à se prostratos, ut *salutem pararet populo suo*, pro iis *dedisse λύτρον pretium redemptionis*, quam *Ægyptios & Cuschæos*. Fac enim, Ægyptios & Cuschæos & Sabæos illo tempore victos fuisse à Senacheribo; fac, inquam, rem ita se habuisse: utique id Judæis illo tempore saluti non fuit. Senacheribus enim illo tempore integris viribus, &, secundum illam hypothesin, ex victoria de his Gentibus tumidior atque arrogantior factus, nihilominus rursus imminuit Judææ & Hierosolymæ; & haud dubie voti potitus esset, nisi Deus ipse suo judicio interveniisset. Id Judæis hoc tempore saluti fuit; non vero quæ supponitur, prospera debellatio Ægyptiorum & Cuschæorum. Ergo, missis aliis, quæ illic disputata sunt, amplexus sum & firmavi hypothesin, quæ statuit, Eventum illum atque adeo Beneficium illud singularis Liberationis quod hic memoratur, explicandum esse ex historia Salmanassaris, qui animo proposuerat cum Syria Cava, Arabia proxima, & Phœnicia totam Palæstinam sibi subjicere: ut postquam ipse *sexto* Hiskiæ *anno* Samariam expugnasset ac destruxisset, sibi à potentissimo hoc Bellatore maxime metuerent *Judæi* quos proxime aggressurus videbatur, & exemplum Samariæ ad Hierosolymam translaturus. Id vero Deus sua providentia & gratia ab iis hoc tempore averruncavit malum. Abduxit illum, (sive expugnata Azotus bello occasionem præbuerit; sive statuerit vindicias repetere de Ægyptiis & Cuschæis, qui Hoseam & Ephraimitas in rebellione sua confirmaverant:) à *Judæis* ad *Ægyptios* & *Cuschæos*: in quos proinde derivata fuerunt mala, quæ Judææ & Hierosolymæ videbantur incumbere. Conjeci autem, Azotum occupatam, & belli per triennium usque ad Salmanassaris obitum gerendi, initium esse factum, *anno* Hiskiæ Regis *septimo*, in qua hypothesi adhucdum subsisto. [f]

Eorum sedes antiqua.

In Cl. Bocharti sententiam animadversio.

Probabile est, totam Arabiam quà Desertam, quà Felicem cessisse posteris Chusi.

Sedes posterorum Joctanis.

Altera hypothesis: Prophetam hic loqui de *Casu* aliquo præteriti temporis.

Hypothesis tertia: Alludi hic ad eundem *Casum*, qui refertur Cap. XX. 1. seqq. de *Ægyptiis & Cuschæis* per Assyrios affligendis.

In quod & quale incident tempus?

De quo necessaria monentur.

Salmanassar demonstratur exequutus esse illud Dei judicium.

Historia ad hunc locum applicatur.

Consequens hujus hypothesios: Orationem consolatoriam Dei hic verti ad *Corpus Electorum* temporis Jesaiæ.

Qui ab hac hypothesi discedunt, se hic difficulter expediunt.

Hypothesis Aben-Ezræ, qui hic putat alludi ad id quod gerendum erat

Consequens hujus interpretationis est, Sermonem hunc consolatorium primo loco dirigi ad *Corpus Electorum hominum* quod in Ecclesia Judæa supererat tempore Jesaiæ; quodque inter omnes Calamitates, quas Gens Judæa sequentibus temporibus subiret, in ea semper conservaretur, usque quo sinu reciperet Gentes cum plena manifestatione Regni Dei sub Messia. Hujus Ecclesiæ *Jehova*, *Deus ejus*, promissis & fœdere ei obstrictus, summum *sanctificationis* ejus objectum, se profitetur *Servatorem*; ejusque suæ erga eam curæ & providentiæ argumentum illis præbet illa ætate recentis memoriæ, quod *Ægyptios*, *Cuschæos* & *Sabæos* objecisset furori bellico Assyriorum, qui illo tempore in Ecclesiæ Judææ exitium parati videbantur. Discede ab hac hypothesi, nec invenies, in quo figas pedem. Aben-Ezra, qui objectum hujus consolationis facit Ecclesiam liberatam ex Exilio Babyloniico, hic intelligit *mala* quæ Medi & Persæ Ægyptiis intulerunt. Et sane verum est, Persas & Medos graves fuisse Ægyptiis, & judicia Dei in Ægyptum administrasse, de quo alibi [g] data opera commentatus sum. Sed illo tempore afflictio Ægyptiorum non fuit saluti Populo Dei. Deus Cambysen & Ochum sua providentia non duxit ad Ægyptios affligendos, ut levamen

a De *Ægyptiis* egi ad Cap. XIX. de *Cuschæis* ad Cap. XX. b Gen. X. 7. Vide Bochart. *Geog. S.* Lib. II. Cap. XXV. c *Geom. S.* Lib. II. Cap. XXVI. d Lib. IV. Cap. VII. e *Observ.* Lib. V. Cap. XV. In *Annot.* ad §. III. f Vide *Anacrisi* Cap. XX. §. VIII. g Ad Cap. XIX. 1. 2. seqq.

post Reditum ex Exilio Babylonico.

men procuraret suo Populo: quod hic supponitur. Hieronymus vero & Coccejus qui Objectum Sermonis Prophetæ faciunt Ecclesiam Christianam primævam, quo modo se hic expediunt? Quo enim sensu Deus pro Ecclesia Apostolica sive Primæva in pœnam dici potest dedisse Ægyptios, & Arabes? Certe Hieronymi hic est miserum & infelix πρηΦύγετον. Vertit verba, *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saba*; eaque in hunc fere modum exponit, quod Deus sua faceret providentia, ut Discipuli Christi Jesu ex Ecclesia Apostolica inter Ægyptios & Æthiopes prædicarent Evangelium, eosque redemptos & expiatos sanguine Christi Deo reconciliarent; & has Gentes propitias, placatas, & subjectas redderent Ecclesiæ. Quem sensum Hebræa plane non ferunt. Deus *Ægyptios reconcilians Ecclesiæ* non potest dici *Ægyptios* loco & vice Ecclesiæ dare כפר λύτρον. Notio enim כפר *propitiatio* hic utique *passive* sumitur, non *active*. Ægyptii in Christum credentes, Deo & Ecclesiæ reconciliati, non *propitiarunt Ecclesiam*, neque eam à qualicunque pœna liberarunt. Liquet satis, Virum doctum ad extrema fuisse redactum, & subsidium petiisse à latina voce *propitiationis*, quæ significationis est ambiguæ. *Propitiatio Ecclesiæ* hic non est actus Dei Ecclesiam expiantis; sed id per quod Ecclesia expiatur, sive *proprie*; sive *improprie* ut hic sumitur. Cl. Coccejus longe hic altiora & μυςικώτερα vidit. Per *Ægyptum* hic mystice intelligit *Imperium Romanum*, tam Paganum quam Antichristianum. per *Cuschæos* vero Imperium Saracenorum. Sensum itaque dicti Prophetæ vult, Deum in hos Populos Ecclesiæ adversarios tandem derivaturum esse mala quæ Ecclesiæ ad ejus exitium pararant. Sed nemo non absque me monitore videt, quam hæc longe sint quæsita. Nihil enim est in oratione Prophetæ, quod nos ullo modo invitet ad cogitandum de interpretatione allegorica nominum harum Gentium, hic loci instituenda; nec cuiquam in mentem veniret id facere, nisi tuendæ hypothesios necessitas ipsum ad id obligaret. *Ægyptus* absque dubitatione sustinet in quibusdam prophetiis symbolum Romani Imperii: sed quis per *Chusæos* & *Sabæos*, mystice intelligere velit *Saracenos*, qui Chusæis orti fuisse non videntur licet postmodum eadem fere occupaverint terras, post tot demum sæcula condituros Imperium, & per tam longum tempus aliud Ecclesiam oppressuros, ut potius Ecclesia necesse habuerit adversus tentationem tam longi temporis *solatio* erigi, quam ut ex illorum Imperiorum destructione, tam longe post futura *certioratio solatii* peti debeat? Quid? Ipse Vir Cl. alibi [a] docet, Imperium Saracenorum demum destructum penitus fuisse à Selimo, Turcarum Imperatore formidabili, A. CIↃ IↃ XV. Quæro ego, quo Ecclesiæ commodo aut emolumento? Quodnam levamen, quam salutem Ecclesiæ attulerit eversio Imperii Saracenici? Nonne iis successerunt, eorumque locum impleverunt & adhucdum implent Turcæ, Saracenis longe terribiliores, quos non putem quenquam per *Chusæos* & *Sabæos* intelligere velle? Tempore Prophetæ Ægyptii & Chusæi arctissime inter se erant conjuncti, & quam fere Gentem faciebant; & ita hic loci proponuntur: dum inter Imperia, Romanum & Saracenicum, diversissimæ originis & Gentis, conjunctio nulla est; potius dissimilitudo & disjunctio summa. Alia nunc non addo, quæ addi possent multa.

Hieron. & Coccejus referunt ad Ecclesiam Apostolicam & Christianam.

Sententia Hieronymi, quæ non probatur, nec satisfacit phrasi Prophetæ.

Hypothesis Cl. Cocceji excutitur.

Nomina *allegorice* accipit: sed absque ulla specie probabili.

Aliæ rationes adversus eam productæ.

Inter *Ægyptios* & *Cuschæos* fuit conjunctio: quæ nulla inter *Romanos* & *Saracenos* quos Vir Doctus hic intelligit.

γ. Promissum *speciale Alterum* de perditione Hostium Ecclesiæ.

Prómissum speciale *Alterum* de perditione *Hostium* Ecclesiæ.

Non agitur hic de eadem re; sed

vs. 4. *A quo tempore pretiosus fuisti in oculis meis, glorificatus es; & ego dilexi te: &* DABO *homines pro te, & Populos pro anima tua.*] Sunt qui existimant de eadem re agi, de qua in *commate superiori*; & voculam מאשר *ex quo* accipiunt non per modum *signi temporis*, cui alligatur Beneficium Providentiæ & Gratiæ Divinæ in hoc loco; sed *ratiocinative* pro עד אשר *propterea quod glorioſus fuisti, & seqq.* Sed rectius se videtur habere hypothesis, quæ sententiam Prophetæ de affini quidem sed non de eodem subjecto eademque re interpretatur; & vocula מאשר secundum analogiam (est enim constructio rarior,) commodius videtur accipi ut *signum temporis*. Cætera si ad sensum orationis investigandum descendas: dubium videri posset, quid proprie fuerit in mente Prophetæ, ubi hæc verba consignavit. Beneficium quo Deus Populo suo hic obsignat amorem suum, *dare hominem* vel *homines pro ipso*, & *populos pro anima ejus*; h. e. homines alios & Gentes affligere vel perdere, ut populi sui commoda, prosperitatem & salutem procuraret: magnam videtur admittere latitudinem. Quotiens enim Deus Populum suum cum perditione aliarum Gentium servavit, (quod sæpissime factum à quo Populus liberatus fuit ex Ægypto & introductus in Canaanæam; & in ea vindicatus adversus Gentes proximas eum infestantes:) totiens Deo debitor fuit beneficii, quod hic exprimitur. Et sunt sane inter Intt. qui verba Prophetæ ea accipiunt latitudine, ut Prophetam hic respicere autument primam ejus ex Ægypto redemptionem & liberationes qualescunque eam sequentes. Dici enim potest Populus Jacobidarum ab eo tempore *pretiosus fuisse in oculis Dei, & glorificatus* ac *amatus esse*. Sed non est mihi probabile, illos perspexisse mentem Prophetæ. Primo enim cogitandum est, Sermonem hunc dirigi ad *Ecclesiam veram* quæ supererat tempore Jesaiæ, quæ hic supponitur certo aliquo tempore à Deo *glorificata* honorataque fuisse. Secundo, Prophetam in *superiore commate* retulisse Beneficium aliquod ejusdem illius temporis. Tertio, loqui illum in *posteriore membro* de Eventu futuro secundum *punctaturam* Masorethorum. Quarto, *Consequentem contextum* qui manifeste agit de Statu Ecclesiæ liberandæ & liberatæ ex Exilio Babylonico, definire sensum hujus promissi. Hic character, hæc clavis est veræ interpretationis. Ergo, refer mecum primum membrum: *A quo pretiosus fuisti in oculis meis, glorificatus es*; ad cladem inflictam Assyrio Senacheribo cum ingente gloria Gentis, sive potius Ecclesiæ Judææ, quæ hoc tempore & in hoc casu illustri demonstrata est Deo esse *cara* & ab ipso *amata*. Huc vero respici, non dubitabis, si *alterum membrum* sententiæ prudenter acceperis. Scripsit Propheta, *Et dabo* HOMINEM, sive *homines pro te, & populos pro anima tua*. Prius ad *Assyrios* pertinet; posterius ad *Chaldæos*. ut adeo in voce ונתן lateat duplex significatio. Valet, *Et dedi*, &, *Et dabo*. Sic solet Propheta noster, ut variis locis observavi. Sin id tibi grave sit: patior, *homines* & *populos*, ad idem subjectum, h. e. Chaldæos referri. ut Cap. LI. 12. *Quis tu es qui tibi metuis ab homine qui morietur; & filio hominis qui instar graminis evadet*. Confer locum insignem Cap. II. 22. Sed ego insisto illi quam exhibui interpretationi; quando oratio tota eleganter cohæret & optime procedit. Assyrii in insigni suo Principe Senacheribo caussa & in gratiam Ecclesiæ mortifera clade affecti sunt; & Imperium Chaldæorum ad liberationem procurandam Populo Dei à Medis & Persis evertendum erat; de quo Propheta in sequentibus fuse vaticinatur. Nec aliud postmodum fatum esset Syrorum, qui Ecclesiam Dei in hisce terris, certe in Judæa, molirentur exscindere. Ceciderunt in foveam, Ecclesiæ paratam. Singulis vero hisce in casibus Deus publice testatum facere voluit, Ecclesiam *caram* ac *pretiosam* & à se *dilectam esse*, eamque *glorificavit*. Ecclesiam, inquam, veram, judiciis suis purgatam probatamque, quæ cura Divinæ Gratiæ illis temporibus *fidem* & *respiscentiam suam* Deo probaret.

de affini. Respectus vocularum מאשר *ex quo*.

Beneficium hic promissum, magnam involvit *latitudinem*.

Nec tamen hic respicitur ad Redemptionem Populi ex Ægypto. Rationes ejus hypothesios.

Respicitur hic primo ad *Casum* Populi liberati à *Senacheribo*.

Gemina significatio involuta voce ונתן *Et dedi & dabo*.

Verba secundum illam hypothesin declarantur.

δ. *Promissum Speciale* tertium de Insigni amplificatione Ecclesiæ ipsas quoque Gentes Sinu suo recepturæ.

vs. 5. *Ne timeas, quia Ego tecum sum. Ex* ORIENTE *adducam semen tuum, &* EX OCCIDENTE CONGRE-

Promissum Speciale ter-

[a] Ad Cap. XXI. 16.

tium de Amplificatione Ecclesiæ, ℣. 5. seqq.

GREGABO TE. ℣. 6. *Dicens Aquiloni, Da; & Austro, Ne cohibeas: adduc filios meos è longinquo, & filias meas ab extremo terræ.* ℣. 7. *Omnem qui de nomine meo vocatur; quemque ad gloriam meam* CREAVI; *quem* FORMAVI; *quem imo vero* FECI.] Vides hic Jesaiam totum in spiritu, raptum in sublime, & longe majora atque ampliora canentem, quam vaticinaturus esse videbatur. Poterat Ecclesia Electorum Dei, unicum quod supererat in terris Dei semen, dum videbat statutum esse Deo in fœdifragos, idololatras, & impœnitentes exequi severa judicia sua secundum interminationes factas per Mosen & Prophetas omnes, merito metuere, ne post punitionem reproborum ad exiguum redacta numerum, abducta in exilium & dispersa inter Gentes, ac idololatris permissa, tota interiret atque intercideret, & à vasto hoc mari Gentium absorberetur. Sed munit eam adversus hunc metum. Non tantum ait Ecclesiam dispersam inter omnes hasce tempestates & discrimina esse perstituram ac providentiæ suæ cura conservandam: verum etiam secundum prædictionem Mosaicam esse *recolligendam*, suoque restituendam loco & statui: *recolligendam* autem non modo secundum speciem ejus *externam*, cum instaurata Republica & Templo; sed inprimis secundum speciem ejus *spiritualem* & *mysticam*, secundum quam *Electi* non solummodo Judæorum, verum etiam Gentium, ad eam magno numero confluerent, vinculo arctissimo non corporali, sed spirituali inter se uniendi. quæ præclara est oratio & prophetia. Tantum opera nobis est danda, ut in sensu ejus tradendo non erremus à scopo Prophetæ. Observa itaque mecum, Prophetam cum *unum* hic dicere videatur, *duo* intelligi velle; hoc est, id quod *minus* est, *majori* includere; quod Propheta noster ubique facit, & reliqui omnes. Debebat hic proprie & ordine vaticinari ad solatium Piorum de *collectione dispersæ* Ecclesiæ facienda cum Reditu ex Exilio Babylonico, & cum instauranda per Maccabæos Republica, quando rursus collectio facta est credentium in varias oras dispersorum: verum dum illi interea obversabatur collectio major, verior, nobilior, quæ est collectio spiritualis Electorum & Gentium, ex omnibus partibus Orbis terrarum *congregandarum* non *corpore*, sed *mente* & *spiritu* in *Ovile Ecclesiæ*; quæ *collectio spiritualis* complementum suum acciperet sub Regno Messiæ, & per Apostolos ac Ministros ejus consummaretur: hanc proprie *collectionem* Ecclesiæ in oculis habet & describit; *mysticam*, inquam, & *spiritualem*; sed phrasibus desumptis à *Collectionibus Ecclesiæ dispersæ externis*, & *corporalibus*, quæ fierent cum *Reditu ex Exilio Babylonico* & cum *instauranda Republica per Maccabæos*: eodem plane modo ac instituerat Cap. XI. 11. 12. quæ loca cum hoc nostro comparanda sunt. Sed est mihi hypothesis mea, à quo loci hujus intellectus pendet, ordine demonstranda.

Verum σκόπον orationis hic perceptum est canon interpretationis.

Vates majora canit, quàm videbatur vaticinaturus esse: acsi unum pro alio diceret.

Quod distincte declaratur.

Hypothesis prima: Prophetam hic directe & in emphasi loqui de *Collectione spirituali* & *mystica*, quæ est Gentium ad Communionem Christi Jesu.

Primo itaque loco, Prophetam hic proprie, directe & in emphasi loqui de *Collectione spirituali* & *mystica*, qua *Electi Judæorum* & *Gentium* ingente numero *congregarentur* in communionem Ecclesiæ, non tam *corpore* quam *spiritu*, quæ collectio & congregatio complementum suum acciperet sub Regno Messiæ efficienda medio Verbi Evangelii, tanquam instrumenti vocationis Gentium; ex hisce certis adstruo rationibus. Primo quia Christus Dominus & Apostoli nobis hunc sensum pericopæ hujus demonstrarunt. Sic Dominus apud Matthæum [a]: *Dico autem vobis*, MULTOS AB ORIENTE ET OCCIDENTE VENTUROS, *& discubituros cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo, in Regno Cœlorum: filios autem Regni ejectum iri in tenebras illas exteriores.* Vides, illum agere de *Vocatione Gentium* earumque aggregatione ad Ecclesiam, cum rejectione reproborum multorum ex Judæis ipsis; & nemini obscurum potest esse, Dominum Jesum orationem suam sic instituere, ut ad locum hunc nostrum & analoga alludat. Sed en adhuc clarius quid & expressius apud Joannem [b]; qui postquam narrasset propheticum dictum Cajaphæ de Christo Jesu morituro pro Gente Judæa, explicans rem ipsam addit: *Et non ὑπὲρ τῆ ἔθνες μόνον* (pro τότε τῆ ἔθνες,) *pro hac Gente tantum; sed ut quoque* FILIOS DEI DISPERSOS CONGREGARET IN UNUM. Negas, Joannem hic loqui de *collectione spirituali*, & quidem de *collectione spirituali Gentium ad communionem Ecclesiæ?* Negas, illum phrasi sua ad hunc locum nostrum alludere? Utrumque testatum est. De *Gentibus* loquitur ut oppositis *Judæis*; vocatque eas *filios Dei* cum respectu ad hunc ipsum locum, siquidem Decreto Dei destinatæ erant beneficio *adoptionis spiritualis*. Joannes itaque idem hic dicit quod Dominus Jesus, cujus verba adduxerat Cap. X. 16. *Alias etiam oves habeo, quæ non sunt* EX HAC CAULA: *illas quoque oportet me adducere; nam vocem meam audient, fientque* UNUS GREX & UNUS PASTOR. Paulus ad *Ephesios* [c]: *At nunc in Christo Jesu vos qui olim eratis procul, propinqui facti estis per sanguinem Christi.* Confer phrasin Domini in prophetia de *completa Vocatione* Gentium, in fine temporum instituenda [d]: *Ipse vero mittet angelos suos, &* ELECTOS SUOS COLLIGET *à quatuor ventis, ab extremo terræ usque ad extremum cœlorum.* Secundo, ex ipso contextu inspecto idem clarissime liquet. α. Quia ex hypothesi in præcedentibus jacta oratio hæc Prophetæ dirigitur ad *Corpus mysticum Electorum* quod in Ecclesia Judæa supererat, in quo implendæ erant promissiones Gratiæ. β. Vates ipse subjecta colligenda describit à *qualitate interna & spirituali*. ℣. 7. *Omnem*, ait, *qui de nomine meo appellatur; quem ad gloriam meam creavi, formavi, feci.* Nihil hic certius & evidentius. Tertio, ubi Prophetæ cum Jesaia nostro loquuntur de *collectione Israëlitarum* instituenda cum Reditu ex Exilio Babylonico aut cum instaurata per Maccabæos Republica, sub *corporali collectione* passim intelligi volunt *spiritualem*, faciendam sub Messia, in qua collectio illa *corporalis* complementum suum accipere debebat. Confer ex Propheta nostro Cap. LIV. 7. Jer. III. 17. XXXI. 10. Hos. XI. 10. 11. Quin sane non ausim dicere, Mosen in illustri illa prophetia [e] in qua prædicit *recollectionem* Judæorum propter defectionem à Deo Patria sua exigendorum *ex omnibus cœli plagis*, nihil hic altius respici voluisse. Omnes Prophetæ spiritualia *corporalibus* involvunt, quippe in quibus complementum suum consequi debebant.

Locus Joh. XI. 52. ex analogis illustratur.

Eadem hypothesis evincitur ex *contextu*.

Respectus loci Deut. XXX. 5. 6.

Hypothesis altera: Prophetam phrases desumere à Collectione Populi facta in *Restitutione Reipublicæ*, destructæ à Chaldæis & Syris.

Alteram hypothesios meæ partem, qua supposui, Jesaiam nostrum de *spirituali* & *mystica collectione* vaticinantem phrases desumpsisse à *collectionibus corporalibus* quæ faciendæ essent cum *Reditu ex Exilio* & ex *Dispersione Syriaca*: non necesse habeo demonstrare, tum quod Interpp. passim in eo consentiant; tum quod phrases ipsæ nobis per se hanc cogitationem subjiciant. Sic utique post Mosen Jeremias loquens de *Collectione corporali* futura cum Reditu ex Exilio Babylonico [f]: *Et convertam captivitatem vestram, &* COLLIGAM VOS *ex omnibus Gentibus & omnibus locis in quæ vos populi.* De Collectione facienda cum instauranda per Maccabæos Republica hac eadem phrasi loquitur Zacharias [g]: *Et reducam illos ex terra Ægypti, & ex Assyria* (nova, Regno Syriaco Seleucidarum,) *colligam ipsos; & ad terram Gileadi & Libani ipsos adducam, ut ipsis amplius locus non sit.* Patet itaque quod supposui, Prophetam nostrum cum rem *unam* dicere videatur, vere *duas* intelligi velle. Supereſt, ut rem ipsam paucis declarem, & prophetiam ex implemento suo illustrem.

Loca huc adducta.

Dicta Matth. VIII. 11. Joh. XI. 52.

Res ipsa quæ hic traditur altius repetitur.

Judæi post Reditum ex

[a] Cap. VIII. 11. [b] Cap. XI. 51. [c] Cap. II. 13. [d] Cap. XLII. 17. Confer Matth. XXIV. 13. [e] Deut. XXX. 5. 6. [f] Cap. XXIX. 14. [g] Cap. X. 10.

Exilio collecti sunt Hierosolymam, vel *corpore*, vel *spiritu*.

& relictis fortunis suis probe stabilitis, in terra majorum suorum tentare aut subire parati erant adversa omnia cum quibus luctandum esse, prudentes facile prævidebant. Veruntamen illi, licet corpore in aliis terris præsentes, *animo* tamen & *spiritu* adjungebantur & conjungebantur Templo, & Religioni quæ Hierosolymis celebrabatur; quam *urbem* illi respiciebant ut *matrem suam*; cujus *cives* in fide volebant haberi; quam donariis suis honorabant; & ad quam subinde si res statusque suus permitteret, suscipiebant profectionem, ut Deum *Hierosolymis* adorarent. Hæc prima species est *collectionis* vel *accessus spiritualis* ad Ecclesiam. Eadem fors fuit *proselytorum*, qui jam sub Imperio Babylonico [a], sed potiore numero sub Persico; inde in Ægypto, Syria, Asia, & denique in Græcia & Italia, se Ecclesiæ aggregarunt, *primitiæ Gentium* illius temporis: quæ collectio *spiritualis* cum Judæi per Orbem cultum plurimum multiplicarentur, continuata est per universum intervallum temporis quod insequutum est Reditum Populi ex *Exilio Babylonico* & ex *Dispersione Epiphanica*, usque ad Oeconomiam Novam. Nec tamen hæc collectio hactenus tota erat spiritualis & mystica, cum qui in alienis terris versabantur sive Judæi sive Proselyti se *in spiritu* unientes Hierosolymæ, se non unirent rei mere *spirituali*, sed *corporali*; Hierosolymis sc. & Templo, & Cultui carnali qui Deo in Templo offerebatur. Exspectabatur itaque alia & perfectior *adductio* (προσαγωγὴ) sive *collectio Seminis* Ecclesiæ quæ tota esset *spiritualis*, qua *Electi* ex omnibus Gentibus per universum Orbem terræ se adscribi paterentur *civitati novæ Hierosolymæ* ut illius *cives* & *nati*, (de quo mox ad Cap. XLIV. 5.) & ingente confluxu illam Ecclesiam spiritualem & liberam, Hierosolymis fundandam & fundatam, locupletarent & honorarent; de quo Vates noster Cap. XI. 1. seqq. LIV. 1. seqq. multisque aliis locis. Jeremias [b]: *Illo tempore appellabitur Hierosolyma Thronus Jehovæ*, ונקוו אליה כל הגוי׳ & AGGREGABUNTUR AD EAM OMNES GENTES, *ad Nomen Jehovæ Hierosolymis, & non amplius incedent post duritiem cordis sui mali.* Hæc demum est illa *collectio* & *aggregatio spiritualis*, de qua Propheta hic in emphasi disserit, omnis alterius generis hujusmodi collectionis complementum. Ad quam non requiritur ut quis *corpore* præsens Hierosolymis adsit: sed *animo* & *spiritu* se illi aggreget Ecclesiæ, quæ ab Apostolis Hierosolymis est fundata; & perfusa donis S. Spiritus; eamque admittat *fidem* in qua Ecclesia illa spiritualis est fundata. Hæc in genere monuisse sufficiat. Adscribam paucula ad orationis emphasin demonstrandam.

Sed quæ perficienda erat sub Oeconomia Nova in collectione Electorum mere *spirituali*.

Locus Jer. XIII. 17.

Verba Prophetæ secundum hanc hypothesin declarantur.

℣. 5. *Ne metue, quia tecum sum: ab Oriente adducam* SEMEN TUUM, *& ex Occidente* COLLIGAM TE.] Sensus est, Cum ex me intelligatis, ex Decreto justitiæ meæ gravia me exequuturum esse judicia in fœdifragos, impœnitentes, cæcos, qui majorem partem faciunt Ecclesiæ carnalis externæ, quæ veræ Ecclesia videatur minari interitum: depone, fis, hac parte metum & solicitudinem. Non tantum enim Ego Reipublicæ & Ecclesiæ externæ statum instaurabo; verum eam insigniter amplificabo & honorabo ex ingente confluxu *Gentium*, ex omnibus cœli plagis sinu Ecclesiæ recipiendarum, & communioni Ecclesiæ mysticæ aggregandarum. *Semen* Ecclesiæ hic est *semen spirituale* per *Regenerationem* mysticam producendum & *nascituram Tsione*, de quo Poëta Sacer in Ode ejusdem argumenti, Ps. LXXXVII. 4. 5. Huc pertinet in emphasi vox אביא ADDUCAM. Non dicit enim Propheta, אשיב REDUCAM: qua voce frequentes utuntur Prophetæ, ubi loquuntur de *Reditu ex Exilio:* sed אביא VENIRE FACIAM, quod in emphasi referendum ad Gentes. Adduceret autem ex Asia, quàm late in *Orientem* extenditur; & ex *Insulis maris*, h. e. Asia minore, Græcia, Peloponneso, Illyrico, Italia, Hispania, Africa, quæ Hierosolymitani cœli climati sunt ad *Occidentem*.

℣. 5. *Ne metue, quia tecum sum, &c.*

Paraphrasis verborum.

℣. 6. *Dicens Septentrioni*, CEDO, *& Austro*, NE COHIBE.] Designatur conversio Scytharum, Celtarum, Germanorum, Gothorum, sub quibus Septentrionales Gentes complector: tum quoque Arabum, Ægyptiorum, Libyum, Æthiopum, quæ Gentes Judææ sunt ad Austrum: ex quibus omnibus terrarum Orbis tractibus instruenda erat, ut instructa est, Ecclesia. Historia hic clamat & lucet. Nos ipsi exemplo sumus. Confer præter allegata in superioribus insignem locum Ps. CVII. 3. In phrasi, DICENS *Aquiloni*, hanc mihi observa vim, α. Vocationem Gentium conjungi cum *jussione* insuperabili Divinæ Voluntatis, qualis est jussio *creationis*, expressa hac ipsa voce אמר [c]. β. *Climata cœli* sive *Tractus terræ Aquilonaris* vel *Australis*, ut & *Orientalis* & *Occidentalis*, (attributa enim hæc omnibus communia sunt:) juberi *dare* & non *cohibere* Electos ad Ecclesiam aggregandos, quod Gentes in illis Oris & sub illis Cœli plagis à Satana detinerentur sub potestate erroris & ignorantiæ, eumque in modum *cohiberentur* ut absque jussione Divina solvi non possent illis vinculis. Idem genus est locutionis mysticæ & metaphoricæ, quo *mors* Christum Jesum dicitur *tenuisse sub sua potestate*; sed post solutum λύτρον *diu* retinere non potuisse. [d]

℣. 6. *Dicens Septentrioni, Da, &c.*

Implementum prophetiæ.

Phrasis, *Dicens Aquiloni.*

Emphasis ejus.

Adduc FILIOS MEOS *è longinquo, &* FILIAS MEAS *ab extremo terræ.*] Scilicet destinatos *adoptioni filiorum*, Ephes. I. 5. qui κατὰ πρόληψιν *filii* & *filiæ Dei* appellantur, perinde ac *Oves* in Sermone Domini [e]. Omnes enim illi qui *renati* in vitam spiritualem, aggregantur Hierosolymæ spirituali, eamque profiterentur *matrem suam:* Deum nanciscerentur *Patrem. Nati Ecclesiæ* nascuntur *filii Dei.* Quid vero illud quod *Auster* & *Aquilo filios Dei* dicantur *adducturi esse?* Nempe Deus curaret sua providentia, ut in Australi & Aquilonari plaga existerent *media* sive *causæ* per quas Electi adducerentur ad communionem Ecclesiæ, h. e. ut Verbum Evangelii cum omni efficacia Sp. S. inter illas Gentes prædicaretur. Et quidem *à longinquo, & ab extremis terræ.* Sic docuit experientia. Testes sunt inde Æthiopes sive Habessini: hinc Gothi & Vandali. Sed tu qui Sapientiam Divinam sedulo scrutaris, ne neglige hic sensum mysticum. *E longinquo & ab extremis terræ* in emphasi dicuntur *adduci* qui à communione Dei & Ecclesiæ propter vim ignorantiæ, superstitionis, idololatriæ, & vitiorum quam longissime fuerunt *remoti.* Quanto quis longius à Deo abest earum respectu rerum quæ hominem à Deo separant: tanto magis *è longinquo* dicitur adduci. Separant autem hominem à Deo ignorantia, error, vitia.

Quinam hic *filii* & *filiæ Dei?* Beneficium *Adoptionis.*

Filii Dei adducendi ab extremis, terræ.

Exempla ejus rei.

Altior phrasios contemplatio.

℣. 7. *Omnem qui* DE NOMINE MEO APPELLATUR; *quemque ad gloriam meam* CREAVI, *quem* FORMAVI, *quem etiam* FECI.] Explicant verba & declarant aperte, quale illud esset *Semen Jacobi*; quales *filii Dei*, quorum in superioribus facta erat mentio. Non hic intelligi *Semen naturale & carnale*; non item *filios & filias Dei*, *adoptione typica externa* in *filios Dei* assumptos [f]; sed homines *ex Deo*, sive ex Spiritu Dei, *genitos* [g]: h. e. potentia & gratia Dei conditos paratosque ad gloriam Dei: veros *filios Dei*, ejus gerentes imaginem; eum ut *Patrem* amantes & honorantes; nomine & prærogativis *filiorum Dei* adoptione spirituali donatos; & vocatos in spem hæreditatis bonorum ejus. Ergo quod hic dicitur, *Omnem* qui *vocatur de nomine meo*, hic accipiendum est in emphasi acsi scriptum esset, *Omnem qui* VERE *appellatur de nomine meo*, h. e. qui vere *filius meus* dicitur. De *nomine* enim alicujus *appellari*, est *ejus esse filium*, ut paulo pluribus docebo ad Cap. XLIV. 5. *Verus* autem *filius Dei*, non *typicus* & *nominalis*, (quo sensu omnes Israëlitæ quorum erat *adoptio* [h], dicebantur *filii Dei:*) idem est *verus filius*, *verum semen Abrahæ*, non κατὰ σάρκα *secundum carnem*,

Verba ℣. 7. *Omnem qui de nomine meo appellatur, &c.*

Verba pertinent ad superiora declaranda.

Intelligitur *semen spirituale.*

Vera *filiatio* typicæ contradistincta.

[a] Confer hic Cap. XIV. 1. seqq. [b] Cap. III. 17. [c] Confer 2 Cor. IV. 6. [d] Act. II. 24. [e] Joh. X. 16. [f] Deut. XIV. 1. [g] Joh. I. 13. [h] Rom. IX. 4.

omem, ſed ἐκ πίστεως Ἀβραάμ *a*. EX FIDE ABRAHÆ: factus Beneficio Divinæ Gratiæ *καινὴ κτίσις nova creatura*. Id vero Jeſaias noſter ita deſcribit, ut emphaſi Orationis nihil addi poſſit. Per *Semen myſticum* Eccleſiæ aggregandum ait ſe intelligere *omnem*, abſque diſcrimine ſatus, abſque diſcrimine ſoli & ortus naturalis, *quem* Deus *ad gloriam ſuam creavit, formavit, & etiam fecit:* nemine hic excepto niſi qui exceptus eſt Divina Gratia. Agitur utique hic de *Opere Gratiæ* quo Deus in *homine naturali & carnali*, qualis editus eſt ex Parentibus, producit *hominem ſpiritualem*, hominem novum, qui ſecundum Deum conditus eſt in *juſtitia & intenſo veritatis ſtudio*. h. e. quo opere in homine producit illos *habitus*, illas *formas ſpirituales*, ut ſunt, *intelligentia* illuminati intellectus, *fidei, prudentiæ, ſanctimoniæ, charitatis, σωφροσύνης moderationis*, per quas fit *homo novus, creatura nova*; de quo jam vidimus ad ỳſ. 1. Producit autem *voluntate* omnipotente & inſuperabili *medio* VERBI, quod hic eſt Verbum Evangelii, unde comparatur *creationi antiquæ* rerum Voluntate Dei omnipotente *medio Verbi* productarum. Sancti antiqui temporis hoc myſterium *creationis & generationis ſpiritualis* recte perceperunt. Vates noſter Cap. LX. 21. *Et Populus tuus, omnes illi, juſti: in æternum poſſidebunt terram. ſurculus plantationum mearum*; OPUS MANUUM MEARUM, *ad me condecorandum*. Confer loca quæ hoc eximium Gratiæ beneficium ſub hac notione exhibent, alioquin ſatis nota, Pſ. c. 3. CXIX. 73. CXLIX. 2. LI. 12. 2 Cor. IV. 6. V. 17. Epheſ. II. 10. *Nam* IPSIUS *ſumus* OPUS, CONDITI IN CHRISTO JESU AD BONA OPERA, *quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus*. Reſpicit Apoſtolus, ut putem, ad ipſum hunc locum noſtrum, & analogum Cap. LX. 21. Tantum declarandum eſt, quæ differentia hic obtineat inter *tres notiones*, quibus Vates noſter hoc Beneficium Gratiæ emphatice explicat. Quæ notiones cum alias generaliore ſignificatu ſumantur, ut una alteras complectatur & involvat: hic utique admittunt ſignificatum *ſpecificum* qui dicitur, ſumunturque vero & characteriſtico ſenſu. ברא *Creare* ut generatim notat qualecunque effectum *numine & imperio* Cauſſæ omnipotentis ita ſiſtere, ut effectus ab illa juſſione *ἀμέσως immediate* pendeat; hoc loco *κατ' ἐξίτυσιν* eſt, *interiorem rei formam & ſubſtantiam ipſam* producere, quem uſum habet in *initio* Hiſtoriæ *Creationis*; quando Latinis rectiſſime vertitur per *Creare*. Licet enim in notione Latina non inſit omnis poteſtas ſignificationis quæ eſt in voce Hebræa ברא: nulla tamen ſimilium notionum propior ad eam accedit. *Creare* enim Latinis eſt quid *ex ſe* producere, ut quod producitur ſive educitur effectum in cauſſa vel phyſice vel eminenter lateat. Lucretius *b*:

Nunc age, res quoniam docui non poſſe CREARI
De NIHILO.

יצר *formare* eſt rei quod ad ſubſtantiam productæ ſuam dare *formam exteriorem:* ut ſi ſculptor materiam ligni, lapidis, metalli paratam habeat, ei aptet *formam* hominis, animantis, aut qualiſcunque rei alterius. עשה *facere* eſt ex vera & intima vocis ſignificatione, *rem perficere*, expolire, pulchram facere, ſpeciem ei & ornatum addere: ut ſi Sculptor imaginem à ſe ex materia paratam expoliat atque exornet. Exempla in *Vocabulariis*, ſi quæſiveris, te non fallent. In prima hominis productione *Creatio* pertinet ad productionem *materiæ corporis & ſpiritus rationalis*, quibus partibus homo conſtat. *Formatio* ad illarum partium *unionem*, & *conformationem* aptiſſimam partium omnium corporis Organici; *Factura* ſive perfectio ad *imaginem Dei* qua Deus hominem à ſe productum ornavit. Deus Populum Judæum *creavit*, ubi illum eduxit ex Ægypto: *formavit*, ubi Leges ei dedit ad Montem Sinai; *fecit*, ubi univerſam Oeconomiam hujus Populi in Politicis & Eccleſiaſticis ordinavit & ſtabilivit in Canaanæa, & vicinas Gentes ei ſubjecit; quæ tria beneficia Moſes ſub ſimilibus figuris proponit in Cantico *c*. Deus hominem in Oeconomia Gratiæ *creat*, ubi vi gratiæ omnipotentis illum *illuminat*, regenerat, ſanctificat; ſive, in illo producit *habitum veræ & vivæ fidei*, ſe diffundentem per omnes ejus facultates *d*: *format illum*, ubi cuique ſuum aſſignat *μέτρον menſuram*, modum, *συμμετρίαν proportionem* cum reſpectu ad totum corpus Eccleſiæ, ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως *e*: *facit* illum, ubi illum in Statu Gratiæ magis magiſque perficit, & confirmat; & ſub Oeconomia Nova *Donis* excellentibus majoris gradus intelligentiæ, ſapientiæ, fidei, & chariſmatum Spiritus S. ornat *f*. Dicitur ſtylo N. T. καταρτίζειν, quæ notio hic exacte reſpondet voci עשה *facere, perficere*, in inſignibus locis 1 Theſſ. III. 10. Heb. XIII. 21. 1 Pet. V. 10. Hæc vero *creatio, formatio, factio* pro ſcopo ſuo habet *glorificationem Dei*, non tantum hoc ſenſu quod *gloria* clariſſimarum Dei virtutum in hoc Opere Gratiæ illuſtri modo conſpiciatur; ſed quod *creati, formati & facti* ad hunc finem perfecte inſtruantur. Hæc ego pro materiæ amplitudine paucis. Judæi, operis interni Divinæ Gratiæ plane ignari, hic nihil viderunt: nec quicquam ſani protulit Paraphraſtes, qui exhibet: *Omne hoc propter Patres veſtros juſtos ſuper quos invocatum eſt nomen meum, & ſeqq.* acſi legiſſet: בל זה על הנקרא בשמי Sed de *lectione* hic nullum poteſt eſſe dubium, quæ ſibi conſtat, & ex Alexandrino confirmatur.

PARS ALTERA hujus Sectionis (ordine *quinta*,) DOCTRINALIS, quâ Credentes ex *Factis* his illuſtribus, & illorum *prædictione, confirmantur* in fide *veræ Divinitatis* Dei Iſraëlis.

a. *Appellatio* directa ad *Credentes & Doctores veræ Eccleſiæ* qua jubentur ex his illuſtribus Factis, clare prædictis, *Judæos degeneres & Gentes* convincere de *vera Divinitate Dei Iſraëlis.*

ỳſ. 8. *Producite Populum cæcum*, CUI SUNT OCULI; *& ſurdos* QUIBUS SUNT AURES. ỳſ. 9. *Omnes Gentes congregentur pariter, & in unum colligantur Populi: quis inter illos hoc clare coram oculis poſuit? Aut priora audire nos faciant, atque exhibeant teſtes ſuos & veraces declarentur*; AUT *audiant, & dicant, Verum eſt*, ỳſ. 10. *Vos eſtis teſtes mei, ait, Jehova, & Servus meus quem elegi, ut cognoſcatis & fidem mihi adhibeatis, & intelligatis, Me eſſe illum: ante me nullum formatum fuiſſe Deum, & poſt me nullum futurum eſſe.*] Scopum hujus Orationis continuatæ Dei ad Populum ſuum Electum recte percipere, eſt vere Pericopam hanc intelligere, ejuſque cognitum habere ſenſum. Eſt autem Scopus Pericopæ hujus Doctrinalis & Elencticæ, *Semen* illud *Electum* in Populo Dei confirmare in fide veræ Divinitatis ex inſignibus illis Eventibus tanta claritate à Propheta prædictis; & ipſos hoſce veros Credentes qui *Semen Electum* faciebant, inſtruere ad Judæos degeneres Genteſque idololatras *convincendos* de *eadem* hac *fide* ex iiſdem hiſce argumentis, h. e. ex luculentis Operibus Liberandi Populi ex Babylone per Cyrum, & Mittendo Chriſto Jeſu ut magno Propheta ad converſionem Gentium; quæ proin Opera de novo repetuntur, & ſub aliis figuris proponuntur. Qui ab hoc ſcopo diſcedunt, quod pauciſſimi fecerint, incidunt in commentationem vagam, qua tandem exitum non invenientes ſe ipſos perdunt. Relegam verba Prophetæ, & ſenſum curſim illuſtrabo.

ỳſ. 8. *Producite Populum cæcum, & ſeqq.*] Vocem הוציא recte verti per *producite:* eſt enim *Formæ infini. ive*, ut Kimchius & alii jam obſervarunt; patetque ex ỳſ. 10. compellari plures. Eſt igitur acſi ſcriptum eſſet, *Producendo produci e*. Loquens hic eſt Deus Pater, cujus continuatur oratio. Oratio autem dirigitur ad

Vis orationis. Verba ſingulatim expenduntur.

Univerſalitas quæ latet in voce *Omnis*.

Opus Gratiæ quo Deus quem format in *Filium ſuum*.

Quid hic ſpeciatim noret vox ברא *creare*?

Quid יצר *formare*?

Quid עשה *facere*?

Quomodo hæc diſcreta fuerint in prima hominis productione?

Quomodo in Productione typica Populi Dei?

Quomodo in *Opere Gratiæ*?

Scopus ejus eſt *Gloria Dei*.

Stupor Judæorum in hoc caſu.

PARS ALTERA hujus *Sectionis*, qua ex Factis iliuſtribus prædictis demonſtratur *veritas Divinitatis* Dei Iſraëlis.

Primo *Appellatio* directa ad veros Dei Cultores, ut alios convincant de *Veritate* Divinitatis veri Dei.

Scopus hujus Pericopæ & orationis nexus.

ỳſ. 8. *Producite Pop. cæc. &c.*

Vox הוציא *formæ Infinitivi* quomodo hic accipienda?

a Rom. IV. 16. *b* Lib. I. ỳſ. 266. *c* Deut. XXXII. 6. *d* Epheſ. I. 17. ſeqq. *e* Rom. XII. 3. Epheſ. IV. 7. *f* 1 Cor. XII. 8.

Subjectum ad quod hæc oratio dirigitur.

idem *Subjectum* ad quod superior, h. e. ad *Electos Populi Dei*, generatim sumptos; sed præcipue ad veros *Doctores* & *Prophetas* qui in Populo Dei supererant, quibus Deus immediate voluntatem suam revelabat; quibusque commendat inire disputationem cum *idololatris*; eosque *convincere* quod mox usu veniet distinctius observare ad ℣. 10. Per *populum cæcum cui sunt oculi*, & *surdum cui aures*, absque dubitatione intelligendi sunt *Judæi degeneres* illius temporis sive idololatræ sive hypocritæ profani, secundum Prophetam nostrum ipsum in *Sectione priore* hujus Concionis, Cap. XLII. 19. seqq. coll. cum Cap. VI. 9. 10. *Videbant oculis externis* mirabilia Opera Providentiæ Divinæ singularis erga Populum; eadem legebant in historiis Sacris: *Audiebant auribus suis* conciones Prophetarum à Spiritu Divino inspiratas; simul mirabilia Dei ex traditione Majorum ad se delata; eorumque dictorum & auditorum percipiebant sensum: sed deerat iis *attentio*, *νόησις consideratio*, & *intelligentia spiritualis*. Excæcati & indurati præjudiciis suis nullas ex *dictis* & *auditis* nectebant consequentias rationales. Dubia, quæ ex præjudiciis hauserant, excludebant veram solidamque *fidem*, atque adeo *fiduciam* in Deo reponendam, & in eum *affectum*. De viis Dei siniſtrum ferebant judicium. Promissa Patribus facta vilipendebant; perstitebant in idololatria & superstitione quæ carnali concupiscentiæ blandiebantur; & quæ plura hujus generis alibi pressius prosequutus sum. Inde Jeremiæ æque ac Prophetæ nostro dicuntur *Populus stultus cui nullum est judicium: quibus sunt oculi & non vident; & aures & non audiunt* [a]. Hunc Populum Deus *jubet produci*, h. e. in medium exire & produci in lucem publicam, ut apud eum per disputationem rationalem instituatur convictio veræ Divinitatis ex *luculentis prædictis* Prophetarum à Deo *impletis* & adhuc *implendis*, ut nolentes volentes adigantur agnoscere veritatem Dei Israëlis, à quo solo talia prædici & prædicta impleri poterant: metaphora desumpta ab his qui se instruunt ad disputationem publicam in magno concursu & frequentia hominum ineundam. Conferendus est locus per omnia huic analogus Cap. XLVIII. 14. Est autem hoc mandatum accipiendum in eadem latitudine temporis, quam supra definivi. Inciperet hæc *convictio* ætate Prophetæ nostri qua magnus Judæorum numerus, etiam postquam Ecclesia à pio Rege in melius instaurata est, obstinate perstitit in fæce errorum & præjudiciorum Veterum, ab affectu idololatrico neutiquam purgati; quem postquam tandem exuissent, illius locum impleverunt hypocrisis & incredulitas, & pravum judicium de Regno Dei, & justitia ejus, & vera via obtinendæ apud Deum justitiæ; ut licet oculis suis viderent luculenta Prophetarum prædicta clarissime impleri; nihil tamen de crassis & carnalibus præjudiciis remiserint; neque hodiedum remittant. Sequens contextus hunc unum sensum demonstrat; ut quod Hieronymus illud *producere* vel *educere* hic interpretatur de *Evocatione* Judæorum Electorum ad communionem Ecclesiæ Apostolicæ; Forerius è contrario de *reprobatione* Judæorum incredulorum ut *educendorum* sive excludendorum communione Sanctorum; præter rem & scopum Vatis dicatur.

Quinam hic *Populus cæcus* & *surdus*, cui erant *oculi* & *aures*?

Sunt Judæi degeneres.

Ratio appellationis.

Status illorum describitur.

In quem finem hic Populus *producendus* esset?

Quo tempore hæc instituenda esset *convictio*?

Status Populi temporis Jesaiæ.

℣. 9. *Omnes Gentes congregentur pariter & populi colligantur in unum: Quis inter eos* HOC *indicavit?*] Hebræa, כל הגוים נקבצו יחדיו proprie sonant, *Omnes Gentes congregatæ sunt pariter*. Sed monuit jam Kimchius, & plerique post ipsum Intt. *formam Perfecti* hic occupare *modum Futuri*. Scriptum est נקבצו *congregantur* sive *congregatæ sunt* pro יקבצו *congregentur*; ut Chaldæus: יתכנשון *colligantur*. Argumento est, quod alterum Verbum alternans יאספו *colligantur*, in *Futuro* efferatur. Solet autem Propheta noster, (& alii Scriptores S. antiqui Poëtæ vel Prophetæ,) ubi *duo verba* sententiam unam ingrediuntur, elegantiæ caussæ *alterum* efferre per *præteritum*; alterum per *futurum*.

℣. 9. *Omnes Gentes congregentur pariter, &c.*

Phrasis Hebræa animadversa.

Figura orationis hujus loci.

Ipsum quoque *Schema*, ut hic instruitur, hanc interpretationem ut aptissimam probat. Vides enim *figuram* hic usurpari vel eandem vel similem, qualem habuimus Cap. XLI. 1. & præcipue ℣. 21. Confer locum analogum Cap. XLVIII. 14. Nimirum cum propositum esset Deo, præterlabentibus temporibus ignorantiæ, consilio ejus circumscriptis, Gentes avocare à superstitione & idololatria & perducere ad intelligentiam & fidem veræ Religionis: (quod schema incepit cum dispersione Judæorum inter Gentes, sed consummandum erat sub Oeconomia Nova:) fingitur hic & introducitur tanquam qui publicam eamque maxime solennem instituere velit disputationem cum Magis, Sacerdotibus & Præfectis superstitionis Gentilis, eosque convincere de suæ Divinitatis veritate; atque adeo monet Doctores & Prophetas veræ Ecclesiæ illos ad hanc disputationem provocare, docetque eos *modum*, quo illos de veritate suæ Divinitatis convincerent; & simul electos & credentes Populi sui in sensu suo de vera Divinitate & fide Dei Israëlis confirmarent: ut tandem postquam Partes adversæ in hoc Actu disputatorio auditæ essent earumque argumenta rite expensa, à conscientiis auditorum à Spiritu interim affectis ex principiis rationalibus ferretur sententia. Cum autem argumenta in hac disputatione ex variis duci possint principiis: Deus urgeri vult à suis magna & excellentia opera *Liberationis Ecclesiæ temporalis per Cyrum*, & *Conversionis Gentium per Christum Filium suum*, quæ à vero Deo tantum exspectari poterant; non tantum à se suo tempore efficienda & repræsentanda, verum etiam à Prophetis, & à Jesaia nostro, clarissime *prædicta*. Id enim est quod hic dicitur, *Quis inter illos* ואמר HOC (hoc est, illa ipsa quæ Propheta in superioribus de Cyro, ut Liberatore Populi Dei; de Conversione Gentium; de Judicio severo in fœdifragos & rebelles; de Conservatione Ecclesiæ inter multa discrimina, & agnatis aliis, vaticinatus fuerat:) *indicavit*, הגיד *clare prædixit*, & *in vaticinationibus ante oculos posuit* in *ordine* & *serie sua?* Solius Dei Israëlis hæc laus & gloria est, veræ Divinitatis indubius character. Nemo hæc prædicere poterat, nisi qui idem potis erat efficere & repræsentare. Sed quorsum, ais, Propheta sub figura adeo sublimi & augusta convocari jubet omnes per Orbem Gentes? Quidsi enim id nunquam factum sit, vel futurum erat? Possem hic respondere, schema hoc institui ad demonstrandam evidentiam *rationis* quæ Deum verum à falsis discernit; quod ipsum quoque hic nunc suppono. Deus enim vult *veritatem suam* judicari à conscientiis omnium mortalium. Non exigit ab hominibus nisi *fidem rationalem*. Sed aliud hic subest. Spiritus Dei prævidit, & hoc schemate usus tacite prædixit, α. Futurum esse, ut aliquando omnes absque discrimine Gentes & Populi per Verbum Evangelii vocarentur ad *judicium* edendum de vera Divinitate post varias antecedaneas disputationes. β. Item futurum esse, ut Gentes omnes sub Oeconomia Nova (absque discrimine) venirent in notitiam prophetiarum à se de fatis Populi sui, Regno Messiæ & ipsarum Conversione, olim editarum, & in illis maxime *prædictionibus* fidem suam fundarent. Id docuit Eventus. Historia clamat. Ipsi nos exemplo sumus.

Erat Deo propositum Gentes avocare ab *idololatria*; & introducitur tanquam qui illas publica disputatione vult *convincere* de veritate Dei Israëlis.

Ex quibus argumentis Deus disputari velit pro veritate suæ Divinitatis?

Erant Opera magna quæ ipse *efficeret*, & solus *prædixerat*.

Prædictio illorum Operum erat argumentum, *Deum solum* illa effecturum.

Paraphrasis verborum.

Convictio Gentium hic instituta arguit earum futuram conversionem.

AUT PRIORA *audire ipsi nos faciant atque dent* (exhibeant,) *testes suos, & declarentur esse veraces;* AUT *audiant, & dicant, Verum est.*] Totus hujus bonæ & sanæ sententiæ sensus pendet ab interpretatione *unius literæ* ו præfixæ voci וישמע, in qua qui errarunt, inter quos Piscator & Belgæ, mentem Prophetæ, sit modeste dictum! non perceperunt. Et tamen Kimchius, & Jun. ac Tremellius verum sensum jam demonstrarant. Optionem facit Propheta Patronis superstitionis idololatricæ; utras eligant partes. Aut, ait, ipsi Vos suscipite partes prædicendi futura, &, si vultis proxime futura, eaque prædicta obsignate testibus,

Et priora nos faciant audire, &c.

Sensus pericopæ pendet à præfixa ו in voce וישמע.

Sententia Vatis declarata.

[a] Cap. v. 21.

stibus, ut si ordine eveniant, Nos *Vos justificemus*, & veraces declaremus, veramque colere Religionem: vel, si has partes refugitis, concedite illas nobis, *audite* nos patienter; &, si eventus respondeat, dicite, *Verum est*, & transite in fidem nostram. Per *priora* hic sunt intelligendi *Eventus proximi* qui cum sequentibus individuo nexu cohærent; quo modo accepimus vocem Cap. XLI. 22. etsi subinde latius usurpetur pro *gestis* & *eventibus* præteriti temporis, interque eos pro eventu notabili Cladis Senacheribi, Cap. XLII. 9. XLVIII. 3. Hic manifeste alluditur ad Eventus proxime futuros illustres, & imprimis ad Liberationem Populi Dei procurandam per Cyrum cum destructione Monarchiæ Babylonicæ. Patet id invicte ex Cap. XLVIII. 14. seqq. Quod additur, *Dent* sive *exhibeant testes suos*, in hunc accipiendum est sensum; exhibeant Gentes & in medium producant, sive *Vates* suos ipsos futura illa in suis circumstantiis declarantes, & simul docentes, à quibus Diis quibusque in locis suas illas revelationes acceperint; sive illorum *Delegatos* qui prophetias ab iis editas de futuris exhibeant cum certis documentis ex quibus pateſcat, Vaticinia illa à certis Vatibus in hisce illis locis temporibusque ante Eventum dudum fuisse prolata; ut si id rite demonstraverint, *justificentur*, h. e. pro vatibus veracibus & veri Dei cultoribus habeantur & agnoscantur. צדק *Justificare* in hac circumstantia est quem *declarare veracem*, non *fallacem*; in judicio pro *vero*, non falso *Vate* agnoscere, & lata sententia illum à dolo, fraude, impostura absolvere. Sic usurpaverat Propheta vocem צדיק pro *vero* Cap. XLI. 26. ubi nostra videnda commentatio. Si autem, ait Propheta, Vates hujusmodi ex se edere nequeant, qui futura fidenter in omnibus circumstantiis prænunciant; accedant ad me aliosque veros Prophetas, & *audiant*; & de vero convicti, dicant attestenturque, *Verum* prædictum fuisse, Eventu per omnia respondente. Sensus quem Belgæ hic aptarunt Hebræis, vere in iis non latet; ut nec Piscatoris ille, cujus versio sensum nullam dat rationalem. Cocceji commentatio hic valde est paradoxa, quam nec recenseo; nec refello hoc loco. mox usu veniet de ea aliquid monere.

Per *priora* hic intelliguntur *proximi Eventus*; & quidem Liberatio Judæorum per Cyrum.

Quid hic, *dare testes*?

Quinam hic *testes*?

Quid *justificare* h. l.?

℣. 10. VOS *estis* TESTES MEI, *ait Jehova*, ET SERVUS MEUS QUEM ELEGI, *ut cognoscatis & credatis mihi, & intelligatis, me* EUM *esse, &c.*] Duas personas hic compellat *Deus verus* disputans pro vera Divinitate sua adversus idololatras ex prædictione futurorum. Quæritur quæ qualesque hæ personæ sint? Communis sententia est, per *testes Dei* hic intelligendos esse *Electos Jacobidas*, ad quos in fide confirmandos hæc oratio dirigitur. Per *Servum* vero *quem Deus elegit*, vel intelligendum esse *Jesaiam*, vel *Messiam* quem hic ostendit Chaldæus. Sunt sententiæ tolerabiles, fateor, quæ admittunt expositionem non alienam ab omni vero. Sed forte fallit hypothesis, quæ statuit, diversas hic inferri personas. Licet enim dicere, (nec dubitem quin verissime dicatur:) *præfixam* ו in voce ועבדי ET *servus meus*, sumendam esse significatione *designandi & explanandi* subjectum de quo agitur; ut idem valeat quod Latinis *nempe*, *inquam*; Græcis, ὅηλονότι. Exemplum pete ex ℣. 14. ipsius hujus *Capitis* & Cap. LV. 1. & LVII. 17. Malachias [a]: *Cito veniet ad vos ille* DOMINUS, *quem vos quæritis: &* ANGELUS FOEDERIS *in quo vobis complacetis.* Non alius esset *Angelus* ille *Fœderis* ac *Dominus*: ut vertenda sint verba, Nempe *Angelus Fœderis*. Grammatici dabunt plura [b]. Nempe cum Propheta diceret, Vos *estis testes mei*: ne Israëlitæ carnales, fœdifragi, increduli, hypocritæ, id existimarent ad se dictum esse; mox explanandi caussa addit, *Nempe Servus meus quem elegi*, h. e. Electi in populo qui semen veræ Ecclesiæ faciunt, & ad dicta Prophetarum solent attendere, eaque conservare & cum implemento comparare; atque ex his mediis & subsidiis fidem spemque suam roborare. Si quis tamen hæc Subjecta ab invicem discernere velit: per hos quos Deus ut *testes suos* primo loco compellat, intellige *Prophetas* & Doctores Ecclesiæ publicos quorum proprie esset cum idololatris disputare eosque falsi convincere, qui in sequentibus appellantur SERVUS (collective,) & vocantur מלאכי יי LEGATI JEHOVÆ [c]; & per *Servum quem Dominus elegit* Electos ex Populo Judæo qui hoc epitheto in his Concionibus designantur. Sic Cap. XLI. 8. *Sed tu* ISRAEL SERVE MI, *& Jacob* QUEM ELEGI .... *& dixi tibi*, SERVUS MEUS TU ES; ELEGI TE *& non sprevi te.* Mox Cap. XLIV. 1. *Et nunc audi* JACOB, SERVE MI; *& Israël* QUEM ELEGI. Plura non adduco. De *Messia* hic directe non cogito, quia *Servus Dei electus* qui hic appellatur, in medium producitur ut *testis* revelatorum à Deo de rebus futuri temporis & accurate prædictorum à Prophetis: qui proprius non est character Messiæ. Oratio hic à Deo vere & diserte vertitur ad *Electos ex Populo Judæo* qui à Deo receperant revelationem Liberationum & Eventuum illustrium futuri temporis, ut si Eventus prædictis responderet, tum ipsi confirmarentur in fide veri Dei; tum contribules suos degeneres & idololatras ex hoc argumento convincerent de vera Divinitate Dei Israëlis. Id hic clare & exerte traditur. Cæteroquin, si res remotius spectetur: quis neget, Messiam dici posse *testem veritatis Dei* apud Gentes, quod ipse *testis populorum* [d] per Apostolos & Ministros suos Gentes convinceret de *veritate Dei* Israëlis, argumento sumpto, tum ex revelationibus de ipso editis sub Oeconomia Vetere; tum ex revelationibus, ipsi à Patre factis, & cum Ecclesia vulgatis. Reliqua quæ hic adduntur, satis facilia intellectu ex his quæ dixi, declaratione nulla ampliore indigent. Tantum observa, Ecclesiam in prædictionibus à Deo sub V. T. editis habere thesaurum pretiosissimum; certumque argumentum tum veritatis veri Dei, tum Divinæ auctoritatis illius Verbi quod pro Divino veneramur.

Quæ tamen hic non est satis certa.

Respectus præfixæ ו in voce ועבדי.

Per *Servum Dei* electum hic recte intelliguntur *Electi* in Populo Judæo.

Quo modo *Subjecta* distingui queant?

Quare hic non sit cogitandum de *Messia*?

Remotior rei aspectus.

β. Opus *Liberationis Ecclesiæ* efficiendæ à Cyro, à Prophetis Dei prædictum producitur ut argumentum hypothesios: Quod Opus

(a.) Illustratur ex *Opere* sive *Beneficio Liberationis* Ecclesiæ antecedaneæ à Senacheribo.

℣. 11. EGO, EGO, *sum Jehova; & nullus est Servator præter me.* ℣. 12. *Ego annunciavi, & servavi, & audire feci; & nullus inter vos* Deus *peregrinus. Et vos estis testes mei, ait Jehova; me esse Deum fortem.* ℣. 13. *Etiam* EX QUO TEMPUS EST, *Ego idem sum; & nemo est qui ex manu mea eripiat: Operabor, & quis avertet illud?*] Argumentum totius hujus orationis ita sibi omnibus partibus suis constat, ut nihil heterogeneum ei immiscatur. Deus hic introducitur, ut & in *Concionibus* proxime sequentibus, tanquam cui statutum est vindicare veritatem suæ Essentiæ & Divinitatis adversus idololatras & incredulos, eosque ab errore, superstitione, falsorum Numinum cultu & erga veram Religionem irreverentia revocare ad veram fidem; credentes autem in eadem fide confirmare. Quod totum schema hanc habet hypothesin; propositum esse Deo, idololatriam in Mundo destruere, & *Gentes vocare ad suam communionem:* quod præcipue effectum sortiretur sub Oeconomia Nova. Inde Judæos Idololatras & incredulos; & Gentes omnes jubet convocari ad disputationem publicam; suosque docet modum instituendæ disputationis & convictionis ex magnis Operibus à se effectis & in posterum efficiendis à se solo prædictis. Inter illa autem Opera cum eximia essent LIBERATIONES TEMPORALES quas Ecclesiæ suæ secundum prædicta Vatum jam ante

Secundo, *Opus Liberationis* efficiendæ à Cyro producitur ut argumentum disputationis.

Quod α. Illustratur ex Opere Liberationis præcedaneæ ab Assyriis, ℣. 11.

Orationis summa, nexus, cohærentia, &c.

[a] Mal. III. 2. [b] Jer. XL. 8. & confer Glass. Lib. IV. Tract. II. Obs. VIII. [c] Cap. XLIV. 26. [d] Jes. LV. 4.

ante præſtiterat, & in futurum præſtaret per CYRUM; & SPIRITUALIS quam Populo ſuo procuraret per Meſſiam, cujus effectus eſſet *converſio Gentium:* ad hæc provocat illuſtria Providentiæ & Potentiæ ſuæ effecta; quæ ſibi ſoli adſcribenda eſſe inde evincit, quod à ſe ſolo prædicta ſint. De *Liberationibus temporalibus* agit inde ab hoc *commate* uſque ad ℣ſ. 18. Inde de *Spirituali* & mirabili *Opere Gratiæ ſuæ.* ℣ſ. 18—21. In priore Pericopa, ubi de *Liberationibus temporalibus* agit, erat illi præcipue propoſitum agere de *Liberatione Populi Dei* curanda à Cyro, in quo Opere Divinæ Providentiæ explicando & clare prædicendo in hiſce *Sermonibus* continuo oberrat. Sed ne videretur hoc Opus Divinæ Potentiæ & Gratiæ extollendo prædicandoque, negligere Opera Liberationum analoga: illuſtrat illud tam ex *Liberatione* inſigni quam Deus nuper ſecundum clariſſimas Vatis noſtri prædictiones Populo ſuo indulſerat adverſus Aſſyrios: quam ex Liberatione Populi ex Ægypto. *Primum* hoc *membrum* quod deſcripſi, agit ex mea ſententia de *Populo ab Aſſyrio nuper ſervato;* & hic occupat locum *Præfationis*, ad alterum illud Opus Eccleſiæ à Chaldæis liberandæ illuſtrandum. Deus hic comparet tanquam in magna hominum panegyri ſe publice oſtentans, & ſibi vindicans gloriam ſibi ab idololatris & incredulis ereptam: quod ſchema ſoli Deo convenit; præter Deum nemini. Solius Dei eſt *gloriari* qui gloriam ſive Decus Divinitatis omniſque perfectionis ex ſe habet: entium omnium, intelligentium quoque & perfectione præſtantium eſt, *ſilere*, nec *gloriari coram Deo*, ſed *coronas*, *decus*, *merita* ſua, ſupplices coram Deo deponere. Soli Deo licet magnifice de ſe loqui, teſtari, prædicare: creatis quæ omnia *ex Deo* habent, non licet. In Deo virtus eſt: in homine aliiſque Entibus vitium. Dei eſt de ſe loqui: creaturarum, loqui de Deo; & quæ ipſe de ſe excellenter prædicat, per modum *confeſſionis* Deo reddere, ut vox Divina ab earum vocibus veluti repercutiatur. *Omne quod ſpirat, celebret* JAH [a]. Relegamus orationem Prophetæ, ejuſque contemplemur emphaſin.

Analyſis Orationis. Contentum prioris pericopæ.

Prioris membri, quod continetur ℣ſ. 11. 12. a gumentum.

℣ſ. 11. EGO, EGO *Jehova: & nullus eſt præter me* SERVATOR.] Vides, Deum ſe hic oſtentare ut *Servatorem* ſui populi, Eccleſiæ à ſe electæ, quæ ſumma Dei gloria eſt. Summa, inquam, gloria Dei eſt, poſſe & velle *ſervare hominem:* quippe qui actus Dei, fundamentum omnis Religionis, ſupponit in Deo ſummam *potentiam*, conjunctam cum *voluntate exercendæ Gratiæ.* quare Deus paſſim in hiſce concionibus id ſibi vindicat ut attributum ſuum glorioſiſſimum [b]. Eſt attributum latiſſimi aſpectus. Paulus enim docet [c], Deum eſſe σωτῆρα *Servatorem omnium hominum, maxime* vero *credentium.* Quod enim Deus genus humanum in ſtatu peccati conſervet, toleret, iram ſuam in illud non effundat, illud non perdat ſuis judiciis, ſed ea temperet; quin illud multis bonis cumulet; ſpeciem habet *ſalvationis.* Sed pertinet notio præcipue ad *Eccleſiam.* Præſtat autem Eccleſiæ *Liberationem temporalem* & *ſpiritualem* ſive *æternam*, ſecundum luculentum dictum noſtri Vatis, Cap. XLV. 17. *Iſraël ſervatur per Jehovam* SALVATIONE ÆTERNA. Harum vero *Liberationum* is inter ſe reſpectus obtinet, ut *temporales Liberationes* quas Deus Populo ſuo olim præſtitit inſignes cum demonſtratione potentiæ ſuæ infinitæ typum geſſerint *Liberationis ſpiritualis* quam præſtaret electis per *Meſſiam Filium ſuum*, quæ una *Liberatio* & *Salvatio* hoc nomen vere meretur. Cæteræ enim tranſitoriæ ſunt: hujus effectus eſt æternus. Cæteræ vindicant hominem à malis temporalibus: hæc à ſervitute peccati, conſcientia reatus, & damnatione ac exitio æterno. Cæteræ ſubinde per homines adminiſtratæ ſunt: hæc à ſolo Deo procurata qui homini peccatori in Filio fit *cauſſa æternæ ſalutis*, ex mera Gratia qua credenti & in ſe ſperanti *remittit peccata*, eumque per Spiritum ſuum *ſanctificat ad vitam*; ut vere *tota ſalus* hominis cum *remiſſione peccatorum* connectitur. Sic Propheta noſter, ℣ſ. 25. *Ego, Ego, deleo tranſgreſſiones tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Confer Pſ. CXXX. 8. Ad utramque hanc *liberationem* typicam & antitypicam pertinet Nomen JEHOVA, ſignaculum promiſſionum Gratiæ: idemque character *veri Dei.* Emphaſis autem totius ſententiæ hic, ut in pluribus aliis dictis hujus generis, cadit in pronomen relativum EGO. quam emphaſin ne quis negligeret repetitur vocula, EGO, EGO, inquam. Sic rurſus ℣ſ. 25. Cum enim ipſi quoque Gentiles & idololatræ ſua Numina haberent, eaque colerent ut *Deos* Σωτῆρας *Servatores*, recepto apud ipſos epitheto: Deus verus, Deus Pater, cujus hæc oratio eſt, docet & pertendit, epitheta hæc ſua eſſe, & ſui ſolius, cum σχέσει ad FILIUM, in quo promiſſa Patribus facta impleret; quem Judæis dederat *Servatorem typicum*, & humano generi credentium toti daret *Servatorem verum*; in quo nomen JESUS, ישוע *Servator* & *Salvator*, omnem vim ſuam obtineret. Quæris in geminatione vocis EGO majorem emphaſin? Dic, geminationem vocis JEHOVA referri ad *promiſſa bonorum typicorum & verorum.* Geminationem nominis SERVATORIS pariter ad Liberationem duplicis generis, *typicam & antitypicam*, temporalem ac æternam. Eſt autem, ut jam anticipavi, in formula, EGO *ſum*, gloriatio, quæ ſoli Deo competit. Summa autem Dei *gloria* eſt *eſſe Jehovam & Servatorem.* Eſt complementum omnis perfectionis Divinæ.

℣ſ. 11. *Ego, Ego Jehova, &c.* Summa Dei gloria eſt, *hominem ſervare.*

Latitudo ſignificationis hujus notionis.

Reſpiciuntur Liberationes Eccleſiæ factæ aut faciendæ, typicæ & antitypicæ.

Vera *ſalvatio.*

Reſpectus ad eam nominis *Jehovæ.*

Emphaſis in appellatione *Ego, Ego.*

Perſona quæ hic loquitur, eſt Deus *Pater*, χίσει ad *Filium Servatorem.*

Vis geminationis voculæ, *Ego.*

℣ſ. 12. EGO *annunciavi; & ſervavi; & audire feci; & nullus inter vos Deus peregrinus.*] Sic legenda verba, quæ nullo opus habent ſupplemento, quod ei Intt. & Belgæ quoque noſtri aptant; *Et nullus inter vos* erat *peregrinus* ſc. Deus. Videtur eſſe leviculum quid, ſed dignum eſt animadverſione. alterat enim vel dubium facit totius loci ſenſum. Si copulam *erat* inſeras poſteriori membro: oratio Jeſaiæ hunc dat ſenſum; *illo tempore* quo Deus Opus illud liberationis, de quo loquitur, prænunciavit, idque exequutus eſt, populum vacuum fuiſſe crimine idololatriæ; non tantum publicæ, ſed & privatæ. Nullum Deum *peregrinum* à ſe agnitum, nullum cultum eſſe. quod vere nulli tempori, quo inter Judæos verſati fuerunt Prophetæ, aptes. Magna enim & major Populi pars, etiam temporibus Eccleſiæ in melius inſtauratæ, retinuit affectum idololatricum. Ergo hic ſenſus eſt ſententiæ planus & clarus; *Ego prænunciavi & ſervavi, ... & nemo inter vos peregrinus* Deus, qui ab idololatris inter vos colitur, id *annunciavit*, *ſervavit*, *&c.* Reſpicit ex meo ſenſu manifeſte ad Eccleſiam liberatam ab Aſſyriis, & præſertim à Senacheribo, in quo Opere Divinæ Providentiæ & curæ ſingularis erga Eccleſiam pii haberent exemplum & argumentum ejuſdem Eccleſiæ liberandæ à Chaldæis. Ut enim jacent verba, rectius referuntur ad *præteritum* quàm ad *futurum.* Eſt autem *Liberatio*, de qua hic mentio fit, inſignis, à Deo clare prædicta, & glorioſe effecta, ut magnam de ſe ſparſerit famam: ut hic vel cogitandum ſit de *Liberatione Ægyptiaca*, vel *Aſſyriaca.* Prius placuit Chaldæo, cujus ad hæc verba extat paraphraſis animadverſu digna: *Ego* INDICAVI *Abrahæ Patri veſtro quæ ventura erant: Ego* REDEMI *vos ex Ægypto ſicut ei juravi inter diſſectas animantium partes:* (Int. *Inter diviſiones*, quod obſcurius.) *& ego* AUDIRE VOS FECI *Doctrinam Legis meæ de Sinai.* Certe verum eſt, Liberationem Populi ex Ægypto à Deo fuiſſe prædictam & Abrahamo clare *indicatam.* Verum α. Illa prophetia non fuit vulgata inter Gentes, ſed haud dubie permanſit in ſolius Abrahami domo. β. Judæi illius temporis quo Vates ſcripſit, ejus prædictionis non poterant eſſe teſtes. Quod autem illud, השמעתי *audire feci*, Chaldæus referat ad *Legiſdationem Sinaiticam:* indulgeri ipſi poteſt hic luſus ingenii: ſed interim ſatis eſt certum, vocem *abſolute* ſcriptam in hunc ſenſum trahi

℣ſ. 12. *Ego annunciavi, & ſervavi, &c.*

Oratio quod ad poſterius membrum nullo indiget ſupplemento.

Quod demonſtratur.

Senſus ſententiæ.

Videtur hic reſpici Opus Liberationis Judæi Populi à Senacheribo.

Quod convincitur.

Sententia Chaldæi, hic reſpici Liberationem Ægyptiacam.

Quæ improbatur.

Quorſum pertineat, *Ego audire feci.*

[a] Pſ. CL. 6. [b] Cap. XLV. 15. 21. XLIX. 23. LX. 16. &c. [c] 1 Tim. IV. 10.

trahi non posse. Referenda est ad subjectum de quo agitur, h. e. ad *Liberationem* quam Propheta ait fuisse clare prædictam. Sed omnia hæc attributa exacte conveniunt *Liberationi Assyriacæ*. Deus eam clare prædixerat per Prophetam nostrum per plures annos, & הגיד ANTE OCULOS POSUERAT in omni sua circumstantia: *Deus* SERVAVIT *Populum suum* hoc tempore Liberatione magna ac memoranda, quæ Orbem illius temporis FAMA sui REPLEVIT, h. e. fecit illam salutem ubique *audire*: dum *Deorum dictitiorum* nemo cultores suos hac de re moneret; nullus illorum Deorum Vates aut minister quicquam de eo sciret aut prædiceret. De re ipsa ad superiora Vaticinia sæpius dixi. Accedit ad hæc; *Judæos* ad quos hæc oratio vertitur, & imprimis *pios* Dei *cultores* hujus Liberationis magnæ ac glorioſæ, ejusque prædictionis, fuisse *testes*: quò pertinent quæ sequuntur, *Et vos testes mei, dictum Jehovæ, me esse* DEUM *fortem*, Liberatorem, Ecclesiæ & Populi sui Vindicem, quippe quod ipsi vidistis atque experti estis. Hebræa proprie sonant, *Et vos testes mei*, ET *Ego sum Deus fortis*: in quibus posterius ET sumendum est *consecutive*, ut prudentes Intt. jam viderunt, & inter illos Belgæ.

Exacte convenit Liberationi Assyriacæ.

Verba: *Et vos estis testes mei.*

Sensus eorum.

ỳ. 13. *Etiam à quo tempus fuit, Ego idem sum; & nemo est qui è manu mea eripit. Operabor, & quis avertet illud?*] Sic recte verto vocem מיום proprie *à die*. Οἱ ὁ. Ἀπ' ἀρχῆς. Hier. *Ab initio*. Sic fere Pisc. Cocc. Sed Jun. & Trem. quos sequuti sunt Belgæ: *Etiam antequam dies esset*. Sic sane præiverat Kimchius. Nihil vitii est in interpretatione, quia præfixa מ juncta vocibus temporis aut status significare potest *ante*: & de re ipsa nullum est dubium. Sed cum notiones vulgi, ubi de existentia aut duratione rerum agitur, non assurgant supra tempus: probabile est, id dicere voluisse Prophetam quod expressi. Qui fuit ἐν ἀρχῇ, censetur esse ἀπ' ἀρχῆς. Rem ipsam aperiam. Cum Judæi ab omnibus Populis Orbis terrarum essent discreti, & diversam sequerentur in Religione sectam: reliquæ Gentes iis objecerunt Religionis suæ novitatem, quippe quæ inceperit cum Mose, Reipublicæ illorum conditore, qui illos docuerit *Deum* JEHOVAM colere, ut *Liberatorem* & *Servatorem* Gentis. Id vero Deus refellit. Non esse se Deum novum & nuperum ait: esse Deum æternum, *eundem* semper; in quo eadem semper *veritas essentiæ*, (quæ emphasis hic & alibi est in voce הוא ILLE, idem,) eadem perfectio summa absque alteratione ulla, absque incremento & decremento, inest: qui *cum tempore* & *ante tempus* fuerit; à nullo formatus ipse; rerum omnium Essentiator: ut adeo nemo Ejus Voluntati resistere; neminis potentia ejus potentiam superare; nemo rem ab ipso vindicatam, suam facere; nemo moram & impedimentum objicere, quo minus *magna* quæ molitur *Opera*, (quæ hic vis est in voce אפעל) *effecta* det.

ỳ. 13. *Etiam à quo tempus fuit, Ego sum, &c.*

Significatio vocis מיום.

Sensus sententiæ integræ declaratur.

Hypothesis ejus.

Gentes Religionem Judaicam traducebant ut *novam*.

(b.) Ipsum illud *Opus Liberationis* ex Babylone in typo aliquo propositum.

Ipsum Opus Liberationis efficiendæ per Cyrum, ỳ. 14.

ỳ. 14. *Sic fatur Jehova, Redemptor vester, Sanctus Israëlis: Vestri caussa misi* BABYLONEM, *& descendere feci celeres* (vel, *fugitivos,*) *omnes; quin etiam Chaldæos, in naves ad jubilum ipsorum paratas.* ỳ. 15. *Ego Jehova Sanctus vester, Creator Israëlis, Rex vester.*] Sed majus & gravius opus à Deo erat efficiendum in salutem Populi sui, quod multo plures involveret circumstantias: videlicet, Liberatio Populi Judæi ex Exilio Babylonico, efficienda per Cyrum; cujus Propheta, qui illud in sequentibus latius descripturus erat, hic solummodo summatim & in typo meminit. Id vero ipsum sententiam forte aliquanto fecit obscuriorem. utique est illa obnoxia variis interpretationibus, quæ in diversos resolvuntur sensus; quarum rationem sic reddam, ut simul viam sternam ad veram, si pote, dicti intelligentiam. Suppono itaque primo, in his verbis prædici ac in typo describi *Beneficium Liberationis* quod Deus præstaret Judæis reducendis ex Exilio Babylonico: non vero *ipsam Exilii pœnam* qua Deus Judæos erat affecturus, eos *mittendo Babylonem in Exilium*. Plerique Intt. in eo consentiunt, estque ratio manifesta, quod in tota hac pericopa agatur de *Liberationibus* à Deo GOELE Populo suo procuratis vel procurandis; quodque in ipsa quoque *præfatione* hujus pericopæ גאל *Redemptor* appelletur. Nec patitur ultimum membrum sententiæ secundum hanc hypothesin commodam interpretationem. Et tamen Chaldæus Int. verba Prophetæ in hunc sensum accepit, & Græcus quoque Alexandrinus prius membrum sententiæ forte de Exilio Babylonico intellexit: posterius de Liberatione ex Exilio *A*. Secundo, si hic agatur de Beneficio Oppressionis & fugæ Chaldæorum in Populum Dei conferendo: suppono, probabile videri, hic demonstrari *mala* quæ *Chaldæi* sic proprie dicti cum destructione Imperii sui paterentur à Medis & Persis qui Judæis Exulibus procurarent *libertatem*. Si rem in se spectes: nihil videtur liquidius. Ita est, sed Docti Viri, qui *Subjectum* ad quod in hac prophetia oratio dirigitur, faciunt *Ecclesiam Christianam*, hic rursus æque ac ỳ. 3. in magnas relabuntur angustias, cum secundum illam hypothesin hic locum habere nequeat Liberatio Ecclesiæ à Chaldæis. Vide itaque quid hic tentent, ut inde intelligas, quàm infeliciter se expediant qui Verbum Propheticum tractantes admittunt hypotheses, cum quibus prophetiæ dicta & sensus non nisi violenter conciliare possunt. Hieronymus Deum Patrem hic dicere facit, se *Filium suum misisse in Babylonem, & confusionem hujus Sæculi*, & *detraxisse omnes vectes ejus*, (sic verba interpretatur,) h. e. *fortes*, adversarios sc. Regni Christi; *& detraxisse quoque Chaldæos qui in suis gloriabantur navibus: in his videlicet qui instar navium inter idola fluctuabant*. Subjungit sc. scite dictum: *De Chaldæis nullus ambigit quin Dæmones sonent*. Estne id commentari? & an existimant qui talia in chartam non erubescentem conjiciunt, ullum fore sani judicii hominem, qui similibus interpretamentis subscribat? Quid vero Cl. Coccejus qui eidem inhæret hypothesi, sed eam longe altius promovet? Videt ille in verbis ỳ. 8. *Educendo educam* (sic vertit verba:) *populum cæcum, &c.* separationem *Ecclesiæ veræ* à Romanensi Pontificia. Inde ỳ. 9. *Omnes Gentes congregatæ sunt una, & seqq.* existimat designari congregationem Gentium in magnam illam Civitatem quæ mystice appellatur Babylon, h. e. in communionem Romanam. Illam jam *Congregationem hominum* hic vult convinci, se non esse veram Ecclesiam,

Aliud Opus Liberationis hic proponitur.

Sententia ad speciem obscurior.

Supponitur primo, his verbis describi Beneficium Liberationis.

Aliorum dissensio.

Secundo supponitur, hic describi oppressionem & fugam Chaldæorum factam à Persis & Medis.

Doctorum Virorum, qui in hypothesi dissentiunt, diversæ cogitationes.

Hieronymi commentatio plane aliena.

Cl. Coccej non minus paradoxa.

Series integra meditationum ejus in hanc prophetiam exhibetur.

A Vertit Propheta: *Propter vos misi Babylonem*: cum non designent *subjectum* quod mittendum erat Babylonem, generatim spectata duplice modo accipi posse videntur. vel, *Propter vos*, h. e. *propter peccata vestra vos misi Babylonem*: vel, *Vestri liberandi caussa Persas & Medos misi Babylonem*. Priorem sensum elegit Chaldæus, cujus hæc est versio: *Sic dicit Jehova, Redemptor vester, Sanctus Israëlis: Propter peccata vestra transtuli vos Babylonem*, ואחתירת במשטין כולהון וכסראי בספיני תושבחתהון *& descendere feci cum* REMIS (sive *remis*,) *universos illos*; *& Chaldæos in naves laudis suæ*, sc. ut vos illis suis navibus abducerent in Exilium, ut Jarchius Chaldæum recte interpretatus est. בריחים vel ריחי ipsi sunt משטין REMI; cujus rationem nunc non sector. Sed (*a.*) Sententia Prophetæ longe rectius sumitur de Chaldæis ipsis fugacibus aliò se transfaturis, cum dicat Propheta, *Ego descendere feci* CHALDÆOS: non, *Ego descendere feci vos in naves Chaldæorum*. (*b.*) An Chaldæi Judæos *navibus* duxerunt in Exilium, cum Euphrates ab illorum terra longum abesset; & si omnino, num illos abduxerunt navibus, cymbis, celocibus, in ipsorum delicias & jubilum paratis? Græcus Alex. Ἕνεκεν ὑμῶν ἀποστελῶ εἰς Βαβυλῶνα, καὶ ἐπεγερῶ φεύγοντας πάντας, καὶ Χαλδαῖοι ἐν πλοίοις δεθήσονται· *Propter vos mittam Babylonem; & suscitabo fugientes omnes; & Chaldei in navibus vinciantur*. Eusebius, Cyrillus, Procopius, sic exponunt: Vos Judæos mittam Babylonem propter crimina vestra; sed dum ibi eritis accidet, ut ipsi Chaldæi in fugam conjiciantur à Persis & Medis, & vincti abducantur in ipsorum terras. Sed versio Int. Græci non respuit illum sensum, quem nos verbis damus, ut videlicet accipiatur tota sententia de Liberatione ex Exilio Babylonico, quomodo sane Hieronymus Græcum Interpretem intellexit. Sed Interpretatio est vitiosa. Pro הורדתי *descendere feci* videtur legisse עוררתי *suscitavi*. Aſt quomodo ex רגתם *jubilum ipsorum* fabricaverit δεθήσονται *vinciantur*; non assequor.

ſiam, quia apud eam non eſt notitia conſilii Dei, nec ex Scripturis demonſtrare poſſunt, Deum *Regnum tale externum*, quale eſt Regnum Romanenſe, erigi voluiſſe in Eccleſia N. T. Quando autem Deus hic introducitur mox ut Eccleſiæ veræ, h. e. Proteſtantium *Salvator & Redemptor*, atque adeo ait, ſe Eccleſiæ electæ cauſſa miſiſſe *Babylonem & deſcendere feciſſe veloces omnes & Chaldæos in naves jubilationis ipſorum*: hæc ille refert ad Geſta à Solimanno, formidabili illo Turcarum Imperatore Sæc. XVI. quem ille à Deo excitatum eſſe ait, ut invaderet ditiones Papæ, & Caroli V Cæſaris, ac Fratris ejus Ferdinandi, ut Eccleſiæ in initiis Reformationis in Germania naſcenti aliquod pararet refrigerium vel pacem, ut Carolus Cæſar non potuerit pro lubitu ſe Eccleſiæ inſtaurandæ opponere: cujus itaque Solimanni geſtorum longum texit catalogum. Inter geſta autem ejus narrat quoque, quod Rhodum expugnaverit, Corcyram diripuerit, Italiam claſſe invaſerit, ut non terra tantum, ſed & *mari* rem fortiter ac feliciter geſſerit. Turcas autem Parthicæ & Scythicæ originis, ne quis miretur hic appellari Chaldæos: hanc dat rationem, quod idem Solimannus *Meſopotamiam*, veterum Chaldæorum ſedem, occupaverit; & poſt id tempus jam *Meſopotamiæ* Dominus, ſe maxime accinxerit ad rem *mari gerendam*, & ditiones Antichriſti infeſtandas aut occupandas; ut quaſi è Babylone, *Bagdado* Babylonis imagine occupata, evocatus videri queat ad *auxilia Reformatorum*. Longa mihi hic eſſet diſputatio, ſi ſingula hæc relegere & ad ea quæ in promptu habeo, adſcribere vellem. Sed non putem id eſſe neceſſarium. Pauci enim hæc probabilia habebunt. Non dicam itaque, quam longe quæſitum ſit, *α.* Ex *Chaldæis* facere *Turcos*, quod ſub Solimanno occupaverint Meſopotamiam, deinceps iis rurſus eripiendam. *β.* Ex Bagdado facere Babylonem, quam nemo hoc tempore negat Urbem à Babylone eſſe diverſiſſimam, ſitam ad Tigrim fluvium. *γ.* Solimannum, qui ſedem Imperii habuit Conſtantinopoli, hic introducere tanquam qui venerit Babylone ad terras Chriſtianorum infeſtandas. Nec dicam, *δ.* Eundem jam ante occupatam Meſopotamiam invaſiſſe Hungariam. *ε.* Non Bellum Turcicum tantum, ſed & Gallicum & Africanum, aliaque quibus diſtractus fuit Carolus, & inprimis Statum potentium Principum Germaniæ, Reformatæ cauſſæ ſtudentium, hunc Cæſarem à Proteſtantibus acrius in initiis ſuis perſequendis abduxiſſe. *ζ.* Solimanum, ſi res geſtæ ejus ex vero expendantur, plus præſtitiſſe *terra* quam *mari*: quæ ſingula prolixe exequi poſſem: ſed duo tantum obſervabo, *α.* Neminem qui hiſtoriam Solimanni recto oculo inſpexerit, aliter judicare poſſe, quàm illum Principem æque ac Aſſyrios. Veteres magis à Deo fuiſſe excitatum ut exequutorem graviſſimorum Dei judiciorum erga Populum Dei corruptum, & flagellum Dei terribile, quam ut Eccleſiæ Liberatorem & auxiliatorem: quem non minus Proteſtantes quam Pontificii metuerint ut exitio ſuo imminentem, & adverſus quem Cæſari & Ferdinando auxilia ſua obtulerunt & præſtiterunt. Non ſunt mutanda vera rerum nomina, ut ſerviamus hypotheſi. Quis non horreſcat ad clades quibus Solimanus affecit Hungariam, in qua jam tum non deerant confeſſores Evangelii, qui hæc mala cum cæteris participarunt? Si vero occaſione formidabilium ejus irruptionum Eccleſia Reformata aliquod levamen nacta ſit, abſque quo cauſſam ſtatumque ſuum Principes, ſi prudenter inſtituiſſent, facile potuiſſent tueri: quis tamen illum non magis reſpiciat ut Virgam Dei quàm auxiliatorem Partis Reformatæ? *β.* Quod hic præcipuum eſt: Proteſtantes in Germania, Smalcaldico Fœdere juncti, utique vivente adhuc Solimanno & terrorem oſtentante Hungariæ & Europæ Chriſtianæ, oppreſſi ſuerunt à Cæſare Carolo. Terror Solimanni, qui ſibi oppoſitum habuit Ferdinandum, id judicium Dei non avertit. Mauritius, Johanni Frederico ſubſtitutus Elector, Eccleſiam oppreſſam vindicavit in Libertatem, Deo ſic providente, contra omnium mortalium exſpectationem; & per ipſum, interveniente Ferdinando, impetrata fuit pax Religionis Paſſavienſis: quæ ex hiſtoria notiſſima, Viro Cl. non ignorata. Quid igitur *Babylone* arceſſimus auxilia Eccleſiæ Reformatæ? Ergo redeamus ad Cyrum, cui uni, ut exiſtimo, hæc pericopa applicanda eſt; & ad quem in proximis hiſce Concionibus identidem alluditur. Secundum quam hypotheſin verba nunc exponere aggredior.

Refert præſentem pericopam ad geſta Solimanni Turcæ adverſus Car. V. & Ferdinandum, fratrem ejus.

Quomodo ex *Chaldæis* hic faciat *Turcos*?

Rationes iis oppoſitæ. Paradoxa in hac ſententia.

Verus aſpectus geſtorum Solimanni.

Solimanni Turcarum Imperatoris verus aſpectus.

Solimannus non avertit oppreſſionem *Partis Reformatæ*.

℣. 14. *Sic ait Jehova, Redemptor veſter, Sanctus Iſraëlis: Propter vos miſi Babylonem.*] Non videtur dubitandum eſſe de genuina lectione & diſtinctione hujus ſententiæ: etſi Interpretes aliqui Hebræi hic quoque aliquid tentent, pro ſuo acumine *A*. Senſus eſt, *Propter vos* ſc. liberandos ex Exilio & vindicandos in libertatem *miſi Babylonem* Perſas & Medos, להחרינה *ad eam vaſtandam*. Sic Propheta noſter de Aſſyrio *a*. *Ego* (Jehova) MITTAM ILLUM *adverſus Populum hypocritam*. Sed quid clarius ipſa oratione Vatis noſtri de Perſis & Medis Babylonem obſeſſuris & expugnaturis tractante *b*: *Ego præcepta dedi ſanctificatis meis; etiam vocavi heroes meos ad iram meam exequendam.*

Sic ait *Jehova, &c. Propter vos miſi Babylonem.*

Vera lectio loci.

Senſus orationis.

Et deſcendere feci fugientes omnes; etiam CHALDÆOS, *in naves ovationis ipſorum.*] Senſus eſt, non is longe quæſitus ac difficilis; Deum cauſſa Populi ſui Electi miſiſſe Cyrum Babylonem qui eam expugnaret; tanta civium & militum conſternatione, ut expediti quique & ad fugam parati, interque eos quoque *Chal-*

Et deſcendere feci fugientes omnes &c.

Senſus verborum. Innuitur

---

a Cap. x. 6. *b* Cap. XIII. 3.

A Sunt hic vere ſingularia quædam quæ occurrunt in Commentariis Hebræorum, quæ excerpam ex congeſtis & cogitatis Samuelis Laniado in Libro *Cheli Paz*, ad h. l. Obſervat ille quod & Abarbenel, Veteres Hebræos pro שִׁלַּחְתִּי *miſi*, ut nos legimus, legiſſe שׁוּלַחְתִּי, ſive שֻׁלַּחְתִּי *miſſus ſum*, acſi vox punctata eſſet per *Kibbuts*, atque adeo hæc verba accepiſſe ut verba *Schechinæ* ſive *Gloriæ Divinæ Majeſtatis* de qua tanquam de Perſona loquuntur. Extat enim dictum Veterum in hanc ſententiam: כל מקום שגלו שכינה עמהם גלו לבבל שכינה עמהם שנאמר למענכם שלחתי בבלה גלו לעילם שכינה עמהם שנאמר שמתי כסאי בעילם *In omni loco in quem tranſportati ſunt Iſraëlitæ, ſecum habuerunt Schechinam. Si tranſportati fuerint in Babylonem: Schechina cum iis fuit, ſicut dicitur*: (ſc. h. l.) *Veſtri cauſſa miſſus ſum in Babyloniam. Si tranſportati ſint in Elymaidem*; (ſive, ſi tanquam exules vertati ſint in Perſia:) *Schechina cum iis fuit, ſicut dicitur*, (Jer. XLIX. 38.) *Ego collocabo* THRONUM MEUM *in Elam.* Per *Schechinam* autem intelligunt הכבוד *gloriosam Dei præſentiam* inter Iſraëlitas medio *Angeli* illius illuſtris שר ישראל *Principis Iſraëlis*, in quo habitat. Abarbenel quoque ejus meminit. Utique certum eſt, Rabbinos Vet. non potuiſſe hunc locum allegare in ſcopum ſuum, niſi hoc in loco legerint שֻׁלַּחְתִּי per *Kibbuts*, forma *Pyal*. Quin ipſe quoque ſic legit Aben-Ezra; nec tamen hic concedit in interpretationem hanc Veterum; ſed vocem ſic exponit: באתי במהרה כאילו שלחתי *Veni citiſſime acſi miſſus eſſem.* Verum impreſſi Codices, quod Vir iſte Doctus cum Kimchio, cujus verba recenſet, obſervat, omnes quos vidit, exhibent שֻׁלַּחְתִּי per *Chirek*, formæ *Piel*. Nec tamen Laniado hanc cogitationem Veterum deſerit, verum aliam ei aptat formam. Poſt enim recenſitas aliorum ſententias, ſuam cum ἐπιεικείᾳ expoſiturus, retenta communi lectione, verbis Prophetæ hunc dat ſenſum: *Sic dicit Jehova: Redemptorem veſtrum, Sanctum Iſraëlis, propter vos miſi Babelem.* Eſt ſecundum ipſum in ſtructura verborum מסורס *inverſum* ſive *tranſpoſitum* aliquid, ὕστερον πρότερον. Naturalis enim conſtructio eſſet: כה אמר יהוה למענכם גאלכם קדוש ישראל שלחתי בבלה *Sic ait Jehova: Propter vos Redemptorem veſtrum, Sanctum Iſraëlis, miſi Babylonem*, ſc. ad vos liberandos. Hic vero ille (Laniado) mirifice diſſerit de illo *Redemptore* & *Sancto Iſraëlis*, ſecundum Doctrinam Bechai, Nachmanidis, & aliorum, qui præſtricti luce quæ in Scriptura V. T. fulget, de hac Perſona *Liberatore Iſraëlis* & *Sancto ejus* loquuntur ut de *Divina*. Docet itaque, hunc eſſe illum ANGELUM GOELEM, *qui Jacobum liberaverit ab omni malo*, (Gen. XLVIII. 16.) additque: והוא מלאך הברית מלמדת שכים אשר הוא היה גואל את יעקוב אבינו תמיד מכל צרה תוקה והוא אור השכינה שנאמר בו גלו לבבל וכו׳ *Et ipſe eſt* ANGELUS FOEDERIS REGNI COELORUM, *qui Jacobum Patrem noſtrum ſemper eripuit ex omni anguſtia & afflictione; eſtque ille* LUX SCHECHINÆ, *de qua dicitur: Si abducti fuerint Babelem, Schechina cum iis erat, &c.* Idem in ſequentibus repetit. Explicans enim rurſus, quis hic deſignetur *Redemptor Iſraëlitarum, Sanctus Iſraëlis*, repetit illud, שהוא מלאך הברית הוא גואלכם המלאך הגואל והוא קדוש ישראל *Illum eſſe* ANGELUM FOEDERIS, *qui eſt Liberator veſter*, ANGELUS REDEMPTOR, *qui idem eſt* SANCTUS ISRAELIS. Illum vero diſtinguit à cæteris Angelis Excellentioribus, quos hic intelligit per בריחי *Barichim*, *Vectes*; qui firmant & concludunt *Exercitus Schechinæ*, qui ſc. Angeli cum *Schechina* deſcenderunt Babelem. Sunt ſane animadverſione digna; nec poſſet Chriſtianus homo de Hypoſtaſi ſecunda S. Triadis clarius loqui, quam facit hoc loco Judæus.

Fuga Chaldæorum, postquam intellexissent, Urbem esse captam.

Chaldæi, fortissimi milites habiti, se quanto ocyus conjicerent in scaphas, celoces, naves, ad commoda & delicias Babyloniorum in Euphrate fluvio captandas paratas, ut Medorum ac Persarum manus effugerent. quem sensum illustrabo, simulac rationem reddiderim aliarum hujus loci interpretationum: quod hic plane necessarium est, ne quis in dubio & vago erret.

Intt. multi vocem בריחים vertunt per *vectes*.

Hebræa prioris membri sunt, הורדתי בריחי כלם quæ Hieronymus vertit: *Detraxi* VECTES *universos*: sequutus maxime Theodotionem, qui per FORTES (ἰσχυρὰς,) verterat, ut ipse ait. Urgent eandem versionem inter Recentiores Aben-Ezra & Abarbenel, & inter nostros Jun. Trem. Piscator, à quibus Belgæ hic prudenter discesserunt. Utuntur loco Prophetæ nostri qui de expugnanda Babylone agit, Cap. XLV. 3. *Valvas æneas confringam*, ובריחי ברזל אגדע & VECTES FERREOS *succidam*. Confer Thren. II. 9. Sed versionem plane improbo. α. Ubi vox בריח *vectem* notat, litera ב signatur per *Scheva*, non per *Kametz*, ut hoc loco: quod posteriores Intt. ab hac versione debuisset abducere. Nam Veteres, qui Masorethorum opera usi non sunt, hic facile excusamus. β. Si hic de *vectibus* BABYLONIS ageretur: oratio requisivisset *subjectum relativum*. Debuisset scribi, *Vectes* BABYLONIS; vel, *Vectes* EJUS. quod scribi potuisset, etiam nullum *subjectum* diserte fuisset appellatum. γ. *Vectes* non commode dicuntur *descendere*; nec videtur phrasis rei ullo modo apta. Dicuntur *frangi*, *succidi*, *corrumpi*. δ. Quod sequitur, nullo modo cohæret cum hoc sensu. Quid enim illud est quod dicitur, *Feci descendere Vectes; & Chaldæos in naves jubili ipsorum.* Quænam enim proportio est inter *Vectes* & *Chaldæos*, & inter utrorumque *descensum?* ε. Vox הוריד *descendere fecit* optime convenit *descensui hominum in naves*, ut mox monebo.

Sequentia non respondent huic interpretationi.

Alii vocem accipiunt ut *constructam*, ex ב & בוחים.

Laniado ex eodem Kimchio ait, esse qui vocem בריחים accipiant ut *constructam* ex ב *servili* & voce ריחי *navigia*. Dici autem *navigia* בריחים ex רוח *ventus*, לפי שהולכות ברוח *quod motus eorum à vento administretur*. Sic diceret Jesaias, *Et descendere eos* OMNES, sc. Babylonios, *feci in navigia*. Sed id quoque frustra & absque ratione. Ne enim dicam, insolentem esse notionem ריח: quis putet, id dicere voluisse Prophetam, quod nunquam factum est, vel futurum erat? An enim capta à Cyro Babylone, Babylonii omnes *descenderunt in naves*, ut fuga consulerent saluti? Cl. Coccejus בריחים vertit per *celeres*. Sic sonaret oratio: *Et descendere feci veloces omnes ipsos.* Admitto, vocem בריח de cujus genuina notatione egi ad Cap. XXVII. 1. hunc significatum ferre posse; nec nobis obstare: nec tamen ullo modo ambigo, quin vox בריחים hic vertenda sit per *fugientes*, quæ propriissima ejus significatio est. Cum enim hic agatur de *subitario* & *invito descensu in naves:* probabile sit, caussam ejus aliquam hic indicari voce בריחי: quæ caussa vere latet in hac voce, si eam vertas, *fugientes*. Et hæc quidem quod ad *membrum primum*. In *altero*, pariter aliquid expediendum restat. Hebræa sunt: וכשרים באוניות רנתם quæ nos vertimus, *Quin etiam Chaldæos in naves jubilationis ipsorum.* Sed Kimchius, eumque sequutus Abarbenel, vocem רנה quæ passim in meliorem partem sumitur pro *cantu*, *jubilo*, perinde ac etymon ejus רנן, hic accipiunt in *deteriorem*, pro *clamore planctus & ploratus qui à Chaldæis in navibus ederetur*, ut Thren. II. 19. קומי רני בלילה *Surge & clama de nocte*. Abarbenel: והכשרי הלכו באוניות צועקים ובוכים *Et Chaldei eunt in naves* suas (vel, navibus suis,) *clamantes & plorantes*. In Editione Bibliorum Basileensi ex Pagnino & Vatablo conflata, pericopa controversa sic exhibetur: *Propter vos misi in Babel, & descendere feci: fugitivi universi ipsi, & Chasdim quorum in navibus est clamor.* Vere docti Viri limpida turbant. α. Si vox הורדתי *descendere feci* hic referretur ad *Babelem:* postularet *relativum*. Debebat dici, הורדתיה *Descendere* EAM *feci*. quæ tamen ipsa locutio adhuc esset imperfecta. β.

Notio בריחי recte vertitur per *fugientes*.

Alterum sententiæ membrum: *Quin etiam Chaldæos in naves jubili ipsorum.*

Sunt qui רנה, quæ per *jubilum* redditur, in partem oppositam accipiunt.

Sententia refellitur.

Quando *naves*, hic appellantur naves רנתם כשרים *naves clamoris* (*jubili* vel *ploratus*) *Chaldæorum:* ratio docet, eas sic appellari ab *attributo* quodam *habituali*, h. e. à more & assuetudine *cantum* vel *ploratum edendi* in illis *navibus:* non ab *accidentali* aliquo & temporario attributo. Utique Chaldæi non erant *soliti* in his navibus plorare. Si scripsisset Propheta, וכשרים רנו באוניותם *Et Chaldei clamant in navibus suis*: res aliter se haberet. Potuisset enim intelligi de uno aliquo actu & casu. Loquitur de *attributo proprio* & *habituali* illorum navigiorum. Ergo tenenda est versio, quam tradidi paucis illustranda.

Observata ad propiorem intelligentiam verborum.

Propheta de Liberatione Babylonica hic tantum ἐν πάθει loquitur.

Hypothesis prophetiæ.

Quæ explicatius proponitur.

Observo itaque, Primo, Prophetam hic de Beneficio Liberationis Babylonicæ non agere explicite, sed idem tantum in typo & exemplo exhibere, quippe de quo in sequentibus fuse vaticinaturus erat. Secundo, Typum illum & exemplum, cæteris suppositis, desumere à casu singulari qui ipsi in Viso obversatus est, unde pendet interpretatio hujus loci. Vidit Propheta, fore, ut Babylone à Cyro *noctu* contra omnium exspectationem occupata & expugnata, cum omnia ut in tanta Urbe ad famam ejus rei confuse gererentur, *milites* qui in ea erant Urbe & inter illos Chaldæi, se non opponerent Persis & Medis, sed, ut re jam desperata tanquam conclamatum esset, quisque per *vicos* qui ducebant ad Fluvium mediam Urbem perlabentem, & per *Domos* ad Fluvium ædificatas subitario arriperent *navigia* quæ ibidem magno numero parata inveniebant tanquam quæ opulentiorum civium & Procerum in Euphrate delectationis caussa & voluptatis navigare solitorum usibus inserviebant; hæc, inquam, *navigia* à *fugientibus* & expeditis, Chaldæis ipsis, quotquot non obruti ab hoste se imminenti periculo eximere laborabant, vidit esse arrepta, ut ductu Euphratis, secundo flumine, se vindicarent in salutem, relicta Victoribus Babylone. hæc autem *navigia* potius quam majores naves arripienda esse, quod fluvius Euphrates à Cyro abductus ut vado transiri posset, majores naves minus præstaret tractabiles; & quod hæc navigia in promptu & ad manus essent. Tertio, huic sensui perfecte respondere voces omnes quibus Vates in hoc loco utitur. α. Vox בריחי vere & proprie usurpatur de *fugitivis* qui metu hostium se student eripere periculo, quem usum vocis habuimus Cap. XV. 5. בריחיה ער צוער *Fugitivi ejus*, (Moabi,) *ad Tsoaram usque* vagantur. β. Vox הורדתי *descendere feci* proprie usurpatur de *descensu* in *naves*, ut observavimus ad Cap. XLII. 10. in phrasi: *Descendere in mare*. ut hic significet, Ego eum iis incussi metum & consternationem, ut relicta Urbe, in cujus licet captæ arcibus, præsidiis, turribus, se facile tueri potuissent, fuga tumultuario arrepta descenderint *in naves*, quotquot evadere potuerunt manus hostium. γ. *Naves* quibus Babylonii Cives se oblectare solebant in Euphrate, æque ac Ægyptii in Nilo, passim perstrepentes cantu sonoro & demonstratione lætitiæ, vere & commodissime appellantur *Navigia jubili*. δ. Quod dicitur וכשרים ET *Chaldæi*, emphasin habet quam obtinet in elegantiore phrasi sacra. Valet, *Imo etiam* CHALDÆOS, à quibus sc. ut à fortissimis & exercitatissimus militibus id minime exspectes. Confer quæ de eorum *Notitia* trrdidi, ad Cap. XIII. 19. Jeremiæ [a], *omnes* dicuntur *esse heroes*. De usu autem emphatico præfixæ ו, sive vocis ET sume tibi locum qui mihi nunc obversatur ex 2 Chron. IX. 26. *Et imperium exercebat* (Salomo,) *in omnes Reges, à fluvio* (Euphrate) *usque ad terram Philistæorum*, ועד גבול פלשתים *& quidem* sive *imo vero usque ad terminum Ægypti*. unde illustrandus locus parallelus 1 Reg. IV. 21. ut adeo sensus sibi per omnia constet. In historia quidem, fateor, Herodoti aut Xenophontis nihil, quod sciam, de hoc casu diserte perscriptum est: sed cum historia vetus multum laboret, & accurata etiam multa notabilia reticeat: plane sufficit, nos ex circumstan-

Et cum verbis Prophetæ confertur.

Voces בריחי & הורדתי illustrantur.

Naviculæ & Lembi Euphratis, cur dicantur *Naves jubili*?

Quam emphasin hic habeat notio CHALDÆUS?

Notitia illorum.

Usus præfixæ ו.

Prophetia comparatur cum historia.

Quantum ejus ex historia.

a Cap. v. 16.

ria peti poſſit?

ſtantiis rerum poſſe colligere implementi probabilitatem. Aben-Ezra ex hoc loco & ſequentibus colligens, Cyrum cum Babyloniis navali prœlio decertaſſe, ut ignarus hiſtoriæ ab Abarbenele validiſſime refutatus eſt. Grotius ad *fugam* hanc Chaldæorum ex hiſtoria illuſtrandam advocat fragmentum Beroſi apud Joſephum [a], à Scaligero inter alia illuſtratum, quo Nabonidus ultimus Babyloniorum Rex à Cyro ante obſidionem Urbis *in Babylonia victus cum paucis fugiſſe* dicitur, *& ſe Borſippenorum oppido incluſiſſe*. Sed id vere huc non pertinet; & Beroſi hæc narratio quod ad fugam *Borſippenam* à *Nabonnedo* factam, directe incurrit in certiorem traditionem Herodoti & Xenophontis, fide hiſtoriæ Libri Danielis confirmatam, ſecundum quam Rex ipſe à Cyro Babylone deprehenſus & ibidem occiſus eſt. Et fieri tamen poteſt, ut *fugientes* aliqui ex prœlio infeliciter commiſſo, æque ac *fugitivi*, de quibus hic Jeſaias, *capta Babylone*, ſe contulerint ſalutis cauſſa in *Urbem Borſippa*, quæ vere fuit in Chaldæa, Babyloni ad meridiem ſubjecta, (etſi de certo ejus ſitu non liqueat:) propter Euphratem vel aliquem ejus alveum aut ex eo ductam foſſam; atque adeo ut traditio Beroſi hac parte non plane falſa, ſed adulterata ſit. Ergo proximum eſt ut ἐπέχωμεν, his quæ dixi, contenti.

An traditio Beroſi apud Joſephum huc recte referatur?

ỳ. 15. *Ego Jehova, Sanctus veſter: Creator Iſraëlis, Rex veſter.*] Quam Vates noſter ubique Divinus eſt & ſibi ſimilis! Prophetæ ſæpe adverſis & afflictis rebus Eccleſiæ magna canebant & communi exſpectatione majora; ad ſuſtinendam ſpem piorum; quare neceſſe habebant identidem orationi ſuæ immiſcere fundamenta illius *ſpei* piorum ſita in veritate Eſſentiæ Dei, ejuſque ad Eccleſiam reſpectu. Ea vero Jeſaias fere omnia hoc *commate* ſimul & ſummatim complectitur. EGO, ait, qui vere & per me ipſum exiſto ac ſubſiſto: JEHOVA qui Eſſentiam præſto dictis promiſſiſque meis: SANCTUS VESTER, per excellentiam puritatemque naturæ meæ ab omni ente ſecretus, ſummum objectum cultus veſtri, à quibus ego ſanctificor & quos ego ſanctifico, mihique ut cultores meos aſſero & vindico; & in quibus liberandis ac vindicandis ſanctificari volo: CREATOR ISRAELIS, qui effeci vi omnipotentis meæ gratiæ, ut Eccleſia in Mundo exiſteret è poſteris Jacobi collecta, verorum electorum credentium ſemen, quæ Eccleſia ut non *creata eſt in vanum*, ſic eadem *potentia & vi* ſuſtinenda ac liberanda erit: REX VESTER; Defenſor, Aſſertor, Curator, ad cujus gloriam pertinet ſubditorum ſuorum non negligere vindicias. De *Epithetis* ipſis quæ hic uſurpantur, eorumque reſpectu ad *Liberationem Eccleſiæ* & ad implementum promiſſorum ei factorum, in ſuperioribus ſæpius diſſerui. Competunt ea hic loci, ut paſſim Deo *Patri* cum reſpectu ad *Filium*, LEGATUM ejus ſub Oeconomia Vetere, & ut talem Patri ſubordinatum. *Regem* enim *Eccleſiæ eſſe*, ante tempus Gratiæ pertinuit ad Oeconomiam Patris, de quo vidimus in Locis Jeſ. VI. 1. 5. XLI. 21. Sed Deus Pater omnem gloriam ſuam conſpici voluit in Filio ſuo; & per eum tanquam per Legatum ſuum omnem Liberationem Eccleſiæ effectam dedit; & in ipſo Angelo Liberatore Populi ſui honorari voluit.

ỳ. 15. *Ego Jehova, Sanctus veſter, &c.*

Verba continent fundamenta *Spei Sanctorum.*

Epitheta quibus Deus ſe hic loci inſignit, declarantur.

Quomodo hic accipienda ſint?

(c.) Idem Opus *Liberationis* cum analogo *Redemptionis Ægyptiacæ* comparatum.

ỳ. 16. *Sic fatur Jehova qui facit in mari viam, & in aquis validis ſemitam.* ỳ. 17. *Qui educit currum & equos; copias & robuſtum* quemque. *pariter jacent; non reſurgunt: expirarunt: tanquam ellychnium extincti ſunt.*] Si verba hæc ſpectentur ſecundum ductum contextus orationis: reſpici poſſunt inſtar præfationis ad pericopam ſequentem in qua Novum Opus Gratiæ, cæteris majus & glorioſius, prædicatur. Et tamen non reſpuunt quoque ſeorſim tractari: certe æque σχέσιν habent ad ſuperiorem, ac ad inferiorem contextum. forte etiam majore jure ad ſuperiorem contextum referuntur ob analogiam utriuſque operis; eſtque id Kimchii judicium: כי הענין רבק למעלה *Argumentum cohæret*, ait, *cum ſuperiore contextu.* Antiqua enim Liberatio Gentis ex Ægypto hic cum Liberatione ex Exilio Babylonico comparatur ſecundum communem Interpretum ſententiam; nec negat quoque Cl. Cocejus illuc alludi. Neque tamen ut rariſſime contingit, omnes conſentire, hoc etiam loco conſenſus ſejunctus eſt à diſſenſu. Aben-Ezra, cujus judicium in literali interpretatione Scripturæ S. nemo contemnit, refert totam hanc pericopam ad Chaldæos, quos vult à Perſis *navali* conflictu & *terreſtri* victos eſſe. Et quidem prius membrum, *Qui facit in mari viam, &c.* refert ad victoriam à Perſis navali prœlio reportatam de Babyloniis, quos ſupponit claſſe cum iis congreſſos eſſe. Verba ejus: תותן בים דרך לאורח כי אוניות תבאנה מאוכים אל בגל ויצחו אוניות בגל QUI DAT IN MARI VIAM.] *Argumento eſt, naves ab hoſtibus veniſſe Babylonem, & deviciſſe naves Babyloniorum.* Sed hiſtoria ejus non meminit, ut jam ſupra monui: nec Babylon ſita fuit apud mare; quem errorem cum injuria ejus contribulis ſui Abarbenel exagitat; & qui tamen facile excuſari poterat, cum Judæi majores fluvios & nominatim *Euphratem* appellent *maria*. Si paulo peritior fuiſſet hiſtoriæ: rectius huc retuliſſet, quod Cyrus non abſque directrice Dei providentia Euphratem abduci fecerit in ſtagnum Nitocris, ut vado tranſiri potuerit: ut adeo *via & ſemita* facta ſit in *aquis* quæ objectæ erant Babyloni inſtar munimenti, per quas *ductas* expugnaverit Babylonem. Kimchius cum pleriſque Intt. verba ỳ. 16. quibus *via* dicitur *facta* in *mari*, refert ad miraculum editum in disjiciendis aquis *maris Rubri:* ſed quæ ſequuntur ỳ. 17. *Qui producit currus & equos, &c.* exponit de clade Exercitus Senacheribi. Hujuſmodi cogitationes ſi forte à vero deflectant, difficile eſt refellere, quia attributa utrique ſubjecto conveniunt. Nulla hic eſt nota diſcriminis, niſi ut attributa referantur ad *Subjectum* in quod maxime congruunt. Sic nemo neget, Deum poſteros Jacobi conſpectiore providentia duxiſſe per *aquas*, ſive *viam & ſemitam feciſſe in aquis* qua populum ſuum *duceret*; quam duxiſſe milites Cyri per Euphratem. Pariter, nemo temere inficias eat, ubi *Exercitus* aliquis deſcribitur à Deo productus ad interitum iſque jungitur *aquis* per quas facta ſit *via* vel *ſemita*: rectius cogitari de Exercitu Pharaonis demerſi aquis maris Rubri quam de exercitu Senacheribi à Deo proſtrato. Duo enim illa, ſc. *interitus Copiarum hoſtilium & via facta* per *aquas* conjuncta fuerunt in hiſtoria Pharaonis, non vero in exemplo Senacheribi. Accedit, Prophetam noſtrum, glorioſa facinora Dei antiquo tempore edita prædicantem, alibi quoque ſub eodem ſchemate magnifice celebrare idem hoc opus Divinæ providentiæ, quod ſemper habitum eſt in maximis Dei judiciis, *extincti* Exercitus Pharaonis *aquis maris rubri.* Sic ille [b]: *Et recordatus eſt dierum antiquorum, Moſis, Populi ſui. Ubi eſt qui ipſos eduxit ex mari cum Paſtoribus gregis ſui? ... ire fecit ad dextram Moſis brachium laudis ſuæ glorioſæ?* FIDIT AQUAS *coram iis* ... מוליכם בתהמות *qui ipſos* PER ABYSSOS *tanquam per viam* DUXIT: *ut equus in Deſerto; non offenderunt.* Scopus autem hujus Exempli Liberationis Populi ex Ægypto hic loci productus eſt, ut jam præmonui; ſpem credentium de Liberatione ex Exilio Babylonico ſuo tempore à Cyro efficienda ex hoc Exemplo confirmare; & utrorumque horum Operum alterum ex altero illuſtrare. Eſſet enim genus idem, licet ſpecies diverſa. Reſtat ad phraſin pauca obſervemus.

ỳ. 16. *Sic dicit Jehova qui dat* (facit) *in mari viam; & in* AQUIS VALIDIS *ſemitam.*] Jam jeci hypotheſin, alludi ad tranſitum Iſraëlitarum per aquas maris Arabici cura præterordinariæ Providentiæ Divinæ

ſuperiore, an cum inferiore contextu?

Aben-Ezræ judicium de hac pericopa.

In ejus ſententiam *inclinamus.*

Judicium Kimchii.

Διαφορὰ hic adhibenda.

Attributa maxime conveniunt Liberationi Ægyptiacæ;

Κριτήρια hic obſervanda.

Locus Jeſ. XLIII. 11.

ỳ. 16. *Sic ait Jehova qui facit in mari viam, &c.*

[a] *Adverſ. Apion.* Lib. I. p. 1045. [b] Cap. LXIII. 11.

Verba conferuntur cum historia hujus Eventus apud Mosen.

vinæ siccati, cujus historia hic ex Libro *Exodi* [a] nota esse supponitur: *siccati* autem in hunc modum ex fide ejusdem historiæ [b], ut *aquæ fissæ ad dextram & sinistram* consistentes speciem præbuerint *viæ* sive *semitæ in aquis factæ* qua Jacobidæ *ducti sunt*. Illuc enim hic præcipue alluditur. Kimchius in medium conjicit, prius membrum, *Qui facit in mari viam*, intelligi posse de via facta per Mare Arabicum in Exitu ex Ægypto: sed posterius, *in aquis validis semitam*, explicari posse de *siccato Jardene*, & *via* per eum *facta* in Canaanæam, secundum historiam [c]. sunt enim opera analoga. Sed phrasis, מים עזים *aquæ validæ* melius convenit *aquis maris Rubri* quàm *Jardenis*, quæ ut placidius fluunt in fluvio non adeo lato, sic oram habent minime asperam. Quid? Locus parallelus Nehemiæ ejusdem argumenti certam fidem facit huic interpretationi [d]: *Et mare fidisti coram iis; & per medium mare sicco pede transiverunt, & persecutores eorum projecisti in profunda, tanquam lapidem,* מים עזים IN AQUAS VALIDAS, sive, ut ὁ πάνυ vult, ASPERAS. Est enim עז *validum, durum; asperum.* Vult autem Vir Doctissimus [e], *aquas maris rubri* sic appellari quod *παραλίαν oram maritimam* habeant τραχείαν, δυσπαράπλευςον, δύσορμον, ἀπρόσιτον, καὶ κατὰ πάντα Φοβερὰν, *asperam, navigatu difficilem, importuosam, inaccessam, atque omnino metuendam.* ut Agatarchides, Strabo, Diodorus eam describunt.

Ex loco reciditur.

Notatio vocis עז.

Cl. Bocharti de hac voce sententiæ.

℣. 17. *Qui educit currum & equum, &c.* Verba referuntur ad interitum Pharaonis.

℣. 17. *Qui educit currum & equum; exercitum &* ROBUSTUM.] Nihil hic non proprie & vere dicitur de Deo qui arcana providentia sua effecit, ut Pharao consilium sumpserit de Israëlis posteris Ægyptum egressis persequendis cum *curribus & equis*, copiisque omnibus & *robore* militiæ suæ, ut demersus in profundum pœnas daret Divinæ Justitiæ, & posteris relinqueret exemplum severitatis & potentiæ Dei Vindicis ac Liberatoris Ecclesiæ suæ. Quod enim Deus hic dicitur *eduxisse* sive *egredi fecisse currum & equum:* estne quid aliud vel magis durum quam quod in historia totidem verbis scribitur [f]: *Et ecce ego obfirmabo cor Ægyptiorum, ut veniant post ipsos, & glorificabor in Pharaone, & in omni* EXERCITU EJUS; *in curribus ejus & in equitibus ejus.* An non idem est quod à Mose in *Ode Eucharistica* cantatur [g]: *Currus Pharaonis & Exercitum ejus* PROJECIT *in mare, &* ELECTUM TRIBUNORUM EJUS (qui Jesaiæ hic veniunt nomine שלשי ROBUSTI) *demersi sunt in Mari algoso. Abyssi texerunt eos; descenderunt in profunda instar* LAPIDIS. Id ipsum est quod hic apud Jesaiam sequitur: *Pariter jacent*, (oratio enim hæc in præsenti concepta est quod Vates rem præteritam sibi ut præsentem stiterit:) *non resurgunt: expirarunt; tanquam linum extincti sunt.* Sic distinguenda sententia est secundum Masorethas. Vox רעכו proprie vertenda erat, *extincti sunt*, quæ genuina ejus notatio est. Usurpatur proprie de *lucerna* quæ deficiente oleo extinguitur, cujusque lux evanescit & nulla fit. est autem *lux* symbolum *vitæ* sive *animæ*, quæ hominem totum animans, agitans, vivificans, judicio vulgi censetur esse *igneæ naturæ.* unde phrasis aliis quoque linguis & gentibus est recepta. Quam pulchre autem hæc metaphora respondet subitario interitui Ægyptiorum, & quidem in *aquis?* Ut enim *linum lucernæ ardentis* in aquas missum *subito* & fere *momento* plane extinguitur: sic Ægyptii aquis obruti subito expirarunt. Quæ cum facilia sint: mirum est Intt. hic tot fecisse divortia. In Bibliis Basileensibus verba in hunc modum concipiuntur: Quum *educit* populum suum: *currus & equus, exercitus & robustus, pariter obdormierunt.* Sed vox המוצא tam arcte cohæret cum vocibus, *currus & equus:* ut durissimum sit, hujusmodi fingere ellipsin. ne dicam, Masorethas fixisse accentum *Athnach*, distinctivum majorem, in voce עז *robustus.* Sunt qui in versione consentientes per *Educentem currum & equum* intelligi volunt Pharaonem ipsum. Alii, verba referunt ad Assyrium, ejusque improvisam & gravissimam cladem; ad quam Kimchii sententiam judicium meum in superioribus adscripsi. Piscator prius membrum, *Educit currus & equos, exercitum & robustum*, applicat ad Medos & Persas Divina Providentia suscitandos adversus Chaldæos: posterius vero membrum, *Jacent, non resurgunt, &c.* ad Chaldæos à Medis & Persis profligatos: dum interim mutati *subjecti* nullum in oratione indicium est. Vitium unum adhæret his interpretamentis, quod eorum auctores difficiliora facilioribus prætulerint. Vides jam, me non monente, (sed jam ante monui,) quorsum tendat exemplum hic à Vate propositum; videlicet ad illustrandum magnum Opus *Liberationis ex Exilio Babylonico.* Jubet Populum Dei de hoc Eventu securum esse, licet opus videatur esse magnum & maximum. Eundem enim id effecturum esse Deum per *Angelum* Jehovam qui Populum suum olim, perditis hostibus, vindicaverat ex Ægypto.

Durities orationis ex hypothesi, facile ferenda.

Significatio vocis רעך h. l.

Elegantia metaphoræ h. l. in voce *extingui.*

Diversæ aliorum cogitationes, & in eas inquisitio.

Membrum tertium Partis Doctrinalis: Opus illustrius *Liberationis spiritualis, & Conversionis Gentium ad Deum*, productum tanquam argumentum hypothesios.

Membrum tertium: Opus majus Gratiæ *Liberationis spiritualis, &c.* quod, cujusque prædictio, producitur ut argumentum ex quo demonstratur Divinitas veri Dei. Nexus orationis.

℣. 18. *Ne memineritis* PRIORUM, *& antiqua ne consideretis.* ℣. 19. *Ecce facio* NOVUM QUID: *jamjam efflorescet: an animum non applicabitis ad illud cognoscendum? Omnino ponam in Deserto viam, in solitudine fluvios.* ℣. 20. *Fera agri me honorabit; Dracones & Struthiones:* SIQUIDEM PONAM *in Deserto aquas, in solitudine fluvios, ad potandum populum meum, electum meum.* ℣. 21. *Populus hic est quem mihi formavi: laudem meam enarrabunt.*] Alterum hic producitur Specimen magni alicujus Operis Divinæ Providentiæ, sive beneficii in Ecclesiam conferendi, singularis ac paradoxi, quod tanquam prioribus *majus & excellentius* hic describitur; & ex quo Opere *prædicto & effecto* adversus Idololatras asseritur veritas Dei Israëlis, & argumentum promitur erigendæ ac fulciendæ spei Electorum. *Positurum se*, ait Deus, *in Deserto viam, in solitudine fluvios, facturumque ut bestia agri, & Dracones ac Struthiones, se honorent, in commodum Populi sui electi.* Quæritur, quorsum referenda sit oratio Prophetæ? Non exspectes hic rursus consensum Interpretum. Cum enim varia beneficia Gratiæ, quæ Jesaias Ecclesiæ promittit, vel exili & corporali sensu; vel ampliore & spirituali, accipi queant: ut ingenia sunt Interpretum, sic passim in prophetiis hujus argumenti exponendis ab invicem dissentiunt. Plerique Veteres, ut Eusebius, Hieronymus, Cyrillus, *novum* hoc & *excellens beneficium Divinæ Gratiæ*, cujus Jesaias hic meminit, exponunt de spirituali beneficio Gratiæ, temporis ac status Oeconomiæ Novæ, sive Regni Christi Jesu, quo Gentes ad magnum veræ Ecclesiæ solatium converterentur ad Deum & venirent in communionem bonorum spiritualium Novi Fœderis, metaphoricis phrasibus, quibus Propheta in hoc beneficio describendo utitur, plerumque desumptis à privilegiis externis & corporalibus, quibus gavisi sunt Israëlitæ Ægyptum egressi in Deserto Arabiæ; cui sententiæ Judæi Veteres, & passim recentiores, eatenus assentiuntur, quatenus hæc verba referri volunt ad Oeconomiam Messiæ ejusque tempora: ut mox monebo. Verum recentiorum aliqui, de quibus inter Judæos Aben-Ezra, inter Pontificios Mariana, inter nostros Grotius, hæc ipsa quoque Prophetæ verba interpretantur de *Liberatione Populi Judæi ex Exilio Babylonico*, ejusque beneficii adjunctis. Alii, inter quos Sanctius & Piscator, Vatem simul volunt in oculis habuisse Liberationem corporalem Ecclesiæ ex Babylone, & spiritualem Populi electi curandam à Filio Dei. Placet mihi sententia Veterum eademque communis, quæ Prophetam statuit loqui de beneficio spirituali

Quorsum referenda oratio?

Cujus generis beneficium hic describatur?

Judicium Veterum.

Judæorum Veterum.

Dissonum Aben-Ezræ, Marianæ, aliorum.

Sententia quædam media.

Accedit Veteribus,

a Cap. XIV. 1. seqq. b Exod. XIV. 21. 22. c Jos. III. 16. IV. 23. d Cap. IX. 11. e De Colon. Phœnic. Lib. I. Cap. XIII. f Cap. XIV. 17. g Exod. XV. 4.

Qui verba exponunt de *Beneficio Gratiæ* N. T. dato Ecclesiæ in conversione Gentium. Rationes ejus sententiæ.

Oeconomiæ Novæ. Rationes sunt, α. Quod tale aliquod beneficium hic memoretur quod tanquam *novum*, h. e. excellentius & alterius generis, hic celebretur, contradistinctum beneficiis antiqui temporis quæ Deus in Populum suum olim contulerat. Atqui Liberatio Populi Dei ex Babylone, nec dici potest beneficium majus & excellentius Liberatione Populi ex Ægypto; nec fuit beneficium diversi generis; sed analogum & homogeneum. Nec obstat hic locus Jer. XXIII. 7. protenus exponendus. β. Beneficium quod hic memoratur, ejusmodi est ut *corporaliter* sive *literaliter* explicari nequeat; quocunque etiam modo verba acceperis. Deus in gratiam reducum ex Exilio nec planavit Deserta loca per quæ ipsis iter faciundum erat; nec produxit *fluvios* ex quibus potarentur. Dixeris, eo solummodo significari, non defutura ipsis esse necessaria media & subsidia, quæ à cura ac providentia Divina exspectare poterant: patiar ego id dici etiamsi non plane satisfaciat emblemati; sed quæram, quid sibi velit, quod *feræ* & *Dracones* Deserti Deum ea de caussa sint celebraturi? Non video sane, nec commodam patitur interpretationem. γ. Beneficium quod hic describitur, ejus est generis, ut *spirituali oculo* videndum & considerandum esset; quippe quò pertinent verba ỳ. 19. *An non* COGNOSCITIS ILLUD? δ. Nulla hic est mentio Populi redituri Tsionem & Hierosolymam: quod Viri Docti supponunt. Ipsum *beneficium Gratiæ* in eo ponitur quod Deus *Desertum* & *solitudinem* irrigaret *fluviis* & *fontibus:* quod beneficium secundum analogiam prophetiarum hujus Libri, in expositione non negligendarum, pertinet ad Oeconomiam Novam. Inter Judæos recentiores præter Jarchium, Kimchius & Abarbenel non tantum simpliciter docent, his verbis describi beneficium temporis Messiæ: verum etiam idem fortiter defendunt; monentque simul, Veteres suæ sectæ Magistros orationem Prophetæ eodem modo accepisse *A*: etsi sane Judæi Recentiores illi beneficium Liberationis ex Exilio Babylonico præter fas extenuent. Inspiciamus verba secundum hanc hypothesin explicanda.

Responderur ad exceptionem, quæ hic moveri posset.

Beneficium quod hic describitur, est *spirituale*.

Judæorum hac de re sententia.

ỳ. 18. *Ne recordemini priorum, &c.* Aspectus & sensus sententiæ.

ỳ. 18. *Ne recordamini priorum; & antiqua ne nimis studiose considerate.*] Verba continent ἐπανόρθωσιν, & veluti *correctionem* ejus quod in superioribus dictum erat. Laudaverat Propheta beneficium à Deo in Ecclesiam conferendum cum reditu ex Exilio, idque cum analogis comparaverat: sed mox altiora & majora videns, & sibi ob oculos ponens glorioſa effecta Divinæ Gratiæ in Liberatione Populi sui spirituali & in Conversione Gentium: frustra, ait, se hærere in externis illis & corporalibus beneficiis quæ Judæum populum tantum respiciunt, celebrandis. Esse majora quæ Deus meditetur & moliatur; quorum respectu facile oblivioni dari possint minora & corporalia, quæ in Ecclesiam Oeconomiæ Veteris contulerit. *Priora* hic loci sunt beneficia gratiæ quæ beneficium temporis Messiæ anteceſserant aut anteceſsura essent, ut sunt Clades Senacheribi, Destructio Imperii Chaldæorum, Liberatio ex Exilio Babylonico, Seleucidarum Ecclesiæ perſecutorum interitus, & Restitutio Reipublicæ per Maccabæos. conferantur loca Cap. XLI. 22. XLII. 9. & hoc ipso *Capite*, ỳ. 9. Cum enim notio sit *relativa*: sumi potest latius vel strictius, pro circumstantiis orationis. Per *antiqua* (quæ vox hic aliquid plus notat quam *prima*, (quia oratio Prophetæ semper in majus surgit:) intelliges hic loci Redemptionem Populi ex Ægypto, Introductionem in Canaanæam, & Liberationem ejus ex variis adverſis ac servitutibus per Judices. Horum eos vult Jeſaias non *meminiſſe*, sed potius *oblivisci* eaque non *accurate* adeo & studioſe *considerare*, (quæ genuina vis est vocis התבונן) acſi videlicet hæc Opera essent Providentiæ, Potentiæ ac Gratiæ Divinæ maxima: dari enim majora & illustriora quale mox recenſet. Absurdus sit qui inde colligat, priora illa beneficia Divinæ Gratiæ non esse amplius repetenda memoria & pensitanda. est enim hæc figura loquendi, qua præstantia eximia beneficiorum Novorum supra Vetera exaggeratur, ut Jer. III. 16. *Illis diebus, ait Jehova, non dicetis amplius, Arca Fœderis Jehovæ; neque ascendet in cor vestrum; neque ejus* MEMINERITIS. Quare vero? Quia novum & excellentius beneficium veteri succederet. tota enim *Hieroſolyma* esset *thronus Jehovæ*. Qui per *priora* & *antiqua* hic intelligi volunt *Liberationem ex Ægypto* & *novum* exponunt de *Liberatione ex Exilio Babylonico*, huc adferunt locum Jer. XXIII. 7. *Propterea ecce dies veniunt, ait Jehova, quibus non amplius dicent, Vivit Jehova, qui eduxit posteros Iſraëlis ex terra Ægypti: ſed vivit Jehova qui eduxit & adduxit Semen Iſraëlis ex terra Aquilonis, & ex omnibus illis terris quo illos propuli, ut habitent in terra ſua.* Equidem locus in rem recte allegatur: sed Judæi Veteres ipsum quoque illud beneficium quod hic cum beneficio Liberationis ex Ægypto comparatur, secundum *ſuperiorem contextum* Orationis Jeremiæ retulerunt ad tempora Messiæ cujus adventum exspectant. Quod ad nos attinet; certi sumus, Jeremiam hic loqui de *Reditu ex Exilio Babylonico:* verum quod *beneficium* ille non voluit *in ſe* spectari, (quando vere dici nequit majus fuisse beneficio liberationis ex Ægypto:) sed *reſpectu conſequentium* quæ in *ſuperiore contexto* declaraverat, sc. *Regni Meſſiæ* & *Juſtitiæ* per ipsum adducendæ. Hic verus sensus est Prophetæ & mens nostra de hoc loco: etsi, sepoſita etiam hac hypotheſi, facile dictu esset, Prophetam sic loqui de *Liberatione ex Exilio Babylonico* cum ἀντιθέσει ad *Liberationem ex Ægypto*; non quod excellentius esset beneficio veteri, sed quod eo recentius

Quænam hic loci sint *priora*?

Quænam *antiqua*?

Quo sensu Judæi eorum non deberent meminisse?

Figura loquendi prudenter accipienda est.

Locus Jer. XXIII. 7.

Sententia loci Jeremiæ.

Alia rei contemplatio.

A Loca sunt in utroque Talmude Hieroſolymitano & Babylonico, in Codice *Berachoth* jam recenſita à Raymundo, *Pug. Fid.* Part. III. Diſſ. III. Cap. XI. eandem continentia traditionem, & in eundem excuntia sensum: licet aliqua hic occurrat variatio; & lectio Talmudis Hieroſolymitani non excludat omnem suspicionem mendæ. Traditio est *Ben Zomæ* de genuino sensu loci Jer. XXIII. 7. quippe ex quo colligendum videtur, Israëlitas post Reditum ex Exilio nullam amplius facturos mentionem *Exitus ex Ægypto*, quod videtur paradoxum. Verba Prophetæ: *Propterea ecce dies veniunt, ait Jehova, ut non dicturi amplius ſitis, Vivit Jehova qui eduxit posteros Iſraëlis ex terra Ægypti: ſed Vivit Jehova qui aſcendere fecit & adduxit ſemen Iſraëlis e terra Aquilonis, & ex omnibus terris in quas eos pepuli, ut habitent in terra ſua.* Responsum à Magistris ad hanc difficultatem; non esse Verba Prophetæ in hunc sensum capienda, acſi Beneficium Liberationis ex Ægypto *è loco ſuo evelleretur* ut *nulla* ejus amplius *memoria eſſet*: sed hoc Beneficium post Reditum ex Exilio non esse commemorandum ut *principale*, (עיקר) primum præcipuum, sed ut טפל *acceſſorium*, minus principale; perinde ac in loco Gen. XXXV. 10. ubi *Jacob non amplius appellandus* dicitur *Jacob*, sed ISRAEL. videlicet quod nomen *Iſraël* post hoc tempus censeretur esse *nomen* Jacobi *principale:* quando sequitur in Talmude Hieroſ. וכן הוא אומר אל תזכרו ראשונות ואל הבתרים וקדמוניות אל תתבוננו אלו אחרי יציאת מצרים הנה עשה חדשה עתה תצמח הלא תדעוה ו של גוג בימי המשיח וכו' *Atque in eundem ſenſum dicitur,* (Jeſ. XLIII. 18.) NE MEMORETIS PRIORA. *Hæc ſunt Ægyptus,* (h. e. gesta cum exitu Judæorum ex Ægypto. Raymund. *Iſta ſunt ſigna Ægyptiaca*) ET ANTIQUA NE CURETIS. *Hæc ſunt quæ conſequuta ſunt exitum ex Ægypto.* (Raym. obscure. *Iſta ſunt poſt egreſſum Ægypti.*) ECCE EGO FACIO REM NOVAM: NUNC GERMINABIT: NONNE COGNOSCETIS EAM? *Hoc eſt Gogi in diebus Meſſiæ.* Sic proprie sonant Hebræa, excerpta à Raymundo. Sed si ita scriptum est in Codice ipso, (quem non inspexi cum hoc tempore non sit ad manus:) oratio est elliptica, sic supplenda: *Hoc eſt* BELLUM *Gogi*, sc. & ejus consequentia. Raymundus hoc loco: *Iſta erit de Gog in diebus Meſſiæ.* Locum Talmudis Babylonici parallelum non excerpsit Raymundus, nisi usque ad nostra verba, qui tamen necessario cum hoc conferendus erat. Extat ille in Gemara Berachoth, fol. XIII. col. I. in princ. Describam tantum quæ ad nos pertinent. אל תזכרו ראשונות זה שעבור מלכיות וקדמוניות אל תתבוננו זו יציאת מצרים הנני עושה חדשה עתה תצמח הלא תדעוה זו של גוג ומגוג NE RECORDAMINI PRIORUM: *Hæc eſt ſervitus Regnorum Mundi.* ET ANTIQUA NE CONSIDERETIS. *Hoc pertinet ad exitum ex Ægypto.* ECCE FACIO NOVUM, NUNC GERMINAT. *Rab Joſeph tradit, Hoc eſt Bellum Gogi & Magogi.* Vides ex traditione PRIORA hic exponi de *Servitute Regnorum Mundi*, quæ phrasis hic *paſſive* sumenda est pro Statu Exilii Judæorum post Hieroſolymam à Romanis destructam, quando Judæi desierunt esse populus liber, & servierunt per universum Orbem Regnis Mundi. Sic interpretatus est Samuel Laniado, hunc locum allegans, ubi ipse ex mente Veterum per PRIORA intelligi ait שעבוד מלכיות SERVITUTEM *Regnorum*; & per ANTIQUA שעבוד מצרים *Servitutem Ægypti.* Pariter Kimchius: nisi quod per *novum miraculum* intelligat קבוץ גליות *Collectionem* τῶν Διασπορῶν, h. e. congregationem Judæorum ex omnibus exilii sui locis in terram Canaanæam quam sub Meſſia exspectant.

tius esset. Solent autem nova & recentia nos magis occupare quam antiqua. Verum in nostro hoc Jesaiæ loco beneficium laudatur *excellentius & diversi generis.*

℣. 19. Ecce facio NOVUM. *nunc efflorescet. an non cognoscetis illud?*] NOVUM est excellens aliquod, superioribus beneficiis in Ecclesiam collatis, & effectis Providentiæ Divinæ, majus ac præstantius, & quidem *diversi generis:* quam vim esse in hac voce jam monui in superioribus [a], in interpretatione CANTICI NOVI. Agitur, ut mox videbimus, de *Conversione Gentium*, & de *Deserto Gentium* mutando in *Paradisum.* Est itaque hæc pericopa conferenda cum dicto Prophetæ Cap. XLII. 9. & ex eo explicanda: PRIORA *ecce venerunt: &* NOVA *ego annuncio, antequam efflorescant, ea vos audire facio.* Agitur autem ibi de illuminatione Gentium facienda à Messiâ. Ipsa notio *novum* nos ad id ducit. Solet enim à Prophetis æque ac à Scriptoribus N. T. usurpari de beneficiis Oeconomiæ Novæ substituendæ Veteri. Inde Vates noster Cap. XLI. 15. *Ecce pono te in* TRIBULAM *acuminatam* NOVAM. Cap. XLII. 10. *Canite ei* CANTICUM NOVUM. confer Ps. XCVI. 1. excellentis argumenti quod explicat beneficia spiritualia Oeconomiæ N. Cap. LXV. 17. *Ecce creo cœlos* NOVOS *& terram* NOVAM. Jeremias [b]: *Pangam cum Domo Judæ* FOEDUS NOVUM. Ezechiel [c]: *Dabo in medio vestrum cor* NOVUM *& spiritum* NOVUM. Jam nemo ignorat, esse hunc verum & proprium characterem Oeconomiæ Gratiæ, quod omnia ejus *nova* dicantur, secundum illud Apostoli [d]: *Vetera præterierunt. omnia facta sunt* NOVA. *Nova* autem sunt, α. Quod huc usque non extitissent. β. Substituta sint *veteribus* abolendis & abolitis. γ. Iis essent excellentiora & præstantiora. δ. Quia *spiritualia. Spiritualia* enim *corporalibus* præstantiora habentur & sunt. In his autem *beneficiis* si respicias *Conversionem* Gentium: dicitur ea *beneficium novum* ob hanc quoque rationem quod esset paradoxum, cogitatione superius, & magnum involveret mysterium, quod electi in terris & sancti in cœlis cum admiratione contemplati sunt [e]. Hæc sunt illa OPERA facienda à Discipulis Christi μείζονα MAJORA *quam fecerat ipse Dominus* [f]. Quid vero illud quod Propheta addit: NUNC *efflorescet?* Utique enim plura lapsura essent sæcula antequam hoc opus Gratiæ Divinæ in mundo conspiceretur. Ita est, sed quocunque modo ceperis voculam עתה *nunc, jam jam*, semper supponendum est, agi de *casu*, qui *in instanti* futurus non esset; atque adeo phrasin accipiendam esse non ex stylo *civili*, sed *Prophetico*, secundum quem *futura* omnia *brevi, cito, repente* extitura dicuntur; quod sæpius in *superioribus* & alibi [g] observavi, & adstruxi. Ratio non tantum inde est petenda, quod tempus omne cum respectu *ad ævum immensum & cursum sæculorum* vere breve sit & citissime transeat; sed quod Prophetæ res sibi objectas per extasin veluti in tabella videntes, rerumque earum inter se nexum atque ordinem: *cum principio & in principio* viderent *finem*; *cum* termino *à quo* terminum *ad quem*; ut licet Deus vere omnia ex ordine decretis suis circumscripto efficiat, ob festinatissimam rerum successionem dicatur ipse opus suum *accelerare.* Sic Vates noster, (cætera enim nunc prætereo:) in sequentibus [h]: *Ego Jehova* בעתה אחישנה TEMPORE SUO *id* PROPERE *adducam.* Festinabo id adducendo. Sed sunt hic loci præterea duo observanda. α. Vatem nostrum ubi ait, NUNC *efflorescet:* id intelligi velle cum respectu ad *signa anteriora* quæ ipse appellaverat ראשונות PRIORA. NUNC, ait, postquam *priora* facta sint. Vult itaque plane id dicere in quo consentiunt omnes Prophetæ, post Reditum ex Exilio Babylonico ejusque proxima consectaria exspectandam esse *Manifestationem Regni Dei:* post Liberationes corporales exspectandam esse spiritualem. Verba Domini apud Matthæum [i]: *Ita & vos cum videritis illa omnia: scitote* PROPE *adesse, & ad fores.* Judæi hodierni hanc hypothesin negant adversus clarissimam Scripturæ S. lucem, qui proinde ut in hoc loco sic ubique valde sunt impediti; dum Messiam per *tot sæcula* frustra præstolantur; estque vere frivolum quod hic excipit Kimchius, *præsto adesse Messiam* & omni momento paratum esse qui adsit ad desideria Gentis, modo illa *pœnitentia & bonis operibus* se hoc beneficio dignam præstet. β. Alterum hic necessario revocandum est ad animum, de quo ipso quoque in superioribus frequens monui; *Initia manifestationis Regni Dei vere arcessenda esse ab illo tempore quo Judæi ad Deum inter Gentes conversi ex Exilio redierunt in Canaanæam.* Ab illo enim tempore, ut inter Gentes, Babylonios, Syros, Persas, Ægyptios, non pauci facti sunt proselyti: Deus Oeconomiam Mundi sic administravit, ut palam fecerit, se parare Gentes ad Regnum suum recipiendum. quod opus complendum ac consummandum erat, ut completum consummatumque est sub Messia JESU. Inde ait, *Nunc* EFFLORESCET, h. e. prima ejus initia jam prodeunt & conspiciuntur. Habuimus phrasin Cap. XLII. 9. De re ipsa vide specimen Cap. XIV. 1. 2. XIX. 22. 23. Et tamen illa *initia* ejusmodi erant, ut plures ea non observarent; quo pertinent verba Jesaiæ: *An non cognoscetis* sive *cognoscitis illud?* Prudentes, qui animum appellebant ad vias Dei easque diligenter considerabant, id poterant *cognoscere, explorare, sentire*, (quas significationes hic admittere potest notio ידע,) Deum in eo esse ut mutet gradatim & per articulos Oeconomias temporum: sed imprudentes non videbant *Regnum Dei*, etiam cum *in medio ipsorum* esset. Hæc mihi interpretatio visa est simplicissima, etsi verba aliam non excludant.

ETIAM *ponam* (faciam) *in* DESERTO VIAM, *in* SOLITUDINE *fluvios.*] Est utique character certus & indubius temporis gratiæ, ut patet ex collatis locis, jam abunde expositis, Cap. XXXII. 15. 16. XXXV. 1. 6. 8. XLI. 18. Sensus sententiæ mysticæ est, Deum facturum esse ut inter Gentes, huc usque fluctuantes inter diversissimas & falsas de Religione opiniones, *certus* esset *canon fidei & morum* [k], secundum quem *incedentes* pervenire possent ad communionem Dei in communione Ecclesiæ, cujus figura est *Tsion* & *Hierosolyma*; tum quoque ad *hæreditatem Mundi*, contradistinctam hæreditati Canaanææ. Porro, sua curaturum providentia, ut inter Gentes, doctrinæ salutaris indigas, sitibundas, veræ consolationis & donorum Spiritus S. exsortes, *copiosa* vigeret *institutio*, apta animum reficere & consolari, ῥέουσα ἐκ διδασκαλίας ἁγίας πνεύματος, *ducta ex doctrina Spiritus S.* (imitor Eusebium,) & cum ejusdem *Spiritus S.* gratia & donis conjuncta: ut qui in *Deserto Gentium* versabantur, eodem gaudere possent solatio, eademque participare beneficia spiritualia, quibus Deus Ecclesiam Apostolicam beaverat Hierosolymis & in Judæa in initiis Oeconomiæ Novæ. Urge emphasin phrasios, & dic, per *Fluvios* hic in emphasi intelligi Scholas, Ecclesias, Seminaria veræ Religionis, in quibus Doctores plures solatoriam & refectoriam Doctrinam Christi Jesu ubertim traderent atque explicarent. quem novimus fuisse fructum prædicationis Evangelii Filii Dei inter Gentes. Emblema ipsum ad *loca superiora* satis est declaratum. Duo itaque hic tantum observabo, quæ ad hunc nostrum locum illustrandum faciunt. Primo, quod Propheta ait, אף ETIAM, habet emphasin non negligendam. Notat, Deum *novum* quid in *terra facturum*, *Novam* instituturum Oeconomiam; *novam* producturum *creationem*; *nova* in Ecclesiam collaturum esse *beneficia*: sed in his eximiam fore *conversionem Gentium.* Vocula אף *etiam, immo*, hic idem valet quod Latini dicunt: *Cum alia*, TUM *imprimis, &c.* Esset enim *Vocatio & Benedictio Gentium & Reconciliatio Mundi* inter primarios fines *adventus Filii Dei in Mun-*

℣. 19. *Ecce facio novum, & seqq.* Quid hic loci sit *novum?*

Dictum Vatis confertur cum Cap. XLII. 9.

Loca analoga cum hoc collata.

Vocatio Gentium quo sensu dicatur *Beneficium Novum?*

Verba, *Nunc efflorescet.* Sensus eorum. Vocula nunc hic accipienda, non historice, sed Prophetice. Quod declaratur.

Vocula NUNC hic accipienda est χάριν ad signa priora. Stylus Prophetarum loquentium de tempore *Manifestationis Regni Dei.*

Initia Manifestationis Regni Dei altius sunt reperenda, quam passim fit.

Sed quæ ab imprudentibus non observabantur.

Etiam ponam in Deserto viam, &c.

Via est *canon certus* & stabilis *fidei.*

Per fluvios intelligitur copiosa institutio doctrinæ Salutaris.

Majore emphasi Scholæ, Academiæ, &c.

Emphasis in voce אף *Etiam.* Deus instituet novam Oeconomiam.

---

a Cap. XLII. 10. *b* Cap. XXXI. 31. *c* Cap. XXXVI. 26. *d* 2 Cor. V. 17. *e* Ephes. III. 9. *f* Joh. XIV. 12. *g* Ad Apoc. I, 1, 3. *Typ. Theol. Proph.* Part. II. Cap. II. *h* Cap LX. 22. *i* Matth. XXIV. 33. *k* Gal. VI. 10.

Mundum, ut Propheta docuerat Cap. XLII. 1. seqq. & docebit Cap. XLIX. 6. Deinde, videri posse, Prophetam hic alludere ad privilegia & beneficia gratiæ quibus Deus prosequutus est & ornavit Israëlitas, egressos Ægyptum, & oberrantes in Deserto Arabiæ, ituros in Canaanæam, hæreditatem ipsis à Deo destinatam: quippe quibus Deus *viam* præmonstravit quibusque prævit *Columna Nubis*; quorumque in gratiam produxit *aquam* fluvii instar larga copia profluentem *e rupe*, & sitibundos per *inaquosum* illud *Desertum sequentem*, eaque de caussa à Paulo insignitam nomine ἀκολουθούσης πέτρας [a]. Erat enim illud *Desertum* ἄνυδρον, *inaquosum*, absque *fluviis*, absque *fontibus*; certe *fontibus* & *aqua rara*. Sic diceret Propheta, Deum facturum esse *novum quid*, & *majus* quam olim fecerat. Quæ enim *beneficia* in hanc Gentem Judæam contulerat externa & corporalia in Exitu Israëlitarum ex Ægypto; eadem illum in Populum suum collaturum esse *majora* & excellentiora, quippe *spiritualia*, ubi Populum suum in Deserto Romani Imperii duceret ad *hæreditatem Mundi*. Favere videtur sententiæ, quod mox ℣. 20. dicatur, Deum in *Deserto* productum *aquas* & *fluvios ad* POTANDUM *Populum suum*, *electum suum*. Non sum ausus, fateor, hanc hypothesin repudiare; cum alioquin nemo dubitet, *Eductionem* & *Liberationem Populi Christi* è communione Regni Satanæ & Mundi factam *pretio sanguinis ejus* figuratam fuisse typo Liberationis posterorum Abrahami ex Ægypto; & cum Propheta novissime ℣. 17. de *corporali* hoc beneficio loquutus esset. Et tamen nolim fidenter asserere, Prophetæ propositum fuisse hunc *typum* directe exprimere. quippe si id egisset, videtur phrasin ad Statum illum antiquum perspicue magis accommodaturus fuisse. Exempli caussa; α. Deus proprie Israëlitis Ægypto egressis non *posuit viam*, paravit, fecit: sed *viam* iis monstravit. β. Ut *aqua ex petra* Israëlis posteros sequuta sit in *Deserto*: vere tamen in Deserto Arabiæ Petrææ non sunt *producti fluvii*. γ. Jesaias de *fluviis* in *Deserto producendis* hoc loco loquitur tanquam de *stabili* aliquo, non de *transitorio effecto* Providentiæ Divinæ: quod secus se habuit in *aqua* ex *Rupe*. Si igitur Propheta ad illum typum in hac sua oratione respexerit: dicere licet, illum ea hic usum esse libertate qua uti poterat, ut ad hunc typum magis *alluserit*, quàm ut eundem *expresserit*.

Alius illius respectus. Alluditur ad Statum Populi Judæi Veteris in *Deserto Arabiæ*.

Sensus verborum ex hac hypothesi.

Quid eam hic loci commendet.

Quid ei videri queat obstare?

℣. 20. *Celebrabit me bestia agri: Dracones & Struthiones, quod dederim in Deserto aquas, in solitudine fluvios ad potandum* POPULUM MEUM; *electum meum.*] Verba, quocunque modo sumantur, non patiuntur nisi interpretationem mysticam, quare Grotius cum ea ad hypothesin suam accommodare non posset, vix attigit. Sensus sententiæ est, Gentes, easque *feras* & *barbaras*, & in his quoque *Ecclesiæ* & Regno Dei *inimicissimas*, agnituras & celebraturas esse ingens illud beneficium Divinæ Gratiæ, quo cum iis communicaretur doctrina salutaris & consolatoria Evangelii; gustaturas bonum hoc Dei Verbum; hausturas laticem de fontibus & fluviis salutis; & venturas in communionem bonorum Gratiæ ac donorum Spiritus Sancti; & tanti beneficii Auctorem, Deum in Christo, contenta voce laudaturas esse. Sic docet Apostolus [b], Christum Jesum *factum esse ministrum circumcisionis pro veritate Dei*, qui Judæis primam salutis annunciationem promiserat; τὰ δὲ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν Θεὸν, *& ut Gentes pro misericordia* GLORIFICARENT DEUM. (quæ phrasis est in hoc loco,) sc. in communione Electorum. Quod suum thema ex variis locis Veteris Instrumenti confirmat, in quibus Deus à Gentibus dicitur *celebrandus esse*. Est in iis insignis locus Ps. CXVII. 1. *Celebrate Jehovam omnes Gentes: laudate illum omnes Populi, quia* EXCELLIT SUPER NOS *benignitas ejus, & veritas Jehovæ in sæculum. Celebrate Jah.* Nimirum Gentes pervenirent ad notitiam & fidem Dei, & bona Gratiæ cum iis communicarentur. cæteroquin enim nullam haberent Dei cum Judæis celebrandi vel aptitudinem, vel rationem. Est itaque quod hic dicitur plane idem quod Propheta, postquam de *conversione Gentium ad Deum* per doctrinam Messiæ instituenda luculenter vaticinatus fuisset, Cap. XLII. 1. seqq. ibidem subjicit, ℣. 9. 10. *Cantate Jehovæ canticum novum, ... tollant vocem* DESERTUM, *& urbes ejus, & seqq.* Per חית השדה *animantia agri* hic ut passim intelliguntur *feræ*, in Desertis nidulari & vagari solitæ. Per תנים pro תנינים, hic commodissime intelliguntur *Dracones*, etsi notio generaliorem etiam significationem admittat, & verti possit per *serpentes*. *Dracones* enim, ut sunt genus serpentum maxime terribile; sic amant *aquas*, ut Cl. Bochartus observavit [c], & aliunde etiam notum est; licet in *Desertis* & *inaquosis locis* passim dominentur, ut ex variis locis [d] hujus Libri jam intelleximus. Obscurius forte, quid sint בנות יענה. Οἱ ὁ. hic, ut etiam alibi, verterunt per Σειρῆνας, per quos probabile est illos intellexisse genus quoddam *Draconum*; non *Sirenes* sic Græcis dictos, ut ὁ πάνυ fidem fecit [e]. Rectius Hieronymus per *Struthiones*; quam interpretationem Vir Eruditus pluribus confirmavit [f], de quo jam monui in prophetia de Babylone [g]. Dicuntur Græcis, & Latinis quoque στρθιοκάμηλοι *Struthiocameli*; solentque in Sacris cum *Draconibus* aliis etiam locis [h] conjungi, quod utrumque sint ζῶα θρηνητικὰ, eorumque *sibilum* aut *sonus* lugubre sonet: utrumque etiam in Eremis ac desertissimis locis versetur; quibus cum natura *aquam* majore copia negaverit, & tamen censeatur instinxisse desiderium potus; (licet id patientius quam animantia mansueta ferant, & Naturalium rerum periti testentur *Struthiones* potu penitus abstinere:) hic scite à Vate introducuntur tanquam Deum *celebrantia* ob copiam aquæ qua *Deserta* in usum Populi sui electi irrigaverit; ut, cum Deo propositum esset Populo suo in Deserto potum præbere; simul se *potaverit* & à molesta liberaverit siti. Omnis enim animans, etiamsi forte se à potu abstineat, censetur per naturam ejus esse appetens. Si Vates in parabolica hac oratione aliquod *Desertum* in oculis habuerit: probabile est, illum allusisse ad Desertum *Arabiæ Petrææ* & *Desertæ*, sic dictæ, quod vere fuit ἄνυδρον *inaquosum*, *vastum*, *terribile*, nec *feris* caruit; nec *serpentibus* quoque, ut ex ipsa Scripturæ S. Historia [i] liquet; & ego huic Deserto describendo alibi [k] operam dans, ex Veteribus adstruxi. Sunt præter ea quæ illic adduxi ex ipso quoque Diodoro Siculo, duo alia Diodori loca in quibus de *Nabatæis Arabibus* agens, (versantur autem illi in Deserta & Petræa,) Arabiam Syriæ proximam θηρίων τε πλῆθος ἀλκίμων *prægrandium ferarum vim alere*, ait, inter quas præter Leones, Pardos, Tigres, ipsos quoque recenset στρθοκαμήλους *Struthiones* quos ibidem [l] describit. Et tamen nihil vetat Prophetam de quolibet *Deserto* intelligere, & desertissimo etiam loco, ut sunt Libyæ & Africæ solitudines arenosæ, vastæ, horridæ, in quibus *Dracones* regnant. Mystica significatio hic nemini potest esse obscura; & ego hoc argumentum jam tractavi ad Cap. XI. 6. 7. & XXXV. 9. *Feræ* in genere notant homines qui sunt in statu naturæ, excluси communione Ecclesiæ, in ejusmodi terris & regionibus Mundi, quæ vacuæ sunt doctrina & institutione salutari ac consolatoria; & qui proinde vitam instituunt secundum naturæ ductum & cupiditates; sed speciali sensu, sunt homines naturæ indomitæ, ferinæ indolis, feroces, violenti, nulla plane disciplina subacti, aliis hominibus infesti, crudeles, terribiles, in quibus regnant vitia analoga qualitatibus per quas feræ ab invicem distinguuntur, quales censeantur esse Populi inculti, barbari, inhumani. *Dracones* autem & *Stru-*

Et analogus Cap. XLII. 9. 10.

Quid h. l. *animantes agri?*

Quid תנים *Dracones?*

Quid בנות יענה.

Alibi quoque inter se conjunguntur.

Allusit hic ad *Desertum* Arabiæ Petrææ.

Attributa ejus huic loco congruentia.

Loca Diodori Siculi hac de re.

Significatur conversio Gentium Barbararum.

Verba non patiuntur nisi mysticam interpretationem.

Locus Pauli ad Rom. XV. 8.

Mystica contemplatio hujus Emblematis.

Quid *feræ* in genere significent?

Quid sensu speciali?

[a] 1 Cor. X. 4. [b] Rom. XV. 8. [c] *Hieroz.* Part. II. Lib. III. Cap. XIV. in fine. [d] Cap. XIII. 22. XXXIV. 13. XXXV. 7. [e] *Hieroz.* Part. II. Lib. VI. Cap. VIII. [f] Lib. II. Cap. XVI. [g] Cap. XIII. 21. [h] Job. XXX. 29. Mich. I. 8. [i] Deut. I. 19. VIII. 15. [k] *Observ.* Lib. V. Cap. XV. [l] *Biblioth. Hist.* Lib. II. pag. 93. Lib. III. 123.

Quid *Dracones* & *Struthiones*?

& *Struthiones* figurant homines in quibus est *odium veritatis*, & *Ecclesiæ in veritate fundatæ*; qui inflammati cupiditate sanctis nocendi eosque seducendi ad exemplum *Draconis antiqui*; lubrici, dolosi, *stupidi* & ad *verum audiendum* ac discernendum inepti, (qui proprie *Struthionum* sunt characteres,) & imprimis Ministri Satanæ, superstitioni & idololatriæ propagandæ intenti, *horridum* & *lugubre* sonant; h. e. Satanæ instrumenta ex ardenti veritatis odio & erga sanctos invidia; sive sint Principes Mundi, qui illas suas sententias lugubres per Edicta altum sonantia, respondentia sibilis Draconum & threnis Struthionum, vulgant; sive Doctores idololatriæ in Deserto Gentium dominantes, magna armati auctoritate. Conferantur quæ commentatus sum ad Cap. XXVII. 1. & descriptio hominis in statu naturæ positi Paulina Tit. III. 3. In universum spectantur homines, *aquæ* h. e. salutaris institutionis maxime indigi, qui hic *glorificantes Deum* ob beneficium aquæ sibi indultum, non à *præsente*, sed à *præterito vitæ statu* feræ, Dracones, & Struthiones appellantur, perinde ac Cap. XI. 6. 7. Sed hi rigati & poti ex fluviis salutaris Doctrinæ & illuminati à Deo feritatem exuerent, & tantum beneficium in se collatum alta voce prædicarent: quod opus Divinæ providentiæ & gratiæ hic & ubique celebratur ut maximum. Sed quo ordine hæc gratia dispensaretur? Id sane non est negligendum, cum in hoc loco plane jaceat. *Fluvii* in *Deserto* producerentur in gratiam *Populi Dei*, & *electi ejus*. h. e. *electorum Judæorum*, qui per omnes terras ex *duodecim tribubus* erant ἐν τῇ διασπορᾷ *in Exilio* [a], quos Petrus vocat ἐκλεκτοὺς παρεπιδήμους διασπορᾶν [b]. Ipsis enim primum *exponi* oportuit *sermonem Dei* ex mandato Domini [c], & praxi Apostolorum [d]. In illorum gratiam Apostoli *electos Israëlis* collecturi missi sunt ad Gentes; sed ex consilio Dei eodem tempore eademque occasione, (maxime postquam *reprobi multi* tantum beneficium sibi oblatum repudiarent,) Gentes vocari debuerunt & vocatæ sunt ad communionem ejusdem Gratiæ & salutis, & ejus rei caussa cum Judæis electis Deum celebrarent ac celebrarunt. De implemento nihil moneo, cum res sit in propatulo: & nos ipsi in Majoribus nostris veri Desertícolæ ferinæ & indomitæ indolis & corruptissimi ingenii, hujus gratiæ evaserimus exempla. Sed vide quæ scripsi ad Cap. XI. 6. 7.

Quo sensu hæ bestiæ Deum celebrarent ob aquas Desertí?

Censentur per accidens compotes fieri harum aquarum.

Quod illustratur.

Et declaratur ex Eventu.

ỳ. 21. *Populus* HIC *est quem* FORMAVI: LAUDEM MEAM ENARRABUNT.] Scilicet Ecclesia *Judæorum Electorum* cujus corpori insererentur Gentes colligendæ ex omnibus partibus Orbis terrarum, quem modo (ỳ. 7.) appellaverat POPULUM DEI, *electum Dei*, ad quod declarandum verba hæc nostra pertinent. Hic *Populus* quem Petrus [e] appellat GENUS ELECTUM, *regale Sacerdotium*, *Gentem sanctam*, *populum à Deo vindicatum & vindicandum*, *ut* PRÆDICARET VIRTUTES EJUS *qui ipsum vocavit è tenebris ad admirabilem lucem suam*, olim NON POPULUS: sed nunc *factus populus* quippe *misericordia donatus*, factus est hæres omnium promissorum Gratiæ. Apostolus: *Quid igitur? quod Israël studiose quærit, non est assequutus: ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν, sed* ELECTI *assequuti sunt; cæteri vero occallucrunt*. Hic est NOVUS *ille* HOMO, *ex duobus* (Judæis & Gentibus inter se conjunctis,) CONDITUS *in Christo Jesu ad opera bona ut in iis ambularet* [f]. Hoc est SEMEN ILLUD *in* quo *benedicendæ erant Gentes*, secundum interpretationem Petrinam [g]. *Christum* intellige & JUDÆOS ELECTOS cum ipso per veram fidem conjunctos, interque illos cogita de Apostolis, Evangelistis, & Doctoribus multis, per quos tanquam canales Gratia Dei communicata est cum Gentibus, per Orbem terrarum diffusis, ad gloriam infinitæ Dei Gratiæ & misericordiæ. Denique, ne plura addam: hic est ille POPULUS SPIRITUALIS, ad veram Dei imaginem formatus, à Spiritu S. *fictus*, cujusmodi nullus huc usque in Mundo extiterat: contradistinctus *creationi externæ* & typicæ, factæ ad montem Sinai. Hoc erat opus veræ & puræ Dei gratiæ omnipotentis, omnibus Dei operibus majus. Atque hæc sunt illa *Opera* quæ *Vates* sive *Deus*, quem Jesaias loquentem infert, in medium producit ut argumenta omni exceptione majora ex quibus longe ante *prædictis*, & secundum prædictionem *factis* editisque, demonstrari possit veritas Dei Israëlis adversus Gentes. in qua ratiocinatione nihil desideres. Nostra fides in Christum Jesum tam fundata in Verbo Prophetico quam in Verbo Apostolico, etiamnum argumentis hujus generis nititur.

ỳ. *Populus hic est quem formavi, &c.*

Quis *populus* hic designetur?

Declaratur ex analogis.

PARS ELENCTICA, hujus Sectionis *tertia*, (ordine *sexta*,) qua Deus superiora Beneficia *suæ* vindicat *Gratiæ*: non *meritis* Populi sui.

a. Convictio de cultu vitioso & imperfecto, quem Populus Judæus majorem partem Deo obtulerat.

PARS *Elenctica* hujus Sectionis. *a. Convictio* de Cultu vitioso.

ỳ. 22. *At vero tu me non invocasti, ô Jacob, quando* MEI CAUSSA LABORASTI, *ô Israël.* ỳ. 23. *Non adduxisti mihi pecudem holocaustorum tuorum, & sacrificiis tuis* (Eucharisticis,) *non honorasti me. Non facessivi tibi laborem in sertis, & non fatigavi te in thure.* ỳ. 24. *Non emisti mihi argento calamum odoratum, & adipe sacrificiorum tuorum non irrigasti me: sed laborem mihi facessivisti peccatis tuis; fatigasti me iniquitatibus tuis.*] Sic texta est oratio Prophetæ, ut *Elenchi* & *Consolationes* veluti per vices se alternatim excipiant; respectu hominum duplicis generis ex quibus Ecclesia Judæa antiqui temporis composita fuit; majoris partis reprobæ quæ in Deum non erat integro animi affectu; minoris electæ, quæ graviter laborans inter scandala & calamitates Ecclesiæ sui temporis consolationibus Divinis erigenda ac sustinenda erat. Quod ad hunc *Elenchum* attinet: duplice modo cum *oratione superiore* connecti posse videtur. Primo quidem ut Propheta dum meliorem Ecclesiæ partem consolatione sua erigit & confirmat in fide ex prædictis & promissis magnorum beneficiorum gratiæ futuri temporis: majorem ac deteriorem acriter reprimat ac refellat, ne existiment, beneficia hæc gratiæ *sui caussa* in Ecclesiam conferenda esse; vel se venturos in horum beneficiorum partem; contra vero ut certum habeant, se ex peremptorio Dei decreto *Judiciis* gravissimis prosternendos esse ac devovendos exitio. Alter nexus sic concipitur, ut postquam Propheta luculenta beneficia *Liberationis Populi ex Exilio*, ac *Privilegiorum Oeconomiæ gratiæ*, prædixisset ac promisisset tanquam suo tempore absque ulla dubitatione certo repræsentanda: doceat tamen Populum Judæorum, beneficia hæc suæ fore gratiæ, & quidem puræ gratiæ. Cultum enim quem Populus sibi obtulerat in sacrificiis & victimis, laborasse maximis vitiis, ut sibi eum pro cultu vero imputari nolit: quin certo sibi statutum esse, gravissima peccata Populi & Sacerdotum non habere impune, sed eadem meritis suppliciis prosequi. Ergo si quid beneficii post id tempus Ecclesiæ obtingeret: suæ id adscribendum esse *gratiæ*; non *meritis* ipsorum. Neutra connexio aliena est à re: sed posterior hic videtur magis convenire orationi Prophetæ, quippe quam manifeste confirmat *comma vicesimum quintum*. Interpretatio sic procedet, ut phrasin Prophetæ, si quid in ea obscurum est, prius expediam: dein genuinum sensum definiam.

Affectio orationis Prophetæ.

Cohærentia hujus Elenchi cum oratione superiore.

Alter modus ejusdem nexus cum superioribus instituendi.

Posterior hic præfertur priori.

Verba ỳ. 22. ולא אתי קראת יעקב כי יגעת בי ישראל *Et non invocasti me, ô Jacob, quando te mei caussa fatigasti, ô Israël:*] Sic verti cum Piscatore, Coccejo, aliisque apud Vatablum, sensu facillimo ac genuino. Ne existimetis, ô Jacobidæ, me hæc beneficia in Ecclesiam Populi vestri collaturum, ullam meritorum vestrorum habere rationem. Erit effectum meræ gratiæ. Si enim existimetis, me vobis debitorem esse propter *cultum* quo me in sacrificiis honorastis: is apud me nullo fuit pretio. Etiamsi enim *mei caussa* in cultu illo

Verba ỳ. 22. *Et non invocasti me Jacob, &c.* Eorum paraphrasis.

Cætera expediuntur.

a Jac. I. 1. b 1 Pet. I. 1. c Matth. X. 6. d Act. XIII. 46. e 1 Pet. II. 9. f Ephes. II. 10. 15. g Act. III. 25.

Defectus cultus Israëlitarum.

vos plurimum *fatigaveritis*: *me* tamen graviter laborando non *invocastis*, h. e. rite coluistis, cum cultum illum non obiveritis integro animo, in fide, amore, *confessione mei nominis*, studio justitiæ, sanctimoniæ, & bonorum operum. Sequens contextus æque ac phrasis Prophetæ hunc unum sensum adstruit; & tamen mirum, quanta hic sit interpretationum varietas, maxime nata ex ignorantia genuinæ significationis vocis יגע constructæ cum ב; quæ in ejusmodi casu notat *materiam* in qua quis *laborat*; sive *causſam impulsivam* propter quam quis laborat ac fatigatur; ut liquet ex locis Vatis nostri Cap. XLVII. 12. (*Dist. Heb.* 14.) LXII. 8. coll. cum Jos. XXIV. 13. Jer. LI. 58. Ergo יגעת בי *laborasti in me* sive *propter me*, idem valet quod, *laborasti* בעבודתי *in cultu meo*, ut Aben-Ezra & Kimchius. Sic recte Hieronymus; Symmachum proxime sequutus, NEC *laborasti* IN *me*. Debebat esse, CUM *laborasti* IN ME. Et tamen Grotio visum, hic rectius verti, *Imo tædio mihi fuisti, Israël, ut infra*, ait, ℣. 24. & Mal. II. 17. Sed dicam præcise; Hebræa hunc sensum non ferre. In locis quæ Vir Illustris allegat, est הגיע, formæ *Hiphil*, constructum cum *affixo accusativi*, quod notat *fatigare*, ut יגע *fatigari*: quæ non erant confundenda. Belgæ quoque nostri hic non elegerunt optimam sententiam, ubi scripserunt in Versione: *Quando vos* ADVERSUS ME *fatigastis*. Animadvertes insuper, α. Emphasin vocis קרא INVOCARE hoc loco. Significat non *qualemcunque* Dei *cultum*; sed cultum Dei qui fit in FIDE, cum *invocatione & confessione Nominis Dei*. ut in Ode Sacra [a]: *Quia tu Jehova bonus es & propitius* (זוב חסד לכל קראיך) *omnibus te* INVOCANTIBUS; appellantibus & in fide ac praxi bonorum operum Nomen tuum confitentibus. Confer Vatem nostrum Cap. LVI. 6. Potest itaque quis externis Religionis cærimoniis defungi, & cultum Dei exteriorem obire; licet ei non jungat cultum *interiorem & spiritualem* in quo Deus sibi tantum complacet. β. Vocem יגע, quam Propheta usurpat, hic aptissime adhiberi ad designandum *molestum* & obitu difficillimum *cultum* ad quem Lex Mosaica Jacobi posteros ad Montem Sinai obligarat, cujus magnam partem faciebant *sacrificia* varii generis, diverso ritu ex formula à Sacerdotibus offerenda ad aram; qui cultus mox vero suo nomine appellatur SERVITUS, ℣. 24. Apostolo δουλεία [b]. Et poterant tamen Judæi, fide cassi, erga Deum non bene affecti, in hoc concluſi ergasterium, *operari, laborare, fatigari*; & nihilominus deesse illi officio quod Deus maxime ab iis requirebat. Quod Vates addit ℣. 23. *Non adduxisti mihi* PECUDEM (שה *pecudem parvam*, oves, capros,) HOLOCAUSTORUM TUORUM: intelliges alludi ad *Agnum Holocausti* תמיד *quotidiani*. cætera enim *boves* æque in holocausta Deo offerebantur ac *agni*, oves, capri. Ab *holocaustis* vero hic distinguuntur זבחים *sacrificia*, intellige generis Eucharistici; h. e. *votiva, voluntaria & eucharistica*, sic proprie dicta. Vocis ipsius in se spectatæ latior significatio & quoque usus est. quicquid ex animantibus mactatum Deo offertur, est זבח. Sed ubi זבחים contradistinguuntur τοῖς ὁλοκαυτώμασι *holocaustis*, notant *Eucharistica*. Confer loca jam ante tractata Cap. I. 11. XIX. 21. & præterea Cap. LVI. 7. Jer. VII. 21. Ps. XL. 7. Per מנחה *Munus* notum est intelligi *Ferta*, ex *farina*, diversimode paranda, addito oleo, sale, thure; vel ex frugibus ad aram torrendis. Ad ea itaque ipsa referri quoque potest לבונה THUS in verbis Prophetæ, *Non fui tibi molestus* THURE, sc. mihi offerendo. Intelligi posset *thus* offerendum cum *Fertis*. perinde ac Jer. XVII. 26. ubi pariter quatuor species quæ hic occurrunt, recensentur, *Holocaustum, Sacrificium, Munus, thus*. Et tamen cum THUS hic à *Fertis* distinguatur: plane putem cum Intt. Hebræis Jesaiam hic loqui de *thure* quod locum habebat in quotidiano sacrificio *suffitus*, parandi à Sacerdotibus, inter alia ex THURE [c]: quæ notio generalis cæteras involvere potest. Censent autem iidem Interpretes, ad suffitum quoque pertinere quod sequitur ℣. 24. לא קנית לי בכסף קנה NON COMPARASTI MIHI ARGENTO CALAMUM ODORATUM. videlicet ad *suffitum faciendum*, in quo ex sententia Judæorum, probabili ratione nixa, usus erat *calami odorati*. Sed merentur verba diligentius considerari. Per קנה *calamus* hoc in loco intelligi *calamum odoratum*, sive aromaticum, nemo dubitat. Plerique etiam consentient Salmasio fuse variisque in locis de hoc argumento differenti, per קנה KANE, Latinis CANNAM, voce inde formata, designari speciem illam *cannæ odoratæ* quam Veteres appellarunt κάσιαν (κασσίαν) σύριγγα *Casiam fistulam*, quæ recentioribus Græcis dicitur κανέλα, κανέλλα, voce pariter ex Hebræa ducta latinæ formæ. Est enim *canella* canna parva: qui idem Vir doctus probabiliter disputat [d], *calamum* hunc *aromaticum* diversum fuisse à *cinnamo*, sive *cinnamomo Veterum*: sed eam disputationem hoc tempore non ingredior. Ad scopum nostrum directe pertinet, quærere, α. Quo sensu Propheta dicat, Judæos non *emisse calamum aromaticum argento*? β. Quem usum habuerit hoc aroma in sacris? Quod ad prius: Interpres Hebræus Jarchius Prophetæ verba sic accipit, acsi dicere velit, Judæos non necesse habuisse *calamum aromaticum* sibi *comparare argento*, לפי שהיתה מצויה בארצכם הרבה *quod magna copia nasceretur in ipsa Canaanæa*, quod confirmat verbis R. Aba ex *Midrasch Echa*. Sane id verum fuerit, si Plinius vere scripserit [e], *arundinem aromaticam in* JUDÆA *Syriaque nasci*. Sed vulgatæ Editiones ibi præferunt *India*, estque lectio probabilior. Sic enim ipse alio loco [f]: *Calamus quoque odoratus in Arabia nascens, communis* INDIS *atque* SYRIÆ *est*. Facessat igitur hic Judæa; & tamen non longe nasceretur extra Judæam, & quidem in *Valle Libano subjecta*; ut auctor est Theophrastus [g]. Sed cum Theophrastus & Plinius id soli inter Veteres tradiderint, & quidem Plinius ex Theophrasto: auctoritatem traditionis in dubium vocat Salmasius [h], & contendit, *calamum odoratum in sola India nasci*; inde vero in Arabiam & Syriam translatum, Syris quoque adscriptum fuisse. Certe in Judæa aut Syria non nasci *calamum odoratum*, non dubie evincitur ex insigni loco Jeremiæ, & quidem in Concione similis argumenti [i]: *Quid itaque thus mihi ex* SABÆA *veniat*, & CALAMUS ODORATUS BONUS מארץ מרחק EX TERRA LONGINQUA? quod neutiquam convenit Syriæ, Judææ proximæ. Verba quoque Vatis nostri id manifeste præferunt, quod Kimchius hic rectissime observavit: *Ait autem* (sunt verba Interpretis Judæi,) *de Calamo*, NON COMPARASTI MIHI ARGENTO, *quia calamus odoratus non reperiebatur in Canaanæa*, כי אם על ידי קנין *nisi argento emptus, quia ad ipsos ex terra longinqua adferendus erat, ut scribitur*, sc. in loco Jeremiæ. Et tamen cum notus fuerit *calamus* hic *aromaticus* ætate Mosis, quippe cujus mentio est in Legibus ejus, ut mox videbimus; quo tempore negotiationes cum Indis longe diffitis vix videntur fuisse frequentatæ: Cl. Bochartus maxima cum rationis specie arguit, *calamum odoratum* olim non in India tantum verum etiam *in Arabia Felice* provenisse, & inde translatum fuisse ad Ægyptios, Arabes & Syros, & illuc præter testimonia Veterum quoque refert locum Ezech. XXVII. 19. de quo ipse videndus est [k]. Alterum quæsitum, quem usum habuerit in Sacris: nos non diu morabitur. Moses *calami odoriferi* nullam facit mentionem nisi in Lege de conficiendo שמן המשחה *Oleo unctionis*, in Libro Exodi [l]: & tamen Interpretes Hebræi hoc loco referunt ad קטורת *suffitum*, licet in Lege de *faciendo suffitu* nulla exerta mentio fiat קנה *calami odorati*. Ita est, & tamen vix dubito, quin ipsorum

Varius aspectus notionis יגע, constructæ cum ב.

Grotii judicium de phrasi.

Quod non admittitur, ut non liquide demonstratum.

Versio Belgica. in eam ἐπίκρισις.

Emphasis vocis קרא h. l.

Notat *cultum* Dei qui fit in *fide*.

Vox יגע hic referenda est ad cultum *Legis Ritualis*.

℣. 23. *Agnus Holocausti* quorsum hic pertineat?

Quid זבחי h. l.?

Et מנחה *munus*?

Quorsum *thus* hic pertineat?

Referendum hic ad *suffitum*.

Quo eodem pertinet *calamus odoratus*, ℣. 24.

Quæ hic est notatio vocis קנה.

Canna Veterum. Laus Salmasii.

Ejus observata.

Vox *canella*, vel *canula*, ex *canna* formata.

Quæritur, quo sensu Vates Judæos accusaret, quod *non emerunt cannam argento*?

Num *calamus odoratus* natus fuerit in Judæa vel Syria? Plinii ea de re loca.

Traditionis fides dubia.

Locus Jeremiæ. Cap. VI. 20.

Cl. Bochartti sententia, olim natum fuisse *calamum* quoque in *Arabia Felice*.

Quem usum hic calamus habuerit in Sacris?

An referendus ad *Oleum Unctionis*.

---

a Ps. LXXXVI. 5. *b* Gal. IV. 24. Heb. II. 15. *c* Exod. XXX. 31. *d* In *Solinum*, p. m. 919. *e* *Hist. Nat.* Lib. XXV. Cap. XI. *f* Lib. XII. Cap. XXII. *g* *Hist. Plant.* Lib. IX. Cap. VII. *h* Ad *Solini*, Cap. LII. p. 741. *i* Cap. VI. 20. *k* *Hieroz.* Part. II. Lib. V. Cap. VI. *l* Cap. XXX. 23.

sis; num ad *Suffitum*? Posterius suadetur. Hebræorum hac de re traditio.

rum hic sit verior sententia. Statuunt illi, ex *traditione* quam Moses accepit in monte Sinai, *undecim species aromatum* ingressas *compositionem suffitus* Deo adolendi in Ara interiori, licet Moses quatuor tantum exerte appellaverit; quas species Maimonides ex Talmudicorum doctrina recenset, earumque mixturæ modum describit in Tractatu *Cele Hammikdasch*, de *Vasis Sanctuarii* [a], & inter eas quoque קנמון *cinnamonum:* voce à קנה KANE, canna sive calamo derivata. Non opus hic est jactare traditionem in Sinai acceptam. sufficit, posteros qui sedebant in cathedra Mosis ad suffitui huic aromatico majus conciliandum pretium, & summam fragrantiam, ita statuisse, idque ætate Prophetæ jam usu fuisse receptum. Vates enim hic vere agit de his quæ Deo ad aram offerebantur. Sed quid illud novi est quod addit: *Et adipe* SACRIFICIORUM TUORUM *non irrigasti me.* Utique enim, ut fidem facit locus Jer. VI. 20. modo adductus, per וזבחיכם *sacrificia* hic videntur intelligendæ oblationes generis Eucharistici passim sic dictæ. atqui Propheta earum jam mentionem fecerat quando dixerat ℣. 23. *Et* SACRIFICIIS *tuis non honorasti me.* An itaque idem bis dicit Jesaias, orationis curiosissimus? Plerique Interpretes transeunt difficultatem: sed Aben-Ezra hic per *sacrificia* (וזבחים) intelligit חטאות *sacrificia pro peccato*; cujus speciei *sacrificiorum* Vates hactenus non meminerat. Non probo sententiam. α. Quia si Propheta de *Piacularibus* loqui voluisset: nulla ratio videtur quare propria & genuina notione חטאת hic usus non fuerit. β. Quod dicitur, *Non* IRRIGASTI, impleviſti, inebriasti, *me adipe sacrificiorum tuorum:* multo magis convenit sacrificiis *Eucharisticis* quam *Piacularibus. Piacularia* enim longe infrequentius quam sacrificia aliarum specierum offerebantur: licet *adeps* in iis æque (si privatorum essent,) ac in Eucharisticis solus in aram ferretur. Non offerebantur nisi pro Noxiis gravissimis imprudenter commissis. Est autem credibile, privatos, ubi refrixit Religionis zelus, si liceret, sua illa crimina dissimulasse, cum molestum esset & grave pudori hac parte Religionis defungi. γ. Piacularia, cum offerrentur ad Deum offensum placandum, non censebantur ipsum *delectare*; quare si à pauperibus ex *farina* offerrentur, vetitum erat iis addere *thus* aut *oleum* [b]. ut adeo si de iis loqueretur Propheta, non videatur usurus esse voce הרוה *irrigare*, implere, inebriare, quæ passim in meliorem partem sumitur [c]. Estque hæc ratio quare Jesaias in *primo* suo *Sermone* recensens *sacrificiorum* species, quæ Deum putabantur delectare, pariter transierit *Hilastica*, pro *Peccato* & *Reatu*. Quid itaque? Omnino existimo, hic quoque de *Eucharisticis* agi; sed alio respectu. Eucharistica, & in his præcipue *voluntaria* & *votiva* (æque ac Holocausta,) offerebantur ad Deum *honorandum*, quod ibi dicitur, *Non* HONORASTI *me sacrificiis tuis:* sed eadem pro liberalitate offerentium fiebant ex animantibus *macrioribus*, vel *pinguioribus*, majore minoreve copia oblatis. Laudabantur hic *pinguiores*, (quæ *pecudis* conditio est in Oriente;) eæque bono numero oblatæ, ut ara ex ADIPE horum sacrificiorum posset madefieri, ac veluti irrigari: phrasi metaphorica desumpta à sitibundis hominibus aut terris, qui potu aut imbre large effuso ad saturitatem usque explentur [d]. quod idem maxime obtinet in *adiposis* medii veluti generis inter cibum & potum, quæ exposita & cupide sumpta haustaque desiderium plane explent ad usque satietatem [e]. *Ara* autem *igni* juncta, in Sacris ipsum repræsentabat Deum cibum & potum sibi oblatum absumentem: quod reverenter dictum sæpius à me expositum est. Id itaque ait per Prophetam Deus, Judæos se neque *honorasse victimis salutaribus*, neque etiam licet aram suam honorarent victimis adiposis, sibi satisfeciſſe. contra vero sibi *negotium facessivisse peccatis suis*, & *fatigasse iniquitatibus suis.* Hebræa proprie sonant; sed *servire me fecisti peccatis tuis*; *delassasti me iniquitatibus tuis.*

Locus Maimonidis hac de re.

Quid sibi velint verba, *Et adipe sacrificiorum tuorum non irrigasti me.*

An παυσιλογον sit in hac oratione?

An Vates hic de *piacularibus* loquatur?

Sententia improbatur.

Rationes ejus.

Sacrificia Piacularia non censebantur Deum delectare.

Videtur hic loci quoque agi de Eucharisticis, sed alio respectu.

Specialis respectus *Sacrorum adiposorum.*

Satiant & irrigant aram.

Ara igni juncta cujus rei Symbolum?

Criminatio Dei, Judæos sibi *negotium facessivisse*

quæ ab Intt. passim in hunc accipiuntur sensum; tantum abesse ut Judæi officium fecerint, ut è contrario *peccatis* & transgressionibus suis magnam Deo creaverint molestiam, non tantum quod Deo injucunda essent tanquam in honorem ejus incurrentia: verum etiam quod *patientiam* ejus *lassarent*, & Deus ea *ægre ferret absque punitione.* Cum enim ab una parte Populi sui salutem amaret ac prosperitatem; ab altera justitiam suam & amorem majestatis non posset abnegare quæ exigebant criminum punitionem & vindicias: Judæi in cursu peccatorum absque resipiscentia perseverantes *magnum* Deo imponebant *onus*, h. e. Divinam patientiam lassabant, eumque veluti obligabant, ut amorem justitiæ majestatisque suæ sibi naturalem *submitteret* respectui Populi Judæi, quem salvatum, non perditum, cupiebat. *Respectus Populi Judæi*, cujus salus Deo cordi erat secundum electionem & promissa Patrum, quemque populum à severitate judiciorum suorum præservare vellet, veluti constringebat *naturalem* Dei *libertatem*, secundum quam pro justitia & amore majestatis suæ hunc Populum gravissime puniret, eumque severitati suæ ad exitium pro meritis ejus permitteret, ut adeo peccata Populi ex Deo libero veluti facerent servum, quod Deum tanquam nolentem cogerent rationes justitiæ suæ adversus gloriam & honorem majestatis suæ Populi Judæi *respectui* subjicere. quæ *servitus* (dicitur autem *servitus* quicquid naturalem libertatem nostram restringit:) Deo erat molesta eumque valde lassabat. Phrasis *lassationis* simili in casu usurpatur apud Malachiam [f]; & potest hic conferri locus Vatis nostri Cap. I. 14. Non est mihi dubium, quin Propheta id quod dixi, hac phrasi intenderit, & tamen altior hic est speculatio Jarchii. Vult Prophetam id dicere hoc loco, Judæos *peccatis suis* in hunc modum *Deum* fecisse *servire*, quod Deum obligarint, ut ad ipsos puniendos cogeretur advocare Babylonios & Chaldæos, idololatras, eorumque uti *opera* ad ipsos puniendos. quod Deo fuit molestum, tanquam qui veluti nolens & invitus alii Genti tantum debuit, ut ea uteretur in Populo suo plectendo. Sed nostrum longe est simplicius, in quo acquiesco. Ne dicam, alios Populos qui exequuti sunt Judicia Dei in Populum Judæum, *servivisse Deo*, non vero Deum *ipsis*. De ἀντιθέσει vero inter *hoc membrum* & *superiora* actutum monebo.

iniquitatibus suis.

Communis verborum interpretatio.

Quomodo Judæi *Deum servire fecerint*?

Vis vocis *lassare* h. l.

S. Jarchii altior speculatio horum verborum.

Sed quæ non probatur.

Quod igitur hic est præcipuum: quæritur, Quo sensu aut respectu capienda sit sententia hujus orationis? Quomodo convictioni & enunciationi suæ constet veritas? Cum enim raro factum sit, ut stante primo Templo Sacrificia ex Lege Mosaica desierint offerri in Templo, solenni ritu, nempe solummodo sub Achazo & Manasse; & post Reditum ex Exilio tantum cessatum sit ab his Sacris sub Epiphane: qua fide Vates ait, (non est autem dubium quin fide optima:) Judæos Deum *non honorasse holocaustis*, *salutaribus*, *fertis*, & hac cultus sui adsiduitate non promeruisse Divinam Gratiam, & favorem? Judæi enim huic officio, ut dixi, raro defuerunt. Et sunt tamen Intt. qui convictionem hanc Prophetæ *absolute* accipiunt, cum respectu ad *materiam ejus* quod verba orationis præferunt; sed quorum sententiæ dissident de *tempore* ad quod Vates respicit. Et quidem Aben-Ezra hic cogitat de conditione Populi in *Exilio Babylonico.* Kimchius de tempore Regni Achazi. Grotius refert ad Statum Populi sub Manasse. Si quæ harum sententiarum admittenda esset, eligenda esset Kimchii illa, quia ad tempora Achazi mox vere respicitur; sed non ausim Prophetæ nostro hunc sensum imputare, vel sententiam ejus tam arcte circumscribere. Etenim primo, etiamsi Judæi his temporibus, quæ ab illis signantur, huic officio Holocaustorum & Victimarum Deo offerendarum defuerint; (licet in Exilio Babylonico & sub Epiphane ex mera necessitate,) estne probabile, Jesaiam voluisse inferre Deum Judæis exprobrantem

Quæritur, quo sensu hæc accipienda sint?

Judæi enim raro defuerunt officio suo in sacrificiis.

Sententia Intt. qui hæc verba *absolute* accipiunt *ad literam*; & putant,

Judæos hic culpari ob neglectum sacrificiorum: sed qui dissident in *tempore.*

Aben-Ezra refert ad Exilium Babylonicum.

Alii ad Achazi vel Manassis.

Ἐπίχρισις

a Cap. 11. §. 2. 3. b Lev. v. 11. c Confer Jer. XXXI. 14. d Confer Ps. LXV. 11. e Confer Ps. XXXI. 9. f Cap. 11. 17.

ad hanc sententiam. Criminatio, hoc modo intellecta, admittit exceptionem.

defectum sacrificiorum hujus non adeo longi temporis, ut doceret, se beneficium Liberationis ex Exilio Babylonico ex mera gratia in ipsos conferre? Si enim sacrificiorum suorum cultu vere aliquid mererentur vel meriti essent: an non facile ipsis & in promptu erat hanc convictionem eludere, si omne aliud tempus idque plurium sæculorum, quo adsidui fuerant in cultu hoc externo & literali, opponerent intervallis Regum Achazi & Manassis, quibus hoc officio superfederant? Num assiduitas in hoc cultu per tot sæcula obeundo non facile poterat expungere defectum & negligentiam hujus cultus sub Achazo & Manasse? β. Si Deus in hoc Elencho in oculis habuisset certum tempus vel tempora, quibus Judæi hoc officium negligenter curassent: haud dubie eorum cum aliqua *exceptione* vel *discrimine* meminisset. Sed oratio Prophetæ generalibus notionibus est concepta. *Non adduxisti mihi pecudem holocaustorum tuorum. non honorasti me sacrificiis tuis, & seqq.* Nihil hic eximitur, certe quod ad posteriora Reipublicæ tempora. Judæi autem carnales passim, nulla ratione habita temporum quibus vel improbi Reges vel necessitas illos coëgerant hunc cultum intermittere, persuasi erant, se partibus suis hic optime esse defunctos, secundum gloriationem Fratris primogeniti filii prodigi in Parabola [a]: *Ecce tot annos servio tibi; nec unquam præceptum tuum sum transgressus.* γ. Quam paradoxum? Num Prophetæ qui præcesserunt Exilium Babylonicum unquam Deum inferunt conquerentem de negligentia Judæorum circa sacrificia? An non è contrario ubique inculcant in iis sitam non esse vim Religionis. Deum ea spernere & repudiare, si ab impuris offerantur. in se parvi pendere. velle fidem, misericordiam, justitiam, puritatem morum, respiscentiam à vitiis. Nihil hic potest esse expressius. *Concione convictoria* Prophetæ nostri huic Libro præfixa [b]: suntque hic analoga loca clarissima ejusdem hujus Libri, ut Cap. XXXIII. 15. LVII. 3. seqq. LXVI. 3. & apud alios Prophetas plura eaque pressissima [c]. Vox Oraculi cœlestis est, ad Populum corruptum [d]: *Non redarguam te propter* זִבְחֵיכֶם SACRIFICIA TUA, *cum holocausta tua jugiter sint ante oculos meos.* Malachias post Reditum ex Exilio reprehendit Populum, non propter sacrificia non oblata, sed propter eadem irreverenter oblata, ex incredulitate & defectu fiduciæ in Deo positæ [e]. Quin certe tota hæc convictio eò tendit, ut mox dicam, ut Populus intelligat, Deum sibi in illorum satisficiis non complacere; iis non delectari; hoc cultu sibi non satisfieri. Quarto denique, quod hic magnam animadversionem meretur, Deus non tantum dicit, Populum *non honorasse se holocaustis & salutaribus suis*; verum etiam, se eadem non *imperasse*, neque ab iis *quæsivisse*. Verba sunt ℣. 23. *Non feci te servire fertis; non fatigavi te thure.* Non fui tibi molestus ob *ferta* & *suffitum.* non obligavi vos ad *ferta* & *suffitum* mihi magno sumptu & labore offerenda. Quid? An Israël ad id per Legem Dei non erat obligatus? Intelligis itaque, verba Prophetæ ex vero ejus sensu non esse accipienda *absolute*: sed *relative*, secundum περιλληλίαν doctrinæ Prophetarum. Oratio Vatis tota, ut modo præmonebam, eò tendit, ut doceat, Populum Judæum, beneficia promissa, quæ Deus in Ecclesiam conferret, amplissima sane, non suis meritis, sed Divinæ debiturum esse gratiæ. Hic vero cum vulgus Judæorum carnalium exciperet, utique Deum sibi debitorem esse cultus publici passim ex Lege in Templo solenniter celebrati, & ejus rei caussa sibi aliquid vindicare posse: Jesaias & cæteri Prophetæ refellunt vanam hanc illorum gloriationem; negant, Deum hujus publicæ Religionis caussa debitorem esse Populi. Primo enim nolle Deum illum cultum sibi imputari, quem neutiquam sibi *honori* esse duxerit; quippe non oblatum animo integro & puro, puris manibus, in fide, absque hypocrisi, ex sincero in Deum affectu, secundum verum canonem & præscriptum Religionis à Patriarchis cultæ & à Mose commendatæ: sed Populum Judæum maiorem partem hoc ritu esse defunctum ex hypocrisi, affectu idololatrico & à Deo alieno, dum interea temporis Populus, Proceres, Sacerdotes, se gravissimis criminibus & sceleribus quoque polluebant; & ex iis plures cultum idololatricum cultui veræ Religionis jungebant; publice Deum, clam, si liceret, colentes idola domestica. Id ipsum est quod Propheta ait: *Non invocasti* ME, *ô Jacob, dum vehementer in cultu meo laborasti:* dicere vult, dum magno conamine & opere Deum colere videbantur, vere non coluisse. *non adduxisse* IPSI *pecudem holocaustorum*; h. e. non ita adduxisse, ut se senserit eo *honorari*, ut mox additur; *non honorasti me sacrificiis tuis.* Offerebantur enim sacrificia ab impuris, aut hypocritis; ut adeo argumentum hujus orationis idem plane sit quod Concionis, Cap. I. II. seqq. *Quorsum mihi multitudo sacrificiorum tuorum, ait Jehova*, & quæ sequuntur. Nec aliter à Doctis Intt. pluribus accipiuntur verba Amosi *f*: *An sacrificia & ferta obtulistis* MIHI *in Deserto per quadraginta annos, ô Domus Israël: quin portastis tabernaculum Molechi vestri, & seqq.* Respicere hic volunt Vatem non ad *actum*, sed ad *affectum* idololatricum; quam interpretationem nemo dixerit absurdam. an vera sit, alibi quæsivi. Deinde Deus hic loci Populum docet, non modo *cultum* illum externum sibi ita oblatum esse ut sibi non fuerit honori, nec eum sibi imputari velit; verum etiam, se hunc *cultum* haberi nolle pro *vero* & *essentiali cultu* quem à populo exegerit. Judæi in hoc cultu carnali constituebant *summam Religionis.* Id negat Vates, ita se habere. Moses ipse in *Deuteronomio* ubique contrarium inculcaverat. *Cultus* hic spectari debebat ut *accidentalis* qui Deo parum curæ erat: si autem celebraretur absque fide, ipsi erat abominabilis. Id hic loci volunt verba, Deo apta: *Non feci te servire fertis, & fatigavi te thure.* & Jeremias *g*: *Sic fatur Jehova Exercituum Deus Israëlis, Addatis licet holocausta vestra sacrificiis vestris, & edite carnem: quia non locutus sum cum Patribus vestris, neque præcepi iis die quo eos ex Ægypto eduxi, de negotio holocausti & sacrificii: sed hoc verbum iis præcepi, Audientes sitis voci meæ, & seqq.* Nempe Deus illos educendo ex Ægypto satis significavit, ea sibi non esse cordi, cum eorum neque in præceptis & monitis ante Decalogum datis; nec in ipso Decalogo ullam fecerit mentionem. Esse itaque cultum *occasionalem* & *accidentalem* quem à fide sejunctum ut verum cultum, eumque meritorium sibi imputari nolit. Conferantur loca modo adducta. Tantum observa quod ex re ipsa facile patescit, *a*. Prophetam hic loqui de *cultu* ut ipsi oblatus est non ab omnibus & singulis in Populo, (erant enim inter illos electi & credentes quorum Religio Deo non displicebat:) sed à τῷ κοινῷ *communi* sive majore Parte Populi Judæi. β. Intelligi potissimum velle de *cultu Rituali*, qui Deo oblatus est circa illa tempora quibus inclinari cœpit Reipublicæ Judææ status, ut sub Uzzia, Jothamo, Achazo, seqq. Sub Hiskia ais, & Josia, mutatum fuisse Populi affectum. Sane non nego, sub Hiskia post cladem Senacheribi mutationem in melius factam esse: sed conciones omnes Prophetæ nostri docent, affectum interiorem idololatricum majoris partis Populi non esse immutatum; estque id certis argumentis declaratum sub Manasse & seqq. Regibus. Prophetæ omnes ejus temporis clamant, Populum hac parte fuisse corruptissimum, & insanabilem.

Criminatio generaliter instituitur.

Prophetæ Veteres, & Vates noster, nunquam Judæos hac parte criminati sunt. Contra vero docuerunt, *cultum ritualem* parum à Deo curari. Loca huc adducta.

Phrasis Prophetæ non favet huic sententiæ.

Verba Vatis accipienda sunt *relative.*

Totum schema *convictionis*, ut à Vate conceptum est.

Criminatio respicit *formam* offerendorum sacrificiorum.

Cultus Deo non erat oblatus in *fide*, nec *animo integro.* Quod declaratur. Status Populi Judæi describitur.

Locus Cap. I. II. seqq. cum hoc collatus.

Deus hunc cultum haberi noluit pro *cultu vero* & *essentiali*, quem à Populo suo requisivit. Quod declaratur, & illustratur ex analogis.

Observata alia hic necessaria.

β. *Declaratio*, qua Gratia Divina sola demonstratur esse caussa *Beneficiorum* prædictorum & promissorum.

℣. 25. EGO, EGO, ILLE, *deleo transgressiones tuas*

---

a Luc. XV. 29. *b* Cap. I. II. seqq. *c* Jer. VI. 20. VII. 21. seqq. Hos. V. 6. 7. VI. 6. Mich. VI. 7. Ps. L. 8. *d* Ps. L. 8. *e* Cap. I. 7. 8. *f* Cap. V. 25. *g* Cap. VII. 21. 22.

Declaratio *Gratiæ Divinæ*, ℣. 25.

tuas PROPTER ME; *& peccatorum tuorum non* RECORDABOR.] Ut cohæreat oratio cum superiore, ex his quæ disputata sunt facile intelligitur. Dixi enim, Deum id hic agere, ut beneficia in posterum Ecclesiæ decreta, in contextu antecedente prædicta & promissa, doceat suæ esse imputanda gratiæ, & quidem gratiæ meræ; non vero ullis meritis Populi. Hic ille canon est æternæ veritatis, mere Evangelicus; fundamentum omnis doctrinæ gratiæ; basis justitiæ per fidem absque operibus obtinendæ; quæ doctrina omnem excludit *καύχησιν gloriationem* peccatoris, sive Græci, sive Judæi. Inspiciamus vim sententiæ. Deus docet, se *delere transgressiones & peccatorum non recordari:* quæ verba hic geminam admittunt emphasin, minorem majoremque, cum respectu ad geminum Ecclesiæ statum quem Vates in oculis habuit. Primo pertinent verba ad Reditum ex Exilio Babylonico; quod beneficium cum esset gratiæ, & quidem beneficium insigne, supposuit *remissionem peccatorum*, & sane fuit effectus Remissionis peccatorum post resipiscentiam & pœnitentiam Populi: ut Moses explicans Fata Gentis jam prædixerat [a]. Jeremias [b]: *Et vertam captivitatem Judæ, & captivitatem Israëlis, & ædificabo illos tanquam in initio. Et purgabo ipsos ab omnibus ipsorum peccatis, quibus adversus me deliquerunt; & condonabo omnes iniquitates ipsorum quibus in me peccarunt, & adversus me rebellarunt.* Sed illa *Remissio* non fuit *perfecta*. Populus reducum brevi de zelo suo remittens incurrit in Dei indignationem, & luctatus est longum cum multis variisque incommodis. Utique mansit adhuc ἡ *ἀνάμνησις recordatio peccatorum in cultu sacrificiorum externo*; certe in *sacrificiis pro peccato*, ineptis ad *consummandam conscientiam* [c]. Quam *perfectam remissionem peccatorum*, fundatam in caussa ejus jam adducta, *obedientia Messiæ*, stylo Scripturæ ἄφεσιν dictam, conjunctam cum *abolitione Legis Ritualis*, *destructione parietis integerini & larga donatione Sp. S.* Scriptor ad Hebræos docet esse *Bonum Novi Fœderis*, sive *Oeconomiæ Gratiæ*, ex Jer. XXXI. 34. Recte feceris, si sententiam Prophetæ in hac emphasi acceperis; & *remissionem peccatorum inchoatam* cum Spiritu resipiscentiæ hic spectaveris in Reditu ex Exilio; sed *completam* in Oeconomia Gratiæ, cujus beneficia à Prophetis exhibentur veluti cum Reditu ex Exilio repræsentanda. Huc refero quod dicitur, EGO, EGO: de qua duplicatione jam egi ad ℣. 11. Respicitur ad *Remissionem Peccatorum inchoatam* in *Liberationi ex Exilio Babylonico*; & completam sub *Oeconomia Nova*: etsi non nego, duplicationem explicari posse per *affirmationem validissimam* qua Deus hoc *attributum* ita sibi vindicat, ut tanquam illustre in se & se solo spectari velit. Simul id innuitur, PRINCIPIUM GRATIÆ esse ex Deo. Quod vero additur, *Ego, Ego*, ILLE, exponendum est de *constantia voluntatis Gratiæ*, cujus symbolum est הוּא ILLE [d]. Deus idem, qui non mutatur: sive quod ad naturam & essentiam ejus; sive quod ad τὴν πρόθεσιν, certum & immutabile propositum exercendæ Gratiæ, in qua Divini propositi constantia & veracitate promissorum, propositum Gratiæ explicantium, fundata est Ecclesiæ & electorum salus [e]. Ἡ πρόθεσις τοῦ Θεοῦ μένει [f]. Plus mysterii hic sectari non ausim: etsi Veteres Judæi *tribus pronominibus personalibus*, EGO, TU, ILLE, quæ sæpe Deo in emphasi tribuuntur, aliquod *arcanum* essentiæ Divinæ involvi, statuisse videantur: de quo videri & expendi merentur, quæ Eruditus Vir, Jac. Altingius, alibi [A] commentatus est. Complementum sententiæ est, לְמַעֲנִי PROPTER ME. mei caussa: ut intelligeremus, Deum operis gratiæ esse caussam perfectam, absolutam, solam. esse inceptorem & consummatorem. principium & terminum in Deo quærenda esse. non tantum *ab ipso & per ipsum*, sed & *propter ipsum exerceri gratiam.* non tantum *efficientem & perficientem*, sed & *impulsivam caussam* in ipso consistere, exclusis hominis meritis. לְמַעֲנִי PROPTER ME. h. e. *ex mea natura, & ex mei ad gloriam meam, & ad vos respectu.* Deus per *naturam suam* est סלח *lubenter remittens peccata*, ut Belgæ nostri vocis emphasin rectissime expresserunt [g], sc. resipiscentibus. lubenter exercet gratiam: quæ est naturæ Divinæ summa perfectio. Sed accedit hic respectus *Divinæ Gloriæ*, per exercitium Gratiæ summe illustrandæ, cum nulla Divinarum Virtutum sit excellentior & laudatione dignior; & σχέσις ejus ad *Populum*, quem ex gratia electum sibi vindicavit, cujusque se publice declaravit fore Liberatorem & Vindicem; quemque adeo absque opprobrio sui nominis missum facere nequit. Sic ipse Propheta se plane declarat in loco parallelo Cap. XLVIII. 9--11. mentem suam ipse interpretans. En vocem Populi Dei [h]: *Non* NOBIS, *Jehova; non* NOBIS; *sed* NOMINI TUO *da gloriam: propter* BENIGNITATEM TUAM, *propter* VERITATEM TUAM. Nihil dici potuit perfectius. Volunt dicere, Non nostrorum meritorum, sed tuæ excellentissimæ Naturæ & Gloriæ respectu. Conferamus sententiam Evangelicam [i]: *Ut qui justificentur* GRATIS *ejus* GRATIA *per redemptionem factam in Christo Jesu.* Datio Mediatoris *ex Deo* est, & suum habet fundamentum primum in *infinita* Dei Patris *misericordia* in quam totum opus salutis peccatoris resolvitur.

Laudatio hujus pulchræ sententiæ, quæ basis est Oeconomiæ Gratiæ.

Delere transgressiones & non recordari peccatorum, geminam habet emphasin.

Utraque declaratur.

Proleptica *Remissio peccatorum* cum *Reditu* ex Exilio.

Sed quæ imperfecta.

Perfectior sub Oecon. Nova.

Nexus orationis cum superiore.

Emphasis verborum, *propter me.*

Sensus eorum.

Deus per naturam suam est *benignus & propitius.*

Accedit respectus *Divinæ gloriæ*; & σχέσις ad Populum electum.

Doctrina elucidatur ex analogia.

γ. Instantia *Convictionis* Populi Judæi de publica defectione à Deo, & de meritorum Ejus insufficientia.

℣. 26. *Duc me in memoriam* meritorum tuorum: *disceptemus pariter in judicio. Tu enarrare incipe, ut justificeris.* ℣. 27. PATER TUUS PRIMUS *peccavit; & interpellatores tui à me defecerunt.* ℣. 28. *Quare profanabo Principes Sanctuarii, & tradam Jacobum anathemati, & Israëlem convitiis.*] Instat Deus & urget convictionem, quam instituere cœperat ℣. 22. Offert Judæis honestam conditionem, publice cum iis disputandi coram æquis Judicibus; & simul iis in disputatione priores offert partes, quæ à disputantibus coram tribunali ut commodiores & caussæ disputantium faventiores solebant affectari. Ubi autem in angustiis deprehensi silebant & nihil habebant quod pro caussa sua in medium producerent: Deus ipse suam adversus eos actionem instituit: accusat illos defectionis: neque ipsos tantum, sed & Doctores ipsorum & Doctorum primum Pontificem; cujus consequens esset severa sententia Divini Judicii, qua tanquam ἀνάθεμα devoverentur excidio. His duabus partibus constat convictio. Offert iis Deus disceptationem, & priores in disputatione partes, ℣. 26. & ad ipsorum silentium, (quod hic supponitur:) eos convincit ipse, iisque denunciat judicii consequens, *excidium Reipublicæ* cum maximo Gentis opprobrio, ℣. 27. 28.

γ. *Instantia Convictionis* superioris.

Scena hujus periochæ; & nexus cum superiore.

Pſ. 26. *Fac me recordari; disceptemus pariter.*] Est hic aliquod ὕστερον πρότερον. Recta sententia est, *Disce-*

Expositio verborum, ℣. 26.

Respici potest propositum exercendæ Gratiæ in Christo Jesu.

Judæorum observatio ad Pronomina, *Ego, Tu, Ille.*

Appellationes, *Ego, Ego, Ille.* Emphasis earum.

---

a Lev. XXVI. 42. *b* Cap. XXXIII. 7. 8. *c* Cap. X. 2. 16. 17. *d* Pſ. CII. 28. *e* Mal. III. 6. *f* Rom. IX. 11. *g* Pſ. LXXXVI. 5. *h* Pſ. CXV. 1. 2. *i* Rom. III. 24. *k* 1 Cor. I. 30.

A Laudatiſſimi nominis Theologus, Jac. Altingius in *Exercitatione Grammatica tertia*, ſubjecta *ſecundæ Editioni* Grammaticæ Hebrææ, quæ in *Diſſertationibus* ejus *Philologicis* eſt *quarta*, de *Plurali* Nominis אֱלֹהִים, §. XIII. producit locum ex *Miſna* Cod. *Succa*, Cap. IV. §. V. ubi narratur traditio R. Judæ; in ſolenni proceſſione, circa Altare in Feſto Tabernaculorum, quam ſingulis Feſti diebus factam eſſe tradunt, in Litania uſos fuiſſe Judæos hac formula: אני והוא הושיעה נא Ego & ILLE *ſalva, quæſo.* Formula ſane myſtica eſt, nec dubium mihi quin ex hoc loco petita ſit. Arguit autem Vir Doctus, Judæos Veteres hic ſpectari voluiſſe *tres Perſonas Divinæ Naturæ*, ſub tribus *pronominibus*, quarum duæ, *prima* ſc. & *tertia*, expreſſæ ſunt vocibus Ego & ILLE; & *ſecunda* latet in voce הושיעה *Salva, obſecro*, TU: ut adeo Judæi Veteres ſub pronomine Ego ſpectari voluerint PATREM, principium & fontem omnium; ſub pronomine TU, FILIUM cum vero & proprio ſuo charactere qui eſt הושיע SERVARE; & per ILLUM deſignaverint SPIRITUM SANCTUM in quo Divinitas completur. Profert Idem (§. XVIII.) inſignem locum Menachemi Raknatenſis, qui vocem אתה TU in Pſ. XLIII. 2. interpretatur de GOELE, & de PETRA, cujus mentio fuerat facta Pſ. XLII. 10. Eſt obſervatum animadverſione dignum, quod non refello. formula enim vere myſtica eſt; ſed in Scriptura S. integra non reperitur.

Τ'ερον πρότερος in verbis.

ptemus pariter, & in disputatione collatis rationibus instituenda *fac me recordari*. Poterant Judæi duræ cervicis & intractabilis ac superbi ingenii dicere; Deum se per Prophetas obruere convictionibus: crimina sua licet sæpe non longi temporis amplificare; meritorum, acsi eorum oblitus esset, nullam plane facere mentionem; atque adeo sententias ejus iniquas videri. Huic criminationi Deus occurrit. Agite, ait, ne tam meo quam publico stare videar Judicio: descendite mecum in litem. disceptemus coram tribunali æqui Judicis. tentemus judicio, num crimina vestra meritis majora minorave sint. Ea enim de re disputandum erat. Ea vis hic loci est vocis שפט in *forma Niphal*, quæ sæpe alias. Notat *disceptare, in judicio contendere*. Est itaque נשפטה יחד *disceptemus pariter*, hic idem quod נוכחה Cap. I. 18. *Venite, quæso, & disceptemus inter nos*. Sic ibidem recte verti. Οἱ ὁ. Κριθῶμεν. Hieron. *Judicemur*. Sensus idem. Utitur autem Deus in convictionibus hac figura, quæ videri posset esse infra ejus majestatem, quia actiones suas omnes conformat ad principia justitiæ, æquitatis, juris, rationalitatis, quæ impressit conscientiæ omnium mortalium, ac proin ipse licèt Judex summus eas judicio conscientiæ omnium mortalium subjicit, de quo ad ipsum illum locum & ad Cap. v. 1. seqq. pluribus egi, & nuper ad Cap. XLI. 21. Confer Mich. VI. 2. *Duc me in memoriam*, ait. Heb. הוכירני *Fac me recordari*. Hoc est, Fac me recordari meritorum tuorum. Videlicet criminamini, me non satis æque vobiscum procedere: extollere & invidiose traducere crimina non longi temporis; extenuare merita multo longioris temporis, & eorum nullam habere rationem. Ergo hoc agite, ait: Si forte memoria mea fallat, aut vobis videar meritorum vestrorum oblitus esse: succurite memoriæ meæ, & ducite me in memoriam meritorum vestrorum. Ne autem existimetis, me actionem instituendo vos accusationibus aut convictionibus meis velle obruere, ut eam partem defensionis vestræ quæ in narratione meritorum vestrorum consistit, restringam aut præcidam: en, offero vobis partes in disputatione priores. *narrate* ipsi *benefacta* & *merita* vestra ut *justificemini*. sive, ut *justi sitis*, h. e. ut hoc ipso viam sternatis faciliorem ad vestri justificationem. Qui enim primus loquitur, conciliat sibi auditorii benevolentiam, & animos hactenus non occupatos imbuit præjudiciis, caussæ faventibus. Sir Vir sapiens in Diverbiis [a]: *Qui primus est in lite sua, est justus*. videtur esse justus & bonam agere caussam. Etiam ea vis est in dicto, *Narra tu*: h. e. edissere large, copiose, luculenter, & profer pro caussa tua in medium quæ in mentem venerint, ne si ego loquerer primus, mea oratione multa te obrutum dicas. Intelligis, *justitiæ & justificationis* notionem hic relative usurpari. Sensus metaphoræ est; Deum hominem judicando, cum ipso procedere summa æquitate. non obruere illum judiciis suis antequam se defendat. benevolenter & æque librare, quæ ad caussam ejus defendendam facere possunt. de *meritis ejus*, si quæ dentur, nihil inique statuere; eorumque narrandorum ei facere copiam, si consultum ducat hac parte sui justificationem tentare.

Τ'ερον πρότερος in verbis.
Sententia Prophetæ exponitur.
Deus offert Judæis in disceptatione priores partes.
Usus vocis שפט h. l.
An figura hæc satis conveniat Divinæ Majestati?
Verba: *Fac me recordari*: quorsum pertineant?
Sensus eorum.
Cur Deus Populo in lite disceptanda hic offerat partes priores?
Vis vocis *enarrare* h. l.

℣. 27. PATER TUUS PRIMUS *peccavit; & oratores tui à me defecerunt*.] Supponuntur, quibuscum Deus disputat, os comprimere, & per conscientiam convicti ac Divina majestate perculsi *silere*. ut vere Deus disputans semper *vincit* [b], & *Lex*, norma Judicii, *os hominis obturat* [c]. Quando Deus convictionem superiorem continuans, novam producit instantiam, & eidem subjicit sententiam Fori cœlestis, cujus effecta Judæi jam cœperant experiri. Non constitit ait defectio vestra à me inter plebes: non redarguo tantum vulgus, ad omnem auram mobile. Id enim si esset, sperandum foret, per *Intercessores vestros*, h. e. Sacerdotes, veniam delictorum, & pacem impetrari posse. Sed ipse ordo Sacerdotalis pollutus est. ipsi Sacerdotes vestri *à me* turpiter *defecerunt*: nec Sacerdotes tantum gregarii officio minus fecerunt; sed supremus Doctor & primus *Pater vester* PONTIFEX, cæteris præivit & objecit scandalum, per quem, si perstitisset in officio, culpa tua videbatur expianda esse. Hæc certa est, ut mihi plane persuadeo, sententia Vatis: sed quam non videntur percepisse hujus loci Interpretes, quod absque jactantia dictum sit. Ex his enim quos inspexi, nemo mihi hic satisfecit. Laborant omnes demonstrando *primo* illo *Patre* qui hic *peccasse* dicitur. Et quidem Vulgus Interpretum hic cogitat de *Adamo*, humani generis Parente, qui *peccandi* primus exemplum dedit, & à quo peccatum propagatum est ad ejus posteros. Ipse quoque inter Judæos Kimchius hanc interpretationem commendat [A]; licet quodammodo fluctuet, nec certo consistat pede. Mirum profecto, quomodo interpretatio tam remota utique ullam sibi conciliare potuerit fidem auctoritatemque. Etenim primo Adam non est privus *Pater* Judæorum proprie, sed omnium hominum: neque illi unquam Adamo ut Patre gloriati sunt, quippe quem cum omnibus mortalibus communem habeant; sed gloriari solent Patre *Abrahamo*, ut notum [d]. *Responderunt, & dixerunt ipsi*, Ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι. Secundo, cum hic agatur de ejusmodi peccatis propter quæ Judæi, positi in reatu, severe à Deo puniti erant & in posterum puniendi essent, traditi & tradendi *anathemati & opprobrio* cum Reipublicæ ipsorum *excidio*: quid huc attinebat memorare *peccatum Adami*? Utique enim, non obstante peccato illo & transgressione Adami primi, Deus cui propositum erat exercere gratiam, elegit *Jacobi posteros*, eosque sibi vindicavit in Populum, fivitque sibi Templum in hoc Populi erigi, Republica illius rite constituta ordinataque. Si *transgressio Adami primi* non obstiterit quo minus Deus hæc beneficia in Populum posterorum Jacobi contulerit: an eadem itaque transgressio nunc potest esse in caussis, cur Deus hunc Populum deserat, tradat convitiis, & Sanctuarium illius sinat sive pollui, sive exscindi? Dixeris, non hunc esse sensum Elenchi; sed Deum hic mentionem facere peccati Adami, ut evincat, se non absque ratione illos *peccati* arguere, cum utique Adamo orti sint, qui *primus peccavit*, & à quo peccatum per omne genus posterorum ejus diffusum sit. Respondeo, α. Deum non id simpliciter agere hac oratione, ut demonstret, Judæos à natalibus peccato esse pollutos; sed talia commisisse crimina, propter quæ mererentur severissimis Dei judiciis exscindi. β. Estne putandum, in hoc genere hominum quemquam fuisse, tam putidi & absurdi ingenii, qui licet justitias suas vel majorum suorum Gentisque suæ jactaverit; simul voluerit affirmare, *se* vel *Gentem suam* esse *absque peccato*? Id quærebatur, & de eo disputabatur, an *justitiæ* ipsorum non *pluris valerent* quam *delicta* quibus se Deo obstrinxerant. Tertio, si per *patrem primum* hic intelligendus sit *primus homo* à quo genus hominum origines suas ducit: quomodo cum eo cohæret quod sequitur, ומליצך פשעו בי *Et Interpretes tui* (oratores tui) *à me defecerunt*? Nullos hic demonstres *oratores* & *intercessores Judæorum*, de quibus mox videbimus, nisi ejus-

convictionem.
Generalis sensus sententiæ.
Paraphrasis verborum.
Quis hic sit *primus Pater*, qui peccasse dicitur?
Variæ sententiæ Interpretum.
Refellitur sententia, quæ hic intelligit *Adamum*.
Exceptio diluitur.
℣. 27, *Pater tuus primus peccavit, &c.*
Deus, adversariis silentibus continuat.
Consequens oratio huic interpretationi non respondet.

---

a Prov. XVIII. 17. b Rom. III. 4. c ℣. 19. d Joh. VIII. 39.

A Cl. Schmidius ad locum commentans, Kimchium adferens ut ἐμέψηφον, habere illum hic ait *sententiam in Judeo notatu dignam*, QUIA, inquit, HOMO (מוטבע,) NATURIFICATUR (*ut sic loquar*) IN PECCATO: *nam figmentum cordis humani malum est à pueritia ejus*. Sed Vir licet Hebraice doctus, mentem Kimchi non recte accepit. Verba ejus sunt: הנה אביך הראשון חטא והוא הארם הראשון כי האדם מוטבע בחטא כי יצר לב האדם וגו׳ *Et ecce Pater tuus primus peccavit*] *Ipse vero est* HOMO PRIMUS, *quia homo* sc. Adamus ipse, NATURIFICATUS EST, ut Vir Doctus, *in peccato, ut dicitur: Quoniam figmentum cordis hominis tantum malum est à pueritia ejus, &c.* Vult dicere, *Concupiscentiam* omnis peccati semen, quam Judæi vocare solent יצר FIGMENTUM MALUM, ipsi Adamo fuisse *naturalem*, נטועה בלבו *plantatam in corde ejus ab ipso Deo Creatore*, ut ab Adamo sit derivata ad posteros quia ipsi *naturalis*, non *accidentalis* fuit. quæ sententia nihil habet quod laudes. Vide me *Obs. Sac.* Lib. III. C. IX, §. II.

modi inter quos & Adamum nulla peculiaris necessitudo intercedit. Et tamen ratio flagitat, talem hic intelligi *Patrem primum*, inter quem & *Oratores* singularis aliqua σχέσις intervenit. Quid itaque? Num potius cogitandum de *Abrahamo*, Patre Gentis? Hieronymus non dubitat proponere sententiam; licet vere quid melius ex suo, ut putem, ingenio adferat. Verba ejus: *Pater tuus primus peccavit in solitudine, omnis videlicet Populus Israël: sive auctor generis tui Abraham peccasse convincitur, quando Domino terram repromissionis semini ejus pollicente, respondit, In quo sciam quia* (quod) *possidebo eam?* Nullus dubito, quin posteriorem hanc meditationem debuerit Judæo Præceptori suo, Viro docto, utique eadem hoc tempore legitur apud Jarchium. Is ad hæc verba simpliciter adscripsit: *Primus Pater tuus peccavit*] באומרו במרו ארץ *Ubi dixit:* (Gen. xv. 8.) *Ex qua re cognoscam, &c.* Adeone itaque Abraham, qui posteris suis omnibus ubique proponitur ut typus & exemplum fidei, patientiæ, integritatis, Deo carissimus homo, hic proponetur Genti suæ ut exemplum peccati, sc. incredulitatis; quod Deus producere voluerit in *convictione* adversus hanc Gentem instituenda; acsi materia Populi hujus convincendi deficeret, nisi hic in medium adferretur ficta incredulitas (vera enim nulla fuit,) innocui & integerrimi Abrahami? Alterum illud Hieronymi ipsius de *peccatis* à toto *Populo* sive Majoribus Populi Judæi in Solitudine commissis, se hic longe rectius habet; licet ne illud quidem huc proprie pertineat. Cum enim illa Majorum peccata non obstiterint, quo minus Templum Deus sibi ab hac Gente extrui permiserit: non videtur Propheta ea adducere velle ut caussam Sanctuarii destruendi. Propius ad rem accedunt Aben-Ezra & Grotius, quorum ille hic intellexit Jerobeamum: hic Manassen. Non est enim absurdum, Reges dici *Patres Populorum.* Sed prior sententia hic obtinere nequit; quia Propheta manifeste loquitur de *crimine* à *Judæis* & *Judæorum Patre primo* perpetrato, propter quod Sanctuarium jam profanatum fuerat & amplius profanandum erat: posterior ipsa admitti non meretur, quia Vates clarissime supponit, rem jam esse gestam. Kimchius Aben-Ezram emendaturus hic respexit Saulem: sed absque ulla ratione & probabili specie. Arguunt hæ omnes sententiæ inopiam veri. Dicam itaque absque longioribus ambagibus, per *Patrem primum* hoc in loco à Propheta docte & verecunde designari *Pontificem*, sive *Sacerdotum Principem*, URIAM, qui Sanctuario & Religioni præfuit tempore Achazi, quando Populus Judæus publice per plures annos turpissime, ut nunquam alias sub Regibus, à Deo defecit; qui cum *primus* & *summus Doctor* esset totius Gentis, in quem oculi totius Populi alioquin ad idololatriam satis proclivis conversi erant, se impietati Principis debuisset objicere; sed qui è contrario pessimo exemplo Regi idololatræ in omni libidine idololatriæ obsecundavit, & hoc fœdo crimine Deum gravissime offendit, dignitatemque suam prostituit: qui casus ne à nobis ignoraretur, in historia conservatus est ad hujus loci certam claramque intelligentiam. Docet illa [a], Regem Achazum, cum Damasci, quo iverat ad salutandum Tiglat-Pileserem, vidisset speciem Aræ, haud dubie ritu Assyriaco constructæ, illius ἐκτύπωμα misisse ad Uriam Pontificem, ut ad idem exemplum Aram strueret in Sanctuario, eandemque substitueret Aræ Æneæ, ad Septentrionem hujus collocandæ, & sacrificia & victimas Regis & Populi in eadem offerret; idque Uriam ex mandato Regis executum esse. Id in æternum Viri probrum consignatur in historia [b]: *Sic fecit Uria Pontifex.* Rursus [c]: *Et fecit Uria Pontifex secundum omne id quod præceperat Rex Achaz.* Is vero, ut jam monui, hic scite appellatur *primus Pater*, quod *primus Doctor esset* Judææ Gentis, ejusdemque Pastor spiritualis & curator Religionis. Sic Micha ad Levitam [d]: *Mane apud me, & eris mihi* לאב ולכהן *in* PATREM & SACERDOTEM. Eodem modo ad eum Danitæ [e]. Neque aliam ob rationem Elisa *Eliam* [f]; & Joas Elisam [g], appellavit PATREM, honoris & reverentiæ caussa. Christus Dominus [h]: *Et* PATREM VESTRUM *neminem appellate in terris.* Respexit non Patres naturales, sed Ecclesiasticos: erat enim appellatio ætate Domini recepti usus. Et sane huc proxime accedit, quod Aben-Ezra observat, esse qui sub nomine *primi Patris* hic intelligant מלמדי *Doctores*, adducta huc appellatione *Eliæ.* Inde jam cætera facilia erunt. quod enim additur: *Et* מליצים ORATORES, intercessores, TUI *à me defecerunt:* intelliguntur utique *Sacerdotes* eidem crimini cum Uria impliciti, *intercessores* Populi apud Deum. Si Populus forte deprehensus esset in culpa: venia impetranda esset per *Pontificem & Sacerdotes*, quorum verum & proprium officium erat apud Deum pro Populo intercedere, & oblatis sacrificiis pro ipso orare veniam: sed *ipsi* à Deo *defecerunt*, & in *defectione* primas habuerunt partes. Est hæc vera & genuina interpretatio vocis מליץ, in cujus etymi לוץ significationem originariam in tanta materiæ copia me hoc tempore investigandam non demitto. Notat *Legatum*, *oratorem publicum*, ut 2 Chron. xxxii. 31. atque adeo *intercessorem*, παράκλητον, sequestrem, μεσίτην *mediatorem*, qui alterius partes agit apud *tertium*, ut in verbis Elihu sensus Evangelici [i]: *Si sit apud ipsum* (Deum offensum) *Angelus* מליץ *Intercessor*, παράκλητος, *unus ex mille, ut indicet homini officium suum*, (sc. tanquam Angelus & Legatus nomine Dei ad homines:) *& pro illo supplex deprecetur*, (pro misero peccatore apud Deum, quod pertinet ad nomen מליץ *Interscessoris*,) *& dicat, Redime illum, ne descendat in foveam, Ego inveni* λύτρον, quo te placem. Describitur *Filius Dei*, ut summus *Doctor*, Ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας, conditiones obtinendæ Gratiæ miseris peccatoribus tanquam magnus Dei Legatus offerens & explicans; idemque unus *Interscessor* & Μεσίτης, qui inter Deum & hominem intervenit, præsens habens λύτρον quod Deo repræsentet. Id verum & proprium erat officium Sacerdotum; quos proinde hic loci intelligi, plures, & inter illos ipsi quoque Belgæ, viderunt: licet non satis prudentes illis Intercessoribus hic misceant Mosen & Aaronem, quod Hieronymo quoque excidit & ejus auctoritate motis aliis. illos enim ob peccatum à se ex imprudentia commissum *à Deo defecisse*, quam durum dictu est? Utique Vates ipse mox (℣. 28.) declarat, quos hic intelligi velit, nempe שרי הקדש *Principes Sanctuarii.* ut vere ferendi non sint, qui hic cum Aben-Ezra & Kimchio respiciunt *Proceres* & *Magnates Populi Judæi.* Chaldæus non perspecta penitus loci sententia, recte tamen, licet latius, vertit per *Doctores.* Sacerdotes autem tempore Achazi plerosque pollutos, nec integro in Deum animo fuisse, quippe sequutos Pontificis exemplum: cum ex re ipsa facile quis colligat, tum exerte adscriptum est in historia Libri *Chronicorum* [k]. Atqui hæc ipsa est defectio ad quam referenda est prima Concio Jesaiæ, ut ibi docui. Fuit defectio fœda & gravissima.

Pœnam culpæ, ex sententia Fori cœlestis, ipsius Dei verbis consignat Vates ℣. 28. *Et profanabo Principes Sanctuarii; & tradam Jacobum anathemati, & Israëlem convitiis.*] Supponitur hic, Sacerdotes, qui tempore Achazi à Deo *defecerant*, suamque prostituerant dignitatem, post hæc tempora, cum mores, non animum mutassent, relapsuros esse in idem crimen, & sive idololatria, sive aliis vitiis & criminibus, in se tandem post patientiam à Deo longo tempore exercitam, provocaturos esse extremam ejus severitatem: ut sane factum post Hiskiæ obitum sub Manasse, & sub Regibus ultimis Josiam sequutis; ut liquet ex historia [l], & ex Concionibus convictoriis Jeremiæ, & Ezechielis quoque, quibus horrenda flagitia idololatriæ in ipso

An hic potius cogitandum de *Abrahamo*? Hieron. sententia.

Et Jarchii.

Aliorum sententiæ, Hieronymi, Grotii, A. Ezræ, Kimchii, rejectæ.

Pater Primus hic est *Pontifex maximus* Urias, sub Achazo. Historia ejus ex *Libris Sacris.*

Sacerdotes & Levitæ olim dicebantur Patres.

Quod adstruitur.

מליצים hic sunt *Sacerdotes* qui intercedebant pro Populo apud Deum. Crimen illorum.

Vis vocis מליץ. Notat *Oratorem publicum*, Mediatorem, Sequestrem.

Locus Jobi, Cap. xxxiii. 23. Quid ibi מליץ?

Declaratur cum respectu ad *Filium Dei.*

Aliorum Intr. meditatio.

Pœna culpæ consequens, ℣. 28.

Hypothesis hujus Interminationis Propheticæ.

Sacerdotes postea relapsi sunt in idem crimen.

Probatur ex Historia,

---

a 2 Reg. xvi. 10. seqq. *b* ℣. 11. *c* ℣. 16. *d* Jud. xvii. 10. *e* Cap. xviii. 19. *f* 2 Reg. ii. 14. *g* 2 Reg. xiii. 14. *h* Matth. xxiii. 9. *i* Job. xxxiii. 23. *k* 2 Par. xxix. 34. xxx. 3. *l* 2 Reg. xxi. 4. seqq.

& Scriptis Propheticis.

in ipso Templo perpetrata plane ac dilucide describuntur; ut nemo satis stupere queat illorum temporum corruptionem. Unum tantum ex multis & ubique obviis produco locum ex Jeremia [a]: *Propter omnem nequitiam posterorum Israëlis & Judæ, quam exercuerunt ad me irritandum. Ipsi, Reges ipsorum, Principes ipsorum,* SACERDOTES IPSORUM, *& Prophetæ ipsorum, -- -- & posuerunt* ABOMINANDA SUA (Idola) *in Æde illa quæ meo appellata est nomine ad eam polluendam.*

Interminatio exposita & comparata cum eventu.

Quæ itaque defectio merebatur, ut Deus illos qui nomen suum & cultum, & Sanctuarium *profanarant*, ipsos quoque *profanaret*, (ut pœna responderet scelori,) & *devoveret excidio*. Factum in excidio Sanctuarii per Chaldæos, quando Sacerdotes à Sacris remoti & dignitate spoliati, officio & statu exciderunt, & cum *communi grege Populi absque discrimine habiti* iisdem succubuerunt malis & calamitatibus, quæ Deus pro judicii sui severitate cæteris impœnitentibus & obstinatis peccatoribus destinarat: (quæ vis hic est vocis חלל κοινῶν *commune facere*, confer Cap. XLVII. 8.) & Gens tota peccatorum ex destinatione judicii Divini cura providentiæ ipsius singulari misere periit, secundum exertas Prophetarum prædictiones [b]. Amosus [c]: *Omnes peccatores de populo meo gladio morientur.*

Vis vocis חלל hoc loco. Deus illos tractaret ut *communes* & *profanos*.

Prophetiæ analogæ huc adductæ.

Ea vis est vocis חרם hoc loco. notat *devoveri* Justitiæ Divinæ ad omnem punitionis severitatem, *absque ulla spe liberationis:* atque adeo *devoveri exitio & exterminio æterno*, absque ulla spe veniæ: quæ gravissima punitionis & execrationis species est: ut è contrario in meliorem partem est *devoveri & sacrari* cultui Dei in usum æternum absque ulla spe liberationis & exemptionis. Qui ejusmodi supplicio tanquam ἀνάθεμα à Deo ipso devovetur, sive qui fit חרם CHÉREM ipsius Dei, necessario perit, & secundum Leges Populi Dei *exscindebatur:* qui autem ab hominibus *devovebatur*, publico judicio, ut Athenis in historia Alcibiadis [d], à Sacerdotibus tanquam περιπάθαρμα onerabatur *diris & execrationibus* ad omnem calamitatem & interitum, ut si præsentes adessent, morte plecterentur; si absentes, *male perirent:* perinde ut qui se ipsum devovebat, se Deo *sacrabat ad mortem*, ut ex historia Romana notum. Sed nos vocem jam in superioribus habuimus [e]; & de re ac nomine prolixe commentatus est Seldenus [f].

Significatio vocis חרם.

Ritus *devovendi* apud alias Gentes.

Hic loci non est dubium, id velle dicere Deum, se obstinatos hosce Legum suarum transgressores, & eorum Rempublicam, certo traditurum excidio, absque ulla spe gratiæ & veniæ, ut tanquam capita Deo sacrata pœnam penderent ejus Justitiæ finalem: ut factum primo in Exilio Babylonico; dein Romano. Sed ad prius hic diserte alluditur.

Sensus vocis h. l.

PARS PARACLETICA, (ordine *quarta*, totius Concionis *septima*,) qua Dominus Ecclesiam Electorum, inter hæc severa Dei judicia servandam solatur promissione excellentium Beneficiorum.

Consolatio ipsa.

Pars hujus *Sectionis Quartæ, Paracleticæ*, Cap. XLIV.

CAP. XLIV. 1. *Et nunc audi, Jacobe, serve mi, & Israël, quem elegi.* ℣. 2. *Sic fatur Jehova, Factor tuus, & Formator tuus, qui ab utero tibi auxilio fuit: Ne metue, Jacobe serve mi, & Israël, quem elegi.*]

Affectio hujus Orationis.

Viden' quam blande Ecclesiam Electorum appellet, quam eam benigne & gratiose soletur, dum improbis ac obstinatis peccatoribus interminatur severa ac terribilia judicia sua quibus exscinderentur. Ita enim est, ut in superioribus jeci, Prophetam in hac Concione tota interminationes & convictiones permiscere consolationibus, alternis fere vicibus, quod geminum in oculis haberet *Subjectum*, & *Ecclesiam* respiceret in Ecclesia: *Ecclesiam*, inquam, Electam, credentem, integra in Deum fide & affectu, in Ecclesia carnali, reproba, multis inquinata vitiis, multis obruta scandalis: & tamen utramque appellat *Jacobum* & *Israëlem*; quod illud nomen his conveniret κατὰ σάρκα; illis κατὰ πνεῦμα, καὶ ἀληθείαν. de quo videnda sunt quæ proxime commentatus sum ad Cap. XLIII. 1.

Pericopa continet blandam consolationem *Populi Dei.*

Hic vero loci patet ex contextu, respiciendam esse *Ecclesiam Electorum*, quæ supereresset inter Judæos postquam Deus exequutus esset sententiam Judicii gravissimi, cujus modo facta erat mentio, h. e. Populum Dei Electum qui reducendus erat ex Exilio, & ibidem in Canaanæa conservandus, usque quo Deus illi præstaret luculenta illa promissa Gratiæ, quæ vero Abrahami semini Testamento condixerat. Scripserat Tsephanias [g]: *Et ego reliquum faciam* (postquam exequutus fuerim decreta justitiæ meæ, quæ commemoraverat,) *in medio tui populum inopem & tenuem, qui fident Nomini Jehovæ.* sive, receptum habebunt ad Nomen Jehovæ, & seqq. Symbolum Vatis nostri est [h]: שאירית ישוב RELIQUUM REVERTETUR. quod magna latitudine accipiendum, in loco docuimus. Hæ enim sunt *reliquiæ secundum electionem Gratiæ.* Atqui hi ipsi sunt quos Deus hic appellat. Constat autem hæc Paracletica *quinque commatibus prioribus* hujus *Capitis* circumscripta, duobus membris. altero Ecclesiam Electam solatur, iis ipsis verbis quæ descripsi. altero consolationis suæ explicat rationes petitas ex luculentis promissis excellentium beneficiorum, ℣. 3--5. Ego vero totam hanc Paracleticam adjunxi *Sectioni* huic nostræ quæ est *Sectio posterior Concionis secundæ*, quia ad eam vere pertinet ut quisque facile observaverit. Etenim à ℣. 6. Vates redorditur, sed fusius prosequitur, *Convictionem Idololatrarum*, instituendam tam ex Opere Ecclesiæ liberandæ ex Exilio per Cyrum, ac destruendæ Babylonis; quàm ex Opere Gratiæ Liberationis Spiritualis, illius Liberationis antitypo, & ex beneficio adducendæ per Messiam Justitiæ, atque inter Gentes vulgandæ, ut ibi videbimus.

Summa & *Analysis* hujus *Pericopæ.*

Subjectum, sive Objectum Consolationis est *Ecclesia Electorum Populi Dei*, quæ supereresset in Exilio.

Tsephaniæ locus de hoc cœtu piorum superstitum.

Ad verba ipsa paucula tantum habeo observanda, præter ea quæ attuli ad illustranda parallela, in quibus eadem sententia occurrit, iisdem fere notionibus expressa, ut Cap. XLIII. 1. coll. cum Cap. XLI. 8--10.

Animadversa ad interpretationem verborum.

Et quidem primo, verba *commatis secundi* duplice modo legi & distingui ab Intt. ut sane geminam ejusmodi distinctionem ferunt, respectu vocis מבטן *ab utero*, quam alii jungunt superiori voci יצרך: alii inferiori, יעזרך. Prior sententia sic habet. *Sic ait Jehova, factor tuus & formator tuus ab utero, qui tibi auxilio est.* Altera in hunc modum: *Sic dicit Jehova factor tuus & formator tuus, qui ab utero tibi auxilio est.* Priorem Magistri Aben-Ezra & Kimchius eligunt, & favet ei, quod non negem, distinctio Masorethica, Οἱ ὁ. Ὁ πλάσας σε ἐκ κοιλίας. Placuit quoque Piscatori, Belgis, Coccejo. Sed Hieronymus posteriore modo acceperat, ut nunc legitur: *Ab utero auxiliator tuus.* ut pariter Chaldæus. Non est differentia magni momenti; & tamen vix dubito, quin posterior distinctio præferenda sit. Phrasis enim, *formator* AB *utero*, minus videtur esse propria & liquida: quippe vere est *formator* IN *utero* eorum quos *formasse* dicitur. Utique enim *formatio fœtus fit* IN *utero*. Quod si etiam dicatur *formator ab utero:* est tamen phrasis sic explicanda, quod Jacobum ut fœtum jam *in utero* curarit. Eodem Propheta in hoc ipso *Capite* ℣. 24. ait: *Sic dicit Jehova Redemptor tuus & formator tuus* מבטן AB UTERO. Sed illud *ab utero* rectissime refertur ad vocem גואלך *Redemptor:* ut hoc in loco, *Auxiliator tuus ab utero.* Pariter Cap. XLVI. 3. *Auscultate me, Domus Jacob, & Reliquiæ Domus Israëlis, qui* PORTATI ESTIS AB UTERO; *lati estis à ventre.* Alluditur hic ad primam *formationem* & *institutionem* Ecclesiæ posterorum Jacobi, quæ facta est cum Exitu illius Populi ex Ægypto. tum enim Deus illam Ecclesiam קנה *genuit*, & veluti ex *utero produxit* [i]. Hi primi sunt illius Ecclesiæ natales. Etiamsi vero Ecclesia illius Populi ma-

Verba ℣. 2. duplice modo legi possunt.

Differentia illa exhibetur.

De ea judicium.

Quomodo Deus Jacobidarum *Formator ab utero?*

Intelligitur Eductio Jacobidarum ex Ægypto.

gnam

[a] Cap. XXXII. 32. [b] Ezech. V. 1. seqq. Tsephan. III. 11. 12. [c] Cap. IX. 10. [d] Nep. in *Alcib.* Cap. IV. v. & Plut. in *Alcibid.* p. 202. [e] Cap. XI. 15. XXXIV. 2. 5. [f] *Jur.* N. & G. Lib. IV. Cap. VII. [g] Cap. III. 12. [h] Cap. X. 20. 21. [i] Deut. XXXII. 6.

In illo Populo erat Semen secundum electionem Gratiæ.

gnam partem esset rudis, carnalis, falsis imbuta præjudiciis de Deo & via salutis, & vera Dei colendi ratione: Deus tamen curaverat sua providentia & gratia, ut in illo Populo esset aliquod *semen secundum electionem gratiæ*, per omnia tempora in Ecclesia illa carnali externa conservandum, quod nunquam intercidit: cujus *seminis Electi* respectu Deus tot singularibus Providentiæ suæ beneficiis illum Populum prosequutus est. Historici *Josuæ*, *Judicum*, *Ruthæ*, & *Samuelis* Libri præter *Odas* Sanctorum illustria plane exhibent specimina puræ fidei præstantium hominum qui in illa Populi multitudine post obitum Josuæ & Seniorum supererant. Deus itaque illum Populum non deseruit, non destituit. A primo exitu ex Ægypto in difficillimis casibus suo *auxilio* ei adfuit supra communes providentiæ ejus rationes. Inde vetat eum *metuere:* quæ symbolica appellatio consolatoria in his *Concionibus* sæpiuscule recurrit: tum quod à *Deo electus esset* ex libero placito, & vero ejus cultui in his terris destinatus; tum quod *Deus factor ejus formatorque esset* spiritualis; tum quod idem ipsi *ab utero auxilio fuisset*. de quibus in *superioribus* [a] abunde tractavi. Pertinet quoque ad emphasin dandam huic orationi vox ישורון JESCHURUN, rite intellecta; quod unum hic expediendum restat. Vox *quater* usurpatur in Verbo Dei de *Israële*; & ter quidem præter hunc locum in *Ultimis Mosis* [b]. Communiter Interpretes significationem ejus derivant ex voce ישר *rectus*, ut postremæ literæ ון sint *terminativæ*, ad exemplum vocum יתרון, זכרון, ראשון, hac solum differentia exigua, quod cum illæ desinant in *Cholem*; hæc in *Schurek*. Sic passim Hebræi; & ex peritis hujus Linguæ quoque Cl. Masius [c]. Illustris Vir, Hugo Grotius, nomen contracte structum vult ex ישראל, ut ישורון sit pro ישראלון Ἰσραηλίδιον, *Israëlulus*; & terminationem ון *diminutivum* ad exprimendum tenerum Dei affectum erga hunc Populum: quod pluribus mecum ob necessariarum literarum radicalium absentiam non adeo videbitur probabile. ne dicam, in voce ישורון literam ש esse *adspiratam*; in voce ישראל *mollem*. etsi observatum de *diminutivo* non plane spernam, ut quod nobis non obest. Sed est illud incertius; de quo videri potest Glassius [d]. Cl. Coccejus vocem formatam vult ex ישורו *videbunt*, observabunt, contemplabuntur; quia Populus Judæus visurus esset Deum manifestatum in carne. quod nemo dixerit non esse hyperbolicum & remotum. Οἱ ὁ. verterunt per ἠγαπημένος *dilectus:* sed incertum quo respexerint. Apud me nihil probabilius sententia antiqua, nomen formatum esse ex ישר *rectus*. Sic Vett. Aq. Sym. Theod. Εὐθὺς, & ἐυθύτατος. Et putem cum Masio, illuc manifeste pertinere, quod apud Josuam [e] mentio extet ספר הישר *Libri* RECTI: h. e. quo gesta Populi Israëlitarum descripta erant. Est Vir Eruditus, cui in mentem venerat, vocem הישר hic forte scriptam esse pro הישראל per compendium: sed non cogitavit cum id scriberet, vocem ישראל non admittere præfixum ה *Demonstrativi*, cum sit *Nomen proprium*. ne nunc repetam differentiam *punctaturæ* literæ ש. *A* Quæras tamen merito, quo sensu Populus Israël dicatur *Rectus* vel *Rectulus?* Videtur enim nimis esse honestum Nomen quam ut multitudini Jacobidarum possit vel debeat aptari. Respondeo, *α.* Nomen hoc impositum fuisse huic Populo cum respectu ad primam institutionem *Status ipsius*, æque ac nomen משלם *consummatus*, de quo vidimus Cap. XLII. 19. quia Populus Judæus unica in Orbe terrarum Gens erat quæ *recte* de Deo sentiebat & *veram* profitebatur *Religionem*. β.

Deus Ecclesiam electorum vetat *metuere*. Rationes ejus.

Emphasis nominis ישורון *Jeschurun* h. l. Usus ejus in Scriptura. Communis de ea sententia Doctorum.

Grotii sententia de terminatione ון.

Animadversio ad Librum RECTI in historia Josuæ. Communis sententia probatur.

Quo sensu *Populus Israël* dici queat *rectus?*

Rationes *nominis* explicantur.

Nomen hoc ישורון *Jeschurun* datum fuisse huic Populo, cum respectu ad *semen* verorum Jacobidarum quod in illo cœtu conservabatur. Erant autem in hoc Populo ישרים *recti*, puri sensus, & integri in Deum affectus homines, veri confessores Nominis Dei, Ecclesiæ illius temporis semen, & fundamentum. Inde Ecclesia tota denominatur. Estque hic animadversione dignum, Prophetas de hoc *semine Electorum* tam in Populo qui egressus fuit Ægyptum; quam qui primo tempore collocatus est in Canaanæa, honestissime testari. Vide mihi hic luculentum locum Jer. II. 2. & apud Vatem nostrum Cap. v. 1. seqq.

Consolationis *Ratio.*

Amplificatio & Benedictio Ecclesiæ.

℣. 3. *Quia effundam* AQUAS *in* SITICULOSUM, *& profluentes in* ARIDAM. *Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super propagines tuas.* ℣. 4. *Et efflorescent tanquam* IN GRAMINOSO LOCO; *ut salices apud fluenta aquarum.* ℣. 5. *Hic dicet, Ego sum Jehovæ; & ille appellabitur nomine Jacobi; & hic scribet manu sua,* EGO SUM JEHOVÆ; *& de* NOMINE ISRAELIS *cognominabitur.*] Vana, certe minus efficax, videri posset promissio, si tantum decurreret in generalibus; aut solummodo consisteret pollicitatione auxilii aut defensionis Divinæ. Majus quid & sublimius est quod Deus hic Ecclesiæ promittit. Cum enim illa solummodo videretur metuere, ne inter tot adversa & calamitates interiret: condicit illi Dominus, tum insignem corporis sui, (quod est corpus electorum mysticum,) amplificationem; tum benedictionem spiritualem donorum Sp. S. in Ecclesiam amplificatam uberrime profundendam. Est autem Promissi eximii *Membrum geminum.* Prius complectitur benedictionem spiritualem semini Ecclesiæ impertiendam, ℣. 3. Alterum, illius benedictionis fructum in mirifico Ecclesiæ incremento & lætis propaginibus, quod duobus constat articulis; quorum prior hoc inerementum Status Credentium spiritualis metaphorice declarat, ℣. 4. Posterior, idem absque figura exponit, ℣. 5.

Ratio Consolationis ℣. 3.

Summa Pericopæ eximia Promissa complexæ.

Analysis ejus.

Promissum ipsum his explicatur verbis, ℣. 3. *Quia effundam aquas in siticulosum, & profluentes in aridam, & segq.* Propheta hic mirifice procedit. Consolaturus Ecclesiam, post calamitates & adversa Genti decreta superstitem futuram, videbatur exspatiaturus esse in commemorationem beneficiorum externorum ac temporalium, Populo Judæo post id tempus destinatorum, de quibus ipse aliis locis, & Prophetæ alii, luculenter differunt. Sed ecce hæc omnia transit: at orationem & consolationem suam accommodans ad *Subjectum* quod compellat, (quod *Subjectum* est *Corpus* mysticum Electorum quod supererat in Ecclesia Judæa & supereesset cum Reditu ex Exilio, ut in antecedentibus monui:) ad hoc inquam, *Subjectum* consolationem suam accommodans, præteritis omnibus aliis, prædicit & promittit Ecclesiæ spem magnificam ac luculentam beneficiorum spiritualium quæ ipsi maxime cordi erant; h. e. Bonorum ac Donorum cœlestium quibus Ecclesia cum singulari amplificatione & incremento status sui locupletaretur atque ornaretur. *Effundam*, ait, *aquas super siticulosum, &* FLUENTA (נוזלים, intellige hoc loco *pluviam copiosam* quæ rivos ac fluentes faciat in arvis aridisque locis:) *super aridum.* Sed cum Vates prævideret, fieri posse ac futurum esse, ut imprudentia judicii carnalis hæc verba acciperet de *benedictione* temporali qua Deus Ecclesiam

Promissum *Radicale*, Gratiæ & Benedictionis in Ecclesiam effundendæ, ℣. 3.

Affectio Prophetæ.

Deus Ecclesiæ hic promisit Beneficia spiritualia.

Prima propositio. *Effundam aquas, &c.*

[a] Cap. XLI. 10. 13. 14. [b] Deut. XXXII. 15. XXXIII. 5. 26. [c] In Josuæ, Cap. X. 10. [d] *Rhet. S.* Tract. 1. Cap. XIX. p. 478. [e] Cap. X. 13.

A Joannes Forsterus, Vir Doctissimus, multum declamans adversus illos qui ex Rabbinorum commentariis sapiunt in definiendis significationibus *Notionum Hebræarum*, cum inter prima specimina erroris illorum in *Præfatione* retulisset vitium interpretationis vocis ישורון: fateor, gestiisse me videre, quid tandem ex suo ingenio rectius de notatione hujus vocis in medium proferret: deprehendi autem, illum vocem derivare à notione שור BOS, TAURUS; quasi dicas: *Populus in unum corpus coalitus tanquam taurus.* Deinde post adducta loca in quibus usus est hujus vocis, & hunc quoque nostrum Jesaiæ, addit: *Ex his locis constat pro Israële, sive Populo Israëlitico esse positum allusione sumpta à tauro sive corpore per commissuras & compages completo, augmento Dei.* Id si cui minus videatur probabile: cogitet, multo esse facilius alios parvi facere & reprehendere, quam meliora docere.

Propheta se ipse interpretatur. Intelligi vult *beneficia spiritualia.*

siam illius temporis ubertim prosequeretur: ipse sui ipsius interpretem agit; & quod μεταφορικῶς dixerat, mox ἰδίως propriis verbis exponit: docens, se per *aquam* & *fluentes* intelligi velle *dona Spiritus S.* benedictionem cœlestem, in Ecclesiam large effundenda. Sic enim reddit verba sua: *Effundam Spiritum meum super semen tuum; & benedictionem meam super propagines tuas.* ut adeo nemo hic cum ratione dubitare queat, quin Jesaias in hoc loco per *aquas* intelligat *Spiritum S.* & per *fluenta*, sive *aquam copiosam*, designet id quod vocat *benedictionem:* & tamen Cl. Coccejus hæc distincta vellet. Utique *α.* Quod *effunditur*, venit sub notione *aquæ*, & quidem *aquæ pluviæ*; estque phrasis de *Sp. S.* ejusque donorum κοινωνίᾳ, in Verbo Dei usu recepta. Sic Joël [a]: *Et futurum est post hæc ut* EFFUNDAM *Spiritum meum super omnem carnem, & seqq.* Zacharias [b]: *Et* EFFUNDAM *super Domum Davidis, & super incolas Hierosolymæ Spiritum Gratiæ & supplicationum.* Sed Vates noster ipse dixerat Cap. XXXII. 15. *Usque quo super nos copiose* EFFUNDATUR SPIRITUS *ex alto.* Locum Prov. I. 23. huc non refero, quod metaphora ibi variet. *β.* Vox ברכה *benedictio*, ipsa quoque hic ex stylo Scripturæ refertur ad abundantem pluviam. Sic Ezechiel [c]: *Et dabo iis, & circum collem meum,* BENEDICTIONEM; *& descendere faciam imbrem tempore suo; imbres* BENEDICTIONIS (ברכה) *erunt.* Malachias [d]: *Si non aperiam vobis cataractas cœlorum; & effundam vobis* ברכה BENEDICTIONEM *ultra id quod sufficit.* Ratio est in ipsis hisce locis, quod in terra Canaanæa, ubi pluviæ erant infrequentiores, à pluvia autumnali & verna omnis fere proventus agrorum optati exspectatio penderet. Per *Spiritum* hic certum est intelligi dona qualiacunque Spiritus S. & in his maxime *copiosæ institutionis; notitiæ viarum Dei; illuminationis; fidei; sapientiæ; prophetiæ.* h. e. facultatis copiose differendi de rebus Divinis; *precum; fiduciæ; spei; sanctimoniæ interioris*, ac *reverentiæ Dei; consolationis; lætitiæ*; & his similia ac cognata: ne nunc *præterordinaria* memorem, quæ hic non excluduntur; imo certe nomine ברכה *benedictionis* includuntur: ut mox in ostendendo prophetiæ implemento monebo. Quæ ubi hic & alibi comparantur *aquæ pluviæ*, non sunt hic respicienda alia attributa *aquarum* ac quæ directe ad scopum pertinent. Aliud enim *aqua* in mysticis & spiritualibus notat, in meliorem etiam partem, (nam sumitur etiam in deteriorem;) ubi *potatur*; ubi *abluit & purgat*; ubi *suffocat & extinguit*; aliud vero *pluvia* quæ cœlitus demittitur. Illius enim sequentia fere sunt attributa, donis Sp. S. convenientia. *α.* Quod *sitim* telluris expleat. *β.* Eam irriget, fœcundet, frugiferam faciat. *γ.* Eam veluti exhilaret. *δ.* In hunc finem cœlitus demittatur, atque adeo respicienda sit tanquam *donum cœleste. ε.* Ex uberrimis fontibus, quales censentur Nubes & Catarractæ cœlorum. *ζ.* Pro arbitrio Rectoris cœlorum dispensetur majore vel minore copia instar *benedictionis cœlestis. η.* Et quidem quod *sola* hunc præstare queat effectum. Applica sis, hæc attributa ad Spiritum S. Est *donum cœleste.* unde absolute, מתנה *donum*, δῶρον, δόμα, dicitur [e]. *Donum* BONUM, à Domino [f]: *Si itaque vos qui estis mali, nostis ἀγαθὰ δόματα bona dona dare liberis vestris: quanto magis Pater ille cœlestis δώσει πνεῦμα ἅγιον dabit* SPIRITUM S. *petentibus ab ipso?* Jacobo est [g] δόσις ἀγαθὴ καὶ δώρημα τέλειον. Est *donum cœleste*, δωρεὰ ἐπουράνιος, Scriptori *ad Hebræos* [h]. Propheta noster [i]: *Quia quemadmodum pluvia & nix de* COELIS DESCENDUNT: -- -- *ita etiam se res habet cum* VERBO MEO, sc. conjuncto cum *Spiritu*, ut Cap. LIX. 21. Exhibet autem omnia illa effecta quæ modo recensui. Hominem indigum institutionis salutaris illuminat, ad claram intelligentiam Naturæ & Voluntatis Divinæ; consolatur, vivificat, sanctificat, & *fructuosum facit* in omni *opere bono*, eumque afficit & instruit aptitudine de Deo vero & viis ejus copiose differendi: quod *donum* προφητείᾳ dicitur. subministrat itaque homini ut arbori vel plantæ, omne pabulum vitæ spiritualis, quale in Naturalibus censetur *aqua pluvia* sive *cœlestis.* quare Scriptores Sacri hoc emblema sæpius adhibent [k], ubi versantur in *Donis Sp. S.* describendis. Confer Vatem nostrum Cap. XXX. 23. ubi emblema jam carptim explicui, & Ps. LXVIII. 10. Zacharias eleganter [l]: *Petite à Jehova* PLUVIAM *circa tempus messis, & seqq.* Cave hic excludas respectum spiritualem. Quid enim huic Vati sit *pluvia*, disces ex Cap. XIV. 17. *Et futurum est ut qui non ascenderit ex omnibus familiis terræ Hierosolymam, ut adoret Regem Jehovam Exercituum* Dominum: ולא עליהם יהיה הגשם SUPER *eos* NON SIT FUTURA PLUVIA, sc. mystica & spiritualis. Eadem *Donatio Sp. S.* largius effusa præstat homini *veram benedictionem.* Donatio enim Spiritus S. illuminans; sanctificans, fructificans, vivificans, unicum est argumentum *veri* favoris Divini: sive, *sola* præstat effecta in animo hominis ex quo colligat, se *vere* à Deo diligi. quæ proinde donatio quanto uberior est: tanto producit effecta floridiora, & argumenta certiora Divinæ Gratiæ. Subjectum cui hæc donatio impertienda esset, dicitur SEMEN Ecclesiæ, & PROGENIES. Heb. מצאים *propagines.* prognati. *Nati natorum*, ut Chaldæus. Intellige SEMEN MYSTICUM, quod tam consisteret propagine *naturali*, quam *spirituali*; h. e. Proselytis Gentium, inserendis *Oleæ* Ecclesiæ Judææ, & cum hoc corpore mystico coalituris in unum corpus. Sic Propheta sumpserat vocem Cap. XLIII. 5. *Ne metue: nam ego tecum sum. Ab ortu adducam* SEMEN TUUM. Confer insignem locum Cap. XXVIII. 22. Videbis mox, & senties, de *Proselytis* sive de *Semine* ex Gentibus accessuro agi, ℣. 5. Ad quod *duplex subjectum* referri potest duplex *qualitas mystica*, à qua hic appellatur. Dicitur צמא SITIENS, & יבשה ARIDUM. Prius commodissime applices ad JUDÆOS, Divinæ Gratiæ *sitibundos*; & posterius ad GENTES, hucusque omni dono Sp. S. destitutas. perinde ac Vates noster hoc discrimen observat Cap. LV. 1. ubi *Credentes* ex Judæis appellantur צמאי SITIBUNDI sc. bonorum sibi promissorum & donorum Sp. S. & Gentes veniunt nomine illorum *quibus nullum est argentum.* Gentes erant *Desertum aridum*, *sterile*, terra absque aqua; quod nunc large esset irrigandum institutione salutari & donatione Sp. S. ut Vates in superioribus hujus *Sectionis*, Cap. XLIII. 20. *Dabo in* DESERTO AQUAS; *fluvios in solitudine.* Sed Judæi credentes habebant *Spiritum S.* verum nequaquam illa copia ac mensura quam exspectabant secundum promissa Gratiæ superiorum temporum; quorum implementum *ardenter* expetebant. Confer Joh. VII. 38.

Effecta ejus in animis hominum.

Aqua & Benedictio hic idem valent.

Unicum certum argumentum faciunt favoris Divini.

Semen & Propagines Ecclesiæ, quænam sint?

Dona Sp. S. Benedictio spiritualis, recensentur.

Duplex Subjectum, Judæi & Gentes.

Quare eadem comparentur aquæ?

Defectus donorum Sp. S. ante tempora Christi.

℣. 4. *Et efflorescent* TANQUAM IN GRAMINOSO LOCO; *ut salices apud profluentes aquarum.*] Fructus *pluviæ cœlestis* indicatur respectu *status interni* Seminis hujus mystici, quod sc. *arbores & plantæ* in terra Ecclesiæ veræ plantatæ insigniter *efflorescerent*, & in se ostentarent omnem vim, robur, vigorem, decus, vitæ spiritualis, lætis ac gloriosis status sui spiritualis incrementis. quod fit ubi fides, spes, prudentia, charitas, dotes docendi, prophetandi, zelus Divinæ gloriæ & studium Regni Christi Jesu propagandi, continuis gratiæ Divinæ subsidiis aucta atque excitata, omnem vim suam exerunt, ad ædificationem publicam. Emblema receptissimi usus est in Verbo Dei [m]; & quæ illuc pertinent in superioribus jam exposita. Tantum vis ejusdem symboli, ut in hoc loco proponitur, demonstranda est. Prius membrum Hebraice in hunc modum consignatur: וצמחו בבין חציר quod proprie valet: *Et efflorescent* IN INTER *gramen.* quod accipi potest

Fructus effusi Sp. S. ℣. 4.

Spiritus S. est *donum cœleste* instar *aquæ.*

Loca emphatica in hanc rem.

Sententia Vatis generatim declaratur.

Sententia per partes expenditur.

---

a Joël. II. 28. *b* Cap. XII. 10. *c* Cap. XXXIV. 26. *d* Cap. III. 10. *e* Ps. LXVIII. 19. coll. cum Ephes. IV. 8. *f* Luc. XI. 13. *g* Cap. I. 17. *h* Heb. VI. 4. *i* Jes. LV. 10. *k* Joh. XV. 8. Marc. IV. 20. *l* Cap. X. 1. *m* Jer. XVII. 8. Ps. I. 3. XCII. 14. Confer Jes. XLI. 18, 19.

teſt acſi ſcriptum eſſet בתוך חציר *in medio graminis* Eſt tamen inſolentior hæc conſtructio vocis בין. Si enim id dicere voluiſſet Propheta, ſimpliciter ſcribere poterat, בין חציר *inter gramen*. præfixa ב in בבין videtur plane παρέλκειν. Eſtque hæc ratio, quare Docti quidam Viri Prophetam ſcripſiſſe autument ככין, TANQUAM INTER *gramen*, facillimo Librariorum lapſu in literis affinis figuræ כ & ב. cui conjecturæ etiam videtur favere membrum ſequens: כערבים על יבלי מים TANQUAM SALICES *ad profluentes aquarum*. Non auſim præfracte contraire. Comparatio enim utriuſque membri vere favet lectioni בבין. Interpres quoque Alex. & Paraphraſtes Chaldæus ita legiſſe videntur: certe locum verterunt, acſi ita legiſſent. Sed nullam hic deprehendi Lectionis variationem; nec Hebræi ejus mentionem faciunt; neque etiam textus Hebræus hic mutationem ſcripturæ requirit. Hebraice optime dicitur, בבין חציר *In inter gramina*, cum *adverbia* vera apud Hebræos ſint nomina, & nominum conſtructionem imitentur, ut בֵּין *inter* vere ſit conſtructum ex בֵּין, ut לֵיל ex לֵיל, מֵיל ex מֵיל, & his ſimilia plura; atque adeo ubi ſcribitur בֵּין חָצִיר ſemper *elliptice* dicatur vel ſcribatur pro בְּבֵין חָצִיר. Verum ſi vel maxime Propheta ita ſcripſerit: non eſt mihi tamen dubium, quin ſententia Vatis ſic concipienda ſit acſi ſcripſiſſet, TANQUAM *in graminoſo loco*, acſi integre poſuiſſet, בבין חציר. Sententia enim duplicem comparationem poſtulare videtur cum Scriptor vere de hominibus hic loquatur ſub figurato emblemate *plantarum* & *arborum*. Cl. Coccejus vertit IN FILIO GRAMINIS, h. e. *graminoſo loco*, collato loco Cap. v. 1. acſi בן eſſet pro בן: quod mihi nullo modo probatur, cum ob phraſios inſolentiam: tum quod exemplum non ſit vocis בן ſcriptæ בין; & quod *conſtructum* τῆ בֵּן ſit בֵּן. Senſus emblematis eſt: Credentes illo tempore, quo Eccleſia ditata ac perfuſa eſſet donis Sancti Spiritus, inſtar arborum in viridibus & graminoſis pratis plantatarum, (*graminoſa* autem *prata* omnia ſunt irrigua multis aquis:) eſſe excreturos *celeriter* εἰς μέτρον ἡλικίας πνευματικῆς *in menſuram plenæ ſtaturæ ſpiritualis*, quam Apoſtolus vocat μέτρον ἡλικίας τῆ πληρώματος τῆ Χριςῆ [a]; & exuberantes copia gratiæ neceſſariæ, in ſe exhibituros eſſe lætum *vigorem* & *virorem* arborum ac plantarum ſpiritualium in pingui & irriguo ſolo à neceſſariis incrementi ſubſidiis abunde inſtructarum; h. e. in ſe oſtentaturos eſſe vim vitæ ſpiritualis. Huc enim proprie in hoc emblemate reſpicitur: alibi ad *frugiferas*, ut Pſ. XCII. 14. Eodem tendit alterum emblema *ſalicum* ad *profluentes aquæ*. Creſcunt illæ ad *rivos*, ac *profluentes aquas* veluti abſque ſatu, & tanquam ex ipſis enaſcerentur *aquis*: *creſcunt* autem citiſſimis incrementis, & quidem *denſe*, & in ſe exhibent gratiſſimum vigorem. Inde in Babylonia, ut humilioris ſoli, & per rivos & foſſas diſciſſa, tanta *ſalicum* ac *ſalictorum* copia [b]; etſi non neceſſe ſit, Prophetam illuc reſpexiſſe. Non deerant enim in ipſa quoque Judæa; maxime ad Jardenem fluvium. Symbola ſunt hominum in ſtatu ſpirituali ex copia gratiæ ac mediorum ſalutis magnum brevi tempore facientium *incrementum*, quod Apoſtolus vocat ἄυξησιν Θεῆ [c], & recentem Spiritus S. gratiam, vitæ ſpiritualis fomitem, in omni commercio actionibuſque ſuis, & præſertim in exercitationibus Sacris, ubertim prodentium. Atque hic fructus eſſet *donationis* uberioris Spiritus S. ſecundum interiorem reſpectum *ſtatus ſpiritualis*. Ad *extenſionem* hujus *gratiæ* & amplificationem Eccleſiæ potiſſimum pertinet quod ſequitur.

℣. 5. HIC *dicet*, *Ego ſum Jehovæ*; & ILLE *appellabitur nomine Jacobi*; & ISTE SCRIBET MANU SUA, *Ego ſum Jehovæ*; & *nomine Iſraëlis cognominabitur*.] Referenda ſunt verba ad incrementum Eccleſiæ, ut modo præmonebam; & quidem ad *Proſelytos*, magno numero Eccleſiæ aggregandos, eoſque inſignioris notæ; *Reges*, *Principes*, *Senatores*, *Oratores*, *Philoſophos*; ut mox docebo. Complectuntur autem *confeſſionem fidei* illuſtrium horum Eccleſiæ membrorum, quam Vates more ſuo pro orationis ſuæ copia atque ubertate *diverſis formulis* exhibuit; in quibus aliquam agnoſco gradationem, licet non per ſingulas; neque etiam hanc gradationem quam agnoſco, vehementer urgeam. Poſitio eſt in his; DICERE, *ſe eſſe Jehovæ*, & *ſe appellare nomine* JACOBI: gradatio, SCRIBERE MANU SUA, *ſe eſſe Jehovæ*, *& cognominari nomine* ISRAELIS. Videamus de ſingulis. Phraſis, EGO SUM JEHOVÆ, valet, primo, Ego me profiteor eſſe Jehovæ Deo obſtrictum devotumque ad omnem reverentiam, cultum, obſequium, fidem, quæ filius Patri, ſubditus & ſervus Principi aut Domino, fœderatus fœderato, potentiori & ſuperiori; & verus Dei cultor Deo quem colit debet; & fiduciam ac ſpem repono in ejus promiſſis, mihi gratioſe datis. Secundo notat, *Ego ſequor ſectam Jehovæ*. Cum enim plures ſint qui Dominum & Deum à Jehova diſtinctum agnoſcant & colant: profiteor, me ſolum Jehovam pro vero Deo ac Domino meo agnoſcere, ejuſque partes ſuſtinere, & cauſſam defendere, & ſi ita loqui liceat, *pro ipſo militare*, paratum eſſe. Sic ſumitur phraſis in hiſtoria vindiciarum Μοσχολατρείας [d]: *Et ſtetit Moſes in porta caſtrorum*, *& dixit*, מי ליהוה אלי QUI JEHOVÆ FUERIT, *ad me exeat*; *& congregati ſunt ad ipſum omnes filii Levi*. Hoc eſt, ſi quis ſtudioſus gloriæ Jehovæ, ejus ſectam ſequatur, eique ad omne obſequium ſit devotus & conſecratus, & vindicias gloriæ ejus exequi paratus ſit: ſe ad me aggreget. Pariter in factione quam Scheba filius Bicri adverſus Davidem ſuſcitavit, unus militum Joabi, relictus apud cadaver Amaſæ, ad obvios ita appellaſſe dicitur [e]: *Qui bene affectus eſt erga Joabum*, ומי אשר לדוד *& qui* DAVIDIS FUERIT, (Davidi ut Regi adhæret ejuſque ſectam amplectitur:) *ſequatur Joabum*, ſc. rebellem perſequentem. Chaldæus recte: *Hic dicet*; *de reverentibus Jehovæ Ego ſum*. Alterum eſt, וזה יקרא בשם יעקוב *Et hic ſe appellabit nomine Jacobi*; ſive, ipſe *appellabitur nomine Jacobi*. Hieronymus infeliciter: *Et ipſe vocabit in nomine Jacobi*. Subjungit: *peccatores ad pœnitentiam*. Sic error errorem trahit. Quare deſeruit Symmachum, qui hic rectiſſime habet, κληθήσεται? Sequutus haud dubie eſt infidum Ducem Alexandrinum, cujus eſt: Βοήσεται ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰακώβ· *Clamabit in nomine Jacobi*. Chaldæus ipſe, ſi ita ſcripſerit, ut nunc legitur, hic plane cæcutiit. Vertit, *Et ille orabit in nomine Jacob*. Equidem verum eſt, phraſin, קרא בשם admittere variam interpretationem. Valere poteſt, *Nuncupare alicujus nomen*, ubi quis nominatim eligitur, ut vidimus Cap. XLIII. 1. nec non ubi de Religione agitur, *invocare nomen* Dei; ſive, in prece appellare nomen Dei, ut Cap. XII. 4. & variis aliis in locis. Sed hoc in loco abſque ulla dubitatione ſignificat, *Vocari de nomine Jacobi*: quod Jeſaias ipſe nos docuit, ubi in duplicatione hujus ſententiæ in hoc ipſo *commate* ſui interpretem agens, id ita effert: ובשם ישראל יכנה *Et nomine Iſraëlis cognominabitur*. Fraudi fuit Interpretibus, non obſervaſſe, vocem קרא ſtylo Scripturæ S. variis locis *impersonaliter* uſurpari, quando æquivalet *paſſivo*. ut docuimus ad Cap. IX. 5. eſtque obſervatio tralatitia. Quare יקרא *vocabit* idem hic valet quod יקרא *vocabitur*: quibus punctis Maſorethæ vocem hic potuiſſent ſignare, ſi ipſis lubuiſſet. Sed ſubdiderunt voci puncta ſecundum analogiam ejus uſu receptam. Sic Cap. XLIII. 7. כל הנקרא בשמי *Omnis qui nominatur de nomine meo*. Et Cap. XLVIII. 1. *Audite hoc*, *Domus Jacobi*, הנקראים בשם ישראל *qui appellamini nomine Iſraëlis*. Res eadem eſt. Sed ipſum noſtrum קרא *formæ activæ* cum voce בשם conſtructum, eodem ſenſu ſumitur apud Moſen [f]: *Tum cœptum eſt* לקרא בשם יהוה *appellari* DE NOMINE JEHOVÆ. quæ verſio hoc tempore Doctis Interpretibus merito probatur. h. e. *dici cœperunt filii*

Phraſis: *Efflorescent* IN *inter gramen*.
Eſt inſolentior.
Doctorum Virorum cogitatio, pro בבין legi poſſe ככין.
Quid faveat conjecturæ?
Quid obſtet?
Hebræa phraſis ſe recte ſuſtinet.
Vox בין hic accipitur ut *nomen*, more Hebræo.
Sententiæ ſubeſt ellipſis.
Cl. Cocceji meditatio.
Senſus emblematis.
Vitæ ſpiritualis ſe in primis Credentibus in omni vigore & cum inſigni profectu oſtentaret.
Altera comparatio à *ſalicibus* deſumpta declaratur.
Salicum proprietas.
Quorum ſymbola ſint?
℣. 5. *Hic dicet*, *Ego ſum Jehovæ*, *&c.*
Verba referenda ſunt ad incrementum Eccleſiæ; & quidem ad Perſonas illuſtres quæ Eccleſiæ adjungerentur & *fiaci* ſuæ *confeſſionem ederent*.
Gradatio in phraſibus, quibus ea exprimitur.
Formula Prima: *Ego ſum Jehovæ*.
Exponitur, gemina emphaſi.
Altera: *Hic appellabit ſe nomine Jacobi*.
Hieron. phraſin non recte accepit.
Dictio קרא בשם variam admittit interpretationem.
Hoc loco eſt *de nomine* alicujus appellari, ut probatur ex contextu.
Uſus vocis קרא *impersonaliter* ſumptæ, *paſſivæ* interpretandæ.
Locus Gen. IV. 26.

a Epheſ. IV. 13. b Pſ. CXXXVII. 1. 2. c Col. II. 19. d Exod. XXXII. 26. e 2 Sam. XX. 11. f Gen. IV. 26.

Significatio *activa* hic eodem sensu retineri potest.

Dei. Si quis tamen hic servare velit significationem *formæ activæ*, interpretatio eadem erit. *Ille nuncupabit nomen Jacobi*, est, *Ille Jacobum dicet Patrem suum.* quod idem plane valet phrasis, *appellari nomine Jacobi.* Etenim appellari *nomine Jacobi* hic non valet, *Jacobum appellari*, sive *ipso Jacobi nomine insigniri*; sed *Jacobi filium* dici & appellari. Fateor, phrasin, קרא בשם rem aut personam *appellare* alterius rei aut personæ *nomine*, id non tantum significare posse, sed vere significare, ut res una alterius rei *nomine* appelletur. En

Non est absurdum dictu, Credentes se *appellaturos* esse *nomine* ipsius *Jacobi.*

exemplum [a]: *Et* NOBACH *ivit expugnavitque Kenatham & loca ei subjecta*, ויקרא לה נבח בשמו *& appellavit eam* NOBACH *de nomine suo.* Largior etiam, nihil absurdum dicere vel committere, qui statuit, hominem, qui Jacobum in statu spirituali refert ejusque imaginem reddit, dici JACOBUM. Eadem enim attributa præstant idem rei aut personæ nomen. ne dicam, Poëtam sacrum rem ita accipere Ps. XXIV. 6. Verum in genealogicis ex usu Linguæ ubi *unus* dicitur *stare* על שם SUPER NOMINE alterius, phrasis significat πατρόθεν ἐπικαλεῖσθαι, ἀπὸ Πατρὸς ὀνομάζεσθαι sive ἐπονομάζεσθαι, *a Patre* appellari, h. e. dici hujus vel illius filium: ut si more Hebræo *Judas Jacobi*, *David Isai*, *Joannes Zebedæi filius* dicatur, atque adeo nomen *Patris* ingrederetur nomen *filii:* quæ appellandi ac denominandi ratio ab ea Romanorum diversissima, apud Hebræos & Græcos, ubi singulæ personæ singulis appellabantur nominibus, usu erat recepta. unde Jacob adoptans Josephi liberos Manassen & Ephraimum, ait [b], ויקרא להם שמי ושם אבותי *& appellabitur in iis* NOMEN MEUM, *& nomen Patrum meorum, Abrahami & Isaaci.* h. e. dicentur, non *Josephi*, sed JACOBI filii, & in tabulis Genealogicis sub ejus nomine tanquam ejus filii recensebuntur. Pariter apud Vatem nostrum [c]: *Et apprehendent septem mulieres virum unum, illo die, dicturæ; pane nostro vescemur, & vestibus nostris induemur:* רק יקרא שמך עלינו *tantum* APPELLETUR NOMEN TUUM SUPER NOBIS. h. e. dicamur uxores, Josephi, Judæ, Nathaneëlis. Sic Populus Judæus *appellatur nomine* Dei, ubi dicitur *Populus Dei*, ut vidimus Cap. XLIII. 7. Relege mecum insignem locum Zachariæ [d] de *tertia* illa *parte Populi* (cæteris perditis,) à Deo purganda per gravissimas afflictiones: *Ipse* יקרא בשמי *nuncupabit nomen meum; & ego ei respondebo: Dicam* POPULUS MEUS *ille est; & ipse dicet*, JEHOVA EST DEUS MEUS. Id est *appellare Nomen Dei*, & *appellari de nomine Dei*; profiteri, *Jehovam esse* DEUM SUUM. Sed non opus fuerit me hic latius diffundere, cum Vir Doctissimus nostri ævi [e] vim hujus phrasios pluribus illustraverit, ut nulla amplius dubitandi ratio supersit. Restat tantum, ut mysticam ejus significationem detegam. *Se appellare nomine Jacobi*; sive, *gloriari se esse de semine Jacobi*, ut Aben-Ezra hic loci; vel, *Jacobum appellare Patrem suum*, mystice est. α. Profiteri *fidem* Jacobi, ejusque *Cultum Religionis* sectari atque exercere, & adspirare ad *justitiam Dei* per *fidem.* β. In *promissis gratiæ spiritualibus*, quæ olim cum jure primogenituræ connexa erant, summam salutis felicitatisque suæ constituere. γ. Virtutes Jacobi, *integritatis*, *modestiæ*, *patientiæ*, *placiditatis indolis*, & *veræ* Dei *reverentiæ*, imitari ac præstare. Qui hunc induit animi affectum, vitamque & mores ad eum modum componit, verus est *Jacobida.* Ubi Jacobus tales homines videt, cujuscunque sint Gentis aut nationis, videt *filios suos*, *opus manuum Dei*, & *facies ejus non erubescit*, ut Vates noster alio loco [f] eleganter dixerat. Sic Poëta sacer [g]: *Quis conscendet montem Jehovæ? -- -- Purus manibus, & purus corde, qui non attollit in vanum animam suam*, (non sectatur falsam justitiam,) *& non jurat fraudulenter:* (in negotio Religionis:) *Is reportabit* BENEDICTIONEM *à Jehova*, (h. e. Benedictionem omnium præstantissimam quæ est *justitia*, ut mox sequitur:) *& justitiam à Deo salutis suæ. Hæc est generatio quærentium te: sedulo quærentium faciem tuam.* HIC EST JACOB. Hi sunt verum semen Jacobi.

Hæc simplex est positio. Gradatio est in sequentibus: HIC SCRIBET MANU SUA, *Jehovæ*; *& nomine* ISRAELIS *cognominabitur.* Sic hic rursus vertenda est vox יִכָּתֵב licet sit *formæ activæ.* Valet hoc loco idem quod קרא ἐπικαλεῖν, vel ἐπικαλεῖσθαι, ut Cap. XLIV. 4. estque כנוי Hebræis idem quod Græcis ἐπίκλησις, Latinis *cognomen* sive *agnomen.* Est enim jam à Doctis abunde demonstratum, vocum *cognominis* & *agnominis* esse apud Latinos Veteres usum promiscuum. *Cognominum* autem duplex ratio est. Vel enim sunt *hereditaria familiæ*, quæ licet olim certis de rationibus personis illustribus impositæ tandem in nomina *familiæ* verterunt, ut apud Romanos nomina *Maximi*, *Crassi*; & his similia; vel notant ἐπίκλησιν hominibus singularibus impositam, per quam describuntur ab *eorum ingenio*, *fortuna*, *habitu corporis*, ut Crassus apud Romanos *Dives*; Cajus *Caligula*; Q. Labienus *Parthicus* cognominatus est; de quidem idem ille Vir Eruditus, quem modo laudabam, alio loco [h] diligenter disserit *A.* Hic sane vox venit pro *cognomento honoris*, & quidem significationis mysticæ, quod *nomini proprio*, ex naturali aut civili statu petito, adjicitur ad declarandum *statum spiritualem*, pro ratione cognominum, vere & proprie sic dictorum, quæ modo designavi. Inspiciamus rem ipsam, & studeamus detegere mentem Prophetæ. *Hic*, inquit, SCRIBET MANU SUA, *Jehovæ*, h. e. Ego sum Jehovæ. Hoc est, manu sua *signabit:* quod aliquanto plus est quam *dicet.* Phrasis desumpta est à *contractibus*, qui in tabulas redacti subscriptione manuum confirmabantur, tum ab his qui inter se contraxerant; tum à testibus; de quo ritu (sed est is fere apud omnes Populos receptus,) luculentus locus est apud Jeremiam [i], quæ metaphorica dictio hic magnam vim habet & usum. Monet enim nos, Populum credentium, veluti *contractu fœderali* (sub qua specie Scriptura S. proponit communionem quæ est inter Deum & hominem, sub Oeconomia gratiæ,) cum Deo inito se solemniter obligaturum esse ad fidem & obsequium

Tertia & quarta: *Hic scribet manu sua, Ego Jehovæ*, & *Nomine Israëlis cognominabitur.*

Gradatio in his verbis.

Usus vocis כנוי.

Cognominum & *Agnominum* apud Romanos nulla distinctio.

Duplicis generis apud illos *Cognomina.*

Species *cognominis* hic usurpata.

Est mystice accipiendum.

Verba Vatis resumuntur.

Emphasis dicti, *Hic scribet manu sua*, JEHOVÆ.

Phrasis desumpta est à more scribendorum *contractuum.*

Ritus illustratur.

Mystice applicatur ad *Subjectum.*

Locus Zach. XIII. 9.

Laus Viri Docti, qui hanc phrasin illustravit.

Quid mystice sit, appellari *Filium Jacobi?*

Gemina emphasis in phrasi, quæ exponitur.

---

a Num. XXXII. 42. Conf. Jud. XVIII. 29. *b* Gen. XLVIII. 16. *c* Cap. IV. 1. *d* Cap. XIII. 9. *e* Cl. Perizon. in *Dissertationum Triade*, *Dissert.* I. p. 8. & seqq. *f* Cap. XXIX. 22. 23. *g* Ps. XXIV. 5. 6. *h* In Libro *Animadvers. Hist.* Cap. II. p. 67. seqq. *i* Cap. XXXII. 10. 12. 44.

A Non congero huc ex observatis collecta. tantum quod inter prima exempla est *cognominum* hujus generis apud Romanos, hic noto illud Marcii, fortissimi Viri, qui ob rem in expugnandis Coriolis, Volscorum Urbe, fortissime gestam *Coriolanus* cognominatus est. Verba Dionysii Halicarnassensis, qui hanc historiam enarrat, Hist. Lib. VI. p. 414. Ἐκ τούτου Κοριολάνου ἐπεκλήθη Γάϊος. Apud Judæos res ita se habuit ab antiquissimis temporibus, ut passim singuli singulis contenti fuerint nominibus, sed quæ nomina passim à piis Parentibus liberis dabantur ἐπίσημα & σημαντικὰ, *insignia* & *significativa*, desumpta ab illustri aliquo eventu, aut attributo geniti, aut genitæ, ad quod in τῇ ὀνομαδσίᾳ alludebant. Si autem contingeret, ut cognomines ab invicem distinguerentur: addebatur nomen Patris, ut Juda Jacobi, David Isai Filius, ut modo præmonebam. Rariora erant *cognomenta* (ἐπικλήσεις) alia in Gente Abrahami: licet tamen illa quoque satis antiqua. Utique nomina EDOMI in Esavo; & ISRAELIS in Jacobo vera fuerunt & proprie sic dicta *cognomenta*, veræ ἐπικλήσεις. Sic JEDID-JAH Salomonis, (2 Sam. XII. 25.) &, ut probabile est, NACHAS Isai, (2 Sam. XVII. 25,) fuit cognomen. Certe Propheta noster in variis locis, & perinde Prophetæ alii, frequenter alludunt ad *cognomina*, quæ illi simpliciter *nomina* appellant, ἐπιθέτως σημαντικὰ, veluti ubi *Messiam*, *Hierosolymam*, *Populum Dei*, hoc vel illo nomine *appellandum* esse dicunt; h. e. *cognominandum.* Inspice loca Cap. LX. 14. LXII. 4. 12. Jer. III. 17. XXIII. 6, Ezech. XLVIII. 11. Sed post reditum ex Exilio ejusmodi Ἐπωνυμίαι factæ sunt familiariores; cujus rei exemplum clarissimum est in Historia Maccabæorum in filiis quinque Mattathiæ, Heroïbus illis Vindicibus Populi Dei, qui totidem *cognominibus* fuerunt distincti, I Macc. II. 1. Pariter in Historia N. T. *Sic Simon* inter Apostolos dictus est CEPHAS, sive quod idem *Petrus*; *Lebbæus ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος*; *Simon* CANANITES, *Judas* ISCARIOTES, Matth. X. 2. 3. En exemplum trinominis in Actis, Cap. I. 23. Videlicet *Josephum* ὃς καλεῖτο Βαρσαβᾶς, vocatum BARSABAM, (sc. à Parente, ut *Simon* Βὰρ Ἰωνᾶ JONÆ FILIUS:) ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος *qui* COGNOMINABATUR JUSTUS. Posterius hoc veram facit ἐπίκλησιν, perinde ut in Domino & Servatore nostro Jesu vox Ναζαρηνὸς *Nazarenus.* Nam nomen ΜΕΣΣΙΑΣ Χριστὸς, licet & ipsum fuerit *cognomen*; tamen in partem nominis proprii transiit, ut patet ex Joh. IV. 25.

quium Deo præstandum; & omni suo actu, motu, gestu, testatum faciendum, se *esse Jehovæ*. h. e. illi devotum consecratumque, ut subditum, militem, filium, servum, tanquam qui non *sibi*, sed *Jehovæ*, vivere, statutum habeat. Ut autem major censetur obligatio, quæ *scripto* fit quam quæ *voce*: Propheta, ut nos doceret propensissimum & devotissimum affectum horum Proselytorum credentium erga fidem & obsequium Dei, in certa & irrevocabili mentis sententia fundatum, hanc elegantem adhibet metaphoram, in cujus expositione ad *rem*, non ad *actum scribendi* attendendum est. Et tamen extat exemplum luculentum, ex quo patet, Veteres pios subinde *fidem* suam Deo in contractibus fœderalibus gratiæ non tantum *voce* & *jurejurando*, sed & *scripto* dedisse, apud Nehemiam; ubi postquam fœdus inter Deum & Populum solenniter instauratum esset cura Ezræ, & piorum Sacerdotum ac Levitarum, hæc subjiciuntur verba [a]: *Et in his omnibus firmum & inviolabile fœdus pangimus, &* SCRIBIMUS; *& quidem obsignantibus Principibus nostris, Levitis nostris, Sacerdotibus nostris.* Censet insuper Cl. Dodwellus in erudita Dissertatione de *Diptychis* Ecclesiæ Veteris [b], probabile videri, Proselytos, ubi in Civitatem & Ecclesiam Judæam recipiebantur, nomen suum *matriculis* inscripsisse, & *pactum* quod cum Deo inibant, manu sua signasse, adducto eam in rem hoc ipso loco: sed nihil mihi occurrit hac de re in *Constitutionibus* Judæorum de *Proselytis*; & certum habeo, ex hoc loco metaphorico nihil de eo colligi posse: licet de re ipsa nihil definire velim. Atque hæc quidem ut existimo, huic loco plane satisfaciunt: ut adeo quæ Sanctius hic otiose disputat longe quæsitis digressionibus de *scriptione*, non *quæ fit manu*, sed *in manu*; vel *in annulis* qui *manu gestantur*, aliena sint, & nihil ad rem faciant. Equidem Interpres Græcus verterat, ἐπιγράψει χειρὶ αὐτοῦ, quod Latinus reddit, *Scribet in manu sua:* sed si ita intelligi ille voluerit: (de quo non disputabo:) Hebræa phrasis, יכתב ידי, eam versionem non admittit. Ultimum est quod hic additur: *Et nomine* ISRAELIS *cognominabitur*. h. e. appellabitur non ISRAEL, (etsi id dictu absurdum non sit:) sed ISRAELITA, Israële satus, Israële oriundus. Sic Dominus de Nathanaële [c]: *Ecce vere* Ἰσραηλίτης ISRAELITA, *in quo non est dolus*. idemque sæpius aliis locis offendas. Quæro, quid plus dicat hoc nomen quam illud *Jacobi*? Respondeo, tanto plus, quanto pluris valet nomen ISRAEL quam *Jacob*. Israël notat *luctatorem cum Deo*, (h. e. cum tentationibus & adversis quæ ipsi ad fidem ejus probandam à Deo immittuntur,) & *victorem Dei* ac *triumphatorem*, quatenus suffultus Divina gratia adversus omnem fidei tentationem & afflictionem immotus persistit. Designantur itaque hoc nomine *confessores* & *martyres*, qui non gravantur caussa fidei subire gravissimas tentationes & afflictiones, & vi fidei cum Jacobo vincunt. Et hæc quidem quod ad *Confessionem ipsam*.

Subjecta, quibus Vates hoc attributum vindicat, designat Ille vocula זה HIC, *ter* quidem expressa, sed potestate *quater* repetita. Qualia illa sunt? utrum unius generis, num diversa? Sane Judæi Veteres diversa esse statuerunt, extatque eorum traditio apud Jarchium quam huc transcribere non piget. est enim specimen, ex quo cognoscere licet genium Judaicum, & Scripturæ Sacræ tractandæ morem. זה יאמר ליהוה אני אלו צדיקי גמורים: זה יקרא בשם יעקוב אלו קטנים בני רשעים: וזה יכתוב ידו ליהוה אלו בעלי תשובה: ובשם ישראל יכנה אלו הגרי כך שנוייה באבות דר נתן *Hic dicet*, EGO SUM JEHOVÆ.] *Hi sunt Justi perfecti.* ET HIC APPELLABITUR NOMINE JACOBI.] *Illi sunt parvi, impiorum filii.* ET HIC SCRIBET MANU SUA, JEHOVÆ.] *Hi sunt resipiscentes.* ET NOMINE ISRAELIS COGNOMINABITUR.] *Hi sunt proselyti. Extat traditio in Abôth R. Nathanis.* Est lusus ingenii, sed nulla ratione aut demonstratione subnixus. Nostra hypothesis prima est, quicquid hic dicitur, referendum esse ad *proselytos*, quod quidem facile ex ipso hoc loco demonstramus, quia qui *Jacobo* sati erant, non necesse habebant se ab ipso denominare. Intelligitur itaque *Jacobi semen spirituale*. Carnales omnes se à *Jacobo* soliti erant appellare, & dicebantur *Israëlitæ*. Sed liquet id præterea ex duobus clarissimis locis huic parallelis: altero quidem Cap. XLIII. 6. 7. modo exposito: altero Ps. LXXXVII. 3. 4. jamjam producendo. Alterum suppositum est, per repetitionem harum vocularum, in qua hic magna venustas residet, duo significari. *α.* Proselytos hosce spirituales magna copia & numero ad communionem Ecclesiæ confluxuros esse, & quidem, si id addere liceat, ex *quatuor* oris Orbis terrarum. *β.* Inter eos fore Viros insignes, illustres, Philosophos, Oratores, Senatores, Principes, Reges, Imperatores, suis notis & characteribus præditos, qui digitis demonstrarentur, HIC EST. Si addere vis, HIC *Populus*, HÆC *Gens*; HÆC *Urbs*, HÆC *communitas*: licet. nihil repugno. Utrumque facile demonstro ex Ode parallela, modo designata [d]. Celebratur ea mirificum Ecclesiæ incrementum ex accessione Proselytorum credentium qui undique ad eam confluerent eamque exornarent, perinde ac in hoc loco: *Memorabo Raab* (Ægyptum,) *&* BABYLONEM *inter eos qui me familiarius cognoscunt. Ecce Palæstina & Tyrus cum Arabibus Cuschæis:* זה ילד שם HIC *natus est ibi. Et de Tsione prædicabitur*, HIC *Ille Vir insignis* (איש) *natus est in ea,... Jehova recensebit in censu Populorum*, זה ילד שם HIC NATUS EST IN EA. Vidimus hanc emphasin vocalæ זה HIC Cap. XXV. 9. *Ecce Deus noster:* זה קוינו לו HUNC *exspectavimus.* HIC *est Jehova, & seqq.* Confer Ps. XXIV. 6. 8. 10. Quanta inde consolatio Ecclesiæ afflictæ? Non tantum non interiret, & subsisteret, & inter adversa & judicia Dei conservaretur: verum etiam purgata à fœce malorum hominum donaretur magna mensura Spiritus S. ejusque gratia & donis aucta ornataque insigniter floreret, cresceret, amplificaretur, luculenta accessione Proselytorum illustrium, qui superstitioni ac idololatriæ Majorum valedicentes veram Religionem publice profiterentur, eique tenaciter adhærerent. Quid igitur *metueret* Ecclesia electorum, tanto macta promisso, tanti promissi spe?

De *Implemento promissi* non habeo necesse prolixe disserere. nemo enim non videt, illud quæri non posse, nec debere etiam, nisi sub Regno Messiæ, & quidem Messiæ nostri, Christi Jesu, quando luculentum hoc promissum ita impletum est, ut hoc tempore implementum à pueris demonstrari queat, initio facto à *Spiritu S.* beato illo Pentecostis die *effuso* in Apostolos & Ecclesiam primævam [e], tam Judæorum quam proselytorum; quæ Ecclesia in initiis illis suis mirifice floruit, & pulcherrimam ostentavit faciem; brevi accessione Gentium & in Gentibus illustrium hominum, tandem quoque Principum, Regum, Imperatorum, insigniter amplificanda, & per universum Orbem diffundenda. Equidem verum est, Prophetas Ecclesiæ reduci ex Exilio Babylonico promisisse majorem copiam Sp. S. estque certum ex historia, Deum huic promisso abunde satisfeciisse: verum iidem Prophetæ certatim docent, hoc promissum gratiæ *complementum* suum accepturum esse sub Messia, ante quem glorificatum *Spiritus* dici potest NON FUISSE, sc. σχετικῶς, respectu tum modi operationis, tum longe amplioris communicationis illius Spiritus. Sic Joannes [f], interpretans Divinum Domini dictum: *Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, fluvii aquæ vivæ ex ventre ipsius effluent.* in quo ipso dicto ad nostrum quoque hunc locum alluditur. Verum ego de hac re tota, & prophetiæ hujus *implemento*, distincte & ample satis disserui ad locum Cap. XXXII. 15. perinde de *florente Ecclesiæ primævæ Statu* ad ejusdem illius *Capitis* ℣. 16. 17. & de

Non debet comparatio extendi ultra scopum.

Et tamen Ritus in contractibus cum Deo ineundis, olim etiam in usu fuit.

Exemplum ex Neh. IX. 38.

Cl. Dodwelli observatum hac de re, & aberratio Sancii.

Alterum, *ab Israële cognominabitur.*

Vera interpretatio phrasios.

Gradatio in hac oratione.

Majus est vocari *Israëlitam*, quam *Jacobidam.*

Subjecta, cui hæc attributa conveniunt, ex Propheta designantur vocula זה HIC sæpius repetita.

Lusus Judæorum Vett. ad h.l. ex Jarchio.

Hypothesis prima, *Quicquid* hic dicitur, referendum esse ad *Proselytos.*

Demonstratur ex h. l. & ex *parallelis.*

Gemina vis subest vocalæ זה HIC in his verbis: quæ declaratur.

Illustratur ex Ps. LXXXVII. 4.

Quantum id conferret ad consolationem Ecclesiæ?

Implementum prophetiæ quærendum est sub Regno Messiæ, & in eo liquido demonstratur.

Initia ejus aliqua fuerunt in Ecclesia Judæa post Reditum ex Exilio.

---

a Neh. IX. 38. sive ex *Dist. Heb.* Cap. X. §. II. 2. 3. seqq. *b* *Dissert. Cyprian.* Cap. V. §. XX. *c* Joh. I. 48. *d* Ps. LXXXVII. 3. 4. *e* Act. II. *f* Joh. VII. 39.

& de acceſſione *Proſelytorum* ſive *Gentium* ad Eccleſiam, ad Cap. XLIII. 5. 6. quem locum huic noſtro analogum eſſe dixi. Et nemo hic tam eſt hoſpes in hiſtoria, ut abſque alterius opera non facile demonſtret, quod totius Eccleſiæ voce quotannis celebratur. Solummodo id obſervaverim, in ỳſ. 5. ubi agitur de *acceſſione Proſelytorum* ſive Gentium, Populorum, illuſtrium Perſonarum, *ad Eccleſiam:* inſigne ejus repræſentamen eſſe in BAPTISMO à Chriſto Jeſu inſtituto ut ſignaculo Populi ſui, quo πάντα τὰ ἔθνη voluit initiari ſuæ & Eccleſiæ ſuæ communioni. Etenim in Baptiſmo olim, ſed & hoc tempore, *a.* Baptizandus *publica* fidei ſuæ *profeſſione*, ſe adjungit partibus Jehovæ, acſi diceret alta voce, *Ego ſum Jehova: Ego ſum Chriſti.* quod idem moris erat apud Judæos in recipiendis Proſelytis, quod Docti Viri dudum obſervarunt *a*. β. Iidem *fœderali jurejurando* ſive *Sacramento* in Baptiſmo ſoliti erant fidem & obſequium ſuum Chriſto Jeſu tanquam ſubditi aut milites obſtringere, & omni alii confœderationi *renunciare*, & veluti *manu ſua ſcribere, ſe eſſe Jehovæ.* Reſpicio ſolennem illam Ἀπόταξιν *Renunciationem*, qua Baptiſmi Candidati fidem ſuam Chriſto dare tenebantur: Ἀποτάσσομαι τῷ Σατανᾷ καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ ... καὶ συντάσσομαι τῷ Χριστῷ. Res nota ex Tertulliano *b*, & Veteribus omnibus, maxime *Conſtitutionibus Apoſtolicis.* γ. Baptizati inſcribebantur *matriculæ* Eccleſiæ, catalogo credentium, *Libro Vitæ*, ſi ita loqui fas eſt. Liquet ex Cypriano, & Ritu Eccleſiæ Veteris; & extat de *Diptychis*, ut Tabulæ illæ dicebantur, *Diſſertatio* Dodwelli inter *Cyprianicas*, modo laudata. Denique δ. ipſi illi *Baptizati* in nomen Chriſti, perinde ac Proſelyti apud Hebræos, nomen mutabant, vel ex nova profeſſione προσωνυμίαν *cognomentum* accipiebant, dicti quippe omnes Χριστιανοί *c*. Euſebius: Ὅτι περ ἐξ αὐτοῦ (τοῦ Χριστοῦ) καὶ τῆς προσωνυμίας ἠξιώθημεν. Vales. *Quandoquidem etiam ejus* (Chriſti) *nomine cenſemur.* Clarius: *Quandoquidem etiam digni habiti ſumus ejus nomine appellari*; ſive, *ab ipſo denominari.* Sed eſt hac de re locus inſignis apud eundem hunc Euſebium in Libro de *Martyribus Paleſtinæ d*, ubi nos docet, Martyres & Confeſſores illuſtres, quos ibi quinque producit, à Præſide interrogatos de *nominibus & loco natali, alia* ſibi dediſſe *nomina*, & *Hieroſolymam* appellaſſe *Patriam* ſuam. Verba ejus: *Poſtquam vero pro* NOMINE PROPRIO *Propheticum aliquod vocabulum ex eo* (Judex) *audiviſſet:* (*quippe ipſi indita ſibi à Parentibus nomina, ideo forte quod eſſent idolorum vocabula abjecerant:*) *Heliæ igitur, & Hieremiæ, atque Eſaiæ, & Samuelis ac Davidis nomina ſibi adſciſcentes audire erat,* καὶ τὸν ἐν κρυπτῷ Ἰουδαίων γνήσιον τε καὶ εἰλικρινῶς Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ ὄντα μόνον ἔργοις, ἀλλὰ φωναῖς κυρίως ἐνφερομέναις ἐπιδεικνυμένων· *& genuinum ac germanum* ISRAELEM, *qui proprie illorum eſt qui in occulto ſunt* JUDÆI, *non ſolum operibus, ſed* PROPRIIS ETIAM NOMINIBUS *exhibentes.* ubi illud mox de Hieroſolyma ſequitur. Confer Jeſ. LVI. 5. LXV. 15. Apoc. III. 12.

Singularis hic eſt reſpectus ad Ritum Baptiſmi, quo olim Credentes Religioni Chriſtianæ initiabantur. Qui declaratur.

Confœderatio, quæ inibatur cum Deo in Baptiſmo, & *Renunciatio* alterius Fœderis.

Baptizatorum *Nomina* inſcribebantur *Matriculis.*

Baptizati à Chriſto Jeſu aut à Patriarchis denominabantur.

Inſigne exemplum ex Euſebio.

Partis Quartæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIO TERTIA:

Qua Propheta repetens convictionem Idololatrarum ex Opere Liberationis Eccleſiæ per Cyrum, ejuſque Operis prædictione, poſtquam idololatriæ ſtultitiam venuſte deſcripſiſſet, de CYRO à Deo ſuſcitando, ac *Everſione Imperii Babylonici*, per ipſum efficienda, & *Beneficiis Gratiæ* hoc opus conſequuturis, clariſſime vaticinatur, ut pios ſoletur, & in fide confirmet; averſos convertat, & perducat ad reſipiſcentiam; viamque Gentibus ſternat ad *fidem* in Verum Deum, & Filium ejus Servatorem, ejuſque Juſtitiam acceptandam.

Argumentum integræ hujus *Concionis*, ejuſque *Analyſis.*

HOc argumentum eſt generale *Concionis ſequentis*, ſatis æquabilis, & unius fere fili ac contextus, mox per partes ſuas diſtinctius declarandæ, quæ decurrit à ỳſ. 6. Cap. XLIV. uſque ad Cap. XLVIII. Diviſi eam in *Sectiones quatuor.* Prima repetens filum ſuperioris diſputationis & convictionis, inſtituendæ ex *Opere Liberationis Eccleſiæ per Cyrum procurandæ*, à Deo per Prophetam noſtrum ac Vates ſubſequentes clare prædicto, idololatrarum væſaniam deſcribit, & Opus hoc Liberationis, tanquam præſens Deo ſoli vindicat, Cap. XLIV. 6--28. Altera, poſt *Apoſtrophen* ad Cyrum, eandem convictionem perſequitur, & Beneficii uſum ac conſequens, *Vocationem & Salvationem Gentium*, luculenter enarrat, Cap. XLV. Tertia *Everſionem Imperii Babylonici* προλητικῶς prædicit, & ex vanitate Idololatriæ Babylonicæ omnis alterius falſæ Religionis vanitatem demonſtrat, Cap. XLVI. Quarta denique Vates de *Caſu Babylonis & Imperii Babylonici* καταστροφῇ diffuſius vaticinatur, Cap. XLVII.

Sectio Prima.

Deus verus ſumma præditus Majeſtate hic de novo introducitur tanquam Populos qui in errore erant, quà Judæos quà Gentes, pro illuſtri concione convincens de vera ſua Divinitate ex futuris dubii Eventus à ſe certo & clare prædictis; & deplorandam ſtultitiam, cæcitatem, ſtuporem, idololatrarum in idolis formandis colendiſque vivis coloribus pingit; idololatriam non tantum refellens, ſed & proſtituens. Inde applicat hunc Elenchum ad Populum Judæum, qui ſe majorem partem hac væſana ſuperſtitione occupari ſiverat, eumque vocat ad veram reſipiſcentiam: reſipiſcentibus autem ipſum illud *Beneficium Liberationis* ex Exilio Babylonico, Beneficiorum Operumque majorum proludium, tanquam *præſens* oſtentat, ad conſolationem & lætitiam & τέρψιν piorum; nec non ad pudorem & probrum Magorum Babylonicorum.

CAP. XLIV.

6. Sic fatur Jehova, Rex Iſraëlis, & Redemptor ejus, Jehova Exercituum *Dominus:* Ego ſum primus, & Ego ſum ultimus, & præter me nullus eſt Deus.

7. Et

a Vide Cl. Alting. *Diſſ. de Proſel.* §. XXXI. *b* De Coron. Mil. *c* Act. IX. 26. *d* Hiſt. Eccl. Lib. I. Cap. I. *e* Cap. XI.

7. Et quis ſicut Ego vocat, & indicat illud, atque illud mihi ordine diſponit, à quo poſui Populum æternum? Et ventura & quæ conſequutura ſunt, prænuncient illis.

8. Ne paveatis, neque terreamini. Nonne inde ab eo tempore *illud* apud te publicavi & prænunciavi; & vos eſtis teſtes mei? Eſtne Deus præter me? Eſtne rupes? Nullam novi.

9. *Ad* Formatores ſculptilium *quod attinet:* omnes illi ſunt inane quid; & deſiderata illorum non proderunt: & ipſi illorum teſtes ſunt. Non vident, & non intelligunt, ut pudefiant.

10. Quis format Deum, aut fundit ſculptile, quod non proſit?

11. Ecce omnes qui illud ſectantur, afficientur pudore; & fabri ipſi *qui ſunt* de communi plebe. Congregentur omnes, conſiſtant: expaveſcent, pudefient pariter.

12. Faber ferrarius *facit* dolabram; & operatur in prunis; & format eam malleis: eamque agitat brachio ſuo virili: ſimul eſurit, ut nulla in ipſo vis ſuperſit: nec bibit aquam, etiamſi delaſſatus fuerit.

13. Faber lignarius tendit lineam *menſoriam:* formam ejus deſcribit minio: parat illud inſtrumentis cæſuræ; datque ei figuram circino; facitque illud ſecundum typum viri, ſecundum decus hominis, ut reſideat domi.

14. Sibi cæſurus cedros, *ſubinde* etiam accipit pinum, & quercum, & inſtruit ſe robore inter arbores ſylvæ. plantat ornum quam imber magnam facit.

15. Eſtque homini (*materia*) ad accendendum ignem; & accipit ex ea, atque incaleſcit: etiam incendit *furnum*, & coquit panem: etiam operando format Deum coram quo ſe proſternat: facit illud ſculptile, quod venerabundus adoret.

16. Mediam ejus partem cremavit igne: ad partem ejus veſcitur carne; aſſat aſſam, & ſaturatur: etiam calefit, dicitque, Evax! incalui, vidi ignem.

17. Reliquum vero ejus in Deum facit, in ſculptile ſuum: adorat illud, ſeque coram eo proſternit; & ſupplicationem ſuam ad illud dirigit, dicitque, Libera me, ſiquidem Deus meus tu es.

18. Non cognoſcunt, & non intelligunt, quia obliti ſunt oculi illorum, ne videant; corda eorum, ne prudenter conſiderent.

19. Neque refert ad animum ſuum; & nullo judicio utitur aut intelligentia, ut dicat, Dimidiam ejus partem conſumpſi igne; atque etiam coxi ſuper carbones ejus panem; aſſavi carnem & comedi: & reliquum ejus in ſculptile abominandum facerem? num adorarem lignum?

20. Paſcit ſe cinere: animus deluſus ipſum ſeduxit; & non vindicat animam ſuam *ab errore*, & non cogitat, An non forte in dextra mea eſt mendacium?

21. Recordare horum, ô Jacob, & Iſraël, quia ſervus meus tu es: formavi te. Servus meus tu es, ô Iſraël: non traderis oblivioni.

22. Deleo ut denſam nubem tranſgreſſiones tuas; & tanquam nubem levem, peccata tua. Revertere ad me, quia te redemi.

23. Jubilate cœli, quia Jehova fecit. Clangite inferiora terræ: fragorem edite montes cantu; ſylva & omnes in ea arbores, quia Jehova Jacobum redemit, & in Iſraële ſe glorioſum exhibuit.

24. Sic fatur Jehova, Redemptor tuus, & Formator tuus ab utero, Ego Jehova facio cuncta. Solus Ego extendo cœlos, conſtipo terram ex me ipſo.

25. *Is ſum qui* irrita facit ſigna Vatum, & Divinos inſanos reddit: qui Sapientes retrorſum agit, & ſcientiam illorum infatuat.

26. Qui ratum facit verbum Servi ſui, & conſilium Legatorum ſuorum perficit. Qui dicit Hieroſolymæ, Habitaberis; & Urbibus Judæ, Ædificabimini: & Deſolata ejus erigam.

27. Qui dicit profundo, Exſiccator, & fluvios ejus faciam exareſcere.

28. Qui dicit de Cyro, Paſtor meus eſt, & omnem voluntatem meam perficiet; & quidem ut dicat Hieroſolymæ, Ædificator; & Templo, Fundator.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus Sectionis.

Argumentum hujus Sectionis.

QUænam ſit ὑπόθεσις hujus *Sectionis:* ex generali *Argumento* hujus *Concionis*, & ex præſcripto ejus *Titulo*, quiſque facile colligat; & diſtinctius etiam percipiet ex *Analyſi*, mox tradenda. Propheta totus eſt in demonſtranda veritate Deitatis *Dei Iſraëlis*, & in avocandis Judæis & Gentibus ab idololatria, argumento ſumpto, tum ex *Prædictionibus* à ſe editis [a]; tum ex natura ipſius idololatriæ, cujus turpitudinem ac ſtultitiam omnium oculis exponit [b]. Inde invitat Judæos hac ſuperſtitione captos ad reſipiſcentiam [c]; & ipſum CYRUM veluti Liberatorem ſui Populi præſentem ſiſtit Populo ſuo; cum *jubilo* totius Naturæ rerum ob vindicatam Dei gloriam, ut illi Populo ſuo inſpiret cum certa fide fiduciam, & pudore ſuffundat *Chaldæos*, *Magos*, *Hariolos*, qui veris Dei Prophetis oppoſiti hunc caſum ignoraverant, & Imperio Babylonico læta promiſerant. [d]

Scopus Ejus.

II. *Scopus* hujus *Sectionis* eſt CONVINCERE Populum Judæum de veritate ſuæ Divinitatis & *vanitate pudenda idololatriæ*, & per *convictionem* efficacem alienatos à vero cultu *perducere ad reſipiſcentiam*; reſipiſcentes vero & convictos SOLARI promiſſo *Gratiæ*, cujus effectus eſſet præſens Liberatio ex Exilio Babylonico per Cyrum curanda & efficienda. Proximus igitur ſcopus eſt Ἐλέγχειν *convincere*; & medio *convictionis* & *promiſſi Gratiæ* Populum Judæum, qui à Deo defecerat, permovere ad reſipiſcentiam, & confirmare in fide veræ Divinitatis. Remotus, Παρακαλεῖν *conſolari*, tam *promiſſo Gratiæ*, quam *Certioratione* illius Promiſſi ex *Liberatione Babylonica* Cyro mandanda & mandata

a ℣. 6–8. b ℣. 9–20. c ℣. 21. 22. d ℣. 23–28.

data ex Conſilio Decreti Divini: qui *Scopus remotus*, tam hujus *Sectionis*, quam *Concionis* totius, merito ut *primarius* à nobis habetur. Illuc enim omnia tendunt.

Scena hujus *Concionis* in quo tempore collocanda ſit?

III. *Scena* totius hujus Concionis rectiſſime collocatur in tempore *Exilii Babylonici*, in quod Populus ob defectionem ſuam à Deo per idololatriam abducendus erat, proxime illud Intervallum quo illa Liberatio à Propheta noſtro aliiſque Vatibus promiſſa effectum ſortitura erat. Non adeo obſtat, fateor, ut majore latitudine ſumamus, & dicamus, convictionem inſtitui ad *abductos* & *abducendos* in Exilium Babylonicum, quia Prophetæ in Raptu Ecſtatico de *Futuris*, ut de *Præſentibus*, paſſim loquuntur. Sed cum tota Concio, omnibus ſuis partibus, Beneficium illud Liberationis tanquam in inſtanti vel præſenti ob oculos ponat, & Deus hic introducatur tanquam *præſens Liberator ſui Populi*; Cyrus tanquam inſtrumentum à Deo in hunc uſum excitatus, actu ipſo exequens hoc Decretum & Conſilium Dei; & *Babylon*, tanquam quæ jam *ceciderat*, vel in eo eſſet ut *caderet:* merito in hoc intervallo ponimus *Concionis* ſcenam. *Convictionem* autem inſtitui ad Populum Judæum, clariſſime liquet ex ℣ſ. 21. 22. nec non ex Cap. XLVI. 3. ſeqq. Nec tamen hic negliguntur Gentes, quippe ad quas eadem hæc convictio vertitur, quibuſque *juſtitia* & *ſalus* à Deo in Filio ſuo offertur & promittitur, Cap. XLV. 21. ſeqq. de quo ſuo loco.

Analyſis hujus *Sectionis.*

IV. *Sectio* à me in tria membra ſecatur, ordinis & facilitatis cauſſa, licet *Analyſis* exigua mutatione aliter etiam componi queat.

Pars ELENCTICA ſive *Convictoria*, qua Populus Judæus qui à Deo defecerat per *Idololatriam*, convincitur,

α. De *vera Divinitate Dei Iſraëlis* ex effectis illuſtribus Providentiæ ſuæ à ſe clare prædictis, & eventu probatis, ℣ſ. 6--8.

Ubi (a.) Magnifica Dei præfatio, *Convictionis Exordium*, ℣ſ. 6.

(b.) Ipſa *Convictio*, ℣ſ. 7. 8.

β. De *Vanitate* & *Stultitia Idololatriæ*, ejuſque *Sectatorum*, quæ refellendo proſtituitur, ℣ſ. 9--20.

Pars EXHORTATORIA ad veram Reſipiſcentiam, ad Populum Judæum inſtituta tum ex hac *Convictione*, tum ex *Electione*, *Promiſſis Gratiæ*, & *Promiſſorum Effectis*, ℣ſ. 21. 22.

Pars CONSOLATORIA, qua ipſa illa *Liberatio* Populi ex Exilio Babylonico tanquam *præſens* ut eximium Effectum Providentiæ & Gratiæ Divinæ erga Populum ſuum emphatice deſcribitur, ℣ſ. 23--28. & imprimis ex *cauſſa* ſua *principali* magnifice celebratur, in qua

α. *Propoſitio*, facta per modum *Apoſtrophes* ad *Cœlum*, *terram* & creaturas omnes, quæ excitantur ad *Jubilum*, ob hoc Beneficium Gratiæ erga Populum ſuum canendum, ℣ſ. 23.

β. *Expoſitio* hujus Beneficii Divinæ Providentiæ, per ſuas CAUSSAS,

(a.) *Principalem* DEUM, ℣ſ. 24--27.

(b.) *Inſtrumentalem*, CYRUM, ℣ſ. 28.

Admonitio de *Anacriſi.*

V. *Anacriſi* hic locum non facio, cum hypotheſis prophetiæ nihil dubii habeat, & Interpretes in ea facile conſentiant. Solummodo Cl. Coccejus, hanc *Sectionem noſtram* ſubtexens periochæ Conſolatoriæ ſuperiori, & nullam hic agnoſcens ἀναπεφαλαίωσιν, Prophetæ noſtro ſuetam, hanc *Sectionem* noſtram à ℣ſ. 6. (unde eam ordimur,) ad ℣ſ. 24. applicat ad Eccleſiam N. T. ſequioris temporis quo in eam introduceretur *Cultus idololatricus imaginum*, adverſus quem diſputationem & *convictionem* hic inſtitui vult; *jubilum* ℣ſ. 23. referens ad glorioſum Eccleſiæ Statum, quo ab his inquinamentis purgata fuerit. Diſputarem contra, ſi aliquod mihi hujus laboris conſtaret pretium; aut ſententia, meo judicio, inter probabiles cenſeri poſſet. Omnia enim in contrarium clamant; & ipſe ℣ſ. 24. tempora Cyri cogitur reſpicere; cum tamen videat, partes prophetiæ arctiſſime inter ſe cohærere. Ergo licebit, ut opinor, hac opera ſupersedere.

Pars prima hujus Sectionis ELENCTICA.

Membrum Prius, Convincens Populum defectorem de *veritate Dei Iſraëlis*,

α. *Præfatio.*

Pars Prima hujus Concionis, ELENCTICA. Membrum Prius, *Convictio* de *Veritate* Dei Iſraëlis. *Præfatio* ℣ſ. 6. *Hypotheſis* huic Concioni ſubſtrata.

℣ſ. 6. *Sic fatur Jehova*, REX ISRAELIS, *&* REDEMPTOR *ejus Jehova Exercituum*; EGO ſum *primus*, *&* EGO *ultimus*, *&* *præter me nullus eſt Deus.*] Vides, orationem rurſus diſcedere ab argumento proxime præcedentis periochæ, quod totum eſt Evangelicum; & cum *Præfatione* nova inſtaurari convictionem idololatrarum, præcipue Judæorum, qui in eo erant ut reducerentur ex *Exilio Babylonico*, quorum Semini Deus præſtaret magna illa Beneficia Gratiæ quæ Propheta proxime commemoraverat. Deus illa promiſſa Gratiæ inciperet implere cum Liberatione Judææ Genti à Cyro procuranda. Hunc eventum cætera ſequerentur. Hoc primum eſſet ſignum Dei populo ſuo vere reconciliati. Sed Populus horum Beneficiorum compos fieri non poterat, abſque *vera* ad Deum *converſione*, & *abnegatione* omnis *idololatriæ* ac *Religionis falſæ*; ad quam itaque tanquam ad conditionem plane neceſſariam ſubeundam Deus Populum hic loci invitat. Hæc hypotheſis eſt totius hujus Concionis. Sunt autem ipſæ hæ rationes, quæ me induxerunt ad *Concionem* hanc potius ab *hoc commate* ordiendam quam à ℣ſ. 1. ex *communi diſtinctione*, quod meum inſtitutum nemo improbaverit qui ad contextum diligenter attenderit. Incipit *Convictio* à *Præfatione*, magnifica ſane, quæ eidem exacte reſpondet; ſed cujus *Epitheta* omnia in *ſuperioribus* declaravi. Vide Cap. XLI. 4. & 21. XLIII. 11. & 15. ex quibus locis, ſimul intelliges, eſſe hanc Orationem *Patris*, ut conſpici vult, agnoſci, coli, honorari, in *Filio*; ut quæ Patri tribuuntur reſolvantur in Filium, τὸν τῶν γεννητῶν ἁπάντων κύριον, καὶ θεὸν, καὶ βασιλέα, τὸν τὸ κῦρος ὁμῶ καὶ τὸ κράτος αὐτῷ θεότητι καὶ δυνάμει καὶ τιμῇ παρὰ τῦ Πατρὸς ὑποδεδεγμένον, ut alibi de ipſo ſatis orthodoxe Euſebius. *Filius* enim hic non vindicat ſuam dignitatem ſeorſim ab ea Patris.

Quæ Perſona in Divinis hic loquens introducatur?

β. Ipſa *Convictio.*

Convictio ipſa, ℣ſ. 7. Attributa, quæ Deus ſibi hic vindicat.

℣ſ. 7. *Et quis ſicut Ego* VOCAT; *&* *prænunciat illud*, *atque illud mihi ordine diſponit*, *à quo poſui* POPULUM ÆTERNUM?] Non vacat hic diſputare in re clara, etſi longa materia eſſet, ſi alias interpretationes relegerem. Deus hic diſputat cum idolis; & ſibi vindicat prænotionem futurorum, quam iis negat, ut ex his quæ ἀμέσως ſequuntur, ut & ex *Concionibus ſuperioribus* abunde liquet. Eſt in his verbis non *gradatio*, ſed *retrogradatio:* quod unum obſervaſſe, eſt illorum aſſequi ſenſum. Eventus *Liberationis* Populi per Cyrum hic ſupponitur, ut præſens, ut liquet ex ℣ſ. 22. ſeqq. & jam ante monui. Unde Deus, *Quis*, ait, (*Deorum peregrinorum*,) ſicut EGO, *vocat?* h. e. rem juſſione voluntatis ſuæ irreſiſtibilis actu repræſentat, ſive, præſentem ſiſtit? eodem ſenſu quo Apoſtolus Deum dicit καλεῖν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα VOCARE *quæ non ſunt tanquam ſint* [a]. Stylus eſt Sanctuarii, & maxime Vatis noſtri, ut in eodem caſu Cap. XLIII. 3. *Ego præcepi ſanctificatis meis:* (Medis & Perſis,) *etiam* קראתי VO-

Retrogradatio in verbis Prophetæ.

Quid hic loci ſit *vocare*? Significatio illuſtratur ex *analogia.*

Cur *Exordium* ejus ducatur à ℣ſ. 6.

CAVI

[a] Rom. IV. 17.

CAVI *heroes meos ad iram meam* exequendam. Cap. XLI. 2. & XLVI. 11. VOCANS (קורא) *ab Oriente Volucrem rapacem; Virum consilii mei.* Cap. XLVIII. 15. *Ego, Ego locutus sum; etiam* קראתיו VOCAVI *illum.* Ps. CV. 16. *Et* VOCAVIT *famem in terram.* Ægyptum & Canaanæam. Confer 2 Reg. VIII. 1. Sensus itaque est: Quis Deorum alienorum mihi similis efficaci jussione suæ voluntatis Casus & Eventus rerum omnes actu jubet existere perinde ac hunc nostrum? Et hoc quidem primum membrum est. Alterum: ויגידו *Et* quis PRÆNUNCIAVIT *illud?* h. e. illud ante clare prædixit, ut vocem habuimus pluries; & novissime Cap. XLIII. 12. mox iterum hoc *commate & sequenti.* Id vero, ut supra sæpius monuimus, hic plane erat necessarium. Cum enim eventus ille destructæ vel destruendæ à Cyro Babylonis aliis quoque adscribi posset Diis peregrinis, Babylonicæ magnitudinis æmulis, (ut Gentes loquebantur,) vel Promotoribus Persicæ: ex certo aliquo criterio discernendum erat, an effectus ille Deo Israëlis, num aliis adscribendus esset caussis; quod κριτήριον erat *prædictio*, & *prænunciatio* illius Eventus. Vatibus peregrinorum Deorum hunc casum ignorantibus vel contra clamantibus. Tertium membrum est, *Et* quis יערכה לו *id* MIHI (sive, קדמי CORAM ME) *ordine disposuit?* h. e. quis mihi *à consilio fuit* ἐν τῇ τῶν ὅλων διακοσμήσει, atque in ordinandis disponendisque eventibus & casibus humani generis, & hoc nostro Casu illustri à me prædicto? quis hunc Eventum, perinde ac alios à Prophetis meis prædictos & eventu probatos, in omni ordine & serie coram me descripsit? cujus typum in Decreto meo formando sequutus sum? Vox Hebræa ערך vere Hebræis idem valet quod Græcis τάττειν, sive παρατάττειν, qua posteriore notione οἱ ὁ. in ea reddenda sæpe usi sunt: h. e. rem certo ordine, serie, successione, disponere & ordinare. Pertinet proprie ad militiam, ubi Exercitus in ordinem componitur, & copiæ in aciem instruuntur. Eadem ratio est formandorum decretorum. Qui id agit, typum rei gerendæ (תבנית *ἰδέαν*,) sibi proponit, ut in executione nihil ante non diligenter cogitatum turbet. Confer Cap. XL. 13. 14. ubi quæ in hanc rem dicenda erant, collocavi. Decretorum formatio est effectum solius Sapientiæ Divinæ: Executio Potentiæ ac Providentiæ ejus. Emphasin habet quod addit, *Ex quo posui* עם עולם POPULUM ÆTERNUM. Hoc est, ex meo sensu: Ex quo vocavi Abrahamum, cui cujusque posteris dedi tabulas pacti æterni. Verba Dei [a]: *Et erigam fœdus meum inter me & inter te, & inter semen tuum post te, in generationes illorum* לברית עולם *in* FOEDUS ÆTERNUM. Idem dein alibi sæpius occurrit. confer luculenta loca Cap. LIV. 9. Jer. XXXI. 36. Ps. XII. 8. Hebræi, quod mirum, suorum privilegiorum æmuli, hic suam Gentem non agnoscunt: passim vocem עולם referunt non ad *tempus sequens*, ut עם עולם sit *Populus æternum duraturus*; sed ad *antecedens*, ut valeat, *Populus antiquus:* quo modo Hieronymus phrasin vertit, & Chaldæus quoque accepit. Aben-Ezra: עם עולם] *Populus primus; & pertinet vox* עולם *ad tempus præteritum.* Kimchius: מבריאת העולם *à creatione mundi.* Sed etiamsi phrasis hanc significationem facile ferat: non impetro tamen à me, ut credam, Vatem nostrum humanum genus, vel res creatas, quarum duratio temporis præteriti facile definiri poterat, respectu ortus sui & durationis appellaturum esse *Populum æternum.* Longe rectius hic quis cogitaret de Noa ejusque posteris, in Gentes & familias per Orbem divisis, quibus Deus *fœdere* ÆTERNO [b] condixit inhabitationem hujus Orbis nullis deinceps aquis obruendi, לדורות עולם IN GENERATIONES ÆTERNAS [c]. h. e. ad *συντέλειαν τῶν αἰώνων.* cujusmodi promissum non sanxerat hominibus primi mundi. Et fateor cogitationem mihi alte hæsisse. Sed si phrasin ad *Ecclesiam* transferas, ut nostri passim, aut ad *Semen Abrahami*, non *carnale* sed *mysticum*, ut ego instituo: interpretatio est nobilior.

Paraphrasis dicti Prophetæ.

Quid h. l. הגיד *clare prænunciare?*

Prædictio memorabilis hujus Eventus hic plane erat necessaria.

Quid item *ordine* hunc *Eventum dispositre?*

Phrasis referenda est ad *Consilium Dei.*

Emphasis vocum ערך & παρατάττειν h. l.

Decreta quomodo *fermentur?*

Verba, *Ex quo posui Populum æternum*: quam emphasin hic habeant?

Quis hic *Populus æternus?*

Interr. Hebræorum expositio.

Hebræi phrasin, *Populi æterni*, referunt ad *tempus præteritum.*

Sed absque ratione.

Alia meditatio.

Et ventura & quæ eventura sunt prænuncient illis.] h. e. Si quis autem jactet Deus, sive Deorum Vates, eorum nomen jactans, Divinitatem veram apud se esse: prænuncient illi cultoribus suis certo ordine & serie quæ in futurum eventura sunt. de quo sæpe diximus, & fuse ad Cap. XLI. 21. Solummodo videri posset in hac oratione esse quid ταυτόλογον & παρέλκον. Quid enim differunt אותיות *ventura*, ואשר תבאנה & *quæ eventura sunt?* Grotius *ventura* explicat per *proxime ventura*, ex propinquo imminentia; & *quæ venient* per *multo post ventura*; comparato loco Cap. XLI. 22. 23. Sic præiverat Kimchius. quod & mihi probabile videtur. *Ventura* (אותיות) dicuntur ראשונות *priora*, contradistincte ad אחרונות *post ventura*, Cap. XLIII. 9. Dominus Jesus eadem in genere vocat τὰ ἐρχόμενα *ventura*, apud Joannem [d]; sive alibi [e], ἃ δεῖ γενέσθαι μετὰ ταῦτα.

Reliqua verba: *Et ventura & consequutura nuncient illis.*

Paraphrasis verborum.

Futura & *post futura* hic distincta.

℣. 8. *Ne paveatis, neque* TERREAMINI: *Nonne inde ab eo tempore id apud te publicavi, & prænunciavi tibi; & vos estis testes mei.*] Sensus: Ne paveatis, neque consternemini motibus Medorum & Persarum, adversus Imperium Babylonicum insurgentium, qui motus vobis illo tempore incolis illius Imperii metum videbuntur incutere posse. Illi enim motus vobis erunt saluti. Nonne enim Ego ab *illo tempore* quo Jesaias & Prophetæ subsequentes inter vos officio functi sunt, clare prænunciavi & publicavi, id futurum esse; & an prophetiæ eorum non sunt in manibus vestris? ut adeo nullos hic *testes* quam vos ipsos desiderem. Confer Cap. XLIII. 10. Nullum hic dubium γραμματικόν, nisi in voce תרהו, à רהה; quod etymon alibi non occurrit, ut nec illius derivata: nec vidi Doctos Viros, illius significationem aliunde investigantes, quicquam profeciisse. Alexandrinus habet: Μηδὲ πλανᾶσθε, *Ne erretis.* Sic pariter Theodotio, ut liquet ex Procopio. Chaldæus: לא תתבהון *Neque confringamini.* Int. *Consternemini.* Hier. *Neque conturbemini.* Definienda est significatio ex analogo פחר *pavere; expaveiscere;* & conferendus locus Cap. VIII. 12. לא תיראו ולא תעריצו *Ne timeatis, neque exhorreiscatis.* Est quid majus quam פחד: etsi negare nolim, habere aliquid commune cum voce ירא *timere.*

℣. 8 *Ne paveatis, neque terreamini, &c.* Verba declarantur.

Animadversio ad significationem vocis תרהו.

Estne Deus præter me, & an est rupes? Neminem novi.] Sic censeo vertenda verba, quæ secundum vulgatam interpretationem sonant: *Estne Deus præter me? & nulla est rupes, nullam novi.* In qua sententia quisque videt aliquod hærere incommodum; dum interrogatio abrumpitur, quæ commodius videretur continuari. Constaret sibi sententia absque copula &, in hunc modum: *Estne Deus præter me? Nulla est petra: nullam novi.* Sed non satis commode dici videtur, Et *nulla est petra, nequaquam cognovi.* Piscator, difficultati occursurus: UTIQUE *nulla alia rupes est; non novi ullam.* Sed ubi *præfixa* ו notat *certe, utique*, significatione asseverandi? Si retinenda sit lectio, dicendum est, *præfixam* ו hic πλεονάζειν, ut in variis locis aliis. Sed mihi non est dubium, quin vocula אין quam Masorethæ punctarunt אַיִן, vere sit accipienda acsi signata esset אִין, quod est signum *interrogationis*; ut sententia integra, sibi partibus suis constans, sit, *Estne Deus* verus *præter me? & num est Rupes? Nullum*, sive *nullam novi.* Sic manifeste sumitur vocula אין 1 Sam. XXI. 8. estque significatio ejus recepta Chaldæis & Talmudicis, perinde ac affinis אי: sive illud vocabulum ex hoc; sive hoc per *apocopen* ex illo formatum sit, quod meæ non est curæ [f]. Forte etiam ipsa notio אין ortum dedit Latinæ *an.* Nomen צור RUPES in Vetere Schola Sanctorum familiari usu fuit pro *Subjecto* quod Divinitatem veram possidet, tanquam quod sit æternæ & immotæ essentiæ; *fundamentum* inconcussum *spei* & *fiduciæ* sui populi; & *caussa salutis* omnium qui se ad

Estne Deus præter me, & an est rupes? &c. Versio recta horum verborum constituitur.

Dubiæ aliorum interpretationes.

Vocula אין hic est *interrogativa*: quando liquidus sensus.

Deus quo sensu Sanctis antiqui temporis dictus sit *Rupes?*

[a] Gen. XVII. 7. [b] Gen. IX. 16. [c] ℣. 12. [d] Joh. XVI. 13. [e] Apoc. IV. 1. [f] Vide Buxtorf. *Lex. Talm.* ad voces אי & אין.

illud recipiunt; de quo in *superioribus* [a] non uno loco egi. In phrasi, בל ידעו *geminus*, sed affinis, includitur sensus, *Non cognosco*, &, *non agnosco*.

Membrum Convictionis *Alterum* de *Vanitate Idololatriæ.*

a. Propositio.

Membrum convictionis alterum de Vanitate idololatriæ, a. Propositio, ℣. 9.

℣. 9. *Ad Formatores sculptilium* quod attinet: OMNES *illi sunt inane quid*, & DESIDERATA ILLORUM *non proderunt.* ET IPSI ILLORUM TESTES SUNT: *non vident, & non intelligunt: ut pudefiant.*] Transit Vates, Deum adhuc loquentem faciens, ad alteram *Elenchi* partem qua idololatriæ vanitatem simul refellit ac prostituit, & pudenda omnia hujus insaniæ develat, longo satis orationis contextu, qui *hinc* æquabiliter decurrit usque ad ℣. 21. ut idololatriam apud Populum Judæum duceret in contemptum. Discrevi tamen pericopam in *Propositionem*, comprehensam ℣. 9--11. & *Propositionis* Ἐξεργασιαν, ℣. 12--20. Oratio est, ut modo monebam, æquabilis, quæ se in Ἐξεργασίᾳ *Convictionis* magna commendat venustate: sed passim intellectu facilis, nec indiget operoso *Commentario.* Tantum substernenda est intellectui & genuinæ interpretationi hujus totius *Pericopæ* hæc una hypothesis; respici hic præcipue ad SCULPTILIA & IDOLA BABYLONIS, in qua Babylonia *Scena* totius hujus *Concionis* collocanda est. Hanc unam, inquam, hypothesin hic recte teneri velim, quam totus contextus evincit; & in *sequentibus* confirmatam dabimus ex hujus *Capituli* ℣. 25. nec non ex Cap. XLV. 20. XLVI. 1. & seqq. Expendamus verba Prophetæ absque longioribus ambagibus.

Analysis ejus.

Verba ℣. 9. Ad *Formatores sculptilium* quod attinet: *omnes illi sunt inane quid.*

Ad Formatores sculptilium quod attinet: OMNES ILLI *sunt quid inane.*] h. e. tam *imagines* quàm *earum fabricatores.* Id est hic loci כלם OMNES ILLI: non modo *formatores idolorum*, verum etiam *idola ipsa.* Per מסכל *sculptile* (pro *sculptilibus*,) tuto intelliges in summa latitudine quicquid in idolum, veneratione & adoratione colendum, sculpitur paraturque, ut Cap. XLII. 17. Veruntamen hoc in loco secundum hypothesin modo jactam, speciatim respicies *idola Babylonica*; *Jovis*, sive BELI, *Junonis*, *Veneris*, sive *Rheæ*, de quibus videndus Diodorus Siculus [b], expressius forte quam ulli Veterum alii de Religione priscorum Babyloniorum loquens; sed & ante eum Herodotus [c]: & quæ alia Gens superstitione capta in Religionem invexit: & publica quidem erant magnitudine terribilia. Sunt autem illa ipsa de quibus Vates noster Cap. XXI. 9. in prophetia de Babylone: *Cecidit, cecidit Babylon*; & SCULPTILIA *idolorum ejus confracta projecit in terram.* Confer Jer. LI. 44. 47. De quo agendi occasio recurret Cap. XLVI. 1. Eadem vero appellantur חמודיהם *Desiderata illorum:* non *amantissima*, ut apud Hieronymum exhibetur: sed *amatissima.* Significatur furor superstitiosus Babyloniorum in *idola*; de quo Jeremias [d]: *Terra* SCULPTILIUM *ipsa* (Babylon) *est, & in terriculamentis*, (באימים *Idolis* præstigiis,) *insaniunt.* Erant præterea confecta, (publica saltem,) ex *auro*, metallorum desideratissimo, ut Herodotus & Diodorus [e] testantur, &, ut probabile, incisuris artificiosis ornata. *Privata* autem sive *Domestica* facta ex *ligno*, & *argento* vel *auro* obducta. In sequentibus est ratio ambigendi de vera mente Prophetæ. Verba absque distinctione sic leguntur: *Siquidem testes illorum ipsi non vident & non cognoscunt, ut pudefiant:* quæ Masorethæ ita legi voluerunt: *Siquidem testes illorum ipsi* sunt: *non vident & non intelligunt; ut pudefiant.* Cl. Coccejus tamen, Masorethicæ distinctionis hic non habita ratione, vertit: *Et testes illorum ipsi non vident & non cognoscunt, & seqq.* Cæterum illud, *testes illorum ipsi sunt*, vel referri potest ad *idola*, vel ad *formatores* & cultores *idolorum.* Rursus, quod sequitur, *Non vident & non intelligunt:* vel affirmari potest de *idolis* vel de *formatoribus* & *cultoribus eorum.* de utriusque enim verum est; & utrumque subjectum præcessit. Et sane Intt. hic in diversa abeunt, absque metu magni discriminis. Belgæ Intt. (ne nunc alios memorem,) prius membrum de ipsis accipiunt idolis, ut sensus sit: *Ipsa* illa *idola possunt esse testimonio suis cultoribus quod veri Dii non sint*, quippe *nec vident, nec intelligunt.* nullo prædita sunt sensu & intelligentia. Non est, fateor, contemnendus sensus; sed non putem, id fuisse in mente Prophetæ. *a.* Quia *subjectum* hujus sententiæ proprie sunt *Formatores* & *Cultores idolorum.* β. Quia quod hic dicitur, ועדיהם חמודיהם *Et* TESTES ILLORUM IPSI *sunt*, plane respondet dicto *antecedentis commatis*, ואתם עדי *Et* VOS *estis* TESTES MEI. Veri Dei cultores *ejus* erant *testes*, quod *videret omnia; sciret, præsciret*, & suis *posset prodesse*: sed idolorum cultores & formatores *ipsorum* illorum idolorum erant *testes*, quod nihil *viderent, præsciverent*, intelligerent, *possent.* quem proinde eligo & hic præfero sensum. Quare quod sequitur, *nihil vident, & cognoscunt*; referò ad *idola*, secundum sensum quem jam exposui, collatum cum Ps. CXV. 4--6. quæ *Ode* posterioris temporis phrasin hujus prophetiæ imitari videtur. Equidem Vates ℣. 18. 19. ipsis quoque *idolorum formatoribus* idem attributum vindicat, illos esse *cæcos*; nihil sentire & *intelligere*: sed quis miretur, idem attributum vindicari *Subjectis* quibus vere competit? Si quis tamen id hic quoque loci applicare velit ad *Idolorum Formatores* (sub quibus *cultores* quoque illorum comprehenduntur,) nihil intercedo. est enim definitu difficilius. Certe quod sequitur, למען יבשו *ut pudefiant:* ad idolorum cultores referendum est. Patet clarissime ex ℣. 11. & Cap. XLV. 16. Aben-Ezra eodem fere modo sententiam accepit, ut eam declaravi; sed cui ego nihil defero, si à ratione discedat. Chaldæus verba, ועדיהם חמודיהם interpretatus est de *idolis*, hoc sensu, *Ipsa illæ imagines* SIBI *sunt testes*, (עדים להם pro *quia non vident, nec intelligunt.* quem sensum prætulissem ei Belgarum, si mihi potuissem persuadere, sententiæ subjectum esse *idola.*

Latitudo sententiæ in vocibus *omnes illi.*

Sub nomine *Sculptilium* hic præcipue respiciuntur *Idola Babylonica.*

Qualia illa?

Loca analoga.

Unde formata essent?

Sequentia verba Prophetæ: *Siquidem testes illorum ipsi, &c.* quod ad sensum ambigua.

Quem sensum Belgæ verbis Prophetæ dederunt?

Qui non plane probatur.

Sensus probabilior.

Considerat. ℣. 18. 19.

Ultima verba: *Ut pudefiant:* pertinent ad *Cultores idolorum.*

Sententia A. Ezræ.

℣. 10. *Quis format Deum, &c.* Paraphrasis verborum.

℣. 10. *Quis format* DEUM, *aut fundit sculptile quod non prosit?*] Ipse est Elenchus, qui hic instituitur, brevis quidem, sed acris. Quis tam insanus & stolidus homo est, qui Deum format & colit, nihil sibi profuturum? Deus enim colitur respectu Beneficiorum vel acceptorum, vel speratorum. quod est in sensu omnium mortalium. Confer Jer. II. 11. & Mal. III. 14. Vox אל etiamsi in emphasi notet *Deum fortem:* hic tamen emphasin perdit, & simpliciter sumitur pro *Deo*, ut fumebatur Orientalibus. Servius [f]: *Nam omnes in illis partibus* (Orientis) *Solem colunt, qui illorum Lingua* EL *dicitur, unde &* ΗΛΙΟΣ, & seqq. quomodo locum etiamdum corruptum in integrum restituit Doctissimus Vossius [g]. In *Fragmentis* Sanchoniationis sive Philonis Byblii est Ἦλος. De voce נסך fundere conjuncta cum מסכל *sculptile* dixi sententiam ad Cap. XL. 19.

Animadversio ad vocem אל, ut h. l. occurrit.

Observatum Vossii ad locum Servii.

℣. 11. *Ecce omnes qui se ad illud aggregant, pudore afficientur, & fabri ipsi* qui sunt DE COMMUNI PLEBE. *Congregentur omnes illi, consistant; expavescent, pudefient pariter.*] Consequens est idolomaniæ, cujus sensus generatim spectatus neminem fugit. Cum enim εἴδωλον sit εἰδὲν ἐν κόσμῳ [h]; sive falsum Deum repræsentet; sive veri Dei imaginem reddat ipsi inhonestam, quæ ἀρχέτυπον suum mentitur: fieri nequit, quin formatores & cultores eorum tandem afficiantur pudore, & cum turpitudine & infamia sua prostituantur, tanquam qui vel ipsi crassissime erraverint; vel aliorum simplicitati illudentes, illos in errorem duxerint. Sed Propheta hic præcipue respicit idolorum Babylonicorum formatores; sive rationibus certis clarisque; sive judiciis Dei in Babylonem exequendis, convincerentur de vanitate hujus instituti sui in negotio Religionis, ac pudefierent. Addamus pauca ad intellectum verborum. *Ecce*, ait Propheta, *omnes qui se ad illud aggre-*

℣. 11. *Ecce omnes illi pudore afficientur, & seqq.* Sententia Prophetæ exponitur & confirmatur.

Verba Prophetæ præcipue referenda sunt ad *Idola Babylonica*, cum respectu ad *judicium Dei* exequendum.

---

[a] Cap. XVII. 10. XXVI. 4. XXX. 29. [b] *Biblioth. Hist.* Lib. II. p. 69. 70. [c] Hist. Lib. I. Cap. 183. [d] Cap. L. 38. [e] II. cc. [f] Ad *Æn.* Lib. I. ℣. 642. [g] De *Idol.* Lib. VII. Cap. IX. [h] 1 Cor. VIII. 4.

dum in Babylonem. Significatio vocis חברין h. l.

aggregant, ſuffundentur pudore. Heb. proprie, כל חבריו *Omnes ſocii* EJUS. ubi *affixum* in voce חבריו neceſſario referendum eſt ad vocem פסל *ſculptile*, εἴδωλον. Dicuntur autem ad idolum *aggregari* qui dum illud colunt, ſe ei uniunt; atque ad illud aggregant; idque non ſoli, ſed in plurium ad idolum venerandum concurrentium communione: videturque fuiſſe vox in negotio Religionis uſu recepta, ut probabile ſit ex Hoſ. IV. 17. חבור עצבים אפרי SOCIATUS *eſt idolis Ephraim.* Majoris forte negotii fuerit recte aſſequi quod ſequitur: ותרשים המרו מארם: diverſis ſubjectum interpretationibus. Hieronymus: *Fabri enim ſunt ex hominibus.* Eſt haud dubie verſio tolerabilis. Equidem vocula *enim* diſerte non videtur extare in contextu; ſed *præfixa* ו in voce ותרשים poteſt eſſe ἀιτιολογικὴ, ut ſæpe aliàs. Placuit tamen Jun. Trem. *Et fabri ipſi magis quam homines ulli.* Piſc. *Imo fabri ipſi magis quam quiſquam.* Cocc. *Et artifices illi præ homine*, (vel, *minus quam homo.*) Interpretatur ſententiam: *Ipſi fabri minus quam homines reputantur.* Sed in neutra interpretatione ea vis eſt quæ in ea Hieronymi recte expoſita; certe nihil elegantiæ eſſe videtur in ea Cl. Cocceji. Verte itaque integram ſententiam, *Ecce omnes qui ſe ad ea* (ſculptilia,) *aggregant, pudefient; & fabri* ſive *artifices* maxime *qui ſunt de* COMMUNI PLEBE. Ἐκ τῆ δήμω. Lege igitur ſententiam acſi ſcripta eſſet, ותרשים אשר המרו מארם *Et fabri* maxime *pudefient*, homines de communi grege & plebe, qui cum ipſi in nulla poſiti ſint dignitate, nullo honore inter æquales verſentur: tamen, quod ridiculum, in ſe ſuſcipiunt formare & ſculpere Deos, quos inſulſi ut tales colunt ac venerantur. Nihil in hoc ſenſu eſt niſi bonum ac commendabile. Eſſe autem hanc ſignificationem vocis ארם, ubi ἐμφατικῶς uſurpatur, ut notet hominem de *grege* & *plebe*, periti Linguæ norunt. Non nego interim mihi ſubortam eſſe cogitationem, alludere hic poſſe Prophetam ad genuinam ſignificationem vocis ארם, quæ ſignificat *rufum*, ex terrâ *rufa* formatum, & tranſpirante per membra ſanguine de *colore rubro* aliquid trahentem, ubi eſt in vigore vitæ & valetudinis; & Prophetam id dicere poſſe, *futurum eſſe ut erubeſcant artifices* מארם PRÆ HOMINE, alioquin etiam *rufo*, ut toti perfundantur *rubore.* Sed re penitius inſpecta, acquieſco in his quæ dixi. Cætera jam quæ ſequuntur, ſic ſunt expedienda: *Congregentur omnes illi; conſiſtant* ſc. in judicio ad audiendam accuſationem & convictionem ipſis intentandam: *expaveſcent*, ubi intelligent gravitatem criminis à ſe commiſſi & judicium ei decretum; & *pudefient pariter*, ad convictionem claram ſuæ ſtultitiæ.

Verba alia: ותרשים המרו מארם expenduntur. Variæ eorum verſiones. Probabilior eorum interpretatio. Paraphraſis ſententiæ Jeſaianæ. Animadverſio in uſum vocis ארם, ut h. l. occurrit. Cætera hujus *commatis* expediuntur.

β. Ἔξεργασία *Convictionis.*

Suppoſitum orationis: Opus *Fabrorum* in *parandis ſculptilibus.*

Ἔξεργασία *Convictionis.* Suppoſitum ejus. Opera quæ ponitur in parandis *ſculptilibus*, ℣. 12. Affectio orationis Prophetæ. Ordo tractationis, & *Analyſis* ejus.

℣. 12. *Faber ferrarius* facit DOLABRAM; *& operatur in prunis, & format eam malleis; eamque* AGITAT BRACHIO *ſuo virili: ſimul eſurit, ut nulla in ipſo vis ſuperſit*, & tamen non reficit ſe cibo; *non bibit aquas, etiamſi delaſſatus fuerit.*] Oratio tam ſcite & ſcienter conſtructa eſt, ut venuſtati ejus nihil addi queat. Vates noſter vividiſſima præditus imaginatione & à Spiritu S. vehementer affectus hic ordine exponit operam omnem quæ à miſeris & cæcis idololatris ſculptilibus formandis impenditur. Docet primo quantum negotii & operis ſuſtineat *Faber ferrarius* in fabricandis inſtrumentis ferreis, *bipennibus, dolabris, aſciis*, ad ſculptilia paranda poliendaque neceſſariis; *hoc* ipſo *commate* quod deſcripſi. Inde exequitur partes *Fabri lignarii*, his inſtrumentis inſtructi, prolixius; nihil plane negligens, quod ad imaginem perfecte pingendam requirebatur. Hæc una hypotheſis præſtat veram interpretationem hujus *verſiculi*; ſimul demonſtrat nexum genuinum orationis Prophetæ. Non enim ille hic oſtendit, quid *Faber ferrarius* circa ipſas *imagines* agat: (ea enim opera & cura tota relinquebatur *Fabro lignario*, & dein *argentario:*) ſed quid idem agat in formandis inſtrumentis *dolabris, aſciis, bipennibus*; quibus lignarius faber indiget in inſtrumentis illis parandis ac poliendis. Idola enim non formabantur ex *ferro*; nec *ferrum* facile in ejuſmodi formas flectitur. Si integra metallica eſſent, fiebant ex *ære*, argento, *auro*; ut adeo *Fabrorum ferrariorum* hic uſus non eſſet, ſed חרשי נחשת *æraríorum*, ut ſtylo Scripturæ dicuntur, & *argentariorum.* Imo vero idola *ærea, argentea, &c. fundebantur*, unde dicebantur מסכות *fuſilia*; non formabantur per *malleos.* Verum paſſim apud privatos obtinebant *ſculptilia*, facta ex *ligno*, quæ dein *auro* vel *argento* obducebantur. Ergo rectiſſime poſt Vatablum Piſcator: *Faber ferrarius* fabricat *ſecurim.* Cum enim minus conveniret elegantiæ orationis, ut Propheta vocem חרש bis uſurparet in brevi ſententia, ſcribendo, חרש מעצר *Faber ferrarius* fabricat *ſecurim:* alterum חרש omiſit. Hic vero nos non falli in ſignificatione vocis מעצר, cujus obſcurius eſt etymon; clare liquet ex Jer. x. 3. in quo Jeremias vere Jeſaiam in hoc loco reſpexit. Verba integra, ut ibi leguntur, ſunt: *Nam inſtituta Religionis* (חקות) *Populorum ſunt vanitas. Nam lignum quod ex ſylva cecidit, opus manuum artificis,* במעצר *cum* DOLABRA: *argento & auro ornat illud: clavis & malleis firmant ea; nec ſinit vacillare.* Eſtne obſcurum, vocem מעצר hic notare ſive *ſecurim* ſive *dolabram?* Inſtrumentum enim illud cum cæteris hic comparet. Sic Alex. Σκέπαρνον. *Aſcia.* Chald. חציצא *Bipennis:* cujus non eſt obſcura ſignificatio, ut Lud. Cappellus contendit. Certe cum hæc clara ſint, & nemini dubitandi juſtam rationem reliquam faciant: non libenter vidi, Virum illum Doctiſſimum, ut non perderet levidenſem aliquam conjecturam, vocem מעצר hic vertere per *brachium*, quia ſc. vox עצר Arabibus notat *lacertum, humerum*; & apud Avicennam, *illum partem oſſis brachii, quæ eſt à cubito ad ſcapulam uſque:* vertit itaque, *Fabricatur* faber *ferrum brachio.* h. e. *magna lacertorum contentione.* Concedo hanc ſententiam meritis & melioribus conjecturis Viri eruditi. Additur, ופעל בפחם, OPERATUR *in carbone*, ſc. *inſufflando prunas magna vi*, ut candefaciat ferrum & tractabile reddat, quomodo Vates Cap. LIV. 6. *Ecce ego creavi Fabrum inſufflantem in igne carbonem.* ſic Chaldæus hoc loco recte. Eſt autem hic emphaſis ſumma in voce פעל OPERARI, omni vi, molimine, conamine, labore adſiduo aliquid efficere, ut ſane *Fabrorum ferrariorum* labor eſt maximus cui non niſi robuſti & validi corporis homines ſufficiunt. Quo manifeſte pertinet quod ſequitur, *Et format eam* (*ſecurim* vel *dolabram*,) *malleis*, candens ferrum tundens & in ordinem ac formam cogens; & OPERATUR EAM (יפעלהו) *brachio ſuo robuſto.* Non explico quod omnibus notum. Poëta: *a*

Illi (Cyclopes) *inter ſeſe* MAGNA VI BRACHIA TOLLUNT

In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.

Ejuſdem ſenſus eſt membrum extremum, quod hanc ſententiam claudit: *Etiam famelicus fit, ut nullæ ei ſuperſint vires.* nec edit tamen: *nec bibit aquas, licet laſſeſcat.* Sic putem me recte exprimere genuinam mentem Prophetæ, quare aliorum ſententiis recenſendis abſtinebo. Id dicere vult, Fabros lignarios magnum ac laborioſum opus ſub manibus habentes, etiamſi conſumant vires, & laſſeſcant; & vires non niſi cibo & potu inſtaurandas ſe deficere ſentiant atque experiantur; operi tanta contentione inſtare, ut antequam abſolverint, non diſcedant: & tamen miſeros homines, ſuperſtitioni inſervientes, tanto conamine ac molimine nihil agere. Grotius verba ſic accepit, *Eſuriet ac deficiet*, ſc. niſi cibum habeat; quem Deus ſuus illi non dabit: ut *nec poterit dare aquam ſi laſſatus ſitiat.* quaſi

Quid Vates hic in oculis habeat, & quo tendat oratio?

Elliptis vocis חרש h. l. ejuſque ratio.

Significatio vocis מעצר, h. l. Locus analogus Jer. x. 3.

Alia verſio vocis מעצר improbata.

Quid hic *operari in prunis?*

Emphaſis vocis פעל h. l.

Sequentia verba: *Etiam famelicus fit, &c.* Genuina ſententia Prophetæ expoſita.

a Georg. Lib. IV. ℣. 174. 175.

hæc quoque verba facerent ad μυστηριωμὸν *idololatrarum*: sed cogitandum fuisset Viro Illustri, idolum illud, dum instrumenta ejus parandi formabantur, & ante *imaginem* paratam, à Gentibus non habitum fuisse pro *Deo*.

vs. 13. Faber lignarius tendit lineam, &c.

vs. 13. *Faber lignarius tendit lineam mensoriam; formam ejus describit minio; parat illud instrumentis cæsuræ;* (securi & ascia;) *datque ei figuram circino; facitque illud secundum typum Viri; secundum decus hominis; ut illud ponat domi* fixo loco.] Pergit Vates ad describendam operam & curam industriam *Fabri lignarii* in parando sculptili. primum ejus est *tendere funiculum* sive *lineam*, qua metiatur in arbore rudi & cæsa longitudinem, altitudinem, & crassitiem corporis, quod sufficere censet idolo formando. quæ est genuina significatio vocis קו. Alterum, *formam* ejus rudiorem ad lineas à se ductas describere & signare *minio*, sive *rubrica*, ut Fabrorum lignariorum mos est. quod latet in verbis, יתארהו בשרד, quæ verti; *formam* ejus (externam videlicet corporis unde formanda sit statua) describit *minio*. Vox שרד hoc tantum loco extat; estque adeo significatio ejus dubia: sed quæ hic definiri potest ex voce appositâ תאר, quæ ex notatione vocabuli תואר *forma* hic recte verti videtur per *formare*; ex analogia reliquarum partium hujus pericopæ. *Mensurationem* enim *statuæ* ex ligno formandæ, sequitur illius *formæ* exterioris *signatura* & descriptio quæ fit *minio*, *rubrica*, *creta*. Est quoque שרט vel שרטט Talmudicis *ducere lineas*; cujus vocis שרם videtur esse cognatio cum affinis enunciationis שרר. Solent utique Fabri lignarii formam externam corporis signantes *filum mensorium* quo utuntur in eo dimetiendo, infitere *creta* vel *rubrica*, qua impressa ligno mensuras corporis signant. Sic Kimchius hoc loco quem minime sperno. Aquila: Ἐμόρφωσεν αὐτὸ ἐν παραγραφίδι. ubi παραγραφὶς videtur esse *stylus* vel *linea* aliquid circumscribens. Hesychius: Παραγράψαι, ὃ ἡμεῖς λέγομεν διαγράψαι. Sed tu vide sis Cl. Bochartum hanc vocis notationem copiosius illustrantem [a]. Tertium, *illud facere*, sive parare, (de qua significatione vocis עשה sæpius monui;) *instrumentis cæsoriis*, quæ hic sunt *bipennis* & *ascia* sive *dolabra*. Ubi mensura statuæ ex ligno descripta, signata, & circumscripta est, sequitur ut *Faber lignarius* lignum secundum lineam cædat & dolet. Videtur autem vox מקצועות, quæ hoc loco solo hac significatione reperitur, hanc significationem exigere. קצע enim forma *Hiphil* est *abradere*, *tectorio nudare*, in *Legibus Moſis* [b]: & מקצוע est *angulus*, h. e. quid præcisum quod corpus finit. Forma autem *pluralis* hic referri videtur tam ad *bipennem* quam ad *asciam*, quibus duobus instrumentis Faber hic præcipue indiget. Quartum est, *figuram* ejus *describere circino*. quæ est figuratio altera. *Circino* accurate signare quantum secundum συμμετρίαν partium *Corporis humani* debeatur *capiti*, quantum *pectori*, *brachiis*, *ventri*, *pedibus*. quando sequitur extremum opus hujus operæ, illud *formare* secundum *typum Viri*, & *decus hominis*. hac enim *specie*, (*humana*, inquam,) idola Gentium passim conspiciebantur: certe Babyloniorum, ut Beli, Junonis, Rheæ, apud Herodotum & Diodorum: ad quas species minora simulacra domestica passim formata videntur: & quidem לשבת בית *ut sedeat* (certa & fixa sede collocetur,) *domi*, in *Sacello* domestico, ei destinato. Confer hic expressissimum locum Jer. x. 4. & quæ scripsi ad Cap. XL. 19. Habeo quod addam, Chaldæum Paraphrastem vocem אדם *hominis*, cui tribuitur תפארת *decus*, *gratia*, *ornatus*, hic reddere per *mulierem*; probatque Drusius in *Literis* ad amicum suum Baudartium scriptis [c], Veteres Hebræorum Commentatores in *Pesikta Zotarthia* hanc sententiam tenere, quam & ipse amplectitur ac defendit; collato loco Num. XXXI. 35. Est docta *Epistola*, ut omnia ejus. Sed vix putem, vocem אדם ullibi simpliciter de *solis mulieribus* occurrere; nec id evincit locus quem allegavit, ubi est *anima hominum* ex *mulieribus*: neque etiam hic noster: quare potius existimem, vocem hic sumendam esse generali significatione absque discrimine sexus. תפארת אדם *decus hominis* ea est viri aut mulieris species, veram imitata; ea partium ac membrorum conformatio ac συμμετρία, ut videatur esse intus quod hominem, specie etiam externa bestiis præstantiorem, à cæteris animantibus distinguat. Videmus, ut Propheta illudat superstitioni insanæ Gentium: sed prudentiores ipsi irriserunt hac parte Religionem suam [d]. Nihil sane in his est quod Propheta verti nolit in suum scopum. Docet enim, in formandis *sculptilibus* non tantum nihil Divinum, verum omnia humilia esse: sive *artifices*, sive *instrumenta*, sive *formandi modum*, sive *finem* & *usum* consideres. quæ prolixius non exequor; & sunt pleraque facillima. Tantum quod hic de *fine* & *usu* dicitur, לשבת בית *ut domi certa & fixa sede collocetur*: animadverti volo. Dei veri est esse in continuo actu & opere: non esse in uno sed in omnibus locis; non in certo loco, sed ubique: omnia videre, omnia inspicere & administrare. Contrarium his, quod idolorum est, *Sedere Domi*

vs. 14. Sibi cæsurus cedros, &c.

vs. 14. *Sibi cæsurus cedros*, subinde *etiam accipit* PINUM *& quercum*, *&* INSTRUIT SE ROBORE INTER ARBORES *sylvæ*: *plantat* ORNUM, *quam imber magnum facit.*] Superiora ad *causas* efficientes atque instrumentales & *modum* formandi idoli pertinent: hæc ipsa & sequentia ad *materiam* Dei novitii, nuper natam, & quidem ex *terra*, nimirum formati ex *arbore*, & quidem sæpe ab ipso homine *plantata*. unde evincit Vates incredibilem idololatrarum stuporem cæcitatemque. In eo consistit vis convictionis. Deus verus est æternus: hic Deus sculptus ex ligno nuper nato. Deus verus est cœlestis: sculptile productum ex terra. Deus verus nihil debet cœlo, nihil homini: hic Deus novitius suam φύσιν, suumque incrementum, cœlo æque ac terræ debet; & homini quoque cujus ut plantatoris industriæ suas debet origines. Phrasin: לכרות לו ארז ויקח תרזה putem rectissime verti, *Cædit sibi cedros, atque etiam accipit pinum. Infinitivus* eleganter usurpatur pro *finito*. Sic Hieronymus optime hoc loco. Præfixa ל hic valet *statum subjecti*. Licet etiam vertere quod eodem redit, *dum sibi cædit cedros, cædendo sibi cedros*, Cl. de Dieu: *Succidendæ ipsi sunt Cedri*. quod nihil vitii habet. Certe אורים *Cedri* in genere notare possunt arbores sylvestres altas, proceras, oleagineas; ligni durabilis, ut adeo recte dixeris: *Succidendæ ipsi sunt cedri; aut accipit pinum aut quercum.* Præfixam ו valere *etiam*, ut sæpe sumitur, non opus habeo probare. Reliquæ versiones hic obscuriores sunt. Vocem תרזה verti per *pinum* cum Forstero & Avenario, sic dictam ob *gracilitatem*, à רזה *maciavit*. Aq. & Theod. Ἀγριοβάλανον *glandem agrestem*. Alii per *Cupressum*. Est conjecturæ magnum spatium, dum in hoc tantum loco occurrit. Perinde ac ארן hic verto per *ornum*, ob manifestam vocum cognationem. Et sunt tamen plures qui per *pinum* reddunt, quorum sententiam alibi [d] in commodum suum vertit Bochartus. Phrasis ויאמץ לו בעצי יער quæ proprie sonat, *& roborat sibi inter arbores sylvæ*; duplice modo accipi potest; vel in hunc sensum: Omni studio, cura, diligentia in id incumbit, ut optimam ex his speciebus eligat, quomodo Kimchius, Vatablus, alii: vel succingit se robore & viribus, summaque utitur contentione virium in arbore illa cædenda. quod posterius præfero. Contentio enim virium, (quæ genuina significatio est vocis אמץ) longe major est in cædenda arbore, quam in deligenda. Posset etiam sic accipi; *intentus operi* non discedit è loco

Vs. 13. *Faber lignarius tendit lineam mensoriam, & seqq.* Basis & scopus orationis Prophetæ. *Opus Fabri lignarii in parandis idolis* describitur. Significatio vocum שרד & תאר h. l. Usus vocis שרט apud Talmudicos. Versiones Veteres. Usus vocis עשה h. l. Notatio vocabuli מקצעות h. l. Usus *circini* in formandis idolis. *Idola* passim formabantur ad speciem humanam. Exempla in Babyloniis. Quid hic *residere domi*? Paraphrastes per *hominem* hic intelligit *mulierem*. Drusii observatum hac de re.

Vs. 14. *Sibi cæsurus cedros, &c.* Scopus Prophetæ his verbis. Phrasis Hebræa: *Cæsurus* sibi cedros, &c. Præfixa ל in voce לכרות quomodo hic accipienda? Vox תרזה qualem hic noret arboris speciem? ארן *Ornus.* Dictum, *Roborat se inter arbores*, quo sensu capiendum?

---

a *Hieroz.* Part. II. Lib. V. Cap. VII. b Lev. XIV. 41. c Extant in *Annotat.* ejus ad *Sulpicium Severum*, mox in initio, in Schot. *Biblioth. S.* Tom. I. p. 8. d *Hieroz.* Part. II. Lib. VI. Cap. XV.

d Flaccus *Satyr.* Lib. I. Sat. VIII.
Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum Faber incertus scamnum, faceretne Priapum,
Maluit esse Deum.

loco sed inter ipsas arbores se reficit cibo, ut majus robur ad opus adferat. Est itaque אמץ לו *robur sibi addere*; magna contentione virium conniti; se viribus & robore instruere. Quod ad rem ipsam quæ hic agitur, conferes locum Cap. XL. 19. 20. unde patet, arbores has eligi, quod sint ligni duri ac durabilis, oleosi, corruptioni minus obnoxii.

℣. 15. exponitur. *Est homini materia ad incendendum ignem, &c.*

℣. 15. *Estque homini* (materia) *ad incendendum ignem; & accipit ex ea atque incalescit; etiam incendit furnum, & coquit panem; etiam* OPERATUR *Deum, coram quo se prosternat; facit ex ea sculptile quod venerabundus adoret.*] Sic recte procedit oratio secundum ductum naturæ rei ipsius & scopum suum. Eo enim tota tendit, ut demonstret vim incredibilem stultitiæ, vanitatis, stuporis, hominum superstitioni idololatricæ devotorum. In phrasi Prophetæ nemo, ut opinor, hic hæret: quare huic loco non immoror.

℣. 16. *Mediam ejus partem &c.* Notatio vocis האח h. l. Bochartı observatum.

℣. 16. *Mediam ejus partem cremavit igne: ad partem ejus vescitur carne; assat assam, & saturatur; etiam incalescit, dicitque,* EVAX! *incalui; vidi ignem.*] Vocula האח, stylo Scripturæ, est Interjectio, vel *insultantis*; vel *dolentis*; vel etiam *lætantis*, ut hoc in loco. Notat subitarium animi affectum & motum, qui erumpit in vocem affectui respondentem. de quo videbis, si lubet, Bochartum, eam alibi [a] illustrantem. Nihil cætera est hoc in loco quod nos teneat, nisi quod nemo hic satis miretur venustatem μιμήσιος scenicæ, qua Vates ad vivum exigit mores hominis in stupore & ἀνοησίᾳ mentis secundum naturæ ductum versantis.

℣. 17. Declaratur. Emphasis phrasios, *Facere in Deum.*

℣. 17. *Reliquum vero ejus in* DEUM FACIT, *in sculptile suum; idque* ADORAT, *seque coram eo prosternit; & supplicationem suam ad illud dirigit; dicitque, Libera me, siquidem Deus meus* TU *es.*] Emphasis prima hic cadit in verba, *facit in Deum*, & quidem Deum quem sibi fortem ac Omnipotentem persuadet, ut se *eripere* possit malis & calamitatibus; ut in supplicatione in *fine versiculi* supponitur, *Eripe me* quibus premor malis, siquidem TU es *Deus meus* quem habeo pro summo objecto mei cultus & fiduciæ. ubi אתה TU est objectum *supplicantis* & ex tenerrimo affectu *implorantis*. Hunc vero *Deum* ipse homo miser, imbecillus, alterius opis indigus, FACIT, quod absurdum; (confer Cap. II. 8.) eundemque *facit* ex *ligno* ejusdem generis quod ipsi ad communes vitæ usus subservit. Sed hæc urgere, est Soli accendere lumen. Vox לפסלו *in sculptile suum* idem hic valet quod in *idolum* suum Domesticum. De eo enim hic agitur. In verbis: יכנוד לו וישתחו ויתפלל אליו *Adorat illud, seque coram eo prosternit, eique supplex fit prece*; videtur admittenda esse gradatio, hunc in modum concipienda, ut כנד generalius notet omnem honorem ac reverentiam Divinam quæ *numini* exhibetur; sive *prostratione corporis*, (quæ subinde per כרע explicatur, ut Dan. II. 46.) sive *genuflexione* aut *demissa corporis inclinatione*: quibus modis olim veneratio religiosa sive adoratio Numinis fieri solebat [b]: sed השתחוה *specialius* & tantum *adorationis* illam speciem qua quis corpus humi prosternit, quod Orientalibus propriissime dicebatur *adorare*; & התפלל illi Objecto sui cultus *supplicare*. poterat enim *adoratio* à *supplicatione* separari. Confer historiam Tiridatis apud Suetonium [c]. Favet conjecturæ locus subsequentis contextus Cap. XLVI. 6. יכנדו אף ישתחוו *Adorant; etiam se prosternunt.* Est mihi præterea probabile, Vatem nostrum hac voce uti voluisse hoc in casu, quod Chaldæis, ad quorum idola hic vere respicit, hoc usu esset recepta. certe *ter* eam in hoc *Capitulo* ad actum *adorationis* designandum adhibet. [d]

Sculptile hic est *idolum*. Species pro genere. Gradatio in seqq. verbis, *adorare, se prosternere, supplicare.*

Emphasis vocis אתה Atta h. l.

Emphasis vocis כנד h. l.

Convictio ipsa.

℣. 18. *Non cognoscunt, & non intelligunt, quia* OBLITI SUNT *ne videant, oculi eorum; & corda illorum, ne prudenter considerent.*] Verti vocem טח *obliti sunt* oculi eorum, & quidem, ut opinor, ex mente Prophetæ, quia vox טח in oratione Vatis *impersonaliter* sumitur. Proprie sonat oratio: *Quia oblevit, ne videant, eorum oculos:* h. e. *quia* aliquis *oblevit, ne videant, eorum oculos:* quæ rursus sententia in hanc resolvitur, *Quia obliti sunt* oculi eorum. *Impersonalia* enim per *passiva* explicantur, suntque apud Hebræos frequentis usus. Ergo Græcus, Hieronymus, Chaldæus, hic non errarunt. Vox טוח *oblinere, obducere*, non est significationis dubiæ. Est tremendus actus Justitiæ Divinæ, quo Satanas, Deo non impediente, in clara luce sive demonstratione veritatis, Judicium hominis ita *corrumpit*, intellectum ejus claraque ejus notiones obscurando & obnubilando ut ineptus sit *verum* in clara luce positum *videre*, h. e. discernere, discriminare, & sana ac prudente ratiocinatione rem νοεῖν *considerare*. Causæ proximæ sunt ignorantia crassissima; præjudicia; desuetudo ratiocinandi; consuetudo indurata, à majoribus tracta; & præcipue affectus finistri, præjudicia foventes, à Satana suscitati. Vitium ipsum dicitur, stylo Scripturæ S. τύφλωσις, *excæcatio* [e]. de quo suis locis [f] abunde egi.

Vox טוח hic *impersonaliter* sumpta, *passive* vertenda est.

Actus Judicii Divini, quo *oculi hominis* in spiritualibus obscurantur, describitur.

Causæ hujus qualitatis vitiosæ.

℣. 19. *Neque refert ad animum, &c.*

℣. 19. *Neque refert ad animum suum; & nullam prodit scientiam, & nullam intelligentiam, ut dicat; Dimidiam ejus partem cremavi igne; atque etiam coxi super carbones ejus panem; assavi carnem, & comedi; & num reliquum ejus in* sculptile *abominandum facerem? an adorarem lignum?*] Non video, esse in quo quis hic loci hæreat. *Idolum* hic appellatur תועבה *abominandum quid*, βδέλυγμα, non ex sensu Gentium: sed ex rei natura, perinde ac שקוץ *detestabile quid*; affinis significationis. Confer I Reg. XXI. 26. Ezech. V. 11. & ex Vate nostro Cap. XLI. 24. Cogitavi, fateor, an vox תוע forte olim non admiserit generaliorem notionem *separandi, removendi, secernendi*, ut posset in bonam æque ac malam partem sumi, perinde ac vox קרש: sed re diligentius expensa, vidi, in hoc loco nihil esse quod nos jubeat à communi significatione discedere.

Stupor idolatrarum. Usus vocis תועבה h. l.

℣. 20. PASCIT SE CINERE: *animus delusus ipsum seduxit: & non eripit animam suam, & non dicit, An non est in dextra mea mendacium?*] Insignis est sententia, quæ veram reddit speciem idololatræ, præjudiciis suis excæcati, & corruptæ consuetudini Sæculi sui servientis. Quod primum occurrit, quam id est concinne & emphatice dictum; PASCIT SE CINERE. Sic enim recte vertuntur Hebræa, רעה אפר Hieron. *Pars ejus cinis est.* Pariter Chaldæus: הא דחלתא פלגיה קטמא *Ecce* ad *idolum* hoc quod attinet: *dimidium ejus est cinis.* Legisse videtur חצי *Socius est cinis.* vel, ut Mariana: חציו *Socius ejus*, (dimidium ejus,) *est cinis.* Prius elegerim, quia מכל cadit sub *genus masculinum*, & *affixa* in superiore oratione ei *hoc genere* respondent. Debuisset etiam in ejusmodi casu analogice dici רעתו. Sed Masorethæ, quorum opera Chaldæus & Hieronymus usi non sunt, rectius viderunt. Vox רעה stylo Scripturæ S. sumitur tam *intransitive* quam *transitive*. perinde ac Latina, *Pasco*. quare voces, רעה אפר recte redduntur, *Pascitur*, sive, *pascit se, cinere*. h. e. re ad nutriendum omnium ineptissima, & maxime sterili, in qua nihil solidum, nihil etiam delectabile, (unde *cinis* Poëtis *acerba*,) inest. Contradistinguitur sententiæ quæ est in dicto Vatis Sacri [g]; רעה אמונה *Pascit veritate.* In vera Religione duplex inest *nutrimentum* sive *pabulum* mentis; quippe justa ejus *desideria explet*, eamque afficit *solatio*, cujus causa omnis Religio instituitur. α. In *Religione vera* contemplatio ipsius *veritatis*, quæ objectum & subjectum est Religionis, intellectum veri cupidum afficit, illuminat, perficit, satiat. β. Religio vera generat *spem* ex communione & favore Dei, atque ex promissis Divinæ Gratiæ: quæ *spes* parit solatium. Apostolus vocat παράκλησιν ἀιωνίαν καὶ ἐλπίδα ἀγαθὴν [h]. *Hic scopus omnis Religionis.* Quare qui veram Religionem

℣. 20. Pascit se cinere, &c. Sententia commendabilis.

Vett. Interpretes phrasin Prophetæ non recte acceperunt.

Usus vocis רעה stylo Scripturæ S. Sumitur subinde *intransitive*. Phrasis declaratur. Et se *pascere errore, mendacio, vanitate.* *Veritas* gemino modo dicitur *pabulum mentis.* Quod applicatur ad Religionem.

[a] *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. VIII. [b] Ps. XCV. 6. [c] Suet. in *Ner.* Cap. XIII. [d] ℣. 15. 17. 19. [e] 2 Cor. IV. 4. [f] Cap. VI. 9. 10. XXIX. 9. 10. XLII. 16. 19. [g] Ps. XXXVII. 3. [h] 2 Thess. II. 16.

nem exercet *pabulo puro vescitur* [d], quæ phrasis est Vatis nostri; *cibatur pane & deliciis Regni & Domus Dei* [b]. Sed in Religione falsa nihil plane inest solidi; nullum nutrimentum, quod animam pascat. Non satisfacit, neque desiderio naturali & intellectui proprio contemplandi veri; nec cupiditati certiorandæ spei. Est itaque pabulum ejus *cinis*; res prorsus sterilis, absque succo, absque pinguedine ulla quippe quæ per flammam consumpta est: cum cæteroquin in *humo & terra* ipsa, aliquid adhuc supponatur esse succi & pinguedinis. Idem itaque valet phrasis, quod in similis orationis argumento, *pasci vento*, apud Hoseam [c]; *pasci stolidis*, apud Paræmiasten [d], Vates noster [e]: *Ventus & inane quid sunt fusilia illorum.* Id unum censeo huc pertinere. Phrasis enim Ps. CII. 10. CINEREM *ut panem comedi:* huic loco nostro, ut putem, plane non convenit. Respicitur illic, ut sequentia declarant, ad *cinerem*, quem capitibus suis inspergebant lugentes. Dixeris, posse Vatem hoc quoque loco sic intelligi; consequens hujus cultus idololatrici fore calamitates & afflictiones: respondeo, non esse quod id negem; sed ajo, Prophetam id hoc loco non agere. Propositum ipsi est, idololatras convincere incredibilis stuporis, ἀνοησίας, & superstitionis væsanæ in cultu sterili, ex quo nullum percipere poterant solatium; estque formula loquendi *adagialis*, quam Drusius noster [f], & Delrio [g], non præterierunt: qui posterior quoque phrasiologiam ex Exoticis Scriptoribus conatus est illustrare. Reliqua facilia sunt. Subjungitur, *Cor ejus deceptum* sive *delusum ipsum seduxit.* Delusum sc. imaginatione, pessima veri magistra; consuetudine sæculi; ratiocinatione falsa; & præjudiciis noxiis. לב תעתה *cor delusum* Apostolo eandem rem agenti est ἡ ἀσύνετος καρδία *desipiens*, sive *inconsideratum cor*, Rom. I. 21. Subjungit Vates: *Et non eripit animam suam* (sive *se*,) *& non dicit, An non est mendacium in dextera mea?* h. e. usque eo mancipatus est servituti suorum præjudiciorum, ut impar sit sibi vindicando è vi & potestate erroris; & ne quidem cogitare audeat, an non forte Religioni huic suæ & Religionis zelo crassus subsit error? An non forte nihil agat, dum vel maxime videtur esse occupatus? umbram captet pro re? *mendacium* & imaginationis suæ illusionem pudendam, quæ hic שקר dicitur, pro *veritate?* Imo vero non tantum nihil veri & solidi inest in cultu Dei veri vel falsi per imagines & simulacra: sed est in eo veri Dei abnegatio. Qui enim Deum colit per id quod Deo dissimillimum est, eum abnegat.

Contrarium ejus in Religione falsa.

Emphasis phrasis, *Pasci cinere.* Declaratur, & illustratur ex analogis.

Locus Ps. CII. 10. huc perperam refertur.

Quod certius evincitur, ex scopo Prophetæ in hac *Convictione.*

Verba seqq. *Cor ejus deceptum ipsum seduxit.* Phrasis exponitur.

Et non eripit animam suam, & non dicit, &c. Paraphrasis verborum.

In Cultu Religionis falso est abnegatio Dei.

Sic vidimus, Prophetam idololatriam Gentium non tantum refellere, sed & prostituere, ut in initio præmonui. Quod dum egit, simul vidimus, illum hanc assumpsisse hypothesin, qua nititur tota disputatio; idololatras credidisse, ipsas illas imagines & statuas, quas formabant, tractabant, ornabant, vere *Deos* esse. quod ipsum Vatem nostrum alibi [h], & Prophetas ac Scriptores Sacros alios [i] qui contra *idola* disputarunt, eorumque cultum refutarunt, passim agere videmus. Quæritur merito, an justa satis cum ratione? Idololatræ enim & simulacrorum factores & fictores non videntur tam fuisse stupidi & stolidi, ut sibi persuaserint, ipsum illud *lignum*, ipsum *aurum* & *argentum*, ex quo *idola* in usus fabricabant, absque *adjuncto* qualicunque alio, *Deos* esse; Divinæ Naturæ consortia; atque adeo se facere id quod *Deus* est. Potius ita existimasse videntur, imagines σχέσει ad hoc illud Numen formatum, v. gr. Beli, Junonis. Astartæ, ab illis Numinibus mox occupari, possideri, & ab iis curari ut suas: qui Dii proinde honorem qui iis habetur, tanquam sibi habitum ac delatum reputaverint. Sic utique spurius ille Hermes Trismegistus apud Augustinum [k], *visibilia* illa & *contrectabilia simulacra* veluti *corpora Deorum esse* asserit: *inesse* itaque iis *spiritus* quosdam *invisibiles* qui *aliquid valeant, sive ad nocendum, sive ad desideria hominum complenda:* unde pro Diis honorentur. Ergo *Deum facere* idem esse quod *Spiritum* ejusmodi *invisibilem materiæ copulare.* Respondeo, α. Non dubitare me, quin prudentiores rem eo modo intellexerint: sed stupidum vulgus & mere stolidum, superstitione occæcatum, tam alte non cogitavit. Coluerunt illi Deos ut repræsentamina illorum *Subjectorum* quæ illi pro *Diis* habebant; atque ut Deos honorabant: in quibus tamen nihil erat præter *lignum, lapidem, metallum.* β. Vates supponebant ut res erat, *Subjecta* illa ad quæ repræsentanda fingebantur simulacra, non esse Deos. erant enim Dii dictitii, fictitii, adulterini, *non-Dii:* unde nihil supererat in simulacris præter *lignum & lapidem.* γ. Ut sane homines nullo *signo* erant persuasi; in simulacris illis quid plus esse quam *lignum*; aut eadem à rationali Natura insideri & occupari. Nullus in iis erat motus, nulla vita. merum πάθημα. Subjecta erant omnibus aliorum corporum affectionibus. δ. Si idololatræ præ se ferrent, se simulacra illa velle esse repræsentamina Dei veri: utique Deus verus ut per imagines coli non vult: sic in imaginibus ad ejus naturam figurandam ineptis, ejusque naturæ per omnia dissimillimis, erat veri Dei negatio: nitebantur hypothesi falsa; docebant errorem & mendacium; *loquebantur falsum* [l]. Utinam vero hæc ad animum revocarent Romanenses, qui non minus *furunt in imagines* quàm Babylonii Veteres. Est enim nescio quæ vis erroris & stuporis major in hac superstitione quam in ulla alia, quippe carnales homines, quorum ingenium non est accommodatum ad cultum spiritualem Oeconomiæ Novæ, insano desiderio feruntur in *sensile & externum* Religionis objectum. Græci & Orientales, bone Deus! licet per pios sani judicii Principes ab hac superstitione (quæ tamen apud ipsos tantum circumscribitur *picturis*,) revocati & avulsi, quam furibundo zelo eandem identidem repetierunt, donec tandem Divino judicio in spissas inciderint tenebras, eorumque Populorum traditi sint potestati, qui hoc sane melius sapiunt quod imaginum cultum detestentur. Occidentales tamen, Romæ obnoxii, post lucem Evangelii infinito Dei beneficio Ecclesiæ redditam ante hæc duo Sæcula, eandem hanc superstitionem mordicus retinent ac tuentur, licet convicti veritatis, & damnabilium hujus superstitionis consequentium. Docent illi aperte, *imagines Christi & Sanctorum venerandas esse, non solum per accidens & improprie; sed etiam per se & proprie ita ut ipse terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris.* Verba sunt Bellarmini [m]. O mera cæcitas! Imagines enim in se consideratæ quid sunt nisi lignum & lapis, & metallum, aut in tabula pictum? Sed est hic infinita disputandi materia, quam hæc nostra Commentatio non admittit. Erubescant oportet, qui has Conciones Vates nostri legunt hujus superstitionis Patroni, licet pudorem dissimulent.

Digressio ad Convictionem Vatis.

Hypothesis ejus est, Idololatras credidisse, *ipsa illa simulacra* esse *Deos.* Disputatur, num satis justa?

Quid ei opponi queat? Sententia Gentilium de *Idolis.*

Dubium expeditur. Vulgus omnino simulacra habuit pro *Diis.*

Prototypa illorum idolorum non erant in rerum natura. Erant *non-Dii.*

Prudentissimi quique nullo signo erant persuasi, in simulacris quid *plus esse* quam *lignum & metallum.*

In simulacris ad verum Deum efformandum factus erat ejus abnegatio.

Vis superstitionis in idolomania.

Exemplum in Ecclesia Orientali & Græca.

Et Occidentali.

Sententia Ecclesiæ Romanæ de *Cultu Imaginum.*

Convictio idololatrarum inter Christianos.

PARS EXHORTATORIA ad veram Resipiscentiam & fugam idololatriæ, tam ex hac ipsa convictione, quam ex *Electione* & *Promissis* Gratiæ, ad Populum Dei directa.

℣. 21. *Recordare horum, ô Jacob, & Israël, quia servus meus* TU *es: formavi te: Servus meus* TU *es. ô Israël, non traderis à me oblivioni.* ℣. 22. *Deleo ut* DENSAM NUBEM TRANSGRESSIONES TUAS, *& tanquam* NUBEM LEVEM *peccata tua. Revertere ad me, quia redemi te.*] Tota hæc *Exhortatio*, quæ Convictioni est subjecta, hac nititur hypothesi, quod secundum prædictionem Mosis & Prophetarum, Gens Judæa & Ephraimitica, abducta in Exilium, se *ad Deum*

Pars Exhortatoria hujus Concionis, ℣℣. 21. 22.

Hypothesis hujus Exhortationis. Populus Judæus non

---

[a] Cap. XXX. 24. [b] Ps. LXV. 5. 6. [c] Cap. XII. 2. [d] Prov. XIII. 20. [e] Cap. XLI. 29. [f] *Prov.* Class. I. Lib. I. Cap. XLV. [g] *Sacr. Adag.* Part. I. Adag. DCCLXXII. [h] Confer Cap. II. 8. XXXVII. 19. XL. 20. XLVI. 5. 6. [i] Ps. CXV. 5. CXXXV. 15. Jer. II. 27. X. 3. 4. seqq. Ezech. XX. 32. Rom. I. 23. Act. XVII. 29. [k] De *Civ. Dei*, Lib. VIII. Cap. XXIII. [l] Zach. X. 2. [m] Lib. II. de *Imag.* Cap. XXI.

poterat liberari ex Exilio Babylonico, nisi respiceret, & se *purgaret* ab *idololatria*.

Deum converteret: nempe electi ex illa Gente, semen sequuturæ Ecclesiæ, postquam Deus supplicium sumpsisset de contumacibus Legis suæ transgressoribus. Loca Mosis *a* & Prophetarum omnium qui ante Exilium Babylonicum vaticinati sunt, hic sunt clarissima: quæ Cl. Coccejus recte interpretatus est. Quod enim Docti Viri ea referant ad conversionem Judææ Gentis ex Exilio Romano: vere fit contra mentem Prophetarum qui loquuntur de conversione Gentis ab idololatria ad verum Deum. Sane quidem consilium hoc Dei erat mirabile. Videbantur enim potius in Exilio ad idololatriam esse seducendi, quam seducti se ad Deum conversuri. Sed cum in Exilio animadverterent, omnes minas Mosis & Prophetarum ad numeros implementum suum consequutas esse; Deus medio præstantium Doctorum à se suscitatorum oculos illorum aperuit, ut excellentiam suæ Religionis & veritatem Doctrinæ & Concionum Mosis ac Prophetarum clarissime viderint ac discreverint. Hi vero ipsi sunt Electi, Ecclesia Babylonica, jam liberata & liberanda, quam proinde Deus, cujus hic continuatur oratio, blande admodum appellat: sed quæ appellationes & iis juncta epitheta omnia hic occupant locum rationum, quibus Deus utitur in persuadendo themate, quod substratum est huic exhortationi. Thema substratum, commendans officium, est in fine ℣. 22. שובה אלי *Revertere ad me.* sc. per sinceram pœnitentiam & resipiscentiam, cum vera animi, affectus, consilii mutatione conjunctam & ipso actu ac effectu demonstratam: qualis describitur fore *conversio* Reducum ex Exilio apud Jeremiam *b*. Argumentum primum *conversionis* est desumptum à *convictione* superiore, in principio ℣. 21. his verbis: זכר אלה *Recordare horum.* sc. insanæ & pudendæ superstitionis quæ est in idololatria & simulacrorum cultu superstitioso & irrationali. Alterum & tertium argumentum: tu qui es *Jacob* & *Israël*; Semen *Jacobi* qui cultui *meo* constanter adhæsit; & *Israëlis*, qui eundem in adversis & tentationibus, cum quibus in fide luctatus est, constanter retinuit. Quartum, quia *Servus meus tu es.* h. e. à me electus ex omnibus Populis Orbis terrarum, ut mihi servires, non verò Diis aliis ac falsis. Quintum: *Formavi te, Servus meus tu.* Formavi te in majoribus tuis à me electis & mea Gratia paratis *c*, cujus tu diceris, & ex meo consilio eris semen. Utrobique emphasis in voce אתה TU, qua involvuntur blanditiæ tenerrimi amoris, ut jam sæpius observavi. Deus enim Populum suum hic ita tractat, tanquam Pater tenero in liberos suos affectu qui postquam in eos durius ob commissa animadvertit, ne affectum eorum penitus à se alienet aut eos ad desperationem agat, illos sedata indignatione blandius alloquitur, & de indulgentia paterna eos *oblique* commonefacit. Sed quod hic *oblique*, protenus *recte* & absque ambagibus agit. Poterat enim excipere Ecclesia, *Quid reverteretur ad Dominum?* quid se ad illum *converteret?* Deum enim sui oblitum esse; expulisse se terra, Patribus jurejurando data; longum tempus in Exilio reliquisse absque notabilibus signis externis sui favoris. quæ est querela Ecclesiæ hujus temporis in *Threnis d*, & in alio quodam loco Prophetæ nostri *d*, qui tamen majoris intervalli postulat latitudinem. Sed huic querelæ & subterfugio blandus Pater mox occurrit, ubi addit: *Non traderis oblivioni, ô Israël.* Ne dubites de cura ac providentia mea paterna. Tempore opportuno tibi absque dubitatione succurram. Sed obstant, ait Ecclesia electorum pœnitentium, peccata mea. Respondet Oraculum cœleste, ipsius Dei Os, in initio ℣. 22. *Ego deleo ut nubem densam transgressiones tuas, & ut nubem peccata tua.* Habuimus sententiam Cap. XLIII. 25. fere eodem sensu. Proleptica remissio prima peccatorum *respectu totius corporis Ecclesiæ* facta est cum Reditu ex Exilio Babylonico. Sic omnes Prophetæ: quo hic alluditur. Illo tempore Deus cum Populo suo veluti rediit in gratiam. Sed erat illa admodum imperfecta; nec sane iis comitata signis Divinæ Gratiæ, quæ exspectaverant reduces; qui ipsi quoque de primo zelo suo brevi remiserunt. Ergo vera ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν totius corporis Electorum differebatur in adventum Messiæ, cujus typica hæc & proleptica veluti proludium fuit: nec possunt verba in emphasi intelligi nisi cum respectu ad hanc posteriorem remissionem peccatorum omnis alterius condonationis delictorum signaculum & complementum, signis veræ grátiæ Divinæ honestandam. Vox מחה *delere, abstergere, removere*, subjicit nobis proprietatem ipsius actus remissionis peccatorum; quo delentur, expunguntur, & obducuntur ut *debita*; & absterguntur atque expurgantur ut *sordes.* Cum autem Propheta hic duabus utatur vocibus, פשעים proprie *defectiones*, & חטאות *peccata*: priorem licet insignite referas ad *idololatriam*, & crimina agnata; posteriorem ad *peccata* concupiscentiæ. Et tamen huic emphasi nova additur in metaphora subjecta: *Deleo*, ait, *transgressiones* tuas ut NUBEM DENSAM; *& peccata tua* ut NUBEM. Hæc differentia est inter notiones עב & ענן, ut facile intelligas ex Exod. XIX. 9. ubi est הענן עב DENSUM NUBIS. Arguit quoque eam sententia Vatis. esset enim repetitio otiosa, nisi in posteriori membro plus diceretur quam in priore. Cum enim ad prius membrum excipi posset: *nubem densam* non adeo *facile removeri*; uno loco diu hærere; non cedere Soli aut Ventis: subjungit in altero membro: *Et ut* NUBEM. h. e. levem, communem, *peccata tua.* h. e. *removebo peccata tua* ut *nubem.* faciam ut *dispareant.* Nubes enim qualiscunque res est levis, in cœlo pendula, quæ facile loco cedit: raro diu in loco hæret: quæ à ventis pulsa locum absque majore opere mutat. Magna venustas est in metaphora, si dixeris, hic alludi ad Solem, calore suo dissipantem vapores, eosque agitantem in ventos, per quos nubes ante Solem pelluntur. Ad *dissolutionem* enim nubium quæ fit *æstu Solis*, hic alludi non putem. Etiamsi enim id bene convèniat Nubi densæ: non recte applicatur ad qualemcunque *nubem*; quæ si densa non sit, & gravis aquis: à Sole non rumpitur, sed medio ventorum à Sole suscitatorum pellitur. Sic plane Deus instar Solis Populo suo ad salutem exoriens luce suæ gratiæ *disparere* faceret peccata sui Populi, ut *nubes*, & *densæ* etiam, sæpe ante Solem vim suam exerentem pelluntur. Vox מחה huic quoque metaphoræ bene convenit. Notat enim aliquid, quale sit, quali quali modo removere, loco movere. Si quis tamen hic hæreat: licet ei supplere sententiam, *Ego deleo transgressiones vestras*... ut nubes in aëre pendula ad qualemcunque caussam moventem ac pellentem facile disparet. Sed ego prius teneo. *Delere peccata* est הסיר *removere peccata*, qua phrasi Vates supra *e* usus fuerat. העביר *facere transire*, sive παριέναι, ut est in oratione Jobi *f*. unde *remissio peccatorum* Paulo *g* πάρεσις. Caussa est *gratia* quam Deus constituit exercere in *Angelo Fœderis. Remissio* enim *peccatorum*, quæ est *ablatio effectorum peccati*, actu demonstratur collatione beneficiorum gratiæ; imo notat ipsa effecta gratiæ præsentanea, ut mox explicabitur. Peccata autem quàm concinne comparantur *nubibus?* & quidem *transgressiones* sive *peccata graviora*, ut sunt idololatria & agnata crimina, in quibus est *defectio à Deo*, *nubi densæ?* Ut enim *nubes*, & quidem *nubes densæ*, inter nos & Solem mediæ, lucem ejus obscurant, & nos veluti ab ejus communione separant: eadem ratio est *peccatorum.* Phrasis est Prophetæ nostri, Cap. LIX. 2. *Peccata vestra* מבדילים SEPARATIONEM FACIUNT *inter vos & Deum vestrum.* Veruntamen ut *nubes* sunt quid *mobile* & *removibile*, si fortior caussa accedat: sic *peccata*, accedente gratia, removeri possunt. Hanc putem esse sanam loci interpretationem. quod enim Junius verba verti voluit, *Ego deleo peccata vestra ut nubes* sc. rupta *abstergit sordes, easque*

Mirabile effectum Divinæ Gratiæ, quo Populum in Exilio revocavit ab idololatria.

Quinam hic à Propheta appellentur?

Appellationes hic accipiendæ sunt pro *rationibus*, quibus Deus iis persuadet officium *conversionis*, ℣. 22.

Argumenta Conversionis ordine recensentur & exponuntur.

Emphasis in voce אתה TU.

Σχῆμα orationis Dei ad Populum suum.

Deus hic occurrit exceptioni & querelæ Populi sui, esse se à Deo derelictum & oblivioni traditum.

Rursus liberat illam à nova solicitudine de *gravitate suorum peccatorum.*

Proleptica Remissio Peccatorum prima facta est cum *Reditu* ex Exilio Babylonico.

Sed quæ imperfecta, supplenda erat sub Oeconomia Gratiæ.

Emphasis vocis מחה h. l.

Ut & vocum פשעים & חטאות.

Metaphora qua peccata dicuntur deleri ut *nubes*, exponitur.

Potest hic esse respectus ad *Solem*, non ut *æstu* suo nubes rumpit, sed ut *ventos ciendo*, eas propellit.

Vox מחה ad hanc metaphoram applicatur.

Latior aspectus metaphoræ.

Delere peccata ex analogis exponitur.

Peccata quare comparentur *nubibus?*

Animadversio Junii

a Lev. XXVI. 40. Deut. IV. 27. 28. XXX. 2. *b* Jer. XXXI. 19. *c* Cap. V. 10. *d* Cap. XLIX. 14. 15. *e* Cap. XXVII. 9. *f* Cap. VII. 21. *g* Rom. III. 25.

ad h. l. non probatur.

*ea*sque *expurgat*: nullo modo putem fuisse in mente Prophetæ. Nimis est argutum & longe petitum: nec præstant hunc effectum *Nubes communes*. Id itaque hactenus recte. Sed ne hic quidem subsistit Ecclesia electorum credentium. Urget Deum, & reponit, unde sibi liqueat, *Deum peccata sua deleviss*e ac *removiss*e instar *nubis*? quo argumento de eo persuaderi queat? Respondet Deus, quia TE REDEMI. Suppone hic de quo in superioribus prænonui, scenam hujus-Visi figendam esse in ipsis initiis Liberationis Populo Dei per Cyrum procurandæ, quæ præcedere debebat conversio Populi Electorum ad Deum: quæ ipsa *conversio* jam supponitur ut *informata*, & jam in initiis suis facta esse. Unde officia quæ hic Populo Dei imperantur, *Converte te ad me* & *Recordare horum*, sic sunt accipienda ac si Deus diceret, *Converte te ad me*, conversione stata ac durabili, & in proposito & actu *te ad me convertendi* persiste; & *perge horum recordari*, & stultitiam ac vanitatem idololatriæ diligenter ad animum revocare, ne unquam dehinc ad eam relabaris. Si enim *conversio* hic supposita non esset in suis initiis: Deus Populum suum electum hic tam blande non appellaret. *Redemptio* autem ex Exilio Babylonico hic ut Cap. XLIII. 1. & Jer. XXXI. 8. dicitur גאלה *Redemtio*, tam in se quod Deus Populum suum hoc tempore vi vindicaverit è manu potentioris; quam respectu veri sui antitypi *Redemptionis veræ* efficiendæ ab eodem *Angelo Goële*, cui *Redemptio typica* & *vera* commissa fuerat à Patre. Ejus enim respectu hoc nomen Deo tribuitur. In Oeconomia Gratiæ ἡ Ἀπολύτρωσις *Redemptio vera* est argumentum & effectum τῆς Ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν *Remissionis peccatorum*. Apostolus *a*: Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν Ἀπολύτρωσιν, τὴν Ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. Ubi est Ἀπολύτρωσις *effectum gratiæ*; ibi est ἄφεσις. Sic pariter in *Redemptione typica*.

Nova instantia Ecclesiæ, unde pateat *peccata* sibi *remissa esse*?

Deus demonstrat signum ejus, *Redemptionem*.

Hypothesis interpretationis veræ hujus loci.

Secundum quam officia imperata exponuntur.

Liberatio ex Exilio Babylonico hic & alibi dicitur *Redemptio*.

Vis vocis.

Fuit typus *Redemptionis veræ*.

PARS CONSOLATORIA qua ipsum hoc Beneficium Liberationis ut præsens magnifice celebratur, ejusque *Caussa Principalis* cum veris suis epithetis demonstratur.

a. *Apostrophe* ad omnes Creaturas quæ excitantur ad jubilum Deo ob hoc beneficium canendum.

Pars *Consolatoria* qua Beneficium Liberationis ut *præsens* exhibetur.

Ubi *a*. *Apostrophe* ad omnes creaturas, ℣. 23.

Scopus hujus *Apostrophes*.

℣. 23. *Jubilate* COELI *quia Jehova* FECIT: *clangite inferiora terræ; fragorem edite montes cantu: sylva & omnes in ea arbores: quia Jehova Jacobum redemit, & in Israële se* GLORIOSUM EXHIBUIT.] Propheta enarrat beneficii *Vindiciarum Populi ex Exilio Babylonico* magnitudinem, ejusque *Caussam principalem* magnifice describit, subjecta etiam instrumentali. Incipit id agere cum *Apostrophe* qua omnia Creata, cœlestia & terrestria, excitat ad jubilum Deo canendum pro hoc beneficio. Oratio merito videatur admirabilis iis qui interiora viarum Dei non intelligunt & perspiciunt. Quocunque enim modo hæc verba accipiantur: estne res tanta, globum quendam Judæorum in Exilium abductorum ex illo Exilio liberari & vindicari à Cyro? An in eo cœlorum & terræ salus vertebatur? Num *cœli*, *terra*, *montes*, *arbores*, aliquid ejus ad se pertinere censere poterant? Sic judicat caro. Sed vides hoc loco Spiritum Dei, interiorum consiliorum ejus gnarum, rem aliter capere. Ergo videamus, quid illud sit, quod hic lateat mysterii. In anteccessum itaque hic observari volo, verba Prophetæ, ut hic jacent, accipi posse *figurate*, more Poëtico, quando *figura*, proprie exposita, solummodo significabit, totam naturam rerum Cœlestium & terrestrium magnam habere materiam gaudii & lætitiæ in posteris Jacobi ex Babylone vindicatis; ut si quicquid in Natura rerum est, præditum esset intelligentia, Deum ob hoc beneficium celebraret: de quo figuræ genere in alio casu *b* abunde disserui. Sed sunt *Apostrophæ* hujus ejusdem generis in aliis locis satis frequentes *c*. Nec tamen sic solutum est dubium, quod modo movebam. Quæro enim rursus, quo commodo sensu tota Natura rerum cœlestium & terrestrium dicatur habere materiam *gaudii*, & quidem *gaudii maximi*, (id enim est in locutionibus metaphoricis, *jubilate* sive *cantate*; *clangite*, *fragorem edite* cantu,) ob Populum Judæum in aliquot millibus hominum terræ suæ restitutum? Respondeo, Primo, Quia Reductio Populi Judæi ex Exilio est ὑπόστασις *caussa subsistentiæ* Cœlorum, terræ, & quicquid in ea est rerum. quod ipsum quoque quia paradoxum videri queat, paucis declaratum eo. Tota Natura rerum, cœlestium etiam & terrestrium, nititur illa πρόθεσει *proposito Gratiæ*, quod Deus fecit in Filio suo Christo Jesu *d*. cujus προθέσεως effectum est *Ecclesia*, in his terris fundata, complenda in *Regno* Christi Jesu. Si *Ecclesia* non esset: congruum non esset Divinæ Sapientiæ, hunc mundum, & hanc terram ferre ac sustinere, aut hosce cœlos, qui telluri huic nostræ serviunt, conservare, si nullum in terris haberet Populum, nullam Ecclesiam per quam glorificaretur. Sic ipse Propheta mox Cap. XLV. 18. quare iidem erunt termini & fines hujus σχήματος *Cœlorum & telluris*, qui *Ecclesiæ* in hisce terris; quæ clara est doctrina Petri *e*. *Finis Regni Filii Dei in terris* idem est ἡ συντέλεια τῶν αἰώνων *f*. Regnum Filii Dei in terris durat usque quo *Sol* & *Luna g*. Jam vero intellige, à Reductione Populi Judæorum in terram Canaanæam pendisse implementum omnium promissorum Patribus & Ecclesiæ factorum. Regnum enim Christi Jesu debebat manifestari in Judæa; subsistente Republica Populi supra Patres multiplicati ac benedicti; & stante Templo, ab *Angelo* sive *Apostolo Fœderis* gloria sua illustrando. Hʼ σωτήριος χάρις τῷ Θεῷ debebat ἐπιφαίνεσθαι *gloriose apparere* (quæ vis est vocis,) in Judæa: inde exire in totum Mundum. *Regnum Filii Dei* fundari in *Tsione*, ut alibi *h* demonstravi. Atqui horum omnium nihil evenire poterat, nisi *Ecclesia* electorum Populi Dei, omnis Ecclesiæ sequuturæ semen, reduceretur in Judæam ex Exilio, & suo restitueretur loco. Hic conspectus rerum spiritualis ac vere Divinus obversatus est Prophetis, qui in reducto Populo ex Exilio viderunt initia implementi promissorum Patribus datorum, quo universa Cœlorum & Telluris compages nititur. Cum enim Res creatæ omnes, si in iis esset vita, (quæ hic figurate supponitur:) sui desiderent conservationem; eaque dependeat à subsistentia Ecclesiæ; subsistentia autem Ecclesiæ cum basi sua quæ est Regnum Filii Dei, penderet à Reductione Populi Judæi ex Exilio: consequens est, totam Naturam rerum creatarum Deum ob hunc eventum celebraturam esse. Secundo, mecum observabis, totam *Naturam rerum creatarum per Ecclesiam sanctificari*. Supponitur, omnia Entia, cum ordinata sint ad Dei gloriam, Deum, si possent, alta voce laudatura esse, ejusque excellentiam, gloriam, majestatem deprædicatura; quod Vir Sanctus *Oda* hujus argumenti *i* substernit. Sed cum ad id quod velle supponuntur, iis desit os: explicant se per solam Ecclesiam Dei veram in terris. Hæc Ecclesia sola illorum vice fungitur. Cujus conservatio cum ex rationibus consilii Divini penderet à Reductione Populi Dei ex Babylone: excitantur ore Prophetæ nostri, (cujus hæc oratio est,) ad cantum & jubilum Deo ob hoc beneficium, in quo sua utilitas vertebatur, Deo accinendum.

An liberatio Judæorum ex Exilio tanti æstimanda sit, ut Cœli & terra ejus caussa *jubilare* debeant?

Observata in hanc rem.

Subest orationi *figura* quæ explicatur.

Dubium ex certis principiis expeditur.

Tota Oeconomia Gratiæ ab hoc Eventu pendebat.

Quod latius declaratur.

Idem argumentum amplius elucidatur.

Oportebat Regnum Dei manifestari in *Judæa*.

Qui eventus pendebat à Reditu Populi ex Exilio.

Pericopæ præsens ex hac hypothesi declaratur.

Tota Natura rerum per Ecclesiam sanctificatur.

Hunc sensum teneo, & neutiquam dimitto. Nec tamen eo termino vim & emphasin hujus Apostrophæ. Est enim illius quoque altior & *mystica* contemplatio, quam ipse Grotius hic non sprevit, licet eam per omnes ejus partes non sit exequutus. Rationes sunt, *α*. Quod hic *marium* nulla fiat mentio, quæ tamen substantiæ telluris magnam partem faciunt. *β*. Quod *sylvarum* tantum, & in iis *arborum*, hic mentio injiciatur: quarum respectus involvit mysterium. *γ*. Quia nulla etiam hic memoria est Creaturarum intelligentium,

Mystica & altior contemplatio hujus periochæ.

Rationes ejus hypothesios.

a Col. I. 14. *b* Ad Cap. I. 1. *c* Ps. XCVI. 11. XCVII. 1. Jes. XLIX. 13. LII. 9. LV. 12. *d* Ephes. III. 11. *e* 2 Pet. III. 7. seqq. *f* Matth. XIII. 39. *g* Ps. LXXII. 5. *h* Ad Cap. II. 2. 3. *i* Ps. CL. 1. seqq.

tium, Angelorum & hominum, qui utique per naturam suam aptiores sunt ad Dei laudes celebrandas, quam res sensu & intelligentia carentes. Ergo per *cœlos* hic intellige *Angelos* qui in *cœlis sunt*, & *Patriarchas* ac *Sanctos* Oeconomiæ Veteris, ut in Apocalypsi [a]: Εὐφραίνε ἐπ' αὐτὴν οὐρανὲ, καὶ οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι καὶ Προφῆται. תחתיות ארץ INFERIORA TERRÆ hic significant *communes* & *humiliores Respublicas Gentium* quæ caput in mundo alte non efferunt [A]; quibus contradistinguuntur MONTES, Regna majora & illustriora, in Mundo eminentia. Sub SYLVA & quæ in ea sunt *Arboribus* intelliguntur *Urbes* & *Civitates* amplissimæ, atque in iis Proceres & Magnates, in alta dignitate positi. Alluditur ad Libanum. Confer dicta de *Montibus* Cap. II. 14. XLI. 15. de *Sylva* & in ea *arboribus* Cap. X. 18. 19. Quæris, quare *Inferioribus terræ* post *cœlos* primus detur locus in hoc *Jubilo*? Cogita, Gratiam Divinam ita dispensari, ut primæ in ea partes sint τοῖς ταπεινοῖς καὶ τοῖς ἐξουθενημένοις. *Vallibus* inhæret Divina Gratia, easque fructuosas efficit: defluit à montibus. Et tamen novimus, omnibus hominibus in hac Gratia esse sortem: neminem nisi volentem ea excludi. Quorsum vero hæc rursus magnifica & gloriosa? Si enim Angelis & Patribus in cœlo curæ esset reductio Populi Judæi ex Exilio; essetne etiam curæ omnis generis hominibus, & conditionis omnis, hoc Beneficium Divinæ Gratiæ in miseros Jacobidas conferendum? Esse, ajo. Supponit enim Vates, quod res est: Deum decrevisse salutem dare & offerre πᾶσιν ἀνθρώποις *omnis generis* & *ordinis* hominibus, hoc Beneficium, quod nos facimus, olim agnituris, & celebraturis, quippe à quo penderet *Revelatio Gratiæ* in Messia & Regno ejus, omnibus Populis per totum Orbem terræ, & hominibus omnium Ordinum salutaris. Confer 1 Tim. II. 1. 4.

Quid hic intelligendum per *cœlos*?

Quid per *inferiora terræ*, *montes*, *sylvas*?

Quare post cœlos primus hic sit respectus *inferiorum terræ*?

Supponitur eo, propositum fuisse Deo Gratiam suam dispensare *omnibus Populis*; & Liberationem Judæorum ex Exilio *occasionem præbituram* huic Beneficio.

Sufficere hæc putem ad intelligentiam pericopæ. Non licet enim ire per singula. Tantum ad caussam hujus *jubili*, quam ubique supposui esse *Liberationem ex Exilio Babylonico* cum respectu ad antitypum suum *Liberationem* & *Redemptionem veram*, pauca adscribam. Exprimitur hoc Beneficium triplici formula. Prima est, כי עשה יהוה *quia* FECIT *Jehova*. Ubi animadvertenda peculiaris emphasis vocis עשה FACERE, quando *absolute* usurpatur. ut Ps. XXII. 32. *Venient & annunciabunt justitiam ejus populo nascituro*, כי עשה *quia* FECIT. quæ loca diligenter observata sunt à Cl. Coccejo [b]. Notat *consummare* & *perficere* opus meditatum, promissum, inceptum, speratum. Ad *promissa* manifeste refertur, Cap. XXXVII. 15. ואמר לי והוא עשה *Et dixit* (promisit) *mihi*, *& ipse* FECIT. perfecit. Hic emphatice, *Et* FECIT JEHOVA. Non, *Et* JEHOVA FECIT. ut subaudiretur vis quæ hic sita est in nomine JEHOVA. Is qui JEHOVA dicitur à veracitate in implendis promissis, hoc *fecit*. Eadem emphasis hæret in phrasi, Τετέλεσται *Consummatum est* [c]. Γέγονε *Factum est* [d]. Res perfecta est. Intelligis, Vatem nostrum Liberationem ex Exilio Babylonico respicere ut ἀποτέλεσμα *Opus consummatum* & *perfectum*: quale fuit tum secundum prædicta & promissa hujus operis; tum cum respectu ad Consequentia & Ἀντίτυπον ejus, ut jam abunde declaravi. Altera formula qua hoc Beneficium explicatur, est; *Quia Jehova* גאל VINDICAVIT *Jacobum*. de qua, ut sæpius exposita, nihil moneo. Tertia denique, יתפאר בישׂראל *Et glorioſum ſe oſtentavit in Iſraële*. Cocc. *Et in Iſraële condecoravit ſe*. quod recte se habet. Hier. *Et Iſraël gloriabitur*. Rectius scripsisset, *Et in Iſraël gloriabitur*. Veteres Intt. Καὶ ἐν τῷ Ἰσραὴλ δοξασθήσεται· *Et in Iſraële glorificabitur*. Hic est sensus Prophetæ. Conferenda est phrasis cum Paulina [e]: Ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ· *quando venerit, ut* GLORIOSUS FIAT *in Sanctis suis*. Nempe attributa omnia Dei gloriosa, Potentiæ, sapientiæ, gratiæ, fidei, veracitatis, constantiæ, curæ & providentiæ singularis erga Populum suum, in hoc Opere Liberationis Populi sui illustrarentur. Deus hoc Opere non tantum decus adderet Populo suo; verum etiam sibi.

Tertia: *Deus ſe glorioſum oſtentavit in Iſraële.*

Phrasis exponitur.

β. *Expositio* hujus Operis per suas *Causssas*,

Et quidem (a.) *Principalem* DEUM, GÖELEM sui Populi.

Articulus primus.

℣. 24. *Sic fatur Jehova*, REDEMPTOR TUUS, *& Formator tuus ab utero: Ego Jehova facio cuncta. Solus ego extendo cœlos: constipo terram* EX ME IPSO.] Vates hic continuat orationem Dei, postquam in *commate* superiore interjecisset *Apostrophen* ad universam *Cœlorum* & *Telluris* compagem, qua eam excitat ad jubilum ob beneficium Redemptionis, de qua agit, Deo accinendum. quare initio hujus periochæ novam eamque solennem *præfationem* Deo aptat. Quod occasionem præbuit Cl. Coccejo hanc periochen à corpore *superioris orationis* divellendi. Cum enim hic palam liqueret agi de Liberatione Babylonica per Cyrum efficienda: ipse autem scenam proxime præcedentium fixisset in rebus gerendis sub finem Oeconomiæ Novæ; & *conversionem*, de qua Vates meminerat, interpretetur de conversione Ecclesiæ per idololatriam seductæ ad Deum, in fine temporum; atque adeo *Apostrophen* accepisset ut *clausulam* superioris orationis, qua optatus status Ecclesiæ novissimi temporis explicatur, & Sanctis in cœlo spes datur *resurrectionis*, brevi futuræ, post omne opus Dei in Ecclesia consummatum quando *cœli* ac *terra nova* exspectantur: non potuit aliter instituere, quam ut hanc periochen à *superiore* disjungeret. Sed legens textum orationis facile videbit id violenter fieri. Oratio enim cum utrobique loquatur de Beneficio *Redemptionis Ecclesiæ*, sub eodem nomine גאל: quis ulla specie rationis asserat, aliam esse Ecclesiæ *Redemptionem*, de qua mentio facta fuerat in *Apostrophe* proxime antecedente, ac de qua agitur in hac Periocha illius declaratoria? Quis item non videt in *superioribus* agi de *Ecclesia Jacobæa*, tot criteriis circumscripta, ut plura in oratione Prophetica desiderari nequeant? Sed cesso huc alia adducere. Veritas interpretationis hic se ipsa illustrat, & alia opera non indiget. Ad rem ipsam paucis hic defungi licet. Epitheton enim *Formatoris ab utero* explicui ad ℣. 2. hujus *Capituli*. Pariter, attributa Dei secundum quæ dicitur עשה כל *omnia facere* non tantum, sed & *perficere* & *consummare*, ad *comma antecedens*; ac *extendere cœlos* & *con-*

Expoſitio hujus magni Operis per suas *Cauſſas*, & quidem per *Principalem Deum*.

Articulus primus, ℣. 24.

Argumentum hujus periochæ, & cohærentia cum *ſuperiore*.

Cl. Cocceji meditatio.

Quæ non probatur.

Animadverſa ad primum hunc articulum, qui complectitur eximia

Usus vocis עשׂה *facere*, ubi *abſolute* usurpatur. Est *perficere*.

Respectus ejus ad nomen *Jehova*.

Altera no-tio est גאל *redimere*.

[a] Apoc. XVIII. 20. [b] *Lex.* ad h. v. vide Ps. LII. 11. Dan. VIII. 24. &c. [c] Joh. XIX. 30. [d] Apoc. XVI. 17. XXI. 6. [e] 2 Theſſ. I. 9.

[A] Per תחתיות ארץ ex Doctis multi iique celebres Viri intelligunt *loca quæ sunt infra terram*, & sic interpretantur locum Paulinum ad Ephes. IV. 9. ubi Christus Dominus dicitur *descendisse* εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς *in inferiores terræ partes*, (quæ eadem phrasis est:) respectu habito ad Christi Jesu *sepulturam*. Sed primo, non putem illum subesse sensum loco huic Paulino. Paulus hoc loco omnino loquitur de *descensu Christi ad gloriam suam*, ut UNIGENITI A PATRE, conspicuam faciendam contradistincte ad descensum Dei vel ipsius Filii Dei in Montem Sinai, ubi supremo cacumini illius Montis altissimi insedit: cum in hoc *descensu* Filius Dei in communi & inferiore terra apparuerit, & inter homines familiari modo versatus fuerit: quod ipsum Grotius quoque observavit. Deinde, quicquid infra hanc terræ superficiem est, Hebræis dicitur שאול שׁאול, *infernus*. In analogis quoque, quæ non adeo multa sunt, hic significatus prævalet. Sic ubi Poëta sacer dicit, Ps. CXXXIX. 15. רקמתי בתחתיות ארץ *artificiose textus sum in* INFERIORIBUS TERRÆ: intelligit ipsam terram *Cœlis supremis* contradistinctam. Vis enim sententiæ in eo consistit; in eo elucere singularem Dei bonitatem, quod dum ipse in *Cœlis supremis*, sede gloriæ suæ, habitare censeatur, in infima terra, à cœlis tam longe dissita, texere voluerit tam ingeniosam & artificiosam texturam qualis illa est corporis animalis. Ubi INFERIORA TERRÆ opponuntur *Cœlis supremis*, quod terra populari judicio infimum in Systemate Mundi locum obtineat. Clarius sumitur pro *Desertis* locis & remotis à locis cultis, Ps. LXIII. 10. *Et illi qui animam meam persequuntur, venient* בתחתיות הארץ *in* INFERIORA TERRÆ. h. e. in ipsum me persequuntur *Desertum Judæ*, de quo in hoc loco agitur, ut patet ex inscriptione Odæ. quem putem sensum esse hujus loci. Fateor tamen, ארץ תחתית *terram infimam* Ezech. XXXI. 14. quid plus significare. Hoc itaque in casu nostro *inferiora terræ* contradistincta *Montibus* & *Libano*, sunt *terra depressa*, *valles* & *deserta*.

Dei attributa.

constipare terram, ad Cap. XLII. 5. coll. cum Cap. XL. 22. Tantum hic dicitur, quod in *superioribus* quoque *locis* subintelligitur, לבדי *Solus Ego*, absque ullius alterius entis opera aut concursu; & מאתי *ex me ipso*. quæ phrasis illustrat nomen אל, quo Deus passim insignitur. Notat enim eum qui quid *vi sua*, non *aliena*, potest. Est *vis* insuperabilis voluntatis Divinæ, quæ semper sortitur effectum. Eam vero in Christo Jesu, vero Filio Dei & Deo, inesse, docet Apostolus [a]; eundemque hujus Universi in communione Patris, Creatorem, Scriptores N. T. [b] Quorsum vero hæc Epitheta glorioſa Deus in Filio, sive Filius Dei, sibi hic aptat? Videlicet ut demonstraret, in hoc Opere prolusorio Liberationis Babylonicæ perfectiones Omnipotentiæ, Gratiæ, Fidei, Curæ erga Populum suum, ut & *vindiciarum* quas Populo suo electo præstare possit, clarissime illustrandas esse, quas in perfecta ἀπολυτρώσει quam Ecclesiæ suæ decreverat, illustriore modo patefaceret.

Gemina emphasis vocis אני.

Quem usum habeant epitheta illa glorioſa hoc loco?

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 25. *Qui irrita facit signa Vatum, &c.*

℣. 25. Is sum qui *irrita facit signa* VATUM, *&* DIVINOS *insanos reddit: qui Sapientes retrorsum agit, & Scientiam illorum infatuat.*] Consentanea est oratio toti argumento Concionis. Plane videtur, quod ad superiora quoque conjeci; circa tempus Liberationis Gentis ex Exilio Babylonico, cum Babylonii, Lydi, eorumque Socii bellum inferrent Medis ac Persis, rem ita se habuisse, quo modo se habituram prævidit ac prædixit Propheta; ut Chaldæi, Astrologi, Divini, Vates, qui nullibi majore copia extiterunt quam in Chaldæa, fausta auspicataque omnia ominati sint de eventu illius Belli, & longi ævi prosperitatem prædixerint Imperio Babylonico. quod ipsum non accidit absque Divina Providentia rerum humanarum directrice, & tamen in omnibus sanctissime versata. Huc pertinet dictum. Hos Vates Gentis, Astrologos, Divinos, volupe esset Deo pudefacere, ut Babylonii agnoscerent, se solum esse arbitrum rerum humanarum: res mundi & hominum suo consilio verti regique; atque adeo à se solo præsciri ac prædici: Idola Gentium, eorumque Sacerdotes & Mystas credulitati cultorum suorum illudere. Hic sensus primus est sententiæ, quem quisque absque negotio perspicit: sed sub quo sensu latet perfectior & augustior alter; nimirum Deum sic instituere vias & ordinem universum providentiæ suæ in gubernanda Ecclesia sua, ut omnem Sapientiam humanam & carnalem pudefaciat ac infatuet: quod ut hoc in casu & loco faceret; sic idem clarissime demonstraret in instituenda Oeconomia Nova, secundum dictum Prophetæ nostri Cap. XXIX. 14. 15. Apostolus utrumque respicit in *priore* ad Corinthios, his inter alia usus verbis [c]: Οὐχὶ ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου; *Nonne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus?* Sic facit; ut pudore suffundat carnem, & sua sapientia æque ac potentia in omni Oeconomia erga Ecclesiam sola celebrentur. Supereſt ut ad notiones, quibus Vates hic utitur, pauca adscribam. De voce ברים dixi sententiam ad Cap. XVI. 6. in qua plane persisto. Statui, significari homines *vitam* agentes *solitariam*, (à ברד) se commercio publico subducentes, & vacantes contemplationi rerum Divinarum. Forsteri enim etymologia, qui hic retinet significationem *vectium*, quo nomine appellari vult Sacerdotes vel Prophetas, quod *ceu vectes portent onera populi*: quid habet probabile? Sunt autem illi ברים, qui hic memorantur, meo judicio, iidem illi qui recentiore usu vocis dicuntur כשרים CHALDÆI, quod nomen cum olim esset *Gentis*, (de quo egi ad Cap. XIII. 19.) & hoc solo sensu occurrat apud Scriptores Sacros, qui ante Exilium Babylonicum vixerunt: postmodum usurpari cœpit de Sophis illius Gentis, qui rerum Divinarum & scientiæ futurorum studium profitebantur, τῶν ἄλλων λειτουργιῶν πασῶν ἀπολελυμένοι *omnibus aliis muneribus publicis soluti*, & huic soli contemplationi vacantes, ut eos describit Diodorus [d]. Sic Arrianus [e], Suetonius [f], & Veteres eos signant, qui potissimum *Astrologiæ judiciariæ* operam dabant, & ex ea fata Gentium & hominum definiebant. Huc enim manifeste respicit, quod hic dicitur אותות ברים SIGNA *Vaticinantium*. Sunt sc. *stellaturæ*, ex quarum ortu, occasu; conjunctione vel disjunctione; auguria rerum futurarum captabant. Sed sunt hic conferenda verba Vatis Cap. XLVII. 12. 13. ubi hi homines plane describuntur. קוסמים DIVINI, Divinatores qui ab iis hoc loco distinguuntur, speciem faciebant sectæ, quæ ex commercio cum *Dæmone* aut *Spiritibus defunctorum* eandem futurorum prænotionem jactabant; quæ specialis significatio vocis, Scripturæ S. usu receptæ, liquet ex 1. Sam. XXVIII. 8. etsi non negem, voci subesse notionem generaliorem. Illi ipsi sunt quos idem Diodorus ait [g] *expiationibus, sacrificiis, & ἄλλαις τισὶν ἐπῳδαῖς aliis quibusdam incantamentis* præ se tulisse, vel prænosse futura; vel etiam mala impendentia *averruncare*. Daniel, apud quem notio *Chaldæi* hoc eodem sensu occurrit [h], præter eos memorat tres *Divinorum* species alias: sed quarum incerta explicatio est [i]: nec libet in earum investigationem me nunc dimittere. Quæ de iis sint Judæorum sententiæ, videbis apud Stanlejum [k]. חכמים SAPIENTES hoc loco sunt *Vates Politici*, homines in Schola Mundi dextre versati, ingenii ϛοχαϛικῷ acumine præditi, longo rerum usu & experientia exercitati, consiliarii Regii, qui absque subsidio τῆς μαντικῆς *artis Divinatricis*, de futurorum eventibus ex his ipsis principiis probabiliter solebant præsumere. ut vox sumitur in prophetia de *Ægypto* [l]. His vero omnibus Deus sua illuderet providentia; eos suffunderet pudore; eos *ageret retrorsum*, ut retrospicerent qua in re, quove in ratiocinio commisissent errorem; eosque *fatuos* redderet & *insanos*, sive quod eos ut insanos & fatuos publico risui exponeret; sive quod illos ob pœnitenda errata à se commissa in insaniam ageret: utique faceret, ut stultas & in se incurrentes ederent vaticinationes.

Hypothesis hujus articuli.

Vates Chaldæi fausta & prospera prædixerant Imp. Babylonico.

Quos Deo propositum erat confundere.

Sensus alter & perfectior, qui sub his verbis latet.

Animadversa ad voces, quibus Vates hic utitur: & primo quidem ad vocem ברים.

Forsteri de ea conjectura improbatur.

Sunt iidem qui *Chaldæi*: qui describuntur.

Locus de iis Diodori Siculi.

Qui sint קוסמים *Divini*? Describuntur ex Diodoro.

Species aliæ Vatum Chaldæorum à Daniele memoratæ, incertæ notitiæ.

Qui omnes suffunderentur *pudore*.

Articulus tertius.

Articulus tertius, ℣. 26 *Qui ratum præstat verbum Servi sui, &c.*

℣. 26. *Qui* RATUM PRÆSTAT *verbum* SERVI SUI; *& consilium Legatorum suorum perficit: qui dicit* HIEROSOLYMÆ, *Habitaberis; &* URBIBUS JUDÆ, *Ædificabimini; &* DESOLATA *ejus erigam.*] Sc. oppositæ ad Prophetas falsos & Divinos Gentium. Tam certus & plane persuasus fuit Vates noster de implemento vaticinationis suæ, ut quod futurum erat post justi temporis spatium, tanquam præsens sibi objectum viderit. Cætera nihil admodum est in his verbis quod nos moretur. Per *Servum Dei* hic absque dubitatione intelligendus est Jesaias ipse, ut Cap. XX. 3. qui de toto hoc rerum eventu primus clarissime vaticinatus est, ut sæpius monui. Fuit enim homo totus *Deo devotus:* totus in Deo. Per *Nuncios* ejus honoratiores, Prophetæ illum sequuturi, & in his eximius Jeremias. De nomine ipso videri possunt quæ supra [m] scripsi. Vox הקים *stare facere, ratum facere*, hic singularem habet emphasin: sed quæ non excedit potestatem significationis ejus; & alibi [n] quoque hoc sensu occurrit. Est *verbum prædictum* aut *promissum*, quod *jacere* censetur quandiu non est impletum, dum eventus hactenus in dubio manet; actu *sistere & repræsentare*. quod repræsentamen ubi prædictis, promissis, minis, exacte respondet: tum vero Deus dicitur השלים *complere, consummare* quod prædixit. Res ipsa de qua hic agitur respicit Edicta Cyri, Darii Hystaspis Filii, & Artaxerxis. quæ sunt in Libro Ezræ. *Desolata* EJUS referenda sunt ad Hierosolymam, ejusque Templum, Palatia, Fora, Ædes, Portas, Muros. Vates se ipse mox explicat ℣. 28. & Cap. XLV. 13.

Sensus ridiculi Prophetæ de veritate suarum vaticinationum.

Servus Dei hic est Jesaias: *Legati Dei* Prophetæ consequentes.

Emphasis vocis הקים *ratum facere* hoc loco.

Et vocabuli *perficere*.

Desolata Hierosolymæ h. l. quid significent?

Arti-

---

[a] Phil. III. 21. [b] Joh. I. 2. Col. I. 14. 15. Heb. I. 3. [c] 1 Cor. I. 20. [d] *Biblioth.* Lib. II. p. 82. [e] *Exped. Al.* Lib. VII. Cap. XVI. [f] In *Vitell.* Cap. XIV. [g] Pag. 81. [h] Cap. II. 2. 5. 10. [i] Cap. II. 2. [k] Phil. Orient. Lib. I. Sect. I. Cap. X. [l] Cap. XIX. 11. [m] Ad Cap. XLII. 19. Confer Hagg. I. 13. [n] Pſ. CXIX. 38. Jer. XXVIII. 6.

Articulus quartus.

Articulus quartus, ỳ. 27. *Qui dicit profundo, Exsiccator! & fqq.* Sensus dicti geminus, *Historicus* & *Mysticus*. *Historicus* declaratur.

ỳ. 27. *Qui dicit* PROFUNDO, EXSICCATOR! *& fluvios ejus* FACIAM EXARESCERE.] Geminus sensus involvitur dicto; *Historicus* unus, & *Mysticus* alter. Historicus eo respicit, quod Cyrus, postquam per longum satis tempus obsedisset Babylonem, frustraneo conatu ob murorum ejus crassitiem & altitudinem, aliaque loci munimenta: tandem consilium ceperit de stagno, in quod Nitocris olim Euphratem abduxerat, effodiendo, & Euphrate rursus in illud inducendo, ut fluvio moratiore facto ac per vadum meabili, hac via voti expugnandæ Urbis potiretur; quod ipsi, Deo sic volente & conaminibus sua providentia favente, successit, ut Herodotus [a] & Xenophon [b] diserte tradunt. Illuc respicit hoc loco Propheta, & analogis aliis, quæ jam adduxi in superioribus [c], & ex historia illustravi: quare opera hic supersedebo. Tantum intelliges, per *fluvios* hoc loco intelligi *alveos* varios & *fossas* amplissimas, quæ ex Euphrate ductæ sunt ad fluvii impetum coërcendum, & agrum Babylonicum omni parte irrigandum, ac facilitandam negotiationem: perinde ac se res habuit cum Nilo in Ægypto inferiore. Affixum autem relativum EJUS, hic vel referri potest ad *Babylonem*, (subjectum mente conceptum, non expressum: ut sæpe aliàs:) vel ad *profundum*, h. e. Euphratem. *Mystico sensu* per *profundum* & *fluvios Babylonis* hic intelliges opes, divitias, copiam, affluentiam bonorum desiderabilium, qua exundabat Babylon; cujusque copiæ & affluxus rerum omnium, quibus Urbs luxuriabat, medium, instrumentum, subsidium, ac simul symbolum erat Euphrates, ejusque alvei. perinde ac Nilus & alvei ejus, Ægypti. Quod *profundum*, cujusque *alvei*, ubi *exaresceret:* significatur eo, hanc copiam omnem, has opes, hanc potentiam, hoc imperium, exhaustum iri à Persis & Medis. Confer symbolum idem à me declaratum in prophetia de Ægypto, Cap. XIX. 5. seqq.

Fluvii hic loci quales sint intelligendi?

Affixum *ejus* quorsum hic pertineat?

Quid *mystico sensu* hic intelligendum sit per *Profundum* & per *Fluvios*?

Caussa Instrumentalis.

Caussa Instrumentalis, quæ Deo in hoc opere inserviret, ỳ. 28.

ỳ. 28. *Qui dicit de* CYRO: *Pastor meus est, & omnem voluntatem meam perficiet; & quidem ut* DICAT HIEROSOLYMÆ; *Ædificator; & Templo, Fundator!*] Hic jam demum, ut Prophetis in more est, post tot prologos clarissime indicat Vates, quorsum in tota hac oratione respexerit, quid intenderit. CYRUM designat, nomine suo personali expressum, à Deo præscitum & consilio ejus definitum, qui huic Operi ex providentia Divina administrando præficeretur: minimum supra CLXX annos ante rei eventum: perinde ac CCCL annis ante rei gestæ implementum JOSIÆ nomen appellatum fuit à Viro Dei in historia *Regum* [d]. quæ sola exempla hujus generis in prophetiis extant, cæteroquin solitis personas, de quibus vaticinatio instituitur, ab attributis suis vel nominibus mysticis, appellare. Mox recurret nomen ỳ. *sequente*. Nomen hic signatur כורש, quod Masorethæ cum *punctis* legi voluerunt CHORESCH, sed quod rectissime legitur CHURESCH, cum *Schurek*. Masorethæ enim, historiæ non satis periti, aliis quoque nominibus Regum exterorum subjicere potuissent puncta, enunciationi illorum apud exteros convenientiora. ΚΥΡΟΣ autem ex traditione Ctesiæ, (sed cui non satis tutum est fidere:) SOLEM significat; idque etiam ex traditione communi refert Plutarchus [e]. Certe חרס CHERES, Hebræis vel Orientalibus antiquis hac notione sumitur, de quo egi in *Observatis* primæ ætatis [f]; & vidi postmodum conjecturam non longe quæsitam à Doctissimis Viris anticipatam. Bonum omen spei hujus eximii Principis! De hoc autem homine, Persarum & Medorum quoque Rege post mortem Patris Cambysis, & avunculi ac Soceri Cyaxaris, quando hoc vaticinium implevit, Deus dixit: *Pastor meus est*. h. e. Populo meo pascendo, & in pascuum suum, terram Cananæam, ducendo, destinatus, & ad id officium à me in consilio designatus ac delectus. Esset enim & evaderet summus Judæorum Princeps, eosque humaniter haberet ac curaret, & iis reducendis ex voluntate Dei daret operam. Sic Moses & Aaron, ad id delecti ut Populum Judæum ex servitute Ægyptia liberarent; eum regerent; curarent; ut videbatur, eundem ducturi in Canaanæam, infra [g] appellantur *Pastores gregis Dei*, Deo summo Pastori subordinati. Placetne etiam huc reducere, quod Cyrus *Reges*, & ipsum se *Regem*, solitus fuerit *Pastoribus* comparare? Certe Xenophon sive vere sive ex ingenio suo hanc illi orationem tribuit [h]. Cætera nihil est quod nos hic detineat, nisi quod *Cyro* quoque hic tribuatur jussio de *reædificanda Hierosolyma*; cujus tamen in *Edicto* ab ipso edito [i], nulla expressa mentio habetur. Idem repetitur Cap. XLV. 13. Respondeo, unum altero involvi. Absurdum sit dictu, Cyrum voluisse, ut *Templum* reædificaretur absque *Urbe*; quin id in ipso Edicto supponitur. Templum enim erat extruendum *Hierosolymæ, quæ est in Juda*, ut in Edicto scriptum repetitur. Quod si Hierosolyma nulla essent: Templum Hierosolymis vere non instauraretur. Judæi quoque reduces rem ita perceperunt; atque adeo instituerunt cum Templo Urbem denuo exstruere, ut patet ex literis adversariorum de eo datis ad Artaxerxen sive Cambysen [k]. Quod enim *Assueri* sive *Xerxis* ibi facta fuerit mentio: factum per πρόληψιν. de quo aliàs egi. Nec tamen id obstat sententiæ, quæ LXX *hebdomadas*, apud Danielem [l], quarum *terminus à quo* est *Reædificatio Urbis*, supputat à XX *anno* Artaxerxis Longimani; quia ibi intelligitur *Verbum de Reædificanda Hierosolyma*, non conjunctum cum *aliquali effectu*, qualem habuit sub Cyro, (Urbs enim vere jam habitari cœperat ante tempora Nehemiæ:) sed cum *effectu plenario*, quod ad *muros* & *munimenta ejus*, & *civium* copiam.

Animadversio ad nomen *Cyrus*, ejusque notatio.

Quo sensu Deus illum vocet *Pastorem suum*?

Locus Xenophontis in hanc rem.

An illi recte tribuatur Edictum de *Reædificanda Hierosolyma*? Dubium expeditur.

Ad locum Ezr. IV. 11. animadversio.

Ut & ad locum Dan. II. 24.

Simile exemplum in *Josia*.

Partis Quartæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Altera:

Qua Deus Jehova glorioſum Opus ſubvertendæ per Cyrum Monarchiæ Babylonicæ tanquam *ſuum* fuſe enarrat, hunc ipſum Principem tanquam à ſe excitandum & excitatum appellans; hujuſque ſui conſilii fines explicans; ſuccclamante Eccleſia, Ἐπιφωνήματι votivo, ac refellente murmura hominum pravæ indolis, qui vias Divinæ Providentiæ erga Populum ejus maligne rodebant. Quando de novo Deus introducitur ſibi ſoli ut rerum omnium Creatori & Univerſi totius provido Rectori hoc Opus vindicans, & læta ejus conſequentia ad ſolatium piorum exponens; ſimul ex hoc Opere effecto, ejuſque clara prædictione, ſuæ ve-

a Lib. I. C. 190. 191. b Κυροπαιδ. Lib. VII. c Ad Cap. XXI. 5. p. 609. Confer Jer. LI 32. d 1 Reg. XIII. 1. 2. e In *Artaxerxe*. f *Observ. Sac.* Lib. I. Diss. I. Cap. VIII. §. XIV. g Cap. LXIII. 11. h Xenophon Κυρ. Lib. VIII. p. 220. i Ezræ, I. 1. 2. seqq. k Cap. IV. 11. l Cap. IX. 24.

ritatem Essentiæ adstruens, & redarguens Idololatriæ ac Idololatrarum vanitatem: sumpta inde occasione, omnes Gentes & Populos Orbis terrarum invitandi ad suam communionem, iisque offerendi *justitiam* à Filio suo parandam: quem eventum protenus ut futurum prædicit.

Caput XLV.

Textus Cap. XLV.

1. Sic dicit Jehova Uncto suo Cyro, cujus dextram prehendi ad subigendum coram ipso Gentes, solutis Regum lumbis; & coram quo aperiam valvas, *faciamque* ut portæ non claudantur.

2. Ego coram te ibo; & anfractuosa recta faciam: valvas æneas frangam, & vectes ferreos incidam.

3. Et dabo tibi thesauros abstrusos, & repositas opes abditissimas; ut intelligas, me esse Jehovam, qui te nomine tuo appellat; Deum Israëlis.

4. Propter servum meum Jacobum, & Israëlem electum meum: appellavi te nomine tuo; cognominavi te, licet me non nosses.

5. Ego Jehova, & nullus præterea. Præter me nullus est Deus. Accingam te, licet me non noris.

6. Ut cognoscant à Sole oriente & occidente, nihil esse præter me. Ego Jehova, & nemo amplius.

7. Formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum. Ego Jehova facio hæc omnia.

8. Stillate cœli superne, & nubes tenues manent justitia! Aperiat se terra, & fructuosum sit omne genus salutis; & justitia pariter progerminet *germen*. Ego Jehova illud creavi.

9. Væ contendenti cum formatore suo. testa *contendat* cum testis terræ. Num dicet lutum fictori suo, Quid facis? & opus tuum, Non sunt ipsi manus?

10. Væ *ei* qui dicit Patri, Quid gignis? & mulieri, Quid parturis?

11. Sic fatur Jehova, Sanctus Israëlis, & Formator ejus: De venturis interrogant me: num itaque de filiis meis, & opere manuum mearum præcepta mihi daretis?

12. Ego feci terram, & hominem super eam creavi. *Ad* me *quod attinet:* manus meæ extenderunt cœlos, & toti Exercitui illorum præcepta dedi.

13. Ego excitabo illum in justitia, & omnes vias ejus æquas faciam. Ipse ædificabit civitatem meam, & deportatos meos dimittet; non pretio, neque munere, ait Jehova, Exercituum *Dominus*.

14. Sic fatur Jehova: Labor Ægyptiorum, & negotiatio Cuschæorum, & Sabæorum procerorum, ad te pervenient, & tua erunt: post te incedent: catenis vincti *apud te* versabuntur, & se coram te prosternent, tibique supplicantes dicent: Duntaxat Deus in te est; & nullus præterea, nullus *usquam* Deus est.

15. Utique tu es Deus qui te occultas; Deus Israëlis, Servator.

16. Pudefacti, atque etiam pudore suffusi sunt omnes illi. Pariter incedunt cum ignominia fabri imaginum.

17. Israël *autem* servatur per Jehovam salute æterna: Non pudefietis nec confundemini usque in sæcula æternitatis.

18. Quippe sic fatur Jehova, Creator cœlorum: Ipse ille Deus qui formavit terram, eamque fecit; ipsus est qui eam exaptavit: non creavit eam rem inanem; formavit eam ut inhabitetur. Ego Jehova, & nemo amplius.

19. Non in occulto loquutus sum; in loco terræ tenebrosæ. Non dixi semini Jacobi, Quærite me frustra. Ego Jehova, loquens verum; indicans recta.

20. Congregamini & venite, prope accedite una qui evasistis ex Gentibus. Nihil sapiunt qui portant sculptilia sua lignea, quique adorant Deum qui potis non est servare.

21. Sistite coram & admovete *argumenta vestra:* quin etiam consilium ineant pariter: Quis hoc ab antiquo audire fecit; ab eo tempore clare prædixit? Nonne Ego Jehova, præter quem nullus amplius Deus est? Deus justus & Servator nemo est præter me.

22. Respicite ad me, & salvamini, omnes fines terræ, quia Ego sum Deus, & nemo præter me.

23. Per me juravi: exiit ex ore meo verbum verum; verbum quod non revertetur: Mihi incurvandum esse omne genu, & juraturam esse omnem linguam.

24. Duntaxat in Jehova; de me dixit; sunt justitiæ & robur: ad ipsum ibitur; & pudefient omnes in ipsum succensi.

25. In Jehova justificabitur & gloriabitur totum semen Israëlis.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Sectionis.

Argumentum hujus *Sectionis.*

Non dimittit Jesaias cœptum argumentum nobilissimæ ac clarissimæ prophetiæ; sed acsi de eo hactenus videretur obscurius loquutus esse: illud absque involucris & ambagibus ullis explicate prosequitur. Est autem forma compositæ hujus vaticinationis singularis. Oratio enim non est unius personæ, Dei sive Prophetæ, sive continuo filo, sive repetitis Odis decurrens ad finem: sed intercipitur subinde ἐπιφωνήμασι aut ἐπῳδοῖς, tanquam Chori sive succinentis Deo; sive caussam Dei adversus malignos viarum Dei calumniatores, aut idololatras, agentis ac vindicantis. In initio prophetiæ Deus inducitur recta compellans Cyrum, Persam, eique declarans consilium quod cepisset de ipso constituendo Dominatore Orientis, & Eversore Monarchiæ Babylonicæ; facto eidem promisso, se omnia cœpta ejus prosperaturum, & alte ei intimans, ipsum rerum suarum successus huic soli caussæ debere [a]. Sed dum id agit, simul exponit ratio-

[a] Isc. 1. 2. 3.

rationes hujus sui consilii, tam respectu *consequentis*, h. e. Liberationis Populi sui; quàm respectu Cyri ipsius & Gentium omnium, ut videlicet inde colligerent veritatem Divinitatemque Naturæ Dei Israëlis *a*. Subjicitur protenus *Epiphonema* sive *Chori Prophetici*, sive *Dei ipsius*, ut oratio præfert, quo læta consequentia hujus Operis declarantur *b*; & simul refelluntur maligni Consilii Dei de Populo in Exilium mittendo reprehensores *c*. Inde orationem suam Deus redordiritur, qua tum ipse vindicias agit sui honoris; tum Opus vocati missique Cyri sibi ut Creatori & Rectori rerum prive adscribit *d*; & ad solatium Ecclesiæ commemorat lætum ejus *consequens*, futurum sc. ut Ægyptii, Sabæi, aliique Populi se Populo per Cyrum restituto subjiciant *e*. Subjicitur ἀντιστροφὴ Ecclesiæ sub emblemate *Chori*, Dei veritatem, providentiam, viarumque ejus sapientiam, suamque sortem celebrantis *f*. Protenus repetit Orationem Deus, & ex hoc magno Opere suo, & Operis hujus prædictione, convincit Idololatras de veritate Naturæ Essentiæque suæ *g*. Quando tandem explicat exitum & finem hujus Disputationis cum Gentibus pro veritate Naturæ suæ, Populosque omnes per Orbem terrarum gratiam suam & *Justitiam in Filio* ostentat & offert; eosque invitat ad fidem sui ut veri Dei, suamque in fide communionem; & in communione sua æternam salutem. *h*

Scopus hujus prophetiæ.

II. En σχῆμα & διάθεσιν hujus *Sectionis*; unde quilibet intelligit, *Argumentum* ejus respectu præcipui Scopi sui esse *Consolatorium*; & tamen simul esse *Doctrinale*, quatenus nos edocet de *Caussis* veris Eversionis Monarchiæ Babylonicæ, & prosperorum Cyri Eventuum; & *Convictorium*, quippe refellit mordaces lancinatores viarum Dei, & redarguit vanitatem idololatriæ ac idololatrarum: & *Exhortatorium*, dum Populos omnes per Orbem terrarum invitat ad communionem Justitiæ Dei in Filio suo omnibus Populis parandæ.

Διάθεσις sive *Schema* hujus prophetiæ.

III. *Dispositio* partium hujus Visi *Scenica* est, quam elegantiæ caussa eligunt passim Poëtæ & Prophetæ Sacri. Sunt enim variæ Personæ quæ hic vel partes suas agunt, vel saltem ingrediuntur *Scenam* Visi, & in ea comparent. Deus summus, Rector Universi & Curator Populi Judæi: Cyrus, ad quem oratio Dei dirigitur: ut & Gentes omnes quæ similiter per *Apostrophen* appellantur; & Chorus repræsentans Ecclesiam, Deo succlamans. Certe loquentes Personæ duæ tantum sunt, Deus Jehova, & Chorus.

Tempus in quo Scena Prophetiæ figitur.

IV. De *tempore*, in quo *Scena* hujus Visi collocanda est, nullum hic est dubium. Sunt *initia* Cyri, quibus ipse in publicum prodiit ut Imperator Copiarum Medorum ac Persarum auspiciis Patris sui & Cyaxaris, avunculi; quæ magno consensu Historicorum ac Chronologorum antiquorum figuntur in Anno Olymp. LV. I. P. J. MMMMCLV. Ante N. C. ID LIX. Sic Petavius, Usserius, aliique: nec convello hypothesin, cum major aliqua vel minor latitudo temporis circa initia Cyri rationes nostras non conturbet.

Locus ejus.

Locus *Scenæ* ea terræ Mesopotamenæ, Arabiæ, aut Babyloniæ pars est, in qua degebant Judæi, sed qui illo tempore fere per totum illud Imperium dispersi erant; & tamen præcipue sedes suas locaverant in Mesopotamia aut Arabia, cis & trans-Euphratem, ad Occiduum Babylonis. In hoc enim tractu primæ fuerunt Judæorum *coloniæ*, qui proni in sera tempora frequentissime à Judæis habitatus est; suis quoque fluviis, & Urbibus insignis.

Analysis hujus prophetiæ.

V. *Analysin* ex summa Concionis à me recensitæ facile institues. *Sectio* bifariam dividitur. *Prius membrum* spectat *Res* Cyri: alterum *Vocationem Gentium* ad communionem & salutem Dei omnibus Gentibus offerendam.

Pars *Prima* hujus Sectionis de Eversione Imperii Babylonici ac Liberatione Populi Dei ex Exilio, efficienda per Cyrum: ubi

α. Apostrophe ad hunc Principem, qua

(a.) *Consilium Dei* de ipso ad Monarchiam Babylonicam subvertendam electo ipsi exponitur, & successus optatus omnium *Expeditionum ejus* ipsi condicitur, ℣. 1--3.

(b.) *Fines* hujus Consilii Divini & principium, declarantur, ℣. 4--7.

Subjicitur Epiphonema sive *Chori Prophetici*, sive *Dei* ipsius, quo

α. *Læta consequentia* hujus magni Operis *figurate* describuntur, ℣. 8.

β. Refelluntur maligni viarum Dei censores, ℣. 9. 10.

β. *Oratio* Dei Prophetica & *Doctrinalis Directa*, qua honorem suum adversus mordaces Reprehensores suæ providentiæ vindicans,

(a.) *Excitationem* Cyri sibi ut caussæ Principali adscribit, ℣. 11--13.

(b.) *Consequens* ejus lætum applicat ad solatium piorum, ℣. 14.

Subjicitur Epiphonema alterum *Chori*, Vias Divinæ Providentiæ, suamque sortem celebrantis, ℣. 15--17.

γ. Oratio Dei Convictoria ad Gentes, qua sibi ex hoc Opere, hujusque Operis Prædictione, vindicat veritatem Divinitatis, & Idola eorumque cultores redarguit, ℣. 18--21.

Pars *Altera* hujus Sectionis, ex superioribus ducta, de Vocatione Gentium, ad Communionem & Salutem Dei: qua

α. *Gentes* omnes blande invitantur ad *Communionem & Salutem Dei*, ℣. 22.

β. Consilium Dei de earum Conversione, fide, salute, emphatice explicatur, ℣. 23--25.

Pars prima hujus Sectionis. Membrum primum: *Apostrophe ad Cyrum.*

Pars prima hujus Sectionis de *Eversione Imperii Babylonici.*

Membrum Primum, *Apostrophe ad* Cyrum.

(a.) Qua illi consilium Dei de ipso ad hoc Opus delecto declaratur.

Articulus primus.

(a.) Declaratio Consilii Divini ipsi facta, ℣. 1. *Figura* hujus Orationis: an accipienda sit

℣. 1. *Sic dicit Jehova* Uncto suo, Cyro, *cujus dextram prehendi, ad subigendum coram ipso Gentes; solutis Regum lumbis; & aperiam coram eo valvas; faciamque ut portæ non claudantur.*] Primus hic est articulus *Apostrophes*, non hactenus directæ, (qualis mox occurret in oratione continuata,) sed obliquæ. Potest enim quod dicitur, *Sic ait Jehova Cyro*, recte etiam verti, *Sic ait Jehova de Cyro.* Sed quia *Apostrophe* mox directa oratione ad Cyrum vertitur: nolui hic quicquam immutare. Sententia ipsa verborum Vatis clara est; & historia cum ea comparata clarissima: suntque quæ huc pertinent, pleraque jam à me anti-

a ℣. 4--7. *b* ℣. 8. *c* ℣. 9. 10. *d* ℣. 11--13. *e* ℣. 14. *f* ℣. 15--17. *g* ℣. 18--21. *h* ℣. 22--25.

per modum *Apostrophæ*?

anticipata ad locum huic parallelum Cap. XLI. 2. 3. Relegam tamen singula, ne quid temere transiliisse videar. Novum illud primo occurrit, quod Cyrus hic dicatur UNCTUS DEI. Videri posset titulus esse illustrior quam ut Principi Pagano convenire queat. Sed sane non est. Sensum enim genuinum, qui ei subest, recte sustinet, modo expositio ejus restringatur ad *Subjectum* de quo agitur. *Unctus* hic est consilio Divino secretus ordinatusque ad efficiendam *rem quæ ad gloriam Dei pertinet*, & ad id necessariis facultatibus cura Divinæ Providentiæ instructus; inter quas facultates simul censeri possunt dotes Cyri laudabiles, interque eas *justitiæ*, reverentiæ erga Divinam Naturam, Prudentiæ, Fortitudinis, & *clementiæ* quoque ac *humanitatis* [A]: ut videri queat non fuisse indignus qui Divinæ Providentiæ ut illustris Consiliorum Dei exequendorum Minister inserviret. Idem itaque hic valet notio, quod, ad hoc opus *sanctificatum esse*. Sic Vates noster Cap. XIII. 3. *Ego præcepi* למקדשי SANCTIFICATIS MEIS. Pariter Jeremias: קדשו עליה גוי SANCTIFICATE *adversus eam* (*Babylonem*,) *Gentes*. Mox iterum [a]: SANCTIFICATE *adversus eam Gentes*, REGES MEDIÆ. Quod sequitur: *Et teneo* (sustineo, firmo, apprehendo) *dexteram ejus*: certum habet sensum. Explicui phrasin ad Cap. XLI. 13. *Ad subjiciendum coram ipso Gentes.*] Sic verto Hebræa. לרד לפניו גוים, ubi vocem בן puto esse *infinitivum Piël* pro ברדת. Habuimus phrasin de ipso Cyro, Cap. XLI. 2. ומלכים יבוסו *Et Reges imperio suo subjecit. Hiphil* ex ורדה. Buxtorfius opinatur [b], רד esse pro רדן, quando valeret, *Ad sternendum coram ipso Gentes*. quod eodem fere redit: sed ipsa quoque illa flexio anomala est. De re ipsa videbis, quid ad illum locum commentatus sim, & quæ mox ex historia producam. *Et lumbos Regum solvam.*] Debiles illos præstabo atque infirmos, & ad Cyro resistendum imparatos: Robur consiliorum, virium & virtutis ipsorum bellicæ frangam, & quæ his similia. Phrasis, *succingendi lumbos* cum aliàs usum habeat communem: privum obtinet in militia. Jesaias ea usus est Cap. V. 27. Confer Job. XII. 18. Nah. II. 1. *Ad aperiendum coram ipso valvas, & portæ non claudentur.*] Sic proprie sonant Hebræa. Urbes munitissimæ, accurate clausæ, à præsidiariis militibus infestæ, inter quas Babylon & Sardis, *portas & valvas* huic Victori à Deo adjuto cogerentur *aperire*. Verba cohærent cum his, *Ego prehendo dexteram ejus* ad *aperiendum*, recludendum *valvas*, faciamque ut *portæ* Urbium hostilium ipsi pateant. De eventu mox.

Articulus alter.

℣. 2. *Ego coram te ibo*, & ANFRACTUOSA RECTA FACIAM: VALVAS ÆNEAS *frangam*, & *vectes ferreos incidam.*] Magistri vocem הרורי vertunt per *curva*, *anfractuosa*, *ambagiosa*, σκολιὰ; ducta significatione ex hoc ipso loco. Id enim hic loci est הרור quod oppositum est τῷ ישר *rectum*. Alii tamen pressius inhærentes significationi receptæ vocis הדר *revereri*, *reverentia & respectu alicujus duci aut moveri*, qui affectus animi passim nascitur ex altitudine, celsitate, magnificentia, illarum personarum vel rerum quæ nos movent: notionem hoc loco reddunt per *reverenda* sc. ob altitudinem suam, *eminentia*, *conspicua*. quod videtur in oculis habuisse Chaldæus in versione: ושוריא אכבוש *Et muros sternam, subigam.* quod neutiquam sperno. Int. Alex. Ὄρη *montes*. Sed putem, illum pro הרורים legisse ההרים. Quod ad rem ipsam attinet: describitur hic graphice Babylon, *superba* illa *civitas*, cujus erant *portæ in ambitu centum*, cum VALVIS ÆNEIS, ut eam ex Herodoto [c] supra [d] descripsi. Herodotus: Πύλαι δὲ ἐνεῖσαι πέριξ τὸ τεῖχος ἑκατόν, χάλκεαι πᾶσαι. Simile testimonium est Abydeni apud Eusebium [e]. Τὸ τεῖχος *murum* sive *septum Urbis* Babylonis vocat χαλκόπυλον, *æneis* instructum *valvis* sive *portis*. quæ tamen portæ & valvæ Cyro paterent. Herodotus idem narrat, vicos Urbis hujus qui ad fluvium exibant, ipsos quoque habuisse *portas* sive *portulas æneas*; quibus clausis, & lorica ad oram fluvii à præsidiariis insessa, Urbs ab illa parte adiri nequeat: sed forte cum hac parte nullus metus esset à Cyro, & Babylonii Festum celebrantes summa securitate agerent, has *portulas* illa nocte qua expugnata est à Cyro, clausas non fuisse [f], vel *obseratas*. quod ipsum quoque licet intelligas sub his verbis Prophetæ nostri, quæ proxime recitavimus: ET PORTÆ NON CLAUDENTUR. Si *murum*, altum & ob celsitatem, crassitiem, structuræ firmitatem, dicere liceat, *reverendum*, intelligas sub voce הרורים, quod videri queat probabile: constat quoque sibi implementum prophetiæ; cum utique qualicunque modo venerit sub potestatem Cyri, & Successorum ejus. Vide quæ de eo tradidi in *Notitia Babylonis* [g], & *Implemento prophetiæ* illius [h]. Cætera intelliges *Arcem Sardium*, cujus erant anfractuosi & difficiles aditus, à qua parte Urbs à Cyro capta est; & difficilia, tortuosa, ac insuperabilia quæque; quæ tamen ipse à Deo adjutus effecit. Sed is character Cyri hic est observandus, Veteribus omnibus testatus, usum illum esse in omni negotio quod suscipiebat, prosperrimo successu, ut omnes agnoverint *ad manus* ei esse *Deum*, qui hunc hominem delegerit ut exemplum providentiæ suæ, ad judicia sua exequenda, perinde ac Alexandrum Macedonem, Seleucum Nicatorem, Syllam, Julium Cæsarem, in quibus prudentes omnes quid majus magisque singulare vident, quam in cæteris de grege hominibus aut Imperatoribus. Xenophontis de eo historia ubique testatur: sed utar nunc potius testimonio Herodoti. Sic ad Cyrum in initiis ejus Harpagus [i]: Ὦ παῖ Καμβύσεω, σὲ γὰρ θεοὶ ἐπορέωσι· *O Fili Cambysis! Te*

Quo sensu Cyrus hic dicatur *Unctus Dei*?

Virtutes ejus, dotesque laudabiles.

Locus Cap. XIII. 3. cum hoc collatus.

Animadversio ad vocem הד.

Cujus illa sit *terminationis*?

Quid hic *solvere lumbos Regum*?

Apertio *portarum* & *valvarum*.

Articulus alter: ℣. 2. *Ego coram te ibo*, &c.

Significatio vocis הרורי h. l. vestigatur.

Doctorum Virorum sententia, qui eam petunt ex הדר *revereri*.

Alluditur hic ad *Babylonem*, cujus erant *portæ æneæ*.

Herodoti verba, & Abydeni.

Alia in hanc rem observatio ex Herodoto, de *portulis æneis* ad Euphratem *apertis*.

Voce *anfractuosus* hic alludi potest ad aditus *Arcis Sardium*.

Celeritas Cyri insignis character, hic memorata.

Qua parte aliis magnis Imperatoribus comparatur.

Auxilium Divinum

---

a Jer. LI. 27. 28. *b* *Thes. Gram.* p. 167. *c* Lib. I. Cap. 179. *d* *Notit. Babyl.* ad Cap. XIII. *e* De *Præpar. Ev.* Lib. IX. Cap. XLI. *f* Cap. 191. *g* Ad Cap. XIII. §. 2. *h* Ad Cap. XIII. in fine, §. XI. XIII. XIV. Herod. Lib. I. C. 84. *i* Herod. Lib. I. C. 124.

A Hanc ideam hujus Principis ubique lectori subjicit Xenophon in *Libris* quibus historiam ejus complexus est: sed quam quodammodo obscurare videntur quæ Herodotus in historia Crœsi & Tomyris Scytharum Reginæ, de ipso narrat: quæ si ita se habeant, Cyri memoriam non liberant à *sævitia* & *crudelitate*. Est etiam apud Athenæum, (*Deinosoph.* Lib. XIV. Cap. VIII.) Angarem quendam Musicum, postquam Cyrus ab Astyage ad Persas dimissus esset, Regi Astyagi cum amicis epulanti cecinisse carmen hujus argumenti, ὡς ἀφεῖτας εἰς τὸ ἔλος θηρίον μέγα θρασύτερον υἱὸς ἀγελίᾳ· *in palustria dimisisti magnum belluam apro truculentiorem.* videlicet [k], ut ipse hac de re interrogatus respondit, CYRUM. Sed Herodoti illa, ut paradoxa plane, fabulosa sunt: quod ex historia Crœsi quisque facile per se colligat: (ne Xenophontem huc advocem Lib. VII. p. 181. 182.) & de *exitu* & *extremis Cyri*, aliunde liquet. Mortuus est in Persia, & repositus in Monumento à se extructo. Quin Herodotus sibi hic contrarius est; aliis locis de *indole* ejus præclara, & generoso ac miti ingenio ejus, luculenter testatus. Sic utique ipse Lib. III. Cap. 89. Persas *Cyrum* appellasse PATREM, ὅτι ἤπιός τε, καὶ ἀγαθά σφι πὰ ἐμηχανήσατο: sive, πάντα ἐμηχανήσατο· *quod mitis fuerit, & bona atque utilia iis omnia, quæ aggressus est.* Eodem modo Diodorus Lib. IV. p. 235. cujus simile testimoninm adduxi ad Cap. XLI. 2. unde ipse in historia Zopyri, (Lib. III. Cap. 160.) *neminem Persarum unquam ausum esse se* CYRO *comparare.* Quare? si non tam virtute quam fortuna omnibus præcelluerit. Reliqui autem Historici hic facile consentiunt. Justinus Trogi Lib. I. Cap. VIII. *Admirabiliter insignis.* Ammianus, Lib. XXIII. Cap. VI. *Antiquior Cyrus, Rex amabilis.* Sed est de eo animadvertendus locus Plutarchi, qui in Libro de *Malignitate Herodoti*, Tom. II. p. 858. Herodotum hoc nomine (hac quidem in parte, non immerito adeo) culpat quod inferat CYRUM, ἓς φρονήσει καὶ ἀρετῇ καὶ μεγαλοψυχίᾳ πολὺ πάντων δοκεῖ πεπρωτευκέναι τῶν βασιλέων, *qui prudentia, & virtute, & magnanimitate facile omnibus Regibus præstitit*, à Crœso ab his virtutibus imparato captantem consilia. Quæ cum ita se habeant, & probabilia videantur: non vehementer probavi, Virum pl. Reverendum, qui Historiam *Reformatæ Ecclesiæ Anglicanæ* cum laude sua conscripsit, in *Præfatione* expediturum dubium, quod sibi moverat, an credibile videatur, Deum Henricum VIII, malis potius quam bonis Principibus accensendum, ustrum esse in Ecclesia sua in melius instauranda: cum hanc jecisset hypothesin, Deum subinde etiam Principibus non optimis uti in commodis Religionis promovendis; inter alia exempla in medium producere CRUDELEM CYRUM, per quem procurarit Liberationem Populi sui ex Exilio Babylonico. Poterat talis solutio convenire *Declamatori*, qui quidvis arripit ut se expediat: sed seria & gravis oratio aliud postulat. Parum laudis tribuo Henrico VIII in *Reformanda Ecclesia.* Quicquid hic effectum est, quod non adeo multum est, alii ipso permittente & suis utilitatibus serviente effecerunt. Utique comparatio est iniquissima inter Principes sibi fere per omnia dissimiles; & digressio tota otiosa, & falsa nixa hypothesi.

Cyro adesse, agnitum est ab omnibus. Loca de hac re ex Herodoto.

TE ENIM DII RESPICIUNT. *nam aliter nunquam in tantum fortunæ pervenisses.* Sive verum sit, quod hic narrat Herodotus; sive falsum: fere mihi nunc perinde est. Respicio hic solummodo Herodotum tanquam qui consignet commune judicium de Cyro. Alio loco *a* differens de Bello difficillimo quod Cyrus susceperit adversus Massagetas, ejusque consilii indagans rationes, *multa & magna fuisse* ait quæ *Cyrum* ad id *incitaverint.* Primum quidem *Natales ejus*, τὸ δοκέειν πλέον τι εἶναι ἀνθρώπε· *quod videretur quid majus esse homine.* Alterum vero, τὴν εὐτυχίην τὴν κατὰ τὸς πολέμες γενομένην· *felicitatem quâ usus fuerat in bellis.* QUOCUNQUE ENIM SE AD BELLANDUM CYRUS CONVERTEBAT, EA GENS NULLO MODO POTERAT EVADERE. Nihil aptius est in usum hujus prophetiæ. quo tandem modo πάσης τῆς Ἀσίης ἦρξε· *totam Asiam Imperio suo obnoxiam habuit.* ut idem Historicus. *b*

Articulus tertius.

Articulus tertius, ℣. 3. *Et dabo tibi thesauros abstrusos, &c.* Verba declarantur & ex historia ad Cyrum applicantur.

℣. 3. *Et dabo tibi* THESAUROS ABSTRUSOS, *&* REPOSITAS OPES ABDITISSIMAS, *ut intelligas, me esse Jehovam, qui te nomine tuo appellat, Deum Israëlis.*] Scilicet thesauros reconditos opulentissimarum id ætatis in Orbe Urbium, Sardium & Babylonis: tum quoque Joniæ & Asiæ Lydianæ, jam tum opibus florentis. Et quidem quomodo Crœsi Regis suo tempore ditissimi thesauris reconditis potitus sit Cyrus, ipso Crœso eos prodente ac producente, narrat Xenophon *c*: hic diversus ab Herodoto *d* qui Urbem *direptam fuisse*, ait. Sed id mihi curæ non est, cum de re ipsa constet; ut & de Babylone. Et ille quidem merito Sardis *Urbem* vocat *post Babylonem totius Asiæ opulentissimam.* Sed poterat Cyrus, facile perspiciens, se Deo uti favente, effectum alii Deo, & quidem *Diis Patriis*, tribuere. Id cavet Deus. Ideo ait, se illum tanto tempore ante nomine suo appellasse, & eventum in omni sua circumstantia prædixisse, ut intelligeret Cyrus, solum esse Deum Jehovam, Deum Israëlis, qui universam hanc Oeconomiam instituerit ac circumscripserit, & omnes hosce eventus sua providentia definiverit. quod Cyro tandem persuasum fuisse, ex *Edicto* ejus liquet.

Divitiæ *Sardium & Babylonis.*

(b.) *Causse* hujus *Consilii Divini finales* exponuntur.

Finis specialis.

Causse hujus Consilii Divini. Primo *finis specialis, &c.* ℣. 4. 5.

℣. 4. *Propter* SERVUM MEUM JACOBUM, *&* *Israëlem, electum meum: Appellavi te nomine tuo;* COGNOMINAVI TE, *licet me non nosses.* ℣. 5. *Ego Jehova, & nullus præterea. Præter me nullas est Deus: cinxi te, licet me non cognoveris.*] Ecquæ vero causse hujus consilii Divini? Cur Deus hunc Principem, superstitioni Patriæ Paganæ addictum, Dei veri ignorantem, tanto complexus est favore, ut cœpta ejus omnia secundaverit, & conamina ejus omnia prosperis successibus prosequutus sit? Hi vero fines hac perioche explicantur, tam *specialis*, quàm *generalis.* quorum ille ducitur à respectu Populi Judæi: hic à respectu omnium Gentium & ipsius quoque Cyri. Utrique sententiæ miscetur caussa principalis hujus totius Eventus, Deus Israëlis, isque solus. Id enim operam dat Deus, ut hoc Elencho omnes Gentes convincat de vera sua Divinitate, easque abducat à superstitioso falsorum Numinum cultu. Huc tota tendit oratio. Demonstratio finis specialis, continetur illis verbis quæ descripsi; generalis ℣. 6. 7. Relegamus verba Prophetæ, quorum non est obscura sententia; attamen dignissima quæ animadversionem nostram exerceat. Propheta ait, se Cyrum singularibus hisce favoris sui speciminibus honestasse, *propter Jacobum, Servum suum, & Israëlem, electum suum.* quod geminum sensum admittit. *α.* Ad exigendas vindicias *Servi mei* (h. e. cultoris mei,) *Jacobi*; & *Israëlis*, electi Dei, in media lucta & afflictionibus *victoris*; qui electi Dei, futuræ Ecclesiæ semen, male habiti & crudeliter tractati fuerant à Nebucadnezare. Sic Vates ipse mentem suam declarat Cap. XLVII. 5. 6. *Indignatus eram Populo meo: profanavi hæreditatem meam: non exercuisti erga eos misericordiam: super senem etiam aggravasti jugum tuum valde.* Hanc sævitiam & crudelitatem Babyloniorum, qui quidem inservierant consilio Dei, Populo suo parantis virgam; veruntamen suis ducti rationibus à consilio Dei diversissimis; Deus vindicatum ibat per Cyrum. Hujus rei caussa eum excitaverat. *β.* Ad procurandam liberationem & libertatem Populo Dei electo, ut vidimus in *Capitulo superiore*, ℣. 26. 28. Quod sequitur: *Et appellavi te de nomine tuo, & cognominavi te, & non noveras me:* continet declarationem ejus quod Vates jam dixerat in fine *versiculi superioris:* cum quo si connectere velis sententiam, poterit *&* hic pro more sustinere vicem copulæ cum emphasi, ut dicat Propheta: *Quin etiam nominetenus te vocavi, & cognominavi*, h. e. nominavi, *etiamsi me non nosses.* Verba significant, Cyrum, Deo obversantem ut Paganum & superstitioni Patriæ addictum, non tantum Deo *nominatim* & προσωπικῶς obversatum esse in *Decreto* & delectum ad magnum hoc opus exequendum; (de qua significatione phrasios dixi ad Cap. XLIII. 1.) verum etiam *nomen* ejus tam longo ante Vati nostro esse revelatum, & ab ipso expressum in prophetia, quæ Cyro non nisi vero innotesceret. Vide quæ de voce כנה *nominare, cognominare*, monui ad Cap. XLIV. 5. כנוי *Cognomen* hic est ipsum CYRI nomen κεχαραγμένον, quatenus ipse ortu esset Persa; Cambysis & Mandanes Filius, Astyagis nepos, Cyaxare avunculo usurus, & egregiis dotibus à Deo ad tanti operis exequutionem instruendus: qui tamen Deum, dum prosperis hisce gaudebat successibus, non *nosset*; licet postmodum à Daniele & Judæis, qui in Aula ejus versabantur, notitia *veri Dei* imbutus fuerit, ut ex *Edicto* ejus liquet, forte ex ipsa quoque hac prophetia persuasus: ut vult Josephus, *supra f* adductus. Sed incertum, quousque hæc notitia & fides in animum ejus penetraverit: de quo nihil habet Historia Exotica. Certe etiamsi Persæ Deum purius coluerint quam aliæ Gentes: patet tamen ex hoc loco, Vatem nostrum longe ab eo abesse, ut *Objectum Religionis Persarum* idem fecerit cum *Objecto Religionis* Populi Judæi; sunt que adeo cum discrimine judicii accipienda, quæ Vir quidam Doctissimus de hoc argumento commentatus est *A.* Sed forte, si hæc res curæ fuerit Deo Israëlis: τῶν πατρώων Θεῶν *Patriorum Cyri Deorum* aliquis,

Inspectio propior *finis specialis.* Animadversa ad ℣. 4. 5. Electio Cyri facta est propter *Jacobum, Servum Dei.*

Cyrus vindicaret sævitiam, qua usus erat Nebucadnezar in Populum Dei.

Deus *Cyrum appellavit & cognominavit*, licet se *non nosset.*

Notiones כנוי & כנה. *Nomen & cognomen Cyri*, quale hic intelligatur?

Quatenus Cyrus pervenerit ad notitiam veri Dei?

Persæ Deum purius coluerunt, quàm cæteri populi.

a Lib. 1. C. 204. *b* Lib. 1. C. 130. *c* Κυρ. Lib. VII. p. 181. *d* Lib. 1. C. 84. *e* Ezr. 1. 1. *f* Ad Cap. XLI. 2. 3.

A Est nempe præclaræ eruditionis Vir, de literis optime meritus, Thomas Hyde, in Libro de *Religione Veterum Persarum*, qui singulari quodam in hanc Gentem studio Religionem ejus describens ita instituit, ut eam tantum non quod ad sententias de Deo & puriorem illius cultum Judaicæ æquiparet. Hypotheses ejus sunt, *Aborigines Medos & Persas in primo suæ Religionis fundamine ab antiquo bene initiatos fuisse in cultu veri Dei*; (Cap. I. p. 16.) eundem illum cultum in sequentia sæcula propagasse, & inter Gentes cæteras, ad idololatriam prolapsas, tuitos esse: sed si quæ vitia in eum irrepserint, instauratum purgatumque esse à Zoroastre, sapientissimo Viro, qui veræ Religionis principia diligenter inculcarit: illum circa tempora Cyri aut Darii Hystaspis floruisse, & forte Judæorum Exulum commercio usum: ipsos tamen Persas Religionem suam arcessere ab Abrahamo; quod non rejicit Vir Doctus, sed, frigida sane opinatione, probabilitatem traditioni conciliat ex Gen. XIV. 1—15. Regis Elymaïdis inter alios ab Abrahamo cæsi: Veterem historiam omnem quæ Persis imputat Cultum *Solis, Ignis*, aut *Elementorum*, fallere: cultum *Mithræ* sive *Solis* & *Ignis*, mere apud ipsos fuisse *civilem* & *cærimonialem*: solum Deum Cœli & terræ Dominum illos in omnibus precibus & invocationibus suis adorasse: hanc caussam esse, cur Deus Cyrum ut veri Dei cultorem *vocaverit* ad destruendum Imperium Babylonicum: (Jes. XXI. 1.) idem liquere ex exemplo Darii Medi, qui verum Deum agnoverit, Dan. VI. 27. & quæ his similia multa per totum Librum ubique recurrunt, paucis in omni sua θεοφορίᾳ persuadenda. Equidem verum est & agnosco, secundum traditionem Veterum Persas cultum Divinum purius obiisse, quam alias Gentes: nulla *Templa*, *Statuas*, & *Aras* quoque, ut Herodotus ait, (Lib. I. C. 131.) habuisse, nullos *humanæ formæ* aut ex *hominibus natos Deos* adorasse; atque adeo *Idololatriam* aliarum Gentium odisse; atque, ubi usu venit, exterminasse: quare ipse quoque in ostendendo *Implemento* prophetiæ adversus *Babylonem* (Cap. XLIII.) & *Ægyptum*, (Cap. XIX.) observavi; Deum Persis ut Ministris executoribus Judiciorum suorum hic præ aliis Populis usum videri, quod idololatriæ osores essent: verum, si qua fides Historiæ Veteri, non licet illos immunes præstare à *cultu Solis*, in quo illi

Forte cogitari posset, aliquem Deorum Patriorum Cyro opem præstitisse: sed quam cogitationem Deus prævertit.

quis, *Mithra*, *Sol*, aut *Mars*, quem Strabo quoque huic Genti dat, Cyro aliquam opem tulit, & hanc rem promovit! Negat Deus Israëlis, Redemptor sui Populi, sibi solus veræ Divinitatis conscius. *Ego*, ait ℣. 5. *Jehova, & nemo præterea. Præter me nullus est Deus. Cinxi te, at tu me non noveras.* Sic distinguenda est sententia. Deus Israëlis solus hunc casum in omni circumstantia sua prædixerat: Cyri nomen expresserat; Chaldæos contraria vaticinantes refutaverat; idque fecerat solus, cæteris Diis aut Deorum Vatibus silentibus: unde merito sibi soli, omni alia Divinitate exclusa, hunc vindicat effectum. Est autem perinde, sive verba accipias ut *Patris in communione Filii*; sive *Filii in communione Patris* & *Sp. S. Is* CINXERAT *Cyrum*, licet ei hactenus non innotuisset. h. e. instruxit illum animo, fortitudine, robore, viribus, facultatibus, ad hoc negotium gerendum & consilia sua exequenda. Phrasis, ut jam supra monui ad ℣. 1. pertinet ad militiam. *Baltheus* olim & *cingebat* ac *constringebat lumbos* eosque hac ratione *firmabat*; & gerebat *arma* ab eo pendentia. Jobi dictum est, huic analogum, Cap. XII. 18. *Solvit* (Deus) *vinculum Regum*; *& vincit baltheo lumbos ipsorum.* Utrumque opus Dei, exitus omnium operum & eventuum humanorum definientis. Confer prophetiam de Eliakimo Cap. XXII. 21.

Quo sensu Deus Cyrum *cinxerit*?

Phrasis pertinet ad *militiam*.

Documentum quod in his verbis Vatis latet: Fata majorum Imperiorum Mundi respicere Statum Ecclesiæ.

En magnam sententiam Vatis! Fata Imperiorum & Regnorum Mundi à Deo disponi cum respectu ad Ecclesiam; quæ sæpe efficit in Mundo cœtum hominum minime spectabilem, Potentiorum Potestati subjectum, & varias status sui subeuntem vicissitudines. Et tamen hic locus id clarissime adstruit de Imperio Babylonico à Perso-Medis destructo; idemque Jeremias in *Concione sua Prophetica* de *Casu Babylonis* [a], & *Habakukus* [b] clarissime docent: De *Perso-Medico* Zacharias [c], & de Macedonico & ex eo natis Regnis, & Romano quoque, Daniel per totum Librum: ne de Zacharia, & Propheta nostro dicam. Suffragatur *Apocalypsis* S. Joannis. Ratio ipsa id probabile facit. Si enim *Ecclesia* is unus sit in Mundo Populus, quem Deus Paterna Providentia curat ac sustinet: quæ nostra est hypothesis: credibile est, eum in constituendo ordine & Fatis humani generis, ejus statum & fata respexisse. Equidem id hominibus, qui Gesta atque Eventa Mundi oculo carnali inspiciunt, valde paradoxum videtur: etsi nemo veræ sapientiæ studiosus inficias ire ausit, in successione magnorum Imperiorum Mundi observabilem esse *Destinationem*; quod ipsi quoque illi Principes cum quibus Imperia magna cadebant, perspexerunt & agnoverunt. Et tamen satis intelligo, Deo consilia sua libranti hunc unum respectum non esse obversatum. Plures concurrerunt: sed hic præcipuus fuit.

In Successionibus magnorum Imperiorum Mundi conspicua est *Destinatio*.

Finis generalis.

Finis generalis electi emissique Cyri adversus Babylonem, ℣. 6. Deus volebat hoc Opere *innotescere Gentibus*.

Quomodo id fieri potuerit, vel factum sit?

℣. 6. *Ut cognoscant à Sole Oriente, & Occidente, nihil esse præter me: Ego Jehova, & nemo amplius.* ℣. 7. FORMANS LUCEM & CREANS TENEBRAS: *faciens pacem, & creans malum. Ego Jehova facio hæc omnia.*] Probabile est, Judæos, cum essent in Exilio Babylonico, & oculis suis viderent evenire, quæ Vates noster hic loci clarissime prædixerat, & post ipsum alii Prophetæ, fecisse ut Gentes, in quarum commercium veniebant, has prophetias viderint, earumque sensa perceperint; ut eas adducerent in fidem veri Dei: nec sane intelligimus, qua alia ratione potuerit esse motus Cyrus ad Populum Judæum tam honorifice vindicandum in Libertatem & remittendum in terram suam, nisi hac ipsa quam jam proposui. Non adeo multum tribuo Josepho ad affirmanti; sed argumentum peto ex re ipsa. Edicta autem vel Literæ Publicæ Darii Medi, Cyri, Darii Hystaspis, Artaxerxis, quibus Judæorum res Gentibus omnibus tanto Imperio subjectis commendabantur, Populorum excitare debuerunt curiositatem, ut quærerent, quæ qualisque hæc esset Religio? quæ illius præ aliis præstantia? Ecquis Deus Israëlis JEHOVA, (in *Edictis* expressus,) à cæteris Diis Gentium distinctus? Quid moverit Cyrum, quod Judæos Literis publicis prolixe adeo honorarit, eosque humanitate & liberalitate insigni prosequutus sit? Atque hæc viam stravisse ad fidem veræ Religionis Gentibus persuadendam & Proselytos alliciendos ad communionem Populi Dei, inter Babylonios, Persas, Medos, ac dein Ægyptios, Syros, Asianos: nullatenus est dubitandum. Singularem animadversionem meretur, quod additur: *Ego Jehova, &* NEMO ALIUS, ℣. 6. *Formans* LUCEM, *& creans tenebras, & seqq.* h. e. prospera & adversa solus pro voluntate mea secundum gratiæ & justitiæ meæ canones dispenso. Quorsum vero illud? Equidem quo quo modo sumpseris: epitheton Dei non est à re alienum; imo materiæ, de qua agitur, sive Judæorum, sive Babyloniorum respectu, optime convenit. Et tamen est in hac sententia insignis quædam emphasis, si jam hoc tempore inter Philosophos Persas vulgata fuerit sententia, duo esse prima rerum Principia, vel συναΐδια *coæterna* & potestate æqualia, vel sibi invicem subordinata, alterum BONI, alterum MALI; alterum LUCIS, alterum TENEBRARUM; quorum *illud* dispertiatur mortalibus bona, læta, prospera; *hoc* adversa, tristia, injucunda: *illud* spectandum sit ut fons veritatis, puritatis, lætitiæ & veræ felicitatis; *hoc* ut caussa errorum, vitiorum, & confusionis omnis. Plutarchus explicat sententiam prolixe in Libro de *Osiride* & *Iside*; docetque, Persas Principium *Boni* appellasse Ὡρομάζην: *Mali* vero Ἀρειμάνιον [d]: sive, Principium Boni Θεὸν DEUM; Mali Δαίμονα DÆMONEM, Diabolum. Eruditus Vir qui de *Religione Persarum Veterum* commentatus est, nomina *Diaboli* ex Persarum scriptis recensens [e], primum illorum ponit *Ahriman*. Docent tamen puriores, Principium Mali Bono esse subordinatum, & aliquando penitus subigendum: tum quoque, quod huc pertinet, *Oromazen* natum esse ἐν τῇ καθαροτάτῃ φάει *ex luce purissima*, & *Arimanium* ἐν τῷ ζόφῳ *ex caligine*. Videri insuper possunt quæ Doctissimi Viri, Stanlejus [f] & Hyde [g], ad hanc doctrinam monuerunt. Vix autem est ut dubitem, doctrinam illam esse antiquissimam, cum eandem & Ægyptii & Chaldæi quoque Philosophi tenuerint; & ex Ægyptiæ & Persicæ Philosophiæ lacunis eandem purissimæ Christi Jesu doctrinæ postmodum miscuerint plerique Gnostici, Marcionitæ, & Manichæi. Plutarchus quidem eam inter Persas arcessit à Zoroastre, quem illos ait Bello Trojano antiquiorem facere: sed apud me fidem non obtinet. Certe cum Zoroastres fuerint plures, celebris ille hujus nominis recte refertur ad tempora Cyri: qui si talis sit qualem Veteres eum describunt, de Natura Divina sane sensit, & Dæmones ei subjecit. Sed fuerunt alii qui hanc doctrinam pessime interpretati sunt, quorum respectu Deus verus hic rectissime dicit, se solum Jehovam producere *lucem* & *tenebras*; *pacem* & *malum*. modo hic excludas *peccata* & *vitia*, quæ sunt ex homine. Αἰτία τῷ ἑλομένῳ, Θεὸς δὲ ἀναίτιος: secundum egregium

Rationes quæ moverint Cyrum ad Populum Judæum liberandum, unde petendæ?

Pericopa hæc inde illustratur.

Quorsum illud, quod additur: *Formans lucem & tenebras, &c.* ℣. 7.

Veterum Persarum opinatio de *duobus Principiis*: *Bono & Malo*.

Sententia exponitur.

Plutarchus in rem adductus.

Antiquitas illius sententiæ.

Potuit Jesaias ad illam hypothesin hic alludere.

censuerunt esse thronum summi Dei, cuique consecrarunt *equos*; & à cultu *ignis*, quem in *Pyreis* (Πυρείοις) suis servarunt, & studiosissime coluerunt, veri emblematis Solis: quod studium Vir eruditus male comparat cum *cura Ignis*, à Judæis conservandi in *Ara Holocausti*. Xenophon quoque illud in historia, forte scenica, Exitus Cyri supponit, quando Cyrum precantem facit: (Κυρ. Lib. VIII. p. 233.) *Jupiter Patrie, tuque* SOL, *& vos Dii universi*. Nec sane Darius Medus, Deum illum, quem colebat Daniel, vocat *Deum suum*, veluti Deum Patrium, sed DEUM DANIELIS. Forte tamen Zoroaster (Zerdusht,) aliique Philosophi eximii apud Persas, quos tum ipse Vir Doctissimus, tum Stanlejus, recensent, (*Phil. Orient.* Lib. II. Cap. I. seqq.) disciplinam Religionis & de Religione sententias, multum purgarunt: sed quæ disciplina potissimum viguit apud Magos, sive Philosophos, qui suas de Religione sententias apud omnes fere Gentes secreverunt à superstitione vulgi. Putem etiam, Reliquias Persarum Veterum, quæ adhuc supersunt, licet se à Muhammedanis separent, superstitionem antiquam *Solis* & *Ignis* post Persiam à Saracenis occupatam, mitius interpretatas esse.

a Cap. L. LI. *b* Cap. I. II. *c* Cap. IV. 7. & VI. 1. 2. seqq. *d* De *Isid.* & *Osir.* p. 369. *e* Cap. XIII. *f* De *Phil. Orient.* Lib. II. Cap. VI. *g* De *Relig. Vet. Pers.* Cap. XXII.

gium Platonis scitum. Hæc doctrina Scripturæ S. constans est de *Deo* [a], cui ratio suffragatur. Providentiæ ejus nihil eorum quæ inter mortales geruntur, est exemptum. Nullum hic est principium diversum: solus administrat omnia. Angeli enim sunt providentiæ ejus ministri & judiciorum ejus executores. Ipse *formavit lucem*, ubi Israëlitas eduxit ex *Ægypto*; & *creavit tenebras*, ubi eos misit in Exilium Babylonicum: *fecit pacem*, ubi Babyloniis indulsit per aliquot annos florentissimum imperii statum; & *creavit malum*, ubi in eos induxit Medos & Persas. vel, *Formavit lucem*, ubi Israëlitas eduxit ex *Exilio*; & *creavit tenebras*, ubi Babylonios involvit calamitatibus. quæ exempla in analogis omnibus spectari possunt. De *luce* & *tenebris* ut prosperorum & adversorum symbolicis notionibus, nihil moneo, cum ubique occurrant: ut nec de *pace*, receptissimi usus. Solummodo observa, Vatem ubique docte loquentem, de *tenebris* & *malo* adhibere notionem *creandi*, h. e. cum imperio producendi, quia in iis nihil venustum & elegans est: sed *lucem*, rem mirabilem in Natura rerum & jucundissimam, dicere *formari*, quod in ea producenda Deus perfectissimo ingenio suo luserit; & *pacem facere*, quod sit quid perfectum & consummatum, quod mortales ut summam desideriorum suorum optent.

Aspectus penitior hujus loci, ubi Deus dicitur *formare lucem*, & *creare tenebras*.

Quare vox *Creare* de *tenebris* usurpetur; & *formare* de *luce*?

Epiphonema Primum, sive *Chori* Prophetici, sive *Dei ipsius*.

a. Pars ejus *Consolatoria*, qua læta hujus Beneficii Consequentia enarrantur.

Epiphonema, superioribus subjectum.

℣. 8. *Stillate Cœli superne*, & *Nubes tenues manent justitia! Aperiat se terra*, ET FRUCTUOSUM SIT OMNE GENUS SALUTIS, *& pariter proferat germen justitiæ. Ego Jehova illud creavi.*] Subjicitur luculentæ huic prophetiæ *Epiphonema*, tam *Consolatorium*, quo insignia Consequentia hujus Beneficii declarantur, his verbis quæ descripsi: quàm *Elencticum*, quo redarguuntur Censores viarum Dei erga Ecclesiam, qui damnantes consilium Dei de Populo suo in Exilium mittendo, magnificis hisce promissis parum tribuebant, ℣. 9. 10. Quæris, cui Personæ hoc *Epiphonema* tribuendum sit? Sane in id maxime propendeo, ut adscribam *Choro Angelico* vel *Prophetico* Doctorum Publicorum; (est enim argumenti Prophetici:) quia similis interpellatio *Chori* occurrit, ℣. 15. Sed cum sententia *hujus commatis* his claudatur verbis: *Ego Jehova creavi illud*; plerique Intt. illud ipsi Deo attribuunt; cum alioquin nihil obstet, quo minus hæc oratio Deo tribuatur. Et tamen hæc verba non destruunt sententiam quæ hoc *interloquium* vindicat Choro Prophetico, quia facile sic accipi possunt, *Ego Jehova*, inquit Dominus, *illud creavi*. Sed cum hic fidenter procedere non audeam: rem in medio relinquo. Est autem in verbis, quod expediri meretur, antequam ad vim sententiæ declarandam accedam. Primum membrum nullum interpretationis dubium habet; sed in constituenda versione *medii* sententiæ *membri* diversa sunt Intt. judicia, quæ tamen, si sensum ipsum spectes, qui hic dubius non est, fere in idem exeunt. Interpres Alexandrinus hic multo felicius partibus suis functus est quam aliis locis; verum Hieronymus magnam affectavit singularitatem: sed operæ pretium non duco illos attingere. Hebræa ita se habent: חפתח ארץ ויפרו ישע וצדקה תצמיח יחד quæ ego vertenda puto: *Aperiat se terra*; *& fructuosum sit omne genus salutis*; (proprie, & *fructuosæ sint salus:*) *& pariter proferat* (sc. terra,) *germen justitiæ*. vel, *& justitia germinare faciat* germen suum. Convenit autem hæc versio nostra dispositioni *accentuum* Masorethicæ, à qua temere non discedo. Et discedunt tamen alii, qui hærentes in *constructione* vocis *pluralis numeri* יפרו *fructuosa sint* vel *fructificent* cum notione singularis numeri ישע *Salus*, verba in hunc modum transferunt: *Aperiat se terra, & proveniant salus & justitia*, quas *germinare faciet* terra *simul*. Sic est in Pagninianis Vatabli. Fere eodem modo Piscator: *Aperiat se terra, ut enascantur salus & justitia. producat* illas *simul*. Sic præiverat Kimchius; & Versio est tolerabilis. Et tamen *a.* pugnat cum distinctione Masoretharum, qui vocem ישע notarunt *accentu Zakeph*. β. Versio relinquit ellipsin *relativi* in voce תצמיח, quæ hoc in loco durior. Jun. & Trem. vitaturi hæc incommoda: *Aperiat se terra & terrestria edant fructum salutis, justitiaque efflorescat simul*. Sed ipsum quoque illud supplementum in voce *terrestria* valde est coactum. Si Propheta id dicere voluisset, scripsisset plane, ut scribere poterat: תפתח ארץ ותפרח ישע *Aperiat se terra, & fructificet salute*. ut οἱ ὁ. acceperunt: Ἀνατειλάτω ἡ γῆ καὶ βλαστησάτω ἔλεος. Sed etsi sensus non multum differat: oportet tamen nos Prophetam sequi, ut scripsit; & semper supponere, orationem ejus sic esse affectam, ut ubique sit optima & summe emphatica. Vox יפרו in verbis Vatis non potest construi cum ארץ *terra*, non tam quod sit *numeri plurium*, quàm quod sit *terminationis Masculini*. Coccejus: *Aperiat se terra, & fructificent salute*, sc. homines. quod ego putem plane adversum esse figuræ Vatis. Fictio enim ejus eo tendit, ut *cœlis* justitiam rorantibus, *terra* se aperiat, & hunc *rorem justitiæ* accipiat, atque adeo ipsa producat justitiam & salutem: non ut *homines fructificent salute*, sed ut *terra in gratiam hominum salutem progerminet*. Vide quid hic tentaverit Grotius. Sic vertit: *Aperiat se terra, ut fructum proferant salus & justitia. Hæc simul germinare faciet is, quem Ego Dominus creavi*. Non cogitavit Vir Illustris nimium festinando vocem תצמיח esse *terminationis Fœminini*, atque adeo non posse referri ad Cyrum. Nostra Versio id dubii habet, quod vocem *terminationis pluralis* יפרו *fructuosa sint* construat cum voce *singularis numeri* ישע *salus*. Sed id facile est expeditu. Cum enim vox ישע *salus* non admittat terminationem *pluralis*: Propheta voci junxit verbum *pluralis numeri*, ut hoc ipso doceret, se intelligi velle *omne genus salutis*. Vide simile exemplum Cap. XVI. 4. חמו רומס מן הארץ *Defecerunt conculcator è terra*. Singulare est *collectivum* frequentis usus apud Hebræos. Docti Interpretes Belgæ mihi hic consentiunt: etsi sequens membrum vertentes, *Et justitia simul efflorescat*: aliquantum discesserint à significatione vocis תצמיח, quæ terminationis *Hiphil* non notat *efflorescere*, sed *efflorescere facere*, *progerminare*. Vertendum itaque, *Et simul justitiam progerminet*; cum respectu ad *terram*: vel, *Et justitia simul progerminet* sc. germen suum.

Medium sententiæ membrum dubiæ versionis.

Versio constituta.

Versiones aliæ: Vatabli, Piscatoris, &c.

Ad eas animadversio.

Vox יפרו hic non est construenda cum voce ארץ *terra*.

Fictio Vatis in h. l. declaratur.

Versio Ill. Grotii, quæ non caret vitio.

An vox ישע *salus* recte construatur cum voce *pl. numeri* יפרו?

Dubium expeditur.

Constituta versione, videndum est de sensu illustris sententiæ. Videt quisque orationem esse figuratam: figuram autem esse singularem, quæ rarius occurrit, quippe quæ continet fictionem valde hyperbolicam. *Cœli* hic jubentur à Deo, vel ex voto Ecclesiæ, *justitiam* instar *roris* demittere de *cœlo*: *terra* autem *clausa* se *aperire*; & ex rore justitiæ gravida facta, *salutem*, *justitiæ* sororem, hominibus producere ac *justitiam* progerminare. Roborat *mandatum*, sive *Votum Propheticum* Ecclesiæ, (id enim quod ad sensum idem est,) Deus, subjiciens ad confirmandam fidem piorum, se *illud creasse*. Fictionis exemplum nullum est in Sacris, ut putem, quod huc propius accedat præter id quod de Salomone mystico occurrit Ps. LXXII. 6. *Descendet sicut pluvia in defectum gramen, & sicut minutæ ac densæ guttulæ* (ψεκάδες,) *irrigant terram*. Attamen multum hic dissimile est; ut quisque facile viderit. Insolentia autem *figuræ* nos jubet cogitare de illius origine: quod non observavi curæ fuisse Commentatoribus hujus loci. Forte tamen non errem, si dixerim, peculiarem usum vocis צדקה *justitiæ* ei occasionem dedisse. *Pluvia* enim, sive *prima*, hoc est, *autumnalis*, מורה *informans* Hebræis dicta; sive *serotina*, מלקוש sementi proxima, si sufficiens, larga, justa, liberalis esset, videtur Hebræis dicta esse גשם צדקה *Pluvia ju-*

Ad rem ipsam propius acceditur.

Figura est singularis, quæ clare proponitur.

Exemplum fictionis simile ex Ps. LXXII. 6.

Illius origo forte petenda ex peculiari notione vocis צדקה.

[a] Thren. III. 37. 38. Amos. III. 6. Deut. XXXII. 39. 1 Sam. II. 6. 7.

Vox illa usurpatur de *pluvia liberali.*

Locus Joël. II. 23.

stitiæ, sive *justa*, liberalis; suntque plures ex Doctis, inter quos Drusius *a* noster, qui eum in modum acceperunt phrasin Joëlis, Cap. II. 23. מורה לצדקה *Pluviam primorem* AD JUSTITIAM. h. e. largam, liberalem, copiosam; dum sequitur: *Et descendere vobis faciet pluviam primorem, & serotinam mense primo.* Certe si per מורה לצדקה ibi intelligatur *Doctor justitiæ:* quod non ausim abnuere: nullus tamen dubito, quin Propheta ἐμφάσεως caussa, metaphorice loquutus fuerit, & sub illa loquendi formula duas res spectari voluerit. Sed esto illud, ut cujusque tulerit arbitrium.

Sensus Emblematis mysticus per *positiones* quasdam declaratur.

Sensus emblematis, sive fictionis nostræ in has positiones resolvitur. Velle Deum, α. Ut cum Liberatione Populi à Cyro efficienda, sive post illam liberationem & post tempora Cyri, major conjunctio sit inter cœlum & terram, quam fuerat ante. β. Ut *justitia* tanquam *donum cœleste* ex *cœlis* in *terram* large & placide mittatur, & se inter homines late diffundat. γ. Ut animi hominum disponantur ad illud *donum justitiæ* recipiendum. δ. Et ut iidem homines cum *justitia* & medio *justitiæ* participes fiant *salutis*, quam Deus Mundo & Populo suo paraverat. ε. Ut omnes *caussæ cœlestes & terrestres*, quæ hic spectari possunt, ad hoc effectum Providentiæ & *Gratiæ Divinæ* producendum concurrant. Hæ positiones latent in emblemate, & illud explicant. Hypothesis harum positionum est, illo tempore, quo Populus Dei vixerat in Exilio, & Gentes omnes gemuerant sub duro jugo Regum Babyloniorum, veluti *clausos fuisse cœlos*, ut *beneficia justitiæ, pacis, salutis*, ut effecta sive *Providentiæ Dei benignæ* sive *Gratiæ* ejus erga homines, vix visa sint in terris; & *terra*, h. e. homines in terra, dispositi non fuerint ad illa beneficia admittenda. Hoc itaque tempore mutandam esse rerum faciem; alium fore rerum aspectum, aliam Oeconomiam. Id Deum velle, id decrevisse, & per providentiam suam effecturum esse. Quæritur, quænam hæc sit *justitia* & *salus* cujus Propheta meminit? & cui *tempori* conveniat tam luculenta prophetia; & ubi quærendum sit ejus implementum?

Positionum illarum hypothesis.

Cæli veluti *clausi* tempore Exilii Babylonici.

Quid hic per *justitiam* intelligendum; & cui tempori conveniat implementum prophetiæ?

Diversæ sententiæ.

Hic vero idem occurrit quod fere ubique, ut expositio componatur secundum ingenia Interpretum; quorum alii sub magnificis & augustis dictionibus & emblematibus Prophetarum *exiles sensus* condi præjudicant; alii sensus quærunt dictionibus analogos qui earum potestatem exhauriunt. Sunt itaque qui hæc verba tantum referunt ad ipsum illud de quo agitur, tempus Cyri, quippe qui *justus* & *æquus* Princeps Mundo à Deo donatus, faventibus omnibus circumstantiis ad id Providentia Divina dispositis, *justitiam* quæ veluti ex Mundo exulaverat per Babylonios duros & superbos Dominos, *terræ* reddiderit, & cum *justitia* omne genus *salutis* & prosperitatis. qui proin extrema illa, אני יהוה בראתיו vertunt, *Ego Jehova creavi illum* sc. Cyrum, quomodo ipse quoque Piscator in interpretatione exhibet, licet in Versione ipsa habeat, *illud.* Aptius alii, eidem inhærentes hypothesi, per *Justitiam*, in terras è cœlo demittendam, intelligunt ipsam *Redemptionem Populi Judæi* ex Exilio, tanquam Beneficium non tantum Gratiæ, sed & *Justitiæ* Divinæ; quod & *promissum esset* à Deo, & rationibus Divinæ Justitiæ conveniret, Populum non diutius in Exilio relinquere: pariter per *Salutem*, ipsam illam Populi Dei ex Exilio *Salvationem* ac liberationem, ut idem ille Piscator & cum ipso alii instituunt. Sunt qui hæc unice referunt ad Christum Jesum, & Beneficia Oeconomiæ Novæ; veluti Propheta à Liberatione temporali se evehat ad Beneficium Liberationis spiritualis, tanquam consequens Liberationis temporalis ex Exilio Babylonico. Veteres passim in hac sunt sententia, qui rotundis etiam verbis Cyrum spectari volunt ut typum Christi Jesu, vel in Cyro spectari volunt Christum; sed qui ubi ad singularia membra hujus Pericopæ de *descensu Christi Jesu in terras* & *apertura terræ* explicanda veniunt, multa huc vaga & aliena de Christo concepto & nato ex sanctissima Matre Maria, adferunt; ut Sanctius. Purius Coccejus noster, qui in hæc verba commentatus τὰ ἄλλα γένεσ excluserit. Posset disputatio hæc in longum trahi: sed instituti memor judicium meum thesibus quibusdam demonstrandis complectar.

Sunt qui Cyrum hic respiciunt.

Versio vocis בראתיו secundum illam hypothesin.

Alii unice ad Christum Jesum, & Regnum ejus applicant.

Veterum sententia.

Theses definientes vérum sensum. Beneficium. hoc non est referendum ad Statum externum Populi Dei sub Imperio Perfico.

α. Beneficium his verbis prædictum, (sive Voto Prophetico Ecclesiæ, sive Imperio Divino,) non esse generatim referendum ad Statum externum Populorum & Gentium in Mundo, sub Imperio Persico; sed ad Statum Populi Dei. Sane si Imperatores omnes Persæ, successores Cyri, ejusdem ingenii fuissent & indolis, cujus hic Princeps; cogitari posset de hoc sensu. Imperium ejus quà Monarchæ constitit paucis annis; & Successores ejus passim fuerunt *duri Domini b*, Populis aliis, & ipsi quoque Populo Dei, graves, ut Oeconomia Mundi *Dominos* mutaverit magis quam *Statum. Justitia* & *Salus* (beneficia externa,) se non multo magis diffuderunt per terras sub Imperio Persico, quam sub Assyriaco. Accedit quod *salus*, hic memorata, necessario referenda sit ad Ecclesiam; atque adeo ipsa etiam *Justitia.*

Rationes ejus sententiæ.

Per *Justitiam* hic intelligenda est *Justitia* vera, gratuita *Remissio peccatorum* in *Redemptione Messiæ*; quæ hic *salus* dicitur.

β. Per *Justitiam*, ut donum cœleste, ex cœlis descensuram in terram, & terram fœcundaturam, intelligendam esse τὴν δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης *Donum Justitiæ*, h. e. Gratuitæ Remissionis Peccatorum conjunctæ cum Gratia Spiritus S. ad illuminationem, fidem, sanctimoniam; & per *salutem* hujus Justitiæ consequens hic loci præcipue intelligi *salutem* veram & antitypicam, quæ cum hoc beneficio conjungitur, in *Redemptione spirituali* Populi Dei Electi: sic tamen, ut in primo & literali sensu aliquis possit esse respectus *Redemptionis typicæ & Liberationis Populi Judæi* ex *Exilio Babylonico.* Quæris demonstrationem hypothesios? Peto eam ex ipsa hac prophetia, quæ per se ipsam interpretanda est. Sic ipse Vates in fine ejus Filium Dei magnifice loquentem introducit *c*: *Respicite ad me, & SALVAMINI omnes fines terræ.* Mox *d*: *Per me juravi; exiit ex ore meo verbum justitiæ*, (constans, verum, enarrans æternum placitum Testamenti Gratiæ,) *quod non revertetur: Mihi incurvabitur omne genu; jurabit omnis lingua: Certe in Jehova, (de me dixit,) est* JUSTITIA *& Robur: ad ipsum ibitur, & pudefient omnes in eum succensi. In Jehova* JUSTIFICABITUR, *& gloriabitur totum Semen Jacobi.* Vides, promitti hic JUSTITIAM & ROBUR, Vim justificandi Deo gloriosam, *Semini Israëlis* & omnibus *Gentibus* cum SALUTE. Estne igitur alia *Justitia* de qua Propheta hic loquitur; alia de qua illo loco? Atqui hoc loco quem adduxi, intelligitur *Gratia Remissionis peccatorum* à Filio Dei impetranda & procuranda omnibus Electis, Judæis & Gentibus, cum *Salute*, eam gratiam sequutura. Conferatur insignis locus Jeremiæ *e*, alioquin satis notus, ubi postquam promisisset Reducibus ex Exilio apparitionem GERMINIS *justi*, Davidi suscitandi, subjicit: *In diebus illis* SALVABITUR *Juda, & Israël secure habitabit; & hoc est Nomen quo appellabitur, Jehova* JUSTITIA NOSTRA. Hæc vero *Justitia* est *donum cœleste*, homini necessarium; *fons* omnis *salutis.*

Hypothesis demonstratur ex ipso Propheta: ex fine Capitis.

Locus Jer. XXIII. 6.

γ. Quod hic dicitur, APERIAT SE TERRA, *ut fructuosum sit omne genus salutis*; h. e. *Aperiat se terra, ut recipiat illam Justitiam*, caussam *salutis*, eamque *progerminet*; sensum ejus esse ajo, Disponatur & præparentur virtute Sp. S. corda hominum per *fidem* & *resipiscentiam*, ad illam *Justitiam*, h. e. Gratiam cœlestem, recipiendam; quippe quæ absque *fide* & *resipiscentia*, & *absque apertis hominum oculis* & *animis f* recipi & admitti nequit: ut homines, hujus *doni cœlestis* participes facti, & vim Divinæ Gratiæ in se ostentantes, medio Verbi Gratiæ alios disponant & præparent ad idem Gratiæ donum per fidem, & resipiscentiam recipiendum; ut adeo fructus *Justitiæ* veræ, se exerens in sanctimonia vitæ, per universam terram longe lateque proseminetur. Sic Propheta loco parallele-

Apertura terræ hic notat dispositionem animi hominis per *fidem* & *resipiscentiam* ad *justitiam* & *salutem* Dei recipiendam.

Metaphora ex analogis illustratur.

a Ad Joël. Cap. II. 23. *b* Confer Cap. XIX. 4. *c* Cap. XLV. 22. *d* vs. 23. 24. *e* Jer. XXXIII. 6. *f* Act. XVII. 14.

rallelo [a]: *Et habitabit in Deserto Jus, &* JUSTITIA *in arvo sedem suam figet.* Sc. post *effusum Spiritum gratiæ*, de quo mentio facta fuerat. Et Poëta Divinus [b]: *Pietas & veritas sibi invicem occurrent*; JUSTITIA *& pax* invicem *osculabuntur. Veritas è terra germinabit, &* JUSTITIA *è cœlo prospectabit.* Eadem figura.

Implementum hujus prophetiæ *inchoatum* tantum quæri potie circa tempus *Reditus* ex Exilio: sed *completum* sub Messia.

δ. Implementum hujus prophetiæ non posse constringi intra limites illius temporis quo Judæi reversi sunt ex Exilio Babylonico, nisi *inchoate*, & tenui sensu; sed verum & completum implementum ejus quærendum esse sub Oeconomia Nova, cum adventu Messiæ in Mundum, & *Justitia* per ipsum adducta, & hominibus è cœlo dono data, medio Verbi Evangelii propaganda per universum Orbem. Cum tempore solutæ Captivitatis Babylonicæ connectitur *prima manifestatio Regni Dei* secundum stylum omnium Prophetarum. *Justitiæ datio ex cœlo connectitur cum Reædificatione Hierosolymæ*, ait Cl. Coccejus hoc loco, idque verissime. Ab illo tempore majus debebat esse commercium inter cœlum & terram quam fuerat hactenus. Cœlum hoc tempore inciperet recludi cum proleptico dono *Gratiæ* Remissionis Peccatorum, quod Populus electus accepit in Liberatione ex Exilio [c]. Deus per Gratiam Sp. S. illuminaret oculos electorum, eosque in fide & amore ad se converteret. Viæ Dei ex lectione & meditatione Scripturæ Sanctæ multo clarius cognoscerentur. Eadem gratia cum notitia veri Dei & fide ac sanctimonia inciperet communicari cum Gentibus, ex quibus proselyti plures se per Populos Religioni veræ & Ecclesiæ Judæorum adjungerent. Hæc proludia essent Manifestationis perfectioris Regni Dei, exspectandæ cum adventu Messiæ, quando *Justitia cœlestis* per ipsum impetrata vulgaretur per totum Mundum, & se per fidem, resipiscentiam, sanctimoniam, late diffunderet, & terra novum acciperet vultum: omnia riderent. Hæc Propheta in complexu vidit; &, quod passim agit, raptus in ecstasin, *implementum inchoatum* cum tempore Cyri in *completo* spectari voluit: & quidem tanquam *opus* & *creaturam Dei* qui sibi illud vindicat. Hæc est enim illa *nova creatio*, quam Sancti exspectabant.

Cœlum circa tempus Reditus ex Exilio Babylonico veluti *reclusum est*, & bona sua communicavit cum terra.

Sed quod tum factum est proleptice, deinceps completum est sub Regno Messiæ.

Geminus aspectus hujus periopæ: sive consideretur ut *jussio Divina*; sive ut *Votum Ecclesiæ*: declaratur.

ε. Esse autem perinde dixi, sive hæc verba accipiamus, ut *Propheticum votum Ecclesiæ*; sive, ut *jussum Divinum*. Sensus enim idem est. Ubi Deus imperat *cœlis*, ut *stillent* sive *rorent justitiam*, causam *salutis*: ipse se, sublimi dictionis figura, veluti subjicit imperio *Legis*, à se fixæ in Decreto Gratiæ; docetque & significat, esse *causas cœlestes*, à quibus hæc gratia unice exspectari poterat; & tempus nunc adesse & appropinquare, quo cœlos hucusque, ut videbatur clausos, sit recluſurus, ad *gratiam*, humano generi negatam, ei liberalius dispertiendam, ad quod ex consilio gratiæ erat obstrictus. Est apud Patrem *Filius*, in quo cujusque respectu gratiam suam cum hominibus communem facit, & à quo gratia mortalibus erat impetranda: est *Spiritus*, qui influere potest in animos hominum ad illos illuminandos, sanctificandos, & in iis producendas affectiones omnes, quas Oeconomia Gratiæ postulat: sunt *Angeli boni*, Consilio Divinæ Gratiæ subservientes, quorum effecta hoc tempore inter homines conspicerentur, ex Decreto, h. e. jussione Divina. Esset hoc tempus *veris*, quo terra se inciperet *aperire*, (voce Latinis Scriptoribus quoque usitata,) & *rorem* fœcundantem, blande irrigantem, alte penetrantem, & universam superficiem terræ cui incumbit, afficientem, reciperet. quæ Gratiæ Divinæ vera attributa nunc non prosequor uberius: minus vero huc refero emblema fictitium Poëtarum de *Astræa*, Justitiæ patrona, cœlesti origine, quæ terras fugerat, iis aliquando reddenda. Neque enim huc pertinet; nec fert religionis & sanctissimi Verbi reverentia, profanorum Scriptorum commenta sacris miscere.

Tempus hoc Ecclesiæ respicitur ut tempus *veris*.

β. Pars Epiphonematis *Elenctica* directa ad Censores viarum Dei.

Articulus primus.

℣. 9. *Væ contendenti cum Formatore suo.* TESTA contendat CUM TESTIS TERRÆ. *Num dicet lutum fictori suo, quid facis? & opus tuum,* NON SUNT IPSI MANUS?] Elenchus hic gemino modo accipitur respectu ad *Subjectum* sive *Objectum*, ad quod dirigitur. Sunt qui illum oppositum volunt Babyloniis, spreturis prædictiones atque interminationes Propheticas, tanquam quæ nunquam sortirentur eventum. Deum enim *non posse efficere* dicebant, quæ magnifice suis pollicebatur. rem esse infra vires ipsius. Babyloniorum potentiam & Babylonem ipsam esse invictam; & quæ his similia. His volunt Prophetam respondere, & demonstrare; esse illos *lutum σχέσει* ad Deum. posse Deum figulum iiscum agere quod lubet. fingere eos & refingere pro placito. Kimchius inter Hebræos, (ipsum Babyloniorum Regem hic appellari, opinatus,) Junius, Grotius, &, quod miratus sum, ipse quoque Glassius, hanc hypothesin tenent. Sed potior pars Interpretum, cui me adscribo, censet, Elenchum hunc refellere censuram iniquorum & malevolorum hominum in Populo Judæo, qui ægre ferentes præsentem Exilii statum, vias Dei erga Gentem Jacobidarum rodebant; simul vilipendebant promissa Liberationis, à Prophetis facta, tanquam non probabilia & non sortitura effectum. Rationes sunt, α. Quia Judæi proprie censebantur esse *opus Dei*, ab ipso tanquam *figulo* productum. Conferatur locus parallelus ex ipso Vate nostro Cap. XXIX. 16. & similis Cap. LXIV. 7. *Et nunc Jehova, tu es Pater noster: Nos sumus* LUTUM, *& tu es* FIGULUS NOSTER. Est oratio Ecclesiæ Judææ. β. Vates hujus rei respectu mox ℣. 11. Deum appellat יוצר *formatorem* & *fictorem* Populi Judæi, his verbis: *Sic dicit Jehova, Sanctus Israëlis,* ויצרו *&* FICTOR EJUS. γ. Confirmat sententiam metaphora ℣. 10. desumpta à *Patre*. Erat autem proprio sensu *Pater Judæorum*. δ. Babylonii vere non *contendebant cum Deo*, h. e. litem ei movebant, verbis cum ipso disputabant, quæ vis est vocis; sed credibile est, eos postquam venerint in notitiam harum prophetiarum, eas accepisse cum fastidio & contemptu, ac Divinæ potentiæ illusisse. quod proprie non est cum aliquo *contendere*. Ergo dicamus, esse Judæos ipsos pessimæ indolis, malignos censores operum Divinæ Providentiæ, ad quos hæc oratio dirigitur. Erant autem duo potissimum, in quibus figebant dentes. Primum quidem, quod Deus permisisset Populum Judæum duci in Exilium. præstitisse, dicebant, Jacobi posteros non assumere in Populum aut educere ex Ægypto, quam eos pro Populo veri Dei agnitos permittere potestati Gentium. Alterum, quicquid Prophetæ jactent de Liberatione Populi ex Exilio: rem neutiquam videri probabilem, & eventum potentia Divina superiorem. Circumstantias enim rerum & temporis non favere amplissimis illis promissis Prophetarum. Quam si teneamus hypothesin: Elenchi sensum non difficulter assequemur. Statutum habeo eum per partes percurrere. *Væ*, ait, Propheta *contendenti cum Formatore suo.* sc. ut mox declaratur; cum Formatori in rem *suam* & potestati suæ subjectam, sit summum jus. Quam late pateat sententia; quibus sit circumscribenda limitibus; & quomodo ad Subjectum, de quo agitur, sit applicanda: mox videbimus. Addit: *Testæ cum testis terræ.* Heb. חרש את חרשי אדמה: quæ ad primum aspectum, ob phrasios analogiam, hanc videntur exhibere sententiam: *Væ testæ quæ* litigat *cum testis terræ.* Sed illa sententia non convenit metaphoræ, & scopo Jesaiæ, neque etiam rei ipsi. Nihil enim vitii habet, *testam* litigare *cum testis terræ*, si justa videatur subesse causa. Interpretes itaque, hanc observantes difficultatem, ab hoc sensu discedunt, & verba sic accipiunt,

Pars altera hujus Epiphonematis *Elenctica*, directa ad Censores viarum Dei, ℣. 9. 10. *Articulus primus.*

De *Objecto* hujus Elenchi diversæ Interp. sententiæ.

Sunt qui eum volunt opponi Babyloniis.

Auctores hujus sententiæ.

Alii Elenchum referunt ad Judæos refractarios, incredulos, censores viarum Dei.

Quæ sententia probatur.

Rationes ejus.

Quid deterior Judæorum pars desiderarit in viis Dei?

Verba Elenchi relegantur. *Væ litiganti cum formatore suo.*

Quæ declarantur. *Testæ cum testis terræ.*

Quæ ad speciem obscuriora videntur.

Quo modo dubium ab

a Cap. XXXII. 16. b Ps. LXXXIV. 11. 12. c Cap. XLIII. 25.

Intt. expediatur?

cipiunt, *Va teſtæ* litiganti cum *Fictore* ſuo, quæ pare conditione eſt, cum *aliis* terræ *teſtis*. nihil plus habet quo glorietur quam aliæ qualeſcunque terræ teſtæ; ut v. gr. ſi de *Babylonio Rege* agatur; qui Rex Babylonius, licet ſe ſuperbe efferat & tantum non ſe Deo æquiparet, Dei tamen reſpectu non eſt major, melior, potentior, quam *aliæ* terræ *teſtæ*: ſi de *Judæis* ſermo ſit; illos licet variis privilegiis à Deo donatos, σχέσει tamen ad Deum, cui totum debent quod ſunt, non aliter ſe habere ac alias *teſtas terræ*. Sic Hieron. *Teſta de Samiis terræ*. paulo doctius quam neceſſe erat, & tamen non præter ſenſum, quem hæc hypotheſis exigit. Nempe *vaſa Samia* ob argillæ præſtantiam olim in pretio erant. Eſt tolerabilis interpretatio; & tamen analogia locutionis in voc. אֶרֶץ aliud quid poſtulare videtur, ut ea relata ad vocem רִב eadem ſignificatione ſumatur in *conſequenti* qua in *antecedenti membro*. Mariana hic adſcripſit, poſſe verti locum, *Teſta cum figulis terræ*: ſi *punctum*, quod eſt in *ſiniſtro cornu* literæ שׂ, transferatur ad *dextrum*, quando Maſorethæ vocem ita ſignare potuiſſent: חָרָשׁ אַדְמָה pro eo quod Codices nunc exhibent, מַחֲרֵשׁ. Docta eſt obſervatio. Non repugnat analogia vocis חרש, etſi non putem ullibi extare phraſin, חרש אדמה *Faber terræ*. *ut Faber, æris, argenti, ligni*, & חרש אבן *lapidis*, ſive in *lapide*. Theodotio, ipſe quoque, ut videtur, impeditus, vere *literam* ש accepit tanquam *punctatam* in *cornu dextro*, vertitque: Ἀροτριῶν τὰς ἀροτριῶντας τὴν γῆν. *Qui arat arantes terram*. Invenuſte. Servat tamen analogiam ſententiæ, *eos* qui contendunt cum *factore ſuo*, idem agere videri acſi *quis arantes terram arare inſtitueret*. Recte Hieronymus, *Frivola interpretatio eſt*. Dicam quod mihi perſuaſum habeo: Repetendam hic eſſe vocem רוב, & ſervandam analogiam ſignificationis vocalæ את, hoc ſenſu: *Contendat teſta*, ſi litigare velit, *cum teſtis terræ*. acſi integre ſcriptum eſſet: יָרוֹב חרש את חרשי אדמה. Sententia optima eſt, & nihil dubii reliquum facit. Sequitur: *Num dicet argilla fictori ſuo*. מַה תַּעֲשֶׂה QUID FACIS? quod dextre eſt accipiendum. Non criminatur *argilla* Figulum quod aliquid *ex ſe* fingeret: cenſetur enim in ſimilitudine hac parabolica *noſſe*, ſe ad id deſtinatam eſſe; nec adeo criminatura eſſe *figulum*, ſi ex ſe faceret *vas* εἰς τιμὴν *ad decus* [a]. Sed cum videat figulum ex ſe facere vas ad uſus inhoneſtos, informis & indecoræ ſpeciei: materiam ſive potius occaſionem criminationis habet, etiamſi veram rationem nullam. Quare verba, *Quid facis?* proprie exponenda ſunt, *Qualem me facis?* cur me facis *ita?* Sic Apoſtolus accurate perſpiciens ſenſum Prophetæ locum accepit & interpretatus eſt, cujus verba mihi non ſunt negligenda. Ita ille diſputans pro jure Dei [b]: *Num dicet figmentum fictori*, Τί με ἐποίησας οὕτως; *quare me* ITA *finxiſti? An non habet jus figulus in lutum, ut ex eadem maſſa faciat, aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?* Hic verus ſenſus Vatis. Quod autem ait Propheta, *Num dicet*: idem eſt quod *Num dicere potcrit cum ratione*? an jure & merito dicet? Etiamſi enim velit in meliorem uſum ficta parataque eſſe argilla: an tamen ulla ei ſupereſt querelæ aut criminationis materia, ſi ſecum expendat, totam ſe eſſe ſub poteſtate figuli. ei in ſe eſſe jus ſummum. poſſe illum cum eo quod ſuum eſt facere quod vult? Plus eſt in eo quod ſubjicitur: Num dicet *opus tuum*, *non ſunt ei manus?* Heb. ופעלך אין ידים לו Simplex videtur ſententia quam plures amplexi ſunt: *An dicet opus tuum* qualecunque, *non ſunt manus ei*, ſc. operanti, factori meo. quando emphaſis cadit in vocem פעל *opus magnum*, molimen, quod non abſque magno labore & opera parari potuit. Idne opus dicere auſit, non ſunt ei qui me fecit, *manus?* ſc. ad illud conſervandum, defendendum, deſtruendum, aut ſimile aliud de novo parandum. Dictum abſurdum; & quod tamen in apodoſi optime refertur ad Iſraëlitas, Dei non ſapientiam tantum, ſed & potentiam in dubium trahentes, vel negantes, ut mox videbimus. Poterat eſſe ſecundum hunc ſenſum, *Non ſunt tibi manus*. Sed enallage hæc *perſonæ* nihil inſolens habet. nulla lingua aut oratio eam reſpuit. Veruntamen hic quoque Intt. varia divortia faciunt. Eſt Vir Doctus [c] qui mavult: *Et opus tuum, Non ſunt manus* לו *ad ipſum*. h. e. Quid facturus eſſes, cum ad opus tuum nullæ ſint manus. Senſus, cum vires te deficiant, & ſis imbecillior quam ut præſtes ea quæ te præſtiturum dixiſti. Sic *opus* hic non eſſet *opus perfectum*, ſed *inchoatum*, quod meditatur artifex vel figulus. Non placet ſententia. Antequam enim opus effectum eſſet, materia operis cenſetur poſſe de facultate artificis aut fictoris dubitare. Int. alii, defenſuri auctoritatem Hieronymi, qui verterat, *Opus tuum abſque manibus eſt*: vel ita accipiunt, Opus tuum tam eſt rude & impolitum, tam male tornatum, ut *pedibus* potius quam *manibus* factum videri queat, ut Sanctius; vel *Opus tuum abſque manibus eſt*, h. e. abſque anſis, imperfectum, impolitum. quæ coacta ſunt. Poſterius etiam ſi ſubſiſteret, debebat eſſe, אין ידים לי *Non ſunt manus* MIHI. Kimchius verba Regi Babylonio aptans, illum dicere facit: Se eſſe opus factum abſque manibus. ſe ſtare ſolo. nihil Deo aut alteri cauſſæ debere. perſuaſiſſe enim ſibi, nullius manus ſe finxiſſe. Sed errat in ſubjecto. Aben-Ezra, ut hoc membrum ſententiæ conforme præſtet antecedenti, verba refert ad *poteſtatem*, non ad *potentiam fictoris*, hoc ſenſu in quo acquieſcit: פעלך בלא ידים נעשה כי אין לך ממשלה בו לעשות רצונך *Opus tuum factum eſt abſque manibus, quia nulla tibi in illud eſt poteſtas pro arbitrio tuo illud tractandi* aut *formandi*. Sed ידים *manus*, ſtylo Scripturæ, notant *potentiam*, non *poteſtatem*: quæ diverſa ſunt. Non diſcedo itaque à prima interpretatione, convenientiſſima τῇ ἀποδόσει hujus ſententiæ; quam tradam ſimul atque ſententiæ verba eodem tendentia interpretatus fuerim.

Hieron. paraphraſis.

Animadverſio ad ſtructuram orationis Hebrææ quæ vulgatæ interpretationi non favet.

Obſervatum Marianæ; & ad illud ἀπίκρισις.

Verſio Theodotionis, & de ea judicium.

Probabilior interpretatio & facilior.

Num dicet argilla figulo, Quid facis?

Hypotheſis ad veram intelligentiam ſententiæ neceſſaria producitur.

Locus Pauli Rom. IX. 21. cum hoc comparatur.

An dicet, hic eſt, *Num dicere poteſt cum ratione?*

Et opus tuum: Non ſunt ipſi manus.

Sententia verborum prima & proxima.

Applicatur ad præſens ſubjectum.

Alia interpretatio Glaſſii.

Diverſæ aliorum.

Expoſitio Kimchii.

A. Ezræ.

Prima interpretatio ut ſimpliciſſima probatur.

Articulus alter.

℣. 10. *Væ ei qui dicit* PATRI, QUID GIGNIS; *&* MULIERI QUID PARTURIS?] Sententia à quibuſdam, inter quos Piſcator & Belgæ, tam facilis intellectu habetur, ut ſenſum ejus exponere, curæ non habuerint. Et tamen plerique eam ſiniſtre acceperunt. Inhæret hic Interpretibus, ſententiam Vatis ſic eſſe capiendam, ut *filius* hic inferatur *incuſare Patrem* aut *Matrem*, quod ſecundum Legem naturæ ſimile ſui gignere inſtituant. Sed cum abſurdum videatur, *filium* antequam genitus eſt, criminationem inſtituere adverſus *Patrem* aut *Matrem*, quod ſibi generando operam dent vel dare velint: plerique Intt. comparationem hic ſumi cenſent à Filio, qui cum forte *deformis*, *debilis*, *infortunatus* à Parentibus editus ſit, vitio vertit parentibus quod ſe genuerint, ita *affectum*. Sic Forerius, Sanctius, alii. Cenſeo, interpretationem ferri poſſe, ſi quæ melior eam non jubeat loco cedere. Aben-Ezra tamen accipit de Filio adhuc generando. Verba ejus: או יאמר הבן לאביו קודם שיולד מה תוליד ולאשרה שהיא אמו מה תחילין וכו׳ *Aut num dicet filius Patri ſuo antequam natus fuerit, quid generas; & mulieri quæ eſt mater ejus quid parturis?* Sed *filius* antequam *natus fuerit*, non eſt *filius*: nec eſt probabile, Vatem comparatione uti voluiſſe, cui nulla plane ſubeſt ſpecies. Ergo obſerva, Prophetam non dicere, *Væ filio qui dicit Patri ſuo*, aut *Matri ſuæ*: ſed ſimpliciter, *Væ* qui dicit *Patri*, qui jam genuit liberos, ineptus es ad plures generandos; ſive, ut Grotius, cui hic laudem ſuam merito tribuo; *non poſſes generare*; aut *fœminæ*, non potes *parturire*. quæ vera eſt ſententia Vatis, & in *Apodoſi*, ad quam nunc tranſeo, optimam interpretationem admittit.

Articulus alter, ℣. 10. *Væ ei qui dicit Patri, Quid gignis? &c.*

Primus ſenſus qui ex ſententia videtur emergere.

Qui cum difficultatem involvat: ex aſſumpta hypotheſi exponitur.

A. Ezræ interpretatio.

Sententia Vatis in medium producta.

Criminationes Judæorum incredulorum, eorumque ingenii maligni, vituperantium rationes Divinæ Providentiæ erga Populum ſuum, hic à Vate, ſive à Deo, quem ille loquentem facit, refelluntur. Prima hæc erat, ut jam prænonui, Non videri Deum, qui appellari

Similitudines Prophetæ ad Subjectum præſens applicantur.

[a] Rom. IX. 21. 2 Tim. II. 10. [b] Rom. IX. 20. 21. [c] Glaſſ. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. II. Can. XXV.

Prima Judæorum *criminatio* adversus Deum, Quod Populum Judæum non fecerit majorem, ditioremque; quodque eum oppressi fuerint ab hostibus.

pellari volebat *Fictor* & *Factor Populi Judæi*, recte instituisse, quod Judæum Populum nec ditiorem fecerit, nec florentiorem, nec potentiorem; & denique quod eum opprimi siverit ab aliis Populis potentioribus, Assyriis & Babyloniis, & ab iis duci in Exilium. His respondet Propheta, idem esse, ac si *argilla contenderet* cum Figulo ac diceret *fictori*, *cur me facis* ITA? Ut autem *argilla* iniqua est contentio cum Plaste suo, quippe in quam potestati ejus subjectam & *suam*, jus ei est absolutum: sic pariter absurdum esse, Populum Judæum se miscere rationibus consiliorum Divinorum. Ut enim Deus eum finxit: sic, si id postulent rationes Justitiæ ejus, posse hoc suum opus *destruere*; & posse idem *refingere*, ut nunc constituit agere per Cyrum. Jeremias comparationem hanc perfecte illustrat, & in hunc ipsum flectit sensum, in prophetia Cap. XVIII. 2. 3. seqq. cujus expositio nullum hic dubium reliquum facit. Eodem plane tendit altera comparatio ℣. 10. *Væ* qui *dicit Patri*, *quid generas*, *&c.* si sequaris interpretationem primam, quam Sanctius cum pluribus communem habet. Iniquum enim est, Filium qualicunque sorte & conditione natum, cum Patre, aut Matre litigare, quod se produxerint, cum id totum ipsorum subjectum fuerit potestati; atque adeo sua Natalium sorte contentum esse oporteat. Nec tamen hæc sententia ad Deum applicata extendi debet extra limites suos contra scopum Dei & Prophetæ, acsi potestas Dei in hominem tam sit absoluta atque infinita, ut nihil plane sit quod ejus exercitium circumscribat, ut eam Twissus & alii interpretantur. Sane quidem *extra Deum* nihil est quod potestatem ejus limitet. Sed *Potestas* Divina ab ipsa Natura ejus limitatur. Sunt in Deo *Justitia*, *Æquitas*, *Bonitas*, *Veracitas*, *Fides*, amor Majestatis suæ, (Virtutes ipsi naturales,) quæ exercitium Divinæ potestatis moderantur; ut potestas Divina *absoluta* sit in Creaturas intelligentes, in Populum & Ecclesiam suam, *salva σχέσει Dei morali erga homines*. Nec aliter Apostolus ubi hanc sententiam & similitudinem applicat ad Consilium *Electionis* & *Reprobationis* [a], spectari vult. In hoc enim Consilio, cujus profundæ sunt rationes, etiamsi summam exerceat potestatem, non læsit *justitiam*, aut *jus* Creaturæ intelligentis. Si quæ itaque hic sit *criminatio:* est injusta & iniqua. quæ hic in tanta materiæ copia prolixius non exequor.

Sententia hæc Jesaiana & Paulina de summa & absoluta Dei potestate accipi debet cum aliquo temperamento, quod exponitur.

Altera criminatio incredulorum: Deo deesse vires promissa efficiendi. Refellitur ex similitudine a Vate proposita.

Altera criminatio erat, & suspicio incredulorum; Deo deesse vires efficiendi, quod per Prophetas magnifice pollicebatur, sc. Populum rejectum in Exilium ex eo vindicandi. Idem esse Deus dicit, acsi *magnum Opus*, ab Opifice aut Artifice effectum, diceret, *Non sunt ipsi manus* ad simile opus *producendum*. Israëlitæ erant פעל *opus* & *molimen Dei*, quos olim magno conamine eduxerat ex Ægypto; quosque per multa sæcula, sustinuerat ac defenderat: quam itaque absurdum fuerit, ei negare facultatem & potentiam eos reformandi & reducendi ex Exilio, quod proposuerat sibi agere per Cyrum? Sic sane Liberatio Populi ex Exilio Babylonico ab Habakuko [b] appellatur, פעל בקרב שנים *Molitio Dei in medio annorum*. Illud enim *opus Dei magnum* discriminavit totum tempus Oeconomiæ Veteris, in duo intervalla. Rursus, idem esse dicit, ac si quis *Patri* qui jam *generaverat liberos*, ut Deus fecerat Israëlitas ducendo ex Ægypto & sibi formando in Populum [c], diceret, *Non potes generare*; aut *Mulieri*, Matri, *non potes parturire*. Deus enim se quoque *Matri* comparat, respectu Populi sui [d]. Sed est hic similitudinis *Matris* altior aliqua contemplatio. Deus Populum ex Ægypto, in qua conclusus & pressus fuerat instar fœtus in utero Matris, non eduxerat nisi cum *labore* & *dolore*, (sit reverenter dictum metaphorice, sed sane intelligendum:) post præcedaneas graves Populi afflictiones, & inter severa judicia & calamitates, quas Ægyptiis inflixerat: quod idem hoc tempore agere instituerat liberando Populum ex Exilio, ut illum non tam *generare* quàm *parturire* videretur. Evertendum enim erat Imperium Babylonicum cum judiciis in Chaldæos spectabilibus, antequam Populus asseri posset in libertatem. Itaque absurdum sit, eam potentiam & potestatem Deo nunc negare, quam olim tam luculentis speciminibus adstruxerat. Vocula autem הוי *Væ*, *Hui*, quæ sententiæ huic præstructa est, hic tam *indignationis*, quàm *diræ imprecationis* indicium facit. Ut vero cohæreat sententia cum argumento & contextu orationis, ex ipsa nostra interpretatione quisque facile perspicit.

Deus in metaphoris non tantum comparatur *Patri*, sed & *Matri*.

Altior ejusdem emblematis contemplatio.

Chaldaicæ & Ægyptiacæ Liberationis convenientia.

Membrum Alterum Primæ Partis hujus *Sectionis*, argumenti *Doctrinalis* & *Elenctici*, quo

a. Nova instantia Orationis Divinæ. sibi soli vindicat *Opus Populi* sui per *Cyrum vindicandi*, ejusque *Prædictionem*.

℣. 11. *Sic fatur Jehova, Sanctus Israëlis, & Formator ejus: De venturis interrogant me: num* itaque DE FILIIS MEIS ET OPERE MANUUM MEARUM PRÆCEPTA DARETIS MIHI?] Sensu facili & perfecto. Inquiritis vos hypocritæ & inquirunt vobis similes alii in fata Ecclesiæ futuri temporis, & de iis interrogatis atque consulitis me per Prophetas: an itaque vos ipsi mihi *præcepta daretis*, & quidem de *Filiis meis* & de *Opere manuum mearum*? Si enim supponatis, (quod facitis Vates meos de futuris interrogando,) me futura prænosse: simul inde colligatis, oportet, me esse verum Deum, & Universi hujus ac Populi mei Rectorem, quem credere fas est tanta præditum esse *sapientia*, quanta maxima; ut adeo stulte vos misceatis rationibus consiliorum providentiæ meæ, easdemque veluti emendaturi reprehendatis; & quidem *providentiæ* erga FILIOS MEOS, & OPUS MANUUM MEARUM; quod *filii mei*, quodque *opus manuum mearum*, mihi per se curæ esse debebant, ne Pater *filios* meos durius tractarem; aut *Opus* manuum mearum *destruerem*; nisi rationes *Justitiæ* meæ id postularent, quam mihi abnegare nefas est. Quid igitur, hypocritæ, mihi dare præsumitis *præcepta* de *filiis meis* & *opere manuum* mearum: dum me videri velitis *de futuris* interrogando agnoscere hujus Universi & Populi mei Rectorem? Integra est & perfecta sententia, opposita calumniatoribus viarum Dei, quos in proxime antecedenti pericopa refellerat: sed hic latius digreditur; ut quod in *priore parte* hujus *Sectionis* sibi *thetice* adscripserat; hic *elenctice* sibi de novo vindicet. In phrasi nihil est quod nos moretur. *Enallage personæ*, in verbis, *interrogant*, & *præcipitis*, nihil habet insolens. ubique occurrit. Vox צוה *præcipere* cum *persona* & על *super*, *de*, quod explicat *materiam præcepti*, inter alia legitur 1 Reg. XI. 10. Hieron. *Ventura interrogate me*, *& super filios meos & opus manuum mearum mandate mihi*. Jun. Trem. *De filiis meis & de opere manuum mearum interdicite mihi*. Pisc. *Commendate mihi*. quæ non refello. Verum simplex est & unum.

Membrum alterum primæ Partis: *a. Instantia Orationis Divinæ*, qua Deus sibi vindicat Opus Liberationis Populi sui, & excitandi Cyri, ℣. 11.

Sensus hujus *versiculi*.

Sententia directe opposita est criminationi præcedaneæ, sed latius diffunditur.

℣. 12. *Ego feci terram, & hominem super eam creavi. Ad* ME quod attinet: *Manus meæ extenderunt cœlos, & toti exercitui illorum præcepta dedi.*] An itaque mihi deesset potentia, deesset sapientia & consilium, ad excitandum Liberatorem mei Populi, & nominatim Cyrum? Huc tendit oratio, in suo genere Elenctica, refellens incredulos & hypocritas, ut modò præmonebam. De *attributis* Dei Israëlis, ut solius veri Dei, quæ sibi hic loci de novo vindicat, abunde in superioribus egi, & proxime Cap. XLIV. 24. coll. cum Cap. XLII. 5. *Præcepta dare toti exercitui cœlorum*, est ordinare stabilem motum Corporum cœlestium, in fluido vel consistentium, vel errantium; & admiranda phænomena Cœli inferioris, quod terram ambit & premit. O Divina manus, quæ hæc fecit & forma-

Confirmatio ejus Ἐλέγξεως, ℣. 12. *Ego feci terram, &c.*

Paraphrasis verborum.

Quid hic, *Præcepta dare Exercitui cœlorum*?

[a] Rom. IX. 20. [b] Cap. III. 2. [c] Deut. XXXII. 6. [d] Jes. XLIX. 15.

formavit! O perfectum ingenium, & profunda sapientia, quæ hæc ordinavit! Tot enim videmus miracula Dei, quot opera. Inde Deus, veluti se *efferens*, (effert enim se solus absque vitio, ut supra docui:) אני EGO. quod hic vertendum, Hebræo loquendi more usitatissimo, *Ad* ME *quod attinet*. Sed est in Hebraismo major emphasis. EGO, seorsim positum, est gloriantis & se extollentis, suamque defendentis INDEPENDENTIAM, verum attributum Divinitatis: ut in superioribus [a], EGO, EGO, ILLE. Confer Cap. XL. 26. Interim Scrutator naturæ qui miraris stabiles, æquabiles, & bene compositos cœlorum motus: disce ex hoc loco illorum caussam. Jeremias appellat *Statutum Dei de die & de nocte*. [b]

Vis voculæ. EGO. sive, ad ME quod attinet, h. l.

℣. 13. *Ego excitabo* EUM IN JUSTITIA, *& omnes vias ejus æquabo. Ipse ædificabit civitatem meam, & deportatos meos dimittet; non pretio, & non munere, ait Jehova* Dominus *Exercituum.*] Quisque videt mentionem esse de *Cyro*, cum respectu ad orationem superiorem, & Cap. XLI. 2. Inde quoque repetendum esse censeo, quod dicitur, *suscitandum* illum esse בצדק IN JUSTITIA. Principem æquum, justum, humanum, ut ad illum locum docui. Solent enim Hebræi *adjectiva* varie describere, & inter alia per *substantivum cum præfixo* ב, ut Grammatici dudum observarunt, & exemplis illustrarunt [c]. Si quis tamen ad Deum ipsum referre velit, cujus *justitiæ, æquitatis*, & *veritatis* rationes id postulabant; perinde se habet: licet prius à Vate intentum putem. Ejus certe vias Deus *æquavit*, *planavit*, *direxit*, quæ vis est vocis ישר, ut cœpta ejus omnia felicem sortita sint exitum, ut docui ad ℣. 2. hujus *Capitis*; isque ipse *Civitatem Dei ædificasse* dicitur vel *ædificaturus esse*, quod Edicto illius, ut & Templi reædificandi, copiam fecerit: de quo videnda quæ scripsi ad Cap. XLIV. 28. Certe quod *Templum* & *Urbs* tamdiu neglecta jacuerint, non minus adscribendum esse segnitiei Judæorum Reducum, *agris* suis *curandis* intentorum, quàm adversariorum conatibus apud Aulam Persicam, ex prophetia Haggæi, & ex historia Nehemiæ, satis liquet. Ageret autem id absque *pretio* & *munere*, quali quali ratione persuasus de veritate & majestate Dei Israëlis, ut ex *Edicto* ejus liquet; non tantum, non inductus *muneribus* Judæorum, quorum multi fortunas suas jam stabiliverant in Babylonia & Media; non placatus ἀποίνῳ ullo; verum etiam summa liberalitate ipse in ornatum, cultum & Ministerium Sacrum collaturus insignem numerum Vasorum ac Instrumentorum *aureorum* & *argenteorum* [d]; & subditos suos omnes ad eandem liberalitatem erga reduces exercendam mandato suo excitaturus; ut integra hujus operis gloria Deo relinqueretur. [e]

℣. 13. *Ego excitabo eum in justitia, &c.*

Verba explicanda ex superioribus.

Oratio pro objecto habet *Cyrum*.

Quid hic *in justitia*?

Animadversio ad *præfixam* ב in voce צדקה.

Cætera quæ huc pertinent, expediuntur.

Cyrus Populum Dei vere absque *munere* dimisit.

β. *Consequens* Liberationis *lætum*, in solatium piorum.

β. Lætum *Consequens* hujus Liberationis, ℣. 14.

℣. 14. *Sic fatur Jehova:* LABOR *Ægyptiorum*, *& negotiatio Cuschæorum*, *&* SABÆORUM PROCERORUM, *ad te transibunt, & tua erunt. post te incedent; catenis vincti* apud te *versabuntur; &* SE CORAM TE PROSTERNENT, *tibique supplicabunt*, dicentes: *Duntaxat Deus* IN TE *est; & nullus præterea, nullus* usquam *Deus est.*] Prophetia est illustris & sublimis, continens *Apostrophen* ad *Hierosolymam* aut ad *Cœtum* Deportatorum Reducum, quæ absque dubitatione enarrat lætum aliquod *Consequens* Liberationis prædictæ: quam hypothesin nunc simpliciter jacio, mox adstruendam adversus sinistra conamina quorundam Intt. qui luculentum hoc promissum ad alienum *Subjectum* infeliciter transtulerunt. Solummodo priusquam eo veniam, aliqua in ipso orationis textu expedienda sunt.

Labor Ægyptiorum, &c.

Commendatio Prophetiæ, ejusque argumentum.

Verba *Sabæi proceri*

Labor Ægyptiorum, & negotiatio Cuschæorum, & Sabæorum procerorum ad te pervenient, & tua erunt.] Sic plerique Intt. sed Hieron. *Et Sabaim, viri mensuræ, ad te transibunt.* Pariter Coccejus: *Et Sabæi, viri mensuræ, &c.* Sed præstat servare analogiam, cum negotiatio vel maxime *Sabæorum* esset. Verum est, hac sententia duo contineri: primo quidem ipsos illos Populos, vel ex Populis aliquos, (qui verus sensus Prophetæ est:) transituros ad Populum Dei. Secundo, illos cum in partes Populi Dei transiissent, illuc adducturos esse *merces*, *laboremque suum* molestum, h. e. fructum laboris sui, easque consecraturos Deo. De *Ægyptiis* & *Cuschæis* in *Notitia* harum Gentium prolixe disserui. De *Sabæis* (nomine סבאי scripto per ס,) pariter scripsi ad Cap. XLIII. 3. & demonstravi, intelligi *Sabæos* Cuscho *oriundos*: non vero Joctane, ut ὁ πάνυ: & iis tribuenda esse quæ ille de *Sabæis*, Joctane, Heberi filio, ortis, docte commentatus est [f], quorum *Metropolis* olim erat *Mariaba*, versus fauces *Sinus Arabici*. Hi vero ipsi sunt illi אנשי מדה *Viri mensuræ*, h. e. spectabilis formæ ac proceritatis, stylo Sacro [g]; ut Magistri hoc loco recte, & Alex. Int. Ἄνδρες ὑψηλοί. nisi quod Chaldæus hic exhibeat, גברי רשחותא *Viri negotiationis*. inepte, sed ex ingenio Gentis. Sic de iis Agatharchides [h], Grotio & Bocharto [i] jam memoratus: Τὰ σώματα ἐστι τῶν κατοικούντων ἀξιολογώτερα· *Corpora eorum, qui terram illam incolunt, sunt spectabiliora.* Loquitur autem omnino de his nostris. Sane cum nuper admodum prodierit historia gemina expeditionis maritimæ à Societate Negotiatorum Gallicanorum susceptæ in Arabiam Felicem, h. e. non *Thuriferam* quæ *Sinui* Maris *Persici* subjecta eique proxima est; sed in *Jemanensem*; (sive in Regnum *Yemen*,) quæ propior est *Sinui Arabico*, (quæ olim vera sedes fuit *Sabæorum*, *Chuso ortorum*, ut *Arabia Thurifera* Shabæorum ex *Rhegma Cuschi* filio genitorum, (nomine שבא scripto per ש.) auctor prioris historiæ adscripsit [k], *Viros* hujus Regionis esse coloris *subfusci* & *speciei spectabilis*. Sed satis notum, tam longo Sæculorum tractu, inter tot motus Gentium, (quorum Arabia Felix, olim minus tentata, recentioribus sæculis post ortum Muhammedismum, expers non fuit:) faciem regionum Mundi non parum esse immutatam. De commercio autem & negotiatione harum Gentium, earumque opulentia, Veteres, à Cl. Bocharto allegati [l], & Ezechiel quoque [m]; luculenter testantur; & Vates noster eas alio loco [n] non negligit: etsi verum est, præstantissimas Arabiæ merces, olim ex *Thurifera*, à posteris Rhegmæ *Shabæis* insessa, per Orientem diffusas fuisse. Sed probabile est, & hic locus fidem facit, *Sabæos* eas à vicinis suis *Shabæis* accepisse, & in Ægyptum, ipsis vicinam, & Judæam ac Syriam, negotiationis caussa transtulisse. De mercimoniis autem & negotiatione Ægypti memini agere ad Cap. XXIII. 3. Ægyptios enim, suos contentos bonis, antiquis temporibus cum aliis Populis parum commercii habuisse, quod Herodotus vult: ex Historia Sacra clare refellitur. Sed implementum hujus prophetiæ in illud cadit tempus, de quo nemo dubitat id ita se habuisse.

jungenda sunt voci negotiatio.

Sententia in duas resolvitur.

Ægyptii, Cuschæi, Sabæi, quales Populi?

De *Sabæis* animadversio.

Quo sensu dicti *viri mensuræ*?

Testimonia de iis Vett. & Recentiorum.

Earum Gentium negotiatio.

Ægyptiorum negotiatio ut institutura fuerit antiquis temporibus?

Post te ibunt; manicis vincti apud te versabuntur.] Sic vertenda censeo Hebræa. Plures Intt. *transibunt*. Sed quo *transirent?* Vox עבר notat non tantum *transire*, sed ire, incedere, in hoc illo loco versari. כיתים hic loci vertendum per *manicas*, quæ notatio vocis patet ex Jer. XL. 1. coll. cum ℣. 4. Piscator: *In compedibus incedent*. Sed quomodo *incedere* possent post *Judæos*, vel inter eos *versari*, constricti *compedibus?* Planius est, *manus* vinctorum *ligari* quam *pedes*; nisi ubi carcere concluси tenentur: quod etiam ubi fieret, pedes includebantur *cippo*; non proprie vinciebantur *catenis*. Transeo ad investigandum sensum pericopæ.

Verba: *Post te ibunt. manus vinciti apud te versabuntur.*

Difficultas quæ in verbis esse videtur, expeditur.

Magnum quid esse quod hic dicitur, omnes vident. Estque id ipsum in caussa, quod Intt. aliqui, cum de-

Inquiritur in Sensum

spera-

---

a Cap. XLIII. 25. *b* Cap. XXXIII. 20. *c* Vide Glass. *Gram. S.* Lib. III. Tract. I. Can. IX. *d* Ezr. I. 8. seqq. *e* Ezr. I. 4. *f* *Geogr. S.* Lib. II. Cap. XXVI. *g* Num. XIII. 32. *h* Cap. L. *i* *Geogr. S.* Lib. IV. Cap. VIII. *k* Epist. III. p. 91. *Tous gens basanes & bien faits.* *l* *Geogr. S.* Lib. IV. Cap. VIII. *m* Cap. XXVII. 22. 23. *n* Cap. LX. 6.

desperarent implementum tam illustris prophetiæ demonstrare in vero suo *Subjecto*, h. e. Hierosolyma, Civitate Populi Dei, ut typo totius Societatis Judæorum: eam studuerint transferre ad aliud, imo ad alienum *Subjectum*. Non hic respicio Hieronymum, qui prophetiam applicat ad Christum: (prophetia enim in emphasi non convenit Ecclesiæ nisi *corpori*, cum respectu ad *caput suum*, *Christum Jesum*:) sed Pontificiæ Sectæ Doctores, Alvarezium, Pintum, Sanctium, (hic tamen cum Adamo Sasboutio vacillantem,) & ex nostris Grotium, qui Subjectum ejus faciunt *Cyrum*. Sed Hieronymus jam hujus interpretationis meminit; & Aben-Ezra quoque inter Judæos huc divertit. Non vidi, fateor, absque gravi indignatione, cum ex disputatione Doctorum Virorum clare perspicerem, natam esse interpretationem ex imperitia rerum spiritualium, & Verbi Prophetici; quod nemo ut arroganter dictum accipiat. Veri studium excitat hoc in casu zelum. Primo utique quo minus hæc verba ad Cyrum referantur: obstat certa ratio Grammatica, quod *Subjectum*, de quo hæc prædicantur, in tota pericopa constanter appelletur affixis *terminationis Fœminini*. ut אֵלַיִךְ, עָלַיִךְ, אַחֲרַיִךְ, בָּךְ. Quomodo vero hæc suffixa *terminationis Fœminini* Cyro conveniant? Putem, esse inter hos Intt. qui hoc loco *Hebræum* textum non respexerint; sed *Latinum*. Certe nullum hic effugium patet, nisi dicant, Hebræas voces, quæ *suffixa* Fœminini habent, si quis à Masoretharum *punctatura* discedere velit, non respuere *punctaturam terminationis Masculini*: quod sane non nego; sed in quo neminem præeuntem imitari velim. Est itaque hic *Apostrophe* ad Hierosolymam, cujus sub nomine עִיר *Civitatis* facta erat mentio in *versu antecedente*; aut ad גלות *Populum Reducum electum*, de quo itidem mentio facta fuerat sub nomine גלות *Cœtus deportatorum*. β. Qui ad contextum orationis diligenter attenderit: (non attendisse autem, ajo meræ esse cæcitatis:) videt, omnia quæ hic dicuntur respectum habere ad Religionem. Quomodo enim Cyro conveniat quod hic dicitur, Ægyptios & Sabæos de ipso dicturos esse cum se coram eo prosternerent, *Tantum* IN TE *Deus est*; & præter Deum qui *in te est*, *nullus est alius*. An itaque verus Deus, Deus Israëlis, quæri debet apud Cyrum? an quæri non debet in *Ecclesia?* Num Cyrus hic transformabitur in *Doctorem*, & *solum Doctorem* veræ Religionis? An Populi, armis ejus subacti, se illi subjicerent caussa Religionis? Quare non necesse habeo disputare, an Cyrus, secundum narrationem Xenophontis, sibi subjecerit Ægyptum? quin permiserim illud: sed quod ad Arabes, qui interiora Sinus Arabici tenent, Cuschæos & Sabæos, non est probabile. Herodotus exerte [a]: Ἀράβιοι δὲ οὐδαμᾶ κατήκουσαν ἐπὶ δουλοσύνῃ Πέρσῃσι, ἀλλὰ ξεῖνοι ἐγένοντο· *Arabes vero à Persis nunquam in servitutem redacti, sed hospites extiterunt*. Patet ex historia Cambysis [b]. Ergo deseramus hanc expositionem, non modo alienam à Canonibus *Grammaticæ*; verum etiam injuriam Verbo Prophetico. In Hieronymi expositione, si rem spectes, nihil vitii hæret: sed illi pariter obstat *punctatura Masorethica*, quæ definit Subjectum *generis Fœminini*: sed quam cum ipse non viderit; hic excusari meretur. Gravius illud est, quod transitum faciat immediatum à Cyro ad Christum: quod ferri nequit. Veteres sane Cyrum faciunt Christi Jesu typum, idque medii ævi Intt. & Pontificiæ Sectæ Scriptores imitantur: sed quod à nostris rationibus longe dissidet.

Quæris tamen vere, cognito *Subjecto* hujus Orationis, quod est *Hierosolyma* & *Ecclesia Reducum*; quomodo ejus demonstrari queat implementum? Judæi Veteres in iisdem angustiis versati, in qua Christiani aliquot Intt. & simul historiæ imperiti, hæc verba Prophetæ referunt non ad tempora Liberationem Judæorum consequutura; sed ad antecedentia, h. e. ad cladem Senacheribi; quem illi supponunt, antequam Exercitus ejus Divino Judicio prostratus fuerit in Judæa, populatum esse Ægyptum, & Regem Cuschæorum Tirhakam magno prœlio vicisse, & *Ægyptios*, *Cuschæos*, *Sabæos*, magno numero victos secum duxisse & habuisse in Exercitu; qui post cladem ei inflictam venerint in potestatem Judæorum, & agnoverint veritatem Dei Israëlis. Jubent igitur hæc verba conferri cum Cap. XLIII. 3. ubi Propheta ait, se *Ægyptios*, *Cuschæos*, & *Sabæos* dedisse λύτρου pro populo Judæo. Extat traditio in *Midraschim* Veterum, & inde descripta est in *Seder Olam* [A]; & sequuntur eam Jarchius & Kimchius. Bellum sc. ἔρημα! Quomodo enim Propheta, cum totus versaretur in rebus Cyri, & enarrandis lætis consequentibus Liberationis Populi Dei ex Exilio, hic retrogreditur ad cladem Senacheribi? Improbabilis sententia. Sed ipsa illa traditio de Senacheribo, ut victore Tirhakæ, ex ingenio ipsorum ficta est, ut prolixe demonstravi [c]; & in fidem Historiæ S. diserte incurrit.

Venia indulgenda esset his divortiis, si prophetia quid haberet insolens aut δυσδιάκριτον. Sed complectitur, quod vere dico, sententiam facilem, aliisque partibus Verbi Prophetici consentaneam. Summa autem sententiæ est; futurum esse cum tempore post Reditum ex Exilio Babylonico, ut *Proselyti* variarum Gentium, & inter eas præcipue Ægyptiorum, & Sabæorum quoque ac Cuschæorum, Ægyptiis proximorum, adjungantur *Ecclesiæ Judææ*, & victi constrictique rationibus, quibus veritas Religionis Judææ demonstratur, supplices ac venerabundi *Hierosolymam* accedant ad Deum venerandum, & confessionem edentes suæ fidei humiliter petant admitti ad illius Ecclesiæ communionem: qui accessus Proselytorum ex his aliisque Gentibus *compleretur* sub Oeconomia Gratiæ cum adventu Messiæ, quando non tantum singulares homines, sed integræ Gentes *catenatæ constrictæque*, h. e. vinctæ Spiritu, ut mox explicabo, doctrinam hujus Religionis summisse reciperent. de quo argumento Vates noster, cui vocatio Gentium continuo ob oculos versabatur, frequens disserit. Nihil hic est nisi quod ad Religionem pertinet. qui aliter verba Prophetæ accipiunt, hoc ipso probant se non esse versatos in Verbo Justitiæ, certe in Propheticò: quod hic fidenter dico, aliàs modestius loquuturus. Sed accedamus ad orationem Vatis, & singulas phrases excutiamus. Primo ait, *Laborem Ægyptiorum, & negotiationem Cuschæorum, & Sabæorum, ad Ecclesiam reducum esse perventuram:* h. e. ipsos illos Populos se aggregaturos communioni Ecclesiæ Judææ cum rebus quas terra eorum habet pretiosissimis, quas Deo in usum Sacrorum offerrent; quæ itaque *res* hoc tempore fierent Ecclesiæ. Primus sensus referendus est, non ad *integros* hosce *Populos*; sed ad *Proselytos* ex his Gentibus, qui bono numero optima fide & magno zelo se adjungerent illi Ecclesiæ, perinde ac Assyrii, Babylonii, Syri, aliique, qui & ante & præcipue post tempora Alexandri Macedonis, agnoscerent veritatem Religionis Judææ. Sic prædixerat Vates noster in disertis prophetiis hujus argumenti Cap. XVIII. 7. in Vaticinio de Ægyptiis & Æthiopibus: *Illo die adducetur* MUNUS JEHOVÆ *Exercituum* Domino *à Populo protracto & depilato, & à Populo terribili ab eo & usque, Gente*

quod hic est Ecclesia Reducum ex Exilio: quæritur, quomodo hæc verba ad illud applicanda sint?

Judæorum Vett. sententia.

Referunt prophetiam ad tempus Senacheribi.

Quæ refellitur.

Genuinus Sensus Prophetæ strictim expositus.

Quicquid hic dicitur, respectum habet ad *Subjectionem fidei*, quæ locum habet in Religione.

Verba particulatim expenduntur.

Labor Ægyptiorum & negotiatio Cuschæorum & Sabæorum Ecclesiæ in Proselytis harum Gentium consecrarentur.

Loca parallela Cap. XVIII. 7. & XIX. 18.

---

a Hist. Lib. III. C. 88. *b* Lib. III. C. 9. *c* *Anacris.* ad Cap. XX.

A Verba *Seder Olam* post narrationem memoratam sunt Cap. XXIII. לקיים מה שנ' יגיע מצרי' וסחר כוש וגו' יגיע מצרי' זה חילל פרעה מלך מצרים' וסחר כוש זה תרהקה מלך כוש, וסבאים אנשי מרה אלו חיילות שלהן' עלין יעברו זו ירושלם' ולך יהיו' כבר מושלמין לך וכו' *Ut impleretur quod prædictum erat per Jesaiam, Labor Ægypti, &c.* LABOR ÆGYPTI. *Hic est exercitus Pharaonis, Regis Ægypti.* ET NEGOTIATIO CUSCHÆORUM: *Designatur Tirhaka, Cuschæorum Rex.* ET SABÆORUM PROCERORUM. *Intellige illorum Exercitus.* AD TE TRANSIBUNT. *Designatur Hierosolyma.* ET TUA ERUNT. *Post quam tibi reconciliati fuerint.* PORRO. SEQUENTUR TE. *Hisktam.* COMPEDITI TRANSIBUNT: *Cum torquibus & monilibus, &c.* Pulchre!

Gente canonis & canonis, & conculcante, cujus terram fluvii diripiunt, ad locum Nominis Jehovæ Exercituum Domini, *Montem Tsionis*, & Cap. XIX. 18. *Illo die erunt quinque civitates in Ægypto, loquentes lingua Canaanæa, & seqq.* ℣. 21. *Et innotescet Jehova Ægyptiis, & cognoscent Ægyptii Jehovam illo die, & colent* illum *sacrificio & munere; &* VOVEBUNT VOTUM JEHOVÆ. Pariter apud Tsephaniam *a*: *Quia tunc vertam ad Populos labium purum, ut omnes invocent nomen Jehovæ ad ipsi serviendum humero uno. A latere* (vel *ab ultra*) FLUVIORUM CUSCHÆÆ, *supplices mei, filia dispersorum meorum,* AFFERENT MUNUS. Ps. LXXXVII. 4. *Ecce Palæstina & Tyrus* עם כוש *cum* CUSCHÆO. *Hic natus est ibi.* Ut autem luculenter impleta sint hæc vaticinia, docui ad loca Prophetæ modo exsignata. De *Arabibus* dubitas? Lucas ipse tibi satisfaciet, qui recensendo *Proselytos* variarum Gentium, qui cum *Judæis* in Festo Pentecostes erant Hierosolymis, inter eos exerte memorat Ἄραβας ARABES *b*. Sed complementum prophetiæ cadit in *Regnum Christi Jesu*, quod consequens esset *Reditus ex Exilio*, cujusque manifestatio, continuo Prophetarum stylo, cum Reditu ex Exilio ut consequens ejus connectitur; ut sæpius monui. Sic Poëta Divinus *c*: *Venient magnates* EX ÆGYPTO: CUSCHÆI *celeriter* MANUS SUAS *extendent Deo.* ambabus manibus oblaturi munus. Alio loco *d*: REGES *Scheba &* SEBA (Sabæorum) MUNUS *offerent.* sc. Christo Regi, de quo agitur. Vates noster *e*: *Universi* (Midianitæ Arabes,) *ex* SHABÆA *venient:* AURUM *&* THUS *offerent; & laudes Jehovæ annuntiabunt.* Pertinent Prophetiæ ad Regnum Christi Jesu, ut se ostentabit in Statu summæ perfectionis. Sed Prophetæ in implemento *inchoato*, viderunt ultimatum. Esset autem Ecclesiæ valde honorificum, ipsos Magnates illarum Gentium, (quibus accensere possumus *Eunuchum f* illum *Dynasten Reginæ Æthiopum Candaces qui præerat universis ejus opibus, & venerat adoraturus Hierosolymam*, sc. proselytus,) & *Sabæos* viros optime compositos hac reverentia Religionem Judæorum, & Religionis caussa, ipsam Gentem prosequi. Alter articulus est, *Post te ibunt*, sc. ut *servi* vel *captivi tui: manicis* VINCTI *tecum versabuntur.* Id nimium visum est Interpretibus quam ut referretur ad fidem & Religionem. Abarbenel, qui hic supra contribules suos sapuit, cum videret hic agi de tempore florentis status Populi Judæi sub Assamonæis, quando *merces Ægypti & Arabiæ* ad Judæos reduces divitiis jam pollentes allatæ distractæque usibus eorum affatim inservierunt: addit ad interpretationem hujus membri; eosdem illos Maccabæos Duces varia bella gessisse cum vicinis & hisce ipsis Gentibus, & subinde victores de his Gentibus aliquos *captivos* in vinculis domum reduxisse. Utique si quæ necessitas nos premeret: illud dici posset, nec est hypothesis absurda: etsi Judæi se Ægyptiis passim non satis feliciter miscuerint. Sed Vates noster illuc non respexit. quicquid hic dicitur, pertinet ad Religionem. Hæres autem, dum vides, eum *victos & circumscriptos* caussa Religionis hic introducere ut *captivos & manicis* aut compedibus *vinctos*: cum ipse simili formula usus fuerit de eodem plane differens argumento, Cap. XIV. 1. 2. in prophetia de Babylone: ubi postquam dixisset, Deum adhuc *miserturum esse Populi sui*, & eum in terram suam reducturum, mox subjungit: *Et arcte adhæresset* PROSELYTUS *ipsis, & adglutinabuntur Domui Jacobi.* ℣. 2. *Et accipient illos Populi & deducent ad locum suum & tanquam hæreditatem illos possidebunt Domus Israël in terra Jehovæ in* SERVOS *&* IN ANCILLAS: *&* CAPTIVOS DUCENT CAPTIVATORES SUOS, *&* DOMINABUNTUR EXACTORIBUS SUIS. Quomodo vero? Caussa Religionis. Nulla hic *servitus*, nulla *captivatio*, nisi quæ σχέσιν habet ad *Religionem*, & *Proselytismum.* quod tum in *Commentatione* hujus loci, tum alibi *g* fuse demonstravi. Qui alteri suam de vera Religione sententiam certis rationibus persuadet, illum sibi *subjicit*, & in *statu spirituali* subjectum habere censetur, non tantum quod illum maximo in hisce terris beneficio sibi obstrictum teneat; & vi illius beneficii teneatur *se & sua* usibus Doctoris sui *subjicere*, quam doctrinam Apostolus exponit I Cor. IX. 11. 12. *Si alii* SUI in vos JURIS *sint compotes: an non multo magis* NOS? verum etiam, quod nulla major & gravioris caussæ ὑποταγὴ *subjectio* in Mundo detur quam quæ nascitur ex caussa Religionis, ubi quis totum *statum* suum *spiritualem & omnem spem felicitatis æternæ* ab alterius *doctrina* suspendit. unde actus ipse ὑπακοὴ *obedientia* vocatur ab Apostolo. *Vestra*, ait ad Romanos *h*, OBEDIENTIA *ad omnes pervenit.* quam mox *i* & alibi sæpius vocat ὑπακοὴν πίστεως *obedientiam fidei.* Totus igitur fit *ejus* à quo Doctrinam Religionis accepit. Sic idem ad Corinthios *k*: Οὐ γὰρ ζητῶ τὰ ὑμῶν, ἀλλ' ὑμᾶς· *Non enim quæro* VESTRA, *sed* VOS. h. e. ut vos totos meos faciam. Illum itaque *captivum* tenere censetur, quatenus ejus *sensum & νόημα cogitationem*, ratiocinationem, αἰχμαλωτίζει εἰς ὑπακοὴν τῦ Χριςῦ *l*. Sic Dominus vocans Petrum ad Apostolatum *m*: Ἀπὸ τῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν· *Ab hoc tempore vivos* CAPIES *homines.* Quin illum *vincit & constringit*, quatenus sententiam ejus de Religione, antehac vagam & incertam, ex statu veluti libertatis, circumscribit, & ad certum aliquid determinat: quam Religionis confessionem sequitur mutatio totius status vitæ, constringendi intra canones Religionis quam suscepit, quæ est δουλοσύνη spiritualis. Id vero est δεῖσθαι τῷ πνεύματι, *vinciri Spiritu n*. sive à Spiritu S. sive à cogitationibus mentis à Sp. Sancto administratis, ad *certum aliquod*, quale quale sit, *determinari.* Non licet homini nunc, quod licebat ante. Est δέσμιος Ἰησῦ Χριςῦ· *Vinctus Christi Jesu* per ejus *Ministros*, & per Ecclesiam. Denique est *vinctus manicis*, cum *manibus* antehac paratus esset Ecclesiam lædere: nunc animo humili, leni, æquo versatur in Ecclesia, omnem illum affectum Ecclesiæ nocendi deposuit, & veluti *ligatis* constrictisque *manibus* inter fratres *versatur.* Confer Epistolam Pauli ad *Philemonem*, de Onesimo, & luculentum ejus locum ad *Titum o*. Tertium membrum: *Ad te se prosternent, & te supplices deprecabuntur*, dicentes: *Certe in te Deus est, & præter Deum qui in te est, nullus est:* videturne majus quam ut Ecclesiæ conveniat? Expende loca quæ eandem rem magnificentius etiam efferunt, Cap. XLIX. 7. LX. 10. 11. 12. Apostolus ad hunc locum alludens *p*: *Et ita infidelis*, ingressus Ecclesiam, fratribus prophetantibus & interiora ejus nudantibus, PROCIDENS IN FACIEM, *adorabit Deum*, *prædicans*, ὅτι ὁ Θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστι· DEUM VERE IN VOBIS ESSE. Phrasis, inquam, ex hoc loco est desumpta. Dominus ipse ad Ecclesiam Philadelphenam *q*: *Ecce faciam, ut* ii qui dicunt *se Judæos esse*, h. e. veræ fidei confessores, & *non sunt*, προσκυνήσωσιν ἐνώπιον τῶν ποδῶν σε· ADORENT ANTE PEDES TUOS, *& cognoscant, me te dilexisse.* Zacharias *r*: *Et futurum est illo die, ut decem Viri ex omnibus Linguis Gentium apprehendant alam unius Viri Judæi, & dicant, Ibimus vobiscum, quia audivimus,* אלהים עמכם DEUM VOBISCUM *esse.* Eadem res hic dicitur. Confer generaliora loca ex Vate nostro Cap. II. 1. 2. & Amos. IX. 11. & specialiorem insignem nuper copiose expositum ex Cap. XLIV. 5. Quid vero, ais, licetne se *prosternere coram Ecclesia, adorare Ecclesiam?* Neutiquam, ô tyro, si *Ecclesiam* in se spectes, secundum σχέσιν ejus ἀνθρωπίνην: Sed an non vides, in his & aliis locis parallelis, eos qui se coram Ecclesia *adorandi* prosternunt *venerari* Deum & Christum quem in Ecclesia *præsentem* agnoscunt? Id utique in ipso hoc loco

Loca *Tsephan.* III. 9. 10. Ps. LXXXVII. 4.

Complementum prophetiæ sub Regno Christi Jesu.

Vaticinia analoga, & eorum implementum.

Alter articulus: *Post te ibunt. Manicis vinculi inter te versabuntur.*

Abarbenelis cogitatio.

Ipsum quoque hoc thema referendum est ad Religionem.

Locus insignis Cap. XIV. 1. 2. huc relatus.

Subjectio quæ Religionis caussa fit, exponitur.

Illustratur ex analogis.

Quo sensu *subjectus* in caussa Religionis *vinciatur & constringatur?*

Phrasis *vinciri Spiritu*, Act. XX. 22.

Est quidem dicatur *constrictus manicis?*

Articulus tertius: *Se coram te prosternent.*

Exponitur ex analogis. Locus insignis I Cor. XIV. 24. 25. cum hoc collatus.

Quid hic sit *se coram Ecclesia prosternere?*

a Cap. III. 9. 10. *b* Act. II. 11. *c* Ps. LXVIII. 32. *d* Ps. LXXII. 10. *e* Cap. LX. 6. *f* Act. VIII. 26. *g* *Observ. S.* Lib. V. Cap. V. §. X. & seqq. *h* Cap. XVI. 19. *i* ℣. 26. *k* 2 Cor. XII. 14. *l* 2 Cor. X. 5. *m* Luc. V. 10. *n* Act. XX. 22. *o* Tit. III. 1. 2. 1. *p* 1 Cor. XIV. 24. 25. *q* Apoc. III. 9. *r* Zach. VIII. 23.

loco diserte consignatur. Nemo veræ fidem Religionis suscipit, si id vere faciat, non per hypocrisin; quin humili & summisso animo Religionis respectu Ecclesiam & Præpositos ejus reverenter adeat, & ab ipsis in communionem Populi Dei admitti postulet; & se eadem animi humilitate subjiciat Ecclesiæ ac Religionis Legibus, & ad eam quà talem colendam ac venerandam se obstringat: ut adeo Ecclesiam respiciat ut *Civitatem*, in qua Deus est & in qua Deus adoratur. De *implemento* prophetiæ jam abunde dixi.

Epiphonema alterum, Chori Prophetici, his verbis subjectum.

Articulus primus.

Epiphonema Chori Prophetici his verbis subjectum, ℣. 15.

℣. 15. *Utique tu es* DEUS, QUI TE OCCULTAS! *Deus Israëlis*, SERVATOR.] Succlamat *Ecclesia*, sive *Chorus* piorum Doctorum, qui hic introducitur, & voce sua orationem Divinam veluti interrumpit: quod *Epiphonema* in tres articulos resolvitur. Primus explicat *Naturam Dei* cum respectu ad vias & ordinem Consiliorum ac Providentiæ ejus, his verbis quæ descripsi. Alter continet *Apostrophen* ad Idololatras, ex hisce mirabilibus Dei convincendos suæ stultitiæ, ℣. 16. Tertius declarat privilegium & spem Ecclesiæ, ℣. 17. Primi articuli hic non est dubia versio, in qua tamen vox מסתתר longe rectius transfertur per *occultans*, *recondens te*; quam per *occultus*, *reconditus*, *absconditus*, ut Hieronymus. Aq. Ἀποκρυπτόμενος. Th. Κρυφαῖος. Sed Patres, inter quos Athanasius Epistola ad *Serapionem* [a], sequuntur τὸς *b*. Σὺ γὰρ εἶ ὁ Θεὸς τῦ Ἰσραὴλ, καὶ ἐκ ἤδειμεν· *Tu enim es Deus Israëlis, & non noveramus.* Non satis recte; quod orationem quæ *Proselytis* aptatur in fine *versiculi superioris*; & *Ecclesiæ*, confundat. Et tamen Eusebius Aquilæ & Theodotionis versiones rite expendit. Cæterum cum sententia, qua Deus vel dici potest *absconditus* vel *se occultare*, in varios sensus flecti queat; nemo mihi hic rursus mirotur, Interpretes in diversa abire: quæ licet de Deo non affirmentur falso, non tamen propterea huic congruunt loco. Sed mihi, quod in dubiis facio; non erit curæ, illorum cogitata & sensa relegere. Ecclesia dicere vult; occultas, absconditas, & ab intellectu humano valde remotas esse rationes consiliorum ac viarum Providentiæ Dei erga Ecclesiam. Cum enim permittendo, ut Populus ejus abduceretur in Exilium, magnam partem gladio hostium caderet, Templum in cineres redigeretur, Canaanæa incolis suis nudaretur, videretur Ecclesiam Populumque suum deserere velle ac penitus destituere, nec intercedere amplius, quo minus tota pereret; quod pii metuebant, & profani atque increduli ipsorum spei palam objiciebant: contra vero appareret ex Eventu, ipsum paradoxum hunc Eventum eò dirigere & direxisse, ut Ecclesiam suam purgaret à profanis, idololatris, & hypocritis, qui eam obruebant, & ut glorioſissimo modo demonstraret, se esse *Deum Israëlis*, ejusque *Servatorem*: (sic enim accipienda sunt verba, *Deus Israëlis*, & *Sospitator Israëlis*. semel scripta vox, bis legi debet:) quin tantum abesse, ut Populum suum perdere velit ac destituere, ut contra sibi proposuerit, illum extollere in statum multo illustriorem quam ante fuerat, & potentes Populos ei, procedente tempore, subjicere, & omnigenis gratiæ suæ donis locupletare. Hic sensus subest dicto, ut ego arbitror, ex mente Prophetæ. Explicanda est sententia ex insigni illa quam Propheta consignat Cap. LV. 8. 9. *Nam non sunt cogitationes meæ cogitationes vestræ, &c.* Cum videar perdere velle hominem & judiciis meis prosternere: cogito de illo servando & exercenda gratia. De eo Moses *b*: OCCULTA *sunt Jehovæ, Deo nostro.* Intellige decreta & consilia Dei, & *judicia* ejus, quorum est *abyssus magna* [c]. Est hic βάθος *profundum* quod nemo penetret aut exhauriat [d]. *Circumcirca ipsum sunt nubes & caligo* [e]. Quare, sis, cave tibi, ô homo, de viis Dei judicare antequam exitus earum perspexeris, passim paradoxos, & à nostra intellectione aut præsumptione remotissimos. Addo, attributum SERVATORIS, *Sospitatoris*, esse Dei glorioſissimum. Viderunt id in tenebris suis ipsi Gentiles, quare Jovi dederunt Epitheton ΣΩΤΗΡΟΣ, LIBERATORIS, de quo apud Tacitum non frustra consulueris Lipsium [f]. Sic Græci & Romani.

Significatio vocis מסתתר. Versiones antiquæ.

Sensus hujus dicti Ecclesiæ. Referendum id ad consilia Dei, eorumque fines. Paraphrasis dicti.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 16. *Pudefacti sunt, &c.*

℣. 16. *Pudefacti sunt atque etiam pudore suffusi sunt omnes illi. Pariter incedunt cum ignominia fabri imaginum.*] Videlicet post implementum hujus prophetiæ; unde non placet versio Piscatoris, qui verba per modum *futuri temporis* vertit, ut & Belgæ. Epiphonema enim hoc vere accommodatum est ad scenam rei gestæ. צורים hoc loco recte verti per *imagines* ex צור *formare*. Habuimus vocem sensu quodammodo dubio Cap. XVIII. 2. ubi quoque Cl. Bochartus hanc significationem præfert [g]. De re ipsa nihil habeo quod moneam præter ea quæ omnibus in promptu est absque labore ad hunc locum cogitare.

Usus vocis צורים h. l.

Articulus tertius.

Articulus tertius, ℣. 17. *Israël servatur per Jehovam &c.*

℣. 17. *Israël* autem SERVATUR PER JEHOVAM *salute æterna: non pudefictis, nec confundemini, in sæcula æternitatis.*] Chorus Propheticus sive Doctoralis explicat fidem spemque suam in fide fundatam, & fidei spei que suæ fructum, ut oppositus est eventui idololatrarum & hypocritarum. Quod dum agit, altius evehit suas cogitationes & prævidens in Spiritu *Liberationem* Populo Jacobidarum procurandam per Cyrum, terminandam ac perficiendam esse in *Liberatione spirituali & æterna*, quam Filius Dei, JESUS, verus Servator sui Populi, idemque verus *Jehova*, Populo Electorum suo tempore præstaret, exclamat, *Israëlem servari* per *Jehovam* SALUTE ÆTERNA. Exigua res esset, ait, si promissa Gratiæ à Deo facta Populo suo tantum circumscriberentur *salute* externa & corporali, cujus efficiendæ instrumentum Deus voluit esse Cyrum: si sola hæc spes sustineret fidem Populi Dei. Beneficium enim est temporarium & carnale, cujus optata fruitio variis casibus & vicissitudinibus rerum mundanarum subjecta, forte non erit æquabilis & durabilis in longum. Est majus quid & amplius quod Deus amatis ex Populo suo condixit. Fructus hujus Liberationis erit *Salvatio & Liberatio æterna*, vera, antitypica, quæ hac Liberatione typica tanquam *pignus* æternæ Dei Gratiæ involvitur; & in quam antitypicam hæc typica exitura est. Sic respiciendum est hoc Beneficium oculo spirituali: hæc spes est verorum credentium: quam Vates noster omni commoda occasione explicat, beneficia typica hujus vitæ in *æternis* terminanda docens. Unde ipse *b*: *In Jah Jehova est Rupes* ÆTERNA. Alibi: *Æterna gaudia* [i]. *Nomen æternum* [k]. *Æterna gloria* [l]. conferenda in credentes vi *Fœderis æterni* [m], & *Justitiæ æternæ* à Messia adducendæ [n]. Plus fere quod hic observem nihil habeo, nisi quod phrasis, *Salvatur per Jehovam*, non perfecte declaret emphasin dictionis Hebrææ, quæ hic sane retineri potest. Valet proprie, *Salvatur* IN *Jehova*. sc. in proxima ejus communione per *fidem*, apprehendentem *Justitiam* quæ est in *Jehova*: quod attributum est non omnis, sed *veri* Israëlis. Confer ℣. 22. & 25. & Hos. I. 7. Apostolus tamen ipse explicat per δι' αὐτῦ [o]. Cæteri, qui fiduciam in idolis ponunt, *pudefient*, & præ *pudore* & *ignominia* cogentur se *subducere*, quæ vis est vocis נכלם. Confer dicta ad Cap. XLIV. 9. 11. Electi, qui hic à Doctoribus per *Apostrophen* compellantur, *non pudefient* in *æternum*. Vide Cap. XLIX. 23. LIV. 4. *Spes non pudefacit*. Rom. V. 5.

Vera Beneficia Gratiæ sunt *æterna*.

Emphasis phrasios Hebrææ, *Salvari in Jehova*.

Locus Cap. LV. 8. 9. cum hoc collatus.

Et analoga huic faciendi.

a Tom. I. Part. II. p. 686. *b* Deut. XXIX. 28. *c* Pſ. XXXVI. 7. *d* Rom. XI. 33. *e* Pſ. XLVII. 2. *f* *Annal.* Lib. XV. Cap. LXIV. *g* *Geog. S.* Lib. IV. Cap. II. *h* Cap. XXVI. 4. *i* Cap. XXXV. 10. *k* Cap. LVI. 5. *l* Cap. LX. 19. *m* Cap. LV. 3. *n* Dan. IX. 24. *o* Rom. V. 9.

Membrum Tertium Partis Primæ hujus *Sectionis*, continens *Convictionem* de *Veritate* Dei *Israëlis* institutam ad PROSELYTOS *Gentium* ex hoc *Opere* Gratiæ, & ejus *Prædictione*.

α. Magnifica Dei *Præfatio*.

Articulus primus.

Membrum tertium *Partis Primæ: Convictio* Gentium ex superioribus instituta.

α. Præfatio Dei.

Articulus primus, ℣. 18.

Analysis totius pericopæ.

℣. 18. *Quia sic dicit Jehova, Creator cœlorum, ipse est* ILLE DEUS *qui formavit terram, eamque fecit; ipse est qui eam* EXAPTAVIT: *non creavit eam rem inanem; formavit eam* UT INHABITARETUR. *Ego Jehova, & nemo amplius.*] Redditur Deus oratione *Elenctica* adversus *Proselytos* Gentium, ut mox patescet; ut eos confirmaret in fide veræ Religionis, & idololatriæ radices ac præjudicia omnia ex animis illorum evelleret. Continetur illa ℣. 18--21. Præfixa illi est præfatio, scopo conveniens, duobus constans articulis, quorum priorem hic exhibeo, alterum mox relegemus ex ℣. 19. Elenchus ipse sequitur ℣. 20. 21. Oratio exordialis *Præfationis*, ut eam hic repræsento, habet in initiis suis leve quid quod Interpretes distrahit. Nempe verba הוא האלהים *ipse est Deus*, posita inter epitheta, *Creator cœlorum* & *Formator terræ*, quorsum pertineant, quæritur; & quæ iis subsit emphasis? Si simpliciter scripsisset Propheta, ut aliis locis: *Ego sum ille Deus creator cœlorum & formator terræ*: nihil impediti haberet oratio. Nunc scripsit, *Creator cœlorum hic est ille Deus; formator terræ, & factor ejus.* Hieronymus, cui sua hic laus debetur, sententiam facili modo concepit, dum verba, *Ipse est Deus*, cum sequentibus, non cum antecedentibus, construxit: *Hæc dicit Deus creans cœlos; ipse Deus formans terram.* Fere ad eundem modum quo Piscator: *Nam sic ait Jehova qui creavit cœlos: is*, inquam, *Deus qui formavit terram.* Sed Coccejus: *Sic, ait Jehova, Creator cœlorum is est Deus; formator terræ, & seqq.* Convenit id magis distinctioni Masorethicæ. Sic sensus esset, *Creatorem cœlorum* esse illum *Deum verum*, de quo agit, oppositum idolis. Non nego, hæc stare posse; & tamen non impetro à me ut discedam à sententia simpliciore & *faciliore* quæ mihi adhæret. Verba vere, recte inspecta, hunc dant sensum: *Sic ait Jehova; Qui creavit cœlos, idem ille Deus est qui formavit terram eamque fecit.* Quorsum vero illud? Dicam paucis. Primo quidem tota oratio Vatis, ut mox videbimus, illuc tendit ut doceat, Deum *in terris* æque velle *cognosci* ab hominibus & coli; ac in cœlis; velle in terris à genere hominum perinde ac in cœlis glorificari. Cum autem omnes dent, Deum parantem cœlos ut in iis locaret sedem suæ Majestatis, eos in hunc usum & scopum parasse, ut eos instrueret Angelis gloriæ suæ spectatoribus & consiliorum suorum ministris: monet docetque, se eundem esse Deum qui *formaverit terram*; non sane ut *res* quædam esset *inanis & vacua* incolis cognitione & fide veri Dei destitutis, & ad Deum colendum ac celebrandum ineptis; sed ut perinde ac *cœli* inhabitaretur ab hominibus, veri Dei cognitoribus & cultoribus. Huc, inquam, tendit oratio, estque simplex ac facilis. Deinde, ut semina omnium errorum recentioris temporis jam sata fuerunt antiquissimo ævo: non est mihi dubium, quin jam tum apud aliquos fidem invenerint impia dogmata, recentiore ætate Mundi multis recepta; Deum supremum qui cœlos condidit in sedem gloriæ suæ, non esse eundem qui creaverit hanc nostram tellurem. esse Deo supremo Deos inferiores qui eam paraverint, formaverint, instruxerint. esse autem Deos & Dæmones plures. eosdem vero esse qui à Gentibus colantur, & idolis repræsententur ac honorentur. Judæorum illum Deum, quem illi venerentur, esse Deum supremum; cœlorum creatorem & dominum: verum illum non curare res terrestres, quippe quas reliquerit *Diis inferioribus*, telluris hujus conditoribus. His se opponit Propheta, sive Deus, quem ille loquentem inducit. *Se*, ait, *Creatorem cœlorum* eundem esse *Deum* qui *formaverit terram*, quique eam *formaverit* ad eundem usum & scopum, in quem cœlos. Adhibet autem Propheta de opere conditæ terræ loquens quatuor notiones, ברא יצר עשה כונן, *creare, formare, facere, stabilire. Creatio* pertinet ad ipsam essentiam & formam interiorem partium quibus terra constat. *Formatio* ad *formam* exteriorem, qua Deus globum hunc terraqueum definivit ac circumscripsit. *Factura* ad telluris hujus cultum & ornatum. *Facere* enim hic est *perficere*, exornare. Confer Cap. XLIII. 7. Non est de eo dubium: sed quæri potest, quid præcise cogitari voluerit Vates sub notione כונן, quæ vere geminam admittere potest expositionem, vel *stabiliendi*; vel *exaptandi*. Sic Cl. Coccejus hoc loco, etsi alibi habeat, *firmavit*. Non nego voci hanc significationem subesse *a*, ab origine ejus non remotam. Partium enim apta dispositio facit ad constabilitionem corporis. Sed hic mihi dubium non est valere notionem *firmandi*. *α.* Quia *exaptatio* partium involvitur significatione vocis עשה, *perficere*. *β.* Si vocem כונן hic sumpsisset sensu *exaptandi*, hoc est, in usus hominum; videbitur eam repeturus esse in consequente dialogismo: *Non creavit eam* (בראה) *rem inanem: formavit eam*, (יצרה) *ad inhabitandum*. Poterat enim dicere, כוננה EXAPTAVIT EAM *ad inhabitandum*, si vox hic admitteret notionem *exaptandi*. *γ.* Locus Ps. CXIX. 90. in quo eadem phrasis occurrit, litem decidit. Verba sunt: *In quamque generationem est veritas tua:* כוננת ארץ ותעמד FIRMASTI *terram, & persistit.* Ergo vox pertinet ad *statum terræ*, estque idem ac si Vates dixisset, IPSE sc. Jehova *statum ejus firmavit & constabilivit*, ut videlicet certum inter cœlestia corpora locum atque ordinem obtineret, & secundum leges institutæ Naturæ rerum statum suum tueri posset, & inservire scopo in quem producta erat. Paradoxum est, Grotium hic cogitare potuisse de *terra Canaanæa*: forte non intelligens, quid hic faceret ad scopum Vatis, commemorare, *tellurem* hanc *totam* non esse *conditam rem inanem*. h. e. לריק IN VANUM. ut Hieron. & cum ipso plures, ut mox rursus usurpatur ℣. 19. *sequente*. Sed est ejus ratio manifesta, modo verba Prophetæ recte accipiantur. Deus *terram* dicitur creasse, ut *inhabitetur*, sc. ab hominibus, qui Deum cognoscerent, in eum crederent, eumque colerent, celebrarent, glorificarent. His destinata erat *terra*; in horum usum ex consilio Dei *parata*: ut adeo, primo, non deceret Deum terram linquere absque *incolis* qui veram profiterentur fidem ac Religionem: secundo, probabile videretur, venturum olim esse tempus quo universum genus hominum per terram diffusum perveniret ad notitiam & fidem veri Dei. qui sensus hujus *Pericopæ* sive *Præfationis* cohæret cum toto contextu orationis *superioris* & *inferioris*. Cum *contextu superiore*, quo Jesaias docuerat, *α.* Populum electum servatum ex Gentibus esse liberandum ex exilio per Cyrum, ne Ecclesia in terris periret, ℣. 4. seqq. *β.* Ab eo tempore Deum Gratiam suam liberalius communicaturum esse cum Gentibus, Ecclesiæ adsciscendis & adcorporandis, ℣. 8. & proxime ℣. 14. cum quo *commate* hæc *Præfatio* verissime connectitur. Cum *contextu inferiore*, qui idem hoc consilium Dei de Vocatione Gentium explicat, ℣. 20. 21. & planissime ℣. 22. seqq. Omnia eò tendunt, ut demonstret Vates, Deum hanc *tellurem* non *creasse in vanum*; sive, *in vanum non creasse omnes filios hominum* *b*: sed cum idem *telluris* qui cœlorum *Creator* & *Formator* sit, velle in *terris* æque ac in *cœlis glorificari* *c*, secundum sententiam quam Dominus expressit in Exemplo orationis quod Ecclesiæ reliquit. Est itaque quid majus quod hic dicitur quam quod Bojocalo pro Ansibariis tribuitur apud Tacitum *d*: *Sicut cœlum Diis, ita terras* GENERI MORTALIUM DATAS. *Solem deinde respiciens & cætera sidera vocans, quasi coram interrogabat, Vellentne contueri* INANE SOLUM!

Quorsum hic pertineant verba, *Ipse ille Deus est*: an ad *antecedens*; num ad *consequens*?

Diversa Interp. judicia.

Hypothesis hujus loci: *Deum* æque in *terris* glorificari velle ab earum incolis; ac in cœlis ab incolis eorum, Angelis.

Sententia opposita est impio dogmati: terram à Summo Deo non esse conditam.

Sententia Vatis ut huic dogmati oppositа declaratur.

Quatuor notiones, *creare, formare, facere, stabilire*, ut hic differant?

Notatio vocis כונן h. l.

Firmandi notio hic videtur commodior.

Applicatur ad *Tellurem*;

Grotii cogitatio de *Terra Canaanæa* non admittitur.

Quo sensu terra condita dicatur ut *inhabitetur*?

Expositio adstruitur ex contextu.

Locus Taciti huc relatus.

a Vide loca Prov. III. 19. Ps. VIII. 4. *b* Ps. LXXXIX. 48. *c* Matth. VI. 10. *d* *Annal.* Lib. XIII. Cap. LV.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 19. *Non in occulto loquutus sum.*

℣. 19. NON IN OCCULTO LOQUUTUS SUM: *in loco terræ tenebrosæ. Non dixi Semini Jacobi, Quærite me frustra. Ego Jehova, Loquens* VERUM, *indicans recta.*] Pulchra sententia; sed cujus interpretatio sic est facienda, ut conveniat textui orationis: à quo canone qui discesserunt Intt. excurrerunt in vagum. Tria sibi attributa Deus hic vindicat; & quidem, quod Grotius cum aliis hic docte observat, cum respectu ad *idola Gentium*, eorumque *idolorum mystas*, in quæ idola, & eorum Interpretes, contraria competunt. Primum illorum est, *Deum verum non esse locutum in occulto; in tenebricoso terræ loco.* h. e. Promissa & prædicta de Populo suo ex Exilio per Cyrum liberando, ejusque Beneficii consequentibus, palam edidisse & vulgasse per Prophetas, & per ministrum suum Jesaiam, in publicis cœtibus Populi Dei; & quidem disertis clarisque verbis, non dubiæ interpretationis & sensus minime impediti: secus ac mystæ superstitionis idololatricæ suos Deos loquentes aut Deorum suorum ministros vaticinantes inferunt ex antris, speluncis, adytis, & quidem verbis aut etiam symbolis dubii sensus, quibus passim inquirentibus in futura illudebant. Hoc censeo velle Jesaiam. Qui verba Vatis accipiunt de *sermone* à Deo facto *ex monte Sinai:* ut inter Judæos & Christianos aliqui: non facile nobis explicent, quo modo hæc interpretatio respondeat contextui. Ibi enim *Leges* Deus magis quam *Promissa* dedit; magis *Doctorem* egit vel *Legislatorem*, quam *Revelatorem futurorum.* Ne jam dicam, Deum vere quidem ad Montem Sinai loquutum esse ad Populum Jacobidarum, & quidem de *Monte*, non è *specu* aut *antro:* attamen loquutum esse, quod hic Hieronymus ait, in *abscondita solitudine.* Est itaque τὸ *loqui* hoc in loco referendum ad omne illud verbum, quod à Vate nostro de Liberatione Populi, & omnibus ejus circumstantiis, videlicet de *Judicio* in Babylonem, & administro illius Judicii exequendi Cyro; tum quoque de lætis & glorioſis consequentibus illius Judicii; in superioribus tam prædictum quam promissum erat. Sic Cap. XLVI. 11. *Vocans ab Oriente volucrem rapacem; è terra longinqua Virum consilii mei. Ego* דברתי LOQUUTUS SUM: *etiam adducam illud.* Cap. XLVIII. 15. *Ego, Ego* דברתי LOQUUTUS SUM: *etiam vocavi illum.* Speciatim vero vocem דבר referri ad *promissa* Divina, jam monui ad Cap. XXXVIII. 7. Sed præcipue hic sensus adstruitur ex Cap. XLVIII. 16. ubi eadem hæc verba repetuntur: ubi postquam in *commate antecedenti* diserte loquutus esset de Cyro, ipsis illis verbis, quæ modo exsignabam, ἀμέσως subjungit: *Appropinquate huc, audite hoc: non ab initio* IN OCCULTO *loquutus sum.* Solitos autem fuisse Mystas Gentium Oracula Numinum suorum veluti ex *antris* & *specubus* prolata commendare, cum ex Veteribus omnibus notissimum est: tum quoque à Viris Doctis, qui nostro ævo de *Oraculis* uberius commentati sunt, abunde probatum. Alterum attributum Dei similis sensus, his conceptum est verbis: *Non dixi semini Jacobo, Quærite me incassum.* Paradoxum ad primam speciem. Si enim hic quoque respiciatur ad ficta Gentium Numina, ut probabile est: estne Deorum aut Dearum commentitiarum ullus, cujus mystæ iis aptaverint hunc sermonem, *Quærite me frustra?* Quis enim Deum aut Deam colat, nisi *spe emolumenti?* Sane quidem id probabile non est. Recte igitur Cl. Schmidius, cui laudem suam hic jure dispertio, observavit, sententiæ subesse ellipsin. Integra sic se habet: *Non dixi, Quærite me, ut tamen cum quæsiverint, frustra quærant.* Dii Gentium *quærebantur* à suis cultoribus, h. e. colebantur studioſe, spe alicujus boni atque emolumenti obtinendi: sed *quærentes se* destituebant. Deus summus ita *quæritur*, ut quærentes se non fallat, sed iis præstet עקב רב *magnam* ἀντιπόδοσιν [a]. *Exspectantes Jehovam* non ludentur. Spes illorum non decollabit. Repræsentat Deus quod promisit; & passim præstat suis spe majora. Interim latet in hoc loco pulchra illa sententia, in interioribus Conscientiæ penetralibus consignata; velle Deum *coli ab homine in amore & spe*, h. e. ita coli ut *quæratur.* Quæsitio autem pro objecto suo habet *bonum.* Id sibi Deus gloriæ ducit. Vult respici in cultu suo ut μισθαποδότης. Qui eum aliter colit, abnegat ejus *bonitatem.* Quare videant Mystici, quomodo illi suum Dei cultum, quem ut *perfectissimum* commendant, *absque spe remunerationis*, cum principiis conscientiæ, cum dictatis Scripturæ S. & cum Divinis perfectionibus concilient. Tertium est: *Loquor verum: indico recta. Loquor* hic habet respectum ad promissa, verè repræsentanda: *Indico*, (annuncio, prænuncio, sisto ante oculos,) ad *prædicta.* Illa hic appellantur צדק *justitia*, h. e. *veritas.* Sic זבחי צדק *Sacrificia justitiæ.* sunt sacrificia VERA [b]. מאזני צדק *Lances justitiæ.* lances veræ, dolosis contradistinctæ [c]. Alluditur hic ad ipsissimam vocem צדיק *Verus*, quam Vates eleganter hac significatione usurpaverat Cap. XLI. 26. & quam ipse deinceps in eodem argumento commutat cum voce אמת *veritas*, Cap. XLIII. 9. מישרים valet *recta*, vero consentanea [d]. Opponitur attributum Divinum dolosis responsis & promissis, quibus mystæ profani cultores Idolorum lactabant.

Animadversio in sententiam Mysticorum.

Tertium membrum: *Loquor verum: indico recta.*

Sensus dicti. Significatio vocis צדק h. l.

β. *Convictio* ipsa.

℣. 20. *Congregamini & venite; accedite una,* QUI EVASISTIS EX GENTIBUS. *Nihil sapiunt qui portant sculptilia sua lignea; & qui adorant Deum, qui potis non est salvare.*] Est Elenchus ipse qui hic instituitur, vel institutus, & in sequentibus adhuc non semel instituendus, repetitur; binis *commatibus* circumscriptus. Est enim in more Vatum ecstaticorum circa idem objectum oberrare. Primum hic exhibeo: in quo nihil est quod nos moretur; modo cognoscamus *Subjectum*, ad quod hæc oratio dirigitur; hic designatum nomine פליטי הגוים *Eorum qui evaserunt ex Gentibus.* Sed phrasis ejusmodi est, ut per se spectata, geminam videatur sustinere posse interpretationem. Etenim qui *evaserunt*, effugerunt, *ex Gentibus*, (*Effugientes Gentium.* Coccejus docte: Οἱ σωζόμενοι τῶν ἐθνῶν· *salvati ex Gentibus.* non vero ut Forsterus hujus loci phrasin interpretatur: *Salvatores Gentium.*) videntur vel significare posse *Judæos*, qui ex Gentibus liberati & malis erepti sunt; vel eos qui ex Gentibus transierunt ad communionem Populi Dei, reliquarum Gentium erepti errori ac superstitioni. Posterius hic tenent Intt. Judæi, & secundum vim phrasios Hebrææ tenendum est. Contuli loca hujus generis, in quibus vox פליט *Evadens, effugiens*, salvatus vel discrimini ereptus, cum *personis* aut *affixis personalibus* construitur; ac deprehendi, in ejusmodi casu semper eos qui *evasisse* dicuntur, *partem facere* vel *fecisse* eorum qui malis illis succubuerunt [e]. Kimchius per פליטי הגוים hic intelligit *Eximios Gentium:* Duces eorum, פחותים שבגוים. Sapientes, Philosophos, à vulgo distinctos, cujusmodi ait in omnibus fuisse Populis: quod nemo neget: quam significationem phrasios adstruere conatur ex Jud. XII. 4. 5. ubi פליטי אפרים secundum ipsum sunt Duces, & eximii Virii Ephraimitarum. Sed historia id refellit. *Qui effugerunt*, evaserunt *ex Ephraimo*, cum cæteri percussi essent à Gileaditis, dicuntur ibi omnes promiscue *cladi* erepti. Aben-Ezra speciatim intelligi vult Babylonios, per idola sua delusos. Verum nulla ratio est restringendi ad certam hominum speciem, quod Vates in genere effert; etsi Babyloniorum hic præcipuam rationem habendam esse, non inficior. Intelliguntur *Proselyti Gentium*, non tam erepti gladio Nebucadnezaris, quàm potestati erroris & idololatriæ, cui major pars Gentium succumbebat; quos Deus destinaverat saluti. Hos compellat Propheta, Deum loquentem inferens, eos in fide veri Dei confirmaturus. Accedit, quod passim in his sermonibus disputatio de hoc argu-

β. *Convictio* ipsa, ℣. 20. Summa ejus.

Quinam hic dicantur *Evasores Gentium*?

Geminus sensus: vel ad *Judæos* referri potest oratio, vel ad *Proselytos* ex Gentibus.

Posterius assumitur, & ex potestate phrasios adstruitur.

Kimchii interpretatio. Intelligit *Duces* vel *Primores Gentium.*

Aben-Ezræ.

Quo sensu dicantur *evasisse ex Gentibus*?

Deus voluntatem suam revelans Populo suo hic comparatur *idolis* Gentium.

Primum est, Deum verum non esse *loquutum in occulto.*

Sensus dicti.

Κατ' ἀντίφρασιν idolorum.

Non videtur hic alludi ad apparitionem Dei factam in Monte Sinai.

Respicitur hic speciatim ad prædicta de Liberatione ex Exilio Bab.

Usus vocis דבר h. l.

Confertur locus paralelus Cap. XLVIII. 15.

Alterum membrum: *Non dixi Semini Jacobi: Quærite me frustra.*

Genuinus dicti sensus expositus.

a Ps. XIX. 12. confer Heb. XI. 6. b Ps. IV. 6. c Lev. XIX. 36. d Confer Prov. XXIII. 16. e Confer loca Jud. XII. 4. Ezech. VI. 9. VII. 16. Obadj. ℣. 14.

mento cum *Gentibus* instituatur, ut patet ex locis Cap. XLI. 21. XLIII. 9. ad cujus posterioris loci phrasin hæc nostra composita est. Conferenda igitur hic est insignis pericopa Amotsi, Cap. IX. 12. ubi consequens *instaurandi tugurii Davidis* ita effertur: *Ut possideant* (Israëlitæ,) *reliquias Edomi, & omnes Gentes super quas invocatum fuerit Nomen meum.* Implementum primum prophetiæ cadit in tempus Maccabaicum: sed verum & completum membri posterioris in tempora Regni Christi [a]. Disputatio & convictio, in publico veluti Foro instituenda ad eos *congregatos* & in Ecclesiam coactos, erat conficienda gemino argumento. Primo quidem ex *ipsorum idolorum vilitate & ἀδυναμίᾳ*, ut hoc *commate:* dein ex contraria affectione Dei *Israëlis*, qui salutem sibi fidentium prædicit, & prædictam suo tempore efficit; *commate sequenti. Vilitas* idolorum ex eo demonstratur, quod formata sint pleraque ex *ligno*, quod Vates prolixe exequutus fuerat Cap. XLIV. 14. seqq. *Impotentia* autem eorum quod necesse habeant ab hominibus *portari*, circumferri, ex loco in locum transferri; & certo loco collocari in Ædibus aut Templis, à quo per se non discedant; atque adeo inepta ad se *movendum*, multo magis ad *agendum*, aut *salvandum:* cum cultus Dei verus pro objecto habeat DEUM SALVATOREM. De vi argumenti nihil habeo dicere, cum in sensum incurrat; & quæ hic excipi possunt ab idololatris, in *superioribus* refellerim.

Locus Amotsi Cap. IX. 12. cum superioribus confertur.

Ex quibus argumentis hæc convictio instituenda esset?

℣. 21. *Sistite coram, & admovete argumenta vestra, &c*

℣. 21. SISTITE CORAM, & ADMOVETE argumenta vestra: *quin etiam consilium ineant pariter: Quis hoc ab antiquo audiri fecit? ab eo tempore clare prædixit? Nonne Ego Jehova, præter quem nullus amplius Deus est: Deus* JUSTUS & SERVATOR *nemo est præter me.*] Idem est quod sæpius habuimus, & in sequentibus recurret: Confer Cap. XLI. 21. XLIII. 9. XLIV. 7. ubi demonstravi, nihil esse quod Propheta de hoc Eventu jactet magis quàm in eo situm erat; siquidem ab hoc Eventu Ecclesiæ Judææ per Cyrum ex Exilio liberandæ omnium promissorum implementum pendebat. Quare ipse non hæsit tantum in Cyro, nec in Liberatione per ipsum efficienda, altiora respexit. Vidit in hac imagine totum Regnum Christi Jesu, & Mysterium Oeconomiæ Novæ, ut illius *consequens*; quod ipse protenus hisce verbis subjunget. Accedit quod *prædictiones* de *Cyro*, & de *Fato Babylonis* à Medis & Persis expugnandæ, ejusque expugnandæ *modis* & *circumstantiis*; simul etiam de subsequente *Liberatione Populi Dei*; absque involucris ullis, absque circuitionibus tot annis ante, (quod Vates scenam Visi hic figens in ipso illo tempore quo illud impleri cœpit, hoc loco supponit,) clarissime fuerint vulgatæ, (quod Vati nostro est הגיד *clare indicare*,) ipso etiam CYRI nomine expresso: quod verè quid singulare est, & certo demonstrat, Jesaiam nostrum in proximo Dei commercio fuisse, & gavisum esse peculiari quodam privilegio Divinæ Gratiæ. Inspiciamus nunc propius verba Prophetæ, & pauca quæ in iis illustrari merentur, expediamus. Primum in his est quod in exordio occurrit: הגידו והגישו, quæ verti; *Sistite coram, & admovete* argumenta vestra. Hieron. *Annunciate & venite.* quod obscurius. Quid enim *annunciarent?* Deinde, cum in *superiore commate* dixisset, *Congregamini*, & VENITE: cur idem hic repeteret? Pisc. *Indicate, & admovete vos.* Cocc. *Indicate, & admovete.* Dicam quid rei sit. הגיד hic loci notat aliquid *coram sistere*, quæ vera vocis vis est. inde, *indicare, clare nunciare, clare prædicere.* Sed notio hic accipienda est pro materia ejus de quo agitur, & conformanda ad interpretationem vocis הגיש, quæ hic non simpliciter notat *admovere se*, sed *admovere* argumenta, in medium proferre rationes, in disputatione veluti in cœtu instituenda. Explicanda itaque vox hoc loco est ex Cap. XLI. 21. ubi Vates eandem plane rem agens, & idem schema proponens, *Adducite*, ait, *litem vestram:* disputationem inite: הגישו עצמותיכם ADMOVETE, in medium proferte, *firma argumenta vestra.* Id ipsum est quod Propheta hic vult. Oratio dirigitur ad *Proselytos*, servandos ex Gentibus; quos Vates confirmatos cupit in *fide veri Dei*, in ipsis adhuc positos conversionis suæ initiis. Monet itaque illos, ut hoc argumentum quod ipse producit de certa & clara prædictione notabilis hujus Eventus rationibus suis subigant, versent, & ab omni latere inspiciant ac considerent. Si quæ vero illi argumenta, si quas rationes habeant, quibus putent, se vim hujus argumenti posse eludere: ea in medium proferant. Si vero nullas habeant: manus dent veritati, & se fateantur victos, ac deinceps absque dubitatione ulla in vera fide persistant. Nec tantum: sed si quos alios norint, se sapientiores, acutiores, sagaciores; hos in *consilium* adhibeant, & ab iis petant, ut sibi hac parte succurrant, videantque, num quod subterfugium aut exceptio ad hoc argumentum Vatis in medium adferri queat. quo illud pertinet, quod mox mutata persona ait, אף יעצו יחד *Quin etiam consilium ineant, & deliberent* super hac re, quos vobis placuerit ut sapientiores & perspicaciores ad hoc argumentum discutiendum advocare. Appellat autem Deus se hic loci צדיק *justum*, h. e. veracem in prædictis & promissis Ecclesiæ datis implendis, secundum id quod modò monui de voce צדק *justitia* ad ℣. 19. & מושיע *Servatorem*, ex promissis & prædictis, quorum argumentum erat *salus, redemptio, liberatio.* Sic ℣. 15.

Sententia ex superioribus illustratur, & momentum ejus demonstratur.

Animadversa ad orationem Prophetæ.

Verba sistite coram, & admovete.

Versio Hieronymi.

Quid h. l. sit הגיד?

PARS ALTERA hujus Sectionis, complexa generalem *Vocationem Gentium* ad Communionem Dei, & *Salutem* ab ipso revelandam.

a. *Gentes* blande *invitantur* ad Dei communionem.

Voci, *Admovete*, subest ellipsis: quæ demonstratur.

Uberior expositio sententiæ.

Extrema sententiæ: *Quin etiam consilium ineant pariter*, expendantur.

Pars *Altera* hujus Sectionis,

a. Gentes blande invitantur ad communionem Dei, ℣. 22.

Nexus orationis, & Summa ejus.

℣. 22. RESPICITE AD ME, & SALVAMINI OMNES FINES TERRÆ, *quia Ego sum Deus, & nullus amplius.*] Explicat se oratio Dei; angustis nimis, ut videbatur, inclusa terminis. Invitati erant *electi* Gentium, proselyti, ad suscipiendam fidem veri Dei, eamque fidem certissimis argumentis nixam, continenter profitendam. Sed nimis id exiguum videbatur & angustum. Quid enim vetat, omnes Gentes absque discrimine, ab errore idololatriæ liberatas, in verum Deum credere, ejusque solius cultum profiteri? Imo cur id judicari nequeat decentissimum, & rationibus Gloriæ Divinæ summe congruum? Ergo Filius Dei se hic ostentat, expandens omnes opes & divitias suæ gratiæ, & omnes absque discrimine Gentes invitans ad suam communionem; omnes terræ fines exhortans ad acceptandam *justitiam*, à se humano generi procuratam, & cum Justitia æternam *Salutem.* Facio autem hanc orationem FILII, quia attributa hujus pericopæ illi in summa emphasi conveniunt, & Apostolus ita nobis præiit, Rom. XIV. 11. Si quis orationem *Patris* faciat: dicere habet, Patrem se ita hic ostentare, ut conspici vult in *Filio*, in quo est & factus est *Salvator* hominis; quod cæteroquin est propriissimum attributum Filii. Semper cogitandum, quod ipse Dominus docuit [b], *Patrem* in *ipso esse, & ipsum in Patre*; & *qui ipsum vidit, vidisse Patrem.* Oratio ipsa plane Evangelica est, *Respicite ad me, & salvamini.* Hieron. *Convertimini ad me, & salvi eritis.* Posterius membrum non satis secundum emphasin orationis Prophetæ. *Respicere* hic est actus peccatoris, persuasi tam de miseria sua, quam de Divina Gratia qua constituit *servare peccatores* in Filio suo, se in *fide* & *spe* ad Deum in Filio convertentes & gratiam salutemque ab ipso humili animo petentes. Vox ipsa פנה, *respicere, se* aliquorsum *vertere, convertere*, ut hic usurpatur, est miseri, constituti in summo discrimine salutis, se ad *Servatorem*, de cujus sufficientia & voluntate persuasus fuerit, convertentis, eumque respicientis, invocantis, & totam salutem suam ei committentis. Si vocem referas ad disciplinam Religionis: proprie notat actum *fidei*, quo pec-

Pars *Altera* hujus Sectionis, complexa generalem *Vocationem Gentium* ad Communionem Dei, & *Salutem* ab ipso revelandam.

a. *Gentes* blande *invitantur* ad Dei communionem.

Oratio proprie convenit *Filio Dei.* Characteres ejus in h. l.

Argumentum Orationis est *Evangelicum.*

Respicere ad Jehovam, quid h. l.?

Emphasis vocis פנה h. l.

[a] Confer Act. XV. 15. 16. [b] Joh. XIV. 9. 10.

peccator miser se ad Dominum Jesum vertit, illum respicit, ejusque opem implorat. Fides enim est humilis respectus *Dei* & *Christi Jesu* ut *Servatoris*. Sed si eandem notionem liberalius sumas, ut hoc in loco: involvit omnia officia cultus Divini, quæ disciplina Religionis cultori Dei ut Servatoris imperat: actus, inquam, omnes *fidei*, *spei*, *fiduciæ*, *amoris*, *reverentiæ* & *obsequii*. In omnibus enim hisce actibus est *respectus Dei*, ut se manifestum fecit in Filio. Scriptores S. aliàs adhibent notiones æquivalentes ראה *videre*, הביט *intueri*, θεωρεῖν & inter eos ipse quoque Propheta noster [a]: cum quibus actibus & officiis secundum Legem Oeconomiæ Gratiæ conjungitur SALUS. Offert itaque Filius Dei *omnibus* terræ *finibus* SALUTEM sub *hac conditione*, ut *aversi* ab idololatria, ἐπιστρέψωσιν ἀπὸ τῶν εἰδώλων δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ· quæ phrasis est Apostoli, ad *Thessalonicenses* [b], sed quæ & aliis locis non infrequens occurrit [c]. Qualem verò SALUTEM? Non sane *temporalem*, siquidem Gentes omnes & Gentium singuli censeri non poterant hærere in *miseria*, secundum statum suum temporalem: sed *æternam*, sc. salvationem ab *exitio æterno*, ad quam generi hominum procurandam Christum Jesum manifestum fieri oportebat: quæ salus τῷ λόγῳ τῆς σωτηρίας [d], τῷ εὐαγγελίῳ τῆς σωτηρίας [e], commendatur. Rationem addit, *Quia Ego sum* DEUS, *& nemo amplius*. Idem est quod Act. IV. 12. Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία. Notio אל hic notat *Deum fortem*; Vivificatorem, Servatorem, qui per se potis est miserum non à temporalibus tantum servare malis, verum etiam ab æterno κατακρίματι. Confer Ps. LXVIII. 21. Rom. IV. 17. Hic sensus est blandæ Vocationis Evangelicæ à Filio Dei ad omnes terrarum fines directæ: nec tamen omnis sensus. Cave enim credas; hanc Vocationem instituì à Filio Dei, incerto eventu & spe. Notât illa & supponit, constitutum esse decreto Divino, fore ut *omnes Gentes*, non vocentur tantum & blande invitentur ad *salutem* obtinendam in communione Dei; verum etiam huic *vocationi* pareant, salutem in Filio Dei quærant, relictis idolis. quod *consilium* protenus exponitur. Est autem notionis אפסי ארץ FINIUM TERRÆ frequens usus, ubi mysterium conventionis Patris cum Filio enarratur *f*. Vates noster *g*: *Et videbunt omnes* TERRÆ FINES *salutem Dei nostri*.

β. Consilium Dei de earum Vocatione, Conversione & Salute emphatice exponitur.

Articulus primus.

℣. 23. *Per me juravi*; EXIIT EX ORE MEO VERBUM VERUM; *verbum quod non revertetur: Mihi incurvandum esse omne genu, & juraturam esse omnem linguam.*] Est oratio *Filii Dei*, declarantis consilium Gratiæ de omnibus absque discrimine Gentibus illustrandis Verbo Evangelii & perducendis ad veram Religionem quæ Patrem colit in Filio, Mediatore & Servatore, quem Mundo toti dedit Dominum & Judicem. Apostolus eandem doctrinam explicans in Epistola ad *Romanos*, ubi credentes Judæos & Gentes inter se dissentientes vocat ad tribunal Christi Jesu, à Patre post *resurrectionem ex mortuis* constituti Domini *mortuorum* & *viventium*, & *Judicis Universalis*; hæc ipsa verba allegat, ut ex iis evincat, *fratri* non competere *judicium in fratrem*, si sc. *verbum* aut *præceptum Christi* ostendere nequeat [h]. Verba ejus Cap. XIV. 11. ita se habent: *Scriptum est enim, Vivo ego, ait Dominus: Mihi incurvandum omne genu, & omnem linguam palam confessuram esse Deum.* Patet, prius membrum illum reddidisse per paraphrasin, *sensum*, non *verba* respicientem: in quo nihil vitii est. In posteriori etiam membro, quod Propheta ait, *Omnem linguam Deo esse juraturam*; quod ad sensum optime dedisse, *Omnem linguam Deum publice esse confessuram.* Non est etiam dubium, quin eadem hæc nostra respexerit ad *Philippenses* [i], ubi *Christum Jesum* docet *sublatum esse in summam sublimitatem*, ut *ad Nomen Jesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, ac subterraneorum.* Is verus hujus dicti sensus est, quem Apostolus de Christo Jesu, Domino & Judice omnis carnis, interpretatus, in omni emphasi sua accepit. Sed inspiciamus ipsi sententiam, & ductum ejus sequuti, declaremus. Exordium eorum facit magnifica *Præfatio*, qua Filius Dei demonstrat, se prolaturum esse sententiam æternæ veritatis, decretis Divinis subnixam. *Per me juravi, exiit ex ore meo* verbum *verum: verbum quod non revertetur.* sc. irrevocabile *decretum* (גזרה ut Hebræi recte,) Curiæ cœlestis. Sic vertenda est sententia, à multis infeliciter accepta, ob ignorantiam genuinæ significationis vocis צדקה hoc in loco. Hieron. *Prodit ex ore meo justitiæ verbum.* Si rem respicias, non multum erravit: sed si phrasin Hebræam, infeliciter. Voces enim צדקה דבר (sepositâ etiam *punctatura Masorethica* vocabuli דבר, quod habet *puncta status absoluti*,) reddi nequeunt *justitiæ verbum.* debebat esse דבר צדקה, *notione* constructi status *præposita*. Nescio etiam profecto, quid Vir quidam Doctus, hunc locum tractans, moverit scribere, sententiam κατὰ γράμμα ita sonare: *Prodiit ex ore meo justitia rei.* quod ne vitium subesse putes, repetit. Primo fateor, me non intelligere, quid sit *justitia rei:* dein, me certo intelligere, pugnare interpretationem cum Legibus Linguæ. Notio enim צדקה hic tuetur *statum absolutum*; nec proinde construi potest cum דבר. Jun. Trem. & Pisc. *Prodiit ex ore meo juste verbum.* Versio est tolerabilis. Acceperunt צדקה *justitia* pro בצדקה *in justitia.* Sic præiverat Chaldæus. Cocc. *Exivit ex ore meo justitia.* Sic *ad literam* Hebræa. Sed cum צדקה *generis debilioris* non recte construatur cum יצא, *terminationis masculini:* debuisset supplere ellipsin hic manifestam & scribere, *Verbum justitiæ.* Integra enim sententia est: יצא מפי דבר צדקה *Exiit ex ore meo verbum Justitiæ.* h. e. veritatis. *verbum verum.* Propheta vocem דבר hic neglexit, quia eam adhibet in altero membro. Ergo id unum hic observandum erat, vocem צדקה hic notare *veritatem.* Vidit hoc loco Lud. de Dieu, & recte contulit locum Cap. XLI. 26. Sic שמש צדקה *Sol justitiæ* [k], ut vulgo vertunt, est SOL VERUS. ut alibi observavi: τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν. Pariter דבר צדקה idem est quod Græcis, ῥῆμα ἀληθινόν. Aben-Ezra ad vocem צדקה *Justitia* adscripsit, דבר צדקה *Verbum justitiæ.* Subjungit והטעם דבר אמרת *Sensus autem est*, VERBUM VERITATIS. Explicat Vates mentem, ubi addit: *Verbum quod non revertetur.* Præfixa ו in voce ולא hic sustinet usum *relativi*, ut alias sæpissime. Dicit Filius Dei, se prolaturum esse sententiam verissimam, irrevocabilem, cujus exsecutio non minus certa rataque haberi debeat, quam certa & æterna res est *vita sua*, quæ est *vita Dei.* Deus enim *per se jurare* dicitur, ubi sententias, promissa, minas, connectit cum vita sua. Formula jurisjurandi Divini est, חי אני VIVO EGO, vel, חי אנוכי לעלם *Vivo Ego in sæculum.* quod Apostolus perspiciens, periphrasin hanc Prophetæ compendio sic reddit: Ζῶ ἐγώ· VIVO EGO. plane ex mente Vatis. Videlicet *verbum* hoc fundatum esset in *absoluto & irrevocabili Decreto Divino*, cujus exsecutio non magis fallere posset, quam Deus desinere *esse & vivere*; ut Deus *non magis credi velit se esse*, quàm *se hoc facturum esse.* Quid vero? *Jehovæ esse incurvandum omne genu; ei juraturam omnem Linguam.* h. e. omnes per orbem homines eam celebraturos Religionem, quæ *Filium Dei* in communione Patris & Sp. S. agnoscit verum Deum, Dominum, Regem, Servatorem, ad cujus cultum, reverentiam, & humillimum obsequium summo obligationis jure obstricti sint. Hebræa habent: כי לי תכרע כל ברך proprie, ut videtur: *Quia mihi curvabitur omne genu.* Sic Hieron. nec tamen recte. Vocula כי hic in versione est negligenda, vel vertenda per

Proprie adhibetur ad declarandum actum finaei,

Loca analoga.

Cum hoc actu conjungitur *salus.*

Non temporalis, sed æterna.

Vis notionis אל h. l.

Fines terræ quales h. l.?

β. Expositio Consilii Dei de *Vocatione Gentium.*

Articulus primus, ℣. 23.

Oratio hæc est Filii Dei.

Summa orationis ipsius.

Allegatio hujus loci Paulina, Rom. XIV. 11.

Verba Apostoli allegantur, & eorum scopus demonstratur.

Ut & ad Philippenses, Cap. II. 10.

Verba Prophetæ: *Per me juravi, &c.*

Sensus eorum.

Verbum justitiæ hic est verbum verum.

Animadversio ad versionem Viri Docti.

Aliorum interpretatio.

Subest phrasi ellipsis.

Vox צדקה hic notat veritatem, constantiam; Aliorum consensus.

Expositio totius dicti.

Formula Jurisjurandi Divini.

Jurisjurandi materia, *Jehovæ esse incurvandum omne genu.*

Sensus ejus.

Vocula כי hic παράλογος

a Jes. XVII. 7. Zach. XII. 10. Joh. VI. 40. b 1 Thess. I. 9. c Confer Act. XIV. 15. XV. 19. d Act. XIII. 26. e Ephes. I. 13. f Ps. II. 8. XXII. 28. Zach. IX. 10. g Cap. LII. 10. h Rom. XIV. 9. 11. 12. i Phil. II. 10. k Mal. IV. 2.

quod. Est in hoc loco simplex nota præfixa sententiæ sequenti, ut Græcorum ὅτι in longe plurimis locis. Confer Gen. IV. 23. 24. 1 Sam. XIV. 39. Jer. II. 35. Interpretes in hujusmodi locis ei tribuunt usum *assertivum*; & patior id in aliquibus fieri: sed ubi præcessit *jusjurandum*, ut hoc in loco, nulla ampliore asseveratione opus est. Sunt autem phrases, quibus Vates hanc professionem Religionis declarat, metaphoricæ, diversæ ab his quas adhibuerat in luculento loco Cap. XLIV. 5. *Curvatio genu* hic notat actum humillimæ *adorationis*, in qua locum habet *genuflexio* & *prostratio*: qui uterque ritus obtinet in Religione [a], cujus Symbolum est *adoratio*, *invocatio*, *supplicatio* ejus quod colitur Numinis. Erat autem in more apud Veteres se *prostraturos* coram Deo, & civiliter etiam coram Regibus & Dominis, (qui ritus השתחוה dicitur,) prius *procumbere in genua*; inde corpus inflectere ad pedes ejus quem adorabant. Notat confessionem summi juris, potestatis, arbitrii in se & sua, quod agnoscebant in persona cui hunc honorem exhibebant. Altera notio *jurare alicui*, desumpta est à subdito fidem jurejurando Domino suo, Regi, aut Imperatori spondente; quod passim apud Gentes genu vel genibus flexis fiebat. Habuimus vocem eodem plane sensu Cap. XIX. 18. Metaphorica dictio diversa est ab altera, qua quis PER DEUM *jurare* dicitur: quæ ipsa quoque ad Religionem refertur, & frequens occurrit; & apud Vatem nostrum Cap. LXV. 16. Nostra proprie valet ὁμολογεῖν vel ἐξομολόγησιν, qua quis palam profitetur Deum esse suum *Dominum* aut *Regem*. quomodo Apostolus in loco modo allegato eam sapienter accepit. Summa est; appropinquare tempus, quo homines per Orbem omnes, relicta idololatria & superstitione profana, se confessione & cultu subjicerent vero Deo; & in *Filio*, imagine Dei, in quo Pater est, agnoscerent veram Divinitatem, & gloriam unici Servatoris, Domini, Regis & Judicis generis humani: quod primo fieret sub *Regno Messiæ* ex consensu omnium prophetiarum: (quo Judæi ipsi quoque hunc locum referunt:) dein complete & perfecte absque exceptione ulla in Judicio Universali, quando summa ejus perfectio, potestas, gloria, omnibus hominibus coram *tribunali* Domini sistendis, volentibus aut invitis innotescerent; omnes se ei subjicere cogerentur: quomodo Apostolus hæc verba in summa emphasi accepit in prædicto loco ad *Romanos*. Id vero *verbum*, ut *verum* esse Eventus quod ad priorem ejus sensum probavit & amplius probaturus est, quando *plenitudo Gentium introibit*, & *totus Israël salvabitur*: sic sane est *verbum justitiæ*, fundatum in clarissimis rationibus æquitatis, & justitiæ Divinæ, ut Deus totum Mundum, omnes absque discrimine Gentes & Populos participes faciat suæ gratiæ; perducat ad communionem notitiamque suam; subjiciat Regno Filii sui, & liberet à potestate Satanæ, Regno ejus, quod superstitionis, erroris & nequitiæ est, destructo. Quæris, quo tempore hoc *verbum veritatis & justitiæ* à Filio Dei jurejurando sancitum sit? Respondeo, non opus esse, certum hic demonstrare tempus, cum phrasis rectissime referatur ad *irrevocabile statutum* Consilii pacis. Si tamen articulum temporis tibi demonstrari velis: respice locum Gen. XXII. 15. 16. 18. ubi ANGELUS JEHOVÆ ad *Abrahamum*: JURO PER ME IPSUM, *ait Jehova*: ... IN SEMINE TUO BENEDICENTUR OMNES GENTES TERRÆ. Id vero ipsum est quod hic agitur. Atque hæc basis est illius *Vocationis* Gentium, quæ in *superiori commate* instituta fuit.

Quid hic loci sit *curvatio genu*?

Mos Veterum recepto in *adoratione*.

Symbolica ejus interpretatio.

Jurare per *Nomen Christi* hic notat *Nomen ejus confiteri*.

Summa dicti.

Gentium illa conversio & confessio est character Regni Christi Jesu.

Articulus alter.

℣. 24. *Duntaxat* IN JEHOVA: DE ME DIXIT: *sunt justitiæ* & ROBUR: *ad ipsum ibitur, & pudefient omnes in eum succensi.*] Continuatur oratio Filii Dei, magni Servatoris & Judicis Mundi, purificatione peccatorum peracta collocati ad dextram Dei Patris. Declarat autem planius summam Jurisjurandi, cujus in *commate superiore* fecerat mentionem: h. e. explicat

Articulus alter, ℣. 24. *Duntaxat in Jehova*, DE ME DIXIT, *sunt justitiæ & robur*, &c.

Verba Filii

consilium Gratiæ de *modo*, *medio* & *caussa* salutis, offerendæ omnibus per terram Gentibus. Sed oratio sic constructa dispositaque est à Propheta, ut absurdum non sit esse qui dubitent & disputent de vera & certa ejus interpretatione. Est itaque æquum hic aliquid indulgere divortiis sententiarum, modo Interpretes omnes constitisset intra lineas. Sed sunt inter illos qui hic tam longe à via discesserunt, ut eos persequi nequeas, nisi temporis multum perdas & ipse quoque in longum absque fructu excurras. Primum membrum sententiæ est: *Duntaxat in Jehova*, לי אמר DE ME DIXIT, (vel *de me dicetur*, aut *mihi dixit*,) *sunt justitiæ & robur*. ubi prius definiendus est sensus vocularum, huic membro insertarum, לי אמר: quàm certi quid statuere licet de sententiæ sensu. Sunt qui tam verba hujus *commatis* quam *sequentis* faciunt verba Prophetæ, & qui proinde illud לי אמר vertunt per, *mihi dixit*: ut Jesaias superiorem sententiam declarans, diceret: *In Jehova sunt justitiæ & robur*, (*mihi dixit*:) *ad ipsum ibitur*, & *seqq*. estque communis opinio Interpretum Judæorum, quam ex nostris etiam nonnulli sequuntur. Sensus ejusmodi est ut ferri possit: etsi vere longe rectius continuetur oratio Dei vel Filii Dei, jusjurandum suum exponentis. Jesaias mallet verbum tanti ponderis à Deo quam à se dici. Quare longe magis se mihi probat illorum judicium, qui illud לי אמר tribuunt *personæ loquenti*, h. e. Jehovæ, hoc sensu, *de me dicetur*, sive *de me dicet quisque*, ut præfixa ל in voce לי hic sumatur *objective*; & אמר *impersonaliter*. Sic Piscator, quem Belgæ sequuti sunt. Potuisset tamen Vir Doctus modum loquendi ut Hebræis non insolentem vindicare. Vox אמר sumitur Vati nostro *impersonaliter*, Cap. XXV. 9. ואמר ביום ההוא *Et dicet illo die* h. e. quisque, sive *dicetur*: *Ecce Deus noster*, & *seqq*. Præfixam autem ל significatione *objecti*, habuimus Cap. XLI. 7. in verbis אומר לרבק *dicens* DE *glutino*. Sic Abraham Saræ [b]: אמרי לי *Dic* DE *me*. Nihil vitii habet interpretatio, & præfero eam expositioni. Lud. de Dieu, qui voculam לי divellens à voce אמר, ita reddit: *Tantum in Jehova mihi*, *dicet* quisque, *sunt justitiæ & robur*. Videtur enim Vates, si id voluisset, scripturus esse, אך ביהוה אמר לי צדקות ועז *Certe in Jehova*, *dicet* quisque, *mihi sunt justitiæ & robur*: ut orationem liberaret ab ambiguitate. Sed Cl. Coccejus, supponens hæc verba esse Messiæ, Filii Dei, ut vere sunt, simpliciter vertit: *Tantum in* JEHOVA (DE ME DIXIT:) *sunt justitia & robur*. quod neutiquam sperno, & commodissimum dat sensum. Cum enim, ut mox videbimus, FILIUS DEI hic proponatur, ut caussa justitiæ, gratiæ & salutis, qualis constitutus est in consilio gratiæ, & declaratus verbo promissionis gratiæ ex voluntate Dei Patris: rectissime ipse de se dicit & dicere potest; *de me dixit* Pater; decrevit, locutus est ab ipsis mundi natalibus. Confer Ps. II. 7. XL. 8. LXXXIX. 20.

Dei. Summa eorum. Sententiæ affectio.

Divortia sententiarum.

Voculæ hic insertæ, לי אמר *mihi dixit*, vel, *de me dixit*: quomodo accipienda? Sunt qui eas referunt ad Prophetam.

Rectius videtur referri ad personam loquentem.

Vox אמר aliquando sumitur *impersonaliter*.

Præfixa ל cum ea constructa, subinde vertitur *objective*.

In sensu sententiæ investigando, peto mihi concedi, quod supra jam suppositi, & Paulus Apostolus plane ponit in locis à me adductis; verba hæc esse *Filii* Dei, Messiæ, Servatoris, & summi Judicis hominum; quippe quæ hypothesis sensum vocum amplæ significationis definiet. Ratio hypothesios est, non tantum quod Apostolus ita præiverit, quod nobis hic poterat sufficere; verum quod attributa omnia ipsi propriissime conveniant. Non excludo hic Patrem: sed Pater Deus se hic ostentat in Filio, ut sæpe monui. Prædicat qui loquitur magnum quid de se, Nimirum, *esse in se justitias & robur*. Per *Justitias* hic intellige *Beneficium longe amplissimum gratuitæ Remissionis peccatorum*, *spectatum in vera sua caussa*, *Obedientia*, *Passionibus & Morte Mediatoris*. Coccejus h. l. JUSTITIAS *dicit*, *significans consummationem*, *vel omnia jura ad omnem benedictionem*. Docte scripsit & recte, nihil hic à nobis diversum cogitans. Vereor ut quis cogitet, aptare nos Prophetæ hunc sensum ex communibus hypothe-

Optime refertur ad *Personam loquentem*, vertunturque verba: *De me dixit*.

In Expositione Sententiæ supponendum, *Esse verba Filii Dei*.

Quid hic intelligatur per *Justitias*?

sibus

[a] Confer Ps. XCV. 6. [b] Gen. XX. 13.

sibus & phrasibus Scholæ nostræ; & per *Justitias* secundum locutionem Veterum verius intelligi summam *æquitatem & misericordiam* quam Deus exercet in condonandis peccatis resipiscentium. Sane quidem patior id cogitari, nec pugnat etiam directe cum nostra sententia; quin Daniel in oratione sua vocem צדקות *Justitia* ea latitudine usurpat, his verbis *a*: *Domine*, ככל צדקתיך *secundum omnes* JUSTITIAS TUAS, *revertatur, quæso, ira tua & excandescentia tua, ab Urbe tua Hierosolyma, & à monte tuo sancto, & seqq.* Sed primo supponimus, omnem *gratiam* & *æquitatem*, quam Vir sanctus hic à Deo petit, fundatam esse in *promissis gratiæ*, quæ omnem vim suam arcessunt à Sponsione & Mediatione Messiæ, cujuscunque generis fuerint: deinde, significationem *Justitiæ* sive *Justitiarum* in hoc loco restringi tum à Jesaia ipso, & Prophetis aliis, tum à Paulo, & Scriptoribus N. T. ejus aliorumque Prophetarum certis interpretibus: quorum consentienti doctrinæ si hypotheses Scholæ nostræ conveniant, quod maxime velimus; quid vitii est ab earum ἀναλογίᾳ non discedere? Confidimus enim eam profiteri doctrinam fidei, quæ non à nobis ficta, sed ex hisce fontibus hausta est. De qua *Justitia* Jesaias hic loquatur, docet ipse *sequenti inciso*, ubi ait: *In Jehova* JUSTIFICABITUR *& gloriabitur totum semen Israëlis.* quo ipso docet, per *justitiam* quam *in Jehova* esse dixerat, se intelligere *causam justificandi* cum *voluntate justificandi* conjunctam. *Justificari* autem non est simpliciter *absolvi à peccatis*; sed JURE *absolvi à peccatis*; quâ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν *absolutione a peccatis* omnis benedictio spiritualis & *jus ad vitam æternam* involuta sunt. Vult itaque dicere, *in Jehova* esse ID PROPTER QUOD peccator resipiscens & credens, & *Salvatorem respiciens in fide*, (imo omnis peccator, nemine quod ad *Gentem* excepto,) *à peccatis absolvi*, & *jure ad benedictionem cœlestem donari* queat ac debeat. Et pertinet huc emphasis phrasios, qua dicit, *Esse illam justitiam* IN *Jehova:* h. e. esse *bonum ejus, bonum proprium*, ab ipso quæsitum & paratum; *in ipso* quærendum; quod *extra ipsum* non invenitur. Non itaque esse IN *homine*. quippe qui hoc jure per peccatum excidit; aut in *Operibus Legis*, ad cujus jus postulatumque explendum *caro* inepta est; neque etiam in *victimis* & *sacrificiis* Legalibus, aut in superstitiosis ἐθελοθρησκείαις commentis. Conferatur Vates noster Cap. I. 27. ubi de hoc argumento disserui, Cap. XXXII. 17. LIII. 11. Ps. XXIV. 5. Sic Jeremias *b*: *Et nomen Ejus* (*Germinis Jehovæ*,) *erit*, *Jehova* JUSTITIA NOSTRA. Danieli est צדק עולמים *Justitia æterna c*, quæ nascitur ex כפרת עון *expiatione iniquitatis*. Inde Paulus in *Epistolis suis* hunc locum nostrum speciatim & analoga alia respiciens, frequens utitur phrasi δικαιοσύνης JUSTITIÆ, & δικαιοσύνης Θεοῦ JUSTITIÆ DEI, & quidem gemina significatione: vel enim hac voce complectitur *universum beneficium Gratiæ*, quod *Justificationem* vocat, cum *sua caussa*, quæ est *obedientia Messiæ*; ut Rom. I. 17. vel ipsam Ghristi Jesu ὑπακοὴν *obedientiam*, Cap. V. 17. Notiones enim ὑπακοὴ, δικαίωμα, δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης, Apostolo ibi idem sonant. Alias dicitur λύτρωσις, ἀπολύτρωσις. Sic ad Corinthios *d*: Christus Jesus *factus nobis est* δικαιοσύνη ἀπὸ Θεοῦ JUSTITIA A DEO. Alibi *e*: *Ut nos fieremus* JUSTITIA DEI IN IPSO. h. e. propter τὸ δικαίωμα, quod *in ipso est*, *justificaremur*. Ad Philippenses *f*: *Ut* IN IPSO *reperiar*, *non habens* MEAM JUSTITIAM *quæ est ex Lege: sed eam quæ est per fidem Christi:* JUSTITIAM QUÆ EST EX DEO *per fidem*. Petrus vocat δικαιοσύνην τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ *g*. quæ loca hic non repetiissem in argumento vulgatæ tractationis, nisi per ea liquido probari posset, sensum quem Jesaiæ dedi, in iis definiri. Dicitur autem hæc *justitia* Vati nostro צדקות JUSTITIÆ, terminatione *plurali*, tum ob excellentiam ejus; tum ob amplitudinem, qua omnibus peccatoribus credentibus ad salutem sufficit; tum ob effecta, quatenus complectitur *omnia jura* filiorum Dei. Alterum attributum, quod in se respici vult Filius Dei, est עז ROBUR. per quod Intt. hic vulgo intelligi volunt τὸ κράτος *vim* quæ est in Christo Jesu hominem liberandi è servitute peccati & potestate Satanæ, ac per *Spiritum suum* sanctificandi, sustinendi in statu gratiæ, fulciendi, & tandem à morte & corruptione vindicandi. Coccejus: ROBUR *ad præstandum omnia dona, vitam, & Spiritum sanctificationis, & Regnum, ita ut nemo ex ipsius manu eripere possit, & omnia sibi possit subjicere.* Certe non nego, *Robur* in Oeconomia Gratiæ hoc sensu sæpius de Deo sumi *h*, & non ausim significationem hic loci excludere. Pertinet enim ad *vim* salvandi peccatoris quæ in Christo est. Et tamen vere putem, proprie & ex primo sensu Prophetæ per עז *Robur* hic intelligi id quod peccator in Deo *apprehendere* potest ut per id salvetur; quod si vera notione Evangelica appellem, est GRATIA, λύτρωσις, nixa *Justitia* illa quam modo descripsi. Alluditur enim hic, ubi vere de *justificatione* agitur, omnis Benedictionis spiritualis & æternæ fonte, ad *cornua altaris*, quæ qui *apprehendebat*, censebatur salutis suæ consuluisse, ut Cap. XXVII. 5. Sic Paræmiastes *i*: *Nomen Jehovæ est* עז מגדל TURRIS ROBUSTA: *eò* CONFUGIET JUSTUS, *& in edito loco collocabitur.* Hoc sensu Poëta Divinus, Deum *semel loquutum esse*, ait *k*, *& se bis audivisse*, ROBUR *esse Dei.* suntque analoga multa in *Odis Sanctorum* quæ non describo: sufficit sensum indicasse; quem plane non perspexit Hieronymus, ubi *Robur* hic vertit per *imperium.* Huic vero sententiæ directe respondet quod sequitur; AD IPSUM IBITUR; *& pudefient omnes qui in ipsum exardescunt.* Referenda sunt verba ad duplex, & diversum subjectum. Essent qui persuasi de miseria sua ad *ipsum irent*, in fide; (quem fidei actum Scriptores N. T. & in iis Joannes passim vocat VENIRE *ad Christum*, quæ notio בוא *venire*, *ire*, hic adhibetur:) sed essent alii qui se gererent *hostes Filii Dei & Evangelii ejus* ex *interno veritatis odio*, tam ex Judæis quam ex Gentibus, per totam historiam Ecclesiæ notissimi, qui *suffunderentur pudore.* quod Judæi inobedientes Evangelio; dein Gentes, experti sunt: & tamen probabile, hic primo loco respici *Judæos* rebelles Evangelio, non *hostes* tantum, sed & OSORES CHRISTI, odio infensissimo in ipsum, & sectatores ejus, succensos & inflammatos. Confer Ps. II. 1. 2. seqq. LXIX. 5. CX. 2. Cant. I. 6. Luc. XIX. 27. Sunt tamen ex Intt. plures, qui hanc sententiam totam accipiunt de *uno subjecto*, h. e. de hominibus male in Christum affectis, qui cum *pudore* cogerentur se ipsi subjicere: sed qui *sequenti commate* demum describi putant *subjecta* his oppositæ, quæ salutem Jehovæ participarent, his verbis: *In Jehova justificabitur, & seqq.* Sic Hieron. *Ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei.* Jarchius: AD IPSUM VENIENT *&* PUDEFIENT; &c.] כל חנחרי בהקבה יבאו עדיו להתחרט עלמרס שעשו בחייה ויבושו מהתנרין *Omnes incensi in Deum S. B. ad ipsum venient, ut pœnitentiam agant super id quod in vita sua perpetrarunt, & pudefient.* INCENSI] *Concitati.* Favet vere huic expositioni distinctio Masorethica. Vox enim יבוא est signata *accentu Munach*, quem vel ex ipsa ejus figura *conjunctivum esse*, agnoscas: etsi Cl. Coccejus hic moneat *distinctivi* officio fungi Cap. XLIII. 10. quod ibi loci non observavi. Sed certum est, *rationem claram* huic interpretationi non favere, quod nobis hic sufficit. Ipse Interpres Hebræus Kimchius ab illa distinctione discedens *duo* hic & diversa subjecta demonstrat. Nempe α. Nemo ad aliquem *accedit*, *venit*, *it*, ut *pudefiat*. β. Vox יבוא hic est terminationis *singularis*, ut יבשו *pluralis*. γ. Sequens *comma* non incipit ab aliqua *vocula* vel *præfixa adversativa*; sed *absolutam* efficit sententiam. Persistimus itaque in interpretatione nostra.

An non rectius hic exponatur per *æquitatem, misericordiam*?

Judicium ac de re. Vox subinde ita usurpatur.

Sed sunt hic variæ, quæ significationem locis determinant.

Notatio *Justitiæ* hic retenda est ex seq. vs. 25

Quid, stylo Scripturæ, sit *justificari*?

Declaratio sententiæ hujus loci.

Quomodo *Justitia* illa sit in *Jehova*?

Loca analoga huc adducta.

Quid Paulo *Justitia* & *Justitia Dei*?

Quare *Beneficium* ἀποκαταστάσεως

hic dicatur *Justitiæ*?

Quid *Robur* h. l.?

Communis sensus Intt.

Cl. Cocceji meditatio.

Intelligitur h. l. *Id quod peccator* in Deo apprehendere potest ad salutem.

Est *gratia*. Alluditur hic ad *cornua altaris*.

Sequentia hunc sensum confirmant; *Ad ipsum ibitur*, &c.

Hominum diversus affectus erga Messiam.

Sunt qui hic describi putant homines *unius qualitatis*.

Hieron. & Jarch. expositio.

Ad eam ἀπάντησις.

a Cap. IX. 16. *b* Cap XXIII. 6. *c* Cap. IX. 24. *d* 1 Cor. I. 30. *e* 2 Cor. V. 21. *f* Cap. III. 10. *g* 2 Pet. I. 1. *h* Confer Ps. LXII. 8. LXXXIV. 6. CV. 4. Jes. XXV. 4. *i* Prov. XVIII. 10. *k* Cap. LXII. 12.

noſtra. tantum obſerves; quod abſque me monente ipſe intelliges; vocem יבוא hic ſumi *impersonaliter*, ibitur, venietur.

Articulus tertius. יſ. 25. IN JEHOVA *juſtificabitur, & gloriabitur totum ſemen Iſraëlis.*] Proprie, *juſtificabuntur, gloriabuntur.* Emphaſis ſententiæ cadit in vocem ביהוה IN JEHOVA. non *extra Jehovam*; non *in ſe.* Omnis cauſſa *juſtitiæ* & *ſalutis* eſt materia & objectum καυχήσιος *gloriationis.* unde Apoſtolus *a*: *Nam ſi Abraham ex operibus juſtificatus eſt*; ἔχει καύχημα, HABET GLORIATIONEM. Quare ſi pateſcat, cauſſam *juſtitiæ*, h. e. remiſſionis peccatorum & donationis juris ad vitam, non eſſe in *nobis*; nec eſſe in ullo ſubjecto alio, *extra Jehovam:* conſequitur, illum ſolum, qui nobis procuravit juſtitiam & vitam, evadere *materiam* & *objectum* καυχήματος. Sic Apoſtolus poſtquam narraſſet, nos totam ſalutem noſtram debere Chriſto Jeſu, qui nobis à Deo factus ſit *ſapientia*, JUSTITIA, *ſanctificatio & redemptio*; ſubjungit *b*: *Ut fiat ſicut ſcriptum* eſt; *Qui gloriatur*, ἐν Κυρίῳ καυχάσθω IN DOMINO *glorietur.* Reſpicit tam hunc locum quàm Jer. IX. 23. 24. Vindicat autem Jeſaias hoc beneficium, & beneficii conſequens, *toti ſemini Jacobi*, ſc. myſtico, ſive Judæorum ſive Gentium, abſque diſcrimine: quod verum ſemen Jacobi, particeps factum hujus juſtitiæ, *Salvatorem* ſuum, ſibi factum in *juſtitiam* cum abnegatione ſui ipſius & juſtitiæ ſuæ, extolleret, laudaret, celebraret in omnem æternitatem. Aben-Ezra ad verba: *In ipſo juſtificabuntur, & ſeqq.* adſcripſit: שיהיו מאמינים בשם QUI CREDENT IN DEUM. Laudo dictum, ſi id ea latitudine intellectum voluerit; longe diverſum ab invidioſa ſententia contribulis ſui Jarchii, qui verba *ſuperioris membri* vertens, MIHI *in Jehova* eſt *juſtitia & robur*; eaque applicans ad *Eccleſiam Iſraëlis*; ſubnotat: MIHI Iſraëli *ſoli erit juſtitia & robur*; ולא יבאו שאר אומות לכלל כבודי *& reliquæ Gentes non venient in communionem gloriæ meæ.* En Judæum *oculi mali*, quem Dominus deſcribit in Parabola! *c*

Articulus tertius, יſ. 25. *In Jehova juſtificabitur, &c.* Emphaſis ſententiæ cadit in voces *In* JEHOVA. Sententia declaratur. *Cauſſa juſtitiæ* eſt objectum *gloriationis.*

Quam ample hic ſumatur notio *Seminis Jacobi?*

Laus Aben-Ezræ & invidia Jarchii.

Partis Quartæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Tertia.

Vates Sacer reſumens & continuans *Superioris Sectionis* argumentum, clare prædicit deſtructionem *Idololatriæ Babylonicæ:* ſimul oſtendit illius ſuperſtitionis vanitatem; & Deum inducens loquentem tam ex hiſce rationibus, quam ex Operibus & Effectis Providentiæ Divinæ anteriorum temporum, nec non ex prædictis à ſe ſolo accurate implendis & impletis, convictionem inſtituit adverſus inſanos qui in Populo ſupererant *Superſtitionis Babylonicæ* admiratores, & *aureorum* atque *argenteorum idolorum* ſtupidos cultores, ut eos reducat ad *Reſipiſcentiam*, & ad *cultum ſolius veri Dei Iſraëlis*; ac denique occurrit pertinaci quorundam incredulitati, qui de implementi certitudine dubitabant.

CAPUT XLVI.

1. INflexus eſt Bel; incurvavit ſe Nebo. Idola illorum ſunt pro beſtia & jumento. Geſtamina veſtra ſunt oneroſa: onus defetiſcenti *jumento.*

2. Incurvati ſunt, flexerunt ſe pariter: non poſſunt eripere onus; & ipſi illi abeunt in captivitatem.

3. Auſcultate mihi, Domus Jacobi; & omnes Reliquiæ Domus Iſraëlis; ad bajulandum à me ſuſcepti inde ab utero, portati inde à ventre.

4. Et uſque ad ſenium Ego idem ſum; & ad canitiem uſque Ego portabo. Ego feci, & Ego portabo, & Ego bajulabo, & eripiam.

5. Cui me aſſimilabitis, & æquabitis? & comparabitis me, ut ſimiles evadamus?

6. Qui prodigunt aurum ex crumena, & argentum trutina appendunt: conducunt aurifabrum, ut id faciat Deum. adorant *illud*, atque etiam *coram eo* ſe proſternunt.

7. Tollunt illum (Deum) in humerum: bajulant illum, & reponunt illum in loco ſuo; & ſtat, ex loco ſuo non recedit: etiam clamat ad illum, & non reſpondet: ex anguſtia ipſius non ſalvat eum.

8. Mementote hujus rei & corripimini zelo: revocate tranſgreſſores ad animum.

9. Recordamini priorum quæ à ſæculo geſta ſunt: quippe Ego ſum Deus fortis, & præter me nemo; & nihil mei ſimile.

10. Qui indicat à principio finem, & ab antiquo quæ facta non ſunt: dicens, Conſilium meum ſtabit, & omnem voluntatem meam faciam.

11. Vocans ex Oriente volucrem rapacem: ex terra longinqua virum conſilii mei. Etiam loquutus ſum; etiam illud adducam: formavi; etiam efficiam illud.

12. Auſcultate mihi robuſti corde, qui longe abeſtis à juſtitia.

13. Appropinquare facio juſtitiam meam, non longe aberit; & ſalus mea non cunctabitur; & ponam in Tſione ſalutem Iſraëli decori meo.

Argu-

a Rom. IV. 2. *b* 1 Cor. I. 31. *c* Matth. XX. 15.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Sectionis.

Argumentum hujus Sectionis.

INspicienti hanc Concionis *Sectionem* protenus obversabitur ejus *ἀναλογία* cum superioribus. Solummodo observaveris, lucem prophetiæ se hic efferre altius. Cum enim Propheta adversus idololatras & idololatriam in antecedente oratione disputans, omninò in oculis habuerit idololatriam Babylonicam, ut suis locis monui: hic tandem eam diserte appellat, & subversionem ejus clare prænunciat. Inde hic Sectio exorditur. Deus qui hic inducitur orationem repetens vel continuans, primo quidem, Idololatriam Babylonicam prostituendam ac subvertendam, & *Idola* Babylonis diripienda & in alias Regiones magno onere transportanda, prædicit [a]. Inde sermonem vertit ad Populum, in Exilio Babylonico agentem, eumque blande appellat, & certum esse jubet de *gratia auxilioque* suo, & voluntate in eum benevola, ejusque gratiæ ac voluntatis suæ perennitate [b]. tum verò eum instituit convincere de vanitate idololatriæ, & idololatrarum, simulacra ex auro ac argento formantium, eaque adorantium, væsania [c]: mox convictionem hanc urgens & applicans ad animos superstitiosorum idololatriæ Sectatorum qui in Populo supererant, eosque ad seriam exhortans resipiscentiam; alia etiam in medium producit argumenta, tum sumpta ex operibus antiqui temporis; tum quoque ex prædictis à se solo, eventu verissime confirmatis [d]; & acriter refellit incredulos, qui certitudinem implementi hujus vaticinii, aliorumque similium de Beneficiis futuro tempore in Ecclesiam conferendis, in dubium vocabant [e].

Scopus hujus *Sectionis*.

II. *Scopus* hujus *Sectionis* idem est, qui superiorum ejus partium: *Consolari* pios & reverentes Dei cultores, qui perstiterant in fœdere Dei; alienatos à communione & cultu veri Dei *convincere* ac permovere ad veram *resipiscentiam*; profanos & obstinate incredulos retundere ac pudefacere; & præsertim *munire* Judæos promiscue omnes abducendos in Babyloniam adversus *Idololatriam Babylonicam*, quæ in augustis Templis magna celebrabatur pompa & splendore. Id hic præcipuum esse arbitror. Confer concionem Jeremiæ *f* huic & superioribus analogam, eundem respicientem scopum. Sane enim videbatur esse justissima metuendi ratio, ne Populus Judæus in Exilium abducendus & Babyloniis permiscendus, illius Gentis amplecteretur Religionem; quod ex Ephraimitis in Assyriam, Mediam, Armeniam, abductis multos feciſſe, certum est. Inde cura & solicitudo Vatis, & rectius dixerim, Dei ipsius, qui cum Ecclesiam in Exilio perire nollet, sed reliquias ejus conservatas vellet: tanto studio Populum munit adversus idololatriam, & confirmat in fide veri Dei; ut mirandum non sit, eadem hic subinde recurrere.

Concio referenda est ad Statum Judæorum in Exilio Bab.

III. Non est itaque necesse tempus hujus *Concionis* hujusque ejus *Sectionis* referre ad Regnum Achazi, quando idololatria publice à majore parte Populi Dei in Religionem recepta fuit: de quo me aliquando dubitasse, non negem. Sed propior meditatio horum *Sermonum* me ab hac dubitatione absolvit. Munit Deus Populum in Exilium deportandum adversus idololatriam Babylonicam & vicinarum Gentium, inter quas dispergerentur: & conciones hæ, accedente Divina Gratia, suum obtinuerunt effectum. Est enim quid admirabile, Populum qui in terra sua superstes ac Divino gaudens favore nullis monitis, minis, contestationibus, convictionibus Prophetarum Dei, per sæcula continuatis, revocari potuit à propenso in idololatriam affectu; Populum, inquam, eundem, postquam ductus in Exilium venisset in proximam Gentium idololatrarum communionem, inter ipsas Gentes & Populos conversum esse à falsorum Deorum cultu, & veri Dei cultum constanter professum esse, si excipias defectores à Fœdere tempore Antiochi Epiphanis.

De *Scena* ejus propior admonitio.

IV. De *Scena* Visi hujus nihil etiam hic habeo quod seorsim moneam, cum non differat à *Scena* proximarum *Sectionum*. Utique patet ex *primis* hujus Sectionis *commatibus*, figendam illam esse in ipso tempore, quo Vates vidit expugnari *Babylonem*, & *idola* ejus à Persis Mediisque diripi & alió abduci: cui scenæ reliqua omnia consentiunt.

Analysis ejus.

V. Sectio bifariam dividitur, in *Partem Propheticam* & *Elenchticam*.

Pars PROPHETICA hujus Sectionis, qua prædicitur eversio Idololatriæ Babylonicæ, ℣. 1. 2.

Pars ELENCTICA, qua peccatores in Populo vocantur ad Resipiscentiam, & convincuntur de vanitate Idolorum & vera Divinitate Dei Israëlis: quam Ἔλεγξιν Vates hoc modo exequitur.

α. Præstruitur *Convictioni* blanda *Appellatio* Populi Dei qua Deus eum certum facit de *affectu* suo in Populum & affectus sui constantia; ℣. 3. 4.

β. *Convictio* ipsa instituitur,

(a.) Ex vanitate *Idolorum*, eorumque formandorum *modo*, ℣. 5--7.

(b.) Ex *operibus* Dei illustribus antiqui temporis, ℣. 8. 9.

(c.) Ex *prædictis* à se certò *impletis* & *implendis*; cujus argumentum producitur hæc ipsa Liberatio ex Exilio, ℣. 10. 11.

γ. Speciatim refutantur *Increduli*, qui de certo implemento prædictorum ac promissorum dubitabant, ℣. 12. 13.

PARS PROPHETICA hujus Sectionis, qua prædicitur Eversio Idololatriæ Babylonicæ.

Articulus primus.

Pars Prophetica hujus *Sectionis*, de Destructione *Idololatriæ* Babylonicæ. *Articulus primus*, ℣. 1. Hypothesis hujus Visi.

℣. 1. INCURVATUS EST BEL, CURVAVIT SE NEBO: *idola illorum sunt pro bestia & pro jumento. Gestamina vestra sunt onerosa: onus defetiscenti* jumento.] Vidit Propheta, ut hæc scripsit, præsentem Babylonis lapsum: Urbem expugnatam direptamque; spoliata destructaque tandem Templa, & idola Babyloniorum imposita jumentis abduci in Mediam & Persiam; & ut rem veluti præsentem ob oculos vidit, sic eam descripsit, ut in more est Prophetis, sæpe circa idem objectum longum errantibus, idque ab omni latere contemplantibus & contemplandum exhibentibus. Tantum observari velim, Vatem nostrum, Eversionem Status Babylonici repræsentaturum, hunc observare ordinem, ut hac *Sectione* Babylonis interitum depingat respectu *Religionis*, hoc est, pudendæ superstitionis ipsius: *sequenti Sectione* excidium *Status Civilis*.

Veterum Ecclesiæ Doctorum Euseb. Hieron. sententia de hac Pericopa; agi hic de subversione Idololatriæ Paganismi sub N. T.

Eusebius, & Hieronymus, qui Eusebium hic fere verbotenus sectatur, nulla ejus facta mentione; verba hæc cum superioribus connectentes, & nullam hic agnoscentes *ἀναπαλαίωσιν*, volunt, Vatem hic describere destructionem Idololatriæ Paganicæ, futuram cum *adventu* & *manifestatione* Christi Jesu & Regni ejus, tanquam sub *speciali* complecteretur *generale*. Meditatio nihil absurdi habet, si eam in se spectes; & si ex *sequentibus* non liqueret, *scenam* Visi vere figi in tempore expugnatæ Babylonis. Utique enim in ℣. 3. Casus hic evertendæ Idololatriæ Babylonicæ diserte applica-

Sed quæ non convenit textui Orationis.

a ℣. 1. 2. b ℣. 3. 4. c ℣. 5--7. d ℣. 8--11. e ℣. 12. 13. f Cap. x. 1. 2. seqq.

plicatur non ad *Gentes*, sed ad *Judæos*, perinde ac Cap. XLIV. 21. 22. & in *sequenti Sectione* ipsius *Babylonis*, quod ad Statum Civilem, subversio enarratur. Oportet itaque sequi Prophetam, ut ille præit; nec alia videre velle quàm quæ ipse nobis videnda proponit: etsi sane ego facile largiar, destructionem Idololatriæ Babylonicæ gerere typum Eversionis Superstitionis Idololatricæ reliquarum Gentium, quæ suo tempore se ab *idolis mutis convertentes ad verum Deum*, Christum Jesum ejusque Justitiam ut caussam unicam salutis suæ amplexarentur: nec distat hic à nobis Cl. Coccejus. Si itaque *rem* ipsam sive *generale thema* & sententiam orationis spectes: nihil admodum occurrit, quod nos moretur. Sed in phrasi Prophetæ est quod Interpretes exercet. quare ut nihil hic negligam; orationem Vatis, *duobus commatibus prioribus* inclusam, per membra sua relegam.

Verba Prophetæ: *Incurvatus est* BEL: *curvavit se* NEBO.

Incurvatus est Bel, INFLEXUS EST *Nebo*.] Hebræa sunt: כרע בל קרס נבו in quibus primo obscurior est notatio vocis קרס, in *posteriori membro* quæ *hoc* tantum & *sequenti commate* in Sacris legitur. Hieron. *Confractus est Bel*, CONTRITUS *est Nebo*. Sequutus est τὰς ὁ. Chald. אתקטף נבו *Succisus est Nebo*. Sed nec כרע notat *confringi*; cum recepta ejus significatio sit *incurvandi*; nec facile demonstres, notioni קרס adhærere significatum τῶ συντριβεσθαι *conteri*. Putem, formatam esse versionem ad imitationem loci analogi Cap. XXI. 9. In Versione Cl. Cocceji h. l. est: *Diffudit se Nebo*. cujus interpretationis ut ipse non adscripsit rationem: sic mihi nulla patet. Sed legendum, *diffidit se*, ut ipse in ℣. *sequente*. In *Lex.* exhibet: *Incurvatur Nebo*. cui assensum præbeo. Rationes sunt, α. Quia vox קרס hic omnino exponenda videtur ex cognata כרע *incurvari*. dum frequentissimi moris est apud Prophetas, sententias duplicare. β. Antiqui thematis קרס significatio peti potest ex voce קרסים [a], quæ in *Legibus Mosaicis* de *Tabernaculo* vere significat *fibulas*, sive *uncinos*, figura incurvos & repandos. Sit igitur sententia Prophetæ, fore ut *Bel* & *Nebo incurventur*, inflectantur. Quid sibi velit phrasis, & unde sumpta sit metaphora, quæram, simulac de BELO & NEBO aliqua præfatus fuerim. Sunt idola Babyloniorum, ut hic occurrunt. Quæris, qualia? Sane quidem id dijudicatu est difficilius. Veteres de Chaldæorum vaticinationibus, præstigiis, incantamentis, & Astrologiæ Judiciariæ studio, prolixe loquentes, Idololatriam publicam & Domesticam Babyloniorum, (quæ à Sapientium & Magorum studiis distinguenda est,) parcius memorant & describunt, & eandem fere circumscribunt cultu BELI, præter cujus imaginem alteram ingentem ex auro confectam in Templo Babylonico fuisse, tradit Herodotus [b]: ut verba ejus accipienda videntur. Sed Diodorus Siculus idem Templum tria simulacra aurea maximæ molis, JOVIS, (Beli) JUNONIS & RHEÆ, quorum illud Jovis ad XL pedes assurrexit, complexum fuisse, narrat [c]. Certe VENERIS cultum Babyloniis fuisse receptum, liquet clarissime ex 2 Reg. XVII. 30. ubi Babylonii in Samariam translati dicuntur *fecisse* סוכות בנות SUCCÔTH BENOTH, h. e. tentoria VENERIS, (est enim *Benoth*, antiquitus enunciatum *Benôs*, vel, ut legi potest, BENUS idem quod *Venus*,) quam fœdam Babyloniorum superstitionem planissime describit Herodotus [d]. Verum ex Vate nostro & ex Jeremia [e] clarissime liquet, *idololatriam*, non *Publicam* tantum, sed & *Domesticam*, illo tempore Babylone; & in Babylonia, maxime viguisse, ut jam monui ad Cap. XXI. 9. & XLIV. 9. Tantum repetam locum Jeremiæ, hic clarissimum [f]: TERRA SCULPTILIUM (Idolorum) *ipsa est*; *& in terriculamentis gloriantur*. Estque hæc ipsa ratio, quare *Babylon* mystice figuram gesserit illius *Civitatis*, quæ à Spiritu appellatur *Mater fornicationum & abominationum terræ* [g].

Reste videtur explicari ex voce קרסים *uncini*.

Qualia Idola BEL & NEBO?

Obscura Idololatriæ Babylonicæ notitia.

Herodoti de ea testimonium; ut & Diodori Siculi.

Succoth Benoth 2 Reg. XVII. 30. *tabernacula Veneris*.

Babylonii *Idololatræ* insignes.

Babylon mystica, ejus ἀγλῶς οἶκος.

Cæterum ut ad rem propius accedam, cum omnes Orientales Populi *Solem*, vel Deum in *Sole*, coluerint, eumque per simulacra expressérint; non est aliena à ratione sententia quæ statuit, BELUM Babyloniorum figurasse eundem Deum, Deorum summum, quem Græci Δία JOVEM vocarunt; cujusque sedem Orientales Populi putabant esse in *Sole*. Sic certe Herodotus & Diodorus rem acceperunt. Constat enim, vocem בל BEL contractam esse ex בעל BAAL, Dominus; ex quo *Beël*, & inde *Bel*. Equidem vetus traditio habet, BELUM, Nini Patrem, Monarchiæ Babylonicæ primum conditorem, hoc nomine appellatum cultumque esse. Sed probe observandum, *Idololatriam Orientalium* longe diversam fuisse à *Græcanica*, quæ illustres fato functos religiose venerandos proposuit. Orientalis Idololatria versata est circa *Naturas Cœlestes* aut *Infernas* sive *Subterraneas*. Nec tamen nego, *Belum* aliquem extitisse *Nini* Patrem; h. e. à quo Ninus origines suas repetiit; sivè Pater ejus sive inter majores ejus fuerit; qui deinceps cum *Belo Cœlesti* confusus fuit. Inde nemo miretur, eosdem Doctos Viros conjeciisse, per NEBO, (cujus Idoli Babylonici hic tantum mentio occurrit,) intelligendam esse *Lunam*, h. e. Junonem, dictam Orientalibus מלכת שמים REGINAM COELORUM [h]. Sententia est Ger. Joannis Vossii, sed quam nullo adstruit argumento, nisi quod hoc in loco cum *Belo* conjungatur. quod tamen ad perfectam rei demonstrationem non sufficit. Ipsum enim hoc nomen *Bel* quoque conjungitur cum *Merodach* apud Jeremiam [i]. Sunt itaque qui in diversa abierunt. Grotius ad hanc vocem adscripsit: *Fuit autem hariolus aliquis in Deum consecratus à Babyloniis, paribus de caussis ut Apollo ὁ Λοξίας, (latebriloquus) apud Græcos.* Qua fide hæc scribat vel conjiciat Vir Eruditus, ipse non prodidit: sed credibile est, illum respexisse Hebræam notionem נבא *prophetare*, *vaticinari*. Putem, eadem ratione motum Doctissimum Virum Thomam Hyde [k], hic intellexisse *Mercurium*, Deorum Interpretem. Commentans enim ad Nomen *Nabopolassaris*, Patris Nebucadnezaris, id compositum esse vult ex tribus Deorum Babyloniorum Nominibus נבו־בעל־אור *Nebo-Bel-Azar*; *Mercurius*, *Jupiter*, *Mars*. ut *Nabonassari* ex נבו־אור *Nebo-Azar*, *Nun* epenthetico ad vitandam κακοφωνίαν vel ad explendum sonum inserto. Sed cum in illo loco docte demonstret, vocem אור Orientalibus notare *Martem*: rationem sententiæ de voce נבו *Nebo* nullam dat. Ego quidem non sperno has conjectationes, dum fieri nequit, ut hic certi quid definiatur: perinde ac de *Nergal* ac *Merodach*, quæ ipsa quoque recensentur inter Idola Babylonica. Veteres de Apollinis, Martis, Mercurii, cultu apud Babylonios celebrato, quod sciam, nihil meminerunt. nisi quod non negem, Orientales (certe Phœnices & Syros,) *Soli*, ut summo Deo, passim Assessores dedisse *Martem* ac *Mercurium*, ut Deum docerent *reluctantes*, *ad officium vi impellere*, & *obsequentes blande pellicere*, ut alibi docte observat Cl. Bochartus [l], & ex Oratione Juliani de *Sole* illustrat. Mihi itaque adhæret sententia maxime probabilis, per *Nebo* hic designari *Junonem*, sive *Lunam*, מלכת שמים *Reginam Cœlorum*; à Babyloniis ac Mesopotamenis & ab Assyriis quoque ac Syris omnibus sub nomine *Veneris Cœlestis*, cultam, eandemque alio nomine נרגל *Nergal* dictam, (cujus etymon alibi [m] explicui:) primo quidem quia *Belo* commodissime jungitur; deinde quia liquet, primum & proximum fuisse à Belo Numen, quod Babylonii coluerint. quod facile probatur ex Fragmento Abydeni apud Eusebium: qui referens Nebucadnezaris Somnium de Calamitate Genti suæ impendente, in hæc verba ipsum loquentem facit [n]: Τὴν (συμφορὰν) ὅτε Βῆλος ἐμὸς Πρόγονος, ἥτε Βασίλεια Βῆλτις, ἀποτρέψαι, Μοίρας πεῖσαι ἀσθενῆσαι

Sol olim cultus fuisse videtur in BELO.

Diversa traditio de *Belo*, Nini Patre.

Quomodo inter se concilianda?

Luna Regina Cœlorum culta putatur in NEBO.

Aliorum ex Doctis diversæ sententiæ de *Nebo*.

Et speciatim Cl. Hydii, qui intelligi vult *Mercurium*.

Epicrisis ad illam sententiam.

Designatur *Luna* sive *Juno*.

De *Nergal* animadversio.

Rationes illius sententiæ.

Locus ex Fragmento *Abydeni*.

quam

---

a Exod. XXVI. 6. XXXV. 9. *b* *Hist.* Lib. I. C. 183. *c* *Hist.* Lib. II. p. 69. 70. *d* Lib. I. C. 199. *e* Confer Jer. LI. 44. 47. *f* Cap. L. 38. *g* Apoc. XVII. 5. *h* Jer. VII. 18. XLIV. 18. *i* Cap. L. 2. *k* De *Relig. Vet. Pers.* Cap. II. p. 67. *l* De *Col. Phœnic.* Lib. II. Cap. VIII. *m* Ad Cap. X. 10. p. 271. In *Annotat.* *n* De *Præp. Evang.* Lib. IX. p. 456.

quam Parcis ut averruncent, nec BELUS, *generis noſtri auctor, nec* REGINA BEELTIS, *perſuadere unquam poterunt.* Eſt autem Βῆλτις eadem quæ *Aſtarte* Syrorum, & Byblienſium Βααλτὶς, BAALTIS, apud eundem Euſebium [a]. Formatum eſt nomen ex בעלתי Syrorum: &, ſecundum conjecturam Viri Eruditi, quem modo laudabam [b], ingreditur compoſitum nomen, quod apud Aulam Babylonicam impoſitum eſt Danieli, בלטשאצר *Beliſcazar*; ex *Belis* & *Azar*. perinde ac Nomen *Nebo* paſſim ingreditur compoſitionem Nominum Babyloniorum, quæ Illuſtres in ea Gente Viri geſſerunt, ut ſunt *Nabonaſſar*, *Nabopolaſſar*, *Nebucadnezar*, *Nabonidus*, *Nebuzaradan*. De etymo nihil habeo dicere, niſi forte arceſſendum ſit ex נוב *provenire, pullulare*, & forte, geminata ſignificatione, *fructuoſum frugiferum, fertilem*, reddere: quod attributum *Lunæ* Veteres agnoverunt. Quæ Hieronymus hic habet de *Nebo*, Moabitarum monte, digna non ſunt relatu; & miror, alicujus rei facta eſſe à Seldeno [c]. Apud Interpretem Græcum antiquitus pro *Nebo* hic, craſſo errore, lectum eſt Δαγὼν *Dagon*, quod conſtat fuiſſe Philiſtæorum idolum: idemque exhibetur in MS. Alex. ut & apud Euſebium, Cyrillum, Hieron. licet Theodoretus recte habeat Ναβὼ, perinde ac Aquila & Theodotio, ut Symm. Νεβώς. Non imputo Interpreti Græco licet indocto hunc errorem; ſed opiner, vocem Ναβὼ ab imperiti Librarii manu primum in Δαβὼ, & inde in Δαγὼ & Δαγὼν converſam eſſe, vel, Librarium ad marginem adſcripſiſſe, οἷον Δαγών; & inde vocem Δαγὼν irrepſiſſe in contextum. Quid vero illud quod Vates ait, INCURVATUS *eſt* BEL; *curvavit ſe Nebo?* Phraſis enim, quæ metaphorica eſt, videtur inſolentior. Plerique Intt. exponunt per *cecidit*: ut hoc loco οἱ ὁ. Ἔπεσε Βήλ· *Cecidit Bel.* Kimchius: רוצה לומר ששברו אותו וכרע ונפל לארץ *Vult dicere, quod ipſum confregerint, & quod incurvatus ceciderit in terram*, ad quem ſenſum accedit Hieronymus: *Confractus eſt Bel.* Reſpexerunt haud dubie locum Vatis noſtri, Cap. XXI. 9. *Cecidit, cecidit Babel, & omnia ſculptilia idolorum ejus* שבר לארץ CONFREGIT *in terram.* h. e. confracta projecta ſunt in terram. Sed quod ad hunc locum noſtrum: notio *fracturæ* proprie non involvitur notione *curvandi*. Probo itaque illud ſolummodo in hac phraſi, per *curvationem* hic intelligi *caſum* illorum idolorum. Sic Poëta facer de adverſariis Chriſti Jeſu & Regni ejus [d]: המה ברעו ונפלו *Ipſi* INCURVATI SUNT & CECIDERUNT. Poſſet itaque hic alludi ad DAGONEM, idolum Philiſtæorum, qui deprehenſus eſt in Templo *projectus in terram coram* ARCA Domini, in illud Templum illata; & altera vice in loco collocatus, *capite* & *manibus abſciſſis*, pariter humi dejectus inventus eſt [e]. Nolim obniti, quia metaphora huic loco optime convenit: & tamen omnino mihi perſuadeo, Vatem hic maxime alluſiſſe ad ſtatum ignominiæ, contemptus, pudoris, &, ut verbo dicam, *mortis* Eccleſiaſticæ, in quem detruſi ſint Dii Babyloniorum, poſtquam eventu probatum eſt, eos non tantum ineptos fuiſſe ad Populum Babyloniorum liberandum; verum etiam ſe ipſos vindicare non potuiſſe, quo minus loco moverentur, mutilarentur, &, ſi materia permitteret, *confringerentur*. Vult dicere Propheta, Deos Babyloniorum tutelares, quibus Gens ſuperſtitioſa plurimum fidebat ac gloriabatur, hoc tempore ſpectandos eſſe ut *mortuos*, vita caſſos, res nihili, ac venturos in omnium contemptum; cum contra veri Dei character ſit, eſſe אלהים חיים *Deum vivum*, mutis & mortuis idolis oppoſitum. Sic de ipſo Jeremias oppoſite ad *idola* [f]. Hæc vera vis eſt phraſios. Qui *moriuntur*, dicuntur *incurvari*, capite inclinato, & niſi ſuſtineantur, *concidere, procidere humi*, quippe viribus caſſi & ad ſe ſuſtinendum invalidi. Sic in Cantico Deboræ de Siſera [g]: *Inter pedes ejus* (Jaëlis, uxoris Heberis,) כרע *ſe* CURVAVIT, *cecidit, jacuit: inter pedes ejus* SE CURVAVIT, *cecidit.* Confer 2 Reg. IX. 24. Alluditur autem eo venuſte ad ſimulacrum *Beli Babylonii*, ut in auguſtiſſimo ejus Templo exhibitum eſt, ſi fides hic habenda ſit Diodoro [h]: Τῶν δὲ ὁ μὲν τῶ Διὸς ἐζηκὼς ἦν καὶ διαβεβηκὼς, ὑπάρχων ποδῶν τεσσαράκοντα τὸ μῆκος, ςαθμὸν δ' εἶχε χιλίων ταλάντων Βαβυλωνίων· *Jovis imago pedibus inſiſtenti & ambulanti ſimilis erat, pedum* XL *longitudine, & pondere* CIↃ *talentorum Babyloniorum.*

Idola illorum pro beſtiis & jumentis.] h. e. Aſinis, bobus, camelis, equis, ut ea deportent in Mediam & Perſiam: ut patet ex *fine* hujus *commatis*, & *ſequentis: Et ipſi* (Dii Babylonii) *iverunt* בשבי *in captivitatem.* Sic Jeremias [i]: *Et* CAMOSCH (Moabitarum idolum) *ibit in exilium.* Alio loco [k]: MILCOM *ibit in exilium.* Sic moris erat apud Gentes, & certe apud Romanos, ut victarum Gentium Numina in terram ſuam tranſportarent: ſed Romani hoc ſcopo, ut eorum ſibi conciliata benevolentia, Rempublicam ſuam ſtabilirent; quod Perſis, ſimulacrorum cultum abominantibus, curæ non fuit. Cl. de Dieu rectius putat vocem משא *onus* ad complendam ſententiam hujus membri huc transferri ex fine *commatis*, ut licet vox ſemel expreſſa ſit, bis fungatur officio, ut integer ſenſus ſit: *Fuerunt idola illorum* ONUS *beſtiæ & jumento.* Docta eſt obſervatio quam lubens admitto. Vox חיה quam hic per *beſtiam* verti, ubi contradiſtinguitur חיה בהמה, paſſim notat *feras*: ſed obſervarunt jam Docti cum Cl. Bocharto, ferre quoque mitiorem interpretationem; &, ut בהמה ſubinde latius uſurpatur pro *feris*, ſic חיה, perinde ac vox latina *beſtia*, ſubinde ſumi quoque pro *jumentis*, ſive *animalibus domeſticis.* Sume exemplum ex Pſ. LXXVIII. 50.

Geſtamina veſtra ſunt oneroſa: onus laſſæ.] Sic diſtinguenda eſt ſententia ſecundum Maſorethas, in duo membra, ut ego putem, ex vera mente Prophetæ; ſenſu facili: Idola, quibus gravantur *beſtiæ* & *jumenta*, valde eſſe *oneroſa*; & *jumenta* dum ea portant, laſſare. Sic Piſc. *Onera veſtra gravia ſunt: oneri ſunt feſſis beſtiis.* Hieronymus tamen Hebræa, נשאתיכם עמוסות משא לעיפה in unam redegit ſententiam: *Onera veſtra gravi pondere uſque ad laſſitudinem.* Senſum magis ſectatus eſt quam verba. Coccejus: *Geſtamina veſtra quibus onerati eratis, onus laſſæ.* Reſpexit, ut putem, cum Kimchio, verba Cap. XLV. 20. & ſequentia ℣. 7. hujus *Capitis. Non ſapiunt*, הנשאים *qui* PORTANT *lignum ſculptilis ſui.* Sed non autumo vere illuc reſpici. Babylonii enim proprie non ſoliti erant *portare idola*, niſi quatenus ea ex loco in locum tranſportabant; vel *lignum*, ex quo conficiebantur, *ferebant*: unde non videntur commode appellari *portatilia* ſive *onera*. Mallem ſimpliciter ex hac hypotheſi, *Geſtamina veſtra ad bajulandum ſuſcepta ſunt onus laſſæ.* Cl. Bochartus [l], obſervans, *Participia paſſiva, cum nominaſcunt, active interpretanda eſſe*, idque exemplis adſtruens, verba transfert, *Geſtatrices veſtræ ſunt onerata.* Eſt animadverſio docta, quam non gravate amplecterer, niſi ſequens membrum reclamaret; cui longe melius conſentit, *geſtamina*, quam *geſtatrices*. Eſt autem נשא hic *quid grave attollere.* Mutatio perſonæ à *tertia* in *ſecundam*, Prophetæ noſtro in ſententiis propria, eſt referenda ad elegantiam orationis.

℣. 2. *Incurvati ſunt, curvarunt ſe pariter; non poſſunt eripere* ONUS: *& ipſi illi abeunt in captivitatem.*] Pleraque quæ huc pertinent, jam expedivi. Tantum quæritur, quid ſibi velit phraſis, *Eripere onus?* Hieronymus verterat, *Non potuerunt ſalvare portantem.* Utique vitioſe, cum vox משא *onus* ſignificet, non *portantem onus*; & tamen Grotius, forte non inſpecto textu Hebræo, ſequutus eſt. nam de Pontificiæ ſectæ Scriptoribus nemo miretur. Kimchius & Interpretes noſtra-

Nomina Βῆλτις, & Βααλτὶς.

Etymon vocis NEBO.

Antiqua lectio Græca, quæ pro *Nebo* habuit *Dagon.*

Unde ortus error?

Quid hic *incurvatio?* unde ſumpta phraſis?

Per *Curvaturam* intelligitur *Caſus* idolorum.

Alluditur ad hiſtoriam *Dagonis.*

Quo proprie pertineat metaphora?

Qui *moriuntur*, dicuntur *ſe incurvare & concidere.*

Alluditur hic ad imaginem Beli Babylonii.

Locus Diodori.

Idola illorum pro *beſtiis & jumentis.*

Senſus verborum.

Idola deportarentur in Mediam & Perſiam.

Loca analoga.

Mos Gentium hac parte, & Romanorum.

Cl. de Dieu meditatio laudata.

Uſus vocis חיה hoc loco.

Geſtamina veſtra oneroſa: onus laſſæ.

Varia verborum diſtinctio apud Intt. & de ea judicium.

Cl. Bochartı obſervatum.

℣. 2. *Incurvati ſunt, &c.*

Phraſis, *Eripere onus* quod ſibi h. l. velit?

Hieron. interpretatio.

Kimchii

a Lib. I. p. 38. b *Thom. Hyde*, d. l. c De *Diis Syris*, *Syntagm.* Lib. II. Cap. XII. d Pſ. XX. 9. e 1 Sam. V. 3. 4. f Cap. X. 10. g Jud. V. 27. h Biblioth. Lib. II. p. 69. i Cap. XLVIII. 7. k Cap. XLIX. 3. l *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XVII.

& de ea judicium.

noſtrarum partium paſſim ita accipiunt, *Non potuerunt Dii Gentium ſe vindicare quominus idola ſua tanquam onus portentur, abducenda in exilium, & portantibus jumentis gravia ſint.* Sed non potui à me impetrare, ut ipſis aſſentiar. *Eripere* enim ſive *ſalvare onus*, proprie non ſonat, *te eripere* quo minus *alii oneri ſis.* Accedit, *poſterius membrum* quid aliud vel plus dicere debere quam *antecedens*, quippe quod ſtylus Prophetæ, & *copula* ו poſtulat. Ergo vere, ſi attendas ad contextum proxime ſequentem, (℣ſ. 3. 4.) ubi Deus ſe Populum Judæum *bajulaſſe* dicit, & *tuliſſe inſtar oneris*, & *eripuiſſe:* neceſſario per משא *onus* hic intelligendus eſt *Populus Babylonicus*, incumbens *idolis ſuis*, iiſque fidens & innitens, & in adverſo ac calamitoſo ſtatu ſuo ad ea refugiens. quod *onus* ipſis impoſitum tantum abeſt ut *eripere* & *ſalvare* potuerint *idola* Babylonis, ait Propheta, ut contra *ipſa iverint in captivitatem.* Sic accipienda ultima verba, ut *præfixa* ו in voce נפשם hic, ut multis locis aliis, vertenda ſit per *quin.* Hebræa ad verbum ſonant: *Quin anima ipſorum ivit in captivitatem.* h. e. ſtylo Hebræorum: *Ipſi* (Dii Babyloniorum) *iverunt in captivitatem.* Confer Exod. XII. 15. 19. Pſ. CV. 18. De *Diis* autem in *captivitatem* abductis compara annotata ad *articulum primum* commatis *ſuperioris.* Si ad Babylonios reſpiceretur; poſſet eſſe: *Et* DESIDERATA EORUM *abeunt in captivitatem.* Sed rectius eſt quod dedi. *Affixum* enim *relativum* pertinet ad *idola.* Græcus Int. cætera pro more ſuo tractans & alieniſſima hic reſpiciens, in phraſi tamen hac noſtra aliquid vidit. Exhibet ille, *καὶ ἡ δυνήσονται σωθῆναι ἀπὸ πολέμου· Nec potuerunt ſervari à* BELLO. Dicitur enim *onus belli* in hos illos incumbere qui ab eo premuntur. Ita eſt. Recte quis dicitur *eripi* & *ſalvari ab onere belli:* ſed ipſum *onus belli* non recte dicitur *eripi*; quæ phraſis eſt in hoc loco.

Per *onus* hic intelligitur Populus Babylonicus in Idola recumbens.

Animadverſio ad verba: *Et ipſi abeunt in captivitatem.*

Admonitio de *Implemento prophetiæ.*

En prophetiam luculentam de deſtructione & proſtitutione *Idolorum Babylonicorum*, auctoribus Perſis & Medis, à Deo in hunc finem ſuſcitandis! cui analoga eſt ea Jeremiæ, in locis ſuprà adductis [a]. Quæris implementum. Id vero demonſtravi & teſtimonia Veterum, quæ in promptu erant, huc contuli in demonſtrando Implemento Vaticinii de *Deſtructione Babylonis*, quæ mea *Diſſertatio* ſubjecta eſt commentario in Cap. XIII. 1. ſeqq. Vide, ſis, ibi §. XVI. [b] Res eſt admiranda in Ordine Divinæ Providentiæ. Cum per Orientem totum vigeret *Idololatria* in cultu *ſimulacrorum* & *imaginum*; & nominatim in Syria, Meſopotamia & Babylone, Ægypto; Deus ſuſcitavit Perſas & Medos quoque, *Idololatriæ* hujus generis oſores & contemptores, quippe qui ex teſtimonio Herodoti [c] & Veterum aliorum Dîs nec *Templa* conſecrabant, nec *ſtatuas*, nec *aras*, ut majeſtati Numinis injurias: qui cum obtinerent Monarchiam utriuſque Aſiæ, in *Templa* & *Simulacra* aliorum ſævierunt; ea deſtruxerunt; & metalla ex quibus confecta erant, in uſus ſuos converterunt: inter quos Perſarum Imperatores excelluerunt Cambyſes & Xerxes. Hic enim ipſe eſt qui magnificum illud Beli Templum ingentis operis ſubvertit, & Simulacra ejus magni ponderis ex auro confecta abduxit, diſſolvit, & in theſauros ſuos intulit. Sed dubium non eſt, quin Cyrus ipſe, & Darius Hyſtaſpis Filius, licet Beli idolum hactenus reliquiſſe videantur, communia idola vel abſtulerint ipſi, vel militibus diripienda conceſſerint. Sed ne ſic quidem hoc Vaticinium perfecte impletum eſt. Altius eo conditur myſterium quod Veteres jam viderunt: futurum, ut *idololatria* per Orbem terrarum, cujus typum & imaginem geſſit Babylonica, orta luce *Liberationis* ſpiritualis per Chriſtum Jeſum procurandæ, ſubverteretur, deſtrueretur.

Altior aſpectus prophetiæ.

PARS ELENCTICA hujus *Sectionis*, qua Peccatores in Populo Dei vocantur ad *Reſipiſcentiam*, & *convincuntur* de *Vanitate Idololatriæ*, & de *Veritate Dei Iſraëlis.*

a. Præfatio blanda, *Convictioni* præſtructa.

℣ſ. 3. *Auſcultate mihi, Domus Jacobi, & omnes reliquiæ Domus Iſraëlis; ad bajulandum* à me *ſuſcepti inde ab utero; portati inde à ventre.* ℣ſ. 4. *Et uſque ad* SENIUM *Ego idem ſum, &* AD CANITIEM *uſque Ego portabo. Ego feci, & Ego portabo, &* EGO BAJULABO, *&* ERIPIAM.] Jactum erat fundamentum *Convictionis*, quam Vates hac *Sectione* meditabatur; *Convictionis*, inquam, de *Vanitate idololatriæ* ac de *Veritate Dei Iſraëlis.* Si enim BEL Babylonius, qui cenſebatur eſſe Præſes tanti Imperii, Deus antiquus, in ſplendidiſſimo Templo à Babyloniis ſolenniter cultus honoratuſque, cujus per Orientem totum magna erat eximatio, impar eſſet non tantum cultoribus ſuis, ſed & ſibi vindicando liberandoque: quid de aliis Diis & Idolis Gentium exſpectes? Sed Vates, hoc jacto fundamento, Gentem ſuam, quam ſibi objectam habet agentem in Exilio, proxime tempus Liberationis ſuæ, propius urget, & novam ad eam inſtituit convictionem, ut eam à pudenda hac ſuperſtitione avocet. Compellat eam blande, perinde ac inſtituerat in oratione ſimilis argumenti Cap. XLIV. 21. quam *Præfationem* his contentam verbis, quæ deſcripſi, ut ſibi conciliaret benevolentiam, huic *Elencho* novo præſtruit, certos faciens Exules tum de ſingulari cura Providentiæ ſuæ, qua hucuſque circa illos verſatus fuerat; tum de Divinæ erga eos curæ & favoris conſtantia. Prius agit ℣ſ. 3. poſterius ℣ſ. 4. *Auſcultate mihi*, ait, *Domus Jacobi, & omnes reliquiæ Domus Iſraëlis:* hos ipſos in alloquio hoc ſuo in oculis habens, qui tot calamitatibus defuncti inter Gentes adhuc ſupererant, quibus jam jam porta liberationis per Cyrum aperiretur. Paſſim autem ita inſtituit Vates noſter, ut Gentis originem repetat à Jacobo, totius Domus ſtirpe. Abrahamidæ enim & Iſaäcidæ plures erant: ſed Jacobidæ ſolus ille Populus, qui *Iſraëlitarum* aut *Judæorum* nomine venit; eratque proinde hæc ipſis gratiſſima appellatio. Revocans autem iis in memoriam curam & providentiam Dei erga eos, ratione temporis præteriti; eſſe eos *bajulatos*, ait, (liceat ita loqui:) *& portatos ab utero.* h. e. ab exitu ex Ægypto. de quo vidimus ad Cap. XLIV. 2. 24. Patet ex Cap. XLVIII. 8. ubi eadem hæc *Domus Iſraël* dicitur fuiſſe מכנן פושע *defectrix ab utero.* quod intelligi nequit niſi de Populo Ægyptum egreſſo. Verto autem vocem נשאים per *portatos*, ſive *geſtatos*, non per *ſublatos*, ut Belgæ, quia hic poſtponitur voci מבטן *bajulare*, quod ſtylo Hebræo emphaſin potius auget, quam minuit; & quia manifeſte reſpicitur ad ſuperiora, quibus Dii Babylonii dicuntur משא *onus* non potuiſſe *eripere*, imo vero ipſa illa idola à cultoribus ſuis dicuntur *lata portataque* eſſe. Propheta ipſe ſui interpres eſt Cap. LXIII. 9. ubi *Angelus faciei Dei* hunc Populum dicitur *tuliſſe*, (נטל) & PORTASSE *inſtar oneris* (נשא) *omnibus diebus ſæculi.* Eſtque hæc ſignificatio vocis נשא uſu receptiſſima. Sic Moſes [d]: *Vos vidiſtis, me vos portaſſe ſuper alas aquilarum.* Alio loco [e]: *Et in Deſerto quod vidiſti, Jehovam Deum tuum te* GESTASSE (נשא) *quemadmodum quis filium ſuum portat.* Metaphora hoc loco noſtro non tantum à *Matre*, *Patre*, *Nutrice* deſumpta eſt: verum etiam à *bajulo*, qui grave & ſibi moleſtum fert onus. Significatur ab una parte imbecillitas Populi Judæorum ad ſe ſuſtinendum, conſervandum, defendendum: ab altera ſingularis affectus & cura erga eum Providentiæ Divinæ, qua hunc Populum cum in Exitu ex Ægypto, tum in Deſerto & Canaanæa abſque extraordinariis Providentiæ & favoris ſui ſubſidiis periturum, *α.* Suſtinuit & conſervavit. *β.* Defendit adverſus hoſtes. *γ.* Ex adverſis & calamitatibus in quas ob peccata ſua inciderat, eripuit ac liberavit. *δ.* Graviſſima illius peccata & defectiones eo uſque toleravit, ut eum non perdiderit, nec tradiderit exitio. Quandoquidem vero *peccata Gentis* magnum Deo

Pars *Elenctica* hujus Prophetiæ.

α. Blanda Præfatio ad Populum Dei, ℣ſ. 3.

Fundamentum *Convictionis* in ſuperioribus jactum.

Summa & Scopus hujus Præfationis, & *Analyſis* ejus.

Appellatio ipſa; *Domus Jacobi*; & *Reliquiæ Iſraëlis*, cujus ratio redditur.

Quo ſenſu; *bajulati ab utero?*

Vox נשאים hic vertenda per *portati.*

Κατ' ἀντίφρασιν *Idolorum* Babylonicorum.

Unde hic deſumpta ſit metaphora?

Senſus ejus.

Applicatur ad Deum reſpectu Jacobidarum.

Quomodo

[a] Jer. L. 2. LI. 44. 47. [b] Pag. 420. [c] Lib. 1. Cap. 131. [d] Exod. XIX. 4. [e] Deut. 1. 31.

Deus ſpecialim Judæum Populum baptizaverit?

Deo faceſſebant negotium, ut Vates noſter Cap. XLIII. 24. & *opera Divinæ Providentiæ* in hoc Populo conſervando ac defendendo magna fuerunt ac memorabilia, quæ metaphorice ſupponuntur requirere majorem vim & curam Providentiæ Divinæ, quam qua verſatur circa τὸ κοινὸν τῶν ἀνθρώπων: non dicitur illos tantum *tuliſſe*, ſed & *bajulaſſe* & *inſtar oneris portaſſe*. Dudum hic Popellus fuiſſet abſumptus inter Gentes, niſi Deo viſum eſſet curam ſingularem Providentiæ ſuæ in eum impendere: patetque quod hic dicitur ex tota Hiſtoria Sacra. Si enim mihi hic objicias Heröes, qui per tempus conſtitutæ Reipublicæ oppreſſum vindicarunt in libertatem: intelliges, Heröes illos motu Divino excitatos eſſe, & Liberationes ab iis effectas reſpiciendas eſſe ut Divinas. Sed cum cura & affectus antecedentis temporis non ſufficeret ad ſalutem Populi præſentaneam: Deus illos de præſente ſuo affectu ejuſque conſtantia in futurum ſecuros eſſe jubet. *Et uſque ad ſenectutem*, ait, *ego idem ſum; & uſque ad canitiem ego portabo.* Abſurdus eſt qui hic cogitat de *ſenectute Dei*, qui nec ſeneſcit nec caneſcit, & de quo notio vix metaphorice vel parabolice uſurpatur. Locus enim Dan. VII. 9. עתיק יומין longe commodius exponitur per *permanens*, *conſiſtens*, *durabilis*, dierum; quam *provectus diebus*, ut Interpretes multi. *Senectus* hoc loco referenda eſt ad illud *Subjectum*, quod poſtquam ex *utero provenit*, ætate cenſetur creviſſe, & tamen interea à Deo *latum portatumque* eſſe: quod *Subjectum* eſt Populus Judæorum. In id incumbit vis ſententiæ. Infantes ex utero ſuſcepti & tenero hoc ſtatu ſuo à matribus aut nutricibus geſtati, ubi greſſus formare didicerunt, & ætati robur acceſſit, ſibi relinquuntur; ſuis incedunt talis; res ſuas agunt; Parentes, Nutrices, Pædagogos tandem à cura penitus abſolventes. Sed alia hic erat ratio Populi Judæi. Adoleſcens ea permanſit imbecillitate ſtatus, ut niſi à Deo adjutus geſtatuſque ſtare ac perſiſtere non potuerit. Vicit itaque Deus affectu matres, quod non infantes tantum, verum etiam pueros, Juvenes, ſenes tulerit, & uſque ad canitiem laturus eſſet: quam metaphoræ vim Sanctius & Grotius jam obſervarunt. Conferri hic poteſt locus inſignis Pſ. LXXI. 9. 18. Poſſem in eo cum aliis Intt. ſubſiſtere; & tamen prætereunda mihi non videtur ea pars orationis Prophetæ qua ætates varias Populi Judæi diſtinguit. Hiſtoricus Romanus [a], ejus Populi fata traditurus, ætatem ejus in quatuor intervalla ad exemplum ætatis humanæ diſtinxit, videlicet *infantiæ*, *adoleſcentiæ*, *Juventæ virilis*, & *ſenectutis*; comparatione elegante quæ laudari meruit à Doctis Viris, & apud ipſum legi poteſt. Idem hic agere mihi videtur Vates, Deum faciens loquentem, niſi quod tempus *canitiei* à *ſenecta* diſtinguat. *Infantiæ* Reipublicæ Judææ tempus eſt, quo Populus egit in Deſerto, totus pendens ab extraordinaria Dei Providentia, inſtar *infantis* à Deo nutritus, geſtatus, defenſus: *Adoleſcentia* ejus ſpectari poteſt ſub Joſua & Judicibus in Canaanæa: *Juventa* virilis ſub Davide & Salomone, & ſequentibus Regibus uſque ad Jothamum. Inde *conſenuit* & decrevit, rebus paſſim, excepto dilucido intervallo ſub Hiskia, in deterius ruentibus, & ſubſequuto Exilio Babylonico. Sequuta eſt *canities*, dum Oeconomia Vetus ad finem ſuum vergebat, poſt tempora Alexandri Macedonis; quando Deus ſpecimen ſingulare & noviſſimum ſuæ in Populum curæ edidit temporibus Maccabaicis. Quod ſequitur, *Ego* FECI; *& ego feram, & ego portabo, & eripiam*: non videtur ita accipiendum, ut verba accepit Sanctius: *Ego genui hunc populum*; ego eum *feci*; ego eum paravi: etiamſi enim id recte de Deo dici queat, & in aliis locis Deo tribuatur, *Parenti* & *Factori* Populi ſui [b]: non putem tamen, Vatem, ſi id vellet, ſimpliciter de Deo ſcripturum eſſe, *Ego feci*; ſed potius אני עשיתי *Ego* ILLUM *feci*. Rectius id refertur ad ſuperiora, ut ſenſus ſit, *Ego feci*, h. e. ego illum ſuperiore tempore à primâ ejus infantia inſtar oneris tuli, & portavi; & dehinc *feram*, *portabo*, & *eripiam*. Sic vox *abſolute* ſumitur Cap. XLIV. 23. quem locum nuper expoſui. Obſervabis interea gradationem in his verbis, quam innuit repetita copula 1. Non *feram* tantum, ut feruntur *onera levia*, ſed *bajulabo* quoque; nec modo *bajulabo*, ſed & *eripiam*: metaphora deſumpta ab eo qui *grave onus* ſibi carum *bajulat*, & oppugnatus ab adverſario illud ſimul *vindicat* & *eripit*. Significatur, Populo Judæo proceſſu temporis varias adhuc ſubeundas eſſe calamitates & difficillima diſcrimina, quæ videbantur eò tendere, ut tandem hoſtibus cederet in prædam, & omne ſemen Eccleſiæ in Mundo interiret; ut factum ſub Regibus Syriæ; quando Deus neceſſe haberet Populum & Popellum Eccleſiæ, ſi eum ſervatum & ereptum cuperet, omni vi & cura ſuæ Providentiæ ſuſtinere ac tueri; perinde ac faceret, illum ſuſtinendo in Exilio, & inde eripiendo ac vindicando; quo hic proxime reſpicitur. Applica hæc verba ad totum corpus myſticum Eccleſiæ, & ad ſingula ejus membra. Sunt electi à Deo ad communionem ſuam vocati Populus debilis; Popellus, ad ſe ſuſtinendum ineptus. Circumſtat eum Satanas cum omni potentia infernali & mundana, huic prædæ diripiendæ ac deglutiendæ intentus: nec fieri hic poſſet, ut perſiſterent ac durarent inter tot tentationes, afflictiones, perſequutiones, niſi incumberent Deo, qui, liceat mihi ita loqui, neceſſe habet omne virium ſuarum robur, h. e. *omnipotentiam ſuam*, illi ſuſtinendo ac defendendo impendere: quod facit, & facturus eſt ad extremum temporum.

β. *Convictio* ipſa: quæ inſtituitur,
(a.) Ex *Vanitate Idolorum*, eorumque formandorum modo.

Deus idem ſtudium, eandemque curam Populo in futurum pollicetur, vſ. 4.

Senectus hic non eſt referenda ad Deum.

Vis metaphoræ hujus loci declaratur.

Illuſtrat ſingularem Dei erga Populum ſuum affectum.

Obſervatum ad varias ætates Populi Dei.

Ætas *infantiæ* Populi Dei.

Adoleſcentiæ, & *Juventæ*.

Et *Senectutis*.

Ac denique *Canitiei*.

Sequentia: *Ego feci*, & *ego feram*, &c.

Senſus eorum.

Quid h. l. *facere*?

Obſervatum Sanctii,

non admittitur.

Elegans gradatio in his verbis oſtenditur.

Hypotheſis hujus loci. Populus Dei in poſterum adhuc varie afflingeretur.

Obſervatum commune ex his verbis cum reſpectu ad Statum totius Eccleſiæ.

vſ. 5. *Cui me aſſimilabitis, & æquabitis? & comparabitis me, ut ſimiles ſimus?*] Sequitur ipſa convictio, cujus *prima pars*, hoc *commate* & *binis* ſequentibus comprehenſa, exhibet *Vanitatem Idololatriæ*; eſtque ejuſdem plane argumenti cujus ſuperiorum prophetiarum pericopæ, Cap. XL. 18. ſeqq. & Cap. XLIV. 12. ſeqq. niſi quod diſputatio Cap. XL. 18. ſeqq. directa ſit ad Gentes: hæc ad ipſam *Domum Jacobi*, in Exilio agentem; ut modo vidimus. Ratiocinatio eadem eſt, & verba Prophetæ nihil habent quod nos moretur. Nempe dicere poterant Judæi, ſe imitantes idololatriam Gentium, ſub illis ſuis ſimulacris vel idolis non colere *falſos Deos*: imo è contrario ſe ſub hiſce imaginibus colere & venerari ipſum Deum Iſraëlis, verum Deum: tantum delectari ſpectabili aliquo objecto ſuæ Religionis, ut cæteræ Gentes. Sed res eadem eſt. Natura æterna, ſpiritualis, infinita, incorruptibilis, nihil quod ad *materiam* aut *formam* ſimile habet imagini & ſtatuæ ex ſubſtantia materiali paratæ. Non tantum nulla hic eſt æquiparatio: ſed neque etiam nulla ſimilitudo: omnia diſſimilia, & contraria. Dixeris, poſſe tamen attributa quædam Dei contemplanda exhiberi ſimulacris ſymbolicis, ut v. g. *Regnum Dei* repræſentari imagine *Regis*, *ſceptrum* manu altera, altera *globum* tenentis: *omnipræſentiam* Dei ſymbolo *oculi*, & quæ his ſimilia ſunt. Sane quidem id negari nequit, cum Scriptura Sacra ipſa ſæpe locutionibus ſymbolicis attributa Dei nobis cognoſcenda det: imo vero *imagines Cherubim* & *Palmarum* in Templo ſpectari voluerit ut repræſentamina ſymbolica rerum ſpiritualium. Ita eſt: ſed differentia hic eſt maxima. Etenim ſymbolicæ imagines non ſunt objecta *adorationis*; ſed *contemplationis*. Uſum habent mere theoreticum. Gentes autem ſimulacra ſua faciebant objecta *adorationis*, *invocationis*, *ſupplicationis*, eaque ut *Deos* & in iis *Deos ſuos* venerabantur, ut olim Iſraëlitæ in *Vitulo aureo*, & Ephraimitæ in *Vitulis* Dane & Bethele erectis [c]. Adverſus hos diſputat Propheta, ut ex omnibus ejus Elenchis patet. Stupor autem vulgi imagines ſymbolicas

Convictio ipſa.
(a.) Ex *Vanitate* idolorum, & idololatriæ, vſ. 5.

Oratio dirigitur ad Populum Judæum in Exilio.

Vis argumenti Prophetæ.

Abſurdum eſſe, Deum alii alicui rei comparare.

Retunditur objectio; Deum ſymbolice figurari poſſe.

Symbolicarum imaginum quis uſus?

a Florus in *Proœm.* Lib. 1. b Num. XI. 12. Deut. XXXII. 6. Pſ. CXLII. 2. Jeſ. XLIII. 7. c Exod. XXXII. 4. 1 Reg. XII. 28.

Dei à veris & physicis Dei repræsentaminibus non discernit. Quare cum imagines Dei cujuscunque generis verum Ejus intellectum corrumpant: Deus simulacra nulla in cultu suo ferre voluit ob summam Naturæ suæ sanctitatem, sublimitatem, excellentiam, & majestatem, nullo qualicunque repræsentamine figurandam, nedum adæquandam.

℣. 6. *Qui prodigunt aurum ex crumena, & argentum trutina appendunt: conducunt aurifabrum, ut id faciat Deum: adorant* illud *atque etiam coram eo procumbunt.*] Viden' Prophetam hic ad vivum pingere superstitionem idololatricam ditiorum lautiorisque fortunæ hominum, quibus suppetebant facultates ad idola ex pretiosissimis metallis conflanda tota; cum Cap. XLIV. 11. seqq. superstitioni vulgi illusisset. In re nihil hic dubii est; ut neque in verbis, quæ eam quam nos dedimus versionem, facile ferunt. Est Vir Doctus [a], qui vocem הולים amat accipere secundum significationem status sui, h. e. *participii*, & locum vertit: *Prodigi aurum è loculo, & argentum statera ponderant.* Nihil intercedo: sed distinctio Maserethica nostræ interpretationi favet, in qua הולים est pro הם ולים *ipsi prodigunt.* כיס *marsupium*, *loculus*, est hic idem quod חרט in locis Exod. XXXII. 4. & 2 Reg. v. 23. à Cl. Bocharto docte illustratis [b]. *Aurum* autem hic scite ex *loculis* produci dicitur & *prodigi*, quod cæteroqui ut magni pretii clausis loculis accuratius solebat custodiri. קנה proprie *calamus* hic notat *stateram* (ζυθμὸν) sive *trutinam* qua quid absque lancibus ponderatur. Græcis est ζυγὸς, qua voce hic recte usus est Int. Alexandrinus. De vocibus נגר *adorare* & השתחוה *humi se prosternere*, inter se junctis, monui ad Cap. XLIV. 15. 17. Patet ex hoc loco, נגר generaliorem admittere notationem, & significare omne genus venerationis profundæ, qua quis Numen prosequitur: השתחוה specialius denotare illud genus reverentiæ profundæ, quo quis se humi prosternit more Orientalium. Inde hoc in loco; *adorant*, QUIN IMO *se prosternunt.*

℣. 7. *Tollunt illum* (Deum) *in humerum*; BAJULANT ILLUM, *& reponunt illum in loco suo, & stat: ex loco suo non recedit: etiam clamat ad illum, & non respondet: ex angustia ejus non salvat eum.*] Nihil est in phrasi Prophetæ, quod lucem desideret. Miraris stuporem idololatrarum. Merito sane. Et tamen omnium Gentium antiquarum historia id testatur; imo & recentioris ævi in Imperiis Tataro-Mogulensi, Chinensi, & ditionibus Indorum Regum, vel Regulorum proximis; in quibus idololatria vel nondum est extincta; vel idololatræ inter Philosophos aut Muhammedanos feruntur: ne de Populis Americanis Occidentalibus dicam. Sed non opus est tam longe ire. Imagines enim Christi Jesu, Mariæ, sanctissimæ Virginis, & Sanctorum, in terris quæ Romam agnoscunt magistram fidei, (inprimis in Italia & Hispania, quibus regionibus Ægyptiacæ tenebræ incumbunt,) non minore superstitione, stupore, & furore coluntur, quam olim culta fuerunt Idola à Gentibus. Plebs enim ipsas illas imagines pro Diis suis tutelaribus habet, veneratur, adorat, & se coram iis prosternit; ut in media Ecclesia Christi, quæ hic dicitur, videatur Babylon. O Roma, Roma, quæ hæc vides, hæc toleras, hanc superstitionem foves, quid respondebis Deo te convincenti & contestanti per hasce ipsas quoque Conciones Propheticas, quæ à te leguntur? Cætera nihil habeo quod observem, quàm Deum *idola* Gentium hic contradistinguere sibi. Ipse Deus æternus, à nemine factus, ex se existit: spiritualis & incorruptus, nihil commune habet cum materia inerte & dissolubili. Ipse Populum suum *fert*, *bajulat*, & invocatus prece ac supplicatione, *eripit*, *salvat*: quod est veri Dei: sed hæc Idola, pro Diis habita, ad se movendum inepta, sensus & intelligentiæ expertia, ipsa ferri, bajulari, loco suo collocari, & servari debent, si necessitas urgeat, à cultoribus suis.

(b.) Ex *Operibus Dei*, antiquo tempore in salutem Populi sui editis.

℣. 8. *Mementote hujus rei, &* CORRIPIMINI ZELO: *revocate, transgressores, ad animum.*] Est ejusdem plane argumenti oratio, cujus illa quam vidimus Cap. XLIV. 21. ubi postquam vanitatem Idololatriæ similibus fere lineis pinxisset, pariter convictionem ita prosequitur: *Recordare horum, ô Jacob.* Stupor mentis in Religione falsa, quam filii à majoribus sæpe longi temporis tractu acceperunt, communi potentiorum Populorum calculo probatam, tantus est, ut homines ne quidem cogitare audeant, se esse in via erroris. Dum unus alium respicit in Religione, gravissimi re momenti, pulchrum putant, exemplum sequi, non rationem, ne plus aliis videri velint sapere; quod ubi fit, in magnam trahitur invidiam. Et tamen vera Religio est rationalis. Patitur dogmata sua & ritus *revocari ad animum*, h. e. ad rationem & conscientiam. Pius itaque & veri studiosus homo quærit, qua ratione hæc illa Religionis sententia, hic ille ritus nitatur; & quæ in penetralibus mentis prompta habet principia rationis excutit atque in medium profert, & ἀνακρίσει instituta, discriminat, quid sibi in Religione credendum faciendumque sit nec ne; quod hic dicitur *recordari.* quod tantum abest ut Deo displiceat; ut è contrario Deus hoc officium cultoribus suis mandet: ut hoc in loco. Sic Moses eadem phrasi usus de Conversione Populi ad Deum in Exilio [c]: *Et* REVOCABIS AD COR TUUM *inter omnes Gentes, inter quas te propulerit Jehova Deus tuus.* Inde incipit vera resipiscentia & ad Deum conversio. Cætera nihil hic dubii est nisi in voce התאששו, difficillimæ διαιρέσεως, quia hoc tantum loco occurrit. Sunt qui significationem ejus arcessunt ex voce אש *ignis*, qui proin vertunt, *inflammamini*, quod secundum Josephum Kimchium, Davidis Patrem, est, *confundimini*, *erubescite.* Sic Hieron. *Confundamini.* Ineptam esse versionem, ait Vir aliquis Doctus [d]. Sed non ita judicavit Cl. Coccejus, qui vocem reddit, *erubescite:* nec video quid obsit, sive etymon respicias, sive contextum Prophetæ, quo minus obtinere queat, si alia melior in medium non producatur. Plerique tamen Intt. cum Davide Kimchio notationem vocis derivant ex themate איש *Vir*, ut hic valeat, *Præstate vos viros: corroboramini:* sive, ut Cl. Bochartus [e], huic quoque versioni patrocinatus, ἀνδρίζεσθε, κραταιῶσθε, σήκετε ἐν τῇ πίστει. phrasi Paulina [f]. Sic Chaldæus: אתקפו *Confirmamini.* Non est spernenda interpretatio, si eam in se spectes. Sed α. In voce התאששו deest litera ו, quæ terminat significationem vocabuli איש *vir.* β. Cogitandum est, hanc convictionem vel exhortationem dirigi ad פושעים *defectores à Deo, transgressores fœderis*, qui non erant in fide, sed se passi erant vinci ab idololatria. Oratio Dei eò tendit, ut eos reducat ad sanam mentem. Recte Cl. Coccejus [g]: Si notio התאששו exponenda esset ex איש *Vir*; commodius ita accipi, Μὴ νηπιάζετε, *Nolite esse pueri, animo levi & inconsiderato.* utimini judicio virili. Forsterus: *Et fundamenta sitis, fundati sitis:* ex voce אשיות *fundamenta*, apud Jeremiam [h]. Est inter primas earum versionum vocis quas recensèt Aben-Ezra: יש' הוסרו *Sunt qui* interpretantur, *Fundamini.* Mihi maxime probabile videtur, notationem vocis arcessendam esse ex אש *ignis*, & vere reddendam per *incendimini*, sc. zelo meæ gloriæ & Religionis veræ quæ est Religio Patrum vestrorum; & absolvite vos à pudendis Statutis Gentium. Putem, idem voluisse R. Saadjam apud Aben-Ezram: הוקרו *Incendimini:* collato loco Jer. XX. 9. *Et erat ut ignis ardens in corde meo.* Proprium est *zeli*, ardere, incendi, inflammari, ut satis patet: quo nomine appellatur studium ardens veræ Religionis. Id directe ad rem facit.

℣. 9. *Re-*

Animadversio ad voces הולים & כיס

Reliqua expediuntur.

Usus vocis נגר.

℣. 7. *Tollunt illum super humerum, &c.* Stupor idololatrarum; Veteris & Recentioris ævi.

Christianorum de Secta Romanensi.

Deus verus contradistinctus *Idolis.*

(b.) Ex *operibus Dei*, ℣. 8. Comparatio hujus loci cum Cap. XLIV. 21. Vis erroris magna auctoritate nixi.

Vera Religio nunquam refugit examen rationis.

Quid hic loci *recordari*?

Dubium in voce התאששו

Interpretatio varia. Hieronymi. De ea judicium.

Sunt qui notationem vocis arcessunt ex themate איש *Vir.* Cl. Bochartì sententia. Ἐπίκρισις in eam sententiam.

Recte videtur duci ex אש *ignis*, ut valeat, *accendi zelo.*

[a] Cl. Schmid. [b] *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XXXIV. [c] Deut. XXX. 1. [d] Cl. Schmid. [e] *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. 5. [f] 1 Cor. XVI. 13. [g] In *Lex.* [h] Cap. L. 15.

℣. 9. *Recordamini* PRIORUM, quæ *à sæculo* gesta sunt: *quippe Ego sum Deus fortis, & præter me nemo; Deus, & nihil mei simile.*] Priorem *versum*, sive cum hoc connectas; sive cum *superiore* pericopa; perinde se habet. Posterius mihi placuit, ob consonantiam exhortationis in voce *recordamini*. Hic igitur proprie novum proponit argumentum ex quo Divinitatem suam probet apud incredulos & transgressores Fœderis, desumptum ab *Operibus prioribus*, inde à *sæculo* gestis. Per *priora* illa inde *à sæculo* facta, ex quibus convictio instituitur, intelligenda sunt hoc loco ejusmodi Dei sive *opera Potentiæ*, sive *beneficia Gratiæ*, sive *judicia Justitiæ*, quæ Israëlitæ intelligere poterant, à Deo illo qui se Patribus illorum revelaverat, & ipsos sibi in Populum assumpserat, effecta esse; ac proin omnia Opera Divinæ Potentiæ, Gratiæ, & Providentiæ erga hunc Populum à Deo edita à quo eum ex Ægypto vindicaverat. Præcipue autem hic respici vult singularia illa beneficia gratiæ, quæ omnipotente manu sua tractu tot sæculorum cura ac providentia singulari in ipsos contulerat: eadem nimirum illa quæ Vates hac eadem voce in *superioribus* [a] appellaverat *priora* (ראשונות) & *antiqua*. A Poëta Divino vocantur *beneficentiæ priores* [b]: sed paulo restrictius. Debebant horum *meminisse*. Patres enim filiis de manu in manum tradiderant. Sabbatha & Festa eos de iis commonefaciebant. Moses denique ac Prophetæ ea scripto mandaverant; & Prophetæ sæpe in concionibus suis eadem iis in memoriam revocabant. Testabantur autem omnia qualia erant de veritate, omnipotentia, sublimitate, & sanctitate Dei Israëlis. Sed stupor animi memoriam expungit; & præjudicia atque affectus sinistri judicium rectum corrumpunt, ut non videamus in re quod in ea est; nec benefacta Divina rectis videamus oculis. Judicia quoque Dei & calamitates quibus Gentem afflixerat, faciebant, ut benefacta Divina licet maximi operis minoris facerent.

(c.) Ex *futuris* à se *prædictis*, & certo impletis aut implendis.

℣. 10. *Qui indicat à principio finem, & ab antiquo quæ facta non sunt: dicens, Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.*] Repetit tertio argumentum, non semel jam productum pro demonstranda vera Divinitate Dei Israëlis, ex futuris contingentibus à se certo præscitis & longe ante clare prædictis in omni suo nexu & circumstantia; docetque, præscientiam illam suam Eventuum futuri temporis non fundari in aliqua ingenii sagacitate aut providentia ac perspicacitate mentis; neque etiam in ipsarum rerum naturali ordine & consequentia: sed in Decreto & placito libero suæ Voluntatis: unde patet, Deum Israëlis esse Rectorem totius hujus Universi, secundum cujus consilia & decreta omnia hominum administrentur. Hæc themata duo jacent in his verbis; ad quæ pauca adscribam. Primum est, Deum *prænunciare à principio finem, & ab antiquo quæ nondum facta sunt*. Posterioris membri non est dubius sensus: nimirum, Deum longo tempore ante eventus rerum prænunciare Casus notabiles futuri temporis: sed *prius membrum* vel hoc idem, vel etiam diversum, potest significare. Phrasis, *Indicare à principio finem*, hunc dare potest sensum; *à principio rei indicare ejus finem* [c]: sive, quod Deus, ubi res est in primo suo ortu, ejus consequentia & exitum prænunciet; sive, quod res futuras prædicat in omni suo ordine, nexu, serie, ac denique eventu; quæ futura sint, quæ post futura, quæ consequentia, & in quem *finem* extremum (ἀποτέλεσμα,) omnia tandem exitura sint; quæ Vati dicuntur ראשנות *prima*, *post ventura*, & *eorum* אחרית *extremum*, Cap. XLI. 21. 22. confer Cap. XLIV. 7. Posterior hic sensus non est contemnendus: (priorem enim non adopto, quia Deus non in initio rei gerendæ, sed longe ante eventus prædicere solet:) nec tamen meum facio. Videtur enim Propheta, si id voluisset, scripturus esse, מגיד ראשית ואחרית *indicans prius & posterius*. Quin cum Prophetæ passim unam rem consonantibus sententiis exprimere soleant, (in quarum tamen posteriore solet esse major vis quam in priore:) omnino putem, verba vertenda esse; *annuncians à principio* quæ *procedente tempore* vel *in consequens tempus* futura sunt. Observandum itaque, vocem אחרית, stylo Scripturæ & ex vero usu vocis, non necessario notare *extremum*, sed *consequens*, sive quod *procedente tempore eventurum est*, ut jam memini observare ad phrasin, אחרית הימים, Cap. II. 2. Hic sensus Prophetæ, Deum à longo tempore ante prædicere Eventus *post futuros*, nondum *factos*: ut posterius membrum sonat: *Et ab antiquo quæ nondum facta sunt*. Illud autem מראשית *à principio* hic accipiendum est in aliqua latitudine. Extant prophetiæ à Deo editæ per Patriarchas à condito Mundo: à Diluvio: à tempore Abrahami. Patriarchæ enim omnes fuerunt Prophetæ. Nolim itaque ullam emphasin aut latitudinem significationis potestate hujus phrasios excludere. Attamen non potest esse dubium antecedentia & sequentia legenti, quin hic præcipue respiciantur res gerendæ cum Exitu ex Exilio Babylonico & consequenter futuræ de Regno Filii Dei per Orbem fundando. Est itaque illud מראשית ἀπ' ἀρχῆς hic idem quod *dudum ante rem gestam*. Hoc primum thema est, his verbis contentum. Alterum explicat hujus *Providentiæ Divinæ* certam caussam, quæ demonstratur *consilium & voluntas Dei*, quam *fallere* nequit *effectus*. quæ doctrina hujus loci diligenter observanda est. Patet enim inde, Prænotionem rerum futurarum, privum Dei characterem, non niti præscientia theoretica quadam ordinis & nexus rerum, à perspicacia Divinæ mentis prævisi; sed explicandam esse ex *consilio & providentia Divina*, absque qua nulla res in hisce terris geritur: *consilia* autem Dei de *futuris* esse *absoluta*. Absque eo enim esset, fieri posset, ea non sortiri effectum. Ita est, præscientia Eventuum casualium futuri temporis explicari nequit nisi ex hypothesi; præsidere huic Mundo & rebus hominum Rectorem quendam universalem, cui res omnes & ipsa quoque arbitria hominum, subjecta sint. Absque hac hypothesi concipi nequit in Mundo res, quæ dicitur Prænotio rerum longe post futurarum. Sed latius in hæc themata excucurri ad Cap. XIV. 26. 27. & XLI. 21. 22. quæ loca hic inspicienda sunt.

℣. 11. *Vocans ex Oriente volucrem rapacem: ex terra longinqua* VIRUM CONSILII MEI. *Etiam loquutus sum, etiam illud adducam; formavi, etiam efficiam.*] De Cyro agi quis dubitet? Is hic appellatur עיט *Avis rapax*, cujus speciei inter alias *Aquila*, *accipiter*, *milvus*. Sed non potest esse dubium hic præcipue alludi ad *aquilam*, Græcis dictam ab hac ipsa voce ἀετός. Solent enim alioquin Reges & Principes, in emblematibus Scripturæ S. *aquilis* comparari [d]: & merito quidem, cum *Aquila*, suis peculiaribus characteribus insignis, sensu Gentium sit *avium* Princeps, cujus attributa in magnis Imperatoribus comparent. Sunt autem ad quæ hic respicitur. α. Aquilas altum volare. β. Visu acutissimas. γ. Rapidissimo & celerrimo ferri motu. δ. Et quidem alis longe extensis in remotissimas regiones. ε. Involare in prædam, instar fulminis in eam ruere, & ore ac unguibus ita tenere, ut non facile elabatur; unde Hebræis עיט dicitur, à עוט sive העיט *involare*, *inhiare*. quæ attributa à Cl. Bocharto erudite illustrantur [e]. Notant in Cyro μεγαλοψυχίαν *magnanimitatem*; perspicaciam & acrimoniam judicii; velocitatem in expeditionibus & motibus & omni re gerenda; impetum in hostes, quo eos sibi ut prædam subjecit; & motum rapidissimum ex Persia in remotas & longe dissitas Regiones, sc. ad extrema minoris Asiæ. de quibus ejus attributis historia ejus omnis, & præcipue

℣. 9. Recordamini iorum quæ sæculo ge- a sunt, & qq. Summa pe- copæ.

Quid hic telligen- um per riora?

Officii erat sraelitarum, orum me- miniſſe.

(c.) Ex futuris à se erto præſci- is.

℣. 10. Qui ndicat à rincipio fi- em, &c. Summa ententiæ.

Quid hic it à principio rænunciare inem?

Gemina phrasios in- terpretatio. Utraque proponitur.

Ad utram- que animad- verſio.

Probabilis interpretatio hujus dicti. Significatio vocis אחרית.

Vox ראשית à principio hic in aliqua latitudine accipienda eſt: quæ ex- ponitur.

Cauſſa præ- notionis futu- rorum, Con- ſilium Dei.

Doctrina ex hoc loco collecta de prænotione rerum futu- rarum.

℣. 11. Vo- cans ex O- riente Volu- crem Rapa- cem, &c.

Vox עיט hic loci no- tat *Aquilam*. Deſignatur *Cyrus*.

Attributa *Aquilarum* referuntur ad Imperato- res illuſtres.

Speciatim ad Cyrum.

a Cap. XLIII. 18. b Pſ. LXXXIX. 50. c Sic Jarchius ad Gen. I. 1. d Jer. XLIX. 22. Ezech. XVII. 3. e Hieroz. Part. III. Lib. II. Cap. II.

Cyro ex Vetere traditione fuit *naſus aquilinus*.

cipue Xenophontis, teſtatur. Grotius adſcribit, Plutarchum tradere, *Cyro naſum fuiſſe aquilinum*, non ſignato loco. Extat autem in Libro qui *Reipublicæ gerendæ præcepta* complectitur *a*. Πέρσαι δὲ ὅτι γρυπὸς ἦν Κῦρος, ἔτι καὶ νῦν ἐρῶσι τῶν γρυπῶν· CYRUS *autem quia* ADUNCO ETAT NASO: *Perſæ etiamdum eos qui adunco naſo ſunt, amant*. Poterat huc ſimul referre, Cyrum *ſignum* militiæ præferri juſſiſſe *aquilam auream* extentis alis haſtæ longæ impoſitam, idque ab eo tempore fuiſſe *ſignum* caſtrenſe Regum Perſarum. Sic exerte

Signum ejus militare fuit Aquila.

Xenophon *b*: Ἦν δὲ αὐτῷ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος· καὶ νῦν δὲ τοῦτο ἔτι σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει. Ipſe in hiſtoria *Expeditionis* Cyri Junioris adverſus fratrem Artaxerxem vocat βασίλειον σημεῖον *ſignum Regium c*. Idem hic appellatur *vir conſilii Dei*, quod conſilio Dei ad decreta ejus exequenda eſſet deſtinatus, quo ſenſu *unctus Dei* vocatur Cap. XLV. 1. Fuerunt ex Veteribus, qui cum nimis glorioſus titulus videretur quam ut Cyro conveniret, hic cogitarunt de *Chriſto Jeſu*, quem eundem intellexerunt ſub nomine *volucris rapacis*. Sane pulchrum eſt, Chriſtum Jeſum ſectari in prophetiis; ſed quærendus eſt ſuo loco. Utique cogitare poterant, ipſum Nebucadnezarem, qualem vero Principem! à Jeremia non ſemel appellari *ſervum Dei d*, quod videlicet ei ſubſerviret in conſiliis ejus exequendis. Et tamen idem epitheton Moſi, Davidi, Apoſtolis, & ipſi Chriſto Jeſu, tribuitur ut glorioſum & ἐμφατικόν. Sunt itaque *prædicata* cujuſque rei explicanda ſecundum naturam *Subjectorum*. *Vocandus* autem erat ex *Oriente* & ex *terra longinqua*, ſc. ex *Perſide* quæ Iſraëlitis erat ad ortum, & à Canaanæa & ab ipſa Babylone, ſtylo Scripturæ, *remota*. Confer dicta ad Cap. XLI. 2. Rurſus Cap. XLVIII. 15. Cætera nihil eſt, quod intellectui non pateat. Tantum obſervaveris, vocem יצר *formare* hic rurſus uſurpari elegante illa ſignificatione, quam in *ſuperioribus e* oſtendi, pro actu illo Divinæ mentis, quo ideam ſive imaginem rerum futurarum format in Decreto. Grotius hic ad vocem יצרתי *formavi*: *Præformavi in animo*. Id recte & veriſſime. Decretum de Reditu Populi Judæi ex Exilio Babylonico erat abſolutum, conſilio Divino ſapienter libratum, quod ſortiri oportebat effectum.

Vocandus *ex Oriente* & *terra longinqua*.

Uſus vocis יצר *formare*.

γ. Specialis Convictio *incredulorum*, & *ſuperborum* hominum, qui de Implemento promiſſorum Divinorum dubitabant.

Specialis *Convictio* incredulorum, & ſuperborum, &c. ℣. 12.

℣. 12. *Auſcultate me*, ROBUSTI CORDE, *qui* LONGE ABESTIS A JUSTITIA!] Blande egerat Deus cum his, qui per imprudentiam ſe paſſi erant ſeduci à via recta, & quorum converſio facilius ſperari poterat: ſed durius compellat hypocritas, incredulos, animo feroces & tumidos, qui de implemento excellentium Dei promiſſorum obſtinate dubitabant. Et tamen non negligit eos; verum qua in homines voluntate eſt Deus, ipſos quoque alloquitur, ut eos ad ſaniorem mentem reducat: ſed appellat illos vero ſuo nomine, ut intelligerent, interiora ſua à Deo perſpici; quicquid per hypocriſin ſimularent, ſe Dei non plane eſſe irreverentes: ut mox liquebit. A gemino epitheto, ſed emphatico, cos deſcribit. Primo illos vocat אבירי לב *valentes, robuſtos corde*. h. e. animoſos, audaces, tumidos, in incredulitate ſua obſtinate perſiſtentes, altius & fortius quàm vulgus hominum, ratiocinantes, acſi Gallicana phraſi analoga dicas, *Eſprits forts*. Hieron. *Duro corde*. in quo nihil vitii eſt. Habuit ex Symmacho: Οἱ συμπονάρδιοι. Int. Alex. & Theodotio quoque: Οἱ ἀπολωλεκότες τὴν καρδίαν· *qui perdidiſtis cor*. Pro אבירי legerunt אבירי, ut videtur. Sed nulla ratio eſt hic cogitandi de affecta lectione. phraſis enim extat quoque Pſ. LXXVI. 6. ubi Bochartus de ſignificatione vocis אבירים diſſerens, vertit per *animoſos*, hic per *ſuperbos*. Recte quidem; ſed nulla hic differentia eſt, niſi quod vox hoc loco ad *ſtatum* animæ *ſpiritualem* referatur; ibi ad *naturalem*. Deſignantur enim hic homines, qui in negotio Religionis ingenio & ratiocinationi ſuæ ex affectu corrupto nimium fidunt, & ex certis quæ imbiberunt principiis, in ſententiis falſis ita ſe obfirmant, ut ab iis non facile retrahantur. Propheta eos ipſe deſcribit in *ſequente Concione*, quæ huic pericopæ illuſtrandæ inſervit, ubi in eodem hoc argumento adhuc verſatur. Ego, ait *f*, *futura* ante implementum vobis clare ob oculos poſui, *quia ſciebam, te* DURUM (intractabilem) ESSE; *& cervicem tuam eſſe nervum ferreum; & frontem tuam æneam*. Confer venuſtam eorum περιγραφὴν Cap. XXXII. 5. 6. & Ezech. XIV. 1. 2. ſeqq. ut inde intelligas, cujuſmodi illud fuerit hominum genus quod patientiam Dei & miniſtrorum ejus exercuit. Tantum abeſt, ſermonem hic verti ad Babylonios, qui Iſraëlitas inclementer tractabant, ut Kimchius vult. Alterum eſt, הרחקים מצדקה *qui longe remoti eſtis à juſtitia*. quod varios ſuſtinere poteſt ſenſus. Dici poteſt quis *longe abeſſe à juſtitia* qui cogitat, *Juſtitiam* ſive *opus redemptionis Dei longe abeſſe*: qui longe abeſt à ſpe ſalutis; quique illam ſpem abnegat. Rurſus dici poteſt à *juſtitia longe abeſſe* qui obſtrictus graviſſimis peccatis & criminibus à *ſtatu juſtitiæ* qui eſt ſtatus Remiſſionis peccatorum & Juris ad vitam, longe abeſt. quando idem valet quod *longe abeſſe* à *benedictione*, ſive *ſalute g*. Denique à *juſtitia longe abeſſe* de eo affirmari poteſt qui longe abeſt à *veritate*, *integritate*, *fide*; ſed qui totus eſt in incredulitate & hypocriſi. Poſtremum illud amplector ut ſenſum Prophetæ, α. Quia hæc verba analoga ſunt his quæ Vates de iiſdem *ſubjectis* habet Cap. XLVIII. 2. Ait, illos Jacobo & Juda ortos *per nomen ſuum jurare*, ejuſque *meminiſſe*, לא באמת ולא בצדקה *non in* VERITATE, *neque in* JUSTITIA. β. Quia hæc interpretatio fortiorem ἀντίθεσιν ponit inter hoc *attributum incredulorum*, & inter *attributum* quod Deus ſibi vindicat *commate ſequenti*, quod hic loci eſt κριτήριον genuinæ expoſitionis. O Vos, ait, qui *ipſi* vos *longe abeſtis* à fide, veritate, integritate, & omni vera pietate; ſed pleni doli, hypocriſios, incredulitatis; meamque *ſalutem longe abeſſe* querimini, meamque *fidem* in dubium vocatis: auſcultate mihi, & ſcitote, MEAM *juſtitiam* non *longe abeſſe*, ſed *prope adeſſe*, & brevi *revelatum iri*. Inſpiciamus verba Vatis quæ huc pertinent.

In Statu ſpirituali quid ſignificet?

Dicuntur illi *longe abeſſe à juſtitia*: quo ſenſu?

Senſus definitur & adſtruitur.

℣. 13. *Appropinquare facio* JUSTITIAM MEAM: *non longe aberit, & ſalus mea non cunctabitur; & ponam in Tſione ſalutem* ISRAELI *decori meo*.] Cum ſint in his verbis, quæ videri queant dubiam facere eorum interpretationem: præcidam diſputationem omnem, & ſimpliciter monebo, explicanda illa eſſe ex loco Cap. XLIV. 23. *Cantate cœli, quia Jehova fecit: jubilate inferiora terræ, ... quia Jehova* REDEMIT *Jacobum*, וביעקב יתפאר *& in Iſraële* GLORIOSUM SE EXHIBUIT. Inde itaque diſces; Primo, Per *Juſtitiam Dei* in hoc loco intelligi totum beneficium ἀπολυτρώσεως REDEMPTIONIS *Populi ejus*, in omni ſuo complexu ſumptum, cum veris ſuis cauſſis: primo quidem typicum Liberationis Populi Dei ex Exilio Babylonico; dein antitypicum & verum, illius conſequens, procedente tempore manifeſtandum & procurandum à Filio Dei, Servatore & Redemptore typico ſub Oeconomia Vetere: ſed antitypico & vero ſub Oeconomia Nova, ejus ſanguine initianda. JUSTITIA igitur hic idem eſt quod mox mutato nomine appellatur SALUS. Sic enim Vates ſe ipſe interpretatur. Ratio appellationis eſt quia beneficium τῆς ἀπολυτρώσεως conjunctum cum *Remiſſione Peccatorum* & *Juſtificatione* Populi Electorum, fundatum eſt in rationibus Divinæ æquitatis, Gratiæ, Juſtitiæ, & præcipue *veracitatis*, quæ exigit implementum promiſſorum Patribus factorum, & jurejurando confirmatorum: quemadmodum ipſa illa promiſſa

℣. 13. *Appropinquare facio juſtitiam meam, &c.*

Verba conferuntur cum loco Cap. XLIV. 23. & exco illuſtrantur.

Per *Juſtitiam Dei* h. l. intelligitur totum beneficium ἀπολυτρώσεως.

Mox appellatur *Salus*.

Ratio appellationis.

Objectum hujus Convictionis.

Quo ſenſu appellentur *valentes corde*?

Variæ verſiones phraſios.

Verſio Cl. Bocharti.

a Tom. II. p. 821. *b* Κυρπ. Lib. VII. non longe ab initio, p. 102. *Edit. Steph.* *c* Lib. I. in fine, p. 160. *d* Cap. XXVII. 6. XLIII. 10. *e* Cap. XXII. 11. XXXVII. 26. *f* Cap. XLVIII. 4. *g* Job. V. 4. Pſ. CXIX. 155.

missa fundata sunt in *Consilio Gratiæ*, quo Deus statuerat in Filio Mediatore & Redemptore fieri *Deus & Justificator Populi sui* in *gratia*, salvo jure *justitiæ* suæ. Opus enim Redemptionis ad id ordinatum erat, ut illustraret omnes Dei virtutes; Æquitatis, Gratiæ, Veracitatis, & Justitiæ; quarum symbolum est nomen *Jehova*: quæ virtutes Dei omnes involvuntur voce צדקה, quæ vulgo per *justitiam* vertitur. quod ipsum late declaravi ad Cap. XLV. 22. 23. seqq. Has Virtutes omnes Deus typice patefecit & illustravit in *Redemptione Populi sui ex Ægypto*; & *Liberatione ejus ex Exilio Babylonico*: sed glorioſius multo in *Redemptione vera & antitypica* peccatoris ab Exitio æterno cum ἐνδείξει τῆς δικαιοσύνης τᾶ Θεᾶ. Inde Vates noster mox in *Concione prima* hujus Libri [a]: *Tsion* JUDICIO *redimetur, & qui ad eam revertentur*, JUSTITIA. Confer loca Cap. XLV. 8. *Aperiat se terra, & fructificet omne genus* SALUTIS, *& propullulet* JUSTITIAM. Cap. LI. 8. *Et* JUSTITIA *mea in æternum erit, &* SALUS MEA *in omnem generationem.* Cap. LIX. 9. *Ideo longè abest à nobis* JUDICIUM, *& non assequitur nos* JUSTITIA. salus, redemptio, effectum Divinæ justitiæ & gratiæ. Confer Pſ. XCVII. 6. Secundo, ex loco hoc parallelo intelligimus, ultimum membrum hujus *commatis*, ונתתי בציון תשועה לישראל תפארתי sic rectissime verti, ut docte & prudenter hic præivit Cl. Coccejus: *Et dabo in Tsione salutem* ISRAELI, DECORI MEO. Hieron. *Dabo in Tsion salutem, & in Israël gloriam meam.* Debuisset scribere ex hypothesi sua, *Et Israëli gloriam meam.* Sed vitavit duritiem locutionis. Imitatus est Pisc. *In Israële magnificentiam meam.* Non probo. Non est enim in verbis Prophetæ, בישראל *in Israële*; sed לישראל *Israëli*, ut Belgæ. quando Interpretes per תפארתי *decus Dei* hic intelligunt ipsum illud Opus gratiæ, quod Israëli gloriosum esset; sive, quo Israël illustraretur. Non eo inficias, id sano sensu dici posse; nec tamen mihi probabile fit, voluisse Prophetam opus Liberationis appellare *decus Dei.* Certe phrasis est insolentior. Si dicas vocem תפארת *decus* hic jungi *Israëli* ut epitheton, pulchra exit sententia, Deum in Tsione daturum salutem *Israëli, decori suo*, h. e. in quo cujusque liberatione volebat *condecorari*; vel qui Israël Deo ut Servatore suo *gloriabatur.* Sic Jeremias de Israëlitis à Deo vindicandis & liberandis [b]: *Et erit mihi in nomen lætitiæ; in laudem;* ולתפארת *& in* DECUS sive *gloriationem,* APUD OMNES GENTES *terræ propter omne bonum quod ipsis fecerim.* Confer locum ex Vate nostro Cap. LXII. 3. & usum vocis תפארת Cap. XX. 5. Hanc vero salutem Deus docet *prope adesse; non moraturam*; & se eam *propere* esse *adducturum.* Sic hic loci sumenda videtur vox קרבתי *transitive* pro הקרבתי: etsi vox קרב passim *intransitive* sumatur pro *propinquare*, prope adesse. quam notationem vocis si hic retinere velis, dicendum est, vocem צדקה hic *elliptice* scriptam esse pro בצדקה; & vertenda sunt verba: *Ego prope adsum cum justitia mea.* quod idem sonat. Equidem cum scena hujus prophetiæ figatur in tempore proximo Liberationi ex Exilio Babylonico, ut in superioribus evici & postea sæpius monui: ex vero & proprie dici poterat, *prope adesse Justitiam, & Salutem Dei* non esse *moraturam.* Tempus enim primo eventui definitum erat in proximo. Est enim ita, ut aliis locis pluribus observavi; initia manifestationis Regni Dei arcessenda esse à Reditu Populi Judæi ex Exilio, instauratque inde Republica & Ecclesia. Hoc posito antecedente, reliqua consequutura erant, *continuo filo*, (stylo Prophetico, ἐν τάχει CITO) usque quo magna illa *Redemptio & Salus Dei*, fundanda in *Justitia Dei*, omnibus revelanda Gentibus, *ad gloriam Populi Israëlis* [c], adduceretur, & juxta promissa Patribus facta, certo & fixo tempore, repræsentaretur. Ubi terminus fixus est licet aliquam multorum annorum: tempora quæ sunt in cursu citissime labuntur. imprimis, ubi *initium* adest rerum certo ordine & serie gerendarum. Dum enim momenta se invicem premunt, id quod à priore longum videtur: expleto intervallo temporis tibi obversatur ut brevissimum & momentaneum. de quo alibi [d] explicatius egi. Ab eo itaque tempore spes credentium intendebatur, nec falleret: contra vero pudefierent increduli & pertinacis ac maligni animi homines, qui promissis Divinis diffidebant. Confer locum Habukuki [e] huic analogum.

In Opere Redemptionis est illustratio omnium Dei virtutum.

Loca analoga.

Extrema hujus commatis recte vertuntur, Israëli decori meo.

Versiones aliæ expenduntur.

Versio probabilior illustratur.

Quo sensu Justitia Dei hic dicatur prope adesse?

Stylus Prophetarum, ubi res cito eventuras dicunt.

Summa Sectionis.

Partis Quartæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Quarta.

Subversio Monarchiæ Babylonicæ secundum *Statum* ejus *Civilem* emphatice describitur, oratione versa ad ipsam *Babylonem*, quæ omni suo imperio, ornatu, decore, excellentia, qua per bene multos annos in Oriente floruerat, spolianda dicitur, & redigenda cum civibus & subditis suis in statum subjectionis, miseriæ, tenuitatis, & opprobrii; ob fastum, luxum, tyrannidem in Populum Dei, & superstitionem enormem, idololatricam & Astrologicam, qua aliis per Orientem Populis illuserat, eosque seduxerat.

CAPUT XLVII.

Textus Cap. XLVII.

1. DEscende, & deside super pulverem, ô Virgo Filia Babylonis. Sede humi defecta Solio, Filia Chaldæorum; quippe non perges amplius appellari tenera ac delicata.

2. Accipe molam & mole farinam: nuda comam tuam: retege plantam: denuda crus: transi fluvios.

3. Retegetur nuditas tua atque etiam probrum tuum videbitur. Sumam vindictam, atque obviam mihi non habebo hominem.

4. *Ad* Redemptorem nostrum *quod attinet*, Jehova Exercituum est Nomen ejus, Sanctus Israëlis.

5. Deside silentio, & ingredere tenebras, Filia Chaldæorum, quia non perges amplius appellari Domina Regnorum.

6. *Quando* efferbui in Populum meum; profanavi hæreditatem meam; & eos dedi in manum tuam: non præstitisti iis misericordiam: *quin etiam* senes pressisti jugo tuo valde gravi.

[a] Cap. I. 27. [b] Cap. XXXIII. 9. [c] Luc. II. 32. [d] Ad Apoc. I. 3. XXII. 6. [e] Cap. II. 3.

7. Dicisque, In æculum ero Regina: usque adeo non retulisti hæc ad animum tuum; non meministi extremi hujus rei.

8. Nunc itaque audi hoc voluptaria, quæ sedes secure; *quæque ea es* quæ dicit in corde suo, Ego, & nulla amplius: non sedebo vidua, neque experiar orbitatem.

9. Imo vero obvenient tibi duo illa momento, die uno, Orbitas & Viduitas: perfecte tibi obvenient: non obstante multitudine præstigiarum tuarum, & vi urgente incantamentorum tuorum.

10. Quippe fisa es malitiæ tuæ: dixisti, Nemo videt me. Sapientia tua & Scientia tua ipsa ea res est quæ te transversam egit: adeo ut dixeris animo tuo, Ego & præter me nulla.

11. Et superveniet tibi malum cujus non cognosces auroram; & cadet super te ærumna quam non poteris expiare: & superveniet tibi repente procella vastatrix quam non noveris.

12. Consiste, age, cum incantamentis tuis, & cum copia præstigiarum tuarum, in quibus ad lassitudinem usque laborasti à juventute tua: Fortasse aliquid poteris proficere; fortasse pervinces.

13. Defatigata es multitudine consiliorum tuorum: Consistant, age, & servent te contemplatores cœlorum, intuentes astra, indicantes Novilunia, ab his quæ tibi superventura sunt.

14. Ecce omnes illi sunt instar stipulæ: Ignis illos comburet. Non eripient se ipsi potestati flammæ. Non supererit carbo quo quis calescat: focus, ante quem quis sedeat.

15. Tales tibi existent in quibus laborasti: negotiatores tui à juventute tua. Quisque ante se diversi palantur: non est qui te servet.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Prophetiæ.

Argumentum hujus *Sectionis.*

Postquam Vates, Deum loquentem faciens, abolitionem *Idololatriæ Babylonicæ* clare prædixisset, ejusque demonstrasset vanitatem, cum exhortationibus analogis ad Populum Dei directis: hac *Sectione* nostra instituit enarrare *Lapsum Babylonis*, ejusque *Imperii Civilis* interitum. Quod argumentum ita exequitur, ut Deum inferat per *Apostrophen*, primo directam, dein sarcasticam *a*, *Babylonem* compellantem, eique ornata oratione sub *phrasibus figuratis* prædicentem extrema mala, justo ejus judicio ei infligenda, idque variis *articulis*, oratione sæpius repetita: Videlicet, esse illam dejiciendam de statu Imperii, dominationis, magnificentiæ, luxus, in statum summæ humilitatis, servitutis, probri, & ignominiæ *b*; extremæ miseriæ ac calamitatis *c*: orbitatis, viduitatis, solitudinis *d*: & quidem hæc mala ei obventura esse simul, nec opinato; non sensim, sed subitario *e*. Quando, verso orationis schemate, eadem voce Divina eidem sarcastice exprobrantur artes magicæ, divinatrices, & Astrologiæ Judiciariæ, per quas eam inter Gentes consecuta erat existimationem, acsi Fata Gentium & hominum ex siderum dispositione prænosse posset ac prædicere; hoc tempore publice prostituendæ *f*. Est autem oratio sic constructa, ut ei identidem immisceantur *Causæ* hujus Calamitatis, quæ ostenduntur esse; *Efficiens* quidem Deus; (Ecclesia interloquente. *g*.) *impulsivæ* vero, *a.* Durum imperium in Populum Dei justo judicio Divino ejus traditum potestati *b*. β. Superbia, fastus, fiducia in propriis viribus & firmitate status *i*. γ. Luxus *k*. δ. Fiducia in malitia & calliditate ac propria sapientia & providentia *l*. ε. Et in artibus ac vaticinationibus Magorum & Astrologorum. *m*

Structura Scenæ hujus Visi.

II. Intelliges ex his quæ dixi, *Scenam* Visi sic esse constructam, ut tres in ea compareant Personæ: Babylon, sedes magni Imperii, suis superba opibus, munimentis, viribus, sapientia Magorum suorum, & gloria, ex gestis superiorum temporum comparata *n*: Deus Jehova, Servator sui Populi, ejusque vindex, Babyloni denuncians sententiam judicii sui in Cœlesti Foro de ea latam. ejus enim esse hanc orationem liquet ex ℣. 6. Ecclesia electa; in Babylone superstes, quæ exspectabat Liberationem sibi à Deo promissam, quæ hic interloquitur, ℣. 4. *Sedes* repræsentaminis est terra Babylonia, cum Deus hic eam veluti præsentem appellet; & *Electi* in Exilio agentes spem suam de futura Redemptione sua explicent. *Tempus*, Prophetæ in Viso obversatum, ipsum illud est intervallum temporis, quo Liberatio Populo Dei decreta, & à Cyro efficienda, proxime instaret: quod ipsum in cæteris hujus *Concionis Sectionibus* jam signavimus.

Scopus ejus.

III. *Scopus* Visi præcipuus est *Consolari* Populum Dei, non tantum ex certa *spe* imminentis Liberationis; verum etiam ex *vindicta* quam Deus sumeret de Babyloniis, qui eum in potestatem suam redactum inclementer habuerant, imperiose tractaverant, & magna in eum usi fuerant sævitia. quod à me dictum recte accipi velim. Nemini homini licet aliorum, etiam infensissimorum adversariorum suorum, sepposito respectu Divinæ gloriæ & Salutis Ecclesiæ ac Reipublicæ quoque, malis & calamitatibus lætari, & ex iis capere argumentum solatii. Multo minus id licet sanctis; quorum affectus ab ira, invidia, livore, & vindictæ cupiditate per gratiam Spiritus S. purgantur. Sed si pateat, honorem Divinæ majestatis, & gloriam Dei, rationesque justitiæ ejus, æque ac commodum ac salutem Ecclesiæ, cujus conservatio ad gloriam Dei facit, ejusmodi vindicias obstinatorum Dei & Ecclesiæ hostium necessario exigere: licet sanctis, & sanctissimis quoque, ipsis Angelis & Sanctis in communionem Gloriæ cœlestis assumptis, vindicias illas expetere, Deumque ob justissima ejus judicia cum gaudio celebrare, ut passim ex *Odis Davidicis*, & ex ipsa *Apocalypsi* *o* quoque, liquet. qui affectus purus est, sublimis, & spiritualis. Consequens scopus est, Babylonios convincere de vitiis, à quibus in hac prophetia describuntur; de vanitate suæ gloriationis; falsitate Vatum & Divinorum, quorum prædictis fidebant; & idolorum suorum impotentia; & quorum conversio desperata habebatur, illos saltem suffundere pudore.

Analysis.

IV. *Analysis* in prophetia *convictoria*, qualis hæc nostra est cum respectu ad Babylonem, eaque continui fili & argumenti, in qua *causæ* judiciorum ipsis illis judiciis intexuntur, commodius institui posse non videtur, quam si *Elenchum* sive *Convictionem Propheticam* ipsam dispescamus in duas partes; *Simplicem* & *Sarcasticam*: priorem autem dividamus in *articulos* qui species Judiciorum Divinorum complectuntur, cum *causis* quæ ei subnectuntur.

Pars *Convictoria* Prophetica simplex, continens *Apostrophen* ad *Babylonem*, ut *Sedem magni Imperii.*

Arti-

a ℣. 12. seqq. *b* ℣. 1. 2. *c* ℣. 5. *d* ℣. 8. 9. *e* ℣. 9. *f* ℣. 9. 14. 15. *g* ℣. 3. med. 4. *h* ℣. 6. *i* ℣. 7. 8. *k* ℣. 8. *l* ℣. 10. *m* ℣. 12. 13. *n* ℣. 1. seqq. *o* Apoc. VI. 10. XVIII. 20.

Articulus primus: *Imperii ejus abolitio, & depressio* civium ejus ad indignissimam servitutem, ℣ſ. 1. 2. 3. ad med.

CAUSSA ejus EFFICIENS, Principalis, DEUS,

Qui *ſe* ipſe demonſtrat, ℣ſ. 3. à *med.*

Et ab *Eccleſia* hic INTERLOQUENTE oſtenditur, ℣ſ. 4.

Articulus ſecundus: *Extrema*, eaque durabilis *Babylonis Calamitas.*

MALUM *ipſum*, ℣ſ. 5.

CAUSÆ IMPULSIVÆ hujus Mali,

Prima, *Sævitia & inclementia* in Populum Dei, ℣ſ. 6.

Secunda, *Faſtus*, Præſumptio de Diuturnitate Imperii, & *ἀνομία*, ℣ſ. 7.

Articulus tertius: quo idem argumentum continuatur,

Ubi α. Præmittitur *Cauſſa Impulſiva* tertia; *Luxus, Vita Voluptaria, Securitas, arrogantia*, & fiducia carnalis in ſtabilitate ſui Status, ℣ſ. 8.

β. Malum ipſum; *Viduitas, Solitudo*; & quidem *ſimul & ſubito* ei obventura; non obſtante contraria Divinorum prædictione, ℣ſ. 9.

Articulus quartus, ejuſdem tenoris: ubi

α. Præmittitur *Cauſſa Impulſiva* quarta: *Oppreſſio Gentium*, & ei juncta *Sapientia carnalis*, & in ea *fiducia*, ℣ſ. 10.

β. Malum: *Interitus & Deſolatio repentina*, irrevocabili Dei Decreto nixa, & nulla expiabilis arte, ℣ſ. 11.

PARS Convictoria SARCASTICA, qua

α. *Babylon* per *μυητηριασμὸν* jubetur hoc ſuæ Calamitatis caſu in medium producere Magos ſuos, Divinos, Aſtrologos, ut ab iis, quibus fidebat & gloriabatur, auxilium ſive conſilium petat, ℣ſ. 12. 13.

β. Eorum demonſtratur *Vanitas*, impotentia, & infelix exitus omnium, qui has artes exercent, aut in iis præſidium quærunt, ℣ſ. 14. 15.

Ἀνάλυσις hujus Prophetiæ.

Anacriſis hujus prophetiæ.

ANacriſi explicationi hujus prophetiæ operam non do, nulla neceſſitate exigente. Cum enim nullum hic moveri queat dubium, niſi an Propheta de *Babylone* antiqua & *literali* in hac vaticinatione agat; num potius de *ſpirituali* ſive Myſtica: Interpretes hic fere conſentiunt, ſecundum *primum* hujus prophetiæ *ſenſum* hic ſpectandam eſſe *Babylonem antiquam* Euphratenſem, non *myſticam*: ſive per Babylonem myſticam intelligas *Romam* Paganam vel Apoſtaticam; ſive, ut Veteres Allegorici, totum Imperium Satanæ. Equidem Hieronymus narrat, eſſe nonnullos qui myſterium quæſiverint in phraſi, בת בבל FILIA *Babylonis*, cum Int. Alex. hanc phraſin verterit, θυγάτηρ Βαβυλῶνος: ac ſi hic non ageretur de *Babylone antiqua*, h. e. de *Babylone matre*, ſed de *filia ejus*. ſc. de *Myſtica* quæ Veterem imitatur. Sed obſervatum hoc mera peperit ignorantia quam jam detexit Hieronymus. Stylo enim Scripturæ Veteris *Filia* Babylonis, Tyri, Hieroſolymæ, dicuntur ipſi illi Populi, qui ſub his Urbibus cenſentur, aut Urbium harum incolæ. Ergo neque Euſebius neque Hieronymus, licet in myſtica valde propenſi, hic à literali ſenſu diſceſſerunt.

Communis ſenſus Intt. hic intelligi Babylonem ſic κατὰ γράμμα dictam.

Nonnullorum diſſenſus apud Hieronymum.

II. Rationes hic à quoque Vaticinium hoc legente petuntur ex clariſſimis Criteriis & attributis Babylonis antiquæ, ut ſunt, α. Quod appelletur *filia Chaldæorum*, ℣ſ. 1. β. Quod Babylon hæc inclementer uſa ſit erga Populum Dei, quem Deus ipſi non *probandum*, ſed puniendum commiſerat, ℣ſ. 6. 7. γ. Quod eadem illa ſit Babylon, ad quam Magi, Aſtrologi, Contemplatores Cœlorum & Siderum, & Divini futura ex his principiis prædicentes, referuntur, ℣ſ. 12. ſeqq. δ. Prophetia hæc deprehendatur inter cognatas alias, in quibus agitur de Cyro, quem Deus elegerat ad Monarchiam Babylonicam deſtruendam, & Populum Dei ex Exilio vindicandum: ut in ſuperioribus vidimus.

Rationes communis ſententiæ.

III. Et tamen placet Cl. Coccejo hic diſſentire, &, quod mireris; primum ſenſum hujus prophetiæ quærere in Roma Defectrice & Perſecutrice veræ Eccleſiæ. Rationes ſunt, α. Quia in *ſuperiore Capite* eſt *diſceptatio Chriſti cum adverſariis ſuis.* β. In *Apocalypſi*, Cap. XVIII. ubi interitus myſticæ Babylonis deſcribitur, ad phraſes aliquas hujus prophetiæ noſtræ alluditur, ut ℣ſ. 7. 8. Sed prior ratio plane nulla eſt. In *ſuperiore Capite* non diſceptat Deus cum adverſariis ſuis idololatriæ adhærentibus ſub Oeconomia Nova: ſed cum Judæis defectoribus à Fœdere Dei ſub Oeconomia Vetere, qui verſabantur in Exilio, ut ibi vidimus. Nulla ſpecies eſt ejus hypotheſios quam Vir Cl. aſſumpſit. Quod ad rationem poſteriorem: verum eſt, Spiritum in *Apocalypſi* lapſum Babylonis myſticæ quæſitiſſimis phraſibus depingentem, locutiones tam ex hac prophetia quam ex prophetiis ejuſdem argumenti Cap. XIII. XIV. XXI. Jer. L. LI. & Ezech. *de Tyro*, Cap. XXVII. XXVIII. mutuatum eſſe: ſed ſi inde inſtituas colligere, Vaticinationes illas quod ad *primum ſenſum* de ipſo illo *Subjecto* interpretandas eſſe: craſſum ac pœnitendum commiſeris errorem. Ipſæ enim illæ prophetiæ aperte reclamant. Id tantum inde conſequitur, eſſe hujus prophetiæ præter ſenſum primum & literalem reſpectum quoque myſticum ac ſpiritualem; non ſecundum *omnia*, ſed ſecundum *excellentiſſima Babylonis* attributa; ut adeo Spiritus S. tanta emphaſi verborum uſus ſit in deſcribendo interitu *Babylonis Literalis*, quod eam in *inſignioribus* ſuis *attributis* ſpectari voluerit ut imaginem ejus Civitatis, quæ πνευματικῶς appellaretur Babylon ſub Oeconomia Nova, cujuſque Urbis parilia fere eſſent fata. Intra quos limites ſi noſtram concludamus interpretationem: ſatisfaciemus Prophetæ, & nobis cavebimus ab errore.

Diſſenſus Cl. Coccejî.

Intelligit Babylonem myſticam.

Rationes hujus hypotheſios.

Ad quas reſpondetur.

Temperamentum, quod hic adhibendum eſt in judicio de prophetiis in N. T. hoc illo caſu ab legatis.

PARS *Prophetica* CONVICTORIA SIMPLEX, qua Babyloni prædicitur exitium.

Articulus primus: *Babylon dejicienda* de *Statu Imperii & gloriæ* in ſtatum *profundæ humilitatis.*

Pars Prophetica Convictoria ſimplex ad Babylonem directa.

Articulus primus: De caſu Babylonis, ℣ſ. 1.

℣ſ. 1. *Deſcende, &* DESIDE IN PULVERE, *ô Virgo Filia Babylonis: ſede in terrâ* ABSQUE SOLIO, *Filia Chaldæorum; quia non perges amplius vocari tenera & delicata.*] Primi articuli membrum primum eſt, exhibens Babylonem dejectam de *Statu Imperii* & profunde depreſſam. Oratio eſt Dei, ut in ſuperioribus vidimus. Forma orationis eſt *Apoſtrophe* ad Babylonem, qua verbis *modi Imperantis* jubetur aſſumere *habitus* & *formas* Status humillimi, maxime oppoſitas Statui honoris

Oratio cum

cepta per modum *Apostrophæ.*

noris & gloriæ quo longum floruerat. qui *modi Imperantis* explicandi sunt per *Futurum*, si *Modi Imperativi* designent jussionem sic proprie dictam. Quicquid enim Deus jubet, fit. quod hic semel monuisse, sufficiat. Appellatur autem, quam Deus alloquitur, *Virgo filia Babelis*; & mox, *filia Chaldæorum*. Sic solent florentium Gentium Populi nuncupari, stylo sacro. ut supra *a*: *Virgo, filia Tsionis.* Alibi *b*: *Virgo, filia Judæ*, *c*, *Virgo Israëlis d*. *Virgo, filia Ægypti.* Rationem jam adscripsi ad Cap. XXXVII. 22. *Notatur*, ait Coccejus *e*: *libertas, integritas Reipublicæ, sine peregrinitate: item pulchritudo & ornatus, quæ amant virgines.* Nihil præter rem. Societates omnes amant *Genus Fœmininum*: & censentur Populi Civitatem aut Rempublicam habere *matrem*, tanquam ex ea & in ea nati. Confer Vatem nostrum Cap. LXVI. 8. & Jeremiam de Populo Babylonio, Cap. L. 12. MATER VESTRA *pudefiet; & suffundetur pudore qui vos* PEPERIT. Populus ex Populo & in Populo nascitur. *Virginis* autem notio, quod Vir Doctus monuit, referenda est, primo ad *libertatem & integritatem Reipublicæ.* Secundo ad decus, ornatum, cultum Status Populi florentis. Tertio ad populi majestatem. ejus enim in hac phrasi peculiaris est respectus. Habet *virgo* quod summa solicitudine tuetur & custodit, & quo præcipuum ejus decus consistere censetur. Est autem honor & pudor ipsius, sc. virginitatis, quem violari non vult. Emblema est ejus rei in Populo, à qua præcipuum ejus decus pendet, quamque summa cura tuetur, h. e. majestatis & libertatis; ob quam rem *publica*, quæ violari nefas est, *sancta* censentur & dicuntur. Accedit huc quarto, Virgines lautioris sorturæ *tenere*, *molliter*, *delicate* haberi solere; ad quod Vates in *fine* hujus *commatis* alludit. qualis est conditio Populi, qui cum alias Gentes plures sibi subiectas habeat; ab iis blande fovetur, honoratur, & observatur, ut nihil ei ad ornatum, commodum, lautitiam, & voluptatem desit. Eo aspectu Prophetæ obversatus est *Populus Babylonius*; cives Babylonis ipsius, Sedis & Metropolis tanti Imperii; hoc ipso similis *Populo Romano*, Urbis Imperatricis civibus, qui florentissimo ejus Imperii statu, à toto orbe colebatur, ornabatur, fovebatur: ut adeo *Populus Babylonis*, Urbis regnatricis, sustineat imaginem *Virginis Regiæ Domus.* Idem vero Populus *Chaldæorum filia* dicitur, quod Chaldæi, ortu Mesopotameni, à Nino Babylonem & in Babyloniam, translati, ut eam adversus Arabes tuerentur, ad Urbem hanc muniendam ornandamque plurimum contulerint: de quo in Notitia *Babylonis & Chaldæorum*, variis locis, monui. Vide me ad Cap. XIII. 19. ubi Vates *Babylonem* appellat *Ornamentum excellentiæ* CHALDÆORUM, & ad Cap. XXIII. 13. difficili loco quem late discussi & illustravi.

Virgo filia Babelis. Filia Chaldæorum: h. e. Chaldæorum aut Babyloniorum Populus.

Appellationis ratio genuina exposita.

Pudor virgineus cujus rei emblema sit in Populo?

Præcipue hic alluditur ad Virgines lautioris sorturæ.

Status Populi Babylonii qui hic respicitur.

Hanc *Virginem* jubet Oraculum cœleste *descendere* & *desidere in pulvere*, h. e. descendere de *throno*, in quo longum consederat. Ne quid autem dubii supersit, num *descendens de throno in terram*, super *sedem communem sederet*, an *super ipsam terram* absque ulla *sella* aut *tripode*: clarius explicat sententiam, *Sede in terra* אין כסא *absque sella* vel *throno.* Venustas hujus sententiæ consistit in dubia significatione vocis כסא, quippe quæ tam pro communi *sede* sive *sella*; quam pro *throno* sumi potest. Si prius accipias: sensus est, *Domum* Babyloniæ Virginis usque eo spoliandam & vacuandam omni suo ornatu & supellectile, ut *sella* nulla superfit in qua consideat. Sic usus fuerat Vates noster hoc emblemate Cap. III. 26. Sed cum Virgo Babylonia hic introducatur, ut גברת ממלכות *Domina Regnorum*: ℣. 5. æquum est hoc loco cogitare de *sella* honoratiore & regia, quæ passim communibus altior per gradus conscendi solebat. Illuc enim manifeste pertinet quod dicitur, DESCENDE, & *sede in pulvere.* Potuit autem Propheta sic loquens alludere ad *Thronum* Regis Babylonii; quem credere fas est fuisse in superba illa *Portica* in qua *jus dicere* soliti fuerunt Reges Babylonii, descripta à Philostrato *f*, (si vera scribat:) certe in splendidissimis ac munitissimis Palatiis Regiis, quæ Diodorus *g* memorat. Emblema docet, fore *α*. Ut Babylon, (intellige Populum regnatorem Babylonium,) dejiciatur de statu honoris, sublimitatis, imperii. *β*. Detrudatur in statum summæ humilitatis, afflictionis & luctus. Solebant enim qui *lugebant* & se *profunde humiliabant*, considere humi, in sordibus & pulvere. Exemplum est in Jobo & amicis ejus qui cum ipso dicuntur per *septem dies consedisse super terram h*. Rursus in *Threnis i*: SEDENT IN TERRA; *silent, Seniores filiæ Tsionis.* Alluditur illuc in Cantico Hannæ *k*: *Erigit à* PULVERE *tenuem; à* STERQUILINIO *elevat inopem.* Sanctius insuper adscribit, *Judæam à Vespasiano captam in argenteo numo fingi in terra sedentem.* Imo vero non uno Numo, sed in variis Vespasiani & Titi exhibetur *humi sedens* sub *palma*, vel *hastili*, armaturam Romanam ostentante, passis capillis, capite in sinistram manum inclini, suamque lugens calamitatem, cum Inscriptione, JUDÆA, vel, JUD. CAPT. aut integre, JUDÆA CAPTA. quod idem *Schema* est *Babylonis* hoc loco. Convenit huic emblemati insignis locus Ammiani *l*, narrantis extrema Valentiniani, qui *nocte* illa quam lux ei fatalis sequuta est, viderit *conjugem suam absentem sedere, passis capillis, amictu squalenti contectam.* Patet autem ex hoc etiam loco, Veteres Orientis Populos, antiquo tempore, passim non *sedisse humi* in *tapetibus* aut *stragulis, decussatis pedibus*, sive in colloquiis, sive ad mensam, ut hoc tempore; sed in *sellis.* de quo cum differendi materia non desit: plura tamen, vitandæ prolixitatis causa, nunc monere nolim.

Significatio emblematis.

Lugentium erat sedere *humi, in pulvere.*

Numi Veteres.

Locus Ammiani.

Non perges amplius appellari tenera ac DELICATA.] Alluditur, ut modò jam præmonui, ad virginem Regiæ stirpis, eandemque Gentium Dominam, quæ tenere, molliter, ac delicate haberi ac curari solet; quæ in luxu ex voluntate ac voto suo vivit; duris molestisque laboribus omnibus abstinet; quieti commoditatique studet; vix planta pedis solum attingit, sed aliorum manibus veluti portatur; cui deliciæ omnes affluunt; cui ab omnibus blanda dicuntur & voventur. quæ genuina significatio est vocis עדינה, quam Græcus Int. rectè per τρυφερὰν; Hieron. per *teneram*; Coccejus hoc loco per *voluptuosam* reddit. Sic Tsion eodem sensu מענגה, *delicata, deliciis abundans*, apud Jeremiam *m*. Quin ambæ voces רך *mollis* & עדן *delicatus* in Contestatione *Mosaica n* inter se eadem notatione conjunguntur. Metaphora docet, Populum Babylonium, cui tot Populi & Gentes florente ejus statu sub Nebucadnezare serviebant, cui omnia suppetebant beneficia naturæ quæ commoditates, luxum & delicias hujus vitæ terrestris sustinent, vitamque hanc quæ à majore mortalium parte misere vivitur, commodam & jucundam faciunt; ut sane Babylon Urbs quod ad structuram, munitionem, ornatum, amplitudinem, opes, & omnium rerum copiam, civium suorum commoditati & luxui mirifice inserviebat: hunc, inquam, Populum omnibus hisce beneficiis & prærogativis privatum iri, & durissimam subiturum servitutem.

Non perges amplius appellari tenera & delicata. Alluditur ad Virginem Regiam, delicate habitam.

Voces רך & עדנה exponuntur.

Metaphora declaratur.

Servitus Babylonis.

℣. 2. *Accipe molam, & mole farinam: nuda* COMAM TUAM: *retege plantam: denuda crus: transi fluvios.*] Vides hoc emblemate conditionem imperii mutandam in duram, abjectam, & pudendam servitutem. est enim genus quoddam *servitutis* honestius & tolerabilius, quam quod hic describitur. Sed est Jesaiæ nostro proprium, emblemata omnia, quæ in usum suum adhibet, perfecte pingere. pictura autem quæ hic & sequenti commate exhibetur, est servitutis durissimæ & abjectissimæ. Primum ejus est, *apprehende molam, & mole*

Servitus Babylonis, ℣. 2.

Summa sententiæ.

---

a Cap. XXXVII. 22. *b* Thren. I. 15. *c* Jer. XXXI. 21. *d* Jer. XLVI. 11. *e* In *Lex.* ad h. v. *f* *Vita Apollon.* Lib. I. Cap. XXV. *g* *Biblioth.* Lib. II. p. 68. *h* Cap. II. 13. *i* Cap. II. 10. *k* 1 Sam. II. 8. *l* Hist. Lib. XXX. Cap. V. Ed. Vales. *m* Cap. VI. 2. *n* Deut. XXVIII. 54.

molæ farinam. Alluditur utique ad *molas manuarias* quas *serva* solitæ erant versare; si idem non fieret ab asinis. Patet ex Exod. XI. 5. *Et morietur omne primogenitus in terra Ægypti à primogenito Pharaonis sedentis super solium ejus, ad primogenitum ancillæ quæ tractat molam.* Summus hic comparatur imo. Erat enim molestissimi laboris. Alterum est, גלי צמתך *Revela comam tuam.* sc. comam comte plexam in cincinnos, quorum unus aut plures, more Orientalium, penduli erant à tergo, gemmis ornandi aut pulvere aurato nitentes. quæ cæsaries ab honestioribus fœminis *tegi* solebat peplo tenuissimi fili, carbaso, aut mitra. cujusmodi ornatum cum ancillaris conditio non ferret: jubet hic Propheta *capillitium* revelari, detegi, nudari. Nec potest hic esse dubia significatio vocis צמה: & tamen Hieronymus, *Revela turpitudinem tuam:* videlicet, ut te subjicias libidini victoris; notatione vocis in obscœnam flexa. quo ipse quoque trahere nisus est vocem *molere* in superiori contextu. Pessime sane, & absque ulla probabili ratione. Non tantum obstat phrasis hujus & superioris membri; verum etiam aspectus totius emblematis. Rectius Græcus: Ἀκονάλυψαι τὸ καταχάλυμμά σου· *Retege operimentum tuum.* sc. capitis. Aquila tamen & Theodotion, qui vocem *Sammateeh* hic retinuerunt, videntur hic vel in dubio hæsisse, vel quod *turpe* iis obversabatur, exprimere noluisse. Tertium membrum: חשפי שבל: quod unum fere incertæ hic est interpretationis, cum vox שבל non nisi in hoc loco occurrat. Sunt ex Interpretibus bene multi, qui Kimchium sequuti, vertunt per *pedem* vel *plantam pedis*, quæ apud Orientales vel *soleis* vel *calceis muniri* solebat: significatione vocis ducta ex שביל *semita, via*, quæ *pedibus* calcari solet. Proxima huic est sententia quæ per שבל designari vult *tibiam* sive *totum pedem qui à coxa usque ad plantam decurrit.* Sic Forsterus & Avenarius. Ratio sententiæ, quod voces agnatæ ex inusitato themate שבל derivatæ supponant *ductum, cursum, fluxum.* Et tamen eadem hæc ratio alios movit hic spectare comam solutam, fluxo modo in maxillas & humeros profusam. Sic R. Mose Haccohen apud Aben-Ezram: הוא השיער היורד על הלחיים *Est crinis descendens in maxillas.* Adscribit Cl. Coccejus: *Venustas loci postulat ut de cincinnis effusis intelligatur.* Equidem verum est, id bene convenire *membro antecedenti:* ut prior interpretatio *consequenti:* nec putem adeo, hic certi aliquid definiri posse. Ex meo sensu nihil hic rectius & emblemati convenientius esset quam si vox שבל referretur ad eam brachii partem quæ à cubito decurrit ad palmam, quia vox משך propriissime stylo Sacro usurpatur de *brachio destricto, nudatoque* [a]. Solent autem Orientales honestioris conditionis, (etiam fœminæ,) brachium usque ad juncturam manus arcta veste interiore tectum habere; quod secus se habuit in ancillis & servis molesto opere distentis. In reliquis, quæ *quartum & quintum membrum* faciunt, *Revela crus, transi flumina:* non est cogitandum cum Interpretibus Hebræis de abductione hujus ancillæ in Persiam in *Captivitatem* vel *Exilium*, quando necesse haberet *fluvios transire.* illuc enim emblema hoc plane non pertinet. Nec docet historia, neque etiam probabile est, Populum Babylonium aliò translatum esse. Quicquid hic occurrit, referendum est ad *conditionem ancillarem*, sive *servilem*, eamque abjectissimam. Docent autem Itineratores [b], esse receptum usu in partibus hisce Mesopotamiæ & Assyriæ, ut fœminæ vilioris conditionis fluviorum alveos & fluvios ipsos Euphratem & Tigrim, si res postulet, vel nudatis cruribus transeant; vel exuta veste nudæ plane ac discoopertæ eos tranatent; honoris & pudoris omnis respectu sepositio. Quis sensus subsit emblemati, nemini hic est obscurum. Si illud summatim & complexe sumas; significat, Populum Babylonium qui huc usque in luxu, copia & deliciis vixerat, non tantum privandum esse imperio, verum etiam detrudendum in statum abjectissimæ servitutis sub duris & durissimis Dominis, quales erant Medi & Persæ, Populorum Orientis superbissimi & crudelitate insignes. Si ad membra singula emblematis attendas: subintelliges, hunc Populum ad eam redactum iri conditionem, ut α. Spoliandus sit omni *ornatu*, & *gratia:* quæ hic est *revelatio* plexus capillitii. β. Applicandus ad molestissimos labores ex voluntate Dominorum: quod innuit *versatura molæ*, & *retectio cubiti.* γ. Adhibendus ad vilissima ministeria, quæ salvo honore & pudore obire non poterat: quæ est *nudatio crurium & transitus per fluvios.* Chaldæus quoque Int. singula membra speciatim exequutus & allegorice interpretatus, dum subtilitati ingenii nimium indulsit, mihi videtur vagatus esse extra lineas.

Specialius declaratur.

Status *probri* & *ignominiæ* ejus.

ỳ. 3. *Retegetur* NUDITAS TUA; *etiam videbitur probrum tuum.*] Inhæret Vates, ut vides, *superiori metaphoræ.* Transitura per *fluvios*, secundum consuetudinem in Oriente receptam, ad negotia exequenda: cum sæpe vado transiri non possent, nisi corpore maximam partem nudato, necesse haberet, quod fœmina pro pudore suo studiosissime tegere solet, revelare; quod *virgini* imprimis, eidemque mollius habitæ atque educatæ, gravissimum, si quid aliud. Habet Populus omnis aliquid quod ne retegatur, studiosissime cavet; h. e. impotentiam suam & imbecillitatem; imprudentiam & tenuitatem consilii; vilitatem & contemptum imperii; inopiam & paupertatem; sævitiam & injustitiam, quam erga subditas sibi Gentes exercet; & denique Religionis suæ futilitatem. Cum enim cultus, ornatus & decus, quo Populus amicitur, in horum contrariis consistat, h. e. in vi & gloria imperii; copia virium; consiliorum prudentia; opibus ac divitiis; justitia Regiminis; libertate; & Religionis reverentia: ubi his ornamentis sus nudatur: conspicitur absque honore, decore, comptu, & constituitur in statu servitutis, probri, ignominiæ, pudoris, contemptus: qui status ut pudendus, sic conscientiæ ejus gravis est & molestus. Metaphora Prophetis non est insolens [c]. Vates noster ea jam usus fuerat Cap. III. 17. Qui populus vi imperii & libertate privatur, quam rem studiosissime conservatam & tectam vult: ejus revelantur pudenda. Applica, sis, quæ dixi, ad Populum Babylonium, & habebis sensum Prophetæ. Transfer ad analoga. *Roma* nostri temporis nihil potius habet quam tueri jus & imperium quod sibi vindicat in omnes Christiani nominis Ecclesias, & magisterium fidei. Hanc enim unam rem, qua decus glóriamque suam consistere intelligit, tectam servatamque cupit, quam si demonstres ei non competere, vel si Populi & Gentes ei obnoxiæ, vana credulitate delusæ, hanc prærogativam ei abjudicent; *pudendum* ejus, stylo Prophetico, *revelari* dicitur.

Status *probri* & *ignominiæ*, ỳ. 3. Retegetur *nuditas tua*, *&c.*

Sensus metaphoræ. *Pudendum Populi* quando revelari dicatur?

Transfertur ad analoga.

Subjicitur *Caussa* ejus Efficiens *Principalis*, DEUS. Qui *se* ipse demonstrat.

ỳ. 3. med. *Sumam vindictam*, & OBVIAM MIHI NON HABEBO HOMINEM.] Verba sunt Dei Israëlis, cujus continuatur oratio. Ejus enim est *sumere de Babylone vindictam*, (Latina phrasi hic Hebræam reddente,) ut in Vaticiniis Jeremiæ de *interitu Babylonis* variis locis diserte affirmatur [d]. Caussæ ultionis in sequentibus explicantur, & in eadem illa prophetiæ Jeremiæ: quas hic non prævertam. Nihil itaque hic dubii, nisi in *posteriori membro*, quod videri queat intellectu obscurius; certe Interpretibus facessivit negotium. Hebræa, ולא אפגע אדם proprie hanc exhibent sententiam: *Et non occurram homini. obviam mihi non habebo* (vel *habui*) *hominem.* sc. qui vindictam meam exe-

Caussa Principalis hujus Judicii.

Deus se ipse demonstrat, ỳ. 3. med.

Sententiæ summa liquida.

Loca analoga.

Posterius membrum dubiæ interpretationis,

a Confer Ezech. IV. 7. b Tavernierius, Thevenotius, &c. c Confer Jer. XIII. 26. Ezech. XXIII. 10. d Cap. L. 15. 28. LI. 11.

Propriè sonat, *Obviam mihi non habebo hominem.*

exequatur. quod cum non intelligerent Intt. hoc in casu de Deo ex vero prædicari posse, cum utique Cyrum habuerit ad manum tanquam instrumentum exequendæ vindictæ suæ; omni opera id egerunt, ut Prophetam aliud quid hic loci dicentem facerent. Sunt qui inhærentes huic versioni, *Non occurram homini:* hunc sensum dant sententiæ: *Non occurram homini*, sc. qui mihi resistet. Sic Coccejus. Jun. & Trem. *Neque feram obstare quenquam mihi.* Idem sensus, sed durius enunciatus. Hieron. directe: *Et non resistet mihi homo.* Habuit ex Sym. cujus sunt: Καὶ οὐ ἀντιςήσεταί μοι ἄνθρωπος. Versionem reor ferri posse & cum aliis comparari. Cæteroquin qui attenderit ad orationem Prophetæ, videbit, longe ei convenientiorem esse sensum, quem in initio dixi sub verbis hisce latere. Pisc. & Belgæ quoque nostri: *Neque occurram* TIBI UT *homo.* sive, *Non incurram* (irruam) *in te ut homo.* acsi Vates integre scripsisset: ולא אפגע בך כאדם. Versio est Kimchii, docentis, voci אדם subesse ellipsin præfixæ כ, ut subinde aliis in locis. Sensum dat; Non sumam de te vindictam vulgarem, & imperfectam, qualis est humana: sed accipiam à te *vindictas perfectas.* quod idem videtur velle Chaldæus: *Et mutabo judicium tuum à filiis hominum.* h. e. gravius te puniam, quam homo hominem punire solet. Sensus non est spernendus; sed grave est in tribus verbis geminam fingere ellipsin. Absentia *præfixæ* כ *comparativæ* hic ferri potest: sed si פגע hic admitteret significationem *irruendi*, omnino requireret *præfixam* ב cum *pronomine.* Aben-Ezra hic à cæteris diversus est. Interpretatur in hunc modum: ולא אקבל פגיע אדם כמו פיס כמו ואל תפגיעני *Et non admittam interces sionem hominis; hoc est, placamentum, ut in loco* (Ruth. 1. 16.) *Et ne roges me,* (ne intercede apud me,) *ut te derelinquam.* Amplectitur Ill. Grotius, & adscribit: *Nam* פגע *est deprecari & deprecantes admittere.* Id vero unum probandum erat: dixisse enim, hic non sufficit. In loco allegato & aliis similibus פגע est *intercedere* cum *præfixa* ב, estque significationis *activæ:* quæ *præfixa* licet hic absit, non tamen propterea notat deprecationem *admittere*, quod Aben-Ezra vellet. Jarchius: לא אבקש פני אדם לקחת נקמתי *Non solicitabo ullum hominem, ut vindictam meam sumat.* Ipse ego vindictam per me sumam. Fere ut *ol ó.* Οὐκέτι μὴ παραδῶ ἀνθρώποις· *Nequaquam ultra tradam hominibus.* Sed utique Deus vindictam in Babylonem per homines exequutus est? Et tamen hæc interpretatio proxime ad mentem Prophetæ, ut ego arbitror, accedit. Sensus dicti est, ut mihi persuadeo: *Sumam vindictam, & obviam mihi non habebo hominem*; sive, *licet mihi hominem obviam non habeam*, qui vindictam quam animo concepi & meditor exequatur: quam ob rem *Ego ipse* SUSCITABO *Cyrum* ex partibus Persiæ, de quo nemo cogitat; eumque ut instrumentum à me paratum in medium producam ex Oriente & terra longe dissita, ad opus hoc ultionis meæ exequendum; ut toti Orbi patefiat, esse hoc opus *meum*; non esse *opus hominis: vindictam* hanc esse *meam*, non *hominis.* Id unum Deus dicere vult hoc loco, estque eidem conveniens; vindictam in Babylonem sic esse exequendam, ut licet Deus hominibus ad id usurus sit, ut *instrumentis:* pateſcat tamen, *vindictam* esse *suam*, & *instrumentum vindictæ* non fuisse Deo *obvium*, sed præterordinaria sua providentia paratum, excitatum, productum, ut nemo non videret, esse in hac vindicta quid insolens, Divinum, & mirabile; quod omnes agnoverunt in persona Cyri. Id vero ipsum est quod Ecclesia mox confirmat, ubi addit: *Redemptorem suum esse Jehovam.* Absque enim Divino auxilio & procuratione nemo Principum illius temporis huic operi sufficiesset, cum Babylon omnibus Gentibus vicinis videretur invicta; & ex Principibus illius temporis nemo opes viresque suas opibus & viribus Babylonii Regis comparare auderet: ne quidem Crœsus, isthac ætate Rex potentissimus & valde opulentus; sed quem Herodotus Babylonio proximum facit. Ergo Deus sibi *hominem* obvium non habuit; sed eum finxit, paravit, produxit, ut opus videretur esse suum. Atque hæc est genuina significatio vocis פגע, ubi simpliciter construitur cum *accusativo*, absque vel cum nota *accusativi* את. Notat *quem offendere, obvium sibi habere*, & vero etiam *casu sibi obviam habere.* Inspice loca Exod. XXIII. 4. 1 Sam. X. 5. Amos. V. 19. Confer autem cum sententia integra hujus dicti locum Cap. XLIV. 23. in Jubilo Ecclesiæ: JEHOVA FECIT. *Jehova Jacobum* REDEMIT.

Kimchii, & Chaldæi.

A. Ezra.

Judicium Ill. Grotii.

Jarchii.

Probabilis dicti sensus, isque venustus.

Deus non *invenit* hominem qui judicium in Babylonem exequeretur: sed *suscitavit.*

Qui sensus amplius declaratur.

Sequens *comma* favet interpretationi.

Genuinus usus vocis פגע.

Vel demonstratur ab *Ecclesia* per *Interlocutionem.*

Interlocutio Ecclesiæ eandem Personam demonstrantis, ℣. 4. *Redemptor noster Jehova Exercituum, &c.* Verba exponuntur ex distinctione Masorethica.

℣. 4. Ad *Redemptorem nostrum* quod attinet, *Jehova Exercituum* Dominus *est Nomen ejus:* SANCTUS ISRAELIS.] Sic accipienda sunt verba, & distinguenda secundum Masorethas. Voces *Nomen ejus* ad utrumque pertinet enunciatum, *Jehova Exercituum* & *Sanctus Israëlis*, acsi scripsisset Jesaias, quod idem sonat: Nomen ejus est *Jehova Exercituum*; *Sanctus Israëlis.* Est confessio fidei Ecclesiæ, quæ hic sustinet *personam interlocutoriam*; & quod Deus modo de se dixerat, fidei suæ ὁμολογίαν confirmat. Non nititur illa brachio humano, sed Divino & quidem *Filii Dei, Redemptoris sui*, typici & veri; cui hæc epitheta propriissime conveniunt, secundum illud Hoseæ [a]: *Domus vero Judæ miserebor, &* SALVABO EAM PER JEHOVAM DEUM SUUM. De re ipsa & de epithetis quæ hic occurrunt argumento aptissimis in *superioribus* sæpius disserui. Confer proxime Cap. XLI. 14. XLIII. 3. 14. XLIV. 6. cum Cap. I. 4. 9. Jehova *verax* & constans in implendis promissis, Ecclesiæ ex Testamento æterno datis: Potentiarum omnium cœlestium & terrestrium Rector: qui in Ecclesia quam habet in terris, sola sanctificatur; & in ejus Liberatione sanctificari vult: hoc *nomine* ab aliis Diis fictitiis distinctus & in Ecclesia agnitus; & objectum fiduciæ sui Populi.

Epitheta referenda sunt ad *Filium Dei*; & cursim declarantur.

Articulus alter: *Extrema*, eaque durabilis, Babylonis *Calamitas.* *Malum ipsum.*

℣. 5. *Sede silentio, & ingredere* TENEBRAS, *Filia Chaldæorum; quippe non perges amplius appellari*, DOMINA REGNORUM.] Novus est *articulus*, sive nova instantia, qua Babyloni denunciatur luctus ob calamitatem, ipsi judicio Divino infligendam. Sententia ad primam speciem videtur esse inversa; recta autem ita se habere, *Ingredere tenebras & sede silentio.* Sed Propheta tam hoc loco quam ℣. 1. hujus *Sectionis*, ubi Vir aliquis Doctus quoque aliquod ὕστερον πρότερον observat, certo consilio sic locutus est, ut oratio ejus complecteretur *gradationem*; cujusmodi ἀναβαθμὸς orationis ipse plurimum amat. Ergo prima propositio est, *Sede silens.* Sed cum *silentium* non excludat *lucem*, quæ per se delectationem & voluptatem adfert: subjicit, *Sede silentio*, & quidem *in tenebris, quas* te ea de caussa *intrare* jubeo, sc. ad lugendam tuam calamitatem cum stupore, quod te orbatam videas re omnium tibi carissima, *Imperio*; & simul cum *Imperio*, spoliata sis opibus, prosperitate, viribus, copia ac reverentia Gentium. de quibus mox. Sunt ex Intt. qui dictionem hanc parabolicam desumptam esse autumant à *carcere*, in quem qui conduntur, dicuntur *sedere in tenebris.* Sic Vates noster in superioribus [b]: *Ad educendum ex claustro vinctum; ex carcere* ישבי חשך SEDENTES IN TENEBRIS. Sed non putem, Prophetam id cogitasse. Patet ex *contextu sequente*, (℣. 9.) alludi ad Fœminam re sibi carissima; sive marito & liberis; sive honore aut bonis; orbatam, & magno luctu pressam atque obrutam, quæ silentium & solitudinem quærens se condit in interius & tenebricosum ædium suarum conclave, ut calamitatis suæ gravitatem stupens, expendat, aut lugens deploret. Natura ipsa id imperat lugentibus, qui secretum, silentium, & tenebras amant;

Articulus alter: *Durabilis Babylonis Calamitas*, ℣. 5. *Sede silentio, &c.*

Sententia non est inversa; sed complectitur gradationem; quæ ostenditur,

Unde desumpta sit metaphora?

Non videtur hic alludi ad *tenebras* carceris.

Illustratur ex analogia;

a Cap. I. 7. b Cap. XLII. 7.

amant; estque receptum usu Gentium. Sic Ecclesia in Tsione, loco supra jam adducto [a]: *Sedent in terra & SILENT Seniores filiæ Tsionis.* Idem Propheta in sequentibus [b]: *Duxit atque ire fecit me in TENEBRAS, & non in lucem.* Item [c]: *Bonum est viro, portare jugum* (afflictionum) *in juventute sua: SEDERE SOLITARIUM, & silere.* Ecclesia apud Micham [d]: *Quando SEDERO IN TENEBRIS: Jehova mihi erit in lucem.* Videri posset emblema esse idem atque illud quod vidimus ℣. 1. *Descende, sede super pulverem, absque sede,* sive *solio.* Equidem non inficior, esse affine: nec tamen est idem. Vates enim noster sic solitus est emblemata sua pingere, ut semper in majus surgant. In priore metaphora exhibetur Virgo Babylonia tanquam ex statu summæ dignitatis, luxus, sublimitatis, dejecta in conditionem humilem & abjectam, compactamque in servitutem. Hic infertur tanquam *lugens*, & quidem ut *vidua*, (mutato orationis schemate,) cum *stupore*, in *solitario loco*, calamitatis in quam inciderat, gravitatem. Nihil plus mysterii hic quæro in notione *tenebrarum*; quæ cum aliis locis sæpe sumantur ut emblema *calamitatis*, hic usurpantur pro *accidenti* & signo *luctus*, qui calamitatis consequens est. *Luctus* autem cum Fœmina Babylonica varias haberet rationes: una hic exprimitur omnium gravissima, *Non appellandam esse amplius*, (h. e. stylo Scripturæ S. *non futuram esse amplius*,) *Dominam Regnorum.* Sic recte Hieronymus. Belgæ: *Reginam.* Nihil admodum vitii habet: & tamen *Regina* Hebræis proprie dicitur גְּבִירָה *Conjux Regia:* sed גְּבִרֶת est *hera, mater familias*, ancillarum sibi subjectarum hera & magistra. quod posterius emblema Vates hic spectari vult. Cætera Regna huic Fœminæ imperatrici ut *ancillæ* serviebant, eamque ut *heram* respiciebant ac reverebantur; se ad nutum voluntatemque ejus moventia. qua gloria orbata, *incideret in graves calamitates*, quæ ipsi præberent occasionem sortis suæ infelicitatem & fortunæ immutationem acerbe plorandi. Transfer emblema ad Populum Babylonicum, & videbis eo significari, fore, α. Ut Populus Chaldæorum excidat statu Imperii in alias Gentes & Regna, quo jam per plures annos superbierat & gloriatus fuerat. β. Redactus in potestatem Medorum & Persarum simul summis affligeretur calamitatibus, quæ magnam justamque ei facerent materiam, non *luctus* tantum, sed & *stuporis*. cujus generis fuit calamitas quæ ei accidit sub Dario Hystaspis filio. *Silet* enim *lugens* qui miseriam suam *stupet*; tanquam cui explicandæ aut plorandæ verba & lacrymæ non sufficerent. γ. Fore ut idem hic Populus, qui vixerat in *luce*, h. e. gloria, splendore, claritate, ob amplitudinem imperii, & fortitudinis ac gestarum rerum gloriam, deinceps incidat in eam nominis sui *obscuritatem*, ut ejus inter Gentes vix superesset memoria: ut sane ipse quoque eventus comprobavit. *Chaldæi* enim post id tempus nulli fere in Orbe noti fuerunt hoc nomine, nisi qui *Astrologiam Judiciariam*, & *Magicas artes*, profitebantur, plerisque Gentibus, ob earum futilitatem vanitatemque, invisi. Patet interim ex hoc ipso quoque loco Prophetæ, Imperium Babylonicum, quo tempore florebat sub Nebucadnezare & Patre ejus Nabopolassare, limites suos late protendisse; adeo ut Orientis Populi omnes, Syri, Phœnices, (in varia Regna divisi,) Ægyptii quoque, Arabes, & Asiæ minoris Reges, vel armis eorum victi Babyloniis ut δεσπόταις subjecti fuerint; vel eorum respexerint auctoritatem. quarum Gentium longus textus est apud Jeremiam [e]. Inde Imperium hoc ab eodem Propheta comparatur *Monti perdenti*, qui *totam perdit terram* [f]; & Rex Nebucadnezar *Aquilæ magnis alis, longis pennis, plenæ plumis, versicolori*, ab Ezechiele [g]. Sed nihil hic explicatius & augustius dici potest eo quod est apud Danielem [h] in interpretatione *Capitis aurei* magni illius *Colossi* prophetici, qui figurat successionem majorum Imperiorum Mundi. Veteris historiæ Exoticæ magno hic laboramus defectu: attamen ex Xenophonte liquet quot Populi fuerint vel subjecti Babylonio, vel ei confœderati, quando Cyrus Medorum & Persarum Imperator difficillimum illud Bellum adversus Babylonios & Lydos suscepit.

Caussa Impulsiva hujus Mali *Prima.*

℣. 6. Quum *efferbui in populum meum*; PROFANAVI HÆREDITATEM MEAM; *& dedi eos in manum tuam: non præstitisti iis misericordiam*; quin etiam SENES *pressisti jugo tuo valde gravi.*] Quæris, dum judicium hoc Babylonis legis; quæ caussa tantæ indignationis & severitatis Divinæ erga Babylonem? Non deest partibus suis Propheta, cum ipse intelligeret, commemorationem caussæ aut caussarum hic præteriri non posse; quare eas ea arte sermoni suo intexit, ut etiam dum aliud agere videatur, ad hunc scopum tendat. Sed de eo videbimus in sequentibus: hic loci directe satis procedit. Prima itaque & gravissima est, *inclementia* in Populum suum, quam Deus hic exprobrat Babyloni. *Efferbuisse se* ait in Populum suum jure merito, & *tradidisse* eum puniendum *Babyloniis:* sed illos excessisse modum, & ipsos quoque *senes* duriter tractasse. Schema orationis continet fortissimam metaphoram, quæ ad speciem videatur Deo minus æque convenire. Est enim similitudo desumpta à Patre, qui dum filio justa de caussa irascitur, illum servo aut pædagogo pro meritis plectendum committit: sed protinus, sedata ira, & resuscitato in filium affectu, indignationem suam vertit in eos qui mandatum suum exequuti sunt, acsi animadversionem pœnalem immoderate exercuissent. Dura videtur, ut præmonui, metaphora. Deus enim Populo suo eum ipsum modum & gradum punitionis decreverat, quem servarunt Babylonii, eumque prædixerat & veluti præscripserat Babyloniis per Prophetas suos: neque illi quicquam commisisse videntur præter id quod Principes omnes viribus prævalentes sibi vindicant, nimirum ut fortiores potentioresque, imbecilliores sibi subjiciant. quod jus licet non sit fundatum in æquitate naturali: cum tamen principibus omnibus in more sit, (non Gentilibus tantum, sed & nomen Christi Jesu professis, quod pudendum:) non videbantur Reges Babylonii, morem Gentium sequuti, hic in adeo gravi culpa esse. Addo his; non videri Reges Babylonios adeo inhumaniter cum Populo Dei egisse. Cum enim Nebucadnezar quarto anno Jehojakimi, ipsum illum Regem cum Hierosolyma sibi subjecisset: non tamen illum privavit Regno, sed servavit ei dignitatem: tantum fecit Regem tributarium, & sibi obnoxium. Jechoniæ suspicatus defectionem, ne tum quidem Rempublicam Populi Dei destruxit, sed Jechonia Babylonem abducto, Judæis præfecit Patruum ejus Tsedekiam, quem arctissimo fœdere & jure jurando sibi adstrinxit. *Deportatis* interim sub Jehojakimo & cum Jechonia *colonias* assignavit τὰς ἐπιτηδειοτάτας τῆς Βαβυλωνίας τόπους *commodissima Babyloniæ loca*, ut est in *Fragmento* Berosi, & ex ipso etiam Ezechiele, & *Literis Jeremiæ* ad deportatos cum Jechonia [i] liquet. Quin Jeremias in Concione [k] ad Tsedekiam & Populum Hierosolymitanum iis in nomine Dei exerte denunciat; vivere illos prospere & tranquille posse statumque suum tueri, modo in fœdere Nebucadnezaris persistant, & fidem ei atque obsequium præstent. Verum cum Tsedekias Rex à fœdere Babylonii perfide discessisset, & Jurisjurandi Religionem impie violasset: quid adeo grave commisit Nebucadnezar, quod perfidiæ pœnam exegerit à Rege & Populo rebelli, cui tamen ipsi, durante obsidione Urbis, pacem & salutem non semel obtulit; quodque tandem, abducto in exilium Populo, Urbem & Templum, (cujus apud Regem exterum minor fuit reverentia:) destruxerit? Non videntur

Caussa Impulsiva hujus Calamitatis *Prima*, ℣. 6.

Partis hujus Orationis necessitas.

Prima Caussa hic proponitur; *Inclementia in Populum Dei*

Aspectus metaphoræ hujus loci, quæ durior videtur.

Utrum Babylonii Populum Dei tam inclementer tractarint?

Historia in medium producitur.

Alia ejus generis, quæ adversus hunc locum videntur inferri posse.

---

a Cap. II. 10. b Cap. III. 2. c ℣. 28. d Cap. VII. 8. e Cap. XXV. 18. 19. seqq. f Cap. LI. 25. g Cap. XVII. 3. h Cap. II. 37. i Cap. XXIX. 3. 4. k Cap. XXVII. 12.

tur hæc dici absque omni specie; nec tamen cum ratione. Velim itaque observari & animadverti: primo, In schemate orationis metaphorico, quod Vates hic adhibet, & perinde etiam Zacharias Cap. I. 15. nihil esse quod quenquam offendat, modo figuram ad *simplices* reducamus *notiones*. Significatur ea, α. Deum erga Populum suum ea esse teneritudine & æquitate affectus, ut licet in eum ob gravissimas causas animadvertat, semper tamen adhibeat pœnæ tantum moderamen, quantum justitiæ ejus rationes permittunt. β. Homines, quibus Deus utitur ut executoribus suorum judiciorum, potuisse, imo debuisse, secundum rationes suas mitius & clementius instituere. Quicquid enim Deo, pro adorandis providentiæ ejus, placeat iis uti tanquam mediis aut instrumentis Decretorum suorum judicialium: quandoquidem tamen ipsi ignari sunt arcanæ Dei voluntatis; ipsorum est in omni actu suo sequi principia rationis, humanitatis, æquitatis, moderaminis, quæ Deus conscientiis illorum impressit. Voluntas Dei arcana non est norma & canon actionum humanarum ob hanc ipsam causam, quod arcana sit & lateat. Hominis est sequi *rationem*, aut *Voluntatem* Dei *revelatam*. ℣. Quare si Domitores illi Gentium citra conscientiæ & rationis Legem Populos alios sibi ficti juris obtentu subjiciant, eosque inhumaniter & sæve habeant aut tractent, *licet hoc ipso justissima Dei summi exequantur decreta*; crimen tamen iis non minus imputatur, quam si nulli plane peculiari providentiæ aut consilio Dei inserviissent. Illi enim sequuntur consilia *sua*, non *Divina*: aliud sibi proponunt & *cogitant* ac Deus, ut Vates noster de *Assyrio* Cap. X. 7. Vides itaque, metaphoram nihil continere Deo injurium aut ejus naturæ ac puritati non congruens si recte accipiatur. Secundo ajo; non esse dubitandum, quin Nebucadnezar, princeps arrogans ac superbus, Populum Dei, deprehensum in rebellione, *durius* habuerit, quam debebat secundum humanitatis, æquitatis, Gentiumque juris Legem. quæ hypothesis est hujus Vaticinii. Principes passim omnia sibi licere arbitrantur in rebelles obstinatos, si domitos armis suæ rursus subjiciant potestati. Sed id sane est falsissimum. Demonstrat etiam ratio hic suos limites, ultra quos ire non licet: cujusmodi æquitatis nullus in Orbe Populus illustriora specimina dedit quam Romanus. Populum enim liberum & sui juris, qualis erat Populus Judæus, si forte contra jus Gentium à Potentiore sibi subjiciatur: favente occasione, jugum excutere, & se vindicare in libertatem, nihil plus criminis aut culpæ habet, quam si à Latronibus aut Piratis captus eorum effugere nitatur manus. Nebucadnezarem autem, magnum Orientis domitorem, eundemque Principem superbum, (*superbia* autem rare disjungitur à *sævitia*:) & ex blandiente sibi fortura inflatum, Populum Dei *sævissime* tractasse, postquam Hierosolymam longa obsidione pressam expugnasset: liquet abunde ex prædictis & minis propheticis *Jeremiæ* & *Ezechielis*; & ex illius *Threnis*: nec non ex exemplo sævitiæ edito in *Tsedekia Rege* [a]; ut & in *Jechonia* quem per XXXVII annos detinuit in *carcere* [b]. Unde Ecclesia Judæa apud Jeremiam [c]: *Comedit me, conturbavit me, Nebucadnezar, Rex Babylonis: destituit me vas vacuum: absorpsit me ut Draco: implevit ventrem suum deliciis meis; protrusit me.* Alibi [d]: *Populum Dei exossasse* dicitur. Tertio, quod hic loci Babyloniis speciatim improperatur, nimirum eos *Senes* in Populo Dei *gravi pressisse jugo*, h. e. ipsos duriter habuisse, & nulla in illos ductos esse commiseratione: non esse dubium, quin verissime à Propheta iis imputetur. utique exerte attestatur Jeremias [e]: *Faciem* SACERDOTUM *non respexerunt, & erga* SENES *nulla usi sunt clementia.* Rursus [f]: *Principes manibus ipsorum suspensi sunt: faciem* SENUM *non sunt reveriti.* Unde intelligis, per *Senes* hoc loco designari tam qui tales erant ætate, quam sapientia, & dignitate Politica aut Ecclesiastica conspicuos Viros, quorum ætas aut dignitas cæteroquin movere solet affectum miserationis, aut furoris suadere moderamen. Non excusat hic Propheta sævitiam in Populum omnis ordinis; attamen supponit, excusabiliorem esse vim illatam *Juvenibus*, qui bellum sustinuerant, & ex quibus potissimum scripti erant *milites*. Est itaque ultimum membrum; *In Senes gravasti jugum tuum valde:* accipiendum per modum *gradationis*, acsi dixisset: QUIN ETIAM *erga Senes*, ob ætatem aut dignitatem *reverendos*, & majorem partem *innocuos*, nulla usi estis clementia aut miseratione: quod summæ sævitiæ documentum est. Quarto denique observari volo, *Crimen* illud quod Babyloniis & Chaldæis hic loci improperatur, non excludere alia & analoga. Verba enim Prophetæ sic sunt interpretanda, ut hic solummodo *specimen* exhibeatur criminum à Chaldæis commissorum. Erat aliud non minus grave, quin vero gravissimum, *Templum Dei* veri profanatum & destructum. unde *judicium Dei in Babylonem* appellatur נקמת היכל יהוה *Ultio Templi Jehovæ* [g]. Fama *Dei Israëlis* inter Gentes erat maxima; & pervenerat quoque ad Chaldæos. Prophetarum Populi Dei non exigua erat ipsas inter Gentes reverentia: nec poterat iis esse ignota Religio Populi Judæi ex *deportatis* apud ipsam aulam Babylonicam versantibus per spatium *octodecim annorum* à *quarto Jehojakimi*. quare licet *destructio Templi* facta non fuerit, nolente Deo, qui *Populum suum*, (& ipsum quoque *Sanctuarium*, & *Ministros* ejus,) hic *profanasse* dicitur, h. e. ut communes & profanos tractari fivisse: (de quo videbis quæ scripsi ad Cap. XLIII. 28.) incurrebant nihilominus Babylonii in gravissimum crimen ἱεροσυλίας *sacrilegii*, quod ausi essent Templo Dei ignem subjicere, & veri Dei publicam ac solennem Religionem subvertere: quod piaculum subversi Templi & Hierosolymæ expiari non poterat nisi Babylonis ipsius & Imperii Babylonici destructione. Ab illo tempore hic Populus subjectus fuit anathemati, & sibi contraxit inexpiabilem reatum. Accessit *superbia* Babylonis, *luxus*, & Divinorum ejus *vanitas*: de quibus mox.

Dubia proposita expediuntur.

Et quidem primo, *Schema metaphoricum* hujus loci ad proprias notiones reducitur.

Decreta Divina, non possunt præstare canonem actionum hominum; nec eas à culpa liberare.

Qua re peccent Domitores Gentium, exequentes Divina Decreta?

Secundo, Nebucadnezar durius tractasse videtur Populum Dei, quam debebat.

Rebellio Populorum, *vi* subactorum, non meretur gravissimam punitionem.

Exempla sævitiæ ejus ex historia, & ex Jeremia.

Speciatim de *sævitia* in *Senes*.

Gradatio in extrema parte sententiæ.

Crimen, quod hic Babyloni improperatur, alia & analoga non excludit.

Destructio Templi hic non est negligenda.

Religio Populi Dei non fuit ignota Babyloniis.

Causa altera; *Superbia Babylonis.*

℣. 7. *Dicisque, in* SÆCULUM BRO DOMINA; *non retulisti hæc unquam ad animum tuum: non meministi finis illius.*] En causam alteram lapsus Babylonis! Est *superbia* ejus, & *fiducia carnalis*, posita in stabilitate & prosperitate sui status, qua sibi promittebat *æternitatem*; cum in rebus hominum & statu Imperiorum Mundi illius temporis nullas observaret causas, per quas status suus convelli posset. Phrasis Prophetæ, עד לא שמת אלה אל לבך ad verbum, USQUE *non posuisti hæc in corde tuo*, valet, *Nunquam hæc in corde tuo posuisti*; hoc est, ad animum retulisti, in mentem revocasti; hac de re non cogitasti, fieri posse, ut de statu deturberis. Vox עד, quæ idem valet quod Latinis *usque*, hic rectissime usurpatur; nec refugit phrasis Latina, eandem vocem si vertas, *Non retulisti hæc usque, ad animum tuum.* Hieron. neglexit vocem in interpretatione. Pisc. USQUE ADHUC *non reposuisti hæc in corde tuo.* Cocc. ADEO UT *non revocaveris hæc ad animum.* Nostrum pressius & efficacius: *Non usque* est *numquam.* Licet etiam, nisi fallor: ADEO *non retulisti hæc ad animum tuum.* Est autem phrasis venusta, השים אל לב *reponere in cor*, sive על לב *super cor*, quam habuimus Cap. XLII. 25. vel השיב אל לב *reducere ad animum*, Cap. XLIV. 19. Notat rem referre ad animum, ut eam facias objectum meditationis tuæ, & ei meditandæ inhæreas. Non minore se commendat elegantia ῥῆσις postremi membri, *Non es recordata finis illius.* Est in sententia figura quæ Græcis ὀξύμωρον dicitur. *Recordamur* enim rerum *præteritarum*; cum hic manifeste agatur de *futura.* Sensus est; Revocando in memoriam fata Regnorum Mundi superiorum temporum, quæ licet bene stabilita viderentur & non minore

Causa altera: *Superbia Babylonis*, ℣. 7.

Usus vocis עד in hoc loco.

Phrasis emphatica, *aliquid reponere in cor.*

Ὀξύμωρον in verbis, *non recordata es finis illius.*

a 2 Reg. XXV. 5. 6. b ℣. 26. c Cap. LI. 34. d Cap. L. 17. e Thren. IV. 16. f Cap. V. 12. g Jerem. L. 28. LI. 11.

nore fiducia quam tu, sibi polliceri durabilitatem sui status, tamen gravi lapsu interierunt; non cogitasti, idem quoque tibi accidere posse. quæ ἀνοησία est maxima, & tamen, florente rerum statu, mortalibus fere propria & peculiaris. Nec tantum ἀνοησία, sed & *superbia*, hujus ἀνοησίας & imprudentiæ fons, & *fiducia carnalis* in externis caussis fundata. Utique fuit inter nomina blasphemiæ Romæ antiquæ, in qua renata est Babylon, quod dicta sit Urbs æterna. Ammianus [a]: *Inter hæc Orfitus Præfecti potestate regebat Urbem* ÆTERNAM. Sic Impp. in *Constitutionibus suis*, ut & in *Inscriptionibus* & *Numis*. Eadem *Roma*, perinde ac hæc nostra, Domina *totius mundi: Regina* & Domina Orbis. quæ Æthici & Frontini, cum multis hujus generis aliis, collecta videbis à Lindenbrogio, Doctissimo Viro [b]. Hæc liquida: tantum dubium, quo referendum sit *affixum tertiæ personæ* ה in voce אחריתה. *Non es recordata*, ait Vates, *extremi* EJUS. Sunt qui hic subintelligunt *Hierosolymam* vel *Tjicnem*, mente conceptam, non expressam; quando vox זכר nullam involveret *figuram*. Sed *Hierosolymæ* aut *Tjionis* nulla in *superioribus* facta mentio; & si id dicere voluisset Propheta; haud dubie idem liquidius expressisset. Hieron. vertit, *finis* TUI, *extremi* TUI: acsi legisset אחריתך. Id sane quod ad sensum rectissime: nec, si vel maxime legisset אחריתה *finis* EJUS; nulla gravis obstat ratio quo minus dictum accipiatur de *Babylone*. Figura enim *enallages personarum* in *relativis* cum aliis Prophetis tum in primis Jesaiæ est receptissimi usus. Hebræi Intt. *affixum* referunt ad *eam rem* de qua Vates loquebatur: Hebræi enim *fœminino genere* potissimum pro *neutro* utuntur, ut notum. Per *rem* vero de qua Vates loquebatur, intelligunt *fastum*, גאון *superbiam*, *fiduciam carnalem* Populi Babylonii; ut sensus sit, Non cogitasti, in quem finem, in quod extremum, tua hæc superbia & fiducia carnalis exitura sit. Non sperno plane: sed video simul, nihil rectius esse quam si referatur ad *Babylonem ipsam*, cujus in *versu sequente* mentio est in *tertia persona*. Sic *extremum Populi Judæi* in Cantico Mosaico [c], sunt gravia illa Judicia quæ Deus Genti cum Reipublicæ & Templi desolatione inflixit. *Extremum Babylonis*, ejus subversio, servitus, afflictio.

Articulus tertius, *ejusdem argumenti*, ubi

a. Caussa mali, quæ hic est *Impulsiva tertia: Luxus*, *Vita voluptaria*, *arrogantia.*

℣. 8. *Nunc itaque audi hoc* VOLUPTARIA, *quæ sedet secure; quæ dicit in corde suo*; EGO, *& amplius nulla. Non sedebo* VIDUA; *neque experiar orbitatem.*] Tertium articulum denunciati Babyloni Judicii Divini hinc recte ordior, quod Vates novo alloquio Babylonem compellet: nulla à superioribus differentia, nisi quod recto ordine *culpam* hic loci *pœnæ* præmittat; sed quam *culpam* ipse *denunciationi pœnali* tam artificiose intexit, ut eam complectatur *epithetis* quibus ipsam compellat. Sunt autem *crimina* quæ Babyloniis hic imputat, eorum quæ modo memoravi agnata; *Luxus* & quæ eum comitari solet *Securitas*: *Arrogantia* intolerabilis; & *Fiducia* ex Imperii firmitate atque amplitudine concepta: quæ crimina ejus sunt generis, ut in qualicunque demum populo aut Gente deprehendantur, Deo maxime invisa sint, ejusque provocent justitiam severitatemque. Jubet itaque *Babylonem* sua nosse *vitia*, ut intelligat nihil se præter meritum pati. Primum latet in verbis, *Voluptaria quæ desidet secure*. Videbatur vertendum quæ *desides secure*: sed sequens בלבבה *in corde* SUO, docet, Prophetam hic personam ex *secunda* in *tertiam* mutatam velle. Est stylus Jesaiæ, quem sæpius observavimus. Vide Cap. XXVIII. 16. Sententia integre sic sonat, *Audi hoc voluptaria* QUÆ ES EA *quæ desidet secure*; *quæ dicit in corde suo.* Vox עדינה ex ערן *voluptas*, ἡδονὴ, hoc tantum loco lecta, recte vertitur per *Voluptariam*; quæ vitam transigit luxu, voluptatibus, deliciis, cum securitate carnali. est itaque plus aliquanto quam עונה *delicata*, qua voce usus fuerat ℣. 1. Vatab. hoc etiam loco, *delicata*; ut & Coccejus: sed, ut dixi, aliquanto plus sonat. Est character Babylonis antiquæ; ut fere omnium Urbium amplarum, quæ sedem faciunt magnorum Imperiorum. Copia enim & abundantia omnium rerum; frequentia incolarum; concursus exterorum; Aulæ & Principum atque illustrium Virorum easdem colentium turba; prosperitas fortunæ & securitas status; luxui subministrant materiam. Curtius de *Babylone*, qualis fuit temporibus Alexandri [d]: *Nihil Urbis ejus corruptius moribus; nec ad irritandas illiciendasque immodicas voluptates instructius.* Subscribit exempla fœda, quæ hic legi nolim. Tantum addo hæc verba: *Babylonii maxime in vinum, & quæ ebrietatem sequuntur, effusi sunt.* Interim verum est, Babylonem ab ipso deformari, ex luxu Medorum & Persarum forte etiam corruptiorem factam. Certior testis est Herodotus [e], & ex ipso Strabo [f], ubi cultum Veneris; qualis apud illos receptus fuit, pudendum sane ac detestabilem, explicant. Sed vox עדינה, quæ notat *mulierem* vitam in *voluptate & deliciis* transigentem, non necessario refertur ad eam luxus speciem quæ inhonestis libidinibus constat. Feracitas terræ Babylonicæ; situs ejus commoditas; structurarum ejus decus & splendor; pompa & fastus Procerum atque incolarum; *horti pensiles*, *Paradisum* (גן ערן) veluti in cœlo natum ostentantes, de quibus Herodotus & Diodorus: concurrunt ad pingendam imaginem fœminæ mollis, delicatæ, & voluptariæ; & quidem *desidentis secure* ob invicta, ut videbatur & eventus docuit, illius Urbis *munimenta*, nullis viribus hominum expugnabilia. Atque hæc ipsa erant argumenta & fomenta SUPERBIÆ; sive potius *arrogantiæ* ejus *intolerabilis*, de qua Vates: *Quæ dicit in corde suo*, (h. e. sic cogitat, sentit, judicat, secum statuit:) *Ego, & nulla amplius.* Hebræa sunt: אני ואפסי עוד Hieron. EGO; *& non est præter me amplius.* Sic passim Jun. Trem. Pisc. *Nulla præter me amplius.* Cl. de Dieu hunc locum tractando, non negat, Intt. illos sensum dicti assequutos esse; nec putat tamen, eos dictionem Hebræam percepisse. videri enim eos sibi persuasisse, in voce אפסי latere significationem *præter me non*: cum tamen אפס non valeat *duplicem negationem*, sed *simplicem*; *non*, *nisi*, *præter*. ut אפסי fit, *nisi ego*, *præter me*. *Oporteret ergo*, ait; *subintelligere* אין, ut poneretur pro, *Ego sum, & præter me non est amplius.* Sed cum hæc *ellipsis negationis* durissima sit: non dubitat; quin dictum *interrogative* sit accipiendum, hoc sensu: *Et num præter me amplius?* Addit τὰς ὁ. quoque videri hanc animadvertisse difficultatem, atque adeo simpliciter vertisse, Ἐγώ εἰμι, καὶ ἐν ἐςὶν ἑτέρα, acsi *Jod* in voce אפסי habuissent pro *paragogico*. Non instituitur hæc disputatio absque ratione; atque adeo Cl. Coccejus, sive ex sensu suo sive ex hac animadversione Docti Viri, in *Lexico* suo hanc interpretationem sequitur; sumitque *interrogative*: tam hic loci quam *Tsephan.* II. 15. in quibus duobus locis vox אפס cum *affixo Jod* tantum reperitur. Vertit, *Et* num *præter me* est adhuc? Verum ægre mihi persuadeo; subesse phrasi interrogationem. Si nihil aliud hic in promptu esset ad expediendam difficultatem: mallem dicere, *Literam Jod* in notione אפסי esse *paragogicam*, quomodo eam vere accepit Aben-Ezra; quando sonat dictum: *Et nihil præterea.* quomodo Coccejus noster *textum Prophetæ* in *Versione* sua reddidit. Forte tamen verius est, sub voce אפס latere geminam significationem *non* & *præter*, & ex mente Vatis reddi, acsi scriptum fuisset integre אפס אפסי, sive אפס זולתי *Nihil præter me.* Sed cum de sensu utrinque

Persona hic à *secunda* mutatur in *tertiam*.

Usus vocis עדינה.

Vis vocis exponitur cum respectu ad Babylonem.

Locus de ea Curtii.

Herodoti & Strabonis.

Alia ad hunc Babylonis concurrentia.

Securitas huic statui juncta, & inde nata *arrogantia*.

Dictum ejus: EGO, *& nulla amplius.*

Cl. de Dieu observatum ad vocem אפסי in h. l.

Cui non deest ratio.

Cl. Coccejii judicium.

Jod in hac voce posset esse *paragogicum*.

Rectius dicitur, sub hac voce geminam latere significationem.

Roma antiqua hic analoga Babyloni. Dicta est *Urbs æterna.* Locus Ammiani.

Affixum in voce אחריתה quo referendum sit?

An ad Hierosolymam?

Hieronymi interpretatio.

Hebræorum Intt. sententia.

Referendum est ad *Babylonem.*

Articulus tertius: *a. Caussa mali, Luxus, arrogantia*, ℣. 8. Summa & ordo orationis Prophetæ.

Primum crimen: *Luxus.* Animadversum ad structuram orationis.

[a] Lib. XIV. Cap. VI. [b] Ad illum locum *Ammiani.* [c] Deut. XXXII. 20. 29. [d] Hist. Al. Lib. V. Cap. I. §. 36. [e] Lib. I. Cap. 199. [f] Geog. Lib. XVI. p. 513.

constet: disputatio tota resolvitur in crisin Grammaticam. Est majoris momenti videre, vim *superbiæ Babylonicæ*, quæ hoc dicto involvitur. Primus aspectus hujus dicti, EGO, *& nulla amplius:* hunc, nisi fallor, exhibet sensum, *Ego mei generis sum incomparabilis.* Cum enim eopse tempore plura essent eaque non spernenda Regna; Medorum, Arabum, Ægyptiorum, (quos tamen Ægyptios Nebucadnezar quoque sibi subjecerat,) Lydorum: non poterat Babylon ἁπλῶς dicere, *Nihil præter se esse:* sed poterat idem dicere *comparate:* Nihil sibi in Orbe simile esse; *nihil par, nihilque secundum*, ut Poëta de Roma: nihil sibi comparari aut æquari posse; sive respicias amplitudinem Imperii, à Nebucadnezare conditi; sive Imperii illius Metropolin Babylonem, Urbium omnium illius ætatis (post destructam Niniven,) maximam, splendidissimam, amplissimam: sive commoditatem amœnitatemque situs ejus; sive firmitatem munitionum; sive magnificentiam Exstructionum publicarum; sive Palatiorum splendorem; sive ædificiorum ordinem; copiam, opes, concursum; consideres. Herodotus *a*: Τὸ μέν νυν μέγαθος τοσοῦτόν ἐστι Βαβυλῶνος. ἐκεκόσμητο δὲ ὡς ἐδὲν ἄλλο πόλισμα τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. *Tanta igitur quidem est Babylonicæ Urbis magnitudo,* (quam descripserat:) *quæ sic exornata est, ut aliud nullum ex oppidis quæ nos novimus.* Consuli potest *Natura* BABYLONIS, & *Imperii Babylonici*, quam in *superioribus* tradidi *b*. Omnia hic vere sunt admiranda. Inde Propheta eam vocaverat *Decus Regnorum*; *Ornamentum excellentiæ Chaldæorum c*. Et Nebucadnezar ipse *d*: *Nonne hæc est* BABYLON MAGNA, *quam Ego ædificavi Domum Regni, robore virium mearum, & in honorem majestatis meæ.* Sed cave hic subsistas: plus est in dicto, à Vate sic constructo, ut non qualemcunque gloriationem vitiosam, sed blasphemam, contineat. EGO, & *nulla sicut* EGO, *amplius:* significat, EGO sola in Orbe sic existo, ut à me sola, non ab alio, dependeam: eam complector perfectionem, ut me solam tueri ac sustinere queam; ut meam potentiam, amplitudinem, fortunam, meis viribus debeam: quod tamen ita dici & intelligi patior, ut *idola sua*, quorum Templa colebat, *in se* respici velit, & sub se complectatur. Vocula enim EGO, sola posita, indicat *existentiam independentem*, æternum duraturam. Sic Vates noster de vero Deus *e*: EGO: *manus meæ extenderunt cœlos.* Item *f*: EGO *Jehova*, & *nemo amplius.* Alio loco *g*: EGO, EGO, *Jehova.* Nihil dici potest magnificentius & gloriosius. Volebat itaque *Babylon* sibi vindicans independentiam, respici ut *Dea:* perinde ac *Roma*, ejus antitypon verissimum, quæ non *Domina* tantum, sed & DEA dicta est, & cui ut DEÆ dicata sunt Templa. Sic Poëta *h*: TERRARUM DEA, *cui par est nihil, nihil secundum.* Inde Babylon non *superba* tantum; verum etiam ipsa *superbia ipsa* dicitur Jeremiæ *i*. Consequens ejus est, individuum necessarium, FIDUCIA *carnalis*, posita in firmitate Imperii, Munitionum, & Virium, quam Vates superbam hanc & jactabundam loquentem faciens, ita effert: *Non sedebo vidua, nec experiar* (proprie, *non cognoscam*, sc. cognitione experimentali, ut vox sæpius sumitur,) *orbitatem.* Sensus est, Non deerunt mihi unquam Defensores mei Status; nec Populi qui mihi pareant. Σχῆμα orationis hic mutatur: infertur enim hic ut *conjux*, quæ modo ut *virgo.* Sed ea translationum variatio Poëtis & Prophetis sacris ubique recepta est, dum figuras orationis aptant attributis *subjecti*, quæ sub una figura omnia exhiberi nequeunt. Per *Maritum* autem quem hæc translatio supponit, plures intelligunt *Regem*, qui certe hic primo loco spectandus est: sed latius accipi potest pro quibuslibet Principibus, Reipublicæ sive Imperii Patronis ac defensoribus. Jeremias eadem similitudine utitur, ubi Hierosolymam *desolatam*, & *Rempublicam* ejus destructam, deplorat *k*. De *Liberis Rerumpublicarum* vide Cap. XXIII. 4. Populus est Populi mater: Populus Urbis aut Imperii, est Populi filia. Populus enim ex Populo nascitur.

β. *Malum* ipsum, pœna culpæ consequens: *Viduitas & Orbitas.*

℣. 9. *Imo vero obvenient tibi duo illa* MOMENTO, *die uno, Orbitas & Viduitas:* PERFECTE *tibi supervenient: non obstante* MULTITUDINE PRÆSTIGIARUM *tuarum, &* VI URGENTE INCANTAMENTORUM TUORUM.] Nihil fere in humanis Deo magis invisum est, ejusque animadversionem certius citiusque provocat, quam *superbia, jactantia, gloriatio* vana, & *fiducia* carnalis in viribus facultatibusque suis posita, quippe in qua est stulta de se præsumptio, & ipsius Dei abnegatio, quod Herodoto alibi expressit dictum, *Deum neminem alium quam se ipsum sinere magnifice de se sentire.* Sic enim sonant verba quæ inter plures sententias alias Artabano aptat *l*: Οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν ἄλλον μέγα ὁ Θεὸς ἢ ἑωυτόν. Quare si Babylon tot aliis noxis Deo obstricta non esset: mereretur ob hanc arrogantiam suam, securitatem, & vanam præsumptionem, gravissime puniri. Rationes autem Providentiæ Divinæ sic ferunt, ut materiam gloriationis Deus faciat materiam supplicii: h. e. ut ipsa illa in re puniat hominem, qua peccat; & vanam jactantiam simili exemplo refellat. Ut vero crimen superbiæ summum erat: sic punitio esset consummata, quam Vates noster ita expressit pro sapientia sua, ut in paucis verbis triplex occurrat gradatio. Positio simplex est, *Duo illa, Orbitas & Viduitas tibi obvenient*, quæ tu Babylon stolide præsumpseras à te longe afutura. Bene quidem, sed forte tractu longi temporis. Neutiquam, ait Propheta: sed obvenient sibi MOMENTO, subito, nec opinato. Hæc *prima* est *gradatio.* Verum accidere poterant Babyloni *singula* momento, interstitio longioris temporis. Negat Vates, *Evenient tibi*, ait, DIE UNO. Hæc *secunda* est *gradatio.* Forsitan tamen punitionis aliquod erit temperamentum, quale *viduitas mystica* admittit: ut si aliqui & præcipui Defensores Imperii intereant; non tamen omnes: si liberorum aliqui cadant; præstantiores tamen in vivis relinquantur. Occurrit Propheta huic quoque gravamini in *gradatione tertia*: *Secundum perfectionem suam tibi obvenient.* Id plane latet in verbis Hebræis, quod Intt. recentiores passim viderunt: à qua interpretatione liquidissima & facillima, *punctaturæ Masorethicæ* consentiente, miror discessisse Cl. Coccejum, hæc verba connectentem cum sequentibus mox inspiciendis; sententia obscura & à me non intellecta, nec verbis Hebræis exacte congruente, in hunc modum; *ad quam toti venerunt in multitudine præstigiarum tuarum.* Implementum prædictionis non longe quærendum est. Cum enim duo articuli temporis sint quibus hæc prophetia implementum suum consequuta est, videlicet sub Cyro & Dario Hystaspis filio: ut alibi *m* prolixe declaravi: Divina Providentia circumstantias lapsus *Babylonis antiquæ* sic moderata est, ut utroque illo tempore & casu Babylon contra omnem exspectationem *subito* capta, plane privata sit Imperio, & omnia subierit mala calamitatesque, quas victoribus vindicta incensis placitum fuerit hostibus superbis infligere. Atque hæc fieri debebant & facta sunt, non obstantibus contrariis prædictionibus Divinorum & Magorum Babyloniorum, qui lætum rerum exitum Imperio prædixerant; quod Propheta subjungit ad ignominiam, & pudorem Babylonis his verbis: *Non obstante multitudine præstigiarum tuarum; &* URGENTE VI INCANTATIONUM TUARUM. Hebræa ad verbum sonant, *in robore incantationum tuarum vehementer*, valde. h. e. quas valde,

Primus sensus dicti: *Nihil sibi comparabile esse.*

Referri potest, vel ad amplitudinem Imperii; vel ad Urbem BABYLONEM.

Locus de ea Herodoti.

Alia quæ huc pertinent.

Major emphasis dicti: Vindicat sibi *independentiam.*

Vis vocis, Ego, ubi *absolute* ponitur.

Ex analogis illustratur, & cum Roma comparatur.

Inde sibi promittit æternitatem Imperii: *Non sedebo Vidua, &c.*

Dictum exponitur.

Mutatio Σχήματος orationis.

Quis hic supponatur *Maritus?*

β. *Malum*, ei decretum: *Viduitas & Orbitas*, ℣. 9

Superbia Deo maxime invisa.

Dictum Herodoti.

Punitio Babylonis esset perfecta.

Gradatio orationis Prophetæ in hac pœna describenda.

Docet, mala ei *perfecte* obventura esse.

Versio verborum, quæ huc pertineat.

Et speciatim Cl. Coccejii.

Implementum prophetiæ, quod ad hanc ejus partem.

Hæc vero fieri debebant, *non obstante multitudine &c.*

a Lib. I. Cap. 178. *b* Ad Cap. XIII. Vide §. II. III. seqq. *c* Cap. XIII. 19. *d* Cap. IV. 30. *e* Cap. XLV. 12. *f* Cap. XLV. 6. *g* Cap. XLIII. 11. *h* Martial. *i* Cap. L. 32. *k* Thren. I. 1. *l* Lib. VII. C. 10. 5. *m* *Implem.* prophetiæ de *Babylon.* subjecto Cap. XIII. §. X. XI. seqq.

qui præstigiarum Babylonis.

Hebræa quem propriè sensum dent?

Variæ versiones collatæ.

valde, vehementer, exercuisti. Hieron. *Propter duritiam incantatorum tuorum vehementem.* Pisc. *Propter cumulum incantationum tuarum maximum.* Cocc. *Dum valuerunt incantationes tua admodum.* Vides hæc eodem tendere, sed nullam phrasin directe sectari proprietatem phrasios Hebrææ; quæ nobis ante oculos ponit flagrantissimum studium Babyloniorum & Chaldæorum erga has artes damnabiles. Cl. Coccejus vocem ברב hic versam reliquit, *in multitudine præstigiarum tuarum*: sed alibi [a], NON OBSTANTE *multitudine.* quæ versio docta est, & huic loco congruentissima; cum alioquin *prefixa* ב hanc admittat significationem [b]. Sunt equidem plures qui vertunt *propter*, quia non est dubium, hoc studium fuisse inter caussas, quare Deus Babylonem, ut *idolatriæ* & *incantationum matrem*, prosequi voluerit suis judiciis: sed illi supponunt in *commate sequenti* de eadem re agi; quod vere aliter se habet, ut mox videbimus. Cæterum per *præstigias* (בעשיך) & *incantationes* (חבריך) si *generatim* sumantur; intelligi possunt omnes qualescunque *illusiones*, quæ locum habent in negotio Religionis: verba, inquam, signa, & artes omnis generis, dolo & industria hominum fictæ, quibus hominibus persuadetur falsa Religio; aut quibus Interpretes falsæ Religionis sibi aliorum conciliant reverentiam, eosque inducunt in hanc credulitatem; se commercium cum Deo habere, & arcanæ voluntatis ejus gnaros esse. quomodo vox *Φαρμακεία*, (quæ respondet voci כשפים, hic etiam adhibita ab Int. Alex.) sumitur in *Apocalypsi* de Babylone mystica, ROMA, ubi explicantur caussæ judicii ejus [c]: Ὅτι ἐν τῇ Φαρμακείᾳ σε ἐπλανήθησαν πάντα τὰ ἔθνη. Confer Nah. III. 4. Nec refugit hic locus, & ℣. 12. (ubi hæ binæ notiones repetuntur,) *generalem* hunc *aspectum*: maxime cum certum sit, sub his *duabus nominibus* cæteras species comprehendi. Utile tamen est, earum notationem veram indicare, cum haud dubie ipsæ quoque illæ species artium pravarum, eæque omnium pessimæ, in usu fuerint apud Babylonios. Significatio vocis כשף recte colligitur ex locis Gen. XLI. 8. & Exod. VII. 11. In priore narratur, Pharaonem, cum de nocte ipsi obtigisset *somnium* animadversu dignum, arcessivisse *Sapientes* & חרטמי *arcanarum artium peritos*, ad visum suum interpretandum. In posteriore, Pharaonem alium, cum Moses & Aäron *signa* ederent coram ipso ad incredulitatem ejus expugnandam; *advocasse Sapientes* & מכשפים PRÆSTIGIATORES; quando mox sequitur: *Et fecerunt incantatores* (חרטמי) *Ægyptii perinde suis ἐπῳδαῖς.* Ex quibus locis inter se comparatis cum videas, eosdem homines dici חרטמים, in uno, & מכשפים in altero; eosdemque admoveri tam ad interpretationem somniorum quam ad producenda effecta *insolita* ac *paradoxa*, ex commercio, quod videri volebant habere cum Dæmonibus, sive cum Naturis spiritualibus: recte dices, מכשפי ex dictis definiuntur. τῆς in genere dictos esse homines *arcanarum scientiarum* & *artium peritos* ob commercium quod colebant cum *Naturis spiritualibus*; quique adeo adhibiti sint ad omne genus *Divinationis* aut *Operationis Magicæ*, ut usu venit: nec occurrit in Scriptura S. locus alius qui notationem vocis *specialius* definiat. Sed חבריך vere videtur significare *incantamenta*, h. e. notas, signa, carmina, quæ Magi, Venefici, Incantatores (Hebræis חוברים) tacita voce *admurmurabant*; hoc effectu, ut homines aut animantes eorum vi ponerent *extra statum naturalem*; sive ut eos impedirent exerere facultates naturales; sive ut noxam aut qualecunque detrimentum iis adferrent. Hæc vis est vocis חבר *sociare*; atque inde, *constringere*, *vincire*, *ligare*, καταδεῖν. quod hic est hominem ponere *in statu interdicti*; extra libertatem naturalem. *Incantamenta* sunt καταδεσμοὶ *vincula* quibus *quis ligatur*. Videbis usum vocis, hac tamen notatione infrequentioris Deut. XVIII. 11. & Ps. LVIII. 6. Dicuntur

Elegans significatio præfixæ ב, ubi vertitur, *Non obstante.*

Quid voces חבריך & כשפיך generatim sumptæ notent?

Conferuntur cum eccl. Φαρμακεία.

Utraque specialius exponitur.

Usus vocis כשף in Scriptura pro *præstigiis.*

Locus Exod. VII. 11.

Significatio specialior vocis חבריך. Notat *incantamenta.*

Vis etymi ejus חבר.

mussitationes, Exod. VII. 11. Esse autem *artem arcanam* hujus generis, crediderunt Veteres; de quo multa congessit *ὁ πάνυ d*. Sunt autem inter mille fabulosa & absurda, documenta in historia recentiore, quæ Magicarum artium impugnatores ex principiis suis difficulter solvunt. Nec pugnat cum ratione hypothesis, modò effecta iis circumscribantur limitibus, ut potestatem Dæmonum non excedant, & vim nullam inferant Legi Naturæ. Certe inter Chaldæos hanc disciplinam exercitam esse, plane prodit Diodorus Siculus, cujus verba jam anticipavi signare ad Cap. XLIV. 25. Ait ille exerte, de Chaldæis differens [e]: *Interim Divinationis studiosi, res futuras prædicunt, & vel expiamentis, vel sacrificiis, atque aliis quibusdam ἐπῳδαῖς* INCANTATIONIBUS, *averruncationes malorum, & bonorum τελειώσεις optatas effectiones producere conantur.* Mox addit, eos *augurālis Divinationis* peritiam habere, *somniaque & prodigia interpretari, & haruspicinam* solerter *exercere*: ut adeo arcanarum disciplinarum nihil sit, cujus se non profiteantur callentes. Inde est quod Vates in hoc loco iis tribuat *multitudinem* (רוב) *Divinationum & præstigiarum*; & עצמת מאד *vim magnam ac vehementem incantamentorum.* Cum enim *arcanæ* hæ disciplinæ, vel referantur ad *operationes Magicas*, quibus paradoxa producuntur effecta; vel ad *Divinationes*: Divinatio autem inter Gentes exercita sit per *Μαντείαν prædictionem futuri*, per furiosos Vates; *Astrologiam judiciariam*; *Auspicia*; *Sortilegia*; *Extispicia* sive *Haruspicinam*; *Omina*; *Ὀνειροπομπίαν Somniorum interpretationem*; aliaque etiam tentamina: credere fas est, nihil hujus generis esse, quod, vigente Imperio Babylonico, non jactaverint Chaldæi; quippe quod satis liquet ex diversis illis speciebus *Divinorum & Magorum* Chaldæorum quæ recensentur in Libro Danielis [f]. Estque mihi probabile, Hetruscos, à quibus Romani nefandarum harum disciplinarum aliquas receperunt, eam scientiam ex Oriente petiisse, cum alioquin Gentem indè oriundam ex multis indiciis liqueat. Sed hisce *non obstantibus* speciebus tot *Divinationum*, quibus Vates illuserant simplicitati & credulitati Populi Babylonici: Deus, cui statutum erat hos illusores pudefacere, ut vidimus Cap. XLIV. 25, suam in hanc Gentem exequeretur severitatem.

Articulus quartus, ejusdem tenoris.

Veterum judicium de Operationibus Magicis.

Locus de Magis Babyloniis Diodori Siculi.

Emphasis dicti Prophetæ, ubi iis tribuit *multitudinem* & *vim* præstigiarum.

Species ejus.

Historia Libri Danielis huc adducta.

Hetruscorum Divinatio unde?

a. Crimen, sive *Causa impulsiva quarta*; *Malitia Babyloniorum*, eorumque *Callidutas*, & in ea *Fiducia.*

℣. 10. *Et fisa es* MALITIÆ TUÆ: *dixisti*, *Nemo me videt.* SAPIENTIA TUA *& Scientia tua te transversam egit: adeo ut dixeris in corde tuo*, EGO, *& præter me nulla.*] Nullum in Mundo existit magnum Imperium, armis acquisitum, quin oppressione, vi, & calliditate ingenii, sustineatur. Quæ enim caussæ rebus ortum & incrementum dant: easdem conservant. Non est itaque dubium, quin superba Babylon, tot Gentibus Imperio ejus subjectis imperiose ac violenter dominata sit; quod Vates noster diserte exequitur in *prima* adversus Babylonem *prophetia g*; & attingit etiam in *altera h*; nec non Jeremias *i*, in *ultimis.* Appellat Babylonem *malleum totius Orbis.* Id vero ipsum est quod Vates hic dicit. *Fisam* eam esse ait *malitiæ* suæ *& prudentiæ* carnali; cum in omnibus *prima & incomparabilis* videri vellet; hac etiam *Astutia* sua *Politica* adeo se extulisse, ut *præter se* jactaverit esse *nullam.* Hic simplex est sensus verborum, passim ab Interpretibus in diversum flexus, quod sibi persuaserint, verba hujus *commatis* referenda esse ad extrema *commatis superioris*, in quibus Spiritus ei exprobraverat *præstigias & incantationes suas.* Sic Hieronymus; & tentat etiam Sanctius, aliique. Equidem licet non ausim

Articulus quartus ejusdem tenoris

a. Crimen Babyloniorum: *Malitia & Calliditas* illorum, ℣. 10.

De specie hujus *Criminis* præfatio.

Applicatur ad Babylonem.

Simplex verborum sensus.

[a] In *Lex.* ad voc. עצמה. [b] Vide Num. XIV. 11. & Cl. Cocc. ad literam ב. [c] Cap. XVIII. 23. [d] *Hieræ.* Part. II. Lib. III. Cap. VI. [e] Lib. II. p. 81. [f] Cap. II. p. 27. IV. 7. [g] Cap. XIV. 5. 6. 17. 18. [h] Cap. XXI. 2. [i] Cap. L. 23.

Præſtigiæ quoque venire poſſunt nomine *malitiæ.*

præfracte negare; *præſtigias* & *incantamenta* venire poſſe nomine *malitiæ:* (ſunt enim *flagitia* maximam partem; ſive fraus iis ſubſit ſceleſta; ſive cum impuris Dæmonibus commercium; ut ſane Romani *veneficia* appellarunt *maleficia:* cujus criminis cum Pagani Chriſtianos ob *ſanationes* & *exorciſmos* ſuſpectos haberent, eos poſtularunt *ſuperſtitionis maleficæ* [a].) Sed ſi vox hac ſignificatione ſumi poſſet: quid facies ſequentibus, *Dixiſti in corde tuo, Nemo eſt qui me videt.* quod non ſatis commode refertur ad incantamenta aut Divinationes; ſed commodiſſime ad *vim, iniquitatem, injuſtitiam, oppreſſionem* aut flagitia qualiacunque, quæ vel ſecreto, & abſque arbitris; vel obtentu juris, à reprobis hominibus, committuntur; aut ad qualiacunque enormia crimina & flagitia Potentiorum & Tyrannorum inferiores aut confeſſores fidei ſibi ſubjectos inique ac violenter opprimentium: cujuſmodi flagitiorum punitio à ſolo Deo exſpectari poteſt. Sic Vir Sanctus Pſ. x. 11. *Dicit* (impius) *in corde ſuo, Deus oblitus eſt; occultavit faciem ſuam; non* VIDET *in æternum.* Quid vero non *videt* Deus ex ſenſu horum reproborum? *Ærumnam, agritudinem,* vim, oppreſſionem, injuſtitiam, qua Potentiores impii in inferiores & in Eccleſiam Dei ſæviunt. confer ỳſ. 14. Simile eſt apud Ezechielem [b], ubi impiis Idololatris qui *abominanda ſua* patrabant in Sanctuario, hoc dictum datur: *Jehova* NON VIDET *nos. Jehova dereliquit terram.* Tantum deſcribo verba Poëtæ Sacri ex inſigni Ode, in qua impietas & injuſtitia tyrannorum & perſecutorum Eccleſiæ ad vivum pingitur [c]: *Viduam & hoſpitem occidunt, & orphanos jugulant; dicuntque;* NON VIDET JAH, *& non intelligit Deus Jacobi.* Dein, ipſa quoque vox רעה *malitia* commodiſſimo ſenſu generalius ſumitur pro oppreſſione, vi, flagitiis, quæ ab impiis, ſive Rectoribus, ſive Satrapis aut Judicibus magnorum Imperiorum, perpetrantur. Sic exerte Vates noſter in prima prophetia adverſus Babylonem [d]: *Et viſitaba ſuper Orbem habitabilem* רעה MALITIAM, *& ſuper reprobos iniquitatem ipſorum; & ceſſare faciam faſtum ſuperborum, & excellentiam violentorum deprimam.* quæ verba loci hujus noſtri continent paraphraſin. Nahumus in vaticinio adverſus Nineven [e]; verbis extremis: *Quippe ſuper quos non tranſiit* רעתך MALITIA *tua jugiter?* Quod jam addit, *Sapientia tua & Scientia tua te ſeduxit:* non accipio de *ſcientia phyſica* aut *aſtrologica,* ad quam referri debent *præſtigiæ & incantamenta,* quorum *in ſuperioribus* facta eſt mentio; ſed ad *ſcientiam Politicam,* eamque ψευδώνυμον, qualem appellare licet *aſtutiam, calliditatem,* & ſolertiam, in Populis Imperio ſubjectis detinendis ſub ſervitute, & auctoritate ſua, licet iniquiſſime exercita, tuenda. Veniunt hoc nomine SAPIENTIUM Rectores Imperii Babylonici apud Jeremiam [f]: *Ego inebriabo Principes ejus,* וחכמיה & SAPIENTES EJUS, (conſiliarios Regios,) *Duces ejus, & antiſtites ejus, & heroës ejus.* Eodem nomine veniunt *conſiliarii Regum Ægypti* in prophetia adverſus illud Regnum edita [g]. Dicuntur והבריא ex Hebræorum Intt. probabili ſententia, vel והברים, in Libro Danielis [h]. Huic vero *ſapientiæ calliditatique* conſilii ſui in adminiſtrando Imperio uſque adeo confidebat Babylon, ut *in corde ſuo dixerit: Ego & præter me nulla.* h. e. hac etiam parte ita excello, ut Regnum nullum, Gens nulla, mihi comparari queat: etſi cætera Ægyptus [i] & Tyrus [k] eandem ſibi vindicarent laudem. Proſperitas enim fortunæ animos hominum ita effert, ut conditionis ſuæ oblivi-ſcantur; & rerum ſuarum ſucceſſus non adſcribant Diſinæ Providentiæ, fata Gentium moderanti, ſed prudentiæ ſapientiæque ſuæ: quod cum Deo valde diſpliceat; efficit arcano providentiæ ſuæ influxu, ut tandem homines iiſdem iis conſiliis pereant, quæ carnalis prudentia iis commendaverat ut certiſſima ſalutis ſuæ remedia. quod Vates hic ait, *Sapientia ſcientiaque tua* שובבתך VERTIT TE. quæ propria notio vocis eſt. h. e. te *retrorſum egit.* te tranſvertit. ut contrarius fuerit exitus ei quem tibi propoſueras. Confer Cap. XLIV. 25. Sic eſt; cum Medorum Imperium creſceret, & Babylonii æmulatione ducti cum aliis Principibus confœderatione inita ſtatuiſſent illud ſub Rege Cyaxare Principe minime bellatore magna vi obruere ac ſubvertere: quod conſilii prudentia iis ſuaſerat remedium ſtatus ſui conſervandi: hoc ipſo ſuo conſilio retrorſum acti & in contrarium verſi perierunt.

β. *Pœna* culpæ comes & conſequens.

ỳſ. 11. *Et ſuperveniet tibi* MALUM, *cujus non cognoſces* AURORAM; *& cadet ſuper te ærumna, quam non poteris expiare: & ſuperveniet tibi repente* PROCELLA VASTATRIX, quam *non noveris.*] Sic ſunt rationes Providentiæ Divinæ. Malum, vis, oppreſſio, qua Principes & Tyranni Mundi in innocuos graſſantur, cum tacita abnegatione Divinæ Providentiæ, (quæ ſumma eſt impietas,) in ipſis aut eorum proximis vindicantur. *Malus male perit.* Docent exempla omnium Gentium, conſignata in omni hiſtoria. Nemo hac parte impune delinquit. Qui enim id agunt Principes contra Leges juſtitiæ & æquitatis omnium animis impreſſas, Deo cenſentur inſultare. Erat itaque ſubvertendus hic thronus nequitiæ & injuſtitiæ, non obſtante prudentia & calliditate Rectorum Babylonis, ut pudefierent mali qui malis artibus ſuis fidunt. Sententia nihil obſcuri habet; & Eventus ad quem hic alluditur, ſæpius jam memoratus. Sed cum omnis Prophetæ noſtri oratio ſe emphaſi vocum ac phraſium commendet: merentur illæ hoc etiam in loco expendi. Primum occurrit phraſis, SUPERVENIET *tibi malum:* quam jam habuimus ỳſ. 9. Tria ea ſignificantur, α. *Malum* illud; ſive *Calamitatem,* cœlitus in Babylonem immittendum eſſe. β. Eam obruturum ſive oppreſſurum. γ. Et quidem repente. Eſt enim metaphora deſumpta à procella quæ ſubito oritur, & obvia proſternit aut lædit: ut patet ex fine hujus *verſiculi,* ubi eadem phraſis repetitur, de quo mox. Πτῶσις occurrit Jer. XXIII. 17. Mich. III. 11. Sed forte *malum* fuit cogitatum & præviſum! Negat Vates, ubi addit, *Non cognoſces auroram ejus.* Phraſis eſt ſingularis, cujus analoga mihi non occurrit. Significat, nec tempus *quo*; nec locum, *ubi*; nec cauſſas *à quibus*; Malum hoc oriturum ſit; à Babyloniis præſcita prævisaque eſſe, quicquid ſapientiam ſuam Politicam, & Scientiam Aſtrologicam & μαντικὴν, jactent. Nec tamen id omne eſt quod in voce latere autumem. *Auroræ* eſt ſubitarius ortus, unde illi *alæ* tribuuntur [l]: qualis eſſet ortus Calamitatis Babylonicæ. Obſerva præterea in phraſi figuram, quam Græci *ἀντιφρασιν* appellant. *Dies calamitatis* proprie *nox* eſt; non habet *auroram:* & tamen illud tempus quo Deus exequeretur judicia ſua in Babylonem, eſſet *dies,* quod clariſſime illuſtraretur ex exemplo Juſtitiæ Divinæ: unde per *auroram* rectiſſime hic intelliguntur *mala* hujus mali *prænuncia,* eorumque origines, repente & inopinato apparituræ. Quæ ſi obſerventur: opus non fuerit, verba hæc cum Aben-Ezra ita interpretari: *Non cognoſces auroram ejus:* quaſi dicere velit: *Nolli huic calamitatis nullam auroram futuram:* ſiquidem ex *fine* hujus *commatis* liqueat, phraſin לא תדעי *Non cognoſces:* referendam eſſe ad notitiam *mali* ipſius, ipſiuſque *ortus.* Plane autem improbo verſionem, quæ verba reddit: *Non poteris illud deprecari.* Abſurdum eſt voci שחר hanc aptare ſignificationem; & quidem, nulla urgente neceſſitate. Alterum membrum eſt: *Et* CADET SUPER TE *ærumna, quam non poteris expiare.* Plus eſt in hac metaphora, quam in ſuperiore. Notat, calamitatem non tantum Babyloniis eſſe ſuperventuram, eoſque obru-

Sequentia docent, Vocem hic proprie ſumendam eſſe.

Locus Pſ. x. 11. *expoſitus.*

Analoga alia.

Speciatim de Babylone & Nineve.

Sapientia & Scientia Babylonis quorſum hic referantur?

Intelligitur aſtutia Politica.

Analoga ex Jeremia.

Superbia Babylonis ex ea nata.

Deus ei paſſim illüdit in viis providentiæ.

Fraudi fuit Babyloniis. Emphaſis vocis שובב *h. l.*

β. Pœna; Babyloni decreta, ỳſ. 11.

Exempla Judicii Divini in magnas Gentes, quæ Imperio abutuntur.

Emphaſis orationis Prophetæ. Phraſis, Malum tibi ſuperveniet. Eſt metaphorica. Quid ſignificet?

Gradatio orationis. Cauſſa efficiens mali ignoraretur. Quid ſibi velit phraſis, Non cognoſces auroram ejus.

Auroræ ſubitarius ortus. Tribuuntur ei alæ. Elegans ἀντιφρασις in hac phraſi.

A. Ezræ interpretatio.

Alterum malum: Et cadet ſuper te ærumna, &c.

---

a Suet. *Neron.* Cap. XVI. *b* Cap. VIII. 12. IX. 9. Confer Job. XXII. 14. *c* Pſ. XCIV. 6. 7. *d* Jeſ. XIII. 11. *e* Nah. III. 19. *f* Jer. LI. 57. Confer Cap. L. 35. *g* Cap. XIX. 11. 12. *h* Dan. III. 2. 3. 24. *i* Cap. XIX. 11. *k* Ezech. XXVIII. 4. *l* Pſ. CXXXIX. 9.

obruturam; verum etiam oppreſſuram. Eſt enim metaphora deſumpta ſive à *fulmine*, *tonitru*, *grandine*, eos in quos cadit conſumente aut proſternente *a*; ſive à *muro* aliaque re gravi caſu infortunato in aliquem cadente, eumque conterente *b*. Convenit huic interpretationi vox הוֹת quæ proprie notat *infortunium*, συμφορὰν. Οἱ ὁ. h. l. ταλαιπωρίαν. quod autem additur, *Quam non poteris expiare*; idem valet, acſi ſcriptum eſſet, ἀποτρέψαι *avertere*. Eſt hic loci *removere*, & per quale quale piaculum averruncare. Animadverſionem meretur, Abydenum (neque enim Megaſthenis ſunt, cui vulgo tribuuntur:) in prophetia de Cyro, quam tribuit Nebucadnezari, (ſive vere ſive falſo,) eadem fere phraſi uti *c*. Ἐγὼ, ait, Ναβουχοδόνοσορος, ὦ Βαβυλώνιοι, τὴν μέλλουσαν ὑμῖν παραγγέλλω συμφορὴν, τὴν ὅτε βῆλος ἐμὸς πρόγονος, ὅτε βασίλεια βῆλτις, ἀποτρέψαι μοίρας πεῖσαι σθένεαι· *Ego, ô Babylonii, vobis futuram* CALAMITATEM, (*infortunium*, caſum fortunæ adverſæ, proprie Hebræis הוֹת; ut in hoc loco,) *prænuncio, quam neque Belus Progenitor noſter; neque Regina Bêltis, ut* AVERTERENT, *Parcis perſuadere potuerunt*. Deſtructio futura Babylonis fundata erat in irrevocabili Decreto Fori cœleſtis. Significationem vocis כפר *expiare*, atque adeo *avertere*, *declinare*, videbis in loco Prov. XVI. 14. quem Aben-Ezra huc recte attulit. Ultimum membrum majus adhuc pondus addit cæteris: *Et ſuperveniet tibi repente vaſtatio quam non cognoveris*. Sic paſſim Intt. reddunt vocem שׁוֹאָה, cui hanc notationem competere, nemo inficias iverit. Cl. tamen Coccejus hic vertit per *tumultum*, ſive per *procellam*, ut accipit locum Pſ. XXXV. 8. *Superveniat illi* שׁוֹאָה PROCELLA *quam non cognoverit*. Res plane eadem eſt. notat enim *procellam vaſtantem* quæ *ſubitario* oritur. Narrant qui Meſopotamiæ & Perſiæ regiones viſitarunt Docti Itineratores *d*, in illis regionibus notum eſſe *ventum* quendam *auſtrinum* ſubito ortum, & magna vi pervadentem, hominibus quotquot ſe non occultaverint; aut, ſi in agro verſentur, humi proſtraverint, aut texerint; exitialem: ad quem hic alludi poteſt. Dixi, plus continere verba quam ſuperiora, cum hoc in loco diſerte adſcribatur פִּתְאֹם *repente*, ſubito: quod licet lateat in phraſi *ſupervenire*, ſi metaphoram ducas à *procella*; Vates tamen hic diſtincte monere voluit, ne quis hoc attributum *calamitatis* illius quam deſcribit, hic præteriret. Duo ſunt in hiſtoria quæ hanc pericopam illuſtrant. Primum eſt, Babylonios non cogitaſſe unquam, *Malum* ſibi ſuperventurum eſſe ex *Perſia*: quod factum, Deo volente, & hoc inſtrumentum, nemini cogitatum, in Perſia fabricante. de quo ad proxime *ſuperiora* egi. Alterum: non reſpici hic motus Cyri antecedaneos, qui expeditionem ejus ad obſidionem Babylonis præceſſerunt; neque obſidionem ipſam: hæc enim *Babyloniis* non ſupervenerunt *ſubito*; ſed potuerunt prævideri & prænoſci: ſed reſpici ipſam *Babylonis* expugnationem, ea arte à Cyro factam, quam ſæpius memoravi. Cum enim Babylonii, feſtum celebrantes, nihil minus cogitarent aut animo præciperent: hæc procella *ſubito* orta illos obruit & oppreſſit. Fuit itaque hæc ταχινὴ ἀπώλεια *repentina pernicies*, phraſi Petrina *e*, ad hanc accommodata. LXX Intt. quod addere velim; pericopam hanc circumſcribunt *quatuor membris*, quippe poſt primum: *Et veniet ſuper te malum quod non noveris*: hæc ſequuntur verba: βόθυνος, καὶ ἐμπεσῇ εἰς αὐτὸν· *fovea & incidas in eam*: quæ ab hoc loco vere aliena ſunt, & haud dubie aliunde excerpta & in locum intruſa.

PARS Convictoria SARCASTICA, qua ἐιρωνικῶς demonſtratur Vanitas *Aſtrologiæ Judiciariæ*; & quidem

a. Babylon, fidens hiſce Vatibus ſuis, per *Apoſtrophen* compellatur, jubeturque eos in medium producere.

Articulus primus.

Pars Altera hujus Concionis *Sarcaſtica*.

a. Appellatio Babylonis, vſ. 12.

Summa hujus Orationis.

Et *figura* ejus.

Analyſis.

vſ. 12. *Conſiſte, age, cum incantamentis tuis, & cum copia præſtigiarum tuarum, in quibus ad laſſitudinem uſque laboraſti à* JUVENTUTE TUA: *fortaſſe poteris proficere; fortaſſe* PERVINCES.] Extrema *convictio* Babylonis, ſervata eadem figura, hinc orditur; qua Vates noſter ſuperbam hanc Urbem & Gentem *Aſtrologica* ſua *ſcientia* & *arcanarum artium* notitia gloriantem, quarum mentionem fecerat in fine vſ. 9. ineptiarum vanitatiſque convincit: hac tantum differitate, quod oratio hic vertatur in *ſarcaſmum*, quo Babylon cum omnium harum pravarum artium apparatu irridetur ac proſtituitur. Jubet itaque Propheta, Deum loquentem continuans, eam cum omni apparatu ſuo; Aſtrologis, Divinis, & Vatibus omnibus; in medium prodire & tentare, an ab hiſce artibus aliquid utilitatis & ſubſidii in hujus neceſſitatis caſu ad ſe redundare queat, vſ. 12. 13. Dein, *exitum triſtem* omnium qui hiſce artibus fidunt, prænunciat, vſ. 14. 15. Prioris pericopæ hic exhibeo *membrum prius*, quod circumſcribitur vſ. 12. ad quod ſequentia obſervari velim. Primo, quod dicitur, CONSISTE, *age, cum incantamentis tuis, & ſeqq.* Vates propria hic utitur voce, quæ ad hanc diſciplinam pertinet. Qui enim *augures de cœlo ſervant*; qui *aſtra* cœlique domos, intente contemplantur; qui exta *ſpeciunt*; qui *incantamenta* & *præſtigias* exercent: *ſtantes* officio funguntur; ad quod Vates noſter hac ipſa notione alludit. De *incantamentis* autem & *præſtigiis*, de quibus artibus hic mentio fit ſub notionibus חבריך & כשפיך, egi ad vſ. 9. Secundo, animadverſionem meretur, quod Jeſaias dicat, in quibus *laboraſti ad laſſitudinem uſque à* JUVENTUTE TUA: ubi neceſſario intelligenda eſt *juventus*, h. e. prima florens ætas, Gentis Babylonicæ: quæ tamen difficilius determinatur. Ex hiſce hominibus qui ab initio occuparunt Agrum Babylonicum, & Regionem Babyloni ad Meridiem ſubjectam verſus Sinum Perſicum, (qui tractus nomen accepit *Babyloniæ:*) fuiſſe antiquiſſimis temporibus plures qui vacarunt contemplationi cœlorum: omnis traditio vetus confirmat; favebatque huic inſtituto plurimum ipſa planities Babylonica, quæ univerſum cœlorum aſpectum, ortumque & occaſum ſiderum oculis ſubjiciebat: ſed eadem traditio habet, Babylonios hanc artem, ut & Magicam, habuiſſe ab Ægyptiis; quod maxime probabile habeo *A*; poſſuntque videri, quæ hac de re monui in *Notitia Babylonis*. *f*. Nec tamen autumo,

Emphaſis in phraſi, CONSISTE *cum incantamentis tuis*.

Verba: *In quibus laboraſti ad laſſitudinem* A JUVENTUTE TUA.

Juventus hic eſt *prima ætas Babylonica*, definitu difficilior.

Traditio Vetus de Studiis Aſtrologiæ, cultis a Babyloniis.

Emphaſis phraſeos. Deſumpta à *tempeſtate terribili vaſtante*

Vox הוֹת h. l. quid ſonet?

Locus Abydeni de Nebucadnezaris Vaticinatione.

Vox כפר aliquando *evitare*.

Membrum ultimum: *Et ſuperveniet tibi vaſtatio, &c.* Usus vocis שׁוֹאָה h. l.

Illuſtratur Ventо peſtilente Orientali.

Emphaſis vocis פִּתְאֹם *repente*.

Implementum prophetiæ.

Babylonii ignorarunt, Malum ſibi ſuperventurum eſſe ex *Perſia*.

Calamitas ita *repente* ſupervenit.

---

a Job. I. 16. Ezech. XIII. 11. *b* Jud. XVI. 30. 1 Reg. XX. 30. *c* Apud Euſeb. *Præp. Evang.* Lib. IX. Cap. 41. *d* Thevenotius, Thavernier, &c. *e* 2 Pet. II. 1. *f* Ad Cap. XIII. §. IX.

A Diodorus Sic. Lib. I. p. 17. *de Coloniis Ægyptiorum* verba faciens: *In Babylonem* BELUS, *Neptuni & Libyæ, ut creditur, filius, coloniam duxit, &, delecta apud Euphratem ſede, Flamines, pro more Ægyptiorum impenſis & oneribus publicis exemptos, inſtituit; quos* CHALDÆOS *Babylonii vocant.* Τὰς τε παρατηρήσεις τῶν ἄστρων τούτους ποιήσαι, μιμησαμένους τοὺς παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς τὴν φυσικὴν, ἔτι δὲ ἀστρολόγους. *Hi ſtellarum obſervata faciunt ad exemplum Sacerdotum, Naturalium rerum ſtudioſorum, atque etiam Aſtrologorum apud Ægyptios.* Deinceps p. 81. Φασὶ δὲ τῆς μὲν Βαβυλῶνος Χαλδαίους, ἀποικους Αἰγυπτίων ὄντες τὸ δόξαν ἴσχειν τὸ περὶ τὴν ἀστρολογίαν παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις τοῖς Αἰγυπτίοις. *Chaldæos etiam in Babylonia Ægyptiorum coloros eſſe, & a Sacerdotibus Ægyptiis aſtrologiam edoctos eo celebritatis perveniſſe, aſſerunt.* Rurſus Lib. II. p. 81. ubi de *Chaldæis* ex profeſſo ſcribit. *Chaldæos*, ait, *cum in Republica ordinem tenere, quem Ægyptii Sacerdotes ſibi vindicant*, μυρίοις δ' ἔτεσι ἔχοντας τὴν ἀστρολογίαν, *præcipuam ex Aſtrologia gloriam nactos.* Nimirum ex hypotheſi noſtra, Poſteri Cuſchi, Ægyptiorum proximi, & in his Cuſchi poſteris Nimrodus; ipſo genitus, occupavit agrum Babylonicum; ſervataque eſt ejus memoria in BELO Babylonico. Quandoquidem vero inter hos Cuſchæos & Ægyptios eſſet commercium: non videtur alienum a probabili ratione, ſtudium hoc aſtrologiæ & magiæ iis quidem antiquitus commune fuiſſe; & tamen primo ortum traxiſſe ab Ægyptiis: inde ad incolas Babyloniæ tranſiiſſe. Rationes ſunt, (a.) Quia Ægyptiorum inter Populos antiquiſſimos ſumma laus fuit *ſapientiæ*. (b.) Jam tempore Moſis ſcientia *artium arcanarum*, qualis fuit *magica* & *divinatrix*, apud Ægyptios locum habuit, ut ex Hiſtoria Sacra liquet, Exod. VII. 11. imo jam ætate Joſephi; ut non inepte colligitur ex Gen. XLIV. 5. 15. quo tempore eandem apud Babylonios exultam fuiſſe, non fit probabile. Vide de eo Marshamum ad Sæc. IX. p. m. 143. (c.) Chaldæi ſive Babylonii eadem *anni vagi* forma uſi ſunt in *Obſervatis* ſuis *Aſtronomicis* qua Ægyptii; ut ex Annis Nabonaſſareis liquet. Id ſuppoſuerat Scaliger in Libris de *Emendatione temporum*, Lib. III. & IV. differentia ex-

tumo, illos qui huic scientiæ operam dabant, antiquitus dictos esse *Chaldæos*, quippe ex nostra hypothesi in Babylonium Agrum demum translatos à Nino, circa tempora *Judicum* Populi Judæi: de quo ex sententia Vatis nostri aliis locis[a] disserui. Nec occurrit nomen *Chaldæorum* pro nomine *Sapientum* Astrologiæ Judiciariæ intentorum apud Prophetas aut Scriptores Sacros, qui scripserunt ante Exilium Babylonicum: sed tantum pro nomine *Gentis*. Demum in *Libro Danielis* hac notione veniunt; quæ postmodum ita usu invaluit, ut fere notio *Gentis* obliterata sit. Sententia nostra est, *Arabes* fuisse primos qui Planitiem Babylonicam occuparunt. Illos, Cuschæi posteros, ejusdem originis cum Ægyptiis, passim in Arabia Deserta, nullis majoribus montibus distincta, & quidem in tentoriis degentes, *sideralem cognitionem* excoluisse cum *Ægyptiis*, Gentilibus suis, & forte exemplo ab iis petito. Eosdem vero se in planitiem Babylonicam transferentes has artes diligentius tractasse; & procedente tempore majorem sibi laudem in hoc Scientiæ genere comparasse, quam Ægyptios ipsos: ut verissime Propheta dixerit, eos excoluisse has artes à *Juventute sua*. Cætera autem quæ ad amplificandam traditionem hic ex Berosо *A* à Cicerone, Plinio, & Eusebio, adjiciuntur, veluti per aliquot annorum myriadas hanc scientiam tenuerint, plane fabulosa sunt, & explodi merentur: quæ autem de Callisthene apud Simplicium ex Porphyrio traditio extat, acsi Babylonii observata Astronomica M IO CCCCIII. annorum ante tempus Alexandri secum habuerint, dubia videtur & incerta; licet fidem admittere posset apud illos, qui in constituenda *Chronologia* Veteris Test. sequuntur *versionem* LXX Intt. Certa utique observata nulla apud Veteres servatâ sunt, nisi posteriora Nabonassaro, cujus ætas in Jothami Regnum incidit. Sed ut ut hæc se habuerint: nemo inficias eat, Arabes sive Ægyptios, qui terras Babyloni ad meridiem subjectas insederunt, à longo tempore se ad hoc studium applicasse. Hos jam Deus hic infertur per sarcasmum compellare: vult illos *consistere*, & omnes artes suas in subsidium vocare, omnesque *disciplinas arcanas*, in quarum investigatione *laboraverant & sudaverant à Juventute*, (ut sane hoc studium quale fuit absque ingente animi exercitatione in pluribus observatis inter se comparandis coli non potuit:) in subsidium vocare, & tentare, num forte id sibi in præsente casu difficillimo, usui & emolumento esse queat. Hebræa sunt: אולי תוכלי תועיל *forte poteris proficere*, pro תועילך *tibi prodesse*, (confer Cap. LVII. 12.) אולי תעוזי *forte obtinebis*. Sic Cl. Coccejus. Theod. Εἴπως δυνήσῃ ἰσχύσαι. Hieron. *Si possis fieri fortior*. Pisc. *Fortasse confirmabis te*. Vox est insolentis ususque, sed cujus significatio ducenda videtur, Hebræis consentientibus, ex voce עזין *violentus, prævalidus, fortior*. Verti itaque, *pervinces; instando obtinebis*. Referri potest hoc loco, vel ad instantem siderum contemplationem; ut si notæ & numeri priores inspecti malum aliquod portendant, forte si recolligantur, & accuratius cum observatis confetantur, meliorem admissuri sint interpretationem: vel, quod probabilius habeo, ad haruspicinam; in qua more receptum fuit, ut si prioribus hostiis cæsis forte litatum non sit, aliæ cædantur numero plures, ut *litatio*; quæ quærenti læta & salutaria promittit, obtineatur. Cæterum modus hic appellationis sarcasticæ in Scriptura frequenti receptus est usu. Confer Jud. x. 14. Jer. VII. 21. & supra Cap. XXIX. 1. Docet autem hæc loquendi figura, stulte agere qui gloriantur & fiduciam suam omnem collocant in ejusmodi disciplinis & artibus, quæ illos tempore necessitatis destituunt; stultissime autem illos instituere, qui se easdem illas artes & disciplinas excolendo fatigant.

Ad quam *Chaldæi* in Babyloniam translati se applicuerunt.

Sententia probabilis de primis *Babyloniæ* incolis.

Modus loquutionis sarcasticæ non insolens in Verbo Dei. Exempla ejus.

Articulus alter.

vs. 13. *Defatigata es multitudine consiliorum tuorum: Consistant, age, & servent te* CONTEMPLATORES COELORUM, *intuentes stellas;* INDICANTES NOVILUNIA; *ab his quæ tibi superventura sunt.*] In oratione Vatis, intellectu non difficili, primo occurrit vox nova in phrasi הברי שמים *contemplatores cœlorum*. Notio enim הבר hoc tantum in loco occurrit; & destituitur cognatis: sed significatio ejus ex hoc loco facile colligitur. Sunt *speculatores cœlorum*. Οἱ 6. Ἀστρολόγοι τῶ οὐρανῶ. Sic passim Intt. ASTROLOGI. Hieron. *Augures cœli:* sequutus Sym. & Theodot. Quæris, unde petierint? Forte à vocibus אבר & אברה, quæ notant *remigium alarum*, & *alas fortes, validas*, quales sunt magnarum avium; unde האביר *ala forti volare*; se in altum efferre. quæ etymologia nihil verisimile habet: ut nec altera illa apud Aben-Ezram, quæ vocem derivat à ברור *purus, liquidus, limpidus*; quod qui sideribus contemplandis vacant homines, nihil proficiant nisi cœlo puro, sereno, & minime nubiloso: sed quam etymologiam ipse merito rejicit, cum litera ה hic sit *radicalis*. Acquiescendum itaque hic est in generali phrasios aspectu usque quo certius quid doceatur. Altera difficultas hæret in structura totius membri posterioris hujus pericopæ, quæ hunc in modum à Vate concepta est: *Consistant, age, &* SERVENT TE *Astrologi, qui speculantur stellas, qui indicium faciunt ad Novilunia*, (sive, *qui indicant Novilunia*. de quo mox:) AB IIS QUÆ TIBI OBVENTURA SUNT. In qua constructione orationis, plane pertendo cum Aben-Ezra & plerisque Intt. postrema illa, *ab iis quæ tibi*

Articulus alter, vs. 13. *Defatigata es multitudine consiliorum tuorum, &c.*

Phrasis, הברי שמים *Contemplatores cœlorum.* Vulgata ejus interpretatio.

Etymon vocis הבר. An ex אבר? Aliorum cogitationes.

Dictum Prophetæ sive Dei ad ipsos declaratur.

Usus vocis עזין h. l. Versiones antiquæ.

Animadversio necessaria ad constructionem hujus Orationis.

Sensus ejus & sententiæ totius h. l.

Ultima, *ab iis quæ tibi*

---

gua anni Ægyptii & Babylonici tradita: sed in dubium vocavit & refellere conatus est Petavius de *Doctrina Temporum*, Lib. III. Cap. VI. arguens, Ægyptios Observata Mathematicorum Chaldæorum, quæ Æra Nabonassarea consignata digestaque erant secundum illam Anni formam quam tenebant Chaldæi, cum Anno Ægyptio comparasse & ad suum annum applicasse. Fateor, id fieri potuisse; nec tamen id probabile habeo, quia Historia Diluvii in Libro *Geneseos* illam ipsam Anni formam, quæ Annum dispertit per hebdomadas XXX dierum, clarissime supponit; quæ Anni forma licet Ægyptiorum fuerit: est tamen credibile, traditionem hanc Veterem ad formam Anni Chaldaici compositam esse.

A Cicero Lib. I. de *Divin.* Cap. 19. Babylonios jactare ait, se observata habere astrologica CCCCLXX *millium annorum*. quod idem ex ipsorum traditione adfert Diodorus Lib. II. p. 83. ex quibus locis Eruditus Vir, Jac. Perizonius, in Libro de *Originibus Babylonicis* (Cap. I. p. 9.) probabiliter disputat, corruptum esse locum Plinii; (Hist. Nat. Lib. VII. Cap. LVI.) qui cum rerum antiquissimas origines indagaret, ex Berosо & Critodemo tradit, Babylonios *observationes siderum habere* CCCCLXX annorum: sed *Epigenem, gravem imprimis auctorem*, iis vindicare *Observationes* DCCXX *annorum*. Doctissimi Angli, Marshamus, Stanlejus, Dodwellus, hæc loca Plinii referunt ad Æram Nabonassaream, cum aliqua specie veri cum respectu ad ætatem Berosi: nam Epigenis ætas incerta est. Sed cum Plinius hic versetur in rebus summæ antiquitatis, & inde arguat *æternum literarum usum*: probabile non videtur, Plinium modica adeo annorum summa Observationes Babylonicas definire voluisse; maxime cum Berosum alleget auctorem, quem constat, longe altius assurgere. Existimat itaque Vir Doctus, notam *millenarii* in illo loco desiderari: perinde ac affectum censet locum Eusebii in *Chronico*, (pag. 5.) ex Berosо sive ex fragmento Alexandri Polyhistoris his *Observationibus* Babyloniorum *Astrologicis* tribuentis XV *Myriadas*, & quod supra est. Sed fabulosa hæc & *minime credibilia esse*; certe *à paucis credenda*, ipse jam vidit Diodorus. Imo vero non tantum non credibilia & credenda; sed vere explodenda & ridenda sunt. Idem tamen ille Vir Doctus pro virili patrocinatur traditioni Porphyrii, quæ apud Simplicium extat; (*Comm.* in Lib. II. Aristot. de *Cœlo*, p. 123.) quæ fert Callisthenem, qui fuit in comitatu Alexandri Macedonis, ad Aristotelem Babylone transmisisse observata Astronomica, quæ apud Chaldæos extabant, CIO IO CCCCIII annorum. cujus traditionis fides pariter elevatur ab Eruditis illis Britannis, quorum modo memini; cum Syncellus ex Berosо & Alexandro Polyhistore referat, *Nabonassarum gesta superiorum Regum omnia abolevisse*, ut Æra ab ipso conditore initium sumeret. Sed etsi non pateat, qua fide id tradat Berosus, cujus fides apud me non est summa; neque etiam id quod tradit, necessario inferat, observata Astronomica omnia ante ipsum facta vere abolita fuisse, cum id non videatur in ipsius fuisse potestate: si vere Callisthenes ejusmodi *Observationes* ad Aristotelem transmisisset; mirum, earum nullam apud Veteres extare mentionem. Observationes enim; quarum Hipparchus meminit apud Ptolemæum, (Lib. IV. Cap. *ult.*) haud dubie sunt Observationes Nabonassaro posteriores, & ad ipsius Æram accommodatæ: ut vere pronus sim in sententiam, Porphyrii illud testimonium, cujus fides non liquet, non posse præstare certum canonem judicii. Sufficit itaque dicere, Babylonios vere ante Nabonassarum habuisse Observationes *privatas* ab antiquo satis tempore; sed illas periisse: Nabonassarum, Astronomiæ amantem & peritum Principem, publicum instituisse Mathematicorum Collegium, cujus Observationes cum cura servatæ & posteritati commendatæ sint, à Ptolemæo recensitæ.

[a] Ad Cap. XIII. 19. XXIII. 13.

tibi obventura sunt, cohærere cum verbis; *Et servent te*, ut sensus sit; SERVENT TE qui contemplantur stellas & indicium faciunt Noviluniorum, AB IIS QUÆ TIBI OBVENTURA SUNT. qui sensus facillimus est & convenientissimus tum orationi, tum scopo Prophetæ. Nec obstat, verba, *ab his quæ tibi obventura sunt*, paulo longius abesse à voce ישישך *Servent te*; cum utique intermedia hic describant *Subjectum* ad quod *prædicatum*, SERVENT TE, est referendum. Oratio simpliciter sic sonat, *Servent te* Astrologi *ab his quæ tibi sunt obventura*. quod ut liquidius appareret Jun. Trem. & Pisc. quos sequuti sunt Belgæ, verba vertunt: *Consistant, age, Astrologi .... & servent te ab iis quæ superventura sunt tibi.* Aben-Ezra hic ad rem confert locum Deut. XII. 2. *Perdendo perdetis omnia loca, in quibus* COLUERUNT *Gentes quas possessum itis*, DEOS SUOS. in quo loco voces *Deos suos*, longius distant per interjecta à voce עבדו *coluerunt*, cum qua cohærent. Et tamen inter Veteres & Recentiores quoque sunt qui extrema hæc, מאשר יבאו עליך *ab his quæ tibi obventura sunt* (ut proprie sonant,) connectunt cum verbis immediate præcedentibus, *indicium facientes ad novilunia*, vel, *per menses*. Sic οἱ ζ'. Οἱ ὁρῶντες τὰς ἑπτὰ ἀναγγελοῦσί σοι, τί μέλλει ἐπὶ σὲ ἔρχεσθαι· *Qui contemplantur stellas annuncient tibi, quid venturum sit super te.* Chaldæus: *Qui indicant tempora, seducunt te dicentes, Hoc vel illud tibi obventurum est per singulos menses.* Hieron. *Servent te .... qui supputabant menses, ut ex iis annuntiarent ventura tibi.* Sed Hebræa hunc sensum non ferunt. Scripsisset Vates, si id dicere voluisset, *Qui indicant ad Novilunia* אשר יבאו עליך QUÆ *tibi obventura sunt:* non, AB IIS, vel *ex iis, quæ tibi obventura sunt.* Sed en subtilitatem subterfugii quod hic commenti sunt Magistri antiquæ Scholæ, apud Kimchium. Ajunt, Astrologos Babylonios non jactasse præscientiam omnium fatorum quæ per singulos menses huic Genti essent obventura, sed *ex his* aliquorum tantum. Ideo Vatem non scripsisse, *quæ tibi obventura sunt:* sed מאשר EX HIS *quæ tibi obventura sunt.* Sic pariter Jarchius, antiquis interpretamentis adhærens. Imo vero Coccejus etiam noster, cujus hæc extat versio: *Notificantes in menses* quicquam *de iis* quæ *evenient tibi.* Sed quis sibi persuadeat, Jesaiam tam modeste exponere voluisse jactantiam Vatum Babyloniorum, qui ex ingenii vanitate disciplinæ suæ usque eo fidebant, ut nullam ipsi temere profiterentur ignorantiam? Quæris, quid moverit antiquos Intt. in re minime obscura has sectari ambages. Duo sunt ut putem, quæ eos in hanc induxerunt sententiam. α. Quod, neglecta hac versione, nullum in verbis videatur extare ὑριτήριον ex quo pateat, Vatem de *Astrologia judiciaria* agere. videretur enim cæteroquin studium *Astrologiæ* in universum damnare. β. Quod vox מוריעים *indicantes*, significationis activæ, requirat *objectum* ad quod referatur. quod *objectum* non exprimitur, si extrema hæc referantur ad vocem ישישך *servent te*. Respondeo ad prius: Etiamsi Propheta his verbis forte non indicaret *directe*, se de *Astrologia judiciaria* agere; sufficit utique, id satis liquere ex re ipsa & toto contextu. Agit enim de *Astrologia judiciaria* sive *Practica*, quæ vitio subjacet, & ad *salutem* Babyloniorum aliquid conferre censeri poterat: ut protinus declaratum eo. Ad posterius habe; Etiamsi *objectum* nullum hic forte verbotenus exprimeretur: esse tamen tacitum, non expressum verbis, sed intellectum animo, quod ab omnibus hic subauditur: ut si verba vertas, *Qui indicant*, h. e. *indicium faciunt*, AD *Novilunia*; quisque sentiat, subsignificari vocem הבאות *ventura*, futura. Sic utique (ne exempla analoga alia huc allegem;) usurpatur eadem hæc vox apud Habakukum [a]: בתוך שנים תודיע *In medio annorum* NOTUM FACIES. sc. rem mente conceptam & intellectam quæ Vati hoc poëma conscribenti obversabatur. Verum forte ita se res habet cum hoc loco; ut illud objectum hic non desit. Utique non deerit, si verba מוריעים לחדשים vertas, *indicantes Novilunia*; DECLARANTES NEOMENIAS: quomodo ea vertit, nulla tamen versionis suæ reddita ratione, Bochartus [b]: ex iisdem hisce verbis colligens, Judæos circa hoc tempus Astronomiæ imperitos de *Noviluniis* tantum judicasse ex *phasi Lunæ*; non ex Canonibus *Astronomiæ*. Dixeris, Vatem, si id dicere voluisset, scripturum esse, מוריעי חדשים *indicantes Neomenias*. Largior, sic scribere potuisse Prophetam: sed observanda erat hoc loco peculiaris emphasis constructæ vocis מוריעים *notum facientes* cum *præfixa* ל. Sumi potest hic loci *specificative*, valetque phrasis, *Qui accurate, præcise, definiunt ac prædicunt Neomenias.* de qua potestate *præfixæ* ב monui ad Cap. VIII. 1. obtinetque eandem significationis vim, ubi præfigitur nominibus *temporis*, quando notat *definitum* ac *præcisum* tempus [c]. Imo vero הודיע construitur cum אל, apud Vatem nostrum Cap. XXXVIII. 19. cujus vocalæ omnes significationes adscisit *præfixa* ל, quippe ex hac voce sumpta. ut adeo nihil vere obstet, quin locus sic vertatur, ut Cl. Bochartus præivit. Non pugno tamen pro hac versione; nec sperno interpretationem receptam, qua לחדשים redditur, AD *Novilunia*; sive, *secundum Novilunia*; ut sensus sit, Astrologos Babylonios ad singula *Novilunia* prædicere fata cujusque mensis, quippe ex conjunctione *Lunæ* cum *Sole* sub hisce & illis Asterismis, in hisce vel illis Cœlorum Domibus aut Templis, quæ dicebantur; & propinquo vel remoto situ aliorum Planetarum; ut & ex *coloribus* quos Luna nova à Sole discedens, præferebat, & ex *cornuum* ejus varia inclinatione, iisdemque obtusis ac acutis; indicium faciebant futuri: secundum illud Avieni:

Cynthia cum primum cœlo nova cornua promit,
Cautus utrinque Deam circumspice.

De quo si placet, videbis Seldenum alibi [d] docte differentem. Sed est mihi ipsi quoque post soluta orationis dubia & constitutam loci versionem, de hoc ipso argumento pressius aliquid monendum.

Defatigata es, ait, *Vates multitudine consiliorum tuorum:* h. e. sive consultationum tuarum quibus consuluisti Astrologos; sive consiliorum & deliberationum tuarum, quas Astrologi tui inter se ceperunt, dum observationes suas omnes collatis studiis comparaverunt, ut ex iis faustum aliquid & Reipublicæ salutare elicerent. quod posterius mallem. Pertinet enim יגיעך *labor molestus* ad ipsam artem Astrologicam, ut vidimus *commate superiore. Consistant, age, qui contemplantur cœlos, & speculantur stellas;* (Heb. החזים בכוכבים *qui speculantur* IN *stellis.* h. e. qui eas attente & intente intuentur, & ex earum contemplatione voluptatem capiunt; quæ vis est vocis חזה cum ב.) *& qui ad Novilunia indicationes faciunt*, sive *qui Novilunia indicant*, (de quo modo egi:) *ut servent te ab his quæ tibi sunt obventura*, sc. hac prophetia & tota hac *Concione* prædicta. Id vero ipsum est quod hic diligentius animadvertendum est. Patet enim inde, primo, agi hic de *Astrologia judiciaria* quam potissimum exercebant jactabantque Chaldæi: deinde, Chaldæos eosdem præ se tulisse, se inspectione siderum & Asterismorum mala imminentia qualicunque modo posse averruncare. Quod ad prius attinet: absurdum sit dictu, Vatem his verbis taxare aut damnare studium Astronomiæ, & in illo studio diligentiam ac contentionem. Est illud in genere Scientiæ rerum Naturalium nobilissimum, & vere dignissimum quod ab optimis ingeniis excolatur. Pensat etiam diligentiam quæ in eo ponitur, voluptate & delectatione quæ ex eo percipitur; facitque simul plurimum ad usum publicum in ordinandis dimetiendisque temporibus. Quis autem Deum nolle existimet, ut magnifica & excellentia opera sua, admirabili quodam ordine & harmonia lucentia ac distincta, accurate con-

obventura sunt, cohærent cum vobis, *servent te.*

Doctorum Virorum Versio huic hypothesi contona.

Locus Deut. XII. 2.

Aliorum de his extremis verbis judicium.

Nectunt ea cum proxime præcedentibus.

Interpretationes Vett.

A quibus discedit.

Subterfugium.

Quod refellitur.

Rationes, quæ illos Intt. moverunt.

An quas respondetur.

Locus Habakuki, Cap. III. 2.

Cl. Bochartti versio hujus loci.

Usus præfixæ ל in voce לחדשים.

Potest sumi *specificative.*

Constructio analoga vocis הודיע cum אל.

Communis interpretatio se recte sustinet.

Astrologi Chaldæi *Fata* futura edebant *ad* Novilunia.

Quomodo Vaticinium ad *Novilunia* institueretur?

Verba pressius tractantur.

Defatigatæ es copia consiliorum tuorum.

Paraphrasis eorum.

Consistant, age, qui contemplantur sideras, & seqq.

Usus vocis חזה cum ב.

Ut servent te ab his quæ tibi obventura sunt.

Animadvertur.

α. Hic agi de *Astrologia judiciaria.*

Laus Studii Astrologici, in honestum usum exerciti.

a Cap. III. 2. b *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. I. c Exod. XIV. 27. Job. XXI. 30. d De *Jur. Nat. & Gent.* Lib. II. Cap. VI.

Illius fructus eximii.

contemplemur; & in vagis illis motibus ſtellarum in vaſtiſſimis cœlorum ſpatiis errantibus, ordinatiſſimum cum ſtupore detegamus ordinem, certaſque vias, per quas ſtabili curſu ſecundum Leges ſibi à ſummo Naturæ Rectore præſcriptas incedunt? Quid nos magis incitet ad gloriam ſummi & ſapientiſſimi Creatoris prædicandam, noſtrumque excutiendum torporem? Sed Chaldæi hoc ſtudium excolebant cum manifeſtiſſimis vitiis. Primo credere par eſt, Chaldæos illos vel Babylonios, qui *Aſtrologiam Judiciariam* damnabant ipſi, (cujuſmodi inter illos fuiſſe Strabo exerte prodidit [a];) hoc ſtudium tanquam in omni Sapientia ſummum cum jactantia extuliſſe & jactaſſe; & quidem ipſo illo tempore quo Jeſaias inter Judæos vixit. Nabonaſſarus enim, hujus diſciplinæ amantiſſimus Princeps, ejuſque inſtaurator, ſub Jothamo & Achazo Babyloniis præfuit. Videtur autem is inſtituiſſe *certum* Doctorum hominum *Collegium*, quod his Obſervationibus vacaret; ut Dodwellus ex ipſis Obſervatis à Ptolemæo digeſtis, conjecit [b], Σύγγραμα Χαλδαίων vocat Diodorus. Cujus rei fama cum late ſpargeretur inter Gentes Orientis: fieri poteſt, ut id Judæos ipſos in Religionem Patriam non bene affectos, & peregrinarum diſciplinarum admiratores, à præſtantia Sapientiæ ſibi Divinitus revelatæ pro merito ſuo æſtimanda averterit. Sed hoc leve eſt. Acceſſit igitur ſecundo Studii illius turpis, vanus & mendax abuſus in *Aſtrologia Judiciaria*, dum præ ſe ferebant Fata Gentium & Hominum ex poſitu, affectionibus, & combinatione Aſtrorum, prænoſſe, & prædicere poſſe abſque errore. Diodorus [c]: *Ex longa igitur ſiderum obſervatione & accurata motuum & virium cujuſque cognitione qua omnes mortales vincunt*, πολλὰ τῶν μελλόντων συμβαίνειν προλέγουσι τοῖς ἀνθρώποις· *multa hominibus eventura prædicunt*. quod idem teſtimonium deinceps lucu-lentius etiam repetit & confirmat. Quæris, quo modo hic inſtituerint? Equidem interiora hujus Scientiæ arcanæ non intelligo, & forte juxta mecum nemo: neque ea etiam quæ intelligo, inſtituti ratio ediſſerere permittit. Idem ille Diodorus artem hanc Chaldaicam pinguioribus ductibus deſcribit [d], ejuſque demonſtrat fundamenta. Præcipuam vim hujus Scientiæ conſiſtere in quinque Planetis, eorumque motibus, conjunctionibus, *coloribus*, ortu, occaſu. Soli quoque eſſe vim poteſtatemque maximam. Has quinque ſtellas eſſe Divinæ Voluntatis & Conſiliorum arcanorum ἑρμηνεῖς *Interpretes*, hoc nomine iis dictas. *Cometas* quoque & Solis Lunæque eclipſes hic in ſummam conſiderationem venire. *Planetis* illis *quinque*, Divinæ Voluntatis Interpretibus, ſubordinatas eſſe *triginta ſtellas* nobiliores, per totum cœlum diffuſas; quarum aliæ ſupra Horizontem noſtrum comparent, aliæ infra; hæ oriuntur, aliæ nobis occidunt per vices, quas vocant βαλαὶς Θεὸς *Deos conſiliarios*: ſed *principes Deos* ſtatuere XII, ſc. Duodecim Ζώδια, *Aſteriſmos* qui *Zodiacum* in Cœlis *Circulum* faciunt, per quos *Sol* & *Luna* curſitant: extra Zodiacum XXIV Aſtra definire, quorum XII Borealem; totidem Auſtralem Regionem ſibi vindicent. Ab his *ſtellis* earumque poſitu, combinationibus, motibus, pendere fata terrarum & hominum; διὰ δὲ τῆς τούτων Φύσεώς τε καὶ θεωρίας μᾶλλον γινώσκειν τὰ συμβαίνοντα τοῖς ἀνθρώποις· *& ex natura earum conſideratione eventus humanos cognoſci* [e]. Sed plura longe Ægyptiorum myſteria ex Vettio Valente & Julio Firmico (adde iis utroque antiquiorem Manilium:) de *Sortibus* quas Planetæ mortalibus diſpenſant; de *Sole*, ut Bonorum *animi*; (τῶ δαίμονος,) de *Luna* ut Bonorum *fortunæ*, (τῆς τύχης,) arbitro; de XXXVI ſtellis Decanis, quarum per ſingula XII Ζώδια tres diſtributæ ſunt, eruditè monuit Illuſtris Marshamus, ubi diſciplinam Regis Ægyptii Neceſſo, ejuſque Comitis Petoſiris, explicat [f]. Huic enim Regi Neceſſo, qui apud Manethonem comparet in Dynaſtia XXVI. quæ eſt *Saitarum*, laudem hujus Artis Aſtrologiæ Judiciariæ ad perfectionem ſuam excultæ Veteres tribuunt: non tamen Herodotus & Diodorus qui eum prætereunt, quod parti tantum Ægypti Inferioris præfuerit; dum Ægyptus erat ſub poteſtate Regum Cuſchæorum. Fuit itaque ille paulo poſterior Nabonaſſaro, & Vati quoque noſtro Σύγχρονος, ut videtur: & forte ex æmulatione mutua ſtudium ab utraque Gente ab antiquo cultum, reſuſcitatum eſt. Certe Diodorus Siculus in Hiſtoria Ægypti Ceten, ſive Proteum Regem laudat, tempore Belli Trojani florentem, ut accuratiſſimam hujus arcanæ diſciplinæ notitiam adeptum [g]; & longiſſime ante eum Thebanos, omnium vetuſtiſſimos [A] Aſtronomos, ex ſententia ſua; nec tamen ut putem, hactenus Aſtrologos [h]. Sed hæc utcunque ſe habeant: res ipſa in explorato eſt. Nec tamen ego ad hanc *Aſtrologiam Judiciariam* refero locum Jeſ. LXV. 11. ut Eruditis Viris, Seldeno [i] & Huetio [k], placuit, acſi ibi per τὸν (vulgo *fortunam* vertunt,) alluderetur ad *Sortem* FORTUNÆ (ἀγαθῆς τύχης) Mathematicis celebratam. Agitur ibi tantum de *Idololatria*; ut ſuo tempore docebo. Alterum quæſivi, Quo ſenſu hic dicat Propheta; SERVENT TE Aſtrologi *ab his quæ ſibi obventura ſunt?* Aſtrologi enim non videntur præ ſe tuliſſe; poſſe ſe Populos & Homines, quorum fata ex Aſtris legebant, ab iiſdem illis malis & calamitatibus *ſervare*. Πρόγνωσιν *prænotionem* illorum fatorum, ſive lætorum ſive triſtium, jactabant. Sic videtur ad primam ſpeciem; nec tamen eſt probabile, diſciplinam hanc ſola hac θεωρίᾳ conſtitiſſe: nullum uſum habuiſſe ad Vitam & Salutem. Obſerva itaque in hanc rem, α. Aſtrologos definiviſſe dies faſtos lætoſque, quibus res auſpicato & feliciter geri poſſet; vitari juſſiſſe dies nefaſtos & atros: ut ex diſciplina Romana notum. Docebant, qui ſtellarum cum Aſteriſmis conjunctis; qui Planetarum concurſus in hæc illa tempora incidentes; qui Lunæ aſpectus; rebus gerendis prodeſſent vel obeſſent. β. Eoſdem illos Aſtrologos, Augures, Haruſpices, qui mala futura prædicebant, ex ſcitis ſuæ diſciplinæ docuiſſe, quo modo expiari poſſent; & *fata* ipſa, quo modo differri poſſent. Obtinuit enim apud ipſos opinatio, *fata* quidem ſic vere dicta non poſſe reſcindi; ſed poſſe dimoveri in longius tempus. γ. Multa hypothetice prædixiſſe, ut ſi quis ſibi ab hac illa re quam præmonſtrabant, caveret: evitare poſſet periculum, ut apud Arrianum Chaldæi Vates, (ut ibi fertur [l] ex Oraculo Beli; ſed ut circumſtantiæ ſuadent ex principiis ſuæ diſciplinæ:) Alexandro Macedoni nunciabant longiorem vitam proſperitatemque, ſi *illo tempore* (ἐν τῷ τότε) non ingrederetur Babylonem; vel ſi eam non ingrederetur ab Occidente; ſed reſpiciens Orientem. δ. Populos credidiſſe, illos qui cœlorum contemplationi dediti, & auguriorum gnari, ex his diſciplinis percipiebant *arcanam* Dei *voluntatem*, in propius Dei venire commercium; viribus humanis majora efficere; & in dubiis caſibus ſibi conſilio & præſidio eſſe: ut adeo *Aſtrologi* plures ſimul eſſent *incantatores* & *magi*, Naturæ ſecretorum experti: quod de Rege Ægypti Proteo plane affirmat Diodorus [m]; cujuſque exemplum notiſſimum, ſed luculentum, Hiſtoria Romana exhibet in *cote* ab Accio Navio celebri Augure *novacula diſciſſa* [n]: ut fama retulit ad

Abuſus hujus Studii apud Chaldæos.

Jactarunt id ut omnium præſtantiſſimum, & ſummæ ſapientiæ medium.

Et quidem tempore Jeſaiæ, quo floruit Nabonaſſarus.

Conatus Ejus in hoc Studio inſtaurando.

Præ ſe ferebant ex Aſtris definire poſſe fata Populorum & hominum.

Loca ex Diodoro.

Quo modo hic inſtituerint?

Modus illius deſcribitur ex Diodoro.

Fundamenta hujus Studii.

Alia ex Valente, Firmiar, &c.

Marshamus laudatus.

Diſciplina Neceſſo Regis Ægyptii.

Notitia & Ætas ejus.

Diodorus Siculus origines hujus Studii refert ad Proteum, tempore Belli Trojani.

Locus Jeſ. LXV. 11. an huc referendus ſit?

Alterum: Quo ſenſu jactarint Aſtrologi ſe poſſe Gentis aut hominis ſaluti conſulere per Aſtrologiam?

Obſervanda in hanc rem.

Prædicebant tempora faſta ac nefaſta.

Docebant modum, Mala expiandi, aut averruncandi media.

Aliqua prædicebant hypothetice. Exemplum ex Arriano.

Aſtrologi paſſim erant *Magi*. Exempla ex hiſtoria.

---

a Geogr. Lib. XV. p. 508. 509. *b Append.* ad Diſſ. Cyprian. §. XXIV. *c Biblioth.* Lib. II. p. 82. *d* Pag. 83. *e* l. c. *f* Ad Sæc. XVI. p. 474. ſeqq. *g* Lib. I. p. 39. *h* Pag. 32. *i* De *Dis Syris*, Lib. I. Cap. I. *k* In Orig. Tom. II. Not. p. 198. *l Exped. Alex.* Lib. VII. C. 17. *m* Lib. I. p. 39. *n* Liv. I. 36.

A Verba Diodori de Thebanis: Περὶ δὲ τῆ σελήνης ἐκλείψεων ἴδιόν τι τὸ σελήνης ἀκριβῶς ἐπισκέψασθαι δοκῆσαι, τὸ προρρήσεως περὶ τούτων ποιῆσαι, πάσας τὰς κατὰ μέρος γινομένας προλέγοντες, ἀδιαψεύστως Rhodomanus: *Hi Solis & Lunæ defectus accurate videntur obſervaſſe, & divinationes ex his ita inſtituunt, ut ſingulatim omnes eventus certiſſime prædicant.* Sed περὶ τούτων non eſt *ex his*, ſed *de his*. Verte poſteriora: *Et prædictiones* DE HIS (ſc. Eclipſibus Solis & Lunæ:) *faciunt abſque errore, omnia ut ſingulatim fiunt, prædicentes.* h. e. quo cœli loco futura ſit Eclipſis; quo tempore; quandiu duratura; in quibus terræ regionibus obſervanda.

ad posteritatem. Quid miremur itaque, Populum superstitione captum hos *Divinos* respexisse ut Servatores suos, & in iis posuisse fiduciam? Quod peccatum; qui turpissimus & mendax artis abusus; quæ inanis superbia & gloriatio; quæ væsania Populi Babylonici, Deo vero, soli futurorum gnaro, summe displicebat.

β. *Vanitas* hujus *disciplinæ* demonstratur, & *infelix exitus* omnium, qui se ad eam applicant.

Articulus primus.

β. *Vanitas disciplinæ Astrologicæ, & infelix exitus Cultorum ejus.*

Articulus primus, ℣. 14. *Ecce omnes illi sunt instar stipulæ, &c.*

Summa hujus Periocpæ.

℣. 14. *Ecce omnes illi sunt instar stipulæ: ignis illos comburet. Non poterunt se ipsos eripere ex potestate flammæ. Non supererit* CARBO AD CALESCENDUM; *ignis ad sedendum ante eum.*] Describitur, ut quisque videt, judicium artis vanissimæ cultoribus & jactatoribus infligendum; fictione venusta, ut omnes sunt Jesaianæ. Ait Propheta, omnes illos quos descripserat artium mendacium sectatores, instar *stipulæ* ab igne Judicii Divini accendendos esse; & plane comburendos, ut nihil eorum sit superfuturum, quod ad qualemcunque usum conducibile sit. Cum enim ex lignis aliaque materia usili, si ab igne accendantur aut consumantur, supersint prunæ, apud quas quis queat incalescere; & focus ante quem quis sedeat ad propellendum frigus: hos consumptum iri instar stipulæ, ut prorsus intereant & aboleantur; nihil ad qualemcunque usum reliqui faciant. quam fictionis elegantiam, non per omnia vere assequuti sunt Intt. aliqui, inter quos Piscator & Belgæ, emblema sic accipientes, acsi dicere vellet Vates; *Ignis* ille quo consumendi sunt vanæ hujus Scientiæ Sectatores, non est *ignis focarius*, apud quem calefieri possit; sed *ignis consumens* & vastans. Pisc. *Vis illa ignea Medorum & Persarum non erit utilis & commoda Babyloniis, qualis est vis ignea prunarum* quæ in foco servantur ad calefaciendum: *sed erit vis noxia, & seqq.* Alii: *Vana illa Scientia Astrologia arburariæ* est instar *flammæ stipularum, ad calefaciendum ineptæ*, quippe nullæ ex ea servari possunt *prunæ in foco* ad necessarium usum: perinde ac hæc Scientia nullam præstat utilitatem. Non necesse habeo hæc refellere. comparata cum interpretatione nostra, eam illustrabunt. Aben-Ezra inter Judæos, & Coccejus inter nostros recte acceperunt: cæteri fere quos inspexi hic aliquid ἀλλότριον admiscuerunt. Solummodo Coccejus noster à plerisque differt in expositione hujus membri, אין גחלת לחמם. Nos vertimus, *Non supereſt carbo ad incalescendum. Ipse; Non est pruna panis ipsorum.* hoc sensu, Non supereſt *pruna qua placentam impositam coquant.* Hebræa facile ferunt interpretationem. *Panem* quoque ad modum tenuium placentularum paratum à pauperioribus super *carbones* coctum medio sartaginis, ut apud Armenios hodie in usu esse celebris Itinerator *a* tradit; Propheta ipse supposuit Cap. XLIV. 19. paupertinum sic loquentem faciens: *Coxi super carbones ejus panem.* Sed *a.* Phrasis minus est liquida, *Pruna panis* pro *pruna* ad panem coquendum apta. β. Analogia utriusque membri nostræ interpretationi favet; quam analogiam Vates noster passim observat. Equidem punctatura vocis לְחֻמָּם *ad incalescendum*, discedit ab ordinaria verborum *geminatæ radicalis secundæ.* debebat enim esse לְחֹם Verum conservat analogiam communem, qualis est in לָשָׁבַב, Gen. XXXIV. 7. Solummodo ל hic sibi vindicat *Patach* propter *gutturalem* sequentem; & ם *Kamets* propter *accentum distinctivum.* Nihil hic vitii. Si tamen Cl. Coccejı interpretatio allubescat: amplecteris eam, me non invito.

Reflexio sententia A. Ezræ & Cocceji.

Modus coquendi panis pauperum in Oriente.

Exemplum in Verſione Cl. Cocceji.

Animadverſio in punctaturam vocis לחמם.

Senſus Emblematis.

Senſus Emblematis facillimus: Judicium quod Deus in Babylonem per Medos & Persas exequeretur, omnem hanc turbam Astrologorum, Magorum, Incantatorum Chaldæorum, ita esse consumpturum, ut post id tempus de omni existimatione sua dejecti ad nullum usum utiles censerentur. Aben-Ezra paucis verbis, sed sani judicii: והשעם שימותו הם ולא תשאר להם שארית *Sensus est: Morituros illos esse* (judicio Divino extinguendos,) *& nullas iis superfuturas reliquias.* Per *ignem* hic intelliges *Judicium* quod Deus ad Babylonem puniendam exequendum mandaverat Persis & Medis. Jeremias in describendo Judicio Babylonis *b*: *Et accendam* IGNEM *in Urbibus ejus* (Babylonis,) *& consumet omnia quæ circumcirca eam* (sive *circa superbum illud*) *sunt.* Hic vero ipse ignis judicii Divini consumeret Babylonios & Chaldæos Vates; & quidem *penitus*, ac *subitario*, instar *stipulæ*; ut nihil eorum superfuturum esset. Emblema simile, licet ad diversa subjecta relatum, habuimus Cap. I. 31. Sed aliud & diversi generis, licet eodem tendens offendis, Cap. XXX. 14. ubi Israëlitis immorigeris universalem prædicit fracturam, ut *reliqua* non esset *testa* ad *ignem* è foco, aut *aquam* è puteo ferendam. Patet autem ex gravitate hujus supplicii, Chaldæis Vatibus irrogandi, gravitas culpæ, quam ipsi nos ex ratione facile assequimur. Disciplina enim hæc tota Astrologiæ judiciariæ superstructa est falsis hypothesibus, & contexta ex mendaciis, impostura, & detestabili superstitione. Nihil in ea certi; inania omnia; ut apud prudentiores disputare necesse non habeo. Et tamen hi homines arroganter jactabant se gnaros esse arcanorum consiliorum Divinæ Voluntatis; quæ laus sola debebatur veris Dei Prophetis, quatenus Deo placitum fuit notitiam suorum consiliorum cum ipsis communem facere. Fastus igitur horum Sacerdotum idololatrarum erat intolerabilis; Deo vero ejusque Prophetis injurius; ac proin severe à Deo puniendus. Quæris implementum hujus interminationis? Constat enim, Chaldæos Vates omnes non periisse cum lapsu Imperii Babylonici; quin imo in longum adhuc superfuisse: fuisse quoque inter Gentes non absurdi ingenii homines, qui illorum prædictionibus aliquid tribuerint; & artem hanc non plane spreverint. Certe favet iis Diodorus Siculus, ubi de iis ex professo agit; ferri enim, ait, quæ prædixerunt Alexandro, Antigono, Seleuco Nicatori, pleraque eventu comprobata esse: & si hac parte fides Tacito *c*, ipse quoque Tiberius, dum apud Rhodum agebat, Thrasullo usus magistro, disciplinæ hujus sibi comparaverat peritiam; cujus laude Trasullum excelluisse, documento insigni confirmat. Respondeo, primo, Prophetiam Jesaiæ directe illuc pertinere, quod cum *subitario lapsu Babylonis*, de quo notabili casu nihil præsciverant; nihil prædixerant; nihil etiam præsagierant *d* ex notis *cœlestis manus* illa ipsa nocte qua capta est Babylon; omnis illorum caderet atque evilesceret existimatio; ut prudentes homines postmodum nihil iis tribuendum censerent. Uno ictu cum Babylone caderent; non sane hoc sensu quod omnes à Persis & Medis interimerentur; aut quod Astronomicæ artes plane negligerentur: sed quod illi ipsi homines, quatenus Astrologiam judiciariam profitebantur, posthac *nulli* censerentur; quippe qui nec Babylonis calamitates, nec *suas* etiam præsciverant; & suis hisce artibus, quas tantopere jactabant, ne *se ipsi* quidem (h. e. stylo Hebræo, נפשם *animas suas*,) *servare* potuerant; quæque illo tempore nemini *solatio* ulli fuerant. Si enim præsciviſſent malum: potuiſſent forte id præcavere, certe sibi consulere. Ipsi itaque cum cæteris involuti sunt iisdem calamitatibus; multi ex iis perierunt: omnes prostituti, artesque eorum explosæ damnatæque sunt; estque probabile, Persas & Medos, qui suos habebant *Magos*, eos neglexisse: etsi Xerxes famosa illa sua in Græciam expeditione secum habuisse *Chaldæos* & *Magos*, eorumque aliquos apud Damasippum ditissimum Democriti Philosophi Patrem reliquisse, testatur Diogenes Laërtius *e*; quosque ipse deinceps, Babylonem profectus, audiverit, coluerit-que diligentius; ut ipse quoque & Ælianus *f* tradunt. Sed multa horum incerta nituntur traditione: etsi, si

Verba Dicti Hebræi.

Emblema involvit plenarium & subitarium Excidium.

Analogia huc allata.

Vanitas harum artium, & crimen quod in iis ineſt.

Quæritur de *Implemento* hujus Interminationis.

Disciplina Chaldæorum post id tempus adhuc diu viguit.

Quod non pugnat cum prophetia.

Implementum confertur cum vero prophetiæ sensu.

a Tavern. Lib. v. Cap. 17. *b* Cap. L. 32. *c* *Annal.* Lib. VI. Cap. 20. 21. Val. A. Lib. 12. 20. *d* Dan. v. 7. 11. *e* Lib. IX. Segm. Joh. de *Vitis Phil.* *f* V. H. L. IV. 29.

Quis usus disciplinæ Chaldaicæ sub Imperio Persico?

omnino vera sint; nobis non obstent. Astronomica studia tamen apud eos culta esse sub Imperio Persico, ex *Observatis* à Ptolemæo digestis [a], (licet illa hujus ætatis pauciora sint,) liquet. Secundo, licet Græci levioris ingenii & Latini etiam aliqui se passi sint his ineptiis Chaldaicis & Ægyptiacis occupari: prudentiores tamen omnes arbitrati sunt, falsum subesse huic disciplinæ, eamque proscripserunt. Sic certe instituerunt Romani, variis casibus temporibusque; atque etiam sub Tiberio [A], ut est in Historia Libonis Drusi apud Tacitum [b]: ut adeo minus probabile habeam, quod Tacitus de congressu Tiberii & Trasulli deinceps alio loco narrat. præterquam quod historia ipsa illa, bene inspecta, fidem suam non commendet. Alia autem quæ de prædictis Chaldæorum feruntur, incerta sunt; vel si certa, casualem habuerunt eventum. Tertio denique, ad animum revoca quod verissimum est: quicquid de *Exitio* Reproborum in Sacris prædicitur; complementum suum consequuturum esse in *Judicio finali*, à Deo habendo in omne genus hominum, quod sub emblemate *ignis* reprobos instar *stipulæ* consumpturi proponitur: cujus judicii præjudicium est omne solenne judicium à Deo erga Reprobos in hisce terris administratum. unde eadem phrasis hic adhibetur. Confer parallela ex Vate nostro Cap. v. 24. & Mal. IV. 1.

Disciplina hæc postmodum venit in contemptum.

Apud Romanos vetita.

Complementum judiciorum omnium erit *Judicium ultimum.*

Articulus alter.

Articulus tertius, ℣. 15. *Tales tibi erunt, & seqq.*

℣. 15. *Tales tibi existunt* IN QUIBUS *laborasti: negotiatores tui à Juventute tua: quisque* ANTE SE *diversi* PALANTUR: *non est qui te servet.*] Nihil vitii est prius membrum ita accipere; *Tales tibi erunt* sc. artes, *in quibus laborasti:* h. e. hic fructus erit artium in quibus ad defatigationem usque te summo studio & labore exercuisti à prima usque ætate qua Gentem fecisti alicujus in Orbe nominis. Sic enim respondebit directe *commati* 12. *Consiste nunc cum incantamentis tuis, & cum copia præstigiarum tuarum,* עמד נא בחבריך IN QUIBUS LABORASTI *a Juventute tua.* Ut sane disciplinæ Mathematicæ & Astronomicæ maximam requirunt & intentissimam exercitationem mentis. Repete nunc, *Tales erunt negotiatores tui à* JUVENTUTE TUA. h. e. Astrologi, quibuscum commercium sedulum coluisti, quosque fovisti, nutriisti, quorumque artes quæstus caussa aliis commendasti. Explicandum est dictum ex iisdem verbis quæ adduxi: & vere miratus sum, Grotium hic cogitasse de vulgatis negotiatoribus cum quibus Babyloni intercedebat commercium. Contextus totus contrarium arguit. In Fragmento illo Ulpiani, quod modo exhibebam, ita integre legitur: *Mathematicis, Chaldæis, ariolis, & ceteris qui similem incertum fecerunt.* quæ cum affecta sit lectio: Lipsius legi monet, *cestum* vel QUÆSTUM *fecerunt.* Jac. Gothofredus, *incerti quæstum:* quod huic loco optime convenit. Certe qui hanc disciplinam profitebantur, in universum *Chaldæi* dicti, cujuscunque essent ortus; eam ἀστρονομίας ἔνεκα exercuerunt. Quod sequitur, איש לעברו תעו verti, *Quisque ante se diversi palantur.* Quisque ex *adverso, ante se*, palantur, ut sua quique via se eripiant periculo ad extremos fugiendo Imperii tui limites. quomodo עבר אל passim usurpatur; cui τὸ לעברו respondet. Pisc. *Quisque in suas partes.* quod recte se habet. Propheta enim dicere vult, Quemque quo loco fuerit, cum ad ipsum nuncius calamitatis Babylonicæ veniret, fugam ad limites Imperii diversis, sed brevissimis viis, suscepturum esse, ut saluti suæ consulat: salutem autem Babylonis servandæ nemini curæ fore. quod ita se habuisse, non est dubium.

Referri potest ad *artes* ipsas.

Reliqua cum iis connectuntur.

Negotiatores Babylonis hic mystice accipiendi.

Illustratur phrasis ex Fragmento Ulpiani.

Verba; *Quisque ante se diversi palantur.*

Sensus eorum.

De *Sensu Mystico* hujus *Sectionis.*

De *Sensu Mystico* hujus Sectionis.

I. Legenti hanc *Sectionem Propheticam* de Imminutione & interitu *Babylonis*, sub qua tanquam Metropoli, universum illud amplissimum Imperium censebatur; occurrunt aliqua sive in Elencho ipso, sive in Judicio ejus pœnali, fortiter admodum & emphatice dicta, quæ in tanta significationis vi quantam verba sustinere possunt, ægre ad Babylonem Veterem applices, mox recensenda: quandoquidem tamen prophetia certos habet characteres, qui clarissime designent Babylonem antiquam; quos demonstravi in *Anacrisi* [c]; & Prophetis alioquin in more est in vaticinationibus suis uti stylo, qui proxime accedit ad hyperbolen: nemini forte in mentem venisset cogitare de mysterio, nisi ex *Apocalypsi* liqueret; sub Oeconomia Nova extituram esse aliquam Civitatem, adversariam Ecclesiæ, ROMAM inquam, quam Spiritus S. respici vult ut Babylonem mysticam; & nisi simul idem ille Spiritus Dei, Cap. XVIII illius Libri, describens lapsum atque interitum illius Civitatis, ejusque excidii caussas: phrases quasdam ex hac prophetia mutuatus esset, ut nos commonefaceret, quæ leguntur in hac vaticinatione Jesaiæ, perinde ac in ea Cap. XIII. & Jeremiæ Cap. L. LI. de imminutione Babylonis, spirituali oculo inspecta, præter implementum literale, complementum certius ac perfectius habitura esse in *Babylone mystica* quam ipse similibus lineis deformat. quam lucem nemo temere spernit. Sic v. gr. quæ Spiritus in Apocalypsi memorat de σρήνῃ *luxu Babylonis mysticæ*, Cap. XVIII. 3. & ℣. 7. ἐδόξασε καὶ ἐστρηνίασε, analogum est huic prophetiæ ℣. 1. ubi appellatur *delicata & voluptaria*, & ℣. 8. עדינה tota *luxui & voluptatibus dedita.* Quæ ibi dicuntur ℣. 7. *Quia in corde suo dicit, Sedeo Regina; nec sum vidua; nec videbo luctum:* respondent his Jesaiæ, ℣. 7. *Et dicis, In æternum sedeo Regina* (גברת *Domina*,) & ℣. 8. *Dicis in corde tuo; Ego & præter me nulla: Non sedebo vidua; nec videbo orbitatem.* Rursus Ap. ℣. 8. *Ideo* UNA *die venient plaga ejus, mors & luctus:* conveniunt his prophetiæ nostræ, ℣. 9. *Et obvenient tibi duo illa uno ictu, die uno.*

Rationes quæ hic suadeant cogitare de *Sensu Mystico.*

Præcipua in *Apocalypsi* quæ demonstrat comparatum ejus ROMAM.

Collatæ phrases ex Apoc. XVIII. cum hac prophetia.

Dein

---

a Lib. II. p. 83. *b* Annal. Lib. II. Cap. 32. *c* §. 2.

A Accidit id primo A. M 10 LIV. apud Valer. Max. Lib. I. Cap. III. *M. Popillio Lænate, & Cn. Calpurnio* COSS. *C. Cornelius Hispallus, Prætor, Edicto* CHALDÆOS *intra Decimum diem abire ex Urbe atque Italia jussit: levibus atque ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes.* Cæteris missis quæ in historia Augusti extant apud Dionem: nefas est præterire insigne illud Fragmentum Ulpiani, ex Lib. VII. de *Offic. Proconsl.* Servatum est in Libro à Pythœo edito, qui inscribitur, *Mosaicarum Legum & Romanarum collatio*, Tit. XV. *Præterea interdicta est Mathematicorum callida impostura & obstinacitate persuasio. Nec hodie tantum interdici iis placuit; sed vetus hæc prohibitio est. Denique extat S. C. Pomponio & Rufo Coss. factum, quo cavetur, ut Mathematicis,* CHALDÆIS, *Ariolis, ... aqua & igni interdicatur, & seqq.* Vide hic omnino, & affinia collige, ex *Excursu* Lipsii ad Tac. *Annal.* II. 32. & Observata Eruditorum in nupera Editione hujus Libri, docte instructa à Clarissimo Viro, Antonio Schultingio, p. 785. Imo vero Diodorus tradit, (Lib. XVII. p. 622.) ipsum quoque Alexandrum, primum quidem aliqua erga Chaldæos ductum reverentia; postquam *Anaxarchum*, (non *Anaxagoram*, ut habet Interpres,) *Philosophum* audivisset, (sic accipienda sunt Diodori illa, ᾗ τῷ φιλοσόφῳ οἱ περὶ Ἀνάξαρχον· ipse intelligitur *Anaxarchus* qui cum Alexandro versatus est:) sic *fuisse immutatum animo*, ὥστε καταφρονῆσαι μὲν πάσης μαντικῆς, μάλιστα δὲ τῆς παρὰ Χαλδαίοις πεπιμωρφώσης· *ut omne divinationis genus, maxime vero illud quod* APUD CHALDÆOS *in pretio est, contempserit.* unde simul pateat, Democritum, ex cujus disciplina Anaxarchus prodiit, Sapientiæ & Cœlestium rerum studiosum, dogmata tamen arcanæ illius artis Astrologicæ non tenuisse, à quibus hypotheses ejus alieniissimæ fuerunt; licet Plinius contrarium de Democrito asserat, Lib. XXX. in *Proœm.* de *Arte* vel *Scientia, Magica.* Sed sive hæc ita, sive se secus habeant: parum ad nos. Jesaias directe respicit ad calamitatem *Captæ Babylonis. Artem* magis respicit, quam *homines.* Interim res est digna admiratione, artem illam, cujus vanitas & falsitas incurrit in sensum omnium qui ratione utuntur, vel saltem animum advertunt ad experientiam, quæ natorum eadem tempestate & regione Orbis sub eodem sidere, eodemque positu cœli, diversissima ostendit fata, obstinatos adeo invenire Patronos & Cultores, quales Augusteo & Constantiniano Sæculo fuerunt Manilius, & Julius Firmicus Maternus. Quid? quod, resuscitato Studio Philosophico, inter ipsos Christianos non defuerint, (Sæc. XIV.) qui væsanam hanc superstitionem in Scholas revocare & publice commendare nisi fuerint, inter quos ut Philosophi magni nominis, (sua sc. ætate,) à Paulo Langio Cygnæo (in Chron. Citizensi, Tom. I. Scriptor. Germ. ex Edit. Pistor. p. 829.) recensentur *Arnoldus de Villa Nova*, & *Guido Bonatus*; deinceps refutari meriti à Pico Mirandulæ Comite in *Libris* hujus argumenti. Atqui, est *destinatio*, ajunt, in natura rerum: sunt *sortes*, in Eventibus tum singularium hominum, tum Imperiorum Mundi, facile observabiles. Datur certe; historia & experientia clamant: sed an non docet ratio, caussam ejus rectius quæri in Consilio Divinæ Providentiæ, quam in Astrorismis, quorum influxus, isque ob immensam siderum distantiam exiguus, & debilis, concipi nequit nisi generalis, & communia in hominibus producere effecta?

Dein Apoc. ỳ. 18: *Quæ similis erat Urbi illi magnæ?* Legis hic ỳ. 8. *Ego, & præter me nulla.* nulla mihi similis. Deinceps Apoc. ỳ. 23. *Veneficiis suis seduxit Gentes.* hic habes ỳ. 9. & seqq. *propter multitudinem incantamentorum tuorum & validam vim præstigiarum tuarum.* Quod de *Mercatoribus terræ* lucturis casum *Babylonis* refertur, Apoc. ỳ. 11. seqq. non comparo cum *Negotiatoribus* quorum hic mentio est ỳ. 15. (etsi cætera nihil vetat; nec repugno:) quia manifeste eo alluditur ad Ezech. XXVII. 12. seqq. unde illa pars prophetiæ hujus *Apocalypticæ* translata est.

In judicio hac de re duo extrema vitanda: *sensum mysticum nimis extenuare, & extendere.*

II. Hic vero prudens Interpres, si sibi cavere velit ab errore, duo vitabit extrema: primo, ne institutum hoc Spiritus S. quo loca ex hac prophetia desumpta transtulit ad Babylonem mysticam nimis extenuet, acsi id tantum factum sit per modum *allusionis* aut παρῳδίας, perinde ac ex quovis loco Scripturæ S. aut Scriptorum Exoticorum verba emphatica in usus nostros adhibemus. Secundo, ne ex his allegatis colligat, quod fecit Cl. Coccejus; prophetiam hanc secundum primum & literalem sensum de Babylone mystica interpretandam esse. Prius non probo, quia res inter se comparatæ ejusmodi sunt, ut clarissime perspiciamus, eas ad se invicem habuisse σχέσιν ob plerorumque attributorum convenientiam; quæ convenientia non extitit citra consilium aut providentiam Divinam. Certe Spiritus *Romam* appellando *Babylonem*, & sub emblemate *Babylonis* exhibendo, hoc ipso nos docere voluit, unam respiciendam esse ut alterius figuram; & unius attributa ex attributis alterius illustrari posse. Posterius quoque non amplector, quia ex ipsa hac prophetia plane liquet, de Babylone antiqua κατὰ γράμμα agi: perinde ac in Vaticinio Cap. XIII. & apud Jeremiam Cap. L. LI. Characteres hic tam sunt clari & manifesti, ut nullam reliquam faciant dubitationem. Quæ enim Babylon est *filia Chaldæorum*; à Medis & Persis expugnanda; aquis Euphratis ab hoste abducendis; Populum Judæum gravius afflixerat quam oportebat; Astrologiæ judiciariæ laude inter Gentes floruit; ex qua Populus Judæus vi Divina erat vindicandus; & quæ his similia sunt attributa: eam Babylonem dicere cogimur esse *Babylonem antiquam*, vero & proprio nomine suo sic dictam: atqui hæc attributa consignata sunt in illis prophetiis, ex quibus ῥήσεις in explicando Judicio Romæ desumuntur. Nihil hic possumus contra veritatem. Ergo media quædam sententia in his & similibus prophetiis recte exponendis tenenda est, quæ statuit; Spiritum S. cui *omnia opera Dei nota fuerunt ἀπ' αἰῶνος*, cum perfectissime intelligeret, sub Oeconomia Nova extituram esse aliam quandam *Civitatem mysticam*, quæ easdem præstaret *proprietates essentiales*, quas in Babylone Vetere agnoscimus; orationem suam ea *vi* & *emphasi* instituisse, ut prudentibus hanc subjiceret cogitationem; se duas res analogas, *Babylonem* geminam, unam *literalem*, alteram *spiritualem*, in oculis habere, quarum una alteram adumbraret; ut quæ videri possent nimis emphatice dicta de *Babylone Vetere*, omnem significationis suæ vim & amplitudinem obtinerent in *Babylone spirituali*, & *mystica*. Hic certus canon est mystici sensus investigandi & demonstrandi in Vaticiniis Veteris Testamenti. Exempli caussa; Jesaias Cap. XXII. 20. orationem suam verissime dirigit ex mandato Domini ad Eliakimum Hilkiæ filium; Haggæus Cap. II. 22. ad Zerubabelem, filium Schealtielis, Principem Populi reducum; sed uterque suo subjecto tam augusta aptat attributa, ut oratio censeri debeat, vel valde hyperbolica; vel adscifcenda sit hypothesis; Spiritum S. in Eliakimo & Zerubabele tanquam typis spectari velle ἀντίτυπον, Christum Jesum, ut si forte quid de iis nimis magnifice prædicari videatur, id in Christo Domino perfectissimum consequeretur implementum.

Prioris ratio. Plus hic sectandum est quam παρῳδία. *allusio.*

Ratio posterioris. Sensus *Mysticus* hic non est transferendus in *Literalem.* *Babylon* hic memorata primo sensu est Babylon vetus.

Media hypothesis hic tenenda est, quæ proponitur.

Sensus Literalis & Spiritualis hic conjungendi.

Exempla ejus hypothesios.

III. Ubi autem hic canon interpretationis locum habet; ut v. gr. in prophetiis de *Babylone*, *Ægypto*, *Tyro*, *Edomo*: non est necesse omnia attributa Subjecti, quod in illa prophetia describitur, applicare ad *Subjectum spirituale* analogum; vel totam illam prophetiam *mystice* interpretari à capite ad calcem. Si quid profecerim in intelligentia Verbi Divini: plane id non fuit in mente Spiritus S. Subinde fit, ut ex Vaticiniis Veteris Test. unus aliquis locus, unum attributum de hoc illo subjecto nimis magnifice elatum, decerpatur & ad rem spiritualem ei analogam transferatur. Sic verbi gratia, in Promisso Prophetico quod Davidi fit (2 Sam. VII. 12. 13. 14.) de illustri aliquo Rege ex lumbis ejus suscitando; quædam prædicata ad solum Salomonem referenda sunt, quæ Christo Jesu vere non conveniunt: alia in vera & summa emphasi ex mente Spiritus S. referenda ad Messiam, Davidis & Salomonis Filium. Idem accipe dictum de Davide, Zerubabele, Hierosolyma, item de Babylone, Ægypto, Tyro. Quicquid in Vaticinationibus de his Subjectis magnifice nimis & glorioſe dici videtur quam ut iis Subjectis in emphasi aptari queat: hisce in locis cogita de *Sensu mystico*; & propone animo tuo, Spiritum de his *Subjectis* non tam graphice & κυρίως locuturum esse, nisi præter *rem literalem* in oculis habuisset *spiritualem.*

applicandi ad *Subjecta.* Non est necesse *omnes partes* talium prophetiarum referre ad mysterium.

Documenta ejus hypothesios. Attendendum solummodo ad attributa Subjectorum illustriora, ἐμφατικῶς expressa.

IV. Exempla dabo ex ipsa hac nostra prophetia. Qui expendit dictum Babyloni, mox in initio ỳ. 1. DESCENDE *& sede super pulverem: sede* SUPER TERRAM, *Filia Babelis*: non necesse habet hic hærere. Verba enim qualia sunt, recte exponuntur de Babylone sic proprie dicta. Sed qui paulo profundius cogitat, videt hic quid latere μυστικόν. Supponi enim sensu arcano, *Civitatem* hanc *sedem* habuisse *in cœlis*; sedisse veluti inter astra; THRONUM sibi vindicasse DIVINUM, secundum illud ejus dictum superbum [a]: *Conscendam celsa nubium: similis ero celsissimo.* Intelliges autem te non falli, si hic comparaveris prophetiam Ezechielis de Tyro [b]: *Propterea quod cor tuum se extulerit, & dixeris; Sedeo* IN SEDE DEI *in medio marium, cum tamen tu homo sis, & non sis* DEUS. Rursus, observas in sequentibus, alia ei vindicari attributa sublimia, quæ non dubium respectum habent ad Divinitatem. Ut quando ei aptatur dictum, ỳ. 7. *Ero* IN ÆTERNUM *regina.* & ỳ. 8. *Non videbo viduitatem.* cum tamen *Regnum æternum* sit character solius Regni Divini [c]. Item ỳ. 8. EGO & NIHIL PRÆTEREA. Intelligis, celsius nihil dici posse. Jactat enim, se esse *independentem* & *incomparabilem.* quæ sunt χαρακτῆρες characteristica Divinitatis. Nec non ỳ. 10. quod fisa sit *sapientiæ* & *scientiæ* suæ; quam sibi pariter tribuit Divinam; per quam præservari potuerit ab omni interitu. Utique non est dubium, quin hæc & similia *comparate* sumpta applicari queant ad Babelem antiquam: sed sunt illa tam magnifice & emphatice dicta, ut ea legens sese altius evehat, & merito in hanc descendat sententiam; Spiritum S. induxisse Prophetam eadem attributa tam altisone efferre, ut nos doceret, se Babylonem hanc antiquam respici velle ut figuram alterius cujusdam *Civitatis* analogæ, sub Oeconomia Nova extituræ, cui hæ proprietates in majore δυνάμει τῆς φωνῆς tribui possent, quam Babyloni Veteri. quam Civitatem ROMAM esse, *Apocalypsis* demonstrat. [d]

Confirmatur *suppositum* ex ipso hoc Vaticinio. Exemplum ex phrasi, *Sede super terram.*

Animadversa ad exempla alia similia.

Collectio ex illis principiis facta. *Babylon* sustinet figuram *Romæ.*

V. ROMÆ autem cum duplex aspectus sit; vel quatenus *Pagana*, patrocinata idololatriæ & superstitioni, se opposuit incremento Regni Christi Jesu, ejusque Ecclesiam persecuta est; vel quatenus nomine *Christiana*, sub Papis sibi vindicavit summam auctoritatem potestatemque in omnes Ecclesias totius Orbis terrarum; puram Evangelii doctrinam & cultum corrupit, fœdavitque crassis erroribus & detestabili idololatria ac superstitione; Populum Dei veræque Religionis sectatores oppressit, & ferro ac flamma in eos sæviit: quæritur, utra hic intelligenda sit ROMA, Pagana, num Apostatica? Equidem alibi de eo modeste disputavi [e], & rationes quæ utrinque proferuntur,

Romæ duplex aspectus: est vel *Pagana*, vel *Christiana* corrupta.

Modus hunc Canonem

a Cap. XIV. 14. b Cap. XXVIII. 2. c Ps. CXLV. 13. d Cap. XVII. 18. e Ad Apoc. XIII. & XVII.

expendi; quæ ab instituto alienum est hic relegere. Solummodo ne excedamus limites præsentis disquisitionis: comparationem instituamus inter utramque respectu illorum attributorum quæ modo recensui. *Romam* Paganam cultam esse ab adulatoribus qui erant in Provinciis Romani Imperii, ut *Deam*, eique consecrata esse *Templa*; eandemque *magnam* perinde dictam esse ac *aternam Urbem*, idololatriæ ac superstitioni omni deditissimam; majoris longe Imperii Dominam ac Metropolin quam olim Babylonem; in confesso est. Sed ut hæc vera sint: non est probabile, Spiritum S. Babylonem antiquam spectari velle ut typum hujus Romæ; cum res corporales non sint typi rerum *corporalium* analogarum, sed *spiritualium*; ut alibi demonstravi; & huic Babyloni præscriptum fuerit nomen, MYΣΤΗΡΙΟΝ [a]; ut Spiritus S. nos moneret, *Romam* illam quam ipse designavit, esse μυστικόν τι, *rem spiritualem*, spirituali oculo contemplandam; rem non *corporalem*; sed *spiritualem*. Ergo tu converte sis oculos ad ROMAM Papalem, magnum vere & maximum mysterium. *Urbs* est cujus Rectores se jactant sedere in ipsius Dei *throno*, præ se ferentes, se esse *Deum*, h. e. *vice Deum*, & ipsius *Christi Jesu* Vicarios. hoc nomine spectari vult ut *sancta* ac *Divina*, & ut talis à Populis ei subjectis colitur: quippe quæ, *cum pugnaces Aquilæ olim in Arcibus Capitolinis imperarent* TERRIS; *admirabili clavorum sceptro* PERTINGIT AD COELUM: ut adclamatum est Innocentio X, ad hoc fastigium evecto. quæ se fert unicam esse & solam Religionis in universo Orbe hujus terræ quam late patet, magistram, eamque *independentem*; Ecce, & alius nemo. quæ pluribus *Regnis*, quæ olim imperio suo obnoxia habuit, sola præsedit ut *Regina* & *Domina*. credi vult, apud se esse infallibile tribunal, cujus definitiones recipiendæ sint ut ipsius Dei oracula; eandemque ob causam Rectores suos tanquam ipsum Christi Jesu os administrantes ejusque personam repræsentantes ingente fastu in alto sedentes solio Populis adorandos proponit. quæ omne Rectorum suorum decus, honorem, & prærogativam, qua se prædicant excellere supra omne nomen potestatemque, in terris nuncupatam, à se in illos derivari vult; de quo videbis testimonia à me prolata in mystica interpretatione Tyri [b]. Res enim eadem est. Quæque eadem Urbs se gloriatur fore *æternam*, à *Portis inferorum* non superandam, ex Dei statuto, & Christi Jesu promisso [c]. in qua Urbe quicquid callidum & astutum habet Sapientia sæcularis in Populis per *veneficia sua & artes* ad indolem ignaræ & superstitiosæ plebis accommodatas, in obsequio detinendis & tyrannide sua tuenda, multo subtilius exercetur quam in ullis Principum aulis. unde egregii Germaniæ Episcopi, in Literis ad Nicolaum I. Papam superbum; *Urbem hanc*, ajunt, *à Sacris Vatibus appellari* BABYLONIAM, *ut quæ* DIVINITATEM *usurpet; cœlo se æquet; se* ÆTERNAM *fore jactitat, perinde acsi esset* DEUS *immortalesque sapiens.* Verba jam suo loco [d] anticipavi. Sed ego hic manum de tabula. Qui enim de *luxu, fastu, pompa sæculari* Pontificia & Romana, quæ ostentatur in Publicis Inaugurationum & Solennitatum aliarum actibus, commentationem instituere vult: multa charta & otio opus habet. Mille enim hic testes, mille ora loquuntur. Quid si vero hæc sacra pomposa tantum, grandia, fastuosa essent, & non simul *blasphema*? Sufficiat dedisse clavem, & fundamentum interpretationis mysticæ. De cætero nihil habeo singulare quod hic addam his quæ scripsi de *Babylone mystica* ad Cap. XIV. [e] & in Commentario *Apocalyptico* ad Capp. XVII & XVIII. illius Libri; ubi loca ex hac prophetia allata exposita dedi.

Pagana respectus quatenus hic obtinere debeat?

Probabile est, figurari *Romam* secundum aspectum ejus *spiritualem*.

Nomen hujus *Babylonis* est μυστήριον.

Attributa Babylonis, ut hic describitur, ei in omni emphasi conveniunt. quod demonstratur ex attributis *Divinitatis, independentiæ, universalitatis, æternitatis, fastus*, &c.

Partis Quartæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

SERMO QUARTUS.

Deus Israëlis de novo publice comparet, instituitque convictionem acrem adversus Judæos illius temporis obstinatæ incredulitatis & ad idololatriam valde propensos, licet externo ritu ipsum colerent, de veritate suæ essentiæ, tum ex clarissimis prædictionibus præteriti temporis à se factis & ad numerum impletis; tum vero ex prædictionibus hisce novis de Liberatione Populi ob peccata tandem sua in Exilium mittendi ibidemque à vitiis suis purgandi, perficienda à Cyro. Inde leniore usus oratione compellat abductos in Exilium, eosque repetita convictione de instante sua Liberatione, & de se illius Liberationis auctore, edocet; simul oblique monet, peccata Gentis adversus fideles suas doctrinas & convictiones commissa in causa fuisse severi hujus judicii; hortaturque eos tempore Liberationis Babylonem derelinquere & ad sua redire, pollicitus iis certissima Providentiæ suæ subsidia.

CAPUT XLVIII.

1. AUdite hoc Domus Jacobi; qui appellamini nomine Israëlis; quique *ii estis qui* ex aquis Judæ exierunt; qui jurant per nomen Jehovæ; & Deum Israëlis commemorant: non in veritate, neque in justitia.

2. Imo vero à Civitate sancta denominantur, & Deo Israëlis innituntur, cujus nomen est Jehova Exercituum *Dominus*.

3. Priora inde ab eo tempore indicavi, & ex ore meo prodierunt, eaque vulgavi: repente effeci *illa*, & evenerunt.

4. Quod cognoscerem, te durum esse; & cervicem tuam esse nervum ferreum; & frontem tuam æneam.

5. Itaque indicavi *illa* tibi ab eo tempore; antequam venerit, te audire feci; ne diceres, Idolum meum ea fecit: & Sculptile meum ac Fusile meum ea jussit existere.

6. Audivisti: considera totum hoc: & vos an *id* non indicabitis? Audire te feci nova ab hoc tempore, & recondita quæ non cognoveratis.

7. Hoc tempore demum ea per Verbum meum extant, & non ab illo tempore; & ante diem fuit quo non audiveras illa: ne diceres, Ecce noveram illa.

8. Etiam non audivisti; etiam non cognovisti; etiam ab eo tempore non aperuit se auris tua, siquidem noveram, te perfide actu-

rum

[a] Apoc. XVII. 5. [b] Subjecta est Cap. XXIII. §. XIV. ad Not. 1. [c] Matth. XVI. 18. [d] l. c. [e] Pag. 444.

sum esse, & ab utero appellatum esse defectorem.

9. Propter nomen meum utar longanimitate, & propter laudem meam tibi continebo iram, ne te exscindam.

10. Ecce probavi te, sed non cum argento; elegi te in catino afflictionis.

11. Propter me, propter me, *inquam*, faciam: cæteroquin *enim* quomodo profanaretur *nomen meum?* At gloriam meam alteri non dabo.

12. Ausculta mihi, Jacob, & Israël, Vocate mi! Ego Ille; Ego primus, etiam Ego ultimus.

13. Etiam manus mea fundavit terram; & dextera mea expandit cœlos. Me eos vocante pariter adsunt.

14. Congregamini omnes vos, & audite: Quis ex illis hoc indicavit? Quem Jehova dilexit, exequetur voluntatem ejus in Babylonem; & brachium ejus *in* Chaldæos.

15. Ego, Ego loquutus sum: etiam vocavi illum; adduxi illum; eritque prospera via ejus.

16. Appropinquate mihi; audite hoc: Ab initio non sum loquutus in occulto. A quo tempore illud extitit, Ego ibi sum. Et nunc Dominus Jehova misit me, & Spiritum suum.

17. Sic ait Jehova, Redemptor tuus, Sanctus Israëlis; Ego Jehova, Deus tuus, te doceo conducibilia; præmonstro tibi viam, qua eundum est.

18. Utinam animum advertisses ad præcepta mea! Fuisset instar fluvii pax tua; & justitia tua ut fluctus maris.

19. Fuissetque instar arenæ semen tuum; & genimina viscerum tuorum ut scrupi illius. Non exscinderetur, neque extirparetur nomen ejus ab ante meam faciem.

20. Exite ex Babylone; fugite ex terra Chaldæorum; cum voce cantus: Annunciate, divulgate hoc; proferte hoc libero ore usque ad extrema terrarum: Dicite, Jehova redemit Servum suum Jacobum.

21. Et non sitierunt in Desertis locis; per quæ eos duxit: Aquas iis effluere fecit ex Rupe: fidit Rupem, fluxerunt aquæ.

22. Nulla pax, ait Jehova, impiis.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Concionis.

Argumentum hujus Sermonis.

Videri poterat Vates convictiones & disputationes suas; quas modo adversus Gentes, modo adversus Judæos refractarios & ad defectionem proclives pro veritate Divinitatis solius Dei Israëlis proximis Concionibus instituerat, jam terminasse, cum novissime de Excidio Babylonis, tam quod ad Statum ejus Religiosum, quam quod ad Civilem, tam luculenter & diserte vaticinatus esset. Nec tamen hactenus in eo subsistit: quin cum exploratam haberet incredibilem obstinationem & corruptum ingenium plurimorum hominum sui temporis, ad idololatriam propensissimorum, quicquid externo ritu Deum colerent ejusque nuncuparent Nomen; simul etiam prævideret & prænosceret novas à Deo defectiones post suum & Hiskiæ Regis obitum identidem erupturas & miserando tandem Exilio puniendas: *ἐπίμετρον* aliquod superioribus Convictionibus subjicit, quod hac *Concione* complectitur; ut siquidem fieri posset, errantes in viam revocaret; certe aculeum in animis illorum relinqueret; ut si omnino lubitum esset adversus stimulum petulanter calcitrare: id facere non possent absque dolore & læsione sua. Quod tamen ita agit, ut non obliviscatur meliorem & electam Populi partem quæ se in Exilio ad Deum Patrum suorum converteret, consolari promisso certissimæ Liberationis. Sic decurrit Elenchus Vatis, hoc ordine procedens. Primo, infert Deum hypocritas in Populo Dei sui & sequentium temporum compellantem, *Præfatione* justa ad scopum accommodata, quippe quæ comprehendit sequentis Elenchi causas & occasionem *a*. Inde idem Deus Elenchum ipsum ordiens; primo præmittit, se notabilia præteriti temporis Eventa per Prophetas prædixisse, eaque protinus accurate stitisse; ne qua superesset dubitandi ratio, se eorum auctorem esse *b*; cum sciret esse in Populo homines tam pravi ingenii & obstinatæ indolis, ut qualemcunque incredulitati suæ obtentum quærerent *c*. Dein addit, se nunc *nova* quædam, huc usque ignorata, videlicet Liberationem Populi Judæi à Cyro faciendam, ejusque Consequentia, clare prænunciare, easque suas prædictiones apud Populum deponere, ut suo tempore ex iis convinci possint de vera Dei Israëlis existentia & providentia erga suum populum; etsi satis norit, hoc tempore exiguum productura esse fructum *d*. Constituisse itaque Populum refractarium conjicere in caminum afflictionis & probationis, eumque expurgare; verum ita ut semper habiturus sit rationem promissorum gratiæ, & in ira recordaturus clementiæ; nullo respectu meritorum hujus Gentis; sed sui *e*. Huc usque progressus, & Populum afflictum spectans in Exilio, temperat orationem; quæ abhinc mollior fluit. Compellat itaque Electos illos in Exilio, docetque eos, primo, se æternum Deum, Universi hujus Creatorem, excitaturum esse & excitasse Cyrum, Populi sui Liberatorem, quippe qui solus illius gesta prædixerit *f*, & quidem in publico, plane ac diserte *g*. Deinde, non sibi vitio vertendam esse ostendit Populi Deportationem in Exilium, & Calamitates quæ eidem acciderunt, cum eum fideliter docuerit viam qua eundum erat, & paratus esset morigeris præstare Beneficia omnia quæ à gratia & fide ejus exspectari poterant *h*. Tandem consulit ipsis, instante & jam veluti præsente Liberatione, Babylonem deserere; pollicitus ipsis singularem curam providentiæ suæ, qua reduces in Patriam prosequeretur *i*: subjecto Epilogo, quo impiis in pessimis consiliis suis perdurantibus infaustum eorum exitum denunciat. *k*

Scopus hujus Concionis.

II. Intelligis ex dictis, Concionem hanc maximam partem esse generis *Elenctici*; cui tamen Elencho post medium eius *Consolatio* miscetur; atque adeo *Scopum* ejus *directum* illuc tendere; primo quidem, ut pravæ & obstinatæ indolis homines in Populo Dei quales bene multi erant ætate Prophetæ, & consequenti tempore existerent usque ad tempus Exilii Babylonici, redargueret, eosque convinceret de veritate præstantissimæ Naturæ unius veri Dei; quam gloriam illi à vero Deo transferebant ad *idola*, laudem suam Deo vero iniquissime detrahentes, ut patet ex ℣. 5. Dein etiam ut Electos, qui se in Exilio ad verum Deum converterent, in eadem fide confirmaret, quod agit ℣. 12. seqq. Secundo autem loco, ut Deus Populum suum, cujus mala & calamitates stylo Prophetico *miseratus fuisse* dicitur, in ipsis quoque hisce Convictionibus certum faceret de constante & durabili

a ℣. 1. 2. *b* ℣. 3. *c* ℣. 4. 5. *d* ℣. 6–8. *e* ℣. 9–11. *f* ℣. 12–15. *g* ℣. 16. *h* ℣. 17–19. *i* ℣. 20. 21. *k* ℣. 22.

rabili suo in eum affectu; tum quod eum in Exilio non perderet aut perire sineret, sed ipsam punitionem temperaret clementia, & Electos, per afflictiones purgatos, conservaret tanquam semen Novæ Ecclesiæ, ℣. 9. 10. 11. tum quod huic Populo suo per Cyrum, à se excitandum, aperiret portam, per quam exire possent in libertatem, ℣. 15. quem benevolum suum erga Populum affectum consignat figura Voti, quo prolixe declarat voluntatem iis ex fœdere præstandi amplissima Beneficia Gratiæ ac providentiæ suæ, si se ad normam Legum illius Fœderis composuissent, ℣. 18. 19.

Scena hujus Sermonis magnam requirit latitudinem. Pro gemino ejus *Subjecto* duplex. Utraque definitur.

III. *Scena* hujus Concionis pro gemina ejus parte magnam requirit latitudinem; sive potius pro *gemino* ejus *Subjecto* tempus duplex. Prior Scena absque dubitatione figitur in illo ipso tempore quo Vates noster prophetias hasce suas edidit; quod probabile est posterius esse clade Senacheribi. Compellat enim Vates & redarguit homines refractarios suæ ætatis, apud quos prædictiones suas vulgaverat, quique earum viderant implementum. Vide, sis, ℣. 6. Sed cum certo præsciret, homines ejusdem ingenii & malitiæ, cujus illi erant quos hic redarguit, duraturos in Republica usque ad finale judicium quod Deus iis infligeret per Babylonios; & jam prævideret Populum abductum in Exilium, & oppressum à Chaldæis; iterato alloquio sermonem vertit ad illos *Exules electos* jam jam à Cyro vindicandos in Libertatem, eosque solatur. Certa est sententia ex ℣. 20. *Egredimini Babylonem: fugite ex Chaldæis, voce cantus, & seqq.* quod dici non potuit nisi paratis exire Chaldæa, postquam à Cyro impetrassent ejus rei copiam.

Caussa ejus *Occasionalis.*

IV. De *Caussa Occasionali* editæ prophetiæ nihil habeo quod dicam præter dicta & repetita sæpius. Pessima indoles hypocritarum in Populo Dei, ab ipso perspecta, quam Vates officii sui censuit ubique fortiter retundere; & *calamitates*, quas prævidebat huic Genti consequenti tempore obventuras, quibusque calamitatibus ipsum quoque involveretur semen Electum in Populo superstes, occasionem non quæsitam sed proximam fecerunt Prophetæ, illos redarguendi, & hos consolandi.

Analysis ejus.

V. *Analysin* ex superioribus facile constituas. *Concio* est bimembris, in duas discreta *Partes*, quas præfixa alloquia dividunt.

Sectio Prima, complexa *Elenchum* ad Populum Judæum ætatis Prophetæ, ad idololatriam proclivem, de vera Divinitate Dei Israëlis.

- α. Solennis *Appellatio* Populi Judæi, ℣. 1. 2.
- β. Argumentum *Elenchi*, in quo
  - (a.) Præmittitur *Convictio* ex prædictionibus superioris temporis à Propheta editis & certo impletis, ℣. 3. 5.
  - (b.) Nova instituitur *Convictio* ex *novis* prædictionibus à Propheta factis, & antehac non editis, ℣. 6. 7.
  - (c.) *Habitus vitiosus Populi* erga has prophetias sibi à Deo revelatas, cum Eventu comparandas, ℣. 8.
  - (d.) *Pœnitio Populi* ob hanc incredulitatem, & ἀνοησίαν, sed cum temperamento Divinæ clementiæ, ℣. 9--11.

Sectio Altera, exhibens alloquium à Deo directum ad Semen Electum Populi in Exilio, brevi à Cyro vindicandi in libertatem.

- α. *Appellatio* hujus *Subjecti*, cum magnifica Dei de se præfatione, ℣. 12. 13.
- β. *Convictio* ipsa, *Doctrinalis & Consolatoria*, qua
  - (a.) *Prædictionem & Excitationem* Cyri sibi vindicat, ℣. 14. 15.
  - (b.) Docet, hanc à se *prædictionem* clare & publice factam, ut cæteras analogas, ℣. 16.
  - (c.) A se amolitur invidiam Malorum quæ Genti acciderunt. Potuisse enim Populum se uti favente, si aliter instituisset, ℣. 17--19.
- γ. *Adjuncta* Convictionis.
  - (a.) *Mandatum* de deserenda Babylone dum præ foribus est liberatio & salus Populi præsens; & de hoc *Beneficio* ubique vulgando, ℣. 20.
  - (b.) Et simul vulgando *Consequenti* hujus *Beneficii*, h. e. cura singulari Divinæ Providentiæ erga Reduces, figurate proposito, ℣. 21.
  - (c.) *Epilogus*, quo impiis & obstinatis peccatoribus salus vera negatur, ℣. 22.

Admonitio de Anacrisi

VI. *Anacrisi* hic supersedeo, cum de argumento hujus Concionis nemo prudens dubitandi occasionem habeat. Ipse etiam Cl. Coccejus, quod mihi gratum accidit, hic nobis consentit; adscribens: *Postquam* Propheta *de Babylone mystica egisset, quæ est simulacrum quoddam Populi carnalis, abnegantis justitiam Dei, non inconveniens erat, rursus Judæos compellari.* Video ego, rectissime à Babylone Literali descendi ad Mysticam; sed à Mystica retrogressum fieri ad Literalem, *minus* putem esse *conveniens*: quare plures mecum in hanc venient sententiam; in hisce proximis Concionibus, quas constat esse ejusdem argumenti, per Babylonem eandem rem intelligi; nec opus fuisse ab hac hypothesi discedere in interpretatione *Sectionis* proximæ.

Sectio Prima hujus Concionis complectens Elenchum directum ad Populum Judæum, respectu partis ejus deterioris, pro Divinitate veri Dei.

α. Appellatio *Judæorum*, ad quos Elenchus dirigitur.

Sectio prima hujus Sermonis, Elenctica ad Populum Judæum. α. *Appellatio* illorum, sive, *Præfatio Elenchi* ℣. 1. 2.

℣. 1. *Audite hoc Domus Jacobi, qui appellamini nomine Israëlis, quique* ii estis qui ex aquis Judæ exiverunt; *qui juratis per nomen Jehovæ, & Deum Israëlis commemoratis: non in veritate, neque in justitia.* ℣. 2. *Imo vero à Civitate sancta denominantur, & Deo Israëlis innituntur, cujus nomen est Jehova Exercituum.*] Exhibeo hic Elenchi hujus *Præfationem*, quæ complectitur appellationem justam & solennem, versam ad Populum Judæum; qui licet professione & ritu externo videretur veram sectari Religionem; Deum appellare Deum suum; & illi inniti: animo tamen erat obstinate incredulo, atque ad idololatriam propenso; & prophetiis verorum Vatum, inter quos excellebat Jesaias, parum tribuebat. Quomodo accipiendum dictum; & cui conveniat tempori; mox videbimus. Describitur autem Populus à variis attributis, iisque ad scopum Prophetæ accommodatis, ut in loco dicam. Incipit à nobili ejus ortu, quo Judæi superbiebant. Vocat illos *Domum Jacobi*, qui verus Pater Gentis. Abrahami enim posteritas se latius extendebat.

Populus describitur à variis ejus attributis.

Sur-

Domus Jacobi; Filii Israelis.

Surgit oratio, ubi addit, *qui appellamini nomine* ISRAELIS. h. e. qui dicimini *Filii Israëlis*. Phrasin & rem ipsam abunde illustravi, ad Cap. XLIV. 5. Quanto glorioſius nomen *Israëlis* erat, quam *Jacobi*: tanto majori honori erat, *Israëlis* quam *Jacobi* Filium dici. Sequitur nova gradatio: *Quique ii estis qui ex aquis Judæ exiverunt.* Sic accipienda phraſis Hebræa, quæ proprie ſonat: *Et ex aquis Judæ* יצאתם *exierunt.* Debebat eſſe ſecundum analogiam orationis, יצאתם *exiviſtis.* Eſt itaque enallage perſonæ, Vati noſtro frequens, ſæpius jam obſervata. Major eſt emphaſis, ſi dicatur; *Quique* II ESTIS *qui exierunt ex aquis Judæ:* quam ſimpliciter, *Qui exiviſtis.* Supponitur enim, magnum quid eſſe, ex *Juda* ortum eſſe, Jacobi filiorum nobiliſſimo, in quem inſigne Privilegium Primogeniturae, (*Principatus in fratres,*) collatum fuit. *Exire* autem *ex aquis Judæ*, eſt, naſci ex *ſemine Judæ*, ut Hebræi. Piſcator recte: *Ex Juda veluti ex fonte.* Deut. XXXIII. 28. & Pſ. LXVIII. 27. quæ loca Hebræi quoque huc recte reduxerunt. Semen liquidum, quod cenſetur in ſe *vitam habere*, hic comparatur *aquæ fontanæ*; & generantes *fonti.* Illuſtravi phraſin in *Obſervatis* primæ ætatis [a] ad Gen. XLIX. 4. & contuli פֵּשֶׁר ſimilem Vatis noſtri Cap. LI. 1. ubi *generantes* comparantur *puteo.* Quare gravis ratio nulla eſt, cur quis exiſtimet, τὸ ὰπὸ hic accipiendum acſi ſcriptum eſſet ממעי *ex viſceribus.* Verum res eadem eſt. Equidem poterant hæc omnia ita ſe habere, & tamen Populus non certo perſuaſus de veritate ſuæ Religionis eandem abnegaſſe. Imo vero res ſecus ſe habebat. Profitebantur enim externo ritu Religionem Patrum: quod Vates quarto addit; *Qui jurant per Nomen Jehovæ, & Deum Iſraëlis commemorant.* Eſt utique *jurare per Nomen Jehovæ*; in omni gravi Religionis actu Deum Jehovam ut actuum ſuorum teſtem & judicem publice ac reverenter appellare, & ſe cum Jurejurando ad Leges fœderis, cum ipſo iniri, ſolenniter obligare: quomodo phraſin in ſuperioribus interpretatus ſum [b]: *commemorare* autem *Deum Iſraëlis*, eſt in ſolennibus Primitiarum, Decimarum, Feſtorum, Sacris publicis Sacrificiorum, & in Caſibus extraordinariis, veluti Liberationum ex adverſis aut Victoriarum de hoſte reportatarum, Deum Iſraëlis publice commemorare, laudare, celebrare, alta & libera voce, ut conditorem ſuum & fundatorem ſuæ Gentis; ejuſdemque Conſervatorem, Liberatorem, Salvatorem, fortem, glorioſum, excellentem, nulli alii Numini comparabilem. Confer Cap. XII. 4. cum Pſ. XX. 8. Atque hæc hactenus ſatis erant ſpecioſa, & Genti Judææ glorioſa; ſed conjuncta vitio, quod omne hoc decus polluit. Addit Vates, *Non in veritate*, h. e. integro & ſincero animo; nec *in juſtitia*, h. e. non jure. Animus enim ipſorum non erat *rectus in iis.* Vel enim ſimulabant Religionem & reverentiam publicam veri Dei, animo propenſi ad idola; vel fiduciam ponentes in operibus ſuis aut præjudiciis carnalibus, ſuam juſtitiam, quæ nulla erat, ſuperbe jactabant; ſibi falſo ac maligne perſuadentes, Beneficia quibus ex bonitate & gratia Dei fruebantur, meritis ſuis longe inferiora eſſe. quod hypocriſios genus Deo eſt ſumme inviſum. Confer analoga loca 1 Reg. III. 6. Jer. IV. 2. Poteſt etiam *juſtitia* hic ſignificare affectum bonum, juſtum & actui Religionis conſentaneum, qualem Deus in ſuis requirit. Sed ne hic quidem ſubſiſtit Jeſaias. Subjungit quinto, (℣. 2.) IMO *à Civitate Sancta denominantur.* ſc. dicuntur FILII TSIONIS [c]. *Filia Hieroſolymorum* [d]. Id enim valere phraſin, *ab aliquo denominari*: ſupra jam evictum non repeto. Dicitur autem Hieroſolyma *Urbs Sancta*, quod à Deo electa conſecrataque eſſet cultui ſuo; quod ibidem in Sacrario Templi locatum haberet thronum ſuum ſuper Arcam inter Cherubinos; quodque adeo qui eam incolebant Urbem, aut ad eam referebantur, per *præſentiam Dei* ſanctificarentur. Unde dicitur *civitas Dei noſtri*; *mons Sanctitatis ejus*; CIVITAS MAGNI REGIS [e]. & ut in hoc loco, *Civitas ſancta.* Jeſaias repetit epitheton Cap. LI. 1. nec tantum apud Danielem [f], verum etiam apud Matthæum [g] occurrit: ne de Maccabaicis, in quibus obvia eſt appellatio, & Numis Hebræorum, ſive veris ſive adulterinis, qui præferunt עיר קדושה *Urbs ſancta*, nunc quicquam memorem. Non competit autem hoc epitheton in ſolos Hieroſolymorum incolas; verum etiam latiore ſenſu in Judæos omnes, qui Hieroſolymis recenſebantur [h], quique eam Urbem, non Regni modo ſed & Eccleſiæ Metropolin, reſpici volebant ut natalem, matremque ſuam [i]. De vocula כי mox monebo. Accedit ſextum: *Et Deo Iſraëlis innituntur, cui eſt nomen Jehova Exercituum* Dominus. h. e. Non tantum ſimulant, & præ ſe ferunt, fidere potentiæ Jehovæ, ut Univerſi totius Rectoris, in dubiis atque incertis Reipublicæ caſibus, qualis fuit caſus Senacheribi: (quem hic ſpectari, non dubito:) verum etiam in anguſtiis poſiti opem Dei ut Liberatoris Populi ſui vere implorant; ſed à Deo liberati ad priſtinum redeunt, & palam demonſtrant moribus ſuis, ſe neceſſitate preſſos ad illud confugiſſe remedium: ut ſolent in diſcrimine ſalutis conſtituti omnia tentare, & aliqua etiam contra interiorem animi ſui affectum. Nullum itaque hic dubium ſupereſt, niſi quod moveri poteſt de uſu vocalæ כי, quæ huic *commati* præſcripta eſt. Legitur enim, כי QUIA vel IMMO VERO, vel etiam QUI *ex civitate ſancta denominantur.* Communis ſignificatio hujus vocalæ eſt διτιολογικὴ *quia, quoniam:* ſed quæ hic non videtur ullum uſum habere poſſe; etſi inter Intt. ſint qui id tentant. Eſt Vir Doctus qui hanc partem ſententiæ Vatis connectit cum exordio Concionis. *Audite hoc*, ſc. QUIA *à Civitate Sancta appellati eſtis.* Sed ſi ita, quare hæc particula non eſt præfixa omnibus epithetis ſuperioris *commatis?* Sic enim emphaſis longe fuiſſet major. Imo vero qui orationem Prophetæ conſiderat, videt, illum ab his epithetis externis denominare illos quos ipſe hoc ipſo in loco deſcribit ut *hypocritas.* An itaque belle ſonat ſententia; *Audite hoc* QUIA nomen Jehovæ *per hypocriſin* profitemini? Cl. Coccejus conjungit verba cum ἀμέσως antecedentibus: *Qui jurant per nomen Jehovæ, & commemorant Deum Iſraëlis, non in veritate, neque in juſtitia:* QUIA *à Civitate ſancta denominantur, & in Deo Iſraëlis recumbunt:* ut ſenſus ſit; ideo eos *non jurare per nomen Dei in veritate & juſtitia,* QUIA *à Civitate ſancta appellantur.* Quomodo itaque? an hæc ſunt δούςατα, *per nomen Dei in veritate jurare, & à Civitate S. appellari?* Imo vero tantum abeſt, hæc eſſe δούςατα, ut in omnibus veris Credentibus concurrant. Et tamen Vir Doctus: Non congruunt illa, *Deum Iſraëlis nominare, & velle nominari ab Urbe ſancta*, h. e. Hieroſolyma terreſtri, *cum jam tempus ſit ut vocetur Deus Exercituum*, Jer. III. 19. Sed utique nec ſcena hujus prophetiæ Deum repræſentat ut *Deum Gentium*; nec nomen *Jehova Exercituum* primo ſenſu refertur ad *Exercitus Gentium*, ad communionem Dei vocandarum aut vocatarum; nec cogitandum eſt, Vatem gravem Elenchum voluiſſe fundare in tam remota ſubtilitate interpretationis Nominis *Jehova Exercituum.* Et vero, ſi primum hoc membrum eum in modum connectatur cum hac ſententia: quid fiet poſteriori, *Et in Deo Iſraëlis recumbunt.* An ideo *per nomen Dei jurant falſo*, QUIA *in Deo Iſraëlis recumbunt?* Non attingerem hæc profecto, ſi expoſitionis meæ ratio id non poſtularet. Ergo nihil reſtat niſi ut vocalam כי hic ſimpliciter ſumamus pro *copula* orationis *aſſeverativa* vel *explanativa*, ut pluribus aliis locis, eamque vertamus per IMO, vel *imo vero*, ut Piſcator & Belgæ; (de qua ſignificatione vocis videbis à me notata Cap. XXXII. 13.) vel per QUAMVIS, notatione pariter recepta; ut Jun. & Trem.

Qui exiverunt ex aquis Judæ. Animadverſio ad ſtructuram Orationis.

Supponitur privilegium magnum; ortum eſſe ex Juda.

Quid valeat phraſis, *Prodire ex aquis Judæ?*

Phraſis illuſtratur.

Populus hic externa ſpecie Deum colebat.

Quid hic *jurare per nomen Jehovæ?*

Idque *commemorare?*

Sed hoc officio non fungebantur *integro animo.*

Quo ſenſu accipiendum de his *Subjectis?*

Quid *juſtitia* hic ſignificet?

Quintum attributum: *Denominabantur à Civitate Sancta.*

Cur *Hieroſolyma* dicatur *Urbs Sancta?*

Latior aſpectus hujus Epitheti.

Sextum attributum: *Innitebantur Deo Iſraëlis.*

Sententia Viri Docti, qui ultima; *Quia à Civitate S. denominamini*, connectit cum primis; *Audite hoc:* quæ rejicitur.

Cl. Cocceji meditatio, quæ pariter non admittitur.

Sententia probabilior. Vocula כי hic ſumenda eſt *aſſeverative.*

---

[a] *Obſerv. S.* Lib. I. Diſſ. XII. Cap. I. §. III. [b] Cap. XIX. 18. XLV. 23. [c] Pſ. CXLIX. 2. [d] Cant. III. 7. [e] Pſ. XLVIII. 3. [f] Cap. IX. 24. [g] Cap. IV. 5. XXVII. 53. [h] Cap. XV. 3. [i] Pſ. LXXXVII. 3.

Trem. vel etiam per QUI, quam notionem voculæ docte adstruxit Glassius [a]. Nullum horum te abducet à mente Prophetæ.

Quales, cujusque temporis Judæi hic à Jesaia notentur?

Ad rem ipsam pertinet, quærere, *Quinam illi sint, cujusque ætatis Judæi*, quos Vates hic appellat? Deinde, *Quorsum* hæc faciat *congeries epithetorum*, quibus Populum Judæum circumscribit? Quod ad prius: respondeo absque ambagibus, esse Judæos hypocritas, maligni ingenii homines, temporis Prophetæ; inter quos ipse officio suo fungebatur; quibus prophetias suas proponebat & commendabat; sed qui eas cum contemptu recipiebant: qui licet animo à Deo alienissimi, & tales à Vate cogniti, moribus tamen & vivendi Lege sub Hiskia, pio Principe, profitebantur Religionem suæ Gentis; sed oblique ut dixi, Prophetam lancinabant, & prædictiones ejus vilipendebant: quod semen incredulorum & hypocritarum Jesaias prævidit extinctum non iri nisi cum Republica. Ipsi illi sunt adversus quos Deum proxime disputare fecit, Cap. XLV. 9. 10. & antehac Cap. XLIII. 22. ne superiores Prophetæ nostri & subsequentes disputationes, adversus hos homines institutas, huc advocem [b]. Imo ne in Exilio quidem hunc deposuerunt affectum; sed Prophetam Ezechielem consulentes, illum animo irridebant, de quo Deus ipse Vatem monuit. Non errare autem nos in *Subjecto*, sequentia evincent. Alterum Quæsitum est, *Quorsum* faciat collectio horum Epithetorum quibus Deus *Populum* Judæum appellat? An ut illis blandiatur? Cave, credas. Sequentia te docebunt, Prophetam convictionem iis intentare asperrimam. Huc facit, ut doceat; se Privilegia hæc, quæ malitiæ & hypocrisi suæ prætexere solebant, parvi & vere nullius facere, cum sejuncta sint à charactere proprio & διαφορικῷ *veri filii Israëlis, & Judæ*, & genuini *filii Tsionis*, h. e. à vera *fide* conjuncta cum animi integritate, puritate, humilitate, & quæsitione justitiæ Dei. cætera quæ ipsi magnifice celebrabant; sibi non mediocria tantum, sed & parva esse. nihili valere apud Deum, si ab his, quæ verum Dei fœderatum faciunt, separentur. Imo multum valitura ad illorum damnationem, nisi resipiscerent. Si enim majoribus gloriari vellent; debere illorum exemplum sectari; Jacobi fidem, humilitatem, candorem, patientiam; in Deo fiduciam: Judæ, nobilem ac generosam indolem, & erga Deum affectum. Si à *Civitate Sancta* appellari: debere testatum facere & Ministris Dei probare, se per communionem Dei sanctificatos purgatosque esse. Quod autem hic excipiant; se utique *per Nomen Dei jurare*; ac *Nomen* ipsius in publico *commemorare*; & *Deo* tanquam *Exercituum Domino inniti*, ut nuper fecerant in dubio statu Reipublicæ, quando Senacheribus iis extrema minitabatur [c]; nosse se, hæc eos facere per hypocrisin: nihil in animo ipsorum purum, nihil integrum esse. Vides itaque hæc epitheta à Propheta recenseri omnia, ut partem facerent convictionis, & ad eam intendendam concurrerent: solummodo observes, verba, *Non in veritate, nec in justitia*; in hac pericopa παρενθετικῶς legenda esse.

Quorsum tot epithetis ipsos honestet?

Non sane ut ipsis blandus sit.

Sed ut doceat, se hæc privilegia parvi facere, si sejuncta sint à *fide* & à sincero animi affectu.

Exceptio illorum retunditur.

Epitheta hæc partem faciunt *Convictionis*.

Hos vero tales *audire* vult Propheta quod hac *Concione* iis rursus proponere decreverat; ut si forte ob animi sui duritiem non permoverentur ad resipiscentiam: saltem convincerentur, & non Divino tantum sed & suæ conscientiæ judicio sontes fierent. Vult autem eos *audire* וארז HOC; tam quod iis protinus declaraturus erat; quam quod in superioribus exposuerat. Conciones enim hæ, ut prudentes videbunt, in eodem decurrunt argumento.

β. Argumentum *Elenchi Partis Prioris.*

(a.) *Convictio* ex prophetiis superioris temporis.

Quæ *Convictio* primo proponitur.

℣. 3. PRIORA *inde ab eo tempore indicavi, & ex ore meo prodierunt, & audienda præbui illa:* DEREPENTE *effeci* illa *& evenerunt.*] Elenchus hic rursus instituitur ex *Prædictione* rerum casualium futuri temporis; sive quod hoc argumentum sit invincibile & ad cujusvis captum accommodatum; ut vere est: sive quod Jesaias, dum ex hoc argumento probat veritatem Dei Israëlis, simul suam stabilit auctoritatem; liberrime provocans apud incredulos, hypocritas, profanos, pessimi ingenii homines & in se male affectos, ad certum implementum prædictionum suarum, atque inde confirmans auctoritatem officii sui; secundum hunc indubium canonem Jeremiæ [d]: *Ad Prophetam* quod attinet *qui loquutus fuerit de* PACE: (pariter de bello, peste, calamitate alia:) *Si* VENIAT VERBUM ILLIUS *Prophetæ; cognoscetur* (demonstrabitur,) *Propheta ille tanquam quem Jehova vere miserit.* Prior Convictionis Pars, quam hic exhibeo, ducta est ex *Prædictis* à Deo superioris temporis, *ipsis testibus*, certo impletis. PRIORA, ait, se *indicasse*, (ante oculos ordine stitisse, quam sæpius jam demonstravi emphasin vocis הגיד) & *ex ore suo prodiisse*, (sc. revelata suis Prophetis,) & ab iisdem clarissime *promulgata esse*, ut nemo eorum ignorationem incredulitati suæ & hypocrisi obtexere queat: eadem vero illo *suo tempore* confestim esse effecta, coram ipsis testibus, ita ut implementum accurate responderit prædictioni, eique abunde satisfecerit. Quæris, quænam illa sint *priora*, quorum Vates hic meminit? Notio in *superioribus Concionibus* non semel occurrit; sed cum *relativa* sit, pro circumstantiis loci diversa significatione. Sic Cap. XLI. 21. הראשונות *priora* notant quæ in casibus futuri temporis, ante alia quæ *posteriora* dicuntur, ordine sunt eventura. Pariter Cap. XLIII. 9. Sed hoc nostro in loco per *priora* intelliguntur casus & gesta temporis jam lapsi & præteriti à Prophetis prædicta; κατ' ἀντίθεσιν *Posteriorum*, quæ tempore procedente eventura essent. Habes notationem vocis clarissimam Cap. XLII. 9. loco huic nostro parallelo. PRIORA ILLA הראשונות *ecce venerunt:* & NOVA *ego indico: antequam efflorescant, eadem à vobis audiri feci.* Sunt itaque Intt. qui per *priora* hic intelligunt Casus & Eventus notabiliores Populi Dei qui acciderunt inde ab exitu ex Ægypto. Sed sequentia verba ℣. 4. 5. docent, intelligi prædicta quædam à Propheta edita apud ipsos illos homines, apud quos convictio hic instituitur. Ergo nullus plane dubito, quin Vates hic respiciat cum cætera Eventa sui temporis, inter quæ infaustum successum expeditionis Regum Syriæ & Ephraimi adversus Achazum; & utriusque Populi & Regni excidium, intra breve futurum [e]; & quæ alia huc pertinent multa; tum inprimis grandem illum & memorabilem eventum Expeditionis Senacheribi, ejusque Expeditionis exitum, & Senacheribi cladem, à Jesaia sæpius & clarissime prænunciata. Editæ erant hæ prædictiones à Jesaia apud ipsum illum Populum Judæum, quem hic directe compellat; & Populus idem testis fuerat implementi prædictionis. Equidem in loco Cap. XLII. 9. *Priora* latius interpretatus sum, & res Cyri iis incluси, quia circumstantiæ illius loci id videbantur postulare. Scena enim illius prophetiæ constituitur in tempore adventus Filii Dei. Nec tamen hic quoque loci refugerem hanc interpretationem, si scena hujus Concionis figeretur in tempore Reditus Judæorum ex Exilio. Sed res secus se habet, ut mox patebit. Notiones *priora* & *posteriora* sunt relativæ, earumque interpretatio est aptanda circumstantiis orationis.

β. Ipsum *Elenchi* argumentum.

(a.) Ex *prophetiis* superioris temporis.

Propositio ℣. 3.

Elenchus quare rursus instituatur ex *prædictionibus futuris* à Deo per se editis.

Erant, si implerentur, certum argumentum Divinitatis & veri Prophetæ.

Locus Jer. XXVIII. 9.

Verba Prophetæ paraphrastice declarantur.

Priora quænam h. l. sint intelligenda, contradistincta *posterioribus*?

Sensus de iis Interpretum.

Secundo, *intenditur.*

Articulus primus.

Definitur præcisius.

℣. 4. *Quia cognoscebam, te durum esse; & cervicem tuam esse* NERVUM FERREUM; *& frontem tuam æneam.*]

Locus hic cum analogo Cap. XLII. 9. comparatur.

Intensio Convictionis ℣. 4.

---

a Gram. S. Lib. III. Tract. II. Can. XV. *b* Cap. I. II. X. 6. XXIX. 13. XXXII. 6. *c* Confer 2 Chron. XXXII. 8. *d* Cap. XXVIII. 9. *e* Cap. VII. VIII. IX. & ℣. 7. seqq. XVII. 1. seqq.

eneam.] Liquida verborum sententia. Solet incredulitas, sinistro affectu roborata, ubique rimam quærere qua evadat, si fortiter oppugnetur, & acriter convincatur. Nulla enim fere demonstratio veritatis apud pravi ingenii homines, in contraria tendentes, tam presse & solerter instituitur; quin hic illic inveniant effugium. Verum enim non amantibus difficulter persuadetur. Ergo si forte pro probanda Divinitate veri Dei aut Verbi ejus prophetiæ antiqui temporis in medium producantur, quæ ad eventus sequentis temporis commodissime referuntur in ordine ac serie sua: vel fictas illas esse & Divino Nomini obtrusas ajunt; vel dubii sensus: cæteroquin non negaturi, prophetias veras à Deo esse. Propheta itaque, Dei caussam agens, cum perspectam haberet ingenii illorum malitiam ac versutiam, ut eos arctissime constringeret, omnemque iis præcideret dubitandi aut in incredulitate sua perseverandi obtentum; memorabiles quosdam & paradoxos casus, brevi post extituros, clare & explicate prædixit, ut illorum expugnaret incredulitatem pervicacitatemque, quod sc. ut hic ait, Deo perspecta esset incredibilis animi illorum *durities*, & *impudentia*. Quam hic emphatice Propheta, testimonium hoc convictorium adversus Judæos tribus sententiis consignat? Primum ejus est, *quia te cognoscebam* DURUM *esse*. h. e. *durum animo*, quæ phrasis est apud Ezechielem [a]. Qualitas ipsa Mosi est עֹרֶף *durities* [b]. Est autem quædam animi pervicax obstinatio in sententiis judicii, proposito, actionibus & more vitæ; ut licet certis & claris rationibus de errore, aut propositi vitio consiliique stultitia, convincaris, in illis tamen animi sententiis atque statutis inflexili pertinacia persistas. Dicitur stylo Prophetico *cor lapideum* [c]: *actus* autem Dei judicialis, quo hominem respectu status sui spiritualis missum facit, & Satanæ *indurandum* relinquit, hac ipsa *indurandi* notione [d] designatur. Alterum est; *Et nervus ferreus cervix tua.* h. e. eam tibi longo usu contraxisti habitudinem, ut ad me, te à tergo vocantem ad resipiscentiam, ab errore & vitiis respicere & convertere, mihique obsequi, ineptus sis. Ad respectum enim ejus qui nos ex obliquo vel à tergo vocat, requiritur inflexus colli. Alluditur, vel ad hominem, cujus *musculi* cervicis, vertebræ proximi, per obstructiones ex qualicunque caussa natas obduruerunt, ut *cervicem* difficulter flectat vel reflectat; vel ad *boves*; sive qui pertinaciter renuunt inflectere collum, ut *jugum* sibi imponatur; quod solent facere *refractarii*; (quomodo Cl. Bochartus emblema accepit [e]:) sive quorum cervices à jugo illis imponi solito contraxerunt callum & duritiem, vitiatis musculis, ut colla facile flectere nequeant. unde Judæi σκληροτράχηλοι *duri cervice* [f]. Res eadem. Est autem comparatio pro stylo Vatis nostri summe emphatica, quæ alibi quod sciam, non occurrit: etsi *durities cervicis* Genti Judææ in convictionibus frequens tribuatur. Cum enim in cæteris metallis aliqua flexibilitas insit: *ferrum* plane est *flecti nescium*, ob partium ejus rigorem ac tenacitatem summam: גִּיד autem hic proprie non est *nervus*, sed *musculus*, ut etiam alibi [g]. *Musculi* enim sunt motus voluntarii vera instrumenta. Tertium: *Et frons tua anea*, h. e. quæ colorem non mutat; sed eodem consistit statu: sive, quæ *rubere* vel *pallere* nescit; *rubere* videlicet ob errores & vitia commissa; *pallere* ex metu judiciorum Divinorum peccatoribus per interminationes Propheticas denunciatorum. quæ si ad animum referas: notant obstinatam firmitatem animi, omnes respuentis mutationes, quas Deus per ministros suos ut per *instrumenta moralia*, in eum inducere laborat. Desumitur autem hic similitudo potius ab *ære* quam ab alia metalli specie, quod ejus color ad consistentiam coloris frontis humanæ propius accedat. Alibi frons *adamantina*, *petricosa* [h], *silicea* [i]: sed in meliorem partem. ut sane *firmitas*, *constantia*, & *consistentia animi*, si in opere bono aut in ministerio Dei verseris, summam laudem habet, & merito censetur magnum argumentum Divinæ gratiæ. Sed ad convictiones acres & verissimas non moveri animo; non pudefieri aut expallescere; in vitiis & sceleribus absque pudore consistere: frontis est *meretriciæ*, quæ *rubere* nescit [k]. En testimonium Prophetæ de incredibili & obstinata duritie animi Gentis Judææ, in præjudiciis suis pervicaci proposito persistentis; & ad clarissimas convictiones & contestationes se movere aut flectere nesciæ: quod idem est testimonium Mosis & Prophetarum [l]. quam Gentis obstinationem in præjudiciis & propositis tota historia ejus ab antiquis usque ad nostra tempora confirmat. Quod enim per tot sæcula persistant in incredulitate in clara luce Evangelii; ante oculos illorum splendentis, & sentiant flagella vindictæ Divinæ eos ubique persequentis: nihil eos movet. Obdurant animum & frontem adversus omnem convictionem; & *suis vitis* perire malunt, quam *meliorem* ab aliis discere. Ecquæ vero caussa hujus indolis? Haud dubie hic concurrunt variæ. Putem aliquid esse in κράσει, ut loquuntur, sive *temperamento communi* hujus Populi, quod faveat huic vitio. Sunt enim bene multi illius ingenii homines, qui aliorum monitis aut consiliis semper contranituntur tenduntque in vetita; ex mera indolis perversitate. Sed præcipuæ & genuinæ caussæ sunt, α. Affectus pravi induratique, odii, invidiæ, iræ, vindictæ, cupiditatis, ambitionis, ad quos judicium conformatur, quibusque, ut vere dicam, servit. β. Judicium Dei gravissimum, quo permittit Satanæ, hos sinistros ac damnabiles affectus in homine conservare & excitare; quod Deus homini nunquam decernit, nisi *amorem veritatis* sponte sua repulerit.

Affectio omnis incredituli, præjudiciis occupati, Deo renitentis.

Durities Populi Judæi ujus genesis *qualitas ritosa*? Describitur.

Phrasis analoga, *Cordis apidei.*

Phrasis, *Cervix tua st nervus, erreus*, exponitur.

Metaphora nde desumta sit? Referri potest vel ad *omines*, vel d *boves*, sic corpore ffectos. Utraque declaratur.

Emphasis hrasios.

Significatio vocis גִּיד. n. l.

Frons tua enea. Sensus hrasios.

Vitium ea noratum.

Metaphora unde sumpta?

Articulus alter.

℣. 5. *Itaque indicavi tibi ab illo tempore: antequam venerit, te id feci audire; Ne diceres, Idolum meum ea fecit, & sculptile meum aut fusile meum ea hoc ordine fecit existere.* ℣. 6. *Audivisti; considera totum hoc: & vos an id non indicabitis?*] Continuat Elenchum, eodem fere procedens pede, oratione satis intelligibili. Verti vocem מֵעַתָּה *Ea hoc ordine fecit existere*; quam emphasin vocis colligere licet ex Cap. XLV. 12. Oratio ℣. 6. satis pressa est, sed non dubii sensus. *Audivisti*, ait Deus, totum illud de quo loquor, clare prædictum; quod te diligenter *considerare* (proprie, *inspicere*,) & ad animum revocare velim: simul autem vidisti prædictorum implementum, idque notorium. Eritne vero in vobis, ait, tanta animi perversitas, ut alterutrum horum negetis, idemque *indicare* ac præ vobis ferre renuatis? Si vero profiteamini aut præ vobis feratis, ad quod conscientia vos impellit: quid supereſt quam ut mihi & quidem mihi soli debitam tribuatis laudem veræ Divinitatis? Convictio enim & demonstratio ejus est generis, quæ nullum effugium reliquum faciat.

Articulus alter. Instantia convictionis, ℣. 5.

Paraphrasis ℣. 6.

(b.) *Convictio* ex prophetiis *novis*, hoc tempore editis, de rebus in *futurum* gerendis.

℣. 6. med. *Audire te feci* NOVA *ab hoc tempore*; & RECONDITA *quæ non cognoveratis.* ℣. 7. *Hoc tempore demum* EA PER VERBUM MEUM EXTANT: *& non ab illo tempore: ante diem non audivisti illa, ne diceres, Ecce noveram illa.*] Altera *Convictionis* pars sumpta est à Revelatis prædictisque *novis*, quatenus oppositа erant Revelatis prædictisque *anterioribus*, ipsa illa ætate Vatis nostri impletis. Sunt autem NOVA hoc loco prædicta *superioribus* hisce *Concionibus* facta de *Liberatione* Populi Judæi ex Exilio per *Cyrum*, & *Liberationis* illius *Consequentibus*; inter quæ Consequentia eximium esset Beneficium Manifestationis *Regni* Dei & *justitiæ ejus* inter Gentes sub Messia, Ecclesiæ procraturo Libe-

(b.) Convictio altera quæ instituitur ex prophetiis *novis*, ℣. 6.

Summa hujus Convictionis.

Quænam sint illa *nova*, à Propheta prædicta, antiquis contradistincta?

[a] Cap. III. 17. [b] Deut. IX. 27. [c] Ezech. XXXVI. 26. [d] Deut. II. 30. [e] *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XL. [f] Act. VII. 51. [g] Gen. XXXII. 33. [h] Ezech. III. 9. [i] Jes. L. 7. [k] Jer. III. 3. [l] Exod. XXXII. 9. Deut. IX. 6, 13. Jer. VII. 26. Neh. IX. 16. 17. 29.

rationem ſpiritualem: de quo vidimus Cap. XLII. 9. Omnia Eventa poſteriora clade Senacheribi complexe ſumpta Jeſaiæ dicuntur NOVA; non ſane quod de his rebus in ſuperioribus plane non eſſet vaticinatus; quodque pariter Moſes & Prophetæ de iis loquuti non fuerint: ſed quod ea claritate in omni ſua circumſtantia huc uſque neque à Jeſaia neque ab aliis Prophetis patefacta deſcriptaque fuerint. Quæ eadem hôc eodem ſenſu appellantur נסתרות *recondita*, ſervata, clauſa, *σεσιγημένα*. Danieli מסתרות & רזים [a]; *κατακεκρυμμένα*. Clauſa enim huc uſque in *theſauris Decretorum Divinorum* (phraſi Moſaica [b];) fuerant, hactenus ex iis non producta: ſed מעתה AB HOC TEMPORE ſc. præſenti, placuerat Deo hæc arcana conſilii ſui recludere. Eodem pertinet quod additur; עתה נבראו NUNC *creata ſunt, & non* מאז A TUNC. Grotius ita accepit verba Prophetæ, acſi ille voce, נבראו CREATA SUNT, hoc loco deſignaret actualem productionem rerum decretarum; quam ſane vox optime ſignificare poſſet, ſi contextus non reclamaret. Vates aperte loquitur de *Revelatione prima* rerum hùc uſque non revelatarum, ſed Divino intellectu clauſarum, quæ *Revelatio* hic dicitur *creatio*. Quo ſenſu? ais: videtur enim eſſe paradoxum. Imo vero ſenſu oppido elegante, & ad rem ipſam accommodato. Quæ enim *revelantur*, per *verbum* quod *ex ore Dei* prodit, exiſtunt: qui eſt character Creationis. Vidit Kimchius: ſed Aben-Ezra, נעשו *decreta ſunt*. Non abſurde quidem; quippe vox hanc notationem ferre poſſet: *decreta* enim ubi formantur ac definiuntur, utique dici queunt *creari*: ſed textus orationis, ut jam monui, evidenter docet, agi de Revelatione decretorum. Sequentia verba, ולמני יום ולא שמעתם quæ proprie ſonant, *Et antè diem & non audiviſti ea*: vere vertenda ſunt, *Et ante diem non audiviſti illa*. Præfixa enim ו in voce ולא, ſecundum Hebræorum ſtylum, παρέλκει: ut in verbis ביום השלישי וישא אברהם את עיניו *Die tertio*, ET *ſuſtulit Abraham oculos ſuos*. ANTE DIEM, h. e. ante hoſce dies proximos, quibus hæc revelatio tibi obtigit, & à me publice vulgata eſt. Quæris, quomodo ante rem geſtam auditores Jeſaiæ poſſent convinci de veritate hujus prædictionis? Reſpondeo, α. Potuiſſe eos præſumere veritatem prædictionis ex cæterarum *analogia*. β. Prædictio tam dilucide cum circumſtantiis cauſſiſque Eventuum fuit propoſita, ut ex eo etiam intelligi poſſet, non eſſe ficta. γ. Jeſaias non vult hanc prophetiam habere vim perfectæ demonſtrationis & convictionis ante rem geſtam.

(c.) *Habitus Populi vitioſus* erga has convictiones Divinas, incredulitatis & *ἀνοησίας*.

℣. 8. *Etiam non* AUDIVISTI; *etiam non cognoviſti*; *etiam ab eo tempore non aperuit ſe auris tua*; *quippe noveram, te perfide acturum eſſe, & defectorem appellatum eſſe ab utero*.] Verba gemino modo accipi poſſunt: vel ut Propheta repetat ſive confirmet dictum *commatis ſuperioris*, cujus ſenſus eſt; Judæos harum rerum novarum ſibi revelatarum ante *ἀποκάλυψιν* Dei factam Jeſaiæ, nullam habuiſſe notitiam: quem ſenſum hic prætulerunt Intt. Belgæ: vel ut contineant convictionem Populi Judæi de ſua *ἀνοησίᾳ inconſiderantia, incredulitate*, & præjudiciorum *pertinacia*; quod licet Propheta ab eo tempore quo officiô functus eſt, inter Judæos potenter vaticinatus ſit, & prædictis non defuerit certus ac circumſcriptus eventus: ea tamen fuerint animi duritie & *ἀνοησίᾳ*, ut ad prædictiones illas ſibi factas non *attenderint*, neque eas *diſcreverint*; neque ex iis duxerint *conſequentias rationales*; neque perſuaſi ex iiſdem prædictionibus ſe Deo exhibuerint *morigeros* & *dicto* ejus *audientes*: ſed quod cum *ἀνοησίᾳ* & ſtupore animi in incredulitate ſua obſtinate perſtiterint. Nec tamen ait Deus ſibi id mirum accidiſſe. Populum enim à primo tempore adoptionis ſuæ ſive Liberationis ex Ægypto, (quando *ex utero* veluti emiſſus eſt,) ſe reum feciſſe *ſtuporis, perfidiæ*, ac *defectionis à Deo*: indolem ejus ab ortu ſuo prodidiſſe. Poſteriorem hunc ſenſum abſque dubitatione amplector, quippe qui ſolus præſtat nexum utriuſque membri hujus ſententiæ. Quod enim dicit; QUIA *noveram, te perfide acturum*: neceſſario ſupponit, in proxime præcedentibus actum fuiſſe de antiquo Populi vitio. Ignorantia autem rerum hactenus non revelatarum non eſt vitium. *Audire* itaque hic eſt *attendere, & diſcernere*: *videre*, rem rationaliter intelligere & ex ea rationales ducere conſequutiones: *aperta auris*, promptitudo voluntatis in audiendis verbis Dei, & mandatorum Divinorum obſervantia. Phraſes Jeſaiæ noſtro familiares ſæpius jam illuſtravi, proxime Cap. XLII. 18. 20. Vox בגד *perfidia, prævaricatio*, hic reſpicit *hypocriſin* & *incredulitatem*. פשע *Defectio* recte refertur ad *idololatriam*: etſi nihil opus eſt hæc tam ſubtiliter diſtinguere. Quod autem dicitur, *te ab utero* APPELLATUM ESSE *defectorem*: ſic accipe, acſi ſcriptum eſſet, *Te ab utero extitiſſe defectorem*. *Appellari* enim Hebræis eſt *eſſe*. Nec tamen illud *eſſe* vel *exiſtere* plane hic reddit vim vocis *appellari*. Notat enim, *exiſtere cum inſigni aliquo attributo*. Senſus perfectus eſt; *ab utero* in te obſervari potuit hoc inſigne attributum *defectionis*. Sic Vates poſter Cap. I. 26. *Et* APPELLABERIS *civitas juſtitiæ*.

(d.) *Punitio* Populi incredduli & hypocritæ, cum temperamento *clementiæ*.

℣. 9. *Propter nomen meum* UTAR LONGANIMITATE, (proprie, *prolongabo naſum meum*,) *& propter laudem meam* TIBI CONTINEBO iram, *ne te exſcindam*. ℣. 10. *Ecce probavi te, ſed* NON CUM ARGENTO; *elegi te in catino afflictionis*. ℣. 11. *Propter me, propter me*, inquam, *faciam: nam quomodo profanaretur? & gloriam meam alteri non dabo*.] Ubi Propheta in *ſuperiore contextu* Populum Judæum convicerat de perverſitate indolis ſuæ & obſtinata incredulitate ſua, quæ ſe à nulla demonſtrationis vi expugnari pateretur; ſubſequi debebat, primo, Deum hac ipſa de cauſſa Populum ſuum traditurum eſſe graviſſimæ afflictioni, & quidem miſſurum in Exilium, in *caminum afflictionis*: ſecundo, Deum pro jure ſuo & rationibus juſtitiæ ſuæ ac pro reſpectu meritorum hujus Populi, potuiſſe hunc cœtum refractariorum in Exilio ſibi relinquere; perdere; & plane in nihilum redigere: ſed conſtituiſſe uti moderamine, ac rigorem juſtitiæ temperare clementia; & in ipſo Exilio aliquos & quidem bene multos *ſervare* & *ſibi vindicare*: non ſane reſpectu *meritorum* hujus Populi; ſed reſpectu *ſui glorieque* ſuæ quam à Gentibus profanari nolit. Verum cum odioſa eſſet commemoratio malorum, quæ Deus Populo ſtatuerat infligere, quæ debuiſſet facere τὴν πρότασιν hujus pericopæ: Vates noſter ſolam exhibet partem poſteriorem, ſive τὴν ἀπόδοσιν, ex qua prior cognoſci atque intelligi poterat. Docet itaque duo, α. Se uſurum eſſe *longanimitate* & *moderamine* in infligenda pœna, quod exequitur ℣. 9 & 10. β. Se id facturum eſſe non reſpectu ullius qualitatis aut meriti populi Judæi, ſed *ſui cauſſa*: ne nomen ſuum à Gentibus *profanaretur*, ℣. 11. Convenit oratio per omnes partes, & in omni ſua περιφερίᾳ, analogæ quam habuimus Cap. XLIII. 22--25. Quandoquidem itaque hic in re ipſa nihil dubii ſit: nihil nobis hic negotii eſt, niſi ut illuſtremus phraſin Prophetæ hac illa parte obſcuriorem; & verbum addamus de prophetiæ implemento.

In phraſi Vatis id primum occurrit notabile initio ℣. 9. למען שמי אורין אפי quod, licet veneuſtiſſime dictum & certæ ſit interpretationis, Intt. bene multi non feliciter acceperunt. Hieron. *Propter nomen meum longè faciam furorem meum*. quod ita intelligi vult: *Diſtuli furorem meum*, ut patet ex *Commentario* ejus. Sic Piſc. *Propter nomen meum differam iram meam*. pariter Belgæ. Equidem contra mentem Prophetæ & genuinam vocis

[a] Dan. II. 22. 29. [b] Deut. XXXII. 33. [c] Gen. XXII. 4.

Temperamentum ſententiæ.

Emphaſis vocis נגזרות.

Illuſt. Grotii meditatio. In eam ἐπίκρισις.

Quo ſenſu quæ à Deo revelantur, dici queant *creari*?

Verſio ſequentium verborum conſtituta. Præfixa ו in phraſi Prophetæ παρέλκει.

Habitus Populi vitioſus ad illa *Revelata*, ℣. 8. *Etiam non audiviſti, &c.*

Senſus Intt. quorundam ſuper hac pericopa, qui idem hic dici putant quod in *ſuperioribus*.

Sententia alia, quæ hæc accipit de *ἀνοησίᾳ ſtupore* Gentis Judææ circa *Revelata* à Deo.

Poſterior interpretatio præfertur, & adſtruitur.

Phraſes Vatis, *Audire*, *Cognoſcere*, *aperta auris*, exponuntur.

Vis vocum פשע & בגד h. l.

Notio *appellari* quomodo hic loci accipienda?

(d.) *Punitio Populi incredduli*, & hypocritæ, cum moderamine clementiæ, ℣. 8. 9.

Oratio Prophetæ quomodo hic concepta ſit? quidque in ea ſupponatur, ultro à Vate prætextum?

Summa hujus pericopæ.

Phraſis, למען שמי אורין אפי *prolongabo iram meam*? non bene accepta ab Hieronymo.

Verus ejus ſenſus.

vocis

vocis significationem. Vates supponit in hac pericopa, Deum populum suum puniviſſe; non, *diſtuliſſe pœnam*. agit enim hic tantum de pœnæ moderamine. Vox autem אריך *prolongare* non notat aliquid *differre*; ſed rem cœptam & quæ in facto aut in curſu eſt, in longum producere, longiorem facere. Cl. Coccejus: *Prolongabo iram meam.* Non fugit Virum Doctum verus phraſios ſenſus; nec tamen videtur eum recte expreſſiſſe. *Iram* enim *prolongare* proprie eſt eandem in longum producere atque extendere, h. e. in longum punire. Ergo verti debet phraſis, *prolongavi* NASUM MEUM. h. e. uſus ſum clementia, longanimitate. אפים אריך LONGUS FACIE vel NASO Hebræis dicitur *longanimis*, clemens. Solent enim qui longiore ſunt facie, hoc eſſe animi affectu; perinde ac *irucundi* breviore ac contractiore facie: iidemque concepta ira *naſum* attrahunt; *longum* autem habent aut relinquunt, qui clementia utuntur. ut proinde *naſus* ſignum faciat *clementiæ* vel *iræ*, eandemque ob rationem eadem notio אף *iram* notet & *nares*. Sic Jun. Trem. hoc loco docte: *Propter nomen meum* LONGANIMIS ERO. Cocc. in *Lex.* Μακροθυμήσω. Non *differendo pœnam*, etiamſi id quoque ſignificare poſſet notio: ſed exercendo clementiam in pœna temperanda; ut in ipſa punitione *meminerim miſericordiæ*. Sequens membrum plus dubii habet. Hebraice ſic legitur: ותהלתי אחטם לך ubi primo incerta eſt ſignificatio vocis חטם, quippe quæ hoc ſolo loco extat: deinde, minus liquidum, an vox תהלתי *laus mea* hic ſit conſtruenda cum notione אחטם; an vero *elliptice* explicanda. inde jam diverſæ illæ interpretationes hujus membri. Hieron. *Et laude mea infrænabo te, ne intereas.* h. e. ſecundum ipſum, *Ob laudem nominis mei infrenabo te, ut me tanquam jumentum & infrenis equus ſequatis invitus.* Baſileenſes: *Propter laudem meam prolongabo iram meam tibi, ut non ſuccidam te.* Jun. & Trem. *Laudem meam obſignatam aſſervabo tibi.* Piſc. *Propter laudem meam obſignabo eam* (ſc. iram,) *tibi.* Cocc. *Propter laudem meam continebam me* (quaſi dicas, *continebam naſum meum*) *tibi, ne te exſcinderem.* Id vero ipſum eſt quod probant Forſterus & Schindlerus, explicantes vocem חטם per *cohibitionem, retentionem.* Sed Avenarius: *Retondar tibi.* h. e. *tibi in bonum abſcondar & cohibebor, ne excindam te.* Quam quæſite! Hebræi hic verſantur in eadem incertitudine. Chaldæus: ומשבחתי אקים לך quæ Int. vertit: *Et propter laudem meam te ſuſtentabo.* Sed putem, illum voluiſſe, *Et laudem meam tibi confirmabo*, obſignatam ſervabo: quomodo fere Syrus. Etenim vox קים ſenſu *ſuſtentandi, in vita conſervandi*, non conſtruitur cum ל, ſed cum *affixo* aut nota *quarti caſus*. Reſpexit Chaldæus, ut arbitror, ad thema חתם *obſignare*. Aben-Ezra & Kimchius explicant ex agnato membro, in hunc modum: *Prolongabo tibi* (in tui gratiam) *naſum*: obſervantes, vocem חוטם Dialecto Talmudica ſumi ſignificatione *naſi*: quod verum eſt; ſed cujus magna ratio haberi nequit. Non eſt enim is uſus antiqui temporis. Jarchius arrepta eadem ſignificatione Rabbinica vocis חטם qua uſurpatur pro *naribus*; interpretatur: *obſtruam, obturabo, naſum meum, ne ex eo exeat fumus*, vapor, ſpiritus. Non ſperno ſenſum; ſed qui educi nequit ex voce חוטם *naſus*. Si enim hanc ſignificationem admittam: an propterea חטם eſt *naſum obturare?* Mihi ita ſedet, ut nihil certi hic polliceri audeam. Dicam tamen verbo, quid potius & probabilius habeam. Primo vocem תהלתי *laus mea* cum pluribus Intt. ſumo *elliptice*, & verto, *Propter laudem meam:* voce למען *propter* ex *priori membro* repetita. Dein, vocem חטם, uſque quo major aliunde lux ſurgat; explico ex radice agnata אטם *obturare*, comprimere; cum qua ſecundum proprietatem linguæ rectius comparatur quam cum חתם, ut ſententia ſit; *propter laudem meam comprimam*, (*obturabo*) naſum meum, (iram meam,) *ne te excindam.* Ergo itaque Deus hic non uteretur ſumma ſeveritate in Populo ſuo puniendo: ſeveritatem juſtiſſimamque indignationem ſuam temperaret clementia. Non profecto quod Populus id mereretur, qui Deum graviſſime offenderat: ſed quod Deus *Gloriæ honoriſque ſui & veritatis* ſuæ *reſpectu* moveretur ad moderandam punitionem, ut diſtinctius declarat ℣. 11. Subjungit quod eodem ſpectat, ℣. 10. *Ecce conflavi te; at non* CUM ARGENTO! *elegi te in catino afflictionis.* quæ ipſa quoque verba ſeriam merentur meditationem. Primo mirum videri queat, Vatem ſcripſiſſe, *Deum conflaſſe Populum, non* CUM ARGENTO. videbatur enim ſcripturus eſſe, *non* UT *argentum.* quare cum tanta affinitas figuræ ſit literatum ב & כ, quarum altera vocl præfixa IN valet, altera UT: facile homini Criticæ licet rudi in mentem veniat, errore librariorum factum eſſe, ut pro בכסף hoc tempore legatur מכסף: & certe Hieronymus ita accepit. Verum Codices omnes exhibent בכסף, & Chaldæus ita quoque legit: ex Græco enim, qui hic in alia omnia abit; quid legerit; non facile colligas. Deinde, pateſcet mox, Vatem certo conſilio ſic ſcripſiſſe. Secundo itaque quæro; Quid hoc ſibi velit, *Excoxi te*, expurgavi; conflavi; NON CUM ARGENTO? Videtur enim paradoxa comparatio. Ubi Deus *Populum ſuum* ſubjicit ſuis judiciis: propoſitum utique ipſi eſt Populum per ignem afflictionum *à ſcoriis* inſtar *argenti purgare*. Grotius: *In Hebræo:* NON AD ARGENTUM. *Dim cum te per ærumnas explorarem, nihil boni in te apparuit.* Non auſim dicere, Hebræa ferre poſſe hanc interpretationem; quam Vir illuſtris intendit, *Non exploravi te* eo cum ſucceſſu *ut argentum evaſeris*. Poſſet eſſe, *Non exploravi te ea intentione, ut argentum fieres.* Præfixa enim ב poteſt notare *finem*; non, *effectum.* Sed ſi id miſſum faciam: utique totus contextus repugnat huic ſenſui. Deus enim hic agit de longanimitate, ſive clementia quam exercuit in puniendo Populo. Sequens membrum maxime convellit hanc expoſitionem. Ait enim Propheta, *Elegi te in catino afflictionis.* Quod cum obſervaret Vir Doctiſſimus: vide mihi, quomodo hanc quoque ſententiam ad hypotheſin ſuam accommodarit. Adſcripſit ad hæc verba: *Id eſt, ſepoſui te ad fornacem miſeriæ; excoquendum ſcilicet magis & magis.* Atqui hæc ſane bella eſt *electio.* Non opus hic eſt magno acumine, ut videas, vim inferri orationi Prophetæ. Et tamen hæc qualia ſunt, potiora habeo Docti cujuſdam Viri verſione alia, quæ in hunc exit ſenſum; *Non conflavi te* PRO ARGENTO. Ut diceret Deus; ſe pro purgandis Iſraëlitis nullum accepiſſe pretium, ut ſolent Aurifabri. Quid in hac ſententia viderit Vir Doctus dignum ſapientia Jeſaiæ, fateor me non videre. An enim Deus immittens Populum ſuum in fornacem afflictionis, exſpectat pretium? Et ſi omnino, quale hoc pretium eſt? Vel, ſi id ita ſe habeat: idne agitur in hoc loco? Plerique Intt. in hunc accipiunt ſenſum: *Expurgabo te; ſed non* CUM ARGENTO. h. e. non tam accurate & exacte, ut argentum purgatur. Si enim *ſcorias* omnes ex te expurgarem ſimili diligentia qua excoquitur argentum: exiguum quid tui ſupereſſet. Interpretationi nullum ſubeſt vitium; nec probo tamen, quod Cl. Coccejus hunc ſenſum nimium preſſerit. En ejus verba[a]: *Non probavi te ut argentum; ſed cum ſcoria eſſes, elegi & argentum feci.* Inde לא בכסף vertit, *non* IN ARGENTO, h. e. non acſi argentum haberes; acſi argentum tibi adeſſet. Supponit Vir Eruditus, Prophetam dicere velle; Iſraëlitas omnes fuiſſe *ſcoriam.* nihil in iis fuiſſe ſolidum, ac pretioſum. omnes itaque debuiſſe expurgari, ſi Deus hic ſequutus eſſet liquidas Juſtitiæ ſuæ rationes. Suſpenſum me tenuit hæc meditatio; cum plurimum dubitarem, an conveniret venuſtati emblematis; & quoque naturæ ipſius rei. Ut enim *ſcoria* nunquam immittitur in *catinum*; ſic in emblemate non ſatis commode dicitur ex *ſcoria* fieri argentum. Deinde dici utique nequit, omnes illos qui abducti ſunt in Exilium Babylonicum,

Cl. Cocceji verſio.

Longus facie vel *naſo* quis dicatur Hebræis?

Jun. & Trem. laudati.

Sequens membrum: ותהלתי אחטם לך

Dubii ſenſus.

Variæ illius verſiones exhibentur.

Hebræorum Intt. incertitudo in hoc loco.

Verſionum illorum ſpecimina.

Uſus vocis חטם in Dialecto Talmudica.

Probabilia, quæ hic videntur admitti poſſe.

Quomodo hic accipienda vox תהלתי *Laus mea*?

Et חטם?

Verſio conſtituta.

Senſus dicti.

Verba ℣. 10. *Ecce conflavi te, &c.*

Dubium in phraſi, *Non cum argento.*

An litera ב hic irrepſerit pro כ.

Vulgata lectio tenetur.

Paradoxum ſententiæ; Iſraëlitas *non eſſe conflatos cum argento*, diſcutitur.

Ill. Grotii cogitatio, ἀπόρρητος ſubjecta.

Ut pariter meditatio ejus ad *ſequens membrum.*

Alterius Viri Docti interpretatio rejecta.

Communis interpretatio propoſita.

Cl. Cocceji judicium de hoc loco.

Quod exigitur.

[a] In *Comm.* ad h. l. & in *Lex.* ad v. בחר.

fuisse *scoriam*. Fuit inter eos *argentum*. fuerunt credentes, electi, semen veræ Ecclesiæ, quod à scoria, fæcibus, sordibus, purgandum erat. Sic dixerat ipse Jesaias de eadem re loquens Cap. I. 25. *Et* EXPURGABO *ad liquidum* SCORIAS TUAS. Supponit, superesse argentum à scoriis mundandum. Equidem dixerat Vates ℣. 22. *Argentum tuum evasit in* SCORIAS. non sane hoc sensu, acsi nihil superesset in Ecclesia boni; sed quod mali bonos longe vincerent: unde ipse mox addit, *Vinum tuum* MIXTUM *est aquæ*. Nec aliter accipiendum emblema apud Ezechielem [a], ubi *omnes Israëlitæ* dicuntur evasisse *scoriæ*. sc. secundum longe maximam partem. Ergo dicere potest Deus, qui hic loquitur, α. Se Judæos misisse sive missurum esse in Exilium Babylonicum ad scoriam eorum expurgandam; h. e. ad peccatores, hypocritas, incredulos, perdendos atque exterminandos Ecclesiæ communione; *perinde* ac metallum argenti in catinum missum excoquitur, & à spuma purgatur. Verum hic non accurate sequutum vel sequuturum esse omnes rationes fabrorum metallariorum; h. e. Populum non esse conflaturum *cum* argento. Cum enim illi, ut argentum purissimum & liquidissimum fiat, id summa industria quandoque *septies* [b] excoquere & purgare soleant: Deum, contentum Ecclesiam Populi à graviorum peccatorum & hypocritarum communione purgavisse, piorum & credentium qui supererent, infirmitates & vitia non adeo rigide prosequuturum; sed pro summa clementia sua punitionem illorum mitigaturum esse, & ipsos pro longanimitate sua toleraturum. Equidem Deus nulla vitia in suis probat: sed ea dissimulando ac non puniendo, in suis ferre videtur. quæ metaphora *conflaturæ argenti*, quod ob pretium, puritatem, soliditatemque suam figuram sustinet *Ecclesiæ* ejusque *verorum membrorum*, pro Ecclesiæ *probatione* & *purificatione* quæ fit medio afflictionis, in Scriptura S. est recepti usus. Confer Ps. LXVI. 10. Jer. IX. 7. β. Non est mihi dubium, quin hic præcipue alludatur ad punitionis *gravitatem*. Docent hujus scientiæ periti; *aurum esse mollioris naturæ ad fusuram, ac de facili liquari. contra* ARGENTUM *difficilius ac magis invictum ignibus*. Verba sunt Salmasii de hoc argumento differentis [c]. Erat igitur si liquandum esset argentum; calidissime incendenda *fornax* magno arsura igne; sub quo emblemate proponitur judicium Christi Jesu venturi ad *purgandos filios Levi*. Propheta de eo [d]: *Et quis feret diem adventus ejus, & quis consistet ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ αὐτοῦ, quia ipse erit* UT *ignis* CONFLATORIS. Deus itaque etiamsi constituisset populum suum purgare *à scoriis* in Exilio Babylonico, SICUT ARGENTUM à scoriis, spuma, flore, purificatur: non tamen eum CUM ARGENTO exploraret, h. e. fornacem tam calide accenderet, ut fit, quando argentum liquatur. adhiberet punitionis moderamen, & tamen assequeretur scopum. Cui sensui pulchre respondet observatum Aben-Ezræ; voci בכסף subesse ellipsim, & vertendam acsi scriptum esset; במצרף כסף *in* CONFLATORIO ARGENTI. Adhiberet *ignem afflictionis*, sed cum moderamine. Quod cum perspicerent Hebræi Vett.: per *fornacem* hanc *argenti* intellexerunt *Gehennam*. Est apud Intt. Hebræos. Jarchius: ולא בכסף ולא על ידי אור של גהנום NON CUM ARGENTO.] *Non per ignem Gehennæ*, cujus sc. est fornax terribilis. Huc jam pertinet quod sequitur: ELEGI TE *in catino afflictionis*, παθήματος. Sensus est, *dilexi te*, h. e. demonstravi, me te diligere in ipso afflictionis *catino*, ut licet *catinus* (vas testaceum in quo metalla auri & argenti liquantur,) jam immissus esset in fornacem, tui *misertus fuerim*, & ignem afflictionis non nimis calide accenderim. Ea vera hoc loco significatio est vocis בחר *eligere*, ut Cap. XIV. 1. *Quia miserebitur Jehova Jacobi*, ובחר עוד בישראל *& eliget amplius Israëlem*. diliget. curam ejus habebit. probabit ipso opere, Israëlem à se dilectum esse. Pariter apud Zachariam [e]: *Et consolabitur Jehova amplius Tsionem, &* בחר עוד בירושלים ELIGET *amplius Hierosolymam*. Pisc. *Electum efficiam te catino afflictionis*. Paulo remotius: nec tamen alienum est ab emblemate. Aben-Ezra meminit, esse qui illud בחרתיך hic acceperint pro בחנתיך PROBAVI TE. quæ non est absurda animadversio, quam videntur in versione sua sequuti esse Belgæ; utique adhibentes notionem medii generis, quæ ad utrumque referri potest. Sed cum ea notatio vocis בחר sit extra usum: tum vero nos ea hoc loco facile possumus carere. Ut argentum & aurum igne purgata politaque splendidius nitent; sic fides hominis à Deo electi ac dilecti afflictionibus explorata probataque [f]. Deus autem ea in suos bonitate est, ut non *sinat* eos *tentari supra quam ferre queunt*. Imo vero ipsa afflictione & persecutione Populi sui utitur ut *medio* per quod alienatos à sua communione ad se reducat & convertat: quando vere & proprie suos in *ipso* afflictionis *catino* dicitur *eligere & diligere*. Intelligis vero hanc dilectionem fore *gratuitam?* non fundatam in meritis Populi Dei, sed in *beneplacito voluntatis Divinæ?* audi, sis, Prophetam, ℣. 11. PROPTER ME, PROPTER ME *faciam: quia* QUOMODO PROFANARETUR sc. Nomen meum? *Et gloriam meam alteri non dabo*. Nihil hic obscurum. Verbis, כי איך יחל *quia quomodo profanaretur*: omnes, nisi fallor, consentiunt, subesse ellipsin. Integram sententiam esse, *Quomodo profanaretur* NOMEN MEUM? quod hic repetendum ex ℣. 9. Ultima, *Gloriam meam alteri non dabo*, conferenda sunt cum Cap. XLII. 8. ubi thema hoc explicui. Sensus hic loci est; Non passurum esse Deum Gentes *gloriari*, se Populum illum, quem Deus Jehova in fidem suam defensionemque susceperat, in terris extinxisse. Intererat Divinæ gloriæ, id non fieri. Videretur enim, si id fieret, adversariorum manus potentior altiorque manu Divina. quare non poterat id Deus permittere, nisi *gloria sua* aliis *cederet*. Conferendus hic est Moses in Cantico [g]. Inde vero Sancti, Deum veluti ad zelotypiam commoturi, hac ratione sæpius utuntur in deprecatione pro Populo Dei [h]. Vide interim, homo, te salutem, & electionem ad salutem, non debere tibi, sed Deo; non tuis meritis aut habitudinibus bonis, sed ejus gratiæ. *Exercitium* autem *gratiæ* in Deo respectum habere ad ejus *gloriam*. Inde illud, למעני PROPTER ME, bis positum, ut Deus hanc doctrinam nobis presse inculcaret. Confer locum Cap. XLIII. 25. quem jam prænotavi.

Implementum hujus prædictionis cadere in tempus Exilii Babylonici, communis fere Intt. sententia est. Is ille est *catinus afflictionis*, cujus hic mentio fit. Paraverat Deus *ignem* huic catino subjiciendum, sc. *afflictionem Babylonicam*, quæ videbatur consumptura esse totam Gentem, in qua pauci supererant homines frugi. Nullum hic certius argumentum produci potest quam ex Vaticinio Ezechielis; quippe ex quo liquet, ipsos illos in Exilium abductos homines quibuscum Propheta erat, in hypocrisi sua & incredulitate atque irreverentia Sermonis Prophetici perstitisse [i]. Sed Deus pro infinita sua clementia adhibuit moderamen; & assequutus est scopum, etiamsi fornacem tam calide non incenderit, quam fit in explorando argento. Primo, consilia Babyloniorum circa Deportatos sua providentia sic direxit, ut Exules illi in locis & ἀκουσίως Exilii sui multo pluribus gavisi sint commodis, quam vulgo fit. de quo alibi dixi. Dein, consumptis peccatoribus & hypocritis, quos Deus destinaverat exitio, meliorem Populi Partem, in qua supererant igniculi reverentiæ Dei & veræ fidei, per ipsam illam afflictionem magis magisque purgavit, sanctificavit, excitavitque eorum zelum & studium erga Verbum Dei & Religionem Patriam; Liberisque & nepotibus abductorum dedit *gratiam respiscentiæ*, quæ certum signum est *electionis*; fecitque, ut illæ Ecclesiæ Exulum

Judæi abducti in exilium non fuerunt mera scoria. Loca huc facientia sane exponuntur.

Probabilis loci interpretatio: Deum in *purgando Populo* non secutum esse rigidas rationes suæ Justitiæ. quod declaratur.

Alluditur præcipue ad punitionis *gravitatem*. Rationes metallariorum in *purgando argento*.

Applicantur ad præsens subjectum.

A. Ezræ observatum, non contemnendum.

Vett. Hebræorum singularis sententia de h. l. ex Jarchio.

Sequens membrum: *Elegi te in catino afflictionis*: ἀναλόγως exponitur.

Usus vocis *eligere* h. l.

Observatum A. Ezræ ad vocem, בחרתיך.

Afflictiones quem in finem piis immittantur?

Emblema Prophetæ huc applicatur.

Electio hic refertur ad merum Dei beneplacitum, ℣. 11.

Ellipsis in verbis, *Quia quomodo profanaretur?*

Sensus dicti.

Gloriæ Dei respectus obtinet in Electione & Liberatione sui Populi.

Implementum demonstratur in Exilio Babylonico.

Moderamen Providentiæ Divinæ erga abductos in Exilium Babylonicum.

[a] Cap. XXII. 18. seqq. [b] Ps. XII. 7. [c] Ad *Solin.* Cap. LII. p. 761. col. 1. [d] Mal. III. 2. [e] Cap. I. 17. III. 20. [f] 1 Pet. I. 7. [g] Deut. XXXII. 36. 37. [h] Num. XIV. 16. Ps. LXXIV. 10. [i] Ezech. XIV. 1. seqq. XX. 1. seqq.

lum excellentium Doctorum ministerio formatæ sint in *novum* quendam Dei *Populum*, non quidem ab omnibus, sed à crassioribus scoriis purgatum. quod Beneficium in omni suo complexu non suis debuerunt meritis, sed Gratiæ Divinæ.

SECTIO ALTERA exhibens alloquium à Deo directum ad *Semen electum* in Exilio; proxime tempus *Liberationis* per *Cyrum*.

α. *Appellatio Subjecti*, cum magnifica Dei de se præfatione.

Pars altera hujus Sectionis, quæ respicit *Semen electum*.

α. *Alloquium ad illos*. ℣. 12. 13.

Summa hujus Pericopæ.

Nomina *Jacobi* & *Israëlis*.

Epitheta Dei, EGO ILLE, *Ego primus, &c.* obiter declarantur.

℣. 12. *Auscultа mihi, Jacob; & Israël*, VOCATE MI! EGO ILLE. *Ego primus; etiam Ego ultimus.* ℣. 13. *Etiam manus mea fundavit terram, & dextra mea expandit cœlos. Me eos vocante, pariter adsunt.*] Altera *Convictionis* Pars quæ hic incipit, illos respicit Judæos qui in ipso jam versabantur Exilio Babylonico; ad Deum Patrum suorum conversos, proxime vindicandos in Libertatem à Cyro. Hos compellat Deus blando nomine *Jacobi* & *Israëlis*, VOCATI SUI, h. e. nominatim à se *electi*, & quidem ad *magna privilegia* Providentiæ & gratiæ suæ: quæ genuina vis est vocis. Confer Cap. XLIII. 1. ubi hac de re egi. EGO, ait, SUM, EGO ILLE, vel EGO *sum* ILLE, Ἐγώ εἰμι EGO *primus*, & *etiam* EGO *ultimus*: Naturæ æternæ, à nemine dependentis; omnium rerum principium & finis; fons æternæ vitæ: quæ epitheta & attributa Dei pariter explicui in *superioribus* [a]; tanquam oppositа falsis Gentium de Deo præjudiciis. Interim observas hic vocem EGO ter repetitam; in quo sunt qui reconditum putant Sanctissimæ in Deo Triadis mysterium: quam meditationem hoc loco non urgeo; neque refello. Addit mox, *manum suam fundasse terram, & dextram suam* PALMASSE *cœlos*. Id enim ad verbum sonat phrasis: וימיני טפחה שמים Hieron. *Et dextera mea mensa est cœlos.* Οἱ ὁ. Καὶ ἡ δεξιά μου ἐσκέπασε τὸν οὐρανόν· *Et dextera mea firmavit cœlum.* Chaldæus: תליית *Suspendit.* (*appendit.*) Trem. *Dextera mea palmus expandit cœlos.* Pisc. *Palmo mensa est cœlum.* Cocc. *Ad palmos extendit cœlos.* Vox טפח quæ hic usurpatur, notat *palmum*, inde טָפַח, quæ notio est in hoc loco, proprie *palmare*. Sed dubium, quid sub illa notione intelligendum sit. Cum enim *palmi* duplex possit esse usus, vel *metiendi*; vel *expandendi* & planandi: alteruter hic eligendus erit; etsi neuter alienus sit ab hoc loco. Et Kimchius quidem priorem hic adscivit, collato loco Jes. XL. 12. Posteriorem præfert Aben-Ezra; & sententiæ diligentius à me expensæ subscribo ob sequentes rationes. α. Favet illi usus hujus vocis in *Threnis*; ubi querula Tsion de liberis suis interemptis [b]: *Quos* PALMAVI (טפחתי) *& educavi, hostis meus interemit.* appellaverat autem Vates *parvulos*, עוללי טפוחים *parvulos palmares*, sc. qui palma manuum & quidem manus dexteræ tractantur. Sunt qui id referunt ad *gestationem liberorum*, ut Belgæ nostrates: sed absque specie probabili. Liberi enim non proprie *gestantur palma manus*; sed *brachio* aut *sinu*. Ergo Docti Viri, Forsterus, Avenarius, Schindlerus, rectius petierunt notationem vocis ab illa *matrum* aut *nutricum* recepta consuetudine, qua infantes recens natos *palma explanant, ut ipsorum membra in palmum & longum distendantur, & crescant, ne fiant distorta*; perinde ac in tractandis parvulis, fasciis involvendis, & in iisdem fasciis explicandis, *palmorum* continuus est usus. β. Videtur ea esse genuina & propria notio originarii thematis טפח, qua sumitur pro *rei explanatione, extensione*; quippe cujus indicium supereſt in voce טפחה *Velum, Linteum expansum*, quod fœminæ honestiores, in publicum prodeuntes, capiti circumfundunt. γ. Locus hic noster optime comparatur analogo Cap. LI. 13. ubi Deus pariter dicitur נוטה שמים EXTENDENS COELOS, *& fundans terram*. Addit Vates: *Voco Ego ad eos: stant pariter*. Sic ad verbum Hebræa. Cl. Coccejus ita vertit: *Clamabam Ego ad eos; stabant pariter*: & videtur hæc verba accepisse de *prima Cœlorum &*

An hic respiciatur usus *palmi* in dimetiendis corporibus?

Kimchii sententia.

Posterior usus hic commendatus.

Rationes ejus.

Notatio vocis טפח in loco Thren. II. 22.

Doctorum Virorum observata ad hanc Vocem laudata.

Elucidatur ex significatione Etymi originarii.

Et ex analogis.

Verba: *Voco eos, & stant pariter.*

Terræ productione; quando ad imperium Dei producta ornataque sunt. Utique Simeon Ben Jochai, magnæ inter antiquos auctoritatis Doctor, in eadem fuit sententia, cujus verba sunt apud Kimchium: qui cum præfatus esset, se plurimum mirari, Scholas celebres Hillelis & Schammæi inter se acriter disputare, utrum cœli an terra *prius* producta essent; definiturus hanc litem docet, simul creata esse. Verba ejus: שניהם לא נבראו אלא כאלפס וכסורה שעל קדירה אני וגו *Duo illa non sunt creata, nisi tanquam scutella & operculum ejus; sicut dicitur:* VOCO EGO AD EOS; &c. Sed si id voluisset Vates: non videtur scripturus esse, *vocans*, vocem ad eos emittens, in *præsenti*. Nec forte etiam dixisset, *Clamans ad* EOS: cum utique hactenus *non essent*. Sunt itaque alii qui verba referunt ad conservationem & sustentationem hujus Universi; quæ non minus fit influxu potentiæ Divinæ ac prima rerum productio. Sententia est Kimchii, non absurda; nec tamen, ut putem, consentanea menti Prophetæ. Deus hic dicit ex meo sensu; cœlos & terram ministrorum instar ad imperium suum parata esse ad decreta, & imprimis ad *judicia* sua, exequenda; ut apud Vatem Sacrum in loco plane analogo [c]: *Firmasti terram; & persistit; secundum constitutiones tuas*, (alii, *ad judicia tua:*) *hodiedum persistunt:* (Cœli & Terra:) *quia cuncta sunt* SERVI TUI: ministri, famuli; ad volita tua exequenda prompti. Conferantur loca Job. IX. 7. & Ps. CIV. 32. Esse proprie *servorum* ad *vocem* herorum *adesse* & coram iis *stare*; nemo ignorat ex phrasi S. S. & consuetudine Gentium. Inde Vates hoc loco non dicit; *Me eos vocante*; sed AD EOS: ut significaret, vocem esse *imperii*, quale est *Dominorum* in ministros. Quorsum vero rursus hæc magnifica præfatio? Sæpe de eo in superioribus scripsi; nec licet in loco dicta ubique repetere. α. Occurrit Gentium Calumniis, quibus graves erant Populo Dei in Exilio; *Deum* quem colebant esse *novitium*: non innotuisse ante Mosen: tum quoque, non esse potentem, quippe qui Populum suum Babyloniorum prævalentibus viribus non potuisset eripere & adversus Calamitatem præservare. β. Substernit fidei ac spei Ecclesiæ fundamentum immotum: Esse se Creatorem & Rectorem Universi; omnia à se esse; sua voluntate consistere; suo numine regi: cœlos & terram vastissima corpora & corporum compages; *Nubes* cum phænomenis suis in cœlis; *Aquam* in terris; suis decretis & consiliis servire: quanto itaque magis efficere queat promissa, grandia licet, de *Liberatione ex Exilio* & illius *Consequentibus*, Ecclesiæ data?

Simeonis Ben Jochai sententia de hoc dicto.

Aliorum interpretatio.

Sententia Kimchii.

Emphasis phrasios, *Me* AD EOS *vocante.*

Scopus hujus *Præfationis.*

β. *Convictio* ipsa.

(a.) Ex *prædicto & excitato Cyro*; quod Opus sibi vindicat.

℣. 14. *Congregamini omnes vos & audite: Quis ex* ILLIS HOC *indicavit?* QUEM JEHOVA DILEXIT, *faciet voluntatem ejus in Babylonem*, ET BRACHIUM EJUS erit in CHALDÆOS. ℣. 15. *Ego, ego loquutus sum: etiam vocavi ipsum; adduxi ipsum; & prospera erit via ejus.*] Incipit ipsa *Convictio* quæ hic instituitur ad meliorem illam partem Seminis Electi, quæ veram Ecclesiam efficiebat in Judæa ad fidem spemque ejus confirmandam; & ei alte persuadendum, Expeditionem Cyri ad subvertendam Monarchiam Babylonicam & laxandam Captivitatem Populi Dei, esse Opus Dei Servatoris sui, Angeli Fœderis, Filii Dei. Est autem hæc oratio Filii Dei; quod hic in anteceſſum observasse, lucem adferet toti pericopæ. Etiamsi enim illa cum superioribus comparata non sit intellectu difficilis; est tamen in diversissimos sensus flexa à quibusdam Intt. quibus me par est sua relinquere judicia. *Filium Dei* hic loqui; tum ex ipsa hac oratione mox liquebit; tum inde colligo, quod ejus ut *Servatoris sui Populi* sit epitheton apud Prophetam nostrum, PRIMUS & ULTIMUS; quod sibi cum respectu ad hæc

β. *Convictio ipsa.* (a.) *Ex prædicto & excitato Cyro*, ℣. 14. seqq.

Summa hujus *Convictionis.*

Oratio est *Filii Dei.*

Rationes hujus sententiæ.

Epitheton *primus & ultimus.*

a Cap. XLI. 4. XLIII. 10. XLIV. 6. b Cap. II. 22. c Ps. CXIX. 90. 91.

Alloquium ad omnes veros *Iſraëlitas*.

loca Jeſaiæ vindicat in *Apocalypſi* [a]. Is vero hic vult *congregari* omnes veros *Iſraëlitas* qui ſuperérant in Exilio ad audiendam *Convictionem* veræ Divinitatis Dei Iſraëlis, per quam hypocritæ & increduli ſibi hoc fidei ſuæ primum & graviſſimum dogma paſſi non erant perſuaderi. Hos poſtulat *congregari* qui ſoliti erant congregari in nomine veri Dei. Hos vult *audire*, quorum aures jam per Divinam gratiam ad audiendum apertæ erant. *Quis*, ait, *ex* ILLIS *hoc indicavit?* h. e. Quis ex Divinis, Hariolis, Aſtrologis, Oneirocritis, quarumcunque Gentium, quorum arti & prænotioni rerum futurarum *increduli* & *hypocritæ* illi multum tribuunt, quorumque ſuperſtitione delectantur, prædixit HOC in omni ſuo complexu, quod Ego in *ſuperioribus* Vobis declaravi? Reſpicit Jeſaias *ſuperioris Concionis* argumentum integrum ἐν συμπλοκῇ ſumptum.

In verbis, *Quis ex illis?* per ILLOS, hic intelliguntur *Aſtrologi* & *Divini* Gentium.

Verba Prophetæ, *Quem Jehova diligit, &c.*

Quem JEHOVA *diligit, exequetur voluntatem ejus in Babelem.* Sic verto verba cum Sym. Ὃν Κύριος ἀγαπήσει, ποιήσει τὸ θέλημα αὐτοῦ. Hebræa, יהוה אהבו ſunt pro יהוה אשר אהבו. Intellige Cyrum, quem Deus appellaverat *Unctum ſuum* [b]. De illo enim agi, ut omnes conſentiunt, niſi fallor, excepto Coccejo, cujus interpretatio hujus loci eſt ſingularis, & forte paucis perſuadenda, certe à me non relegenda: ſic liquidiſſimum eſt ex his ipſis verbis, quippe quibus dicitur exequuturus eſſe *beneplacitum Dei adverſus Babylonem*; & ex *commate ſequenti*, cujus orationis *relativa* manifeſtè ſpectant Cyrum; qui à Deo *dilectus* dicitur, α. Quia à Deo *electus* erat ad glorioſum opus judicii ejus exequendum cum magno honore atque emolumento ſuo, unde Jeremiæ dicitur בחור ELECTUS, Cap. L. 44. *Et qui* ELECTUS FUERIT; *adverſus* EAM (Babylonem) *conſtituam.* Sic enim vertenda vox בחור hoc loco; non per *Juvenis*; ut Cl. Coccejus, tam heic quam in analogo Cap. XLIX. 19. inſtituit. Unde Propheta noſter eum ſupra appellaverat *Virum Conſilii Dei*, Cap. XLVI. 11. β. Quia iis naturæ dotibus laudabilibus fuit ornatus; eaque proſperitate in omni quod ſuſcepit negotio & expeditione uſus eſt; & hac via ad tantum imperii & fortunæ faſtigium pervenit, ut homines omnes viderint, illum Deo curæ eſſe & ab ipſo *diligi*; qua phraſi eum Harpagus in literis ſalutavit apud Herodotum; de quo videnda quæ in loco [c] obſervavi. γ. Acceſſit gratia Dei peculiaris, qua ductus eſt ad fidem & notitiam veri Dei, eumque agnoverit, fortunæ ſuæ auctorem; ut liquet ex ejus Edicto [d]. *Electionis* autem & *dilectionis* notiones ea latitudine ſumuntur in Verbo Dei, ut *ſubjectis* pro eorum conditione, σχέσει modo ad ſpiritualia, modo ad temporalia Beneficia Divinæ Gratiæ & Providentiæ, applicentur.

Quo ſenſu is à Deo *dilectus* dicatur? Analoga Cyro tribuuntur.

Fuit ille ſingularis Divinæ Providentiæ objectum.

Imbutus fuit principiis veræ Religionis.

Additur: וזרעו כשדים *Et brachium* EJUS, ſc. Cyri, *erit in Chaldæos.* ſecundum quem ſenſum, *præfixa* ב deeſt voci כשדים, ut aliàs ſæpius; ſcilicet repetenda ex voce נכגד. quando כשדים hic commodiſſime ſumitur pro ארץ כשדים *terra Chaldæorum*; *Et brachium ejus in terram Chaldæorum.* Adhæret tamen mihi, poſſe ſubeſſe huic phraſi *Apoſiopeſin*; ut ſonet; *Et brachium ejus Chaldæos* ſc. feriet, conteret, confringet, debellabit, & quæ ſimilia. Aben-Ezra affixum *relativum utriuſque* vocis חפצו & וזרעו putat referri poſſe ad Cyrum; hoc ſenſu: *Quem Jehova diligit, efficiet beneplacitum* SUUM *in Babylonem, & brachium* EJUS *erit in Chaldæos.* Sed quod minus probo. חפץ *Beneplacitum* hic pertinet ad Deum ejuſque liberum conſilium, ut patet ex Cap. XLVI. 10. ubi de eadem re differens Deus ait: *Conſilium meum ſtabit, & omnem voluntatem meam.* (חפצי) *faciam.* Per quem? Id vero mox ἀμέσως indicatur ſſ. 11. *Voco ex Oriente volucrem rapacem; ex terra longinqua Virum conſilii mei.* ſc. Cyrum. Sunt etiam qui *affixum* utriuſque vocis ad Deum referunt; hoc ſenſu: *Jehova diligit eum* ſc. Cyrum: *faciet* (ſc. Deus) *beneplacitum ſuum adverſus Babylonem*; ſc. per eum, *& brachium ejus* ſc. Dei *erit in Chaldæos*: vel, *faciet* Cyrum *brachium ſuum in Chaldæos.* quod maxime diſplicet. Non putem enim, hominem, licet Deo ſubſeviat ut medium & inſtrumentum in exequendis conſiliis ejus, unquam appellari *brachium Dei.* Ne jam dicam, *in ſequenti commate affixum relativum* reſtringi ad Cyrum. Noſtra ſimplicia ſunt, & nihil dubii reliquum faciunt. Forte tamen in eo hæreas, quod cum oratio hæc *Dei* ſit, ut patet ex contextu; rectius diceretur; *quem* EGO *diligo*; quam *quem Jehova diligit.* Sed etiamſi myſterium hic nullum ſubeſſet: locutio tamen nihil haberet inſolens, cum *Subjectum* apud Hebræos non raro pro *pronomine perſonali relativo* uſurpetur [e]. Verum quod ad hunc locum; animadverte, ſis, quod in initio ἐξηγήσιος jam anticipavi; eſſe orationem *Filii Dei*, Vindicis & Liberatoris Eccleſiæ ſuæ, qui decretum hoc electionis & dilectionis refert ad primum principium ſuum *Jehovam Patrem*: ut in variis locis aliis, hoc magnum fidei myſterium indicantibus [f]. Confirmant interpretationem noſtram ſequentia ſſ. 15. EGO, EGO, inquam, *loquutus ſum*; h. e. prædixi per *Spiritum meum* in Prophetis univerſum complexum mirabilium horum Eventuum, qui involventur Liberatione Populi mei ex Exilio. Nec prædixi tantum, ſed & *vocavi*, eumque *adduxi*; ſc. decreto Divino *electum* excitavi, accinxi, *manibus prehendi*, & permovi, ut hanc expeditionem ſuſciperet, eándemque expeditionem *proſperavi*, quemadmodum ſupra [g] multis declaraverat. Hebræa דרכו והצליח geminam ſuſtinent expoſitionem κατὰ γράμμα: vel, *Et proſperam reddet viam ejus*: vel, *Et proſpera erit via ejus.* Vox enim הצליח ſæpius etiam ſumitur *intranſitive.* Id vero hic prætuli, quia cæteroquin ſtatuenda eſt *enallage perſonæ.* Debebat enim ſecundum ἀναλογίαν orationis eſſe והצלחתי *proſperam reddidi.* Nec tamen hanc enallagen refugio, quippe Vati noſtro valde familiarem. Tantum moneo, hæc verba *formæ præteriti* hic prudenter accipienda eſſe ſecundum ſcenam Viſi. In ipſa enim *ſcena* poſterioris partis hujus *Sectionis* nondum ſupponitur Cyrus *Babylonem* expugnaſſe: ſed ponitur eſſe in procinctu; tempus huic Eventui deſtinatum adeſſe; & Cyrum jam eſſe in motu; cætera brevi ſequutura. De geminatione Pronominis אני EGO, nihil hic quod moneam habeo, niſi quod alterum referri queat ad *Prædictionem*; alterum ad *Exequutionem* hujus Eventus: etſi nihil obſtet, ſi dicas, eſſe geminationem mere *aſſeverativam.* Confer Cap. XLIII. 25.

Ellipſis *præfixæ* ב in voce כשדים.

Animadverſum aliud ad ſtructuram orationis.

A. Ezræ obſervatum.

Effecit ille *Voluntatem Dei.*

Aliorum meditatio neglecta.

Dubium expeditum.

Verba ſſ. 15. EGO, EGO *loquutus ſum.*

Verba Prophetæ exponuntur.

Uſus vocis הצליח.

Verba, *formæ præteriti*, quomodo hic accipienda ſint ſecundum ſcenam Viſi?

Viden' convictionem à Propheta inſtitutam pro Divinitate veri Dei Iſraëlis κατ' ἀντίθεσιν *Idolorum* ex iiſdem argumentis, quorum vim in ſuperioribus non ſemel diſcuſſi ac demonſtravi. *Quis*, ait, הגיד PRÆNUNCIAVIT זאת HOC? Deinde, *Quis eum* ADDUXIT? Ambo enim hæc inter ſe juncta faciebant ἀπόδειξιν perfectam. Quæris tamen, cur hanc *ἀπόδειξιν demonſtrationem* Propheta prætulerit aliis, & identidem repetat? Reſpondeo, id eum agere jure merito; primo quidem, quod ſit inter liquidiſſimas quæ proferri poſſunt in diſputatione, ubi non Quæritur, *An ſit Deus*; (etſi ibi quoque multum valeat:) ſed, *In quod qualeve Subjectum* ex multis qui præferuntur Diis, vera competat *Divinitas?* de quo hic diſceptabatur. Secundo, quia Divini, Myſtæ, Idololatræ, Aſtrologi Babylonii, hoc argumento maxime utebantur in probanda & commendanda Numinum ſuorum Religione. Id hic præcipue agitur: hos refellit Vates; horum retundit ictus. Eodem telo, quo Judæos impetebant, eos ferit. Recordaberis ſuperiorum, & inſpicies loca huic plane analoga Cap. XLI. 21. 22. XLIII. 12. XLIV. 8. XLV. 21. Sed forſan dixerint, hypocritæ; prophetias eſſe nuperas; circa hoc tempus quo Cyrus ſe movebat, fictas; antehac non extitiſſe. Quæ una exceptio cum apta eſſet infringere vim hujus ratiocinationis: Vates eam rurſus refellit.

Analogia hujus Convictionis cum præcedentibus ejuſdem argumenti.

Cur hic modus *Convictionis* aliis præferatur?

(b.) Do-

---

[a] Cap. I. 8. 17. [b] Cap. XLV. 1. [c] Ad Cap. XLV. 1. ſeqq. Can. XIII. [f] Confer Gen. XIX. 24. Hoſ. I. 7. 2 Tim. I. 18.
[d] Ezr. I. 1. 2. [e] Vide Glaſſ. *Gram. S.* Lib. III. Tract. II. [g] Cap. XLI. 2. ſeqq. XLV. 2. 4. ſeqq.

(b.) Docet; hanc prædictionem *ſuo tempore* à ſe clare factam eſſe; & *initia implementi à ſe eſſe.*

(b.) Docet, hanc *prædictionem* ſuo tempore clare factam, & *initia implementi a ſe eſſe*, vſ. 16.

vſ. 16. *Appropinquate mihi; audite hoc: Non ab initio in occulto loquutus ſum;* A TEMPORE *quo illud* vel *illa* (ſc. terra;) *extitit, ibi Ego ſum. Et* NUNC, *Dominus Jehova* MISIT ME, *&* SPIRITUM SUUM.] Eſt in his verbis, quod Interpretes plurimum exercuit & diſtraxit; & nihil vitii habet, prudentes homines de eorum ſenſu placide diſputare; modo ſe partibus illis non miſceant ἄπειροι λόγε Προφητικῆ, qui caſtiſſima Scripturæ S. dicta ſic tractant, ut homines alioquin in Verbum Dei minus bene affectos à lectione ejus magis alienent, quam in eam inducant. Prima eaque juſta diſputatio eſt ad hæc verba; utrius perſonæ hæc ſit oratio; num Dei vel Prophetæ Jeſaiæ ipſius? Poſterius plerique tenent Intt. cum Hebræis, quos ipſa neceſſitas in hanc opinationem perduxit. Cum enim oratio non poſſit competere in Patrem; neque etiam in Sp. S. cujus quoque ipſi non credunt eſſe veram ὑπόςασιν: plane neceſſe erat ipſos hic reſpicere Jeſaiam: Prima ipſis ratio eſt, quod *perſona* quæ hic loqui inducitur, profiteatur, *ſe* à Jehova *miſſam eſſe*. Altera; quod *ſequens comma* incipiat à nova *præfatione: Sic dicit Jehova, Redemptor tuus, & ſeqq.* Quam qui tenent hypotheſin, Vatem hic dicere faciunt; ſe ab eo tempore quo ad munus Propheticum à Deo evocatus evectuſque ſit, *non in occulto loco* de futuris vaticinatum eſſe; ſed palam in *Concionibus* Populi Judaici non dubiis & obſcuris ſententiis futura prædixiſſe; & *à quo tempore Revelatio Divina ſibi facta eſt, adfuiſſe* & Deo fidelem præſtitiſſe miniſtrum: (ſic enim interpretantur verba; *à quo tempore illud fuit.* h. e. à quo tempore Verbum Dei ad me factum eſt; *Ego ibi:*) NUNC *vero* rurſus *à Deo & à Spiritu Dei miſſum eſſe* ad nova hæc, & ante non audita prænuncianda: vel, HINC *cognoſcite, Dominum me miſiſſe, & credite verbis meis.* ut עתה NUNC ſit λογισικόν. Interpretatio hæc ſatis videtur æquabilis, fateor, & ipſe eam ferri poſſe, ſentio: attamen potiores habeo eorum rationes qui hanc orationem faciunt *Filii Dei*, ut inter Vett. Athanaſius, Auguſtinus, & Intt. aliqui medii ævi; inter recentiores, Brentius, & Coccejus. Expende ſequentia. α. Cum in ſuperiore oratione tota *Deus* ipſe, vel *Filius Dei*, loquatur, nemine negante: cumque idem loquatur in oratione *conſequente:* non videtur probabile, Jeſaiam Vatem hic interfari; & ſe orationi Divinæ intermiſcere; & quidem unius *inciſi* pericopa. β. Ipſa hæc verba *Deo Jehovæ* loquenti tribuuntur Cap. XLV. 19. γ. Interpretatio, quam Viri Docti aptant verbis: מיום היותה שם אני *à quo tempore illud fuit, ibi ego ſum:* h. e. à quo tempore *Revelatio* hæc *Divina* mihi facta eſt, Ego Jeſaias præſto me ſtiti ut fidelem Dei Miniſtrum: quæſita videtur; & forte, ſi id dicere voluiſſet Jeſaias, aliter loquutus eſſet. δ. Non convenit hæc hypotheſis ſcenæ hujus Viſi, quæ vere figenda eſt in tempore Exilii Babylonici. ε. Collatio *hujus verſiculi* cum *præcedente* fidem facit, eandem hic loqui perſonam. Dixerat Os Divinum: EGO, *Ego* LOQUUTUS SUM; *etiam vocavi illum, & ſeqq.* Hic vero ſubjicit: *Accedite ad* ME; *audite hoc: Non* AB INITIO *in occulto* LOQUUTUS SUM. Viden', hæc duo ſibi invicem reſpondere? Quod vero ad rationes attinet, quæ adverſus hanc hypotheſin inferuntur; nulla in iis quæ nos urgeat, vis eſt. Priorem, quod hæc *Perſona* ſe dicat *à Jehova miſſam eſſe*, mox expediam in ipſa verborum expoſitione. Alterum vero illud, petitum ex formula *commatis ſequentis*; SIC DICIT JEHOVA: acſi ea indicaret, perſonam loquentis hic mutari: ex ipſo Propheta noſtro ubique refellitur, ne de aliis dicam. Jeſaias eam inſerit paſſim orationi Divinæ, ut nos moneret, Deum loqui; orationem autem ejus non abrumpi, ſed continuari. Confer hic ex proximo contextu loca omni exceptione ſuperiora; Cap. XLIII. 13. 16. XLIV. 1. 2. 6. XLV. 13. 14. &c. Ergo his poſitis fundamentis ipſam exegeſin παραφραςικῶς inſtituam.

Utrius perſonæ hæc ſit oratio, *Dei*, num Jeſaiæ?

Intt. communis ſenſus, eſſe Jeſaiæ.

Rationes ejus ſententiæ.

Interpretatio loci ſecundum hanc hypotheſin.

Judicium de hac expoſitione.

Prior ſenſus eligitur.

Rationes hujus hypotheſios, variæ in medium productæ.

Reſpondetur ad rationes ſententiæ adverſæ.

Appropinquate mihi, audite hoc!] Vos ſc. qui in Exilio Babylonico Semen veræ Eccleſiæ facitis, advertite HOC; de quo nunc loquor; Me Filium Dei, Cyrum Liberatorem Populi mei fore, *prædixiſſe*, eumque vocaſſe & adduxiſſe. *Non ab initio in occulto loquutus ſum.*] Cum per totum tempus ſtantis Reipublicæ multa per Prophetas ediderim clara vaticinia de rebus futuri temporis, quæ eventus comprobavit: tum præcipue de Cyro ut Liberatore Populi mei, à me excitando; clariſſime in publicis concionibus ad vos loquutus ſum per Jeſaiam, fidelem miniſtrum meum. Confer Cap. XLV. 19. Filius Dei eſt ὁ Λόγος & *Os Patris:* Oraculum Divinitatis, הנדבר IS QUI LOQUITUR [a]. Cum autem varium ſit *Verbum Dei*, vid. inſtitutionis, convictionis, interminationis, conſolationis & *prædictionis rerum futurarum:* poſtremum illud eſt, quo hic præcipue reſpicitur; ut ex contextu totius orationis liquet. A QUO TEMPORE ILLUD FUIT, h. e. *exiſtere cœpit*, IBI EGO SUM.] h. e. prima initia, primos Cyri motus, qui jam cœperunt & aliquandiu durarunt; qui motus faciunt ad implementum prædictionum à me factarum; hæc initia, hos motus Ego adminiſtravi; Ego iis præſideo, eoſque dirigo ad finem à me intentum & prædictum; h. e. Everſionem Babylonis & Liberationem Exulum. Cyrus enim ſecundum Xenophontem; non invito Herodoto; plura bella per aliquot annos confecit & conficere debuit, ſive potius; plures Gentes Babyloniis fœdere junctas, ſubegit; antequam difficillimum laborem ſubigendæ Babylonis ſuſcipere potuerit, & ſuſcepit. Hunc mecum habeo veriſſimum ſenſum verborum, diu animo coctorum; in quorum interpretatione Viri eruditi etiam ab invicem longe diſſentiunt. Quomodo ea accipiant, qui orationem hanc volunt eſſe Jeſaiæ: ſupra monui. Inter eos autem qui ea Filio Dei nobiſcum tribuunt, Oecolampadius verba hæc noſtra refert ad Conſilium Dei; hoc ſenſu: *Aderam cum ea prædeſtinaret Deus:* collato loco Prov. VIII. 22. 27. Res enim futuræ primam veluti exiſtentiam ſuam conſequuntur in Decreto Divino. Brentius vero Filium Dei hic loqui facit de Liberatione ex Ægypto; ut dicat, *ſe ab initio non in obſcuro loquutum eſſe*, quippe qui cum Iſraëlitæ oppreſſi eſſent ſervitute Ægyptiaca, per Moſen clare prædixerit, ſe iis præſtiturum Liberationem ex afflictione; idemque accurate impleverit, atque eo teſtatum fecerit, *ſe ab eo tempore* quo id prædixit, *ibi adfuiſſe: Sicut igitur tunc aderam, ut ea revelarem & implerem: ita & nunc me miſit Pater meus*, ſc. ad procurandam Populo meo Liberationem ex Exilio Babylonico; de quo effecto nulla dubitandi ratio ſit. Neutra interpretatio dici poteſt Doctis illis Viris indigna; nec dixeris tamen, eſſe facilem. Noſtra autem expoſitio præterquam quod facilis & liquida ſit; duo præſtat. α. Affixum *relativum* vocis התחרה *A quo tempore factum eſt* ILLUD; refert ad totum hunc *Eventum Liberationis* curandæ per Cyrum, de quo hic agitur. De illo autem Eventu ſolet Propheta in his Concionibus loqui per affixa *relativa fœminini generis*, cum *genere neutro* careant Hebræi. Sic Cap. XLVI. 11. *Ego loquutus ſum;* אף אביאהו *Etiam adducam* ILLUD. *formavi*, אף אעשנה *etiam faciam* ILLUD. β. Servat genuinam & propriam ſignificationem vocis היה *eſſe, γίνεσθαι*; qua refertur ad rei decretæ aut promiſſæ executionem. *A tempore quo illud* FUIT; h. e. ἐγένετο *factum fuit*, h. e. *fieri cœpit:* ut ſolent apud Hebræos res quæ in initiis aut curſu ſunt, *completivis verbis* indicari. Utique quiſque videt, quanto commodius dicatur; *à tempore quo res fieri incepit, ibi* FUI; omneſque primos motus Cyri adminiſtravi: quam, *à tempore quo Revelatio hujus rei facta eſt*, IBI ADFUI. Prius genuinum: poſterius frigidum. Quare merito Ada-

Paraphraſis verborum ſecundum hanc hypotheſin.

Epitheton convenit Filio Dei.

Verba: *A quo tempore id exiſtere cœpit, Ego ſum.*

Reſpiciuntur primi Cyri motus.

Illuſtratur ex hiſtoria.

Aliorum meditationes.

Interpretationem productam ipſa commendat oratio.

Affixum vocis התחרה

Emphaſis vocis היה

[a] Cap. LII. 6.

Censura versionis Paganini.

Adamus Sasboutius, doctus Interpres, hic notat Pagninum, qui vocem *prophetia* assumpsit in ipsam versionem: *A tempore quo fuit prophetia, Ego eram.* Si quis tamen hic ad *Revelationem* sive *prophetiam* respici velit: longe is rectius illud מעת verteret *ante tempus*; hoc sensu: *Non tantum ab initio non loquutus sum in occulto:* verum etiam *ante tempus* quo illa Revelatio vel aliquid rerum extitit, *ibi fui.* Sed si à vero discedas: quicquid finxeris, contortum est. *Et nunc* DOMINUS JEHOVA MISIT ME, *&* SPIRITUM SUUM. Id est,

Verba: *Et nunc Jehova me misit & Spiritum suum.*

Nunc vero cum res in ipso sit puncto, quo perfectum eventum & implementum sortiri debeat: *Ecce adsum, missus à Jehova cum Spiritu Patris*, ut vobis succurram. Illud enim ועתה NUNC pertinere ad ipsum illud

Vox *temporis* NUNC quorsum referenda?

instans tempus Liberationis, liquet ex subseq. ℣. 20. *Egredimini ex Babele, &c.* Ait autem *Filius Dei*, Jehovam Patrem, *Dominum omnium*, misisse SE & SPIRITUM SUUM. Sic verba doctissime vertit Coccejus

Versio constituta.

noster; (post Castellionem; sed ab ipso, ut opinor, non inspectum,) & liberavit adeo Interpretes, qui

Cl. Coccejus laudatus.

videbant hanc orationem esse *Filii Dei*, è magnis angustiis: etsi tamen alii ne perderent ex hoc loco argumentum pro hypostasi Divina *Spiritus S.* se huic versioni opposuerunt, interque eos Cl. Hackspanius. Sed nec propterea hoc argumentum perdimus; nec ulla ratio est discedendi ab interpretatione illa Cl. Cocceji,

Communis versio in verbis, *Misit me, & Spiritus ejus*, quo incommodo laboret?

quæ loco affundit lucem. Cum enim cæteri Interpretes hæc verba cum Hieronymo verterent; *Dominus Deus* sive *Jehova misit me & Spiritus ejus*; & cum tamen non liqueret, quomodo *Filius* Dei dici queat missus *à Spiritu S.*: alii quidem hæc verba retulerunt ad Jesaiam; ut supra dixi; alii qui ea ad Filium Dei

Quomodo Docti Viri se hic expedint?

applicarunt, vel dissimularunt difficultatem, quod in dubiis multi faciunt Interpretes; vel dixerunt, hæc de *Christo* prædicari *manifesto facto in carne*; quando *verissimum esse*, scribit Vir quidam Doctus, *Christum* Jesum *secundum carnem à Spiritu S.* quoque *missum esse*, idque ex *Locis Communibus* constare. Sed primo; contextus refellit hypothesin, quæ statuit, *Filium Dei* hic comparere *loquentem* tanquam qui jam apparuerit in carne; licet non nesciam, Coccejum eam quoque hypothesin amplexum esse. Scena hujus Visi versatur circa tempus Iaxandæ Captivitatis Babyloniçæ. Secundo, si communia fidei principia doceant, Christum Jesum *secundum carnem* aliquo sano sensu dici

Quorum hypothesis non admittitur.

posse *missum esse à Spiritu S.* quatenus ab illo *actus est*: observandum erat, Filium Dei hic non comparere *secundum Naturam humanam.* Loquitur utique de se tanquam qui olim extiterit, & Populum per Prophetas docuerit. Tertio; Communis Doctrina Fidei, quam Ecclesiæ ex Verbo Dei profitentur; non favet huic *locutioni*; nec putem, ullibi in Verbo Dei occurrere. Hæres forte, an *Filius Dei*, qui hic comparet ut

Filius Dei hic respici nequit secundum *Naturam humanam.*

An *Filius Dei* recte dicatur *missus esse à Patre?*

Jehova, hic commode satis dicatur à Jehova *missus esse*: ajo plane ac diserte, nullam hic esse hæsitandi rationem. esse enim hanc φάσιν vere Scripturariam, & de ipso propriissime usurpari, licet involvat magnum fidei mysterium. Scriptores N. T. & in iis mysticus Joannes, de *Filio* Dei secundum præstantiorem ejus Naturam loquentes eam cogitationem nobis ubique subjiciunt, ut nos moneant, in Scriptis V. T. ad quæ passim phrasibus suis alludunt, hoc attributum de *Filio Dei* enunciari. Sic Joannes [a]: Ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς, τὰ ῥήματα τῦ Θεῦ λαλεῖ· QUEM Deus MISIT, *verba Dei loquitur.* Alio loco [b]: *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum illum verum Deum, & ὃν ἀπέστειλας* QUEM MISISTI, *Jesum Christum.* Plura sparsim. Inde Filius Dei *cæcum* illum à se sanatum ablui voluit in *Piscina* SILOAMI; *quod* sc. SILOAM *est si interpreteris*, MISSUS [c]: ut intelligeret, se beneficium summum recuperati visus debere ei qui in emphasi dicitur MISSUS PATRIS. Ita quidem, ais: sed referendam esse phrasin ad Oeconomicam *missionem Filii Dei in*

Est character *Filii Dei.*

Mundum. Non nego sane; sed eadem illa Persona, quæ *in mundum venit* ut magnus *Legatus Dei Patris*, sub titulo מלאך LEGATI, ANGELI, MISSI, administravit Ecclesiam Veteris Dispensationis, quippe quo nomine in historia Vetere insignite appellatur. De ipso Pater [d]: *Ecce nego* MITTO ANGELUM *coram facie tua.* IDEM מלאך הבריתי ANGELUS, (*Legatus*,) FOEDERIS [e]; missus & mittendus à Patre ad conditiones *Fœderis Gratiæ* suo nomine hominibus proponendas & commendandas. unde Scriptori ad Hebræos [f]: Ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας. Ipse de se apud Vatem nostrum [g]: *Jehova* שלחני MISIT ME *ad obligandum fractos corde.* Verbo absolvo: ἀναλογία totius Doctrinæ Verbi Dei infert, *Filium Dei* sub Dispensatione Vetere tanquam *magnum* Dei Patris *Legatum* administrasse Ecclesiam V. T. quæ certissima est hypothesis Prophetæ nostri [h]. Quicquid eo tempore exequutus est in Ecclesiæ salutem: fecit œconomice *missus & legatus* à Patre, quatenus id fecit *secundum Voluntatem Patris*, & secundum pn *Statutum Consilii Pacis.* Hoc vero in *casu nostro* cur mittendus cum SPIRITU? Nempe ut *Ipse* pro officio Oeconomico sibi mandato *liberaret* & *vindicaret* Ecclesiam ex Babylone: *Spiritus S.* eandem Ecclesiam *doceret, convinceret, purgaret, sanctificaret, consolaretur.* Sic Haggæus [i], ad Populum Reducum: *Quia* EGO *vobiscum sum, ait Jehova Exercituum Dominus*, cum VERBO ILLO, (Angelo Fœderis,) *quod vobis fœdere condixi cum egrederemini ex Ægypto; &* SPIRITUS MEUS *stat in medio vestrum: Ne timeatis.* Mystica loquutio est Sanctis probe intellecta. Ecclesia indiget *Liberatore*, & *Sanctificatore. Paracleto* UNO, & *Paracleto* quoque ἄλλῳ ALIO. Agnoscis itaque ex hoc loco, ut ex tot aliis, certissimam Fidei nostræ doctrinam de Deo PATRE, FILIO & SPIRITU S. in æternum glorificandis; & videbis loca mystica huic analoga in Scriptis V. T. ab aliis collecta [k]. non ausim enim longius exspatiari. Id unum curæ mihi est non præterire; videlicet, Chaldæum Paraphrasten vocem רוחו *Spiritus ejus* hic interpretatum esse per מימרה VERBUM EJUS. qua voce, ut notum, passim in *Paraphrasi* uti solet, ubi Deus ut loquens introducitur; & de cujus genuina significatione Eruditi Viri multis disputarunt. Quære itaque ex hoc loco, an sub illa notione intelligi velit SPIRITUM DEI?

Idem fuit respectus *Filii Dei* sub Oeconomia Vetere.

Cur hoc in casu *mittendus cum Spiritu?*

Locus Hag. II. 4. 5. qui exponitur.

Animadversio ad Paraphrasin Chaldæam.

(c.) A se amolitur *invidiam malorum*, quibus Populus Dei oppressus fuit.

℣. 17. *Sic ait Jehova*, REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Israëlis, Ego Jehova Deus tuus te doceo conducibilia;* DEMONSTRO TIBI VIAM *qua tibi eundum est.* ℣. 18. *Utinam animum advertisses ad præcepta mea! Fuisset* INSTAR FLUVII *pax tua; & justitia tua* UT FLUCTUS MARIS. ℣. 19. *Et fuisset instar arenæ Semen tuum; & genimina viscerum tuorum ut scrupi illius. Non* EXSCINDERETUR *&* NON EXTIRPARETUR *Nomen ejus à facie mea.*] Quæri poterat, quare Deus hoc tempore tam propensum prodat studium erga Judæam Gentem vindicandam ex Exilio: utique enim potuisse ipsum, si voluisset, cavere, ne Populus in miserabile hoc Exilium abduceretur. Ergo Deus, qui vere ubi cum Ecclesia Populi sui agit, salva summa sua majestate, omnes induit affectus, qui in hominem tenerrimo amore proximos suos prosequentem cadunt: se hic loci veluti excusat ac defendit adversus omnes Populi sui querelas. Non à se stetisse ait, quo minus summa gavisi sint status sui prosperitate, & prærogativis, quas majoribus condixerat: sed ipsos fuisse in culpa. Cum enim excellentia promissa felicitatis sui status nunquam ipsis aut majoribus ipsorum fecerit, nisi *sub conditione* Legis suæ diligenter observandæ; hac autem parte enormiter deliquerint: non esse mirandum, illos identidem adversus monita & contestationes suas in de-

(c.) A se amolitur *invidiam Calamitatis Gentis.* ℣. 17–19.

Occasio orationis hujus pericopæ & nexus ejus cum *superiore.*

Summa sententiæ.

---

a Joh. III. 34. *b* Cap. XVII. 3. *c* Joh. IX. 7. *d* Exod. XXIII. 20. *e* Mal. III. 1. *f* Cap. III. 1. *g* Cap. LXI. 1. *h* Cap. LXIII. 9. *i* Cap. II. 4. 5. *k* Vide Glass. *Gram. S.* Lib. III. Tract. II. Can. XIII.

in deterius prolapsos, tandem miserandum in modum cecidisse, & extrema expertos esse. quod si vero secus instituissent; nullam esse status sui felicitatem, ad quam non potuissent adspirare ac reapse pervenire. Hæc summa est insignis sententiæ, quam quisque facile assequitur. Nihil itaque hic quod nos exerceat, occurrit; nisi ut primo loco phrasin Prophetæ & figuras orationis ejus in dubiis illustremus: deinde *modum* dicendi *figuratum*, quo per modum *voti* summus Deus sententiam suam ἀνθρωποπαθῶς explicat, ad veras ac proprias notiones reducamus.

Ordo tractationis.

Attributa *Personæ loquentis* speciatim designant *Filium Dei.*

Præstructa rursus est orationi *Præfatio* augusta, (℣. 17.) quæ nos ducit in notitiam interiorem personæ illius illustris, quæ hic verba facit. Est autem JEHOVA GÖEL, REDEMPTOR, & SANCTUS ISRAELIS, ejusque DEUS; quæ attributa proxime χαρακτηρίζουσι FILIUM DEI. Nihil ad eam hoc tempore adscribo, quippe in superioribus non semel expositam [a]. Ait autem, se Israëlem *docere* sive *condocefacere* CONDUCIBILIA. Sic verti vocem להועיל cum plerisque. Coccejus: *Condocefacio te ad utilitatem.* Sed alibi: *Qui te docet tibi consulere. agere quod è re tua est.* quæ elegans est interpretatio & belle sonat. Addit, *Qui tibi præmonstro viam qua eundum est.* Vox הדריך, pro vera indole terminationis suæ, notans actionem compositam *facere quem incedere in via*, geminam admittit expositionem; vel, ut quis alium χειραγωγῇ *manu ducat*, eumque actu *ire faciat in via* qua incedendum est; quo sensu habuimus Cap. XLII. 16. vel, ut quis alii viam præmonstret, & qua eundem sit doceat; ejusque respectu fungatur officio *indicis viæ.* Poëta sacer [b]: *Qui incedere facit* (ירך) *mansuetos in jure:* (actionibus justis rectisque,) *& qui mansuetos* VIAM SUAM DOCET. Actio hic utrumque sensum admittit; sed maxime posteriorem. *Electis* in Ecclesia Populi Dei, qui nunquam defuerunt, Deus non monstravit tantum viam; verum etiam in eam manu sua duxit: sed quod attinet ad *multitudinem Populi*, (qui respectus hic præcipue obtinet;) Filius Dei ei viam qua incedendum est, ostendit: quod in *genere morali* censetur sufficere. Non est autem opus ammonitu; per *viam* hic intelligi *officia* in quibus se continua opera necesse habet exercere qui pertingere cupit ad scopum. Cæterum actus, qui Jehovæ *Redemptori* hic vindicatur, *docendi* Populum, eumque *ducendi* in viam qua eundum est, non est spectandus, ut unius temporis, sed continuus. Per totum enim tempus Oeconomiæ Veteris Filius Dei *Redemptorem* egit & *Doctorem:* quæ duo beneficia, REDEMPTIO & INSTITUTIO, ad perfectam Ecclesiæ salutem requirebantur. IPSE enim *loquutus* est ad Populum quem *redemerat* ex Ægypto τὰ λόγια ζῶντα *Sermones vivos* [c]; SPIRITUS EJUS loquutus est per omne tempus Oeconomiæ Veteris [d]. Inde Pii Doctores in sua ad Deum confessione [e]: *Et super montem Sinai descendisti, & loquutus es cum iis de cœlo, & dedisti iis* JUDICIA RECTA, *& Leges veras;* STATUTA *&* PRÆCEPTA BONA: *& Sabbathum tuum Sanctum notum fecisti iis, & Præcepta & Statuta, & Leges præcepisti iis per manum Mosis, Servi tui.* Rursus in sequentibus [f]: *Et* SPIRITUM TUUM BONUM *dedisti ad eos erudiendos.* Alludit manifeste ad historiam Spiritus S. cum *Senioribus* communicati [g]. ut adeo Moses vere dicere potuerit, *Præceptum* (המצוה) *amoris Dei*, quod est *præceptum fidei*, & via *vitæ*, non fuisse *remotum* à Populo, hoc est, obscuris sensibus involutum; nec *mirabile* adeo ut Interpretes ejus à longo peti debuerint: sed plane ac dilucide coram omnibus declaratum atque expositum [h]: & Michas [i]: *Jehova* INDICAVIT TIBI *ô homo quid sit bonum.* Observa præterea duo, intellectum hujus loci illustrantia. α. Ubi Jehova REDEMPTOR hic dicit, se Populum suum duxisse *via* qua eundum erat: pulchre alludi ad *Beneficium corporale* Divinæ Providentiæ indultum *redemptis ex Ægypto*, quo Jehova Redemptor *accensa lampade* iis de nocte præluxit in vastis Arabiæ Petrææ Desertis; perinde ac interdiu iis præivit viamque præmonstravit Nube castra antecedente [k]. Scire licet, *Beneficium* illud *corporale* fuisse emblema *beneficii* analogi *spiritualis.* β. Quod Deus Redemptor hic ait, se Populum suum *docere* להועיל *ad utilitatem*; rebusque suis recte consulere: non esse dubium, quin id de se prædicari velit κατ' ἀντίθεσιν IDOLORUM, Numinum commentitiorum, quorum cultus non tantum non *proderat*, sed & *oberat*, magnamque adferebat noxam & detrimentum cultoribus suis. Confer Cap. XLIV. 10. XLV. 19. Inde Deus apud Jeremiam [l]: *Estne Gens quæ mutet* DEOS; *etsi illi Dii non sint: sed Populus meus mutavit gloriam suam* בלא יועיל *absque quo inde ullum percipiat emolumentum:* imo potius damnum ac detrimentum maximum.

Illustratur ex analogis.

Via *vitæ* Israëlitis clare exposita.

Animadversa ad hunc locum

Verum si res ita se habeat, Deum verum se exhibuisse Populo suo Doctorem fidelem, qui eum docuerit utilia & ipsi salutaria: ecquæ hujus rei effecta? unde itaque tristis ille & calamitosus status, in quem prolapsi fuerint posteri Jacobi; longum tempus cum variis luctati malis; ab hostibus suis victi, spoliati, imminuti; tandem penitus subacti & abducti in Exilium? Docet Deus, culpam non residere penes se. Vitium esse populi, qui se consiliis, institutionibus, monitis Dei præbuerit immorigerum. Secus enim si fecisset; potuisse à Deo exspectare non benedictionem tantum, Patribus promissam, sed quoque benedictionis exuberantiam. Id vero cum Deus posset asperiore oratione proponere: ne Populum suum electum, satis afflictum, amplius contristaret, dum eum solari instituit atque erigere: proponit lenissimo dicendi genere, per modum *Voti: Utinam*, ait ℣. 18. *attendisses præceptis meis: fuisset instar* FLUVII *pax tua; & justitia tua ut fluctus maris:* quæ prima pars est *Consequentis.* Sensus est; Beneficiis omnibus Providentiæ Gratiæque meæ, quæ facere poterant ad prosperitatem stabilitatemque tui status, gavisus esses, exuberante mensura & cumulo, ut Benedictio una alteram presse insecuta esset; Benedictio una alteram superasset. Per *Pacem* hic intelliges, Hebræorum more, felicitatem prosperitatemque status; quæ dicitur esse instar *fluvii.* h. e. α. Fore amplissimam, lateque extentam, instar magni alicujus *fluvii*, & præsertim *Euphratis.* β. Eandem fore *exuberantem*, & identidem in majus surrecturam: instar *Euphratis*, qui tempore Veris liquefacta nive supra ripas exundat, lateque exspatiatur: quam Euphratis proprietatem, ex Scriptoribus Exoticis in *superioribus* illustratam dedi [m]. γ. Futuram esse perpetuam, nunquam desituram; ut fluvii & rivi secundum Leges naturæ ex certis & non facile exhauriendis scaturiginibus nascuntur, recentes semper volventes aquas. δ. Eandemque prosperitatem ac benedictionem fore *cœlestem*; ex *alto* derivandam: quod mihi hic addere liceat. *Fluvii* enim passim oriuntur ex ALTO. h. e. *montibus.* Ex *fontibus* etiam, non nego: sed qui si ortum dent magnis fluviis, ipsi quoque originem suam trahunt ex montibus. Ad *Euphratem* autem hic alludi, vidit quoque Chaldæus. Verba ejus: *Si attendisses præceptis meis,* והוי פון כשפע נהר פרת שלמן *fuisset utique quasi* INUNDATIO FLUMINIS EUPHRATIS *pax tua.* Ratio est, α. Quod vox נהר FLUVIUS, passim de EUPHRATE sumatur; & per hanc ipsam notionem NILO sub voce נחל contradistinguatur. β. Quod proprietates illæ, quæ basin hujus metaphoræ faciunt, in Euphrate insigniter demonstrari queant. Accedit, quod metaphoræ per se eleganti magna accedat species, si ad animum referas, Scenam hujus Visi figendam esse in Exilio Babylonico, ubi Populus Judæus prope *Euphratem*, sive in parte Mesopotamena, sive in parte Arabica, colonias suas habebat. Eodem etiam putem respicere alterum membrum; & צדקתך *justitia tua* ut *fluctus maris.*

Vera causa calamitatis Populi.

Vitium fuit in Populo.

Lenissimus modus Orationis, per formam *Voti*, ℣. 18.

Sensus emblematis.

Per *Pacem* quid hic intelligendum sit?

Metaphora, *fore eam exuberantem instar fluvii.*

quid significet?

Alluditur hic ad Fluvium Euphratem.

Rationes, cur hic præcipue *Euphrates* respiciatur.

Idem hic posset intelligi

Quid hic loci intelligendum per *viam*?

Beneficium hic memoratum non est *unius temporis*, sed continuum.

Alluditur hic ad Beneficia Judæis præstita cum Exitu ex Ægypto.

Qui tibi *præmonstro viam, qua eundum est.*

Verborum emphasis.

Locus Ps. XXV. 9.

a Cap. XLIII. 14. coll. cum XLI. 14. b Ps. XXV. 9. c Act. VII. 38. d 1 Pet. I. 12. e Neh. IX. 13. 14. f ℣. 20. g Num. XI. 24--29. h Deut. XXX. 11. 12. i Mich. VI. 8. k Neh. IX. 12. l Jer. II. 11. m Ad Cap. VII. 7.

gi sub nomine *maris*.

ris. Euphrates enim perinde ac *Nilus*, ob latitudinem & aquæ copiam, dicitur quoque Hebræis MARE; & Euphrates, ut magni fluvii, *vortices* suos undasque *volvere* dicitur [a]; *celer* & *violentus* in primo suo cursu. Intellige autem per JUSTITIAM omnem BENEDICTIONEM, sive temporalem sive spiritualem, quæ testatum facit, hominem aut Populum esse in *statu Justitiæ*, h. e. esse in favore & amicitia Dei. Singulares homines censentur esse in Statu *Justitiæ*, ubi pollent gratia Divina ad remissionem peccatorum & jus Divinæ communionis in gratia & gloria; atque adeo favore Dei gaudent secundum Legem fœderis gratiæ. Populus integer est in Statu *Justitiæ*, ubi diligenter observans Leges & conditiones fœderis cum Deo initi Deo gaudet favente ac propitio; ac proinde illius status consequentibus & effectis, *temporalibus* & *spiritualibus*, Bonis videlicet fœdere promissis, potitur; quæ consequentia & effecta respectu Populi posterorum Jacobi omnia erant Bona, Benedictiones omnes, quas Deus fœdere Sinaitico & Gerizimitico cum *observantia* Legum suarum conjunxerat. Hæc *effecta* & fructus *Justitiæ*, sive Beneficii & Status Justificationis, hic appellantur JUSTITIA. Sic Vates noster Cap. LIV. 17., ubi de prærogativa verorum Dei Servorum disseruerat: *Hæc est hæreditas Servorum Jehovæ*; (Bonum iis Testamento decretum;) & JUSTITIA ILLORUM *ex me, ait Jehova*. h. e. effectum & fructus *justitiæ*, quam apud me habent ex gratia per fidem in Mediatorem. Omnis gratia; *benedictio* omnis, vera, solida, perennis, est effectum hujus *Justitiæ*. Poëta Sacer, postquam descripsisset conditiones Fœderis, quibus peccatori adspirare licet ad communionem & favorem Divinum [b]: HIC (talis qualem descripsi,) *feret* BENEDICTIONEM *à Jehova*, & JUSTITIAM *a Deo salutis suæ*. Summus gradus *perfectionis* hominis in hisce terris, est apud Deum *justum censeri*; sive ἔχειν δικαιοσύνην παρὰ Θεῷ. apud Deum *esse in Statu Justitiæ*. Id summum est quod in his terris consequutus est Abraham [c]. Meruit *amicus Dei* appellari [d]. quem statum semper comitantur aut consequuntur *insignes Benedictiones*, quibus Deus *Justitiam* quam homo aut Populus apud se habet, obsignat. Quæ *Benedictiones* dicuntur esse ut *fluctus maris*, α. Ubi una alteram presse insequitur. β. Una alteram promovet & confirmat. γ. Una alteram superat. Quam hoc dictum venuste! Dixi, alludi hic quoque posse ad Euphratem. Si tamen malis transferre ad *magnum mare*, ut emblema augustius exsurgat: nihil intercedo. Metaphora alio adhuc loco [e] apud Vatem nostrum occurrit: dubium, an alibi. Proxime tamen comparabis locum Job. XX. 17.

Illustratur ex analogis.

Quid hic noxet *Justitia*?

Quid subsit metaphoræ, qua *Justitia* dicitur fore ut *fluctus maris*?

Alterum consequens, יש. 19. *Et fuisset ut arena semen tuum*.

Alterum consequens Antecedentis enunciati Votivi, יש. 19. *Et fuisset ut arena semen tuum, & genimina viscerum tuorum, ut lapilli ejus*. Scilicet secundum promissum Abrahæ & Jacobo datum [f]. Atqui id promissum jam fuerat repræsentatum tempore Davidis [g] & Salomonis [h]! Ita est. Sed si Israëlitæ perstitissent in fœdere Dei, effectus illius durare debuisset per omnia Reipublicæ & Ecclesiæ Judaicæ tempora: atque adeo accipienda est oratio *restricte* ad præsentem Statum Populi Dei, veluti dixisset, ETIAMDUM *fuisset ut arena semen tuum*. Nihil itaque hic dubii est, nisi in voce מעותי LAPILLI EJUS: quomodo vocem, hic elegantiæ caussa per modum παρονομασίας positam, verterunt Hieron. Chaldæus, Magistri Commentatores, & communiter Intt. Videtur iis vox ejusdem esse originis cujus מעי pl. מעים *viscera*, *intestina*; atque inde, supponentes *affixum relativum* vocis מעותי referendum esse ad ים MARE, non ad חול ARENAM, (quod ego quoque ipse cum Aben-Ezra facile suppono:) per מעות intelligunt *viscera*, *intestina maris*, atque adeo *lapides*, sive *lapillos: Lapides* enim, ait Vir Doctus [i], *sunt viscera maris*. quod dici patior; nec tamen dicerem ipse. Sunt *lapides in visceribus* h. e. interioribus, maris; sed dici ipsa maris *viscera* & *intestina*, paulo durius videtur. Kimchius memorat, esse Interpretes, qui eidem huic principio insistentes, hic intelligant *pisces*, adscripta ratione, דגים *pisces* esse מעי הים *intestina maris*. Imo vero est interpretatio Aben-Ezræ. Nec putem tamen ita unquam dici: sunt ipsi quoque in *visceribus maris*: etsi cætera similitudo huic loco satis belle conveniat, cum propagines piscium fœcundissimis hominum propaginibus scite comparentur [k].

Sunt qui hic *pisces* intelligunt.

De eo judicium.

Veterum Intt. versio.

A. S. Th. apud Procopium: ΚΕΓΧΡΟΙ ΓΗΣ· *milia terræ*. non, αἱ πέγχροι ἀυτῆς; ut exhibet Drusius; sibi hic movens difficultates absque necessitate. Sensus esset minime contemnendus, si aliqua præcessisset mentio *terræ*; & notio ארץ *terræ* admitteret *genus fortius*. Et tamen Int. Alex. acsi hic legisset vocem ארץ *terra*, exhibet quoque, ὡς ὁ χοῦς τῆς γῆς, *ut pulvis terræ*. Sed nulla hic dubitandi ratio est de veritate lectionis Masorethicæ. Monui, ex nostra interpretatione *affixum* vocis מעותי referendum esse ad ים MARE; quod fateor, hic non præcessit. Sed extat in *versu superiore*, & supponitur in voce חול *arena*, quæ est apud *mare*. Ne dicam, sæpius accidere, ut affixa referantur ad *Subjecta*, mente concepta, non expressa oratione; si circumstantiæ illa demonstrent. Sequuntur apud Jesaiam quæ hanc pericopam claudunt: *Non fuisset excisum & profligatum nomen ejus à coram facie mea*. h. e. Non passus fuissem, ut Gens posterorum Jacobi secundum potiorem sui partem bello, peste, fame, feris, aliisque judiciorum meorum plagis, absumpta imminutaque fuisset, quæ hoc tempore ejus est conditio miserabilis; sed curassem mea providentia, ut majora indies fecisset incrementa; auctior continuo ornatiorque prodiisset; & identidem surrexisset in majus: qui sensus convenit orationi proxime antecedenti. Non est enim necesse verba Vatis intelligere de *excidio plenario*; cum utique *reliquiæ* adhuc supererent, semper superfuturæ κατ' ἐκλογὴν χάριτος: quod ipse docuerat Jesaias [l]. Attamen Intt. plures verba in alium acceperunt sensum, acsi dicere vellet Vates: *Et* tamen ne nunc quidem quando res tuæ valde imminutæ sunt; *excindetur & extirpabitur Nomen ejus in æternum*. Pisc. *Non* tamen *excindetur neque extirpabitur Nomen ejus à conspectu meo*. præiverant Jun. & Trem. Sic manifeste Int. Alex. hic liquidior quam alibi: Οὐδὲ νῦν ἐ μὴ ἐξολεθρευθῆς, ἐδὲ ἀπολεῖται τὸ ὄνομά σε ἐνώπιον ἐμοῦ. Kimchius eodem modo accepit; & Hebræa non respuunt hunc sensum; quem par est me relinquere judicio eorum qui me legent. refelli enim alia ratione nequit, ac quod minus videatur convenire contextui & scopo orationis; quæ hic est convictoria, licet lenissima. Solummodo observes, α. Affixum in voce שמו *Nomen* EJUS referendum esse ad vocem זרע *semen*, in *initio commatis*. β. Phrasi, *Non extirpabitur Nomen ejus*: alludi ad *Tabulas Genealogicas* Judæorum, in quibus vel deficiente successione, Nominis commemoratio negligebatur; vel si atrox crimen ab aliquo commissum esset, Nomen ejus è Tabulis eradebatur.

Et ים *b*.

Affixum hic referendum est ad vocem ים *Mare*.

Sensus verborum: *Non fuisset excisum nomen ejus*.

Sunt restricte accipienda.

Aliorum Intt. meditatio.

Animadversa alia ad phrasin Prophetæ.

En orationem Dei, à se amolientis invidiam calamitatis, in quam Populus Judæus incidit. Superstructa illa est duabus hypothesibus. Prima est, potuisse Populum Judæum res suas feliciter agere, & stabili gaudere prosperitate temporali ac spirituali, si stetisset conditionibus fœderis cum Deo initi. Cum enim Deus cum observatione Legis fœderis & in se obsequio connexisset Benedictiones omne genus amplissimas; nec dubitari posset de ejus fide aut potentia in Benedictionibus illis repræsentandis: ab ipso stetisse Populo quominus hoc privilegio gavisus sit. Altera; Deum ea esse affectione in Populum Judæum à se electum, ut, salva justitia & honore majestatis suæ, ipsi prospera quàm adversa maluisset decernere: tum quod per naturam *bonus* sit, & hominum malis & incommodis non delectetur; tum quod id gloriæ suæ & σχέσει ad Popu-

Summâ ὀρθότητι rationis Divinæ secundum superiorem expositionem.

lum

[a] Jer. LI. 36. Zach. X. 11. Vide notata ad Cap. VIII. 7. [b] Ps. XXIV. 5. [c] Gen. XV. 6. [d] Jac. II. 23. [e] Cap. LXVI. 1, 2. [f] Gen. XXII. 17. XXXII. 12. [g] 2 Sam. XVII. 11. [h] 1 Reg. IV. 20. [i] Forsterus. [k] Gen. XLVIII. 16. [l] Jes. X. 21, 22.

lum à se electum magè fuisset consentaneum: ut proinde Deo imputari nequeat sequior rerum successus. Medium enim stabilis felicitatis Populo ostenderat; & non intercesserat, quominus id in usum suum adhiberet: contra vero monitis, exhortationibus, convictionibus, & exemplis animadversionum, ipsos ab exitio studuerat præservare. Id vero ipsum est quod hic latet in *formula optandi*, לוּא UTINAM, præscripta ỳ. 18. Posset vox verti per *si*, ut Cl. Coccejus eam subinde accepit; sed est ejus genuina significatio quam hic proposui. Et vere *optantis persona* Deo quoque aptatur in locis Deut. v. 26. XXXII. 29. Ps. LXXXI. 14. Cave tamen hic cogites de *impotentia* aut *incertitudine obtinendi desiderii*, ubi Deo summo & perfectissimo, cui omnium viarum suarum ratio constat, tribuitur. Deus est sublimis, sanctissimus, & nostra cogitatione infinito celsior, cujus natura omnem ἀδυναμίαν, omnem *velleitatem*, liceat sic loqui; omnem absque effectu cupiditatem; excludit. Docet solummodo nos; adversa quæ homines perpetiuntur, non siniſtro ipsius in eos affectui; sed stultitiæ suæ & abusui libertatis, cum natura rationali cohærentis, eos debere. Deus enim ut non vult malum & mortem creaturæ intelligentis: sic vult obsequium liberum. Docet præterea, universam rationem providentiæ suæ erga Ecclesiam testari de benevolo suo in eam affectu. Inde nos oportet judicare de voluntate Dei erga Ecclesiam. Dicis, Deum utique potuisse Populo eam dare mentem, hunc animum & affectum, ut in viis suis incessisset. Intelligo, quid velis. Sed cave tibi altius ascendere. Quod Deus hic non dat, non debet. Cur autem non det, semper habet rationes gravissimas, tibi mihique ignotas. Sufficit & sufficiat nobis; Eum id etiam quod nulla ratione censeri potest debere, cum Creaturam intelligentem instruxerit facultatibus moralibus, obsequio mandatorum suorum aptis; id, inquam, quod plane censeri non potest debere, per omnes temporum Oeconomias dare electis, quos sibi consilio gratiæ secrevit. In eo mecum si acquieveris, sapies; nec incurres in pœnam *scrutatoris nimium curiosi Divinæ Majestatis*. Cogita, Deum te majorem esse.

Modus propositionis *formæ optativæ* inde declaratur.

Vocula לוּא quomodo hic accipienda?

Extrema hic vitanda in expositione *orationis votivæ*, Deo tributæ.

Verus sensus qui ei subest.

γ. *Adjuncta* Convictionis.

(a.) MANDATUM de *deserenda Babylone*, dum ipsa præ foribus est *liberatio*; & de hoc *Beneficio* ubique *vulgando*.

γ. Adjuncta Convictionis.

(a.) Mandatum de *deserenda Babylone*, ỳ. 20.

ỳ. 20. *Exite ex Babylone; fugite ex* terra *Chaldæorum cum voce cantus: Annunciate, divulgate hoc; proferte hoc libero ore usque ad extremum terræ: Dicite*, JEHOVA REDEMIT SERVUM SUUM JACOBUM.] Huc usque perduxerat Filius Dei suam orationem, convictoriam quidem; sed in hoc genere leniſſimam, modo propositam. Interim supponuntur in hoc Viso victi esse à Cyro Chaldæi; expugnata Babylon; occupatum à Victore Babyloniorum Imperium; & instare nunc vel adesse tempus quo laxanda erat Captivitas, & promulgandum Edictum. quando se per *Apostrophen* convertit ad *Electos* in Populo, eos valide exhortans, quin etiam iis imperans, ut Babyloni & Chaldæorum terræ quanto ocyus valedicant, & per Orbem quam late patet, vulgent; *Deum redemisse Servum suum Jacobum:* his verbis quæ descripsi: nec hoc tantum; verum etiam, Deum miseris in Patriam revertentibus præstitisse Beneficia singularis suæ curæ ac providentiæ, ut absque incommodo iter hoc suum absolverint; de quo mox videbimus, ỳ. 21.

Summa orationis.

Ellipsis in voce מכשרים.

In oratione Vatis levia aliqua occurrunt expedienda, antequam de re ipsa quæram. Primo, quod dicitur, מכשרים *ex Chaldæis* accipio elliptice pro מארץ כשרים *ex terra Chaldæorum*. Sic apud Jeremiam [a]: והיתה כשרים לשלל *Et* ERIT *Chaldæi*, (sc. terra Chaldæorum,) *in direptionem*. Deinde, dubium censeri posset, quorsum referenda sint verba, בקול רנה *Voce cantus*; an ad antecedens, *Egredimini ex Babylone & fugite*, h. e. propere vos movete *ex* terra *Chaldæorum*, cum *voce cantus*; num vero ad consequens: *Cum voce cantus indicate, divulgate hoc*. Prius ad primam speciem videri queat facilius; videlicet; ut propere excedentes Babylone in ipso quod facerent itinere Deum Liberatorem suum *cantu & voce* celebrarent. Quod enim ad posterius attinet: α. Videri posset Propheta, si id voluisset, potius scripturus esse, *Indicate voce cantus*; quod Hebraismo convenientius quam *voce cantus indicate*. β. Videri posset minus proprie dictum, *aliquid indicare voce cantus*. Hoc enim vel illud *indicaturus* aut *promulgaturus*, non solet *canere*, sed *loqui*. Quam difficultatem præventuri Intt. ut existimo, Hebræa בקול רנה instituerunt vertere, *voce canora*, ut Jun. Trem. vel *voce clamoris*, ut Basileënses. Hieron. *Voce exultationis*. Pisc. *Voce jubilationis*. Largior, phrasin admittere posse hanc interpretationem, si respicias significatum vocis רנה: sed loca in quibus phrasis בקול רנה occurrit, ubique postulant, *Voce cantus* [b]. Nihilominus Masorethæ favent sententiæ posteriori; & raro eos desero, quod vere prudentissimi sint Magistri. Putem itaque, Jesaiam hanc sententiam dedita opera sic constructisse, ut hæc verba, *voce cantus*, ad utrumque membrum applicari possent. Quod si vero ea applicaveris ad *membrum consequens*, hunc dant & dare possunt sensum commodissimum: Velle Deum, ut liberati ex Exilio *voce cantus & confessionis* ubique inter omnes Gentes celebrent & extollant hoc Beneficium; tum ut Gentes hoc ipso venirent in notitiam hujus rei, quæ simplici sermone & oratione, dum iis curæ non esset hoc Beneficium in Judæos collatum; commode satis ad eas deferri non poterat; tum præcipuè ut hoc beneficium Judæis ad *extrema cœlorum propulsis* innotesceret, & ne caussam hujus beneficii, & magnitudinem utilitatemque ejus ignorarent. Itaque dum Judæi jam circa id tempus per vastas Regiones Orientis sparsi, illud *cantu & jubilo* prosequerentur, pervenire omnes poterant in illius cognitionem. Tertio, usus hic est emphaticus vocis הוציא in voce הוציאוהו *Efferte* sive *Proferte illud*; *erumpite* illud; h. e. tectum hactenus & occultum libera voce ubique κηρύσσετε *prædicate*, & pro virili pectoribus exprimite. אוציא אור apud Jobum [c] est, *proferre in lucem*. Aben-Ezra: כמו בפרהסיא *Tanquam* μετὰ παῤῥησίας.

Voces בקול רנה cum *voce cantus*; quorsum referendæ, an ad prius; num ad posterius orationis membrum?

Rationes quæ priori sententiæ favent.

Intt. quorundam, specimina versionis, harum vocum, ut eas connectant cum *membro posteriori*.

Masoretharum judicium.

Utriusque sententiæ compositio.

Rationes vulgandi hujus Beneficii inter Gentes.

Usus vocis הוציא *proferre*.

Si ab orationis ad rei ipsius contemplationem transeas: nihil hic impediti videtur. Filius Dei, aptans hanc orationem ipsi illi articulo temporis, quo laxanda erat captivitas Babylonica, cum restitutam vellet Rempublicam & Ecclesiam in Judæa, ob magnos illos fines, quos Deus consilio suo sibi proposuerat; hortatur Judæos, quorum plerique ab ipso Jeremia Vate ea de re moniti [d], fortunas suas in Chaldæa jam stabiliverant, quosque prænoverat ægre suas illas possessiones ibidem acquisitas esse derelicturos, ut moras omnes rumpant, atque ad primam Edicti promulgationem paratos se habeant ad Babylonem & Chaldæam deferendam, & repetendam Terram Patribus datam in hæreditatem: tum quoque cum plurimi fratrum ipsorum ad extrema terrarum propulsi essent: (quod hoc Exilio futurum prædixerat [e]:) ut diligenter curarent hoc Beneficium Divinæ Gratiæ inter omnes & remotissimas quoque Gentes celebrari. Hæc simplicia videntur, ut sunt, & scenæ Visi atque contextui & scopo orationis consentanea. Sunt tamen Intt. & in his Docti Viri, qui in eo non acquiescunt. Cum enim quæ *sequenti commate* dicuntur de Beneficiis quibus reduces gavisuri essent, quid majus videantur sonare quàm in Reduces ex Exilio competit; & ipsis hisce in verbis Beneficium hoc proponatur ut maximum, prædicandum alta voce usque ad extrema Orbis; quod minus videtur convenire Beneficio Liberationis Babylonicæ: mystice hæc accipiunt cum Hieronymo, quem sequuntur nonnulli mediæ ætatis Interpretes, & inter

Quæritur, quomodo hæc referenda sint ad Beneficium Liberationis ex Exilio Babylonico.

Docti aliqui Viri hic altius quid spectari volunt.

[a] Cap. L. 10. [b] Ps. XLII. 5. CXVIII. 15. [c] Cap. XXVIII. 11. [d] Cap. XXIX. 5. [e] Deut. XXX. 4.

ter Recentiores, Sasboutius ac Forerius: per *Babylonem & Chaldæos* hic intelligentes Mundum & Mundi Principum Doctorumque falsorum communionem, è qua vindicati sunt electi per sanguinem Filii Dei. Oecolampadius inter nostros huc inclinat animum; & Coccejus, qui orationem Prophetæ jam à ℣. 12. transtulit ad tempus φανερώσιος Filii Dei in carne: hæc verba nostra in *Minoribus Curis* in Vatem nostrum, (in *Majoribus* enim *Babylonem* proprie sumit, licet vere contra hypothesin; *redemptionem* tamen de *Salvatione Christi Jesu* interpretatus:) hæc inquam, nostra de *Exitu ex Babylone* mirifice accipit: *Sive hic*, ait, *intelligamus Judæos* (sc. per eos qui hic compellantur,) *qui in Babylone audiverunt Evangelium & crediderunt* [a]; *& cum illis cæteros qui in omni dispersione crediderunt, & Evangelium prædicarunt cum Apostolis; sive intelligamus fideles Hierosolymitanos, ut evocet illos ex illa Civitate & ex* ILLO POPULO *tanquam* BABYLONE. *ut enim Hierosolyma est Botsra, ita hic potest esse Babel; quemadmodum etiam Ecclesia defectrix dicitur Babel. confer* Cap. LII. 11. Patet, quod ex mille exemplis aliis, quam sit difficile servare ἀναλογίαν interpretationis, si quis à vera hypothesi discedat. Quam enim longe & longissime quæsitum est, Jesaiam hic inferre vaticinantem de *Judæis Babyloniis* qui qualesque superessent in illa Urbe jam maximam partem desolata, circa tempus Tiberii, Caji, Claudii; si id jam darem, Petrum apud illos Judæos, & non potius Babylone Ægyptiaca, versatum esse? quam, inquam, id longe, longe quæsitum est? Cui enim mortali in mentem veniret de eo cogitare, nisi per hypotheses suas in arctum compulso? Sed, fac, id ita esse. Cur illi in Christum Jesum credentes deberent *exire illa Babylone?* Ad prædicandum Evangelium inter Gentes, ais. Verum *Evangelium Christi* an *exire* debuit *Babylone?* nonne ex Vate nostro, *Tsione? Hierosolyma* vero ubi tandem mystice appellatur *Babylon?* & si *Hierosolyma* hic mystice nuncupetur *Babylon*, an igitur *Chaldæi* hic erunt *Judæi*; & *terra Chaldæorum* significabit *terram Canaanæam?* Hieronymi, (dixerim rectius, Eusebii Cæsariensis, quem ille sequutus est, & hic haud dubie Origenem,) & sequacium pia & simplex meditatio, per *Babylonem* hic designari *Regnum Satanæ & communionem* Mundi; non sperno in mystico hujus loci aspectu: sed Jesaiam id *primo sensu* intendisse, quis liberi judicii homo sibi persuaserit? Videt enim quisque in hoc *Sermone* & in *præcedentibus* agi de *Liberatione* ex Exilio Babylonico. Cur itaque nolimus, Vatem id dicere, quod κατ' ἀναλογίαν dicere debebat? At vero ait Eusebius, ταῦτα δὲ πρὸς μὲν ἰσορίαν ἐκ ἐπλήρωτο κατὰ τὸν χρόνον τῆς ἀπὸ Βαβυλῶνος ἐπανόδου· *Et hæc quidem secundum historiam gesta non sunt tempore Reditus ex Captivitate Babylonica.* Respicit ad ea quæ *sequente versu* narrantur. Respondeo, gesta esse si quis verba Jesaiæ dextre accipiat; ut ibi ostendam. Interim ipse quoque vere & ex animo sentio, Jesaiam sic loquentem, ut fecit, quid majus & sublimius in oculis habuisse; & dum loquebatur de *Liberatione* hac *typica* raptum esse in contemplationem *Liberationis mysticæ & spiritualis* post Reditum ex Exilio à Messia procurandæ; absque cujus respectu tam presso & sublimi dictionis genere non videtur usurus fuisse. de quo pauca disseram, postquam *sequens comma* exposuerim.

Quomodo Intr. aliqui *egressum ex Babylone* hic mystice accipiant? Cocceji meditatio.

Ad eam animadversio.

Eusebii, Hieronymi, aliorumque sententia.

Restat verbum addam de vero *sensu & scopo* hujus sive *mandati* sive *exhortationis* de *exeundo* ex Babylone, & *fugiendo ex terra Chaldæorum.* Dubium hic moveri potest, Quid sibi velit, quod Propheta Deum loquentem inferens id mandatum ferat ad Exules in terra Babylonica: an forte, ut quanto ocyus derelinquerent Babylonem, ne *plagas* ejus *participarent?* quomodo Jeremias in prophetia adversus Babylonem hoc mandatum explicat [b]. Num potius id tantum referendum sit ad Legatos *ex Babylone* mittendos per Orbem, ut longe lateque prædicarent Beneficium in Judæam Gentem collatum? Vel an Mandatum hoc pertineat ad excutiendam tarditatem Gentis Judææ, fixis jam Babylone domiciliis, in terra illa Exilii deferenda, quod satis prævideret, miserabilem fore conditionem Reducum; ut experientia docuit. Primum horum non admitto, cum hic loci jam manifeste supponatur Edictum Cyri de *laxanda Captivitate & reædificando Templo.* Confer Cap. XLIV. 28. XLV. 13. Locorum Jeremiæ alius est respectus. Monet ille Judæos in Exilio; ut si facultas detur evadendi ex Babylone, occasionem quamque commodam arripiant deferendi Babylonem, ne venirent in communionem plagarum ei à Deo destinatarum. Alterum pariter non probo, quia si hic supponeretur, Opus Redemptionis jam esse absolutum; Legati non debebant exire Babylone, sed ex Judæa. Ergo tertium amplector, quod jam supra proposui. Continent hæc verba mandatum geminum: primum quidem, ut Populus Exulum, impetrata à Cyro libertate, quanto ocyus reditum in Patriam maturet; ne diutius in ea terra morentur, quæ ipsis à Deo in punitionem criminum ipsorum fuerat destinata, quamque respicere debebant ut locum & sedem judicii Divini; & ubi tentatio & seductio ad idololatriam locum habere poterat. quo pertinent priora, *Exite Babylone, & seqq.* Deinde, ut postquam in Patriam, Divino præsidio tuti, salvi & incolumes pervenerint; *ubique* divulgent & celebrent *Beneficium Redemptionis* sibi à Deo procuratum. Sanctius in eo multus est, ut ostendat, Beneficii hujus præconium alta voce faciendum explicari posse ex Edicto Cyri apud Ezram [c]: sed præter rem. Aliud Cyri est opus: aliud hic mandatur *Liberatis* ex Servitute, post apertas carceris portas. Id unum recte feceris, ut cum hisce nostris verbis compares Jeremiam, qui Reditum Judæorum & Ephraimitarum ex Babylone & Assyria diserte describit; ubi inter alia [d]: *Quia sic ait Jehova: Cantate Jacobo lætitiam; & hinnite in cacumine* montium *Gentium; promulgate, laudate, & dicite: Serva Jehova Populum tuum, reliquias Israëlis. Ecce adduco eos è terra Aquilonis, & congrego eos è lateribus terræ, & seqq.* Rursus post pauca [e]: *Audite verbum Jehovæ Gentes, & annunciate in insulis longinquis, & dicite: Qui dispersit Israëlem, eum congregavit, & custodit eum, ut Pastor Gregem suum: quia Jehova Jacobum redemit, eumque vindicavit ex manu fortioris ipso.* Res eadem est.

Sensus & scopus hujus mandati pressius investigatur.

Non jubentur hic *egredi Babylonem*, ne *plagas* ejus participarent.

Neque etiam ad hoc Beneficium per Orbem vulgandum.

Pertinet Mandatum ad excutiendam tarditatem Populi Judæi.

Meditatio Sanctii.

(b.) CONSEQUENS sive *Adjunctum* hujus Beneficii, simul vulgandum.

℣. 21. *Et non sitiverunt in desertis locis per quæ eos duxit: Aquas è rupe iis effluere fecit; &* FIDIT RUPEM, *& fluxerunt aquæ.*] Hæc illa verba sunt quæ Interpretibus occasionem præbuerunt cogitandi de sublimiore hujus pericopæ sensu. An enim, ajunt, Jacobidæ ex Babylone reduces in Patriam iter fecerunt per *deserta & solitudines*, ad instar Populi ex Ægypto redempti, cui per Arabiam Petræam adeunda erat Canaanæa? Num vero Deus, qui Redemptos ex Ægypto, absque cura singulari Providentiæ Divinæ siti perituros in Desertis Arabiæ, potavit ex Rupe, idem beneficium contulit in Redemptos ex Babylone? Etiamne tum *fidit Rupem*, ut sitim Populi sui levaret? Si autem historia de eo nihil testetur: nonne ratio suadet hic cogitare de alio subjecto, ad quod hæc verba spirituali sensu applicentur? Sed quod ad prius attinet: non est dubitandum, quin Caterva Exulum primorum quæ hic potissimum respicitur, vere iter magnam partem fecerit per *Deserta Arabiæ*: illius, inquam, Arabiæ quam Geographi *Desertam* vocant, sed quæ *Petræa* contigua est, & ab ea non nisi nomine discernitur. Prima enim illa Expeditio Exulum procul dubio instructa fuit ex Judæis, qui vel Babylone, vel infra Babylonem ad Occiduum propter Euphratem, (cis & trans illum fluvium,) sedes suas & colonias fixerant; qui recta per Arabiam & Palmyrenas solitudines,

(b.) *Consequens* hujus Beneficii, ℣. 21. *Et non sitiverunt, &c.* Dubium in his verbis ostenditur.

Exules ex Babylone reduces vere iter magnam partem fecerunt per Arabiam. quod declaratur.

Syria

[a] 1 Pet. v. 13. [b] Cap. L. 8. LI. 6. 45. [c] Cap. I. 2. seqq. [d] Cap. XXXI. 7. [e] ℣. 10.

Syria ad dextram relicta, tetenderunt in Canaanæam. flexisse enim illos iter per Syriam longo & non necessario circuitu, neutiquam est probabile: præterquam quod Syria ipsa illo tempore eum in modum non fuerit culta & habitata, ut consequente tempore sub Seleucidis. Ne jam dicam, probabile videri, Exercitum Exulum XLIII *millium hominum* & quod excurrit, cum equis, mulis, camelis, sarcinis & impedimentis, iter potius facere voluisse per loca infrequentius culta, quam per Regiones & agros incolarum frequentia celebriores. Ezræ & catervæ quam ipse duxit, alia potuit esse ratio, quippe qui ex Assyria, Media, & confinibus locis in Canaanæam concessisse videtur, (quæ terræ stylo Judaico illius temporis *Regionis Babylonis* nomine comprehendebantur [a],) confecto itinere *quatuor mensium:* etsi de eo etiam disputandi materia non desit. Quod vero ad *alterum* attinet: admitto consequens, si ex hypothesi nostra inferri queat, verba hæc Jesaiæ de *fissa rupe* & ex ea profluentibus aquis proprie intelligenda esse. Quid enim vetat ea *parabolice* accipere? Estne id alienum à stylo Vatis nostri? Tantum abest; ut contra ubique fere figurate & parabolice loquatur. Primus sensus est, idemque simplicissimus; Deum qui in gratiam Populi sui ex Ægypto eductí & in solitudine Arabiæ errantis, *aquas* produxit ex *rupibus* [b]: sua pariter curaturum esse providentia, ut Exulibus ex Carcere Babylonico liberatis, ad sua redituris, nulla desit rerum necessariarum copia; abunde provisurum omnibus ipsorum necessitatibus. Alter, paulo sublimior; Deum, in cujus manu sunt *animi Regum ut rivi aquarum*, tam valide affecturum esse animum CYRI, Principis Persæ, ortu & natalibus suis idololatræ, & in falsa Religione Patrum *obdurati*, ut ipse, à quo id minime exspectari poterat, *aperto* animo & ore Deum Israëlis celebraret, & Populo in Patriam reduci necessaria omnia ad profectionem subministraret & Edicto suo procuraret: quando *ex Edente exiit cibus, & à robusto exiit dulce* [c]. Sic est apud Ezram [d]: *Jehova* EXCITAVIT (העיר) *animum Cyri Regis Persiæ, & fecit pervadere vocem per totum Regnum suum, & quidem scripto.* Verba Edicti [e]: *Et qui reliqui fuerint ex omnibus locis, in quibus* quisque *peregrinatus fuerit, hos sublevabunt incolæ cujusque loci auro, argento, & supellectile, & jumentis, cum voluntaria oblatione in usum Ædis Dei Hierosolymitanæ.* En *rupem* à Deo *fissam* ex qua *manarunt aquæ. Aquarum* autem *solarum* quod hic loci mentio fiat: ipsum quoque illud nos monet de mystico verborum intellectu. Hujus enim potissimum rei penuria est in vasto Arabiæ Deserto. edulia enim facilius in necessarium usum ab Itineratoribus secum portantur. Sic apud Hoseam simili figura sub aquis necessaria omnia intelliguntur [f]: *Ne eam* (matrem adulteram Israëlitarum, Ecclesiam Judaicam defectricem:) *ponam instar Deserti, & constituam instar terræ siticulosæ, eamque enecem* בצמא SITI. necessariarum rerum corporalium & spiritualium inopia. Atque hoc ipsum Beneficium Providentiæ Divinæ Deus per *Nuntios* exituros ad Gentes publicari & celebrari voluit: non tantum Exules ex Babylone Redemptos liberatosque esse potente Dei manu; verum etiam Deum singulari cura Providentiæ suæ iis per iter in Desertis locis subministrasse necessaria, ut nihilo deteriore conditione fuerint, quam olim Redempti ex Ægypto ituri in Canaanæam.

Hic primus, ex mente nostra, sensus est prophetiæ. Et tamen quid vetat dicere, tam alte sonare orationem Vatis nostri, ut vere loquens de Liberatione Babylonica, dum in eo erat, extulerit se in spiritu ad Liberationem veram & antitypicam in hac imagine contemplandam; dictionemque suam ita construxerit, ut prudens lector ipsum quid majus mente clausum tenuisse, facile intelligere queat. Certe ut *Redemptio Seminis electi* è potestate Satanæ & Servitute peccati verior est & præstantior *Redemptione* quæ Israëlis posteris obtigit ex Babylone liberatis: sic verius est, illam Redemptionem per Nuncios in omnes partes Orbis terrarum ad extrema usque Cœlorum missos ubique divulgatam & cum lætitia & cantu publicatam esse. Verba Apostoli de Evangelio quod ἀκοὴ שמועה *auditus* dicitur [g]: *Imo vero in omnem terram exivit* SONUS EORUM, *& ad ultima Orbis terrarum* VERBA EORUM. Ecquæ vero summa hujus Evangelii, nisi quæ hic compendio proponitur: JEHOVA REDEMIT SERVUM SUUM JACOBUM. Ut vero quo tempore Populo Jacobidarum obtigit Redemptio corporalis ex Exilio, BABYLON Urbs metropolis erat Imperii amplissimi, Sedis Satanæ, quod Populum Dei detinebat captivum: parilis conditio esset Populi electi Judæorum & Gentium, cui Deus Redemptionem spiritualem destinarat in vasto illo Imperio ejus temporis, cujus metropolin faceret ROMA, ARX Satanæ. Quid? Si sensu figurato & non falso, dici queat, Liberatos ex Babylone non *sitiisse* in *vastis Desertis* quæ necesse habebant peragrare, euntes in Canaanæam, *Rupe* in usum eorum *fissa:* quanto verius est, Credentes Evangelio in primo tempore Gratiæ versantes in *Deserto Gentium* largissime rigatos esse ex *Aquis* veræ consolationis & Lætitiæ, quas *Rupes Mystica* Christus Jesus in usum Redemptorum omnium profudit? quæ *aquæ* eos quò quò se verterunt, sequutæ sunt, *sitim* eorum extincturæ. Sic Apostolus [h]: Ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός. Solent autem vere alii quoque Prophetæ de *Liberatione* Populi Electorum loquentes, orationem suam sic temperare, ut subinde hæreas, utrius, h. e. *Babylonicæ* an *Veræ*, potior apud eos respectus fuerit: certe quod nunc potissimum respicio, attributa *Liberationis Ægyptiacæ & Babylonicæ* inter se videantur comparare & confundere. Confer nunc loca Ezech. XX. 35. Hos. II. 13. 14. de quibus longa differendi materia esset. Eodem etiam reducitur à multis & cum nostro hoc loco Vatis confertur locus Vatis nostri ex Cap. LII. 11. sed de quo sententiam in tempore dicam.

(c.) EPILOGUS, quo impiis & obstinatis peccatoribus pax negatur.

℣. 22. *Nulla* PAX, *ait Jehova*, IMPIIS.] Pulchra & verissima sententia, quam repetit Cap. LVII. 21. Nulla *pax* & serenitas animi & conscientiæ, omni beneficio potior, omni cogitatione major; nulla prosperitas durabilis in his terris; nulla salus æterna aut salutis æternæ spes, est hypocritis, incredulis, profanis; Dei & Verbi Prophetici contemptoribus; labiis & gestu Deum honorantibus, sed animo & affectu ab eo alienatis ac longissime divisis, in statu irresipiscentiæ obstinate perseverantibus. Quare vero? quia nulla iis pars est in *justitia* & *favore Dei*, qui absque *fide*, Verbi Divini reverentia, & humili mandatorum Divinorum observantia, non obtinetur. Iidem illi homines sunt quos Vates Cap. XLVI. 12. appellaverat *valentes corde, longe remotos à justitia:* quosque descripserat in hujus *Sermonis* priore *Sectione* [i]. Ezechiel de eodem argumento agens [k], illos vocat המורדי והפושעים *rebelles ac defectores*, à Populo Dei in terram suam reducendo *expurgandos.* Amos [l], *peccatores Populi Dei*, gladio perituros. Hos enim à parte electa separandos vindicta Divina ad eorum interitum persequeretur. His nulla sors esset in Redemptione temporali; nulla in salute æterna, quam Deus Populo suo electo destinarat. Perturbati & inquieti animo, ab affectibus inter se pugnantibus & instar fluctuum maris inter se collisis, in diversas partes tracti, ad quodque signum Divinæ iræ sibi incumbentis exhorrescerent; conscientia attestante, dignos esse qui ad æternas damnentur tenebras, qui lucem Divinæ Gratiæ in hisce terris proterve spreverint. Sententia est invicta, & hodiedum vim jam

Iter Ezræ in Canaanæam qua via factum?

Verba Jesaiæ de commodis, quibus reduces gauderent, parabolice accipienda.

Sensus proprius qui hisce figuratis subest.

Deus providentia sua singulari provideret omnibus necessitatibus Reducum.

Sensus sublimior cum respectu ad Cyrum.

Aquarum hic præcipuus est respectus.

Hoc Beneficium ubique vulgandum erat.

Sensus mysticus, qui huic prophetiæ subest.

In typo hujus Libera-

tionis spectari jubetur *Redemptio* vera à Christo Jesu curanda, & vulganda *Verbo Evangelii.*

Babylon hic mystice sustinet *figuram* ROMÆ; ubi erat Sedes Satanæ.

Adjuncta Reducum Babylonis ad Liberatos à Christo Jesu applicantur.

Analogia aliarum prophetiarum.

(c.) *Epilogus*, quo *impiis pax* negatur, ℣. 22.

Paraphrasis verborum.

Quales homines hic à Propheta notentur?

[a] Ezr. VII. 6. 9. 16. [b] Ps. LXXVIII. 15. Confer Exod. XVII. 6. Num. XX. 11. [c] Jud. XIV. 14. [d] Ezr. I. 1. [e] ℣. 4. [f] Hos. II. 2. [g] Rom. X. 18. [h] 1 Cor. X. 4. [i] ℣. 2. 4. [k] Ezech. XX. 38. [l] Cap. IX. 10.

exerit in Judæis rebellibus, incredulis, & Evangelio obstinate immorigeris, per Orbem terræ inter omnes Populos palabundis, incerti atque inquieti animi & status. In generali ejus aspectu comparabis ei præclaram ac disertam pericopam Paulinam in Epistola ad *Romanos*. a

Libri Prophetiarum Jesaiæ

PARS QUINTA.

ORdior μετὰ Θεῦ θέλοντος, Librum præstantissimi Prophetæ Quintum; secundum partitionem initio Operis factam. Est, ut cætera omnia, argumenti gravis & sublimis; &, si comparatio locum habeat in partibus Operis Divini, pondere rerum & ἐνεργείᾳ dictionis ubique eximii: merito dixeris, extimam hanc Libri partem excellentia materiæ & figurarum orationis scitissime fictarum varietate cæteris præstare. Propheta hic extra se raptus varias induit formas; modo enarrans quid Deum aut Filium ejus, modo quid Chorum Propheticum, loquentem audiverit; modo etiam ipse se partibus miscet, & quid sibi mandatum sit in usum Ecclesiæ enunciare, exponit: describens potissimum *Personam Messiæ*, ejusque characteres, Oeconomiam, Status; Regnum ejus fundandum inter Gentes, Ecclesiæ Electorum Judæorum accessuras, cum repudio majoris partis Populi Judæi rebellis & immorigeri Evangelio: tum quoque Fata illius Regni, & in his corruptionem in ipso Messiæ Populo emersuram cum tyrannide, & Ecclesiæ oppressæ ac humana ope destitutæ vindicias, terminandas in glorioso illius statu; ad quem depingendum Vates aliquotiens tela à principio retexta recurrit. Id vero ita exequitur, ut subinde figuram rei figuratæ miscere videatur; & cum vere loquatur de *Redemptione Messiæ*, & de *Fatis Ecclesiæ Christianæ*, tristibus aut prosperis: phrases desumat à *Redemptione* ex *Exilio Babylonico* & à *corruptissimo Statu Ecclesiæ qualis esset circa tempora Antiochi Epiphanis*, ejusque *Ecclesiæ Vindiciis* & *vindicatæ prosperitate*. Intelligis, basin hujus Prædictionis propheticæ esse argumenti *Doctrinalis* & *Consolatorii*: veruntamen Vates hisce suis Consolationibus intermiscet *Elenchos* asperrimos, quibus tum Judæos reprobos & Verbo Gratiæ immorigeros; tum etiam corruptum Christi Jesu Populum valide refutat; iisque denunciat gravissima judicia pœnalia criminum meritis æquanda. Discrevi hanc materiam in *Conciones quinque*; quarum *Prima* continetur Cap. XLIX. *Altera*, Cap. L. LI. *Tertia*, Capp. LII.... LX. *Quarta*, Capp. LXI. LXII. *Quinta*, Capp. LXIII.... LXVI. Adsit Dominus meditanti suo lumine & gratia!

Partis Quinti Libri Prophetiarum Jesaiæ

CONCIO PRIMA.

Filius Dei in medio comparet tanquam illustris Propheta & Apostolus Dei Patris, atque Gentibus, oratione ad eas versa, explicat universum Dei consilium de Gentibus per Orbem suo officio illustrandis luce veræ Religionis, iisque vocandis ad communionem magnæ illius salutis, quam Judæorum pars potior sibi oblatam indigne spreverat; certa sibi à Patre fide facta, præconium Evangelii sui inter Gentes non modo non cariturum successu, verum etiam producturum paradoxa & omni cogitatione superiora effecta ad *obsequium fidei* inter Populos, Populorumque Principes & Rectores per totum Mundum: unde argumentum sumit captatque occasionem Ecclesiæ Electorum afflictæ consolandæ, eique renovandi magnifica promissa ei facta; solutis dubiis, quæ ex *Imperio Satanæ* per Orbem, & *Repudio Ecclesiæ Judææ carnalis*, facta in destructa per Romanos Republica, adversus hanc gloriosam spem Ecclesiæ inferri posse videbantur.

Caput XLIX.

Textus Cap. XLIX.

1. AUscultate mihi Insulæ, & animum advortite Populi à longinquo. Jehova me vocavit ante uterum. antequam essem in visceribus matris meæ commemoravit Nomen meum.

2. Et posuit os meum instar gladii acuti: umbra manus suæ me occultavit; statuitque me in sagittam nitidam: in pharetra sua abscondit me.

3. Dixitque mihi, Servus meus tu es; Israël in quo me glorioſum exhibebo.

4. At vero Ego dixi, In vanum laboravi; inaniter & incassum vires meas consumpsi: certe tamen jus meum est apud Jehovam; & operæ pretium meum apud Deum meum.

5. Nunc vero dixit Jehova qui me formavit ab utero, ut sibi essem in servum, ut reducerem Jacobum ad se, & Israëlem qui ad ipsum congregandus erat: (Ego vero gloriosus eram in oculis Jehovæ; & Deus meus gloriatio mea:)

6. Dixit, inquam, Vile nimis est, ut mihi sis in servum ad erigendum tribus Jacobi, & reducendum servatos Israëlis: itaque dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad fines terræ.

7. Sic dicit Jehova, Redemptor Israëlis, Sanctus ejus, Ei qui animæ est fastidio, quem Gens abominatur, Servo Dominantium: Reges videbunt, & surgent; Principes & se prosternent; propter Jehovam qui fidelis est; Sanctum Israëlis, qui te elegit.

8. Sic ait Jehova: Tempore beneplaciti exaudiam te, & in die salutis auxiliabor tibi; & custodiam te; & ponam te in fœdus populi, ad erigendam terram; ad erciscundam hæreditatem locorum desolatorum.

9. Dicendo vinctis, Exite; & his qui in tene-

a Cap. II. 7. 8. 9.

tenebris ſunt, prodite in lucem: propter vias paſcent; & in omnibus editioribus locis paſcuum illorum erit.

10. Non eſurient, & non ſitient; & non feriet illos æſtus & ſol; quia Miſerator illorum illos ducet, & ad ſcatebras aquarum aget illos.

11. Et ponam omnes montes meos in viam planam; & ſemitæ meæ elevabuntur.

12. Ecce illi è longinquo venient; & ecce iſti ex Septentrione & Occidente; & hi ex terra Sinim.

13. Cantate cœli, & gaude terra; & montes fragorem edite cantu! quia Jehova conſolatus eſt Populum ſuum; & erga inopes ſuos uſus eſt miſeratione.

14. Atqui Tſion dicit; Jehova me dereliquit; & Dominus mei oblitus eſt.

15. Num obliviſcetur mulier parvuli ſui, ut non miſereatur fœtus ventris ſui? Etiamſi vero illæ obliviſcerentur; Ego tamen non obliviſcar tui.

16. Ecce deformavi te in cavo utriuſque manus: Muri tui mihi continuo ob oculos ſunt.

17. Filii tui feſtinabunt: deſtructores tui & Vaſtatores tui ex te exibunt.

18. Attolle circumquaque oculos tuos, & vide: Omnes illi congregantur; veniunt ad te. Vivo Ego, ait Jehova; Omnibus illis tanquam ornamento amicieris; & alligabis illos tibi, ut ſponſa.

19. *Quod* vero *attinet ad* loca tua vaſtata & deſolata; & terram tuam quæ deſtructa eſt: nunc arctum tibi erit propter habitatorem; & longe aberunt qui te abſorbebant.

20. Adhuc dicent, te audiente, filii orbitatis tuæ, Locus hic mihi nimis anguſtus eſt. Cede mihi, ut habitem.

21. Diceſque animo tuo, Quis mihi iſtos genuit? Utique enim Ego orba eram & ſolitaria, accola & excluſa: Iſtos igitur quis educavit? Ecce Ego relicta eram ſola: illi vero ubi erant?

22. Sic fatur Jehova: Ecce Ego tollam ad Gentes manum meam, & ad Populos efferam ſignum meum; & adducent filios tuos in ulnis; & filiæ tuæ humeris portabuntur.

23. Et erunt Reges nutritii tui, & Principes fœminæ eorum nutrices tuæ: Vultu in terram demiſſo ſe coram te incurvabunt; & pulverem pedum tuorum lingent; & intelliges, me eſſe Jehovam, quem qui exſpectant non pudefiunt.

24. An accipietur captura à Valente, & an captiva turba Juſti evadet?

25. Imo vero ſic fatur Jehova: Omnino vero præda Valentis capietur; & turba captiva Violenti evadet; & Ego contendam cum Adverſario tuo; & filios tuos Ego ſervabo.

26. Faciamque ut qui te vexant, carne ſua invicem veſcantur; & ſanguine ſuo tanquam muſto inebrientur; & ut cognoſcat omnis caro, me Jehovam eſſe Servatorem tuum, & Redemptorem tuum, Potentem Jacobi.

CAPUT L.

Textus Cap. L. 1--3.

1. SIe ait Jehova: Ubi eſt libellus Repudii matris veſtræ quo eam dimiſi; aut quis eſt ex creditoribus meis, cui vos vendidi? Ecce propter iniqua facta veſtra venditi eſtis, & propter tranſgreſſiones veſtras dimiſſa eſt mater veſtra.

2. Quare veni, & nullus erat vir: *vocavi* & nullus erat qui reſpondebat? Eſtne omnino brevior facta manus mea, quam ut ſufficiat redimendo; & num vires mihi deſunt ad eripiendum? Ecce! Increpatione mea exſicco mare: pono fluvios deſertum: fœtet piſcis eorum ob penuriam aquæ, & moritur præ ſiti.

3. Induo cœlos atrore, & pono ſaccum tegmen eorum.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus Prophetiæ.

Argumentum hujus Concionis.

NOva hic aperitur *Scena*, eaque jucundiſſimi aſpectus. Spiritus Dei veluti juſto affectus dolore & tædio ex pravo & obſtinato ingenio majoris partis Judææ Gentis, quæ in morem verterat adverſus fideliſſima conſilia, monita, convictiones ſibi omni tempore factas, & identidem repetitas, recalcitrare; excitat Prophetam, ut Vocationem Gentium, ſub REGNO MESSIÆ futuram, cum repudio majoris partis Populi Judæi, (de qua Gentium vocatione jam in ſuperioribus varia occaſione vaticinatus fuerat:) planius, diſertius, explicatius, deſcribat ac prænunciet; cum veris ſuis *cauſſis*, *mediis*, *ſucceſſu*, *effectis*, *conſequentibus*. Quæ conciones cum ab hac noſtra exordium ſumant: producitur hic ipſe Filius Dei jam manifeſtus factus in carne, oratione ad Gentes directe converſa, eas docturus; Se à Patre ſuo æterno ejus conſilio ordinatum & ab utero ſanctificatum atque in tempore vocatum eſſe ad magnum illud & glorioſum Opus *converſionis Gentium* ad *verum* & *vivum* *Deum* efficiendum, quippe deſtinatum iis illuminandis & ſalvandis, dum major pars populi Jacobidarum ſalutem ſuam ipſi oblatam aſpernaretur: quæ ſumma eſt CONSILII PACIS, inter Patrem & Filium initi [a]. Inde comparet Deus Pater, Filio ſuo luculentum hoc promiſſum de ingente ſucceſſu Vocationis Gentium confirmans, eumque ſucceſſum uberius explicans; ac depingens Statum florentem Eccleſiæ, & Populi Meſſiæ, ſingulari cura Divinæ Providentiæ ac gratiæ protegendi, fovendique, & continuo majora majoraque facturi incrementa; cum gratulabundo ἐπιφωνήματι Chori Sanctorum [b]. Quando eadem Vox cœleſtis ſe protinus convertit ad Eccleſiam Electorum Judæorum, quæ tot ſæculis inter varias afflictiones, tentationes & ſcandala verſata, & animo gravata, optatum ſucceſſum Regni Dei in Mundo, tot prædictionibus & promiſſis ſibi dictum, fere deſperabat; valido erigendam ſolatio, eamque certam faciendam de implemento promiſſorum & prædictorum ea amplitudine repræſentando, ut Eccleſiam ipſam raperet in admirationem ac ſtuporem [c]: futurum quippe non modo ut

Populi

a vſ. 1--6. b vſ. 7--13. c vſ. 14--22.

Populi ad Ecclesiam ingente confluxu certatim se aggregent, sed etiam ut ipsi Reges & Principes sibi honori ducant Ecclesiæ inservire, ejusque communionem reverenter atque obsequiose expetere [a]. Quandoquidem vero tantæ spei credentium videretur obstare, tum potestas Satanæ, ejusque Imperium per Orbem diffusum & probe stabilitum, cui tuendo ipse ut Præses præsidebat & vi armata omnium satellitum suorum invigilabat: tum *Repudium* Populi Judæi publice factum ubi venerunt in potestatem Romanorum: Deus Ecclesiam his scrupulis liberat, docetque, Robustum hunc & Violentum in ipsa Arce ac Munimento suo oppugnandum atque expugnandum esse, & hostes atque adversarios Ecclesiæ mutuis cædibus & rabie in viscera sua versa casuros [b]: Repudium autem Synagogæ carnalis non tam à se factum quam sibi extortum esse, ob peccata Gentis gravissima; salvis promissis in Electis implendis. [c].

Scopus hujus prophetiæ.

II. Intelligis ex materia hujus Concionis; primarium ac directum ejus *Scopum* esse, Ecclesiam Populi Judæi afflictam, quæ erat ἐν ἀποκαραδοκίᾳ *exspectatione* implementi magnorum promissorum, quæ Prophetæ illigaverant apparitioni Messiæ, consolari, ejusque spem vacillantem, & in ipsis Evangelii initiis, multis tentationum fluctibus agitatam, fulcire ac corroborare, ne decideret de statu; sed fiducia reposita in Divina Veracitate, Potentia, Gratia, Providentia, in mediis tentationibus, afflictionibus & scandalis suorum temporum, æquam servaret & compositam mentem; quippe certo persuasa, *Eum qui promisit, promissa repræsentare posse* [d]. Sed dum id Spiritui Dei præcipue propositum est, *indirecte* & *oblique* potissimum duobus intentus est. α. Ut Gentibus, quæ à Deo derelictæ videbantur, explicaret magnum mysterium *Consilii Pacis* & *Gratiæ*, quo ipsis decreta erat *Lux* & *Salus* in communione *Messiæ*, Abrahamo oriundi, quippe à Deo destinati *Doctoris* & *Servatoris* universalis non Judæorum tantum, sed & Gentium, & quidem cum certissimo effectu, per omnipotentem Dei Gratiam sistendo, ad stuporem Orbis terrarum. β. Ut Judæos, quorum major pars tantam *Lucem* & *Salutem* repudiaret, convinceret gravissimi criminis, non nisi infinitis malis & calamitatibus expiandi. Illorum enim cum primæ & potiores partes esse deberent in hac *Benedictione*, Patribus promissa: facerent obstinata incredulitate sua & contemptu Evangelii, ejusque primi Præconis, Christi Jesu, ut tanta salus à minore & despectiore parte Abrahamidarum solummodo acceptaretur, atque ut Messias se per Apostolos veluti necesse haberet convertere ad Gentes, ne fructu omni missionis suæ in carnem destitueretur: etsi hæc consilio Dei sic fuerint provisa, ut in ipsa hac Oeconomia Gratiæ exemplum ederetur summæ severitatis Divinæ Justitiæ.

Scena Visi.

III. *Scena* Visi sic est constructa, ut duæ in ea Personæ loquentes occurrant, Filius Dei, sub schemate magni Prophetæ & Salvatoris generi humano destinati; & Pater per Spiritum, tum ipsum Messiam in statu ταπεινώσεως, tum Corpus ejus mysticum, Ecclesiam Electorum ex Judæis, certa consolatione erigens, spe facta indubii implementi luculentorum promissorum, Redemptori & Redemptis factorum; ut ex *Analysi* & universa hujus *Sermonis* pertractatione patescet. Est autem constituenda *Scena* in initiis Novi Fœderis, & quidem aliqua latitudine, pro diversis Concionis partibus. Initium tamen sit ab illo tempore. quo Apostoli & Ministri Christi se ex mandato Dei converterunt ad Gentes, ut eas invitarent ad communionem Christi Jesu, postquam universum consilium Divinæ Gratiæ iis fideliter exposuissent: quod negotium Paulo & Barnabæ primo solenniter commissum est circa quartum annum Claudii [e]. ante quod tempus non nisi timide cum Gentibus egerunt.

Occasio hujus prophetiæ datæ.

IV. *Occasio* hujus Concionis & sequentium cum adscripta nulla sit, vel definiri à nobis nequit; (quod etiam plane necessarium non est ad hujus prophetiæ intellectum:) vel petenda est nexu cum prophetia superiore, cum qua commodissime connecti potest: non hoc modo, ut plerique Intt. instituunt, acsi Vates hic ab aspectu Liberationis temporalis à Cyro procurandæ se convertat ad contemplationem Liberationis spiritualis, à Filio Dei efficiendæ, quia vere in hac Concione agitur de *Salute Gentium* Ecclesiæ Electorum ex Judæis ad ejusdem Ecclesiæ Judaicæ desiderium & solatium *adcorporandarum*: sed in hunc modum quem describam. Cum Vates in *Concione superiore* acriter refellisset hypocritas, incredulos, profanos, in Judæa Gente, qui potiorem ejus partem faciebant; sed electis, piis, Divini Nominis ac Verbi reverentibus, promisisset Liberationem ex Exilio & restitutionem Reipublicæ: Spiritus Dei ipsi clarissime ante oculos posuit perversitatem ac duritiem indolis hujus Populi, quæ secundum omnium prophetiarum tenorem ei tandem adferret extremum exitium. Etiamsi enim Populus redux factus esset in Canaanæam, purgatus ab idolatria; relapsurum tamen identidem in alia vitia & crimina, corruptæ ejus indoli convenientia. esse enim quod ad majorem sui partem carnalem. alia semper velle ac quæ Deus vult. præjudiciis suis pertinaciter inhærere. alte de se, de justitia sua & meritis præsumere. vias Dei semper carpere & rodere; idque indolis vitium in caussa fore, quod Messiam Doctorem Divinum cum salute & gratia in hoc Populo suo tempore adpariturum, repudiaret & indignissime excipere, & hoc ipso à Deo desereretur, & suis viis miserabiliter interiret; ut adeo maximus fructus Benedictionis & Salutis Messiæ devolveretur ad Gentes, quæ Electis ex Populo suo uniendæ facerent gloriosum Regnum Messiæ in Mundo; & in quibus ampliſſima promissa Gratiæ suum sortirentur implementum. hanc esse destinationem consilii Divini, ut si pote Populum posterorum Abrahami hoc quoque medio provocaret ad zelum & æmulationem, & postquam per longa sæcula expertus esset extremam severitatem Divini judicii, tandem partem acciperet in hac Gratia, tam proterve & superbe spreta. Quod proinde consilium Oeconomiæ Gratiæ Spiritus hac Concione ad solatium Electorum fuse explicat & declarat. Sic plane processerat Vates in Cap. II. I. seqq. & Cap. XLII. I. seqq. quæ *Concio* huic nostræ parallela est.

Analysis hujus Concionis.

V. Constat Sermo tribus *Periochis*, quæ totidem complectuntur *Apostrophas* sive Allocutiones ad diversa *Subjecta*.

Alloquutio sive *Apostrophe prima*, quæ est Messiæ, Jesu, summi Doctoris & Servatoris, ad *Gentes*, ℣. 1--6.

α. *Exordium* Orationis, quo Gentes excitantur ad audientiam, ℣. 1.

β. Orationis *Argumentum*,

(a.) Describit *Personam suam*, & *Officium*, cui à Patre æterno ejus Consilio & Vocatione solenni destinatus erat, ℣. 1. med. 2. 3.

(b.) Queritur de exili Successu illius *Officii* sui inter Judæos; & simul declarat *certam spem* de æquo Officii præmio, apud Patrem repositio, ℣. 4.

(c.) Enarrat totam *Conventionem Pacis* inter *se* & *Patrem* initam, qua constitutus sit non Judæorum tantum, sed & Gentium Doctor & Servator, ℣. 5. 6.

Alloquutio *secunda*, Patris ad Messiam, spectatum, sive in *Se*, sive in *Corpore* suo *mystico*, Ecclesiæ

---

a ℣. 23. b ℣. 24–26. c Cap. II. 1–3. d Heb. X. 23. e Act. XIII. 1.

Ecclesia Judæorum Credentium primi temporis Gratiæ, ℣ſ. 7--13. ubi

α. *Propoſitio* Conſolatoria qua illum in Statu ſummæ Humiliationis erigit certo ſolatio ex *ingente gloria*, ipſius humilationem conſecutura, ℣ſ. 7.

β. Propoſitionis *Expoſitio*, qua

(a.) Magnificum hoc promiſſum de glorioſo ejus Statu & ſucceſſu ingente Præconii Evangelii, modo propoſitum, fuſius explicat, ℣ſ. 8. 9.

(b.) Statum Populi ad Eccleſiam ex Gentibus aggregati, ejuſque continuum incrementum, deſcribit, ℣ſ. 9. med. 10--12.

Subjectum ei eſt *Epiphonema* Gratulatorium *Chori Sanctorum*, ℣ſ. 13.

ALLOQUUTIO *tertia*, Dei *Patris* per SPIRITUM ſuum ad *Corpus integrum* Eccleſiæ *Electorum afflicta* in initiis Oeconomiæ Gratiæ, ℣ſ. 14--26. in qua

α. Occurrit *querela* Eccleſiæ de *decremento* ſui Status & *Malis* ſe prementibus, ut videretur minus curæ eſſe Deo, ℣ſ. 14.

β. *Reſponſum* Dei benignum & Conſolatorium, huic querelæ aptatum,

(a.) *Generale*, quo Deus eam certam facit de vero ſuo in eam ſtudio, ℣ſ. 15. 16.

(b.) *Speciale*, quo Deus ei fidem facit ſingularis *profectus* atque incrementi ſui Status ad ſtuporem uſque brevi ſequuturi: quod *variis articulis* comprehenditur, ℣ſ. 17--23.

(c.) Solvitur *Objectio* quæ adverſus hoc ſolatium inferri poterat ex potentia Satanæ, & ampliſſimo ejus Imperio per Orbem, ℣ſ. 24--26.

(d.) Solvitur *Objectio* altera de *Repudio* Synagogæ, facto cum deſtructa Republica Populi à Romanis, Cap. L. 1--3.

VI. De *Anacriſi* quæris. Sed primo loco ea lux eſt hujus prophetiæ cum Evangelio & prophetiis analogis collatæ, ut vere mirandum ſit, eſſe Doctores Chriſtianos, erga Evangelium bene affectos, qui in illuſtri illa Perſona quæ ſe nobis cognoſcendam exhibet in initio hujus prophetiæ, alium videant vel videre velint quam verum Meſſiam, magnum Prophetam & Servatorem, JESUM: quique adeo res in hac prophetia viſas ad aliud referunt tempus ac ad initia Oeconomiæ Novæ. Judæos ita ſentire, cum ſecundum præjudicatas opiniones ſuas *Meſſiam* hic loci agnoſcere nequeant; nedum JESUM *Chriſtum*, ex odio ejus & Evangelii; nemo miretur: ſed eorum qui Chriſtum Jeſum cognoſcunt & diligunt, hic oportebat apertos eſſe oculos. Quandoquidem vero ſolitus ſim ſolummodo diſputare de dubiis; non ejuſmodi quæ alii talia faciunt: (*incerti* enim & *inſtabilis* judicii homines fere ex certis omnibus dubia faciunt:) ſed quæ mihimet ipſi talia eſſe videntur: poteram hic omni *ἀναχρίσει* ſuperſedere. Verum ſecundo, cum omnis diſputatio de *Subjecto* & *Tempore* hujus Viſi relabatur in inveſtigationem PERSONÆ illius illuſtris, quæ in initio hujus *Concionis* loquitur; & ECCLESIÆ TSIONEÆ, quam Deus conſolatur ℣ſ. 14. 15. & vero mihi in ipſa interpretatione de utroque *Subjecto* agendum diſputandumque ſit: commodum viſum non eſt, illam diſputationem huc transferre, ſed potius ſuis locis reſervare.

Admonitio de *Anacriſi*.

PARS PRIMA: APOSTROPHE JESU CHRISTI ad *Gentes*, qua eas invitat ad Communionem ſuæ *ſalutis*.

α. *Exordium* quo poſtulat audientiam.

Pars prima: *Apoſtrophe* Jeſu Chriſti ad *Gentes*. α. *Exordium*, ℣ſ. 1.

℣ſ. 1. *Auſcultate me Inſulæ, & animum advertite* POPULI LONGE DISSITI.] Comparet hic, ut quiſque videt, Perſona aliqua illuſtris, ſermonem recta vertens ad *Inſulas* & *Populos longe diſſitos*, & ab iis poſtulans *audientiam*: inde gravi oratione iis explicans *univerſum conſilium* Dei de *ſe* electo conſtitutoque *Doctore* & *adminiſtro ſalutis* non tantum *Judæorum*, qui ſe vita æterna indignos non haberent; ſed & *Gentium*, ad remotiſſimos fines Orbis terrarum. Quæritur, cujus hæc ſit oratio? quis tam magnifica de ſe fari audeat? Sitne *Propheta ipſe*, num *quis alius?* ut Eunuchus ad Philippum[a]. Si Propheta de *ſe* loquatur, Doctore illuſtri; nulla *figura* orationi ſubeſt: ſed ſi de *alio*; ſchema orationis eſt ſcenicum, & figuratum, idque generis valde ſublimis, quo abſque præfatione aut præparatione ulla alia, *Perſona* aliqua *illuſtris* veluti *ἀπὸ μηχανῆς* introducitur verba facere; quæ qualiſque ſit perſona, ex characteriſmis ejus inveſtigandum relinquitur. Et tamen oculus ſpiritualis hic non facile errat. Ergo cum demonſtratio hujus perſonæ baſin & hypotheſin faciat veri intellectus hujus prophetiæ: operam demus illi cognoſcendæ. Suppono autem in hac *ἀναχρίσει*, *Perſonam* quæ hic loquitur, eſſe *ſingularem*: quod quidem plerique Intt. largiuntur; nec tamen omnes. Certe dubitandi ratio, ab ipſo quoque Abarbenele mota, exſurgere poſſet ex ℣ſ. 3. in quo appellatur ISRAEL *quo Deus gloriaretur*; qui titulus ſano ſenſu convenire poteſt *Corpori myſtico Electorum Judæorum*, ut patet ex Cap. XLVI. 13. Sed *Corpus Electorum Judæorum* hic non intelligi, inde clariſſime liquet, quod hæc Perſona *tribubus Iſraëlis*, earumque tribuum *electis & cuſtoditis*, contradiſtinguatur, ℣ſ. 5. 6. Cogitandum itaque hic eſſet de *Corpore Doctorum & Prophetarum*, cum Perſona loquens hic ut *Doctor publicus Judæorum & Gentium* proponatur: nec demonſtrat ſe ab hac ſententia alienum Pellicanus; ſed fruſtra. Non tantum enim ipſe de ſe ut ſingulari perſona verba facit: verum etiam in attributis hujus Doctoris tam excellentia & glorioſa comparent, ut ea non plures, ſed unum ſui generis circumſcribant ac definiant; ut in ſequentibus videbimus. Hoc admiſſo; nulla vere ſupereſt diſputandi materia, niſi an oratio ſit JESAIÆ; num potius JESU Chriſti, ejus & Prophetarum omnium Veteris Oeconomiæ antitypi? Quod enim hic Liranus ait, *eſſe Doctores quoſdam Catholicos, qui totum illud Capitulum exponunt de Liberatione facta per Cyrum*, (Hugonem reſpiciens:) non falſa modò, verum abſurda eſt ſententia, & plane indigna, quæ hic in cenſum veniat, aut verbis refellatur. Qui in tanta orationis & Evangelii luce uſque adeo cæcutiunt, ſibi relinquendi ſunt. Spiritus S. hic loqui facit DOCTOREM SERVATOREM, qui cum operam *fruſtra* inſumpſiſſet Judæis contribulibus ſuis in viam ſalutis reducendis, ſe ex conſilio Dei convertit ad *Gentes*, iiſque ſalutem ſuam offert; & *cui* deinceps, perinde ac Corpori ejus myſtico, *Eccleſiæ*, excellentia privilegia ſpondentur. De Jeſaia itaque hic cogitant Judæi Recentiores: ſed cum aliquo temperamento. Kimchius enim & Abarbenel *prioribus ſex verſiculis* Jeſaiam, non Meſſiam, loqui opinantur: ſed

Dubium ex ℣ſ. 3. ubi vocatur *Iſraël*, expeditur.

An JESAIAS, num JESUS, Meſſias?

Abſurda ſententia quæ hic cogitat de Cyro.

Judæi Intt. hic intelligunt *Jeſaiam*.

Hypotheſis ad eam inveſtigandam neceſſaria ex prophetia enoratur; eſſe *perſonam ſingularem*.

Peculiaris

[a] Act. VIII. 34.

Kimchii & Abarbenelis.

in *consequente contextu* orationem putant directe verti ad *Cœtus* Judæorum in Exilio præsenti versatos, iisque promitti cum Redemptione ex Exilio glorioſa illa beneficia quæ in ſequentibus commemorantur; nec negant, *Gentes* eodem tempore juxta tenorem hujus prophetiæ venturas in communionem veri Dei: ſed Jarchius & Aben-Ezra perdurant in ſua ſententia; niſi quod ille ℣ſ. 24. incipiat reſpicere Romanum Imperium. Cenſet autem ipſe quoque Abarbenel, Prophetam *tranſitum* hic facere à *Liberatione ex Exilio Babylonico* ad *Liberationem ex Exilio Romano*; & quod hic animadverſu dignum eſt, obſervat Liberationem ex Exilio Babylonico eſſe אות ומופת *ſignum & argumentum Liberationis futuræ*; atque adeo orationem Prophetæ de *duabus* hiſce *Liberationibus* in ſuperioribus *Concionibus* ſæpe inter ſe *permiſceri*. Verba ejus: ולכן באו דברים בנבואת הקודמת מעורבי פעם בגאולת בבל ופעם בגאולת האחרונה כפי צורך המאמר *Et propterea verba* ſive *res in prophetia ſuperiore inter ſe permixtæ occurrunt; modo de Liberatione Babylonica; modo de Redemptione extrema accipiendæ, ut orationis neceſſitas exigit.* Nullum hic vitium, niſi quod *Redemptionem veram & ſpiritualem* à Meſſia vero Jeſu adductam non agnoſcat.

Abarbenelis hypotheſis.

Sententia Zwinglii.

Zwinglius fere inter Chriſtianos in ea ſententia eſt in qua hi poſteriores Magiſtri; ipſe quoque *commata* hæc *ſex priora* Jeſaiæ modeſte tribuens; & propendet quoque eo Pellicanus, licet malit *Corpus* integrum *Prophetarum* intelligi, & in emphaſi *caput omnium Prophetarum*, Meſſiam. De Grotio nihil dubites. magis miratus ſum de Malvenda, licet timide ſententiam proferente, & cum vulgata de Meſſia permiſcente. Et nos ſane qui tantum JESAIÆ ejuſque honori dare parati ſumus, quantum quilibet alius, non negaremus ei hic patrocinium noſtrum, ſi judicaremus, id cum honore ſummi Domini & Servatoris noſtri Chriſti Jeſu, cui eſt laus & gloria in omnia ſæcula, poſſe conſiſtere. ſaltem vellemus illum, ſi liceret, hic reſpicere ut typum Meſſiæ, & cognominis ejus JESU. Sed ne illud quidem facere auſim. Nolim quæ propria ſunt Domino meo, & ejus ſolius veriſſimam gloriam faciunt, ad alium transferre. Nolim etiam Prophetæ noſtro detrahere, eum nimium & præter fas extollendo. Si enim verum ſit, quæ hic prædicantur, tenui aliquo & leviſſimo ſenſu dici atque intelligi poſſe de Jeſaia: eſtne probabile, ſanctum & à Deo doctum Virum, ſuæque conditionis non ignarum, tam magnifice de ſe loqui velle? vel de ſe affirmare longe majora & ampliora quam in ſe erant? vel quæ in ſe erant comparate ad Meſſiam parva, oratione magna & excellentia facere voluiſſe? Non facile mihi perſuadeo, ipſum à modeſtia ſua, omnibus ſanctis propria, id impetrare potuiſſe. Sed ſi te vertas ad characteres perſonæ loquentis, hac *pericopa* expreſſos; *α.* An Jeſaias fuit adminiſter *ſalutis Gentium?* an Doctor earum? num ad id antequam *conceptus fuit utero* deſtinatus & peculiari ſorte Divinæ Providentiæ *electus?* Nihil de eo occurrit in hiſtoria, nihil in ejus Sermonibus; nec eſt probabile. Denunciavit Gentibus ſui temporis, quas inter & Populum Dei aliquis intercedebat reſpectus, judicia Divina: prædixit earum converſionem; idque egit non clariſſime tantum ſed & lubentiſſime, ex puro ſtudio erga Divinam gloriam; ut vere fuit magnus Vir & Propheta: ſed Verbum Dei ipſis vel per ſe vel per Diſcipulos ſuos adminiſtraſſe, non patet. *β.* Fuitne idem Jeſaias Doctor & adminiſter ſalutis *inſularum* & *remotarum* Gentium? Num Populi ad Occidentem Judææ ſiti ad Mare Mediterraneum & Magnum, Cilices, Lycii, Rhodii, Peloponneſii, Afri, Itali, Turdetani; an Scythæ, Celtæ, Gothi, Sclavi, per ipſum aut per Diſcipulos ejus inſtructi fuerunt notitia veri Dei, & cultus veræ Religionis? *γ.* Plus eſt quod quæro, an fuerit non *Lux* tantum, ſed & SALUS Gentium, & quidem longiſſime diſſitarum? Quis mihi neget hanc gloriam, ſoli Domino meo propriam, eamque tranſcribat Jeſaiæ? *Salutem* eſſe *Gentium*, non eſt *ſalutem* Gentibus prædicere, vel *media ſalutis* Gentibus demonſtrare; ſed Gentibus fieri *αἴτιον τῆς σωτηρίας cauſſam ſalutis.* *δ.* Si compares hanc pericopam cum Cap. XLII. 1. & LXI. 1. vides, de eadem re agi; eandem perſonam deſcribi; & in poſteriore etiam loco Cap. LXI. 1. eandem perſonam loquentem induci, *eadem* plane *figura* orationis: atqui Dominus Jeſus ipſe *ſe* demonſtravit *a*, illam eſſe perſonam quæ loquitur Cap. LXI. 1. quod proinde idem de *analogis* judicandum. Accedunt loca Scripturæ N. T. ex quibus ſive ad verba hujus pericopæ alluditur *b*; ſive etiam verba ex ea allegantur, tranſlata ad res Oeconomiæ Novæ *c*; aliaque iis ſimilia, referenda ad contextum ſequentem; qui idem contextus plura nobis pro hac hypotheſi argumenta ſubminiſtrabit. Scribit Liranus, eſſe Doctores Judææ Gentis antiquos, qui hanc prophetiam retulerint ad tempus Meſſiæ: ſed quod ad pericopam hanc noſtram attinet, unicus niſi fallor, tantum extat locus, ſed vere notabilis, complexus dictum celebre R. Achæ, cujus partem idem Liranus exhibet; ſed quod Raymundus bis deſcripſit *d*, ex *Bereſchit Rabba e*. Quærit ibidem Vir ille Doctus, magis hic Chriſtianus quam Judæus, num REDEMPTOR (גואל) *ſit προσωπολήπτης?* Negat vero fidenter, ajens, illum promiſcue omnes, qui veras diſcipulorum vel ſubditorum ejus conditiones præſtant, ſervaturum. Verba ejus: אלא כל המורים לו בפיהם ובמעשיהם ובלבם יושיע וימלט עכ"ל בימיו תושע יהודה וגו' *Sed omnes* IPSUM CONFITENTES ORE SUO, *&* OPERIBUS SUIS, *&* CORDE SUO, *ſalvabit, & eripiet, ut dicitur?* (Jer. XXIII. 6.) *In diebus ejus ſalvabitur* JUDA, & ſeqq. intelligens hic per JUDA omnes המורים DEUM VERE CONFITENTES, ſive Judæos, ſive Gentiles: perinde ac vox myſtice ſumitur apud Paulum *f* & in *Apocalypſi g*. Subſcribit mox ad eandem ſententiam confirmandam locum Jeſ. XLV. 22. *Convertimini ad me & ſalvamini omnes* FINES TERRÆ, & ℣ſ. 25. *Quia mihi flectetur omne genu:* & hujus noſtræ pericopæ *comma ſextum*: DEDI TE IN LUCEM GENTIUM, & ſeqq. pluraque loca hujus generis eximia analoga; ſignificans aperte, ſe in attributo temporis Meſſiæ deſcribendo verſari, & pericopam hanc noſtram de eo intelleXiſſe. Sed id perinde ſe habet quod ad demonſtrationem noſtram, quæ ſuis ſe, non alienis, fulcris ſuſtinet. Ergo certum ſit, *Meſſiam* eſſe qui hic loquitur; & ut loquens *figura ſcenica* introducitur, abſque præfatione ulla alia. Vide exempla ſimilia Cap. VIII. 16--18. LIII. 1. LXI. 1. & in *Odis Davidicis* Poëtice conſtructis frequentiſſima. Analoga & huic figuræ proxima habes, Cap. XIX. 1. XLII. 1. LXIII. 1. *Loquitur* autem hic *Meſſias* tanquam jam *factus caro*, & à Deo Patre ordinatus & ſanctificatus ut *Doctor Judæorum & Gentium*, ut ex ipſo hoc *Exordio* liquet & ex toto *contextu*.

Reſpectus Jeſaiæ hic ſecludendus eſt.

Non eſt probabile, illum tam magnifice de ſe loqui voluiſſe.

Non fuit adminiſter *ſalutis Gentium.*

Nedum *inſularum*, & *remotiſſimarum Gentium.*

Nec fuit *ſalus* vel *Salvator Gentium.*

Analogia prophetarum Cap. XLII. 1. LXI. 1. nos ad ſolum *Chriſtum Jeſum* ducat.

Pariter loca N. T. in quibus huc alluditur.

Locus celebris Doctoris Judæi ex *Bereſchit Rabba.*

Collectio ex ſuperiore Diſputatione facta.

Σχῆμα orationis aliunde illuſtratus.

Vertit vero Sermonem ad איים *inſulas*, h. e. ἐλευτικῶς, יושבי איים *incolas inſularum.* Diximus de eo Cap. XLI. 1. XLII. 4. Intelliguntur Populi Judææ occidui, incolæ vel accolæ Maris Mediterranei; quippe Spiritus prænovit, in hiſce terris tempore fundandi Regni Filii Dei in Mundo frequentia hominum & dignitate Imperii, (cujus ſedes eſſet in Italia *peninſula*,) celebribus, Evangelium Filii Dei præcipue promulgandum, & doctrinam Meſſiæ per Eccleſias propagandam eſſe. Plus eſt quod addit; לאמים מרחוק *Populi à longinquo.* Utique intelligi vult Populos, non qui *è longinquo audituri eſſent*; ſed qui in *locis* à Canaanæa longe diſſitis habitant, veluti Parthi, Indi, Æthiopes, Mauri, Gætuli, Celtæ, Germani, Hunni, Britanni, Gothi, Scythæ, ad fidem in Dominum invitandi & perducendi *b*. confer ℣ſ. 12. & Cap. v. 26.

Oratio Meſſiæ converſitur ad *Inſulas.*

Animadverſio in hanc rem.

Et ad *Populos è longinquo.*

Quomodo accipienda phraſis?

Sic

a Luc. IV. 21. *b* Luc. II. 30. 31. 32. Joh. XVII. 1. 4. Act. XIII. 47. Apoc. I. 16. *c* Matth. XII. 29. 2 Cor. VI. 2. Apoc. VII. 16. 17. *d* *Pug. Fid.* Part. II. Cap. XI. p. 337. *e* Ad Gen. XLI. 44. *f* Rom. II. 29. *g* Apoc. II. 9. III. 9. *h* Pſ. LXXII. 10, 11.

Sic מרחק אים Jeremiæ [a] ſunt *Inſulæ longe diſſitæ.* Debebat eſſe ברחוק *in longinquo:* ſed præfixa ב elegantius hic uſurpatur, ut ſignificet loci diſtantiam. Nec tamen hic excludo, licet non vehementer urgeam, ſenſum myſticum. Eædem enim hæ Gentes maximam partem incultæ, rudes, barbaræ, ante ſuſceptam Evangelii diſciplinam, non tantum cum cæteris *longe* [b], ſed & *longiſſime*, abeſſent à Divina communione, pactis gratiæ, ſpe ſalutis; verſatæ in denſis tenebris errorum & vitiorum. Ad haſce Gentes, hos Populos, Filius Dei ut magnus Doctor & Propheta, Lux mundi, tanquam pro concione *clara voce* dicturus & dicenda promulgaturus, ſuam vertit orationem, poſtulans ab iis *audiri*, & ad ea quæ dicturus eſt *adverti animum.* Quo ipſo ſignificat, α. Eſſe quæ eos ſcire, quæque eos docere vult, magni ac gravis momenti; ſcitu credituque tam neceſſaria quam utilia. β. Doctrinam ſe habere *rationalem & demonſtrabilem ad conſcientiam.* γ. Ac proinde non *audiendam* tantum, verum audiendam cum *attentione*, & cum ratione, *animadverſione*, κατανοήσει, diſcriminandam atque expendendam. Velle itaque ſe auditores *rationales.* δ. Quando autem doctrina quam propoſiturus eſſet, ſecundum verum ejus ſcopum, *practica* eſſet: velle ſe auditum & attentionem cum officiorum doctrina ſua commendandorum praxi conjunctam, deſituram in *obſequium fidei*, conſtans ac continuum. ε. Ab hoc *auditu rationali*, producturo fidem, incipere *magnam* illam *ſalutem* quam iis oblatum venit. Neminem enim à ſe *ſervari* ut *Servatore* & *Liberatore*, niſi qui ſe *audiverit* ut *Doctorem* & *Prophetam:* audiverit autem cum *obſequio Fidei.* Audiviſtis, ait Meſſias, huc uſque Philoſophos, Oratores, Popas, Druidas, Divinos, Oneirocritas; ſed plerique illorum vos à Deo, ſapientia ſalutari, vera Religione, magis abduxerunt: nemo illorum vos veram *viam ſalutis* docuit; nedum *perfecte docuit.* Offero itaque me Vobis *Doctorem*; quem ſi audire, quem ſi attente & νοητικῶς audire; cui ſi auſcultare velitis: ſpondeo, vos perventuros ad *veritatem* hactenus fruſtra quæſitam; ad *ſalutem*, hactenus fruſtra deſideratam. Ecquando vero magnus ille Doctor, qui *verba Dei loquitur*, loquutus eſt ad *Gentes*, & quidem ad *Gentes remotas*? Ipſe qui ait, ſe miſſum non eſſe niſi ad *oves perditas Domus Iſraëlis* [c]? qui raro Gentibus auxilio fuit? qui nunquam Canaanææ fines egreſſus eſt? quod me vere ſcribere putem. nunquam à pluribus numero Gentilibus auditus fuit niſi ab illis *Græcis*, quorum mentionem facit Joannes [d]: ſed jam *proſelytis* & Religioni Judaicæ initiatis? Reſpondeo; Chriſtum Jeſum hic ſpectandum eſſe in Apoſtolis & Diſcipulis, in quibus ipſius fuit *Spiritus.* In iis & per eos loquutus eſt ad Gentes; eſtque hoc negotium primo omnium commiſſum Paulo & Barnabæ [e]; hac tamen adjunctione, ut ſalutem ubique primo offerrent Judæis, & ab ipſis ſpretam, Gentibus. Ipſe itaque Jeſus eſt verus JONA, qui vere deſtinatus Evangelio Reſipiſcentiæ prædicando magnæ Urbi Romæ & Romano Imperio, ut Jona Ninivæ: hoc mandatum exequutus non eſt, niſi interveniente *morte* & *reſurrectione ſua.*

Phraſis quid myſticum admittat.

Petit ab iis *audiri.* Quid eo involvatur?

Auditus neceſſarius ad ſalutem.

Quibus Doctoribus ſe hic contradiſtinguat?

Quando Meſſias loquutus ſit ad *Gentes*?

Tempus demonſtratur.

Orationis *Argumentum.*

α. Deſcribit *Perſonam ſuam* & *Officium* cui à Patre deſtinatus erat.

Orationis argumentum. α. Deſcribit *Perſonam ſuam* & *Officium*: ỳſ. 1. med.

ỳſ. 1. med. *Jehova* ANTE UTERUM *me vocavit;* ANTEQUAM *eſſem in* VISCERIBUS MATRIS MEÆ *commemoravit nomen meum.* ỳſ. 2. *Et poſuit os meum inſtar* GLADII ACUTI; *umbra manus ſuæ me occultavit; & conſtituit me in* SAGITTAM NITIDAM: *in* PHARETRA SUA *abſcondit me.* ỳſ. 3. *Dixitque mihi, Servus meus tu es; Iſraël, in quo* ME GLORIOSUM EXHIBEBO.] Sic incipit oratio ſive concio; quam magnus hic Doctor & Orator apud Gentes haberet; cujus Concionis argumentum eſt, Gentes informare notitia perſonæ ac officii ſui, ac proinde eas docere; Se eſſe illuſtrem Dei Legatum, Divino conſilio præcognitum, ordinatumque ad explicandam & perſuadendam hominibus, (primo quidem Judæis, dein Gentibus,) perfectam doctrinam veræ Religionis, veramque & certam rationem obtinendæ ſalutis, eandemque ſalutem iis procurandam & adminiſtrandam. Quod ita exequitur, ut, α. Hanc doctrinam ſalutarem ac neceſſariam generatim tradat, nulla hactenus *Gentium* facta mentione; *his verbis* quæ deſcripſi. β. Interponat, Judæos, quibus ex mandato Patris ſe primo loco commendare debebat, majorem partem, *tantam ſalutem* ſibi oblatam, neglexiſſe, ỳſ. 4. γ. Conſilium Gratiæ reſpectu *Gentium* ſpecialius declaret, eaſque ad acceptandum hoc Beneficium Gratiæ Divinæ benigne invitet, ỳſ. 5. 6. Priorem partem hic deſcripſi, in qua Meſſias *tria* attributa ſua Gentibus noſcenda præbet. Primum ejus *Perſonam* reſpicit, ỳſ. 1. med. Alterum, Officium ejus *Propheticum*, efficax & pervictorium, ỳſ. 2. Tertium, Officium ejus *Mediatorium*, quo Deum Patrem *glorificaret*, ỳſ. 3.

Analyſis Orationis Meſſiæ.

Tria attributa Meſſiæ in hac *Periſcopa.*

Notitia PERSONÆ ejus.

Primum, quod ad *Perſonam* eius pertinet, nec tamen abſque σχέσει ad Officia, ita effert; *eſſe ſe a Jehova vocatum* ANTE UTERUM. h. e. præcognitum & præfinitum, (προεγνωσμένον καὶ προορισμένον,) non tantum *ante uterum matris*, verum etiam *ante jacta mundi fundamenta*, ut de ipſo Petrus [f]. Minus hic dicitur, ut majus intelligatur. Intelligis inde, me verba ממעי אמי & מבטן vertere, *ante uterum*, & *ante viſcera matris meæ.* h. e. *antequam eſſem in utero & in viſceribus matris meæ:* ac proinde, me *vocationem & commemorationem Nominis Meſſiæ* hic interpretari de Electione, Deſignatione, & Sanctificatione illius *Sancti* qui natus eſt ex Maria, beata Virgine, quæ Electio & Sanctificatio facta eſt in Conſilio Dei. Ita eſt, *Vocari & de nomine* h. e. nominatim & ſpecifice *vocari*, ſtylo Jeſaiano eſt, eligi, ἐιδικῶς deſignari. Confer Cap. XLIII. 1. & Cap. XLII. 6. XLV. 3. 4. Hic vero ita ſumendam eſſe phraſin, liquet, α. Quia *præfixa* ב in ejuſmodi locis, in quibus ut nota temporis adhibetur, hunc uſum habet ἐμφατικόν. Confer Prov. VIII. 23. Sic מעולם ἀπ' ἀιῶνος paſſim, non *à ſæculis*, ſed *ante ſæcula.* β. Phraſis ita exponitur apud Jeremiam [g]: ANTEQUAM *te formavi in utero*, (verba Dei ſunt ad Prophetam:) *cognovi te*, (προέγνων σε,) *& antequam egreſſus es ex utero, ſanctificavi te.* Quanto verius de *Jeſu*, quam de Jeremia? γ. Res ipſa de Meſſia veriſſima eſt, ut omnes norunt & conſentiunt. Deus illud *Sanctum*, quod naſciturum erat ex Maria, *Subjectum definitum*, ante Sæcula elegit, definivit, *ſanctificavit*; & *nomen ejus commemoravit*; h. e. Perſonam ejus, attributa, qualitates, officia, & Status ejus, ejuſdemque Status ejus accidentia varia; terminanda in ſumma ejus *gloria*; conſilio ſuo circumſcripſit. *Nomen* enim rei ſtylo Scripturæ eſt, quicquid de re excellenter dici, imo quicquid de re dici poteſt. Hæc quærenda ſunt non *in tempore*, ſed *in æternitate*, ut Apoſtolus [h]: *Elegit nos* IN IPSO *ante jactum Mundi fundamentum.* Subjicit hic locus tibi eam cogitationem; Chriſtum Jeſum *electum* ut caput & principem omnium Electorum; cæteros qui Electi ſunt, in ipſa electione ad ipſum fuiſſe ordinatos. Interim non nego, pie & vere dici poſſe, Dominum Jeſum *vocatum eſſe* AB *utero & nomen ejus commemoratum eſſe* A *viſceribus matris ejus*, quatenus conceptus utero ſanctæ Virginis, & viſceribus ejus concluſus *nomen* accepit ab Angelo [i]; & agnitus ab Elizabetha, *repleta Spiritu S.* [k]; tum vero à Maria matre ſua editus, demonſtratus eſt *ſignis cœleſtibus*, tanquam verus Meſſias, Patribus

Summa hujus Periſcopæ.

Primum: *eſſe illum vocatum ante uterum.*

Litera ב *præfixa* quomodo hic accipienda?

Vocatio hic idem valet quod *electio.*

Uſus præfixæ demonſtratur, & verſionis ratio redditur.

Nomen rei quid ſit, ſtylo Scripturæ?

Quo alio ſenſu Chriſtus dici queat *vocatus* eſſe *ab utero matris ſuæ*?

a Cap. XXII. 10. b Epheſ. II. 12. c Matth. XV. 24. d Joh. XII. 20. e Act. XIII. 1. 2. f 1 Pet. I. 20. g Jer. I. 5.
h Epheſ. I. 4. i Matth. I. 20. k Luc. I. 41.

tribus promissus, & tanquam talis à Sanctis, à Simeone, ab Anna, agnitus. Sed non putem id fuisse in mente Prophetæ. Tantum observa; præfationem hanc æque ac sequentem orationem, qua magnus hic Doctor auditores suos informat notitia personæ suæ, respiciendam esse ut argumentum officii *auditionis & κατανοήσεως*, quod iis suadet. Quanto ipse esset Persona illustrior; quanto Deo charior; quanto nobilioribus officiis à Deo Patre destinatus: quanto dicturus erat utiliora & magis necessaria: tanto majore jure postulat *audiri*. quod hic semel monuisse sufficiat; ad sequentia æque ac hanc nostram pericopam applicandum.

Quorsum tendat hæc commemoratio *Electionis* Messiæ?

Officium ejus PROPHETICUM.

Alterum attributum Messiæ, ℣s. 2. *Posuit os meum gladium acutum:* respicit Munus ejus Propheticum.

Alterum attributum reſpicere dixi *Munus Propheticum*, cui à *Patre* erat destinatus, quod gemina licet affini, sed versusta metaphora declaratur, ℣s. 2. Prior sententia est: *Posuit* OS MEUM *ut* GLADIUM ACUTUM; *umbra manus suæ* ME *occultavit*. Attributa videntur diversa, & sunt quoque; verum eodem tendentia; attamen seorsim inspicienda. Sensus est; Deus Jehova me ordinavit & actu constituit ut Doctorem atque Oratorem potentem, cujus institutiones, & convictiones alte penetrarent; penetrando quæ conjuncta essent, dividerent; & adversarios disciplinæ meæ capitaliter ferirent & mihi subjicerent. Emblema est latæ contemplationis. *Doctor* qui hic comparet, induit *σχῆμα* Heröis & Bellatoris, qui succinctus *gladio*, in medium prodit ad Gentes sibi subjiciendas. Sed cum cæteri Heröes *gladium* manu administrent; variat hic species. *Os* ipsi præbet usum *gladii*; sive *gladium* præfert *ore* suo prodeuntem. Sic de Filio Dei in Apocalypsi [a]: *Et* EX ORE EJUS *prodibat ῥομφαία δίστομος ὀξεῖα*, ROMPHÆA ACUTA ANCEPS. Rursus [b]: *Pugnabo cum illis*, (sunt verba Filii Dei:) GLADIO ORIS MEI. in quibus ad locum hunc nostrum manifeste alluditur. Patet inde, per חרב *μάχαιραν*, non alludi hoc in loco ad *cultrum mactatorium* qui passim una tantum ora scindens, hac notione quoque venit; sed ad *framcam*, & tamen *δίστομον ancipitem*, qua quis *punctim* ferit, non *cæsim*. quod & sequenti emblemati à *sagitta* desumpto probe convenit. Et tamen *Os* sive *Lingua* subinde etiam comparatur instrumento quo quis *cædit*; aut *scindit*; ut apud Jeremiam [c] *Virgæ*, ut apud Vatem nostrum [d]. Symbolum non est difficilis interpretationis. Per *os* hic intelligitur ipsa *doctrina* sive *oratio* quæ ex ore exit: *verba* quæ ab ore emittuntur, & oratione fulminante veluti ejiciuntur. Locutio est metonymica frequentissimi usus [e]. Integre, *Verbum quod exit ex ore*; quæ phrasis est Vatis nostri [f]. Designantur sermones Christi & Apostolorum ejus, (quorum videlicet ore ipse loquebatur;) sive doctrinales; sive convictorii; exhortatorii; interminatorii, aut denunciatorii Judiciorum Divinorum. Hoc vero *os* suum, sive hos sermones quos ipse docendo, suadendo, convincendo emittebat, Messias Doctor comparat *gladio acuto*. Quam eleganter? α. *Gladius* (& præcipue *framea*, eaque *acuta*, & hoc nomine rubiginosis & obtusæ aciei ensibus aut pugionibus oppositis,) à valida manu adactus *altissime* penetrat. β. Dum penetrat, scindit ac *dividit*, quæ conjuncta erant. γ. In hunc usum paratus est, ut sæviat in *carnem* & *vitam* hominis; neque alium usum habet. δ. Hominem necat, h. e. nobis subjicit, eumque redigit in statum, sit fas verbo, *irresistentiæ*. ε. Ac proin in ipsum dirigitur *cor*, sedem vitæ, & ex opinione Veterum, sedem quoque *affectuum*. ζ. Sævit non ab una, sed ab utraque parte. Quanto autem *acutior* est *gladius:* tanto hæc attributa verius præstat. Prima attributa *alte penetrandi & scindendi* Propheta hic loci forte directe intendit: sed cum cætera quoque negari nequeant Verbo Messiæ; imo multum conferant ad vim venustatemque hujus symboli intelligendam: frustra ea negligerem. Applica sis ad *Verbum Messiæ*, quod est *Verbum Evangelii*. Est Verbum *spirituale*, ac proin acutissimum ac penetrantissimum, per carnem penetrans in interiora conscientiæ, & se ei revelans. Directe oppositum *carni & carnali affectui*. ex vero suo usu recta dirigitur ad *vitam carnis & concupiscentiæ* in homine interimendam. hominem omnem qui illud Verbum audit, redigit in *statum irresistentiæ*. Eum in finem *adigitur* à veris Christi Ministris in animos hominum *vi* & potestate *spirituali*; non cum *eminentia facundiæ* aut *sapientiæ* sæcularis, sive *persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως* g. *Scindit* autem à *dextra* & *sinistra*, phrasi Paulina [h]. Dividit *carnem* & *spiritum*, h. e. separat *affectum carnalem* à *ratione*; & rationem, quæ *carni & concupiscentiæ* obsequiose servit in statu naturæ, sibi restituit. Discernit etiam inter homines & homines, Credentes, & Justitiarios; Veros Dei Cultores, & Hypocritas: quod Cl. Coccejus hic urget, sed quod emblemati, ut hic loci usurpatur, minus convenit. Est *δίστομος*; *convertit & convincit*. quos enim homines Christo Jesu non subjicit per *τὴν νέκρωσιν τῆς σαρκὸς*; hos ipsi substernit vi interminationum, quæ hoc eodem Verbo immorigeris Evangelio ad eorum exitium denunciantur. quæ hic compendio proposita, cum instituti ratio non permittat uberius declarare, illustrari velim ex locis huic nostro analogis Ephes. VI. 17. Heb. IV. 12. coll. cum Ps. XLV. 4--6. Jes. XI. 4. Hos. VI. 5. Sed cum ne sic quidem metaphora *gladii* & quidem *gladii acuti*, ejusque *διστόμου ancipitis*, satis videretur explicare *vim penetrantissimam* Verbi Dei per omnem *carnem* pertingentis ad *interiora conscientiæ*; Doctor Hebræorum illud ait esse *τομώτερον ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον penetrantius ullo gladio acuto* i. quo nihil dici potest majus. quæ vis & potestas hujus Verbi actu ipso demonstrata est, ubi Mundus Gentium non *manu* humana Christi Jesu Bellatoris ac satellitum ejus; sed *ore* ejus quod *Divinum halitum* spirabat, ipsi *Doctori & Prophetæ Regi* subjectus est, cessitque victoriam. Confer emblema simile generis *tribulæ ferreæ dentibus acutissimis instructæ*, quod in superioribus ex iisdem principiis expositum dedi k. Unde vero huic Doctori & Oratori hæc *persuadendi* vis? *Jehova*, ait, sc. Deus Pater, *os meum* POSUIT *gladium acutum*. h. e. primo, Mihi ad hoc magnum & illustre officium ordinato tale Verbum *loquendum* dedit, in quo esset *demonstratio perfecta veritatis ad conscientiam*. Secundo, tali me instruxit facultate ac dicendi potentia, ut omne os quod adversus me surgat in judicio, debeat *obmutescere*; omnis *Lingua* mihi adversa, *conticescere* ac *damnari* l. De Domino Jesu ipso liquet, loquutum illum esse *μετ' ἐξουσίας* m, ut *neminem Doctorum aliorum* n, quippe *Spiritus Domini Jehovæ super ipsum erat* o; & *Gratia effusa* in *labia ejus* p. De Discipulis autem ejus experimentum capi potest ex Stephano, de quo Lucas q: *Sed nequiverunt resistere sapientiæ ac Spiritui, per quem loquebatur*. Confer analoga loca de *Petro* r ac *Paulo* s. Vis omnis, quæ in Ministris Christi conspicua fuit, est Christi. Loquuti illi sunt repleti à Spiritu ejus, ipsius *ore* & *lingua*; incredibili audientium studio & obsequio, ut ex *Epistolis Paulinis* omnibus liquet.

Cognatum huic est attributum alterum: *Umbra manus suæ me occultavit*. (*me fecit latere*, ut sonat vox החביאני.) quod quomodo accipiendum sit, operæ pretium fuerit videre. Plerique Intt. Messiam Doctorem id dicere velle arbitrantur; Deum sibi *Doctori publico*, sua doctrina & convictione plures sibi potentes concitaturo adversarios, præstiturum defensionem, ut non obstante adversariorum furore opus sibi à Domino mandatum inoffense exequuturus sit, secundum voluntatem Domini sui; & conferunt hic locum Cap. LI. 16.

Referuntur ad orationem Messiæ.

Non respicitur tantum orationis vis *convictoria*; sed & *interminatoria*.

Locus Heb. IV. 12.

Caussa prima excitati hujus Oratoris est *Jehova, qui* POSUIT, &c.

Quod exponitur.

Attributum demonstratur in Christo Jesu, & Apostolis.

Attributum cognatum: *In umbra manus suæ me occultavit.*

Plures Intt. accipiunt phrasin de *protectione Messiæ.*

Sensus sententiæ Vatis.

Doctor hic convertitur in *Bellatorem.*

Sed cujus *gladius* prodit *ex* ORE.

Loca analoga huc allata.

Qualis species gladii hic intelligatur per חרב, *μάχαιραν*?

Symbolum declaratur.

Quid hic *os*?

Quo sensu doctrina Messiæ comparetur *gladio acuto*?

Attributa gladii.

a Apoc. I. 16. b Cap. II. 16. Confer Cap. XIX. 15. 21. c Cap. XVIII. 18. d Cap. XI. 4. e Confer Cap. XXIX. 13. Ps. LV. 22. LXXII. 9. LIX. 2. f Cap. LV. 11. g 1 Cor. II. 1. 4. h 2 Cor. VI. 7. i Heb. IV. 12. k Cap. XLI. 15. l Jes. LIV. 17. m Matth. VII. 29. n Joh. VII. 46. o Jes. LXI. 1. p Ps. XLV. 3. q Act. VI. 10. r Act. IV. 13. s Act. XXVI. 28.

Idem censent hic sumptam esse metaphoram, à *gladio vaginæ* incluso. De eo judicium.

11. 16. in quo eadem phrasis reperitur; hoc solo discrimine, quod pro voce תחביאני *latere facere*, ibi usurpetur vox כסתר *tegere, obtegere*, affinis potestatis. Putant etiam, Jesaiam sic loquentem inhærere eidem metaphoræ; qua os Messiæ, h. e. Messiam *Doctorem* comparaverat *gladio acuto*: Prophetam eo alludere, quod gladii vaginæ inclusi olim à *baltheo* pendentes ad *lævam*, veluti *sub manu essent* eorum qui eos gestabant. Quod ad rem ipsam attinet: non spernо hanc interpretationem, quippe quæ *Subjecto* optime convenit. Deus enim Messiam Doctorem ejusque Apostolos singulari cura suæ providentiæ prosequutus est & protexit, quandiu ex præscripto consilii sui versati sunt in officio: absque quo factum esset, Evangelium in prima herba fuisset oppressum & extinctum. Unus horum Ministrorum, isque eximius, Paulus *a*: *Horum causa*, (præconii Evangelii,) *Judæi me in Templo comprehensum tentarunt interficere*: ἐπιχειρήσας ἂν τυχὼν τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ· *sed* AUXILIUM QUOD EST A DEO NACTUS, *perstito in hunc usque diem, & seqq.* Ode Davidica insignis XCI. tota decurrit in hoc argumento. Agit directe & primo loco de tegmine ac defensione quam Deus Christo Jesu Doctori & Apostolis ipsius præstaret. Simile est quod Jeremiæ dixerat, se illum in Prophetam eligendo ponere in *Urbem munitam, columnam ferream, & murum æneum b*: esse ipsum oppugnandum, sed non expugnandum. Verum primo; si hic sensus à Propheta intentus sit: putem, illum discessisse à metaphora, & propriam locutionem metaphoricæ adjunxisse; quod sæpissime fit: ut sane proprie adhibetur Cap. LI. 16. *Posui verba mea in ore tuo, & umbra manus meæ te obtexi.* h. e. te Doctorem, absque ullo respectu *gladii*. fere ut Ps. LXXX. 18. *Manus tua sit* SUPER *Virum dextræ tuæ*. Ut enim nunc missam faciam disquisitionem, Utrum *gladius* apud Hebræos pependerit à Baltheo humerali, an à Cingulo Lumborum; nec non utrum pependerit ad lævam, num potius ad dextram, (de quo alibi *c* pauca monui, & Docti Viri *d* disputant, & quod hic loci fere in idem recidit;) *gladius* hic secundum hypothesin Prophetæ nostri non censetur esse in *vagina*, sed è *vagina eductus*, & ipso actu à Deo administrari. *Strictus* autem *ensis* proprie nulla eget defensione: nisi quis hic ad mythicas Poëtarum antiquorum fictiones recurrere velit. Ut nec *gladius* à *femore* pendens in *vagina*; cui ab alio vim fieri, rarum est. Secundo, ipsa notio תחביאני parum favet huic meditationi. Non notat proprie *protegere, defendere*; sed *occultare, abscondere*. *Gladius* proprie est res, *qua* quis se ipsum defendit; non quæ defenditur. Equidem quæ nostra cura *latent*; hoc ipso à nobis *proteguntur*: sed non est hæc prima vocis notatio. Inhærens itaque his verbis, vix dubitavi, quin sententia hæc *prioris membri* idem sonet quod sententia analoga *membri posterioris*: *in* PHARETRA SUA ME (ut *sagittam*) *absondit*: atque adeo probo plane sententiam Aben-Ezræ, quæ fert, *umbram manus Dei* qua *latuisse* dicitur *gladius*, hic respici ut *vaginam ejus*, qua huc usque *occultatius* latuerit; perinde ac *sequenti* membro tanquam *telum latuisse* dicitur in *pharetra* Dei. Dicere itaque vult hic Doctor eximius; se usque ad novissima hæc tempora latuisse *apud Deum*; consilio ac providentia ejus huc usque *occultatum*; instar *gladii* qui *vagina* conditur: *eductum* autem *ex vagina* novissimis hisce Mundi temporibus prodire ut *Doctorem veritatis*, vim doctrinæ suæ modo quodam insuperabili in animos hominum ingesturum. Est itaque hic sub *umbra manus Dei occultari* idem quod *consilio Divino* quo quis ut instrumentum *manus Divinæ* destinatus est maximis operibus efficiendis, huc usque phrasi Mosis *e*, *clausum obsignatumque latere*. Sic Apostolus *f*: τὸ μυστήριον (*Doctrinam Evangelii*, & præsertim hanc ejus partem, qua Christus Jesus destinatus fuit *salutі Gentium*:) *antiquis temporibus* σεσιγημένου *tacitum* (latens, occultatum apud Deum,) hoc tempore factum esse *manifestum*, & *ad obedientiam fidei omnibus Gentibus innotuisse*. *Manus* hic est *executrix* Divinorum Decretorum Providentia, ac Potentia. Sub cujus *umbra latere* dicitur, quod hucusque productum non est, sed certo producendum. Idem putem voluisse Doctores Hebræos antiqui temporis, quando dixerunt, *Deum* OCCULTASSE (גנז) *Messiam* תחת כסא כבודו SUB THRONO GLORIÆ SUÆ. *g*

Argumentum Psalmi XCI.

Qua conditione hæc interpretatio admitti queat?

Observatur, Gladium hic non respici ut reconditum vagina.

Gladius non censetur indigere *defensione*; sed est instrumentum *defensionis*.

Umbra manus Dei hic est *vagina*, in qua hic *gladius* huc usque *latuerat*.

Sensus Vatis declaratur.

Christus Jesus ante *apparitionem in carne* latebat in consilio Dei.

Alterum membrum: *Et posuit me in sagittam electam.*

Vox ברור quam expositionem hic admittat?

Alterum membrum huic analogum & parallelum: *Et posuit me in telum electum: in pharetra sua me occultavit.* h. e. QUOD *in pharetra* sua *occultaverat*. Hebræa באשפתו הסתירני sunt accipienda; acsi scripsisset Vates; אשר באשפתו הסתירני Phrasis, חץ ברור reddi potest vel *telum* ELECTUM; (ut οἱ ὁ. Βέλος ἐκλεκτόν. Chald. גיר בחיר. Hieron. *Sagittam electam.*) vel, *Telum* sive *Sagittam*; *terſum*, purum. Jun. & Pisc. *Sagittam nitidam.* Sequuti sunt Belgæ. Et posterior quidem hæc interpretatio se commode sustinet ex Jer. LI. 11. ubi est הברו חצים *Polite sagittas*. Et tamen non dubito prius hic præferre, quia fortius est & magis ἐμφατικόν. Potest enim *sagitta* esse *nitida, pura*, polita; nec tamen ad usum aptissima. Sed *sagittam* esse *electam* omnia attributa ejus involvit; esse videlicet materiæ duræ, acutam, politam, ad usum aptam. Vide autem ut hic surgat oratio hujus Doctoris. Priori membro, Deum dixerat OS SUUM posuisse ut *gladium acutum*. Magnum quid dixerat, & tamen majus quid cogitabat. Videbatur enim de *ore suo* tantum memorans, supponere, esse *aliquid* SUUM, alii usui ac gloriæ Divinæ ac Officio huic suo administrando destinatum. Ergo non dicit in duplicata hac sententia quod dicere poterat; Deum LINGUAM SUAM posuisse TELUM ELECTUM; sed SE ordinasse ut *sagittam selectam*, quam in *pharetra* sua *occultaverat*: veluti *totus* id esset quod hic *sagittam* appellat. Paradoxum ad primam speciem, Doctorem eundemque Servatorem Mundi Gentium, Doctorem eximium electissimumque se hujus sui Officii respectu describere ab instrumentis mortiferis, in perniciem humani generis paratis. Est certe in eo mysterium, à nemine perceptum non erudito sapientia Scholæ illius quæ Deum profitetur magistrum. Messias *necat* homines, ut eos *servet*. *Docere* ejus est νεκρῶν *mortificare*. Sed sunt rationes aliæ hujus metaphoræ, summatim recensendæ. *Christus Jesus*, DOCTOR, sive, quod eodem recidit, DOCTRINA ejus, à veris ejus ministris à Spiritu ipsius affectis, publice proposita, comparatur *sagittæ, telo, jaculo*, antiquis temporibus (imo hodiedum apud Orientales Populos) instrumento bellico usu receptissimo, Quod, α. Dirigatur rectissima brevissimaque via à dextra peritaque manu ad *cor* hominis, & in illud altissime penetret. β. Hominem quà *caro* est & *secundum carnem vivit*, internecet, vitamque carnis in ipso extinguat. γ. Id quod Christo Jesu in homine adversum & contrarium est, perimat atque destruat, & Victori subjiciat. δ. *Effectum* producat summa celeritate. ε. Et quoque in *remotissimos*. ζ. Quippe vehementi *vi* adacta & impulsa; quæ vis est Spiritus Sancti præconium Evangelii sua virtute comitantis. quæ attributa adhuc ἐμφατικώτερον competunt in *sagittam* ELECTAM, h. e. in *Doctorem eximium*, cujus os nihil nisi *Divinum* sonat; à Deo ipso in hunc usum *electum*, per quem sibi cogitarat erigere Regnum spirituale inter Judæos & Gentes. Sic de illo Rege Doctore eadem usus metaphora Poëta facer *h*: SAGITTÆ *tuæ sunt* ACUTÆ: *populi subter te cadent: hærent in corde inimicorum Regis*. Confer Visum *Sigilli primi* ad hæc verba deformatum *i*. Qui non *convertuntur* & *se convinci* non patiuntur per hoc Verbum: *interminationibus* eo contentis prostrati intereunt. Confer emblema simile Vatis nostri Cap. XI. 3. 4.

Rectè vertitur per *electum*.

Sagitta hic refertur ad totam Personam Messiæ Doctoris.

Paradoxum comparationis ad primam speciem.

Magnum mysterium ministerii *Messiæ*.

Doctrina ejus quo sensu comparetur *sagittæ*?

Et quidem *telo* ELECTO?

Duplex effectum Verbi Domini: semper *vincit*.

a Act. XXVI. 22. *b* Cap. I. 18. *c* *Observ. S.* Lib. I. Diss. II. Cap. III. §. VII. IX. *d* Lyd. *Synt. Rer. Mil.* Lib. III. Cap. VIII. *e* Deut. XXXII. 34. *f* Rom. XVI. 25. 26. *g* Est in loco insigni in *Bereschith Rabba*, Raym. Part. II. Cap. XI. §. XVI; *h* Ps. XLV. 6. *i* Apoc. VI. 1.

Emblema apud Exoticos non fuit extra usum. Tullius orationis suæ *aculeos* sæpius commemorans, illuc respexit [a]. Sed extat imprimis luculentus locus Diodori de Pericle, cujus *suadam* & *τὴν δεινότητα τῦ λόγυ orationis gravitatem* & *vehementiam* à Veteribus omnibus impense celebratam, ob quam dici meruit Ὀλύμπιος, apud ipsum Eupolis, Comicus, describens, sic terminat elogium: [b]

Similitudo Exteris quoque usurpata.

Καὶ μόνον τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατάλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.
Et Oratorum solus
SPICULUM *reliquit infixum auditoribus.*

Quæ hic sit *pharetra*, qua hæc *sagitta* occultata est?

Hanc vero *sagittam* Deus *occultaverat in* PHARETRA. Pulchro sensu. *Pharetra* hic est *consilium* Dei quo definivit & circumscripsit illustres Doctores, quos Ecclesiæ; & impleto tempore Oeconomiæ Veteris, Mundo Gentium daret ad illius conversionem & convictionem. Comparent præter Patriarchas, Doctores & Prophetas; Moses, Prophetæ omnes à Samuele & usque, & in his præstantes, Samuel, Elias, Elisa, JESAIAS noster, Jeremias, Ezechiel, Zacharias, & præcursor Domini, Joannes; Apostoli Jesu, PETRUS, Joannes, Jacobus, & cum respectu ad Gentes primus celebrandus PAULUS, & qui plures per omnia sæcula sequuti sunt. Hæ *sagittæ* omnes latebant Decretis Divinis consignatæ clausæque & circumscriptæ, suis quæque temporibus producendæ; ut productæ sunt. Sed inter hasce sagittas erat aliqua electa, eximia, singulari cura & providentia Divina usui Ecclesiæ destinata quo tempore Deo placeret Mundum Gentium sibi subjicere, & in eo fundare Regnum: quæ *sagitta* erat JESUS CHRISTUS, tum per se; tum per Spiritum & Apostolos sibi collecturus *reliquias Judæorum* & *sibi Subjecturus Gentes*, remotissimas quoque, ad extremos usque fines Orbis terrarum. Sic factum. educta est hæc sagitta ex pharetra, in qua huc usque *latuerat*, *ἐν πληρώματι τῦ χρόνυ*, sub Augusto, extremis Herodis Magni; & producta est in publicum, inter Judæos quidem post XV annum Tiberii, & inter Gentes post IV Claudii: eo successu, quem ex historia Ecclesiæ & Experientia nemo ignorat.

Deus habet in usum Ecclesiæ integram *pharetram*, *sagittis* instructam.

Quando hæc *sagitta* educta sit ex pharetra?

Officium ejus MEDIATORIUM.

Major Messiæ decreta dignitas in *Officio Mediatorio*, ℣. 3. *Et dixit mihi*, &c.

Nec tamen id omne erat, ex quo cognosci volebat Messias. Erat adhuc gravius aliquid quod ipsi apud Gentes conciliare debebat auctoritatem: *Officium* videlicet MEDIATORIUM, quod prudentes videbunt in verbis ℣. 3. *Et dixit mihi*, SERVUS MEUS TU ES: ISRAEL *in quo me* GLORIOSUM OSTENTABO. Plus continet dictum, quam obiter illud relegenti videatur. Dicit hic loci Messias *Doctor*, idemque Pontifex & *Mediator*; se non tantum ad illud Officium, quod modo commemoraverat, *Propheticum* videlicet & *Doctorale*, à Patre electum destinatumque fuisse; verum etiam, Patrem sibi *dixisse*, h. e. notum sibi fecisse pn STATUTUM *consilii Pacis*, hac formula, *Tu* ES SERVUS MEUS; h. e. te *hominem Jesum Christum* solum designavi æterno Consilio Gratiæ, & in tempore paravi, *Mediatorem* Generis humani, hac lege, *ut Servus meus sis*; *κατὰ πᾶσαν δύναμιν τῆς Φωνῆς*; videlicet ut subeas conditionem durissimæ servitutis, qua te *mihi subjicias ad mortem, imo ad mortem Crucis*, ad nomen meum per acerbissima tua *παθήματα* vice Seminis electi, per te servandi, *sanctificandum* & *glorificandum*: *tu* itaque es ISRAEL, inter omnes veros Israëlitas unus & solus, qui in te vere exhibiturus es characteres omnes Patris tui Jacobi, qui cum Deo ipso luctatus *vicit*, seque & domum suam servavit, hac ipsa de caussa meritus appellari ISRAEL. conferenda verba hujus *propositionis* cum *expositione*, mox sequutura, ℣. 5. 6. Equidem, fateor; nos omnem hanc vim & potestatem significationis quæ est in hac formula, non potuisse perspicere; absque analogia Scripturæ S. & Eventu; qui duces interpretationis nos non facile fallunt. Apostolus *Servitutem* Christi Jesu sic Divine explicat, Phil. II. 7. 8. haud dubie cum Eventu conferens tum hunc aliaque loca nostri Prophetæ, in quibus *ἰδίως Servus* dicitur; tum præcipue Cap. LIII. 1. seqq. in quo totum hoc mysterium salutis nostræ morte & obedientia Mediatoris nostri impetrandæ explicatur. Sic ibi legere est ℣. 11. *Præ labore animæ suæ videbit*, *saturabitur*: *cognitione sui* (fide in se) *justus* SERVUS MEUS *multis* CAUSSA *erit* JUSTITIÆ, *quorum ipse portaverit iniquitates*. Confer locum hujus generis præclarum Ps. XL. 7. 8. Est quoque quod mihi persuadeam, Christum Dominum huc respexisse in phrasi frequentissimi usus in sermonibus suis apud Joannem, qua *se* in mundum venisse docet, ut *Patrem glorificaret*, & *à Patre glorificaretur*: sive, se illud esse Subjectum in quo Pater se *glorioſum* exhiberet. ut inter alia reciproce Joh. XIII. 31. 32. *Cum autem exiviſſet*, (sc. Judas Iscariotes,) *dixit Jesus: Nunc ἐδοξάσθη glorificatus est filius hominis; & Deus glorificatus est in* IPSO. *Quod si Deus glorificatus est in ipso; Deus quoque* GLORIFICABIT *ipsum in* SE, (vicissim Filium ipsum glorioſum faciet,) *&* CONFESTIM *ipsum* GLORIFICABIT. Respicit Dominus directe ad instantem mortem & passiones suas, earumque consequentia. horum enim caussa in mundum venerat. Sic ipse in antecedentibus, *passione ejus* nunc instante [c]; *Venit hora ut* GLORIFICETUR *filius hominis*. Et deinceps in Oratione sua Pontificali [d]: *Pater*, *venit hora illa*: GLORIFICA *Filium tuum*, *ut & Filius tuus te* GLORIFICET. At vero id idem est quod hic dicitur: *Tu es* ISRAEL, verus luctator & victor Dei, אשר בך אתפאר *in quo* CONDECORABOR; in quo me exhibebo glorioſum; & per quem atque in quo Ego glorificabor. quæ genuina notio est vocis התפאר. Notat illa vel *gloriari* aliqua re; vel *in re* & *per rem aliam glorificari*, condecorari. Prius hic placuit Hieronymo; sane absque vitio. Et tamen præfero versionem *τῶν ὁ.* qui hic rectissime: *Ἐν σοὶ ἐνδοξασθήσομαι.* pariter Chaldæus: דבך אשתבח *In quo laudabor*. Sic sumitur notio התפאר Cap. LX. 21. LXI. 3. Ut autem magna est latitudo hujus phrasios; sic nulla est quam hic non admiserim. Omnia *officia* Messiæ; *Status* ejus uterque; Casus atque Eventus ipsius omnes; universa dispensatio Gratiæ & regimen Ecclesiæ ipsius; tendunt ad illustrandas Divinas perfectiones, Gratiæ, Bonitatis, Sapientiæ, Veracitatis, Justitiæ, Constantiæ, Potentiæ, Providentiæ, quas Deus maxime in se agnosci & celebrari vult: sed pertendo, quod ex locis Apostoli Joannis liquet; alludi hic præcipue ad Opus *Meditationis* & *Ἀπολυτρώσεως Redemptionis*, in *sanguine Filii Dei* ejusque *morte* & *obedientia*. Hoc est illud magnum Dei *Opus*; omnium viarum ejus centrum; materia æterna stuporis ac laudationis Angelorum perinde ac hominum: quo omnes Dei perfectiones, & imprimis vis immensa *Gratiæ ejus* & intaminata ejus *Justitia* & *Sanctimonia*, clarissime effulsere [e]; cujusque consequens fuit, *Glorificatio Messiæ*; fundatio Regni Dei in Mundo; conversio Gentium; & laudes ac celebrationes quæ Deo in nomine Filii Mediatoris mille & mille vocibus ab Electis credentibus quotidie offeruntur; offerendæ in omnia sæcula. Ecquando vero Jehova DIXIT *Messiæ*, *Servus meus es*, *&* *scqq.*? Ajo, proprie, & directe, quando Christus Dominus cum tricesimum ætatis suæ annum attigisset, officio per Joannem inauguratus est, Voce Patris de cœlis latâ in hanc formulam [f]: *Hic est* FILIUS MEUS *dilectus in quo acquiesco*. quæ deinceps repetita [g]. Hoc tempore demonstratus est Israëli ut *Filius Dei*, satisfacturus pacto cum Patre inito [h]. Quando autem tempus extremæ luctæ imminebat; & ipse commotus animo dixerat, *Pater glorifica nomen tuum*: redditum ipsi est responsum Patris [i]: *Et glorificavi*, *& rursus glorificabo*.

Vis & potestas horum attributorum ex eventu cognoscitur.

Servitus Christi Jesu qua re constitat?

Illustratur ex analogia.

Locus Joh. XIII. 31. 32.

Et Joh. XII. 23.

Notatio vocis התפאר h. l.

Quomodo Deus *glorioſus factus sit* in Messia?

Præcipuus hic respicitur Opus *Redemptionis generis humani*.

Quando Jehova dixerit Messiæ, *tu es servus meus*?

Verba, *Tu es Israël.*

---

a Orat. pro *Sylla*, aliisque. *b* *Biblioth.* Lib. XII. p. 307. *c* Cap. XII. 23. *d* Cap. XVII. 1. *e* Rom. III. 23. 25. *f* Matth. III. 17. *g* Cap. XVII. 5. *h* Ps. II. 7. coll. cum Act. XIII. 33. *i* Joh. XII. 28.

ficabo. sc. in passione tua instante. Accipe ita dictum & intellectum, ut hoc loco, *Tu es* ISRAEL, verus luctator cum Deo & victor ac triumphator Justitiæ ejus, *in quo me glorioſum exhibebo.* Sed si verba hæc Messiæ ut *Servi Jehovæ* accipere velis in majore latitudine: patior lubens, ea referri ad *decretum* quo Filius ordinatus est in Mediatorem; ad promissa, prædicta, figuras quibus à Mundi Natalibus est designatus & circumscriptus; & ad intimationem ei factam per Spiritum S. simulac intelligentiæ capax rationem missionis suæ in carnem percipere potuerit. Confer Ps. XL. 8. Accepi autem in hac interpretatione verba Prophetæ tanquam in duas divisa sententias: TU *es Servus meus;* TU es *Israël per quem & in quo glorificabor.* Sic utique Masorethæ nobis docte præiverunt, figentes accentum *Atnach* in voce אתה: quorum opera cum usi non sint Græcus Alex. & Hieronymus, minus feliciter dictum Prophetæ expresserunt.

Quando Deus Pater se in Messia *glorioſum* exhibuerit, & quomodo?

β. *Querela* de exiguo successu laboris sui inter Judæos, cum spe *majoris præmii*, sibi à Patre destinati.

β. Querela de exiguo successu *laboris* ipsius inter Judæos, ℣. 4. *At vero dixi, &c.*

℣. 4. *At vero* EGO *dixi*, IN VANUM LABORAVI; *inaniter & incaſſum vires meas conſumpſi. Utique* JUS MEUM *eſt apud Jehovam; &* OPERÆ PRETIUM *meum apud Deum meum.*] Qui ad contextum orationis attenderit, viderit hæc verba ἀμέσως cohærere proxime præcedentibus, *Jehova dixit* MIHI, *Tu es ſervus meus, & ſeqq.* At vero *Ego dixi*, postquam Ministerium mihi mandatum orsus fuerim, idque absolverim, *In vanum laboravi, & ſeqq.* Continent itaque querelam Filii Dei ejusdemque Filii hominis, summi Doctoris, de exiguo fructu missionis suæ ad Judæos, & spe exili Regni sui inter illos fundandi ac cum successu propagandi; similem ei quæ eidem huic Doctori illustri, ejusque Apostolis, tribuitur Cap. LIII. 1. *Quis credidit præconio noſtro, & brachium Jehovæ cui revelatum eſt?* Sed simul se erigens, significat, non tamen propterea excidisse spe, fore ut glorioſum nanciscatur & amplissimum missionis suæ in Mundum, Præconii Evangelii, & Obedientiæ Mortisque suæ, fructum. *jus* enim *ſuum* apud Deum esse; & *operæ pretium ſuum* apud ipsum *repoſitum eſſe*, qui probe curaturus sit pro sapientiæ justitiæque suæ rationibus, ut *laboris* ipsi persolvatur debita & honestissima merces. Hæc summa est sententiæ, ad cujus utramque partem paucula annotanda sunt.

Cohærentia horum verborum cum *præcedentibus.*

Summa illorum.

Et speciatim prioris partis, quæ complectitur *querelam* Messiæ.

Quod attinet ad *priorem partem*, quam continere dixi *interpellationem querulam* Messiæ Doctoris de exiguo profectu suæ institutionis inter Judæos in primis initiis Regni Gratiæ: in *oratione* Vatis nihil admodum est, quod nos moretur. Ait magnus Doctor, *ſe* AD DEFATIGATIONEM *uſque laboraſſe*, (quæ est vis vocis יגע) & *vires ſuas conſumpſiſſe.* quod fecisse JESUM Messiam, fidem facit historia. A quo personam publicam gerere cœpit; *privatam* plane deposuisse videtur, nisi forte quod noctes subinde *in montibus* aut *ſolitariis locis*, à suis secedens, transegerit colloquiis cum Deo & meditationibus sanctis; quæ Lucas complectitur phrasi, εἶναι ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ [a]. Cætera de die vel docuit obvios magno confluxu in Synagogis, Templo, & commodis locis aliis; vel prive erudiit Discipulos & familiares, semper in eorum versatus corona & commercio; vel adversarios suos Pharisæos convincendo ac disputando refellit; vel operam dedit sanandis ægris pessime affectis, undique ipsi oblatis; vel etiam iter *pedibus* fecit ad usque lassitudinem, Cananæa non semel peragrata, ut copiam sui omnibus faceret, & in Templo in Festis ex Lege adesset. Officio autem Doctoris Publici in hoc opere assidue versati, quid gravius & laboriosius? quid magis *conſumit* exhauritque *vires*, h. e. subtiliores sanguinis partes quibus vires sustinentur? Certe Apostolus de suo & τῶν συνεργῶν officio loquens, & in officii functione adhibito labore, cura, solicitudine, patientia; illud hac hac ipsa designat voce κοπιᾶν *laborare* [b]. quod monuisse sufficiat: illustrari autem multis posset, si gestiret animus in eam rem latius excurrere. Accedunt *inſidiæ, tentationes*; adversariorum opus Domini interturbantium studia, artes, & callida consilia, à Christo Jesu cum dolore & lacrymis perferenda. Sed est ea fere sors optimorum Doctorum; & præcipue Ministrorum Christi fidelium quorum exemplum rursus exhibet Paulus [c]. Cum autem merito exspectare debuisset uberrimum sui laboris fructum, suæ pretium operæ: queritur ille, certe querulus interpellat; se in *vanum laboraſſe vireſque* suas *conſumpſiſſe.* quod ut ἐπιτατικῶς diceret & à nobis intelligi vellet, tres adhibuit notiones, לריק, לתהו & הבל pro להבל, quæ fere idem sonant, valentque quod Græcis εἰς κενὸν, (sive, ut οἱ ὁ. κενῶς,) εἰς μάταιον, εἰς ἀδὲν, *in vanum, inaniter, incaſſum*; hoc est, nullum se reportasse laboris sui fructum; ferisse aërem; se absque successu fatigasse; *seviſſe*, non *meſſuiſſe.* unde proxime videri posset petita metaphora. Quomodo vero, cum constet, Dominum non paucos per Galilæam & Judæam quoque habuisse Discipulos in se credentes? cum utique paulo ante dixisset, *os ſuum* esse *gladium acutum*; *ſe* esse *ſagittam electam?* Unde itaque, quod doctrina ejus se non altius penetravererit in animos Judæorum? quem majorem fructum apud *Gentes* exspectare posset quam apud *ſuos*, cum utique suis deberet esse notior? Quod ad primum dubium: observa, α. Dictum Domini querulum non esse *absolute* intelligendum, sed *comparate*, ut multa per Scripturas Sanctas alia. Si Prophetarum Veterum conciones, contestationes, ἐλέγξεις legas, quibus corruptus Populi status passim ad vivum pingitur: dixeris, nihil id temporis integrum in Ecclesia superfuisse; & superfuit tamen semper *ſemen ſecundum electionem gratiæ.* Ergo id dicere vult Dominus, nullum se reportasse fructum sui laboris, qui *personæ* suæ dignitati & meritis; labori in Judæis convertendis & salvandis adhibito; beneficiis per miracula in Gentem collatis; & communi de Messia exspectationi; responderit. Cum enim Messias tot votis & desideriis per tot sæcula ab hac Gente expetitus optatusque esset; ipse autem se prodiderit esse verum Messiam; nec prodiderit tantum, sed & potenter *demonſtraverit:* exspectari poterat, generalem ad ipsum fore concursum totius Gentis, hoc tantum Beneficium, tantam salutem, quam Reges & Prophetæ multi *deſiderarant videre*, grata mente lætisque acclamationibus recepturæ. Sed contra accidit. Factus est in *ſcandalum* & *lapidem offenſionis duabus Domibus Iſraëlis, in laqueum & decipulam incolis Hieroſolymorum* [d]. *Auditus eſt* Doctor Publicus cum *admiratione*; *miranda ejus* visa sunt cum *ſtupore*: sed *pauci* fuerunt, dum versatus est in *carne*, in quibus doctrina ejus prudenter accepta fructum produxit durabilem; *reſpectu* magnæ multitudinis, quæ pendens ab auctoritate Sacerdotum, Procerum & Doctorum Gentis, in incredulitate & præjudiciis suis obstinate perstitit. Intelliges, quam vere id dicam ex Joanne, qui sibi videri posset contradicere, si modum dicendi *comparatum* ab *absoluto* in hoc casu non discernas. Sic ipse [e]: *Cum autem tot ſigna coram iis edidiſſet*; NON CREDEBANT IN EUM, & seqq. Quando mox eadem oratione subjungit [f]: *Veruntamen etiam ex primoribus* MULTI CREDIDERUNT IN EUM. β. Verba Domini κατὰ τὸ φαινόμενον intellecta mysticum quid complectuntur. *Videbatur* plane Jesus Messias omni *laboris* sui fructu excidisse, cum *labor* ejus *omnis* exiret in *mortem*; ut adeo non *vires* tantum, sed & *vitam* laborando *conſumpſerit:* quod ubi accidebat; optimi quoque Discipulorum ejus spem salutis per ipsum obtinendæ abjecerunt, mysterio mortis & resurrectionis ipsius non-

Quamvis Messiæ Doctoris de exiguo profectu suæ institutionis inter Judæos in primis initiis Regni Gratiæ querela.

Labor gravissimus Christi Jesu.

Animadversa in *vitam* ejus *publicam.*

Officium Doctoris Publici grave.

Debuisset ejus esse uber & copiosus fructus.

Tres notiones in hunc sinem adhibitæ, הבל, ריק, תהו.

Earum sensus.

Τὸ παράδοξον hujus rei.

Dictum Domini non est *absolute* intelligendum, sed *comparate.*

Stylus Prophetarum querulus.

Sensus loci productus.

Sors Domini inter Judæos docentis.

Locus Evang. Joh. XII. 37. 42.

Altior, & eximius sensus verborum Domini, acceptorum κατὰ τὸ φαινόμενον.

[a] Luc. VI. 12. [b] 1 Cor. XV. 10. Gal. IV. 11. [c] Act. XX. 19. 1 Cor. IV. 11. [d] Cap. VIII. 14. [e] Cap. XII. 37. [f] ℣. 42.

nondum percepto [a]. ut adeo ipse, olim per הבל *Habelem* figuratus, videretur in morte sua vim hujus nominis, sive *vocis* qua Vates hic utitur, expertus esse. Messias autem querulus eam potissimum hic induit personam quam ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ gessit: etsi etiam post id tempus major & potior pars Judæorum in incredulitate sua perseveraverit. γ. Adhuc majus quid est quod hæc verba præferunt. Etiamsi Dominus ex Consilio Patris *laboris sui fructum* obtinuerit *electos ex Judæis* bono numero, tam in Canaanæa ipsa [b], quam ἐν τῇ Διασπορᾷ: videbatur tamen sibi omnem fructum laboris sui perdidisse, quando ad animum revocabat, *adventum suum & missionem in mundum* Deo Judici subserviisse, ut caussam occasionalem *excæcationis & indurationis* majoris partis fratrum suorum, quorum interitus ductus est commiseratione. Sic ipse, extremis suis instantibus, videns Hierosolymam, & sibi proponens lugendum ac miserabile illius Urbis fatum, eis non adeo multos annos sequuturum, *flevit super ea*, & ex animo indoluit ejus calamitati [c]. Videbatur itaque *in vanum laborasse*, quod Gentem suam, & Gentis suæ metropolin, Sedem Religionis Patrum, non potuerit servare ab exitio. Alterum dubium, quomodo hic Eventus conciliari queat cum glorioſis titulis, quibus Doctor hic illustris se initio hujus orationis descripserat, tanquam *gladii acuti & teli electi*; facile expeditur. Feriit hic *gladius* ex ore ejus *exiens*; percussit hoc *telum*, manu Divina administratum; *omnes* quos petiit: sed gemino effectu, *salutari* vel *judiciali*, ex adorando Dei consilio & arcana nobisque imperveſtigabili, sed justa voluntate. Qui per hoc Verbum inter Judæos *convicti* se Christo Domino non subjecerunt: in eorum cordibus hæsit hoc spiculum ad *interitum*; qui idem effectus hujus *Verbi* conspicitur apud Gentes [d]. Filius Dei *bellum gerens cum mundo pugione oris sui* semper *vincit: victoria* autem ejus omnis tendit ad δοξασμὸν τοῦ Θεοῦ.

Missio Christi in Mundum occasionalis caussa *Excæcatæ Gentis Judææ.*

Quomodo hic exiguus Messiæ successus concilietur cum *glorioſis titulis* ipsius ut *Doctoris?*

Sed certus interim erat Messias cum quereretur de *exiguo profectu sui laboris* inter Gentiles suos; esse sibi quid majus & amplius à Patre destinatum, quod hic *in genere* proponens, mox speciatim explicaturus est. *Utique*, ait, JUS *meum est apud Jehovam, & operæ pretium meum est apud Deum meum.* Sic recte vertuntur Hebræa, אכן משפטי את יהוה ופעולתי את אלהי Vox אכן Hebræis valet *certe*, *utique*. Nec tamen vitium fuerit eam cum respectu ad superiora vertere *adversative*, per *attamen*, *veruntamen*. Ut Chald. ברם. & Jun. Trem. Pisc. Notio autem משפט hic omnino à me vertitur per *jus*, ut idem valeat quod פעולה *merces* & *operæ pretium*. ut, stylo Scripturæ, משפט הבכורה Jus *primogenituræ* [e]. id quod Primogenitus jure postulat, & sibi ut suum vindicat. משפט הבנורה Jus *filiarum*. quod filiæ elocandæ jure tanquam sibi debitum poscunt. Est autem eadem vis notionis פעולה hoc loco. Notat שכר *mercedem*, quæ *Servo voluntario* aut *mercenario* jure debetur. ut שכר פעולה *merces mercenarii*, apud Mosen [f]. Sic dicet Messias; licet optato & sperato fructu sui *laboris*, & quidem עמל נפשו *laboris animæ suæ* [g], mortis & obedientiæ suæ voluntariæ, inter Judæos frustratus fuerit: certum tamen se esse, apud Deum amplissimam repositam esse ἀνταπόδοσιν *retributionem* sui *laboris & obsequii* durissimi, Patri præstiti in ipso *glorificando*; quod operæ pretium mox expositurus est. Sunt bene multi Intt. qui vertunt, *Judicium meum est apud Jehovam:* veluti diceret Messias, Deum caussam suam adversus immorigeros Evangelio & obstinatos hostes ipsius & suos vindicaturum esse, vindicta de iis sumenda gravi ac severa; sive, se litem, quam cum immorigeris exercuit, Divino subjicere judicio: sed multum præfero sensum quem commendavi; quemque eundem hic inter Hebræos elegerunt Aben-Ezra & Kimchius; & inter nostros quoque Piscator ac Belgæ. Rationes sunt, *a.* Consonantia utriusque membri hujus sententiæ, Prophetis familiaris. β. Interpretatio convenit *personæ* quæ hic proponitur sub forma *servi*. γ. Sequentia verba hoc *jus* & hanc *mercedem* Messiæ ut *Servi Jehovæ* explicant. δ. Quia ex verbis sic expositis intelligimus, *Personam* quæ hic loquitur, hic respici velle, non ut *vernam* aut *Servum Domesticum*, cui nulla pro opere & labore *merces* debetur: sed ut *servum voluntarium* qui per *liberum contractum* cum *Domino* initum hanc conditionem in se suscepit. Id sane verissimum est de *Filio Dei*, secundum nobilissimam ejus naturam: sed simul verum est de *homine Jesu Christo*; qui licet *natus fuerit sub hac Lege*, semper sibi propositam habuit *gloriam & gaudium* sibi à Patre paratum; quique idem à Spiritu se inhabitante sic fuit affectus, ut hanc conditionem sibi intimatam lubentissime absque tergiversatione ulla susceperit [h]. ut adeo verba superiora, *Jehova* DIXIT *mihi*, *Tu es servus meus:* vere contineant formulam *conventionis liberæ*, qua Pater Filio *servitutem* obtulit vel intimavit sub spe ampliſſimi *præmii*, quo post *glorificatum Nomen Patris sui* ipse *glorificaretur*.

hic potius vertenda sit per *jus*, quam per *judicium*.

Messias respicitur ut *Servus Voluntarius*. Debebatur illi *merces*.

γ. ENARRATIO totius *Conventionis Pacis*, quæ Basis erat *Spei & Fiduciæ* Messiæ.

Membrum tertium Concionis Messiæ: *Enarratio* totius *Conventionis Pacis*, ℣. 5. 6.

℣. 5. NUNC VERO *dixit Jehova, qui me formavit ab utero, ut sibi essem in servum, ut reducerem Jacobum ad se, &* ISRAELEM, QUI AD IPSUM CONGREGANDUS ERAT: (*Ego verò* PRETIOSUS ERAM IN OCULIS JEHOVÆ; *& Deus meus* GLORIATIO MEA.) ℣. 6. *Dixit, inquam*; VILE NIMIS EST, *ut mihi sis in servum ad erigendum* TRIBUS JACOBI, *& reducendos* SERVATOS ISRAELIS; *itaque dedi te* IN LUCEM GENTIUM, *ut sis salus mea usque ad fines terræ.*] En Ἔκθεσιν *Expositionem* τῆς Προθέσεως, qua Messias declarat conventionem totam cum Patre initam; *Consilium*, inquam, *Pacis*; quod est *Consilium* de *Homine* peccatore Deo conciliando interventu Meσίτυ, Filii Dei. Cohæret oratio cum tota *pericopa superiore*, & singulis illius partibus. Cum enim se in *initio* hujus *Concionis* (℣. 1. 2.) convertisset ad Gentes, easque excitasset ad audientiam sui ut eximii Doctoris: docet eas his verbis, id à se fieri ex mandato Patris, quippe qui sibi pacto spespondisset Gentium ad obsequium fidei perducendarum earumque servandarum gloriam, postquam ipse ut Servus, Patri ut Domino suo obedientiam suam probasset: quæ *gloria* hic proponitur ut maxima. Rursus cum Messias in *sequentibus* (℣. 3.) docuisset, Deum se ut *Servum singularis notæ* ad magna & glorioſa efficienda consilio suo ordinasse, atque inde narrasset exiguum fructum Ministerii sui inter *Judæos*; simul tamen significasset, se persuasum esse de luculento præmio pretioque operæ, sibi à Patre decreto: captat inde occasionem totius enarrandi *Consilii Pacis*; tum ut demonstraret fundamentum spei fiduciæque suæ de luculenta laboris sui mercede; tum ut oblique doceret, *Incredulitatem & reprobationem majoris partis Gentis Judææ* spectandam esse ut *caussam occasionalem* Vocationis Gentium. Complectitur itaque hæc pericopa Declarationem *geminæ* conditionis *honorificæ*, quæ Messiæ tanquam illustri personæ à Patre decreta delataque sit, cum respectu ad *duplex Objectum*, cui convertendo & servando ex voluntate Patris operam suam impenderet; *Electis* videlicet tam ex *Populo Judæo*, quam ex *Mundo Gentium*, ab ipso perducendis ad communionem *benedictionis Abrahami:* quæ *conditiones* ita proponuntur & describuntur, ut simul complectantur *Officium*, & *Honorem*, tanquam Officii consequens & præmium. Prior pars, quæ *Judæos* spectat, continetur ℣. 5. Altera quæ *Gentes*, ℣. 6. Inter utramque media interjacet παρένθεσις in *fine* ℣. 5. qua Ratio redditur, *a.* Quare tam ampla & honorifica conditio ipsi oblata sit, quia videlicet *glorioſus erat in oculis*

Summa hujus Periocopæ, ejusque nexus cum oratione superiore, ejusque singulis membris.

Collectio ex superioribus facta de argumento & scopo hujus pericopæ.

Analysis ejus.

---

[a] Luc. XXIV. 21. [b] Act. IX. 31. Gal. I. 22. [c] Luc. XIX. 41. [d] 2 Cor. II. 16. [e] Deut. XXI. 17. [f] Exod. XXI. 9. Lev. XIX. 13. [g] Cap. LIII. 11. [h] Ps. XL. 9.

Significatio vocis אכן h. l.

Et משפט.

Notio פעולה.

Sensus dicti.

Dissona interpretatio vocis משפט in h. l.

Rationes, quare vox

oculis Domini. β. Quomodo tantæ provinciæ administrandæ sufficeret? quia sc. *Deus ipsius robur suum erat.* quæ παρένθεσις, ut res ipsa postulat, proprie facit ad illustrandum *posterius membrum*, ut in loco videbimus.

Prior pars; enarrat provinciam sibi mandatam erga Judæos; non *directe*, sed *oblique*.

Prior Pars, enarrans provinciam Messiæ mandatam respectu *Judæorum*, eandem non *directe*, sed *oblique* & ὑποθετικῶς declarat. Supponitur enim Messias eam jam in proxime antecedente oratione commemorasse; *se* nimirum ut *Servum* à Patre *destinatum fuisse Judæa Genti convertendæ.* Hic itaque id repetit, sed repetendo illustrat & clarius exponit; & *expositionem* hanc suam involvit descriptione *Jehovæ* qui sibi præter *Officium* convertendorum Judæorum quoque destinâverat *Officium glorioſum* convertendarum Gentium; in hunc modum: *Nunc vero dixit* JEHOVA *qui me formavit ab utero sibi in servum, ut reducerem Jacobum ad se, & seqq.* in quibus verba, *Ut reducerem Jacobum ad se*, cohærent cum immediate præcedentibus, *Jehova qui me formavit ab utero sibi in servum, ut reducerem, & seqq.* quando illud ויאמר *Et dixit*, (℣. 6.) vertendum est; *Dixit, inquam.* Ille *Jehova*, qui *me formaverat ab utero in servum sibi, ut reducerem Jacobum ad se*; *Ille*, inquam, *Jehova mihi dixit, & seqq.* Id mihi hic videtur esse simplicissimum, & facillimum fundit sensum. Et sunt tamen Eruditi Viri, qui hæc nostra aliter accipiunt; & verba, *Ut reducerem Jacobum ad se, & seqq.* connectunt cum verbis, *Nunc vero* DIXIT MIHI .... UT *reducerem Jacobum ad se, &c.* quando initium *sequentis commatis*, ET *dixit mihi, & seqq.* exponunt, *Et vero* AMPLIUS *adhuc mihi dixit.* sive, PRÆTEREA *mihi dixit.* Sed, α. non facile mihi persuadeo, Personam illustrem quæ hic loquitur, idem hic rursus *directe* dicere velle quod jam satis videri poterat dixisse, ℣. 3. 4. *Et dixit mihi*, TU *es servus meus:* TU *es Israël, in quo me glorioſum exhibebo: at* EGO *dixi, in vanum laboravi*, sc. inter Judæos ad quos primo missus sum. β. Qui diligenter attenderit ad contextum orationis, viderit, totam vim sententiæ incidere in extremam ejus partem de *Vocatione Gentium*, tanquam adjuncta *Vocationi Judæorum.* Est enim in eo Dominus Jesus ut rationem reddat, quare *se convertat ad Gentes.* Docet itaque Gentes, id partem facere *muneris* sibi à Patre *mandati.* esse enim ob incredulitatem majoris partis Populi Judæi honorificum hoc munus *priori* à Patre *adjunctum*, quoniam cæteroquin non accepisset amplissimam illam ἀνταπόδοσιν, quam Jehova ipsi condixerat: quæ tamen tanta merces laboris ipsi debebatur, quod *Persona* esset *illustris* & *glorioſa in oculis Jehovæ.* Nemo enim mirari poterat, Doctorem & Prophetam *Israëlitam* & *Judæum* à Deo vocatum formatumque esse ad Judæos convertendos, eorumque operandum saluti: Sed id novum & admiratione dignum; hunc illustrem Doctorem, Judæis destinatum, se convertere ad Gentes; illis se ostentare ut Doctorem & Servatorem. Ergo id docet, Se non agere præter voluntatem & consilium Dei. Deum enim, qui sibi condixerat amplissimum operæ pretium, hoc Officium, & hunc Honorem perinde ac priorem conditionem, sibi tanquam illius adjunctionem & complementum destinasse. Quæ ad luculentæ hujus pericopæ intellectum præfatus, in cæteris ita versabor, ut citra necessitatem urgentem transeam discrepantes à meo sensu aliorum interpretationes, ne ex claris & certis dubia & incerta faciam, quod sæpe disputando accidit. Persequar autem singula, ne quid commentanti temere excidat.

Διάθεσις verborum, ut *reducerem Jacobum ad se.*

Cohærent cum primis, *Qui me sibi formavit in servum.*

Inter quorundam diversa meditatio, de nexu partium hujus Orationis.

Cui rationes aliquæ opponuntur.

Messias hic explicat rationem, quare se converterit ad *Gentes.*

Vocatio Gentium ex certo Dei consilio ob gravissimam facta est rationem.

Verba Prophetæ relegantur, ℣. 5. *Et* NUNC *dixit Jehova.* Usus vocis NUNC in h. l.

Et NUNC *dixit Jehova.*] Illud ועתה ET NUNC accipi potest, stylo sacro, vel χρονικῶς cum respectu ad *tempus*, ut dicat Messias, NUNC vero. i. e. HOC TEMPORE *mihi dixit*, de quo nihil dixerat ante; sed *hoc tempore* postquam incredulitas & impœnitentia majoris partis Judææ Gentis clarissime patefacta est, & liquido satis constiterit, me exile operæ laborisque mei pretium inter Judæos consequuturum esse; *hoc*, inquam, *tempore* mihi dixit Jehova, se me non Judæorum tantum, sed & Gentium dedisse Servatorem ac Doctorem: vel λογιζικῶς, ut notet *consequens* aliquod cujus ratio in *superioribus* latet, perinde ac Græcis & Latinis usurpantur formulæ νῦν δὲ, NUNC VERO. ut עתה apud Mosen in verbis Labanis ad Jacobum [a]: עתה הסכלת עשו NUNC VERO *stulte egisti.* & deinceps illud ועתה, eodem sensu [b]: ועתה נכרתה ברית ET NUNC *feriamus fœdus.* Sic apud Vatem nostrum [c]: ET NUNC (ועתה) *notum vobis faciam, quid mihi agere propositum sit cum vinea mea.* quo sensu si hic accipias, proxime cohærebit cum iis verbis quæ immediate præcesserunt, quibus declaraverat spem fiduciamque suam de luculento præmio sui laboris, apud Deum repositio, UTIQUE *merces mea est apud Jehovam, &c.* Ne enim ait amplius celem quicquam ejus quod pertinet ad conditiones conventionis inter Patrem ut *Dominum* & me ut *Servum* ejus voluntarium factæ: sciri velim, Patrem me non tantum destinasse Mediatorem & Servatorem *Residui Seminis Electi inter Judæos*, sed etiam & vel maxime *Gentium.* Neutra interpretatio absurda est, & à re aliena. Solummodo si priorem adoptes, oportet verba ET NUNC referre ad *certum* aliquod *tempus* quo Pater id dixerit; quod *tempus* recte statuitur Christi Jesu ex mortuis resuscitati. ab eo enim tempore, etiam ante Dominum in cœlos assumptum, clarissime vulgatum est consilium de *vocandis Gentibus*, ante hoc tempus obscurum, secundum dictum Domini ad discipulos suos [d]: *Ite itaque, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη· docete* OMNES GENTES. quando verba, JEHOVA DIXIT, accipienda sunt non de *primo Dei dicto* & *Statuto*, sed de *ultimata declaratione* Divinæ Voluntatis vocandarum Gentium, cum ipso effecto conjungenda; quæ ut Christo Jesu omnium Patris sui consiliorum gnaro innotuit: sic facta est post Christum Dominum ex mortuis resuscitatum; Petro [e], & Paulo [f], & sanctis Viris qui erant Antiochiæ [g]. Sed ubi respicio frequentiorem usum phrasios, qua sumitur λογιζικῶς, & nexus cum dicto ἀμέσως antecedenti venustatem: hunc præfero sensum. *Dixit* autem *Pater*, quotiens Christo Jesu Ministerium sibi mandatum inter Judæos obeunti inter multas tentationes & frequentes insidias adversariorum suorum cum exiguo vero ac durabili fructu, hoc STATUTUM (חק) Pacti æterni cum vero & proprio Filio suo iniit, prophetiis omnibus ac promissis antiqui temporis confirmatum, ad consolationem ejus subjecit per *Spiritum* in ipso *habitantem*, eumque hoc *solatio* erexit; fere ut commentati sumus ad ℣. 3. Indigebat enim Messias κατὰ σάρκα hoc fulcimine, ut cursum obedientiæ suæ in hisce terris cum lubentia & alacritate absolveret. [h]

Sumi potest vel χρονικῶς.

Vel λογιζικῶς.

De utraque interpretatione judicium.

Rectius hic sumitur λογιζικῶς.

Sensus declaratur.

Jehova qui me FORMAVIT AB UTERO. sc. matris.] Simplex sensus, qui *me formavit* ab eo tempore *quo conceptus fui utero matris meæ.* Habuimus phrasin, & de sensu ejus disputavi ad Cap. XLIV. 2. 24. Utique cum Christus Jesus homo *pulcherrimus esset filiorum hominum* [i], h. e. omnium hominum perfectissimus, quod ad excellentiam *facultatum, dotium*, ac *virtutum*, quarum humana natura capax est, ut dignissimum præberet Tabernaculum τῷ ΛΟΓΩ, eam inhabitaturo: *Spiritus S.* qui *supervenit Mariæ*, sanctissimæ matri ejus, curæ habuit *formando* huic *fœtui* præsidere, eumque ita parare, formare, instruere, ut inservire posset consilio ac providentiæ Divinæ in magno illo, quod meditabatur, opere. Sic itaque τὸ Ἅγιον SANCTUM ILLUD, à Filio Dei occupatum, possessum, & ei ὑποστατικῶς unitum, prodiit ex utero suæ Matris [k]. Sed cum vox מבטן *ab utero* notare quoque possit *ante uterum*, ut demonstravi ad ℣. 1. & notio יצר *formare*, Prophetæ nostro non semel referatur ad *Decretum* & Consilium Dei, quo Deus *formam* dat rebus in tem-

Jehova qui me formavit ab utero. Verba declarantur. Christi Jesu excellentia & perfectio καθ' ὑπόστασιν.

Vox מבטן *ab utero*; *ante uterum.*

a Gen. XXXI. 28. b ℣. 44. c Cap. V. 5. d Matth. XXVIII. 19. e Act. X. 10. seqq. f Cap. XXVI. 17. 18. g Act. XIII. 1. cum ℣. 46. h Confer Luc. IX. 31. XXII. 43. i Ps. XLV. 3. k Luc. I. 35.

pore producendis, ut noviſſime vidimus ad Cap. XLVI. 11. nihil vetat, verba etiam hoc modo accipere, Qui *me præformavit in Decreto* antequam eſſem *in utero matris meæ:* quando eundem ſenſum reddent quem verba, *Vocavit me*, h. e. elegit me, *ante uterum* meæ matris, quæ ſunt ℣. 1. & memini hanc expoſitionem mihi olim meliorem viſam eſſe.

In Servum: ut reducerem Jacobum ad ſe, &c. Nexus & ordo ſententiæ.

In Servum ſibi, UT *reducerem* JACOBUM *ad ipſum*, *&* ISRAELEM, *qui* IPSI CONGREGANDUS *erat.*] Verba faciunt ad clarius explicandum quod συντόμως dixerat ℣. 3. *Et dixit mihi, Servus meus tu es.* Quæri enim poterat, cui rei Patri ut Domino inſerviret: quod ibi explicitum non erat. Quod tamen cum ſcitu eſſet neceſſarium; hic expreſſius declarat: *formatum ſe eſſe in* SERVUM, Patri ſubjiciendum ut exemplum perfectiſſimæ obedientiæ, (ut ibidem monui:) ad *Jacobum ad ipſum reducendum*, & *Iſraëlem ipſi colligendum.* h. e. ad *electos*, qui inter Judæos ſupererant, veros Abrahami & Iſraëlis filios, ſaluti æternæ per ipſum obtinendæ deſtinatos, ad *Deum perducendos*, & qui nunc *diſperſi erant*, ſeparandos à reprobis ac colligendos in ſuum *Ovile*, quo participes eſſent *Benedictionis Abrahami*, Populo Judæo promiſſæ, & in *electos* ex Populo conferendæ in omni amplitudine gratiæ. Sic Propheta ipſe ſe interpretatur in *commate ſequenti*; ubi eos ipſos qui hic dicuntur *Jacob* & *Iſraël*, *qui ipſi congregandus erat*, vocat *tribus Jacobi* & CUSTODITOS ISRAELIS. Et Petrus Apoſtolus, ſcribens ad Judæos *Electos*, *diſperſos* inter Gentes, ut putem, hunc ipſum locum reſpiciens [a]: *Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus eſt*, *juſtus pro injuſtis*, ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ· UT NOS (Electos, diſperſos,) AD DEUM ADDUCERET, ſive, ad Deum recolligeret. Favet autem ſimul hic Petri locus illorum ſententiæ, qui verba Prophetæ, וישראל לא יאסף *Et Iſraël* NON *congregatur*; (quæ Lectio eſt *textualis:*) cum Maſorethis legunt, *Et Iſraëlem* לו יאסף AD IPSUM *aggregandum.* Sunt plura loca hujus generis, in quibus obſervare eſt differentiam lectionis לא & לו; in *Obſervatorum Libris* à me recenſita & excuſſa [b]: quibus hunc adjeci, & de eo quoque ſententiam dixi. Oi ὁ. eoſque ſequuta Vulgata Latina locum *affirmative* legerunt, licet verſio hic ut paſſim in hoc Libro alia parte corrupta ſit: pariter Chaldæus & Aquila. Sed Sym. & Theod. eoſque ſequutus Hieronymus, *negative*; eſtque pro hac cauſſa vehemens Hieronymus, acſi Judæi cum viderent hic extare teſtimonium ſuæ incredulitatis; lectionem loci perfide voluiſſent pervertere; לא NON in לו IPSI convertendo. Sed vere non putem id Maſorethas moviſſe; verum eos obſervata lectionis *diſcrepantia* in Codicibus, (quæ diſcrepantia, quod ἐν παρόδῳ dico, inde in locis hujus generis orta eſt, quod Librarii ſæpe deſcriberent Codices Sacros ad aliorum dictamen, quando differentia in vocula ejuſdem ſoni obſervari nequit:) judicaſſe, lectionem לו contextui orationis magis convenire. Cum enim Propheta hic exerte dicat, Meſſiam *electum eſſe in Servum ad reducendum Jacobum*; & *commate ſequenti* repetat, illum *tribus Jacobi* & *cuſtoditos Iſraëlis reducturum:* non videtur probabile eſſe, illum eodem loco contrarium dicere velle, *Iſraëlem* NON *eſſe congregandum.* Sane Meſſias exſpectabatur ut magnus *Paſtor*, qui *filios Dei diſperſos in unum congregaret*, ſecundum Vaticinium Ezechielis [c]. Eſtque hæc ratio, quare Docti Viri, qui *lectionem textualem* non libenter deſerunt, verſionem tamen ſuam ſic temperarint, ut ſenſum ejus retinuerint. veluti de Dieu: *Et* reduceret *Iſraëlem qui* NON *congregatur.* h. e. ut reduceret *Iſraëlem* qui à Paſtoribus ſuis neglectus *non congregatur.* Coccejus: *Et Iſraël non recipietur?* an Iſraël non congregabitur? Sic præiverat Kimchius. Sed poſterius hic non arridet. Interpretatio Cl. de Dieu hic magnam præfert ſpeciem: ſed Maſorethica omnium videtur ſimpliciſſima, ut vere eſt emphatica. Dixerat Meſſias, ſe formatum eſſe à Patre in *ſervum* ad *reducendum Jacobum:* ſed ne quis inde præjudicaret, omnes Jacobi poſteros per Meſſiam reducendos eſſe ad Divinam communionem, mox ſubjungit, *Et Iſraëlem*, qui *ad ipſum congregabitur*, ſive *congregandus erat*; אשר לו יאסף pro לו יאסף: definiens hac phraſi Divinum decretum, & circumſcribens *electos ex Judæis* qui *commate ſequenti* appellantur *cuſtoditi Iſraëlis.* phraſes enim hæ æquivalent. Imo certe Deus habuit tam in Canaanæa quam inter Judæos diſperſos inter Gentes extra Canaanæam non exiguum *ſemen* ſecundum *electionem gratiæ*; cui ſemini primo loco deſtinata erat ἡ ἀπολύτρωσις & *benedictio* Abrahamo promiſſa. Hi Electi à Deo, à Paſtoribus ſuis neglecti & inter reprobos diſperſi, *colligendi* erant, ut collecti ſunt, à Chriſto Domino, virtute tum OBEDIENTIÆ ejus; tum DOCTRINÆ, ſive *Verbi ejus*, à Spiritu ejus animati; quod eſt Verbum Evangelii, continens VOCEM CHRISTI quam omnes oves ejus audiunt. De eo Hoſeas [d]: *Poſt* JEHOVAM *ibunt*, *qui ut Leo rugiet: quando ille rugiet*, TREPIDE ACCEDENT FILII *à mari*, *& ſeqq.* Intellige ſonoram vocem præconii Evangelii pervaſuram totum Orbem. Sic Petrus ad Judæos electos, ad Dominum converſos [e]: *Nam eratis velut* OVES ERRANTES; *ſed nunc* CONVERTISTIS VOS *ad Paſtorem & curatorem animarum veſtrarum.* Hic primus fuit ſcopus adventus Chriſti Jeſu in Mundum & ſuſceptæ in ſe ſervitutis.

Senſus ſecundum lectionem Maſorethicam.

Semen electum inter Judæos *in* & *extra* Canaanæam.

Quomodo hæc facta ſit *collectio*?

Locus Hoſ. XI. 10.

Quid hic intelligatur per *Reductionem Jacobi*?

Ego vero honoratus eram in oculis Jehovæ, & Deus meus eſt laus mea, ſive, *robur meum.*] Inferuntur hæc verba ſententiæ παρενθετικῶς, tanquam connectentia orationem antecedentem cum ſequente; ſive, explicatur ratio ejus quod ſequitur. Docent enim, quare, cum provincia hæc ſatis videretur honorifica; *Electos Judæorum*, qui per ſe Populum facerent ſpectabilem, *ad Deum reducere* & *collectos* Verbo Evangelii ei unire: quare, inquam, hic *honor* non videretur ſufficere *Servo Jehovæ.* Docet itaque nos, fundamentum præſtructurus ſequentibus: *ſe fuiſſe honoratum in oculis Jehovæ*, *& Deum ſuum eſſe robur* vel *laudem ſuam.* Id vero recte percepiſſe, eſt ſententiam hujus loci aſſequi, ut mea fert opinio. quare Interpretes, qui id inobſervatum tranſmiſerunt, ſibi hic multum faceſſiverunt negotii. Primum membrum ואכבר בעיני יהוה recte verto, *Et honoratus*, (pretioſus, glorioſus,) *ſum in oculis Jehovæ.* quo ſignificatu vocem נכבר offendimus, Cap. XXVI. 15. Senſus eſt; cum tantæ perſonæ meæ dignitas atque excellentia & officii mihi impoſiti gravitas, Patri meo obverſarentur, ut me cenſeret ampliſſimo præmio honeſtandum eſſe, & obſequium ipſi præſtandum maximam remunerationem mereri; cumque me ut Filium perfecto amore complecteretur; & Pater in me ſumme *glorificari* vellet: (quæ hic ſingula concurrunt:) decrevit mihi hanc gloriam, ut non Judæorum, ſed & Gentium ſervator eſſem; ut protinus ſequitur. Idem eſt apud Joannem [f]: *Pater diligit* FILIUM, *& omnia ei in manum dedit.* Alio loco [g]: *Pater* QUÆRIT GLORIAM FILII. Idem enim Chriſtus Jeſus homo reſpectu excellentioris Naturæ ſuæ eſſet *Filius Dei viventis:* cui proinde ut Filio, σχῆμα *Servi aſſumpturo*, & hoc σχήματι Patri exhibituro profundiſſimum obſequium, tantus honor debebatur, quantus concipi poterat maximus & glorioſiſſimus. Alterum membrum: ואלהי היה עזי fere in eandem exit ſententiam. Vertitur vulgo: *Et Deus meus erat robur meum.* quam verſionem non ſperno. Dat autem hunc ſenſum; Cum ipſe, ex pacto Deus meus, *Divinum* mihi præſtaret *robur*, per quod majori provinciæ adminiſtrandæ, quam eſt *converſio Electorum Judæorum*, cenſeri poſſem ſufficere. Divina enim δύναμις ex voluntate Patris ei in toto opere Mediationis debebat ſubſervire. DEUS ERAT CUM IPSO, ut Petrus [h]. Eccleſia ad ipſum in votiva προ-

Ego vero honoratus eram, &c. Verba παρενθετικῶς legenda.

Quid hic ſubaudiendum ſub *Iſraële*, qui *ipſi congregandus erat*? Differentia lectionis לא & לו in h. l.

Veterum Intt. lectiones hujus loci.

Unde illa?

Maſoretharum judicium laudatur.

Verba: *Et ego honoratus eram in oculis Jehovæ.*

Momentum intellectus horum verborum.

Senſus illorum.

Congregatio Iſraëlitarum electorum à Meſſia exſpectabatur.

Loca Joh. III. 35. VIII. 50.

Sequentia: *Et Deus meus robur meum.*

Verſio L. de Dieu.

Senſus communis verſionis.

[a] 1 Pet. III. 18. [b] *Obſerv. Sacr.* Lib. III. Cap. XVIII. §. VIII. [c] Ezech. XXXIV. 23. 24. coll. cum Joh. XI. 52. [d] Hoſ. XI. 10. [e] 1 Pet. II. 25. [f] Joh. III. 35. [g] Joh. VIII. 50. [h] Act. X. 38.

σφωνήσει *a*: *Sceptrum* עז ROBORIS TUI (sc. Divini; quod comitaretur præconium Evangelii:) *mittet Jehova ex Tsione.* Sed vox עז Hebræis non tantum notat *robur*, verum etiam LAUDEM, αἶνον, ut vidimus Cap. XII. 2. & ita ipse quoque Matthæus, τὰς ὁ. sequutus, eam vertit, Matth. XXI. 16. recensens locum Ps. VIII. 3. quando hic emergeret sensus: Cum *Deus meus* me facere vellet subjectum & materiam amplissimæ laudationis sui Nominis, & in me ac per me excellentissimo modo glorificari ac celebrari vellet; & Ego sic essem affectus, ut obsequium meum omne ejusque fructum ad ipsius *laudem* ac *gloriam* dirigere paratus essem. Uterque sensus bonus, & cum *sequentibus* perfecte cohæret.

Notatio diversa vocis עז, sumptæ pro *laude.*

Sensus secundum eam versionem.

Inde itaque id consequens, quod hanc *Præfationem*, sive παρένθεσιν ei adjectam, presse excipit, ỳs. 6. *Et dixit*, h. e. *dixit*, INQUAM, (quam usurpationem præfixæ ו Grammatici dudum illustrarunt *b*:) *Leve est ut mihi sis in servum ad erigendas tribus Jacobi, & custoditos Israëlis reducendos; atque adeo dedi te, & seqq.* Sensus est, ut jacet interpretatio, minime obscurus; Cum Messias valde *honoratus esset in oculis Domini*, & Pater illum dignum judicaret *præmio amplissimo*; tum ob personæ ejus excellentiam, tum ob operæ atque obsequii pretium ac meritum: vilius ipsi visum esse ut illi tantum tribueret *gloriam* salvandorum Electorum Judæorum. majus enim & gloriosius ei conveniisse obsequii præmium. atque adeo *dedisse ipsum in lucem & salutem Gentium*, & quoque *remotissimarum.* In qua interpretatione, phrasin; נקל מהיותך quæ Hebræis vere sonat, *Vilius est* QUAM *ut sis*; eodem accipimus modo acsi Vates scripsisset, נקל היותך *Vile est, esse te mihi in servum:* eadem plane ratione, qua vox נקל cum *præfixa* מ construitur Ezech. VIII. 17. הנקל לבית יהודה מעשות את התועבות *Estne* LEVE *Domui Judæ facere abominanda, quæ fecerunt hic?* Sic enim locus vertendus est. Proprie. *An vilius* ipsis *visum* est *quam ut facerent hæc abominanda; cum præter hæc terram impleverint tyrannide?* Jarchius hoc loco pulchre & ex sensu Prophetæ; cujus verba hic non piget appingere: נקל מהיותך ונו' מתנה קטנה היא בעיני שתהיה לך לברה שתהיה לי עבר להקים את נצורי ישראל והנני מוסיף לך עוד וגתתיך לאור גוים וכו' VILE EST UT SIS, &c.] *Donum nimis exile est in oculis meis; ut eo tantum constet, ut mihi sis in servum ad erigendas tribus Jacobi, & reducendos ad me custoditos Israëlis: Ecce enim addo tibi amplius præmium, ut sis mihi in lucem Gentium, & seqq.* Et tamen Kimchius ab hac sententia discessit, & verba *interrogative* accipere maluit, ut נקל sit pro הנקל *Estne vile, & num videtur tibi res parva ut sis mihi in servum*, propterea quod inter *homines hujus ætatis*, (putat enim, esse Jesaiam de quo hic agitur,) *tibi non constiterit operæ laborisque tui pretium; poterat enim tibi sufficere, quod in munere tibi commisso fideliter versatus sis; quodque prophetaveris de futura erectione tribuum, & bono quo in fine temporum gavisuri sunt.* Jun. Trem. Pisc. ipsi quoque sententiam *interrogative* accipi voluerunt, hoc sensu: An *levior*, sive *vilior videris, quam ut sis mihi in servum?* h. e. an *levior* sive *vilior videris* JUDÆIS, qui Evangelium tuum rejecerunt, *quam* ut mihi sis in Servum ad erigendas tribus Jacobi: tantum abest ut mihi levior vel vilior videaris, ut te *dederim in lucem Gentium, & seqq.* Verum Kimchii interpretatio discedit à simplicitate. *Erectio* enim *tribuum Israëlis & reductio custoditorum Israëlis* hic exhibetur ut *præsens effectus* Ministerii illius Personæ quæ hic dicitur *Servus Jehovæ.* Sed Tremellii & Piscatoris expositio nihil vitii habet, nisi quod ipsa quoque videatur supponere, acsi Messias effecta illa, *erigere tribus Jacobi & reducere custoditos Israëlis*, consequutus non esset: (quod Docti illi Viri vere hic in sua interpretatione supponunt:) cum tamen res secus se habent, ut ex ἀναλογίᾳ prophetiarum, ex Eventu, nec non ex *hoc commate* cum *superiori* collato, liquet. Ergo persisto in ea quam exhibui versione; quam ipse quoque comprobavit Hieronymus. Repeto itaque filum interpretationis. Dictum Patris ad Filium, Servum; LEVE EST, hoc est, *res nimis parva, donatio nimis exilis*, tenue nimis operæ pretium, (sic sumitur vox נקל, participium *Niphal*, forma נִקַּל, *e vile* quid, exiguum. confer loca 1 Sam. XVIII. 23. 2 Reg. III. 18.) *ut mihi sis in servum ad erigendum tribus Jacobi*, h. e. ad ELECTOS *ex tribubus Jacobi*, in quibus illæ tribus conservandæ sunt, à reprobis separandos; ad me convertendos; ex statu miseriæ, luctus, tristitiæ, quo sunt, erigendos, consolandos, fulciendos, & mihi vindicandos in Populum: (quo sensu vox הקים *erigere*, mox recurret ỳs. 8. confer insignem locum Amosi, Cap. IX. 11.) Notant autem *tribus Israëlis* electos *ex duodecim tribubus*, in quibus illæ tribus conservandæ erant, ut modo monebam; ut apud Mosen *d*: *Et separabit Jehova eum*, (profanos, impios, contemtores fœderis & gratiæ Divinæ:) *in malum* AB OMNIBUS TRIBUBUS ISRAELIS. Sunt αἱ δώδεκα Φυλαὶ DUODECIM TRIBUS, quarum *regimen & judicium* Apostolis sub Christo & cum Christo committeretur *e*: quæ Deum *die & nocte ἐκτενῶς colunt* ut pertingant ad *promissionem*, Patribus factam *f*: ad quas *Epistolam* suam scripsit Jacobus *g*: quæque in *superiore commate* dicuntur *Israël Deo aggregandus*, sc. ex *duodecim tribubus*; & in membro huic adjuncto protinus appellantur נצורי ישראל *custoditi Israëlis*, in verbis, ונצורי ישראל להשיב *Et ad reducendum servatos Israëlis.* Proprie, *Et servatos Israëlis ad reducendum.* structura orationis insolentiore. Debebat enim esse, ולהשיב נצורי ישראל. Sed non est dubium quin in hac etiam loquutione Vati cura fuerit elegantiæ, quam Masorethæ nobis demonstrarunt, figendo accentum *Tiphcha* distinctivum in voce ישראל, ut sententia legeretur, *Et custoditos Israëlis, ad* REDUCENDUM. Potes subaudire, אותם *illos.* Nec putem tamen, Jesaiam id voluisse. Valet, εἰς τὸ ἐπιστρέψαι, vel ἀποκαθιστάναι. hoc est, ad procurandam ἐπιστροφὴν vel ἀποκατάστασιν. Utrumque enim hic significare potest vox להשיב *h*. Populus Judæus, & cum Populo Electi, inciderant in crassos de Religione errores, & præjudicia saluti nocitura. *Animus* illorum & sensus de Religione longe alienatus erat ab animo & sensu Patrum. Erant itaque ipsi quoque Electi majorem partem in tenebris, & deflexerant de via; paucis in Gente exceptis. Exciderant statu & gradu verorum filiorum Abrahami & Jacobi. His *convertendis à tenebris ad lucem*; in viam revocandis; avellendis ab errore; *reducendis cordibus filiorum ad corda Patrum*; vindicandis in libertatem; restituendis *in statum & gradum* filiorum Jacobi, imo vero in statum & gradum *Filiorum Dei*; ac denique reficiendis, consolandis, ornandis, & quod ad statum spiritualem *consummandis*; destinatus erat Filius Dei: hujus rei causa subiret *servitutem*; sibi à Patre impositam, eratque hæc prima pars Operæ, ipsi mandato Patris commissæ. quem effectum habuisse *missionem Filii Dei in Mundum*, historia N. T. abunde docet *i*, & ad *superius comma* jam monuimus. Est autem hic singularis emphasis notio נצורי *custoditorum, servatorum, retentorum*, qua Jesaias rursus designat *semen electum*, à Christo Jesu ex Gente Judæa redimendum ac salvandum. Hieronymus vertit *fæces Israel*; quæ versio, si rem ipsam & vocis quoque usum spectes, docta est. Notantur enim iidem qui aliàs dicuntur, שאר, שריד, שאירית, נשאר, & שאירית ישראל *Residuum, reliquiæ Israelis, κατάλειμμα τοῦ Ἰσραήλ*, de quibus ex multitudine reproborum servandis Prophetæ nos monuerunt *k*. Adeo diligenter illi inculcarunt, *salutem* Populo Judæo promissam, non esse decretam omni-

Consequens oratio ỳs. 6. *Et dixit*, sive *dixit inquam, &c.*

Summa sententiæ.

Hebræa, נקל מהיותך illustrantur.

Jarchii apta paraphrasis.

Sententia Kimchii.

Sumit vocem נקל *interrogative.*

Aliorum consensus.

Sensus secundum ipsos.

De utroque specimine judicium.

Verba Prophetæ explicantur.

Tribus Israëlis hic notant *Electos* ex illis *tribubus.*

Phrasis illustratur.

Masoretharum distinctio.

Animadversa ad intellectum verborum.

Vis vocis להשיב *Reducere*

Reductio Electorum esset *Fructus Ministerii* Christi Jesu.

Vis vocis נצורים *Servati, custoditi.*

Prophetæ restrinxerunt implementum promissorum ad *Electos* ex Populo Judæo.

a Ps. CX. 2. *b* Vide Glass. *Gram. S.* Lib. IV. Tract. I. *Observ.* II. p. 691. *c* 1 Sam. XV. 9. *d* Deut. XXIX. 20. *e* Matth. XIX. 28. *f* Act. XXVI. 7. *g* Cap. I. 1. *h* Confer Cap. XL. 13. Ezech. XVIII. 30. 32. Mal. II. 6. *i* Act. II. 37. III. 19. XXVI. 18. 1 Pet. II. 25. *k* Confer Jes. IV. 3. X. 21. Mich. V. 6. 7. Zephan. III. 13. Joël. II. 32.

omnibus & singulis ex illo Populo; sed *electis*. Int. Alex. vertit, διασπορὰν τῦ Ἰσραὴλ, perinde ac Chaldæus, גלות ישראל *Exules* (cœtus Deportatorum) *Israëlis*. Alluserunt ad eam significationem vocis נצר, qua notat *retinere*. Sunt itaque secundum ipsos *retenti*, sua libertate privati, in Exilio. Aben-Ezra & Kimchius cum videre nolint quod in hoc loco jacet, per נצורי ישראל intelligunt חרבות *Loca desolata*, ex Cap. LXV. 4. *Qui sedent ad sepulchra*, ילינו ובנצורים & IN LOCIS CONCLUSIS (ἐν τοῖς σπηλαίοις,) *pernoctant*. Sed *desolationis* notio neque ex hoc loco colligi potest, neque ex Cap. I. 8. ubi est עיר נצורה *Urbs obsessa*. undique pressa, circumscripta, sibi relicta. Non potest esse dubia significatio vocis נצור ex Cap. XLVIII. 6. ubi vidimus נצורות *servata*, *retenta*, sumi pro rebus huc usque retentis ac reconditis in arcano Dei consilio, quarum nulla hactenus facta erat revelatio. Eandem significationem obtinet in loco Ezechielis [a]; והנשאר והנצור בירעב ימות *Et* SUPERSTES *ac* SERVATUS (in oppidis munitis) *fame morietur*. Sunt itaque τὰ λείμματα τῦ Ἰσραὴλ, *Electi Israëlis*, à Deo *servati* ad salutem ex multitudine pereuntium: σωζόμενοι ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς, phrasi Petrina [b]: quique *servati*, & exempti incendio, ἐν δυνάμει Θεῦ φρυρῦνται διὰ πίστεως εἰς σωτηρίαν ἑτοίμην ἀποκαλυφθῆναι ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ [c]. Quid vero? Estne quid קל *leve* hos *electos* Populi Jacobidarum *servare*, eorumque servandorum ac servatorum splendere gloria? Estne, inquam, ea *gloria* res *vilis* ac *levis*? Ajo, esse rem maximam & glorioſissimam, vel unum peccatorem servare ab exitio: quid dicam, pereuntium *multa millia*? Non est itaque & dicitur quid *vile* & *leve*, nisi *comparate*, videlicet cum respectu tum ad dignitatem eminentissimam *Personæ*, cui hæc gloria decernitur; tum ad meritum Obsequii perfectissimi ac profundissimi quod Patri præstaret, & jam partim præstitisse supponitur; tum ad summum amorem, quo Pater illum complexus est. Sic quod in se magnum erat, σχετικῶς *vile* & *leve* dicitur, ejusque caussa dicitur, quod in sequentibus est.

Judæorum Int. conatus in sensu hujus loci alienando.

De voce נצר accuratius agitur.

Notio illustra ur ex analogis.

ATQUE ADEO *posui te in* LUCEM GENTIUM, *ut sis* SALUS MEA *usque ad finem terræ*.] Verba tam quod ad rem ipsam, quam quod ad phrasin, respondent his quæ habuimus de eodem *Subjecto*, h. e. de vero Messia, Cap. XLII. 6. ad quæ Simeon, à Spiritu S. affectus, puero JESU benedicens, alluſit, apud Lucam [d]; quæque Paulus & Barnabas, se à Judæis Evangelio immorigeris convertentes ad Gentes, ex genuino sensu Prophetæ, ad se, tanquam ad Apostolos Christi Jesu ad Gentes, applicarunt [e]. in iis enim & per eos, eorumque socios & comites, hæc prophetia implementum suum sortiri debebat, sortitaque est. Est autem non facillimi tantum sed & vulgatissimi sensus, post implementum, in ipsis quoque nobis extrema Orbis colentibus, ex infinita Dei gratia demonstratum. Præfixa ו in voce ונתתיך hic est λογιστικὴ, qua *antecedens* producitur ut ratio *consequentis*; quam itaque hic optime verteris per *atque adeo*; *ideo*, *iccirco*; qui usus ejus est frequentissimus, ut v. gr. Ps. XXXVI. 8. *Quam pretiosa est benignitas tua, ô Deus!* ATQUE ADEO *filii hominum* (ובני אדם proprie, Et *filii hominum:*) *se recipient sub umbram alarum tuarum*. Ps. CVI. 39. 40. *Et impuri facti sunt* (Israëlitæ) *operibus suis*, ATQUE ADEO *accensa est ira Jehovæ in Populum suum*. Heb. ויחר אף יהוה Et *accensa est*. Confer ex Vate nostro Cap. XXIX. 9. XXXVIII. 8. Ad verba ipsa nihil hic observari velim præter dicta ad Cap. XLII. 6. nisi, ex hoc loco luculenter patescere, quod experientia docet; *Salutem* à Filio Dei Semini Electo impetratam ad illud non applicari nisi per φωτισμὸν *illuminationem*. Doctrina Evangelii, per gratiam Spiritus S. admota ad intellectum valide illuminandum, ab homine percepta, recepta, & toto corde credita, (quam fidem veram & vivam semper comitatur remissio peccatorum, purificatio mentis, & studium sanctimoniæ,) unicum est medium salutis homini peccatori destinatum. Inde incipit salus. Christus Jesus homini prius fit LUX, quam ejus fit SALUS, & *Salvator*. *Salvator* autem hic dicitur LUX & SALUS, ut doceat Vates, totam hominis illuminationem & salutem ab ipso pendere, & ejus esse opus. Viderint jam ut hic consistant cum hypothesi sua qui hæc ad Jesaiam referunt, cum character *Vocationis* & *obsequii fidei Gentium* sit antiquissimus & verissimus Messiæ. Grotius nihil hic habet quod dicat, nisi; Prophetias Jesaiæ eò quoque directas fuisse ut Gentes *averterent ab idolis* ad cultum veri Dei: quod ut nemo inficiatur, sic falso dicitur, eas hunc præstitisse effectum. Jarchius Jesaiam prophetasse ait de *Casu Babylonis*, qui Populis omnibus magnæ adferret lætitiæ materiam. Quanta cæcitas & stupor! Kimchius, victus vi veri, meliora docet. Verba enim hæc ad solatium Jesaiæ dicta in hunc vult exire sensum; non habere illum rationem desponendi animum, quod apud homines sui temporis exiguum fecerit operæ pretium: prophetias enim ejus effectum sortituras esse in fine temporum, quando Populus Judæus ad Deum sub Regno Messiæ conversus in pristinum locum, statum, & decus restituendus erit, & ipsæ etiam Gentes, finito bello Gogi & Magogi, *medio prophetiarum ejus*, fidem veri Dei suscipient. Verba ejus hic describam: פירוש כי נבואותיך יהיו לאור גוים] לקתיד לאור גוים שיראו שיתקיימו נבואותיך ושובו לדרך טוב ויאירו בך וכו' IN LUCEM GENTIUM.] *Sensus est*, *Prophetiæ tuæ erunt futuro tempore in lucem Gentium*; *quæ cum viderint*, *prophetias tuas implementum sortitas esse*, *convertentur in viam bonam*, *& per te illustrabuntur*. quod pluribus persequitur. Gratias habemus Deo, quod hoc Beneficium Gratiæ nobis Gentibus sub Oeconomia veri Messiæ jam obtigerit, atque adeo necesse non habeamus id in futurum exspectare.

Hoc officium Messiæ hic *vile* dicitur; non *absolute*, sed *comparate*.

Atque adeo posui te in lucem Gentium, *&c.* Observata generalia ad sensum verborum.

Præfixa ו hic sumitur λογιστικῶς.

Usus in analogis demonstratur.

Illuminatio in Statu Gratiæ præcedit *salvationem*.

Quare Messias Servator hic dicatur ipsa *Lux* & *Salus*?

Quomodo se expediant qui hæc verba de *Jesaia* intelligunt?

Præsertim Hebræi. Kimchii sententia.

Verba ejus.

Cæterum antequam ab his verbis, sensu fœcundissimis, summam Doctrinæ Evangelicæ complexis, discedam: monere velim; eadem clarissime, & quidem bis, deformare totum mysterium *Conventionis Pacis*, inter Deum Patrem & Messiam, Filium ejus, in humana Natura appariturum, initæ, perinde ac in locis quæ ex aliis excerpo Ps. XL. 7. seqq. & Zach. VI. 13. quæ doctrina proximo Ecclesiæ tempore copiose illustrata est. Pater ut Dominus Filio ut Messiæ offert *gloriam* longe ampliſſimam meditationis & salvationis Judæorum & Gentium, quæ gloria omnium quæ mente concipi possunt est maxima, sub Lege sive sub conditione profundissimi *Obsequii servilis*; eaque stipulatio utrinque ratihabetur. Et sunt tamen hæc prudenter accipienda & interpretanda: de quo alibi latius dissero: etsi doctrina ipsa in Verbo Dei tam diserte exposita sit, ut Judæos Doctores ipsos non latuerit. [A]

Epilogus ad interpretationem horum verborum.

Conventio inter *Deum* & *Messiam* in iis clare traditur.

Judæi Doctores antiqui ipsi simile quid viderunt.

PARS

[a] Ezech. VI. 12. [b] Act. II. 40. [c] 1 Pet. I. 5. [d] Cap. II. 30. 31. [e] Act. XIII. 47. coll. cum XXVI. 17. 18. Ephes. III. 8. 9.

[A] Est locus notabilis in *Bereschith Rabba* ad *prima verba* Libri *Geneseos*, novissime productus à Doctissimo Viro, Joanne Ernesto Grabio, (*Notis* ad Test. XII *Patriarch. Spicil. Patr.* Part. I. p. 362.) ut evinceret, Veteres Judæos mysterium *passionis Messiæ non ignorasse*: sed quem ille ut opinor, cum aliis excerpsit ex Raymundo Martini, *Pug. Fid.* Part. II. Cap. XI. §. XVI. *Statim incepit Deus* S. B. מתני עם משיח FACISCI CUM MESSIA, *dixitque ei: Messia, mi juste, qui sunt repositi apud te, futura sunt peccata illorum mittere te in jugum gravissimum* (sive בעול, Hebræa sunt: הללו שבנוים אצלך עתידים שנותיהם להכניסך בשלק שרש quæ Cl. Grabius vertit: PECCATIS SUIS TE INDUCENT IN SÆCULUM GRAVE. acsi legisset בעולם קשה. Sed in textu non legitur בעולם, sed בעול; nec *Sæculum*, sed *Jugum* proprie dicitur *grave*: הכנים בעול Hebræis est, *subire jugum*:) *Oculi tui non videbunt lucem*; *aures autem tuæ audient opprobrium magnum populorum Mundi*: *nasus tuus odorabitur fœtorem*: *os tuum gustabit amaritudines*; *& lingua tua adhærebit palato tuo*, *ossa vero cuti*, *& extenuabitur corpus tuum in luctu & gemitu*. ESTNE VOLUNTAS TUA IN IIS? (Placetne conditio?) *Nam si tu suscipis*, *bene quidem*; *sin minus*, *Ecce ego ex nunc ea abjiciam*. *Dixit coram eo* Messias: *Domine Sæculi hac re lætor ac suscipio super me tribulationes istas sub hac conditione*, *ut resuscites mortuos in diebus meis* ... *Dixit ei Deus* S. B. *Sit ita*. *Statim suscepit Messias omnes tribulationes ex dilectione*, *sicut dictum est*, (Jes. LIII. 7.) AFFLICTUS ET HUMILIATUS EST.

Pars Altera hujus Concionis: *Alloquutio Consolatoria* Dei Patris ad Christum Dominum, spectatum ut caput *Corporis* sui *Mystici* primi temporis Gratiæ.

a. Propositio *Consolatoria*, qua Christo Jesu, ut *Capiti Corporis* sui *mystici* in initiis suis afflicto ac contempto, magna *privilegia* promittuntur.

Pars altera. *Apostrophe* Patris ad Messiam, ut caput corporis sui mystici.

a. Propositio consolatoria, ℣. 7.

Argumentum hujus pericopæ.

℣. 7. *Sic dicit Jehova, Redemptor Israëlis, Sanctus ejus, Ei* QUI ANIMÆ EST FASTIDIO; *quem Gens abominatur; Servo Dominantium: Reges videbunt, & surgent; Principes, & se prosternent: propter Jehovam qui fidelis est; Sanctum Israelis, qui te elegit.*] Nova hic est præfatio, Jesaiæ suggesta à Spiritu S. complectens *allocutionem consolatoriam*, directam ad Messiam & Corpus ejus mysticum, Ecclesiam credentium primi temporis gratiæ; quæ afflicta, contempta, & odio atque invidiæ publicæ exposita, erigitur valida consolatione, haurienda ex respectu amplissimi honoris, qui ei cum tempore in mundo obtingeret; hoc *commate* proposita; & in *sequentibus* declaranda. Præfatio est *Patris*, cui titulus *Redemptoris & Sancti Israelis*, sæpius expositus, perinde ac Filio promiscue in his Visis tribuitur. Patris utique est implere promissa Filio & Corpori ejus Mystico data. Compellat autem *Subjectum* quod Propheta tribus epithetis hic appellat: de quibus gemina est disputatio, *Literalis*, quæ versionem eorum spectat; & *Realis*, quæ *Subjectum* ipsum, his attributis circumscriptum. Primum est, בְּזוֹה נפש, in qua phrasi ex communi sensu Interpretum vox בְּזוֹת est *infinitivus Kal* vocis בזה *contemnere*, atque adeo vertenda erat, vel *contemnere animæ*, vel *contemnere animam*. quod, si referatur ad *Subjectum personale*: necessario vel *participialiter* vel *nominaliter* explicandum videtur. Utramque enim significationem *infinitivi* apud Hebræos admittunt; & Docti Viri utroque modo expediunt *A*: etsi eorum rationes probe inspectæ non satis sint liquidæ. Mihi itaque verius videtur, idque unice amplector, vocem בְּזוֹת non esse *formæ Infinitivi*, sed *participii passivi anomali*, ad formam עָשׂוּי apud Jobum *a*: nisi quod hic sit *Cholem* loco *Schureck*; quod neminem in voce anomale punctata offendet. Id unum optime convenit huic loco. Viderunt enim Intt. Hebræi, בְּזוֹה נפש hoc in casu idem significare quod בְּזוּי נפש, *contempto animæ*, h. e. contempto fastiditoque à cujusque desiderio. quem nemo *concupiscit*. quo nemo delectatur. qui cuique fastidio est. Sic pariter Chaldæus: לרבטירין ביני עממיא *his qui contempti sunt inter Populos*. Hæc enim est genuina notio vocis נפש *anima*, apud Hebræos; ubique obvia, & alibi *b* à me dedita opera illustrata. Notat eam hominis partem *quæ* & *qua appetit, concupiscit*. Potest itaque phrasis statum suum tueri, si hoc qualecunque animadversum à nobis admittatur. Affine illi est, quod sequitur, לְמֹתַעֲב גּוֹי. Valere id debebat ex communi usu Linguæ; *abominanti Gentem*: & sunt qui hunc sensum, qui tamen vere durior est, non respuunt. Circumstantiæ orationis suadent, ut notet *eum qui Genti est abominationi*. ut Int. Alex. Τὸν βδελυσσόμενον ὑπὸ τῶν ἐθνῶν. Ergo Kimchius ita accepit; acsi integre scriptum esset, לאשר גוי מתעב *quem Gens abominatur*. Jarchius: למי שהגוי מתעבו *quem Gens abominatur*, consentiente Kimchio. Sed & Aben-Ezra verbo מתעב involvi putat *reactionem*. Verba ejus: פועל יוצא לשנים פעולים שהנביא יזכר דברים שיתעבוהו בשבילם הגוים *Est significationis transitivæ, geminam involvens actionem; quod Vates* (quem hic designari putat,) *verba loqueretur propter quæ Gentes eum abominabantur*. Sic sumitur vox תעב forma *Piel*, Ezech. XVI. 25. Coccejus quoque in *Lexico* ad h. l. adscripsit: *Qui se talem exhibebat, ut Gens in eo scandalizaretur*. Sed in *Comm.* ad h. l. *participium* מתעב sumi vult *pro nomine verbali*, vertitque phrasin per *abominationem Gentis*: producto exemplo simili, מפשר חלמין *interpretans somnia* pro *interpretatione somniorum*, ex Dan. v. 12. Sed *participium nominascens* sumitur ibi, ut debebat, *active*. Placet itaque inhærere observato Kimchii; vel dicere, obtinere in hoc loco enallagen *formæ activæ* pro *passiva*; ut מְחֹתָעָב sit pro מְהֻתָּעָב: à quo minime me profiteor alienum. Certe potuissent Masorethæ voci subdere *puncta formæ Passivi*; quando nullum hic superfuisset dubium.

Alterum Epitheton, מתעב גוי.

Quid significare queat phrasis, & quomodo hic accipienda?

Sententia de ea Grammaticorum Hebræorum.

Cl. Coccejii.

Analysis ejus.

Exceptio in hanc rem.

De *Subjecto*, sive *Objecto* hujus hujus appellationis quæritur.

Literalia primo expediuntur.

Phrasis בזה נפש quid significet?

Cujus formæ sit vox בזה?

Significatio emphatica vocis נפש h. l.

Transit disquisitio ad *Subjectum*, in quod hæc aliaque attributa hujus prophetiæ competunt. Aben-Ezra & Grotius intelligunt Prophetam ipsum Jesaiam. Alii hic cogitant de Populo Judæo, ex Exilio Babylonico liberato vel liberando. Est quoque inter medii Ævi Interpretes qui hic respicit Cyrum. Et posterior quidem hæc cogitatio est indocta, nec meretur attingi. Prior hypothesis de Populo Judæo ex Exilio Babylonico liberato, præstare nequit implementum excellentium illorum promissorum, quæ huic *Subjecto* vindicantur. Accedit, interpretationem non quadrare circumstantiis orationis; quippe in proxime antecedentibus introductus erat Messias, gratiam suam offerens Gentibus. Veteres itaque Intt. censent, idem esse *Subjectum* hujus pericopæ quod superioris; nempe Jesum, Messiam, Judæorum & Gentium Servatorem, pessime habendum & habitum à Judæis & Gentibus, *in diebus carnis*, sed διὰ τὸ πάθημα τῦ θανάτυ magnifice à Deo exaltandum. Proxima illorum est sententia, qui Prophetam vaticinari volunt de Ecclesia afflicta primi temporis Gratiæ; & inter has media, quæ utramque hypothesin conjungit, ac *Christum Jesum* hic demonstrat ut *Caput corporis sui mystici*, h. e. Ecclesiæ. Profitetur hanc sententiam Sanctius; & recte quoque adscripserim Lirano & Sasboutio. Ille quidem per *animam contemptibilem*, (sic vertit Hieronymus:) intelligit Christum; & per *abominatam Gentem*, (quomodo idem Hieronymus vertit, nec tamen ἀναλόγως, מתעב גוי) Ecclesiam primitivam: *prædicata* autem partim refert ad *Christum*; partim ad *Ecclesiam*. Sasbou-

In rem ipsam distinctius inquiritur.

Variæ de *Objecto* hujus orationis sententiæ: quæ recenseantur.

Potior pars hic respicit *Christum Jesum* aut *Ecclesiam*.

a Job. XLI. 24. *b* *Observ. Sac.* Lib. III. Cap. IV. §. X.

A Glassius *Infinitivum* hic sumit pro *participio*, (*Gram. S.* Lib. III. Tract. III. Can. XLIV. p. 363.) vertitque verba, לבזה נפש *ad contemnere anima*; (rectius, *animæ*,) h. e. *ad* eum quem *contemnens est anima* cujusque. Sic Jun. Trem. Pisc. *Ei quem spernit quisque*. Sed, ut rem animo volvi revolvique, non putem Hebræa hunc sensum dare posse, absque aliquo supplemento latentis ellipseos. *Infinitivus* exponi potest per *participium*, si circumstantiæ ita ferant; sed semper exponi debet secundum *participium* sui generis; ut si Verbum sit *formæ activæ*, participium quoque *actionem* notet illius subjecti de quo agitur; si *formæ passivæ*, in *Subjecto* de quo agitur, *passionem*. Quamobrem si in phrasi, בזה נפש, vox בזה *participialiter* sumenda sit, significare debet *contemnentem animam*: quomodo Theodotio & Aquila hunc locum tractarunt, monente Hieronymo; & quoque Int. Alexandrinus: Τὸν φαυλίζοντα τὴν ψυχὴν αὐτῦ· *Despicientem animam suam*. Nec est absurda versio, si transferatur ad *Subjectum* de quo hic agitur: licet plane non putem, Prophetam id dicere voluisse. Sed, inquis, in Versione, *Ei quem* CONTEMNIT *quisque*: utique vox בזה *infinitivus formæ activæ* retinet suam potestatem. Quisque enim *agendo* alium *contemnit*. Sed, ô bone, *actio* debet esse illius *subjecti*, de quo agitur. In hac vero versione, *Ei quem* QUISQUE *contemnet*: *subjectum*, ad quod oratio Dei vertitur, sit *objectum actionis* aliorum, atque adeo vere *patitur*, non *agit*. Verba, EI QUEM QUISQUE SPERNIT, respondent hisce, SPRETO A QUOQUE. Vides πάθος. Quicquid ejus sit, phrasis, לאשר בְּזוֹה נפש non satis commode sumitur pro לאשר בּוֹזֶה נפש. Idem fere locum habet, si vocem בזה tanquam *formæ infinitivi* exponas *nominaliter*, ut præivit Cl. Coccejus, reddens phrasin, *Contemtui animæ*. Verissimum & illud est, *Infinitiva* apud Hebræos sæpissime *nominascere*; sed ita, ut semper significatio maneat in eodem genere. *Contemtus animæ* vel significare potest, *actum* quo quis animam suam contemnit; vel πάθος *passionem* qua contemnitur ab aliis. Prius hic requireret *activa forma* vocis בזה: & tamen, si cui mea conjectura non placeat, tutius id amplectetur; cum vox *contemptus* per se spectata tam *passivam* quam *activam* significationem ferat; & *infinitivi activæ formæ* sæpe *passive* sumantur. de quo videbis exempla apud *Glass.* Lib. III. Tract. III. Can. XXIII. Ergo orationem Prophetæ sic capiet acsi integre scripsisset, לאשר בְּזוֹה נפש *Ei qui est contemptus & fastidium animæ*, h. e. hominum concupiscentiæ carnali deditorum, Cl. de Dieu ipse quoque in communi interpretatione incommodum observans, aliam proposuit Versionem; sed eam sane longissime quæsitam, & meo quidem judicio, nihil probabile complectentem: quare ea recensenda abstinebo.

Quos respectus alii conjungunt. Rationes quæ suadeant, Ecclesiam hic non excludi.

boutius fere eodem modo instituit. Sunt utique in hac pericopa, quæ suadere videntur *Ecclesiæ primitivæ* respectum hic non esse excludendum. α. Quia verba, ℣. 8. *In tempore beneplaciti exaudivi te, &c.* ut ad Ecclesiam commodissime referuntur; sic ad eam applicantur ab Apostolo, 2 Cor. VI. 1. 2. β. In fine hujus pericopæ, ℣. 13. ubi *cœli* & *terra* excitantur ad jubilum Deo accinendum, hæc datur ratio; quia *Jehova consolatus est Populum suum, & inopum suorum misertus est:* quæ demonstrant subjectum, de quo hic agitur. γ. Quod sequitur, ℣. 14. *Quid itaque dicat* TSION, *Jehova me dereliquit, & seqq.* docet; Subjectum quod præcessit, esse *Electos de Populo Dei.* δ. Beneficia quæ hac *pericopa nostra* Ecclesiæ spondentur; ut sunt *Collectionis Gentium* & *submissæ reverentiæ* Populo Dei à Regibus ac Principibus exhibendæ; repetuntur eadem in *Pericopa sequente* qua ad querelas *Tsionis* respondetur; ut utriusque idem videatur esse argumentum. Inde Chaldæus, & inter Hebræos Jarchius & Kimchius, Prophetam intelligunt de Corpore Electorum Judæorum, versantium in Exilio. Verum si

Evincitur tamen, præcipuum hic esse respectum Christi Jesu.

respectus *Ecclesiæ primitivæ*, Corporis mystici Christi Jesu, hic excludendus non sit: primarius tamen hic est respectus CHRISTI JESU ut *Capitis.* α. Quia pleraque enunciata quæ *Subjecto* in hac pericopa vindicantur, de ipso verissime affirmantur. β. Quia quæ Ecclesiæ hic tribuuntur, in eam absque σχέσει ad Christum ut *Caput ejus* non competunt; & verba sic sunt concepta, ut Spiritus S. nos monere voluerit de *uno*, non de *diversis* Subjectis. Nexus etiam orationis facilius cum hac hypothesi componitur, ut mox videbimus. Ergo prudenter hic in usum nostrum vertemus

Canon interpretandæ S. Scripturæ Tichonii Afri huc adhibetur.

Canonem interpretandæ Scripturæ S. qui inter *septem* Tichonii Afri, doctissimi Viri, extat apud Augustinum, hic suo loco recensitum à Sasboutio; *De Christo & Corpore ejus Ecclesia tanquam de* UNA PERSONA *in Scriptura sæpius mentionem fieri; cui quædam tribuuntur quæ tantum in* CAPUT; *quædam quæ tantum in Corpus competunt; quædam vero in utrumque.* Est canon magni usus in interpretandis *Odis Sanctorum*, quæ in Psalmorum Libro occurrunt; & inprimis apud Vatem nostrum. Attamen ne vaga fiat interpretatio, quam unam rem maxime evitare velim: in expositione verborum sic procedam, ut Jesum Messiam primo loco respiciam, cujus respectum hic prædominari modo dicebam.

Verba Vatis religuntur: *Sic dicit Jehova Ei qui animæ est fastidio, &c.* Nexus orationis cum superiore.

Sic DICIT JEHOVA, *Redemptor Israelis Ei qui animæ est fastidio, & seqq.*] Cum Messias in *superiore Perioche* comparuisset instar illustris Doctoris ac unici Mediatoris & Salvatoris, & quà talis doctrinam salutemque suam obtulisset *Gentibus*; simul explicasset *occasionem* & *rationem*, cur salutem suam Gentibus offerret, seque ad eas verteret; inde docuisset, se id agere ex Voluntate Patris, qui ingentem successum hujus operæ sibi condixisset: Vates hic loquentem facit *Patrem*, qui luculenta hæc promissa, Messiæ & Corpori ejus Mystico facta de ingente successu & incremento Regni Dei inter Gentes, amplius explicet, & hoc solatio Messiam, objectum odii & invidiæ Gentis Judææ, erigat. Si ad *Messiam* referas, (ut referendum est;) convenit dictum Personæ Messiæ, omni tempore quo inter Judæos ut עבר *Servus Dei Patris* versatus est, & sustinens invidiam & probrum Gentis Judææ necesse habuit erigi solatio; præcipue *ultimis diebus carnis suæ.* Sed *dixit* idem Pater & promissum repetiit, *Ecclesiæ primitivæ*, inter *Judæos*, & *Gentes* quoque, quotiens Ecclesia ab adversariis suis oppressa & afflicta, ut in initiis Caji, in persecutione caussa Stephani suscitata; sub Claudio, faciente Herode Agrippa; sub Nerone, in Judæa quidem auctore Anano Pontifice; & Romæ, auctore Nerone ipso, instrumento Satanæ, Deo permittente, in innocuum Christi Jesu Gregem sæviente.

Et qui ANIMÆ EST FASTIDIO.] Sic vertenda esse Hebræa, modo probabiliter docui. *Significatur*, ait Coccejus, *quod homo in Christo nihil reperit, quod concupiscentiam ejus invitare possit.* Id verissime scripsit, ut opinor, estque idem quod Propheta intendit. *Persona* Christi Jesu *secundum exteriorem* suam speciem, pauperis, humilis, ut hominis de grege, in Galilæa educati, atque adeo *Galilæi* habiti; *Modus apparitionis*, absque pompa, fastu, φαντασία, in comitatu plebejorum hominum, quos sibi ex vulgo assumpserat in Discipulos & *Apostolos*; subinde etiam *publicanorum* & *peccatorum* quibus gratiam suam dispensabat; *Doctrina* ejus, suadens non exteriorem tantum, sed & interiorem sanctimoniam, & *justitiam quæ ex Deo est*, ejusque *justitiæ necessitatem*; non tantum opposita concupiscentiæ crassæ, vitiisque in sensum incurrentibus, verum etiam *concupiscentiæ*, liceat ita loqui, *spirituali*; quæ *justitiam operum* & *sanctimoniam externam* vult esse idonea salutis obtinendæ media; & quæ his similia: nihil habent quod *carni* & *concupiscentiæ* placeat. Omnia hic sunt contraria. Homo *carnalis* & *carnalibus* imbutus *præjudiciis* nihil invenit in Christo Jesu quod amet. Judæus carnalis & grammaticus, imbutus præjudiciis de Messia ut Principe Bellatore qui à Gente sua depulsurus esset jugum Populorum, idque jugum impositurus esset Gentibus quæ Populum Abrahamidarum durissime habuerant, & adhucdum habebant; nihil in ipso videbat desiderabile. Inde non *omnes* sane, sed omnes נפשות ψυχικοὶ *carnales*, Herodes uterque Antipas & Philippus; Doctores utriusque Sectæ tum maxime florentis; Synedri, Proceres, Sacerdotes, eorumque Principes, imo & de vulgo non pauci *a*, illum contempserunt, spreverunt, & superbe ac probrose rejecerunt, ut tota Historia Evangelica testatur. Pauci veri Israëlitæ, humilis animi & sensus, indigentiæ suæ spiritualis conscii, à Deo docti tractique, ipsi absque fuco adhæserunt. quem sensum Magnates & Doctores, (paucis exceptis,) de ipso palam prodiderunt, quando illum indignissime & probrosissime tractatum, & tractari passi, tradiderunt Pilato crucifigendum, succlamante plebe suæ sectæ; & crucifixo turpissime illuserunt. quod Dominus futurum prædixerat, apud Lucam *b*: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & perficientur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & contumeliis afficietur, & conspuetur.* Marcus *c*: *Et quemadmodum scriptum est de Filio hominis, futurum esse ut multa patiatur, καὶ ἐξουδενωθῇ* & PRO NIHILO HABEATUR. Et erat tamen hic, ut ipse Dominus nos docuit, verus character veri Messiæ, à Vate nostro clare & ample consignatus *d*; nec minus presse, integris *Odis* hujus argumenti *e*. Idem, ut notum, fuit aspectus *corporis mystici* Christi Jesu primi temporis gratiæ; quod maximam partem fecerunt *τὰ ἀγενῆ καὶ τὰ ἐξουθενημένα τῷ κόσμῳ ignobilia & pro nihilo habita in hoc mundo; καὶ τὰ μὴ ὄντα non apparentia f*. Nihil hic, nihil in doctrina ipsorum, quod *animæ*, h. e. quod carni & concupiscentiæ arridet. *Notum nobis est de illa hæresi*, ajunt ad Paulum Judæi Romani *g*, *ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται quod* UBIQUE *ei contradicatur.*

Ei qui animæ est fastidio. Quo sensu ad Christum Jesum applicetur?

Refertur ad *Statum, Oeconomiam, & Doctrinam* Christi Jesu.

Homo carnalibus præditus præjudiciis & affectibus nihil invenit in *Christo* quod *amet.*

A cujus generis hominibus ea de caussa spretus est.

Recurritur ad historiam.

Character hic Messiæ olim consignatus à Prophetis.

Idem fuit respectus Ecclesiæ primævæ.

Ei quem GENS ABOMINATUR,] Crescit oratio. est enim quid majus & gravius in *hoc epitheto*, quam in *superiori.* Per גוי GENTEM intellige *Populum Judæum*, sic dictum per contemptum. Vide exempla in hoc Libro Cap. I. 4. X. 6. Eo respicit dictum, quod adversarii ejus illum ejusmodi gravarent suspicionibus, quæ ipsum tanquam detestabilem & execrabile caput objicerent odio atque invidiæ publicæ; ut qui cæteroquin affectu ab ipso non essent alieni, ejus tamen commercium invidiæ caussa vitarent. Sunt in his: esse illum MAGUM qui ex pacto cum Dæmonibus eorumque Principe Beëlzebule, mirabilia patret *h*: *Maniacum* sive

Eique quem GENS *abominatur.* *Gens* hic est Populus Judæus. Respicitur præcipue ad calumnias, Christo Jesu impactas. Quarum exhibentur specimina.

FURIO-

a Confer Matth. XIII. 55. *b* Luc. XVIII. 31. *c* Marc. IX. 12. *d* Cap. VIII. 14. 15. LII. 14. LIII. 2. seqq. *e* Ps. XXII. XLI. LXIX. LXXXVIII. Ps. CXVIII. 22. confer Act. IV. 11. *f* 1 Cor. I. 28. confer Joh. II. 5. *g* Act. XXVIII. 22. *h* Matth. XII. 24.

Furiosum, à *Demone* obsessum; δαιμόνιον ἔχειν καὶ μαίνεσθαι [a]: (quæ Græcis fere idem sonant:) esse Gulosum & Potatorem, *peccatorum & publicanorum amicum* [b]: Pseudo-prophetam & blasphemum; quo nomine damnatus est à Synedrio [c]: ac denique Perduellem, seditiosum, πανοπτοῦν, læsæ majestatis Romani Imperii damnatem; quo nomine invidiosissimo à Principibus Populi accusatus est apud Pilatum [d]. Ipsum est, quod in Ode Prophetica [e] hujus argumenti, appellatur דבר בליעל *Facinus* sive *Vitium Belialiticum*, h. e. pessimæ notæ, detestabile atque execrandum.

Scandalum Crucis Christi.

Accessit scandalum crucis. Cum enim cæteroquin forte plures, spreta invidia publica, se partibus ejus adjunxissent: grave erat pudori, profiteri *Messiam*, publica & probrosissima nota *Execrationis* sibi incumbentis insignitum; à qua videbatur se vindicaturus esse, si potuisset: & requirebatur sane vis magna intelligentiæ spiritualis & fidei ad hoc *scandalum* [f] superandum. Nec aliter se res habuit cum *Corpore* Domini Jesu *mystico* primi temporis; & in hoc *Corpore mystico*, cum *Apostolis* & *Doctoribus* Christo Jesu proxime conjunctis. Habiti sunt in eum-Credentes ut fæx & purgamentum Gentis, omnium expositi odio, invidiæ, contemptui. Sic ad eos Dominus [g]: *Et eritis* exosi omnibus *propter nomen meum.* Rursus alio loco [h]: Ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν. Apostolus [i]: βλασφημούμενοι *maledictis impetiti & convitiis onerati tanquam* περικαθάρματα purgamenta mundi *facti sumus*; *omnium* περίψημα excrementum (ramenta, sordes,) *usque huc.* ita quidem ut *quisque qui eos interficeret, existimaret rem gratam facere Deo* [k]. Docet autem Dominus, hæc prædicendo & monendo, conformitatem, quam inter se & corpus suum mysticum oportebat intercedere. *Si mundus vos odit*, ait [l]: *scitote, me prius quam vos odisse.* Et sane Christiani ipsi, se à contribulibus aut concivibus suis caussa Religionis separantes, & in moribus ac commercio præ se ferentes abnegationem sui ipsius, hoc ipso *odium* & *invidiam* aliorum in se accenderunt, quod ipsi *genus humanum odisse* censerentur, ut est apud Tacitum [m]. Certissima hujus rei indicia sunt in persequutionibus Publicis, quibus Ecclesia primitiva, & in his semper primi Apostoli & οἱ πρόεδροι τῶν Ἐκκλησιῶν, defuncti sunt. in quam materiam, omnibus obviam, me non demitto.

Idem respectus Corporis Mystici Christi Jesu.

Sors Ecclesiæ primævæ & Doctorum ejus in probris & afflictionibus Christi Jesu.

Servo Dominantium. An epitheton Christo Jesu bene conveniat? Affirmatur & adstruitur.

Servo Dominantium. Heb. לעבד מושלים] Tertium est epitheton, quo Persona à Deo electa & dilecta, hic appellata, circumscribitur. quod an *Christo Jesu*, Servo *Patris* ac *suorum*, *satis bene conveniat*, dubium facit Cl. de Dieu: sed vere absque justa ratione. Utique enim Christus Dominus, γενόμενος ὑπὸ νόμον *factus Legi subjectus* [n], simul subditus fuit *Proceribus Gentis Judaæ*, *sedentibus* in *cathedra Mosis*, iisdemque dictis אלהים Diis [o], quippe ejusdem Legis sub Deo ejusque nomine Interpretibus, ejusque *sepis* custodibus; quorum proinde *tribunal*, cum ad eos duceretur, ipse non refugit, deditque illius suæ *subjectionis* documentum in *didrachmo* ex Lege *solvendo* [p]. Erga Procuratorem Romanum eodem modo se gessit; agnoscens *potestatem* κατ' ἀυτὸ in se à *Deo datam*; & *Regnum* suum *de hoc mundo non esse*, professus [q]: fecitque hæc Christi Jesu *subjectio* partem illius δουλωσύνης *servitutis*, cujus *formam* ipsum in se nostri caussa *suscepisse*, Apostolus ait [r]. Et tamen quisque facile videat, *servitutem* Ejus hac parte fuisse circumscriptam, ut si Divinæ Gloriæ & Officii ipsius rationes ipsi suaserint auctoritatem suam quà *Domini* & Filii Regis, in quibusdam casibus in oculos adversariorum suorum ingerere, ut subinde factum [s]: nihil persona sua indignum commiserit. Adscribitur autem Christo Jesu *hoc epitheton* respectu ejus quod sequitur; fore ut Reges & Principes se *coram ipso incurvent*. Idem Status fuit *Ecclesiæ* usque ad illud tempus quò *Sancti* Mundum inceperint *judicare*. Subjecta Judæorum Proceribus in Canaanæa quandiu stetit Respublica; & Imperatoribus Romanis ac Parthicis, & sæpe ab iisdem duriter habita, adspiravit ad *libertatem* & *Regnum*, in hisce quoque *terris* sibi promissum.

Sed *servitus* illa à consilio Dei & dignitate personæ ejus fuit circumscripta.

Reges videbunt, & assurgent; Principes, & se prosternent.] Sic distinguenda est sententia secundum Masorethas; ut putem, ex vera mente Prophetæ: quorum opera cum usus non sit Hieronymus, vocem ויקמו *Et surgent*, junxit voci *Principes*, in hunc modum; *Et consurgent Principes*, perinde ac *oi ó.* Leve quid videtur; sed elegantiæ studiosus videbit, non resonantiam tantum, sed & sensum orationis Masorethis favere. Vox enim *videre* cum per se non significet reverentiam: requirit in priore membro aliquod adjunctum, quod sensum compleat. In posteriore autem membro, *Principes*, & *se prosternent:* observanda est aliqua ἐπιμονὴ in voce *Principes*, & subintelligendum ac ex superiori membro repetendum est, *videbunt.* Ea vero ipsa notio hic *absolute* posita, cum videatur requirere objectum *Visus*, quod hic non adscribitur: alii supplent, *Videbunt te*, ut Piscator. Kimchi: יראוהו *Videbunt illum.* Alii generalius, *Videbunt illud.* Nihil hic præter rem; licet, si alterutrum hic admittendum esset, hic præferrem *te*, quippe quod expositio rei ipsius postulat. Sed non est mihi dubium, quin Vati constiterit ratio, quare nullum hic addiderit *affixum relativum*, ut voci servaret omnem vim potestatemque suæ significationis, tam respectu *Objecti* quod videndum erat; quam respectu *Facultatis videndi* in *Subjecto*, h. e. in *Regibus* & *Principibus.* Si *Objectum* hic quæras & respicias: verba manifeste & primo sensu referuntur ad ea quæ præcesserant in ℣. 6. *Posui te in* lucem Gentium, *ut sis* salus mea *usque ad fines terræ. Videbunt* itaque Reges, Principes, Magnates, Proceres Mundi *lucem*; decentiam, rationalitatem, veritatem, *Doctrinæ*, à te summo Doctore propositæ; & magnitudinem *salutis*, per te generi mortalium impetratæ; ut Cap. lii. 10. *Et* videbunt *omnes fines terræ* salutem Dei *nostri.* Cap. lx. 3. *Et ibunt Gentes ad* lucem tuam. Sed si verbum referatur ad *Facultatem Subjecti*; notat, non tantum Gentes hac luce Messiæ illustrandas esse, verum etiam adepturas illius *videndæ facultatem.* quomodo notio ἁπλῶς sumitur, Cap. xxix. 18. *Et oculi* cæcorum *ex tenebris & caligine* videbunt. Cap. xlii. 6. 7. *Et dedi te in fœdus Populi, in* lucem Gentium; *ad aperiendum* oculos cæcos. Est autem illud *videre*, sæpius à nobis declaratum; veritatem Evangelii ejusque nexum, decentiam, rationalitatem, oculo spirituali contemplari ac perspicere; eam integra fide cum amore admittere; salutem ea oblatam cum gratiarum actione amplecti; & doctrinæ salutisque auctori cum reverentia & obsequio cultum exhibere, quem doctrinæ puritas ac præstantia & magnitudo salutis exposcunt. qui *cultus*, indubium consequens veræ fidei, significatur vocibus *surgendi*, h. e. reverentiæ caussa *assurgendi*; & *se incurvandi.* Desumpta locutio à more apud Gentes omnes recepto, quo honoratioribus à minoribus ætate aut dignitate *assurgitur* [s], iisque exhibetur reverentia, sive inclinatione capitis aut corporis, sive prostratione corporis; ut coram Regibus, Dominis, aut Magnatibus, receptum erat in Oriente; inde, inquam, desumpta locutio hic refertur ad *Religionem*, qua qui defungebantur apud omnes Gentes, soliti fuerunt *stare*; & in supplicationibus profunda reverentia se prosternere humi. Confer Cap. xxxvii. 38. xliv. 15. 16. xlv. 14. Hic involvit omnem actum profundæ reverentiæ, honoris, obsequii, fiduciæ, quem Verbum Evangelii erga

Parilis Ecclesiæ primævæ conditio.

Reges videbunt & assurgent; Principes, &c.

Lectio & interpunctio Masorethica laudatur, & illustratur.

Vox *videbunt*, requirit *objectum.* Quomodo ellipsis supplenda?

Recte refertur ad *lucem*, & *salutem*, de qua mentio facta fuerat ℣. 6.

Analoga huc relata.

Quænam *officia spiritualia* hæc notio involvat?

Consequens ejus est *cultus* qui hic describitur.

Voces *assurgere* & *se incurvare*, quem usum hic habeant?

Quæ *officia* hic significet?

---

a Joh. x. 20. *b* Luc. vii. 34. *c* Matth. xxvi. 65. *d* Joh. xviii. 30. xix. 12. 15. *e* Ps. xli. 9. *f* 1 Cor. i. 23. *g* Matth. x. 22. *h* Cap. xxiv. 9. *i* 1 Cor. iv. 13. *k* Joh. xvi. 2. *l* Joh. xv. 18. *m* *Annal.* Lib. xv. Cap. xliv. *n* Gal. iv. 4. *o* Ps. viii. 6. *p* Matth. xvii. 24. *q* Joh. xviii. 36. xix. 11. *r* Phil. ii. 7. *s* Matth. xii. 8. Joh. ii. 14. *t* Gen. xix. 1. xxiii. 7.

erga Christum Jesum, & in Christo Jesu Deum Patrem ac Spiritum ejus; tum quoque erga veritatem Evangelicam, Religionem, Sacra; & erga Ecclesiam ac Doctores ejus, tanquam Corpus Christi mysticum, præscribit. quæ reverentia sic dispensanda est, ut cujusque Objecti ratio postulat: (Ecclesiæ enim respectum hic non excludi, patet luculenter ex sequentibus ℣. 23. & ex insigni loco quem nuper inspeximus Cap. XLV. 14.) sic tamen ut præcipuum Objectum hujus cultus sit, maneatque Christus Jesus quà DOCTOR & MEDIATOR, qualis in *superiore commate* descriptus erat. Præter hæc observari velim, (quod ad emphasin orationis pertinet,) esse in oratione Prophetæ gradationem: alteram implicitam, explicitam alteram. Prima sub his verbis, *Reges & Principes videbunt*, latet; *Gentes* cultarum Orbis Regionum, (harum enim sunt *Reges & Principes:*) *videbunt & reverenter assurgent*, *κατ' ἀντίθεσιν Judæorum* quorum maxima pars in incredulitate sua obstinate persisteret; *Gentes*, inquam, *videbunt*, quod *Judæi* non *vident*, retractis à *luce* oculis. Confer Cap. XLII. 19. 20. Altera gradatio: ipsos ETIAM *Reges & Principes Gentium visuros esse*, & reverenter suscepturos doctrinam & salutem, sibi à Messia oblatam; & se *coram eo* venerabundos *prostraturos* esse. In id cadit emphasis & vis sententiæ. *Reges & Principes terræ* passim aliud habent visionis & contemplationis suæ objectum. Amant illi decus & splendorem Sæculi. Delectat illos gloria Mundana. Avertunt oculos à *luce veritatis*, cujus scrutinium ipsis negotium facessit. Pleni fastu & arrogantia quicquid infra se est, despiciunt. Quanto minus credibile, illos Doctrinam *Messiæ*, à sua Gente cum probro & infamia rejecti, adversam cupiditati carnali, fastui omni & arrogantiæ inimicam; doctrinam *Crucifixi*, à contemptibilibus Doctoribus absque phaleris simplice oratione expositam; recepturos, lucemque veritatis in ea splendentem non nisi spirituali oculo discernendam, visuros, agnituros esse? hunc Doctorem ut Salvatorem veneraturos? ejus salute gloriaturos; & se coram eo reverenter prostraturos esse? & Ecclesiam quoque ut corpus ejus mysticum non dissimilis conditionis respecturos, ejusque communionem reverenter petituros, eique suo imperio, potestate, gloria, subservituros esse? Rem paradoxam! Sed vidit Mundus, & stupuit, in mille & mille exemplis, à quo Orbis Romani Imperii jugum Christi suscepit sub Constantino. Quin Deus Ecclesiæ primitivæ temporis Apostolici jam dederat primitias messis deinceps secuturæ in primariis Viris, Sergio Paulo *a*, Dionysio Senatore Areopagita *b*; Flavio Clemente, ipsius Domitiani Imperatoris Patruele, & Glabrione, Consulibus Romanis, pluribusque haud dubie aliis, quorum non est conservata memoria. *c*

Gradatio in oratione Prophetæ, *explicita*, & *implicita*. Posterior evolvitur. Dicitur id *κατ' ἀντίθεσιν* Judæorum.

Et prior: *Reges & Principes* videri possent ab hoc *visionis* actu alieni esse.

Exempla ex historia primæva.

Propter Jehovam qui FIDELIS *est; Sanctum Israëlis qui te* ELEGIT.] Vides fundamenta quibus nititur Regnum Christi Jesu, *Electionem*; & *Promissionem*, vi Consilii Electionis sive Testamenti Gratiæ Christo Jesu & Corporis ejus mystico factam. His fundamentis stat Ecclesia; his nixa durabit omnia sæcula. Vox נאמן *fidelis* respectum habet ad *promissa*, explicantia Testamentum Gratiæ & Pactionem Pacis, secundum quæ non Gentes tantum, sed Gentium Imperatores, Reges, Principes, Christo Jesu & Ecclesiæ ejus subjici oportebat, secundum verissimum vocis usum *d*. Sunt autem illa promissa omnium primo data Abrahamo *e*: dein explicata per Prophetas & per illorum vaticinationes diffusa *f*; etsi nemo sit, qui hoc statutum Consilii Divini copiosius exposuerit quam Jesaias; qui Judæos neglectæ doctrinæ & salutis convicturus & de tanto mysterio à Deo clarissime edoctus, eodem ubique recurrit *g*. De *electione* Messiæ videbis dicta ad vocem בחירי *Electus* vel *dilectus meus* ad Cap. XLII. 1.

Propter Jehovam qui fidelis est, &c. Electio & Promissio fulcra Regni Christi. Quæ declarantur.

Hoc vero tantum *Beneficium*, Messiæ hic promissum & in sequentibus explicandum, solatio ipsi esse debuit in statu opprobrii, quod sustinuit inter Judæos; perinde ac Corpori ejus mystico; etenim *propter* hoc *gaudium* glorioſum *perferret crucem*, *contempta ignominia b*. Ubi cave hæreas tua cogitatione in re corporali. Externus honor, reverentia, veneratio, qua homines in publicis aut privis Sacris Christum Jesum, aut Religionem ab ipso institutam, prosequuntur, ipsi *assurgentes*; *geniculati* auxilium ejus implorantes; aut Verbum ejus reverenter auscultantes, si exteriorem ritum ac gestum corporis spectes; bonum est tralatitium, gloria tritissima; quam ejus Personæ & dignitati non convenit dividere cum hominibus. Vera ejus gloria est spiritualis, & Divina, quæ sola ipsum delectat. Amor, fides, obsequium, æstimatio vera dignitatis majestatisque ejus, reverentia, ex interno affectu in cultu & observantia mandatorum ejus ipsi exhibita, & salus ipsa in Populum suum collata; vera ejus gloria, verum obsequii ipsius præmium est, quod in diebus carnis suæ ut *ἀνταπόδοσιν* respexit. Huc tendit oratio. Hoc argumentum est solatii.

Qualis *honor* Messiæ exhibendus hic intelligendus sit?

§. PROPOSITIONIS *Expositio.*

(a.) Magnificum Promissum, superiori consonum, de luculento effectu *Præconii Evangelii*, & *Ecclesiæ colligendæ.*

℣. 8. *Sic ait Jehova:* TEMPORE BENEPLACITI *exaudiam te, & in die salutis auxiliabor tibi; & custodiam te; & ponam te in fœdus Populi, ad erigendam terram, ad ercisscundam* (hæredibus,) HÆREDITATEM LOCORUM DESOLATORUM. ℣. 9. *Dicendo vinctis, Exite; & his qui in tenebris sunt,* PRODITE IN LUCEM.] Præscripsi jam, & in loco monui, *sequente pericopa*, ℣. 8--12. explicari *Promissa* in superioribus Messiæ & Corpori ejus mystico data. Oratio enim hujus prophetiæ tota partibus suis cohæret. Describitur primo, successus optabilis Præconii Evangelii in convertendis Gentibus; & ex Gentibus *colligenda Ecclesia*, his verbis quæ exhibeo: dein, Status florens Ecclesiæ collectæ, secundum aspectum ejus spiritualem, ℣. 9. med. 12. quibus subjicitur *Epiphonema* Chori cœlestis, ℣. 13. In his vero, quæ tracto, verbis, nihil admodum est quod nos moretur, si phrasin orationis spectes. Solummodo moneo, me verba, עניתיך & עזרתיך, quæ proprie sonant, *exaudivi te*, *auxiliatus sum tibi*, vertisse; *exaudiam te*, *auxiliabor tibi*; quod *consequentia* verba terminationis *futuri*, & *respectus subjecti*, ad quod oratio dirigitur, (quod *subjectum* hic supponitur esse in statu opprobrii, luctæ, persequutionis, & odii atque invidiæ adversariorum ejus:) id potius videantur amare. Est autem Prophetæ nostro aliisque Prophetis & Poëtis in more, terminationes *præteriti* & *futuri* inter se commiscere, elegantiæ caussa; ut sæpe observavi. Sed quod ad hunc locum attinet; terminatio *præteriti* pariter absque vitio adhibetur. Cum enim hic *exauditio* promittatur, haud dubie supponitur non semel jam *exauditus esse*. Attamen patefiet clarius sententiæ meæ ratio, si quod in mente mea est, planius declaraverim. Per *tempus* BENEPLACITI, (רצון *οἱ ὁ. καιρὸν δεκτὸν*, *εὐπρόσδεκτον*, ut & Paulus 2 Cor. VI. 2.) & per *diem* ישועה SALUTIS hic lubenter quidem *ἐν πλάτει* intelligo tempus *Gratiæ*, quod Mundo illuxit cum nato Salvatore Mundi, ejusque ac Præcursoris ejus Joannis præconio; quod idem noster Vates eadem phrasi appellat שנת רצון ליהוה *annum* COMPLACENTIÆ (beneplaciti) *Jehovæ*, Cap. LXI. 2. & de quo Apostolus hunc locum respiciens *i*: *Ecce* NUNC *est dies salutis.* Cum enim *tempus Beneplaciti Jehovæ* vel dici queat *tempus* quo Deus *benevolentiam* gratiamque suam uberiore modo ac mensura profundit in Ec-

Expositio Propositionis. (a.) Promissum *luculenti effectus Præconii Evangelii.*

Processus & *Analysis* orationis Prophetæ.

Terminatio *Præteriti* in quibusdam verbis hic exponenda est per *futurum.*

Per *tempus beneplaciti*, & *diem salutis*, quid hic in *genere* intelligendum?

Locus Pauli de hoc *tempore* 2 Cor. VI. 2.

a Act. VIII. 12. *b* Act. XVII. 34. *c* Confer Euseb. Hist. S. Lib. III. Cap. XVIII. cum Xiphilino ex Dione, in Domitiano. p. m. 236. *d* Deut. VII. 9. Ps. CXI. 7. confer Ps. LXXXIX. 25. *e* Gen. XXII. 18. *f* Ps. XII. 8. XXII. 10. LXVIII. 32. LXXII. 11. &c. *g* Confer Cap. LX. 3. LXII. 2. *h* Heb. XII. 2. *i* 2 Cor. VI. 2.

in Ecclesiam; vel quo Deus sibi εὐδοκεῖ *complacet in hominibus*, quippe in iis videt & agnoscit fructus sui Spiritus, *opus manuum suarum*: (utramque enim notationem χάριτος GRATIÆ & εὐδοκίας COMPLACENTIÆ, Beneplaciti, admittit vox רצון:) nemo negat, utrumque attributum esse temporis illius quod GRATIÆ dicitur, contradistincte ad tempus *severitatis Legalis*, secundum illud Paulinum [a]: *Non enim estis* SUB LEGE, *sed* SUB GRATIA: & Angelicum apud Lucam [b]: Εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις, BENEPLACITUM *in hominibus*. Attamen nullus dubitem, quin hic in emphasi alludatur ad *illum* temporis *articulum* quo Messias ex voluntate sui Patris *operaretur salutem* generis humani, dum in diris simis παθήμασι & probrosissima morte se offerret Patri *Victimam piacularem* εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *in odorem bonæ fragrantiæ* [c]; *faciendo lubenter* רצון *Voluntatem* & BENEPLACITUM *sui Patris* [d]. de qua re monui ad locum Cap. XLII. 1. ubi Vates de eodem *Servo Jehovæ*: רצתה נפשי *In quo* SIBI COMPLACET ANIMA *mea*. Hoc *tempus* esset *salutis*, quod tota *salus* Electorum ab hoc articulo penderet: idemque tempus *beneplaciti*, quod illo tempore *beneplacitum Dei fieret*; id, inquam, fieret in quo Deus Pater, salutem humani generis in Filio operaturus, sibi maxime *complaceret*. Putem quoque, hanc significationem convenire usui magis recepto vocis רצון: etsi quod ad eam vocis notationem qua per *benevolentiam*, *gratiam*, redditur; optime quoque huic expositioni congruat. *Tempus* enim *salutis*, homini à Deo libero consilio ex mera gratia destinatæ, idem est tempus perfectæ *gratiæ*. Certe huic tempori propriissime quadrant attributa ejus hic adscripta α. *Exauditionis*. β. *Opitulationis*. γ. *Conservationis*, *ut sit in Fœdus Populi*, & *seqq.* Primum est, *exaudivi te*, sive *respondi tibi*: hæc enim idem valent. sc. *Respondi tibi* ad *preces* quas tanquam verus Pontifex pro te & Corpore tuo mystico mihi in extremis tuis, & præsertim in cruce, positus in agone gravissimo, obtulisti. Idem est quod Vir Apostolicus, ad hunc locum & analoga alludens [e]: *Qui in diebus carnis suæ deprecationibus & supplicationibus oblatis cum clamore valido & lacrymis, apud eum qui ipsum poterat servare à morte*, καὶ εἰσακουσθεὶς & EXAUDITUS *servatus est a metu*, & *seqq.* Exempla *supplicationum* ejus extant cum aliis in Ps. XXII. & LXIX. quæ tamen Odæ eædem testantur de precum exauditione [f]. Conferatur Ps. XL. 1. seqq. & excellens specimen precationis apud Joannem [g]. Summa erat; *Propere ades ad mihi* AUXILIANDUM! *Serva me ex ore* LEONIS [h]! Item, *Pater*, GLORIFICA *Nomen tuum* [i]! Additur in loco: *Venit ergo vox ex cœlo: Et glorificavi*, & RURSUS *glorificabo*. Sed est Mediatoris, Christi Jesu, à Patre *semper exaudiri* [k], dum nihil *petit* nisi ex voluntate Patris, sibi perfecte cognita. quo privilegio licet gavisus sit per totam vitam; duobus tamen articulis, *tentationis in Deserto*, & *Luctæ extremæ*, omnium illud maxime illustratum fuit. Alterum, huic respondens est; *Auxiliatus sum tibi*, sc. Die *complacentiæ* & *salutis*: vel, quod hic rem valet, *Auxiliabor tibi*. Non poterat enim, quâ אנוש *homo debilis* & *miser*, & בן אדם *Filius hominis*, nisi suffultus omnipotentia Divina auxiliatrice, in acerrimis tentationibus persistere adversus Satanam & cohortem infernalem. de quo scripsi ad verba: *Servus meus*, QUEM SUSTINEO, Cap. XLII. 1. & ℣. 6. Est hic effectus *exauditarum* ejus *supplicationum Pontificalium*, quæ in hanc summam *exibant*. Ab ipsius constantia in obsequio pendebat tota spes & salus Ecclesiæ. Ergo vicit in agone; fecit & perfecit voluntatem Patris ad extremam usque lineam, ut alta voce exclamare potuerit, CONSUMMATUM EST [l]. Tertium est huic affine, *Et* CONSERVABO TE, *& ponam te in fœdus Populi*, &c. Idem sensus, idem scopus; nec est hic quicquam singulare, nisi quod Propheta, cum gratiæ *Conservationis* hujus *Servi* Dei *Electi* connectat glorioso illos fines, quorum respectu placitum esset Deo hac singulari cura suæ providentiæ circa ipsum versari; hos spectari velit fines non cohærere tantum cum actu sive beneficio *Conservationis* & *Custodiæ* Divinæ, verum etiam cum superioribus, *Exauditionis* & *Auxiliationis*. Sunt autem hi fines, sive consequentia, ut jam præmonui, magna, magnifica, & glorioſa, quæ diversis verbis & figuris; quarum copia Vates noster exundavit, fere explicant res easdem quas in superioribus proposuerat. Dixerat Deus ad Servum hunc suum *Electum* & *Dilectum* Cap. XLII. 6. *Ego Jehova te vocavi in justitia, & prehendam manum tuam*, & CUSTODIAM TE, & PONAM *te in* FOEDUS POPULI, (sc. Judæi, ad confirmanda & repræsentanda promissa, Populo in Abrahamo, Juda, & Davide data,) IN LUCEM GENTIUM. Et quidem priora; CONSERVABO TE, & PONAM TE IN FOEDUS POPULI, hic repetuntur, ibidem exposita; sed quod sequitur, *in lucem Gentium*, hic declaratur aliis phrasibus figuratis, & quidem figuris quæsitissimi generis & sensus. Dicitur hoc loco, *erigere terram*, & *mittere* (hæredes,) *in possessionem hæreditatum desolatarum*; & mox, ἐξαγήσιος caussa, *Dicere vinctis*, *Egredimini*, & *seqq.* In priore figura diligenter observandum est, vocem נחיל non esse vertendam cum τοῖς ὁ. & Hieronymo per κληρονομῆσαι, נחיל *possidere*, (*occupare hæreditatem*,) hæreditatem adire, (etsi spiritualis sensus id hic non excludat:) sed *hæreditatem erciscere* & *distribuere* legitimis hæredibus; mittere alios in hæreditatem ipsis debitam; *possidere facere*: ut Symmachus docte, κληροδοτῆσαι. Sed Intt. qui id viderunt, non tamen omnes figuram recte ceperunt; ubi *Subjectum*, cui *hæredia desolata* (sic recte hic usurpo vocem *hæredium* ex antiquo ejus usu,) cernerentur; faciunt *terram*. Jun. Trem. Pisc. *Ut erigas terram, & efficias ut hæreditatem adeat locorum desolatorum*. sc. ut *terra* adeat *hæreditatem locorum desolatorum*: quod quisque rei intentus videt valde inconguenter dici. Atqui *terra*, ais, hic notat *electos*? Non inficior sane; sed *loca desolata* idem notant. *Terra* & *loca desolata* in hac oratione sunt ἑτεροδύναμα; idem significant. *Terra* hic est *terra* vel *inculta* vel *desolata*. Ergo subintelligendum hic est *subjectum* à *terra* & *locis desolatis* distinctum; hoc est, *hæredes* quibus hic *Servus Domini* distribueret *terram* & *hæredia desolata*: qui sensus est Prophetæ. Quæritur itaque nunc, quid intelligendum sit nomine *terræ* & *hæreditorum desolatorum*? Id vero merito quæritur, quia ad primam speciem obscurius videtur. Est enim phrasis mystica, explicanda ex Doctrina Scholæ Sanctorum. Propheta præter locum hunc nostrum duobus, nisi fallor, aliis ea utitur in explicando beneficio spirituali, quo Credentes gauderent sub Oeconomia Nova. ut Cap. LIV. 3. *Et semen tuum* (Ecclesiæ recepturæ gremio suo Gentes,) *hæreditatem sortietur* GENTES, & CIVITATES DESOLATAS (ערים נשמות) *faciet habitari*. Cap. LXI. 4. *Et ædificabunt* (*redempti* & in statum *libertatis vindicati* à Messia,) LOCA *à sæculo* DESOLATA; *desolationes antiquas erigent*; & *instaurabunt civitates vastatas*; *desolationes ætatis & ætatis*, h. e. *longi temporis*. Intellige tam in hisce locis, quam in hoc nostro, *Gentes*, longum tempus alienatas à Dei communione; versatas in crassa ignorantia Dei ac veræ Religionis; ac proinde nullam producentes lætam bonamque frugem spiritualem, Deo gratam, aliis profuturam; per Regna, Regnorum metropoles & civitates, regiones, agros, divisas; quarum *hæreditaria possessio* promissa erat Semini Abrahami. Hæ *Gentes* extra Canaanæam omnes Deo & Sanctis spirituali oculo eas contemplantibus obversabantur tanquam vastum mare; sterile desertum; incultus vel vastatus ager; civitates desolatæ; confusum quoddam & permistum chaos; solum infrugiferum, nullo cultu ac cura subactum. Hoc oculo

Spiri-

Sed in emphasi hic respicitur tempus *mortis* & *obedientiæ* Christi Jesu. Ratio ejus sententiæ.

Genuinus usus vocis רצון.

Idem evincitur ex attributis hujus temporis. Quæ speciatim illustrantur. *Exauditio Christi*, quando facta? Locus Heb. v. 7. Respicit *preces* Christi.

Quibus articulis temporis Christi maxime conveniant?

Alterum attributum: *Opitulatio Christi*. Respicienda ut effectus supplicationis Christi.

Tertium attributum: *Conservatio Christi*.

Consequentia ejus sunt magna & glorioſa.

Locus analogus Cap. XLII. 6. cum hoc collatus.

Est inter ea, *mittere hæredes in possessionem Locorum Desolatorum*. Vis vocis h. e.

Subjectum; quod occuparet illam *hæreditatem*, hic non satis commode dicitur *terra*. De quo disputatur.

Subintelliguntur hic *hæredes*.

Quid hic sint *Loca desolata*?

Comparantur *Loca* analoga. Phrasis exponitur.

a Rom. VI. 14. b Luc. II. 14. c Ephes. v. 2. d Ps. XL. 9. e Heb. v. 7. f Ps. XXII. 25. LXIX. 30. 31. g Cap. XVII. 1. seqq. h Ps. XXII. 20. 22. i Joh. XII. 28. k Joh. VI. 42. l Joh. XIX. 30. coll. cum Marc. XV. 37.

Spiritus & à Spiritu S. illuminatus Propheta, videbat Asiæ, Syriæ, Ægypti, Asiæ Lydianæ, Græciæ, Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, aliarumque Urbis partium, Regiones florentissimas & fertilissimas, per sapientissimam Dei providentiam suis quasque limitibus circumscriptas & ab invicem divisas, tanquam totidem *hæredia*, quo statu illæ Regiones essent in initiis temporis Gratiæ; non ipsarum respectu, sed hominum, eas incolentium, absque vero cultu & disciplina mentis; non satas, non messas; non irriguas fontibus & fluviis; nullis distinctas paradisis; nullis plantatas arboribus frondem decusque celsitatis ostentantibus; quod emblema huic cognatum, in superioribus [a] sæpius offendimus. Quanto verius, regiones & *hæredia* Alemanniæ, Germaniæ, Britanniæ, Gothiæ, Daciæ, Russiæ, Scythiæ, Tatariæ, nullo cultu & disciplina naturali quoque ac civili illo tempore excultas exercitasque? Omnia ibi vasta, desolata, inculta; semina veri & honesti per assuetudinem sævitiæ & crudelitatis fere extincta; vastatæ per illusionem & seductionem Satanæ conscientiæ; mores feri, inhumani, barbari. *Erigere* itaque hanc *terram*, hæc *hæredia desolata*, est hos Populos veræ Religionis disciplina destitutos, incultos, rudes, per doctrinam Evangelii imbuere notitia veræ Religionis; plantare in illorum animis radices & semina veræ fidei, pietatis, & virtutis; animos illorum parare & exarare ad satum Verbi Dei recipiendum; præjudiciorum falsorum & vitiorum semina ex iis eradere; quod absque magno opere & labore Ministrorum Verbi fieri nequit. *Civitates desolatas erigere*, sive *instaurare*, est Civitates, & Respublicas, in eam instaurare formam, ut ad disciplinam Evangelii conformatæ & excultæ convertantur in Ecclesiam & Populum Dei; & à Principibus & Judicibus veram profitentibus Religionem gubernentur, judicentur; atque Ecclesiæ tranquillam & fixam præbeant sedem: metaphora desumpta ab oppidis, Civitatibus, regionibus, bello vastatis desolatisque, incolisque suis nudatis; sed, sedata belli & calamitatis tempestate, ab incolis denuo in pristinum statum restitutis instauratisque; ut exemplum fuit in Canaanæa ipsa à Chaldæis justo Dei judicio desolata desertaque longum tempus relicta, sed postmodum à reducibus in integrum instaurata ac denuo exculta; & in historia recentiore in Insubria & Liguria, ejusque oppidis, Mediolano, Tortona, Crema, aliisque pluribus, & circumjacentibus agris, à Friderico primo, plane corruptis destructis, eversis; sed identidem reparatis in usum & è ruderibus suis de novo veluti *resuscitatis*: quæ hic genuina vis est vocis קוּם. Confer Ezech. XXXVI. 10. Amos. IX. 14. Vides jam & sentis, quam apte, quam concinne & venuste, Spiritus S. phrasin, *esse in lucem Gentium*, hic exposuerit per *erigere terram* & *desolata loca*; idque idem *Bonum* & *Beneficium* proponat ut *finem* & *effectum* Messiæ Divina potentia fulciendi, & in morte conservandi, & ex morte servandi, ut ad exemplum Jonæ tanquam mortui conservati & vindicati ex ventre piscis, *converteret Niniven*, quæ hic sustinet symbolum, tum in universum Gentium, tum speciatim Romæ & Imperii Romani. quod effectum dedit per Apostolos & Ministros Evangelii primi temporis, ab ipso in hunc finem delegatos & in hoc opere ipsius virtute fultos; qui ut membra corporis ipsius mystici cum ipso sustinere censebantur eandem personam. Qui itaque ipse idem tanquam alter JOSUA (ad quem hic alluditur,) *hæredibus veris*, h. e. semini Abrahami, juxta promissum huic Patri credentium datum [b], *divisit hæreditatem Mundi*, sive *hæredia desolata*; quippe cura Providentiæ suæ & Gratiæ, comitantis præconium Evangelii, effecit, ut per totum Orbem cultarum Mundi regionum extiterint *Ecclesiæ*, suis singulæ parœciis & diœcesibus sub æquabili regimine Ecclesiastico ab invicem divisæ; deinde vero sub Constantino, (cui in schemate *typico-Prophetico* respondet periodus *Josuæ* Abrahamidis distribuentis hæredia terræ Canaanææ,) terra Romani Imperii subjecta fuerit Ecclesiæ; & Civitates ejus Imperii, inque iis celeberrimæ Roma, Antiochia, Alexandria, Constantinopolis, Carthago, Ephesus, Nicomedia, Ravenna, Mediolanum, Lugdunum, Vienna, & his similes, Christianam professæ Religionem, evaserint *hæreditas Ecclesiæ*, Testamento ei promissa, secundum illud Jeremiæ [c]: *Et dabo tibi terram desideratam; hæreditatem pulchram* EXERCITUUM GENTIUM. Hæredes *primi*, ut dixi, sunt *Credentes ex Judæis*, quibus ipse Dominus hoc bonum pollicitus fuerat: *secundi* sunt Credentes qualescunque ex Gentibus, Judæis credentibus inserti, quatenus per fidem facti sunt *Semen Abrahami*; qui in hoc schemate sustinent geminum aspectum *hæreditatis* & *hæredum*, quatenus *unus* alium per fidem in Christo Jesu possidet; ut fusius demonstravi & rem totam explanavi in *Dissertationibus* de *Hæreditate Mundi* & *Gentium*. [d]

Hic primus magnus scopus & fructus esset producti conservatique Messiæ. Alter huic individue junctus, simul demonstrans medium proximi Boni obtinendi, in his verbis est; ℣. 9. *Dicendo vinctis*, EXITE; & *his qui in tenebris sunt*, PRODITE IN LUCEM; sive, ut Hebræa notio sonat, REVELAMINI. h. e. Illustret vos blanda & salutaris lux, quæ vos longum adeo tempus destituit, cujus medio *videatis ipsi*, & *videamini ab aliis*. Sunt hæc vel eadem vel similia his quæ Vates noster in eodem versatus argumento, scripserat Cap. XLII. 6. 7. Postquam enim ibidem quoque Patrem ad Messiam loquentem fecisset, *Ponam te in fœdus* POPULI, *in lucem* GENTIUM: protinus subjungit, *Ad aperiendos oculos cæcos; ad producendum ex claustro* VINCTUM, *& ex Domo carceris, habitantes in tenebris*. ubi quæ commentatus fuerim, videris, vel recognoscere poteris. Licet hoc in loco *vinctos* & *sedentes in tenebris* promiscue referre ad *Judæos* & *Gentes*, Verbo Evangelii vocandos in libertatem atque illuminandos. Attributa enim, quæ in his vocibus latent, utrisque sano & vero sensu conveniunt. Sed si *Subjecta* emphasios caussa discriminare malis: refer hoc loco VINCTOS ad *Judæos*, quorum per Legem constricta libertas erat; devinctos jugo, collis ipsorum per Mosen impositio [e]. Per hos *qui in tenebris sunt*, (alluditur ad intima carceris penetralia,) Gentes, intelligentia omni vera & solida consolatione destitutas, quæ non tantum erant *in tenebris*, verum etiam *tenebræ* [f]. Illi tanquam in *carcere* manus pedesque *vincti*, (συγκεκλεισμένοι [g],) Verbo Evangelii quod Verbum est LIBERTATIS, juberentur *exire* in *libertatem perfectam filiorum Dei*, cujus Beneficii figuram Deus olim exhibuit in annis *Sabbathico* & *Jubilæo*: hæ eodem Verbo, quod veritatis & lucis est, juberentur ex tenebris prodire in *lucem* cognitionis, gratiæ, sanctimoniæ, consolationis, gloriæ. Apostolus appellat [h] φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Quæ *jussio* (Verbum enim Evangelii non continet tantum *persuasionem*, verum etiam *mandatum*:) animata virtute potentiæ cœlestis, similem producit effectum, quem jussio Divina, SIT LUX [i]! & Christi Jesu *alta voce* clamantis, LAZARE PRODI FORAS [k]! Exemplum loquutionis sumptum est à Regibus, qui Regno inaugurari soliti, subinde carceres recludi, & vinctos latentesque in tenebris voce præconis publici in lucem libertatemque vocant. Hoc medio Dominus *erigeret terram*, & *hæredia desolata* veris hæredibus *divideret*. Nihil hic fit absque Verbo gratiæ; cujus effecta ut sub variis veniunt figuris; sic omnia inter se arctissimo & individuo nexu plexuque cohærent, ut unum ex alio duci queat; unum alterius caussa, idemque effectum sit. Primus autem PRÆCO hujus Verbi fuit ipse Filius Dei [l], ad id ipsum à Deo Patre *conservatus* ejusque ἔκτυπ-

Quanto *Gentes* sunt rudiores & magis alienatæ à Deo: tanto hoc nomen iis verius convenit.

Deserta illa *Gentium* describuntur ex sensu spirituali.

Quid mystice valeat *civitates desolatas instaurare*?

Unde hic desumpta sit metaphora?

Significatio vocis קוּם.

Phrases, *Erigere terram* & *esse in lucem Gentium*: inter se comparantur.

Hoc Officium esset consequens *conservati Messiæ*, & *Apostolorum* ejus.

Illustratur ex Exemplo Jonæ.

Christus Jesus alter Josua.

Hæredes primi hic sunt Credentes ex Judæis.

Alter fructus. *Vincti mittendi essent in libertatem.*

Quales hic intelligendi sint *Vincti* & *Captivi*?

Et per hos *qui in tenebris sunt*.

Exire horum Captivorum spiritualium declaratur.

Unde hic sumpta sit similitudo?

Quibus personis hic

[a] Cap. XXXV. 6. XLI. 18. 19. [b] Gen. XVII. 4. 5. XXII. 18. [c] Jer. III. 19. [d] *Observ. Sacr.* Lib. V. Cap. IV. V. & seqq. [e] Confer Cap. LXI. 1. Zach. IX. 11. 23. [f] Ephes. V. 8. [g] Gal. III. 23. [h] 2 Cor. IV. 6. [i] Gen. I. 3. [k] Joh. XI. 43. [l] Heb. II. 3.

effectus tribuatur?

ἐπιστρέφων nactus; idemque omnium aliorum Præconum Doctor, Exemplum, Auctor, quippe qui in ipsis & per ipsos, à Spiritu ejus affectos, *loquitur*. Inde hæc verba rectissime ad ipsos quoque, quà missos à Christo, & ad *corpus* ejus *mysticum*, referuntur, ut facit Apostolus 2 Cor. VI. 2. *Dies complacentiæ & salutis* non terminatur aut circumscribitur tempore *apparitionis ejus in carne*; *suscepti muneris Doctoris publici*; *Victimæ* Deo in extremis vitæ ejus *oblatæ*; & *gloriosi* de morte triumphi. Totum tempus consequens ejusdem est adspectus. *Complacentia Dei* in Christo ut capite Redemptorum se extendit ad omnia ejus membra: *salus* ab ipso parata ad omnes pertinet electos. Consequens itaque omne tempus *gratiæ* est, quo Deus omnes *exaudit* se in nomine Filii sincere invocantes; & omnibus *auxilium* submini-strat id ab ipso humiliter petentibus. Dictum Domini [a]: *Amen, amen dico vobis: quæcunque petieritis à Patre meo in nomine meo, me id vobis daturum esse.* Ecclesia enim acciperet *Spiritum Adoptionis, per quem clamaret*, ABBA, *Pater*. Apostoli autem & Ministri, qui partem facerent Ecclesiæ, ut ut contempti & contemptibiles κατὰ σάρκα, ipsi quoque *in nomine Christi* operam darent Fœderi Gratiæ, à Domino & capite suo sancito, promulgando confirmandoque tam Verbo quam Miraculis; *loca desolata erigerent*; & *occuparent hæreditatem Gentium*, eamque aliis *dividerent*, fundando ubique Ecclesias; *vinctos* vel à Lege vel à Satana, *solvendo*, & tanquam præcones publici *sedentes in tenebris* vocando in lucem libertatemque.

Dies complacentiæ & salutis quam late se extendat?

Apostolorum quænam hic sint partes?

(b.) *Status* Ecclesiæ collectæ, respectu *accidentium* suorum tam *internorum* quam *externorum*.

a. *Commoditas Pascui.*

(b.) *Status Ecclesiæ collectæ.*

℣. 9. *med.* PROPTER VIAS PASCENT; *& in omnibus* EMINENTIORIBUS LOCIS *pascuum illorum erit.*] Mirificus est Propheta in omni sua oratione & fictione. Quos modo proposuerat ut *vinctos* & *incarceratos* per Verbum Evangelii solvendos vindicandosque in Libertatem: hic & sequentibus exhibet sub emblemate *Gregis*, qui in commodis locis pasceret, sub cura fidelissimi ac providi Pastoris; cura ejus ab ardente & æstuante Sole præservaretur; & pastu ac potu ad omne desiderium suum reficeretur: unde intelligis, verba hæc pertinere ad *Statum Ecclesiæ collectæ* per eas ditiones Orbis terrarum, in quibus per Verbum Evangelii plantata obtineret *hereditatem Gentium*. Sunt autem plura attributa Ecclesiæ ejus temporis, hic accumulata; quæ distincte recensenda & explicanda sumpsi, ne quid intactum imprudens præterirem. Simplex positio, quæ se non ad *hos* modo *incisum*, sed & ad sequentia extendit, & *fictionis* hypothesin continet, est, ירעו PASCENT; quæ eadem repetitur in voce, מרעיתם PASCUUM ILLORUM ERIT. Ubi non potest esse attendenti dubium, quin vox רעה, quæ perinde ac Latina *pascere* tam de *Pastoribus* quàm de *Grege pecudum* usurpatur, hic accipienda sit *neutraliter* de *Grege*; non *active* de *Pastoribus* Gregem pasturis, ut Cl. Coccejus instituit: cum utique quod proxime subsequitur *Pascuum illorum*; & *consequentia attributa*, & totius emblematis conspectus arguat hic de *Grege* agi, & exerte Deus ℣. 10. sive Filius per Spiritum hic introducatur ut *Pastor* hujus *Gregis*. Mystice notat, credentes in Christum Jesum, vindicatos in libertatem Filiorum Dei, colligendos & concorporandos esse vinculo Fidei & Spiritus in *cœtus*, qui *ovium* & *pecudis* instar, per mansuetudinem Evangelicam subacti cura *magni Pastoris animarum*, Filii Dei, pabulo Verbi & Sacramentorum Gratiæ, consolationis Spiritus S. & totius Ministerii Evangelici, nutrirentur ad incrementum vitæ spiritualis; quo propriissimo & verissimo emblemate Ecclesia omnis; & præsertim Ecclesia Christi Jesu, pingitur in prophetiis, & pictam vidimus Cap. XI. 6. 7. 8. XXX. 24. 25. XL. 11. ad quæ loca ipsum illud emblema declaravi, & cum phrasi Christi Jesu & Scriptorum N. T. ad eam Prophetarum conformata, comparavi. Sed cum *pastus* sive *pastura* sit diversissima ratio; sive *Pascuorum* commoditatem; sive *pabuli* copiam ac bonitatem; sive qualitatem & *curam Pastorum* spectes: docet Propheta, sive Deus quem ille hic loquentem infert; *Pascuum* futurum esse in locis commodissimis; quod gemina figura explicat, sed eodem tendente. Prius est, Greges hosce Domini *pasturos esse* על דרכים PROPTER (sive quod idem valet, *apud*, *prope*, *ad*) VIAS. Quæ phrasis Interpretem merito exercet, ut sane ad primam speciem paradoxa videtur. Plerique cum non intelligerent, quid illud sit, *propter vias pascere*, verterunt, *In viis* sive; ut Hieronymus, *super vias pascentur*. Ut οἱ ὁ. Ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς βοσκηθήσονται: hoc sensu; quod ipsæ quoque *viæ*, per quas Reduces ex Exilio reverterentur in Patriam: (id enim Viri Docti hic supponunt:) hoc felici tempore *pascuæ essent*; & ipsa quoque *eminentia loca pascua* evaderent, cum cæteroquin *viæ* ad pastum pecudis ineptæ sint, & *eminentia* quoque *loca*, quippe passim *aquis defecta*. Sic præivit Kimchius, & applicuit ad contribules suos, redituros ex Exilio hoc præsenti Romano sub Messia; ubique in *viis*, in *montibus* inventuros necessaria ad vitam subsidia. Grotius quoque amplexus est, & plures alii in ipsis hisce verbis ad mysterium Evangelii applicandis sequuti sunt versionem. Sed est meditatio, ut videtur, ab hoc loco aliena. Emblema totum nos monet non de *Grege* qui à Pastore in hunc illum locum *ducitur*; sed qui *stabili* in loco *pascitur*. Quod autem Int. Hebræus ait, *eminentia loca* ad pastum esse inepta; aliter se habere, mox videbimus. Deinde, fictio *Gregis*, *in ipsis viis publicis* pasti, ut videlicet *viæ* in *pascua* converterentur, aliena est à natura rei; nec videtur Propheta cujus omnia emblemata sapientissime picta sunt, ea usurus esse. Sunt itaque alii, qui ita accipiunt; PER VIAS, id est, *passim*, *ubivis locorum*. Forerius; *Super vias*, id est, *in planis locis*. & obvenerunt etiam alia, in quibus non potui acquiescere. Phrasis, *apud vias* & *in eminentibus locis pascere*, ex meo sensu valet, *pascua* habere, non in *Desertis*, (quorum proprietas est, non *habere vias* [b]; nec *frugiferos* atque *amœnos colles* in quibus Greges pecudesque cum delectatione *pascunt*:) sed in cultis habitatisque locis, per *vias publicas* distinctis; & in lætis gramine *collibus*, iisque subjectis *vallibus*; ubi commodissima pastio est. Apud Veteres in Oriente pastus per *Deserta* (dicebantur autem hoc nomine loca steriliora, communis usus, non divisa in agros, nec rivis aut fluentis quantum satis erat irrigata:) fuit frequentissimus; sed *pastio* illa semper habita est *pecudi*, in vagis vastisque locis, qualia erant Deserta Arabiæ, erranti; & Pastoribus aut Custodibus pecudem ducentibus, incommodior; quod errores *Deserti* per se injucundi & incommodi ob necessariorum penuriam sint; & Pecudes gregesque expositi essent incursui ferarum, iis insidiantium. Cl. de Dieu hic rursus urget, vocem שמים hic non esse vertendam per *eminentia loca*, sed per *planicies*, campos, perinde ac Cap. XLI. 18. sed forte paucis persuaserit. Etymon vocis, & usus per Scripturam S. favet communi interpretationi, quæ eandem reddit per *eminentiora*, *celsiora*, *loca*, ut sunt *montes & colles*. Est autem ita, ut modo dicebam; pastum olim in frugiferis fertilibusque montibus & collibus, iisque à fontibus irrigatis, cujusmodi montes fuerunt *Basan* & *Carmel*, habitum esse, ut amœnissimum, quà Pastoribus, quà Gregibus; sic pecudi saluberrimum. Confer loca Jer. L. 19. Mich. VII. 14. cum loco hujus Libri Cap. XXXIII. 9. Ezechiel [c]: *Et pascam eos*, (verba sunt Dei de Israëlitis:) *in* MONTIBUS ISRAELIS, *in* CA-

Nexus orationis.

Σχῆμα orationis mutatur.

Vindicati in *lucem* & *libertatem* comparantur *Gregi* qui *pascerer.*

Emblema declaratur. *Pastura spiritualis* exponitur.

Analoga huc allata.

Pascui commoditas. *Pascerent* PROPTER VIAS.

Varia illius interpretatio.

Sunt qui vertunt *super vias?*

Sensus secundum ipsos.

Emblema videtur intelligendum de *stabili pastura.*

Probabilis expositio phrasios.

Pastura in *Desertis* apud Veteres frequens, exponitur.

Notatio vocis שמים.

Pastus olim in *montibus* & *collibus* frequens.

a Joh. XVI. 23. b Confer Cap. XLIII. 17. cum Job. XII. 24. c Cap. XXXIV. 13.

vis, (ubi est collectio aquarum in montibus quæ ibidem sæpe faciunt stagna & lacus,) *& in omnibus habitatis* cultisque *locis terræ*. Idem quod in loco hoc nostro. Quæris sensum spiritualem? Est hic loci facillimus & obvius. Docetur sub hoc emblemate, Ecclesias Christo Jesu ut Pastori summo primo tempore gratiæ non esse colligendas in locis obscuris, ignotis, longissime dissitis à culto Orbe; verum in celeberrimis, cultissimis, atque eminentissimis locis Romani Imperii, in quibus usus hominum & commercia maxime vigerent. Sic Dominus in Parabola ad Servos suos [a]: *Ite ergo ad* COMPITA VIARUM, (διεξόδους *bivia*, quibus *trivia*, *quadrivia*, quoque complecteris) *& quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* Ergo ubi ex Historia Sacra & Ecclesiastica recognoscis, Ecclesias primo illo tempore Christo Jesu collectas & à fidelibus ministris ejus pastas esse Antiochiæ, Alexandriæ, Tyri, Ephesi, Thessalonicæ, Corinthi, Romæ, aliisque eminentissimis locis Romani Imperii; videris implemento hujus prophetiæ nihil deesse. Et tamen verum est, quod docebunt sequentia; hic præcipue respici optabilem Ecclesiarum Christianarum Statum, quo non tantum cum delectatione, verum etiam cum securitate in celsioribus Urbibus Romani Imperii locatæ ac plane confirmatæ floruerunt: quo beneficio Ecclesia Christi gaudere cœpit sub Constantino. de quo mox plura monebo.

Sensus spiritualis hujus Emblematis declaratur.

Evangelium prædicaretur & Ecclesiæ colligerentur in locis frequentia & commoditate celebratis.

Qui sensus ampliatur.

b. Sufficientia & abundantia *Pabuli spiritualis.*

℣. 10. *Non* ESURIENT, *&* NON SITIENT.] *Fames* & *sitis* proprium attributum est *cupiditas* ac desiderium *cibi* & *potus*; quem status naturalis ad defectum suum explendum exquirit: quare *fames* & *sitis* hoc sensu in spirituali statu significant proprietates laudabiles ac plane necessarias desiderii atque appetentiæ Communionis Dei in Gratia, Regni & Justitiæ ejus, & Mediorum salutis; qui laudatissimus animi affectus sæpe sub hac notione in Sacris venit & commendatur [b], ut vulgo notum. Sed cum *fames* & *sitis* sæpe oriantur ex indigentia ac defectu necessariorum mediorum, quibus eadem sedatur ac restinguitur; eaque indigentia ac defectus hominī molestissima sit: hinc fit, ut in contrarium sensum *fames* & *sitis* tam in spirituali, quam naturali statu sumantur pro tristi ac plorabili statu indigentiæ earum rerum, quibus quis opus habet ad statum sustinendum, quasque ut tales ardenter appetit. quomodo Vates noster [c]: *Propterea sic dicit Dominus Jehova: Ecce servi mei edent; at vos* ESURIETIS: *ecce servi mei bibent; at vos* SITIETIS. Dominus Jesus [d]: *Qui venit ad me, nequaquam* ESURIET; *& qui credit in me, nequaquam* SITIET. Posteriore modo hic usurpari emblema, non est dubium: metaphora proxime sumpta à pecude, quæ in graminosis locis ad fontes rivosque luxuriose pascit, & pascendo pinguescit. Ergo secundum primum & vulgatum sensum dicit Jesaias his verbis; Ecclesiam collectam à Ministris Evangelii inter Judæos & Gentes nulla laboraturam esse penuria rerum sibi ad statum suum sustinendum necessariarum; quippe Deum sua curaturum providentia, ut ne necessaria subsidia tam Ministerii Verbi quam Gratiæ omnis generis & veræ Consolationis ipsi unquam desint; sed eadem ipsi abunde esse suffecturum; & *suppleturum* πᾶσαν χρείαν OMNEM INDIGENTIAM Ecclesiæ *secundum glorioſas ejus divitias in Christo Jesu*, ut Apostolus ad *Philippenses* [e]; secundum emblema quod est in luculentis locis Ps. XXIII. 1. Mal. IV. 2. *Cibaret* Ecclesiam, eductam ex Ægypto spirituali, in Deserto Gentium, *pane cœlesti*, hoc est, fulcimento illius Gratiæ quæ in Christo Jesu est & ex ipsius petitur communione; & *potaret eam ex Rupe*, ab his qui in Cathedra Mosis sedebant secundum Dei consilium & voluntatem percussa & scissa; hoc est, Donis & Consolatione Sancti Spiritus, manantibus ex Christo Jesu, (ad exteriorem aspectum Rupe sterili,) passo & mortuo; & quidem longe uberiore mensura, quam qua gavisa erat Ecclesia sub Vetere Oeconomia. Sustineret credentes factos Sacerdotes mysticos in Templo spirituali, eosque ibi cibaret & satiaret in sua communione ad omnem suam lubentiam [f]. Quas *divitias* quasque *opes* spirituales; (quo nomine Scriptores N. T. passim de hisce subsidiis Divinæ Gratiæ loquuntur [g],) quod supplementum & complementum, (πλήρωμα) quamque *copiam* Gratiæ ac consolationis, cum statu spirituali ac cœlesti sub Regno Messiæ conjungendam, omnes prædixerant Prophetæ, designantes hoc beneficium Divinæ gratiæ nomine *satietatis*. Sic Poëta sacer [h]: *Edent mansueti*, (Populus Christi,) & SATURABUNTUR. Jeremias [i]: *Irrigabo animam Sacerdotum adipe, & Populus meus bono meo* SATURABITUR. Vates noster singulari emphasi [k]: *Sugetis & SATURABIMINI ex uberibus consolationis ejus*, &c. Ecclesiæ. Exemplum implementi habes Act. IX. 31. & in *Epistolis* Paulinis ad *Ecclesias Gentium*. Hic primus est sensus dicti & promissi Divini; in quo tamen non est subsistendum. Latior est verborum aspectus & sensus. Verba, *Non esurient & sitient*, significant ampliore sensu; Ecclesias illas redemptorum beneficio Divinæ Providentiæ gavisuras esse omni bono quod ad consolationem suam perfectam desiderarent; sive, Deum omne justum Ecclesiæ desiderium esse expletum. Dum Ecclesia, inter Gentes, licet secundum statum suum spiritualem à Deo conservata & sustentata, succumbebat potestati Rectorum Mundi, eam subinde gravius affligentium, anhelabat ad beatum illud & lætum tempus, quo *sancti mundum judicarent* [l], & credentes in Christum *in terris* quoque *regnarent* [m]; quoque sibi liceret sanctissimam Religionem suam tranquille ac secure exercere. cui justo desiderio antequam satisfactum esset: censebatur adhuc *esurire & sitire*. id vero cum adepta esset sub Constantino, ad cujus tempora hic respicitur, ut in *superioribus* vidimus, & ex *sequentibus* clarius adhuc patescet; tum hac parte *esurire* ac *sitire* desiit: desinet autem plane *esurire* ac *sitire*, postquam ab omni persequutione & afflictione liberata Deus omnia promissa, ipsi facta, dum in terris hisce hospitatur, impleverit ac repræsentaverit; perfecta gavisura pace ac tranquillitate: quomodo Spiritus nos docuit hæc verba interpretari in Viso *Sigilli sexti*, sub cujus finem exponuntur gerenda sub *Periodo Sigilli septimi*, Cap. VII. 16. ad quæ videnda quæ in loco commentatus sum.

b. Abundantia Pabuli spiritualis, ℣. 10.

Non esurient, &c.

Famis & sitis respectus in Statu spirituali.

Subinde sumuntur pro *affectione vitiosa.*

Loca huc facientia.

Qui sensus hic obtinet, & declaratur.

Cura Dei erga Ecclesiam N. T. ne ei deessent media salutis & consolationis.

Copia & abundantia Mediorum salutis à Prophetis prædicta.

Loca in hanc rem.

Ampliori declaratio hujus beneficii.

Involvit Liberationem Ecclesiæ à Persecutione.

Primum implementum hujus beneficii sub Constantino

c. Immunitas ab *afflictione & persequutione.*

Et non FERIET *illos* ÆSTUS, *&* SOL.] Ἐν διὰ δυοῖν, h. e. *Æstus solis*, sive *Sol æstuans*, ut quando æstivis temporibus nobis de meridie verticibus nostris gravis imminet: neque enim semper *æstuat*. habuimus vocem שרב Cap. XXXV. 7. Hæret Spiritus S. in eadem metaphora. Æstus solis urentis meridiani ut gravis est hominibus, in his regionibus quæ propius adjacent imperio Solis; sic nocivus ac detrimentosus gregibus, qui proinde ex consuetudine antiqua *circiter meridianos æstus*, (phrasi Varronis,) in antecessum poti, à Pastoribus *sub umbriferas rupes* aut *arbores patulas* ducuntur, ut, postquam deferbuerit æstus, reducantur ad pastum, circa occasum Solis; de quo præcepto artis Pastoritiæ multa collegit ὁ πάνυ [n]. Dicitur autem *Sol*, eos quibus æstu suo gravis est, *ferire*, *percutere*, πατάσσειν, ut οἱ ὁ. (quæ notatio est genuina vocis הכה [o],) quod acumine radiorum suorum, instar sagittarum recta linea vi adactorum, in corpora hominum atque animantium penetret, eaque faciat langueſcere, subsidere,

c. Immunitas Ecclesiæ à Persecutione, ℣. 10. *med. Non ferient illos æstus, &c.*

Metaphora orationi subjecta declaratur.

Cl. Bochartus laudatus

Emphasis vocis *percutere*, h. l.

---

[a] Matth. XXII. 9. [b] Cap. LV. 1. Confer Ps. CXIII. 2. Matth. V. 6. [c] Jes. LXV. 13. [d] Joh. VI. 35. [e] Cap. IV. 19. [f] Ps. LXV. 5. coll. cum Apoc. VII. 15. [g] Rom. XI. 12. Col. II. 2. 2 Cor. VIII. 9. [h] Ps. XXII. 27. [i] Cap. XXXI. 13. [k] Cap. LXVI. 11. [l] 1 Cor. VI. 2. [m] Apoc. V. 10. [n] Hieron. Part. I. Lib. II. Cap. XLVI. [o] Confer Jon. IV. 8. Ps. CXXI. 6.

dere, ac sæpe concidere, veluti à sole prostrata cæsaque essent. Non est obscuri sensus emblema. Notat statum Ecclesiæ, quo sub umbraculo Divinæ Potentiæ ac Providentiæ adversus Imperatores & Rectores Mundi Ecclesiæ infestos, eamque ardenter persequentes, munitur ac defenditur, & à persequutione & afflictione publica vindicata sub umbra alarum ejusdem tutricis ac protectricis Providentiæ Divinæ secure quiescit; quod attributum Ecclesiæ contemplati sumus Cap. IV. 5. 6. Spiritus ipse nos ita interpretari docuit hunc locum Apoc. VII. 15. 16. Reges & Potestates mundanæ, magna splendentes gloria, subditis imperio suo graves, & inprimis Ecclesiam Christi, illorum odio & furori absque tegmine expositam, acriter persequentes, & quà licet, ferientes, comparantur Soli, hominem in planis desertisque locis, ubi umbracula nulla sunt, urenti & quo quo vaserit, persequenti: quam similitudinem declaravi ad insignem locum Cap. XXV. 4. 5. Inde promissum Ecclesiæ datum [a]: *De die* SOL *te non percutiet; nec* LUNA *de nocte.* Nec *Politica* potestas; nec *Ecclesiastica*, quæ sæculis ignorantiæ magnam sibi arrogaret potestatem auctoritatemque, & sanctos fidei confessores, quos ex officio tueri deberet, anathematibus edictisque suis pungeret, feriret, ureret, iisque gravissimam concitaret afflictionem. Ubi veritas, ais, & implementum promissi & prædicti? Ecclesia enim Christi per tractum longi temporis afflicta est variis persequutionibus; &, si statum ejus complexe inspicias, vix unquam iis libera fuit. Respondeo, *a.* Prophetam proprie his verbis non describere Statum Ecclesiæ omnis temporis, sed certi temporis, postquam eluctata esset *afflictiones* quas Divina Providentia ei destinaverat. illius, inquam, temporis quo *Reges viderent, & surgerent*; & *Principes* se coram Christo & Ecclesia *incurvarent*, ℣. 7. Ipsum illud promissum, quod hoc loco consignatur, fit Ecclesiæ *contemptæ afflictæque*; quæ hoc erigitur solatio, fore, ut defuncta lucta sibi à Deo decreta felicem hunc statum in terris assequeretur; quod clarissime liquet ex *sequente pericopa*, quæ incipit à ℣. 14. Convenit itaque hoc attributum Ecclesiæ in tempus Periodi *Sigilli sexti* [b], ubi in Viso exhibetur *numerosa turba* omnis *Gentis, Linguæ & Populi*, confessorum & martyrum, indutorum *stolis albis*, & *palmas* gestantium *manibus*, gravi functorum afflictione; ad quam turbam Presbyterorum unus Joannem erudiens applicat ipsa hæc verba quæ tractamus. Quandoquidem vero Eventa hæc *Sigilli sexti*, (quæ in *finem sexti* & in *initium septimi temporis* ex hypothesi mea inciderent,) ab Interpretibus vel referuntur ad tempus Constantini; vel ad glorioſum Ecclesiæ tempus in fine Sæculorum: (pro diversa hypothesi *Sigillorum* interpretandorum:) patet, Statum Ecclesiæ Christianæ, (ut fere solent Prophetæ V. T.) hic exhiberi in sua perfectione; ad quem statum demum perveniret, postquam primum de Paganismo, dein de Antichristianismo, triumphasset: quare hæc verba primum & proximum implementum emphaticum nanciſci cœperunt tempore Constantini; amplius adhuc & illustrius consequutura, post destructum Antichristianismum. Jesaias enim pluribus locis Libri sui de Statu Ecclesiæ N. T. loquens, (& quoque Prophetæ alii,) eum describit, qualis locum haberet in terris summe perfectus. Confer Cap. XI. 4. 5. seqq. XXXV. 1. seqq. β. Memini alibi monere, quod ita se vere habet; homines historiarum imperitos de singulari cura Providentiæ Divinæ erga Ecclesiam, locatam sive in Judæa, sive in provinciis Imperii Romani, minus cogitare ac præsumere quam debebant. Divina enim hæc Providentia fuit admirabilis. Herodem Agrippam, cum Ecclesiam affligere inciperet, Deus extinxit, inhibuitque furorem Judæorum Ecclesiæ in Judæa infestorum per Procuratores Romanos. In Italia & Provinciis Romani Imperii per integros centum & quinquaginta annos, à Domitiano ad Decium, Imperatores in eam generalibus Edictis non sævierunt; procuravitque idem Deus sua bonitate, ut quando suscitatæ sunt persequutiones adversus Ecclesiam, subinde furioso impetu, & certo consilio Populi Christi Jesu vastandi atque exterminandi, semper hinc inde allata sint temperamenta, quæ vim & impetum earum in variis locis retuderint, & infregerint, easque mitigarint. quod in ipsa quoque accidit Persequutione Diocletianea. γ. Sepositis etiam ipsis hisce animadversionibus, (quas tamen seponi nolim, quippe ad intelligentiam hujus prophetiæ necessarias,) teneo & assero; nihil hoc loco dici de Ecclesia Christi Jesu, quod secundum spiritualem ejus statum de omni tempore ejus dici nequeat. De *Gregibus* Redemptorum Domini omni tempore, verissime dicitur; non *feriri eos à Sole & æstu*, quia *Sol & Æstus* eos non feriunt *cum effectu*; ut videlicet æstui succumbant, & à vi æstus victi languescant, exhauriantur, & percussi concidant. Contra vero Spiritus S. iis subjicit omni tempore vim recentem suæ Gratiæ, per quam *æstum*, non sustinent tantum, verum etiam vincunt. Pressi, afflicti, persequutionibus ad usque mortem acti, non *vincunt* tantum, verum etiam *plus sunt quam victores per eum qui ipsos dilexit* [c]. *Gloriantur in ipsis afflictionibus* [d]. Ardores Solis acerrime urentis detegunt atque illustrant illorum virtutem ac fortitudinem. *Persequutionem patimur*, (sic Apostolus [e] expertus miles Christi Jesu;) *sed in ea non deserimur. καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι.* DEJICIMUR, AT NON PERIMUS. Hæc sors est electorum, qui veram Ecclesiam faciunt. Victi vincunt; prostrati resurgunt; & dirissimos cruciatus mortis cum lætitia & gloriatione subeunt, ut ipsa morte sua Deum glorificent; & morientes vincant; & *vita Christi in carne ipsorum manifesta fiat.*

Quia MISERATOR ILLORUM *illos* DUCET, *& ad scatebras aquarum* AGET ILLOS.] Referenda sunt verba ad utrumque Ecclesiæ attributum modo expositum. *Non feriet illos sol & æstus*, quia Miserator illorum illos ducet, instar Pastoris providi atque in Gregem suum optime affecti, qui Gregem suum non sinet sub ardoribus Solis fatiscere, sed ardente Sole ei procurabit umbrosum refrigerium: *Non sitient* autem & *esurient*, quia illos aget ad *scatebras*, (scaturigines, sive profluvia, manantia ex fontibus aut rivis aquæ limpidæ inexhaustis, quæ genuina notatio est vocis מבועים) *aquarum copiosarum*, quibus qui adjacent agri passim gramine læti floridissimum præbent aspectum, & gregibus pabulum saluberrimum. Idem est quod habuimus Cap. XL. 11. *Tanquam* PASTOR *Gregem suum pascet.* Dicitur de *Filio Dei*, cujus *Pasturam spiritualem* ibidem expositam dedi. Nunc solummodo Interpretem adhibeo eundem Spiritum, edocentem Joannem de mysterio Visi *Sigilli sexti* [f], ubi postquam ex hoc loco dictum esset, eos qui evaserant gravissimam afflictionem, nec fame, nec siti, nec æstu Solis, pressum & oppressum iri; subjicitur [f]: *Quoniam* AGNUS, *qui in medio throni est, eos pascet, & deducet eos ἐπὶ ζωὰς πηγὰς ὑδάτων,* AD VIVOS FONTES AQUARUM. Per *ductum* sive *pasturam* hic in genere ἐντατικῶς intelliges omne Opus Oeconomicum curæ & providentiæ Christi Jesu erga Ecclesiam suam in hisce terris, quo ei providet de Legitimo Ministerio, & per Ministerium de necessariis salutis mediis; eam conservat; è discriminibus & adversis, quæ eam obrutura videbantur, liberat; defendit adversus hostes externos & internos, statumque ejus universum per Orbem terrarum ordinat secundum dictum ejus [g]: *Ecce* EGO VOBISCUM SUM *omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi.* Sub *ductu ad fontes aquarum* subaudies τὴν ἐπιχορηγίαν *subministrationem* omnium mediorum veræ consolationis; sive omnium earum rerum, quæ

Sensus spiritualis Emblematis exponitur.

Locus Ps. CXXI. 6.

Quatenus huic promisso facta fit fides, quæritur ex historia.

Promissum h. l. adstringitur ad certum Ecclesiæ tempus.

Convenit Viso *Sigilli Sexti*, Apoc. VII. 15. 16.

Diversæ de ejus implemento hypotheses huc referuntur.

Stylus Prophetarum in depingendo Ecclesiæ statu.

Multi nimis tenuiter cogitant de singulari cura Providentiæ Divinæ erga Ecclesiam Primævam.

Res tota è principiis suis declaratur.

Attributum hic memoratum *spirituali* Ecclesiæ statui semper convenit.

Quod declaratur.

Quia MISERATOR *illorum illos* DUCET, *&c.*

Verba Prophetæ exponuntur.

Verba Prophetæ comparantur analogis Apoc. VII. 17. & ex iis explicantur.

Pastura spiritualis describitur.

Quid hic sit *ductus ad fontes aquarum?*

[a] Ps. CXXI. 6. [b] Apoc. VII. 16. [c] Rom. VIII. 37. [d] Rom. V. 3. [e] 2 Cor. IV. 9. [f] Apoc. VII. 17. [g] Matth. XXVIII. 20.

in se habent *materiam* exuberantis ejusque *ἀωνίε aternæ consolationis*; cujusmodi sunt, *Doctrina Evangelii*, ad animum hominis efficaciter applicata ad lætitiam & consolationem per Spiritum S., & externa signa *favoris & curæ peculiaris* Christi Jesu erga Populum suum; ex quibus Credentes, in Deo confidentes, clarissime intelligunt & percipiunt, Rectorem Pastoremque suum Gregi suo adesse: veluti, ubi eos vindicat ex discriminibus & calamitatibus; hostes Ecclesiæ confundit & prosternit; eam purgat à scandalis; Doctores & Pastores eidem sufficit sapientes, fideles, sanctos, zelotas, in doctrina justitiæ bene exercitatos & dotibus Gratiæ pollentes; eam auget atque ornat insignibus incrementis tum confessorum veritatis; tum profectus in cognitione viarum Dei & studio sanctimoniæ; & cum his omnibus ei conciliat pacem & securitatem, eique distribuit hæreditatem Mundi. Confer Ezech. XXXIV. 16. 17. Hæc est *materia* solatii Ecclesiæ. Hic est effectus *miserationis* Dei Patris, quem Apostolus vocat [a] *Patrem miserationum*, & *Deum omnis consolationis*, *qui* electos *consolatur in omni sua afflictione*; in quo Scriptura S. nos spectare vult fontem & principium omnium donorum immensæ illius Gratiæ, quæ mortalibus ex liberrimo ejus consilio dispensantur [b]: idemque productum τῶν σπλάχνων Ἰησῦ Χριςῦ, *viscerum Christi Jesu* [c], (cujus hic proximus est respectus ut *Pastoris & Miseratoris* suorum, magni Pastoris animarum [d],) qui misertus Ecclesiæ electorum, hoc Pastore indigentis, postquam à Pastoribus ψευδωνύμοις, longum neglecta in exitium itura esset, curam omnem, dilectionem, & miserationes suas in ejus salutem profundit [e]. Sic habet sana doctrina Verbi Divini, in quam hic latius non excurro; cum hoc argumentum, maximæ quidem, & jucundæ, sed vulgatæ contemplationis, in superioribus à me tractatum sit. Ecclesia Christi Jesu in Mundo adversus omnia Satanæ molimina plantata, conservata, purgata, defensa, recta, est effectum infinitæ miserationis Divinæ; sed spirituali oculo inspiciendum.

Effecta hæc referuntur ad causam, *Miserationem Dei*: eaque doctrina confirmatur.

d. Mirabile illius *Incrementum*, Deo sua providentia favente.

d. Mirabile incrementum Ecclesiæ, ℣. 11.

℣. 11. *Et ponam* OMNES MONTES MEOS *in viam planam, &* SEMITÆ MEÆ ELEVABUNTUR. ℣. 12. *Ecce illi* E LONGINQUO *venient; & ecce isti ex Septentrione, & ab Occidente; & hi ex* TERRA SINIM.] Nihil in pingendis emblematibus imperfectum relinquit Propheta. Præter tot privilegia alia, quibus Deus Ecclesiam Populi sui honestaret, requirebatur ejus incrementum, & ad eam concursus & confluxus Gentium; & quidem concursus liber, per vias minime salebrosas & impeditas: quod attributum Redemptorum hic describitur, *binis commatibus*, quæ inter se conjungenda, non ab invicem divellenda sunt. Prius enim quod hic memoratur, de *planandis montibus*; facit ad declarandum *subsequens*, quo Populi Ecclesiæ aggregandi *è longinquo venturi* dicuntur. nempe curaturum esse Deum, ut id commode ac tuto facere possint, *planando montes & extollendo* semitas. Id vero necessario hic est monendum, ne superiora quæ jam exposita dedi, trahantur ad emblema *Judæorum* qui ex Exilio Babylonico in Patriam *redirent*; ut bene multi Interpretes instituunt. Non enim in superioribus, sed hic demum occurrit mentio eorum, qui se Ecclesiæ, ab Apostolis ex Judæis & Gentibus collectæ, adjungerent, eoque consilio ex longe dissitis venirent oris. Ergo hic primo *medium* accelerandi concursus & confluxus Proselytorum; & dein ipse ille *concursus*, à quatuor cœli plagis describitur. Quod ad prius attinet: dicitur Deus *omnes montes* SUOS *positurus in viam; & semitas suas aggeraturus.* Sic vertenda verba. Vox רום Hebræis æque notat ὑψοῦσθαι *altum fieri, elevari, exaltari*; ac ὑψηλὸν εἶναι, *altum esse, eminere.* Vox מסלה *semita*, *generis debilioris*, construitur cum ירמן *exaggerabuntur*, terminatione *generis fortioris*, (quæ enallage *generis* Hebræis frequens est usu:) cum respectu ad vocem נתיב, quæ est *terminationis masculini*; & quæ tamen vicissim *terminatione fœminini* usurpatur. Emblema, quo Vates hic utitur, sic accipiendum videtur; Deum, ut facile redderet & expeditum iter his qui aliunde ad Ecclesiam confluerent, *montes* esse *planaturum*, & *semitas convallium exaggeraturum*, ut æqua planaque, & simul alta tutaque via, proselyti Gentium, obstaculis omnibus remotis, adire possent Ecclesiam, seque communioni ejus adscisere. Solet enim *ascensus & descensus montium* viatores *lassare*, & *morari* quoque. Non est id inobservatum Intt. hujus loci, qui cum hoc emblemate comparare solent simile Vatis nostri ex Cap. XL. 3. *Omnis vallis exolletur; & omnis mons & collis deprimentur.* Non intercedo admodum; nec tamen dixerim, emblema plane idem esse. Ibi enim desumitur metaphora à Rege, qui cum Exercitu expeditionem suscepturus, viam sterni parariique, atque adeo colles vallesque planari, facit: hic à viatoribus, qui per stratos munitosque & æquos aggeres facilius & commodius iter conficiunt. Ibi nulla hactenus in Desertis, per quæ Rex exercitum ducturus est, supponitur esse via: sed in hoc emblemate nostro jam subintelliguntur esse מסלות *viæ tritæ* & *aggeratæ*, sed magis etiam aggerandæ; & cum viis montium coæquandæ. Quæri autem potest, quales hic in emblemate denotentur *montes*, planandi *in viam*, qui hic appellantur *montes Dei?* An Canaanææ solius, quæ terra dicitur *terra Jehovæ* [f]; cujusque *montes*, Ezechieli dicti *montes Israëlis* [g], censeri possent vero nomine appellari *montes Dei?* Num potius *montes* aliarum Regionum Mundi, per quos Populi Ecclesiæ aggregandi iter facerent, quo se Ecclesiæ cujusque loci adjungerent? Posterius hic amplector, cum scena hujus emblematis non figatur in sola Canaanæa; sed in schemate Prophetiæ manifeste supponantur Ecclesiæ Redemptorum perinde inter Gentes, ac inter Judæos, fundatæ esse initio temporis Gratiæ. Deinde, cum Proselyti, adcorporandi Ecclesiæ, hic ponantur ex longinquis Regionibus magnum iter emensuri; quem magnum usum caperent ex planatis montibus terræ Canaanææ, cum montes illi non sint ex altissimis; & via per Canaanæam euntibus Tsionem nec adeo longa, & satis trita esset? Ergo alluditur hic ad *magnos montes* qualescunque, qui iter facturis possunt esse impedimento, veluti Taurus, Libanus, Amanus, Caucasus, Zagrus, Olympus, Alpes, & his similes plures. qui appellantur *montes Dei*, stylo Scripturæ S. [h] non tantum eo sensu quo *terra* & *plenitudo ejus*, JEHOVÆ *esse* dicitur [i]; verum quod magnæ illæ & vastæ moles, per quas regiones Populorum ab invicem distinguuntur, quæque eædem ortum dant fontibus & fluminibus, mirabile quoddam sint productum Divinæ Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Providentiæ, & Curæ erga genus humanum, cui terram colendam destinaverat: de quo memini differere, ad Cap. XL. 12. Amosus magnificum quid de Deo prædicaturus [k]: *Ecce*, FORMAT MONTES. Confer Ps. LXV. 7. Plus ad hoc emblema non existimo pertinere: *montes* enim hic non spectantur ut *inhabitandi*, (cujusmodi in mundo multi sunt, & in montosa Canaanæa noti plures,) sed ut vastæ eminentesque moles, tanquam obstacula & impedimenta itineratorum.

Summa hujus Pericopæ.

Magnus esset *concursus* ad Ecclesiam; isque *liber*.

Primum est, Deum *exaggeraturum semitas*,

& *montes* versurum in *viam*.

Animadversio Grammatica.

Cur hic mentio fiat *planandorum montium*?

Emblema differt ab eo quod exhibetur Cap. XL. 3.

Qui & quales hic respiciantur *montes*, qui hic dicuntur *montes Dei*?

Non respicitur hic ad Montes Canaanææ.

Sed ad alios quoscunque qui profecturis Tsionem poterant esse impedimento.

Quare magni terræ *montes* dicantur *Montes Dei*?

Sensum emblematis declaraturi Intt. passim cum Hieronymo in eo subsistunt; dicere Deum hoc loco, se obstacula & impedimenta omnia, quæ electos in Christum credituros morari possent quo minus se corpori Ecclesiæ aggregarent, amoturum esse, viamque fidei facilem expeditamque redditurum: quod eatenus non

Sensus emblematis spiritualis, ex communi judicio Interpretum.

---

a 2 Cor. I. 3. 4. *b* Luc. I. 78. Ephes. I. 3. *c* Phil. I. 8. *d* Joh. X. 11. Heb. XIII. 20. *e* Zach. XI. 4. 5. *f* Hos. IX. 3. *g* Cap. XXXIV. 14. 15. *h* Ps. XXXVI. 7. LXVIII. 16. *i* Ps. XXIV. 1. *k* Cap. IV. 13.

non male dicitur: etſi dubium non ſit, quin emblema ad complementum ſuæ interpretationis preſſius quid requirat. Vidit itaque Cl. Coccejus, & illum ſequuti docti Intt. alii, plus in hoc emblemate; ſed quod mihi ſecundum utramque ſuam partem paulo diſtinctius exponendum erit. Quod igitur ad priorem partem attinet; *Et ponam omnes montes meos in viam:* eo myſtice ſignificari poteſt, *α.* Deum tempore illo quo Gentes vocaret ad communionem Eccleſiæ ſuæ, Regna mundi, quæ videbantur progreſſum & incrementum Eccleſiæ ſufflaminatura, redacturum in *æquam planitiem* [a], quippe deſtruenda ab Imperio Romano, vel quo alio jure ventura in illius Imperii poteſtatem, ut omnes Populi florentiſſimæ & cultiſſimæ partis Orbis terrarum inter ſe haberent communionem; & Evangelium Chriſti per Provincias illius Imperii commodiſſime propagari & in iis fundari poſſet: quod ſecundum rationes humanas fieri vix potuiſſet, ſi Regna illa omnia ſuo perſtitiſſent ſtatu, ut experientia ſequentium temporum ſatis docuit. Loquor de Regnis Syriæ, Ægypti, Cappadociæ, Ponti, Aſiæ Attalicæ, Macedoniæ, Epiri, Illyrici, Hiſpaniarum, Galliarum, pluribuſque aliis quæ nunc prætereo. Fuit hæc admirabilis diſpenſatio Divinæ Providentiæ, quam ſub alio emblemate explicui & declaravi ad Cap. XI. 15. 16. *Regna* autem & *Reſpublicas* eminentiores appellari *montes*, ſtylo Prophetico; ſæpius dictum [b]; & quidem hoc in loco *Montes Dei*, quod Regna omnia & Imperia Mundi, licet reſpectu cauſſæ ſuæ immediatæ ſint κτίσις ἀνθρωπίνη, cenſeantur, ut vere ſunt, productum Divinæ Providentiæ, ut Deus rem ipſe declarat Jon. IV. 10. 11. & Apoſtolus Rom. XIII. 1. *β.* Deum ſua effecturum eſſe providentia & gratia, ut Regna Mundi, Reſpublicæ, Civitates eminentiores, quatenus ſe efferunt adverſus Regnum Chriſti Jeſu, & curſum Evangelii ac profectum credentium impediunt, h. e. quatenus ſerviunt idololatriæ, ſuperſtitioni, vitiis, planata ſuſcipiant *Legem Domini*, ejuſque admittant diſciplinam, ac ſubjiciantur Imperio ejus; ut non tantum deinceps non morentur converſionem Gentium, earumque concurſum ad Eccleſiam, verum è contrario eundem promoveant, ac facſiliorem reddant. quod initium cepit cum tempore Conſtantini; ſed ſub periodo *Tubicinii ſeptimi* complendum eſſe, monſtrat *Apocalypſis* [c], quod eſt magnum illud *myſterium*, quod Deus *declaravit inſtar læti nuncii Servis ſuis Prophetis*, hoc intervallo *conſummandum* [d]. Confer hic prophetias ex multis aliis luculentas ex hoc ipſo *Sermone*, vſ. 23. Cap. II. 1. ſeqq. LX. 10. 11. Zach. XIV. 9. 17. Pſ. LXXII. 3. & rem eandem ſub alio emblemate Cap. XLII. 15. Huc facit emphaſis, כל הרי OMNES *montes* MEOS. Sunt πᾶσαι αἱ βασιλείαι τῆς γῆς; decreto Divino ad id deſtinatæ, ut Eccleſiæ ſerviant, eique accedant; quæque proin per πρόληψιν jam appellantur *montes Jehovæ*, partem facturæ *hæreditatis Filii Dei*. Non minus jucunda contemplatio eſt alterius membri, *Et ſemitæ meæ* (*aggeres mei*, quæ eſt notatio vocis מסלה *via aggeſta*, ut ſunt *viæ publicæ:*) *elevabuntur*. Significatur eo, *α.* Fore ut Doctrina Fidei, circa illud tempus præcipue, quod hæc prophetia in emphaſi reſpicit, quæ Doctrina eſt *via* qua incedunt quotquot ſe aggregant Eccleſiæ: clarius demonſtretur ad conſcientiam, adſtruatur, vindicetur, extollatur, & omnium exponatur oculis tanquam una, vera, probataque via conſequendæ ſalutis. *β.* Ut eadem via, ſive Doctrina Eccleſiæ, *muniatur* protectione ac defenſione publica, atque adeo liceat, abſque metu diſcriminis, abſque incurſu ferarum, ſub umbra Imperii Civilis, eandem profiteri. plane ut Propheta dixerat [e]: *Et erit ibi* AGGER *&* VIA, *quæ vocabitur* VIA SANCTA, ... *quâ inceſſuri ſunt Redempti, Nec erit ibi Leo, & fera beſtia, & ſeqq.* Confer analoga de VIA ſive מסלה AGGERE in beneficium Populi à Deo redempti *elevando:* ſive redempti Jehovæ eo irent ex omnibus Mundi plagis Tſionem; ſive ex uno loco & regione in aliam, & quidem ex *Ægypto* in Aſſyriam, ad colendam communionem ſanctorum. Vide Jeſ. XI. 16. & XIX. 23. Hiſtoria hic non fallit. Doctrina Fidei & Morum à Chriſto Jeſu, clarius multo & ſimplicius quàm à Prophetis & Doctoribus Oeconomiæ antiquæ, propoſita; ab Apoſtolis tam *ore* quam *ſcriptis*, (ad quæ hic potiſſimum alluditur,) adhuc uberius expoſita, in lucem protracta, illuſtrata, vindicata adverſus Doctores falſos, & publica voce commendata ut unicum ſalutis inſtrumentum; evaſit non tantum *via*, ſed & *agger*, *aggeſtus*, *eminens*, planus, quem qui caſcarent ſibi facile caverent ab errore viæ. Poſtquam vero Status Chriſtianiſmi ſenſim magis confirmatus eſt, & Gentiles ſibi ab incremento Chriſtianiſmi periculum metuere cœperunt, & Chriſtianiſmum oppugnare, *calumniis* magis quam *rationibus*; & auctoritate ac viribus Imperii Romani: *Sæculo* jam *ſecundo* in medium prodierunt Doctores aut Sectatores hujus Diſciplinæ Literis culti qui veritatem puritatemque hujus Doctrinæ publice defenderunt, à calumniis vindicarunt, argumentis munierunt, atque inſtar aggeris *extulerunt*, magnis eam proſequentes laudum præconiis, interque eos Juſtinus, Melito, Athenagoras, Theophilus, Tertullianus; quos exempli cauſſa produco; continuaruntque hanc operam Origenes, Minutius Felix, Arnobius, Lactantius, *Sæculo ſequenti*. Sed altius eam evexerunt munieruntque egregii in Literis Viri, Julius Africanus, & Euſebius, Cæſarienſis; ille quidem *tertio*, hic *quarto Sæculo:* inter quos magna ingenii & ſtudiorum communio fuit. Hi enim Religionem Chriſtianam non defenderunt tantum, verum etiam illuſtrarunt; ſive Hiſtoriam Scripturæ S. compararint cum antiquiſſimis Gentium *Annalibus*, quod utiliſſimum opus poſt Tatianum & Clementem Alexandrinum, qui aliqua ejus fundamenta jecerant, exequutus eſt Africanus; ſive Paganiſmum ex propriis Gentilium Monumentis deſtruxerint; & ex iiſdem adſtruxerint Chriſtianiſmum; in quo Euſebius deſudavit opere. Ortis autem de fide controverſiis cum Gnoſticis quidem primis Eccleſiæ Sæculis, & inde cum Arianis, aliiſque Fidei corruptoribus, Chriſtus Jeſus ſuſcitavit Doctores qui fidem veram ſumma contentione defenderunt & hunc *aggerem* amplius etiam *munierunt* atque extulerunt; quos non recenſeo ut me vindicem ab oſtentatione in re tritiſſimæ notitiæ. Ad quæ quando tandem acceſſit externum quoque tegmen & munimentum Fidei ſub Conſtantino, & Principibus eam profeſſis: tum veriſſime impletum fuit quod hic dicitur; Deum facturum, ut *aggeres* SUI (quid autem magis Dei eſt quam *Doctrina veræ fidei*, quæ refunditur in ejus Revelationem?) *alti*, conſpicui, munitique eſſent.

Conſequens ejus eſſet *Concurſus* Gentium ad Eccleſiam *ex omnibus Regionibus Orbis terrarum*, ex omnibus cœli plagis. *Ecce*, dicitur vſ. 12. *illi ex longinquo venient, & ſeqq.* De re ipſa, quantum ſatis eſt, diſſerui ad Cap. II. 1. ſeqq. & noviſſime ad Cap. XLIII. 5--7. quæ pericopa huic noſtræ analoga illuſtrat dictum Domini Matth. VIII. 11. Fuiſſe autem hunc effectum vulgati Evangelii inter Gentes; & *muniti aggeris* veræ fidei; ac *dejectæ idololatriæ* ac *ſuperſtitionis*; incredibilem, inquam, Populorum concurſum; præcipue poſt fidem à Rectoribus Imperii Romani ſuſceptam ac defenſam: nemini latet. Ergo ſuffecerit hanc relegendo periochen, quod in ea obſcurius vel ἐμφατικὸν dictum videri queat, elucidare. Primum hic & præcipuum eſt, Quid in his verbis intelligendum ſit per *terram* SINIM, cujus hic mentio fit? Dicuntur enim Proſelyti Eccleſiæ adſcribendi, venturi eſſe à *Longinquo*, à *Septentrione*, *ab Occiduo*, & ex *terra* SINIM, Sinæorum. Mireris merito, eſſe qui hic de *Seribus*, ſive *Chinenſibus* cogitarint; ut Arias Montanus, contra omnem probabilis rationis ſpeciem. Illi enim Populi

Propior ejus contemplatio.

Regna & Reſpublicæ, quæ impedimento eſſe poſſent Regno Chriſti promovendo, deſtruerentur.

Quod declaratur.

Quo ſenſu *Regna Mundi* hic dicantur *Montes* DEI?

Imprimis quicquid in illis Regnis eſt, adverſum *Regno Dei*, ut *Idololatria*, *Superſtitio*, *&c.*

Tempus huic rei proprium.

Loca analoga.

Elevatio ſemitarum Jehovæ quid hic loci myſtice ſignificet?

Locus Cap. XXXV. 7. 8.

Hiſtoria *Canonis Fidei*, & *Confeſſionis Publicæ* ad hunc locum producta.

Quodnam incrementum fecerit Sæc. II. III. IV.

Opera laudabilis illorum temporum in conſtabilienda doctrina & diſciplina Eccleſiæ.

Conſequens ejus: *Concurſus Gentium ad Eccleſiam.*

Quod in genere illuſtratur.

Singularia in his verbis: Per *terram* SINIM quid hic ſit intelligendum?

a Zach. IV. 7. b Confer Cap. XLI. 15. XLII. 15. c Apoc. XI. 15. d Apoc. X. 7. e Cap. XXXV. 7. 8.

Populi qui extrema terrarum Orientis occupant, ut Hebræis haud dubie hoc tempore fuerunt incogniti; sic nomine diverso appellati: ne dicam, flexionem sive enunciationem genuinam hujus nominis apud ipsos hosce Populos, non respondere enunciationi vocis סינים SINIM. Viderunt jam Veteres, contextum Prophetæ flagitare, ut hic intelligatur *plaga australis*. Sic exerte Chaldæus: מארע דרומא EX TERRA AUSTRI. pariter Intt. Hebræi. Kimchius: הוא הדרום *Intelligitur Auster*. Ipse hactenus doctius quam alii, derivat significationem nominis à SINÆIS, (סינים) Canaane ortis, (Gen. x. 17.) quos in Australi tractu habitasse, supponit. Sed in eo haud dubie ipse & ὁμόψηφοι alii falluntur. Alii ex nomine SINAI, forte etiam ex *Deserto* SIN, (quæ loca Canaanæa ad Austrum sunt,) appellationis rationem traxerunt. Sed vincit haud dubie sententia Cl. Bocharti, qui per terram SIN intelligendam docet ÆGYPTUM, cujus claustrum & munimentum fuit PELUSIUM, dictum Ezechieli [a] סין à LUTO, ut Græcis Πηλούσιον, מעוז מצרים ROBUR ÆGYPTI; unde itaque Ægyptus & Ægyptii recte denominantur. Sed quod idem quoque Vir Eruditus [b] illuc reducat סינים SINÆOS, Canaane ortos, quorum mentio est apud Mosen [c], in Genealogia Canaanis; quos SINÆOS ipse vocat PELUSIOTAS; plane pugnat cum ipso Mose, qui limites, ubi sedes habebant ejus posteri, ibidem accurate definit [d]; *Gazam* extremum designans limitem ad *Austrum*. Consentio plane iis, qui *Sinæos* ponunt ad Septentrionem Canaanæa. Nec potest etiam huc referri Desertum SIN, quia longius à Peluso fuit remotum. Inde jam secundo, facile intelliges; per מרחוק *à longinquo*, intelligendum esse *Orientem*, quia fama saltem notum erat, Orientem in longum excurrere. Monuerunt jam Hebræi, & res liquida est ex aliarum partium comparatione. Hic itaque Int. Alexandrinus rectius adscripsisset, ἐκ γῆς Περσῶν EX TERRA PERSARUM; quibus indocte reddidit verba, *ex terra* SINIM. Tertio denique, observari diligenter & non negligi velim emphasin orationis, in voce הנה ECCE, eaque repetita; perinde ac in אלה ILLI, ISTI, HI; nimirum homines spectabiles, suis characteribus insignes, Ecclesiæ, (à cujus communione supponuntur *longissime* abfuisse ob errorum & vitiorum divortium:) aggregandi, ejusque communionem cupide atque ardenter sectaturi. Confer plane quod ad emphasin *demonstrativarum notionum*, HI, ILLI, Cap. XLIV. 5. & de usu vocis הנה ECCE in hoc casu, Cap. XLIII. 19. monui, *coll.* Cap. LXV. 17. Conversio & concursus Gentium ad Ecclesiam est res valde paradoxa, magnum mysterium, quod ipsi stupuerunt Angeli.

Epiphonema Gratulatorium, huic consolationi subjectum.

℣. 13. *Cantate cœli, & gaude terra; & MONTES FRAGOREM EDITE CANTU, quia Jehova consolatus est Populum suum, & erga inopes suos usus est misericordia.*] Est *Apostrophe gratulatoria*, directa ad *Cœlos*, *terram*, *montes*, quibus excitantur ad lætitiam, jubilum, celebrationem Divini Nominis, ob beneficium collatum in Populum Christi, veræ consolationis indigum ac sitibundum: quam *Apostrophen* recte tribuimus *Choro Prophetico*, huic operi Divinæ Gratiæ succlamanti. Nihil hic novi occurrit. Habuimus enim in superioribus similes *Apostrophas*, in oratione similis vel affinis argumenti; veluti Cap. XLII. 10. 11. XLIV. 23. XLV. 8. & quidem loco Cap. XLIV. 23. cum hoc nostro quod ad orationis structuram & phrasin fere per omnia convenit. Tantum pro *terra*, quæ vox est in hoc loco, ibi legitur, תחתיות ארץ *inferiora terræ*; & additur ibidem; *Sylva & omnes in ea arbores*. quæ differitas nulla est. Cum enim *terra* vel sit *humilis*, depressa, plana; (quæ genuina significatio est vocis ארץ) vel *montosa*: Propheta in hoc loco totam complexurus tellurem habitabilem, eam in duas discernit partes; & hoc sensu *montes* à *terra* distinguit. Rursus cum eadem *terra* distingui possit in *humilem* sive *planam*, *montosam*, ac *desertam*: hanc distinctionem adhibuit Cap. XLIV. 23. & ut ibidem perciperemus, ipsum per *terram* intelligi velle *terram depressam*; eandem vocavit, non simpliciter terram; sed *inferiora terræ*. Argumentum *cantus* ibi est גאלת REDEMPTIO POPULI SUI: (inclusa Liberatione ex Exilio Babylonico:) hic *Consolatio* Populi à Christo Jesu *redempti*, ejusque *miseratio*. quare cum ibi ad hanc figuram orationis illustrandam necessaria monuerim; paucis hic licebit defungi. Per *cœlum*, *terram*, *montes*, hic primo sensu intelligendi sunt *Angeli* & *Homines*, quorum alii planitiem colunt; alii montes: non exclusis qui in *Desertis* & *insulis* habitant, quia sub hisce partibus reliquæ comprehenduntur; utique *insulani* diserte commemorantur, cæteris præteritis, Cap. XLII. 10. Sed nihil vetat, secundo & latiore sensu, phrasin quam amplissime accipere, & naturam rerum totam, easque etiam naturæ partes, quæ sensu carent & ratione, hic subaudire. Utro ceperis modo, oratio est figurata; licet figura multo gravior sit secundum posteriorem, quam priorem interpretationem. videlicet composita ad declarandam amplitudinem beneficii, in Populum Dei conferendi, vel collati. Primo beneficium hoc Divinæ Providentiæ & gratiæ censeri debet magnum & illustre, quod materiam & argumentum *gaudii* & *lætitiæ*, celebrationis & laudationis, præberet Angelis omnibus & hominibus; hominibus vero omnium ordinum, per totum Orbem terræ diffusis; sive *montana*, sive *planitiem*; sive maritimam oram colerent atque inhabitarent; sive etiam in insulis degerent, undique mari circumscripti. Secundo, Beneficium illud Providentiæ & Gratiæ Divinæ oportet esse amplissimum, cujus caussa *cœli* & *terra* & quicquid in iis creaturarum est conciperent veram lætitiam; ut si in cœlis, ejusque vastis corporibus Sole, Luna, Sideribus, Nubibus, ratio & sensus esset; si in terra, montibus, vallibus, desertis vis esset & facultas percipiendæ excellentiæ hujus beneficii; lætitiam suam significarent sono, gestu, jubilo, Deumque illius auctorem alta voce celebrarent. Tertio, Beneficium illud Divinæ Providentiæ credere par est magnum & magnificum esse, cujus caussa non tantum Creaturæ animatæ & intelligentes; sed & inanimes, si in iis sensus & vis intelligendi esset, non tantum conciperent animo lætitiam, verum etiam *lætitiam maximam*, eamque proderent clarissimis & vividissimis signis, quibus homines conceptum animo gaudium profundere solent. Huc enim facit emphasis vocum & dictionum, quibus Propheta utitur in lætitia illa explicanda. CANTATE, (רנו) ait, *cœli*. Sed רנן Hebræis quid plus valet quam *cantare*. Est quid proferre *voce clangosa*. sit fictioni venia. *Cantando clangere*, *stridere*. GAUDE (גילי) *terra*. Nec tamen ea quoque *gaudendi* notio presse reddit vim vocis גול. Notat ea *gaudium* mente *conceptum* omni externo signo motus, gestus, exultationis, & ut putem, vocis quoque sonoræ, declarare. Plus adhuc est in eo quod sequitur, *Montes* FRAGOREM EDITE (פצחו) *cantu*. Est autem פצח *vocem* magna vi *rumpere*, *erumpere*. Omni virium contentione clangere, qua voce Vates usus quoque fuerat Cap. XLIV. 23. & quæ deinceps recurret de *montibus*, Cap. LV. 12. De *montibus*, inquam, quibus singulari emphasi tribuitur. Ubi enim *Montes* in altum evecti finguntur vocem rumpere cantu; vox in mediis vallibus repercussa ingentem edit strepitum & fragorem. Vides, Jesaiam sic aptasse orationem, ut nihil dicere posset majus & amplius ad declarandum momentum Beneficii, quod ipse hic in oculis habet.

Ecquid vero tandem hoc esset beneficium? Docet Vates, his verbis: *Quia Jehova consolatus est* POPULUM SUUM, *& erga* INOPES SUOS *usus est misericordia*. sive, *inopum suorum misertus est*. Sed רחם hic rectissi-

Doctorum Virorum de eo cogitationes.

Intelliguntur *Ægyptii*. SIN est *Pelusium*.

Cl. Bochartus laudatus.

Non sunt cum iis confundendi *Sinæi*, Gen. x. 17.

Int. Alex. error.

Emphasis in vocibus, *hi*, *illi*, *isti*.

Epiphonema gratulatorium, ℣. 13.

Quod adscribi potest *Choro Prophetico*.

Genus est *Apostrophe*, Jesaiæ frequens.

Quid hic sint *Inferiora terræ*?

Quid hic intelligendum per *cælos & terram*?

Amplissima phrasios interpretatio.

Describitur magnitudo Beneficii in Populum Dei collati.

Eaque intenditur, ubi toti *Naturæ rerum lætitia* tribuitur; ob Gratiam Ecclesiæ data.

Et quidem *summa lætitia*.

Vis vocum Significatio vocis רנן.

גול.

פצח.

Beneficium ipsum describitur: *Jehova consolatus est*.

[a] Ezech. XXX. 15. [b] *Geog. S.* Lib. IV. Cap. XXVII. [c] Gen. X. 17. [d] Gen. X. 19.

Populum suum, &c.

ctissime vertitur, *uti misericordia*, ποιῆσαι ἔλεος, phrasi Zachariæ [a]; cujus *Canticum Eucharisticum* & doxologicum hæc verba interpretatur. Intellige *Populum* Christi Jesu *electum*, עניי *inopes*, *pauperes spiritu*; omnem fiduciam suam in ejus ponentes gratia; de se modestissime sentientes; nihil de suis præsumentes meritis; exspectantes veram ἀπολύτρωσιν; sitientes *justitiam*; passim quoque in mundo afflictos & contemptos; non multos divites, potentes, sapientes; plures conditionis paupertinæ; Zachariæ עני הצאן *pauperes ovium* [b]; ad quos sibi à Patre datos, ex Gente Judæa, maximam partem corrupta & carnali, colligendos & redimendos ipse in Mundum venerat ut Pastor, & Λυτρωτής. Esse autem עניים *pauperes*, & ענוים *mansuetos*, (illæ enim voces hic alternantur,) characterem *Populi Christi*, h. e. Ecclesiæ electorum primo tempore Gratiæ colligendæ, primo quidem ex Judæis, dein ex Gentibus, sæpe monui, & docui ad Cap. XI. 4. Hos *consolatus est*; hos *miseratus est Jehova*, ubi, α. Desiderio & exspectationi ipsorum de Messia in carnem mittendo, ut auctore veræ *justitiæ*, ἀπολυτρώσεως, libertatis, & *donorum Gratiæ* consequentium, satisfecit. β. Eosdem clarissimis signis suæ gratiæ certos fecit de sua apud eos præsentia & gratia ad uberrimam & æternam consolationem, vivamque spem æternæ gloriæ. γ. Gentes parili modo, vindicatas ex tenebris in quibus per tot sæcula desederant, illuminavit ad salutem, easque vocavit in partem benedictionis Abrahami, sortemque dedit inter sanctificatos. δ. Utrumque autem hunc Populum suum, ex Ægypto spirituali vindicatum; diu sustentatum & conservatum in Deserto Gentium, contemptibili statu; cura suæ singularis Providentiæ tandem misit in hæreditatem Mundi; & adversariis ejus destructis vim potestatemque Romani Imperii ipsi subjecit; & ingente concursu Gentium eum amplificavit. quæ beneficia in superioribus, ad quæ hic respicitur, exposita erant: in *consequente contextu* adhuc uberius explicanda, ut ea summatim attigisse sufficiat. Confer omnino cum hac perioche loca Ps. XCVIII. 4. & Apoc. XVIII. 20. Estne vero ea in re, ais, tantum momenti, ut universa natura rerum, Angelorum & Hominum, animatarum & inanimium, ejus rei caussa tantam quantam maximam concipere debeat & profundere lætitiam? Deum Popello suo, paupertino Gregi, longum afflicto, parasse solatium; estne res tanta, ut maximum censeri debeat Divinæ Providentiæ & gratiæ beneficium? Esse ajo, tantum quanto majus generi mortalium procurari non potuit: ex quo *Angeli*, gloriæ Dei & Regni Christi Jesu studiosi & in humanum genus bene affecti, maximam capere debebant voluptatem, & in quo amplissimam invenirent Dei ac Christi glorificandi materiam; *res omnes in cœlo & in terra, & sub terra & in mari, & quæ in iis sunt omnia, Deo & Agno tribuerent benedictionem, & honorem & gloriam, & robur* [c]; quippe in quo omnium verteretur salus & commodum. in quod demonstrandum excurri ad Cap. XLIV. 23. ἡ Ἀπολύτρωσις *Redemptio* à Christo Jesu curata, ejusque *Regnum*, est basis totius Naturæ rerum. Imo vero hæc verba, non tantum δογματικῶς, sed & προφητικῶς accepta, nos docent, fore, ut aliquando tota Natura rerum, nunc *serviens vanitati corruptionis*, ab eadem *liberata* & in integrum restituta, sive statu & ordine, sive voce & jubilo, personet laudibus, ob hanc ἀπολύτρωσιν Deo in Christo solvendis; & eæ etiam res quæ sensu carent, statu suo sint simulaturæ tanti beneficii sensum; *tota terra, toto cœlo, impletis gloria Jehovæ*. qui sensus est pulcherrimæ Odæ hujus argumenti. [d]

An beneficium illud consolationis in primam Ecclesiam collatum, censeri debeat tam esse amplum & magnificum, ut mereatur jubilum Angelorum & Hominum?

Respondetur ad Quæsitum, & res ipsa declaratur.

PARS TERTIA hujus Sermonis: ALLOQUUTIO ad Ecclesiam, *Consolatoria*.

Ubi, α. *Querela Ecclesiæ*, sive *Status* ejus *afflictus*.

Pars tertia hujus Sermonis.

℣. 14. ATQUI TSION DICIT, *Jehova me dereliquit; & Dominus mei oblitus est.*] Superior pericopa, ad Jesum Christum directa, non excluxit respectum Ecclesiæ; quin sane, ut vidimus, luculenta complectitur promissa, ei facta; poteratque adeo Ecclesia, in terris afflicta, omni tempore ex hoc Sermone petere argumentum solatii. Sed Spiritus S. in eo non subsistit; sed cum Ecclesia Dei ipsi summæ esset curæ: solatium hoc propius applicat ad Ecclesiam afflictam; idque repetit, & uberius declarat: petita occasione ex *perioche consolatoria* proxime antecedente, cum qua hæc nostra cohæret tanquam *consequens* cum *antecedente*, ut patet ex *copula* ו, præfixa voci ותאמר, ET *dixit*, (sive *dicit*, *dicat*,) *Tsion* quæ hic necessario vertenda per *At*, *at vero*, *attamen*, *atqui*, ut alibi frequentissime. Cum hæc ita se habeant, ait Dominus; cum Ecclesia Populi mei gravis sit tot excellentibus promissis, in eam procedente tempore absque dubitatione conferendis: quàm habet illa *querendi* quiritandique rationem? cur non potius ex hac spe lætitiam in ipsis adversis & calamitatibus, quæ secundum voluntatem meam sustinenda habet, concipiat animo maximam? ATTAMEN, (at vero,) id non agit, vel agere censetur. Diffundit se in querelas de incuria meæ erga se providentiæ. Querelæ argumentum nihil habet obscurum. Dicitur quis à Deo *derelinqui*, & Deus alicujus *oblivisci*, erga quem non versatur peculiari cura suæ providentiæ; quem nullis signis gratiæ certum facit de suo favore; quem ita tractat in ordine suæ providentiæ, ut videatur ejus nullam habere rationem; quemadmodum phrases in *superioribus* [e] jam expositas dedi. Illa vero *querela* refertur ad *Tsionem*, h. e. ad Ecclesiam electorum Populi Dei, qui ipso actu versantur in Divina communione: quæ significatio vocis in Scriptis Prophetarum, & Odis Sanctorum usu comprobata est; quamque hic necesse non habeo prolixe evincere. Attributum Tsionis, quo queritur de *se à Deo derelicta*, non convenit in omnes *Tsionitas* Literales & Externos. Plures & longe plurimi illorum de eo non sunt soliciti. *Tsion* quæ hic memoratur, est *objectum* tenerrimæ curæ & dilectionis Dei; ab ipso adversus omnes potestates adversarias conservanda in mundo in spem amplissimorum Beneficiorum Gratiæ, quorum scripta à Deo est hæres; ut ex *sequentibus* liquet. Ecclesia autem omnis, sive Oeconomiæ Veteris, sive Novæ, ad *Tsionem* refertur, h. e. Hierosolymam, eamque agnoscit suam *matrem*: etsi ego mysticum respectum nominis hic præferam. *Tsion* dicitur, quod attributa Tsionis & Hierosolymæ Literalis, Ecclesiæ Electorum Dei πνευματικῶς *spiritualiter* conveniant. Solummodo quæritur, Cujus *temporis* & *status* Ecclesiæ hæc *querela* competat? & *quo sensu* illa *se* à Deo *deseri*, Deumque sui *oblivisci*, *queratur*; vel potius, quomodo Jesaias intelligi velit, ubi Ecclesiam certi *temporis* & *status* dicentem quiritantemque infert, *se* à Deo *desertam esse*? Quod ad prius; pone mecum, Querelam hanc non convenire Ecclesiæ, nisi duplice ejus statu; vel à Persecutoribus veræ fidei, Regibus & Principibus Mundi, gravius afflictæ, quam ut congruum videatur Divinæ Justitiæ vindicias hostium & adversariorum ejus longius differre; vel majorem partem corruptæ & obrutæ scandalis, ut pii ad exiguum numerum redacti inter hypocritas & profanos potentiores gemant; cum falsis Doctoribus, quos Ecclesia in sinu suo alit, luctentur; sub cura indoctorum & infidorum Pastorum langueant; & opem atque auxilium Dei ad Populum suum à vitiis & scandalis repurgandum respiciant & implorent, nec tamen, Deo medicinam & curam Ecclesiæ differente & veluti negligente, exitum videant. Priore modo passim usurpatur; Ps. XXXVII. 28. XLIV. 25. LXXIV. 19. Thren. V. 20. & uterque respectus conjungitur Ps. IX. 13. X. 11. 12. quippe duo illi respectus non raro concurrunt; & sane aspectus hujus loci, cujus sensus ex sequentibus definiendus est, neutrum excludit. Deus enim, cui hæc oratio tribuitur, Ecclesiam

monis: *Alloquutio ad Ecclesiam consolatoria.*

Ubi α. *Querela Ecclesiæ*, ℣. 14.

Argumentum hujus *Pericopæ*, & *Nexus* cum superiore.

Potestas *præfixæ* ו in voce ותאמר.

Quid hic loci intelligendum per *Tsionem*?

Cujus *temporis* & *status* Ecclesiæ hæc querela competat?

Supponitur, querelam de Ecclesia *oblivioni* data, non posse ei convenire, nisi duplice ejus statu, vel obrutæ scandalis; vel oppressæ ab hostibus.

[a] Luc. I. 72. [b] Zach. XI. 7. [c] Confer Apoc. V. 11. seqq. [d] Ps. CXLVIII. 1. seqq. [e] Cap. XLI. 17. XLII. 16. XLIV. 21.

consolaturus, exerte asserit, se eam ab *hostibus internis*, qui eam perturbabant ejusque incremento magnum adferebant impedimentum, liberaturum, sive, *illos à se exituros esse*, ℣. 17. Deinde, se de Persequutoribus qui eam instar magnæ belluæ observabant & hiante oris rictu deglutire parati erant, sumpturum vindictam eosque deleturum, ℣. 19. 25. 26. ipsam liberis orbatam insignibus incrementis auctarum, ℣. 18. seqq. & ipsos quoque *Reges* & *Principes* terræ ipsi facturum obsequentes, ℣. 23. qui respectus hic videtur prævalere. Quandoquidem vero *Status* (& his congrua *tempora*) Ecclesiæ gravius & longius afflictæ, post ætatem Jesaiæ, historia plures demonstret: vel respicienda est hic loci Ecclesia afflicta in Exilio Babylonico; vel sub Regibus Syriacis; vel in initiis Ecclesiæ Novi Testamenti. Primum horum multi assumunt. respectus enim temporum Syriacorum, quæ Prophetæ sæpissime in oculis habuerunt, paucos Interpretes afficit. Sed sequentia minime favent huic hypothesi. Prosperitas enim, quæ hic fiunt Ecclesiæ afflictæ, mirabilis incrementi ex προσαγωγῇ Gentium, Regumque & Principum Orbis terrarum, qui eam foverent & nutrirent, non conveniunt Ecclesiæ in Babylone exuli; neque etiam Ecclesiæ laboranti sub Regibus Syriæ. Propheta in *superioribus pericopis*, quibus hæc nostra respondet, manifeste versatus fuerat in temporibus Oeconomiæ Novæ; nec possunt proinde quæ hic dicuntur, alio trahi. Equidem fateor, si *querela Ecclesiæ*, ut hic proponitur, & ei subjecta *consolatio generalis* per se spectentur, absque *antecedentibus* & *consequentibus*: posse eam statui & tempori Ecclesiæ luctantis in Exilio Babylonico aptari: sed si *contextus* ejusque *partium* habeatur ratio; referenda est ad Statum *Ecclesiæ afflictæ*, ut se habuit in initiis Novi Testamenti, quando Reges & Principes Mundi à Satana concitati, *Persecutionibus suis* in eam inceperunt sævire: quæ scena primò aperta est Hierosolymis, à Synedrio ac Pontificibus, & ab Herode Agrippa, sed non longæ durationis; Deo sua providentia interveniente & vim persecutionis coërcente; (quare non putem illuc respici:) sed quæ terribile ac lugendum spectaculum præbuit Romæ, Satana omnem furorem suum erumpente, sub Nerone; cujus modo mentionem feci ad ℣. 7. quæ gravis persecutio professis Nomen Christi in Provinciis Romani Imperii in magnam adduxit solicitudinem & metum; & Ecclesias Populi Christi consternavit. Hoc itaque ipsum censeo tempus, statumque Ecclesiæ, cui hæc prophetia conveniat; quod tempus, cum Domitianea persecutio deinceps subsecuta sit, in *Dissertatione* de *Statu Ecclesiæ* hujus Intervalli, *à Nerone* ad *Trajanum* [a] definivi, & pariter judicium meum de hac prophetia, & de analogis, *antitypice* & in omni amplitudine sua expositis, ibidem [b] consignavi. Nec dissentio hic à Cl. Coccejo, qui ipse quoque scenam hujus pericopæ ad *initia Ecclesiæ N. T.* refert. Itane vero? An Ecclesia hujus temporis, quo recente utebatur Gratia S. Spiritus, inducitur querula de *se* à Jehova *deserta*, & *oblivioni tradita?* Quomodo id conveniat ejus statui? Respondeo, *α.* Si forte hæc verba accipienda sint, ut sonant, absque figura ulla; non esse dubium, quin ad *Ecclesiam* illius temporis applicari queant. Cum enim plerique Christiani magnifice sentirent de *statu* & *spe* sua: quis ambigat, quin ad hunc gravissimum ac terribilem casum (qualis vere fuit Persecutio Neroniana [c],) animi illorum fuerint dejecti; multorum vero prostrati; aliquorum autem spes inceperit vacillare? Scripta est *Petrina prior*, & *ad Hebræos*, ante hanc persecutionem sævissimam; neutiquam vero ad Christianos qui erant Romæ, & quidem ex Gentibus; sed ad Judæos, fidem in Christum amplexos, in Provinciis Imperii Romani: & vides tamen, quanto studio Credentes in Christum muniant adversus afflictiones leviores, quæ spem fidemque illorum labefactabant, cum hactenus *non decertassent ad sanguinem* [d]. Quin Dominus clare prædixerat, fore, ut cum *exosi essent confessores Nominis* sui *omnibus Gentibus*, *multi offenderentur* [e]; docetque nos Epistola ad *Hebræos*, iam tum plurium *deferbuisse zelum*; & aliquos jam à fide defecisse, & aliorum defectionem metui. Ne dicam, circa idem illud tempus plures exortos esse falsos Doctores, & Pseudapostolos, qui puriſſimam Christi Jesu doctrinam & disciplinam permiscebant heterogeneis ψευδωνύμῳ γνώσεως Dogmatibus, deinceps vero & proprio nomine suo *Gnosticos* dictos. quæ prolixius in illa *Dissertatione* quam modo memorabam, disputavi. Sed *β.* etsi hæc vera sunt: non putem tamen id ipsum esse, quod Propheta directe dicere voluit. Oratio illa: *Atqui Tsion dicit*; accipienda est κατὰ φαινόμενον, ut Cl. Coccejus docte observavit. Sensus est, *Tsion* eo est *statu*, ut id videatur, status sui respectu, *dictura esse*; quippe hoc statu afflicto omnium fere hoc erat, & esse debebat, de Ecclesia judicium. Videbatur itaque Tsion rationem & occasionem habere hujus querelæ & expostulationis; atque adeo hæc querela & expostulatio ei tribuitur; ut Deo inde nascatur occasio ejus consolandæ, & adversus hanc tentationem muniendæ. Exempla hujus generis sunt plurima. ut v. gr. in dictis Elihu ad Jobum [f]: DIXISTI, *caussa mea justior est Divina*. Non dixerat id Jobus; sed sic composuerat defensionem suam, acsi id *videretur* dicere voluisse. Ps. XI. 2. *Quomodo* DICITIS *animæ meæ*, *Vagare circa montem vestrum*, *ô avicula*. Non dixerant illud; sed sic se gesserant erga Davidem, ut id viderentur voluisse dicere. Confer Glassium, de Verbis *esse* & *agere*, φαινομένως & *secundum opinionem* aliorum; vel de *occasione actionis* [g], interpretandis. Certe graves afflictiones, eæque longi temporis, piis aut Ecclesiæ incumbentes, aptæ sunt elicere hanc cogitationem; vel sane faciunt, ut aliis id cogitandi occasio subnascatur.

β. Consolatio Ecclesiæ, huic querelæ expostulatoriæ aptata.

(*α.*) *Generalis*,

Articulus primus.

℣. 15. *Num obliviscetur mulier* PARVULI SUI; *ut non misereatur filii ventris sui?* ETIAMSI VERO ILLÆ OBLIVISCERENTUR; *Ego tamen non obliviscar tui.*] Consolatio, quam Spiritus S. querulæ expostulationi Ecclesiæ aptat, vel *generalis* est, quæ ad Ecclesiam afflictam omnis temporis applicari potest; vel *specialis*, σχέσει ad caussam sive ὑπόθεσιν querelæ Ecclesiæ. *Generalis* binis absolvitur articulis, quorum posterior priorem confirmat. Priorem hic exhibui. Negat eo Deus, fieri posse unquam, ut Ecclesiæ suæ *obliviscatur*; aut ejus *non misereatur*. Non magis in se cadere posse ait hoc vitium quam in matrem non degenerem, cujus est tenellos ex se natos, inprimis laborantes, tenerrima cura prosequi. Quod si vero tam dura sit mater, ut hac parte affectum exuat: neutiquam tamen id in se cadere posse, qui non ex affectu, sed certo puroque consilio & ratione ipsos curæ ac dilectionis suæ fecerit objectum. Vides, argumentum consolationis hic propositæ peti à simili; atque adeo constare pericopam *Protasi*, & *Apodosi*. *Protasin* facit propositio quæ comparatum exhibet: quæ propositio hypothesin facit consolationis. in qua attendi velim, tum ad *modum propositionis*; tum ad *ejus* substantiam sive *materiam*. *Modus* est per *interrogationem*, quæ in propositionibus affirmantibus respondet *negationi*; sed quæ negatio hic multo censetur esse fortior, quia propositiones hujus generis recta diriguntur ad conscientiam tanquam fundatæ in communibus notitiis: sive haustæ sint ex notionibus menti impressis; sive ex natura rerum; sive ex experientia: estque figura loquutionis usu trita omni hominum lingua, ut adeo exempla producere supervacaneum sit. Sume tibi ex Vate nostro

Cap.

Uter respectus hic obtineat?

De tempore, cui hic Status Ecclesiæ illigandus est, accuratius agitur.

An hic respiciatur Status Populi in Exilio Babylonico?

Hypothesis non admittitur ob rationes, ex *contextu* petitas.

Querela refertur ad Statum *Ecclesiæ afflictæ* in initiis N. T.

Quomodo *querela* hæc Statui ejus conveniat, declaratur.

Tsion hic fertur *dicere*, quod videtur jure *dicere posse*.

Usus vocis adstruitur ex analogis.

β. Consolatio ipsa Ecclesiæ facta primo *Generalis*, ℣. 15 *Num obliviscetur?* &c.

Argumentum hujus Pericopæ.

Consolatio illustratur simili. constat *Protasi* & *Apodosi*.

Modus propositionis per *interrogationem*.

[a] *Observ. Sac.* Lib. IV. Cap VII. VIII. [b] Cap. VIII. §. IV. [c] *Ann.* Lib. XV. C. 44. [d] Heb. XII. 4. [e] Matth. XXIV. 9. 10. [f] Cap. XXXIV. 8. [g] *Gramm. S.* Lib. III. Tract. III. Can. XVIII. [h] Can. X.

Hypothesis Propositionis. Variæ in ea gradationes.

Cap. XXXIII. 14. XL. 13. XLV. 9. *Substantia* autem sive ὑπόθεσις *propositionis* rite inspecta in duas propositiones resolvitur. Prima est, Num *oblivisceturmulier* fœtus sui? Altera, An eo usque oblivisceturfœtus, & quidem *filii ventris*, ut si eum gravius laborare, & in discrimine positum conspexerit: ejus nulla ducatur commiseratione. in quibus propositionibus quisque observat gradationem, Vati nostro solennem. Sed cum præter hunc ἀναβαθμὸν manifestum, qui in sensum incurrit; plures in hac propositione lateant magis reconditi: id agam, ut hasce gradationes ordine in lucem protraham. Prima hic & simplicissima propositio est, *An negligetmater ex se natum* vel *natam?* Observa jam illius ascensiones, *α. An oblivisceturMULIER*, h. e. mater quæ non exuit affectum & teneritudinem sexui suo propriam, h. e. *quæMULIER sit*, & non mentitur indolem sui sexus; non degener mater. Sic scripsit Vates consulto. Sunt enim *matres*, quæ præter ingenium sui sexus inhumanitate, sævitia, inclementia, non cedunt viris feræ ac inhumanæ indolis. *β. Num* OBLIVISCETUR *mulier nati sui?* h. e. An PENITUS *oblivisceturPoteste mater* etiam non degener, gravioribus pressa, aut posita in necessitate, ad tempus negligere curam Nati; sed fierine potest, ut non degener mater *nati sui* penitus oblivisceturomnem ejus curam deponat, omnem erga eum affectum exuat? quod hic est *oblivisci. γ.* An *oblivisceturmulier* TENELLI SUI? Sic recte vertimus vocem עול hoc loco, perinde ac in parallelo loco עול ימים *infans dierum*, oppositus *seni*, Cap. LXV. 20. Respondet autem significatione vocibus affinis & forte ejusdem etymi, תעלול, עולל, עולל, מעולל; quibus Hebræi designant *pueros* primæ ætatis, recentis ortus, quos in amantibus brutis PULLOS vocamus; cujus notionis & nostræ עול GNOOL magna affinitas est, fere ut videantur unius esse ortus *A*. Vides orationis scansionem. Si forte contingat, ut *Mulier* oblivisceturnati, jam pueri rudioris & adolescentis; non utique oblituram esse *pulli*, & *lactentis*, aut pueri tenelli, cura & providentia ejus maxime indigi, erga quem tenerrimo eam par est ferri affectu. *δ.* Quarta scansio, jam superius indicata, est in verbis; *ut non* MISEREATUR *filii ventris sui.* Si impetrare à se queat *mulier*, eademque *mater*, ut negligentius curet *tenellum suum:* eadem an non afficietur *commiseratione*, si videat *tenellum* illum suum positum *in statu miseriæ & discriminis?* Nihil magis proprium matribus, quam ut ejusmodi casu gravius commoveantur, unde Jeremiæ *a* רחמניות *misericordes* dicuntur. Denique *ε.* Si forte *mater* in ejusmodi casu *oblivisci* posset *filiæ*, & erga eam nulla affici miseratione: eademne durabit in illo inclemente affectu erga FILIUM, melioris sexus partum & fructum sui ventris? Sic se habent scansiones hujus propositionis, hac subnixæ hypothesi; complecti eam rem *moraliter* impossibilem. *Interrogatio* id supponit; estque hæc basis consolationis. Quid vero? Estne ἐκ τῶν ἀδυνάτων; estne res nova per historias & per experientiam; *matres*, *duras*, ajo, & immisericordes *Matres*, *oblivisci natos*; *non miserari partus?* Tot res testata est exemplis, ut grave sit aliqua adducere in re tritæ notitiæ. Et tamen propositioni Prophetæ, quæ τὸ ἀδύνατον supponit, sua constat vis. Intellige itaque illum de *matribus bonis*, *honestis*, *non degeneribus*; sui & liberi juris; non positis in necessitate; nullo gravio-

Quæ demonstrantur.

Genuina notatio vocis עול. Notat *Pullum.*

Reliquæ *gradationes* ostenduntur.

Scansiones Prophetæ quam habeant hypothesin; & quomodo ea accipienda?

re casu afflictis aut impeditis. Sic capies sensum Prophetæ.

Ἀπόδοσις jam, huic προτάσει subjecta, in hunc exire debebat sensum; *Ita etiam Ego non oblivisceravestri*, quos pro filiis ex me genitis & gravissimo dolore partis habeo, maxime vero positis in statu miseriæ & afflictionis; *Ego*, inquam, à quo nullus veri Patris & Matris erga genitos abest affectus; *Ego* independentis juris & arbitrii, nulla necessitate circumscriptus; nulla caussa aut casu præpeditus. Sed Propheta in emblematibus pingendis summam semper sectatus orationis & fictionis ἐνέργειαν; altius ascendit, & fortius quid enunciat, Ἀπόδοσιν sic instruens: ETIAMSI ILLÆ *oblivisce rentur*; EGO TAMEN *tui non oblivisceretur*. Quæ proinde propositio sic à nobis accipienda est, ut duas involvat. Prima est, Ita etiam Ego vestrum, ex me genitorum, in quos par est me propensissimo ferri studio, non oblivisceretur. Altera, Etiamsi vero accideret, (quod videtur in genere rerum moralium esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων:) etiamsi tamen, *accideret*, inquam, ut mater fœtus sui oblivisceretur, cum hominum omnium sit mutabilis & inconstans voluntas, & adnata voluntati imbecillitas: EGO TAMEN *Vestri non oblivisceretur*. Ad quas propositiones elucidandas, duo mihi agenda sunt. Primo ostendendum; Simile in Deum recte quadrare. esse enim eum ea σχέσει ad Ecclesiam, & præsertim ad Ecclesiam temporis Apostolici, qua Mater ad fœtum sive Pullum suum. Secundo, esse quid plus in Deo quam in optimis etiam & minime degeneribus matribus; ut si forte hæ affectui & officio deessent: minime tamen id exspectari queat & debeat à Deo. Affectum ejus erga suos, & constantiam voluntatis, affectum matrum, earumque voluntatis stabilitatem, longissime vincere. Quod ad priorem propositionem attinet: *Simile*, si inspicias, videtur esse durius. Deum comparari *Patri*, qui Ecclesiam Populumque suum mystice genuerit & produxit, nemini grave est audire; atque adeo quisque cum voluptate legit verba Mosis *b*: *An non ipse est* PATER TUUS, *qui te sibi comparavit?* Et Petri *c*: *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa misericordia sua nos* REGENUIT *in spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Sed emblema *Matris* hic videtur esse remotius, & minus convenire Divinæ Majestati. Nec tamen ita est. Similia tantum reputantur ex convenientia attributorum utriusque comparati. *Nominis* aliorumque *attributorum* Subjecti, unde similitudo desumitur, nulla habetur ratio. quod sæpius dictum monitumque, non amplius attingo. Comparat autem se Deus *Matri* non hoc tantum in loco, verum etiam in analogo Jer. XXXI. 20. ubi Ephraim dicitur *filius* שעשועים OBLECTATIONUM DEI, *super quem* VISCERA EJUS *commoveantur*; manifesto ad *matrem* respectu. Confer Vatem nostrum Cap. XLV. 10. quem locum ante tractavi, & Cap. LXVI. 12. Pariter opus Gratiæ, quo Deus singulares homines renovat ad imaginem suam, iisque infundit principium vitæ spiritualis, dicitur, non tantum γεννᾶν, *gignere*; sed & ἀποκυεῖν, sive ἀποκύειν *parere d*. Analogia hic est liquidissima. *α.* Deus Ecclesiæ suæ, quà tali, omnem suam substantiam & essentiam dat, ut Mater fœtui ex se nato. Ecclesia est Dei ποίημα *factura*, & בריה *creatura*, Dei productum. Confer Cap. XLIII. 7. Ephes. II. 10.

Ἀπόδοσις quam emphatice hic instituta à Prophetâ!

Duæ ea involvuntur *Propositiones* quæ ordine exhibentur.

Ordo in iis illustrandis servandus.

Hypothesis prioris Propositionis. Deus in ea comparatur *Matri.*

Quæ metaphora non est insolens in Verbo Dei.

Attributa Deo cum *Matre* communia: quæ varia recensentur.

a Thren. IV. 10. *b* Deut. XXXII. 6. *c* 1 Pet. I. 3. *d* Jac. I. 18. confer cum ℣. 15.

A Non ausim, quod hic conjicio, certo affirmare, & lubens quæsitum hac de re doctis Grammaticis & Philologis relinquo. Gerardus Joannes Vossius, (in *Etymol.*) vocem ad duplex etymon refert; vel ad Græcum πῶλος *pullus equinus*, & cujuscunque alterius animantis; vel cum *puer* sit ex *purus*, à *purus* sit *purulus*, & inde *pullus*; ut ab *unus*, *unulus*, *ullus*. Alter Vir Doctus, in Grammatica versatissimus, Jac. Perizonius, (in *Sanct. Minervam*, Lib. I. Cap. X. p. m. 50.) derivat à *pusillus*, licet non absque aliqua hæsitatione. *Et ita pene censeam*, ait, *etiam à pusillus descendere* PULLUS; *vel, ut olim quando formata sunt vocabula, & non geminarunt literas, dixere* PULUS. Sed in *Addendis* adjicit: *Nolim tamen prorsus repugnare ei, qui* τὸ PULLUS *derivare velit à Græco* πῶλος. .... *ut adeo incertus hæream de hujus vocabuli vera origine.* Non scripsisset Vir Eruditus, si ei in mentem venisset cogitare, Græcum πῶλος, unde est Latinum *Pullus*, originem trahere à עול GNOOL; quæ vox Æthiopice quoque, ut nos docuit Cl. de Dieu, *pullum* significat. Fortis enim *aspiratio*, quæ est in litera ע, resolvitur in P, ut *Posterior* ab ὄπισθος; *pubes* ab עפה &c. Ex עול GNOOL est ΠΩΛΟΣ; ex עולל GNOLEEL, *Pullus*. Usurpata autem utraque vox Πῶλος & *Pullus*, antiquis Græcis & Latinis, non tantum pro *pullis animalium*, & *stolonibus arborum*, verum etiam pro *pueris* & *puellis*, ut Viri illi Docti jam observarunt: etsi, ut opinor, prima vocis significatio locum habuit in *pullis* animalium, qui *lactentes* subeunt animalia illa *lactantia* ipsius *lactis* caussa, à עלל *intrare*, *ingredi*, subintrare, usus Chaldaici.

β. Eam non misit in lucem absque *multo labore*: sive Ecclesiam typicam respiciamus, magno opere redemptam ex Ægypto; sive antitypicam, *redemptam* sanguine Filii ejus; & *extractam* ex Mundo, inter varia Judicia quæ Deus ejus caussa necesse habuit infligere hostibus [a]. Inde non tantum *opus*, sed פעל *magnum & difficile opus manuum Dei* eam appellaverat Vates, Cap. XLV. II. γ. Eam summa, æquabili, constante, eaque tenerrima complectitur dilectione, quippe conspicua ex summis & maximis illius effectis; datione Filii; liberatione ab æterno exitio; & adoptione in filios, ad æternam salutem & gloriam [b]. *Amat eos, curat eos, ut* PUPILLAM OCULI [c]. δ. Eam ex se editam genitamque necesse habet fovere, nutrire, sustinere, curare, vindicare; eaque officia, sive potius beneficia ei præstat. Explicui rem totam ad ductum Prophetæ Cap. XLV. 3. 4. & recurret Cap. LXIII. 9. Verte jam σχέσιν, & videbis, *Ecclesiæ* & quidem Ecclesiæ Novi Fœderis, & præsertim *Ecclesiæ primi temporis Gratiæ*, eundem ad Deum respectum esse qui *pulli*, sive *pueri lactentis* ad Matrem. Constat illa cœtu & multitudine hominum ἐκ Θεῦ γεννηθέντων EX DEO *genitorum & natorum* [d]; qui illo tempore recentes erant ex utero, tanquam ἀρτιγέννητα βρέφη *infantes recens nati* [e]; summum objectum faciebant Divini amoris & curæ; ab ipso nutriebantur & fovebantur *sincero lacte doctrinæ salutaris*, & *veræ consolationis* [f]; sustinebantur ac vindicabantur, omni ope humana alia destituti [g]; & à Deo ut à Matre educabantur ad magnam spem: quæ ut sæpe matres post tenerrimam curam in infantes impensam fallit; sic sane non falleret Deum. Ergo quis sibi persuadeat, Deum Ecclesiæ illius suæ esse *oblitu-rum*, ejusque afflictæ & laborantis, aut etiam *scandalis* obrutæ, non miserturum? Confer Jer. XXXI. 20.

Ecclesiæ primi temporis respectus fuit ad Deum ut *tenelli* ad Matrem.

Sic se habet ἀπόδοσις primæ propositionis: sed altera momentum ejus aggravat. Propheta docet, *affectum* Dei erga *Ecclesiam* longe vincere *affectum matrum terrestrium*: ut si forte is deficeret, (quod tamen in matribus bonis ac non degeneribus exemplum non habet, & quod nemo præsumit;) Divinus tamen æternum & æquabiliter sit duraturus. Nempe quanto Deus homine major est; tanto perfectior, & constantior in omni sua Voluntate, fundata in certis & æternis rationibus. *Affectus Dei* erga eos quos diligit est mere *rationalis*, subnixus æterno Consilio ac Proposito Dei; quod *propositum* (πρόθεσιν vocat Apostolus [h],) μένει MANET. *Irrevocabile* autem illud & mutari nescium Dei Consilium (ἀμεταμέλητον [i], *non subjectum pœnitentiæ*,) tam singulares Electos respicit; quam Electo-ctorum Corpus, quod Ecclesia dicitur, ejusque Oeconomias [k], secundum Divinam Voluntatem duraturas quandiu Sol & Luna hunc illustrabunt Orbem. Rationes ejus Divinæ Menti semper & æquabiliter obversantur. Executio ejus gloriam Dei illustrat. Declaratum est promissis Gratiæ; obsignatum fœdere & jurejurando; & Λύτρῳ, à Filio Dei pro conservatione Ecclesiæ persoluto. de quo Scriptura S. omni pagina testatur. Vide Prophetam nostrum Cap. LIV. 10. Jer. XXXIII. 20. 21. Ps. LXXXIX. 35. CXI. 9. Heb. VI. 18. ne nunc alia huc adferam. Vides itaque, meticuloſe Grex, tot tempestatibus mundi & afflictionibus agitate, jactate, nunquam fieri posse, ut Deus *tui obliviscatur*, teque *deserat*.

Comparatio inter Deum & Matrem ita instituitur, ut Vates doceat, affectum Divinum vincere affectum Matrum.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 16. *Ecce deformavi te in cavo manus, &c.*

℣. 16. *Ecce* DEFORMAVI TE IN CAVO UTRIUSQUE MANUS: MURI TUI *mihi continuo obversantur.*] Sic proprie sonat sententia Vatis, de cujus lectione aut versione hic non licet dubitare. Sic Aq. Ἰδοὺ ἐπὶ τῶν παρσῶν ἠκρίβωσά σε· *Ecce super palmos accurate te descripsi.* Theodot. Διεχάραξα, *deformavi.* Ipse quoque Alexandrinus hic quod ad sensum docte: Ἰδοὺ ἐπὶ τῶν χειρῶν μου ἐζωγράφηκά σε τὰ τείχη, καὶ ἐνώπιον μου εἶ διὰ παντός· *Ecce in manibus meis descripsi muros tuos; & semper es coram me.* Hieron. *Ecce in manibus meis descripsi te.* Equidem illud *meis* non est in Hebræo: sed cum hic nullæ *manus* intelligi possint quam *Divinæ*; nihil magni vitii est hic addere. Recenseo autem has versiones certo consilio; ne quis cum emblema Prophetæ multis visum sit insolentius, de lectionis certitudine ambigendi existimet se habere rationem. De versione pariter monui. Hebræa sunt: חן על כפים חקיתיך quæ Intt. recte acceperunt. כף CAPH notat proprie CAVUM illud, (observa Hebrææ & Latinæ vocis convenientiam enunciationis; hac forte ex illa formata:) quod est in *manu* vel *pede*; *volam*, inquam, *manus*; aut *plantam pedis*. חקק, ex superioribus concionibus satis nota, admittit significationem *inscribendi*, *exarandi*, *insculpendi*, *deformandi*, *delineandi*, *definiendi*. ut adeo verba sonent; Deum TSIONEM, ad quam oratio vertitur, *deformasse in manibus*, sive in *utriusque manus cavo*. Patet autem attendenti ad integrum emblema Prophetæ, orationem esse metaphoricam, desumpta similitudine ab *Architecto*, qui *Domum* aut *Urbem* extructurus, aut destructam *readificaturus*, eandem (agitur enim hic de *Urbe*:) in universa forma & cinctu suo cum foris, plateis, palatiis, in tabula describit atque deformat, tanquam secundum quem typum structura componenda sit. Sic Jesaias usus fuerat hac voce Cap. XXII. 16. de Sebna: חוקי בסלע משכן לו DELINEANS *sibi in Rupe Domum in qua habitet.* Deus ad Ezechielem [l]: *Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, & pone eum coram te,* וחקות עליה עיר את ירושלם *& DEFORMA* (delinea, figura,) SUPER EAM (in ea) *Urbem Hierosolymam.* Eadem phrasis quæ in hoc loco. Quod sequitur in altero membro, MURI TUI *semper coram me sunt*: huc quoque manifeste pertinet. Significatur, Tsionem & Hierosolymam in omni forma sua, semper esse ante oculos Dei. Emblema pulchrum est: solummodo visum est paradoxum; Vatem scripsisse, Deum *deformasse Urbem hanc* בכפים IN MANIBUS. Id utique novum est. Quis enim typum Domus aut Urbis descripturus, manibus hic utitur pro tabula cui figuram inscribat? Nemo, ut putem: atque adeo Intt., cum simile quærerent; aliqui dixerunt hic alludi ad *annulos*, ornamentum manuum, in quibus res nobis caræ & pretiosæ *calari* solent; in quo multus est Sanctius: alii, ut Grotius, hic cogitant de ritu Veterum, qui earum rerum, quarum servanda erat memoria, *signa manibus* alligabant, ut Judæi solent in *phylacteriis*, Exod. XIII. 9. Sed sunt hæc vere otiosa & frustranea. Jesaias loquitur de re, non *annulo*, sed manibus, & quidem *cavo manuum* inscribenda; ut neque de signo qualicunque manuum superficiei alligando, sed בכפים *in utriusque manus vola* consignando. Quæris itaque, quid illud sit ad quod Propheta alludat? Ajo, quod verissimum teneo; *simile* esse nullum ad quod alludat, quod huic *simili* per omnia respondeat. Est *simile* non *simile*. Alludit ad receptum ritum architectonices, quo typi rerum efformandarum deformantur vel inscribuntur *membranæ*, *lateri*, *tabulæ*, ut usu venit. Quandoquidem vero absurdum sit; Deo in cœlis adscribere tabulam, membranam, chartam, aut quod subjectum simile aliud; & verò Deo in fictione hac ἀνθρωπομορφιτῇ tribuuntur magnæ & amplæ manus, & manuum cava; nulla autem alia pars sit corporis cui quid inscribi commode queat, si id nobis præsens & ante oculos positum velimus: inde ait, Deum Tsionem ejusque *muros*, (hoc est, Urbem Hierosolymam totam, quæ hic per *muros ejus* synecdochice vel metonymice designatur, ut alibi sæpius [m],) *manuum suarum cavis* inscripsisse; estque eadem figura orationis, qua Deus *pugno* dicitur complexus esse *aquas*, & *spithama* mensus *cœlos* [n]; & quæ similia hujus generis. Sensus Emblematis spiritualis est: Ecclesia, cujus Fundamenta, Funda-

Lectio certa hujus loci. Versiones antiquæ.

Verſio ſtabilita. Potestas notionis קח

Ut & voc חקק.

Unde metaphora hic fit desumpta?

Verba: *Muri mei semper sunt coram me.* Sensus eorum.

Τὸ παρὰ δόξαν metaphoræ: *Urbem deformatam esse in manibus Dei.* Sanctii & Grotii medi tationes.

Commodior declaratio metaphoræ.

Sensus Emblematis spiritualis.

a Gal. I. 4. b Rom. V. 8. VIII. 32. c Zach. II. 8. d Joh. I. 13. e 1 Pet. II. 1. f l. c. & Jes. LXVI. 11. g Jes. XLI. 14. Joh. XVII. 11. h Rom. IX. 11. i Rom. XI. 29. k Eph. III. 11. l Cap. IV. 1. m Confer Cap. LX. 10. Ps. LI. 20. &c. n Cap. XL. 12.

Fundationem, Statum, Statusque Oeconomias, Fata & Accidentia omnia, Gradumque & mensuram perfectionis ad quam in hisce terris pertinget, in Consilio meo definivi, ac deformavi, mihi omni tempore ante oculos & in mente est tanquam objectum curæ & amoris mei peculiaris. Planis & propriis verbis sonat; Consilii quod formavi de Ecclesia, gero conscientiam, & cum conscientia Voluntatem constantem atque æquabilem consilii illius mei, quod consilium gratiæ & amoris est, exequendi. Est autem hoc Consilium ἡ Πρόθεσις, ἣν ἐποίησεν (ὁ Θεὸς) ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ Κυρίῳ ἡμῶν [a], qua *Civitati* huic *spirituali*, sive *Corpori* huic *mystico*, *formam suam* omnem dedit, secundum quam illud *congruenter coagmentatum & compactum*, τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται εἰς οἰκοδομὴν ἑαυτοῦ ἐν ἀγάπῃ [b]. Alio loco [c]: *In quo* (Christo Jesu) TOTUM ÆDIFICIUM *congruenter coagmentatum*, αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν Κυρίῳ· *crescit* IN TEMPLUM SANCTUM IN DOMINO. Dixeris eadem phrasi, *in* CIVITATEM SANCTAM, sub qua forma Dominus ipse Ecclesiam suam proponit [d]. Sic sane ubi extruendum erat *Tabernaculum*, Deus Mosi in Monte ostendit תבנית *typum*, ὑπόδειγμα, secundum quem Tabernaculum omnibus suis partibus aptissime construendum esset [e]. Pariter David *ideam*, (formam, demonstrationem, picturam,) Templi per Prophetam nomine Dei acceptam tradidit Salomoni [f]. Spiritus ipse Ezechieli [g] exhibuit formam & delineationem omnem Templi & ei adjacentis Civitatis; qualis erat in Divina mente & ante ejus oculos; ut literale illud & perfectum σχῆμα perfectam exhiberet τύπωσιν *Templi* ac *Civitatis spiritualis*; quæ *Civitas* mere *spiritualis* ἐν τύπῳ conspicienda data est Joanni [h] ab ipso descripta. Hæc est illa vera *Civitas*, *Tsion*, *Hierosolyma*, quam ipse vere inhabitat, & inhabiturus est in æternum. Hic habet suum thronum, hanc implet sua gloria, hujus ζωγραφίαν ipsi semper recens obversatur cum æquabili in eam cura & affectu, tanquam eam manuum suarum volis inscriptam & *insculptam* quoque haberet. plane eodem sensu, quo Ps. LXXXIX. 37. Deus repetens & explicans æternum fœdus Davidi sancitum: *Semen ejus in æternum erit*, וכסאו כשמש נגדי *& thronus ejus ut Sol* CORAM *me*. Plus non putem pertinere ad mysticam inspectionem emblematis, ut v. gr. quod cum *manus* symbolum sint *potentiæ* Divinæ, Ecclesia in manibus ejus deformata, ab ipso custodienda ac defendenda sit: videtur id hic loci esse præter scopum. Nec proprie כפים VOLÆ *manus*; sed ידים MANUS ipsæ figuram sustinent Divinæ Potentiæ. *Muros* dixi hic pro ipsa *Civitate* Hierosolyma sumi, ut alias. Ratio est quia *muri* proprie *oppidum* à *pago* vel *villa* distinguunt. Mystice respectu *Civitatis* Dei *spiritualis* duo significant, α. Canones Doctrinæ ac Disciplinæ Ecclesiæ, per quos eadem ab aliis Civitatibus discernitur: quomodo accipiendi sunt *Muri* Novæ Hierosolymæ in *Apocalypsi* [i]. β. Potentiam Dei protectricem, ejus consilio & promissis nixam, qua Ecclesiam munit ac defendit [k]. Sed non dixerim alterutrum horum hic directe spectari, cum *Muri* hic μετωνυμικῶς ipsam denotent *Urbem*, ut jam anticipavi dicere; etsi ipsæ illæ res, quas dixi, per *Muros Civitatis* spiritualis mystice figurari, complexo hujus Urbis conceptu excludi nequeant. Vides sensum dicti: simul percipis, ut cohæreat cum superioribus. Tantum abesse docet Deus, ut ipse Ecclesiam deserat aut obliviscatur; ut eam tanquam in *cavo manuum suarum* deformatam sibi semper præsentem habeat cum summo in eam affectu & voluntate constante.

Loca analoga rem declarantia.

Exempla *idearum* Tabernaculi & Templi Sal. & Ezech. huc adducta.

Civitas spiritualis complementum *operis Dei.*

Quid h. l. intelligatur per *Muros* Hierosolymæ?

(b.) Consolatio *specialis*; qua Deus Ecclesiæ insignia promittit *Beneficia* in sequens in eam conferenda.

β. Destructio internorum Ecclesiæ hostium.

℣. 16. FESTINABUNT FILII TUI: *Destructores tui & Vastatores tui*, EX TE *exibunt.*] Sed generalia afflictos minus solantur atque afficiunt. Transit itaque Propheta ad *Consolationem specialem*, quæ instruitur ex Beneficiis Gratiæ, quæ Deus consequenti tempore Ecclesiam sperare jubet. Sunt autem imprimis Beneficia quatuor, α. Liberatio ab hostibus internis, statui ejus nocivis. β. Mirabile incrementum Communitatis ipsius, omni fide majus, ℣. 18. γ. Destructio hostium externorum Ecclesiam affligentium, ℣. 19. seq. δ. Regum & Principum Mundi propensum ac summissum erga Ecclesiam studium, cum eorum conversione conjungendum, ℣. 23. Sed beneficia hæc in oratione inter se permiscentur, ut vere inter ea magna intercedit affinitas. Nos ita Vatem sequemur, ut nobis præit. Primum beneficium, quod dixi Adversariorum internorum separationem ab Ecclesia, hic proponitur cum antitheto suo; atque adeo duobus membris explicatur. Prius duabus conceptum est verbis, מהרו בניך secundum *Puncta Vocalia* Masorethica (מְהֲרוּ בָנַיִךְ) vertendis: *Festinant filii tui:* sed Veteres alii vocem בנך acceperunt acsi notata esset, בּוֹנָיִךְ *Ædificatores tui.* STRUCTORES TUI, ut Hieronymus. Οἱ σὸ. καὶ ταχὺ οἰκοδομηθήσῃ ὑφ' ὧν καθῃρέθης· *Citoque ædificaberis ab iis à quibus destructa fueras.* Chaldæus: יחון בנוכי חרבתיך *Festinabunt ædificantes tibi solitudines tuas.* Est autem probabile, Veteres quoque alios, Aq. Sym. & Theod. ita accepisse, quia Eusebius, Hieronymus nec Procopius nullius hic variatæ interpretationis meminerunt. Utique est quod huic lectioni blanditur. *Structores* enim commode opponuntur *destructoribus.* Vox autem בנים æque commode recipit *puncta* בּוֹנַיִם, ut aliàs [l], ac בָּנַיִם, & ipsa etiam *punctatura* בָּנַיִךְ, secundum Canones Grammaticæ Chaldææ stare potest, significatione, *Structores tui.* Sunt enim בָּנַיִן *terminatione Chaldæa*, cujus exemplum est apud Ezram, *structores.* Et tamen vix dubitem, quin Masorethæ, prudentissimi homines, vere hic à nobis legi voluerint & verti, *Filii tui*; & habuerunt illius suæ sententiæ sat graves rationes. α. Quia *affixa relativa* quæ occurrunt in *commate sequenti*, rectius multo referuntur ad *Filios*; quàm ad *Structores* Tsionis. Sic legitur ℣. 18. *Circumspice circumquaque & vide*, OMNES ILLI *tibi congregantur*; *veniunt ad te*, & OMNIBUS ILLIS *tanquam ornamento vestieris.* Quinam OMNES ILLI? Rectius dixeris, *filii* quam *structores.* β. Emblema *filiorum* clare & presse exponitur, ℣. 21. γ. Locus hic omnino parallelus videtur Cap. XLIII. 6. *Qui dicit Septentrioni, dà; & Austro, Ne cohibeas: Adduc* FILIOS MEOS *à longinquo*, & FILIAS MEAS *ab extremo terræ.* Sed quantum interest? *Domus* enim & Civitates à filiis instruuntur, & in iis ac per eos etiam struuntur; phrasi quoque in Sacris [m] recepta. Jesaias ipse [n]: *Alienigenæ muros tuos* EXTRUENT. Quales vero, nisi *filii*, Ecclesiæ adsciscendi & in ea nascituri? Illi enim ipsi sunt *filii Tsionis*, de quibus hic agitur; nobis jam noti abunde ex locis jam ante diligenter tractatis, huic parallelis, Cap. XLIII. 5. 6. 7. XLIV. 5. quare de iis nihil nunc addam. Vox מהרו *festinabunt* singularem animadversionem meretur hoc in loco. Significat proprie & directe *repentinum*, festinatum, & omni cogitatione majorem concursum & confluxum Gentium ad Ecclesiam Apostolicam & Primævam, ex omnibus cœli plagis, de quo Jesaias jam in initiis hujus Libri [o], & ipsis illis locis quæ modo allegabam; & proxime in ℣. 12. luculenter vaticinatus fuerat; eandem vaticinationem in *sequente pericopa* continuaturus. Hoseas [p]: *Tremebundi accedent, ut* AVIS *ex Ægypto*, & *ut* COLUMBA *ex terra Assur.* Ergo *advolabunt* post editum Evangelii

(b.) Consolatio *specialis.*

Varia Beneficia Ecclesiæ promissa.

α. Destructio hostium ejus *internorum.*

Analysis Pericopæ.

Beneficia promissa ordine recensentur.

Primi Beneficii Analysis.

Lectio Masorethica vocis בניך.

Verti æque potest, *Ædificatores tui*, ac *Filii tui.*

Lectio Vett. Interp.

Probabilis species conciliatur Lectioni Masorethicæ.

Affinitas utriusque metaphoræ.

Emphasis in voce מהרו *festinarunt.*

Locus Hos. XI. 11.

a Ephes. III. 11. b Ephes. IV. 16. c Ephes. II. 21. d Matth. XVI. 18. e Exod. XXV. 40. f 1 Chron. XXVIII. 11. 19. g Ezech. XL. seqq. XLVIII. h Apoc. XXI. XXII. i Ap. XXI. 12. k Zach. II. 5. l Ps. CXXVII. 1. m Deut. XXV. 9. n Cap. LX. 10. o Cap. II. 1. seqq. p Cap. XI. 11.

Meditatio Cl. Cocceji.

præconium. Cl. Coccejus subjicit, verba sic accipi posse, *Faciles partus habuisti*; ut diceret Vates, Partus filiorum tuorum festinato procedunt. Censeo, esse doctam meditationem, huic ipsi quoque sensui nostro congruentem; etsi dubitem, an id fuerit in mente Prophetæ. Certe interpretatio communis magis videtur convenire phrasi: licet interea certum sit, festinata Ecclesiæ primævæ incrementa in hac prophetia sub utroque emblemate proponi. Est præterea hæc significandi vis in voce, *Festinabunt*, ut nos moneat cogitare de genuina natura illius Actus, quo homo se ad Deum convertit, & gratiam sibi in Christo Jesu oblatam amplectitur. Nullus actus hominis est festinatior. Persuasus, se versari in discrimine summo, æterni damnatem exitii; & esse gratiam apud Deum & salutem in Christo Jesu; non *it*, sed *currit* [a], seque quam festinatissime eripit, vel eripere studet exitio; perinde ac quis flammæ aut aquæ periculum metuens, se quam ocyssime vindicat ex discrimine. de quo egi ad Cap. xxx. 22. Latet id mystice in verbis [b]: FUGITE *ex Chaldæa*. Vates noster plane in eundem sensum sub eadem figura, de Jesu Messia [c]: *Gens quæ te non cognoscebat, ad te* CURRENT. Ut autem festinatior nullus actus est eo conversionis ad Christum & communionem Ecclesiæ: sic nullus lubentior, nullus liberior. Est in cursu festinato hominis προθυμία. Nulli enim actus hominis sunt liberiores, quam quibus vel imminens & jam veluti impendens malum fugiunt; vel bonum desideratum appetunt: quod utrumque in hoc actu locum habet. Implementum prophetiæ quæres tum à primo Ecclesiæ ortu; tum præcipue cum Imperio Trajani, de quo sæpius jam dictum, & dicendum in *sequentibus*.

Vox *festinare* verissime usurpatur de actu *Conversionis* hominis ad Deum.

Idem actus est liberrimus & lubentissimus.

Alterum membrum: *Destructores & Vastatores tui ex te exibunt.*

Intelliguntur *hostes interni.*

Paraphrasis Kimchii.

Contrarium ejus est, *Destructores tui & Vastatores tui* EX TE EXIBUNT: quæ verba diligentius inspicienda sunt. Accepi illa de *internis Ecclesiæ hostibus*, quos domi & in sinu suo fovebat. quomodo ipsi quoque Hebræi accipiunt. Kimchius: DESTRUCTORES & VASTATORES TUI.] *Illi sunt transgressores*, (פושעים) *defectores à fœdere.* EXIBUNT EX TE.] *Desituri sunt, ut non supersit in te amplius impius & publicus Legis Divinæ transgressor, siquidem illi fuerunt in caussa destructionis & vastationis quæ tibi accidit.* Non ausim præfracte affirmare, alienum esse ab hoc loco ut cogitemus de *Persecutoribus Ecclesiæ*, Rectoribus Romani Imperii, de quibus plana mentio est ℣. 19. Possunt enim illi sano sensu dici *exire ab Ecclesia*, quando in Populum Dei sævire desinunt. Dum enim Ecclesiam affligunt, in *medio ejus* versantur. Sed verius ex aliquo cœtu *egredi* dicitur, qui *prodit* ex ipso cœtu, cujus membrum fecit, vel facit; vel qui prodiens ex cœtu, cujus partem fecit, se à cœtu illo voluntate sua separat, ac diversam à cœtu sectam facit; vel etiam à cœtu ipso sententia judiciali excommunicatur. Sic apud Nahumum de Nineve [d]: מכן יצא חשב על יי רעה Ex TE EXIIT *cogitans contra Jehovam malum.* Apud Joannem [e]: EX NOBIS EGRESSI SUNT, (falsi Doctores & Antichristi, de quibus loquitur:) *sed non erant* EX NOBIS: *nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Posteriore sensu hic accipitur; præstantque verba Joannis huic loco vicem commentarii. Intelliguntur falsi Apostoli, falsi fratres, ψευδάδελφοι, Ecclesiam primævam vastantes, ejusque incremento infestissimi. Paulus de iis ad Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ [f]: *Ego enim hoc certo scio,* LUPOS GRAVES, *non parsuros gregi, ingressuros esse ad vos post discessum meum, &* EX VOBIS IPSIS EXORITUROS *qui loquantur perversa, ut Discipulos post se abstrahant.* Semen jam erat in herba tempore Apostoli, qui hosce falsos fratres, ubique sibi & Ecclesiis à se fundatis insidiantes, notat in Epistolis, ad Corinthios *posteriore*; ad *Galatas*; nec non ad *Timotheum & Titum.* Erant autem illi, vel Mosaicæ Disciplinæ studiosi, cujus observantiam illi cum obsequio Legis Evangelicæ urgebant tanquam plane necessariam ad salutem; vel sublimiorem affectabant scientiam rerum Divinarum, quæ fundamenta veræ Doctrinæ & Disciplinæ Christi Jesu plane subvertebat; quos Paulus ad *Timotheum* & *Titum*, & Petrus, in *posteriore Epistola*, ac Judas, Christianos sui temporis monent cavere ut Christiani status eversores; ut sane turpissimam maculam inusserunt nomini Christiano, & plurimos à veritate & simplicitate Evangelii abduxerunt. Paulus de iis [g]: Ἀνατρέπουσι τὴν τινων πίστιν· SUBVERTUNT *quorundam fidem.* Alio loco [h]: Οἵτινες ὅλους οἴκους ἀνατρέπουσι· *qui integras Domus* EVERTUNT. Pariter [i]: *Sermo illorum instar gangrænæ* DEPASCETUR. Rursus [k]: *Utinam exscinderentur,* οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς· *qui vos inquietant.* Sic Beza. Verius, *Qui vos* SUBVERTUNT. Hesychius: Ἀναστατοῦντας· Ἀνατρέποντας. Item, Ἀναστάτης· κατεσταμμένος. Hos eosdem mox dicit alios δάκνειν καὶ κατεσθίειν· *mordere & absumere.* Sunt autem quas adduxi phrases, analogæ Jesaianis. Est Vir Doctus [l], qui hic intelligi posse existimat Judæos *incredulos*, *Sacerdotes*, *Pharisæos*, *Scribas*, quos Ecclesia Tsionea *intra se habuerit*, & à *quibus Credentes in Christum se postea separaverint.* Non sperno cogitationem; neque tamen eam adopto. Illi enim, quod supponitur; nunquam fuerunt *intra Ecclesiam*, neque *ex ea exierunt.* Ecclesia potius fuit *intra hanc multitudinem Populi carnalis*; & *se ab ea separavit*; sive, *ex ea exiit.* Convenit autem hypothesi nostræ traditio Ecclesiæ; quæ docet, circa tempora Trajani, corruptæ Doctrinæ Sectatores, παραφθείρειν ἐπιχειρῆντες τὸν ὑγιῆ κανόνα τῦ σωτηρίς κηρύγματος· *qui rectam Prædicationis Evangelicæ regulam depravare nitebantur*, palam *ab Ecclesia secessionem fecisse*, quod superstitibus Apostolis ausi non sint facere: usque eò vero illos in sinu Ecclesiæ latuisse; ut adeo *Virgineus Ecclesiæ status* usque ad id tempus extendi potuerit. Sic Hegesippus apud Eusebium [m], cujus locus hac de re multis illustratur à Cl. Dodwello [n]. Cum tamen Hegesippi non sit magna auctoritas: est illius traditio prudenter accipienda. Tempore Judæ, cujus Epistola censeri potest scripta sub Vespasiano, adhuc vere latebant in Cœtibus piorum puri Evangelii confessorum [o]: nec à multis Ecclesiis secessionem fecerant aut ejecti fuerant, tempore editæ *Apocalypsios*, ut patet ex censura Domini in *Ecclesias Asiæ*. Sed Joannes quando post receptam *Apocalypsin* scripsit Epistolas, exerte ait [p], *multos Pseudoprophetas in Mundum exiisse*; eosque EXIISSE *ex Ecclesia*, & *in ea non mansisse*: etsi Cl. Dodwellus contendat, ne tum quidem adhuc *contigisse discessionem.* quod de multis verum fuerit: non de omnibus. Ergo Ecclesia, imperante Trajano ab his liberata, magno affecta solatio, pulchre enituit, alasque suas late expandit.

Quare hic potius de *internis* quam *externis* hostibus cogitandum sit?

Vis vocis *exire* in h. l.

Falsi Doctores primævæ Ecclesiæ infesti.

Falsi Doctores primi temporis spectabantur ut *eversores Status* Christianissimi.

Phrases analogæ.

Docti Viri meditatio, & de ea judicium.

Historia in hanc rem adducta, & illustrata.

b. Admirabile *Ecclesiæ* incrementum. Articulus primus.

℣. 18. *Attolle circumquaque oculos tuos & vide: Omnes illi congregantur; veniunt ad te.*] Altera, eaque certissima, solatii ratio petitur à mirabili incremento, quo Ecclesia primæva, ortu Apostolica, à falsis fratribus purgata, honestaretur. quod solatium superiori pulchre succenturiatur. Nimirum videri poterat Ecclesia, post discessionem falsorum Doctorum & Fratrum, seorsim nunc cœtus suos agentium, metuere solitudinem. Sed secus accideret. hoc enim demum tempore ingens ad eam concursus fieret: hoc præcipue tempore sub bonis Imperatoribus florente Imperii statu Verbum Evangelii & Gratia Divina vim suam ostentaret; & Ecclesia accessione qualiscunque Ordinis hominum illustraretur ac celebraretur. Est autem Jesaias in hoc Ecclesiæ incremento & ornamento explicando

b. Admirabile incrementum Ecclesiæ, ℣. 18. *Articulus primus.* Incidit in hoc ipsum tempus.

---

a Cant. I. 4. *b* Cap. XLVIII. 20. *c* Cap. LV. 5. *d* Nah. I. 11. *e* 1 Joh. II. 19. *f* Act. XX. 29. *g* 2 Tim. II. 18. *h* Tit. I. 11. *i* 2 Tim. II. 17. *k* Gal. V. 12. *l* Cl. Schmid. *m* H. E. Lib. III. Cap. XXXII. *n* *Dissert.* in *Iren.* Cap. I. §. XI. XII. seqq. *o* Jud. ℣. 4. *p* Confer loca 1. Cap. II. 19. IV. 1. 2 Epist. ℣. 7.

cando multus, idque variis profequitur articulis; in quibus paſſim inſiſtit uni eidemque emblemati. Proponit Eccleſiam Tſioneam ſub figura Communitatis, ſive Civitatis, quæ expoſita hoſtibus potentioribus multis civibus membriſque ſuæ communionis orbata viduataque fuerit, & merito metuere poſſet, ne incideret in ſolitudinem, & à tyrannis ei inſidiantibus deglutiretur. Fige hanc ſcenam in primis annis Trajani, & videbis, omnem interpretationem rectiſſime procedere. Hoc *articulo primo* jubet eam *oculos ſuos attollere* eoſque *undique circumferre*. Eſt autem *oculos attollere & videre*, ſe ad hoc vel illud contemplandum & contemplando conſiderandum, diligenter applicare. quod paſſim locum habet, ubi res nobis ſpectanda præbetur nova, non exſpectata, paradoxa, cujus contemplatio parere queat admirationem. Phraſis uſu recepta eſt, cum in Hiſtoricis; tum præcipue, ubi Deus Prophetas excitat ad inſpicienda Viſa ipſis exhibita, ut plurimum materiæ paradoxæ [a]. Quid vero magè paradoxum, quid minus exſpectatum, quam ingens ille concurſus & confluxus ad Eccleſiam Chriſti Jeſu afflictam, inopem, omni poteſtate Sæculari orbatam, & Satanæ inſidiis ac furori expoſitam? *Ecce*, ait, *omnes* ILLI, ſc. FILII, memorati in *commate antecedenti*, (*relativum* enim aliò referri nequit:) *congregantur, & veniunt ad te*, ut per portas tuas ad omnia Cœlorum climata patentes tibi adjungantur: fere ut ubi Feſta celebrabantur Hieroſolymis, vel ubi Forum agebatur in Civitatibus & Provinciis Romani Imperii, viæ repletæ erant hominibus ingente concurſu undique ad Urbem confluentibus. Vates idem emblema iiſdem verbis repetit Cap. LX. 4. Illum autem hic intelligere *Gentes*, integris catervis tandem ex omnibus Cœli plagis Eccleſiæ aggregandas & in ſinum ejus recipiendas, non poteſt eſſe dubium ex clariſſimis locis Cap. II. 2. ſeqq. XLIII. 5. 6. 7. coll. cum Matth. VIII. 11. Zacharias [b]: *Et adjungentur Jehovæ* ILLO DIE *Gentes magnæ*. Lactantius de Statu Eccleſiæ, *Domitianea Perſecutione* defunctæ [c]: *Reſciſſis igitur actis Tyranni*, (Domitiani,) *non tantum in Statum priſtinum Eccleſia reſtituta eſt; ſed etiam multo clarius ac floridius enituit; ſecutiſque temporibus, quibus multi ac boni Principes Romani Imperii clavem regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus paſſa, manus ſuas in Orientem Occidentemque porrexit; ut jam nullus eſſet terrarum angulus tam remotus quò non Religio Dei penetraſſet: nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non ſuſcepto Dei cultu ad juſtitiæ opera miteſceret.* Vides, illum loqui de Statu atque incremento incredibili Eccleſiæ ſub Nerva, Trajano, Hadriano, Antoninis; nec ſunt hic dubii teſtes Literæ Plinii Bithyniæ Præſidis ad Trajanum [d], ſatis notæ, & alio jam loco adductæ.

Emblema quo Jeſaias utitur in hoc privilegio Eccleſiæ declarando.

Scena hujus pericopæ rectè figitur in initiis Trajani.

Vis phraſios, *attollere oculos*.

Concurſus Gentium ad Eccleſiam res ſumme paradoxa.

Paraphraſis verborum.

Pauca de eo loca ex hiſtoria.

Articulus alter.

Articulus alter, vſ. 18. med. 19. Vocula כי in his verbis repetita; ſed in verſione negligenda: cujus rei datur ratio.

vſ. 18. med. *Vivo Ego, ait Jehova: Omnibus illis tanquam* ORNAMENTO *amicieris, &* ALLIGABIS *illos tibi, ut ſponſa.* vſ. 19. Quod ad *vaſtata deſolataque loca tua, terramque tuam deſtructam* attinet: *nunc arctum tibi erit propter habitatores.*] Conjunxi hæc verba quod in contextu Sermonis Hebræi omnia cohæreant cum Juramento, cujus cohærentiæ indicium facit vocula כי ter repetita; *Vivo Ego ait Jehova:* כי *quod*. Rurſus: כי QUOD *Deſolata vaſtataque loca tua, &c.* In quibus locis vocula כי *quod, quia*, plane παρέλκει. Deſignat tantum materiam Jurisjurandi. ut ὅτι apud Græcos, poſt voces εἶπον, λέγω. quare Belgæ Intt. Viri Docti, non ſatis prudentes voculam כי hic primo loco vertiſſe videntur per *certe*. Poſt *Juſjurandum* enim Dei graviſſimum non opus eſt addere *certe*. Secundo loco verterunt per *Etenim*. quod ipſum quoque non ſatis commode fit. dicta enim Prophetæ *commatum* 18 & 19. inter ſe non cohærent ut *cauſſa & effectus*. ſunt analoga, concomitantia. certè *tertium* כי quod ſequitur, in verbis: QUOD *nunc arctum tibi futurum ſit*; indubie referendum eſt ad *Juſjurandum*. Etenim verba, VIVO EGO, hic tantundem valent, acſi ſcriptum eſſet; *Juro Ego*. Vide uſum voculæ כי cum voce נשבע Cap. XLV. 23. Eſſe autem *Vivo Ego*, formulam Juris-jurandi, receptiſſimi uſus, qua Deus res per naturam non neceſſarias cum neceſſitate vitæ ſuæ connectit, h. e. plane neceſſarias facit [e], memini me ſuo loco [f] monere; neque hic repetam. Summa articuli primi; Jurejurando ſanciti, habet; *Eccleſiam illis omnibus amiciendam inſtar ornamenti; & tanquam ſponſam eos ſibi alligaturam eſſe*. Per עדי *Ornamentum* videri poſſet hoc loco alludi ad *pallam*, ſive pallium, amiculum, muliebre, quod fœminæ in Oriente ornatus omnis ad luxuriam uſque ſtudioſæ, ex pretioſiſſima materia contextum, ornamenti loco habent; de quo in mundo muliebri à Vate deſcripto egi ſub voce מעטפות, *amicula*, ad Cap. III. 22. Sed loca Ezechielis, Cap. XVI. 11. XXIII. 40. me docuerunt, intelligi *monilia*, & *armillas manuum* ac *pedum*; eſtque id convenientiſſimum ſignificationi vocis עדי, quæ ex etymo notat quid quod corpori externe admovetur. Notio עד, unde forte themata cætera ducenda ſunt, idem valet quod Latinis AD, inde ſumptum. Vocis autem לבש *induere*, *amiciri*, notatio late extenditur. קשורים proprie ſunt *redimicula* & *vittæ* mundi capitis, de quibus ſub hac ipſa notione egi ad Cap. III. 19. Qui ornatus ut reliquis fœminis honeſtioribus valde erat cordi: ſic præcipue *ſponſis*, quam ornatiſſime prodire & ſe oſtentare ſolitis. Jeremias eodem emblemate licet diverſo caſu uſus [g]: *An obliviſcetur virgo* עדיה ORNAMENTI SUI; (monilium, armillarum;) *ſponſa* קשוריה REDIMICULORUM *ſuorum?* Verberant illa *redimicula* oculos in *mundo ſponſæ*, quem Jeſaias appellat כלי כלה *inſtrumenta ſponſæ* [h]. Myſtice ſignificantur homines docti, literati, Philoſophi, Rhetores, inter ipſos Paganos in magna dignatione verſati, qui Religionem Chriſtianam explicarent & ſcriptis atque apologiis ſuis defenderent; & per Gratiam Divinam converſi Eccleſiæ magnum decus adderent; inter quos Juſtinus Martyr, Athenagoras, Clemens, Tertullianus, Minutius Felix, Cyprianus, & hiſce ſimiles multi. Ne jam dicam de Epiſcopis & Presbyteris fidelibus; doctrina, ſanctimonia, zelo, & puritate vitæ, eminentibus, quales paſſim fuerunt primis Chriſtianiſmi ſæculis, qui Eccleſiam doctrina, & exemplo morum, plurimum honeſtarunt. Hos Eccleſia magnam partem conſtans mediocris fortunæ hominibus ſibi applicaret inſtar *veſtis ἐπενδύτου*, quæ non tam neceſſitatis quam ornatus cauſſa geritur: his ſe efferret; hos ſibi *alligaret*, vinculo *confœderationis* ſpiritualis; & læta hoc incremento atque ornamento gloriaretur in Domino. Quicquid alicui externe accedit; ad ipſum applicatur; ipſi ſive neceſſitatis, ſive ornatus cauſſa adjicitur; in quo videtur & comparet; quoque protegitur, ac decoratur: eſt *veſtis*. Id vero Deum velle ut fieret, cum ſanctiſſima Juris-jurandi Religione πληροφορίας ἕνεκα confirmaverit; dictum promiſſumque ſuum abunde repræſentavit, & hodiedum ad ſummam Nominis ſui laudem repræſentat.

Vivo Ego, formula Juris-jurandi Divini.

עדי *Ornamentum tuum*, palla muliebris. Rectius, *Monilia*.

Etymon vocis.

Notio קשורים exponitur.

Quid ſignificent in Mundo muliebri?

Quid myſtice?

c. Deſtructio hoſtium Eccleſiæ externorum.

vſ. 19. Quod vero attinet ad loca *tua* VASTATA & DESOLATA, *& terram deſtructionis tuæ:* NUNC *arctum tibi erit propter habitatorem; & longe aberunt, qui te* ABSORBEBANT.] Clariſſima intellectu verba, ſi hiſtoriæ ductum ſequamur. Aperi itaque hic oculos, & agnoſce in his verbis vividiſſimum repræſentamen Perſecutionis Diocletianeæ, (ſub qua præcedentes, Deciana & Valerianea, quoque comprehenduntur:) quare in tanta luce hiſtoriæ cum prophetia collatæ, abſtineo omni diſputatione. Effectus hic connectitur cum ſua Cauſſa, ſive Signo antecedenti. Effectus quidem eſſet,

c. Deſtructio hoſtium Eccleſiæ externorum, vſ. 19. Prophetia verſatur in temporibus Diocletianeis.

---

a Jer. XIII. 20. Ezech. VIII. 5. Dan. VIII. 3. Zach. I. 18. VI. 1. *b* Cap. II. 11. vel ex Diſt. Heb. II. *c* Lib. I. Cap. III. *d* Epiſt. Lib. X. Cap. XCVII. *e* Deut. XXXII. 40. Jer. XLVI. 18. *f* Cap. XIV. 24. XLV. 23. *g* Jer. II. 32. *h* Cap. LXI. 10.

set, *Locorum Ecclesiæ vastatorum & destructorum, & terræ destructionis, exædificatio:* Caussa sive Signum antecedaneum, *Interitus tyrannorum* quibus propositum fuerat Ecclesiam *deglutire.* Sed ut ordine eo veniam quo tendo; observa, in his verbis responderi ad objectionem quæ adversus solatium Promissi *superioris* inferri posse videbatur. Quid enim, dicat Ecclesia, mihi adeo proderit augmentum *filiorum meorum*, confessorum veritatis, si interea temporis non liberer & vindicer ab hostibus ferocibus, magna præditis potestate, omni occasione paratis ut eos deglutiant? Quid mihi conducat, parere filios bono numero, vel dispersis aliunde accedentibus ditari; mox iis furori hostium expositis summo meo dolore orbandæ? In quantam enim solitudinem me conjecit, quantum mihi metum fecerunt post Neronianam & Domitianeam Persecutionem Deciana & Valerianea? quantam in me dederunt stragem, ad quantam me redegerunt vastitatem? maxime vero Diocletianea, quantam per totum orbem Romani Imperii effecit desolationem? quot destruxit Domos florentes? quot egregios viros consumpsit? quot Oratoria, in quibus cultum Religionis meæ sancte profiteri solebam, vastavit? Respondet itaque Deus, jam hoc tempore omnia hæc provisa esse. Cum enim Deus hanc vastationem Ecclesiæ ob rationes gravissimas permiserit: certo eum consilio statuisse, Ecclesiam his gravissimis fidei suæ tentationibus defunctam insigniter ornare, & res ejus qualicunque modo promovere. Si enim solicita sit de *Locis* suis *vastatis desolatisque*, h. e. Oratoriis in quibus Deum colere solebat, destructis: esse illa magnifice instauranda, & quidem, credentium numero immensum crescente, in formam & speciem antiqua longe ampliorem, postquam Persecutores Publici de medio remoti & judiciis Divinis prostrati perditique fuerint. Intellige itaque per *Loca desolata vastataque*, in quibus Credentes habitare solebant, illorum Προσευκτήρια ORATORIA, in quibus Christiani cultui Divino solebant vacare. quæ *Oratoria* cum Christiani *fine Seculi tertii*, & *initio quarti* haberent in celebrioribus omnibus locis per totum orbem Romani Imperii: jussu Imperatorum Diocletiani & Maximiani Herculii ubique locorum destructa dirutaque sunt, Libris Sacris crematis, secundum Edictum Impp. quod recensetur ab Eusebio [a]. & loca in quibus extructa fuerant, fœde polluta. Nec tantum in Asia, Ægypto, Africa, Italia; sed in ipsis quoque Galliis, Hispaniis, Britannia, quibus Regionibus præerat Constantius, Constantini Pater, (eo adhuc tempore *Cæsar*,) ut quod ad exteriorem speciem Imperatorum Edicta exequeretur. Lactantius [b]: *Nam Constantius ne dissentire à majorum præceptis videretur*, CONVENTICULA, id est, *parietes qui restitui poterant*, DIRUI PASSUS EST: *verum autem Dei Templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* TERRA autem DESTRUCTIONIS hic dicitur *terra Imperii Romani*, quatenus à Christianis culta atque insessa erat, quave parte inserviebat Religioni veræ: quæ terra Romani Imperii *hoc respectu* versa est in *solitudinem.* Sic utique Veteres, ubi de Persecutionibus Ecclesiam vastantibus loquuntur, eadem hac voce *vastationis*, *desolationis*, utuntur, quippe ad eam rem significandam aptissima. Eusebius in Oratione quam habuit cum splendidissimum illud Tyri Templum Religioni solenniter consecraretur; large differens de summa mutatione rerum, quæ à Persecutione Diocletianea accidit [c]: Καὶ νῦν γέγονε ἡ πρὸ μικροῦ ἔρημος, εἰς ἕλη, καὶ εἰς τὴν διψῶσαν γῆν ἔβρυσε πηγὴ ὕδατος ζῶντος· *Et quæ paulo ante* VASTA SOLITUDO ERAT, (sc. terra Romani Imperii:) NUNC *mutata est in paludes; & in* TERRA SITICULOSA *scaturivit fons aquæ vivæ.* Alludit ad nostri Vatis Cap. xxxv. 5. 6. Mox Persecutionem ipsam appellat τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως· *abominationem* DESOLATIONIS.

Σχῆμα orationis. Responsetur hic ad objectionem ex circumstantia temporis formatam.

Responsio ad hanc Objectionem.

Per *loca* Ecclesiæ *desolata*, quid hoc loco intelligi queat?

Historia in hanc rem adducta.

Quid h. l. *terra Destructionis*?

Phrasis Scriptorum Vett. cum hac Jesaiæ collata.

Cyprianus de Deciana Persecutione loquens [d]: *Intelligendum enim est & confitendum, pressuræ illius tam turbidam* VASTITATEM, *quæ gregem nostrum maximam partem* POPULATA EST, *& adhuc usque populatur, secundum peccata nostra venisse, & seqq.* Quod vero Deus huic solicitudini Ecclesiæ occurrens hic dicit; fore ut *deserta* illa *loca* denuo inhabitentur, & angusta nimis deprehendantur quam ut capiant filios Ecclesiæ: id fecit Deus ut ad literam in Ecclesia hujus temporis impletum fuerit; licet id spe videretur esse majus. Omnia Oratoria quæ Edictis Imperatorum per totum Orbem Imperii alienata erant; si alii usui consecrata, restituta sunt Ecclesiæ: si diruta & destructa, sumptus in eam rem è Fisco facti sunt. Eusebius [e]: *Nobis vero præcipue qui spem omnem in Christo positam habemus, incredibilis quædam inerat lætitia, ... cum* LOCA CUNCTA, (πάντα τόπον· habetque vox τόπος hic peculiarem emphasin:) *quæ tyrannorum impietas paulo ante* SUBRUERAT, *tanquam ex diuturna & pestifera labe reviviscere videremus, templaque rursus à solo in immensam altitudinem erigi, &* LONGE MAJORE CULTU *ac* SPLENDORE *quam illa quæ prius expugnata fuerant, nitescere.* Inde exemplum exhibens in augusto illo Templo Tyrio; Paulinum ait, Ecclesiam illam, Dei caussa ἔρημον *vastatam*, destructamque, & quidem eodem loco, ab hostibus fœde polluto, instauratsse; etiamsi alio loco faciliore opera confieri potuisset. Sed id tralatitium est. Id referendum quod addit; Paulinum Locum illum Ecclesiæ desertum vastatumque, non *vetere* illa, sed *splendidiore veste circumdedisse*, πολὺ μείζονα τὸν χῶρον ἅπαντα περιλαβόντα, MULTO AMPLIOREM METATUM LOCUM *quam ante.* Res non est dubia. Non tantum Constantini generosus in Ecclesiam affectus & splendor hic respiciendus est: sed ipsus quoque Ecclesiarum status. Reflorescente enim Christianismo post Persecutionem Diocletianeam Vetera Ecclesiæ Loca cultoribus Religionis capiendis non erant. Majus iis concedi [f] debuit *spatium habitationis*, quod hic dicitur: *Arctus* nimis esset *locus* propter *inhabitantium* multitudinem. *Habitatio* autem hic est *cohibitatio*, quæ Religionis caussa instituitur, & sacris publicis celebratur: qua phrasi illa συναγωγὴ sacra à Divino Vate appellatur [g]. Cujus rei caussa esset *Abolitio* Eorum qui Ecclesiam *deglutiebant*, instar *Belluæ*, magno rictu oris. רחק proprie valet, *Longe absunt* vel *aberunt.* Cocc. *Elongabuntur.* Intellige hic præcipue Diocletianum, Maximianum, (qui deposita purpura se ipsos abdicarunt Imperio:) Galerium, Maxentium, Maximinum, Severum, & tandem quoque Licinium. Metaphora desumpta est ab immani Bellua, & κυρίως à *Crocodilo*, homines aut animantes sibi obvias deglutiente. Sic Ecclesia querula de Nebucadnezare [h]: *Comedit me, conturbavit me, Nebucadnezar Babylonis Rex; destituit me ut vas vacuum;* ABSORBSIT ME כתנין *ut* DRACO. Transfertur emblema ad Satanam, se tanquam *Draconem* ostentantem in Imperatoribus Romanis, & præsertim in Diocletiano & cohorte ejus, *Filium masculum* quem Ecclesia pareret, *deglutire* paratis: estque notio metaphorica de potentibus tyrannis & Persecutoribus Ecclesiæ, recepti usus in Verbo Dei [i]. Solent autem Christiani Scriptores hujus temporis, de iisdem Persecutoribus Ecclesiæ loquentes, eos passim appellare BESTIAS [k]; ut Scriptura S. magna Imperia Mundi conspicienda exhibet sub imagine Bestiarum terribilium, *Leonis*, *Ursi*, *Leopardi.* quorum est homines *devorare* ac absumere. Utique constat, Satanam nunquam se Ecclesiæ universali terribiliore facie ostentasse quam hoc tempore. Sed hi hostes Ecclesiæ evanuerunt, disparuerunt, & Ecclesiæ fecerunt occasionem Gentes ingente concursu sinu suo excipiendi. Legendus hic est ipse ille libellus Lactantii de *Mortibus Persecutorum Ecclesiæ*; & Eusebius περὶ τῶν τυράννων κατασροφῆς τῆ βίᾳ, *de in-*

Mirabile implementum ejus quod hic dicitur, in historia.

Loca ex ea adducta.

Habitatio, cujus hic mentio fit, quid *mystice* significet?

Notio *deglutire* hic refertur ad Persecutores Ecclesiæ tanquam BELLUAS. Quinam proprie designentur?

Scriptura S. magna *Imperia* designat nomine & emblemate *Bestiarum.*

Interitus Persecutorum Eccle-

---

a Hist. Eusseb. Lib. VIII. Cap. II. *b* De *Mort. Persec.* Cap. XV. *c* Hist. Eccles. Lib. X. Cap. IV. *d* Epist. Lib. IV. Epist. IV. Edit. Ev. *e* H. E. Lib. X. Cap. XII. *f* In *Orat.* Lib. X. Cap. IV. *g* Ps. CXXXIII. 1. *h* Jer. LI. 34. *i* Ps. CXXIV. 3. Hab. I. 13. *k* Lactantius de *Mortibus Persec.* Cap. XI. Sulpit. Sev. Lib. II. &c.

sia notabilis, inprimis ultimo illo intervallo.

de interitu tyrannorum [a]; & περὶ τῆς ὑςάτης ἀπωλείας τῶν τῆς θεοσεβείας ἐχθρῶν· *de ultima internecione hostium veræ Religionis* [b]. de quo mox rursus ℣. 26.

d. Expositio uberior novi incrementi Ecclesiæ post destructos ejus Persecutores.

d. Expositio uberior *incrementi Ecclesiæ, ℣. 20. 21.*

℣. 20. *Adhuc dicent, te audiente,* FILII ORBITATIS TUÆ; *locus hic nimis angustus est.* CEDE MIHI, *ut habitare possim.* ℣. 21. *Dicesque animo tuo, Quis mihi istos genuit? Utique ego orba eram, & solitaria;* ACCOLA & EXCLUSA: ISTOS *igitur quis educavit? Ecce, Ego relicta eram sola:* ILLI *vero ubi erant?*] Propheta uberius declarat quod modo dixerat de novo Ecclesiæ incremento, postquam eluctata esset diriſſimas afflictiones, quas secundum Voluntatem Divinam perpetiendas haberet. In oratione ejus nihil est quod quem moretur, nisi quod insolentior hic videri queat usus vocis נגש, in phrasi, *Angustus mihi est locus,* גשה לי CEDE MIHI *ut habitem.* Vox enim נגש proprie notat *accedere, appropinquare*; non, *cedere*, vel *recedere*. Et tamen Hieronymus recte, &, ut putem, ad mentem Vatis; *fac spatium mihi ut habitem.* Sic pariter Chaldæus: רוח לי οἱ ὁ. Ποίησόν μοι τόπον. Imo hæc recte se habent. נשרה לי proprie valet, Derelicto loco tuo accede ad me, & transfer te in alteram partem, ut sc. locum tuum mihi relinquas. Exemplum habes ex aliis locis Gen. XIX. 9. Jarchius: התקרב נשרה לי [ACCEDE MIHI] *Verte te mei caussa in latus unum, ut habitem.* Meretur quoque animadversionem phrasis; *Filii orbitatis,* בני שכולים. Possunt esse *Filii* vel quos Ecclesia genuit tempore *orbitatis, nati* Ecclesiæ *cum* sterilis *videretur*; quomodo Intt. aliqui accipiunt: vel quibus *orbata fuit* tempore quo solitaria desedit, dum videlicet filii ejus huc illuc dispersi erant. Sic Hebræi: quod videri posset præferendum. Quo enim tempore Ecclesia orba & solitaria *sedisse* supponitur, non est probabile eam multos peperisse *filios*. Et tamen, si emblema hic à Vate adhibitum, (quod mox expositum eo,) recte accipiatur, nihil absurdi habet. *Filii* enim quibus *orbata* fuerat, huc illuc dispersi & disjecti, plures gignere poterant Liberos; & vix dubitem, quin id fuerit in mente Prophetæ. In ℣. 21. voces גולה ושורה verteram ex meo sensu, *Exul & vaga:* sed cum deinceps expenderem versionem Theodotionis; eam prætuli. Est ea apud Procopium: Πάροικος καὶ ἐκκεκλεισμένη· *accola & exclusa.* Vox גולה hic potest esse *exul, captiva, accola*, quæ instar peregrini vel hospitis in civitate versatur; nec stabilem in ea habet sedem; sed de loco in locum migrat. est enim סור *recedere, secedere.* vel, quæ in Regimine, Muneribus, aut consiliis publicis, nullam habet partem; & *recedens,* ἐκκεκλεισμένη *exclusa & secluſa*, segreges cœtus facit; Religioni suæ *seorsim* vacans; & quærens secessum. Quid hic liquidius, si historiam applices ad prophetiam? Ecclesia tempore persecutionis Diocletianeæ erat ἐρήμη, *deserta*, & *liberis* suis orba quippe qui rapiebantur ad cruciatus, carceres, operas metallicas; vel post varias vexationes necabantur. Habebat itaque speciem *viduæ solitariæ*; defensore destitutæ; *liberis* orbatæ, cujus *Domus* à truculento hoste vastata erat; ipsa vero ubique persequutione vexata, nihil habebat ubi consisteret: unde in Ode Sacra Prophetica ejusdem argumenti [c] Ecclesiæ hæ particulares, tam Defensoribus quam Rectoribus suis, Episcopis & Presbyteris, orbatæ, appellantur יחירים *solitarii*; יתומים *orphani*; אלמנות *viduæ*. Confer hujus Libri Cap. LIV. 11. Eusebius de Ecclesia Tyria, ut se habuit tempore hujus Afflictionis [d]: *Æquissimum ratus, ut hæc ipsa potissimum Ecclesia, quæ ab hostibus expugnata fuerat; quæ prior gravissimos labores nostra caussa sustinuerat: quæ eandem nobiscum per-*

Argumentum hujus pericopæ.

Usus vocis נגש h. l.

Genuina ejus notatio, quæ hic obtinet, illustrata ex Gen. XIX. 9.

Quid Vates hic intelligat per *filios orbitatis*?

Geminus sensus phrasios discutitur.

Animadversio ad voces שורה גולה.

Notiones exponuntur.

Historia temporis hic applicatur ad prophetiam.

Loca quædam Eusebii huc facientia; & animadversa ad historiam.

secutionem, imo ante nos pertulerat: τὴν μητρὸς δίκην τῶν τέκνων ἐρημωθεῖσαν, QUÆ VELUT MATER PROPRIIS FILIIS ERAT ORBATA; *Dei beneficentissimi munificentia nobiscum frueretur.* Applica ad cæteras Ecclesias hoc tristi tempore vastatas ac disjectas. Inde recte intelligis, quo sensu in hac pericopa dicatur שכולה ORBATA, sc. FILIIS; ea enim est genuina vocis vis, ut ex usu ejus liquet; sc. *orbata filiis*, aliò abductis, dispersis, disjectis, occisis: גלמודה SOLITARIA. Interpres Alex. docte & ad rem. Ἄτεκνος καὶ χήρα· *Absque liberis, &* VIDUA. Chaldæus hic adhibet ipsam vocem יחידי *solitaria*, quam modo relegebam ex Ode Davidica. Appellatio inde petenda est; quod non tantum *Rectoribus suis*, Episcopis, Presbyteris & Sacrorum Ministris, ex quorum opera & ministerio novum sibi poterat polliceri semen, fuerit privata: (Post Edicta enim Imperatorum unum & alterum, exiit tertium, secundum quod omnes Πρόεδροι PRÆFECTI ECCLESIARUM *& Sacrorum Ministri conjiciendi essent in vincula, & ad abjurandam Religionis sententiam* omni modo *cogendi* [e]:) verum etiam à concivibus suis esset destituta; omnium exposita odio & invidiæ; inter Rectores & Præsides Romani Imperii nullum haberet Defensorem; (Constantius enim Constantini Pater ipse quoque cogebatur mentiri personam, licet cæteris mitior & in Christianos non adeo male affectus:) neminem ullum qui caussam ejus susciperet, aut susciperé auderet. Simili sensu hic dicitur גולה ex docta interpretatione Theodotionis πάροικος *accola.* aliis *exul*, captiva. Eo respicit quod in initiis Persecutionis Diocletianeæ omnes Christianæ professionis homines, omnibus *juribus* ac *privilegiis Civitatis Romanæ*; & quod plus est, *libertate* quoque privati sint. Verba Edicti apud Lactantium [f]: *Ut Religionis illius homines carerent* OMNI HONORE AC DIGNITATE, ... *adversus ipsos omnis actio caleret; ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis, agere possent;* LIBERTATEM *denique ac* VOCEM NON HABERENT; hospitibus, captivis, & exulibus conditione multo deteriores. Addit, se esse סורה quod idem Theodotio vertit *excluſa*; Coccejus, *secedens*; quæ vera est vocis notio. Si rem ipsam spectes: geminum sustinere potest sensum, α. Ecclesiam hoc tempore abstinuisse commercio omni; desedisse *segregem* à concivibus suis; publica consuetudine secluſam; ab omnibus despectam contemptamque; latuisse quantum licebat, tanquam à concivibus separatam ac excluſam, excidio devotam. β. Plurimos, durante hac Persecutione, quæsiviſſe latibula; aliò esse dilapsos; fugisse in solitudines & eremos; & haud dubie in alias *secessisse* partes Orbis, in quibus Persecutio non æque fervebat ac in Asia & Ægypto. In Africa enim & Italia ipsa, & trans Alpes, minus urgebatur. Ego prius hic eligo; quia attributa hæc aptantur ipsi *corpori Ecclesiæ:* ut adeo vere dicere potuerit, se *solam relictam esse*. Intellige de *corpore Ecclesiæ*, quod Pastoribus profugis, in carceres ductis, aut supplicio affectis, & honestioribus Ecclesiæ membris disjectis aut sublatis, in majoribus locis superfuit; quod hic respicere jubemur ut *Matrem Tsioneam.* Sed talis cum nuper admodum fuisset, statu plane lugendo ac tantum non desperato, videt cum admiratione & stupet sua illa omni cogitatione majora quæ omni die faciebat incrementa, postquam à Tyrannis liberata & in integrum restituta Defensorem veræ Religionis invenit in Constantino, ad eum finem à Deo excitato, singulari ac mirabili Providentiæ ac Gratiæ ejus documento. quod beneficium cum vere fuerit maximum; à quibusdam nostri temporis hominibus, sive historiæ ignorantia, sive vitio judicii, elevatur. ut sane sunt siniſtri & maligni affectus homines, qui in maximis Dei operibus & beneficiis nihil magnum vident aut videre volunt.

Notiones Hebrææ, quibus Jesaias utitur, inde illustratæ.

Verba *Edicti* Impp. ex Lactantio.

Specialius inquiritur in significationem vocis סורה h. l.

Gemina ejus interpretatio illustrata.

Instauratio ejus calamitoso statui opposita.

Huc jam pertinet, quod Vates ait; Ecclesiam hanc viduam, Quando

a H. E. Lib. IX. Cap. IX. b Cap. XI. c Ps. LXVIII. 6. 7. d Hist. Eccl. Lib. X. Cap. IV. e Euseb. H. E. Lib VIII. Cap. II. f De *Mort. Persec.* Cap. XIII.

Vetus Ecclesia majus requisivit spatium. Historia huc allata.

viduam, ad miserrimam redactam conditionem, *audituram* esse *filios*, quibus *orbata* fuerat, *dicentes*, *Concede mihi spatium habitandi. est* enim *locus mihi nimis angustus.* Sic est, post victum prostratumque Maximinum, postquam aperti fuerint carceres, & profugi in Deserta, solitudines, agros aut Provincias alias, ad suas redierunt Ecclesias; & ex Paganis magna ad eos facta est accessio, libertate profitendi Christianismi, omnibus proposita; non sufficerunt *Vetera Oratoria*, neque etiam in singulis locis singula, Exercitio Religionis: ut adeo *nova* necesse habuerint *ampliora* atque ornatiora *facere*, ut modo præmonebam; & à Rectoribus Urbium aut Præsidibus Provinciarum *spatium* in usum novorum & plurium extruendorum petere necesse habuerint. Accidit etiam & sæpissime, ut *Templa* & *Fana* idolis consecrata in hunc usum conversa sint; utique materia dirutorum Fanorum antiquæ superstitionis huc translata sit: ut ex certis documentis historiæ, & *Inscriptionibus* antiquis, quarum reliquiæ multæ ex Monumentis Lapidum ad Ecclesias Christianas adhibitorum collectæ sunt à Doctis Viris [a], liquet. Id vero est acsi Christianus Pagano diceret, ה נוא *transi in alterum latus*, sive *concede mei caussa; cede mihi loco*; ut commodior mihi habitatio sit. Quantum autem novum hoc incrementum suam vinceret exspectationem; quam res videretur paradoxa & admirabilis: planius adhuc declarat emblema sequens; (℣. 21.) ubi ipsa videns *concursum* ad eam *Gentium & Populorum*; infertur tanquam quæ *in corde suo dicturа*, h. e. cogitatura sit: *Quis mihi genuit* ILLOS? *cum Ego* ORBA .... *essem: &* ISTOS *quis educavit?* Rursus; *Et* ILLI *ubi erant?* Emblema ut dixi, desumptum est, sive à *Matre* quæ belli tempore facta orba *liberis & filiis*, spe Domus, & solitaria desidens eorum ignoraverat statum & successionem; eosdem, postquam desævierit tempestas belli, videt cum numerosa sobole ad se redeuntes: sive à Metropoli, quæ ipsa quoque Belli tempore à Defensoribus destituta plerorumque incolarum suorum jacturam fecerit; sed defuncta hac calamitate & in pristinum restituta, videt cives dispersos cum ingente accessione ad se redeuntes, & Metropolin, quæ iis ortum dederat, implentes atque illustrantes. Aliud emblema fœcunditatis celeritatisque partus, ad idem mysterium incredibilis incrementi Ecclesiæ ex accessione Gentium figurandum, adhibetur Cap. LIV. 1. LXVI. 7. 8. Sic se res haberet cum Ecclesia, liberata à Persecutionibus Paganismi, & potissimum à Diocletianea. Sedata enim tempestate, quæ confessores Nominis Christi dispersérat aut obruerat; tantus Christianorum numerus supereſſe deprehensus est; tanta facta sunt incrementa & accessiones, ut Ecclesia vindicata in libertatem, statum suum ipsa absque admiratione contemplari non potuerit: neque sane illorum vulgaris notæ hominum, sed illustrium quoque, & spectabilium: quod involvitur notionibus repetitis, ILLI, ILLI, ISTI, & הן ECCE. Patefeci ac declaratam dedi vim & emphasin hujus phrasios in argumento eodem, & plane analogo Cap. XLIV. 5. De re ipsa autem, sive de *mirabili* hoc & paradoxo Ecclesiæ Constantiniani temporis *incremento*, auctores illius temporis graphice testantur, & vulgo ex historia nihil notius est. *Post hæc*, ait Eusebius [b], *votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, Dedicationum sc. festivitas per singulas Urbes, & Oratoriorum recens structorum consecrationes. Adhæc Episcoporum Conventus*; τῶν πόρρωθεν ἐξ ἀλλοδαπῆς συνδρομαὶ· *peregrinorum* AB EXTERNIS ET LONGE DISSITIS REGIONIBUS CONCURSUS; *populorum mutua in se caritas ac benevolentia*, & *seqq.* Imo certe Eusebius idem hunc ipsum quem cum maxime tracto locum, ad hæc ipsa tempora retulit, & prophetiæ implementum in ipso illo tempore & casu demonstrat, in illa Oratione quam in Solennitate Dedicati Templi Tyrii habuit; ubi allegatis Vatis nostri verbis subjicit: *Hæc Jesaias vaticinatus est; ταῦτα πρόπαλαι περὶ ἡμῶν ἐν ἱεραῖς βίβλοις κατεβέβλητο· hæc in sacris Voluminibus de* NOBIS *multo ante perscripta sunt*, & *seqq.* Causæ incrementi hic attendentem non fugiunt. Præter enim vim Evangelii ejusque decentiam, accesserunt hic peculiares, α. Defensio publica Christianæ Religionis; cum haud dubie ex Paganis in dignitate positis plures metù aut offensionis ac suspicionis vitandæ caussa publica professione Religionis abstinuerint. β. Ipsa *martyrum constantia*, quæ Ecclesiæ orbæ & sterili multos genuit liberos. γ. Liberatio hæc ipsa Ecclesiæ, Persecutoribus ejus passim tristi fato & quidem brevissimo tempore, judicio Divino spectabili extinctis, quippe quæ visa est prudentibus insigne documentum Divinæ erga Ecclesiam providentiæ ac favoris. δ. *Edicta* Constantini in commodum Ecclesiæ promovendum edita. ε. Ipsius Imperatoris Exemplum, quod multos traxit. ζ. Zelus & ardentissimum studium Christianorum Divina manu vindicatorum in Religione sua profitenda ac promovenda. Omnia enim, ut fata & arbores vere solent, tanquam de mortuis suscitata revirescebant.

Causæ incrementi Ecclesiæ hujus temporis adductæ.

ε. *Gloria* Ecclesiæ ex Gentibus, Gentiumque Principibus & Regibus, eam foturis.

℣. 22. *Sic fatur Dominus Jehova: Ecce Ego* TOLLAM *ad Gentes manum* MEAM, *& ad Populos efferam* SIGNUM MEUM; *& adducent filios tuos in* ULNIS; *& filiæ tuæ humeris portabuntur*; ℣. 23. *Et erunt Reges nutritii tui*; *& Principes fœminæ eorum nutrices tuæ.* VULTU IN TERRAM demisso SE CORAM TE INCURVABUNT; *& pulverem pedum tuorum lingent*; *& intelliges, me esse Jehovam*; *quem qui exspectant, non pudefiunt.*] Divisa est pericopæ sententia; sed quæ complexe sumpta in unum exit sensum. Obtinet enim in ea gradatio à minori ad majus. Prior quæ ℣. 22. continetur, docet; Deum hoc tempore publicis signis suæ voluntatis Gentes & Populos obligaturum esse, ut Ecclesiæ statui & incrementis promovendis pro facultate sua inserviant. Cohæret autem sententia arctissime cum superioribus. Cum enim Propheta declarasset admirabile Ecclesiæ idque festinatissimum incrementum: subire mentem poterat, ut cogitaret, quæ caussa subsit & ratio, quod Ecclesia tantum brevi incrementum faceret. Destructis enim licet tyrannis, Ecclesiæ persecutoribus: progressum ejus multa posse tardare. Cum enim pars magna consisteret profugis, exulibus, incarceratis, qui bonis suis erant exuti; Oratoria passim destructa; in Populis multi clandestini & veri adversarii, qui in Populum Christi infenso ferebantur animo: videri posse supra fidem, ut Tsion disjecta & in solitudinem redacta brevi adeo instauraretur; & ex Gentibus undique in eam tot concurrerent? Hoc dubium itaque levat; dicere faciens Deum, sua se curaturum providentia, ut Populi & Gentes lubenter ad promovenda Ecclesiæ liberatæ commoda atque incrementa conferant subsidia facultatesque suas; quin & ipsi Principes Regesque terræ Ecclesiam blande atque amanter foveant. Quod cum magni momenti dictum esset, & exspectatione superius: signat illud rursus Propheta præfatione justa & huic pericopæ usitata, *Sic fatur Dominus Jehova.* Gentes enim & Populos permovendo, ut Ecclesiæ lubenter inserviant, demonstraret se tam *Dominum*, cui jus in omnia est; quam *Jehovam*, in quem competit promissa sua rata facere. Dictum ipsum sententiæ prioris ita effertur; EGO *tollam ad Gentes manum meam*; *& signum meum efferam ad Populos*, *& adducent filios tuos*, *& seqq.* Sensus est, Ego Populis & Gentibus declarationem faciam meæ Voluntatis, eo cum effectu, ut quibusvis facultatibus ac subsidiis Ecclesiam juvent ac promoveant. *Sublatio manus* cum locum habeat in *jurando*, interminando, *percutiendo*, potentia sua demonstranda: nihil horum hic

ε. Gloria Ecclesiæ accessura ex *Regibus* & *Principibus*, veram Religionem publice ac reverenter professuris, ℣. 22. 23.

Aspectus pericopæ Propheticæ. Obtinet in ea gradatio.

Argumentum ejus. Primo docetur, Gentes rem Ecclesiæ pro viribi promoturas esse, ℣. 22.

Cohærentia ejus cum superioribus.

Explicatur ratio mirabilis incrementi Ecclesiæ.

Usus Præfationis in h. l. *Sic ait Dominus Jehova.* Quid hic loci sit *tollere signum ad Gentes?*

Sublatio manus hic restricte accipienda est.

Fana & Idoleja Gentium sæpe conversa in usum sacrum.

Emblema analogum ℣. 21. expositum, & ex eadem historia illustratum.

Incrementum & accessio ad Ecclesiam eo tempore facta etiam est ex illustribus & celebribus Viris.

Locus insignis Eusebii in hanc rem.

Ipse Eusebius locum hunc eò retulit.

[a] Inter alios Wheeler, Spon, &c. [b] Hist. Eccl. Lib. x. Cap. III.

hic obtinet; sed solummodo notat *manu* in altum *elata* alicui quid *imperare, denunciare; indicium facere, nutum* voluntatis suæ alii significare. Id enim esse quod hic intenditur, *sequens membrum* innuit. Est non absimilis usus phrasios apud Ezechielem [a]: *Sic dicit Jehova Exercituum.* Dominus: *Die quo elegi Israëlem,* ואשא ידי SUSTULI MANUM MEAM *ad semen Domus Jacobi;* DICENDO *ipsis, Ego sum Jehova Deus vester. Illo die* SUSTULI MANUM MEAM IPSIS, h. e. significavi ipsis, *me ipsos educturum esse ex terra Ægypti, ... &* DIXI *ad ipsos, Quisque abominanda oculorum suorum projicite.* Nemo mihi hic cogitet de Jurejurando. Ubi Deus jurat, *manus suas effert in cœlum* [b]. Notatur significatio, demonstratio, declaratio seria Divinæ voluntatis. Idem significatur notione *elati* SIGNI; quam vocem hic lubentius fero quam *vexilli:* licet notiones sensu affines sint. Usurpatur phrasis eadem eodemque in argumento, Cap. XI. 12. nisi quod vox גוים *Gentes* ibi construatur cum præfixa ל; hic cum אל: sed quæ differentia nulla est. præfixa enim ל originem suam habet ex voce אל, ejusque significationes adoptat. Unde sumpta sit metaphora, & quem usum habeat, ibi ostendi. Solummodo observa, inter *elationem manus* & *elevationem signi* tantum hic interesse, ut *elatio manus* respectum habeat ad eos qui in proximo sunt; *elevatio signi* ad remotiores; qui, ritu plerisque Gentibus usitato, per *signa* in celsioribus locis posita de necessariis edocentur. *Signum* autem & *elatio manus* eò tenderet, ut Gentes & Populi certi fierent, velle Deum, ut *filios Ecclesiæ & filias humeris portarent.* Sed Jesaias sententias duas una complectitur, quando otiosam vitans repetitionem, solummodo *effectum elatæ manus & sublati signi* memorat, in verbis; *Et adducent filios tuos* בחצן *in ulnis; & filiæ tuæ* HUMERO *portabuntur.* Sic videntur verba recte verti. Vocem חצן Int. Alexandrinus hic reddit per κόλπον *sinum.* Aq. Sym. Th. per ἀγκάλας *ulnas.* quos sequutus Hieron. habet, *in ulnis.* Sed Chaldæus: בציצין *in lecticis.* quod etsi sensum spiritualem non turbat, minus probo. Vox חצן, cujus præter hunc locum usus est Ps. CXXIX. 7. Neh. V. 13. omnino significare videtur omnem *plicaturam;* sive quæ brachii est; sive corporis infra pectus, quæ *sinus* dicitur; atque inde quoque *plicaturam vestium.* Kimchius: זרוע או כנף הבגד *Brachium, aut ala vestis.* Arabes quoque pro *brachio* usurpant. Aben-Ezra per *Sinum* interpretatur ex loco Neh. V. 13. Sed res eodem recidit. Non magis hæreo in altera phrasi, quæ *filias humerò portandas* dicit: non sane quod ipsis *portarentur humeris;* quippe quod gestanti & gestatis incommodius: sed quod brachiis & lacertis, quæ ab humeris pendent quorumque in humeris vis est, sustinerentur. Sic Cap. LX. 4. *Filii tui a longinquo venient;* & *filiæ tuæ* על צד תאמנה AD LATUS (ulnis videlicet,) *portabuntur.* Rursus Cap. LXVI. 12. על צד תשאו AD LATUS *portabimini.* Est enim emblema hic vere desumptum à tenellis qui summa cura, & quam maximo commodo suo, tractantur, foventur. quare quod Grotius hic adscripsit, *Quasi in lecticis ferent:* si rem per se spectes, nihil alienum habet, cum Jesaias ipse hoc quoque metaphoricum emblema in eodem loco usurpet, Cap. LXVI. 20. nec tamen convenit σχήματι hujus loci.

Locus Ezech. XX. 5. cum hoc collatus.

Præfixa ל est ex אל.

Efferre manum & elevare signum, quantum differant?

Effectus elati signi. Portatio filiorum in ulnis.

Notatio vocis חצן.

Phrasis, qua quis humeris portari dicitur.

Sensum spiritualem considerantibus *primo* occurrit Beneficium, sub symbolica loquutione *filiorum & filiarum* Ecclesiæ, Matris Tsioneæ, *ulnis & sinu* gestandorum, & ad eam *adducendorum*, propositum; quo significatur; α. Gentes & Populos eum indutturos affectum animi ut post persecutionem Diocletianeam Christianos tantæ calamitati ereptos ubique leniter, molliter, curate, tractent, nutriant, foveant, eorumque res & commoda promoveant. β. Non obstituros illorum studio & conaminibus, quibus propositum fuerit se adjungere communioni Ecclesiæ, quemadmodum antehac fecerant; sed potius pro virili sua parte eos esse adjuturos, eorumque proposito pro facultate fauturos; & quæ apud se sunt subsidia, in eam rem lubenter collaturos. Summatim dico; accessionem, profectum, & incrementum Ecclesiæ, promoturos. de quo uberius dixi ad Cap. XI. 12. XLIII. 6. ubi eadem res agitur. Cum enim vere Christiani hac tanta calamitate defuncti, imminuti, disjecti, debiles essent: (*Grege Domini*, ut cum Lactantio loquar, *partim vastato à Lupis rapacibus; partim vero* DISPERSO:) indigebant Populorum cura, favore, ope, ut Ecclesia in integrum instauraretur. Plus ad hoc emblema non censeo pertinere. Neque enim hic sub symbolo *filiorum & filiarum gestandarum*, ætatis aut cæterorum attributorum affinium ullus respectus est; nec sunt symbolicæ comparationes trahendæ extra scopum. Quæris itaque *secundo*, quale sit illud *signum*; *manu* vel *vexillo* faciendum, quo Deus Populis declararet suam voluntatem de promovendis rebus Ecclesiæ. Ajo hic modeste, sed absque hæsitatione, *Commune signum*, à Deo elevatum, & quidem *Divina manu*, esse *Declarationem* Voluntatis ipsius factam VERBO EVANGELII, quod Populi & Gentes respicere debebant ut publicum instrumentum Notitiæ Voluntatis Dei; conjunctam cum clarissimis effectis Divinæ POTENTIÆ, in profligandis Ecclesiæ hostibus, & valida operatione suæ GRATIÆ in permovendis cordibus hominum ad obsequium Evangelii Filii Dei. *Gestatio* enim *filiorum & Filiarum Ecclesiæ* fieret cum affectu; nec fieri posset nisi ab illis qui erga Ecclesiam bene affecti erant; estque hic conferendum exemplum per omnia simile Cap. XIV. 1. 2. Dices, Gentes & Populos, qui *gestarent filios & filias Tsioneas*, utique censeri ab iis esse distinctos ac diversos. Respondeo, esse omnino, secundum illum respectum quo hic occurrunt. Quà enim *Tsioneos Cives* gestant & fovent, censentur *originitus*, (sit fas ita loqui,) ad Ecclesiam non pertinere, vel pertinuisse, quippe ortu Pagani, & huc usque in superstitione Gentili educati versatique, eamque ob causam ab Ecclesia diversi esse vel fuisse: sed quà *filii & filiæ*, nobis obversantur tanquam Ecclesiæ jam adjuncti; in ea nati; ejusque Corporis facientes partem: & sane qui ex Gentibus ad Christianam Religionem convertuntur, utramque hanc σχέσιν semper erga se invicem conservant, obtinetque in æternum. Quisque alterius in Christo Jesu *Dominus* est & *servus*; hoc respectu hæres, alio hæreditas; hac σχέσει *filius*, alia *servus*; hac facie *gestans*, alia fotus & *gestatus*; dum SIBI INVICEM ἀλλήλοις δουλεύσι διὰ τῆς ἀγάπης PER CHARITATEM SERVIUNT IN DOMINO; alter alterius *onera portat*; alter alterius res & commoda pro facultate promovet [c]. Sed inspice sis, quem commendavi locum Cap. XIV. 1. 2. & non hærebis. Verum peculiari sensu affirmo, per *Manum Dei* & *Signum* ejus *publice elatum*, ad quod Populi & Gentes concurrerent ad *Ecclesiæ* incrementum ac profectum pro virili curandum; esse intelligenda EDICTA *Imperatorum*, & post sublatum quoque Licinium, solius Constantini: per quæ EDICTA Populi obligati fuerunt ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ, & res illius promovendas. Exhibet illorum exempla Eusebius [d], ut edita sunt ab A. CCCXIII. quorum primum Mediolanense: sed quod præcesserat aliud *anni superioris* quo prostratus est Maxentius, aliquanto restrictius, quod Eusebius & Lactantius negligunt. (in quod tempus incidit initium Liberationis.) Sunt utique *Signa* publice proposita, expositia, declarantia Voluntatem ejus qui ea proponit. Sic subscribitur Edicto Mediolanensi [e]: *Porro ut hujus Legis ac beneficentiæ nostræ sententia ad omnium notitiam perferri possit: ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν γραφέντα, πανταχῆ προθεῖναι καὶ εἰς γνῶσιν πάντων ἀγαγεῖν ἀνόλωθόν ἐστιν* HAS LITERAS NOSTRAS UBIQUE PROPONI, (instar Signi) *& ad cunctorum cognitionem pervenire conveniet: ne benignitatis nostræ constitutio quenquam omnino latere possit. Signum* dicis te agnoscere ab

Inquiritur in Sensum spiritualem. Gentes Ecclesiam leniter tractarent. Commodum & profectum Ecclesiæ promoverent. Quæ declarantur.

Quale *signum* hic dicatur *elevandum esse?* Commune *signum* hic demonstratur esse Declarationem Voluntatis Dei, factam Verbo Evangelii.

Occurritur dubio, quod ad hanc interpretationem moveri queat. Diversi respectus eorum qui Ecclesiam faciunt & fovent.

Speciale *signum*, hic sunt *Edicta* Imperatorum. Historia de iis.

Hypothesis illustratur.

a Cap. XX. 5. b Deut. XXXII. 40. c Confer Gal. V. 13. VI. 2. d Hist. Eccl. Lib. X. Cap. V. e l. c.

An rectè dicantur *Signa* à Deo proposita?

Impp. propositum; sed estne idem SIGNUM, eadem quoque MANUS Dei? Esse ajo: non tantum quod ex voluntate Dei propositum sit; verum etiam, quod omnes mortales, quotquot ultro se non condiderint in tenebras, in paradoxo hoc Eventu observaverint effectum Extraordinariæ Dei Providentiæ & Potentiæ in inclinandis animis Rectorum Imperii ad salutem Christianorum excidio destinatorum. Sic Eusebius alio loco, ubi est in enarranda victoria Constantini de Licinio reportata [a]: *Et qui paulo ante vana spe elati erant,* ἔργῳ τὸν Κωνσταντίνου Θεὸν παρελάμβανον, *re ipsa Constantini Deum amplectebantur*, EUMQUE UNUM AC VERUM DEUM *agnoscere, se tum quidem profitebantur.*

Oratio alius surgit ℣. 23.

Ipsi quoque *Reges* & *Principes* Ecclesiæ servient.

Assurgit oratio in altero membro hujus pericopæ, ℣. 23. quo REGES ipsi dicuntur fore *Ecclesiæ* NUTRITII (אומנים, h. e. ut Kimchius, מגדלים, *Educatores, curatores*, qui infantes sinu reponunt, eos jam gestant; eorumque curam habent. confer Num. XI. 12.) *&* PRINCIPES FOEMINÆ EORUM, (h. e. Regum. sc. Reginæ. confer 1 Reg. XI. 3.) *nutrices*, (lactatrices) *ejus*; & *pulverem pedum lingendo* eam *profunde veneraturi esse*; ex quo documento Ecclesia intelligat, *non pudefieri Deo fidentes, eumque exspectantes.* Magnificum & celsum est, quicquid hic dicitur. In verbis nihil est, quod quenquam offendat: parum etiam in re, quod in *superioribus* non sit expositum. Relegi possunt dicta ad ℣. 7. hujus *Capitis*, & Cap. XLV. 14.

Summa prædicti & promissi hujus loci.

Emblema docet, circa hoc tempus, fore, α. Ut *Reges* ac *Principes fœminæ* Ecclesiam curent, nutriant, foveant, & *incrementa* ejus *promoveant:* quod qui faciunt, dicuntur Ecclesiam *nutrire. Lac* enim est *medium* incrementi. β. Ut iidem Ecclesiam, ejusque Ministros, & membra quoque, & in his pauperes, egenos, inopes, blande atque amanter tractent, eorumque necessitatibus provideant. γ. Subinde etiam ipsi *Reges, Principes, Reginæ* ac Matronæ illustres, doctrinam veritatis salutarem aliis demonstrent, explicent; alios exhortentur, consolentur; atque adeo ipsum *lac* Verbi Gratiæ aliis ad profectum spiritualem ex uberibus suis promant: quomodo Vates alibi in eandem sententiam [b]: *Et extruent filii alienigenæ muros tuos, &* REGES *illorum tibi servient.* Rursus [c]: *Et sugetis* UBERA REGUM.

Loca analoga, hoc privilegium Ecclesiæ explicantia.

Gravius est, quod additur; fore ut *Reges & Principes fœminæ se facie in terram prona coram ea prosternant, & pulverem pedum ejus lingant.* Sic enim accipienda sunt verba absque ulla dubitatione: atque adeo Intt. Veteres & Recentiores hic non hæsitant. Solus Grotius, haud dubie quod grave ipsi esset implementum prophetiæ ex hypothesi sua ostendere; verba, אפים ארץ, quæ vere sonant, *facie in terram prona*, vertere instituit, *spectabiles* sive *honorati terræ*; docens, *absolutum* quibusdam casibus pro *constructo Statu* usurpari; & vocem אפים eo quem suadet sensu sumi ex Hebræorum sententia 1 Sam. I. 5. Mirum profecto, potuisse sibi proponere Virum illustrem, se paradoxam hanc conjecturam ulli mortali persuasurum. Estne ita, ut אפים, quæ vox proprie *nares* & inde *faciem* notat, induat unquam significationem *spectabilis* aut *honorati* Viri? Quid sit vox אפים, quæ in illo loco adscribitur *portioni cibi*, forte huc usque à nemine est dilucide expositum: tantum ex contextu patet, intelligi *portionem* cibi *spectabiliorem*; sed cur sic dicta sit; est in obscuro, suntque de eo diversissimæ Intt. sententiæ, aliquæ etiam alienissimæ: quas hic allegare & discutere, dum certi nihil habeo ipse, vanum fuerit. Sufficit, voci nullo modo convenire significationem, quam Vir Illustris ei aptat; & phrasin אפים ארץ vel ארצה ubi jungitur vocibus השתחוה *adorare*, vel כרע *incurvare*, non nisi per vim aliter accipi posse quam ut notet *actum* hominis se quam demississime incurvantis, &, quibusdam in casibus, procidentis humi, & alterius *advoluti pedibus.* quippe qua notione frequens occurrit in Verbo Dei [d]. Sume exemplum ex 2 Par. VII. 3. de Israëlitis cum viderent ignem Dei de cœlo descendentem: *Et incurvarunt se* FACIE IN TERRAM PRONA (אפים ארצה) *usque ad pavimentum.* Dicitur id compendio in hoc loco אפים ארץ pro באפים לארץ sive ארצה. Confirmat vero hanc interpretationem quod sequitur; futurum esse ut iidem illi *Reges & Principes fœminæ, pulverem pedum Ecclesia Tsionæ lingerent.* Adscribit Grotius: PULVEREM PEDUM LINGERE, *non est Regum, sed hostium subactorum.* Ajo, posse esse Regum & illustrium fœminarum in negotio Religionis; cujus respectus hic includitur. Sed si *homines* spectes; an hæc duo inter se pugnant, esse *Regem & hostem subactum?* Deinde si illud, *lingere pulverem pedum*, in hoc loco referatur ad spectabiles & honoratos Viros, *Principes* Idumææ, Moabitidis, &c. à Gente Judæa subactos: quid vetat, phrasin referre ad *Reges & Principes fœminas?* Imo certe docetur hoc in loco, Reges terræ atque illustres homines, quæ olim Ecclesiam oppugnaverant, hoc tempore ei fore subjectos, & non nolentes eam summisse veneraturos esse. Confer usum phrasios in locis Ps. LXXII. 9. Mich. VII. 17. Inde vero patet, quod jam præmonui, quæ qualisve hic *veneratio* intelligatur? Cum enim *se incurvare facie versus terram* vel fieri possit demississima corporis inclinatione qua caput *terram versus* protenditur; vel procubitu in genua, & mox *facie in terram* vel ad *pedes* projecta, quod locum habet in *adoratione*; (qui summus est gradus venerationis, sive *civilis* sive *religiosæ*, latens sub notionibus השתחוה & προσκύνησις,) posterior modus *venerationis* hic intelligitur, ut liquet ex Cap. LX. 14. *Et ibunt ad te* DEMISSI *filii eorum qui te afflixerunt,* והשתחוו אל כפות רגליך *& adorabunt ad* PLANTAS PEDUM TUORUM *omnes qui te spreverunt.* Num vero antiquis temporibus *demissi* ad terram & humi prostrati *pedes* eorum quibus reverentiam habebant, *osculati* etiam *fuerint:* non ausim certo affirmare; nec est ejus rei clarum indicium, quod sciam, in sacris. Qui facie in terram procumbit ante alicujus pedes: hoc ipso censetur *pulverem pedum* ejus *lingere*, idque locum habebat in adoratione. *Simulacrorum pedes* Veteres subinde solitos *osculari*, non absolute ausim negare: sed raro, quod *bases* eorum passim altiores essent quam ut id officium admitterent. *Osculari Deos* dicebantur, qui corpus inclinantes, *manu* ad os *admota*, & in ea *fixo osculo*, eos venerabantur: quod Tacito est, *dextram osculis fatigare.* quo respicitur variis Scripturæ S. locis [e]. Sed Persarum luxus, & Impp. quorundam Romanorum intolerabilis fastus, veluti Caligulæ, Maximini Junioris, (Patris enim dictum extat, *Dii prohibeant ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat*;) & paucorum sequentium, quos historia *insolentissimæ superbiæ* postulat, hunc morem induxerunt; nec tamen illi *plantas pedum*, verum extrema & *superficiem* adorantibus porrigebant: de quo ex Dione [f], Capitolino [g], aliis, Viri Doctissimi [h], eorumque compilatores [i], quæ extant jam monuerunt. Sensus spiritualis est, α. Reges atque illustres fœminas sic se gesturos erga Ecclesiam, ut omnibus patesceret, se eam *summe* venerari, & in his terris omnium maxime colere, cum olim alieno ab ea fuissent animo. β. Ipsos pauperes, inopes, & viliora Ecclesiæ membra, quæ corporis ejus veluti *pedem & plantam* faciunt, si doctrina & pietate excellant, magna in veneratione habituros. γ. Christum Jesum, Ecclesiæ caput, in Ecclesia & cum Ecclesia religiose adoraturos esse. In eum enim omnis honor Ecclesiæ exhibendus & exhibitus resolvitur, ut patet ex ℣. 7. cum hoc *collato.*

Παρρησία phrasios, אפים ארץ, instituta ab Ill. Grotio.

Quæ revincitur.

Loci 1 Sam. I. 5. dubia sententia.

Usus phrasios, ubi jungitur vocibus השתחוה, *adorare.*

Phrasis, *Lingere pulverem pedum*, eodem refertur.

Quale genus *incurvationis* hic intelligatur?

Locus Cap. LX. 14. cum hoc collatus.

An Veteres olim osculum fixerint in *pedibus simulacrorum?*

Quale genus *osculi* olim in cultu Deorum locum habuerit?

Quale item superbi Principes admiserint?

Sensus spiritualis Emblematis declaratur.

Implementum prophetiæ non invenies, si quæsiveris in alio tempore ac à nobis demonstratum est. Quæ enim

Implementum prophetiæ

---

[a] *Vit. Const.* Lib. II. Cap. XVIII. [b] Cap. LX. 10. [c] ℣. 16. [d] Gen. XIX. 1. XLII. 6. 2 Sam. XVIII. 28. &c. [e] Job. XXXI. 26. 27. Ps. II. 12. 1 Reg. XIX. 18. [f] Dio Lib. LIX. [g] Apud Capitol. in *Vita ejus*, Cap. II. [h] Muretus, Lipsius, Turnebus, &c. [i] Kippingius, Kempius, &c.

tiæ demonstratur.

enim temporibus Maccabaicis Ecclesiæ evenerunt, (de quibus Grotius hic cogitat:) licet vere splendida & magnifica fuerint; sæpius à me laudata: non præstant veritatem hujus hypothesios. Sed si te convertas ad tempus Constantini, & sequentia: omnia liquida sunt. Nos etiam ipsi, & Christiani sub piorum Principum utriusque aut alterutrius sexus regimine degentes, quod hic dicitur, per Dei gratiam videmus & sentimus. Constat, Reges & Matronas illustres, non hasillas, sed plures & plurimas, ab tempore Constantini Ecclesiam Christi Jesu incepisse nutrire & fovere, quatenus ejus *incrementa promoverunt*; & sive *Edictis* suis sive Exemplo commoda ejus curarunt; Oratoria & Basilicas in ejus usum extruxerunt; Clericos ab oneribus Publicis immunes esse voluerunt; stipendia iis ex Fisco statuerunt; suaque liberalitate & donationibus ubique locorum tum Ecclesiam fulserunt ac ditarunt; tum pauperum atque egenorum inopiam sublevarunt. Imo vero historia non tantum docet id factum esse; verum etiam liberalitatis in *fundos* & structuras Templorum exercitæ eam ostendit rationem, quæ videri queat modum excessisse. Tam propensum fuit studium Principum erga Ecclesiam. Plus est quod dico; Principes Viros & Fœminas ipsos tam primis temporibus à Constantino; quam tempore lucis Evangelii Mundo redditæ Sæculis hisce proximis, ex *uberibus suis* prompsisse *lac* doctrinæ salutaris, idque Ecclesiæ præbuisse: sive præsederint in Synodis & cum legitimis Ecclesiæ Pastoribus concurrerint, ad fidem Ecclesiæ defendendam ac stabiliendam: sive etiam scriptis suis Rem Literariam auxerint & Ecclesiæ profuerint. Quam enim hic vere illustria sunt Exempla Constantini ipsius, tam cura & studio quam scriptis Doctrinam Fidei defendentis; Theodosii utriusque, Marciani, Constantini Pogonati, Leonis Isaurici, Caroli Magni, Othonis primi; Friderici, Joannis Friderici, Mauritii, Saxoniæ Ducum; Philippi Hassiæ Landgravii; Joannis Brandeburgici; Georgii Anhaltini; Joannis Alberti, Ducis Megelburgii; Friderici Palatini III. Jacobi Moraviæ Comitis; & similium aliorum? In fœminis vero illustrioribus quis hic non laudet Pulcheriam & Eudociam; alteram Sororem, alteram Conjugem Theodosii Junioris; Annam Comnenam; Renatam, Lud. XII. Filiam, Farrariensi Duci nuptam; Margaretam & Joannam, Reginas Navarræ, masculi animi & pietatis; Elisabetham Angliæ; & tot Abbatissas illustribus Domibus oriundas, sanctimonia eximias, quæ Statu Ecclesiæ hactenus nondum summe corrupto, conscientias nobilium Virginum rexerunt? Ipsi vero illi, & tot numero alii, utriusque sexus, ubique testatum fecerunt, se Ecclesiam Christi & veram quam ipsa profitetur Religionem, summa prosequi veneratione; vitam, dignitatem, bona sua, ei vindicandæ impenderunt; summæ laudi & gloriæ sibi duxerunt ei, Ministrisque ejus, & pauperibus ejus membris, inservire: & cum sibi Sæculis ignorantiæ persuaderi paterentur, Papas Romanos esse summos Ecclesiæ Rectores & Christi Vicarios, se usque eo superstitiose demiserunt, ut in genua provoluti osculum in pedibus illorum fixerint. quod officium reverentiæ licet falsa niteretur hypothesi, sensum tamen profundæ humilitatis, quo erga Christum Jesum, se in Ecclesia ostentantem, affecti fuerunt, clarissime prodidit. confer dicta de hoc argumento Cap. XLV. 14. Atque sane ex implemento illustrium horum promissorum, quod videbatur esse supra spem mortalium, Ecclesia intelligeret, quod vere intellexit, & nos cum admiratione & gratiarum actione aperto ore prædicamus; DEUM *esse* JEHOVAM; veracem in implendis promissis cum demonstratione Gratiæ & Justitiæ; & *eos* qui ipsi *fidunt*, *suffusum non iri pudore*. *Spes* enim credentium, subnixa basi æternarum Dei virtutum, non vacillat. Ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει. Sic Apostolus [a], estque vulgata Scriptorum

Studia quoque fœminarum illustrium, in Ecclesia promovenda & locupletanda.

Eorum carumque erga Ecclesiam reverentia.

Consequens ejus.

Ecclesia inde cognosceret, *Deum* esse *Jehovam*; & *fidentes ei* non *pudefieri*.

Sacrorum sententia, alte infixa animis credentium; eos in omni dubio vitæ casu & statu sustinens [b]. Vide dicta ad Cap. XLV. 17. In phrasi Hebræa nihil obscurum est: sed si forte hæreas, inspice Cl. de Dieu.

(c.) Expeditur *Dubium*, quod adversus superiorem *Propositionem* inferri poterat de *Potentia Satanæ*.

a. Dubium proponitur.

Dubium spei Credentium objectum de *Potentia Satanæ*, ℣. 24.

℣. 24. *An accipietur* CAPTURA A VALENTE, *& an captiva turba* JUSTI *evadet?*] Magna promiserat Deus; & exspectatione majora. Sed cuique serio perpendenti statum Ecclesiæ, eumque exigenti ad potentiam & vires hostium ejus; & hostium Principis Satanæ, Gentes Mundi imperiose detinentis in tenebris ignorantiæ & superstitionis; ultro suboriebatur dubium; fierine possit, ut præda hæc tam diu possessa extorqueatur Satanæ, ei incubanti? ut ipse ex Arce sua expellatur? Rectores Orbis à Satana obsessi hac evolvantur servitute? Quod proinde dubium Jesaias resolvit; docetque, omnino futurum esse, ut Satanas Arce sua expellatur, & Adversarii Ecclesiæ mutuis cædibus intereant. Cui personæ *Dubii* hujus *propositio* tribuatur: fere perinde habeo. Potest referri ad Prophetam ipsum id moventem, ut occasionem caperet præveniendi incredulitatis obtentum; & succurrendi imbecillitati fidei piorum hominum, quibus hæc cogitatio vel tentatio fidei suboriri poterat. Sin vero ad Ecclesiam, sive *Tsionem querulam*, (℣. 14.) referre malis: non accipies verba de mera *incredulitate*; sed de *fide* μετεωριζομένη, dubitationi mixta, dum animus ob τὸ παράδοξον ampliſſimorum promissorum suspensus hæret; qualis fuit fides Saræ [c]. Judæi Intt. objectionem hanc tribuunt *Gentibus*, quibus cum Ecclesiam sibi haberent obnoxiam, pedibusque suis subjectam, oratio hæc Prophetæ visa sit mirabilis. Sed patet ex ℣. 25. 26. Responsum Dei dirigi ad Ecclesiam, à qua proinde profecta fuit Objectio. Dictum autem sive objectum ipsum duabus constat sententiis, quæ in idem recidunt: quod ideo moneo, quia nonnulli Intt. verba צדיק צדי *turba captiva* JUSTI interpretantur non de *turba captiva* quæ à *Justo* tenetur; sed quæ *Justis* constat: acsi *turba captiva Justi* hic valeat, *turba captiva Justorum*: de cujusmodi versione non cogitassent, si hoc attributum *Justi* scivissent componere cum *Subjecto* de quo hic agitur. Cum enim ex tota pericopa liqueat, intelligi *tyrannum* qui alios vi in potestatem suam redegit: (sive hic Satanam intelligas, omnis Potestatis adversariæ Principem; sive violentos & vere *injustos* Mundi Rectores:) quo sensu illi JUSTI dicantur? Quare minus miratus sum, Jarchium & Aben-Ezram in has transiisse partes; perinde ac inter Intt. Veteres Aquilam ac Theodotionem. Sed versio hæc & interpretatio infringit vim sententiæ. Cum enim aggravare deberet difficultatem: eam vere elevat & imminuit. Multo enim probabilius est, *prædam justorum evasuram esse*, quam *injustorum*. Ergo recte retinemus eam quam dedimus versionem, ut scopo Vatis consentaneam; viditque etiam Hieronymus ab ea discedi non posse, licet suo arbitrio vocem צדיק *Justus* verterit per ROBUSTUS; invita vocis notione. Sed ne sic quidem expedita est omnis difficultas. Quæsitum hoc, *Num accipietur* CAPTURA, *præda*, bello capta, Οἱ ὁ. Σκῦλα. (quæ genuina vis est vocis מלקוח) *ab* HERÖE? *& an captiva turba* JUSTI (severi, & *jus* suum in captivos, longum possessos, defendere parati,) *evadet?* Quæsitum hoc, inquam, comprehendere debebat rem difficillimi eventus, quæ proxime accedat ad τὰ ἀδύνατα. Cæteroquin enim frustra hæc moveretur objectio. Atqui non est ἐκ τῶν ἀδυνάτων *ex genere rerum impossibilium*, Heröi valido extorqueri prædam; aut *captivam turbam*, obtentu Juris longum possessam, evadere. Re-

Cui personæ conveniat propositio hujus Dubii?

Ecclesiæ quomodo attribui queat?

Propositio duabus constat sententiis analogis.

Quorundam dissensus redarguitur.

Phrasis, *turba captiva* JUSTI, quomodo accipienda?

Intt. variæ versiones & sententiæ.

Sententia quæ *prædam justi* reddit per *prædam quæ justis* constat, refellitur.

Difficultas alia expedita.

a Rom. v. 5. b Ps. XXII. 6. XXV. 3. Joël. II. 27. &c. c Gen. XVIII. 12.

ſpondeo, α. Etiamſi id non ſit ex genere *impoſſibilium*: eſt tamen ex *genere difficilium & improbabilium*. quod hic ſufficit. Si *heros* aliquis, idemque *tyrannus*, & poſſeſſionis *jus* obtendens, *præda* incubet: non abſque ingente opera debellari poſſe, par eſt credere. β. Qui hoc dubium movent, id intelligi volunt ſecundum rationes rerum humanarum de ejuſmodi caſu, in quo fortior vis *Herôis* longe prævalet viribus eorum qui ponuntur, vel cogitari poterant ejuſmodi quid tentaturi, & Heröem aggreſſuri eſſe. quando neutiquam probabile eſt, id fieri poſſe vel futurum eſſe, cum aliquo effectu. γ. Qui hoc dubium proponunt, in oculis habent non qualemcunque *Heröem* aut *Valentem*; ſed *certum* aliquem *Adverſarium* Eccleſiæ Populi Dei, qui imperium ſuum in Orbe longum tempus conſtabiliverat, cujuſque adeo victoria videri poſſet certa eſſe in rebus, quarum effecta vix ac ne vix quidem ſperare liceat. Quæris, qualem? Reſpondeo fidenter, eſſe *Satanam*, quem Jeſaias hic myſtice deſignet; quatenus ſe oſtentavit primo loco in *Imperatoribus* Gentium, & præcipue in Rectoribus Romani Imperii, Perſecutoribus Eccleſiæ, magna poteſtate, auctoritate & viribus ſuccinctis: eundem illum, qui exhibetur in *Apocalypſi* [a] ſub emblemate *Draconis magni rufi, habentis* Capita Septem & Cornua Decem: quos characteres eſſe Romani Imperii, quo fuit ſtatu tempore Perſecutionis Diocletianeæ, prudentes non dubitant; & alibi evici. quem eundem Vates appellaverat תקיף Robustum, Cap. XL. 10. Sic enim Dominus Jeſus nos docuit apud Matthæum [b]; tum ad hunc noſtrum, tum ad ſuperiorem locum reſpiciens; ubi ſe proponens ut *debellatorem Satanæ*, eoque fortiorem, *Nam quomodo poteſt quis*, ait, *ingredi domum τοῦ ἰσχυροῦ* Validi *alicujus, & vaſa ejus diripere, niſi primo vinxerit* Validum illum; *& tunc Domum ejus diripiet*. Quod noſtro in loco *σκῦλα ſpolia*, ipſe generaliore notione *σκεύη vaſa*, (inter quæ & *arma* ſunt, Hebræis כלים dicta,) appellat. Huic Subjecto conveniunt epitheta tria, à quibus in hoc loco deſcribitur; eaque à Vate noſtro notionibus *ſingularis numeri* enunciata; ut nos cogitare faceret de *Adverſario* quodam *Principe*, in quo omnis poteſtas Eccleſiæ adverſa continetur. Contextus etiam orationis non modo favet huic interpretationi; ſed & eam flagitat. Demonſtravi enim ſatis clare, niſi fallor; prophetiam circa hæc tempora verſari. Eſſe autem hic reſpiciendum Satanam, non hac tantum facie, qua miſerum genus mortalium artibus ſpiritualibus detinet in errore, ignorantia, ſuperſtitione, & ſervitio fœdarum libidinum; verum etiam qua Rectores Imperii Romani, per cujus terras & Provincias omnes fundatæ erant Eccleſiæ, incitaret adverſus Eccleſiam, quo eam penitus exſcinderent; (quod Decii, Galli, Valeriani, & Diocletiani ac Sociorum Imperii conſilium erat;) intelligis ex ℣. 26. ubi Subjectum hic memoratum per מוניך *Vexatores*, *Oppreſſores Populi Dei*, explicatur. Ne Judæorum quidem oculus hic plane erravit; licet quæ Eccleſiæ promiſſa & in ea luculenter impleta ſunt, ipſi, qui in luce tenebras ſectantur, ad ſtatum Gentis ſuæ in præſenti Exilio transferant *A*. Ergo ait Eccleſia, an Decio, num deinde Diocletiano, & toti Imperatorum cohorti, qui omnes angulos Romani Imperii obſident; quorum poteſtas poſt Imperium à Diocletiano reſtitutum, & fuſos à Galerio Perſas, terribilis eſt omnibus; quorum invictæ videntur vires; his, inquam, ferís & ferocibus beſtiis, Leonibus, Urſis, Apris, an eripietur *præda* ab iis *capta*? Utrum Satanas hoſce Rectores Imperii conſilio & aſtutia ſua movens, in iis ſe patietur vinci? Eritne qui uſque adeo ſuis fidet viribus, ut *Valentem* hunc tentare & adoriri audeat? Hic ſenſus dicti. Per מלקוח *Capturam* intellige Gentes, ex voluntate Dei Chriſto & Eccleſiæ acceſſuras, hoc tempore adhuc circumſcriptas vi erroris & ſuperſtitionis, *ἐξωγρημένας ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα*, *ab ipſo* (Diabolo) captivas factas *ad ejus voluntatem* [c]. Sub notione שבי *captivæ turbæ* ſubaudies Eccleſiam Populi Dei, ſub Principum horum poteſtate quod ad exteriorem ſtatum ſuum, concluſam ac gementem. Confer Pſ. LXVIII. 7. 8. 19. Valens (גבור de cujus vocis ſignificatione ſcripſi ad Cap. IX. 5.) *heros*, magnis viribus & amplo imperio inſtructus, hic eſt Satanas, Princeps hujus Mundi, ut à Domino appellatur [d]; *ὁ κράτος ἔχων τοῦ θανάτου qui habet* Imperium *mortis* [e]; auſus ſe hoc rurſus tempore prœlio committere cum Filio Dei [f]. Vide dicta ad locum Cap. XL. 10. Οἱ ὁ. hoc loco per *Gigantem* reddunt. Recte. Eſt enim *Goliathus ſpiritualis* à *Davide* ſpirituali *feriendus*, proſternendus, atque *exarmandus*, *gladio* ejus, qui erat gladius Impp. Romanorum, ſibi vindicato. Atque hæc hactenus non infeliciter procedunt. Sed cur idem צדיק Justus? Jam præfatus ſum, Hieronymum vocem vertiſſe per Robustus: acſi pro צדיק *Juſtus* hic legiſſet עריץ Violentus, quod epitheton eidem huic *Subjecto*, Satanæ, tribuitur *commate ſequenti*, ab ipſo ibidem verſum per *Robuſtus*: & ſunt inter Doctos non alieni ab hac hypotheſi. Sed magna nimis ſcripturæ differitas eſt inter voces עריץ & צדיק, quam ut id aſſerere audeam: nec dubito de veritate lectionis Codicis Maſorethici, ſibi hic conſtantis & ſuffultæ Veterum Intt. auctoritate; & ipſius quoque Alexandrini. Equidem legitur apud illum hoc in loco: *Καὶ ἐὰν ἀιχμαλωτεύσῃ ἀδίκως*, *& ſi captivum duxerit quis* inique. At ſcripſit Int. quiſquis fuerit, ut videtur, *δικαίως juſte*: quod cum ſciolus aliquis Librarius non intelligeret, videns hic mentionem eſſe de *poteſtate* Eccleſiæ *adverſaria*, videns *ἀδίκως injuſte*: contra *τὴν Ἑβραικὴν λέξιν*, ut Euſebius hic exerte monet: & ſimul, contra vim ſententiæ. Alterutrum itaque dicendum eſt; vel, Hieronymum Codice uſum fuiſſe hic loci vitiato; vel oculum ejus ex feſtinata inſpectione loci erraſſe, ut epitheton *commatis ſequentis* cum hoc *antecedenti* confuderit. Eſt Vir Eruditus, qui in medium conjicit, an vox צדיק *juſtus* hic accipi nequeat *ἀντιφραστικῶς*, pro *injuſtus*. ſed non magna cum ſpecie, & abſque exemplo in hac voce. Cl. Coccejus: *Diabolum hic appellari* Justum *quia in captivandis* peccatoribus *juſtus eſt. Habuiſſe enim τὸ κράτος τοῦ θανάτου* [g], *& quidem per Legem* [h]. eſſe autem *κράτος imperium*, jure nixum. Quod, ut hic ſcribitur, neque plane nego; neque etiam affirmo. Deum homines qui à ſe deſciverunt *jure* tradere poteſtati peccati & Satanæ; idque *Jus* eſſe fundatum in *Lege* & conſtitutione Divina; & Satanam huic juſto Dei judicio ac providentiæ ſubſervire; nemo temere inficias iverit: ſed Satanæ ullum *jus* eſſe in peccatorem, & *imperium* ejus in aliquo *Jure*, ſibi à Deo conceſſo, fundatum; dicere non auſim, certe Scriptura S. nihil nos hac de re docet. Imperium ſuum, Deo permittente, inter homines ſtabilivit: ſed eſt id mere *tyrannicum*, unde ipſe mox עריץ tyrannus appellatur. Et videtur tamen aliquo

Quis iſte ſit *Heros*, *Potens*, *Juſtus*, cujus hic mentio?

Definitur eſſe *Satanas*, quatenus ſe oſtentat in Poteſtatibus Mundanis, Eccleſiæ adverſariis.

Quinam Satanæ reſpectus hic potiſſimum obtineant?

Objectio Eccleſiæ παραφραστικῶς propoſita.

Per *Capturam* hic intelliguntur *Gentes*.

Ratio appellationis.

Per שבי *turbam captivam* intelligitur Eccleſia, *captiva* decenta à Poteſtatibus Mundanis.

Vox *Valens* (גבור) ut comperat *Satanæ*?

Cur idem dicatur Juſtus?

Hieronymus reddit per *Robuſtus*.

Unde orta verſio?

Mendum verſionis Græcæ ſublatum.

An vox *Juſtus* hic accipienda ſit *ἀντιφραστικῶς*?

Cl. Coccej meditatio, & in eam animadverſio.

An Satanæ à Deo conceſſum ſit *Jus* in hominem?

---

a Cap. XII. 3. *b* Matth. XII. 19. *c* 2 Tim. II. 26. *d* Joh. XII. 31. XIV. 30. *e* Heb. II. 14. *f* Apoc. XII. 7. *g* Heb. II. 14. *h* 1 Cor. XV. 56.

A In Paraphraſi Chaldæa poſt ſenſum Hebrææ Orationis adſcribuntur ſub ſigno תא *Alia Paraphraſis*, hæc verba: אמרת ירושלם האפשר דיתנכר משעו רשיעא דאמיר עלך חרבן תתי עדאה דערי מני ואם שביא רשבא ישמעאל דאמיר עליה רצריקיא הוא ישתיזב quæ Int. latine ſic reddidit: *Dixit Jeruſalem: Nunquid poſſibile eſt, ut auferatur de Eſau impio quod dictum eſt de eo: In gladio tuo vives? & præda quam abſtulit à me, & captivitas, quam captivavit Iſmaël, de qua dictum eſt, Quod juſtorum eſt, eruetur?* Confuſe ſane, & imperite, nullo ſenſu. Verte verba: *Dixit Jeruſalem: Nunquid poſſibile eſt, ut auferatur de* Esau impio *de quo dictum eſt*, (Gen. XXVII. 40.) Gladio tuo vives, *præda quam à me abſtulit? Et an Captiva turba, quam Captivam duxit* Ismael, *de quo dictum eſt*; Esse justos, (Ezech. XXIII. 45. coll. cum ℣. 42.) *libera relinquetur?* Intelligit per *Eſavum impium* Imperium Romanum: per *Iſmaëlem* Imperium Saracenorum. Ad *ſequens comma*, in continuatione hujus paraphraſios, vox עריץ *Violentus* rurſus transfertur per *Iſmaëlem*. de quo ſcriptum eſt, *Eſſe* onagrum hominis, ſive hominem onagrum, (Gen. XVI. 12.) quod hic; *Eſſe Iſmaëlem* justum ſive *juſtos*. quod non potui alio referre ac ad locum à me *κατὰ σφάλμα* adſcriptum Ezech. XXIII. 45. Si forte quid aliud ſubſit. palmam in re levi lubens cedo felicius divinanti.

aliquo *jure* agere, quia non aliam homini servitutem imponit, ac ad quam Lex eum damnat. Ita est: sed jus est commentitium. Piscator *justum* hic dici κατὰ δόξαν, *tyrannum* qui *jure belli* quem *capit* & *possidet*. Eodem tendit Grotius. *Bellum* enim *jus* parit: de quo alibi [a] scripta Vir illustris commendat. Kimchii inter Hebræos eadem mens est. Agnosco, ex Bello legitime susceptо aliquod *jus* nasci: sed *bellum* ex lubidine motum *jus* dat nullum; non magis quam *rapina* qualiscunque *raptori* aut *latroni*; nec alio oculo spectanda est potestas adversaria in Statu civili aut spirituali. Perspicio præterea, eam interpretationem vocis JUSTUS hic minus ad rem facere. Nulla hic est concertatio de *Justitia*. Ecclesia satis novit, illos adversarios, quos ipsa hic in oculis habet, prædam, cui incubant, injuste possidere ac possessam detinere. Sed comparatio hic instituitur inter *vires* partium oppositarum. Inde desumpta est difficultas. Si Ecclesiæ cum Mundo & Satana *jure* agendum esset: semper *vinceret*. nunc vero sæpe *succumbit*, quod potestas adversaria *vi* potior sit. Rectius per JUSTUM hic intelligas SEVERUM, ferocem; caussam remque suam vindicare, & cum adversario experiri, paratum; nec facile deserturum *prædam*, longum tempus possessam tanquam *suam*. Sumitur vox hic in fortissima ἐπιτάσει; ut *Justus* dicatur qui τῷ ἀκριβεῖ in rebus suis defendendis ad ultimam lineam utitur; nec facile quicquam sibi patitur extorqueri. Accedo propius, & mentem meam interiorem explico. JUSTUS dicitur Satanas hoc loco quod τὸ ἀκριβὲς *Divini Juris* in peccatorem urgeat; quod omne opus *Gratiæ Divinæ* calumnietur; quodque *Justitiam* Divinam in homines peccatores, absque ullo temperamento gratiæ, postulet; & dum Deum *gratia* uti videt, ipsum blasphemat & calumniatur; *Sanctosque* per gratiam servandos, *accusare* & ad tribunal Justitiæ Divinæ *rapere* dicitur. Inde שטן ADVERSARIUS dicitur & διάβολος CALUMNIATOR: videlicet quod calumniando omne exercitium Divinæ Gratiæ erga homines Justitiæque ejus rigorem urgendo, temperamenta Divinæ Gratiæ veluti inhibeat ac restringat. Hanc ideam *Satanæ* universa Scriptura confirmat, peteseque ex Viso Josuæ à Satana accusati apud Zachariam [b]. Jactat se *Vindicem* Divinæ JUSTITIÆ ejusque Decretorum *Executorem*, ac *Ministrum forensem*; quo sensu voces נגרקא & אגרקא Arabibus venire Docti [c] observant. Et subest hic aliquod mysterium; quod explicare non sustineo: estque ejus mysterii indicatio in Ritu *Hirci* Die *Expiationis* devoti *Azazeli*. Oeconomia spirituum, quam credere par est multa complecti mirabilia, nos maximam partem latet. Id sane perspexi, epitheta, quæ Gnostici aliqui & Marcionitæ, tribuebant *Deo* Demiurgo, Conditori hujus Mundi, & fundatori Oeconomiæ Veteris, (secundum ipsos medio inter Deum *summum*. h. e. bonum, Patrem Christi Jesu, & *Deum malum*, obsidentem *materiam* & cum ea veluti concretum,) huic *Subjecto* convenire. Hunc enim Deum *medium* illi vocabant non SEVERUM tantum, *sævum*, belli potentem; sed & JUSTUM: eodem sensu quo vox hic usurpatur. Est de eo insignis plane locus Ptolemæi Gnostici [d] ex ejus Epistola ad *Floram*, apud Epiphanium [e], ex qua vera Gnosticorum & Marcionitarum sententia multo certius cognoscitur quam aliunde. Verba sic se habent. Τούτων δὲ ὧν μέσον καθεςὼς, καὶ μήτε ἀγαθὸς ὢν, μήτε μὴν κακὸς, ἰδίως τε λεχθείη ἂν δίκαιος, τῆς κατ' αὐτὸν δικαιοσύνης ὢν βραβευτής· *Qui inter ambos illos* (Deos, *bonum* ac *malum*,) *interjectus est, ut neque bonus, neque malus sit aut injustus, peculiari quadam ratione* JUSTUS *appellari potest, quatenus Justitiæ ab ipso constitutæ arbiter existit*. Estne ita ut quem respectum Christus Dominus habet ad *Divinam Gratiam*: idem Satanæ sit ad *Justitiam Divinam*? mysterio tremendo, & ab hominum nemine explicando. Inde jam patet emphasis Quæsiti, Sitne possibile, ut *præda*, cui hic *Valens* incubat cum tota cohorte infernali, *capiatur* & ipsi extorqueatur; & *turba electorum*, quam Satanas *captivam* tenet & opprimit, ipsi eripiatur ac vindicetur in libertatem? ipsi, inquam, Valentissimo Spiritui; sedenti ad clavum Imperii Romani; Rectores ejus obsidenti; ac præterea severo, feroci, causssam suam strenue agenti & præ se ferenti vindicias Divinæ Justitiæ, Severitatisque, omni effecto Gratiæ Dei erga Ecclesiam contrarias?

b. Dubium solvitur. Articulus primus.

℣. 25. *Imo vero sic fatur Jehova:* ETIAM *Præda Valentis capietur; & turba captiva* VIOLENTI *evadet; &* EGO *contendam cum* ADVERSARIO TUO; *&* EGO *servabo filios tuos.*] Liberat Deus Ecclesiam hac dubitatione, docetque & ostendit, omnino futurum esse, ut Satanas, vi mortis & obedientiæ Filii Dei, amplissimo Regno & Imperio suo per Orbem exuatur; præcipua arx ejus, h. e. Roma, idololatria & superstitione ejus detecta, à Messia & Populo ejus occupetur; ipse in ea Arce vinciatur atque exarmetur; Populus Dei vi detentus captivus solvatur laqueis & mittatur in libertatem; Gentes ab ipso delusæ è Regno tenebrarum eripantiur errori, sortemque accipiant inter Sanctos; atque adeo ut sensim ac per articulos temporum omnis Potestas adversaria Ecclesiæ quæ ex Satana & Peccato est, destruatur, aboleatur. Sententia est in dictis analogis N. T. *f Ipse autem* (Jesus) *dixit iis: Spectabam* SATANAM *fulguris instar* E COELO CADENTEM. Rursus *g*: *Do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones.* Alio loco *h*: *Nunc adest judicium hujus mundi: nunc Princeps ille hujus mundi ejicietur foras.* Item Paulus ad Romanos *i*: *Porro Deus pacis* CONTERET SATANAM *sub pedibus vestris cito.* Joannes *k*: *Et projectus est Draco ille magnus .... in terram, & Angeli ejus cum ipso projecti sunt.* Ego de eo fuse dicta hæc atque analoga ad scopum suum retuli ad Cap. XXVII. 1. tum quoque ad Cap. XI. 4. & XL. 10. per quæ dicta aut emblemata explicatur Oraculum omnium antiquissimum Gen. III. 15. Confer præterea loca Ps. XXIV. 8. 9. LXVIII. 1. 2. per tot. CX. 2. 6. Caussa victoriæ esset, quod ipse JEHOVA, Filius Dei, Goël, & Liberator Populi sui, solus videlicet ἰσχυρότερος τῦ ἰσχυρῦ *forti* FORTIOR *l*, causssam Ecclesiæ ageret, ejusque in se susciperet litem. quod se hic loci facturum esse, demonstrat. quæ emphasis est in voce אנכי EGO, bis repetita. Certe universum mysterium Divinæ hujus Sapientiæ ac Providentiæ inclusum est dicto Apostoli *m*: *Ad id conspicuus factus est* FILIUS DEI, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τῦ Διαβόλυ· *ut* SOLVAT OPERA DIABOLI. Quæ Satanas per tot sæcula ingenio, astu, viribus, compegerat, à Filio Dei erant abolenda ac destruenda. Utique patet ex hoc loco & ex consensu Scripturæ S.: ad Satanam dejiciendum ejusque frangendas vires *Divinam* requiri *potentiam*, qualis illa est mystici *Mihaëlis*; qui stat pro populo Dei. Atque id esse in Fatis æternis, Vates docet formula recepta: *Quippe sic fatur Jehova*, de qua nunc nihil moneo.

Restat solummodo, singularia quædam, quæ ad orationis intelligentiam pertinent, ostendam. Primo observo, emphasin aliquam cadere in voculam גם ETIAM, mox in initio sententiæ: ETIAM *captiva turba* VALENTIS *auferetur*. Sensus est, quantumvis id plane paradoxum videatur & supra exspectationem: id tamen effectum dabo. Nempe Ecclesia videbatur posse esse satis contenta sua sorte, si in Romano Imperio sibi liceret vivere sub Regimine temperato, à graviori afflictione & oppressione liberæ, licet hactenus *captivæ*.

Impe-

[a] *Jur. B. & P. Lib. III. Cap. X.* [b] Cap. III. 1. seqq. [c] Vide Schindl. a. h. v. [d] Sæc. II. [e] Vide Epiphan. *Hæres.* XXXIII. 3. & ex eo Grab. *Spicil.* Parte I. p. 79. [f] Luc. X. 18. [g] ℣. 19. [h] Joh. XII. 31. [i] Cap. XVI. 20. [k] Cap. XII. 9. [l] Luc. IX. 21. 22. [m] 1 Joh. III. 8.

Aliorum sententia de potestate hujus vocis.

Per *Justum* hic intelligitur *severus, ferox.*

Propior expositio notionis.

Vera notatio vocis שטן

Respectus *Satanæ* in Verbo Dei.

Sententia Gnosticorum de *Demiurgo*. Epithera, à quibus ipsum denominabant.

Locus Ptolemæi Gnostici memorabilis, apud Epiphanium.

Dubium propositum solvitur, ℣. 25.

Potestas Satanæ in Mundo destrueretur. Loca hac de re.

Causssa victoriæ Ecclesiæ de Satana.

Summa hujus sententiæ ex Doctrina Evangelii illustrata.

Animadversa ad emphasin orationis. Quid sibi velit, vocula גם ETIAM in hac oratione.

Imperium & Religionem dominantem poterat relinquere Romæ. Ad majora adſpirare, eaque exſpectare, videri poſſet idem eſſe quod Divinam tentare providentiam. Sed hanc etiam tantam ſpem Deus ſe impleturum eſſe dicit. Secundo, animadvertendum hic eſt nomen עריץ *Prævalens, Violentus*, & forte etiam, *terribilis*, eidem Subjecto aptatum, quod in *ſuperiore commate* dictum eſt גבור *Valens*, & צדיק *Juſtus*. Vis vocis patet ex Jer. xx. 11. *Et Jehova mecum eſt ut* HEROS עריץ VIOLENTUS, prævalidus. Οἱ δ. Ἰσχύων. Sententia Prophetæ & locus hic Jeremiæ, exigit, ut major adhuc vis ſit in notione עריץ, quam in voce גבור. *Heros* עריץ eſt vi quadam non facile ſuperabili ardua quæque pervincens. Eſt enim ערץ proprie Hebræis *pervincere*, obtinere, ut vidimus ad Cap. xlvii. 14. Quomodo Satanæ conveniat, τῷ Ἰσχυρῷ, Spiritui fortiſſimo & callidiſſimo, amplitudine imperii & viribus formidabili; meditanti *vindictam* [a]; ſpiranti *odium* [b]; infenſiſſimo hoſti humani generis & Eccleſiæ; non opus fuerit nunc pluribus docere. Tertio, verba, ואת יריב אנכי אריב rectiſſime verti ſſe cenſeo Cl. Coccejum: *Et cum* LITIGATORE TUO *ego litigabo*. Patet enim ex analogis [c], voci יריב eandem ſubeſſe ſignificationem, quæ eſt in מריב. ut adeo nullis obſervatis aliis, cujuſmodi plura allegat Aben-Ezra ad hanc vocem, indigeamus. Modus formatæ vocis יריב idem eſt qui vocis יקום ὑπόστασις, Deut. xi. 6. Eſt autem novum & quidem ordine *quartum* nomen quod Satanæ ejuſque ſatellitibus hic imponitur, perſonæ ejus haud dubie aptiſſimum. Valet enim idem quod ὁ Κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ACCUSATOR FRATRUM, in *Apocalypſi* [d]. Id autem nomen explicat Hebræum שטן *Adverſarius*. Dicitur enim ſic primo & veriſſimo ſenſu, quod *adverſetur* Electis in *Judicio* [e]. h. e. Electos Dei, & opus Gratiæ Divinæ in Electis calumnietur, &, quod in ſe eſt, Dei in eos provocet juſtitiam: ſimul autem bello, Eccleſiæ & Sanctis intentato, tam calumniis, blaſphemiis, ſcriptis per Miniſtros ſuos Religionem veram oppugnantes; quam armis & viribus Principum ſibi obnoxiorum, cauſſam ſuam ſtrenue agat. Nomina autem hæc perinde ac ſuperiora, abſque præfixa ה demonſtrativa, huic *Adverſario* data, accipienda hic ſunt *antonomaſtice* ipſi tributa: quod ipſi κυρίως, in ſumma vi atque emphaſi conveniant.

Nomen *violentus, terribilis*, quo ſenſu referatur ad Satanam? Notio exponitur ex etymo ערץ.

Vox יריב declarata.

Satanæ, ſe in Poteſtatibus Mundanis oſtentanti, quomodo aptetur?

Articulus alter.

℣. 26. *Faciamque ut qui* TE OPPRIMUNT, *carne ſua invicem veſcantur, & ſanguine ſuo tanquam muſto inebrientur; & ut cognoſcat omnis caro, me Jehovam eſſe Servatorem tuum & Redemptorem tuum*, POTENTEM JACOBI.] Emblema facilis intelligentiæ, & recepti uſus, in Propheticis; metaphorice intelligendum. Pertinet enim ad bella inteſtina quibus Principes & Populi in *mutuam armati perniciem*, in ſua invicem viſcera ſæviunt, mutuo exitio. quod enim homo hominem, ſubinde graſſante fame abſumat; ut rarius eſt; ſic hoc in loco non reſpicitur. *Edere* enim mutuam *carnem* hic eadem figura dicitur, qua *mutuum* bibere *ſanguinem*, eoque *inebriari*. quod poſterius nemo proprie intelligat. Sic Propheta de Ephraimitis [f]: *Quiſque in fratrem ſuum non utetur clementia* (alter alteri non parcet.) *Et maſticabit quiſque ad dextram; & eſuriet; & comedet ad dextram; & non ſaturabuntur. quiſque carnem brachii ſui edet.* ad cujus emblematis venuſtatem nihil accedere poteſt. Zacharias de Populo Dei ſub figura ovium [g]: *Et reliquæ veſcentur quæque carne ſociæ ſuæ.* Spiritus in *Apocalypſi* [h]: *Quoniam ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt: ſanguinem quoque iis dediſti bibendum. digni enim ſunt.* Exempla ſunt in Midianitis [i]; & in conjunctis Copiis ingentis Exercitus Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, quæ tempore Joſaphati Judæam ingreſſæ armis in ſe invicem verſis, interierunt [k]. Confer etiam 2 Reg. iii. 23. Uſurpatur autem figura, non diſſimili ſignificatione, tam de *gladio*, quam de *hominibus*: etſi figura diverſa eſt. *Gladius* dicitur *edere carnem* & *inebriari ſanguine* [l], ubi multos *abſumit*, multorumque *ſanguinem* fundit; quando *cupiditati* ejus cenſetur ſatisfieri. Cum enim *gladius* ad id factus ſit, ut in vitam hominum ſæviat: id putatur *velle* & cupere, (quæ *fames* & *ſitis gladii* eſt:) ut ad cædes & ſtrages bellicas, quibus ſanguis hominum profunditur, frequens adhibeatur. Homines vero flagrantes odio, invidia, & cupiditate vindictæ, ubi in ſe mutuo armati incurrunt, ut huic *fami* & *ſiti* inhoneſtæ ac deteſtabili ſatisfaciant; ſi contingat ut voti compotes evadant, *carnem edere* & *ſanguinem potare*, imo etiam, ſi magna cædes committatur, *eo inebriari*, dicuntur. quæ ipſa quoque metaphora Verbo Dei recepta eſt uſu [m]. Ἀναλίσκειν *abſumere* hic eſt κατεσθίειν *devorare*, & ἐσθίειν *edere*. Nec fruſtra additur; *inebriari* tanquam *muſto*: quæ genuina notatio eſt vocis עסיס. Idem valet quod οἶνος νέος, ut hic Alex. ſive *muſtum*. *Muſtum* enim ita *inebriat*, ut capiti cieat gravedinem & dolorem, & largius hauſtum potatores dejiciat de ſtatu rationis. Certe in Bellis Civilibus & Diſſidiis inteſtinis id obtinet, ut tantum quiſque perdat quantum vincit. Vindictæ expletæ voluptas conſequente dolore penſatur. Hæc ſors eſſet τῶν πονούντων *Oppreſſorum, Vexantium, Afflictorum*, τῶν ἀδικούντων *injuria afficientium*, & lædentium Populum Dei: quippe quas ſignificationes omnes vox יגר admittit. Hieron. *Hoſtes tuos*. Alex. Οἱ θλίψαντές σε, *qui te afflixerint*. Vates homines ſimilis generis poſtea [n] appellat מונים *Mœrore afficientes*, exigua ſcripturæ differentia. quam Eccleſiæ Perſecutorum ſortem Deus reſpici vult ut effectum illuſtre Providentiæ ſuæ, ab *omni carne* obſervandum, quippe quæ hoc documento perſuaſa intelligeret, Deum eſſe *Servatorem* & *Redemptorem* Populi ſui; אביר יעקוב POTENTEM (Heröem, Πρόμαχον,) JACOBI: quod epitheton Dei jam deprehenſum Cap. i. 24. ibidem expoſui. Affine illi eſt, mutata litera, אדיר יעקוב *Magnificus, glorioſus*, Jacobi [o]. Conveniunt attributa cum emphaſi Filio Dei, vero Servatori, Redemptori & Προμάχῳ Eccleſiæ, qui hoc ipſo tempore, in quo prophetia verſatur, ſub nomine *Michaëlis* qui ſtat pro *Populo Dei*, vindiciis ejus in ſe ſuſceptis, virtute ſuæ providentiæ, potentiæ & juſtitiæ, Satanam in conſpectu totius Orbis terrarum debellaret; dejiceret de throno; depelleret ex cœlo; & Eccleſiæ ſuæ quod ad externum Statum Romani Imperii ſubjiceret; de quo extat lulenta prophetia *Apocalyptica* [p]. Eſt autem hic in hiſtoria implementum liquidiſſimum; quod minime præſtat Grotius, ex ſua hypotheſi, hic inhærens aſpectui Liberationis ex Exilio Babylonico: Adſcripſit hic loci: *Committam illos inter ſe, Perſas cum Medis; deinde Perſas & Medos cum Babyloniis: qui omnes olim Nabuchodonoſoro militaverant.* Quam quæſite! Si enim jam admittam quod Vir Illuſtris ſupponit, Perſas, Cyro Duce, viciſſe Medos ante deſtructum Imperium Babylonicum: (quod minime ſuppono:) an jam tum Perſæ & Medi, deſtinati Liberatores Populi Dei, cenſendi ſunt fuiſſe *hoſtes* Eccleſiæ? quo nomine, quo titulo? An quod aliqui illorum forte militaverint Nebucadnezari? Primo, ſi forte aliqui ex his Gentibus militaverint Regi Chaldæorum: non eſt probabile, illos numerum feciſſe; dedique jam operam huic hypotheſi refellendæ ad Cap. xxii. 7. Deinde, an ea de cauſſa Gentes Medorum & Perſarum cenſeri debent inter *Oppreſſores* Eccleſiæ Judææ? Fuerunt hæ Gentes à Chaldæis diſtinctæ; & quando cum Babyloniis colliſæ fuerunt; certarunt inter ſe de Imperio; non tanquam *armis* in ſe *invicem* verſis, ut ſolent ejuſdem Imperii & ortus Gentes; ſed ut Gentes diverſæ ex æmulatione gloriæ poteſtatiſque. Nihil ejus quod hic

Articulus alter, ℣. 26. *Principes*, Satanæ Miniſtri, mutuis cladibus conſumerentur.

Sententia Vatis, exemplis ex hiſtoria productis, illuſtratur.

Phraſis, *Edere carnem, & bibere ſanguinem.*

Quo diverſo ſenſu *gladiis* & *hominibus* tribuatur?

Emphaſis in adjecto epitheto, *inebriari tanquam muſto.*

Reliqua epitheta hoſtium Eccleſiæ expediuntur.

De Implemento prophetiæ interminatoriæ quæritur. Ill. Grotii commentatio relegitur, & refellitur.

---

a Pſ. viii. 3. *b* Joh. viii. 44. *c* Pſ. xxxv. 1. *d* Apoc. xii. 9. *e* Pſ. cix. 6. Zach. iii. 1. *f* Cap. ix. 15. 19. *g* Cap. xi. 9. *h* Apoc. xvi. 6. *i* Jud. vii. 22. *k* 2 Chron. xx. 23. *l* Deut. xxxii. 41. *m* Confer Cap. xxxiv. 5--7. Apoc. xvii. 6. *n* Cap. li. 23. *o* Confer Cap. x. 34. Jer. xxx. 21. *p* Apoc. xii. 7.

hic dicitur, in *typo* cenſeri poſſet impletum niſi temporibus Syriacis; quod florentiſſimum Regnum poſt Populum Dei afflictum incidit in inteſtinas Principum diſcordias, quæ eidem attulerunt exitium. Sed vide mihi hic ſcenam veriſſimam ejus temporis ad quod hæc referenda eſt prophetia. Rectores Romani Imperii, qui Eccleſiam Chriſti Jeſu excidio devoverant, Diocletiani ætate, mutuis Sociorum ejuſdem Imperii cædibus & cladibus interiiſſe, conſtat. Severus Cæſar à Maximiano Herculio, qui Purpuram depoſitam reſumpſerat, & à Filio ejus Maxentio, adverſus quem ex Galerii Maximiani voluntate Exercitum ducebat, mori eſt coactus; rurſus Maximianus Herculius à Conſtantino Genero ſuo: Maxentius à Conſtantino prœlio victus Tiberi ſubmerſus periit; Maximinus à Licinio, auſpiciis Conſtantini, armis ſuperatus, ſibi ipſe mortem conſcivit; Licinius poſtea ipſe quoque de novo Eccleſias in Oriente affligere & vexare inſtituens ſuccubuit Conſtantino, & quietis impatiens, vitam perdidit. Dubia quodammodo res eſt de Diocletiano, qui poſtquam ſe purpura exuiſſet, privatam vitam egit; nec tamen inſidias omnes ſibi ſtructas cavere potuit. Certe Galerius Maximianus, Perſecutorum cum Maximino ſæviſſimus, triſtiori adhuc Dei judicio periit; ejuſque Uxor Valeria, Diocletiani filia, ut & mater ejus Priſca, Diocletiani conjux, quæ fœminæ erga Religionem Chriſtianam non male affectæ fuiſſe feruntur, calamitate Domus ſuæ involutæ, ipſæ quoque violenta morte perierunt: de quo leges Lactantium de *Mortibus Perſecutorum*. quæ memorabilia Dei judicia circulo exigui temporis circumſcripta totum Orbem rapuerunt in ſtuporem, ut nuper ex Euſebio vidimus. Eadem ſexaginta admodum ante annis ſors fuerat Decii, ejuſque Filii Etruſci, inſidiis Galli interceptorum; & hujus rurſus Eccleſiæ quoque perſecutoris, & Filii ejus Voluſiani, ab Æmiliano necatorum *a*. Plura non addo; niſi quod recentior Eccleſiæ hiſtoria non minus illuſtria ſingularium ejuſmodi judiciorum Divinorum ad canonem inflictorum ſpecimina exhibeat.

Verius demonſtratur in eo tempore, ad quod ex hypotheſi referenda eſt prophetia.

Specimen hiſtoriæ interitus Principum circa tempus Perſecutionis Diocletianæ.

(d.) Solvitur Dubium aliud de *Synagoga Matre* Electorum in Judæo Populo publice *Repudiata*: ubi in Querela Eccleſiæ

a. *Falſam Rationem* refellit & veram ponit, ℣ſ. 1. 2.

Solvitur *dubium* aliud, de Synagoga Matre Electorum à Deo repudiata.

CAP. L. ℣ſ. 1. *Sic fatur Jehova: Ubi eſt* LIBELLUS DIVORTII *Matris veſtræ, quo eam dimiſi? & quis eſt ex* CREDITORIBUS MEIS, *cui eam divendidi? Ecce propter iniquitates veſtras venditi eſtis, & propter tranſgreſſiones veſtras miſſa eſt mater veſtra.* ℣ſ. 2. *Quare* VENI, *&* NULLUS *erat vir: vocavi, & nemo reſpondebat?*] Sic recte ſolutum erat dubium quod moveri poterat ex Reſpectu *Draconis Ruſi*, Imperium Romanum obtinentis; quem Arce ſua expellere difficillimum videbatur. Sed exercebat tamen Eccleſiam *afflictam* circa idem temporis in quo poſui ſcenam hujus Prophetiæ, dubium aliud, idque ſane non ex leviſſimis. Cum enim circa idem illud tempus Gens Judæa bello commiſſa eſſet cum Romanis, idque tandem calamitoſum & toti Genti pudendum ſortitum eſſet exitum, ut ſane Judicium hoc Divinum tremendum Orbis totus ſtupuerit; & Judæi Patria ſua exacti, Republica deſtructa, ab illo tempore expoſiti fuerint calamitatibus & probris omnium Populorum: Eccleſia *Electorum* Credentium ex Judæis, ipſa quoque hoc tempore afflicta, id *revocabat* ad animum. Utique cum ex rationibus Providentiæ & Juſtitiæ Dei erga hunc Populum nemini non pateret, Deum hunc Populum, ſi unquam non curaverit, hoc certe tempore plane negligere, eumque repudiaſſe, abjeciſſe, coram toto Orbe proſtituiſſe: nemo erat Judæorum, qui hunc Caſum ſuæ Gentis non acerbiſſime ferret, & animo ploraret, quippe qui vere Judæis omnibus erat pudori. Ergo indigebat *afflicta Tſion* hac parte ſolatio; quod Deus ipſi præſtat his verbis, docens, *a*. Se cum *Matre* ipſorum publicum feciſſe divortium eamque tradidiſſe poteſtati Romanorum, non ob mutatum erga Gentem Judæam *affectum*; ſed plane per rationes Juſtitiæ ſuæ coactum, ob enormia ejus Delicta & Scelera, quorum maximum omnium erat ſpreta *ſalus*, ipſi à ſe oblata; *his verbis* quæ deſcripſi. β. Cætera ſibi non defuiſſe ſalvandi vires, de quo magnifice loquitur, ℣ſ. 2. med. 3. Sic accipio hanc pericopam, cujus judicii mei video mihi dandam eſſe rationem, antequam ad expoſitionem ipſam accedam.

Cap. L. Lib. I. Nexus hujus orationis cum ſuperiore.

Ex communi *Sectionum* hujus Libri *diviſione* Exordium hic fit *Novi Capitis*, ſecundum quam hypotheſin neceſſe eſt partes *Concionis* hoc *Capite* contentæ inter ſe cohærere: quam tamen cohærentiam ægre demonſtrant Intt. qui ſecundum hanc *Capitulorum* Partitionem interpretationem ſuam inſtituunt, quocunque modo rem tentent. Caput hoc *quinquageſimum* diſpeſcitur in duas *Pericopas*. Priore, occurritur querelæ de *Populo Judæo* à Deo per *Libellum Repudii* reprobato, ℣ſ. 1--3. Altera, loquens introducitur illuſtris quædam Perſona, magnus Doctor & Propheta, quæ docet ſe à Deo ad hoc munus perfecte inſtructam Populo Judæo obtuliſſe ſalutem: ſed exceptam eſſe injuriis, probris, contumeliis; & tamen eas patienter tuliſſe, quod perſuaſa eſſet, ſe à Deo juſtificatum & hoſtes ſuos conſumptum iri, ℣ſ. 4--11. Quæritur, quomodo hæ partes inter ſe cohæreant: ſi enim ad unam Concionem pertineant, æquum eſt earum conjunctionem oſtendi. Sunt qui per *Repudium Synagogæ* hic intelligunt Deportationem Judæorum in Exilium Babylonicum; & per *Prophetam* hunc, *Jeſaiam* ipſum. Sed quomodo, ſi ſcena hujus prophetiæ figatur in Exilio Babylonico, Jeſaias Propheta hic confeſtim producitur in publicum? Ne nunc dicam, characteres Chriſti Jeſu hic tam eſſe liquidos, ut qui eos norunt, perſonam ejus hic præterire nequeant. Ergo, ſi vis, per illuſtrem hunc Doctorem intellige MESSIAM: quomodo rurſus hæ cohærebunt partes? Quare enim cum proxime facta eſſet mentio *Populi Judæi dimiſſi* in Exilium Babylonicum: protinus introducitur *Meſſias*, non ut *Servator & Liberator*, ſed ut Propheta, iſque *injuriis exceptus* à Judæa Gente? Fateor, me id non intelligere; nec vidi nexum demonſtratum probabilem à Piſcatore, Belgis, aliiſque qui hanc hypotheſin tenent. Perge itaque, ſi placet, & ſubaudi hic ſub emblemate *Divortii* à Deo facti cum *Populo Judæo*, *Repudium* Populi factum ubi in ſervitutem Romanorum traditi venditique ſunt; Deo curam hujus Gentis palam abjiciente: (quæ Cyrilli, Procopii, & ante eos Euſebii Cæſarienſis *b*, & Recentiorum plurium ſequacium ſententia fuit, eſtque etiam judicii noſtri:) quî fit ut Meſſias ſe hic protinus præſentem ſiſtat Judææ Genti, tanquam Doctorem Publicum, qui *præſens* Populum monet officii, ſed ab eo indigniſſime habetur? Dices, explicari hac pericopa quod dixerat ℣ſ. 2. *Quare* VENI *&* NON ERAT VIR, & ſeqq. Id ſane dici poteſt; ſed tum rumpendus eſt nexus inter partes. Non convenit enim ut poſt deſcriptum Judicium Dei in Judæos, protinus inferatur Meſſias, actu ipſo inter Judæos præſens, eoſdem adhucdum monens, obteſtans, convincens, iiſque prædicens finale Judicium & *abolitionem Cœli & Terræ antiquæ* ℣ſ. 9. 11. Cl. Coccejus itaque ipſe quoque ab hac ſententia diſceſſit, & querelam de *dato Libello Repudii* ac *Venditione* Gentis Judææ ſic accepit; acſi hic ageretur de *Liberatione Eccleſiæ* de *manu Dominantium*, de quo facta erat mentio in *Concione ſuperiore*, ℣ſ. 7. quippe Deus hic ſecundum ipſum *contendit cum adverſariis Judæis*, qui nimium tribuebant auctoritati Eorum qui ſedebant in

Summa hujus Pericopæ.

Diſquiſitio præcedanea de diviſione *Capitum* XLIX & LI

Vulgaris partitio, ſecundum quam partes duæ Cap. L. inter ſe debent cohærere.

Quomodo illa cohærentia ab Intt. demonſtretur?

Primus modus aliquis adducitur: ſed ſubjectus difficultati.

Alter ex diverſa hypotheſi proponitur.

Sed qui pariter laborat.

Tertia quædam ratio connexionis ex hypotheſi Vett. profertur.

Sed ipſa quoque difficultate gravata.

Cl. Cocceji ſententia.

a Anno CCLII. CCLIII. *b* *Demonſt. Evang.* Lib. II. Cap. III. §. XXXIV.

Cathedra Moſis; ſe, ubi Populo Jugum Legis impoſuit, eique præfecit *Præfectos* & *Principes* qui obſervantiam Legis Moſaicæ urgerent, id neutiquam eo ſcopo feciſſe, ut ſe abdicaret omni cura Populi & Eccleſiæ, Populumque ſuum *dimitteret* plane & aliis *Dominis* venderet; ſed tantum propter *peccata* & *tranſgreſſiones* Populi hoc *jugum*, hoſque Exactores ei impoſuiſſe. Sed interpretatio hæc plane eſt paradoxa. *α.* Eſtne probabile, Deum hic refellere velle, quod nemini mortalium unquam in mentem venerat cogitare aut affirmare; videlicet, Deum Genti dando Præfectos & Doctores, Interpretes Legis, curam ejus depoſuiſſe? Quis id dicere velit? *β.* Magnifica oratio, quæ mox ſequitur ℣ſ. 2. qua Deus *potentiam* & *omnipotentiam* ſuam extollit, ut probet, ſe *idoneum* eſſe *Servatorem* Populi ſui: arguit clariſſime docetque, hic agi de *Liberatione Phyſica*, non de *Oeconomica*. Ne nunc plura addam. Quæ cum conſiderarem ſingula & multum expenderem; in hanc incidi cogitationem: ſi per illuſtrem illum Doctorem, cujus mentio fit ℣ſ. 4. ſeqq. intelligendus ſit *Meſſias*, (à qua hypotheſi ſtatutum erat non diſcedere:) de tali hic agi *miſſione* & *venditione Populi* quæ facta ſit cum *apparitione Filii Dei in carne*; h. e. qua Judæi, tot *ſervitutibus* aliis defuncti, venerunt in poteſtatem Romanorum; primum quidem Pompejo eos occupante & Hieroſolymam expugnante; ſed deinde, Archelao Herodis Filio Viennam relegato, (undecimo fere anno à nato Chriſto:) & Judæa accenſita Syriæ, Provinciæ Romani Imperii: quæ *ſervitus* Genti ſuperbæ, quæ ſub Maccabæis libertatem ſuam recuperaverat, probroſa erat & moleſta. Putabam itaque dici poſſe, Populum Judæum ad animum revocantem omnes *ſervitutes* aliarum Gentium, quibus defunctus erat, & noviſſime hanc qua ſubjectus erat Imperio Romano, prodita ac perdita libertate; has omnes ſervitutes in cumulo complexum inferri hic à Propheta tanquam culpantem rationes Divinæ erga ſe providentiæ. ita enim Deum ſe gerere erga Populum Judæum, acſi fœdus cum eo initum plane rupiſſet; conjugium ſolviſſet; vel Populo Judæo adverſus hoſtes defendendo impar eſſet: Deum itaque his querelis occurrentem docere; non ſuam *fidem*, ſed *peccata* ipſorum in *cauſſa eſſe*; ejuſque exemplum editum eſſe in ſpretis Prophetis ad ipſos miſſis; & hoc ipſo tempore edendum in *Meſſia* ab ipſis rejiciendo, omnium criminum graviſſimo. qui proin ℣ſ. 4. mox loquens introducitur. Sed licet mentem huic meditationi affigere vellem: non potui tamen in ea plane acquieſcere; cum identidem mihi ante oculos verſaretur, *Divortium* & *Venditionem*, hic memorata, quid plus & majus ſignificare; ut proinde hic vel cogitari debeat de Exilio Babylonico, vel de Romano. Sic itaque poſt tentata exploratæque omnia, veni tandem in ſententiam Hieronymi, hanc *Pericopam* connectentis cum *Concione ſuperiore*, & novam *Sectionem*, & *Librum* quoque ordiendo à ℣ſ. 4. qui ipſi eſt *Liber* XIV. docens Judæos in eadem ſententia eſſe: quando omnia plana ſunt & facilia. Movit haud dubie eos qui *Capitum diviſionem* recentioribus temporibus fecerunt, quod hic non occurrat præfatio. *Sic fatur Jehova*, quæ nulla occurrit ℣ſ. 4. Sed eadem hic plane ratio eſt quæ *Concionum ſuperiorum*, Cap. XLVIII & XLIX. ubi in *Capite* XLVIII. 17. habetur *præfatio* ſolennis, prophetiæ inſerta, *Sic fatur Jehova*, & Cap. XLIX. 1. Meſſias præſens ſiſtitur & loqui introducitur abſque ulla *Præfatione:* de quo certius monebo ad ℣ſ. 4. Hæc vera animadverſio, duo nobis præſtat. *α.* Querelam quæ hic aptatur Eccleſiæ Judææ, eſſe *Corporis illius Populi* quod ſervabatur in *Electis*, contra ac Intt. vulgo exiſtimant, non recte accipientes vocem נמכרתם *venditi eſtis*. *β.* Verba hæc quod Hieronymus quoque vidit, cohærere cum ℣ſ. 14. *Cap. ſuperioris*, ſive ejuſdem hujus *Concionis*, ubi Tſion queritur, *Jehovam ſe deſeruiſſe*, & *ſui oblitum eſſe*. Quibus neceſſario ad intelligentiam hujus Pericopæ præmiſſis, ad ipſam interpretationem accedo. ad quam duo requiruntur, *α.* Ut Emblema hujus pericopæ quod in ſe incurrere videtur, recte conſtituatur. *β.* Ut definiam, cui tempori & ſtatui Populi Judæi Repudium hic memoratum conveniat.

Quod ad prius attinet: videtur aliquid eſſe in emblemate quod in ſe incurrit. Primo enim videtur Deus *abſolute* negare, propoſitione interrogatoria, ſe Populo Judæo dediſſe *Libellum Repudii*, & cum ea *feciſſe divortium:* & tamen mox exerte ait *Synagogam dimiſſam eſſe*, & *filios ſuos venditos eſſe:* à quo vero niſi à ſe? Non fugit dubium Interpretes; ſed quod plerique ut levius tractant. Veteres paſſim ita accipiunt, dicere Deum hoc in loco, ſe non dediſſe *Eccleſiæ Judææ* ut conjugi ſuæ *Libellum Divortii*; ſed eam *ultro à ſe receſſiſſe*, ſe deſeruiſſe, inſtar Conjugis quæ forte, orta inter ſe & Maritum ſimultate, domo excedit & Maritum deſerit. Sic Hieronymus, ejuſque ſequaces. Hebræi eodem tendunt. Negant illi, Deum *tribui Judæ* unquam dediſſe Libellum Repudii quem dediſſe dicitur Ephraimitis [a]: ſed illam, conſcientia peccatorum preſſam, ſponte ſua à marito ſeceſſum feciſſe. Abarbenel: *Similitudo deſumpta eſt à muliere, quæ in maritum ſuum peccavit, quæque agnito peccato, antequam maritus eam à ſe expellat,* היא מעצמה יצאה מן הבית *ipſa ſua ſponte ædibus excedit; & inde miſſa fit abſque quo maritus ejus ipſam expulerit, aut Libello Divortii dimiſerit.* Kimchius hic vult eſſe emblema mariti, *qui ira in uxorem concepta, eam ædibus exire facit; nec tamen ei dat Libellum Divortii, quia utique eam, ſedata indignatione, reducturus eſt.* Sed ſententia ſe mihi non approbat. Dicitur enim hic exerte Gens Judæa Mater tanquam *Conjux* DIMISSA *eſſe*. Judæi ipſi tanquam *liberi Dei* VENDITI *eſſe*. Judæi *receſſerunt* à Deo, ea *Divortii* ſpecie quam Græci ἀπόλειψιν vocarunt; non quando *abducti ſunt in Exilium*, ſed quando per *idololatriam* à Deo deſciverunt [b]. Ubi autem abducti ſunt in Exilium, ſive Babylonicum ſive Romanum, (quod hactenus perinde habeo:) & vere *ejecti* & *expulſi* ſunt *terra Dei, Civitate Hieroſolyma* & *Templo*; ſeparatique ſunt ab illis locis, in quibus Deus cenſebatur habitare, & ſe Populo ſuo revelare in gratia: Deus publico documento teſtatum fecit, ſe hunc Populum abjeciſſe, & cum ea feciſſe *Divortium*. Sic ſolent Moſes & Prophetæ loqui de abductione Judææ Gentis in Exilium. Deus eos dicitur EVULSISSE *è terra ſua*, & EJECISSE, *in terram aliam* [c]. Utitur Moſes voce שלח MITTERE, dimittere, qua Jeſaias hoc loco. Jeremias paſſim ἰσοδυνάμως, גרש EXPELLERE, *extrudere*, & Moſaica quoque phraſi, נתש *evellere* [d]. Imo vero Ezechiel [e] ipſam hic adhibet notionem גרש EXPELLENDI, cujus proprius erat uſus in *Divortiis:* qua eadem notione utitur Hoſeas [f] de Ephraimitarum *abjectione* è terra ſua. Et fateor, non videre me, quare *deportatio Judæorum* in Exilium Babylonicum, minus appellari mereatur *Divortium*, quàm *Ephraimitarum* in Aſſyriam, Mediam, Armeniam. Res enim utrobique eadem eſt; & Jeremias ſtatum utriuſque Populi inter ſe comparans [g], ubi exerte ait, Deum Ephraimitas dimiſiſſe cum *Libello Divortii*; id ipſum intendit, ut doceat, Deum eodem modo cum Judæis acturum eſſe, niſi vera reſipiſcentia indignationem ejus præverterint. Quod enim Aben-Ezra arguit, rem ſecus ſe habere, quia Judæi à Deo dimiſſi non ſunt abſque ſpe reditus in terram, ut Ephraimitæ: falſa nititur hypotheſi. Ephraimitis enim facta eſt facultas in terram redeundi æque ac Judæis, & ex iis reverſi ſunt in terram Patriam, licet minore numero. De emblemate Kimchii nihil moneo. eſt enim nimis vile & plebejum quam ut huc advocari debeat. Ergo alii ex Interpretibus, forte has obſervantes difficultates, orationem Dei hoc in loco ita acce-

Ordo tractationis.

Inquiritur primo in fictionem emblematis.

Dubium quod in ea reſidet.

Quomodo id paſſim ſolvatur.

Judæorum Intt. Abarbenelis & Kimchii verba.

Quæ non probatur.

Ubi Deus Judæos miſiſſe in Exilium vere cum iis *fecit Divortium.*

Phraſes Prophetarum.

Nec minus cum *Judæis* quam cum *Ephraimitis*;

A qua pariter diſceditur.

Meditatio alia in hanc rem tranſitoria propoſita.

Quætamen ipſa quoque dubium omne non excludit.

Probabilis hypotheſis alia ex Hieronymo aſſumpta.

Vitium eſt in partitione *Capitum.*

Pericopa *trium commatum* Cap. L. cohæret cum *Cap. ſuperiori.*

Commoda hujus hypotheſios.

[a] Jer. III. 8. [b] Confer Jer. III. 20. [c] Deut. XXIX. 27, 15. [d] Jer. VIII. 3. XXVII. 10. 15. [e] Cap. XXXI. 11. [f] Hoſ. IX. [g] Jer. III. 8.

acceperunt; ut non neget, se Judæis dedisse *libellum repudii* aut *eos vendidisse*; sed neget, se id fecisse ob levem causſam ut *morosi* mariti solent. esse enim causſam graviſſimam, & *culpam* apud Populum, non apud se. Sic exerte Piſcator, & Grotius. Id ex sensu meo propius ad rem accedit; & tamen obſervatu dignum est, Deum non dicere hoc loco, *se* matrem Judæam ut conjugem *dimiſiſſe*; sed ipsam *dimiſſam* esse, veluti non *dimiſſa* esset à *se*, sed ab alio. pariter, non dicit, *se* Patrem Judæos ut filios suos *vendidiſſe*; verum *esse venditos*. Non est dubium quin Vates sic conſulto ſcripserit; ut Deum ab hac invidia liberaret. Emblema Prophetæ ex meo sensu hic desumptum est à marito, qui licet ipse paratus esſet indulgentia uti erga conjugem officii & honestatis limites longe excedentem, à *Foro Judiciali* obligatur & cogitur ad Uxorem suam dimittendam: ut adeo non tam ipse quam *Judicium Forense* in causſa esse censeatur *dimiſſionis Uxoris:* quod obſervatum ut satisfacit omni dubio hujus loci, sic perfecte respondet Emblemati sequenti quo Deus negat, se eos *vendidiſſe suis creditoribus*, cum vere ipsi à Foro judiciali tanquam *debitores* propter *debita sua* venditi sint. Hæsitas, num apud Judæos unquam usu receptum fuerit, ut *Forum* se huic negotio miscuerit? Sane dubitandi ratio videtur juſtiſſima, cum satis conſtet, Repudium Uxoris fuiſſe actionem privam, cujusque mariti arbitrio subjectam, modo solennia ſcriptionis à Scriba peragendæ, & confirmationis testium, adhiberentur. Et tamen res ita se habet, ut dixi. Si mores Uxoris officii erga Maritum negligentis ſcandalum darent Publico; & vero maritus eos ferret & laſciviam ac petulantiam ferre paratus esſet: interveniebat Senatus Forensis, eumque cogebat Uxori *Libellum Repudii* ſcribere & cum ea facere divortium. Monuerat illud jam Seldenus [a] hanc tractans materiam ex Hebræorum Jure hic teſtatiſſimo; & tamen lubentius huc transfero verba Buxtorfii, in eodem argumento explicando verſati. *At vero*, ait [b], *Si uxor deprehenſa fuerit corpus ſuum proſtituere, vel à marito ipſo, vel maritus id à fide dignis & ſufficientibus teſtibus acceperit, quibus ipſe fidem largiatur: tum nolens volens cogitur, etiam* JUDICIS AUCTORITATE *interveniente, illam repudiare, neque ulterius, hoc quidem in caſu, ipſi cohabitare licet.* Hoc itaque sensu si hic acceperis orationem Divinam, omnia liquidiſſima sunt. *Ubi*, ait, *eſt Libellus Repudii Matris veſtræ quo eam dimiſi? Libellum* enim ejusmodi sponte mea non *dedi*; nec fidem fefelli; nec causſa *Repudii* ex me *nata eſt:* sed per rationes meæ *Juſtitiæ* obligatus sum ad vos *dimittendos*, cum salvo honore juſtitiaque mea mihi non liceret, vos diutius ut tales perferre. Id vero ipsum est quod hic dicitur, *Propter* TRANSGRESSIONES VESTRAS *dimiſſa eſt mater veſtra.* quæ *tranſgreſſiones* sunt tum *adulteria ſpiritualia* in negotio Religionis, idololatria & superſtitio, quæ iis ubique apud Prophetas Jeremiam, Ezechielem, Hoſeam, exprobrantur; tum inhoneſti mores graviſſimaque crimina omnis generis quibus Deum offenderunt. Suſtinet itaque Deus hic duas personas, ut *Mariti* indulgentis ex Fœdere, qui omnes Pacti conjugalis conditiones ſumma fide obſervaverat; & non leviores tantum aberrationes verum delicta graviora in Uxore sua longum patienter tulerat; sed qui idem cum ſummus Populi sui *Judex* esſet, nec rationes Fori sui sinerent, ut in manifeſtis hiſce tranſgreſſionibus diutius conniveret, per hoc *Forum Judiciale* obligatus fuerit ad faciendum cum Conjuge sua Divortium; eamque tractandam ut *Repudiatam* *A*. Eadem comparatio obtinet in altera similitudine. Teſtati Juris erat apud Hebræos; posse hominem Gente Hebræum, si solvendo non esſet, se ipsum *vendere in ſervitutem:* posse etiam Patremfamilias casu neceſſitatis ad nomina quæ contraxerat, expungenda, vendere liberos, utriuſque sexus: eandem vero poteſtatem fuiſſe *Synedrio*, ut propter crimina ab Iſraëlita commiſſa, eundem *venderet*. quæ plane extant in Legibus *Moſaicis* [c]; & dilucide expoſita sunt à Maimonide in *Tractatu* hujus *argumenti* [d]. Negat itaque Deus, se ut Patremfamilias *vendidiſſe* Populum Judæum *creditoribus ſuis*, h. e. aliis Populis quibus censeri posſet aliquid debere, quod conſilia voluntatemque ſuam in gravioribus Caſibus exequuti essent. nullos enim se ejuſmodi *creditores* habere. Sed docet, ipsos à *ſummo Senatu Forenſi Juſtitiæ Divinæ* propter *crimina* sua *venditos eſſe*, pro Jure Gentis.

Altera ſimilitudo, quam Propheta hic adhibet, pariter declaratur ex Jure Hebræorum.

Liberi familias vel vendi potuerunt a Patre, vel a Synedrio.

Alterum *Quæſitum* est, Cujus temporis & Statui Eccleſiæ Judææ hoc Repudium conveniat? An Statui Populi sub *Exilio Babylonico*; num sub *Exilio Romano?* Agi enim hic de *Repudiatione* Gentis Oeconomica, qualem Cl. Coccejus suppoſuit; nec rei ipsi, nec phraſibus Prophetæ convenit. Non inficior, Deum quatenus Populum suum *Domo* & *terra ſua* expulit in Exilio Babylonico; vero & sano sensu dici posſe, ei miſiſſe *Libellum Repudii*. Sed *α*. Contextus hujus Pericopæ, ut nexa est superioribus, neceſſario requirit *Repudium Judææ Gentis* factum in Exilio Romano, ut jam demonſtravi. *β*. Nemo non videt, quanto verius hoc Emblema competat Statui præsenti Judææ Gentis, quam Conditioni Populi in Exilio Chaldæo, ubi certiſſimam spem habebat Liberationis, eamque certo annorum spatio circumſcriptam.

Alterum Quæſitum, cujus *temporis & Status* Eccleſiæ hoc Divortium conveniat? Refertur ad Exilium **Romanum.**

Sic fatur Jehova: Ubi eſt Libellus REPUDII MATRIS VESTRÆ *quo eam dimiſi? Et quis eſt ex creditoribus meis cui vos vendidi?*] Jam explicui in conſtituendo emblemate, quo sensu verba capienda sint. Per *Matrem* & *Filios Dei* idem hic intelligitur *Subjectum:* videlicet *Populus Judæus*, ex quo nati erant *Electi* in Chriſtum Jesum Credentes, cum quo *fœdus* pepigerat *conjugale* ad Montem Sinai, quemque in proximam suam receperat communionem [e]: quemque Populum *adoptaverat*, & inſigniverat privilegio *Filiorum ſuorum* [f]. Unus idemque Populus appellatur *Mater*, quando complexe sumitur; & *Liberi*, reſpectu *ſingulorum* qui ex Populo naſcuntur. Populus enim ex Populo naſcitur. Ita enim est, in omni Populo censetur quid esse *Radicale*, quod subſtantiam & *ὑπόςασιν* ejus facit; cujus reſpectu Populus civium suorum *Mater* dicitur. Inprimis hic reſpicitur Populus Hieroſolymitanus, ubi erat sedes *Religionis* & *Judicii* [g]; & ubi *recenſebatur* Gens tota, cujus *Tabulæ Genealogicæ* ibi aſſervabantur. Hanc *Matrem* Populum, hoſce *Liberos*, ubi negat Deus à se dimiſſos esse *Libello Repudii*, & *venditos creditoribus ſuis:* non id vult dicere, se cum *hoc Populo* non feciſſe *Divortium*; vel *liberos hoſce ſuos* à se non esse *venditos:* sed causſam *Divortii* ex se *non eſſe natam*, & se liberos suos non vendidiſſe *creditoribus ſuis*. Cum enim mox addat; *Matrem* ipsorum omnino esse *dimiſſam*, & *Liberos* esse *venditos*, sed culpa sua, h. e. *propter iniquitates tranſgreſſioneſque ſuas*; nec tamen ab alio *dimiſſi vendique* potuerint quàm à *Deo:* non est dubium quin id hic omnino subintelligendum sit. Declaremus rem ordine, ex sensu Vatis. Primo, non poteſt esse dubium, quin Deus *divortium* solenne *fecerit* cum *Synagoga* Vetere, ubi Judæi qui

Verba Prophetæ diſtinctius exponuntur.

Sic fatur Jehova: Ubi eſt Libellus Repudii? &c.

Ecquæ hic intelligatur *Mater* Populi Judæi?

Unius ejuſdemque Populi varius reſpectus.

Reſpicitur hic præcipue Populus Hieroſolymitanus.

Sensus dicti, Deum *non dediſſe Populo Judæo Libellum Repudii*; & *eos non vendidiſſe Creditoribus ſuis.*

Judæi à Deo dimiſſi sunt

Aliorum meditatio in hanc rem.

Hypotheſis probabilis, ſecundum quam difficultas expediri poteſt.

Divortia aliquando facta sunt à *Foris Judicialibus.* Ritus ille declaratur.

Emblema illud applicatur ad orationem Prophetæ.

a Uxor. Heb. Lib. III. Cap. XVI. *b* De *Sponſal. & Divort.* §. 91. *c* Exod. XXI. 2. 7. XXII. 3. *d* Hilch. *Avadim*, Cap. I. 2. 5. II. 2. 3. &c. *e* Ezech. XVI. 8. Jer. XXXI. 32. Hoſ. II. 1. *f* Deut. XIV. 1. *g* Pſ. CXXII. 4. 5.

A Cætera de *Divortio* inter Judæos recepti usus, quod fieri non poterat niſi *Libello* à Scriba publico accurate atque ex Formula ſcripto, (cujuſmodi *Libellus* hic propria & vera phraſi dicitur ספר כריתות ὁ βιβλίον ἀποστασίου. ut pariter Matthæo, Cap. XIX. 7. & Marco: Cap. X. 4. vel ſimpliciter ἀποστάσιον, Matth. V. 31. Talmudicis, גט פטורין *Libellus dimiſſionis:*) & ipſi *Uxori tradito*, ejuſque *Divortii cauſſis*, quas Secta Hillelis ætate Domini maxime florens faciebat leviſſimas: nihil habeo quod moneam præter ea quæ in eruditis Libris de hoc argumento, ex Talmudico Tractatu *Gittin*, Maimonide, & *Ritualibus* digeſtis, Seldeni & Buxtorfii, leguntur; ſuntque illa nunc satis trita. tantum præterire nolim obſervatum Seldeni; (*Uxor. Heb.* Lib. III. Cap. XIX.) Ex hoc loco Jeſaiæ perinde ac ex analogo Jeremiæ, in quibus similitudo petitur à *Libello Divortii*, clare liquere, *Divortia* illa apud Judæos illo tempore omnino in uſu fuiſſe, licet nomen, à Moſe uſque ad hæc tempora, in Sacris non occurrat; & exemplum plane nullum uſque ad sera Reipublicæ tempora. Tantum monemur de eo Mal. II. 16.

Cum Repudio, Republica eorum destructa à Romanis.

Rempublicam in manibus habebant, cum destructa illorum per Romanos Republica *missi* sunt in triste hoc & molestum Exilium; expulsi Patria; privati libertate; expositi odio & invidiæ aliarum Gentium; & inprimis solenni sententia Fori cœlestis secreti communione veræ Ecclesiæ: stylo Mosis, *separati in malum ab omnibus tribubus Israël* [a], & onerati *execrationibus Legis*. cujus symbola olim edita erant in Caino [b], Canaane [c], Hagare [d], *iterum* cum filio suo dimissa; Mirjamo [e]. Propheta ipse hunc Statum Populi emphatice proposuerat in judicio Dei de vinea sua [f]; & subsequente *Viso* de *Excæcatione* Gentis & Judiciis eam sequuturis [g]. Christus Dominus [h]: *Filii Regni* EJICIENTUR *in tenebras exteriores*. Alio loco [i]: TOLLETUR A VOBIS (Judæis) REGNUM DEI: eamque propositionem suam *sequente* Parabola de *Nuptiis* illustrat. Quid? Non *dimisit* illos tantum Deus, & *vendidit Romanis*, Judiciorum suorum Executoribus: sed Populum hunc *carnalem* ita destituit, ut eum plane *prostituerit*, in famosis illis Bellis quæ gesserunt sub Nerone, Vespasiano, & Hadriano: palam declarando, se hujus Populi abjeciisse curam. Historia nihil tristius habet & calamitosius: nihil miseratione dignius. Cum Populorum aliorum aliqua existimatio esset Dei à Judæis culti; cumque ipsi licet scelerati sibi persuaderent, auxilium ejus sibi non defuturum: spe sua turpissime exciderunt; & defuncti inexplicabili calamitate, succubuerunt victoribus: & qui supererant vel rapti sunt ad mortes & supplicia varii generis; vel servati ad triumphum: cæteri sparsi per Orbem terræ totum. Nec negant Judæi; hanc pericopam, superiori *Contextui* cohærentem, præsens Exilium respicere. Secundo observo, etiamsi Deus Synagogæ Matri hoc tempore dederit *Libellum Repudii*: esse tamen illud dextre ac prudenter explicandum, nec ultra scopum Vatis extendendum. α. Qui Uxores per Repudium solenne *dimittebant*: iis facultatem dabant *nubendi* aliis Viris, pro lubitu. jubebant eas ex Vetere formula *res suas sibi habere*, easque restituebant primæ libertati. Absit vero credere, Deum Judææ Genti hanc indulsisse *facultatem* ubi eam dimisit. Respectus Dei ad Populum id non fert. Solummodo significatur, Deum eam separare à sua & Ecclesiæ suæ communione; opem omnem, curam, defensionem ipsi negare; & certissimis documentis publice editis declarare, se hunc Populum non agnoscere amplius vel haberi velle pro Populo suo usque quo defunctus extremis malis resipiscat. β. Non est quod hic dicitur, referendum ad totum Populum; cum hæc oratio vere dirigatur ad *Electos*; sed qui Electi cum ex origine sua membra essent illius Societatis quæ quod ad majorem partem à Deo repudiata fuit: *ipsis* quoque tribuitur *Electis*, quod acciderat *Societati*; pro more Scripturæ S. [k] Inde illud נמכרתם VENDITI ESTIS. sc. venditi sunt Gentiles vestri, cum quibus vos unum facitis corpus. γ. Neque est etiam ex hac similitudine colligendum; post divortium à Deo solenniter factum cum Populo Judæo, non posse amplius exspectari illius Populi conversionem. Res aliter se habet. Licebat enim Viro, Conjugem suam, à se per Libellum dimissam, si hactenus fidem suam alii marito non obstrinxisset, & resipisceret, rupto divortio, domum reducere, & consuetudinem priorem instaurare: quod cum ex ipsa Lege Deut. XXIV. 1. satis colligitur; tum ab Eruditis Viris, quos supra laudavi, abunde illustratum est. Quæso jam, respice sortem hujus Gentis in præsenti Exilio. Est per Divortium separata à Deo: nec tamen FACTA ALTERI VIRO. Non transiit ad alias nuptias. Abstinet idololatria, & vult etiamnum censeri Populus Dei, expectans gratiam, sibi fœdere conditam, ut clarissime prædixerat Hoseas. [l]

Typi ejus Judicii in historia antiqua.

Historia Gentis certum ejus rei testimonium.

Similitudo tamen hæc non est extendenda, ultra scopum.

Deus non restituit Populum suæ libertati.

Repudium hoc non est referendum ad Populum totum.

Nec obest spei conversionis Judæorum hac in re.

Status Gentis Judææ in præsenti Exilio.

Propter iniquitates vestras VENDITI ESTIS; *& propter transgressiones vestras dimissa est Mater vestra.*] Propheta hic est mirificus. Quod dicere debet, videtur dicere nolle; ne gravius affligeret Electos. Deus vere *Synagogam Matrem dimisit*, & *Divortium* cum ea fecit ubi Judæos deseruit in Bello cum Romanis; & præterea Satanæ excæcandos & indurandos permisit: perinde ac eos *vendidit*, h. e. tradidit *Romanis* ad durissimam servitutem: & tamen arte quadam refugit, quo minus id diceret; scribens potius, VENDITI ESTIS; DIMISSA EST MATER VESTRA: non eam tantum ob rationem, quam modo indicabam, quod Deus per rationes justitiæ suæ ad id obligatus fuerit, & caussa *divortii* ex ipso nata non sit, atque adeo actum tanquam *liberum* sibi adscribi nolit; verum etiam quod ex inspecta rei natura *divortium* cum Gente Judæa factum vario respectu affirmari potuerit ac negari. *Electorum* respectu, cum quibus hic agit, divortium factum erat nullum; atque adeo Apostolus loquens de *Reprobatione* majoris partis Ecclesiæ Judææ facta in initiis Oeconomiæ Gratiæ, exerte ait [m]: *Num igitur, inquam, Deus Populum illum suum* ABJECIT? ABSIT. deinceps addens: *Quid igitur? Quod requirit* ISRAEL, *hoc non est adeptus: sed* ELECTI *adepti sunt*. Et tamen cum vere Deus illum Populum qui Hierosolymis efficiebat majorem & veluti radicalem partem Populi Judæi, *abjecisset*; ipse postea exerte vocat ἀποβολὴν *Rejectionem*, Repudium [n]: *Nam si* ABJECTIO IPSORUM (ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν,) *est reconciliatio mundi: quæ erit* ASSUMPTIO (πρόσληψις,) *nisi vita ex mortuis?* Ergo cum id gravate diceret Deus, se toti Genti dedisse Libellum Repudii: *imperſonaliter* loqui amat, acsi diceret, *Eos qui de hac Gente venditi erant in servitutem, & Matrem Gentis*, Populum Hierosolymitanum, *dimissos esse propter iniqua sua facta & transgressiones suas*. Quales vero? Dicam paucis, quod notum ex Historia Evangelica & Josepho: circa illud tempus, quo Dominus in *carne apparuit*, corruptionem pervasisse omnium Ordinum homines; quorum ditiores cum Pontificibus, abnegata spe melioris vitæ, Sadducæismum palam profitebantur: gregaria plebs, Pharisæis adhærens, pessimis imbuta erat præjudiciis de via salutis, justitiam suam sectata ex ritu externo observatæ Legis Mosaicæ: fæx Populi mores suos conformabat ad exemplum Gentium & quidem Romanorum, quibus Principes Gentis, Herodiadæ, fœde adulabantur: paucis exceptis in Gente, qui exspectabant consolationem Israëlis. Quando autem passi non sunt se ab his erroribus & vitiis per Joannem Baptistam, eumque insequutum Messiam, & Apostolos ejus, avocari; sed salutem sibi oblatam proterve spreverunt: major pars tradita à Deo in reprobum sensum, & ab ipso tandem deserta plane ac destituta, erupit deinceps in omne genus scelera, flagitia, impietatem, & malitiam, ut hic sol nihil unquam sceleratius aspexerit, atque adeo in prædam vindictamque cessit Romanis, Judicii Divini executoribus, cum Reipublicæ excidio. Et tamen capitale crimen Gentis, ab ipso Christo Jesu demonstratum, fuit spreta salus, ipsi oblata per Filium Dei, ejusque, ac deinceps quoque Apostolorum ejus, & Præconum salutis, sanguis innocuus, flagitiose effusus [o]: quod ipsum Propheta protinus declarat. Interim si voces עוונות *iniquitates* & משעים *transgressiones* sive *defectiones*, (quæ sæpe ubi de gravioribus delictis mentio fit, generatim & promiscue sumuntur:) hic ab invicem distingere velis; sub priore voce intelliges *crimina injustitiæ* & *iniquitatis* in judiciis & actionibus adversus proximum commissa; sub altera, *delicta* commissa in *negotio Religionis*.

Propter iniquitates vestras dimissa est Mater vestra. Ars orationis qua scribitur, Non, *Deum vendidisse Judæos*; sed *illos venditos esse*.

Divortium cum Gente Judæa factum, vario respectu poterat affirmari, & negari.

Quid declaratur ex Paulo.

Transgressiones Populi, caussa *Divortii*, ex historia demonstrantur.

Aspectus Gentis Judææ illius temporis.

Capitale Gentis crimen.

℣. 2. *Quare veni, & non erat vir?* CLAMAVI, *& nemo respondebat?*] Id ipsum est quod modo agebam. Filius Dei, certo aliquo tempore à Patre definito, juxta promissa & prædicta antiqui temporis ἦλθε εἰς τὰ

℣. 2. *Quare veni, & non erat vir?* Supponitur apparitio Fi-

---

a Deut. XXIX. 20. b Gen. IV. 14 c Cap. IX. 25, XXI. 10. 12. d Cap. XVI. 1. seqq. e Num. XII. 14. f Cap. V. 1. seqq. g Cap. VI. 1. seqq. h Matth. VIII. 12. i Matth. XXI. 43. k Confer Cap. LXIII. 17. Neh. IX. 26. 1 Pet. IV. 3. l Cap. III. 3. m Rom. XI. 1. n ℣. 7. o Matth. XXI. 39. XXIII. 37. 38. Luc. XIX. 27. 44. 1 Thess. II. 14. 15.

Iii Dei inter Judæos.

εἰς τὰ ἴδια VENIT *ad ſua*, *ſed* SUI *illum non receperunt* [a]. Excluſus eſt ipſe, Filius & Hæres Patris, à Præfectis vineæ, hæreditate ſibi debita, & ſcelerate interfectus [b]. *Clamavit*, h. e. docuit in Templo, Synagogis, Montibus; tum ut iis ſuaderet reſipiſcentiam ab erroribus & vitiis, ſub interminatione Judicii Dei finalis; tum ut iis offerret *Juſtitiam*, *Salutem* & *Regnum*, Patribus promiſſum, cum copia omnigenæ Benedictionis, per Verbum Evangelii. Joannes [c]: Ἔκραξεν οὖν διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ Ἰησοῦς· CLAMAVIT *igitur* DOCENS *in Templo* JESUS. Rurſus [d]: *Ultimo autem die magni illius Feſti ſtetit Jeſus, &* CLAMAVIT, & ſeqq.

Quomodo Filius Dei non tantum ad Judæos *venerit*, ſed & *clamaverit*?

Vox קרא, ἀπλῶς poſita, notat proprie actum Præconis, Doctoris, Concionatoris Publici, qui ad plures verba facturus, neceſſe habet *vocem extollere*, ut vidimus ad Cap. XL. 3. Quanto rectius hac voce ſignantur conciones Chriſti Jeſu, per quas *clamando* homines *vocabat*, & *convocabat* ad ſuam communionem [e]; quæ altera vis eſt notationis vocis קרא, quæ non tantum valet κράζειν, ſed & καλεῖν. Sed quo fructu? *Nemo reſpondebat*. Ita eſt, ante Chriſti Jeſu Exaltationem ad dextram Patris, etiamſi docens de turba ſectatores, & admiratores haberet multos; veros tamen Diſcipulos, qui in ipſo viderunt excellentiam Divinam veri Salvatoris Mundi, habuit paucos & pauciſſimos, ut ex *primoribus* NEMO auſus fuerit aperte nomen ejus *profiteri* [f], etiamſi plures de ipſo clam magnifice ſentirent [g]. Idem itaque hic dicitur quod Cap. LIII. 1. QUIS *credidit præconio noſtro, & brachium Jehovæ cui revelatum eſt?* qui locus huic noſtro parallelus idem ſonat. QUIS, hoc eſt, Quis ſpectabilium hominum, & quidem Hieroſolymitanorum? Sic hoc in loco, ואין איש *Et nemo erat* VIR. Valere poſſunt verba, *fateor*, *Et non erat quiſquam*. Sed notio איש Hebræis ἐνεργῶς ſignificat *Virum* ſpectabilem, honoratum, dignitate aut doctrina præſtantem; & res ipſa ſuadet, eam emphaſin hic non eſſe negligendam. Modus autem propoſitionis, QUARE *veni*, *& ſeqq.* eſt convictorius. Docet, graviſſimum in hac incuria commiſſum eſſe crimen. eſſe enim abſurdum, ſe tot Sæcula exſpectatum, tot votis ſanctorum ad promiſſa Patribus facta expetitum, ad Populum ſuum viſitandum, ejuſque procurandam ſalutem, cum tandem in carne appareret, neminem inveniſſe ex magnatibus, qui ſibi *Principi* populi ſui occurrerit; neminem qui ſe profiteri auſus ſit: contra vero publico & graviſſimo Gentis concilio & judicio ipſum eſſe damnatum. Eſt itaque quod hic dicitur referendum ad id quod proxime præceſſerat; *propter iniquitates & tranſgreſſiones veſtras venditi eſtis*: quarum tranſgreſſionum hæc erat longe maxima, atque adeo cauſſa ſumma excidii Hieroſolymitani. Sic Dominus Jeſus ipſe, miſerandæ Deſolationis Hieroſolymorum, quam deſcribens prædixerat, expoſiturus cauſſam; ſermone ad Hieroſolymam verſo, hanc oſtendit [b]: Ἀνθ' ὧν οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου· *quod non agnoveris diem* VISITATIONIS TUÆ. Hac anchora ſoluta, nulla ſupererat ſpes ſalutis. Eſt autem פקידה VISITATIO idem hoc loco quod *adventus*: metaphora ſumpta à *Principe*, qui Provincias Regni ſui inſpecturus ipſe, in loca poſt præcedaneam adventus ſui denunciationem ſe confert, ibidemque præſens ſubditis ſui copiam facit. Phraſis eſt deſumpta ex Mich. VII. 4. DIES *Vigilum* (ſpeculatorum) *tuorum*: (h. e. à Prophetis, ut publicis Excubitoribus Gentis prædictus, qui erat ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ DIES CHRISTI:) VISITATIONIS *tuæ*, (פקודתך) *venit: nunc erit perplexitas tua*. Et Zach. X. 3. *Quia Jehova Exercituum* VISITABIT GREGEM SUUM. Diſcede, ſi placet, ab hac verborum ſententia, & deprehendes, te hærere. Cum enim ADVENTUS *Dei ad Populum ſuum* neceſſario hic ſignificare debeat certum aliquod tempus quo Jehova ſe ſolenniter præſentem ſtitit Populo ſuo, ſeque ei *manifeſtum fecit*, ipſum *vocando* ad *Reſipiſcentiam*, & *ſalutem ſuam* ipſi *offerendo*: (de *adventu* enim Dei *judiciali*, de quo notio hæc frequens uſurpatur, hactenus hic non agitur:) quæro, quodnam aliud tempus demonſtrari queat *adventus Dei* ad Populum ſuum? Dices, illud eſſe tempus quo Prophetas extra ordinem *miſit* ad Populum, demonſtravitque, ſalutem ejus ſibi curæ eſſe. Sic utique exerte Chaldæus: *Quare* MISI PROPHETAS MEOS, *& non ſunt converſi?* Sed α. Miſſio Prophetarum ad Populum nunquam quod ſciam, hac notione venit in Verbo Dei. β. Phraſis contra emphatice uſurpatur de *adventu Filii Dei in Mundum* in Scriptis V. T. [i] & inde frequens in Libris N. T. γ. Si quis rei ipſius naturam inſpiciat: videt facile, notionem de ἐπιδημίᾳ *adventu* Servatoris in Mundum omnium propriiſſime uſurpari. δ. Si tempus miſſorum Prophetarum ſit tempus *adventus Dei* ad Populum: Prophetæ autem illuſtres per tractum longi temporis ante Excidium Hieroſolymorum Populo adminiſtraverint Sermonem Dei: an itaque totum illud intervallum appellabitur *adventus Dei?* ε. Peculiarem animadverſionem meretur, Interpretes Judæos qui ſentiunt nobiſcum, in hiſce verbis agi de *præſenti Exilio Judæo*, ut ſunt Kimchius & Abarbenel, hic verſari in ſummis anguſtiis. Cum enim Propheta hic exerte teſtetur, ſummum & graviſſimum crimen Judææ Gentis *dimiſſæ & venditæ in poteſtatem hoſtium*, hoc ipſum eſſe, quod cum *Jehova advenerit*, *nullus adeſſet*; & *clamaverit*, *nemo reſponderet*: ecquis ille *adventus eſt Dei ad ipſos* cujus non obſervati cauſſa meruerint reprobari? Ecquis *Clamor*, ecquæ *Vocatio*, cui non *reſponderint?* Hærent plane & ſtupent. Ante enim Exilium hoc, & in ipſo Exilio, nullos agnoſcunt *Prophetas*, à Deo miſſos, qui ſe ſolenniter invitaverint ad Reſipiſcentiam; nullam ſingularem Dei *Manifeſtationem*, ſecundum quam dici poſſit *Jehova* ad ipſos veniſſe: nec poſſunt hic recurrere ad Prophetas antiqui temporis. Et Kimchius quidem leviter tranſit; contentus monere, Judæos in præſenti Exilio per irreſipiſcentiam ſuam *morari Redemptionem*, ſibi à Deo paratam. Abarbenel, ita interpretatur; אני שכחי להשגיח עליכם בגלותכם כי זו היא הביאה שוכר בנאן *Ego reverſus ſum, ut mea providentia vobis invigilarem in Exilio; quippe hic eſt ille* ADVENTUS, *de quo hic loquitur*. Itane vero? Idne eſt quod hic dicitur, VENI, & CLAMAVI? Sane quidem Deus eos à facie ſua pulſos providentia ſua proſequitur, ſed executrice graviſſimi judicii cui ſuccumbunt; in qua nullum habent argumentum favoris ipſius. Non *venit* ad ipſos Deus; ſed *faciem ſuam ab iis occultat*. Supponunt interea ipſi, totam Gentem in præſenti Exilio verſari in ſtatu peccati & irreſipiſcentiæ, & hoc ipſo indignam eſſe Beneficio *Redemptionis* ſibi promiſſæ; id, inquam, illi ſupponunt, contra proprias hypotheſes. Dum enim Deum ritu ſuo inter Gentes colunt, eique adhærent, nec graviorum delictorum in hoc Exilii Statu ex ſenſu ſuo jure poſtulari queant: quodnam itaque eſt illud graviſſimum crimen, quod ipſos in ſtatu præſentis Exilii detinet, & Redemptionem moratur?

Emphaſis vocis קרא hoc in calu.

Notat etiam *vocare*, & *convocare*.

Non conſtitit ipſi fructus operæ. Pauci, certe ſpectabiles homines, *vere* in illum crediderunt.

Modus propoſitionis per *interrogationem* hic eſt convictorius.

Turpitudo criminis hic à Gente commiſſi.

Illuſtratur ex analogis locis V. & N. T.

Abſque hac hypotheſi commodum ſenſum non admittit hæc pericopa.

Expoſitio Paraphraſtæ Chaldæi. Sed quæ refellitur.

Adventus Dei ad Gentem convenit tempori Meſſiæ.

Quomodo Kimchius & Abarbenel ſe hic expediant ſecundum hypotheſin ſuam?

Verba Abarbenelis, quæ refelluntur.

b. Occurrit ſuſpicioni de imminuta Dei Liberatoris potentia.

ỳſ. 2. med. *Eſtne omnino brevior facta manus mea, quam ut ſufficiam redimendo, & an mihi non ſunt vires ad eripiendum? Ecce! Increpatione mea* EXSICCO MARE; *pono fluvios deſertum: fœtet piſcis eorum, quod nullæ ſint aquæ, & moriuntur præ ſiti.* ỳſ. 3. *Induo cœlos atrore; & pono ſaccum tegumentum ipſorum.*] Judæorum Proceres inter alia hoc argumento movebantur, cur Chriſtum è medio tollerent, & fidem in ipſum recuſarent, quia ſibi perſuadebant; fidem in *Meſſiam* tanquam Judæorum REGEM, non poſſe conſiſtere cum reverentia Imperatorum Romanorum. Sic ſpuerunt, ne

Servator occurrit dubio, ac ſi vitium eſſet in ſua potentia, ỳſ. 2. med. *Eſtne brevior facta mea manus, &c.* *Hypotheſis interpretationis. Judæi Chriſtum re-*

a Joh. I. 11. b Matth. XXI. 38. c Joh. VII. 21. d ỳſ 37. e Matth. XXIII. 37. f Joh. VII. 48. g Cap. XII. 42. b Luc. XIX. 44. i Hoſ. VI. 3. X. 12. Hab. III. 3. Zach. IX. 9. Mal. III. 1.

Incurrerent in offenſam Romanorum.

inter ſe non abſque ſpecie ratiocinabantur apud Joannem [a]: *Si eum ita ſinamus agere, omnes in eum credent; venientque* ROMANI, *& delebunt tum locum noſtrum, tum Gentem.* Eodem modo ad Pilatum [b]: *Si hunc dimiſeris, non es amicus Cæſaris. quicunque ſe* REGEM *facit, contradicit Cæſari.* Rurſus [c]: *Non habemus* REGEM *niſi Cæſarem.* Inerat in ratiocinatione ſpecies, cum Chriſtus Jeſus, qualis apparuit in carne, non videretur præſtiturus Liberatorem, qui eos vindicare poſſet adverſus Romanorum potentiam. Sed erat hæc falſiſſima προλήψις, & iniquiſſima præſumptio de Jeſu Chriſto: quem ſi ſciviſſent & credidiſſent eſſe *æternum* Dei *Filium*; ſimul intelleXiſſent, illum ſufficere Populo ſuo adverſus qualemcunque potentiam humanam defendendo. Hic ſenſus eſt pericopæ facilis, & minime quæſitus. Judæi capti ſunt conſiliis ſuis, & miſere perierunt. Quod unum Prudentes Sæculi ſibi credebant ſaluti fore, videlicet, ut Chriſtum Jeſum *Romanorum cauſſa* rejicerent, & è medio tollerent: vertit in exitium. Redarguit itaque Filius Dei illos ſtultitiæ & perverſiſſimi de ſe judicii, quod ſe *Redemptorem* omnimode perfectum, vindicaturum Populum ſuum è ſervitute Satanæ, medio λύτρῳ idonei à ſe offerendi: (quo hic referri poteſt vox פדות *Redemptio* quæ fit pretio [d]:) ineptum judicarent ad ſe liberandos è poteſtate Romanorum, & Reipublicæ illorum tuendum ſtatum; ſiquidem id facere potuiſſet ad gloriam Dei & ipſorum commodum. eſſe enim apud ſe λύτρον *infiniti valoris* ad *redimendum:* eſſe vim potentiæ ſummæ ad *eripiendum*, quippe in homine & cum homine Deum; antiquum Populi ſui Vindicem ac Liberatorem. Si quis utramque notionem פדות *Redemptionis* & הצל *ereptionis* interpretari malit de ſufficientia *Liberationis Phyſicæ:* non vehementer intercedam, quod illa *Liberatio* hic tribuatur *manui*, ſymbolo potentiæ phyſicæ. Et pertinent illuc vere ſpecimina quæ producit ſuæ παντοκρατορικῆς δυνάμεως. *Se* ait, *increpatione ſua exſiccare mare; fluvios ponere deſertum; cœlis inducere atrorem*; eoſque veluti circumfundere *ſacco.* Sunt magnifice dicta; & ad rem. Alluditur enim abſque dubitatione ad effecta Potentiæ Divinæ, imo vero Potentiæ Filii Dei, Vindicis Eccleſiæ, olim edita in ſalutem Populi ſui. Primum ejus eſt, Mare Arabicum in Sinu ſuo afflictum vehementi vento, juſſione Divina excitato; fiſſum, & *ſiccatum*, ut ſemitam præſtare potuerit Jacobidis, Ægyptum egreſſis [e]. Illuc vero reſpici, liquidiſſimum eſt ex Vate noſtro Cap. LI. 10. *Nonne tu is es* qui *exſiccas Mare, aquas abyſſi magnæ: qui ponis profunda maris in viam, qua incedant Redempti?* Vates ſacer de hoc ipſo Eventu agens; dum Divinas laudes celebrat [f]: *Qui convertit* MARE *in aridum.* Juſſio autem Divina, qua hic productus eſt effectus, ſcite appellatur *increpatio*; non tantum ut eo declaretur, eſſe effectum *Dei indignantis*; (eſt enim *increpatio* proprie imperioſa juſſio indignantis:) ſed creata omnia in ſuo motu ſic eſſe obnoxia Deo, ut ad minimum ejus nutum aut reſpectum imperio ejus obſequantur. Confer Pſ. LXXVI. 7. Matthæus Apoſtolus eadem utitur voce ἐπτιμᾶν *objurgare*, ubi Chriſtum Jeſum juſſione ſua *mare* & *ventos ſedaſſe* ait [g]: monens nos cogitare de Divina ejus & præſtantiore Natura; ut ſane ſpectatores hujus miraculi dicebant: *Qualis eſt iſte quod venti quoque ac mare ei auſculteni?* Alterum, quod hic ſequitur, Divinæ Potentiæ effectum: *Ponere fluvios deſertum:* plane referendum eſt ad *exſiccatum Jardenem*, ut viam faceret Populo Dei occupaturo hæreditatem Canaanæam [h]. Sic Poëta ſacer, enarrans effecta Potentiæ Divinæ edita in Populo ſuo vindicando [i]: *Tu arefeciſti* איתן נהרות FLUVIOS VALIDOS. Circumſtantiæ loci nos ibi cogitare jubent de *Jardene.* Cur vero ille *fluvius*, non inter maximos, hic venit *terminatione plurali?* Ait Kimchius ad utrumque locum, quod alii *fluvii in illum effundantur.* Non ignoro, alios quoque ſic tradere; nec eſt alienum à ratione credere, ex tractu montium qui Jardeni ſunt ad ortum, torrentes in hunc fluvium decurrere: ſed ex Hiſtoria Sacra præter *Jabbokum*, quem Jardenes excipit non longe à Mari Tiberiadis, nullus demonſtrari poteſt. Cogitabam, ſic dici poſſe, cauſſa duarum ſcaturiginum hujus fluvii in unum confluentium, juxta vulgatam de ortu Jardenis traditionem: ſed traditionem dudum falſi ſuſpectam habui; & plane eam ſepoſuiſſem, niſi locus Philoſtorgii apud Joannem Antiochenſem, in quo hic fluvius accurate deſcribitur, à Salmaſio [k] productus, me dubium relinqueret. Planius eſt, ſic dici à Vatibus ſtylo Sacro; quod vere fluvius eſſet inſignis, ab exteris quoque Scriptoribus luculenter celebratus: ſed verius & ex meo ſenſu, quod *ex uno hoc fluvio exſiccato* intelligi poſſit, Deum ſi velit, *ſiccare* poſſe *omnes.* Confer hic Hab. III. 8. Quod autem ſubjicitur; *fœtere piſces, & arefactis fluviis, præ ſiti emori:* conſequens hujus effecti eſt indivulſum: nec eſt dubitandum, quin Mari Arabico & Jardene longo ſatis tractu, ad imperium Voluntatis Divinæ, ſiccatis, Φανείσης τῆς ἐπὶ τῷ βυθῷ χέρσου *terra uſque ad ipſum maris fundum detecta*, (ſic Diodorus referens traditionem accolarum Sinus Arabici antiquam de eo aliquando exſiccato [l]:) hic effectus extiterit: licet Propheta hoc ἀνόλεθον memorans quid majus reſpexerit. Similis generis eſt effectum tertium, quod Interpretem exerceat. Ait Deus, ℣. 3. ſe *circumveſtire cœlos atrore, & ſaccum ponere tegumentum eorum.* Interpretes, Hebræi & Chriſtiani, certatim referunt ad craſſiſſimas *tenebras* Ægyptias *tridui*, quæ ſunt inter ejus plagas [m]. Nihil id, fateor, abſurdi habet: nec tamen ſententiam meam facio. Reſpici enim hic loci videtur effectum aliquod Potentiæ Divinæ quod Populo Dei liberationem aut ſalutem attulit. quò directe non fecerunt tenebræ Ægyptiæ. Plane itaque mihi perſuadeo, emblema quod hic pingitur, eſſe *tempeſtatis terribilis*, Divina potentia ſuſcitatæ, ea nocte qua proſtratus eſt Senacheribus; Luna & Sideribus, denſis, ut fieri ſolet, nubibus obductis, ac plane diſparentibus: de quo ſingulari phænomeno Omnipotentiæ Chriſti Jeſu, ut Vindicis Populi ſui, in loco [n] diſſerui. Symbolica enim Prophetæ locutio non videtur accipienda de tali *obſcuratione cœlorum*, qualis locum habet in *Eclipſibus* Solis & Lunæ; ſed qualis conſpicitur in tempeſtatibus ſubitario concitatis, ubi cœlum repente atris obductum nubibus, diſparente luce, magna mala horrentibus minatur. Conferendus hic eſt locus Cap. XIII. 10. & illi analogus Ezech. XXXII. 7. 8. *Nubes* ipſæ *atræ* cœlum *obducentes* & veluti *involventes*; idemque ut videtur, contrahentes; decuſque ejus, ſplendorem, claritatem, obnubilantes, hic ſcite figurantur *ſacco*, olim in ſumma humiliatione ex *pilis atri coloris* confici ſolito: quod Kimchius hic recte obſervat. Eodem alluditur Apoc. VI. 12. Ait itaque hic Filius Dei, ſe qui olim in vindicias & ſalutem Populi ſui demonſtraverit, Se terræ, maris, & cœlorum Dominum eſſe Omnipotentem, ipſos adverſus quamcunque Poteſtatem adverſariam, & quidem adverſus Romanos, potuiſſe defendere ac vindicare, libertatemque eorum aſſerere, ſi in ſe poſuiſſent fiduciam. Amplius id ſtringit, ſi corporalia hæc emblemata πνευματικῶς interpreteris. Significatur myſtice, Filium Dei ut Vindicem Eccleſiæ poſſe magna & vaſta Imperia, quæ incolis ſuis præſtant liberum motum, copiam & abundantiam, ut *maria* piſcibus, ſi ſe opponant Regno ſuo; Populoſque feroces veluti *intercedentes* quominus Eccleſia occupet deſtinatam ſibi à Deo hæreditatem, (qui verus in hoc emblemate eſt aſpectus *Jardenis:*) deſtruere, exhaurire, & ad anguſtias ſummas atque inopiam redigere; eorumque

Vanitas hujus dubii, à Vate demonſtrata.

Prudentia hæc carnalis contrarium præſtitit effectum.

Refellitur conſilium Procerum per acrem convictionem.

Vis vocis פדות h. l.

Effecta illuſtria Potentiæ Divinæ, quæ hic recenſentur.

Exſiccatio maris quo hic referatur?

Loca analoga.

Notio *increpationis* Deo tributa.

Poſitio fluviorum in deſertum, quo pertineat?

Quare *Jardenis* hic veniat nomine *fluviorum*?

Obſervata de *Jardene fluvio.*

Fuit fluvius inſignis, & Veteribus celebratus.

Latior aſpectus ſententiæ.

Effectum tertium, ℣. 3. *Deus circumveſtit cœlos atrore, &c.*

An hic reſpiciatur ad *tenebras Ægyptias*?

Non videtur id hic loci magnum uſum habere.

Videtur reſpici Caſus Senacheribi.

Loca analoga.

Metaphora deſumpta à *ſacco* illuſtrata.

Sententia Vatis ad ſcopum refertur.

Spiritualis aſpectus ejuſdem ſententiæ, prophetice declaratus.

---

a Cap. XI. 48. *b* Cap. XIX. 12. *c* ℣. 15. *d* Confer Jeſ. I. 27. XXIX. 22. *e* Exod. XIV. 21. 22. *f* Pſ. LXVI. 6. *g* Matth. VIII. 27. *h* Joſ. III. 16. *i* Pſ. LXXIV. 15. *k* Ad Solin. Cap. XXXV. p. 407. *l* *Biblioth.* Lib. III. p. 122. *m* Exod. X. 21. 22. *n* Ad Cap. XXXVII. 36.

vim eo usque frangere atque enervare, ut statui suo sustinendo non sufficiant; nedum Ecclesiæ amplius noceant. posse item, tranquillo, ut videbatur, cœlo, concitare magnas tempestates bellicas, quæ Populos ingentibus involvant calamitatibus. Edita sunt specimina ante adventum Filii Dei in destructo Babyloniorum Imperio, cujus *mare* dicitur *exsiccatum* iri, proprie & mystice [a]: in oppressa Ægypto à Persis & Medis; qui Eventus sub emblemate exsiccati Nili & *Fluviorum* ejus ab ipso Vate nostro proponitur & latè describitur in prophetia hujus argumenti [b]: & in ingentibus calamitatibus quibus involutum est florentissimum Regnum Syriæ, postquam Reges ejus impium sumpsissent consilium de exterminanda Religione vera, ejusque affligendis confessoribus. Cœlum ejus Regni obductum est atrore: Lux conversa in tenebras: magna fuit calamitas, & calamitatis major metus per longum annorum tractum, usque quo florentissimum Regnum Alexandrinæ successionis penitus conciderit. Conferantur etiam hic prophetiæ Cap. XI. 15. Zach. X. 11. Et vero docuit experientia, idem fatum fuisse Imperii Romani; quod Christo Jesu non minorem, imo vero majorem etiam, præbuit materiam Potentiæ suæ judicialis in illud exequendæ, quam Regna & Imperia antiqui temporis.

Specimina edita in Imperio Babylonico & Regno Syriaco.

Comparanda cum effectis Potentiæ & Justitiæ Divinæ in Imperio Romano.

Sic, nisi fallor, Dominus abunde satisfecit querelæ Tsionis. Quid si vero querela hæc Ecclesiæ Electorum post destructam Hierosolymam non conveniat? Quis enim piorum credentium non fuit persuasus de Justitiæ severitatis exercitæ erga Judæos, Evangelio immorigeros? Quis illorum dubitavit de summa potentia Filii Dei ut Vindicis & Liberatoris quam poterat exerere in Judæa Gente vindicanda adversus Romanos, si se ejus favore & defensione dignam præstitisset? Respondeo, Primo, Etiamsi Ecclesia sub Nerone talem querelam non profuderit: aptatur tamen ei oratio Statui ejus conveniens. Cum enim Ecclesia Christiana matrix ortu esset Judæa: non videtur non molestissime latura esse calamitosissimum illud judicium, quod Deus in contribules suos executus est. Aptatur autem ipsi hæc oratio, ut occasio detur Deo se adversus Synagogam repudiatam defendendi. Dein ajo, neutiquam esse dubitandum, quin Repudium solenne hujus Gentis factum in destructa à Romanis Republica Judæorum plurimis in Christum Jesum credentibus, caussa Gentilitatis & cognationis, summo fuerit *dolori*, & *ὀδύνῃ cruciatui cordis*, ut se affectum sensit Paulus [c]. Erat insuper pudori toti Genti, à Deo publice desertæ ac prostitutæ. Quandoquidem itaque in proximum tempus incidisset Christianæ Ecclesiæ recentis afflictio gravissima sub Nerone; & una calamitas aliam premeret: imminuta est in illis initiis aliquorum spes & vere vacillavit, ut supra demonstravi: atque inde Spiritus S. hanc querelam Ecclesiæ aptissime tribuit, ut occasionem haberet tam querelæ ejus, quam criminationis Gentis Judææ, retundendæ.

Quæritur, an querela hæc satis conveniat Corpori Electorum Ecclesiæ Christo ex Judæis collectorum?

Quod dubium per articulos expeditur.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

SERMO SECUNDUS.

Sectio prior.

Messias rursus in publico comparet, perinde ac in *Concione superiore*, sub *χήμαλι* magni alicujus & illustris *Doctoris Evangelistæ*, enarrans, se à Deo ad gravissimum hoc Officium destinatum & egregie instructum, partibus sibi mandatis lubenter & fideliter functum esse; sed indignissime à Gente exceptum; probris & injuriis gravissimis affectum; & complurium expertum esse contradictiones & calumnias: durasse tamen in functione sui Muneris; quippe certum, caussam suam, Deo Judice, triumphaturam, & adversarios suos judicio casuros, & perituros esse. Qua facta narratione, sermonem vertit ad auditores duplicis generis & ordinis, quos sibi obviam habuit: quorum illos, Dei reverentes, blande consolatur; his, profanis & hypocritis, meliorem partem persequentibus, infelicem prædicit exitum.

CAP. L.

4. Dominus Jehova dedit mihi linguam eruditorum, ut sciam cum fesso tempestive loqui verbum: quolibet mane mihi vellit aurem, ut audiam instar eorum qui eruditur.

5. Dominus Jehova aperuit mihi aurem, & Ego non fui rebellis: non recessi retro.

6. Tergum meum præbeo percussoribus; & malas meas vellentibus *barbam*: faciem meam non recondo à contumelia & sputo.

7. At Dominus Jehova mihi auxilio est; propterea non suffundor pudore: propterea pono faciem meam instar silicis, siquidem novi fore ut non pudefiam.

8. Prope est qui me justum declaret: Ecquis mecum contendat? Consistamus pariter. Quis actionem adversus me instituat in judicio? Accedat ad me.

9. Ecce Dominus Jehova auxiliatur mihi: Quis me condemnet? En omnes illi instar vestis veterascent, tinea eos comedet.

10. Ecquis inter vos est reverens Jehovæ, auscultans voci Servi ejus, qui ambulaverit in tenebris, & cui nullus splendor: confidat in nomine Jehovæ, & innitatur Deo suo.

11. Ecce omnes vos qui extunditis ignem, circumponitis malleolos: ite, licet, in flamma ignis vestri, & in malleolis quos accendistis. Accidit id vobis à manu mea; in dolore cubabitis.

Argu-

[a] Jer. LI. 36. [b] Cap. XIX. 5. [c] Rom. XI. 1. 2.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Sermonis.

Argumentum hujus *Sermonis.*

CUm Messias in *superiore Concione* propositus descriptusque esset tanquam qui inter Judæos functus nobilissimo officio Doctoris publici *in vanum laboraret, viresque suas frustra consumeret* [a]; quique esset *animæ fastidio*, & *abominatio Gentis* [b]: rursus in his verbis quæ proxime tractavimus [c], *se venisse* dicat, & *neminem fuisse qui responderet*: indigebant hæc aliqua elucidatione. Quare idem Christus hic sub eodem schemate de novo exhibetur, hoc potissimum fine & scopo, ut nos ipse clarius edoceret de sorte quam tanquam Doctor Publicus inter Judæos subiret, & de Verbi Gratiæ à se prædicati effectu. Sistit itaque se in medio: narrat, se ad officium docendi Evangelii, ipsi impositum, à Deo ipso abunde fuisse informatum [d]; idemque in se ad Vocationem & mandatum Dei Patris in se lubenter suscepisse [e]: inter probra, contumelias, injurias, sibi illatas, summa patientia durasse; Divino fretum auxilio [f]: eodem animo excepisse adversariorum suorum calumnias & ἀντιλογίας, quippe certum, causam suam brevi, Judicio Divino victuram; adversarios autem suos damnatum ac pudefactum iri [g]. Quo progressus sermonem suum vertit ad Discipulos suos veros, Jehovæ & Verbi ejus reverentes, quos blande consolatur [h]: inde ad adversarios suos, quibus prædicit exitium ex iisdem causis, & mediis, quæ sive ad salutem suam, sive ad exitium fratrum suorum, ipsi paraverant [i]. His terminatur *Sectio prior*. Inde procedit oratio Filii Dei ad *consolationem*, qua erexerat animos reverentium Jehovæ, uberius declarandam: in quibus proinde tam exhortandis quam consolandis late exspatiatur, oratione in eodem argumento persistente, usque ad ejusdem *Sectionis*, sequenti *Capite* comprehensæ, finem.

Mixtum est ex *Elenctico* & *Paracletico.*

II. Si *Concionis* totius materiam spectes: intelligis, versari eam in genere tum *Elenctico*, tum *Paracletico*. Prior enim pars, qua Messias ipse enarrat modum & successum Officii sui Prophetici administrati inter Judæos, vere *convictoria* est: etsi *consolatorium* genus per hunc *Sermonem* regnet; qui proin præcipuus *scopus* ejus censeri debet. Præstat præterea prior *Sectio* insignem usum doctrinalem in dignoscendo *Messia*, ejusque veris characteribus, & repellendo *scandalo*, quod ex injuriis & contumeliis, quibus affectus est inter Judæos, Gentiles suos, *fidei* in ipsum objicitur. Sic fieri oportebat ex consilio Dei; idque Dei consilium Jesaias, hic plane eximius, sibi ubique constans, variis locis, ὁμόφωνος explicat: ut, si Judæi hic nolint claudere oculos, lucem Evangelii clarissime lucentem videre queant.

III. *Occasionem* editi hujus *Sermonis*, & *superiori* subtexti, in *Argumento* ejus enarrando, modo commemoravi; estque nexus illius cum *superiore* conspicuus. *Scena* figenda est in ipso illo tempore quo Messias inter Judæos versatus ut Doctor Publicus, ingrato animo ab iis est exceptus; sustinens opprobria, contemptum, injurias, non nisi in *morte ejus* terminanda: ut ex interpretatione ipsa liquebit.

Occasio hujus Sermonis.

IV. *Concio* integra, ut jam præmonui, in duas scinditur *Sectiones*. Prior hoc *Capite* exhibetur, à ℣. 4. complexa Orationem Messiæ: tum *Historicam*, sive *Narrativam*; tum *Doctrinalem* per modum *Apostrophæ*, directæ ad *Auditores*.

Analysis ejus.

Parte HISTORICA, sive *Narrativa*, enarrat

- α. Se destinatum excellenti Officio prædicandi Evangelii, & ad id à Deo immediate optime fuisse instructum, ℣. 4.
- β. In eo suscipiendo summam præstitisse *promptitudinem* & lubentiam animi; perinde ac *diligentiam* in administrando, ℣. 5.
- γ. Summam item *patientiam*, & *constantiam*,
  - (a.) Inter probra, *injurias*, contumelias, sibi illatas; cujus suæ constantiæ rationem docet esse *fiduciam* in auxilio Dei repositam, ejusque in se Voluntatis persuasionem, ℣. 6. 7.
  - (b.) Inter *calumnias*, & *contradictiones* Adversariorum suorum, quorum nemo coram se potuerit consistere, Deo causam ipsius probante, ℣. 8. 9.

Parte DOCTRINALI, per modum Apostrophæ concepta,

- α. Blande compellat *Reverentes Jehovæ*, iisque condicit exitum salutarem, ℣. 10.
- β. Adversariis prædicit exitium ex iis ipsis rebus oriturum, in quibus quærebant salutem, ℣. 11.

V. *Anacrisis* hic locus non est, nisi in Quæsito de *Persona* quæ hic loquens inducitur: sitne is JESUS, an JESAIAS? Quod dubium per hunc *Librum* sæpius recurrit. Sed id ipsum mihi mox in ipso *Commentario* disputandum est.

Admonitio de *Anacrisi.*

PARS PRIMA Sectionis Prioris HISTORICA, qua illustris *Doctor* narrat, se

- α. A Jehova ad Munus Evangelistæ *Electum*, & abunde instructum fuisse.

Pars prima hujus Sermonis, *historica.*

a. Docet vel narrat, se à Domino *electum* fuisse ad Munus Doctoris Evangelici, ℣. 4.

CAP. L. ℣. 4. *Dominus Jehova dedit mihi linguam Eruditorum, ut sciam apud* FESSUM TEMPESTIVE LOQUI VERBUM: *quolibet mane vellit mihi aurem ut audiam instar illorum qui eruditiuntur.*] JESUM esse, Doctorum Principem, in quem hæc Oratio competat; non JESAIAM; contra Judæos tenet commentantium Christianorum Schola, si à Grotio & Brenio discesseris: etsi hi quoque vel sublimiore sensu vel typice Vatem hæc de Christo Jesu prædixisse affirment. Et sunt etiam alii, ut inter mediæ ætatis Interpretes Hugo, inter Recentiores Pellicanus, qui hic utrumque respici posse existimant; licet Christum Jesum in majore emphasi. Non ægre largior, Prophetam *Jesaiam* in quibusdam eorum quæ ipsi evenerunt, gessisse typum Messiæ: sed non ausim hic loci illum Christo Jesu commiscere, ob graves quas in medium proferam rationes. Primo, satis constat, attributa quæ Persona loquens sibi historice vindicat, in Christo Jesu non *parabolice* modo, verum etiam *proprie* & κατὰ δύναμιν τῆς φωνῆς demonstrari posse, ut sunt *opprobrii*, *contemptus*, *injuriarum*, *ἀντιλογιῶν*, quibus illustris hic Doctor oneraretur: neutrum vero de Jesaia. Equidem propono mihi, Jesaiam nostrum sub Achazo, (quod typicum tempus fuit *humiliationis ipsius*: ut sub Hiskia *exaltationis*:) corruptissimo Ecclesiæ & miserrimo Reipublicæ statu se incommode habuisse, & malorum probra, atque insultationes patienter tulisse: sed historia ejus nihil habet; cum è contrario in Christo Jesu omnia luculenter pateant. Secundo, Pericopa hæc nostra qua illustris aliquis Doctor absque præcedanea præfatione in medium producitur graphice differens de officio

Cujus Personæ hæc sit narratio.

Judicia Interpretum.

Rationes quæ eam Christo Domino vindicant.

Aspectus probrorum quæ Jesaias & Dominus Jesus tulerunt, inter se comparantur.

---

a Cap. XLIX. 4. *b* ℣. 7. *c* Cap. L. 2. *d* ℣. 4. *e* ℣. 5. *f* ℣. 6. 7. *g* ℣. 8. 9. *h* ℣. 10. *i* ℣. 11.

officio sibi mandato, ejusque exiguo fructu ac successu, plane similis est aliis prophetiis hujus Libri, in quibus Persona veri Messiæ absque dubitatione respicienda est. cujusmodi sunt proxime superior Cap. XLIX. 1. *Auscultate* MIHI *Insulæ, & seqq.* Cap. LXI. 1. *Spiritus Domini Jehovæ est* SUPER ME, *propterea quod unxerit* ME *Jehova ad Evangelium exponendum mansuetis.* Confer Cap. VIII. 18. & Cap. XLII. 1. In his prophetiis perinde ac in *Sermone* hoc *nostro* introducitur absque *præfatione* præcedanea illustris aliquis Doctor Evangelicus, & quidem in prophetia Cap. XLIX. & Cap. VIII. 16. 18. pariter conquestus de exiguo fructu Ministerii sui inter Judæos; ibidemque dicitur *fore fastidio & abominationi Gentis.* Idem respectus est prophetiæ Cap. LII. 13--15. & LIII. 1. Pater ibi subito loqui introducitur de Filio suo ut *Servo*, summe humiliando; & Ecclesia protinus explicat ejus παθήματα. atque adeo nemo mihi negaverit analogiam argumenti harum prophetiarum, quæ exigit analogiam interpretationis. *Superiorem* autem *Sermonem* Messiæ soli vindicavimus; & vere res ipsa clamat. Idem in confesso est de Sermonibus Cap. LIII. & LXI. Tertio, in contextu ejusdem hujus *Concionis* continuatæ Cap. LI. 4. 5. Persona hæc illustris se proponit ut *Doctorem, Salvatorem*, & *Objectum exspectationis*, Gentium; plane ut in prophetiis Cap. II. 3. 4. & Cap. XLII. 4. ut proinde similes ductus ejusdem Personæ nobis exhibeant imaginem. Hypothesis lucem adferet commentationi, ut quæ cæteroquin tenuiter exponenda forent, nunc liberalius prosequi liceat.

Pericopæ analogæ hujus Libri idem evincunt.

Analogia hujus prophetiæ cum aliis ejusdem argumenti in hoc Libro, postulat analogiam interpretationis.

Persona hic loquens se proponit ut *Doctorem, Salvatorem* Gentium.

Perioche quam descripsi, primum membrum Orationis Messiæ exhibet; quo duo de se prædicat attributa. Primum est, se ex Dispensatione Divina præditum esse insigni facultate dicendi docendique Verbi Gratiæ. Alterum, se necessaria Divinæ Voluntatis scientia & tempestive loquendi peritia *quotidie* ab ipso Deo ἀμέσως instrui. Assurgit oratio ab effectu ad caussam.

Argumentum hujus pericopæ, ejusque dispositio.

Prius membrum sic recte vertitur: *Dominus Jehova dedit mihi linguam eruditorum, ut sciam apud fessum tempestive loqui*; atque adeo unum tantum Messiæ attributum facit; hoc est bene dicendi docendique facultatem. Videri posset id observatu esse supervacaneum: sed turbat hic Abarbenel, qui in his verbis videt tria dona in hunc Doctorem collata. Primum, *Linguam eruditorum:* alterum, *intelligentiæ*, (ut vox לרעת *ad sciendum* hic elliptice accipienda sit pro לב לרעת *cor ad cognoscendum.* animus scientiarum capax.) tertium, *ut cum fesso tempestive loqui possit.* Nihil speciei est in hac interpretatione. *Primum* & *tertium* donum ab ipso recensita nihil differunt. Ellipsis autem quam vult subesse voci לרעת, plane quæsita est & non necessaria. Per *Linguam Eruditorum* hic recte intelliges *facultatem docendi*, qualis est loqui doctorum suetorumque. Οἱ ὁ. recte: Γλῶσσαν παιδείας· *Linguam institutionis.* Pariter Chaldæus. Kimchius: לשון אנשים מורגלים בלשון *Linguam hominum dicendi peritorum suetorumque.* Dicitur *callidus persuasoriæ orationis* Vati nostro נבון לחש [a]. Pertinet autem illuc, α. Ut ὁ Παιδευτὴς calleat disciplinam illam quam profitetur. β. Facultatem gaudeat eandem, & sententias quasque suas, *diserte & copiose* explicandi; quæ facultas absque usu & exercitatione non comparatur. Est id Prophetæ nostro דבר צחות *diserte*, expedite, eleganter, loqui [b]. γ. Eaque valeat prudentia, & usu, ut pro temporum occasionumque varietate orationem docte ac scienter ad circumstantias rerum personarumque flectere atque accommodare aptus sit: quod posterius hic præcipue spectari, patet ex eo quod subnectitur: *ut sciam apud fessum tempestive loqui.* Hæc genuina est notatio hoc loco vocis עת ex ענה, unde עת καιρὸς, *tempus opportunum*; עתי *opportunus*, tempestivus. Hieron. *Ut sciam sustentare eum qui lassus est, verbo.* sequutus Aquilam: Τῦ γνῶναι τῦ ὑποστηρίσαι. Chaldæus: *Ut scirem docere sapientiam justos qui anhelant ad verba Legis.* Sic accepit vocem יעף *fessus* hoc loco, quam Kimchius interpretatur per צמא *sitientem audiendi verba Legis.* Est itaque יעף *anhelus ex siti.* Sic Vates in superioribus [c]: לא שתה מים ויעף *Non bibit aquam, & defetiscitur.* Alio loco [d]: *Et vinum*, (à Siba apportatum,) *ut bibat* היעף FESSUS, lassus, defectus viribus ex itineris molestia, *in Deserto.* Utique hic intelligitur *gravatus animo*, ex qualicunque caussa, & *sitibundus* verbi veræ consolationis; similitudine sumpta ab hominibus, sive sub gravi onere laborantibus ac tandem defetiscentibus; sive ex æstu anhelis ac siti confectis; quibus ad reficiendas vires, *aqua* aut *vinum* submini-stratur. Intelligis inde, Doctorem qui se hic loci describit, esse *Evangelicum*; cujus esset *consolari lugentes Tsionis; bonum nuncium portare mansuetis; obligare confractos corde; prædicare captivis, & vinctis libertatem.* Sic enim Jesaias noster Messiam deinceps loquentem infert [e] tanquam sui ipsius Interpretem. Id ipsum est quod hic dicitur, *fesso* administrare *verbum consolationis opportunum. Fessus* & gravatus animo erigi nequit & refocillari nisi *verbo consolationis*; quod verbum est *Evangelium.* Hanc vero *Linguam eruditam* Messias respici vult ut singulare *χάρισμα donum gratiosæ Dei dispensationis*, in se libera Patris voluntate collatum. *Dominus Jehova*, ait, DEDIT MIHI, sc. instar מתנה DONI. Certe cum prudens eloquentia alioquin inter homines merito censeatur inter summa Naturæ intelligentis ornamenta & Providentiæ Divinæ Munera: facundia Messiæ, qua præditus Verbum gratiæ hominibus mente ægris & laborantibus pro cujusque statu administraret, cum in ipso supponeret, tum scientiam earum rerum quæ ad Statum hominis spiritualem pertinent; tum cujusque Status mentis interiorem notitiam; tum facultatem animi sui sententias diserte explicandi: non poterat non censeri plane *Divina* esse, & peculiare *donum Spiritus S.* cum ipso supra mortales omnes communicandum. Sic ipse supra [f]: JEHOVA POSUIT *os meum ut gladium acutum.* & infra [g]: SPIRITUS DOMINI JEHOVÆ EST SUPER ME, *propterea quod Jehova unxerit me ad Evangelium prædicandum mansuetis.* Est donum γνώσιος, σοφίας, διακρίσιος πνευμάτων, προφητείας; *donatio bona, Divina, cœlestis*, quæ à Messia ut *Capite* oleo Spiritus S. perfuso, manaret ad membra Corporis ejus mystici; cujusque symbolum fuerunt γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς *Linguæ veluti igneæ*, super Cœtum Apostolorum & primorum credentium apparentes Festo Pentecostis; adumbratæ *ore* & *Lingua Prophetæ* nostri, repræsentantis Apostolos Christi Jesu, *igneo carbone, ex altari desumpto, tacta purificataque* [h]. Caussam ipse illustris Doctor protinus subjicit; docens, *Dominum Jehovam sibi* QUOLIBET MANE (נבקר בבקר: hæc enim genuina est notatio phrasios ex usu Scripturæ:) *excitare aurem, ut audiat* INSTAR ERUDITORUM. h. e. non simpliciter *instar eorum qui docentur*; sed instar *eorum qui ad summam eruditionis perfectionem instruuntur.* Sunt enim למודים, ut ex *antecedenti membro* intelleximus, & ex usu vocis recepto liquet, *eruditi, docti*, ad τελειότητα eruditionis vergentes. Vult dicere, se omni die à summo mane ad vesperam sibi præsentem habere gratiam luminosam Spiritus S. per quam instrueretur profundissima notitia earum rerum, quæ ad Statum suum; functionem cui destinatus erat; & necessitatem Ecclesiæ à se docendæ; pertinebant: metaphora hic desumpta à diligenti Scholæ Magistro, qui *primo & summo mane* auditorum suorum *aures vellicat* sive *excitat*, h. e. eos excitat atque exhortatur ad audientiam earum doctrinarum, quas *apertis auribus* instillare atque infundere cupit; vel novarum ac præstantium doctrinarum præceptis sibi facile audientiam Discipulorum suorum conciliat.

Verso prioris membri constitutio.

Laudatur hic *facultas docendi Messiæ.*

Abarbenelis acumen in hoc loco.

Quod rejicitur.

Quænam hic subintelligenda sint sub Lingua eruditorum?

Fesso loqui verbum tempestivum.

Notatio vocis יעף.

Vox hic spirituali sensu sumitur.

Sensus ejus.

Facultas hæc Messiæ proponitur ut charisma, in ipsum collatum à Sp. S.

Quod declaratur.

Illustratur ex analogis.

Donum illud a Christo dimanavit ad membra ejus.

Caussa hujus eruditionis Messiæ. *Deum* habebat Doctorem immediatum, qui *aurem ei vellebat omni mane.*

Sensus locutionis parabolicæ.

Ut hæc in Christo Jesu verent: quid opus est dicere?

Veritas eo-

[a] Cap. III. 3. [b] Cap. XXXII. 4. [c] Cap. XLIV. 12. [d] 2 Sam. XVI. 2. [e] Cap. LXI. 1. seqq. [f] Cap. XLIX. 1. [g] Cap. LXI. 1. [h] Cap. VI. 6.

rum quæ hic dicuntur, in Christo Jesu demonstrata.

cere? Constat, primo, Jesum, summum Doctorem nostrum, perfectione ingenii, intelligentiæ, sapientiæ, & vi eloquii ac facundiæ, *omnibus hominibus*, quotquot extiterunt olim aut extituri sunt, fuisse *multo pulchriorem*, h. e. plurimum antecelluisse, & *gratiam in labia ejus fuisse effusam* [a]. Ipse de se [b]: *Plus quam Salomo hic est.* Inprimis vero vis eloquii, facundia, dicendi auctoritas, & in dicendo prudentia, de qua Historici Sacri luculenter loquuntur [c], ipsis quoque hostibus ipsius admirationi fuit [d]. Quid quærimus? Supersunt in Evangeliis specimina *doctrinæ* ejus, pretii infiniti; Divinæ & Cœlestis sapientiæ ejus clarissima documenta; aurum merum, absque sordibus. Secundo, Non minus claret, ipsum fuisse Doctorem *Evangelicum*, & Evangelicorum Doctorum omnium primum ac Principem, siquidem *primum* egit *Præconem magnæ salutis*, Patribus promissæ [e]. Ipse characterem sui Ministerii signans apud Matthæum [f]: PAUPERIBUS EVANGELIUM ANNUNCIATUR. Patet autem ex historia Evangelica, Eum cum blanda diceret, blanda quoque, persuasoria, ac delectabili usum fuisse enunciatione, ut eloquium ejus ad orationis argumentum veluti tornatum fuerit. Sic Lucas [g]: *Et omnes testimonium ei dabant, & mirabantur super sermonibus* PLENIS GRATIA, *qui procedebant ex ore ipsius.* Λόγοι χάριτος sunt *sermones gratiosi:* tam quod ad *res*, quam quod ad *phrasin*, & *modum* enunciationis. Tertio, Ministerium ejus pro præcipuo suo objecto habuisse *fessos*, *anhelos*, *sitientes.* Videlicet, (a.) pressos onere *Legis.* (b.) gravatos *conscientia*, ob nondum præstitam τὴν ἀπολύτρωσιν, *justitiam*, & *salutem*, cum uberiore copia donorum cœlestium S. Spiritus, & certioribus documentis Divinæ Gratiæ. (c.) Ejusdem *justitiæ* & ἀπολυτρώσεως, & inde orituræ consolationis, *sitientes*, & præ spe ac desiderio, tam diu protracto, fere defetiscentes. (d.) Lugentes scandala suorum temporum, ex iis magna concepta animi ægritudine. Sic Dominus [h]: *Beati qui* LUGENT. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Alio loco [i]: *Venite ad me omnes laborantes* (κοπιῶντες, FESSI,) *& onerati.* Conferantur quæ scripsi ad verba Cap. XXVIII. 12. *Date fesso requiem.* Quarto, de Domino Jesu solo κυρίως dici posse, illum apud hos *fessos* adhibuisse *orationem tempestivam*, dum ipse *Se* adesse dixit promissum Patribus Christum, Regem, Salvatorem, adducturum justitiam, libertatem, salutem. Hæc vere opportuna est oratio, tempestiva consolatio, similis *aquæ* aut *vini*, vires lapsas reficientis: perinde ac *tempestive* solatur Patrem aut Uxorem, qui Filium aut Maritum salvos nunciat, quos tanquam perditos lugebant; aut captivum certum facit de *Libertate*, cujus dubia spes erat. Dictum ejus [k]: HODIE *impleta hec est Scriptura.* Denique quinto, non minus verat, Christum Jesum κατὰ σάρκα ab infantia & pueritia usum fuisse ipso Doctore Deo & *Spiritu* ejus; ejusque illuminatione, gratia, & luminoso influxu nunquam caruisse. inprimis vero accurate edoctum fuisse de *Officio Mediatorio*, ex formula à se administrando. Ad hunc Magistrum referendus est profectus *pueri* Jesu *duodecennis*, qui omnibus erat admirationi [l]. Impurus Sophista [m], cum videri vellet de Christo honestius sentire quam de cæteris Prophetis, hoc eum privilegio gavisum esse ait, quod *placita Dei, quæ homines ad salutem ducunt, ei sine verbis, aut visionibus, sed* IMMEDIATE, *revelata sint.* Nullibi enim legi, *Deum Christo apparuisse* aut *loquutum esse*; ut adeo *de mente ad mentem cum Deo communicaverit.* Non est existimandum, illum hominem, qui nihil de Christo Jesu secundum hypotheses suas rectum scribere potuit, si lectorem non luserit: quicquam sani hic subintelligi voluisse. Lubens do, Christum Jesum à Deo non fuisse doctum per *somnia* & *visiones*; sed per extraordinariam illuminationem intellectus, per quam à Spiritu S. ductus est in clarissimam notitiam earum rerum, quas scire ipsius intererat: nec est mihi dubium, quin hæc illuminatio variis in casibus facta fuerit absque medio: sed neutiquam existimo, ab institutione Christi omnia in universum afuisse media. Par est credere, illum Scripturam S. diligentissime tractasse, & meditatum esse; feciisse autem Spiritum S. ut sancta hac exercitatione occupatus *lecta* omnia clarissime intellexerit absque studio & labore multo, & *meditata* converterit in usum suum. Patet enim ex historia Evangelica tota, illum totam Scripturam V. T. animo complexum esse, quippe ubique fere in omnibus suis Sermonibus vel alludentem ad phrases Scripturæ V. T. vel loca etiam ipsa allegantem. *Ideas* autem hasce ipsi *immediate*, absque lectione aut meditatione ulla, infusas fuisse, non videtur probabile. Illuc autem refero quod hic dicitur, Deum Doctorem ejus *quolibet mane ipsum excitasse & ipsi vellisse aurem.* Cum enim quolibet *mane* & quidem à *pueritia*, fuerit ἐν τοῖς τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ *in his quæ Patris sui erant* [n]: omni die, omni hora, sancta meditatione detentus, Magistro usus est Spiritu S. Utique animadversione dignum est, Veteres per *Virum illum*, qui *Legem Jehovæ* meditatus est *interdiu* & *noctu*, descriptum in prima *Odarum* Davidicarum, intellexisse *Christum.* Narrat Mabillonius [o], in Sacrario Eremi Camaldulensis asservari Romualdi, sancti Viri, *Commentarium* in *Psalmos*, in quo ad prima verba: *Beatus Vir:* adscribitur; *Iste Psalmus proprie de Filio dicitur.* Cæteras notitias necessarias censeo Dominum Jesum ex immediata hujus Doctoris (sc. Sp. S.) illuminatione hausisse: alios enim Libros ab hominibus compositos legisse, mihi non fit probabile. Usus præterea est *monitore* & consule adsiduo Spiritu S. in his quæ sibi dicenda, quæ agenda erant; ubique *Legem* sibi præscriptam, ubique *ductum* Sancti Spiritus sequutus.

Fuit item Doctor *Evangelicus.*

Blanda & gratiosa usus est enunciatione.

Objectum Ministerii sui habuit *fessos*, qui describuntur.

Dominus Jesus solus vere loqui potuit *verbum tempestivum*, quod declaratur.

Doctrinam suam *immediate* hausit ex ipso Deo.

Animadversio ad auctorem *Tract. Theol. Pol.*

Christus Jesus tamen non neglexit medium Scripturæ S. legendæ & interpretandæ.

Quo sensu Deus illum quolibet *mane* excitaverit?

Animadversio Veterum ad Ps. 1. 1.

Unde notitias aliarum rerum Dominus hauserit?

β. *Promptitudinem* summam *Obsequii* erga Patrem in Munere sibi mandato suscipiendo & administrando.

℣. 5. *Dominus Jehova* APERUIT MIHI AUREM, *& Ego non fui rebellis: non recessi retro.*] Docet Messias, quod in titulo præscripsi; Se Patri, voluntatem suam ipsi per Spiritum S. declaranti, summam probasse promptitudinem & obsequii lubentiam; tum in suscipiendo, tum in administrando munere sibi mandato. *Aperta auris* est mens prompta & prona, tum ad recipiendas, intelligendas ac discernendas doctrinas, quæ cui instillantur: tum ad obsequium mandati, quod per aures ad animum fertur. *Mens intelligentiæ capax* aut *studiosa obsequii* est *auris aperta.* Posterius autem hic innui, patet ex eo quod sequitur: *Non fui rebellis: non retrocessi retro.* similitudine sumpta à jumento *retrocedente* ne mittatur sub jugum. Habuimus phrasin Cap. XLII. 17. Supponitur autem in hoc loco secundum veram emphasin dicti; Deum Messiæ proposuisse mandatum gravissimum; Legem observatu difficillimam; ut magnum quid & prædicandum videri posset, non negasse obsequium; non *retrocessisse.* Duo sunt quæ id demonstrant. *a.* Quod dicat, *Dominum* JEHOVAM *sibi aperuisse aurem.* mentem sibi *dedisse* πρόθυμον, promptam, lubentem. Si non ageretur de obsequio in negotio gravissimi momenti; non opus fuerat interveniisse Deum ad mentem cætera sanctam & rationalem flectendam in obsequium. β. Quod Messias, ut modo anticipabam dicere, ut magnum quid de se prædicet; Se humeros non subtraxisse oneri; non refugisse provinciam, licet difficillimam; non *cessisse retro.* Magnitudo officii, ejusque administrandi difficultas, obsequium fecerunt spectabile, & dignissimum laude. Id vero certius & clarius intelligimus ex *Ode Davidica* XL, quæ hujus loci præstat exegesin. Introducitur ibi illustris persona Messiæ docens, Deum postu-

Altera dos, sive virtus. *Promptitudo obsequii erga Patrem, ℣. 5. Dominus Jehova mihi aperuit aurem, &c. Aperta auris* quid hic significet?

Supponitur, *gravis mandatum* Christo Jesu impositum fuisse. quod demonstratur ex loco.

Confertur sententia cum *Ode Davidica* XL.

---

[a] Ps. XLV. 1. [b] Matth. XII. 42. [c] Matth. VII. 29. Marc. I. 22. VI. 2. Luc. IV. 32. [d] Joh. VII. 46. [e] Heb. II. 3. [f] Matth. XI. 5. [g] Luc. IV. 22. [h] Matth. V. 4. 6. [i] Cap. XI. 28. [k] Luc. IV. 21. [l] Luc. II. 46. 47. [m] *Tract. Theol. Pol.* Cap. I. [n] Luc. II. 49. [o] *Itin. Ital.* p. 181.

Ejus argumentum.

postulasse *hostiam* pro *peccato piacularem*: nec tamen sibi complacuisse in ulla specie Victimarum Legalium, ℣. 7. desiderasse *hostiam nobiliorem*, & quidem humanæ naturæ. Cum itaque sciret, Deum SE velle, *dixisse*, (℣. 8.) *Ecce venio: in volumine Libri scriptum est de* ME: *voluntatem tuam, ô Deus, facio lubens.* Ipsum vero Deum animam *voluntatemque suam* sic *finxisse*, ut se Deo Patri *servum* præstiterit lubentem & voluntarium; quod eodem modo, oratione ad Deum versa, effert ac hoc in loco: אזנים כרית לי AURES EXCAVASTI (effodisti) *mihi*. h. e. aures mihi fecisti patulas; mentem obsequii promptissimam. Ubi non alluditur ad *servum Hebræum*, qui se perforatis subula auribus & affixis postì ædium, voluntariæ addicebat servituti [a]: (etiamsi emblema illud typicum ad rem ipsam recte referatur:) sed ad hominem magnis patulisque auribus præditum, quæ dicta facillime admittant & ad mentem referant; perinde ac vox פתח *aperire* hoc in loco. *Servi* enim *Hebræi* auris non *excavabatur* vel *effodiebatur*, (quæ vis est vocis כרה). sed *auris cuticula* solummodo tenui subula *perforabatur*. Hic est character verus Christi Jesu [b]: *Ipse sese exinanivit forma* SERVI, *factus* OBEDIENS AD MORTEM, *mortem autem crucis*. Alio loco [c]: *Quamvis Filius esset: ex his quæ passus est, didicit* OBEDIENTIAM. Rursus [d]: *Per* OBEDIENTIAM UNIUS *justi constituuntur multi*. Ipse de se [e]: ESCA MEA *est exequi* VOLUNTATEM *ejus qui me misit*. Sed scripsi de eo abunde ad *Concionem superiorem*, ℣. 3. Solummodo non negligam hic observare, *Deum Patrem* bis in hac pericopa qua agitur de *informatione* & *missione Messiæ* ut *Servi*, & *obsequio* ejus *Voluntario*: appellari DOMINUM JEHOVAM, ob rationem quidem facillimam, quæ cuique in rem attento in mentem veniat; quod *σχέσις Filii* ut *Servi*, subjiciendi Legi, supponeret Patrem DOMINUM; eundemque JEHOVAM, quod in hac *missione Filii in Mundum* promissa omnia Patribus facta implerentur. Vix id adscripsissem, tanquam per se à quoque facile cogitatum, nisi hic observassem non leve παρόραμα Interpretis Hebræi Kimchii. Ille enim cum vocem יהוה secundum *puncta Masorethica* hic legisset per אלהים *Elohim*, idemque nomen אלהים in *textu Commentarii* expressisset: quærit, quare *Deus* hic appelletur *Dominus* ELOHIM? Redditque rationem, quod cum hic mentio fieret de *dono prophetiæ*: illud *donum* hominibus dispensaretur per *Angelos* qui stylo Scripturæ S. dicuntur אלהים DII. in qua tota commentatione nihil sani est. Neque enim DOMINUS hic ex mente Jesaiæ dicitur אלהים DEUS, sed JEHOVA: nec אֲדֹנָי אלהים hic verti potest per *Dominum Deorum*, si id voluerit Kimchius: debuit esse אֲדוֹנֵי. ne plura de ipsa hypothesi addam.

Non alluditur ibi ad *Servum Hebræum*: sed ad *aures patulas*.

Illustratur sententia ex Evangelio.

Cur Deus *Pater* hic bis appelletur DOMINUS JEHOVA?

Παρόραμα Kimchii.

γ. *Patientiam* Messiæ, *constantiam*, & *fiduciam*, in Deo repositam,

(a.) Respectu *probrorum* & *injuriarum*, quæ in functione Muneris sustinere cogeretur.

γ. *Patientiam* Messiæ, & *fiduciam* in Deo repositam, (a.) Respectu *probrorum*, & injuriarum, illi illatarum, ℣. 6. 7. *Tergum meum præbeo, &c.*

℣. 6. TERGUM MEUM PRÆBEO *percussoribus*; & *malas meas vellentibus* barbam: *faciem meam non recondo à contumelia & sputo.* ℣. 7. *At Dominus Jehova mihi auxilio est; propterea non suffundor pudore: propterea pono faciem meam instar silicis, quia novi fore, ut non pudefiam.*] Verba hæc ad primum sensum sumenda sunt *figurate*, docentque duo, α. Doctorem hunc illustrem versaturum esse in officio inter gravissima probra, contumelias, injurias, quarum hic solummodo *specimina* adducuntur, sibi à Judæa Gente, ad quam missus erat, inferendas. verum β. Ipsum constante animo & injuriarum patiente in officio ad extremum perstiturum esse, nixum *justitia causse sue* & *auxilio Divino*. Esse autem quæ Vates hic recenset, ad primum aspectum accipienda *figurate*, nempe pro speciminibus *probrorum* & *injuriarum*: inde facile liqueat, quod Christus Dominus præter hæc *probra*, eaque acerbissima, alia quoque perpessus sit graviora, à Propheta deinceps *f* describenda. Verum cum Deus quæ de *Domino* prædicta sunt, omnimode, & quidem perfectissime, impleri vellet: Divina Providentia curavit, ut idem κατὰ γράμμα in *Christo Jesu* implementum suum sortiretur. Sic, verbi gratia, quod dicitur in Ps. LXIX. 22. *Et dederunt in refectione mea venenum:* (potum amarum:) *& in siti mea me potarunt aceto:* quisque *figurate* acciperet ex primo sensu Poëtæ, perinde ac multa alia in illa præcellente *Ode*: nisi Deus sua voluisset curare providentia, ut id κατὰ γράμμα quoque Christo contigerit. Christum Jesum, Doctorem publicum coactum esse *tergum* sive *corpus suum dare percussoribus*: *faciemque* Ejus non *fuisse reconditam à contumelia & sputo*, norunt omnes ex Historia extremorum ejus. Quandoquidem tamen similia fere perpessus sit, ubi damnatus est à Romanis, ac quando judicatus est à Synedrio: plane existimo, posterius hoc loco *directe* respici. Sic habet historia, post narratam ejus à Synedrio damnationem *g*: *Tum* INSPUERUNT IN FACIEM *ejus; & colaphos ei inflixerunt; alii autem illum cæciderunt* BACILLIS. Græcè: Ἐῤῥάπισαν. Sic prædixerat Dominus *h*: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & perficientur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conspuetur, & flagellatum interiment.* μαστιγώσαντες ἀποκτενοῦσιν αὐτόν. Μαστιγᾶν & Φραγελλᾶν est *flagellis cædere*; quod usu receptum Romanis in crucifigendis, infimæ conditionis. BARBAM *Christi* illos *vellisse*, depilasse; (quæ hic genuina significatio est vocis מרט, ut alibi [i]:) non legimus; nec tamen improbabile, cum in illusionibus ignominiosis receptum fuerit: sed comprehenditur id in Historia Evangelica sub nomine κολαφίζειν *alapas infligere*. Sic Int. Alex. hoc loco: τὰς δὲ σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα· Dedi *genas meas ad alapas*. Dixi jam, specimina injuriarum & opprobriorum, quibus Messias Doctor afficeretur, hic recenseri. Sed sunt sane specimina opprobriorum gravissimi generis. Quid honesto Viro gravius, quid contemtius & probrosius, quàm *conspui*, & quidem in *faciem*; *fustigari* aut *flagellari*; & *velli barba*, quæ honor *Viri* est? Non opus est probari, quod omnium temporum & Gentium usus docet *k*. Confer quod ad rem ipsam Ps. LXIX. 8. 11. quæ *Ode* argumentum hujus pericopæ illustrat. Sed quanto lucta gravior: tanto majorem laudem meretur constantia, patientia & firmitas animi, adversus probra & injurias omnes, obdurati, instar *silicis*. videlicet, quando illius *firmitatis* & *indurationis* animi certæ sunt & idoneæ rationes. Proferuntur autem hic loci duæ, omni exceptione majores. prima est quod Deus *ipsi auxilio esset*, & ab ejus staret partibus, quod auxilium neminem ei fidentem destituit. de quo nihil hic monendum habeo præter quæ scripsi ad ℣. 8. *Concionis superioris*. Altera, quod *certo sciret*, se *non suffusum iri pudore*, sc. ob *bonitatem* & *justitiam causse*. Noverat enim Messias; α. Evangelium à se prædicatum de omni errore triumphaturum, & publice justificatum iri. β. Prædictiones suas sive consolatorias, sive interminatorias, indubium sortituras implementum. γ. Se licet ex Voluntate Dei per hostes suos morituram, per ipsam illam mortem *omnem quæ ex peccato est potestatem* esse *aboliturum*, & ex morte *resuscitatum* regnaturum in gloria. Hæc conscientia, hæc spes, eum sustinuit in omni functione Ministerii & officio Obsequii, secundum Legem Muneris Mediatorii sibi

figurate accipienda. Sensus eorum. Ratio sententiæ.

Et tamen ex providentia Dei Literalis quoque Sensus in Christo verare debuit. Ex. ex Ps. LXIX. 22.

Historia hac de re.

Barbam Christi vulsam esse, probabile est.

Probra quæ hic recensentur, sunt gravissimi generis.

Tanto laudabilior *patientia & firmitas* Christi Jesu, quæ hic rursus metaphorice describitur. Rationes ejus hic perscriptæ.

Inter alias, spes & fiducia Christi Jesu in Deo repositæ.

a Exod. XXI. 6. *b* Phil. II. 7. 8. *c* Heb. V. 8. *d* Rom. V. 19. *e* Joh. IV. 34. *f* Cap. LII. 14. LIII. 5. *g* Matth. XXVI. 67. *h* Luc. XVIII. 31. *i* Ezr. IX. 4. *k* Confer Num. XII. 14. Job. XXX. 10. 2 Sam. X. 4. 5. 1 Reg. XXII. 24. Confer exemplum M. Papirii apud Liv. Lib. V. Cap. 41. & Andronici, sed cætera exempli dissimillimi, apud Nicetam, Lib. II. p. 379. *Eoque habitu ad Isaacium perducto, contumeliosis verbis insultatur,* κατὰ κόρης ῥαπίζεται, τὰς γλουτὰς ὑπικρέττας, πλὴ γένυν ἅπλετον . . πλὴ κεφαλὴν ψιλᾶται τειχῶν· *alapæ impinguntur: nates pulsantur: barba vellitur: . . capilli evelluntur.*

Summus gradus constantiæ parabolice expressus.

præscriptam obeundi, ejusque animum ita obfirmavit, ut instar *silicis*, *petræ* durissimæ, & *adamantis*, immotus perstiterit: quem affectum & habitum Deus in veris Prophetis suis requirit, imo sane quem animi affectum in iis producit [a]. Implementum hic in Christo Jesu certissimum, ab ipso demonstratum est, ubi apud Lucam, Cap. XVIII. 31. hasce ipsas *injurias* & *contumelias* à se perferendas memorans, impleri deberē ait, quæ de *Filio hominis à Prophetis scripta sunt*. haud dubie inter alia loca alludens ad hunc nostrum, & ad ℣. 7. *Capitis superioris*, ubi dictus erat *fastidium animæ* & *abominatio Gentis*. De Jesaia nihil est in historia quod huc facit; quod cum molestè haberet Kimchium, in medium conjicit, an non verba sic accipi possint: *Etiamsi me ederent, & mihi evellerent pilos; tamen lubenter persisterem in officio.* Frustra sane. Tota pericopa clamat agi de injuria non *possibili*, sed *reali*, huic Doctori illata. Suppone etiam, sis, Vati nostro sub Achazo Rege molesta aliqua accidisse: non videtur tamen eorum ulla hic haberi ratio, quia hæc Vaticinia omnino videntur edita esse sub Hiskia, & quidem jam liberato ab Assyrio, quando Vates noster in summa fuit existimatione & honore. Qui vero hic verba facit, introducitur loquens in præsenti.

Implementum in Christo Jesu.

: Kimchii κεφαφύγιον ad hæc verba: quod refellitur.

(b.) Respectu *calumniarum*, quibus impetebatur; & *falsorum judiciorum*, quibus feriebatur.

(b.) Respectu *calumniarum*, quibus impetebatur, ℣. 8. 9.

℣. 8. *Prope est qui me justificat: Ecquis mecum contendat? Consistamus pariter.* QUIS ACTIONEM ADVERSUS ME INSTITUAT IN JUDICIO? *Accedat ad me.* ℣. 9. *Ecce Dominus Jehova auxiliatur mihi.* QUIS ME CONDEMNET? *En omnes illi instar vestis veterascent: tinea eos comedet.*] Vides, illustrem hunc Doctorem opprobria & injurias, sibi illatas, hic connectere cum *calumniis*, sibi impactis, *falsisque* & *siniistris judiciis*, quæ adversarii, ut ipsum odio & invidiæ publicæ exponerent, de ipso disseminabant: utique per modum vituperii & calumniæ; non sane æqui judicii: unde factum, ut invidiæ publicæ expositus necesse habuerit perferre *probra* & *injurias* quarum modo facta erat mentio. Sed vide, quanta ejus sit *fiducia*! Provocat adversarios in publicum. Petit sibi dari forum, rogat eos qui se calumniabantur, ut pedem secum conferant. Si quis sit qui ob qualemcunque caussam litem sibi facere velit; secum congredi jubet: sed, Judice Deo; non vero Synedris & Judicibus Gentis, quorum corruptissima erant judicia; quosque prædicit de subsellis suis dejectum iri & ex intestinis caussis interituros. Præstruitur huic defensioni propositio plena fiduciæ; quæ basin facit sequentis provocationis judicialis: *Prope est qui me justificat.* h. e. ex recepto usu vocis, Qui me ab iniquissimis calumniis & criminibus mihi impactis sententia Judiciali immunem declaret, & jus caussæ meæ in publicum producat. Intelligit utique *Deum Patrem*, Judicem summum, non tantum hominum omnium secundum Legem Conscientiæ; non modo Judæorum secundum Legem Mosaicam; & Electorum secundum Legem Gratiæ; verum etiam Christi Jesu ipsius, Capitis Corporis sui mystici, secundum Legem Mediatoriam: qui Propheta Mediator si nihil feciisset, nihil dixisset, nisi secundum Legem sibi à Patre præscriptam; nihil gessisset præter ipsius voluntatem & mandatum: (ut de se profitetur ipse [b]:) utique à Patre Deo *justificandus*, caussæque ejus *jus* & *justitia* in lucem protrahenda erat. *Justificatio* autem hæc cum pro objecto suo habere nequeat vera crimina, qualia nulla erant commissa ab eo *qui peccatum non fecit*, & *in cujus ore nullus est inventus dolus:* duplice sensu accipi potest: vel respectu delictorum, ipsi ut Sponsori Populi electi vere imputatorum, à quibus soluto λύτρῳ in morte & obedientia sua, absolvendus erat: vel respectu criminum, ipsi ab adversariis iniquissime impactorum. Contextus orationis posterius manifeste exigit; atque adeo hic respicitur, *α.* Ad calumnias, easque atroces, maledicta, convitia, quibus adversarii *Personam* & *Statum* Messiæ incessiverunt. ut sunt; *Esse illum edacem & vini potorem; peccatorum & publicanorum amicum* [c]: *Ejicere dæmones per Beëlzebulem* [d]: *seducere plebem* [e]: *dæmonium habere* [f]. h. e. esse maniacum & furibundum; affectare *Regnum temporale* in Judæam Gentem [g]. Hæ accusationes erant gravissimæ, quæ tamen à Pharisæis ubique de ipso spargebantur. *β.* Ad falsa interpretamenta doctrinæ ipsius, quæ male intellecta, aut ad invidiam tracta, fecit, ut adversarii non tantum litem ei moverint; verum etiam subinde de nece ipsi inferenda cogitaverint: ut varia in Evangeliis exempla sunt [h]. *γ.* Ad *iniquissima judicia* forensia quæ sustinuit in Synedrio, quod ipsum mortis damnavit in caussa *blasphemiæ*, quod se gereret pro *Messia* & *Filio Dei* [i]. Adversus hæc crimina defendendus; ab his absolvendus erat, & quidem ab ipso Deo, supremo Judicum, & ipsius quoque Christi Jesu Judice Oeconomico. PROPE *adest*, ait, *qui me justificat.* Imo sane *proxime* aderat. Dum versatus est in Ministerio publico, viderunt omnes, τὸν Θεὸν εἶναι μετ' αὐτοῦ· *Deum cum ipso esse* [k], tum ex singularibus *donis Spiritus S.* quæ in ipsius institutione, sermonibus, moribus, ubique elucebant; videlicet, Sapientia perfecta, sanctimonia purissima, bonitate summa, Divina eloquii vi, zelo gloriæ Dei; tum ex *miraculis* & *prodigiis*, quæ ab ipso omni occasione edebantur, non ad destruendum; sed ad ædificandum; quæ adversarios ejus, doctrinam ejus & famam rodentes, egerunt in stuporem & ἐκπληξιν, iisque obstruxerunt os: tum in cura Divinæ providentiæ erga Eum peculiari, qua illum, ubique expositum inimicorum suorum insidiis, protexit, usque ad *horam*, consilio ejus definitam [l]. In acerbissimis *ejus* in cruce *passionibus* & *morte* ea extiterunt *signa* Divinæ Majestatis attestantia ejus excellentiæ & innocentiæ, ut qui ea ad animum revocabant, eum professi fuerint esse *Dei Filium* [m]. Sed est hic *Resurrectionis* & *Exaltationis* ejus ad dextram Patris, ejusque *Consequentium*, præcipuus respectus; quippe per *Resurrectionem* ὁρισθέντος ἐν δυνάμει potenter *demonstrati*, esse FILIUM DEI & VERUM MESSIAM [n]; ut si forte id hactenus aliquibus dubium fuerit, ab hoc usque tempore dubium esse desierit. Idem colligit Petrus ex *effusis Donis Spiritus S.* in Ecclesiam nascentem, tanquam ex certo signo collocati Christi Jesu ad dextram Dei Patris [o]; *Certò igitur sciat tota Domus Israël; Deum* HUNC *fecisse Dominum & Christum:* HUNC *ipsum*, inquam, JESUM *quem vos crucifixistis.* Sequuta sunt, *Fundatio Regni ejus in Mundo; Conversio Gentium; Pœna severissima sumpta de hostibus ejus Judeis incredulis:* quorum ratione ipse in Synedrio caussam dicturus [p]; AB HOC, ait, TEMPORE *videbitis Filium hominis sedentem ad dextram potentiæ Dei & venientem in nubibus cœli.* h. e. ex certissimis documentis & effectis colligetis, me *sedere ad dextram Dei Patris in cœlis*, & quidem *tempore proximo.* ut hoc in loco, קרוב *proxime* adest, (sive, ut Hieronymus docte, *Juxta est*) *qui me justificat.* Confer Ps. XL. 1. seqq. Inde jam ipse, *Ecce Dominus Jehova mihi auxilio est.* idem caussæ meæ *Patronus* qui *Judex*, innocentiæ meæ testis, eamque producturus in lucem. Sic ipse apud Joannem [q]: ALIUS EST *qui de me testatur.* & mox: *Et qui misit me* PATER, *ipse testatus est de me.* Judex idem, idemque Patronus, testis & auxiliator. Inde fiducia Christi Domini provocandi adversarios; *Quis mecum contendat? consistamus pariter.* h. e. *contendat* cum effectu & spe victoriæ? Nemo. *Quis* ADVERSARIUS *mecum pedem conferat.* Sic Hieron. recte. מתנצח בעל hoc loco idem

Summa hujus Pericopæ.

Propositio præstructa huic defensioni: *Prope est qui me justificat.*

Sensus sententiæ.

Quo sensu Deus *Pater* sit *Judex* Christi Jesu?

Quo sensu Christus Dominus *justificari* dicatur?

Respicit *calumnias*, in Christum dictas. Specimina earum.

Falsa interpretamenta doctrinæ ipsius.

Et iniqua judicia, in ipsum lata.

Quo sensu Deus *justificans* PROPE adfuerit?

Justificationis illius argumenta in *vita* ejus.

In *morte.*

Præcipuus hic est respectus *Resurrectionis* ipsius.

Ejusque consequentium, quæ recensentur.

Sequentia contextus, propositionem firmantia.

Auxilium Dei ipsi præstitum.

Qua fiducia provocare

[a] Jer. I. 17. 18. XV. 20. Ezech. III. 8. 9. [b] Joh. XII. 50. [c] Luc. VII. 34 [d] Matth. XII. 24. [e] Joh. VII. 12. [f] Joh. X. 20. [g] Joh. XIX. 12. [h] Matth. XII. 14. Luc. IV. 29. Joh. VIII. 59. X. 31. [i] Matth. XXVI. 65. [k] Act. X. 38. [l] Joh. VIII. 20. [m] Matth. XXVII. 51. seqq. [n] Rom. I. 4. [o] Act. II. 36. [p] Matth. XXVI. 64. [q] Cap. V. 32.

poterat adversarios. Quis Hebraïs בעל־ משפט, vel בעל־ דין?

idem quod Magistris passim בעל־ דין qui *caussam habet actionis* adversus aliquem *in judicio* instituendæ. qui alium in jus vocat; vel coram *Judice* cum alio congreditur. Paulo, ἐγκαλῶν κατά τινα [a]. QUIS ait, *me* CONDEMNET? h. e. Quis me *jure* condemnet? vel, *condemnet* cum *effectu*? Caussa enim ejus, licet oppressa, semper triumpharet. Confer phrasin Pauli Rom. VIII. 33. ubi ad hunc, ut videtur, alludens locum, *Christianis* eandem vindicat *fiduciam*, quam Christus Jesus hoc in loco sibi. Quin contra certo persuasus erat, fore ut adversarii sui *omnes instar vestis veteraſcant, & ut tinea eos absumat.* Est augustioris aspectus similitudo, quam ad primam speciem videatur. Simplex sensus est, fore ut adversarii sui vilescerent, & sensim abolerentur; instar *vestis* quæ *veteraſcendo vilescit*, & à *tinea* abroditur & consumitur. Hæc sors esset omnium Christi Jesu adversariorum. Sic Vates noster in *superioribus*, cum respectu ad Corpus Electorum Israëlitarum, quorum caput est Christus [b]: *Ecce pudefient, & suffundentur ignominia omnes in te succensi: in nihilum evadent, &* PERIBUNT VIRI QUI TECUM LITIGANT, & seqq. Confer Ps. LXXIII. 27. Quod sane eventus in hostibus & adversariis Christi Jesu tam luculenter comprobavit, ut nullum unquam conspectius Dei judicium editum sit in Mundo, quam quo Deus Gentem Judæorum, quæ se opposuit Evangelio Filii Dei, ultus est. Sed plura latent in hac similitudine. *Primo*, animadverti velim, eo nos ducere comparationem ut præcipue cogitemus de *Principibus* & *Præfectis* Gentis Judææ, Pontifice, Synedris, Judicibus, Sacerdotibus, quos Paulus vocat τὰς ἄρχοντας τοῦ αἰῶνος τούτου τὰς καταργουμένας· PRINCIPES HUJUS SÆCULI *qui abolentur* [c]: forte ipsum hunc locum respiciens. Ratio est, quia Propheta comparationem sumens à *veste*, omnino alludere videtur ad *vestes* hominum honoratiorum, quæ officia ab iis gesta, Politica & Ecclesiastica, distinguebant: ut adeo sub ipsa veste dignitas vesti connexa intelligatur. Vin' etiam illud addere, Præfectos Oeconomiæ Veteris, Pontificem, Sacerdotes, Judices, fuisse instar *vestis*, sub qua Filius Dei latuerit sub Oeconomia Vetere, *quaque veste se exuerit in morte*; secundum locum Col. II. 15. Ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, EXUENS SE *Principibus & Potestatibus.* Est doctissima animadversio Cl. Cocceji, quæ optime convenit genuinæ significationi vocis ἐνδύσασθαι; sed minus respondet *emblemati* quo Apostolus illic utitur. de quo alii viderint. Quandoquidem vero *dignitas* illa Procerum & Synedrorum Gentis Judææ innexa esset Oeconomiæ Veteri; æquum est, verba Prophetæ sic accipere, ut sub ipsis hisce *hominibus*, qui instar *vestis veteraſcerent*, ipsa quoque Oeconomia Vetus integra comprehendatur. Sic sensus est Prophetæ, fore, ut Oeconomia Vetus cum Præfectis eam sustinentibus; iisdemque ei patrocinantibus, postquam *consenuisset*, *vilesceret*; ac plane *aboleretur*: quod hic *secundo* observari volebam. *Odium* enim, quo Præfecti Gentis Christum prosequebantur, præcipue nascebatur ex amore *tuendi status* in Oeconomia antiqua. Sic Vates Sacer [d], mystice intellectus, secundum mentem Scriptoris ad Hebræos [e]: *Tu* (Jehova) *olim terram fundasti; & cœli sunt opus manuum tuarum. Illi peribunt, sed tu persistis; &* OMNES ILLI TANQUAM VESTIS VETERASCENT. Sed Jesaïas noster suus est Interpres, in *Concione sequente*, ubi hac de re diserte disserit, eandemque similitudinem, licet latius extentam, repetit [f]. Inde Apostolus totam Oeconomiam Veterem, locum facturum Oeconomiæ meliori, appellat τὸ καταργούμενον, ID QUOD ABOLETUR [g]. Summa est, illos homines, qui sedebant in Cathedra Mosis, quibusque *Deus dixerat*, VOS ESTIS DII, *morituros* [h]. Tertio, quod Vates dicit, futurum ut hi homines *veteraſcerent*, & *tinea* eos *absumeret*: eo supponitur, caussam *corruptionis & καταργήσεως abolitionis* ex *ipsis* nascituram esse, ut *tinea*, quæ vestes veteraſcentes arrodit & consumit, ex ipsis nasci censetur, juxta communem vulgi sensum. quod, si spiritualem sensum quæras, geminum admittit. *α.* Naturam Oeconomiæ Veteris ejusque σχήματος totius, cum Præfectis illud sustinentibus, ejusmodi fuisse, ut *splendor*, quem in initio institutionis suæ præ se ferebat, cum tempore imminueretur & vilesceret; ubi Ecclesia ætate creſceret, & Sancti experirentur illius Oeconomiæ incommoda, jugi *gravitatem*, & simul *imbecillitatem.* Continuatio illius Occonomiæ in longius tempus decus & splendorem ejus imminueret. perinde ac Vestis splendida usu trita decoris sui multum amittit. Oeconomia enim Vetus non fuit fundata in *rationibus æternis*, sed περιστατικαῖς *circumstantialibus*; quod Apostolus demonstrat ad *Galatas*; ac proin æternum durare non poterat. Ipsa in *se* habuit principia sui interitus. *Senescens*, Apostoli phrasi [i], & senescendo *vetustiscens*, (sic enim Veteribus dicebantur quæ *vetustate deteriora fiunt* [k],) per se caderet & vilesceret. Ecclesia adulta, (dixerim etiam, *Mundo adulto*,) hæc elementa & crepundia amplius non ferente, concidere debebat Oeconomia vetus, vilescere, & aboleri. *β. Tinea*, quæ absumeret hanc *vestem*, ex ipsis nata est Judæis, quatenus semen illud hominum carnalium, hypocritarum & impiorum, qui se opposuerunt Evangelio Christi, & se polluerunt *sanguine* Ejus & Apostolorum ac Testium ejus innoxio; (quod summum erat scelus:) à Deo desertum traditumque est *in mentem reprobam*; cujus effectus & consequens fuit, ut; corruptione totum corpus depascente, & tandem erumpente in omnem improbitatem, rebellionem adversus Romanos scelestissimis obsignaverint facinoribus, in qua obstinate persistentes tam *se* ipsi consumpserunt, in mutua sævientes viscera; quam ab iis terribili vindicta & justitiæ Divinæ exemplo consumpti sunt; de quo mox ℣. 11. *Quarto* denique, ut *tinea* vestem non subito, sed sensim rodit, corrumpit, & absumit: sic factum in excidio Reipublicæ hujus Populi. Neque enim post spretum Evangelium Filii Dei *subito* interierunt, sed *sensim*; impietate, quæ intus gliscebat, majora identidem incrementa faciente per intervallum plus quam *triginta annorum*, quod tempus resipiscentiæ Deus pro longanimitate sua iis concesserat: donec tandem abesa & exesa vestis tota disparuerit; dignitatibus omnibus ab antiqua Oeconomia pendentibus abolitis cum Republica.

Animadversa propiora. Respiciuntur hic præcipue *Præfecti* Populi Dei.

Confirmatur ex similitudine, qua Vates usus est; & subjungitur alia quædam Docti Viri observatio.

Sensus Prophetæ ex hac hypothesi.

Caussa corruptionis ex ipsis nascetur.

Sensus spiritualis.

Oeconomia Verus cum tempore amittebat splendorem suum, instar *vestis* usu tritæ.

Alia ejusdem rei contemplatio.

Judæi à Deo destituti in obstinatione sua persistentes, sibi accelerarunt exitium.

Oeconomia Verus sensim interiit.

PARS ALTERA: DOCTRINALIS, per modum *Apostrophæ* concepta, qua compellantur,

α. Credentes, veri Discipuli Christi, animusque iis additur.

℣. 10. *Ecquis* INTER VOS EST *reverens Jehovæ, auscultans voci Servi ejus, qui ambulaverit in tenebris, &* CUI NULLUS SPLENDOR: *confidat in nomine Jehovæ, & innitatur Deo suo.*] Postquam Messias Jesus prophetice descripsisset sortem suam inter Judæos: vertit se oratione morali ad ipsum Populum Judæum; qui cum divisus esset in duas classes, alteram Electorum credentium, Discipulorum ejus; alteram refractariorum, quos prævidebat suis consiliis interituros: utramque compellat; sed, ut par erat, oratione diversi argumenti, *illam* in dubiis initiis temporis Gratiæ solatur: *huic* prædicit interitum ex se ipsis nascituram. Solatoria oratio, quam hic descripsi, complectitur sententiam æterni usus. Quotus enim quisque est, qui per omnes temporum Oeconomias in dubio & incerto rerum suarum statu, ut sunt res humanæ, eam non adhibeat ad fulcrum suæ fidei & spei? Sed quod nunc agimus: constringendus sensus est intra limites circumstantiarum, in quibus versamur. Qui hic loquitur, ex hypothesi nostra est Dominus Jesus, qui

Pars altera hujus Periocopæ *Doctrinalis*. qua, *α.* Compellantur *Credentes*, ℣. 10.

Summa sequentis periocopæ, & nexus cum *superiore*.

Latitudo sententiæ, quæ hic extat: sed cujus interpretatio hic restringitur intra limites contextus.

cum

Hhhh 3

---

a Rom. VIII. 32. *b* Cap. XLI. 11. *c* 1 Cor. II. 6. *d* Ps. CII. 26. 27. *e* Heb. I. 10. 11. *f* Cap. LI. 6. 7. 8. *g* 2 Cor. III. 11. *h* Ps. LXXXII. 6. *i* Heb. VIII. 13. *k* Est in Fragmentis P. Nigidii Figuli collectis à sano Rutgersio *Var. Lect.* Lib. III. p. 261.

Jesus Messias hic loquitur. Orationis descriptæ argumentum.

cum sciret, ex Discipulis suis Dei reverentibus esse, qui ex contemplatione *accidentium* status sui & Ecclesiæ sive præsentis, sive futuri temporis, incidere possent in δυσπορίαν, solicitudinem & anxietatem; animosque ex amplissima spe felicitatis Regni Messiæ concepta, erectos, cum res secus cadere videretur, demitterent, cum mœrore & tristitia: hos inquam, solatur, & certa in Jehova posita fiducia firmo in futurum animo esse jubet, quippe certos, *Eum qui promisit, præstiturum esse.* Prima scena alloquii figenda est in ipso tempore quo Filius Dei in terris versatus est, proximus *exitui ex mundo*; sed extenditur & extendi potest usque ad tempora Trajani & Hadriani, secundum scopum hujus prophetiæ; quod præsertim ex *sequenti versiculo* claresçet. Per *reverentes Jehovæ* & *auscultantes voci Servi Ejus* intelliges mecum *Discipulos Christi Jesu*, qui Deum ut Dominum & Patrem in omni actu & more vitæ suæ diligenter observabant, sibique studiose cavebant, ne in ipsius inciderent indignationem: quod est *revereri Deum*; (de quo mentis affectu & actu ut charactere Discipulorum Christi, scripsi ad Cap. XXIX. 23. Confer Cap. VIII. 13. LIX. 19. Jer. XXXII. 40.) quique iidem ut veræ *oves Christi* Jesu *vocem* ejus ut *summi Pastoris* animarum, probe noverant ac discriminabant, ejusque *mandata in fide & cognitione ejus* ut SERVI JEHOVÆ, (sc. magni Legati Dei Patris ad homines peccatores docendam viam salutis & tanquam Mediatoris illos conciliandos Deo,) *observabant* [a]. Hi characteres insignite demonstrant veros Christi Jesu Discipulos quo tempore inter Judæos versabatur. Sed evenire poterat, ut illi quà *tales*, *sederent* sive *ambularent in tenebris*, & *nullus iis esset fulgor*: quod dextre intelligendum; non sane ἁπλῶς *absolute*, sed κατά τι *comparate*. Statui *reverentia Dei* & *obsequii erga vocem Servi ejus* semper jugatur *Favor Dei* & *bona conscientia*; quæ *lucem* spargunt per animam. Ergo id accipiendum, ab una parte de *afflictionibus* & *casibus* tristibus atque injucundis, qui Credentibus in Christum acciderent; ab altera de *tenebris* mentis, inde ortis; h. e. de *anxietate*, *solicitudine*, *metu*, *tristitia*, quæ *gaudium* illorum, non *extinguerent* quidem, attamen *imminuerent*; & *spem* non tollerent quidem, veruntamen labefactarent; & *fiduciam* quam mente conceperant maximam, infirmarent. Sic Paraphrastes docte hoc loco: רעבר אוריתא בעקא *Qui observat Legem* IN TRIBULATIONE: sive, angustia, anxietate animæ, dum cœli colliguntur in nubes, serenitati inimicas. Michas, supra jam à me adductus, idem Subjectum, ejusdemque temporis, loqui faciens [b]: *Ne lætare adversaria mea ... quando* SEDERO IN TENEBRIS, *Jehova mihi erit* IN LUCEM. Sed Vates noster non scripsit hoc in loco quod scribere poterat, ואין אור לו *Et cui nulla* LUX: verum, *Et cui* NULLUS (נוגה) SPLENDOR. Innuit, se loqui de *Subjectis*, quorum imminuta fuerat consolatio, & attenuata spes, non vero extincta; caussa *accidentium* quorundam, quæ dubium facere videbantur ipsorum statum. Est enim נוגה *splendor* plus quam *lux*. Significatur, Electos hosce credentes eo esse statu, ut non perspiciant *clare* ac *serene*, quæ consequentia essent, quis exitus esset eorum eventuum qui sibi accidebant. Animi illorum erant μετεωριζόμενοι. Neque vindicat etiam Jesaias, sive Dominus Jesus quem ille loquentem facit, id omnibus suis Discipulis: sed ὑποθετικῶς ait, QUIS EST *inter vos, Dei reverens, ubi ambulaverit in tenebris, &c.?* hoc est, *Si quis sit inter vos, ... qui, & seqq.* ut Ps. XXV. 12. *Quis ille Vir est reverens Jehovæ! Docebit illum viam quam calcaturus est.* h. e. Si quis sit Dei reverens, & seqq. Erant in Discipulis Christi primi temporis ὀλιγόπιστοι *exigua fide præditi* [c]: essent etiam & fuerunt postea ὀλιγόψυχοι, *pusillanimes*. quos Apostolus *consolatione erigi jubet* [d]. Alii vero *animi firmioris*; ῥωμαλέοι τῇ πίστει [e], in fide & spe probe constabiliti, qui non facile ad cujusvis venti adversi motum conturbabantur. Et tamen hæc gratia rarior erat in Discipulis Christi, ante Spiritum Gratiæ in eos effusum. Quare nihil vitii est, orationem sic accipere, ut Dominus hic compellans totam Gentem Judæam; dicat, *Quis* INTER VOS *est Dei reverens?* ut adeo hac voce ad se colligat *Electos*, Credentes, qui in Multitudine reproba latebant; iisque commune hoc tribuat attributum: ventura sc. tempora quibus *ambularent in tenebris*. Certe cum Christus Jesus cum iis versaretur in diebus carnis suæ: videbant, Proceres & Doctores Gentis Judææ adversus ipsum sectamque ejus concitatos, & in necem ejus conspirantes; & se cum ipso expositos odio Præfectorum Gentis & Sectatorum disciplinæ Pharisaicæ: inde Christum Jesum Doctorem suum ab uno Apostolorum proditum, & probrosissimo supplicio affectum: quando veluti spes illorum plane decollasset, *demiserunt animum f*; *fleverunt* & *lamentati sunt*, ob sponsum ab se ablatum *g*: quod Dominus futurum clarissime prædixerat. Etiamsi enim Dominus eos presse de hoc Exitu suo edocuisset: non persuaserat tamen, ut animum ad id adverterent. Postea ex recente donatione Spiritus Gratiæ non defuit Discipulis Christi *lux*, *consolatio*, *fiducia*. imo vero in initiis fundatæ Scholæ Hierosolymitanæ, non *lux* tantum, sed & *splendor* circumfulsit *Popellum Christi*, indies notabilia facientem incrementa. Sed cum procedente tempore sævæ persecutionum tempestates in Ecclesiam concierentur; cum Judæi primo, dein Gentes, in odium & exterminium professionis Nomen Christi se rapi paterentur à Satana: (qui temporis articulus incidit in inclinatum Neronis Imperium:) imminuta est lux Ecclesiæ, & multorum animis obortæ sunt tenebræ: plurium fides & spes vacillavit: aliorum, qui eam non locarant in solido fundamento, defecit; studia in initio fervidissima languerunt: de quo dedita opera egi ad *Concionem superiorem*, ℣. 7. 14. *Ambulabant* hoc tempore aliqui *in tenebris*; &, si *luce* non caruerint; utique nullus Ecclesiæ affulsit *splendor*; nulla solis *serenitas*. cœlum visum est triste & obscurum. Hos solatur Dominus: vult illos *confidere in nomine Jehovæ* & *Deo suo inniti*; videlicet fiducia in Deo posita tanquam immota Rupe, certo sibi persuadere, Deum non esse destituturum Populum suum, sed promissa ei facta in omni sua amplitudine exhibiturum. Vult, inquam, illos certo confidere, *lucem* sibi *orituram in tenebris*; quæ sors est piorum [h]. quod eventus docuit, ita se habuisse. Idem est quod Dominus ad Popellum suum, cui ante oculos ponebat adversa, ei obventura [i]: Μὴ φοβοῦ τὸ μικρὸν ποίμνιον· NE TIME PARVE GREX, seqq. Et Scriptor Apostolicus ad *Hebræos k*: *Ne itaque abjicite* τὴν παῤῥησίαν ὑμῶν *fidei speique vestræ fiduciam, quæ magnam habet præmii retributionem: nam patiente animo vobis est opus, ut voluntati Dei obsequuti reportetis promissionem illam.* Confer monita à me ad verba Cap. XLI. 14. *Ne metue Vermis Jacobi: Popelle Israëlis!* Res eadem est. Oratio est, Messiæ in initiis Regni ejus fundandi, quæ fundatio non fieret absque varia lucta & tentatione, congruentissima.

β. *Adversarii* Ejus, Regni ejus inimici, suis consiliis interituri.

℣. 11. *Ecce omnes vos qui* EXTUNDITIS IGNEM; *& circumponitis malleolos: ite in flamma ignis vestri, & in* MALLEOLIS, *quos accendistis. Accidit id vobis à manu mea; in dolore cubabitis.*] Nemo non eorum, qui superiorem orationem *Christo Jesu* tribuunt, hanc Apostrophen verti censet ad Sectatores disciplinæ Pharisaicæ, Christi Jesu & Ecclesiæ ejus verissimos adversarios, suis consiliis perituros; consentiente etiam hic Cl. Coccejo: nec tamen emblema eodem modo accipiunt. Sed antequam eo veniamus: constituenda est versio hujus pericopæ. *Ecce*, ait Vates, OMNES VOS *qui*

Scena alloquii in quo tempore figenda?

Nec excludit tamen latiorem aspectum.

Reverentes Jehovæ quinam hic sint?

Actus ipse describitur.

Exemplum ex tempore *mortis* Christi.

Attributa cognata stricte exponuntur.

Inde prima tempora Evangelii fuerunt *luminosa*: sed sequuta sunt *nubilosa*.

Demonstrant Discipulos Christi Jesu.

Quo sensu illi dici queant *sedere in tenebris*, ut nulla iis *lux sit*?

Gemina expositio.

Oratio Domini ad hæc tempora applicatur.

Paraphrasis Chaldæa laudata.

Consona ex dictis Christi & Apostolorum.

Locus parallelus Mich. VII. 8.

Emphasis in voce נוגה h. l.

β. Adversariis, turbarum auctoribus, denunciatur exitium, ℣. 11.

Dominus hic non loquitur de omnibus suis *Discipulis*, sed de aliquibus ὀλιγοπίστοις.

Objectum hujus Orationis Domini: sunt *Sectatores* disciplinæ Pharisaicæ.

[a] Joh. X. 14. XIV. 21. [b] Mich. VII. 8. [c] Matth. XVI. 8. IX. 15. Joh. XVI. 20. [h] Ps. CXII. 4. [i] Luc. X. 32. Confer Matth. X. 31. Joh. XVI. 33. [k] Heb. X. 35. 36.
[d] 1 Thess. V. 14. [e] 1 Pet. V. 9. [f] Luc. XXIV. 20. 21. [g] Matth.

qui extunditis ignem & colligatis malleolos. Supponit, apud eos quos hic appellat, esse πλῆθος *multitudinem*; cum parte *incredula & reproba* Populi Judæi. Describit autem eos à duobus attributis; quod *extunderent ignem*, & *colligarent* sive circumponerent *malleolos*, sc. materiam ustilem & flammæ cupidam in fasces ligatam; ut sunt fomites sive fasciculi ex pice, sulphure, stipulis aridisque lignis compositi, & fasciis, viminibus aut quo alio vinculi genere constricti: qui videri queat subesse sensus genuinus phrasi Hebrææ; in cujus aspectu generali Interpretes se facile recognoscunt, quippe per circumstantias orationis circumscripti, licet in singularibus quibusdam dissidentes: quod tamen dissidium post lucem huic loco nuper affusam à dextra manu Clarissimi Viri, ejusdemque Collegæ & Amici junctissimi, Alberti Schultens, qui in primis & genuinis significatibus *Etymorum Hebræorum* perscrutandis se non minus feliciter quam docte exercet, dehinc levius erit, vel nullum. Hebræa Prophetæ sic leguntur: הן כלכם קרחי אש מאורי זיקות לכו באור אשכם ובזיקות בערתם Hieron. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis; ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* Jun. Trem. *En vos omnes accendentes ignem, circumcingentes malleolis.* Pisc. *En vos omnes, qui accenditis ignem, qui cingitis vos scintillis.* Sic pariter Belgæ. Observat Vir Doctissimus [a], ad prius membrum: vocem קרח, quæ hic & alibi ab Intt. vertitur, *accendere*; propria & genuina significatione idem valere, quod *ignem elicere*, *extundere*, ut fit, sive *attritu lignorum*; sive *ferro ad silicem admoto*, sive qua via alia; idque ex Dialecto Arabica & ex exemplis Scriptorum illius Gentis adstructum, nobis facile persuasit. Certe significatio huic loco optime congruit; etsi non refugiat *incendendi* notionem. sunt enim affinia; & alterum ex altero nascitur. Οἱ ὁ. h. l. Πῦρ καίετε· *ignem accenditis.* Debuisset esse, καίοντες. Chaldæus: מגרן באשתא *Concitantes ignem.* Quod sequitur, מאורי זיקות plus dubii habet. Vertit, *Cingentes malleolis*; fere ut Tremellius: quam ipsam quoque interpretationem maxime probabilem habeo; nec tamen hactenus certam, ob dubiam notationem vocis זיקות, quæ alibi [A] non legitur. Extat analogum זקים Prov. XXVI. 18. ibidemque omnino obtineat oportet significationem *instrumenti* alicujus *nocivi* quod tendat ad proximi perniciem; nec tamen ea ex ipso quoque illo loco certo definiri potest. Saltem illi loco non convenit notio *scintillarum* quam plures Intt. voci in hoc loco aptant; & tamen non respuit eam *malleolorum*: licet vix dubitem, quin ibidem notet *teli*, *sagittæ* aut *hastæ* lethiferum genus ex voce פזז *fundere*, *liquare*. Οἱ ὁ. ibidem: Ῥόπαλον· *clava.* quod hic alienum. Sed ut ut res se habeat: differentia hæc Versionis non multum alterat sensum mysticum sententiæ, dum communis scopus orationis Prophetæ nemini latet.

Describuntur ab attributis: *extundere ignem, & circumponere malleolos.*

Eruditi Viri conamina ad h. l. laudantur.

Hebræa hujus loci. Variæ eorum versiones.

Observatum ad genuinam notationem vocis קרח.

Notat proprie *ignem elicere*, vel *extundere.*

Alterum, מאורי זיקות excutitur.

Dubia notatio vocis זיקות.

Consideratio analogi זקים Prov. XXVI. 18.

Quæris sensum mysticum, sive Propheticum? Vident, ut modo præfatus sum, omnes in hypothesi nobis consentientes, Sermonem hic verti ad *Sectam* Judæorum *adversariam Christi Jesu & Ecclesiæ*; quæ *Secta* fuit Sacerdotum, Judicum, Scribarum, iisque adhærentis & subjectæ plebis, *disciplinæ Pharisaicæ*: cujus *Sectæ* homines necem concitarunt Christo Jesu & Martyribus eum sequutis; quique idem exitium attulerunt Reipublicæ. Sed cum Judæi omnes secundum aspectum Prophetæ in duas divisi fuerint classes, *Electorum* & *Reproborum*, qui Reprobi *omnes* in id consenserunt, ut se opposuerint Evangelio Filii Dei: nihil vetat, universam multitudinem *non credentium* & *impœnitentium* hic complexe sumere. Illi vero quo sensu dicuntur *excitare ignem?* Sunt inter nostros, qui symbolum interpretantur de *doctrina*, à Pharisæis & Scribis ex proprio ingenio procusa præter doctrinam Verbo Dei traditam; quæ tamen qualis esset, tandem iis cederet in exitium. Sic præter Belgas nostros Piscator: QUI ACCENDITIS IGNEM.] *Id est, qui docetis doctrinam à vobis excogitatam ad illuminandum auditores vestros.* Habuit ille, nisi fallor, à Junio & Tremellio; qui præterea per *malleolos* huic *circumpositos* igni intelligunt *traditiones*, quibus Pharisæi falsam illam doctrinam suam adstruebant. Id unum satis hic scite cogitatum secundum hypothesin: cætera frigida. *Ignis* enim an accenditur ad *illuminandum?* Nonne potius ad *calefaciendum* aut *consumendum?* Utique non memini, *ignem* in Scriptura S. ullibi ἁπλῶς occurrere ut symbolum *doctrinæ*: etsi *Verbum Dei*, Doctrina vere Divina, rarius in emblematicis respectu singularium quorundam attributorum, veluti quod *animum vehementius afficiat* [b]; *motum excitet in Mundo* [c]; *adversarios veritatis consumat* [d]; *igni* comparetur: sed quæ attributa hic usum non habent. Judæi Intt. symbolum exponunt de *ira Divina*, quam Reprobi peccatis & transgressionibus suis suscitent; novisque continuo *criminibus* tanquam fomentis circumpositis majorem faciant; tandem eos consumptura. *Accendentes ignem* ipsis sunt קרחי אש באף אל *accendentes* IGNEM *in naribus Dei*; comparantque hic loca [e]: *Ignis* קרחה ARDET (incensus, excussus est,) *in naribus meis*; sive, *in ira mea.* Alio loco [f]: *Vos enim ignem* SUCCENDISTIS (קרחתם) *in naribus meis.* h. e. mihi commovistis iram. Confer ex Vate nostro Cap. LXV. 5. Vidi etiam esse inter nostros quibus hæc interpretatio invisa non est. Ajo, esse tolerabilem, & loco non male congruentem; nec tamen ut opinor, à Vate intentam. Si enim id voluisset: non est mihi dubium, quin diserte dixisset, *Vos omnes qui concitatis ignem* IN NARIBUS DEI. Utique si id διευκρινικὸν non addatur: nemo hic necessario cogitat de *ira Dei.* Quin *ignis* hic plane dicitur *ignis ipsorum.* *Ite*, ait Dominus, *in flamma* IGNIS VESTRI. Symbolum Vatis nostri, ut in breve con-

Mysticus Sensus inquiritur.

Supponitur hic, designari Pharisæos, Scribas, eorumque sequaces incredulos.

Quo sensu illi dicantur *incendere* vel *elicere ignem?*

Doctorum Virorum meditatio, qui per *ignem* hic intelligunt *doctrinam.*

Quæ sepo nitur.

Judæorum Intt. expositio.

Per *ignem* intelligunt effecta *iræ Dei.*

Ἐπιχείρησις in illam meditationem.

Quid ei obstet in ora

---

a Lib. de *Origin. Hebræis*, Cap. II. *b* Jer. XXIII. 29. *c* Luc. XII. 49. *d* Apoc. XI. 5. *e* Deut. XXXII. 22. *f* Jer. XVII. 4.

A Hebræi Intt. adhærent huic notationi vocis, tum quod contextus orationis, in quo de *igne* agitur, eam videatur suadere; tum quod vox זקוקים Chaldæis & Rabbinis in usu sit significatione *scintillarum.* Videri autem posset ea interpretatio vocis *superiori membro* belle convenire, secundum genuinum usum vocis קרח. Qui enim *ignem* vi ferri eliciunt ex *silicibus*: illi se veluti cingunt *scintillis*, tanquam sint in igne. Certe Kimchius pertendit, utrumque membrum idem sonare. Verba ejus ad rem facientia adscribam. [מאורי זיקות כפל חעני במלות שוני ומוציאי אש מן העצים והאבנים יקראו מאורי זיקות ויקות הם ניצוצי האש MEAZZERE ZIKÔTH] *Geminatur sententia mutatis verbis, eodem sensu. Qui ignem* ELICIUNT *ex lignis aut lapidibus appellantur* MEAZZERE ZIKÔTH. *Sunt autem* ZIKÔTH *scintillæ ignis.* Nec tamen satis patet, quam significationem hic aptet voci אור. Sed elegantior hic est metaphora & longe convenientior nativæ significationi vocis אור, si accipiatur de *malleolis*, igni excitando & excitato *circumjectis.* Græci ἐκσύσματα & ἐμπυρεύματα vocant. Nicetas *Choniates*, Lib. VII. p. m. 223. in historia Manuelis: Διὰ τι τοῦτο καὶ μικρὸν ὑφορώμενον ἔκαυσμα, ὡς πυρὸς παραίτιον, ἐνιαχοῦ δὲ καὶ εἰς μεγίστην ἐκβαῦσαν πυρκαϊάν· *Ea de caussa vel exiguum* FOMITEM *ut caussam flammæ subinde in magnum exituræ incendium suspectum habebat.* Prima meditatio severior horum verborum mihi fere persuaserat, vocem מאורים, quæ pariter verti potest *succingere*, *accingere*, forte hic accipiendam significatu *constringendi*, ut idem hic valeat quod *componere malleolos*, h. e. constringere, colligare, ut מאורים hic idem valeat quod מקשרים *colligantes*; & vidi sane postmodum, Forerium ita sumpsisse, & reddidisse phrasin: *Accinctores laqueorum.* Sed cum faciliora semper præferenda sint, & usus vocis אור huic notioni directe non respondeat, licet cæteroquin sensus minime sit contemnendus: præfero interpretationem jam laudatam; & solummodo cum ea conferri velim locum Poëtæ, rem de qua hic agitur, docte ex communi usu declarantem, (*Æneid.* Lib. I. vſ. 175.)

Ac primum silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida CIRCUM
Nutrimenta DEDIT, *rapuitque in fomite* FLAMMAM.

Ne mihi invidiæ sit comparare phrasin. Sit קרח EXCUTERE *silici scintillam*, more in *Igniariis* usitato. מאורי זיקות est CIRCUMDARE NUTRIMENTA ARIDA: consequens ejus est FLAMMA, eaque *lucida*, cujusmodi est *piceorum* aut *aridorum laqueorum*, de quo Vates noster: *Ite* באור אשכם *in* LUCE *ignis vestri*, h. e. בלהבת *in* FLAMMA, ut putem. Quod enim alii per *focum* reddant, minus probo. Alex. Int. hic habet κατηχύνειν φλόγα *confortare flammam*, respectu habito ad eam significationem vocis אור, sive אזר, qua notat *succingere.* perinde ac Jarchius vocem מאורי vertit per מחזיקי, proprie *confortantes*: ex ipsius sensu, *tenentes.* Ut Chaldæus: מחקפי חרב *tenentes* GLADIUM. Unde vero זיקות GLADIUS? Haud dubie respexit notionem Latinam SICA, ut מכרתה μάχαιρα, Gen. XLIX. 5.

ratione Vatis?

Emblema applicatur ad homines *seditiosos*, qui motus excitant ad alios perdendos.

Geminus aspectus symboli, si referatur ad Pharisæos & Scribas: vel applicari potest ad *persecutiones* concitatas Christianis.

Vel ad seditionem rebellionis adversus Romanos.

Posterior sententia adopratur.

Ejus Judicii rationes.

contraham; exhibet homines *seditiosos*, quietis impatientes, qui motus & seditiones concitare suëti & fovere, ad alios perdendos, ipsissima illa via suum invenirent exitium: potestque hic conferri emblema analogum Cap. IX. 17. 18. Hic genuinus est aspectus symboli; secundum quem geminam fert interpretationem. vel enim accipi potest de *Pharisæis & Scribis ignem suscitantibus*, h. e. seditionem concientibus & persequutionem *incendentibus* ad Christum Jesum, ejusque Apostolos & Discipulos sibi invisos de medio tollendos, eosque Procerum & Plebis motus falsis testibus & calumniis *foventibus* ac roborantibus; ut fecerunt in caussa Christi Jesu, Stephani, Pauli, utriusque Jacobi, aliorumque [a]; quæ ipsa tamen crimina tandem in illorum *incentorum* verterent exitium: vel ut hic respiciatur *seditio* ab hisce turbulenti ingenii hominibus *excitanda* & strenue *fovenda* ac promovenda, adversus *Romanos*, exitura in bellum ipsis auctoribus hujus *dissidii* funestum futurum: quod Hieronymus, Liranus, & inter recentiores Coccejus noster, in verbis Prophetæ viderunt. Neuter quidem sensus alienus est à re & scopo Vatis; & tamen subscribo posteriori, *α.* Quia omnia attributa hujus pericopæ perfecte præstat. *β.* Agitur de tali *igne accenso*, in *quo* ipsi *excitantes* sive *incendentes ignem* perirent. *γ.* Persecutiones adversus Christum Jesum & Ecclesiam ejus susciatæ non fuerunt *continuæ*, sed brevis temporis; videlicet Præsidibus Romanis non permittentibus iis pro cupiditate sua in innocuos sævire. hic mentio est de *igne* incenso, arsuro usque quo illum incendentes & foventes *consumpsisset*. Ergo dum Christus Dominus per se & per Spiritum suum oratione sua solatur Discipulos suos, in initiis temporis gratiæ *ambulantes in tenebris:* (cujus intervalli articulus incidit notabilis in annos inclinati Imperii Neronis:) dumque eopse tempore videt homines *factiosi & seditiosi ingenii*, qui *Regnum suum rejecerant*, cum effuso sanguine suo & Discipulorum ejus, & quibus pariter grave erat jugum Imperii Romanorum, idque omni modo excutere laborabant, & se vindicare in libertatem; dum hos, inquam, videt *concitatos* in rebellionem adversus Romanos; illos per *Apostrophen* compellat; prædicitque iis *exitum illorum conaminum*, Reipublicæ fatalem; docetque, nihil horum fieri citra providentiam Divinam, vindicaturam in ipsis tum alia crimina enormia; tum flagitia commissa adversus Populum Christi. *Ecce*, ait, vos OMNES QUI CONCITATIS IGNEM] Tu Eleazare, Menaheme, vosque Pharisæi, Scribæ, Sacerdotes, ejusdem factionis, civesque *Hierosolymitani* ζηλωταὶ ad *seditionem* proni, & νεωτερίζοντες, *novos motus conversionesque quærentes*, (phrasi Tullii,) qui cum turbulenti & irrequieti ingenii sitis, instar *maris propulsi* nunquam *quiescitis: qui propter insitum quendam animi furorem discordiis ac seditione pascimini:* Vos, inquam, qui post motus seditiosos excitatos ad me Discipulosque meos opprimendos; nunc *novos* instituitis *motus* adversus Romanos, prurientes ad bella & pugnam, Gentemque totam nitentes concitare in seditionem & rebellionem. de quibus *motuum* initiis videndus est Josephus [b]. *Ignis* in deteriorem partem sumptus notat symbolice omnem *vehementiorem & concitatiorem* motum *consumentem*; cujusmodi in corpore humano est *febris*; in Societate civili *dissidia*; *factiones funestæ*, per *seditiones fotæ*; *bella*. Habuimus emblema omnibus Gentibus, & Scriptoribus inprimis Græcis ac Romanis, & ipsi Josepho in hac historia, receptissimum, ubi de *bellis & seditionibus* loquuntur, Cap. XLII. 25. QUIQUE CIRCUMPONITIS MALLEOLOS.] Initiis seditionis & rebellionis bellicæ subministratis *materiam* ac *fomites*, ut ignis in *flammam* exeat, non facile *extinguendam*. Nihil hic in historia verius & accuratius. *Seditiosi*, *Zelotæ*, audacis ingenii homines, cum cognitum haberent, moderatoris ingenii Proceres & Cives, abhorrere à Rebellione adversus Romanos, tanquam Reipubllcæ futura exitio; operam sibi dandam putarunt, ut rebellionis initia *corroborarent* insignibus quibusdam editis *sceleribus*, quæ spem omnem pacis & conciliandæ Romanorum amicitiæ præscinderent. cujusmodi fuerunt *expugnatio Massadæ*; cædes commissa in Romanis Militibus, qui præsidium habebant Antoniam Arcem; & in Regiis qui confugerant in Palatium Herodis, contra datam fidem & quidem die *Sabbathi*, improbissime jugulatis, & quæ alia ex historia patent. ITE, licet, IN FLAMMA IGNIS VESTRI, ET IN MALLEOLIS QUOS ACCENDISTIS.] Vir Eruditus, supra laudatus: *Dispereatis*, *inque maximam malam rem eatis*. adstruitque emphasin vocis ילך ex Job. VII. 9. XXVII. 21. Imo vero Vates noster vocem ילך jam usurpaverat illa significatione Cap. XXVIII. 13. *Ut* EANT, (ילכו) *& offendantur retrorsum, & confringantur*. Sensus genuinus Prophetæ: Si omnino hoc vobis stat consilium: *ite*, & experimini, quem exitum habiturum sit bellum, seditio, rebellio, quæ excitatis! Quem vero nisi funestum? Qui enim in *flamma ambulat*, sibi contrahit noxam. Suppono autem, hic per אור אש *lucem ignis*, intelligendam esse *ignis* FLAMMAM. Πυρσὸν sive φλόγα πυρός. Hebræis cætera להב vel להבה. Etenim vox אור prima sua significatione notat *ignem lucentem*, qualem præferunt luminaria cœlestia. Differentia enim *punctaturæ Masorethicæ* אוֹר & אֹר non turbat hanc originariam significationem vocis אור, qua sumitur pro *luce*, *lumine*. *β.* Eadem significatio conservata est in latina voce URO, quæ plane videtur ortum trahere ex hac ipsa אור URR. *γ.* Res ipsa & circumstantia orationis hunc sensum flagitat. Si enim per זיקורין recte intelligantur *malleoli*, ut probabile fit: per אור necesse est intelligi *flammam* quæ per *malleolos*, fomites igni adjectos & circumjectos, concitatur ingens. Respice hic *Statum Belli Judaici*, quale *exarsit* post Cestii Syriæ Præsidis, qui ex Syria cum *Legionibus* advocatus Urbis Hierosolymæ Aquilonarem partem jam occupaverat, subitarium & inopinatum, soluta obsidione, regressum in Syriam, cum copiarum ejus notabili detrimento. qui Eventus incidit in Annum N. Ch. LXVI. quando Judæi in summam spem erecti, & animis inflammati, se omnibus viribus ad Bellum præpararunt: quod, Duce Vespasiano, dein Tito, Filio ejus, per *quadriennium* continuatum, (duobus mediis annis interceptis, quibus rebelles in se invicem intestinis dissidiis in Urbe Hierosolyma sævierunt:) Reipublicæ & Urbi Hierosolymæ exitium attulit: quodque idem sub Hadriano, (A. CXXXII. Had. XVI.) incentore Barcocabo resuscitatum, infelicissimo eventu, vires Gentis ita fregit, ut calamitati ejus cum probrosissima servitute per plura sæcula sustinendæ addiderit cumulum. quo referenda sunt, quæ sequuntur: A MANU MEA VOBIS HOC EVENIT: IN DOLORE CUBABITIS.] Non opus est hic mutare personam loquentis, acsi subintelligendum sit: *A manu mea id vobis accidit*, inquit Jehova. Certe Christus Jesus Dominus noster sibi exerte vindicat *judicium* in rebelles & Evangelio immorigeros Judæos, & præsertim Hierosolymitanos, apud Matthæum [c] & Lucam [d]; quod Vates noster ei jam in *superioribus* [e] clare vindicaverat. Ipse *Præco* & *Caussa salutis*, receptus in gloriam, Justitiæ Divinæ vindicias ob salutem suam indignissime spretam, exigit, secundum Oeconomiam sibi à Patre mandatam. Quod autem additur, *In dolore cubabitis*, sunt ex Interpretibus qui referunt ad *mortem*, acsi dixisset Vates, *In dolore moriemini*. Sed plane mihi persuadeo, Jesaiam, si id voluisset, ipsissima hic usurum fuisse voce מות *mori* quæ durior est. Metaphora Prophetæ desumpta est ab homine dejecto in *lectum ægritudinis*, in quo variis cruciatus doloribus animi & corporis vitam infeliciter trahit absque ulla valetudinis instaurandæ spe: ad exemplum ejus quod de Je-

Interpretatio tota ex hypothesi proponitur.

Paraphrasis verborum: *Ecce vos omnes qui concitatis ignem.*

Ignis notio symbolica hic apte usurpatur.

Quique circumponitis malleolos.

Paraphrasis verborum.

Historia Josephi huc admota.

Ite, licet, *in flamma ignis vestri.* Vis genuina vocis ילך in h. l.

Sensus Vatis expositus.

Lux ignis. Phrasis illustrata.

Genuina notatio vocis אור.

Recte hic vertitur per *flammam.*

Rationes sententiæ.

Historia extremorum Reipublicæ Judaicæ temporum hic rursus in medium producitur, & enarratur.

Verba: *A manu mea vobis idevenit, &c.*

Animadversio ad verba.

Judicium in Judæos rebelles, est *Christi.*

Verba: *In dolore cubabitis.*

Metaphora, eique subjectus sensus, declaratur.

---

[a] Confer Matth. XXVII. 20. [b] B. J. Lib. II. Cap. XVII. [c] Lib. II. Cap. XXIII, XXIV. [d] Cap. XXVI. 64. [e] Cap. XIX. 27. [f] Cap. XI. 4.

de Jezabele mystica dicitur in Apocalypsi [a]: *Ecce, Ego abjiciam eam in* LECTUM, *& eos qui adulterium cum ea committunt, in* AFFLICTIONEM MAGNAM. Respicitur autem hic ad Judæos; qui in *igne* & *flammis* quas incenderant versati, & ab iis ustulati, gravissimum inde reportarent cruciatum, eoque debilitati ægerrime decumberent. Quodnam aliud speciosius & verius cogitari queat emblema Status Judæorum Evangelio rebellium post excisam Rempublicam illorum & Metropolin à Tito, & vires illorum plane fractas sub Hadriano? *Dejecti* de omni suo honore, dignitate, & stabilitate fortunæ; expositi opprobrio & injuriis omnium Populorum; clarissimis documentis convicti, Deum sibi iratum & faciem suam à se occultasse: *jacent* veluti *prostrati*, malæ conscientiæ acerrimis morsibus & torminibus compuncti, & calamitatibus gravissimis, una aliam premente, (de quo historia superiorum temporum sexcenta tristissima exhibet exempla:) afflicti atque oppressi, omnium Gentium *servi*, & ad earum nutus se movere coacti; à pluribus etiam inter Christianes *certis notis* insigniti, ex quibus intelligas, esse illos *leprosos*, homines Deo & Ecclesiæ ejus invisos. Et tamen cum ipsa quoque illa notio נכה *decumbere* sumatur de STATU MORTIS, non tantum *piorum* (quibus ea notio proprie competit:) sed & *impiorum:* & cum certum exploratumque sit ex doctrina Scripturæ S. *Statum hunc miserabilem* INFERNI *temporalis*, in quem conjecti sunt Judæi à Deo repulsi cum destructa Republica, commutandum esse cum *Statu Gehennæ æterno*, decreto ignorantibus Dei & immorigeris Evangelio Filii ejus: secundum altiorem & mysticum sensum phrasios hoc *malum summum* priori nexum non excludo. Quin sane Christus Dominus, ex stylo Prophetarum, Judæorum Reprobatorum Statum depingens, quo sunt; ubique fere hæc duo inter se conjungit, & unum altero involvit. Phrases enim quibus hic utitur, *Ejectum iri in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium* [b]; ubi *vermis illorum non moritur & ignis non extinguitur* [c]; *esse opprobrio omni carni* [d]; ad utrumque Statum referendæ sunt. Confer hic ex nostro Vate Cap. LXVI. 24. Dan. XII. 2. Ps. CIX. 6. seqq. Ipsum illud depinxerat Dominus in Parabola Divitis & Lazari; ubi Dives ἐν τῷ ᾅδῃ *in inferno* in verbis ad Abrahamum [e]: Ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ· *Gravissime crucior in* HAC FLAMMA. Doctus Parabolæ illius Interpres sensum parabolicum & Propheticum rectissime retulit ad *Statum Judæorum* defunctorum infelicissimo bello, sub Hadriano.

Applicatur ad Statum Judæorum in præsenti Exilio.

Vox נכה usurpatur

quoque de Statu *mortis* non tantum *piorum*, sed & *impiorum*.

Refertur ad Statum Judæorum, rebellium Evangelio.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

SERMONIS SECUNDI

Sectio altera.

Messias, eluctatus τὰ παθήματα sibi ex Voluntate Dei imposita, hic alloquitur veros Israëlitas, qui in Judæo Populo supererant; veros Abrahami & Saræ filios; hæredes Benedictionis Abrahæ; eosque ductos in memoriam originis suæ, pressius & uberius consolatur ex spe Ecclesiæ instaurandæ, insigniter ornandæ, beandæ, & ex accessione Gentium, doctrina ejus illuminandarum, amplificandæ. Quando autem potentium hostium, Judæorum & Gentium, conamina videri possent implementum tanti promissi interturbare: Messias fidem facit Populo suo, Oeconomiam antiquam, sub emblemate *Cælorum* & *Telluris* propositam, dissolutum abolitumque, & Hostes Ecclesiæ consumptum iri; eaque occasione de Potentia Voluntateque Divina in Ecclesia vindicanda graviter disserit.

CAPUT LI.

Textus Cap. LI. 1–16.

1. AUscultate mihi Qui sectamini Justitiam; quærentes Jehovam! Intuemini in Rupem unde excisi estis, & in cavum cisternæ, unde effossi estis!

2. Intuemini in Abrahamum, Patrem vestrum, & in Saram quæ vos enixa est! Siquidem illum unum vocavi, & benedixi ei, & multiplicavi ipsum.

3. Quia Jehova Tsionem consolabitur; solabitur omnia loca ejus desolata; & ponet Desertum ejus instar Edenis; & solitudinem ejus tanquam Hortum Jehovæ. Gaudium & lætitia in ea deprehendentur; laudatio & vox cantus.

4. Attendite ad me, Populo mi; & Natio mea ad me aures advertite! quia Lex à me exibit, & Jus meum in lucem Populorum collocabo.

5. In proximo est Justitia mea: exiit salus mea; & brachia mea Populos judicabunt. Me insulæ exspectabunt, & brachio meo fident.

6. Attollite in cœlos oculos vestros, & intuemini in terram deorsum. Cœli instar fumi contabescent; & terra instar vestis veterascet; & incolæ ejus instar vermiculi morientur: sed salus mea in æternum erit, & justitia mea non prosternetur.

7. Auscultate mihi Qui diligitis justitiam: Populo, in quorum corde Lex mea est. Ne metuite convitium hominis, & propter insectationes ipsorum probrosas ne consternemini.

8. Quippe tinea eos consumet instar vestis; & tanquam lanam, eos exedet blatta: sed Justitia mea in æternum erit, & salus mea in quamque generationem.

9. Excitare, excitare, indue robur, Brachium Jehovæ! Excitare ut diebus priscis, generationibus Sæculorum! Nonne tu Illud es, quod concidit Ægyptum, lethaliter vulneravit Draconem?

10. Nonne tu illud es, quod exsiccavit mare, aquas abyssi magnæ? quod posuit profunda maris in viam qua irent redempti?

11. Et redempti Jehovæ redibunt Tsionem cum cantu: & gaudium æternum super caput eorum. Gaudium & lætitia apprehendent *eos*; dolor & mœstitia aufugient.

12. Ego, Ego Ille sum, qui vos consolatur. Ecquæ tu es quæ tibi timeas ab homine

a Apoc. II. 22. b Matth. VIII. 12. c Marc. IX. 48. d Jes. LXVI. 24. e Luc. XVI. 24.

imbecilli qui moriturus est; & à filio hominis qui fœnum evadet.

13. *Ecquæ tu es*, quæ obliviscaris Jehovæ qui te fecit; qui extendit cœlos, & fundavit terram? Quæ omni die continuo expaveſcas propter furorem affligentis? Ubi vero tandem est furor affligentis?

14. Exul cito solvetur; & non morietur in fovea; nec panis ejus deficiet.

15. Et Ego sum Jehova Deus tuus, qui commoveo mare, ut fremant fluctus ejus: cujus nomen est Jehova Exercituum *Dominus*.

16. Atque ponam verba mea in ore tuo, & umbra manus meæ protegam te, ad plantandum cœlum, & ad fundandam terram; & ad dicendum Tsioni, Populus meus tu es.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis.*

POstquam Messias in *Sectione superiore* (℣. 10.) *Semen* reverentium Dei in Judæa Gente superstes, in initiis Oeconomiæ Gratiæ variis exponendum afflictionibus & tentationibus, consolatus esset: mox adversarjis suis, Evangelio immorigeris, prædixisset exitium, quo interituri essent: hac *Sectione* Consolationem ad *Semen Electum* institutam uberius exequitur, & promissa, in antecedentibus facta iterataque, insigniter confirmat; variis orationis articulis, ab invicem divisis. Initio *Concionis* eos blande appellat, revocatque in recordationem ortus sui ex *Abrahamo* & *Sara*, solis ex omnibus per terram hominibus à Deo vocatis, ejusque peculiarem benedictionem meritis [a]; promittitque & condicit iis optatam Status Ecclesiæ immutationem, quippe diffundendæ inter Gentes, & ex ubere dispensatione donorum Divinæ Gratiæ ac consolationis ampliſſimæ, vertendæ in *Paradisum Dei* [b]. Inde complexum generalem hujus promissi particulatim declarat, & planis verbis prænunciat *conversionem Gentium* [c]; *abolitionem Oeconomiæ Veteris* [d]; &, *Destructionem hostium* qui adversus ipsos insurgerent, munitque ipsos adversus illorum metum [e]. Protinus in medio comparet *Chorus Sanctorum*, qui per *Apostrophen* Ευκτικὴν Deum Patrem interpellans, orat, vel vovet ut erga Ecclesiam ducendam in hæreditatem Mundi & vindicandam adversus hostes, similia edat providentiæ ac potentiæ suæ insuperabilis specimina, atque edidit, quando Populum posterorum Abrahami duxit ad occupandam hæreditatem Canaanis [f]; idque ex voto suo futurum *prophetice* subjicit [g]. Excipit hanc *Votivam* Ecclesiæ interpellationem *Responsum* Dei Patris, metum qui Ecclesiam propter hostes prehenderat, dispellentis, eamque docentis confidere auxilio potentiæ & gratiæ suæ, quo fulta munitaque semper consisteret, & vi Verbi Christi Jesu obtineret *spiritualem* Mundi Oeconomiam. [h]

Scopus ejus.

II. *Scopus* totius *Concionis* est, Ecclesiam Dei *consolari*; quem sæpius monui præcipuum esse finem Verbi Prophetici [i]. Cum enim Deus Ecclesiæ Electorum ad eam probandam, purgandam, separandam à Mundo, statumque ejus spiritualem promovendum, varias destinasset *afflictiones*; easque subinde longi temporis, quarum videri posset esse incertus exitus: Ecclesia in hisce terris plane indigebat hoc fulcimento fidei spei-que suæ, ne in tenebris ambulans omni careret luce. Ecquis vero neget, Ecclesiam primi temporis gratiæ hoc fulcimento imprimis opus habuisse? Cum enim Regnum Messiæ contra communem omnium exspectationem fundandum esset inter varia adversitatum tentamina: primus ille Christi Populus, à Domino suo summe dilectus, erigi debebat Verbo Gratiæ & Consolationis in spem meliorum temporum, in prophetiis promissorum, ne fide speque sua labasceret. Cæterum cum in aliis Concionibus Propheticis sæpe mixta sit oratio, & Elenctica Paracleticis misceantur: *Sectio* hæc nostra tota unius est tenoris. Nihil in ea est heterogeneum.

Scena hujus Prophetiæ, ejusque *tempus.*

III. *Scena* figitur in initiis temporis Gratiæ, postquam Messias tandiu exspectatus apparuisset in carne ad solatium *Electorum* qui in Populo supererant; Gentibus proxime vocandis ad Regnum Dei, & Vetere Oeconomia abolenda. Est enim oratio Filii Dei, *Populum suum* erigentis, (ut ad *superiorem Sectionem* monui:) & sua doctrina Gentes illustraturi ad Electorum Judæorum solatium, ut liquet ex ℣. 4. & Veterem Oeconomiam cum Nova commutaturi, ℣. 6. Et tamen poscit hæc *Scena* aliquam latitudinem, siquidem non illius tantum, verum etiam sequuturi temporis, Ecclesiam solatur, tam *Doctorem* agens, quam *Prophetam*. Prænoscens enim Ecclesiæ fata & sortem usque quo occupasset hæreditatem Gentium sibi promissam, orationem suam sic instituit, ut ad varios casus, quos Ecclesiam subituram esse noverat, eandem accommodet.

Analysis ejus.

IV. Concio tota, complexa *Consolationem* Ecclesiæ, bifariam dividitur. Consolatio enim illa vel *generatim* explicatur, vel *speciatim*.

PARS PRIOR, Consolatio *Generalis*, ducta ex *fundamenta* suo, h. e. ex origine Gentis, tracta ex Abrahamo & Sara, quibus Deus se in Gratia revelavit, ℣. 1--3.

PARS POSTERIOR, Consolatio *Specialis*, petita,

(a.) Ex *Vocatione Gentium*, Doctrina Messiæ illuminandarum, ℣. 4. 5.

(b.) Ex *Abolitione Oeconomiæ Veteris*, & stabili duratione *Novæ*, ℣. 6.

(c.) Ex imbecillitate & interitu *hostium*, qui se Ecclesiæ opponerent.

α. *Judæorum*, ℣. 7. 8.

β. *Gentilium* & præsertim *Romanorum*: qui desineret in *fundatione* Novæ Mundi Oeconomiæ, ℣. 12--16.

γ. Interjicitur *Apostrophe* ad *Deum Votiva Chori Sanctorum*, qua vovet, ut eandem potentiam exserat in Ecclesiæ procuranda *Hæreditate Mundi* quam olim in ea liberanda ex Ægypto & ei vindicanda Hæreditate Canaanæa, ℣. 9--11.

Ἀνάκρισις hujus *Sectionis*.

Anacrisis hujus *Sectionis.*

Quæsita quæ hic moveri queunt.

DUo quæri possunt ad solidiorem intelligentiam hujus *Sectionis*. Primo, an vere cohæreat *Sectioni superiori*; an vero hic figendum sit *Exordium* novæ *Concionis*? Secundo, in quo temporis articulo constituenda illius sit *Scena*?

II. Quod ad prius: Interpretes passim consentiunt, *Concionem* superiore *Sectione* cœptam hic continuari, *argumento sumpto* ex ℣. 10. *Sectionis superioris*, ubi Messias, quem ibi loqui supposuimus; se directe convertit ad REVERENTES JEHOVÆ, eosque *sedentes in tene-*

Sectio hæc tanquam pars cum superiore connectitur. Quod demonstratur.

---

a ℣. 1. 2. b ℣. 3. c ℣. 4. 5. d ℣. 6. e ℣. 7. 8. f ℣. 9. 10. g ℣. 11. h ℣. 12--16. i Rom. xv. 4.

tenebris solatio erigens, meliora sperare jubet. Atqui in hac *Sectione* ad illos *solos* oratio & consolatio facta plane videtur continuari & explicari. Qui enim in *Sermone* hujus *Sectionis* variis articulis blande appellantur: similibus insigniuntur *Epithetis*, & à *Parte reproba* discernuntur. Quod ipsum, fateor, rite expensum, me quoque in eandem sententiam pertraxit. Accedit; orationem hanc totam esse *consolatoriam*: quod Prophetæ, passim ἐλέγξεις suis παρακλήσεσι miscere solito, in hisce Concionibus proximis est præter morem. Vertit enim passim sermonem ad geminum, idque sibi oppositum, *subjectum*: PARTEM REPROBAM, & ELECTAM. Ergo probabile est, Orationem *superioris Sectionis*, quæ *Elenchum* continet, hujus *Sectionis* partem facere: quando omnia recte se habebunt. Vidi tamen Abarbenelem hic dissentire, & novam hinc exordiri concionem; sed arbitratu magis suo quam ratione.

Qua in re inter Judæos & nos hac parte conveniat?

Objecta ex hoc *Sermone* adversus hypothesin assumptam.

Præcipuum est ex consideratione pericopæ extremæ. Ad quod respondetur.

De *tempore & Statu Ecclesiæ* ad quæ hæc *Concio* referenda sit, Interpretum dissensio.

Tres sententiæ ordine recensentur.

III. Alterius Quæsiti de *Scena* hujus Concionis solutio fere pendet à definitione *hypothesios* partis superioris. Intt. Christiani fere divisi sunt in duas classes: pars censet, alloquium hic verti ad *Populum* Dei *afflictum in Exilio Babylonico*; ut Piscator: pars opinatur, referendam esse Concionem ad *Electos Judæos*, in Dominum Jesum Credentes, in initiis Oeconomiæ Novæ; quomodo Veteres, Eusebius Cæsariensis, Hieronymus, Cyrillus, & in Recentioribus Coccejus, instituerunt. Et Belgæ quidem Intt. cum pro utraque sententia produci queant non absurdæ rationes: litem indecisam relinquunt. Equidem tertia hic quædam est sententia Kimchii & Abarbenelis, existimantium, Sermonem hunc verti ad *Judæos Exilii Romani*, in quo in præsenti tempore hærent: & promissa piis hic facta pertinere ad *Liberationem* ex hoc Exilio, cum adventu Messiæ à se per tot Sæcula frustra exspectatam. Sed hos quidem mera desperatio in hanc coëgit venire sententiam. Cum enim non agnoscant *Regnum Christi Jesu* jam manifestum factum cum *Vocatione Gentium*; & *Punitione hostium*, illi Regno adversantium: (licet lux historiæ se hic in omnium ingerat oculos:) & tamen videant, majora hic *promitti* quam demonstrari possunt impleta in Statu Reducum ex Exilio Babylonico: alia elabendi via nulla ipsis hic

Judæorum Intt. qui Concionem referunt ad præsentem Statum Judææ Gentis in Exilio Romano, refellitur.

supereſt. Veruntamen quæ ipsos movet ratio, quare hic non respiciant Populum Judæum in Exilio Babylonico: eadem quoque nostra est. Beneficia ad solatium Ecclesiæ hic consignata, ampliora sunt quam ut illi tempori aut Statui conveniant: inter quæ *Vocatio Gentium*; *Abolitio Oeconomiæ Veteris*; *Hostiumque Ecclesiæ Destructio & Interitus*: ut ex commentatione ipsa & aliarum partium hujus Libri *Analogia* liquebit.

IV. Sunt tamen duo, ut video; huic hypothesi speciem conciliare apta. *α*. Quod ℣. 11. *Redempti Jehovæ* dicantur *reversuri esse* TSIONEM *cum gaudio & lætitia*. *β*. Quod à ℣. 17. & seqq. mentio fiat clarissima *Status* Populi Dei propter crimina sua severissime *puniti*; quæ *punitio* ejusmodi phrasibus depingitur, quæ non videantur convenire Statui Ecclesiæ N. T. Deo permittente, sæpe ab hostibus suis gravius afflictæ. Largior sane; nec renitor. Sed, (ut posterius tanquam gravius prius expediam:) dici hic poterat, Pericopam illam, quæ comprehenditur extremis hujus *Capitis*, non aliter cum *superioribus* cohærere, nisi quod Status *Ecclesiæ* sub Oeconomia Nova gaudentis influxu Divinæ Gratiæ & Benedictionis, in ea comparetur cum Statu Populi Dei à Deo severissime habiti sub Oeconomia Vetere. illustrari hic *Statum Gratiæ* Oeconomiæ Novæ ex *ἀντιθέσει Status Severitatis*, qua Ecclesia defuncta erat sub *Vetere*. quo animadverso, nihil fere supereſt quod quem moretur. Quid negem tamen, me, licet id specioſe & vere dici poterat, mihi non perfecte satisfeciſſe; atque adeo tanto mihi jucundius fuiſſe lumen, ex variis meditationibus exortum, quod mihi demonstravit, ab ipsa hac Pericopa h. e. à ℣. 17. faciendum esse Exordium novæ *Concionis*. eos enim qui *Capita* distinxerunt, hanc laciniam vitio, superiori Sermoni attexuiſſe. quod animadversum, ibi adstruendum, neminem posthac puto improbaturum esse. Alterum vero illud, de *Redemptis Jehovæ reversuris Tsionem*, ℣. 11. neminem Verbi Prophetici peritum movebit. *Tsion* ibi mystice sumitur, ut ℣. 3. nec sumi ibidem alio sensu potest. Integra autem phrasis eodem modo usurpatur Cap. XXXV. 10. ut in loco monebo. Ergo stet hypothesis, *Scenam* hujus *Concionis* figendam esse in ipsis initiis Oeconomiæ Novæ.

PARS PRIOR hujus *Concionis*: *Consolatio Seminis* Electi inter Judæos.

α. GENERALIS.

(a.) *Fundamentum* consolationis.

Pars prior hujus Concionis: *Consolatio* generalis Seminis Electi.

(a.) *Fundamentum consolationis*, ℣. 1.

℣. 1. *Auscultate mihi* PERSEQUENTES JUSTITIAM: *quærentes Jehovam! Intuemini in* RUPEM UNDE EXCISI ESTIS; *& in cavum cisternæ, unde effossi estis!* ℣. 2. *Intuemini in Abrahamum Patrem vestrum; & in Saram quæ vos enixa est. Siquidem illum* UNUM *vocavi; & benedixi ei, & multiplicavi ipsum.*] Messias consolaturus Populum *Electi Seminis* in Gente Judæa superstitis, qui exiguo constabat numero, ab ipso dictus μικρὸν ποίμνιον *parvulus Grex* [a]; quem modo [b] designaverat ut exiguum cœtum *reverentium Jehovæ*: blanda appellatione eum prævertit. Vocat hunc *parvulorum* cœtum *persequentes justitiam*; *quærentes Jehovam*; & ab iis postulat *audientiam*. Inde, ut animum iis adderet, *jubet* eos respicere *Abrahamum & Saram*, ex quibus originem traxerant; non paucos, sed solos à Deo vocatos; & tamen insigni benedictione auctos, & in immensum numerum multiplicatos; ut hoc ipso intelligerent, se veros *benedictionis Abrahami* hæredes, eodem gavisuros Divini beneficii privilegio. Quo posito *fundamento* consolationis, his verbis quæ descripsi: protinus explicat *consilium Divinæ Gratiæ*, quo statutum erat Ecclesiam, ex hoc Semine formandam, in statu ponere felice, & omnigenis Divinæ Gratiæ & veræ consolationis Bonis exuberante, ut *typum* Benedictionis Abrahami & Saræ in se exhiberent, ℣. 3.

Ejusque scopus.

Appellatio illi *Subjecto*, quod nos demonstramus, exacte & κυρίως congruit. Attributum primum, *Persequi justitiam*: amplam admittit interpretationem, pro amplitudine significationis vocis צדק *justitia*. Primo & vulgato sensu est, omni virium suarum contentione & studio sectari omnem absque discrimine virtutem; & officium qualecunque quod Ratio aut Lex Divina demonstrat *justum*, *æquum*, *honestum*, *amabile*, *boni nominis*; pro virili sua parte exequi. Sic sumitur phrasis in Diverbiis Sapientissimi Regis [c]: *Abominationi est Jehovæ via impii*; מרדף צדקה יאהב *sed* PERSEQUENTEM JUSTITIAM *diligit*. Idem Apostolo est διώκειν δικαιοσύνην [d]. Alibi [e] διώκειν τὸ ἀγαθὸν, phrasi ex *Psalmis* [f] petita. Non abjudico significationem huic loco. est enim attributum proprium illi *Subjecto*, de quo hic affirmatur. Sed in eo non subsisto. Vox צדק non minus notat *verbum justum*, h. e. verum; quàm *factum justum*. Chaldæus hic transtulit per קושטא VERITATEM. Docte. Confer Cap. XLVI. 21. & Ps. XL. 10. Sane studium veræ virtutis nunquam sejunctum est ab *amore veritatis*. Nec tamen ego in hoc loco qualemcunque respici velim *veritatem*; sed *veritatem* κατ' ἔμφασιν sic dictam; *Doctrinam Messiæ* h. e. τὸν λόγον τῆς ἀληθείας *Sermonem veritatis Evangelii* [g] Filii Dei: non tantum hoc sensu sic dictum, quod Evangelium demonstret implementum promissorum Patribus factorum; verum etiam quod doctrinam contineat rationalem & *æquissimam*: quæ *æquitatis* notio proprie convenit voci צדק. Quandoquidem vero in hac Evangelii doctrina proponitur & commendatur *Justitia Dei*, & *Doctrina Messiæ*

Phrasis, *persequi justitiam*. amplia ejus significatio.

Primus ejus aspectus.

Alter penitior.

Vox צדק sumitur quoque pro *veritate*.

In emphasi hic notat *Doctrinam Messiæ*.

Quatenus respectus

a Luc XII. 32. *b* Cap. L. 10. *c* Prov. XV. 9. confer Cap. XXI. 21. *d* 1 Tim. VI. 11. 2 Tim. II. 22. *e* 1 Thess. V. 15. *f* Ps. XXXVIII. 21. confer XXXIV. 15. *g* Ephes. I. 13.

Justitiæ Dei hic obtinere queat?

percepta & corde credita, homini parit *justitiam* apud Deum: nihil vitii est de eo quoque hic cogitare, collata phrasi Domini Matth. v. 6. In Statu gratiæ enim hæc non separantur. Nec tamen vehementer urgeo hanc interpretationem in hoc loco, quia notio צדקה hoc sensu est mage recepta usu quam צדק. Interim observa venustatem metaphoræ. Quæ *persequimur*, longe à nobis absunt; imo sane nos *fugere* censentur: nos vero ea *assequi* non posse, nisi maxima utamur contentione. Sic se res habet cum *veritate* & *virtute*; à cujus studio corrupta indoles hominum aliena & longissime remota est. Homo in statu Naturæ fugit lucem, & Lux fugit ipsum. Veritas Evangelii inprimis remotissima est à præjudiciis & affectionibus carnalibus hominis ψυχικῶ; qui nunquam potis est vincere hoc longe dissitum intervallum, nisi summa contentione & propositi constantia contrarium naturæ nisum superet; & hac ratione quod *persequitur*, apprehendat. Non minor vis est in altera phrasi; *quærere Jehovam:* ipsa quoque recepti usus in Sacris, quam habuimus Cap. XLV. 19. Est, ex certa persuasione tam miseriæ suæ quam necessitatis Divinæ Gratiæ, humili & submisso animo ad Deum confugere; ejus gratiam petere, ambire; (Hos. III. 5.) hujus gratiæ obtinendæ respectu Deum *colere*; eum in dictis factisque nostris omnibus respicere & observare; & ut ipsi grata placitaque faciamus, in Voluntatem ejus diligenter inquirere: ut adeo tota vita nostra sit *quæsitio Dei*, h. e. *studium ipsi placendi* sive *grata faciendi*; quomodo exponitur phrasis à Scriptore ad Hebræos *. Chaldæus: דבעין אולפן מן קדם יי *Qui* QUÆRITIS DOCTRINAM *à coram Domino.* Plane ad scopum & sensum Jesaiæ. Sunt enim qui hic appellantur, Discipuli Christi, *οἱ ζητοῦντες καὶ ποιοῦντες τὴν ἀλήθειαν.* Pulchra est sententia in Salomoneis *b*: מבקשי יהוה יבינו כל *Qui Jehovam* QUÆRUNT: INTELLIGUNT OMNIA. Nemo enim *Jehovam quærit*, nisi qui Veritatem salutarem avidissime sectatur. Opponuntur autem qui hoc epitheto in hoc loco describuntur, multitudini eorum, qui Christum Jesum, eos *docentem τὴν ἀλήθειαν* VERITATEM, studebant de medio tollere *c*. Cæterum Messias hunc *Gregem pusillum* Discipulorum suorum, *Veritatis Evangelicæ* studiosorum, & in communione Filii *quærentium* Patrem, blando erecturus solatio: vocat illos ad contemplationem Majorum, unde originem traxerunt; & quidem figurato ac mystico dicendi genere. *Intuemini*, ait, *in Rupem unde excisi estis; & in cavum foveæ, unde effossi estis.* Hebræa sunt: הביטו אל צור חצבתם ואל מקבת בור נקרתם Ad quorum verborum intelligentiam supponi velim, *α.* Phrasi Prophetæ in his verbis subesse ellipsin: צור הצבתם est pro צור אשר חצבתם ממנו. Pariter alterum membrum: מקבת בור אשר נקרתם ממנו. Kimchius vult: אשר נקרתם בו *in qua fovea* sive *cavo vos effossi estis.* Sed natura rei postulat *ex quo.* β. Per *Rupem* hanc ex qua Judæi credentes *excisi*, & per *foveam* ex qua *effossi* erant, intelligi *Abrahamum* & *Saram.* Sic enim Propheta figuram suam ipse interpretatur ℣. 2. *Intuemini in Abrahamum Patrem vestrum, & in Saram quæ vos enixa est.* Nihil videtur orationem legenti facilius & pronius, dum Jesaias se ipse interpretatur: & tamen Intt. aliqui quà Veteres quà Recentiores, oculos hic reflexerunt ad *Subjectum* nobilius. Et Veteres quidem sumpta occasione ex versione τῶν ὁ. quæ Hebræa in hunc modum exhibet: Ἐμβλέψατε εἰς τὴν πρεὰν πέτραν. ἣν ἐλατομήσατε, καὶ εἰς τὸν βόθυνον τῆ λάκκε, ὃν ὠρύξατε *Inspicite in solidam petram, quam* EXCIDISTIS, *& in foveam laci quam* FODISTIS. Voces, ut à Masorethis signatæ sunt, חֲצַבְתֶּם & נְקַרְתֶּם formæ *Pyal*, legerunt תֻּצַבְתֶּם & נְקֻרְתֶּם, quando *versioni* nullum subest vitium. Intelligunt itaque hic per *Rupem* & *Laccum* Christum Jesum, à Judæis pessime habitum; crucifixum; lancea transfossum; ut videri queat veluti *excisus* & *effossus esse.* Eusebius Cæsarienſis hic præterea cogitari vult de *petra illa* in qua repositum resuscitatumque fuit *corpus Domini.* Sed hæc cum per se coacta sunt: tum nituntur hypothesi Versionis Græcæ, hic absque dubitatione ob lectionis vitium corruptæ. Rectius & verius ex nostro sensu Theodotio: Ἐξ ἧς ἐλατομήθητε. item, ὅθεν ἐξεκόπητε. Potuissent sane hic Interpretes illi, si voluissent, cogitare de Christo, retenta vera Versione verborum; ut fecit Cl. Coccejus. *Sed potest etiam*, ait, *Christus ipse intelligi, qui est Rupes salutis, ex cujus latere tanquam ex foramine cisternæ profluxit Ecclesia. Nam Ecclesiæ Nativitas pendet ex Christi sanguine.* Equidem citra dubium dici possunt credentes respectu *ortus* sui *spiritualis* ex Christo tanquam ex *Rupe excisi esse*, & *ex ipso* tanquam ex *cavo Lacci*, *effossi.* Ipse enim in emphasi *Rupes* dicitur: & quicquid Credentes sunt in statu spirituali, ipsi debent. Sunt autem in statu spirituali *Divina Virtute* producti. Sed cum conspicuum sit cuique textum orationis legenti, Jesaiam se ipsum in hoc loco interpretari: frustra alia cogitamus ac quæ ipse nos cogitare vult. Deinde Doctus Interpres hic quoque præter necessitatem aliena admiscuit. Quod enim ait, *Ecclesiam ex latere Christi Jesu tanquam ex foramine cisternæ profluxisse:* licet per se vere dicatur; non convenit metaphoræ hujus loci. Non agitur enim hic de *liquore* qui ex *cisterna profluit:* sed de *fossili materia* quæ ex *cavo* per *fossionem* educitur. Eccur itaque *Abraham* PATER hic comparatur *Rupi* ex qua Judæi *excisi sint*; & *Sara* MATER CAVO *foveæ*, (sic videmur hic recte vertere phrasin, מקבת בור quam alii reddunt, *Foramen cisternæ:* quod tamen ipsum loco aut etymo נקב non male convenit:) ex quo, vel ex qua *foveæ*, *effossi sint?* Respondeo, primo loco; posse sic dici *Abrahamum* & *Saram* respectu Status sui Naturalis ob Rationes quas cum omnibus *Progenitoribus* Domuum, aut familiarum, communes habent. Inter *Progenitores* & *liberos* aut posteros ex iis ortos aut orituros ea obtinet proportio, quæ inter *Rupem*, & *Lapides*, ex ea *excisos*; & inter *Matrem* aut *Progenitricem* & inter *Cavum foveæ*, & *fossilia* quæ ex ea *effodiuntur.* Ut enim *Rupes*: *α.* Plures in se censetur continere *lapides* qui ex ea excidi possunt. *Fovea* aut *Lacus* plura *fossilia* quæ ex eo effodiuntur. β. *Rupes* persistit *immota*, ut nihil *perdidisse* videatur, postquam *lapides* ex ea excisi fuerint; ut nec *Fovea* aut *lacus* si *fossilia* inde educantur. γ. *Rupes* est quid *firmum* & *solidum* in quo robur & vis est: *Fovea* quid *cavum* est & *friabile*, quod cedit virtuti fossoris, aptumque est exhibere *fossilia*, si ad id adhibeatur opera. δ. *Lapides* ex *Rupe* non nisi vi & contentione *cæduntur*; & *materia* fossilis ex fovea non educitur, nisi in id negotium impendantur vires. Sic plane se res habet cum *Patribus* aut *Matribus familias. Patres* & *Progenitores* censentur in se plures habere *liberos*, qui ut *lapides* ad domos extruendas, aut fundamenta Domuum jacienda, adhiberi queunt; & antequam producti sunt, in eorum *lumbis* esse censentur *d*. *Generando* nihil videntur perdere, ut Rupi quod amittit, facile rursus accrescit. Id quod in iis censetur esse *principium generationis*, est quid *firmum* & *solidum* quod *Radicalem* & *Essentialem* eorum partem facit, h. e. LUMBI *e*. Non producunt ex se liberos nisi cum *vi* & conamine, quale Naturæ Leges postulant, ut materiam huic usui aptam veluti *vi* à se separare videantur. Pariter *Matres Familias* aut *Progenetrices* censentur *Utero* habere quod edant absque sui læsione, si opera admoveatur Naturæ Lege definita. Metaphora, verecunde tractanda, multum habet venustatis; & involvi videtur notionibus בן FILIUS, & נקבה FOEMINA, secundum *Etymologiam* Linguæ Hebrææ: de quo Forerius & Sanctius jam aliquid monuerunt. Est enim בן FILIUS à בנה ÆDIFICARE, quia utique in Liberis, & præsertim fortioris sexus, ÆDIFICANTUR DOMUS, phrasi usu Scripturæ S. recepta *f*. Pariter נקבה FOEMINA Hebræis valet PERFORATA, à נקב, (etsi non ignoro, etymologiæ aliam quoque speciosam

Analogum, *Quærere Jehovam.* Res ipsa exponitur.

Locus Prov. XXVIII. 5. expositus.

Hos quæsitores Dei Messias jubet respicere Majores suos: *Rupem*, unde *excisi*, & *foveam* unde *effossi* erant. Ellipsis in phrasi Vatis. Per *Rupem* hic intelligitur *Abraham*: per *foveam*, Sara, interprete Propheta ipso.

Et Veteres tamen hic aliud sectati sunt.

Occasio iis ex versione τῶν ὁ.

Ad eam animadversio.

Per *Rupem* & *Laccum* intellexerunt Christum.

Euseb. Cæsar. medita-tio.

Cl. Cocceji commentatio.

Ἐπίκρισις ad hanc expositionem.

Aliena hic admixta.

Metaphora explicatur.

Convenientia partium inter se comparatarum generalis.

Speciales variæ.

Notiones בן & נקבה ad metaphoram illustrandam adhibitæ.

---

* Cap. XI. 6. *b* Prov. XXVIII. 5. *c* Joh. VIII. 40. *d* Heb. VII. 10. *e* Gen. XXXV. 11. *f* Gen. XVI. 2. Deut. XVI. 9.

cioſam dari poſſe rationem ſ) *perforare*, perfodere, effodere, excavare; cujus ejuſdem *etymi* eſt vox מקבה, qua Vates hic utitur, ſive *foramen*, ſive ut alii, *cavum* vertas: ut בקע Hebræis eſt *lacus*. Arabes præterea quem Hebræi vocant בן *Filium*, cum א emphatico dicunt אבן, quarum literarum notio Hebræis *lapidem* notat; & videri poſſet Petrus ſpiritualem credentium ſtatum deſcribens à notione *filiorum* ad eam *lapidum* tranſiens, illuc alluſiſſe *a*. Sed jucundior & ſane nobilior hic eſt aſpectus myſticus hujus emblematis. *Abraham* eſt RUPES; tum quod ipſi data ſint promiſſa Gratiæ, quibus conſtitutus confirmatuſque eſt ut *Pater* omnium *credentium*, Judæorum & Gentium *b*; quorum *promiſſorum* reſpectu factus eſt *Fons benedictionis*, & *fundamentum* immotum atque æternum ſalutis totius ſeminis electi: tum quod ipſe ea promiſſa Gratiæ non tantum fide receperit, verum etiam in ea fide adverſus graviſſimas tentationes inſtar *Rupis immotæ* ſumma conſtantia invictus perſtiterit, ἐνδυναμωθεὶς τῇ πίστει *fide corroboratus* *c*. Cenſetur autem *Filius* Iſaäcus, & in ipſo omnes ejus poſteri, ex ipſo Divina manu *exciſus* eſſe, quod præterordinaria Dei providentia & auxilio *ſuſcitatus* ſit ex *centenario*, cujus *jam erat emortuum corpus*; perinde ac *effoſſus ex Sara, utero ejus jam effœto* *d*. Sed ſecundum ſpiritualem ſtatum omnes Credentes *ex ipſo* tanquam ex *Rupe* putantur *exciſi*, & ex *Sara effoſſi*, quod Electi conſilio Gratiæ in lumbis horum ſuorum Progenitorum ſpectati, *vi Divina* ſuo tempore ita exiſtant, ut ad ipſos tanquam ad Patrem & Matrem ſpiritualem referantur; ejuſdem fidei, ſpei, & Bonorum cum iis participes.

Allusio ad Arabicum usum vocis אבן.

Mysticus aspectus emblematis.

Quo sensu Abraham *Rupes* in Oeconomia Gratiæ?

Quo sensu Isaäcus *ex ipso excisus* sit?

Hos vero Abrahamum & Saram, Domus Judæorum & Credentium omnium Principes, *intueri* jubet Dominus. ſummo ſane jure. Eſt enim ſane utile & pulchrum, *Majorum* illuſtrium *imagines intueri*, quippe *quo animi ad virtutem vehementer incendantur*, ut Hiſtoricus Romanus *e*. Sed cum in exemplo Abrahæ & Saræ plura intuenda contemplandaque occurrant; Vates ut orationem hanc in ſcopum ſuum verteret, adſcribit, Quidnam illud ſit, quod in illuſtribus hiſce exemplis potiſſimum ſpectari velit à *veris* ſuis poſteris; ab eadem gratia fictis formatiſque; ejuſdem ſpei fideique conſortibus. Verba Jeſaiæ ſunt: *Quia* UNUM ILLUM *vocavi; & benedixi ei, & multiplicavi ipſum.* Videri alicui queat, non eſſe à re alienum, per UNUM hic intelligere UNUM PAR; ſc. Abrahamum & Saram; quomodo multi accipiunt vocem Mal. II. 15. Sed plane ſentio, Jeſaiam per UNUM hic deſignaſſe ſolum *Abrahamum*; at ſub quo *Sara* ſubaudienda eſt, tanquam ejus pars & appendix. α. Quia ſolus Abraham à Deo *vocatus* fuiſſe dicitur in hiſtoria. β. *Affixum relativum ſingularis Numeri* ſequentium verborum, ואברכהו וארבהו, nos eodem ducit. Dicitur autem is UNUS, quoniam mandatum Vocationis Divinæ ad ipſum *ſolum* delatum eſt: licet Pater ejus Therach, & Frater ejus natus Lothus, ſe comites itineris Abrahamo adſciverint; ſed quorum ille gravi ſenecta illud non confecit: videturque vox אחר UNUS, ſolus, hoc eodem ſenſu de Abrahamo ſumi apud Malachiam; & Abraham ſimili epitheto deſcribi in *Orphicis* *A*: ſed quorum apud nos non multum valet auctoritas. Attamen verum eſt, non convenire epitheton *ſoli Abrahamo*, eſt enim hic ſingularis luſus Divinæ Providentiæ. UNUS quoque vocatus eſt *Iſaäc*; UNUS quoque *Jacob*, ne altius aſcendam.

Quo scopo Credentes moneantur *Abrahamum* & *Saram* intueri?

Quid potissimum spectari deberet in *Abrahamo*?

Deus illum UNUM *vocavit.*

Per *unum* hic intelligitur *Abrahamus.*

Rationes ejus sententiæ.

Non convenit tamen epitheton ſoli Abrahamo.

Eccur vero Dominus *Populum*, ſive *Populum ſuum* in initiis N. T. *intueri* vult hoc exemplum; *Abrahami*, inquam, & *Saræ*, Progenitorum ſuorum; *unius* à ſe *vocati*, & quidem *benedicti* atque *aucti* in numeroſiſſimam ſobolem? Patet ratio. Vult enim ex hoc exemplo ipſos capere argumentum ſolidi ſolatii: videlicet, ipſos quoque, licet *orbos* & *ſolitarios*, (quales deſcripti erant Cap. XLIX. 21.) numero pauciſſimos, quibus omnis ſpes Promiſſi obtinendi præciſa videbatur; attamen ad hunc typum à Deo *electos* vocatoſque ex tota Gente ad ſpem *hæreditatis Gentium*; ſi ad exemplum Abrahami & Saræ, parati ſint *Domum Patris ſui* abnegare; fide conſtantes & immoti *tentationes* omnes ſuperare; & in Deo promittente, qui potis eſt fidem facere dictis & promiſſis, integri animi fiduciam reponere, abſque incredula & diffidente dubitatione: eundem experturos eſſe fidei ſpeique ſuæ eventum; & tanquam veros Abrahami & Saræ hæredes, ex *latere* illorum *exciſos* & *effoſſos*, veræ *Benedictionis Abrahami* evaſuros eſſe participes; occupaturos eſſe Hæreditatem Mundi; & in ingentem erupturos eſſe multitudinem. Hic ſenſus Orationis Divinæ. Grammaticæ aut Criticæ ſtudioſi inſuper hic obſervaverint, ut in voce תחוללכם *futuri* terminatio occupat locum *præteriti*; perinde in vocabulis ואברכהו וארבהו *futurum* occupare locum *præteriti*. *Præfixa* enim ו in iis non eſt ſignata *puncto Vau* converſivi. Id facilius cum Kimchio dixeris quam quod Aben-Ezra hic monet de ellipſi. Tum quoque, τὸς ὁ. pro duabus vocibus Hebræis ואברכהו וארבהו hic adhibuiſſe tres Græcas; Καὶ ἐυλόγησα αὐτὸν, καὶ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐπλήθυνα αὐτόν: acſi hic legiſſent ואהבהו, præter id quod apud Maſorethas extat: quod tamen minus ſit probabile. Verius eſt, eos in verſione hujus Libri tantam ſibi vindicare licentiam: quantam produnt ignorantiam.

Quare Deus hac parte Abrahamum *ſpectari* voluerit à *Credentibus*?

Ratio petitur à *ſimilitudine* ſtatus. Comparatio inſtituitur inter utrumque ſubjectum.

Permutatio *temporum* in verbis.

Animadverſio ad Verſionem Græcam.

(b.) *Solatium* ipſum.

℣. 3. *Quia Jehova Tſionem conſolabitur: ſolabitur omnia* LOCA EJUS DESOLATA; *& ponet* DESERTUM EJUS *inſtar* EDENIS; *& Loca ejus vaſtata tanquam Hortum Jehovæ. Gaudium & lætitia in ea deprehendetur; laudatio & vox cantus.*] Verba hæc, *Solatium* ipſum declarantia, vel κατὰ γράμμα, vel κατὰ πνεῦμα accipienda ſunt. Si *Literalem* ſenſum amplectaris: referenda eſſent, ut ſane à pluribus Intt. referuntur, ad *Liberationem* Populi Exulum *ex Babylone*; & terræ Canaanææ, Urbiumque ejus, tum bello deſolatarum,

(b.) *Solatium ipſum.*

℣. 3. *Quia Jehova Tſionem ſolabitur*, &c.

Verbis præteſt ſubeſſe

---

a 1 Pet. II. 2. 4. *b* Rom. IV. 16. *c* Rom. IV. 20. *d* Rom. IV. 19. *e* Sall.

A Diſputans Malachias vel adverſus eos qui *Hebræas Uxores* dimittebant, earumque loco ſibi adſciſcebant extrarias; vel qui extrarias Hebræis ſuperinducebant ut concubinas; hæc conſignat verba: ולא אחד עשה ET NONNE UNUS ID FECIT? h. e. Nonne Abrahamus ipſe, Pater Gentis, Saræ adſcivit Hagarem? Eſt *objectio* Judæorum, delictum ſuum obtentus alicujus colore velantium. ושאר רוח לו LICET EI COPIA ESSET SPIRITUS. h. e. licet eſſet Propheta & Vir Deo chariſſimus. ומה האחד ET QUID ILLE UNUS? Eſt Reſponſum Prophetæ ad Objectum, ſibi motum: Quid mihi hic producitis, ait, exemplum Patris Abrahami, acſi id crimini veſtro patrocinaretur? מבקש זרע אלהים QUÆREBAT SEMEN DEI. Utique enim ille nulla motus cupiditatis intemperie, ſed *quærens ſemen ſibi à Deo promiſſum*, hoc ſibi utendum eſſe cenſuit medio, quo promiſſi Divini votique ſui potiretur; idque non invita, ſed volente Sara, Hagarem ſibi ſubſtituente; quod exemplum, nihil habet, ait, quo veſtram defendatis perfidiam. Sic Hebræi Veteres apud Kimchium accipiunt; nec dubitem, quin recte. Retulerunt autem Docti Viri huc nomen Μονογενὴς UNIUS ſive *Unigeniti*, quod Abrahamo datur in Carminibus, Orpheo tributis, apud Clementem Alexand. (*Strom.* Lib. V. p. m. 443.) & apud Euſebium (*Præp. Evang.* Lib. XIII. Cap. XII. ex Ariſtobulo) ubi de *Unitate Dei* ut *Creatoris hujus Univerſi*, ejuſque *Notitia* diſſerens:

Οὐ γὰρ κέν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων πραπίσσι,
Εἰ μὴ μουογενὴς τις ἀπορρὼξ φύλου ἅνωθεν
Χαλδαίων.

Nemo illum novit mortalia cuncta regentem,
UNICUS ILLE *niſi Chaldæo ſanguine cretus.*

Sic Grotius, docte (*Annot.* ad Lib. I. de *Verit. Rel. Chriſt.* p. m. 210.) adſcribens, *Abrahamum* hic Μονογενῆ dici, ut אחד UNUS, ſive *Unicus* dicitur in hoc loco Jeſaiæ. Sed forte ita eſt, ut Scaliger, qui his quoque *Orphicis* locum dedit in *Fragmentis*, à ſe collectis, obſervat, (*Annot.* p. 48.) confuſum hic videri *Abrahamum* cum *Iſaaco*, Filio ejus, qui dicitur יחיד Μονογενὴς, Gen. XXII. 2. Et tamen Chaldæus quoque hoc in loco Abrahamum vocat יחידי. Verba ejus: ארי חד הוה אברהם יחידי בעלמא *Quoniam* UNUS *erat Abraham*, SOLITARIUS Μονογενὴς *in Sæculo*. Eo referri poteſt, quod Abraham à Domo & Cognatione Paterna avulſus, viſus ſit velut Μόνος *Solus*, & Μονογενὴς *Unigenitus*. Sed non opus eſt, de eo magnopere ſimus ſoliciti. Carmina enim hæc ab Orpheo, antiquo illo Theologo Thracio, compoſita eſſe, ut feruntur: quis nobis perſuaſerit? Sunt ποιήματα hominis Judæi.

duplex sensus: *Literalis* vel *spiritualis.*

tum longo tempore incultarum, instaurationem. Ex *sensu spirituali* intelligenda est *Redemptio Ecclesiæ* spiritualis, efficienda à Messia, virtute & pretio *sanguinis* ipsius, & consequens ejus Beneficii, *Gentium* Ecclesiæ promissarum in hæreditatem, conversio ad Deum; adcorporatio ad Ecclesiam; earumque cultus omni exspectatione major. Suppono enim hic quod certum habeo; phrasi Jesaiæ, *consolationem* hoc in loco idem valere quod *redemptionem.* Sic ipse mox Cap. LII. 9. *Erumpite cantu, cantate pariter,* DESOLATA HIEROSOLYMÆ; *quia Jehova* CONSOLATUS EST *Populum suum:* REDEMIT *Hierosolymam.* Viden' *consolationem* hic definiri per *redemptionem:* sive *Redemptio*, de qua tam hoc quam illo loco agitur, sit *typica*, sive *vera.* Sic Lucæ de *vera Redemptione* loquenti, προσδέχεσθαι παράκλησιν τῦ Ἰσραὴλ, *exspectare* CONSOLATIONEM *Israëlis* [a], idem sonat quod προσδέχεσθαι λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλὴμ, *exspectare* REDEMPTIONEM *Hierosolymæ* [b].

Consolatio hic idem valet quod *Redemptio.*

Plures Intt. hic cogitant de *Liberatione* ex Exilio Babylonico.

Hic vero non est dubium, plures cogitare de *Consolatione* sive *Redemptione* externa, & *Literali.* Prophetæ enim loquentes de Beneficiis futuri temporis, quibus Ecclesia gauderet post solutum Exilium Babylonicum, phrasin suam sic temperant, ut vel temporalia spiritualibus permisceant; vel spiritualia describentes eadem per figuras & emblemata corporalia describant; ut styli Prophetici non plane rudes homines sæpe non absque hæsitatione definiant, de utrius generis *Beneficiis* eorum accipienda sit oratio. Hic vero sententiam liberius profero, quod characteres *sensus spiritualis* hic quam alibi occurrant clariores. Primo, quod Deus vel Messias, Ecclesiæ fidem faciat, se *Desolata* Tsionis *loca consolaturum*, *Desertumque* ejus *positurum instar* EDENIS & HORTI JEHOVÆ: si referas ad *terra Canaanæa* inhabitationem, cultum, fœcunditatem, florentemque ejus statum, ut *per se* non est magnum Beneficium; si spiritualem respectum excludas: sic Vates merito videatur de eo ample nimis ac magnifice loqui, si Canaanæa, qualis esset à Reditu ex Exilio, ipsi obversata sit secundum aspectum ejus corporalem. Non diffiteor, *terram* illam cum temporibus Maccabaicis insigniter cultam esse ac floruisse; & quibusdam locis suis plantatam, laboratamque, amœnum indigenis atque inquilinis præbuisse aspectum: nec dissimulo Ezechielem, de Statu Populi ab Exilio, & redintegranda Canaanæa prophetantem [c], ipsissimam hanc comparationem instituere ab *horto* EDENIS desumptam; qua hic utitur Jesaias. Sed ne ibi quidem *spiritualis respectus* excludi potest; nec censeri poterat *Beneficium* illud *Corporale* terræ fœcundæ & florentis tanti valere, ut Prophetæ de eo tam graphice loquuti essent. Quid enim tanti faciat Ecclesia, quod cum plurimis Orbis Populis, Dei veri ignorantibus, commune haberet? An pinguia arva, læti gramine & flore campi, feraces fruge & fronde arbores, agri segete divites, quæ *terræ* cuicunque speciem dant *Paradisi*: verum efficiunt argumentum *solatii* & *lætitiæ Ecclesiæ?* Nemo dixerit nisi præjudiciis incrassatus. Vera Ecclesiæ *consolatio* pendet à *Redemptione spirituali.* Hanc sancti, in *ipsa* etiam *Hierosolyma*, exspectarunt. Secundo, Beneficium hoc *consolationis Tsionis* hoc in loco conjungitur cum ejusmodi Beneficiis aliis quæ pertinent ad Oeconomiam Novam; ut sunt *Vocatio Gentium*; *Abolitio Oeconomiæ antiquæ*; *destructio hostium Ecclesiæ*; mox inspicienda. Tertio, cum Propheta noster aliis in locis variis [d] loquatur de *Locis desolatis* instaurandis, & *Deserto convertendo in Paradisum:* ubique sub his phrasibus mysticis intelligi vult Beneficia spiritualia; ut in *præcedentibus* vidimus, & in *subsequentibus*, Deo volente, observaturi sumus. Ergo quod hic Messias ait, SE *consolaturum esse Tsionem*, *& omnia ejus loca desolata*; *& Desertum ejus positurum esse ut* EDENEM, *& solitudinem ejus ut* HORTUM *Jehovæ:* clarissime significat, ipsum, post præstitam τὴν Λύτρωσιν *Redemptionem*, cui officio destinatus erat; *instauraturum esse* statum Ecclesiæ collapsæ & veluti in conditionem sterilis Deserti redactæ: Electos & qui in Populo supererant, per se aut Apostolos collecturum esse in *cœtus* & *Ecclesias*, in quibus nativa species *filiorum Abrahami* & *verorum Tsionitarum* conspiceretur: eosdem illos cœtus perfusurum esse *donis Gratiæ* quæ erumperent atque efflorescerent in omne genus frugis spiritualis, quæ Deo, Angelis, & sanctis ipsis lætum præberent aspectum: *Gentes* huc usque alienatas à Dei communione, *Tsioni* h. e. veræ Ecclesiæ Abrahamidarum in *Hæreditatem* promissas, eidem illi Ecclesiæ Tsioneæ adjuncturum & subjecturum esse, ut *Tsion* Orbem sibi in hæreditatem conditum ubique cum voluptate videret exuberantem fructibus fidei, pietatis, charitatis, doctrinæ, sapientiæ, diligentiæ: ubique conspiceret ornatum eximiis viris, qui eruditione, sanctimonia, prudentia, & dicendi dote, instar *celsarum arborum* excellerent. Hic aspectus est *Paradisi spiritualis*, quem Paradisi antitypum Veteres jam viderunt. Optatus ad Parmenianum [e]: *Nec illud prætereo, quod ore tuo, & sensu nostro Ecclesiam* PARADISUM *esse dixisti: qua res sine dubio vera est.* Sic stylo Prophetæ, *desolata Tsionis* rectè interpretamur de his *locis terrisque* omnibus quæ ad *Tsionem* pertinent; sive à Tsione jam ante occupata possessaque fuerint; sive *Tsioni* in hæreditatem destinata promissaque sint: quare Jesaias ea ipsa *desolata Tsionis* appellaverat נחלות שממות HÆREDITATES DESOLATAS; Cap. XLIX. 8. Vide, si lubet, quæ ad illum locum scripsi; & præcipue *commentationem* ad Cap. XXXV. 1. ubi sententiam meam de *hoc loco* jam anticipavi, & sat diligenter exposui. Pertinet eodem, quod Vates addit: *Gaudium & Lætitia in ea invenietur: laudatio & vox cantus.* Intellige *lætitiam spiritualem*, h. e. veram; πεπληρωμένην *plenam* [f]; ex interna animi consolatione, acquiescentia, pace, à Spiritu S. in animis credentium productam [g]; natam ex certa persuasione perfecti Dei amoris, ac certiorata exspectatione futuræ gloriæ; proprium characterem Ecclesiæ in morte & sanguine Filii Dei fundatæ. Christus Dominus [h]: *Et* GAUDEBIT *cor vestrum, & gaudium vestrum nemo à vobis auferet.* Petrus [i]: *In quem, nunc* eum *non videntes, & tamen credentes,* EXULTATIS χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ· *gaudio ineffabili, & glorioso.* Vide omnino quæ de hoc ipso argumento scripsi ad Cap. XXXV. 10.

Senſus spiritualis præfertur.

Quæ de *terra mutanda* in *Edenem* dicuntur, conveniunt *Ecclesiæ N. T.*

Adjunctum ejus, *Gaudium & Lætitia.*

Spiritualis sc. quæ describitur.

Hæc summa est solatii, generatim sumpti, quo Dominus Populum suum afflictum, sitibundum majoris Gratiæ, & ad exiguum numerum verorum confessorum redactum, erigit. Nec defuit promisso *implementum:* quod tamen non est quærendum in uno tempore; sed per gradus & articulos secundum ipsius hujus prophetiæ ductum demonstrandum. Initium ejus incidit in *Ecclesiam Tsioneam*, sive *Hierosolymitanam*, ab Apostolis fundatam, clarissimo lumine & perfectissima consolatione Sp. S. perfusam; & in Ecclesias per *Judæam*, *Samariam*, *Galilæam* collectas, omni dote gratiæ, omni fructu exuberante charitatis, florentes; scientia & sanctimonia ornatas; in quibus vis Divinæ Gratiæ & Consolationis Sp. S. se mirifice exeruit [k]. Sed hæc gratia se brevi diffudit per Gentes, quarum *terræ*, secundum aspectum spiritualem plane *desolatæ*, Ecclesiæ destinatæ in *hæreditatem*, efflorescere debebant, ut sane plurimum *efflorverunt*, fructibus *justitiæ*, & *Spiritus S.* præsertim postquam, hostibus Evangelii virtute Christi Jesu prostratis, hæreditas Orbis Romani Imperii divisa est Ecclesiæ sub Constantino; quando omnes Ecclesiæ laudibus & hymnis Deo cantatis personuerunt. qui terminus temporis hic & in omni prophetia est notabilis. Vates enim in complexu exhibet, quod per partes & articulos temporum tandem consummandum erat. Confer dicta cum ad alia loca, quæ modo sublegi; tum ad eximium illum Cap. XXXIII. 21. Cætera nihil hic habeo, quod observem, quàm

Implementum hujus Promissi per articulos & gradus.

Adspectus primi temporis Gratiæ.

Et temporis consequentis.

Status Canaanææ post Reditum ex *Exilio.*

Corporalia beneficia per se spectata tanti valere nequeunt.

Beneficium *Liberationis* hic conjungitur cum aliis beneficiis N. T.

Phrasis *Locorum Desolatorum mystice* accipienda est.

Loca analoga.

Sensus hujus loci, planius exponitur.

Ecclesia quo sensu *Paradisus?*

---

[a] Cap. II. 25 [b] Cap. II 38. [c] Cap. XXXVI. 35. [d] Cap. XXIX. 17. XXXII. 15. XXXV. 1. 6. XLI. 18. 19. XLIX. 8. LIV. 3. &c. [e] De *Schism. Donatist.* Lib. II. p. m. 45. [f] Joh. XVI. 24. [g] Rom. XIV. 17. [h] Joh. XVI. 22. [i] 1 Pet. I. 8. [k] Act. IX. 31.

quàm quod cuique, me non monente, facile in mentem veniat; notionibus עדן *Edenis*, (elliptice pro גן עדן *Hortus Edenis*) & גן יהוה *Horti Jehovæ*, alludi ad *Paradisum*, olim à Deo in usum primorum hominum plantatum. *A*

β. *Consolatio* specialis; petita;

(a.) A *vocatione Gentium.*

Consolatio specialis, (a.) Vocatio Gentium, ℣. 4.

℣. 4. *Attendite ad me, Populo mi; & Natio mea, ad me aures advertite! quia* Lex *à me exibit*; & Jus meum *in lucem Populorum collocabo.* ℣. 5. *In proximo est* justitia mea: exiit salus mea; *& brachia mea Populos judicabunt. Me* insulæ *exspectabunt; &* brachio meo *fident.*] Explicat Vates, orationem Filii Dei continuans, particulatim, quod compendio complexus fuerat; & demonstrat primum Beneficium, ad solatium Ecclesiæ afflictæ paratum, esse *Fidem Gentium*, per Doctrinam Evangelii perducendarum ad agnitionem & cultum veri Dei: quod argumentum est hujus Pericopæ. Sic statuo: utique enim vel referendum est quod hic dicitur ad Beneficium Corporale *Liberationis Populi Judæi* ex Exilio Babylonico; vel ad Beneficium spirituale illuminationis & conversionis Gentium, factæ per Præconium Evangelii, conjunctum cum invincibili robore Divinæ Gratiæ. Posterior hypothesis nostra est; eandemque inter Judæos tenent Kimchius & Abarbenel: hoc solum discrimine, quod illi, clausis ad lucem Meridianam oculis, implementum hujus Prophetiæ adhuc in futurum, tempore Messiæ sui, exspectent. Sed Kimchii, cæteroquin magni Doctrinæ nostræ adversarii, hic est commentatio luculenta. Et sunt tamen inter Interpretes non pauci qui priorem hypothesin tenent; ut in *Anacrisi* jam prænonui: sed qui se hic infeliciter expediunt. Quod ut luculenter pateſcat: specimen capiam ex Piscatore, & Grotio, Doctissimis Viris, quibus visum est hanc hypothesin in usum suum vertere; eorumque interpretationem cum nostra comparabo. Compellat Messias *Populum Electorum* ut *Populum* & *Nationem suam*, tam communi jure, quo Gens Judæa ipsi tanquam Filio Patris gubernanda ac defendenda commissa erat à Patre, quo sensu ipse πρὸς τὰ ἴδια *ad* sua & *suos venisse* dicitur *a*; quam jure peculiari, quo sibi à Patre erant dati, ut si forte huc usque vocati non essent, ex certo tamen Dei consilio absque dubitatione essent vocandi, & Ecclesiæ aggregandi. Hos vero ubi *attendere & aures advertere* vult ad ea quæ à se dicerentur; gemino modo id accipi potest: vel, quod argumenti orationis à se habendæ ea præstantia esset, ut audientiam & attentionem omnem mereretur; vel quod ipsos ex exemplo Gentium quas prædicit in Legem Doctrinamque suam crediturus esse, exhortari velit ad Doctrinam Legemque suam recipiendam: perinde ac Cap. II. 1. seqq. & XLII. 1. seqq. inter quæ loca & hunc nostrum magna intercedit παραλληλία. Neutrum hic abs re; & tamen prius eligo, α. Quia Messias hic loquitur ad *Populum* suum *electum*, cœtum credentium in *cujus corde Lex sua erat*; quique delectabatur *veritate Evangelii*; (℣. 1. 7.) ac proinde opus non habebat exhortatione ex his principiis ducta, ad *attentionem* excitari. β. Quia in hoc *Sermone*, in quo Orator & Consolator *duabus Periodis* aliis, (ut ℣. 1. & 7.) *attentionem* postulat, tantum respicitur ad momentum gravitatemque argumenti rerum dicendarum. Quo posito; simul constiterit, in his quæ sequuntur, explicari *consolationem* Ecclesiæ γενικὴν factam. Ad quæ Dominus merito *attendi*, & *aures adverti*, vult. Sunt enim in Populo Dei plures qui non sat diligenter *attendunt*; sive ad excellentiam Beneficiorum, quæ in Ecclesiam confert; sive ad magnitudinem & opportunitatem judiciorum, quæ in commodum ejus exequitur; sive ad prædictiones Prophetas antiqui temporis, quibus eadem consignata sunt.

Summa pericopæ.

Divortium Int. Aliqui accipiunt de Liberatione ex Exilio Bab.

Interpretatio Piscatoris & Grotii.

Appellatio quomodo accipienda sit?

Exigit à Populo suo officium *attendendi & advertendi aures.* Quo sensu id accipiendum?

Ratio petitur à præstantia argumenti hujus orationis.

Quod evincitur.

Argumenti orationis varii articuli. Primus, *Lex à me exibit.*

Argumentum orationis, designatum voce כי ὅτι, variis articulis constat. Primus est: Lex *à me exibit*; & judicium vel jus meum *in lucem Gentium collocabo*, sive *requiescere faciam.* Masorethæ in voce משפט fixerunt *accentum distinctivum*, ut nos docerent, in lectione verborum aliquam faciendam esse ἐκτροπὴν, in hunc modum; & ad *judicium meum* quod attinet, *collocabo* illud *in lucem Gentium.* Ex sententia nostra, mox illustranda, agitur hic de Gentibus illustrandis lumine Evangelii ex adversa, de Reducendis Judæis ex Exilio Babylonico. Videamus itaque, ut hic instituant. Piscator: Lex mea. id est, *Edictum Cyri, meo instinctu ab illo factum.* Idem intelligit per *Jus meum.* In lucem populorum. *In hunc finem, ut innotescat Populis mirabilis Judæorum liberatio.* Sed estne probabile, Prophetam *Edictum Cyri* velle appellare *Legem* Dei? Imo vero *Lex Jehovæ* hic & alibi, idem valet quod *Doctrina Dei.* Estne itaque ut Edictum Cyri appellemus *Doctrinam Jehovæ?* Idemne Edictum appellabitur *Judicium Dei*, quo nomine passim *statuta Legis Dei* veniunt? Grotius: *Docebo populos me esse verum Deum, idque agnoscent, ubi judicia mea in impios viderint.* Fere eodem tendit interpretatio. Sed α. Judicia Dei in Babylonios *sola*, absque ullo alio medio vel subsidio hunc effectum producere non poterant. Si enim ex iis patefieret, illa à supremo quodam Deo administrari: non mox necesse haberent Populi illum honorem vindicare vero Deo Israëlis. Si autem *judicia* illa Dei referantur ad *prophetias*, de iis editas, & ad Edictum Cyri: fateor, potuisse Gentes per ea duci in notitiam veri Dei: sed nego, eadem commode appellari posse *Legem* vel *Doctrinam Jehovæ.* β. Nego, voce משפט hic designari posse *Judicia Dei* in Babylonios exercita. Si id voluisset Propheta, haud dubie usus esset illa voce *numero plurium*, & scripsisset, *judicia mea.* Vox משפט, ut passim in duplicatis sententiis, hic idem valet quod תורה *Lex.* Eadem res diverso nomine appellatur. γ. Ne jam dicam, de tali *Lege* sive *Doctrina Jehovæ* hic agi; quæ produceret in Gentibus *spem & fiduciam*, in vero Deo ut Deo suo collocandam, secundum id quod protinus additur, *Me insulæ exspectabunt, & in brachio meo spem suam reponent.* Is vero num fuit effectus *judiciorum*, quæ Deus inflixit Babyloniis? Quanto satius itaque Magister Hebræus, modo laudatus, in ipsis hisce quibus præstrictus fuit tenebris, vidit hæc explicanda esse ex Cap. II. 1. 2. Jesaiæ nostri, ubi docet *Legem* exituram esse ex *Tsione*, & illustraturam Gentes, per eam perducendas ad notitiam & fidem veri Dei. Verba ejus: Quia Lex a me exibit:] *Quemadmodum dictum est in initio hujus Libri:* (Cap. II. 3.) *quia* ex Tsione egredietur Lex, *quoniam Rex Messias Populos docebit incedere in viis Jehovæ; idque futurum est post Bellum Gogi & Magogi.* Et judicium meum.] *Quemadmodum ibi dicitur:* (℣. 4.) Et judicabit, jus dicet, *inter Gentes.* In lucem Populorum.] *Siquidem oculos illorum illuminaturus est in viis Jehovæ, & inter eos exercebit judicium, eosque redarguet, ut inter se pacem colant, prouti ibi dicitur;* (℣. 4.) *Et contundent gladios suos in ligones, &c. Huc vero pertinet vox*

Quomodo hæc verba capiantur ab iis qui hic agi putant de Exilio Babylonico. Piscatoris paraphrasis discutitur.

Et Grotii. Ipsa quoque examini subjecta.

Voce משפט hic designari nequeunt judicia Dei in Babylonios.

Hebræus Int. vidit hunc locum esse parallelum Cap. II. 1. 2.

Verba Kimchii.

---

a Joh. I. 11.

A Interpres Alexandrinus vocem עדן Eden hic recte vertit per παράδεισον, & per eandem notionem reddit vocem גן Hortus, perinde ac Gen. II. 8. Videlicet cum *Paradisi* antiqui memoria, non tantum Scripturis Sanctis, sed & traditionibus Gentium, servata sit: loca omnia quæ vel amœnitate pratorum; vel fertilitate & feracitate soli; vel celsitate arborum umbriferarum & frugiferarum, & plantarum odoriferarum varietate fontiumque præterea & modestorum fluminum interlabentium scaturiginibus, excellebant, meruerunt comparari cum *Edene*, sive *Horto Jehovæ*, ut exemplum est Gen. XIII. 10. Respice hic famosa illa *Thessalica Tempe*, inter Olympum & Ossam montes sita, ut describuntur ab Æliano, V. H. Lib. III. 1. & quæ apud Diodorum leguntur in pictura *Panchææ* suæ, haud dubie commentitiæ, Lib. V. p. 220. ubi ipsa etiam παραδείσου notione utitur. Et tamen, ut Paradisi notio Persica est: sic *Paradisorum* umbriferorum & nemoroforum exemplum inde petendum est; in cujus tractus confiniis, ut putem, primus *Paradisus* à Deo plantatus est. Confer illum Lib. II. p. 71. 72. & maxime Lib. IX. p. 682. & relege Ezech. XXXI. 9. *Et invidierunt illi* (Pharaoni) *omnes* arbores Edenis, אשר בגן האלהים *quæ sunt in* horto Dei.

vox ארגיע, *quam Jesaias hic adhibet. Est acsi diceret, Procurabo iis quietem, tranquillitatemque ab* IRA MEA, *aut à bello, & seqq.* Dum aliorum verba longiora non frequens nec lubens describo: hæc tamen cum voluptate excerpsi, quod vis veri ea homini Judæo expresserit. Solummodo pauca ex mea mente ad verba hæc nostra addam. Primo, sub verbis: *Lex* sive *Doctrina à me* EXIBIT: subaudies; *Doctrinam Evangelii* ut revelata & prædicata est Gentibus, conjungi cum *ἐκτάγῇ* IMPERIO *Dei εἰς ὑπακοὴν πίστεως ad obsequium fidei*, ut Apostolus [a]. Ea enim vis est in voce EXIRE, tam hoc in loco quam in parallelo Cap. II. 3. Doctrina fidei est *νόμος πίστεως* LEX DEI [b]. Non suadet tantum & persuadet fidem; sed & imperat. *Imperat*, ajo, non tantum quod in se habeat *ἐντολὴν mandatum credendi*; verum etiam quod vis imperiosa Divinæ Gratiæ ei unita, hominem Christo subjiciat contra corruptas naturæ propensiones. Secundo, emphasis est in dicto, *Doctrina* A ME *exibit*. Evangelium est *ὁ Χριστὸς λόγος* & *νόμος*. unde à Jesaia Cap. XLII. 4. appellatur LEX SERVI JEHOVÆ. Verbum est *Gratiæ* & *Libertatis* Legi *Mosaicæ* contradistinctum. Tertio, jam anticipavi per vocem משפט JUDICIUM hoc loco idem significari quod per תורה LEGEM. Sunt hic *loco δύναμα*. Vox משפט hoc in loco notat *Canonem æqui Judicii:* Verbum veritatis, æquitatis, justitiæ, secundum quod tanquam Canonem & Normam quis de Deo & se; de Religione vera vel falsa; & de omni dicto ac facto suo & aliorum judicat, perinde ac Cap. XLII. 1. quem locum si cum hoc nostro contuleris; videris te positum esse in luce. Sic ibi de Messia: *Posui Spiritum meum super eum:* יוציא משפט לגוים JUDICIUM PROFERET (exire faciet) *Gentibus.* h. e. Doctrinam Rationalem, Canonicam, omnis veri Normam. rursus, ℣. 3. *In veritate proferet* משפט JUDICIUM. & ℣. 4. *Usque quo posuerit in terra* JUDICIUM. Scripsi ibidem ad notionem & rem ipsam illustrandam quæ in promptu habebam, hic non repetenda; & contuli quoque phrasin Vatis nostri Cap. II. 4. ושפט בין הגוים *Et* JUDICABIT *inter Gentes.* h. e. Regnum habebit inter Gentes; & Regni ac Judicii certum Canonem, in æquissimo jure, & principiis veritatis ac justitiæ, fundatum. Quarto, non prætereunda est emphasis quæ latet in voce הרגיע, quæ hic notat, ut opinor, *collocare* tanquam in fixo & stabili loco; secundum eam significationem quam obtinet vox רגע forma *Niphal*; & in ipsa quoque forma *Hiphil*, tam *transitive*, quam *intransitive*; quomodo eam offendimus Cap. XXXIV. 14. Sic plane responderet dicto Prophetæ Cap. XXXII. 16. *Et* HABITABIT *in* DESERTO משפט Jus, *judicium*, vera Religio. fixam & stabilem sedem obtinebit. Sic Hieron. *Requiescet.* Est tamen altera quædam interpretatio, quæ sensum dat; *movebo, promovebo.* Sic Cl. Coccejus. & quidem *celerrime*, ad *lucem Populorum.* vel, *Faciam momento absque mora.* ut aliquis apud Aben-Ezram. Prius probo. ubi רגע altera significatione *movendi* sumitur, notat proprie *concitare*, motum in rem aliquam inducere. *ταράσσειν turbare*, transpositis literis ex גרע, ut conjicit Forsterus. Exemplum est in hoc *Sermone* ℣. 15. *Ego Jehova* רגע הים CONCITO *mare.* motum induco. Quinto, verba hujus loci: *in* LUCEM *Populorum:* sonant in prophetiis parallelis [c]: *ambulare in* LUCE JEHOVÆ. Item [d]: *Dedi te in fœdus Populi, in* LUCEM GENTIUM. Rursus [e]: *Dedi te* (Messiam) *in* LUCEM GENTIUM. Intelligis itaque, hæc esse verba Messiæ, Popellum suum erigentis solatio ex instante Vocatione *Gentium*, per Doctrinam suam illuminandarum, quæ Ecclesiæ magnum adderent decus.

Articulus alter ℣. 5. huic consonus, his signatur verbis: *Propinqua est justitia mea: exiit salus mea.* Id valent Hebræa: קרוב צדקי יצא ישעי. Et vertit tamen Hieronymus: *Prope est Justus meus; egressus est Salvator meus.* non sane quod aliter legerit ac nos; sed quod sibi licere existimaverit, versionem ad sensum, quem mente conceperat, accommodare. Sed plane hic aberravit à linea. Præterquam enim quod hæc durior sit inflexio, à simplicitate Hebrææ orationis discedens; cum ipsius Messiæ hæc sit oratio, ut ex attributis ejus jam evicimus, & mox amplius etiam liquebit: sensum orationis invertit. Et tamen cum versio faveret Grotio: nihil Ille de ejus vitio monens, adscripsit: *Prope est* JUSTUS MEUS.] *Veniet Cyrus, cultor unius Dei, qui Populum meum liberabit.* Cyrum Principem fuisse *justum*, largior sane, & evici: sed eundem appellari *Justum Dei*; & quidem *Justitiam Dei*, estne probabile? Doctius Piscator per *Justitiam Dei* hic intelligit ipsum *Beneficium* Ἀπολυτρώσεως; idemque hoc loco valere quod *Salutem.* Idem certe teneo; sed quod ipse hic intelligat Beneficium *Redemptionis ex Exilio Babylonico*; id ipsum est quod me ab ipso divido. Quanto nobilior est ἡ Ἀπολύτρωσις REDEMPTIO, procurata sanguine Filii; fundata in rationibus Divinæ Justitiæ, Æquitatis, Gratiæ, Fidei, ex qua una nascitur JUSTITIA *peccatoris*, & *Jus* æternæ Vitæ; & per Justitiam vera SALUS: tanto, faventibus circumstantiis, hic verius cogitamus de Beneficio *Redemptionis vera* quam *typica*. Nihil hic amplius adscribo. Declaravi enim *utramque notionem* ad Cap. XLVI. 13. quem locum frustra non inspexeris. Solummodo observes, voce יצא EXIRE, quæ hic tribuitur *saluti*, alludi ad *Solem*, qui mane ubi oritur, censetur *exire*, & sensim in progressu altius exurgit usque quo veniat ad altissimum gradum: perinde ut se res habet cum *salute Jehovæ.*

Articulus tertius: *Et brachia mea Populos judicabunt.* Hæc verba, ut opinor, præcipue induxerunt Interpretes ad Redemptionem *Babylonicam* hoc loco potius respiciendam quam *Spiritualem* & *veram*, cum suis effectis. Sed sane absque ratione. An enim *redemptio Populi Electi* ex Ægypto spirituali, & *Salus Dei* procurata à Christo Jesu & vulgata per Verbum Evangelii non erat conjungenda, an non fuit conjuncta cum Judiciis Dei in hostes suos, Evangelio immorigeros, aut *exitum* Populi Dei ex Ægypto spirituali *impedire* conatos? Utique pare passu incedere debebant שנת רצון ליהוה *annus complacentiæ Jehovæ*; & יום נקם *dies vindictæ Dei nostri* [f]. Vates noster in prophetia de *Regno Messiæ*, liquidissimi sensus, Cap. XI. 1. seqq. id jam supposuerat, & docuerat. Ut Populus Dei olim liberatus non fuit ex Ægypto, nec ductus in Canaanæam, absque insignibus Judiciis, quæ Deo visum est pro justitiæ suæ rationibus hostibus ejus infligere: parili conditione & pretio constaret Redemptio spiritualis, & Occupatio hæreditatis Mundi: in quo argumento decurrit excellens *Ode* LXVIII. Quid autem hic in historia liquidius? Judicium terribile inflictum Judæis contemptoribus Evangelii; & plagæ manifestariæ, quibus percussum & tantum non prostratum fuit Romanum Imperium, cum stupore Orbis totius, antequam Doctrinam Evangelii susceperit, cujus *brachiis* adscribes, quam potentissimi Regis Ecclesiæ Christi Jesu, *sedentis ad dextram sui Patris?* Certe ipsus nos docet, se in hisce judiciis respici velle [g]. Observa emphasin in voce *brachiorum.* Significatur vindictæ magnitudo. *Filio Dei* adscribuntur, Deut. XXXIII. 27.

Articulus quartus: ME *insulæ* EXSPECTABUNT, *& in* BRACHIO MEO *sperabunt.* Eadem Persona, quæ phænomenis Justitiæ suæ se terribilem exhiberet hostibus suis: objectum esset exspectationis, spei, & fiduciæ Gentium, quæ fidem in nomen ejus susciperent, & se morigeras præberent *Evangelio*, in quo demonstratur *brachium* Jehovæ. Estne vero quod hic dicitur aliud, ac quod de *Servo Jehovæ*, h. e. Messia vero, Cap. XLII. 4. *Et* LEGEM EJUS (Doctrinam ejus) *insulæ exspectabunt.* Nimirum Objectum spei fiduciæque suæ

Doctrina Evangelii quare hic & alibi *Lex* dicatur? Illustratur ex analogia.

Est *Lex exiens à* MESSIA.

Judicium h. l. est æqui canon. Quod declaratur.

Locus Cap. XLII. 1. cum hoc collatus.

Significatio & emphasis vocis הרגיע h. l.

Versiones aliæ hic collatæ.

Effectus ejus, *Lux Populorum.* Qui est effectus Evangelii.

Articulus alter, ℣. 5. *Propinqua est justitia mea, &c.*

Versio Hieronymi. Quæ improbatur.

Interpretatio Ill. Grotii.

Et Piscatoris. de utraque judicium.

Justitia Dei hic est ipsum Beneficium *Redemptionis.*

Articulus tertius: *Brachia mea populos judicabunt.*

Quomodo conveniat hypothesi *Redemptionis* spiritualis?

Comparatio Liberationis Populi Dei ex Ægypto, & Liberationis spiritualis.

Exempla ejusmodi Judiciorum.

Artic. quartus: *Me insulæ exspectabunt, &c.*

[a] Rom. XVI. 26. [b] Rom. III. 27. [c] Cap. II. 5. [d] Cap. XLII. 6. [e] Cap. XLIX. 6. [f] Cap. LXI. 2. [g] Matth. XXVI. 64.

Locus Rom. XV. 12. cum hoc loco collatus.

suæ facient Eum qui Verbo Evangelii commendatur ut *Rupes salutis*. Apostoli verba sunt ad *Romanos* [a], ubi demonstrat ex prophetiis conversionem & fidem Gentium: *Et rursus Jesaias dicit: Erit Radix Jesse, & qui exurgat ad imperandum Gentibus: ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν.* IN IPSO GENTES SPERABUNT. Equidem leguntur hæc verba apud Græcum Int. Cap. XI. 10. Sed Hebræa ibi minus Græcis respondent, quam in hoc loco. Quicquid sit, verba accipi nequeunt, nisi sensu laudabili.

Quid sit *Exspectare Jehovam, & in eo sperare?*

Exspectare Jehovam [b], & *in ipso sperare*, involvit omnem actum veræ Religionis. Est Deum continuo in oculis habere & respicere; ejus fidere gratiæ, potentiæ, veracitati; implementum promissorum gratiæ ab ejus *potentia & gratia* humili animo patienter exspectare. Quem actum si ad Christum Jesum vertas, quod hoc in loco fit: est, omnem salutem suam Christo Jesu committere; in ejus *brachio*, h. e. potentia & gratia, omnem spem suam collocare; & inprimis *complementum* illius *salutis*, novissimo Die revelandæ, ab ipso in fide & spe exspectare. Id est Apostolo, ἐλπίζειν ἐν Χριστῷ IN CHRISTO SPERARE [c], qua ῥήσει complectitur omnem Religionem, qua homo saluti suæ intentus ex Lege Evangelii erga Jesum Christum defungitur. Cum enim summum momentum salutis & gloriæ, ab ipso impetratæ, & credentibus in ipso promissæ, hactenus in eos collatum non sit; sed futuro & novissimo tempori in consummatione Sæculorum illigatum: *manet* adhucdum in hac Oeconomia *spes*, ex dicto Apostoli [d]. Sed quid hic multis opus? Quod hic legitur, in ipsis nobis impletum est. Quis enim præter Christum Jesum Servatorem *exspectationi spesque* nostræ objectus est? Quare itaque malimus verba quæ in Christo Jesu verissimum implementum habent, de Christo non intelligere? Vide autem quàm se impediant qui id tenent. Grotius verba hæc nostra, *Me insulæ exspectabunt, &c.* sic παραφράζει: *Persæ mari adsiti à me sperabunt victoriam. Persæ, ut ante diximus, nullas habebant imagines quas colerent.* Non est digna commentatio ingenio tanti Viri, qui ipse hæc verba signans satis intelligere potuit, se hic nemini satisfacturum; & potuisset sane se hic aliter expedire. Estne tam credulus & stolidus homo ullus inter literatos, qui sibi persuaderi patiatur, *Persas* venire, stylo Prophetico, nomine *insularum?* Eosdem, licet *imagines nullas* colerent, propterea recte dici coluisse *verum Deum Israëlis?* Si Persæ, victore Cyro, occupaverint *maritima Asiæ:* (illuc enim putem Virum illustrem alludere:) estne probabile, Jesaiam, qui hac voce frequens utitur, eadem designare voluisse *Persas?* Populi occidui, siti ad mare, Asiani, Græci, Peloponnesii, Cyprii, Rhodii, Cretenses, Siculi, Itali, Afri, Galli, Hispani, hoc nomine veniunt Prophetæ nostro, ut sæpe monui. Sunt hæc valde paradoxa: & tamen non minus paradoxum mihi visum est quod hic adscripsit Piscator ad vocem INSULÆ: *Israëlitæ in Regionibus Assyriæ captivi.* Vix fisus sum legens meis oculis. Advocet Vir Doctissimus ad hanc interpretationem suadendam *Metonymiam*, & *Synecdochas duas*, (id enim subjungit:) quomodo tandem, qua arte, & specie μεταμορφώσεως, ex *Insulis* faciet *Israëlitas in Regionibus Assyriæ captivos*, ubi *insulæ* nullæ sunt? In *Tigri* enim quæ sunt, hic respici, nemo dixerit.

Speciatim cum respectu ad Christum Jesum?

Involvit omnem actum Religionis.

Paraphrasis Grotii.

Quæ rejicitur.

Alienissimæ hypotheses ei substratæ.

Quid Vati nostro sint *Insulæ Maris?*

Piscatoris non minus paradoxa annotatio.

(b.) Ex *Abolitione* Oeconomiæ Veteris, & *Constabilitione* Novæ.

(b.) *Abolitio Oeconomiæ Veteris*, ℣. 6. *Attollite in cœlum, &c.*

℣. 6. *Attollite in cœlos oculos vestros, & intuemini in terram deorsum.* COELI *instar fumi contabescent*; & TERRA *instar vestis veterascet*; *& incolæ ejus instar vermiculi morientur: sed salus mea in æternum erit, & justitia mea non prosternetur.*] Emphatica est sane & fortissimæ enunciationis sententia, amplissimum involvens sensum, quo quo modo sumatur. Meditanti eam primo in mentem venit, id dicere Prophetam; Etiamsi *cœli & terra perirent: salus* tamen & *Justitia mea æternum manebunt.* h. e. promissa quæ Ecclesiæ dedi de *Justitia & Salute* à me adducenda indubium eumque sempiternum sortientur effectum. Secundum quem sensum Vates non dicet, *Cœlos & terram peritura esse*; sed, hyperbolico loquendi more; si futurum esset, ut alterutrum horum deficeret, prius futurum esse ut cœlum & terra perirent, quam ut *Beneficium Redemptionis*, Populo promissum aut decretum, falleret. Sic Josephus Kimchi, conferens hic locum Jer. XXXI. 36. *Si aboleantur* STATUTA HÆC (statuta Solis & Lunæ, dierumque, noctium, & mensium vicissitudines,) *à facie mea, ait Jehova: etiam Semen Israëlis coram me cessabit esse Gens, & seqq.* Respondet dictum Domini apud Matthæum [e]: *Usque dum præterierit cœlum & terra*, JOTA UNUM, *aut unus apex, non præterierit de* LEGE, *usque quo omnia facta fuerint.* Non est spernendus sensus; quem Pintus & Sanctius amplectuntur. Sed cum verba, ut hic effata sunt, majus quid & amplius apta sint significare: quid inhibemus eorum vim potestatemque? Secunda itaque hic locum obtinere potest sententia; Prophetam hic omnino in oculis habere certos *cœlos*, certamque *terram*, non κατὰ γράμμα sed *figurate* & *mystice* sic dicta, (h. e. Oeconomiam aliquam, sive *Politicam*, sive *Politico-Ecclesiasticam:*) quos *cœlos* quamque *terram*, hic doceat disparitura atque abolenda esse, dum interea temporis *Justitia & Salus Dei* æternum sint perstitura. Sic verba Prophetæ accipit Maimonides in *More Nevochim* [f], eaque comparat cum emblemate Cap. XXXIV. 4. & analogis locis pluribus; etsi plane præter rationem omnem hic censeat agi de casu Senacheribi. Tertio denique, cum ex consentiente doctrina Scriptorum Sacrorum pateat, τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου παράγειν, *speciem hujus mundi interire* [g]; *cœlosque & terram qui nunc sunt, asservari igni; & cœlos olim cum stridore interituros; elementa* vero *æstuantia solutum iri; terramque & quæ in ea sunt opera, conflagratura*, verbis Petri [h]: verba Jesaiæ hunc dare possunt sensum; futurum aliquando esse, ut Systema & Compages Mundi, qua *forma* nobis hoc tempore obversatur, dissolvatur, ac notabilem subeat mutationem; sed *Justitiam* illam & *Salutem* Messiæ, de qua hic mentio fit, omnino fore *æternam*, sive æterna producturam effecta in omnibus *Subjectis*, eam participaturis; imo vero tum potissimum revelandam esse & vim suam exerturam, quando Sæcula, quæ nunc in cursu sunt, terminum suum attigerint. Hieronymus ita accepit, quem plures sequuntur. Inter Hebræos Jarchius, in *altera* quam exhibet *interpretatione* hujus dicti, huc vergit; & Aben-Ezra, *Solidioris sapientiæ studiosos*, ait, *ex hoc loco recte colligere, animas æternum superfuturas.* Ego sic edoctus sum, nullam emphasin in expositione Divinæ orationis negligere: quare etiamsi prima, quam exhibui sententia, quæ hæc verba *comparate* accipit, satis sit liquida: non ausim tamen iis majorem emphasin negare. Quin sane verba sententiæ sic constructa sunt, ut legenti ultro majus quid subjiciant. Summa autem emphasis ea est quam tertio loco exhibui. Magnifica & sublimis oratio est, Systema hujus Universi vel solvendum vel notabilem subiturum variationem; sed *salutem & Justitiam Messiæ* in Populo ejus æternum sortituram esse effectum. Proxime huc accedit dictum Joannis [i]: *Porro mundus præterit, & cupiditas ejus: sed qui præstat voluntatem Dei*, MANET IN ÆTERNUM. Phrasi Domini [k]: *Mortem non videbit in æternum.* Constat, loqui Joannem de *Mundo*, tanquam subjecto & instrumento *vanitatis & corruptionis:* qui ejus respectus magis est *moralis* quam *physicus.* At non Σχῆμα tantum, verum etiam Σύσημα *Mundi* non nullam, respectu

Verba Vatis videri queant *hypothetice* accipi posse. *Facilius* perdat *cœlum & terra* quam *Verbum meum.* Loca analoga.

Verba quid majus significant.

Propheta hic loqui potest de *cœlis & terra* sic *figurate* dictis.

Sententia Maimonidis in *More Nevochim.*

Vel de abolitione *cœlorum & terræ* futura novissimo die.

Auctores posterioris sententiæ.

Canon interpretandarum prophetiarum.

De postrema interpretatione judicium.

a Cap. XV. 12. b Jer. XIV. 22. Hos. XII. 7. Mich. VII. 7. Ps. CXXX. 7. c 1 Cor. XV. 19. d 1 Cor. XIII. 13. e Matth. V. 18. Confer Luc. XVI. 17. f Part. II. Cap. XXIX. g 1 Cor. VII. 31. h 2 Cap. III. 7. 11. 12. i 1 Joh. II. 17. k Joh. VIII. 51.

h. e. cum *perſecutionibus ſanguinariis*, quas ſubire oportebat Sanctos, quotquot ejus communionem deſerere parati erant. Adverſus quem metum gravioris mali cum Eccleſiam conſolaturus eſſet, (quæ *Conſolatio* incipit ℣. 12. ſeqq.) introducit hic in anteceſſum *Chorum Sanctorum*, Deum Votiva prece interpellantem, ut Qui olim in Populo ſuo vindicando ex Ægypto corporali ſpecimen ediderat ſummæ potentiæ juſtitiæque ſuæ in hoſtibus ſuis profligandis cum ſalute ſuorum: idem quoque hoc tempore exerat omnipotentiam ſuam in proſternenda *Ægypto ſpirituali* Romani Imperii, *ejuſque poteſtatibus*; & in *exſiccando Mari Rubro*, h. e. infringenda vi perſecutionum ſanguinearum, quibus ſpirituale hoc Imperium errores Religionis ſuæ corruptæ defendebat. Cui *Apoſtrophæ* votivæ, (comprehenſæ ℣. 9. 10.) aptat *Reſponſum* ℣. 11. quo docet, Deum annuiſſe Voto Sanctorum, & curaturum ſua providentia, ut Eccleſia à ſe redempta, in eo tandem ponatur ſtatu, ut communionem Fidei ſuæ cum ſumma libertate, ſecuritate, lætitia, profiteri queat. Quod *Reſponſum* Spiritus S. ad *Apoſtrophen* Chori Sanctorum ſequenti conſolationi tanquam baſis ſubſternitur. Duo mihi hic agenda incumbunt. Senſus verborum *Apoſtrophæ*, eique ſubjecti *Reſponſi*, à me declarandus eſt; & *figura*, quæ ipſi *Apoſtrophæ* ſubeſt, exponenda.

Summa ejus.

Ordo tractationis.

Ad intellectum *Apoſtrophæ* prima quæſitio eſt, Cui *perſonæ*, vel *Corpori* aut *Cœtui* perſonarum, conveniat? Reſpondeo hic, non opus eſſe certam hic perſonam aut perſonas demonſtrari, cui *Apoſtrophe* aptetur, cum oratio ſit figurata, & *Apoſtrophe* ipſa in ſe habeat *figuram*; ut modo præmonui. Verum, ſi quis *Subjectum* quærat, cui *Apoſtrophen* aptet: ajo, convenire eam *Cœtui Doctorum* ſive *Choro Sanctorum* illuſtrium, ardentium zelo Divinæ gloriæ & ſalutis Eccleſiæ, qui Doctores & Sancti partem Eccleſiæ faciunt. cui *Subjecto* alias quoque attribui *Apoſtrophas*, quæ in ſuperioribus *Concionibus* ſatis frequentes nobis obvenerunt. Confer proxime monita ad Cap. XLIX. 13. ubi *Apoſtrophas* antecedentium *Sermonum* quoque commemoratas videbis. Dirigitur autem *Apoſtrophe* ad זרוע יהוה BRACHIUM JEHOVÆ; tanquam ad *Perſonam*; &, quod rarius, non deflectit ab hac figura. Cum enim ad Deum verſa oratio dicere deberet, *Nonne* TU *is es* QUI *cacidiſti Ægyptum: genere* accommodato ad vocem זרוע *brachium*, ait, *Nonne tu* ILLUD *es*, ſc. brachium? Interpretatio Græca ſic exhibet ſententiam, acſi oratio verteretur ad *Hieroſolymam*. Sic hoc tempore legitur: Ἔξεγείρε, ἔξεγείρε, Ἰερουσαλήμ. Vitium vetus eſt, de quo jam conqueſtus eſt Euſebius; ſimul monens, reliquos Intt. ſummo conſenſu edere, Βραχίων Κυρίε *Brachium Domini:* perinde ac eſt in *Lectione Hebraa*. Reſpexit, ſive Interpres ipſe, ſive Librarius, qui eum maculavit, verba Prophetæ Cap. LII. 1. ſed craſſiſſima imperitia. Interim eſt *Apoſtrophe* ad *Brachium* DOMINI inſolentior; nec putem, alibi occurrere. Sed amat id genus figurarum Vates noſter; ubique grandis, & nihil vulgare ſonans. Non eſt itaque mirandum, eſſe ex Doctis Viris, hunc locum commentatis, qui per BRACHIUM JEHOVÆ, quod hic appellatur, intellexerunt ipſum FILIUM DEI, quem Apoſtolus appellat Θεῦ δύναμιν *potentiam Dei* [a]. Sublimis eſt meditatio, quæ nihil habet alienum à natura ipſius rei; de qua in hoc loco agitur. *Vindiciæ* enim Poſterorum Jacobi ex Ægypto factæ ſunt à *Filio Dei*. Verum ubi loca Prophetæ aliorumque Scriptorum S. in quibus mentio fit *brachii*, *dextræ*, aut *manus Jehovæ*, inter ſe contuli: non potui obſervare, illos huc directe reſpexiſſe. *Filius Dei* ſive Meſſias ipſe ℣. 5. ſibi tribuit *brachium:* & de ipſo dictum erat Cap. XL. 10. BRACHIUM EJUS *dominabitur*. Malim itaque *brachium Jehovæ* hic *figurate* capere, ut paſſim pro *attributo Dei*. Notat metaphorice *vim*, Deo propriam, non externam, ſed *internam*, ex ipſa Dei natura exilientem, qua ſibi *omnia poteſt ſubjicere*; ac proin inſtar Heröis terribilia edere effecta tam in vindicandis ſuis, quam in proſternendis hoſtibus. Eſt enim metaphora hic ſumpta non à quibuſcunque effectis *brachii robuſti:* ſed à *brachio exerto* Heröis; nudo brachio & manu, more antiquo, ſe oſtentantis in prœlio, ad vindicias ſuorum. Vates in ſequentibus appellat *brachium roboris Dei* [b], & in *ſuperioribus* [c] jam aliquoties uſus fuerat hac locutione. Ab hac *vi* ſive *robore* Dei per *metonymiam* aut *ſynecdochen* Jeſaias ipſum appellat Deum, & illud Dei attributum veluti à Deo ipſo dividens per προσωποποιΐαν appellat. ut adeo in hac una phraſi triplex figura inſit. Eſt autem figura hæc *metonymiæ* in Verbo Dei uſu vulgata. Sume exemplum ex analoga, Pſ. CXVIII. 15. 16. DEXTRA JEHOVÆ *efficit facinora*. Per *dextram* hic intelligis *Potentiam* & *vim* Dei: per *vim Dei* Deum ipſum per naturam vi omnipotente armatum. Ergo quod hic dicitur, *Excitare brachium Jehovæ!* idem utique eſt acſi diceret Chorus Sanctorum: O Deus, in quo vis ineſt & robur inſuperabile!

Cui Subjecto hæc tribuenda ſit Apoſtrophe?

Objectum Apoſtrophæ. Dirigitur ad *Brachium Jehovæ*.

Cui *Subjecto* in eodem *genere* oratio *aptatur*.

Vitium interpretationis Græcæ.

Refert *Apoſtrophen* ad Hieroſolymam.

Apoſtrophe minus uſitata.

Vett. hic per *brachium Jehovæ* intellexerunt *Filium Dei*.

attributa Dei.

Notatio ejus declaratur.

Jeſaias h. l. *Deum* ab hoc *attributo* appellat.

Oratio ipſa conſtat *protaſi* & *apodoſi*. Sed *apodoſis* hic, ut in variis aliis caſibus, negligitur, quia à prudente lectore facile ſuppleri poterat. Integra oratio in hunc modum concipienda eſt: *O Brachium Jehovæ*, quod olim magnifica adeo facinora edidiſti in liberando Populo Jacobæo ex Ægypto: *ſuſcitare iterum*, ut ſimilia edas facinora in vindicando Populo meliore, empto ſanguine Filii Dei, à poteſtate Ægypti ſpirituali, h. e. Imperii Romani, ſedis & throni Satanæ, ut tandem aliquando perveniat ad ſtatum ſecuritatis, quo tibi cum lætitia ſerviat. Id mihi videtur ſimpliciſſimum: ſed de quo mox diſtinctius aliquid monebo ad ℣. 11. Liceat mihi ſaltem nunc admittere hanc hypotheſin: ſecundum quam Verba Prophetæ, quæ τὴν Πρότασιν exhibent, curſim exponam; & ad Ἀπόδοσιν neceſſaria adſcribam.

Structura orationis integra, quomodo concipienda ſit?

EXCITARE, EXCITARE, Brachium Jehovæ!] Ἔξεγείρε. Id proprie notat vox עורי. Hieron. *Conſurge*. Jun. & Piſc. *Evigila*. Res fere eodem redit: ſed α. *Evigilare* Hebræis proprie dicitur הקיץ. β. *Brachium*, duriore metaphora, *dormire* fingitur. Sed rectiſſime *excitari* dicitur *brachium*, quod otioſum eſt & veluti torpet. Significatur his verbis, α. Agi hic de *Liberatione Eccleſiæ* efficienda per *Potentiam Dei*. β. Longum tempus dilata & exſpectata, ut *brachium Domini* cenſeri poſſet *torpere*. γ. Eaque plane neceſſaria, quippe quod innuitur geminata voce עורי *Excitare, excitare*. Non eſt itaque hic cogitandum de illa Eccleſiæ Redemptione quæ facta eſt *morte Chriſti:* ſed de *effecto* illius, h. e. de Liberatione Eccleſiæ quæ vi mortis Chriſti fieret per *potentiam ejus* à vi Romani Imperii eam detinentis in moleſta ac laborioſa ſervitute, de qua Apoſtolus ad Romanos: *Deus conteret Satanam cito ſub pedes veſtros*. Oratio convenit Eccleſiæ, ſub Paganis Imperatoribus laboranti, & anhelanti ad hæreditatem Mundi ſecure poſſidendam, uſque ad Conſtantinum; eſtque hoc in loco præcipuus reſpectus Perſecutionis Diocletianeæ. Sed totum hoc tempus, univerſus hic ſtatus Eccleſiæ complexe ſumitur. Confer Pſ. XXXV. 23.

Paraphraſis verborum. ℣. 9. *Excitare, excitare!*

Verſio Hieronymi.

Metaphora exponitur.

Hypotheſes hujus precationis.

Agitur hic de *Liberatione* Eccleſiæ efficienda à Divina Potentia, & quidem à vi Romani Imp.

INDUE ROBUR.] לבשי עז h. e. Exere *robur*, quod in te eſt, & illuſtribus facinoribus à te edendis tibi concilia *decus*. Heröes manus in prœlio cum hoſtibus conſerturi, *brachia exerebant* & *denudabant*, quo alluditur Cap. LII. 10. unde frequens adeo mentio in Scriptura *exerti brachii* [d]. Sed ubi exertum nudatumque brachium omnes vires roburque ſuum in certamine oſtentabat, & *fortibus factis* ſibi conciliabat *laudem*, (quæ ipſa quoque ſignificatio latet in voce עז:) tum vero dicebatur *induere robur*. Inde Vates noſter Cap. LXIII. 12. *Qui* BRACHIUM DECORIS SUI, (תפארתו *laudis*, gloriæ ſuæ,) *fecit incedere ad dextram Moſis*. Cætera, memini Doctos Viros obſervare, *armillas*

Induere robur. Phraſis, & res ipſa declaratur.

Quæ tamen expoſitio non confirmatur ex analogia Scripturæ S.

Rectius hic ſumitur pro

[a] 1 Cor. I. 24. [b] Cap. LXII. 8. [c] Cap. XXX. 30. XXXIII. 2. &c. [d] Exod. VI. 6. Deut. IV. 34.

millas quoque fuisse inter *ornamenta militum*, sive *dona militaria* quibus strenui milites honestabantur [a]. Sed non putem illuc alludi.

Excitare ut diebus antiquis; generationibus seculorum.] h. e. ut antiquo tempore, tot retro lapsis sæculis, quando Populum tuum ex Ægypto vindicasti. Comparatio mox elucidabitur. Ad phrasin ipsam, usu satis notam, nihil adscribo.

Nonne tu illud es, quod CONCIDIT *Ægyptum? lethaliter vulneravit* DRACONEM?] Sic vertenda Hebræa. הלוא אתי היית המחצבת רהב מחוללת תנין Vocem רהב RAAB hic, ut Ps. LXXXVII. 4. LXXXIX. 11. interpretandam esse per ÆGYPTUM, h. e. Ægyptum inferiorem, τὴν Δέλτα dictam à Nilo Fluvio infra Memphin in varios alveos scisso irrigatam; sedem *Pharaonum* illorum qui Populum Dei durius habuerunt: jam viderant ante Bochartum [b] Docti; sed post ejus operam, in summa positum est luce. Ipse hujus loci contextus fidem facit hypothesi; & Propheta illuc jam alluserat Cap. XXX. 7. quare merito miror, Cl. Coccejum, hujus observati non ignarum, hic posuisse *ferociam*. Si enim vel maxime hic sub ipso nomine רהב ad *superbiam* & *ferociam Pharaonis* alludatur: impedit tamen versio Interpretem, & verum sensum Prophetæ obscurat. Notio autem הצב hic verissime adhibetur ad describenda judicia quibus Deus Ægyptum afflixit. Notat κατὰ πλάτος cædere, excidere, ut vidimus ℣. 1. sed proprie CONCIDERE, cædendo imminuere. Vett. Intt. λατομεῖν, κατακόπτειν. Sic Deus suis judiciis exercuit Ægyptum. non destruxit eam plane ac perdidit: sed gravissime afflixit, imminuit, depressit. Poëta facer [c]: *Tu* רהבת CONTRIVISTI, (prostravisti, comminuisti,) RAAB *instar* CONFOSSI. In altero membro: *Vulneravit* DRACONEM: pariter extra dubium ponendum est, per תנין DRACONEM Leviathanem, hic primo sensu intelligendum CROCODILUM, (quod ipsum quoque ὁ πάνυ recte observaverat [d]) in Fluvio Nilo regnantem, ut sane luculenter patet ex Ezech. XXIX. 3. XXXII. 3. & ex dictis de hac voce ad Cap. XXVII. 1. tum quoque, vocem מחולל hic vertendam per *confodere*, *occidere*, *lethaliter vulnerare*. Excurri late in hanc significationem vocis חלל & מחולל in alio, eoque gravissimo argumento [e]; estque reddenda ratio hujus nostræ diligentiæ ad Cap. LIII. 5. Sic jam præiverat Hieronymus; & tamen Jun. Trem. Pisc. maluerunt: *Dolore affecerunt balænam.* inficete profecto, & frigide. Respici hic *Pharaonem*, mersum aquis Maris Idumæi, quem Ezechiel ut תנין *Crocodilum*, in fluviis suis dominantem, infert: omnes consentiunt, idque tenendum est: licet dubitandi caussa sit, an *prima plaga* Ægypto inflicta, *aquarum versarum in sanguinem*, unde *piscium* quod erat in Nilo, *expirasse* dicitur [f], non læserit quoque aliquos *Crocodilos*. Nec tamen id asseverare ausim, cum historia id exerte non doceat; & satis constet, Crocodilum animal esse amphibium.

Nonne tu illud es quod concidit Ægyptum? Vox רהב hic notat *Ægyptum inferiorem.*

Versio vocis per *ferociam* non probatur.

Usus vocis חצב.

Quid hic intelligendum per *Draconem*?

Significatio vocis חלל.

Aliorum interpretatio non laudata.

℣. 10. *Nonne tu illud es, quod* EXSICCAVIT *mare, &c.*] Nihil in hoc *commate* est quod pergenti ad difficiliora moram adferat, sive quod ad phrasin Prophetæ; sive quod ad rem. Alluditur enim ad notissimam historiam siccati ex Dei voluntate Sinus Arabici, ut transitum præberet Populo Dei excedenti Ægyptum, à Pharaonis copiis arctissime presso [g]. Kimchius observat, vocem הַיָּמָה, cum duobus *Paschtin*, accipiendam in forma *præteriti*, tono fixo in *prima syllaba*; ac proinde præfixum ה hic accipiendum pro אשר, perinde ac in voce הבארה, Gen. XLVI. 27. quæ observatio bona & solida est.

Alluditur hic ad Plagas Ægyptias.

℣. 10. *Nonne tu illud es quod exsiccavit mare?* Refertur ad historiam Veterem.

Observatum aliquod Kimchii.

Ἀπόδοσις hic negligitur.

Hucusque ἡ Πρότασις. quam excipere ilico debebat Ἀπόδοσις, fere in hanc formam: Ergo cum *Populus tuus*, anhelans ad *hæreditatem* Mundi, nunc fere iisdem circumscriptus sit circumstantiis quibus Jacobidæ antiqui temporis: cum inclusi sint Imperio Satanæ, cujus typus est in Imperio Romano, quod Ægypti imaginem reddit: cumque objectum sibi habeat *mare sanguinariarum persecutionum*, Populum tuum absorpturum, nisi providentia tua intervenias, & illud exsicces: præsta Populo tuo Redempto novo idem Beneficium quod olim, eundemque felicem malorum, quæ merito metuit, exitum! Hic sensus latet in *Precatione Votiva*, quocunque modo accipiatur: sive hæc verba cum *sequente commate* immediate conjungas; sive *sequens comma*, tanquam *Responsum Dei* ad hanc supplicationem, accipias: de quo mox disputabo. Exemplum enim *Liberationis Populi Judæi ex Ægypto* antiqui temporis hic in medium produci non poterat; nisi ex hac hypothesi quod inter *Statum* utriusque Ecclesiæ analogia intercederet. De hypothesi autem nulla hic est dubitandi ratio. Doctores Judæi ipsi ita persuasi fuerunt, *Redemptionem Populi Dei* efficiendam à *Messia* similem fore quod ad modum & circumstantias, *Liberationi Populi Israëlitarum ex Ægypto*, idque alibi [h] ex Abarbenele demonstravi. Scriptores quoque N. T. hanc meditationem roborant [i]; & inprimis *Apocalypsis*, quæ Imperium Romanum exhibet sub imagine *Ægypti spiritualis* [k]. Michas de Redemptione Ecclesiæ sub Messia loquens [l]: *Ego faciam te videre mirabilia*, UT *quo tempore* EGRESSUS ES EX ÆGYPTO. Sed est hujus typi duplex aspectus: vel mere *spiritualis* & communis omnibus credentibus, qui ex communione Mundi transeunt in communionem Dei; vel *specialis* & *Propheticus*, respectu totius corporis Ecclesiæ, cujus Fata figurata fuerunt per *Fata* Populi Judæi antiqui temporis. quæ posterior contemplatio hujus typi hic obtinet. Secundum quam, α. Ægyptus antiqua, quæ Populum Dei vi detinuit in servitute, quo minus adiret hæreditatem Canaanææ terræ ipsi promissam, eundemque gravius afflixit, typum sustinet *Populi Christi* sub Oeconomia Nova, maximam partem inclusi Imperio Romano, & in eo afflicti. β. Mare Arabicum, (dictum ἐρυθραῖον RUBRUM sive *Edumæum*,) Ægypto objectum, symbolum sustinet *Persecutionum* Publicarum, earumque *sanguinolentarum*, quæ videbantur Ecclesiæ Christi allaturæ exitium: quo vallo idololatria & superstitio vetus se adversus spem Christianismi muniebant. Quarum persecutionum prima fuit Neroniana; sed quæ complementum suum acciperet in Diocletianea, in qua maxime spectanda est. γ. *Exsiccatio* hujus *Maris*, magna tempestate facta, ut transitum præberet Populo Dei ad occupandam hæreditatem Canaanæam: imaginem exhibet abolitionis illarum *cruentarum Persecutionum*, ab Imperio Romano Ecclesiæ intentarum, sub Constantino, magnis motibus Imperii Romani. δ. Et quidem cum interitu publico Rectorum illius Imperii, sævorum Principum Persecutorum, qui Populo Dei aditum ad hæreditatem Mundi intercludere nitebantur: qui ipsis hisce aquis, quas ad exterminandos Christianos concitaverant; ipso hoc quem incenderant, igne, absumpti sunt atque interierunt: ut ex historia notum. Vide me ad Cap. XI. 11. 15. 16. ubi de hoc typo amplius egi. En hypothesin Precum Ecclesiæ, prophetice conceptarum! Quare non erat dubium, quin Deus iis benigno occurreret responso.

Inter *Liberationem* Populi Judæi ex *Ægypto* & *Ecclesiæ* ex *Potestate Satanæ* intercedit analogia.

Imperium Rom. in *Apocal.* appellatur *Ægyptus.*

Locus Mich. VII. 15.

Comparatio inter similia.

Quid *Mare Rubrum* significet in hoc emblemate?

Et illius *exsiccatio*?

Item, *Interitus Pharaonis* & *Copiarum* ipsius?

℣. 11. *Et* REDEMPTI JEHOVÆ *redibunt Tsionem, &c.*] Hebræa verbotenus: *Et Redempti Jehovæ* REVERTENTUR, & VENIENT *Tsionem.* Sed tralatitiæ est animadversionis; vocem שוב, ubi alii verbo jungitur, notare *iterationem* actus. Hebræa, ישובו ובאו valent *Redibunt.* Si tamen placeat integre accipere: nihil renitor. res eadem. Potius est, ut quæramus, quomodo hæc verba cum *superioribus* cohæreant. Vel enim ejusdem personæ, aut personarum; vel diversæ hæc est oratio. Si oratio sit ejusdem personæ, sive Chori, qui votum ad Deum misit: quomodo idem Chorus qui vo-

℣. 11. *Et Redempti redibunt Tsionem, & seqq.* Animadversio Grammatica, ad usum vocis שוב.

Quorum *Subjectorum* hæc sit oratio?

a Vide Dionys. Voss. ad *Cæs. Comm. Bell. Civ.* Lib. III. §. LIII. b *Geograph. S.* Lib. IV. Cap. XXIV. c Ps. LXXXIX. 11. d *Hieroz.* Part. I. Lib. I. Cap. VII. e *Observv. S.* Lib. II. Cap. IX. §. XVIII. & XXV. f Exod. VII. 21. g Exod. XIV. 15. 16. h *Observv. S.* Lib. II. Cap. XVI. § IV. i 1 Pet. I. 18. 19. Act. XXVI. 17. Col. I. 13. k Apoc. XI. 8. conf. Jes. XI. 16. l Cap. VII. 15.

tum effundit ad Deum, sibi ipsi respondere queat; & ipsam se certam facere de voti exauditione? Si diversæ personæ hæc sit oratio: quem usum hic habet præfixa ו in voce ופדוי Et *redempti Jehovæ, & seqq.* A. Ezra difficultatem ita expedit, ut statuat, verba *hujus commatis* cohærere cum primis *commatis* 9. *Excitare; excitare brachium Jehovæ, ...* ET *redempti Jehovæ revertentur, & seqq.* h. e. ET TUNC *revertentur Redempti Jehovæ.* Id, fateor, unum esse, quod hic cum specie dici potest. Sed sequentia hujus *commatis*, quæ *asseverationem consolatoriam* continent ejus quod *futurum* est, huic hypothesi minus conveniunt. Additur enim, *Et redempti Jehovæ revertentur cum cantu, & lætitia æterna erit super caput eorum, & seqq.* Id ajo huic hypothesi minus convenire. Complectuntur enim manifestam prædictionem, non tantum *liberationis* ipsius, verum etiam *modi & formæ* ejus, quæ locum habere nequit in ipsa *precatione votiva.* quod pariter obstat sententiæ Cl. Cocceji, qui verba *optative* accipit, *Et redempti Jehovæ* REVERTANTUR, & seqq. perinde ac Jun. Trem. Pisc. Kimchium sequuti: ITA *revertantur redempti &c.* secundum quam hypothesin hæc verba continerent ἀπόδοσιν ejus quod præcesserat. Non nego hunc usum *præfixæ* ו, quo subinde sumitur pro כן *ita*, significatione *exequationis*; sed eum hic non agnosco, α. Quia ἀπόδοσις hic directe non reddit quod fuit in προτάσει. β. Quia in *Voto* Deo non potest præscribi *modus & forma* status Liberatorum, ut jam prænonui. Ergo rectius multo dicitur, hæc verba complecti RESPONSUM *Dei* sive Spiritus S. ad superiores *preces votivas*; vel SUCCENTUM alterius *Chori*, (qui statui potest *Chorus Prophetarum*, notitia consilii Divini instructorum:) declarantis, Esse omnino Deo propositum idem robur brachii sui hoc tempore exerere in Populo suo vindicando, quod olim exeruerat in vindiciis posterorum Abrahami, liberatorum ex Ægypto. Prius amplector ut simplicissimum, quod toti orationi lumen affundit. Accipe igitur hæc verba ut *Responsum Spiritus S.* ad superiorem Precationem Votivam, sed *elliptice* conceptam. Integra oratio est: *Ita faciam*, (vel, *ita faciet Dominus*,) ET *revertentur Redempti Tsionem, &c.* Sic omnia integra sunt, & inter se concinne cohærent. Ellipses autem in Scriptura S. frequentissimi usus, nihil vitii habent, si ex ipsa oratione suppleri queant. Cæterum verba quæ hic leguntur, ipsissima sunt quæ legimus & pertractavimus ad Cap. XXXV. 10. quare iis exponendis hic supersedeo. Sensus est; fore ut *Redempti Jehovæ*, (h. e. Populus Dei qui Ecclesiam ejus facit sub Oeconomia Nova,) disjecti & afflicti, post furibundos Ecclesiæ hostes, sævosque ejus persecutores, magni Imperii Rectores, Judiciis Divinis prostratos, colligantur, & collecti redeant ad Ecclesias quique suas, & communionem fidei suæ cum summo *gaudio* & *lætitia*, ex veris principiis orta & æternum duratura, celebrent: cujus felicitatis initia Ecclesia vidit sub Constantino, ad quod tempus hæc pericopa pertinet: complementum videbit *extrema* Ecclesiæ *periodo*, ad quam in emphasi retuli prophetiam Cap. XXXV. 10. ut sane prophetiæ de *utroque* hoc *tempore* agentes passim verbis & phrasibus inter se consentiunt. Confer dicta ad Cap. XLIX. 20. 21. 22.

A. Ezræ sententia. De ea judicium.

Perinde ac de ea Cl. Cocceji.

Rectius referuntur ad Deum, cujus *Responsum* hic consignatur ad *Votum* Ecclesiæ.

Ellipsis, quæ huic sententiæ subest.

Sensus sententiæ declaratur.

(d.) Ex *Liberatione Ecclesiæ* è potestate *Hostium* Externorum *Gentilium*, & præcipue *Romanorum*.

Articulus primus.

℣. 12. EGO, EGO *Jehova*, ILLE SUM *qui* VOS *consolatur. Ecquæ* TU ES *quæ tibi timeas ab* HOMINE IMBECILLI *qui moriturus est; & à* FILIO HOMINIS, *qui fœnum evadet?* ℣. 13. Ecquæ tu es *quæ obliviscaris Jehovæ qui te fecit; qui extendit cœlos, & fundavit terram? Quæ omni die continuo expaveſcas propter furorem affligentis?* UBI VERO tandem EST FURUR AFFLIGENTIS?] Finita *Apostrophe*, qua jactum erat fundamentum hujus consolationis, repetitur filum *superioris orationis*, & continuatur Consolatio; quam sive *Patri* tribuas; sive *Filio*, qui in *antecedente perioche* verba fecerat; perinde habeo. Attamen quia in *Apostrophe* oratio videtur directa esse ad *Patrem*, primam caussam & fontem omnis operis gratiæ, omnisque curæ ac providentiæ erga Ecclesiam; & quia Persona Divina hic loquens, se singulari modo & emphasi χαρακτηρίζει: censeo in hac oratione obtinere eandem gradationis speciem, quam Christus Dominus ipse de conservatione suorum loquens, adhibet, apud Joannem; ubi postquam dixisset [a], EGO *vitam æternam do ovibus meis; nec peribunt in æternum; neque quisquam eas rapiet è manu mea*; subjicit: PATER *ille* MEUS *qui eas mihi dedit, major omnibus est; neque rapiet eas quisquam de* MANU PATRIS MEI. Habeat itaque hanc vim & ἔκτασιν oratio; EGO, EGO *Jehova* ILLE *sum, qui vos consolatur.* Sic Apostolus [b]: *Benedictus esto Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater ille miserationum, καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως, &* DEUS OMNIS CONSOLATIONIS. Ejus est in Divinis dicere primo loco & ordine, EGO, EGO. in ipso enim est principium perfectissimæ & independentis Naturæ. cujus *consolatio* summum habet pondus, quod perfectio ejus, vis, potentia, auctoritas, imperium, summum sit. Fieri enim nequit ut consolatio ejus in irritum cadat & exspectationem fallat. Vertit autem *consolationem* ad Populum Christi, ex hypothesi superius demonstrata; quem primo appellat nomine plurium, EGO, *consolator* VESTER, sc. qui amatis *veritatem Evangelii*, & *sectamini justitiam Dei*, & *partem habetis* in *Redemptione Messiæ:* dein nomine *numeri singularis, genere debiliori*; *Ecquæ* TU ES, *quæ, &c.* non hoc tantum respectu, quod *Populus Messiæ* obversatus sit Prophetæ tanquam עדה, כנישא, *cœtus, congregatio*, quæ voces hoc *genere* veniunt; verum etiam quod Populum Christi hic adspexerit ut imbecillum, afflictum, inopem, viduum, orbum, humano omni auxilio destitutum. in quibus pariter casibus usus est hujus *generis*: sume exemplum ex Ps. XVI. 2. Adscripsit Sanctius, eò hic respici quod *timere absque caussa sit ingenii muliebris*, quo nomine vapulat Glassio [c]. Et vere non opus est tam longe quæri quæ in promptu sunt. Summa orationis est; munire Populum Dei adversus *metum*, ipsi intentatum ab adversariis veræ Religionis, eorumque adversariorum Principibus, qui confessores veræ Religionis omni modo nitebantur abducere à fide, vel saltem minis gravissimorum suppliciorum permovere ad fidei suæ *abnegationem publicam.* Patet id ex argumentis quibus Consolator Jehova hic utitur, mox inspiciendis; & favet plurimum huic meditationi phrasis, qua Propheta persecutorum horum *characterem* circumscribit, חמת המציק FUROR COARCTANTIS. Ajo, nullum in humanis casum existere, cui effectus *arctandi, angustandi, affligendi*, (quæ notio vocis מצק hic obtinere debet,) verius adscribatur quam *persequutioni publicæ* quæ instituitur caussa Religionis. Animi hominum meticulosorum, (qui affectus passim inter homines dominatur,) ejusmodi in casu ponuntur in statu gravissimæ luctæ, & vere compelluntur in arctum & angustum. Si caussa corporalium commodorum fidem abnegent; miseri se præcipitant in pœnitendos ac pudendos quoque conscientiæ cruciatus: si fidem masculè profiteantur; arcessunt sibi & toti domui suæ temporalis status ac forturæ eversionem; quod quisque quantum pote evitare velit malum. Propheta usus fuerat de eadem re agens voce æquivalente צר *angustiæ*, θλίψεως, στενοχωρίας, Cap. XXVI. 16. Simon Maccabæus in oratione ad Populum afflictum [d]: *Vos nostis-- τὰς στενοχωρίας, ἃς εἴδομεν* ANGUSTIAS *quas subiimus.* Notio autem חמה FURORIS, *excandescentiæ*, in quos potius competat quam in Principes Ecclesiæ persecutores, à Satana inflammatos, & furibundo impetu in inno-

Nexus hujus *Pericopæ* cum *superiore.*

Oratio hæc commodissime statuitur esse *Dei Patris.*

Loca analoga, hypothesin adstruentia.

Vis vocum; EGO, EGO.

Objectum varie appellatur, respectu *numeri* & *generis.*

Quare hic adhibeatur *genus debilius*?

Orationis argumentum.

Persecutores Ecclesiæ hic appellantur קצים *arctantes.* Propriissimus ejus usus in h. l.

In quas *angustias* homines redigant Persecutiones, Fidei caussa institutæ?

Ut & vocis חמה *Excandescentia*, *furor.*

(d.) Ex *Liberatione* Ecclesiæ è potestate hostium suorum *Externorum.* Artic. primus, ℣. 12.

[a] Cap. X. 28. 29. [b] 2 Cor. I. 3. [c] *Gram. S.* Lib. III. Tract. I. Can. XXI. [d] 1 Macc. XIII. 3.

innocuum gregem sævientes? Illis utique in omni historia propriissime tribuitur. Est enim sane in persecutione publica quid plus quam in qualicunque alio actu quem homines studio singulari persequuntur. Vides hic Principes, etiam Christianæ professionis, quibus vere nulla sæpe cura est Religionis, nullus in eam affectus; qui nullo produnt indicio reverentiam aut amorem veritatis, verum è contrario se volutant libidinum ac scelerum cœno cum Religionis qualiscunque dehonestamento, tanto tamen zelo, tanto studio & *furore* hanc rem agere, ut veram Religionem exterminent, acsi omne fortunarum suarum emolumentum in Religione ponerent. Unde hic zelus, hic *furor*, nisi à Satana, ipsos obsidente, & incendente, *ofore lucis?* Hic *spiritus*, non ratio, non amor Religionis, hunc detestabilem producit affectum. Hæc hypothesis admissa facile nobis persuaserit, hic non agi de Statu Populi in Exilio Babylonico, de quo hic plures cogitant. Ibi enim Ecclesiæ in universum vis illata nulla est caussa Religionis. Placetne itaque potius te convertere ad tempora Maccabaica? Certe, si pericopam per se inspicias: nihil habet quod hanc meditationem refellat: sed superiora nos clare docuerunt, hic agi de Populo Christi, & quidem afflicto, primo à *Judæis*, ℣. 7. 8. & dein à *Paganis*, & ἐιδιῶς à *Romanis*, qui cultissimam partem Orbis terrarum hoc tempore imperio suo obnoxiam habebant. Ergo fige scenam ejus quod hic exhibetur, cum in aliis Persecutionibus quæ intentatæ sunt Populo Christi, primo illo tempore nascentis Ecclesiæ; tum præcipue in *Diocletianea*, gravissima illa, & non hæsitabis in illius interpretatione. Estne qui dubitet, quin imminente ac prævisa tempestate Persecutionis publicæ Populum Christi magnus incesserit *metus?* quin, promulgatis Edictis, multos occupaverit pavor & consternatio? atque adeo quin Christiani necesse habuerint adversus hunc metum ac pavorem muniri? Equidem non est negandum, egregia edita esse ubique constantium veritatis confessorum exempla: verum ex adverso plures omni Persecutionis tempore, non tantum de plebe & turba hominum, verum etiam de ipsis Sacrorum Præsidibus, tentationi succubuerunt. Mitto testimonium Plinii in Epistola ad Trajanum. Cyprianus [a]: *Ad prima statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam prodidit; nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit.* Loquitur de Persecutione Decia-na. Optatus Milevitanus, loquens de Persecutione Diocletianea [b]: *Quid commemorem Laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? Quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi apices & Principes omnium, aliqui Episcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ, illius incertæ vitæ moras brevissimas compararent, Instrumenta Divinæ Legis impie tradiderunt, & seqq.* Alio loco [c]: *Multis notum est & probatum, persecutionis tempore* EPISCOPOS ALIQUOS *inertia a confessione Dei delapsos thurificasse, & seqq.* Adversum hunc metum, has minas Persecutorum, Spiritus S. muniens Populum credentium, *primum* argumentum desumit ex Respectu ipsorum Persecutorum. *Quæ tu*, ait, *ut timeas ab* HOMINE (אנוש) *qui moriturus est, & à* FILIO HOMINIS *evasuro fœnum?* Confer dicta ad ℣. 7. & loca Cap. II. 22. Ps. IX. 20. 21. CXVIII. 6. 8. בן אדם *Filius hominis* est *filius Adami*, facti miseri ac mortalis. Tyranni ac Persecutores, mortales ac morituri, & judiciis Divinis interituri, attingere nequeunt id quod in credentibus immortale est, & partis ipsorum immortalis spem; gloriæ, inquam, & felicitatis æternæ. Sic Dominus ipse suos muniverat [d]. Nec tamen hic tantum cogitandum de mortalitate & fragilitate personarum Principum Persecutorum: verum etiam de *mortalitate* ipsius *Imperii*. Roma Pagana aliquando desineret esse. brevi *exareſceret*; & collum subderet Christo, & successio horum Principum rescinderetur. Alterum argumentum petitur ex Respectu Dei, in quem hoc crimen committeretur, ℣. 13. *Et obliviscaris Jehovæ Factoris tui, expandentis cœlos, & fundantis terram.* Potest sententia vim suam retinere, si singula proprie accipiantur: sed plane non dubito, quin ex sensu Prophetæ sumenda sint mystice. Utique enim Deus in hoc Libro dicitur Populi sui *factor*, sensu mystico, Cap. XLIV. 2. LIV. 5. confer Cap. XLIII. 7. Ps. C. 3. & phrasis, *fundare cœlum, & terram*, mystice accipitur ℣. 16. *Jehova* itaque *factor, expansor cœlorum & fundator terræ*, hoc in loco est Factor & formator *Ecclesiæ* in hisce terris liberæ, quæ facit Populum Messiæ, & *Oeconomiæ Novæ*, statui Ecclesiæ liberæ convenientis. Hæc est ποίησις *novæ creaturæ*; UNIUS NOVI HOMINIS, *conditi in Christo Jesu* [e]. OBLIVISCI hic pertinet ad *idololatriam* [f], & *convitia* Christo dicenda; quibus signaculis meticulosi tempore persecutionis necesse habebant abnegationem Christi Jesu obsignare. Præses ad Polycarpum [g]: Λοιδόρησον τὸν Χριστόν· *Die convitia adversus Christum.* Id gravissimum crimen; Dominum qui nos mercatus est abnegare. Tertium argumentum ducitur ex interitu repentino ipsorum persecutorum: *Et extimescas jugiter omni die propter furorem coarctantis, quando se comparat ad perdendum: & ubi est furor coarctantis?* Vides, vim omnem sententiæ cadere in extrema, *Et ubi est furor coarctantis*, sive *coarctantium?* Verba varie accipiuntur ab Interpretibus; sed certus eorum sensus est, Persecutores & Tyrannos, Ecclesiam gravius affligentes, brevi interituros esse, ut post breve quæri possit, *Ubi sint?* Ipso enim illo tempore, quo *se comparant ad Ecclesiam perdendam*, ipsis jam à Deo paratum est exitium; & subinde in ipsis illis consiliis suis, quibus sibi Ecclesiam exterminare propositum habent, ipsi pereunt, ut modo observabamus ad ℣. 9. 10. & ut res se vere habuit in *Persecutoribus Paganis Ecclesiæ Christianæ*, ut ex historia confecit Lactantius. Jam dixi sæpe, nec dicta repeto. Confer locum insignem Ps. XXXVII. 35. quem Eusebius ipse illuc verissime retulit. Solummodo observabis, phrasin, כונן להשחית *se comparare ad perdendum, exterminandum:* proprie valere, *sagittam in arcu disponere ad aliquem lethaliter feriendum.* confer Ps. XI. 2. Erant autem hæ *sagittæ* ipsa Imperatorum Persecutorum *Edicta*. Subscribo Lactantii verba [h], hisce Jesaianis quod ad phrasin quoque analoga: UBI SUNT *modo magnifica illa & clara per Gentes Joviorum & Herculiorum nomina, quæ primum à Dioclete ac Maximiano insolenter assumpta, ac postmodum ad successores eorum translata, viguerunt? Nempe delevit ea Dominus, & erasit de terra.*

Articulus alter.

℣. 14. EXUL CITO SOLVETUR; *& non morietur in fovea; nec panis ejus deficiet.*] Verba ἀμέσως cum præcedentibus cohærent, facili nexu. Cum enim modo dixisset, tyrannos Persecutores propere disparituros esse: hic explicat & prosequitur dictum, docetque, exules, vagos, sedes suas derelinquere coactos, vel in carcerem missos, non esse perituros; sed *brevi* mittendos in libertatem, & in vita conservandos esse. in quo communi sensu quotquot Interpretum est, facile consentiunt. Sed in phrasi aliquid est quod eruditis hominibus negotium faceſſit. Primum sententiæ membrum Hebraice sic effertur, מהר צערה להפתח; in quo cum dubiæ interpretationis sit vox צערה; est illud subjectum variæ interpretationi. Hieron. *Cito veniet* GRADIENS *ad aperiendum.* Respexit notionem צערה, ut usu venit in emblemate, Cap. LXIII. 1. Coccejus, licet diverso sensu: *Festinavit gradum faciens solvi.* Docet utique Vir Eruditus [i], vocabulum צערה ex genuino suo usu idem valere, quod *contentis viribus* sive *magnis passibus ambulare.* Sed quam significationem ægre aptat loco Jer. II. 20. Alii tamen per קשור vin-

Furor persequentium homines caussa Fidei observatur esse quid plane singulare.

Ejus caussa.

Agitur hic de persecutione Ecclesiæ Christianæ ab Impp. Paganis instituta.

Metus, de quo hic agitur, non disconvenit multitudini professæ fidem Christi.

Locus Cypriani in hanc rem.

Alia Optati Milevitani.

Credentes muniuntur adversus hunc metum, ex respectu *imbecillitatis* Persecutorum.

Locus Matth. X. 28.

Et ex respectu Dei; in quem crimen committitur.

Epitheta Dei h. l. mystice explicantur.

Obliviſci Dei pertinet ad idololatriam.

Ratio alia petita ex repentino eorum interitu;

Phrasis, כונן להשחית unde petita? Metaphora exponitur.

Verba Lactantii, notabilia.

Articulus alter, ℣. 14. *Exul cito solvetur, &c.* Nexus orationis cum superioribus.

Vox צערה in primo membro dubii sensus. Variæ interpretationes Vett. & Recc.

---

a *Serm.* V. de *Lapsis.* *b* De *Schism. Donat.* Lib. I. p. 15. *Edit. Pariſ.* *c* Lib. II. p. 57. *d* Matth. X. 28. *e* Ephes. II. 15. *f* Ps. CVI. 21. *g* Euseb. Lib. IV. Cap. XV. *h* De *Mort. Perſ.* Cap. LII. *i* Cap. LXIII. 1.

vinctum; alii per גולה *exulem* vertunt. Prius Aben-Ezræ est, quem sequuntur Jun. Trem. posterius Kimchii, cui adhæret Piscator. Forsterus aptat huic themati significatum *volutandi*, & instituit vertere hunc locum: *Festinabit volutator, ut aperiretur.* Infeliciter, si quid judico. Nulli locorum, in quibus usus est hujus vocis, (sunt autem quinque,) convenit hæc significatio vocis, si ei presse insistas. Et tamen vel sic mutuatus est hanc expositionem à Kimchio; sed qui eam laxius explicat, ut mox dicam. Hebræi Doctoris verba sunt: ולשון צועה הוא ענין מלטול ונוע ממקום למקום יש בטלטול השבי ויש בטלטול אחר *Vox autem* צועה *venit significatione jactationis*, (volutationis,) *& motus de loco in locum: sive ea jactatio captivi sit, sive qualiscunque alia:* & comparat adeo eam cum voce גלה, quæ valet *migrare*, & *migrare in captivitatem.* Non multum erravit de via. Vox צעה Hebræis, ut opinor, proprie valet *se movere loco, de loco in locum vagari*, si *intransitive* sumatur, ut hoc in loco: si *transitive*, alium *loco movere*, ut adeo vere quod ad potestatem significationis conveniat notionibus ΣΕΙΩ *moveo*; & CIEO. quod Avenarius jam observavit. Speciatim tamen notat, *se movere pedibus*, ut fit in deambulatione & progressione festinata, vel quali quali alio pedum motu. Sic Vates noster de Heroë, quem infra describit [a]: צעה ברוב כחו *Movet se* (procedendo) *pra copia virium suarum.* Apta significationem aliis locis, in quibus usus est hujus notionis; nec fefellerit. Est itaque צועה hoc in loco idem quod גולה, *Exul*, Cap. XLIX. 21. h. e. loco & sede sua motus; vagus; de loco in locum migrans; qui desiderabat התפתח *solvi*, h. e. mitti in libertatem, ut ad sua redire posset. מהר להתפתח *Festinat solvi* idem phrasi Hebræa valet quod *cito solvetur.* confer Cap. XXXII. 4. Quod additur, *Et non morietur in fovea; nec panis ejus deficiet:* sic est accipiendum; Qui Exulum, aut Loco motorum fuerint in *carcere*, aut *fovea*; *in ea non peribunt*; *nec panis eos deficiet:* sed conservabuntur in vita usque ad tempus liberationis. Confer huc historiam Jeremiæ, in *carcerem*, & *foveam* conjecti, & ibidem in magnis angustiis *pane* sustentati, Cap. XXXVII. 21. XXXVIII. 6. & Michæ, 1 Reg. XXII. 27. Hieron. *Et non interficiet usque ad internecionem.* non levi errore. Sed forte in Codice suo vel oculo fugiente, legit ימות pro ימות. Quod ad *implementum Prophetiæ* attinet: historia ejus temporis, in quo versamur, hic est clarissima. Persecutiones fere omnes Rectorum Imperii Romani fuerunt brevis temporis, Deo à Tyrannis Persecutoribus exigente pœnam. Decennalis autem Diocletianea longior varia habuit temperamenta. Maxentius enim in Africa, ante finitum tempus, *Christianis libertatem restituit*, ut exerte Optatus [b]; & Galerius Maximianus, Persecutorum maxime terribilis, à Deo percussus, ante obitum *carceres aperiri* jussit, & *Christianis conventicula*, & *Sacrorum* suorum *celebrandorum facultatem* reddidit, ut liquet ex Lactantio [c]: & post funestum Maximini exitum, *Deus gregem suum, partim vastatum à lupis rapacibus; partim vero* DISPERSUM, *reficere ac recolligere dignatus est, & malas bestias extirpare, quæ Divini gregis pascua protriverant, cubilia dissipaverant* [d]. Sic infinitus numerus, sive latentium, sive exulum & loco motorum, sive incarceratorum, sive metallariorum, servatus est. Si qui autem glorioſa morte Deum & veritatem honestarunt: non *mortui* sane sunt nec *perierunt* [e]; sed translati in superius Dei Templum cibati nutritique sunt *pane*, & *aqua* Domus Dei, absque labore partis paratisque. ut Vates alio loco. *f*

Forsteri sententia peculiaris.

Kimchii verba hanc in rem adducta.

Significatio vocis probabiliter defenditur.

Locus Cap. LXIII. 1.

Applicatur notatio vocis ad hunc locum.

Sequentia Prophetæ verba: *Non morietur in fovea, nec panis ipsius deficiet*: illustrantur.

Historia ad Prophetiam adducta.

Temperamenta Persecutionis Diocletianæ.

Optati Milevitani verba.

Articulus tertius.

Articulus tertius, ℣. 15, 16. *Et Ego sum Jehova, Deus* TUUS.

℣. 15, *Et Ego sum Jehova* DEUS TUUS, qui COMMOVEO MARE, *ut fremant fluctus ejus: cujus nomen est Jehova Exercituum.* ℣. 16. *Et ponam verba mea in* ORE TUO, *& umbra manus mea protegam te*, AD PLANTANDUM COELUM, *&* FUNDANDUM TERRAM, *& ad dicendum Tsioni: Populus meus tu es.*] Sensus Pericopæ est, superioribus consentaneus; Majores motus qui in Mundo Gentium cientur omnes, sæpe etiam Ecclesiæ Dei adversos, eamque, ut videtur, obruturos, ab Ejus pendere voluntate: suscitari ac sedari, ut ipsi pro consilii sui sapientia visum fuerit: interea tamen semper eam Ecclesiæ suæ Doctorumque ejus, curam gesturum esse, ut tecti consilio ac providentia ipsius conserventur ad perficiendum magnum Opus Oeconomiæ Novæ, ad gloriam suam paratum ordinatumque. Sed sunt in verbis, memorabilem complexis sententiam, quæ diligentiorem animadversionem postulant. Primo recte quæritur, ad quod *Subjectum* oratio dirigatur. In *exordio* hujus *Concionis* oratio versa erat ad *plures*, auditores & Discipulos Messiæ. Inde ℣. 12. 13. idem *Subjectum* appellatum erat terminatione *numeri singularis*, & quidem *generis debilioris.* Hic vero sermo vertitur ad *Subjectum singulare*, mutato *genere* ex debiliori in fortius. Sunt itaque qui hic cogitant de singulari persona, & quidem pro diversitate hypothesium, alii de Jesaia, ut Aben-Ezra; alii de Christo. Sed nullum indicium est mutati *objecti* orationis in hoc loco: nec ratio ulla solida est quæ id suadeat. Mutatio enim *generis* & *numeri*, ubi ad *cœtum* verba fiunt, frequentissima est Prophetis; & quidem Vati nostro. De Jesaia autem hic cogitare, plane à contextu abludit; atque adeo ipse quoque Grotius, qui in *superioribus* compellari censet Populum versatum in Exilio Babylonio: hypothesin illam hic non deserit. Sed expediam verbo, quicquid hic hæret. Genus *singularis masculini* hic referendum est ad עם *Populum*, & לאם *Nationem*, utrumque hujus *Generis*, quo hoc *Subjectum* appellatum erat ℣. 4. *Auscultate me*, POPULE MI, *&* NATIO MEA *ad me adverte aures.* Rursus ℣. 7. POPULE, *in cujus medio Lex mea est.* Quod autem *Subjectum in oratione antecedenti* compellatum esset *genere debiliori*: ratio petenda est à statu Populi *afflicti*, & *meticulosi*, in iis positi circumstantiis, quas ibi conspeximus: ut ibidem monui. Accedit hæc ratio verissima, quod oratio hujus pericopæ inprimis dirigatur ad præstantiorem & fortiorem Ecclesiæ partem, h. e. ad Episcopos, Presbyteros, Doctores, quibus Deus uteretur ut instrumentis in promovendo Regno Filii sui, & *renovando Mundo*, ut patet ex ℣. 16. Alterum quod hic occurrit, est in illustri epitheto, à quo Deus, *præfationem* præstruens *sequenti* promisso, se hic rursus magnifice describit. *Et ego*, ait, *Jehova Deus tuus, qui* CONTURBO MARE, *ut fluctus ejus fremant; cujus nomen est Jehova Exercituum* Dominus. quæ sententia totidem quoque verbis legitur Jer. XXXI. 35. Dubiæ hic interpretationis est phrasis רוגע הים, quam cum Hieronymo verto, *Qui conturbo mare.* ut οἱ ὁ. Ταράσσων τὴν θάλασσαν. Cl. Coccejus: *Movens mare.* quæ interpretatio optime respondet ei quod sequitur, ut *fremant*, tumultum cieant, *fluctus ejus.* Est utique is effectus maris tempestate concitati turbatique. Sed cum Intt. hic non perspicerent, quem usum haberet hæc sententia in sermone consolatorio, in quo multo rectius Deus sibi videtur tribuere potestatem *sedandi maris*, & *fluctuum ejus compescendorum*, quam *concitandi maris*: nisi sunt verba in alium flectere sensum. Chaldæus: רגוף בימא *Qui* INCREPO *mare.* Videtur vocem רגע accepisse per inversionem literarum pro נער, & alluisse ad id quod dictum erat Cap. L. 2. INCREPATIONE MEA (בגערתי) *exsicco mare.* respectu *Maris Rubri.* Inde alii, eadem ratione moti, *findens mare.* Sic Grotius emendat Hieronymum. Jun. Trem. Pisc. *Disrumpo mare.* Auctor est Kimchius, adductis locis Job. VII. 5. XXVI. 12. Sunt etiam qui vocem רגע hic interpretantur ex ea ejus significatione, quam sibi vindicat in *Niphal*, & *Hiphil*, qua notat *quiescere.* unde מרגוע, מרגעה, *quies.* de qua notatione vocis egi ad Cap. L. 4. ut מניח sit רוגע הים *quie-*

Sensus Pericopæ.

Ad quod Subjectum oratio dirigatur?

Diversi Intt. sensus.

Tenetur, orationem ad idem *Subjectum* continuari.

Mutatio generis, *Fœminini* in *Masculinum*, unde hic arcessenda sit?

Oratio hic vertitur ad fortiorem Ecclesiæ partem, *Episcopos, Presbyteros, &c.*

Magnifica Dei de se oratio, qua utitur in *Præfatione.*

Phrasis, רוגע ים excussa.

Diversissimæ cogitationes Intt. de notatione vocis רגע in hoc loco.

Secundum aliquos hic

[a] Cap. LXIII. 1. [b] De *Schism. Don.* Lib. 1. p. 19. [c] De *Mort. Pers.* Cap. XXXV. [d] Lact. de *M. P.* Cap. LII. [e] Joh. VIII. 51. [f] Cap. XXXIII. 16.

obtinet significatum *fodandi*.

Sed quæ sententia repellitur.

Discediturque etiam à Kimchio, qui vertit per *findere, scindere*.

quiescere faciens, sedans mare. Est apud Aben-Ezram, qui non plane improbat: ut nec Abarbenel. Sed obstat, *α*. Vocem non admittere hanc notionem in forma *Kal*. *β*. Non cohærere quod sequitur, *Ut fremant fluctus ejus.* Vertendum esset in ejusmodi casu, QUANDO *fremunt fluctus ejus.* Interpretatio Chaldæi ob acumen magis laudari meretur, quam probari. Kimchii illa, qua vox redditur per *findere*, satis est commendabilis, si hic perinde ac Job. XXVI. 12. alludatur ad *mare Arabicum*, *scissum* in usum Populi Dei Ægypto excedentis. Sed licet in eo magna satis species sit: nemo tamen id fidenter dixerit, cum in aliis locis Libri Jobi ad historiam Populi Dei non alludatur. Existimem præterea, Jesaiam, si loqui voluisset de *fisso Mari Erythræo* in gratiam Israëlitarum: illud Dei opus clarioribus characteribus descripturum esse. Imo vero Jeremias, eadem hæc verba repetens, Cap. XXXI. 35. opus hoc recenset inter communia opera Divinæ Providentiæ, absolutissimæ ejus potentiæ & potestatis argumenta. Ibi certe nullus plane respectus est miraculi editi in fisso Mari Rubro. Locus ejusdem Libri Jobi Cap. VII. 5. ipse quoque sensus incerti, in canonem interpretationis hujus loci à nobis assumi nequit. Putem, רגע עורי *τὸ* ibi optime verti, *fecessit*, (*diffluxit*,) *cutis mea*, secundum eam interpretationem vocis רגע, quam obtinet apud Arabes. Id certe video, vocabulo רגע hoc in loco commodissime tribui significatum *commovendi*, ut idem fere valeat quod רגז & רגש: etsi ipsam hanc significationem vocis validius assertam vellem. Locus Jeremiæ hunc sensum postulat. Est enim in magno Mari continuus motus; magnum opus Providentiæ Divinæ. Sed merito quæris, Quem usum habeat epitheton hoc loco? Respondeo, si verba Prophetæ accipias de ordinario Opere Physico Divinæ Providentiæ, quo vastum corpus marium in continuo continet motu, & subinde per ventos tempestatemque gravius conturbat: ut sumitur in *Locis analogis α*: nihil hic latere difficultatis. Docet enim epitheton, Deum omnipotentem esse totius Naturæ Rectorem, qui inter alia illustria Omnipotentiæ suæ specimina vastissimum illud corpus marium concitat, & in continuo motu conservat; & à quo omnis ordo hujus Universi, Motus omnis & vicissitudo rerum, pendet: eundem itaque, si velit, posse Populum suum eadem potentia sua conservare ac protegere, & consilium quod cepit de Ecclesia in Mundo constabilienda, exequi. Ita est, Mare, & quæ in Maribus sunt, faciunt summum & mirabile opus Divinæ Providentiæ, & ut tale in Verbo Dei laudantur *b*. Sed si hæc verba *mystice* accipias: qui certe sensus hic spernendus non est: significat, Deum *motus* omnes *Gentium* suæ providentiæ habere *subjectos*. Gentes enim, stylo Sacro Poëtico & Prophetico, veniunt nomine *Maris*. Scipio apud Livium *c*: *Multitudo omnis sicut Natura maris est.* Sic sumitur emblema Ps. LXV. 18. *Qui componit tumultum marium; tumultum fluctuum illorum; & tumultum* POPULORUM. Confer Ps. XLVI. 4. XCIII. 3. 4. & ex Vate nostro Cap. XVII. 12. ubi hoc emblema exposui. Repetis itaque quæsitum, Quare Deus non potius hic dicat ad solatium Populi sui, se compescere motus Gentium, quam eos concitare? Respondeo, *α*. Unum alterum involvere. ea hic est vis sententiæ: Deus *suscitat hos motus*, (h. e. providentia sua mirabili sed purissima & sanctissima sic influit in Res humanas ut suscitentur, eosque motus suscitari sinit:) *eosdemque* rursus ubi vult, *moderatur*, *componit*, & *compescit*. Hæc pare gradu consistunt. unum altero involvitur. *β*. Ajo, hic præcipue respici illos *motus*, per quos Tyranni Persecutores se mutuo perderent, sc. Galerii & Severi incitationem adversus Maxentium: Maximiani Herculii adversus generum suum Constantinum: hujus rursus adversus Maxentium: Constantini & Licinii adversus Maximinum; & illius denique adversus Licinium. Vides jam, quo tendat scitissimum emblema. cætera attributa Dei in hoc *commate* recensita quæ emphasin addunt huic nostro; non attingo, quippe sæpius exposita, & ad rem præsentem facile applicanda. Tertium hic observandum hæret in Promisso ipso, cujus verba repetita obiter perstringam. Est enim eximium.

Recte hic vertitur per *commovere*.

Phrasis inde exponitur.

Quis usus sit *attributi* in h. l.

Res tota declaratur.

Mare, & quæ in eo sunt, faciunt mirabile Opus Divinæ Providentiæ.

Mysticus sensus hic est augustior, & optimum sensum dat.

Omnes motus Mundi à Deo pendent.

Occurritur dubio, Quare Deus hic potius dicat, se *movere*, quam *sedare mare*?

Respiciuntur hic præcipue *motus* per quos tyranni Persecutores Ecclesiæ interirent.

Et ponam verba mea in ore tuo.] Pertinet primo ad Christum; dein ad Corpus ejus mysticum; & in Corpore ejus mystico inprimis ad Doctores & Pastores Ecclesiarum, Divini Verbi Interpretes. Confer Prophetam secum ipso, Cap. LIX. 21. *Et vero ad me quod attinet, hoc est fœdus meum cum iis, ait Jehova: Spiritus meus qui super te est, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo & ab ore Seminis tui, & ab ore seminis Seminis tui, ab hoc tempore, & usque in Sæculum.* Vides, hoc esse attributum Ecclesiæ; & observas pariter hoc loco mutationem numeri. Ecclesia vera est res loquax. loquitur autem ὡς τὰ λόγια τῦ Θεῦ. hic character eam discernit à Mundo.

Promissum Ecclesiæ factum relegitur ex ℣. 16.

Et ponam verba mea in ore tuo.

Exponuntur verba ex Cap. LIX. 21.

Et umbra manus meæ protexi te.] Idem hic est respectus Christi & Ecclesiæ. confer dicta ad Cap. XLIX. 2. etsi ibi alia voce utatur Spiritus S. quæ nos ad aliam ducit metaphoram. Confer Ps. XXXVI. 8. XLI. 1. CXXI. 5. Divina Potentia & Providentia, (utriusque enim symbolum est *manus*,) tutum præsidium ac latibulum præstat Ecclesiæ. Ejus curæ est, & providentiæ ejus effectus, conservare in Mundo Ministerium Verbi, & Ministros ejus defendere. Confer Cap. XLIX. 8.

Et umbra manus meæ protexi te.

Sensus metaphoræ.

Locus Cap. XLIX. 2.

Ad PLANTANDUM COELUM, *&* FUNDANDAM TERRAM; *& dicendum Tsioni, Populus meus tu es.*] h. e. ad perficiendum Opus Oeconomiæ Novæ. Verba sic sunt accipienda, ut cohæreant cum his quæ ἀμέσως præcesserunt, *Posui verba mea in ore tuo, & texi te umbra manus meæ,* AD *plantandum cœlos, &c.* non sane, quod Cl. Coccejus vult, cum verbis *commatis* superioris, *Moveo mare.* Etsi enim hic quoque nexus sit inter res *spirituali sensu* intellectas: sensus tamen sententiæ Prophetæ is est quem jam expresserat in loco analogo Cap. XLIX. 8. *Et custodiam te, & ponam te in fœdus Populi, ad erigendam terram, & erciscunda hæredia desolata.* quæ phrases in spiritualibus æquivalent, ut mox videbimus. In *versione* horum verborum nihil est quod quem moretur: solummodo quod forma *gerundii* dicitur, *ad plantandum cœlos, & fundandum terram*, cum referendum sit ad *personam*, ab aliquibus refertur ad *Subjectum* de quo hic agitur; ut Hieronymus, *Ut* PLANTES *cœlos, & fundes terram*; & ab aliis ad *Deum* qui hic loquitur: UT PLANTEM *cœlos, & fundem terram, seqq.* Sic Lutherus, Piscator, Coccejus. In utraque sententia inest verum: sed, ut jacent verba, posterior hic præferenda est. *Plantare* enim *cœlos, & fundare terram, & dicere Tsioni, Populus meus es*; est haud dubie opus Dei. Verum cum Deus in hoc opere *Conditionis mysticæ* utatur *Instrumentis*, Ecclesia, ejusque Doctoribus: integra sententia est, *Posui verba mea in ore tuo, ... ut* PER TE *plantem cœlos, &c.* Hæc genuina est sententia Vatis. Cæterum cum locutio *plantandorum cœlorum & fundandæ terræ*, sit mystica, ut cuique obvium est: quæritur, Quid sibi velit? Non est id difficile expositu; & tamen Interpretes bene multi, & in his quoque Viri exercitati quibus non deerat voluntas de Vate nostro bene merendi, ad id adhæserunt *A*. Phrasis est, ut dixi,

Ad plantandum cœlum & fundandam terram.

Agitur de Fundatione Oeconomiæ Novæ.

Animad. versio ad versionem verborum.

Plantare cœlos & *fundare terram* ad quod referendum sit *Subjectum*?

Refertur ad Ecclesiam ut ad caussam instrumentalem.

Quid hic loci sit *plantare cœlos* & *fundare terram*?

a Jer. XXXI. 35. Job. XXVI. 12. *b* Job. IX. 8. XXXVIII. 10. 11. Ps. CVII. 24. 25. Jer. V. 22. *c* Lib. XXVIII. 27.

A Flexerunt se hic Intt. vere in mirificos gyros. Grotius, cum nihil hic videret, vel videre vellet, *videri sibi* ait, LXX. *optime vertisse*, PER QUAM CONSTITUI COELUM ET FUNDAVI TERRAM. h. e. *illa manu te protegam, quæ satis valida fuit ad constituendum cœlum, firmandamque terram.* Adscribit, *Ellipsis non est magna.* Est manifesta τρίβλωσις, in omnium incurrens sensum, qui Hebraice intelligunt, & *textum* relegunt. Piscator: UT PLANTEM COELUM. h. e. *ut in cœlum recipiam Judæos verbo meo obedientes.* Belgæ nostri: *Ad consolandum electos spe vitæ æternæ quam possessuri sunt in Novo Mundo.* Sunt hæc pie, sunt ἀναλόγως dicta, sed quam longe quæruntur? Judæi,

Phrasis diversa contemplatio.

dixi, figurata; idemque valet quod *creare cœlos novos, & terram novam*, Cap. LXV. 17. LXVI. 22. quæ vel synecdochice explicari potest, vel mystice sive metaphorice. Synecdochice sumpta phrasis, notat, *novam formam introducere in hoc Universum*, non respectu totius sui *Status*, sed *Status sui spiritualis*, h. e. respectu *Rei Religionis:* qui respectus in Mundo est potissimus & plurimum valet. Mystice dicit, *Novam in Ecclesia Oeconomiam instituere*; vel Oeconomiam jam institutam sed corruptam vitiatamque *renovare*. cujusmodi *Oeconomia* complectitur *cœlum mysticum & terram mysticam. Cœlum mysticum* faciunt omnes qui è *superiore loco* in Ecclesiam influunt; ut sunt Deus ipse, & Christus Jesus; hisque subordinati tum Angeli, tum Ministri omnes qui circa Sacra versantur: in Oeconomia antiqua, Pontifex, Sacerdotes variorum ordinum, Levitæ; sub Oeconomia Nova, Apostoli, Prophetæ, Pastores, Doctores, Diaconi. *Terram mysticam* facit *Plebs*, hosce influxus superiorum recipiens. unde jam in *Cœlo mystico* Ecclesiæ demonstrari possunt *Sol*, *Luna*, *Stellæ*, fixæ & erraticæ, *Nubes*, & *Meteora*, quæ *Nubes* caussantur. Releges, si grave non sit, scripta à me de hoc argumento ad Apoc. VI. 12. XXI. 1. & hoc Libro, ad Cap. V. 6. Utri jam aspectui adhæreas, fere perinde est; & res fere eodem recidit. Locus Haggæi Cap. II. 7. *Synecdochice* explicandus est: præsens vero noster neutrum aspectum *Synecdochicum* vel *Metaphoricum* sive *mysticum* refugit. Ubi Oeconomia Gratiæ per Christum Jesum & Apostolos ejus fundata fuit: *tota facies & forma* Mundi respectu *Religionis* immutata fuit. Omnes respectus *Dei* ad homines, tam *Judæos* quam *Gentes:* Judæorum & Gentium ad Deum: Judæorum & Gentium ad se invicem; horum ad Angelos, & Angelorum vicissim ad hos, mutati sunt. *Falsi Dii* & fictitii, quos coluerant per tot sæcula Pagani, quosque illi credebant esse & regnare in cœlis, cum omni schemate Religionis & Sacrorum, remoti sunt. *Cœli* hi sunt aboliti. *Terra* huc usque ab iis occupata & possessa, *alios* recepit incolas, qui *Deum verum* in cœlis, hactenus sibi ignotum, quæsiverunt & coluerunt; ad ejus admissi sunt communionem; *Angelisque* cœlorum incolis uti cœperunt ut conservis & Ministris suis. Cœli ipsi, Sol, Luna, Stellæ, aliis post hoc tempus inservierunt hominibus ac ante. Illi Cœlos, Solem, Lunam, Sidera, alio viderunt oculo, ac ante. Perinde se res habuit cum *Judæis*. Respectus illorum ad *Deum*, Angelos, Gentes, Populosque alios mutati sunt omnes; & Dei vicissim ad ipsos. unde *mobilis Oeconomia*, ad montem Sinai instituta, abolita est ac recessit. Tota forma, totum σχῆμα mundi respectu *status* sui *spiritualis*, h. e. Rei Religionis, inversa est; atque adeo apparuerunt *cœli novi & terra nova*. *Mundi* enim, h. e. *cœlorum* & *terræ*, status talis esse censetur, qualis est *status Ecclesiæ*. Ubi Oeconomia Ecclesiæ mutatur, *ἀιὼν Mundus* mutari ac converti censetur. Hæc est illa *nova κτίσις creatura*, *quam Deus condidit per Christum Jesum* [a]. Ergo id dicere vult Deus hoc loco, se verba sua *posuisse in ore Ecclesiæ*, & *Doctorum ejus*, eamque tempore violentarum persecutionum atque afflictionum ejus protegere, ut magnum illud Opus Creationis Novæ, sive *Formæ* in Mundum induci cœptæ cum tempore Gratiæ, h. e. Oeconomiam Novam, à Filio & Apostolis ejus fundari cœptam, perficeret, consummaret, & *constabiliret*; quod absque Verbo Gratiæ fieri non poterat. Huic magnæ rei subservit Ministerium Evangelii: hunc in finem, hoc consilio, Deus Ministerium illud in his terris conservat. Ad hanc vero *constabilitionem Novi Mundi* significandam proprie pertinent phrases, *plantare*, & *fundare*, quibus Vates hic utitur. Utraque pertinet ad *constabilitionem* Oeconomiæ Novæ. Videri posset Deus dici *plantare cœlos* quod *cœlos mysticos* instar *horti* aut Paradisi variis *sideribus*, h. e. Doctoribus & Doctrina ac pietate illustribus Viris per Orbem instrueret atque ornaret: quomodo phrasin accepisse videtur Chaldæus. Sed etsi non sit spernenda cogitatio: non putem, Vatem id in oculis habuisse. *Plantare* respectu *cœlorum* hic idem valet quod *fundare* respectu *terræ*. *Plantare* hic notat *radicare*, quod *radices plantæ* terræ alte infigantur. quo eodem sensu Deus dicitur *plantare aurem* [b], quod altius in caput descendat; & *plantare* atque *ædificare* Regnum [c]. Sic est. ubi Ecclesia nacta est stabilem sedem in Imperio Romano, & procedente tempore in magnis Regnis ac Rebuspublicis per Orbem terrarum, quod fieri cœpit à Constantino: tum vero qui jam *conditi* erant *cœli & terra Nova*, censentur *plantata fundataque* esse. Cum Christiani inter Paganos sparsi viverent in Imperio huc usque Pagano: *terra* adhuc *aquæ* censebatur esse mixta, & *aquæ* supra *terram* extare; sed, mutato rerum schemate sub Constantino, facta est *secretio* publica, & *terra* cœpit existere *supra aquas*. Christianismus Paganismo prævaluit. Quare in aspectu Prophetico Operis *Creationis Mysticæ* Sæculum Constantinianum respondet *Diei tertio* Creationis *Physicæ*. Illo enim die *fundata* est *terra:* non *secundo*, ut aliquibus videtur, levissima ratione seductis. Et vero ipso hoc tempore vera *Tsion*, Ecclesia N. T. experta est vim hujus dicti, TU ES POPULUS MEUS. Interpretatio petenda est ex Paulo, Rom. IX. 25. qui luculenta loca Hoseæ Cap. I. 10. II. 22. nos docuit intelligere de Ecclesia Electi Seminis Judæorum, dilata honestataque ex luculenta accessione Gentium. quod hoc tempore factum.

Vel accipi potest *Synecdochice*, vel *mystice*. utraque declaratur.

Cœlum mysticum: terra mystica.

Expositio utraque applicatur ad h. l.

Formatio novi Mundi in initiis Oeconomiæ Gratiæ.

Mundus totus aliam accepit χρῆσιν.

Respectu *Paganorum* sive Gentium.

Et Judæorum.

Quod latius declaratur.

Novus Mundus stylo Scripturæ S.

Sensus integer hujus loci Prophetæ.

Instrumentum & medium ejus est *Ministerium* Evangelicum, quod est apud Ecclesiam.

Quid hic valeant notiones *plantare & fundare*?

Utraque notio respectum habet ad *stabilitionem cœlorum & terræ*.

Applicatur ad *Statum & tempus* Ecclesiæ, de quo hic agitur.

Mutatio rerum quæ accidit sub Constantino.

Eodem tempore dictum est Tsioni: *Tu es Populus meus.* quod exponitur.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIO TERTIA.

Sectio Prima.

Spiritus S. per os Jesaiæ orationem suam per Apostrophen vertit ad Ecclesiam veram, quæ erat in proxima exspectatione Regni Messiæ, in Ecclesia Hierosolymitana sive Judæa latentem, gravissimis defunctam calamitatibus externis tractu longi temporis, jubetque eam se *eri-*

---

abfit invidia dicto, propius inspexerunt sensum phrasios Parabolicæ. Maimonides in *More Nev.* (Part. II. Cap. XXIX.) agens de mysticis loquutionibus Prophetarum, inprimis in metaphoris à *cælo* & *terra sumptis*, inter alia hæc reliquit: *De reductione, stabilicate, & conservatione Regni Israël inquit, Deum renovaturum cælos & terram. Consuevit enim de Regno aliquo loqui acsi esset Mundus peculiaris*, h. e. *Cælum & Terra:* quando hunc ipsum locum nostrum producit, cum analogis, Cap. LIV. 10. LX. 20. Nihil hic falsum scripsit: modo quod ipse de solo *Populo Judæo* secundum statum ejus *temporalem* intelligi voluit, transferas ad *Ecclesiam* N. T. respectu *Status* ejus *spiritualis*. Aben-Ezra Maimonidi, licet eo non appellato, consentit. Kimchius jacta hypothesi, Deum hoc Vaticinio solari Populum Judæum in præsenti Exilio constitutum, pericopam hanc, simili sensu refert ad Recollectionem Judæorum sub Regno Messiæ faciendam, sive ad instaurationem Status Gentis. Ipse ad verba, *ad plantandum cælos & fundandam terram*, adscribit: מהו קבץ גליות שיהיו ישראל עולם חדשי וכן אמר הנני בורא השמים וגו׳ *Designatur Recollectio Judæorum in præsenti Exilio constitutorum, ut Israël fiat* NOVUS MUNDUS: *ut ipse ait*, (Cap. LXV. 17.) *Ecce me, creo* COELOS NOVOS, &c. Nihil hic absurdi legis, modo transferas quæ hic dicuntur ad Statum Populi veri Messiæ. Sed Chaldæus se ipse superavit. sunt enim memorabilia quæ hic exhibet: *Et in umbra potentiæ meæ protexi te, ut suscitarem* POPULUM *de quo dictum est, quod* MULTIPLICARENTUR SICUT STELLÆ COELI; *& ut fundarem Congregationem* (כנשתא ECCLESIAM) *de qua dictum est, Quod multiplicarentur sicut pulvis terræ.*

[a] Ephes. III. 9. [b] Ps. XCIV. 9. [c] Jer. XVIII. 9.

se *erigere* & post tot mala atque adversa *resurgere*, certamque facit, ipsam dehinc gravioribus ejusmodi Calamitatibus liberam fore usque quo obtineat *Promissum Patribus factum*. Mox altero articulo, cum Regnum Messiæ jam præsto adesset: eam de novo jubet *exsurgere*, seque ornatissimis Vestibus induere, tanquam ex *carnali* mutandam in *spiritualem* quæ solis constaret Electis, Vocatis, Sanctis; monetque eam, ut se tandiu afflictam & ab ipsis quoque *Rectoribus suis*, qui clavem Scientiæ occultabant & vitiis corrupti erant, in statu *Captivitatis* detentam, tandem vindicet in veram *Libertatem filiorum Dei*. Protinus in medium producit Apostolos, Regnum Christi Jesu ubique per Judæam & totum Orbem prædicantes, Hierosolymis exituros per modum expeditionis spiritualis ad Mundum Deo subjiciendum; & luculenter vaticinatur de illius Præconii effectu, h. e. Conversione Gentium, tanquam fructu *Mortis* & *Passionum Servi Jehovæ*, Christi Jesu, post antecedaneam humiliationem valde *exaltandi*.

Cap. LI.

17. Excitare, excitare, surge Hierosolyma, quæ bibisti ex manu Jehovæ poculum furoris ipsius: crassamentum poculi vertiginis bibisti, exsuxisti!

18. Non est qui eam leniter ducat ex omnibus filiis quos peperit; & nemo eam manu prehendit ex omnibus filiis quos educavit.

19. Duo illa obvenerunt tibi: Quis te pro merito comploret? Vastatio & Contritio; & Fames & Gladius: quis te consolabor?

20. Filii tui in deliquium animi inciderunt: jacent in compitis omnium platearum, ut oryx irretitus; pleni furore Jehovæ, increpatione Dei tui.

21. Propterea audi, quæso, hoc afflicta; & ebria, sed non ex vino.

22. Sic ait Dominus tuus Jehova, & Deus tuus qui aget causam populi sui: Ecce recipio de manu tua poculum tremoris; fæces poculi excandescentiæ meæ: non perges de eo amplius bibere.

23. Et pono illud in manu eorum, qui te molestia affecerunt; qui dixerunt animæ tuæ, Demitte te, ut transeamus; & posuisti tergum tuum ut terram, & tanquam plateam transeuntibus.

Caput LII.

Textus Cap. LII.

1. Excitare, excitare; induere robur tuum, ô Tsion! induere vestes decoras tuas, Hierosolyma, Urbs sancta! quia amplius ad te non veniet præputiatus, & impurus.

2. Excita te ex pulvere, surge, conside, Hierosolyma! solve te vinculis colli tui, captiva Filia Tsionis!

3. Quia sic fatur Jehova: Gratis venditi estis; & absque argento redimemini.

4. Quippe sic dicit Dominus Jehova: In initio Populus meus descendit in Ægyptum, ut ibi peregrinaretur; & Assur illum pro nihilo oppressit.

5. Et nunc quid mihi hic, ait Jehova? siquidem Populus meus gratis prædæ instar captus est; & Dominatores ejus ejulant, ait Jehova; & semper toto die nomen meum convitiis proscinditur.

6. Propterea cognoscet Populus meus Nomen meum: propterea, illo ipso die; Me esse Eum qui loquitur, Ecce me.

7. Quam decori sunt super montes pedes Evangelizantium; promulgantium pacem; nunciantium Bonum; promulgantium salutem; dicentium Tsioni, Deus tuus regnat!

8. Vox speculatorum tuorum; attollunt vocem; pariter cantant; quia oculo utroque videbitur, quando Jehova restituerit Tsionem.

9. Rumpite vocem cum fragore: cantate pariter, Desolata Hierosolymæ! quia Jehova Populum suum consolatus est; redemit Hierosolymam.

10. Jehova nudavit brachium suum sanctum coram oculis omnium Gentium; & viderunt omnes terræ fines salutem Dei nostri.

11. Recedite, recedite, exite illinc, impurum ne attingite; egredimini ex medio ejus: purgamini qui fertis vasa Jehovæ!

12. Quippe non festinato exibitis; neque per fugam itionem facietis, quia Jehova coram vobis incedet; & agmen vestrum coget Deus Israëlis.

13. Ecce prospere aget Servus meus: extolletur, & efferetur, & sublimis evadet valde.

14. Sicut super te multi stupuerunt: adeo corruptus erat aspectus ejus magis quàm cujusquam, & species ejus magis quam ullius homine nati.

15. Sic asperget Gentes multas: super eum compriment Reges os suum; quia quod iis non narratum fuerat, viderunt; & quod non audiverant, intellexerunt.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus *Concionis*, & *Sectionis*.

Argumentum totius *Concionis tertiæ*, Libri Quinti, decurrentis ad Cap. LXI.

Sequitur amplissima *Concio*, hinc ex hypothesi nostra extenta usque ad Cap. LXI. qua Fata Ecclesiæ à temporibus *Maccabaicis*, & præsertim Christi Jesu, ejusque Regni, post ipsum per passiones *consummatum*, & ad Dextram Dei exaltatum, in Mundo fundandi, Eventus, usque ad *Finem Seculorum* ordine enarrantur: sic tamen ut in corruptis Ecclesiæ temporibus, & inclinato ejus Statu, describendis, quod fit Capp. LVI. LVII. LVIII. LIX. ad vitiatum depravatumque Ecclesiæ Statum, qui *Maccabaica* præcessit, alludatur; phrasibus passim inde petitis. Habemus hic certum *terminum* ἀΦ' ὃ A QUO, & ἐΦ' ὃ *ad quem*. Postquam enim ad *Sectionem* hanc *Præparatoriam*, quæ vs. 17--23. Cap. LI & LII. Ejusque majorum partium est;

do & Cohærentia.

continetur, Messiæ Πάθημα enarratum esset Cap. LIII.: mox Cap. LIV. & LV. agitur de *Ecclesia* ex accessione Gentium maximum factura incrementum. quod modestorum Scripturæ S. Interpretum nemo negat. Atque hic est *terminus* A QUO. *Terminum* AD quem figo in Cap. LX. Describitur ibi Status Ecclesiæ amplissimus & fortunatissimus, qui ad *cœlestem* proxime accedit, qualis Joanni exhibetur in fine *Apocalypsios* ut *complementum* omnis Operis Gratiæ Divinæ in his terris, post variam Ecclesiæ luctam extremis Mundi temporibus exhibendus. Inter hos *terminos* interjacent Fata, *Litium* & disputationum in Ecclesia agitandarum de *Fide*, Cap. LVI. *Corruptionis* gravissimæ quæ Ecclesiam inundaret, multosque daret Martyres, vivis coloribus depictæ Cap. LVII. Disciplinæ Morum Ecclesiæ, (supponas, licet, esse *Ecclesiam Protestantium*,) cæteroquin fide & cultu externo sanæ, plane vitiatæ, ejusdemque Ecclesiæ eam ob caussam incursuræ in gravem Dei indignationem, & mittendæ in caminum afflictionum, ut ad extrema veniret, & adversariorum furori succubitura videretur, Cap. LVIII. LIX. denique ejus, Statu jam, ut videbatur, desperato, Liberationis, à Deo cum illustri significatione potentiæ Majestatisque suæ in ulciscendis Ecclesiæ suæ hostibus, efficiendæ, quando *Salus Dei* omnibus *Populis*, & *Judæis* quoque, à Deo per longum adeo tempus alienatis, revelaretur, Cap. LIX. 16. seqq. Hæc *fata* memorabilia inter *duos* illos *terminos* intersunt: quæ si demonstrari possint secundum ordinem temporum se invicem consecuta esse, & adhucdum esse in cursu, dum perfectiorem Ecclesiæ Statum Cap. LX. depictum exspectamus: nulla ratio est hanc concionem in plures divellendi. Talia enim sunt *media*, qualis est *finis*: ut sane in omni prophetiarum tractatione ad *finem*, sive in *id in quod exit prophetia*, maxime attendendum est. Sed hæc suo loco accuratius disputabuntur: licebit nobis hoc tempore hypothesin hanc assumere.

Terminus à quo & ad quem.

Totius *Concionis* Analysis in *Sectiones varias.*

VII. Constat autem *Concio*, si τὸ ὅλον respicias, *Prædictionibus* futurorum maximi momenti; *Consolationibus*; *Exhortationibus*; *Elenchis*, pro *Statu* & *Conditione* cujusque Ecclesiæ, quæ depingitur, ut ad singulas *Sectiones* monebo. Nihil tam paradoxum est in genere *Prophetico*; nihil tam quæsitum & sublime est in genere *Consolatorio*; nihil tam acre in *Elenctico*; nihil tam validum & urgens in *Exhortatorio*; quod hic non legitur. Dispertio *Concionem* totam in *Sectiones Novem*. Prima, quæ *præparatoria* est, comprehenditur Cap. LI. 17. LII. Secunda, Cap. LIII. Tertia, Cap. LIV. Quarta, Cap. LV. Quinta, Cap. LVI. Sexta, Cap. LVII. Septima, Capp. LVIII. LIX. Octava, Cap. LIX. 16--21. Nona, Cap. LX.

Argumentum hujus *Sectionis primæ.*

III. *Sectio* hæc *prima* veluti *Præparatoria*, & Εἰσαγωγικὴ est ad sequentes. Orditur eam Propheta ab *Apostrophe* versa ad Hierosolymam, in se complexam veram Ecclesiam, tractu longi temporis gravissimis defunctam malis, jubetque eam veluti judiciis Dei soporatam expergisci & *se recolligere*. quando judicia Dei, *superiore tempore* Ecclesiæ inflicta, accurate describit *a*; & in argumentum *Solatii* Ecclesiæ meliora tempora & vindicias hostium suorum, pollicetur *b*. Protinus renovat *Apostrophen*, eandemque Ecclesiam, cum *Regnum Dei* proxime adesset, *se* jubet *excitare*, & sibi vindicare partem in Bonis Novæ & spiritualis Oeconomiæ, quibus cum Regno Christi Jesu manifesto facto, ornaretur *c*: monetque eam ut se vindicet in *libertatem* ex *servitute d*; non illa amplius in quam acta erat olim ab Ægyptiis & Assyriis, aliisque Populis exteris; verum in qua detinebatur à *Proceribus* & *Dominatoribus*, qui neglecta cura Populi Dei gravissimis peccatis se polluebant ipsi, & plebi peccandi auctores erant, ad magnam Nominis Divini ignominiam *e*. quod ipsum docet esse commodum & oportunum tempus, quo *Filium Dei* in carne oportebat apparere *f*. Inde Vates sibi per ecstasin proponens initia Oeconomiæ Novæ, figura *Exclamationis*, deprædicat felicitatem illius temporis, quo *Præcones Evangelii* exirent per Judæam & Orbem totum ad Salutem Dei præsentem omnibus Populis annunciandam, excitatque pios, ad hoc beneficium jubilo celebrandum *g*. Porro monet Præcones Evangelii, exituros per Orbem, ut se separent à communione Populi Judæi impœnitentis & incredduli *h*, & lætum Expeditionis hujus successum prænunciat *i*. Quando tandem demonstrat basin excellentium horum promissorum, Christum Jesum, post antecedaneas passiones gravissimas, summe exaltandum, & Gentibus vi obedientiæ suæ futurum caussam salutis. *k*

IV. *Scopus* hujus *Sectionis* varius est. Primarius quidem, Ecclesiam afflictam, & magnis defunctam calamitatibus, *Consolari* & erigere; tum ex spe meliorum temporum, quibus hisce malis eximeretur: tum præcipue spe *Regni Christi Jesu*, brevi apparituri, & Oeconomiæ antiquæ in meliorem mutandæ. Secundarii fines, ex partibus *Sermonis* facile observandi, sunt; *Exhortari* Ecclesiam, ut cultum indueret huic meliori Ecclesiæ Oeconomiæ congruentem, & *libertatem*, *captivitati* ac *servituti* superiorum temporum oppositam, magnifaceret, eamque sibi vindicaret; *Commonefacere* pios de præstantia & magnitudine Beneficii, quod Ecclesia hoc tempore adipisceretur in *Præconibus Libertatis* & *Salutis*, eosque excitare ad lætitiam & Gratiarum actionem; & simul Præcones Evangelii in Orbem exituros sui *monere* officii, ut deserta communione Populi impuri sanctissimum hoc munus sancte obirent: & denique Ecclesiam *Docere* magnum mysterium *Messiæ* ante Exaltationem & Regnum inter Gentes ipsi comparandum summe humiliandi. Vides, fines esse mixtos, ex ipsa orationis materia dijudicandos.

Scopus Sermonis, hac *Sectione* comprehensi.

V. Σχῆμα sic est instructum, ut *quater* variet. Occurrunt enim cum *Exclamatione* una tres *Apostrophæ*, quas si totidem *Choris* tribuere velis, nihil intercedo, licet nullam hic fecter acuminis aut fictionis laudem. Tres *Apostrophas l* adscribo *Choro Prophetico*, in quo primum locum hic obtinet Jesaias ipse. *Exclamatio* qua deprædicatur Beneficium Evangelii, potest tribui *Choro Piorum* ex Ecclesia N. T. licet ipsa quoque hæc Oratio *Choro Prophetico* recte conveniat.

Constructio σχήματος in hoc *Sermone.*

VI. *Occasio* prophetiæ sumpta est ex proximis *Concionibus*, Cap. XLIX. L. quibus cum Mysterium *Humiliationis* Messiæ, ejusque *Exaltationis*, & *Vocationis Gentium*, eam Exaltationem Messiæ secuturæ, jam propositum esset: visum est Spiritui S. captare hanc ipsam occasionem à se suggestam magni hujusce mysterii latius declarandi; & à primis initiis suis edisserendi. Erat enim è re Ecclesiæ, tum Fata & Eventus Ecclesiæ N. T. à primis initiis usque ad terminum suum ultimum, tanquam in tabella descripta habere; tum præcipue Doctrinam de *acerbissimis* Messiæ *passionibus*, ut fundamento salutis, scitu creditуque necessariam, & tamen vere sublimem, clarissime expositam tenere, & in thesauris Verbi Prophetici conservari, ne incredulitati ullus relinqueretur obtentus.

Occasio hujus prophetiæ editæ.

VII. *Concio* ipsa, ut à me exhibetur, est *quadripartita*, secundum quatuor *periodos* Scenicas, quas in ea observare est.

Analysis ejus.

APOSTROPHE PRIMA, ad Ecclesiam gravissimis functam Calamitatibus, qua se jubetur ex præsente Statu *erigere*: ubi

α. Calamitates illæ, quas Ecclesia sustinuerat, recensentur, Cap. LI. ℣. 17--20.

β. Ecclesiæ spondetur *Liberatio* ab iis Malis, & Ultio hostium ejus, ℣. 21--23.

APOSTROPHE ALTERA, ad eandem Ecclesiam facta circa tempus imminentis *Regni* Messiæ, qua,

α. Jube-

a ℣. 17--20. *b* ℣. 21--23. *c* Cap. LII. 1. *d* ℣. 2. *e* ℣. 3--5. *f* ℣. 6. *g* ℣. 7--10. *h* ℣. 11. *i* ℣. 12. *k* ℣. 13--15. *l* Cap. LI. 17. LII. 1. 11.

α. Jubetur induere *culeum* Statui Oeconomiæ Gratiæ & Libertatis convenientem, Cap. LII. 1. 2.

β. *Fundamentum* illius exhortationis sive Mandati traditur, *instans* Ecclesiæ ἀπολύτρωσις, ℣. 3.

γ. Ratio illius *Mandati* & *Necessitatis Redemptionis*, explanatur ex conditione Ecclesiæ, longum tempus in *Captivitate* & *Servitute* tam *corporali*, quam *spirituali*, detentæ respectu *præteriti* & *præsentis temporis*, sed nunc *Domino* ipso *præsente* vindicandæ in Libertatem, ℣. 4--6.

EXCLAMATIO *interloquutoria* Chori *Prophetici* vel *Evangelici* qua deprædicatur magnitudo & excellentia Beneficii EVANGELII, per totum Orbem promulgandi à Præconibus ad id destinatis, ubi

α. Ἐυφώνησις, sive *Exclamatio* ipsa, ℣. 7. 8.

β. *Allocutio* ad Ecclesiam instauratam, qua monetur, lætitiam ex hoc Beneficio conceptam voce & jubilo celebrare, ℣. 9. 10.

APOSTROPHE TERTIA, directa ad Præcones Evangelii, qua

α. *Animantur* & *excitantur* ad hanc Expeditionem suscipiendam; & edocentur de illius suscipiendæ modo, ℣. 11. 12.

β. Inculcatur basis & fundamentum *Regni Dei* fundandi inter *Judæos*, & *Gentes*, *Obedientia Messiæ* Patri in diriſſimis passionibus exhibenda, eamque sequutura Ejus exaltatio, quam consequi debebat Regnum in Gentes, ℣. 13--15.

VIII. *Anacrisi* hic locum non facio, nec tamen veri studiosum hic destituo. Quicquid enim mihi hic disputandum erat, conjeci in commentationem *primi Versiculi* hujus *Concionis*, ἀμέσως sequentem.

APOSTROPHE PRIMA hujus Concionis, directa ad solatium Ecclesiæ afflictæ, magnis calamitatibus functæ.

α. *Calamitates* illæ ipsæ recensentur.

Articulus primus.

Apostrophe prima hujus Concionis, directa ad *Solatium Ecclesiæ*, respectu *Calamitatum* prioris temporis.

α. Calamitates ipsæ. *Articulus primus*, Cap. LI. 17. *Excitare, excitare, & seqq.*

CAP. LI. 17. EXCITARE, EXCITARE, *surge* HIEROSOLYMA, *quæ bibisti ex manu Jehovæ* POCULUM FURORIS EJUS: *crassamentum poculi vertiginis, bibisti, exsuxisti.*] In Vulgatis *Capitum* distinctionibus supponitur, hæc verba partem facere *Concionis* superioris; nec memini videre, qui de eo litem moverit. Et erant tamen varia quæ diligentes & attentos Intt. de eo poterant monere. Primo cum duæ hic *Apostrophæ* occurrant sub phrasi, *Excitare, excitare!* sive, *Evigila!* altera hic loci; altera in initio *Capitis* sequentis: poterant prudentes observare, has *Apostrophas* ab invicem non esse divellendas; (ut fit in vulgata distinctione *Capitum*:) sed ad eandem *Concionem* pertinere. Secundo, non tantum Nomen *Subjecti*, ad quod oratio vertitur, hic mutatur; verum etiam *figura* ipsius orationis. Cum enim in *superioribus* Deus loquutus sit: hic loquitur *Propheta* sive *Chorus Prophetarum* & *Doctorum* Ecclesiæ. Tertio, oratio non satis commode refertur ad *Ecclesiam* & *Populum Christi*, ne quidem gravissime *afflictum*, ut fuit tempore persecutionis Diocletianeæ. Afflictiones quæ hic memorantur, sunt signa *iræ* & *excandescentiæ Divinæ*, in quo genere censeri nolim nec sane censeri debent mala quibus Deus Ecclesiam sub Oeconomia N. exercet; & vero patet ex *speciebus* illarum afflictionum, quæ mox recensentur, intelligi hic communia mala calamitatesque judiciales, *bella*, *famem*, *pestem*, quibus Deus delicta hominum punit; quæ *fidem* Ecclesiæ, & *afflictiones* fidei caussa institutas, directe non respiciunt. Equidem Cl. Coccejus, qui in *superioribus* vidit *afflictionem Antichristianam*, hic putat continuari orationem ad eandem Ecclesiam, vel illius Ecclesiæ partem aliquam, sub nomine *Hierosolymæ*, sub finem temporum graviter affligendam: sed sententiam suam perfecte non explicat. In *Minoribus Curis* designari ait *Ecclesiam in certo loco collectam*. Non ausim ei hac parte adstipulari. Nec mala, nec phrases quibus Vates utitur conveniunt Statui *Ecclesiæ* N. T. quà *Hierosolymæ*. Et vere Vir Doctissimus ipse se hic impedit; nec negaverint æqui judicii homines. Cum enim *Apostrophe* hæc ad Hierosolymam mox *Capite sequenti* repetatur; & manifestissime liqueat quæ ibi dicuntur, connecti cum *initiis* temporis Gratiæ; Vir meritissimus, ut se hic expediat, *primum comma* illius *Capitis* cum hac *Pericopa* connectit, docetque pertinere ad extremam *Periodum* temporis N. T. sed *comma sequens* sive *secundum* illius *Capitis* facit exordium novæ Concionis; certe docet, Vatem ibi *regredi* ad Fata superiorum temporum. Et tamen legenti *textum* Prophetæ in promptu fuerit judicare, orationem ibidem eodem tenore continuari: quod vere ita se habet. Equidem Brentius *Hierosolymam* hic, latiore *Subjecti* aspectu, accipit pro *Ecclesia* in omni complexu suo sumpta, gravissimis defuncta afflictionibus tractu longi temporis, tum sub Oeconomia Vetere; tum sub Nova, in illius initiis: ut adeo quæ Ecclesia à Chaldæis, Syris, Romanis, mala pertulit, hic inter se misceantur. Non ajo id esse absurdum; nec tamen hypothesin adopto. Afflictiones Ecclesiæ V. & N. T. sunt diversi generis. Quid vero hic Hieronymus, Cyrillus, sequaces? Supponunt illi quoque, hic mutari *Subjectum* appellationis; sed definiunt, illud esse *Populum Judæum*, post destructam à Romanis Rempublicam: quem Populum summe oppressum & afflictum hic *excitari* volunt ad *resipiscentiam*; &, si resipiscat, ei promitti liberationem à malis & calamitatibus, quibus hoc tempore gravabatur. Argumentum sumunt ex ℣. 18. quia *nullus filiorum* quos genuit, eam hoc statu *leniter ducere* aut *manu prehendere* dicitur, quod de Hierosolymitana Ecclesia, ut se habuit in Exilio Babylonico vel Afflictione Syriaca, affirmari nequit. Et quidem quod ad hoc *argumentum* attinet: mox in ipsa commentatione nostra huic difficultati occurremus. Hypothesis ipsa ejusmodi est ut ferenda non sit. Deus enim Populum Hierosolymitanum vastatum à Romanis ampliùs non habuit pro Populo suo; nec quadrat illi promissio, quæ huic Populo fit, non sane conditionata, sed absoluta, secundum ullum ejus respectum; & refellitur plane ac destruitur hypothesis ex nexu hujus *Pericopæ* cum *Capite* sequenti. Equidem videntur hic se felicius expedire, qui orationem in *superiore* quoque *prophetia* verti censent ad Populum Dei versatum in Exilio Babylonico. Ita est: sed *videntur*. Promissio enim subjecta ℣. 20. & seqq. nimis est ampli sensus, quam ut ei conveniat. Statuo absque dubitatione, non posse convenire Ecclesiæ antiquæ nisi defungenti aut defunctæ Persequutione Epiphanica, quæ erat in proxima exspectatione Regni Messiæ. Fac itaque hic mecum exordium novæ *concionis*; & senties nihil esse in quo offendas.

Brentii & aliorum cogitationes.

Et Veterum Intt. Hieronymi, Cyrilli, &c.

Quæ plane improbatur.

An hic respiciatur Status Ecclesiæ in Exilio Babylonico?

Assumitur hypothesis; orationem verti ad *Ecclesiam* jam defunctam persequutione Epiphanica.

Excitare, excitare, surge, Hierosolyma! quæ bibisti ex manu Jehovæ Poculum furoris ejus, &c.] Ecclesia Judæa, quæ Hierosolymam respiciebat ut centrum suæ communionis & Matrem ex qua ortum traxerat, communi nomine *Hierosolymæ* & *Tsionis* appellata, in Scriptis Prophetarum, hic proponitur sub schemate hominis *vino ebrii*, & ex ebrietate *saporati*; quæ proin jubetur *surgere* & se *recolligere*. Sic Jesaias ipse se interpretatur ℣. 21. ubi Ecclesiam hanc compellat ut *ebriam*. *Vinum*, *Poculo* contentum, atque adeo ipsum *Poculum*, hic significat mala calamitatesque gravissimas, aptas hominem de statu mentis dejicere ac deturbare,

Verba Prophetæ exponuntur, *Excitare, &c.*

Figura loquendi desumpta ab homine *ebrio*, vino *saporato*.

Quid hic significet *Vinum* & *E-*

Hypothesis ejus peculiaris de ℣. 1. Cap. LII. quem à *sequentibus* divellit. à qua discedimur.

Cl. Cocceji hac de re sententia.

Hæc pericopa cum *sequente* coniæret, non cum *antecedente*.

Rationes ejus sententiæ.

brietas, & ex ea *Sopor*?

animumque ejus redigere in ſtatum ſtuporis, ἀνοησίας, inſenſualitatis: qui effectus eſt gravium judiciorum, æque ac Vini meri, inprimis toxicati ac fæculenti, ex magno *Poculo* hauſti. Emblema recepti uſus eſt in Scriptis tam Novi [a] quam Veteris Fœderis [b]. Appianus in hiſtoria Cæſaris Gomphos in Theſſalia expugnantis [c]: *Fertur Gomphis accidiſſe quiddam memorabile: repertos in officina medici ſenes nobiles viginti humi jacentes, κυλίκων ἀυτοῖς παρακειμένων cum calicibus iis adjacentibus, nullo affectos vulnere, ὡς ἐς μέθην κατακεκλιμένους ἐπὶ τὸ ἔδαφος, tanquam* EX EBRIETATE *humi projectos: unum in ſella ſedentem ut Medicum,* POTIONEM (*φάρμακον*,) *aliis porrigentem.* Figura autem orationis, qua Hieroſolyma jubetur *ſurgere*, & *ſe excitare, erigere, recolligere*, (confer uſum vocis התעורר Cap. LXIV. 7.) idque geminata phraſi, ſignificat, tempus iræ Divinæ præteriiſſe, & jam nunc ſplendeſcere auroram meliorum temporum. Alluditur in hac pericopa, ut putem, ad calamitates, quas Eccleſia Judæa perpeſſa eſt, cum Exilio Babylonico, quæ erant effecta חמת *iræ*, & *excandeſcentiæ* Divinæ. Sic ſe habebat res ſub Oeconomia Vetere. Eccleſia ſecundum inſtitutionem Fœderis Sinaitici faciens corpus hominum externum & carnale, cujus partem faciebant homines pii ac Dei reverentes, poterat eſſe objectum Divinæ iræ; quod ſe ſecus habet ſub Oeconomia Nova. ut μετὰ Θεῦ declarabo ad Cap. LII. 1.

Quid item, ex *ſomno* hoc *excitari*?

CRASSAMENTUM (fæces) CALICIS VERTIGINIS *ebibiſti, exſuxiſti.*] h. e. Quæſitiſſimum Divinorum Judiciorum & Calamitatum ſuſtinuiſti, confer phraſin Pſ. LXXV. 9. כוס תרעלה recte vertitur *Poculum vertiginis*, aut *tremoris*, quod exhauſtum *membra tremere* facit. quod non ſperno. Proximum eſt illud κατανύξεως, ſi ſumatur pro *compunctione*; & σπαραγμῶ *convulſionis*, quod placuit Symmacho. Alex. Πτώσεως, *lapſus*. Alibi [d], κατανύξεως. non ſatis certæ ſignificationis. debebat eſſe, *ſoporis*, *veterni*. Sed recte omnino vox redditur per *vertiginem*, quæ quem facit *gyrare*, *moveri*, *iremere*, confer Pſ. LX. 5. Zach. XII. 2. Cenſeo, ſpectari ſub hac phraſi *afflictionem Syriacam*, Chaldæa graviorem, ipſam quoque inflictam Eccleſiæ Judææ ob graviſſima ejus peccata. Hiſtoricus Maccabæus [e]: Καὶ ἐγένετο ὀργὴ μεγάλη ἐπὶ Ἰσραὴλ σφόδρα· *Fuitque* IRA *ſuper Iſraëlem magna valde.*

Quid hic loci ſit כוס תרעלה *Poculum vertiginis*, quod dicitur?

Articulus alter.

Articulus alter, vſ. 18. *Non eſt qui eam leniter ducat, &c.*

vſ. 18. NON EST *qui eam leniter ducat ex omnibus* FILIIS *quos educavit.*] Sanctius verba in expoſitione præteriit. Verba in duplicem accipi poſſunt ſenſum: vel de Prophetis & Doctoribus publicis qui Eccleſiam conſolentur & erigant; vel de Ducibus & Principibus, qui afflicto ſtatu ſuo ipſi auxilio ſuo & manu ſuccurrant: metaphora deſumpta à fœmina debili, quæ niſi manu ducatur aut ſuſtineatur, ex *vertigine* capitis & contracta debilitate inepta eſt ex ſe promovere gradum, aut ſe præſervare à graviore lapſu. Prius ſi ἁπλῶς accipias: nunquam huc uſque accidit in ulla afflictione Eccleſiæ Veteris & N. T. Adfuerunt Eccleſiæ omni tempore & caſu Doctores, qui eam in graviſſimis afflictionibus erexerunt, Deo ſua providentia curante. Quare ex Intt. plures emblema poſteriore ſenſu accipiunt. Aben-Ezra: *Nullus eſt Rex aut Judex qui eam ſervet*, aut cauſſam ejus defendendam ſuſcipiat. Non eſt utique abſurda interpretatio, & ſatis convenit Statui Eccleſiæ ejus temporis, ad quod ex ſenſu noſtro hic reſpicitur. De Exilio Babylonico nullum eſt dubium. Deum ipſum Eccleſiæ Vindicem de eo dicentem audivimus, *Non offendi hominem* [f]. Nec minus id vere affirmatur de Statu Eccleſiæ tempore afflictionis Syriacæ. Nemo Vir illuſtris deprehenſus eſt, nullus heros, Judex, Magiſtratus qui cauſſam Populi illo tempore defendendam receperit: quare, ut hæc Liberatio videretur opus Dei, Deus excitavit ex *Sacerdotibus* Aſſamonæis, qui Eccleſiam vindicarent, quo alluditur Cap. LIX. 16. *Et vidit quod non eſſet Vir.* Phraſis autem, *prehendere manum*, ſumitur pro *auxilio* quod Populo debili ſubminiſtratur, apud Ezechielem [g]. Attamen negari nequit, phraſes, *leniter ducere*, (נהל, cujus vocis poteſtatem intelliges ex Cap. XL. 11. XLIX. 10.) & *manum prehendere*, ſi non ſolam ſignificent *conſolationem* Eccleſiæ; ad eam quoque commodiſſime referri. Chaldæus ita accepit: *Non eſt qui* CONSOLETUR EAM *ex omnibus filiis quos peperit.* Atqui vero, quod modo innuebam: Eccleſiæ nunquam defuerunt Doctores, qui eam conſolati ſint? Ita eſt, ſed ſententia Prophetæ *figurate* accipienda eſt. *Figurate* autem accepta duo ſignificare poteſt, α. *Paucos* eſſe veros Doctores & Paſtores, qui Eccleſiam erigant, ut Pſ. XIV. 3. NEMO *eſt qui faciat bonum: ne unus quidem.* Deſcribitur univerſalis Eccleſiæ corruptio; *bonis* qui ſupererant, ad exiguum numerum redactis. β. Afflictionem Populi Dei eſſe tantam, ut Doctoribus verba deſint ad eam conſolandam. eſſe enim eos paratiores ad lugendam plorandamque Eccleſiæ calamitatem, maliſque ejus, quæ ipſi quoque participabant, indolendum, quam ad eam conſolandam: ut exemplum eſt in *Threnis* & *Lamentis* Jeremiæ & Ezechielis. Poſterius hic intehdi, patet ex *commate ſequenti.*

Verba accipi poſſunt gemino ſenſu.

Unde hic ſumpta ſit metaphora?

Utraque ſententia diſcutitur.

[a] A. Ezræ interpretatio.

In eam animadverſio.

Articulus tertius.

Sententia Prophetæ, de *ductu ſpirituali* accipitur.

vſ. 19. DUO ILLA OBVENERUNT TIBI: *quis te* PRO *merito comploret?* VASTATIO *&* CONTRITIO, *&* FAMES *&* GLADIUS: QUIS *te conſolabor?*] *Duo* memorat; & tamen *infert quatuor*, ait Hieronymus; movens dubium quod non ſatis feliciter expedit. Sunt qui verba, *Duo illa tibi obvenerunt:* referunt ad ſuperiora; eſſe videlicet Populum Dei ab hoſtibus afflictum, & à nemine Rectorum ſuorum ei præſtitum eſſe auxilium. Sic docti quoque Belgæ; ſed abſque magna ſpecie. Alterum enim horum tantum in *commate* proxime *antecedente* expreſſum erat. Potior pars Intt. tam de Hebræis quam de noſtris cenſet, hic vere tantum duo appellari Mala, ſed mutatis vocibus expreſſa, Vate ipſo ſenſum ſuum declarante. Per *Vaſtationem* enim intelligi gladium, *Vaſtationis* inſtrumentum; per *Fracturam* vero, *Famem*. Sic Aben-Ezra, eſtque idem ſenſus Piſcatoris. Kimchius eodem tendit; ſed *vaſtitatem* comparavit cum *fame*, & *contritionem* cum *gladio:* quod Grotio quoque placuit. Non ſpernenda videtur ad primum aſpectum interpretatio; & nihilominus, ut putem, aliena à mente Prophetæ. Obſerva itaque in hanc rem, α. Prophetam non ſcripſiſſe, *Vaſtatio & Contritio; Fames & Gladius:* quomodo plane videtur ſcripturus fuiſſe, ſi per *Famem* & *Gladium* eandem rem intellexiſſet quam per *Vaſtationem* & *Contritionem*. Oratio ſic legitur; *Vaſtatio, & contritio,* ET *fames, &c.* ut ne dubitaremus, *Famem* & *Gladium* eſſe res à *Vaſtatione* & *Contritione* diverſas. β. Quæ Docti Viri dicunt παράλληλα eſſe, *Vaſtationem* & *Contritionem*; *Famem* & *Gladium:* eadem parallela eſſe nego, utro modo comparatio inſtituatur. *Vaſtatio* & *contritio* ſunt notiones communis uſus, quæ plures poſſunt habere cauſſas quam *gladium* & *famem:* imo alias & veriores cauſſas: atque adeo nunquam *directe*, quod putem, ſtylo Scripturæ S. ad has ſpecies *Judiciorum Divinorum* referuntur. *Vaſtatio* (שוד) refertur ad *agros* & *urbes*, ubi *agri* ab hominibus & jumentis conculcantur; *ſata* corrumpuntur; bona diripiuntur & diſtrahuntur; ædes diruuntur, incenduntur; homines non tantum necantur, verum etiam abiguntur, diſpelluntur, abducuntur, & omnia vaſta ac deſerta relinquuntur. Sic Vates noſter in initio hujus Libri [b]: *Terra veſtra eſt deſolata: urbes veſtræ conſumptæ igne: terram veſtram frugiferam devorant coram vobis peregrini.* Jeremias [i]: *Quia Noph erit in vaſtitatem; & incendetur, ne quis eam inhabitet.* Eſt effectus *belli*, cui propria eſt notio: non directe *gladii* aut *peſtis*. Rurſus, שבר *confractio, contritio*, quæ adhuc bello & vaſtatione gravior, notat diſſo-

Communior ſententia.

A qua diſcedit ur. Rationes ejus judicii.

Uſus vocis שוד *Vaſtatio*, ſtylo Scripturæ S.

Et שבר *confractio, contritio.*

[a] Matth. XX. 22. XXVI. 39. Pſ. XI. 6. [b] Jer. XXV. 15. ſeqq. Thren. IV. 21. [c] *Bel. Civil.* Lib. II. p. 468. [d] Pſ. LIX. 5. [e] 1 Macc. I. 67. [f] Cap. XLVII. 5. [g] Cap. XXIX. 7. [h] Cap. I. 7. [i] Cap. XLVI. 19.

dissolutionem & destructionem Reipublicæ. metaphora sumpta à vase, potissimum figulino in hunc illum usum aptato, quod corrumpitur, & fragile cum sit, in fragmenta disjicitur. Sic Vates noster explicuerat emblema Cap. XXX. 14. Jeremias [a]: CONFRINGAM (verba Dei,) *Moabum* ככלי INSTAR VASIS, *quod displicet.* Si ad homines referatur: significat illorum corruptionem & interitum, ut Cap. I. 28. qui effectus rursus à variis pendere potest caussis. Ergo, ne hic longior sim: ubi Vates ait, DUO ILLA, significat *duo paria.* Jarchius: שתים שתים צרות כופלות *Mala duplicata: bina & bina.* Apud Aben-Ezram est: תאומות באו הצרות *Mala incedunt conjugata*, paria. Duo priora proprie ad Rempublicam pertinent: posteriora ad homines, civitatum & agrorum incolas. Sanctius quoque, & ex nostris Coccejus, explicant שתים *duo* per *duo genera malorum*; licet hic per שבר *fracturam* videatur intelligere *pestem* cum *vastatione* conjungendam: quod ita se habere non putem. Non dubito, quin Deus Hierosolymitanos secundum prophetias Jeremiæ & Ezechielis in obsidione Urbis per Chaldæos quoque afflixerit *peste*, quæ consequens solet esse Civitatis longum obsessæ; *grassante fame*, & *aëre* ex cadaveribus insepultis jumentorum & hominum *corrupto*: sed historia & *Threni* Jeremiæ tantum meminerunt *gladii* ac *famis*: *pestis* sub illis intelligitur. Alludi autem hic ad mala illa, quæ Judæi perpessi sunt in obsidione Hierosolymæ per Chaldæos, quis qui *Threnos* Jeremiæ legerit, dubitet? Eadem mala recurrerunt in Afflictione Syriaca. De *fame* dubites? Verum an dubitare licet, tota Judæa desolata vastataque, & agris relictis absque cultu? Imo vero Historia Maccabæa de eo exerte testatur [b]. Præter hæc observari velim, α. In voce קראתן literam א otiari, est enim ex קרה *occurrere*, *obvenire*, flexo secundum analogiam thematis קרא, satis frequentis usus in paginis Sacris. β. Orationem Vatis ita non esse accipiendam acsi mala hæc in præsenti adhuc Ecclesiæ incumberent. utique jubetur se *excitare* & *erigere* tanquam iis jam defuncta. Recensentur non tam præsentis quam præteriti temporis calamitates, ut gratia temporis sequuturi tanto clarius ex hac ἀντιθέσει & comparatione splendesceret. γ. Gravitatem illorum malorum significari duplice phrasi, מי ינוד לך *Quis complorabit te?* Οἱ ὁ. Τίς συλλυπηθήσεταί σοι; h. e. quis te *pro merito*, pro digno complorabit, planget? & אנחמך מי QUIS *consolabor te?* Sic proprie sonat dictio Hebræa. Videtur autem esse debere, מי ינחמך *Quis consolabitur te?* Sic οἱ ὁ. Τίς παρακαλέσει σε; *Quis consolabitur te?* Intt. passim sic expediunt difficultatem, ut מי hic idem valeat quod במי PER QUEM *consolabor te?* Chaldæus sibi persuadens orationi mysticum quid subesse, in sententia sectatus est acumen. Integra ejus interpretatio sic habet: *Duæ tribulationes venerunt super te, Jerusalem; non potuisti consurgere: cum venerint quatuor super te, præda & contritio, & fames & gladius:* ליה די מנחמין אלהן אנא *non erit qui te consolari queat nisi* EGO. Accepit sententiam in hanc formam, ut vox נחם semel scripta, bis legenda sit, acsi Vates perfecte scripsisset: מי ינחמך אני אנחמך *Quis consolabitur te? Ego te consolabor.* Elliptice. QUIS? *Ego consolabor te.* Est argutum quid in sententia quod delectat. Supposuit, nisi fallor, orationem esse *Dei*, quæ tamen vere est Prophetæ. Sed non opus est his ambagibus. Recte dixeris, Hebraice & Latine, *Quis consolabor te?* Quomodo, qua re instructus? Exemplum est docte productum à Cl. Coccejo, apud Amosum [c]: מי יקום יעקוב QUIS *stabit Jacob?* quomodo? qua re suffultus? Nimirum qui alios in adversis consolantur, solent ex historia producere exempla malorum similium quæ alii in casibus non dissimilibus perpessi fuerint: sed Historia Ecclesiæ, (ad eam enim hic respicitur:) nullum casum, nullum exemplum exhibebat calamitatis, Populo Dei inflictæ, cum hac comparandum. Talis fuit afflictio Chaldaica; & ea adhuc gravior Syriaca. Sic habet historia [d]: *Fuitque* AFFLICTIO MAGNA *in Israël, ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης ἐν αὐτοῖς·* QUALIS NON FUERAT *ex quo die non est visus Propheta inter ipsos.*

Articulus quartus.

℣. 20. *Filii tui in* DELIQUIUM ANIMI INCIDERUNT: *jacent compitis omnium platearum, ut* ORYX *irretitus; pleni furore Jehovæ, increpatione Dei tui.*] Referendum quod hic dicitur ad *famem*, quæ in prima obsidione Hierosolymæ dirissime sæviit, & merito censetur longe gravius malum gladio. Jeremias eam vivis coloribus pingit in *Threnis*, miserabili carmine, Cap. IV. 3. seqq. coll. cum Cap. II. 11. 12. ut dubium non sit quin illuc alludatur. quæ ipsa quoque fames fuit in proximis caussis expugnatæ Urbis, ut historia docet [e]. Intelliges autem, non convénire descriptionem ulli casui aut tempori Ecclesiæ N. T. quo fidei caussa est afflicta. Sunt sane exempla bene multa eaque valde memorabilia in historia recentiore Bellorum *Religionis caussa* gestorum in Gallia & nostro hoc Belgio, Urbium ab hostibus Religionis veræ obsessarum, & post insignia fortitudinis edita exempla redactarum ad extremam penuriæ necessitatem, & sævissimam famem, quæ hanc imaginem non obscure refert: ne de exemplis diræ famis, quæ historia Germaniæ *Sæculo superiori* fatali illo Bello tot annis vastatæ, exhibet: cujus tamen censeri posset diversus esse aspectus. Verum, α. hic mentio est de afflictione universali *filiorum*, h. e. incolarum *Hierosolymæ*, sive membrorum Ecclesiæ. β. Qui pertulerunt æstum *furoris & indignationis Divinæ.* qui characteres non conveniunt Ecclesiæ sustinenti, (non ubique, sed in paucis locis,) probationem suæ fidei. Sunt hæc diversissima, & plane inter se non confundenda. Cætera fere nihil habeo quod hic observem. Vox עלף hic recte verti videtur per *deliquium animi facere*, ἐκλείπειν, μικροψυχεῖν, λειποθυμεῖν, *languere*, quæ significatio vocis obtinet forma *Hithpaël*, in locis Jon. IV. 8. Amos. VIII. 13. עלף est *tegi*, *obscurari*, quem affectum in animum inducunt *deliquia.* Animus defectu virium sive influxus subtilissimarum sanguinis partium obscuratur; & oculis obducuntur tenebræ instar veli. Plus est quod Interpretem exerceat in verbis, כתוא מכמר, quæ cum Hieronymo lubenter vertimus, *ut oryx illaqueatus, irretitus.* Sic Symm. Ὡς ὄρυξ ἐν ἀμφιβλήστρῳ. Pariter Aq. & Theod. Ἡμφιβληστρευμένος, συνειλημμένος. *illaqueatus, comprehensus.* Laudavit versionem, illustravit, & cum antiquis, hic in diversissima euntibus, contulit, Vir in hoc studii genere longe doctissimus Bochartus [f]; & nobis quidem nihil hic reliquum fecit. Est autem *oryx*, animal sylvestre, genus quoddam *capreæ*, in Ægypto, & Africa, notissimum, *bisulcum* & *unicorne*; cornu vero validissimum, & cæteris animantibus infestum. Censet ὁ πάνυ, idem esse animal quod, Stylo Scripturæ S. ראם dicitur, vulgo, sed vitiose, *Monoceros.* מכמר vero est *rete*, *laqueus.* Et hæc quidem ita se habeant: sed cur inde hic potius, quam aliunde, petitur similitudo? Dicam verbo, neque enim Intt. quos inspexi, mihi hic plane satisfecerunt. Alluditur ad ferocem & indomitam Judæorum indolem, qualis est *Orygum*; continenter nitentium adversus Deum, & obstinato ac furibundo impetu, dum salutaria Dei consilia de deditione Chaldæis facienda spernunt, ruentium in suam perniciem; ut tandem Divinis Judiciis capti atque illaqueati, viribus frustra consumptis, concidant: *pleni excandescentia & increpatione Dei*, h. e. in se exhibentes clarissima signa Divinæ iræ & excandescentiæ, magnis haustibus epotæ, ipsis ad interitum suum incumbentis. Propheta inhæret emblemati quo usus fuerat ℣. 17. Phrasis, μεμεγωμένον εἶναι γλεύκους pro μεθύειν, est in *Actis.* [g]

β. *Conso-*

Per *duo* hic intelliguntur *duo paria.*

Intt. ἐμέψαφοι.

Respici hic posset ad Mala quæ Judæi perpessi sunt tempore Calamitatis Chaldaicæ.

Sed eadem recurrerunt in Afflictione Syriaca: etiam *fames.*

Observata alia quà *Literalia*, quà *Realia* ad intelligentiam verbotum.

Dubium in phrasi, מי *Quis consolabor te.*

Aliorum sententiæ.

Acumen Chaldæi.

Difficultas leviore opera tollitur.

Sensus Prophetæ declaratur.

Articulus quartus, ℣. 20. *Filii tui in deliquium animi inciderunt, &c.*

Alluditur ad *famem* quam perpessi sunt Judæi in obsidione Hierosolymitana.

Non respicitur hic Calamitas Populi Christiani sub N. T.

Usus vocis עלף h. l.

Vox תואו hic optime vertitur per *Orycem.*

Quare Judæi hic Orycibus comparentur?

Calamitas quæ Judæis incubuit, habuit argumenta iræ Divinæ.

[a] Cap. XLVIII. 38. [b] 1 Macc. VI. 54. IX. 24. [c] Amos. VII. 2. [d] 1 Macc. IX. 27. [e] 2 Reg. XXV. 3. [f] Hieroz. Part. 2. Lib. III. Cap. XXVIII. [g] Cap. II. 13. coll. cum ℣. 15.

β. *Consolatio* ipsa.

(a.) *Appellatio.*

β. Consolatio ipsa. (a.) Argumentum consolationis, ℣. 21. Observatio hū verbi.

℣. 21. *Propterea audi, quæso, hoc afflicta, & EBRIA, sed non ex* VINO.] Sc. proprie sic dicto; sed ex Divinis Judiciis, te graviter prementibus ac perturbantibus. Allocutio competit in Ecclesiam, (secundum hujus Prophetiæ ductum,) quo tempore se incepit erigere ex Afflictione Epiphanica: ut mox declarabo.

(b.) *Argumentum* Consolationis.

(b) *Argumentum* consolationis, ℣. 22. Deus Ecclesiam postmodum ab ejusmodi malis liberaret. Summa orationis Vatis distinctius declaratur.

℣. 22. SIC *ait* DOMINUS TUUS JEHOVA, *& Deus tuus qui aget caussam Populi sui:* ECCE ACCIPIO *è manu tua Poculum tremoris; fæces Poculi excandescentiæ meæ:* NON PERGES DE EO AMPLIUS BIBERE. ℣. 23. *Et pono illud in manu eorum, qui te molestia affecerunt: qui dixerunt* ANIMÆ TUÆ, *Demitte te, ut transeamus; & posuisti tergum tuum ut terram, & tanquam plateam transeuntibus.*] Nihil obscuri habet *Consolatio*, accommodata ad Statum Ecclesiæ afflictæ. Duo enim Ecclesiæ promittit, quæ videbatur hoc Statu expetere, atque à Gratia & Justitia Divina exspectare posse: Liberationem ab hostibus & adversariis, quibus Deus usus fuerat ut *virga suæ iræ* [a] in populo suo castigando; & Vindicias, ab iis severe exigendas. Promissum fundatur tum in *Dominio Dei* in Populum suum, unde ipsi non *jus* tantum nascebatur, sed & *obligatio* ad Ecclesiam ut *rem bonumque* SUUM vindicandam; tum in *Nominibus* Dei *Fœderalibus*, Promissorum Ecclesiæ factorum symbolis Sacramentalibus, quibus dicitur *Jehova*, & *Deus Populi sui*. Cum enim quà *Jehova* se obstrinxisset ad Promissa omnia Patribus facta suo tempore exhibenda; & quà *Deus Populi sui* vi Fœderis cum ipso initi ipsi deberet sive officium sive beneficium defensionis, *caussamque* Populi inique oppressi *vindicandam*, quandiu eum pro Populo suo solenniter agnosceret: Chorus Propheticus Deum hic dicentem infert, & asseverantem, sub ipsis hisce titulis *Jehovæ*, *Domini* & *Dei Ecclesiæ*, vi Promissorum Abrahæ datorum; Populi ex Ægypto vindicati; & Fœderis cum eo ad Montem Sinai percussi; se non neglecturum esse Ecclesiæ caussam; sed, expleto Justitiæ suæ postulato, se Ecclesiam respecturum in gratia, & mala quibus longum adeo gravata erat, translaturum ad hostes ejus. Nihil hic admodum est in oratione; nihil in re; in quo quis hæreat. Vox מוגים, consensu Grammaticorum Hebræorum, est ex יגה, & valet proprie quem *mœrore afficere*. unde יגון *mœror*. Hieron. *Qui te humiliaverunt*. Putem, legisse מוגיך, quam vocem habuimus Cap. XLIX. 26. exigua variatione, & venusta παρονομασία. Certe sic legit hoc in loco Chaldæus, ipsissima voce retenta: דהוו מגנן ליך *Qui te oppresserunt*. Οἱ ὁ. Τῶν ἀδικησάντων καὶ τῶν ταπεινωσάντων σε. Sed nulla ratio est hic discedendi à lectione Masorethica, nunc recepta, cum Jeremias ipse in *Threnis*, deplorans mala Exilii Babylonici, hac voce הגרה utatur, Cap. I. 12. Cur vero Propheta noster in his quæ sequuntur verbis, scripsit, *Qui dixerunt* ANIMÆ TUÆ, *Demitte* TE, *ut transeamus?* Utique enim *eundum* hic erat per *corpus*, non per *animam?* Id subest, nisi fallor, quod actus inflectendi corpus, ad lubitum hostis aut victoris illud calcaturi, honori adversissimus sit, & cum cupiditate naturali pugnet, ut corpus hoc in casu demitti atque inclinari nequeat, nisi *anima* simul *demissa* & afflicta. Ad ipsam vero phrasin quod attinet, *ire per corpora*, sive *terga hominum:* hic metaphorice usurpatur, perinde ac Poëta facer Ecclesiam loqui facit, hostes *tergum suum arasse*, & *in eo produxisse sulcos* [b]. Equidem Reges Orientis, superbissimi Principes, subinde victos & sibi subjectos insolenter atque indignissime habuerunt, ut exemplum est in Sapore, Persarum Rege, qui ipso Valeriano, à se bello vel fraude capto, ut *abjecto* & *vili mancipio usus* [c], quotiens equum conscensurus erat, *tergum* sibi ab Imperatore Romano, inclinato corpore, *dari*, & *cervicem* præberi jussit, *cui pedem imponeret*, ut historia vetus testatur [d]; & in Sesostri, cujus à Regibus & Dynastis victis sub *jugum missis*, currum tractum esse, tradit Diodorus [e]; quibuscum conferri potest illud adhuc sævius & insolentius Adonibezeki in Historia Sacra [f]. Sed ut hæc rara sunt; sic alienum est à more Gentium, victorum hominum *tergis* uti tanquam via qua incedant. Metaphora significat, Populum Dei ea fuisse conditione, ut libidini Principum & Populorum Victorum in abjectissimis quibusque servitiis & injuriis obsequium præstare coactus fuerit.

Vocis מוגיו etymon, & significatio. Quæritur, num lectio ejus sit genuina? Emphasis in voce *anima* h. l. Ratio redditur phrasios, *demittere animam.* Quæ hic metaphorice accipienda est. Exhibet tamen historia exempla analoga.

Implementum promissi Prophetici à me collocatur in ipso illo tempore, quo Respublica à Syro-Macedonibus afflicta emergere cœpit, vindicata à Maccabæis; quæ tempora in hoc Libro, aliisque in prophetiis, frequentius respici, sæpius monui. Incidit intervallum illud in medium tempus Jonathanis, & in initia Simonis; fratrum Judæ. Possunt itaque quæ hic dicuntur, conferri cum Vaticiniis superioribus Cap. XXIV. 21. seqq. XXV. 1. seqq. XXX. 23. seqq. XXXIII. 1. seqq. secundum illorum Vaticiniorum intellectum typicum. Interpretes, qui hic compellari censent Ecclesiam, qualis fuit tempore Exilii Babylonici, implementum Prophetiæ passim demonstrant in Liberatione Populi ex Exilio Babylonico, ubi Calix à Judæis translatus est ad Babylonios ipsos, secundum vaticinationem Jeremiæ [g]. Nihil vitii est in illa meditatione, si implementum Prophetiæ inchoatum spectes. In ipsa enim hac pericopa, ubi gravissimæ Ecclesiæ afflictiones memorantur, & punitio hostium ejus: mala expugnatæ Hierosolymæ; abductio Populi in Exilium; illiusque Exilii calamitates; & judicia Dei in Babylonios, conjuncta cum Liberatione Populi Dei; *simul* intelliguntur. Gravia omnia, quæ perpessa est Ecclesia tempore severitatis Divinæ sub Oeconomia Vetere, & exempla Judiciorum Divinorum in hostes Ecclesiæ, hic in uno veluti cumulo exhibentur. Insuper non eo inficias, Prophetas passim de temporibus Reducti ex Exilio Populi, & instauratæ Reipublicæ, loquentes, videri spem facere Ecclesiæ Benedictionis amplissimæ & interitus hostium, à quibus *amplius* affligenda non sit. Jeremias in *Threnis* [h]: *Iniquitas vestra* (pœna iniquitatis vestræ,) *consummata est, Filia Tsionea: non perget te captivam abducere.* Adscribunt Belgæ nostri Intt. Subintellige, *Nisi vos continuis gravissimisque delictis vestris mihi hanc veluti imponatis necessitatem, ut factum sub Vespasiano.* Pace præstantium Virorum, præter scopum hujus prædicti. Omnia enim promissa & prædicta hujus generis Ecclesiæ Judææ facta sub Oeconomia Vetere, solummodo extenduntur usque ad tempus Oeconomiæ Novæ, in quam Ecclesia Vetus transiit; & in qua promissa ac prædicta complentur. Populus ille, qui Hierosolymis deprehensus & subactus est à Romanis, & in Exilium missus, à Deo fuit rejectus, & exclusus communitate Ecclesiæ. Quicquid perpessus est ille Populus, non censetur amplius perpessus esse ut *Populus Dei*. Sic idem Jeremias passim instituit, in Vaticiniis suis, de quibus unum solummodo locum allegabo. Sic ille, absque dubitatione loquens de Reditu Judæorum ex Exilio Babylonico [i]: *Et futurum est illo die, ait Jehova* Dominus *Exercituum; ut frangam jugum ejus à collo tuo, & vincula tua disrumpam;* & NON AMPLIUS *ut servo utentur ipso alieni.* Deinceps: *Nam tecum Ego sum, ait Jehova, ad salvandum te. Nam faciam consummationem in omnibus Gentibus, per quas te dispersi; at tecum non faciam consummationem.* Clarius adhuc in sequentibus [k]: *Propterea omnes vorantes te devorabuntur; & omnes hostes tui; omnes, inquam, in captivitatem ibunt; & omnes qui te lacerarunt, lacerabuntur; & qui te diripuerunt, hos dabo diripiendos.* Joël [l]: NON *tra-*

Implementum Prophetiæ demonstratur in Maccabaicis, sub Jonathane & Simone, Ducibus. Communis sententia Intt. de implemento hujus Prophetiæ, cum Reditu ex Exilio Babylonico. De eo judicium. Stylus Prophetarum loquentium de Statu Populi Reducis ex Exilio. Revv. Belgarum Intt. annotatio, & in eam ἐπίκρισις. Promissa temporalia Judææ Genti facta terminantur in Oeconomia Gratiæ. Quod evincitur ex prophetiis analogis. Locus Jer. XXX. 8.

[a] Thren. III. 1. [b] Ps. CXXIX. 3. [c] Trebell. Poll. in *Val.* C. 3. [d] Epit. Sext. Aur. Vict. C. XXXII. Lact. de *Mort. Persec.* C. v. [e] Lib. I. p. 37. [f] Jud. I. 7. [g] Cap. XXV. 26. [h] Cap. IV. 22. [i] Cap. XXX. 8. [k] ℣. 11. [l] Cap. III. 19.

Altarum consensus.

tradam vos AMPLIUS *in probrum inter Gentes.* Pertinet Vaticinium vel ad tempus Liberationis ex Exilio Babylonico, vel ex afflictione Syro-Macedonica. Amos. [a]: *Et Ego eos plantabo in terra sua, &* NON *diruentur* AMPLIUS *de terra sua, quam dedi ipsis: ait Jehova Deus tuus.* Confer ex Propheta nostro Cap. XXX. 20. XXXII. 5. Hæ prophetiæ, & his analogæ plures, sunt intelligendæ secundum duos hosce canones, α. Ut illud NON AMPLIUS non extendatur ultra tempus Oeconomiæ Novæ. Hic *terminus* erat omnium promissorum & prædictorum de Ecclesia Veteris Oeconomiæ. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* β. Ut *completum implementum* horum prædictorum & promissorum de florentiore Statu Ecclesiæ, post instauratam ab Exilio Rempublicam, demonstretur in Republica, post afflictiones longi temporis, vindicata in libertatem à Maccabæis. Usque ad illud enim tempus, Medis, Persisque, Ægyptiis ac Syro-Macedonibus, ita fuerunt subjecti & obnoxii, ut se ad omnia & abjectissima etiam obsequia imperiosis Dominis exhibenda debuerint componere, nec licuerit contra hiscere: quod est *se demittere, & præbere tergum calcanti.* Tacitus, sed ex nimio Gentis odio [b]: *Dum Assyrios penes Medosque & Persas Oriens fuit;* DESPECTISSIMA PARS SERVIENTIUM. Sed hoc tempore, vindicati in Libertatem, dum Deus Syros hostes illorum, (calice Divinæ iræ ad ipsos translato,) judiciis spectabilibus prostravit: excreverunt Judæi in immensum numerum; vicinas & olim æmulas Gentes sibi subjecerunt; opibus & divitiis ad luxuriem usque floruerunt. Equidem verum est, Principes imprudentes Hyrcanum & Aristobulum, inter se litigantes de dominatu, Romanis occasionem præbuisse, se rebus ipsorum miscendi; & ipsos vere obnoxios fuisse Romanis, eorumque respexisse auctoritatem, post Hierosolymam à Pompejo captam. Nec tamen Respublica iis est adempta; sed retinuerunt speciem libertatis; & quæ perpessi sunt mala illo tempore, non fuerunt gravia; ut prophetia, quæ minutias non sectatur, ea opus non habuerit respicere. Confer Ps. CXLVI. quam *Oden* ex aliis huic tempori convenire putem.

Canones interpretationis prophetiarum, quæ agunt de prosperitate Populi Judaï post Reditum ex Exilio.

Locus Taciti.

Historia extremorum Gentis ante apparitionem Messiæ.

APOSTROPHE ALTERA, facta ad Ecclesiam eandem, circa tempus *Auroræ Evangelii.*

α. Ecclesia jubetur se *parare* ad Oeconomiam Gratiæ, & se instruere *cultu* ei conveniente.

Apostrophe altera ad Ecclesiam, proximam Regno Dei, Cap. LII. 1. *Excitare*, &c.

CAP. LII. 1. *Excitare, excitare, induere Robur tuum, ô Tsion! induere vestes decoras tuas, Hierosolyma, Urbs sancta! quia* AMPLIUS AD TE NON VENIET PRÆPUTIATUS *&* IMPURUS. ℣. 2. EXCUTE TE EX PULVERE, *surge, conside Hierosolyma! solve te vinculis colli tui, captiva Filia Tsion.*] Altera hic occurrit *Apostrophe*, ad idem directa *Subjectum*, h. e. ad Ecclesiam Populi Judæi, ad id jam tempus provectam, ut ἀπουσαδοκίᾳ *intenta exspectatione* se extenderet ad τὴν Φανέρωσιν *Manifestationem Regni Dei*, propediem futuram. Hanc Ecclesiam compellat Spiritus S. per Prophetas. Adspicit eam, olim vindicatam ex Ægypto, & liberatam ab Assyriis, rursus immixtam, magno dolore suo, profanæ & impuræ turbæ, cujus causa *Nomen Dei quotidie blasphemabatur*, ℣. 5. Jubet itaque eam, *veterem cultum suum*, Oeconomiæ antiquæ convenientem, deponere, & *assumere novum* ac *spiritualem*, quippe talem nunc ingressuram Statum, & Oeconomiam, quæ *hypocritas & profanos* excluderet: metaphora sumpta à Virgine sive qualicunque Femina mœsta, cui *captivæ* factæ sedenti in squalore & luctu, Sponso aut Marito absente, nuntiatur instans Liberatio, & conditionis præsentis commutatio cum meliore, qua *Sponso* aut *Marito* propius unita prospero rerum suarum statu ex voto floreret; quæque eum in finem se jubetur induere & exornare cultu, huic Statui apto.

Aspectus hujus periocopæ, ejusque summa.

Quæritur de Statu &

In oratione Vatis, si τὸ γράμμα spectes, nihil fere occurrit quod Intt. moretur. quicquid autem ejus est, in ipsa verborum expositione usum habebit. Prima hic & præcipua quæstio est de *Subjecto*, ad quod hæc *Apostrophe* referenda sit. Constat utique, esse *Tsionem* & *Hierosolymam* h. e. Ecclesiam. Sed quæritur, cujus *temporis & respectus?* De quo rursus diversum sentiunt qui hanc prophetiam tractarunt. Eusebius & Hieronymus, hic persistunt in hypothesi, quam ad priorem *Pericopam* assumpserant; orationem hanc verti ad illos Judæos qui se contaminarant scelere occisi Christi Jesu, eam ob causam incursuros in summas calamitates; quos hic volunt *vocari & excitari ad resipiscentiam.* Quæ sententia, alienissima ab argumento & verbis hujus prophetiæ, quomodo se probare potuerit hominibus doctis, nec imprudentis judicii, merito quis miretur. Digna certe non est quæ vel verbo refellatur. Inter probabiles hypotheses ea regnat, quæ orationem refert ad *Judæos*, in Exilio Babylonico versatos, tanquam quibus sub figurato hoc emblemate prænuncietur Liberatio ex Carcere Babylonico, & Reipublicæ instauratio in optatissimam conditionem libertatis & prosperitatis Status. Sic Piscator, Sanctius, Grotius, alii. Ipse quoque Cl. Coccejus in *Commentatione* ad *Ultima Mosis* [c] secundum ipsam hanc hypothesin interpretatur hanc Pericopam: certe per *Tsionem* & *Hierosolymam* ibi intelligit Ecclesiam tantum quod ex Exilio Babylonico liberatam & Tsioni ac Hierosolymæ restitutam. INDUMENTUM ORNATUS, quod Virgo Judæa *recipere* monetur, explicat de *Reædificatione Templi:* EXCUSSIONEM PULVERIS & SESSIONEM de *constructione Murorum & Civitatis:* SOLUTIONEM VINCULORUM COLLI, de *Libertate* recuperata à Maccabæis. Docta est meditatio, sed quæ tam apud alios Interpretes quàm apud Virum Doctissimum ipsum reliquit scrupulum. Oratio enim Prophetæ nimis videtur esse grandis & magnifica, quam ut applicari queat ad Statum Reducum ex Exilio Babylonico. Quocunque enim modo sumas verba, *Non veniet amplius ad te præputiatus & immundus:* sive de hostibus non amplius in medio Populi Dei cum imperio versaturis; sive de hominibus impuris communione Ecclesiæ exigendis: vides, historiam non perinde ac cuperes satisfacere prophetiæ. Ipsissima vero hæc ratio eum movisse videtur, quare in *Commentatione* Prophetæ nostri *versiculum primum* hujus *Capitis* secreverit à *versu secundo*, & annexerit superiori *Pericopæ*, quæ secundum ejus sensum agit de *glorioso* Ecclesiæ *Statu* in fine temporum exhibendo; de quo proinde Ecclesiæ Statu *primum* illum *versiculum* interpretatur: quando *Exordium* novæ *Concionis* ducit à ℣. 2. cujus *Concionis* Subjectum facit Ecclesiam post Exilium Babylonicum in meliorem Statum instaurandam. Sed legens contextum Prophetæ observabit facile & clarissime perspiciet, *commata* hujus *Capitis*, *primum* & *secundum*, tam arcto nexu inter se cohærere, ut ab invicem solvi nequeant. Sunt enim ejusdem argumenti; & nullo qualicunque signo ab invicem disjunguntur. Debuisset itaque Vir Doctissimus, analogiam interpretationis sequutus, totam prophetiam ad illam temporis periodum referre: quod vere agunt Intt. Judæi, eatenus quidem nobis consentientes, quod prophetiam hanc exponant de temporibus Messiæ; sed longissime à nobis dissentientes, quod implementum ejus exspectent cum adventu Messiæ sui imaginarii. Ergo Interpretes alii potius in hanc venerunt sententiam, orationem Prophetæ vere pertinere ad Ecclesiam Populi Dei, reductam vel reducendam ex Exilio Babylonico, sed literalem ejus sensum involvere spiritualem. Prophetam enim cum in extasin raptus prævideret *Reditum* Populi ex *Exilio*, ejusque Vindicias ab Antiocho Epiphane; simul intelligeret, illorum eventuum consequens fore *Manifestationem Regni Christi Jesu:* sic temperasse suam orationem, ut dum de *corporali beneficio* loquuturus videretur, se transtulerit ad contemplationem beneficiorum spiritualium, quæ Ecclesia

Tempora Ecclesiæ, quæ hic appellatur.

Diversæ sententiæ Intt. Euseb. & Hieron. quæ rejiciuntur.

Sunt qui appellari censent Populum Dei in Exilio Babylonico. Auctores hujus sententiæ.

Quid ei obstet?

Cl. Interpretis variatio, ejusque integra sententia exposita.

Sed cui non favet contextus.

Judæorum Intt. sententia.

Hypothesis probabilior alia. Auctores illius.

a Amos. IX. 15. b Hist. Lib. V. C. 8. c §. CCLXIV. LV. seqq.

consequeretur sub Oeconomia Gratiæ: quam hypothesin ante plures jam annos jeci [a] in investigatione genuini Sensus prophetiæ Ezechielis de *instauratione Templi & Urbis Hierosolymæ* [b]. Inter Pontificios Docti homines, Pintus, Emanuël Sa, Salmero, ad hanc hypothesin proxime accedunt. Ipsi quoque Belgæ Intt. prudentes Viri, interpretationem suam sic instituerunt, ut sensum *Literalem* & *Spiritualem* inter se permiscuerint. Ad me quidem quod attinet, non discedo ab hypothesi; nisi quod Hierosolymam, quæ hic compellatur, accuratius eam esse statuam *Ecclesiam Hierosolymitanam, quæ erat in proxima exspectatione Regni Christi*, post tempora Maccabaica, postquam Ecclesia novam jam contraxisset labem: quippe quod liquet, & in loco demonstrabitur, ad ℣. 3. Cætera hypothesin; Prophetas de fatis Ecclesiæ post Reditum ex Exilio vaticinantes corporalia promissa spiritualibus permiscere: validissime teneo, & ad varias prophetias hujus Libri applicui. *Cultum* autem hic à Tsionea Ecclesia induendum, ibi quoque de *cultu spirituali* intellexi. Sic itaque hic quoque, hypothesi strata, procedam.

Appellatur hic Ecclesia, quæ erat in proxima exspectatione Regni Dei.

Verba Vatis, ℣. 1. *Excitare, &c.*

℣. 1. *Excitare, excitare, indue* ROBUR TUUM, *ô Tsion.*] Piscator, Tremellium sequutus, illud עורי perinde ac התעוררי in *Apostrophe* superiore, vertit, *Evigila, evigila.* Belgis quoque nostris idem placuit. Sed inspicienti consequentem contextum facile pateat, σχῆμα orationis hic esse mutatum. In antecedente pericopa *Subjectum* quod hic appellatur *Tsion, Hierosolyma*, vere occurrit sub *figura* fœminæ *ebriæ* & *soporatæ:* sed in hac *Apostrophe* exhibetur *Hierosolyma* sub specie *fœminæ*, carcere detentæ, & jacentis in squalore & sordibus; jubeturque se erigere, consurgere & se ornare decoro comtu, ut missa in libertatem honeste in publicum prodeat. Οἱ ὁ. hic ad sensum nostrum: Ἔξεγείρᾳ, ἔξεγείρᾳ, Σιών. Hieron. *Consurge, consurge.* Non satis exacte. Est autem vocis עור ea significationis latitudo, ut qualemcunque excitationem sive corporis, sive animi, notare valeat. Hoc loco est, *Erige te, recipe animum*, prope adest *salus* tam diu sperata & exspectata. Simile est, licet diversum tempus respiciat, illud Domini apud Lucam [c]: *Quum autem hæc fieri incipient, ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν* SURSUM RESPICITE, & ATTOLLITE CAPITA VESTRA, *quoniam in propinquo est Redemptio vestra.* Subest locutioni emblematicæ; pios Reduces ex Exilio Babylonico qui veram Ecclesiam inter Judæos faciebant, in procinctu stantes & exspectantes adventum Domini Messiæ, ob dilatum spei suæ implementum, dejecto fuisse & veluti abjecto animo. unde ipsi illi appellantur אבלי ציון *lugentes Tsionis* [d], indigi *consolatione* [e]. Hos jubet Spiritus moneri de instante adventu Regni Dei, & se erigere curisque ac mœstitia sua exsolvere. Addit, *indue robur:* quod Intt. multi nimis exiliter exponunt. Pisc. *Fortem posce animum.* Belgæ. *Confirma te*, (θάρσει) *sume animum.* Coccejus noster eo refert acsi Deus diceret; *Ego qui sum robur tuum, ad te revertar, ergo fortis esto, indue robur meum.* Vera sententia Vatis ex meo sensu est, *Indue* FIDEM & SPEM. עז ROBUR Hebræis significat id quod in cujusque generis rebus *eximium est*; quod formam rei dat; ipsa liceat dicere, rei *vis*; quod summe meretur extolli & laudari. Egi de significatione vocis ad Cap. XLV. 24. Est autem *fides* & *spes* primum ac summum in habitu spirituali; omnis alterius habitus boni radix ac fundamentum; *vis* vitæ spiritualis & novi hominis; in quem habitum omnes alii resolvuntur; ipsa *interula* hominis in Oeconomia gratiæ vestiti. qua potissimum *indui* & *ornari* oportebat illos qui Christum Jesum ejusque Regnum exspectabant. Sic docet Scriptor Divinus in Epistola ad *Hebræos* [f]; sic Scriptura tota. Pertinent huc loca: Ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως [g]. Item: Ἐνδυναμώθη τῇ πίστει [h]. Et ἀναλόγως: Ἐνδυναμῶσθε ἐν κυρίῳ [i]. Est in *fide*, Divina Gratia roborata, vis magna, excellens, incredibilis. Est *victoria Mundi & Satanæ* [k]: eximium & verissimum hominis Deo placituri, & Christum Jesum recepturi, vestimentum atque ornamentum. Supponit autem hæc admonitio, non sane, *Pios* fuisse absque *fide*; sed *fidem* & *spem* in iis *languisse.*

Verba Vatis, ℣. 1. *Excitare, &c.*

Verso Piscatoris.

In eam animadversio.

Verum σχῆμα hujus *Pericopæ.*

Notatio vocis עור.

Suppositum in vocibus, *Excitare, excitare.*

Credentes ante adventum Christi Jesu erant *gravati animo.*

Quid h. l. sit, *Indue robur?*

Quid *robur* hic mystice significet?

Fides & *spes* faciunt *robur* hominis in Statu Gratiæ.

Induere vestes tuas ornatissimas, Hierosolyma, Urbs sancta!] Per בגדי תפארתך *Vestes decoris*, ornatus, sive ornatissimas, pretiosissimas, *magnificas*, ut alii hoc loco; alluditur ad ἐνδύτας, *Vestes superiores*, interiori superjectas, ut in fœminis sunt *mitræ*, *amicula*, *pallia*, *stolæ*; in quibus Orientales utriusque sexus magnum ostentare solent luxum. Contradistinguuntur hic loci vestibus *squalidioribus* & *sordidatis* quæ dicuntur בגדי כלאי *Vestes carceris:* quæ phrasis est in Historia *Regum* [l]. Quæris, quales? Intellige ex epitheto, *Hierosolyma, Urbs* SANCTA. Sunt habitus & affectus *sanctimoniæ*, puritatis *spiritualis*, *Libertatis*, sive *Ingenuitatis*, *Justitiæ*, *Lætitiæ*, charitatis, bonitatis, & his connexi alii, iisque respondentia *opera* & *actiones:* qui habitus & affectus Poëtæ Divino dicuntur הדרי קדש *Decora Sanctuarii* [m]. Hic est cultus Sponsæ Christi [n]. Hic est *vestitus* & ornatus Novi hominis [o]. Ἡ ϛολὴ ἡ πρώτη *Stola præcipua*, in Parabola [p]. *Utres novi* [q]. Ἔνδυμα Γάμου *Vestimentum nuptiale* [r]. Confer luculenta loca Vatis nostri Cap. LXI. 3. 10. Hoc habitu recipiendus erat Christus Jesus: hoc cultu suscipiendum erat Regnum Dei. Monet itaque Ecclesiam, ut appropinquante *Regno Dei* induat *cultum*, illi statui & Oeconomiæ convenientem; contradistinctum, tum *sanctimoniæ typicæ* & *externæ*, unde *Hierosolyma* dicebatur *Urbs sancta*; (de quo egi ad Cap. XLVIII. 2.) tum minori gradui *sanctimoniæ veræ*, *spiritualitatis*, *libertatis*, & *latitiæ*, qui obtinebat in Oeconomia *Servitutis* & *Severitatis* Legalis. Pii ipsi, ob dilatum implementum promissorum, ut & ob scandala Ecclesiæ & indicia Divinæ severitatis, per totam illam Oeconomiam regnantis, mœsti, ex ipsis illis Judiciis Dei & scandalis sui temporis videbantur contraxisse contagium & squalorem, quippe qui Ecclesiæ externæ carnalis partem faciebant; certe *affectus* illorum, quales sub illa erant Oeconomia, non erant accommodati ad Oeconomiam spiritualem. Alius induendus erat habitus, novæ vestes, congruentes vero Regno Dei.

Induere vestes tuas ornatissimas.

Quale genus *vestium* hic intelligatur?

Quid per eas h. l. mystice significetur?

Piis ante Manifestationem Filii Dei censebatur adhæsisse *squalor.*

Quia non veniet amplius in te præputiatus & impurus.] Hebræa proprie, *Non perget, veniet.* Est Hebraismus elegantior, ut Aben-Ezra recte. Confer Cap. XLVII. 1. Est pro יוסיף לבוא vel יוסיף שיבוא. Cæterum quisque videt, his verbis excellens condi promissum, quod Deus apud Ecclesiam suam deponit: quod quanto excellentius est, tanto videtur implementum ejus demonstratu difficilius. Certe Judæi Intt. cum implementum ejus in historia superioris temporis demonstrare non possent, communi consensu id retulerunt ad tempus Messiæ, quem exspectant, excepto R. Mose Haccohen: qui tamen ab A. Ezra hic deseritur, argumento ex his verbis prompto. Id ipsum, opinor, in caussa fuit, quod ex nostris aliqui verba in alium flexerint sensum, acsi dicere voluerit Propheta, hostes *profanos* & *impuros* post hoc tempus Hierosolymam amplius non esse infestaturos. Jun. Trem. Pisc. *Non pergent invadere te amplius præputiati & immundi.* Pariter Grotius. Verum α. cum Docti illi Viri censeant, hæc verba ferri ad Ecclesiam Exulum in Babylonia: quomodo ostendent implementum promissi vel vaticinii secundum hanc interpretationem? Quid? An Syriæ Reges, (ne de Pompejo dicam; sed ab ipsis Principibus Judæis provocato,) hoc animo non venerunt adversus Hierosolymam? β. Vox בוא *venire* constructa cum ב, ut hoc in loco, ejusmodi notat *itionem* qua quis se alii proxime unit; &, si fieri possit, membrum fit ejusmodi

Quia non veniet amplius in te præputiatus, &c. Hebraismus.

Promissi quod Ecclesiæ hic fit, excellentia.

Docti aliqui Viri eam imminuunt. Sed frustra.

---

[a] Part. II. p. 471. [b] Cap. XL. seqq. [c] Luc. XXI. 28. [d] Cap. LXI. 3. [e] Cap. XL. 1. [f] Cap. XI. 1. seqq. [g] 1 Thess. v. 8. [h] Rom. IV. 20. Ephes. VI. 10. [i] 1 Joh. v. 4. [k] 2 Reg. XXV. 29. [l] Ps. CX. 3. [m] Ps. XLV. 14 15. [n] Ephes. IV. 24. Col. III. 10. [o] Luc. XV. 22. [p] Matth. IX. 16. 17. [q] Matth. XXII. 11.

modi cœtus. Sic utique usurpatur in phrasibus, בוא בקהל *Venire in cœtum Jehovæ* [a]. h. e. proxime ei misceri, ducendo Uxorem Israëlitidem, ut Judæi interpretantur: in quo multus est Seldenus [b]. *Venire* בעמק מים *in profunda aquarum* [c]. *venire* במשפט *in* JUDICIUM, apud Vatem nostrum [d] & alibi, h. e. se judicio proxime miscere; judicium exercere. Sic *venire* בך IN TE hoc loco est *tibi aggregari*, ut membrum. γ. Ipsa phrasis id arguit. Quare enim Propheta, si de hostibus loqueretur, eos vocaret *impuros & præputiatos?* Poterant enim esse *impuri & præputiati*; & tamen non esse *hostes*. Poterant contra esse *circumcisi* ex Lege, & tamen in Ecclesiam hostiliter agere. Ergo phrasis hic notat, *admitti ad communionem Ecclesiæ Populi*. Lutherus tamen, cujus judicium non negligo, non deserit hunc sensum; sed eum aliunde infert & corroborat. Observat ille [e], INTRARE *Hebraïca consuetudine idem valere quod administrare & regere*; idque confirmat ex Deut. XXIII. 3. ubi, quando *Ammonites* dicitur *non intraturus in Ecclesiam*, id ita accipi vult, *non esse admittendum ad functionem publicam in Cœtu Populi Dei*. Sensum itaque dat his verbis; *fore ut neque Gentiles tyranni, neque hypocritæ Judæi, sint in administratione veræ Ecclesiæ*. Utique phrasis Mosaica, *Venire in congregationem Domini*, eodem modo ab aliis Viris Doctis exponitur; nec multum distat ab hac nostra: sed non putem, eam vim esse phrasios quam laudatus Interpres vult; nec probavit interpretationem suam doctissimis suæ communionis Viris Flacio & Hacksanio [f]. Quid itaque? ais. An *præputiati* unquam *admissi fuerunt* ad communionem Ecclesiæ, externæ & carnalis, sub Oeconomia Vetere? Si autem nunquam *admissi fuerint*: quid pollicetur Propheta Ecclesiæ, fore, ut *præputiati* deinceps in eam venturi non sint? Respondeo, primo, probabile mihi non videri, *circumcisionem*, κριτήριον Gentis, unquam, corruptis licet Ecclesiæ temporibus, à Judæis esse neglectam: sed id factum esse censeo, sub Achazo & Manasse, idololatriæ Patronis, ut זרים *peregrini sacrificuli idololatræ* introducti sint in Sanctuarium, & *Sacra sua* cum corruptis Sacerdotibus ibi *confecerint*; quippe quod plane supponitur apud Ezechielem, Cap. XLIV. 7--10. quem locum si inspexeris, non hæsitabis. Poterant itaque Viri Docti, qui censent hic agi de externo Statu Populi Judæi, ut se haberet post Reditum ex Exilio, illud dicere, & debebant ex sua hypothesi: etsi tamen & hic magna difficultas objiciatur ex temporibus Maccabaicis, quando Templum à Popis profanis, *impuris & præputiatis*, pollutum est *triennii spatio* sub Antiocho Epiphane, & sacra ibidem facta Jovi Olympio: sed ex hypothesi nostra, quæ hic appellari & respici jubet Ecclesiam, vindicatam in Libertatem ab Heroibus Maccabaicis, constitit eatenus huic prophetiæ secundum exteriorem quoque sensum suum implementum. Secundo, verba Prophetæ hic accipienda sunt *mystice. præputiati & impuri* hic sunt homines *corde*, & *opere*, *impuri*. Apostolus, hunc ipsum locum respiciens, ut ex *præcedentibus* liquet, vocat μολυσμὸν σαρκὸς καὶ πνεύματος *inquinamentum carnis & spiritus* [h]. *Præputiati* sunt qui incedunt secundum *cupiditatem carnis: impuri*, qui *animo* impuri de Deo non recte *sentiunt*. quod est *inquinamentum Spiritus*. Hi sunt, mystico sensu, *præputiati corde & carne*, apud Ezechielem [i]. Sic Moses, magis in Populo Judæo respiciens *præputium cordis*, incredulitatem videlicet, præjudicia carnalia, & corruptos affectus, quam præputium carnis: *Et circumcidetis præputium cordis vestri* [k]. Confer Deut. XXX. 6. Jer. IX. 26. Sententia itaque Prophetæ in eam resolvitur quam deinceps consignat Cap. LX. 21. *Et Populus tuus omnis* JUSTI *erunt*. Apoc. XXI. 27. *Non intrabit in eam* (Hierosolymam,) *aliquid* POLLUTUM. Quomodo vero, ais? Utique enim si hic vel maxime agatur de Statu Ecclesiæ Oeconomiæ Novæ: Ecclesia illa nunquam excluſit impuros & hypocritas. Sane id haud dubie movit Cl. Coccejum, quare hæc verba referri voluerit ad Statum Ecclesiæ *extremæ Periodi*, quando nemo negat, Ecclesiam hac facie se præsertim ostentaturam esse. Sed non erat hæc sat gravis ratio. Ne ille quidem Ecclesiæ Status excludet hypocritas & hostes clandestinos. Sensus Prophetæ est; Ecclesiam sub Oeconomia Nova quod ad Statum suum mutandam esse ex *carnali* in *spiritualem*, ut dehinc nemo censendus judicandusque sit *verum* Ecclesiæ *membrum*, nisi *spiritu & carne purus*. Status Ecclesiæ sub Oeconomia Vetere ejusmodi erat, ut *circumcisus*, & *Religionem Judæam* publice professus, licet animo hypocrita, si nihil adversus Legem committeret, haberetur & habendus esset *verum membrum* Ecclesiæ secundum respectum externum & carnalem Populi Dei. Sub Oeconomia Nova illud σχῆμα sublatum mutatumque est. Nullum ibi obtinet *fœdus externum*. Sunt in ea & latent hypocritæ; sed nullo nomine aut jure censentur vera Ecclesiæ membra. Ecclesia Novæ Oeconomia per naturam & institutionem suam nullos fert nisi *sanctificatos*; nec fert peccatores, qui in canonem incurrunt. Publici autem peccatores, & quà tales noti, in ea ferendi non sunt; nec feruntur, ubi disciplina viget. Sic hunc locum recte accepit *Pars Donati* in egregia illa Declaratione Naturæ veræ Ecclesiæ, quam exhibuerunt & prælegerunt in celebri illa *Collatione Carthaginensi* [l], & contulerunt cum Cap. XXXV. 8. Ephes. v. 27. aliisque locis. Hæc ratio, hæc disciplina ejus est. Inde Christiani primi temporis passim appellantur ἅγιοι SANCTI, in historia & *Inscriptionibus* Epistolarum Apostolicarum. Hypocritarum hic nullus est respectus; nullis gaudent prærogativis. Contra si se misceant *sanctis*, incurrunt in gravius Dei judicium. Et tamen non nego, quanto Ecclesia ab hypocritis magis separatur; (quod speramus futurum esse novissima ejus periodo:) tanto verius quod hic scribitur in ea impleri. Sed hujus loci sensus is est quem demonstravi.

℣. 2. EXCUTE PULVEREM.] Heb. *Excute te ex pulvere*. quod idem. Certa hæc est notio vocis עפר quam jam offendimus Cap. XXXIII. 15. Οἱ ὁ. Ἐκτίναξον τὸν χῦν. Adhærebant Ecclesiæ circa illud tempus quo Messias in carne appareret, *sordes* & *squalor*, (quæ hic significantur per *pulverem*,) verum decus ejus & splendorem obscurantes, α. Ex *afflictionibus* superiorum temporum, signis certissimis Divinæ indignationis in illum Populum, cujus ipsa faciebat partem. β. Ex *scandalis suorum temporum* quæ sub Herodiadis Principibus erant ingentia, à piis summo animi dolore & mœrore animadversa; de quibus mox ad ℣. 5. γ. Ex doctrina *Pharisæorum* & *Sadducæorum* plane corrupta, ubique per Gentem, in partes scissam, se diffundente; ut saltem à præjudiciis Scholæ Pharisaicæ pauci liberi essent. δ. Ex communione hypocritarum & carnalium, qui totum *atrium exterius* Ecclesiæ implebant. Hunc *pulverem* jubentur *excutere*, & se ab his inquinamentis *separare*, ut clarius dicitur ℣. 11. & *mœstitiam* deponere, dum Status Ecclesiæ immutandus erat, & *Regnum Dei ante fores*.

Surge, sede Hierosolyma!] Hoc est, *surge, ut, sedeas*. Hæret Vates in metaphora *mulieris*, cui ornatis indutæ vestibus convenit *sessio*. Demonstrat sententia, α. Ecclesiam, in *altiorem* & nobiliorem *statum* evehendam, consequuturam esse conditionem *stabilem* in qua *acquiescat*. perventuram esse ad *quietem* veram, à Deo Populo suo promissam [m]. β. Verum suum & intaminatum *decus* ostentaturam. γ. Vocandam in communionem *Regni* & *Judicii* Dei. Est enim *sedere* stylo Scripturæ S. κατ' ἐμφασιν *Regnare*. Chaldæus: *Sede super thronum gloriæ, Hierusalem*. Non opus est addere, esse has proprietates Ecclesiæ Novi Test. & fuisse præ-

Phrasis, *venire in Hierosolymam*, quid hic significet?

Phrasis illustratur ex analogis.

Notatur unio conjunctionis.

Animadversum Doctiss. Viri.

Dubium, quod in verbis jacet, motum & sublatum.

Circumcisio an unquam in Populo Dei fuerit neglecta?

Docetur, verba Vatis mystice exponenda esse.

Quales hic intelligantur *præputiati & impuri*?

Dubium ex Statu Ecclesiæ N. T. qui non videtur excludere *præputiatos & impuros*.

Quod expeditur, declarata natura Ecclesiæ N. T. diversæ ab ea T. V.

Hypocritarum & Peccatorum quis sit respectus in illa Ecclesia?

℣. 2. *Excute pulverem.* Phrasis exponitur.

Hypothesis exhortationis, & ad eam accommodata interpretatio.

Surge, sede Hierosolyma. Emblema orationis.

Quod mystice exponitur.

a Deut XXIII. 1. b De *Jure Nat. & Gent.* Lib. v. Cap. XIV. seqq. c Ps. LXIX. 3. d Jes. III. 14. Job. XXII. 4. e h. l. f Vide ejus *Notas* in h. l. g 2 Cor. VI. 17. h 2 Cor. VII. 1. i Cap. XLIV. 9. k Deut. X. 16. l *Collat.* III. p. 86. col. 2. *Edit. Paris.* m Heb. IV. 10.

præsertim Ecclesiæ Apostolicæ, cum id nemo nesciat.

Solve te à vinculis colli tui.

Solve te à vinculis colli tui; captiva Filia Tsion.] Heb. התפתי מוסרי צואר quæ Latine sonant & recte efferuntur: *Solvere vincula colli tui.* Sed in phrasi Hebræa מוסרי hic est pro ממסרי, ut Hebræi jam annotarunt.

Sensus dicti.

Sensus spiritualis est; *Vindica te in veram libertatem Filiorum Dei*, deposito *jugo* Legis Mosaicæ, & Præpositorum Gentis, qui id non tantum non *levarunt*, verum è contrario suis traditionum *vinculis* & *reticulis* amplius adstrinxerunt, ut te detineant in æterna servitute & captivitate. Indubius sui sensus Interpres est Propheta ipse Cap. LXI. 1. ubi Filium Dei dicere facit, se à Jehova *unctum*, *ad proclamandum* CAPTIVIS *libertatem*, & VINCTIS *aperturam carceris*. Lex Mosaica est ille ζυγὸς δυσβάστακτος & ἀβάστακτος [a], ζυγὸς δουλείας [b], Ecclesiæ collum premens: hic est ille *carcer*, hoc ἐργαστήριον, quò *circumscripta* erat Ecclesia, κεκλεισμένη *conclusa*, sua carens libertate [c]. Confer Cap. IX. 3. & præsertim Cap. XLII. 7.

Qualis *libertas* hic intelligatur?

β. *Fundamentum* hujus Exhortationis.

Fundamentum Exhortationis, ℣. 3.

℣. 3. *Quia sic fatur Jehova:* GRATIS *venditi estis*; *&* ABSQUE ARGENTO *redimemini.*] Subest sententiæ ellipsis. Integra est, *Gratis venditi estis, & absque argento redempti estis*, quando vobis *Redemptio* obtigerit; *& redimemini.* quam ellipsin, magni usus ad veram hujus loci intelligentiam, *consequens Contextus* arguit. *Gratis venditi estis* valet, *absque ullo pretio mihi persoluto* traditi estis in potestatem eorum qui vos olim in *servitute* habuerunt, & adhucdum habent; & *absque argento redimemini*, est *redimemini absque pretio à vobis persolvendo.* Tota illa *redemptio* erit opus meum, meæque effectum gratiæ. Arguit autem idem *Contextus* sequens, accipienda esse verba in omni sua latitudine, de *Redemptione typica & vera*, quarum altera alterius præstare debebat analogiam. Traditus erat olim Populus potestati Ægyptiorum, eorumque terra ex tam numerosa hominum cohabitatione haud dubie magnum percepit emolumentum: sed nullo suo merito, nulla Deo relata gratia. Contra vero Israëlitas, Populum Dei, gravissime & præter jus ac fas afflixerunt. Nec tamen illi suam promeriti erant redemptionem, cum in ipsa illa servitute inciderint in altum soporem, & abominandis Ægypti se polluerint: sed præstitit illam Deus vi promissorum Abrahæ datorum ex *mera gratia*, ut Moses ubique inculcat, & Ezechiel exerte demonstrat [d]. Idem locum habuit in omnibus Liberationibus aliis, quas Deus Populo ad extrema redacto variis casibus procuravit. Confer Vatem nostrum Cap. LXIII. 9. Postmodum abducti sunt Ephraimitæ & Judæi in Exilium Assyriacum & Babylonium: nullo earum Gentium merito, nulla Deo relata gratia. contra vero Populum Dei & crudeliter tractarunt, & in injusta detinuerunt servitute, de quo Vatem conquerentem audivimus Cap. XLVII. 6. Et poterat sane Deus illos justissime in illo statu tenere; sed placuit ipsi rursus juxta promissa Patrum ex *mera gratia* Liberatorem ei suscitare Cyrum, Populum *absque pretio* missurum in Libertatem; de quo Vates noster Cap. XLV. 13. Confer Jer. XXXI. 3. Sed est hic luculenta convictio Populi Exulis apud Ezechielem Cap. XXXVI. 20. qua Deus docet, se non *ipsorum* caussa qui *nomen suum inter Gentes profanarant*, sed *sui caussa & respectu* Populum liberaturum esse. Idem prædicandum de *Liberatione Syro-Macedonica.* Interim Deus Populum suum, ex Ægypto ductum, misit sub *servitutem Legis* quæ durare debebat per totam Oeconomiam Veteris Fœderis; tradiditque eum *Præfectis*, magna præditis potestate, qui *statuta Legis* imperiose exigerent, quos Vates noster appellaverat משלים *Dominatores*, Cap. XLIX. 7. & mox rursus ℣. 5. ut Populum maximam partem carnalem per illos *Pædagogos* contineret in officio; in qua *Lege* manifesta fiebat vis peccati, hactenus à Messia non expiati. Sed *Lex* nullum protulit fructum, qualis ab ea merito exspectari posse videbatur. Contra vero *peccatum* per Legem *excundavit & regnavit ad mortem* [e]. Præfecti quoque, *sedentes in cathedra Mosis*, abusi sunt sua potestate. Occultantes enim *clavem cognitionis* & *supprimentes Verbum Gratiæ*, (de quo Vates Cap. XXVIII. 12.) & *servitutem* Legis *aggravantes*, sic direxerunt consilia sua, acsi Populum Dei in *æterna* detinere vellent *servitute*; quod Dominus Jesus in *Parabola* ostendit [f]: in quos proinde pessimos Populi *Pastores* Prophetæ ubique declamant [g]. Veniret ergo Messias qui *chirographum Legis*, expiato peccato, *expungeret*; τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας *Potestates* omnes *spirituales* & *Oeconomicas aboleret*; Ecclesiam electorum vindicaret in statum υἱοθεσίας *Adoptionis* & *Libertatis Filiorum Dei*, corrupto jugo Legis: quæ ipsa est גאולה λύτρωσις & ἀπολύτρωσις, sæpe dicta, & exposita in *superioribus*, cujus ἀπολυτρώσεως hic mentio fit. Confer dicta in hanc rem Cap. I. 27. XLI. 14. Hæc λύτρωσις fieret *absque argento*, hoc est, *pretio*, à redemptis persolvendo, *ex mera gratia.* Sic se habet Doctrina Apostoli [h]: *Justificati* δωρεὰν GRATIS, *ejus gratia*, *per* REDEMPTIONEM *factam* IN CHRISTO JESU. & Petri [i]: *Ut qui sciatis, vos non corruptibilibus rebus*, ARGENTO *vel* AURO, *redemptos fuisse ex vana illa conversione à Patribus tradita.* Equidem solutum est pretium ὑπὸ τῦ Λυτρωτῦ à *Redemptore*: sed non à *redemptis*, quibus *aqua vitæ* datur δωρεὰν GRATIS; quod hic unice spectatur. Imo vero ipse REDEMPTOR Ecclesiæ *à Deo Patre* provisus est. Sumus utique *in Christo* EX DEO. Nulla itaque ἀντίφρασις est in phrasi, *absque argento redimemini*: (*Redemptiones* enim communes apud Judæos fiebant interposito *argento*, à proximo persolvendo [k]:) cum id hic solummodo dicatur cum respectu ad ipsum corpus Ecclesiæ, cui tota *Redemptio* cum omnibus ejus *Consequentibus* GRATIS obtingeret. Et tamen ut apud Jesaiam omnia sublimia sunt, & mysterii plena; sic ipsa illa phrasis, *Et absque argento redimemini*, non excludit meditationem de λύτρῳ Deo Patri à Redemptore persoluto. Phrasis enim, ולא בכסף תגאלו *& non redimemini argento*, ex Hebræorum Intt. sensu valet ובלא כסף תגאלו, quæ proprie sonant: *Et* NON-ARGENTO *redimemini. Non-argentum* eodem dictionis genere accipi potest, quo analoga, NON-DEUS. *non-lignum. non-caro.* h. e. id quod *nihil minus* est quam *Deus*, *lignum*, *&c.* quando *Non-argentum* idem valens quod *Res* quæ nihil minus est quam *argentum* significare potest *sanguinem Christi*, quo vere *redempti sumus*, quem Petrus ut Rem ab *auro* & *argento* diversissimam in hac doctrina *auro* & *argento* opponit [l]. Judæi Intt. ipsi hic intelligunt תשובה CONVERSIONEM AD DEUM. Sed non ausim affirmare id quod proposui, fuisse in mente Prophetæ. Tantum addo, hanc veram ἀπολύτρωσιν esse veram & propriam caussam superioris mandati, vel exhortationis. Dum tempus ἀπολυτρώσεως erat ante fores: conveniebat ei sumere cultum illi tempori aptum & se in *libertatem vindicare.*

Effectum Legis in Populo carnali.

Rectorum Populi Judæ prava consilia.

Λύτρωσις vera cur dicatur præstari *absque argento?*

In phrasi Vatis non opus est sectari antiphrasin.

Paraphrasis verborum.

Respectus *Redemptionis Ægyptiacæ.*

De Quali *redemptione* hic mentio fiat?

Ut Babylonicæ.

Non-argentum hic est res argento multo pretiosior.

Nexus partium orationis.

γ. Amplior *explicatio Mandati*, & necessitatis *Redemptionis* ex conditione Populi *antecedentis & præsentis temporis.*

(a.) Respectu *antecedentis* temporis.

Servitus Legalis Populi Dei.

Præfecti Legis dicuntur משלים.

℣. 4. *Quia sic fatur Dominus Jehova: In initio Populus meus descendit in Ægyptum, ut ibi peregrinaretur; &* ASSUR *eum pro nihilo oppressit.*] An non videsne, sententiam esse ellipticam? Sic sane, sed absque ullo Prophetæ vitio aut incuria. Scripsit enim sic pro sua sententia, ut orationem in argumento vulgati intellectus in breve contraheret; satis gnarus tam stupidum fore neminem quin orationem ex contextu & scopo ejus facile suppleat. Integra ita se habet: *In initio Populus*

γ. Amplior explicatio *Mandati* & *Necessitatis Redemptionis.*

(a.) *Respectu prioris temporis*, ℣. 4.

Ellipsis.

---

a Act. XV. 10. *b* Gal. V. 11. *c* Gal. III. 23. *d* Ezech. XVI. 3. seqq. XX. 5. seqq. *e* Rom. V. 21. *f* Matth. XXI. 38. *g* Jer. XXIII. 1. Ezech. XXXIV. 1. seqq. Zach. XI. 3. Mal. II. 7. *h* Rom. III. 24. *i* 1 Pet. I. 18. *k* Jer. XXXII. 1. seqq. *l* 1 Pet. I. 19.

quæ sabest orationi Vatis. Quæ supplentur.

pulus meus descendit in Ægyptum, non ut eam terram occuparet, sed ut in Ægypto *accolarum* instar *peregrinaretur*: ibidemque injuste *oppressus* est; ac proinde à me exerto brachio *vindicatus* in libertatem. Rursus *oppressit* illum Assyrius חנם *pro nihilo*; (h. e. absque ulla ratione justa, solummodo incensus à sua dominandi libidine:) nec defui adeo meo Populo, sed præstiti ei vindicias: quare cum eum NUNC iterum oppressum videam & quidem à propriis Præfectis, atque in *servitute spirituali*, cum *blasphemia* mei nominis: an eum defererem? Sic tota se habet oratio, ut convenit *sequentibus*. In hoc *versiculo* nihil hærebis, modo assequaris, quid Vates hic intelligat per *Assurem*. Qui enim hic loci solummodo subaudiunt *Assyrios*, proprie sic dictos, nunquam præstabunt genuinum sensum *commatis sequentis*, aut *cohærentiam* pericopæ hujus cum *contextu consequente* qui ante oculos nostros ponit Regnum Filii Dei. Ergo per Assyrios hic intellige Assyrios ipsos, Chaldæos, & Reges Syro-Macedones, persecutores Ecclesiæ, qui stylo Scripturæ Sanctæ veniunt nomine *Assyriorum*. ut quidem Babyloniæ Rex Nebucadnezar, 2 Reg. XXIII. 29. & *Syro-Macedones*, Zach. X. 11. Inspice loca superioris prophetiæ, ad quæ de hac re egi, Cap. VII. 18. XI. 11. XIX. 23. & vero lubens vidi, nostræ ætatis Celebrem Doctorem, de Ecclesia bene meritum, & memoriæ mihi venerandæ, hic Cl. Coccejo consentire [a]. Id insuper te inobservatum transmittere nolim; ellipsi orationis Prophetæ, qua non dicit de *Ægyptiis*, Israëlitas ab iis חנם PRO NIHILO, (absque ulla ratione aut juris specie ac obtentu) venditos esse; sed idem affirmat de *Assyriis*; videri posse hanc tacitam subesse rationem, quod utique Ægyptiis Regibus in illos tanquam *accolas* (παροίκους) & *incolas terræ suæ* aliquod jus vel non plane *nullum* jus esset: sed quod Assyriis Regibus nulla juris species, nullus obtentus, plane, inquam, nullus esset. Sic præivit *Glossa Ordinaria*, & videt etiam Cl. Coccejus; estque in hoc observato subtilitas quam laudo: etsi cætera certum sit, Ægyptiis nullam fuisse rationem posterorum Abrahami opprimendorum: imo vero in beneficiis, à Josepho olim in Gentem collatis, & in emolumento ex eorum incolatu percepto, & in principiis Juris Gentium, habuisse rationes contrarias.

Quid hic loci intelligendum per *Assurem*?

Vox h. l. laxissime sumitur non pro *Assyriis* tantum Veteribus, sed & pro *Chaldæis*, & *Assyriis* novis.

Consensus Eruditi Viri.

Animadversum aliud ad phrasin Prophetæ.

(b.) Respectu *temporis præsentis*.

(b.) *Respectu* temporis præsentis, ℣. 5.

℣. 5. Et NUNC, QUID MIHI HIC, *ait Jehova? Siquidem Populus meus* GRATIS PRÆDÆ INSTAR CAPTUS EST, *& Dominatores ejus ejulant, inquit Jehova; &* SEMPER TOTO DIE NOMEN MEUM BLASPHEMATUR.] Vides, *tempus præsens*, eique convenientem *Statum*, hic opponi *præterito*; *Statumque* illum hic proponi sub specie *captivitatis* & *servitutis* novæ, in qua Ecclesia detinebatur. cujus status attributa ponuntur duo. primum quidem quod *Dominatores* Populi *ejularent* vel *Populum ejulare facerent*: de qua differentia interpretationis mox videbimus. Alterum, quod *nomen Dei continuo toto die blasphemaretur*. Quem Statum Gentis Deus Populi sui curator expendens, *figura interrogationis metaphorica*, declarat, illum sibi amplius ferendum non esse miserum Populi sui Statum; sed ipsam temporis necessitatem & aspectum clamare, *Redemptionem Ecclesiæ* ex hoc Statu non amplius esse differendam. Hic vero Interpreti locum tractanti sponte oboritur *Quæsitum*, Quis hic sit Status Populi Dei lugubris sane ac pœnitendus qui hic supponitur? Ad eam enim hypothesin conformanda erit interpretatio. Est autem ejus momenti solutio hujus *Quæsiti*, ut ab ea vera pendeat hujus *Sectionis* expositio. Interpretum pars major hæc verba refert ad *Statum Ecclesiæ* in Exilio Babylonico: alii ad Statum Ecclesiæ Judææ circa id temporis quo Dominus inter homines apparuit; gementis, inquam, sub imperio corruptissimo Præfectorum & Doctorum carnalium. Sunt in hac sententia Eusebius, Hieronymus, Liranus, (licet cum aliquo temperamento. intelligit enim Præfectos Populi Judæi Ecclesiam Christianam primi temporis opprimentes;) Brentius, Coccejus: quibus me lubens adscribo, α. Quia *sequentia* (ne de *antecedentibus* dicam:) manifeste arguunt, hic agi de tempore & Statu Ecclesiæ proximo *manifestationi Regni Dei*, quo tempore *Deus* ipse non amplius per Interpretes, sed *per se* cum Populo suo ageret, ℣. 6. & quo dici posset quod mox sequitur ℣. 7. *Quam pulchri sunt in montibus pedes Evangelizantium! & seqq.* β. Attributa hujus *Status* non conveniunt Statui Populi in Exilio Babylonico. Illo enim tempore & Statu Ecclesiæ qua specie dici potuit, *Dominatores ejus omni die ejulare?* Equidem arguuntur Judæi in Exilio non honorasse Nomen Dei, sed Religionem suam inter Gentes dehonestasse [b]: sed id potissimum intelligendum de *primis* illis *abductis in Exilium*, inter quos multi erant pessimæ indolis homines. Generatio altera, & tertia, se *convertit ad Deum*, & inter ipsas Gentes multos fecit *proselytos*. Imo vero Ezechiel loquitur de *Populo*: Vates noster hoc loco de *Dominatoribus* ejus. Ajo, schema, ut hic pingitur, nullos exhibere characteres *Status Ecclesiæ in Exilio Babylonico*; sed perfecte convenire *Statui Populi Dei* afflicti sub regimine *Præfectorum* vitiis corruptorum. γ. Locus Apostoli partem hujus sententiæ allegantis, Rom. 11. 24. hypothesi nostræ optime convenit. Singula ex expositione ipsa lucidius patescent.

Describitur Status *Novæ Servitutis*, Veteri contradistinctæ. Attributa ejus.

De *quo* cujusque temporis *Statu Populi* hic agatur?

Sunt qui hic cogitant de Statu Populi in Exilio Babylonico. alii de Statu Populi Judæi sub Præfectis corruptissimis circa tempus Christi fesit.

Rationes hujus sententiæ posterioris recensentur.

Locus Ezech. XXXVI. 20. declaratur.

Et nunc, quid mihi hic, ait Jehova?] Est interlocutio querula indignantis. Quid mihi hic quod in hoc Populo versor, & diutius feram præsentem miserabilem Populi mei Statum? Kimchius: *Quid mihi hic quod longius protraham exilium?* Aben-Ezra: *Quid mihi hic quod fleam?* Non satis proprie. Metaphora hic desumpta est à Principe versato in turbulento Civitatis Statu, in quo pars melior à majore opprimitur, spreta Principis auctoritate & Legibus. Docet itaque, α. Statum Reipublicæ Populi Dei plane fuisse corruptum, perturbatum, in quo melior pars à majore inique habebatur & premebatur. β. Non convenire suo honori, ut præsentem Populi Statum amplius ferat; in eo versetur; Populum illum pro suo Populo haberi & ut talem appellari sinat; & oppressos atque anhelantes ad Redemptionem veram & meliorem Ecclesiæ Statum amplius destituat. Cl. Coccejus recte huc confert locum Jer. XI. 15. QUID DILECTO MEO IN DOMO MEA? Οἱ τρεῖς locum bene acceperunt. Alexandrinus vitiose. Chaldæus παραφραστικῶς: *Et nunc redempturus sum eum.* sc. Populum meum.

Verba Vatis: *Et nunc, quid mihi hic?* Aliorum paraphrases.

Sententia uberius declaratur.

Quia Populus meus gratis instar prædæ captus est.] Sic proprie redditur vox לקח, cujus tamen declaranda hic est significationis potestas. Vox לקח *sumere, accipere*, subinde valet, *auferre, capere, abducere ut prædam*, Græcis una voce συλαγωγεῖν, à Paulo usurpata. unde מלקוח *captura*, σύλα. qua notatione utramque vocem offendimus Cap. XLIX. 25. Cl. Coccejus refert ad Romanos, qui licet nullo beneficio affecissent Populum Dei, eum tamen redegerant in suam potestatem, docetque ex Mich. IV. 14. esse illum Eventum inter *signa* manifestandi Regni Dei. Non sperno hanc interpretationem; nec dissentio ab ipso in expositione loci Michææ: sed plane mihi persuadeo, quod hic dicitur, referendum esse ad *spiritualem* Populi *Statum*. Talis enim est *captura*, qualis *Redemptio*, de qua hic agitur. Significatur itaque is Populi Status, secundum respectum ejus spiritualem, quo præter meritum & contra jus & fas prædæ instar à Præfectis & Doctoribus suis abductus à vera Religionis Doctrina, vi detinebatur in sententiis de Religione falsis & erroneis præjudiciis de Regno Dei & via salutis, per quas sententias & præjudicia *servitus Legis Ritualis*, Ecclesiæ peccati caussa impositæ, magis adstringebatur. Sic utique Apostolus vocem sumit, forte usum ejus in hoc loco respiciens,

Populus *meus gratis prædæ instar captus est.* Emphasis vocis לקח h. l.

Num hic respiciatur ad Statum Populi sub Romanis?

Rectius accipiuntur verba de *captura spirituali*. quæ describitur.

a Vide Cl. Witf. *Miscell.* Part. II. *Exercit.* VIII. de *Assyriis*, §. VII. b Ezech. XXXVI. 20. seqq.

Locus Col. II. 8. huc adductus & expositus.

ſpiciens, Col. II. 8. *Videte, ne quis ſit, ὁ συλαγωγῶν ὑμᾶς διὰ τῆς Φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν· qui* VOS PRÆDÆ INSTAR ABDUCAT PER PHILOSOPHIAM, *& inanem ſeductionem, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Res fere eadem eſt. Doctor publicus, qui alium quacunque ſpecie rationis *capit*, eumque in falſam traducit Religionis ſententiam, cui tenaciter adhæret; illum *inſtar prædæ* abducit, & συλαγωγεῖ *in ſervitutem* redigit ut *captivum.* Id vero ipſum illo tempore agebant *Phariſæi*, univerſam veræ Religionis formam immutantes, & urgendo neceſſitatem *Legis Ritualis*, & in ejus obſervatione conſtituentes ſummam Religionis, & hoc ipſo ſe ignaræ plebi *commendantes*, eam à Deo abſtrahebant, & ſibi vindicabant. Id vero eſt quo reſpexit Malachias, ubi prædixit, Joannem Baptiſtam *corda filiorum reducturum ad Patres, & corda Patrum ad filios* [a]. h. e. facturum, ut *filii* redirent ad eaſdem de Religione ſententias, quas tenuerant Patres; à quibus abducti erant. Inde primum ejus & Scholæ Chriſti præceptum erat: Μετανοεῖτε RESIPISCITE. Sed quid multis? Ipſe Jeſaias rurſus ſui Interpretem agit; qui Chriſtum Dominum ait [b] *annunciaturum eſſe* CAPTIVIS *libertatem*; VINCTIS פקוח־קוח APERTURAM CARCERIS, ut verba vulgo, nec incommodè vertuntur: quod ante in ſimili argumento, *eduCturum ex clauſtro vinctos.* [c]

Quo ſenſu metaphorice uſurpetur de Doctoribus?

Studium Doctorum Phariſaicæ diſciplinæ illius temporis.

Analoga huc adducta.

Dominatores ejus ejulant.

Dominatores ejus ejulant, ait Jehova.] Sic vere ſonant Hebræa, מושלי יהיללו quæ fideliter expreſſerunt Interpretes Veteres. Symm. Καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶ ὁλολύξουσιν· *Et qui in eum poteſtatem habent*, (Theod. οἱ Ἄρχοντες αὐτῶ,) ULULANT. nec diſſentit Aquila, niſi quod pro *ululant* exhibeat *flebunt*, ut ex Hieronymo intelligimus. Sed cum Commentatores illi, qui ſibi perſuadent, hic vel agi de Statu Populi in Exilio Babylonico, vel in Exilio præſenti Romano, ut Judæi; non caperent quid Propheta ſub hac locutione intelligi voluerit, flexerunt verba in alium ſenſum, verteruntque ea, *Et Dominatores ejus eos* ſive *illum Populum faciunt ululare.* quando per illos *Dominatores* Populi deſignari putant, vel *Reges Babylonios*; vel *Imperatores Romanos* aut Principes qualeſcunque, ſub quorum duro imperio Judæi in præſenti exilio vivunt, quique eos imperioſis ſuis & iniquis ſtatutis *faciunt ejulare.* Sic inter Judæos Kimchi; & Belgæ quoque noſtri. Sed ne quicquam moneam de ellipſi vocis אותם, quæ in hac interpretatione ſupponitur: vox הילל, licet ſit formæ *Hiphil*, nunquam ſignificatione tranſitiva venit. Chaldæus Int. tamen non diſcedens ab hac hypotheſi, vertit, *ſeſe jactitant*, ſe extollunt cum blaſphemia Divini Nominis. Pariter Jarchius. Grotius eodem ſenſu, *Vocem attollunt, jactant.* Fruſtra ſane. ubi enim vox הילל *ululare* id proprie ſonat? Servata eſt vocis notio Lingua Græca, Latina, noſtra etiam. Quanto item rectius eſt, per τὰς Ἐξουσιάζοντας *Dominatores Populi* hic intelligere ipſos Populi Præfectos veros, non peregrinos? Sic ſcripſerat Propheta alio loco [d]: *Propterea audite verbum Jehovæ Vos irriſores,* משלי העם הזה אשר בירושלם DOMINATORES POPULI HUJUS *qui Hieroſolymis eſt.* Plane iidem homines ibi deſignantur qui in hoc loco. Vidit, & agnovit inter Judæos Aben-Ezra; ſed cum neſciret, quam ſignificationem ex hac hypotheſi alligaret voci *ejulant*, ad aliud deflexit *A.* Sed ipſi quoque illi Viri Docti, qui hic intelligunt Proceres Judææ Gentis, quales Populo præfuerunt circa tempus apparitionis Chriſti Jeſu; quomodo ſe hic expediunt? Quo enim commodo ſenſu Proceres Populi Dei dicuntur *ululaſſe?* Hieronymus qui hanc hypotheſin nobiſcum communem habet, cum ipſe quoque hic hæreret, reddit verba, *Et Dominatores ejus inique agunt*, atque adeo *ululant*, vel *ululabunt*, h. e. meritas pœnas luent. Sed Vir Doctus nimia hic utitur libertate. Aliud eſt *inique agere*, aliud *ululare.* Cl. Coccejus ita accipit, quod Judæi *propter imminuta bona terrena* ſub Herode & Herodiadis queſti ſint, & Romam excucurrerint bis ad Auguſtum, ut Archelai Regimen criminarentur. Sic ipſe hoc in loco, & latius ad ℣. 7. & pariter alio loco: *Principes Judæorum* EJULATUM *iverunt Romam, ut conquererentur de Herodiadis.* Sed criminationem inſtituere Romæ adverſus Archelaum, eſtne *ejulare?* & an cenſenda eſt res ejus momenti, ut Vates in hac prophetia ſingularis illius caſus voluerit facere mentionem? Vates hic myſtice loquitur, ſecundum reſpectum Populi ſpiritualem, ut ſupra jam monui. Omnis *actus* Religionis *oralis*, qui à Doctoribus publicis, luce vera caſſis, ex principiis *carnis & concupiſcentiæ* inſtituitur, ut ſunt actus *docendi, diſputandi, precandi, ſupplicandi, cantandi*, Prophetæ noſtro, homini Divino, & rerum naturas acutiſſime inſpicienti ac perſpicienti, eſt ULULARE. Sic vocem myſtice uſurpat Hoſeas [e]: *Et non clamant ad me* CORDE SUO, כי יהילו על משכבותם *quando* EJULANT *in ſtratis ſuis.* Jam obſervavimus analogum vocis uſum Cap. XV. 2. 3. Vide, ut ipſe de actibus Religionis, Spiritu & fide vacuis, qui ab hypocritis peragebantur, loquatur Cap. I. 12. LXVI. 3. Nec tamen id omne eſt, quod hic reſpicitur. Doctrina Phariſæorum, Scribarum, Sacerdotum, qui conſcientias obtentu ſtrictioris diſciplinæ tenebant in obſequio, & jugum Legis gravabant, erat *lugubris*, vacua omni conſolatione. Ex *Lege* enim, quam unice urgebant, neglectis promiſſis, nulla eſt *conſolatio.* Omnis *conſolatio* haurienda eſt ex promiſſis Gratiæ, quæ plane ab iis negligebantur: unde his Doctoribus *ululantibus*, lugubre ſonantibus, mox contradiſtinguuntur Præcones Evangelii, ℣. 9. *Quam pulchri ſunt in montibus Præcones boni, pacis, ſalutis!* Sufficit ſenſum indicaſſe. Excurrere in eum illuſtrandum licebit aliis, quod mihi in tanta materiæ urgentis copia non licet.

Verſiones Intt. Veterum.

Quorundam Intt. hujus loci præjudicium, *communi verſioni* ſubſtratum.

Rationes Grammaticæ quæ verſioni illi obſtant.

Aliorum conamina.

Per τὰς מושלים *Dominatores* hic recte intelliguntur *Proceres* Judæorum.

Conſona A. Ezræ ſententia.

Quo ſenſu attribuirum *ejulandi* iis conveniat?

Sententia Hieronymi excuſſa.

Ut & Cl. Cocceji.

Qualitas Doctrinæ Phariſaicæ.

Et jugiter omni die Nomen meum BLASPHEMATUR.] Sic recte vertitur vox מנאץ inſolentioris ſtructuræ, proprie formæ *Hithpaël*, litera ת *abſorpta*, & compenſata per *Dageſch*, ut Aben-Ezra; vel ex *Pyal* & *Hithpaël* conflata, ut Kimchi. Structura intendit hoc loco ſignificationem vocis. Οἱ ὁ. hic exhibent: Διὰ ὑμᾶς διαπαντὸς τὸ ὄνομά μου βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι· *Propter vos nomen meum jugiter blaſphematur inter Gentes.* Dubitem, an ita ſcripſerint ipſi; num potius ex Paulo Rom. II. 24. locum huc tranſtulerint Librarii Chriſtiani, quod in aliis ſubinde caſibus fecerunt. Et tamen apud Apoſtolum illud διαπαντὸς non habetur, qui hic ſimpliciter ſcribens, ὡς γέγραπται *ut ſcriptum eſt*, duo loca ſimul in oculis potuit habere, tam noſtrum hunc, quam Ezech. XXXVI. 23. quod ſæpius agit, ubi loca ex Inſtrumento Veteri profert. Sed noſtri loci, ut putem, præcipuus apud ipſum reſpectus fuit; præſtatque nobis ipſe verum & primum hujus loci ſenſum. Eſt ille in eo, ut convincat *Doctores Judæorum*, qui Legem docebant & rigide inculcabant, ejus *non obſervatæ. Qui doces alios*, ait ℣. 21. *te ipſum non doces? qui prædicas, Non furandum eſſe; furaris? & ſeqq.* inde ℣. 23. *Qui de Lege gloriaris, per Legis tranſgreſſionem* DEUM ἀτιμάζεις DEDECORAS? quando hæc noſtra allegat. Loquitur autem de *Doctoribus Judæorum* ſui temporis pulchre, & conſentanee ad noſtram hypotheſin. Conſtitit Apoſtolo, qui mores Doctorum ſui temporis cognitos habebat; eorum quæ iis objecit criminum, veritas: in quo liceret acquieſcere. Exhibet exemplum Joſephus, cætera honoris ſuæ Gentis ſtudioſus, in homine,

Et jugiter omni die Nomen meum blaſphematur.

Animadverſum ad vocem מנאץ. Verſio τῶ ὀ. comparata cum Pauliana, Rom. II. 24.

Scopus Apoſtoli in allegando hoc loco.

Dicti ejus reſpectus.

---

a Cap. IV. 6. *b* Cap. LXI. 1. *c* Cap. XLII. 7. *d* Cap. XXVIII. 14. *e* Cap. VII. 14.

A Verba Aben-Ezræ integra ſic habent: ומושליו הם גדולי ישראל והנכון שהם כמו על כן יאמרו המושלים בואו חשבון ET DOMINATORES EJUS.] *Hi ſunt Proceres Iſraëlis: ſed verius eſt, vocem ea hic ſumi ſignificatione qua in verbis:* (Num. XXI. 27.) *Ideo dicunt* οἱ Παροιμιαζοντες *Qui paræmias loquuntur:* (המושלים) *Venite Hesbuntem, &c.* Sic ſenſus eſſet, *Poëtas*, verba modulis adſtringere & nænias ac threnos componere ſolitos, hoc tempore *ejulaturos eſſe*, ſive excurſuros in querelas & lamenta. Eſt in obſervato luſus ingenii; ſed nulla ſpecies.

mine, qui se pro *Interprete Legis Mosaicæ Romæ* gerebat, manifesto turpissimi *Sacrilegii*, commissi in *donariis*, à Fulvia, nobilissima Fœmina Romana, Hierosolymam missis: propter quod flagitium Judæi omnes à Tiberio Roma pulsi sunt [a]. Sermones Joannis Baptistæ & Christi Jesu ad Pharisæos habiti, eorumque erga Christum & Præcones primos Verbi Gratiæ gesta, docent, qualis indoles in illis hominibus fuerit. Quare cum Gentibus potuissent inspirare reverentiam suæ Religionis, si præceptis solidæ sapientiæ in institutionibus suis inhæsissent; *graviora Legis*, missis minutiis & vitilitigationibus futilibus, tractassent; & ad ea mores suos conformassent: fecerunt, ut à Gentibus, qui interiora Religionis eorum non inspexerant, fuerint spreti; ut ex Scriptoribus ejus temporis liquet. *Avaritia, libido, rerum terrestrium studium incredibile, exorcismi, perfidia in dictis & Juramentis*, & ad *seditiones* concitandas ac fovendas proclivis animus, & his similia, fecerunt, ut ipsa Religio, de qua prudentes aliqui homines inter Gentes non adeo male sentiebant, venerit in contemptum. Sed dictum Prophetæ, *generalibus* verbis conceptum, referendum est ad omnes משלים *Præfectos*, qui magistratum gerebant in illa Gente. Ergo vide mihi hic mores *Herodis Magni* & Filiorum ejus, *Archelai* & *Antipæ*; *Pontificum* Gentis illius temporis, & *Procerum* qui dominabantur in *Synedriis*, quorum ditiores æque ac Herodiadæ, abnegata spe *Regni Dei*, & professi Sadducæismum, moribus suis, ad utilitatem suam ac libidinem carnis compositis, Religionem plane dehonestarunt; & Herodes quidem ejusque Filii eo impietatis venerunt, ut in gratiam Cæsarum Romanorum proxime ditionem Judæorum Templa consecrarint, & ludos celebrarint: ut Josephi historia tota testatur. Omnia ibi carnalia; nihil spirituale. Isaäcidæ & Jacobidæ de nomine, facti sunt Ismaëlitæ & Esavitæ. Non fugit Diodorum Siculum, qui postquam sententiam suam de Judæorum Religione & institutis late, nec tamen perinde ac post ipsum Tacitus [b], exposuisset, subjungit [c]; *Macedonum tempore*, & sequente, *multa de Legum avitarum institutis exoleviſſe ἐκ τῆς τῶν ἀλλοφύλων ἐπιμιξίας ex commixtione cum externis Gentibus.* Vides causas, quare Deo non conveniret, Ecclesiam suam hoc rerum statu amplius ferre; in illo Populo diutius habitare; eum amplius dici velle Populum suum; sed cur statutum haberet ad Populum suum visitare, & electos in Populo redimere.

Josephi locus.

Alia loca quæ nos monent de scandalis Doctorum illius temporis.

Præcipue tamen demonstratur in Herode, Herodiadis, & eorum Sectatoribus.

Historia huc adducta.

Locus Diodori Siculi.

Consequens ejus.

Consequens ejus, ℣. 6.

℣. 6. *Propterea cognoscet Populus meus* NOMEN MEUM: *propterea illo ipso die*; ME ESSE EUM QUI LOQUITUR, ECCE ME.] Si in his verbis hæreant Judæi, nullam exspectantes *Φανέρωσιν Dei in carne* cum adventu sui Messiæ: non est ratio ulla quare ad ea hæsitent Christiani, quibus tanto videri debent intellectu faciliora, quanto clarius illustrant mysterium suæ fidei. Sententia in duo membra resolvitur. Primum est, *Propterea cognoscet Populus meus Nomen meum.* Sensus est, α. Me hoc tempore Populo meo clarius revelabo, ut perveniat in interiorem notitiam *Naturæ meæ* & *Doctrinæ salutis*, quæ facit ad illustrationem excellentium mearum virtutum, & perfectionum, plane obscuratæ doctrina falsorum Doctorum. Idem est quod Dominus Jesus [d]: *Manifestum feci* NOMEN TUUM *hominibus, quos mihi dedisti ex mundo.* β. Vim omnem, potestatemque quæ concluſa est Nomine JEHOVA, in lucem producam; repræsentando promissa Patribus data. Respicit enim hoc nomen in emphasi *gratiam* & *veritatem*, typis ac promissis contradistinctam, sub Oeconomia Nova vere & antitypice exhibendam [e], ut sæpe dictum. Sic recte accepit hunc locum Vir Eruditus [f] in *Dissertatione* de hoc *Nomine*, & contulit cum Exod. VI. 2. Deus *Jehova* est Repræsentator promissorum Gratiæ; quæ promissa sunt gemini *Testamenti*, Veteris & Novi. Alterum membrum: *Propterea illo die: Me ipsum esse qui loquor*, ECCE ME: manifestam habet ellipsin. Integra sententia sonat, *Propterea illo die* cognoscet, inquam, & seqq. Propheta, superflua omnia vitans, non repetiit vocem יד ex superiori membro facile relegendam. Non scripsit Propheta, כי אני דברתי *quod Ego locutus sim* sc. promissa illa, ut Chaldæus sententiam accepit; sed, me ipsum adesse *Loquentem.* Sensus est, Filium Dei, respectu habito corruptissimi & miserandi Status Populi sui, dum tempus à Patre definitum impletum esset, non esse dilaturum Redemptionem Ecclesiæ conditam, & Exhibitionem Promissorum & Prædictorum antiqui temporis: sed ipsum adfuturum in carne, & suo ore loquuturum ad Populum; locuturum esse *verba Dei* sibi reservata, à nemine præter se dicta aut dicenda, & *se* clara voce demonstraturum esse ut *causſam justitiæ & salutis*; *viam, veritatem*, & *vitam*; falsosque Doctores & adulterinam Religionis doctrinam redarguturum. Idem est quod Propheta dixerat, Cap. XL. 5. *Et videbit omnis caro*, OS JEHOVÆ LOQUUTUM ESSE. Sic Apostolicus Scriptor ad *Hebræos g*: *Multifarie variisque formis Deus olim loquutus Patribus per Prophetas, ultimis hisce diebus* LOQUUTUS EST NOBIS PER FILIUM. Deinceps [h]: *Salus enarrari cœpit per* IPSUM DOMINUM. Videlicet τὸν Ἀπόστολον τῆς ὁμολογίας ANGELUM & *Nuncium Fœderis Gratiæ* [i], à Malachia [k] promissum, qui *castigaret Filios Levi*, Doctores Populi. Observa præterea in his verbis, α. Emphasin quæ est in verbis, *Populus meus illo tempore cognoscet*, כי אני הוא ME *esse* ILLUM, sc. verum Dei Filium & cum Patre Deum; magnum illum Doctorem & Servatorem, decurso Veteris Oeconomiæ intervallo *venturum* in Mundum, *de quo scripserunt Moses & Prophetæ* [l]. Phrasis est in verbis Domini [m]: *Nisi crediderit*, ὅτι Ἐγώ εἰμι ME ESSE; (sc. ILLUM;) *moriemini in peccatis vestris.* Rursus [n]: *Cum in altum sustuleritis Filium hominis, tum* COGNOSCETIS, ὅτι Ἐγώ εἰμι ME *esse* ILLUM. Hebraice. חרשו כי אני הוא Eadem verba quæ in hoc loco. β. Non dici hoc in loco, כי אני מדבר *quod Ego loquar, Ecce adsum:* sed, כי אני הוא המדבר *Quod* EGO ILLE LOQUUTOR, Orator, Interpres Divinæ Voluntatis, venturus in Mundum, loquuturus *verba Dei* [o]; יפח *Effator*, magnifica & glorioſa de se prædicaturus, veluti, *Ego sum Lux Mundi. Ego & Pater unum sumus. Quod Pater operatur, idem operatur Filius. Ego sum via, veritas & vita. Qui in me crediderit, fluvii aquæ vivæ ex utero ejus manabunt*, & his similia. Qui talia loquitur, & loqui audet, in emphasi dici meretur המדבר *is* QUI LOQUITUR: ipsum Os & Oraculum Dei. Sic Apost. ad *Heb. q Videte* μὴ παραιτήσησθε τὸν λαλοῦντα *ne recusetis* LOQUENTEM, (המדבר) videlicet non qui è *terra*, sed *qui è cœlis est.* γ. Quod LOQUENS ille dicat; הנני ECCE ME; *adsum:* clarissime docet, *ipsum Deum* inter homines appariturum esse, & se inter eos stiturum præsentem, & cum Populo suo *immediate* per SE IPSUM acturum esse, quæ ἐπιδημία & Φανέρωσις Dei apud Populum suum speciem habet פקודה *Visitationis.* [r]

Verba, *Propterea cognoscet Populus meus Nomen meum*: declarantur.

Animadversum Viri Docti.

Ellipsis in verbis seqq.

Cum appariturione Messiæ *Deus* ipse *præsens* ad Populum suum loqueretur.

Locus Cap. XL. 5. cum hoc collatus. Et analoga ex Epist. ad *Hebræos.*

Emphasis in phrasi, *Me esse* ILLUM.

Illustratus ex Evang. *Joannis.*

Animadversio alia ad phrasin Hebræam.

Locus Heb. XII. 25.

Vis dicti, *Ecce me.* Alluditur ad τὸν ἐπὶ Φανέρωσιν Χριστόν.

EXCLAMATIO interloquutoria, ipsa quoque Prophetica, qua magnitudo Beneficii EVANGELII Filii Dei, explicatur.

α. *Exclamatio* ipsa.

Articulus primus.

℣. 7. *Quam decori sunt super montes pedes Evangelizantium; promulgantium* PACEM; *nunciantium* BONUM; *promulgantium Salutem; dicentium Tsioni*, DEUS TUUS REGNAT!] Dum Filius Dei apparuisset in carne, ipse se Populo suo exhibens præsentem, videt Propheta mox in extasin raptus, Evangelistas, à Domino

Exclamatio *Interloquutoria*, α. Exclamatio ipsa. Artic. primus, ℣. 7.

---

[a] *Antiq.* Lib. XVIII. Cap. V. [b] Hist. Lib. V. 5. [c] *Eclog.* Lib. XL. p. 923. [d] Joh. XVII. 6. [e] 2 Cor. I. 20. [f] Joh. Vorst. *Syntagm.* Diss. Acad. Cap. III. [g] Cap. I. 1. [h] Cap. II. 3. [i] Cap. III. 1. [k] Cap. III. 1. [l] Joh. I. 45. [m] Joh. VIII. 24. [n] ℣. 24. [o] Joh. III. 34. [p] Hab. II. 3. [q] Heb. XII. 25. [r] Jer. XXIII. 2. 3. Zach. XI. 3. seqq.

Σχῆμα hujus Interlocutionis.

mino electos, primum per Judæam totam; inde Apostolos & eorum cooperarios, in societatem operis assumptos, ex mandato ipsius Domini Hierosolymis egressos, per totum Orbem publico præconio Verbi Evangelii hanc tantam salutem Mundo paratam omnibus absque discrimine Populis annunciantes, & eos in communionem hujus salutis blanda voce invitantes; quare vel ipse exclamat, vel Chorum Sanctorum exclamantem infert cum admiratione & καυχήσει, *Quam pulchri sunt pedes, & seqq.* Suppono autem, agi hic de *Præconibus Evangelii.* Id enim ipsa verba præ se ferunt, quæ absque vi eorum infracta alio transferri nequeunt. Oratio *antecedens* nos ad hunc temporis articulum duxerat: *consequens* quoque ex hac hypothesi optime exponitur; & sane quod in *consequente contextu*, ℣. 13. de *Servo Jehovæ* occurrit, hanc hypothesin necessario flagitat. Denique Paulus Apostolus in *Epistola* ad *Romanos* [a] nobis ita præit, & locum de *Præconibus Evangelii* interpretatur. Quare ægre vidi, Piscatorem, cum animadverteret, hunc sensum hypothesi suæ non consentire; hic non avertere oculos à *Nunciis Libertatis Babylonicæ*, licet simul locum faciat *Præconibus Libertatis Evangelicæ:* Grotium vero eorum ne ullam quidem mentionem facere. Vide mihi, quid ad præclara hæc verba scriptum reliquerit Vir illustris. Extat commentatio ejus in hanc formam: *Quam pulchrum erit ministerium Jeremiæ, qui definiet ipsum tempus quo Tsion rursus habitata florebit!* Paradoxum, inquis. cui enim mortali in mentem veniat hic de Jeremia cogitare? Quid? An Propheta noster minus liquido de *Reditu ex Exilio* loquutus est quam Jeremias? Num ipsos quoque illos LXX annos à Jeremia definitos ignoravit? Utique eos consignavit Cap. XXIII. 15. An Jeremias non magis fuit Propheta θρηνώδης, quam παραιλητικός? Quos *montes* perambulavit, quo *pedes sui* duxerunt Jeremiam ad lætum hunc nuncium, non *boni præsentis*, (ad quem hæc pericopa necessario referenda est,) sed *futuri* promulgandum? Ita sane est, ne speciem quidem ullam hæc habet interpretatio: sed cum Vir Eruditus omnino statutum haberet per SERVUM JEHOVÆ, qui in *sequentibus* describitur, infelicissimo conamine intelligere *Jeremiam*: voluit, debuit quamcunque arripere occasionem illius in hanc scenam introducendi. Viderit Vir Illustris, quo animo & studio.

Supponitur, Exclamationem hanc referendam esse ad *Præcones Evangelii.*

Cui hypothesi favet contextus, & auctoritas Paulina.

Piscatoris sententia.

Grotii commentatio. refert verba ad Jeremiam.

Contra omnem rationis speciem.

Ejus πεῦσμα ψεῦδος.

Objectum circa quod Prophetа vel ab ipso introductus *Chorus*, hic occupatus est; (quod idem est *Subjectum* sententiæ;) quinque epithetis hic designatur. Primum est *generale:* quatuor *specialia*, generale illud interpretantia. Appellantur nomine *generali* מבשר Εὐαγγελιζόμενος· *collective* pro מבשרים εὐαγγελιζόμενοι· *bonum adferentes nuntium.* unde *sequente commate* צופים *speculatores.* Eam enim esse vim vocis בשר, ut *per se*, absque ullo addito *nomine*, notet εὐαγγελίζεσθαι *bonum nuncium ferre*, jam demonstravi ad Cap. XL. 9. ubi eadem res agitur. Inde בשורה Εὐαγγέλιον, quo nomine Christus Dominus ipse *Doctrinam* à se prædicatam, & à Ministris suis ubique promulgandam, insignivit apud Matthæum [b], & Marcum [c]: unde Libri Historici, comprehendentes narrationem apparitionis Christi, dictorumque & gestorum ejus, atque eventuum qui ipsi acciderunt, nuncupati sunt Εὐαγγέλια, & *Doctrina Christi Jesu* passim hoc nomine appellatur in *Paulinis*, & Libris aliis N. Fœderis; & præcones hujus doctrinæ, εὐαγγελιζόμενοι, εὐαγγελισταί: manifesto respectu ad hunc locum, & analoga Cap. XL. 9. LXI. 1. Equidem notio est generalis usus, ut vel patet ex Cicerone [d]: sed usus ejus merito restringitur ad optatissimum illum & desideratissimum *nuncium* quo homini peccatori, gementi sub servitute peccati ac jugo Legis, & gravato ac laboranti conscientia reatus æternæ condemnationis, & ardentissimis votis exspectanti implementum promissorum Patribus factorum, nunciatur libertas, gratia, vita, salus, & ipsius Salvatoris dudum desiderati & exspectati præsentia. Inter eos enim nuncios, qui in terris jucundissimi habentur, inprimis sunt quibus mortis damnato salus, captivo vel servo libertas, exspectati ac dudum expetiti Servatoris ac Vindicis adventus, ac magni honores ac privilegia in nos collata, nunciantur: quæ singula hic ita obtinent, ut qui nuncii in humanis terrestrem statum nostrum eumque periturum, respiciunt; hic nuncius spiritualem ac cœlestem. Propheta ipse se interpretatur, dum *generale*, per *specialia quatuor* declarat; in quibus *objectum* hujus *læti nuncii* quater variat. Dicitur *Pax*, *Bonum*, *Salus*, *Regnum Dei.* Cave tamen credas, *Bona* esse diversa. est bonum unum idemque ἡ Ἀπολύτρωσις REDEMPTIO, procurata sanguine Christi, exhibita in variis effectis suis, quæ variis aspectibus vario nomine veniunt. Primum est, משמיע שלום *Promulgantes pacem.* Ea hic potestas est vocis משמיע *audire facere.* Valet in hoc loco quid *promulgare*, alta voce, ex suggestis, montibus, in corona Populi, instar Κήρυκος *Præconis publici*, quos descripsi ad Cap. XL. 1. seqq. Alluditur enim hic ad Præcones publicos à Rege missos, quam citissimo pede properantes, ut populis quaquaversum nuncium ferant Regni ab ipso capessiti, victoriæ obtentæ de hoste, rebellium supplicum in gratiam receptorum; ac similium. Est autem frequens inprimis usus ejus apud Herodotum. PACEM autem hic sumere licet in amplissima significatione. Primus respectus est *Reconciliationis cum Deo*, in sanguine Christi; atque inde cum Angelis, Potestatibus cœlestibus, Sanctis in cœlis & in terris. Alter, sublatæ *inquietudinis omnis conscientiæ* ex conscientia expiati debiti. Tertius, diruti parietis intergerini inter Judæos & Gentes. quæ aliunde facile repetenda, verbo monuisse sufficiat. Inde Doctrina Christi Jesu Paulo [e] Εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης, EVANGELIUM PACIS. Alterum est, מבשר טוב *Nuncium bonum ferentes Boni.* Per טוב BONUM hic intellige sis τὰ διαφορώτερα *Bona* N. Fœderis, spectata in caussa sua, Ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. Hoseas [f]: *Tolle omnem iniquitatem, & da* BONUM. קח *sume ut* des. *Bonum* hic est *Gratia*, unde Εὐαγγέλιον τῆς χάριτος [g]. Est autem nuncius *Gratiæ* omnium qui cogitantur, jucundissimus, idemque summæ caussa lætitiæ. Tertium est, משמיע ישועה *Promulgantes* SALUTEM. Est notio mere Evangelica, quæ complectitur τὴν ἀπολύτρωσιν cum omnibus ejus effectis, *Gratia* & *Gloria.* Qui illuminato intellectu per fidem particeps fit *justitiæ Christi* Jesu cum *Spiritu adoptionis*, qui Spiritus est libertatis, fiduciæ, sanctimoniæ, pacis, consolationis, jam habet in hisce terris initia illius *salutis*, quæ post hanc vitam consummanda erit in glorioso ac perfecto statu cœlesti. unde *Verbum* illud *gratiæ*, tantæ salutis administrum, dicitur Εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας [h]. Apud Arrianum idem valet simili phrasi, Ἄγγελοι τῆς σωτηρίης [i]. Quartum: *Dicens Tsioni*, DEUS TUUS REGNAT. h. e. abolita Lege, ejusque Præfectis ac Ministris, immediate per Spiritum suum influit in Populum liberum, à se solo dependentem, non amplius contentum limitibus Canaanæ, sed diffusum per totum Mundum, vera animi fide & obsequio Christo Jesu subjectum ut unico Doctori, Regi, Pontifici, Servatori, Patri. *Spiritualis Ecclesiæ Status* est *Regnum Dei*, quod Prophetæ & Poëtæ Divini certatim prædixerant olim esse revelandum, sub Messia. unde rursus Doctrina Christi Jesu dicitur Εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας [k]. Summa Evangelii: Ἤγγικε ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Ut Chaldæus h. l. מתגליאת ארת מלכותא דאלהך *Revelatum est* REGNUM DEI TUI.

Objectum, vel *Subjectum* sententiæ primo generatim appellatur.

Vox מבשר εὐαγγελιζόμενος hic *collective* sumitur.

Vis vocis בשר.

Respondet voci εὐαγγελιζόμενος.

Usus ejus specialis in Scripris N. Test.

Metaphora unde desumpta?

Hos Evangelii Præcones, Hierosolymis egredientes per Orbem, & Regna ac Respublicas insigni celeritate pererrantes, videns & recognoscens Chorus Sanctorum, erumpit in hanc ἐκφώνησιν, *Quam pulchri sunt pedes Evangelizantium in montibus!* Sic rectissime verba vertit

Generalis notio per *specialia* quatuor definitur.

Prima est, *promulgare* PACEM.

Notatio vocis משמיע h. l.

Alluditur ad *Præcones Publicos.*

Pacem qualis hic intelligatur?

Altera: *ferre nuncium* BONI.

Cujusmodi *bonum* hic respiciatur?

Tertia: *Promulgare* SALUTEM.

Res ipsa exponitur.

Quarta: *Dicere Tsioni: Deus tuus regnat.*

Sensus dictæ Regnum Dei & Christi obiter describitur.

Paraphrasis Chaldæa.

Exclamatio ipsa: *Quam pulchri!* Versio Græca.

[a] Cap. X. 15. [b] Matth. XI. 5. [c] Marc. XIV. 9. [d] Ad *Attic.* Lib. II. *Epist.* 3. [e] Ephes. VI. 15. [f] Cap. XIV. 3. [g] Act. XX. 24. [h] Ephes. I. 13. [i] *Hist. Ind.* C. 35. [k] Matth. IV. 13.

Ad eam animadversio.

vertit Apostolus. Alexandrinus hoc tempore exhibet: Ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης· nullo sensu. Non dubito itaque quin vere scripserit, Ὡς ὡραῖοι ἐπὶ τῶν ὀρέων οἱ πόδες, & seqq. Est ea significatio vocis נאוה, quæ multum commune habet cum thematibus יאר & יאה. Kimchius ipse explicat per יפי *pulchritudinem*. Hoc in loco notat ejusmodi *pulchritudinis* speciem, in qua inest *decentia*, concinnitas, εὐπρέπεια, decorum. Figura loquendi, omnibus Gentibus usu recepta, duo involvit, α. Pedes horum Evangelizantium esse decoros. β. Esse valde decoros ad usque admirationem. Est enim genus exclamationis conjunctæ cum admiratione. Quid vero Sancti *decoros*, ajunt, esse PEDES Evangelizantium? Quidni potius ORA? Equidem in re ipsa hic nulla est difficultas; & tamen vidi Doctos Viros, Piscatorem quoque & Glassium [a], aliqua huc aliena adferre. Non est hic hærendum in *pedibus*, si quis sententiam Vatis amet. Loquutio est metonymica, quæ in hanc simplicem resolvitur, Quam decorum est & amœnum, *Nuncios* Verbi Evangelii à Spiritu Christi Jesu *missos* exire Hierosolymis, & quidem summa *exire* promptitudine atque alacritate, atque in Locis quibusque ac Suggestis Publicis per Regna & Populos circumferre Verbum Evangelii! *Pedibus* hic tribuitur quod in ipsam competit *itionem* seu *profectionem*, sive ea pedibus sive quo alio medio conficiatur. Illuc enim hic non respicitur. Id vero *decorum* & *summe decorum* dicunt, α. *Rei* ipsius respectu, hoc est, *materiæ* & *argumenti* ipsius *nuncii*. Nullum verbum est decentius, εὐπρεπέστερον, rationalius; majoris boni & lætitiæ caussam adfert, quam Verbum *Libertatis* & *Gratiæ*, quod *Evangelium* dicitur. β. Ratione effectorum, *Conversionis* Electæ partis Judæorum, & *Gentium* per totum Orbem. Quid jucundius, quàm Gentibus, quæ huc usque sederant in tenebris, post tot sæculorum fluxum tandem oriri lucem gratiæ? γ. Nunciorum ipsorum respectu, ab ipso Spiritu Dei *missorum*, & summa diligentia, promptitudine, alacritate, ardore, absque fatigatione; fide, παῤῥησίᾳ, hoc munus obeuntium [b]. Per *montes* hic intelliges α. Loca quæque edita, suggesta, cathedras, de quibus hic nuntius ad Populos ferendus erat. β. Mystice *Regna*, Respublicas, Civitates illustriores, in quibus hæc promulgatio ederetur. Confer mihi hic locum per omnia parallelum, Cap. XL. 9. ubi de eo disserui, & novissime Cap. XLIX. 11. 13. & analogum Ps. LXVIII. 12. Horum vero Præconum tanto esset Nuncius gratior & Doctrina jucundior; quanto tristius erat Verbum Interpretum Legis, eorumque passim pessimorum hominum, quibus propositum erat Ecclesiam detinere in statu *captivitatis* & *servitutis*; quorumque institutio tota illuc tendebat: quorum in superioribus facta erat mentio.

Quo sensu illi dicantur *extollere vocem* & *pariter cantare*?

Quid figura dictionis hic significet?

Quid hic memorentur *pedes* Evangelizantium?

Simplex sententia declaratur.

Respectus *pedum* h. l.

Quodnam *decus* esset in itione Præconum Evangelii per Orbem?

Peculiare *decus* ipsorum Nunciorum.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 8. *Vox* SPECULATORUM TUORUM! *tollunt vocem; pariter cantant; quia oculo utroque videbitur, quando Jehova restituerit* TSIONEM.] Continuatur *Exclamatio*. Quod enim hic dicitur, effertur per admirationem. Primum membrum sic accipio, *En vocem* SPECULATORUM TUORUM, h. e. Prophetarum antiqui temporis, *redditam vocibus Evangelistarum!* SPECULATORES (צופים) ἐν πλάτει quidem dicuntur omnes Doctores Publici Populi Dei, invigilantes saluti Ecclesiæ, eamque fideliter monentes de malis, sive exteris sive internis, noxam ei illaturis, præcavendis [c]: sed speciatim *Prophetæ*, ventura in longum prospicientes, ut alibi [d] jam monui. Sancti autem, audientes vocem *Evangelistarum*, in ea agnoscunt dicta *Prophetarum*. Inter Prophetas enim & Evangelistas is est consensus harmonicus, ut quæ Prophetæ prædixerunt *implenda*, eadem *impleta* nuncient Evangelistæ. Utuntur itaque Prophetæ & Evangelistæ iisdem vocibus & phrasibus: nisi quod hi in *præsenti* aut *præterito* efferant, quæ illi extulerant in *futuro*. Sic sibi respondent ἐυαγγελία & ἐυαγγέλιον [e], ut ad superius *comma* declaravi. Addit Vates: *Extollunt vocem; pariter cantant*; sc. Evangelistæ, Prophetis suas reddentes voces, quos Evangelistas modo descripserat, & in quibus describendis versatur. *Extollunt* illi vocem in publico, λαλοῦντες τὸν λόγον τῦ Θεῦ μετὰ παῤῥησίας [f]: & quidem יחדיו *pariter, una*; τὸ αὐτὸ λέγοντες πάντες [g], consensu harmonico, ab uno acti Spiritu. *Evangelium* enim Christi Jesu ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο *non est* ALIUD [h]. Petrus, Jacobus, Joannes, Paulus, Apostoli omnes & veri Ministri Christi Jesu, idem sentiunt, idem docent. Habet autem illorum *loquela* speciem *cantus* sive *cantillationis*, quia læta nunciant, narrant, docent; opera Dei excellentia, & beneficia in Ecclesiam collata docendo celebrantes. Ratio subjicitur, *Quia oculo utroque videbitur, ubi Jehova reducet Tsionem.* h. e. clara adeo & conspicua erit Φανέρωσις *manifestatio præsentiæ & Gloriæ Dei* apud Ecclesiam; tam certa & indubia demonstratio *Regni Dei*, ut Præcones Evangelii inde consequuturi sint facultatem summa cum fiducia de his quæ *viderunt* & *audiverunt*, loquendi ac differendi. Inspiciamus sententiam paulo propius: occurrunt enim in ea animadvertenda ad phrasin Prophetæ. Et quidem primo, quod ego in Versione exhibeo, *videbitur*, Vates extulit יראו *videbunt*. quam proprietatem significationis vocis hic plerique Intt. retinent, & applicant ad *Speculatores*, sive *Præfectos Ecclesiæ*, (פרנסים PASTORES, ut hic Chaldæus:) quibus præcipue daretur admiranda phænomena Regni Dei clarissime videre & recognoscere. Nihil, fateor, in eo vitii est; attamen cum *visio* illa, de qua hic mentio fit, non ad ipsos tantum pertineret, verum ad omnes *Electos credentes*, qui partem haberent in Oeconomia Gratiæ: censeo, illud יראו *videbunt* rectius verti *impersonaliter* per *videbitur*, cum respectu ad universitatem credentium cui hæc gratia communis esset. Hebræis autem in more esse, ut *verba impersonalia* per *pluralem tertiæ personæ* efferant, satis constat. Secundo, Hebræa, עין בעין יראו, quæ verbotenus sonant, *oculo cum oculo videbunt*, reddidi, *utroque videbitur oculo*. Hieronymus, Alexandrinum sequutus, verterat, *oculo ad oculum*. pariter Coccejus; placuitque idem quoque Belgis. Solent autem auctores hujus versionis phrasin conferre cum analogis, *facie ad faciem* [i], & *ore ad os* [k], ut notet visionem non tantum claram, sed & familiarem. Sed analogia hic non est perfecta. Hebræa, *facie* AD *faciem*, *ore* AD *os*, construuntur cum אל, videlicet, פרח אל פרח, פנים אל פנים; sed nostra hæc cum ב, proprie sonat, *oculus* CUM *oculo*. Extat autem nostra hæc ῥῆσις præter hunc locum, solummodo semel Num. XIV. 14. ubi Moses in oratione ad Deum, אשר עין בעין נראה אתה יהוה *Quod* OCULO CUM OCULO *tu Jehova videaris*. ubi vehementer dubitem, an vertere liceat, *Oculo ad oculum*. agitur enim de *visione Jehovæ*, apparentis in Nube. Vere igitur existimem, phrasin valere, *utroque oculo*. h. e. clare, aperte. Sic Chaldæus hoc loco: בעיניהון *Oculis suis*. Symmachus. Ὀφθαλμοφανῶς. Pisc. cum Jun. & Trem. *Oculis suis videbunt coram*. Quid vero viderent? Cl. Coccejus *objectum* Visionis hujus facit quod sequitur, *Jehovam reducere Tsionem*; interpretans verba, *Quod Deus reverti faciat Tsionem*. Equidem vocula כי hunc sensum facile admittit: sed nostrum *quando* hic longe præfero. Quare illud *videbunt*, *infinite* dictum, mea quidem sententia referendum est, vel ad omnia *phænomena* Divinæ Gloriæ & Gratiæ quæ comitarentur fundationem Regni Dei; vel ad *visionem Spiritualem*, sive claram illuminationem Propheticam, quam Deus impertiret dilectis suis in initiis Oeconomiæ Gratiæ. Prius hic elegit Chaldæus. Extat ejus paraphrasis: *Quoniam oculis suis videbunt* גבורן MAGNA-

Figura continuatur.

Quinam h. l. צופי *Speculatores*?

Consensus *Evangelistarum & Prophetarum*.

Videtur idem valere, quod *utroque oculo*.

Quodnam hic esset objectum *visus*?

Distinctius definitur?

Expositio Chaldæi.

[a] *Rhet. S.* Tract. I. Cap. XII. p. 310. [b] Ephes. VI. 15. [c] Cap. LVI. 10. Jer. VI. 17. Ezech. XXXIII. 2. seqq. [d] Ad Cap. XXI. 6. Confer Mich. VII. 4. Hab. II. 1. [e] Rom. I. 1. 2. [f] Act. IV. 29. 31. [g] 1 Cor. I. 10. [h] Gal. I. 7. [i] Exod. XXXIII. 11. [k] Num. XII. 8.

Int. & Kimchii. GNALIA, *quæ faciet Dominus, cum reduxerit majestatem suam* (שכינתיה *gloriosam præsentiam suam*,) *Tsionem.* Posterius amplexus est Kimchius, docens, futurum esse, ut sub Regno Messiæ *donum Prophetiæ* quo Ecclesia Judæa caruit à temporibus Haggæi, Populo Dei restituatur; nec tantum, verum etiam illuminationis modo perfectiore quam quo gavisa est Ecclesia Judæa antiqui temporis. Pulchra est sententia, quam neutiquam dimitto. Si Interpretes Hebræi eandem fidem haberent Evangelio, quam Mosi & Prophetis: possent utique recognoscere, hæc quæ in futurum sub Messia suo imaginario exspectant, sic plane impleta esse, ut illi ex Verbo Prophetico futurum præsumunt. Ergo, ut rem ipsam attingam: comparata hæc non disparo, sed inter se conjungo. Propheta ait, OCULO *cum* OCULO *videbitur, quando Jehova restituerit Tsionem:* h. e. secundum arcanum sensum Prophetæ, *oculo* tam *corporali* quam *spirituali. Corporali* oculo objiceret Deus admiranda *effusi Spiritus S. in Credentes, Charismata, Miracula, Judicia* in hostes Evangelii; profectum incredibilem Regni Dei: dum interea Spiritus S. *intellectum* credentium, & præsertim Apostolorum, Evangelistarum, Prophetarum, ad eum modum gradumque illuminaturus esset, ut qui hoc tempore *videbant*, ante hoc tempus censeri debeant fuisse *in tenebris.* Vates noster sibi ubique tam quod ad phrasin, quam quod ad rem, analogus est. Sic scripserat *indefinite* Cap. XLIX. 7. *Reges* VIDEBUNT, *& assurgent.* Quid vero *viderent?* Lucem, h. e. Doctrinam, gloriam, claritatem, Messiæ, de qua paulo ante facta erat mentio. Alio loco [a]: *Oculi cæcorum ex caligine & ex tenebris* VIDEBUNT. Rursus [b]: *Illi* VIDEBUNT GLORIAM JEHOVÆ: *decus reverendum Dei nostri.* Haberet itaque fides credentium, & inprimis Præconum Evangelii, hoc tempore argumenta solidissima, quæ iisdem pareret summam in dicendo fiduciam. Loquerentur *visa*, oculo tam *dextro* quam *sinistro*, sc. spirituali & corporali, à Spiritu S. clarissime illuminati. Confer hic loca insignia Act. IV. 20. 1 Joh. I. 1. 2 Pet. I. 16. 1 Cor. II. 9. 10. Idque sane fieret *quando* Deus *restitueret Tsionem*, h. e. *in Tsione regnare* inciperet, de quo dictum erat in *commate superiore.* Confer Mich. IV. 8. Vox שוב hic optime vertitur per ἀποκαθιστάναι *restituere*, ut aliis locis [c]. *Restitutio* autem (ἀποκατάστασις) *Tsionis* involvit universum Opus Redemptionis Tsionis, quo perduceretur ad Statum perfectionis & decoris, ipsi à Deo decretum. Sunt qui vertunt, favente Kimchio, & Vatablo, *Quum Jehova reversus fuerit Tsionem.* quando ellipsis subesset voci שיב pro לשיב. Sed licet sensus nihil vitii habeat: non putem, Prophetam id intendisse. Est enim usus vocis שוב, tam in terminatione *Kal*, quam *Piël* & *Hiphil*, frequens in Prophetis sensu *reductionis, restitutionis*, ubi de Beneficio ἀπολυτρώσεως Tsionis, *Corporalis*, aut *Spiritualis*, agitur. Ecclesia collapsa in integrum restituta est, h. e. accepit suum complementum & integritatem, ubi Regnum Filii Dei in Mundo factum est manifestum.

Quæ laudatur.

Sensus dicti elucidatur.

Visio *corporalis & spiritualis* exponitur.

Quid in hoc beneficio supponatur?

Loca analoga huc facientia.

Beneficium hoc pareret magnam fiduciam in Præconibus Evangelii.

Quid hic notet *Restitutio Tsionis?*

Versio Kimchii.

β. Subjecta *Allocutio* ad *Ecclesiam instauratam*, qua monetur, *salutem* hanc *Jehovæ* voce & gestu celebrare.

β. Subjecta *Alloquutio* ad Ecclesiam instauratam, ℣. 9.

℣. 9. *Rumpite vocem cum fragore, cantate pariter,* DESOLATA HIEROSOLYMÆ, *quia Jehova consolatus est Populum suum; redemit Hierosolymam.* ℣. 10. *Jehova nudavit brachium suum sanctum coram oculis omnium Gentium, & viderunt omnes fines terræ salutem Dei nostri.*] Ἐκφώνησις hic mutatur in προσφώνησιν, directam ad *Desolata Hierosolymæ*, quæ excitantur ad tantum beneficium in Populum Dei collatum omni virium contentione celebrandum. Figura orationis in *superioribus* sæpe nobis occurrit, & videri hic possunt inter alia, loca Cap. XLIV. 23. XLIX. 13. Est autem, quod quisque sentit, & sæpius monui, figura hæc orationis unice parata ad explicandam magnitudinem & præstantiam Beneficii *Salutis & Redemptionis*, in quo celebrando hæc pericopa versatur. Complectitur autem Allocutio, α. *Excitationem* Ecclesiæ instauratæ, ad Divinas laudes quanta fieri potest contentione celebrandas. β. Rationem illius exhortationis petitam à magnitudine Beneficii Ecclesiæ dati; quæ ratio proponitur, *med.* ℣. 9. & exponitur luculentius ℣. 10. Quod ad generalem pericopæ aspectum attinet: non vehementer miror, esse homines non assuetos spirituali phrasi Prophetæ, qui hic cogitant de *Beneficio* aliquo *Redemptionis*, sive *Liberationis corporalis*, à Deo procuratæ suo Populo, cujusmodi nullum hic in censum venire potest nisi Beneficium *Liberationis Babylonicæ*, etsi *Babylonis* nulla hic fiat mentio. Sed ipsi illi Interpretes se hic impediunt. Quis enim non videat, magnum nimis esse & magnificum, quod hic prædicatur, quam ut illi Beneficio conveniat? Quippe ubi Deus *brachium* suum *sanctum nudasse* dicitur *coram oculis* OMNIUM *Gentium*, & *omnes fines terræ vidisse* dicuntur *salutem Dei nostri:* estne vere ut quis sibi persuadeat, *Gentibus* aliis, & vero promiscue *omnibus*, & quidem *finibus terræ*, curæ fuisse hoc Beneficium, & in eo observare invictam potentiam Dei Israëlis? Fuit, fateor, beneficium maximum, respectu habito ad ejus Consequentia, ut ipse docui ad Cap. XLIV. 23. Sed magnitudo hujus beneficii cognosci & intelligi non potuit nisi à sanctis, qui illud spirituali oculo inspexerunt. Gentes hoc tempore ut præditæ non erant intellectu spirituali: sic par est credere, eas ad id minus attendisse; quare Judæi ipsi oculos hic ab eo avertunt, & *Redemptionem*, de qua hic mentio fit, interpretantur de *Redemptione* efficienda per *Messiam:* in cujus persona si non errarent cæci, idem hic nobiscum profiterentur. Imo vero præcedentia hujus *Pericopæ* ℣. 6. 7. & subsequentia, in quibus Persona Messiæ describitur cum suis *characteribus*, ℣. 13. 14. invicte demonstrant, de alio hic beneficio ac de *Redemptione spirituali* cogitari non posse. Quare nollem, ut Interpretes aliqui, inter quos Belgæ quoque nostri, hic fluctuarent, & utrumque *beneficium* inter se conjungerent. Dixeris, non videri belle convenire *Redemptioni spirituali* per Messiam curatæ & effectæ, quod Deus hic dicatur *nudasse* BRACHIUM suum *coram oculis omnium Gentium.* Beneficium enim τῆς ἀπολυτρώσεως, quam Credentes habent in *sanguine Christi*, est *morale:* sed beneficium quod hic describitur, est *physicum*, efficiendum per ipsam *Dei potentiam*, cujus symbolum est *brachium Jehovæ.* Non est dubium ex gravissimis; & tamen necessario expediendum. *Beneficii Redemptionis spiritualis* duplex est aspectus; *Moralis*, & *Physicus.* Secundum aspectum ejus *Moralem* Christus Jesus Ecclesiam *redemisse* dicitur, quando acerbissimis doloribus & effuso sanguine in morte λύτρον pro ea persolvit, debitumque ejus expunxit apud Forum Justitiæ Divinæ: secundum respectum *physicum*, quando vi hujusce suæ Obedientiæ Semen electum ipso actu vindicat à potestate Satanæ; transfert in statum *adoptionis Filiorum*; *sanctificat & purificat*; atque in eo gratiæ statu adversus tentationes qualescunque potentissime conservat: tum quoque profectum Evangelii amplissimis prosequitur incrementis; Populum suum adversus publicos hostes ejus defendit; eosque hostes & adversarios Ecclesiæ judiciis suis prosternit & perdit; & quæ hujus generis similia. Hæc effecta sunt physica, eaque summæ atque invictæ Dei potentiæ: ad quæ effecta pertinet quod dicitur de *nudato* Dei *brachio*, ℣. 10. Præcipue respicitur profectus & incrementum mirabile Evangelii inter Gentes ad obsequium fidei: quo opere plane Divino Gentes ereptæ sunt potestati Satanæ, h. e. potestati superstitionis, erroris, vitiorum, scelerum. Hoc opere Divinæ potentiæ nullum unquam editum est majus & illustrius. Vis Divina quæ Verbum Evangelii comitatur, est invicta, & in genere effectorum Omnipotentiæ

Figura hujus orationis, & summa ejus.

Quomodo hæc *figura* orationis unice parata sit explicanda?

Analysis hujus Pericopæ.

Aspectus pericopæ. Videri posset ad primam speciem referenda ad Beneficium Liberationis Corporalis.

Oratio tamen non favet huic hypothesi.

Beneficium Liberationis Babylonicæ quomodo considerandum?

Quomodo Judæi hunc locum accipiant?

Evincitur, hic agi de Beneficio Liberationis spiritualis.

Dubium adversus hanc hypothesin motum expeditur.

Beneficii *Redemptionis spiritualis* duplex aspectus.

Moralis, qui exponitur.

Physicus, qui item declaratur.

Verba Vatis ad posteriorem respectum pertinent.

Potentia Dei comitata Evangelium ad conversionem

[a] Cap. XXIX. 18. [b] Cap. XXXV. 2. [c] Ps. LXXXV. 2. Nah. II. 3.

Gentium; est summa.

tiæ summa. Etiamsi enim *infinitum* nullos admittat gradus: effecta tamen potentiæ infinitæ alia aliis concipi possunt illustriora. Apostolus in eo agnoscit τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ [a]. Alibi [b], τὴν ἐνέργειαν τῆς δύναμεως αὐτοῦ *efficacem vim potentiæ ejus.* Confer Luc. I. 71. Quid? An *Evangelium*, instrumentum δυνάμεως Πνεύματος ἁγίου *potentiæ Spiritus S.* [c] non dicitur δύναμις Θεοῦ POTENTIA DEI IN SALUTEM *omnis credentis* [d]? plane acsi alluderetur ad hunc ipsum locum, in quo *brachium* & *salus Dei* alternantur. Idem Apostolus alio exhibet loco [e]. Quid sibi aliud vult quod Vates sacer eandem rem edisserens, mutata phrasi ita effert [f]: SCEPTRUM ROBORIS TUI (Christi evecti ad dextram celsitatis Divinæ,) *mittet Jehova ex Tsione.* Estne quid aliud in mysticis & symbolicis *Sceptrum roboris Dei* ac *brachium* ejus? Imo vero, an ipsum Evangelium directe non dicitur *brachium Jehovæ* à Vate nostro, in consequente contextu, Cap. LIII. 1. *Quis credidit præconio nostro, &* BRACHIUM JEHOVÆ (זרוע יהוה) *cui revelatum est?* Propheta non dissimili sensu jam usus fuerat phrasi Cap. LI. 5. ubi Filius Dei in hæc verba fatur: *Me insulæ exspectabunt, & in* BRACHIO MEO *fiduciam collocabunt.* Intelligitur *Gratia Christi* in Evangelio revelata. *Gratia* autem Christi Jesu, stylo N. T. dicitur ejus *potentia.* Sic enim scripserat Propheta in eodem argumento de Messia versatus Cap. XLII. 4. eadem phrasi: *Et in* DOCTRINA *ejus insulæ spem suam locabunt.* Accedit, Doctrinam Evangelii, medium fidei Gentium, in initiis Oeconomiæ Gratiæ, (de quo tempore hic agitur,) non tantum comitatam fuisse invicta virtute Spiritus S. ad obsequium fidei Gentium; verum etiam *signis, prodigiis, ostentis, miraculis*, quæ stylo Scripturæ *δυνάμεις potentiæ* dicuntur. Hæc incurrerunt in sensum omnium Gentium. Effecta Divinæ potentiæ & gratiæ in conversione Gentium per *Verbum Evangelii* & *Signa* illud comitantia, *conspicua* fuerunt per totum Orbem. Omnes *Gentes* viderunt *salutem Jehovæ.* Significatur, α. Clarissima *manifestatio* Divinæ Potentiæ & Gratiæ. β. Manifestatio Potentiæ summæ & maximæ. Solent enim *brachium exerere* & *nudare* qui magnum aliquid moliuntur. Sic Evangelio adscribitur Φανέρωσις *manifestatio* [g], ἐπιφάνεια *apparitio.* [h]

Phrasis, *Sceptrum roboris Dei*, Ps. cx. 2.

Evangelium instrumentum potentiæ Divinæ.

Respicitur simul ad adjuncta Evangelio *miracula.*

Dicta ad h. l. applicantur.

Hac expedita difficultate, (licet præpostera, ut videatur, tractandi ratione,) cætera nos non morabuntur. Quicquid enim fere monendum habebam ad ℣. 9. anticipavi in *commentatione* ad Cap. LI. 3. coll. cum Cap. XLIX. 8. Inde intelliges, per *Loca desolata* Hierosolymæ, quæ hic compellantur & excitantur ad *cantum & jubilum*, intelligi, primo, Ecclesiam Tsioneam *collapsam, afflictam, tristem, egenam*, vacuam *consolatione*; quæ licet nunc esset in initiis suæ instaurationis, sic dicitur respectu proximi sui status, in quo fuerat antequam *Regnum Dei* revelaretur. Dein, Gentes omnes & Populos, Ecclesiæ Judææ promissos in hæreditatem, huc usque *sterile solum, vacuum omni fructu justitiæ*, & *consolatione*, qui speciem præbebant *agri* vastati desolatique, nullam admittentis sationem, nullam edentis frugem. de quo in locis, modo notatis, ubertim disserui. His nata esset lætitiæ, cantus, jubili materia amplissima ex *salute* & ἀπολυτρώσει per Messiam adducta, & Regno Jehovæ manifesto facto inter omnes Gentes; quare à Choro Prophetarum vel Sanctorum ad hoc officium excitantur. quod ut par esset magnitudini beneficii: adhibet Vates vocem פצח, integre, פצח רנה, quæ Hebræis idem sonat quod Comico est, *Erumpere gaudium.* Vocem læti soni edere cum fragore. Confer loca, in quibus usum ejus & significationem recognovimus, Cap. XIV. 7. XLIV. 23. XLIX. 13. De *figura* ipsa jam monui. Non eo pertinet, acsi Credentes, in tantam spem vocati, ad hoc officium necesse haberent excitari: sed ut declaretur beneficii magnitudo & excellentia.

Cætera expediuntur, quæ ad locum pertinent.

Loca desolata Hierosolymæ quid h. l.

Hæc beneficia merito faciunt materiam lætitiæ & glorificationis Dei.

APOSTROPHE TERTIA, inprimis directa ad *Præcones Evangelii*, qua excitantur ad *Expeditionem*, Evangelii caussa suscipiendam; & edocentur de ejus suscipiendæ *modo*, ac *successu.*

α. *Modus* Expeditionis.

℣. 11. RECEDITE, *recedite; exite illinc; impurum ne attingite: egredimini ex medio* EJUS: *purgamini qui* FERTIS VASA JEHOVÆ!] Aspectus orationis Prophetæ in nova hac *Apostrophe* omnibus eam tuentibus ita se offert. Exhibentur qui veram Ecclesiam faciunt, esse in communione alicujus *Populi polluti*, & quidem *Civitatis.* Ab hoc *Populo*, ejusque communione, se jubentur *separare*, & rite *purificati* illinc *exire* ad expeditionem aliquam, maturo deliberatoque consilio suscipiendam sub cura Providentiæ Divinæ protectricis. Præsertim officium hoc imponitur *personis sacris*, quæ hic veniunt nomine *portantium vasa Jehovæ.* Spes fit successus hujus Expeditionis ex Duce & Præfecto ejus Jehova. Supponi autem hic *communionem Populi alicujus & Civitatis*, æqui criterii Intt. omnes mihi facile largientur. Patet enim illud luculenter ex verbis, צאו משם *exite* INDE; & ex sequentibus, צאו מתוכה *Exite ex* MEDIO EJUS. Ne jam dicam, universum orationis σχῆμα hanc hypothesin præ se ferre, ut ex ejus pertractatione facile liquebit. Intellectus itaque hujus *Pericopæ* pendet à definitione *Loci, Civitatis, Populi*, in cujus communione *Populus* qui veram Ecclesiam efficiebat, fuisse concipitur; & ex cujus communione ipsi *exeundum erat.* Hic vero qui in hoc *Sermone* agi putant de *Liberatione ex Exilio Babylonico*, ut proximorum Sæculorum Interpretum plures; ipsum illud beneficium hic describi ferunt: nec sane absque specie. Est enim sic structa oratio, ut ad eam hypothesin rectissime applicari posse videatur, & videtur comparari posse cum Cap. XLVIII. 20. & Jer. L. 8. Verum qualiscunque color huic sententiæ inducatur. α. Nulla hic est mentio *Babylonis*, neque in toto hoc *Sermone*, ut Aben-Ezra, alioquin Interpres satis γραμματικὸς, recte monet. Imo nulla amplius occurrit BABEL in hoc *Libro* usque ad ejus finem. Si Vates hic loquutus esset de *Babylone:* videtur omnino id disertius expositurus fuisse. β. Non cohæret interpretatio cum *antecedente & consequente contextu.* Utique enim clarissime evictum est, in ℣. 6. 7. 8. jam luculenter descriptum esse *Regnum Dei*, ejusque Præcones, *Apostolos & Evangelistas*; & mox liquebit, in ℣. 13. & seqq. *Expeditionem* hoc in loco memoratam referri ad δοξασμὸν *glorificationem* sive ad *gloriosum Statum Messiæ.* Certe Interpretes Judæi, excepto R. Mose Haccohen, nobiscum tenent, in hac *Sectione* agi de Liberatione Gentis ex præsenti Exilio; & per *Loca* ac *Civitatem* hic suppositam intelligi volunt qualiacunque *Loca*, in quibus sparsi per Gentes sedes suas fixerunt. Quare cum mihi omnino statutum sit servare analogiam interpretationis: non averto oculos à *spirituali sensu* hujus emblematis, quem Apostolus quoque commendavit, hæc verba allegans, 2 Cor. VI. 17. Sic præiverunt Veteres, Hieronymus, Cyrillus, Procopius, eosque sequuti plures. Censent, hic describi *Expeditionem* Præconum Evangelii, & in universum Credentium, Christo Jesu Duce suscipiendam ad occupandam hæreditatem Mundi; eosque moneri ut se separent ab omni immunditie spirituali, ac divortium faciant ab *Hierosolyma adultera*, (Ἱερουσαλὴμ ὡς τυγχανούσῃ ἀναβάρτῳ, ut. Hesychius:) quæ in incredulitate sua pertinaciter perstitebat: tum quoque in universum ab omni *inquinamento spirituali & mundano.* Si vero phrasibus aliquibus hujus Pericopæ alludatur ad Exitum Israëlitarum ex Ægypto aut Babylone ad occupandam Canaanæam: quis id ita esse miretur? Beneficia enim hæc ita inter se comparata sunt, ut altera gerant alterius typum: quare non Prophetæ tantum, sed & Apostoli atque Evangelistæ de spiritualibus rebus loquentes inde phrases suas mutuari solent.

Apostrophe tertia, directa inprimis ad Præcones Evangelii, ℣. 11.

Σχῆμα Propheticum, & hujus pericopæ, exponitur, cum summa orationis.

Supponitur hic communio alicujus Civitatis, in qua Redempti erant.

Sunt qui hic agi putant de Exitu ex Babylone.

Cui sententiæ certis rationibus occurritur.

Exitus & expeditio hic memorata pertinet ad Evangelium.

Judæorum Intt. sententia.

Hypothesis interpretationis; Verba hæc spirituali sensu accipienda esse.

Auctores hujus sententiæ.

a Ephes I. 19. b Cap. III. 7. c Rom. XV. 13. d Rom. I. 16. e 1 Cor. I. 18. f Ps. CX. 2. g 2 Cor. XII. 12. Heb. II. 4. h Rom. XVI. 26. Tit. II. 11.

Analysis hujus *Periocpæ.*

solent. Continet Pericopa *α. Monita* duo de *Separatione* ab *immundis*, & de *Exitu* ex *Civitate polluta*, ℣. 11. *β.* Illorum Monitorum *Rationes*, ℣. 12. Persequar singula per modum justæ commentationis.

Verba Vatis, ℣. 11. *Secedite, secedite, inde.*

℣. 11. סורו סורו צאו משם *Secedite, secedite; exite inde.*] Oratio hæc recte tribuitur eidem *Choro Prophetico*, cui superior. Appellatio autem dirigitur tum in universum ad Populum Christi Jesu electum, ex *commate antecedente:* tum speciatim ad eos qui *portant Vasa Domini*, h. e. Ministros Sacrorum, de quibus mox visuri sumus. Chaldæus vocem סורו hic vertit per אתפרשו *separamini*, sive *separate vos.* Apostolus pariter *a*: Ἀφορίσθητε. quæ hic vere genuina notatio est vocis סור *recedere.* Obtinet illa usum *se separandi* è medio aliorum in quorum quis versatur communione; sive, quod *immundi sint*; sive, quod destinati plagis Divini Judicii; ut nemo inter eos versari queat, nisi plagas illas participet. Priore sensu occurrit insigni loco *Threnorum b*: *Clamabant*, RECEDITE, (סורו) *impurus est*; *recedite, recedite, ne* ATTINGATIS. Alluditur speciatim ad *leprosum c*. Posteriore, in historia Korachi & sociorum *d*; RECEDITE, (סורו) *quæso, à tentoriis impiorum horum hominum, & ne* ATTINGATIS *quicquam eorum quod ipsorum est.* Alio loco *e*: *Et Dixit Saul Kenitis: Age*, RECEDITE, (סורו) *descendite è medio Amalekitarum*; sc. Judicio Divino destinatorum. Neutrum sensum hic sepono; & tamen contextus priorem directe flagitat, cum mox addatur, IMMUNDUM *ne attingite.* Unde vero *discessio*, sive *separatio* facienda erat? Id vero pertinet ad rei ipsius intelligentiam cognoscere. Propheta hoc loco ait משם INDE. mox, מתוכה *è medio* EJUS. Habuit objectum in mente, quod diserte noluit appellare. Jam evici, circumstantias orationis non ferre, ut hic intelligatur *Babylon*, aut *Populus Babylonicus.* Ergo dicamus, quod unum hic supereſt; esse *Hierosolymam incredulam, corruptam*, Judicio Divino destinatam, à pessimis Rectoribus administratam, Babylone non meliorem, sed pejorem. Referenda enim sunt verba ad id quod Propheta Deum dicentem fecerat, ℣. 5. *Et nunc quid mihi* HIC *est, ait Jehova:* sc. ubi *Dominatores Populi illum faciunt ejulare, & nomen Domini omni die probris prosciditur.* Ubi *Hierosolymam corruptam* intelligi, eviciſſe me confido. Hæc ipsa ratio est, cur Propheta eam *Urbem* non appellet. Cum enim meliorem Ecclesiæ partem, Populum Christi electum, vocet *Tsionem* & *Hierosolymam:* hanc vero *Hierosolymam* externam, carnalem, *pollutam sanguine Christi Jesu & Martyrum ejus*, hoc nomine indignam haberet; tum hanc ob rationem; tum ne orationis suæ sensum confunderet: non expressit Urbis nomen. Cur vero hunc sensum refugimus? An verum non est, hanc Urbem omnium aliarum totius Orbis terrarum maxime fuisse pollutam? Num neges, Populum Christi Jesu se *è medio* hujus Hierosolymæ ut *immunde* debuisse *separare?* An etiam illud neges, Populum Christi se ab *ea separasse?* Ex ea Urbe *exiisse* ad occupandam hæreditatem Mundi? Quæ si vera & in confesso sint; quæ ratio est hujus sensus negligendi, quem Veteres omnes viderunt? Quem experientia confirmavit? Ipse Abarbenel cum genuinam hujus loci expositionem det; *priore* per Urbem hic subintellectam intelligit *Hierosolymam.* Solummodo advertas animum, hic primo, intelligi *separationem* & *egressum spiritualem*, perinde ac in dicto *Apocalypsios* de Babylone Novâ *f*: EXITE EX EA (Babylone) *Populo mi!* qua quis errores, superstitiones, scelera, flagitia, illius Populi corrupti abnuit, & ea detestatur. Secundo, *separationem* sive discretionem *Ecclesiasticam*, ut qui fidem in Christum profiterentur, *privos cœtus* inter se facerent, novis confœderationis vinculis constrictos, cujusmodi cœtus ἐκκλησίαι dicuntur *g*. Tertio denique, *aliquorum*, & deinceps quoque *omnium* respectu, *separationem civilem*, & *corporalem*, ut vel exeuntes Hierosolyma Evangelium Christi ubique prædicarent; vel Populum blasphemum, carnalem, & peccatis gravem, urgente pœna scelerum comite, relinquerent Divinis judiciis: quod Sanctos, in Christum credentes, feciſſe, tota historia *Actuum* testatur. Sic Petrus ipse Hierosolymis concionatus *h*: SERVAMINI *ex natione ista prava.* Christus Jesus in oratione ad Paulum *i*: *Eruens te* ἐκ τῶν λαῶν *ex* HOC POPULO, & *Gentibus.* Erat itaque hoc tempore Hierosolyma in Hierosolyma: electa in reproba. Dixeris, primos Credentes tamen frequentasse Templum, nec abstinuisse Sacris publicis. Respondeo, eos Templum frequentando se magis *univisse* Deo, quam Populo; *Populo* autem se non univisse nisi suæ fidei & professionis: simul in Templo comparuisse, ut occasionem haberent in confluxu Populi, in quo multi ex mera ignorantia fidem in Dominum respuebant, *Christum Jesum Evangelizandi. k*

Notatio vocis סורו apud Chaldæum.

Usum habet in recedendo ab *immundis* & *impuris*; veluti, à *leprosis.*

Refertur ad contextum.

A quo loco recedendum?

Quo referenda sit vox *inde* hoc in loco?

Est Hierosolyma incredula.

Confertur cum ℣. 5.

Quare Vates Urbem recta non appellet?

Nulla ratio justa est, cur hunc sensum quis fugiat?

Abarbenelis sententia.

Separatio & *egressus* hic *primo* spectandus est spiritualis.

Deinde separatio Ecclesiastica.

Et tandem *civilis.*

IMMUNDUM *ne attingite.*] Ne habete communionem cum Populo incredulo, impœnitente, blasphemiæ in Sp. S. reo, spiritualiter mortuo, *leproso*, & quidem *polluto* sanguine innocuo Christi Jesu, & Martyrum veritatis. *Civitas* enim, olim sancta, nunc vere facta erat specus מרצחים *homicidarum l*. Confer hic insignem locum Matth. XXIII. 35. Cl. Coccejus per *immundum* intelligit *Templum*, ejusque *Sacra:* quod à ratione videtur remotius. Credentes enim in Christum non desierunt illud frequentare, primo saltem tempore, ut modo monebam. Alludi autem hic ad Leges Mosaicas, quibus prohibebatur *tactus* aut *usus* rerum *immundarum*; quilibet per se intelligit.

Immundum ne attingite. Quo sensu Hierosolyma hujus temporis *immunda?*

Egredimini ex MEDIO EJUS.] Emphasin habet quod hic dicitur, E MEDIO EJUS. h. e. Ne habete communionem cum *specie* & *forma interiore* hujus Populi corrupti: τὰ γὰρ ἔσωθεν αὐτῶν INTERIORA *enim illorum plena sunt ossibus mortuorum & omni immunditia m*. Ne miscete vos *Conciliis* hujus Populi *Judicialibus* aut *Ecclesiasticis*, plane sanguinariis; & Vos inprimis, qui destinati estis Regno Dei promovendo, ne hærete in hoc Populo, sed secundum mandatum Domini *egressi* in Mundum, *Regnum Dei* circumferte ad Populos & Gentes.

Egredimini ex medio ejus. Emphasis quæ est in phrasi, *E medio ejus.*

PURIFICAMINI, *qui* PORTATIS VASA JEHOVÆ.] Vox הברו geminam fert interpretationem: vel enim reddi potest καθαρίσθητε *Purgamini, mundamini*, (ut Hieron.) vel, ἀφορίσθητε *separamini per discretionem.* Utrumque latet in potestate vocis ברר, & belle convenit contextui hujus loci; & rei ipsi de qua agitur. quin sane cognata sunt. Nulla enim *purificatio* fit nisi per *separationem* ejus quod inquinat. Altera quoque phrasis, *Vos qui portatis vasa Domini:* gemina spectari facie potest, pro gemino usu vocis כלי. Valere potest, vel *Qui portatis* VASA JEHOVÆ: vel, *Qui portatis* sive *geritis* ARMA JEHOVÆ. Ex priore sensu alluditur ad *vasa* sive INSTRUMENTA *Tabernaculi*, olim à solis portanda Levitis, vel Sacerdotibus. Horum enim erat *portare Arcam n*: cætera instrumenta Sacra tegumentis suis involuta à Sacerdotibus in motu castrorum *portanda* committebantur *Levitis o*. Sic Chaldæus h. l. VASA DOMUS SANCTUARII *Jehovæ.* Interpres Hebræus Kimchius posteriori subscribit. Cum enim certo sibi persuaderet, hic agi de *Statu Gentis in præsenti Exilio*, *ex quo liberandi sint per Messiam:* nulla hic agnoscere potuit *Vasa Sanctuarii*; atque adeo nescire se ait Auctor, quid in mentem venerit Chaldæo, hic meminisse *Vasorum Sanctuarii.* Vertit itaque per ARMA DEI, phrasi Apostoli, τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ *gravem* ARMATURAM DEI *p*. Sunt vere quæ favent huic expositioni. *α.* Quod *instrumenta Sanctuarii*, quod quidem sciam, nunquam *absolute* dicantur *Vasa Jehovæ.* appellantur passim *Vasa Sanctuarii* vel *Domus Jehovæ.* כלי העכרה *Vasa Ministerii.* כלי הקדש *Vasa Sanctuarii q*. Et ta-

Purificamini. Qui portatis vasa Domini. Dubia significatio vocis הברו.

Portare vasa Domini, gemino sensu accipi potest.

Metaphora unde desumpta?

Kimchii dissensus ejusque ratio.

Vertit per *arma Dei.*

Rationes quæ favent huic Expositioni.

a 2 Cor. VI. 17. *b* Cap. IV. 15. *c* Lev. XIII. 45. *d* Num. XVI. 26. *e* 1 Sam. XV. 6. *f* Apoc. XVIII. 4. *g* Act. II. 47. *h* Act. II. 40. *i* Act. XXVI. 17. *k* Act. V. 42. *l* Cap. I. 21. *m* Matth. 23. 27. *n* Jos. III. 6. *o* Confer loca Num I. 50. IV. 15. seqq. X. 21. *p* Ephes. VI. 13. *q* 1 Chron. IX. 28. 29.

Et tamen nemo neget, per ellipsin sic dici posse. β. Phrasis, נושא כלים, usu quo hic extat, recepta fuit Hebræis pro ὁπλοφόρῳ *armigero*; cujusmodi *armigeros*, *arma ferentes*, Viros fortes & strenuos, Præfecti & Heröes antiqui temporis omnes habuerunt. Inspice sis, historiam Jonathanis, Filii Saulis *a*. γ. Mox *commate sequenti* Deus introducitur ut Imperator, sive Dux, Exercitum horum expeditorum *ducturus*, idemque *clausurus agmen*. Hæc ita se vere habent; & sentio tamen me ferri in priorem sensum. Vox enim הבו *purificamini* rectius convenit *portantibus vasa*, quam *arma Dei*; placuitque idem Alexandrino. Sed differentia interpretationis hic minus est spectabilis, quod Interpretes, sive vocem כלים per *vasa*, sive per *arma* vertant, in sensu spirituali reddendo vix ab invicem dissentiant. *Portantes Vasa Domini* sunt, primo sensu, qui circa Religionem, & Sacra versantur; quibus cura & administratio Sacrorum mandata est. Qui *portant Vasa Dei* sunt homines qui *veram Religionem* circumferunt apud Populos, ad id à Deo ἀφορισμένοι *separati*, secreti. Vox Christi Jesu ad Ananiam de Paulo *b*: *Nam est ille mihi instrumentum electum τῦ βαςάσαι τὸ ὄνομά μȣ ad* PORTANDUM NOMEN MEUM (Verbum meum & Nominis mei confessionem,) *in conspectum Gentium & Regum & Filiorum Israël*. Ipse de se *c*: *Habemus* THESAURUM HUNC *in Vasis testaceis*. *Thesaurus* hoc loco id est *quod portatur*. Est autem *thesaurus* hic *Verbum Evangelii* conjunctum cum omni gratia & dote Spiritus S. Paulo *d*: Τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριςȣ Ἰησȣ̃. Est *res sacra* circa quam *Delecti* versantur. *Instrumentum Religionis*, absque quo Religio vera coli nequit. Res *gravis* & *magni momenti*, quæ geri & administrari nequit absque difficili labore & summa cura. Animadverte jam, Aben-Ezram Judæum, qui verba nostra vertit, *arma Jehovæ*: simile quid subaudire. Adscripsit hoc loco: הם ישראל נושאי התורה *Intelliguntur Israëlitæ, portantes* LEGEM. Horum vero *purificatio* & *spiritualis separatio* in eo consisteret, ut se per gratiam Spiritus S. ab omni *affectu carnali* penitus purgarent, & se Deo Sacerdotum ac *Levitarum* instar, (in quibus, à Deo ad opus Sacrum secretis, exactissima requirebatur puritas *e*,) totos devoverent ac consecrarent, *obliti Domus Paternæ*, & *non retrospicientes εἰς τὰ ὀπίσω ad ea quæ à tergo sunt*; & quæ sibi olim *lucro deputaverant*, nunc *damna* censerent. ab *affectu*, inquam, se purgarent *carnali*; non tantum *concupiscentiæ vitiatæ*: sed quoque *amoris* erga cultum *externum* & *ritualem Mosaicum*, & *Loca* illius Cultus, Hierosolymam & Templum. Qui *cultus* tam altas radices egerat in affectu Gentis Judææ, ut difficillimum iis esset illum affectum exuere, & induere affectum ac formam plane spiritualem. Atque hæc est illa *purificatio Filiorum Levi*, à Christo Jesu perficienda, de qua Malachias *f*. Apostolus, qui se ἀφορισμένον ait εἰς Εὐαγγέλιον Θεȣ̃ *g*, hanc *purificationem* in suo exemplo exhibet. *h*

Notatio vocis נשא constructæ cum בלי.

Prior interpretatio probabilior.

Sensus spiritualis qui huic notioni subest.

Locus Act. IX. 15. cum hoc collatus, & 2 Cor. IV. 7.

Interpretatio R. Ezræ.

Separatio horum spiritualium *Levitarum* qua re consisteret?

Quam late hæc purificatio se extenderit?

Exemplum Paulinum hic in typum propositum.

℣. 12. QUIA *non* FESTINATO EXIBITIS; *neque per* FUGAM *itionem facietis*, QUIA *incedet ante vos, &c.*] Sensus est; Vos, à Deo destinati ad Verbum ejus ferendum inter Gentes, & occupandam hæreditatem Mundi, expeditionem hanc non suscipietis *inconsiderate*, sive *tumultuario*, aut *trepide*. Alluditur manifeste ad Exitum Israëlitarum ex Ægypto, de quo Moses *i*: כי בחפזון יצאתם מצרים *quia* FESTINATO (eadem vox est in hoc loco,) *ex Ægypto egressi estis*. sc. urgentibus plagis ab ipsis Ægyptiis *expulsi*, ut habet historia *k*. Non nego tamen, phrasin hic explicatius sumendam esse, & utramque significationem hic esse conjungendam. *Contextus antecedens* hic dissuadet *exitum præcipitem*, tumultuarium, inconsideratum. Sic enim cohærent verba cum superioribus: *Purificate vos* diligenter, *qui portatis Vasa Jehovæ* exituri in Mundum Gentium, quia *Exitum vestrum* oportet esse considerate; non præcipitem aut tumultuarium, ut post legitimam præparationem cum sano judicio & ratione, & necessariis omnibus subsidiis instructi, cum *perfecta* Vestri ipsius *abnegatione*, vos separetis ab omni affectu carnali, & vos accingatis ad magnam hanc Expeditionem auspiciis Christi Jesu suscipiendam. Sed *posteriora* respiciunt exitum *trepidum*, & ex metu *festinatum*. Sic enim pergit oratio, *Quia vos præcedet Jehova, idemque agmen claudet*. Ergo non est trepidandum. Propheta dives intellectu & sensu utrumque eadem phrasi involvit. Cl. Coccejus verba sic accipit; *Si mature exeatis, Deus vobis prospiciet, ut commode possitis exire: sin diutius resistetis, aliquando cogemini fugere cum præcipitatione*. Est profecto docta meditatio, si eam per se spectes: sed sensum hunc ægre connectas cum eo quod proxime præcessit, cum quo tamen verba cohærent per voculam כי QUIA. Necessum itaque esset dicere, voculam כי QUIA hic vacare, ut in aliis locis. Historia docet, Deum Hierosolymæ incredulæ post flagitium in Christo Jesu commissum pro sua longanimitate indulsisse spatium pœnitentiæ fere per triginta annos; tum ut electos quos sibi in Gente Judæa Hierosolymis & in Canaanæa habebat, colligeret, & ex Diluvio instanti servaret; tum ut *Regnum ejus*, fundandum in Tsione, inde propagaretur per Orbem; & Apostoli, Evangelistæ, ac Ministri alii ad id delecti, non *festinato*, sed consulto, deliberato, in tempore, rite instructi & parati, hoc magnum opus susciperent. Fert enim traditio antiqua *l*, *Apostolos ante duodecim annos non excessisse Hierosolymis*. Quid? Paulus Apostolus jam à Domino solenniter vocatus per *triennium* substitit in *Arabia m*; non sane ibi otiosus, sed simul à Spiritu Dei perfecte subactus & ad duram provinciam sibi decretam rite paratus & instructus. Inde voluntate Dei explorata per *preces & jejunia*, delegit illum & *separavit Sp. S.* cum Barnaba ad inserviendum Gentibus *n*, *sexto* jam vel *septimo anno* à Conversione. Idem judicium ferre licet de aliis excellentibus Dei Ministris. Universum Opus fundati Evangelii per Orbem fuit consideratum, deliberatum, consultum; à perfectis hominibus, iisque intrepidi animi, rite paratis atque instructis, susceptum.

Alluditur hic simul ad exitum *trepidum*.

Cl. Cocceji meditatio ad h. l.

Indulgentia Dei in Populum Hierosolymitanum huc adfertur.

Locus illustratur ex Historia Apostolorum.

Quia Jehova coram vobis incedit; & agmen vestrum cogit Deus Israëlis.] Apposita hic est animadversio Hebræi Interpretis Jarchii, duo membra hujus sententiæ respondere duobus membris sententiæ proximæ. Dictum erat, *Non exibitis festinato, & trepide*. Ratio ejus hic datur in *priore* membro, *Quia Jehova in fronte vos præcedet*. Deinde, *neque incedetis per fugam*, ut fit in motu castrorum, dum extrema acies, longius ab Imperatore remota, ab hoste impetitur. Ratio hic est in posteriore membro, *Quia Deus Israëlis agmen claudet*. Quid vero? Utique Deus quoque antecessit Israëlitas ex Ægypto egressos, eosque urgentibus à tergo Ægyptiis, defendit: & tamen illi בחפזון *festinato* Ægyptum reliquerunt. Imo vero, *Nubes*, Divinæ præsentiæ symbolum, Israëlitas sive antecessit, sive texit à *tergo*, quando egressi sunt ex *Succoth*, secunda Castrametatione: sed ubi ex *Rhamesses*, quam sedem originariam Jacobi posteri in Ægypto ad Nili latus Orientale occupabant, processerunt in *Succoth*; nulla hactenus aderat *Nubes*. Inde h. e. ex *Rhamesses*, festinato, exierunt, Ægyptiis profectionem urgentibus *o*. Sensus est, Deum peculiari cura suæ providentiæ esse conservaturum, protecturum, defensurum, qui se separantes ab omni immunditie spirituali applicarent ad magnum Opus Regni Filii sui promovendum; & auspiciis *Christi Jesu* occupandam hæreditatem Mundi, eamque Christo Jesu subjiciendam. Confer Cap. IV. 5. Hæc vero ipsa illa est gloriosa Christi Jesu expeditio, quæ in aliis partibus hujus Libri *p*, & Verbi Prophetici *q*, luculenter celebratur. quæ expeditio non his tan-

Quia Jehova coram vobis incedit, & seqq. Observatum Jarchii, animadversu dignum.

Respondetur ad *exceptionem* quæ hic moveri potest, ex exitu Israëlitarum ex Ægypto.

Sensus dicti Prophetæ.

Pertinet ad *Expeditionem* Ecclesiæ ad occupandam hæreditatem Mundi.

a 1 Sam. XIV. 1. 7. seqq. *b* Act. IX. 17. *c* 2 Cor. IV. 7. *d* Phil. III. 8. *e* Num. VIII. 6. Ezr. VI. 20. *f* Cap. III. 3. *g* Rom. I. 1. *h* Gal. I. 15. Phil. III. 7. *i* Deut. XVI. 3. *k* Exod. XII. 39. coll. cum Cap. XI. 1. *l* Euseb. *Hist.* Lib. V. C. XVIII. *m* Gal. I. 17. *n* Act. XIII. 2. *o* Conf. Exod. XII. 37. XIII. 21. *p* Conf. C. XL. II. XLII. 13. XLIX. 8. *q* Ps. XLV. LXVIII. CX.

tum tribuitur, qui actu eam susceperunt; verum omnibus qui eam consensu, votis, precibus, prosequuti, & fructu ejus gavisi sunt: cujus typi fuerunt *Exitus ex Ægypto*, & ex *Babylone*, cum suis *phænomenis*. Historia *Actuum* de re ipsa abunde testatur. Supposui in hac interpretatione, vocem מאסף hic valere, *Claudens agmen*. Certa est significatio hoc loco, ubi de Re castrensi agitur, ex locis Num. x. 25. Jos. vi. 9. 13. Jesaias iterum usurpat hac notatione Cap. lviii. 8.

Usus vocis אסף h. l.

Præstiti sensum pericopæ, argumento & contextui conformem; & quod hic addendum est, consentaneum quoque interpretationi Apostoli: nisi quod ipse ex *themate* quodammodo *restricto* secundum sensum Prophetæ, elicuerit *doctrinam generalem*, 2 Cor. vi. 17. Cum enim in eo esset, ut *credentes* ex Corinthiis dehortaretur à familiari commercio colendo cum Paganis, in Epulis præsertim & conviviis quæ celebrabantur in Idoleis, (℣. 14.) inter alias rationes & loca è typis & dictis V. T. huc adducta, hæc verba ejus leguntur: Διὸ ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν, καὶ ἀφορίσθητε, λέγει Κύριος· καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε· κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς. Nimirum Vir Divinus videns, in hoc loco Populum Christi, redemptum & purificatum ejus sanguine, moneri à Choro Prophetico, *Dei* nomine loquente, ut se abstineret ab omni immunditie eorum qui nomen Christi non profitebantur inter Judæos; hæc verba spirituali sensu accepta, in usum commodumque suum vertit, & ex iis colligit *doctrinam generalem*, quam verba hæc tanquam *basin* supponunt; *Populo a Christo redempto*, sive inter Judæos sive inter Paganos versaretur, *exeundum esse communione eorum*, qui Christum abnegant, & *abstinendum omni immunditie spirituali*: qui sensus est Jesaiæ. quem scopum, ut ipse assequeretur, locum non presse, sed pro more suo, liberius citavit, his quæ ad peculiarem ipsius scopum non pertinent, omissis. quod ego quidem, salvo aliorum judicio, non repeto ex more quodam peculiari citandorum locorum in Schola Hebæorum antiqua usitato; sed ex more vulgato & communi, Scriptoribus omne genus recepto, cujus exempla apud Veteres, & Doctores Ecclesiæ antiqui temporis, extant infinita. interim nihil est apud Paulum, quod non respondeat Jesaianis. *A*

Expositio conferetur cum loco Ap. 2 Cor. vi. 17.

Scopus Apostoli in illo loco.

Hypothesis ejus in allegando dicto Prophetæ ex hac pericopa.

Verbio Apostoli liberius instituta, absque ullo vitio.

β. *Basis* & fundamentum *Regni Dei* fundandi inter Judæos & Gentes, *Obedientia* Messiæ, eamque sequutura *Exaltatio*.

a. *Propositio*.

β. *Basis* & *fundamentum* Regni Dei: Messiæ *Obedientia* & *Exaltatio*.

℣. 13. *Ecce prospere aget* SERVUS MEUS: EXTOLLETUR, *&* EFFERETUR, *&* SUBLIMIS EVADET *valde*.] Huc processerat Propheta in declaranda *Redemptione*, Populo electo destinata, & *patefactione Regni Dei*, ejusque manifestandi *modo* ac *mediis*, & *successu* magni Operis ad *conversionem Gentium*, instar hæreditatis juxta promissa Abrahæ data occupandarum: quando Deum Patrem loquentem introducens, demonstrat eorum quæ in *superioribus* dicta & prædicta erant, *Fundamentum*, & *Causam*: videlicet *Obedientiam* Messiæ, Patri præstandam & præstitam in extrema humiliatione, ejusque subsequente *Exaltatione gloriosa*: usque ad *finem* hujus *Capitis*. Quod prophetiæ *argumentum*, cum gravissimum esset, & *doctrinam* complecteretur ad fidem in Christum Jesum ut Messiam plane necessariam, totius Evangelicæ Fidei basin & nucleum, hominibus carnali ingenio præditis captu difficillimam: ipse magis *Evangelistam* quàm *Prophetam* agens totum hoc mysterium *Humiliationis* & *Exaltationis* Messiæ, ejusque *Consequentium*, planissime enarrat & exponit in *Sectionibus* sequentibus, quæ cum hac *Pericopa* nostra ita cohærent, ut illius contineant Elucidationem, Confirmationem, & uberiorem ἐξήγησιν; ut in loco distinctius monebo. Docti itaque Interpretes ex nostris, inter quos Junius & Piscator, id observantes, pericopam extremam hujus *Capituli*, tribus constantem *incisis*, cum sequenti *Capitulo* connexerunt, à communi *Capitum* sectione discedentes, ut integram relinquerent & continuam prophetiam de *Servo Jehova*. Sectatus eosdem est Alexander Morus *a*, non laudans ubique judicium eorum, qui Scripturam S. in *Capita* diviserunt; & docens, Veteres, Justinum, Origenem, Augustinum, in *citando* hoc *loco* Jesaiæ *contextum* hujus *Pericopæ* cum verbis *Capitis sequentis* conjunxisse: subjungens tamen, *male hinc colligere Interpretes hodiernos, conjuncta fuisse in ipsorum exemplaribus, quæ in nostris dividuntur*. Quod ut verum est: ita non debuisset Vir Doctus ignorare, Veteres Græcos in distinctione *Capitulorum suorum* omnino hanc Pericopam cum *sequenti* junxisse; quippe quod ex Procopio & *Hesychianis* facile liquet. Fecit hæc *Pericopa* conjuncta cum *Capitulo* sequente ipsis *Caput* lxxii. Ipse quoque Abarbenel ita instituit in *Sectionibus* suis. Sentio, nihil peccare, qui hic à communi *Sectionum* divisione discedunt. Id enim cuique liberum est, si necessitas vel commoditas interpretationis id poscere videatur; cum satis constet, hanc nostram *Capitum* partitionem esse humani ingenii, & *medii ævi*, opus. Sed pertendo, caussam discedendi à vulgata partitione nullam hic esse necessariam. Contra vero, cum in *Capitulo sequenti* novæ Personæ loqui introducantur, mutato orationis σχήματι; & *Capitulum* illud ad Pericopam hanc nostram illustrandam faciat: non incommode mihi videtur sequens *Capitulum* suis limitibus claudi. Id unum nollem, Doctos aliquos Viros recentioris ævi, qui hanc pericopam à præcedentibus divellunt, eo præcipue id obtentu facere, quod cum *antecedente* contextu non cohæreat; supponentes, ibi solummodo agi de *Liberatione Babylonica*: quod idem sedet Constantino L'Empereurio, in loco laudando. Fateor, non cohærere, si res ita se habeat: sed mihi ratio fuit non solvendi nexus hujus *Pericopæ* cum superiore *Contextu*, quod argumenta orationis pulchre inter se conjugentur.

Quo instituit Jesaias, in enarrandis *Statibus* Messiæ.

Docti aliqui Intt. hanc pericopam cum *sequente Sectione* conjunxerunt.

Docti cujusdam Viri judicium de eadem re.

In illudanimadversio.

Judicium de re ipsa.

Discedendi à communi partitione *Capitum*, nulla hic justa ratio est.

Occurritur rationi quæ doctos Viros movit.

Cæterum, quod ad *argumentum* hujus Pericopæ attinet, quod SERVI alicujus Jehovæ *Exaltationem* gloriosissimam post præcedaneam *Humiliationem* exhibet: Judæi increduli hic incedunt per impedita & salebrosa: dum Christiani, characteres Messiæ sui, æternum celebrandi, hic agnoscentes, fide Evangelii illuminati, hic in plano & æquo versantur calle: nullibi hærent, nullibi impingunt. Ipse Aben-Ezra, & Alschechus, difficultatem interpretationis palam agnoscunt; & hic quidem exerte queritur de *vaga fluctuatione* Interpretum

Judæi Intt. hoc loco tractando valde sunt impediti.

Confessio ipsorum hac de re.

Modus,

---

a Initio *Comm.* in Cap. LIII.

A Persequamur verba Apostoli ex loco jam signato 2 Cor. VI. 17. Διὸ *Quapropter* est ipsius Pauli, rationem ex hoc loco petitam cum propositione sua connectentis. Ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν, respondet his Jesaiæ, *Egredimini ex medio* EJUS. Apostolus specialem sententiam in generalem convertens, scripsit αὐτῶν, EORUM, absque ullo vitio. Καὶ ἀφορίσθητε. respicit duas notiones Jesaiæ סורו *separamini*, (ut nos quoque vertimus,) & הבדו. quod οἱ ὁ. quoque reddiderunt, ἀφορίσθητε; quam significationem à voce sustineri, in loco docui. Estque hæc ratio, quare Apostolus vocem hanc subjunxerit τῇ ἐξέλθετε, quæ sequitur notionem סורו apud Jesaiam; ut nos moneret, se una hac voce utramque priorem & posteriorem complecti. Λέγει Κύριος, non habetur in his verbis Jesaiæ, sed repetitum est à Paulo ex ℣. 5. נאם יהוה *dictum Domini*. Chorus Propheticus hic explicat mandatum Filii Dei. Καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε, *Et immundum ne attingite*, est Jesaianum ipsum. Κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς. *Et Ego suscipiam vos*, h. e. ego suscipiam vos in defensionem meam, sub alas meas; respondet ultimis, *Quia Jehova Vos antecedit, & Deus Israëlis cogit agmen vestrum*: quæ Apostolus compendio & vera paraphrasi sensum reddens, non sectatus verba, expressit. Grotius existimavit, τὸ εἰσδέχεσθαι hic solummodo respondere voci מאספכם *Collector vester est Deus Israëlis*. quod non putem ita se habere. Οἱ ὁ. vocem קבץ *congregare* variis locis vertunt per εἰσδέχεσθαι *suscipere*, metaphora sumpta à Gallina pullos sub alas recipiente: sed nunquam vocem אסף, quæ significatione tantum differt à קבץ quantum Latinæ, *aggregare*, & *congregare*, ut Cl. Coccejus optime docuit. Ais, Jesaiam orationem vertere ad *portantes vasa Domini*. Ita est, sed attributum hoc generalius sumptum, omnibus convenit in Christum Jesum credentibus, Sacerdotibus & Levitis spiritualibus, Deo & cultui ejus consecratis, & in hunc usum purificatis, qui habent Verbum Christi in se, idque circumferunt, & profitentur.

tum suæ Gentis, in hac Pericopa exponenda, modo ad hoc, modo ad aliud *subjectum*, recurrentium, ut qualemcunque verbis aptent sensum: licet ubique infeliciter & miserabiliter se expediant, &, ut vere dicam, prostituant. Accedit etiam illud, quod non tantum hic Christianis, sed & sibi ipsis contrarii sint. Vetus enim Schola Doctorum suæ Gentis hic vidit & agnovit MESSIAM. Alschechus rotundis verbis: הנה רו"ל פרו אחר קיימו וקבלו כי על מלך המשיח יובר ואחריתם ו"ל נמשך *Ecce Doctores nostri b. m. uno ore statuunt, & à majoribus acceperunt, de Rege Messia sermonem esse, quorum felicis memoriæ hypothesi insistemus.* Abarbenel id de solo hoc *commate* nostro fatetur; de sequentibus negat: in quo falsus est, ut in loco patebit. Chaldæus nomen MESSIÆ paraphrasi hujus loci exerte inseruit. Sed cum statutum habeam, Deo faciente, in *Anacrisi Capitis sequentis* hypotheses & declinationes illorum distinctius recensere & discutere: hic latius non expatiabor. Continet hæc Pericopa, α. *Propositionem* de *Exaltatione Messiæ gloriosa, his verbis* quæ describi. β. Illius *Expositionem* pleniorem, vs. 14. 15.

Ipsi hic inter se contrarii.

Veteres hæc verba interpretantur de Messia.

Abarbenelis exceptio retunditur.

Analysis hujus pericopæ.

Ecce SERVUS MEUS PROSPERE AGET.] Sic absque dubitatione vertenda sunt verba, quæ per se dubii videntur esse sensus. Vox enim השכיל, *intransitive* sumpta, geminam admittit interpretationem: notat, vel, *intelligentem, consideratum esse*; vel, *prospere & feliciter res suas agere.* inter quas notiones licet magna sit affinitas, dum prudentia passim viam sternit ad prosperitatem: non tamen eædem sunt, nec inter se commiscendæ. Alex. Int. priorem vocis notationem prætulit Συνήσει; eumque sequutus Hieronymus, *intelliget.* qui tamen rectius scripsisset, *intelligens erit*, ut eam versionem bene emendat Morus. Quin conveniat attributum *Subjecto*, ad quod hæc referenda est pericopa, nemo ambigit: sed *consequens contextus*, in quo non *intelligentia* Messiæ, sed *gloria* ejus commendatur; & analoga loca nostræ versioni, quæ eadem Chaldæi est, favent. Venio ad rem.

Ecce servus meus prospere aget, &c.

Gemina significatio vocis השכיל.

Versio Græca & Hieronymi.

Ad eam ἐπίμετρος.

Vox hic vertenda per *prospere agere.*

ECCE, ait, nos excitans ad attentionem & animadversionem; quippe explicaturus prædictionem & doctrinam paradoxam de summa gloria Messiæ, sequutura profundissimam ipsius humiliationem. Multi Judæorum id oculis suis viderent; & tamen non crederent: nemo autem crederet absque animadversione ac νοήσει, qualem vera poscit fides. SERVUS MEUS *prospere aget.* Ecquis vero? cum Deo plures *Servi* sint, & Jesaias in prophetiis hanc notionem ad unum aliquod *Subjectum* non restringat: subinde hoc nomine appellans totum *Populum posterorum Jacobi*, tum respectu originis & institutionis suæ; tum respectu *Electorum* qui in illo Populo supererant, Cap. XLI. 8. 9. XLII. 19. alias vero hac voce designans *illustrem* aliquem & singularem *Servum* Dei, cui hoc epitheton in emphasi competeret, ut præter hunc locum Cap. XLII. 1. XLIX. 3. LIII. 11. ut sane Judæi Intt. in ipsis illis locis Cap. XLII. 1. & XLIX. 3. notionem illam *Servi* Dei aptant *singulari* alicui *personæ*, sive Jesaiæ, sive Messiæ. Et quidem quod ad nostrum hunc locum attinet: Judæi Veteres omnes, eosque etiam ex recentioribus sequuti Nachmanides & Alschechus, viderunt, per *Servum Jehovæ* hic intelligendam esse *Personam* aliquam *illustrem*, eamque singularem; & quidem MESSIAM, ut modo præmonebam. Sed recentiores alii cum clarissime viderent, hanc *pericopam* cohærere cum *Sectione* sequente, in qua uberius declarantur quæ hic *strictim* dicuntur de *humiliatione* & πάθήμασι *Servi Jehovæ*; & cum intelligerent, se eam doctrinam de profunda humiliatione, *doloribus*, & *passionibus* Messiæ, conciliare non posse cum hypothesibus & præjudiciis suis de *Messia* illo quem qualemque illi exspectant; simul observarent, *Sectionem* illam de *Messia* expositam manifeste adstruere doctrinam *Evangelii* de Messia JESU, per *passiones* consummato: ex odio Evangelii & Veritatis in alia iverunt, licet diversissima. Plerique quidem, ut Jarchius, Aben-Ezra, Kimchius uterque, Josephus & David, cum de *Jesaia* hic cogitare nequeant, accipiunt prophetiam de *Populo Judæo*, in præsenti hoc Exilio afflicto, sed in fine temporum gloriose exaltando: sed R. Saadja, celebris nominis Doctor, eam interpretatur de JEREMIA, quam interpretationem laudat Aben-Ezra, ut *pulchram*, & tamen non sequitur: sed impetravit à se Hugo Grotius, ut eam assumeret, non sane cum laude sui nominis, imò ne ingenii quidem. Abarbenel, fluctuans, duas exhibet expositiones hujus pericopæ & *Sectionis* sequentis. altera prædictionem hanc applicat ad *Populum Judæum*, in præsenti Exilio afflictum: quam monui plurium sententia firmari hypothesin: altera, in qua sibi placet; vult, describi hic prophetice Regem JOSIAM. Stulte hercle. Si enim sibi temperasset ab hac vanitate, & bellæ inventionis gloriola, scilicet! potuisset priori illi hypothesi colorem illinere, nec prodidisset, à se ipso tam immaniter dissentiendo, incertitudinem animi ac diffidentiam caussæ. Ita est, hypotheses de Jeremia, & Josia, hic plane sunt absurdæ: nullam speciem præferunt; nec dignæ sunt quæ refellantur. Si quis tamen hic à Christiana sententia discessionem facere obstinate velit, spreta Evangelii luce: nulla hic proferri potest hypothesis, nisi quæ per SERVUM JEHOVÆ intelligit *Populum* Jacobidarum in qualicunque Exilio *afflictum:* sed vitium est, α. Quod *attributa* multa, singularia & emphatica in hac prophetia commemorata, non competant in hoc *Subjectum.* β. Quodque ex *Sectione* sequenti luculenter pateat, PERSONAM describi SINGULAREM, justam, ipsi Populo Judæo & electis ex illo Populo contradistinctam, ut legenti *Capitulum* ultro occurrit. Est persona SERVI Jehovæ *reverentibus Jehovæ* contradistincta, ut Cap. L. 10. Addo, dubitari non posse à prudentibus, *Servum* hunc *Jehovæ* κεχαρακτηρισμένον, esse eundem Dei SERVUM, personam singularem, cujus προσωπογραφία edita fuit à Vate nostro, Cap. XLII. 1. seqq. XLIX. 1. 3. seqq. Sed ubi ventum fuerit ad *Sectionem sequentem*, huic magni momenti dubio dabo ἀνάκρισιν, in qua de re tota accuratius disputabo. Observa solummodo, appellari Messiam & respici hoc in loco ut SERVUM JEHOVÆ, quia jam censebatur defunctus esse *obedientia* Patri in profundissimis afflictionibus ex Lege præstita, cui se obstrinxerat. Cætera ad notionem *Servi Jehovæ* animadvertenda, vide in *Commentatione* locorum luculentorum Prophetæ nostri quæ modo signabam. *Prosperitas* autem, quæ ipsi hic attribuitur, referenda est ad felicem *Regni ipsius* profectum, de quo in *superioribus* actum erat, quippe quæ mox declaratur per ipsius *exaltationem.* Regnum Christi Jesu in Orbe fundatum continua faceret incrementa: gloria ejus magis magisque inclaresceret: expeditiones Apostolorum essent secundæ, quo quo se verterent, Gratia Divina Verbum Evangelii ubique comitante. Jeremias [a]: *Et suscitabo Davidi Germen justum, & Regnum sapesset Rex,* והשכיל *& prospere aget.* Confer Ps. XLV. 5. cum exemplis typicis Josuæ [b] & Davidis [c], de quorum expeditionibus, rerumque ipsorum incrementis, eadem notio usurpatur. Sed ipse Jesaias hic suus est Interpres. Subjicit enim,

Ecquis hic intelligatur *Servus Dei?*

Epitheton in hoc Libro variis *Subjectis* tribuitur.

Judæi *Veteres* hic intellexerunt *Messiam.*

Institutum *Recentiorum.*

Diversa illorum judicia de hoc *Servo Jehovæ*; quæ explicantur.

Abarbenelis sententia.

De peculiari ejus sententia, quæ hic Jeremiam demonstrat, judicium.

Communis Hypothesis judæorum Recentiorum quo loco habenda?

Quæ ei obstent?

Prophetia agit de Persona aliqua singulari.

Quare Messias hic appelletur *Servus Jehovæ?*

Prosperitas ejus quorsum referenda?

Declaratus uberius.

EXTOLLETUR, & EFFERETUR, & *valde* SUBLIMIS *evadet.*] In universum intelligunt omnes non ignari mysterii Evangelii, referenda esse verba ad *exaltationem Christi Jesu, qui purificatione peccatorum nostrorum per se ipsum facta*, resuscitatus ex mortuis, *consedit ad dextram Majestatis Divinæ in Locis excelsis* [d]. Hæc vero Christi Jesu *glorificatio* [e] (δοξασμὸς,) dicitur stylo Scriptorum N. T. ὕψωσις *exaltatio* & quidem ὑπερύψωσις *exaltatio summa* & eminentissima: ut opinor, cum respectu ad phrasin Jesaiæ in hoc loco. alibi enim, quod sciam, de Messia non usurpatur in Scriptis antiqui Instrumenti. Petrus [f]: Τῇ δεξιᾷ ἐν τῷ Θεῷ ὑψωθείς. Alio loco [g]: Τοῦτον ὁ Θεὸς ἀρχηγὸν καὶ Σωτῆρα ὕψωσε τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ. Paulus [h]: Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε. Perti-

Extolletur, & efferetur, &c.

Verba Vatis exponuntur.

Phrases Scriptorum N. T. de *Exaltatione* Christi Jesu ex hoc loco petitæ.

---

a Jer. XXIII. 5. b Jos. I. 7. c 1 Sam. XVIII. 14. d Heb. I. 3. e Joh. VII. 39. f Act. II. 33. g Cap. V. 31. h Phil. II. 9.

Pertinent quoque illuc verba Domini in ampliſſimo ſenſu ſumpta apud Joannem [a]: *Et Ego ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς ſi* SUBLATUS FUERO E TERRA, *omnes ad me trahaam.* Vere primo ſenſu alluditur ad Chriſti Jeſu *ſublationem in crucem*, ut Joannes ipſe declarat. *Crucifixio* enim Chriſti Jeſu in *Sermonibus* Chriſti apud Joannem dicitur *ὕψωσις exaltatio ejus*, alluſione facta non ad locum aliquem Prophetiarum V. T. ſed ad typum *Serpentis Ænei*, ut liquet ex Cap. III. 14. VIII. 28. eodemque referendum, quod ait, *omnes ad me traham.* Omnium enim ſalvandorum oculi in Chriſtum ut crucifixum verterentur. Sed quantum myſterium! Ipſa illa *exaltatio Chriſti in cruce* ſymbolum & fundamentum eſſet *exaltationis ejus ad dextram Patris*, quæ poſt emiſſum Spiritum hunc effectum perfecte præſtaret. Jeſaias tamen poſteriorem hanc ſolummodo in oculis habet in his verbis, ut ex contextu ſatis liquet. Tantum obſervandum eſt, hanc ὑπερύψωσιν Chriſti eſſe effectum *obedientiæ ejus*, quod Jeſaias innuit, ubi eam connectit cum *ſervili conditione Meſſiæ.* Ideo *exaltaretur*, quia aſſumpto σχήματι SERVI Patri *obedientiam* exhibuerat ad *mortem*, imo ad *mortem crucis.* Nihil itaque hic reſtat, quod nos moretur, niſi *gradatio*, quam Vates in hoc dicto ſectatur. *Exaltationem Domini* tribus deſignat notionibus, *Extolletur*, ET *efferetur*, ET *valde ſublimis evadet.* Certum haberi debet, ſic ſcripſiſſe Prophetam, ut nos duceret ad cogitandum de tribus *gradibus* vel *reſpectibus*, vel *ſpeciebus Exaltationis Filii* hominis, *gloria & honore coronandi.* Judæi Veteres traxerunt verba ad *tres* Meſſiæ *reſpectus.* Extat illorum ſententia in *Jalkut* ex Commentario Quinque Librorum Moſis, *Tanchuma* dicto, recenſita ab Abarbenele ad *Quæſitum ſecundum* in hanc prophetiam, & exhibita integra à Doctiſſimo Viro Conſtantino L' Empereur [b], cujus ſumma eſt: הנה ישכיל עבדי זה מלך המשיח ירום ונשא וגבה מאד ירום מן אברהם ונשא ממשה וגבה ממלאכי השרת וכו' ECCE PROSPERE AGET SERVUS MEUS.] *Hic eſt Rex Meſſias.* EXTOLLETUR, ET EFFERETUR, ET SUBLIMIS EVADET VALDE.] *Extolletur præ Abrahamo, & efferetur præ Moſe, & ſublimior erit Angelis Miniſterii.* Non eſt contemnendum teſtimonium, cum Apoſtolicus Scriptor ad *Hebræos* in demonſtranda excellentia Chriſti Jeſu fere hoc ordine procedat, ut evincat; Meſſiam præſtantia dignitateque perſonæ debere eſſe ſuperiorem ANGELIS MINISTERII, MOSE, & AARONE, eoque ortis Pontificibus, omnique eminentia alia quæ infra Divinitatem eſt. Sed alluſio hæc allegorica etſi plus veri continet; quam Judæi vulgo admittunt: pro mera alluſione habenda eſt. Conſtantinus L' Empereur in paraphraſi horum verborum reſpicit ad *gradus Exaltationis* Chriſti. ut videlicet ירום *exaltabitur* referatur ad ipſam Chriſti Jeſu ὕψωσιν, qua conſedit ad dextram Majeſtatis Divinæ: ונשא *efferetur*, ad *ſubjectionem hoſtium* & converſionem Gentium: *Sublimis erit valde*, ad *gloriam* qua Chriſtus Jeſus induendus erit in extremo Judicio. Interpretatio nihil alienum habet. Chriſtus enim Jeſus, cui à Patre deſtinatæ erant δόξαι GLORIÆ [c], per *gradus* procedere debuit ad ſummam gloriæ ſuæ manifeſtationem: perinde ac Thronus à Salomone conſcendendus pluribus conſtabat gradibus. Sed cum *gradus* illi vere plures ſint tribus: rectius mihi videtur, Prophetam hac gradatione oculos intendiſſe in *ſpecies* exaltationis Chriſti Jeſu: ut ירום EXALTABITUR explicetur de ipſa Domini Reſuſcitati *glorificatione* & ingreſſu in cœlos ſupremos ad capeſſendum thronum ſibi à Patre deſtinatum, cum proximo effectu ſuo, *effuſo Spiritu S.* de quo Petrus [d]: *Certo ſciat ergo tota Domus Iſraël, Deum hunc feciſſe Dominum & Chriſtum: hunc ipſum*, inquam, *Jeſum quem vos crucifixiſtis.* ונשא EFFERETUR, elevabitur, de *Judiciis* Chriſti Jeſu *Regis* & *Judicis* in hoſtes ipſius, *fulgurum* inſtar tremendis & conſpicuis, terminandis in *Judicio Generali*, quo ſe conſpiciendum præbebit omni carni; *hoſtibus* ſuis omnibus ſibi ſubjectis: quæ judicia ipſe vocat *venire ſuum in nubes cœli* [e]. Poſtremum autem illud, *&* SUBLIMIS ERIT VALDE, de *effectis* admirabilibus *Potentiæ & Gratiæ* ejus in *convertendis Gentibus*, per incrementa & gradus hactenus factis, & faciendis, uſque quo univerſum Dei opus in terris conſequutum fuerit ſuum complementum. Rei ipſius natura me ad hanc contemplationem duxit, & conſideratio notionis Hebrææ נשא, quæ variis locis ſumitur de *elevatione*, ſive *ſublimatione*, ut Veteres loquuntur, Dei in *judiciis. Evehi* dicitur Deus, ubi gloria *Judiciorum* in hoſtes, claritate ſua conſpicuorum & orbem totum perſtringentium, ipſi tribuitur. Sic Vates noſter in ſuperioribus [f]: *Nunc ſurgam, ait Jehova: nunc exaltabor; nunc* אנשא EFFERAR. Eodemque referendum, quod Dominus ut JUDEX tremendum judicium enunciaturus in hoſtes ſuos, Vati exhibeatur ut ſedens *in throno celſo, &* נשא *elevato.* Reſpondet uſus affinium notionum נאה & שגב *evehi*, *efferri*, in hoc argumento, Exod. XV. 1. Jeſ. II. 11. 17. Certe *converſionem Gentium* & amplificationem Regni Filii Dei hic reſpici, clariſſime liquet ex nexu horum verborum cum *contextu antecedente*, jam demonſtrato; & *conſequente*, actutum demonſtrando.

Locus Joan. XII. 32. declaratur.

Exaltatio Chriſti in *cruce* alterius exaltationis ſymbolum.

Eſt effectus Obedientiæ ejus.

Tres notiones hic adhibitæ quorſum pertineant?

Traditio Judæorum Vett. ex *Jalkut.*

Ad eam animadverſio.

Sententia Conſtantini L' Empereurii.

Probabilis ſententia, reſpici *ſpecies* Exaltationis Meſſiæ: quæ exponuntur.

b. Propoſitionis *Expoſitio.*

℣. 14. *Sicut* SUPER TE MULTI STUPUERUNT: *adeo corruptus erat aſpectus ejus magis quam cujuſquam; & ſpecies ejus magis quam ullius homine nati:* ℣. 15. *Sic* ASPERGET GENTES MULTAS: *ſuper eum compriment Reges os ſuum; quia* QUOD NON NARRATUM FUERAT IIS, VIDERUNT; *& quod non audiverant,* INTELLEXERUNT.] Ubi *Servus Jehovæ* in *ſuperiore commate* dicebatur *exaltandus eſſe & evehendus*; colligi inde facile poterat *Status* ejus *humilis. altum* enim *humili* opponitur. Nec tamen Spiritui S. ad ſcopum ejus id videbatur ſufficere, cum vere *Exaltatio* Chriſti ex ejus *humiliatione* explicanda ſit; & utriuſque clarior notitia ad fidem hominis ſub Regno Meſſiæ plane neceſſaria eſſet. quare viſum eſt Prophetæ, quod modo propoſuerat, clarius exponere, & præcipuam *ſpeciem Exaltationis* Meſſiæ, h. e. Converſionem Gentium, accuratius deſignare. Sic ſentiunt, omnes qui hanc Pericopam tractant. Itidem vident omnes, (ſic recte dixerim: qui enim hic diſſentiunt, nihil agunt:) ejus *Perſonæ*, vel *Subjecti* quod hic deſcribitur, duos *Status*, *Humiliationis* alterum, alterum *Exaltationis & Gloriæ*, inter ſe opponi. Continet itaque Pericopa Πρότασιν, ℣. 14. SIC UT *obſtupuerunt ſuper te* MULTI, & ſeqq. & Ἀπόδοσιν, ℣. 15. SIC *aſperget Gentes* MULTAS, & ſeqq. In *verſione* τῆς Προτάσεως, ut eam exhibui, nihil jure deſiderari poteſt; nec diſſentiunt hic à nobis Judæi. Solus quod norim, Cl. de Dieu hic aliquid tentavit, vocem משחת derivare conatus non à שחת *corrumpere*, ſed משח *ungere*, & hanc proponens verſionem: *Sic unctio præ viro facies ejus:* ſed ipſe mox ſe deſeruit; & non eſt exiſtimandum, infeliciſſimam conjecturam ullos reperturam ſectatores. Vox משחת eſt *abſtractum* ex שחת, valetque *corruptio*, ſive *Res corrupta.* ſumitur autem hic more Hebræorum, *abſtracta* ſæpe uſurpantium pro *concretis*, pro *corrupto. Corruptio præ viro* (משחת מאיש) valet *quoquam alio homine corruptior*, tetrior. Accingo me ad interpretationem ipſam.

Propoſitionis *Expoſitio*, ℣. 14.

Cohærentia orationis.

Conſenſus communis Intt. hac parte.

Pericopa explicat duos *Status* Meſſiæ.

Analyſis ejus continent Πρότασιν & Ἀπόδοσιν.

L. de Dieu animadverſio ad vocem משחת, non probata.

Quemadmodum STUPUERUNT *ſuper* TE *multi.*] Vertitur oratio è *tertia perſona* in *ſecundam*, frequentiſſima enallage per totum hunc Librum, & Libros Propheticos alios; quod Hebræi hic obſervant, & in quo neminem Verbi Divini peritum hæſitare oportebat. Et tamen L' Empereurius hic hæſitavit, & ex variatione *perſonæ* collegit de *diverſis perſonis* agi. Dat itaque ſenſum; *Quemadmodum de* TE, Populi Jacobidarum, *ſtupuerunt multi* ob calamitates plures, quas variis

Verba Vatis: *Quemadmodum ſtupuerunt*, &c.

L' Empereurii hypotheſis.

Vox נשא uſurpatur de *Elevatione* Dei in *judiciis.*

[a] Cap. XII. 32. [b] Curis in hoc *Caput* LIII. p. 281. [c] 1 Pet. I. 11. [d] Act. II. 36. [e] Matth. XXVI. 64. [f] Cap. XXXIII. 10; confer Cap. II. 11. 17.

variis temporibus ſuſtinuiſti: *ſimiliter non poſſunt non obſtupeſcere, qui miſeriam* MESSIÆ *rite expendunt.* Ut refellatur hæc meditatio: ſufficit dicere, eam nullo niti fundamento. Cætera quis non videt, quanto rectius & commodius ſit, orationem hic in uno decurrere *Subjecto*, quam *duo* inter ſe commiſcere? Per רבים *multos* hic intellige *multitudinem* ſive *univerſitatem* JUDÆORUM: non ſecundum omnem, ſed ſecundum potiorem ſuam partem. Illi enim רבים MULTI contradiſtinguntur גוים רבים *Gentibus* MULTIS, à Chriſto Jeſu *aſpergendis*, quarum mentio eſt in *commate* ſequenti. Sic ſumitur vox רבים notione *Univerſitatis*, Cap. LIII. 11. 12. Recte dixeris cum Græcis, τὸ κοινὸν τῶν Ἰουδαίων. Hi vero *multi*, præcipue Ἰουδαῖοι, Hieroſolymitani, SUPER *Servo Dei* STUPERENT. Hæc vis eſt phraſios, Veteribus Intt. conſentientibus, patetque ex Job. XVII. 8. Proprium attributum Judæorum incredulorum. Obſervarunt *admirabilia* quæ erant in Chriſto, (ut ſane admiranda in ipſo fuerunt omnia:) ſapientiam ejus, vim poteſtatemque dicendi, auctoritatem quam ſibi vindicabat, ſummam; fiduciam apud Deum, quæque ab ipſo edebantur opera, plane *Divina*; eaque contulerunt cum Perſonæ ejus humilitate; ſiniſtris Procerum & Doctorum ſuorum de ipſo judiciis; & probroſiſſimo ipſius exitu: quæ quomodo inter ſe cohærerent, cum non perſpicerent oculo carnali, (ut vere harum rerum nexus perſpici nequit niſi per *fidem*:) perſtiterunt in *ſtupore*; ut ſane hodiedum videntes *effecta* Regni Chriſti, pugnantia cum præjudiciis altiſſime ſibi infixis, *ſtupent*: quod Apoſtolus iis plane exprobravit Act. XIII. 41. unde ex ſenſu Eruditi Interpretis veniunt nomine שומם *ſtupentis*, apud Danielem [a]. Hic *ſtupor*, hæc ἀπορία, conſequens eſt judicii πωρώσεως *obdurationis*, Genti imminentis. Vide locum Cap. XXIX. 9. *Moras nectite* præ ſtupore, *& miramini.* ubi quæ mihi de hoc argumento dicenda ſuppetebant, explicui.

Adeo corruptus erat aſpectus ejus præ viro, & forma ejus præ filio hominis.] Sic ſonant Hebræa. Integra ſententia: Adeo *aſpectus ejus* teter erat, & miſerabilis ſpecies, præ aſpectu & ſpecie cujuſque alterius hominis homine nati. Abſurdum ſit hic cogitare de aſpectu Chriſti hominis phyſico. pertinet oratio Vatis ad aſpectum & ſpeciem ejus *civilem*, quà erat membrum Civitatis Populi Dei. Nec tamen ad omnem adſpectum Ejus civilem: ſed ad adſpectum ejus Civilem extremo vitæ Statu; quando urgente Synedrio, quod condemnationem ejus jam præverterat, à Pontio Pilato Præſide damnatus eſt ad genus ſupplicii omnium probroſiſſimum quod natura horret; ſimul expoſitus omnium oſorum ſuorum aut inconſideratorum hominum, petulantiæ, inſultibus, iniuriis, contumeliis: quando ipſe de ſe dixit [b]: *Vermis, & non vir.* Commovit aſpectus ejus ipſum Pontium, quando illum ex ſpinea corona ipſi impacta ſanguine fœdatum videns, jam ducendum ad ſupplicium, oculis in ipſum conjectis, erupit vocem [c]: Ἴδε ὁ ἄνθρωπος· *Ecce* HOMO! Miſeriæ humanæ exemplum. Ajo, hic directe deſignari Chriſti Jeſu *crucifixionem.* Proponebatur in cruce tanquam cui à Gente ſua ob blaſphemias, ut ferebatur, excommunicato & perduellionis damnato totius Gentis incumberet *execratio.* Erat itaque omnibus perſonæ ipſius ignaris ſumme deteſtabilis & execrabilis. Quiſque miſer ipſe ab eo vel avertebat faciem; vel illum inceſſebat maledictis; vel in illum inſpuebat. Id vero eſſe quod Vates hic innuit, ex eo ſane liquet, quod ſumma illa *deformitas* & deſpectiſſimus Chriſti aſpectus hic adferatur ut cauſſa *ſtuporis multorum* de Gente Judæa; quin ſane de ipſis quoque Gentibus. Conſtat autem, *Crucem*, *Crucem* inquam, Chriſti Judæis eſſe *ſcandalum* [d]. Eadem crux Chriſti hodiedum manet cauſſa *ſtuporis* Gentis. Alium ſibi proponunt Meſſiam, *carnali* æque ac *ſpirituali oculo* ſpectabilem placiturumque. Confer hic clariſſima loca; huic parallela, Cap. XLIX. 7. & L. 6. 7. præter dicenda ad *Caput ſequens.* Negligo multa à tergo hic & ubique: ſed copia materiæ me conſtringit intra legem.

Quæ non nititur ſolida ratione.

Per רבים *multi* quinam hic intelligantur?

Chriſtus Jeſus objectum *ſtuporis* Judæorum incredulorum.

Locus Cap. XXIX. 9. cum hoc collatus.

Adeo corruptus erat, &c. Sententia Prophetæ.

Reſpicitur hic non *naturalis*, ſed *civilis* Chriſti *aſpectus*, in extremo Vitæ ipſius ſtatu: qui depingitur.

Speciatim ipſum *Crucis* ſupplicium.

Hypotheſis adſtruitur.

vſ. 15. SIC ASPERGET *Gentes multas.*] Ἀπόδοσις τῇ προτάσει ſubjecta, hinc incipiens, explicat *glorioſum* Meſſiæ Statum τῇ ταπεινώσει oppoſitum. quem ſenſum in *ſubjecto* de quo hic agitur, Judæi ipſi agnoſcunt, docentque, dicere Prophetam hoc loco; UT *corruptio*, hoc eſt, miſeria & πάθημα Ejus, de quo hic agitur, fuit בקדה אחרון *ſumma* & *extrema*: כן תהיה הפלה נאותו ערך *eodem gradu extremo fore ejus exaltationem.* Ita eſt. Voculæ כאשר *ita*, & כן *ſic* inter ſe relatæ id arguunt. Incipit ſententia à verbis quæ hic exhibeo. Sic utique vere ſonant Hebræa, כן יזה גוים רבים. Valet enim vox נזה hac una notione *aſpergendi* in Sacris. Eſt autem notio mere Evangelica, ex myſterio Evangelii & ex Oeconomia Regni Chriſti Jeſu, unice exponenda, interpretationis hic facillimæ & aptiſſimæ; quam non intellectam eſſe à Judæis [A], qui vario, ſed fruſtraneo, conamine ejus ſenſum aliovorſum torquere ſtuduerunt, neutiquam miror: ſed Interpretes Chriſtianos, eoſque Evangelii amantes, cum ſuis viderent oculis, nihil de Chriſto dici poſſe verius & diſciplinæ ejus congruentius, hic aliena ſectatos eſſe, miror vehementer. Eſtne enim ut nolimus. Jeſaiam tam perfecte illuminatum fuiſſe à Spiritu, ut totum Evangelii myſterium nude expoſuerit? Deus avertat. Sequens *pericopa* nos docebit, *vidiſſe* illum omnia, quæ hiſtoria Chriſti Jeſu ipſi eveniſſe narrat, licet παραδοξότατα. Senſus hujus loci eſt clarus, planus, certus; Chriſtum Jeſum virtutem *ſanguinis* à ſe fuſi inſtar magni Pontificis Domus Dei, applicaturum eſſe ad *purificationem* conſcientiarum *Gentium multarum* & *magnarum*; earumque illuminationem & ſanctificationem; iiſque præſtiturum τὸ δικαίωμα *Juſtificamentum*, *ſanguinea* ſua *obedientia* iis impetratum, ut ipſe ſe mox interpretatur, Cap. LIII. 11. Gentes autem illas, in ipſum Credentes, hujus Beneficii ſignaculum recepturas eſſe, fidemque ſuam profeſſuras eſſe in *baptiſmo*, juſſu Chriſti Jeſu inſtituendo, & ab Apoſtolis ac miniſtris

'Απόδοσις vſ. 15. Sic aſperget Gentes multas. Summa & ſenſus ſententiæ. Comparatio utriuſque *Status.*

Uſus vocis נזה h. l.

De *Studiis* Judæorum, & quorundum ex noſtris ad hæc verba, admonitio.

Myſterium illud *aſperſionis* ampliusexplicatur.

Figura illius in *Baptiſmo.*

---

a Cap. IX. 26. *b* Pſ. XXII. 7. *c* Joh. XIX. 5. *d* 1 Cor. I. 23.

A Οἱ ὁ. Θαυμάσονται ἔθνη πολλὰ ἐπ' αὐτῷ· MIRABUNTUR GENTES MULTÆ SUPER EO. *Non male*, ait Grotius, ipſe licet hic meliorem interpretationem ſequutus: *Nam* MIRARI *eſt veluti aſpergi fulgore alicujus.* Quis credat ſani ſenſus homo? Quiſquamne dicitur *aſpergi alterius fulgore*? vel, an *aſpergi alterius fulgore* eſt *mirari*? Et tamen placuit L'Empereurio, qui in paraphraſi ſimile quid hic ſectatus eſt. Reddit verba: *Stupore aſperget Gentes multas*: nulla *verſionis* addita ratione. Eſtne interpretatio probabilis? Cur in media luce quæruntur tenebræ. Abarbenel: יזה גויי רביי ר"ל יפזר אותם וינצחם *Vult dicere, diſperget illas* Gentes, *eaſque vincet.* Sic præiverat Chaldæus: יבדר עממין סגיאין *Diſperget Populos multos. Quod ſibi inprimis placere*, ait Alexander Morus; ipſe vere hic vagus, & veri incertus. Ajo, abſurdam eſſe verſionem, ſive notionem ipſam, ſive rem ſpectes. Notio ipſa ubique uſurpatur de *liquore*, (aqua vel ſanguine,) quo res aut perſona *reſpergitur.* Id vero an quicquam habet commune cum *diſperſione* hoſtium *victorum* quæ fit in prælio? Inde, inquam, num exſculpi poteſt notio *victoriæ* in hoſtes? Si *rem ipſam* ſpectes: (diſputo adverſus Morum:) an Chriſtus Jeſus Gentes à ſe ſalvandas *diſperſit*, num potius eas *collegit*? Abarbenel ipſe, non acquieſcens in hac ſententia, ſubdit: או יהיה יזה מלשון ויז נצחם על בגדי וכאילו אמר ישפוך דמיהם *Aut vox* יזה *interpretanda eſt ex ſignificatione, quam obtinet in loco*, (Jeſ. LXIII. 3.) *Et* RESPERSIT SE VIS EORUM IN VESTES MEAS: *quaſi diceret, Effundet ſanguinem eorum.* Extat interpretatio apud Aben-Ezram: repetita quoque ab Alſchecho; ſed priore non probabilior. Nulla enim ratio, ſed mera deſperatio, homines ad hoc interpretamenti genus ducit. Ubi Heros Victor hoſtes ſuos magna ſtrage cædit, non *reſpergit eos ſanguine*; ſed *ſanguinem illorum profundit*: quod dum agit, ipſe *ſanguine reſpergitur.* ut eſt in loco adducto. Kimchii, Pater & Filius, vocem נזה hic explicant per *ſtillare*; *ſtillare* per *loqui*, ut ſenſus ſit, *Exaltatione ſua multis dabit occaſionem de ſe loquendi.* Vanum etiam & illud, ac longiſſime remotum. Eſtne enim *ſpargere*, *reſpergere*, *adſpergere*, idem quod *ſtillare*, & *occaſionem de ſe loquendi dare*? *Stillare* (נטף) vere Hebræis eſt *docere*, ſive doctrinam aſſidua opera inculcare: ſed neque illud quicquam commune habet cum *reſperſione*: quanto minus illud, *occaſionem de ſe loquendi dare*? Dole mecum, qui hæc legis, Verbum Dei, purum illud & caſtum, tot expoſitum eſſe luſibus humani ingenii, decus ejus & vim obſcurantibus: non quidem ſemper cauſſa ignorantiæ, quippe quæ poſt omnia diligenter tentata excuſari meretur: ſed cauſſa præjudiciorum incredulitatis, aut lubricitatis & inſtabilitatis judicii. quod vitium eſt vulgatiſſimum. Judæis hic hæret aqua, quod illud *adſperget* nulli *Subjecto* ſuæ hypotheſeos applicare queant; ſed Chriſtiani cur hic refugiunt lucem?

ſtris ejus adminiſtrando, qui baptiſmus idem profitentibus Dominum obſignat quod *typice* olim præſignificarunt βαντισμοὶ *purificationes* variæ factæ per *lotionem* aut *adſperſionem*, (ſunt autem ritus ισοδύναμοι;) ſub Oeconomia Vetere. Sic Ezechiel [a]: *Et* SPARGAM *ſuper vos* AQUAS MUNDAS *& mundabimini.* Sed Petrus [b], & Apoſtolicus ad *Hebræos* [c] hic utuntur ipſiſſima voce βαντίζειν, & phraſi, βαντισμὸς αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, quæ eſt notio Jeſaiana. Vox enim זרה *ſpargere, aſpergere,* ſtylo ſacro [d], præcipue refertur ad actum *Pontificis,* ſanguinem victimæ pro ſe oblatæ, *aſpergentis* ſuper purificandum. *Aſpergere* autem ſanguine rem aliquam, eſt virtutem ejus ad *purificationem* applicare. Paulus Apoſtolus vocat καθαρίζειν PURIFICARE. Confer Epheſ. v. 26. Tit. III. 14. Ἵνα καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον. Inde inciperet δοξασμὸς Chriſti Jeſu inter Gentes, ipſi *datas in hæreditatem.* Δικαίωμα à Meſſia impetratum ad ipſos admoveretur & applicaretur ad illuminationem, purificationem, juſtitiam, vitam.

Uſus vocis זרה in Sacris.

Verba: *Super eum claudent Reges os ſuum.*

SUPER EUM CLAUDENT REGES OS SUUM.] Senſus eſt: Reges qui *Edictis* ſuis quæ ſunt *os Regum*, ſanguinariis ſævierant adverſus Eccleſiam & Populum Chriſti Jeſu, & blaſphema multa eructaverant adverſus Deum & Tabernaculum ejus: poſtquam pervenerint in interiorem notitiam myſterii Evangelii, & glorioſa effecta Regni Chriſti in Mundo, exempla judiciorum ejus, virtutiſque Divinæ gratiæ operationes obſervarint: *Edicta* ſua revocaturos & compreſſuros eſſe; majeſtatem Chriſti Regis venerabundos adoraturos; & contemplatione majeſtatis & gloriæ ejus raptos in admirationem obſequium ei abſque contradictione ſumma reverentia præſtituros obſequioſiſſimum. Idem plane, idem ipſum eſt quod Vates præverterat Cap. XLIX. 7. 23. Implementum præcipue petendum à temporibus Conſtantini: inde exempla abſque numero. Hæc vera *gloria* Chriſti Jeſu, hic *gradus* gloriæ ſpectabilis.

Senſus eorum.

Reges non amplius ſævirent Edictis ſuis in Eccleſiam.

Quia quod ipſis narratum non fuit, viderunt; & quod non audiverunt, intellexerunt.] h. e. Poſtquam Doctrinam Evangelii occultam & μυςηριώδη, complectentem res quas *oculus non vidit, auris non audivit, quæque in nullius mortalis mentem unquam aſcenderant,* non lectas in ullis antiquæ Sapientiæ ſtudioſorum Libris, nulla fama vel auditione propagatas; poſtquam, inquam, illam Doctrinam perceperint, ejuſque decentiam, rationalitatem, effecta in Mundo, quæ eadem effecta ſunt Regni Dei, cum judicio ac νοήσει conſiderate animadverterint ac diſcreverint: quæ vis eſt notionis התבונן. Confer locum I Cor. II. 9. Hanc veram eſſe opinor, mentem Prophetæ; eſtque ſenſus inſignis. Doctrina Evangelii eſt μυςήριον, tacito ore adorandum: non quod doctrina ſit irrationalis, (eſt enim rationaliſſima:) ſed quod contexta ſit ex ideis ſublimibus, de quibus citra Revelationem nemini in mentem venire poſſet ut cogitet. Cætera videri alicui queat, dictum hoc non abſurde comparari poſſe cum Jeſ. LXV. 1. Joh. XX. 29. ſed ſeria meditatio me ab eo abduxit. En *gloriam Servi Jehovæ* ad extremam lineam humiliati & depreſſi!

Quia quod ipſis narratum non fuerat, viderunt, &c. Sententia Prophetæ expoſita.

Significatio notionis התבונן.

Actus conveniens naturæ Evangelii, quod eſt μυςήριον.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Secunda.

Comparet Chorus Apoſtolorum & Miniſtrorum Verbi Gratiæ, conquerentium de exiguo fructu *Præconii Evangelii* inter homines ſpectabiles ſuæ Gentis, ſuæque ætatis. Cujus rei cauſſam cum utile eſſet ſciri; protinus introducuntur converſi ex Gente Judæa ad fidem Evangelii, rationem potiſſimam illius incredulitatis demonſtrantes humillimum Meſſiæ ſtatum & graviſſimas quas ſubiit, *afflictiones:* ſimul captantes occaſionem *veram cauſſam* illarum *paſſionum* & *dolorum*, cujus cauſſæ ignorantia tot mortales in errorem & exitium duceret, clare explicandi tanquam quæ ſita fuerit in *ſponſione* à Meſſia pro *peccatoribus* electis ſuſcepta; idque dum agunt, *profundiſſimam* Meſſiæ *humiliationem*, ejuſque ſummum gradum in *probro crucis*, repetita illius *cauſſa*, quam curatiſſime ac veluti ἱστορικῶς enarrant ac deſcribunt; aliaque etiam commemorant graviſſimorum illorum παθημάτων *accidentia*, & *conſequentia*, Meſſiæ valde glorioſa, ex quibus *juſtificandus erat*, & liqueret, Perſonam *Patientis* in afflictiſſimo hoc ſuo Statu Deo, ſecundum cujus voluntatem pateretur, cariſſimam eſſe; docentque, Eum ex mortuis *vivum*, cum Semine electo Credentium æternum regnaturum. Subjicitur oratio Dei Patris, ſuperiora confirmantis; & luculentos fructus *Mortis* ac *Dolorum Meſſiæ* tam ipſius quam Eccleſiæ reſpectu rurſus plane declarantis.

CAPUT LIII.

Textus Cap. LIII.

1. QUis fidem adhibuit præconio noſtro, & brachium Jehovæ cui patefactum eſt?

2. Atqui aſcendit tanquam ſurculus coram eo, & tanquam radix è terra ſiticuloſa: nulla ei erat ſpecies & reverentia, ut ipſum reſpiceremus; & nulla ſpectabilis forma, ut illum deſideraremus.

3. Deſpectus & deſtitutus viris: vir dolorum, & expertus ægritudinis; fuitque tanquam *aliquis* à quo *quiſque* faciem occultaret: contemptus, quemque nihili reputavimus.

4. Certe infirmitates noſtras ipſe tulit; & dolores noſtros bajulavit: at nos reputabamus ipſum plaga affectum; percuſſum à Deo, & afflictione ſubactum.

5. At ipſe perfoſſus fuit propter tranſgreſſiones noſtras; contritus propter iniquitates noſtras: pœna exemplaris pacis noſtræ ſuper ipſum erat; & vibicibus ejus nobis facta eſt ſanatio.

6. Omnes nos inſtar ovium erravimus: quiſque viam ſuam reſpeximus: ſed Jehova in ipſum incurrere fecit iniquitatem omnium noſtrum.

7. Exi-

[a] Cap. XXXVI. 26. [b] 1 Pet. I. 2. [c] Heb. X. 22. XII. 24. [d] Confer Lev. IV. 6. Num. VIII. 7.

7. Exigebatur; (*debitum pœnæ;*) & ipse afflictus est; & non aperuit os suum: instar ovis ductus est ad mactationem; & ut agna quæ muta est coram tonsoribus suis: & non aperuit os suum.

8. Ex coarctatione & ex judicio assumptus est; & ætatem ejus quis enarrabit? quia excisus est ex terra viventium: propter defectionem populi mei plaga ipsi.

9. Et positum est cum impiis sepulchrum ejus; & cum divite fuit in morte sua: eo quod nullam fecerit violentiam, & nullus in ore ejus dolus fuerit.

10. At Jehovæ placitum fuit ipsum inanire: lethali infirmitate *illum* afflixit. Si posuerit anima ejus sacrificium pro peccato: videbit semen; prolongabit dies; & beneplacitum Jehovæ per manum ejus prosperabitur.

11. Propter laborem animæ suæ videbit; saturabitur. Cognitione sui Servus meus justus multis adferet justitiam, siquidem eorum peccata bajulavit.

12. Iccirco dispertiam ei sortem multitudinem *Gentium*; & populos validos partietur ut prædam: propterea quod profuderit animam suam ad mortem; & cum peccatoribus numeratus sit: & ipse peccatum multorum tulit; & pro defectoribus intercessit.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis*.

VIden', initio hujus *Sectionis* exhiberi certos homines, sive certorum hominum *Chorum*, conquerentium de exiguo fructu *Evangelii*, gratissimi & optatissimi, inter Judæos, ejusque rationem repetentium ex *incredulitate* Gentis [a]. Inde sive eædem Personæ, sive Chorus prudentium Judæorum ad fidem Evangelii conversorum, indicant illius incredulitatis caussam esse in sinistro & imprudenti judicio Gentis de statu humili, quo Messias inter Judæos prodiit, & probrosissimis afflictionibus ac παθήμασι, quæ ex voluntate Dei sustinuit [b], quæque ipsum toti Genti invisum fecerint. Mox excurrunt ad explicandam veram illius profundæ ac paradoxæ humiliationis caussam; non sane peccata aut delicta qualiacunque ab ipso perpetrata: sed delicta Electorum ab ipso redimendorum, ipsi tanquam hostiæ piaculari volenti imposita, quorum *pœna* ab ipso exigebatur: & interea passionum illarum gravitatem atque humiliationis ejus profunditatem ad mortem, imo ad mortem crucis, vividissime repræsentant [c]. Protinus subjungunt *accidentia* quædam & *consequentia* illorum παθημάτων, ex quibus liquere poterat, quam ipse patiens Deo carus fuerit ac pretiosus, & in ipso quoque illo afflictissimo ac humillimo Statu peculiari curæ Divinæ Providentiæ neutiquam exemptus [d]. Cum huc usque decucurrisset oratio: ipse introducitur Deus Pater, superiorem declarationem, doctrinamque veri Evangelii, confirmans; & Ecclesiam piorum edocens de luculentis fructibus ac consequentibus humillimæ hujus obedientiæ, sibi à Filio *Servo facto* præstitæ. [e]

Scopus hujus prophetiæ.

II. *Scopus* hujus prophetiæ est quâ *Doctrinalis*, quâ *Convictorius*. Cum enim probrosissimæ injuriæ & passiones, quas sustinendas haberet Messias qui se gereret ut aliorum *Salvatorem* & *Liberatorem*; vere res essent valde paradoxa, inexspectata, & præjudiciis Gentis Judææ ac Mortalium omnium contraria; cumque illæ caussam haberent sublimem, quam extra Revelationem Divinam nullius mortalis ingenium assequi atque cogitatione sua præcipere poterat: voluit Spiritus Dei hoc monumentum inter alia illustre quo tum ipsa illa παθήματα Messiæ clarissimè consignarentur; tum verissimæ rationes & caussæ hujus Oeconomiæ Providentiæ Divinæ diserte explicarentur; apud Prophetam nostrum extare, ut Fides in Christum Jesum solidissimum & immotum haberet fundamentum in Evangelio cum prophetiis, & hac præsertim, collato; & incredulitati os obstrueretur, omnisque adimeretur obtentus: ut si qui dehinc ex Judæa Gente cuperent in incredulitate sua obstinate persistere; sua id agerent culpa & detrimento maximo, quippe per illos Libros, quos Gentibus ut Divinos commendant, falsi convicti, atque adeo αὐτοκατάκριτοι.

III. *Occasio* proxima hujus editi *Sermonis* petenda est ex *pericopa* immediate præcedente, Cap. LII. 13—15. in qua cum *Exaltatio* Christi Jesu cum Regno ab Apostolis fundando & promovendo ad Gentes, illustrata esset ex opposito *Statu humiliationis* ipsius: Spiritus Sanctus hanc ipsam captavit occasionem, *Humilem* illum & afflictissimum Messiæ *Statum* explicatius enarrandi. Sed si ab hac pericopa discedas: summa cum ratione affero, omnes Sermones Jesaiæ superiores ejusmodi Doctrinæ Propheticæ lucem de *probris* & παθήμασι *Messiæ*, *gloriam* ejus præcessuris, desideraſſe. Cum enim Vates noster jam ab initio suscepti hujus Muneris Prophetici prædixisset, cum *Manifestatione Regni Dei* in *glorificatione Messiæ* conjungendum esse triste judicium *Excæcationis* & *Excidii* in Judæam Gentem [f]: Messiam fore *scandalo duabus Domibus Israël:* paucos habiturum Discipulos; & longe plurimos occasione apparitionis ipsius lapsuros & miserrime interituros esse [g]: Deum perfusurum Doctores & Doctos in Judæa Gente *spiritu soporis*, eosque occulturos primo dein perdituros *clavem cognitionis* [h]: *Servo* autem Dei voluntarie *cæco* sibi relicto, *Lucem* & *Salutem* Messiæ offerendam esse Gentibus, & ab iis grato animo recipiendam [i]: imo vero Christum Dominum Genti Judææ fore *fastidio* & *contemptui* [k]: quin sane Doctorem Evangelicum hunc illustrem afficiendum esse probris indignissimis; lædendum injuriis atrocibus; incessendum maledictis & convitiis [l]: hæc, inquam, & his similia, cum Vates noster in superioribus *Sermonibus* suis supposuisset, & studiose inculcasset: indigebant uberiore luce, ut planius intelligerentur, & ut universa Oeconomia Divinæ Gratiæ, ut partibus suis cohæret, credituris in Christum Jesum patefieret. quod Spiritus S. hac prophetia exequutus & assequutus est.

Occasio illius editæ.

IV. *Scena* ejus, ut patet ex *Sectione superiore*, & ex genuina interpretatione hujus *Sectionis* patescet, figenda est in initiis Oeconomiæ Gratiæ, quando post jacta fundamenta *Regni Dei* & *Verbum Fidei* cum omni potentia Spiritus S. Hierosolymis & in Judæa ab Apostolis & Evangelistis expositum demonstratumque invincibilis incredulitas majoris partis Judææ Gentis jam erat detecta, dum interea *Electum Semen* inter Judæos *Evangelium Christi Jesu* admiserat; estque eum in modum constructa, ut tres Personæ in ea loquentes compareant. *Primam* sustinet Chorus Apostolorum & Evangelistarum conquerentium de incredulitate majoris & spectabilioris partis Judææ Gentis: *Alteram* Chorus Judæorum electorum, ad fidem in Dominum conversorum, explicantium rationes incredulitatis gentilium suorum, petitas ex humili Messiæ Statu, & ex perverso judicio de probrosissimis ejus παθήμασι, quæ rationes ipsorum quoque judicio ante conversionem suam offuderant tenebras; & declarantium veras illorum Messiæ dolorum caussas: *Tertiam* denique facit

Scena hujus prophetiæ constitutæ.

a ℣. 1. b ℣. 2. 3. c ℣. 4—7. d ℣. 8—10. e ℣. 11. 12. f Cap. VI. 9. seqq. g Cap. VIII. 14. seqq. h Cap. XXIX. 10. coll. cum Cap. XXVIII. 7. i Cap. XLII. 1. seqq. XLIX. 1. seqq. k Cap. XLIX. 7. l Cap. L. 6.

Deus *Pater*, vel Chorus Prophetarum ejus nomine loquens, superiorem doctrinam confirmans, & glorioſa conſequentia ac fructus paſſionum Meſſiæ edifferens.

Analyſis ejus.

V. Juxta hanc *Scenam* conſtituenda eſt *Analyſis*, Sermone toto trifariam partito.

PARS PRIMA: Exclamatio querula *Apoſtolorum* ac *Evangeliſtarum*, de exiguo fructu Præconii Evangelii reſpectu ſpectabilioris partis Gentis, ejuſque incredulitate, ℣ſ. 1.

PARS ALTERA: qua *Chorus Judæorum* ad fidem in Dominum poſt præcedaneum errorem converſorum,

α. *Incredulitatis* illius cauſſam præcipuam repetit à perverſo præjudicio Gentis de Statu Meſſiæ humili, ejuſque παθήμασι, ℣ſ. 2. 3.

β. Veram illorum παθημάτων exponit cauſſam, *Sponſionem Meſſiæ* & expiationem Peccatorum Seminis Electi Judæorum & Gentium vi *Sponſionis* faciendam; ſimul *modum* & *ſpeciem* Paſſionis Meſſiæ, nimirum *probrum Crucis*, graphice per articulos deſcribit, ℣ſ. 4--7.

γ. *Juſtificationem* Meſſiæ, tum in *Aſſumptione* Ejus in gloriam; tum in documentis Divinæ erga Meſſiam curæ ac Providentiæ in mediis paſſionibus ejus ſingularibus; ex quibus pateſcere poterat, illum per ſe non nocentem paſſum eſſe, & perſonam ejus Deo fuiſſe cariſſimam; demonſtrat ℣ſ. 8--10.

PARS TERTIA: Oratio Dei Patris, vel Chori Prophetarum Ejus nomine loquentis, quæ myſterium Fidei in præcedentibus expoſitum confirmat, & glorioſos fructus Paſſionis Meſſiæ, tam ipſius, quam Electi Seminis ratione, declarat, ℣ſ. 11. 12.

Ἀνάκρισις veri *Subjecti* hujus Prophetiæ.

Anacriſis hujus prophetiæ, Chriſtianæ profeſſionis hominibus non valde neceſſaria.

SI prophetiam hanc per ſe ſpectes, collatam cum hiſtoria Evangelica, & cum dictis Apoſtolorum & Evangeliſtarum, Doctorum à Sp. S. illuminatorum & Fundatorum noſtræ Fidei, eandem ad Chriſtum Jeſum, ſalutis noſtræ Principem, diſerte applicantium, non uno aut altero, ſed variis locis *a*: nulla Jeſaianarum eſt Concionum, quæ minus egeat ἀνακρίσει: certe apud hominem Chriſtianæ profeſſionis. Ubi enim evidentia implementi, juncta auctoritati apud Chriſtianos irrefragabili, demonſtrant unum Subjectum κεχαραχτηρισμένον, JESUM CHRISTUM: quis tandem dubitationi aut diſputationi relinquitur locus? Imo vero Doctores noſtræ Religionis, & in iis eximius Paulus, qui Jeſaiam noſtrum expreſſit & reddidit ſub Œconomia Gratiæ, non tantum cenſendi ſunt hanc prædictionem referre ad Dominum Jeſum in locis ex hoc *Sermone* ἀυτολεξεὶ adductis: verum pertendo; illos *myſterium* paſſionum Chriſti explicantes, & vero inculcantes ac demonſtrantes, Chriſtum Jeſum *pro electis credentibus*, & *pro peccatis ipſorum*, *eſſe paſſum* & *mortuum*; *factum* ἁμαρτίαν *peccatum*, & περὶ ἁμαρτίας *hoſtiam pro peccato*; & *peccata noſtra in ſe ſuſcepta tuliſſe in crucem*; & pertuliſſe *probrum crucis*, & his parilia alia: ſemper in oculis habuiſſe hanc prophetiam Jeſaiæ; ac Spiritum S. ubi illos edocere voluit de vera cauſſa *mortis* & *paſſionum Meſſiæ*, ante Reſurrectionem Domini ab ipſis non intellecta, eos tum duxiſſe in ἀνάμνησιν *recordationem* vivam eorum quæ à Chriſto dicta, nec tamen illo tempore clare percepta, erant, (quem Spiritum ὑπομιμνήσκοντα Dominus iis promiſerat *b*:) tum ex lectione ac meditatione hujus inprimis prophetiæ intellectum illorum magno lumine colluſtraſſe, ut paradoxum hunc Meſſiæ eventum cum veris cauſſis ejus compararent, & perfecte cognoſcerent. Quid? Dominus Jeſus ipſe, quando exerte dixit *c*, *Filium hominis veniſſe*, *ut miniſtret*, *detque* ANIMAM SUAM λύτρον ἀντὶ πολλῶν, *redemptionis* PRETIUM PRO MULTIS: an non reſpexit verba ipſius hujus noſtri Sermonis, in quo SERVUS JEHOVÆ *animam ſuam* dicitur *poſiturus eſſe*, (vel, *anima ejus ſe poſitura eſſe*,) אשם HOSTIAM PIACULAREM, ut לרבים MULTIS *fieret cauſſa juſtitiæ?*

Apoſtoli in doctrina ſua de paſſionibus Chriſti Jeſu hunc locum præcipue reſpexerunt.

Et ipſe Chriſtus Dominus Matth. xx. 28.

Antiquæ Scholæ Judaicæ conſenſus.

Mos Veterum in interpretandis prophetiis.

II. Nec videtur eſſe dubium, quin antiqua Schola Doctorum in hac prophetia illuſtri viderit Meſſiam. Solebant enim Veteres eas partes Verbi Prophetici, in quibus obſervabant ſingularia quædam, inexſpectata, & inſignia attributa prædicari de *Subjecto*, ſive *Perſona*, non demonſtrabili in hiſtoria: referre ad Meſſiam, quod alibi jam obſervare memini, & obſervaſſe non pœnitebit. Nec ſane judicium illorum hic multum à vero deerravit. Utique ſuperſunt loca notabilia in illorum Inſtitutionibus, ſive Talmudicis; ſive Myſticis aut Allegoricis Commentationibus Verbi Divini, in quibus loca ex hoc *Sermone* deſumpta, ad *Meſſiam* tranſtulerunt, & de eo interpretati ſunt: jam recitata à Raymundo in *Pugione Fidei*, & recenſita (nec tamen omnia,) in *Jalkut*, h. e. Collectaneis Talmudicis & Allegoricis ad Scripturam S. factis à R. Simeone: quæ Conſtantinus L'Empereur ſubjecit Commentariis R. Abarbenelis & Alſchechi ab ipſo cum quibuſdam ſuis *Annotationibus* (prætermiſſa tamen verſione,) in hoc *Caput* editis. quæ ſubſidia haud dubie non ſpreverunt Doctiſſimi Viri, interque eos Grabius *d*, qui idem poſt ipſos obſervatum reliquerunt. Sunt autem in his eximia loca ex Gemara *Capitis* famoſi Sanhedrin, *Chelek*, quod Caput eſt *undecimum e*, in *Excerptis* Cl. Cocceji, §. XXXVI, & in *Rabboth* ad Gen. XXIV. 67. nec non ad Cap. II. 14. Libri Ruthæ; & in Zohar *f*; præter alia, quæ Raymundus Martini ex Commentariis antiquorum Myſticis ſparſim produxit, apud ipſum facile quærenda & relegenda. Quid? Judæi ipſi id non diffitentur. Raymundus ille Martini, qui omnium hic ſuperavit diligentiam licet in mediis vivens ſuorum temporum tenebris, producit *g* verba Salomonis Jarchii ad Cap. LII. 13. (quam pericopam Judæi cum hac *Sectione* connectunt, ut ſupra monui:) quibus Magiſtros conſentire ait, hanc Pericopam *de Meſſia intelligendam eſſe*. שרבי אום' דמשיח מגגע דכתיב אכן חלינו הוא נשאו וכאבינו סבלם וגו' *Ecce enim dicunt*, *Meſſiam eſſe plagis affectum*, *ut dicitur*, (Jeſ. LIII. 4.) *Vere languores noſtros ipſe tulit*, *& dolores noſtros ipſe portavit*, *& ſeqq.* Sed in *Editione Baſileenſi* Jarchii hæc verba non inveni. Utique Aben-Ezra exerte ſcribit: ורבי' פירשוהו ער' משיח בעבור שאמרו קדמונינו ז"ל כי ביום שחרב בירח המקדש גולה משיח והוא אמור בזיקי' וכו' *Rabbini autem noſtri illud exponunt de Meſſia*, *propterea quidem quod Majores noſtri b. m. dicant*, *Meſſiam natum eſſe quo tempore deſtructa eſt Domus Sanctuarii*; *ſed catenis vinctum*, *&c.* Alluditur ad locum Sanhedrin *h*, & ad allegoricam expoſitionem *Cant.* VII. 5. ubi videndus R. Salomo. Equidem Abarbenel jactat, conſenſum Veterum non pertinere ad totam pericopam, ſed ſolummodo ad *unum* illud *comma tertium decimum* Capitis LII. Sed ipſe id falſo dicit; non ſane per errorem, ſed per mendacium, contra animi ſui conſcientiam. Veterum enim teſtimonia præcipue referuntur ad Cap. LIII. cujus varia *commata* ad Meſſiam à Veteribus applicantur. Nec tamen auſim aſſerere, quod paſſim noſtri defen-

Loca ex traditionibus antiquis enota ab aliis.

Quæ Docti Viri in uſus ſuos verterunt.

A. Ezræ verba.

Exceptio Abarbenelis.

a Confer ſpecimina ex Matth. VIII. 17. Joh. XI. 38. Act. VIII. 32. 1 Pet. II. 23. 24. 25. *b* Joh. XV 26. *c* Matth. XX. 28. *d* *Notis* ad *Spicil. Patr.* Part. I. p. 362. 363. *e* Fol. XCVIII. 2. *f* Col. 379. apud Cl. Danzum in Diſſert. de hoc argumento, §. 8. *g* Vide Part. III. Diſſ. I. Cap. X. §. XIII. *h* Fol. 98. c. 2.

fendunt, & Raymundus Martini scribit [a], Jonathanem *ab isto loco usque ad capitulum quinquagesimum quartum totum persequi de Messia.* Non constat enim sibi hic Paraphrastes, & modo latius de Gente tota loquitur; modo restrictius interponit, quæ non videntur alii *Subjecto* quam Messiæ convenire: in universum autem expositionem sic accommodat ad *Subjectum*, in hac prophetia descriptum, ut quæ de humillimo & afflicto ejus statu dicuntur, tranferat ad statum ipsius gloriosum, mira quadam μεταμορφώσει. Dixeris, Talmudicos & Allegoristas in locis, quæ à nostris producuntur, loqui de *Messia* Josephi *Filio*, quem humili statu gravissime laboraturum, & infeliciter occubiturum tradunt; non de *Messia Davidis* sive *Judæ Filio*, glorioſe & feliciter regnaturo. Sed Doctissimi Viri jam evicerunt, in illis locis, quæ supra notavi, plane agi de Messia Davidis Filio. Ne jam dicam; commentum illud ætate Christi recentius de *gemino Messia*, videri posse ab ipsis fabricatum ex ipsis illis locis antiqui Instrumenti, quæ humilem Messiæ Statum glorioso ejus Statui contradistinctum deformant. Attamen est probabilior hujus fictionis ratio à Morino producta, quam in *Observatis* de hoc argumento, alibi adscripsi [b]. Persuaseram mihi quoque, nec plane depono cogitationem, Judæos, ubi apud Joannem [c] ex præjudicio quodam suo dicunt, *Messias ubi venerit, οὐδεὶς γινώσκει, πόθεν ἐστίν· neminem cognitum esse*, UNDE SIT: vel etiam alio loco [d]: *Nos audivimus ex Lege:* (h. e. Scriptura S.) *ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα·* CHRISTUM MANERE IN ÆTERNUM: potuisse respicere verba hujus *Sectionis*: ואת דורו מי ישוחח *Et* GENERATIONEM, vel ÆTATEM EJUS *quis enarrabit?* Sed nihil hic certi statuere ausim. Judæi tamen recentiores, ubi nos Veterum hic urgemus auctoritatem, contrainuntur; & è contrario proferunt loca, ex Codd. *Schekalim* [e], & *Zotah* [f], in quorum altero quod in *commate decimo* hujus *Sectionis* dicitur, *Cum robustis partietur spolium, pro eo quod animam suam profudit in mortem:* applicatur ad R. Akivam; in altero ad Mosen. Sed est illis sæpe in more, quod Cl. Coccejus hic observavit [g], ad illustranda hæc illa dicta, exempla similia adferre; salvo vero & proprio *Subjecto*, de quo in prophetia agitur. Id ipsum est, nisi fallor, quod Abarbenel alibi אסכתא *accommodationem* vocat. Nec tamen ego id vehementer urgeo, quippe qui eorum traditionibus antiquis hac mea ætate (memini enim temporis quo hujusmodi studii genere delectabar:) parum tribuam, perspecta earum vanitate; in genere vero *demonstrationis* eas nihili faciam.

De Chaldæa Paraphrasi hujus *Capitis* judicium.

Retunditur exceptio, quæ ad superiora loca videtur produci posse.

Commentum Judæorum de Messia Josephi Filio est recentius.

Judæi apud Joannem Cap. VII. 27. & Cap. XII. 34. ad locum hujus *Capitis* videntur allusisse.

Recentiorum Judæorum exceptio ad hæc loca.

Ad quam respondetur.

III. Quanti enim valeat, antiquæ Scholæ Doctores, cum viderent, Personam aliquam insignem hic χαρακτηρίζεσθαι singularibus attributis, quæ in neminem sibi ex historia cognitum competebant; hic cogitasse de *Messia*, dum interea obscurissimas & confusissimas sibi struxerunt ideas, quas cum aliis suis de Messia præjudiciis non potuerunt componere? Quis enim ferat absurda illa, quæ hic illic sparserunt; illum sedere inter *ægros* & *leprosos*; eorum *obligare vulnera*; & quidem *ad portam Urbis Romæ*, sive quæ *Romam* respicit; *mulieris capillitio alligatum*; *latere*, licet jam natus sit cum *desolato Templo*; & quæ stulta ac absona alia, non magis mystice quam Grammatice interpretanda? Dixeris, valere posse ad Judæos permovendos ad fidem Christi. Sed respondeo, primo, recentiores Doctores Gentis qui ea legunt & intelligunt, iis nihil moveri: deinde, fidem, quæ super ejusmodi vanis & vagis interpretamentis fundatur, non esse rationalem. Si Christus Jesus olim quod speramus & credimus, se Genti Judææ in gratia revelaturus est: Spiritus S. eos ducet in contemplationem gloriæ Christi Jesu cum ipsis Vaticiniis comparatæ; ut ego quidem putem, post edita quædam notabilia gloriosæ suæ præsentiæ, potentiæ & majestatis suæ specimina, in sensum hujus Gentis inferenda, quæ hoc tempore definire difficile sit. Indurata enim Gentis incredulitas & præjudiciorum obstinatio, alio modo vinci posse non videtur. Ergo cum Judæis de argumento hujus *Sectionis* disputaturus, non urgebo hanc fluxam & vagam auctoritatem; sed eam suo relinquam loco. Imo vero seponam quoque tantisper, (sit reverenter dictum!) *auctoritatem* Scriptorum Divinorum, quibus nos substrinximus fidem. Utique seponenda est in disputatione instituenda adversus Judæos recentiores, ejus nulla ductos reverentia.

Judaicarum traditionum hic est exiguum pretium.

Quod ex ipsis evincitur.

Nihil habent demonstrationis.

Converſio Judæorum

quo medio efficienda sit?

IV. Videmus, in hac prophetia *attributa* quædam paradoxa, singularia, illustria, vindicari *Subjecto* alicui *rationali*, quod in prophetia appellatur עבד יהוה SERVUS JEHOVÆ, & JUSTUS SERVUS JEHOVÆ. Quod *nomen* cum non sit διαιρετικὸν *distinctivum*: sed in plura competat *Subjecta*, & in ipsum quoque *Prophetam nostrum*: prima *Quæstio* rationalis, quæ ad hæc verba movetur, eadem est quæ Eunuchi hoc *Caput Jesaiæ* legentis ad Philippum [h]: Περὶ τίνος ὁ προφήτης λέγει τοῦτο; περὶ ἑαυτοῦ, ἢ περὶ ἑτέρου τινός; *De* QUO *dicit illud Propheta? de* SE, *num de* ALIO *aliquo?* Hic vero passim consentiunt Veteres & Recentiores, Prophetam non loqui de SE. Præterquam enim quod *attributa* Vati nostro non conveniant: manifestum est & in cujusque incurrit sensum; illum hic *prophetare* de *Servo* aliquo *Jehovæ* in futurum extituro. Quæritur itaque omnium consensu, *Quis* ille sit ALIUS, de quo Propheta vaticinetur? Nostri demonstrant MESSIAM; & quidem JESUM, Maria natum, Salvatorem nostrum, sub Pontio Pilato *passum*, *crucifixum*, *mortuum*, *sepultum*, & tertio die *resuscitatum* ex mortuis. Judæi *Recentiores* utrumque negant. Negant, inquam, hic de MESSIA agi: tum quoque de JESU *Messia*. Sed omnis disputatio fere in prius *Quæstum* resolvitur: quo definito, alterum facile consequetur. Ergo si pertendant, hic non agi de MESSIA: demonstrent *Subjectum* aliud.

Modus veræ demonstrationis hic instituendus ex *attributis*, quæ certo alicui *Servo Jehovæ* vindicantur.

Prima hic quæstio est, an Jesaias de se loquatur?

Consensus Interp. non esse Jesaiam.

Christiani hic intelligunt Jesum Christum.

V. Hoc opus, hic labor: quare non mireris, Judæos Recentiores, Scripturam S. μεθοδικῶς tractantes, hic in diversa ferri, ut modo præmonui ad Cap. LII. 13. Præcipua sententia, cui fere omnes adstipulantur, statuit; sub nomine עבד יהוה SERVI JEHOVÆ, hic descripti, intelligi POPULUM JUDÆUM (עדת ישראל COETUM ISRAELIS,) *collective* sic dictum, quatenus se conspiciendum præbet in præsenti Exilio Romano; oppressum, afflictum, durissime habitum, omniumque Gentium probris, injuriis, insultibus expositum, statu vere miserabili. Hoc ajunt esse *Subjectum* hujus *Periocpæ* à וַיַּשְׂכִּל 13. Cap. LII. usque ad Cap. LIV. Est autem hæc sententia à Judæis non heri aut nudius ficta, sed jam satis antiqua. Utique Origenes in Disputatione contra Celsum [i], postquam hunc Jesaiæ locum descripsisset, ait, *meminisse se olim in quadam cum Judæorum sapientibus disputatione* producere hanc periocopam ad eos veri convincendos; sed excepisse Judæum, ταῦτα πεπροφητεῦσθαι ὡς περὶ ἑνὸς τοῦ ὅλου λαοῦ, καὶ γενομένου ἐν τῇ διασπορᾷ, καὶ πληγέντος· *hæc prophetice prædicta esse tanquam de toto Populo, collective sumpto, qui & in Exilio est, & graviter affligitur.*

Judæi Recentiores id negantes, quale sit, dissentiunt.

Præcipue tamen demonstrant *Populum Judaum* in præsenti Exilio afflictum.

Quæ eorum exceptio jam vetus est apud Origenem.

VI. Utique non diffiteor, ex diversis hypothesibus hujus prophetiæ interpretandæ hanc *unam* esse & *unicam*, quæ in defensione caussæ desperatæ produci potest; non ajo, cum aliqua specie; & tamen minus absurde quam hypotheses aliæ. Nemo enim inficias eat, Ecclesiam Jacobidarum dici posse עבד יהוה SERVUM JEHOVÆ, & sic quoque appellari à Jesaia [k]. Quare si Ecclesiæ Populi Judæi afflictæ, sive in Exilio Babylonico; sive in afflictione Syriaca; sive in præsenti Exilio Romano; conveniant *prædicata* quæ dicuntur, *Servo* huic *Jehovæ* attributa in prophetia: nulla ratio est, hanc interpretationem spernendi. Sed sane

De ea judicium.

a l. c. b *Observ. S.* Lib. VI. Cap. XXI. *Annotat.* ad §. 11. c Cap. VII. 27. d Cap. XII. 34. e Talmud. Hierosol. Cap. V. f Cap. I. g Nota 26. ad *Excerpt. Sanhed.* Cap. XI. §. XXXVI. h Act. VIII. 34. i Contra Cels. Lib. I. p. 42. k Cap. XLI. 8. 9. XLII. 12. XLIV. 1. 2.

neutiquam conveniunt. quod mihi est demonstrandum.

Attributa huic *Subjecto* non conveniunt.

VII. Primo, universus tenor prophetiæ arguit & quemque eam legentem convincit, SUBJECTUM quod hic proponitur nomine SERVI JEHOVÆ, esse SINGULARE, sive PERSONALE, perinde ac Cap. XLII. 1. XLIX. 1. 3. L. 10. Quod si ita se habeat: corruit tota adversariorum hypothesis. Non describitur hic *cœtus personarum*, & quidem *cœtus Ecclesiæ Judææ*, complexe sumptus: sed *persona*, sive *individuum* aliquod *personale*. Sic Origenes, se effugio Judæi opponens, *multis verbis* se *coarguisse* docet, ὅτι περί τινος ἑνὸς ταῦτα προφητεύμενα ἐπ ἐυλόγως ἐκεῖνοι ἀνάγουσι ἐπὶ τὸν λαόν· *hæc quæ de* UNA ALIQUA PERSONA *dicta sunt, non recte illos referre ad totum Populum.* Expende rationes junctim sumptas. *α.* Quia in prophetia hac tota non tantum *Subjectum* ipsum notione numeri singularis designatur; verum omnia quoque *prædicata* de hoc Subjecto enunciantur *numero singulari:* cum passim in more sit Scriptoribus S. ubi *Cœtum* proponunt nomine singulari *collectivo*, ei promiscue vindicare attributa tam *pluralis* quam *singularis* numeri. Non obtinet id semper, fateor: sed passim in longiore oratione. *β.* Appellatur איש מכאובות VIR *dolorum*, ℣. 3. h. e. Persona doloribus affecta, & tribuitur ipsi נפש ANIMA, ℣. 11. *Propter laborem* ANIMÆ SUÆ, *videbit, saturabitur.* quæ notæ sunt personalitatis. Obtinet certissime illam notionem vox איש apud Jesaiam. est Hebræis *persona*, quæ sic vulgo dicitur. Confer Cap. VI. 5. XIV. 16. XLVI. 11. Idem est ἀνὴρ *Vir* in oratione Pauli [a]. Eodem pertinet quod ℣. 9. dicitur: *Et posuit cum impiis* SEPULCRUM *ejus, & cum divite fuit in* MORTE SUA. *Sepulchrum* enim & *mortem*, ubi prædicantur de *Subjecto numeri singularis:* quis alii tribuat *Subjecto* quam *singulari?* *γ.* Persona quæ hic describitur, accipi nequit de *cœtu Israëlitarum*, quia ipsa ut singularis, *cœtui* Israëlitarum contradistinguitur. Hæc summa est, & gravissima ratio. Introducitur ille, de quo agitur in hac prophetia, tanquam qui sit objectum fidei, & admirationis *multorum*, post sinistra de ipso lata judicia, idemque caussa *justificationis* ipsorum. Sic e. g. ℣. 3. *Despectus ... & defectus viris; ... despectus & NOS illum nihili reputavimus. Attamen languores* NOSTROS *ipse tulit, & dolores* NOSTROS *ipse portavit: &* NOS REPUTAVIMUS *eum tanquam divinitus percussum, & seqq.* Vides hic *cœtum credentium*, explicantem sententiam suam de *Servo Jehovæ:* quæro, Quorum hæc sit oratio? Supponimus nos, esse *Judæorum* ipsorum; idque summa cum ratione. Abarbenel, & Socii ejus, statuunt, esse orationem *Gentium*, explicantium sententiam suam de *Populo* Dei afflicto in præsenti Exilio. Sed, Estne probabile, Prophetam Gentes hic introducturum loquentes sub nomine NOS, absque ulla præcedanea admonitione, ullave nota aut charactere, ex quo discerni possent à Judæis ipsis? Estne probabile, *Gentes* talia testaturas de *Populo Judæo* ut se habet in præsenti Exilio; quæ de hoc *Populo* vere dicere & prædicare non poterant? Id mox evincam, quippe quod *exceptionem* hanc adversariorum jugulat. Sed habe interim argumentum invictum quod Origenes in eodem quem produxi loco, ait se subjecisse Judæo contra disputanti, ex ℣. 9. ubi dicuntur *Populus Dei.* Sic exerte Vates: *Propter transgressionem* POPULI MEI *ipse plaga affectus est.* Adeo verum, modo illud certo teneas, ubique pellucet.

Singularitas personæ evincitur variis argumentis.

Distinguitur à Cœtu Israëlitarum.

Exceptio Judæorum hic refellitur.

Attributa, enunciata de *Subjecto* prophetiæ, non competunt in Populum Judæum.

VIII. Ajo itaque *Secundo*, Attributa hic enunciata de *Subjecto* Prophetiæ, non convenire Populo Judæo, in præsenti Exilio Romano: de alio autem hic cogitari non posse, ipsi largiuntur. *Subjectum* prophetiæ est JUSTUS; (℣. 11.) crimine purus; qui nullam unquam exercuit *violentiam*; nihil perpetravit iniquum, & in cujus *ore non fuit dolus*, (℣. 9.) & qui cum durissima & gravissima quæque *passus sit:* non utique passus sit *propter peccata* SUA, sed ALIORUM; quæ *peccata* ipsi in pœnam à Deo *Judice* & *Vindice* peccati imposita erant: (℣. 5. 6.) ut adeo alii illi, *pro quibus passus esse* dicitur; habendi respiciendique sint tanquam *caussa* passionum ejus, non *physica*, sed *moralis*; Deo Judice, & Vindice Justitiæ suæ, crimina ab aliis commissa ipsi imponente, & ab ipso pro iis exigente pœnam. Hæc vero, quo pacto cum ulla specie rationis applicentur ad Populum Judæum in præsenti Exilio? An non constat, eos in hoc Exilio ferre eadem illa mala, easdem illas calamitates & afflictiones, quas Deus iis tanquam Fœderis sui transgressoribus interminatus fuerat per Mosen, integris *Sermonibus* in *Levitico* [b], & *Deuteronomio* [c]? Unquamne Deus ipsos se *puniturum* dixit, nisi propter peccata & transgressiones *suas?* Nonne ipsi ubique fatentur, tam Talmudici quam Commentatores, (quod multis locis ipse Kimchius:) Messiæ adventum differri propter peccata sua, & non præstitum ex Lege officium veræ Resipiscentiæ? Estne probabile, ipsos ferre *peccata Gentium?* vel, an id consistit cum rationibus Justitiæ Divinæ? Imo vero, an non liquet ex historia, majores illorum propter detestabilem impietatem, & atrocissima scelera, (sepositio etiam nunc crimine omnium gravissimo in Messiam, & Discipulos ejus commisso:) objectos esse Romanis tanquam executoribus vindictæ Divinæ? Quid itaque applicent hanc prophetiam ad Gentem suam qualis est in præsenti Exilio? Equidem Abarbenel cum videret, quosdam suos Gentiles absque ratione dicere, Judæos in hoc Exilio *ferre peccata Gentium*, (quippe quod vere dictu est absurdum:) Jesaiam sic interpretatur, veluti *Gentes* hic faterentur, se in culpa esse quod Gens Judæa tam graviter sit afflicta; suum videlicet odium in hanc Gentem, suam invidiam, malitiam, & petulantiam. non agi enim hic de *caussa morali* afflictionum Judæarum; sed de *caussa physica*, sive *efficiente*. Pessime profecto. Mera desperatio hominem huc adegit. Omnes phrases, quibus Vates hic utitur, subjiciunt nobis hanc cogitationem; peccata & crimina eorum, qui suam hic de *Justo* Dei *Servo* confessionem & fidem explicant, esse *passionum*, dolorum, & *mortis* ejus caussam *moralem*, sive *impulsivam:* ut [d], *Morbos nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse bajulavit* [e]. *Ipse confossus est* PROPTER *transgressiones nostras: contritus est* PROPTER *peccata nostra* [f]. *Deus* INCURRERE IN IPSUM FECIT *iniquitates omnium nostrum* [g]. *Exigebatur*, (vindicta) *& ipse afflictus est* [h]. *Si posuerit anima ejus* SACRIFICIUM PRO PECCATO. quæ deinceps repetuntur [i]. Quare ipse esset caussa *justificationis ipsorum* pro quibus hæc probra, dolores, mortem, sustinuerat [k]. Vel sensus omnis, & cum sensu pudor exuendus est: vel fatendum, hic agi de *caussa morali* & *impulsiva passionum* ejus qui hic appellatur justus *Servus* Jehovæ. Et sane Abarbenel, mox interpretatus *Servum Jehovæ* de *Josia*, phrases hasce omnes ipse, versa sententia, de *caussa morali* interpretatur.

Judæi hoc tempore patiuntur propter *sua*, sed propter aliorum *delicta:* qui alii sunt caussa passionum ejus, non *physica*, sed *moralis.*

Judæi hoc tempore patiuntur propter delicta *sua.*

Abarbenelis exceptio: Gentes hic proponi non ut caussam moralem *Subjecti patientis:* sed physicam.

Quæ ex ipsa prophetia refellitur.

IX. Ergo eo ventum est, ut sub *justo Servo Jehovæ* cogitandum sit de *Subjecto* aliquo *singulari.* Idque sane ipsi Intt. Judæi alii, qui à communiore sententia Gentis suæ divortium faciunt, & ipse quoque Abarbenel, se ipse deserens, nobis largiuntur. Quæritur, quali? si à *Messia* discedas. Jesaiam ipsum nemo hic producit; licet eum in locis huic vere parallelis Cap. XLII. XLIX. L. sub notione *Servi Jehovæ* intelligi velint. Sic scripseram: & tamen Brenius leviculam ejus mentionem injecit; mox serio se convertens ad Messiam. Sed Saadja Gaon oculos conjicit in *Jeremiam*; quam sententiam ut *pulchram* commendat Aben-Ezra, licet eam non sequatur: potuitque à se impetrare Vir illustris, Hugo Grotius, ut huic hypothesi subscriberet; licet sublimiorem aspectum Messiæ non respuat. Abarbenel, integro relicto typo prioris expositionis, sub-

Consequens est, in hac prophetia agi de *Subjecto singulari.*

Nemo prater Breniu hic cogitat de *Jesaia:* sed R. Saadj de Jeremia

[a] Act. XVII. 31. [b] Cap. XXVI. 14. seqq. [c] Deut. XXVIII. 15. seqq. XXIX. 19. seqq. XXXII. 1. seqq. [d] ℣. 4. [e] ℣. 5. [f] ℣. 6. [g] ℣. 7. [h] ℣. 10. [i] ℣. 11. 12. [k] ℣. 11.

Abarbenelis & Alschechi hypotheses.

subdit ei alterum de Josia. Alschechus, qui in Cap. LII. 13--15. per *Servum Jehovæ* intellexerat *Messiam*: Personam, quæ in hoc *Capite* à ℣. 2. describitur, interpretatur de *persona* quaque *justa*, ἀορίστως *indefinite* sumpta, quæ propter aliorum peccata & iniquitates multa necesse habet perferre, cujusmodi exemplum editum est in *Mose* ad quem refert ℣. 9. & seqq. Et quidem Alschechi hæc sententia plane abludit ab omni specie rationis. Primo enim, nemo non agnoscit, & Hebræi consentiunt, in hoc *Capite* eandem describi personam, quæ Cap. LII. 13. venerat sub nomine *Servi Jehovæ*; quæque eodem nomine etiam in hoc ipso *Capite* appellatur, ℣. 11. Edit itaque manifestariam confessionem suæ ἀπορίας, qui in aliam hypothesin concedit. Dein, cum quisque Sectionem hanc legens observet, Jesaiam tam definite, graphice, characteristice, eam describere personam *Justi*, quam ante oculos habet: estne probabile, illum *indefinite* loqui de *Justo* quolibet *Servo Dei* misero, vitam suam donante Reipublicæ? Quanto autem falsius est, hic cogitare de *Mose*, tanquam ejusmodi *Justi* Dei *Servi* typo? Quis enim non videt, Jesaiam hic agere Prophetam, non Historicum; *vaticinari*, non *docere*. Ne jam dicam, nec attributa, nec consequentia *passionis* hujus *Justi*, (utraque characteristica,) *Justis* Dei *Servis*, Prophetis aut Regibus, quadrare. *Unus* tantum *Servus Dei Justus* est; *unicus* inquam, in quem hæc attributa competunt.

Alschechi *justum quemque* intelligentis, sententia refellitur.

De aliis absurdis suppositionibus judicium.

X. Et tamen hypothesis hæc, licet à ratione remotissima, vel sic præferenda est sententiis modo recensitis, quæ hic *Jeremiam*, vel *Josiam* Regem, demonstrant. Abarbenel se mirari dicit, Aben-Ezram hypothesin de Jeremia laudare ut *pulchram*; non *videre* enim se quæ *species* aut *pulchritudo* in ea hypothesi sit. Verum est, nihil hic alienius & absurdius cogitari posse. Cum enim *attributa* hujus *Servi Jehovæ* Jeremiæ non conveniunt: tum neutiquam probabile fit, Jesaiam, Prophetam illustrem, & Jeremiæ parem, imo ipso majorem, tam graphice de ortu & ministerio Jeremiæ vaticinaturum esse; & quidem cum in præcedentibus nulla nota, nullum vestigium extet Jeremiæ? Pudori est, Grotium, tanti ingenii Virum, tam immani paradoxo assensum esse, olim ipsum quoque nobiscum hic agnoscentem Jesum Christum, eumque solum *A*. Perspexit Vir Illustris, si Christum Jesum hic *directe* & absque *typo* aut *tegmine* propositum diceret: se in prophetiis analogis, in quibus de *Servo Jehovæ* agitur, non posse hunc defugere sensum, & interpretandi modum. Interim res est digna admiratione; hominem animo & professione Christianum nolle videre *Christum Jesum* in Verbo Prophetico. Viderit ipse. Sententia Abarbenelis de *Josia* nihilo melior est, nec plus speciei habet; quin vere ipsa quoque absurda est, ob easdem rationes quæ adversus Jeremiam faciunt. Prodidit hic Magister incertitudinem suam, & desperationem. Qui historiam Josiæ Regis legisti in Scriptura S. vide, recognosce, judica, num quicquam sit in persona ejus, & eventu, quod ad hunc *Servum* Dei *justum* applices? an respondeant consequentia? Ipsi mihi succenseo, quod plura hac de re scribam, cum certo propositum sit, non disputare nisi de *probabilibus*. Ergo, Judæe incredule, si hic vere hæreas, ut facis, & ubique impingas: ingredere tandem post tot sæculorum errores viam rectam: pone præjudicia inveterata: inspice & considera historiam JESU, ejusque extremorum, accurate perscriptam in Evangeliis, & deprehendes ibi omnes lineas & characteres illius JUSTI Dei SERVI, qui in hac prophetia pingitur. quos si deprehenderis, *da gloriam Deo & veritati*; *crede* in Dominum Jesum; &, si *toto credideris animo*, *baptizator* cum *Eunucho*; & *viam* tuam *ibis* cum *gaudio* *a*. Sic fidenter loquor: cæteroquin nullus est exitus. Quæ enim Aben-Ezra & Abarbenel adversus nostram hypothesin produxere, demonstraturi, eam *Jesu Christo* non convenire; quæsita sunt omnia, & in erroneis de nostra doctrina perceptionibus fundata, in interpretatione nostra discutienda, si tanti fuerint.

De Illustri Grotio admonitio.

Ejus ratio.

Sententia Abarbenelis de Josia alienissima à ratione.

Apostrophe ad Judæos incredulos.

Qualis ea sit; designati hic *Jeremiam*.

PARS PRIMA: *Exclamatio querula* & admirabunda Apostolorum & Ministrorum Evangelii de *incredulitate* spectabilioris Partis Gentis Judææ.

Pars prima: *Exclamatio querula* de exiguo *profectu* Evangelii inter Judæos, quæ est *Præconum* Evangelii, ℣. 1.

℣. 1. *Quis credidit* PRÆDICATIONI NOSTRÆ; *&* BRACHIUM JEHOVÆ *cui revelatum est?*] Oratio est querula, & admirabunda, non Dei, sed Præconum Evangelii, Apostolorum & Evangelistarum, incredulitatem spectabilioris partis Gentis Judææ comparantium cum fructu Evangelii inter Gentes, de quo Vates proxime vaticinatus fuerat. Sic *οἱ ὁ.* recte acceperunt sententiam Prophetæ, ubi παραφραστικῶς addiderunt, Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; DOMINE, *Quis credidit præconio nostro*, *& seqq.* quare Apostoli, Joannes *b* & Paulus *c*, hanc versionem retinuerunt. Cadit autem proprie in illud tempus, quo incredulitas honestioris & majoris partis Populi Judæi, & præcipue Hierosolymitani, jam facta erat manifesta; cujus incredulitatis cum jam extarent clarissima indicia & præsagia in exiguo fructu Ministerii ipsius Christi Jesu inter Judæos, ob judicium Divinum superbis hisce Evangelii contemptoribus incumbens: Joannes hæc verba verissime ad primam illius incredulitatis manifestationem ex Propheta nostro demonstrandam adduxit. Præstruitur autem querula hæc exclamatio sequenti prophetiæ de humili ortu & statu Messiæ inter Judæos, ejusque diris παθήμασι, ut *Chorus Judæorum conversorum*, (sive Propheta, qui eum loquentem introducit,) ex ea captaret occasionem de illo argumento differendi. Tota vero hæc *Sectio* facit ad propositionem de *Exinanitione* & *Exaltatione* Messiæ, in extrema pericopa Cap. LII. 13--15. illustrandam, ut jam præmonui in superioribus. Quibus animadversis, pauca ad propiorem sententiæ intelligentiam adscribam. Et quidem primo, in verbis, *Quis credidit* τῇ ἀκοῇ ἡμῶν AUDITUI NOSTRO: absque ulla hæsitatione per שמועה ἀκοὴν *auditum*, intelliges ipsum PRÆCONIUM Evangelii. quæ genuina est vocis notatio, à Paulo diserte confirmata. Quod enim Jesaias hic vocat ἀκοὴν *auditum*: ipse interpretatur per EVANGELIUM *d*. *Auditus* hic est *doctrina*, à Doctoribus publicis clara voce proposita, & ab auditoribus aut discipulis *audita*, sive auribus excepta. Sic Jesaias usus fuerat hac voce Cap. XXVIII. 9. *Quem docebit* SCIENTIAM, *& quem faciet percipere* שמועה AUDITUM, doctrinam? Inde Evangelium Paulo λόγος ἀκοῆς *Sermo auditionis* *e*; & ἀκοὴ πίστεως *doctrina fidei* *f*. Græcis quoque ἀκοὴ *est id quod auditur*, *fama*, *rumor*, ut & *auditio* Latinis. Cæsar ubi de indole Gallorum *g*, *His rumoribus atque* AUDITIONIBUS *permoti de summis rebus sæpe consilia ineunt*. Eadem quoque notatio est vocis Hebrææ שמועה. Habent autem *fama* & *doctrina* id inter se commune, quod sint res quæ audiuntur: etsi *fama* aut *rumoris* notio hic usum non habet. Non sperno tamen, licet non vehementer urgeam, hoc in loco eam significationem vocis שמועה ἀκοή, qua sumitur pro *nuncio* ἀγγελία, quippe utique *doctrina* de qua hic agitur, est ἀγγελία *annunciatio*, (בשורה, ut Chaldæus hoc loco,) ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ, ut Vates eam descripserat Cap. LII. 7. Sed regnat ubique in significatibus vocum principalis aliquis, à Scriptoribus S. intentus, faciendumque est,

Per שמועה hic loci intelligendum est *præconium Evangelii*.

Notio explicatur, & illustratur ex analogis.

Respondet ei vox *auditio*.

Potest quoque ei convenire notio *nuncii*.

Cui tempori hæc querela conveniat?

Quem usum hic habeat Exclamatio?

a Act. VIII. 35--39. *b* Evang. XII. 38. *c* Rom. X. 16. *d* Rom. X. 16. *e* 1 Thess. II. 13. *f* Gal. III. 5. *g* De *Bell. Gall.* Lib. IV. 5.

A Sic ipse de *Ver. Rel. Christ.* Lib. V. ad p. 118. ad hoc *Caput* à se citatum. Et in Notis ad Joan. Cap. XII. 34. *Nos audivimus ex Lege, Messiam manere in æternum*: sic scripsit: *Quæ ad evectionem Messiæ pertinent, diligenter annotarunt Magistri illorum temporum: cæci ad ea quæ de præviis ejus passionibus dicebantur, tum alibi, tum maxime Es.* LIII.

Doctus aliquis Int. hic notatus.

est, ne eum perdamus; quod dubitem num evitaverit incommodum Alexander Morus, (quem unum hic nunc appello,) varia eaque diversi generis, genuinas notiones magis obscurantia quam illustrantia, inter se permiscens. שמועה *akoή* hoc in loco est *Doctrina* clare proposita, ut facile *audiatur*, h. e. ipsum Evangelii præconium. Idem hic intelligitur per *brachium Jehovæ*. Est enim Evangelium Christi POTENTIA DEI *ad salutem* CUIVIS CREDENTI. Sic Apostolus [a], hunc ipsum locum ut videri queat, respiciens. Est, inquam, *medium* & *instrumentum* unicum quo Deus utitur in hominibus convertendis; videlicet, si Verbo huic Gratiæ adjungat invictam virtutem sui Spiritus hominem peccatorem tam valide afficientis, ut eum huic Verbo subjiciat ad *fidem* & *obsequium*. Verum cum operatio illa Spiritus S. sit insensilis; Verbi autem præconium incurrat in sensum: *effectus* populari sensu tribuitur huic medio. Sic Scriptor ad *Hebræos* [b]: EFFICAX *enim est* SERMO DEI, *& penetrantior quovis gladio ancipiti, & seqq.* Est in Verbo Divino, & præsertim in Verbo Gratiæ, recte applicato ad animum hominis, potentissima *vis* demonstrationis ad conscientiam quæ vis non est humana, sed *Divina*. Spiritus S. interim, intentus hominis conversioni, *cum* & *sub* hujus Verbi rationalis & amabilis lectione aut præconio influit in animum; eumque *aperit*, *illuminat*, movet, inflammat, ut homo *perspecta* hujus Verbi amabilitate & rationalitate cum humillimo *obsequio fidei* hoc Verbum Gratiæ admittat; salutem sibi oblatam gratus acceptet; seque reverenter submittat *sceptro Christi Jesu*, ad obsequium omnium mandatorum ejus. Hic actus complexe sumptus, stylo sacro dicitur *credere Evangelio* [c]: Paulo [d] hunc locum interpretanti, ὑπακούειν τῷ Εὐαγγελίῳ *obsequi Evangelio*. Ubi autem *Virtum Gratiæ*, affectum à virtute Divina Spiritus S. hanc *vim* exerit apud animum hominis, ut *fidem* hanc, nobilissimum fructum & effectum, in eo generet ac producat: *brachium Jehovæ ei revelari* dicitur. Phrasis est mystica, Sanctis nota, Vulgo non intellecta, ad quam necessaria monui in exponendis locis Cap. LI. 5. LII. 10. Videri posset sub notione *brachii Jehovæ* simul alludi ad *miracula*, Præconio primorum Verbi Ministrorum juncta. Nolim præfracte negare: certe Joannes Cap. XII. 36. 37. videri posset illuc alludisse. Censeo tamen id primum & præcipuum esse, quod adduxi.

Brachium Jehovæ hic idem significat.

Ratio illius appellationis producitur, & declaratur.

Actus *credendi* hic memoratus describitur.

Brachium Jehovæ quid sit?

Cæterum quod attinet ad modum *propositionis*, conceptæ per *interrogationem*: QUIS *credidit*, *&c.* si *stricte* accipiatur, ut in multis locis, significare debebat *negationem*: sed sermone populari, & sacro quoque, ejusmodi propositiones exclamatoriæ paulo latius sumptæ, designant *paucitatem*, & pene *nullitatem*, ejus de quo sermo fit. ut apud Vatem nostrum in loco huic plane analogo, Cap. XXVIII. 9. QUEM, *doceret scientiam?* QUEM *faceret percipere* AUDITUM, h. e. præconium Evangelii? Cap. XLII. 23. Quis *inter vos id in aures suas admittit*, *&c.* Prov. XX. 6. *Virum bonæ fidei* QUIS *inveniat?* Docetur, paucos & paucissimos esse ejus generis. Apostolus, hunc locum exponens [e]: NON OMNES *auscultarunt Evangelio. Jesaias enim dicit*, *Domine*, *Quis credidit sermoni nostro?* Est mitissima interpretatio, menti Prophetæ conformis. Et tamen non respuit rigidiorem expositionem. Intelliges itaque, α. Jesaiam vere loqui de *Judæis*, nullo respectu habito ad *Gentes*, Evangelio auscultaturas: imo vero de *Judæis* quatenus oppositi & contradistincti sunt *Gentibus*, ut liquet ex *extremis Capitis superioris* cum hoc *commate* collatis: quod Procopius docte observat. β. Non loqui illum de *Judæis* omnibus: initio enim temporis gratiæ Hierosolymis, in Judæa, Galilæa, Samaria, Idumæa, Arabia, & ἐν ταῖς διασποραῖς Gentium, bene multi nomina dederunt Christo, quorum Jesaias ipse mox faciet mentionem: sed de *Judæis* spectabilioris & honestioris ordinis; Pontifice, Synedris, Sacerdotum Principibus, Proceribus, & dignitate Politica aut Ecclesiastica eminentibus hominibus. *Turba credentium* in Christum constitit maxime hominibus *tenuioris conditionis* & *gregariæ sortis*; quos Prophetæ עמי *Populi*, דלים *tenues*, *Populi* vocant, ut satis notum. Vide Cap. XI. 4. estque probabile, *Sacerdotes*, qui Evangelium receperunt bono numero [f], ipsos quoque passim fuisse gregarios. Sic Joannes nos docuit hunc locum interpretari, ubi postquam dixisset [g]: *Quum autem tot signa coram iis edidisset*, *non credebant in eum*; idque confirmasset ex hoc loco Jesaiæ, & ejus rei rationem explicuisset, ex eodem hoc Libro Cap. VI. 9. subdit: *Veruntamen etiam* EX PRIMORIBUS *multi crediderunt in eum*; *sed propter Pharisæos non profitebantur*, *ne ejicerentur Synagoga*. De his itaque loquutus erat, non penitus, sed pene, persuasis. Res erat dolenda; nec minus admiranda; quem utrumque *affectum* hæc interrogatio innuit. Certe explicari non poterat nisi ex tremendo Dei judicio, in quod *superbi* hi *Sapientes* inciderant, à Vate iis denunciato in illustri illo Viso, quod in superioribus [h] declaravimus.

Modus propositionis, per *interrogationem* conceptæ, quid hic sibi velit?

Primo significare potest *paucitatem credentium*.

Exempla analoga.

Verba non respuunt severiorem expositionem, ut involvant *nullitatem*.

Respectu *spectabilium* hominum Judæa Gentis.

Locus Job XII. 37.

Interrogatio est *admirantium & conquerentium*.

PARS ALTERA. Chorus Judæorum, ad fidem in Dominum conversorum,

α. Explicat caussam *incredulitatis*, humilem Messiæ *ortum*, *statum*, παθήματα.

(a.) De *Humili* ejus *ortu*.

℣. 2. *Atqui ascendit tanquam* SURCULUS *coram eo*, *& tanquam* RADIX, E TERRA SITICULOSA.] Adest Chorus Judæorum, ad fidem in Dominum conversorum, superiori ἐκφωνήσει querulæ & admirabundæ succinens, qui Judææ Gentis homines cum ipsi quoque fuissent inter eos *multos* qui *stupuerant* ad Christi Jesu exteriorem aspectum & apparentiam, nunc illuminati à Spiritu & credentes, explicant caussam proximam prioris sui, & Gentis suæ, *stuporis* & incredulitatis, videlicet præjudicia siniſtra à se Gentilibusque suis hausta ex vilitate personæ & status Messiæ, ejusque gravissimis passionibus. Non est hæc nostri ingenii meditatio: sed auctoritatis Petri, qui in Epistola ad *Judæos converſos* post descripta verba plura ex hoc *Capite* de *Passione* Domini, ejusque caussis, subjungit [i]: *Nam* ERATIS *velut oves errantes*, (respicit ℣. 6. hujus *Capitis*,) *sed nunc* CONVERSI ESTIS *ad Pastorem & curatorem animarum vestrarum*. Sed ipse contextus arguit hanc hypothesin. Id animadversum sequentia omnia perfundet luce; cujus argumentum primum habemus in genuina interpretatione præfixæ ו in voce ויעל ET *ascendit*. Non videtur nexus esse ullus inter hæc verba & *comma* superius: nec sane est, nisi hic introducas novas personas loquentes. Ergo, vel dicendum est, *vacare* hoc loco *præfixam* ו, & solummodo habendam esse pro ו *exordiali*: (quod, fateor, dictu non est absurdum, cum plura sint exempla hujus generis:) vel statuendum, orationem hanc esse Judæorum, non ita pridem cum cæteris *errantium*; sed nunc *conversorum* ad Dominum, explicantium suæ Gentisque suæ ἀπιστίας caussas, atque adeo incipientium sermonem suum à præfixa ו significatione *Exceptivi*, vertendaque per *atqui*: quam inter alias notationes plures *præfixam* admittere Cl. Coccejus alibi [k] docte observavit, & adstruxit. *Atqui* ajunt, videbatur esse caussa. *Ascendit* enim *tanquam surculus*, *&c.* Initium faciunt ab ortu & pueritia Christi: inde *Statum* ejus *exteriorem* describunt, quem sustinuit post *tricesimum* ætatis suæ annum, & desinunt in *passionibus*. Ad *ortum* & initia *Domini* hæc verba referenda sunt quæ descripsi. Extant ad ea, ut & ad alia hujus *Capitis*, vagæ & incertæ hariolationes quorundam Intt. qui hanc *Sectionem* sibi exponendam sumpserunt, in ejusmodi etiam rebus in quibus oculus rectus nihil obscurum aut dubium videt; à quibus quantum pote mihi cavebo, simplicem & clarum Prophetæ sensum tradere contentus.

Pars altera Chorus credentium

α. Explicat caussam incredulitatis Judæorum, ex humili Messiæ Statu.

(a.) Quo ad ejus *ortum*, ℣. 2.

Esse hanc orationem Chori Judæorum credentium probatur ex 1 Pet. II. 2.

Favente contextu.

Quod demonstratur etiam ex hoc *commate*, quod cohæret cum priori per præfixam ו

Quæ hic & vertitur per *atqui*.

Ordo narrationis à Choro instituæ.

Hoc *commate* primo ortus ejus describitur.

Ver-

---

a Rom. I. 16. b Heb. IV. 12. c Marc I. 15. d Rom. X. 16. e l. c. f Act. VI. 7. g *Evang.* Cap. XII. 37. h Cap. VI. 9. &c. i 1 Pet. II. 25. k In *Lex.* ad Lit. ו. §. V.

Et quidem figurate, metaphora à surculo desumpta.

Verba Vatis *ortum* Messiæ describunt figurato & emblematico dicendi genere; metaphora sumpta à *surculo* ex trunco nascente *in terra siticulosa:* ad quorum intellectum id unum maxime observandum est; utrumque membrum sententiæ cohærere cum extremo ארץ ציה *in terra siticulosa.* Prius enim, *Atqui ascendit ut surculus*, si separetur ab extremo *è terra siticulosa*; nullum singulare attributum Messiæ exhibet. Quotquot enim sunt *muliere nati*, & excrescentes in ætatem, *ascendunt ut surculi.* Ergo id vult dicere, *ascendere illum* ut *surculum è terra sitibunda:* quod idem in altero membro fortius effert, ubi addit, *ascendere* ut *radicem, è terra sitibunda.* Vox ינק, quam per *surculum* reddimus, eadem Hebræis quoque valet *sugentem, lactentem, tenellum*, quomodo eam hic acceperunt Aq. & Theod. Sed analogia metaphoricæ locutionis hujus sententiæ requirit *surculum, stolonem, virgultum*, ut Hieron. κλάδον *Ramum*, ut Symmachus: etsi si sensum sententiæ spectes, res fere eadem sit. Idem plane hic intelligendum per שרש *Radicem. Radix* enim hic nec significat *truncum*, ex quo βλαστήματα *germina* & *stolones* efflorescunt; neque *radicem* ex trunco deorsum *missam*; quia neutri notioni convenit τὸ *ascendere*; sed notat βλάστημα, virgultum, stolonem, ramum, qui ex *Radice* enascitur, metonymico dicendi genere, in Sacris satis usitato. *Radix* enim dicitur communi significatione vocis quicquid è *trunco* emittitur. Sic Paræmiastes *a*: RADIX JUSTORUM *dabit.* sc. fructum. Videlicet *arbor* ipsa sive *rami* & *surculi* qui ex *radice* enascuntur. Vates noster *b*: RADIX *Isai stabit in signum Populorum.* שרש ישי *Radix Isai*, primo sensu היוצא משרש ישי *Qui progreditur ex Radice Isai*, ut Kimchius recte. Sed subest quoque loco sensus arcanus, quem ibi declaravi. Rursus *c*: *Et occidam fame* RADICEM TUAM, *&* RELIQUUM TUI *interficiet.* Reliquias tuas. Nec nego tamen, hujus etiam loci alium posse esse adspectum, ut & paralleli Cap. v. 24. Sed hic noster nullam admittit dubitationem. Cum tamen Vates noster nihil non ἐμφατικῶς efferat, & omnes ejus voces & phrases sapientissimo libratæ sint judicio: non est dubium, quin voce שרש *radicis* hic potius usus sit quam alia analoga ob potestatem significationis. *Radix*, sic proprie dicta, id commune habet cum *stolonibus* & *ramis* qui ex *trunco* nascuntur, quod sint propagines *trunci* & *stemmatis:* sed in eo à ramis & stolonibus differt, quod careat foliis, fronde, decore, quæ *stolonibus* aut *surculis* ex trunco in terra fertili ac irrigua enatis, adsunt. Quandoquidem vero hic in emblemate exhibet surculum, stolonem, βλάστημα, enatum ex *trunco* in terra arida, sterili, sitibunda: eundem scite vocat *radicem*, quod stolo, flore & fronde viridi destitutus, magis *radix* videatur quam *stolo* aut *surculus.*

Vox *Radix*, & ejus notatio.

Cur Jesaias hic usus sit voce *radicis*?

Sensus sententiæ, qui figuræ subest, latius declaratur & exponitur.

Hoc animadverso, nihil in emblemate est quod non à quoque facile intelligitur. Vult enim dicere Chorus, Christum Jesum *prodiisse statu paupertino*; re tenui; familia quidem & domo honestissima ac nobilissima, sed hoc tempore depressa, afflicta; nullum ostentante decus; nulla dignitate conspicua: perinde ac in *superioribus* dixerat, proditurum illum esse *instar surculi* ex *trunco succiso Isai d*. Ut enim soboles in locis aridis & defectis, nulla irriguis aqua, erumpens, nihil lætum & frondosum præfert; nihil magnum de se promittit, cum succus ei & nutrimentum desit: sic Dominus noster Bethlehemi natus, secundum exter-

Humilis Messiæ ortus, de quo necessaria monentur.

nam speciem suam, nihil nisi mediocre præferebat; nihil in ejus natalibus singulare, nihil magnum & magnificum; nisi quod ex *virgine* prodiret: sed quod ignotum vulgo. *Domus Davidica*, cujus obscurissima post Reditum ex Exilio historia est, id temporis plane erat neglecta; concesserantque hujus prosapiæ superstites, Assamonæorum, ut dein Herodis Regis invidiam fugientes, in *Galilæam*, nullis fulgentes honoribus, neque opibus aut facultatibus magnis succincti: etsi honeste vitam sustinuerint, ut ex historia Lucæ liquet. Quin natales ipsius non modo nihil habuerunt splendidum, & singulare: verum videri posset Dominus in ortu suo minus curæ fuisse Deo, quod partus Mariæ in eas constrictus fuerit circumstantias, ut absque gravissimis incommodis eo defungi non potuerit. Id vero ipsum est quod hic dicitur, prodiisse illum tanquam *surculum* & *propaginem* ex *terra siticulosa.* Quærunt Interpretes & disputant, quid hic intelligendum sit mystice per terram *aridam, sitibundam*; demonstrantque hic alii *Populum Judæum*; alii *Bethlehemum A* aut *Galilæam:* Veteres vero *uterum Mariæ.* Verum potuissent Docti Viri intelligere, *terram siticulosam* in hoc loco nihil per se significare; sed *terram aridam* hic respiciendam esse ut attributum *trunci, stirpis, stipitis*, qui hic supponitur. *Stirps* aut *truncus* terræ aridæ ac sitibundæ non est succulentus; nullas vires vimque habere censetur ad exhibendam sobolem quæ in magnam arborem excrescat. Si emittat propaginem: nullam pene ei frondem ac virorem addit; nullo circumdat ornatu; nullam aliis spem facit magni hujus sobolis incrementi: ut adeo *truncus terræ aridæ* hic idem valeat quod secundum aliam metaphoram *truncus accisus*, succisus. Quod de *Utero Virginis* dicitur, se apud indoctos prima specie commendat: sed præter rationem. Nativitas enim Christi ex *virgine* ipsi fuit gloriosa; & si à Judæis agnita esset, ipsis subministrasset argumentum fidei; non vero præjudicium incredulitatis. Ne dicam, *surculum* hic non supponi immediate proditurum ex *terra arida*; sed ex *trunco* aut *stipite*, qui hic est Domus Davidica, *in terra arida* latente *B*. Ita est; & tamen, si hominibus humili hac conditione lateret: non latuit Deo. quò pertinet, quod dicitur לפניו *coram* IPSO. sc. Deo. ἐνώπιον αὐτοῦ. *Relativum* hic est explicandum ex nomine ejus quo appellatur *Servus* JEHOVÆ *e*. Cæteris ignotus; sed notus Deo, qui omnes circumstantias ortus ejus, tanquam personæ quam sustineret convenientissimas, consilio suo circumscripserat, quique eum per Pastores Bethlehemitis & Sanctis qui Hierosolymis erant, manifestum fecit: etsi cum deinceps Jesus infans translatus sit in Ægyptum, atque inde in Galilæam, rumor de ipso sparsus, evanuerit. Lucas *f*: *Jesus autem proficiebat sapientia & statura ac gratia* παρὰ Θεῷ APUD DEUM, *& homines.* Petrus Jesum *lapidem* fuisse ait *ab hominibus quidem reprobatum*, παρὰ δὲ τῷ Θεῷ ἐκλεκτὸν, ἔντιμον· APUD DEUM *vero electum pretiosum g*. Sed rectius huc refertur phrasis ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Deo præsente, providente, & probante natus est; Deo præsente ac providente crevit puer, & adolevit. ab hominibus despectus; Deo carus: quod Chorus credentium postmodum intellexit. Vide usum phrasios לפני יהוה ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Eccles. II. 26. 1 Pet. III. 4. Confer hic Prov. VIII. 30.

Circumstantiæ nati Domini hic notatæ.

Quid hic intelligendum per *terram siticulosam*?

Veterum cogitata.

Dubium expeditur.

Nativitas ex *Virgine* Christo fuit *gloriosa.*

Emphasis dicti, *Coram eo.*

Quorsum hic referendum *relativum*?

Christus Jesus humili Statu suo esset notus Deo.

Locus Lucæ, Cap. II. 52. huc allatus.

Alia expositio convenientior.

(b.) De *Statu* ejus.

(b.) Quod

℣. 2. med. *Nulla ei erat species, & reverentia*, UT

---

a Prov. XII. 12. *b* Cap. XI. 10. *c* Cap. XIV. 30. *d* Cap. XI. 1. *e* Cap. LII. 13. & hoc *Capite*, ℣. 11. *f* Cap. II. 52. *g* 1 Cap. II. 4.

A Alex. Morus. *De terra* BETHLEHEM *non minus concinne terram siticulosam intelligas! fuit enim ager ille siticulosus, teste Strabone,* ἄυδρος καὶ ὑπόκενος. Quam imperite! Potuisset enim scire Vir Doctus ex omnium Veterum & Recentiorum consensu, & ex ipsis nominibus *Bethlehem* & *Ephrata*, Agrum Bethlehemiticum fuisse feracissimum & fertilissimum; & Strabonem, quæ de tractu Hierosolymitano dicit, nec satis perite scripsisse cum aliis quæ de Palæstina tradit; nec ad Agrum Bethlehemiticum trahi debuisse.

B Voysinius (in *Proœm. Pug. Fidei* Raymundi, fol. 125.) hic producit testimonium R. Mosis Haddarschan, (ad Gen. XXXVII. 22.) probaturi ex hoc eodem loco; *Messiam quem Deus Judeis suscitaturus esset, non habiturum Patrem.* Sed ut verum fatear; testimonium mihi suspectum est: quod si autem genuinum esset; nihil plus veri contineret quam expositio Patrum modo adducta. Loca autem alia, in quibus *ortus* Domini cum *sobole, surculo*, & *germine* confertur, ut Jes. IV. 2. Jer. XXIII. 5. Ezech. XVII. 22. Zach. III. 8. VI. 12. non pertinent ad *ortus* ejus *humilitatem*: & locus Ezech. XVII. 22. ne quidem ad *ortum* ejus *naturalem*: sed ad *ortum* Messiæ *Officialem*, secundum quem per præconium Evangelii faciendum ab Apostolis demonstraretur *Rex* & *Messias*, & ut talis publice proponeretur Genti Judææ, jam collocatus ad dextram Divinæ Majestatis. Adeo cavendum est in interpretatione prophetiarum, ne ἀλλοτρίως inter se comparentur.

ad *Statum* ejus, ℣. 2. med. & ℣. 3. *Nulla ei species, &c.*

ILLUM RESPICERE MUS; *& nulla ſpectabilis forma, ut illum deſideraremus.* ℣. 3. *Deſpectus, &* DESTITUTUS A VIRIS.] Prius membrum, h. e. reſiduum ℣. 2. ſic vertendum & interpungendum eſſe cenſeo, ut feci. Maſorethæ tamen aliter acceperunt, figentes accentum diſtinctivum majorem *Atnach* in voce הדר *Reverentia*; ſecundum quos proinde ſic vertenda & diſtinguenda eſt pericopa: *Nulla ipſi ſpecies eſt & reverentia: & vidimus ipſum, & nulla ſpectabilis forma, ut eum deſideraremus:* ſive, ut Cl. Coccejus; *& appeteremus illum?* Fateor non videre me quid moverit Maſorethas. Si enim accentus figatur in voce, ונראהו *ut ipſum videremus:* ſententia liquidiſſima eſt; in duo diſtincta membra, quæ in unum exeunt, pro more ſcribendi Prophetæ. Duæ enim voces ונראהו & ונחמדהו, quæ utrumque membrum claudunt, ſibi invicem reſpondent: &, ſi verba cum Maſorethis legas, poſtremum illud ונחמדהו dubiam relinquit expoſitionem, & quoſdam etiam, qui vocem verterunt, *Et deſideravimus ipſum:* induxit in ſenſum, menti Prophetæ plane contrarium: Coccejum etiam, ut eam *interrogative* acceperit, verteritque, *Et eum appeteremus?* Quod tolerabile quidem; ſed elegantiam ſententiæ rumpit. Rectiſſime itaque hic Symmachus, & ex mente noſtra, &, quod prorſus mihi perſuadeo, ex mente Prophetæ: Οὐκ εἶδος ἀυτῷ, ἀδὲ ἀξίωμα, ἵνα εἴδωμεν ἀυτὸν, ἀδὲ θεωρία, ἵνα ἐπιθυμηθῶμεν ἀυτὸν· *Non forma ei, nec dignitas, ut videremus eum: neque aſpectus, ut eum cuperemus.* Nihil perfectius, & concinnius. Obtinet autem præfixa ו hic loci in utroque membro ſignificationem *conſequentis*, frequentiſſimo ejus uſu, vertiturque per *ut.* Sic proxime Cap. LI. 12. *Ecquæ tu es,* ותיראי UT *timeas ab homine qui morietur.* adde ℣. 15. 23. Cap. XXVI. 2. *Aperite portas,* ויבא UT *veniat Gens juſta.* Plura in re certiſſima non allego. Ad rem ipſam quod attinet: tranſit Chorus ab *ortu & adoleſcentia* Meſſiæ ad ejus *Statum*, poſtquam triginta annis major ſe ut Meſſiam & Chriſtum Genti exſpectatum propoſuit geſſitque inter Judæos, uſque quo ſubiit extremas paſſiones, ipſi decretas. Exſpectaverat Gens Judæa Virum illuſtri ac notorio ſatu, præditum ſpecie externa Principe & Imperatore digna; commendatum probatumque Proceribus & præcipuis Doctoribus Gentis, qui in Templo, Synedriis, & Synagogis obtinebant auctoritatem; ſtipatum primariis Gentis Viris; *ſigna* autem ſuæ *miſſionis* Genti præſtaret ad eam vindicandam è ſervitute Romanorum & Herodiadum, & Orbem terrarum ei ſubjiciendum, qualia olim Moſes & Joſua; quique reapſe id præſtaret & exequeretur. quibus contraria omnia cum in Chriſto Jeſu obſervarent: eum ex communi præjudicio Gentis ſpreverunt. Huc referenda quæ hic dicuntur omnia, ordine relegenda. Primum eſt, אין תואר לו *Nulla ipſi ſpecies*, ſive, *forma.* quæ genuina eſt vocis notatio, quæ licet per ſe promiſcui uſus, ſi *abſolute* ponatur, pro externa corporis ſpecie, oriſque elegantia ac decore ſumitur, perinde ac Latinis, *forma* [a]. Symmachus optime, εἶδος *ſpecies.* Senſus poſſet eſſe; Chriſtum Jeſum, ſecundum *aſpectum exteriorem*, nullam prætuliſſe *ſpeciem* talis perſonæ, qualem ipſi *Meſſiam* fore ſibi perſuaſerant. Nullum in ipſo fuiſſe εἶδος ἄξιον τυραννίδος. non pectus elatum, ſcintillantes oculos, vultus ſeveritatem majeſtatemque; & celſitatem animi ad alta adſpirantis geſtu, motuque corporis expreſſam; & quæ ſimilia hujus generis viderentur præſtare poſſe *Vindicem libertatis publicæ*, & Heröem debellaturum Gentes Populoſque. Ab hujuſmodi enim characteribus Hiſtorici magnos bellatores & domitores Gentium deſcribere ſolent. Contra vero, Dominus Jeſus aſpectu, geſtu, motu omni humilis, modeſtus, manſuetus, lenis, ad commiſerationem pronus, Doctorem profitebatur publicum; abſtinebat armis, imperio; ferociæ & ſuperbiæ qualiſcunque inimicus. Non abnuo id hic intelligi poſſe; modo ne quis ulterius eat, & ex his verbis colligat, Corpus Chriſti Jeſu omni caruiſſe formæ elegantia exteriore. Ægre vidi, eſſe quoſdam non ſpernendos homines qui de eo hic cogitant & diſputant: dum è contrario Veteres formam Chriſti Jeſu & ſpeciem exteriorem valde extulerunt; videturque Abarbeneli de hac Veterum traditione aliquid innotuiſſe, dum ipſe in *quarta ratione* [A] quam adverſus noſtram interpretationem producit, ex hoc ipſo loco adverſus nos infert, Jeſum noſtrum hic intelligi non poſſe, quippe Juvenem formoſum atque elegantem florentis ætatis. Abſurda hæc ſunt quibus nollem fabulatores ex noſtris dediſſe occaſionem. Utique mihi perſuadeo, Meſſiæ noſtro quod ad ſpeciem corporis & compoſitionem membrorum formam conſtitiſſe honeſtiſſimam: ſed de ea hic plane non agitur. Chorus credentium loquitur de *forma Meſſiæ* ex præjudicio Gentis Judææ. Cenſeo itaque, tanto quem rectius hic interpretari Vatem, quanto à carnali aſpectu Meſſiæ plus amovet oculos. *Nulla forma ei*, valet, nihil in ipſo quà Meſſia nobis occurrebat quod *gratum* erat *oculo carnali*, quod late explicui ad phraſin בזה נפש *faſtidium animæ*, ſive, *cupiditatis*, Cap. XLIX. 7. Ne quidem ut Doctor, licet hac parte eximius, placebat carni. Perſona, inſtitutio, & Oeconomia ejus, è directo adverſabantur illi *formæ* quam Doctores præjudiciis ſuis carnalibus Meſſiæ aptarant. *Et nulla reverentia ei.* h. e. nihil in ipſo erat quod ei conciliare poſſet reverentiam: quæ vere vis eſt vocis הדר. Notat *reſpectum.* Symmachus optime, ἀξίωμα. Intellige, nulla ipſum fulſiſſe dignitate; nullis ſuccinctum opibus aut conſanguineis illuſtribus, ad ſectam ejus tuendam & exſpectationem Meſſiæ ſuſtinendam, ut videtur, plane neceſſariis: ætate fuiſſe Juvenili ad auctoritatem comparandam parum valida; nullis teſtimoniis Pontificis, primariorum Sacerdotum, Synedrorum, Procerum Gentis, commendatum munitumque: (quæ fere hominibus reverentiam & venerationem conciliare ſolent:) ipſum vero, humilem, manſuetum, bonum, hominibus magis ſui amorem quam reverentiam ſuaſiſſe. Equidem ſapientia ejus, ſanctimonia, eloquentia, miracula ab ipſo edita, ipſi facere debuerunt reverentiam, & fecerunt ſane: ſed cum doctrina ejus à Doctoribus illius temporis damnaretur; ipſe convitiis proſcinderetur; plebs myſtica ejus & parabolica dicta ſæpe non aſſequeretur, etiamſi ejus dicta & facta miraretur & ſtuperet; & denique ipſa quoque miracula ejus convitiis adverſariorum impeterentur: quicquid in ipſo eximium & glorioſum erat, in obſcuro manſit, vimque ſuam perdidit. Præjudicium indurati erroris fecit, ut ne *oculos* quidem ſuos in eum *conjecerint. Nulla forma*, ajunt; nihil *reverendum, ut illum* VIDEREMUS, h. e. ut in illum defigeremus oculos, & ſerio ad animum referremus, an non forte hic eſſet ille Meſſias, Patribus promiſſus. quæ hic vis eſt vocis ראה *videre* defixis oculis cum attentione & voluptate; ut in multis aliis locis [b]. Addunt: *Et nullus aſpectus,* (לא מראה) *ut illum deſideraremus*, appeteremus. Sic proprie ſonant Hebræa. מראה eſt *aſpectus*; ſive *active* ſumatur, ſive *paſſive*, ut alibi [c], ſic hoc in loco. Valet hic idem quod תואר *forma ſpectabilis*, ſpecies. Sic Vates Cap. LII. 14, utramque vocem de eodem hoc Subjecto uſurpaverat: *Sic res corrupta præ viro* מראהו ASPECTUS EJUS; *&* תאר *forma ejus præ filiis hominum.* Non patitur hoc membrum interpretationem ab ea membri antecedentis diverſam; & tamen probabile eſt, Prophetam non plane idem dicere voluiſſe. Refero itaque hoc membrum ad uni-

Verſio loci defenditur.

Quomodo Maſorethæ hæc verba acceperint?

In eorum punctaturam ἐπίκρισις.

Cl. Cocceji verſio & meditatio.

Præfixa ו hic obtinet ſignificationem *conſequentis.* Exempla analoga.

Verba hæc referenda ſunt ad *Statum* Meſſiæ.

Præjudicia Judæorum de *Statu* Meſſiæ.

Quibus Chriſtus Jeſus non reſpondit.

Verba: *Nulla ipſi ſpecies* ſive *forma.*

Senſus ſententiæ.

Habitus Chriſti Jeſu.

Abſurde hic cogitatur de *ſpecie* externa corporis Chriſti.

Nihil in Chriſto Jeſu eſt quod placere poſſit Judicio carnali.

Et nulla reverentia. Senſus dictus.

Status Chriſti Domini cum e comparatus.

Ut illum videremus. Emphaſis dicti h. l. Vis vocis ראה.

Et nullus aſpectus, & Significatio vocis מראה.

---

a 1 Sam. XVI. 18. Thren. IV. 8. *b* Confer Cap. V. 12. XVII. 7. XXXIII. 15. &c. *c* Gen. XXIV. 16. Dan. I. 4.

A Prima ipſi ratio eſt, quod de noſtro Meſſia, quem *Deum* eſſe profitemur, dici nequeat, ipſum *proſpere* vel *prudenter acturum eſſe* Cap. LII. 13. Neutrum enim Deo convenire. ut neque in *Deum* competit, eſſe illum *Servum Dei*, (quæ ipſi ſecunda ratio eſt:) aut *exaltandum eſſe.* ſecundum enim *hominem*, ipſum in his terris minime exaltatum fuiſſe: Deo vero *exaltationem* falſo tribui. Recenſeo hæc, non ut refellam; ſed ut quiſque de ponderе harum rationum judicet.

universum aspectum Christi; non tantum *personæ* ejus, sed & *accidentium* & *circumstantiarum* quibus circumscriptus fuit: veluti, quod habitus fuerit, (obscuratis natalibus ejus Bethlehemiticis,) *Galilæus*, (unde, Ἰησοῦς ὁ Γαλιλαῖος [a], & Sectatores ejus Γαλιλαῖοι [b],) & quidem *Nazarethanus*, non adeo nobilis oppidi civis; (unde Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος [c], & Sectatores ejus Ναζωραῖοι [d];) Patrem ejus putativum fuisse *fabrum* [e]; & ipsum forte eidem huic exercitio mechanico operam dedisse [f]; consanguineos pariter gregariæ sortis homines: versari illum familiari commercio cum *peccatoribus* & *publicanis* [g]; & Discipulos tanquam Apostolos sibi legisse ac sectatores habere, non sane homines spectabiles, in existimatione positos; doctrinæ & sapientiæ laude claros, sed literarum rudes, de vulgo hominum; piscatores, & *publicanum* etiam Matthæum: ipsum autem paupertinum, nullo splendore, nulla cum φαντασίᾳ & παρατηρήσει se in publico ostentare; sed ex piorum hominum liberalitate vitam sustinere, & in omni consuetudine vitæ præ se ferre modestiam & humilitatem. Hæc pertinent ad *aspectum*, & *formam* Christi Jesu *exteriorem*. quæ fecerunt ut multitudo spectabilium hominum oculos ab ipso averterit, tanquam in quo nihil viderent magnum, magnificum, & *concupiscibile*; imo sane ipsum despexerit ac contemptui habuerit; quod Vates ℣. 3. וגבוה *& contemptus.* בוזה נפש *fastidium animæ*, ut supra [h]. Hinc dictum ipsorum civium ejus Nazarethanorum, quibus cum notior esset, carior esse deberet [i]: *Nonne iste est ille fabri Filius? Nonne mater ejus Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joses, & Simon, & Judas? & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Quin sane increduli captata ex dictis ejus offensa, *ejecerunt illum extra Urbem* [k]; ipsum jam tum de *vertice montis* præcipitaturi, nisi Virtus Divina ipsi succurrisset: quo sensu optime dici posset חדל אישים, ex versione Hieronymi, *novissimus Virorum*, ultimus virorum. Alii, *Abjectissimus virorum.* fæx & purgamentum virorum. πάντων περίψημα. Sic Hebræi & Vett. Intt. passim. Petita significatio est ex Ps. xxxix. 5. ubi חדל est *nullus*, ἐξουθενημένος. Non ausim intercedere; cum attributum non possit censeri ei personæ non convenire, quæ se *vermem* profitetur, & *non-virum* [l]: & de quo Chorus mox; *Et nos illum nihili reputavimus.* Convitia in Dominum conjecta, de quibus egi ad Cap. l. 6. 9. & extrema ejus, produnt summum contemptum, quo Gens ingrata, infida, cæca, illum prosequuta est. Vellem tamen, subsistere hic posse versionem quam commendavit Cl. Coccejus: *Deficiens virorum.* h. e. nullos secum habens Viros spectabiles, quorum fulciatur auctoritate. Obtinet enim eam significationem emphaticam vox איש, ut notet *Virum spectabilem.* Sic Vates Messiam loquentem facit, Cap. l. 2. *Quare veni, & nullus erat* VIR? Homines honorati faciem suam ab eo occultabant: pudori ipsis erat, publicum cum eo colere commercium, licet pauci eorum clam non male in ipsum essent affecti. Habuit Dominus secum Viros, sed tenuioris sortis, ac fortunæ, homines gregarios. Non ausim spernere hanc interpretationem vere pulchram. Id ipsum enim est quod Dominum magno gravavit præjudicio. Inde illud [m]: Μή τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπίστευσε εἰς αὐτόν; Cur autem non conveniat significationi vocis חדל, cum eadem & *omittere*, *missum facere*, (unde prior sensus petitus est:) & *deficere* notet? Utique Abarbenel ipse, Linguæ patriæ satis peritus, ita accepit. Verba ejus: ולא היו לא אנשים ר"ל חיל ועזר זה לאמ' וחדל אישי' כלו' נערי מאנשים *Et non fuerunt illi Viri*, h. e. *Viri fortes*, (caussam ejus defensuri,) *de quo dicitur*, וחדל אישים *acsi diceret, Deficiens virorum*, à Viris destitutus.

(c.) De παθήμασι ipsius.

(c.) Status ℣. 3. *Vir dolorum; & expertus earum rerum quæ ægritudinem conciliant; fuitque tanquam* aliquis A QUO quisque FACIEM OCCULTARET: *contemptus, quemque nihili reputavimus.*] Non levia erant, hucusque adducta. Et tamen gravissimum Gentis præjudicium petebatur ex extremis ejus; *doloribus* videlicet & παθήμασι, quæ ex destinato Dei consilio cum probrosissima morte pertulit. quo pertinent quæ hic describi. Constat sententia quatuor articulis. Primum membrum: איש מכאובות *Vir dolorum.* h. e. acerbissima quæque, quæ *animo* & *corpori* summum dolorem conciliant, perpessus. qualia fuerunt extrema dilecti nostri Servatoris. Sic vox מכאובות *dolores* mox ℣. 4. sumitur pro *malis* quæ propter peccata nostra debemus Justitiæ Divinæ. איש מכאובות *Vir dolorum* est *doloribus affectus* & *afflictus*; Hebræa phrasi & structura vocis איש, in Sacris obvia [n]. Alterum analogum. ידוע חלי *notus*, h. e. expertus ægritudinis. Sensus est, Vocatus ad experimenta (sive ad *experientiam*, si mavis,) asperrimarum & dolorificarum afflictionum, quæ corpus animumque *infirmant*. Symmachus dederat: Γνωστὸς νόσῳ *familiaris morbo.* quam versionem facile fert vox Hebræa חלי, ἀῤῥωστία, ἀσθένεια, *infirmitas*, *morbus*, & quælecunque malum aliud quod dolorem ciet, hominemque affligit ac debilitat. Sed *morbi* respectus in Christo Jesu excludendus est, quippe de quo nihil historia. חלי hic notat quale quale malum quod afflictum infirmat; sive animi sive corporis; & hic συγωνύμως conjungitur cum מכאב. ut mox ℣. 4. *Certe* חלינו *infirmitates nostras*, (miserias nostras; mala quæ Deo debebamus Judici,) *ipse tulit; & dolores nostros bajulavit.* Respicitur manifeste ad *crucem Christi*, & *crucis antecedanea.* Angoribus animi pressus & fere oppressus in horto Gethsemane; corona spinea capiti impacta; colaphis & petulantibus ministrorum Synedrii & militum Romanorum insultibus, & subsequuta flagellatione usque eo jam erat infirmatus ut cruci portandæ impar esset [o]: in cruce vero ipsa, colluctatus cum gravissimis tentaminibus, doloribus ac sanguinis fluxu ita exhaustus est, ut questus sit ipse [p], se *aquarum instar effusum esse; ossa sua non cohæsisse; cor suum factum instar ceræ, liquatum in medio viscerum suorum*; VIRES SUAS EXARUISSE INSTAR TESTÆ; *& linguam palato suo adhæsisse.* quibus nihil gravius & ἐμφατικώτερον dici potest. Ad horum malorum & ægritudinum animi vocatus est *experientiam:* (quæ hic genuina notatio est vocis ידע *scire*, noscere per experientiam, usu in Sacris frequentissimo:) &, ut talis in aliorum sensum incurrit. Sic Apostolicus [q]: *Quanquam Filius esset*, tamen *ex iis quæ passus est*, DIDICIT *obedientiam.* sc. per experientiam. Tertium membrum: *Et ut occultans faciem ab eo*, vel *à nobis.* sive, *Et tanquam absconsio faciei à nobis*, vel, *ab illo.* Sic sonant proprie Hebræa: וכמסתר פנים ממנו Vox ממנו geminam fert expositionem, *à nobis*, vel, *ab illo.* unde dubium videri queat, utra hic obtinere debeat. Certe Intt. hic scinduntur in partes. Qui verba vertunt, *Et fuit tanquam occultans faciem à nobis*; hunc dant sensum; Messiam *habitum esse tanquam leprosum*, quippe quorum erat *labrum superius obnubilare*, Lev. XIII. 45. Alii paulo latius; Messiam præ gravitate & indignitate passionum suarum veluti *pudore suffusum* faciem *occultasse.* Potuit se commendare sententia Piscatori, Moro, de Dieu, aliisque: nec tamen, modeste dixerim, mihi. Primo enim, leprosi & lugentes faciem totam non obnubilabant, sed *labrum superius.* Confer loca Mich. III. 7. Ezech. XXIV. 17. Deinde, non nego, Christum Jesum à caterva incredulorum pro tali habitum esse: (id enim liquet ex ℣. 4.) sed ipse se pro tali non gessit: ipse tanquam conscientia mala pressus, *faciem ab aliis non occultavit.* Si autem de *pudore* capias: non abnuo prorsus hunc affectum Domino, qui humana omnia absque vitio nobiscum communia habuit; sed debuissent observare Viri Docti, id hic plane ad

Verba commode referri possunt ad *accidentia* & *circumstantias* quibus Christus D. circumscriptus fuit.

Specimina eorum.

Quæ applicantur ad *aspectum* Christi Domini.

Et contemptus.

Verba illustrantur ex historia Domini.

Quomodo habitus fuerit à civibus suis?

Voces חדל אישים.

Sensus illorum tolerabilis.

Et nos illum nihili reputavimus.

Propior consideratio attributi, *Deficiens virorum.*

Emphasis notionis איש *Vir* h. l.

Abarbenelis interpretatio.

ejus cum respectu ad παθήματα, ℣. 3.

In his situm erat gravissimum præjudicium Gentis.

Phrasis, *Vir dolorum*;

Phrasis prius declaratur.

Notus infirmitate.

Dictio exponitur.

Vis Hebrææ notionis חלי.

Respicitur ad crucem Christi Jesu & ejus antecedanea.

Debilitatio Christi Jesu describitur.

Experientia Christi D. respectu infirmitatum quas sustinuit.

Verba, *Et ut occultans faciem ab eo?* diverse accipiuntur.

Specimina versionum.

Ἐπιφυσιῶς in illorum sententiam, qui hic alludi putant ad statum *lugentium* & *leprosorum.*

---

a Matth. XXVI. 69. *b* Act. II. 7. *c* Matth. XXVI. 71. *d* Act. XXIV. 5. *e* Matth. XIII. 55. *f* Marc. VI. 3. *g* Matth. IX. 10. 11. *h* Cap. XLIX. 7. *i* Matth. XIII. 55. *k* Luc. IV. 29. *l* Ps. XXII. 7. *m* Joh. VII. 48. *n* Vide Glass. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. I. Can. XXXIV. *o* Matth. XXVII. 32. *p* Ps. XXII. 15. 16. *q* Heb. V. 8.

rem non facere. Explicantur enim hic rationes incredulitatis Gentis Judææ. inter quas rationes quis hanc esse dixerit, quod indignissima quæque passus *correptus* fuerit *pudore? Pudor* ipsi non potuit esse præjudicio; ne quidem si *nocens* passus esset. Ergo eundum est ad aliam versionem, quæ verba tanquam *elliptice* dicta accipit, hoc sensu: *Et fuit* quisque *tanquam occultans faciem ab eo.* Subest *ellipsis* voculæ איש; neque ea insolens. Sic Cap. VIII, 21. ועבר בה נקשה ורעב *Et transibit eam gravatus & famelicus.* Sc. איש *quisque.* Alio loco [a]: *Ibunt de turma in turmam:* יראה אל אלהים בציון *Comparebit coram Jehova in Tsione.* sc. quisque. איש איש. Plura non describo. Est autem sensus facillimus, & convenientissimus *Subjecto.* Dum enim Dominus Jesus erat in extremis, damnatus à Synedrio, oppressus præjudicio Gentis, cruci datus à Pilato: non tantum à concitata & furibunda plebe habitus est ut scelus & flagitium hominis, & detestabilis impostor, nullius dignus favore & aspectu; verum ipsi quoque occulti amici, ac discipuli, si pauculos excipias, ipsum deseruerunt; Apostoli ab ipso aufugerunt; & Petrus ipsum abnegavit. An non id idem est quod hic dicitur? Eodem tendit, si vocem מִמֶּנּוּ hic *nominaliter* accipias, ut fecisse videtur Kimchius: certe fecit Cl. Coccejus, sed cujus hic minus liquida est sententia quam ea Hebræi. Kimchii versio est, *Et fuimus ut absconsio faciei ab eo*, cum hac paraphrasi: *Tanquam occultantes faciem ab ipso, ut noluerimus ipsum aspicere, pro summo contemptu, quippe eum despiciebamus, & nihili reputabamus.* Sumitur *abstractum* pro *concreto*, emphasios caussa. Formam autem nominis מִמֶּנּוּ habes in analogis, מִמֶּנִּי מִמֶּךָּ מִמֶּנָּה, aliisque. Huic vero sensui pulcre quadrat quartum membrum: *Contemptus, & non reputavimus eum*, sc. ullius rei. Sensus est, Fuit apud nos, quod Græcis dicitur, ὅτ' ἐν λόγῳ, ὅτ' ἐν ἀριθμῷ. Referendum ad extrema ejus & præsertim ad opprobrium crucis, ubi *contemptus*, quo Gens *Rupem salutis suæ* prosequebatur, se manifestissime prodidit. Sic Vates noster in superioribus [b]: מתעב גוי *Abominatio Gentis.* Confer Cap. L. 6. Ipse de se hoc statu [c]: *Ego vermis & non vir; opprobrium hominum, & contemptus à Populo. Omnes qui me vident, subsannant: diducunt labium, quassant caput.* Alio loco [d]. *Lapis quem* מאסו *spreverunt*, reprobarunt, *ædificantes.* Huc pertinet, quod Herodes Antipas, ad quem à Pilato missus erat, illum visum & spretum, ad Præsidem remiserit; Proceres Gentis illum, tanquam indignum qui more Gentis puniretur, Pilato ad *crucem* tradiderint; Plebs Barrabam, cædis & seditionis manifestum, Christo Jesu prætulerit; & majoris ignominiæ caussa, inter duos latrones suspensus sit. O mysterium adorandæ Providentiæ Divinæ! Quis miretur, hæc multis fuisse *scandalo?*

β. Idem Chorus Illuminatus à Spiritu S. exponit *veras caussas* probrosissimarum & dolorificarum Afflictionum, quas Messias sustinuit.

Articulus primus.

℣. 4. *Certe* INFIRMITATES NOSTRAS IPSE TULIT; *& dolores nostros* BAJULAVIT: *at nos reputabamus ipsum* PLAGA Divini Judicii AFFECTUM; *percussum à Deo & afflictum.*] Huc usque exposuerat Chorus præjudicia sui erroris & incredulitatis, quibus, ante conversionem suam ad fidem Domini & veram mentis illuminationem, fuerat delusus. Nunc vero orationem eò transfert, quod maxime intendebat. Docet, docetque ore hujus Chori, Propheta εὐαγγελισάμενος, quænam vera esset caussa probrorum & passionum acerbissimarum, quæ Messias sustineret: idque exequitur quatuor articulis, summam Evangelii complexis, sensu in idem exeuntibus. Quare nullam in hac pericopa analysin aliam instituo, tanquam minime necessariam, & coactam. Primum hic exhibeo; in cujus versione, ut Hebraice legitur, nemo facile hæret. Res ipsa quoque ex doctrina Evangelii clarissima est. Divisus est *stichus* in membra duo. prius sanum judicium Ecclesiæ illuminatæ de passionibus Christi exhibet: alterum repetit præjudicium erroneum, ei oppositum.

Sano judicio rectissime præstruitur vocula אכן *certe, utique, vere.* Confidunt & asseverant, qui hic loquuntur, se aliquid prolaturos esse in medium, de cujus certitudine & evidentia hoc tempore plane persuasi erant; contrarium præjudicio falso, quod animos ipsorum huc usque occupaverat. Sic solent πεφωτισμένοι à Sancto Spiritu. Liberati ab ambigua mentis fluctuatione res inspiciunt in veris suis caussis, viasque Dei in ordine ac nexu suo. Mentem autem animi sic explicant; הוא IPSUM, singularem personam quam in oculis habebant, *tulisse infirmitates ipsorum, & dolores ipsorum bajulasse.* quæ secundum potestatem vocum acceptа, & cum sequentibus collata, hunc edunt sensum: Personam hanc illustrem, *Servum Dei* justum, hic emphatice הוא dictum, cum ipse nocens non esset, sed scelere & vitio omni purus, in illis probris, doloribus, laboribus animæ, & acerbis παθήμασι in morte terminatis, quæ patienter sustinuit, tulisse pœnam vicariam eorum peccatorum & criminum, quæ non à se sed à semine electo toto commissa erant; tanquam qui volens lubensque secundum Legem sponsionis à se susceptæ instar hostiæ piacularis ipsis fuerit substitutus ex ordine consilii & Providentiæ Divinæ. Hæc summa est doctrinæ gratiæ, consensu Scripturæ totius confirmata, sed præsertim in Libris N. T. clare exposita; cum Deo propositum esset ex genere peccatorum æternæ mortis reatu ipsi obstrictorum, aliquos liberare & salvare; & rationibus Justitiæ ejus non conveniret, id exequi consilium absque interveniente λύτρῳ æquivalente, per quod debitum Justitiæ ejus expleretur: dedisse Electo semini salvandorum Filium suum tanquam Goëlem, Mediatorem, Sponsorem, ut in humana natura ab ipso assumenda Patrem suum vice & loco Seminis Electi in dirissimis passionibus, doloribus, angoribus animæ, & probrosissima morte, cum perfecta obedientia sanctificaret, & delicta Seminis electi in se transfata idonea hac satisfactione per se ipsum suoque sanguine & morte expiaret, ut Electo semini impetraret Remissionem Peccatorum, cum gratia sanctificationis & salute æterna. Summa est apud Paulum, intentum huic prophetiæ, ut loco suo monebo [e]: *Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum* (hostiam pro peccato,) *fecit, ut nos efficeremur Justitia Dei in ipso.* per ipsum justificaremur, & impetraremus remissionem delictorum. Sic Dominus Jesus ipse, dum *calicem* hunc habebat ante oculos [f]: *Hic est sanguis meus, Novi Fœderis, qui pro multis funditur in remissionem peccatorum.* Vetus Ecclesia tota hanc tenuit sententiam. Turbavit vere Pelagius, sed quicum de hac parte Divinæ Gratiæ minus disputatum est: palam negavit recentiore Ecclesiæ ætate Socinus, ejusque sequaces; & vero alii, à scitis ejus non abhorrentes, doctrinam hanc restrinxerunt; estque ab eo tempore de hoc argumento calidissime & copiosissime actum: à nostra parte feliciter tanquam in clarissima Evangelii luce. Sed cum commentatoris non sit, in communes disputationes excurrere: quod ipsa quoque materiæ copia me facere vetat: censebor satisfeciisse officio, de eo monuisse. Per *infirmitates* (חליים) & *dolores* (מכאבי) idem hic intelliges quod *commate superiore*; hoc est, omnia παθήματα Christi Jesu, *probra, injurias, dolores*, (ad has enim tres species referri possunt quæ *externe* passus est;) & *angores animæ*, cum quibus *intus* luctatus est: qui *dolores* & *infirmitates*, dicuntur *nostri*, (sive Electorum Judæorum & totius Seminis Credentium,) quod pœna ab Electis Divinæ Justitiæ debita & ab iis absque hoc placamento ferenda, per eos pensata sit. Quos ubi Messias non tantum *tulisse*, sed & BAJULASSE dicitur: intelligis, eo significari, παθήματα hæc & per se fuisse gravissima; &, accedente pon-

Hujus *commatis* analysis.

Usus voculæ אכן in principio sententiæ.

Quo sensu Messias hic dicatur *bajulasse* aliorum *peccata?*

Summa Doctrinæ Gratiæ de *Sponsione* & *Satisfactione* Messiæ, huic *commati*, & sequentibus præstructa, summatim traditur.

Cui ex Christianis Socinus contradixit.

Quid hic loci intelligendum sit per *infirmitates* & *dolores?*

Emphasis vocis *bajulare* h. l.

Verba, *Contemptus, & non reputavimus ipsum:* ex historia, & vaticiniis analogis illustrantur.

Sententia Kimchii, vocem מִמֶּנּוּ *nominaliter* accipientis.

Verso commendata, quæ hic expressa est.

Quæ supponit ellipsin vocis איש, cujus plura sunt exempla.

β. Chorus explicat *caussas* humiliationis Christi.

Articulus primus, ℣. 4.

Nexus & summa orationis.

[a] Ps. LXXXIV. 8. [b] Cap. XLIX. 7. [c] Ps. XXII. 8. 9. [d] Ps. CXVIII. 22. [e] 2 Cor. V. 11. [f] Matth. XXVI. 28.

pondere Divinæ iræ, homini φιλῷ *nudo*, non ferenda. Observa interim, phrasin, qua Jesaias hic utitur, etiamsi vere metaphorica sit, fere versam esse in propriam. Utique enim proprie dicitur, ipsis quoque Latinis, *ferre pœnam, probrum, ignominiam:* estque obvia locutio in Sacris *a*. De חלי *infirmatione* usurpatur Jér. x. 19. *Atque ego dixi, Certe hæc infirmitas, ואשאהו & FERAM illam.* חלי hic dicitur quod paulo ante, מכה נחלה *plaga lethifera.* Dominus ipse de se *b*: נשאתי אימיך FERO TERRORES TUOS: *animi linquor.* Loquitur de extremis suis angoribus, & doloribus. *Ferre* autem *dolores* ALIORUM est ferre *pœnam* quam alius meritus est. *tergum suum alterius stultitiæ subdere succedaneum.* Luere quæ alius deliquit. quo sensu Christus Jesus PRO NOBIS *mortuus* fuisse dicitur *c*, non *civiliter*, sed *judicialiter. Pro vita nostra suam vitam reddidit*; ut cum Cæsare *d* loquar. En elegantem phrasin qua usi sunt Exploratores Jerichuntis ad Rachabam *e*: *Animæ nostræ sint* PRO VOBIS *ad moriendum.* Verum etiamsi hæc phrasis, *ferre pœnam, dolores, mortem,* PRO *alio*, sit recepta: stylo tamen Scripturæ longe receptior est altera huic analoga, qua qui *pœnam peccati alterius fert*, aut *reatum* culpæ ab alio commissæ in se suscipit, dicitur *ferre illius peccata.* Sic Vates noster se interpretatur in fine hujus *Capitis f*: PECCATA *illorum* (multorum) *ipse* יסבל BAJULAVIT. Mox iterum *g*: *Et ipse peccata multorum* נשא TULIT. Eædem sunt notiones, quas hic offendimus. unum alterum explicat. Desumpta est phrasis ab *hostiis piacularibus*, quibus peccata nocentium imponebantur ad pœnam: de quo monebo, ubi illuc ventum fuerit. Et hæc quidem ita se habent, præstantque primum sensum hujus sententiæ. Et tamen Matthæus Apostolus hæc verba latius contemplatus est. Cum enim narrasset, Dominum Jesum in Galilæa, tum *dæmoniacos* à potestate Diaboli liberasse, tum πάντας τὰς κακῶς ἔχοντας *omnes male affectos sanasse*, subdit *h*: *Ut impleretur, quod dictum est per Jesaiam Prophetam:* Αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν· *Ipse infirmitates nostros accepit, & morbos portavit.* νόσους *morbos* synecdochice pro *doloribus.* sunt enim dolorum causa. Sensus Apostoli est: Christum Jesum, homines *liberantem* à morbis, doloribus, ægritudinibus, infirmitatibus, quibuscunque, vel se *gravantem cura* & onere hominum à morbis & infirmitatibus corporalibus liberandorum, præstitisse *implementum* ejus quod hic dicitur. Quid itaque? Num loquitur Jesaias de Liberatione ab *infirmitatibus corporalibus*, primo sensu? Nemo dixerit, qui ad contextum orationis ejus attendit. Sed Apostolus, spirituali oculo videns, Beneficium illud Christi, quo homines à morbis & ægritudinibus pravisque affectionibus suis liberabat, aut earum auferendarum cura se *fatigabat* ad seram vesperam, (de eo enim proprie agitur:) in se habere *typum* & *figuram laboris* quem Dominus sumeret in ferendis & auferendis ægritudinibus spiritualibus, h. e. peccatis, & vera peccatorum pœna: verba Prophetæ eo scopo allegavit, ut eandem quoque meditationem spiritualem nobis subjiceret, utque apertis oculis ipsum Beneficium peccatorum nostrorum latorum & ablatorum in ipso hoc typo & figura contemplaremur. Et tamen aliud etiam huc accedit. Apostoli & Evangelistæ in explicandis & allegandis dictis Prophetarum, hanc ubique secuti sunt hypothesin; omnem emphasin, quæ in verbis & phrasi latet, per implementum repræsentandam esse. Quandoquidem vero videret Evangelista, voces חליים & מכאובים quoque significare posse *morbos* & *affectiones* corporales, quibus tanquam peccati consequentibus homines afficiuntur; & in *cura* qua Dominus se fatigabat, ægrorum cujuscunque conditionis undique se prementium ab his malis liberandorum, præludium quoddam esse ejus *laboris*, quem in extremis sustineret, ut humanum genus vindicaret à peccato & tristibus peccati consequentibus: locum, oculo Divino inspectum, huc quoque transtulit. Sic accipiendum illud, *Ut impleretur.* non ut *impleretur totum & omne* quod latet in hoc dicto Jesaiæ; sed ut in *eo* QUOQUE *impleretur*, inchoate videlicet & in typo, quod Jesaias prædixerat. Sume tibi exemplum per omnia simile ex Cap. xxi. 3. seqq. Applicat ibi locum Zachariæ, Cap. ix. 9. *Ecce Rex tuus tibi venit justus & salvatus*, (vel Servator,) *ipse, pauper, & insidens asino, & pullo filio asinæ:* ad ingressum Christi Hierosolymitanum, insidentis *pullo asinino.* Equidem loco illi Zachariæ, secundum sensum ejus spiritualem & mysticum, suus constitisset sensus, absque hoc casu ingressus Christi Hierosolymitani: sed cum Deus vaticiniis à Prophetis editis velit constare omnem emphasin quam verba ferunt; sua curavit providentia, ut hic quoque casus extiterit, ne qua implementi pars hic desideraretur. quare quod ibi quoque dicitur, *Ut impleretur quod dictum est per Prophetam:* sic accipiendum est; *Ut in eo* QUOQUE, tanquam in *typo & figura*, *impleretur*, quod dictum est per Prophetam Zachariam.

Implementum hic non spectatur *totum*, sed secundum partem.

Exemplum simile ex Zachariæ Cap. ix. 9. cum Matth. xxi. 3. seqq.

Sano huic judicio de παθήμασι Messiæ oppositum est præjudicium falsum, quo Chorus docet, se antehac occupatum delusumque fuisse: *at nos ipsum reputabamus*, (statu sc. incredulitatis nostræ,) *affectum plaga, à Deo percussum, & summe afflictum*, sive, *penitus subactum.* Sunt ad hæc verba insipidi quorundam Intt. Veterum & Recentiorum, lusus; quos recensuisse aut refellisse, neminem doctiorem fecerit. Sensus facilis ac planus est; Chorum horum confessorum, nunc melius edoctum, Christum Jesum videntem ab aliquo Apostolorum suorum proditum, à Synedrio damnatum, omnium injuriis, probris & ludibriis expositum, & à Proceribus Gentis Pilato ad crucem traditum, & tandem à cruce suspensum, illum habuisse pro homine infortunato, gravissimis criminibus Divinæ Justitiæ obstricto, atque ea ipsa de causa ex vera Dei sententia *insignito* his notis & characteribus singularibus justissimi Judicii Divini, ut eum videntes omnes contueri oporteret tanquam triste & horrendum exemplum Justitiæ Divinæ, à quo cujusque esset diligenter sibi cavere, ejusque commercium non minus quam *leprosi* & à *Deo notati* hominis, fugere. Huc omnes tendunt notiones quibus Vates hic utitur. *Nos*, ajunt, *reputavimus ipsum affectum plaga Divini Judicii.* נגוע. Hieronymus docte, QUASI LEPROSUM. Symmachus, Ἐν ἀφῇ ὄντα· *lepra* TACTUM. cui Aq. quoque & Theod. consentiunt. est enim hæc vera lectio. quippe manifeste alluditur ad נגע *lepram*, quæ notio Hebræa ut proprie *tactum* notat, perinde ac ἀφὴ & in emphasi *lepram i*: sic ab Interprete Græco per ἀφὴν vertitur in Legibus Mosaicis de *Lepra.* Nec tamen id volunt dicere Sancti, se Christum Jesum habuisse pro *Leproso*, sed, ut Hieronymus, pro *quasi Leproso*; homine *plaga Divini Judicii percusso*, per quam separabatur ab aliorum communione, qualis cujusque vitabatur commercium. *Lepra* percussus censebatur *à Deo tactus* notatusque; ut ex exemplis Mirjami & Uzziæ liquet *k*. Estque ut plane mihi persuadeam, hac eadem *nota* insignitum fuisse *Cainum*, excommunicatum à Deo. Quid? Ne hic hæsitaremus, Jesaias ipse se interpretatur, quando addit, מכה אלהים *percussum a Deo.* tactum affectumque plaga Divini Judicii. Cl. Coccejus hoc loco: *Percussum Deorum*, sc. dictitiorum, sedentium in Cathedra Mosis. Si rem ipsam per se spectes: verissime de Christo dicitur; sed hic locum non habet. Reddunt enim Sancti hic rationem *Judicii* sui *corrupti* de Christo in *Statu incredulitatis.* Sed Christum fuisse *percussum à Proceribus Gentis Judææ*, verum est, & hodiedum nos agnoscimus. Ajunt, se respexisse Christum ut sceleratum, justo Dei Judicio ad tristissimam & miserrimam conditionem redactum. Et erat certe vero & sano sensu, (non eo incredulorum,)

Præjudicium falsum huic sano judicio oppositum.

Sensus dicti Prophetæ, *Nos reputabamus illum plaga affectum, &c.*

Qui ad verba hujus sententiæ applicatur.

Vis vocis נגוע hoc loco; & Græca, ἁφή.

Dominus à Judæis habitus est pro *quasi Leproso.*

Pœna à Deo inflicta Caino.

Simile est *percussus Dei* Cl. Coccejii sententia.

a Jer. xv. 15. Mich. vi. 16. &c. *b* Ps. lxxxviii. 16. *c* Rom. v. 8. 1 Thess. v. 10. *d* *Bell. Gall.* Lib. vi. p. 16. *e* Jos. ii. 14. *f* v. 11. *g* v. 12. *h* Matth. viii. 17. *i* Lev. xiii. 22. &c. *k* Num. xii. 10. 2 Reg. xv. 5.

Ferre infirmitates & dolores, phrasis recepta usu Sacris & exotericis. Significatio ejus.

Et analoga, *Ferre peccata.* Quæ phrasis alternatim usurpatur.

Phrasis desumpta est à hostiis piacularibus.

Allegatio ejus dicti facta à Matthæo, Cap. viii. 17. Sensus Apostoli, ejusque intentio, expositionis utriusque illatio.

Mos Scriptorum Sacrorum allegantium dicta V. T. Omnem emphasin dictionum exauserunt.

à Deo percussus. Sic ipse Pſ. LXIX. 27. *Et* QUEM *tu* PERCUSSISTI, *persequuntur.* Eodem pertinet, quod subjicitur, מעני *summe afflictum & subactum*, ut nulla amplius de ipso spes supereſſet. Cum enim quandiu sua usus libertate publice docebat & sectam faciebat, dubius adhuc censeri posset eventus spei quam aliqui de ipso conceperant: postquam à Synedrio damnatus esset ut *Impostor*, *falsus Propheta*, & *blasphemus*, & à Pilato ut *perduellis*, atque hoc nomine in crucem actus esset; ita videbatur afflictus, subactus, prostratus, ut exspectatio omnis in fumos abiisse censeretur. Tantum sæpe humanum Judicium distat à Divino. *Beatus ille qui se prudenter gerit circa* דל *tenuem & afflictum!* *a*

Et מעני *afflictus.* Quod declaratur.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 5. *Et ipse perfossus, &c.*

℣. 5. *Et ipse* PERFOSSUS FUIT *propter transgressiones nostras; contritus propter iniquitates nostras:* POENA EXEMPLARIS *pacis nostræ super ipsum erat; & vibicibus ejus nobis facta est sanatio.*] Pericopa hæc, ut quisque videt, confirmat superiorem, ejusdemque est sensus; nisi quod phrasis variet. Quin imo sic est constructa, ut sententiæ majus accedat lumen: ponit enim diserte, Christum Jesum *propter peccata nostra cruci affixum ante oculos nostros.* Doctores nostræ Fidei nihil clarius & explicatius scripserunt de vera causa Dolorum & Probrorum, quæ Dominus sustinuit, quam hic legitur. Constat quatuor membris, ordine inspiciendis.

Doctrina hic traditur Evangelica.

Primum membrum propositionis: *Et ipse perfossus est propter transgressiones nostras.*

Primum est: והוא מחולל מפשעינו Et *ipse perfossus est propter transgressiones nostras.* ubi copula *Et* cohæret cum primo membro *commatis superioris.* Quod enim ibi dixerat Chorus, hic persequitur, ac disertius etiam explicat, ut modo præmonebam. Sententia ipsa exhibet nobis Christum *cruci affixum.* id enim hic vere valet vox מחולל, quemadmodum alibi *b*, loca prophetiarum *Crucem* Christi prænunciantia interpretatus, pluribus demonstravi. Vox מחולל, à חלל derivatum, verti potest, vel *profanatus*; vel *perforatus.* confossus, transfixus, ferro vulneratus. Prioris notationis usus est Ezech. XXXVI. 24. *Et sanctificabo nomen illud meum magnum,* המחלל בגוים PROFANATUM *inter Gentes.* Altera occurrit Ezech. XXXII. 26. מחללי חרב *Exanimati gladio.* Sic Vates noster Cap. LI. 9. מחוללת תנין *Exanimans Draconem.* Priorem versionem sequutus hic est Aquila; Αὐτὸς βεβεβηλωμένος· *ipse profanatus*, pollutus: sed forte solus. Omnes vident, hic designari malum physicum, propter peccata inflictum. Ergo Hieronymus rectissime: *Vulneratus est propter iniquitates nostras.* Sic præiverat Græcus: Ἐτραυματίσθη διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. Cl. Coccejus *c*: *Excruciatus ob defectiones nostras.* Sive, *Et ipse cruciabatur propter defectiones nostras:* significatione vocis petita ex חול *dolere.* Refert autem ad *dolores* & *labores animæ* quos Messias in extremis sustinuit. Constitit ipsi forte singularis sui judicii ratio; sed non constat mihi. Plane persuasus sum, Vatem hac notione *directe* significare & demonstrare voluisse ipsum supplicium *crucis Christi.* Thematis חלל genuina notatio est *perforari*, ut ex derivatis liquet. usurpatur autem *translate* de *vulneribus* quæ gladio aut ferro alicui ad necem infliguntur: unde phrasis, usu recepta, חללי חרב *confossi*, perfossi, *gladio*, (ferro acuto,) ad necem cum *effusione sanguinis.* Censeo autem, Prophetam cum designare vellet Christi Jesu *crucifixionem*, quod supplicii genus in usu non erat apud Hebræos: nullam adhibere potuisse vocem hac ipsa aptiorem. Ipse eodem sensu & eadem voce se appellat חללים *confossos d*. quod *cruci affixus* non uno, sed multis vulneribus lethalibus transfixus cerneretur. quem locum ipsum quoque in *Dissertatione* hujus argumenti prosequutus sum *e*. Idem itaque hic legis, quod in Divina Ode *f*: כרו ידי ורגלי *Perfoderunt manus meas, & pedes meos.* & apud Zachariam: *Adspicient in me*, אשר דקרו *quem* TRANSFODERUNT. Quin censeo, Paulum hunc ipsum locum habuisse in oculis, ubi de Christo Jesu scripsit *g*: Ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν· *Qui* TRADITUS EST (ad crucem,) PROPTER OFFENSAS NOSTRAS. Obtinet autem præfixa מ *propter*, perinde ac Græcum διὰ, hoc in loco significationem *caussæ impulsivæ.* ut Pſ. CVII. 17. *Stulti* PROPTER *modum transgressionis ipsorum*, (מדרך פשעם) *&* PROPTER *iniquitates suas afflictuntur.* Confer ex nostro Vate Cap. I. 29. & Pſ. XII. 6. & respectu præpositionis διὰ, huic *præfixæ* hoc in casu respondentis, Matth. X. 22. Καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων ΔΙΑ τὸ ὄνομά μου. Joh. VII. 13. *Nemo tamen palam de ipso loquebatur* διὰ τὸν Φόβον τῶν Ἰουδαίων· PROPTER *metum Judæorum.* Significatio *Occasionalis* aut *finalis* caussæ quam Socinus hic admittit, (licet *finalem* caussam non potis sit demonstrare nisi per *ambages*,) non satisfacit phrasi, & analogiæ Scripturæ totius. Διὰ hic idem valet quod in aliis locis περὶ & ὑπέρ. Res eadem est. Multo adhuc minus loco quadrat respectus *caussæ efficientis*, secundum Abarbenelem. Sunt interpretationes violentæ, toti contextui contrariæ. Sensus Prophetæ est, Christum Jesum *crucifixum* instar hostiæ piacularis *tulisse* vicariam pœnam *transgressionum*, (פשעים *Defectionum*,) à nobis commissarum. Alterum jam membrum, מרוצץ מעוונתינו *contritus propter iniquitates nostras:* (Οἱ ὁ. Μεμαλάκισται διὰ τὰς ἀνομίας ἡμῶν· *Infirmatus est propter iniquitates nostras:*) quam pulchre refertur ad labores & angores, *tristitiamque* summam, quibus Dominus noster in extremis pressus, & tantum non *oppressus*, fuit; quos ipse graphice depingit in *Odis* hujus argumenti præstantissimis *i*. Vox רצא Hebræis notat *conterere*, *enervare*, & fere ad *nihilum* redigere. Refertur autem elegantiore sensu ad *animum* humiliatum, afflictum, laborantem, & ex qualicunque caussa contritum, & fere *nullum* factum. Sic Jesaias, Cap. LVII. 15. Deus excelsus, in cœlis habitans, simul dicitur *habitaturus esse* את דכא ושפל רוח *cum* CONTRITO *&* *humili* SPIRITU. & Jer. XLIV. 10. de Judæis non resipiscentibus, nec corde fractis: לא דכאו עד היום הזה *Non sunt* CONTRITI, (animo fracti, afflicti, nulli facti,) *usque ad hunc diem.* Pſ. XXXIV. 19. *Propinquus est Jehova* FRACTIS CORDE, ואת דכאי רוח יושיע *&* CONTRITOS SPIRITU *servat.* Ubi Christus Jesus fuit in gravissima ἀδημονίᾳ *k* & ἀγωνίᾳ *l*; ubi obrutus fuit profundissima λύπῃ *tristitia*; ubi concussus fuit & prehensus ab ἐυλαβείᾳ *metu m*, *anima* ejus *laborante* & *terroribus* Dei ipsum *percellentibus n*; quod in horto Gethsemane & cruce factum esse constat: *cor* ipsum veluti *defecit*; estque fere redactus עד דכא *ad nihilum.* Sic ipse apud Matthæum *o*: *Anima mea tristis est* ἕως θανάτου· USQUE AD MORTEM. Et in Ode jam laudata *p*: *Reputatus sum cum his qui descendunt in foveam: fui instar viri cui* NULLÆ VIRES. Rursus *q*: *Fero terrores tuos:* אפונה DEFICIO. linquor animi. Totum argumentum *prioris partis* Odæ, LXIX. in hoc thema resolvitur. Hujus *internæ* ejusque omnium gravissimæ passionis Christi Jesu nulla ratio dari potest ex hypothesi Socini. Si enim Dominus passus sit ut *martyr*, confirmaturus doctrinam suam sua morte, & nobis relicturus exemplum patientiæ: quorsum *intus* tam graviter tentatus afflictusque fuit? Recte itaque Vates demonstrat caussam veram, *nostras iniquitates* ipsi pœnæ loco *impositas* & *imputatas.* Intelliguntur in universum *ai ἁμαρτίαι peccata seminis electi*; ejus פשעים *Defectiones*, & עונות *transgressiones Legis*, per Messiam expiandæ. Etiamsi enim voces hæ per se aptæ sint exhibere diversa peccatorum *attributa* & *species:* hic tamen generali sensu sumendæ sunt. Quomodo autem Providentia Divina internas hasce Christi Jesu *tentationes* & constantiæ atque obedientiæ ejus experimenta administraverit: nobis non liquet; nec, ut liqueat, opus est.

Reſpectus voculæ διὰ apud Græcos.

Animadverſio in interpretationem Socini.

Alterum membrum: *Contritus propter iniquitates nostras.*

Referendum ad *angores* & *labores animæ* Christi Jesu. Usus vocis רצא hoc in loco.

Notatio ejus aliunde adstructa.

Phrases Evangelicæ de illis Christi angoribus huc allatæ.

Animadverſio ad doctrinam Socini ex hoc loco.

Utrum-

Nulla Hebræis vox est quæ ad supplicium *crucis* Christi commodius refertur.

Hieron. laudatus.

Ad Cl. Cocceji judicium animadverſio.

Loca analoga cum hoc comparata.

Vera causa à Jesaia nostrata.

a Pſ. XLI. 1. *b* *Observ. S.* Lib. II. Cap. IX. §. XXIV. coll. cum §. XVIII. *c* In Lex. ad v. חול. *d* Pſ. LXIX. 27. *e* §. XVIII. *f* Pſ. XXII. 17. *g* Zach. XII. 10. *h* Rom. IV. 25. *i* Pſ. XXII. LXIX. LXXXVIII. *k* Matth. XXVI. 37. *l* Luc. XXII. 44. *m* Heb. V. 7. *n* Pſ. LXXXVIII. 16. 17. Marc. XIV. 33. Ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι. *o* Matth. XXVI. 38. *p* Pſ. LXXXVIII. 5. *q* ℣. 16.

Membrum tertium: *Pœna exemplaris pacis nostræ super ipsum.*

Utrumque genus παθήματος complexe sumitur *membro tertio:* מוסר שלומנו עליו POENA EXEMPLARIS PACIS NOSTRÆ SUPER IPSUM. Hier. *Disciplina pacis nostræ.* Pariter οἱ ὁ. Sensus fert, Mala illa pœnalia, quæ Dominus in extremis sustinuit, respicienda esse instar *pœnarum exemplarium*, ipsi à Deo Patre *ad demonstrationem Justitiæ ejus* impositarum, ut semini electo impetraret ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν *Remissionem peccatorum*, & καταλλαγὴν *Reconciliationem* ac *pacem cum Deo.* Nullum respectum habuisse ad ipsum: sed ad nos. Neque enim hæc παθήματα subiturum esse, ut pro peccatis à se commissis puniretur aut emendaretur; neque etiam ut amor & fides ejus in Deum, ejusque fidei constantia, certo documento probaretur: sed passum esse *pœnas* illas *exemplares* NOSTRI CAUSSA, ut nos ad *Deum duceret*, & *Deo reconciliaret.* Vox מוסר, licet pro qualicunque *disciplina* sumatur, tam qua rudiores *verbis* castigantur; quàm qua *verberibus* ad emendationem morum: absque omni dubitatione hic sumenda est pro *castigatione*, sive *disciplina pœnali*; cum contextus totus de pœnis iisque gravissimis agat; & notio עליו *super eum*, id liquidissime arguat. Est autem *pœnarum* ejusmodi duplex ratio; vel enim instituuntur ejusmodi *castigationes* ad emendationem & correctionem ejus qui punitur; *ut is qui fortuito deliquit, attentior fiat, correctiorque*, ut A. Gellius [a], de hoc argumento docte differens; qualis punitio νουθεσία dicitur: vel ut in *punitione* exemplum statuatur *in publico, ut cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur.* Phrasi Platonis [b], ἵνα ἄλλοι ὁρῶντες πάσχοντα ἃ ἂν πάσχοι, φοβούμενοι βελτίους γίνονται; *ut alii eum videntes pati quæ patitur, metu meliores fiant.* Græci παράδειγμα vocant: Latini *exemplum*, documentum. *Idcirco*, subdit Gellius, *Veteres quoque nostri* EXEMPLA *pro maximis gravissimisque pœnis dicebant.* Utramque notionem assumit vox מוסר. notat enim *pœnam Erudientem.* Confer loca Prov. VII. 22. Ezech. v. 15. Est autem posterior hic plane necessaria. Cum enim *Persona* de qua hic agitur, vitiis pura, necesse non haberet ad sui emendationem puniri; neque etiam ad δοκιμασίαν *experimentum* fidei & constantiæ in Deum; & tamen *pœnam* sustinuerit longe gravissimam: nihil supereſt, quam ut dicamus, illum *pœnam* illam tulisse *aliis in exemplum.* Et certe ipsa pœnæ à Messia perlatæ ratio & modus ex voluntate Dei nos monet de hoc punitionis genere. Destinatus enim à Deo est ejusmodi pœnæ ferendæ, qua SUBLATUS EST IN ALTUM, (ὑψωθεὶς, stylo ipsius Domini apud Joannem [c],) & *in* SUBLIMI POSITUS *ante oculos omnium*, tanquam *exemplum* quoddam *Justitiæ Divinæ*, & κατάρας *execrationis*, ipsi incumbentis, publice proponeretur. quò respiciens Apostolus scripsit [d]: *Quem* PROPOSUIT *Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ad demonstrationem* JUSTITIÆ SUÆ. Intellige *Justitiam Divinam* exigentem vindicias peccati. Illuc enim pertinet *sanguis*, & ἱλαστήριον *placamentum*, quorum Apostolus hic meminit. Poterant in hoc Exemplo videre pii, quid ipsi meriti essent, & quanta vis sanctitatis in Deo sit: impii & Evangelio immorigeri, quantum sibi ferendum esset *pondus iræ Divinæ.* Quæ itaque ratio, quis effectus hujus acerbissimi supplicii, non nocenti inflicti? PACIS NOSTRÆ, ait Vates. h. e. ad *impetrandam nobis reconciliationem cum Deo.* quæ *reconciliatio*, stylo Sacro, dicitur *pax*, ut Zach. VI. 13. *Consilium* PACIS, est *consilium de* Electis Deo conciliandis. Sic in loco modo exsignato, Rom. III. 25. *Quem* PROPOSUIT ἱλαστήριον PROPITIATORIUM (placamentum, propitiationem, cujus fructus est *pax*,) *per fidem*, IN EJUS SANGUINE. Ἱλαστήριον hic cohæret cum verbis ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Confer alia, Cap. v. 10. *Cum inimici essemus*, RECONCILIATI *sumus Deo per mortem Filii ejus.* Col. I. 20. *Ut* PACE *per sanguinem* CRUCIS EJUS *facta, per eum reconciliaret omnia sibi.* Respexit, opinor, hunc locum. I Pet. III. 18. *Nam & Christus semel pro peccatis passus est*, JUSTUS *pro injustis, ut*-NOS AD DEUM ADDUCERET. Quando hæc scripsit Petrus, proximus fuit Jesaiæ. Patet ex harmonia Doctrinæ Evangelicæ, Christi Jesu *passiones*, & quidem probrosissimi supplicii crucis ejusque subsequutæ mortis, ex ordinatione Consilii Divini caussam fuisse *meritoriam* & *efficientem* peccatoris Deo conciliandi ac Divinæ restituendi amicitiæ, quod per eas Justitiæ ejus sit satisfactum: ut adeo מוסר *pœna exemplaris*, Christo imposita, sit *caussa* nostræ reconciliationis. quæ significatio in *constructo statu*, ut nomen *regens* caussam, *rectum* effectum designet, usu frequens est in Verbo Dei. Sic Vates noster Cap. IX. 6. illum vocat *Principem pacis*, pacem populo suo procurantem. Cap. XI. 2. *Spiritum S.* super ipsum recumbentem, *Spiritum* dicit *sapientiæ.* qui sapientem facit. Nec A. Ezra & passim Judæi, (Kimchius enim hic aliud sectatur:) ex hypothesi sua phrasin aliter accipiunt. *afflictiones* enim quas Gens sua sustinet in præsenti Exilio, *caussam* esse quod Gentes *pace* fruantur. quod licet absurde & falso dicatur, arguit tamen genuinam phrasios notationem. Accedit quod maximam emphasin sententiæ addit, Vatem scribere, *Pœnam exemplarem pacis nostræ esse* עליו SUPER IPSUM, h. e. ex vi phrasios, *ipsi incumbere* tanquam debitum ad quod expungendum *obligatus fuerit.* Modus enim loquendi elegantior significat *obligationem* qua quis ad officium in se susceptum *obstringitur*, quod jam Ludovicus de Dieu, Coccejus, & Morus quoque hic loci, observarunt. ut Gen. XVI. 5. חמסי עליך *Injuria mea* SUPER TE *est.* tibi incumbit vindicanda. Verba Saræ ab Hagare læsæ ad Abrahamum. Jud. XIX. 20. *Omnis defectus tuus* SUPER ME. in me suscipio omnia necessaria tibi præbere. Ps. LVI. 13. עלי אלהים נדריך SUPER ME, *ô Deus, sunt vota tua.* Ait itaque Chorus hic, interprete Prophetâ; Pœnam illam exemplarem, Messiæ inflictam, ut peccatori impetraret *pacem*, ipsi incubuisse solvendam, quod tanquam Sponsor eam *obligationem* in se suscepisset. Quid magis dici potuit εὐαγγελικόν? In tanta autem luce & claritate doctrinæ non opus fuerit nos fatigare refellendis παρερμηνείαις Socini, & sequacium. Nullam illi agnoscunt *pœnam exemplarem*, à Christo propter peccata latam: nullam, quæ ipsi ut *debitum* ferenda incubuit. nullam, quæ peccatori meruerit *pacem* apud Deum. Christum ajunt gravissimas afflictiones ferentem (non *propter peccata*, sed *occasione peccatorum* & vitiorum humani generis,) exemplum patientiæ dedisse hominibus, & doctrinam Evangelii sua morte confirmando omnibus qui Evangelio ejus obsequerentur, profuisse ad *felicitatem.* quæ hypothesis vere Christo Jesu nihil plus tribuit quam omnibus *martyribus*, & nullo modo satisfacit *doctrinæ* totius hujus *Sectionis*, & genuinis notionibus vocum, hic usurpatarum. מוסר est *pœna*, quæ *peccatorum caussa* sustinetur, παραδειγματική. עליו notat *obligationem* ad eam ferendam. Qui in hac *Sectione* describitur *Justus* commendatur ut *hostia piacularis* sua punitione aliorum expians peccata, & hoc medio illos *reconcilians Deo.* Qui hæc videre non vult, sponte sua cæcutit.

Succinit his membrum quartum: ובחבורתו נרפא לנו *Et in vibice ejus nobis facta est sanatio.* Οἱ ὁ. absque vitio, Τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἡμεῖς ἰάθημεν. Imitatus est Petrus [e], hæc verba in rem suam allegans, & ad Christum Jesum transferens. חבורה proprie est *vibex*, *tumex*, carnis livor aut tumor, ex *verberibus* aut *flagellis* natus; comparaturque vox cum מכה *plaga*, & פצע *vulnere*, apud Vatem nostrum Cap. I. 6. Etymi rationem probabilem ex Kimchio videbis apud Coccejum [f]. Μώλωψ idem valet Græcis. Hesychius: Μώλωψ· Ὁ ἐκ τῆς πληγῆς αἱματώδης τόπος. Sic putem recte legi. Alluditur hic manifeste ad Christi Jesu *flagellationem*, adjun-

Significatio genuina vocis מוסר.

Pœnarum *Exemplarium* duplex ratio.

A. Gellii locus, de hoc argumento.

Genuina notatio vocis in hoc loco definitur.

Usus vocis ὑψόω de *Cruce Domini.*

Fructus ejus *Pax.* Quæ describitur, & ex analogia illustratur.

Collectio ex his locis facta.

Judæorum sententia de hac phrasi.

Emphasis ejus quod hic dicitur, *Pacem fuisse* SUPER IPSUM.

Notatio vocis עלי, hoc in casu, sensu *obligationis.*

Loca analoga.

Sensus sententiæ inde adstructus.

De Socini doctrina admonitio.

Christus Jesus passus est ut *hostia piacularis.*

Quartum membrum: *Et in vibice ejus nobis facta est sanatio.*

Usus vocis חבורה in Sacris.

Et Græca μώλωψ,

---

a *Noct. Attic.* Lib. VI. Cap. XIV. b In *Gorgia.* c Joh. III. 14. VIII. 28. XII. 32. d Gal. III. 13. e I Pet. II. 24. f In *Lex.* ad h. v.

junctum vel antecedaneum Romani moris in supplicio *crucis*. Est enim planissimum attendenti, Jesaiam hic errare circa *crucem* Servatoris. Idem est de quo ipsum loquentem audivimus Cap. L. 6. *Tergum meum do percutientibus. Flagellatio* proprie dat *vibices*, & *extumescentias carnis*. Injurias probrosas quas perpessus est Dominus in impacta capiti *spinea corona*, πολυφίσμασι, ac petulantibus militum insultibus, nolim exclusas, si quis eas inclusas velit: sed novi, esse aliquid *signatum* & *proprium*, quod Vaticinantes passim in oculis habent. Imo vero ad *Flagellationem* hic potius quàm alio respici, ipsa nos monet vox *singularis numeri* חבורה. Cum enim *tergum* patientis *totum* flagellis scissum corruptumque fuerit: videbatur esse *unus tumor*, vibex una, per totum corpus diffusa: etsi cætera nihil vetaret, vocem structuræ *singularis* hic *collective* accipere, ut passim fit ab Interpretibus. En vero venustissimum ὄξύμωρον in dicto Prophetæ, his *vibicibus* procuratam esse *sanationem*, sive *sanationem factam esse*, (sic notio נרפא *formæ Niphal* interpretanda est:) *nobis*, sc. credentibus. Cum enim *vibices*, & *vulnera*, ipsa *curatione* indigeant: quàm paradoxum, eadem hic exhiberi ut caussam *sanationis* aliorum? Et tamen ex hypothesi jacta nihil facilius. Cum enim *corpus suum*, *tergum suum*, nobis *supposuerit*; & suis hisce afflictionibus obsequiosus Patri Semini credentium impetraverit ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν *Remissionem peccatorum*: ipsæ hæ *vibices* credentes *sanarunt*. Intelligis utique qui te exercuisti in phrasi Scholæ Sanctorum, per *sanationem* intelligi *Remissionem peccatorum*, cum qua omnia Beneficia Gratiæ & Gloriæ cohærent. Sic acceperat βῆσιν Vates noster Cap. VI. 10. Poëta Divinus *a*: SANA ME, *Jehova*, *quia perterrefacta sunt ossa mea*. Loquitur de *condonatione delictorum*. Alio loco *b*: *Jehova*, *esto mihi propitius*: SANA *animam meam*, *quia in te peccavi*. Rursus *c*: *Qui propitius condonat omnia peccata tua*: *qui* SANAT *omnes ægritudines tuas*. Hæc clara & liquida: quare verbum non addo. Christi Jesu obedientia & passiones sunt caussa ejus quod peccator in integrum restituatur; conscientia tranquilletur; affectus purgentur; & ipse desiderata reficiatur consolatione.

Referenda est præcipue ad Christi Jesu *Flagellationem*.

ὄξύμωρον in hoc loco.

Quod tamen rei ipsi optime quadrat.

Sanatio spiritualis qua re consistat?

Articulus tertius.

Articulus tertius, ℣. 6. *Omnes nos instar ovium erravimus*, &c

℣. 6. *Omnes nos instar* OVIUM *erravimus*; *quisque viam suam respeximus*: *sed Jehova* IN IPSUM INCURRERE FECIT *iniquitatem omnium nostrum*.] Argumentum orationis idem: idem sensus. Chorus Sanctorum, nunc ad Dominum conversus, præmittit hic paulo explicatius *caussam impulsivam* afflictionum Messiæ, desumptam ex *Statu* suo *misero*, & secundum statum *merito*: quando demonstrat *medium*, quo in viam reducti & in integrum restituti sunt. Prius *duobus membris* enunciant: posterius *uno*.

Affectio orationis.

Status antecedens Credentium primo describitur.

Statum suum *antecedentem*, in quo reposita erat caussa afflictionum Messiæ, sic describere ordiuntur: *Omnes nos instar ovium erravimus*. Sic præivit Petrus, applicando hæc verba ad Judæos conversos sui temporis: Ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενοι· perinde ac *οἱ ὁ.* in *prima persona*. Vox אנן Hebræis non notat *unam ovem*, aut *capram*; sed *multas*, ubique *collectas*. ut ὁ πάνυ *d*. Idem docet, propriissime sumi de ovibus: etsi latius de capris quoque cum ovibus in unum Gregem junctis. Hic præcipue *oves* respici, attributum facile evincit. *Ovis* enim est, si ductu Pastoris careat, vel se à Grege separet, vel etiam ductui Pastoris se subducat *e*, *errare*. Poëta facer *f*: ERRAVI *instar parvæ pecudis*, *ovis*, *intereuntis*; (ad interitum tendentis;) *quære Servum tuum*. Nullus enim in hac animante est instinctus prudentiæ naturalis, ut multis aliis, sibi ad salutem consulendi: nullæ etiam ei datæ ad se defendendam vires, aut subsidia. Subducta curæ Pastoris, suo errat discrimine, exposita quærentibus ad necem, aut devorantibus ad pastum. Errat errores magnos ac crassos. Verba autem Vatis in hoc loco composita sunt ad emblema *Gregis dispersi*, à nullo *Pastore* procurati: quod ex altero membro clare liquet. Constat his verbis: *Quisque viam suam respeximus*. h. e. instar ovis errabundæ, quæ absque consilio, pro cupiditatis instinctu aut oblata *occasione*, per devia & incerta vagatur, periculi secura: sic nos ad diversos scopos, ad quos ab affectu dominante rapiebamur, absque ulla consilii prudentia nos vagis commisimus erroribus, per quos impendens nobis periculum non potuissemus evitare. Non potest hic esse dubia notatio vocis נוה *respicere*, quæ tamen hic non significat institutum animi ab actu sejunctum, sed cum actu conjunctum. *Via* autem est, stylo Scripturæ figurato frequentissimi usus, *vitæ ratio* & *modus*. Transfer emblema ad *Subjectum*, de quo in hac prophetia agitur. Hominum quotquot sunt omnium in statu naturæ, qui status est *tenebrarum* & *concupiscentiæ*, ἀναστρέφονται ἐν πλάνῃ· *versantur in errore*, phrasi Petrina *g*; subducti curæ peculiari Providentiæ Divinæ, qua se hominibus *revelat ad salutem*, eosque *ducit in viam vitæ*. Ut enim absque lumine Revelationis Deum tanquam Deum & auctorem salutis suæ nesciunt, atque adeo locum faciunt variis præjudiciis noxiis, quæ tandem crassos gignunt errores de via salutis: sic *servi peccati* & *concupiscentiæ* absque ulla consilii prudentia pro affectu & cupiditate dominante feruntur diversissimis viis ad fines diversos; non quos ratio, sed quos vitiatus errore & cupiditate affectus, suadet. Sic Scriptores Sacri statum hominis, à Divina communione alieni, depingunt: *errare*, inquam, *hominem*, extra Dei communionem, ad exitium: quod ipsum Hebræis & Græcis est חטא ἁμαρτάνειν *de via* aut *scopo aberrare*. Sic Vates noster, eadem usus voce *h*: *Qui hac via incedit*, *& ne stulti quidem*, יתעו ERRAVERINT. Jacobus *i*: *Si quis vestrum* πλανηθῇ ἀπὸ τῆς ἀληθείας, ABERRAVERIT A VERITATE, *&* CONVERTERIT *eum quisquam*: *sciat*, *eum qui averterit peccatorem ab* ERRORE VIÆ SUÆ, *servaturum animam à morte*. Et hæc quidem misera mortalium omnium erat conditio, & communis quoque Judæorum, quo tempore ad eos visitatum veniebat Filius Dei. Equidem Deus singulari privilegio suæ gratiæ se *Judæis* ad salutem revelaverat, eosque per Prophetas & administrationem Verbi sui revocaverat ab *errore judicii* & *vitæ*, quem mortales cæteri errabant. Fuere etiam ex iis aliqui per omne tempus Oeconomiæ antiquæ, qui revocati ab errore, recta via incesserunt. Sed ipsi quoque illi, licet hac gratia à Deo donati, origine sua erant *erronei*, sive ἁμαρτωλοί: maxima vero pars carnalibus imbuta præjudiciis de via salutis, identidem deflectebant de via recta, falsas sectati de Religione sententias, & pro sua quique cupiditate in diversa lati, ut subinde dici potuerit *k*: Πάντες ἐξέκλιναν· *Omnes* (כל *multitudo*, universitas,) DEFLEXERUNT. Nec tamen omnium temporum hic idem est aspectus. Circa eam ætatem qua Filius Dei inter homines apparuit, universalis quædam corruptio rursus invaserat corpus Judææ Gentis. *Cor filiorum* recesserat à *corde Patrum l*, ut adeo *pudefieret* Jacob, cum *filios suos* videret *m*. *Fermentum* Doctrinæ Pharisaicæ, quæ auctoritatem obtinebat apud plebem, corruperat graviora Fidei Dogmata; & *cultus* Religionis publicus evaserat mere *literalis* ac *ritualis*, in cujus tamen accuratiore observantia fundabatur *Justitia* apud Deum, & *spes salutis*. Sanctimonia interior & puritas cordis minime urgebatur. Promissa Patribus facta torquebantur ad Beneficia corporalia; & fingebatur Messias ejusmodi qualem hæc præjudicia postulabant. Nihil itaque in cultu, nihil in moribus majoris partis Gentis erat, quod Deo vere probabatur. Interim Populus hic à *Pastoribus suis* negligebatur; qui suum quique emolumentum spectantes, ipsi alios seducentes quoque seducti, imprudentes, inconsiderati, communem cum cæteris errabant errorem, tan-

Sub voce צאן *pecudis* intelliguntur præcipue *oves*.

Attributa *ovis*, & inter ea *facilitas erroris*.

Notatio vocis נוה h. e.

Oratio transfertur ad *Subjectum*, de quo hic agitur.

Proclivitas ad *errorem* in Statu ejus Naturali.

Quid hic loci *errare*?

Status Judæorum & Gentium, respectu hujus attributi.

Status humani generis circa tempus adventus Filii Dei in Mundum.

Veritas per præjudicia obscurata inter Judæos.

Vitio maxime Pastorum Gregis.

a Ps. VI. 3. *b* Ps. XLI. 5. *c* Ps. CIII. 3. *d* Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. XLVIII. *e* Vide L. c. Cap. XLI. *f* Ps. CXIX. 176. *g* 2 Pet. II. 18. *h* Cap. XXXV. 8. *i* Cap. V. 19. *k* Rom. III. 10. coll. cum Ps. XIV. 3. *l* Mal. IV. ult. *m* Jer. XXIX. 22.

tanquam *ebrii*, quales eos Vates in superioribus descripserat [a]. Et hic quidem *Status erroris* erat *communis* eorum Credentium qui hanc fidei suæ confessionem explicant: ad quem *priva* cujusque accedebant vitia, peccata, crimina, & in hisce peccatum quorundam horum confitentium omnium gravissimum, quod Christum Jesum, caussam salutis, ex characteribus suis hactenus non cognitum, ex imprudentia per aliquod tempus sprevissent, & fidem Evangelii repulissent. Hic status fuerat credentium, instar *ovium* absque ductu fidi Pastoris dispersorum, & diversis viis euntium ad exitium, antequam à Christo Jesu, vero Pastore, collecti pastique fuerint. Sic alii quoque Prophetæ statum Populi, qualis esset Christo in Mundo apparente, luculenter describunt [b]. Quod remedium huc adferendum erat, & allatum est?

Declarat Chorus per Vatem in altero membro: *Sed Jehova fecit incurrere in ipsum* (הפגיע בו) *iniquitatem omnium nostrum.* Sic vertenda sunt verba; nec alius iis aptari potest sensus. Sym. Κύριος κατανυγῆναι ἐποίησεν εἰς αὐτὸν τὴν ἀνομίαν πάντων ἡμῶν. Hieron. *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Non male quidem, si rem respicias: sed non expressit vim dictionis Prophetæ. Vox הפגיע hic aliam interpretationem admittere nequit; estque hic primus & testatissimus significatus vocis פגע. Notat in aliquem *incidere*, alicui *obviam esse*; sed in emphasi, *in aliquem impingere*, *irruere* ad aliquem interimendum. qua notione habuimus vocem Cap. XLVII. 3. confer Num. XXXV. 19. 21. 2 Sam. I. 15. Jud. XV. 12. Non mutat significationem, ubi translate sumitur pro aliquem *deprecari*, *supplicare*, *intercedere*, ut hac ipsa *Sectione*, ℣. 12. Qui enim id agunt, se alicui offerunt, illi occurrunt, eumque premunt, & urgent. Verum huic significatui hic loci constructio tota reclamat. Nec dissentiunt hic Kimchius & Abarbenel. Ad rem ipsam quod attinet: videri posset Propheta ad primam speciem deviare à suo emblemate. Cum enim dixisset Chorus, se instar *ovium dispersarum errasse*: videtur sequuturum esse, se nunc esse *collectos* à fido Pastore, Servo Jehovæ, ut Petrus [c]: *Sed nunc convertistis vos ad Pastorem & Curatorem animarum vestrarum.* Nec tamen ita est. solummodo *caussam* ponit pro *effectu*. Integrum emblema in hunc modum concipiendum est: *Cum* nos instar *ovium dispersarum* essemus *in erroribus*, & *pœna criminum nostrorum* instar Lupi, Leonis, aut Bestiæ voracis nos persequeretur ad exitium: intervenit *Servus* Jehovæ *Justus*, qui illam pœnam in se suscepit; in quem *irruit* ad necem usque; quique adeo medius inter *pœnam* & *nos*, eandem pœnam tulit, & nos ab *exitio* vindicavit; ut vindicati ab *exitio* & exempti Divinæ vindictæ, per eum colligeremur. Pulchra sententia! Idem plane est quod Dominus de se, ut de vero Pastore [d]: *Ego sum bonus ille Pastor: bonus ille Pastor* ANIMAM SUAM PONIT PRO OVIBUS. *Medium* se ponit inter *oves* & *feras bestias*, eas ad exitium quærentes. Sua *morte* illarum exitium avertit, ut illas ab exitio vindicet, & earum recolligendarum locum faciat. Procopius optime: Ὁ πατὴρ αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀντίψυχον ὥσπερ παρέδωκε. Sentis itaque, per עון *iniquitatem* hic intelligi עונ *iniquitatis pœnam*, ut Aben-Ezra & Kimchius docte observarunt, estque recepti usus notio in Sacris. Sic *ferre iniquitatem* sæpius *ferre iniquitatis pœnam* [e]. Dicitur autem *iniquitas* quem INVENIRE, ubi *pœna* iniquitatis quæ illum persequitur, illum *deprehendit* [f]; ubi ob iniquitatem commissam punitur. Quicquid itaque in notionibus *Mediatoris* & *Sponsoris* latet, hac voce involvitur. Christus Jesus ut *Sponsor* nostris periculis caput suum objecit. Adscribitur autem hic eventus Deo Patri, quod ille consilio suo scripserit *Legem Sponsionis*, cui Filius Sponsor se subjecit, & sua providentia quicquid ad executionem consilii pacis pertinebat, direxerit. Ipse, Peccati Vindex, vindicias peccati exegit, ut protinus additur.

Priva peccata publicis accedentia miseriæ faciebant complementum.

Consensus aliarum Prophetiarum hac in parte.

Emendatio erroris, & restitutio in integrum: *Sed Jehova fecit in ipsum incurrere, &c.*

Usus vocis הפגיע hoc loco.

An oratio Vatis non deviet à scopo?

Integrum emblema orationis simul exhibetur.

Christus Jesus ut Pastor se *medium* ponit inter *oves* & inter *animantes feras.*

Per עון *iniquitas* hic intelligitur *pœna iniquitatis.*

Articulus quartus.

℣. 7. EXIGEBATUR debitum; *& ipse afflictus est; & non aperuit os suum. instar ovis ductus est ad mactationem; & ut agna quæ muta est coram tonsoribus suis, & non aperuit os suum.*] Eadem rursus res agitur. Proponitur *caussa* afflictionum, à Messia perferendarum; & demonstratur *modus*, quo eas perferret. Prius membrum his constat; נגש והוא נענה *Exigebatur; & ipse afflictus est.* quæ verba cum Intt. plures qua Veteres, qua Recentiores, non assequerentur: egregiam sententiam infeliciter tractarunt. Hieron. vertit: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Sic dederat Symmachus, προσηνέχθη, καὶ αὐτὸς ὑπήνεγκε. Confuderunt vocem נגש cum litera *w adspirata*, sive cum *puncto* in *cornu dexiro*, quando valet *accedere*, *appropinquare*, cum נגש, litera *w leni*, notata ad *cornu sinistrum*, quando fert *exigere*. Ex his autem qui viderunt, vocem נגש hic admittere significatum *exigendi:* non omnes tamen genuinam vim phrasios assequuti sunt. Tremellius scripserat; *Exigebatur* pœna. quæ versio cum optime se haberet: Piscator tamen eam emendaturus, posuit, *Exigebatur* illa: sc. *iniquitas* cujus in *commate superiori* facta erat mentio; quem imitati sunt Belgæ. Nec tamen ego hanc emendationem vehementer probo. Etiamsi enim עון *iniquitas* in superiore *commate* vere notet *iniquitatis pœnam:* non sonat tamen satis commode sententia, *Exigebatur iniquitas.* Cl. de Dieu observans, vocem נגש, stylo Scripturæ S. sæpius referri ad *personas*, vertere instituit, *Exactus est.* Verum, ubi vox נגש refertur ad *personas*, semper illud fit cum respectu ad *pecuniam*, *debitum*, *officium*, aut *ultionem*, quæ ab aliquo *exiguntur*, ut inter alia exemplum est in hoc Libro Cap. LVIII. 3. כל עצביכם תנגשו *Omnes dolores vestros* EXIGITIS. h. e. omnes injurias quas vobis censetis illatas esse. Subest itaque huic phrasi *ellipsis* in hujusmodi casu. Et sane ipse Vir Doctus phrasin Belgice redditurus id protinus agnoscit, redditque, *Exactum est ipsi.* Quid vero? Peccatorum nostrorum pœna. Sed quanto rectius Cl. Cloppenburgius, solidi Vir & culti judicii, cujus ipse quoque ibidem mentionem facit, *Exactum est.* h. e. *postulata est exactio.* Melius, *Facta est exactio.* Hic sensus Vatis. Sic pariter Cl. Coccejus: EXIGEBATUR. Intellige, *debitum*, pœna, *nostrorum peccatorum.* Repetendum quod sæpe dictum, & licet magnum Fidei mysterium à pueris in Christo tenetur: non *decuisse Deum Patrem*, postquam *multos filios introduxisset in gloriam*, multo plures introducturus esset, id agere absque publica Nominis sui sanctificatione. *Exegisse* igitur λύτρον, & *debitorum* à salvandis contractorum *solutionem*, suæ faciendam Justitiæ: cui *solutioni* cum salvandi per se impares essent, interveniisse voluntaria sponsione Mediatorem, *Principem salutis credentium*, Goëlem *divitem*, huic negotio parem, qui *debitum* in se suscepit, & pro eo solvendo cavit, idque in tempore morte & passionibus suis expunxit, *chirographo* cruci *affixo*, & ibi intermortuo atque interempto. Id vero ipsum est quod mox subjicitur, והוא נענה & IPSE *afflictus fuit.* sc. *Princeps salutis credentium per passiones consummatus.* Cl. de Dieu vult, *Et ipse humilis fuit.* non contranisus est ut refractarius. Sed est hæc omnium tenuissima significatio vocis נענה. Coccejus: *Et ipse submittebatur.* ἐταπεινώθη. Non dissidet à nobis sensu: sed cum hic agatur de *pœna* in ipsum *translata*, & pro nobis lata, efficacius dicitur, *afflictus*, *debilitatus*, *subactus est.* Sic in sequente contextu Cap. LVIII. 10. נפש נענה *Anima afflicta*, *exhausta*, *debilitata.* Ipse Sponsor suus est Interpres in Ode ejusdem argumenti [g]: *Quod non* RAPUI, *tunc* REPENDI. Et apud Matthæum [h]: *Filius hominis venit, --- ut det animam suam* λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Paulus [i]: Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν. Alio loco [k]: Ὁ δὸς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Non est itaque ratio ulla, cur Schola Socini hic refugiat vo-

Articulus quartus, ℣. 7. *Exigebatur* debitum, &c.

Summa hujus sententiæ.

Primum membrum: *Exigebatur, & ipse afflictus est.*

Veteres aliqui non bene acceperunt Hebræa.

Vis vocis נגש.

Versionum collatio.

Observatum Cl. de Dieu.

Subest phrasi ellipsis.

Exigebatur hic valet, *exigebatur debitum.*

Cl. Cloppenburgius laudatus.

Res ipsa paucis è principiis declaratur.

Sponsio Christi, ejusque consectaria.

Eodem tendunt verba, *Et ipse afflictus est.*

Genuina notatio vocis נענה.

Analoga huc allata.

a Cap. XXVIII. 7. b Jer. XXIII. 1. Ezech. XXXIV. 1. seqq. Zach. XI. 1. seqq. c 1 Pet. II. 25. d Joh. X. 12. e Exod. XXVIII. 43. Confer Gen. XIX. 15. 2 Sam. XIV. 9. f 2 Reg. VII. 9. g Ps. LXIX. 5. h Cap. XX. 28. i Eph. I. 7. Col. II. 14. k 1 Tim. II. 6.

De voce *Satisfactionis* observatum.

cem *satisfactionis*, cum vere idem sonet ac *solutionis*: etsi ob latitudinem significationis vocis *satisfactionis*, ejusque ἀμφιβολίαν, censeam vocem *solutionis*, quæ respectum habet ad *peccata* ut חובות *debita*, quippe nos *debitores* faciunt pœnæ persolvendæ *Justitiæ Divinæ*, in argumento hujus doctrinæ disputando rectius usurpari quam satisfactionis.

Modus quo Christus D. passiones tulit: *Non aperuit os suum.*

Modus quo Christus Jesus perferret & pertulit Dolores & παθήματα sibi decreta, additur, in verbis, *Et non aperuit os suum:* & mox latius explicatur, *Instar* OVIS (שה) *ad mactationem ductus est; & ut* AGNA *coram tonsoribus suis muta est; & non aperuit os suum.* Vides, designari summam Christi Jesu *patientiam*, & ὑποταγὴν *submissionem humillimam suæ voluntatis*, ut perfectum præstaret obsequium voluntati Divinæ; quam ejus virtutem Petrus, hunc locum respiciens, dignissime descripsit [a]. Vox שה hic recte vertitur per *ovem*, quæ vulgata ejus significatio est; etsi *caprinum genus* non excludit. Sic οἱ ὁ. & Lucas, hunc locum allegans [b]. טלה in universum notat *ovem*, & quidem *fœminam*: sed in emphasi *agnam*. quod hic fere perinde est [c]. *Attributum* enim hic non discernit ætatem. Comparatio generalis hic est facillima. Ut enim *ovis*, & *agna*, est lene animal, quod si compos esset rationis, *mansuetum* diceres; & se facile ad mactationem *duci* patitur; & *mactanti* absque renitentia jugulum præbet: sic se res habuit cum Christo Jesu. Spiritus Sanctus qui illum formaverat, simul illum imbuerat *mansuetudine* ac *lenitate* animi, & modesto de se sensu, qui omnem excludit ferociam, arrogantiam, & spirituum tumorem. quæ *mansuetudo* ipsi quidem erat naturalis, attamen in ipso vere locum obtinuit excellentis virtutis, quam respici voluit ut exemplum verorum suorum discipulorum. *Discite à me*, inquit [d], *esse me* MANSUETUM, *& summissum corde.* Apostolus [e]: *Itaque is sit* AFFECTUS (sensus) *in vobis qui & in Christo Jesu.* cujus proinde commendat *modestiam.* Sed cum idem simul intelligeret, in quem finem venisset in Mundum, quodque onus sibi ferendum incumberet acerbissimorum παθημάτων: sic affectus fuit ab eodem Spiritu, ut se summa animi submissione, lubentia, & patientia, subjecerit voluntati Patris, dicens, *Ecce adsum, Voluntatem tuam, ô Deus, facio lubens* [f]. Quare sive prehensus à Ministris Synedrii & Pontificis; sive ab ipso illo Synedrio; & deinceps à Pilato judicatus, & ad probrosissimum supplicium damnatus, cum sciret, defensionem fore frustraneam, & præter rem, nihil reluctatus est; sed tam Judicum sententiam; & probra ac injurias Ministrorum utriusque Fori; quam perpessiones sibi decretas, ea tulit patientia & mansuetudine animi quæ omnes rapuit in admirationem: quam *mansuetudinem* & *patientiam* suam ipsum jam enarrantem audivimus Cap. L. 6. 7. Non *siluit* equidem penitus, sed, jubente respectu honoris Divini & suo, & *Veritatis*, *confessionem* edidit coram *Synedrio*, & *Pontio Pilato*: sed *modestam*, καλὴν ὁμολογίαν *pulchram confessionem*, Paulo [g]; quæ *aculeum* alte infixit animis Judicum. Cætera ex historia Evangelica omnibus nota, frustra hic à me describerentur. Tantum quod hic bis dicitur, *Et non aperuit os suum:* quam scite refertur ad utrumque *judicium*, primum Synedrii [h]; alterum Pilati [i]? Sed præter comparationem hanc generalem, exhibeo *specialem* unam, quæ aliquam videtur mereri animadversionem. *Tonsus* est Christus Jesus à Synedrio, quando omnibus suis *prærogativis*, non tantum Messiæ, & Doctoris, sed quoque *Judæi*, judicio ipsorum est privatus nudatusque; & omni vellere *nudus* expositus est Pilato. Ab hoc damnatus ad crucem, ductus est à militibus ad *mactationem*, h. e. ad mortem cruentam, ipsi *ferro* inferendam cum effusione sanguinis. quæ eadem *sors* esset multorum ejus sectatorum [k]. Plura huc non censeo pertinere; nec potui videre cum voluptate ad hunc & alia hujus *Sectionis* loca multa coacervari, vel narrari etiam ex aliorum sententiis ἀκροδιόνυσα, magis apta Verbum Dei, quod certos & Divinos sensus habet, obscurare & dehonestare, quam illuminare. Paraphrasten etiam hic, & in *superioribus* passim, neglexi, quod pleraque ejus sint absurda. Cum enim hic, tanquam cæcus nihil videret quod aliquali expositione ad præjudicia sua flectere posset: omnia fere detorsit rudi artificio ingenii in contrarium sensum; & quæ de *passione* Messiæ dicuntur, ad glorioſum hujus Subjecti *Statum* traxit, imo rapuit: nisi forte quæ hic leguntur, ipsi sint supposita.

De Paraphraste admonitio.

γ. *Chorus* conversorum Judæorum exponit JUSTIFICATIONEM Messiæ, demonstratam tum in δοξασμῷ Messiæ; tum in *Documentis* singularibus peculiaris Dei Providentiæ erga Messiam patientem; ex quibus constare poterat *Personam* ejus Deo fuisse carissimam.

(a.) Vindicatio ejus ex *passione & morte*, & *assumptio* in gloriam.

γ. Chorus conversorum exponi Documenta *Justificationis* Messiæ.

(a.) Vindicatio ejus ex passione & morte, ℣. 8 *Ex coarctatione & judicio, &c.*

℣. 8. *Ex coarctatione & ex judicio* ASSUMPTUS EST; *& ÆTATEM EJUS quis enarrabit? quia excisus est ex terra viventium: propter defectionem Populi mei plaga ipsi.*] Sic satis videri poterat vivis coloribus deformatum esse Messiæ πάθημα. Vertit itaque Chorus se ab aspectu τῆς πενώσεως & ταπεινώσεως Messiæ ad contemplationem *Justificationis Messiæ*, & glorioſorum ejus passionis fructuum, sive τῶν μετὰ ταῦτα δοξῶν *gloriarum*, *eas consequuturum*, phrasi Petrina [l]. Docet, gravissimas hasce afflictiones, quæ Populo credentium pararent salutem, ipsi patienti conciliaturas esse summam gloriam; sic tamen ut identidem *effectum* cum *caussa sua* conjungat, & dum in *fructibus passionum* Messiæ describendis est, *passiones* tamen ipsas, quæ viam ipsi ad gloriam sternerent, nunquam ex oculis dimittat. in quo argumento hæc *Sectio* usque ad finem ejus decurrit; Deo ℣. 11. 12. orationem *Chori* confirmante. Chori oratio *tribus commatibus* absolvitur. Primo, in genere Messiam ex passione & morte ejus vindicatum docet, ℣. 8. Secundo, docet in ipsa ejus *morte & sepultura* fuisse clarissimam indicationem curæ Dei erga ipsum peculiaris, & gloriæ subsecuturæ, ℣. 9. Tertio, ipsam Messiæ gloriam, & Regnum æternum, in morte ejus fundatum, distertius declarat, ℣. 10. Primum articulum hic describi. Est ille bimembris. α. *Vindicationem Messiæ* ex Statu Humili in glorioſum, ut signum certissimum amoris Dei erga ipsum, commemorat. β. *Causſam* ejus demonstrat ipsas illas Messiæ *passiones* & labores, quos pro Populo electo ipse sufferret.

Transitus orationis *Chori* ad describenda Christi Jesu Justificamenta.

Argumentum Pericopæ.

Analysis hujus Periopæ; & simul *primi versus.*

Membrum primum: *Ex coarctatione & ex judicio assumptus est; & ætatem ejus quis enarrabit?* Hebræa: מעצר ומשפט לקח ודורו מי ישוחח Geminam vides sententiam. Prior hunc dat sensum: Cum Messias extrema hæc & gravissima subiisset παθήματα, & tandem postulato Juris Divini perfecte satisfeciſſet, ut dicere potuerit, bonum illud verbum, Τετέλεσται CONSUMMATUM EST: tum vero adfuisse Deum *Patrem*, Filium suum *Justificantem*, eumque ex *pressura* afflictionum & è *potestate Judicii* quà Cœlestis quà terrestris Fori vindicatum *assumpsisse in gloriam.* Vidit jam hunc sensum Hieronymus, vertitque verba, *De angustia & judicio sublatus est*; & de recentioribus plures interque eos Belgæ, Coccejus, L'Empereurius. Hebræi quoque Interpretes, licet in Subjecto non consentiant, verba tamen hæc accipiunt de *Vindicatione* Populi Judæi è tristi Statu præsentis Exilii. Abarbenel qui ea ad Statum præsentis Exilii referens, interpretatur de *Regno* & *Synedrio*

Membrum primum. Sententia prior. *Ex coarctatione, & judicio assumptus est.* Sensus ejus exponitur.

Auctores ejus. Hebræi Intt. consentiunt. Abarbenelis lusus.

De vocibus שוחח h. l.

Et vocabuli חלל

Mansuetudo Christi illustrata ex *ove & agna.*

Quam cum lubentia obsequii erga Patrem præcipue prodidit in extremis.

Animadversa specialia Cur *bis* dicatur, *non aperuit os suum.*

Quando *tonsus sit* Christus Dominus?

Et *ductus ad mactationem?*

[a] 1 Cap. II. 23-25. [b] Act. VIII. 32. [c] Vide Bochart. Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. XLIII. [d] Matth. XI. 29. [e] Phil. II. 5. [f] Ps. XL. 8. [g] 1 Tim. VI. 13. [h] Matth. XXVI. 63. 64. [i] Joh. XVIII. 37. 38. [k] Ps. XLIV. 23. coll. cum Rom. VIII. 36. [l] 1 Pet. I. 11.

nedrio ab Israële sublatis; hic non tam cæcutit, quam ineptit. Quin ajo; præter hunc sensum, quem dedi, tolerabilem nullum dari posse, vel hactenus productum esse: quod quisque rei explorandæ intentus experietur. mihi enim non lubet sublegere inexercitatorum quorumque judiciorum conamina. Equidem Piscator ab hoc sensu aliquantulum discedens, hic intellexit *mortem Christi*, qua *sublatus est de vita*, & Deo Patri *animam* suam reddidit. Sed etiamsi vox לקח, stylo Scripturæ, explicari posset de *sublatione ex vita*, si *absolute* sumatur, (quod plane non nego:) hic tamen loci sensum illum obtinere nequit, quod illa *sublatio* explicetur de *sublatione è coarctatione & judicio*. Qui morte sua terminat gravissimas passiones, sibi ob qualecunque delictum judicialiter inflictas: censetur hactenus *manere* sub potestate *judicii & coarctationis*. Per *mortem* non justificatur, aut pœnæ eximitur. est enim ipsius *pœnæ* pars. Dixeris, accipi posse verba de *anima* Christi Jesu in *cœlum* sumpta post ejus mortem. Respondeo, α. Attributa quæ hic prædicantur de Messia omnia, vindicari ejus *personæ*. Si de *anima* ejus ageretur, adscriptum esset. β. Verba hæc de *morte Christi*, vel anima à corpore separata, & in *Paradisum* translata, sumi non posse, quia Propheta sic idem per idem declararet, vel probaret. Addit enim mox, QUIA *excisus est è terra viventium*. An *mors* potest esse *mortis caussa*? γ. Vates idem ait, *Vitam* illam assumpti ex *coarctatione & judicio* fore *æternam*; quod multo rectius de *vita* totius personæ quam animæ dicitur. Imo vero firmant expositionem nostram. α. Usus vocis לקח, qua sumitur, stylo Scripturæ S. pro *assumptione in gloriosum* vitæ *statum* cum statu *vitæ terrestris* commutandum. Sic utique testatissimis locis de Enocho [a] & Elia [b]. Poëta sacer in præcellente Ode, qua explicat doctrinam de Resurrectione mortuorum [c]: *Certe Jehova liberabit animam meam è potestate mortis*, כי יקחני *quando me* ASSUMET. sc. in gloriam; *tempore matutino*. h. e. resurrectionis. Alio loco [d]: *Duces me consilio tuo, & ad adsequendam gloriam* תקחני ASSUMES ME. De ipso Christo cœlis recepto, Lucas simplice voce, ἀνελήφθη *sursum receptus est* [e]. quod Marco *f* est, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν. Paulo *g*: Ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Ex quibus colligo, fuisse notionem in Schola Sanctorum Veterum hac significatione receptam. β. Ipsa phrasis, *Assumi ex coarctatione & judicio*, per se significat mutationem status in melius, qua quis à pœnis judicialibus, quibus subjectus fuerat, vindicatur. γ. Quod subsequitur, *Et ætatem ejus quis enarrabit:* confirmat sententiam. δ. Alterum membrum de *morte* & passionibus Domini agit, poniturque ut *ratio* ejus quod præcessit. atqui *gloria* Christi Jesu fuit *mortis & passionum* ejus *merces* & *consequens*, ut sequentia plane explicant. Accedit jam, hanc interpretationem optime consentire versioni Græcæ τῶν ὁ. à Luca *h* probatæ: Ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη· *In humiliatione ejus judicium ejus sublatum est*. Optimo sensu, ex mente nostra. Cum enim adhuc esset in cruce, & in ea videretur permansurus: Deus ipsum judicialibus pœnis, quas sustinebat, exemit, & in gloriam transtulit. Qui hic pluribus ἀκριβῶσι in Versione Græca cum Hebræa comparanda, nihil agunt, &, ut quod verum est dicam, ineptiunt. Interpres enim Græcus hujus Libri fuit imperitus; & Lucas recenset verba ab Eunucho ex Græco textu lecta; quo ipse quoque, κατὰ ὑπόθεσιν, passim utitur. Cætera jam ex dictis capis, me per עצר *coarctationem* & משפט *judicium* intelligere *pœnas* illas *judiciales*, quibus Dominus ex voluntate Patris fuit subjectus: quæ עצר *coarctatio*, *pressura*, dicuntur propter *effectum* summæ *pressuræ*, *angustiæ*, *afflictionis*, qua patientem affecerunt: משפט *judicium*, quod à *Foro* Dei *judiciali* ipsi propter peccata impositæ essent. Eo enim hic respici æquum est, quia vox לקח *assumptus est* nobis subjicit notionem *justificationis* ejus à Deo Judice ipso & Vindice peccati, postquam satisfactum esset Justitiæ ipsius. Sic ipse in superioribus [i]: קרוב מצדיקי *Prope adest qui me justificat*. Cum adhuc esset in Cruce & in ea plane interiturus vel à feris bestiis deglutiendus videretur: Deus curavit, ut è cruce sublatus, & in honestum illatus sepulchrum, & mox resuscitatus susceptus sit in gloriam, victurus in æternum, de quo Chorus protinus addit: *Et generationem ejus quis enarrabit?* Sic proprie sonant Hebræa. Est enim דור Hebræis idem quod Græcis γενεὰ; eosdemque plane adscisit significatus. Notat spatium temporis, quod homines uno tempore viventes secundum communes Naturæ Leges exigunt: unde latiore notatione *vitam*, & *vitæ* cujusque *spatium*, significat. Sic passim ab Intt. usurpatur vox Cap. XXXVIII. 12. ubi דור & חיים *vita* videntur reciprocari. Nec sprevi ibi loci hunc significatum. Sic exurgit sensus: *Quis vitam ejus gloriosam cum omnibus ejus phænomenis & effectis cogitando assequatur?* Idem est quod deinceps dicitur [k]: *Videbit semen:* PROLONGABIT DIES. Poëta sacer de eodem loquens δοξασμῷ Messiæ [l]: *Notificasti ei viam* VITÆ. Alibi de Rege Messia [m]: VITAM *petiit à te: dedisti ei longitudinem dierum in sæculum & sempiternum*. Ipse de se [n]: *Et qui* VIVO, *licet mortuus fuerim: & ecce* VIVO *in sæcula sæculorum*. Apostolus de Christo [o]: *Nam quod mortuus, peccato mortuus est semel: quod autem* VIVIT, *vivit* DEO. Est Vir Doctissimus [p], qui censet, verba hæc nostra *non male exponi de amplitudine Ecclesiæ, sive sobole credentium numerosa*. Non est spernenda meditatio, quæ ipsa quoque comparari potest cum ℣. 10. VIDEBIT SEMEN. Sed vox דור non est satis apta ad significandam *posteritatem*, ex aliquo orituram; & si Propheta id voluisset, forte scripsisset, דורותיו *generationes ejus*.

Ecquæ vero harum Vindiciarum gloriosarum ratio? quæ caussa? Subjungit Chorus: *Quia excisus est è terra viventium:* PROPTER DEFECTIONEM POPULI MEI PLAGA IPSI, vel *ipsis*. Sic distinxerunt sententiam Masorethæ, & haud dubie rectissime. Prius membrum hujus sententiæ liquidum dat sensum: sed de posteriori diversum judicant Docti Viri, pro diversa interpretatione vocis למו in fine sententiæ, Hebræis literis in hunc modum conceptæ; כי מפשע עמי נגע למו: ubi vox למו videtur verti posse non tantum IPSIS, (quæ notatio vulgatior est,) sed & IPSI. Qui למו reddunt IPSI, exponunt sententiam, secundum contextum totius orationis, de Messia, ut sensus sit: Ideo Messiam, postquam defunctus esset postulato Justitiæ Divinæ, solenniter fuisse *justificatum*, quia *excisus est ex terra viventium per mortem*, & plagis Judicii Divini & Humani affectus fuit, non *suorum* criminum & delictorum caussa: quippe *innocens* passus est: sed *propter peccata & defectiones Populi* Electorum, ab ipso Messia redimendi & expiandi; cujus Populi Electorum hi Confessores partem faciebant; quemque adeo vocant *Populum* SUUM. Plerique Intt. in hac sunt sententia, quam tamen meis verbis circumscripsi. Sed alii verba referunt ad Judæos refractarios, qui manus suas polluerunt sanguine Christi, defectores à Fœdere, quando hunc dant sensum: *Propter defectionem* POPULI MEI, (h. e. *defectionem* quam prodiderunt increduli & obstinati peccatores inter Judæos:) *plaga* IPSIS *adhæret*: h. e. secundum Coccejum, *impuri sunt*; venerunt sub *reatum* excommunicationis; tanquam *leprosi* à communione Dei & Sanctorum separandi: vel, *propter defectionem Populi mei plaga* ILLIS (*viventibus*) *incumbet*, sc. in *Judiciis*, quibus Deus Vindex sceleris in Messiam commissi eos prosequuturus est: in quam sententiam, non multum ab ea Cocceji dissidentem, Morus propendet. Diceret itaque Vates; Jesum, verum Messiam, à Deo Patre justificatum, vindicatum-

Piscatoris sententia.

Quæ seponuntur.

An verba accipi nequeant de *anima* Christi cœlis *recepta*?

Argumenta quæ suadent hic agi de δοξασμῷ Messiæ.

Usus vocis לקח *assumere* apud Veteres de *assumptione in gloriam*.

Phrasis quoque & *consequentia verba* juvant hanc expositionem.

Ut & alterum membrum.

Versio ℣ ὁ. probata à Luca optime consentit huic sensui.

De Versione ℣ ὁ. admonitio.

Per *coarctationem* & *judicium* hic intelliguntur *pœnæ judiciales*, quas Dominus sustinuit.

Vox לקח

nobis subjicit notionem *Justificationis* Christi Jesu.

Verba, *Et generationem ejus quis enarrabit?* Notatio vocis דור *generatio*.

Sensus integer.

Illustratur ex analogia.

Caussa & ratio harum Vindiciarum.

Quia excisus est è terra viventium, &c.

Distinctio hujus membri facta à Masorethis.

De Posteriori membro, *Quia propter defectionem Populi mei plaga* למו *ipsi* vel *ipsis*, distinguunt Intt.

Sensus sententiæ, si למו vertatur *ipsi*.

Qui vertunt *ipsis*, accipiunt verba de *Judæis refractariis*.

Mori sententia.

a Gen. v. 24. b 2 Reg. II. 3. coll. cum ℣. 1. c Ps. XLIX. 16. d Ps. LXXIII. 24. e Act. I. 2. f Cap. XVI. 19. g 1 Tim. III. 16. h Act. VIII. 33. i Cap. L. 8. k ℣. 10. l Ps. XVI. 11. m Ps. XXI. 5. n Apoc. I. 18. o Rom. VI. 10. p Cl. Buxtorf. in *Catalectis*, Cap. LXXIX.

que esse in gloriam, quod non nocens passus excisusque sit: at vero *plagam*, sive impuritatis & reatus, sive judicii, devolutam esse in refractarios illos Populi Judæi defectores à Fœdere, qui ipsum innocuum & crimine purum, neci dederunt. Alias sententias, ut minime probabiles, non recenseo. Et quidem Cl. Coccejus suam sententiam non segniter urget. *α.* Ex *affixo* מו, quod sibi persuadet semper sumi pro הם, h. e. pro *tertia persona plurali*: cum reliqui Intt. supponant, illud admittere posse notationem *singularis*. *β.* Ex voce משע *defectionis*, quam pertendit hic sumendam esse in emphasi, pro *defectione* plenaria, qualis fuit *Populi* qui Christum Jesum ad *crucem* postulavit. *γ.* Vocabulum נגע *plaga*, qua potissimum alluditur ad *plagam lepræ*, Christo minus convenire. Chorus enim ℣. 4. tacite negavit, Christum fuisse נגוע *plaga affectum*. *δ.* Si vulgatus sensus hic admittatur, idem hic dici quod ℣. 5. jam *efficacius* dictum erat. *ε.* Sequens *comma* sic commodissime intelligi. Quod enim ibi dicitur, ויתן *Et* DEDIT *cum improbis sepulchrum ejus*; recte referri ad *Populum fœdifragum*, qui hic memoratur. Accedit, quod hac admissa interpretatione os penitus occludamus Judæis, Aben-Ezræ, Abarbenel, &c. qui ex hoc *affixo pluralis numeri* adversus nos disputant, non describi in hac prophetia *unam* singularem personam, sed *collective* plures. Adhæsit autem hæc cogitatio Viro erudito jam à longo: siquidem eam jam proposuit & commendavit in Commentario in *Jobum* [a]. Nec tamen omnibus eam persuasit. Relegit enim aliquas harum rationum modeste & examini subjecit Cl. Hackspanius [b], Vir Doctus, in communi sententia persistens. Sane merentur ejus rationes diligentem animadversionem; nec ausim tamen ego quoque summa cum fiducia in has partes transire. Primo, quia si hoc membrum à *superiori* divellatur & ad Populum *fœdifragum* transferatur: in *superiori membro*, QUIA *excisus est è terra viventium*, non est sufficiens ratio quare Messias *excisus ex terra viventium* deberet *exaltari*. poterat enim *jure excisus* esse. debebat itaque addi, illum non *sua*, sed aliorum *culpa*, excisum fuisse. Secundo, cum *affixa* omnia in superiore oratione vel relata fuerint ad Messiam; vel ad electos Credentes: commodius videtur hic quoque loci eandem servare interpretationis analogiam. Rationes autem quas Vir Doctissimus in medium adfert, non sunt ejusmodi, ut ad eas commode responderi nequeat. Primaria & gravissima hic censeri debet sumpta esse ex *affixo* מו: sed quæ difficultas dudum è medio sublata est *A*. Tertio ajo, Non videri, Chorum, quo concipitur fuisse statu cum hæc verba proferret, id satis commode & ad rem dicere potuisse de *Judæis incredulis*. Si enim *plagam* cum Moro hic sumpseris de *judiciis* physicis, h. e. calamitatibus Populo impœnitenti infligendis, Deo curante, per Romanos: hactenus illas calamitates non sustinuerat: Verba autem Jesaiæ commodissime accipiuntur de *Judicio præsenti*. Si autem *plagam* hic *moraliter* cum Cl. Coccejo accipias pro *Judicio lepræ spiritualis*, qua Gens declararetur à Deo tanquam *impura & immunda*: neque illud locum habuit, quandiu Deus longanimitatem suam in hanc Gentem protraxit, persistente adhuc Templo & Republica; & quandiu Ecclesia Christi, & administratio Evangelii in hac Gente locum obtinebat Hierosolymis. Si autem Jesaias omnino de hoc *Judicio spirituali* hic loqui voluisset: non persuadeo mihi, ipsum usurum esse hoc sensu voce נגע significatione *lepræ*. Quotus enim quisque id sub hac voce latere, assequeretur? Res vera est; sed nimis sublimis & mystica, quam ut probabile sit, Jesaiam ejus rei sub hac voce meminisse velle. Ergo obtineat communis interpretatio: ad quam illustrandam huc plura nunc non adducam. Solummodo hæc pauca mecum recolligas. *α.* In voce נגזר EXCISUS EST alludi ad *Mortem* Christi Jesu *violentam* quæ ipsi *ferro* inferretur: sed notionem נגע PLAGA nos ducere ad cogitandum de ejus *cruce*. *Crucifixus* enim publice à tota Gente habitus est *excommunicatus*, separatus, & חפשי *liber* habitus. Confer Dan. IX. 26. משיח יכרת *Messias* EXCINDETUR. *β.* Verba, מפשע עמי *propter defectionem Populi mei*, hic bis subaudiri debere: pertinent enim ad utrumque membrum. *Excisus est è terra viventium propter defectionem Populi mei: propter defectionem Populi mei plaga ipsi.* sc. est, incumbit. *γ.* Chorum per *Populum suum* hic intelligere *electos* secum ex hoc Populo servandos. *δ.* Judæos, qui his verbis adversus nos abuti solent, hic ipsos maxime hærere. Cum enim illi vulgo statuant, *Gentes* hic loqui de *Judæis*, quos respiciant tanquam *sui causſa* passos, suæque pacis & incolumitatis auctores: quæ absurda est hypothesis: quis hic est ille *populus suus* cujus Gentes hic meminerint? Utique qui hæc verba fundunt, supponunt, se partem facere *certi* alicujus *Populi* à cæteris discreti. Expediunt se in hunc modum; singulas Gentes, veluti Ægyptios, Babylonios, Romanos, id dicturas esse, *Propter defectionem Populi* MEI. h. e. Populi cujusque sui. Sed expositio coacta est: non respondet phrasi.

Argumenta Cocceji pro sententia sua adstruenda.

Quæ ei videantur obstare?

Rationes hujus sententiæ non sunt ex gravissimis: qualis ea est quæ petitur ex *affixo* מו, aliæque quæ in *Annotatis* discutiuntur. Tertio huc adfertur,

non videri Choro quo fuit Statu hæc oratio commode tribui.

Quod secundum hypotheses Intt. latius discutitur.

(b.) *Cura* Divinæ Providentiæ erga *sepulturam* ejus *honestam*.

℣. 9. *Et positum est cum impiis* SEPULCHRUM EJUS; AT CUM DIVITE FUIT IN MORTE SUA; *eo quod nullam fecerit violentiam; & nullus in ore ejus dolus fuerit.*] Quin, ait Chorus, *vindiciarum* & *justificationis* Messiæ, factæ à Patre, jam extitit argumentum simulac postulato Justitiæ Divinæ satisfeciſſet, & animam expiarasset. Cum enim videretur *sepulchrum* habiturus esse sive *crucem*, sive ei subjectum *facinorosorum cœmeterium*, ex scopo & intentione eorum qui eum affecerunt supplicio *crucis*: curavit Deus, ut *dives* aliquis in se susceperit *cadaveris* curam, idque reposuerit in loco mundo: quippe passus erat *innocuus*, nullius unquam crimi-

(b.) *Cura* Divinæ Providentiæ erga *sepulturam ejus*, ℣. 9.

Summa sententiæ.

---

a In Cap. XXII. §. XI. *b* In h. l.

A Affixum מו tam ad *singularem* quam *pluralem* numerum referri, ut exerte fassus est Kimchius in *Grammatica* sua, (loco ex *Miclol*, Edit. Ven. In Oct. p. 266. jam à multis & quidem ab Hottingero, *Thes. Philol.* Lib. I. Cap. II. *Quæst.* IV. p. 202. descripto,) sic ex certis locis invicte probatur; quorum aliqua Vir Cl. infeliciter expediit. Habuimus exemplum in hoc ipso Libro Cap. XLIV. 15. ubi de פסל *id.lo*; ויסגוד למו *Et adorat* ILLUD. quod ℣. 17. dicitur, ויסגוד לו. Excipit Vir Doctus, referri posse illud מו ad *cedros*, *ilices*, *tædas*, quarum in *superioribus* facta erat mentio: sed respondeo, variarum specierum *arborum* in *superiore contextu* factam esse mentionem, non *conjunctim*, sed *divise*. *Affixum* pertinet ad eam arboris partem, unde paratum est *sculptile*; cui פסל *sculptili* affixum directe respondet. Adde jam ex pluribus loca alia certissima Gen. IX. 26. 27. Job. XXII. 2. Ps. XI. 7. Quin Kimchius profert rationem clarissimam, quare *affixum* tam *singularis* quam *pluralis* capax sit, quia constat ex מ terminationis *pluralis*, & ו terminationis *singularis*: docetque de Dieu, Æthiopice eundem *affixi* מו usum esse. Quod autem Propheta hic potius scripserit לָמוֹ quam לוֹ, censeo referendum esse ad *ἐυφωνίαν*. Sententia lecta multo perfectius cadit cum למו, quam לו. Atque adeo nulla fuit ratio, quare Pontificiæ Sedæ Scriptores hunc locum censerent inter loca alia, quorum Scripturam à Judæis corruptam volunt, ut jam demonstrarunt Hottingerus, *l. c.* & Glassius, *Phil. S.* Lib. I. p. 105. *Oi δ.* ipsi quoque verba capiunt in *singulari*. Vertunt illi: Ἀπὸ τῆς ἀνομίας τοῦ λαοῦ μου ἤχθη εἰς θάνατον· unde patet, eos pro נֶגַע legisse נֶגַע, & pro לָמוֹ, לָמוּת, ut nostri Codices exhibeant, לָמוּת *ad moriendum*. Ratio altera petita ex emphasi vocis משע *defectio*, non magnum huc adfert momentum. nulla ratio est, quare *vocabulum* hic majore emphasi sumatur quam פשעים, ℣. 5. Duntaxat hic sumitur *collective*. De נגע *plaga* quod *tertio loco* urget: videtur habere speciem; sed quæ ei perit, si rem ipsam inspexeris. *Plaga* hic notat *plagam judicialem* ejusmodi quæ speciem habebat acsi persona quæ eam ferret à Deo rejecta esset: quod Sancti profitentur, ℣. 4. Et vere *plaga* Christo Domino *inflicta* fuit *judicialis*. Ne dicam, vocem subinde generaliore sensu usurpari. Vide 2 Sam. VII. 14. Denique, quod inferat, nihil hic plus dici de Christo secundum sensum vulgatum, vel efficacius, quam supra dictum erat: ajo, idem dici, eadem orationis emphasi. Propheta enim cum caput illud doctrinæ summi momenti presse inculcare, & alte infigere vellet lectori: mutatis phrasibus, quarum singulis sua emphasis est, idem repetit, eadem ubique efficacia & emphasi. Assero autem, vocis נגע *plagæ* hic esse emphasin peculiarem. Dicit enim, & dicere vult, plane necessarium fuisse, ut Messias *vindicaretur* ex hoc *judicio*, quod ex Decreto Fori Cœlestis tale supplicium pertulerit, ex quo alii colligere possent, illum vere à Deo spretum, reprobatum, excommunicatum esse, cum pœna à Christo *lata* hanc haberet speciem. De *commate sequenti* mox videbimus.

criminis reus, nullius convictus. quem sensum subesse putem verbis à me descriptis; de quorum *membro priori* dubia videri posset sententia. Hebræa sic leguntur: ויתן את רשעים קברו ואת עשיר במותיו, quæ diversissime accipiuntur. Et sane absterret hic me farrago versionum & interpretationum ab aliis huc comportata: quare si liceat, & si ipse quoque mihi hic temperare queam, (quod sane difficillimum:) paucioribus studebo absolvere. Tres sunt hujus *articuli* sententiæ, nisi fallor, in quas Viri eruditi iverunt, relatu dignæ, (cæterarum enim nullam habebo rationem:) accommodatæ ad diversas ejusdem versiones, quas ordine justo recensebo. Si Hebræa verba per se inspicias, eaque ad structuram Linguæ vulgatiorem exigas; propriissima versio eorum hæc est: *Et dedit impios sepulturam ejus, & divitem in mortibus ejus.* Sed cum sententia illa videretur esse obscurissima; passim spreta est, & tamen accepta à doctissimo Hackspanio [a]. Quæris, quo sensu? Vellem sane ut eum pluribus explicasset. Censet, in universum hic describi *pœnas hostium Christi. Deum* nimirum *catervam impiorum deturbaturum in sepulchrum quod innocenti paraverant*; & *Assessores Synedrii*, DIVITES illos, *prò morte ejus subituros judicium mortis, & similes pœnas luituros.* Addit Vir Eruditus, Interpretes antiquos, Chaldæum & Græcum hic quoque cogitare de *pœnis, ab impiis sumendis:* quod verum est: ut sane ipse quoque Hieronymus huc proxime accessit, vertens verba: *Et dabit impios prò sepultura, & divitem pro morte sua.* quod ille tam in bonum quam in deteriorem sensum interpretatur. Fateor, & quis neget? Hebræa sic rectissime verti; sed plane non video, illum ex verbis sensum exsculpi posse quem Vir Cl. vult. Qui enim alios *deturbat in sepulchrum*, non dicitur commode alios *facere sepulchrum: sepulchrum* enim non est idem quod *ponere in sepulchro.* multo autem minus quis dicitur poni ALTERIUS *sepulchrum*, qui EJUS *caussa* in *sepulchrum truditur:* nec illustratur phrasis à Viro Docto ullo simili. Quis præterea illud etiam concesserit, *divitem* hic idem valere quod *impios?* Id enim si voluisset Propheta, non est dubium, quin scripturus esset secundum eandem analogiam, עשירים DIVITES; & quidem *ponet divites non* במותיו *in mortibus suis*; sed מותיו MORTES SUAS, vel EJUS. Sic teneo; & non nego ipsum me subinde cogitasse, an non forte hoc loco במותיו legeretur, pro ממותים Hebræis notat mortem. Rectius paulo illud Hieronymi *pro sepultura*, pro *morte sua:* sed tum sententia plane laborat. Quid enim illud est, *Et ponet impios, pro sepultura sua?* Quorsum enim *poneret?* an ad *vitam*, num ad *mortem?* quod sane addendum fuisset: & hæsitat hic ipse Hieronymus. Speciosior itaque est altera quædam versio & interpretatio horum verborum, quam dedit Glassius [b]; quæ ita se habet: ET DEDIT, seu *posuit*, (Christus) את רשעים IMPROBITATES (à singulari רשע *improbitas*,) *in sepulchro suo*, (קברו pro בקברו) ואת עשיר ET DIVITIAS (*concretum* pro *abstracto*,) IN MORTIBUS SUIS, h. e. *in morte sua, per enallagen pluralis* pro *singulari.* Sensus secundum ipsum: *Peccata hominum, quæ portaverat in corpore suo super lignum, intulit quasi secum in sepulchrum, ut à facie Dei sint abscondita, & remissa omnibus qui in Christum credunt.* Deinde, ad verba, *posuit divitias in morte sua*, hæc adscribit: *Hic mors Christi pretiosissima instar cœlestis gazophylacii proponitur, in quo omnis divitiarum spiritualium sufficientia reposita est, & exinde fide vera ac viva desumi potest.* Memini, esse nostro tempore, quibus placuerit hæc interpretatio; sed quam ad judicium meum non potui accommodare. *a.* Estne probabile, Vatem. voce רשעים *improbitates*, *impia facta*, in universum voluisse designare *peccata electorum*, pro quibus Dominus passus est? Vox רשע *improbitas* nunquam usurpatur in Scriptura S. *numero plurium*; nec omnia *electorum delicta* possunt dici *impia facta*; quæ gravissima est peccatorum species. *Peccata concupiscentiæ, imprudentiæ, imbecillitatis*, non sunt רשעים *improbitates*, voce vero sensu sumpta. *β.* Quam dura est enallage, ex עשיר *divite* facere *divitias? γ.* Etiamsi sano sensu dici possit, *peccata*, Christo imposita, ab ipso illata esse *sepulchro, abolita* per ipsum & de terris sublata *execratione:* Scriptura S. tamen hac phrasi de *peccatis* nunquam utitur; estque figura dicendi nimis sublimis speculationis, quam ut probabile sit, Vatem ea usurum esse. *δ.* Quanto adhuc durior phrasis, *ponere divitias in morte sua*, illo sensu quem Vir Doctissimus urget? Si legeretur, illum *deprehensum fuisse divitem in morte sua*; (phrasi Æliani [c], licet alio sensu usurpata, καταφωραθῆναι πλούσιον,) ne sic quidem clare intelligeres, dicere velle Vatem, Illum *nos morte sua divites fecisse:* quanto vero obscurius dictum est, illum *posuisse divitias in morte sua?* Ergo superest sententia tertia, quæ secundum versionem nostram verba accipit de statu *mortis* Christi Jesu, ejusque *circumstantiis*, quam proponam verbis Ludovici Cappelli, qui mihi genuinum sensum Vatis assequutus esse videtur [d]. Hoc vult Propheta, ait, *Judæorum qui eum ad mortem postularant, consilium fuisse, ut Christus una cum sceleratis illis latronibus, quibuscum cruci affixus erat, sepeliretur, ... Deum tamen aliter decrevisse, & providentia sua arcana procurasse, ut in Josephi Arimatheensis hominis divitis & illustris monumento honorifice conderetur, ... ut sic ostenderet, quanti eum faceret, quantumque discrimen erat inter eum & illos quibuscum cruci affixus erat; eum nempe insontem, sed calumnia oppressum supplicio affectum fuisse; illos vero proprii sceleris justam pœnam subiisse. Crux* passim apud Romanos erat crucifixorum *sepulchrum:* sed cum id adversaretur Hebræorum Legibus, passim factum videtur, ut, dum aliqua Synedrio supererat auctoritas, *cadavera crucifixorum*, (post *ossa fracta*, si à cruce pendentes nondum exhalassent animam:) de cruce sublata sint, & condita in monumento inhonesto, loco supplicii proximo, ante occasum Solis: quippe cujus rei supereſt argumentum in Evangelio Joannis [e], quodque idem Josephus *f* & Talmudici *g* affirmant. Huic inhonestæ sepulturæ destinatus fuerat à Judæis, datusque jam erat illi loco, in quo cadaver ejus inhoneste cum cæteris latronibus recondendum censebatur: sed sua intervenit providentia Deus, qui eum honeste sepeliri voluit & corpus ejus decore asservari ad gloriosam resurrectionem. Negari nequit, hanc interpretationem exacte convenire historiæ. רשעים *impii* utique sunt duo illi *malefici*, quibuscum Dominus eandem subiit sortem. עשיר *Dives* hic est Josephus Arimatheensis, Senator gravis, in disciplinam Domini bene affectus, ἀνὴρ πλούσιος. Sic de ipso exerte Matthæus, veluti oculis in hunc locum conversis [h]: Ἦλθεν ἄνθρωπος ΠΛΟΥΣΙΟΣ ἀπὸ Ἁριμαθείας. Nec video, quicquam esse quod huic interpretationi objici queat, quàm vocalem את constructam cum נתן *dare*, commodissime sumi ut notam *casus accusativi.* Et sane negari nequit, sic sæpissime usurpari: nec tamen ea ratio nostram destruit sententiam; siquidem constructa cum aliis transitivis paris potestatis multis locis notet *societatem* vel *communionem.* Sic Jesaias Cap. LXIII. II. איה המעלם מים את רעה צאנו *Ubi est ille qui eos eduxit ex mari* CUM *Pastoribus gregis sui.* Jer. XV. 14. והעברתי את אויבך *Et ego transferam* (te) CUM *hostibus tuis.* Confer loca Jos. XI. 18. 2 Reg. XXIII. 18. Hos. V. 7. VII. 5. Zephan. I. 3. Cætera hic observari velim, *a.* Vocem ויתן *Et posuit* hic sumendam esse *impersonaliter*, frequente linguæ usu, pro *Et positum est.* Vide adscripta Cap. IX. 5. ad vocem ויקרא. *β.* Quod hic dicitur; *Positum est sepulchrum ejus cum* IMPIIS, omnino conferendum esse cum eo quod in fine *Capitis* dicitur, נמנה *numeratus*, censitus, *est. γ.* Quod inter Doctos aliqui

Primum sententiæ membrum: *Et positum est cum impiis sepulcrum ejus*, &c. diverse accipitur.

Tres sententiæ de hoc *membro* relatu dignæ.

Prima est, quæ verba vertit, *Et dedit* IMPIOS *sepulturam*, &c.

Cl. Hackspanii meditationes.

Ad eam ἐπίκρισιν, ut & ad similem Hieronymi.

Cl. Glassii expositio.

In eam animadversio.

Vox רשעים in *plurali*,

nunquam sumitur prò *improbitatibus.*

Phrasis, *ponere divitias in morte sua*: incommode ex ejus hypothesi explicatur.

Sententia tertia, quæ verba accipit de *Statu* Christi Jesu in *morte sua.*

Lud. Cappelli paraphrasis laudata.

Crux passim erat *crucifixorum* sepulchrum: sed id ex ritu Judaico temperatum est.

Tale sepulchrum destinatum erat Christo Jesu: sed Deus providit.

Historia hic accurate consentit.

Demonstratur, versionem satis probe convenire Hebræis.

a *Not.* in h. l. b *Gramm. S.* Lib. III. *Tract.* I. *Can.* II. c *Var. Hist.* Lib. XIV. Cap. XXXII. d *Notis Crit.* ad h. l. e Cap. XIX. 31. f Joseph. B. J. Lib. IV. Cap. XVIII. *distinct. Græc.* g *Sanhed.* Cap. VI. §. V. h Matth. XXVII. 57.

aliqui vocem בְּמוֹתָיו *in mortibus ejus*, interpretentur, *excelsum ejus*, h. e. sepulchrum ejus; monumentum celsius & honoratius, veluti vox signata esset בְּמוֹתָיו, (quam sententiam aliis præivit Aben-Ezra:) planè repudio; cum בָּמָה nullibi veniat significatione *Monumenti sepulchralis*; & vox בְּמוֹתָיו certum sensum admittat. notat enim *statum mortis*, & usurpatur simpliciter notatione *mortis*, Ezech. XXVIII. 10. Imo sane significat ibi & alibi *mortem violentam*, alicui illatam, qua quis veluti sæpius mori censetur, inter varios cruciatus & dolores, contra naturæ ordinem. Et persuasit tamen sibi Forsterus [a], Judæos, ut Christianis fraudi essent, punctaturam genuinam vocis במותיו hic immutasse. Alia non recenseo: neque enim finis ullus est. Sunt in mundo homines, qui liquida turbant; & quæ certiora ante oculos sunt, incertis & dubiis postponunt: quæ imbecillioris judicii homines impediunt. Judæi Intt. in priori membro vocem את eodem modo, quo nos, interpretantur: sed in posteriori vehementer laborant. Exponunt verba de *divitibus*, qui inter Judæos in Gentibus dispersos, maxime propter *divitias suas* quæruntur ad *necem:* sed reclamante structura orationis in posteriori membro, nisi voculæ את significationem mutent; & transeunt tamen illud Kimchius & Abarbenel.

Observatum A. Ezræ ad vocem במותיו repudiatur.

Ut & conjectura Forsteri.

Judæorum interpretatio.

Ecquæ vero ratio hujus peculiaris curæ Divinæ Providentiæ erga Christum? Subjungit Vates: *Quia violentiam non fecit; nec in ore ipsius fuit dolus.* Secundum Petrum [b]: Ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. Vulgata lectio τῶν ὁ. pro ἁμαρτίαν hic habet ἀνομίαν, & δόλον pro δόλος, hoc sensu: *Quia iniquitatem non fecit, neque dolum in ore suo.* manifesto vitio, quod ortum est à neglecta voce εὑρέθη. Et tamen in Cod. Alexand. legitur, οὐδὲ εὑρέθη δόλος. Græca Petri hic exacte reddunt Hebræa. Εὑρίσκεσθαι enim, stylo Scripturæ N. T. sumitur pro εἶναι, ad imitationem usus vocis Hebrææ נמצא ex מצא: tum in Sacris, tum frequentissimi apud Magistros de *Physicis* differentes. Ut ad rem ipsam veniam: nemo non hunc locum inspiciens ad primam meditationem hic cogitat de intaminatissima Christi Jesu puritate *cogitationum, affectuum, actionum*, de qua aliunde [c] satis persuasi sumus: sed perspicacior & intentior oculus hic quid majus videt. Videt, inquam, hæc verba manifestissime referri ad duplicem Christi Jesu condemnationem, ejusque condemnationis diversas, sed fictas, caussas. Accusatus fuit apud Pilatum *perduellionis*, & hoc nomine raptus in crucem cum duobus *latronibus.* Ejus rei respectu dicitur, *Quia* NON FECIT VIOLENTIAM, licet tanquam *perduellis*, turbarumque ac seditionis criminisque læsæ majestatis judicatus sit. Confer Cap. XLII. 2. A Synedrio vero accusatus fuit tanquam *falsus Propheta*, impostor, blasphemus, ψευδόχριστος, qui sibi Messiæ nomen & honorem falso tribueret: cujus rei caussa hic dicitur, *Et* NON FUIT IN ORE EJUS DOLUS. Nihil falsi de se loquutus testatusque est, coram *Synedrio*, nihil in Concionibus ad Populum. MESSIAM SE DIXIT & FILIUM DEI, cum esset; non jactavit, cum non esset. O Divinam prophetiam! Tanquam enim Vates eorum quæ gesta sunt, publicus adfuisset spectator: ita plane de futuris hisce & mirificis eventibus est vaticinatus.

Alterum membrum, quo ratio redditur peculiaris erga Dominum Curæ; Quia violentiam non fecit, &c.

Versio Petrina.

Usus vocis εὑρίσκεσθαι, stylo Scripturæ S.

Sensus sententiæ.

Respicitur hic ad Christi Jesu damnationem.

(c.) Gloriosa ejus post mortem *Resurrectio*, & *Regni* ejus *Successus.*

(c.) *Gloriosa ejus è morte Resurrectio*, ℣. 10.

℣. 10. *At Jehovæ* PLACITUM FUIT ILLUM INANIRE, *lethali infirmitate* illum *afflixit. Si posuerit* ANIMA EJUS *Sacrificium pro peccato: videbit semen; prolongabit dies; & beneplacitum Jehovæ per manum ejus prosperabitur.*] Quæri poterat; si Deus hunc Servum suum Justum, non nocentem, tam peculiari cura suæ providentiæ prosequeretur: quæ caussa, quæ ratio esset, cur illum tot subjecerit afflictionibus? quare aliorum peccata ipsi imputaverit? cur non potius illum ut sibi dilectissimum, omnibus malis exemerit? Respondetur, factum esse quicquid passus est Messias non tantum ex PLACITO, sed etiam ex BENEPLACITO DEI, quod res pertineret ad *Divinam gloriam:* quicquid autem hic passus est Messias, abunde pensandum esse *luculento præmio*, quod ipsi ob παθήματα erat decretum. Si enim se lubenter devoveret sanctificationi Divini Nominis; seque traderet in *sacrificium pro reatu:* futurum esse, ut ex morte ad vitam revocatus, vitam agat æternam & gloriosam, & executioni totius consilii Dei de Regno in his terris fundando præficeretur. quæ summa est sententiæ, his verbis descriptæ. Constat *Propositione*, quæ docet, caussam harum passionum Messiæ repetendam esse ex *beneplacito Dei*; & illius *Expositione*, declarante totam substantiam Divini Consilii erga Messiam.

Summa sententiæ, ejusque nexus.

Analysis horum verborum.

In versione verborum primi *membri* major est consensus, quam alibi, nisi quod aliqui vocem חפץ accipiant ut formæ *præteriti*, alii ut *participium:* quæ differentia quod ad sensum est nulla; nec tamen plane nulla, quod ad locutionis venustatem. de qua re mox monebo. Solus forte Cl. Coccejus hic à cæteris dissensit, reddiditque verba: *Et Jehova volentem enervare ipsum infirmavit.* Per *volentem* autem *enervare* & ער רכא *ad nihilum redigere* Christum Jesum, intellexit Satanam, hostem & adversarium ipsius; qui ipse è contrario hac Christi Jesu morte *enervatus* fractusque est [d]. Est sane altæ speculationis meditatio, quam rectius in medio relinquo, quam refello: nec potui tamen à judicio meo impetrare, ut eam mihi vindicarem. Primo enim non favet sententiæ *constructio Grammatica.* certe nullus dubito quin Vates, si hunc intendisset sensum, scripsisset, את חפץ רכאו. Requirebatur in voce חפץ *nota accusativi.* Deinde, si Vates hic de Satana loqueretur: videri poterat Jesaias descripturus esse Satanam à clariori aliquo attributo characteristico, si ejus hic facere voluisset mentionem. Cum enim idem Deo Patri rectissime adscribatur: quod nemo inficias iverit; idem alio sensu tribui queat hostibus ejus inter Judæos, qui Christum *attritum* volebant: nulla hic necessitas quem jubet cogitare de Satana. Tertio, non potui mihi persuadere, Vatem, si de Satana loqueretur, hic usurum esse voce חפץ *beneplacitum:* sed potius voce אבה, vel תואיל. Vox חפץ notat *beneplacitum tranquillæ mentis*, cum *acquiescentia* conjunctum, quod proprie non convenit Satanæ in malo operanti. Accedit, nullam hic esse rationem discedendi ab argumento totius contextus; cum cæteroquin Satanæ nulla hic alia memoria occurrat. Petit eam Vir Doctissimus ab emphasi vocum רכא *enervare* & החלה *ad impotentiam redigere.* Deum enim Patrem Messiam patientem noluisse *enervare*, h. e. *privare alacritate & promptitudine, bona voluntate & spe, & in pulvere mortis positum redigere* ער רכא, quippe quod *studium potius fuerit hostis imperium mortis habentis:* neque etiam eum voluisse *viribus omnibus privare, & ad impotentiam redigere.* Sed nemo largiatur Viro præstanti, eam præcisè emphasin harum vocum sectandam esse quam ipse hic consignavit. Utique in ℣. 5. exerte dicitur מרוכא CONTRITUS & *ad impotentiam redactus propter iniquitates nostras*; diciturque ibidem *tulisse* חלינו INFIRMITATES *nostras*; quomodo vero nisi *infirmatus ipse?* ℣. 3. *Vir cognitus* חלי *infirmitate:* certe ex Divino beneplacito. Quomodo itaque eædem voces hic loci non conveniant statui Messiæ, quæ ibidem de ipsius statu exerte enunciantur? Imo sane collatio illarum vocum cum his nostris arguit, & me valide convincit, easdem hic quoque loci de ejus statu prædicari. Ergo ad venustatem sententiæ capiendam observandum, esse in hoc loco ἀσύνδετον, vel ἀσύνθετον, Vati nostro frequentis usus. Si verba vertas, *At Jehova volens ipsum enervare, infirmitatem immisit:* sententia fert, τὸ *enervare*, vel *imminuere* quid aliud esse quam *infirmare*, vel *infirmationem* esse gradum aut medium

In Verbis *primi membri*, verendis passim consentiunt Intt.

Dissensus Cocceji.

Ejus versio & sententia ei subtrahitur.

De ea judicium dissentiens, ejusque rationes.

Ratio Doctorum Interpretis.

Cui occurritur.

Est in verbis ἀσυνδετον.

Enervare & *infirmare* hic non distinguuntur.

[a] Vide Glass. *Phil. S.* Lib. I. Tr. I. p. 107. [b] 1 Pet. II. 22. [c] 2 Cor. V. 21. 1 Pet. I. 19. [d] Heb. II. 14. Ps. VIII. 3.

dium ad *enervationem*. quod secus se habet. res eadem est. sed idem genus afflictionis sub diversa figura exhibetur. Eadem ratio est, quare vox חָלָי, (punctata ad analogiam vocis חלא, ut Kimchius jam observavit,) careat *affixo*. affixum enim vocis דַּכָּאוֹ in eam redundat. idem itaque hic valet acsi scriptum esset, חָלְיוֹ.

Voces דכא & חלי quam hic obtineant potestatem significationis?

Nec tamen ex his Grammaticis, licet ad sensum constituendum necessariis, intelligis vim sententiæ, quæ itaque mihi nunc pandenda est. Per voces דכא & חלי significatur hic loci omne genus παθήματος, quod Dominus sustinuit in cruce, terminandum in ejus morte. Vox דכא â me exposita est ad ℣. 5. & huc relata. Notat *atterere*, *enervare*, *inanire*, κενοῦν. Docui ibi, Christum Jesum eo genere afflictionis exercitum esse, quo sensim *exhaustus enervatusque est*, tam doloribus *animæ* quam corporis: non sane quod *privatus* sit omni *spe*, *promptitudine*, & *bona voluntate*: (quid enim necesse est, vocem eò extendere?) sed quod angustiis animi pressus, & doloribus ac languoribus corporis enervatus atque attritus, in eum redactus sit statum, ut animus ejus ipsum veluti defecerit, qualem se describit in Odis Ps. LXIX. & LXXXVIII. Notio חלי, à חלה, (de qua pariter actum est ℣. 3. & 4.) non idem tantum, sed & plus dicit. Significat aliquem afficere *infirmitate lethifera*. Cognosce rursus vim vocis ex 1 Reg. XXII. 34. חֻלֶּיתִי *Lethaliter affectus sum*. Jer. XIV. 17. מכה נחלה *Plaga desperata*. Confer ex nostro Vate Cap. XXXIII. 24. Πάθημα Christi, ipsi inflictum, ejus fuit generis, ut *lethaliter vulneratus* lentam obiret mortem, ut vere hic à via discesserint Jun. Trem. Pisc. qui vocem hoc loco verterunt, *morbo affecit*. plane præter rem & respectum *Subjecti*, de quo hic agitur. Qualem enim *infirmationem* Propheta hic designet, liquet ex his quæ ἀμέσως sequuntur: *Si anima ejus posuerit* אשם SACRIFICIUM PRO PECCATO. Sistere autem non posset *sacrificium pro peccato* nisi cum *morte sua*. Durum id videbatur, ut si improbitas hominum hic in caussa esset; res tamen videretur constare extra consilium Dei. Et tamen ait Vates, Deo non tantum id *placuisse*, sed & *beneplacuisse*, & sibi in eo *complacuisse*, tanquam in re, quam ob certos fines sibi *acceptam* habebat; quæ hic vis est vocis חפץ: quæ proinde notio hic refertur tam ad *consilium ipsum*; quam ad *complacentiam* Dei in illius executione, sive in sanguinaria Messiæ obedientia. Quo ipso supponitur, quicquid probri aut doloris perpessus est Messias in omni sua circumstantia circumscriptum fuisse à Divina Providentia. decrevisse Deum *permittere*, quicquid hic gravissime *peccarent* homines, & eorum actiones omni parte sic definire, ut præter voluntatem Dei Patris (ὡρισμένην βουλὴν καὶ πρόγνωσιν τοῦ Θεοῦ,) ei nihil accideret: quod Apostoli diserte testantur ita se habuisse *a*; & Verbum Propheticum, cujus hæc prophetia nostra eximia pars est, ac clarissima prædicta Christi Jesu de *Exitu suo*, ejusque circumstantiis, clarissime docent. Sed majus etiam aliquid hic nobis spectandum objicitur. Vox חפץ hic haud dubie referenda est ad *contritionem* (κένωσιν) & *infirmationem* Messiæ lethalem tanquam ad *sacrificium*, in quo Deus sibi complaceret. utique enim usurpatur vox חפץ, stylo Scripturæ S. cum respectu ad sacrificia, ut Ps. LI. 18. 20. Hos. VI. 6. perinde ac εὐαρεστεῖσθαι, in Epistola ad *Hebræos b*: ut adeo hic idem valeat quod vox רצה sibi quid *gratum acceptumque habere cum συνευδοκίᾳ acquiescentia*, & quidem præsertim post præstitum *placamentum* & satisfactionem; quæ vis variis in locis in voce inest. vide dicta ad Cap. XLII. 1. Nihil hic certius quam quod hac de re legimus in loco parallelo Ps. XL. 7. ubi cum dictum esset, לא חפצתי *Non* VOLUISTI *sacrificium, & munus*: (non placuit tibi ut placamentum. non es eo delectatus. non potuisti in eo acquiescere:) *holocaustum & sacrificium pro peccato non postulasti. tum dixi, & seqq.* Summa sententiæ est; Deum cum quæreret placamentum per quod nomen ipsius idonee sanctificaretur, sibi חפץ *placuisse* in hostia Messiæ hominis. quem locum enarrans Scriptor Apostolicus de hac *Voluntate* Dei *Patris*, ut principio totius Operis Gratiæ, luculenter disserit. QUA, ait *c*, VOLUNTATE *sanctificati sumus per oblationem corporis Christi Jesu semel factam*. Ita est. ab hac *voluntate Dei Patris*, admittentis Sponsorem, & *sibi in eo complacentis*, repetendum est initium salutis. Idem est quod Apostolus *d*; Christum se pro nobis *tradidisse oblationem ac victimam Deo εἰς ὀσμὴν εὐωδίας in odorem bonæ fragrantiæ*, perfectæ complacentiæ. Ecquæ vero ejus caussa? Respondeo, causssam hic nullam fingi aut concipi posse, quam quod Deus videret ac clarissime intelligeret, hoc πάθημα Messiæ facere posse ad summam gloriæ (Gratiæ, Misericordiæ, Justitiæ, sanctitatis, puritatisque suæ,) illustrationem, & sanctificationem sui Nominis; & verum esse *medium*, per quod Deus, salva perfectionum suarum gloria, hominem sibi *unire*; in ipso *glorificari* & sanctificari; isque vicissim Deum glorificare ac sanctificare posset. Inde Deus חפץ רצאו *sibi complacuit ἐν τῷ κενῶσαι αὐτόν*.

Caussa ejus *complacentiæ* Dei Patris.

Recte quidem, quod ad Deum Patrem: sed quodnam inde emolumentum *Personæ patienti*, cujus videri poterat sors miserrima, si ipsa innocua tam dura & gravia pro aliorum delictis lueret, nullo quod ad se fructu & commodo? Ita est; atque adeo Vates, (loquente Choro,) mox explicat ac declarat, quam *luculento amore* in ipsis hisce παθήμασι Filium prosequutus sit Pater, decreto ei præmio amplissimo, per quod labores ac dolores susceptæ ei pensarentur. quæ sententia est *alterius membri* hujus periochæ: *Si posuerit anima ejus sacrificium pro reatu, videbit semen, & seqq.* Sic vertimus verba cum bonis Intt. Belgis quoque nostris, & Coccejo. Hieron. *Si posuerit pro peccatis animam suam*. Sensus idem: sed versio Grammatice non respondet Hebræis: debuisset enim esse, אם ישים. Vox תשים vel accipienda est, ut *personæ tertiæ* generis debilioris; quando referenda est ad נפש *animam*: ut nos instituimus: vel ut *secundæ personæ generis fortioris*, quando concipienda hic esset apostrophe ad Deum, hoc sensu: *Si* POSUERIS *animam ejus, &c.* ut verba accepit Lud. de Dieu: hic satis speciose conferens verba Apostoli *e*: *Eum enim qui non novit peccatum, pro nobis peccatum* FECIT: sc. Deus Pater. Sed licet res ipsa, quæ hic supponitur, extra dubium sit posita: simplicitas tamen orationis favet versioni nostræ. Chorus enim in toto hoc contextu nullis utitur *Apostrophis*, cum oratio sit doctrinalis, qua edit fidei suæ confessionem; sed de Deo loquitur in persona tertia. Imo vero continuari orationem eadem figura, patet ex fine ipsissimæ hujus periochæ, ubi non dicitur, *Et beneplacitum* TUUM; sed, *Et beneplacitum* JEHOVÆ *per ipsum prosperabitur*. Verba autem Apostoli composita sunt tam ex hoc loco nostro, quam ex ℣. 6. *Et* JEHOVA *in* IPSUM INCURRERE FECIT *iniquitates omnium nostrum*. Nostra autem hæc versio exacte repræsentat dictum Domini ad hæc verba alludentis de se *f*: *Filium hominis venisse, ut det* τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ANIMAM SUAM *redemptionis pretium pro multis*. Addo, Jesaiam sic pro sua sapientia loquutum esse, ut hoc genere orationis sectaretur emphasin majorem, qui totius orationis ejus character est. Pariter nulla ratio nos jubet discedere à vera & genuina notatione vocule אם, qua valet *conditionem*, & vertitur per SI. Patet enim clarissime, *conditionem* hic conjungi cum *privilegio*, præstita conditione obtinendo. Et quidem conditio est, *ponere* אשם sacrificium *satisfactionis* pro delicto commisso. Cl. Coccejus hoc sensu docte per *satisfactionem* vertit. Constat ex Legibus Mosaicis, אשם esse speciem Sacrificii ἱλαστικοῦ *propitiatorii* oblati ad satisfactionem pro delicto commisso, ad impetrandam illius remissionem, quam *ol ό.* passim πλημμέλειαν *delictum* vocant, eratque sacrificii species distincta ab altera, quæ חטאת *pro peccato*, (τοῖς ὁ. passim περὶ ἁμαρ-

Emolumentum, quod inde ad Messiam rediret, exponitur.

Verba, *Si posuerit anima ejus sacrificium pro peccato, &c.*

Versio constituitur.

Anima hic est subjectum sententiæ.

Lud. de Dieu mediatio.

Sed quæ non admittitur.

Omne πάθημα Messiæ à Deo Patre fuit circumscriptum.

Vox חפץ hic recte refertur ad πάθημα Messiæ, ut ad *sacrificium*.

Quæ sententia elucidatur.

Consideratio loci 2 Cor. v. 21.

Notatio conditionalis vocule אם.

Ponere אשם *sacrificium pro reatu*.

Ea notio quid significet?

a Act. II. 23. IV. 28. *b* Heb. XIII. 16. *c* Heb. X. 10. *d* Ephes. V. 2. *e* 2 Cor. V. 21. *f* Matth. XX. 28.

μαρτίας. subinde etiam ὑπὲρ ἁμαρτίας, τὸ τῆς ἁμαρτίας, ἁμαρτία [a],) dicitur longe latioris usus, & ipsa quoque in species suas divisa. Etiamsi vero *species* hæ τῶν ἱλαστικῶν in Legibus Mosaicis vere distincti fuerint generis; licet distinctionis ratio non satis sit liquida *A*: cum tamen in multis inter eas convenerit, & ipsa nomina inter se subinde permisceantur: non est dubium, quin vox אשם hic sumatur *generali* notatione pro *sacrificio pro peccato*, absque speciali respectu speciei; quod ipsi quoque Judæi hic non nolentes concedunt. Utique Poëta sacer recensens species Sacrificiorum Sacrorum ἱλαστικὰ complectitur una voce חטאת, Ps. XL. 7. & Paulus Apostolus *sacrificium* verum Christi *corporis*, h. e. naturæ ejus humanæ, pro peccatis electorum oblatum, vocat ἁμαρτίαν, 2 Cor. V. 21. & περὶ ἁμαρτίας, Rom. VIII. 3. Ecquæ vero ratio appellationis? Eadem vero quam vidimus ℣. 5. quod Deus Pater ipsi *volenti* & tanquam Sponsori se Semini electo substituenti *imputaverit peccata*, h. e. imposuerit & in ipsum transtulerit *pœnam*, quam ipsi redimendi Justitiæ Divinæ debebant, ut ipsi *fierent justitia Dei in ipso*, h. e. Deo conciliarentur, ejus gratiæ restituerentur, & cum ἀφέσει τῶν ἁμαρτῶν (Hebræis hoc in casu כליחה) obtinerent jus *Adoptionis Filiorum* in hac Vita, & gloriæ cœlestis post hanc vitam. Qui minus in hac voce latere volunt, discedunt à genuina significatione hujus notionis; vim inferunt *contextui loci*; & claudunt oculos ad lucem Scripturæ S. N. T. sibi hic ubique consonantis. Atqui talem *hostiam ponere*, esset ANIMÆ Christi Jesu. Significatur, oblationem hanc (προσφορὰν) fieri debere Deo Patri volentissimo & lubentissimo animo, profuso *affectu*, (quæ vera notatio est vocis נתן) & enixissimo obsequii studio. quæ ipsa esset hujus *sacrificii* interna proprietas. Dictum Messiæ ad Patrem [b]: *Voluntatem tuam, ô Deus mi, facio lubens, & Lex tua* IN MEDIO *viscerum meorum*. Unde ipse, *se* ANIMAM SUAM *dare* λύτρον [c]. Id discernebat *sacrificium Christi Jesu*, naturæ rationalis, à Sacris animantium, quæ Deus *nolebat*. Mysterium ejus typice ob oculos positum est in sacrificiis animantium, quæ *scisso jugulo sanguinem*, h. e. animam suam, profundebant, quo mox alluditur ℣. 12. Vides vim phrasios. adeo Divine & sapienter magnus Propheta dicta sua ponderavit. Quæris ὑπακοῆς *obsequii* præmium, *antecedentis* consequens. Primum est, VIDEBIT SEMEN. sc. amplissimam sobolem credentium, & quidem maxime ex *Gentibus*, Abrahamo promissam [d]. Sic doctissime Procopius. Confer Ps. CX. 3. Vocantur mox רבי *multi*, ℣. 11. 12. inter quos עצומים *fortes*, *robusti*, Reges, Principes, utriusque sexus & honesti cujusque Ordinis homines. Res ipsa mox exponitur Cap. LIV. 1. seqq. Chaldæus hic videt מלכות משיחא REGNUM MESSIÆ: sed deflectit à subjecto, illud Regnum possessuro: vere in hac *Sectione* non functus officio Interpretis, sed errans in vago, secundum illud Domini, Οἱ περιπατῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ, οὐκ οἶδε πῦ ὑπάγει. Vide ℣. 12. coll. cum Cap. LII. 15. & maxime huc refer Ps. LXXXIX. 36. 37. Alterum: PROLONGABIT DIES. h. e. Vitam aget glorioſissimam, eamque æternam, in Regno, nunquam abolendo. vide dicta ad ℣. 8. Tertium: ET BENEPLACITUM JEHOVÆ PER MANUM EJUS PROSPERABITUM. Intellige *Regnum Dei in terris*, fundandum per Orbem terrarum, ex consilio Dei à Filio administrandum, usque quo hostibus ejus omnibus oppressis per gradus varios & mirabiles eventus glorioſissimum in terris appareat. Confer Cap. XLIX. 8. LXI. 2. Luc. II. 14. Sumitur autem hic metaphora, quòd docte animadvertit Procopius, à *fideli Servo*, *sub cujus manu*, cura, providentia, regimine, *opus Domini*, ipsi administrandum commissum, *prospere procedit*.

Hôc loco generalius sumi videtur.

Quid subsit huic notioni?

Quam emphasin habeat hic loci vox נפש *anima*?

Obedientia Christi Jesu debebat esse *voluntaria*.

Consequens hujus Obedientiæ: *Videret semen*. Quale illud?

Prolongabit dies.

Bonum exponitur.

Et beneplacitum Dei per manus ejus prosperabitur.

Sensus dicti Metaphora unde hic sumpta?

PARS TERTIA *hujus Sectionis*: Oratio Dei Patris, confirmans Confessionem & doctrinam Chori, & uberius explicans *fructus* passionum *Domini*, α. Respectu *Personæ Messiæ*.

Pars tertia hujus Sectionis.

Oratio Dei Patris superiora confirmantis.

α. Respectu personæ Messiæ, ℣. 11. *Propter laborem, &c.*

℣. 11. *Propter laborem animæ suæ* VIDEBIT, SATURABITUR.] Hactenus Chorus. Comparet protinus Deus Jehova, confessionem & doctrinam Chori confirmans, & uberius prosequutus præmium, quod Messias τοῖς παθήμασι defunctus ex Lege Patris, merito suo consequeretur. Esse enim hanc orationem Dei Patris, de se loquentis persona prima, & sibi vindicantis præmii Filio debiti dispensationem, ipsa pericopæ inspectio quemque absque monitore docet. Recensentur autem ordine fructus *Passionum* ejus tres, adscripta repetitaque identidem earum caussa, α. *Privus*, respectu Messiæ hominis. β. Ratione Credentium Electorum per Judæos & Gentes. γ. Ipsius Messiæ, qua *Personæ Publicæ*, σχέσει ad Munus ejus Mediatorium.

Transitus & summa orationis.

Analysis hujus pericopæ.

Primum fructum hic exhibui, verbis à quoque non plane imprudentis judicii homine ex superioribus facile intelligendis. *Propter* LABOREM ANIMÆ *suæ*, h. e. non passiones tantum suas acerbissimas, sed & in passionibus *luctam* gravem ac difficillimam, qua concertans cum adversario pressus & ad angustiam redactus est, *positus in tenebris & profundis* [e]; (quæ genuina significatio est vocis עמל. est *labor* cum nisu, lucta, pressura, ἀγωνία, contentione.) *propter hunc*, ait, *animæ suæ laborem*, VIDEBIT, SATURABITUR. En rursus ἀσύνθετον, quod modo monebam pertinere ad elegantiam Linguæ Hebrææ. Dubii sunt Intt. quorsum referendum sit illud, VIDEBIT, solum positum absque objecto. Sunt qui recurrunt ad superius proxime antecedens, *Videbit*, inquam, SEMEN, de quo modo verba facta sunt, & satiabitur, ut Ps. LXXXIX. 30. *Et ponam in æternum* SEMEN EJUS, *& thronus ejus ut dies cœli*. Sic docte Hieronymus, & inter recentiores plures Piscator & Belgæ. Kimchius subaudit טוב *bonum*. sensus secundum ipsum: יראה טוב וישבע, בו *Videbit bonum, eoque saturabitur*. Cl. Coccejus in eandem sententiam: *Videbit quo satietur*. Neutra interpretatio à re aliena est; quare eas non refello. Propendeo tamen magis ad posteriorem, quia *saturatio* hic referenda est ad τὸ *videre*: *semine* autem sive *sobole* nemo satis commode dicitur *saturari*. Quid multis? Locus ex mea sententia conferendus est cum parallelo, ubi Messias de se [f]: *Notam mihi fecisti viam vitæ*: שבע שמחות SATIETAS *gaudiorum* (gaudii perfecti,) *est apud* FACIEM TUAM, *& amœnitates ad dextram tuam in æternum*. VIDEBIT itaque hic idem valet quod *videbit faciem Dei* in statu summæ perfectionis, gloriæ, acquiescentiæ, lætitiæ. de quo Vates mox [g]: *Ego in justitia* VIDEBO (אחזה) *faciem tuam*; SATIABOR *imagine tua ubi expergiscar*. Hic primus fructus fuit passionum Domini. Ipse, defunctus obedientia, receptus est in glo-

Quorsum hic pertinea vox *videbit*?

Probabilis sententia definitur.

Videre hic est *videre faciem Dei*, quod illustratur.

---

a Lev. IV. 21. חטאת הקהל הוא Ἁμαρτία ἡ συναγωγῆς ἐστίν.
b Ps. XL. 9. *c* Matth. XX. 28. *d* Gen. XXII. 18. *e* Ps. LXXVIII. 7. *f* Ps. XVI. 11. *g* Ps. XVII. 15.

A Fugio hic materiam longæ disquisitionis. Sententia Judæorum Intt. hic cognosci potest ex Outramo, & Ligtfooto: tum præsertim ex Tractatibus Maimonidis de *Sacrificiis*, in Latinam Linguam eleganter conversis à Doctissimo Viro Ludovico de Compiegne de Veil, & ex *Exordio* Commentarii Abarbenelis in *Leviticum*, ejusdem cultæ manus industriam experto. Confer ex Maimonide, Tractatu de חטאת Noxiis IMPRUDENTER ADMISSIS, Cap. VIII. & IX. ubi doctrinam quoque ejus de אשם DELICTIS (sic utramque speciem Latine signat Vir Doctissimus,) & de differentia utriusque speciei, intelliges. Sacrificia חטאת *pro peccato* offerebantur pro omnibus delictis *imprudenter* commissis, (*ignorantia* enim, ἄγνοια, ἀγνόημα, Heb. IX. 7. hic idem valet quod *imprudentia*, שגגה *error*,) iisque delictis certis, quorum reus convinci poterat; quæ si à scientibus, volentibus, commissa essent, puniebantur excidio. Quod si vero *dubitaret*, num hujusmodi delicti reus esset; vel forte etiam ejus convinci non posset: offerebat אשם *Sacrum pro Delicto*; quod Hebræis *Delictum dubium* dicitur. Vide Lev. V. 17. 18. Nec excludo hic speciem ℣. 15. 16. Præter quæ *delicta* quinque ex Mosaicis recensentur, in quibus usus fuit אשם, non חטאת: quæ delicta ejus fuerunt generis, ut *excidium* non mererentur. Fuisse autem *species* vere distinctas, liquet ex distinctis earum nominibus, & *sacrificiorum materia*, (quæ in *Sacrificiis pro peccato* privatorum semper erant de *genere debiliori*, caprino aut ovillo: in Sacrificiis pro *Delicto* semper *mares*;) & oblationis modo. Et tamen voces אשם & חטאת in ipsis Legibus Mosaicis subinde inter se permiscentur, ut Viri Docti jam observarunt. Lege hic Lev. V. 6. Nec putem tamen, illuc pertinere Num. XIV. 14. coll. cum ℣. 19. quia ibi sub vocibus אשם & חטאת designari videntur *distincta species*.

gloriam, ſecundum Naturam quoque ſuam humanam particeps factus illius *gloriæ*, in cujus ſpem vocati ſunt Credentes, CUM IPSO συνδοξασθησόμενοι CONGLORIFICANDI [a]; ipſius gloriæ & lætitiæ in & cum hoc ſuo *Capite* & *Principe* participes evaſuri. Hic primus fructus eſt paſſionum Domini, ipſi privus, ſecundum reſpectum Naturæ ipſius humanæ: etſi ſatis conſtat, Dominum Jeſum hac quoque gloria ſua majore gradu & menſura gaviſurum eſſe, quam Credentes cæteros. Nolim autem, *præfixam* מ in voce מעמל aliter vertas quam per *propter*, quæ genuina ejus ſignificatio nobis jam innotuit ex ℣ſ. 5. *Labor* enim *animæ* Domini Jeſu eſt cauſſa *propter quam* in ipſum collata ſit *gloria*, ut פעולה *laboris merces:* quippe ex condicto *Pacti æterni* tam ſibi ſummam & omnimodam *gloriam*, quam *Semini electo* illius participationem impetraret. quæ doctrina jam ab Eruditis Viris ex locis Phil. II. 9. Heb. II. 7. ſeqq. XII. 2. coll. cum Pſ. XLV. 8. abunde illuſtrata eſt. Propheta mox ℣ſ. 12. תחת אשר *propterea quod.*

Præfixa מ in voce מעמל vertenda eſt per *propter.*

β. Reſpectu *Seminis Electi Credentium.*

Fructus paſſionum Meſſiæ reſpectu Seminis Electi, ℣ſ. 11. med. Cognitione ſui, &c.

℣ſ. 11. med. COGNITIONE SUI JUSTITIAM ADFERET JUSTUS SERVUS *meus* MULTIS, *ſiquidem eorum peccata bajulavit.*] Quid miramur, hic cæcutire homines qui Evangelium Filii Dei reſpuunt, & *Juſtitiam Dei ignorant?* contra vero, videre *pueros* & *infantes in Chriſto*, principiis veritatis Evangelicæ imbutos, his verbis declaratum totum myſterium Divinæ voluntatis de ſervando peccatore miſero; quod Evangelium his conſignatur verbis [b]: QUI CREDIT IN FILIUM, HABET VITAM ÆTERNAM. Certum eſt, Paulum cum cæteris Apoſtolis doctrinam de Obedientia & Morte Chriſti Jeſu ut cauſſa noſtræ Juſtificationis apud Deum late explicantem, hunc locum noſtrum ubique in oculis habuiſſe; imo vero contextum totius hujus *Sectionis*. Summa doctrinæ illorum eſt: JUSTITIA DEI PER FIDEM JESU CHRISTI *in omnes, & ſuper omnes qui credunt* [c]; .... *ut qui* JUSTIFICENTUR *gratis ejus gratia per* REDEMPTIONEM *factam in Chriſto Jeſu* [d]. Confer Act. XIII. 38. 39. Hoc magnum ſalutis myſterium non capit mens Judæorum: hic hæſitant. Hic character diſcernit hominem Chriſtianum à Judæo; ad hoc ſcandalum impingit. Quando autem doctrina hæc Scholis Chriſtianorum trita, undique illuſtrata diſputataque eſt: plane abs re eſſet in eam late excurrere. Demonſtrabo ſolummodo emphaſin verborum, & veram vim ſententiæ.

Apoſtoli in tradenda doctrina de Juſtificatione hunc locum reſpexerunt.

Tranſpoſitio verborum hujus ſententiæ.

In ſententia ipſa eſt aliquid מכורם *inverſum*, *tranſpoſitum*, frequentis uſus, cujuſmodi modo habuimus in verbis: אם תשים אשם נפשו *Si poſuerit ſacrificium pro peccato anima ejus:* pro, *Si anima ejus poſuerit ſacrificium pro peccato.* Nativa conſtructio eſt: *Servus meus juſtus cauſſa erit juſtitiæ multis, cognitione ſui.* quod non animadverſum, fraudi fuit ex antiquis Intt. huic illi, qui vocem ברעתו *cognitione ſua* conjunxerunt cum præcedente ישבע. utique non reſpicio τῇς 6. & Syrum, à quibus parum ſubſidii in hoc Libro exſpectes: ſed ipſos doctos Intt. Aquilam & Theodotionem. Exhibent illi, Ἐμπλησθήσεται ἐν τῇ γνώσει αὐτοῦ. Sed Paraphraſtes & Hebræi hic non hæſitant; nec eſt hæſitandi ratio. Obſerva itaque ad intellectum ſententiæ in hunc modum conceptæ; primo, Meſſiam hic appellari *Servum Dei* JUSTUM, non tantum quod crimine omni vacuus, ore item ac animo purus fuerit, unde hic titulus δικαίᾳ JUSTI ei in emphaſi tribuitur [e]; æque ac ille חסיד PII, de quo Petrus [f]: Τ᾽μεῖς τὸν Ἅγιον καὶ ΔΙΚΑΙΟΝ ἠρνήσασθε: verum etiam quod fuerit בעל צדקה *habens juſtitiam* qua donaret alios. Huc reſpicit, niſi fallor, Joannes, his verbis [g]: *Advocatum habemus apud Patrem* δίκαιον JUSTUM, *& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Et Paulus [h]: *Ita & per* UNIUS OBEDIENTIAM δίκαιοι κατασταθήσονται *juſti conſtituentur multi.* Jeremias [i]: *Excitabo Davidi* צמח צדיק *Germen* JUSTUM: ſc. cujus *nomen eſſet Jehova* JUSTITIA NOSTRA. De nomine *Servi Jehovæ* vide dicta ad Jeſ. XLII. 1. XLIX. 3. Secundo, quod dicitur, יצדיק לרבים proprie *juſtificabit* MULTIS, *non* MULTOS, ut vulgo Interpretes: obſervavit Cl. Coccejus, & poſt ipſum alii, phraſin Prophetæ valere, *adferet*, ſive *præſtabit multis* δικαίωμα *cauſſam juſtificationis*, ſua ſc. obedientia, paſſione, & morte. Animadverſio eſt doctiſſima, & multi pretii. Pater in Foro juſtificandi peccatoris proprie ſuſtinet perſonam JUDICIS: Chriſtus Jeſus ut ſponſoris, ADVOCATI, interceſſoris, qui repræſentat כפר λύτρου, ſive *juſtificamentum*, non verbale, ſed reale, ad quod peccator *credens* abſolvitur, & ei adjudicatur jus Divinæ communionis in gratia cum ſpe gloriæ cœleſtis, quod Beneficium complexe ſumptum ſtylo Scripturæ S. dicitur υἱοθεσία *adoptio Filiorum.* Hoc *juſtificamentum* ſive *cauſſam juſtificationis*, Apoſtolus vocat δικαίωμα. Verba ejus [k]: Οὕτω δὲ ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς. Daniel, צדקת עולמים JUSTITIAM SÆCULORUM [l]: quam conjungit cum כפרת עון *expiatione peccati.* Paulus, ad hunc locum alludens, rem totam complexe ſumptam, ſic effert [m]: *Ex ipſo* (Deo Patre,) *eſtis in Chriſto Jeſu, qui nobis factus eſt à Deo ſapientia, &* JUSTITIA, *& ſanctificatio, & redemptio.* Alio loco [n]: *Etenim Eum Qui* NON NOVERAT PECCATUM, *pro nobis* PECCATUM (hoſtiam piacularem) *fecit, ut nos fieremus* JUSTITIA DEI IN IPSO. h. e. ut nos per ipſum impetraremus remiſſionem peccatorum & jus æternæ vitæ. Petrus [o]: *Nam & Chriſtus Jeſus ſemel* PRO PECCATIS (περὶ ἁμαρτιῶν, ut *ſacrificium pro peccato,*) *paſſus eſt;* JUSTUS *pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret.* ut nos Deo reconciliaret & nobis pareret jus Divinæ communionis in gratia & gloria. Vides, illum interpretem agere hujus loci. Confer integram doctrinam Apoſtoli, qua *Primum & Secundum Hominem*, illum ut *mortis*, hunc ut *vitæ* cauſam, inter ſe confert Rom. v. 15--19. Beneficium ipſum Paulo dicitur δικαιοσύνη, ſive ἡ δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης. de quo differui ad Cap. XLV. 25. Tertio, emphaſin hic peculiarem meretur vox רבים MULTI, qui venirent in hujus Beneficii participationem & communionem. Intelligitur tota multitudo *credentium electorum*, præcipue cum reſpectu ad vocationem *Gentium* quæ in poſſeſſionem hujus gratiæ, à pleriſque Judæis ſpretæ, ingente numero mitterentur. quod ipſum quoque Procopius jam erudite obſervaverat. Repetit vocem in *commate ſequenti*; & ſcripſerat ſupra [p]: *Aſperget Gentes* MULTAS. Notio רבי Judæis, & Magiſtris, notat *Univerſitatem.* Apoſtolus imitatur phraſin Jeſaiæ [q]: *Per unius obedientiam juſti conſtituentur* πολλοὶ MULTI. Joannes de Chriſto [r]: *Et ipſe factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris; nec pro noſtris tantum, ſed &* pro peccatis *totius mundi.* ſc. Credentium abſque diſcrimine, ex Gentibus & Judæis. Chriſtus Jeſus vocat πάντας OMNES. Ait [ſ], *Ego, ſi ſublatus fuero de terra,* (*elatus* in crucem,) OMNES *ad me traham.* Sic frequenter alii Scriptores Sacri cum reſpectu ad promiſſum Abrahæ datum [t]: *In ſemine tuo benedicentur* OMNES *Gentes terræ.* Credentes ex omnibus Nationibus χωρὶς διαφορᾶς. Quæris, quo medio, qua conditione? Addit Propheta, ברעתו *Cognitione* SUI. Id quartæ conſiderationis eſt. Sic vertenda notio, ſuadente & clamante toto contextu. explicari enim nequit, (ut ſane Judæi hic vehementer hærent:) quomodo Perſona quæ hic loquitur, *cognitione* SUA vel juſtificaret, vel juſtitiæ cauſſa fieret. Imo vero ſuperior contextus totus obedientiam & paſſionem ejus demonſtraverat veram juſtificationis cauſſam. Affixum itaque hic, ut in multis aliis [u], ſumendum eſt *objective*, ut in loco parallelo [u]: *Juſtus* באמונתו FIDE EJUS *vivet.*

Error Intt. ex eo non animadverſo.

Quo ſenſu Meſſias hic dicatur Servus Dei juſtus?

Et, *Juſtificare* MULTIS?

Obſervatum Cl. Coccejii laudatur.

Chriſtus Jeſus ſua morte multis attulit δικαίωμα.

Sententia ex analogia S. Scripturæ, variis locis illuſtratur.

Emphaſis & notatio vocis רבים *multi*, qui participarent hoc beneficium.

Reſpiciuntur hic in primis Gentes.

Conferuntur analoga.

Expenditur medium Juſtificationis quod latet in verbis, *In cognitione ſui.*

Affixum vocis ברעתו *hic ſumendum eſt objective.*

[a] Rom. VIII. 17. [b] Joh. III. 36. [c] Rom. III. 22. [d] ℣ſ. 24. [e] Act. VII. 52. 1 Pet. III. 18. [f] Act. III. 14. [g] 1 Joh. II. 1. 2. [h] Rom. V. 19. [i] Jer. XXIII. 5. [k] Rom. V. 18. [l] Cap. LI. 24. [m] 1 Cor. I. 30. [n] 2 Cor. V. 21. [o] 1 Pet. III. 18. [p] Cap. LII. 15. [q] Rom. V. 19. [r] 1 Joh. II. 2. [ſ] Joh. XII. 32. [t] Gen. XXII. 18. [u] Vide Glaſſ. Gramm. Sac. Tract. III. Lib. I. Can. XXX. [u] Hab. II. 4.

vivet. Apostolus imitatur phrasin [a], ubi *Deum dicit justificare τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ eum qui est ex fide* JESU. h. e. quæ *Jesum* habet pro *objecto.* Pulcherrima & aptissima huic loco locutio ad id adhibita, ut excluderet omne meritum in justificatione à parte nostra. Cave, credas, hoc *cognoscere* esse actum intellectus. est *judicii.* Aut *judicii* theoretici. est practici, conjunctus cum *affectu* & *obsequio. Cognitio Christi* ut Servi Dei justi hic est ille mentis actus, quo quis suæ damnabilitatis convictus, & persuasus in obedientia & passionibus Messiæ sitam esse veram causam suæ justificationis & salutis, hanc gratiam Divinam prudente oculo contemplatus agnoscit, humili animo acceptat, & totum Christum quà *Salvatorem* quà *Dominum* sibi vindicat, cum intensissimo in eum *affectu*, & mandatorum ejus *obsequio.* Confer Joh. III. 36. Dominus Jesus ipse vocat [b] *θεωρεῖν τὸν υἱὸν* CONSPICERE FILIUM HOMINIS, *& in illum credere.* Alludit ad emblema *Serpentis anei* Joh. III. 14. 15. & ad locum Zachariæ, Cap. XII. 10. Omnis enim actus credentium servandorum resolvitur in *fidem: fides* autem est continua contemplatio practica Christi Jesu secundum omnes respectus, quibus ipsi devincti sumus.

Quid hic sit *cognitio Christi?*

Locus Joh. VI. 40.

Quomodo Dominus nobis fiat causa *justitiæ* per *fidem?*

Ecquo modo vero Christus Jesus nobis fit *causa justitiæ* per *fidem?* Videri poterat id in superioribus satis declaratum esse: & tamen Propheta rursus subjungit, ne quis hic cæspitaret: *siquidem ipse eorum iniquitates bajulavit.* Sic verto hic *præfixum* ו in voce ועונתם. Est *διτιολογικὸν*, SIQUIDEM, *quippe, quia*; cujus usum frequentem tibi Grammatici demonstrabunt. confer ex Vate nostro Cap. XXXIX. 1. & LXIV. 4. *Imposita* ipsi erant *peccata nostra*, hoc est, peccatorum pœna, ut gravissimum *onus*, quia expiatio nostra & sanctificatio absque acerbissimis *παθήμασι* perfici non potuit. Sed scripsi de eo ℣. 4. ubi phrasin eandem contemplati sumus. Petrus [c]: *Peccata nostra ipsemet* SURSUM TULIT *in corpore suo in lignum illud.* Summum subiit & difficillimum laborem; ut gravius censetur onus sursum ferre quam ferre. *tulit* autem ut *auferret*, de quo ad verba sequentia. Judæorum consensum hic non quærimus, nec curamus. cæcutiunt enim hic & stupent; etsi Paraphrastes & Kimchius hic minus absurdi sint, quam alibi. Sed mysterium fidei nostræ non viderunt. Et extat tamen in Psalmo LXXII, quem Paraphrastes de MESSIA exponit, ad verba ℣. 17. *Et benedicent sibi in eo omnes Gentes*, hæc digna ejus sententia: ויתברכו בזכותיה כל עמיא *Et benedicentur per* JUSTITIAM, sive *meritum ejus, omnes Gentes.* quem locum alibi observavit eruditissimus Vir, Stephanus Le Moyne [d], in aliis quæ ad locum Jer. XXIII. 6. ubi Messias dicitur JEHOVA JUSTITIA NOSTRA, congessit. Sed Judæi ipsi tantundem tribuunt זכות אבות *meritis Patrum.*

Usus *præfixæ* ו in voce ועונתם.

Locus quidam notabilis Paraphrastis ad Ps. LXXII.

γ. Respectu Ipsius, quà *Personæ Publicæ*; sive *Muneris* ipsius Mediatorii.

Respectu *ipsius* quà *Personæ* publicæ, ℣. 12.

℣. 12. *Iccirco* DISPERTIAM IPSI SORTEM MULTITUDINEM Gentium, *&* Populos VALIDOS *dividet ut prædam,* PROPTEREA QUOD *profuderit animam suam ad mortem; & cum peccatoribus numeratus est; & ipse peccatum multorum* TULIT, *& pro defectoribus interces-sit.*] Tota hæc oratio ita cohæret, ut partes ejus ab invicem divelli nequeant. una alteram sustinet ac defendit. Describitur hic præmium, Messiæ quà Mediatori à Patre destinatum, fore videlicet, ut consenso throno Gloriæ sibi à Patre parato, sibi per Verbum Evangelii subjiceret *Gentes*, & quidem *validissimas*, cum Regibus Principibusque suis: quod connectitur tum cum *proxime antecedente*, quo *portasse* dicitur peccata רבים MULTORUM: tum cum *consequente*, quo idem repetitur, & latius adhuc declaratur.

Nexus orationis.

Præmium Messiæ. Deus ipsi *dispertit.*

Præmium, (מעולם) laboris Messiæ iis proponitur verbis, in quorum interpretatione literali homines Linguæ periti non facile errent: ut sane Intt. Veteres & Recentiores inter Hebræos hic facile consentiunt. Primum membrum, (omissa vocula לכן *Propterea*, jam exposita,) his constat: אחלק לו ברבים quæ vertenda sunt: *Dispertiam illi* MULTOS, sc. *in hæreditatem* vel *spolia*; quod in spirituali sensu idem. Sunt ex recentioribus qui exhibent *in multis*, ut Vatablus; vel, *pro multis*, ut Jun. & Trem. Sed non animadverterunt illi, vocem חלק *dividere* apud Hebræos construi tam cum *præfixa* ב, ut Job. XXXIX. 17. quam cum *accusativi nota* את. Quare Hieronymus hic rectissime: *Ideo dispertiam ei plurimos.* Sic præiverant οἱ ὁ. sensum sequuti: Διὰ τοῦτο ἀντὸς κληρονομήσει πολλούς. Chaldæus: *Ideo dividam ei prædam populorum multorum.* Pisc. *Pro parte ei dabo magnates.* Optime quod ad structuram; sed minus bene quod ad vocem רבים *magnates.* Valet hoc loco *multos.* De Coccejo nihil dubites. Sed quia vox MULTI latioris significationis est, neque eam habet emphasin Lingua Latina, quam רבים Hebræa; verti eam ex mente Prophetæ per πλῆθος *multitudinem*, sc. Gentium. Alterum membrum, his conceptum Hebræis, ואת עצומים יחלק שלל vere nihil plus dubii habet. est enim priori plane analogum. Vertendum est, *Et* populos *validos partietur prædam.* h. e. ut prædam. Οἱ ὁ. καὶ τῶν ἰσχυρῶν μεριεῖ σκῦλα· Hieron. *Et fortium dividet spolia.* Procopius, hanc ipsam versionem Græcam respiciens, commentando, ita exhibuit, *ἰσχυρῶν ἐμέρισε σκῦλα καὶ διένειμε*: quæ Alexander Morus per errorem accepit acsi in ipso textu Græco τῶν ὁ. ad verbum legerentur. Possunt illa recte accipi, si *genitivus* hic notet ipsam *materiam* τῶν σκύλων. Sed si exponantur, ut fecit Procopius, ut *spolia fortium* sint *spolia fortibus erepta*: non conveniunt Hebræis. Nec satisfaciunt etiam, qui verba vertunt, *Et* cum *fortibus dividet spolia.* Hebraismus id ferre potest: sed disconvenit menti Prophetæ. is enim eosdem hic vocat עצומים *fortes*, quos modo appellaverat רבים *multos*, & plane dicere vult, *fortes* & validos Populos Messiæ cessuros in *spolia* & *hæreditatem.* Sic doctissime Piscator, eumque sequuti Belgæ: *Et potentes* partietur *tanquam spolia.* Chaldæus: *Et divitias civitatum potentium dividet spolia.* Recte accepit constructionem orationis, quod unice nunc respicio. Ad rem ipsam quod attinet: missis interpretationibus vagis, nec memoratu dignis, observare est Intt. hujus loci emblema Prophetæ diverse accipere. Sunt qui per *multos* & *robustos*, Messiæ distribuendos in spolia, hic intelligunt *Dæmones*, & Potestates spirituales adversarias, à Christo Jesu victas & ipsi ut captivas subjiciendas. Sic fere Piscator. Alii, *Gentes* & *Populos validos* Christo Jesu per præconium Evangelii subjiciendos; ut Cl. Coccejus, & prudentes Belgæ. Veteres prius membrum de *Regno Domini inter Gentes*, earumque *subjectione*, acceperunt: posterius de subactis Potestatibus spiritualibus. Id quidem hactenus tolerabiliter. At ægre video, esse qui nihil ejus in hoc loco viderunt, quod videre debebant, licet bonis & doctis ducibus iis præeuntibus viam. רבי *multi* & עצומים *robusti* hic idem valent: nisi quod posterius emphasin prioris augeat. Sunt *Gentes multæ* & *robustæ*; Populi *validi*; ut mox patefiet. Et quidem, ut absque ambagibus dicam, עצומים POPULI VALIDI hic sunt ROMANI, illo tempore quo Regnum Dei in Mundo fundabatur, virtute, robore, potentia, excellentes. *Prædatio λαφυραγωγία*, sive *Partitio in prædam* hic est *prædatio spiritualis*, qua Homo miser armis spiritualibus victus, eripitur potestati Satanæ, & Christo Jesu ad usum, possessionem, & incrementum Regni ejus, subjicitur; ut plane idem dicatur hoc in loco, quod Pater ad Filium Ps. II. 8. *Pete à me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ.* quem Veteres huc recte attulerunt. Sed agendum est rationibus. α. Estne probabile, vocem רבים MULTI hic alio modo sumi ac bis in eadem hac pericopa; ut in proxime antecedentibus: *Servus meus Justus causa justitiæ erit* MULTIS, *siquidem illorum portavit iniqui-*

Verbo hic assumpta denditur.

Alterius membri ver sio constitui tur,

Procopii expositio. Circa eam error Viri Docti.

Alia vēr expenditur.

Quid vulg hic Intt. in telligant pe *Robustos*, Christo Jes partiendos ut *prædam*?

Intelligen dæ sunt *Gen tes*, interqu eas quoque potentes & validæ: im primis *Ro mani.*

Prædatio spiritualis exponitur;

Sensus ad struitur.

Usus voci רבים *multi* in hoc Libro

[a] Rom. III. 26. [b] Joh. VI. 40. [c] 1 Pet. II. 24. [d] *Dissert.* ad locum Jer. XXIII. 6. Cap. IV. §. 8.

iniquitates, & mox, *Peccata* MULTORUM *tulit*. β. Phrasis illa, גוים רבים *Gentes* sive MAGNÆ sive MULTÆ, & *Gentes* עצומים ROBUSTÆ, usitata est in Verbo Dei, ubi mentio fit *Populi Messiæ*, ipsi colligendi ex Gentibus, & ipsius facturi hæreditatem. Mich. IV. 3. *Et judicium exercebit* (regnabit) *inter* עמים רבים *Populos* MULTOS vel MAGNOS: *& convincet* (per prædicationem Evangelii) גוים עצומים *Gentes* VALIDAS. Idem est quod Vates noster dixerat Cap. II. 4. loquens de conversione Gentium. Rursus Zacharias [a]: *Et venient* עמים רבים POPULI MAGNI vel MULTI, & גוים עצומים POPULI VALIDI *ad quærendum Jehovam Exercituum* Dominum *Hierosolymis, & ad supplicandum faciei Jehovæ.* Utique interpretatur Micham. Quin præiverat ipse Propheta in initiis hujus *Sectionis*, de Messia loquens [b]: *Asperget* גוים רבים GENTES AMPLAS vel *multas, & super ipsum compriment* REGES *os suum.* Confer præter alia plura Ps. XXII. 29. 30. γ. Phrasis συλαγωγῆς *abductionis* alicujus *ut prædæ*, & *partitionis* spolii, hic, ut alibi, est mystica, eaque elegantissima. notat, Christum Jesum *erepturum esse Gentes validas & multas* potestati Satanæ, & inter eas erecturum esse Regnum; easque possessurum ut peculium sibi à Patre destinatum: quod emblema Vates data opera, de conversione Gentium agens, huc adduxerat & ad rem applicaverat, Cap. XLIX. 24. seqq. idemque eo venuste usus erat Cap. XI. 14. *Et involabunt in humeros Philistæorum, versus Occidnum, &* DEPRÆDABUNTUR *Orientales.* Quo pariter pertinet locus Ps. LXVIII. 19. *Ascendisti in altum*, CAPTIVAM DUXISTI CAPTIVITATEM. Agi enim ibi de liberandis & liberatis è potestate Satanæ, liquet ex his quæ ἀμέσως sequuntur. δ. Denique observa, id verum esse & proximum consequens λύτρα à Christo Jesu non pro *Judæis* tantum, verum etiam pro *Gentibus*, soluti, de quo hic agitur. *Partitur* autem Dominus Jesus *Gentes & Populos*, quando eos sibi vindicat ut חלק PORTIONEM pulchram, sibi à Patre destinatam [c]. *Erciscit* eas in *hæreditatem* per Spiritum S. Reliqua, quæ ad hoc emblema pertinent, petes ex locis parallelis modo notatis.

Et Populorum robustorum Messiæ subjiciendorum.

Loca analoga ex Prophetis.

Phrasis, *prædationis mysticæ*, pariter declaratur.

Consequens λύτρα Christi est possessio Gentium.

Inspice jam mecum rursus *anteeedens* sive *Caussam* impetratoriam tam luculenti Privilegii. Exponitur illa quatuor articulis. Primus est, *Propterea quod* PROFUDERIT *animam suam in mortem.* Sic enim recte vertitur vox ערה hoc loco. Valet ערה proprie *nudare, evacuare*, atque inde *effundere* instar situlæ quæ *aqua effusa* nudatur, ut sumitur vox Gen. XXIV. 20. quam ejus notationem jam observavimus ad Cap. XXXII. 15. Metaphora hic sumpta est ab animantibus quæ jugulo scisso, ut in mactandis sacrificiis receptum erat, cultro mactatorio peracuto, cum sanguine animam *profundebant*; estque eadem locutio Latinis usitata. Ad Christum Jesum si applices: utique significat, illum propensissima voluntate & profuso studio sanctificandi Divini Nominis & salvandorum fratrum se voluntariæ morti *devovisse* cum ipsius *sanguinis effusione*, ruptis ferro venis. Apostolus ad Galatas [d]: Τῶ δόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Alibi [e]: Ὁ δὰς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. Dominus ipse præiverat [f]: Τῶ δῶναι τὴν ψυχὴν αὐτῶ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Phrasis, διδόναι τὴν ψυχὴν *dare animam* valet *animam suam pro aliis voluntarie devovere.* Historicus Maccabaicus de Exitu Judæ [g]: Καὶ ἔδωκεν ἑαυτὸν τῶ σῶσαι τὸν λαὸν αὐτῶ. Interpres optime: *Itaque* DEVOVIT SE *ad servandum Populum suum.* Alibi est, τιθέναι τὴν ψυχὴν αὐτῶ· *ponere* ANIMAM SUAM [h]. Dominus se perfecte interpretatur [i]: *Nemo tollit eam* (animam) *à me, sed Ego* τίθημι αὐτὴν PONO ILLAM. Vati Sacro est, *Non conser-*

Caussa meritoria tanti Boni quatuor articulis exposita.

Primus: *Propterea quod profuderit, &c.*

Usus vocis ערה.

Quid id significet in Christo Jesu?

Spontaneitas & lubentia oblationis ejus ex analogia illustratur.

vare animam suam in vita [k]. Animæ veluti prodigum esse. confer Apoc. XII. 11. Res ipsa supra abunde declarata est. Non advoco huc exempla *devotionum* ex historia, ne sanctissimum exemplum cum impurissimis comparando dehonestem. Alterum membrum: *Et cum* TRANSGRESSORIBUS *numeratus est.* פושעים valet proprie *defectoribus.* Est autem פשע *defectio* gravior peccati species. Accidit id Domino, tum quando ut *blasphemus & perduellis* damnatus est à Synedrio & Præside Romano: tum quando medius inter *latrones* duos à cruce est suspensus: de quo vidimus, ℣. 9. Id grave visum Domino, eratque ei probrosum. *Siccine*, ait [l], *tanquam adversus* LATRONEM *existis cum gladiis & fustibus?* Tertium: *Et ipse* PECCATUM *multorum tulit:* videlicet instar hostiæ piacularis, ut auferret: inde enim sumpta est phrasis. Solebant enim qui victimam pro peccato offerebant, utramque manum imponere capiti animantis [m], & edere ודוי *confessionem* & *solennem* delicti à se commissi, quod hoc ipso devolvebant in caput animantis, eique *imponebant*: ut ex Maimonide, & Ritualibus notum. Inde illud Joannis Baptistæ de Christo [n]: *Ecce* AGNUS ILLE DEI *qui* ἄιρει TOLLIT *peccatum mundi.* h. e. φέρει ἵνα ἄρῃ· fert ut auferat. Alluditur ad *Agnum Paschalem*, non sacrificium tantum, sed & *sacrificium propitiatorium*, cujus *sanguine* Israëlitæ mundati & expiati obtinuerunt τὴν ἀπολύτρωσιν. Sic Petrus nobis præivit [o]. Atqui ais, non licebat *privatis* comedere de *carne* hostiarum piacularium, quippe quod solis concessum erat Sacerdotibus. Ita est, sed Israëlitæ in Ægypto, mactantes ipsi Agnum Paschalem, omnes functi sunt officio Sacerdotum; & deinceps hoc solum jus retinuerunt, etsi Sacerdotibus commissum sit *mactare agnos*, eorumque *offerre sanguinem.* Quod vero in cæteris hilasticis lege vetitum fuerit: factum est, ad testificandam summam hujus sacrificii sanctitatem. alioquin per se id illicitum non erat. Quare credentibus sub Oeconomia nova in antitypo omnino licet de *carne Christi*, ut sacrificii hilastici, *edere*, & *sanguinem ejus bibere.* Conferatur jam de *latione peccatorum* à Christo facta locus Petri 1 Ep. II. 24. supra adductus. Quartum membrum: *Et pro defectoribus* INTERCESSIT. Illa enim hic una obtinet significatio vocis הפגיע, consentientibus Interpretibus. Hoc summum exemplum mansuetudinis Christi Jesu & charitatis in genus humanum. Lucas nobis servavit pretiosam hanc historiam, quam cæteroquin ex conjectura assequi debuissemus, Cap. XXIII. 34. *Pater*, ait in extremis, *ignosce iis. nesciunt enim quid faciant.* O pulchrum monumentum, & patientiæ ac charitatis perfectæ exemplum! Cave credas, intercessionem caruisse effectu. Obtinuit vim suam in omnibus, & quidem bene multis, qui ex imprudentia nefario sceleri assensi sunt. Confer Act. III. 17. Sic asserta fides est nostra & totius Evangelii Filii Dei. Hac basi nititur veritas, quam profitemur: hac stat nostra consolatio. Quibus volupe est, se in hanc rupem illidere: conterentur, & pudefient. Splendet hæc prophetia instar lucis in obscuro loco. Qui in hac luce ambulat, non impinget. Gloria Deo Patri, qui usque eò dilexit Mundum, ut Filium suum, Unigenitum, Jesum Christum, ei ordinaverit Mediatorem, justitiæ & vitæ æternæ caussam: Gloria sit Filio Dei, Domino nostro Jesu Christo, quod se ipsum pro nobis dederit, ut nos sanguine suo redemptos eximeret præsenti Sæculo malo: Gloria Spiritui S. qui nos vera donat fide, per quam hujus Redemptionis participes evadimus in spe gloriæ cœlestis. Amen.

Verba, Et *cum transgressoribus censitus est.* Declaratur ex historia Domini.

Et ipse peccatum multorum tulit. Alluditur ad hostiam piacularem. Ritus in ea offerenda usurpatus.

Locus Joh. I. 29 *Agnus Paschalis* erat *Sacrificium hilasticum.*

Et pro defectoribus intercessit. Historia huc adducitur.

Intercessio Christi non caruit effectu.

Epilogus commentationis hujus *Capitis.*

a Cap. VIII. 22. b Cap. XLIX. 5. 6. c Ps. XVI. 6. Jes. XI. 14. XLIX. 24. d Gal. I. 4. e 1 Tim. II. 6. f Matth. XX. 28. g 1 Macc. VI. 44. h Joh. X. 11. i Joh. X. 18. k Ps. XXII. 30. l Matth. XXVI. 55. m Lev. V. 5. n Joh. I. 29. o 1 Pet. I. 19.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum Jesaiæ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Tertia:

Qua illustria & glorioſa *Conſequentia* atque *Effecta* Obedientiæ ac Paſſionis Meſſiæ enarrantur: Amplificatio mirabilis Eccleſiæ afflictæ & tantum non oppreſſæ, aſſertæ in Libertatem, Patriarchali antiqua natæ, ex acceſſione Gentium & Populorum, tentorio Saræ Matris excipiendorum: Ejuſdem Conſervatio in Mundo perennis cum ſignificatione clariſſima Divini in eam affectus ac favoris, multis certiſque aſſeverationibus ei condicti: tum quoque Exornatio ejus & Cultus ſpiritualis, inſtruendus ex donis Spiritus S. quo oculis Dei, Angelorum, & Sanctorum, inſigniter ſplendeſceret: ac denique Defenſio adverſus qualeſcunque hoſtes, qui ſive palam, ſive clam, ejus meditarentur aut tentarent Excidium. Quæ magna beneficia & privilegia Eccleſiæ primævæ *Apoſtolicæ*, oratione ad eam verſa, tam promittuntur quam prædicuntur.

Caput LIV.

Textus Cap. LIV.

1. CAnta ſterilis, quæ non peperiſti; fragorem ede cantu & hinni, quæ nullos experta es partus dolores! quia plures ſunt filii Deſolatæ, quam Maritatæ, ait Jehova.

2. Dilata locum tentorii tui, & fac ut aulæa Tabernaculorum tuorum extendant. ne cohibe. Prolonga funes tuos, & paxillos tuos firma.

3. Quia ad dextram & lævam erumpes; & Semen tuum Gentes obtinebit ut hæreditatem; civitateſque Deſolatas habitari facient.

4. Ne metue, quia non pudefies; & ne verecundare, quia non erubeſces: Siquidem pudoris Juventutis tuæ obliviſceris; & probri viduitatis tuæ non recordaberis amplius.

5. Quoniam Maritus tuus eſt factor tuus; cujus nomen eſt Jehova Exercituum *Dominus*; & Redemptor tuus eſt Sanctus Iſraëlis, *qui* Deus totius terræ nuncupabitur.

6. Quia ut Conjugem derelictam & afflictam animo te revocat Jehova; & *ut* uxorem juventutis quando ſpreta fuerit; fatur Deus tuus.

7. Momento exiguo dereliqui te; & miſerationibus magnis colligam te.

8. Pauxillo iræ exundantis abſcondi faciem meam momento abs te; ſed benignitate æterna te miſerabor, inquit Redemptor tuus Jehova.

9. Quia hoc mihi eſt ut aquæ Noæ; Cum juravi, aquas non amplius pervaſuras eſſe ſupra terram: ſic juravi, non futurum eſſe, ut in te efferveſcam, & te ſeverius increpem.

10. Quin montes recedant, & colles nutent: attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit, ait Miſerator tuus Jehova.

11. O afflicta, procellis concuſſa, conſolatione deſtituta, Ecce Egomet lapides tuos commode ſterno in cruſta rubra ſplendeſcente; & fundo te ſapphiris:

12. Et pono propugnacula tua carbunculos; & portas tuas lapides igneſcentes; & omnem ambitum tuum lapides delectabiles.

13. Atque omnes filii tui erunt docti à Jehova; & magna erit pax filiorum tuorum.

14. Conſtabilieris in juſtitia: abeſto longe ab oppreſſione; quare non timebis; & à conſternatione, quia tibi non appropinquabit.

15. Ecce omnino congregabitur; non ex me: qui tecum ſe congregaverit contra te; cadet.

16. Ecce Ego creavi fabrum, ſufflantem in igne carbonem, & producentem inſtrumentum ad opus ſuum; & Ego creavi corruptorem ad perdendum.

17. Nullum inſtrumentum adverſus te paratum proſperabitur; & omnem linguam quæ tecum conſiſtet in judicio, condemnabis. Hæc eſt hæreditas Servorum Jehovæ, & juſtitia illorum ex me, inquit Jehova.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis*.

DEclarato & clare ante oculos poſito magno myſterio Obedientiæ & paſſionum Meſſiæ: procedit oratio ad illius *Obedientiæ Fructus*, *Effectus*, & *Conſequentia* enarranda, reſpectu *Eccleſiæ*; & ad ejuſdem Eccleſiæ deſcribenda Fata atque Eventus, ad conſolationem verorum Credentium in initiis Regni Meſſiæ in hiſce terris fundandi afflictorum, mœſtorum, atque non exigua affectorum ſolicitudine. Deus itaque ipſe, quem loquentem reliquimus in fine *Sectionis* proximæ, Eccleſiam hanc verorum Filiorum ac Filiarum Abrahami & Saræ, quam reſpicit ut *ſterilem*, *afflictam*, *marito orbatam*, *deſolatam*, blande compellat, promittitque ipſi ac prædicit ſub venuſto emblemate ingens incrementum atque amplificationem ſui Status, ex luxurioſiſſimo partu ſpirituali, qui ſe longe lateque diffunderet, Mundique occuparet hæreditatem [a]. Mox eam muniens adverſus omnem *metum* ac ſolicitudinem, demonſtrat cauſſam illius fortunatiſſimi partus, ſive incrementi, aſſumptionem ejus in *Conjugium* Jehovæ, proximioremque ejus *Communionem*, quippe ſe hoc tempore ei propius unituri, cum *perfecto amore*, poſt elapſum tempus indignationis

[a] *Iſ.* 1–3.

tionis quam in eam conceperat *a*. Ne autem Ecclesia dubitet de favoris atque affectus sui constantia: gravibus eam verbis asserit atque asseverat *b*; & symbolo Fœderis Noachici in hanc rem adducto illustrat ac confirmat *c*. Surgit oratio, ubi hanc *afflictam* ac *desolatam* de novo peramanter alloquitur, eique condicit splendidissimum ornatum spiritualem donorum Spiritus S. qui Ecclesiæ accederet ex immediato Dei in eam influxu *d*; & simul defensionem certissimam adversus omnes hostes extrarios & clandestinos, qui Ecclesiam oppugnarent, affligerent, vexarent, eamque de terris niterentur exscindere; docens, nihil horum citra consilium providentiæ suæ accidere, & non in sua esse potestate. *e*

Scopus ejus.

II. *Scopum* hujus prophetiæ esse *consolatorium*, ex ejus argumento quisque colligit. Imo vero nihil hic ἀλλογενὲς intermiscetur. tota oratio in hoc uno argumento decurrit. Ut vero Vates noster ubique grandiloquus est: sic Beneficia, Ecclesiæ prædicta & nomine Dei promissa, magnifice effert, quæsitis, ut solet, figuris & emblematibus; veluti non terrestrem, sed cœlestem ejus statum describeret. Quid miraris? Status spiritualis Ecclesiæ N. T. est cœlestis.

Ejus editæ occasio, & nexus cum superiore.

III. De *occasione* hujus prophetiæ editæ non quæro, cum supponam, unam eandem concionem hic continuari. Quærendum itaque hic, quod idem valet, de nexu ejus cum *Sectione* superiore, qui facillime demonstratur. Cum enim *superior Sectio* fundata esset in hac basi, jacta Cap. LII. 13--15. longe maximam & spectatissimam partem Populi Judæi *Salutem* sibi à Messia oblatam repudiaturam esse; atque adeo præcipuum fructum passionum ejus devolutum iri ad *Gentes*; idque in initio illius *Sectionis* & *fine* clare assertum expositumque esset, Messiam futurum esse *causſam justitiæ* לרבים h. e. *Multis*, h. e. Gentibus; eorumque *multorum* laturum & ablaturum esse *peccata*; eosque ipsi esse dispertiendos instar *hæreditatis*, vel instar *spoliorum*, sua virtute sibi acquisitorum: id ipsum est, quod Vates hic proxime prosequitur. Erigit & consolatur Ecclesiam verorum *Abrahami* & *Saræ filiorum*, mœstam, afflictam, ad exiguum redactam numerum, docetque, eam dotibus Spiritus S. impræguatam numerosam edituram sobolem, quæ *novum* Dei *Populum* in terris faceret, à Deo nunquam deserendum, constanter defendendum, & insigniter ornandum. Hic fructus est *laboris* Messiæ, *superiore Sectione* descripti.

Σχῆμα hujus *Sectionis*.

IV. Σχῆμα orationis sic instructum est. Comparet in medio Ecclesia verorum Credentium, Abrahamo & Sara satorum, instar Fœminæ ætatis jam consistentis & provectæ, quæ sterilis à *Marito* aliquandiu ad speciem externam neglecta, desederat mœsta & afflicta, dum *æmula* sua fœcundos habuerat partus. Ad hanc per figuram *Apostrophæ* vertitur Oratio. Primo quidem à *Choro Prophetico*, qui eam nomine Dei mariti ejus solatur; vocans eam è statu luctus & tristitiæ ad statum Gaudii & lætitiæ; & demonstrans, adesse nunc tempus, quo ipsa licet adolescentiæ ætas jam præteriisset, fœcundis partibus ex se numerosissimam ederet sobolem, quæ æmulæ partus non tantum æquaret, sed & longissime superaret; eamque simul certam faciens de Gratiæ & affectus mariti in se constantia. Simul adest ipse Deus, favorem suum Eidem fœminæ tanquam Conjugi suæ asserens, eidemque pollicitus insignia Status sui incrementa & ornamenta, cum defensione ejus adversus æmulos & adversarios. Hæc oratio incipit ℣. 11. Utraque Dei est; prior *indirecte*, & oblique: altera *directe* ad Ecclesiam habita. Si tamen utramque *Deo* tribuere velis, vel *Choro Prophetico*, (quando in *posteriori Membro* à ℣. 11. statuenda est ellipsis, אמר יהוה AIT JEHOVA:) res eodem recidit. Est enim oratio ipsa fere uniformis.

Analysis ejus.

V. Secundum hoc σχῆμα *Analysin* compono, & dispertio orationem Consolatoriam in duas *Apostrophas* factas ad Ecclesiam *Matrem* Credentium N. T. diversa complexas promissa, huic Ecclesiæ facta.

PARS PRIOR: Apostrophe *Chori Prophetici* directa ad Ecclesiam Matrem, comprehendens,
- *α.* *Promissum* insignis *Fœcunditatis* & *amplificationis* Seminis, ubi
  - a. Promissum ipsum:
    - Propositum, sub gemina figura,
      - (*a.*) *Fœminæ* longum *sterilis*, dein *fœcundos* edituræ *partus*, ℣. 1.
      - (*b.*) *Dilatationis Tentorii*, tantæ prolis capacis, ℣. 2. 3.
  - b. Promissi *Fundamentum*: Jehovæ ut *Mariti* cum ea conjunctio, ℣. 4--6.
- *β.* *Promissum* summi, constantis, & æterni Dei in eam affectus.
  - a. Quod explicatur, ℣. 7. 8.
  - b. Illustratur ex insigni Symbolo Fœderis Noachici, ℣. 9. 10.

PARS ALTERA: *Apostrophe* Filii Dei ad eandem Ecclesiam, continens *Promissa*,
- *α.* Decoris, splendoris, & singularis ornamenti Ecclesiæ, in figura propositorum, ℣. 11. 12.
- *β.* *Immediatæ* à Deo *dependentiæ*, & illuminationis, ℣. 13.
- *γ.* *Pacis* internæ, & veræ, ℣. 13. med.
- *δ.* Et *defensionis* adversus omnem conatum hostilem, in excidium ejus tendentem, cum luculento *Epilogo* tot promissorum signaculo, ℣. 14--17.

De *Anacrisi* admonitio.

VI. *Anacrisi* hic locum non facio: tum quod jacta basi interpretationis *Sectionis* superioris, & inspecta promissorum Ecclesiæ hic factorum amplitudine, nemo de *Subjecto* hujus Sectionis cum specie dubitare queat: tum quia quicquid ejus huc pertinet proxime discutiendum erit in investiganda *Muliere* sterili ad quam oratio hic vertitur.

PARS PRIOR hujus Sectionis, *Apostrophe Chori Prophetici* ad Ecclesiam Matrem.
- *Promissum* primum de ingente ejus *amplificatione*,
  - *α.* Sub *figura* fœminæ *sterilis* fœcundos edituræ partus.

Pars prior hujus Sectionis: *Apostrophe* ad Ecclesiam Matrem.

℣. 1. *Canta* STERILIS QUÆ NON PEPERIT; *fragorem ede cantu, & hinni, quæ nullos experta est partus dolores; quia plures sunt filii desolatæ quam filii maritatæ, ait Jehova.*] Declarato magno mysterio passionis & obedientiæ Messiæ introducitur Chorus Propheticus qui aperto ore explicet illius proximum fructum, *Ecclesiæ amplificationem* ex accessione רבים *multorum*, quorum *peccata* Messias *tulerat*, quique ipsi in hæreditatem à Patre promissi erant: tum quoque luculenta beneficia in illum Messiæ Populum conferenda cum uberrimis donis & gratia Spiritus S. quæ beneficia Ecclesiæ ante sanguinariam Messiæ obedientiam dari fas non erat. Sic Dominus Jesus apud Joannem proximus fatali illi necessitati, cum ad ipsum delatum esset, *Græcos* quosdam ex *Proselytis* sui videndi esse cupidos *f*: *Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipsum solum manet: si vero mortuum fuerit, multum fert fructum.* Id vero ipsum est, quod hic agitur, oratione quidem *figurata*, per modum *Apostrophæ*, ad *Ecclesiam* directæ: quam oratio-

α. Sub figura Fœminæ sterilis, ℣. 1. Summa & nexus orationis.

Promissum primum de ejus Amplificatione.

Dictionis figura.

a ℣. 4–6. *b* ℣. 7. 8. *c* ℣. 9. 10. *d* ℣. 11–13. *e* ℣. 14–17. *f* Joh. XII. 24.

tionem eſſe ſuppoſui *Chori Prophetici*, cujus loquentis ſymbolum eſt illud, אמר יהוה *Fatur* JEHOVA, quod hic mox occurrit ỳſ. 1. & repetitur ỳſ. 6. 8. de quo proinde *Chorus* loquitur in *perſona tertia*. Ex ſequentibus intelliges, deſignari FILIUM DEI, verum Eccleſiæ *Goëlem* & *Maritum*, hoc tempore ſe ei propius uniturum. Sed hac parte non laboramus. Majoris momenti quæſitio eſt, quodnam *Subjectum* hic præciſe intelligendum ſit per *Fœminam Matrem*, ad quam oratio hic vertitur. Difficultas hic naſcitur ex *attributis*, quæ ei in hac oratione vindicantur. Dicitur *ſterilis*, *deſolata*, & ante hoc tempus *non peperiſſe*, nec pariendi experta eſſe *dolores*; cujus *adoleſcentiæ* & *juventutis* tempus jam præterierat, quæque deſederat aliquandiu tanquam fuiſſet *vidua*, & orba Viro, ỳſ. 4. quæque contradiſtinguitur alii fœminæ æmulæ, quæ dicitur בעולה *maritata*, ỳſ. 1. Non licet mihi rem incurioſe exequi. indiget enim interpretatione. interpretatio vero, ſi ſe aliorum conſcientiis ſit probatura, requirit ἀνάκρισιν. Etiamſi enim hic meæ ſententiæ ſatis ſim certus: non ſunt tamen in dubiis aliorum ſpernendæ cogitationes.

Quodnam ſit *Subjectum* quod hic compellatur?

Diſquiſitionis neceſſitas.

Illuſtris Vir, Hugo Grotius, ex hypotheſi infeliciſſime jacta, in *ſuperiore Sectione* per *Servum* Dei *juſtum* intelligi Jeremiam: hic *Sermonem* verti cenſet ad *Hieroſolymam*, qua ſpecie ſe oſtentaret poſt Reditum ex Exilio. nec tamen diſerte id dicit, ſed nos ablegat ad initia Cap. LII. 1. & ſunt etiam ex medii ævi Intt. unus & alter qui ipſi præluſerunt. per *Fœminam* autem *maritatam* deſignari *Urbes quæ ſemper habitatæ ſunt, & Reges penes ſe habuerunt*. itaque ſummam promiſſi eſſe, Hieroſolymam iis Urbibus fore *pleniorem*. Id vero ita agit Vir Eruditus, ut plane ſecurus ſit expoſitionis Pauli *a*, verba noſtra allegantis, & exerte interpretantis de *Eccleſia libera*, paritura numeroſam ſobolem ſub Oeconomia Nova, contradiſtincta *Eccleſiæ ſervæ* ſub Oeconomia antiqua. quem ille locum plane tranſit. Apud nos vero ejus ponderis eſt interpretatio Paulina, ut eam etiam abſque clariore luce alia hujus prophetiæ admitteremus. Quanto vero magis, ubi *prophetia* ipſa æque ac *antecedentium* & *conſequentium Sectionum* cohærentia, & totius Verbi Prophetici παραλλαγὴ, clamant, hic agi de *Regno Chriſti*. Amplitudo enim & excellentia promiſſorum, quæ Eccleſiæ hic condicuntur, ejuſmodi eſt, ut plane abſurdum ſit, hic in contemplatione *Hieroſolymæ externæ* & *carnalis* hærere. Sunt etiam aliqua ejus prædicata, ut ỳſ. 11. 12. quæ aſpectum Hieroſolymæ carnalis & externæ plane reſpuunt: ut ſi in cæteris quod prophetia magnificum & celſum habet, tibi volupe ſit extenuare, idque referre ad umbratilem felicitatem, qua Judæi gaviſi ſunt temporibus Maccabaicis: hic neceſſum ſit hærere & ſubſiſtere, niſi plane te ridiculum facere velis. Vident id Judæi Interpretes, qui utique omnes, quos tractamus *A*, cenſent, orationem hic continuari de *Populo Judæo* in *præſenti Exilio* afflicto, & ex eo liberando per Meſſiam; quando demum illi cum *readificata Hieroſolyma*, ſperant implementum ſuum ſortituram eſſe hanc prophetiam. quorum hypotheſis ſi fallat, fallit etiam hæc interpretatio. Propius ad rem accedunt Euſebius, Hieronymus, Cyrillus, qui ſub *Muliere ſterili* hic ſubaudiunt *Gentes*, olim à Deo ſibi relictas, dum *Judæos* ſibi elegit in Populum, quos intelligunt ſub nomine *maritatæ*; ſuntque ex recentioribus in hac ſententia plures. Quin commendavit jam hanc expoſitionem Clemens in *Fragmento Epiſtolæ ſecundæ b*, ut dicitur. Commendat ſe hæc cogitatio aliqua ſpecie; ſed quæ diligentius inſpecta fallit. *Gentes*, in Chriſtum Jeſum credentes, non faciunt *Eccleſiam Matrem*, Judaicæ Eccleſiæ ut *Matri* contradiſtinctam. *Gentes* in emblemate Prophetico ſunt *filii* ſive *liberi* Eccleſiæ *Judææ*: naſcuntur Hieroſolymis. Sic Vates noſter Cap. XLIII. 6. coll. cum Pſ. LXXXVII. 5. An non vides, Prophetam noſtrum in ipſa hac prophetia diſerte ſcribere, ỳſ. 3. *Et* SEMEN TUUM *hæreditario jure poſſidebit* GENTES. Utique *Gentes* erant occupandæ à SEMINE *Mulieris ſterilis*: vin' itaque ex iis facere ipſam *Matrem*; ipſam, inquam, *Mulierem ſterilem?* Gentes ἐγκεντρίζονται ἐις καλλιέλαιον *inſeruntur veræ oleæ*, ut Apoſtolus *c*: *per ſe* non ſubſiſtunt. *Salus* enim *eſt ex Judæis*.

Argumenta alia ex *contextu*, & παραλλαγὴ Verbi Prophetici; & excellentia promiſſorum; ei contraria.

Conſenſus Judæorum hic agi de temporibus Meſſiæ.

Antiquorum Intt. Euſebii, Hieron. &c. hypotheſis.

Putant hic deſcribi Eccleſiam ex *Gentibus* colligendam.

Sed quæ non admittitur.

Illuſtris Grotii ſententia.

A. Paulina diverſa.

---

a Gal. IV. 27. *b* §. 11. *c* Rom. XI. 24.

A Ajo, Chaldæum, Jarchium, A. Ezram, Kimchium, Abarbenelem: etſi ſane Jarchium & Kimchium qui inſpicit ad *primum comma*, ſibi ægre caveat ab errore; & nemini magno vitio verti poſſit, ſi eorum verba cum Doctiſſimo Viro, & de Propheta noſtro optime merito, ſic accipiat, acſi vere cenſerent, hic agi de *Populo reduce*, vel de *Hieroſolyma* inſtauranda poſt Reditum ex Exilio Babylonico. Cenſeo ad me pertinere, ut id expediam, quatenus licet. Jarchius ad vocem בעולה MARITATA, adſcripſit: נרא פרס *Filia* PERSIÆ, ſive PERSIA. Et Kimchius quoque poſtquam priora Chaldæi Int. deſcripſiſſet, ſubjicit, זכר פרס *meminit* PERSIÆ. Quid? *Si fœmina maritata* ſit *Perſia*: utique *Fœmina ſterilis* ei oppoſita videtur eſſe *Populus Hieroſolymitanus*, redux in terram ſuam cum initio Imperii Perſici; vel *Hieroſolyma* ſub illorum Imperio reædificata. Et tamen ſi ſequentia Jarchii & Kimchii legas, clariſſime deprehendis, abſque ulla dubitatione reliqua, illos vere nihil hic plane cogitare de Statu populi Reducis ex Exilio Babylonico, aut Liberatione ex illo Exilio; quin diſerte ſcribere, hanc prophetiam neque ſub primo neque ſub ſecundo Templo impletam eſſe. Sic Kimchius ad ỳſ. 4. NE TIMEAS, &c.] *Ne metue, egreſſum tuum ex hoc Exilio ſimilem fore egreſſui ex reliquis Exiliis, quando in terra tua plures te prehenderunt afflictiones & mala, ſub primo & ſecundo Templo.* Vide Jarchium ad ỳſ. 15. Quid itaque? Videbor ad primam ſpeciem quid plane paradoxum dicere, quod facio; per PERSIAM hic lectam ipſos intelligi velle *Imperium Romanum*, quod illi ſolent vitandæ invidiæ cauſſa alio nomine appellare. Ergo relege mecum totam Kimchii commentationem, quæ ita legitur in Baſileenſibus: וי"ת ארי סגאין בני זכר פרס הלפי דעתי שהוא מלכורת חדיעירת כי מלכוי ישמעל אף על פי שהיא תקיפה מלכורת פרס גוברת עליה *Et Jonathan interpretatur*: QUONIAM PLURES, &c. *Memimit* PERSIÆ; *& quidem ſecundum meam ſententiam* (putem ſcripſiſſe, והלפי) *hoc eſt* IMPERIUM QUARTUM. (videlicet eorum *Imperiorum quatuor*, de quibus Daniel.) *Nam Imperium Saracenorum licet ſit ſatis* VALIDUM; *prævalet tamen ei Imperium* vel *Regnum* PERSIÆ. Alludit hic ad QUARTUM REGNUM Danielis, de quo dicitur apud illum Propheta, Cap. II. 40. *Et quartum Regnum erit* תקיפה FORTE *ſicut ferrum*. Atqui *Quartum* hoc *Regnum* ſecundum Kimchium eſt IMPERIUM ROMANUM. Id ita ſe habere, inde facile colligas, quia *Regnum Perſicum* proprie ſic dictum non poterat comparare cum *Regno Iſmaëlitico*, ſive *Saracenorum*, ſiquidem *Saraceni*, dein Turcæ, Perſiæ Regnum occuparunt, & tempore Kimchii, ut hodiedum, in ſua habent poteſtate. Per *Regnum* פרס *Perſicum* intelligit ROMANUM. Quod autem dicat, per *Regnum* Danielis *quartum* ſe non intelligere *Imperium Saracenicum*, ſed *Romanum*: reſpicit ſententiam A. Ezræ. Cum enim cæteri Intt. paſſim per *Quartum Regnum* Danielis (Cap. II. 40.) & per *quartam beſtiam* (Dan. VII. 23.) deſignari credant *Imperium Romanum*: A. Ezra *Quartum Imperium* & *Beſtiam* exponit de *Imperio Saracenorum*, ut apud ipſum videris. Sed ne ulla dubitandi ſpecies ſuperſit: obſerva mecum, Kimchium ſententiam ſuam referre ad eam Paraphraſtæ, cujus verba priora deſcripſit. Atqui Paraphraſtes per fœminam MARITATAM intelligit *Imperium Romanum*, ſive ROMAM. Ecquo modo, ais? apud Paraphraſten enim nihil hic de ROMA legitur. Sane quidem id verum, ut paraphraſis exhibetur in Editione Baſileenſi. Sic ibi extat: ארי סגיאין יהון בני ירושלם צדיתא מבני כרכא יתיבתא *Quoniam plures erunt filii Hieroſolymæ Deſertæ, quam filii* URBIS HABITABILIS, ſive, *habitatæ*. Nihil hic de ROMA. Sed fallit lectio, & vox invidiæ cauſſa neglecta eſt. Percepi id primo ex Abarbenele, qui hæc ſimpliciter exhibet: וי"מ ארי סגיאין יהון בני ירושלם צדיתא מבני רומי יתיבתא *Jon. Sed plures erunt filii Hieroſolymæ d. filiis* ROMÆ *habitatæ*. Subjungit, *Qui eſt Populus & Regnum quod Daniel vidit ſub ſpecie* BESTIÆ QUARTÆ. quod deſcripſit ex Kimchio. Imo vero exhibetur hæc ipſa lectio in Bibliis *Regiis*, quod in variantibus Lectionibus Paraphraſios Chaldaicæ obſervare non neglexit Vir Doctiſſimus Samuel Clericus, in *Polyglottis Londinenſibus*. Cl. Buxtorfius quoque eodem modo cenſet locum in *Lex.* ad vocem יתיב. Et tamen ad vocem רומי, poſtquam obſervaſſet, hanc Lectionem רומי extare in *Editione Regia* & *Veneta*, ſed in *tertia Veneta* omiſſam eſſe vocem: ſubjicit, *dubitari poſſe, an Jonathan ſic ſcripſerit, nam ejus tempore Hieroſolyma nondum erat vaſtata, nec tantum Judæorum in Romanos odium.* Miror id excidiſſe Doctiſſimo & in Paraphraſi Jonathanis verſatiſſimo Viro. Eſtne enim quid certius, quam Paraphraſin hanc compoſitam eſſe poſt deſtructa Hieroſolyma? Videatur id invicte probans Morinus. Sic liquida omnia. Tantum quæris, cur Hebræi *Regnum Romanum* hoc nomine appellent? Ajo, facere id eos declinandæ invidiæ cauſſa, ut id paſſim quoque vocant אדום *Edom*, יון *Javan*, *Græcum*, ut alibi obſervavi. Sic Jarchius ad ỳſ. 15. *Congregabit ſe Populus*: הוא יון הרשע וחביריו *Hi ſunt* GRÆCI *impii, eorumque ſocii.* Intellige Romanos. Putem autem, hic nomen פרס *Paras* eos adhibere, ut deſignent *Imperium Romanum* ſecundum prophetiam Danielis (Cap. II. 41.) eſſe *Regnum* פלגרת DIVISUM: quæ vis eſt vocis פרס. Utique aliud mihi non ſuppetit. Hæc plane ſcripſeram ut jacent, antequam mihi copia eſſet inſpiciendæ Editionis *Venetæ*. A. 1547. quod ubi factum, dolum omnem deprehendi. Non tantum enim ibi in *Paraphraſi* habetur vox רומי ROMA, verum etiam apud Jarchium pro eo quod nunc legitur *filia Perſiæ*, extat נרא אדומי *Filia* EDOMI, hoc eſt, Romæ: & apud Kimchium bis, רומי *Roma*, pro eo quod nunc legitur פרס *Perſia*. Exhibet etiam illa Editio הלפי, non והלפי. Commentatio autem Kimchii ſic eſt vertenda; Paraphraſtes *meminit* ROMÆ *ex mea ſententia, &c.*

Nec convenit expositioni Paulinæ, Gal. IV. 24. seqq.

deis. Addo, non convenire interpretationem expositioni Paulinæ, quicquid hic Eusebius & Hieronymus præ se ferant, se sensum suum ad canonem Apostolicum exigere. Apostolus ad *Galatas*, *Mulierem* illam hic *sterilem* ac *desolatam* dictam, comparat cum *Sara*, cui superinducta sit *Hagar*; quæ itaque *Mulier* jam concipitur extitisse ut *conjux*, ante alteram illam *Servam* quæ peperit *liberos* [a]; & vere hæc ipsa est hypothesis Prophetæ nostri. Imo sane id idem est quod Jesaias supponit. Ait enim ℣. 4. fore ut *obliviscatur pudoris adolescentiæ suæ, & probri viduitatis suæ*; & ℣. 7. *parvo momento* à Deo *derelictam fuisse*. Eadem vero hæc obstant alii sententiæ, ipsi quoque à Doctis Viris assumptæ, de quibus solum nunc appellabo Adamum Sasboutium, quæ *Mulierem* hanc *sterilem* interpretatur de *Ecclesia Apostolica*, Hierosolymis ex Judæis collecta, vocata ad Libertatem, & *Matre liberæ* Ecclesiæ futura, oppositа *Ecclesiæ servæ* sub Oeconomia Vetere, in initiis temporis gratiæ. Si enim presse inhæreas huic hypothesi, &c. Non dixeris, quomodo extiterit ante hoc tempus, cum hoc demum tempore ex illa hypothesi existere inceperit. Non dixeris, inquam, quodnam ejus fuerit tempus *adolescentiæ*, *sterilitatis*, *solitudinis*: quodnam tempus fuerit *indignationis* quo à Deo *derelicta* & instar *viduæ* habita fuerit. Quod enim huc adfertur, Ecclesiam illam Hierosolymitanam in initiis suis hanc prætulisse speciem, antequam vocari cæperint *Gentes*, neutiquam concesserim. Ajo, quod verissimum est, illam *conjugio* solenniter junctam fuisse Christo Jesu cum *effusis donis Spiritus S.* & ipso illo tempore *impregnatam* fœtamque protinus edere cœpisse magnam ac numerosam sobolem; & expertam esse non sane *iram* & *indignationem Dei* ullam, sed ipsam illam חסד *beneficentiam*, quæ ei hic condicitur, ℣. 8. Nulla hic comparet *Sara*, longum *sterilis*, deinde post *Hagarem* paritura. à quo exemplo hoc emblema vere desumptum est. β. Apostolus in illo ad Galatas loco, quo hunc nostrum exponit, illam Ecclesiam Apostolicam liberam, docet esse *partum* alterius *Matris*, h. e. *Hierosolymæ superioris*, Ecclesiæ liberæ cœlestis. Verba enim ejus hic sunt omni exceptione majora [b]: Ἡ δὲ ἄνω Ἰερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστὶν· SUPERIOR HIEROSOLYMA *libera est*, *quæ est mater omnium nostrum*. Extra dubitationem ponendum est, Paulum per *superiorem Hierosolymam* hic intellexisse idem quod Apostolicus ad *Hebræos* vocat Ἰερουσαλὴμ ἐπουράνιον [c] HIEROSOLYMAM COELESTEM, h. e. *Patres* in fide mortuos, *Deo viventes* in statu *libertatis gloriosæ*, qui habebant τὰς ἐπαγγελίας *promissa* Regni Dei, Benedictionis & Vocationis Gentium, quorum promissorum vi *Ecclesia libera* ex Judæis & Gentibus in unum populum coactis aliquando ederetur in lucem: ut adeo hæc Ecclesia secundum Apostolum sit ipsius illius Mulieris *Saræ* partus. Sic Apostolus clarissimis verbis [d]: *Nunc igitur, fratres*, SECUNDUM ISAAC, ἐπαγγελίας τέκνα ἐσμέν· *promissionis* FILII *sumus*. *Ecclesia* itaque *Apostolica*, secundum Apostolum, non est SARA, sed ISAAC. Imo nihil verius. ISAAC sustinuit typum & figuram *Christi* Jesu, & in Christo *credentium*, qui post *Ismaëlem* mysticum, (*Populum* Judæum *carnalem*,) nascerentur: SARA typum ECCLESIÆ PATRIARCHALIS quæ habuit promissum ISAACI, sed serò impleti. Vidit aliquid ejus Forerius; sed fortius tenuit Cl. Coccejus; cujus meditationibus assensum præbui in *Observatis* primæ ætatis [e]. Nec pœnitet judicii. Adversus hanc sententiam nihil cum ratione objici potest, quam, non videri in *Ecclesiam Patriarchalem*, in gloriosa & libera Dei communione viventem, competere attributa *Mulieris* hujus *sterilis*. Dicitur enim illa non tantum *sterilis*, sed & *desolata*, *vidua*. Deinde, ubi Ecclesia hæc Mater, excitatur ad *gaudium & jubilum*: estne probabile, Prophetam hic appellare *Spiritus justorum Patrum in cœlis*? Imo ipse ajo, probabile non esse. ipse non judico, hæc attributa iis directe convenire; neque adeo probavi omnia quæ ab aliis ad ea explicanda proferuntur. Ergo observa, quod unum hic observasse pretii est; sub nomine hujus *Mulieris sterilis* intelligi *Ecclesiam credentium in promissiones Gratiæ*, Abrahamo & Patribus factas, in quibus *Abrahamus & Patres*, Deo viventes in *cœlis*, supererant; quique in his *terris* cum iis censebantur constituere *unum* corpus. Unum, inquam, cum iis efficiebant corpus, quia habebant *promissionem*; & promissorum Abrahæ factorum *fidem* ac *spem*; quo hic respicitur. Etiamsi itaque ex Abrahamo & Sara nati essent, & vera illorum proles censerentur: respiciuntur tamen in spiritualibus ut MATER, quia habebant *promissionem primi Testamenti*, quod deinceps Novum dictum est, cujus vi *Isaacus*, h. e. Christus Jesus & Ecclesia Judæorum & Gentium, vocandorum in Statum Libertatis, suo tempore debebant repræsentari. Jesaiam autem emblema Abrahami & Saræ hic ob oculos habuisse, liquet ex collato loco Cap. LI. 1. ubi Discipulos Christi compellans, ait: *Respicite ad Rupem unde excisi estis; & ad foveam cisternæ, unde effossi estis. Respicite* ABRAHAMUM PATREM VESTRUM, *&* SARAM *quæ vos peperit*. Hæc una hypothesis fundit lumen toti huic *Sectioni*. Ais, illos *Judæos* qui in Gente supererant pauci numero veri *filii Abrahæ* & *Saræ*, in quibus *Abraham* & *Sara* vivebant, utique ipsos fuisse sub *Lege*, atque adeo opponi non posse *Fœminæ* בעולה quæ *maritum habebat*. Respondeo, geminum illorum fuisse respectum; sed meliorem prævaluisse, & secundum illum censitos esse judicio Spiritus Sancti, ut sane censeri debebant. Erant *sub Lege* animo libero, quippe qui cum intelligerent *Legis impotentiam*, fide & spe anhelabant ad liberationem à molesto hoc jugo, & ad manifestationem Regni Dei & justitiæ ejus, & ad implementum promissorum spiritualium Bonorum Abrahæ factorum: cum è contrario *Israëlitæ carnales* in *Lege* acquiescerent; *justitiam Legis* sectarentur; & pro summo objecto desiderii haberent Beneficia *externa* & *carnalia*, observantiæ Legis annexa. Faciebant itaque & constituebant sub Oeconomia ipsa Legis *semen spirituale*, in Christo Jesu, Principe suo, in quo idem affectus esset, consummandum. Quod *semen spirituale*, in Judæa Gente superstes, & ad adventum Christi Jesu continuatum; cognoscimus ex *Odis* Davidis & Sanctorum; & cum ex aliis prophetiis, tum præsertim ex hoc Libro Jesaiæ, qui hoc verum Abrahæ & Saræ *semen* à cæteris ubique distinguit. Character illorum est apud Lucam [f]; *exspectare consolationem Israëlis*. Hac demonstrata hypothesi, expositionem ipsam cum Deo aggredior.

Non convenit interpretationi Apostolicæ.

Alia hypothesis, quæ per *Mulierem sterilem* intelligi statuit Ecclesiam Apostolicam primi temporis.

Cui ipsi varia obstant quæ recensentur.

Ecclesia illa omnino conjugata fuit; nec potest dici *sterilis*.

Subjectum hoc liquidius & distinctius circumscribitur.

Intelliguntur *Credentes in promissionem Gratiæ* per totum tempus Oecon. Vet.

Respectus loci Cap. LI. 1.

Alii dubio, quod hic moveri potest, occurritur.

Canta sterilis quæ non peperit: fragorem ede cantu, & hinni, Quæ dolores partus experta non es.] Sic proprie sonant Hebræa, ut videri posset per ὑστέρησιν. Videbatur enim dicendum, *Quæ non peperisti, & dolores partus experta non es*. Sed jam sæpius illum loquendi modum observavimus. Integra oratio sic habet, *Canta sterilis quæ ea es, quæ non peperit*. Græcus Int. quem hic sequutus est Apostolus, verba, ילדת & חלה accepit acsi essent *formæ participii*, cum secundum Masorethas ipsa etiam vox חלה ex חול ὠδίνειν, (vide Cap. LXVI. 8.) sit *præteriti*. Sed differentia hæc quod ad sensum exigua est. Si à Masoretharum *Notis* discedas, & voces signes, יָלְדָה & חָלָה: idem sonant quod Græcus exhibet. Dat autem sensum bonum, imo optimum. Tempore Christi, vigente disciplina Pharisæa, Abraham in paucis *vivebat*. *Ecclesia* quæ & *quatenus* habebat promissionem, *semen spirituale*, in Populo carnali superstes, in fide & Spiritu juncta Patribus qui *Deo vivebant* in statu libertatis, hic dicitur *sterilis*, non tam quod exiguo constaret numero, & paucos sui similes produceret, quàm quia hactenus *nullos* ediderat *filios promissionis*, nullum semen *mere spirituale*, & quidem *Gentes* sibi promissas, per solam fidem servandas. Sic

Verba Prophetæ: *Canta sterilis*, &c. *seqq.*

Observatum textuale.

Aliud ad voces חלה & ילדה.

Quo sensu hæc Ecclesia mater dicatur *sterilis*.

Isaaci in typicis respectus.

Sara est Ecclesia Patriarchalis, quæ habet promissa Gratiæ.

Resolvitur *Dubium*, quod ei objicitur.

Quod amplius illustratur.

[a] Gal. IV. 24-27. [b] Gal. IV. 26. [c] Hebr. XII. 22. [d] Gal. IV. 28. [e] *Observ. S.* Lib. I. Diss. III. Cap. VI. §. III. [f] Cap. II. 25.

Sic Apostolus vocat *semen liberum* sub Oeconomia Gratiæ [a]. Alibi [b], *Semen quod est ex fide Abrahami.* cujus maximam partem facerent Gentes. quod *semen* pertinet ad *Testamentum Gratiæ*, quod post abolitum *Vetus*, dicitur *Novum*, licet sit *Vetere* prius. Quin sane *nullos* hactenus experta fuerat *partus dolores*, quia tempus, à Deo exequendo promisso destinatum, hactenus non adfuerat. Non existimo, necessarium esse ut majus hic quæramus mysterium. Et tamen ultro se meditanti offert, quod historia exhibet. Ut enim *Mulier* non parit absque *dolore*; sic fœcundi partus Ecclesiæ Novi Testamenti editi sunt ingente labore, nisu, curis, afflictionibus, & doloribus externis quoque eorum qui hoc Opus Evangelii promoverunt. Sic Apostolus [c]: Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω. Sed quæ incommoda abunde pensata sunt per *lætitiam ingentem* quam Ecclesia concepit & concipere debuit ex hoc partu spirituali, tam diu optato speratoque. Sic Dominus ipse emblema interpretatur apud Joannem [d]. *Lætitia* ex partu dolores pariendi absorbet. Et vere proponitur hic *partus* ut argumentum lætitiæ ingentis, quod figura Apostrophæ, *Canta, ede fragorem cantu, hinni*, infert. Confer Cap. XLIV. 23. XLIX. 23. LII. 9. Sic vere se res habuit, ut illud nunc anticipem, quod ordine post dicendum erat. Ecclesia verorum credentium, & sancti Viri, qui in hoc opus incubuerunt, ingentis lætitiæ ac jucunditatis materiam habuerunt in *Multiplicatione Populi* Christi & *fide Gentium:* quod *Acta* & Epistolæ Paulinæ ubique testantur.

Et *nullos* experta esse *partus dolores*?

Quales *dolores* hic innuantur?

Locus parallelus Joh. XVI. 21.

Quia plures erunt filii DESOLATÆ *filiis* MARITATÆ, *ait Jehova.*] Vox *desolata*, respondens voci שוממה hic explicanda est pro natura *Subjecti*, eodem modo quo vox *solitudinis* Latinis usurpatur pro statu *cœlibatus* aut *viduitatis.* quem sensum vocis optime reddiderunt Belgæ, vertentes, per *solitariam.* Censebatur enim Deus non implens promissa Abrahæ data, luculenta illa, eam destituisse, fere ut spes & fides ejus labasceret: dum contra *maritata*, hoc est, Ecclesia ad Montem Sinai redacta sub *servitutem* LEGIS, ei impositæ instar MARITI IMPERIOSI, (quæ vis hic est vocis בעל,) circa illud tempus, quo natus est Christus & Populus ejus, excreverat in *magnam multitudinem supra Patres*, juxta prædictionem Mosaicam [e]. Est autem mihi hic perinde, sive *Maritum* Ecclesiæ datum ad *Sinai* hic dicas esse LEGEM ejusque *Præfectos*, cum Apostolo ad *Romanos* [f]; sive DEUM ipsum Ecclesiam redigentem sub *servitutem Legis*, & sub ea *servitute* tenentem; atque administrantem, qui eam ob rationem בעל MARITUS imperiosus dicitur Hoseæ [g]. Est enim Dei hic geminus respectus, qualis Abrahami ad *Saram* & *Hagarem. Saram* enim, legitimam conjugem, quæ habebat promissum *veri Seminis*, quà *talem* habebat, ac vere diligebat; sed cum *sterilis* esset, abstinebat ejus commercio, &, ipsa Sara volente, consuevit cum *Hagare*, quæ ei peperit *Ismaëlem:* sed quam fœminam ipse tractavit ut *servam.* qui geminus respectus Abrahami ad utramque Mulierem declarat geminum *Dei* respectum ad Ecclesiam *Liberam*, in Patriarchis vocatam, & *Servam* ei superinductam ad Montem Sinai, quæ peperit *filios* multos sub *Lege* ad *Servitutem*; vi illius Fœderis non *spirituales*, sed *carnales*, robustos, τὰ σαρκικὰ φρονοῦντας. Apostolus eos vocat τὸς κατὰ σάρκα, *eos qui sunt secundum carnem* [h]. Utique *vi Fœderis Sinaitici* sive *Testamenti Veteris* alii non producebantur. Qui inter Judæos Gratiæ Divinæ facti sunt participes, eam per πρόληψιν consecuti sunt vi illius *Testamenti* quod postmodum dictum est *Novum.* SARA hic sustinet emblema Ecclesiæ Patriarchalis & Seminis, ei similis, quæ habuit *promissa Gratia* post longum implenda: HAGAR Populi, consistentis ad Montem Sinai, & vi Fœderis ibi erecti, redacti in Servitutem. Ut vero partus *Isaaci* post *Ismaëlem* præter omnem videbatur incidere spem, utero Saræ jam effœto: sic plane implementum promissi *Seminis Liberi*, Isaaci mystici, in quo benedicendæ essent Gentes, omni spe censebatur majus; & vere majus adhuc illud, *sobolem* ejus multitudine & copia superaturam *sobolem Judæorum carnalium*, statu & indole servorum, quæ circa tempus nascentis Ecclesiæ Christianæ eruperat in immensam multitudinem. Sed docuit experientia. Sic Clemens in *Fragmento*, vel *Homilia* [i]; sive ejus sit, sive alterius: Νυνὶ δὲ πιστεύσαντες πλείονες ἐγενόμεθα τῶν δοκούντων ἔχειν Θεόν· *Nunc itaque credentes plures facti sumus illis qui videbantur habere* (habebant,) *Deum.* Confer loca hoc emblema illustrantia Cap. LXVI. 8. coll. cum Cap. XLIV. 5. 1 Sam. II. 5. Quin sane existimo, huc alludi apud Micham, Cap. V. 5. *Propterea tradet illos* (Judæos potestati Romanorum,) עד עת יולדה *usque quo* EA QUÆ PARITURA ERAT, *pepererit.*

Liberi maritatæ multi.

Dei ut Mariti Ecclesiæ duplex respectus.

Filii Maritatæ Legales, & *carnales.*

Mysterium *Saræ* & *Hagaris*, & *Ismaëlis* ac *Isaaci* expositum.

β. Sub Emblemate *Tentorii*, crescente *Domo* dilatandi.

Clemens Romani locus.

℣. 2. *Dilata locum* TENTORII TUI, *& aulæa Tabernaculorum tuorum extendant. ne cohibe. Prolonga funes tuos, & paxillos tuos firma.* ℣. 3. *Quia ad dextram & lævam erumpes; & Semen tuum possidebit Gentes, & civitates desolatas facient habitari.*] Emblema est tam jucundæ contemplationis, quam intellectus facilis. Vides, id agere Spiritum S. ut sub hoc symbolo nos doceat insigne incrementum Ecclesiæ, longe lateque diffundendæ inter Gentes, secundum emblemata similis generis, Cap. XLIII. 5--7. XLIV. 5. XLIX. 12. Sub nomine *Tentorii* hic alluditur ad Ecclesiam liberam Patriarcharum, *cœlestem* exspectantium *civitatem*, & *habitantium in tentoriis* [k]; & quidem ad *Tentorium Matris Saræ*, cujus mentio est in historia [l]. Habebant autem, habentque hodiedum, ditiores & Principes inter Populos Orientales, præsertim Arabes, Tentoria latissima, in varia Conclavia divisa & ad usum parata; plane ut nihil in iis ad commodum desit, quæ in *Domo* desideres: ut ex Vetere Historia & Itineratoribus notum. Proponit autem Vates statum Ecclesiæ cum respectu ad terras in quibus sedem habet, hic sub *emblemate Tentorii* potius quam sub symbolo *Domus* aut *Civitatis*; quod *Tentorium* possit *extendi* ac *dilatari.* Sic se res habet cum communitate Ecclesiæ. potest arctari vel ampliari. Accedit etiam illud, quod qui in Tentorio versantur, prodant, se in terris haberi velle *advenas* & *hospites*, atque in iis radicare nolle spes suas. esse quid majus & amplius quod sectentur, ut modo observavimus. Addo, *Tentoria* Orientalium, sive colorum, sive aulæorum respectu, varietate sua jucundissimum præbere aspectum. Cætera attributa fere similia sunt. Qui in *Domo* aut *Tentorio* sunt omnes variis σχέσεσι inter se relati, unam constituunt familiam sive communitatem, eamque definitam ac circumscriptam. Ibidem foventur, nutriuntur, & proteguntur adversus injurias aëris, aut incursus ferarum: quæ attributa sunt Ecclesiæ, spirituali sensu accepta. Cætera jam facilia, nec fere indigent interpretatione, cum Propheta se ipse interpretatus sit. *Ampliatio* loci *Tentorii* notat *ampliationem* Loci Ecclesiæ; quæ cum ante hoc tempus circumscripta fuisset limitibus Canaanis, hoc tempore terras locaque alia longum latumque occuparet. Idem significat *extensio aulæorum*, & *paxillorum* ac *funium.* Sensus est, Ecclesiam se ad id parare debere, ut plures in se natos cura & protectione sua prosequatur. Quod autem additur, אל תחשכי *Ne cohibe, Ne parce:* amplissimum involvit sensum, jam doctissime indicatum à Coccejo: videlicet, nullum esse limitem mundi, nullum angulum; Imperium Regnumque nullum in terris; Populum Gentemque nullam, cujus conversio exspectari nequeat, secundum hoc promissum. *Dilata paxillos* & *funes tuos* ex interpretatione harum rerum mystica, quam dedi ad Cap. XXXIII. 20. est tam late *extende* spem tuam in *promissis* Dei, veracitate & potentia ejus suffultis, quam promissorum illorum ampli-

β. Amplificatio propositæ sub Emblemate Tentorii dilatandi ℣. 2.

Emblemate hoc quorsum alludatur?

Tentoria Orientalium.

Cur hic electum sit emblema *Tentorii*?

Similitudo *Tentorii* & *Ecclesiæ*;

Ampliatio Tentorii quid hic significet?

Verba; *Ne cohibe, Ne parce.* Emphasis eorum.

Dilatare paxillos & *funes* quid mystice significet?

[a] Cap. IV. 28. [b] Rom. IV. 16. [c] Gal. IV. 19. [d] Joh. XVI. 21. [e] Deut. XXX. 5. Rom. VII. 1. seqq. [f] Cap. II. 15; Gal. IV. 29. [g] l. c. [h] Heb. XI. 9. [i] l. c. [k] Gen. XXV. 67.

amplitudo patitur. Sic Jesaias ipse se interpretatur, ℣. 3. *Quia ad dextram & lævam erumpes*, hoc est, *ad Meridiem & Septentrionem*, ut Kimchius recte docuit. *Meridies* enim est conversō ad Orientem ad *dextram*. Confer Ezech. XVI. 46. Est autem in voce פרץ *erumpere* magna emphasis. Notat *vim* quæ Verbum Evangelii fœcundatum Gratia Spiritus S. comitaretur; ut, renitente licet Satana & Principibus Mundanis ejus Ministris, loca hactenus cultui Idolorum sacra ab hominibus Christum Jesum profitentibus occuparentur. Confer phrasin Gen. XXVIII. 14. Additur, *Et Semen tuum hæreditario jure possidebit Gentes, & Urbes desolatas habitari facient.* alluditur, secundum Interpretem Hebræum, ad *Orientem*, & *Occidentem*. quod non sperno. Sensus est, Gentes, olim nullam producentes frugem Deo gratam; nulla edentes opera justitiæ, & vere secundum spiritualem statum desolatas, incultum atque infrugiferum solum, secundum promissa Abrahæ data, cum *terris* quas inhabitant, & cum rebus facultatibusque suis, possessum iri à vero *Semine Abrahami*, quod faciebant Credentes in Christum Jesum ex Judæis, in fide & communione spirituali; imo ipsas in Christum credentes & spirituali ejus Semini adscitas, rursus occupaturas & possessuras esse Gentes alias quas ad fidem in Christum Jesum adducerent. Confer dicta ad rem & phrasin eandem Cap. XLIX. 8. hic non repetenda; & *Dissertationem* à me de hoc argumento scriptam [a], in qua hunc & analoga loca explicui.

Emphasis vocis פרץ.

Beneficium connexum, *Hæreditaria possessio Gentium.*

Obiter exponitur.

γ. *Fundamentum* hujus Promissi: *Conjunctio* Dei *Maritalis* cum Ecclesia.

Paracletis Prœmialis.

℣. 4. *Ne metue, &c.*] Sequitur *Fundamentum* promissi: Conjunctio Dei arctior cum Ecclesia, qua eam perfecto amore complecteretur tanquam conjugem suam veram, licet videri possit eam neglexisse. quod conjugium explicatur ab Hosea [b]. Quod ita exequitur Vates, ut ei præstruat blandam παράκλησιν, qua eam jubet deponere metum, animumque ei addit ex spe status sui in melius immutandi, *hoc commate*: deinde, Conjugium ipsum explicet & ex opposito statu illustret, ℣. 5. 6.

Fundamentum *Promissi*, *Arctior* Dei conjunctio cum Ecclesia, ℣. 4. *Summa* Pericopæ & *Analysis.*

Ne metue quia non pudefies; & ne VERECUNDARE, *quia non erubesces.*] Turbavit hic Hieronymum, nec miror, notio מכלמ. Cum enim vox נכלם ipsa quoque stylo Scripturæ S. sumatur pro, *suffundi pudore*: videbatur Propheta idem bis dicere, vel per idem probare, si quis ita eum loquentem faceret, *Et ne suffundere pudore, quia non erubesces.* Vertit itaque, *Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces: Non enim te pudebit, & seqq.* Verum ad vitandum hoc incommodum solummodo observandum erat, vocem נכלם ejusmodi notare genus *metus*, quod ex verecundia nascitur, quo quis se subducit aliorum conspectui, ne gravius aliquid passus, erubescat. veluti, qui semel à Principe verbis castigatus aut repulsam ferens, se illius subducit conspectui: mulier ad tempus à Viro neglecta, aut, ut videri queat, contemptim habita, se publico conspectui subtrahit: miles ab hoste fugatus præ verecundia publicum commercium vitat, ne ob contemptum erubescat. Confer Num. XII. 14. 2 Sam. XIX. 4. quod Latinis est *verecundari*. Id itaque vult Vates, Ne subduc te ex verecundia præ metu, ne à Marito assumpta iterum negligaris, quia non *erubesces*. *Amor* enim erit certus & perennis cum effectu. Certe *Semen sanctum* in Populo Dei habere videbatur rationem gravissimam ejusmodi metus & solicitudinis. Pii enim haud dubie brevi post Reditum ex Exilio Babylonico exspectarant *Manifestationem Regni Dei*: sed exspectatio hæc fefellerat. Rursus instaurata per Maccabæos Republica, eadem se spe lactaverant: interea viderant omnia rursus ire in pejus. Quando autem Regnum Dei cum apparitione Christi Jesu tandem manifestum factum erat & illius jacta fundamenta: quis, humano oculo inspiciens præsentem rerum statum, quo Judæorum Potentiores cum Rectoribus Romani Imperii conspirabant ad illud Regnum opprimendum, non merito metueret, ne tanta spes rursus abortiret? Munit itaque Deus Ecclesiam adversus hunc metum; jubens eam hac parte securam esse: facturum enim Deum, ne *erubesceret*. Compara consolationem similem Cap. XLV. 19. XLIX. 23.

Ne metue, quia non pudefies, &c. Animadversio in Versionem Hieronymi. Hæsit ad vocem נכלם.

Usus genuinus hujus vocis.

Integer sensus Vatis.

Causa metus Veterum respectu Regni Dei manifestandi.

Quia pudoris JUVENTUTIS *tuæ oblivisceris; & probri* VIDUITATIS TUÆ *non recordaberis amplius.*] Per *pudorem Juventutis* hic intelligitur tempus *sterilitatis* Saræ spiritualis, h. e. Credentium qui habebant *promissiones sobolis spiritualis*, Abrahæ datas, in quibus Credentibus Ecclesia Patriarchalis supererat, quod *tempus*, stricte sumptum, etiamsi proprium sit toti intervallo quod fluxit à promissis Abrahæ factis usque ad natum Christum: præcipue tamen censetur in ea incidere tempora, quibus vera *fides* & *spes* promissorum Gratiæ in Posteris Abrahæ fere evanuerat: ut sunt tristissimus Status servitutis Populi in Ægypto, ubi omnis lux fere in hac Gente erat extincta, isque à Deo Patrum desciverat ad idololatriam, Ezech. XXIII. 3. tum Status Populi in Canaanæa post obitum Josuæ & Seniorum ad Samuelem, quo identidem à Deo defecit, & veram speciem Populi Dei perdidit. Erat sane hoc tempore exiguus verorum credentium numerus, pauci veri filii Abrahæ & Saræ: corpus Populi maximam partem veri Dei ignarum, & ad idololatriam proclive. Id enim ipsum est quod Jeremias vocat *probrum Juventutis* [c]. Idem etiam Propheta, & Vates alii de *Juventute Populi* loquentes, idem tempus ubique designant. Sic Jeremias alio loco [d]: *Pudor* (idololatria) *consumpsit laborem Patrum nostrorum* מנעוריו A JUVENTUTE NOSTRA. Mox iterum [e]: *Peccavimus, nos & Patres nostri* מנעורינו A JUVENTUTE NOSTRA. Vox נעורים hic valet עלומים in hoc loco Prophetæ nostri; estque illius certa significatio. Ezechiel [f]: *Et recordabor fœderis mei tecum percussi* בימי נעוריך *in diebus* JUVENTUTIS TUÆ. Confer Hos. II. 4. Dixeris, designari hic tempus *Juventutis* POPULI JUDÆI; non SARÆ quæ ex hypothesi nostra est *Ecclesia Patriarchalis*. Respondeo, rem plane eandem esse. *Sara* enim hoc tempore censetur extitisse in *Credentibus in promissionem* qui erant in Populo Judæo. Quandoquidem vero hæc tempora propius accedebant ad tempus *promissi* Abrahæ dati: ideo censeri tempus *Juventutis Saræ*. Tempus *Viduitatis* est Exilii Babylonici, quo Deus videbatur Populum suum dimisisse, & præsidium ac curam suam ei subtraxisse. Sic idem Jeremias [g]: *Quia non* VIDUUS (אלמן) *relinquetur Israël & Jehuda à Deo suo.* Agitur de Liberatione ex Exilio Babylonico. Confer Thren. v. 3. Equidem verum est, Semen genuinum Abrahami, in quibus Abraham & Sara supererant, valde minutum & rarum, non desiisse illo tempore Deo adhærere, & ipsi fidere: sed quia partem faciebat illius Populi, qui in has calamitates propter peccata sua incidebat; nec externa specie à cæteris distinguebatur, quin contra omnia illa mala participabat: ipse ille *Status* ei probro & pudori erat, & animum ejus dejiciebat, de quo amplius videbimus ℣. 8. Plane itaque hic dissentio à Viris Doctis qui cum Cl. Coccejo in *Curis posterioribus*, in hunc Prophetam, (nam in *prioribus* aliud proposuerat, ipsum quoque à nostra interpretatione diversum,) hic intelligunt Ecclesiam Christianam, qualis apparuit in primo suo ortu, quando ejus videbatur exigua exspectatio. Utique enim id idem tempus est quo Deus se illi Ecclesiæ propius conjunxit: eam fœcundavit donis Sancti Spiritus: omne genus Benedictionis spiritualis in eam effudit: eandem mirifice inter medios hostes suos protexit; quæque eodem tempore nova quotidie & magna incrementa fecit. Id vero tempus dixeris esse *pudoris & viduitatis?* An non vides, Ecclesiam hic comparari Saræ,

Quia pudoris Juventutis tuæ oblivisceris, &c. Quodnam hic innuatur *tempus probri & viduitatis?*

Loca alia Prophetarum huc collata.

Temperamentum superioris positionis.

Aliorum Intt. sententia quædam hic non admittitur.

Tempus primæ Ecclesiæ Apostolicæ non est tempus *probri.*

[a] *Observ.* Lib. V. Cap. V. [b] Hos. II. 18. [c] Cap. XXXI. 19. [d] Cap. III. 24. [e] 25. [f] Cap. XVI. 60. [g] Jer. LI. 5.

quæ demum ætate provecta genuit Isaacum, vi promissionis factæ gravidæ: non vero ætate Juvenili? Huic emblemati inhærendum est. Totius hujus luculentæ prophetiæ intellectus inde pendet.

Ipsa *Conjugalis* Conjunctio.

Ipsa *Conjugalis Conjunctio*, ℣. 5.

℣. 5. *Quia* MARITUS TUUS EST FACTOR TUUS; *cujus nomen est Jehova Exercituum* Dominus; *& Redemptor tuus* est *Sanctus Israëlis* qui *Deus totius terræ nuncupabitur.*] Hebræa primi membri proprie sonant: *Quia* FACTORES TUI TE HABENT IN MATRIMONIO. de qua emphasi mox verbum monebo. Datur hic ratio, quare Credentes, in quibus Ecclesia Patriarchalis in his terris superarat, obliviscerentur suæ *sterilitatis* & *viduitatis*, h. e. eorum temporum superiorum quibus omnis spes obtinendi promissi intercidisse videbatur: Deus enim qui Creator & Factor est Ecclesiæ, idem se præstaret Ecclesiæ *maritum*: cui cum vis non deesset generandæ sobolis spiritualis & implendi promissi Saræ spirituali dati; utique necessum erat, illud pro voluntate Dei certo repræsentari. Intelligis ex his quæ dixi, me verba, *Maritus tuus, Factor tuus*, ita accipere; ut in iis locum habeat μετάθεσις *Subjecti & Prædicati*, frequentissimi usus in omni Lingua. Scripsisset Propheta, FACTOR *tuus est* MARITUS *tuus*: sed quia cum voce *Factoris* connectere voluit varia attributa, eam vocem posteriori subjecit, ut cum attributis cæteris cohæreret. Hypothesis genuina veræ interpretationis hujus loci est, designari hic FILIUM DEI, subsistentem in communione *Patris & Spiritus S.* Ejus enim est, certum ac memorabile attributum; esse *Maritum Ecclesiæ* N. T. Apostolus [a]: *Viri, diligite* UXORES VESTRAS, *sicut &* CHRISTUS *dilexit* ECCLESIAM. sc. Uxorem suam. Inde ipsa, ut se ornatissimam exhiberet florente statu suo, dicitur, *νύμφη τοῦ ἀρνίου, ἡ γυνὴ, sponsa Agni, Uxor* [b]. Eadem *sponsa*, eadem *Uxor*, quod licet *Uxor* servaret castimoniam ac intemeratam puritatem sponsæ: quare mysterium illud sub hoc emblemate *Sponsi & Sponsæ* præcipue proponitur in *Cantico*. Joannes Baptista [c]: *Qui habet Sponsam*, SPONSUS *est*. Ipse Jesus [d]: *An possunt filii thalami lugere, quandiu iisdem est* SPONSUS? Atqui ea hic est significatio genuina vocis בעל, quæ proprie sonat ὁ ἔχων *habens* quamcunque rem in sua potestate. quare ad *maritum* refertur per ellipsin, qui integre dicitur בעל אשה *habens mulierem*. Exod. XXI. 3. qui Maritus est ὁ κύριος τῆς γυναικὸς *Dominus Uxoris*, ut Megisto Timoleontis illa cordata conjux apud Plutarchum [e] in oratione ad Tyrannum Aristotimum. quæ eadem est doctrina Petri [f]. Sed vox sumitur in Sacris hoc sensu gemina significatione; vel simplice pro *marito* absque alterius qualitatis respectu, ut Gen. XX. 3. Joel. I. 8. vel ἐμφατικῶς pro *Viro imperioso*, qui *Uxorem* severe habet tanquam *Dominus*, & omni suo in eam jure utitur, quomodo τῷ ἀνὴρ *Viro leni & benigno* contradistinguitur, ut apud Hoseam, Cap. II. 15. & Jer. XXXI. 32. quam emphasin non exclusi voce בעולה *maritata*, ℣. 1. Simplex significatio hic obtinet, ut ex contextu liquet. Intt. Hebræi Aben-Ezra & Kimchius non assequuti sunt hoc mysterium, ut nec Paraphrastes. Exponunt vocem de *Domino, Rege, Principe*, sui Populi. Ipse quoque hic hæsit Hieronymus. Vertit, *Quia dominabitur tui qui fecit te.* Utique patet ex toto contextu, de *re conjugali* agi. Cæterum quod Deus Jehova, Factor Populi, hic dicatur *Maritus Ecclesiæ*: non est ita accipiendum, acsi hoc tempore demum *Maritus* fieret. quippe supponitur in toto contextu jam ante *Maritus* fuisse; sed dum *Uxor sterilis esset*, introduxisse aliam *Mulierem*, & quidem *Servam* ex qua susceperit *semen*, perinde ac ex Hagare Abrahamus. Sensus est, se hoc tempore *propius* se juncturum esse, influxu uberiore & efficaciore sui Spiritus, *Ecclesiæ* ei quæ habebat *fidem* & spem promissorum gratiæ & cum effectu demonstraturum, se verum esse hujus *Ecclesiæ* Maritum: hanc esse veram & genuinam suam conjugem: hanc se respicere, & semper respexisse tanquam Uxorem, licet videri queat tempore Legis & gravissimarum Populi calamitatum neglecta, & minus curata. *Conjugium* cum hac Ecclesia *Deus* iniisse censetur, quando se *fœdere* Abrahamo obstrinxit in hæc verba, Gen. XVII. 4. *Ad me quod attinet, Ecce fœdus meum tecum, eritque in* PATREM המון גוים MULTITUDINIS GENTIUM. Rursus, ℣. 8. *Et erigo fœdus meum inter me & inter te, & inter Semen tuum post te, in Generationes eorum in fœdus æternum*; ME TIBI FORE IN DEUM, ET SEMINI TUO POST TE. quod promissum vere non erat implendum nisi sub Oeconomia Nova. Arguit enim & involvit Statum Ecclesiæ spiritualem. Ergo etsi Deus per omnia tempora curaverit, ut Abraham haberet posteros promisso Credentes sibi similes: tandem in *plenitudine temporum* se per *Filium* suum Ecclesiæ eidem, veræ Conjugi suæ, propius junxit, & verissimum cum ea iniit conjugium quod omnem sortitum est optatum olimque promissum effectum; nimirum, ubi Filius Dei, per passiones consummatus, *Spiritum suum*, certissimum & unicum pignus veri amoris Dei, uberiore copia *misit ex alto*, qui in animis credentium susciteret *affectum spiritualem*, per quem Deo in *fide & charitate* unitissime conjungerentur, eamque instrueret & *fœcundaret* donibus ad *semen spirituale* tum inter Judæos tum maxime inter Gentes, *generandum* aptis; quique labores & nisus Ecclesiæ prosequeretur efficaci sua virtute & benedictione, ut Filius Dei *Semen* haberet in Mundo copiosissimum; de quo proxime vidimus Cap. LIII. 10. cujus proinde conjugii initia cadunt in tempus Festi Pentecostis, quod Christi Jesu exaltationem ad dextram Patris excepit. *Itaque*, ait Petrus [g], *dextra Dei sursum sublatus, & promisso Spiritu S. accepto à Patre, effudit hoc quod vos nunc videtis & auditis.* Ab eo tempore Filius Dei se demonstravit Ecclesiæ Maritum, juxta conditiones Fœderis conjugalis, quod idem est *Fœdus Novum*, Ecclesiæ præstans cum defensione & cura uberem influxum sui Spiritus; & Ecclesia instar Uxoris liberæ ei in *fide* & obsequio amoris subjecta peperit Semen mysticum & spirituale inter Judæos & Gentes, vi promissi Abrahæ dati. quo pertinent insignia loca Jer. XXXI. 33. & Hos. II. 18. 19. Hoc Semen est *Isaac* mysticus, cujus ipse Jesus *homo* non respectus κατὰ σάρκα, sed κατὰ πνεῦμα [h], typus extitit & exemplar; quippe qui videtur & cognoscitur in omnibus suis membris. Quæris, quare *Filius Dei*, verus Ecclesiæ Maritus secundum præstantiorem suam naturam, hic dicatur בעלים *mariti*, non vero בעל *maritus*? Respondeo, *a.* Vocem בעלים hic formatam esse *structura plurali* cum respectu ad vocem עשים *factores*: vocem autem *factores* sic efferri cum σχέσει ad notionem אלהים DII, ex quorum consilio & ad quorum imaginem homo productus fuisse dicitur Gen. I. 26. Quare cum in aliis locis, quæ nunc non recenseo; tum præcipue in his, in quibus de *Deo Creatore* agitur, amat Spiritus structuram pluralis. ut Eccles. XII. 1. בוראיך CREATORES TUI. Ps. CXLIX. 2. *Lætetur Israël* בעשיו *in* FACTORIBUS SUIS. Innuitur mysterium adorandæ Triadis. *Antiqua creatura* ex voluntate Dei Patris producta est per Filium, & ordinata per Spiritum S. *Nova creatura* in gratia ex ejusdem Patris voluntate & secundum ejus promissa pariter condita fuit à Filio, & exornata à Spiritu S. *Pater* se in *Filio* per *Spiritum S.* univit Ecclesiæ, ut conjugi. Nihil igitur hic singulare est, cum vox אלהים *uni* personæ in Divinis frequens tribuatur, ut seorsim *Patri* ac *Filio*, Ps. XLV. 7. 8. Attamen Filii ob opus Redemptionis, totius Oeconomiæ Gratiæ basin, hic est propriissimus respectus; unde mox structura numeri singularis, *Jehova Exercituum* Dominus est שמו *nomen*

Quando Deus conjugium cum *Ecclesia Libera* primo inierit?

Quando propior & iterata conjunctio facta fit?

Res ipsa clarius exponitur.

Loca ambigua quæ huc pertinent.

Quid sibi hic velit terminatio pluralis vocis בעלים

Mysterium hac terminatione involutum.

Μετάθεσις in verbis, *Maritus tuus, Factor tuus, &c.* ejusque ratio.

Filius Dei proprius Ecclesiæ *Maritus.*

Significatio vocis בעל, ejusque usus in h. l.

Judæi Intt. ad hanc vocem hæsitant.

Quo sensu integrum emblema hic accipiendum sit?

Summa Pericopæ.

Ratio datur, cur Ecclesia obliviscetur *probri Juventutis.*

[a] Ephes. V. 25. [b] Apoc. XXI. 9. [c] Joh. III. 29. [d] Matth. IX. 15. [e] De *Virtutibus Mulier.* Tom. II. p. 252. [f] 1 Pet. III. 6. [g] Act. II. 33. [h] 2 Cor. V. 16.

nomen EJUS. Sed liquebit id clarius ex ipsis epithetis, quibus hic *Maritus* Ecclesiæ insignitur.

Epitheta Mariti Ecclesiæ. Est ejus *Factor*. Quo sensu?

Primum horum epithetorum est, FACTOR TUUS, sive *Factores tui*; ut appellatur *Filius* in communione Patris & Spiritus S. Recte observat doctus Interpres, accipiendam esse vocem in emphasi pro καταρτίζειν perficere. *Factor* est *perfector*, τελειωτὴς *consummator* Ecclesiæ, ποιητὴς καινῆς κτίσεως. Nomen convenit Filio Dei, respectu *Redemptionis* & *Donationis Spiritus S.* à quibus duobus Beneficiis pendebat Ecclesiæ consummatio. Vide dicta ad Cap. XLIII. 7. 21. & Cap. LI. 13. Cave autem credas, Opus *conditionis Novæ* minus *Divinum* esse, quam *antiquæ*. Eædem hic & plures etiam, exeruntur Virtutes & Proprietates Divinæ: Vis eadem Voluntatis irresistibilis ac potentissime operantis.

Nomen ejus Jehova Exercituum. Emphasis epitheti, quod ad Filium Dei.

Alterum, *Jehova Exercituum* Dominus *Nomen ejus*. Potestas phrasios est, Potestates omnes cœlestes Deo ut summo Imperatori subesse: sed specialior ejus emphasis infert, Deum in hisce terris habere *Exercitus Gentium* [a], voluntati ejus in Fide obsequentes. qui character est Filii Dei ut Regis sub Oeconomia Nova. Tertium, *Redemptor tuus*. sc. per adductam justitiam. Paulus ad Ephesios [b], veluti hunc locum respiceret: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, καὶ ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς.* & SE PRO EA TRADIDIT. Emit eam suo sanguine, ut Jacob Rachelem mercedem habuit duri laboris; & David filiam Saulis cum discrimine vitæ. Quartum, *Sanctus Israëlis*. objectum purissimum & summe reverendum cultus religiosi Populi sui. Epitheton passim conjungitur cum priori, & in præcedentibus [c] sæpius occurrit, suis locis expositum. Quintum, *Deus totius terræ appellabitur*. Verba rectissime accipi videntur, si referantur ad commune *Subjectum*, cui reliqua ἐπώνυμα competunt. cæteroquin enim postremum hoc membrum per se subsistere potest; *Et Redemptor tuus, Sanctus Israëlis, Deus totius terræ appellabitur*. Sed cum oratio tota huc tendat, ut nos doceat attributa vera *Mariti Ecclesiæ*: non videtur ab hoc scopo esse discedendum. Vox *appellari* sæpe Hebræis nihil aliud significat quam *esse* cum effectu, ut prædicatum incurrat in omnium oculos & sensum; docetque adeo, Deum se demonstraturum id esse quod hic dicitur, & ut talem celebrandum. Sic Cap. XLVI. 7. *Quia Domus mea* APPELLABITUR *Domus precationis* OMNIBUS POPULIS. confer Cap. XLVII. 1. Valet itaque sententia quod analoga apud Zachariam [d]: *Et erit Jehova Rex super totam terram*. Apostolus loquens de modo justificandi peccatoris per fidem, Gentibus & Judæis communi [e]: *An Deus Judæorum solum? annon & Gentium? καὶ καὶ ἐθνῶν· imo &* GENTIUM. Confer I Joh. II. 2. Utique *Deus totius terræ appellatur*, ubi Deus Abrahami, destructa idololatria, ab omnibus Populis per universum Orbem agnoscitur & colitur ut verus Deus cum obsequio fidei ad justitiam & salutem credentium. Ejus sensus & soni loca sunt [f], TOTA TERRA *plena est Gloria Jehovæ*. Item [g], *Jehova, Domine noster, quam magnificum est nomen tuum* PER TOTAM TERRAM. Alio loco [h]: *Clangite Jehovæ* TOTA TERRA. Certe cum Deus UNUS sit, eundemque natura respectum habeat ad Judæos & Gentes: oportebat aliquando illum ut talem toti Orbi innotescere ad salutem finium terræ, diruto pariete intergerino [i]. Vides jam, quam vim & emphasin præferant hæc tot epitheta ad stabiliendam sententiam fœcundissimi Conjugii Dei cum Ecclesia. Ille Deus qui est *Jehova*, verax certusque implendorum promissorum; cui convenit *Exercitus* habere in terris æque ac in cœlis; cui non desunt vires & merita ad Populum suum redimendum; quemque, ut ab Israële sanctificatur, fas est agnosci, prædicari, celebrari per Orbem totum; imo qui Deus totius Orbis terrarum esse & appellari vult; est *Maritus tuus*, Fœdere conjugali tibi junctus; de cujus

Verba, *Deus totius terræ appellabitur.*

Animadversio ad positionem hujus epitheti.

Sensus dicti ex analogis illustratus.

Implementum ejus.

Ratio, cur Deum aliquando deceret esse *Deum* omnium Gentium.

proinde *conjugii* fœcunditate & felici exspectatione nemo dubitet. Viden', credentes in Ecclesia natos, *nasci filios Dei?*

Sententiæ Confirmatio.

Sententiæ confirmatio vs. 6. *Quia ut conjugem derelictam, &c.*

Aspectus sententiæ, & summa ejus.

vs. 6. *Quia ut conjugem derelictam, & afflictam Spiritu, te revocat Jehova; & uxorem juventutis quando spreta fuerit, dicit Deus tuus.*] Confirmat hæc sententia & illustrat superiorem. Cum enim dixisset Vates, Deum se demonstraturum & gesturum esse ut בעל *maritum:* mox subjungit, docetque; *Ecclesiam* illam *Credentium* in *Promissionem*, licet hactenus gavisa non sit promissionis implemento & Deum experta non fuerit generantem illud copiosum *Semen mysticum* quod Abrahamo pollicitus erat; non posse respici ut *fœminam* quæ nullum habuerit *Maritum*, aut ut *viduam*, vere sic dictam: *Maritum* enim habuisse Deum ad tempus: sed respici debere veluti conjugem viventem; *derelictam* à marito & mœrentem, defectamque Spiritu; & tanquam conjugem Juventutis à Viro quasi spretam; sed deinceps tempore beneplaciti *revocatam*. Hic sensus est sententiæ, quem totius orationis σχῆμα supponit & adstruit; à quo sensu Intt. non adeo longe discedunt, licet interpretationes ipsas si inspicias, verbis multum varient. Et quidem Alexandrinus, cum sententiæ vim non assequeretur, locum plane corrupit. Ex propositione *affirmante* fecit *negantem*, bis inserta vocula οὐ. NON *vocavit te ut mulierem derelictam, & seqq.* pessime equidem & temerarie. Belgæ nostri Intt. majorem hic libertatem sibi vindicant quam alibi. Reddunt illi, *Nam Jehova te vocavit ut mulierem derelictam, & afflictam spiritu: Es tamen uxor juventutis, licet spreta fueris, dicit Deus tuus.* Cadit tota expositio *posterioris membri*, si observes, vocem תִּמָּאֵס non esse *secundæ personæ*, sed *tertiæ* Fœminini, atque adeo vertendam, *spreta fuerit*, non *fueris*. Secundæ personæ Fœminini est תמאסי. Et adhæserunt tamen hic in re pusilla plures. Jun. Tremel. *Et uxorem adolescentiæ, quamvis spretam sis, appellat Deus tuus.* Piscator exiguum variat, retento sensu. Plane coacte. Estne præterea verisimile, phrasin receptissimi usus; אמר יהוה *ait Jehova, fatur Jehova*, & quidem in fine sententiæ, hic venire diversa significatione? Quid multis? Sensus sententiæ facilis est, isque ipsus quem modo demonstrabam, quem feliciter jam assequutus fuerat Hieronymus, cujus hæc est docta versio: *Quia ut mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocavit te Dominus, & uxorem ab adolescentia abjectam.* ἐκ νεότητος μεμισημένην, ut οἱ ὁ. Coccejus: *Et uxorem Juventutis, cum spreta fueris.* debebat esse, *fuerit*. Hic genuinus est sensus Jesaiæ. *Deus te revocavit* vel *revocabit*, ... *ut conjugem juventutis cum spreta fuerit.* h. e. quæ spreta fuerit, & ex statu probri, luctus, mœroris, à Marito revocatur. Vocula כי *cum* hic obtinet vim potestatemque *relativi* אשר, *quæ*. quare Chaldæus plane ad rem: כאתרת עולמים דאתרחקת *ut Uxorem adolescentiæ* QUÆ *amota fuerat*. De Re ipsa nihil fere habeo quod moneam præter ea quæ abunde dicta & discussa sunt ad vs. 1. & 4. Introductum fœdus Legale cum omni apparatu Cultus Ritualis obscuravit promissionem Seminis spiritualis; neque sane vi illius *Fœderis*, stricte sumpti, quod Fœdere Deus aliam *Personam* assumpsisse videbatur; ulli producti sunt veri Filii Abrahæ. Quandoquidem tamen sub ipso illo Fœdere continuata est promissio: Deus ita influxit sua gratia in animos aliquorum à se electorum ex Semine carnali, ut illi videntes inanitatem & impotentiam Legis, Statu quidem servi, sed animo liberi, spe *anhelaverint* ad meliora tempora, ex quibus suo tempore per novum veluti vel renovatum Dei cum hisce reliquiis Patriarchalis Ecclesiæ conjugium vi promissionis edendum erat Semen mysticum. Sed cum illi numero essent exigui, habebat hæc vera Conjux Dei à multitudine carnali veluti oppressa speciem *Derelictæ* & *Mœrentis:* præcipue vero

Variatio Interpretum.

Vitium Int. Alexandrini.

Animadversio in venerandos Belgas.

Alioque.

Hieronymi versio laudata.

Quæ adstruitur.

כי hic sustinet vicem *relativi.*

Ad rem ipsam necessaria monentur.

Conditio *seminis spiritualis* sub Lege.

[a] Jer. XXXII. 19. [b] Ephes. V. 25. [c] Cap. XLIII. 14. XLIV. 6. &c. [d] Cap. XIV. 9. [e] Rom. III. 29. [f] Cap. VI. 3. [g] Ps. VIII. 1. [h] Ps. XLVIII. 4. [i] Rom. III. 30. Gal. III. 20.

tempore invalescentis ac prædominantis Corruptionis & Calamitatum publicarum, quando à Deo veluti *derelicti & animo dejecti* mœrebant; ac de eventu magnificorum promissorum Abrahæ factorum tantum non desperabant. ad quæ tempora prædominantis Corruptionis & Calamitatum Publicarum hic præcipue respicitur. Confer emblema idem Jer. III. 1. 14. & ex Vate nostro, Cap. LXII. 4. Et certe hic aspectus erat Populi, quo tempore inter homines apparuit Filius Dei. Semen sanctum valde erat imminutum. Spes piorum exigua. Semen carnale, quod in magnam eruperat multitudinem, plane obumbrabat Reliquias Ecclesiæ Patriarchalis, quæ alio loco appellantur *lugentes Tsionis* [a], hic עצובי רוח *afflicti, mœrentes, dolore affecti, cruciati spiritu.* Utique sane, quia *mœstitiæ* caussa maxime erat *spiritualis.* Observa interim παρονομασίαν in vocibus עזובה & עובה, ut ℣. 8. in שצף & קצף.

Aspectus ejus tempore apparitionis Filii Dei.

Promissum alterum *Partis prioris*, quo Ecclesia certa redditur de constante ac perenni Dei Mariti in se affectu, & favore exuberante.

a. Declaratur.

Promissum alterum Partis prioris, quo Ecclesia certa redditur de constante Dei in se affectu.

℣. 7. MOMENTO EXIGUO *dereliqui te, & miserationibus magnis colligam te.* ℣. 8. PAUXILLO IRÆ EXUNDANTIS *abscondi faciem meam momento abs te, sed benignitate æterna te miserabor, ait Redemptor tuus Jehova.*] Hypothesis à nobis recte assumpta de *Subjecto* hujus prophetiæ, videlicet *Semine sancto* sub Lege, quod habebat *promissionem*, (Act. II. 39.) una præstat veram interpretationem hujus pericopæ; in qua explicanda necesse est hærere, qui per *Mulierem sterilem*, ad quam oratio vertitur, & quæ hic exiguo tempore *excandescentiæ* à Deo deserta fuisse dicitur, vel intelligunt Ecclesiam Apostolicam in primis suis initiis ante conversionem Gentium; vel Communitatem Gentium, ex quibus Christo Jesu colligenda erat Ecclesia, usque ad hoc tempus *sterilem.* Attributa enim huic *Subjecto* non conveniunt. Nulla Ecclesia majora & luculentiora indicia habuit Divinæ Gratiæ, quam Apostolica in primis suis initiis. Judæi quoque Intt. qui hanc prophetiam applicant ad longissimum tempus præsentis Exilii, cujus exitum hactenus non vident; hic versantur in angustiis. Solummodo itaque Cl. Cocceji hic expendendæ sunt cogitationes. *Cogitandum hic nobis*, ait, *de tota multitudine eorum, qui in V. T. sive etiam ante V. T. promissioni crediderunt, & in fœdere Dei fuerunt.* Mox eos vocat *omnes exspectantes, sive in hac vita libertate usi fuerint, ut Abraham; sive etiam fuerint sub jugo constituti, sed* AD ABRAHAMI LIBERTATEM ANHELAVERINT. Lubenter legi hæc verba quippe hypothesi meæ plane consentientia. Solummodo priora hic legi nollem. Eorum enim Credentium qui ante Legem vixerunt, hic nullus est respectus. Sed cum in *Subjecto* hic inter ipsum & me conveniat: non perfecte tamen convenit in cæteris. Refert enim *momentum exiguum derelictionis & excandescentiæ* hoc loco ad *Jugum Legis & Principum Legalium*, quibus ipsi quoque pii credentes promissis Gratiæ subjecti fuerunt: nec non ad dilatum implementum promissi primarii adventus Messiæ, & donationis Sp. S. Tempus autem hoc Oeconomiæ Legalis cum satis longum videatur, quippe complexum plura Sæcula, *momentum* appellari vult, non *absolute*, sed *comparatione* temporis sequuturi, nimirum respectu *gratiæ* ac *misericordiæ æternæ* Oeconomiæ melioris, quæ Ecclesiæ hic condicitur. Quicquid porro in *proxime sequentibus* de eadem hac re prædicatur: huc unice refert. Locus esto libero judicio. Censeo cum doctissimo Viro, hic non excludi *respectum Oeconomicum*; imo vero autumo, quicquid hic dicitur de privilegio Ecclesiæ melioris temporis, in differentia *temporum Ecclesiæ* esse fundatum. Oeconomia enim Vetus est *severitatis*, & *iræ*, Rom. IV. 15. Nova si per se spectetur, est *meræ gratiæ* ac *misericordiæ.* Attamen cum Ecclesia per tempus Oeconomiæ antiquæ sua habuerit dilucida intervalla, florentis Status Reipublicæ ac Ecclesiæ, & adspectus temporum sub ipsa illa severiore Oeconomia multum variet: non facile mihi persuadeo, id *solum* vel *præcipuum* esse, quod hic respexerit Vates: ut neque assentior hypothesi, *Jugum Legis* impositum fuisse Ecclesiæ caussa Μοσχολατρείας. Historia Scripturæ S. clarissime prodit, consilium hoc Dei jam ante manifestum factum fuisse. Nec poterat Ecclesia antiqua, si Deus donationem Spiritus S. longius differret, *Lege* carere. Nullum enim præter *Legem* concipi poterat repagulum *compescendæ corruptionis* Populi, & *inhibendarum defectionum* à Deo in Populo longe maximam partem carnali. Considera insuper has rationes, *a.* Num probabile sit, Deum totum intervallum Oeconomiæ antiquæ propositurum esse nomine רגע MOMENTI. Non sum plane imperitus hac parte styli Prophetici: novi etiam, temporis Oeconomiæ Veteris ad æternitatem nullam esse comparationem: & non nolens largior, Prophetas longiora in humanis tempora sæpe *parvo* censere, ut exemplum habuimus Cap. XXIX. 17. Sed quicquid ejus fuerit, nemo rei ipsi diligenter intentus facile sibi persuaserit, Jesaiam in oratione sua totum tempus Oeconomiæ Veteris voluisse appellare רגע *momentum*, & רגע קטן *momentum parvum.* β. Tempora illa, (vel tempus,) quæ Vates vocat *momenta*, essent *tempora*, non simpliciter אף *iræ*, & זעם *indignationis*; sed קצף IRÆ EXUNDANTIS, effervescentis, magnæ, ℣. 8. Quem aspectum esse totius temporis Oeconomiæ Veteris, quis mihi mortalis dixerit? γ. Imo vero hoc tempore, vel hisce temporibus, Deus *faciem suam* ab Ecclesia *occultavit*, quem fuisse respectum æquabilem totius temporis Veteris Fœderis, non dixerim. δ. Subsequens symbolum petitum ex *promisso* Noæ *facto* de *Diluvio* non amplius consumpturo genus humanum, ℣. 9. 10. nullo modo pertinet ad institutionem Oeconomiæ Veteris, sed ad *calamitates universales* quæ Ecclesiæ sub illa Oeconomia obvenirent, in quibus *severitas*, quam Deus sub illa Oeconomia exercere constituerat, demonstraretur. Huc pertinet quod hic dicitur. Sunt duo *intervalla* temporis Oeconomiæ Veteris, quibus Deus in Populum, qui Populus *ipsius* dicebatur, *severitatem* & *iram* exequutus est notabilem, &, ut videri posset, nimiam. alterum Exilii Babylonici; alterum afflictionis Syriacæ. Utrumque Vates presse descripserat in oratione insignis argumenti sub ipsissimo hoc emblemate *iræ* & *excandescentiæ* Cap. LI. 17--21. quam pericopam si cum his verbis conferas: nulla parte hæsitaveris. Relege nunc mecum verba Jesaiæ, & senties, nisi fallor, te esse in luce. *Momento parvo*, ait, *dereliqui te.* Respicitur Calamitas Exilii Babylonici, quæ hic ad consolationem Populi extenuatur. Illo tempore pii & credentes in promissionem, qui partem faciebant Populi carnalis, habebant cum cæteris Israëlitis speciem עזובה *fœminæ derelictæ*, ut ad superiorem *versiculum* docui. Rursus, ℣. 8. *Exiguo excandescentiæ ebullientis occultavi faciem meam momento à te.* videlicet in afflictione Syriaca, sub Antiocho Epiphane, quo tempore Reliquiæ Credentium erant in summis angustiis, ut videretur Deus Ecclesiam in hisce terris destructurus esse, & spes implementi promissorum intercidisse. Vates in loco parallelo [b] modo notato hoc tempus designat nomine חמה *excandescentiæ & increpationis Dei.* qua voce Jesaias etiam in hoc loco utitur ℣. 9. Daniel id vocat tempus זעם SEVERITATIS, θυμοῦ, *iræ præcisæ*, estque notio quam huic calamitati veluti illigat [c]. Duravit, si late sumas, circiter XXVI *annis*, ab initiis profanati Templi, usque ad primum Simonis Ethnarchæ. Sed vis calamitatis incidit in *triennium* & quod excurrit Templi polluti, jussu Epiphanis; quod tempus fuit tristissimum. Phrases tamen Propheticæ utrique calamitati, Chaldaicæ & Syriacæ, ex æquo aptantur; quod attributa utrique tempori communia sint.

Non videtur Deus totum intervallum Oeconomiæ Veteris voluisse proponere nomine *momenti.*

Tempus hoc est *iræ effervescentis.*

Quo Deus faciem suam ab Ecclesia *occultaret.*

Nec favet hypothesi subsequens symbolum *Diluvii.*

Duo tempora *effervescentiæ Dei* sub Oeconomia Vetere.

Admonitio de hypothesi secundum quam hæc pericopa exponenda est.

Meditationes Cl. Cocceji.

Ad ea animadversio.

Momentum *excandescentiæ & derelictionis* non recte refertur ad totum tempus *Legis.*

Ad cogitata Cl. Cocceji aliqua observantur.

Derelictio parvi momenti est *Captivitas* Babylonica.

Exiguum excandescentiæ est *calamitas* Syriaca.

Usus prorius vocis חמה hoc in casu.

Attributa utriusque calamitatis.

[a] Cap. LXI. 2. [b] Cap. LI. 20. [c] Dan. VIII. 19.

sint. Ecclesia enim Populi Judæi in utramque calamitatem incidit ob gravissima sua peccata; & pii cum cæteris censebantur tanquam qui Populi partem facerent; quod ipsis accidit molestissimum. קצף קצף, (literarum earundem transpositarum grata resonantia,) hic verto per *exiguum iræ ebullientis*. ea enim vis est vocis קצף. notat iram *ebullientem*, magnam, gravem; aliàs dictam עברה *iram inundantem*. Vox קצף non nisi hoc loco reperitur; & consentiunt tamen passim Intt. antiqui, non aliunde quam ex circumstantiis hujus loci & natura rei, designare *exiguum quid*; quod alii cum Paraphraste referunt ad *exiguum tempus*; alii ad *exiguum modum*, cum Interprete Alex. qui hic exhibet, ἐν θυμῷ μικρῷ. Posterius mihi placet; α. Quia temporis ratio mox habetur in eodem *membro* voce רגע *momento*. Non videtur autem probabile, Jesaiam in uno orationis membro bis meminisse velle *exiguitatis temporis*. β. Phrasis analoga, hanc nostram reddens, adhibetur à Zacharia, loquente de Calamitate Chaldæa. Verba Dei apud ipsum *a*: IRA *exundante* MAGNA (קצף גדול) *affectus sum in Gentes illas tranquillas, quod cum ego* קצפתי מעט EFFERVESCEREM PARUM: *ipsæ adjuverint in malum*. Sic idem Deus apud Vatem nostrum de Calamitate Chaldæa *b*: EFFERBUERAM IN POPULUM MEUM; (קצפתי על עמי) *profanavi hæreditatem meam, & seqq.* Sed, ut jam prænonui, notio utrique *calamitati* communis est, ob communitatem attributi. Ubi Deus *multum & summe effervescere* dicitur per ἀνθρωποπάθειαν: effectus justitiæ ejus tendunt ad plenariam destructionem eorum qui puniuntur: sed ubi *parum*; effectus gravissimi licet, brevius durant, & per supervenientem Dei clementiam emendantur aut abolentur. Convenit autem huic tempori, perinde ac Calamitati Chaldææ, *occultatio faciei Jehovæ*. Dicitur Deus *faciem ab aliquo occultare*, ubi quem privat manifestis signis sui *favoris*, *curamque* suam & providentiam ei subtrahit ad ejus *defensionem*: certe ita se erga Populum, aut singulares homines gerit, ut id agere videatur. quod ubi fit, maximam infert & portendit calamitatem: quomodo Moses hac phrasi primum usus est *c*. Ea species fuit Dei erga Populum; & erga electos etiam in Populo, in iis Calamitatibus, quas memoravi. Huic vero duorum temporum qualitati opponitur & contradistinguitur Beneficium *qualitatis contrariæ*, quod ℣. 7. ita effertur: *Sed* MISERATIONIBUS MAGNIS *colligam te*. & ℣. 8. *Benignitate*, sive GRATIA ÆTERNA *tui miserebor*. Frustra quæris hoc Beneficium in Reditu ex Exilio, & Casibus sequentis temporis; certe secundum ductum hujus contextus. Si *umbra* aliqua ejus extiterit in Beneficiis reducti ex Exilio Populi, aut instaurati Status Reipublicæ & Ecclesiæ per Maccabæos: *corpus* ipsum, sive *veritas* hujus promissi, non extitit nisi tempore Gratiæ. Sancti certe non putabant se veram Redemptionem nactos esse illis intervallis; sed veriorem & perfectiorem exspectabant, ut liquet ex Cantico Zachariæ *d*. *Magnæ miserationes* & *Gratia æterna* hic significant Beneficia Novi Fœderis, in quibus Credentes habent clarissima pignora summi amoris & Gratiæ Divinæ cum consolatione certa in spe æternæ & gloriosæ vitæ. Apostolus *e*: *Ipse Dominus noster Jesus Christus, & Deus ac Pater noster* DILEXIT NOS, *& dedit* CONSOLATIONEM ÆTERNAM *& spem bonam per gratiam*. Summa illorum à parte *Patris* est *datio Filii*; & à parte *Filii*, *Spiritus adoptionis* cum ἀφέσει *remissione peccatorum*, fundata in ejus sanguine & resurrectione ex mortuis. Joannes *f*: *Per hoc manifesta facta est charitas Dei in nos, quod* FILIUM *illum suum unigenitum misit in Mundum, ut vivamus per eum*. Et alio loco *g*: *Videte*, QUANTAM CHARITATEM *nobis dedit Pater, ut Filii Dei vocemur*. *Collectio* autem hic est *collectio* omnium credentium in promissionem ex Judæis electis, per turbam carnalem dispersis, ut sub Christo Domino & Pastore unum faciant Populum, unum ovile, in arctissima communione *Patris & Filii h*. Quæ Beneficia ubi præstita sunt Ecclesiæ, tum vere oblita est omnium Calamitatum pristinarum, & canere potuit cum Choro Redemptorum *i*: *Celebro te, Domine, quod cum* IRATUS MIHI FUERIS, *ira tua aversa sit, & me consoleris*. Sed infers, & non absque specie; Ecclesiam N. Testamenti non minus expositam esse vicissitudini Status quam Ecclesiam antiquam: multas illam sufferre, ac jam sustinuisse afflictiones, easque gravissimas, à quo fundata fuit; eandemque exercitam esse atque adhuc exerceri Divinis Judiciis. ubi itaque sint illæ רחמים גדולי *miserationes magnæ* & חסד עולם *beneficentia æterna*, iræ oppositæ, quæ hic memoratur? Respondeo, prudenti judicio opus esse ut hæc recte discriminentur. Observa itaque, α. Beneficia Oeconomica & Radicalia, quæ basin præstant *consolationis* ac *lætitiæ* credentium, fundata in Redemptione Christi Jesu, eosque certos faciunt de *gratia* & *amore Divino*, per omnia sæcula usque ad æternitatem æquabiliter durare absque variatione. β. Accidentia externa afflictionum, fidem credentium sub Oeconomia Nova explorantium aut tentantium, *Statum spiritualem* eorum non turbare. Joh. XVI. 23. *Gaudium vestrum nemo à vobis tollet*. Ecclesia hoc tempore nulli alligata est terræ, nulli Genti aut Populo. Sancti, qui in terris sunt, à nemine pendent quàm à Christo. Qui *fide* sua stat, ubicunque est, & quocunque statu est, *gloriatur in Domino*. Externa & temporalia bona non sunt hac Oeconomia Ecclesiæ argumenta veri Dei amoris erga suos. γ. *Judicia* Dei quibus affliguntur Populi aut Hypocritæ, in quorum communione Credentes versantur, licet ipsis molestissima accidant, non testari de minore Dei in Credentes affectu: quin passim ejusmodi in casibus vel peculiarem Dei in se experiuntur curam ac providentiam, mille & mille documentis confirmatam; vel Divina gratia ita corroborantur, ut fides & spes eorum non labascat. vide dicta ad Cap. XXVI. 20. & XLIX. 14. quod ipsum Vates mox symbolo illustrat. δ. Judicia pœnalia παιδευτικὰ, quibus languorem singularium Credentium excitat, (ad quæ tamen hic minus respicitur,) vel, vitia invalescentia Ecclesiarum quæ veram fidem profitentur, prosequitur, συνεργεῖν εἰς ἀγαθὸν *cooperari in bonum*, & subordinata esse illorum saluti quos Deus in Filio diligit *k*. ε. Denique Christum Jesum, Rectorem Mundi & Ecclesiæ, Ecclesiam suam in hisce terris nunquam destituere, sed omnem ejus curam & providentiam illuc tendere, ut Populus ipsius in terris, quem perfecte diligit, omnes tandem eluctatus adversitates sibi à Satana objectas secum in gratia & gloria triumphet. *l*

β. Symbolice illustratur.

℣. 9. *Quia hoc mihi est ut* AQUÆ NOÆ; *Cum juravi, aquas Noæ non amplius pervasuras esse terram: sic juravi, non futurum esse, ut in te effervescam, & te increpem.* ℣. 10. *Quin* MONTES RECEDENT, *&* COLLES *nutent: attamen benignitas mea à te non discedet, & fœdus pacis meæ non nutabit, ait miserator tuus Jehova.*] Ad confirmandum promissum superius adhibet Chorus, verbis Dei usus, pulchrum emblema, idque facillimæ interpretationis, desumptum à Diluvio Noachico. Ut enim ipse tum juravit, aquas non amplius transituras terram ad perdendum genus humanum; (paucissimis licet exceptis:) sic fidem facit Ecclesiæ, fore ut nullæ unquam persecutiones aut afflictiones in Ecclesiam in terris ita grassentur, ut eam obruant & pessumdent; idemque rursus novo emblemate à *montibus* & *collibus* petito corroborat. In utroque emblemate duo occurrunt comparata; ex quorum altero à simili; altero à majore ad majus, concluditur. In utroque consideranda sunt *comparata*, & quæ inter ea intercedit *similitudo*; sive, ut simplicius instituam, Πρότασις, & Ἀπόδοσις.

Pii participarunt.

Verbo vocum עצף קצף.

Peculiaris respectus vocis עצף.

Videtur hic recte referri ad *modum*.

Res planius declaratur.

Quo sensu Deus *faciem suam* ab aliquo dicatur *occultare*?

Oppositum tempus *miserationum & Gratiæ æternæ*, ℣. 7. 8.

Beneficium pertinet ad Oeconomiam Gratiæ.

Quod ipsum certius adstruitur.

Ut & *collectio* electorum hic memorata.

Occurritur dubio; Ecclesiam N. T. expositam esse variis Status mutationibus.

Ad quod variis articulis respondetur.

Notabilis differentia inter Statum Ecclesiæ Veteris, & Novæ.

Judiciorum pœnalium, Ecclesiæ N. T. inflictorum, verus aspectus.

Christus Jesus Ecclesiam suam in hoc Mundo nunquam deserit.

Idem Beneficium symbolice illustratur, ℣. 9. *Hoc mihi ut aquæ Noæ, &c.*

Summa sententiæ.

In Verbis Πρότασις & Ἀπόδοσις.

a Cap. I. 15. *b* Cap. XLVII. 6. *c* Deut. XXXI. 17. 18. XXXII. 20. *d* Luc. I. 71. seqq. *e* 2 Thess. II. 16. *f* 1 Joh. IV. 9. *g* 1 Joh. III. 1. *h* Joh. X. 16. XVII. 11. *i* Jes. XII. 1. *k* Rom. VIII. 28. 1 Cor. XI. 32. *l* Rom. VIII. 37. seqq.

In *Protasi* animadversio ad voculas כי מי. Differentia lectionis quanti hic momenti?

In *Protasi* prioris emblematis vix quicquam occurrit, quod nos moretur. Hebræa, כי מי נח זאת לי: id sonant quod in versione expressi: *Quia ut aquæ Noæ hoc mihi.* Sed Veteres Intt. aliqui voculas כי מי, quas nos destinctas legimus, junctas legerunt כימי, quando unam vocem faciunt, quæ valet, *Sicut dies.* Symm. Ὡς αἱ ἡμέραι Νῶε τοῦτό μοι. Theod. Κατὰ τὰς ἡμέρας Ν. τ. μ. Sequutus est Hieronymus: *Sicut in diebus Noæ istud mihi est.* Itidem Chaldæus: כיומי נוח דאת קדמי *Ut dies Noæ hoc coram me.* Kimchius pariter observat differentiam lectionis in *Codicibus:* sed idem recte adscribit, sensum eundem esse. Putem, voculam כי *quia*, *quoniam*, in initio sententiæ tenendam esse, quippe quæ eadem repetitur in *initio commatis* sequentis; estque in connectendis sententiis recepti usus. Deinde voces מי נח *aquæ Noæ* mox repetuntur; & *dies Noæ* nihil emphasios addunt. Si Codices aliqui exhiberent, כי כימי נח: cogitari posset, alterum כי, incuria Librariorum, excidisse: sed cum Exempla hanc lectionem non exhibeant, & nulla necessitas eam flagitet: in vulgata absque ulla hæsitatione persistimus. מי נח *Aquæ Noæ* hic sunt דבר מי נח *Res, negotium, aquarum Noæ*, h. e. Diluvii, à Noa prædicti, & ejus diebus in Orbem hunc terræ immissi, ad quod *Diluvium* Jesaiam quoque alluisse, Cap. XXIV. 18. ibidem animadvertimus, & inde recte collegimus, Librum *Geneseos*, ut nunc legitur, fuisse in manibus Sanctorum. Sensus est, *ut se res habuit cum Diluvio.* Quod autem hic dicat Deus, se JURASSE, *aquas Noæ* non amplius *transituras* terram, videlicet, ad perditionem generis humani: de quo in *Genesi* nihil exerte legitur: referendum est ad ברית *fœdus*, quod Deus cum Noa & posteris ejus hac super re *pepigisse* dicitur, cujus *Sacramentum* constituit *Iridem* [a]. Solebant autem *fœdera* jurejurando sanciri [b]; vel *asseverationes* & *promissa fœderalia* jurijurando æquivalere. quo eodem referendum est, quod Deus *jurejurando* asseverasse dicatur, se posteris Abrahæ daturum terram Canaanæam. [c]

Aquæ Noæ hic latius sumuntur pro eo omni quod circa *Diluvium* accidit.

De *Juramento* quod hic dicitur quomodo accipiendum sit?

Ἀπόδοσις, *Sic juravi, &c.* *Increpare* quid hic loci significet?

Ἀπόδοσις, huic προτάσει respondens, his effertur verbis; *Sic juravi, non futurum ut in te efferveſcam, & te increpem.* ubi observanda emphasis vocis גער *increpare*, quæ in Judiciis Deo adscripta notat *quem ex ira dicto execrationis repellere cum festinato effectu*, aut *gravissimis malis ei inflictis compescere*, ut vocem habuimus Cap. XVII. 13. L. 2. confer Ps. IX. 6. *Increpasti Gentes; perdidisti impium.* cujusmodi judicii speciem experti fuerant Judæi in Exilio Babylonico ad interitum impiorum, ut vidimus Cap. LI. 20. ut sane editum fuerat in primo Mundo in impiis Diluvio perditis.

Sensus totius comparationis.

Emergit itaque sensus ex comparatis, inter se collatis, non fore, ut ullum unquam in terris existat ejusmodi Dei *judicium universale*, quod Ecclesiam sive Populum Christi, per totum Orbem sparsum, destruat ac perdat; & quidem Ecclesiæ toti inflictum ex ira & indignatione Divina. Venusta est comparatio, si rite inspiciatur. Supponit enim hæc comparatio, in emphasi sumpta, α. Ecclesiam Christi Jesu diffundendam esse per *potiorem Orbis partem.* utique fore quid γενικὸν *generale* & *universale.* β. *Afflictiones* & calamitates quæ Ecclesiæ propter *languorem* & *vitia* eam corrumpentia, à Deo immittuntur, vel etiam *Persecutiones*, Deo permittente adversus Ecclesiam concitatas, speciem habere *aquarum* violentarum, magna vi ad destructionem humani generis sævientium; estque emblema hoc sensu in Sacris usu receptissimum. γ. Fieri posse, ut ejusmodi *Diluvia* se in initiis suis prodant ea specie, ut videantur Ecclesiam absorptura; sive Deus Ecclesiam suam languentem, tepidam, & sensim locum facientem gravioribus vitiis, *virga* & *flagello* judiciorum suorum visitet; sive hostibus à Satana incitatis permittat eam invadere & tantum non opprimere. Secundum dictum Ecclesiæ [e]: *Absque Jehova, qui fuit à partibus nostris, quando in nos insurrexit homo: ...* AQUÆ *nos* INUNDASSENT: *torrens transivisset animam nostram. tum transivissent super animam nostram* AQUÆ TUMIDÆ. δ. Deum tamen sua providentia effectum illorum suorum judiciorum aut afflictionum esse inhibiturum ac repressurum, ne Ecclesia ejus ex mundo exterminetur. ε. Ejus Divinæ Voluntatis Symbolum quoddam & figuram extitisse in *Fœdere* cum Noa liberisque ejus omnibusque terræ animantibus inito; per quod *Fœdus* (בריח) recte intelliges *Consilium Divinum* veluti *Testamentarium:* tum quod certum ratumque esset; tum quod pro objecto suo haberet bonum certis subjectis libere destinatum: per *pactionem* vero sive *Erectionem*, illius *Fœderis*, recepta phrasi Scripturæ, illius Consilii Testamentarii *Notificationem.* Equidem *Testamentum* illud sive *Fœdus* proprie fuit *Divinæ Longanimitatis*; sed quod Consilium exercendæ *Longanimitatis* pro basi sua habuit Consilium Gratiæ, ut alibi doceo. Si enim Deo lubitum non esset exercere *Gratiam:* non utique exerceret *longanimitatem*; quippe cujus nullus demonstrari posset finis rationalis. Verum cum Divina Sapientia infinitum luserit in formanda ἀναλογίᾳ sive συμμετρίᾳ *proportione* omnium *Operum suorum:* voluit ut pii hoc Fœdus Noachicum spirituali oculo inspicientes, ex eo quid plus colligerent, quam mortales reliqui: h. e. ut ex hoc promisso intelligerent, Deum qui juravit, se terram non amplius obruturum aquis ad perditionem generis humani, tanto majorem curam habiturum esse erga Ecclesiam, cujus respectu hoc promissum fecerat; quippe non permissurum unquam ut Ecclesia, quam habet in terris, suis judiciis aut vi hostium ad interitum opprimatur aut obruatur; sed eandem semper pro sua in eam benignitate & gratia ita conservaturum, ut nunquam intercidat. cujus suæ *Gratiæ* & *Gratiosi Consilii* symbolum voluit esse *Iridem*, vero suo aspectu non *Arcum*, sed *Coronam*, Dei Regis longanimis & gratiosi caput circumdantem. Est enim *color viridis*, in *Iride* præpalens, symbolum Gratiæ, ut alibi docui [f]. Hæc spes est Ecclesiæ: hoc consilio subsistit, ut etiamsi *portæ inferorum* se ad eam totam deglutiendam aperiant, nihil obtineant [g]. Vox Chori Sanctorum [h]: *Non timemus cum movetur terra, & cum lapsant montes in cor marium. Strepant, turbentur aquæ ejus; tremant montes in elatione ejus: rivi fluvii lætificant Urbem Dei.* Eandem ideam nobis subjicit *Apocalypsis*, licet Liber ille graves memoret Ecclesiæ tentationes. In *Epistola* ad Ecclesiam Philadelphenam mentio fit *horæ tentationis, quæ superventura erat* τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ TOTI ORBI: sed ex qua Dominus Philadelphenos *conservaturus sit* [i]. Ubi quatuor venti ex quatuor cœli plagis simul spirantes ingentem concitarent tempestatem: Deus servaret *servorum suorum* CXLIV *millia* ex singulis *tribubus Israëlis:* videlicet ex Ecclesiæ variis communitatibus per Urbem sparsis [k]. Quando Draco, projectus in terram, ira inflammatus, *Mulierem* quæ *Partum masculum* ediderat, acriter persequeretur, & ex ore suo emitteret *fluvium* ad Mulierem *absorbendam:* Deus eidem procuraret locum in *Deserto*, in quo *nutriretur* extra conspectum *Serpentis*; & *terra*, Mulieri succurrens, *fluvium* exhauriret [l]. Confer analoga Cap. XLIV. 1. Complectitur itaque ille Liber prædictionem tam afflictionum quam gloriosi Ecclesiæ triumphi. Quid? Persecutio Deciana, & vero præcipue Diocletianea, speciem habebat *Diluvii*, *Ecclesiam absorpturi:* sed Deus clementer avertit. Tempestas inprimis incubuit Asiæ & Ægypto. Pax Cameracensis, quæ paulo post medium Sæc. XVI. coiit inter Henricum II, & Philippum II. *Galliarum* & *Hispaniarum* Reges, pro basi sua habuit *Exterminium* confessorum emendatæ Religionis; eademque materia fuit quæsiti aliquot post annis Colloquii Bajonensis inter Catharinam Mediceam sub Car. IX, & Albanum Ducem, Philippi consiliarium. Sed Deus propitius intercessit, etiamsi Satanas vehementem eru-

Fœdus Noæ respectum habuit ad perpetuam Ecclesiæ conservationem in his terris. quod demonstratur.

Et ex ipsa analogia rerum spiritualium illustratur.

Iridis respectus h. l.

Hypothesis demonstratur ex *Apocalypsi.*

Lux historiæ hoc in loco.

Suppositi in comparatione.

---

[a] Gen. IX. 11. 13. [b] Gen. XXVI. 31. [c] Gen. XXVI. 3. [d] Cap. XLIII. 2. Ps. XXXII. 6. XLVI. 4. [e] Ps. CXXIV. 1. 4, 5. [f] Ad Apoc. IV. 1. 2. seqq. [g] Matth. XVI. 18. [h] Ps. XLVI. 3. 4. [i] Apoc. III. 10. [k] Cap. VII. 3. [l] Cap. XII. 13. seqq.

eruperit fragorem. Non excludit Status Ecclesiæ *judicia particularia*, quibus Deus eam ad παιδείαν *correctionem* sæpe gravius affligit; & multo minus excludit tentamina fidei per afflictiones; quas Deus ei ob rationes Sapientiæ ipsius probatas subinde decernit, de quibus in extremis hujus *Sectionis* agitur: sed non permittit, neque permittet unquam, ut *Semen sanctum* in terris obruatur atque intercidat. Dictum Domini Jesu [a]: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Alibi [b]: *In Mundo afflictionem habebitis: sed confidite, Ego vici Mundum.* Certe ubi Dominus in prophetiis Ecclesiam Novi Fœderis solatur, magnifice loqui solet, acsi status ejus ubique æquabilis esset ac perennis, cœlesti proximus, ratione habita ad excellentia Beneficia Gratiæ, quibus Ecclesia hujus Oeconomiæ præ Vetere gauderet; per quam gratiam, si credentes ea rite utantur, superare possunt tristia omnia, quæ vicissitudo temporum iis secundum externum & corporalem statum objicit: qui affectus fuit in Credentibus primi temporis. Hanc enim prophetiam si quis extra scopum Vatis trahere vellet; sensumque ei nimis latum & amplum dare: simul statuendum esset; Deum Ecclesiam, singulaque ejus membra, præservaturum esse à peccatis & vitiis. peccata enim & vitia ubi sunt: non excluduntur judicia.

Promissa Ecclesiæ facta non pugnant cum ordine Divinæ Providentiæ erga eam.

Hactenus valebat argumentum à simili ad constabiliendam spem credentium. Nec tamen in eo subsistit Divina asseveratio. Subjicitur argumentum à minori ad majus, comparatione sumpta à *montibus & collibus*; v. 10. *Quin montes recedant, & colles nutent: attamen, & seqq.* In Protasi hujus comparationis observandum; non id velle dicere Prophetam, *montes recessuros esse*, & *colles nutaturos*, ut Intt. plures verba vertunt, *Quia recedent montes, & nutabunt colles*: cum contra Vates hic supponat *stabilitatem montium & collium*, quam stabilitatem comparat *stabilitati* Decreti pacis & gratiæ erga Ecclesiam: sed oratio sic est accipienda acsi dixisset: *Montes sunt res stabilis ac durabilis*, quos nemo exspectet facile loco movendos aut nutaturos esse; sic pariter se habet Consilium meum erga Ecclesiam fœderatam sub Oeconomia Gratiæ. Si tamen accideret, quod Deo volente accidere potest, & verissimis etiam casibus evenit, ut montes collesque nutent, mutentque locum; Consilium meum *pacis & gratiæ* hoc montibus erit stabilius, quod nunquam sit immutandum vel nutaturum. Stabilitas ejus ipsa *montium & collium* stabilitate major est. De hypothesibus quibus constat Protasis: vix quicquam quod moneam habeo. *Montes & colles* esse quid stabile, quod rarissime nutet aut moveatur loco: nemo est qui nesciat, idque passim Spiritus Dei in oratione sua ut rem certam assumit, jubetque nos in eo animadvertere admirabile effectum Divinæ Providentiæ. Sic Vates Divinus [c]: *Qui montes* מכין STABILI LOCO PONIT *viribus suis.* unde גבעות עולם *colles sæculi* [d]. æterni. Attamen vel sic *Montes & Colles* respectu superioris caussæ censentur *mobiles, nutabiles*; moveri & nutare posse; idque passim Scriptura Sacra Deo vindicat opus, tanquam perfectissimæ potentiæ ejus insigne documentum. Dominus Jesus apud Matthæum [e]: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, neque addubitaveritis, ... si monti isti dixeritis,* TOLLITOR, *&* PROJICITOR *in mare, fiet.* Nihil credenti ἀδύνατον *impossibile.* Nullus enim effectus in Natura rerum major exspectari potest. Quin extant exempla in *terræ motibus*, de quibus Plinius [f]; & quidem non in singulis, sed tractibus integris montium. *Nec montosa*, ait ille, *tali malo carent. Exploratum mihi est, Alpes Apenninumque sæpius tremuisse.* Tacitus in Tiberio [g]: *Eodem anno* (DCCLXX.) *duodecim celebres Asiæ Urbes conlapsæ, nocturno* MOTU TERRÆ: *quo improvisior gravioresque pestis fuit. neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur.* SEDISSE *immensos montes; visa in arduo quæ plana fuerant, & seqq.* Imo vero fuerunt in his Urbibus in Montibus aut lateribus montium sitæ, ut Sardis, Tmolus, Magnesia ad Sipylum. Negat Philostorgius [h], hujusmodi *terræmotuum* caussas esse naturales, quippe ad ejusmodi effecta producenda ineptas; sed phænomenon hoc insolentius adscribit μόνῃ τῇ Θείᾳ γνώμῃ *soli Dei voluntati* ad correctionem peccatorum. *Quoniam, Deo volente*, ait, *vel minima gutta è cœlo delapsa, vel nix levissima, τὸν Ὄλυμπον τῆς Μακεδονίας, ἤτι ἄλλο τῶν μεγίστων ὀρῶν κινήσειεν ἂν ῥᾳδίως. Olympum Macediæ aut alium quempiam ex altissimis montibus facillime movere possit.* Si sic instituat: non opus fuisset huc advocare *guttam* vel *nivem*; caussas ad hujusmodi effectum edendum minime paratas. Nos effecta mirabilia censemus, à Deo pendentia; sive caussas medias in iis producendis adhibeat: quod probabile: sive sua voluntate ἀμέσως interveniat. Id enim nobis nunc perinde est.

Philostorgii ea de re sententia.

Promissum exaggeratur, v. 10. ex alio emblemate.

Versio constituitur, & sensus sententiæ exhibetur.

Stabilitas *montium & collium.*

Attamen subinde *nutant.*

Exempla ex historia.

Ἀπόδοσις. Primo, *Gratia* Dei cum *montibus & collibus*, stabilitatis respectu comparatur.

Ἀπόδοσις; huic προτάσει respondens, duabus propositionibus constat, ut jam commonefeci. Prima est; *Ut montes & colles* suo firmiter stant loco: *sic* חסדי *Benignitas*, (gratia) *mea à te non recedet.* h. e. *Gratia* Novæ Oeconomiæ nexa, quæ infert *Regnum* Christi Jesu *perenne.* Confer Ps. XXXVI. 8. LXXXIX. 2. Notio est receptissimi usus in Sacris, sive pro objecto habeat *Ecclesiam*; sive *Electos* singulos, qui eam constituunt. Si de Ecclesia usurpetur: notat effecta benevolæ Voluntatis Dei erga Ecclesiam, demonstrata in continuo ejus in Ecclesiam influxu; dum eam necessariis subsidiis Gratiæ per Spiritum & Verbum suum instruit; eamque cura & providentia sua singulari in Mundo conservat ac protegit, ad salutem Electorum. Hæc Gratia est æterna, & Regnum Filii Dei in Mundo nunquam desiturum sustinet. Sequitur, *Et* FOEDUS PACIS MEÆ *non nutabit, ait Miserator tuus Jehova.* Per ברית שלום *Fœdus pacis* hic recte intelliges certum & irrevocabile Dei *Propositum*, quo constituit Populo suo in hisce terris præstare effecta propitiæ & placatæ suæ in eum voluntatis, cum *copia omnis benedictionis spiritualis in supercœlestibus in Christo Jesu*; & *temporalis* quoque, quatenus id ordini providentiæ ejus, & necessitati suorum, convenit. *temporalia* enim *bona* sub Oeconomia Nova censentur esse *adjectitia* [i], & peculiari Dei dispensationi relinquuntur. Verba Dei apud Ezechielem [k]: *Et pangam cum iis* ברית שלום FOEDUS PACIS; *fœdus æternum erit cum iis; & faciam, ut multiplicentur; & ponam Sanctuarium meum in medio illorum in æternum; & habitatio mea erit apud ipsos; & ero iis in Deum; & illi mihi erunt in Populum.* Est FOEDUS NOVUM; (ברית חדש) de quo Jeremias; quod eidem Prophetæ dicitur ברית עולם FOEDUS ÆTERNUM. Confer Vatem nostrum Cap. LIX. 21. & Hos. II. 18. 19. Altera propositio, quæ in his verbis jacet; in hanc exit sententiam: Etiamsi montes collesque tremerent, locumque mutarent, quod subinde licet raro, accidit: *Fœdus tamen pacis meum non recedet*, vel *nutabit.* Eadem fere est sententia, quam sub simili forma inspeximus Cap. LI. 6. Conf. Matth. V. 18. Voluntas mea est montibus & collibus stabilior. Ratio est, quod cum nulla ratio vetet, cur montes & colles nutent, si naturales caussæ ad illum effectum producendum concurrant; aut mihi placitum sit illum præter ordinem naturæ sistere: *moralis ratio* obstet, cur *consilium & voluntatem meam*, in æternis Sapientiæ rationibus fundatam; Patribus patefactam; sanguine Mediatoris & *Miseratoris generis humani* confirmatam; & Fœdere ac Jurejurando sancitam, mutem. His fundamentis stat salus electorum, & conservatio Regni Christi Jesu in his terris [l]. *Voluntas* Gratiæ est βουλὴ ἀμετάθετος [m], cujus Deum *non pœnitet* [n]. Plura huc non refero. Etiamsi enim *Montes & Colles* in emblematibus

Ἀπόδοσις. Quid hic loci *Fœdus pacis*?

Bona Fœderis N. spiritualia. Temporalium quis respectus?

Secundo; *Gratia Dei* est *stabilior* montibus & collibus.

Ratio ejus propositionis.

Analoga ex *Scriptura* huc facientia.

---

a Matth. XXVIII. 20. b Joh. XVI. 33. c Ps. LXV. 7. confer Ps. CXXV. 1. d Deut. XXXIII. 15. Job. IX. 5. XXVIII. 9. e Cap. XXI. 21. f *Hist. Nat.* Lib. II. Cap. LXXIX. & seqq. g Tac. *Ann.* Lib. II. Cap. 47. h *Hist. Eccles.* Lib. XII. §. X. i Matth. VI. 33. k Ezech. XXXVII. 26. 27. Cap. XXXI. 33. l Cap. XXXII. 40. m Heb. VI. 18. n Rom. XI. 29.

bus Scripturæ S. suis locis notent *Regna* & *Imperia* Mundi: id hic loci usum nullum habet. Stabilitas enim Voluntatis Dei non comparatur commode *stabilitati Regnorum* & *Imperiorum Mundi*: imo *Regna Mundi* multa per naturam instabiliora sunt *Montibus* & *Collibus*; ut adeo ea sententia vim dicti Prophetæ infringeret. Si quis autem verbis Prophetæ hunc det sensum: *Montes & colles* RECEDENT: tollit vim præcipuam comparationis à Vate intentæ.

PARS ALTERA hujus *Sectionis*: *Apostrophe* Filii Dei ad Ecclesiam, continens promissa,

a. Ejus singularem in modum *exornandæ*.

Pars altera Sectionis: Apostrophe Filii Dei erga Ecclesiam, continens promissa. *a.* Ejus exornandæ, ℣. 11.

℣. 11. *O afflicta, procellis agitata, consolatione destituta; Ecce Egomet lapides tuos commode sterno in* CRUSTA RUBRA SPLENDESCENTE; *& fundo te sapphiris:* ℣. 12. *Et pono* PROPUGNACULA *tua carbunculos; & portas tuas lapides igneſcentes; & omnem ambitum tuum in lapides delectabiles.*] Hactenus Dominus in genere Ecclesiam suam certam fecerat de benedictione sua, & constante in eam affectu, ejusque affectus perennibus effectis: sed distincte non explicaverat, quænam illa essent beneficia, quæ præter amplissimum sobolis incrementum, de quo in *superioribus* actum erat, in eam conferret. Id vero nunc exequitur nova hac *Apostrophe*: ubi nova fit ad Ecclesiam *Allocutio* ab eo Qui hic infertur tanquam Dominus, Conservator ac Defensor Ecclesiæ; qua Populum redemptum certum facit de sua erga eum cura, tam in eo ornando, & omni dote spirituali instruendo; quam in eo adversus hostes suos defendendo. *Allocutio* rursus sumitur ab attributis *Ecclesiæ* spectatæ sub *σχήματι Hierosolymæ*; quo *Statu* esset circa id temporis, in quod implementum hujus prophetiæ incideret. Dicitur *afflicta, tempestate agitata,* (סערה. Hieron. *tempestate convulsa.* Cl. Coccejus, *horrens.* quod minus probem; nec satis belle convenit emblemati, quod hic desumitur à *Civitate*, ut ex *seqq.* liquebit:) *non adepta consolationem.* Attributa exactissime congruunt illi *Subjecto* ad quod prophetiam hanc retuli: hoc est, *Popello piorum, exspectantium consolationem Israëlis*, qui partem faciebant Ecclesiæ externæ & carnalis; & judiciis Divinis, illi Ecclesiæ carnali tempore *severitatis Legalis* inflictis, implicabantur. Illa circa tempus apparitionis Domini in Canaanæa erat עניה *afflicta*; tum respectu exigui numeri verorum credentium; tum ob dilatum implementum promissorum gratiæ, in quibus eorum *voluptas* vera sita erat: tum ob multitudinem *scandalorum* sui temporis sub Herode, & Filiis ejus: *tempestatibus* & *turbinibus agitata* ac *concussa*, respectu motuum calamitatum superioris temporis, de quibus disserui ad ℣. 7. & 8. ne proximas, sub Ducibus Assamonæis, arma Romanorum provocantibus, nunc memorem: *nullam adepta consolationem*, quippe hactenus non consecuta veram & æternam illam παράκλησιν, quam veri Abrahamidæ *exspectabant* [a]. Hic est character Ecclesiæ antiquæ, ut patet ex Cap. XL. 1. & LXI. 1. qui applicari nequit ad Ecclesiam N. T. qualis fuit in initiis, quæ *plena* fuit *consolatione* [b], & χαρᾷ μεγάλῃ *magna lætitia* [c]. confer Cap. LXI. 1. 2. Nec sunt attributa rerum & temporum inter se confundenda. Si hic omnino oratio verteretur ad Ecclesiam N. T.: plane statuendum esset, appellari hic Ecclesiam *defunctam persecutione Neroniana*; ut adeo Spiritus S. hic gradum promoveret, & *Apostrophe* hæc nova Ecclesiam Christianam respiceret aliquo jam tempore provectam. Sed *promissa sequentia* conveniunt maxime Ecclesiæ qualem se haberet in initiis suis; & attributum לא נחמה *non adepta consolationem*, paulo durius huc refertur; &, quod hic primum est; nulla ratio me jubet à *Subjecto* quod elegi, discedere. Promissa ipsa, quæ Ecclesiæ hic dantur, sunt excellentia. Primum illorum est Ecclesiæ insigniter *ornandæ*, propositum sub mutato emblemate. Cum enim corpus piorum in *superiore Apostrophe* respexisset sub forma *Fœminæ*: nunc redit ad figuram symbolicam *civitatis*, veluti *Hierosolymæ*, sub qua passim de Ecclesia loqui solet. *Civitatis*, inquam: non vero *Domus*, ut pars Intt. sibi persuaserunt ex voce משמרת, quam vertunt per *fenestras*. Frustra quidem, ut mox patebit. Emblema *Domus* Prophetis de *Ecclesia* loquentibus insolens est. Si de ea agant sub specie ædificii aut structuræ: vel ad *Hierosolymam* alludunt; vel ad *Templum*. Poterat utique Vates de Ecclesiæ ornamentis differens, in eodem emblemate orationis persistere: sed Propheta hac figura jam usus fuerat Cap. LII. 1. & *sequentia promissa* ei minus scite respondent. Primus articulus est de illius, h. e. *murorum ejus*, structura, alter de ejus *fundamentis*, tertius de *propugnaculis*, quartus de *portis*, quintus de *peribolo*. Nostri hic officii erit, primo contemplari *literam*; dein, *spiritum*.

Ecclesia h proponitur sub mutata figura *Civi tatis*: non *Domus*.

Quinque articuli.

In Promisso hoc primo *exornandæ* Ecclesiæ articulus Primus est: *Ecce Egomet commode jacio lapides tuos in crusta rubra splendescente*. quem sensum subesse puto Hebræis, הנה אנכי מרביץ בפוך אבניך Supponitur hic *civitas* tanquam vel desolata vel ornatius extruenda. Extruitur autem *Urbs* in MURIS *suis*; de quibus hic agitur. Vates de iis supra [d]: MURI TUI *semper coram me sunt*. Et infra [e]: *Et ædificabunt alienigenæ* MUROS TUOS. Poëta facet [f]: *Benefac Tsioni pro beneplacito tuo: ædifices* MUROS *Hierosolymæ*. Materiam autem horum murorum cum facerent *lapides*, ut ex reliqua materia Urbis colligere est, splendidi ac probe politi: duo sunt quæ Jesaias de structura hujus Urbis ἐμφατικῶς prædicat. Primo, quod Architectus illos *lapides* commodissime locaret, quæ vis est significationis in voce רבץ *recubare: forma Hiphil*, quæ hic usui est, *recubare facere*. Usurpatur vulgo notio de *animantibus* quæ ex naturæ instinctu aut Pastoris ductu commodissimum captant *recubandi* locum, & vero *recubant*, sibi relictæ, leniter [g]. Notat vox, *lapides* hosce, qui ad extruendum murum Hierosolymæ Novæ admoverentur, ordine ac commodissimo loco ponendos esse: secus sane, ac accidit Athenis, quarum muri post Medorum & Persarum irruptionem, invitis Lacedæmoniis, tumultuaria opera ex lapidibus undique congestis, & subinde non satis coagmentatis, extructi fuere, ut narrat Thucydides [h]. Est autem mihi perinde, an notio רבץ hoc loco ad ipsam *fundationem* referatur, quemadmodum eam Hieronymus cum pluribus Intt. hic vertit per *sternere*: num in universum ad *structuram* totam murorum: etsi posterius probabilius habeo. Alterum quod emphasin addit, latet in voce, בפוך, quam reddidi *in crusta*, sive *materia rubra splendescente*. Hieron. vertit, *per ordinem*. Int. Alex. ἄνθρακα *carbunculum*. Sed οἱ τρεῖς, Aq. S. Th. certatim reddunt ϛίμει, vel ἐν ϛίμει, IN STIBIO; eosque sequuti potissima pars Interpretum. Στίμμι idem quod Græcis vulgo ϛίμμις, ϛίμμι, ϛίβη, *stibium*. Si Vates scripsisset, *Ego depono lapides tuos* פוך PHOUCH: non spernerem Interpretem Alexandrinum hoc in loco; siquidem constet, *lapides pretiosos* olim extitisse hujus nominis [i]. Sed פוך hic loci occurrit ut *materia* in qua *lapides* deponendi, vel qua *colorandi* erant. Ergo rectius haud dubie cæteri Græci hic exhibuerunt *stibium*; modo notio recte accipiatur; h. e. latiore sensu, pro qualicunque *fuco*, sive *materia fucata*, cerussa, purpurissa: quippe mihi plane persuadeo, ipsum illud quod hic PHOUCH dicitur, à Jesaia respici ut *materiam*, in qua loco *calcis*, *cementi*, aut bituminis, *lapides* ponendi ac coagmentandi erant. Utique vox פוך bis [k] in Codice Sacro sumitur pro *cerussa* aut *purpurisso*, quibus facies, & in ea præsertim *oculi* aut *genæ*, fucantur: & *genæ* quidem, *colore rubro* aut *purpureo*: estque jam à doctis Grammaticis pluribus observatum, vocem פוך PHOUCH originem dedisse Græcæ ΦΥ-ΚΟΣ, φύκη, φυκίου, & Latinæ FUCUS. Est autem *fuci* genus varium, idque quo *lana* tingebatur à *fuco* fœmi-

Deus Ecclesiam compellans, eam hic describit ab attributis superioris Pericopæ.

Quæ exacte conveniunt *Subjecto*, de quo hic agitur.

Quo sensu dicatur *afflicta*?

Tempestatibus ac *turbinibus agitata*?

Num hic ratio haberi non possit Ecclesiæ Christianæ in initiis suis afflictæ?

Aspectus promissorum, hic expressorum.

Ecclesia comparatur *civitati*, locis analogis

Summa promissi ornandæ Ecclesiæ, hic memorati.

Primo, *Lapides murorum commode reponerentur* Emphasis vocis רבץ

Athenarum exemplum huc adductum.

Desin, Lapines jacerentur אבני

Veteres vocem פוך certatim reddderunt per *stibium*.

Judicium de versione ℣. qui acceperunt pro *carbunculo*.

Stibii noti quam late hic capiendi sit?

Significatio hic adstruitur ex analogis.

Varium *fuci* genus.

[a] Luc. II 25. [b] Act. IX. 31. [c] Act. VIII. 8. I Thess. I. 6. &c. [d] Cap. XLIX. 16. [e] Cap. LX. 10. [f] Ps. LI. 20. [g] Confer Cap. XI. 6. [h] De *Bello Peloponn.* Lib. I. p. 39. [i] 1 Par. XXIX. 2. [k] 2 Reg. IX. 30. Jer. IV. 30.

fœminei usus distinctum, de quo Salmasius [a] pluribus differit: monetque, *colorem* dare *rubrum* vel *rutilantem*, quippe faciem *purpurissare*. Docuit insuper me Vir Doctissimus, *antimonium* (est autem idem quod *stibium*,) *preparatum esse rubrum*. Alter articulus respicit murorum fundamenta: *Et fundo te in* SAPPHIRIS. In versione nemo hic hæret. Est enim Hebræum ספיר idem quod Græcis & Latinis, σάπφειρος *Sapphirus*. Est genus lapidis pretiosissimi, stylo Scripturæ S. satis notum, *coloris cœrulei*, hoc est, *cœlestis*, aut, si vis, *cœlini*. Dixerat Plinius [b], *eas raro videri cum purpura*: contra testantur qui de *Lapidibus* scripserunt, ut late docet idem Salmasius [c]. Ait Plinius, *collucere aureis punctis*, quod Græci χρυσόπαιστον dicunt. Observat Eruditus Plinii Commentator [d], in aliquibus videri *nubeculam è rubro purpurascente, sub cœruleo colore in una gemmæ parte conspicuam, similem glauco nitori sulphuris, dum accenditur, granis aureis, exiguis, intus scintillantibus, & flavo fulgore splendentibus*. Ita est, aliquæ illarum sunt *cyanei*, hoc est, *cœrulei*, *saturati coloris*, qui proprius & genuinus color cœli est, unde χρῶμα ὑάνοειδὲς; πορφυρίζουσι *purpurascentes*; subinde etiam *aureis punctis* distinctæ; quæ *mares* putantur: aliæ *cœrulei* dilutioris, quæ *fœminæ*. *Pellucidas* autem dari quas Plinius ignoravit, jam à Doctis Viris, qui de *Gemmis* aut *Lapidibus pretiosis* scripserunt, satis est demonstratum; eæque hoc tempore habentur optimæ; etsi quæ *aureis punctulis* interstinctæ sunt, olim in magno fuisse pretio, videri queat patere ex Job. XXVIII. 6. *Cæruleum* tamen *pellucidum* sub *Sapphirino* colore intelligo in locis Scripturæ S. quæ *pavimentum* Solii Jehovæ & ipsum Jehovæ *Solium*, figurate describunt [e]. Utique Scriptor Sacer in priore loco se ipse declarat, ubi addit, וכעצם השמים לטהר *Et tanquam substantia cœlorum in claritate*. Tertius articulus: *Et pono* PROPUGNACULA *tua* CARBUNCULUM. Sic censeo vertenda verba, ושמתי כדכד שמשתיך à recentioribus Interpretibus multum dissentiens: cujus sententiæ mihi danda est ratio. Vulgata versio nostri & superioris ævi habet, *Et faciam è crystallo specularia tua*: non dissentiente Coccejo. Sic præiverant Aben-Ezra & Kimchius. Nulla iis hic ratio (cum vox alibi non occurrat:) quam quæ petitur à significatione vocis שמש *Sol*. *Specularia* enim sive *fenestræ* admittunt *Solem*. Sed Int. Alex. reddidit, Ἐπάλξεις *Propugnacula*, quem sequutus est Hieronymus: estque mihi probabile, cæteros Græcos eodem modo instituisse, cum Hieronymus nullam hic versionis differentiam observet: ut neque Eusebius & Procopius. Sunt autem ἐπάλξεις, secundum Hesychium & Suidam προμαχεῶνες, sive *pinnæ* & *pinnacula* in Muris; sive *propugnacula* ipsorum murorum aut *portarum* præcipue *fenestrata*. unde forte peti possit hujus versionis ratio. Stewechius [f]: *Erant olim, præter turres*, PROPUGNACULA PROPE PORTAS, ... *Etiam minæ in propugnaculis &* FENESTRÆ *in quibus defensores stabant cum variis telis*. Imo vero per quas *fenestras* tela & sagittæ mittebantur in hostes, murum oppugnantes. Teneo hic *propugnacula*, cum plane persuasum habeam, Vatem hic de Ecclesia sub forma *Urbis*, non *Palatii*, loqui; quæ *propugnacula portarum*, (ea enim hic significari putem:) vel ob figuram *rotundam*, quæ passim in iis eligebatur; vel quod *fenestrata* essent, potuerunt dici שמשות tanquam *admittentia* lumen Solis: etsi vere hic aliquid subesse putem nobis ignotum. nam ad thema Chaldæum משמש *ministrare*, non recurro. Tantum addo, videri posse vocem שמש significationem aliquam *propugnaculi* olim obtinuisse, ex loco Ps. LXXXIV. 12. ubi extant verba: כי שמש ומגן יהוה אלהים quæ vulgo vertuntur; *Quoniam* SOL *&* CLYPEUS *Jehova Deus*. Verba ad rem ipsam translata ferunt interpretationem commodam: attamen verum est; inter *Solem* & *Clypeum* non intercedere analogiam. Si שמש hoc loco per *propugnaculum* vertas: omnia facilia. Nec tamen id hoc tempore urgeo: novi enim, in mysticis sæpius inter se jungi disparia. Ait Deus apud Vatem, se *propugnacula* illa positurum esse כדכד CADCÔD: quod quid sit; non æque certum. Consentiunt omnes, esse speciem *Lapidis pretiosi*; quippe quod præter hunc locum non obscure liquet ex Ezech. XXVII. 16, Sed cum species ejus cognita non esset: Intt. Aquila & Theodotio in hoc loco, & Alexandrinus quoque in cognato Ezechielis, vocem originariam in versione retinuerunt: perinde ac Cl. Coccejus utroque loco. Et hi quidem nihil se commiserunt indignum. Plus laudis habet modestia, quæ aliqua & multa quoque nescire vult: quam affectata earum rerum scientia quæ ex certis principiis sciri nequeunt. Et fieri tamen potest, ut hic probabile aliquid definiatur. Intt. vulgati, qui proximum משמות per *specularia* interpretati sunt, vocem verterunt per *crystallum*. Sed cum ea versio vocis fundata sit in hypothesi de *specularibus Palatii*, à nobis rejecta; & aliunde non adstruatur: non magnam hic meretur animadversionem. *Οἱ ὁ.* hic exhibent, Ἴασπιν *Jaspin*. quo fundamento, non liquet. Quid si vero nos jaciamus, esse *Carchedonium* sive *Rubinum*? Sic utique præivit Symmachus; suntque ex Grammaticis plures in hac sententia. Abarbenel: והוא האבן הארומרת הנקראת רוביני וגו' *Est lapis ruber appellatus* RUBINUS: *estque lapis pretiosus*. Ratio ipsis communis, (licet rationem non adscripserit Abarbenel,) quod vox כדכד proximam cognationem habeat cum כרר: geminata *prima radicali*: cui notioni obsoletæ adhæsisse significationem *flammandi*, *ignescendi*, videtur patere ex voce כירורים, quæ extat apud Jobum, in phrasi, כירורי אש *scintillæ ignis*. Idem tenet Avenarius; sed qui hic minus feliciter cogitasse videtur de *Gagate*, *lapide nigro & lucido*; etsi *incendii* capace. Utique ex *sequenti* membro, in quo usu venit vox אקדח, & ex contextu liquet, *lapides ardentes*, sive *ignescentes*, inter quos *Rubinus*, *Pyropus*, *Carbunculus*, sive, si vis, *Karchedonius*, quibusdam *Chalcedonius* dictus, (vere an falso disputat Salmasius,) eminet. Ne nunc aliud quoque huc adferam, quod cum aliqua specie moveri queat *A*. Articulus quartus: *Et portas tuas* LAPIDES ARDENTES. Sic recte verto phrasin, אבני אקדח, quam hic adhibet Propheta, secundum eam significationem vocis קדח *ignem elicere*; *incendere*, de qua vidimus Cap. L. 11. Alex. hoc loco, λίθοι πυρσάλλεις· *lapides crystallini*. Sym. Λίθοι γλυφῆς· *lapides sculpturæ* (quem sequutus Hieron. *Lapides sculptos*.) Aq. τρυπανισμῶ· al. lect. τρηπανισμῶ· *cœlaturæ*. proprie, *terebrationis*. perforationis. Τρύπανον est *terebra*. τρυπανίζεσθαι *terebrare*. τρήπτειν *perforare*. Opinor, eos respexisse notationem thematis קדח,

Fundamenta murorum, *Sapphiri*.

De illo *Lapide* observata Doctorum.

Dantur quoque Sapphiri pellucidæ.

Loca Scripturæ S. in quibus pavimentum Dei *Sapphirinum* dicitur, inde explicanda.

Propugnacula Murorum *Carbunculi*.

Intt. passim per שמשות intelligunt *specularia*.

Ejus versionis ratio.

Οἱ ὁ. verterunt per ἐπάλξεις *propugnacula*.

Quid Græcis sint ἐπάλξεις?

Quæ *versio* hic eligitur.

Vox שמשות potest huc referri.

Animadversio in Ps. LXXXIV. 12.

Quid hic loci vox כדכד *Cadcod*.

Aliqui Intt. versione abstinuerunt.

Aliorum versiones.

Videtur esse *Rubinus*, sive *Carchedonius*.

Ratio hujus sententiæ.

Avenarii sententia.

Ratio alia ex contextu.

Portæ Urbis *Lapides ignescentes*.

Notatio vocis אקדח.

Versiones diversæ, earumque ratio.

[a] In *Solin.* Cap. LIII. p. 804. & 820. [b] *Hist. Nat.* Lib. XXXVII. Cap. IX. [c] In *Solin.* Cap. V. p. 92. 93. [d] Dalecamp. [e] Exod. XXIV. 10. Ezech. I. 26. [f] Ad *Veget.* Lib. IV. Cap. II. p. 392.

A Si vox Hebræa, à Masorethis scripta punctataque כַּרְכֹּד *Cadcod*, vel secundum potestatem literarum, *Cadchod*, *Ghadchod*, scripta punctataque esset כַּרְכֶּד CARCHAD, (videlicet ob convenientiam summam figuræ literarum ד & ך, *illa* cum *hac* mutata à Librariis,) præstaret nobis ipsum lapidem KARCHEDONIUM, quem hic respicimus; & vix dubitem, quin Symmachus vocem ita acceperit. Utique Græcus Int. in loco Ezechielis, Cap. XVII. 16. vocabulum hoc legit cum duplici ך, & ibidem exhibet Χορχόρ, CHORCHOR. Ais, *Carchedonium* esse *Carthaginiensem*: *Carthaginem* autem, sic dictam Dialecto Phœnicia, à קרתא חדתא *Nova Urbs*: ut adeo Καρχηδόνιος scribendum fuisset Hebraice קרחד KARCHAD. Respondeo, (*a*.) In communi scriptione vocis potuisse ex vulgato usu tantum haberi rationem *enunciationis*, à Populis receptæ, absque ullo *etymi* respectu. (*b*.) Dubitari posse, an *Karchedonius* vere sic appelletur à Καρχηδὼν *Carthagine*, cum neque Carthagine nasci, ut Epiphanius credidit, sed in interioribus Africæ, Docti consentiant; & præcipuam laudem hic habeant *Indici*. Plinius Hist. N. Lib. XXXVII. Cap. VII. *Principatum habent* CARBUNCULI *à similitudine ignium appellati*... *Horum genera* INDICI, *&* CARAMANTICI, *quos &* CARCHEDONIOS *vocavere, propter opulentiam Carthaginis magnæ*. Sed posset ratio nominis Doctos fallere; & vere *Carchedonii* nomen natum esse ex Loco Indiæ, sic dicto; inde ob convenientiam nominis cum voce Καρχηδὼν CARTHAGO, & Καρχηδόνιος *Carthaginiensis*; creditum, Lapidem à *Carthagine* appellari. Cætera quæ de hoc *Lapide* ex Theophrasto, Plinio, Strabone, Epiphanio, à Salmasio & Doctis aliis disputantur, non attingo.

Chaldæis usurpatam, *terebrare*. *Ignis* enim olim *terebrando* frequens eliciebatur; dicebaturque *lignum* quod alteri ligno *terebrando* admovebatur τρύπανον: ipsum autem quod terebratur lignum φορεὺς; ut docte Salmasius, pluribus hoc argumentum prosequutus [a]. Sed hæc auctoritas me plane non movet. Non patet enim, hic respici *sculpturam* Lapidum. *natura* eorum demonstratur. Quare אקדח est Πυρωπὸς *pyropus*; ἄνθραξ de *genere* ardentium vel ignescentium Lapidum; licet speciei diversæ à superiori. Abarbenel: שהוא אבן יותר יקרה מכרכור והוא הנקרא בלשונם קרבונקל' שהיא מאירה בלילה כמו נחלי אש *Est lapis pretiosior Cadcodo* (sive, Rubino,) *qui lingua ipsorum vocatur* CARBUNCULUS, *quippe qui noctu lucet instar carbonum ignis*. Strabo de India [b]: Φέρει δὲ καὶ λιθίαν ἡ χώρα πολυτελῆ, κρυσάλλων καὶ ἀνθράκων παντοίων, καθάπερ τῶν μαργαριτῶν· *Fert autem & Regio pretiosos lapides, crystallorum, & VARII GENERIS CARBUNCULORUM, ut & margaritas*. Mox rursus. Ἄνθρακες Ἰνδικοί. Recensetur in iis ὁ Πάνυ [c] præter CARBUNCULUM, sic proprié dictum, *sandaresum*, *lychniten*, *hyacinthum*, *rubinum*. Litera ל in voce לאבני hic habet usum *demonstrativi*, sive *specificativi*, ut Kimchius recte. Vertenda igitur verba: *Et portas tuas lapides ardentes*. Quintus: *Et totum ambitum tuum lapides desiderabiles*, delectabiles. propr. *Lapides voluptatis*. Per *ambitum* intelligit Vates totum *ambitum Urbis*. Hebræa enim notio גבול cujuscunque rei suis limitibus circumscriptæ *ambitum* significat: *agrorum* quoque ac Urbium terminos. Sed mihi hic ab ipsius Urbis aspectu non videtur discedendum esse. Pollux recensens *Murorum partes* [d], vocat κύκλον, περίκυκλον, περίβολον. Postrema hac voce usus est Thucydides de Athenis, cura Themistoclis instauratis, loquens [e]: Μείζων γὰρ ὁ περίβολος πανταχῇ ἐξήχθη τῆς πόλεως· AMBITUS *enim murorum ab omni parte civitatis eductus est major*. Sensus itaque fert, totum *muri* circuitum ostentaturum esse lapides concinne coagmentatos, qui non nisi cum voluptate videri possent: cujusmodi sunt rutilantes, candicantes, radiantes, omnis generis. Censeo tamen, præcipue hic alludi ad *angulares*, qui in Muro præter *Fundamentales* maxime eminent. Jeremias de Babylone [f]: *Et non accipient de te* אבן לפנות *Lapidem angularem*, & אבן למוסדות *Lapidem fundamentalem*. Anguli circumscribunt ac definiunt περίβολον. Si vero vocem גבול *terminum* latiore sensu sumas: licet hic cogitare de *majoribus lapidibus*, qui more Veteribus Populis, utique Romanis, recepto, *ambitum* & limites Jurisdictionis cujusque Urbis definiebant; aut de *Urbibus* aliis huic *Urbi* subjectis; quod Kimchio placuit. Habebant enim omnes Urbes חצרים *Pagos*, *Vicos*, Villas, in circumscripto territorio ipsis subjectos. Sed primum horum meum facio. En magnificum & præclarum promissum; sic elatum à Vate, ut nos cogitare jubeat de intellectu Vaticinii spirituali: quare huc exempla magnificentiæ, & sumptuosissimi splendoris ac luxus Gentium in Templis aut Palatiis, auro gemmisque exornandis, non adfero: nec suppetit etiam hic penu quod non ex multo ditiori in hanc rem attulit Cl. Bochartus, qui hic inspici potest [g]. Nobis hic obversatur *Urbs*, קרתא ut Chaldæus: non *Templum* aut *Palatium*: cæteroquin enim Propheta in his *externis* non substitisset: sed si *Templum* aut *Ædificium* in oculis habuisset, *interiorum* quoque ejus aliquam fecisset mentionem. *Urbis* autem ejusmodi typum nemo dedit, nisi quod *Auctor* veræ Historiæ [h] in describenda Metropoli *Insulæ Beatorum*, de *Civitate* tota *aurea*, circumdata *Muro Smaragdino*; *Templisque* ejus *Beryllinis*, & *Aris Amethystinis*, eam imitetur; forte ad σαρδασμόν, respectu ejus quod in *Revelatione* Joannis [i] legitur.

Judæi tamen, qui carnalia & externa amant, hic non audent penitus oculos suos avertere à corporali aspectu sive Hierosolymæ, sive Templi, quorum instauratione cum Messia suo sperant & exspectant. *Has res*, ait Kimchius, *fieri potest ita se habituras esse secundum sonum literæ; aut fieri potest, proponi in emblemate ad significandam copiam magnificentiæ, quæ obtinget Israëli, & abundantiæ omnis boni, usque eo ut si velint, extruere possint ædificia sua ex lapidibus pretiosis, & ex margaritis*. Abarbenel in vulgatæ sententiæ expositione scripserat, *Et hoc omne* παραβολικῶς *ad declarandam copiam magnificentiæ, divitiarum, & gloriæ*, quæ Populo Dei obtingent: sed vero deinceps suam sententiam pressius explicans, illud quidem repetit, attamen addit: *Et fortasse etiam id secundum simplicem & literalem sensum implementum suum consequetur in Domo electa futuri temporis, quando Orientales, apud quos pretiosorum lapidum copia est, venient adducentque plures ad ædificium Templi*. quod ipse dein ex putidis Veterum dictis confirmat. Quid, quod ipse Grotius implementum ejus quod hic dicitur, quærere ausus sit in *Templo Secundo*, ab Herode quam splendidissime instaurato, ampliato, ornatoque; & inter ornamenta alia strato *lapidibus omnis generis*, fide Josephi. Imo vero; sed an *Sapphiris*, *Rubinis*, *Carbunculis?* Potuisset certe Vir Illustris, si voluisset, ex figura *Hierosolymæ Novæ*, cœlestis & spiritualis, qualis Joanni exhibita est [k], ad hunc typum expressæ, intelligere, agi hic de *Re spirituali*: ut qui stupor in interpretando Verbo Prophetico vix excusari meretur in homine Judæo, qui *carnalia* ubique cogitat & sapit; in homine Christiano ferri nequeat. Res enim ita se habet, Spiritum S. deformantem *Novam Hierosolymam* in *Apocalypsi*, prophetiam hanc nostram voluisse illustrare. Nec est sane mysterium hujus parabolæ longe petendum. Si prophetiam *generatim* spectes & *in complexu*: docet Deus sub hoc emblemate, se Ecclesiam redditurum quàm *ornatissimam*, *splendidissimam*, & *jucundissimi aspectus spiritualis*: qualis est aspectus *Urbis* ex lapidibus pretiosis, splendentibus, rubentibus, candicantibus, compositæ. *Ornamentum* autem Ecclesiæ singulorumque membrorum ejus cum faciant DOTES, veluti scientia, sapientia, fides, & his junctæ gratiæ extraordinariæ in Ecclesia primæva; VIRTUTES, veluti puritas, sanctimonia, spiritualitas, bonitas, mansuetudo, humilitas, charitas, iisque respondentia opera; & PRIVILEGIA Status Ecclesiæ, sive INTERNA, ut clara *Cognitio* viarum Dei, *Libertas*, *Fiducia*, *Dependentia immediata à Deo*, *Lætitia*, *Conscientia consummata*, *gloriosa Dei in ea habitatio*; & his similia: sive EXTERNA, ut *Pax* externa Ecclesiæ à Persecutione liberatæ; *Gloria* ejus in oculis Mundi; amplitudo, prosperitas: observari velim, ad *Statum Ecclesiæ externum*, ejusque *privilegia*, hic plane non attendi. *Natura* tantum ejus & attributa *essentialia*, quæ à Statu ejus sub Oeconomia Nova nunquam absunt, hoc emblemate conspicienda exhibentur. Cœtus hominum Sanctorum, in Christum Jesum credentium, donis Spiritus Dei ornatorum, cœlestia spirantium, (qualem Populum Christus Jesus sibi emit suo sanguine,) res est omnium quas Mundus habet, pretiosissima, ornatissima, maxime mirabilis, desideratissima, cujus aspectu spiritualis oculus nunquam satiatur. Quidquid de ea dici potest, *gloriosum est* [l]. Apostolus [m]: *Ut sisteret eam sibi* GLORIOSAM, (ἔνδοξον) *Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi; sed ut sit* SANCTA *& inculpata*. Hujus Ecclesiæ, ubi se puram, & gravioribus scandalis liberam ostentat, (qualis Apostolica fuit in initiis,) est summum decus, splendor, claritas. *Fides* quæ in minimis ejus membris emicat, est multo *pretiosior auro*, aut margaritis [n]. *Puritas* ejus magis splendet quam Sapphirus: *ardor* ejus quam Carbunculus: *decus* ejus & zelus quam Rubinus. Quicquid in ea cernitur cœleste est & Divinum. Comparari hic debent loca eandem

Pyropi notitia.

Strabonis loca.

Ambitus Urbis *Lapides delectabiles*.

Notio גבול hoc loco quid significet?

Pollux adductus.

Usus vocis περίβολος, ex Thucyd.

Sensus dicti Prophetæ.

Præcipue hic alluditur ad *Lapides angulares*.

Vel ad *lapides*, qui limites terrarum finiunt.

Descriptio. Hæc nos invitat ultro ad cogitandum de sensu spirituali.

Judæorum stupor, qui oculos hic à corporali re non avertunt.

Kimchii & Abarbenelis verba.

Grotii sententia, quæ refutatur.

Consensus prophetiæ Apocalypticæ cum hac nostra.

Generalis significatio mystica.

Quæ res constitutæ Ecclesiæ ornatum.

Non alluditur hic ad Privilegia Ecclesiæ exteriora.

Internus spectus prosstat ejus gloriam.

---

a In *Solin.* Cap. XI. p. 126. *b* Lib. XV. p. 493. *c* In *Solin.* p. 769. *d* Lib. I. Cap. 170. *e* *Hist.* Lib. I. p. 30. *f* Cap. LI. 26. *g* *Hieroz.* Part. II. Lib. V. Cap. VIII. *h* Luc. *Veræ Hist.* Lib. II. *i* Cap. XXI. 16. seqq. *k* l. c. *l* Ps. LXXXVII. 3. *m* Ephes. V. 27. *n* 1 Pet. I. 7.

dem rem vel sub eodem emblemate, vel sub diversis illustrantia Cap. XXXV. 2. LX. 2. seqq. Ps. XLV. 12. seqq. TOTA GLORIOSA *est Filia Regis* INTUS. Sed non videtur hic subsistendum esse in generalibus. Ubi spiritualia cum spiritualibus comparamus: varia hic ad singulos articulos cum fructu cogitari possunt. quæ tamen prolixe exequi, vetat instituti ratio. Summa itaque capita tantum exhibebo: reliqua meditationi exercitorum ingeniorum committens.

Specialis consideratio emblematis. *Muri* Hierosolymæ spiritualis quid designent?

Verba Prophetæ: *Ego commode repono* LAPIDES TUOS *in materia* RUBRA. h. e. Lapides murorum tuorum, ô Hierosolyma. *Muri* qui Civitatem *faciunt*, *definiunt*, *defendunt*, pro vario aspectu emblematis in mysticis, diversa significant. Quâ *definiunt* Urbem sanctam: notant canones doctrinæ & disciplinæ, qui Ecclesiam discernunt à mundo [a], quâ eam *defendunt*: figurant potentiam & providentiam Divinam, Ecclesiæ præsidentem [b]. Hoc loco primum respicitur. *Muri* sunt id quod *civitatem* facit & format. Distinguunt enim *Urbem* à *Pago*. plane ut sumuntur Cap. XLIX. 16. MURI TUI *semper coram me sunt*. *Lapides* itaque horum *Murorum*, h. e. ipsius Urbis Hierosolymæ, idem hic valent quod *Lapides ædificii* cujusque. Sunt Credentes omnes, per gratiam Spiritus S. formati, politi, & aptati, ad constituendam Civitatem spiritualem, ut Petrus docet [c]. *Lapides pretiosi* omnis generis candicantes, rutilantes, splendentes; (tales enim hic intelliguntur:) sunt PRETIOSI *filii Tsionæi*, *auro contra æstimati* [d]: in fine hujus *Sectionis* [e] appellati עבדי יהוה *Servi Jehovæ*; fide, sanctimonia, pietate, & cultu virtutis omnis, ex *ardente charitate Dei* & *proximi* profectæ, splendescentes, in quibus *Divinum* quid refulget [f]. *Materia rubra* splendens, quæ hic supplet vicem סיד *calcis* [g], hic figurat *Doctrinam* de *sanguinea obedientia* Christi Jesu, in qua hi *Lapides* spirituales רובצים *recubant*, secure & commodissime acquiescunt, & arctissime inter se conjunguntur per veram fidem, à perito Architecto συναρμολογούμενοι & συμβιβαζόμενοι, apte ac concinne *disposui* & inter se *ordinati* [h]. In *Corpore* Christi Jesu mystico est elegantissima harmonia. Quisque obtinet locum dotibus suis & statui totius congruentem. *Et fundabo te in* SAPPHIRIS.] Significatur, α. Ecclesiam N. T. fundandam esse in Oeconomia spirituali & *cœlesti*. Præfert enim *Sapphirus* ut dixi, *colorem cœlorum*. Ideo exhibetur Ecclesia illa, in omni sua perfectione exhibenda, Joanni sub emblemate *Hierosolymæ Novæ*, *Civitatis Sanctæ*, DESCENDENTIS A DEO, EX COELO [i]. Ecclesia hæc faceret *Regnum cœlorum*. Deus in eam immediate influeret: ipsa ἀμέσως à Deo penderet: in statu *libertatis* posita unum corpus faceret cum Angelis & consummatis justis in cœlo: spirituali ac cœlesti cultu Deum coleret: & quæ huc pertinent plura. β. Eos qui tanquam *Fundamenta* subjicerentur *Novæ Hierosolymæ*, *cœlestem* prodituros *affectum*, doctrinæ *Libertatis cœlestis* congruentem; Divinum cœlestemque splendorem; virtutes. Præcipuum, verum, & unicum Fundamentum Ecclesiæ N. T. liberæ, est Christus Jesus, è statu mortis suscitatus, evectus ad dextram Majestatis Divinæ in cœlis; cujus, tanquam omnium membrorum ejus Exempli, hic est character. Sed dicuntur etiam, sensu secundario, *Fundamenta*, primi à Christo Jesu *lapides*, quibus reliqui superstruuntur; quippe Fundamento proxime juncti: quando cogitandum est de APOSTOLIS Christi Jesu, sub quibus latent Prophetæ omnes Veteris Testamenti. de *Apostolis*, inquam, quâ *Doctoribus* Ecclesiæ Catholicæ, Viris Divinis, à Spiritu S. *illuminatis* & affectis; omni dote ac virtute gratiæ excellentibus, ac splendescentibus; *Vocationis cœlestis* administris, τὰ ἄνω ζητοῦσι καὶ φρονοῦσι, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· *cœlestia quærentibus & sapientibus; non quæ sunt in terris* [k]. Confer hic loca necessariæ animadversionis Matth. XVI. 18. XIX. 28. Ephes. II. 20. Apoc. XXI. 12. Sequitur: *Et ponam* PROPUGNACULA TUA *Rubinos*.] Intellige per *propugnacula Ecclesiæ* (προμαχῶνας) *Principes Viros*, qui in disputationibus publicis caussam doctrinæ & veritatis magno cum *zelo* sustinent: cujus ardentis & igniti zeli symbolum est in RUBINIS. Exemplum ejus (ne de Apostolis dicam,) est in *Stephano*, *pleno fide ac virtute*, cujus caussam Christi Jesu defendentis *sapientiæ ac Spiritui non poterant resistere* adversarii ejus; simul *videntes faciem ejus ut faciem Angeli* [l]. Alterum in Aquila, de quo Lucas [m]: MAGNA *enim* CONTENTIONE *Judæos publice redarguebat*. Adde, Oratores, Philosophos, Eruditos alios, qui *Apologiis*, *Defensionibus*, *Elenchis*, in caussa Evangelii scriptis, sive adversus Paganos, sive adversus Hæreticos manifestarios, magno numero floruerunt *Seculis secundo*, *tertio*, *quarto*, & *seqq*. Divinam Potentiam aut Providentiam hic non intelligo, ut apud Zachariam [n]: ut neque Principes mundi qui caussam Evangelii auctoritate, viribus, armis, vindicandam suscipiunt: quod alibi locum habere potest. Quicquid huic *Civitati* in hoc loco tribuitur, facit ejus *partem* essentialem, & est *spirituale*. *Et* PORTAS TUAS CARBUNCULOS.] *Portas* hic accipe pro *Synedriis* sive *Presbyteriis* Ecclesiasticis, quæ sub *Christo Jesu* & ejus nomine ac Spiritu, *in vera Ecclesia* exercent judicium, de admittendis in Civitatem Sanctam, vel excludendis, quibus jus communionis ipsius secundum Canones disciplinæ Evangelicæ vel concedendum, vel negandum est: quam hypothesin non pœnitet jeciisse ad Apoc. XXI. 12. Hi vero *Senatus Sacri*, sive Presbyteriorum sive Synodorum, in nomine Christi Jesu coacti, *ardentes* zelo gloriæ Divinæ, studio veritatis ac charitatis, & claritate puritateque intelligentiæ suæ ac prudentia judicii tenebras illustrantes, exhibent ἄνθρακας, *carbunculos*. Joannes ob similia attributa eos vidit sub symbolo *margaritarum* [o]. Ultimum horum est: *Et totum* PERIBOLUM TUUM *lapides aspectu jucundos*, sc. ponam. Sensus mysticus est; nullum fore verum membrum Ecclesiæ Novi Fœderis, nullum lapidem Ædificii aut Civitatis spiritualis, nullum ajo credentem, quin ostentaturus sit cum splendore hunc illum *colorem radiantem*, h. e. hanc illam *qualitatem* eximiam ob quam mereatur magnifieri, & jure dignus habeatur qui ad splendidissimam hanc Civitatem exornandam concurrat. Sunt in omnibus veris Christi Jesu membris *scientia*, *fides*, *prudentia*, *sanctimonia*, *pietas*, *virtus*, *continentia*, *tolerantia*, φιλαδελφία, *charitas fraterna* [p]. Est in iis *charitas*, *gaudium*, *pax*, *benignitas*, *bonitas*, *lenitas* [q]. Omnes sunt *lux* in Domino [r]. Spiritus gloriæ super eos quiescit. Nec tamen hæ qualitates laudabiles in omnibus insunt eodem gradu & mensura: &, si omnes *gemmæ* aut *margaritæ* haberi debeant: non tamen omnes sunt lapides ejusdem pretii. Sufficit, hanc qualitatem in hoc, in alio aliam excellere: neminem esse quin in eo sit quid splendens, pretiosum, gloriosum, quod à judicio spirituali, (est autem Divinum judicium spirituale:) magni fiat.

Spiritualis sensus Propugnaculorum.

Portæ Ecclesiæ *Carbunculi*, cujus rei hic figuram gerant?

Denique *ambitus* totus constans *lapidibus* delectabilibus quid sibi velit?

Verorum credentium omnium aspectus.

Quæritur promissi implementum. Dubium de eo motum.

Quæris implementum augusti hujusce promissi. Ecclesia enim, ais, Christi Jesu adhuc durat, & est in Mundo. Quin ipsi nos censemur, ac videri volumus, illius partem facere. Ubi vero est res tam splendida, ornata, pretiosa, quam ipsa hæc Urbs Divina ac cœlestis, quæ nobis hic in imagine contemplanda proponitur? Respondeo, α. Prophetas, Statum Ecclesiæ N. T. depingentes, eam describere secundum *veram* suam *naturam*, *proprietates*, qualitates, privilegia & & beneficia spiritualia, quibus excelleret Ecclesiæ Oeconomiæ Veteris, ex institutione sua ad Montem Sinai redactæ in Statum Servitutis, & vi illius *Fœderis*, stricte sumpti, *externæ*, ac beneficiorum spiritualium penuria laboranti. Ecclesia Oeconomiæ Novæ per natu-

Removetur ex Ecclesiæ veræ natura generatim inspecta.

Fundamentum Ecclesiæ liberæ quale?

Fundamenta secundaria, Apostoli.

Et *materia rubra* splendescens?

Et Lapidum in ea commodus situs? Tum quoque *fundatio* in *Sapphiris*?

Lapides horum murorum mystice sumpti, quid notent?

[a] Apoc. XXI. 12. [b] Zach. II. 5. [c] 1 Pet. II. 5. [d] Thren IV. 2. [e] Cap. LIV. 17. [f] 1 Pet. IV. 14. 2 Pet. I. 4. [g] Sic quoque h. l. Abarbenel. [h] Ephes. II. 20. Col. II. 19. [i] Apoc. XXI. 2. [k] Col. III. 1. 2. [l] Act. VI. 8. 10. 15. [m] Act. XVIII. 28. [n] Zach. II. 5. [o] Apoc. XXI. 21. [p] 2 Pet. I. 5. seqq. [q] Gal. V. 22. [r] Ephes. V. 8.

ram suam facit corpus hominum mysticum & spirituale, cujus membra nulla censentur nisi lota sanguine Christi Jesu, & ipsi per fidem in Spiritu conjuncta; de quo egi ad Cap. LII. 1. coll. cum Ephes. v. 27. Sunt itaque promissa & prædicta hujus generis accipienda cum *temperamento*; ut cogitemus, Spiritum S. τὸ ὅλον respicere in *vera* sua *natura*: singularia transire.

Illiusque institutione.

β. Describi hic Ecclesiam, qualis fuit in prima sua institutione, tempore Apostolorum: qualis à Spiritu S. primum formata est. Quicquid in ea erat, paucis hypocritis exceptis, *ardebat*. Cœlestes *affectu*, sparsi *aureis* fidei *guttis*; cœlestia intelligentes; sanctimonia candicantes *Sapphiri*: *zelo* amoris inflammati; ardentes charitate; flagrantes ingenti desiderio promovendi Regni Christi Jesu, *Rubini* & *Carbunculi*: *fructuosi* & *virides* omni virtute, charitate & opere bono, *Jaspides* & *Smaragdi*; ornabant & illustrabant hosce Cœtus Sanctorum, Mundo contemptos; sed pretiosos in oculis Dei & Sanctorum.

Exempla laudabilium Ecclesiarum.

γ. Ecclesiam Christi se ut talem per tempus ostentasse in pluribus cœtibus, à prudentibus Rectoribus administratis, licet non ubique uniformi facie, proximis Sæculis; & quando eam sensim invasit corruptio, curasse Deum, ut pars minor sed melior à majore & deteriore separata splendorem pristinum exhibuerit in Cœtibus Waldensium, Bohæmorum Fratrum, & in initiis Reformationis in Gallicanis, Scoticis, Genevensi, & purioribus Germaniæ, Hungariæ, ac Belgii nostri. δ. Denique, ut absque ambagibus omnibus satisfaciam Quæsito: teneo, & ajo, debere se talem exhibere qualis hic pingitur in omnibus *veris* Christi Jesu *Ecclesiis*, si hypocritas qui in iis latent, excipias. Sed hypocritæ, qui mentiuntur Statum, non pertinent ad Ecclesiam N. T. Non censentur coram Deo membra Ecclesiæ. In omnibus veris Ecclesiæ membris insunt characteres earum qualitatum, quæ hic demonstrantur, licet diverso perfectionis gradu. Imo vero, Deo grates, Ecclesiæ omnes in Doctrina Apostolica fundatæ, suas adhucdum habent gemmas, Rubinos, Carbunculos. Interim verum est, multitudinem hypocritarum & communem languorem, qui Ecclesiam occupat, prohibere, quominus *electi*, *vocati*, *sancti*, verum decus & splendorem suum ostentent: quare merito omnes Divinæ gloriæ & Regni Dei studiosi homines anhelant ad meliora tempora, secundum prophetias exspectata, quibus Ecclesia Christi Jesu, à Persecutoribus vindicata, à fæce hypocritarum multorum purgata, gloria Dei illustrata, in terris verum ac nativum suum decus, claritatem, pretium, oculis Dei, Angelorum, & hominum conspiciendum præbebit; ut quod in Apostolica Ecclesia inchoatum, in purioribus aliis continuatum, in hac extremum suum accipiat complementum.

Hypocritæ licet lateant in Ecclesia, non sunt de Ecclesia.

Pii exspectant meliorem Ecclesiæ faciem.

β. *Promissum* sive *Beneficium* immediatæ ejus à Deo dependentiæ & *illuminationis*.

Promissum illummati Ecclesiæ Status, ℣. 13. *Filii ejus docti à Jehova.* Civitas Dei conversa in Academiam.

℣. 13. *Et omnes* FILII *tui erunt* DOCTI A JEHOVA.] In Hierosolymam hanc novam conversam in קִרְיַת סֵפֶר vel קִרְיַת סְנֵה *Urbem Literarum & Doctrinæ publicæ* [a]; Scholam, inquam, & Academiam; in qua Deus ipse ut summus Doctor præsideret: sub quo aspectu Hierosolymam contemplati sumus in initio hujus Libri [b]. Vides, me non erasse in explicanda fictione hujus Emblematis: agi nimirum de *Civitate*.

Filii Hierosolymæ, incolæ ejus.

Qui enim hoc loco dicuntur FILII TUI, sic dicuntur respectu *Hierosolymæ*, ex vulgata prophetiarum phrasi; eoque nomine appellantur *incolæ* seu *cives* Hierosolymitani. Nulla hic ἀντιλογία. Cives *civitatem* faciunt, & sunt *in civitate*. Sic *Templum* figurat *Ecclesiam*, ut à Deo inhabitatur; *Sacerdotes*, ejusdem Ecclesiæ membra, quatenus Deum colunt. Videamus, quanta sit promissi hujus amplitudo. Primum & præcipuum quod in his verbis jacet, est, Deum Patrem per Spiritum suum Sanctum omnes qui ad mysticum hoc corpus Christi Jesu pertinent, esse *illuminaturum* ad intelligentiam mysterii Patris & Filii, prudentiam, sapientiam spiritualem, & *obsequium fidei*, per *internam* eamque invincibilem *persuasionem*. Sic Dominus Jesus ipse nos hæc verba interpretari docet Joh. VI. 44. *Nemo*, ait, *ad me venire potest, nisi Pater qui me misit illum traxerit. Scriptum est in Prophetis*; ET ERUNT OMNES DOCTI A DEO. *Quisquis ergo audivit à Patre, & didicit, Venit ad me.* Venire ad Christum hic est, *in Christum Jesum credere*: tractio autem hic notat internam gratiæ operationem, qua Deus per Spiritum illuminando intellectum & purgando affectum eumque excitando, alicui *credere* DAT, ut patet ex eadem oratione Domini, ℣. 64. 65. Apostolus hoc sensu ad *Thessalonic.* [c] Ὑμεῖς ἐστε θεοδίδακτοι. Confer Jer. XXXI. 33.

Locus Joh. VI. 44.

Respectus hujus doni sub Oeconomia Vetere.

Sub Oeconomia Vetere *pauci* eorum qui Ecclesiam externam faciebant, hoc dono illuminationis internæ gavisi erant: sed sub Oeconomia Nova nemo absque hoc *dono* censetur facere partem Ecclesiæ. Confer loca agentia de hoc beneficio, quod ut notum suppono, non interpretor, Matth. XI. 27. 1 Cor. II. 10. 12. 15. Ephes. I. 17. 18. & dicta ad Cap. XLII. 7.

Deinde, Ecclesiæ N. T. hic promittitur immediata à Deo *in fide* dependentia.

Sic se res habet. Nemo non illuminatus *sortem habet in hæreditate sanctorum* quæ est in *luce*; licet gradus hic multum variet. Alterum, proxime huic cognatum, hoc beneficio involvitur; fore videlicet, ut Ecclesia hoc tempore *Deo solo Doctore* gaudeat, & in *fide* ab ipso solo *immediate* dependeat: cujus consequens est, Societatem hanc Novæ Hierosolymæ constituturam esse Corpus Scholasticum *Discipulorum*, (μαθητῶν, ut passim in *Actis*,) qui immediate *à Deo docerentur* (θεοδίδακτοι) & dependerent. *Frater* hoc Statu non dicit fratri, *Cognosce Jehovam*, nec *vir docet proximum suum* [d]. sc. cum auctoritate. Verbum Dei hoc tempore in medio positum est. In ejus auctoritatem & conscientiam à Spiritu illuminatam omne judicium resolvitur: auctoritate omni *sedentium in Cathedra Mosis*, quæ sub Oeconomia Vetere conscientiam in ritualibus obligabat, abolita. Dictum Domini [e]: *Nec vocamini Doctores* aut *Rabbi*: UNUS *est* DOCTOR VESTER, CHRISTUS. *Omnes autem vos fratres estis.* Gloria itaque & Lux Divina hanc Civitatem spiritualem illustrat ac pervadit totam.

γ. *Promissum* sive Beneficium *Pacis internæ.*

Promissum *Pacis internæ*, ℣. 13. *Et magna erit pax filiorum tuorum.*

℣. 13. med. *Et magna erit* PAX *filiorum tuorum.*] Intellige *pacem Dei*, *quæ superat omnem mentis cogitationem* [f]: tranquillitatem, serenitatem & lætitiam animi, ortam ex *conscientia consummata* & *certiorata intelligentia* adductæ caussæ *justitiæ æternæ*, & ipsius illius *Justificationis* sensu [g]; in conjunctione Gentium, olim per *parietem intergerinum* à Civitate Dei seclusarum: de qua pace abunde egi ad Cap. IX. 6. XXXII. 17. LIII. 5. De hac *pace* Dominus: *Hæc loquutus sum vobis, ut* IN ME *pacem habeatis: in mundo afflictionem habebitis: sed confidite, Ego vici mundum.* Est *pax animi*, quæ non turbatur à vicissitudinibus & reciprocis fluctibus rerum mundanarum. Laborabat hac parte Ecclesia Oeconomiæ antiquæ; reconciliatione cum Deo nondum perfecta; nec effuso *Spiritu adoptionis* ac libertatis, ἐμφατικῶς sic dicto; nec Gentibus admissis ad communionem Ecclesiæ. Si ab hac *pace*, bono mere spirituali ac Divino, discedas: videbis Ecclesiam Christi Jesu subinde gravissime agitatam & concussam; sive illa *armis spiritualibus* oppugnet Regnum Satanæ, aut errores Religionis in ipsa Ecclesia natos; sive oppugnetur à Regno Satanæ omni genere armorum corporalium, quod astutia, sævitia, & odium veritatis hostibus subministrant: de quo Jesaias in *sequente* pericopa.

Qualis *pax* hic intelligatur?

Demonstratur *interna*, & describitur.

δ. *Beneficium* sive *Promissum Defensionis* Ecclesiæ adversus hostes externos.

a. Status ejus *Stabilitas.*

℣. 14. *Constabilieris* IN JUSTITIA: *abesto* LONGE

Primo hic spectandum est *Beneficium illuminationis.*

Promissum

ab

---

a Jos. XV. 14. 49. *b* Cap. II. 3. *c* 1 Thess. IV. 9. *d* Jer. XXXI. 34. *e* Matth. XXIII. 8. *f* Phil. IV. 7. *g* Rom. V. 1. XIV. 17.

Defensionis Ecclesiæ adversus hostes externos.

ab OPPRESSIONE: *quare non timebis; & à* CONSTERNATIONE, *quia tibi non appropinquabit.*] Prophetæ, qui omnes imagines suas perfecte pingit, huc usque *internum* Ecclesiæ *Statum*, eumque optatissimum, describerat. Nec tamen in eo subsistit. Poterat forte Ecclesia, in hoc statu collocata, vel à *Rectoribus* quibusdam suis *injustis* opprimi: vel ab *hostibus externis* oppugnari & obrui; quippe quod multis Civitatibus, alioquin non male constitutis, accidit. Quin cum Spiritus prænosset, utrumque cum tempore eventurum esse: (de quo mox videbimus:) munit Ecclesiam adversus hunc metum, docetque, Deum providentia sua sic moderaturum esse res Statumque Ecclesiæ, ut neque intus, neque extus, sit obruenda: sed si quæ inciderint tentationes, eæque etiam graves; primum quidem Deum, in cujus manu omnia sunt, sua erga Ecclesiam cura eas ita circumscripturum, ut pii non tententur supra quod possint ferre; Ecclesiam Populumque suum in mediis afflictionibus esse conservaturum; & vero facturum, ut Populus suus tandem de omnibus malis, externis quoque & publicis, triumphet. Hic sensus est sequentis pericopæ. Hoc *comma* explicat Securitatem Status Ecclesiæ: sequentia hanc πρόθεσιν declarant ex suis caussis. Quod ad πρόθεσιν, hoc *commate* contentam, attinet: sunt de ea variæ meditationes Interpretum; quas singulas excutere, quod in dubiis necessarium est; non juvat. Primum ejus membrum; *In* JUSTITIA *stabieris*. Heb. תִּכּוֹנָנִי formæ non *compositæ* ex *Niphal* & *Pyal*, ut Docti aliqui Grammatici; sed *Hithpaël*, pro תִּתְכּוֹנָנִי, sive absque respectu *distinctivi*, תִּתְכּוֹנָנִי litera n *absorpta*, & pensata per *Dagesch*: ut docte Aben-Ezra. Sic מִתְנַשֵּׂא pro מִתְנַשֵּׂא, Cap. LII. 5. Si thema *absolute* & per se spectetur: per *Justitiam* intelligi posset Obedientia Christi Jesu, totius Ecclesiæ basis; aut *Regimen justum*, sub quo nulla exspectanda sit *oppressio*; aut denique *Justitia*, (h. e. studium omnis virtutis,) ab incolis hujus Hierosolymæ exercenda colendaque. Censeo, ex vera mente Prophetæ *mediam* significationem vocis hic unice esse amplectendam. *a.* Quia hæc *Justitia* opponitur עשק *oppressioni*, mox memorandæ. β. Supponitur hæc Ecclesia jam *liberata* & vindicata in statum Libertatis & Salutis. Sensus itaque est, Filium Dei huic suo Populo provisurum esse *Regimen* & administrationem justam, æquam, in *canonibus* sanctissimæ ac castissimæ disciplinæ fundatam; ut *Doctores* Ecclesiæ iidem illius Rectores & Pastores essent, boni, æqui, justi, pacifici, subordinati *Regi & Pastori summo*, justitiæ, æquitatis, clementiæ perfectissimo exemplo. Confer dicta consona, quæ in superioribus offendimus de *Regno* Christi Jesu vero aut typico; ut Cap. IX. 6. *Ad illud* (Regnum Christi Jesu,) *constabiliendum & fulciendum* במשפט ובצדקה *in* JUDICIO *&* JUSTITIA. Cap. XI. 5. *Et erit* JUSTITIA *cingulum lumborum ejus*. Cap. XVI. 5. *Sedebit in throno Davidis* JUDEX, *& sectator judicii, & festinus ad* JUSTITIAM. Cap. XXXII. 1. *Ecce in* JUSTITIA *regnabit Rex, & seqq.* Confer Ps. XCVII. 2. de Regno Christi: JUSTITIA *& judicium sunt stabilimentum throni ejus*. Id vero recte perceptum nos ducet ad veram intelligentiam ejus quod sequitur: *Esto longe* עשק *ab* OPPRESSIONE. Sunt qui verba accipiunt per modum *admonitionis*, ut videlicet Civitas confirmata sibi caveat ab aliis opprimendis, vel à *fraudatione* qualicunque: quam sententiam quoque tenet Cl. Coccejus. Intelligit hic loci *fraudationem*, *qua Christo eripitur gloria, justis debita consolatio, errantibus veritas & salus, & improbis justitia datur*. Verum vox עשק tam sublimi significatu in Verbo Dei non usurpatur: notat passim in Scriptis Sacris *oppressionem* qua potentiores, ditiores, iniqui Judices, Principes, Reges, inferiores & pauperiores opprimunt. Sic Jesaias vocem usurpavit supra Cap. XXX. 12. infra Cap. LIX. 13. ne alia loca [a] nunc allegem. Res enim extra dubium est posita. Hieronymus hic per *calumniam* vertit, sed præter rem; retinuitque Latinus Interpres eandem vocem in versione Chaldææ vocis עשקא. sed perperam. notat enim *oppressionem & vim*. Quare nullo modo dubitandum esse reor, quin modus *Imperativus* hic sit explicandus per *futurum*, ut Kimchius jam docuit, & exemplis adstruxit; & post ipsum Grammatici longe pluribus [b]. Sunt autem rationes certæ, quæ hanc hypothesin adstruunt. Primo, quia illud תִּרְחַקִי *recede, longe abesto*, æque cohæret cum voce מִמְּחִתָּה *à consternatione* in proxime *sequenti membro*, ac cum voce עשק *oppressio*, in hoc *membro* sententiæ. Per *consternationem* autem ibi intelligi *caussas consternationis* quæ aliunde accedunt, liquet ex ejus vocis attributo, quia *tibi non appropinquabit*. *Consternatio* ibi notat *bella, & bellorum rumores*, quæ Ecclesiæ minitari videntur exitium. Deinde, quia *Subjecto*, quod hic est Ecclesia paupercula, afflicta, popellus Dei inops & auxilio humano destitutus, non convenit hæc admonitio. Non cogitabat Ecclesia primi temporis de aliis opprimendis: tantum metuebat, ne ab aliis opprimeretur. Sit itaque sensus verus & genuinus sententiæ; & *longe aberis ab oppressione*, quam ab injustis Rectoribus & dolosis Pastoribus dudum sustinuisti, *atque adeo* non *timebis*; & à *consternatione* hostium externorum, *quia tibi non propinquabit*. Sic accipienda vocula כִּי in verbis, *Et ab oppressione*, כִּי IDEO *non metues*. ut inter alia Ps. CXVI. 10. האמנתי כי אדבר *Credidi*, IDEO *loquutus sum*. non *quia* loquutus sum.

Variæ hypotheses hujus commatis interpretandi.

Summa Pericopæ.

Quid hic intelligendum per Justitiam?

Quæsitum definitur.

Intelligitur Justitia Regiminis.

Dicta analoga de Justitia Regni Christi Jesu.

Verba Prophetæ, Esto longe ab oppressione, ex eo declarantur.

Significatio vocis עשק, stylo scripturæ S.

Imperativus Modus hic explicandus per Futurum.

Rationes, quæ hanc sententiam adstruunt.

Sensus dicti constitutus.

Quæris implementum hujus promissi. Cum enim historia doceat, Ecclesiam Christi Jesu tot tempestatum turbinibus fuisse concussam; tot quoque malos Rectores passam esse: quomodo sibi constat veritas hujus promissi? Respondeo, *a.* Prophetas; ubi de Statu Ecclesiæ N. T. generatim loquuntur, eam complexè conspiciendam exhibere, qualis appareret in statu completo ac consummato, post superatam luctam temporum & triumphatos hostes: cujus Status Ecclesiæ σχῆμα fuit tempore Constantini; alterum in variis Rebuspublicis liberis Protestantium; estque spes fore, ut perfectius existat exemplum in fine temporum. β. Respectu membri prioris: me rotunde asserere, *Rectores* Ecclesiæ tales est debere secundum canones disciplinæ Christianæ, quales hic depinguntur; tales fuisse non tantum in Statu Ecclesiæ institutæ, verum etiam κατὰ τὸ πολὺ μέρος primis Ecclesiæ sæculis: imo vero tales κατὰ πολὺ esse in Ecclesiis non plane corruptis. Qui animo & affectu tales non sunt: mentiuntur personam. Disciplina enim Christiana alios ac bonos, justos, æquos, pios, modestos, non admittit. *Servus malus* qui post plura sæcula lapsa se daret *luxui*, & *conservos suos cæderet* [c], hic non respicitur. Corruptio enim quæ Ecclesiam præter ordinem invaderet, plane esset extraordinaria, cujus in generalibus promissis ratio haberi non potuit. Ne dicam, *Servum* illum *malum* à Domino solenni judicio severe puniendum esse, cæteris in exemplum [d], ut genuinus ordo & Oeconomia Ecclesiæ instaurentur. Quod ad alterum membrum: *longe aberis à consternatione*: observari velim, non posse id ἀπλῶς sumi per omnes articulos temporum; sed necessario accipiendum esse cum *temperamento*. Non id vult Jesaias, Ecclesiam Christi nullas experturam calamitates & afflictiones aptas in ea excitare *metum*. Contrarium enim ejus ipse mox asseret; & asseret in sequentibus: ne *superiorum prophetiarum* meminerim. Sensus est, *a.* Deum veras Ecclesias sui Populi singulari cura suæ providentiæ præservaturum à malis exterminantibus; quæ ei adferant exitium, neque permissurum, ut pii & nomini suo fidentes *tententur supra quam possint ferre* [e]. Confer Cap. XLIII. 2. ut adeo credentes in fide stabiles necesse non habeant πτοεῖσθαι *consternari*. Dominus Jesus apud Lucam [f]: *Cum vero audiveritis bella & tumultuationes*, μὴ πτοη-

Implementum promissi demonstratur in Ecclesia N. T.

Sed cum temperamentis, quæ hic adscribuntur.

Locus Matth. XXIV. 28.

Alterum membrum: Longe aberis à consternatione.

Quomodo quibusque cum temperamentis dictum accipiendum sit.

[a] Prov. XIV. 31. Jer. VII. 6. Amos. IV. 1. [b] Confer Deut. XXXII. 50. Ps. XXXVII. 27. Glass. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. III. Cap. XLIII. [c] Matth. XXIV. 48. [d] Matth. XXIV. 51. [e] 1 Cor. X. 13. [f] Luc. XXI. 9.

θῆτε· *ne* CONSTERNEMINI. Sane providentia Dei tum erga Eccleſias primi temporis, de qua ſæpe memoravi in *ſuperioribus*; tum erga Eccleſias particulares afflictas ſequentium Sæculorum, fuit admirabilis. β. Luctam Eccleſiæ omnem & afflictionem ei à Deo immiſſam ad eam purgandam fidemque ejus explorandam; ſemper deſituram in triumpho Eccleſiæ, viamque ſtraturam ad conditionem ejus in hiſce terris meliorem glorioſioremque efficiendam: quod experientia hactenus docuit: etſi vanum ſit particularium Dei judiciorum ſemper reddere velle rationem. γ. Deum Eccleſiæ ſua providentia talia proviſurum eſſe *tempora*, ut vere providit, quibus Eccleſia omnem vim & emphaſin hujus promiſſi in omni ſua amplitudine experiretur. Confer Cap. XLIX. 10.

b. Cauſſæ *Stabilitatis* Status Eccleſiæ,
Interitus hoſtium; externorum, & internorum.

Cauſſæ ſtabilitatis Status, *Interitus hoſtium externorum, & internorum*, ℣. 15. *Ecce congregando congregabitur, &c*

℣. 15. *Ecce congregando congregabitur; non ex me: qui tecum, ſe congregaverit contra te; cadet.*] Heb. הן גור יגור אפס מאותי מי גר אתך עליך יפול Sententia ad primam ſpeciem videtur obſcurior, & dubii ſenſus; tum quod conciſa ſit: tum quod voces quibus conſtat, diverſam ſuſtineant interpretationem: quæ cauſſa eſt quod tam verſiones quam expoſitiones hujus loci multum varient *A*. Sententia loci ex mea mente eſt: *Equidem futurum eſſe ut hoſtes qua externi quà interni ſe adverſus Eccleſiam congregaturi, eamque oppugnaturi ſint; ſed conamina illorum in irritum caſura, eoſque interituros eſſe.* Primum membrum: *Ecce congregando congregabitur*; at *non ex me:* agit ex meo, & plurium aliorum ſenſu de *hoſtibus externis*. Ubi itaque ſuppono, vocem גור, quæ admittit ſignificationem *congregandi, peregrinandi, commorandi* inſtar παροίκω, *timendi*; primo ſenſu hic ſumendam eſſe; & quidem de *congregatione hoſtili*, adverſus Eccleſiam inſtituenda. Si ſignificationem vocis גור ſpectes: non eſt dubium quin optime, imo propriiſſime, hoc ſenſu ſumatur. Poëta Divinus *a*: *Quia ecce inſidiantur animæ meæ:* יגורו עלי עזים *cöitionem faciunt*, (colliguntur) *contra me Validi.* Alio loco *b*: יגורו CONGREGANTUR (cöitionem faciunt;) *occultant ſe; obſervant calces meos.* Inde מגורה *granarium, horreum*, in quod colliguntur grana. Eſſe autem primariam vocis ſignificationem, facile pateſcat ex agnata voce אגר *colligere*, unde ἀγείρω quod Græcis idem ſonat, & ἀγορὰ *forum*. Cæteræ quoque ſignificationes huc facile referuntur. Qui enim inſtar proſelyti hic illic hoſpitatur: ſe Genti illi aggregat, ſive ei προσέρχεται, inter *proſelyti* ſe ei adjungit. Idem in *metu* obtinet, ut partes ſubtiliores ſanguinis ſe per corpus diffundentes, retrahantur ab externis partibus & veluti ſe colligant in interioribus: unde pallor, tremor, contractio cordis. Eſt autem גור hoc ſenſu proprie *coitionem* & *factionem facere*. Cæterum agi hic de *congregatione* hoſtili: patet tam ex *ſuperiore verſu*, ubi Eccleſia munitur adverſus *metum* hoſtium; quam ex *ſequente* contextu, qui luculenter agit de hoſtibus Eccleſiæ. Ergo verba id valent quod Kimchius recte expreſſit: הנה יאספו עליך עמים *Ecce populi adverſus te congregabuntur.* Vates illud עליך *contra te* hic non adſcripſit; quia id adſcriberet in *membro altero*. Additur, אפס מאותי *Non ex me.* Idem eſt quod ſimili phraſi Hoſ. VIII. 4. *Regem fecerunt*, ולא ממני *ſed* NON EX ME. & in oratione Senacheribi *c*: מבלעדי יהוה *Præter Jehovam.* Figura eſt orationis quæ Græcis Λιτότης dicitur, qua plus ſignificatur quam verba præ ſe ferunt. Valet hoc loco; Me non jubente; non probante; imo vehementer improbante, ac propterea conſilia illorum diſſipaturo, eoſque ſubverſuro. Gamaliel apud Lucam *d*: *Quoniam ſi ἐξ ἀνθρώπων* EX *hominibus hoc conſilium aut opus eſt:* DISSOLVETUR: *ſin* EX DEO *eſt, non poteſtis illud diſſolvere.* Ergo hoſtes illi, qui ſe *abſque Deo* adverſus Eccleſiam congregaverant, *caderent*, ut in *ſequenti membro*. Alterum membrum agit de hoſtibus inteſtinis: *Qui ſe congregaverit* (מי pro מי גר) *tecum contra te, cadet.* Sic verto verba. Belgæ noſtri: *Qui ſe contra te congregaverit; tui cauſſa cadet.* Sed non putem, verba hunc ſenſum ferre poſſe. Vox גור conſtructa cum את non videtur recte verti per *congregari contra*, ut גר אתך ſit *qui ſe congregat* CONTRA TE. Vocula enim את ſumpta pro *præpoſitione*, originarie notat *cum*. Equidem vocula את aliquibus locis notat *contra*; ſed in alio caſu. ut ex. gr. ubi quis ſe prœlio cum aliquo miſcet, recte dicitur Latine, non tantum CONTRA *aliquem*, ſed & CUM *aliquo* pugnare; CUM aliquo bellum gerere: ſic Hebræi in hujuſmodi caſibus recte adhibent particulam את. Sed ubi eadem illa *præpoſitio* conſtruitur cum vocibus *ire, ambulare, agere*, &, quæ ſimilis naturæ eſt, גור *colligere, peregrinari:* ex analogia ſignificationis ſuæ vertitur per *cum*. Ergo Hebræa geminum ferre poſſunt ſenſum, licetque ea vertere, *Qui tecum congregatur*, (ſive *peregrinatur*,) *ad te cadet*; SUPER TE CADET. h. e. tuus evadet. in partes tuas tranſibit. quam ſignificationem phraſios, ab Aben-Ezra quoque hic probatam, non abnuo. Maſorethæ quoque ſua interpunctione, (ſed cujus in *minoribus membris* orationis tanta ratio non habetur,) huic verſioni, certe diſtinctioni ſententiæ, videntur favere. Vel arbitratu tuo ſic tranſpones Hebræa: *Qui congregatur tecum contra te, cadet.* Senſus, *Qui* dum *tecum eſt* & tibi convivit, CONTRA TE *congregatur, cadet.* quam ipſam quoque ſententiam proponit Aben-Ezra. quando hic manifeſte agitur de hoſtibus inteſtinis, qui dum ſe jactant Chriſtianos, idemque nomen eandemque obtendunt cauſſam, tamen vere perverſo ſunt in Eccleſiam affectu, & eam ſive palam, ut Romanenſis Sectæ homines ubi eorum prævalent vires; ſive clam, ut Hæretici qualeſcunque, oppugnant. Hos Spiritus ait *caſuros*, meliore tandem cauſſa triumphante. Hanc expoſitionem loci probabilem

Illuſtratur ex analogis.

Et comparatur cum alia quadam vocis notione qua ſumitur ſignificatione *peregrinandi*.

Agitur hic de *Coitione* hoſtili.

Reſpectus voculæ אפס cujus vis hic declaratur.

Alterum membrum. *Qui ſe congregaverit ex te; non ex me.*

Uſus vocis את hoc loco.

Notio vocula את conſtructæ cum verbis *ire, ambulare.*

Senſus ſententiæ ex perioribus confectus.

---

a Pſ. LIX. 4. *b* Pſ. LVI. 7. *c* Cap. XXXVI. 10. *d* Act. V. 38. 39.

A Sufficiat producere interpretationum diverſarum aliqua ſpecimina. Οἱ δὲ· Ἰδοὺ προσηλύται προσελεύσονταί σοι δι' ἐμοῦ, καὶ παροικήσουσί σοι, καὶ ἐπὶ σὲ καταφεύξονται· *Ecce proſelyti accedent ad te per me; & coloni* (accolæ) *erunt tui; & ad te confugient.* Sententia, ut legitur, non eſt ſpernenda; nec vox גור male de *proſelytis* accipitur, ſi faveant circumſtantiæ: ſed vox אפס *non, abſque*, in verſione negligitur. Cuditur ex ſententia negante ariirmans. Hieron. *Ecce accola veniet, qui non erat mecum: advena quondam tuus adjungetur tibi.* Sed Hebræa אפס מאותי non valent, *qui non erat mecum:* ſonant vere, *non ex me.* Cætera certum eſt, Magiſtros Veteres hunc locum accepiſſe de *Proſelytis*, fatente Jarchio. Chaldæus: *Ecce congregabuntur ad te tranſmigrationes Populi tui; & in fine Reges Populorum qui congregantur ut tribuant te Jeruſalem, in medio tui cadent.* Sic exhibet Verſio in Polyglottis: ſed non plane ex mente Interpretis. Lege & diſtingue ſententiam: *Ecce congregabuntur ad te tranſmigrationes Populi tui* לסופא *in fine*: (Interpres inſarcit copulam &:) *Reges Populorum, & ſeqq.* Vocem אפס accepit pro *fine*, ut in phraſi, אפסי ארץ *fines terræ*, & neglexit vocem מאותי *ex me*. Perperam. אפס non notat *finem temporis*; nec vox ſola abſque conſtructo reddi poteſt per *in fine*. Tremelliana autem verſio vide mihi quam ſit coacta? *En omnino altercetur* homo *nihili* abalienatus *à me: qui altercabitur in te*, ruens *in te corruet*. Id ſi dicere voluiſſet, quod ſuis interpolationibus obſcuriſſime exſulit Interpres: (ſit honos memoriæ!) eſtne probabile, ita Vatem loqui voluiſſe? Emendavit Piſcator: *En omnino commorabuntur* quidam *tecum ſine me:* ſed *qui commoratus fuerit tecum contra te, corruet.* Potuiſſet utique Vir Doctus verſionem clariorem & meliorem facere, ſi cum Pagnino pro *commorari* vertiſſet *congregari*. Quam enim durum eſt dictu, *apud aliquem commorari contra ipſum*? Coccejus: *Ecce metuendo metuet* quiſquam *quicquam præter me? Quis cohabitat apud te? ad te cadet.* Belg. Hy ſal u toevallen. *confer* phraſin Jer. XXXVII. 13. 14. Senſus ſecundum ipſum; Deum hic ſuadere fiduciam in ſe ponendam, & dehortari Populum ſuum à metu; hoc argumento quod *ipſi illi qui accedent ad Eccleſiam aut illi cohabitant, ad partes ejus ſint tranſituri.* Sed docet experientia, non omnes qui Eccleſiæ cohabitant, in partes ejus tranſire; & vox גור in una eademque ſententia non ſatis commode diverſa ſignificatione ſumitur; ut in priori membro ſonet *metuere*; in poſteriori, *cohabitare*. Ne dicam, verſionem, ut ſe oſtentat, non exhibere ſententiam liquidam & ſerenam; ſed impeditam. Fateor tamen Jarchium quoque vocem גור in *priori membro* hic ſumere ſignificatu *metuendi*. Ecce παράφρασιν ejus: הן גור יגור אפס מאותי הן ירא ייראי גר Ecce גר יגור מגורה רעותי אתו שאין אני עמו הוא יין הרשע ותבזיוני יגור, &c.] *Ecce timendo timebit & corripietur metu ex malis ipſi decretis is cum quo Ego non fuerim. Hic eſt* JAVAN IMPIUS (intellige *Romanos*,) *& Socii ejus.* Sed ſatis horum.

lem habeo, א. Quia prior ſententia nihil ſingulare dicit: cum tamen propoſitio, commendata vocula הן *ecce*, quid ſingulare habeat. Sive enim ita accipias; *Qui tecum congregatur:* ſive *Qui apud te peregrinatur, ad te cadet:* utique nihil hic dicitur in *prædicato*, quod non latet in *Subjecto*. Qui enim cum *Eccleſia congregatur*, aut *inſtar proſelyti ſe ei adjungit*, jam cenſendus eſt tranſiiſſe in partes Eccleſiæ. β. Contextus infert agi de *hoſtibus* Eccleſiæ. γ. Vox עלין optime refertur ad vocem גור *congregari*, ſignificatione *adverſus, contra*; ut ex parallelo loco Pſ. LIX. 4. vidimus. δ. Vox נפל *cadere* ſola recte uſurpatur de *caſu & interitu* hoſtium, eſtque hoc ſenſu uſu recepta [a]. Ne jam dicam, implementum prophetiæ ex hoc ſenſu perfecte conſtare. Ergo cum Deus Populo ſuo promiſiſſet *ſecuritatem*, ut neceſſe non haberet *conſternari:* ne quis id perverſe acciperet, ſubjicit; Eccleſiam illam ſuam non plane liberam fore ab hoſtibus qui ſe adverſus eam congregarent, & coitionem facerent ad eam lædendam aut exterminandam, ſive *externis* ſive *internis:* ſed docet, ſe interventurum ſua providentia, ne conſilia peſſima ſortiantur effectum. Eſſe illos *caſuros & interituros*, & Deum, omnia ſua providentia adminiſtrantem, moderaturum effecta; ut *ſequens pericopa* docet. Promiſſum & prædictum idem eſt quod habuimus Cap. XLI. 14. XLIII. 2. & in hac ipſa *Sectione* involutum emblemate, ℣. 9. 10. De *externis* hoſtibus, quorum longa ſeries, nihil nunc dicam. Exempla liberationum quas Deus Eccleſiæ difficillimis temporibus præſtitit, ſunt in hiſtoria omni digna admiratione. Certe conſtat, & hiſtoria docet, nullos Reges aut Principes, qui Eccleſiam ſuis perſecutionibus tentarunt, impune abiiſſe. Quid dicam de *hoſtibus inteſtinis*, qui dum *cum Eccleſia* erant, *adverſus eam coitionem* faciebant; *Judæis* primo, falſis *Apoſtolis*, & *fratribus Gnoſticis*, (*filiis matris* Eccleſiæ, adverſus eam fruſtra *incenſis* [b]:) aliiſque variorum temporum; & ſuperſtitionis Romanæ cultoribus apud Eccleſiam & in iiſdem Rebuſpublicis cum Eccleſia verſantibus, eidemque ubique inſidiantibus? Quot hic miracula edidit Deus? Quam multis in locis factæ ſunt clandeſtinæ coitiones adverſus confeſſores veritatis, in quibus tamen Eccleſia contra omnem exſpectationem adverſarios illos ſuos vidit *cadentes*? Quid in Belgio hoc noſtro geſtum ſit, majores noſtri nobis narrarunt. Hujus tamen prophetiæ promiſſum & prædictum eſt generale; cujus implementum à primis Evangelii initiis repetendum eſt.

Cauſſa ejus, Defenſio Divina.

℣. 16. *Ecce, Ego creavi fabrum, ſufflantem in igne carbonem*, (an, *in ignem carbonum*, ut Doctus Int. ſed οἱ τρεῖς A. S. Th. verterunt ἐν πυρὶ:) *& producentem inſtrumentum ſecundum opus ſuum, & Ego creavi* CORRUPTOREM *ad perdendum.* ℣. 17. *Nullum inſtrumentum adverſus te paratum proſperabitur; & omnem linguam, quæ tecum conſiſtet in judicio, condemnabis. Hæc eſt hæreditas ſervorum Jehovæ, & juſtitia illorum ex me, ait Jehova.*] Hæc verba *Sigillum* continent conſolationis. Status Eccleſiæ N. T. non excludit hoſtes & adverſarios, ſive extimos, ſive inteſtinos. Imo vero ſors credentium eſt, *per multas tribulationes ingredi in Regnum Dei*; & dictum Domini [c], *In Mundo afflictionem habebitis: ſed*, ſubjicit Dominus, *confidite, Ego vici Mundum.* Docet itaque, nullam poteſtatem, nullas vires, Eccleſiæ eſſe prævalituras; nullam afflictionem Eccleſiæ contingere citra ſuam providentiam; omnes Eccleſiæ hoſtes huic providentiæ ſubeſſe: quos hoſtes dum Deus ſecundum ordinem providentiæ ſuæ ſinit in Eccleſiæ perniciem ſanguinaria cudere conſilia, & in eam ſævire, ſimul ipſum providere *media* per quæ intereant: denique, neminem fore Eccleſiam verbis & factis pertinaciter oppugnantem, quin pudore ſuffundendus, & miſere periturus ſit. Doctrinam de Providentia Dei circa hoſtes Eccleſiæ, eorumque machinationes, complectitur Vates, priore parte hujus pericopæ, ℣. 16. *Ecce Ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, & producentem inſtrumentum* למעשהו SECUNDUM OPUS SUUM. Sic vertenda ſunt, ut opinor, verba. Sunt plures, qui exhibent, *opus* EJUS, & intelligunt *opus perditoris* cujus mentio eſt in *ſequenti membro*. ut ſenſus ſit; Deum creaſſe fabrum qui ſufflat in igne prunas ad facienda inſtrumenta bellica in uſum perditoris. In ſenſu nihil vitii: ſed non putem, Jeſaiam id intendiſſe, quia *relativum* minus commode refertur ad *Subjectum* ſubſequens. Planus ſenſus eſt, Fabrum pro *ratione* ſui *operis* ſive pro *intentione* ſua *producere* opus quale meditatur, *gladium, haſtam, jaculum.* Sic Kimchius vere. Chaldæus: לצורכיה *pro neceſſitate ſua.* docte. Interpres hic retinuit illud Hieron. *in opus ſuum.* Alterum membrum: *Et Ego creavi* משחית *corruptorem* an *telum ad perdendum:* non unum admittit ſenſum. Primo vox משחית, vel accipi poteſt ut *participium Hiphil, perſonaliter* pro *corruptore*, qui inſtrumento nocivo utitur ad aliorum perniciem: vel ut nomen verbale pro *inſtrumento nocivo*, cujuſmodi eſt *telum*; *gladius* [d]. Plerique Intt. vocem ſumunt *perſonaliter* pro *perſona corrumpente*, ſecundum Hieron. *interfectore:* ſed Cl. Coccejus alibi [e] per *telum*, διλητήριον, vertit; hoc loco, generali notione, per *deſtrueni.* Neutra interpretatio vitium habet; & cenſeo tamen rectius hoc loco *perſonaliter* accipi pro *corrumpente, corruptore, deſtructore*, ut non raro alibi. Ratio eſt, א. Quia ſi משחית hic pro ipſo *inſtrumento nocivo* ſumatur, hoc ſententiæ membro nihil plus dicitur quam *ſuperiori.* β. Deus hic introducitur ut *cauſſa* veluti *immediata* fabricandi inſtrumenti hoſtilis; cum tamen in *ſuperiori membro* de ſe loquatur ut de *cauſſa mediata.* ſe ait, *creaſſe fabrum* qui ejuſmodi *inſtrumentum* formet ac fabricet. Cæterum ſi משחית hic ſumatur pro *perſona corrumpente:* ne ſic quidem omne hic expeditum eſt dubium. Plurimi Intt. verba in hanc accipiunt ſententiam, ut Deus dicat, ſe creaſſe fabrum qui *ſufflando in prunas* inſtrumentum formet; & ſimul creaſſe *homines* ſive *milites* qui hiſce inſtrumentis in aliorum noxam utuntur: Ergo ut inſtrumenta illa abſque providentia ſua non cuduntur: ſic neminem niſi ſe volente & permittente iis in aliorum noxam uti. Nihil in his eſſe quod non à numine voluntatis ipſius dependeat. Non eſſe itaque cauſſam juſtam, cur pii aggreſſores ſuos metuant. Senſus eſt commodiſſimus, & nihil habet ἀνακόλουθον, aut ſapientia Vatis indignum. Sed Hebræi Intt. Jarchius & Kimchius poſterius membrum aliter capiunt; ut dicat Deus; Se creaſſe fabros qui cudant nociva inſtrumenta belli; ſed eundem ſe creaſſe *corruptores* qui illa inſtrumenta perdant, eorumque ictus retundant. Verba prioris: כלומר אני הוא שגירותי בך את האויב ואני הוא שהתקנתי לו פורענות *Acſi dicat: Ego is ſum qui excitavi adverſus te hoſtem; & Ego idem ſum, qui ei ordinavi vindictam.* Quandoquidem vero illi cenſent, hic agi de *Gogo* & *Magogo*; refert huc Kimchius locum Ezechielis, Cap. XXXIX. 3. *Et ego excutiam Arcum tuum manu tua ſiniſtra, & ſagittas tuas ex manu tua dextra cadere faciam.* Sed rectius huic ſenſui quadrat inſigne Viſum quo Zachariæ exhibita ſunt *quatuor cornua* quæ Judam & Iſraëlem ferierant ac diſſiparant; iiſque oppoſiti totidem *fabri*, qui *malleis ſuis* cornua illa, (ſupponuntur autem *ferrea* eſſe,) contunderent [f]. Placuit ſententia Brentio & Oecolampadio. Hieronymus quoque aliquid ejus hic loci vidit. Quod enim de *Corruptore ad perdendum* hic habetur; non retulit ad Eccleſiam, ſed ad improbos & *incredulos.* Non auſim interpretationem Hebræorum ſpernere, cum inprimis *ſequenti commati* pulchre reſpondeat: ubi per modum ἀκοδόσεως ſolius כלי *inſtrumenti* mentio fit; & illud ואנוכי ET EGO repetitum, videatur quid diverſum inferre. Fidentius tamen

Qui ratio-nibus adſtruitur.

Nexus totius orationis, & ſumma ejus repetita.

Implementum promiſſi Prophetici.

Cauſſa ſtabilitatis Eccleſiæ, *Defenſio Divina*, ℣. 16. *Ecce Ego creavi Fabrum, &c.*

Cohærentia & ſumma orationis.

Dubia interpretatio vocis, למעשהו *in opus ſuum*, vel EJUS: quæ definitur.

Senſus declaratur.

Contemplatio vocis משחית. Differentia verſionis.

Vox accipienda videtur *perſonaliter.*

Rationes hujus ſententiæ.

Alterum dubium reſtituale.

Sunt qui hic duas perſonas ejuſdem generis notant.

Sunt qui diverſas. Jarchii verba.

Poſterioris ſententiæ auctores.

a Confer Pſ. XX. 9. XXVII. 2. Prov. XXIV. 17. b Cant. I. 6. c Joh. XVI. 33. d Prov. XVIII. 9. Ezech. XXI. 31. e In Lex. f Zach. I. 18.

men hic pronunciarem sententiam, si Propheta scripsisset, *Et Ego creavi corruptorem* לְחַבֵּל *ad* ILLUD *perdendum.* Utique censeo, prius membrum, *Ego creavi fabrum in igne sufflantem carbones, & seqq.* licet κατὰ γράμμα veram sententiam faciat, non tantum *Grammatice*, sed præsertim *mystice* interpretandum esse. Non id tantum vult dicere Vates, Fabrum qui insufflando in ignem instrumenta belli generi hominum noxia parat à se dependere, ut creaturam à creatore eam sustinente: sed pravos quoque Consiliarios, qui Principes Mundi, passim ambitione flagrantes, & hujus generis consiliorum capaces, (perinde ac carbones *ignis*,) excitant & inflammant ad bella, iisque suggerunt media huic proposito congruentia; ut sunt colligendarum copiarum & instruendi exercitus in noxam Gentium & Ecclesiæ; eorundemque bellorum injuste susceptorum ex tributis & oneribus Plebi gravibus fovendorum. Nihil horum est quod non à Deo pendeat; quod non ejus circumscribatur providentia; quod ipso nolente fiat. Consilia, motus, actus hominum, subjacent moderamini, & arcano influxui, summi Rectoris; sed influxui purissimo & sanctissimo, nobis inexplicabili, de quo egi quantum satis est, ad Cap. x. 15. Tantum adscribo sententiam Jesaiæ similem Cap. XLV. 7. *Formo lucem, & creo tenebras; facio pacem, & creo malum.* Ego Jehova *facio omnia ista.*

Αὐόλεθον est ℣. 17. *Omne* instrumentum, *adversus te formatum, non proserabitur*, (phrasi Hebræa. proprie, *nullum instrumentum:*) *& omnem* linguam, & seqq. Duobus modis impeti potest Ecclesia à Satana; vel Vi, cruciatibus, tormentis, persecutionibus, bellis; vel Ore; (sub quo hic *scripta* quoque intelligas,) h. e. calumniis, probris, disputationibus, libisque calamo aut ore ei motis, & judiciis iniquis. Utroque modo Ecclesiæ insultarunt post Judæos Pagani, ut ex Historia notum. utriusque etiam generis impetus sustinuit Ecclesia purior, quæ communionem Ecclesiæ Romanensis corruptæ vitiatæque deseruit. Cave tamen, ne hoc promissum interpreteris præter mentem & scopum Spiritus S. Sensus *primi membri* in hæc themata resolvitur. α. Nullam unquam vim hostilem, qualis fuerit, Ecclesiæ Christi Jesu in hisce terris esse prævalituram; contra vero eam adversus omnia molimina Satanæ ejusque Ministrorum, vi Fidei à Gratia Divina roboratæ, esse substituram. β. Tandem de omni lucta & publicis hostibus suis post varia tentamina per potentiam & justitiam Christi Regis esse triumphaturam. γ. Nullos Ecclesiæ hostes obstinatos, Ecclesiam oppugnantes, hoc scelus impune laturos esse. Dictum Domini *a*: *Qui ceciderit in hunc lapidem*, (qui se ei miscebit,) συνθλασθήσεται· confringetur: *super quem vero ceciderit, comminuet eum.* confer Zach. XII. 2. & Cap. XLIX. 26. Est itaque hic rursus manifesta λιτότης in phrasi, לֹא יִצְלָח *non proserabitur.* Valet hic loci, *perdetur, destruetur.* Habent quoque particulares Ecclesiæ, (si veræ & gravioribus scandalis puræ sint,) & singulares credentes, hic certum consolationis argumentum; & historia exhibet admirabilia exempla Divinæ providentiæ & curæ per omnia tempora. Veruntamen duo hic observari velim, α. Singularium hominum aut particularium cœtuum casus sic à Deo dispensari ut consistant cum Lege & ordine Divinæ Providentiæ erga Populos & Gentes, in quarum medio versantur; Deo nihilominus semper *suos* singulari cura prosequi, & eos ad salutem conservare. de quo egi Cap. XLIX. 14. ut etiam, dum succumbere videntur, *plus quam victores sint b*, & in omnibus *per Christum Jesum triumphent c*. β. Ecclesias particulares, in florentibus terris locatas, quæ diu pace gavisæ sunt, facile sibi contrahere labem; corrumpi; atque adeo merito incidere in Divina judicia; & sæpe evenire, ut *judicium incipiat à Domo Dei d*. Deus semper est *fidelis*; sed Ecclesiæ impuræ & scandalis obrutæ non possunt sibi fidenter vindicare promissa vero suo Populo facta. Alterum membrum: *Et omnem Linguam, quæ tecum consistet in judicio, condemnabis:* hunc habet sensum, α. Ecclesiam Christi Jesu veram profiteri *Doctrinam*, quæ de omni calumnia, errore, superstitione, idololatria, ac qualicunque doctrina falsa, tandem sit obtentura victoriam, ut *sola* denique in Orbe agnoscatur. β. Pios ac prudentes homines, causam veritatis recte agentes, & non vacuos Spiritu, ubique in disputationibus, colloquiis, & judiciis, vincere & victuros esse; etiam tum quando ab adversariis opprimuntur & obruuntur, & quoque condemnantur: non tantum quod in ipsis disputationibus & judiciis suis vim & lucem veritatis valide sint ingesturi in animos & conscientias adversariorum; *non ipsis, sed Spiritu Dei per eos loquente*; verum etiam quod Deus sua providentia suscitaturus sit egregios homines & hominum cœtus qui eandem doctrinam repetituri & professuri, atque acriter defensuri sint, usque quo tandem de errore triumphet. Qui veritatis causam in gravibus & necessariis casibus ex amore veritatis prudenter agit; promissi hujus effectum sentiet: quod tamen frustra sibi applicant, qui pravis affectibus moti litigandi materiam non inveniunt, sed quærunt, ut aliorum fidei prædominentur. Experta est Ecclesia vim & effectum hujus promissi in disputationibus cum Paganis, sive ore sive Scripto, institutis, cujus inter multa alia insigne exemplum est in Minutio Felice. alia enim nunc non tango. Et poterant tamen Doctorum *Apologiæ & Disputationes* prudentius ac peritius compositæ esse. Suppressæ sunt hæreses antiquæ adversus Ecclesiæ certam doctrinam motæ. Vincit in recentioribus. De pudendis erroribus Ecclesiæ Romanæ ubi in Colloquiis, in Germania, Gallia, Anglia, Helvetia, legitime, non turbulenter, disputatum est, superior semper fuit causa veritatis. Lutheri verum & confidens dictum servatum est ab optimo Historico *e*: *Licet omnes fremant, Doctrinam suam in æternum esse permansuram.* Infinita hic materia est: sed sufficerit summa *capita* attigisse. Cætera observabis, α. Vocem *Lingua* hic *synecdochice* sumi pro oratore, disputatore, accusatore, eoque *lingua* & *ore* prompto. Hæc vis subest notioni in hoc loco. Confer Ps. XII. 5. β. Similem emphasin esse in voce מִשְׁפָּט *consistit in judicio*, vel *ad judicium*, disceptationem. Notat hoc loco *pertinaciter, audacter, obstinate* se profiteri adversarium veritatis. Disputando pedem conferre, ac prœliari; & disputando accusare. Est enim accusatoris *stare.* Sume tibi hoc unum exemplum ex Ode Viri Sancti *f*: מִי יָקוּם לִי עִם מְרֵעִים *Quis* stabit *mihi cum malitiosis?*

Signaculum claudit hæc luculenta promissa: *Hæc est sors* (sive *hæreditas,*) *servorum Jehovæ; &* justitia illorum *ex me, ait Jehova.* Hanc sortem iis Testamento decrevi; (sunt enim Bona supra memorata Ecclesiæ N. T. à Deo decreta & promissis ac prædictis explicata:) quam ut juste & ex stipulato possident, sic *jure* suo à me exigere possunt. *Justitia* hic est *jus*; & sententia, *Justitia illorum ex me:* connectenda est cum זֹאת Hoc. Sensus, Hoc promissum ipsorum volo *Bonum* esse, in quod ipsis *jus* est. Confer usum notionis vocis צְדָקָה Neh. II. 20. Imo sane *jus* ipsorum est, munitorum justitia Christi, non tantum in *humanis judiciis* pro *veritate* stare & vincere: sed *vincere* quoque in *Judicio Divino*, adversus accusationes Satanæ; & in futuro judicio de omnibus hostibus suis, calumniatoribus, & accusatoribus suis palam triumphare. Vides, quam bene concepta sit consolatoria Dei oratio ad retundendum metum & consternationem suorum.

Par-

Prior sententia probabilior.

Integra sententia exponitur.

Doctrina generalis de Providentia Divina.

Consequens sententiæ, ℣. 17. Omne *instrumentum, &c.*

Hostes Ecclesiam adoriuntur *vi*, vel *ore.*

Utrumque genus explicatur, & illustratur ex historia.

Themata, quæ sententia involvuntur, distinctius explicantur.

Figura λιτότης in oratione Vatis.

Temperamenta hic observanda.

Particularium Ecclesiarum respectus.

Alterum membrum sententiæ adversariis, qui Ecclesiam *ore* impugnarent, illustratur.

Effectus & implementum hujus Promissi.

Animadversio in *Apologias* primi temporis Ecclesiæ.

Lutheri memorabile dictum.

Observata ad phrasin distinctius intelligendam.

Signaculum horum Promissorum: *Hæc est sors servorum Jehovæ, &c.*

Sententia declaratur.

Usus vocis *Justitia* hoc loco.

a Matth. XXI. 44. *b* Rom. VIII. 37. *c* 2 Cor. II. 14. *d* 1 Pet. IV. 17. *e* Sleid. Hist. Lib. VI. p. 134. *f* Ps. XCIV. 16.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Quarta.

Post adductam *Justitiam* Messiæ, cum *Donis Spiritus S.* & *Bonis melioris Fœderis*, ei cohærentibus; omnes quà Judæi quà Gentes blande invitantur ad Beneficia hæc Divinæ Gratiæ, in publico expositæ, participanda, & ex mera gratia sibi donanda, ad consolationem & lætitiam perfectam. Inde cum Deus prævideret, ex Judæa Gente multos fore, qui tergiversarentur, & tantam Gratiam; sive quod meritum ejus non æque æstimarent; sive quod de Statu suo desperarent, non sat cupide amplecterentur: Spiritus S. oratione ad hoc genus hominum versa, eos exhortatur ad officium *fidei* & *resipiscentiæ*, rationibus atque argumentis desumptis, tum à *privilegiis*, quæ fidem comitarentur; tum ex amplitudine Divinæ Gratiæ in condonandis delictis; tum denique ex æmulatione *Gentium*, quæ Messiam ab ipsis neglectum absque dubitatione reciperent; licet id longissime à *cogitationibus* Judæorum abesset. Subjicitur præclara prædictio optati ac glorioli successus eorum, qui Canaanæa exeuntes Regnum Dei ad Gentes transferrent.

CAPUT LV.

Textus Cap. LV.

1. HEus! Sitientes omnes venite ad aquas; & quibus nulla est pecunia, venite, emite, & comedite: venite, inquam, emite absque pecunia & absque pretio, vinum & lac.

2. Quare expenditis argentum pro eo quod non est panis; & laborem vestrum pro eo quod saturare nequit? Auscultate mihi diligenter, & comedite bonum, ac delicietur in pinguedine anima vestra.

3. Inclinate aurem vestram, & accedite ad me: auscultate, ut vivat anima vestra: & pangam vobiscum Fœdus perpetuum, *me daturum vobis* Beneficentias Davidis permanentes.

4. Ecce, testem populorum posui ipsum: Principem ac Præceptorem nationum.

5. Ecce, Gentem, quam non nosti, vocabis; & Gens quæ non noverat te, ad te current; propter Jehovam Deum tuum & Sanctum Israëlis, qui te exornat.

6. Quærite Jehovam, dum inveniri potest; invocate eum, dum propinquus est.

7. Derelinquat impius viam suam; & iniquus quisque cogitationes suas; & convertat se ad Jehovam, ut ipsius misereatur; & ad Deum nostrum, quia condonando multus est.

8. Quia cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ; & viæ vestræ non sunt viæ meæ, inquit Jehova.

9. Quippe *ut* cœli sunt altiores terra: sic altiores sunt viæ meæ viis vestris; & cogitationes meæ cogitationibus vestris.

10. Siquidem sicut descendit imber & nix de cœlo, & illuc non redit nisi irrigaverit tellurem, & eam fecerit parere ac producere germen, ut det semen sementi ac panem vescenti.

11. Sic se res habet cum Verbo meo, quod exiverit ex ore meo: non revertetur ad me vacuum: quin faciet id quod volo, & prosperabitur *in omni eo* quo *illud* emiserim.

12. Quia cum gaudio exibitis; & in pace deducemini: montes & colles fragorem coram vobis edent cantu: & omnes arbores agri complodent manus.

13. Pro fruteto succrescet fraxinus; & pro dumeto succrescet myrtus: & erit Jehovæ in nomen, in monumentum perpetuum: non exscindetur.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Sectionis.

Argumentum hujus Sectionis.

TRansit oratio Prophetica & Paracletica superioris argumenti in *Exhortatoriam*. Cum enim Christus Jesus, Servus Dei Justus, procurasset *justitiam* omnibus in eum credituris, tam ex Gentibus quam Judæis: Chorus Propheticus, nomine *Dei* loquens, hic introducitur omnes salutis suæ cupidos, Judæos primo, dein Gentes, benigne invitans ad communionem præstantium Beneficiorum Gratiæ, quæ Messias sua morte & τεθύμασι Populo electo impetraverat; *figurate* propositorum sub emblemate rerum corporalium, quæ *sitientes* & *esurientes* reficiunt, satiant, ac delectant [a]. Mox vertitur sermo ad Judæos cunctabundos, & in negotio tanti momenti hæsitantes; quibus *Regnum Dei* cum omnibus suis privilegiis, Davidi olim promissum, rursus sub conditione *fidei* in Messiam blande atque amanter offertur [b]; & ad excitandam in iis honestam ac piam æmulationem, exponitur consilium Dei de Gentibus per magnum hunc Doctorem illuminandis, atque in communionem Ecclesiæ adscisendis, hanc salutem cupide amplexuris [c]. Quando autem ex iis multi non erroribus tantum, verum etiam vitiis impliciti, criminibusque obstricti, de salute sua desperare possent: vocat eos ad *resipiscentiam*, fide facta hoc tempore Gratiæ & complacentiæ à Deo obtinendæ veniæ [d]. Docet interim, non esse futurum, ut Deus per ipsorum incredulitatem frustretur fructu Vocationis apud ipsos institutæ per Verbum Evangelii. Esse enim consilium suum mirabile, quod cogitationes ipsorum longissime superet, videlicet de scopo & fructu hujus Vocationis obti-

a ℣. 1. 2. b ℣. 3. c ℣. 4. 5. d ℣. 6. 7.

nendo apud Gentes; inter quas Verbum hoc frustra non caderet [a]. Ergo sub finem describitur ac prædicitur lætus exitus Præconum Evangelii ad Gentes, tanquam quæ salutem, à Judæorum parte majore spretam, lubentissime & cum jubilo acceptarent; idque dum agerent, magnam subirent status sui mutationem in melius. [b]

Scopus ejus. II. Patet, *Sectionem* hanc esse argumenti *Parænetici* sive *Exhortativi*. Prædicta enim & promissa, quæ à ℣. 8. usque ad finem exhibentur, ipsa quoque hic occurrunt ut argumenta *exhortationis*; nisi quis forte *duo commata* postrema, sed quæ tamen communi argumento substrata sunt, hic excipiat. Dixeris itaque recte, *Scopum primarium* hujus *Sectionis* eo tendere, ut Deus Pater, Princeps & auctor primus Salutis à Messia impetratæ, eandem per Præcones Evangelii omnibus in universum hominibus, cura salutis suæ affectis, offerat: inprimis vero Judæos, quorum plures, licet non pessima pars, dubio hærerent animo, nec judicii sui hic satis certi essent, valide exhortetur ad tantam salutem, quam Gentes lubenter acceptarent, non negligendam. Succedit scopus *secundarius*; prædicere lætum optatumque successum Vocationis Gentium, venusto emblemate expositum.

Scena quomodo instructa sit? III. *Scena* hujus Sermonis à Doctis quibusdam Viris in hunc modum instructa supponitur, ut loquentes, qui in hac *Sectione* introducuntur, quater varient; videlicet, ut prima oratio sit *Filii* Messiæ; (℣. 1. 2.) altera Dei *Patris*; (℣. 3--5.) tertia, interloquutoria *Prophetæ*; (℣. 6. 7.) quarta denique rursus *Dei Patris*, à ℣. 8. ad *finem*. Non nego hic, orationem quæ Patri tribuitur in hac *Analysi*: ejus Personæ convenire: ut neque, eam quæ Prophetæ sive rectius *Choro Prophetico* vindicatur, huic *Subjecto* recte aptari: sed cum oratio *Patris* ℣. 3. idem plane officium exigat, quod expressum erat oratione quæ *Filio* adjudicatur; existimem secundum hanc hypothesin rectius fieri, ut Oratio tota censeatur esse Dei *Patris*, de quo in loco distinctius monebo: quando duæ hic Personæ loquentes introducerentur, *Deus* Pater, & *Chorus Propheticus*. Sed styli Prophetici gnarus mihi, ut opinor, consentiet, *totam* hanc *Sectionem* optime ac verissime referri ad *Chorum Propheticum*, qui per majorem orationis partem *Deum loquentem* infert; ubi semper subintelligendum est, illud solenne, נאם יהוה AIT JEHOVA: licet ea formula ubique non adscribatur. quæ formula hic habetur ℣. 8. Sic pariter incipit *sequens* Sectio: SIC DICIT JEHOVA. Res tamen fateor, eodem fere recidit: attamen nostra hæc hypothesis faciliorem præstat *analysin*, & est simplicior. Figitur autem Scena in initiis *temporis* Gratiæ, sive Regni Messiæ, ut Intt. passim consentiunt, & ex interpretatione liquebit.

Occasio editæ hujus prophetiæ. IV. *Occasio* hujus Orationis quærenda est in Statu temporis & rerum cujus attributa in hoc *Sermone* Prophetico declarantur: *cohæret* autem cum *Sectione secunda*, sive cum Cap. LIII. Cum enim in illa *Sectione Obedientia* Messiæ *sanguinea* descripta esset ut caussa justitiæ Judæorum & Gentium quotquot in ipsum *crederent*: comparet hic Deus Pater, fructus Obedientiæ Christi Jesu ad perfectam consolationem, lætitiam, salutem, omnibus Populis, & hominibus, tanti boni desiderio affectis, offerens, & imprimis Judæos de officio suo convincens, ne *Gentibus* in *Regno cœlorum* postponerentur; quod illi nunquam futurum opinabantur: alia de viis Dei *cogitantes*, ac Deus *ipse*. Si vero mecum supponas, priorem alloquii partem potissimum dirigi ad *Gentes:* (quod certo teneo:) simul videris, Gentes commodissime invitari ad communionem salutis à Christo Jesu impetratæ, de quarum accessione ad Ecclesiam actum erat in *initio* Capitis *superioris*.

V. *Analysis* præstat orationem bimembrem.

Analysis ejus.

α. GENERATIM omnes invitantur Populi, hominesque absque discrimine omnes, veræ Religionis ac Salutis cupidi, ad gratuitam communionem Beneficiorum Gratiæ, à Messia impetratorum, ℣. 1. 2.

β. SPECIATIM appellantur Judæi, & tardiores inter ipsos, βραδεῖς τῇ καρδίᾳ, quos Chorus Propheticus, verbis Dei,

a. Exhortatur ad FIDEM; ratione petita,

(*a.*) A præstantia *Regni Dei*, ejusque privilegiis, quæ iis promittit, ℣. 3.

(*b.*) Ab exemplo & æmulatione *Gentium*, earumque *adjunctione* ad Ecclesiam,

Quibus Deus Messiam ut Doctorem destinaverat, ℣. 4.

Quæque Eundem gratæ ac lubentes acceptarent, ad *magnum* Ecclesiæ *decus*, ℣. 5.

b. RESIPISCENTIAM à vitiis & peccatis; facta omnibus ita affectis certa veniæ spe, ℣. 6. 7.

c. Occurrit dubio, quod fovebat præjudicium Gentis Judææ; videlicet, nunquam fore, ut Gentes obtineant illum locum in Regno Dei, quem putabant sibi deberi. Quare

(*a.*) Extollit & illustrat *Altitudinem Divini Consilii*, quo providerat, ne per incredulitatem Judææ Gentis Messias careret fructu suæ obedientiæ, quippe Verbum Evangelii ex Voluntate Divina luculentum profectum faceret inter Gentes, ℣. 8--11.

(*b.*) Enarrat *exequutionem* illius consilii, plaudentibus Gentibus, cum insignibus effectis illius Gratiæ inter ipsas, ℣. 12. 13.

PARS PRIOR hujus *Sectionis*, complexa *Exhortationem Generalem* ad omnes in universum directam homines, salutis suæ cupidos, qua invitantur ad communionem *Bonorum Gratiæ*.

Articulus primus. *Exhortativus.*

PARS PRIOR hujus Sectionis, *Generalem* complexa Exhortationem ad Communionem Bonorum Gratiæ.

℣. 1. *Heus!* SITIENTES OMNES (Heb. *omne sitiens*,) *venite ad* AQUAS; *&* QUIBUS NULLA EST PECUNIA, *venite, emite, & comedite; & venite, emite,* ABSQUE PECUNIA *&* ABSQUE PRETIO, VINUM *&* LAC.] Consentiunt passim qui hanc prophetiam tractant, convenire eam initiis Oeconomiæ Novæ; in cujus temporis attributis describendis Propheta hactus versatur: tum quoque, hac præsertim pericopa, sive Judæos, sive Gentes, sive utrosque junctim, invitari ad illorum Bonorum communionem. Judæi ipsi hæc verba referunt ad initia temporis sui Messiæ, suntque hic diserti ac luculenti Aben-Ezra, Kimchius, Abarbenel. Dissentit Grotius, sed suo periculo: de quo mox. Solummodo videndum, quomodo schema hic instruatur. Pauci Intt. de eo hic soliciti sunt; & potest verborum interpretatio sibi absque eo constare. Sanctius tamen hic exercens ingenium, *superiori Capite*, ait, Deum construxisse *Domum splendidam & lautam, quæ fideles exciperet, & in qua habitarent:* nunc vero alia

Articulus primus. ℣. 1. *Heus omnes sitientes, &c.* Commun sensus Intt Prophetiam hanc conv nire tempo Messiæ; & Judæorum quoque. De schema Prophetiæ sensus Intt

[a] ℣. 8--11. [b] ℣. 12, 13.

Sanctii sententia.

alia metaphora ostendere, quam bene *illa Domus instructa sit*; exhibere *mensam* paratumque *convivium*, quo *esurientes* ac *sitientes* refici queant. Considerantem hoc σχῆμα ad primam speciem delectat; & tamen fictum est totum. Quod enim ad priorem ejus partem attinet: jam demonstravi, in *Capite superiori* non agi de *Domo*, sed de *Civitate*. Quod vero ad hanc *Pericopam*; nullum hic instruitur *Epulum*, cum utique illi qui hic appellantur, invitentur non ad accumbendum in *Epulo*, sed ad *emendum* edulia palato grata. Invitati etiam ad Epulum, non invitantur ad *aquas*. Ergo gemina scena hic metaphorice instruitur. Primum σχῆμα est *Fontis* aquæ vivæ & salubris in terra siticulosa aperti, ad cujus *aquas* sitientes omnes appellantur: alterum est *tabernæ* vel *Fori*, in publicum usum constituti, & aperti in gratiam *esurientium*, in quo omne genus edulii, necessarii & delectabilis, vænum exponitur, ad quod publica voce invitantur ut quisque ex eo conducibilia & palato placitura, sibi pro voluntate comparet. Hæc vera hypothesis est prophetiæ, in qua loquentem facimus *Deum Patrem*, α. Quia ejus est oratio in ℣. 3--5. ut ex characteribus, qui ibidem occurrunt, facile demonstratur. β. Quia Patri maxime convenit *Christum Jesum* ejusque *justitiam*, cum *bonis consequentibus*, homini peccatori offerre. Et tamen nemo negat, eundem esse actum *Filii*, homines vocantis, ut *ad se* & *per se* veniant *ad Patrem*; & Spiritus S. per Præcones Verbi Gratiæ hanc vocationem instituentis. Nemo hic errat, ut ut *Personam* loquentem interpretatus fuerit. Sufficit, & constat esse *Divinam*, quam *Chorus Propheticus* hic loqui facit, ipsius Dei verba referens. Dirigit autem orationem ad *personas*, quas à certa *qualitate* sua appellat, *sitientes* & *esurientes*. posterior *qualitas* directe non exprimitur; sed *oblique*. Personæ enim, ad quas oratio vertitur, non tantum ad *bibendum*, sed & *edendum* invitantur. Quales sint, mox patefiet. Statutum enim est memorabilia hæc verba singula relegere.

Quæ repellitur.

Verum σχῆμα proponitur.

Oratio personæ Divinæ, hic loquentis est Dei Patris.

Personæ ad quas sermo vertitur, *esurientes* & *sitientes*.

Verba relegantur. Animadversio ad voculam הן.

Usus ejus hoc loco.

HEUS.] Heb. הן, respondens Latinæ *hui*, Græcæ ὦ, cum alibi sit *exprobantis*, *minitantis*, *execrantis*, hic loci est *exclamantis* & *excitantis*, ut in pauculis locis aliis [a], aptissime huic orationi præfigitur. Est enim oratio ἐγκελευστική, qua *sitientes* omnes non tantum vocantur, sed & *convocantur* ad unum salutarem fontem, qui largam & copiosam profundit aquam: metaphora sumpta ab his qui in siticuloso Deserto fatiscentes, reperto fonte bonæ aquæ, voce sonora ad illius usum, omnibus in propatulo expositum, participandum invitantur.

Omne sitiens venite ad aquas. Aqua hic mystice sumenda; ut & sitis.

Quid aqua latissime sumpta mystice significet?

Quid hoc loco?

Omnes SITIENTES *venite ad* AQUAS.] Heb. *Omne sitiens. Aquas* hic mystice sumendas esse, nemo negat: quod ipsum hic definit significationem vocis *sitis*. *Aquæ* autem quatenus potantur ad *sedandam sitim*, in universum id omne significant, quod indigentiæ peccatoris & justo atque ardenti desiderio ejus satisfacit ad animæ fatiscentis veram & vividam consolationem, ejusque cætera moriturae vivificationem: quo sensu per *aquas* hic intelligitur *Beneficium* ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν REMISSIONIS PECCATORUM, cum omnibus suis *Consequentibus*, involutum *Doctrina Evangelii*; sive GRATIA CHRISTI JESU, homini peccatori Verbo Evangelii oblata, & per fidem illius Verbi recepta, vel recipienda, quæ gratia in ipso ex siti morituro est principium novæ & æternæ vitæ. Id ipsum est quod Vates supra appellaverat FONTES SALUTIS [b]; *scaturigines aquarum*, ad quas *ducendi* erant electi [c]. Hæ sunt *aquæ vivæ*, quas Zacharias docet *promanaturas* esse *Hierosolyma* [d]; in Viso mystice exhibitæ Ezechieli [e]. Quid quærimus? Nonne Spiritus ipse hoc loco sua verba interpretatur in *Apocalypsi* [f]: *Et qui sitit veniat, & qui vult accipiat* AQUAM VITÆ *gratis*. Est donum gratuitæ justificationis in sanguine Christi homini peccatori oblatum Verbo Gratiæ: sive GRATIA JESU CHRISTI, quæ utrumque involvit, cum omnibus suis effectis & consequentibus. Dominus Jesus ipse JUSTITIAM vocat [g]. Hebræi partem ejus viderunt: intelligunt *Doctrinam* & *Sapientiam* veræ Religionis. Sic cum Aben-Ezra, Kimchius, & ante eos Paraphrastes; estque interpretatio Veterum. Ubi anima peccatoris valide affecta sensu suæ miseriæ, anhela laborat sub pondere suorum peccatorum, *unum* & unicum est *Verbum* in Mundo, eam reficere & exhilarare & in integrum restituere aptum; *Confide fili, remissa sunt tibi peccata* [h]. Divina communio in *gratia*, cum illius *gratiæ* persuasione & sensu, est objectum ardentissimi desiderii peccatoris [i]. Dixi jam, & quisque per se facile intelligat, quænam hic sit *sitis* mystica. Videlicet, α. Indigentia & carentia hujus gratiæ. β. Illius & miseriæ suæ ob illam carentiam acutissimus ac molestus sensus. γ. Flagrantissimum illius unius Boni desiderium. Ut enim qui sitit, tantum petit *aquam*; siquidem *aqua* unicum medium est restinguendæ sitis: cætera omnia præ aqua negligit: sic affectus est homo in statu spirituali, ut hoc unum bonum quærat, circumspiciat, & ardentissime sectetur. *Venire* ad has *aquas* est primus actus hominis, quo postquam per *Vocationem Evangelicam* intellexerit, esse Verbum aliquod in Mundo, *Deserto siticuloso*, quo peccatori misero spes sit gratiæ & Vitæ æternæ, se applicat ad Verbum illud cognoscendum, & illius explorandam certitudinem: de qua postquam persuasus fuerit, *bibit de his aquis*, h. e. per veram fidem se *unit* Christo Jesu, fonti gratiæ, eamque *gratiam*, sibi per fidem vindicat, ac *suam* facit, ad veram animi sui consolationem, refectionem, vivificationem, & lætitiam. quod Vates hic non addit, quia per se intelligitur. Quæris, quinam *sitientes* hic directe compellentur, *Judæi*, an *Gentes*? Equidem Judæi, qui in sua Gente nullos *sitientes* agnoscunt, hic intelligunt GENTES, quas ajunt sub Messia invitandas esse ad Doctrinam veræ Religionis à Judæis discendam. Nos vero easdem non excludimus; attamen directius eas intelligimus in *membro sequenti*. Atqui Gentes, ais, nullum habuerunt indigentiæ suæ spiritualis sensum ante vulgatum Verbum Evangelii. Respondeo, α. Si vox *sitientes* referatur ad Gentes: præcipue spectari earum *indigentiam*, ut Cap. XLIV. 3. β. Nego, omnes Gentes sic fuisse affectas. Habuerunt in Gentibus multi sensum falsitatis suæ Religionis; vagum sensum suæ miseriæ; & desiderium vagum purioris Religionis, quæ eos Deo vero in gratia uniret. absque quo fuisset, nunquam Evangelium tantum facere potuisset profectum. Est enim illud in his principiis fundatum. Sic Apostolus [k]: Οἱ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσι. GRÆCI SAPIENTIAM QUÆRUNT. Imo, inquam, διψῶσι SITIUNT, quomodo Ælianus hac voce utitur, in illustri exemplo Diogenis flagranti desiderio audientis Antisthenem [l]. Sed lubens largior, *sitim* hanc *Justitiæ* Christi, & ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, in majore emphasi convenisse Judæis, ardenter exspectantibus *Messiam*, ut auctorem & diribitorem *gratiæ* Cœlestis; quos Dominus hoc charactere signat [m]. Erant illi gravati onere Legis; experiebantur illius inanitatem & impotentiam; anhelabant ad *puram* & *meram gratiam*, libertatem, lætitiam, πληροφορίαν ἐλπίδος, quæ intellexerant distribuenda esse *Bona* sub Regno Messiæ. His itaque ostenditur fons, huc usque clausus nunc reclusus. His dictis, non necesse habeo attingere παρερμηνείαν Veterum, qui sub *aquis* hic cogitarunt de *aqua Baptismali*, cum tamen in Baptismo *aqua* non adhibeatur ad *potum*; sed ad *ablutionem*. Nec est quoque hæc *aqua* confundenda cum *aqua pluvia*, Cap. XLIV. 3. quæ notat dona Spiritus S. Emblemata prudenter tractanda sunt; etsi inter res spirituales magna intercedat cognatio. Grotium qui hic cogitat de *doctrina Jeremiæ*, ad quam invitentur Gentes, suo relinquo loco. Quid habet tandem doctrina Jeremiæ Jesaiana excellentius? Cur Jesaias potius Jeremiam quam se commendet? Jesaias, inquam, qui Gentium conversionem

Quid sub ea intelligant?

Quare *aqua* dicatur?

Sitis mystica explicatur.

Quid sit *venire* ad has *aquas*?

Quid *bibere*?

Quales *sitientes* hic intelligantur *Judæi* an *Gentes*? Judæorum sententia.

Quo sensu *Gentes* hic intelligi queant?

Quo sensu *Judæi* sitis conveniat?

Vet. Interp. cogitata h. e. de *aqua baptismali*.

Grotii, de *doctrina Jeremiæ*.

a Zach. II. 6. b Cap. XII. 13. c Cap. XLIX. 10. d Zach. XIV. 8. e Cap. XLVII. 1. seqq. f Apoc. XXII. 17. g Matth. V. 6. h Matth. IX. 2. i Ps. XLII. 1. k 1 Cor. I. 22. l Var. Hist. Lib. X. Cap. XVI. m Matth. V. 6.

ubique prædicit? Nihil ajo; sit venia dicto, frigidius.

Et quibus nullum est argentum, venite & emite.

Et quibus NULLUM EST ARGENTUM, *venite, emite, & vescimini; quin venite, emite, absque argento & absque pretio, vinum & lac.*] Quam divinè & evangelice! Agnoscis non tantum præclaram sententiam his verbis propositam; sed venustatem quoque ejus proponendæ plane singularem. Primo illud paradoxum, *Quibus nullum est argentum, emite.* utique enim *emptio* non fit *absque pretio.* Quare Vates ne id frustra dixisse videretur, *emptionem* illam de qua loquitur omnino instituendam esse ait *absque pretio.* Cogites itaque forte, res quæ vænum exponuntur, tam esse *viles*, ut absque pretio persoluto facile donari queant petentibus. Quare protinus subjicit, esse res delectabiles & ad usum sive commodissimas, sive aptissimas, quibus *pretium* suum ubivis locorum constat, nempe *vinum & lac.* Sic ubique Propheta suam orationem arte temperat; ut nihil nisi ingeniose & sapienter efferat, & oratio continua gradatione altius exsurgat. Videamus sensum spiritualem, ex solo Evangelii Verbo illustrandum. Hi *quibus nullum est argentum*, in statu spirituali sunt homines, α. qui nulla habent *merita*, per quæ se Deo commendent; nullam ex se *justitiam:* ex & per se non digni qui ad Divinam communionem in gratia admittantur. β. Qui illius suæ indignitatis & paupertatis sibi sunt conscii. sunt enim *pauperes*, qui se jactant esse *divites* [a]. Supponitur, neminem admitti ad communionem gratiæ nisi *egenum*, suæque *inopiæ & impotentiæ* conscium. Sic Dominus Jesus [b]: *Non veni vocatum justos, sed* PECCATORES *ad resipiscentiam.* h. e. qui affecti sunt conscientia suæ ob peccatum τῆς παλαιωρίας *miseriæ*, ac propterea ad gratiam anhelantes. Occurrunt autem illi hic sub emblemate *esurientium*, aut *fatiscentium*, languentium; etsi notio ipsa hic non exprimatur, sed quæ facile ex schemate orationis colligitur. *Edulia* enim comparantur levandæ *famis* caussa. Hi tamen jubentur *venire, emere, edere.* Supponitur *taberna* aperta, *forum* instructum, aut *mensa parata*, in qua venum expositæ sunt levandæ fami necessaria; qualis mensa instruitur in *communione Ecclesiæ* per prædicationem publicam Verbi Gratiæ. Est enim in Verbo Dei *Vocatio* hominum ad Dei communionem; & *Declaratio Bonorum & Donorum* quæ Deus homini peccatori credenti præstat in Communione Christi Jesu. Hæc *Bona* omnia hic veniunt mutato emblemate, nomine *vini & lactis.* VINI quidem cum respectu ad *Vitam & Lætitiam* æternam, fructum Obedientiæ Christi Jesu, cujus principia peccatori credenti infunduntur medio *Doctrinæ* Evangelicæ per Spiritum S. [c] Sic Vates supra de Redemptis: *Et* LÆTITIA ÆTERNA *erit super caput ipsorum.* LACTIS cum respectu ad *nutritionem* Vitæ spiritualis, & æternæ, in homine per gratiam Spiritus S. regenerantem productæ, efficiendam per *medium* simplex, purum, delectabile, statui spirituali congruentissimum; & à novo homine naturali desiderio ardenter expetitum. quod medium est ipsum *Verbum gratiæ*, sive *Evangelii* Filii Dei [d]. VINUM mystice sumptum est Caussa *Lætitiæ spiritualis*, in æternum duraturæ. alia enim attributa *Vini* hic non respiciuntur; etsi aliis in locis usum habeant. Caussa autem Lætitiæ spiritualis & æternæ, quæ ipsa est *Vita æterna*, primo respectu est *Obedientia* Christi Jesu: secundario, *fructus* illius Obedientiæ, Beneficium *Remissionis Peccatorum*, ejusque consequentium, & *Donum* Spiritus Sancti hominem *lætificantis* ex conscientia Remissionis Peccatorum, & ex *spe* viva Vitæ æternæ, cujus sensum in credentibus excitat [e]. Prior respectus præcipue obtinet in *Cœna Dominica*; in qua caussa æternæ Vitæ & lætitiæ sub symbolica imagine *Vini* proponitur: posterior in hoc loco. Sed sunt illa tam arcto nexu inter se conjuncta, ut divelli ab invicem nequeant. LAC pariter hic est *nutrimentum* omne Vitæ spiritualis, simplex, purum, castum, dulce, ἄμωμον, statui spirituali congruens. *Nutrimenti* autem nomine Scriptura S. non tantum intelligit *media* quæ *vitam nutriunt*, sed & quæ *vitam* dant; cum nemo absque nutrimento vitam sustinere possit; ut *panis* in Oratione Domini est *caussa vitæ. Panis*, ait [f], *ille est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Ergo *Nutrimentum* illud hoc loco, sunt. α. Doctrina Evangelii, casta, pura, *rationalis*, h. e. spiritualis, complexa Verbum sapientiæ, institutionis, consolationis, præcepti, omni statui hominis spiritualis conveniens ad spirituale incrementum. β. Consolationes Spiritus S. blandæ, palatum spirituale mulcentes; hominem spirituallem in adversis hujus vitæ sustinentes; & animum ei ac vires addentes in cursu suo consummando. Veniunt illæ nomine *consolationis Sp. S. & consolationis quæ est in Christo* [h]. *consolationis æternæ* [i]. His autem inter se junctis ut homo in statu Naturæ destituitur; iisque tamen ad vitam & consolationem indiget: sic faciunt justum hujus objecti desiderium; quæ indigentia, quodque desiderium nomine *famis* in Sacris veniunt; stylo Sanctæ Scripturæ usu recepto [k]. Horum jam esurientium actus & officia sunt, *Venire, emere, vesci.* qui omnes recte ad *fidem* referuntur. Primum, fidei antecedaneum, modo exposuimus. Alter est, *emere*, sed *absque argento & absque pretio.* potest enim *emptio* quoque institui ex commutatione mercium, quæ pretio æquivalent. Vates, sive Deus per ipsum loquens, omne *pretii* genus excludit. Est in phrasi ὀξύμωρον. *Emere absque argento*, spirituali sensu, notat *præstare conditionem*, sed quæ non habet rationem *meriti*, qualis conditio est *fides* cum *abnegatione sui ipsius.* Deus vult homini, ex se nulla merita adferenti, ex mera liberalitate dono dare beneficia gratiæ, à Christo Jesu impetrata, *Justitiam & Vitam.* nec tamen absque conditione: quæ conditio est *fides*, qua quis cum abnegatione suorum meritorum gratiam Dei in Christo à Deo humiliter petit. qui actus quia *conditio* intervenit, dicitur *emptio*; & tamen quia conditio, ut ex ejus natura liquet, non est *opus meritorium*; imo quia ipse actus *fidei*, licet sit intensissimus, tamen non est *opus molestum*, aut *sumptuosum: emptio* illa dicitur fieri *absque argento & pretio*, ut laus solidæ gratiæ Deo reservetur. Sic Apostolus [l]: Δωρεὰν δικαιούμενοι &, Ὁ θέλων λαμβανέτω τὸ ὕδωρ ζωῆς δωρεάν [m]. Idem sonat, quod Dominus Ecclesiæ Laodicenæ, quam ut egenam, inopem, miserabilem descripserat, consilium dat à se *emendi aurum igni exploratum* [n]. Egena, inops, misera, quid *emat?* quid emat *aurum*, rem omnium pretiosissimam? imo quid emat *aurum*, cum emptio instituatur *argento & auro?* Sic ludit Spiritus, sub paradoxis locutionibus maximi momenti condens doctrinas. Et tamen è contrario rursus negotiator Evangelicus dicitur *omnia sua vendere*, ut sibi comparet illam *margaritam* [o]. Videtur *pretium* offerre pro *margarita*, veritate summi ad salutem momenti, aut communione puræ Ecclesiæ, Negotiator; & tamen idem sensus qui hujus loci. Non est vera *emptio*, sed *emptionis* species. *Vendere omnia quæ quis habet*, est *se ipsum abnegare.* Tertium est, *Edere vinum & lac*, est beneficia illa gratiæ sub conditione abnegationis sui ipsius & veræ fidei ac resipiscentiæ sibi per veram fidem & exercitationem veræ fidei applicare ad vitam, lætitiam, & salutem. in quo nulla difficultas, nisi forte in eo hæreas quod *vinum* hic *edi* dicatur æque ac *lac.* Hæserunt hic quod nollem, Doctissimi Viri. Sed ne nunc dicam, Vocem שכר Hebræis communi significatione idem valere quod *consumere: vinum* cum *lacte* non refertur ad *potum* hoc in loco quia non bibitur ad restinguendam *sitim*, quod proprium *aquæ.* cæteroquin Apostolus *lac* quoque ad genus *potus* refert [p]. Imo vero *vinum* æque ac *cibus nutrit.*

Affectio sententiæ θεοδοξία ejus, sive ἐξύμωρον.

Quinam mystice *nullum* dicantur *habere argentum?*

Idem tamen *esurientes.*

Qui, jubentur *venire, emere, edere*, veluti in *Foro* vel *taberna*, ubi omnia parata sunt. Quid id mystice significet?

Quid LAC?

Et *vinum?*

De *lætitia spirituali* credentium, ejusque caussis.

De *lacte spirituali*, tanquam *nutrimento.* Quodnam sit verum *nutrimentum* hominis in statu gratiæ?

Fames mystice sic dicta.

Venire, emere, edere, actus fidei distincti.

Emere absque argento, quid?

Conditio, qua Deus homini salutem offert, non est *meritoria.*

Mysticarum locutionum varietas.

Esus mysticus.

---

a Apoc. III. 17. b Matth. IX. 13. c Cap. XXXV. 10. d 1 Pet. II. 2. e 1 Pet. I. 3. 6. 8. f Joh. VI. 33. g Act. IX. 31. h Phil. II. 1. i 2 Thess. II. 16. k Confer Cap. XLIX. 10. Amos. VIII. 11. Matth. V. 6. Luc. I. 53. l Rom. III. 24. m Apoc. XXII. 17. n Apoc. III. 18. o Matth. XIII. 46. p 1 Cor. III. 2.

Quo sensu *vinum* dici queat *edit*?

nutrit. Ὁ μέλας οἶνος ἐστὶν εὐστυπώτατος· *Vinum nigrum maxime nutrit*, est Mnesithei Athenienſis dictum apud Athenæum *a*. Sed & in ſuperioribus *Vinum Prumnium* dixerat πολύτροφον, *plurimum* ALERE *b*. Aben-Ezra plane ad rem: שניהם הם כמו מאכל ומשתה וכן יורו חכמי הרפואות *Duo illa* (VINUM & LAC) *ſe habent ut cibus & potus*; (utrique uſui inſerviunt:) *id quod confitentur Medicæ ſcientiæ periti.* Nihil fruſtra ſcripſit Vates: nihil non docte. Cæterum ex hoc attributo nihil colligas de ſpecie *Subjecti*. Conditio enim Judæis ac Gentibus communis eſt. Sed ſequens articulus nobis de ea ſpecialiorem præbet cogitandi occaſionem.

Articulus alter: *Convictorius.*

Articulus alter, *Convictorius*, ℣. 2. *Quare penditis argentum*, & ſeqq. Quomodo *Convictio* cum ſuperiore Exhortatione cohæreat?

℣. 2. *Quare penditis argentum pro eo quod eſt* NON-PANIS; *& laborem veſtrum pro eo quod* SATURARE NEQUIT, &c.] Exhortationem, ut vides, ſequitur *Convictio*; ipſa quoque ad gradationem ſententiæ, in *ſuperiore commate* obſervatam, faciens. Excipi enim poterat ab eſurientibus ac ſitientibus; non eſſe opus ad Deum, (ut ſe in Chriſto Jeſu revelavit & peccatori in gratia occurrit, accedere,) ut ex ejus taberna vel foro petantur edulia; in ejus Schola diſcatur vera Sapientia; ab ipſo petatur juſtitia, ſalus, vita, conſequentia veræ Religionis: utique enim poſſe ſe domi, in Religione Patria, habere quod ipſis per Præcones Evangelii, Dei nomine, offertur. Huic dubio Spiritus in hoc Elencho occurrit, docens, *α.* Nullam aliam Religionem habere quod vera præſtat. *β.* Omnes Religiones Gentium abſolvi ritibus operoſis & ſumptuoſis: veram autem, quam Præcones Evangelii Dei nomine ſuadent, nulla opera commendare operoſa; ſed ſolam *fidem* quæ inter opera non reputetur. Huc tendit convictio ordine tractanda: tum reſpectu *materiæ* ejus; tum *modi propoſitionis*. In materia ejus, *pendere pecuniam pro non-pane*; & *laborem moleſtum pro eo quod pote non eſt ſaturare*: rurſus obſervare eſt ſcanſionem, ſecundum quam majus quid & ſonantius dici videtur in *membro poſteriori*, quàm in *priori*. Eſt enim ſpecies edulii, ad ſaturandum non inepta, quæ tamen *non* ſit *panis*; eſt etiam gravius quid *labore* ſibi comparare, quam *argento*. Cætera in phraſi Hebræa nulla hæret difficultas. *Non-panis*, ſtylo Hebræo, ſignificat *α.* Id quod non habet attributa panis, ſive veri ſive myſtice ſic dicti. *β.* Quod attributa habet plane contraria. quod nihil minus eſt quam panis. quod nihil cum pane commune habet. pariter *id quod ſaturare nequit*, eſt in quo *nulla plane ſaturandi vis eſt*; imo quod contra ad famelicum ſaturandum eſt ineptiſſimum, famemque magis incendit quam levat. ut vidimus in phraſibus, *Non-lignum*; *non-Deus*; *non-Spiritus*: de quibus ſuo loco *c*. *Panis* pro ſua natura duplex eſt aſpectus in locutionibus myſticis: vel enim notat qualecunque *bonum* quod naturaliter expetitum aptum eſt ſatiare deſiderium hominis: vel *medium cauſſale*, verum, proprium, ſufficiens, idoneum, obtinendæ *Vitæ æternæ*, cujus notio eſt in ſenſu conſcientiæ cujuſque hominis. *Non-panis* proinde dicitur id in quo nihil ſolidum eſt quod animum paſcat, & deſiderio ejus ſatisfaciat. Quod idem dicitur *res non apta ſaturare*: ut ſi qua parte expleat deſiderium juſtamque animi cupiditatem: non tamen illud plane ſaturet. Si rem univerſe ſpectes: omnia qualiacunque *bona*, quæ homines mundani ſummo ſtudio ſectantur, veluti ſunt honores, divitiæ, cupidines carnales, luxus, delectamenta vitæ, fama & exiſtimatio qualiumcunque dotium, & his ſimilia; quæque bona ipſi vel ut *ſummum bonum*, vel ut ſummi boni obtinendi *media*, reſpiciunt; hoc nomine appellari poſſunt. Cum enim apud homines omnes vagum ſit deſiderium *ſummi boni*; licet in ſpecie *ſummi boni* definienda errent: quicquid judicium, ſæpe hac parte corruptiſſimum, homini offert ſub imagine *ſummi boni*, obtinet nomen *panis*. Sed etſi hæc ita ſe habeant: non putem, Prophetam eo reſpicere. Nemo Gentilium, ne Epicurus quidem, ita ineptiit, ut in immoderato uſu voluptatum & honorum hujus vitæ conſtituerit ſummum bonum. Inconſiderati & brutini vulgi hic potuit eſſe ſenſus; licet pauci etiam de vulgo homines uſque eo excæcati ſint judicio, ut in ſtudio & fruitione rerum carnalium non afficiantur à morſibus conſcientiæ. tantum enim abeſt, ut hæ res ſatisfaciant vero ac rationali deſiderio, ut contra cauſſentur malam conſcientiam, & fruitio harum rerum poſt ſe relinquat ſenſum vanitatis & triſtitiæ. Propheta per *panem* hic in emphaſi intellexit *Bonum* quod *rationaliter* expetitur, quodque ab homine reſpicitur, ut *medium* obtinendæ *vitæ* & *felicitatis æternæ*, cujus deſiderium conſcientia omnibus mortalibus inſtinxit. Sive jam ſit RELIGIO IPSA in omni ſuo complexu ſumpta, ſpectata ut *medium* obtinendæ communionis Dei in gratia, ejuſque impetrandi favoris ad veram felicitatem: ſive Doctrina *Sapientiæ*, ex principiis Conſcientiæ aut Revelationis hauſta; qua de *Deo* & *homine*, & utriuſque ὀχέσει neceſſaria cognitu traduntur, ad obtinendam ſpem æternæ vitæ; cujuſmodi *Doctrinam* Jeremias בר *frumentum*, purum & ſolidum, vocat Cap. XXIII. 28. Confer Prov. IX. 5. Amoſ. VIII. 11. & adhuc μυςικωτέρῳ ſenſu, ipſe *Filius Dei*, medio obedientiæ ſuæ factus *cauſſa* ſive medium *cauſſale* ſalutis. Dominus Jeſus de ſe Joh. VI. 48. *Ego ſum* PANIS *ille* VITÆ. Sed ipſe Chriſtus Jeſus doctrina veræ Religionis ut *panis* proponitur, atque adeo ea involvitur; & *vera Religio* ejuſdem Religionis *doctrina* nititur. ut adeo hæc in idea complexa *Panis myſtici* concurrant. Hoc ſummum eſt quo homo *rationalis* tendit. *Vita naturalis* in myſticis ὀχέσιν habet ad *æternam*. Medium ſuſtinendæ Vitæ naturalis, idque verum, proprium, naturale, quale eſt *panis*; eſt *medium* obtinendæ Vitæ æternæ. *Non-panis*, ſive *id quod ſaturare nequit*, eſt id quod publice commendatur ut *medium* obtinendæ *perfectionis Status hominis rationalis*, & quod tamen nihil minus præſtat. Sunt autem duo quæ huc pertinent, inter ſe affinia, *α. Cultus falſarum Religionum.* *β. Studium Philoſophiæ*, ſive *Sapientiæ* qualis in tenebris Mundi excolebatur à Gentilibus. Communis ſenſus homines, vago deſiderio ſummi boni, ſive æternæ ac felicis vitæ affectos, docet, impetrari hoc bonum non poſſe niſi à *Deo*, eoque *propitio*: ejus proin ſectandam eſſe communionem & favorem: viam gratiæ ac favoris obtinendi eſſe Dei *cultum*: hunc eſſe *panem* quo vivitur. unde conſequente mundi ætate, obſcurata & ſenſim extincta Doctrina Patriarchali, tot diverſæ in Mundo *Religiones*, quæ à Gentibus impenſiſſimo ſtudio colebantur. Sed cum ſapientiores perſpicerent, *Religiones* illas nulla niti certa revelatione, ſed humani ingenii aſtutia fictas eſſe & foveri; imo vero ſanæ rationi è directo contrarias: applicuerunt ſe tandem ad excolendam rationem; Ægyptii, Chaldæi, Perſæ, Indi, Seres, eoſque imitati Græci, circa initia Imperii Perſici: unde varia diſciplinarum & doctrinarum ſyſtemata, palam laudata tanquam quæ continerent *ſolidum* quid, aptum pro deſiderio *ſapientiæ veræ*, omni non ſordidi ingenii homini inſtincto, paſcere animum, & tranquillare conſcientiam. Kimchius hoc loco, Aben-Ezram ſequutus, ea in univerſum vocat חכמות נכריות *Diſciplinas ſcientiæ exoticas*. Pro his itaque ſibi comparandis Gentes expendebant *argentum*, & *laborem*. hoc eſt, res quas in vita cariſſimas habebant, impendebant cultui Religionis, ut apud ſe celebrabatur; vireſque ac facultates ſuas omnes cum neceſſaria exercitatione & moleſta occupatione ſummo ſtudio inſumebant uſui ac peritiæ *Diſciplinarum*, in quibus verſabantur, ſibi comparandæ: quomodo Vates uſus eſt hac notione יגיעה *laboris* & *exercitationis* moleſtæ, in prophetia adverſus Babylonios *d*. Duo hic occurrebant *argentum* & *labor*: ubi licet *argentum* myſtice ſignificet quicquid per ſe pretioſum & nobis carum impenditur rei alicui, in quam *deſiderio* ferimur, comparandæ; Vates tamen vocem hic aptiſſime adhibuit.

Pendere argentum pro *Non-pane*, &c.

Scanſio orationis.

Quid hic *Non-panis*?

Panis in myſticis duplex aſpectus.

Et *res non apta ſaturare*?

Res latine ex principiis ſuis exponitur.

Gentilium de vero hominis bono ſenſus.

Analogia inter *Vitam* ſpiritualem ac æternam, & utriuſque *media*.

Quid cenſeatur hominem *ſaturare* poſſe, ſenſu myſtico?

Quænam hic reſpiciantur tanquam myſtice non apta hominem *ſaturare*?

Falſarum in Mundo Religionum origo.

Et Studii Philoſophiæ apud Gentes.

Judæi hic quoque de *Scientiis Exoticis* cogitant.

Emphaticus hic uſus vocis יגיעה *laboris moleſti*.

a Lib. 1, Cap. XXV. *b* Cap. VIII. *c* Cap. X. 15. XXXI. 3. *d* Cap. XLVII. 14.

Religiones Gentium sumptuosæ.

buit. *Religiones* enim Gentium erant sumptuosæ, & *panis* hic caro emebatur. Sacerdotes & Popæ, quibus cura Sacrorum commissa erat, ritibus & cærimoniis, quæ attentissimos ac diligentissimos cultores requirebant, valde erant occupati. Studia quoque Sapientiæ operosissime excolebantur. Cum enim huc usque systemata disciplinarum nulla essent in mundo, quæ veri cupidis satisfacerent; quisque in id erat intentus, ut omnem adhiberet operam, laborem, studium, & opes quoque suas, in vero *Systemate* sapientiæ investigando; sive peregrinando ad exteras & sapientia claras Gentes irent, & Sophorum qui in iis erant, explorarent sententiam; sive ipsi magno opere observata facerent, ex quibus novum cuderent syntagma, quod placeret animo. Sed fixæ tandem sunt Philosophorum Sectæ, licet sententiis ab invicem immensum discrepantes, quas sectatores magno studio quique & diligentia operosa colebant ac defendebant. Hoc statu Christus Jesus Gentes vocaturus ad salutem, easdem deprehendit, quas proinde convincit *falsi studii* ac *præjudicii*, sive de *Religionibus* suis sumptuosis, sive de *Studio sapientiæ*, in quod tanto ardore ferebantur. *Quare*, ait, *expenditis argentum?* proprie *penditis*, ex more Veterum [a]; hodienum, post usum argenti signati nondum abolito. Docet, nihil sanæ rationis esse in hoc actu sive contentissimo studio &. labore Gentium. Primo, quod ea Res quam ipsi *panem* esse rebantur, non tantum *non* esset *panis*, verum etiam *Non-panis:* nihil minus quam verum *pabulum* mentis, sapientiæ, solidioris veritatis, cupidæ, aut *medium* obtinendi favoris Dei, & vitæ æternæ: res à pane diversissima, quæ cum vero *pane* nihil commune habeat. *Religiones* enim Gentium passim non modo constabant operosis ritibus, cærimoniis, superstitionibus non sane à Deo institutis, sed à vafris ingeniis dolose fictis; verum etiam multæ earum iis colebantur ritibus, quos ratio abominatur, quosque ut turpissimos, absurdos, impios, ipsa honestas civilis damnat; ut adeo Templa & Εἰδωλεῖα Gentium Scholæ essent impuritatis, libidinis, vitiorum, scelerum. Ne nunc dicam, omnes illas *Religiones* fundatas fuisse in crassissimo ac pœnitendo errore πολυθεΐας, rationi adversissimo. Cum *Studiis Sapientiæ* res fere eodem se modo habuit. Systemata aliqua Sapientiæ usque eo deerrarunt à ratione, ut Principes eorum *lucem* ipsam quæ in se erat, *converterint in tenebras. Vani facti sunt ratiocinationibus suis*, ait Apostolus [b]: *& obtenebratum est insipiens cor ipsorum. quum se jactent* σοφὸς SAPIENTES, *stulti facti sunt.* Si quæ autem fuerint Systemata, quæ de Deo, providentia ejus erga homines, & virtute, aliqua non contemnenda tradiderint ex principiis rationis hausta, veluti Zoroastris apud Persas; & Pythagoræ, Socratis, Platonis, Aristotelis, Zenonis, apud Græcos: ejusmodi fuerunt ut vere non fuerint saturando animo solidæ sapientiæ & vitæ æternæ cupido. Vel enim nulla in iis via commendatur obtinendæ justitiæ apud Deum; vel falsa & erronea; per quam miseri magis abducuntur à Deo, quam adducuntur ad Deum. Longum est id enarrare, nec hujus instituti: quin Vitia horum *Systematum* alibi [c] data opera detexi. Alterum quod Propheta hic damnat, ut alienum à ratione, est; illum *Non-panem*, & id *Quod saturando non est animo & conscientiæ*, à sectatoribus Doctrinæ & Religionis spuriæ emi *argento* & *molesto labore.* quod equidem in Paganis erat verissimum. Quicquid apud ipsos carissimum & pretiosissimum habebatur: impendebatur in Religionem, Templa, aras, Deorum aut Dearum simulacra, cultum, festivitatesque cum ingente pompa celebrandas; nec dici sane potest, quam sæpe molestis laboribus & rigidissimis disciplinæ Legibus se addixerint, qui Sapientiam falso sic dictam sectabantur.

Ardor & *labor* Gentium in investiganda Sapientia.

In quo Statu Evangelium *Philosophos* Gentium deprehenderit?

Notio *pendere*, qua Jesaias hic utitur.

Quid doceat Dominus hac *convictione*?

Religiones Gentium magis oberant *saluti* quam proderant?

Perinde ac varia Philosophiæ Systemata.

Sapientia Gentium non fuit apta saturare animam famelicam.

Et tamen Pagani in ea quæ saturando non erant, impendebant magnum *laborem.*

Vides, ex his quæ dixi, hunc Elenchum directe & ἐμφατικῶς respicere Gentes; quod & Hebræi sentiunt. Nec tamen ejusmodi est, ut excludat Judæos degeneres; quales erant Pharisaicæ disciplinæ studiosi. Omnis illorum Religio vertebatur in Ritibus & cærimoniis Legis Mosaicæ ἀκριβῶς observandis, quos *Ritus* & cærimonias Apostolus vocat ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα *infirma & egena elementa* [d]: qualia vere erant *ex se* inepta ad justitiam & vitam: omnis sapientia, studium, eruditio in vitilitigationibus de sensu & definitionibus præcisis Legum Mosaicarum, quæ de his rebus tractabant; dum τὰ βαρύτερα τῆ νόμε *id quod grave & solidum est* in Doctrina Mosaica negligebant [e]. Ad hos idem pertinet Elenchus. Expendebant enim illi quoque *pecuniam & laborem* suum pro *eo quod non est panis*, nec aptum satiare animum hominis famelici, anhelantis ad Verbum gratiæ. Videamus, quid Os Divinum suadeat rectius & homini misero salubrius.

Oratio præcipue tangit Gentes; & convenit tamen recte quoque Hebræis: quod exponitur.

Auscultate mihi diligenter, (Heb. *audiendo audite*,) *& comedite Bonum, & delicietur in pinguedine anima vestra.*] Ipsa est vox Evangelica quam hic legis, tam Patris, quam summæ Sapientiæ, quæ est os & oraculum Patris, homines per Præcones publicos avocantis à futilibus & vanis Studiis Religionum spuriarum & *Sapientiæ* ψευδωνύμε, ad Religionem veram, puram, spiritualem, in principiis solidæ Sapientiæ fundatam, ejusque *privilegia* & *delicias*, perinde ac Cap. XLV. 22. Prov. IX. 4. Jubet suadetque ad suam vocationem adverti animum, sibique auscultari ad obsequium fidei. Inde enim incipit *conversio*, & opus gratiæ Divinæ in homine. quod sæpe dictum, non repeto, nec explico. Fructus est, *comedere bonum*, & *in pinguedine deliciari* pro omni voluptate & cupiditate rationali *animæ.* Non est, fateor, vox נפש *anima* ex genuina indole suæ significationis, restricta ad *cupiditatem spiritualem.* Notat enim in universum *id quod in nobis concupiscit.* Sed argumentum orationis, quod nemo negat agere de *cibo* & *potu* spirituali, per se exigit, agi hoc loco de *cupiditate spirituali.* Per has itaque *delicias* intelliges lætitiam exuberantem & saturantem, qualis ea est Oeconomiæ gratiæ, quæ percipitur, α. Ex certioratione sive certa persuasione *Justitiæ* Christi Jesu adductæ, & ex possessione & fruitione perfecta omnium beneficiorum gratiæ, ex *Justitia* Christi Jesu *adducta* promanantium. β. Ex certa *spe* vitæ æternæ, illis beneficiis involuta. γ. Ex consolationibus uberrimis, quibus Spiritus S. credentes, in viis Dei ambulantes, & communionem Dei in Christo solicite tuentes, afficit. δ. Ex meditatione *Verbi Divini*, & Sapientiæ Dei hoc thesauro comprehensæ, ad continuum scientiæ sanctificantis incrementum. Beneficia gratiæ, modo quis ea spirituali oculo videat, & ad opima Beneficia Novi Fœderis verum ac spirituale adferat desiderium, hunc præstant effectum. Confer mihi hic loca analoga, in quibus res eadem exprimitur eadem phrasi, Ps. XXXVI. 9. LXV. 5. Jer. XXXI. 14. & quæ ampliſſime de hoc argumento commentatus sum ad Cap. XXV. 6. Equidem σχῆμα hujus orationis non est Epuli: sed res eadem est.

Auscultate mihi diligenter, &c.

Vox est Evangelica.

Comedere bonum, & *deliciari in pinguedine* quid sit?

Usus vocis נפש.

Unde vera lætitia oriatur?

Loca analoga huc facientia.

PARS ALTERA hujus *Sectionis*, *specialis*, complexa Alloquium Dei ad Judæos, in gratia Christi Jesu sibi oblata hæsitantes. Qui Primo excitantur ad FIDEM, argumento sumpto,

α. A *privilegiis Regni Dei.*

PARS ALTERA hujus *Sectionis*: Specialis Appellatio Judæorum.

Primo excitantur ad Fidem: ratione prompta,

α. A Privilegiis Regni

℣. 3. *Inclinate aurem vestram, & venite ad me; auscultate, ut vivat* ANIMA VESTRA; *& pangam vobiscum Fœdus perpetuum*; me daturum vobis, BENEFICENTIAS DAVIDIS PERMANENTES.] Ad primam horum verborum inspectionem non mox patet, appellationem ab Objecto *generali* converti in *speciale*; & hanc pericopam nostram, perinde ac orationem sequentem, ad Judæos restringendam esse. Quin sane si quis omnino statuere velit, Objectum alloquii ad ipsas quoque Gentes hic continuari; nihil hactenus absurdum dicit.

[a] Gen. XXIII. 16. 1 Reg. XX. 39. [b] Rom. I, 21. [c] *Observ. S.* Lib. III. Cap. XII. & seqq. [d] Gal. IV. 9. [e] Matth. XXIII. 2. 3.

Dei, vs. 3: *Inclinate aurem vestram, &c.*

An oratio hic ad idem vertatur Subjectum?

Potest de eodem accipi.

Rectius refertur ad *Judæos.*

Argumenta ejus hypothesios.

Quales Judæos Propheta hic in oculis habeat?

Paraphrasis verborum Prophetæ, *Inclinate aurem vestram.*

Cur, *aurem*: non, *aures*?

Venire ad Patrem. Sensus phrasios.

Verba, *Et vivet*, sive, *ut vivat anima vestra.*

Quid hic per *vitam animæ* intelligatur?

Judæorum animadversio.

dicit. Ipsum enim quoque illud promissum, quod hic consignatur, æque pertinet ad Gentes, ac ad Judæos. Sed si quis id largius fuerit; utique necesse habebit hanc mutationem personæ statuere in *commatibus*, 5. 6. & seqq. ut ipsi quoque faciunt Judæi. Imo vero etsi Gentibus Credentibus non abnuam illud Bonum, quod hic venit nomine *Beneficentiarum Davidis:* non putem tamen, Jesaiam id sub hoc nomine Gentibus propositurum aut promissurum fuisse. Erat enim Davidis, & promissorum ipsi factorum, peculiaris ad Judæam Gentem respectus, quorum implementum Deus Judææ Genti debebat; & Domui Davidis; non vero proprie Gentibus. Ergo patet ex materia hujus alloquii, hic & in *sequente pericopa*, compellari Judæos ipsos, in quorum medio hic *Fons salutis* apertus & hæc *Mensa vanalium rerum*, quæ ad satietatem & delicias facere poterant, proposita erat: sed qui hactenus præjudiciis suis occupati, tardipedes, cunctabundi, licet spe sua in initiis Regni Christi majora viderent, sibi fidem in Christum Jesum ægre patiebantur persuaderi. *Inclinate aurem vestram*, ait, h. e. Vos Judæi, quibus debet esse pudori, Doctrinam Gratiæ & Bona eam comitantia, quæ Gentibus æque ac Vobis oblata, ab iis tanquam famelicis, cupidissime recipientur, Vocationi huic salutari obstrepere; applicate vos diligentius, sepositis præjudiciis, quæ vos occupant, ad doctrinam Regni cœlorum cognoscendam, & phænomena mirabilia, quæ initia Regni Dei inter vos illustrant, prudenti animo consideranda. Sic Vates Sacer ad Ecclesiam è Judæis collectam & colligendam primo tempore gratiæ; & tamen ægre Domum Paternam derelicturam [a]: *Audi, Filia, & vide, &* INCLINA AUREM TUAM, *& obliviscere Populi tui, & Domus Patris tui.* Utrobique est, *aurem tuam*, non *aures:* idque alibi quoque usu venit in hac phrasi; etiam ubi sermo ad plures dirigitur, ut hoc in loco [b]. Ratio prima ex re ipsa petita est. Qui enim se applicant ad sermonem alterius accuratius intelligendum, *aurem*, & præsertim *dextram*, dicenti obvertere solent. Altera est mystica. *Auris dextra*, stylo Scripturæ, est intellectus qui se applicat ad spiritualia percipienda, perinde ac *oculus dexter*, apud Zachariam [c]. quod docui ad verba mystica *Apocalypsios* [d]: *Qui* AURUM *habet ad audiendum, audiat, quid* SPIRITUS *dicat Ecclesiis.* Alterum officium est, *Et venite*, sive, ITE AD ME, scilicet, per Filium meum vobis revelatum, illum recipiendo. Congrua est personæ Patris oratio. Dictum Domini [e]: *Nemo venit* AD PATREM, *nisi per me.* Imo vero nemo *it ad Christum*, nisi ut per Christum *eat ad Patrem.* Designatur *actus fidei*, quo quis se Christo, & per Christum Patri, unit, post veritatem Evangelii perceptam agnitamque; ut pueri in Christo norunt. *Consequens* sive *fructus fidei* primus, UT *vivat anima vestra*, sive, ET *vivet anima vestra*, (utrumque enim admittit Hebræa constructio:) h. e. ut participes evadatis *vitæ spiritualis*, duraturæ *in æternum:* quæ vita cum fide animo credentis infunditur. Dictum Evangelicum [f]: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Huc tendit totum Evangelium Filii Dei. *Vita* autem hæc ANIMÆ est exercitatio omnis virtutis ex principio *cognitionis* & *amoris Dei*; ut sub Oeconomia Nova vivitur, conjuncta cum bona conscientia, consolatione, & lætitia spirituali, consummanda in futura vita. Lætitia enim & jucunditas actuositatis facit vitam. Judæi ipsi, licet in spiritualibus cæci, id hic agnoverunt. Notarunt emphasin quæ est in phrasi Vatis, ut *vivat* ANIMA VESTRA, & ex eo collegerunt, loqui illum de *vita spirituali*, (חיי הנפש *vita animæ*,) & voluptatem, sive *delicias*, quarum in *superiori commate* mentio fit, ajunt incipere בעולם הזה *in hoc Sæculo*, & consummari *post mortem* in חיים נצחיים VITA ÆTERNA, בעולם הנשמות *in Sæculo animarum*, à corporibus separatarum. Sic Abarbenel; & parilia leguntur apud Kimchium. Alterum est: *Et feriam vobis fœdus æternum:* BENEFICENTIAS DAVIDIS PERMANENTES. Heb. ואכרותה לכם ברית עולם חסדי דוד הנאמנים. Sensus est, *Ego vobis præstabo Bona Testamenti* sive *Pacti æterni*, nimirum *Beneficentias Davidis permanentes.* Phrasis, כרת ברית *ferire, percutere, pangere, fœdus*, antiquis Populis usu recepta, construitur cum עם, את, & præfixa ל. Et priores quidem præpositiones passim adhibentur quando agitur de *pactione fœderis:* sed ubi præfixa ל cum hac phrasi construitur, hæc βῆσις communiter notat *promissum* gratiosum & liberum, quod Deus ex stipulato alicui liberaliter condicit vi *Testamenti*; hoc est, Voluntatis certæ & mutari nescię, non tantum *futuri*, sed & *præsentis boni*, quo homines in communionem Dei adsciti ab ipso illo tempore gavisuri sint. Sic verbi gratia Ezech. XXXIV. 25. וכרתי להם ברית שלום *Et pangam ipsis* FOEDUS PACIS; *& cessare faciam bestiam malam de terra.* confer ex Vate nostro Cap. LIV. 10. Phrasis valet, Ego iis ex certo & testamentario proposito præstabo pacem. Ego iis stipulato promittam pacem, & promissam ab hoc ipso tempore repræsentabo, ut ejusmodi locis non tantum valeat ὑπισχνεῖσθαι *promittere*; verum etiam *addicere*, & promissum à præsenti tempore actu præstare. Sic pariter in pactis vel stipulationibus humanis, Jos. IX. 15. *Et fecit Josua iis* (Gibeonitis) *pacem*, ויכרות להם ברית להחיותם *& pepigit* IIS *fœdus, se eos in vivis conservaturum esse.* Hoc est, ex stipulatu iis condixit hoc beneficium. Ipsa quoque hæc phrasis, cum vocula את constructa, sæpius idem valet. Ergo dicit Deus Pater hoc loco, se accedentibus ad se præstiturum esse vi *Testamenti* & *Fœderis* nunquam abolendi, illud Bonum quod vocat *Beneficentias Davidis.* Testamentum sive *Fœdus æternum* (vox enim ברית utrumque significat,) hic notat Testamentum, cujus executio *æternum* durabit: *Fœdus* cujus Oeconomia nunquam abolebitur. Repetit hanc phrasin Vates noster Cap. LXI. 8. & Jeremias eam pariter adhibet Cap. XXXII. 40. διαθήκην αἰώνιος, Heb. XIII. 21. alias ברית חדשה ἡ καινὴ διαθήκη FOEDUS NOVUM, in *Testamento æterno* fundatum [g]; contradistinctum *Testamento* illi, ex quo Deus posteris Abrahami dedit terram Canaanæam; & *Fœderi* Sinaitico, in illo *Testamento* fundato; quod postea *Vetus* dictum est, ubi cum *meliori Fœdere* commutatum est. Testamento gratiæ, confirmato sanguine Mediatoris Filii Dei, datur *Bonum æternum: Fœdus* super illud percussum, est *æternum.* Atque id ipsum est quod per modum appositionis hic additur, *Beneficentias* (gratias) *Davidis permanentes*, constantes. In phrasi nihil est obscuri. Sensus Vatis: Præstabo vobis promissa & bona Testamenti æterni; nempe חסדי דוד נאמנים *Beneficentias Davidis permanentes.* Suppono, per חסדי *Benignitates, beneficentias*, GRATIAS, hic intelligi *Beneficia Divinæ gratiæ*, ut Ps. LIX. 18. *Quia Deus est elatum præsidium meum: Deus* חסדי *beneficentiæ, gratiæ meæ.* Alio loco [h]: לא זכרו ארת רב חסדיך *Non recordati sunt* (Israëlitæ,) *multitudinis benignitatum tuarum.* h. e. Beneficiorum tuæ gratiæ. חסד, Deo tributum, significat propensum studium Dei hominibus ex mera gratia & liberalitate benefaciendi: Latinis, *Benignitatem, pietatem, bonitatem.* unde חסדי illius studii effecta, quæ sunt *beneficentiæ*, sive *beneficia gratiæ.* Lucas τὰς ὁσίας. hoc loco sequutus [i], vertit, τὰ ὅσια: significatione vocis Græcæ ad Hebræam flexa. Hesychius: Ὅσιος, καθαρὸς, δίκαιος, εὐσεβὴς, εἰρηνικὸς, ἀγνός. Sed nulla harum notionum applicari potest ad usum vocis in hoc loco. Multo minus voci ὅσια hic convenit ea notatio, qua melioribus auctoribus Græcis contradistinguitur τοῖς ἱεροῖς *sacris*, quando significat *profana*, secundum genuinam hujus vocis notionem apud Latinos, h. e. *publica*, quibus cuique juste uti licet. Quare quod Latinus Int. antiquus, hic vertit: SANCTA *Davidis* FIDELIA; & retinuit Erasmus: plane est præter rem. Ergo ita

Promissum *Fœderis æterni*, & *Beneficentiarum Davidis permanentium.*

Constructio phrasios, ברות ברית.

Ubi cum ל personæ præfixa componitur, passim valet *promittere.*

Locus Jos. IX. 15.

Sensus Prophetæ.

Quid hic loci *Testamentum æternum*? & quale illud sit?

Beneficentiæ Davidis permanentes, quale bonum?

Notatio vocis חסד h. l.

Lucas Act. XIII. 34. vertit τὰ ὅσια.

Significatio vocis apud Græcos.

---

[a] Ps. XLV. 11. [b] Ps. LXXVIII. 1. [c] Cap. XII. 17. [d] Apoc. II. 7. [e] Joh. XIV. 6. [f] Joh. III. 36. [g] Jer. XXXI. 31. Matth. XXVI. 28. [h] Ps. CVI. 7. [i] Act. XIII. 34.

Quomodo notio Græca cum Hebræa conciliandа ſit?

ita habe. Intt. Græci vocem חסיד *ſtudioſus*, pius, paſſim verterunt per ὅσιος. unde חסדי ad imitationem dixerunt τὰ ὅσια. quæ proinde ex mente hujus loci ſunt *effecta ſtudii* Dei erga Davidem. perinde ac Epheſ. IV. 24. ὁσιότης τῆς ἀληθείας proprie eſt *intenſiſſimum ſtudium veri*; ſignificatione vocis ὁσιότης flexa ad notationem genuinam vocis חסר: cujuſmodi non *Helleniſmorum*, ſed *Hebraiſmorum*, bene multa in Sacris ſunt exempla. Et tamen Sym. vocem clarius per ἐλέη *miſericordias* vertit. Idem eſt in voce πιϛὰ, quod Interpres per *fidelia* reddit. valet, *firma*, ſtabilia, permanentia. Quæris, quænam illæ ſint *Beneficentiæ Davidis firmæ?* Intt. Hebræi geminum ſenſum phraſi aptarunt. Primus eſt, ut *Beneficentiæ Davidis permanentes* notent *Beneficia Gratiæ* tam certa ac ſtabilia quam ea ſunt quæ Deus Davidi promiſerat: quam interpretationem adſcivit Grotius. Et eſt tamen hæc expoſitio longius petita, & omnium, quæ adferri poterant, tenuiſſima. Addo, ſtabilitatem promiſſorum Davidi datorum, non apparere, ſi ſeponas *Regnum Meſſiæ*: alia autem promiſſa ſtabilium & æternorum Bonorum qualia hic cogitabuntur? Alter ſenſus eſt, per *Davidem* hic intelligi *Meſſiam*, ut *permanentes Beneficentiæ Davidis* hic ſint *Meſſias*, & Beneficia cum ipſo in Eccleſiam conferenda. Argumentum adferunt ex *commate ſequenti*, ubi ſecundum ipſos quoque de Meſſia dicitur, *Ego* ILLUM *dedi teſtem, & Præfectum, & Præceptorem Gentium.* quæ notio *relativa* rectiſſime ad *Davidem* hic referri videtur. Accedit huc, Meſſiam, Davidis illuſtrem Filium, appellari *Davidem* ab Ezechiele [a] & Hoſea [b]. Cl. Cocceji eandem propoſuit ſententiam, & iiſdem fere rationibus eam adſtruxit. In re ipſa hic non poteſt eſſe diſſenſus. Agi enim hic de Meſſia & Beneficiis per ipſum conferendis in Eccleſiam, lubens largior: ſed vehementer dubito, an hic per *Davidem* directe intelligere liceat *Davidis* Filium, Meſſiam: non tantum quod hic *abſolute* appelletur *David*, abſque ullo epitheto *Regis*, aut *Servi Dei* adſcripto, quod in aliis locis fit: verum præcipue, quod in *Ode Davidica* [c], in qua hoc argumentum *beneficentiarum Davidis* ſub eadem phraſi tractatur, (ſive ante hanc prophetiam, ſive poſt eam edita ſit, ut opinor,) per *Davidem* intelligendus ſit ipſe *David*. Incipit illa: BENEFICENTIAS JEHOVÆ ÆTERNAS (elliptice, חסדי יהוה שולם pro חסדי יהוה חסדי עולם) *canam*, ℣. 4. *Pepigi fœdus, ſive feci promiſſum teſtamentarium electo meo; juravi Davidi ſervo meo: In ſæculum ſtabiliam ſemen tuum, & ædificabo in ſæculum & ſempiternum* THRONUM TUUM. ℣. 21. *Inveni* DAVIDEM, *ſervum meum: oleo ſancto unxi illum.* ℣. 30. *Et ponam in ſæculum ſemen ejus*; & THRONUM *ejus ut dies cœli.* Intellige igitur per *Beneficentias Davidis* REGNUM ÆTERNUM *Meſſiæ*, Davidi promiſſum, 2 Sam. VII. 16. *Et ſtabilis erit* (נאמן). *Domus tua, & Regnum tuum, uſque in ſæculum, coram facie tua:* THRONUS TUUS ERIT FIRMUS USQUE IN SÆCULUM. Regnum illud *æternum* eſt *ſpirituale* & *cœleſte* Regnum *Meſſiæ*. Sola ſpiritualia & cœleſtia ſunt *æterna*; & docuit experientia, temporale Regnum *Davidis* deficiſſe, idque prædixerat Vates noſter futurum eſſe Cap. XXXII. 14. Sed Angelus ipſe nos interpretari docuit hoc promiſſum Luc. I. 32. 33. *Dabit ei*, (Chriſto) *Dominus Deus thronum* DAVIDIS, *Patris ejus, & regnabit in Domum Jacobi in ſempiternum*, & REGNI IPSIUS NON ERIT FINIS. ſunt Jeſaiana ex Cap. IX. 6. Senſus itaque dicti ſit; Deum præſtiturum eſſe credentibus *Beneficia Regni æterni*, à Meſſia Davidis filio adminiſtrandi, Davidi promiſſi, pacto inviolabili. quæ ſunt Beneficia Oeconomiæ Novæ, in quibus eſt *Vita æterna*. Sic præfixa ו recte vertitur per ET; licet, ſi vertas per NAM, nexui quoque perfecta ratio conſtet. *Genitivus* hic eſt vel *Subjecti recipientis*, vel *Objecti*, frequente ſtructuræ uſu. ut רוממות אל *Exaltationes Dei* quæ Deum habent pro *objecto* [d]. quæ in Deum

Vox חסדי confertur cum Hebræa חסידות.

Quid Hebræi Intt. ſub *Beneficentiis Davidis permanentibus* intelligant?

Sunt inter ipſos, qui hic *Meſſiam* intelligunt.

Cl. Cocceji cogitatio.

Ratio, cur ipſe hic ſit intelligendus *David*?

Ode LXXXIX. 2. huc allata & collata.

Deſignatur *Regnum* Meſſiæ *æternum*.

Attributum adſtruitur.

conferuntur. Τὰ δῶρα τοῦ Θεοῦ· *Dona Dei* [e]; quæ ad Deum pertinent. Inde Apoſtolus in Concione, quam habuit Antiochiæ Piſidiæ, rectiſſime probavit [f], *Meſſiæ ex mortuis reſurrectionem* ad *vitam æternam*, ut non amplius rediret εἰς διαφθορὰν *in ſepulcrum*, ad *corruptionem corporis*, ut aliqui ante ipſum reſuſcitati, quia ipſum *æternum* oportuit *regnare*, atque adeo *æternum vivere*; ut ſi ex conſilio Dei moreretur; illum ex mortuis oporteret *reſurgere* ad vitam æternam & glorioſam, nunquam terminandam. Tota enim promiſſio *æterni Regni Davidis* ipſum ſpectabat: in ipſo debebat impleri: quod fieri non potuiſſet, ſi manſiſſet ſub poteſtate mortis. Quandoquidem vero Judæi omni tempore *Regnum Meſſiæ* cum ſuis privilegiis reſpexerint ut ſummam omnium votorum ſuorum: patet, quanta vis ſit in hac ratione, iis perſuadendi obſequium fidei.

β. Ex *exemplo* & æmulatione *Gentium*, Quibus deſtinatus erat *Meſſias*.

℣. 4. *Ecce* TESTEM *Populorum poſui* IPSUM: *Principem, &* PRÆCEPTOREM *Populorum.*] Si vos, ait Vox Cœleſtis, hanc tantam ſalutem negligatis, & ſuſque deque habeatis meam hanc blandam & amicam vocationem: non excidam propterea fructu miſſi Filii mei, veri Doctoris, in Mundum. ECCE, (res paradoxa & præter veſtram cogitationem:) adſunt Gentes, in eum creditura, nec aſpernaturæ eximium hunc Doctorem. Deſtinavi enim ipſum *Doctorem*, *Anteſignanum*, & *Legiſlatorem*, non vobis tantum, ſed & Gentibus, omnibuſque per orbem populis. Hic ſenſus ſententiæ eo facit ut Orator Judæos cunctabundos ex παραζηλώσει *Gentium* ad fidem permoveret; quod Moſes futurum eſſe dixerat [g]. Sequentis contextus pericopa non confirmat tantum hunc nexum: verum etiam intellectus ejus ab hac animadverſione pendet. Suppono, per relativam vocem אותו IPSUM, hic intelligendum eſſe Meſſiam; conſentientibus Interpretibus Hebræis. Nullum aliud *ſubjectum* hic cogitari poteſt, cui conveniant attributa illuſtria, hic conſignata. Quod enim Grotius hic *Jeremiam* demonſtret, cujus imago ipſi in hiſce prophetiis ubique obverſatur: non eſt credibile, illum mortalium ulli perſuaſurum, ſi perſuaſerit ſibi contra omnem rationis ſpeciem. Quæris, quomodo ad *Meſſiam* referri poſſit, cum illius mentio exerte facta non fuerit? Judæi Intt. & ex noſtris aliqui, qui in *ſuperiori commate* per DAVIDEM intelligunt *Meſſiam*: ſe hic facile expediunt. dubium enim ipſos non urget. Nec eſt ſpernenda ſententia, quam lubens in medio reliqui. Eſt quoque in epithetis, quo alludatur ad *Davidem*, qui in hiſtoria aliquotiens dicitur נגיד ANTECESSOR Populi Dei [h]. Sed non indigemus hoc ſubſidio. Obſerva itaque hic iterum, obſervatum ſæpius; *a.* pertinere ad elegantiam orationis Hebrææ, ut ubi de *illuſtribus Perſonis* mentio fit, quæ ex *attributis* ſuis & *circumſtantia* orationis facile cognoſci queunt: *relativa* in ejuſmodi caſibus referantur ad *Subjectum*, mente conceptum; non expoſitum. quod alibi [i] obſervavi & illuſtratum dedi, ad 2 Sam. I. 18. & Pſ. LXXXVII. 1. β. Si *Subjectum*, cui *relativum* reſpondet, directe non ſit expreſſum: utique expreſſum eſt oblique. *Beneficentiæ Davidis* permanentes ſunt *Meſſias*, ex mortuis reſuſcitatus ad æternam & glorioſam Vitam, ejuſque *Regnum*, ut modo docebam. γ. Omnino vero *Subjectum* eſt expreſſum in hac *Concione*; ſed remotius. Eſt SERVUS JEHOVÆ JUSTUS, de quo Cap. LIII. II. Hæc enim *Sectio* noſtra cum illa *Sectione* cohæret. *Sectio* intermedia eſt veluti παρενθετική. Plane hic res ita ſe habet, ut in ipſa illa *Sectione Capitis* LIII. Dicitur ibi ℣. 2. *Et* ASCENDIT *tanquam ſurculus coram ipſo.* Quæro, *quis?* In *commate* enim *præcedenti* nulla facta erat mentio *Subjecti*, ad quod hæc verba pertinent. Ergo recurrendum erat ad Cap. LII. 13. ubi appellatur *Servus Jehovæ*. Habe itaque, verum *Subjectum* horum præſtantium attri-

Quomodo Apoſtolus ex his verbis probaverit *Reſurrectionem Meſſiæ*, Act. XIII. 34.?

Vis hujus promiſſi ad ſcopum Prophetæ.

β. Ex *exemplo* & *æmulatione* Gentium, Quibus deſtinatus erat Meſſias.

Nexus orationis cum ſuperioribus.

Et cum contextu inferiore.

Relativum in his verbis reſpicit *Meſſiam*.

Dubium huic ſententiæ objectum ſolvitur.

Mos Linguæ Hebrææ, affixa ſubinde referre ad illuſtres Perſonas, non exerte expreſſas.

Subjectum in his Concionibus omnino expreſſum eſt.

[a] Cap. XXXIV. 23. 24. [b] Hoſ. III. 5. [c] Pſ. LXXXIX. 2. [d] Pſ. CXLIX. 6. [e] Luc. XXI. 6. [f] Act. XIII. 34. [g] Deut. XXXII. 21. Rom. X. 19. [h] 1 Sam. XXV. 30. 2 Sam. V. 2. &c. [i] *Obſerv. Sac. Lib. III. Cap. I. §. V.*

attributorum esse SERVUM JEHOVÆ, ex superioribus notum. Expendamus, age, attributa singula. *Ego dedi illum*, h. e. destinavi, TESTEM *nationum*. עד לאומים. Notio hic vere est singularis emphasios; quæ, recte accepta, sensum exhibet perfectum. Hebræi Intt. Jarchius & Kimchius sic dici volunt Messiam, quod Gentes *contestaretur*, significatione vocis petita ex עוד, *contestari*, h. e. eas *moneret*, *redargueret*, ut notio sumitur Deut. VIII. 19. Sed non putem, vocem עד, stylo Scripturæ S. unquam sumi nisi pro *teste*. Est autem aliud, *testari*; aliud, *contestari*. TESTIS hoc loco est *Index*, sive *Doctor veritatis* summi momenti, qui ex clarissima cognitione & conscientia veritatis, tanquam à se *visæ* atque *auditæ*, eandem clare explicat. Est autem ipsissima hæc notio, qua Christus Dominus se ut *Doctorem*, suamque *institutionem*, commendat. Sic ille apud Joannem [a]: *Amen, amen, dico tibi*; (Nicodemo,) *Quod scimus loquimur*; & QUOD VIDIMUS; TESTAMUR. Alio loco [b]: *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ· ut* TESTIMONIUM DEM (testem me præbeam,) VERITATI. Christus Jesus est *testis* cœlestis, summæ auctoritatis, qui testimonium dixit summi momenti, de rebus à se perfectissime cognitis, visis auditisque. quare ipsi convenit nomen Ἀμὴν *Amen*. *Sic* ipse [c]: Τὰδὲ λέγει ὁ Ἀμήν, ὁ ΜΑΡΤΥΣ, ὁ πιστὸς καὶ ὁ ἀληθινός. Quæ cæteri Doctores docent, non audent omnia commendare ut certa, quippe coacti multa per ratiocinationem ex principiis remotioribus Divinæ Revelationis ducere, & aliqua etiam per conjecturam tradere ut probabilia: quæ autem ut *certa* tradunt de *cœlestibus* rebus, docent ex revelatione. Christus Jesus docet Doctor ἀνυπεύθυνος, quæ ipse *vidit*. Id proprium est Doctoribus, qui res de quibus testantur, *viderunt*. Joannes [d]: *Et vidimus*, & TESTAMUR, *& annunciamus vobis Vitam illam æternam*. Plura huc non refero, ne veram vocis notionem obscurem. Nescio, an Chaldæus simile quid viderit in hoc loco. Vertit verba: הא רב לעמיא מניתיה Interpres: *Ecce* PRINCIPEM *Populis constitui ipsum*. Non abnuo, sic capi posse verba: sed non video, quomodo Interpres vocem עד *testis* reddere potuerit per *Principem*, nisi forte alluserit ad locum Mal. III. 5. ubi Deus in judicio cognituras crimina suorum, dicitur adversus eos venturus esse *testis*, h. e. Judex. Verti possunt verba, *Ecce* DOCTOREM *Populis eum constitui*. Notio רב *Principem* notat & *Doctorem*. Alterum attributum est, נגיד ANTECESSOR, quæ non dubia vocis significatio est. נגד Hebræis est *coram*, *ante*. הגיד *quid ante aliquem sistere*. Latine dixeris, PRÆTOR, quasi *Præitor*. *Prætores* enim dicti sunt primo tempore tum qui *Jus dicerent*, tum qui Exercitui *præirent*. Varro [e]: PRÆTOR *dictus*, *qui præiret Jure & Exercitu*. Subjicit, *Ergo Prætorum est, ante præire*. Græcis idem valet, Ἡγούμενος. Latinis rursus *Princeps*, *Dux*. Belgis, Vorst, pro Voorst. Of 6. h. l. ἄρχοντα. Chaldæus, מלכא *Regem*. Admittit autem notio hic geminam, eamque Personæ Messiæ convenientissimam, interpretationem: vel, nimirum, ut referatur ad *exemplum* quod Christus Jesus ut primus & Princeps fratrum, omnibus suis dedit imitandum, secundum illud Apostolicum [f]: *Intuentes in illum fidei* Ἀρχηγὸν DUCEM *& consummatorem Jesum, & seqq.* & Petrinum [g]: *Relinquens nobis* ὑπογραμμὸν EXEMPLUM, *ut subsequamur vestigia ejus*: vel ad *Officium* ejus *Regium*, quo positus in statu gloriæ Gentes sibi subjectas regeret, administraret, summaque potestate iis præesset. Posterius putem directe à Propheta intentum, quia usus vocis frequens in Verbo Dei cadit in notionem *Principis*, de quali quali ordine hominum usurpetur. Nec tamen Jesaias hic adhibuit notionem *Regis*, sed נגיד *Antecessoris*, ut nos moneret, talem se intelligi velle *Regem*, qui suis *exemplo* esset. Tertium est, מצוה *Præceptor*, sive Νομοθέτης *Legisdator*. Chaldæus: שולט *Dominator*. Notio hic est singularis usus: non putem enim alibi occurrere. Non eo tantum respicit, quod esset מחקק *Definitor Legum*, ab omnibus mortalibus observandarum, quæ Leges passim in Libris N. T. dicuntur ejus ἐντολαὶ *præcepta* [h]; purissima quidem illa, castissima, & *Legem* amoris *antiquam* perfectissime explicantia: sed quod eàdem daret summa instructus auctoritate & potestate, &, ut vera voce hic utar, cum *imperio*; qui sensus hic subest notioni נגיד. In hunc usum destinatus erat à Patre, danduque erat datusque in tempore omnibus לאמים *Populis & Nationibus Mundi*; ut si Judæi ipsum non reciperent; *Scholam & Regnum* haberet inter Gentes, cui ut summus Doctor & Rex summa auctoritate præesset. Vide loca huic analoga, in quibus Propheta hoc consilium Dei clarissime exposuit, abunde à nobis tractata, Cap. II. 1. seqq. XLII. 1. seqq. XLIX. 6.

Quæque *Doctrinam* ipsius *lubenter* reciperent.

℣. 5. *Ecce*, GENTEM, QUAM NON NOSTI, VOCABIS; *& Gens quæ non noverunt te, ad te current; propter Jehovam Deum tuum, & Sanctum Israëlis, qui te exornat.*] En præclaram explicationem *obsequii* promptissimi quod Gentes vocatæ ad communionem Dei, præstarent Evangelio; &, Evangelii caussa, Ecclesiæ. Quo enim referes hanc Vocationem Gentium, earumque incognitarum, nisi ad Vocationem Evangelicam, qua quis vocatur ad communionem Christi Jesu & Ecclesiæ? Antecedens *comma*, & *contextus* superior, id clarissime evincit. Oratio hic vertitur ad idem *Subjectum* quod designavimus ℣. 3. h. e. ad *Populum Judæum*, quatenus fidem in Christum Jesum admitteret; ut adeo promissum hoc competat in *Populum Christi*: in Judæos, inquam, omnes qui *Regnum Dei* susciperent. Sunt equidem, qui hæc verba ad ipsum *Christum* Jesum referunt, per enallagen *Personæ*, Prophetis usu frequentissimam: sed nulla necessitas id hic loci flagitat. Imo vero minus commode *ipse* dicitur *vocaturus Gentem* quam *non nosset*. Quod autem verba hic flectantur secundum terminationem *generis fortioris*, cum in superioribus de *Hierosolyma* & *Tsione* mentio facta esset, ut passim, secundum terminationem *generis debilioris*: difficultas vere nulla est. Ubi terminatio *masculini* usum habet; respicitur vox עם *Populus*, (non ציון) & quidem speciatim in hac prophetia, עם תורתי בלבם *Populus, in cujus medio Lex mea est*, Cap. LI. 7. in qua prophetia eandem variationem observavimus, ad ℣. 16. collatum cum proxime præcedentibus. Ecclesia *credentium in Christum* hic compellatur, & *tunctabundi* illi, qui circa *fidem* in Christum *hæsitabant*, sub hac conditione, ut, si se Ecclesiæ illi adjungerent, participes evaderent magni hujus privilegii *adcorporationis Gentium* ad communionem Ecclesiæ, si fidem in Dominum susciperent. Quod autem dicitur, *Vocabis Gentem quam non nosti*, manifeste referendum est ad ℣. 1, *Heus omne sitiens venite ad aquas; & quibus non est argentum*, & seqq. Illa *Vocatio* institueretur ex nomine Dei & Christi Jesu per Præcones Evangelii, Apostolos, Evangelistas, eorumque cooperarios, & in opere ministerii successores; quæ ad corpus Ecclesiæ totum refertur, quia illi ex Ecclesia *prodirent*, (de quo ℣. 12.) & auctoritate Dei, ac nomine totius Ecclesiæ, hanc *Vocationem* instituerent. Nemo enim accedit ad Deum in Christo, nisi *vocatus*: nulla Gens ad veram Religionem convertitur, nisi per *Vocem* quæ exit ex Ecclesia. de quo Apostolus: [i] *Imo vero in omnem terram exivit sonus eorum, & ad ultima Orbis terrarum verba eorum.* Est autem hæc *Vocatio* eorum *Evangelizantium* quos Vates descripserat Cap. LII. 7. 8. Beneficium ipsum, stylo Scripturæ N. T. dicitur κλῆσις VOCATIO, [k] emphatica denominatione, non tantum sumpta à *Vocatione* communi, qua quis longius

Quo sensu Messias dicatur עד TESTIS? Hebræorum Intt. sententia.

Testis hic est *index veritatis*.

Docere Christi Jesu est *testari*. Ratio ejus rei. Locus Joh. XII. 11.

Nomen *Amen* Christo Jesu quo sensu tributum? Differentia inter Christum Jesum & alios Doctores.

Versio Paraphrastæ.

Notatio genuina vocis נגיד ANTECESSOR, PRÆTOR. usus vocis ex Varrone.

Ad quæ attributa *Messiæ* referenda sit?

Tertium

nomen; מצוה *Præceptor*.

Quorsum pertineat hæc notio? De Legibus & Præceptis a Christo datis animadversio.

Cum respectu ad *Gentes & Nationes*.

Gentes Doctrinam ejus lubenter reciperent, ℣. 5. *Ecce Gentem, &c.* Sensus sententiæ.

Objectum hujus Orationis est Populus Judæus, & in eo Credentes in Christum.

Dubium de mutatione *generis*, quæ hic locum habet.

Verba, *Vocabis Gentem quam non nosti*. Pertinent ad ℣. 1. Intelligitur *Vocatio Evangelica*.

Ejus necessitas ἀγίου ad *salutem*.

[a] Joh. III. 11. [b] Cap. XVIII. 37. [c] Apoc. III. 14. [d] 1 Joh. I. 2. [e] De Ling. Lat. Lib. IV. p. 22. [f] Heb. XII. 2. [g] 1 Pet. II. 21. [h] Joh. XIV. 15. 21. XV. 10. [i] Rom. X. 18. [k] 1 Cor. I. 26. Ephes. IV. 1.

à nobis remotus medio vocis ad nos adducitur; sed ab *evocatione*, quæ fit ex consilio Gratiæ, ex statu misero ac pœnitendo ad communionem Ecclesiæ & bonorum ejus; quæ proinde *Vocatio* parit ἐλπίδα *spem*, Ephes. I. 18. de quo argumento in re triti usus pluribus nunc non ago. *Vocaret* autem Ecclesia *Gentem* quam *non nosset*. Hoc primum est paradoxum, ad quod hic referenda est vocula הן *Ecce*. Vocari enim passim solent *noti*, familiares, nobis obnoxii, de quorum voluntate persuasi sumus. Posset notio, si necessitas exigeret, minore emphasi sumi pro his *Gentibus*, cum quibus Judæis nullum erat commercium; ut sane illi per Religionem à commercio interiori Gentium secreti erant; & vero longum non coluerunt commercium nisi cum Populis sibi proximis. Sed plane opus non est eò venire; nec putem, id voluisse Prophetam. Sensus integer orationis est, hic diligenter observandus: *Non illos tantum populos vocabis quos nosti*, & cum quibus tibi aliquid intercedit commercii, veluti Arabes, Syros, Ægyptios, Babylonios, & in initiis Oeconomiæ Novæ, Asianos, Græcos, Romanos; *sed eos etiam quorum nomina & fama hactenus ad te vix pervenerunt*, & quibuscum nullam consuetudinem colis; veluti, Sabæos, Numidas, Gætulos, Illyrios, Celtas, Iberos, Germanos, Hunnos, Sarmatas. Si id non intendisset Propheta: ratio danda erat, quare *ignotæ* Gentes *vocarentur*; *proximæ* præterirentur. Idem observandum in altero membro, *Et Gens quæ te non cognoscit, ad te* CURRENT. (sive, *catervatim current* terminatione *plurali* hic juncta notioni collectivæ *singularis numeri*, more loquendi Hebræis, sed & aliis Populis recepto:) h. e. Non tantum Gentes, quæ te noverint, verum etiam quæ *nullam plane nominis tui notitiam habuerint*, tuam affectabunt communionem, cujus generis illæ essent quas modo recensebam. Cætera, Judæos commercium habuisse cum vicinis Populis, & inprimis innotuisse Græcis, Romanis, Parthis, circa illud tempus quo Salus Mundo apparuit; neminem latet. Sed erat passim aliarum Gentium magna in Judæos invidia, ob Legum ac Rituum diversitatem; & cum omnem historiam fere debeamus Græcis: circa eam tempestatem qua Græci Historici se ad scribendum applicarunt, Judæi tenui erant ac afflicto Statu: unde præcipua petenda est ratio, cur Historici exteri eorum minus meminerint: de quo Josephus *adversus Apionem*. Est autem hic ad usum Prophetæ aptissima notio *currendi*. Indicat festinata studia, promptitudinem, & alacritatem Gentium in recipiendo Evangelio, veluti studiis hac parte inter se certarent. Primo quidem plures simul accederent ad Ecclesiæ communionem: deinde summa lubentia, studio, affectu, Vocationi cœlesti obsequerentur. Jesaias, cui hæc imago jam ab initiis obversata fuit; postquam dixisset, *in fine temporum montem Domus Jehovæ elevatum iri supra omnes montes*; subjungit [a]: ונהרו אליו כל הגוים *Et* CONFLUENT *illuc* RAPIDE *omnes Gentes*. Scripserat nuper in prophetia ejusdem argumenti [b]: *Filii tui* FESTINABUNT, & quæ ibidem sequuntur. En aliquid adhuc majus [c]: *Quinam hi* (agitur de Gentibus catervatim accessuris ad Ecclesiam,) *qui instar nubis* VOLANT, *& tanquam columbæ ad columbaria sua?* Rursus alio loco [d]: *Quis hoc audivit; quis simile vidit: An terra ex partu editur* UNO DIE; *num Gens nascitur una vice?* Vera conversio ad Deum est opus urgens, & pressum, minime ἀδιάφορον. Qui ex vero animi motu & solida ratione se Deo in Christo adjungit, non it, sed currit: de quo alibi disserui. Sed præter hunc sensum primarium, alia etiam emblemate involuta est sententia huic agnata & proxima; videlicet conversos ad Deum ex Gentibus, se ipsi quoque Ecclesiæ præstituros esse morigeros, ut ad ejus nutum non *ituri* tantum, sed & *cursuri sint*, & Ecclesiam in omni casu reverenter respecturi [e]; quod incredibile studium Gentium earumque reverentiam explicui ad Cap. XLV. 14. Caussa paradoxi hujus effectus adscribitur: *Propter Jehovam, Deum tuum, & Sanctum Israëlis, quia* (vel *qui*, quam notationem vocularum כי admittere, alibi observavi,) *exornat te*. Sunt qui vertunt, *Et* AD *Sanctum Israëlis*. Hebraice enim dicitur, לקדוש ישראל, non, למען קדוש ישראל, quando verba hunc dant sensum, *Current ad te propter Jehovam Deum tuum*, & sc. current *ad Sanctum Israëlis*. Conferunt locum Cap. LX. 9. Sed mihi nullum plane dubium est, quin ex mente Prophetæ *præfixa* ל in voce לקדוש idem valeat quod למען, quam significationem admittere hanc *præfixam*, nemo negat: nec opinor, alio modo sumendam in parallelo Cap. LX. 9. Quod ad rem ipsam attinet: Interpretes aliqui referunt totum hoc membrum ad vocem *currunt*, acsi dicere velit Propheta, *Gentes cursuras* esse *ad Ecclesiam*, quia intellexerant apud Ecclesiam esse manifestationem Nominis & Gratiæ Divinæ, sive, ut Jesaias alibi [f]: *Deus est* IN ECCLESIA; sive, CUM ECCLESIA, ut Zacharias [g]. Equidem substratum hujus interpretationis verissimum est: sed Jesaiam id hic loci directe dicere noluisse, patet ex eo quod additur, *quia exornat te*. h. e. propositum ipsi est te quam ornatissimum reddere. Non explicatur hic *caussa impulsiva* quæ *Gentes* moverit ad Ecclesiam *currere*; sed *caussa finalis* ipsius hujus *effectus*, Divina Providentia curati, sive *Beneficii* in Ecclesiam collati. Statutum est Deo, ait Propheta, Ecclesiam credentium in Filium suum quam ornatissimam facere; atque ideo sua efficiet providentia & gratia, ut Vocatio ad Gentes facta tam lætum atque optatum sortiatur eventum [h]. Vox פאר proprie valet *exornare*; & usurpatur pro *ornamentis* externis quæ ad *rem* aut corpus *ornatius faciendum* applicantur; & speciatim pro *ornamento capitis* [i]: unde ipsæ etiam *tiaræ* Hebræis dicuntur פארים *ornamenta* [k]. Ut enim Gentium Orientis luxus se insigniter prodebat, & hodienum prodit, in *vestibus*: sic præcipue in *tegumentis capitis* quæ quam ornatissima & splendidissima, pro cujusque facultate, facere solent [l]. Quid vero magis ad decus, gloriam, καύχημα *gloriationem*, (sic Symmachus hoc loco docte,) & splendorem faciat *externum*: quam luculenta Gentium adjunctio & frequens concursus, ad Ecclesiam? quin immo Gentium *remotissimarum*, quæ ne nomen quidem Populi Judæi unquam audiverant? Quid magis illustret Divinam gratiam, & Dei veri, Dei sui, sanctissimi objecti cultus Ecclesiæ, in eam caritatem & amorem? Sic Divinus Poëta rem accepit in Ode LXXXVII. ubi *gloriosa* illa quæ de Ecclesia prædicantur, huc potissimum refert. Confer Cap. LX. 7. seqq. Implementum non habeo necesse demonstrare: nos enim ipsi exemplo & argumento sumus. Nec tamen est dubium, Deum qui verbum hoc suum supra omnium mortalium exspectationem in tot Gentibus usque remotissimis Ecclesiæ adjunctis, ratum fecit; aliquando hoc daturum esse gloriæ suæ, & in Ecclesiam ornandam studio, ut Populi per Orbem omnes in una Religione consentiant. Hujus autem gloriæ participes evaderent cunctabundi Judæi, qui gratiam sibi oblatam hæsitabant admittere, si se cœtibus Credentium adjungerent. Ipsa æmulatio, sed honesta, eos ad hoc consilium debebat accendere. Quod si facere negligerent: Deus nihilominus propositum suum exequeretur.

Vis voculæ הן *Ecce*. Paradoxa in verbis. *Vocatio Gentis ignotæ*. Sensus Vatis.

Qui lucidius ex mente Prophetæ declaratur.

Subintelligitur in oratione aliquid per se intelligendum.

Quærerent illæ studiose communionem Ecclesiæ.

Judæi an Gentibus ignoti, & qua ratione?

Emphasis vocis *currere* hoc in loco. Loca & phrases analogæ ex Prophetis, quæ *studium Gentium* erga Christum explicant.

Alia emphasis in voce *currere*.

Secundo, excitantur ad *Respiscentiam*.

℣. 6. *Quærite Jehovam, dum* INVENIRI POTEST: INVOCATE *eum, dum propinquus est.* ℣. 7. *Derelinquat impius viam suam; & iniquus quisque cogitationes suas; & convertat se ad Jehovam, ut sui misereatur; & ad Deum nostrum, quia multus est condonando.*] En alteram exhortationis partem, qua cunctabundi inter Judæos excitantur & vero stimulantur ad *Respiscentiam*: quæ altera conditio est Fœderis Evangelici, duo com-

Usus præfixæ ל in voce לקדוש.

Quomodo Sermo Propheticus hic accipiendus sit?

Sensus Prophetæ.

Notio vocis פאר stylo Scripturæ S.

Decus Ecclesiæ accessurum ex confluxu Gentium.

Illustratur ex analogis.

De Implemento prophetiæ admonitio.

Secundo excitantur ad *Respiscentiam*, ℣. 6.

[a] Cap. II. 2. [b] Cap. XLIX. 17. [c] Cap. LX. 8. [d] Cap. LXVI. 8. [e] Cap. XLV. 14. [f] l. c. [g] Cap. XXII. 23. [h] Cap. LX. 7, 9. 13. [i] Cap. LXI. 3. [k] Ezech. XXIV. 3. [l] Vide Tavern. Lib. V. Cap. XIV.

Nexus officii cum præcedenti.

complexi præcepta *a*: RESIPISCITE, & CREDITE EVANGELIO. Omnes in Christum Jesum crediturі necesse habebant *resipiscere*: etiam illi qui in Judæa Gente non plane vacui erant *fide* & *spe* promissionum gratiæ; quales pauci erant numero. Certe Petrus omnes, ad quos sermonem faciebat Die Pentecostis, nemine excepto, inter quos plures erant Viri *εὐλαβεῖς Religionis studiosi*, hortatus est ad *Resipiscentiam*. Μετανοήσατε, ait *b*, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. Idem erat argumentum commune concionum Joannis Baptistæ. Ut enim sua cuique adhærent vitia, à quibus necesse habet purgari: sic *rari* inter eos consequuti erant aliquem veræ sanctimoniæ gradum; *plures* ex imprudentia consenserant supplicio Christi; *omnes* obsessi erant præjudiciis carnalibus de Messia & Regno ejus: denique qui hic invitantur, hoc ipso meriti erant gravissimam Dei indignationem, quod *fidem in Dominum* huc usque distulissent. Nec tamen omnium hîc eadem erat culpa; nec crimina eadem, aut criminum gravitas ac respectus. Plane censeo, eos qui hic compellantur, ipsum esse vulgus Procerum & Populi Hierosolymitani, qui non tantum hæsitabant in recipienda salute sibi oblata; verum etiam eandem huc usque proterve respuerant; quorumque plures pro more sæculi vitam transigebant in peccatis & vitiis; communionem Dei parum curabant; & sanguine Christi Jesu ac primorum martyrum, innocue effuso, pollutam habebant conscientiam. Erat hoc genus hominum pravo atque corrupto ingenio; & tamen Deus iis statuerat tempus *longanimitatis* circiter triginta annorum; quantum intervallum fere interest inter Dominum cœlo receptum & bellum cum Romanis, Reipublicæ funestum. Hoc spatio temporis invitati, vocati, stimulati sunt *impii* & *iniqui* plures qui inter ipsos erant, ad *Resipiscentiam*, quam Vates ad duo primaria officia refert, *Quæsitionem*, ac *invocationem Jehovæ*; & *Conversionem* à vitiis ad studium sanctimoniæ & virtutis: quando iis spem facit obtinendæ gratiæ apud Deum, quippe apud quem sit inexhaustus gratiæ ac miserationum fons. *Quærere Jehovam* est intensissimo animi studio ex clara conscientia necessitatis atque indigentiæ suæ, & persuasione Divinæ benignitatis & gratiæ, illam Dei *gratiam*, sive communionem Dei in gratia, *ambire* ac *sectari*, & *media* omnia, huic fini consequendo apta, (inter quæ præcipue commendatur *fides in Christum Jesum*,) diligenter atque enixe *investigare*, (quæ genuina vis est vocis דרש) & investigando comperta in hanc rem adhibere. Phrasis est antiqui ac frequentis usus in Verbo Dei, quam jam interpretatus sum, sub notione קבש, Cap. XLV. 19. LI. 1. & sub voce דרש, quæ hic extat, Cap. IX. 12. XXXI. 1. Idem fere hic sonat, *Jehovam* INVOCARE. Est gratiam Jehovæ supplice prece implorare; quæ actio est hominis auxilii & gratiæ indigi, & de sua illa indigentia convicti; & generatim sumpta involvit omnem Religionis actum: ut vidimus Cap. XLIII. 23. Confer Ps. LXXXVI. 5. Adstringitur uterque actus opportunitati alicujus temporis, *dum ipsum invenire est*, (sic sonat Hebræum, בהמצאו, quod alii, *dum præsto est*; *dum præsens est*; Hieron. *inveniri potest*:) & *dum propinquus est*. Certus sensus; dum Deus adhuc *candelabrum*, *Ecclesiam*, *Populum*, (qui est Populus Credentium in Christum,) *inter vos habet*, & *vobis* hactenus non dedit *Libellum repudii*; & *faciem suam à vobis non avertit*, secundum tristissimam sententiam in *Cantico Moysis* consignatam *c*; vos relinquendo potestati erroris, à Satana excæcandos & indurandos ad vestrum exitium temporale & æternum. quod judicium Dei à Jesaia cum aliis multis locis, tum in illustri Viso in initio hujus Libri luculenter declaratum fuerat *d*. Dominus Jesus *e*: *Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium*. Implorate, ait Chorus Propheticus, Divinam gratiam, dum *media salutis* inter vos administrantur, & Deus gratiam suam adhuc vobis benigne offert, ne *Regnum* suum à Vobis *auferat* & *transferat* ad *aliam Gentem f*; omnem Gratiam vobis subtrahat; & *nubibus præcipiat*, *ne in vos stillent pluviam g*. Patet ex hoc loco, quod ex exemplis Orbis primi, incolarum Agri Pentapolitani, & Ninives, & ipsius Populi Judæi, à Deo plectendi in exilio Assyriaco & Babyloniaco; Deum Populis & Gentibus, (his imprimis quibus indulsit media salutis,) definivisse terminum longanimitatis; quem si pœnitentia eorum & conversio non assequatur, in eos exequi judicia sua secundum *canonem* & *perpendiculum mensuræ*. Propheta id supra *h* docuit, & Amoso idem exhibitum est in Viso hujus argumenti *i*. Apostoli hic est gravis oratio ad *Judæos* ipsius hujus temporis, de quo agimus. *An divitias*, ait *k*, *benignitatis ejus*, *& tolerantiæ*, *ac lenitatis*, *contemnis*, *ignorans*, *te benignitate Dei ad* RESIPISCENTIAM *duci*? Credibile est, de quo nostro tempore Docti aliqui Viri disputarunt; similem esse Oeconomiam Providentiæ Divinæ erga singulares homines, qui mediis Gratiæ sibi oblatæ longum abutuntur. Tempus inter hos terminos interceptum est עת מצא *tempus inventionis*, quo Deus gratiam suam & salutem homini misero offert *l*. Cæterum quod supposui, Christianos Hierosolymis superfuisse usque ad Bellum cum Romanis, quando secundum traditionem Ecclesiasticam secesserunt Pellam; probabile fit tum ex *Actis* Lucæ *m*, tum ex Josepho *n*, qui martyrium Jacobi, Fratris Domini, & aliorum Fidei consortium refert ad initia Albini.

Conversionem (alterum officium, quod *impiis* hisce & *iniquis* commendatur,) suadet Chorus Propheticus, eamque perfecte exprimit Vates pro more suo, ℣. 7. *Conversio* absolvitur duobus actibus, *Abstinentia à Malo*, & *Exercitatione Operis Boni*: ut Vates eam describat, Cap. I. 16. 17. coll. cum Ps. XXXIV. 15. *Abstinentia à malo* rursus vel refertur ad *propositum*, vel ad *actum*. Id vero utrumque his verbis complectitur: *Derelinquat impius viam suam*, *& vir iniquus cogitationes suas*. Intellige hic per *viam*, mores cujusque & vivendi rationem, sive contextum operis & moliminum, in quibus quis versatur & sese occupatum habet, ut perveniat ad scopum, quem sibi proposuit: per *cogitationes*, proposita mala, quæ ad fines suos obtinendos cudit, ipso *actu* exequenda. Studium operis boni est in verbis, *Et se convertat ad Jehovam*, *& ad Deum nostrum*, tam affectu, quam actu; omnes suas cogitationes, proposita, actiones dirigendo secundum Dei voluntatem ad ejus gloriam, salutemque suam in ejus communione. Nihil in his est quod me detinet. Notiones enim sunt, & res iis subsratæ, tritissimi usus. Consequens ejus, *ut ejus miseratur*. Quid vero? Patetne etiam Gratia Dei *impiis*, hoc est, hominibus non tantum quibus *nulla* apud Deum *justitia* est, ex se damnabilibus, (quæ generalis vocis notio est:) verum etiam qui *absque* Dei *respectu ac reverentia* obsequuntur voluntati carnis; innocuos opprimunt; violentiam & scelus patrant; damnabiles coram Judicio Dei & conscientia sua; & *iniquis*, (*viris iniquitatis*) qui suæ utilitati student absque cura recti; jus & fas pervertunt; æquitatis & Justitiæ in cursu vitæ nullam rationem habent? Patet, ait Chorus sanctorum, si *se convertant*, antequam tempus longanimitatis Divinæ præterierit, quia *multus est condonando*. ירבה לסלוח *large condonat*. *multiplicat condonare*. ut alii. Est character Dei, qualem se revelavit ut *Jehovam* & *Deum credentium*, imprimis in Oeconomia Evangelii: ad quem ut *talem*, si *peccator*, & *gravissimus* etiam *peccator*, se *convertat* ex vero animi affectu & studio, reperire potest *gratiam*, tempore opportuno. Imo vero hic character Dei unicum sustinet fundamentum *conversionis* hominis peccatoris, & gravis peccatoris, ad Deum. Nemo enim se ad *Deum* convertit, nisi spe gratiæ. *Tecum est condonatio*, ait

Loca analoga ex hoc libro. Usus vocis דרש.

Item, *Jehovam invocare*.

Utrumque officium adstringitur alicui *tempori opportunitati*.

Sensus dicti Prophetæ.

Sequeretur tempus, quo impœnitentibus *claudetur ostium*.

Quatenus hoc officium generatim conveniat Judæis?

Quinam hic speciatim ex Judæis appellentur?

Tempus longanimitatis Divinæ Judæis concessum.

Quærere Jehovam quid sit?

Locus Act. II. 38.

Documentum ex hoc loco collectum, Deum longanimitatem suam certo adstringere tempori.

Locus Rom. II. 4. respiciens Judæos.

Oeconomia Divinæ Providentiæ erga homines singulares.

Christiani superfuerunt Hierosolymis usque ad Bellum cum Romanis.

Conversio expressa ℣. 7 secundum duas ejus partes.

Prior, *Abstinentia à malo*, respectu *propositi* & *actus*.

Via hominis stylo Scripturæ.

Amplitudo Divinæ Gratiæ respectu *impiorum* & *iniquorum* se convertentium.

Deus multus est condonando.

Amplitudo Divinæ Gratiæ, unicum fundamentum & argu-

a Marc. I. 15. *b* Act. II. 38. *c* Deut. XXXII. 20. *d* Cap. VI. 1. seqq. *e* Matth. VIII. 12. *f* Matth. XXI. 43. *g* Jes. V. 6. *h* Cap. XXVIII. 17. *i* Amos VII. 7. 8. *k* Rom. II. 4. *l* Ps. XXXIV. 6. *m* Act. XXI. 20. *n* Jos. *Ant.* Lib. XVIII. Cap. VIII.

mentum veræ conversionis,

ait Poëta facer [a]; *idcirco tibi exhibetur reverentia.* Quid ajo? lubenter condonat!; ampliſſime condonat; nullo peccati genere excepto ſub Oeconomia Nova, niſi *blaſphemia Spiritus S.* Inde dicitur πλούσιος ἐν ἐλέει *dives miſericordia* [b]. *Deus condonationum; gratioſus, & miſericors, longanimis,* ורב חסד & *ampliſſime exercens gratiam* [c]. Moſes [d]: *Et nunc celebretur quaſo,* vel *majorem modum ſe exſerat* VIS *Domini,* (in reprimenda ira) *quemadmodum loquutus es: Jehova longanimis, & amplus gratia, qui tollit peccatum, & transgreſſionem,* &c. O verbum amabile! quod Deum in Chriſto nobis reddit amabilem. Habemus enim τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν *in ejus ſanguine.* Ipſe hunc theſaurum Divinæ gratiæ & miſericordiæ Peccatoribus diſtribuit. ipſe eum cupidis gratiæ exponit. Dictum ejus [e]: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Ergo *veniant improbi & iniqui*; ſed veniant *in fide & ſe convertant:* poſſunt ſperare gratiam. Si jam hæc verba referas ad *ſubjecta* de quibus hic agitur ex noſtra hypotheſi, nimirum ad *fœdifragos* illos, & *irreſipiſcentes* peccatores, eoſque *graves* in Judæa Gente, qui ſalutem ſibi oblatam non admiſerant: ſentis, quæ ipſorum *via* ſit, quæ *cogitationes*, à quibus Vox Divina eos jubet deſiſtere ac reſipiſcere. Ut enim male *ſentiebant de Regno Dei*, & illud repellebant: ſic hactenus, (per *imprudentiam* plerique,) peſſima iniverant & ſequuti erant conſilia ad illud opprimendum. Plane ſibi perſuaſerant, Regnum Dei nunquam à ſe ablatum iri; Regnum Meſſiæ fore externum & carnale, ejuſque ſedem ſemper fore Canaanæam & Hieroſolymam; Gentes ſibi ad omne obſequium fore ſubjectas: Juſtitiam nullam dari, niſi ex operibus legis Moſaicæ: Gentes, ſi ad Regnum Dei admitterentur, ad Legis Moſaicæ obſervantiam obligandas eſſe; & his ſimilia. Ad has hypotheſes conformabant conſilia & opera ſua.

Præcipue ut demonſtratur ſub Oeconomia Nova.

Qualis *Reſipiſcentia*, & à qualibus vitiis, hic præcipue à Jeſaia ſpectetur?

γ. Occurrit præjudicio Gentis Judææ, ſibi perſuadentis, *Regnum Dei* à ſe nunquam auferendum & transferendum eſſe ad Gentes. ubi

a. Celebratur *altitudo* Divini conſilii quo providerat, ne *Verbum Gratiæ* fructu ſuo careret, etiamſi à majore parte Gentis Judææ ſperneretur.

γ. Occurritur Præjudicio Divinæ Gentis de Regno Dei à ſe non auferendo. ubi, a. Celebratur *altitudo Conſilii Divini* circa uſum Verbi ſui, ℣. 7. ſeqq.

℣. 8. QUIA COGITATIONES MEÆ NON SUNT COGITATIONES VESTRÆ, *& viæ veſtræ non ſunt viæ meæ, inquit Jehova.* ℣. 9. *Quia ut cœli ſunt altiores terra: ſic altiores ſunt viæ meæ viis veſtris, & cogitationes meæ cogitationibus veſtris.* ℣. 10. *Quippe* SICUT DESCENDIT IMBER, ET NIX DE COELO, *& illuc non redit, niſi irrigaverit terram, & illam fecerit parere, & producere germen, ut det ſemen ſeminanti, & panem edenti.* ℣. 11. *Sic res habet cum verbo meo, quod exiverit ex ore meo: non revertetur ad me vacuum. Quin faciet, id quod volo, & proſperabitur,* in omni eo *quo* illud *emiſi.*] Integram hanc Pericopam hic uno contextu exhibeo, quod partes ejus inter ſe cohæreant, & una abſque altera explicari & elucidari nequeat. Conſtat, ut quiſque videt duabus ſententiis, iiſque *comparativis*: quarum altera declarat altitudinem & ſublimitatem *cogitationum & viarum Dei ſupra cogitationes & vias noſtras:* altera, indubitatum effectum Verbi Jehovæ, ab ipſo emiſſi, ad efficienda ejus volita. Utramque ſententiam ſi generatim, & per ſe ſpectes: nihil dubii relinquit. Altera enim nititur perfectiſſima Dei ſapientia: alteram ſuſtinet infinita ejus & inſuperabilis potentia. Sed cum utraque ſibi præfixam habeat vocalem כי *quia*, quæ eas cum ſuperioribus & inter ſe connectit: quæſitum ſive dubium omne recidit in earum *συνάφειαν cohærentiam*, tum cum oratione ſuperiore, tum inter ſe. Quod ſi dixeris, vocalem כי *quia* vel in utraque, vel in poſteriore *vacare:* quod ſubinde fit: hoc ipſo tamen non expediveris dubium; quia cum partem orationis faciant, utique neceſſe eſt eas cum *antecedentibus & conſequentibus* orationis membris connecti, ne extra ſcopum hic productæ videantur. Ex noſtro quidem ſenſu, nihil hic eſt quod Interpretem, non plane ἄπειρον Λόγιε Προφητικῆ, multum fatiget. Oratio Prophetæ, rite inſpecta, ſuam lucem ſemper ſecum apportat. Regnat per commentationes Veterum & Recentiorum ſententia, quæ verba hujus Pericopæ nectit cum his quæ ἀμέσως præcedunt de amplitudine Divinæ gratiæ, quam exercet in remittendis hominum delictis, etiam graviſſimis: Cum enim in indole & ingenio hominum ſit ab illis, qui ſe injuria afecerunt, exigere vindictam, ſi licet; inprimis vero graviora delicta adverſus ſe commiſſa ex ſtudio vindictæ perſequi; & ſi forte neceſſitas & circumſtantiæ jubeant cum adverſariis coram in gratiam redire, vindictam tamen animo reſervare; *alias* hic plane eſſe *vias & cogitationes Dei:* Deum enim cujus eſt perfectio & bonitas ſumma, non levibus tantum, ſed & graviſſimis criminibus veniam dare poſſe & velle reſipiſcentibus, abſque commemoratione delicti, aut vindictæ cupiditate. Rationes itaque ipſius à rationibus humanis multum diſtare. Sic Cyrillus, inter Veteres, & poſt aliquos medii ævi Intt. Oecolampadius, Brentius, Mariana, Piſcator; ipſe quoque inter Hebræos Aben-Ezra & Kimchius. Addit Hieronymus; ſolitum eſſe hominibus, ſi quis injuria eos affecerit aut in eos deliquerit, promiſſa ei data reſcindere, & mutare voluntatem: ſecus vero ſe habere rationes Dei ſummi, cujus eſt in promiſſis gratiæ exequendis conſtans & mutari neſcia voluntas, licet hominum erga ſe fides vacillet. Utramque expoſitionem ſuam fecerunt Venerandi Belgæ. Sanctius conjugium hujus pericopæ cum *ſuperiore* ipſe quoque repetit ex *Verſu antecedente*, ſed ex iis verbis illius *commatis*, in quibus Deus *impios & iniquos* jubet *derelinquere cogitationes viaſque ſuas*, & ſe *ad ipſum* convertere: ſubjungere itaque protinus, graviſſimam eſſe hujus moniti rationem: neminem enim ſe ad Deum convertere poſſe, niſi *magnam* ſubeat *morum mutationem. Quia ſi ad Dominum redeundum & accedendum eſt; & humanæ deponendæ ſunt cogitationes, & aſſumendæ Divinæ, longiſſima ſpatia peccatori ſuperanda, plurima relinquenda, ... & tam elevandus à priori ſtatu quam à terris elevati ſunt cœli.* Non negem Viro Docto, ſententiam hujus pericopæ ad illa verba quoque referri poſſe ac reſpicere: ſed minus arridet, illum ſenſum Prophetæ flectere in ſententiam *moralem*; quæ licet nihil falſum, quin ſane laudabilem doctrinam, contineat: non poſtulabat tam grandiloquam orationem. Eſtne enim in terris mortalis, qui ignoret, Dei puriſſimi ac ſanctiſſimi entis naturam & agendi rationes longe diſtare à cogitationibus & moribus *improborum & iniquorum* hominum? Intelligunt id omnes, quotquot conſcientiam audiunt; ipſi quoque impii, ſi hactenus eo impietatis non venerint, ut notitiam Dei animo ſuo nitantur eradere. Quin, ſi id hoc loco diceretur; haud dubie Oraculum cœleſte non diceret, Dei *cogitationes & vias* ALTIORES eſſe *cogitationibus & viis* hominum; ſed *rectiores & puriores*, & à *cogitationibus & viis* hominum *diverſiſſimas*. Addo, ſententiam *articuli ſequentis* huic expoſitioni non cohærere. Prior, & vulgatior, commentatio quam exhibui, tolerabilis eſt, meo judicio; & *ſequenti articulo* longe commodius cohæret: maxime ſi Hieronymi interpretatio ei accedat. Nec tamen in ea acquieſco. Si enim Os Divinum id hic loci dicere voluiſſet, videtur hoc loco non fuiſſe appellaturum eſſe *cogitationes & vias ſuas*, ſed חסד *gratiam* & רחמים *miſericordias ſuas*, ut Pſ. CIII. 11. *Quia ſicut altum eſt cœlum ſupra terram: valida eſt* BENIGNITAS EJUS (חסדו) *ſupra reverentes ejus.* Equidem inficias ire nolim, vocem דרכים *viæ* in eadem *Ode*, ℣. 7. referri poſſe ad *gratiam* quam Deus exercet erga peccatorem reſipi-

Intt. aliquorum hac de re ſenſus: connectunt verba cum *amplitudine Divinæ Gratiæ*, ſupra memorata.

Auctores hujus ſententiæ.

Sanctii ſententia.

In eam interpretationem ἐπίκρισις.

Analyſis hujus Pericopæ, ejuſque argumentum.

Quomodo ea cum ſuperioribus cohæreat?

Reſpectus vocis כי h. e.

Perinde in priorem.

Reſpectus vocis דרכים *viæ*, ex uſu Scripturæ Sacræ.

a Pſ. CXXX. 4. b Epheſ. II. 4. c Neh. IX. 17. d Num. XIV. 17. coll. cum Exod. XXXIV. 7. e Joh. VI. 37.

reſipiſcentem: ſed non putem, vocem מחשבות *cogitationes* hoc ſenſu uſurpari. Accedit, hunc ſenſum excludere omnem cognationem, inter uſum vocum *cogitationum* & *viarum*, ut uſurpantur (ſecundum illam hypotheſin,) in hoc *commate*; & inter earundem notionum uſum in *commate antecedente*: quod omnino videtur ſe aliter habere. Ergo eo ventum eſt, ut ſenſum animi mei diſertius explicem. Verba hæc noſtra aptiſſime & concinne cohærent, tum cum argumento toto *hujus* & *ſuperioris Sectionis*; tum cum proxime antecedenti. Prophetia verſatur in argumento amplificationis Eccleſiæ, cujus magnam partem faceret Vocatio Gentium, earumque adjunctio ad Eccleſiam; quas *Gentes*, eoſque *validos* & *potentes Populos*, Chriſtus Jeſus vi obedientiæ Patri præſtitæ *partiretur hæreditatem*, Cap. LIII. 12. quæ Gentes implerent tentorium *Eccleſiæ Liberæ*, (Cap. LIV. 1--3.) quæque eædem Gentes in initio hujus *Sectionis* invitantur ad communionem bonorum gratiæ. Interim obverſantur Deo, poſt Eccleſiam Chriſti jam Hieroſolymis formatam & fontem gratiæ apertum, plures *cunctabundi* inter Judæos, iique duplicis generis; alii *non* adeo *longe remoti à Regno cœlorum*, attamen hactenus tergiverſantes in acceptando Meſſia; alii graviores peccatores, ſive in peccatis viventes pro more Sæculi illius corrupti; ſive etiam Regno Meſſiæ, jam fundato Hieroſolymis, adverſi, & confeſſores veritatis *iniquiſſime* perſequentes. His communia erant *præjudicia* ſive *cogitationes* de Regno Meſſiæ, falſa atque erronea, quæ ſupra jam attigi & ſummatim recenſui: veluti, Regnum Meſſiæ fore *externum* & temporale; adminiſtrandum à Meſſia, mero homine: & quidem Statu ſummæ Gloriæ & Magnificentiæ externæ: ſedem illius Regni fore Hieroſolymam; & Religionis, Templum: Legem ritualem Moſaicam, & Oeconomiam à Moſe inſtitutam, in omne Sæculum duraturam: juſtitiam apud Deum nullam dari niſi ex operibus illius Legis: Regnum illud Dei à Judæis, aut ex Hieroſolymis, nunquam ablatum iri, aut tranſlatum ad Gentes: Gentes equidem cæteras obnoxias fore huic Regno, tanquam proſelytos ſive Domicilii, ſive Juſtitiæ; ſed ſemper Statu *ſervitutis corporalis*; ut licet participes ejuſdem Religionis, conditione tamen ſtatus longum à cæteris Judæis differrent. Hi itaque homines cum viderent aliam *ſpeciem Regni Dei* quam ſibi propoſuerant; & tamen ſimul obſervarent ſigna luculenta Divinæ Gratiæ & Præſentiæ apud Eccleſiam: dubii & incerti erant animi, tergiverſabantur atque hæſitabant in Regno Dei admittendo, cum à ſe impetrare non poſſent, ut *ſe abnegarent*, & omni veſte privilegiorum ſuorum carnalium ſe *exuerent*; ut *nudi* plane & *exuti* ſuis veſtibus, induerentur *juſtitia* Chriſti Jeſu. de quibus Habakukus [a]: *Ecce animus ipſius* SE EFFERT: (עפלה *clivatur*, propriam juſtitiam ſectatus,) *non eſt rectus in ipſo*. Alii etiam eò impietatis & iniquitatis procedebant, ut ſe progreſſui Regni Chriſti opponerent, aut in ſtatu peccati perſeverarent. Hos itaque Chorus Propheticus proxime compellaverat, & hortatus fuerat ad *fidem*, ℣. 3. & *reſipiſcentiam*, ac converſionem à *cogitationibus viiſque ſuis*, vocatione finali, antequam Regnum ſuum è medio illorum removeret. Quod dum agit, docet, α. Deum hunc magnum Servatorem & Doctorem certiſſime deſtinaſſe *Gentibus*, quæ hanc tantam ſalutem, ſibi oblatam, neutiquam ſpernerent; ſed aviditſſime admitterent; quin concurſu integrorum Populorum Eccleſiam credentium cum tempore inſigniter honeſtarent. Sic Deo eſſe proviſum, ut etiamſi ipſi ſuo damno in incredulitate perſiſtant: Deus tamen non excideret fructu ſummi hujus Doctoris & Salvatoris in Mundum miſſi. β. *Cogitationes* ipſorum, & *vias*, infinitum diſtare à *cogitationibus* & *viis* Dei. Deum enim longe alia cogitare de *vero* ſuo *Regno*, per Meſſiam erigendo in Mundo, & Regni ejus hæredibus; & de *juſtitia* peccatoris, ac cogitabant ipſi. eſſe enim ipſorum præjudicia ſuperſtructa falſiſſimis erroribus. nullam hic eſſe proportionem. Quare ſi ſe ad Deum ſerio convertere, in Chriſtum Jeſum credere, & Regnum Dei admittere velint: deponenda eſſe præjudicia *falſa*; abſtinendum *iniquitate* & *injuſtitia*; & profunditatem ac ſapientiam conſiliorum Dei in hac Oeconomia Eccleſiæ & Regni ſui ordinanda humili animo agnoſcendam eſſe. Sic omnia ſibi pulchre conſtant. Quibus ad ſummam rei generatim dictis, paucula tantum ad phraſin illuſtrandam ſubjiciam.

Probabilior ſententia exponitur.

Pericopa hæc cohæret cum prophetia de *Vocatione Gentium*.

Et cum proxime præcedentibus, in quibus exhortatio dirigitur ad Judæos cunctabundos.

Illorum præjudicia.

In quibus fundata erat illorum cunctatio.

Locus Habakuki, Cap. II. 4.

Nexus orationis inde petitus.

Cogitationes Dei, quibus diſpenſavit Oeconomiam Gratiæ, infinitum ſuperiores ſunt cogitationibus hominum.

℣. 8. *Quia cogitationes meæ non ſunt cogitationes veſtræ; nec viæ veſtræ viæ meæ.*] Hoc eſt, nulla inter ea intercedit συμμετρία *proportio*. Per COGITATIONES *Dei* intelliguntur, ſtylo Scripturæ S. ejus *propoſita*, *conſilia*, *decreta libera*. ſunt enim vere *decreta Dei*, liberi *actus* Divinæ mentis, hoc eſt *cogitationes*, ſed perfectiſſimæ, ut naturæ Divinæ convenit. Phraſis recepta fuit uſu in Schola Sanctorum. Sic Vir Divinus [b]: *Conſilium Jehovæ perſiſtit in ſæculum*: מחשבות לבו COGITATIONES CORDIS EJUS *in quamque generationem*. Jeremias [c]: *Quia immotæ conſiſtunt contra Babelem* מחשבות יהוה COGITATIONES JEHOVÆ. Idem Propheta alibi vocat מזמות *cogitationes conſultas*, deliberatas [d]: quæ genuina vocis notio eſt. VIÆ DEI, ſunt vel *quibus ipſe incedit*; vel *quibus homines incedere vult*. Poſteriore modo notant *præcepta*, & *Leges Dei*. Priore, qui hic uſum habet, *ſeriem continentem actionum* operumque Divinæ Providentiæ, per quæ tendit ad fines ſibi in decreto propoſitos. Utrumque ex Verbo Dei notiſſimum. *Cogitationum* ac *viarum* hominum parilis hic ratio eſt. Quomodo autem hæ duæ ſint non *idem*: mox uſu veniet monere. Deus enim ſe ipſe interpretatur.

Oratio Prophetæ elucidatur, ℣. 1. Quid per *cogitationes* Dei, ſtylo Sacro, intelligatur?

Loca analoga, ex quibus vox illuſtratur.

℣. 9. *Quia ut alti ſunt cœli ſupra terram, &c.*] Proprie: *Quia alti ſunt cœli ſupra terram*, SIC, & ſeqq. Deeſt itaque *comparativarum particularum* altera, per ellipſin: נבהו eſt pro כגבהו vel כאשר נבהו. ut in ℣. 10. כי כאשר ירד הגשם. Duæ propoſitiones hac ſententia involutæ ſunt: altera, *Cogitationes & vias Dei* eſſe *altiores cogitationibus & viis hominum*: altera, *eſſe* iis *immenſum altiores*. quod ut doceret os Divinum, comparationem ſumit ab altitudine *cœlorum* ſupra *terram*, quam vidimus Vatem Sacrum quoque adhibere Pſ. CIII. 11. confer Pſ. LVII. 11. De ſubſtrato hujus comparationis nemo dubitat; ſive per *cœlos* hic intelligas *Expanſum* illud *ſtellatum*, in quo viſus noſter terminatur; ſive *Locum* illum glorioſum, viſibilibus cœlis altiorem, quem Deus eſſe voluit *ſedem & thronum* ſuæ Majeſtatis, ſtylo Scripturæ ἐμφατικῶς מרום ALTUM, τὰ ὕψιστα, dictum [e]. Sed prior notio ut vulgatior eſt: ſic nobis hic plane ſufficit. Altitudo *cœli ſtellati*, quod ne ipſum quidem vaſtiſſima cœlorum ſpatia & extenſionem terminat, eſt immenſa. Nulla mathematum aſtronomicorum eaque intentiſſima & peritiſſima contemplatio, in qua ætas noſtra Veterum obſervata & profectum longe ſuperavit, eam ex ullis principiis illius diſciplinæ definire ſuſtinet: idque ſane Vates ipſe docuerat Cap. XL. 12. Nemo prudens homo in hoc profundiſſimum extenſum, ſolius manus Divinæ opus, intuetur, idque cogitatione ſua perpendit atque conſiderat, quin rapiatur in ſtuporem Divinæ magnitudinis, excellentiæ & ſapientiæ; & ſe coram hoc magno Naturæ rerum Opifice proſternat humi, eumque venerabundus adoret. Non eſt alia ratio *conſiliorum & viarum* Dei, quacunque parte rem contempleris. Rationes quæ Deo obverſatæ ſunt in conſiliis ſuis quibus Oeconomiam humani generis, & ſingulorum hominum ſtatum atque eventa, definivit ac circumſcripſit, quas rationes quiſque intelligit ſapientiſſimas eſſe; nemini mortalium, nemini Angelorum perſpectæ ſunt. Eventa quidem omnium *viarum* Dei, ſive circa ſtatum generis humani; ſive circa Oeconomiam Populorum & Gentium, & ſingularium in iis hominum, exhibent prudentibus & viarum Dei in-

℣. 9. *Quia alti ſunt cœli, &c.*

Ellipſis obſervata in verbis Jeſaiæ.

Subſtratum comparationis extra dubium poſitum eſt.

Varia notio cœlorum.

Altitudo *cœli ſtellati*.

Altitudo Divinorum Conſiliorum.

Quid hominibus hic cognoſcendum?

a Cap. II. 4. b Pſ. XXXIII. 11. c Cap. LI. 29. d Cap. XXIII. 20. XXX. 24. e Cap. LVII. 15.

telligentibus hominibus clarissima vestigia Divinæ Clementiæ, Longanimitatis, Bonitatis, Justitiæ, quæ virtutes in omnibus viis Dei elucent: sed nexum & cohærentiam omnium partium earum, & peculiares fines cogitationum & operum Divinorum, ingenium finitum non attingit. Id ipsum est quod fuse exequitur *Ecclesiastes*, Vir sapiens, in Libro hujus argumenti. *Considerasse* se ait diligenter *omne opus Dei sub Sole*; nempe ut nexum & fines peculiares Divinæ providentiæ cognosceret: sed *quærendo fatigatum nihil invenisse*; *imo certum se, neminem inventurum esse.* quin *si dixerit sapiens, se assequutum esse: falsum tamen affirmare, quippe ab homine inveniri nequeat* [a]. Idem aspectus est consiliorum quibus Deus disposuit de Oeconomia Ecclesiæ, & de dispensatione gratiæ ejus in hisce terris. Occurrunt hic *vias* Dei contemplanti paradoxa, ad quæ stupet. Deum, verbi gratia, post promissum gratiæ toti generi hominum datum, Gentes cæteras siviisse ambulare in viis suis longo sæculorum tractu: soli Abrahami prosapiæ se in gratia revelasse: eundem tamen Populum, qui *Populus ipsius* dicebatur, passim sustinuisse modico rerum suarum statu: sæpe gravissime affligi siviisse ab hostibus, & quæ hujus generis sunt alia: longissime remota videntur à cogitationibus mortalium. Quid jam dicam de sorte, qua Deus in ipso quoque Populo suo hominem ab homine discrevit, ut veram suam gratiam statuerit communem facere cum paucis ad salutem æternam? Nihil hic assequuntur sapientes de sæculo; quare multi audacis ingenii homines nisi sunt suis cogitationibus cogitationes Divinas emendare, & systema viarum Dei in alium componere ordinem; ut quam gratiam Scriptura S. & Eventus *privam* esse docent, illi *communem* facerent. Sic enim existimabant, Deum *cogitationes suas* dirigere & *vias suas* instituere debuisse: non cogitantes, immensam esse altitudinem & profunditatem *cogitationum Divinarum*, & *viarum*, tendentium ad fines homini non perspectos; & ob causas, homini non cognitas. Inter *cogitationes* & *vias Dei* & *hominis* tantum hic interjacet intervallum, quantum infinitum dirimit à finito: majus longe quam quod supremos cœlos à tellure hac nostra dividit. Inprimis tamen hæc distantia inter *cogitationes Dei* & *hominis* observabilis est in hominibus *carnali ingenio* & *prudentia* præditis, de quibus hic Jesaias. Prudentibus enim & à Spiritu S. doctis atque affectis multa in ordine & nexu viarum Dei in dispensandis Oeconomiis gratiæ patent, tum ex revelatione Divina; tum ex propria meditatione: in quibus sæcularis prudentia plane cæcutit. Utique verum est, Deum *vias suas* circa manifestationem *Regni* gratiæque suæ salutaris sic ordinasse, ut sapientiæ carnali illuderet, eamque prostitueret. Quicquid enim hic occurrit, veluti, *Missio Filii in mundum* ad impetrandam salutem humani generis; ejus *humiliatio* ad mortem usque crucis, & *Resuscitatio* ex mortuis; Regnum ejus spirituale, absque ullis instrumentis sapientiæ aut potentiæ sæcularis ex parvis initiis propagandum per Orbem; Vocatio Gentium ad æquas cum Judæis portiones in hoc Regno; Rejectio majoris partis Gentis Judææ, cum severissimis Dei in eam Gentem judiciis; Justitia fidei, spreta Justitia operum: hæc, inquam, & horum similia non capit ingenium carnale. Judæus superbiens privilegiis suæ Gentis stupet. Tanta hic distantia est *cogitationum* Dei & *hominum*, & utriusque *viarum*: quanta intereſt inter cœlos & terram. Ob quam rationem Apostolus *Vocationem Gentium*, (ad quam in hoc loco Jesaiæ præcipue respicitur,) vocat μυςήριον, *à sæculis absconditum*, sed in quo *sancti* vident *multiformem Dei sapientiam* [b]; & de hoc ipso argumento agens exclamat [c]: O PROFUNDUM DIVITIARUM *& sapientiæ & cognitionis Dei! quàm imperscrutabilia sunt judicia ejus, & viæ ejus imperveſtigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis ei a consilio fuit?* Confer Cap. XL. 13. Ps. XXXVI. 7.

Locus Eccles. VIII. 17.

Præsertim in dispensandis Oeconomiis Ecclesiæ.

Et sortibus singularium hominum.

Errores hominum cogitationes Dei ex suis metientium.

Homines ingenii carnalis hic nihil sapiunt.

Viæ Dei directe oppositæ sunt cogitationibus carnis.

Intervallum hic interjacet non superabile.

℣. 10. *Quia* SICUT *descendit imber & nix de cœlo, & seqq.* ℣. 11. SIC *erit verbum meum, & seqq.*] In re liquida non est statutum pluribus disputare. Sensus, scopo consentaneus, est; *Verbum Evangelii*, quod vere est *Divinum*, & interiorem Dei naturam mortalibus explicat; quodque idem est *Verbum cœleste*, complectens κλῆσιν ἐπεράνιον *vocationem cœlestem* [d]; & aptissimum medium *animi* hominis, per naturam *sterilis* & ad ullam bonam frugem producendam *inepti*, imbuendi seminibus veræ cognitionis ac virtutis, & *immutandi affectus* ejus, ad *frugem spiritualem* edendam, Deo & hominibus jucundam: (ob quas *duas proprietates pluviæ* & *nivi* comparatur:) semper obtinere *effectum* ex Divina Voluntate, nec unquam *vacuum* ad Deum redire: semper enim *exire* cum *mandato* hujus aut illius producendi effectus, accommodati ad Leges Divinæ Providentiæ; sive *convincat*, *refellat*, ac prosternat; sive *doceat* ac *illuminet*; sive *regeneret* ac *convertat*; sive *moneat* ac *suadeat*; sive *consoletur* ac *vivificet* mentem afflictam: nunquam autem fallere effectum, aut fallere posse, efficere omnia Dei volita. Sic plane, ait Dominus, se rem habituram esse cum *Verbo*, quod *mitteret inter Gentes* ad eas vocandas ad communionem Regni sui. non exiturum esse frustra. *irrigaturum* esse ex voluntate Dei *sterile* Desertum Gentium, & quidem cum insigni fructu: ut si Judæi salutem sibi cum hoc Verbo oblatam ingrati suo periculo respuant; Deo hac parte abunde sit provisum. Effecturum enim omnia Dei volita inter Gentes. Cætera nihil fere habeo, quod ad emblema ipsum, per se intellectu facillimum, adscribam. *Pluvia*, sub qua *nivem* comprehendo, est venustum symbolum, cum aliarum rerum spiritualium, pro variis locorum circumstantiis; tum imprimis doctrinæ salutaris, ac præsertim Evangelii: ut jam docui ad Cap. V. 6. XXX. 23. confer Deut. XXXII. 2. Ps. LXVIII. 10. Affine emblema est Cap. XLIV. 3. *Pluvia* est, α. Res *cœlestis*, sive quæ ex *cœlo descendit*. β. à Deo datur & *mittitur* instar *doni*, *cœlitus descendentis*. γ. Conservatur in *nubibus*, & ex iis prodit. δ. Apta est *irrigare* terram, eamque *fœtam* reddere, ut consita progerminet bonam frugem. ε. Unicum medium & instrumentum est hujus effectus producendi. ζ. *Imber*, sive *pluvia densa* & *gravis*, (גשם) secundum naturæ Leges ad hunc effectum in sterili solo producendum aptissimus est. η. Post *effectum* in terris ex Dei mandato editum, *ad eum redit*, quod *vapores* soluti calore Solis cœlum repetant. Applica hæc enunciata ad Verbum Evangelii, primo tempore gratiæ ex Apostolis & Præconibus Doctrinæ salutaris tanquam ex *Nubibus* effusum; & nullibi hærebis. Jesaias effecta *pluviæ* & *nivis* explicans, ait, α. *irrigare terram*. β. eam *frugiferam* sive proprie *gignentem facere*. יולד γ. & *progerminantem*; ut edat *semen satori*, & *panem edenti*. Quæ si pulchre dicta sunt de emblemate: pulchrius multo transferuntur ad rem spiritualem. Verbum Dei *irrigat* animum hominis gratia vacuum, ubi, comitatum virtute Spiritus S., eum imbuit necessaria doctrina veritatum salutarium & vera consolatione. Reddit eum *fœtum* & *frugiferum*, ubi eadem virtute Sp. S. comitante in eo producit *aptitudinem* ac facultatem producendi frugem *solidam* spiritualem ad laudem Dei & usum communem humani generis; & cum aptitudine *voluntatem*, eam ipso actu producendi. Censetur autem illud *Verbum* ad Deum *redire*, quod *effecta* in homine edat quæ illum *cœlum* versus rapiunt. Sunt *affectus cœlestes*, & iis analogæ operationes.

℣. 10. *Quia sicut descendit imber, & nix, de cœlo, &c.* Verbum Dei, ex cœlis originem trahens, & Vocationem complexum cœlestem, semper obtinet effectum.

Usus ejus varii.

Applicatur ad Evangelium, prædicandum Gentibus.

Pluviæ in spiritualibus respectus.

Similitudo, quæ inter *pluviam* & *Verbum* Dei intercedit.

Effecta *pluviæ* & *nivis* ex his verbis collecta, & ad rem spiritualem applicata.

b. *Exequutio* illius Consilii ostenditur in *Expeditione* Apostolorum & Evangelistarum.

(a.) *Exitus* cum quodam suo adjuncto.

b. *Exequutio* illius Consilii. (a.) *Exitus*

℣. 12. *Quia cum gaudio* EXIBITIS; *& in pace deducemini:* MONTES *&* COLLES *fragorem coram vobis edent cantu: & omnes* ARBORES AGRI *complodent manus.*]

[a] Eccles. VIII. 17. [b] Ephes. III. 10. [c] Rom. XI. 33. [d] Heb. III. 1. [e] Zach. X. 1.

Apostolorum & Evangelistarum in Mundum cum adjuncto Gaudii, ℣. 12. *Quia cum gaudio exibitis, &c.*

manus.] Dum superiora scripserat Vates, raptus in extasin, rursus sibi proponit exitum, sive expeditionem Præconum Verbi gratiæ ad Gentes; ut *Verbum Dei*, de quo modo facta erat mentio, ad eas portarent, easque ex consilio Dei, quod proxime enarraverat, invitarent ad communionem bonorum gratiæ; plaudentibus Populis quotquot cura salutis suæ affecti erant, vel ad ipsum illud præconium de indigentia salutis convicti, valide afficerentur. Id vero Vates enarrat hoc *commate:* mox enarraturus *successum* optatum hujus expeditionis, ℣. 13. Plerique Interpretes Christiani *exitum* de quo hic mentio fit, accipiunt de *exitu* Populi à Christo Redempti ex communione Mundi & Servitute peccati in *libertatem veram* filiorum Dei, per Exitum ex Ægypto & Babylone figurato; quia, cum ex *superioribus* clarissime pateat, agi hic de Statu Ecclesiæ N. T. huic loco non convenit cogitare de *exitu ex Babylone:* de quo tamen Mariana & Grotius verba hæc interpretantur. Judæi plane hic non agnoscunt *exitum ex Babylone*, cujus nulla in hoc *Sermone* mentio est: sed verba accipiunt de Liberatione sua ex præsenti Exilio: quæ hypothesis nixa præjudiciis erroneis hujus Gentis, à me hoc loco negligitur. Largior volens, vocem יצא *exire*, *egredi*, admittere hanc notationem, cum alibi; tum in *Legibus Mosaicis* [a]. Sed cum sit generalis usus: non opus est illam interpretationem ei omni in loco adstringere. Imo vero egomet ipse eam vocis notionem hic non negligo, sed reservo. Communis interpretatio nihil vitii habet, nisi quod minus commode cum *antecedente* & *consequente* contextu concilietur. Ergo ne per longiores ambages eam: qui hæc verba nostra confert cum Cap. LII. 7. seqq. videbit, eandem utrobique rem agi, & quod ibidem dictum erat, hic repeti, vel confirmari. Sic jam præivit Cl. Coccejus, quem, favente ratione, lubens sequor. Exhibentur ibi primo Præcones, præferentes *Verbum nuncii boni, pacis, salutis, exeuntes* ad Gentes, cum *plausu*, *jubilo*, & hunc *lætum nuncium* ubique vulgantes, & alta promulgantes voce, cum demonstratione efficaci potentiæ & gratiæ Divinæ; per quos cum Paulo [b] intelleximus Apostolos & eorum cooperarios, Præcones Evangelii gratiæ. Mox auditur Vox cœlestis, ℣. 11. *Recedite, recedite,* סורו סורו יצאו EGREDIMINI INDE; *impurum ne attingite*; EGREDIMINI *è medio eorum*; *purificamini, qui portatis vasa Jehovæ*; .... *quia ante vos procedit Jehova, & agmen vestrum claudit Deus Israëlis.* ubi de eodem *exitu* mentionem esse, contextus nos non sinit dubitare. Intelligimus autem ex eodem illo loco, *Exitum* illum nobis obversari gemino aspectu: vel *expeditionis* suscipiendæ ad occupandam hæreditatem Mundi: vel *exitus* in libertatem & *separationis* ab Hierosolyma *serva*, *polluta*, destinata Divinis judiciis: idque ex contextu & locis parallelis evicimus. Quæ si recte disputata sint: non licet dubitare hoc nostro in loco eandem rem dici & agi. Sunt enim dicta plane parallela. Rursus si quis retrogrediatur ad Cap. XLIX. 8. 9. offendit ibi Sermonem Dei ad Christum Messiam, Servum Jehovæ, ejusque Corpus mysticum, Ecclesiam primorum credentium, in hanc formam: *Et dedi te in fœdus populi, ad erigendam terram, &* LOCA DESOLATA DISTRIBUENDA IN HÆREDITATEM: *dicendo vinctis, Exite, & his qui in tenebris sunt, prodite in lucem, & seqq.* Agitur autem ibi præcipue de *Vocatione Gentium.* Alia quæ huc pertinent, in locis illis exponendis adducta, transeo. Ergo παραλληλία horum locorum nos jubet hic respicere *exitum* credentium, & speciatim Apostolorum & Evangelistarum, ad Verbum Evangelii, quod *exierat ex ore Dei*, vere Divinum ac cœleste, ferendum ad Gentes, & ad occupandam hæreditatem Gentium, auspice Christo Jesu, ipsorum duce; dum se simul *separarent* ipso actu ab Hierosolyma impura, serva, impœnitente, eamque Divinis relinquerent judiciis: in qua expositione servatur verissima proprietas vocis יצא *exire*; quæ in emphasi sumitur vel de *exitu* ad suscipiendam expeditionem; vel de *exitu* in libertatem. *Exirent* autem *cum gaudio & pace.* h. e. alacriter, tuto; ferentes ad *Judæos*, sparsos per Gentes, & præsertim ad *Gentes*, quæ hic insigniter respiciuntur; LÆTUM *nuncium*, *nuncium* PACIS. *Exire in pace* est *exire tuto*, prospere, ex voto. phrasis extat Jer. XLIII. 12. Dubites de eventu? Lege Epistolas Paulinas, & videbis illum omni casu commemorare suum *gaudium*, quod percipiebat tum ex honestissima ad Gentes *legatione*; tum ex *profectu* Evangelii: quod *gaudium* spirituale, cœleste, Divinum, lætitiæ mundanæ ne comparari quidem potest. est χαρὰ ἀνεκλάλητος *gaudium ineffabile.* Sic ipse [c]: *Sed nullius rei curam habeo, neque vita mea mihi ipsi cara est*, ὡς τελειῶσαι τὸν δρόμον μου μετὰ χαρᾶς, *ut consummem cursum meum* CUM GAUDIO, *& ministerium quod accepi à Domino Jesu ad etiam atque etiam testificandum Evangelium gratiæ Dei.* In cooperariis ejus idem regnavit affectus. *Sed quam plurimum*, ait [d], *gavisi sumus* ἐπὶ τῇ χαρᾷ Τίτου OB GAUDIUM TITI, *quod refocillatus sit spiritus ejus ab omnibus vobis.* Nulla pericula, adversa, afflictiones, probra, imo ne mors quidem & *mortes* ipsæ, quæ iis continuo ante oculos versabantur, illud potuerunt turbare. Sequutus vel comitatus ipsorum exitum est plausus & lætitia Gentium; quam *lætitiam* facile patior simul intelligi in dicto, *Cum lætitia exibitis.* Sed Propheta hoc commune *jubilum*, hunc *plausum* Gentium, protinus diserte explicat, figura scite ficta, sed ipsi non insolente. *Montes*, inquit, *& colles ante ipsos edituros fragorem, & arbores agri complosuras manum.* Habuimus hanc figuram Cap. XLIV. 23. XLIX. 13. LII. 9. sed in illis locis per modum *Apostrophes*, *montes & colles* excitantur ad *jubilum* & *plausum:* hic θετικῶς *lætaturi & plausuri esse* dicuntur: quam tamen differentiam hic non urgeo. Si eam in genere accipias: significatur, *Exitum* Præconum gratiæ ad Verbum salutis & Redemptionis ferendum ad Gentes, in se habere materiam magni solidique gaudii; de quo figuræ sensu ad Cap. XLIV. 23. ample satis egi. Medio enim hujus *Verbi* sterile Desertum Gentium *irrigandum* erat cum certissimo effectu fertilitatis, & convertendum in Paradisum Dei: ut si in *montibus*, *collibus*, & *arboribus agri* sensus esset, si ratio & intelligentia; Apostolis ac Legatis Dei ingente motu acclamarent, & *arbores* foliis & ramusculis tanquam à vento inter se agitatæ ac concussæ, (quod in *arboribus* est *complodere manus*, ut Chaldæus, ישפקון בענפיהון *plaudent ramis suis:*) in argumentum & signum lætitiæ Viris hisce Dei applauderent. Sed licet hic etiam altius assurgere & emblemati omnem vim suam indulgere. Sensus emphaticus est; Gentes & Populos, salutis suæ & veræ Religionis cupidos, cum ingente lætitia recepturos Evangelium Filii Dei, & Evangelii Præcones cum omni significatione gaudii, honoris, venerationis, habituros, admissuros esse: *Regna*, ajo, integra, *Respublicas*, (emblemate *montium & collium:*) Proceres, Magnates, Principes, Reges, Imperatores, Virosque doctrina, existimatione, sapientia eminentes, (symbola *arborum*,) *Nuncio & Nunciis* Salutis Evangelicæ cum jubilo applausuros esse: quod Vates noster futurum proxime prædixerat Cap. XLIX. 7. LII. 15. ne nunc altius ascendam. Quod ita non est accipiendum, acsi hic effectus uno temporis articulo Præconium Evangelii comitaretur: sed ex ordine Divinæ Providentiæ, *gratiam* dispensantis *ἰδίοις καιροῖς propriis & opportunis temporibus*, per gradus & articulos temporum sisteretur: eum in modum ut ab illo ipso tempore hic mirabilis eventus contra omnium exspectationem initium sumeret, & per incrementa tandem consummaretur. Vidit itaque Orbis terræ, quod se visurum nunquam crediderat; videtque hodiedum; magnos Populos, Regna, Civitates, Proceres, Doctos, spectabiles Viros, Apostolos & Præcones Evangelii, in summa habere

Communis sententia Interr. Christianorum de hoc Exitu.

An verba conveniant *Exitui ex Babylone*?

Vitium communis interpretationis.

Verba exponuntur de Exitu *Præconum Evangelii* ad Gentes.

Locus Cap. LII. 7. seqq. cum hoc collatus.

Geminus aspectus hujus Exitus.

Confirmatur exegesis ex Cap. XLIX. 8. 9.

Proprietas vocis יצא h. l.

Quo *fine* exirent?

Gaudium hic memoratum quale?

Adfuit prælusis Præconibus Verbi gratiæ.

Plausus Gentium illos comitatus est.

Montes & colles ad hunc Exitum *plauderent.*

Quid hoc emblemate significetur?

Sensus pœnitior.

Gentes, Gentiumque *Regna & Respublicæ* Præconium Verbi gratiæ cum jubilo admissuras esse.

Arbores, quid spiritualiter significent?

Implementum Prophetiæ.

[a] Exod. XXI. 5. seqq. [b] Rom. X. 15. [c] Act. XX. 24. [d] 2 Cor. VII. 13.

habere veneratione & honore; doctrinam illorum cum plausu & jubilo laudare, celebrare; progressum Evangelii grato ac lubente animo commemorare; nuncium salutis ab iis acceptum summum æstimare bonum & beneficium, quod Deus mortalibus indulget; & quæ cætera huc pertinent: ut sane exemplum, quod dederant Antiocheni Pisidiæ, affecti à Præconio Pauli, se per integros Populos diffuderit. Sic de iis Lucas [a]: *Gentes autem hæc audientes* GAVISÆ SUNT, *&* LAUDIBUS EXTULERUNT *Sermonem Domini.* Legantur *Acta* Lucæ, & Paulinæ omnes, & ex iis intelliges, quanta lubentia, veneratione, lætitia, Gentes ad quas scribit, Evangelium Christi Jesu receperint; & quanta veneratione Nuncios illius prosecuti sint; omnia iis devoventes. Erat enim character primorum credentium χαρὰ *gaudium.* [b]

(*b.*) *Successus & effectus* exitus ad Gentes.

(*b.*) *Successus* Exitus ad Gentes, ℣. 13.

℣. 13. *Pro* FRUTETO *succresceat* FRAXINUS, *&* DUMETO *succrescet* MYRTUS; *& erit Jehovæ in nomen, in signum perpetuum: non exscindetur.*] Effectus esset conversio *Deserti Gentium* in hortum & amœnum Paradisum Jehovæ, in laudem & decus æternum Divini Nominis. Vocem נעצוץ, quam hic per *frutetum* verti, habuimus Cap. VII. 19. nec extra hæc loca occurrit. Hieron. reddidit per *saliuncam* vel *saliunculam.* Symm. per σισβὴν, quæ est *herba palustris.* Kimchius accipit pro *spina alba acuta.* Hic loci scribit: מין ממיני הקוצים ובן סרפד יגדלו במדבר ואלרז *Est species spinarum, perinde ac* SIRPAD, (quod sequitur,) *& hæ crescunt in* DESERTO. Avenarius: *Rubus spinosus, frutetum, spinetum;* & comparat cum Græcis ὄξυς, & ὀξύνω. Nihil hic certi finiri potest; nisi quod in genere ex utroque loco pateat, esse *fruteti* humilius & ignobilius genus. Opponitur ei ברוש *fraxinus*, arbor selectissima, ad *Cedrum* proxime accedens, ut vocem accepimus Cap. XIV. 9. XLI. 19. Quod sequitur סרפד, hoc tantum loco lectum, consentiunt fere omnes esse *dumeti* vel *spineti* genus. Videtur enim esse composita notio, ex סיר *spina*, & quod Avenarius conjicit, רפד *instravit*; ut sit *locus spinis instratus.* quod tamen incertius. Hieron. Symmachum sequutus transfert per *urticam.* Τοῖς ὁ. est κόνυζα *herba pulicaria*, pulicibus infesta. Opponitur ei הדס *myrtus*, arbos notissimi nominis, *semper virens, odorata*, utilissima humano generi; una omnium hac proprietate insignis *quod* ex ea *olei vinique duo genera fiant*, ut Plinius [c]. Confer notitiam ejus ex Theophrasto, quam Coccejus noster docte exhibet ad Zach. I. 8. De re ipsa nihil dicendum habeo præter ea quæ proposui ad Cap. XLI. 19. coll. cum Cap. XXXV. 1. 2. Os Divinum ibi fatur: *Faciam ut existat in Deserto Cedrus præstantissima, & myrtus, & arbores oleosæ: ponam in solitudine fraxinum, tedam, & populum pariter.*

Et ברוש *fraxinus.*

Obscurius סרפד.

Ad eam vocem animadversio.

Cui opponitur *myrtus.* Notitia arboris.

Sensus Spi- Agnoscis, opinor, utriusque loci παραλληλίαν. Desertum Gentium, irrigatum *pluvia & nive cœlesti*, ad Deum *inaniter* non reditura, ab hoc tempore exhiberet Viros scientia viarum Dei, sanctimonia, pietate, & omni genere virtutum spectabiles; in fide & spe confirmatos; jugi influxu Divinæ gratiæ semper virentes; Deo & Ecclesiæ delectabiles: loco hominum, gratia Divina vacuorum; nullo succo veræ vitæ præditorum; nullam producentium lætam frugem aut frondem humano generi salutarem; ad terrena depressorum; & Ecclesiæ Dei in hisce terris *spineti* ac *dumeti* instar infestorum. Sic Chaldæus hoc in loco: חלף רשיעיא יתקימון צדיקיא וחלף חיביא יתקימון דחלי חטאה *Pro impiis consurgent justi, & pro peccatoribus consurgent timentes peccatum.* Id vero quod hic additur, *Deo esset in nomen, in signum sempiternum*, quod *non exscinderetur.* hoc est, in illustre argumentum Divinæ gratiæ, Deo glorioſissimum, duraturum in omnia sæcula; ut quot-quot mortalium statum hunc mundi instaurati conferrent cum statu ejus pristino, aperto ore agnoscere cogerentur & celebrare Divinam gratiam, eamque per omnia sæcula durabilem. Alluditur hic ad *aras, cippos, & titulos*, sive *statuas titulares*, à Gentibus olim Diis suis (sed & à Populo Judæo, vero Deo,) consecrari solitas; sive simpliciter *honoris* sui ac reverentiæ erga hoc illud Numen testificandæ; sive memoriæ beneficiorum sibi à Numine præstitorum conservandæ, caussa; cujusmodi qui *Inscriptiones* antiquas collegerunt, & inprimis ὁ πάνυ Reinesius, exempla exhibent plurima. Alluserat illuc pariter Vates Cap. XIX. 19. *Illo die erit* ALTARE *Jehovæ in medio terræ Ægypti; &* STATUA ERECTA *apud terminum ejus; & erit* לאות *in* SIGNUM *& testem Jehovæ in terra Ægypti.* Res eadem. Omnis homo, scientia, doctrina, sapientia, sanctimonia, virtute, dotibus, excellens; quin sane omnes gratia Spiritus S. regeniti, in horto Jehovæ excrescentes, sunt *signa*, monumenta, & argumenta Divinæ gratiæ, Deo glorioſa; super quibus nomen Dei nominatur; propter quæ nomen Dei laudatur & celebratur; quæque aliis exemplo sunt & imitamento, & delectationi. Cum vero cætera *signa* ab hominibus erecta vel injuria temporum intereant; vel manibus hominum diruantur aut subvertantur: hoc *signum* erit *durabile*, quocunque modo acceperis. Opus enim Divinæ gratiæ in *renovato Mundo* cum *conversione Gentium*, est æternum. durabit usque ad finem Sæculorum. Regeniti per Divinam gratiam, *myrtorum* instar virentes ac fructuosi, hunc statum suum tuebuntur usque in æternum. Excellentium autem in Ecclesia hominum & Doctorum, tanquam monumentorum & argumentorum Divinæ gratiæ, memoria nunquam aboletur. Sunt *palmæ, cedri, myrti*, æternum servantes *virorem* [d]. Viden', *consilium* Dei longissime differre à cogitatione Judæorum, & Deo probe provisum esse, ne *Verbum* suum ad se *inane* rediret. quo tendit oratio Prophetæ.

ritualis sui jus emblematis. Loca analoga.

Idque Deo esset in *Nomen*, & in *signum sempiternum.*

Quo hic alludatur?

Res ipsa exponitur, ac declaratur.

Verba applicantur ad Scopum Prophetæ.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Quinta.

Concio Prophetica directa ad Populum *Redemptorum*, primæ *periodi temporis Gratiæ*, qua ei præscribuntur *conditiones*, sub quibus æquabiliter gaudere posset excellentibus Beneficiis, Ecclesiæ in superioribus promissis, statumque suum tanquam veri Dei Populi tueri: videlicet, *Religionem veram castam & integram conservare*, & tam in *judicio de litibus & contentionibus* quæ *fidei* caussa moverentur, quam in *actionibus vitæ*, studere *æquitati & justitiæ*, secundum formulam Novæ Legis. Porro docetur, omnes, qui *fundamentum fidei servant*, eamque suam professionem *castis moribus ornant*, absque ullo discrimine aut respectu suæ originis aut status superioris vitæ, sibi vindicare posse privilegia Novi Fœde-

[a] Act. XIII. 48. [b] 1 Thess. I. 6. [c] *Hist. Nat.* Lib. XV. Cap. XXIX. [d] Ps. XCII. 13.

Fœderis, & in communionem Ecclesiæ admittendos esse. Inde, strato hoc fundamento, Ecclesiæ promittitur magna, eaque gemina accessio Gentium ad ejus communionem; sed simul prædicitur ejusdem Ecclesiæ corruptio, dum Pastores & Doctores ejus non fungun-tur Officio; quæ in eam induceret judicia Dei per barbaras Gentes exequenda.

CAPUT LVI.

Textus Cap. LVI.

1. SIc fatur Jehova: Servate judicium, & exercete justitiam, quia Salus mea in propinquo est ut veniat; & Justitia mea, ut reveletur.

2. Beatus est homo mortalis, qui id fecerit; & filius hominis, qui id firmiter tenuerit; observans Sabbathum, ut ne illud profanet; & præservans manum suam, ut ne faciat ullum malum.

3. Et ne dicat Alienigena, qui se adjungit Jehovæ, in hæc verba; Jehova me omnino rescidit à Populo suo: & ne dicat Eunuchus, Ecce sum arbos arida.

4. Quippe sic dicit Jehova de Eunuchis, qui Sabbatha mea observant, & eligunt id quo Ego delector, & valide tenent fœdus meum.

5. Dabo iis in Domo mea, & intra muros meos, Locum & Nomen, melius filiis ac filiabus: Nomen æternum dabo cuique eorum, quod non exscindetur.

6. Quod vero attinet ad Alienigenas, qui se adjungunt Jehovæ, ut illi ministrent; & ut ament nomen Jehovæ, ut sint ei in servos: omnem servantem Sabbathum ne illud profanet, & valide tenentem Fœdus meum:

7. Adducam eos in Montem meum sanctum, & lætificabo eos in Domo orationis meæ. Holocausta eorum, & sacrificia illorum, erunt placentia super altare meum, quia Domus mea appellabitur Domus orationis omnibus Populis.

8. Effatum Domini Jehovæ congregantis propulsos Israëlis, Adhuc congregabo ad eum juxta eos qui ad eum congregati sunt.

9. Omnes feræ agri venite ad comedendum: omnes feræ saltus!

10. Speculatores ejus sunt cæci, omnes illi destituti sunt intelligentia: omnes illi canes muti, nesciunt latrare: stertunt, decumbunt, amant dormire.

11. Et vero hi canes sunt appetitu valido, nesciunt saturari; & illi cum pastores sint, nulla pollent discernendi peritia. Omnes illi vias suas respiciunt; quisque lucrum suum: ad unum omnes.

12. Venite, *ajunt*, accipiam vinum, & hilariter potemus siceram: eritque dies crastinus ut hodiernus; quin hoc illustrior.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* prioris *Partis* hujus Sectionis.

Argumentum hujus Pericopæ.

ORatio Prophetica vertitur ad Populum Ecclesiæ, quem supponere licet esse *Populum Redemptorum*, qua ei commendatur *conservatio Juris*, & *exercitio Justitiæ*, tanquam conditiones, sub quibus exspectare posset clariorem manifestationem Regni Dei *a*. Mox celebratur *beatitudo* ejus Viri, qui se ad hæc officia observanda diligenter applicat; hoc est, tum veram Religionem ejusque Religionis doctrinam, omni studio colit ac conservat; tum operam dat exercendæ charitati ac justitiæ erga proximos *b*. Docet insuper Vates, sive Chorus Propheticus, neminem esse, cujuscunque status hominem, quin hac lege sibi vindicare queat beneficia omnia & privilegia Domus Dei: ne *alienigenas* quidem aut *castratos*, quorum deterior conditio erat sub Oeconomia *Vetere*, hic excludi: *Novam* enim omnes ipsorum, sive proprie, sive mystice sic dictorum, querelas abolere *c*. Quod speciatim insigni oratione exsequitur, primo quidem de *Eunuchis*, quibus Legem Novi Fœderis observantibus condicit in Domo sua *nomen & locum d*: Deinde, de *Alienigenis e*. Subjicitur fundamentum hujus promissi; certum & irrevocabile Statutum Divinæ Voluntatis, quo constituit, Domum suam, ejusque privilegia, olim certo Populo, Populique certo Ordini adstricta, dehinc communia fore *omnibus Gentibus f*. Deum enim non tantum *dispersos Israëlis* esse *collecturum*; verum etiam novis collectionibus *Gentium*, ad communionem Ecclesiæ vocandarum, eam amplificaturum *g*. Quo cum perveniisset: in ἔκςασιν rapto exhibetur conspectus Ecclesiæ illius amplificatæ sensim magis magisque corruptæ; & dum corruptio ingravescit, per barbaras Gentes severe punitæ *h*; ejusque corruptionis caussam præcipuam ostendit esse incuriam, socordiam, pigritiam, avaritiam, & luxum Præfectorum Ecclesiæ, *sua*, non quæ Dei & Ecclesiæ sunt, immoderata cupiditate sectantium *i*.

Ex *materia* ejus distinctius declaratum.

II. Patet inde, versari orationem in genere ἐπανορθωτικῷ *Exhortatorio*, & Ἐλεγκτικῷ *Redargutorio* ac Propheico. Ἐπανορθώσεις *Exhortationes* involvunt διδασκαλίαν *doctrinam*: eximiam videlicet, α. Statutum esse Deo, privilegia omnia Religionis Statusque Novi Fœderis, μετ' ἰσότητος *cum æqualitate* communia facere omnibus Populis. β. Sed neminem ad ea admittendum esse, nisi conditione observandæ Legis Novi Fœderis. His *fundamentis* superstructa est *Exhortatio*; quæ *fundamenta* docent, eam convenire Novo Fœderi. Ἔλεγξις *Redargutio* hic est singularis contemplationis, dum oratio ab uno extremo ad aliud videtur transire; à Statu nimirum Ecclesiæ ex concursu Gentium amplificandæ ad Statum Ecclesiæ corruptæ; sed quam ex sequentibus patebit *prophetice* accipiendam esse.

Scopus hujus Sectionis.

III. *Scopus* itaque *Concionis*, argumento ejus congruens, est, Populo Novi Fœderis, promissorum Divinorum vero hæredi, præscribere conditionem, sive *Legem*, quæ Lex est Novi Fœderis; qua conditione se conservare posset & statum suum tueri in communione Dei; simul docere, eandem latitudinem esse Verbi promissionis, ac Legis, respectu *Subjectorum* omnis generis, χωρὶς διαςολῆς. Quotquot enim Legem Novi Fœderis observarent, instar *Sacerdotum* adepturos esse jus omnium privilegiorum Religionis. Et quidem *Scopus Doctrinalis* est insignis, & æquabilem obtinet σχέσιν ad Statum Ecclesiæ omnium temporum: sed cum ex hypothesi nostra Spiritus S. hic ordiatur telam texendorum *Fatorum Ecclesiæ* secundum varios suos aspectus usque ad cursum Sæculorum, (de quo mox disputaturus

a ℣. 1. *b* ℣. 2. *c* ℣. 3. *d* ℣. 4, 5. *e* ℣. 6. 7. *f* ℣. 7. med. *g* ℣. 8. *h* ℣. 9. *i* ℣. 10–12.

turus sum:) liquet, Prophetam sibi propositum habuisse hanc jacere basin, ut ei superstruat Ordinem *fatorum* ac *diversorum* ejus *temporum*. Sic *Scopus* ex doctrinali convertetur in *Propheticum*; & ex hac hypothesi, tres insignes *Periodi* Ecclesiæ, *Amplificationis* ejus ex accessu *Gentium*; *Corruptionis*, eam invasuræ; Ejusque ob corruptionem à barbaris Gentibus castigandæ, hic προφητικῶς prænarrabuntur.

Occasio editæ hujus prophetiæ.

IV. *Occasionem* Sermoni huic *Epanorthotico* præbuit naturalis nexus argumenti, in quo expicando Propheta versabatur. Cum enim in *superioribus* exhibuisset Ecclesiam Novam, quæ efficeret Novum Dei Populum sub Fœdere Novo, qui Populus particeps evaderet omnium Beneficiorum Divinæ gratiæ: necessitas ipsa flagitavit, ut huic Populo præscriberentur *conditiones*, quibus statum suum tueri, & favorem Divinum, ejusque curam & defensionem, sibi in longum promittere posset. Ecclesia enim Nova non est absque Lege. Populus Christi Jesu in terris, qui sic dicitur & in externos coit cœtus nomine & specie Populi Dei, non est nullis alligatus conditionibus. Quas *Leges* quasque *conditiones*, longe restrictiores quam Leges antiqui Fœderis cum æquum esset ei præscribi: Propheta id nomine Divino exequitur hac ipsa, quam descripsi, pericopa. Inde itaque petendus est *nexus Prioris Pericopæ* cum prophetia superiore. Quod ad *Propheticam* Partem attinet: nullus hic quærendus est nexus vel occasio alia ac quæ petitur ex nexu & ordine *fatorum*, quæ Spiritui S. propositum erat edisserere, ad usum Ecclesiæ.

Scena ejus.

V. *Scenam* aptare licet uni Personæ, quam hic sustinere potest *Chorus Propheticus*. Forte tamen elegantius & concinnius *comma secundum*, quod ab his verbis exordium ducit, *Beatus homo qui hoc fecerit*, *seqq.* referetur ad *Chorum Sanctorum* κατ' ἀντίφωνον Choro Prophetico acclamantem, & præscriptum ejus laudantem, ejusque demonstrantem fructum. Idem de Posteriore parte hujus prophetiæ judico. Oratio ℣. 8. est *Chori Prophetici*, prædicentis Ecclesiæ mirabilem amplificationem: sed subsequens, ℣. 9. *Omnes bestiæ agri*, *seqq.* aptissime convenit *Angelo* aut Ministro Curiæ Cœlestis, Populos Barbaros jussu Dei evocantis ad *puniendam* Ecclesiam, invalescente corruptione à primo statu ejus degenerantem. quando rursus *Chorus Propheticus*, Corruptionem Præfectorum Ecclesiæ describens, ℣. 10--12. orationem continuat.

VI. Figitur autem *Scena* à me in ipsis initiis Oeconomiæ Novæ, instante *Conversione Gentium*, de qua Vates in duabus *Sectionibus* superioribus vaticinatus fuerat; sed est scena durabilis & permanens, quæ non movetur. Pertinet enim præscriptum ad omnes Fœderatos Dei sub Oeconomia Nova, duratque per omnia sæcula. Nihil tamen vetat dicere, Prophetam secundum ordinem & ductum prophetiæ præcipue respexisse *prima* Christianismi *sæcula*, quibus disputatum est de *Fide*. de quo mox distinctius. In quo tempore figenda?

VII. Prophetia, in partes soluta, exhibet Partem Doctrinalem & Propheticam. *Analysis* totius *Sectionis*.

Pars Doctrinalis est trimembris.

Primum membrum: *Exhortatio* sive *Jussum Divinum* de *conservando judicio* & *exercenda justitia*, Populo Dei propositum & commendatum, ℣. 1.

Alterum: *Fructus* ex studio diligenti Religionis & charitatis à cultoribus hujus Legis Divinæ percipiendus, sc. *Beatitudo*, ℣. 2.

Tertium: *Expansio* hujus *promissi*, sub hac conditione facti, cum respectu ad *Subjecta* omnis generis & ordinis; non exceptis *Alienigenis* & *Eunuchis*;

α. Generalis, ℣. 3.

β. Specialis;

(a.) Quæ asserit *Jus* & *privilegia* Eunuchis, stantibus *Lege Novi Fœderis*, ℣. 4. 5.

(b.) *Alienigenis*, ℣. 6. 7.

Pars Prophetica pariter trifariam dividitur. continet enim tres prædictiones;

Prima est, insignis *Amplificationis Ecclesiæ*, ℣. 8.

Altera, de *Irruptione* Populorum Barbarorum qui terras Ecclesiæ vastarent, ℣. 9.

Tertia, de *Corruptela* insigni Præfectorum Ecclesiæ, tanquam illius judicii caussa, ℣. 10--12.

Ἀνάκρισις hypothesios *hujus* & sequentium *Sectionum quatuor* hujus Concionis.

Anacrisis. Præfatio de *argumento* & *temporibus* sequentium prophetiarum.

Doctissimus quisque hujus Libri Interpres se impeditum habet, ubi aggreditur *hujus* & sequentium *Sectionum* tertiæ hujus *Concionis* Quinti Libri, quæ *Sectiones* comprehenduntur *quinque Capitibus*, expositionem: non tam respectu orationis Prophetæ, licet illa etiam in *Capite* inprimis LVII. obscurior multam lucem desideret: quam quod hæsitent in *Subjecto*, & Subjecti *statu* ac *tempore*, ad quæ *Sectiones* illæ referendæ sint. Patet enim, non convenire *uni subjecto*, nec *uni tempori*: cum tamen continens sit & continua oratio, nullis characteribus, nisi qui ex argumento prophetiæ petuntur, divisa. de quo ut judicii copiam faciam, materiam & seriem harum *Sectionum* paucis lineis enarrabo.

De quo ut copia fiat liberioris Judicii: summa *quinque* sequentium *Sectionum* exhibetur.

II. Post pericopam de *Lege* & *Promissis* Novi Fœderis, ℣. 8. Propheta, sive Deus Jehova, interprete Propheta ait, se *congregantem propulsos Israëlis*, *amplius ad eum aggregaturum esse præter eos qui aggregati sunt*. Mox ℣. 9. *feræ agri* & *sylvæ* per *Apostrophen* appellantur, & invitantur *ad comedendum*; videlicet Gregem à Pastoribus suis derelictum: vel ut alii, *feræ agri invitantur ad comedendum feras saltus*. verba enim utramque interpretationem ferunt. Protinus ℣. 10. instituitur acris correptio *Speculatorum* & Pastorum Ecclesiæ, tanquam *cæcorum*; *canum* qui nesciunt *latrare*; quique se totos, neglecto grege, dant luxui & cupidinibus, ad finem hujus *Capitis*. Sequitur Elenchus novus Cap. LVII. 1. *Justi* & *pietatis Viri* dicuntur *mori*, & de medio tolli, nemine advertente, & revocante ad animum, ℣. 1. Sed quorum tamen *fors* prædicatur *beata*, quod præripiantur *ante malum* instans, & *requiescant in pace in cubilibus suis*, ℣. 2. Simul vertitur oratio, (℣. 3.) ad *filios præstigiatricis*, *semen adulterum*, impurum, profanum, quorum vitia & flagitia longo textu recensentur, & iis magna asperitate & acrimonia styli exprobrantur; narraturque, Deum illos severis judiciis prosequutum esse; sed absque fructu: attamen ait ℣. 15. se *lugentes* & vere *pœnitentes*, *fractique animi*, qui se à semine hoc adultero separaverant, miseraturum; respecturum in gratia; *sanaturum*; iisque procuraturum *pacem*; sed quæ nulla sit *impiis*: usque ad *finem* Capitis. Inde, Cap. LVIII. Vox cœlestis per *apostrophen* compellat, (videlicet Pastores & Doctores Ecclesiæ,) jubetque eos *clamare ex imo gutture*, & *non cohibere vocem*, ut indicent *Populo suo* & *Domui Jacobi transgressiones suas*, non jam amplius fœdas illas & abominabiles quarum in *superiore periocha* facta erat mentio; verum quod se ritu & more externo gererent pro *populo Dei*; sacra magno studio ad exteriorem aspectum colerent; *jejunia* observarent; sed quod *pietate interiore* & *operibus charitatis* deficerent; jejuniis ipsis & Sabbathis studerent voluptati carnis; & simultates inter se ad pugnam usque foverent acerbissimas, ℣. 1--5. Docet porro Populum hunc, quem

pro

pro *populo* suo agnoscit, veram sui & jejuniorum observandorum rationem; monetque eos, si hac parte mores suos emendarent, se huic Populo suo amplissime benedicturum, & summa beneficia Patriarchis & vero Semini ipsorum promissa cumulate in eos collaturum esse, ad *finem Capitis*. Continuatur hæc oratio & decurrit in eodem argumento, Cap. LIX. *Non esse decurtatam Dei manum*, ait, ut ipsis valde laborantibus opem ferre nequeat: sed *peccata* illorum Deum ab ipsis *dividere*, ℣s. 1. 2. quando iterum *Elenchus* peccatorum hujus Populi Dei instituitur, ℣s. 3--8. Mox introducuntur pii *justitiam* Dei, ipsis in statu suo afflicto auxilium suum negantis, humiliter agnoscentes, & confessionem *peccatorum* suorum & vitiorum suorum temporum supplice prece edentes; quod nimirum quisque affectibus suis serviret, & *juris* ac *justitiæ* exigua haberetur ratio, ℣s. 9--15. Inde Deus, cum Populus ipsius ad *extrema* venisset, statu ejus jam plane, ut videbatur, desperato, *evigilaturus* dicitur ut *heros*, & veluti gravi armatura se cincturus ad *vindictam* inferendam *hostibus suis*; quando Gentes ab *Occidente* Sole ad *Orientem* Nomen Divinum agnituræ dicuntur, & ad *Tsionem* venturus *Redemptor*, cum promisso æternæ gratiæ, usque ad *finem Capitis*. Excipit itaque protinus hanc *Sectionem* jucundissima illa & consolabilis prophetia de florentissimo, perfecto, & plane amabili ac cœlesti Statu Ecclesiæ, nullis amplius obscurandæ nebulis, quæ totum occupat *Caput* LX.

Primum *Quæsitum*: Num hæc *Sectio* cum superioribus cohæreat? quod resolvitur.

III. En materiam harum *Sectionum* in breve contractam. Primum *Quæsitum*, quod ad earum veram intelligentiam facit, cum ratione movetur, Num hæ *Sectiones*, utique ipsa hæc *Sectio* nostra, cohæreat cum superioribus; num exordium faciat Novæ Concionis? Respondeo, *probabile videri, cum superioribus Sectionibus cohærere*: idque video, plerosque Intt. statuere, ob rationes non longe quæsitas. α. Quia nulla distinctionis nota hic occurrit: nulla etiam appellatio nova alicujus Subjecti hic instituitur. Unde recte colligi videtur, Subjectum ex superiore oratione facile cognosci. β. Argumentum concionis superioribus optime respondet. Utique qui in antecedente oratione viderunt Regnum Christi Jesu fundandum & promovendum inter Gentes: nexum orationis hic præstant facillimum. Pericopa enim hæc nostra vere pertinet ad Populum Oeconomiæ Novæ. Judæi Intt. hic à nobis non dissentiunt; volo dicere, quod ad cohærentiam orationis. Subordinant prophetiam hanc superiori, licet falsa nixi hypothesi; quippe existimantes, orationem verti ad Ecclesiam Judæam in præsenti Exilio constitutam. Quod si tamen sequentes *Sectiones* rectius exponerentur secundum illam hypothesin, quæ hic *Exordium* facit novæ Concionis: nihil in eo committeretur alienum à ratione.

Quæsitum *alterum*: Num hæc prophetia integra faciat orationem *solutam*, an *continentem*?

Definitur, probabile fieri, continere orationem cohærentem; ejusque sententiæ rationes.

IV. Quæsitum alterum: An prophetia harum *Sectionum* faciat orationem *continentem*, uno filo decurrentem; num potius *solutam*, ac divisam, resolvendam in *conciones* diversas, ad *Subjecta* diversi temporis, & diversis etiam temporibus, editas? Respondeo, *probabile videri, facere orationem continentem: modo concipi possit hypothesis, secundum quam continenter absque saltibus retrogradis explicari queat.* Ajo, probabile fieri, si hypothesis aliqua in medium produci queat, secundum quam continuitas eventuum statusque Ecclesiæ ad prophetiam accommodari possit. Ratio est, α. quia per totam hanc prophetiam nulla occurrunt κριτήρια Novæ concionis. β. Quia prophetia, *tribus Capitibus*, LVIII. LIX. LX. comprehensa, absque omni dubitatione continua est, quicquid etiam hic aliqui hæsitant. ut de sola prophetia, à ℣s. 8. vel 9. hujus *Sectionis* dubium remaneat. quam tamen *diversam* facere *concionem* inter *conciones* diversi argumenti mediam, non est credibile. Mox aliud etiam addam argumentum quod fortius stringit. Dixeris, *attributa* quæ de *Subjecto* hujus prophetiæ enunciantur, non convenire Subjecto *uni*, sed *Subjectis* diversis, vel *Subjecto* diversi *Status*. Respondeo, me id ipsum ultrò largiri: verum si *Subjecta* illa, vel diversi *Status* unius *Subjecti*, continua serie & ordine temporis se invicem consequantur, & succedant; nullam esse rationem, quare hanc prophetiam, per quinque hasce *Sectiones* decurrentem, non dicas eodem editam tempore, & vere *continuam* esse, licet pro variis eventibus & diverso aspectu *Subjecti* non *uni*, sed *diversis* temporibus applicanda sit.

Intt. communis dissensus.

V. Nihil hic hactenus collocavi, nisi suffragante ratione, quæ clarissime lucet. Et tamen plerique Intt. hanc hypothesin deseruerunt, quod nullam perspicerent hypothesin, secundum quam continuitas interpretationis servari posset. Longe maxima pars hoc occupata fuit præjudicio, prophetiam quæ decurrit à ℣s. 10. *Speculatores ejus omnes sunt cæci, & seqq.* referendam esse ad tempus Jesaiæ sive sub Achazo, sive sub Manasse Regibus: unde itaque sumunt *Exordium* novæ prophetiæ. Sic passim Intt. Judæi. Alii, ut Piscator & Grotius, Exordium Novæ illius repetunt à ℣s. 9. antecedenti: *Omnes feræ agri venite ad devorandum, & seqq.* ut advocentur Assyrii sive Babylonii ad devorandos Judæos. qui proinde Auctores necesse habent diversæ rursus *Concionis* initium facere Cap. LVIII. Ut sane instituunt; nec eo contenti, *novam* perinde faciunt Cap. LIX. licet is quidem nexus sit evidentissimus. Brentius, Vir Doctissimus, majore etiam hic utitur libertate. Censet, verba Cap. LVI. à ℣s. 9. *Omnes bestiæ agri venite ad comedendum, &c.* usque ad finem hujus *Capitis*, continere *Fragmentum* alicujus Declamationis, quam Propheta aliàs adversus ineruditos & infidos Doctores sui temporis instituerat: & forte idem dici posse judicat de *Sectione* sequentis Cap. LVII. esse videlicet alterius *Concionis Fragmentum*. Sermones enim Prophetarum non semper eo ordine digestos esse, quem temporis ratio postulabat, aliunde satis liquere: nec absurde statui, fieri posse, ut aliqui *mutilati* sint.

Quomodo cogitata sua digerant?

Brentii hypothesis.

In eam animadversio.

VI. Observo, Eruditos Viros, qui sic sentiunt, hanc hypothesin posse tueri, si omnia desperata sint; & nulla plane detur hypothesis alia, secundum quam continuitas prophetiæ & interpretationis servari queat: cæteroquin enim prudentiæ fuerit in interpretationem prophetiæ ut videtur, continuæ non inferre tam immanes saltus, ut statuamus Jesaiam, cum in *superioribus* longo contextu vaticinatus fuerit de Christo Jesu & Populo ipsius, aut de attributis Novæ Oeconomiæ; cumque idem præcipuum objectum sit prophetiarum consequentium: hic duabus aut tribus *Concionibus* intermediis recurrere ad tempora sua, & in eorum declamare vitia. Si tamen necessitas id jubeat: fateor, eo veniendum esse. Sed nulla id jubet necessitas: contra vero sunt graves rationes quæ contrarium suadent, ut ex sequentibus patescet. Imo vero pertendo, ipsos illos Interpretes qui hanc hypothesin tenent, se non feliciter expedire, sive in expositione singularium pericoparum hujus prophetiæ; sive in nexu *Capitum* LIX & LX demonstrando. quod in ipsa commentatione illarum partium non negligam attingere: nunc autem non anticipo, ne mea hæc dissertatio latius excurrat. Potius id agam, ut investigando genuino sensui hujus prophetiæ operam dem.

Hypothesis diversa, *prophetiam* videri *continuam*: novo argumento adstructa.

VII. Jacio itaque hic & repeto hypothesin, supra jam locatam; *Prophetiam hanc videri continuam, eodemque tempore editam*; sed quæ complectitur Elenchum Ecclesiæ variorum aspectuum, secundum quos aspectus in Mundo compareret. Produxi rationes quæ id probabile faciunt, §. IV. Addo nunc argumentum aliud ex partibus ejus inter se collatis: nempe quod eædem imagines Vati nostro obversatæ sunt in *fine* hujus prophetiæ, quæ in *initio*. In initio hujus prophetiæ, & vero in ipsa illa pericopa quam descripsi, omne Religionis exercitium refert ad observationem *Sabbathi*, ut patet ex ℣s. 2. 4. atqui in fine prophetiæ, hoc est, Cap. LVIII. 13. omne vitium quod in observantia Religionis committitur, pariter complectitur

vitio non observati *Sabbathi*, ejusque cultum unice commendat. *Si*, ait, *retrahas à Sabbatho pedem tuum, ne voluptatem tuam cures die meo sancto; & SABBATHUM APPELLES DELICIAS, Sanctum Jehovæ honorandum, & honoraveris illud, & seqq.* Jam constat, in tota parte antecedenti hujus Libri accuratum Religionis Exercitium hac phrasi non urgeri. Semel *Sabbathorum, Noviluniorum, & Festorum* facta fuit mentio Cap. I. 13. sed quæ ab hypocritis observata Deus damnat. In extremis hujus Libri Cap. LXVI. 23. *Sabbatha* rursus occurrunt: sed sensu spirituali, æque ac in nostris hisce. Unde non dubie colligo, prophetiam hanc circa idem tempus editam, & vere continentem esse, dum eædem imagines Prophetæ nostro ob oculos versatæ sunt. Videbimus præterea cognationem non obscuram inter argumentum Concionis Cap. LVII. & Cap. LXV. de quo suis locis.

Κριτήριον Judicii; *finis* prophetiæ.

VIII. Hoc strato fundamento investigaturus *terminus*, cui hæc prophetia aptanda sit: optime processeris, si ad id attendas, *in quo prophetia desinit*. Id hic tutius est quam ordiri ab *initio*, tum quia de eo variæ concipi possunt hypotheses; tum quia ex *initio* nihil nisi *generatim* concludi potest. Certior ex *fine* instituitur demonstratio, quia talia oportet esse *media*, qualis est *finis*. Prophetia autem hæc nostra terminatur in *Capite* LX, quod comprehendit descriptionem *Status* Ecclesiæ florentissimi, & desideratissimi, quali Statu orbatior in his terris in imagine pingi nequit. Hunc vero optatum Ecclesiæ statum, qui post Jesaiæ tempora extiterit, si quæsiveris; *quatuor* tantum tibi obversari poterunt hypotheses: vel describi Statum Ecclesiæ & Reipublicæ ab Assamonæis instauratæ, de quo Prophetæ passim magnifice loqui solent: vel, Statum Ecclesiæ Christianæ, generatim sumptæ: vel eundem Statum, quali se conspiciendam dedit Ecclesia sub Constantino, Theodosio, Justiniano: vel, cogitandum est de florentissimo & jucundissimo Ecclesiæ Statu, qualis secundum consensum Verbi Prophetici, & certissimam Revelationem Joanni Apostolo factam, post destructos hostes Populi Dei apparebit in omni decore ac splendore suo, in extrema periodo temporis Ecclesiæ in hisce terris destinati. Plures ajo hypotheses hic concipi non posse. Disputemus, ubi hic tuto liceat figere pedem.

Argumentum Cap. LX. 1. seqq. in quo prophetia hæc terminatur.

Quatuor *hypotheses*, conceptæ ad illius intelligentiam.

Secunda hypothesis, quæ prophetiam illam generatim applicat ad Statum Ecclesiæ N. T. discutitur: non convenit *Contextui antecedenti.*

IX. Secunda hypothesis, quæ hanc prophetiam generatim applicat ad Statum Ecclesiæ sub Oeconomia Nova, ut multi cum Piscatore conjiciunt: hic stare nequit, siquidem *antecedentia* ei non respondeant. Status hic glorioſus Ecclesiæ immediate sequitur *Statum* Ecclesiæ Populi Dei, à falsa & adultera Ecclesia separati, quem Deus hactenus pro Populo suo agnoscebat, & in quo Populo bonum semen superarat, sed qui Populus multis vitiis erat inquinatus, & præterea ab hostibus suis gravissime afflictus, ut interiturus & ab adversariis plane opprimendus videretur, nisi Deus singulari cura suæ Providentiæ interveniret, & miseris afflictis præstaret vindicias: quando Deus proditurus dicitur ut *heros* & *Vindex*, causſam Populi sui acturus; & Statum Ecclesiæ renovaturus: cujus consequens esset *confluxus Gentium* & *Conversio Israëlis*. qui characteres neutiquam conveniunt primo adventui Christi Jesu, & Statui Ecclesiæ illius temporis. Cætera non inficier, Vates in genere loquentes de Statu Ecclesiæ Novi Testamenti, grandiloqua sæpe uti oratione; tum respectu naturæ ejus; tum respectu Status ejus, quali non omni tempore, sed certis temporibus, se in Mundo ostentaret: ut vidimus Cap. LIV. 1. seqq. Sed descriptio hæc nostra tam insigniter splendet, ut quisque Sermonem illum legens, facili negotio observet, Prophetam Ecclesiam respicere certi alicujus temporis & Status.

Tertia hypothesis,

X. Cogites itaque de *Statu Ecclesiæ* sub Constantino, aut Justiniano; quæ *tertia hypothesis* est. *Statum* enim Ecclesiæ sub Constantino præcessit gravissima ejus afflictio, eademque Ecclesia afflicta experta est Christum Jesum Vindicem & Liberatorem. Utique non negem, Prophetam nostrum de hac Ecclesia ex violenta persecutione liberata & veluti renata ac resuscitata graphice certis locis vaticinari, & habet illa vere plures characteres cum Ecclesia, quam extrema periodo exspectamus, communes, ut ex phrasibus Prophetæ Cap. XLIX. 17. seqq. cum hac prophetia Cap. LX. collatis, liquet. Longe etiam absum ab illorum cogitationibus, qui emphaticas loquutiones Prophetarum de Statu Ecclesiæ novissimæ Periodi vaticinantium ita interpretantur, acsi Statum Ecclesiæ exhiberent ab omni imperfectione & vitio liberum, qualem Statum pii in hisce terris nunquam videbunt. Accipienda sunt multa illorum dicta *comparate*, nec excludendus unquam est respectus Ordinis communis Divinæ Providentiæ in administrandis peculiaribus hominum Statibus, & eorum accidentibus. Attamen, *α*. Non ausim Statui Ecclesiæ Christianæ, qualis fuit ante Persecutionem Dioletianeam, licet sane jam tum contraxisset labem; ea tribuere *prædicata*, quæ hic supponuntur in Ecclesia descripta Cap. LVIII & LIX. quin fidenter affero, in eam non competere. *β*. Reliqua *media* & *antecedentia*, quæ inter *Ortum* Ecclesiæ Christianæ & Tempus Constantini interceſſerunt, medio hoc tempore demonstrari nequeunt, veluti *corruptio* summa *Pastorum Ecclesiæ*, Cap. LVI. 10. seqq. & *Status Ecclesiæ adulteræ*, à qua pii & afflicti se separarent, Cap. LVII. 3. seqq. *γ*. Ipsa illa deformatio Ecclesiæ, complexe sumpta, ut facta est à Propheta hoc Cap. LX. quid majus habet & excellentius quam æqui judicii homo in Statu Ecclesiæ sub Constantino aut Justiniano laudare ausit?

quæ eam refert ad tempora Constantini, discutitur.

Quid ei faveat?

Quid maxime obstet?

De *prima* hypothesi, quæ Vaticinium illud refert ad Maccabaica tempora, liberius disseritur.

XI. Ergo ventum est ad duas hypotheses extremas, *primam* & *quartam*. Prima hic demonstrat Ecclesiam Populi Dei post gravem Persecutionem Syriacam instauratam vindicatamque tanquam ab ipso Deo, rebus Populi in Canaanæa plane desperatis, suscitante Vindices Assamonæos de genere Sacerdotum, Deo consecratorum: à quo tempore, cum restituta Republica, Ecclesia Vetus adepta est complementum luculentorum promissorum externorum & corporalium Bonorum, quæ Deus ei olim condixerat. Jesaias hanc mirabilem Liberationem, & Judicia eam comitantia, in superioribus Vaticiniis descripserat *a*, & Statum Populi Dei illius & proxime sequuturi temporis quæsitissimis figuris depinxerat ut fortunatum & glorioſum; ea usus dictionis grandiloquentia, ut satis certum sit, ei dum in describendo typo versabatur, simul obversatum esse antitypum: hoc est, Statum Ecclesiæ Christianæ, quali Statu Ecclesia certis temporibus Oeconomiæ Novæ postquam similes afflictiones eluctata esset, in hoc Mundo conspiceretur: quod sæpius, sed certissimum & ad intelligentiam prophetiarum utilissimum, observatum hic non repeto *b*. Posset itaque alicui in mentem venire, hunc ipsum esse Statum Ecclesiæ à Maccabæis emendatæ & Reipublicæ restitutæ, quem Vates hic in oculis habuit. Si vero cum hac hypothesi compares antecedentia: forte in hac prophetia deprehendas umbram earum rerum, quæ in hunc finem debebant exire. Ergo suppone, si placet, Concionem illam quæ ab *Capite* LVI. incipit esse novam. Dirigi autem illam ad Populum liberatum ex Exilio Babylonico, circa tempus Alexandri Macedonis, quando Populus Judæus ex Exilio liberatus, formata jam Republica, sed rebus adhuc tenuibus, sibi non exiguam jam contraxerat labem, ejusque zelus in tuenda Religione & officiis charitatis sensim refrigescebat; & tamen plures proselyti ex Gentibus jam accesserant ad Ecclesiam. Eum itaque Populum, invalescente jam corruptione, moneri officii, & Proselytos animari ad ejusdem officii observantiam, spe eorundem privilegiorum. Quod jam dicitur vſ. 8. Deum qui congregat *propulsos Israëlis*, *amplius ad eos aggregatu-*

Σκῶμμα interpretationis hujus Sermonis secundum hanc hypothesin exhibetur.

a Cap. XXIV. & seqq. *b* Vide Cap. XIX. 23. seqq.

gaturum esse præter eos quos *aggregaverat*: referendum esse ad accessionem novorum *proselytorum* & *incrementum* Ecclesiæ Judææ sub Regibus *Syriæ* & *Ægypti*, qui sibi potiorem partem Alexandrinæ successionis vindicarunt. Sequens ℣. 9. *Venite omnes* BESTIÆ AGRI *ad edendum* OMNES FERAS SALTUS: ad Reges Ægypti & Syriæ, post tertiam & quartam successionem continuis fere bellis, maximo incommodo Populi Dei inter se decertantes, ut sane Ptolemæus Euergetes totam fere Syriam subegit. Syria est יער SALTUS, ob montem *Libani*, confer Cap. x. 34. Ægyptus AGER, terra maximam partem plana. Exclamatio subsequens ℣. 10. *Speculatores ejus cæci, & seqq.* secundum hanc hypothesin exhibebit ideam *Status Ecclesiastici* illius temporis usque ad afflictionem feralem Ecclesiæ sub Antiocho, & proximis ejus Successoribus. Quod annectitur, Cap. LVII. 1. 2. *Justus perit, & nemo ad animum revocat:* pertinet ex hypothesi ad mortem præstantium & sapientium Virorum qui fere usque ad illud tempus in Populo Dei à temporibus Prophetarum & Ezræ superfuerant; quorum fere ultimum Judæorum traditio demonstrat Pontificem *Simeonem* הצדיק JUSTUM, post tempora Alexandri Macedonis. Puta jam, inde à ℣. 3. Cap. LVII. usque ad gravissimam afflictionem Epiphanicam describi Ecclesiam respectu *trium partium* Populi illius Ecclesiæ, quæ in Statu Ecclesiæ illius temporis notari possunt. Erant impii, profani, defectores à Religione Patria, filii *adulteræ & prostigiatricis*, qui se polluebant contaminatissimis Sacris & cærimoniis Syrorum & Phœnicum, qui censeri possent describi Cap. LVII. 1--14. Erant *fracti animo & contriti*, qui lugebant scandala suorum temporum, quos communia mala lugentes Deus consolatur, iisque promittit vindicias, Cap. LVII. 15--21. Tertiam partem faciebat ipsum *Corpus Populi*, Religionem Patriam tepide exercens, & ipsa etiam festa ac jejunia convertens in delicias carnis absque magna Religionis cura; ad quos ex hac hypothesi censeri posset oratio verti, comprehensa Cap. LVIII & LIX. qui itaque Populus his partibus constans incideret in illam summam calamitatem, quæ describitur Cap. LIX. 16. & post humilem criminum suorum confessionem & pœnitentiam, à Deo contra omnium mortalium exspectationem vindicaretur per Maccabæos; quas vindicias sequeretur Status Ecclesiæ Veteris instauratus & gloriosus.

In Grotianam expositionem animadversio.

XII. Si sic instituisset Hugo Grotius, aliquid hic felicius agere potuisset quam fecit ex hypothesi, quam passim sequi solet in interpretandis Scripturis V. T. Sed nunc se ipse impedivit. Vidit ille, implementum prophetiæ Cap. LX. si illud implementum quærendum sit sub Oeconomia Vetere, non posse demonstrari nisi in Statu Maccabaico, ad quem passim in expositione illius *Capitis* recurrit; & tamen hypothesis ipsius fert, in illo *Capite* describi *Statum Reducum ex Exilio Babylonico*: ut sane Liberationem Ecclesiæ, Statu ejus desperato, refert ad Liberationem Populi ex Exilio Babylonico: superiora interpretatus de Statu Ecclesiæ Populi Dei sub Manasse corruptissimo, vel de tepidis Religionis cultoribus antequam abducerentur in Exilium; & in Exilio ipso: quæ hypothesis nexum non demonstrat æquabilem. Status enim reducum ex Exilio primi temporis, nihil habet quod præstat implementum luculentæ prophetiæ Cap. LX. Res hic est liquidissima; neque ampliore demonstratione indiget.

Ne ipsa quidem illa hypothesis satisfacit prophetiæ,

XIII. Nec tamen superiora proposui acsi in iis acquiescerem: tantum cum hanc prophetiam varia ac sæpius repetita meditatione subegerim, specimen earum meditationum relinquere volui; primo quidem, ut pateret, nihil me hic intentatum reliquisse, & id cogitando præcepisse, quod forte aliis in mentem venire posset: deinde, ut si ex certiore demonstratione liqueat, ne hæc quidem, quæ aliquibus speciem aliquam veri habere videri possent, subsistere posse, aut prophetiæ satisfacere: ad eandem illam demonstrationem firmandam facerent? & denique tertio, ut evincerem, quæ mihi sententia sedet; Spiritum S. cujus est sapientia infinita, & cui συμβολία omnium viarum Dei & fatorum Ecclesiæ Veteris & Novæ Oeconomiæ perspecta est, edisserentem Fata Ecclesiæ Oeconomiæ Novæ, idque dum agit sæpe phrases & locutiones adhibentem *literales*, mystice intelligendas; hic sæpius allusisse ad Fata Ecclesiæ ex Babylone vindicatæ, tanquam quæ levissimam umbram exhiberent eorum quæ vere & ex propria ejus mente in Ecclesia Oeconomiæ Novæ impleri debebant. Id supra sæpius monui; & usui mihi erit in interpretatione hujus Vaticinii.

Superest hypothesis; referendam illam esse propheciam ad novissimam periodum Ecclesiæ N. T. Rationes ejus sententiæ.

XIV. Certam itaque teneo, & minime dubiam hypothesin; prophetiam, quæ *Capite* LX. continetur, referendam esse ad novissimam illam periodum Ecclesiæ, cujus optatus & gloriosus Status, cœlesti proximus, describitur in *Apocalypsi* Joannis *Capitibus* XXI & XXII. quem Statum Ecclesia Novi Fœderis ingressura est post antecedaneam gravissimam luctam, hostibus ejus & adversariis omnibus in hisce terris à Christo Vindice devictis triumphatisque, & abolito Pseudo-Christianismo, in fine temporum. Prima nobis ratio hic sumitur ex ipsa illa prophetia, quæ fortunatum illum Ecclesiæ Statum tam magnifice extollit & celebrat, tantaque augustorum emblematum & figurarum varietate conspiciendum dat, ut quisque fateri cogatur, nihil excellentius ac perfectius pingi posse. quod si demonstrare niterer, tota describenda esset. nullum enim *comma*, nullum *commatis* membrum vacat, quin magnum quid & gloriosum efferat. Lege ipsam totam, & per te judica. Tantum dicam, inter characteres hujus Ecclesiæ esse conversionem omnium Gentium celebrium, suas opes & operas ad ornandam & amplificandam hujus spiritualis Hierosolymæ conditionem collaturarum [a]. Altera, huic suecinens, petitur ex illa ipsa prophetia Apocalyptica, de Nova Hierosolyma, eademque Paradiso Dei, ornatissima Christi Jesu Sponsa, tum temporis deposito squalore, apparitura in omni suo decore & pulchritudine, cultumque indutura cœlestem, quali eam oculus mortalium hactenus non viderat; quæ prophetia Apocalyptica lineas & ductus hujus nostræ imitatur; volo dicere, phrases & emblemata quibusdam locis ex hac nostra mutuatur [b]: & confer præterea Ps. LXVIII. 32. seqq. LXXII. 2. seqq. LXXXV. 9. seqq. Zach. XIV. 9. seqq. quæ nunc loca, missis aliis, solummodo excerpo. Tertio, Vindicias Ecclesiæ afflictæ; quæ præcederent hunc gloriosum Ecclesiæ Statum, confestim sequeretur Conversio Gentium & Judæorum. Gentium Cap. LIX. 19. *Et reverebuntur ab Occidente Nomen Jehovæ, & ab Oriente Sole gloriam ejus.* Judæorum, ℣. 20. *Et veniet ad Tsionem Redemptor, & revertentibus à defectione in Jacobo.* quem locum Apostolus refert ad conversionem Judæorum, futuram in fine temporum, eamque ex hoc loco adstruit [c]. Ipsa autem hæc prophetia de Vindiciis Ecclesiæ parallela est Mosaicæ in Cantico, Deut. XXXII. 42. quarum earundem Vindiciarum idem esset consequens. Quarto, Verba *Apocalypsios* Cap. XIV. 13. *Beati sunt ab hoc tempore qui in Domino moriuntur: Etiam dicit Spiritus, Requiescunt à laboribus suis, & opera illorum sequuntur eos:* prænuncia gravissimæ afflictionis post primum Babylonis lapsum ab Ecclesia sustinendæ, plane imitantur verba Prophetæ nostri, simile tempus respicientia, Cap. LVII. 1. 2. Quinto, Pericopa hæc nostra, ex *primis versiculis* Cap. LVI. descripta, plane referenda videtur ad Statum Ecclesiæ Novæ Oeconomiæ, ut patet ex cohærentia ejus cum *prophetia superiore*, & ex interpretatione ejus clarius patescet: cujus *consequens* est; *media* quæ inter duo hæc extrema interjacent, hoc est, quæ inter *initia* & *finem* Ecclesiæ Oeconomiæ Novæ in Mundo intersunt, de Statu Ecclesiæ Novæ Oeconomiæ interpretanda esse. Accedit sexto, convenientia exacta historiæ cum prophe-

Considerat. tio *Conversionis Gentium*, ut fructus Vindiciarum Ecclesiæ, in h, l.

Verba, *Apoc.* XIV. 13. coll. cum Cap. LVII. 1.

Interiorum ac extremorum in hac prophetia respectus,

a Cap. LX. 9. seqq. b Confer Cap. XXI. 24. cum ℣. 3. Cap. XXII. 22. & XXII. 5. cum ℣. 19. c Rom. XI. 25, 26.

tia comparatæ, quæ hic sola posset sufficere. Sic instituit, nisi fallor, omnium primus celebratissimus noster Coccejus, quem hic non desero: licet brevior ejus commentatio multa in medio vel à tergo reliquerit, clarius, subinde etiam diverse, exponenda: secundum quam hypothesin hæc prophetia complectitur Elenchum Ecclesiæ Novi Fœderis secundum varios ejus Status usque ad optatum illum & glorioſum qui spem nostram exercet.

Scopus Sp. S. in hac prophetia.

Dubia, quæ moveri possunt adversus hypothesin superius adstructam, resolvuntur.

XV. Video tamen duo huic hypothesi objici posse. Primo, non videri, Prophetam varia fata Ecclesiæ Novi Fœderis descripturum, duce Spiritu, per continuos processurum Elenchos. Respondeo, nos non posse modum & formam prædictionis futurorum præscribere Spiritui S. sed quidni ita instituerit Spiritus S. inquam, si Status illi Ecclesiæ talem Elenchum postulent? An non ita instituit Dominus Jesus ipse in Epistolis *Apocalypticis*; quæ utique secundum Doctorum Virorum plurium sententiam comprehendunt censuras Ecclesiæ secundum varios ejus Status. Num Dominus in Parabola de *Zizaniis* aliter processit; an non eadem ibi recensentur Fata Ecclesiæ N. T.? Sed censura Spiritus S. in hac prophetia cadit in Status Ecclesiæ collapsos. Horum vitia perstringit, salva laude quæ meliori parti debetur. Diversus est Ecclesiæ aspectus secundum varia ejus attributa; ut absque vitio idem Ecclesiæ Status laudari ac reprehendi possit. Deinde adversus nos inferri potest, durum videri, Ecclesiæ Protestantium applicare Elenchum Capp. LVIII & LIX. Respondeo, me hac parte timide & solicite processurum. Vellem, illius Ecclesiæ vitia non esse quæ ibi censentur. Estne quid majus quod ibi dicitur, quam quod Dominus nos videre jubet in imagine Ecclesiæ *Laodicenæ?* Quid si vero non præstent illa imaginem Ecclesiarum Protestantium quales nunc sunt; (utinam non præstarent!) an non merito mecum metuis, earum Statum amplius collapsurum esse. Multum est, vitia sua nosse. Sed Docti Sanctique Viri & hæc ipsa & his graviora in variis Protestantium majoribus Communitatibus vident. Μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. *a*

PARS PRIOR hujus *Sectionis*, DOCTRINALIS.

PRIMUM MEMBRUM hujus Pericopæ: *Exhortatio Populi Dei* ad Statum suum tuendum, in conservanda *puritate Religionis & exercendis Officiis charitatis.*

Pars prior hujus Pericopæ, ejusque Primum membrum; *Exhortatio* Populi Dei ad tuendum s. Statum.

℣. 1. *Sic fatur Jehova: Servate* JUDICIUM, *& exercete* JUSTITIAM, *quia Salus mea* IN PROPINQUO EST, UT VENIAT; *&* JUSTITIA MEA UT REVELETUR.] Plerique Intt. quà Veteres quà Recentiores, orationem verti censent ad *redimendos* per Christum Jesum; scena prophetia fere fixa in eodem tempore, in quo figitur scena Cap. LII. 1. *Excitare, excitare, induere robur tuum, ô Tsion, &c.* hoc est, in tempore proximo adventui Messiæ. ratione petita ex eo quod sequitur, *Quia* PROPE *est* SALUS MEA *ut veniat, & justitia mea ut reveletur:* sic tamen ut quæ sequuntur de *æquali sorte alienigenarum* & *Eunuchorum in Domo Dei*, referant ad Oeconomiam Novam. Secundum quam hypothesin hæc verba facerent initium *Novæ Concionis*, etiamsi argumentum proxime *consequens* secundum ipsos quoque decurrat in describendis privilegiis Oeconomiæ Novæ. Si quis id pertinaciter velit, & sententiam hanc presse urgeat: possem, salva hypothesi mea, eam admittere: verum ajo, *α.* Nullam illius retrogradationis hic esse justam rationem, ut ex interpretatione verborum de *propinquitate salutis* mox liquebit. β. Verba hujus Exhortationis longe rectius convenire Statui Populi Christi jam formari cœpti, ut ei præscribatur *conditio*, qua *Statum* suum tueri queat. quando nexus hujus *Sectionis* cum *superiore* sibi optime constabit. Certe Calvinus ipse hæc verba, licet ad *Judæos* dicta censeat, ita interpretatur ut omnino comprehendant *Legem pœnitentiæ & Renovationis vitæ*, Christianos æque ac Judæos spectantem. Et tamen verum est, ipsum & plerosque Intt. alios *Officium* quod Populo Dei hic præscribitur, nimis *arcte* circumscribere. *Servare jus* & *facere justitiam* hic exponunt de observandis præceptis *Posterioris Tabulæ Legis*, h. e. de proximo non lædendo; quin erga eum exercenda humanitate, æquitate, charitate. Equidem ex meo sensu hæc partem faciunt hujus mandati, sed non conficiunt totum. Cum enim Deus utriusque tabulæ observantiam à suis exigat; nec minus Religionem & Doctrinam ejus quàm æquitatem & justitiam servari velit: æquum est, utriusque hic rationem haberi. Imo vero Vates ipse se in sequentibus eum in modum diserte interpretatur. Neque enim aliam Populo Christi hic Legem præscribit Deus, ac *Eunuchis* & *Alienigenis*, quos sub conditione observantiæ conditionum Fœderis ad communionem privilegiorum Fœderis gratiæ invitat. SERVARE *jus*, sive *judicium*, & *exercere Justitiam* ipsi est SERVARE *Sabbathum*, *ne id profanetur*; & *præservare manum suam ab omni malo*, ℣. 3. Rursus, *observare Sabbatha Jehovæ*, & *eligere id in quo sibi complacet*; & *firmiter tenere fœdus ejus*, ℣. 4. Mox, *ministrare Jehovæ*, & *diligere Nomen ejus*, *ut quis ei sit in servum: observare Sabbathum*, *ne id profanetur*, & *firmiter tenere Fœdus ejus*, ℣. 6. Ergo per משפט *Jus*, sive *Canonem Judicii*, hic intellige *Doctrinam* veræ Religionis, à Christo Jesu & Apostolis ejus Populo suo præscriptam; justam, rationalem, æquam, omnis recti judicii de Deo & via Salutis canonem. Sic vox luculenter usurpatur de DOCTRINA, sive LEGE, *Messiæ* Cap. XLII. 4. LI. 4. in utroque enim voces משפט CANON JURIS & תורה LEX inter se tanquam ejusdem significationis junguntur, & utrobique veram ejus interpretationem præstiti. *Servare* itaque *Juris Canonem* est *Doctrinam Religionis*, à Christo Jesu & Apostolis ejus Ecclesiæ commissam, integram, castam, puram, animo, confessione oris, & confessionum formulis, conservare, & universam vitam ac mores ad formam ac typum ejus conformare, & secundum præscriptum ejus Deum sancte colere. Phrasis est receptissimi usus, *servare*, *observare*, *custodire*, quæ vis est notionis שמר, *vias Dei*, *statuta ejus*, *disciplinam Sapientiæ*, locis ubivis obviis *b*. Stylo Scriptorum N. T. τὸν λόγον, sive τὰς λόγας Χριστοῦ τηρεῖν *c*. Phrasis supponit, eam rem quæ hic משפט dicitur, esse rem caram, pretiosam, παραθήκην *depositum*, quæ summo studio, cura, vigilantia, indiget ad sui custodiam & conservationem: quod studium, quæque cura, hac ipsa voce significatur. Cognatum ei, quod additur, עשות צדקה *facere*, (*colere*, *exercere*,) *justitiam*; phrasi pariter usus vulgati. Involvit exercitium omnis virtutis, non tantum *justitiæ*, sic stricte dictæ, qua quis *jus suum cuique tribuit*; verum etiam *æquitatis*, *humanitatis*, *charitatis*, *benignitatis*, (χρηστότητος,) & munificentiæ ac liberalitatis erga pauperes. Ea enim vis est vocis צדקה, ut Prov. XI. 18. *Seminare* JUSTITIAM est exercere liberalitatem, quod est Viri חסיד *pii*, *benigni*, munifici, de quo ℣. 17. Γεννήματα τῆς δικαιοσύνης *fructus justitiæ*, Apostolo *d* sunt *eleemosynæ*, à Corinthiis collatæ vel conferendæ; quæ ipsæ quoque Hebræis veniunt nomine צדקה *Justitiæ*, de quo alibi *e* prolixe egi. *Facere justitiam* Vati nostro in superioribus dicitur *ambulare in justitiis f*. Utrumque hoc officium rursus conjungit Cap. LVIII. 2. *Me quoto die quærunt*, *& cognitione viarum mearum delectantur*, *instar Gentis quæ* JUSTITIAM FACIT, *&* JUS *Dei sui non derelinquit.* ubi משפט Jus idem quod in hoc loco. confer Ps. CVI. 3. Scriptoribus N. T. pariter, δικαίειν, ποιεῖν δικαιοσύνην *g*. Valet

Servare Jus quid sit Vati nostro? Pertinet phrasis ad tuendam Religionem.

Notatio vocis משפט Jus. Subinde est. Doctrina Religionis.

Inde phrasis lux: quæ ex analogis illustratur.

Vis in voce *servare* hoc loco.

Facere, exercere Justitiam. Notio צדקה.

Integra phrasis exponitur.

Sententia Calvini.

Ejus aliorumque Expositio primi membri.

Nimis restricta.

Commune judicium Intt. de tempore, in quo figenda scena hujus prophetiæ.

Consequens ejus sententiæ.

In eam sententiam animadversio.

Oratio optime videtur convenire Populo Dei redempto.

a Rom. XI. 20. *b* Job. XXIII. 11. Ps. CXIX. 4. Prov. VII. 1. &c. *c* Joh. VIII. 51. XV. 20. &c. *d* 2 Cor. IX. 10. *e* De *Syn. Vet.* Lib. III. Part. I. Cap. XII. *f* Cap. XXXIII. 15. *g* 1 Tim. VI. 11. 1 Joh. II. 29.

Valet autem ποιεῖν in hujusmodi locis *operam dare*; se in quali re adhibito in eam rem animo industrie ac strenue exercere. quod officium est hominis Deo fœderati sub Oeconomia Nova.

Ratio adjuncta: *Quia propinqua est salus mea, &c.*

Additur Exhortationi ratio à *propinquitate salutis & justitiæ Jehovæ*, in hanc formam: *Quia propinqua est* SALUS *mea ut veniat, &* JUSTITIA *mea ut reveletur.* Intelligitur ex nostra hypothesi non prima, sed clarior clariorque manifestatio Regni Dei tum in ampliore conversione Gentium; tum in judiciis, quæ Deus exsequeretur in hostes Ecclesiæ; tam sc. in Judæos impœnitentes & obstinatæ incredulitatis, traditos reprobo sensui ad omnem nequitiam; quam in Paganos, & speciatim in Imperium Romanum: usque quo illi hostes pedibus Ecclesiæ subjicerentur, & Ecclesia hactenus oppressa vindicaretur in libertatem. Canon est in Scriptura S. receptissimi usus, variis exemplis à Doctissimo Viro illustratus [a]: *Res in sacra Scriptura sæpe fieri dicitur, quando continuatur* vel *augescit.* Sed ego nunc alia non adducam; quam quæ ipse in promptu habeo, quæque in eodem hoc genere versantur. Sic ipse Jesaias in prophetia de Ecclesia jam liberata, sed ab hostibus afflicta, Cap. LXII. 1. *Propter Tsionem non silebo, & propter Hierosolymam non quiescam, usque quo exeat tanquam fulgor* JUSTITIA EJUS, *&* SALUS EJUS *tanquam flamma ardens, ut videant Gentes Justitiam tuam, & omnes Reges gloriam tuam.* Agi autem de Ecclesia Christiana post *salutem* jam ab ipso Domino promulgatam, ex superioribus patet. Rursus, ℣. 11. *Dicite filiæ Tsionis,* ECCE SALUS TUA VENIT. Respicit locus vindicias Ecclesiæ, de quo mox Cap. LXIII. 1.

Verba referenda sunt ad clariorem manifestationem Regni Dei.

Sensus dicti.

Locus Cap. LXII. 1. cum hoc collatus.

Lucas [b]: *Ita & vos cum videritis hæc fieri, agnoscite, ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ* PROPE ESSE REGNUM DEI. paulo ante dixerat, ὅτι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν *appropinquare redemptionem vestram.* Respicit autem his verbis præcipue τὸν ἐμφανισμὸν τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ καὶ τῆς ἀπολυτρώσεως, faciendum in illustri judicio exequendo in Judæos cum destructione Hierosolymæ. Apostolus ad *Romanos* [c]: *Nunc autem ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία* PROPIOR NOBIS EST SALUS *quam cum credidimus.* nempe clarior facta est *revelatio Regni Dei* in conversione plurium; major nobis obtigit gradus illuminationis; & spes nostra interea validioribus argumentis gratiæ Divinæ confirmata est. *Vindiciæ*, quas Christus Dominus Ecclesiæ suæ præstaret, censeri debent, ut sunt, signaculum illius *Ἀπολυτρώσεως Redemptionis*, quam Ecclesiæ suæ suo procuravit sanguine. Apostolus ad eosdem Romanos [d]: *Porro Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros ἐν τάχει* CITO. Atqui jam abolitum destructumque erat Imperium Satanæ in Morte Filii Dei [e]. Ita est, sed illa *contritio*, facta in caussa, manifesta evaderet debebat in effectis, inter quæ effecta illustre esset destructio *Throni Satanæ* in ipsa Urbe Roma, quæ facta est tempore Constantini. Per *Salutem* autem & *Justitiam* phrasi Vatis nostri intelligi *Liberationem* sive τὴν Ἀπολύτρωσιν Ecclesiæ, sive typicam, sive veram, monui & demonstravi variis locis in quibus has notiones junctim offendimus, veluti Cap. XLV. 8. XLVI. 13. LI. 5. 6. Cætera nihil hic quod addam, habeo. Nexum enim qui intercedit inter Exhortationem, & ei subjectam Rationem, quisque per se facile perspicit. Deus non præstat *Justitiam* & *Salutem*, h. e. ἀπολύτρωσιν nisi Populo suo; sibi fidenti, se colenti, & vita ac moribus professionem suam ornanti: qui character est Populi Dei.

Alia huc facientia allegantur.

Per *Justitiam* hic intelligitur ipsum *salvationis* sive *Liberationis* beneficium.

Præcepti hujus χάρις ad Ecclesiam.

Præceptum est æternum, quod hic scribitur; & tamen congruentissimum primo Ecclesiæ tempori. *Doctrina Christi Jesu & Apostolorum*, totius Ecclesiæ basis & fundamentum, primo tempore, fere ab ipsius Ecclesiæ ortu, impeteretur à Pseudapostolis & Doctoribus falsis; qui eandem vel traditionibus suis adulterarent ac corrumperent; vel perverse interpretarentur; sive in dogmatibus Religionis ipsis; sive in præceptis vitæ & morum: ut constat fecisse *Gnosticos*, sic dictos, varii generis, perinde ac *Nazoræos*, Zelotas Legis Ritualis Mosaicæ; quos deinde exceperunt alii qui doctrinam Ecclesiæ de Mysterio Patris, Filii, & Spiritus S. impugnarunt; litibus in longum protrahendis. Interim Christiani expositi essent persecutionibus Gentilium; sive Imperatores ipsi Romani Edictis in ipsos sævirent: (quod rarius factum:) sive plebs à Sacrificulis concitata præter Rectorum suorum jussum in eos fureret. In his vero omnibus casibus difficile erat τηρεῖν τὴν πίστιν SERVARE FIDEM, phrasi Paulina [f]. Ipse Apostolus ad Timotheum [g]: *Denuntio tibi coram Deo — — τηρῆσαί σε τὴν ἐντολὴν ut* SERVES HOC PRÆCEPTUM (loquitur de tota doctrina Evangelii:) *incontaminatus & irreprehensibilis, usque ad illustrem illum adventum Domini nostri Jesu Christi:* vitando τὰς ἑτεροδιδασκαλοῦντας, quod ubique in Epistolis inculcat, & ferendo afflictiones Ecclesiæ decretas. Altera mandati pars de *facienda justitia* huic temporis periodo, si cui alii, maxime convenit. Commune est præceptum non *justitiæ* tantum, sed æquitatis, bonitatis, honestatis puritatisque morum, beneficentiæ, mansuetudinis, mutuæ charitatis, Φιλαδελφίας, quod Sermones Christi Jesu & Epistolæ Apostolicæ, omnem virtutis exactitudinem & amplitudinem commendantes, omnibus Discipulis Christi præscribunt; cujusque Legis observantia Ecclesiæ incrementum & amplificationem mirifice promovit. Sed hac temporis periodo potissimum de his præceptis usu veniret observare *æquitatem in judicio* de *Fratribus dissentientibus*, exclusa æmulatione, invidia, obtrectationibus, suspicionibus, quæ vitia corruptæ naturæ proxima difficillime exuuntur, & Ecclesiæ Christi plurimum nocuerunt. Gignit illa & fovet ambitio, & sui ipsius ac eorum quæ in se sunt nimia æstimatio, de quo necessaria monebo ad *comma sequens*: tum quoque *beneficentiam*, *liberalitatem*, & *charitatem*, erga inopes, afflictos, confessores Nominis Christi. Paulo [h] est τῆς χρείας τῶν ἁγίων κοινωνεῖν. quæ Virtus in Apostolicis frequens commendatur. Summa est [i], τῆς δὲ εὐποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε.

Convenit maxime illius initiis.

Status Ecclesiæ hujus temporis.

Servare fidem hoc statu plane erat necessarium.

Exercitium Justitiæ quo modo huic statui Ecclesiæ congruat?

MEMBRUM ALTERUM hujus Periocopæ: *Fructus* ex his Officiis probe observatis percipiendus.

℣. 2. BEATUS EST *homo qui hoc fecerit, & filius hominis, qui id firmiter retinuerit;* OBSERVANS SABBATHUM, *ut ne illud profanet, & præservans manum suum, ut ne faciat ullum malum.*] Subditur Exhortationi hic μακαρισμὸς; tum ut eam adstringat; tum ut oblique & prophetice doceat, magnam esse necessitatem hujus Exhortationis faciendæ, quod inter eos qui nomen Christi profiterentur, plures essent, qui hac parte non præstarent officium, quod Canon Legis Christianæ postulat. *Beatus* dicitur, sive, *felix*, in hac vita qui possidet *favorem Dei*, verissimum hominis bonum, cum bona & læta conscientia, in spe vitæ æternæ: quo sensu passim stylo Scripturæ S. *beati* dicuntur, qui vel iis in præsenti gaudent *beneficiis*, vel ea observant *officia*, quæ conjunguntur cum *salute*; quæque illius generant *spem*; & ex spe & conscientia favoris Divini lætam conscientiam [k]. Quare ubi phrasis absolute & ἐμφατικῶς sumitur, semper adstringitur *officiis*, aut *privilegiis* spiritualibus, συνεχομένοις τῇ σωτηρίᾳ. Quandoquidem vero Deus sub Oeconomia Nova veluti partem salutis cœlestis, hoc est, *primitias* ejus larga manu cum Ecclesia communicat: *beatitudo* huic Statui gratiæ multo potiori jure tribuitur his qui sunt in communione Dei, quam olim. *Officia* autem cum quibus *beatitudo* hic connectitur, sunt *hoc facere*, h. e. *servare Canonem Juris & Doctrinæ Evangelicæ*; & *firmiter* hanc *tenere*; h. e. *justitiam* de qua facta fuerat men-

Membrum alterum: *Fructus* ex his officiis percipiendus, ℣. 2. *Beatus, &c.* Quæ ratio μακαρισμῶν subjecti exhortationi.

Quid sit *beatitudo* stylo Scripturæ S.?

Quomodo conveniat piis sub Oeconomia Nova?

---

a Glass. Gr. S. Lib. III. Tract. III. Can. IV. b Luc. XXI. 31. c Rom. XIII. 11. d Rom. XVI. 20. e Heb. II. 14. f 2 Tim. IV. 7. g 1 Tim. VI. 14. h Rom. XII. 13. i Heb. XIII. 16. k Vide hoc Libro Cap. XXX. 18. XXXII. 20. Pl. XXXI. 1. CXIX. 1.

Affixum fœminini in voce ברית quorsum referendum sit?

mentio, constanti studio persequi. Illuc enim Vatem respicere, ipsa nos monet phrasis, ובן אדם יחזק ברית, ubi plane existimo, *affixum* ה *generis fœminini*, in voce בה referendum esse ad vocem צדקה *justitia*. Fateor, id non esse necessarium. *fœmininum* enim *genus* frequens pro *neutro* Hebræis usurpatur: sed si hanc amplectamur hypothesin, videbimus, *duo* hæc *membra* orationis respondere *duobus* officiis *versiculi superioris*. Est autem non spernenda vis hoc loco in voce החזיק. Constructa cum ב, notat quid *apprehendere*, sive *firma manu tenere*; sive ut tibi saluti sit, veluti Cap. XXVII. 5. sive ut rem debiliorem sustineas, aut ex periculo vindices; Cap. LI. 18. Prior significatio hic usum habet, metaphora desumpta ab eo qui medium sive instrumentum salutis, tabulam, aram, aut fortiorem aliquem, manu valide tenet aut complectitur; maxime si quis illum à medio salutis nitatur avellere; ne si manum remiserit, pereat aut cadat: vel ab eo qui rem pretiosam & sibi carissimam, cujus per vim alterius eripiendæ metus est, firma manu retinet, eique tenaciter adhæret. Est itaque, sive vocem referas ad *doctrinam* & *cultum Religionis*, sive ad *Exercitium virtutis:* firmo ac constanti proposito animi persistere ac perseverare in instituto vitæ, quod quis sano judicio elegit; tenere cursum æquabilem in omni tentatione; nec pati se ab hoc instituto qualemcunque ob caussam divelli; sed ei pertinaciter adhærere. Eadem phrasis recurrit ℣. 4. 6. *Firmiter retinere* FOEDUS DEI [a]. Apostolo κρατεῖν τῆς ὁμολογίας, & τῆς προκειμένης ἐλπίδος, phrasi ex hoc loco petita. est enim ὁμολογία ipsi *fœdus*, ut liquet ex Cap. III. 1. Dominus ad Thyatirenses [b]: Πλὴν ὃ ἔχετε κρατήσατε, ἄχρις οὗ ἂν ἥξω. Rursus ad Ecclesiam Philadelphenam [c]: Κράτει ὃ ἔχεις· TENE *firmiter quod habes.* Summa sententiæ est [d]: *Qui perseveraverit ad finem usque, servabitur.* Deus enim *salutem* & *beatitatem* non annexit nisi *perseverantiæ* in fide ac virtute.

Vis vocis החזיק, constructæ cum ב.

Quid significer relata ad *Doctrinam*, sive *Religionem*.

Illustratur ex analogis.

Utrumque *Officium* declaratur; Prius per *Observans Sabbathum* & *continens manum* à *malo*.

Utrumque jam officium, sic repetitum, Vates protinus aliis verbis declarat. prius quidem, his verbis: OBSERVANS (שומר) SABBATHUM, *ne illud profanet*; quod utique respondet officio *observandi* משפט *canonem Juris & Religionis:* &, *præservans manum suam, ne faciat ullum malum*; quod involvit contrarium ejus, *adhibere manum suam ad faciendum omne bonum*; respondens alteri officio עשות צדקה *facere justitiam.* Prius sibi vindicat *Lex Fidei* sive Religionis: posterius *Lex Respiscentiæ:* duo magna præcepta Evangelii, sive *Legis Christi Jesu* [e]. Docte hic & ex nostra mente Liranus. Ad verba, CUSTODIENS SABBATHUM, NE ILLUD POLLUAT: adscripsit: *Per Sabbathum quod erat ordinatum specialiter Divino cultui, intelligitur omne illud quod pertinet ad Divinum cultum* IN NOVA LEGE. Ad alterum membrum: CUSTODIENS MANUS SUAS, &c. *A malis operibus, in quibus maxime est transgressio Sabbathi & Cultus Divini, magis quam in operibus corporalibus, utilitati hominum deservientibus.* Vidit itaque ille, quod verissimum; phrasin *observantiæ Sabbathi* hic & in sequentibus pericopis ℣. 4. 6. ubi unum illud *præceptum* repetitur, & observantiæ hujus solius præcepti involvitur observantia totius *Fœderis Divini*, absque ulla mentione facta aliorum præceptorum, nisi *spiritualium*, ℣. 6. hic mystice ac spirituali sensu sumi. Quid? Jesaias ipse in prima *Concione* satis demonstraverat, Deum observantiam *Sabbathi* & *Festorum* externam in cultu suo censeri nolle, si non adesset animi integritas, fides, erga Religionem amor, & studium sincerum virtutis. *Novilunium*, ait [f], SABBATHUM, *indicere indictionem, non fero.* ut sane Prophetæ omnes ubique inculcant; Deum cultu rituali vere non delectari. Hoc vero in loco cur Propheta Sabbathi externi observantiam ursisset: cum utique præceptum cognitionis & amoris Dei, ejusque reverentiæ, & fidei, longe pluris valeant, quam observatio Sabbathi? Et sane ipsa hæc præcepta commemorat in eodem hoc contextu, ℣. 6. *Et alienigenæ qui adhærent Jehovæ ad ipsi ministrandum* (instar Sacerdotum spiritualium,) *& ad amandum nomen Jehovæ, ut ipsi sint servi: quisque qui observat Sabbathum, ne illud profanet, & qui firmiter retinent fœdus meum.* Viden', Sabbathum hic referri ad cultum spiritualem, quem Deus à suis requirit sub Oeconomia Nova? Utique hic latet magnum mysterium, à nobis explicandum. Explicari autem nequit nisi ex *respectu* Sabbathi *spirituali:* secundum quem respectum involvit totam *Doctrinam* & *Cultum* Religionis spiritualis. Et quidem primo, Præceptum de *Sabbatho* [g], Populo Israëlitarum præscriptum, & tanquam à cæteris Ritualibus distinctum, (etsi ipsum quoque *Rituale* esset,) valde erat paradoxum. Imponebat omnibus Israëlitis & circumcisis necessitatem *quiescendi ab omni opere servili.* Hæc enim erat substantia præcepti, ut alibi [h] vere docui. Quandoquidem vero Deum *mera quiete*, sive *abstinentia ab opere*, coli non posse, ratio facile docet: cuique in mentem venire debebat ut cogitaret, hanc *quietem* esse *signum* alterius cujusdam rei præstantioris, quam Deus facere volebat objectum meditationis, fidei, & spei Sanctorum sub Vetere Lege. Atque id Deus ipse stupidis subjecit apud Mosen [i]: *Sabbatha mea observabitis, quia hoc* SIGNUM EST *inter me & inter vos, per generationes vestras, & seqq.* Deinceps [k]: *Inter me & inter filios Israëlis* אות היא לעולם SIGNUM *hoc est in æternum.* Cujus vero *Rei?* Ajo, *Signum* fuisse *memoriale, doctrinale*, & *sacramentale* earum rerum, quæ faciunt substantiam Doctrinæ veræ Religionis, ejusque *spiritualis.* Primo quidem fuit Signum memoriale & doctrinale *Creationis* hujus Universi per *Verbum* & *Spiritum* DEI, perfectissimi, potentissimi, ac *liberrimi* Entis spiritualis, sexiduo perfectæ, quam insequuta sit *quies diei septimi.* quod primum & magnum caput est Doctrinæ Mosaicæ, & Patriarchalis. quæ ratio instituendi Sabbathi in Præcepto Decalogi quarto expressa est. Repetit eam Moses, ubi hoc præceptum denuo urget [l]: *Inter me & filios Israëlis hoc* SIGNUM EST *in æternum*, QUIA *Jehova sex diebus fecit cœlos, & terram, & die septimo quievit, & se refocillavit.* Secundo, signum fuit memoriale *Redemptionis Populi* Judæi ex Servitute Ægyptiaca, ut est in repetito Decalogo [m]: *Ut* RECORDERIS, *te servum fuisse in terra Ægypti, & Jehovam te inde eduxisse manu valida & brachio extento: propterea præcepit tibi Jehova Deus tuus, ut ei facias diem Sabbathi.* Est itaque *signum* Redemptionis typicæ è statu *servitutis* in statum *libertatis*; è statu *laboris molesti* ac onerosi in statum *quietis.* Tertio, cum Redemptio typica figuram gesserit veræ Redemptionis & Ἀπολυτρώσιος: Sabbathum figuravit, significavit, obsignavit, magnum illud Opus & Beneficium Ἀπολυτρώσιος *Redemptionis veræ*, à Deo meditatum ante sæcula, quo Filius Dei in mundum venturus Populum credentium *servaret à peccatis suis*, sive ex *servitute peccati* & *statu malæ conscientiæ* liberaret, vindicaret, & sibi assertum & à mundo separatum transferret in Statum *quietis à peccato*, & *libertatis filiorum Dei*; quod beneficium complexe sumptum stylo sacro *sanctificatio* dicitur. Sic Moses [n]: *Quia* SIGNUM *illud est* (sc. Sabbathum,) *inter me & inter vos, ut intelligatis,* כי אני יהוה מקדשכם ME *Jehovam* ESSE SANCTIFICATOREM VESTRUM. quod idem Ezechiel [o] repetit. Est beneficium summæ amplitudinis, non tantum significans *secretionem* Populi Abrahami ab aliis Populis Mundi ad puriorem Religionem: verum involvens totum beneficium ἀπολυτρώσεως *Redemptionis*, hic inchoandum, & consummandum in æternitate gloriosa ac beata: videlicet, Filium Dei sanguine suo fuso instar magni Pontificis Populum credentium *purificaturum esse à culpa peccati*; eum collocaturum esse in *Statu quietis à pecca-*

Lirani verba.

Non est probabile, Vatem hic loqui de *Sabbatho externo.*

Rationes ejus hypothesios.

Jesaias se ipse interpretatur ℣. 6.

Præcepti de *Sabbatho* contemplatio. erat paradoxum.

De ea de caussa typicum.

Quod Scriptura S. confirmat.

Cujus *Rei signum* fuerit *Sabbathum:* Respectus ejus ad *Creationem* Mundi.

Et ad *Liberationem* ex Ægypto.

Nec non ad futuram Redemptionem & *Sanctificationem.*

Quam late se hoc beneficium extendat?

---

[a] Heb. IV. 14. VI. 18. [b] Apoc. II. 25. [c] Cap. III. 11. [d] Matth. XXIV. 13. [e] Marc. I. 15. [f] Cap. I. 13. [g] Exod. XX. 8. seqq. [h] De *Synagog. Vet.* Lib. I. Part. II. Cap. II. [i] Exod. XXXI. 13. [k] ℣. 17. [l] Exod. XXXI. 17. [m] Deut. V. 15. [n] Exod. XXXI. 13. [o] Cap. XX. 12.

peccato sive *Libertatis* è *servitute peccati*, per *sanctificationem* & renovationem sui Spiritus; sibi eundem asserturum è communione Mundi; statumque illum quietis & Sabbathismi tandem esse completurum in Statu quietis & libertatis gloriosæ, in quo semen sanctum in his terris primitias hujus beneficii adeptum, omnino purificatum ab omni peccati labe & opere, *gloriosam* & plane perfectam *quietem* celebrabit in omnem æternitatem. Sic Apostolicus notionem usurpat ad Hebræos, ut Cap. II. 11. *Nam & is qui* SANCTIFICAT, *& ii qui* SANCTIFICANTUR, *ex uno sunt*: Cap. X. 14. *Unica enim oblatione consummavit in perpetuum τὺς ἁγιαζομένους eos qui* SANCTIFICANTUR. Hoc est, *purificantur* à culpa & labe peccati ad quietem conscientiæ: quæ purificatio fit per sacrificium summi Pontificis, Filii Dei, cujus virtute Remissio peccatorum, Quies conscientiæ, & Renovatio mentis per internam illius purificationem, Populo Credentium obtigerunt. Confer usum vocis Cap. IX. 13. & Lev. XVI. 19. Quarto denique, *Sabbathismus* hic cum figuret Statum sanctificationis Ecclesiæ, purgatæ à peccatis sub Oeconomia Nova, consummandum in cœlis; simul significavit & figuravit statum *quietis & libertatis* Ecclesiæ cum respectu ad Legem *Ritualem*, onerosam & observatu molestissimam, sub Oeconomia Nova, quippe quæ, sublato expiatoque peccato, aboleri debebat cum omni molesta servitute, ad quam eos qui sub Lege erant obligabat. Ipsum Sabbathum præfiguravit Statum Quietis & Libertatis Ecclesiæ ab omni servitute quæ ex peccato est, (*Lex* autem est *ex peccato*, quatenus peccati caussa Ecclesiæ imposita est:) & ab omni specie *operum mortuorum* [a]. Figuravit, inquam, *τὴν ἀνάπαυσιν quietem* [b] *& τὴν ἐλευθερίαν libertatem* [c]; quam Messias verus Populi sui Sanctificator & Salvator eidem præstaret; quæ *quies ἀντίτυπον* faceret *quietis* Populi Judæi in Canaanæa; fructus esset *τῆς ἀπολυτρώσεως Redemptionis* illius Populi ex Regno peccati; quæque *quies* (*σαββατισμὸς*) *nobilior* reservata erat Populo Dei, à vero Josua Populo suo procuranda; de quo sublimiter disseritur in *Epistola* ad Hebræos [d]. Atque id primum est quod pertinet ad *observationem Sabbathi*. est præstantissimas hasce doctrinas, quæ efficiunt basin fidei credentium sub Oeconomia gratiæ, cognoscere, credere, tenere, easque integras atque intaminatas *conservare*. Alterum huic affine est, has doctrinas meditari; & meditando se iis oblectare. Opera, inquam, Creationis, Providentiæ, & Gratiæ Divinæ, meditate perpendere, & celebrare, iisque celebrandis gaudere & exultare. quod est Sabbathum vocare *delicias*, & *sanctum Jehovæ*, sive *propter Sanctum Jehovæ*, *glorificatum*, ut in sequentibus [e]. Ad id enim Judæos obligatos fuisse, & per ipsius diei *quietem* excitatos, per se liquet; ut & ex Ode hujus argumenti *f*. Tertio, *observare Sabbathum* est *Religionem*, in his doctrinis fundatam, sive publicam, sive domesticam, studiose colere. Equidem licet forte *Præceptum* Decalogi *quartum κατὰ γράμμα* non injungat publicos cœtus Religionis caussa instituendos: Sancti tamen, confirmato Ecclesiæ statu, facile viderunt, ipsam *quietem*, si pie & *λογικῶς* celebranda sit, ipsos ad id invitare, & *sanctificationem* hujus Diei eos hac de re oblique monere. de quo alibi *g* susius sententiam explicui. Quarto denique, *observare Sabbathum* est se Spiritui Dei sanctificandum committere ad cessationem ab omni peccato & vitio, &, sub Oeconomia Nova, ipsa praxi profiteri *Beneficium sanctificationis*, & *libertatis* à molesta *servitute Rituali*, cui credentes olim erant obstricti. Pulchre Catechista Heidelbergensis, Sabbathum à Christianis observandum explicans, addit: *Deinde ut in omni vita à pravis actionibus vacem, Domino concedens, ut per Spiritum Sanctum in me opus suum faciat.* Confer Cap. LVIII. 13. Glossa Interlinearis Strabi ad hæc verba: *Feriando à vitiis: insisten-*

Usus vocis *Sanctificationis* in Epist. *ad Hebræos.*

Respectus ejus ad Liberationem Ecclesiæ à jugo Legis.

Sententia illa illustratur.

Officia circa hoc Sabbathum: Doctrinas eo figuratas nosse & credere.

Easdem *meditari.*

Religionem in iis Doctrinis fundatam studiose colere.

Quomodo *Cultus Dei* involvatur *Præcepto* de Sabbatho?

Se sanctificandum dare Spiritui S.

Glossa Interlinearis hic laudata.

do bonis operibus. Et ad sequentia: *Ne polluat illud*, adscripsit, *Male operando.* In Hesychianis ex Theodoreto, ad hoc Capitulum: Ἀπόφασις Θεοῦ, σαββάτων (σάββατον, ut opinor,) ἡγεῖσθαι τὴν τῶν κακῶν ἀποχήν· *Declaratio Dei, Sabbathum censeri abstinentiam à malo.* His consistit *spiritualis observatio Sabbathi*: contrariis ejus *pollutio*: ut vere Sabbathum licet præceptum sit Rituale, tamen ob significationis suæ præstantiam Decalogo, Legum Divinarum Radices complexo, sit insertum, & à cæteris Ritualibus apud Ezechielem *h* distinguatur, quod typum gereret non servitutis, sed *libertatis* & *quietis* Credentium. Alterum præceptum, hoc involutum, est *Respiscentia; præservare manum suam ne ullum faciat malum.* Omnibus vitiis renuntiare; omni actu & proposito malo abstinere; omnem peccandi occasionem vitare; & studio non hujus aut illius, sed omnis virtutis incumbere, sive *facere justitiam.* Analoga sunt Cap. I. 16. 17. Ps. XXXIV. 15. XXXVII. 27. Amos. V. 15. Cum his præceptis conjunxit Deus *beatitudinem* sub *Nova Lege*; & vero observantia illorum ejusdem beatitudinis partem facit.

Præstantia Præcepti de Sabbatho præ aliis Ritualibus.

Cæterum quod in initio præmonui; ipse hic *μακαρισμὸς* Exhortationi adjectus, oblique videtur innuere, fore primo Evangelii tempore plures qui ab observatione hujus Præcepti deflecterent. Multi hac temporis periodo fidem Ecclesiæ corruperunt; utique corrumpere & adulterare nisi sunt. Concertationes enim de canone fidei & veræ traditionis Apostolicæ per totam hanc periodum, & longe ulterius, durarunt. Alii, qui non habuerunt *profundam terram*, sive ex levitate ingenii, sive æstu persecutionum, à fide defecerunt. Equidem viguit inter veros Christianos charitas, editaque sunt luculenta exempla beneficentiæ & liberalitatis in pauperes aut afflictos caussa communis Religionis, sive carceribus circumscriptos, sive ad metallarias operas damnatos: sed non eadem æquitas & justitia sæpe regnavit in *judiciis* de fratribus dissentientibus; sive ex imprudentia peccatum sit; sive ex invidia & æmulatione, quam parit ambitio. Ambitio inquam, *magisterii* gloria, & dulcis sed damnabilis cupiditas dominandi conscientiis fratrum in levissimis etiam dissentientium; quod vitium magnam per Ecclesias stragem dedit. Ambitio peperit Quæsitum, Τίς ἄρα μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· *Quis maximus sit in Regno cœlorum?* quod calide agitatum, peperit *obtrectationes mutuas*, *invidiam*, & intestina bella inter Antistites Religionis, magno scandalo piorum & detrimento Ecclesiæ, inter se collisos, & verbis scriptisque tanquam hastis inter se dimicantes: de quo late Eusebius *i*. Victor Romanus primum exemplum publicum dedit, in Controversia Paschali: inde Demetrius Alexandrinus in caussa Origenis: neque ex alio fonte factiones Novatiani Romæ, & Novati Carthagine emersere. Cætera non attingo, & postulant etiam locum magis proprium.

Peculiaris respectus hujus Præcepti pertinet ad *primam periodum* temporis Gratiæ.

Conspectus Ecclesiæ primi temporis.

MEMBRUM TERTIUM Pericopæ Doctrinalis: *Expansio* privilegiorum gratiæ ad Subjecta omnis generis.

a. Generalis.

Membrum tertium *Pericopæ Doctrinalis: Expansio* Privilegiorum Gratiæ ad *subjecta* omnis generis. ℣. 3.

℣. 3. *Et ne dicat* ALIENIGENA, *qui se adjungit Jehovæ, in hac verba: Jehova me omnino resciait à Populo suo; & ne dicat* EUNUCHUS, *Ecce sum Arbos arida.*] Poterat satis, ut videri posset, universalitas propositionis perspici ex indefinita locutione, qua Vates usus fuerat in *commate superiore*, *Beatus est* VIR HOMO, & בן אדם FILIUS HOMINIS, absque ullo discrimine status aut ordinis hominum: nec tamen in eo acquievit. Cum enim duplicis generis homines essent, qui respectu habito ad Statum Ecclesiæ Oeconomiæ Veteris viderentur *sortem* minus *æquam* cum Originariis Judæis sibi polliceri posse in Regno Christi, *Alienigena* videlicet & *Eunuchi*: cavet iis Deus hac pericopa; plane docens,

Speciatim ad *Eunuchos* & *Alienigenas*. Notio ejus rei.

a Heb. IX. 14. b Matth. XI. 28. c Rom. VI. 22. VIII. 21. d Heb. IV. 8. 9. e Cap. LVIII. 13. f Ps. XCII. 1. g De Synag. Vet. l. 6. h Ezech. XX. 12. i Hist. Eccles. Lib. VIII. Cap. 1.

in novo hoc Ecclesiæ statu bona gratiæ æqualiter partienda esse; Gentibus ac Judæis *æquam* hoc tempore fore κληρωχίαν; quin imo nullum privilegium esse Ecclesiæ, ad quod *Alienigenæ* & *exsecti* adspirare nequeant, ne quidem excepto Sacerdotio; secundum illud Petrinum [a]: Οὐδὲν διέκρινε μεταξὺ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν· NIHIL DISCREVIT Deus *inter* Nos (Judæos,) & ILLOS, *fide purgatis cordibus eorum.* Sed hic sensus clarius patescet ex expensa tota pericopæ sententia. Nunc curæ nobis erit, verba quæ dubii aliquid habent, declarare.

Alienigena quis?

Ait per Prophetam Deus, *Et ne dicat* בן נכר ALIENIGENA, ἀλλότριος, non satus Abrahamo; Syrus, Ægyptius, Græcus, Romanus, Scytha. Certa ac usu recepta est notio, qua proin illustranda abstineo. Nec tamen de *omni alienigena* loquitur Jesaias, sed de *alienigena qui se adjungit Jehovæ*, τῷ προσκολλωμένῳ τῷ Κυρίῳ, qui integro animo, ex certa persuasione & caritate veritatis transit in fœdus Dei & in communionem Ecclesiæ, eique arcte adhæret; non passurus cujuscunque alterius boni ac privilegii respectu se ab ea avelli.

Item, quid sit *se adjungere* Jehovæ? Conspectus *Proselytismi.*

hic enim est fructus veræ ac probe fundatæ fidei. Phrasis fere propria est τοῖς בני נכר *Alienigenis*, qui ut προσήλυτοι (*Justitiæ*, ut Judæis dicebantur; non *Domicilii:*) transcribebantur in Civitatem Populi Dei; & publica Fidei confessione edita, receptisque fidei illius Sacramentis, transibant in communionem & proximam cognationem Sanctorum: quam hoc sensu illustratam dedi ad Cap. XIV. 1. qui locus inspici potest: quibus Proselytis similes plane sunt, (res enim eadem est,) qui ex Paganismo se ad Christianismum convertunt, ejusque disciplinam Fidei & morum adoptant. Sic Apostolus ad *Ephesios* [b], cujus verba huc directe spectant: *Vos illo tempore fuisse absque Christo*, ἀπηλλοτριωμένους τῆς πολιτείας τῆ Ἰσραήλ ABALIENATOS A CIVITATE ISRAELIS, (בני נכר) & EXTRANEOS *quod ad pacta promissionis attinet, spem non habentes, & absque Deo in Mundo: at nunc in Christo Jesu vos qui olim* ERATIS PROCUL, *facti estis* PROPINQUI *per sanguinem Christi.* Hujusmodi *alienigena* ait, Deo adhærescens, *ne dicat*, hoc est, ne cogitet. Integre, *dicere in corde* [c]. sed subinde simpliciter *dicere*, ut jam observavi ad Cap. XXXVIII. 11. confer 2 Sam. XXI. 16. Quid vero *cogitet?* Id ipsum quod sequitur, *Jehova me omnino separavit à Populo suo.* Intelligis, esse cogitationem *querulam*; sed paradoxam ad primam speciem. Quomodo enim sub ipsa Oeconomia Vetere (ad cujus jura & consuetudines hic directe respicitur,) id ulla cum specie *dicere* sive *cogitare* poterat *Proselytus Justitiæ*, qui circumcisus in se susceperat Fidem Judaicam, cum utique Deus in Lege sua exerte caviisset, *unum Jus fore Proselyto*, ac *Israëlitæ Originario*, Hebræo ex Hebræis, veluti nullo inter hos & illos discrimine. *Quod ad Ecclesiam attinet:* (verba Dei [d]:) UNUM STATUTUM ERIT *vobis & peregrino inter vos hospitanti: Statutum æternum in generationes vestras, ut vobis sic Proselyto.* Quin Talmudici, Maimonides, Rituales alii, exerte ajunt, *Proselytum* ejusmodi se habuisse לכל בני כישראל sive לכל דבר *veluti Israëlitam omnimodo respectu.* quam *conditionis paritatem* Philo ἰσοτιμίαν vocat [e]. Sic Seldenus, cujus de hoc argumento docta extat dissertatio binis locis, in Libris de *Jure Naturæ & Gentium* [f]; præter ea quæ de eo sparsim in aliis Libris *Judaici Juris* [g] tradit. Constat inde, Proselytum liberæ conditionis etiamsi bona fide Judaismum susciperet, Religionem quidem totam & Præcepta ejus cum Israëlitis habuisse communia, exceptis singularibus quibusdam *Confessionibus*, cujusmodi illa est quæ edenda erat super *Decimas* [h], quarum verba ad se applicare non poterant Proselyti: Sed si descendas ad privilegia secundi generis, τὴν πολιτείαν Judæorum concernentia: patet ex disciplina Judæa, illos cum Gente Judæa originaria vere non coaluisse in idem corpus: veluti, *quod a Magistratibus & Præfecturis castrensibus tam civilibus omnibus quam castrensibus regulariter ex Jure arcerentur Proselyti hujusmodi, velut neutiquam, ex ipsa Legis Sacræ mente idonei.* quo eodem pertinet, quod nullus iis locus in Synedriis *Summo* & *Viginti-triumviralibus*, de quo Doctissimus ille Vir alibi [i]. *Purus* in Senioribus requirebatur *sanguis.* Imo vero ne ad stata quidem Presbyteria *Triumviralia* admittebatur *Proselytus*, nisi forte matre oriundus Israëlitide. Maimonides [k] בית דין של שלשה שהיה אחד מהן גר הרי זה פסול *Consessus Trium-Viralis, cui unus inesset Proselytus, utique est illegitimus.* Porro nulla iis *sors* erat in terra Sancta. *Proselytarum* connubia Sacerdotibus interdicta [l]. Hoc respectu erant homines *sine tribu, sine nomine*, ut Florus de Cajo Graccho, adulterini Nominis [m]. Liberi autem ex utroque Parente Proselytis nati eadem semper permansere conditione. Quin sane aliquibus *Gentibus* omnis adempta spes erat Lege Divina, quæ extat in Deuteronomio, unquam coalescendi cum Judæis originariis in unum Populum; quæ tamen non adempta fuit communiter *Proselytis Justitiæ*, si ducerent *fœminam* origine *Judæam.* proles enim, ex disciplina Talmudicorum Canonica, sequitur *conditionem matris.* Sic habet Lex Divina [n]: *Non veniet Ammonita aut Moabita* בקהל יהוה IN ECCLESIAM JEHOVÆ: *imo ne decima quidem generatio veniet in Ecclesiam* (congregationem, πολιτείαν, civitatem,) *Jehovæ in sæculum.* Judæi constanter interpretantur Legem de non ducenda muliere Israëlitide, ut idem Seldenus observat, & nos jam supra alio loco tradidimus. Cui enim Israëlitidem sibi matrimonio jungere licebat: posteri ejus tandem cum ipsa Gente concorporabantur; & in unam veluti coalescebant substantiam; etsi sanguinis semper inter eos summa habita sit ratio. Idumæi & Ægyptii hac Lege constringebantur, per tres generationes. Et hæc quidem ita se habent: sed censeo vel ex hoc ipso loco, *Proselytos* antiquis illis temporibus, ut fuerunt rariores, sic semper habitos fuisse conditione deteriore, & nota quadam peregrinitatis insignes, ut majore emphasi dicere potuerint, quod in hoc loco, *Jehova me omnino à Populo suo separavit.* Certum insuper habeo, præcipue hic respici *negatam sortem* in Terra Canaanæa. cætera minoris haberi.

Locus Ephes. II. 12-13.

Dicere hic est *cogitare.*

Quæritur, quo jure *Proselytus* hic querelam instituat?

Idem enim erat ipsi *Jus* quod *Hebræo.*

Seldenus laudatus.

Restrictio *Juris* Proselytorum quod ad *quædam privilegia.* quæ declaratur.

Lex Divina, Deut. XXIII. 4.

Antiquo tempore Proselytorum Jura magis videntur fuisse restricta.

Alterum genus, cujus censeri poterat conditio deterior sub Oeconomia antiqua, est *Eunuchorum*, de quibus hæc leguntur: *Et ne dicat* הסריס *Eunuchus, Ecce ego sum lignum aridum*, sive, *arbor arida*, nullum proferens fructum; quæ notatio hic est vocis יבש. De significatione vocis סריס hic nullum est dubium: quæ licet subinde latiore sensu usurpetur, (de quo egi ad Cap. XXXIX. 9.) hic tamen ex attributo suo facile discernitur, tanquam verus *Eunuchus:* sive talis sit ortu & per naturam, quos Hebræi appellant סריסי חמה *Eunuchos solis*; sive סריסי אדם *Eunuchus hominis*; ab hominibus castratus: quod idem discrimen Dominus Jesus demonstrat de iis loquens [o]: sive etiam quorum virilia casu contrita essent. Sunt de iis, eorumque notis, traditiones Doctorum quæ ad nos nihil attinent. His aptatur querela, *Se esse arborem sterilem*, quippe quod propagando semini Abrahæ non sufficerent, atque adeo viderentur carere ejus benedictione. Erat enim in benedictionibus Abrahami *multiplicatio seminis*; tam ipsius quam posterorum respectu; & possessio Canaanæ, atque in ea, à *semine* suo possidenda, *benedictio:* ut sane *sterilitas* censebatur in malis illius temporis, quod facile colligitur ex locis Exod. XXIII. 26. Deut. VII. 14. ubi tamen non legitur quòd hic Hieronymus, & post ipsum alii exhibent: *Maledictus qui non fecerit Semen in Israël.* Respicitur hic ad eundem locum Deut. XXIII. 2.

Vox סריס hic sumitur pro *castrato.*

Querela *Eunuchorum* expenditur.

Quo sensu illi *arbus sterilis*?

Sterilitas olim inter mala reputabatur.

Lex Deuè

---

a Act. XV. 9. *b* Ephes. II. 12. 13. *c* Eccles. II. 15. &c. *d* Num. XV. 15. *e* Lib. de *Monarchia.* *f* Lib. II. Cap. IV. & Lib. V. Cap. XIV. *g* De *Syned.* & *Success.* in *Pontif.* *h* Deut. XXVI. 13. *i* De *Syned.* Vet. Heb. Lib. II. Cap. VIII. §. 1. *k* *Hilchoth Sanh.* Cap. IV. §. 7. Selden. de *Syned.* Lib. II. Cap. IX. §. VI. *l* Seld. de *Success.* in *Pontif. Heb.* Lib. II. Cap. II. *m* Flor. Lib. III. Cap. XVI. *n* Deut. XXIII. 4. *o* Matth. XIX. 12.

xxiii. 2. Eunuchis gravis. Quid ibi, *ingredi in congregationem Jehovæ*?

xxiii. 2. *Non ingredietur* בצוץ רכא *contusione læsus, aut* כרות שפכת *exfectus virilitatem, in congregationem Jehovæ.* h. e. secundum Hebræorum interpretationem; non poterit ducere Israëlitidem. Imo vero verba simul significant, ineptum censeri ad *administrandum Munus sacrum*, si forte esset inter Sacerdotes; aut Politico-Ecclesiasticum in majoribus Hebræorum Synedriis. Sic enim cautum est traditionibus Gentis, quas illustrat Seldenus [a]. Hieronymus, eumque sequuti alii, inter quos Adamus Sasboutius, hic sublimiore sensu intelligunt *Eunuchos*, qui se ipsos *castrant propter Regnum cœlorum:* de quibus Dominus [b]. h. e. qui stimulos libidinis retundunt, & voluptatem carnis vincunt honoris Dei caussa, meditatione & studio Legis; & in statu continentiæ vivunt, ut tanto aptiores sint Regno Dei promovendo; quales Eunuchos Judæi ipsi non ignorarunt [c], & vere præstiterunt pars Essenorum, secundum Philonis, & Exoticorum testimonia, quæ nunc non allego. Fruſtra sane & contra omnem rationem. Eunuchis enim voluntariis, quales procedente tempore plures fuerunt pii Monachi & Cœnobitæ, non convenit hæc querula cogitatio; quippe cum sua voluntate & arbitrio hoc sint statu. Quid enim queruntur, se esse *arbores steriles*, qui ipsi hanc conditionem vitæ eligunt, ut tanto plures fructus ferant? Dixeris tamen, paradoxam videri hanc interjectionem Vatis, quod passim *pauci* numero inter Judæos dentur *Eunuchi*, & *exteri* sive *alienigenæ* satis videri possint esse contenti prærogativis communibus Religionis Judææ, ut Propheta non necesse habuerit hac difficultate illos levare. Respondeo, propositum Jesaiæ, sive Spiritus S. fuisse hoc in loco clare docere, nullum plane fore *διάφορα differentiam* in Statu Oeconomiæ Novæ inter *Judæum originarium* & *Paganum*; inter *Israëlitam* & *Sacerdotem*, omnium æquum fore jus, & parilia privilegia. Id vero ut demonstraret: hæc exempla in medium produxisse, dum alia nulla suppetebant. Cum enim *Proselytorum* & *Eunuchorum* in Oeconomia Vetere non eadem fuerit conditio, quæ Judæorum Originariorum, & nulla carnis vitio laborantium: hos, inquam, *Alienigenas* & *Eunuchos* in medium produxisse, ut eo demonstraret, nullum hominem, licet olim vel maxime à communione Populi Dei remotum; nullum Judæum, licet sic affectum, ut quibusdam privilegiis Populi Dei sub Oeconomia Vetere carere debuerit, sub Nova Oeconomia quid minus sperare posse quam veros Abrahamidas. Omnibus fore *κοινωνίαν μετ' ἰσότητος*. externa privilegia omnia abolitum iri. nullum respectum status hic locum habiturum, nisi spiritualem. imo vero Deum Eunuchis & Alienigenis vere Credentibus destinasse privilegia, externis illis Israëlitarum Originariorum privilegiis longe præstantiora. Hic scopus est orationis; ex qua proin non est colligendum, *Eunuchos* fuisse illo tempore apud Aulam Regis Hiskiæ, cum *castratio* Lege Hebræorum vetita esset, quicquid Strabo [d] scribat apud Judæos non tantum receptas fuisse *περιτομὰς circumcisiones*, sed & *ἐκτομὰς excisiones* sive *exfectiones*; ut si jam tum mos exteris Regibus fuerit receptus, in Judæa non videatur valuisse.

Ad quem scopum tendat hæc oratio Prophetæ?

Propheta docet, nullum fore discrimen personarum sub Oeconomia Nova.

Collectio ex his verbis facta de Eunuchis in Aula Hiskiæ pluribus refutatur.

β. Specialis; primo respectu Eunuchorum.

Consolatio specialis, a Respectu *Eunuchorum*, ỳ. 4. 5.

ỳ. 4. *Quia sic dicit Jehova de* Eunuchis, *qui Sabbatha mea observant, & eligunt* id *quo Ego delector, & valide tenent Fœdus meum:* ỳ. 5. *Dabo iis in Domo mea & intra muros meos* Locum & Nomen melius Filiis & Filiabus: Nomen *æternum dabo iis quod non exscindetur.*] Specialis consolatio incipit ab *Eunuchis*, quos proxime memoraverat; quod non alienum esse à more Scriptorum Sacrorum, jam monuit Aben-Ezra, adducto exemplo ex Jos. xxiv. 3. *Et dedi Isaaco* Jacobum & Esavum: *& dedi* Esavo *Montem Seir possidendum*: Jacob *vero & filii ejus descenderunt in Ægyptum.* Observatio levis est, cum ordo retextus eorum quæ dicta erant, fuerit in arbitrio Vatis. Vides in hac Pericopa *qualitates conditionales* connecti cum *privilegio*, eoque insigni, quod abunde sufficeret levandæ inquietudini Castratorum. Non applicat se Propheta ad querelæ materiam subducendam omnibus Eunuchis, sed certis, quos à *qualitatibus* suis circumscribit; his nempe, qui *observant Sabbatha Jehovæ*; de quo abunde dictum est ad *comma superius.* Quod autem vox שבת hic usurpetur *numero plurium*: significationi mysticæ nihil detrahit. *Sabbathorum* enim omnium eadem in mysticis ratio est: ejusdem rei sustinent significationem spiritualem. Affine est quod sequitur, *Quique eligunt* id *quod mihi placet*; quò Ego delector; quod mihi curæ est. h. e. qui volunt quod Ego volo: quorum sensus animi & voluntas ad sensum voluntatemque meam conformata sunt. Hic status est perfectionis spiritualis sub Oeconomia Nova, quo quis Deum colit *in spiritu & veritate*, & *abstinet vitiis* corruptæ naturæ; studiose *δοκιμάζει explorat, τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγαθὸν, εὐάρεστον, καὶ τέλειον· quæ sit voluntas illa Dei bona, placens, ac perfecta* [e]; eamque celebrat *quietem* quam Dominus Jesus, Josua excellentior, Populo suo paravit. Sic Poëta sacer [f]: *Ecce* delectaris (חפצת) veritate *in renibus.* contra [g]: Non complaces *tibi in* sacrificiis. Confer hic loca insignia, huic nostro plane parallela, quæ eandem rem explicant Cap. i. ii. seqq. Jer. ix. 24. Hos. vi. 6. Recurrit phrasis hæc nostra Cap. lxv. 12. lxvi. 4. Monet interim nos notio בחר *eligere* de obsequio *voluntario*, Deo præstando. Libera actio nostræ Voluntatis est *αἵρεσις*: nulla autem liberior est mentis actio, quam qua salutis suæ cupida & persuasa de vera Religione Deum colit: qui actus vere omnium, qui ab homine proficiscuntur, est nobilissimus. qui proinde Proselyti contradistinguuntur aliis, qui vi externa à Judæis ipsis cogebantur ad Proselytismum suscipiendum: ut factum temporibus Maccabaicis. Tertium est, *Et qui firmiter tenent* Foedus meum. h. e. Doctrinam & Disciplinam Novi Fœderis constanti studio animi retinent atque exercent, *τῇ διδαχῇ καὶ τῇ πίστει προσκαρτεροῦντες, καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ*. Demonstravi jam vim vocis חזק ad ỳ. 2. & ibidem monui, Salutem & Privilegia Novi Fœderis connecti cum *ὑπομονῇ perseverantia* Fidei & Charitatis. Aliàs vulgata phrasi dicitur, *servare fœdus.* Poëta sacer [h]: Servantibus foedus ejus, *& memoribus Statutorum ejus ut ea faciant*, sc. Deus se præstat beneficum. Alio loco: *Constanter in Fœdere persistere.* האמן בבריתו in Fœdere fidelem esse. [i]

Pertinet *consolatio* ad *Eunuchos* aliquos, à certis qualitatibus descriptos.

Sabbatha hic appellantur numero plurium quod non turbat.

Eligere quod Deo placet.

Phrasis exponitur.

Usus vocis רצה.

Emphasis vocis חזק *ligere* h. l.

Firmiter tenere fœdus Dei.

Hisce *qualitatibus* sive conditionibus cohærent Beneficia, hic recensita: ונתתי להם Et *dabo ipsis.* Sed *præfixa* 1 hic tantum est nota cohærentiæ, ut in multis aliis locis, atque adeo in versione Latina *παρέλκει. Dabo iis*, ait, *in Domo mea & in muris meis* locum & nomen, *melius filiis & filiabus.* quæ verba indigent interpretatione: quam ita instituam, ut literalem sensum prius vener, quam ad spiritualem accedam; quippe ex literali exsculpendum. Primum est, quid hic intelligendum sit per *Muros Dei.* Hebræi Intt. intelligunt *Muros atriorum*, quibus Ædes Templi includebatur; cujusmodi *Atria* in Templo Ezechielis exhibentur duo, *interius & exterius*; & fuerunt etiam in Templo Herodiano. Species quoque Atrii exterioris in eo Salomonis, ab Oriente. Dubim, num ita acceperit Chaldæus: *Dabo iis in Domo Sanctuarii mei*, ובארע בירת שכינתי *& in* terra Domus Majestatis meæ. Ad hos accedo, quia *Muri Hierosolymæ*, de quibus hic cum Hieronymo plures cogitant, quando eorum mentio injicitur, non dicuntur *Muri* Dei; sed Muri Hierosolymæ, Tsionis, Populi Dei. Sic Cap. xlix. 16. Muri tui *semper coram me sunt.* Cap. lx. 10. *Et alienigenæ ædificabunt* muros tuos. Cæterocquin

Privilegia his *Eunuchis* condicta.

Admonito de præfixa ל.

Per *Muros Dei* quid hic intelligendum? an alludatur ad *atria*?

Sententia probatur, ejusque ratio.

a De *Synedr.* Lib. ii. Cap. ix. §. iv. b Matth. xix. 12. c Vide Seld. de *Jure Nat. & Gent.* Lib. v. Cap. xvi. d *Geog.* Lib. xvi. p. 524. e Rom. xii. 2. f Ps. li. 8. g ỳ. 18. h Ps. ciii. 18. i Ps. lxxviii. 37.

quin in interpretatione mystica, utrum intelligas, Templi an Hierosolymæ *muros*, perinde est. Gravius est alterum; *Dabo iis* .... LOCUM (יד) & NOMEN. sic Hieronymus docte: hac parte sequutus τὸς 6. Chaldæus pariter & Syrus sic exhibent, vertuntque vocem יד, quæ passim *manum* sonat, per אתרא, אתר, *locum*. dum contra Sym. Aq. Theod. χεῖρα καὶ ὄνομα· MANUM & *Nomen*. quod nullum sensum dat. Miror autem, Sanctium & Forerium, cum Hieronymum hic bene præeuntem habuerint, declinasse ad significationem *Manus*, & ipsos se aliena adferentes maxime impediviſse. Ut ad rem veniam: observandum est, vocem יד Hebræis non tantum *manum*, sed & *spatium*, *locum*, videri significare; ut Grammatici passim in *Vocabulariis* observant. Nec tamen qualemcunque, sed definitum, circumscriptum, limitatum. Sic Deut. XXIII. 13. *Et* SPATIUM (יד) *tibi erit extra castra, & illuc foras exibis.* Οἱ 6. καὶ τόπος ἔξωι σοι ἔξω τῆς παρεμβολῆς. Ezech. XXI. 19. ויד ברא *Et para* SPATIUM, confer ex Vate nostro Cap. LVII. 8. Dixi, significare *spatium definitum*, circumscriptum; quale spatium est κλῆρος, *sors*, prædium circumscriptum, in *Agro* inter plures sorte dividendo. Utique sic manifeste sumitur vox ירות *terminatione plurali*, in Historia Davidis *a*: *Et responderunt, Israëlita* (decem tribuum) *Judæis, dixeruntque*; עשר ירות לי במלך *Sunt mihi decem* SORTES κλῆροι, *in Rege, atque etiam in Davide.* quæ significatio cum ea *spatii* sive *loci* optime conjungitur, etsi non ausim dicere, ejusdem esse originis. Censeri itaque potest, hic loci alludi ad Rem Hebræam; quæ ita se habebat. Ubi terra Canaanæa divisa est primo per *tribus*; deinde per *familias*, & per *Domus:* quisque Israëlita suam habuit (κλῆρον) *sortem*; prædium, fundum: quæ hæreditas sive *sors* recte dicitur יד SPATIUM *A*. Cæterum illud *spatium* sive *Locus* alligatus erat NOMINI. dicebatur enim *sors*, *clerus*, *Ager* hujus illius, Simeonis, Jacobi, Joannis; & permanebat secundum Legem Hebræam in eadem Domo; ut si forte alienatus esset, Jubilæo illi Domui aut Possessori, cujus *Nomini* fundus ille alligatus erat, esset restituendus. Res tota patet ex historia Filiarum Zelapheadi *b*, & ex *Ruthæ*, Cap. IV. 5. *Ut stare faciat* (suscitet) NOMEN DEFUNCTI *super* HÆREDITATEM EJUS. Jam vero Eunuchum, cujus querelæ hic occurritur, id maxime premebat, quod *Nominis* sui memoria periret; cujus conservandæ antiqui summa afficiebantur cura: & quidem duplici de ratione: Primo quod *filii* ipsi deessent ac *nepotes*, qui *super ejus Nomine starent*, sive qui *ab ipso* denominarentur. Deinde, quod *fundus* etiam *Hæreditarius*, qui ipsius *Nomen* tulerat, ad proximos transiret: ut proin *memoria* Nominis ejus plane eraderetur. Huic vero querulæ cogitationi occurrens Vates, ait, Deum illi ipsi *Eunucho* in ipsa *Domo* sua & intra *Muros suos* daturum κλῆρον *sortem*, & cum Clero *Nomen*, multo nobilius & durabilius quam à successione externa exspectare posset. Atque secundum has hypotheses hunc locum sæpius tractavit atque exposuit Vir Clarissimus in Erudita *Dissertatione* de *Constitutione Divina super ducenda Defuncti Fratris Uxore*; Mosaicis Legibus cum Atticis hac parte inter se collatis *c*. Sed præter hanc interpretationem, quæ summa se specie commendat & sensui mystico optime congruit, cogitari etiam hic potest de alia quadam significatione vocis יד, qua sumitur pro *Monumento*, quod in memoriam Nominis alicujus aut Rei gestæ erigitur: quæ notatio in hanc vocem vere competit. Sic est in historia Absalomi *d*: *Et Absalom sumpsit constituitque sibi in vita sua* STATUAM *illam, quæ est in valle Regia: siquidem dixit, Nulla mihi est proles masculæ per quam memoria Nominis mei conservari queat, vocavitque Statuam illam de* NOMINE SUO; *appellataque est* יד אבשלום STATUA (Monumentum) *Absalomi usque in hunc diem.* Sic recte hic vertitur vox יד MONUMENTUM ex genuino ejus usu apud Ciceronem, aliosque Veterum *B*. *e* Eodem modo cum Hieronymo, pluribusque aliis accipio vocem 1 Sam. XV. 12. ubi de Saule, cum post victoriam ab Amalekitis reportatam, venisset Carmelum, relatum fuit ad Samuelem: והנה מציב לו יד *Et ecce in eo est ut sibi erigat* MANUM sive MONUMENTUM, sc. memoriale victoriæ. Interpretatio ad primam speciem videtur huic loco rectissime quadrare. Etenim secundum hanc notionem vocis diceret Propheta; Deum Eunuchis, conquerentibus nullum sibi esse filium, in quo servari posset Nominis sui recordatio, daturum esse in *Domo* sua *Monumentum* longe diutius conservaturum memoriam *Nominis* quam per Filios & Filias. Lud. Cappellus hæc verba in hunc modum accipit, ut post hæc scripta demum observavi, & pariter huc flectit significationem vocis שם, ex loco 2 Sam. VIII. 13. *Et fecit David* שם NOMEN (monumentum,) *cum reverteretur à percutiendis Syris in Valle Salina.* non absurde quidem, ut ex observatis Viri Doctissimi ad Gen. XI. 4. illustrari posset. Nec tamen ob varietatem significationis hujus vocis & contrarium usum phrasios, *facere Nomen*, ei assentiri ausim. Et posset nihilominus stare interpretatio vocis יד pro *Monumento*; neque fidenter repellere ausim; nisi quod videam duo ei objici posse. Nempe *a*. In verbis Prophetæ est, *Ego* DABO *iis in Domo mea & intra Muros meos* JAD. quod rectius sumitur de *Loco* sive *Sorte* quam de *Statua*, de qua passim usurpatur vox הציב *collocare*, interim constat, significationem vocem נתן *dare* late patere. β. Cum hic omnino videatur alludi ad mores Templi: non fuit usu receptum ut in Templo *Statuæ* aut *Monumenta memorialia* hominibus posita sint jussu Divino aut instituto Sacerdotali. Admissa sunt ἀναθήματα, nec tamen omnis generis, aut figuræ; sed quæ ab hominibus consecrata sunt Deo. Atqui ais, more pariter receptum non fuit, ut Templum divisum fuerit in *spatia* sive *loca*, his illis tanquam *hæreditaria* assignata, cum Atria Templi fecerint continuum solum, omnibus sacræ Rei deservientibus commune; perinde ac eorum *conclavia*; quorum quidem aliqua privis usibus fuerunt destinata, sed rem communem spectantibus. Fateor sane; sed יד *spatium*, *locus*, *sors*, de Templo usurpatum, significat hoc

Phrasis, dare *locum* & *Nomen*.

Hieronymi versio laudata in voce יד.

Vox יד *manus* ex communi sensu Doctorum quoque notat *locum*. Deut. XXIII. 17.

Hoc sensu recte conjungitur cum *Nomine*.

Res tota proleptice illustratur ex constitutione Reipublicæ Hebræorum.

Hereditati apud Hebræos alligabatur *Nomen*.

Historia *filiarum Zelapheadi*.

Querela Eunuchi inde declarata.

Vir Doctus, qui hanc materiam tractavit laudatur.

Alia notatio vocis יד, qua sumitur pro *Monumento*.

Locus 2 Sam. XVIII. 18.

Usus similis vocis יד 1 Sam. XV. 12.

Sensus loci secundum hanc hypothesin.

Lud. Cappelli meditatio.

Quæ huic sententiæ videri possent obstare, discutiuntur.

In Templo nullus usus Monumentorum.

Quomodo *sortium*?

---

a 2 Sam. XIX. 44. *b* Num. XXVII. 7. XXXVI. 1. seqq. *c* Cl. Perizonius *Dissertationum Triade*, Diss. I. p. 57. 65. 75. *d* 2 Sam. XVIII. 18. *e* Vide Vellejum, Lib. I. Cap. XII.

A Præter ea quæ ex Mosaicis huc recte adferuntur, optime illustratur hic usus vocis κλῆρος ex Æliano, *Var. Hist.* Lib. XII. Cap. LXI. Narrat, Thurios rem Divinam fecisse *Boreæ*, Vento, quod disjecisset ac perdidisset Classem maximam Dionysii adversus se instructam, ubi subjungit: κἀκ εἰκόνι αὐτῷ, καὶ κλῆρον ἀπεκλήρωσαν, καὶ καθ' ἕκαστον ἔτος ἐκτέλουσιν αὐτῷ· DOMUMQUE *ei &* AGRUM ASSIGNAVERUNT, *& quotannis ei sacra fecerunt.* Videlicet illum in Civitatem suam receperunt; ubi videndus idem Vir Doctissimus.

B Vir Doctissimus, modo laudatus, vocem יד in hoc loco quoque acceperat pro STATUA, (p. 53.) sed deinceps (p. 75.) videtur etiam hic loci vocem confundere cum *Sede* vel LOCO. Verba ejus: *Atque ita Absalomi quoque statua, quam quia filium non habebat, per quem memoraretur Nomen suum, sibi ipse erexerat, & de nomine suo appellaverat, vocabatur* יד אבשלום LOCUS *vel* SEDES *Absalomi, quippe in qua ejus servaretur nomen per hanc statuam, sicut cæterorum Israëlitarum in fundo cuique suo per propagationem sobolis.* Non ausim fidenter contradicere, cum utique satis certum sit, Veteres subinde *Monumenta sepulchralia* sibi constituisse latissimi spatii, ut exemplum est apud Herodotum Lib. I. C. 93. *Sepulcri Alyattis, Patris Cræsi, cujus ambitus fuit stadiorum sex, & duorum plethrorum.* Sed multum dubito, an vox יד, ubi *statuam* significat; non sit originis diversæ ab eadem voce quando *spatium* notat. Posset enim *statua* dici יד *manus*, quod aliquid instar *manus* indicet, doceat, demonstret, quod faciunt *signa publica* posita ad vias & earum διεξόδους; quo forte non inepte referri etiam posset locus Ezech. XXI. 9. nec respuit quoque hanc significationem vox יד MANUS, locus, quem primo allegavi, ex Deut. XXIII. 12. sed ubi vox יד, in *plurali* ירות, significat κλῆρος, *sortem*, videri posset respici notio vocis ירה *jacere*, quæ de *missione sortium* quoque usurpatur Joël, III. 3. Obadj. ℣. 11. Lud. Cappelli alia divinatio est: verum hac non felicior. Sed nihil hic velim certo definire. Quicquid ejus sit: *Statuæ* hæc Absalomi spectanda viderur ut mere *memorialis*, non *sepulchralis* (etiamsi usus non multum differat:) cujus generis postmodum fuerunt *statuæ*, memoriæ posteritatis consecratæ, quæ COLUMNIS, qualis hæc *Absalomica* fuit, successerunt: sed serius. de quo docte disserit Clemens Alexandrinus, *Strom.* Lib. I. p. m. 255. Confer etiam si placet Vellejum in Historia Metelli, de *Statuis Equestribus* jussu Alexandri olim à Lysippo effectis differentem, Lib. I. p. 18. *Ed. Lipsi.*

hoc in casu *dignitatem*, sive *officium*, idque honestioris generis, quale fuit Sacerdotum & Levitarum. Hi enim habere censebantur יד *spatium*, *locum standi* & versandi in Templo, tanquam in *loco suo*, veluti personæ *titulatæ*, (ut Veteri hoc verbo Ecclesiastico hic utar,) quippe quorum nomina & tituli iis *jus* dabant in Templo tanquam in Domo sua *standi*, *agendi*, *versandi*, secundum illud Vatis Sacri *a*: *Beatus quem tu eligis, & tibi facis appropinquare*, ישכן חצריך *ut* HABITET *in atriis tuis*. quomodo notione LOCUS quoque usi sunt Latini, ut variis exemplis demonstrat Casaubonus ad dictum illius apud Suetonium *b*: *Contradicerem tibi, si* LOCUM *haberem.* Οἱ ὁ. hoc loco: Τόπον ὀνομαζόν· *Locum nominatum.* celebrem. Ait itaque Dominus se provisurum, ut *Eunuchis*, ipsi adhærentibus, obtingat hæreditas, sors, locus; in *Templo* suo & intra *Atriorum muros*, Officium & Statio, Titulus & *Nomen*, multo illustrius & durabilius quam quod consequi possent per *propagationem sobolis*. Id enim volunt quæ sequuntur, tertio loco exponenda, טוב מבנים ומבנות *Melius filiis & filiabus.* Sic vere sonant Hebræa. Hieronymus inscite, *Melius à filiis & filiabus.* Sensus est, *Nomen melius* & *Memoriam certiorem* sui Nominis quam exspectare possent à successione Filiorum ac Filiarum. Equidem per *filios* non censebatur nomen propagari, cum nuptæ denominarentur à Maritis: attamen si filii deessent, aliqualis tamen habebatur propagatio memoriæ Generantium per *filias*, quatenus illæ, si illustriores habuissent Parentes, subinde ab iis appellabantur, & earum facta mentione, nomen *Patris* commemorabatur. Sunt ex Intt. plures qui verba hic vertunt, melius *nomine filiorum & filiarum*, quasi sensus esset; *melius* ipsis dabo *nomen* quam quo *filii & filiæ* appellantur. Sed id quocunque modo accipiatur: plane pugnat cum scopo orationis. Etenim *α*. Eunuchi hic comparari nequeunt *filiis & filiabus*, cum ipsi quoque hic supponantur esse *filii*; Eunuchi hic comparantur PATRIBUS *filiorum ac filiarum.* Non queruntur, se non esse *filios* vel *filias*: sed non esse *filiorum* vel *filiarum* Patres: se per filios & filias non posse propagare memoriam sui Nominis. *β*. Si per *filios & filias* hic generatim intelligas posteros Israëlis: non est probabilis oratio, Deum plus indulturum *Eunuchis* quam *filiis & filiabus.* Si *filii & filiæ Sabbatha* observarent & in Fœdere Divino persisterent: cur deterior iis obtingeret sors quam *Eunuchis?* Quidni hic æquentur sortes? Ergo sensus sit, Deum Eunuchis meliorem daturum esse *Locum* & *Nomen* eo Nomine, quod Patres Familias sibi comparant ex successione posteritatis. Explicat se ipse, ubi addit: *Nomen æternum dabo* EI (pro IIS, h. e. cuique eorum, vulgatissimo enallages genere,) *quod non* EXSCINDETUR. sc. cujus memoria non interibit. Compara insignem locum 1 Sam. XXIV. 22. in verbis Saulis ad Davidem: *Et nunc jura mihi, quæso, per Jehovam, Si excisurus sis semen meum post me,* ואם תשמיד את שמי מבית אבי *& si aboliturus sis* NOMEN MEUM *è Domo Patris mei.* h. e. Filios & Nepotes ex me ortos vel orituros sis occisurus.

Quærendum nunc restat, Quis ille sit *locus*, quæ *sors*, quod *nomen* in *Domo* sive *Templo Dei* possidendum, & quidem in *æternum*, quò Propheta hic alludat? Id sane hic præcipuum est, in quo explicando Interpretes, quos inspexi, majore uti potuissent diligentia & ἀκριβείᾳ. Hebræi hic valde impediti sunt. R. Salomo & Aben-Ezra leviter transeunt. Kimchius, licet per *Templum* hic intelligat *Templum materiale*, quod extruendum est *diebus* Messiæ: concedit tamen hic intelligi non posse מקום נפעי *Locum corporalem:* sed verba Prophetæ interpretatur de *laudatione* & *honorifica mentione* pietatis horum *Eunuchorum* quæ in Templo semper facienda sit à sanctis & Doctoribus. Inter *muros* enim *Atriorum Templi* ait, & in Conclavibus ejus, nunquam defuturos Sapientes, qui memoriam Sanctorum tam sui temporis quam præteriti semper sint renovaturi & celebraturi; & esse hunc pietatis fructum, ut recordatio ejus longum memoria hominum conservetur. *Locum* autem pro *Loco gloriæ & dignitatis* & *Nomen* pro celebritate sumi probat ex locis Ezech. III. 12. 2 Sam. VII. 9. Abarbenelis alia hic est speculatio. Per יד *spatium* sive *locum* Eunuchis dandum in Domo Dei nihil ipse quoque *corporale* designari vult, sed *statum animarum spiritualem*, in quem Eunuchi transferendi sint post mortem, quem vocat חיי עולם ומשמות *Vitam Mundi animarum*, sive *Statum cœlestis gloriæ.* Ergo id dicere Vatem, Etiamsi Eunuchi illi nullam post se relinquant prolem, eos tamen recepturos esse *mercedem* & *operæ pretium* consecuturos *in Domo Dei*, בעולם הזותי *Sæculo spirituali*, quod acturi sint statu deliciarum coram Deo in omnem æternitatem; qui status quæque *merces* multo majus censeri debeat bonum, quam fœcundæ generationes terrestres: sed alterum illud, *Dabo iis nomen intra muros meos*, exponit de *bono corporali*, hoc est, de prædio, fundo, hæreditate iis danda in ipsa terra Canaanæa, sive *intra terminos* (גבולים) *terræ Canaanæ*, quos *terminos* hic appellari vult *muros Dei*, veluti tota terra faceret Civitatem Dei: quem fundum sive prædium etiamsi Eunuchi relinquere nequeant filiis suis, posse tamen eos publici juris facere ad *sustentationem pauperum* piosque usus ad *redemptionem animæ suæ*; cum hoc effectu, ut *Nomen Eunuchi* semper alligatum maneat illi *Fundo* vel *Agro*; Esse nempe *Agrum* hujus vel illius *Eunuchi*, quem dono dederit Pauperibus aut in pios consecraverit usus. Posterius inepte, prius tolerabilius. sed partes expositionis non cohærent. Interim cogites, Homlnem Judæum redactum esse ad magnas angustias, ubi per *Domum Jehovæ* cogitur intelligere *Templum spirituale* sive *Cœleste.* Expositio Kimchii est æquabilior & hypothesibus ejus congruentior; & si vox יד hic exponenda sit per *Statuam*, *Monumentum*; id ego quoque hic de illustrioribus Eunuchis spiritualibus dici patior: modo quod ille de *Templo materiali*, tu ad *Ecclesiam* transferas. Sed cum oratio vere mystica sit: non video, quomodo id generatim ad *Eunuchos* omnes qui sunt in Fœdere Dei, applicari queat. Illustrium Virorum Nomina, qui vel Scriptis de Ecclesia meriti sunt; vel honestissimis admoti fuerunt officiis; solent, licet non omnia, conservari & à posteritate laudari: sed id non pertinet ad Eunuchos pios omnes; & levius etiam est, quam ut Propheta in eo hæreret. Quid enim minus habuerunt Viri spectabiles sub Oeconomia Vetere? Ex nostris optimi, (plerique enim in generalibus hærent; & alii nihil memorabile tradunt,) videntes, verba hæc proprie capi non posse, explicant de *loco* quem habituri sint *Eunuchi* in Ecclesia N. T. & de *Nomine* FILIORUM *Dei*, quippe quod multo honoratius sit nomine Israëlitarum ex carnali generatione ducto, Joh. I. 12. 1 Joh. III. 1. Sic ipsi quoque Venerandi Belgæ. Pie quidem, & ex vera hypothesi dicta. Verum, *α*. Eunuchi sub Oeconomia Vetere non erant excluſi *Templo*, ejusque *Sacris*, etiamsi excluſi essent dignitatibus, & carerent prole. *β*. Nomen *Eunuchorum* hic non potest comparari cum Nomine FILIORUM & *Filiarum*: sed cum Nomine PATRUM quod in Filiis & Filiabus conservatur. Mirandum, Piscatorem, qui phrasin κατὰ γράμμα recte interpretatus est, eundem errorem non vitasse. Coccejus, in brevissima commentatione adscripsit, *Eunuchos, etsi natura steriles sint, posse habere filios spirituales, naturalibus filiis digniores.* Id vere rem ipsam tangit, & præstat analogiam comparationis: nec tamen dixerim, id fuisse in mente Prophetæ: licet comparatione hac non excludam. Nec competit etiam in omnes *Eunuchos* Dei reverentes, sed in aliquos, hoc est, Doctores Publicos. Sensus Prophetæ est, Deum Eunuchis daturum *spatium* in *Domo sua* cum *Nomine*, æternum duraturo, ut necesse non habeant soliciti esse de conservatione *Nominis* in *Posteris.* Cum enim Filii Nominis con-

Verba *Melius filiis & filiabus.*

Ecquæ *filiarum* habita fuerit ratio in conservando Nomine?

Interpretatio, *melius nomine filiarum ac filiarum*, repudiatur.

Quod nomen appellatur *æternum.*

Investigatio hujus *Nominis* & *Monumenti* sive loci.

Judæorum cogitationes: speciatim Kimchii.

Item Abarbenelis.

Interpretatur de *sorte* in Vita cœlesti.

Nomen intra muros vult esse hæreditatem obtinendam in Canaanæa.

In eam *ἐκτροπὴν.*

De Kimchiana expositione judicium.

Interpretum recentiorum sententiæ.

Venerandorum Belgarum exegesis.

Cocceji quoque.

Sensus Vatis propius declaratur. *Nomen & locus* hic est

a Ps. LXV. 5. *b* In *Augusto*, Cap. LXIII.

Nomen & locus, Sacerdotis spiritualis & æterni.

servandi causſa quærantur: ſi huic illi *Nomini* aſſignetur *officium* æternum duraturum: ceſſat omnis *Nominis* conſervandi cura. Quæris, quid illud ſit? Ajo, eſſe *Nomen* SACERDOTIS, & quidem SACERDOTIS ÆTERNI, cum Jure *ſtandi* verſandique in *Domo Dei*, quo omnes Eunuchi tuentes Statum quietis & libertatis Novi Fœderis à Deo donantur; quique *titulus*, quique *locus* Nomini illorum adhærebit in omnem æternitatem. Nullus locus, nulla dignitas alia, datur vel donatur in Templo Dei. Sic Propheta Cap. LXI. 6. *Et vos* SACERDOTES JEHOVÆ *vocabimini: dicetur Vobis*, MINISTRI DEI. Hoc eſt officium honorabile Novi Fœderis. Hæc eſt μερὶς ſors & κλῆρος, quam credentes obtinent in *ſanctificatis* [a], Omnes credentes, (etiam *Eunuchi* olim excluſi *Loco* & *Officio* Sacerdotis,) faciunt ἱεράτευμα ἅγιον *ſacerdotium ſanctum* [b]. Chriſti Jeſu gloria eſt quod omnes ſuæ Legis obſervantes fecerit βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς *Reges & Sacerdotes Deo & Patri*. Hoc vero *Sacerdotium* eſt *æternum:* eſt *Nomen* quod nunquam exſcinditur. Poſſem addere, ſub ipſa quoque Oeconomia Nova *Eunuchos* non excludi honeſtiſſimis Muniis Eccleſiaſticis, ut Epiſcopatus vel Presbyterii: ſi per naturam ad generationem inepti, aut vi vel morbi cauſſa caſtrati ſint; modo ſibi ipſis, exemplo Origenis, vim non fecerint. Ejus enim factum reſpicere putem *Canones quatuor* [c] de *Eunuchis* in his *Canonibus* qui *Apoſtolici* dicuntur, diſſentiente licet Beveregio, qui eos antiquiores cenſet. Vide alias Conſtitutiones Synodales hac de re in Syntagmate Matthæi Blaſtaris [d], & hiſtoriam Photii, cui hoc nomine à Latinis facta eſt invidia. Sed videtur Vates preſſe reſpicere commune privilegium Eunuchorum omnium, cujuſcunque conditionis. Hanc interpretationem ejuſmodi eſſe arbitror, ut in ea liceat ſubſiſtere. Si quis tamen per יד *Manum* hic omnino intelligi velit MONUMENTUM *memoriale:* cenſeo, verba hunc dare poſſe ſenſum ſpiritualem, Deum *Eunuchis* conceſſurum eſſe *Nomen* in *Libro vitæ*, nunquam eradendum; eoſque facturum eſſe *columnas in Templo Dei*, nunquam loco movendas, ſed *æternum* perſtituras; ſecundum promiſſa in *Apocalypſi* explicata, Cap. III. 12. *Qui vicerit, faciam ut ſit* στῦλος COLUMNA *in Templo Dei mei, & inſcribam ei Nomen Dei mei, & ſeqq.* confer ex hoc Libro Cap. IV. 3. Sed priora ipſi mihi liquidiora videntur.

Locus Cap. LXI. 6.

Eunuchi partem olim quoque habuerunt in *Muniis* Eccleſiaſticis.

Interpretatio analoga, ſecundum hypotheſin qua יד *ſumitur pro Monumento.*

Secundo, reſpectu ALIENIGENARUM.

Alterum promiſſum ſpeciale de Alienigenis.

℣. 6. *Quod vero attinet ad* ALIENIGENAS, *qui ſe adjungunt Jehovæ, ut illi* MINISTRENT, *&* UT AMENT NOMEN JEHOVÆ; *ut ſint ei in ſervos: omnem obſervantem Sabbathum, ne illud profanet, & valide tenentem Fœdus meum:* ℣. 7. *Adducam eos in Montem meum ſanctum, & lætificabo illos in Domo orationis meæ: Holocauſta illorum, & ſacrificia illorum erunt placentia ſuper altare meum;* QUIA DOMUS MEA APPELLABITUR DOMUS ORATIONIS OMNIBUS POPULIS.]

Analogia orationis utriuſque promiſſi.

Haud diſpar eſſet conditio *Alienigenarum:* ad quos oratio Divina tranſit: idem omnibus jus, idem πολίτευμα, & privilegia: ſed quæ iiſdem *qualitatibus* ſive *Legibus* nectuntur. Priores tantum expendam, licet ſenſu à ſuperioribus non diſcrepantes, ſed ad *Alienigenas* juxta earum conditionem, quatenus ab *Eunuchis* diſtincti ſunt, relatas: in cæteris enim eædem quoque phraſes recurrunt. Illos *Alienigenas* ſignat Oratio, qui ſe *adjungunt* ſive *agglutinantur Jehovæ* לשרתו *ut illi* MINISTRENT. Vox hic plane myſtica eſt. Notio שרת paſſim notat *miniſterium honoratius & liberum*; cum עבורה rectius referatur ad *ſervile*. Ambæ autem notiones שרת λατρεύειν *miniſtrare* & עבד δουλεύειν *ſervire*, ſtylo Scripturæ Sacræ, uſu veniunt in deſignando *cultu Divino* in his locis, in quibus de *Cultu Dei* agitur: ſed vox שרת non temere in Moſaicis & Propheticis uſurpatur niſi de Cultu ſtato *Sacerdotum* ac *Levitarum* qui peragebatur in Sanctuario. Hi dicuntur Deo שרת *miniſtrare*; & appellantur משרתי יהוה *Miniſtri Dei*; & præcipue *Sacerdotes*. Vox עבד *ſervire* uſus eſt communis. Quare omnino perſuaſum habeo, Vatem huic notioni myſticam hoc in loco alligaſſe ſignificationem, & nobis ſubjeciſſe, *Alienigenas*, qui ſe Jehovæ adjungerent, dum id agunt pariter tranſituros eſſe in *Jus Sacerdotii ſpiritualis*: quod *ſequens comma* mox inſpiciendum confirmat; & ſimul corroborat ſenſum quem dedi *commati ſuperiori*. Quid hic hæſitamus? Gentes enim, quæ amplectuntur Legem Evangelii, hac ſpe ad communionem Dei in Chriſto invitantur; neque ſe adjungunt Eccleſiæ niſi hac conditione, ut tanquam *Sacerdotes* Deo in Sanctuario ſuo miniſtrent, ſed ſpirituali modo, ut mox dicam. Subjungitur altera affinis, *Et ad* AMANDUM NOMEN JEHOVÆ *ut ſint ei in ſervos.* Phraſis eſt inſignis, quæ alibi [e] quoque occurrit. Valet, non tantum ex interno ac propenſo animi affectu diligere Deum in omni ſua perfectione & virtute; qualem ſe ad ſalutem homini in gratia revelavit in Filio ſuo: verum etiam *totam* amare *Religionem* à Deo inſtitutam; omne Verbum Dei; omnes vias Dei; & univerſam Religionis doctrinam. *Nomen* enim Dei late ſumptum notat omne id quod de Deo & cultu ejus in Verbo Dei prædicatur; omne Verbum quod à Deo eſt, & nos ducit in proximam Dei communionem: quo ſenſu Dominus Jeſus dicit ſe NOMEN DEI *hominibus* in his terris *manifeſtum feciſſe* [f]; idemque amplior vocis uſus aliunde ſatis innoteſcit. Sic Hieroſolyma appellatur Jeſaiæ noſtro מקום שם יי צבאות הר ציון *Locus* NOMINIS *Jehovæ Exercituum Domini, Mons Tſion* [g]. videlicet Locus deſtinatus Religioni. Confer ex aliis luculenta loca Cap. LX. 9. LXVI. 5. *Amare* autem *Nomen Jehovæ* eſt puriſſimus affectus atque actus ſpiritualis, quo quis ex interiore ſenſu veritatis Dei ſummæque perfectionis & excellentiæ ipſius; tum præſertim reſpectu magnitudinis beneficiorum ex gratia & liberalitate in ſe collatorum; ſe totum cum omnibus ſuis Deo devovet, cum admiratione & profunda veneratione excellentiæ ipſius; & ſecundum illum ſuum ſenſum omne Verbum à Deo revelatum reverenter accipit; Religionem à Deo inſtitutam caram habet; & ex eodem principio Deum humillimo obſequio omnium mandatorum ejus conſtanter colit. Hic *amor* eſt ſignum & character חסידים τῶν *piorum* & Deo devotorum hominum [h]. Cenſeo autem, Talmudicos hunc præſertim ſpectaſſe locum, ubi *Proſelytos*, qui Religionem Abrahami ſuſcipiunt מאהבה ומלב שלם *ex amore & ex corde integro*, diſtinguunt à Proſelytis *Leonum, Feneſtrarum, & Mardochæi ac Eſtheræ*, ſive etiam *Davidis ac Salomonis*, qui moti externis cauſſis *metus, voluptatis, utilitatis*, aut *proſperitatis* publicæ Rei Hebræorum, ad Judæos tranſeunt; de quibus videndi Docti Viri qui hoc argumentum tractarunt [i]. Sic affectis, & *obſervantibus Sabbathi*, & *tenacibus Fœderis*, ſpondet Deus, ſe eos *introducturum eſſe in Montem ſuum ſanctum, & lætificaturum in Domo precationis ſuæ; & Holocauſta ac ſacrificia illorum fore accepta* (οἱ ὁ. δεκτά. לרצון εἰς εὐδοκίαν *in complacentiam*,) *ſuper altare ſuum.* quæ verba vel κατὰ γράμμα, vel κατὰ πνεῦμα accipi poſſunt. Priore ſenſu valebunt; *Alienigenis*, qui renunciantes Natalibus & Inſtitutis Patriis ex amore ſe adjunxerint Judæis, cum cæteris Religionis illius conſortibus copiam facultatemque dari *holocauſta* & *ſacrificia ſua* inferendi in Templum Hieroſolymitanum, eaque per Sacerdotes legitimos oblata Deo *grata* & *accepta* fore, perinde acſi ab Iſraëlitis Originariis oblata eſſent. Alter ſenſus ſpiritualis & myſticus fert; Deum hos Alienigenas qui queruli dixerant, ſe diviſos eſſe à Populo Dei in Eccleſia N. T. donaturum hac prærogativa honoris, ut ipſi tanquam Sacerdotes *ſacrificia ſpiri-*

Character Alienigenarum, ſervire & miniſtrare Jehovæ.

Vis voum עבר & שרת. *Prioris uſus eſt, ubi agitur de Miniſterio Sacerdotum ac Levitarum.*

Subeſt, Alienigenas adepturos eſſe Jus Sacerdotii.

Amare Nomen Jehovæ, quid ſit, ſtylo ſacro?

Nomen Dei quid?

Amare Nomen Jehovæ, quid ſit, planius exponitur.

Talmudicorum de Proſelytis Juſtitiæ ſcitum.

Promiſſum quod his *Proſelytis* fit.

Senſus verborum Prophetæ gemini: uterque declaratur.

---

a Act. XXVI. 18. Col. I. 12. Epheſ. I. 11. *b* 1 Pet. II. 5. Apoc. I. 6. *c* Canon. XXI. XXII. XXIII. XXIV. *d* Cap. XXXIV. *e* Pſ. V. 12. LXIX. 37. *f* Joh. XVII. 6. *g* Cap. XVIII. 7. *h* Pſ. XXXI. 24. *i* Seld. de J. N. & G. Lib. II. Cap. II. Alting *Diſſert. de Proſelyt.* §. XX.

ſpiritualia Deo ſint oblaturi per ſe ipſos, tanquam quæ Deus grata ſibi acceptaque habiturus ſit. Poſteriorem hunc ſenſum ſublimem eſſe, non inficior: ſed cum ſublimes ſint cogitationes Jeſaiæ illuminatiſſimi Viri; non dubito illum hoc in loco ei aſſerere, ob ſequentes rationes. *α.* Si prius voluiſſet Deus hoc loco; nihil magnum videtur promiſiſſe Alienigenis. Hoc enim beneficio dudum gaviſi erant cum omnibus Abrahamidis; quippe Proſelytis Juſtitiæ & Iſraëlitis in Sacris eadem lex, idemque jus erat, ut ſupra monui. Quid? Patet utique, Paganorum quoque, licet hactenus ne *Proſelytiſmum* quidem *Domicilii* profitentium, (ut Regum & Principum Syriæ ac Ægypti, & dein Rectorum Romanorum,) ſacrificia Deo oblata fuiſſe in Ara, nec ſpreta à Sacerdotibus, niſi factioſis extremi Reipublicæ temporis. *β.* Ducit nos illuc manifeſte reſpectus vocis שרת *miniſtrare*, in ỳſ. 6. quam vocem propriam fere dixi fuiſſe *Sacerdotibus* ac *Levitis*. *γ.* Reſpectus vocis בית *Domus* non poteſt eſſe alius hoc in loco ac ỳſ. 5. ubi omnino exponenda de *Domo* Dei *ſpirituali* ſub Oeconomia Nova. *δ.* Vates noſter in prophetiis analogis, quibus Statum Eccleſiæ Novi Sæculi deſcribit, *Sacerdotium* facit commune omnibus Fœderatis, ut in luculentis illis Cap. LXI. 6. LXVI. 21. *ε.* Prophetæ & Poëtæ alii V. T. *ſacrificia* VERA, h. e. ſpiritualia quæ ſic vere dici merentur, *Preces*, *Gratiarum actiones*, δοξολογίας, *Actus pœnitentiæ* & *charitatis*, diſtinguunt à *ſacrificiis Corporalibus*, Deo ex more & ritu Judaico in Templo ejus offerendis. ut Pſ. IV. 6. *Offerte* זבחי צדק *ſacrificia* JUSTITIÆ. proprie, *Veritatis*. LI. 19. SACRIFICIA JEHOVÆ (ſc. quæ ſic vere dici merentur,) *ſunt ſpiritus confractus: cor confractum & contritum, ô Deus, non ſpernes.* Atque de his *ſacrificiis ſpiritualibus*, mox ỳſ. 21. *Tunc delectaberis* SACRIFICIIS VERIS; (וזבחי צדק) *holocauſtis & muneribus integris: tum aſcendent* JUVENCI *ſuper altare tuum.* Dixerat enim ỳſ. 18. *Non delectaris ſacrificio: cæteroquin dediſſem: non complaces tibi in holocauſtis.* Vides, ſacrificia ſacrificiis opponi. De *Juvencis* hæſitas? Sed Hoſeas utique exerte in formula Supplicationis, quam pœnitentibus ſubjicit *a*: *Sume bonum, ut nobis des, & rependemus* פרים שפתינו *juvencos labiorum noſtrorum*, integre, שפתינו. רבוי. Secundum Apoſtolicum ad Hebræos *b*: *Per ipſum* (Jeſum) *itaque aſſidue offeramus* θυσίαν ἀινέσεως SACRIEICIUM LAUDIS, *id eſt*, FRUCTUM LABIORUM, *celebrantium Nomen ejus.* Pſ. LXIX. 31. *Celebrabo Nomen Jehovæ Cantico, & extollam illum confeſſione laudis: & acceptius erit bove, juvenco, animali cornuto, ſciſſæ ungulæ.* Conſer Pſ. CVII. 22. CXVI. 17. Zephan. III. 10. Mal. I. 11. *Nam ab Oriente Sole ad Occiduum nomen meum magnum erit in Gentibus; & in omni loco* SUFFITUS OFFERETUR *Nomini meo & munus purum: ſiquidem magnum erit nomen meum inter Gentes, ait Jehova Exercituum* Dominus. Dominus interpretatur Joh. IV. 21. 23. & Paulus 1 Tim. II. 1. Denique, Scriptores N. T. hoc Sacerdotium ſpirituale nobis diſerte explicant, de oblatione θυσιῶν πνευματικῶν, *Sacrificiorum* SPIRITUALIUM, ut ſatis notum *c*. Ergo his fulti rationibus ſequamur Vatem ſpiritualem ſpiritualiter vaticinantem, & aſſuefiamus phraſi Spiritus S. qui ſpiritualia ſectatur. *Adducam eos*, ait, *in Montem meum Sanctum*, ad communionem Eccleſiæ *ſanctificatorum*, per fidem & fidei Confeſſionem, ejuſque Sacramenta; (Pſ. II. 6.) *& exhilarabo eos in Domo precationis meæ*, in cœtibus Credentium qui ſunt *Templum Dei vivi d*, in quibus colitur ritu vero ac ſpirituali; affixa relativa ' in voce תפלתי *objective* ſumpta, ut aliàs frequentiſſime *e*: ut ſane tota Religio Chriſtiana ad *lætitiam ſpiritualem* dirigitur *f*: quæ oritur tum ex ſenſu magnitudinis beneficiorum præſentium; tum ex ſpe futurorum; tum ex ſtatu Communionis Dei & glorioſæ ejus præſentiæ; tum ex ſingulari influxu gratiæ Spiritus S. perceptiones harum rerum in animo vividiſſime excitante, unde χαρὰ ἀνεκλάλητος καὶ δεδοξασμένη: quam lætitiam maxime experiuntur Sancti, ubi vacant Exercitationibus Religioſis in cœtu credentium. *Holocauſta illorum* & *ſacrificia illorum* (intellige *ſacrificia* תודה *laudis*, eaque נדבות *voluntaria*, שלמים *gratiarum actiones*, de quibus vox זבחים *abſolute* ſumpta uſurpatur, ut alibi obſervavimus:) *erunt* לרצון εἰς εὐδοκίαν *grata* acceptaque (confer dicta de uſu vocis רצה Cap. XLII. 1.) *ſuper altare meum*: ſpiritualia videlicet, tum quibus ſe totos mihi conſecrant & devovent; quorum umbra erat in *Holocauſtis*, ſecundum doctrinam Apoſtoli, Rom. XII. 1. tum quibus preces, laudationes, gratiarum actiones, mihi perſolvunt in *Filio meo*, medio ad id ordinato, ut PER IPSUM dona noſtra Deo oblata ſanctificentur: quorum figuram geſſerunt מנחה *Euchariſtica*, in genere ſic dicta. confer locum clariſſimum, jam ſignatum, Heb. XIII. 15. 16. Eſt *Ara* in Sacris varius reſpectus myſticus; ſed hic reſpectus prævalet hoc in loco. de quo nunc pluribus non ago. Subditur ratio, quia *Domus mea Domus precationis appellabitur*, (h. e. *erit*, ſtylo noſtri Vatis *g*,) *omnibus Populis*, non tantum גוים *Gentibus*, ſed & עמים *magnis Populis*, Syris, Ægyptiis, Græcis, Romanis, Celtis, & his ſimilibus. *Domus precationis*, hoc eſt, *cultus ſpiritualis.* Omnis enim Exercitatio Religionis verbalis, quæ Deum ἀμέσως reſpicit, ſub Oeconomia Nova abſolvitur τῇ προσευχῇ *Precatione*, ſive Oratione hominis ad Deum: altera enim ejus pars quæ conſtat *Oratione de Deo*, pro *immediato* objecto ſuo habet *homines*; mediate ad Deum dirigitur. Confer Act. VI. 4. Hic eſt cultus λογικὸς, *rationalis*, hoc eſt, ſpiritualis; ut *lac rationale* eſt *ſpirituale*. Eſtne id impletum ſub Oeconomia Vetere? Equidem præludium aliquod ejus rei extitit in Templo ſecundo, poſt tempora Alexandri, & maxime poſt incrementum Reipublicæ ſub Aſſamonæis & Herode, quando ex Gentibus qui acceſſerant ad communionem Populi Judæi plures cum Judæis Originariis aſcenderunt in Templum, ut communia Feſta celebrarent & Religione ſolenniter defungerentur. Licebat etiam Gentibus in Exteriori Atrio verſari, & haud dubie pii ex iis ſubinde moti magnificentia & reverentia loci, Deum ibi cultum adorarunt & ſupplicarunt; quod utique Gentes opinantes plures eſſe Deos veros, & cuique Regioni ſuos, potuerunt præſtare ſalvis ſuis hypotheſibus: ſane prædixerat id futurum Salomo *b*. Sed ut ego non auſim definire, quatenus cultus ejuſmodi imperfectus Deo placuerit: (perfecte autem placere non potuit:) ſic certo teneo, quicquid ejus eſt non exhaurire vim hujus dicti. Amplius & majus quid exſpectandum erat juxta frequentes Jeſaiæ vaticinationes, quam illa tempora viderunt. Imo auſim dicere, Templum circa tempora noviſſima Reipublicæ magis pollutum fuiſſe à Gentibus exteris, (ſi proſelytos excipias,) quam honoratum. Jeſaias autem hic plane loquitur de Gentibus quæ totum Cultum veræ Religionis admitterent. Atqui ais, Dominus Jeſus hunc locum noſtrum applicuit ad Templum materiale, ubi ementes, vendentes, collybiſtas, Templo ejecit *i*. Reſpondeo, Chriſtum Jeſum neutiquam in illa ſua oratione demonſtraſſe implementum hujus prophetiæ in id tempus cadere: quod plane non faciebat ad ejus ſcopum; ſed ſimpliciter ex hoc loco docuiſſe, Templum non poſſe nec debere ad alium uſum applicari ac ad Cultum Divinum, quippe quod in hoc loco clariſſime ſupponitur. Quod enim hic prædicatur de *Templo antitypico & myſtico*: ejus imaginem oportebat extare in *Typico* & Umbratili. Utriuſque enim comparatio & analogia id exigit; & ſane Deus curaverat, ut ejuſmodi aliqua imago & umbra in Templo illo externo extiterit; ut modo præfatus ſum. Sume tibi exemplum pe-

Is ſenſus hic eligitur, qui *Proſelytis* vindicat *Sacerdotium.*

Uſus vocis שרת hoc in loco.

Prophetiæ analogæ ejuſdem ſenſus.

Sacrificia juſtitiæ quid ſint Hebræis?

Loca alia de *Sacrificiis ſpiritualibus.*

Spiritualis interpretatio hic præfertur *literali.*

Affixum ' voce תפלתי ſumendum *objective.*

Lætitia credentium N. T. ex quibus cauſſis orta?

Quid per *ſacrificia* ab Holocauſtis diſtincta, intelligendum?

Ratio adjecta. Domus Dei *appellabitur Domus Precationis omnibus Populis.*

Præludium hujus rei ſub Oecon. Vetere.

Aliæ Gentes Deum Iſraëlis in Templo *adorarunt.*

Sed id non ſatisfacit huic promiſſo.

Quomodo Dominus hunc locum applicet ad Templum *materiale?*

a Hoſ. XIV. 3. *b* Heb. XIII. 15. *c* 1 Pet. II. 5. Act. XIII. 1. Rom. XII. 1. Heb. XII. 28. XIII. 15. 16. Apoc. I. 6. VII. 15. *d* 2 Cor. VI. 16. *e* Vide Glaſſ. *Gr.* S. Lib. 1. Tract. III. Can. XXX. *f* 1 Pet. I. 8. *g* Ad Cap. I. II. XLIII. 23. Conſer Cap. XLVII. 5. LXI. 3. LXII. 4. *h* 1 Reg. VIII. 41. 42. *i* Matth. XXI. 12, 13. Marc. XI. 15.

Illustratur exemplo, petito ex Joh. II. 17. coll. cum Ps. LXIX. 10.

per omnia simile & quidem ex eadem hac historia. Joannes enim ait *a*, Discipulos ejus, cum Christum Jesum vidissent tanto zelo Templum purgasse à profanis Nundinatoribus, *recordatos fuisse ejus quod scriptum est: Zelus* DOMUS TUÆ *consumpsit me.* Verba leguntur Ps. LXIX. 10. nec dubium est, quin excellens illa *Ode* agat de Christo Jesu. Quæro, quid hic per DOMUM DEI secundum verissimum sensum dicti intelligas? Si sapias, respondebis, *Ecclesiam*, Domum Dei spiritualem. Atqui Joannes applicuit ad *materialem.* Ita est, quia Apostolus & Apostoli omnes viderunt, id latere in amplitudine hujus dicti, siquidem Templum *materiale* typus esset *spiritualis:* ut vere hæc actio Christi Jesu typica spectanda est. Et certe, quod ex pluribus aliis exemplis firmari posset: Veteres Fidei nostræ Fundatores quicquid censeri poterat amplitudine sensus cujuscunque dicti Prophetici involvi atque includi, ex eo eruerunt, & in usum suum verterunt. quod alibi quoque jam monere memini.

Expositis verbis Prophetæ, demonstratur verus scopus totius hujus orationis.

En sensum luculentæ pericopæ! Nec tamen omnia hactenus scripsi quæ in mente mea sunt, & ad scopum orationis pertinent. Noli itaque putare, orationem hanc Divinam se non latius extendere quam verba sonant. Cum enim pauciores sint inter homines *Eunuchi*, (etsi in Oriente plures, quod satis notum:) & *carentia prolis* ac per eam conservandi Nominis res non videatur magnæ solicitudinis & curæ, cum nemo cæteroquin de longa & honesta prolis successione certus sit: non videbatur adeo necessarium, ut eorum specialis mentio fieret: Cum etiam *Alienigenarum* non videretur adeo pœnitenda conditio sub Oeconomia Vetere, ut in ea durum esset acquiescere: quid opus erat utrorumque querelæ tam solenniter occurrere, & hoc solatio eorum cogitationes prævertere? Hic itaque respondeo, Scopum totius hujus pericopæ eo tendere, ut Deus clare doceret, omnia privilegia Fœderis gratiæ sub Oeconomia Nova absque ullo discrimine Gentis, Status, Conditionis, omnibus communia fore: Deum omnibus Credentibus pro modo gratiæ iis impertitæ *ita æqualia* distributurum esse, quod Dominus docuit in Parabola de *Operariis b*. Nullum hic valiturum esse respectum, nisi spiritualem. Sive Vocati ad Ecclesiam sint Scythæ & Barbari, sive Græci & Philosophi; sive Domini sive Servi; sive Pharisæi, sive Idiotæ; sive graves peccatores in idololatria & vitiis demersi, sive vitam moratius & honestius instituissent; omnes pariliter vocatum iri ad communionem eorundem bonorum & privilegiorum, modo conditiones Fœderis gratiæ observarent. Quandoquidem vero disparilitatis conditionis in Oeconomia Vetere (excepta Sacerdotum ac Levitarum prærogativa, ad quam hic simul respicitur,) nulla exempla produci possent præter ea *Eunuchorum* & *Alienigenarum:* hæc ipsa exempla arripuit Spiritus S. ut hisce exemplis propositum thema illustraret. Esset enim hæc prima *Periodus* vocandarum Gentium.

Sub Oeconomia Nova obtinere debebat *æqualitas* conditionis & privilegiorum.

PARS ALTERA PROPHETICA hujus *Sectionis.*

a. Prædictio Ecclesiæ magis *amplificandæ* ex accessione plurium Gentium.

Pars altera Prophetica hujus *Sectionis.*

℣. 8. *Effatum Domini Jehovæ, congregantis propulsos Israëlis:* ADHUC CONGREGABO AD EUM *juxta eos* QUI AD EUM CONGREGATI SUNT.] Proprie: *Congregatos ejus.* Supponendum, fieri hoc in loco mentionem triplicis actus Dei: primo quidem *Congregationis* Propulsorum Israëlis: dein *duarum aggregationum* Proselytorum sive Alienigenarum ad Israëlem *congregatum* faciendarum. Sic verba prudenter accepit Aben-Ezra, cujus commentationem hic apponam. *A* QUI CONGREGAT PROPULSOS ISRAELIS.] *Quando ascenderunt ex Babylone, Persia, & Assyria. Sensus autem vocis* CONGREGATI EJUS *referendus est ad Proselytos, ut dicat Propheta; Et ecce* AMPLIUS (adhuc) *congregabo Proselytos ad congregatos Israëlis. Affixum vero relativum vocis* נקבציו CONGREGATI EJUS *referendum est ad Israëlem.* Sed Kimchius cum nesciret verbis aptare sensum, ex hypothesi sua per implementum repræsentandum: sequutus Patrem, Jesaiam aliud dicentem facit, quam verba exhibent. Juvat ipsum quoque loquentem audire. *B* ADHUC CONGREGABO AD EUM JUXTA EOS QUI CONGREGATI SUNT.] *Explicat Dominus Pater meus. b. m. Postquam congregaverim propulsos Israëlis, amplius congregabo adversus eos congregatos alios supra congregatos ejus. Illi vero sunt Gog & Magog: cujus interpretationis bonitatem sequens comma demonstrat.* Sed sane hæc expositio nihil probabile præfert. *α.* Quia quisque facile videt hic mentionem fieri *congregationum* ejusdem generis. *β.* Hæc pericopa cum præcedenti ita cohæret, ut in ea ratio reddatur ejus, cur Deus tam solicite caverit de *Eunuchis* & *Alienigenis*; quia nimirum magnæ ad Ecclesiam futuræ essent accessiones ex Gentibus omnis generis, iisque etiam barbaris plane & *ἀπαιδεύτοις*, quibus non videbatur eadem sors concedenda esse in Regno Dei. Hypothesis autem quæ substernitur huic interpretationi, ei fulciendæ non sufficit. Si enim is sensus esset ejus *commatis*, quem Interpres vult; non consequeretur mox, illud cum *commate sequenti* eum in modum cohærere, ut *sequens comma* eandem rem traderet quæ in hoc loco. Posset enim *subsequens* & *novum Fatum* tradere, ab hoc *Fato* diversum; & magis cum *sequente* quam cum hac *antecedente* pericopa cohærere; ut nos putamus. Ergo missa hac expositione, quæramus implementum prophetiæ. Id vero quisque mihi dederit, vel quærendum esse sub Oeconomia Vetere, vel sub Nova. Qui enim hic mediam viam eligunt, & cum in principio prophetiæ viderint tempora Hiskiæ: transeunt magno saltu ad collectionem faciendam sub Oeconomia Nova: hos placet sibi relinquere. Grotius, postquam observasset, pro *congregatos*, ut habet Hieronymus; rectius dici *congregandos*, paucis expedit: *Post congregationem Ezdræ sequetur congregatio Nehemiæ.* Sed non memini legere in historia, ullam cum Nehemia factam esse *congregationem.* Pauciissimis ille, iisque ministris suis, comitatus venit, ut habet historia *c*. Quod si facta fuisset aliqua, eaque non magna: estne credibile, horum duorum Eventuum fere ejusdem generis Spiritum S. in prophetia distincte meminisse velle? Si omnino hic ageretur de statu Reducum ex Exilio: dicendum esset, respici accessiones Judææ Genti factas in Ægypto & Judæa post tempora Alexandri Macedonis, præter proselytos qui Genti accesserant in Babylonia, Media, Persia, de quibus in Libro Estheræ *d*, vel etiam, si placet, Proselytos qui Genti accederent post tempus Alexandri, & cum restituta Republica à Maccabæis. Sed hæ accessiones quales fuerint, non fuerunt adeo sensiles, & minus incurrerunt in oculum. Accessiones quoque tempore fuerunt *singulorum*, non *plurium* qui confecerint *congregationem.* Sed verte te secundum hypothesin nostram ad tempus Novi Testamenti; & ante oculos tibi versabitur secundum seriem Fatorum hac prophetia perscriptorum, quod alibi frustra quæris. *Congregatio propulsorum Israëlis*, secundum seriem prophetiarum omnium, facta est, ubi Christus Jesus ut *Pastor summus*, ad id à Patre ordinatus, Electos ex Judæa Gente, tam in Canaanæa, quam extra eam *ἐν ταῖς διασποραῖς*, tam per se ipsum quam per Apostolos ejus, *congregavit* in *unum ovile*, secundum ipsius interpretationem *e*: de qua *congregatione dispersorum Israëlis*, ex consensu Verbi Prophetici, egi ad Cap. XI. 11. & Cap. XLIX. 5. 6. Ad hanc

Periodus Ecclesiæ magis amplificandæ ex accessione plurium Gentium, ℣. 8.

Verborum Prophetæ sensus ex mente Aben-Ezræ; quæ laudatur.

Expositio Kimchii.

Quæ refellitur.

Implementum prædicti quæritur.

Num demonstrari queat sub Oeconomia Vetere?

Illustris Grotii sententia.

Quales Proselyti hic intelligi debeant secundum hypothesin, quæ hæc verba refert ad Reditum ex Exilio?

Historia hic non satisfacit prophetiæ.

Implementum quærendum sub Oeconomia Nova.

Congregatio Propulsorum Israëlis, à Christo Jesu facta.

---

a Evang. II. 17. *b* Matth. XX. 1. seqq. *c* Neh. II. 8. 9. *d* Esth. VIII. 17. *e* Matth. IX. 36. seqq. XV. 24. Joh. X. 16. 1 Pet. II. 25.

A Aben-Ezra: מקבץ נדחי ישראל כי אם עלו מבבל ומעילם ואשור והשתם לנקבציו על הגרים והנרו עוד אקבץ גרים לנקבצי ולנקבציו שב על ישראל ישראל.

B עוד אקבץ עליו לנקבציו פירש ארתי אבי ז"ל לאחר שאקבץ נדחי ישראל עוד אקבץ עליהם נקבצים אשרי' על נקבציו והם גוג ומגוג והפסוק שאחריו סורס זה הפירוש.

Prima aggregatio ad eam facta est in *Vocatione Gentium.*

hanc *Ecclesiam* propulsorum Israëlis prima facta est *aggregatio* per Vocationem Evangelicam per Imperium Romanum & Parthicum; nominatim vero per Romanum quam late patet, magno confluxu Gentium; quæ terminum suum accepit circa illud tempus quo Constantinus fidem Christi Jesu professus non tantum defensionem Ecclesiæ suscepit, sed & in incrementa ejus auctoritatem suam & opes Imperii impendit, quod studium ejus consequuti sunt non *civium* modo *Romanorum*, verum etiam τῶν πόρρωθεν ἐξ ἀλλοδαπῆς συνδρομαὶ, *peregrinorum ex externis regionibus concursus*, ut Eusebius *a*. de qua aggregatione Gentium in medium protuli quæ mihi in promptu erant, ad Cap. XLIX. 19. seqq. quem ipsum quoque locum illuc rectissime refert idem Eusebius *b*. Restabant Populi illo adhuc tempore Barbari, Franci, Germani, Alemanni, Saxones, Vandali, Hungari, Bohæmi, Poloni, Gothi, Angli, & Frisii, (quod nomen olim latissime patuit,) Longobardi, Bulgari, Mosci, & qui alii per vastissimas Septentrionis Regiones adhuc desidebant in crassissimis idololatriæ ac barbariei tenebris: quarum Gentium conversio ad fidem Christi Jesu, (licet aliquarum, ut Gothorum & Vandalorum, cum errore, sed postmodum depositio,) & *aggregatio* ad *Ecclesiam* fieri cœpit *Seculo* Christianismi *quinto*, sed rudibus initiis, cum Populi illi mores suos ægre ad Legem Christi componerent, & vim interiorem Christianæ Religionis non complecterentur; licet cæteroquin circa has res, quæ ad cultum Divinum pertinebant, superstitiosi supra fidem. Est enim superstitio passim ignorantiæ comes, cum vera pietas fundata sit in solida Religionis notitia. Sed hæc *aggregatio*, quæ τοῖς נקבציו *aggregatis* sive *congregatis* per primam Vocationem Evangelicam accessit, & veluti terminum suum accepit *Sec.* Christianismi *undecimo*, plurimum debuit Carolo Magno, laudatissimo Francorum Regi & dein Imperatori, qui tum Francorum suorum & Christiani jam Nominis subditorum mores Rituque Religionis reformavit; tum Germanis & Saxonibus Genti late patenti convertendis operam dedit; tum quoque studia literarum in rudibus hisce populis excitavit, quatenus tenebrosis illis Sæculis fieri poterat. Ne nunc Anglo-Saxones memorem, qui Britannia occupata & majorem partem subacta Sæc. v. post disciplinam Christianam susceptam in fine Sæc. VI. & Sæc. VII. qua Ecclesiastici Ordinis, quà Monachi, egregii Viri, ad Evangelium Christi propagandum, & idololatriam per Germaniam, Saxoniam, Frisiam, extirpandam, incredibilem attulerunt zelum; æternum celebrandi. Suppono hic historiæ rudiorem notitiam; quæ ad intellectum hujus prophetiæ plane sufficit. Res enim non est gesta in *angulo*. In voce לנקבציו præfixa ל recte vertitur per *præter*, *juxta*, quam notationem habet vocula אל, unde hæc orta est *præfixa*, & ipsa quoque illa. Confer Ezr. I. 5. Si vis, AD *congregatos ejus*: idem sonat, & facile fero. Semper idem emerget sensus. De *cohærentia* hujus *commatis* cum superiore, modo jam monui.

Aggregatio alia Populorum magnam partem Septentrionalium post hæc facien la & facta.

Quæ multum debuit Carolo Magno.

Notatio præfixæ ל, in voce לנקבציו.

PROPHETIA ALTERA, PERIODUS irruptionis insolentis & inexspectatæ Gentium Barbararum in terras Populi Christiani ob corruptos Ejus, & *Ordinis Ecclesiastici* mores.

Periodus altera: Irruptio Popnlorum Barbarorum in terras Ecclesiæ, ℣. 9. *Omnes feræ agri, &c.*

℣. 9. OMNES FERÆ AGRI; *venite* AD COMEDENDUM, OMNES FERÆ SALTUS.] Hic *versiculus* veluti ex abrupto hic interpositus, turbavit rationes multorum Interpretum. Cum enim non viderent, qua ratione cum *superioribus* connecteretur: aliqui illorum hic fecerunt exordium Novæ prophetiæ: quod, fateor, iis licuisse, si omnia hic desperata essent; etsi hæc sententia non valde sit probabilis: non tantum quod nulla hic occurrat nota Exordii; (non eo enim inficias, alia dari exempla similia:) verum, α. Quia si in hisce intermediis *Exordium* novæ Concionis statuendum esset, rectius videretur figi in *Commate superiori*, cui præest præfatio, *Dictum Domini Jehovæ*. β. Vix videatur initium novæ Prophetiæ fieri à sententia tam inexspectata, qualis hæc est. Alii itaque, & inprimis Judæi, cum omnino cuperent secundum hypothesin suam læta hic prædici Populo suo in præsenti Exilio versato, & ex eo liberando, verbis Prophetæ aptarunt sensum, hypothesi suæ congruentem; & ipsi quoque nostri, conservato nexu orationis, in diversa eunt: de quo paucis videndum, antequam interpretationem nostram demonstremus.

Affectio singularis hujus orationis.

Diversi Intt. sensus.

Verba Prophetæ, כל חיתו שדי אתיו לאכול כל חיתו ביער geminam dare possunt Versionem: vel eam quam ego exhibui, *Omnes fere agri; venite ad comedendum omnes* FERÆ *Saltus*: vel alteram, *Omnes feræ agri venite ad comedendum omnes* FERAS *saltus*. Secundum priorem hic emergit sensus, in cujusque incurrens oculos, *Omnes feræ agri, quin imo omnes feræ saltus, venite ad comedendum* sc. Subjectum aliquod quod hic subintelligitur; de quo mox videbimus. quam versionem elegit Hieronymus, & ut videtur, *ol ὁ.* licet id ex ipsis minus liquidum sit ob ambiguitatem significationis vocis θηρία *bestiæ*, quæ in *primo* & *quarto casu* eandem retinet terminationem. Chaldæus quoque & Kimchius locum sic acceperunt, & ex recentioribus plures. Alteri tamen versioni patrocinantur inter Judæos Jarchius, Aben-Ezra, & Abarbenel, licet diversam sequuti interpretationis rationem. Coccejus quoque noster, & Schmidius, sensu rursus discrepantes. Jarchius quidem & Abarbenel, eum sequutus, per *animantes* sive *feras agri* intelligi volunt *Proselytos ex Gentibus*, jam moratiores factos, qui magno numero Ecclesiæ supponuntur accessisse, sive accessuri ultimo tempore Redemptionis; quos volunt hic excitari à Propheta ad *comedendum* omnes *feras saltus*, hoc est, hostes Ecclesiæ manifestarios, qui Proselytismum & Legis Judaicæ disciplinam respuerent; sive, ארי גבורי האומות שאמצו את לבם מלהתגייר *Potentes Gentium, qui animum suum obfirmarunt in sententia de non recipiendo Proselytismo.* Sed Aben-Ezra sensum facit, Deum hic in mandatis dare *impiis Gentibus* quæ hic dicantur feræ *agri*, ad occidendos perdendosque *impios Israëlitas*, hoc est, idololatras qui in hoc instituto pertinaciter persisterent: cæteros enim *reversuros esse*; de quo Vates secundum ipsum proxime loquutus fuerat: hos vero perdendos, & hoc privilegio excludendos. Proxime ad hunc accedit Cl. Coccejus, nisi quod quæ Hebræus applicat ad *Pseudo-Judæos*; ille ad *Pseudo-Christianos*, animales homines, qui corrupto Ecclesiæ tempore *Hierarchiam* in Ecclesia constituerent *externam* & *carnalem*, à Deo tandem severe puniendos. *Vocare itaque* Deum hic *animalia agri ut devorent animalia sylvæ*, h. e. *vocare Populos Barbaros extra Christianum Nomen positos, ut intrent in mediam sylvam, & bestias in ea*, h. e. *tyrannos & alios* θηριώδεις *homines, consumant.* Alter Vir Doctus *c* per *bestias agri* intelligit *congregatos per Christum Judæos*, qui *pridem fuerant in Agro Domini*: quos *advocari* ait *ad devorandas bestias sylvæ; non crudeli commestione*, sed *suavi & spirituali, qua* sc. *Ecclesia eos absorbeat, & in sinum suum recipiat.* Ne mireris, qui hæc legis; nec propterea Scripturam S. obscuritatis & interpretationem ejus incertitudinis postules. Est enim ratio investigandi veri, si quem non pigeat operæ. Suppono itaque, ut id tentem; Versionem hanc non videri convenire scopo Prophetæ, ac proin cadere interpretationes ei superstructas. α. Quia emblema ipsum valde paradoxum est. Feras enim, libero cœlo, non arctis inclusas spatiis, non putem in se invicem *sævire* aut se mutuo *devorare*. Sæviunt in animalia mansueta; boves, oves, capros, gregesque pecudum: ut notissimum. Forte *caveæ* inclusæ, (*spectaculorum* enim diversa ratio:) se invicem *lacerant*; sed ipsum quoque id *prodigii* loco censetur, ut alibi Jovius *d*. β. Magis adhuc

Verba Prophetæ. Duplicem dare possunt sensum.

Uterque exponitur.

Auctores diversæ interpretationis.

Jarchii & Abarbenelis expositio.

A. Ezræ sensus de his verbis.

Cl. Coccejii meditatio huic proximа.

Interpretatio, quæ *Feras agri* hic vocari facit ad *comedendum feras saltus*, non videtur convenire scopo Prophetæ.

a Hist. Eccles. Lib. x. Cap. x. *b* Cap. IV. p. 383. Vales. *c* Cl. Schmid. *d* Jovius, recensens prodigia quæ præcesserunt mortem egregii Viri, Laurentii Medicei, in *Vita* Leonis X. p. m. 38.

Τὸ παράδοξον hujus interpretationis explicatur.

paradoxum; feras *Agri* evocari ad devorandas feras *Saltus*. sunt enim his, quod Jarchius hic recte scribit, debiliores. γ. Subjectum, quod hic supponitur, esse *pecudes*; liquet manifestissime ex *commate* & *pericopa* sequente: ubi *speculatores* Ecclesiæ quæ hic sub vulgato emblemate *Gregis pecudum* venit, dicuntur *caeci*, & *canes muti*, quippe officio non fungentes in conservando Grege, atque adeo occasionem præbentes *Feris Agri & Saltus* ad Gregem *devorandum*. Pertinet autem huc dictum Ezechielis huic consonum, Cap. XXXIV. 5. Instituitur ibi convictio adversus *Pastores* Populi Dei, negligentes *Gregem*, sed se ipsos pascentes; unde Grex *dispersus* dicitur facta esse præda לכל חית השדה OMNI BESTIÆ AGRI. δ. Locus plane parallelus Jeremiæ nostram interpretationem certo adstruit. Sic ille eodem usus dicendi genere [a]: *Congregamini omnes feræ agri:* VENITE *ad comedendum*. ε. Docti Viri nunquam ex historia rite demonstraverint verum implementum hujus prophetiæ. Factum equidem est variis casibus, ut *Feræ agri* ex hypothesi hujus interpretationis absumpserint *feras sylvæ*: sed nunquam factum vel futurum est, ut OMNES *feræ agri absumant* OMNES *feras saltus*. Accedit, abesse notam *accusativi casus* את. Poterat enim scriptum esse, לאכל את כל חית ביער. Sed cum non semper adsit; & cæteræ rationes satis valeant: nihil hic urgeo. Est autem hic ipsissima vox חית, ut apud Vatem nostrum, איתי; cæteroquin insolentioris usus & Scripturæ. Jeremias hunc locum respexit, ut videtur; & nullus dubito, quin חתי apud ipsum idem valeat quod איתי, *literis* ejusdem *generis* & *affinis soni* inter se mutatis. Apud Jeremiam autem invitari hostes Ecclesiæ ut Populum Dei corruptum invadant & absumant, quis neget? Masorethica autem punctatura nihil habet quod obstet. Hæc maxime obstant interpretationi Cl. Cocceji: cæteras non attingo; paucis, quod satis scio, placituras.

Loca Jeremiæ & Ezechielis cum hoc collata.

Dubium in Versione altera, quæ utrasque *Agri* & *Saltus Feras* hic appellari vult.

Ergo si ad alteram veniamus Versionem, quam proposui: ne sic quidem satis liquidus videtur sensus, quia *Subjectum* comedendum non exprimitur in contextu, sed veluti incertum relinquitur. Chaldæus itaque, eumque sequutus Kimchius, verba interpretantur de *Copiis Gogi & Magogi*, Hierosolymam tempore Messiæ sui imaginarii obsessuris, à feris *agrorum* & *saltuum* consumendis, secundum prophetiam Ezechielis [b]. Ajo, nihil vitii esse in interpretatione, si faveat contextus.

Chaldæi & Kimchii expositio.

Quæ refellitur ex contextu.

Sed contextus plane contrarium suadet. Introducuntur enim protinus in *commate sequenti*, *Pastores Custodes* & *Vigiles* GREGIS ut pigri, somnolenti, indocti, luxuriosi, iidemque in *sequente contextu* redarguuntur imperitiæ: unde satis patet, alludi hic ad *Gregem Domini*, dormientibus & luxuriantibus Pastoribus expositum insidiis, raptibus, incursionibus *ferarum*. Id vero tenet major pars Interpretum recentiorum. (Veterum enim quædam meditatio, ut Cyrilli, & Hieronymi quoque, quæ Gentes omnium Ordinum hic invitari statuit ad *edendum* de *Pane* & *Vino* in Cœna Sacra, non est commendabilis hac ætate Ecclesiæ.) Censent Interpretes, vocari hic *feras agri & saltus* ad devorandum *Populum Dei* moribus & Ritu Religionis corruptum, ad judicia Dei in eum exequenda. Sed qui qualesque illi hostes sint, hic sub *ferarum* nomine propositi, hæsitant, pro hypothesibus, quas susceperunt, diversis: dum alii Assyrios sive Chaldæos demonstrant: alii Romanos: alii rursus generatim accipiunt de hostibus variorum temporum in Ecclesiam corruptam sævituris. Sed cum de hypothesibus supra disputaverim: non repetam dicta: solummodo sententiam simpliciter exponam.

Vera hypothesis. Evocantur hostes ad *devorandum* Populum Dei.

Irruptio Populorum Barbarorum in terras Ecclesiæ, quando facta sit?

Non est exspectandum, Prophetam nostrum, ubi ex ductu Spiritus S. Fata Ecclesiæ majora, per modum Elenchi declaraturus est, alia memoraturum, quam illustriora & sensilia, quæ nemo historiæ non plane nescius ignorat. Ignorare autem neminem censeo, Ecclesiam Christi proximis à Constantino Sæculis; cum totum jam occuparet Imperium Romanum, magnam sibi sensim contraxisse labem, vitio maxime *Præfectorum* Ecclesiæ; sive dormientium; sive indulgentium ambitioni & luxui; sive de otiosis & subtilibus quæsitis inter se acerrimis contentionibus pugnantium; & in universum discedentium à simplicitate doctrinæ ac disciplinæ Apostolicæ: de quo audiemus Prophetam in proxime sequenti *Pericopa* de *corruptione Ordinis Ecclesiastici*; quæ cum hac tam arcte cohæret, ut cujus rei effectus hic traditur, ejus caussa ibi quærenda sit. Docet autem eadem historia, circa idem tempus quo corruptio in Ecclesia invaluit, eamque cum tempore pervasit, futurum esse per Divinam Providentiam, ut Gentes huc usque Barbaræ se effundant in terras Romani Imperii, jam in duas divisi partes, Orientalem & Occidentalem. Ajo, eandem fere Periodum esse invalescentis per Ecclesiam corruptionis & irruptionis Populorum Barbarorum. Sunt autem Bulgari, Sclavi, Hunni, Saraceni, Turcæ, Othmamidæ, Turcomani, Tartari, respectu Ecclesiæ Orientalis; Hungari, Normanni, Anglosaxones, & Saraceni iidem, ratione Occidentalis. Hæ Gentes sive ex Scythia; sive ex Sarmatia Europæa; sive ex horridis Septentrionis Regionibus, effusæ in terras à Christiano Populo, quà Orientali quà Occidentali infestas, longo sæculorum tractu Populos Christi nomine appellatos infestarunt, jam inde à *sexto Sæculo*, quo Bulgari & Sclavi, Thraciæ imminentes, Imperio Constantinopolitano longam paraturi bellorum & malorum materiam, sedes trans Danubium fixerunt; Sæc. VII. quod Saracenos ostentavit maximi Imperii conditores; ut Sæc. IX. Hungaros, successores Hunnorum, bis ante Pannonia, Dacia, & Trans-Danubiana Hungariæ parte, quæ Tibisco est ad Septentrionem, olim à Jazygibus Metanastis insessam, exactorum; stabili inde sede Hungariam quæ nunc dicitur possessuros; idem Sæc. Normannos; Sæc. XI. Turcas; Sæc. XIII. inclinatum Turcas Othmanidas, potentissimum illud quod hodiedum viget, fundaturos Imperium; Sæc. XIII & XIV. Tartaros vel Scythas, immanibus agminibus Asiam & Europam quoque divisis exercitibus invasuros, sub Regibus Hoccatha & Tamerlane ut dicitur, sive Timure Lencio. Vastationes autem, strages, cædes, miserias & gravissimas calamitates quas hæ Gentes intulerint in terras à Christianis infestas, antequam aliquæ earum fidem in Christum susceperint, (sed & Bulgari nomen Christi jam profitentes,) historia ita describit, ut legentibus incutiat horrorem. Quis vero hos Populos aliter consideret ac flagellum Divinæ Justitiæ quo Populum nominetenus suum ob vitia & crimina tua castigaret [c]? Poteram altius repetere, & in ipsa quoque hac scena sistere Gothos, Vandalos, & Hunnos, Duce Attila, immanem Sæc. V. in Italiam, Germaniam, & Galliam quoque, inducturos vastationem & miseriam. Sed Attilæ irruptio fuit brevis temporis, & sæviit ille maxime in Populos, nomine nondum Christianos; repressus autem est in Gallia: Gothi vero & Vandali jam admiserant disciplinam Christianam. Sufficiat hæc breviter attigisse: historia enim hic nota supponitur. Si quis tamen aliquid etiam de his Rebus distinctius à mea manu videre cupiat: consulat ille quæ scripsi ad *Apocalypsin* in illustrando *Sigillo quarto* Cap. VI. 7. 8. & *Tubicinii sexti* parte Priore, Cap. IX. 13. seqq.

Nexus Fatorum, quæ hic memorantur.

Irruptio hæc facienda erat & facta est, Statu Ecclesiæ corruptæ.

Gentes illæ Vastatrices Orbis Christiani recensentur.

Historia obiter repetitur.

Respectus horum Populorum.

Restant mihi nunc paucula addenda ad lucidiorem contextus intelligentiam. α. Docuerunt jam Grammatici post Kimchium, literam ו in voce חיתו esse paragogicam; & ו in voce שָׁדָי non esse *affixam primæ personæ*, sed *terminativam*; ut mirer, Virum, Hebraice doctum, vertisse, *Agrorum meorum*. Verti debet *bestiæ agri*. β. Non est admodum necesse *Feras agri & Saltus* ab invicem distinguere, tanquam has illis *feroLiteralia quædam expediuntur.*

Litera ו in voce חיתו paragogica: ו in שדי terminativa.

Feræ Agri & Saltus sty-

ciores

[a] Cap. XII. 9. confer Cap. VII. 33. [b] Cap. XXXIX. 4. 17. confer Apoc. XIX. 17. &c. [c] Exod. XXIII. 29. Ezech. XXXIV. 8. Hos. II. 11. &c.

In Sacro promiscue usurpantur.

ciores & saviores, siquidem Scriptores Sacri promiscue usurpent, & *feras agri* generatim usurpare soleant pro qualicunque ferarum genere. Si quis tamen eas secundum hunc typum discernere velit: per *Feras Agri* rectissime intellexerit Saracenos, cæteris passim longe moratiores: per *Feras Saltus* Hunnos, quos Vetus Historia Germanica ut sævissimos & summe feros depingit; Turcos, Tataros, & his similes. γ. Quod dicitur; OMNES *feræ Agri & Saltus:* res est in historia mirabilis. Hac enim periodo temporis non tantum *omnis generis* Populi Barbari se effuderunt in terras cultiores à Christianis habitatas; verum etiam *omnes* quos Orbis quà nobis notus, habet & ex variis cœli plagis videbatur producere posse. Utique post irruptionem Tamerlanis, ejusque solutum Imperium, nullas ejusmodi novas Populorum vagabundorum incursiones novit historia, non sane aliter acsi Regiones incultæ & Barbaræ omnes sinus suos excussissent. Sed Populi deinceps stabilia Regna & Imperia nacti in se invicem incurrerunt, & bellis civilibus aut externis inter se gestis vires suas & homines consumpserunt. δ. Quod Os Divinum hic dicat, *Venite, & comedite*; recte quidem accipitur de Jussu Divinæ Providentiæ, ut in Viso *Tubicinii sexti* [a], SOLVE *illos quatuor Angelos, & seqq.* cum nihil horum Deo nolente Populis accidat: sed simul *figurate* innuit, hoc tempus esse proprium & opportunum hisce Dei judiciis, quo, Præfectis Ecclesiæ dormientibus & officii negligentibus, Populus magis magisque corrumpebatur, ut ex vera Christi Jesu uxore degeneraverit in adulteram. de quo in sequentibus.

Emphasis in phrasi, OMNES *feræ agri, & seqq.*

PRÆDICTIO TERTIA de *Corruptela* insigni Præfectorum Ecclesiæ tanquam illius Judicii caussa.

Prædictio tertia, de Corruptela Præfectorum Ecclesiæ, ℣. 10. seqq.

℣. 10. SPECULATORES *ejus cæci; omnes illi destituti intelligentia; canes muti; nesciunt* LATRARE: *stertunt, decumbunt, amant dormitare.* ℣. 11. *Et vero hi canes sunt* APPETITU VALIDO; *nesciunt saturari: atque hi Pastores cum sint, nulla valent discernendi peritia. Omnes illi* VIAS SUAS RESPICIUNT; *quisque* LUCRUM SUUM; *ad unum omnes.* ℣. 12. *Venite*, ajunt; *accipiam vinum, & hilariter potemus siceram: eritque crastinus dies instar hodierni; quin hoc illustrior.*] Pericopa est memorabilis, & tristis argumenti, ad vivum deformans imaginem *Regiminis* Ecclesiæ longe *corruptissimi*; cujus consequens est, Status Ecclesiæ deplorandus, de quo in *consequente Sectione* videbimus. Si tamen orationem ipsam & Φραστολογίαν Prophetæ adspicias: nihil concipi potest fortius & perfectius dictum. Vertit enim pro sapientia sua *Subjectum* sive *Objectum* quod in oculis habebat, in omnem formam; & cum magna orationis pars metaphorica sit: adhibet pro more suo figuras & emblemata ad sensum mentis exprimendum in rem aptissima. Quandoquidem vero pericopa tota partibus suis cohæret: nolui eam in articulos discerpere, sed exhibere integram, hoc ordine pertractandam; ut prius phrasin explicem, quam in implementum inquiram, idque secundum hypothesin nostram demonstrem.

Argumentum *Pericopæ.*

Si Pericopam per se spectes: vides eam agere de *Rectoribus & Præpositis Populi Dei*, iisque non *Politicis*; sed *Ecclesiasticis*; quæ prima hypothesis ad illius intelligentiam hic jacienda est. Non tantum Nomina *Speculatorum & Pastorum*, Ecclesiasticis Rectoribus congruentia, id evincunt: verum etiam attributa; veluti quod comparentur *canibus* qui nesciant *latrare*; quod arguantur *ignorantiæ & imprudentiæ*; quod *emolumenti* quoque sui studio ducantur: quorum priora vel non vel minus conveniunt Rectoribus Politicis; postremum minus dicit, quam Prophetæ in iis passim reprehendunt: ut sunt v. gr. injustitia, rapacitas, oppressio egenorum & pupillorum, & his similia. Vitia autem quæ his Ecclesiæ Præpositis improperantur, in universum referre licet ad duo generaliora; NEGLIGENTIAM

Hypothesis interpretationis. Agitur ea de *Rectoribus*, non *Politicis*, sed *Ecclesiasticis.*

Vitia eorum recensentur, & distinguuntur.

officii, AKHAIAN, ℣. 10. & LUXUM, ℣. 11. 12. Sed si distinctius recenseas, occurrunt, α. *Ignorantia & imperitia* earum rerum quæ ad Officium ipsorum pertinent, ℣. 10. β. *Ignavia* sive *Negligentia* Officii in redarguendis vitiis Populi sibi commissi, sive in excitando Populo ad resipiscentiam, quò præveniat judicia Dei, ℣. 10. med. γ. *Amor* otii & *pigritia*, ℣. 10. fin. δ. Insatiabile studium earum rerum quæ ad emolumentum aut voluptatem faciunt, ℣. 11. ε. Inde natus *Stupor*, ℣. 11. med. ζ. & Quærendarum divitiarum ac luxuriæ continuum exercitium. ℣. 11. *fin.* & ℣. 12. Perlustremus singula ordine.

α. *Ignorantia* earum rerum quæ ad Officium pertinent.

Primum vitium, *Ignorantia* earum rerum quæ ad Officium pertinent.

℣. 10. SPECULATORES *ejus sunt* CÆCI; *omnes illi destituti sunt intelligentia.*] *Speculatores* (צפים) hic sunt *Episcopi* & Προηγούμενοι *Præfecti* Ecclesiæ; sub antiqua quidem Oeconomia *Sacerdotes* [b]; & præter ordinem, *Prophetæ*; sub Oeconomia Nova *Episcopi*, *Pastores*, *Presbyteri*: sic dicti ab officio, quod ipsorum sit *in longum videre* ac *prospicere*; Mala malorumque caussas Populo Dei exitiales diligenter observare, Populumque de eo monere; intentissima cura invigilare saluti publicæ; idque agere nomine publico tanquam in alto publicoque loco constitutorum; metaphora ducta à Vigilibus aut Præsidiariis militibus qui in speculis munitarum Urbium constituti ad omnes motus externos Urbi nocituros diligenter attendunt; aut ab Excubitoribus similibus qui in *speculis* aut *tuguriolis* Vinearum, passim in colle aut edito loco structis, observant incursus Bestiarum aut Hominum, ad avertendam noxam. Explicitam dedi notionem ad Cap. LII. 8. coll. cum Cap. XXI. 6. *Speculatores* EJUS, inquit, cum respectu ad illum *Israëlem* de quo facta erat mentio ℣. 8. h. e. Ecclesiæ. Quos ubi *cæcos* dicit, paradoxa rursus assurgit oratio. Quis enim *speculatores* constituit *cæcos*? Est enim eorum in longum prospicere acuto visu & intenta oculorum acie. Certe si de *Speculatoribus* proprie sic dictis capienda esset oratio; verba sic accipienda essent; *Sic versantur in officio acsi cæci essent*, vel, *non viderent acutum.* Verum de *Speculatoribus* Ecclesiasticis licet accipere mystice dictum in summa emphasi. Possunt illi corruptis Ecclesiæ temporibus auctoritate, arte, nundinatione, sæpe præfici Ecclesiis, & tamen *nihil videre*, & quidem *ad aliquid videndum esse inepti*: quæ ineptitudo videndi dicitur *cæcitas.* Sic Propheta hac voce variis in locis mystice usus est [c]; h. e. Possunt versari in crassa ignorantia earum rerum quæ ad officium pertinent, quarumque accurata notitia eos oportebat instructos esse. Sic enim Jesaias se interpretatur, ubi addit; לא ידעו NON NORUNT, nihil intelligunt. Phrasin proxime habuimus Cap. XLIV. 18. estque aliàs usu satis frequentata [d]. Ita se res habet, ubi Præpositi Ecclesiæ se nunquam applicarunt ad Verbum Dei legendum & meditandum; Doctrinam salutis, Oeconomias temporum, & nexum atque ordinem viarum Dei ex eo nunquam didicerunt; inprimis vero imperiti sunt rerum spiritualium, quarum scientia requiritur ad administrandas conscientias hominum, & gubernandam Ecclesiam; quid Populo Dei suadendum, monendum, & pro occasionibus docendum ac præscribendum sit: ubi instituenda sit exhortatio, consolatio: quibus ea facienda sit verbis, ut animum afficiat: *ubi* & *quomodo* peccata & vitia in Populo Dei invalescentia sint castiganda, & refrænandus ac contundendus pervicax ac superbus peccatoris animus; erigendus excitandusque humilis atque afflictus. Si qui jam Præfecti Ecclesiæ harum rerum omnium sunt ignari; nihil de iis intelligunt; ignorantiam hanc suam nihil curæ habent vincere; quin imo ob affectus carnales & contrariam vitæ consuetudinem ad spiritualia percipienda inepti sunt: hi ipsi sunt qui Vati hic dicuntur *Speculatores cæci*, Christo Jesu ὁδηγοὶ τυφλοὶ

Præfecti Ecclesiæ comparantur *Speculatoribus.*

Rationes comparationis.

Affixum EJUS quorsum hic pertineat?

Quo sensu illi *cæci* dicantur? *Venustas* orationis.

Attributum potest convenire *Præfectis* Ecclesiæ.

Eodem pertinet, quod *nihil* dicantur *intelligere.*

Emphasis ejus.

[a] Apoc. IX. 14. [b] Deut. XXII. 10. Mal. II. 6. seqq. [c] Confer Cap. XXXV. 5. XLII. 19. [d] Ps. LXXIII. 22. XCII. 7.

Via duces caci a. Contra vero Res ipsa clamat, & Canon Ecclesiæ requirit in Præfectis Ecclesiæ *lucem*, ex Verbo Dei hausta; *cognitionem*, *peritiam*, & in longum prospiciendi facultatem. dexteritatemque dijudicandarum rerum spiritualium. *b*

β. *Ignavia*, sive *Negligentia* officii in præmonendo Populo.

Alterum Vitium: *Ignavia*, *Negligentia* officii.

℣. 10. med. *Canes* MUTI, *qui nesciunt* (proprie, *non possunt*,) LATRARE.] Sic recte vertitur vox נבח. Græc. ὑλακτεῖν· *latrare*. Nec est dubia vocis significatio, licet solo hoc loco occurrat, quippe Talmudicis in usu, & Arabibus quoque, notante Aben-Ezra; de quo videndus Cl. Bochartus, alia etiam huc ex promptuario suo adferens, observatu digna *c*. Idem post plures alios docet, alludi hic loci ad canes *custodes pecudum*, qui latratu suo Pastores monent de Lupis aliisque Feris Gregi insidiantibus, easque cum Pastoribus arcent. Jobo dicuntur כלבי צאן *Canes pecudis d*; Canes Pastoritii; estque eorum frequens apud Veteres mentio *e*. Nullum emblema aptius ad figurandam *ignaviam* Pastorum Doctorumque Publicorum, qui sive metu, sive imperitia, silent ubi loquendum est. veluti si falsi Doctores subrepant Gregi, & noxios veritati ac pietati spargant errores; si Populum Dei observent corrumpi, & pullulare vitia ac peccata, in eum provocatura Judicia Dei; aut ipsa illa Dei Judicia calamitatesque publicas ei vident imminere: abstinent redarguendo, castigando, reprehendendo, detonando, & exhortando ad resipiscentiam. Est id Vati nostro in sequentibus *f*; *Ex imo gutture clamare & ebuccinando indicare Populo Dei defectiones & Domui Jacobi peccata sua*: & apud Ezechielem *g*: *Admonere improbum ut recedat à via sua mala*. Quod idem officium Paulus veris ministris Ecclesiæ præscribit *h*. Sunt autem in fidelium canum latratu tria, quæ hic ad rem faciunt. α. Quod *Latratus* fiat alta, sonora, & personante voce, quæ ad quosque facile penetret. β. Cum vehemente impetu, qui in hominibus *zelus* dicitur. γ. Voce continua, eademque sæpius repetita, usque quo propulsum sit periculum. quæ ad fideles Gregis Dei Pastores non difficulter applices. Id qui agunt canes, Pastoribus fidem præstant, & officio funguntur: perinde ac Præfecti Ecclesiæ si aliis partibus canibus dissimiles, hac parte eos imitentur.

Intelliguntur hic *Canes*, custodes Pecudis.

Mos Veterum.

Vox נבח rectè vertitur per *latrare*.

Similitudo illustratur.

γ. *Amor otii & Pigritia.*

℣. 10. fin. *Somnolenti*, *decumbentes*, *amantes dormitare*.] Prior vox הזים rursus est ἅπαξ λεγομένη: sed circumstantia contextus facile probat versionem Chaldæi נימים *dormitantes*. Sequuntur Hebræi; at quorum hic magna haberi nequit ratio. Sed Hieronymus vertit, *Videntes vana*: dubium, num pro חזים legerit חזים *videntes*. Græci quoque Veteres hic simile quid exhibent. Οἱ ὁ. Ἐνυπνιαζόμενοι κοίτην *Somniantes lectum*. Forte deest vox, ἀγαπῶντες, ut scripserint, Ἐνυπνιαζόμενοι, ἀγαπῶντες κοίτην. Aq. vel Th. Φανταζόμενοι· *phantasiis* & *imaginationibus acti*. Symm. perinde ac οἱ Ο'. conjunxit vocem cum proxime sequente שכבים, reddiditque, Ὀραματιζαὶ κοιμώμενοι· *Imaginarii* (liceat dicere, *Visionarii*,) *dormientes*. Obsérvat Cl. Bochartus *i*, Arabibus vocem usu receptam esse pro *deliratione* quæ fit per *morbum* aut *somnum*, & alia quoque huc adfert ὁμόφωνα. Teneo interpretationem primam, ut loco convenientissimam: etsi lubens hic admittam venustam παρονομασίαν inter voces חזים *videntes* & חזים *dormitantes*; quam Propheta in oculis habuit. Dictum Prophetæ sic accipies, ut adhuc inhæreat similitudini quam sumpserit à *canibus*. Ad eos referenda sunt attributa, ut ex *consequente contextu* liquet: non sane ut inde colligas, *canes* per naturam ad somnum magis propensos esse quam reliqua animalia; quippe quod ὁ πάνυ late refellit: sed ut doceat, esse illos canes degeneres, in quibus virtutes canum fidelium desiderantur. Vide interim, quale vitium sit quod hic depingitur, qualique virtuti opponatur. Vitium est ignavia, pigritia, segnities, socordia; otii, quietis & commoditatis amor, impatientia & horror laboris; quæ vitia Dominus notat in Parabola de *servo* ὀκνηρῷ & ἀχρείῳ. *k* Opus præfecturæ & inspectionis Ecclesiæ ut plurima involvit officia; sic permagnam adfert curam & sollicitudinem: ut proinde si Præpositi Ecclesiæ officio rite fungi & Domino suo placere velint, summa in iis requiratur diligentia, vigilantia, & laboriosissimum studium, quæ virtutes iis ubique commendantur *l*. Summa est in Paulino dicto ad Timotheum *m*: Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσιν· *Tu vero* VIGILANS ESTO *in omnibus*. Si contra quieti & otio indulgeant; commodi majorem curam habeant quam officii; laborem fugiant, socordes, ignavi, pigri, omniumque rerum securi: necesse est, illos ἐν πᾶσιν ἐλλείπειν *in omnibus deficere*, & à pondere rerum undique urgentium obrui, laborante interim Ecclesia.

Tertium vitium, *Pigritia*, *Amor otii*.

Versio Hieronymi vocis חזים.

Aliæ antiquæ huc allatæ.

Num ex metaphora colligi queat, *Canes* ad somnum propensiores esse quam reliqua animalia?

Virtus opposita Præfectorum Ecclesiæ.

δ. *Insatiabilis cupiditas* earum rerum quæ *voluptati* aut *utilitati* serviunt.

℣. 11. *Et hi* CANES *sunt* FORTES APPETENTIA; *nesciunt saturari*:] Sunt qui phrasin, נפש עז *fortes anima* accipiunt de ἀναιδείᾳ *impudentia canum*; quod vitium in hoc animali est insigne. Sic οἱ ὁ. Καὶ οἱ κύνες ἀναιδεῖς τῇ ψυχῇ. Hieron. *Canes impudentissimi*: & tribuit aliquid huic versioni Cl. Bochartus, comparans cum hac phrasi analogam, עז פנים *fortes facie n*. Sed ut extra dubium positum est, quin phrasis, עז פנים significet *impudentiam*: sic cuique facile patebit, voces פנים *facies* & נפש *anima* significatu plurimum differre. Imo certissimum, עז נפש id esse quod expressi; *fortes*, *validi appetitu*, h. e. gulosi, rapaces, concupiscentiæ fortissimæ & insatiabilis. Hebræi Intt. viderunt, & liquet clarissime ex genuina significatione vocis נפש, quæ apud Hebræos in animalibus id notat *quod concupiscit*; animam, inquam, appetentem quæ ad animalis conservationem & vuluptatem faciunt; sive ad cibum & potum referatur; sive ad generationem. quæ *anima* recte *animalis* dicitur. quam vocis notationem alibi pluribus adstruxi, & ex Vetere Philosophia elucidavi *o*. Inde נפש *anima* sumitur pro תאוה *desiderio*. ut Deut. XXIII. 25. *Cum veneris in vineam proximi tui*, *capies uvas* בנפשך *secundum* ANIMAM TUAM, h. e. desiderium tuum, *usque ad satietatem*. Recte igitur Aben-Ezra: חזקי התאוה *Validi appetitu*. Hic verus sensus Prophetæ, & consequentia arguunt. Est canis animal gulosum, vorax, libidinosum, ut passim notum, estque vitium in canibus dominans. Dicit itaque Propheta; cum virtutes canum in hisce Pastoribus non adsint: adesse vitia. Esse enim illos libidini omni gulæ & ventris, simul lucro commodoque suo, deditissimos; & omni cupidinis genere *insatiabiles*, tanquam homines vere ψυχικοὺς; nihil spirituale, aut sublime sectantes; διαλεύοντες ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς κοιλίας *p*, quorum *Deus est venter q*: ut non tantum nihil prosint Gregi, verum etiam ei plurimum incommodent & officiant; quales Dominus describit in Parabola *Servi mali*. *r*

Vitium quartum: *Insatiabilis* cupiditas rerum *voluptati* aut *luxui* servientium.

℣. 11. Phrasis. עז נפש *Valide appetitu*, illustratur.

Notatio genuina vocis נפש.

Metaphora hic à *canibus* rectissime sumpta. sunt *animal gulosum*.

Applicatur ad *Subjectum*.

ε. *Stupor* in spiritualibus.

℣. 11. med. *Et ipsi Pastores cum sint*, *nesciunt* PRUDENTER AGERE, vel DISCERNERE.] Hieron. *Ignoraverunt intelligentiam*. Invenuste. Οἱ ὁ. Καὶ εἰσι ποιμῆνες, οὐκ εἰδότες σύνεσιν. Legerunt, רעים *Mali* pro eo quod Masorethæ exhibent רעים *Pastores*: hic sane minus incommode quam alibi. Chaldæus pariter, מבאשים *malefacientes*. Sed nulla ratio nobis est hoc loco deserendi

Vitium quintum: *Stupor* in *spiritualibus*, ℣. 11. med.

Veteres Intt. huc allati.

---

a Matth. XV. 14. *b* Ezech. XLIV. 23. 24. Jer. III. 15. 1 Tim. III. 2. 2 Tim. I. 13. II. 15. *c* Hieroz. Part. I. Lib. I. Cap. XLV. *d* Job. XXX. 1. *e* Hieroz Part. I. Lib. II. Cap. LVI. *f* Cap. XLVIII. 1. *g* Ezech. III. 17. 18. XXXIII. 3. *h* 2 Tim. IV. 2. &c. *i* Hieroz. P. I. L. II. C. LVI. *k* Matth. XXV. 26. 30. *l* Luc. XII. 37 Act. XX 31. 2 Cor. VI. 4. 5. Apoc. III. 2. *m* 2 Tim. IV. 5. *n* Deut. XXVIII. 50. Prov. VII. 13. *o* Obs. S. Lib. III. Cap. IV. §. 2. *p* Tit. III. 3. *q* Phil. III. 19. *r* Matth. XXIV. 48. 49.

rendi Masorethas: è contrario favet plurimum illorum lectioni, quod oratio hic figuram mutet. Sequentia enim epitheta, à figura *Pastorum* sumpta, *hominum* sunt; non *canum*. *Pastores*, ait, *cum sint*, & se dici atque honorari velint: nulla instructi sunt *peritia* ducendæ pecudis; nullam commodi aut incommodi gregis habent rationem; nulla pollent prospicientia futuri; nullo valent discrimine in pecudibus ægris, affectis, languidis, teneris, pro cujusque conditione scienter tractandis; & nullam sciunt prudentiæ exercendæ artem. Id ipsum esse existimem quod Vates hic designat voce הבין *prudenter*, *scienter*, *discernere*, *considerare*, *explorare cognoscere*, vel, quod forte cæteris præferendum, *se prudenter gerere*. ut Prov. XXVIII. 7. *Qui servat Legem*, בן מבין *se prudenter gerit*; sive *Filius prudens est*. Etiamsi enim notio הבין quoque *transitive* sumatur pro *docere*; intelligentem, prudentem facere: id tamen usum hic minus habet, quia Vates inhæret figuræ *Gregis*, cui custodiendo *Canes* & *Pastores* admoventur. Valet hic loci, vel *discernere*, διαιρίνειν; vel *prudentiam exercere*. לא ידעו הבין *Nesciunt prudentiam*, valet, comparasse sibi habitudinem se imprudenter gerendi, & per illam vitiosam affectionem ad omnem prudentiæ disciplinam percipiendam atque exercendam esse ineptos. ut apud Jeremiam *a*: ולהטיב לא ידעו *Et benefacere non norunt*. Significatur stupor & obduratio animi in vitiis, distincta ab illa ignorantia, de qua locutus fuerat Vates in *initio* hujus *Pericopæ*. Carnalibus intenti voluptatibus & emolumentis negligunt Gregem; stupent in spiritualibus discernendis; nulla utuntur prudentia in Populo Dei administrando; in suis rebus oculati, in commodis Gregis curandis cæci. Phrasis recte illustratur ex opposito apud Jeremiam *b*: *Et dabo iis Pastores secundum cor meum, qui eos pascant cum scientia & intelligentia*. Exemplum est in illo *Pastore* אוילי NIHILI, qui nulla boni Pastoris officia observabat, quem describit Zacharias. *c*

Figura hic mutatur. Similitudo hic transfertur ad *Pastores*.

Significatio vocis הבין hoc in loco.

ζ. *Utilitatis* propriæ studium & luxus.

℣. 11. *med.* *Omnes illi viam suam* quisque *respiciunt: quisque ad lucrum suum*; AD UNUM OMNES. ℣. 12. *Venite, accipiam vinum, &c.*] Docet & confirmat, quod de corrupto judicio & sensu horum Ecclesiæ Præfectorum modo anticipaverat: esse illos totos σαρκικοὺς; & cum duo maxime vitia homines Ecclesiasticos, qui se palam non audent effundere in omnem carnis impuritatem, invadere soleant, AMBITIO, qua quis honori & emolumentis honoris consequentibus studet; & LUXUS, quo quis gulæ & ventri servit, & quidem continua exercitatione *satiandi corporis* πρὸς πλησμονὴν σαρκὸς: hæc ipsa Vitia Vates tam perspicue & plane hic designat, ut verba nulla interpretatione indigeant. Oratio ejus exhibet σχῆμα hominum carnalia quærentium, pro sua cujusque ductorum libidine; imo vero à libidinibus variis agitatorum. Dum enim pecunia & emolumenta vitæ sustinent voluptatem & luxum: utrumque sectandum est luxuriosè viventibus, ut quærant quod perdant ac profundant, τρυφησάμενοι, καὶ σπαταλησάμενοι *d*. quod experientia docet. Loca de *luxu* & *avaritia* turpisque *lucri* quæstu, apud Prophetas & nostrum quoque *e*, obvia non adscribo, cum vitia hæc omnibus sint notissima; & nihil lucis his verbis dare queant. Solummodo hic observanda significatio vocis מקצהו in *fine* commatis *decimi*; quæ Interpretibus multis non intellecta, varias subiit versiones. *Oi ó.* Ἕκαστος κατὰ τὸ ἑαυτῶ· *Quisque juxta suum*. Th. Ἀπ' ἄκρου ἀυτῶ· *ab extremo ejus*. sic multi alii. id enim proprie vox valet. Coccejus. *Certatim*. Sed Hieronymus docte, *à summo usque ad novissimum*. Idem fere quod Ludovicus de Dieu, *ad unum omnes*. Extat ejus doctissima animadversio ad Ezech. XXXIII. 2. qua adstruxit ex variis locis, ut Gen. XIX. 4. XLVII. 2. Num. XI. 1. 1 Reg. XII. 31. aliisque, ut & ex hoc

Utilitatis propriæ studium, *Avaritia*, luxus, ℣. 11.

Confirmatio *superioris orationis*.

Oratio Prophetæ describentis studia carnalia hominum illius temporis.

Animadversio ad vocem מקצהו Versiones antiquæ.

Lud. de Dieu laudatus.

nostro, vocem קצה significare *universitatem*, finibus suis circumscriptam, laudavitque hoc observatum ὁ πάνυ, & ex eo illustravit locum 1 Reg. XII. 31. Merito igitur nos quoque ei subscribimus. Cætera notabis, *versiculum extremum* totum in Versione τῶν ὁ. desiderari; de quo suo tempore jam monuit Hieronymus; quem tamen legerunt in Hebræo Codice præter Hieronymum Chaldæus, & οἱ τρεῖς, Aq. Sym. & Theod. ut ex Versionum ipsorum *Fragmentis* liquet. Utrius vitium sit, sive Interpretis, sive Librariorum, dubium relinquitur: de fide enim Codicis Hebræi nihil hic ambigo.

Defectus extremi *versiculi* apud τὰς ὁ.

De *Implemento* prophetiæ diversa sunt judicia, pro hypothesibus quas quisque adoptavit. Judæi Intt. passim docent, Jesaiam hic redire ad Statum Ecclesiæ suæ & proximè sequuturæ ætatis, atque adeo hic *Exordium* faciunt novæ prophetiæ; nectuntque eorum aliqui hanc prophetiam cum Cap. LV. 6. *Quærite Jehovam dum præsto est, & seqq.* Forte etiam Majores vocem ציפו *Speculatores ejus*, hac de caussa scripserunt cum *Litera majuscula*, (etsi alias ejus sed non meliores rationes adfert Cl. Buxtorfius *f*:) & spatium aliquod inter hæc verba & præcedentia vacuum reliquerunt. Demonstrant itaque hic Prophetas falsos & Sacerdotes degeneres, quos constat ex Jeremia, Ezechiele, & Vatibus veris aliis, extitisse plurimos in Populo usque ad excidium Urbis per Chaldæos, qui læta nunciantes Populo, luxui, libidini, ἀισχροκερδίᾳ, certatim indulgebant *g*. Pluribus nostrorum eadem stat sententia. Nihil hic habeo quod reponam, nisi quod ex cohærentia partium hujus prophetiæ, de qua in *Anacrisi* ejus disputavi, petitur. cæteroquin enim quod ad hanc Pericopam attinet: non nego, Implementum ejus in eo quoque tempore demonstrari posse. Sed cum corruptio Ordinis Ecclesiastici vitium fuerit satis vulgatum, quod in plura intervalla temporum Ecclesiæ incidit: implementum in illo quærendum est tempore, quod nexus prophetiæ demonstrat. Idem censeo de sententia Eusebii, Hieronymi, Cyrilli, aliorumque, qui hic ostendunt Pharisæos, Scribas, & Proceres Gentis Judææ, qui tanquam Doctores vel Rectores Ecclesiæ præfuerunt tempore Christi Jesu & sequuturo usque ad Excidium Reipublicæ per Romanos. Non quæram enim nunc, an characteres qui hic exprimuntur, exacte conveniant *Pharisæis* & *Scribis*, speciem zeli Religionis exteriorem præ se ferentibus & non per *preces* tantum, verum etiam per *Jejunia* se commendantibus Populo: de Rectoribus enim & nobiliore Sacerdotum ordine, Sadducæismo passim deditis, minus dubitem: sed observari tantum velim, vitia hæc esse Præpositorum ac Doctorum illius Populi, ad quem facienda erat *aggregatio*, & postquam *facta* esset *aggregatio*, ℣. 8. Aliud *Subjectum* hic non occurrit. Si omnino hic cogitandum sit de Statu Ecclesiæ sub Oeconomia Vetere: respiciendi hic essent *Præfecti* Populi Dei, Ordinis tantum Sacri, qui post Oniam III, Pontificem honestum, fraude Jasonis fratris ab officio remotum, Rem Sacram & civilem apud Judæos administrarunt, & in Populum Dei majorem partem ipsum quoque corruptum, provocarunt severitatem Judicii Divini, exequendi per Antiochum Epiphanem. Hoc genus *Speculatorum* & *Pastorum Populi* maximam partem erat cæcum, profanum, carnalibus cupidinibus & studiis totum involutum; Populum non tondens, sed deglubens, & plane exhauriens; &, ut verbo dicam, omni modo pravum ac corruptum, ut ex Maccabaicis & Josepho liquet. Sed hypothesis in superioribus jacta, nos ad alia vocat; etsi hunc typum umbratilem hic ex oculis non dimittam.

Quæritur de *Implemento* prophetiæ. Judæorum hypothesis.

Faciunt hic *Exordium* novæ prophetiæ.

Observatum ad literam *majusculam* vocis ציפו.

Intelligunt hic Prophetas ac Sacerdotes corruptos temporis Jesaiæ.

In eam sententiam *Anacrisis*.

Hypothesis Veterum.

Quærunt implementum in corruptis Præfectis Populi Judæi tempore Christi Jesu.

De ea iudicium.

Si implementum quærendum sit sub V. T. rectius cogitatur de temporibus Maccabaicis.

Quære itaque mecum *implementum* hujus prophetiæ non in angulo terræ Canaanææ; sed in Ecclesia Christiana, latissime jam diffusa, post plures Gentes sinu suo receptas, ejusque *Præfectis*, *Pastoribus*, *Episcopis*, & Ordine Ecclesiastico, post Constantini & Justiniani tem-

Pertinet ad Oeconomiam Novam; & quidem ad statum Ecclesiæ post Constantiniana

a Cap. IV. 22. *b* Cap. III. 15. *c* Cap. XI. 16. 17. *d* Jac. V. 5. *e* Vide Cap. V. 11. seqq. *f* *Comm. Masoreth.* Cap. XIV. *g* Hos. IX. 7. Mich. III. 5. 6. Jer. VI 31. VI. 13. VIII. 10. XXIII. 14. Ezech. XIII. 2. seqq.

tempora corruptum.

tempora sensim magis magisque corrupto, usque quo post *nonum* Christianismi Sæculum labes totum fere pervaserit corpus, tam in Oriente quam in Occidente, ex communi & vulgata omnium confessione qui historiam Ecclesiæ levi oculo inspexerunt. Dominus Jesus prædixerat, fore ut *ad Ecclesiam venirent Pseudo-prophetæ cum indumentis ovium, sed intus lupi rapaces*[a]: ut HOMINIBUS, quibus cura Agri Domini, bono consiti semine, DORMIENTIBUS, *veniret* INIMICUS (Satanas) *& sereret zizania*[b]: *Servus* aliquis *malus*, Domino adventum suum differente, *inciperet cædere conservos, quin etiam* BDERE *&* BIBERE *cum ebriis*[c]: quando Regnum Cœlorum simile esset *Decem virginibus*, quarum quinque essent *fatuæ*, quæ nullo in *lampadibus* secum *sumpto oleo*, morante Sponso *nictarent* ac *dormirent*[d]; & post fideles & frugi Servos exstiturum IGNAVUM aliquem & *pigrum*, qui *talentum* à Domino acceptum *sudario involutum, occultaret in terra*[e]. Eandem prophetiam de secuturis temporibus repetierunt Apostoli[f]. Epistolæ quoque *Apocalypticæ* interiorem Ecclesiæ Statum describentes, communem hæresin faciunt NICOLAITARUM, ventri ac gulæ deditorum hominum, qui Ecclesias corrumperent[g]: ne nunc plura huc allegem. Sed quandiu Christiani sub Paganis Imperatoribus Religionem suam profitebantur cum metu, & diligenter observabantur à civibus suis idololatris; atque adeo per ipsas circumstantias, quibus circumscripti erant, constringebantur intra limites modestiæ ac continentiæ; Episcopi autem exortis Persecutionibus primi semper quærebantur ad necem: ambitioni ac luxui aliquod positum erat repagulum; licet quantum jam tum Christiani à prima sua puritate ac simplicitate deflexerint, clarissime liqueat ex Cypriano. Et tamen *doctrina* illo intervallo satis longo magis tentabatur, quam *disciplina morum*; & inter Episcopos ac Rectores Ecclesiarum egregia hac parte extabant exempla. Sed postquam Constantinus fidem Christi suscepisset, & ipsum sequuti Rectores Imperii Romani; Dignitates autem Episcopales evasissent splendida ac invidenda Officia, quæ *adepti, ditati fuerint oblationibus matronarum, processerintque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia Regales superent mensas*, ut de magnarum Urbium Episcopis quales vixerunt inclinato Sæc. IV. loquitur Ammianus[h]: *ambitio* emersérunt & *luxus*; & quæ luxum semper comitatur, *pigritia*, ac *fuga laboris*; quæ maxime vitia hic taxantur à Propheta, quorum consequens fuit, ut plebs Sacra à Pastoribus suis neglecta, cum tempore inciderit in *ignorantiam*, & ex ignorantia in *superstitionem*. Absit tamen ut in hoc tempore jam constituam scenam hujus prædictionis: ostendo solummodo primordia & fontes corruptionis, quæ deinceps magis magisque invaluit, usque quo ad summum pervenerit. Hactenus enim inter plures malos, ambitiosos, luxuriosos, factiosos & versatilis ingenii homines, in Oriente imprimis, (Occidentalis enim Ecclesia longius statum suum tenuit, quam Orientalis:) plures fuerunt boni ac laudabiles; licet nulli jam tum à crassa superstitione liberi. Si tamen legas Orationes Gregorii Nazianzeni[i], Salviani[k] Libros de *Providentia Divina* & *Judiciorum ejus justitia*; nec non de *Avaritia Episcoporum & Clericorum*; & Historiam sive Epistolam Gildæ de *Excidio* ac *Conquestu Britonum*: mireris merito, tam altas jam tum egisse radices zizania à Satana in terras Ecclesiæ jacta. Priorum vero cum aliqua alibi jam excerpserim: sufficerit ad institutum ex Gilda, Britanno, Monacho Bannochorensi, *Sapiente* dicto, qui Sæc. VI. floruit, paucula ex multis excerpere[A]; quæ vere ab ipso Gilda scripta, neutiquam vero illi supposita fuisse, (ut aliqui suspicantur,) ex his quæ Beda in Historia de Gilda testatur, & post Bedam Gulielmus Neubrigensis[l], satis liquet; ut qui de eo dubitant ex Doctis, aliam non videantur habuisse rationem, ac τὸ παράδοξον ejus testimonii & continuæ querelæ. Sed & ipse Beda licet illorum Monachorum, qui Anglis convertendis operati sunt, zelum & studia, primosque illos Saxonum Episcopos, & Gregorii Papæ memoriam, multum commendet: aliis tamen historiæ partibus satis prodit, cæterorum Ecclesiastici Ordinis hominum non fuisse eandem conditionem. Sed absit, quod repeto; me in hoc tempore jam & statu deprehendere imaginem ejus quod hic à Propheta pingitur. Corruptio summa instar gangrænæ sensim serpsit. In Occidente ante Carolina tempora, prædominante superstitione, omnis pene literarum lux extincta erat: sed per ipsum suscitata studia lumen sparserunt inter Francos & Germanos per Sæc. IX. Verum ante finem ejus Sæculi collapso Imperio Carolino, & in partes divulso: Italia tota plures experta Dominos, inter se digladiantes; simul perpessa irruptiones Ungarorum & Saracenorum; dum Sedem Papalem passim obtinebant indignissimi & aliqui etiam perditi ac plane flagitiosi homines, quorum exemplum reliqui per Italiam & Insubriam Episcopi & Clerici passim imitabantur; fœdissimam ostentavit faciem; unde tantæ tenebræ Sæc. X. in omni historia decantatæ. Germaniæ etiam, Ungarorum irruptionibus patentis; & Franciæ Normannorum, sub Regibus imbecillis fluctuantis & in partes sciissæ, non paulo melior fuit aspectus. Equidem Ottones eosque sequuti Imperatores, usque ad Henricum IV. Statui Regni Germanici stabiliendo, & Ecclesiæ quoque ac Curiæ Romanæ reformandæ dederunt operam, non absque omni successu; perinde ac Capetianæ Domus novi Reges in Francia: nec tamen torrentem invalescentis & dominantis corruptionis potuerunt sistere. Ordo enim Ecclesiasticus ubique gravissime laboravit; sive Clericos spectes; sive Monachos, inter Clerum & Plebem medios. Episcopi enim & Præsules tanquam Principes Politici, negligentes Gregis, luxuriose passim vivebant; Officia simoniacis atque adulatoriis artibus apud Aulas Regum & Imperatorum emendicabant, ad ea administranda plane inepti; Imperatores & Reges cum militibus suis ad bella sequebantur, eorumque magnam faciebant partem; & pessimum moribus præbebant exemplum. Sed sub Henrico IV hæc confusio, cum turbato Germaniæ Statu & inimicitiis belisque Papalibus, quæ ab ipso & Gregorio VII cœpta, in longum tracta sunt, majora fecit incrementa, donec succumbentibus Romanæ auctoritati Imperatoribus, & Roma Papis in Bonifacio IX tota tanquam Domino suo subjecta, (Sæc. XIV.) & Romana auc-

Prædictiones Christi Jesu & Apostolorum de statu Ecclesiæ corrumpendæ, vitio *Præfectorum ejus*.

Hæresis Nicolaitarum.

Historia Status Præfecturæ Ecclesiasticæ primis & sequioribus Sæculis.

Luxus & avaritia surrepserunt Præfectis Ecclesiæ.

Initia horum vitiorum respectu Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis.

Veterum testimonia

qui de Statu Ecclesiæ mature admodum corrupto plane conquesti sunt: præsertim Gildæ, Britanni.

De illo auctore judicium.

Temperamenta superioris sententiæ.

Corruptio Præfecturæ Ecclesiasticæ in Occidente, post tempora Carolina.

Tristis aspectus horum temporum.

Episcoporum vita & mores.

Incrementa corruptelæ in Germania.

---

a Matth. VII. 15. *b* Cap. XIII. 25. *c* Cap. XXIV. 48. 49. *d* Matth. XXV. 3. *e* Matth. XXV. 25. *f* Act. XX. 29. 30. 1 Tim. IV. 1. 2 Tim. III. 1. seqq. 2 Pet. II. 1. III. 3. *g* Apoc. II. 6. 14. *h* Hist. Lib. XXVII. Cap. III. *i* Sæc. IV. *k* Sæc. V. *l* In *Proœm.* Hist.

A Sic ipse de Episcopis Britonibus, antequam *Angli* ad fidem Domini conversi fuerint, quod exeunte hoc eodem Sæc. VI. cura Gregorii Papæ fieri cœpit, in *Histor. Britan.* Edit. Heidelb. p. 132. SACERDOTES *habet Britannia, sed* INSIPIENTES: *quam plurimos ministros, sed* IMPUDENTES: *clericos, sed raptores subdolos:* PASTORES, *ut dicuntur; sed occisioni animarum lupos paratos:* (*quippe non commoda plebi providentes, sed proprii plenitudinem* VENTRIS *quærentes:*) *Ecclesiæ domus habentes, sed* TURPIS LUCRI *gratia eas adeuntes: Populos docentes, sed prebendo pessima exempla, vitia, malosque mores: raro sacrificantes, & nunquam puro corde inter altaria stantes:* PLEBEM OB PECCATA NON CORRIPIENTES, *nimirum eadem agentes: præcepta Christi spernentes, &* SUAS LIBIDINES *votis omnibus implere curantes:* SEDEM PETRI APOSTOLI *immundis pedibus usurpantes; sed merito cupiditatis in Jude traditoris pestilentem cathedram decidentes....* NEFARIA POPULI SCELERA TACENTES, *& suas injurias quasi Christo irrogatas amplificantes: Ecclesiasticos gradus propensius quam regna Cœlorum ambientes; & tyrannico ritu acceptos defendentes, nec tamen legitimis moribus illustrantes: ad præcepta sanctorum (si aliquando duntaxat audierint, quæ ab illis sepissime audienda erant,)* OSCITANTES *ac* STUPIDOS, ... *in Apostolicis sanctionibus ob insciti am vel peccatorum pondus (ora etiam scientium obturantes,) hebetes ac* MUTOS, *& in flexibus mundialium negotiorum mendacibus doctissimos.* Plura non describo, & describendo jam aliqua transii. est enim adhuc longus similium contextus. Postmodum subjungit: *Quid tu, infelix Populo, à talibus, ut dixit Apostolus,* BESTIIS VENTRIS *præstolaris?* Inde, *Sed forsitan aliquis dicat, non ita* OMNES *Episcopi vel Presbyteri, ut superius comprehensi .... mali sunt; quod nec vehementer & nos diffitemur. Sed,* ait, *quid profuit Heli Sacerdoti, quod* SOLUS *non violaverit præcepta Domini?* Et quæ sequuntur ac demonstrant, esse qui laudari mereantur, pauciſſimos.

ctoritate ubique prævalente; (ne de Expeditionibus cruciatis interea institutis, quæ incredibilem in modum vitia & superstitionem Populorum Europæorum auxerunt, nunc quicquam dicam:) & Papis Romanis fastui, luxui, libidini, majorem partem supra omnem modum indulgentibus, corruptela totum occupaverit Clericorum Corpus; frustra adversus eam clamantibus paucis qui supererant bonis & melioribus temporibus dignis Viris. Quod autem mireris: Literarum studia interea Sæc. XIII. suscitata, sed pessime administrata, abortierunt, ad auctoritatem Curiæ Romanæ stabiliendam & superstitionem Gentium fovendam, directa; & majores Synodi habitæ ad doctrinam & disciplinam morum reformandam, nihil profecerunt; imo vero offecerunt plurimum. Longus hic est historiæ textus & materiæ fere infinitæ; & tamen pauca subtexam huic argumento *A*, ex quibus de cæteris ferri potest judicium. De Statu autem Orientalis Ecclesiæ nihil æquius sentio. Literarum quidem studia in Oriente culta sunt quo tempore in Occidente jacebant: sed Scientiarum fere Exoticarum; Historiæ, Matheseos, Philosophiæ, Poëseos, ac Literaturæ, & his agnatarum. Sapientia Scripturæ S. neglecta est. Superstitio ac in superstitione pervicacia, Monastici Ordinis hominum, & ambitio ac levitas ingeniorum, in Episcopis, ne de multorum luxu dicam, omnem excessit modum. Exemplo sit schisma, quod ob levissimas & nullius momenti Quæstiones, (si à Dogmate Processionis Sp. S. discedas,) cum Occidentalibus fecerunt, etsi communia inter eos essent vitia. Accesit instabilitas Regiminis, & plerorumque Rectorum ignavia, socordia, luxus, & impietas quoque.

Literarum studia sæc. XIII. resuscitata pondus addiderunt superstitioni & auctoritati Papali.

Status Ecclesiæ Orientalis hoc Intervallo.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Sexta.

Post præfationem, qua beati dicti erant homines pii in corrupta Ecclesia superstites, qui gravissimis scandalis suorum temporum & calamitatibus ea consecuturis eripiuntur; asperrima instituitur Convictio adversus *Ecclesiam adulteram*, quæ se detestabili idololatria & cæde innocentium polluebat, & in hoc instituto obstinate persistebat; eidemque denunciantur Divina judicia hanc apostasiam vindicatura. Mox oratio vertitur ad *certos homines*, qui Statum Ecclesiæ plane collapsæ erigerent, emendarent, atque in melius instaurarent: simul ad pœnitentes & erroris sui convictos, qui à pravo Religionis instituto, in quo hactenus versati fuerant, desistentes, se summa animi contriti humilitate Divinæ commendarent gratiæ: quibus proinde Deus gratiam suam, & cum gratia pacem, benigne condicit, quam obstinatis *improbis* negat.

CAPUT LVII.

Textus Cap. LVII.

1. JUstus intercidit, & nemo homo ad animum revocat; & homines pii excedunt è vivis; nemine prudenter considerante, justum mali caussa de vivis rapi.

2. Venit

A Chronica omnia, & Historiæ temporum, fidem faciunt hypothesibus quas hic jeci, cæteroquin nemini historiæ non plane imperitorum, ignotis. Lege *Epistolas* Petri Damiani, Cardinalis; Matthæi Parisii, Angli, *Historiam majorem*, maximi vere pretii; Werneri Rollwinckii *Fasciculum temporum*; Chronicon *Citizense*, à Joh. Langio editum; Joh. Aventinum in *Annalibus Bojorum*; præter vulgatos alios; compendii vero caussa Jacob. Usserium de *Successione Eccles. Occident.* Cap. II. & III. & Mezeræum, per hæc Sæcula; ubi de *Ecclesiasticis* agit. Græcæ autem Historiæ specimen licet capias ex *Annalibus* Nicetæ Choniatæ, ex quibus lectis intelliges, illum merito τὸν καθ' ἡμᾶς γενεὰν ÆTATEM SUAM (Sæc. XII.) vocasse πονηρὰν καὶ μοιχαλίδα MALAM & ADULTERAM, Lib. VII. §. VII. De cætero habe hæc pauca. Edgarus Rex in Oratione ad Episcopos Anglicanos, (Sæc. X.) ab Alredo Abbate literis consignata, apud Usser. de *Success.* Cap. II. §. 34. *Dicam, dicam, quod boni lugent, mali vident; dicam dolens, si tamen dici potest, quomodo diffluant in commessationibus* (comissationibus) *& ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, ut jam Domus Clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ; ibi saltus & cantus: ibi usque ad medium noctis protractæ cum clamore & horrore vigiliæ,* & quæ sequuntur plura hujus generis. Quantum mutati ab his moribus quos Sæc. VIII. tantopere prædicavit Beda! Wilhelmus Tyrius, (Sæc. XII.) *Hist. Bel. Sac.* Lib. I. Cap. VIII. *In Occidente, & in omni pene Orbe terrarum, maxime inter eos qui fideles dicebantur, fides defecerat, & Domini timor erat de medio sublatus; perierat de rebus justitia; & æquitate subacta, violentia dominabatur in Populis.... Confusis Ordinibus cuncta ferebantur, & in chaos pristinum mundus videbatur redire velle... Nec parsimoniæ aut sobrietati locus erat, ubi luxus & ebrietas & pernox alea, præoccupaverant aditus, atque atria possidebant. Nec* CLERUS *à Populo vita nobiliore differebat: sed sicut in Propheta* (Jes. XXIV. 2. vel Hos. IV. 9.) *legitur, Sicut Populus,* ITA ET SACERDOS. *Nam Episcopi* NEGLIGENTES *facti erant:* CANES MUTI, NON VALENTES LATRARE, &c. *Quid plura? Omne in præcipiti vitium stetit; & omnis caro corruperat viam suam. & seqq.* Lambertus Schafnaburgensis, Monachus Cœnobii Hirsfeldensis, doctissimus sui Sæculi (XI.) Historicus, loquens de Meginhero Abbate, p. m. 165. Edit. Pistorii: *Vir magnarum in Christo virtutum, &* VERE, (*quod omnium modernorum Abbatum pace dixerim:*) UNICUM *sua ætate in Teutonicis regionibus* RECTE AC MONASTICE VIVENDI EXEMPLAR. Inde post multa alia tam de Curia Romana quam de Episcoporum inimicitiis & gestis, de Monachis, qui censeri debebant pars esse Ecclesiæ purissima, p. 186. & 187. *Et revera non immerito Dominus super nostrates monachos despectionem effundere videbatur. Nam quorundam Pseudo-monachorum privata ignominia Nomen Monachorum vehementer infamaverat, qui omisso studio rerum Divinarum totam operam pecuniis & quæstibus insumebant. Hi pro Abbatiis & Episcopatibus aures Principum importune obtundebant, & ad honores Ecclesiasticos non via virtutum (ut majores nostri consueverant;) sed per ambitionis præruptum & male partarum pecuniarum profusionem grassabantur. Denique in coëmptionem exigui honoris aureos montes quotidie promittebant; nec venditor tantum audebat exposcere, quantum emptor paratus erat exsolvere.... Ita Dominici agri zizania, hæc vineæ Dei arida sarmenta & stipula æternis ignibus præparata,* TOTUM SACRI GREGIS CORPUS QUASI TABE QUADAM INFECERANT, *& secundum Apostolum modicum fermentum totam corruperat massam, ita ut omnes similes æstimarentur, nec esse in nobis putaretur, qui faceret bonum, non esse usque ad unum.* Bernhard. Claræ-vallensis, (Sæc. XII.) *in Converse. S. Pauli*, Serm. I. *Non est jam dicere, ut Populus sic Sacerdos; quia* NEC SIC POPULUS, UT SACERDOS. Gulielmus Neubrigensis, *Rerum Anglic.* Lib. V. Cap. VIII. NOSTRI AUTEM TEMPORIS EPISCOPIS MUNDUS NON EST CRUCIPIXUS, *sed* INFIXUS, *nescientibus cum Propheta dicere, Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est; quibus etiam productius, in illa excellentia, tempus breve videtur, tantusque hoc cum suas vel divitias, vel delitias deserere coguntur, torquet dolor, quantum illis, dum affluerent, hæsit amor.* Specimen exhibet in Hugone, Dunelmensi Episcopo. Scripsit fine Sæc. XII. sub Richardo Rege, Historicus insignis. Aventinus, *Annal. Bojorum*, Lib. VII. *Etenim eadem tempestate Episcopi, atque in universum Sacerdotes,* (loquitur de tempore Friderici II. Sæc. XIII.) *amantiores artium atque boni publici ac nondum servituti obnoxii erant; non ita* (UT NUNC, sc. initiis Sæc. XVI.) FUGIENTES LABORUM, SOCORDIÆ, INERTIÆ, OTIO AC VOLUPTATIBUS; DEVOTI ERANT, &c. Nimis liberaliter ille de Episcopis Germaniæ sub Frederico II. Jam tum ubique grassabantur vitia eadem per Ordinem Clericorum. Paulus Langius in *Chron. Citizensi*, ad A. MCCCCIV. p. m. 848. Pist. *Copiosissima namque materia scribendi, vel potius plangendi de his temporibus infamibus & effœminatis se offert, quibus totam Italiam, maxime tamen Romam, magnitudo scelerum, & vitiorum vorago, pene absorbuerat, & Simoniaca pestis lethaliter omnino infecerat.* p. 883. laudans Joannem III. Naumburgensis Ecclesiæ Antistitem, ex familia Schombergensi, quem describserat ut veneri prima ætate deditissimum: *Nam successu temporis maturior factus, prudenter & honeste se gerebat; licet* HUJUS NOSTRÆ TEMPESTATIS (initiis Sæc. XVI.) PRÆSULUM MORE ÆVUM MOLLITER ET DELITIOSE TRADUCERET; *officium suum raro & segniter in spiritualibus explens, plus solatiis ludisque quam Libris Divinisque Scripturis intendens.* Sed quid ago Soli accendens candelam?

2. Venit in pacem: quieſcunt ſuper cubilia ſua; qui recta ante ſe incedit.

3. Vos vero huc adeſte, Liberi præſtigiatricis, Semen adulteri ac fornicariæ!

4. Super quo deliciamini? ſuper quo dilatatis os, protenditis linguam? Nonne vos eſtis Liberi apoſtaſiæ, ſemen falſum?

5. Qui incaleſcitis adverſus idola ſub omni arbore viridi: mactatis pueros in convallibus, ſub prominentiis petrarum.

6. In lævitatibus vallis erit portio tua: ipſæ, ipſæ ſors tua. Quin etiam iis fundis libamen; offers munus. Num ſuper his conſolationem acciperem?

7. Super montem excelſum atque elevatum poſuiſti cubile tuum: etiam illuc aſcendiſti ad immolandam victimam.

8. Ac poſt januam & poſtem poſuiſti memoriale tuum; quia à me recedendo revelaſti *ſtratum tuum* & aſcendiſti: dilataſti ſtratum tuum; & fœdere te obſtrinxiſti *aliquibus* ex illis: dilexiſti concubitum illorum, *ubi* monumentum vidiſti.

9. Et direxiſti iter ad Regem cum oleo; & multiplicaſti pigmenta tua; & miſiſti legatos tuos uſque in terram quæ longe abeſt; & demiſiſti te uſque ad infernum.

10. Longitudine viæ tuæ laboraſti: non dixiſti, Res deſperata eſt: vitam manus tuæ inveniſti: propterea non es infirmata.

11. Cujus vero rei cauſſa ſollicitudine affecta es; quemque timuiſti, quod mentiaris? Utique mei non es recordata; non vocaſti ad animum tuum. An non Ego ſileo, & quidem à longo? ut adeo me non timueris.

12. Ego indicabo juſtitiam tuam, & opera tua, quæ tibi non proderunt.

13. Cum vociferaris: eripiant te copiæ tuæ collectæ: at omnes illas tollet ventus; intercipiet aura leviſſima. Sed qui fiduciam in me reponit, poſſidebit terram, & hæreditatem obtinebit montem meum ſanctum.

14. Exit vox, Aggerate, aggerate, æquate viam; tollite offendiculum de via populi mei.

15. Quoniam ſic ait Excelſus & Elatus, habitans æternitatem, cujus Nomen eſt Sanctus: Habito celſum & ſanctum; & cum contrito ac humili ſpiritu; ad vivificandum ſpiritum humilium, & ad vivificandum animum contritorum.

16. Quippe non perpetuo litigabo; neque in æternum efferveſcam; quia ſpiritus à coram me obrueretur; & animæ *quas* Ego feci.

17. Efferbueram propter iniquitatem avaritiæ ejus, & percuſſi ipſum: occultavi *me* & efferbui: ſed ivit averſus via cordis ſui.

18. Vias ipſius vidi, & ſanabo ipſum; & ducam ipſum; & conferam conſolationes in eum, & in lugentes ejus.

19. Creo proventum labiorum: Pacem, pacem, longinquo & propinquo, dicit Jehova; & ſanabo ipſum.

20. Sed improbi ſunt ut mare incitatum, quod quieſcere nequit; cujus aquæ cœnum & lutum expellunt.

21. Non eſt pax, inquit Deus meus, improbis.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus Sectionis.

Argumentum hujus *Sectionis.*

DEſcriptis Paſtoribus, Doctoribus, & Præpoſitis Gregis Domini, à quibus vitia manarent ad plebem: tranſit prophetia ad deſcribendam ipſam *Eccleſiam adulteram*, qualem ſe conſpiciendam daret in ſummo gradu corruptelæ & defectionis à Deo, poſt illud tempus, quo labes Sacrum hoc Corpus pervaſerat. Comparet itaque initio Chorus, qui conſiderans ſcandala ac defectionem ſuorum temporum, & perpendens Judicia Fœdifragis imminentia; deplorat communem ſtuporem hominum ſuorum temporum, quod abſque magno doloris ſenſu *Juſtos* pioſque homines de medio vel tolli vel migrare & ſenſim imminui cernerent, & ex eo non colligerent, ſequutura eſſe triſtia ac calamitoſa tempora, Populo Dei ſic dicto obventura; dum interim piorum ſortem prædicat beatam, tanquam qui turbinibus tempeſtatum erepti æternum in Deo quieturi ſint [a]. Inde Deus ipſe Eccleſiam adulteram, quæ puros Veritatis Confeſſores ſubſannabat & perſequebatur, directe compellat eamque jubet ſe ſiſtere coram ſuo tribunali [b], eique gravi & aſpera oratione exprobat tum ipſam hanc piorum hominum infectationem [c]; tum fœdiſſima crimina turpis ac deteſtabilis idololatriæ ac ſuperſtitionis, cui ſe devoverat; & occidionem innocentium, quorum ſanguinem effuderat; quæ oratio in longum trahitur [d], & continuis convictionibus quaſi coram præſente inſtitutis inſtruitur, deſinitque, ut par eſt, in denunciatione Judicii Divini ei ob hæc ſcelera & turpiſſimam apoſtaſiam infligendi [e]. Mox auditur vox Chori Prophetici, qua Eccleſiæ promittitur Emendatio & Reformatio ſui Status [f]; & conſolatio dirigitur ad Pœnitentes & fractos corde, qui bona fide reſipiſcerent, & gratiam ac clementiam Divinam ſibi oblatam ſummiſſo ac humili animo acceptarent; quippe quibus Deus favorem ſuum cum Delictorum venia, ſtatuſque Eccleſiæ inſtaurationem, eamque ſequuturam pacem condicit [g]; ſed quam negat improbis in inſtituto ſuo perſtituris. [h]

II. Patet utique inde, Concionem hanc eſſe *Argumenti* tum *Elenctici*; tum *Paracletici*; reſpectu *Subjectorum* diverſi generis ad quæ dirigitur. Improbos, degeneres, & manifeſtarios Legis Divinæ tranſgreſſores ac Apoſtatas à Fœdere, Deus ipſe, erecto quaſi tribunali, præſentes convincit atrocium Delictorum: humiles vero, fractos corde, contritos, tranſgreſſionum convictos ac ſerio reſipiſcentes erigit, & blanda proſequitur conſolatione, tanquam nollet Eccleſiam ſuam in Mundo interire; ſed potius collapſam inſtaurari, & purgatam à vitiis in meliorem formam componere.

III. *Scopus* ejus communis ac *generalis* eſt; omnes quot ſunt homines convincere de fœditate & damnabilitate criminis, quod in idololatria, ſuperſtitione, & falſo Religionis zelo, committitur: (licet ſæpe accidat, ut ſuperſtitioſi cultores Religionis falſæ longe ardentius inſtitutum perſequantur quàm qui veram tenent ac profitentur:) e contrario vero animum addere Reſipiſcentibus, & explicare divitias Divinæ gratiæ in iis recipiendis donandiſque venia, ſi Deo in fide pœnitentia & humilitate contriti animi occurrant. Hæc ratio, hoc ſtatutum Conſilii Divinæ Providentiæ eſt æternum, quod locum habet per omnes Oeconomias temporum; ſed hic loci ad conſolationem omnium Dei reve-

Scopus hujus prophetiæ.

---

a ℣. 1, 2. b ℣. 3. c ℣. 4. d ℣. 5–11. e ℣. 12, 13. f ℣. 14. g ℣. 15–19. h ℣. 20, 21.

reverentium & *viæ ejus* noscendæ cupidorum hominum graphice consignatum, & clarissimis literis expressum. *Specialis* est, Ecclesiam prænonere de fœda apostasia in ea cum tempore nascitura; qua fieret, ut spectabilior ejus pars ex vera Christi Jesu uxore verteretur in *adulteram*; verum Semen Tsionis in *filios degeneres*; & in *semen pollutum* ex scortatione susceptum: tum quoque de *Eventibus* & *Consequentibus* illius Apostasiæ. Utile erat Ecclesiæ hoc mysterium novisse. Etiamsi enim exempla ejus habuisset in Populo antiquæ Oeconomiæ: non videbatur tamen verisimile, Ecclesiam Novæ Oeconomiæ in clara luce positam & uberiore gratiæ mensura donatam, vel certe spectabiliorem ejus partem, in eam turpitudinem prolapsuram esse. Sic sane videbatur; estque miraculo simile, id factum esse quod nemo futurum præsumpserat.

De occasione ejus editæ admonitio.

IV. *Occasio* ejus editæ nulla hic à nobis demonstratur nisi ex nexu cum prophetia superiore, cujus partem facit: siquidem supponimus, Spiritum S. hic continua serie enarrare eventus Ecclesiæ.

Scena ejus.

V. *Scena* hujus *Sectionis* sic est instructa, ut duæ in ea Personæ loquentes compareant. *Prima* & *Extrema pars* competit in *Chorum Propheticum:* sed *Media*, ℣. 3--13. Deum ipsum loqui facit sub notabili figura *Judicis* quasi considentis in *Sede judicii*, & gravissimos peccatores sui Populi, ac defectores à Fœdere pro tribunali suo reos agentis gravissimorum criminum cum convictione atque exprobatione, & in eos pronunciantis sententiam.

Analysis.

VI. Secundum hanc scenam instituenda est *Analysis*.

PARS PRIMA: *Exclamatio Chori Prophetici* deplorantis securitatem & stuporem communem hominum ejus temporis quo Ecclesia corrupta à Deo judicanda esset,

α. *Argumentum* ejus securitatis, quod bonos viderent de medio tolli absque animadversione, ℣. 1.

β. Illius *mitigatio* respectu *Justorum* ipsorum. ℣. 2.

PARS ALTERA: *Convictio* Ecclesiæ *adulteræ* super gravissimis criminibus ab ipsa perpetratis, & fœda defectione à Deo.

α. *Convictio* exprobratoria ipsa cum recensione Delictorum, ut sunt

α. *Insectatio*, irrisio, & persecutio bonorum ac proborum hominum, ℣. 3. 4.

b. Fœdissimum idololatriæ ac superstitionis genus, conjunctum cum *occidione innocentium*, idque tam privatim quam publice exercitum, ℣. 5--8.

c. Veneratio & adoratio alicujus *Regis*, Deo veluti substituti, tanquam à cujus favore salus ac defensio Populi penderet, ℣. 9.

d. Obstinata & pervicax in hoc instituto perseverantia, ℣. 10. 11.

β. *Denunciatio* Judicii Divini hanc Defectionem vindicaturi, ℣. 12. 13.

PARS TERTIA, Consolatoria respectu resipiscentium, & Reliquiarum *Seminis Electi*, quod in Ecclesia supererat. In qua occurrunt

α. Vox *Chori* Prophetici nomine Dei prænunciantis Ecclesiæ Reformationem, & excitantis Doctores huic operi à Deo destinatos, ℣. 14.

β. *Consolatio* resipiscentium & contritorum animo, qui se ab errore & vitiis serio converterent ad Deum, ejusque gratiam supplicarent, ℣. 15--18.

γ. Declaratio modi ac medii quo Deus hoc magnum opus efficeret, ejusque optati successus, ℣. 19.

δ. Limitatio hujus gratiæ cum respectu ad Impios, qui in pessimis institutis pervicaciter persisterent, ℣. 20. 21.

VI. *Anacrisi*, quam ad *superius Caput* instituit, nihil hic quod addam habeo. Si ibi recte disputaverim: non fallet hujus *Sectionis* expositio.

Monitum de *Anacrisi*.

PERIODUS ablatorum *Bonorum* ac *Piorum* hominum, & *Martyrum*, veræ fidei caussa occisorum.

PARS PRIMA: Exclamatio querula de *Securitate* hominum qui corrupto Ecclesiæ Statu viverent.

α. *Argumentum* ejus quod absque animadversione Bonos è medio tolli viderent.

PARS PRIMA. Exclamatio querula de Securitate hominum qui corrupto Ecclesiæ statu viverent.

℣. 1. *Justus* INTERCIDIT, *& nemo homo ad animum revocat; & homines pii excedunt è vivis; nemine prudenter considerante, Justum* MALI CAUSSA *è vivis rapi.*] Verba hæc quoddam quasi proludium sustinent illius scenæ tristis, quæ mox aperietur. Cum enim propositum haberet Propheta describere tristem Statum *Ecclesiæ adulteræ*, severis Dei judiciis castigandæ: raptus in ecstasin videt, pios bonosque homines non multos, adhucdum in Ecclesia superstites, sensim intercidere, & sive immatura sive violenta morte, de medio tolli: & vero paucos esse qui ad id advortant animum, idque observent esse præsagium tristis judicii huic Ecclesiæ incumbentis: quem stuporem hominum ejus temporis per modum querulæ exclamationis deplorat. Et tamen mox subjungit temperamentum; ad fato functos non attinere illam querelam, quippe beatiorem sortem adeptos, & hoc ipso felices, quod scandalis & calamitatibus suorum temporum sint erepti: in quas duas sententias hunc *Prologum* discrevi. Placet verba Prophetæ prius expendere; quam in implementum Prophetiæ inquiram. Prioris sententiæ hypothesis his constat: הצדיק אבד *Justus perit*, sive *intercidit*; ואנשי חסד נאספים & VIRI PII *colliguntur*, sive *eripiuntur*. Hic primo quæri potest, an הצדיק *Justus* sive *Justus ille* referatur ad certam *personam*, quæ sic ἐμφατικῶς dicatur; num vero vox sumatur *collective* pro צדיקי *Justis*, absque singulari emphasi, ut Eccles. III. 17. את הצדיק ואת הרשע ישפוט אלהים JUSTUM *& impium judicabit Deus.* Ezech. XVIII. 20. *Justitia* (הצדיק) JUSTI *super ipsum erit.* Confer Ps. XXXVII. 12. *Cogitat impius malum* לצדיק *Justo.* Respondeo, non posse id definiri nisi ex implemento; ut si demonstrari possit certus aliquis *Justus*, cui in emphasi applicari possit hæc notio, admittere queat hanc interpretationem: cætera vero nullam hic esse necessitatem. Imo vero certius est, Prophetam hic de pluribus loqui quam de *uno*; etiamsi forte unum respiceret. Subjungit enim mox, ואנשי חסד *Et viri pii auferuntur*, vel, *colliguntur*; & de utrisque simul sumptis usurpat vocem הצדיק *Justus* in *fine commatis.* Utique Chaldæus ita accepit, vertitque per צדיקיא *Justos.* Sunt autem *Justi* qui hic appellantur δίκαιοι *justi* secundum Legem Evangelicam *per fidem* [a], & præcepta illius Legis diligenter observantes, ποιοῦντες δικαιοσύνην [b]; sancti, prudentes, mansueti, & ut mox appellantur אנשי חסד *Viri boni, pii, benefici*, pleni studio & affectu bono in Deum & proximos, ut Chaldæus. גמלי חסדא *Exercentes pietatem* & *beneficentiam*

Vox *Justus* an hic individue, an collective sit sumenda?

Posterius probabilius.

Quo sensu hic dicantur *Justi*.

Summa Prophetiæ, & scena ejus.

a Cap. LIII. 11. b 1 Joh. III. 7.

erga alios, (Int. *retribuentes misericordiam.* inficete.) qui passim, stylo Scripturæ, dicuntur חסידים *pii*, studiosi omnis virtutis & charitatis cultores. Est sane ea vis in phrasi, cæteroquin insolentiore, אנשי חסד *Viri pietatis & beneficentiæ*, ut significet homines longa assuetudine & usu pietatem, justitiam, beneficentiam, colentes; ut אנשי מלחמה *Viri belli*, hujus studii periti & bellicosi; אנשי מרמה *Viri doli*; dolosi, fraudulenti, & hanc artem astute tractantes; אנשי רע *Viri mali*; toti malitiæ dediti, & in ea exerciti. Alterum quæsitum gravius est, Utrum sub notionibus אבר *perit*, intercidit, & נאספו *colliguntur*, intelligenda sit mors *naturalis* num *præternaturalis*; & quidem *martyrii*? Hieronymus scribit, Judæos quæ hic dicuntur passim referre ad justos illos quorum *innocuum sanguinem effudisse* dicitur Manasse Rex [a]; vel etiam ad Jesaiam ipsum, ex vulgata traditione ab ipso interemptum: secundum quam hypothesin hic intelligenda esset mors *martyrii*. Sed apud Judæos obvios hanc sententiam non inveni. Chaldæus locum accepisse videtur de *morte naturali*, vertens, מיתין צדיקיא *Justi* MORIUNTUR. Hebræi Intt. cæteri huc advocant exemplum Josiæ, qui tamen *morte præternaturali* in flore ætatis è vivis raptus est; etsi interea monent, illud אבר *perire*, intercidere, hic non esse accipiendum de ipsorum *interitu*, sed de jactura quam in eorum *morte* faceret Ecclesia. Sed Abarbenel ex *Mechiltha* huc adfert, R. Akivam, cum Rabban Simeon, Gamalielis Filius, & Rabbi Ismaël, magnæ auctoritatis Doctores, interfecti essent in Excidio Templi & Reipublicæ per Titum [b]: monuisse Discipulos suos, manere adhuc Gentem afflictionem graviorem in eadem generatione, hoc dicto: נסתלקו אל מבינותינו לקיים מה שנ' הצדיק אבד ואין איש שם על לב *Illi è medio nostrum ablati sunt, ad confirmandum id quod dicitur*, (h. l.) *Justus perit, & nemo reponit in animo*, sc. *quod ante malum præripiantur*. Quod ad me attinet: primo nullum mihi est dubium, quin hic agatur de *morte præmatura & præternaturali*, qua quis de medio rapitur: sive id fiat bello, peste, aut quo alio casu, aut violenti morbi genere, quo quis immature rebus humanis eripitur; sive caussa veritatis Religionis ab ejus osoribus & persecutoribus interimatur. Utique enim notio אבר *perire*, *interire*, nunquam alio sensu, quod sciam, in Sacris usurpatur, & vere durum est, eam de naturali morte interpretari. Est præterea locus huic parallelus, in quo hic usus vocis manifestus est, Eccles. VII. 15. *Est* JUSTUS אובד בצדקו *qui* PERIT *per justitiam suam: & est impius qui prolongat dies per malitiam suam.* Id vero quod hic dicitur אבר *perire*, exponitur ℣. 17. per מות בלא עתו *mori non* TEMPORE SUO. mori intempestive. Vox נאסף eodem quoque potest referri: vel enim accipi potest *absolute*, vel *elliptice*. Si *absolute*; idem hic valet quod *auferuntur*. Οἱ δ. Ἄνδρες δίκαιοι ἁρπάζονται. ut vocem habuimus Cap. X. 14. & XVI. 10. Sic Ezech. XXXIV. 29. *Et non erunt amplius* אסופי רעב *mortui* sive *consumpti fame*. Communis significatus vocis אסף est συνάγειν, ἐκσυνάγειν, *colligere*, *congregare*, quæ autem *colliguntur* aut *congregantur*, solent *auferri*; & *frumentum* quidem collectum ablatumque inferri in horreum. Nec tamen ego putem, inde derivandam esse notationem vocis אסף in phrasi אסופי רעב; sed esse explicandam vocem ex נספה, *Niphal* נספה *consumi*, deficere; unde אסופי רעב *consumpti*, *defecti*, *fame*: ut vere inter notiones thematum יסף, ספה, אסף, magna affinitas intercedit; & indidem repeto hanc eandem vocabuli notationem ubi sumitur pro *auferri*. At eadem hæc vox אסף *elliptice* accipi potest pro *colligi*, *congregari*, *ad Patres*, sive ad *Populum suum*; pariter pro *morte* naturali. ut de Abrahamo [c]: *Et expiravit, & mortuus est Abraham canitie bona, senex & satur dierum*, ואסף אל עמיו *& congregatus est ad* POPULOS SUOS. quod dicitur in superiore historiæ loco [d]: *Et tu* תבוא אל אבותיך VENIES AD PATRES TUOS, *in pace*. Simpliciter de Aärone [e]: *Et Aharon* ויאסף שם COLLIGETUR, *& morietur ibi*. quod paulo ante dictum erat [f]: יאסף אהרן אל עמי *Congregabitur Aharon* AD POPULOS SUOS. Rursus alibi de generatione Josuæ [g]: אל אבותיו AD PATRES SUOS. Quid? Alia etiam hic occurrit variatio in historia Josiæ [h]: *Ecce congregabo te ad Patres tuos*, ונאספת אל קבריך בשלום *&* CONGREGABERIS AD SEPULCRUM TUUM (proprie, *sepulchra tua*,) *in pace*. quod posterius referendum ad morem Veterum cadavera vestibus exuentium, & membra fluxa fasciis arcte colligantium atque constringentium, & in sepulchro recondentium. Kimchius hoc loco *elliptice* accipit, & facile patior: sed prior significatus magis convenit voci אבר *perire*, intercidere. Verba enim hic idem valent; & nullum aliud hic sector mysterium. Ipsa etiam illa phrasis, *congregari ad Patres & Populos*, ægre trahitur ad *Statum beatitatis*. Status enim melior post hanc vitam in universum *fato functis Patribus & Populis* vindicari nequit. Est itaque simpliciter vel *accenseri mortuis*; vel *descendere* ad *animas Patrum & Populorum ἐις ἀδὴν commune receptaculum animarum à corporibus separatarum*. Restat itaque quæramus, an si hic mentio fiat de *Morte præternaturali*: respiciatur *mors* inflicta *caussa Religionis veræ*, sive *martyrii*? Respondeo, id ex verbis ipsis non posse definiri: sed esse tamen duo, quæ ei sententiæ videri queant probabilem conciliare speciem. Primo huc referri potest locus aliquis parallelus Michæ, Cap. VII. 2. Verba notatu dignissima ita habent: PERIIT חסיד PIUS *ex terra*, & RECTUS *inter homines non est. Omnes* לדמים יארבו SANGUINI *insidiantur: quisque fratrem suum venatur sagena.* Verba pertinent ad *Statum Discipulorum Christi Jesu* inter Judæos, secundum declarationem ipsius Domini apud Matthæum [i], qui differens de diffidiis & persecutionibus caussa Evangelii in Mundo exorituris *sequentia* aliqua ex ℣s. 5. in orationem suam transsumpsit. Dein suadere id posset alter locus analogus Apoc. XIV. 13. ubi hæc ipsa verba allegantur, vel ad ea alluditur: *Tum audivi vocem è cœlo mihi dicentem; Scribe*, BEATI MORTUI *qui in Domino*, (ἐν Κυρίῳ. Beza: DOMINI CAUSSA) *moriuntur ἀπάρτι ab hoc tempore. Etiam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos.* Disputavi de his verbis in loco [k], & monui simul de transpositione vocis ἀπάρτι, cum *sequenti*, non cum *antecedenti* sententiæ *membro* connectendæ; & in hanc sententiam pronus fui, favente contextu, agi hic de *morte martyrii*: licet id ipsum quoque ab omnibus Intt. non concedatur. Quare cum id certo definiri nequeat: quid vetat hæc verba Jesaiæ generatim accipere, ut fecit Cl. Coccejus; ut אבידת *interitus* sive *interceptio* intempestiva hic accipiatur de qualicunque *morte præmatura*, qua quis rebus humanis intercipitur non naturali modo; sive id fiat cura Divinæ Providentiæ stamen vitæ piorum præcidentis, tanquam ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος *quibus non dignus erat Mundus* [l]; sive calamitatibus publicis *pestis* & *belli*; sive etiam per *Persecutores* in innocuas Christi Jesu oves sævientes easque de medio tollentes, ut tanto liberius errores suos propagent, & vitiis indulgeant.

Reliqua quæ *stuporem* hominum ejus ætatis, quam Vates respicit, circa hunc eventum explicant, intellectu sunt facilia. Primum est, *Et nemo vir reponit in corde*. h. e. ad id advertit animum, & explorat rationes Consilii ac Providentiæ Divinæ in justis piisque hominibus, cæteroquin longiore vita dignis atque dignissimis, immatura morte quasi præripientis suo fato. Supponitur hic, *a.* Justorum ac piorum hominum vitam, ut utilissima est Reipublicæ atque Ecclesiæ, sic eidem valde optabilem, à Deo non rescindi nisi ob certas gravesque rationes: quæ cum ab ipsis peti nequeant, quippe qui citra caussas extraordinarias juxta promissum Divinum, longum vivere *dieque* suos *implere*

אנשי חסד *Viri pii* quales hic significentur? Usus vocis אנש coastructæ.

An *obitus* illorum hic fit referendus ad mortem *martyrii*?

Abarbenelis nota.

Verba præcipue intelligenda sunt de morte *præternaturali*, sive *præmatura*.

Vis vocis אבר *perire*.

Respectus vocis נאסף *colligi*.

Varius usus vocis.

Potest elliptice accipi pro *colligi ad Patres*.

Loca varia huc adducta.

Num hic subintelligatur *Mors martyrii*?

Sententiæ probabilitas.

Respectus loci Apoc. XIV. 13.

Verba rectius accipiuntur in aliqua latitudine.

Stupor hominum illius ætatis circa hunc eventum.

Documenta ex his verbis collecta.

[a] 2 Reg. XXI. 16. XXIV. 4. [b] Vide Ganz. *Chron.* a. A. DCCCXXVIII. [c] Gen. XXV. 8. [d] Gen. XV. 15. [e] Num. XX. 26. [f] ℣s. 24. [g] Jud. II. 10. [h] 2 Reg. XXII. 20. [i] Cap. X. 35. [k] Comm. in *Apoc.* ad h. l. [l] Heb. XI. 38.

Animadverſio operum Divinæ providentiæ.

plere [a] debebant: cogitandum hic eſt de rationibus cauſſiſque aliis, quæ hic intervenerint. β. Velle Deum, ut homo attendat ad opera & effecta Providentiæ Divinæ; & ſi quæ præter ordinem in viis & operibus Dei occurrant, ſerio advertat animum, & de illius cogitet rationibus; unde illud Prophetæ noſtri inter graviſſima crimina recenſitum [b]: *Et* MOLIMEN JEHOVÆ *non contuentur.* Eſt autem nobis hic rurſus obvia elegantior phraſis Prophetæ, *reponere in corde*, ſive *ſuper cor*, quam habuimus Cap. XLII. 25. XLVII. 7. Idem eſt quod Latinis, *referre ad animum.* Alterum quod ſubjungitur, prius explicat: *Nemine intelligente quod* MALI CAUSSA *è medio tollatur juſtus.* Hebræa: כי מפני הרעה נאסף הצריק. Dubium hic, quid fuerit in mente Prophetæ, ubi ſcripſit, מפני הרעה, proprie, *à facie mali*; quod à quibuſdam *ante malum*: ab aliis *cauſſa mali*, ſive *propter malum* exponitur. Vox *conſtructa* מפני rariſſime in Scriptura S. pro *ante* ſumitur, quomodo hic verterunt Trem. Piſc. Belgæ. Congrua magis hæc ſignificatio eſt voci לפני. Vox מפני ex uſu magis valet *propter*, *cauſſâ*; & potuiſſet etiam id ſubſiſtere in vulgata interpretatione hujus loci. Nempe Hebræi multique Intt. alii, id putant dicere Prophetam; Juſtos à Deo vitæ huic terreſtri eripi, ut ſua morte prævertant mala, peccatoribus, in quorum medio verſantur, ex Decreto Juſtitiæ Divinæ certo ac brevi obventura; eoque paſſim referunt exemplum Joſiæ, 2 Reg. XXII. 20. *Et colligeris ad Monumenta tua in pace, & non* VIDEBUNT *oculi tui* בכל הרעה OMNE MALUM, *quod in hunc locum adduco.* Sic Chaldæus: קדם בישתא דעתידא למיתי *ante malum quod venturum eſt.* quæ expoſitio ex Exoticis quà Poëtis, quà Oratoribus, (quos hic non produco, ubi felices prædicant, qui calamitates ſuorum temporum non viderunt, aut iis erepti ſunt,) facile illuſtratur. Et ſunt tamen inter eruditos, qui hic reſpiciunt *malum morale*; hoc eſt, uſura hujus vitæ à Deo immature privari, *ne corruptio generalis eos depravet*, ut Coccejus. Auctor Libri *Sapientiæ*, docens, felicitatem cujuſque non eſſe æſtimandam ex *longævitate*; ſed hos ſolos dicendos in hac vita felices & bene ac longum vixiſſe, qui virtuti operam dederint & Deo cari fuerint: ſubjicit cæteris bene dictis ab Auctore non ubique ſapiente, hanc ſententiam, qua putem ad hunc locum alluſiſſe, ex ejuſdem interpretationis hypotheſi [c]: Ἡρπάγη, μὴ κακία ἀλλάξῃ σύνεσιν αὐτῆς, ἢ δόλος ἀπατήσῃ ψυχὴν αὐτῆς· *Raptus eſt è medio, ne malitia commutaret intelligentiam ejus, aut dolus ſeduceret animam ejus.* quibus plura adduntur ejuſdem argumenti. Hieronymus quoque ubi preſſe nimis vertit, *à facie malitiæ*, ſequutus Græcum, ἀπὸ προσώπου ἀδικίας, huc maxime propendit; licet utrumque ſenſum aliqualiter conjunxerit. Locus vere utrumque ſenſum commodiſſime fert, ſiquidem vox רעה frequenter pro utraque mali ſpecie ſumitur; & difficile eſt hic quicquam definire niſi reſpectu habito ad *implementum* prophetiæ, de quo mox. Non negem tamen, poſteriorem hanc magna veri ſpecie ſe commendare, quia hactenus de nullis Dei judiciis factus fuit ſermo: ſed pericopa hæc media occurrit inter deſcriptum Statum *corrupti Regiminis Eccleſiaſtici* & *Eccleſiæ adulteræ.* Eſt autem pulchra ſententia; Deum juſtos pioſque viros mundo ipſis indigno eripere & ad ſe transferre, ut ne ex ſcandalis ſui temporis contrahant labem, & communi corruptioni omnia depaſcenti immiſceantur; vel in eadem conſentiant aut in ea conniveant, & ſimilibus ſe exponant Dei judiciis, quæ impiis decreta deſtinataque ſunt. Sane quidem Sapientes omni tempore obſervarunt, bonorum ac prudentium hominum ſubitarium interitum certum facere indicium impendentis Reipublicæ exitii; eſtque de eo Socratis ſententia inſignis in Dialogis Æſchinis. [d]

Quid hic ſit *tolli* מפני רעה *propter malum*?

Interpretatio Hebræorum, ut *eripiantur malis ſuorum temporum.*

Aliorum, *Ne per vitia ſæculi ſui corrumpantur.*

Locus *Lib. Sapientiæ.*

Hieronymi ſenſus.

Probabilitas hujus interpretationis.

β. Ejus mitigatio reſpectu *Juſtorum* ipſorum.

Mitigatio ejus judicii, reſpectu *Juſtorum ipſorum*, ỳſ. 2. *Venit in pacem*, &c.

ỳſ. 2. *Venit in* PACEM: *quieſcunt ſuper cubilia ſua; qui* RECTA ANTE SE INCEDIT.] Sic cenſeo vertenda verba, facilem datura ſenſum. Primum membrum, יבא שלום preſſe ſonat, *Venit*, vel *veniet pax*: quomodo ea accepit Cl. Interpres; ſubjungens ad eorum expoſitionem; *Deus judicaturus improbos vocat* PACEM, *per quam magis adhuc corrumpantur.* quod quò pertineat, fateor me non percipere. Nec magis illud Hieronymi, eandem producentis verſionem, & dictum accipientis de *pace Evangelica omnem exſuperante mentem*; quæ cum ſequentibus ut conjungat, vere laborat. Viderunt Intt. alii, in re vere clariſſima, vocem שלום *pax* hic *elliptice* exhiberi pro לשלום ut ſenſus facillimus ſit, *Venit in pacem*, ſc. *Juſtus ille* de quo ſupra facta erat mentio, vel הולך נכוחו *qui recta ante ſe incedit*, ut in *fine*. eſt enim plane idem, utri hoc *enunciatum* copules: & conſentiunt cum Chaldæo Hebræi. Eſt autem hæc ellipſis vocis בוא cum aliis conſtructæ ſatis frequens. Sic Vates noſter Cap. XXXV. 10. *Et redempti Jehovæ revertentur*, ובאו ציון ברנה *& venient* TSIONEM *cum jubilo.* בוא ציון hic eſt pro באו לציון. Pſ. CV. 18. de Joſepho: בברזל באה *venit ferrum.* pro לברזל באה *venit in ferrum.* compedibus ferreis conſtrictus eſt. Ezech. XVII. 12. *Ecce* בא *venit Rex Babylonis* ירושלם (pro לירושלם) *Hieroſolymam.* בוא שלום proprie valet, *intrare pacem.* Senſus itaque eſt, cum ſuperioribus cohærens; *Juſtum* ſive, *recta ante ſe incedentem*, ipſum propterea quod immatura morte intercidat, non poſſe cenſeri infelicem, ſiquidem ille ereptus ſcandalis & corruptioni ſuorum temporum, aut calamitatibus imminentibus præreptus, per *ſpiritum* corpori ſuperſtitem ingreditur ævum beatæ ſerenitatis in communione Dei, quo liber à turbinibus & tempeſtatibus ſæculi, & adverſus omnem ſeductionis metum cautus, fructu pietatis ſuæ gaudeat. Certe illud, *venire in pacem*, hic vel referendum eſt ad communem ſtatum fato functorum, quo ſolvuntur curis, ſolicitudinibus, laboribus, & malis hujus vitæ; vel ad ſtatum beatiorem communionis Dei, quo exempti rebus humanis transferuntur ad ſtatum æquabilem, in quo vacui omni perturbatione & moleſtia cum lætitia præcipiunt fructum gloriosæ ac beatæ quietis in Dei communione. Prius hic obtinere nequit, quia ejuſmodi pax malis æque ac bonis communis eſt. ergo eundum eſt ad poſterius, quod ſuſtinuit exſpectationem piorum omnium temporum, qui de *Statu animarum piorum hominum* à corporibus ſolutarum, cogitantes, & ſupereſſe eas opinati ſunt, & ſupereſſe in ſtatu beatæ tranquillitatis. Inde perſonatus Samuel communi judicio ſui temporis conſentanea locutus [e]: למרה הרגזתני להעלותי אותי *Quare me* PERTURBASTI, *quod me feceris aſcendere.* Certius illud eſt quod Vir ſanctus, Pſ. LXXIII. 24. *Conſilio tuo duces me, &* POST GLORIAM *aſſumes me.* אחר כבוד *poſt gloriam* valet *ad aſſequendum ſtatum glorioſum & beatum*, confer Pſ. XLVIII. 15. qui Status Judæis tempore Chriſti Jeſu & hodiedum, dicebatur גן ערן *Paradiſus f*, & *Sinus Abrahæ g*. Sic idem *Sapientiæ* auctor [h]: Δίκαιος δὲ ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, ἐν ἀναπαύσει ἔσται· *Juſtus autem, ſi ei mori contigerit, erit* IN QUIETE. ſed contra, quod poſtmodum addit [i]; *Improbi* vero *ad extremum vaſtabuntur*, καὶ ἔσονται ἐν ὀδύνῃ *&* ERUNT IN DOLORE, *& memoria illorum peribit.* Eadem emphaſis eſt in phraſi, *dimitti* (mori) ἐν εἰρήνῃ IN PACE [k]. Eſt *mori cum bona & læta conſcientia, & moriendo ingredi* ſtatum pacis & tranquillitatis beatæ. Unde Judæi de mortuis illuſtrioribus vel viris ſanctis loquentes, addunt: עליו השלום SUPER IPSUM (ſive עליהם *ſuper ipſos*,) PAX; cujus exempla apud Eruditum Virum reperies [l]. Intelligi volunt מנוחה *quietem beatam* ac *ſerenam* in Divina communione. Idem fere ſonat quod

Ellipſis in voce שלום pax.

Exempla ejus ellipſios in phraſi conſtructa cum voce בוא *venire.*

Senſus dicti juxta hanc interpretationem.

Qui planius exponitur.

Hypotheſis Vett. de ſtatu fato functorum piorum varie illuſtratur.

a Cap. LXV. 20 Pſ. LV. 24. b Cap. V. 12. c Lib. *Sapient.* Cap. IV. 11. d Dial. 1. *An virtus doceri queat?* p. 23. Ed. Cler. e 1 Sam. XXVIII. 15. f Luc. XXIII. 43. g Luc. XVI. 22. h Cap. IV. 7. i ỳſ. 19. k Luc. II. 29. l Buxtorf. *Abbreviat. Rabb.*

Quiescere super cubilia sua quid significet?

quod subjungitur: *Quieſcunt* על משכבותם *ſuper cubilia ſua*, vel, *in cubilibus ſuis*. Idne tantum dicere vult Scriptor Divinus; *corpora illorum* repoſita in conditoriis ſuis ſive monumentis ibi *quietura* eſſe, & exſpectatura tanquam in *Lectis* ſuis reſurrectionem ad *vitam beatam*? Sic paſſim accipitur dictum ab Interpretibus.

Non reſpicit phraſis proprie *corpora* in ſepulchris deponenda.

Quid ſi vero id præcipue à Vate intentum non ſit? Eſtne enim hæc ſors omnium ſanctorum, ut in ſepulchris ſuis tanquam *cubilibus* quieſcant? Utinam vero! Multis ſepulchrum corruptis temporibus negatur. Multo plurium oſſa diſperguntur. Aliorum cadavera feris exponuntur; aliorum mare & undæ abſorbent: aliorum multorum corpora cremantur, & cineres ſpargunturin ventos. O Deus! quam multa exempla horum generum exhibet hiſtoria! Tum vero ſi ea ſors omnium eſſet; quid diſtant hac parte improbis, & maximè magnatibus & divitibus mundi, quorum Monumenta & Reconditoria, licet ne ipſa quidem à vi hoſtili libera, multa ſunt durabiliora? Dixeris, Sanctos ita *cubare*, ubicunque ſint, mortuos, ut exſpectent *reſurrectionem beatam*. Reſpondeo, α. Id non latere in vi phraſios communi ſenſu expoſitæ. ut v. gr. quando Jobus, ſi infanti ſibi quod vellet, vita erepta eſſet [a]: *Quia nunc* CUBAREM, ait, (שכבתי) *& quieſcerem: obdormiviſſem, tum* REQUIES *mihi*. Ut enim fuerit illi excluſo utero matris exſpectatio gratiæ: eo tamen hic non alludit. Et Jeſaias ipſe de Regibus à communione Dei alienis [b]: *Omnes Reges Gentium, omnes illi,* שכבו בכבוד JACENT *glorioſe quiſque in monumento ſuo*. β. Sic ſaltem partem expoſitionis præcipuam intercidere. Ergo ajo, phraſin eſſe figuratam quæ *ſimiliud ne* à corporibus fato functorum ſumpta, transferenda eſt ad *animas* ſive *ſpiritus*, qui ſoli juxta Socraticam quoque & Platonicam Doctrinam, ſuſtinent fato functorum perſonas; ut adeo veriſſimus ſenſus ſit; *ſanctos* corpore ſolutos, quemque ſecundum *ſortem*, ſibi aſſignatam, & meritum gratiæ ſtatui ejus conveniens, (quæ cujuſque ſors circumſcripti hic cujuſque *cubile* appellatur,) in Divina communione *requieſcere* & beatam exſpectare reſurrectionem; etiamſi etiam corpora diſſoluta, attrita, nulla facta, & oſſa diſperſa fuerint. ſecundum illud Dei ad Danielem [c]: *Et tu vade ad finem,* ותנוח *&* QUIESCES, *& reſurges* IN SORTE TUA *in fine dierum*. Id eſt in Apocalypſi [d]: *Ut requieſcant à laboribus ſuis, & opera eorum ſequuntur eos*. quò pertinet tranſlatio Lazari in *ſinum Abrahæ*, ut ſc. ibi *blande requieſceret* [e]. Confer etiam ex aliquorum mente Pſ. CXI. 6. Inde Judæi, ſpem bonam de ſuis alentes, paſſim inſcribunt cippis mortuorum: תהי מנוחתו גנן עדן *ſit* REQUIES *ejus in Paradiſo*. Quantum Gentiles de hac doctrina perceperint, mihi curæ non eſt dicere, videbis apud alios [f]. Senecæ per Libros *Conſolationum* ad *Marciam*, *Helviam*, *Polybium*, nec non de *Tranquillitate animi* & *Vita Beata*, & Ciceronis quoque in *Somnio Scipionis*, ſplendida ſunt multa & fulgentia dicta, ubi de *quiete*, *libertate*, *ſecuritate*, & *beatitate mortuorum* diſſerunt: ſed illius, fucata & Stoicæ diſciplinæ conſentanea; hujus, dubia & Academica. En tamen unum ubi ſe ſuperaſſe videtur ad Polybium [g]: *Fruitur nunc aperto & libero cœlo; ex humili ac depreſſo in eum emicuit locum, quiſquis ille eſt, qui ſolutas vinculis animas beato recipit ſinu; & nunc libere vagatur, omniaque rerum naturæ bona cum ſumma voluptate perſpicit*. Sed hæc meri & ſplendidi ſecundum illam diſciplinam λόγοι. Eccui vero hoc bonum obtingeret? Jam dixerat Propheta *Juſtos* & *Viros pios*. Sed, ne quis hic erraret, repetit, additque venuſtiſſima phraſi, הולך נכחו *qui recta ante ſe incedit*. Sic optime Coccejus; reliquis Intt. fere eodem tendentibus. Kimchius conſtruit prædicatum cum שלום *pace*, ut ſenſus ſit, *Pax ante eum incedit*, & præterea ſupponit, illud נִבְחוֹ hic ſcriptum eſſe pro נִגְחוֹ, præter neceſſitatem. Sed vox שלום immediate non præcedit; & ſententia minus liquida eſt. Aben-Ezra *affixum* in voce נכחו refert ad Deum, in hanc ſententiam: *Qui ante Deum incedit*. Sed vox *Deus* non præceſſit; & admitti tamen poſſet expoſitio, ſi neceſſitas flagitaret, quæ hic nulla eſt. Jarchius, בישרו *in rectitudine ſua*: quod ad rem propius accedit. Valet phraſis, *Qui recta ante ſe incedit*, ut continuo ſequatur *regulam*, ab ea non declinando *dextrorſum* aut *ſiniſtrorſum*, & recta linea ac via attendat feraturque ad ſcopum, ſive metam, ſibi in Domino propoſitam; ad exemplum Apoſtoli [b]. Idem plane eſt quod aurea ſententia conſignavit Rex ſapiens [i]: עיניך לנכח יביטו *Oculi tui* RECTA (לנכח antrorſum, *ex adverſo*, *è regione tui*,) *videant*. qui oculi ſunt *columbini* [k]. *Qua re*, ait Poëta ſacer [l], *puram præſtet rudis ſemitam ſuam? Si obſervet præcepta tua*. Alio loco [m]: *Qui ambulat* בישרו IN INTEGRITATE SUA; *reveretur Jehovam*. Res ipſa expoſitione nulla uberiore indiget; quare plura non addo.

Reſpondetur ad objectum.

Phraſis *figurate* accipienda.

Referenda eſt ad ſtatum animarum.

Communis ſenſus Hebræorum de *quiete* animarum, corporibus ſolutarum.

Cum quo confundenda non ſunt Stoicorum dicta de *Quiete animæ*.

Reſtringitur privilegium ad *juſtos*, & quidem eos *qui ante ſe recta incedunt*.

Illuſtratur ex analogis.

Accedo ad *implementum* prophetiæ; quod ſi in genere ſpectes, demonſtratu non eſt difficile, cum vere plura occurrant intervalla, quibus implementum aliquod ejus quod hic dicitur, demonſtrari queat in hiſtoria. Judæi poſteriores, licet in ſuperioribus aſſumpſerint hypotheſin, Prophetam hic regredi ad tempora ſua; cum tamen iis difficile eſſet, implementum Vaticinii in illo tempore demonſtrare: non obſcure hic recurrunt ad tempora poſteriora, & quidem Joſiæ Regis de medio ſublati & magno malo Reipublicæ Judææ interempti in prœlio cum Rege Pharaone Necunte inito, huc allegantes locum ex 2 Reg. XXII. 20. ubi Hulda Prophetiſſa ipſum prædixit *in pace colligendum eſſe ad Patres ſuos, & non viſurum mala quæ Deus in Locum illum*, (ſc. Hieroſolymam,) *adduceret*. quin Abaebenel [A] in has partes plane tranſit; & ſequitur Grotius. Id hactenus recte, quod prophetiæ implementum non quærant in ætate Jeſaiæ; atque adeo ægre ferre nequeant, ſi quis alius id alio tempore demonſtret. De cætero cenſeo, hanc expoſitionem prophetiæ haberi poſſe inter probabiles, ſi reliquarum ejus partium cohærentia nos non jubeat circumſpicere tempus aliud. Interim non ſatis clare patet, quinam illi ſint אנשי חסד *Viri pii* plures, qui præter Joſiam occubuerunt; quos quidem putem ejus tempore fuiſſe aliquos inter Levitas [n]; licet non valde multos. Corruptio enim generalis illo tempore omnes ordines uſque eo pervaſerat, ut Jeremias à Deo juſſus [o] pertranſire vicos Hieroſolymæ, & accurate recognoſcere, num quis in ea eſſet juſtitiæ & pietatis ſtudioſus homo; neminem ex hypotheſi invenerit. Et tamen liquet ex prophetia ipſa, editam eam eſſe ſub Regno Joſiæ, antequam Chaldæi adhuc quicquam adverſus Urbem tentaſſent: & vero prædictum ipſum Huldæ ad Joſiam ſolum reſtringitur. Sed ipſe novi, prophetica illa cum diſcrimine ſani judicii accipienda eſſe; & vel ſic multum præfero hanc interpretationem ei Veterum de noſtris, Euſebii, Hieronymi, Cyrilli, Procopii, & his antiquiorum Tertulliani & Cypriani, qui hic ſub nomine *Juſti* viderunt Chriſtum Jeſum; & in *Viris piis* Apoſtolos. quam ſententiam, licet à Sanctio in cæteris commendatam, tanquam nulla ſpecie probabilem, non refello. Si quis hic reſpiciat ætatem Oeconomiæ Veteris: plane autumo, ſub nomine *Juſti* hic deſignari SIMEONEM Pontificem, Oniæ Filium, Jaddi Nepotem, optimum Virum, nomine ΔΙΚΑΙΟΥ, JUSTI, apud Joſephum & in Traditionibus Hebræorum celebrem, διά τε πρὸς τὸν Θεὸν ἐυσεβὴς καὶ τὸ πρὸς τὰς ὁμοφύλας ἔυνους· *propter pietatem adverſus Deum, & adverſus cives*

Implementum prophetiæ inveſtigatur.

Judæorum poſteriorum de eo ſententia.

De ea judicium.

Locus Jer. v. 1.

Veteres noſtrarum partium Intt. ſub nomine *Juſti* hic reſpexerunt *Chriſtum Jeſum*.

Si antiqui temporis hic haberetur reſpectus: cogitari poſſet de *Simeone* Juſto.

---

a Cap. III. 13. *b* Jeſ. XIV. 18. *c* Dan. XII. 13. *d* Cap. XIV. 13. *e* Luc. XVI. 22. *f* Inter alios Grot. de *Verit. Relig. Chriſt.* & Windetum de *Vita Functorum Statu*. *g* Cap. XXVIII. *h* Phil. III. 14. *i* Prov. IV. 24. *k* Cant. IV. 1. *l* Pſ. CXIX. 9. *m* Prov. XIV. 2. *n* 2 Par. XXXIV. 12. *o* Jer. V. 1.

A Verba Abarbenelis: ויפשר שנבא ישעיהו בזה ג'כ על מיתת יאשיהו ואנשי חסר שברחו שנאספו מן העולם כדי שלא יראו בחרבן ירושלם כמ"ש לו חולדה הנביאה וכו' *Et fieri poteſt, Jeſaiam hic quoque prophetaſſe de morte Joſiæ, & piorum hominum ejus ætatis, qui erepti ſunt ſeculo, ne viderent deſtructionem Hieroſolymæ, ut ipſi prædixit Hulda Prophetiſſa, & ſeqq.*

cives aequitatem ac benevolentiam, ut Josephus *a*. Illum vero insignem Virum brevi admodum tempore præfuisse suæ Genti satis liquet, quod *filium* reliquerit *parvulum* (νήπιον υἱὸν) *Oniam*, ut Josephus ibidem testatur; adeo ut frater ejus Eleazarus ei successerit in Pontificatu, qui floruit Ægypti Rege Philadelpho; licet annos ejus Josephus non definiat: sed definit Eusebius, annos illi dans XII, ut est in Latinis Hieronymi. Equidem verum est, notante Seldeno *b*, in Chronico Græco Eusebii ei dari annos IX: sed *Canon Chronicus* hic respondet Latinis: ut nihil dubitem, quin in *Chronico* in numeros, ibi simpliciter expressos, irrepserit error; qui in *Latinis* & *Canone*, ubi anni singuli recensentur, minus locum habere potuit. Sed id exiguum quid est, & parum ad nos. Patet, illum florente ætate obiisse, & subductum esse sua morte calamitatibus postea subsecutis, quas Judæa Gens in Canaanæa sustinuit, dum Syriæ & Ægypti Reges bella inter se longi textus gerebant: ætate quoque subsequente multum degenerante & indies corruptiore facta, ut ex Historia Josephi colliges. Utique oportet hunc Pontificem multum excelluisse virtute, quod brevi adeo spatio temporis tam laudabile nomen sibi comparaverit, & transmiserit ad posteritatem. Et tamen id refero potius, ut nihil hic neglexisse videar quod ad rem facit, quam ut in eo acquiescam. Majus quid nobis obversatur, in quo secundum hypothesin jactam spectari potest implementum prophetiæ. Hic vero nemo exspectet, ut in Ecclesia Christiana tam late per Orientem adhuc & Occidentem diffusa illis Sæculis, quibus invaluit corruptio, demonstrem unum, alterum, paucos, de vita ereptos; sive subductos calamitatibus; sive sua morte Ecclesiæ ob laxata superstitioni & vitiis fræna magnam relicturos luctus & querelæ materiam; etsi exempla ejus generis non sit productu difficile *A*. Duo itaque tantum observabo in historia testatissima de illo tempore quod in oculis habeo, & ad superiorem pericopam descripsi. Primo, omnium consensu circa finem Sæc. IX. & per sequentia Sæcula, Bonos pioque Viros, referente historia, defeciſſe; non aliter ac si communis quidam stupor homines occupasset. Testimoniorum, præterea quæ supra produxi, sive ab aliis, sive à me ipso observatorum, longa est series; sed ut chartæ parcam, & aliqua ad sequentem pericopam reservem, paucula tantum hic exsignabo. Wernerus Rolwinckius, ad finem Sæc. IX. *O tempus pessimum, in quo* DEFECIT SANCTUS, *& diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Tum quoque: *Charitas refriguit valde circa hæc tempora in omni statu, & iniquitas plus solito cœpit abundare, & seqq.* Vides, Virum piæ simplicitatis alludere ad Ps. XII. 2. qui verissime ad hæc tempora applicatur: *Serva Jehova! quia deficit pius; quia imminuti sunt veraces de filiis hominum.* Est adeo ejus temporis, quo Pastores mali *frena laxarent*, (ut idem auctor,) *ambitioni, avaritiæ, cæterisque vitiis*, & Gregem suum negligerent; nec exempla virtutum, nec virtutem honoraturi. Videlicet quod Sabellicus *c*, postquam similibus lineis luctuosum hujus temporis Statum descripsisset; STUPOR, ait, *&* AMENTIA QUÆDAM, *oblivioque morum, invaserat hominum animos.* Glaber Radulphus (Sæc. XI.) *Anno millesimo imminente privatus est pene Orbis universus pers-*

Qui brevis fuit vitæ: de quo quæritur.

Animadversio in ejus mortem.

Implementum certius quæritur in tempore invalescentis Ecclesiæ Christianæ corruptelæ.

Notabile in historia Sæc. X. & seqq. *pios* bonosque homines *defeciſſe.*

Rolwinckii verba.

Sabellici.

Glabri Radulphi, Jo-

annis Sarisburiensis.

sonisque religiosisque nobilibus d. Quin Joannes Sarisburiensis ipse (Sæc. XII.) fœdam faciem Ecclesiæ sui temporis pingens, Deum *pios Viros* Romæ *eripere* ait, QUIA CORRUPTA APUD DEUM HIS REPERITUR INDIGNA *e*. Equidem verum est, Deum sibi semper in Ecclesia servasse semen; & maxime Sæc. XII. in aliquibus Cœnobiis floruisse quosdam Abbates, non liberos superstitione ejusdem ætatis; veruntamen graviter indolentes vitiis suorum temporum, ut fuerunt Petrus Cluniacensis, Rupertus Tuitiensis, Bernardus Clarevallensis, Hildebertus Cænomanensis, dein Turonensis Episcopus; Honorius, Presbyter Augustodunensis; Joannes Sarisburiensis, Episcopus Carnotensis; Petrus Cellensis, Joachimus Calaber, Abbas, Florensis; & his similes, qui in temporibus suis jam viderunt initia Antichristi: sed illis quoque extinctis, & Monachis passim ubique corruptis, magnæ ortæ sunt tenebræ, per suscitata studia Sæc. XIII. non dispulsæ. β. Historia docet, hoc ipso Sæc. XII. Papas Romanos acrem instituere cœpisse persecutionem in Waldenses, qui se ab inquinatissima superstitione & vitiis Ecclesiæ separantes, sectati sunt puritatem doctrinæ ac disciplinæ Apostolicæ, idque factum esse cum plausu stupidæ plebis & Præsulum Romanæ sedi obnoxiorum; quando tyrannis, summæ corruptioni Cultus & morum juncta, Antichristianismum in Ecclesia subnatum complevit. Hi justi, sancti, & vera pietate homines multi misere quod ad hominem perierunt; sed scripti in Libro Vitæ adepti sunt cum morte vitam meliorem. Huc vere pertinet προσωπογραφία *Impii* in Ode Davidica X, ubi inter alia ℣. 8. 9. *Sedet in insidiabulo villarum: in latebris interficit innocentem: oculi ejus in* PAUPEREM *se occultant:* (dicti vulgo sunt *Pauperes de Lugduno:*) *insidiatur in abdito, sicut Leo in specu suo; insidiatur ad rapiendum inopem: rapit inopem, quando attrahit rete suum; & seqq.* Historiam eorum hic non scribo; nec iis circumscribitur hæc prophetia, quæ per sequentia quoque Sæcula se diffundit. Vide tamen quæ de iis quantum satis est tradidi ad *Sigillum Apocal.* V, Apoc. VI. 9. quæ prophetia de *martyribus*, quorum fusus erat sanguis innocuus, hoc Intervallum respicit. Proludium hujus Scenæ tragicæ institutum fuerat in Persecutione Berengarii, præstantissimi sui Sæculi Viri, *quem modo miratur, semper mirabitur Orbis:* ut initium habet culti oppido & docti Carminis, quod ejus memoriæ dicavit Discipulorum unus, Hildebertus Cenomanensis Episcopus, dignissimum lectu apud Gulielmum Malmsburiensem. *f*

Pii Viri Sæc. XII.

Eorum defectus Sæc. seqq.

Locus Ps. X. 8. 9.

Persecutio Berengarii.

PERIODUS ECCLESIÆ ADULTERÆ.

PARS ALTERA hujus *Sectionis* complexa Convictionem Ecclesiæ plane corruptæ super fœdis *Criminibus* quorum postulatur, cum denunciatione judicii, ipsi infligendi. Ubi

a. Convictio ipsa, in qua occurrunt *Crimina.*

Primum Crimen: *Insectatio*, irrisio, ac persecutio bonorum ac proborum hominum.

℣. 3. *Vos vero huc adeste, filii* PRÆSTIGIATRICIS; *semen*

Pars altera

a Antiq. Lib. XII. Cap. II. *b Succeſſ.* in *Pontif. Heb.* Lib. I. Cap. VII. *c Ennead.* IX. Lib. I. Vide Uſſ. de *Succeſſ.* Cap. II. §. 33. *d Hiſt.* initio Lib. III. *e Polycrat.* Lib. VI. Cap. 24. *f* Continuationis Bedæ, ſive de *Geſtis Anglorum*, Lib. III. Cap. XXVII.

A Theophilus Imp. Michaëlis Balbi Filius, omni genere virtutis eximius, florente ætate rebus humanis exemptus, ſpatia laxavit ſuperſtitioni in colendis imaginibus, quæ cum aliis vitiis luxuriantibus in Orientale Imp. provocavit triſtia Dei judicia. (Sæc. IX.) Joannes pariter, Alexii Comneni F. vulgo Kalo-Joannes dictus, ipſe quoque Vir egregius, præternaturali morte extinctus, (Sæc. XII.) magnum ſequentibus temporibus luctuoſis reliquit ſui deſiderium. Neubrigenſis de Rege Scotorum Malcolmo, Cap. XIX. *Raptus eſt plane morte immatura, ne mirandam ejus innocentiam atque mundiciem cum regnantem Juvenem tot in contrarium occaſiones & incentiva impellerent, mutaret* MALITIA TEMPORUM. Quam triſte & detrimentoſum Eccleſiæ factum Eduardi VI, ſummæ virtutis & exſpectationis Angliæ Regis? Joanna Albretana, Regina eximiæ virtutis, inſperato obiit Pariſiis ante horrendam lanienam, ubi tantæ conſtantiæ prudentiæque fœmina non potuiſſet non ſummum ſubire diſcrimen. Res nota ex Thuano, & vulgo Hiſtoricorum. Papæ in melioribus, quos longum habuerat Roma, conaturi ſaltem aliquid conferre ad corruptum Romanæ Eccleſiæ Statum emendandum, (Sæc. XVI.) Adrianus VI & Marcellus II, brevi vixerunt. Auguſtinus ad ſua vota antè occupatam à Vandalis Hipponem, (Sæc. V.) ereptus eſt multis malis. Lutherus (Sæc. XVI.) ante infelicem eventum Belli à Principibus Smalcaldici fœderis geſti notabili Dei Providentia vivere deſiit. De Thoma Eboracenſi Archiepiſc. Neubrigenſis ad initium Sæc. XII. Lib. I. Cap. III. *Prolixiores vero annos non vidit; raptus, ut credo, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

hujus Sectionis, exhibens Ecclesiam adulteram.

semen ADULTERI *ac* FORNICARIÆ. ℣. 4. *Super quo deliciamini? super quo dilatatis os, protenditis linguam? Nonne vos estis filii apostasiæ; semen falsum?*] Mox exhibetur Ecclesia tota corrupta, extinctis ablatisque aut dispersis bonis; ut qui de puro Ecclesiæ semine supererant, laterent, sive in Cœnobiis; sive in Convallibus, aut solitariis locis: Corpus autem Ecclesiæ speciem præbuerit *Cadaveris* vita cassi; semen non *verum*, sed *adulterum*. Hæc vero ipsa Ecclesia hic solenniter vocatur ad judicium Dei sedentis in suo tribunali, de hisce suis criminibus longo temporis tractu perpetratis convincenda prius; mox damnanda. Hoc enim σχῆμα esse hujus Visi, passim alii quoque observarunt. *Convictio* autem acris, judicium Dei præcedens, varia ei improperat crimina, & flagitia, quæ hanc Ecclesiam indignam faciebant nomine Populi Dei: quorum primum est *insectatio, irrisio, subsannatio*, Cultorum veræ Religionis. *Vos vero*, ait Deus qui hic loquens introducitur, *appropinquate huc*, h. e. *sistite vos huc coram meo tribunali*, ut Cap. XLI. 1. יחדיו למשפט נקרבה *simul ad judicium* ACCEDAMUS. Confer Mal. III. 5. בני עוננה FILII AUGURATRICIS; nati educatique in Ecclesia falsa, qui loco casti & puri Verbi Dei sectamini Doctrinam falsorum Doctorum ac Prophetarum, Vobis per signa qualiacunque suadentium superstitionem ac idololatriam, & hac via promittentium pacem. Vocem עונן proprie referri ad *Augures* qui *de cœlo servant*, vel oscinum cantum & stellaturas cœlorum *observant*; & κατὰ γένος *Extispices*, *Haruspices*, qui ex signis qualibuscunque sive futura prædicunt, sive voluntatem Dei homines docere præsumunt, jam observavi ad Cap. II. 6. ubi hanc vocem jam offendimus. Sed cum Scriptores S. sæpe mystice loquantur: in universum מעוננים stylo Sacro dicuntur falsi Prophetæ ac Doctores. Sic Jeremias [a]: *Vos vero ne auscultetis Prophetis vestris, & Divinatoribus vestris, & somniis vestris, & Auguribus vestris, & Incantatoribus vestris, qui vobis dicunt, Non servietis Regi Babylonis.* Intelliguntur falsi Doctores & Prophetæ, adversus quos Jeremias ubique declamat; eosque prophetantes in nomine Jehovæ. Michas [b]: *Et exscindam incantamenta è manu tua*, ומעוננים לא יהיו לך *&* AUGURES *non erunt tibi amplius.* Significatur in genere abolitio falsorum Doctorum. Confer dicta ad Cap. VIII. 19. Omnes Doctores, qui in Divinis rebus tradendis discedunt à Verbo Dei, & delusi ab imaginatione signis aut ratiociniis falsis fictisque deludunt alios, hoc nomine appellantur. Οἱ ὁ. perinde ac Chaldæus pro עֲוָנָה videntur legisse עַוְלָה, *iniquitas*, unde sensus: Υἱοὶ ἄνομοι, sive ἀνομίας *iniquitatis*. quam lectionem cur *meliorem* judicet Grotius, nulla ratio est. Est insolentior locutio & παραγωγὴ literæ ה. Gravius est quod additur, *Semen adulteri ac fornicariæ.* Sic Hebræa, זרע בנאף ותזנה docte vertit Hieronymus. Consentiunt Hebræi. Pagninus Var. *Semen adulteri & quorum mater fornicata est.* Piscator tamen exhibet: *Semen adulterans; tu, inquam, quæ scortata es.* quod fere expresserunt Belgæ. Coccejus: *Semen mœchantis qui scortaris.* Sed cum hæc obscura sint; & minus commoda: plane adhæreo versioni Hieronymi, quæ ipsa quoque versio est Intt. Judæorum, hic clare consentientium: etsi vere non perspexerunt vim sententiæ, qui sibi persuaserunt, (inter quos Kimchius:) per *mœchum* & *fornicariam* hic intelligi parentes utrosque à quibus Judæi geniti erant: sed sane perspexit Grotius, cujus annotatio hic doctissima est in hanc sententiam: *Id est, qui moribus non magis ad Israëlem* (dicamus nos, *Ecclesiam*,) *pertinetis quam natura ad dictum Patrem pertinent, quos mater adultera ex adultero genuit.* Eadem mens A. Ezræ. Sensus est ait, *esse filios filiasque malas.* Id unum intendit Propheta. vult dicere, Ecclesiam illam de qua scribit plane esse adulteram vitiatamque, acsi non à probis Majoribus Doctoribusque sata, sed ex perfecto adulterio genita propagataque esset, h. e. propago esset Ecclesiæ superstitiosæ ac idololatricæ. Sic Dominus eodem sensu de Judæis sui temporis; γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς *generatio prava & adultera* [c]. Potest autem hic respici corruptio *Doctrinæ, Cultus, Regiminis, Morum*; & quidem in *Semine* perfecte *adultero*, hæc omnia simul ἐν συμπλοκῇ.

Occurrit a. Convictio criminum.

Primum crimen: Insectatio & irrisio bonorum, ℣. 3. 4.

Argumentum pericopæ.

Apostatæ vocantur ad *tribunal Dei.*

Notatio vocis עונן *Præstigiator.*

Vox stylo Scripturæ refertur ad quoscunque falsos Doctores.

Diversa lectio Chaldæi.

Semen adulteri & fornicariæ.

Respectus vocis ותזנה.

Hieronymi versio laudata.

Ut & interpretatio Grotiana.

Sensus Prophetæ, qui illustratur.

Asperæ appellationi congruens est quæ succedit convictio, ℣. 2. SUPER QUO *deliciamini? super quo dilatatis os, &c.* Assumenda hic est aliqua hypothesis, ad interpretationem horum verborum plane necessaria. Supponitur autem hic, *Ecclesiam* hanc *adulteram* habuisse aliquem cœtum adversarium & sibi invisum, aut alicujus cœtus sibi invisi Doctores; qui scilicet cœtus eorum est, qui hanc adulteram suæ defectionis ac scelerum redarguebant. Hos vero purioris doctrinæ & cultus confessores tanquam imbecilliores & minores numero, & tanquam viliores ac indigniores, quippe nullis fulgentes amplitudinis ac dignitatum titulis, ab ipsa fuisse despectos ac contemptos; in Synodis & Conventibus publicis damnatos & irrisos; invidiose traductos; & gravem passos infectationem: ut certis casibus videri possent esse subacti & nulli facti, gaudente Ecclesia adultera. Ergo, hoc supposito, Deus Ecclesiam adulteram acriter redarguit. *Super quo*, ait, *deliciamini?* Sic recte vertitur hoc loco vox תתענג; cujus non dubia significatio est. Οἱ ὁ. rectissime, Ἐν τίνι ἐντρυφήσατε; Hieron. *Super quem lusistis? Quibus* tanquam hæreticis aut indignis vestra communione hominibus, à vobis subactis, damnatis, & odio publico expositis, gaudetis, exultatis, gloriamini? *Quos* vobis fecistis ludum delectationemque Vestram, in Conventibus, circulis, foris, colloquiis? *Quibus* tanquam prostratis aut dispersis invicem vobis gratulamini? *Super quo dilatastis os?* Hoc est, *Quos explosistis*, ore aperto, risu, cachinnis, plausu, insectatione? Equidem cum *dilatatio oris* in variis aliis casibus locum habere queat; ut in exclamatione, clamore, accusatione: præcipue tamen locum obtinet in *explosione* & *irrisione*; cui significationi hic favent circumstantiæ. Sic manifeste sumitur eadem notio, Ps. XXXV. 21. *Et* DILATANT SUPER ME OS SUUM; (ירחיבו עלי פיהם) *dicunt:* HUI, HUI! (EUGE, EUGE,) *vidit oculus noster*, suntque loca analoga, in quibus usus est similis vocis מצה [d]. Latini vocant *oris* RICTUM, voce propria: unde, *diducere Rictum*, bonis auctoribus. Subsequitur, quod ejusdem est generis: *Longe protenditis linguam:* quod est subsannantis, irridentis, exsibilantis, cum extremo contemptu. Exerere *Linguam*, (Persio,) *quantum canis Appula sitiens.* Analogum est Ps. XXII. 8. *Omnes videntes me, subsannant me*; יפטירו בשפה DIDUCUNT LABIUM; *movent caput.* Phrasis שלח אצבע *extendere digitum*; in *sequente Sectione* occurret, Cap. LVIII. 9. Patet, eos qui hic vocantur *filii adulterini*, alios quosdam fratres suos, in ejusdem Ecclesiæ communione versantes, probrosissime insectaturos; iisque omni modo insulturos esse; risu, cachinno, explosuros; & sui contemptus facturos esse extremum objectum. Id vero primum est, quod Deus hic acerbe castigat ac redarguit. *Quos* vero, ait, ita tractatis? quos excluditis vestra communione? damnatis, subsannatis, explodis, tanquam *adulterinum* Ecclesiæ *semen*: cum potius ipsi Vos *sitis Geniti apostasiæ? semen adulterinum?* Vos *ipsi*, ait Deus, (in eam enim vocem hic cadit emphasis sententiæ:) qui cæteros fideles servos meos & *veros* Ecclesiæ *filios* tanquam *adulterinos* notatis, Vos, inquam, sic notari meremini, tanquam qui à cura & casta Ecclesia, qualis erat in prima sua institutione, plane *defecistis*; & ex vero semine prima Ecclesiæ ætate sato degeneraftis in *adulterinum*. Emblema sive figura orationis illustrari potest ex Vatis nostri *Concione prima*, & *tertia*, (Cap. V. 1. seqq.) nec non ex Jer. II. 21.

Convictio ipsa.

Hypothesis assumpta ad ejus intelligentiam.

Confessores veritatis quomodo passim habiti ab Adversariis?

Vox תתענג.

Dilatatio oris hic referenda ad irrisionem.

Hypothesis hujus loci.

Fratres persecutionem instituerent in fratres.

Convictionis retorsio in hypocritas, alios damnantes.

Si pericopam hanc per se spectes, à cæteris membris

De *Impie-*

a Cap. XXVII. 9. b Mich. V. 11. c Matth. XII. 39. XVI. 4. d Ps. XXII. 14. Thren. II. 16.

bris *Sectionis* divulsam: non nego, applicari posse ad omnia fere tempora Ecclesiæ, vitiis summe corruptæ, *idololatrica*, *superstitiosa*, (ad quam proprie applicatur vox *defectio*,) quibus numero plures mali bonos pauciores, sed meliores; ac bonorum ministros, irrident, infectantur, persequuntur; veluti temporibus Achazi, Manassis, circa tempus Antiochi Epiphanis, & manifesti facti Regni Dei in Mundo. Confer hic Jer. xx. 7. 2 Chron. xxxvi. 16. Est enim complementum omnis corrupti Ecclesiæ Status, *persequutio bonorum*, & *confessorum veritatis*. Sed cum nulla corruptio aut *apostasia* Ecclesiæ magis habenda sit paradoxa; nulla grandior & sensilior, quam Ecclesiæ Christianæ, præsertim in *Occidente*; cumque nexus prophetiæ nos ad hæc tempora duxerit: missis aliis Ecclesiæ Statibus temporibusque, huic soli inhæremus. Postquam Pastores Ecclesiæ, & Pastorum per totum Occidentem summi habiti, Papæ Romani, quorum officium fuerat Gregi Christi per tot Regna & Populos diffuso invigilare; se passim omnes dederint inertiæ, luxui, avaritiæ, ambitioni, & aliqui illorum ad omnem libidinem nequitiæ, cujus Natura hominum vitiata capax est; boni autem qui in Ecclesia supererant sensim defecerint; aut ab osoribus veritatis ac virtutis insidiis, arte, dolo, & publicis infectationibus de medio tolli cœperint; ut pii latitarint in Cœnobiis his illis; solitudinibus, speluncis: Ecclesia tota versa est in formam Ecclesiæ *defectricis*, *apostaticæ*, *degeneris*, *adulteræ*, *seminis falsi*, natalibus suis primis dissimillimi; quæ facies Ecclesiæ fuit per Sæcula quinque vel *sex*, quæ præcesserunt Ecclesiæ Reformationem; Sæc. XVI institutam. Nullum enim momentum hic certum figi potest, cum gangræna hæc longum tempus per Ecclesiæ corpus serpserit; antequam illud pervaserit totum. Quippe cum Ecclesiæ Christi Jesu quæ vera ejus *Sponsa* dici mereatur, formam faciant *Doctrina*, *Cultus*, eique proxima *Sacramenta*, *Regimen*, & *Disciplina Morum*; ad Doctrinam, & Disciplinam Apostolicam composita: nihil non horum fœdissime depravatum alteratumque est, in Ecclesia Latina *A*; quod hic prolixe ostendere vanum sit, cum ex vulgatis institutionibus & disputationibus peti queat. Imprimis idololatria & superstitio, de qua mox dicendum, ad eum excrevit gradum, ut superstitionem Paganam non æquasse, sed & superasse videatur. Huic vero subservierunt, non sane purum & castum Dei Verbum; sed *signa*, *visiones*, *miracula*, jactata & falso credita, quorum omnis historia horum temporum plena est ad nauseam *B*. Accessit hoc

Ecclesia facta est sensim *adultera*, *defectrix*.

Corruptio Ecclesiæ per partes generatim describitur.

A Non sane adeo mirandum, homines qui se separarunt à communione Ecclesiæ Romanæ; hoc testimonium edidisse de Ecclesia Romanensi; sed merito quis miretur, ipsos illos qui in Ecclesiæ Romanæ communione durabant, adhucdum captos ejus superstitionibus, fœdam hanc faciem ejus internovisse. Cum autem hic amplissima seges sit testimoniorum; multa autem huc facientia jam produxerim in *Commentatione* Apocalyptica: paucis hic statutum est defungi; non repetitis, quatenus fidem præstiterit memoria, alibi scriptis. Gulielmus Malmesburiensis, (hunc enim Scriptorem Sæc. XII. Bedæ continuatorem esse, aliunde observavi esse & πάνυ Usserii sententiam:) temporum suorum ideam exhibet Carmine Jambico, quod in ejus historia legitur Lib. III. Cap. XXVIII. quod cum nimis sit prolixum, quam ut hic inseratur, etsi integrum lectu dignum; aliqua excerpam.

Frequenter cogitans de factis hominum
In ISTO SÆCULO MALE VIVENTIUM,
Affirmare queo quia despiunt;
Præcepta Domini quando despiciunt.
Est magna rabies, quæ cor dilacerat,
Magna dementia quæ sensum superat.
Cum fere TOTA GENS *facta* TYRANNICA,
A LEGE *retrahat sese* CATHOLICA.
A GRADU *quidem* PONTIFICUM
Usque ad Clericos minorum Ordinum!
A PRIMO ETIAM USQUE AD ULTIMUM
DECLINAT, & PERIT HOC OMNE SÆCULUM.
Nam & ipsi PRÆSULES, *virtute tepidi,*
Cum docere debent sunt Discipuli;
Cum Pastores essent, sunt mercenarii.
Si peccat Populus, ipsi consentiunt,
De nullo crimine quempiam arguunt.
Ipsi homicidas, ipsi adulteros,
Ipsi patiuntur & fornicarios.

O *vos* EPISCOPI, *vosque* PRESBYTERI
Pastores Populi, quid meditamini?
Est omnis Populus sine custodia:
Monitore caret omnis Ecclesia.
Propheta præcipit hoc unicuique,
Ut clamet os vestrum, nec cesset dicere;
Ut bene faciant vobis suppositi,
Et semper habeant timorem Domini.
Quod quia facere Patres negligitis,
Vobiscum filios ad mortem ducitis.
Hoc enim scriptum est; quod casus Populi
In ista vita sunt mali Presbyteri.

De FALSIS MONACHIS *quantum intelligo,*
Secundum opera quæ de his audio.

Habent sub labiis VENENUM ASPIDUM:
Seque dilaniant more serpentium.
Ut CANES *conferunt inimicitias,*
Atque latrabiles agunt insidias.

Qui prius fuerant famuli Domini,
Et modo DÆMONUM FACTI SUNT SOCII.

ABBATES *super his* COR HABENT IMPIUM,
Qui sinunt filios abire perditum.

Itaque Dæmones culpas multiplicant,
Qui sic de filiis ad Patres convolant,
Ut Patres culpent de negligentia,
Et PRAVI FILII DE APOSTASIA.

Olim non est visa tanta perversitas;
Nec jam audita est tanta crudelitas,
Quanta nunc cernitur in his hominibus,
Qui se in ovium ostendunt vestibus.

Tales hypocritæ se cibis abstinent,
Macerant corpora, visus extermitant;
Qui tantum sub vitæ hujus imagine,
Laudes & munera gaudent accipere,
A modo siquidem possum asserere
Quia ANTICHRISTUS *creditur vivere.*

Puto quod tempora venerint ultima,
Cum tot ebulliant per mundum scandala;
Et cum jam Pseudoprophetæ veniant, &c.

Quod postremis lineis habet de *Antichristo*, huc facit, quod *initiis* hujus *Sæculi* rumor pervaserit Europam totam, *ortum* jam esse vel proxime oriturum Antichristum; eundemque Norbertus, Bernardus, Joannes Sarisburiensis, Joachimus Calaber, videntes scandala suorum temporum, confirmarunt. Germanus, Archiepisc. Constantinopolitanus, (Sæc. XIII.) Literis ad Gregor. IX. apud Matth. Paris. p. 443. *Et ut veritatis medullam attingamus: multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, nisi injustas oppressiones & opum protervas exactiones, & servitutes indebitas, quas à vobis subjectis extorquetis formidarent..... Unum, ut credimus, quod Græcis jam pridem desuper fuit præfinitum, huc usque defuit, tempus* sc. *martyrii; sed & ipsum jam imminet, ut* TRIBUNAL TYRANNICUM *aperiatur, & sedes tormentorum proponatur.* FLUAT CRUOR INUNDANS; *& nos ad martyrii stadium descendamus, &c. Novit Cyprus insula, ... Bona numquid sunt, ô Papa, sanctissime Apostoli Petri successor? Hæc injungit Petrus, mitis & humilis Christi Discipulus? & seqq.* Rursus in Epistola ad Cardinales: *Divisio nostræ unitatis processit à* TYRANNIDE VESTRÆ *oppressionis, & exactionum Romanæ Ecclesiæ, quæ de* MATRE *facta* NOVERCA, *suos quos diu educaverat, more rapacis volucris, pullos suos expellentis,* FILIOS *elongavit, & seqq.* Scripserat ante Matthæus ipse, p. 441. *Hoc & similibus indiciis manifeste compertum est, Ecclesiam Romanam Dei, proh dolor! indignationem incurrisse. Ipsius enim* MAGISTRATUS *&* RECTORES, *non Populi devotionem, sed marsupia plena quærunt denariorum: non animas Deo lucrifacere, sed redditus rapere, & pecuniam congregare, religiosos opprimere, pœna, usura, Simonia, & aliis diversis argumentis, sibi aliena impudenter usurpare, &* quæ alia multa. Chronicon Citizense ad Sæc. XIV. & initia XV. p. 848. in Scriptoribus Germanicis, editis à Pistorio. *Copiosissima namque materia scribendi vel potius plangendi de his temporibus infamibus & effœminatis se offert, quibus totam Italiam, maxime tamen Romam, magnitudo scelerum, & vitiorum vorago pene absorbuerat, & Simoniaca pestis* LETHALITER *omnino infecerat.* Subjicit carmina Scriptoris ejus temporis Theodorici Urici, ex Libro de *Consolatione Ecclesiæ*, quorum ultima sunt:

Aurea quæ quondam fuit, hinc argentea Papæ,
Curia procedit deteriore modo.
Ferrea dehinc facta dura cervice quievit
Tempore non modico, sed modo facta lutum.
Postque lutum quid deterius solet esse? recordor;
Stercus & in tali Curia tota sedet.

Quis itaque miretur, Wiclefum, Sæc. XIV. Papam palam appellasse *Antichristum*, & Satellites ejus Cardinales *Antichristos minores*, ut ex *Dialogis* ejus, & aliunde liquet; & Hussum, ejusque socios ac veros sequaces, eandem adversus hanc *adulteram* pronunciasse sententiam? Sed nullus hic finis est. Suggeret quærenti alia *Fasciculus Rerum expetendarum & fugiendarum.*

B Nihil hic testatius, & qui historias horum temporum legerunt, omnes consentient. Tantum excerpo Locum ex Gulielmo Neubrig

Complementum ejus accessit *tyrannis*.

hoc Sæc. XII *tyrannis*, dum ex piis aliqui ausi sunt se separare à communione Ecclesiæ adulteræ, & Religionem suam purius castiusque profiteri; hoc ipso objecti hominum carnalium odio, invidiæ, cachinnis, *irrisionibus* [A], persecutionibus; ut manifesta exempla sunt in Waldensibus, Wiclefo, ejusque doctrinæ tenacibus, Husso atque Hieronymo, eorumque Discipulis, & optimis omnium fratribus Bohæmis, usque ad tempora Reformationis superstitibus. Hæc est illa Ἀποστασία DEFECTIO, quam Ecclesiæ obventuram prædixerat Apostolus [a], non alibi quærenda & invenienda. Hoc *carnale* hominum *corpus* facit illam *Babylonem* [b], in *Apocalypsi* descriptam, magnum sane mysterium, sic dictam tum ob immanem *superstitionem* atque *idololatriam*, tum ob verum Dei Populum in ea detentum *captivum*; *Sodomam* ob corruptionem & impuritatem morum; *Ægyptum*, ob tyrannidem ac persecutionem Populi Dei [c]. Hæ sunt illæ Gentes quæ calcarunt *atrium* Templi *exterius* cum *civitate Sancta*, quando *duo testes* Dei in saccis prophetarunt, ab ipsa quoque Bestia necandi [d]. Inde Doctores hujus Ecclesiæ mystice exhibentur sub emblemate *Jezabelis*, *prophetissæ*, *seducentis servos Dei*, *ipsius scortantis*, & alios docentis *scortari* & *idolothyta comedere* [e]. ne plura huc adferam. Quæris, in quod tempus competat hæc *Redargutio* & *Convictio*? Respondeo, initium ejus figendum esse in ipso illo tempore, quo Deus ore *Sanctorum* communi declaravit demonstravitque, Romam esse *Meretricem Babylonicam*, matrem *scortationum* atque *abominationum terræ* [f]; quæ communis vox *Sanctorum* erupit Sæc. XII. Hoc est illud *ulcus malum* & *insanabile*, quo hæc Ecclesia *adultera* & *præstigiatrix*, affecta est à Waldensibus; quodque ei ab eo tempore usque hæc nostra adhæsit: in quo *implementum* suum consequuta est *prima phiala* Apocalyptica [g]. Eadem *Redargutio* continuata est in omnibus *Judiciis* consequentibus; & præcipue in *Reformatione* Ecclesiæ Sæc. XVI. quando pudenda ejus omnia protracta sunt in lucem; quod Dominus in variis *Parabolis*, ut de *Zizaniis*; de *Nuptiis*; de *Decem Virginibus*; de *Talentis*; de *Servo Malo*, (in qua idem observare potuit Grotius:) prædixerat.

Prophetia Apocalyptica de hac Societate hominum.

Ulcus malum, Apoc. XVI. 2.

Crimen alterum: Fœdissimum genus idololatriæ ac superstitionis, quà *publicæ*, quà *privatæ*.

Crimen alterum: Fœdissimum idololatriæ ac superstitionis genus.

Articulus primus.

Primus articulus, ℣. 5.

℣. 5. *Qui* INCALESCITIS *adversus* IDOLA *sub omni arbore viridi*.] Alterum Crimen Ecclesiæ fœdifragæ intentatum, est idololatria, & fœda superstitio, tam publica, quam privata; quæ *convictio* variis articulis absolvitur; cum interminationibus ei intermixtis. Oratio sic constructa est, ut non careat suis dubiis, nondum ab Interpretibus expeditis: quod tamen non prohibet, quo minus summam ejus teneamus. Expendam eam per singulas partes; & deinde de *implemento* Prophetiæ differam. Primum articulum hic exhibui ex priore membro *commatis quinti*. Hebræa sunt: הַנִּחָמִים בָּאֵלִים Hieron. *Qui* CONSOLAMINI *in diis*. Ubi haud dubie vocem *consolamini* accipi voluit *passive* pro *consolationem admittere*, solatium recipere. Legit נֻחָמִים ex נחם, ut jam observavit Cappellus [b], qui hic confert Interpretem Græcum, cujus est *οἱ παρακαλοῦντες τὰ εἴδωλα*. Sed absurdum sit, verba hæc vetere *consolationem accipere ex idolis*, quod admitti posset si scripsisset, παρακαλούμενοι ἐν εἰδώλοις, sive παρὰ τῶν εἰδώλων. Hieronymus itaque verterat, *Qui vocatis idola*. Ne id quidem recte. Utique vertendum, *Qui invocatis idola*, qui imploratis illorum opem. quæ phrasis Græcis usu recepta est. Sed fallit versio Hieronymi qualis est. Legendum cum Masorethis, נִחָמִים, sive vocem à חמם sive à יחם derivaveris. notat enim utraque *incalescere*. Ex יחם *analogice* debebat esse, נִחָמִים, ex חמם vero נֻחָמִים: verum pro נֻחָמִים scribitur נִיחָמִים tanquam esset servata *Jod* radicali. Est autem notio hic ad rem, de qua agit Propheta, usus commodissimi ac elegantis, quippe quæ significat *studium* atque *ardorem*, quo idololatræ ac superstitiosi homines feruntur in *idola*, quibus consecrati sunt, quorumque ope & auxilio se ad commodum aut salutem juvari posse arbitrantur: metaphora sumpta à flagranti *ardore* (usu vocis Latinis pariter frequenti,) quo mares & fœminæ in utroque animantium sexu, potissimum in congressu libidinis, in se mutuo feruntur [i]; ut præter Hebræos nostri jam observarunt. Equidem casti amoris in studio Religionis oportebat esse purissimas flammas: & tamen docet experientia, studium idololatrarum in superstitione sua multo sæpe ardentius esse quam cultorum veræ Religionis: perinde ac scortatorum & adulterorum sunt flagrantissimæ cupidines. Hæc autem ipsissima figura est *meretricis*, *& adulteræ*, sub qua Propheta hic Ecclesiam *Apostolicam* contemplandam sistit, perinde ac Joannes in *Apocalypsi*; familiari Jeremiæ, Ezechieli, Hoseæ, aliisque Prophetis. Ecquod vero objectum hujus ardoris? Latet id in voce באלים quam nos vertimus, *in idolis*. Nec tamen hic omnes consentiunt Interpretes. Vox אילים ex אֵל *facultas*, *vis*, *robur*, verti potest *Dii*, *potentes*, *quercus*. Sunt itaque qui posterius amant, ut dicat Propheta, *Qui incalescitis in* LUCIS, scilicet ex *ilicibus* constructis. Sic R. Salomo & David Kimchi; & præter Tremellium quoque Belgæ: ut quod sequitur, SUB *omni arbore viridi*, additum sit ad illius interpretationem; quemadmodum vox plane sumi videtur Cap. I. 29. Sed hoc in loco ב *præfixa* voci אילים manifeste videtur referri ad *objectum* concupiscentiæ, quia distinguitur à *sequenti membro*, SUB (תחת) *omni arbore viridi*. Si Vates id voluisset, videtur scricturus esse תחת אלים *sub ilicibus*, & *sub omni arbore viridi*, ut Ezechiel in simili versatus argumento [k]: ותחת כל עץ רענן ותחת כל אלה עבתה *Et sub omni arbore viridi*, & SUB OMNI QUERCU DENSA. Vin tamen retinere vocem *quercus*: nihil moror. Ipsæ enim *quercus*

Hebræa; הנחמים באלים.

Versio Hieronymi.

Observatio Lud. Cappelli ad vocem נחמים.

Ad Versionem Græcam animadversio.

Animadversio ad vocem נחמים. Est ex יחם.

Superstitiosorum hominum summus in falsum cultum ardor.

Emblema *scortationis* & *adulterii* huc refertur.

Objectum ardoris hic appellantur אלים dubiæ interpretationis, vel de *Idolis*, vel de *quercubus*.

Prius probabilius.

Temperamentum

---

genii, *Rerum Angl.* Lib. I. Cap. XXV. ubi postquam de singulari probitate & castitate Regis Malcolmi loquutus erat, *Dicat, quod volucrint*, ait, VENERATORES SIGNORUM (talibus constabat *Ecclesia* עגורת *Observatrix signorum*:) *& ex* MIRIS *merita metientes; & ex sola* SIGNORUM *claritate sanctitatis titulum tribuentes: plane ego illud in Rege juvenculo, sic impugnatæ sed inexpugnatæ integritatis miraculum præferendum censeo non solum illuminationi cæcorum, sed etiam suscitationi mortuorum.* Scripserat Continuator Bedæ, Lib. III. p. 344. *Nos sane credimus, post benedictionem Ecclesiasticam, esse verum corpus & sanguinem Salvatoris, adducti & veteri Ecclesiæ auctoritate, & multis noviter ostensis* MIRACULIS. Lege *Dialogos* Gregorii, & videbis, qua fide nitatur *Purgatorium*. Nec aliam auctoritatem habet *cultus imaginum*.

[A] Multa memini in historia legere exempla Sanctorum, horum temporum, non damnatorum tantum, sed & *irrisorum*, in Synodis vel coram tribunali Judicum, & cum *plausu* neci datorum; sed nemo hic probationem desiderat. Nomina quibus adversarii illos passim appellarunt, licet non tuhoneste forte originis, deinceps tamen in invidiam versa & odium, ut sunt *Picardi*, *Cathari*, (unde Ketzer, Ketter,) *Paterini*, *Publiciani*, *Lolhardi*, *Hugenotæ*, hic plane sufficiunt. Qui enim iis notatus erat, omnium expositus erat *insultui*, *contemptui*, & *irrisioni*; estque eadem Ratio, quod ad rogum damnati *ridiculo habitu* ostentati sint. Gualterus Mapeus, ex MS. ab Usserio productus de *Succes. Eccles.* Cap. VIII. §. II. cum narrasset, congressum suum cum duobus *Valdesiis* (Waldensibus,) in Synodo Romana sub Alexand. III. (sub finem Sæc. XII.) postquam conatus esset persuadere lectori absque idoneo fundamento, fuisse illos *sciolos*, & acta narrasset: *Et ab omnibus* MULTIPEICI *sunt* CLAMORE DERISI. Scilicet *vulpes nequissimas*, & *pestes*, eos vocat Neubrigensis; Guido Perpinianus, *fatuos*. quod idem Vir eximius jam observaverat. Quid de insigni Viro Husso, cum Constantiæ in Synodo adesset? *Si quando tantum à vociferationibus remissum esset, ut paululum quiddam Johannes Hus loqui posset, ... continuo audivit illa, Nihil ad rem facere. Hinc aliorum* CONVITIA *in eum; aliorum etiam* LUDIBRIA *certatim sequebantur*. Sic est in Vitæ ejus historia. Historia recentior nobis dabit venerandum Præsulem Cranmerum, ejusque similes Ridlejum ac Latimerum, in Collatione sive Disputatione de *Fide* cum Adversæ Partis Delegatis & Judicibus habita Oxonii sub Regno Mariæ, coram auditorio frequenti, sed auditorii illius *cachinnis*, *clamoribus*, *explosionibus*, pene obrutos, de quo videbis Burnetum, Lib. II. Hist. ad A. 1554. Ex similibus collige similia.

a 2 Thess. II. 3. *b* Apoc. XIV. 9. XVII. 5. *c* Apoc. XI. 8. *d* Apoc. XI. 2. seqq. *e* Apoc. II. 20. *f* Apoc. XVII. 5. *g* Apoc. XVI. 2. *h* *Crit. S.* Lib. V. Cap. VIII. §. IV. *i* Gen. XXX. 38. 36. 41. Ps. LI. 7. *k* Cap. VI. 13.

priorii sententiæ.

cus tanquam *Jovi* Sacræ; & sublimitatis, roboris ac potentiæ Deorum symbola, erant *objecta* cupiditatis idololatrarum; & hoc nomine honorabàntur, & ex iis instruebantur *luci*, quod Vates clarissime supponit in dicto loco Cap. I. 29. de qua re si erudiri cupias, consules Vossium *a*. Verum nulla ratio est, cur אילים hic non vertas per *potentes*, *robustos*, quæ vulgatissima ejus significatio est; sive *homines*, sive *Dæmones*; sive *Deos*, ut sumitur Dan. XI. 36. Notat hoc in loco HERÖES Gentium, fato functos, ex vulgari errore in numerum Deorum assumptos, humani generis tutelares, qui in simulacris religiose colebantur. Inde Hieronymus *Deos* vertit; Coccejus, *potentes*; Piscator, *idola*, plane ut præiverat Græcus, & Chaldæus: רמלחין לטעותא *Qui colitis* IDOLA. quod consentaneum putem veræ menti Vatis. Caverat Deus in Lege, abundè illustrata, à Doctissimo Viro *b*, ne Judæi *lucum plantarent apud altare suum f*; & tamen quotiens â fœdere Dei deficiebant, in hanc maxime superstitionem ardebant, quod *Luci* potissimum dicarentur cultui *Astartes*, sive *Veneris*, & omni impuritati carnali lenocinarentur; quò Prophetæ posteriores frequenter alludunt *c*. Quo verba hoc in loco referenda sint: videbimus in *implemento* prophetiæ.

Aliorum Interr. versiones, quæ priori expositioni, ut probabiliori favent.

De *Lucis*, Idololatriæ Sacris.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 5. med. *Mactantes pueros*, &c.

℣. 5. med. MACTANTES PUEROS IN CONVALLIBUS, *sub prominentiis petrarum.*] Difficilia vere intellectu verba, ad quæ illustranda non videntur huc usque à Doctis allata esse, quæ iis satisfaciant. De versione hic minus laboramus. Scripsit Vates, *Mactantes pueros* בנחלים quod Hieronymus vertit, *in torrentibus*. Minus commode. Quis enim dixerit, *pueros mactari in torrentibus*. Poterat scribere, *ad torrentes*: etsi ne illud quidem hic obtinere videatur. Vox נחל vere geminum obtinet significatum *torrentium & vallium*, quia *torrentes* passim in concavis vallium, montibus subjectarum, fluebant: sed posteriorem significationem *vallium* huic loco aptiorem esse, quis non videat? Sic recte præiverat Græcus: Ἐν ταῖς Φάραγξιν. Quod sequitur, תחת סעפי הסלעים rectius reddit Int. *Subter eminentes petras*. Habuimus phrasin Cap. II. 21. vertimusque ibidem, *fissuras* sive *speluncas petrarum*: quod locus postulat. Nempe *scopuli petrarum prominentes*, & *prominentiis suis* inter se colludentes, faciunt *speluncam*, *cavitatem*, in qua quis delitescere potest, ut patet ex Jud. XV. 8. 11. Recte itaque Græcus hoc loco; ἀναμέσον τῶν πετρῶν· *in medio petrarum*. Verteris ex sensu Vatis, *Subter prominentias* (*cacumina*) *petrarum*. Quod ad rem ipsam attinet: consentiunt hic facile Interpretes, respicere his verbis Jesaiam ad ritum aliquem superstitionis detestabilis sui temporis, in Cultu falsorum Numinum frequentatum: quod ego non abnuo, licet orationem hanc pro hypothesi translate accipiam: sed ritum illum expositurі, recurrunt ad cultum *Molechi*, ut Sanctius, multa hic aliena admiscens, ubi defendere nititur versionem Hieronymi; vel ad Ritum nefandum Phœnicum *in immolandis parvulis*, ut Grotius, de quo alibi se scripsisse ait. Respicit, ut, opinor, quæ de hoc argumento scripsit in Libris de *Veritate Religionis Christianæ*. Per *valles* autem hic præcipue spectari vult *vallem Hinnomi*, in quo liberi offerebantur *Molecho* apud *torrentem Cedronis*. Sed videri queant in hoc loco esse quæ minus conveniant diræ superstitioni, quæ usum obtinebat apud Canaanæos erga Molechum. *a*. Quia nulla hic mentio *ignis*, vel *consecrationis parvulorum in igne*, (העביר באש) passim receptæ in nefando hoc Cultu, ex communi phrasi Prophetarum. ילדים *nati* vel *pueri* hic dicuntur *mactati*, cum *effusione sanguinis*. β. Neque *mactandi* hic appellantur בנים *filii*, ut passim: sed ילדים *nati*, pueri, nova voce.

Sunt qui נחלים hic vertunt per *torrentes*.

Rectius per *valles* vertitur.

Notatio vocis סעיפי h. l.

Respicitur hic ritus aliquis detestabilis idolatricus.

Num cultus Molechi? sententiæ Doctorum Virorum. speciatim Grotii.

Rationes quæ sententiæ videntur obstare.

γ. Superstitio illa, licet apud Judæos fieret in *valle Hinnom* sub montem Tsionis: non erat tamen adstricta *vallibus*. Non referebatur enim ad *Deos inferos*; sed *superos*. δ. Minus adhuc liquet, quid huc pertineant *præcipitia petrarum*? Id enim ad hanc superstitionem nullibi refertur. Certe hæ ipsæ rationes sunt quæ alicui persuadere queant; Vatem ad hanc superstitionem alludendo simul quid aliud in oculis habuisse, quod cum hoc flagitio comparare voluit. Et possunt tamen hæc ipsa aliqualiter elucidari. Ergo observa, α. Scriptores Sacros de Phœnicia hac idololatria differentes alibi quoque uti hac ipsa voce שחט MACTARE, *jugulare*, & mentionem facere profusi sanguinis. Sic apud Ezechielem *e*: *Et* MACTASTI (תשחטי) FILIOS MEOS, *& dedisti eos ut eos ipsis* (Idolis) CONSECRARES. Sic enim vertenda phrasis, בהעביר אותם להם. Rursus alio loco *f*: *Et cum* MACTENT (ובשחטם) *filios meos Diis suis abominandis, & seqq.* Videri posset, eò respici, quod *oblatio* omnis, qua homo aut animans vita privatur, æquivaleat *mactationi*, quæ vulgo in *sacrificiis* animantium locum habebat. Nec tamen in eo subsistendum; cum Ps. CVI. 38. explicita mentio fiat *effusionis sanguinis*. Sic ibi Vates: *Et* EFFUDERUNT SANGUINEM INNOCUUM: *sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quos obtulerunt* IDOLIS CANAANÆIS. Juvat itaque hic monere, Phœniciam illam ἀνθρωποθυσίαν non semper peractam esse *traditione filiorum ad ignem*, secundum illum Ritum solennem quem Tyrii & Carthaginenses in hac sua horribili δεισιδαιμονίᾳ observarunt, descriptum à Diodoro Siculo *g*, & Plutarcho *h*: sed subinde, quod idem valebat, solenni *immolatione*. Liquet id clarissime ex historia Belli, ab utroque Judæorum & Ephraimitarum Rege illati Moabitis; quorum Rex obsessus ad extrema actus, dicitur *i sumpsisse filium suum unigenitum, qui sibi in Regnum successurus erat, eumque* OBTULISSE IN HOLOCAUSTUM *super murum*. sc. ut probabile, prius *jugulatum*. Hebræa sunt: ויעלהו עולה על החומה. Sic scilicet ex ritu harum Gentium, qui τὰς κρατίστας τῶν υἱῶν *filiorum præstantissimos* Saturno vel Herculi Tyrio solebant consecrare, ut Diodorus. Quin exotici Scriptores de hoc cultu loquentes non tantum utuntur voce θύειν *sacrificare*, sed & σφάττειν MACTARE. Sic Eusebius ex Porphyrio *k*, cum monuisset, *apud Veteres in more fuisse positum, ut in summis Reipublicæ calamitatibus Rectores civitatis τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων* LIBERORUM CARISSIMOS *Diis ultoribus traderent εἰς σφαγὴν mactandos ad redimendum exitium publicum.* subjicit, Κατεσφάττοντο δὲ οἱ διδόμενοι μυστικῶς· MACTABANTUR *autem traditi* sive *jugulabantur cum mysticis cærimoniis*. Repetit hæc verba alio loco *l*; eaque dat Philoni Byblio, quod pariter observavit Marshamus *m*; in quo loco de hoc ritu ἀνθρωποθυσίας ex Porphyrio, aliisque fuse differit, & voce σφάττειν sæpius utitur. Eodem modo Ælianus *n* de *filiabus*, *Minervæ oblatis* Athenis pro bono Civitatis à Patre, hac ratione; μὴ ἂν ἄλλως σωθῆναι τὴν πόλιν, εἰ μὴ ἐκεῖναι σφαγιασθεῖεν· *Aliter non posse servari Urbem, nisi illæ* MACTARENTUR. Utique si credibile sit, quod aliqui ex Doctis sibi persuadent, infandum illum Ritum in Canaanæa originem traxisse ex fama Isaaci jussu Dei ad sacrificium postulati, quod tamen asserere nolim: simul probabile videatur, plures hunc ritum imitatos fuisse. Pluribus de his τεκνοφόνοις τελεταῖς non ago, quia instituto non convenit. Secundo, quod de differentia vocis ילדים *natorum* & בנים *filiorum* ac *filiarum* monui: responderi potest, Jesaiam generalius esse locutum, quod subinde non ipsi *filii* & *filiæ*, sed *pueri* alii in hunc usum *coempti*, Deo in *victimis* hujus generis exhiberentur, quod Diodorus, Plutarchus, alii exerte affirmant. Idem itaque hic valeret ילדים *pueri*, nati, (παῖδες, ut Græci,) quod Ennio est *puellus*, in *Versu* servato apud Nonium Marcellum, & in Fragmen-

Quibus occurritur aliquibus observatis.

Vox *mactare* liberos usurparur quoque de cultu Molechi.

Locus Ps. CVI. 38.

Liberi non semper *victi* tradebantur igni.

Locus 2 Reg. III. 27.

Exotici de *Cultu Phœnicio* loquentes utuntur voce *mactare*.

Loca Veterum hac de re.

Differitas inter *filios* & *natos* quanti valeat?

Subinde *pueri* in hunc usum coëmebantur.

a De *Idolol.* Lib. V. Cap. XLVIII. *b* Deut. XVI. 21. *c* Cl. Spencero, Vide notata ad Cap. I. 29. *d* Confer Jer. II. 20. III. 6. seqq. *e* Cap. XVI. 21. *f* Cap. XXIII. 39. *g* *Biblioth. Hist.* Lib. XX. p. 740. *h* Libr. περὶ Δεισιδαιμονίας. *i* 2 Reg. III. 27. *k* *Præp. Evang.* Lib. I. Cap. X. *l* Lib. IV. Cap. XVI. *m* Ad Sanc. V. p. m. 71. *n* *Var. Hist.* Lib. XII. Cap. XXVIII.

gmentis Ennii [a], ubertim illustrato ab Hieron. Columna, sic, ut videtur, legendo.

Pœnis, sos Deiveis mos sacrificare PUELLOS.

Quod Cultus hic restringatur ad *Valles*: quorsum referri queat?

Tertio denique, quod de *Vallibus* dicitur, & *præcipitiis Petrarum*, sub quibus his sacris fungebantur: dici posset, hic alludi ad *vallem* famosissimam eamque amœnissimam, à torrente eam secante divisam, quæ media erat inter Libanum & Antilibanum montes, cujus sunt eximiæ prominentiæ & cacumina; & speciatim ad Urbem *Heliopolim*, in qua *Baal Phœnicius* superbissime colebatur, sitam ad *Radices* Antilibani Montis, non adeo longe à Damasco; unde ipsa illa Urbs hodiedum dicitur BAALBEEK, h. e. בקעת בעל BAALIS VALLIS: quin tota hæc *Vallis* olim idololatriæ & superstitioni inserviebat magis quam quæ alia, unde Vir Doctissimus [b], qui verum ejus Montiumque Libani aspectum magna cum laude sua nobis dedit, recte opinari videtur, hanc ipsam esse בקעת און *Vallem iniquitatis* (mutata appellatione ex בקעת ערן *Vallis voluptatis*,) cujus mentionem facit in prophetia adversus Damascum Amosus. [c]

Parenthesis interminatoria prima.

Parenthesis interminatoria prima, ℣. 6. *In lævitatibus vallis*, &c.

℣. 6. *In* LÆVITATIBUS VALLIS ERIT PORTIO TUA: IPSÆ IPSÆ SORS TUA.] Hæc verba vel doctissimis crucem fixerunt; licet in versione eorum Interpretes recentiores fere consentiant: nisi quod Jun. & Tremell. *Inter læves lapillos torrentis.* Pisc. *In lævibus lapillis torrentis portio tua est.* Cocc. *In lævibus vallis pars tua.* Grotius: *In lævigatis lapidibus qui sunt ad ripam torrentis.* Sed Hieronymus: *In partibus torrentis pars tua.* sequutus Aquilam, Ἐν μερίσι φάραγγος. Legerunt illi בְּחַלְקֵי נחל, vel בְּחֶלְקֵי, (est enim חֵלֶק *pars*,) pro eo quod Masorethæ nos legi voluerunt, בַּחֲלָקִּי, quod sonat, in *lævibus*, *lævitatibus*, ut ego verti. vox enim חלק pro *punctatura* varietate utramque admittit significationem, ut vel *partis*, *portionis*; vel *lævis*, *levitatis*, notationem suscipiat. Sic חָלַק *partiri*; חָלַק, *lævigare*. Viderunt autem Masorethæ, prudentes homines, sententiam hic requirere significatum *lævitatis*; quorum auctoritas apud nos multum valet; & consentit Chaldæus. Nihil enim elegantiæ inest in sententia; *in partibus torrentis* vel *vallis est pars tua.* Contra vero si *punctatura* & significatio hic variet: observas in vocibus venustam paronomasiam; quam Jesaias in oratione sua amat. Sed majoris momenti est, demonstrare verum dicti sensum. Interpretes passim trahunt ad *idololatriam*, de qua hic agitur, & hoc *membrum* connectunt cum eo quod sequitur, *Etiam iis fudisti libamen; obtulisti munus:* acsi superstitio ei rei, quam Vates hic vocat *lævia vallis* vel *torrentis*, & quidem *lævibus lapillis vallis* aut *torrentis*, sacra quoque fecisset, & devovisset Religionem. Sic ipse Grotius, licet nihil ex antiquitate adferat, quo hunc ritum illustret. Sanctius persuadere vult lectori, nihil admodum in hoc loco difficile aut obscurum esse. Doceri enim, *illos*, de quibus hic agitur, *quorum sors & portio Jehova erat*, *vasano prorsus & stolido consilio abjecto Domino*, *aliam sibi hæreditatem elegisse*, *nempe in torrentibus*, *quibus*, *Gentilitio ritu*, *quasi Dii essent*, *sacrificarent.* Subjicit dein, *torrentes* hic per Synecdochen *poni* pro *quocunque alio loco*, *impiæ Religioni destinato*, & *seqq.* Sed ne nunc quicquam dicam de interpretatione vocis נחל per *torrentem*: non occurrit hoc tempore, *torrentes* à Veteribus pro *Diis* habitos cultosque esse, quod de *fluviis* & *fontibus* notissimum; nec ullo exemplo à Viro Docto illustratur: nec mihi probabile fit, hanc idololatriæ speciem, si alibi obtinuerit, receptam fuisse in Phœnicia. Quin ipse Sanctius mox ab hypothesi recedit, ubi *torrentem* hic sumi vult pro LOCO, superstitioni destinato: quæ non cohærent. Ubi sæpe difficultas maxima hæret: transeunt eam aut dissimulant Interpretes aliqui, ut imperitioribus fucum faciant. Piscator aliud huc attulit, quod negligendum non videtur. Verterat ille, *In lævibus lapillis torrentis portio tua est:* quæ sic commentatur: *Delectamini altaribus idololatricis*, *exstructis juxta torrentes*, *qui repleti sunt lævibus lapillis*, *ac proinde aqua sua aërem suaviter refrigerant.* Quam hæc longe petita? Quid si tamen cum sequentibus cohærerent. Subjicitur enim mox ex sententia Viri Docti in eodem contextu & argumento: Quin etiam *istis fundis libamen*, & *offers munus:* quod utique *altaribus* non convenit. Quare ipse simpliciter adscribit: *Nempe* IDOLIS *quæ statuisti apud* TORRENTES. Atqui *idola* non sunt idem quod *torrentes*, vel *altaria* apud *torrentes extructa.* Quod ad me attinet: non ignoro, *rudes* impolitosque *lapides* antiquis temporibus præbuisse quoque Gentibus materiam superstitionis, cultosque esse; & vero *rupes* quoque *petrosas*; nec ausim negare, illum cultum apud Phœnices, vel Syros obtinuisse; cum utique liqueat, Syros Emesenos sequentibus temporibus coluisse Solem in *Alagabalo*; (*lapide maximo*, *ab imo rotundo*, *sensim fastigiato*, fere in *conum* desinente, *nigri coloris*, qualem Herodianus [d] exhibet:) perinde ac Phryges, Græci [A], Arabes, ac Romani quoque tandem ipsi, *Deum Matrem* ex Phrygia sub *lapide rudi*, *informi*, *coloris furvi atque atri*, *angulis prominentibus*, *inæquali*; ut describitur ab Arnobio [e]. Sed quicquid ejus sit: non impetro à me, ut credam absque clariori testimonio, id esse quod in hoc dicitur loco. Etenim primo, si Gentes antiquæ rudi ætate coluerint *saxa*: non patet alicunde, (si ab hoc loco controverso discedas,) hunc *cultum* fuisse *Phœnicium*, quo se polluerit Populus Dei. Nullibi historia aut prophetiæ Judæis hoc superstitionis genus improperant. Equidem Gens Judæa dicitur adulterium commisisse cum LAPIDE, & *cum* LIGNO, apud Jeremiam [f]: sed ibi, ut & alibi [g] per *lapidem* intelliguntur *simulacra* ex *lapidibus sculpta.* Et tamen vel sic vix ulla occurrit mentio *simulacrorum* ex lapide formatorum per sculpturam: quicquid dicat Plinius, *statuariam* artem recentiorem esse sculptoria, sive sculptura [h]. Apud Prophetas, & apud nostrum [i], occurrunt *statuæ*; sic proprie dictæ, ex ære vel metallo fusæ; vel *simulacra*

Masoretharum judicium de punctatura vocis חלקי laudatum.

Commune judicium Interp. de his verbis.

Grotii sensus de hoc loco.

Et Sanctii.

A quo discedit ur.

Piscatoris interpretatio, & de ea judicium.

Concedit ur, *Lapides* antiquitus fuisse inter objecta idolatriæ.

Etiam apud Phœnices.

Cultus *lapidum* num fuerit Phœnicius?

Lapis Populo Dei cultus in *simulacris.*

Εἴδωλα Vett. ex qua materia?

---

a Ex *Annal.* 1. p. 28. *b* Maundrell, *Iter Hieros.* p. m. 170. *c* Cap. 1. 5. *d* Hist. Lib. v. Cap. 111. *e* Adv. *Gentes*, Lib. VI. *f* Cap. 111. 9. *g* Deut. IV. 28. *h* *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. Cap. V. *i* Cap. XLIV. 9. seqq.

A Pausanias in *Achaicis*: Τὰ δὲ παλαιότερα καὶ παῖσιν ἔλλησι, πρὰς θεῶν ἀνδι ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Olim apud universos Græcos* RUDES LAPIDES *pro simulacris Divinos honores obtinuerunt.* Locum jam observavit Seldenus de *Diis Syris*, *Prolegom.* Cap. 111. Dicti illi sunt Βαίτυλοι, sive Βαιτύλια, *rudes* videlicet *lapides*, quos sive *symbola Numinis crederent Divini*, *sive etiam animatos ac vere Deos.* Sic Vossius de *Idolol.* Lib. VI. Cap. XXXIX. Petitum nomen censetur ex *Lapide* Jacobi *Bethelitico* Gen. XXVIII. 18. 19. ut, quod hic ἐν παρόδῳ addo, superstitio alia *Lapidum Mercurii* (מרקולים sive אבני בית קולים) lapide adjiciendo honoratorum, ex Gen. XXXI. 46. 47. Quod vero idem Vir Eruditus censet, *hunc esse illum Lapidem quem Hierosolymam transtulere Judæi*; *quem item deletis Hierosolymis Judæi*, *eo die quo capta Urbs erat à Tito*, (*quo solo*, *Hieronymo teste*, *Urbem illam ingredi iis licebat*,) *cum multo gemitu ac lamentis*, *nec sine laceratione vestium*, *adire & inungere solent*; *ut est in antiqui Scriptoris Itinerario Burdigalensi*: non æque facilis mihi persuadeo, nisi per credulitatem sponte errare voluerint. Estne enim credibile, *Lapidem* illum Jacobi, si ibidem loci superfuerit, à Reducibus Jacobidis ex Ægypto cognosci & à cæteris distingui potuisse? Si quis talis *lapis* ab ipsis eximius habitus sit, (quod ob Talmudicorum traditionem de lapide in Templo secundo Arcæ substituto non improbabile habeo:) opinor esse *lapidem* illum *Sichemiticum*, insignem, de quo mentio fit Jos. XXIV. 26. *Arabes* pariter *lapidem* coluisse, & quidem forma *saxi quadrati*, tum ipse, tum Seldenus quoque, adnotavit: neque neglexit ὁ πάνυ Vossius, *Rupium* pariter ac scopulorum cultum Arabibus vindicare. Sic Stephanus in voce Δουσάρη. ΔΟΥΣΑ'ΡΗ, σκόπελος ἢ κορυφὴ ὑψηλοτάτη Ἀραβίας. Εἴρηται δὲ ἀπὸ Δουσάρου θεοῦ ὄντος παρὰ Ἄραψι ἢ Δυχαρηνοῖς πιμώμενου. DUSARE, *scopulus & locus editus in Arabia*, *ita à* DUSARE *appellatus. Ille enim ab Arabibus & Dacharenis pro Deo colitur.* Sed in hoc loco non dicitur plane, *scopulum* illum *pro Deo* cultum esse; sed sic appellatum à *Dusare*, Arabum Numine. De *Matre Deum*, Lapide rudi, res omnibus nota ex Livio. Addo decretum Ladislai Regis Ungariæ clarissimi Sæc. XI. quod huc maxime videri posset pertinere: *Quicunque Ritu Gentilium juxta puteos sacrificaverint*, *vel ad arbores*, *& fontes*, *&* LAPIDES, *oblationes obtulerint*, *reatum suum bene luant.* Meminit me observare ex Casaub. ad *Sueton. Aug.* Cap. LVII.

lacra sculpta ex *ligno*, incrustataque *auro* vel *argento*: sed *sculptorum* ex marmore *simulacrorum* rarior memoria. Secundo, si *saxa* & *lapides* culta sint à Gentibus: non paret mihi, nec probabile habeo, *communes silices*, qui sunt in *vallibus* vel apud *torrentes*, feciſſe objectum superstitionis antiquæ; quales *silices* חַלְקֵי אֲבָנִים dicuntur 1 Sam. XVII. 40. *Saxa*, quæ Gentes coluerunt, fuerunt majora, rudia, & subinde notis quibusdam à cæteris distincta. Imo vero si Vates de *saxorum* ejusmodi cultu hic loqui voluisset: cur non eadem appellasset אבנים *lapides*; quare חַלְקֵי נַחַל *lævia vallium*: quæ phrasis aliud significare nequit ac *lapides*. *Lapides* autem *vallium* cur cæteris hic potiores haberentur, nullam videbam rationem. Ergo cum hic vere hærerem: meditanti, secundum communem hypothesin, (quæ hæc verba, cæteris juncta, accipit de specie quadam idololatriæ,) id unum se obtulit, ut per חלקי נחל *lævia vallis* hic intelligantur *Simulacra* lævigata politaque, quæ in illa Valle, quam Propheta respicit, Idolis, sub imagine Solis cultis, *polita* fuerint, & splendentia; ut si Molechi, ex *Ære* polito lævigatoque, quod apud Danielem [a] est נחשׁת קלל *æs politum*. Χαλκὸς ςίλβων vel ἀναςράπτων· *Æs candens, splendens*: ex quali ære formata sunt Molechi simulacra, ut notum. Id vero unum hic dici posse etiamnum censeo. Nec tamen in eo acquievi; quin vere major mihi lux affulsit; ubi acrius attendi, notiones *sortis* & *portionis* passim per Scripturas Sacras referri ad *bonum* vel *malum*, quod actum cujusque comitatur: ut adeo hæc verba, contineant *interjectionem interminatoriam* primam, qua Deus denunciat his, qui hæc nefanda Sacra perficiebant in *Vallibus*; *sortem* eorum fore *lævia Vallis*, h. e. illos in profunda & lubrica Vallis detrudendos esse, & æternum perituros. De usu notionum *partis* (חלק) & *sortis* (גורל) quod dixi, nihil certius & testatius vel ex ipsa indole harum vocum figuratarum; sumpta metaphora à portione, quæ cui in ertiscunda hæreditate obtingit. Sic Vates noster Cap. XVII. 14. ubi descripserat judicium hostium Dei: *Hæc est* PARS sive *portio* (חלק) *diripientium nos*; *&* SORS (גורל) *spoliantium nos*. Apud Jobum [b]: *Hæc est* PORTIO (חלק) *hominis impii a Deo*. Descripserat Tsophar terribilia mala, quæ Deus effundit in impios. Confer Cap. XXVII. 13. Jeremias eodem modo [c]: *Hæc* SORS *tua*, (גורל) *portio mensuræ tuæ, à me, ait Jehova*. Nec alio sensu sumitur phrasis, ubi Deus Jehova ipse dicitur *pars* suorum. respicitur *bonum*, quod possident in Divina communione. *Lævia* autem *vallis* sunt lubrica & salebrosa loca, quæ quem in profunda *vallis* detrudunt & præcipitem agunt. Sic Vir Sanctus loquens de gravi lapsu impiorum [d]: אַךְ בְּחַלְקְלַקּוֹת תָּשִׁית לָמוֹ *Certe in* LUBRICIS LOCIS *ponis eos: facis eos cadere in vastationes*. Jeremias [e]: *Propterea via illorum ipsis erit* כְּחַלְקְלַקּוֹת *ut* LUBRICA LOCA *in caligine: propellentur, & cadent*. Confer Ps. XXXV. 6. Esse autem in his Regionibus Syriæ & Phœniciæ ejusmodi profundas *valles*, quas perluunt *torrentes* summæ profunditatis, quorum sunt *rupicosæ* & *glabræ* ac *læves oræ*, exitium certum portendentes omnibus qui se iis committunt; testantur qui hæc loca inspexerunt [f]. Sed sunt aliunde etiam notissimæ. Vir Sapiens [g]: *Impii offendendo trudentur in malum*. יִכָּשְׁלוּ לְרָעָה. Ergo Jesaias, manens in eodem genere; *Vos*, ait, qui in *vallibus* nefanda patratis, detrudemini in *lævia vallis*, cum certo interitu, absque spe salutis. hæc *portio*, hæc *sors vestra*, cum emphasi: *Illa, illa sors tua*. Sic idem Cap. I. 29. cum iis exprobrasset ardorem quo ferebantur in *querceta, lucos, hortos*: manens in eodem genere, *Et eritis*, ait, *ut* QUERCUS, *cujus decidunt folia; & tanquam* HORTI, *nulla irrigui aqua*.

Articulus tertius.

℣. 6. med. *Etiam* IIS FUNDIS LIBAMEN; *offers* MUNUS.] Viden', hic, ut in superiore membro, mutari *numerum* & *genus*: quod amant Prophetæ. Mutat enim *genus* in debilius, cum numero singulari; respiciens eos quos appellat, ut fœminam *adulteram* vel *scortatricem*. Omnis enim *universitas* cadit sub genus debilius. Porro nihil hic est quod nos moratur, modo observes, *affixum* in voce להם *illis*, referri ad אלים *Deos* Gentium, Heröes, de quibus loquutus fuerat proxime ℣. 5. Res ipsa hic est certissimi & notissimi ritus. Frequens ejus mentio est apud Jeremiam, ex quo unum locum excerpam qui hunc illustret. extat Cap. VII. 18. *Filii colligunt ligna; & Patres accendunt ignem; & mulieres depsunt massam, ut faciant* PLACENTAS (כַּוָּנִים) *Reginæ Cœli*, (*Lunæ*, sive *Veneri*,) *&* LIBENT LIBAMINA (profuso vino;) *Diis aliis*. Non est dubitandum, intelligi *liba*, melle condita, πόπανα dicta Aristophani & Luciano, quæ offerebantur Dîs. Sozomenus, loquens de superstitione annua, qua Phœnices, Palæstini, Arabes, cujuscunque Sectæ Religionis, olim prosequebantur quercum & puteum Mamre [h]: *Nam Græcanico ritu alii quidem lucernas accensas ei* (puteo) *imponebant*; οἱ δὲ οἶνον ἐπέχεον, ἢ πόπανα (in Ed. Germ. male πότανα,) ἔβριπτον· *alii* VINUM *aut* PLACENTAS *in eum injiciebant: nonnulli nummos, unguenta, vel suffitus*.

Interjectio interminatoria altera.

℣. 6. fine. *Num super his* CONSOLATIONEM ACCIPEREM?] Hoc est, An tanta flagitia missa facerem absque punitione aut ultione; ut *verbis* me placari finerem? Metaphora est desumpta à Principe aut Marito gravi injuria affecto ac dehonestato, qui ad honorem suum pertinere censet scelus in se commissum vindicta prosequi ad *satisfactionem pœnalem*, in qua acquiescat; dum delicti enormitas *satisfactione verbali* pensari nequit. Habuimus phrasin ab ipso Vate expositam Cap. I. 24. confer Ezech. V. 13. Forma propositionis per *interrogationem* arguit, vindictam hanc Dei in summa esse fundatam ratione, atque à conscientia omnium, qui *Jus Dei* & *Creaturæ* amant, probari, laudari, debere. Confer Jer. V. 9. Ps. XCIV. 10. Figura docet, α. Deum, licet longanimem, honorem suæ Majestatis carissimum habere. β. Esse delicta tam atrocia, ut eorum vindicias Deum transmittere non deceat. γ. Deum in illis vindiciis exactis, tanquam naturæ suæ congruentibus, acquiescere. quæ acquiescentia, stylo plane figurato, exprimitur per *τὸ ridere Dei* in hostium suorum interitu. [i]

Articulus quartus.

℣. 7. *Super montem excelsum atque elevatum posuisti* CUBILE TUUM: *etiam illuc ascendisti ad immolandam victimam*.] Patet, tum ex *Subjecto* quod hic compellatur, quod est *fornicaria*; tum ex *commate sequenti*; hic per cubile intelligi *lectum* sive *stratum libidinis*, ut Prov. VII. 17. Ezechieli est משכב דדים *Lectus amorum* [k]. Ut adeo hic idem bis dicatur, primo mystice, quod *fornicaria* hic in *monte alto* & *excelso*, in propatulo coram omnium oculis, satisfecerit libidini in cultu vetito ac nefario *Idolorum*: dein proprie, quod ibi *sacra* solenniter *fecerit*; sc. *Dîs cœlestibus*, qui montibus & collibus quantum pote altis ac excelsis colebantur. Est Vir Doctissimus [l], qui hic intelligi vult *Lectulum*, in quo recumbebant in solennibus Deorum Epulis quæ cum sacrificiis jungebantur: *nam*, ait, *seculis illis antiquis, non sedentes, sed lectis incumbentes, epulari solebant*. Sed apud Hebræos illum morem obtinuisse antiquis temporibus, non facile probaverit. contrarium ejus ex certis locis liquet, de quo hic non disputo. Sequentia verba fidem facient, hic agi de sponda voluptatis. Cætera satisfit huic loco, si hic intelligas *sacrificia facta* in *Montibus*: etsi forte *Montes* aliqui ipsi, invalescente superstitione, pro *Diis* culti sint. Gildas ubi est in de-

Saxa à Gentibus culta cujus generis?

Meditatio temperata ad hæc verba.

Rectius tamen multo referuntur ad *punitionem* peccatoribus à Deo decretam.

Cui sententiæ favent notiones חלק *pars*, & גורל *sors*. Exemplis adstruitur.

Lævia Vallium sunt lubrica & salebrosa loca.

Qualia non desunt in Syria & Phœnicia.

Paraphrasis verborum ex hac hypothesi.

Artic. tertius. *Etiam iis fundis libamen, offert munus.*

Relativum in his verbis quorsum pertineat?

Ritus idolatricus describitur ex Jer. VII. 18.

Interjectio interminatoria altera ℣. 6. *Num super his consolationem admitterem?*

Sensus verborum.

Metaphora unde sumpta?

Figura orationis explicatur.

Articulus quartus: ℣. 7. *Super montem excelsum posuisti cubile tuum*, &c.

Intelligitur hic stratum libidinis.

Doctissimi Viri meditatio.

[a] Cap. X. 6. [b] Job. XX 29. [c] Jer. XIII 25. [d] Ps. LXXIII. 11. [e] Jer. XXIII. 12. [f] Vide Cl. Maundrell in *Itin. de Valle* Dinonis Tripolitanæ, p. m. 73. [g] Prov. XXIV. 16. [h] *Hist. Eccl.* Lib. II. Cap. IV. [i] Prov. I. 26. [k] Cap. XXIII. 17. [l] Spencer. de *Rationibus Legg. Mos.* Lib. III. Diss. I. Cap. VII.

Montes olim pro Diis culti.

scribendis erroribus Gentium [a]: *Neque nominatim inclamitans* MONTES *ipsos aut* COLLES, *vel fluvios, olim exitiales, nunc humanis usibus utiles, quibus Divinus honor à cæco tunc populo cumulabatur.* Alia dabit Vossius; & maxime de CARMELO *monte* ipsius Palæstinæ, pro *Deo* culto; quod satis notum ex Scriptoribus Romanis [b]. Sed plane mihi non persuadeo, superstitionem antiqui illius fuisse ævi. Posita est in fastigio Carmeli *ara*, absque Templo, haud dubie ut Diis cœlestibus puriora inde sacra fierent; sed prædominante superstitione, cum omnia verterentur in *Deos:* Mons hic valde conspicuus & singularis eandem expertus est sortem.

De Carmelo Monte animadversio.

Articulus quintus.

Articulus quintus, ℣. 8. *Et post januam & postem posuisti* MEMORIALE TUUM; *quia à me discedendo* REVELASTI stratum tuum *& ascendisti: dilatasti stratum tuum, & fœdere te obstrinxisti* aliquibus *ex illis: dilexisti concubitum ipsorum*, ubi MONUMENTUM *vidisti.*] Verba, ut Hebraice concepta sunt, ad primam speciem obscuriora videntur; nec tamen difficulter, si quis debitam attentionem adferat, expedienda. Relegam singula, per partes; ne quid expositu necessarium temere prætermittam. Primum membrum, *Et post januam & postem posuisti* וכרונך MEMORIALE TUUM; interpretatur Menochius [c]: IDOLUM DEI TUI, *ut illud quasi* TUTELARE SIMULACRUM, *tam ingrediens domum, quam foras progrediens, adorares, & faustum felicemque ingressum & egressum ab eo posceres:* quam doctissimam expositionem merito Cl. Spencerus laudat [d]; idem erudite demonstrans vocem זכר *recordari*, *meminisse*, in sacris sæpe sumi pro *cultu* & veneratione quæ Numini exhibetur: quæ observatio bona fide commendatur. quare aliorum Intt. cogitationes alienas hic plane prætereo. An vero hic alludatur ad *simulacra* sive *Idola* publici usus quæ quisque sibi pro arbitrio eligit; num vero ad *signa* Idolorum Domesticorum, *Larium* ac *Penatium*, Deorum tutelarium cujusque Domus; ex hoc loco definiri nequit. Prius tamen mihi probabile est, quia *Lares* sive *Penates* reponebantur in *secretioribus* ædium *conclavibus:* de quibus egi ad Cap. II. 8. XXX. 21. XLIV. 10. Vide interim de *Laribus* & *Penatibus* Vossium [e], si qua parte hæreas. Grotius pluresque alii censent, opponi quod hic dicitur mandato Divino de Verbis Legis inscribendis ædium *postibus* Deut. VI. 9. XI. 20. quod in medio relinquo. Sequitur, כי מאתי גלית ותעלי Hieron. *Quia juxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum.* Liberius quam par est. מאתי non potest notare *juxta*; sed valet, *ex me*, *à me.* Vocem תעלי vertit, *ascendere fecisti*, sc. adulterum, & ferre potest eam interpretationem. Sed cum nullum *subjectum* apponatur: rectius hic vertitur per *ascendisti* ex forma *Kal.* Pisc. & Belgæ: *Imo à me recedens retegis* te, *& ascendis.* Sed non est in verbis, persona *te.* Coccejus: *Quia à me renudatis stragulis ascendisti.* Sensus secundum ipsum; Cum mihi accubares stragulis tecta, nudasti stragulum, & surrexisti, ut te conferres in lectum Mœchi. Idem vidi placuisse R. Salomoni. Sed qui ex lecto *surgit*, non videtur commode dici *ascendere.* Ergo plane hic probandum censeo observatum Sanctii; tria hæc verba referenda esse ad *cubile*, sive *stratum*, משכב, quod postremo verbo additur, atque adeo verto verba, *Quia* A ME sc. discedendo *retegis*, lectum, *stragulum* videlicet lecti, *& ascendis* eum: *Dilatasti* LECTUM TUUM. Propheta noluit bis usurpare vocem משכב *Cubilis* sive *strati amatorii.* Sic nihil est, in quo quis hæreat. Vox מאתי recte vertitur *à me discedendo.* Sic Jeremias in eodem genere [f]: *Si quis dimittat uxorem suam*, והלכה ממאתו *& ab ipso abiverit*, recesserit, & seqq. Sequitur: *Dilatasti stratum tuum*, sc. ut plures capere posset mœchos: ותכרות לך מהם *& cum aliquibus illorum fœdus iniisti*, h. e. pacta tibi mercedem scortationis, ut te libidini illorum obsequutam protegerent: ad quod ipsi tuo commodo se obligarunt, idque tibi spesponderunt. Significatio vocis כרת hic non est dubia. Extremum *versiculi:* אהבת משכבם ידת חזית *Amasti concubitum ipsorum*, *ubi* SIGNUM vel MONUMENTUM *vidisti.* Hærent hic Intt. Hebræi & Christiani passim, verteruntque per *locum*, *spatium*, ut sensus sit, *Dilexisti concubitum*, sive *Stratum* ipsorum, ubi *spatium* nacta es, h. e. exercendæ libidinis commodam occasionem. Sed quicquid statuas de Loco Cap. LVI. 5. de quo nuper agebamus: valere hic debet significatio *Tituli*, *Signi*, *Monumenti*, *Statuæ* qualibuscunque Diis sacratæ, ut idem valeat quod מצבת: 2 Sam. XVIII. 18. quod Lud. Cappellus jam erudite observavit. Sensum habe; Non tantum *cubile tuum exposuisti mœchis*, h. e. Civitatem Hierosolymam, cum Templo, Urbesque tuas; sed ipsorum quoque Regiones ingressa, ubi *titulum* aut *Signum* qualecunque *idololatricum* vidisti, conscendisti stratum mœchorum, & te libidini illorum prostituisti, videlicet in colenda *idololatria.* Sentit enim quisque, nemine etiam monente, *cultum simulacrorum & idolorum* hic comparari cum *adulterio* spirituali Populi Dei, secundum stylum aliorum quoque Prophetarum Jeremiæ [g], Ezechielis [h], Hoseæ [i]. Est autem *scortari* hic *adulterium committere. scortatrix*, meretrix, *adultera.* Fœdus quod Deus in gratia cum Populo qualicunque init, nullo emblemate clarius exprimitur quam *Conjugii*; tum ratione respectus quem Fœderati inter se obtinent; tum ratione *Conditionum*, ad quas Partes fœderatæ se in Fœdere Sacro obligant. *Deus* hic sustinet vicem *Mariti:* Populus Dei respicitur ut *Uxor.* Sed idem obtinet in omni Religione, & falsa quoque. *Idola*, sunt Viri; qui vero persuasi de illorum potentia, & Divinitate, & Voluntate, se iis substernunt ad obsequium, ut *voluntati* eorum se *subjiciant*, quod fit in cultu; veniunt in hoc emblemate ut *fœmina.* Ergo Populus Dei, conjugio ejus fœderali devinctus, ut ipsum solum amet, colat, veneretur, seque voluntati ejus obsequiose subjiciat; si ab hoc fœdere & fœderali fide discedens, Diis alienis aut fictitiis eadem officia exhibeat, & quidem cum magno libidinis ardore, qui passim locum habet in superstitione: dicitur, stylo Scripturæ, *scortari*, adulterare; & *Idola*, quibus se substernit, appellantur *Mœchi.* Jeremiæ hic phrasis plane consentanea est orationi Jesaiæ, ubi in comparatione fornicationis spiritualis *Israëlis* & Judæ, de illa Gente dicitur [k]: *Ivit illa in omnem* MONTEM EXCELLUM, *& subter omnem* ARBOREM VIRIDEM, *&* SCORTATA EST *ibi.* Id hic est *nudare stragulum lecti*, eumque *dilatare.* ubique & quidem *propalam*, (בפרהסיא) se prostituere idolis. Sane legens historiam putem; idololatriæ & superstitionis Populi Dei antiquorum temporum vix à nobis formari posse imaginem, quæ infinitam fere ejus varietatem, cultorumque ejus ardentissimum studium atque insaniam, adæquet. Confer solummodo 2 Reg. XXIII. 4. seqq. & Jer. XI. 13. *Quia secundum numerum Urbium tuarum, sunt* (vel fuerunt,) DII TUI *ô Jehuda; & secundum numerum platearum Hierosolymæ posuisti altaria* PUDENDO; altaria ad *adolendum Baali.*

Durum videri queat, dicta in hac periocha referre ad Ecclesiam Christianam corruptam & adulteram, qualis proximis ante Reformationem Sæculis apparuit in Occidente: tum per Italiam, atque in ea Romam; tum per vasta Europæ Regna, nomen Christi professa, & Romæ in Statu suo spirituali subjecta; cum ipsa illa Ecclesia sibi maxime vindicare nitatur titulum Ecclesiæ veræ; & cum phrases Prophetæ nos omnino videantur ad describendam idololatriam & superstitionem antiquam Populi Judæorum aut Ephraimitarum ducere. Sane non abnuo; sed simul video, suadente & ur-

Per *Memoriale* hic intelliguntur *idola.*

Menochius hic laudatus.

Notio vocis זכר *recordari* sumitur pro *colere.*

Num hic subintelligantur *Penates*, *Lares?*

Verba, *Quia à me discedendo revelasti*, &c.

Versio Hier. incurrit in notam.

Cl. Cocceji meditatio.

Et Sanctii quæ laudatur.

Vox מאתי recte vertitur, *A me discedendo.*

Reliqua expediuntur.

Vox ידת hic recte sumi videtur pro *Monumento.*

Prophetarum stylus de *scortatione*, & *idololatria spirituali.*

Scortatio spiritualis, Prophetis memorata; quæ sit?

Idololatriæ ac superstitionis multiplex varietas sub V. T.

Sitne æquum hanc prophetiam referre ad corruptam in Occidente Ecclesiam?

Defenditur

& juvantur paraphrasi.

[a] In *Epistola*, *Hist. Britann.* p. m. 115. [b] *Idol.* Lib. II. Cap. LXII. Tacito & Sueronio. [c] De Rep Heb. Lib. IV. c. 1. §. XI. [d] Spenc. Lib. II. Cap. V. [e] De *Idolol.* Lib. IX. Cap. XXXIII. [f] Cap. III. 1. [g] Cap. III. 8. [h] Cap. XX. 30. [i] Cap. I. 2. seqq. III. 1. Confer Jes. I. 21. [k] Cap. III. 6.

& urgente contextu, nihil in eo absurdi inesse, modo attributa quæ hic vindicantur Ecclesiæ corruptæ, ei conveniant; quæ attributa multivaria, resolvuntur in *idololatriam* atque *superstitionem* crassissimam, eamque publicam, conjunctam cum *effusione sanguinis innocui*, tanquam parte Religionis. Rebus enim talia competunt *nomina*, qualia illorum sunt attributa. Idololatria autem, & superstitio, licet species variet, ubique fœda est ac detestabilis; mereturque iisdem appellari nominibus, sive sub Novo, sive sub Antiquo fœdere locum habeat. Eadem culpa; crimen idem. Quod vero attinet ad phrasin Prophetæ quæ desumpta maximam partem videtur ab idololatria antiqua: Respondeo, primo quidem, nihil in eo esse quod quis miretur. Cum enim Prophetæ de *vero* Dei *cultu spirituali* loquantur phrasibus petitis à Rituali cultu, qui locum habuit sub Oeconomia Vetere, cujus exemplum luculentum præter alia modo habuimus *Capite superiore*, ℣. 7. estne paradoxum, illos de falso cultu, eoque idololatrico, loquentes, ex falso cultu antiqui temporis locutiones promere? Maxime cum idololatriæ omnis idem genus sit: licet species variet. Quid enim volumus, Vates antiquos de specie idololatriæ & superstitionis Pseudochristianæ loqui vocibus & phrasibus nostri *Sæculi*, cum utique ideæ earum rerum hactenus non extarent; & si id fecissent, nemo mortalium quicquam ejus quod dicere intenderent, potuisset comprehendere? Quin ipse Dominus in *Apocalypsi* in Epistolis ad *Ecclesias* sui nominis hunc stylum imitatur [a]: poteratque præterea hæc loquendi ratio hunc habere usum, ut ejus temporis homines simul convincerentur de fœditate horum criminum, & si se in culpa hac deprehenderent, Judicium Dei seria resipiscentia prævenirent. Verbum enim Dei non ad unum, sed ad plures usus, pro summa Dei sapientia conscriptum est. Deinde, patet cuique, Jesaiam, descripturum prævalentem ac væsanam idololatriam Ecclesiæ corruptæ & adulteræ de qua agit; tam involute & obscure scripsisse, ut huc usque nemo eum ex ritibus superstitionis antiqui temporis perfecte explicuerit; atque hoc ipso videatur voluisse monere, subesse verbis altiorem sensum. Ergo si rem ipsam propius inspiciamus: res est in propatulo, superstitionem & idololatriam Ecclesiæ Romanensis esse summam, omnemque excedere modum; ut ubique occurrant imagines, simulacra, signa, domi foris, in Templis, Sacellis, plateis, compitis, viisque publicis, montibus, vallibus, & Eremis quoque. ubique est quod adores, & coram quo te prosternas. ut qui nostrum in terris puriori Religioni consecratis nati, si forte in terras Pontificiæ sectæ, eorumque Templa & Sacella veniant, admirabundi obstupescant ac vix oculis credant, quod tamen oculi vident, & animus dolet, sani sensus homines, fidem Religionis Christianæ profitentes, ad væsanam ejusmodi ac detestabilem superstitionem prolapsos esse; & in se renovare typum corruptissimi Status idololatrici Populi Dei antiqui temporis. unde hæc verba Prophetæ relegentes Viri Docti, qui superstitionem Pontificiæ sectæ quotidie coram oculis habebant, licet aliud agentes, temperare tamen sibi non potuerunt, quo minus comparationem facerent. Sic Ludovicus Cappellus, literalem verborum sensum illustrans, *Nempe*, ait [b], *quomodo hodie videmus miseros illos in* ECCLESIA PONTIFICIA *εἰδωλομανεῖς in genua procumbere, preculasque suas demurmurare, quotiens in via illis occurrit cippus & titulus aliquis Sancto alicui dicatus.* Quæ itaque caussa est, quare Sancti, à Sæc. XII. videntes hanc *superstitionem carnalium hominum sui temporis*, ut phrasi Berengarii utar; una voce *Romam* superstitionis & idololatriæ doctricem ac propagatricem vocaverint *Babylonem*, matrem *scortationum* & *abominationum terræ*. Quod vero hic improperatur illi *adulteræ* ac *fœdifragæ*, illam filiosque ejus *incaluisse* באלים *in Divos*, Heröes defunctos, Deos tutelares; apud Deum intercessores, externo ritu honorem cum Deo partientes; (quod enim hic Doctiores δουλείαν, ὑπερδουλείαν & λάτρειαν distinguant, non curat vulgus:) quid magis quadrat superstitioni Pontificiæ, & de ea verius prædicatur? Faciunt enim Romanenses ex sanctis *hominibus*, (אנשים,) qui quo sanctiores, eo humiliores & gloriæ Domini sui studiosiores fuerunt, אלים DIVOS, & DEOS, dum quà Deos illos honorant & adorant; imo vero honorando dehonestant, & summum Deum ac Mediatorem unicum Jesum Christum, summa afficiunt injuria. Quod autem proprium superstitioni, cujus vis est incredibilis: in ipsa illa corrupta Ecclesia homines, cætera vitâ impuri & omnium mysteriorum Religionis ignari, in hos *Divos*, quos quisque sibi diversos eligit ex *Angelis* aut *hominibus*, tanto feruntur *ardore*, tanto inflammantur zelo, ut alia sibi omnia licere arbitrentur, modo *Patronum* suum diligenter colant. Hæc omnes norunt: nemo nescit. Sed vero an hisce quoque *mactant* ילדים PUEROS, & quidem in *Vallibus* sub *præcipitiis petrarum?* ℣. 5. Infandum dictu videtur; & vellem, dici non posse: etsi nihil dici possit verius. Observa itaque hic, *a.* Prophetam hic non uti voce בנים *filiorum*, qua Prophetæ passim, ubi de cultu Molechi loquuntur, sed ילדים *puerorum* sive *natorum*; qua voce mystice appellantur οἱ παῖδες *Nati* in *Ecclesia* ejusque membra, sive Discipuli Christi Jesu & Doctorum veræ Ecclesiæ. Sic Propheta noster Dominum Jesum dicentem facit [c]: *Ecce* EGO, והילדים & PUERI (nati) *quos mihi dedit Jehova, in signa & portenta in Israële.* Intelliguntur utique *Discipuli*, Christo Jesu dati à Patre. Poëta sacer [d]: *Et de Tsione dicetur, Hic & ille Vir celebris* איש ילד נולד NATUS *est in ea.* Qui ילדים *pueri*, nati, hic *absolute* sic dicti, contradistinguuntur τοῖς ילדי פשע *Natis defectionis*, de quibus Vates loquutus fuerat ℣. 4. β. Non dici totidem verbis in hoc loco illos ילדים *pueros, natos*, mactatos esse Molecho aut Baali: sed simpliciter, illos *mactatos esse in vallibus sub præcipitiis petrarum.* Et tamen ego minime intercedo, quo minus id ita accipiatur. Quisquis enim veros Christi & Ecclesiæ filios, Discipulos, confessores, *mactat* & *jugulat* ex superstitione, ἵνα προσφέρῃ λατρείαν τῷ Θεῷ *ut cultum præstet Deo* pro falsa *opinione*: quod futurum esse Dominus Discipulis suis prædixerat [e]: is ex *Deo* facit IDOLUM; nec præstat servitium *Deo*, sed *Diabolo*, qui in Baale & Molecho colebatur. Quare qui id agunt, non minus horrenda se polluunt superstitione, quam qui olim *filios* ipsorum, quos Deus *filios* SUOS vocat [f], offerebant *Molecho*. O scelus & flagitium! quod utinam Ecclesia nunquam vidisset. Quot millia & myriades ita *mactavit* & *jugulavit*, & acsi *Molechi* cultum imitari vellet, *cremavit* in honorem & vindicias profanæ suæ idololatriæ Ecclesia Romanensis, omni Leopardo ac Ursa sævior? *Enimvero sævitia*, ait Hermannus Conringius [g], Germaniæ suæ decus; *quæ Paparum Romanorum partibus tuendis Patrum nostraque ÆTATE IMPENSA EST,* LONGE MAJOR HACTENUS FUIT *quam illa quondam Gentium in Christianos. Raro enim olim persecutiones, nec diuturnæ; plerumque etiam in paucos excitatæ, ac in paucis locis. Ludum sane jocumque fere singulas habeas, præ illa quam hodie Inquisitionem appellitant.* En mihi hanc adulteram carnificinæ recte figas in Sæc. XII; inde per sequentia sæcula continuandæ, furore immani, absque ulla miseratione, cæteroquin humanæ Naturæ propria. Sed in *Vallibus*, ais, *sub præcipitiis petrarum?* Imo vero in *Vallibus*, inquam, *sub præcipitiis petrarum.* Si enim Jesaias nos sua manu ducere voluisset in conspectum ejus, quod recentiora tempora cum stupore viderunt: non potuisset clarius scribere. Estne enim qui nesciat, reliquias Valdensium potissimum fere omnes resedisse in VALLIBUS *Allobrogum*, (ipsas inter *Alpes*,)

ipsius sunt אלים *Dii, tutelares.*

Ardor in eam superstitionem.

Mactare pueros in vallibus, sub prominentiis petrarum: quatenus conveniat huic Ecclesiæ idololatricæ?

Vox ילדים *Nati* quo sensu à Prophetæ sumatur?

Qui hominum innocuos Religionis caussa interimit: non colit *Deum*, sed *Diabolum.*

Defectricis Ecclesiæ major sævitia & acrior persecutio, quam Paganorum antiqui temporis.

Quomodo *jugulati* sint innocui in *Vallibus sub ter eminentias petrarum?*

Implerum in *Valdensibus.*

si attributa ei conveniant.

Occurritur difficultati, quod phrasis Prophetæ desumpta videatur à superstitione antiqui temporis.

Prophetæ suo tempore mentem suam aliter non potuerunt exprimere.

Obscuritas orationis Prophetæ nos monet de sensu occultiore.

Superstitio Ecclesiæ Romanæ est ingens, ac multivaria.

Verba Lud. Cappelli.

Sancti propterea & pii homines *Romam* sequenti tempore appellarunt *Babylonem.*

Objectum superstitionis

a Apoc. II. 14. 20. b *Annot. Crit.* ad Cap. LVI. 5. c Cap. VIII. 18. d Ps. LXXXVII. 6. e Joh. XVI. 2. f Ezech. XVI. 21. g In *Dedicat.* ad *Ernest. August.* ante Opera Cassandri, & Wicelii.

Alpes,) *Provinciæ*, *Narbonenſis Galliæ*, *Aquitaniæ* & *Delphinatus*: atqui vero hi ipſi, innocui plane Dei cultores, omnibus abominationibus Eccleſiæ Romanæ puri, quippe quam habebant pro Eccleſia *corrupta* & *adultera*, licet ſeorſim ac modeſte viverent, rapti ſunt ab Inquiſitoribus ad necem, ubi haberi potuerunt; vel paſſi ſunt magnos hoſtium veritatis inſultus ac perſecutiones, ac in convallibus ſuis ſub *præcipitiis petrarum* jugulati ac *mactati*. Eſt autem hic præter alia plane inſignis horrenda laniena commiſſa in *Caprarienſes* & *Merindolenſes*, in confiniis Provinciæ ac Sabaudiæ, quæ abſque perturbatione legi nequit, alibi à me adducta [a], licet hiſtoriæ non prorſus ignaris ſatis nota: ne jam dicam de illuſtribus confeſſoribus Veritatis in Vallibus & Montibus Pedemontii, Aquitaniæ, & Cebennarum oppreſſis & abſque miſeratione mactatis? ut ſi Spiritus S. ſpecimen exhibere voluerit *mactationis* & *jugulationis* (paſſim has ipſas voces in hiſtoria hac adhibet Thuanus [b],) innuocuorum puerorum ac Diſcipulorum Chriſti, nullum dare poſſet illuſtrius; quippe quod ſcelus, licet Rege Franciſco I extremis Regni ejus, non neſcio factum, tamen ſub Filio ejus Henrico II protractum eſt in notitiam publicam, damnatumque à Supremo Regni Judicio Pariſienſi. Et tamen obtentus fuit cauſſa Religionis: ſævitia autem hic in homines plane innocuos exercita, ſi ſeponas negotium Religionis: forte abſque exemplo. Urſerunt autem hoc flagitium Legati Paparum, & Provinciæ Epiſcopi. Cætera jam non opus eſt perſequi. Quod enim dicit Propheta, idololatras illos hiſce ſuis אלים *Divis* obtuliſſe *munera* & *libamina*: eſtne etiam hic qui ignoret, idem plane obtinere apud Romanenſes; *honorari*, inquam, ibidem *Sanctos aris*, *imaginibus*, *radiatis capitibus*, *Templis*, *miſſis*, *cereis*, *feſtis*, *juramentis*, *votis*, & horum ſimilibus? Nihil hic minus eſt: omnia pertendo eſſe majora. Superſtitio hic eſt ſumptuoſior, & ſtupidior, & magis ſanguinaria, quam olim.

Singulare ejus exemplum in Caprarienſibus ac Merindolenſibus.

Munera & Libamina *Divis* oblata in Eccleſia Latina.

Crimen tertium: *Veneratio* & *adoratio* alicujus Regis tanquam Deo ſubſtituti, à cujus favore ac defenſione ſalutem exſpectabant.

℣. 9. *Et dirigis iter ad* REGEM CUM OLEO, *& multiplicaſti* PIGMENTA TUA: *& mittis Legatos tuos uſque in terram quæ longe abeſt*; *& humilias te uſque* AD INFERNUM.] Prius membrum Hebraice ſic legitur, ותשרי למלך בשמן: ubi dubia videtur ſignificatio vocis תשרי, ex שור, quæ notio præter eam *cantandi* obtinet ſignificationem *contemplandi*, *proſpiciendi*, *cernendi*. Inde igitur Docti Intt. petierunt notationem vocis huic loco aptandam: quod enim Hieronymus hic exhibet, *Et ornaſti te Regi* (non *regio*, ut habetur in Vulgata:) *unguento*, haud dubie per conjecturam ex analogia finxit. Jun. & Trem. *Et contemplata* mittis *ad Regem cum unguento*. Piſc. *Circumſpicis*, *&* mittis *ad Regem cum oleo*. Utrumque coacte, ut quiſque facile per ſe obſervet. Cocc. *Et comparuiſti Regi cum oleo*. In ſenſu nihil vitii. Sed non putem, vocem שור hujus ſignificationis capacem eſſe. Exponit Vir Doctiſſimus, *admiſſa ad videndum Regem*. Vox שור, ubi notat *videre*, *contemplari*, proprie notat *accurate obſervare*, *circumſpicere*, *protendere viſum*, quod huic caſui minus convenit; & conſtruitur cum *accuſativo*. Si itaque vox hac notatione accipienda eſſet: videtur ſcripturus eſſe Propheta, תשורי ארח מלך, non למלך. R. Saadja apud Kimchium notionem vocis hic arceſſit à תשורת *munus* quod quis Regi, Principi, aut Doctori offert, ex 1 Sam. IX. 7. unde Pagninus Vatabli: *Munera quoque detuliſti*. quod lubentius admiſerim. Sed nullus dubito, quin notio שור, quæ affinis eſt thematibus אשר *recta procedere*, & ישר *rectus*, prima & communi ſignificatione valeat *recta intendere*, *extendere*, *dirigere*, aliquid, (ut Forſterus obſervavit,) atque adeo *porrigere*, exporrigere, unde תשורת *munus*. Eſt autem אשר Hebræis *procedere*, *progredi*, *recta incedere*, tendere ad finem. quam ſignificationem vox שור, ex meo ſenſu, hic mutuata eſt à voce affini אשר. Et vero Kimchius vocem hic exponit per תלכי *is*, *incedis*, ſtudetque hanc notationem ex analogis vindicare; quæ ſuo loco relinquo. Sic optimo ſenſu verto, *Et dirigis iter ad Regem cum oleo*; quod huic loco maxime congruit. Subjicit Vates, *Et multiplicas* רקחתך. Hieron. *pigmenta tua*. Τὰ μυρέψιά σου. τὰς συνθέσεις σου. ut Veteres Intt. Non male. valet enim רקח *aromatibus temperare*. Plane exiſtimem, alludi ad *opobalſamum*, balſami ſuccum, præſtantiſſimum fructum, quem *ſola* tulit *Judæa* [c], alioſque ex aromatibus, quæ Judæa aut Arabia fert, compoſitos liquores. In cæteris, *Et miſiſti Legatos tuos in longinquas oras*, *& humiliaſti te uſque ad infernum*; nemo hæret. Sunt enim ad ſenſum genuinum liquidiſſime expreſſa.

Sub *pigmentis* reſpici videtur *opobalſamum*.

Qui hic oberrant circa ſtatum Judææ antiqui temporis: cogitant hoc loco de Regibus Aſſyriæ aut Ægypti per Legatos munera ferentes, more Populorum Orientalium, aditis nomine Regum Judææ, ut eorum implorarent opem adverſus ſuperiorem ac prævalentem potentiam. Sic probabiliter ſtatuimus exponendum eſſe Vaticinium Cap. XXX. 1. ſeqq. de *Ephraimitis* Ægyptios in auxilium vocantibus, oblatis muneribus. Vide ad illud *Caput*, ℣. 6. & confer Hoſ. XII. 2. Aliud eſt exemplum Achazi Tiglatpulaſſaris ſuppetias redimentis, *auro* videlicet & *argento* [d], (aliorum enim munerum hiſtoria non meminit:) & Tſedekiæ per *Legatos* ſolicitantis Ægyptium, apud Ezechielem [e]. Verum Jeſaias *Regem* nullum hoc loco definit; atque adeo nihil mihi hic obſtat, quominus perſequar interpretationem ſecundum hypotheſin à me aſſumptam. Qui hiſtoriam temporum & Eccleſiæ non plane ignorat, huic non latet eſſe Babylonis myſticæ aliquem REGEM, ſic dictum in *Apocalypſi* [f], qui ſe ingente faſtu extulit in ſummam ſublimitatem, & per plura ſæcula à Populis creditus eſt Vicarius Chriſti Jeſu, & diſpenſator Divinæ gratiæ in hiſce terris. ad ejus vero aulam cum *muneribus pretioſiſſimis* magno numero ex omni Europæ & Sæc. XII. ac XIII quoque ex variis Aſiæ partibus confluxiſſe qui Beneficia Eccleſiaſtica ambiebant; aut ea ſi à Principibus impetraſſent, *Pallia* inde magna pecuniæ ſumma depenſa, auferebant; vel etiam privilegia pro Cœnobiis aut Communitatibus oblatis *muneribus* cupiebant impetrare; vel inducti ſuperſtitioſo præjudicio de ſanctitate illius Romæ, quam oculati omnes videbant eſſe ſentinam vitiorum, illuc *longinquam* inſtituebant *peregrinationem*: qui ad ipſum admiſſi ſalutaturi aut munera ſua oblaturi, non tantum de plebe homines, ſed honoratiſſimi quique Comites, Principes, Reges, & ipſi quoque Imperatores, ſe *ad infernum uſque* coacti ſunt *humiliare*, & in pedibus tanti Viri *oſcula figere*; eumque tanquam *idolum* ADORARE; quod idem hodiedum præſtant eorum Principum & Regum LEGATI, qui apud illam Curiam agunt. qua ipſa notione, ne humanum quid cogites, Lingua illius Curiæ hic actus deſignatur. *Aurum*, ais, & *argentum* hic offertur: ita ſane; ſed & olim Ægyptio & Aſſyrio. Quæris tamen cætera; lege in lamento ſuper Roma extincta [g]: *Et cinnamomum*, *& ſuffitus*, *&* UNGUENTUM; (μύρον,) *& thus*, *& vinum*, *&* OLEUM. Sed *ſpecies* hic, quod quiſque videt, ſumitur pro genere. Hæc non probo ex hiſtoria quippe omnibus nota. Lege Matthæum Pariſium, & quicquid eſt hiſtoriæ fidelis horum temporum; quin vide tuis oculis, quod adhucdum Romæ geritur.

Quorſum hæc verba applicentur à variis Intt.?

Hiſtoria Achazi & Tſedekiæ.

Rex Babylonis novæ.

Crimen tertium: *Veneratio* ac *adoratio Regis* alicujus, Deo ſubſtituti, ℣. 9. *Et dirigis iter* ad *Regem*, *&c.*

Dubia notio תשורי ex שור.

Verſio Hieronymi.

Verſio alia Docti Interpretis.

Animadverſio R. Saadjæ.

Significatio definitur.

Cultus ſummiſſus, qui eidem defertur ab hominibus omnium Ordinum.

Locus Apoc. XVIII. 13. cum hoc collatus.

Quar-

---

[a] Ad Apoc. XI. 11. [b] *Hiſt.* Lib. VI. a. A. MDL. Paulus Sarpius a. A. 1545, quo hæc laniena accidit: *Vivebant* (hi Valdenſes, IN MONTANIS PROVINCIÆ, ſc. vallibus. Extirpatorum vox erat) *Tolle*, *tolle*, *crucifige*. [c] Plin. *Hiſt. Nat.* Lib. XII. Cap. XXV. [d] 2 Reg. XVI. 7. 8. [e] Cap. XVII. 15. [f] Apoc. XVII. 11. [g] Apoc. XVIII. 13.

Quartum crimen: *Obstinata* in hoc proposito *perseverantia.*

Quartum crimen: obstinatio in hoc proposito, ℣. 10.

℣. 10. *Longitudine viæ tuæ laborasti: non dixisti, Res desperata est:* VITAM MANUS TUÆ INVENISTI: *propterea non es infirmata.* ℣. 11. *Cujus vero caussa solicitudine affecta es? & seqq.*] Declaratur obstinatum & pertinax propositum Ecclesiæ adulteræ in hoc instituto. Verba tam hujus quam *sequentis versus* videntur obscuriora; & videtur inde æque atque ex contextu patere, Jesaiam mystice intelligi velle. Persequar sententiam absque operosa diligentia. Primum membrum: ברוב דרכך יגעת proprie sonat, *Multitudine viæ tuæ laborasti*, sive *lassata es.* Sed *via multa* est *via longa.* sic sumitur vox רב constructa cum דרך *via*, 1 Reg. XIX. 7. coll. cum Deut. XIV. 24. Nec tamen propterea existimo, verba hæc accipienda esse de *longitudine viæ* in itinere quod capesserent Legati profecturi ad *Regem.* Utique enim non loquitur Propheta hic de *Legatis* ad *Regem* proficiscentibus, sed de ipsa hac Muliere adultera; similitudine desumpta à *viatore* qui longum & dubium iter ingressus quo videbatur lassandus ac defecturus esse: se tamen identidem sustinet exspectatione *Boni* ex hoc itinere ad se redundaturi. Intellige igitur per דרך *viam* ex communi stylo Sp. S. *institutum* & *exercitationem* cujusque quæ se diffundit per omnes *actiones vitæ:* sive quod perinde est; *ipsas* cujusque *actiones*, congruas instituto & scopo in quem tendit. quæ *via* censetur *longa* esse, ubi quis ad certum scopum tendens se multis variisque implicat negotiis atque officiis, quibus impar, quorumque onere *laboraturus*, videtur. Sentis, hic respici Religionem; & VIAM hujus *adultera* hic contradistingui VIÆ *Dei*; h. e. Religioni à Deo præscriptæ. Verte itaque mentem ad hominem, multis implicitum gravatumque superstitionibus, sua voluntate electis, & in iis observandis valde studiosum ac diligentem, qui tamen, licet defectus & lassatus videatur substiturus esse dicturusque, *Desperatum est:* anhelans in instituto perseverat. Sic Vates, *Non dixisti*, נואש *Res desperata est.* Οἱ ὁ. Οὐκ εἶπας, Παύσομαι· *Non dixisti, Cessabo.* Non possum amplius. Subsistam. Ratio, חיית ידך מצאת VITAM MANUS TUÆ *invenisti, propterea non es infirmata.* Phrasis singularis, & multis visa difficillimæ interpretationis; nec est mihi animus hic sectari diverticulum. Sensus est, *Invenisti id quod robur tuum sustinet.* h. e. inveniste delicias tuas in molesta illa superstitione; quamobrem etiamsi gravissime labores, sustines tamen omnem illius molestiam, quod superstitio satisfaciat tuo desiderio & cupiditati. Kimchius: חיי כחך *Vita roboris tui.* Manus enim in homine instrumentum est & signum *roboris*; item instrumentum operis & laboris, qui in superstitione insumitur. Sic Vates noster Cap. XXXV. 3. *Firmate* ירים רפות MANUS REMISSAS.

רוב דרך *Via longa*, phrasis Sacra.

Referendum, quod hic dicitur, ad ipsam *Mulierem adulteram.*

Per *viam* hic intelligitur qualiscunque exercitatio in negotio Religionis.

Metaphora exponitur.

Vitam manus suæ invenire, quid hic loci significet?

Cultus Dei sub Oeconomia Nova est simplex, & minime operosus.

Cultus veri Dei est rectus, simplex, & sub Oeconomia Nova minime operosus aut sumptuosus; totus spiritualis. quod autem Deus sub Oeconomia Vetere cultum suum voluerit esse laboriosiorem; erant rationes privæ, & inter alias ipsa indoles Populi, cujus conditioni cultus mere spiritualis non congruebat. Sed superstitio omnis est operosa & sumptuosa. Et tamen homo per naturam carni & cupiditati deditus, cum videat, cultum spiritualem cupiditati suæ adversissimum esse: mavult superstitionem operosissimam ac valde molestam, quæ carni blanditur & cupiditati suæ servit; quam simplicem ac purum cultum à Christo Jesu & ab Apostolis institutum. Ergo ne mireris, te videre amplissimam in Mundo Communitatem hominum, sibi vindicantem nomen Ecclesiæ Christi Jesu, in qua misera plebs deluditur ambagibus mille superstitionum, earumque observatu molestissimarum; & tamen multos licet meliora doctos, (quod omnibus non contingit:) in ea perseverare volentes, quod videant *vitam manus sua* hoc medio sustineri. Habes hic pro

Sed homines corruptæ naturæ non retpuunt cultum operosum, modo blandiatur carni.

Cultus superstitiosus Ecclesia Latinæ describitur: quomodo maxime oppositus est Cultui Spirituali.

Uno & vero *Mediatore* atque *Intercessore* nostro apud Patrem: intercessores alios mille & mille. Pro nullo *Festo* à Domino & Apostolis instituto vel sanctificato, (extra *diem Domini*, nec tamen illum *Festum*,) *festa* plurima per totum annum. Pro una via & modo Religionis colendæ, multos *Monachorum* ac *Monialium* Ordines, profitentes majorem cultus severitatem. Pro simplicibus *Oratoriis* sive Domibus Conventuum in usus necessarios institutis; Templa superbissima ac splendidissima, ingente sumptu extructa ornataque; cultores omnes abducentia à veritate ac simplicitate cultus. Quod Apostoli *gratis* dederunt in ordinandis Muniis Ecclesiasticis: hic magno ære & sumptu emitur. Ipsa *peccatorum remissio*, quæ credenti & serio pœnitenti à Domino in Evangelio gratis offertur: hic redimitur multo argento, sive *Viventium*, sive *Mortuorum* respectu. *Cœna Domini* & *Baptismus*, à Christo Jesu instituta sacramenta, simplicissimo ritu administranda, hic cum variis adjunctionibus ridiculis & pompaticis magna ostentatione coram vulgo celebrantur. *Peregrinationes* sumptuosæ, & *Expeditiones* in Orientem ad recuperandam terram quam *Sanctam* vocant, tot centena hominum millia exhausturæ & absumpturæ, hic laudantur & commendantur; &, ut paucis dicam, pretiosa *libertas* nobis vindicata sanguine Christi Jesu, hic commutatur cum *imperioso jugo* alicujus Hominis, qui occupat locum Dei & Christi; h. e. *Tribunal conscientiæ.* Quæris, quæ insania homines in hac operosa superstitione detineat? Una ratio est à Prophetа adscripta: *Accommodata est ad cupiditatem carnis.* Hæc sustinet *vitam manus*, ne manus *fatigetur* ac lassetur, aut cultor fatiscat.

Labor ill eo observand.

Convictio super eo instituta.

℣. 11. *Quem vero reverita es & timuisti, quod mentiaris? Atqui mei non es recordata; non vocasti ad animum tuum. An non Ego sileo, & quidem à longo? ut adeo me non timueris.*] Sic ex meo sensu vertenda sunt verba; estque fere eadem sententia L. de Dieu & Cocceji. Ironica est oratio, qua Deus perstringit hypocrisin illius Populi, qui ipsi hic obversatur; nec variat sensus, sive de Populo adultero Veteris, sive de Populo Novæ Oeconomiæ accipias. res enim eadem est. Nimirum Populus ille, de quo hic agitur, etiamsi palam à Deo discederet, ac se daret pudendæ idololatriæ ac superstitioni, atque de hac apostasia sua clarissime convinceretur per veros Doctores: nihilominus volebat videri esse & appellari Populus *Dei Jehovæ*; & ægre ferebat, se hac privari prærogativa, quippe quam certum habebat tueri. Quid vero hoc agis, ait Deus, cum me non timeas; nec pœnam quoque à me tibi infligendam, quippe qui longum jam tempus hanc tuam hypocrisin & discessionem à me viderim, nec tamen te *pro merito* puniverim; ut sane *non punire Dei* est *silere*, dissimulare [a]. Ludovicus de Dieu in altera animadversione ad hunc locum adscripsit paraphrasin bonam, sensui meo congruentem; quam apponendam duxi: *Quum enim Populus videri nollet verum Deum prorsus abnegasse & rejecisse: mentiebatur Deo, tanquam si & ejus aliquam rationem habere cuperet. Quorsum id facis, inquit Deus? quem formidas, quem times, quod mentiaris nec aperte loquaris? Me certe non times, nam non es mei recordata; nec me in animo tuo gestas. idque merito facere videris. Nam Ego sileo, idque à longo tempore: permitto tibi vivere pro arbitrio tuo; idque diu feci, adeoque me non times. quid est ergo quod non aperte loquaris, & palam dicas, te me deinceps non morari.* Vox זכר *recordari, commemorare*, hic eam obtinet significationem quam indicavi ad vocem וזכרון, ℣. 8. Cætera nihil habeo quod hic κατὰ γράμμα observem. Qui Vaticinia antiqua, Jeremiæ inprimis & Ezechielis, legerit, videt hanc imaginem Populo Judæo illius temporis, qui cultum Dei jungebat cultui Idolorum, & tamen tueri volebat prærogativam

Convictio super eo instituta, ℣. 11.

Hypothesis interpretationis.

Populus Apostaticus hunc operosum cultum nihilominus imputabat Deo; cujus caussa redarguitur.

L. de Dieu laudatur. Verba ejus.

Notio vocis זכר h. l.

[a] Ps. L. 21.

gativam sui Status, probe quadrare: sed idem videns σχῆμα Ecclesiæ defectricis & apostaticæ sub Oeconomia Nova antiquæ illi respondentis, videt multo clarius. Ipsa enim illa non tantum sibi vindicat nomen & statum veræ Ecclesiæ Christi; sed *sibi soli*. Contra autem sentientes & loquentes, perinde ac antiqua illa, persequitur ad diriſſimam necem. Et tamen nihil *sanctum* est in Religione Christiana quod non corruperit; nullum flagitium est, quod aliqui illius Rectores non commiserint. *A*

β. Denunciatio Judicii Divini, hanc Defectionem Vindicaturi.

Gradus primus Judicii.

β. Denunciatio Judicii Divini. hæc Crimina vindicaturi.

Gradus primus, ℣. 12.

℣. 12. *Ego indicabo* JUSTITIAM TUAM, *& opera tua; & non proderunt tibi.*] Sic sonant Hebræa, & sensum dant liquidissimum; ut adeo nulla caussa justa moverit Cl. de Dieu, quod *propositionem simplicem* verterit in *interrogatoriam*, hunc in modum, *An Ego indicabo justitiam tuam & Opera tua? Non proderunt tibi.* Contra vero explicari incipit his verbis *judicium*, quo Deus statuerat prosequi defectionem adulteræ. quod judicium *duobus gradibus* compleretur. Primo quidem *demonstratione* ex Scriptura S. instituenda; de qua hic agitur: Deinde, judicio completorio, quo Regnum hoc superstitionis ac nequitiæ de medio tolleretur: ut sane *Babylonem* bis cadere oportebat *a*. Ecclesia adultera ac apostatica antiqui temporis etiamsi vere à Deo discessionem faceret, idque palam constaret: longissime tamen ab eo aberat, ut id confiteretur. E contrario rationes suas subducens, ita colligebat, Deum sibi multa debere; ob Festa, Solennia, Cultum Ritualem & sumptuosum Sacrificiorum Deo oblatorum cum thure, & aromatibus pretiosis; in quo se *laborasse* jactabat ad *lassitudinem*. Docet id *prima Concio* hujus *Libri*, & præsertim Cap. XLIII. 21. seqq. Videbatur itaque sibi habere *justitiam* apud Deum; & caussam suam, si collato pede disputandum esset, posse defendere. Idem plane attributum sive vitium adhærét Ecclesiæ Apostaticæ sub Oeconomia Nova. Tota licet adulterata vindicat sibi *justitiam*, & *opera*, per quæ existimat se in judicio stare, & caussam suam defendi posse. Jactat enim, se esse custodem veritatis, & infallibilem controversorum Fidei Dogmatum Judicem, & in custodienda Veritate illum Deo probasse zelum, ut multa millia *hæreticorum* qui dicebantur, ad necem persecuta; multa millia alia, ob qualemcunque in Fide traditionali dissensum, rogo & flammis addixerit: apud se esse *Sanctos* multos, quorum ea sit abundantia meritorum, in thesaurum Ecclesiæ collectorum, ut aliis gravissimis peccatoribus, quos merita deficiunt, ex iis subveniri possit; exempla autem hujus Sanctimoniæ esse tot Ordines Monachorum ac Monialium, quot Ecclesia Romana fovet, abnegationem sui ac Voluptatum atque honorum Mundi & deliciarum carnis publice profitentes: præter sumptus immensos in Templa, Sacella, Altaria, Vestes Pontificales Pompaticas, Imagines atque Simulacra aurea, argentea, Gemmis ac Lapidibus pretiosissimis exornata, impensos. Hæccine nihili valeant apud Deum? Imo vero ait Deus, hæc ipsa quæ jactas tanquam argumenta *tuæ justitiæ* non tantum tibi *non proderunt*, verum vel maxime *oberunt*. Ipse enim Ego faciam, ut hæc *Justitia* & *Opera* tua, quæ jactas, sc. (dictum εἰρωνικῶς,) protrahantur in lucem publicam; & cum demonstrata fuerint nulla esse, nuda videlicet, omnique exuta decore exponaris oculis omnium, omnis gloriandi materia tibi adempta. quin faxim, abominanda tua; luxuries, impuritates & immunditiæ, specioſis nominibus tectæ, avaritia, ambitio, errores traditionales, idololatria, superstitio incredibilis, & omnium meritorum nullitas ac inanitas, imo vero ob idololatriam, tyrannidem ac impuritatem summa damnabilitas, in publico totius Mundi Foro coarguantur: è contrario vero invicte demonstretur, *veram justitiam peccatoris*, doctrina Romanensi obscuratam, comparari sola *fide viva* ac *fructuosa* in Mortem ac Obedientiam Mediatoris Christi Jesu. quod efficaciter factum in initiis *Reformationis* Sæc. XVI. Quicquid superstitio, fraudes, doli, artes, Sacrificulorum ac Monachorum, huc usque texerant, vel certe paucis patuerat: hoc tempore in lucem Solis productum est, in illis maxime locis, in quibus Reformatio auctoritate publica processit, ut in Helvetia & Anglia: de quo Sculteti *Annales*, utique pretiosissimi, ac Burneti Historia purgatæ in Anglia Religionis, abunde testantur. Accidit id Ecclesiæ Romanæ acerbissimum. Hoc est illud tempus præliminaris JUDICII Christi Jesu, de quo ipse frequens meminit in Parabolis, Matth. XIII. 30. 49. XXIV. 50. XXV. 10. 26.

Quo tempore id factum?

Judicium geminum in oratione Prophetæ.

Prius judicium constaret Convictione ex Scriptura S. instituenda de vanitate Cultus operosi idololatrici.

In quo tamen fundabat *Justitiam* suam.

Vetus Ecclesia Judæa corrupta & Nova hic inter se comparantur.

Ejus gloriatio.

Operum ejus inanitas; & vitia ac flagitia, protraherentur in lucem.

Gradus alter.

℣. 13. *Cum vociferaris; eripiant te* COPIÆ TUÆ COLLECTÆ: *at omnes illas tollet ventus; intercipiet aura levissima. Sed qui fiduciam in me reponit, possidebit terram, & hæreditatem obtinebit Montem meum sanctum.*] Vox קבוציך, quam cum Cl. Coccejo *b* verti per *congregatas copias*, proprie sonat *collectianes*. ut enim hic signatur, est *nomen*. Symm. recte, Αἱ συναγωγαί σε. Phrasin, יקח הבל verti, *intercipiet aura levissima*. Sic visus sum optime exprimere vim vocis הבל hoc loco. Hieron. *Aura*. Cocc. *Halitus*. Trem. & Pisc. *Vanitas*. quod non videtur huic loco convenire. Vera vis vocis est *vapor c*: est autem *vapor* aura levissima, citissime præteriens, atque evanescens. *Collectiones* illæ, sive *collecta turmæ* hic ex hypothesi sunt Exercitus & Copiæ à Regibus ac Principibus, superstitioni ac idololatriæ servientibus, conscriptæ collectæque, auctoritate Ecclesiastica, titulo *Belli sacri*, ad defendendam superstitionis atque idololatriæ caussam. Joannes in *Apocalypsi d*: *Et vidi ex ore Draconis, & ex ore Bestiæ, & ex ore Pseudoprophetæ*, prodeuntes *tres impuros spiritus, similes ranis: sunt enim spiritus dæmoniorum edentes signa, qui abeunt ad Reges terræ & totius Mundi, ut congregent eos ad prœlium magni illius diei Dei Omnipotentis.... Congregavit igitur eos in locum qui Hebraice appellatur Armageddon.* Esset autem collectio ultima à Principibus Fœderatis facienda; sed cujus Eventus Ecclesiæ gloriosus plenarium interitum Regni Bestiæ maturaret cum abolitione idololatriæ, superstitionis, ac scandalorum enormium, quibus Christianismus hactenus laboraverat ac prostitutus fuerat. Post Eventum enim hujus prœlii, mox cum *effusa phiala septima* sive ultima, vox magna è Cœli Templo audita insonuit *e*, Γέγονε FACTUM. Quomodo autem magnum hoc phænomenon efficiendum sit; in loco explicuimus; & Propheta declarat Cap. LIX. 16. seqq. Hoc loco ait, *Ventum & levissimam auram* collectas illas catervas ablaturum esse. videlicet Deo interveniente, & minimo nutu suæ voluntatis increpante conamina hostium tenden-

Gradus alter ℣. 13. Gravissima ejus afflictio.

Notio קבוציך expositа.

Vis genuina vocis הבל *vanitas*.

Quorsum hic respiciatur sub nomine *Copiarum collectitiarum*?

Locus Apoc. XVI. 13. seqq. cum hoc comparatur.

a Cap. XXI. 9. coll. cum Apoc. XIV. 8. 2 Thess. II. 8. *b* In *Lex.* *c* Vide Cl. Cocc. in *Lex.* ad h. v. *d* Apoc. XVI. 13. seqq. *e* ℣. 17.

A Buchananus de *Jure Regni apud Scotos*: *Meministine cujusquam inter Impp. Romani sanguinis, qui fuerit aut crudelior aut nequior quam C. Caligula? M. Nullus, quod scam, fuit. B. Quod autem nequissimum ejus facinorum putas? Non illa dico, quæ Pontifices in casibus reservatis numerant, sed in reliqua ejus vita. M. Non succurrit. B. Quale tibi illud videtur, quod equum nomine Incitatum, ad cœnam invitavit? quod hordeum aureum apposuit? quod Consulem designavit? M. Omnino nequiter factum. B. Quid illud quod eundem sibi Collegam in Sacerdotio adscivit? M. Serione hæc narras? B. Serio certe. neque adeo miror, tibi hæc videri conficta. Sed noster ille Jupiter Romanus hæc ut veræ posteris videantur, perfecit:* JULIUM *dico* TERTIUM *Pontificem: qui mihi videtur certamen de principatu nequitiæ cum homine nequissimo C. Caligula instituisse. M. Quid is fecit hujus generis? B. Simiæ suæ custodem, hominem prope nequiorem bestia nequissima, Collegam sibi in Sacerdotio cooptavit. M. Alia legendi forte caussa fuit. B. Narrantur & aliæ: sed ego selegi honestissimam.* Atqui hic ipsus est Joannes Maria del Monte, qui præsedit Concilio Tridentino ut primus Legatorum sub Paulo III. Historiam ipsam verissimam repetes ex Thuano, Paulo Sarpio, aliisque. Quid *mentiuntur* tales homines fidem & curam veræ Religionis?

dentium ad veram confessionem Nominis Divini in terris abolendam, atque extirpandam, licet res Ecclesiæ desperatæ viderentur; in fumos abirent, & eventus ad Dei voluntatem per contemptibilia media facile succederet. Equidem huc usque Ecclesia defectrix tam in *Capite*, quam in *partibus* membrisque suis, Regnis ac Rebuspublicis ei subditis, gravissimas ac pene funestas accepit clades, quibus *collecta copiæ*, licet Benedictione Pontificali consecratæ, nihil profuerunt; & possent illæ ex historia facile recenseri. Sed Dies futura nos majus quid respicere jubet; de quo non nisi timide & cum horrore cogitamus; & multo adhuc timidius scribimus. Intelligi autem hic extrema conamina Imperii adversarii, liquet utique ex eo quod sequitur; *Collectionibus* illis pro *adultera* tuenda factis, disjectis dissipatisque: Eos qui *fiduciam in Jehova posuerant, hæreditario jure occupaturos ac possessuros esse terram, & Montem Dei Sanctum.* h. e. Mansuetos, humiles, veros Dei cultores, ex tabulis Testamenti Dei, destructis Vastatoribus terræ, & remotis scandalis quibus Mundus huc usque obrutus fuerat, occupaturos ac possessuros esse Orbem, sub bonorum Principum cura ac defensione, veramque Religionem ubique in unitate spiritus professuros, celebraturos esse. Compara loca Cap. XLIX. 8. Ps. XXXVII. 11. LXIX. 37. 38. Matth. v. 5. Apoc. v. 10. Plura hic non addo, quia extat *Dissertatio* mea de *Hæreditate terræ* [a], in quam quicquid de hoc argumento meditando occupaveram, congessi.

Implementum Prophetiæ.

CONSPECTUS sive PERIODUS Ecclesiæ *Purgatæ* & in meliorem Statum *instauratæ*.

PARS TERTIA, *Consolatoria* respectu *Resipiscentium* & Reliquiarum *Seminis Electi*, quæ in Ecclesia corrupta supererant.

a. Vox *Chori Prophetici*, nomine Dei prænunciantis Ecclesiæ *Reformationem & excitantis* Doctores huic operi à Deo destinatos.

Periodus Ecclesiæ repurgatæ.

Pars tertia Sectionis.

a. Vox, prænuncians Reformationem Ecclesiæ, ℣. 14.

℣. 14. *Itaque exit vox, Aggerate, aggerate, æquate viam; tollite offendiculum de via Populi mei.*] Pro eo quod verti, *Itaque exit vox*, in Hebræo est, וְאָמַר *Et dicit, Et dicitur, Et est qui dicit:* quod idem sonat. Verba sunt Chori Prophetici, narrantis, *Exiisse vocem*, dictum, mandatum, alicujus, de aggeranda via & tollendis de ea offendiculis. quæ *Vox*, quod dictum, hic non potest esse aliud quam Dei, quippe *cujus* est Populus ille, de *cujus via* tollendum esset offendiculum. Sic enim ait, *Tollite offendiculum de via Populi* MEI. Quin ipsum Opus quod hic *mandatur*, non potest mandari ab alio quam à Deo. Est enim, ut mox videbimus, opus magnum *Reformandæ Ecclesiæ*. Nempe verba hæc quæ per copulam ET cum præcedentibus conjunguntur, pertinent ad elucidationem ejus quod dictum erat ℣. 12. Deum post longum silentium solenniter *compariturum* ut *Judicem*; & *justitiam* hujus *adulteræ* protracturum in lucem; quod monui efficaciter factum esse Sæc. XVI. Tum sedit Christus Jesus in throno Judicii, & instituit examen Ministrorum suorum. Id itaque ipsum est quod hic distinctius enarratur; exituram esse vocem de Ecclesia in melius instauranda & tollendis offendiculis: cujus consequens erat, *offendicula* omnium oculis exposita esse *removenda*. Phrasis Prophetæ sic est comparata, ut quemque absque seria meditatione ultro ducat ad cogitandum de Ecclesiæ instauratione, sive *Reformatione* quæ sic vulgo dicitur. Per *viam* hic intelligitur *doctrina Religionis*, in omni suo complexu sumpta; hoc est, *doctrina credendorum & faciendorum* in his rebus quæ ad Religionem, disciplinam, & constitutionem Ecclesiæ pertinent, ut vidimus in loco analogo Cap. XXXV. 8. *Et erit ibi* AGGER, *&* VIA, *qua* VIA *sancta appellabitur, & seqq.* ubi quæ huc referenda erant, ex-

Vox hic est Vox Dei.

Copula *Et* quorsum hic referenda?

Offendiculorum remotio.

Conspectus aggeris &

plicui. *Via* est canon & modulus, præscribens certam ac definitam rationem *Doctrinæ*, *Religionis*, *Regiminis Ecclesiæ*, ac *Disciplinæ morum*; secundum quem *canonem* qui incedit; quique se occupatum exercitatumque habet in *Fide* & *Officiis*, quæ hic canon ostendit; dicitur *hac via* incedere [b]. Notio est in Verbo Dei usus vulgatissimi. Hanc *viam aggerare, sternere, munire*, (quæ certa est significatio vocis סלל, ut ex comparatis liquet,) est Doctrinam Fidei ac Religionis ac Disciplinam Morum *collapsam*, primo quidem *instaurare*, & clara veritatis demonstratione atque explicatione veluti *evehere*, in altum educere, atque in pristinum restituere, ut absque incommodo calcari possit: tum quoque sepire & *munire*, h. e. certis argumentis adstruere ac firmare: metaphora sumpta à viis publicis diu neglectis, depressis, lutosis, inæqualibus, quæ instrata duriore materia reparantur, muniuntur, ac calcabiles redduntur. Proximum huic est quod additur, *Viam illam parare, æquare, & offendicula* ex ea *eliminare*, quæ involvuntur voce מִכְשׁוֹל, quam exposui ad Cap. XL. 3. confer Cap. LXII. 10. Valet hic loci, Capita Doctrinæ Fidei, & Canones Regiminis ac Disciplinæ, atque Præcepta Morum, *ad analogiam redigere*, ut inter se consentiant & Statui Ecclesiæ sub Oeconomia Nova quadrent: tum quoque eadem *comparare* cum Doctrina Fidei ac Præceptis Cultus ac disciplinæ Christi Jesu & Apostolorum; atque ab *erroribus* ei oppositis, diligenter purgare; ut via hæc æquabilis, ut cuique absque incommodo ac metu offensionis calcabilis sit. imo vero calcabilis calcari atque iri possit cum jucunditate ac delectatione. quod ipsum Vox Divina adhuc clarius exponit, ubi addit, *Tollite offendicula de via Populi mei*, h. e. Liberate Religionem præstantissimam, unicam viam & medium obtinendæ salutis, ejusque Religionis Doctrinam ac disciplinam, ab omnibus erroribus, præjudiciis ac persuasionibus falsis, superstitione, idololatria, tyrannide ac carnificina conscientiarum: quibus *offendiculis* Religio usque eo laborarat, ut *via* absque gravi offensa teri nequiret. Idem est quod Ezechiel vocat מכשול עון *offendiculum iniquitatis* [c]. Græcis σκάνδαλον, recepti usus in Libris Novi Fœderis: similitudine sumpta à lapidibus majoribus, qui in via publica occasionem præbent graviori lapsui. Ecquibus vero hominibus Vox Divina hoc officium imperat? Non adscribitur planis verbis; sed ex re ipsa facile intelligimus, quoscunque designari homines ad id dotibus ac facultate necessaria instructos; inprimis vero *Doctores publicos*, in Verbo Dei exercitatos; ore ac calamo promptos; à Spiritu zeli ac fiduciæ affectos; doctrina, sanctimonia, sapientia, commendabiles: tum quoque *Reges*, *Principes*, *Magistratus*, veritatis amantes ac pietatis, quibus Religionem ex officio ipsis mandato curæ esse oportet. Hos compellat, hos vocat ad magnum hoc opus. *Magnum* opus ajo, & vero *maximum*, cum omnium Sapientium judicio longe majoris operæ sit Statum collapsum instaurare, ac repurgare; quam novum fundare. Quo pertinet geminatio vocis סלו. *Aggerate*, ait, *aggerate*. Notat *à parte Dei*. α. Esse Deo maxime *serium*, illud opus illo temporis articulo definito inchoari. β. Velle illud *exprompte* fieri, absque mora, & quidem effectu, cogitatione & opinione omnium longe celeriore. *A parte hominis* vero; posse esse rationes, quæ homines cæteroquin gloriæ Dei ac Veritatis satis studiosos ab hoc opere absterreant, ut sane videbantur esse validissimæ, si summam difficultatem ejus & adversariorum vires, & pericula imminentia, rite considerarent. Docet igitur hæc geminatio; eguisse pios etiam ac veraces Dei ministros, efficaci vocatione ac impulsione Spiritus S. qua adversus contrarium naturæ nisum ad hoc opus incitarentur.

Status Religionis tempore Reformationis.

Via plena erat scandalorum.

Ad quos qualesque homines hoc vertatur mandatum?

Reformatio Opus magnum.

Quid *figura* orationis hic significet?

Quid hic quæris de implemento? Historiam legere maximi Operis quod Deus operatus est per Electos quosdam Viros, in hunc usum à se formatos, & à

Implementum Prophetiæ.

a *Observat. Sacr.* Lib. v. Cap. vi. b Gal. vi. 16. c Cap. vii. 19.

Spiritu suo illuminatos, affectos, incitatos, ut manum admoverent Statui Ecclesiæ corruptissimo instaurando per Europæ Regna & Respublicas: hic est intelligere prophetiam. Opus, inquam, fuit mirabile ac Divinum: Operis administri passim Viri singulares, doctrina & zelo eminentes, iique plurimi numero, ejusdem fere ævi: quorum similes sæpe integrum sæculum paucissimos producit [a]: successus autem incredibilis, ut vere Conringius scisçat, post Apostolica tempora nihil simile in Orbe & Ecclesia visum esse; imo cum successu Evangelii primo tempore gratiæ comparare ausit [b]. Censé igitur, Vocem Divinam ac Cœlestem, quæ hic expressa legitur, ad hos Viros editam esse, eosque excitasse, cum effectu. Utique Vox Sanctorum audita fuerat à longo: vox publica omnium omnis Ordinis hominum ante Sæculum personuerat ubique; Ecclesiam indigere *Reformatione in Capite & membris*: sed quod dolendum, sensus hominum usque eo longa assuetudine vitiatus & obtusus erat, ut homines etiam Docti non perviderent, qua in re Ecclesiæ labes præcipue hæreret. Tandem, Deo ipso loquente, res effecta est: faventibus Regibus, Principibus, & liberarum Civitatium Rectoribus, non sane privæ utilitatis respectu, (qui longe major est in partibus superstitionis,) sed luce veritatis persuasis delectatisque. Sic prædixerat Dominus futurum in fine temporum [c]: *Mittet Filius hominis* ANGELOS SUOS, (Legatos sive Ministros suos,) *qui* COLLIGENT *ex ipsius* REGNO *πάντα τὰ σκάνδαλα* OMNIA OFFENDICULA, & *eos qui dant operam iniquitati*. Quæris illa *offendicula?* Sume tibi ex aliis multis *centum gravamina* Adriano Papæ a. A. CIↃ IↃXXIII à Principibus Germaniæ proposita. Fides vera purgata est erroribus: Lux Evangelii restituta est Candelabro: Justitia falsa damnata: vera ex Verbo Evangelico commendata, exposita, adstructa: Cultus castissimus liberatus à superstitione atque idololatria; & totum Corpus Doctrinæ Christianæ redactum ad *ἀναλογίαν*.

Præstantia & magnitudo conamnis reformandæ Ecclesiæ.

Offendicula Ecclesiæ ex historia.

β. Consolatio *Respiscentium & fractorum animo*, qui se ab errore & vitiis serio converterent.

Propositio.

β. Consolatio Respiscentium & fractorum animo, ℣. 15.

℣. 15. *Quoniam sic ait* EXCELSUS *&* ELATUS, *habitans æternitatem; cujus Nomen est* SANCTUS. *Habito celsum & sanctum; & cum contrito ac humili spiritu; ad vivificandum spiritum humilium: & ad vivificandum cor contritorum.*] Magnifica est sententia, cujus vim difficile est dicendo comprehendere; etsi intellectu minime ambigua. Videtur connecti posse vel cum *antecedente*, vel cum *consequente* contextu. Si prius: ratio reddetur, quare Deus Ecclesiæ suæ tandem post tanti temporis moram prospexerit *Reformationem*. videlicet, ut ne pios, lugentes temporum suorum scandala & magna afflictione vitam sustinentes, penitus neglexisse videretur; cum è contrario eos sibi carissimos habeat & consolari velit, quippe quos solos vere *inhabitet*, & pro vero suo Populo agnoscat. Si posterius: docebit, Deum potuisse pro sua severitate Ecclesiam usque eo corruptam & tot fœdam vitiis gravissime punire ob abusum Verbi sui & Gratiæ ei concessæ, eamque ut fœdifragam & adulteram judiciis suis perdere: sed cum gratia & miseratione multa polleat, & sciat, multos in ea supereſſe, qui imprudentes in errorem trahantur, & de errore moniti per gratiam sui Spiritus ad se reversuri, ac seria pœnitentia ac dolore in viam rectam redituri sint; eorum constituisse rationem habere, quippe sibi proprium sit exercere gratiam, & *contritos fractosque animo* solatiis suis & spe gratiæ erigere. Utrumque se bona specie commendat; & si hæc sejungenda essent; posterius præferrem. Sed nulla causa est sejungendi quæ inter se conjuncta & affinia sunt. Quin ipse Vates illa duo inter se conjungit ℣. 18. his verbis: *Et Ego tribuam consolationes* לו IPSI, h. e. Populo per imprudentiam seducto, ולאבליו *&* LUGENTIBUS EJUS. Sententia orditur ab insigni præfatione. *Sic ait* EXCELSUS.] Cocc. *Præaltus*, excelsa natia suæ Naturæ, Perfectionis, gloriæ, infinitum subvectus supra omnia alia sibi subjecta [d]. *Et* ELATUS,] sc. respectu *Regni*, & *judiciorum*, adversariis suis inflictorum & infligendorum, confer Cap. XXXIII. 10. & dicta ad Cap. VI. 1. HABITANS ÆTERNITATEM.] Phrasis est singularis, quam non putem alibi occurrere. Notat, Deum per naturam suam complecti *æternitatem*; & vicissim æternitatem suam Naturam & Regnum complecti, atque à Natura Regnoque suo individuam esse [e]. Hic verus veri Dei character, unde Poëtæ quoque Græci *Deos suos* appellabant δολιχαίωνας, μακραίωνας, *æternos*, διαιωνιζομένους *ævum durantes*, ut alibi observat ὁ πάνυ Reinesius [f]. *Et* CUJUS NOMEN SANCTUM EST.] Qui ut per puritatem atque Excellentiam Naturæ suæ supra omnia longissime evectus est: sic sancte coli & per professionem nuncupari vult. Confer Cap. XL. 25. ALTUM *&* SANCTUM INHABITO,] Phrasi Prophetæ assuetus, mecum intelliget *supremos cœlos*, quos Deus tam sanctitate sua clarificat, quam gloria, quippe in quibus nihil nisi sanctum, purum, sublime, Majestati ejus congruum, & ipsi consecratum est; quem locum per fidem cognoscimus. Sic Jesaias Cap. XXXIII. 5. *Evectus est Jehova quia habitat* מרום ALTUM. Alio loco [g]: *Quiescam, & spectabo* במכוני *in* DOMO (habitaculo) MEA. Rursus [h]: *Prospice ex cœlo, & vide* מעון קדשך *ex habitatione* (limite) *tua* SANCTITATIS. Ezechiel vocat מקום LOCUM *Dei* [i], ubi colitur, celebratur, adoratur, à Sanctis Angelis; adorandus, & celebrandus quoque ibidem, si digni habeamur, à nobis. ET CONTRITUM AC HUMILEM SPIRITU; sive, *cum eo qui spiritu contritus est ac humilis.*] h. e. pœnitentia ac dolore ob delicta adversus Deum commissa *afflictum* ac depressum; modestissime de se sentientem; & abnegata omni sua justitia, profunda humilitate se committentem Divinæ *gratiæ*, eamque ardenter imploranten. phrasi recepta usu in Verbo Dei [k]. Dicitur autem Deus apud *animum* hominis habitare, ubi *præsentiam* suam animo hominis intimat ex stabilibus *effectis* sui in animum influxus; animam erigendo, illuminando, sanctificando, consolando, & gubernando, ut hic protinus additur, verbis, AD VIVIFICANDUM SPIRITUM HUMILIUM, ET AD VIVIFICANDUM COR CONTRITORUM. Usus est Propheta bis voce *vivificare* ob insignem ejus in hoc casu emphasin ac proprietatem; ob quam cæteroquin usitatissima fuit in Schola sanctorum, ut præsertim liquet ex Ode electissima CXIX, in qua sæpius recurrit [l]. Primo sensu est, animam afflictam ac lugentem ex sensu Divinæ indignationis ob peccata commissa erigere blando solatio remissionis peccatorum & significationis Divini favoris: sed latiore sensu involvit omne opus omnemque operationem, quam Spiritus S. in Oeconomia gratiæ impendit in animam hominis in integrum restituendam; excitandam; fovendam; sanctificandam; & ex sensu sui favoris & apud eam præsentiæ, lætificandam. quod Deus hic facturus esse dicitur respectu subjectorum duplicis generis quæ distinguit. Primi sunt *humiles*. quo nomine hic designari possunt *cœtus verorum credentium* qui illo tempore quo Deus Ecclesiam suam per fidos Doctores *reformare* instituit, adhuc in Mundo supererant, ut v. gr. Waldensium ac Bohæmorum Fratrum. hic *unus* enim character est verorum Christi sectatorum. Carnalis Ecclesia, cum *nihil* habeat; suis tamen meritis, privilegiis, multitudine, viribus, auctoritate, superba ac fastuosa est. Alteri sunt *contriti*, qui cum hactenus fuissent in via erroris, per imprudentiam seducti, postquam ad se redie-

Nexus horum verborum cum *antecedente* & *consequente* contextu.

Judicium de eo.

Quo sensu Jehova, *Excelsus* & *Elatus*?

Respectum habet ad *judicia Dei*.

Habitans æternitatem. Phrasis exponitur.

Cujus Nomen sanctum est. Epitheti sensus.

Supremi cœli quo sensu *altum* & *sanctum*?

Loca analoga, in quibus eorum mentio fit.

Contritus ac *humilis spiritu*: quid, stylo Sanctuarii?

Quo sensu Deus apud hominem dicatur *habitare*?

Vox *vivificare* electa, in Schola sanctorum.

Res ipsa exponitur.

Subjecta Divinæ gratiæ *humiles*.

Quinam hoc nomine designentur?

Et *contriti*, qui pariter

---

a Vide illorum Principes ex Carolo Gallo recensitos in *Comm. Apoc.* ad Cap. XIV. 6. *b* *Præfat.* ad *Opera Cassand.* *c* Matth. XIII. 41. *d* Confer Ps. CXXXVIII. 6. *e* Ps. XC. 2. CXLIV. 13. *f* *Inscription.* p. 34. *g* Cap. XVIII. 4. *h* Cap. LXIII. 15. *i* Cap. III. 12. *k* Ps. XXXI. 19. LI. 19. *l* ℣. 25. 37. 40. &c. Ps. CXIXVIII. 7.

redierunt, cum seria pœnitentia errorem confessi, humili ac contrito animo acceptarunt lucem & gratiam Evangelii sibi oblatam. Vide interim & observa, α. Quam augustam Deus hic nobis exhibeat ideam suæ inhabitationis in gratia apud hominem, *eo* præditum *animo* & *affectu* quem in suis requirit, quippe quam inhabitationem comparat non tantum cum symbolica sua inhabitatione in Sancto Templi; sed etiam cum inhabitatione sua gloriosissima in cœlis; ut adeo ex *animis* hominum rite *affectis* faciat *Templum* & *Cœlum*. Hic habet thronum gratiæ, qui idem est thronus gloriæ. Deus enim summam gloriam suam constituit in exercenda gratia. β. Quem potissimum animi affectum Deus in homine, à se inhabitando, requirat, nempe affectum *humilitatis animi*, sive *paupertatis spiritus* [a], & sollicitudinis ac doloris ob peccata commissa. Hic *unus* affectus, quem vera *fides* & conspectus inopiæ, indignitatis ac miseriæ producit, omnem alium pravum ac vitiosum affectum prorsus interimit; vitiis ac peccatis obicem ponit; animumque totum Deo summittit ac subjicit. En dictum Poëtæ sacri: *Quia* ALTUS *est Jehova, & tamen videt* HUMILEM [b]. Atque hunc unum *affectum* professio Protestantium in homine laudat, hunc commendat: utinam in omnibus præstaret!

Propositionis *Confirmatio*.

Articulus primus.

℣. 16. *Quippe non perpetuo litigabo; neque in æternum efferveſcam;* QUIA SPIRITUS A CORAM ME OBRUERETUR, ET ANIMÆ *quas* EGO FECI.] Posterius membrum continens rationem Propositionis, Hebraice sic conceptum est: כי רוח מלפני יעטף ונשמות אני עשיתי, & ex sententia mea hunc dat sensum, quem expressi. Interim merito quis miretur, sententiam minime obscuram aut difficilem hujus loci, quam post Aben-Ezram viderunt Piscator & Belgæ, tam diversas sustinuisse interpretationes; & vero tanquam desperatum esset, verba ex Hebræa Lingua explicare: Ludovicum utrumque, de Dieu & Cappellum, conatos esse verbo עטף sensum dare ex Arabismo: licet differentem, ac minime commendabilem *A*. Vox עטף, *se operire*, (quæ verissima ejus significatio est,) stylo Scripturæ S., sæpe construitur cum vocibus *cor*, *anima*, *spiritus*, eodem semper & constante sensu, pro, se involvere tristitia & mœrore; animo linqui; deliquium facere; lucem perdere, & quæ his agnata sunt. quod Cl. Schmidius recte observavit, & cuique exempla quærenti obvium est. Ps. LXI. 3. *Ab extremo terræ clamo ad te*, בעטף לבי *quando* COR *meum* SE OPERIT. Ps. CII. 1. *Meditatio inopis*, כי יעטף *quando* SE OPERIT. afflicto est & mœsto animo. Rursus [c]: *Famelici, etiam esurientes*, נפשם בהם תתעטף ANIMA ILLORUM *in illis se* INVOLVIT. Alio loco [d]: ותתעטף עלי רוחי *Et convolvit se super me spiritus meus: in medio mei stupet cor meum.* Jonas [e]: בהתעטף עלי נפשי *Quando super me* CONVOLVEBATUR ANIMA MEA: *Jehovæ recordatus sum.* Dicitur autem *spiritus* hominis *se operire* vel *involvere*, sive etiam *in se*, *super se*, *convolvi*; vel ubi obruitur mœrore, ut lumen perdat & concidat; vel ubi statu luctus & mœroris sic se implicat suis cogitationibus, ut exitum non inveniat, sed se ipsa deserens deficiat, linquaturque animo, cum se explicare nequeat; metaphora sumpta ab his qui gravi dolore pressi aut molestis meditationibus, quibus solatium præsens nullum adhiberi potest, fatigati, deficiunt, & se contrahunt, &, quod deliquium passis accidit, tanquam tenebris obruuntur. Hilaris animi est se explicare & evolvere: mœsti ac tristis contra, se veluti contrahere, & in se convolvi, acsi plane deficiat. Ergo Deus hic dat rationem, quare habitet cum *contritis corde*, verisque *pœnitentibus*, quia si semper & quidem pro rigore juris sui litigaret cum peccatoribus, licet gravissimis, iisque non patefaceret spem veniæ via gratiæ; *spiritus* hominis, salutis cupidi ac serio pœnitentis, & *animæ* quas ipse *fecit*, capaces suæ gratiæ & in rectam viam reductæ, se glorificare aptæ, plane *obruerentur mœrore*; involverentur *tristitia*; & desperantes conciderent ac perirent. quod ipse, salutis animarum amans, non vult. Quid in hoc sensu est non rectum, aut non congruum scopo Vatis; & simul non facillimum? Ellipsin autem *relativæ* אשר, ut *animas feci*, sit pro *animas quas feci*: usu valde frequentem esse, passim satis notum. confer ex proximis Cap. XLII. 5. LI. 22. Certe lux Evangelii redonata Mundo est effectum gratiæ Dei infinitæ. Poterat enim tamdiu abusos veritate, licet tandem meliora videntes spernere, & æternum à communione sua repellere. Sed erant *animæ*, erant *spiritus*, præscientia gratiæ ab ipso cogniti ac prægogniti, quos perire noluit.

Phrasis est metaphorica.

Expositio aptatur contextui orationis.

Ellipsis relativæ אשר frequentis usus.

Articulus alter.

℣. 17. *Efferbueram propter iniquitatem* AVARITIÆ EJUS, *& percussi ipsum: occultavi* me, *& efferbui: sed ivit* AVERSUS IN VIA CORDIS SUI. ℣. 18. *Vias ipsius vidi, &* SANABO IPSUM; *& ducam ipsum; & conferam consolationes in eum, & lugentes ejus.*] Nihil est in hisce verbis transpositum, aut non satis cohærens, ut inter Intt. aliqui sibi persuaserunt. Oratio simplex est, & eò tendit, ut persuadeat, Emendationem illam, & Immutationem in melius, quam Deus Ecclesiæ procuraret; esse opus meræ ejus gratiæ ac misericordiæ. Deum enim, ut Populum errabundum & carnalia sapientem in viam reduceret; adhibuisse flagellum judiciorum ac castigationum, quo eum comprimeret & de viis suis cogitare moneret: sed ea sua judicia nullum protulisse bonum ac laudabilem effectum. *ivisse* enim *Populum* à Deo *aversum* retro, & magis atque magis ab ipso declinasse: ut jam vel pro severitate judicii destituendus esset; vel exrraordinaria gratia ei succurrendum: idque posterius esse quod Deus elegerit. Repetam verba, & paucis, ubi opus fuerit, elucidabo. *Propter iniquitatem avaritiæ ejus efferbui*, ait Dominus. Plane hic alluditur, quod Cl. Coccejus jam vidit, ad id quod dictum erat Cap. LVI. 11. *Omnes illi vias suas respexerunt; quisque ad* LUCRUM SUUM, (לבצעו avaritiam suam,) *à minimo ad maximum*. Et est tamen hic diligentius observandum, vocem בצע hic loci, ut & ibidem, non tantum sumi pro *avaritia*, sive *pecuniæ cupiditate*; verum generatim pro omni acri, vehementi, & incitato studio rerum carnalium & externarum, inter quæ *avaritia* omnium est vilissimum, quippe quæ *quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat: semper infinita atque insatiabilis est; neque copia, neque inopia minuitur*: tum quoque *fidem, probitatem, cæteraque artes bonas subvertit; pro his su-*

Articulus alter, ℣. 17.

Sensus & scopus sententiæ.

Emendatio Ecclesiæ est opus meræ Dei gratiæ.

Vox *avaritia* hic latius sumitur pro omni specie dominantis concupiscentiæ.

Avaritiæ vis descripta verbis Sallustii.

---

[a] Matth. v. 3. 4. [b] Ps. CXXXVIII. 6. [c] Ps. CVII. 5. [d] Ps. CXLIII. 4. [e] Cap. II. 8.

A De Dieu: *Spiritus ab ante me revertetur*. Quem sensum alliget verbis, non adscribit; nec mihi patet. Capp. *Spiritus qui à me est, miseretur*. ficta Arabicæ notionis significatione. Neglexit adscribere, quomodo cohæreat sequenti membro. Hieron. *Quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam*. hoc sensu, *Cum ergo à me egrediatur spiritus, & flatu atque inspiratione mea cuncta vegetentur, & vivant: non est justum, perire eos in æternum qui meo flatu ac spiritu justentantur*. Acsi vero non perirent mille & mille qui flatu Divino & spiritu ejus vegetantur! Grotius, hanc versionem emendaturus, adscribit: *Verteris recte*, IMO AURA A ME (*veniens*) TEGET (*illum humilem & contritum*:) ET VENTULUM EGO FACIAM. *Mœror æstui comparatur; solatium vero auræ refrigeranti*. Sed an *aura* aliquem dicitur *tegere*? an נשמות *animæ*, (propriissima *menti* significandæ notio,) *numero plurium*, hic valebunt *ventulum refrigeraturem*? Sic tractatur sæpe Verbum Dei, ut levissime cogitata, non *meditata*, conjiciantur in chartam; valitura quantum poterunt. Pagninus: *Quia spiritus qui est à facie mea, induit* corpus; *& animas Ego feci*. Obscure & incongrue. Sumpsit ex Kimchio, licet is alio tendat, non commodiore exitu: *Spiritus à me est, & ipse induet & tanquam vestem sibi aptabit corpus, idque ita subiget, ut vie rectæ insistat*. Hackspanius post aliorum excussas expositiones: *Spiritus à facie mea involvet se, & animas faciam*. hoc sensu: *Reficiam spiritum vestrum, ut liberati ex angustiis, tandem aliquando iram meam non amplius pertimescatis*. Qua specie? *An involutio spiritus* notat illius *refectionem*? Contra est. Ubi *spiritus* reficitur, tum *evolvitur*. involvit se, ubi afficitur mœrore. Coccejus: *Spiritus à facie mea operiet*, (sicut *aquæ alveum maris*, Jes. XI. 9.) *& animas ego feci*. Quis miretur, Verbum Dei multis obscurum videri, ubi tam improbabilia in eo exponendo traduntur?

perbiam, crudelitatem, Deos neglegere, omnia venalia habere, edocet, ut Romanus Scriptor eam depingit *a*. Usus vocis analogus in aliis SS. locis.

Apostolus brevius *b*: Ῥίζα γὰρ πάντων τῶν κακῶν ἐστιν ἡ φιλαργυρία. Quare quicquid in vitium *adulterae* supra adscriptum fuit: hac voce rite complectaris. Sic Poëta facer *c*: *Inclina cor meum ad testimonia tua*, ואל אל בצע *& non ad* AVARITIAM. ad studium rerum carnalium. Deus apud Ezechielem de Hypocritis Populi Dei *d*: אחרי בצעם לבם הולך *Cor ipsorum incedit post* AVARITIAM SUAM. Quisque eorum voluptates suas commodumque suum unice curat. Genus autem *affixi* hic ex *debiliori* in *fortius* mutatum, referendum est ad vocem עם *Populus*, ℣. 14. Effectus, *Et percussi eum*; sc. plagis meorum judiciorum. *Abscondi* sc. me, *& efferbui*, h. e. primo percussi levius; dein vero gravius; *faciem meam ab iis abscondendo*, h. e. eos privando signis mei favoris & tradendo potestati erroris ac severioribus judiciis, ut nemo non sentiret ac clarissime cognosceret, me maximam in Populum meum concepisse indignationem. Phrasin recepti usus *occulere se*, vel *faciem suam*, ubi agitur de gravissimis Dei judiciis; sive spirituali, ubi lumine & gratia sua in Populum non influit, eumque sinit corrumpi à Satana atque in viis suis incedere; sive temporali, ubi hostibus permittit eum vastare & pro lubitu in eum sævire; habuimus Cap. VIII. 17. LIV. 8. *Sed recessit* AVERSUS (שׁוֹבֵב) *in via cordis sui.*] Nempe judicia illa, maxime temporalia, ad quae hic respicitur, nullum plane produxerunt effectum mutationis in melius: contra vero Populus ille, suis corruptus vitiis, semper magis à me recessit, quam ad me accessit; spretis admonitionibus & querelis bonorum ac proborum Virorum qui adhuc in Ecclesia supererant. Certa hic est significatio vocis שובב qua sumitur pro *averso*, ex Jeremia *e*, atque aliunde. *Judicia* autem, quae hic memorat Vates, eadem maxime sunt quae praesignaverat Cap. LVI. 9. de *feris* in *Agrum* Christiani Populi immittendis; quorum judiciorum textus fere est infinitus. Si quis historiam legat florentium illorum & magnorum Populorum, qui fidem Evangelii susceperunt, ab usque inclinato Sæculo IX, à morte Caroli Calvi & Ludovici Germanici; videt in ea integrum contextum & seriem bellorum, eorumque consequentium vastationum & calamitatum, quibus Gentes nomen Christi professae vel ab externis hostibus undique ex claustris suis erumpentibus afflictae atque oppressae sunt; vel quibus ab externis hostibus liberae in propria viscera saevierunt, cum incredibili hominum strage, bonorum jactura, terrarum olim florentissimarum desolatione. Narrandi nullus hic finis est, si inceperis. Est autem id hic loci singulare, omnes horum temporum historias praedominans Vitium facere *insatiabilem* Curiae Romanae, & reliquorum *Praelatorum*, & Monachorum quoque, AVARITIAM, & *luxuriem*. Interim cum omnes viderent, iram Dei accensam, & Deum veluti deseruisse Domum suam: scandala scandalis cumulata sunt; & magis magisque recessum est à recto tramite; Synodis vulneri Ecclesiae sanando coactis magis confirmantibus, quam corrigentibus errorem. Ergo cum huc ventum esset: poterat Deus omnes pro severitate sua plane deserere ac repudiare, & novum sibi alibi parare Populum, veritatis studiosiorem ac gloriae suae enarrandae aptiorem. Sed aliud ipsi placuit consilium, *gratia* videlicet ac *Commiserationis*, ad partem non contemnendam seductae multitudinis ad se reducendam. *Vias ipsius vidi*, ait ℣. 18. *& sanabo ipsum.* Inspexi, consideravique, multos illorum ex mera ignorantia, atque imprudentia & temeritate judicii, reliquos in errore sequi; quippe *pueros in Christo, & non satis aptos distinguere inter ea quae vera sunt & quae temere dicuntur*; (sunt verba doctissimi Interpretis;) atque adeo visum est tandem advenisse justum tempus *gratiae* meae declarandae; non sane omnium & singulorum respectu, quippe cujus contrarium mox liquebit ex ℣. 20. 21. sed ratione *eorum* qui hunc gratiae Divinae effectum experti sunt. *Sanatio* hic duo involvit; *α. Remissionem peccatorum.* confer Cap. LIII. 5. *β.* Reparationem corruptae atque collapsae doctrinae ac disciplinae Ecclesiae; & vero universi Ecclesiae Status instaurationem. confer Cap. LVIII. 8. *Et* DUCAM EUM, ait Dominus: scilicet *lumine* mei Spiritus in *viam* veritatis, pietatis, sanctimoniae, virtutis; relicta via erroris, mendacii, falsarum ac commentitiarum traditionum, fabulosarum narratiuncularum, seductricis ac sterilis Philosophiae, atque operosae & inutilis superstitionis, qua ducti fuerant à ductoribus aliis, veris seductoribus. phrasis usu frequens occurrit in Verbo Dei; praecipue referenda ad lumen gratiae, quo quis ad *salutem* à Spiritu Dei illustratur *f*. *Et tribuam* EI *consolationes, & lugentibus ejus.*] Sunt qui unum solummodo hic agnoscunt subjectum, *lugentibus ejus*; ut quod dictum erat, *tribuam* EI *consolationes*, explicetur; sc. *lugentibus ejus.* Sed si Propheta id voluisset, forte scripsisset, *Et tribuam* EI *consolationes*; LUGENTIBUS *ejus.* Sentio itaque, quod jam anticipavi in superioribus, cum Cl. Coccejo, hic demonstrari duo *Subjecta. tribuam*, ait, *consolationes* EI, hoc est, imprudentibus atque errantibus in ipsa illa Ecclesia, veri quidem cupidis, sed à Doctoribus suis misere seductis, & vortice communis erroris ac declinationis abreptis; & *lugentibus ejus*; videlicet *meliori semini* quod clarius illuminatum *lugebat* scandala Ecclesiae sui temporis, & interea à malis opprimebatur, licet exitum prospiceret nullum. sunt Waldensium reliquiae, Lollardi, Picardi qui dicebantur, Bohemi fratres, pretiosi in oculis Domini; verum semen Ecclesiae Apostolicae. Quanta his accessit consolatio, quando hanc lucem senserunt oriri in *tenebris?* Patet ex piis literis, quas cum principibus Doctoribus, qui opus Ecclesiae reformatae & reformandae administrarunt, ipsi commutarunt *g*. Ecquis vero mortalium voce aut calamo exprimat, quanto plausu & gratulatione Lux Evangelii excepta sit à Populis qui sui erant juris, vel quibus sub Principibus Operi Dei faventibus vivere contigit: quanto desiderio ab aliis, qui sub Imperio Principum veteri superstitioni vi aperta patrocinantium gemuerunt. *A*

γ. Declaratio Modi ac *Medii* quo Deus hoc magnum Opus efficeret, ejusque successus optati.

℣. 19. CREANS PROVENTUM LABIORUM; PACEM, PACEM, *longinquo & propinquo, dicit Jehova*; *&* SANABO IPSUM.] Eruditus Interpres: *Faciam proclamari pacem inter illos qui recedunt, & inter illos qui accedunt, ut non amplius sit Bellum inter ipsos. Intelligitur Pax Religionis, primo in Germania facta; dein paulatim etiam ad alia Regna propagata.* Multum dissentio. *α. Pax Religionis* non fuit *fructus labiorum*, sed vere *armorum*, & *metus mutui. β. Pax*, quae hic memoratur, non pertineret ad *impios*, ℣. 21. *Politica* haec utrinque spectavit *pios* ac *impios. γ.* Quo tempore haec *pax facta* est in Germania, ardebat & longum arderet per-

Mutatio *generis* in h. l.

Occultatio facies Dei, magni speciei judicii.

Judicia Dei nullum produxerant effectum salutarem.

Notatio vocis שובב.

Facies Ecclesiae horum temporum respondet prophetiae.

Deus tamen pro infinita gratia sua misertus est Populi, quem jure poterat deserere.

Sanatio Ecclesiae corruptae quid hic loci significaret?

Et *ductio* ejus, à Pastoribus seductae.

In verbis; *Tribuam* EI *consolationes & lugentibus ejus*: duplex demonstratur *Subjectum*.

Lugentes qui hoc in loco?

γ. Declaratio *Modi* ac *Medii*, magni hujus Operis efficiendi, ℣. 19. *Creans proventum labiorum.*

Docti Interpretis expositio.

In eam ἐπίκρισις.

a Sallust. *Bell. Catil.* Cap. 10. 11. *b* 1 Tim. VI. 10. *c* Ps. CXIX. 36. *d* Cap. XXXIII. 31. *e* Cap. III. 14. XXXI. 22. *f* Confer Cap. XLIX. 10. LVIII. 11. Ps. XXIII. 3. XXV. 5. LXXIII. 24. *g* Apud Camerarium in historia *Fratr. Bohem.* & in Sculteti *Annalibus.*

A Cuperem ad haec & praecedentia legi insignem illam Supplicationem, quam Austriae Proceres exhibuerunt Ferdinando, apud Sleidanum Lib. XIV. a. A. CIↃ IↃ XLI. Postquam illi prolixe docuerint, Judicia Dei maxime incumbere Populo Christiano ob adulteratam Religionem & corruptum Dei cultum: executores autem horum Dei judiciorum esse Turcas, qui tum demum *Graeciam perdomuerint*, quum illi *toties invitati ac admoniti, nihilo fierent meliores, & peccata peccatis accumularent*: inde late commemorassent vastationes quas ipsi, nunc potentes facti, edidissent per Hungariam, & Austriam, & mala ab iis porro metuenda, quippe Turcae ipsi intelligant, *se flagellum esse Dei, & ultioni suae neminem eripi posse*: unicum Dei placandi & solatii veri impetrandi remedium proponunt Emendationem Religionis. *Quapropter obsecramus*, ajunt, *ut tuo mandatu doceatur Evangelium: imprimis autem illud doctrinae caput quod est de* JUSTIFICATIONE: *nempe quod peccata nobis condonantur propter Christum solum*, & quae seqq.

persecutio in aliis Regnis ac Terris. δ. Interpretatio hæc nihil commune habet cum ea Pauli, ad hunc locum respicientis, & *pacem* hanc exponentis de *Pace Evangelica*. Sic Apostolus [a]: *Et veniens evangelizavit* PACEM *vobis, τοῖς μακρὰν καὶ τοῖς ἐγγὺς tum qui* PROCUL, *tum qui* PROPE *erant*. Sensus ex facta hypothesi est; Deum hoc tempore suscitaturum esse sua gratia *Præcones* PURI EVANGELII, qui ad exemplum temporum Apostolicorum veram ac primævam Evangelii veritatem, quæ *pacem* & tranquillitatem reddit animabus afflictis & errore seductis, & *reconciliationem Dei cum peccatore credente in sanguine Filii ejus* diserte explicat, eaque de caussa EVANGELIUM PACIS dicitur, potenter prædicarent, & ad hoc opus gratia sua probe essent instructi; quorum præconium longe lateque vulgaretur, & ad omnes pertineret Populos ac Gentes, absque discrimine, deinceps nunquam rursus obscurandum; & *hoc medio* Ecclesiam vere *fanaturum* ac instauraturum esse. Idem est quod in *Apocalypsi*, suo ordine & loco [b]: *Deinde vidi alium Angelum volantem per medium cœlum, habentem* EVANGELIUM ÆTERNUM, *ut evangelizaret incolis terræ, & omni Genti, & tribui, & Linguæ, & Populo.* Ad quem locum vere observavi, Doctrinam Reformatorum Ecclesiæ passim ab ipsis & aliis appellatam esse EVANGELIUM, & Doctores illius *Evangelicos*. Hic est נוב שפתים *proventus labiorum*: ἅπαξ propriissima significando *præconio*. ut Vir sapiens [c]: *Os justi* יגוב חכמה *pullulabit sapientiam.* tanquam ex proprio ac naturali fonte sapientiam profert. Tanta copia, ubertate, exundantia, Verbum gratiæ erupit ex ore fidelium Doctorum Evangelii, ut sentirent omnes, subesse huic operi Divinum quid ac singulare. videri enim naturas hominum *novas*, & ad id unum a Deo *creatas*; quod hic dicitur, *Creans*. Significatur, fuisse opus præterordinariæ Dei providentiæ ac gratiæ. Poëta Divinus [d]: *Dominus* יתן אמר DEDIT *eloqui*) *Evangelistarum magnus fuit exercitus.* Quanta celeritate Evangelium præter late patentem Germaniam, eique ad Septentrionem adjecta Regna, Civitatesque liberas, pervaserit Regna & Respublicas magnarum in Europa Gentium, ne Italia quidem & Hispania exceptis: quam gratus & acceptus fuerit Populis hic nuncius Gratiæ, Pacis, ac Salutis: historia omnis testatur, & quæ supersunt hodiedum effecta. Ni Satanas per Principes potentes Mundi repressisset cursum, & proposita dirorum suppliciorum pœna, multos detinuisset in errore: jam tum plane actum fuisset de superstitione atque idololatria, quæ Mundum Christianum tantum temporis spatium fascinaverat. Sed id Deo, majus ac perfectius quid molienti, ob adorandas consilii sui rationes, tunc non est visum.

Alia interpretatio illustratur ex analogia, & præsertim ex Ephes. II. 17.

Quo sensu *proventus labiorum*?

Mirabilis progressus purioris Evangelii.

δ. Limitatio hujus Beneficii respectu *Impiorum*, qui in institutis suis persisterent.

δ. Limitatio hujus beneficii respectu impiorum, ℣. 20. Ecclesia

℣. 20. *Sed* IMPROBI *sunt ut mare impulsum, quod quiescere nequit; cujus aqua cœnum & lutum expelliunt.* ℣. 21. *Non est pax, inquit, Deus meus improbis.*] Ergo Ecclesia hoc tempore divisa esset in duas partes. Essent, præter humiles ac pœnitentes Veritatis Confessores, רשעים *impii*, justitia vera vacui; justitiam sibi Evangelio oblatam repudiantes; obstinato animo persistentes in superstitione atque idololatria inolita; quique iidem pro virili ortam Reformationis lucem extinguere, & confessores ejus opprimere laborarent; quique, dum à vehementissimis agitarentur affectibus, à Satana inflammati, interdiu ac noctu occupati essent cudendis consiliis, huic fini obtinendo servituris. Pulcherrima hic comparatio est נגרש ים θαλάσσης κλυδωνιζομένης *Maris commoti* agitatique à Ventis [e], quod cum *quiescere nequeat, cœnum ac lutum protrudit.* Symbolum sustinet hominum, multitudinem facientium, animi inquieti, & malæ conscientiæ, qui à violentis παθεσι *affectionibus* iræ, vindictæ, cupiditatis, ambitionis, tanquam totidem furiis vel flabellis, agitati ac concussi, nova omni die consilia ac machinationes procudunt ad bonos, simplices, innocuos, *irretiendos* ac perdendos, iisque sive vi aperta, sive latenter *struendas insidias*, ut Poëta sacer eos luculenter describit [f]. Hi nunquam quiescunt aut fatigantur, usque quo ipsis illis viis, quibus aliorum exitium moliuntur, suum invenerint. Vin' exemplum luculentum unum ex mille? Inspice & lege historiam *Conspirationis* quam *Sanctam* dici voluerunt, pro tuenda superstitione antiqua & exterminandis quos illi *Hæreticos* vocabant, sc. initæ inter profanos ipsos, nihil sanctum reverentes Principes, & socios, per universum florentissimum Galliarum Regnum diffusos, sub Henrico III, infinitis casibus & eventibus tragicis funestæ; simul præcipuorum incentorum hujus Belli sanguine & exitio clare signatæ. Hoc *mare* incitatissimum omni die *novum cœnum & lutum*, h. e. turbida & lutulenta consilia, cœpta, machinamenta, ex abysso hausta, extrusit: omnis dies novum quid, sed tragicum ac confusum peperit; prodiditque quod Deus hic repetita sententia, enunciat, ℣. 21. *Nullam pacem esse improbis.* Excluso Divina *pace* quæ est effectum Redemptionis & Justitiæ Filii Dei, & eam consequente mentis serenitate, tranquillitate, & compositione, qui verus character est Fœderatorum Dei; ne Ecclesiasticam quidem & Politicam ferunt; sed ubique turbant, & limpida turbidis miscent: eamque ipsam ob caussam excludendi omni vera *prosperitate*, quæ tranquillum & æquabilem statum comitatur. Hic affectus est, hæc sors erit *improborum*, & certæ *Societatis* hominum, qui in Babylone mystica sanguinem sitiunt Confessorum Veritatis; huic uni rei intenti, has curas noctu atque interdiu versantes, ut dissentientes ab auctoritate sua imaginaria, quam sibi erexerunt Idolum, male perdant: qui idem affectus, quæ sors fuit *Impiorum* qui in Exilio Babylonico in idololatria, superstitione, vitiis, obstinate perstiterunt, resipiscentiam recusantes [g]. In voce אלהי *Deus meus*, hic variat lectio, ut Kimchius observat; suntque Codices, qui exhibent יהוה *Jehova*, quod extat Cap. XLVIII. 22. unde forte apud Hieronymum, *Dominus Deus*, & in MS. A. Κύριος ὁ Θεός. unde simul patet, non scripsisse Hieronymum, *Dominus* MEUS, ut vult Grotius esse in *Hebræo* & *Chaldaico*. Utique in utroque est *Deus meus*, vel *Deus*.

Impii ut *mare propulsum*.

Symbolica locutio declaratur.

Nulla iis pax: quo sensu?

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Septima.

Deus offendit Populum suum à deteriore parte separatum, verumque suum cultum profitentem, & quod ad exteriorem speciem in eo satis, ut videri queat, diligentem ac studiosum, viarumque Dei scrutinio se oblectantem; nec tamen Statu suo temporali satis confirmatum ac prosperum; nec exteriori Religionis ac veritatis studio jungentem praxin pie-

a Ephes. II. 17. VI. 15. confer dicta ad Cap. LII. 7. b Apoc. XIV. 6. c Prov. X. 31. d Ps. LXVIII. 12. e Confer Jon. II. 5. f Ps. X. 8. 9. 10. g Cap. XLVIII. 22.

tatis interioris, quæ consistit in purificatione animi ab affectibus pravis, odii, livoris, æmulationis; nec *charitate* perfectum: sed distractum dissidiis, contentionibus, pugnis, belliscque intestinis fraternis se invicem rodentem; fratresque afflictos & egenos non complectentem qua decebat, miseratione: ob quæ vitia eum serio redarguit; demonstratque simul certam viam ac rationem sui obtinendi favoris perfecti, & promissorum Ecclesiæ bonorum, si ab his vitiis se purgaverit. Quem Elenchum mox nova instantia repetit, vitiaque Ecclesiæ instauratæ cum tempore magis ac magis declinantis à recto tramite, adhuc acrius persequitur: ubi docet, sibi non deesse vires Populi sui adjuvandi ac liberandi ab afflictionibus, quibus premebatur & opprimendus esse videbatur; sed ipsorum Statum & vitia auxilium Dei retardare.

Caput LVIII.

Textus Cap. LVIII.

1. CLama gutture: ne cohibe. instar buccinæ extolle vocem tuam; & indica populo meo defectionem suam, & Domui Jacobi peccata sua.

2. Atqui me quotidie quærunt; & cognitione viarum mearum delectantur: instar Gentis quæ justitiam exercet, & Jus Dei sui non derelinquit: quærunt ex me Jura justitiæ; delectantur eo quod mihi propinquent.

3. Quare jejunamus; & non vides? affligimus animas nostras; & non cognoscis? Ecce quo die jejunatis, invenitis voluptatem, & omnes dolores vestros exigitis.

4. Ecce ad contentionem & jurgium jejunatis; & ad percutiendum pugno improbitatis. Non jejunatis hoc tempore, ut audiri faciatis in alto vocem vestram.

5. An hujusmodi erit jejunium, quod Ego eligam? Dies quo quis animam suam affligit? Num curvare instar junci caput suum, & saccum ac cinerem sibi substernere? Idne vocabis jejunium, & diem complacentiæ Jehovæ?

6. Nonne hoc est jejunium quod eligo; ut solvatis nodos improbitatis; laxetis lora jugi; & dimittatis conquassatos liberos; & ut omnem vectem disrumpatis?

7. Nonne ut dividas famelico panem tuum; & inopes qui persecutionem patiuntur, ducas domum: cum videris nudum, ut eum obtegas; & ut ne te occultes à carne tua?

8. Tum perrumperet tanquam aurora lux tua; & instauratio tua cito efflorescceret; & iret coram te justitia tua; gloria Jehovæ agmen tuum cogeret.

9. Tum vocares; & Jehova responderet: clamares; & diceret, Ecce me! si è medio tui tollas jugum; porrigere digitum; & loqui vanitatem!

10. Et deprompseris esurienti animam tuam; & animam afflictam saturaveris: Orietur in tenebris lux tua, & caligo tua evadet meridies.

11. Ducetque te Jehova semper; & saturabit in siccitatibus animam tuam; & ossa tua instruet; & eris ut hortus irriguus; & ut scaturigo aquarum cujus aquæ non mentiuntur.

12. Et ædificabunt, qui ex te prodibunt, Desolata sæculi: fundamenta cujusque generationis eriges; & appellaberis, Sepiens rupturam, Reducens semitas ad habitandum.

13. Si averteris à Sabbatho pedem tuum, ut ne voluptati tuæ studeas die meo sancto: sed vocaveris Sabbathum delicias; Sanctum Jehovæ, honoratum quid; idque honoraveris, ut ne vias tuas secteris; ut ne invenias voluptatem tuam, & loquaris verbum.

14. Tum deliciaberis in Jehova; faciamque te equitare in celsis terræ; & cibabo te hæreditate Jacobi Patris tui: quia os Jehovæ fatum est.

Caput LIX.

Textus Cap. LIX.

1. ECce! non est curta manus Jehovæ, quo minus possit servare; nec auris ejus est aggravata, quo minus possit audire.

2. Sed iniqua facta vestra divortium faciunt inter vos & Deum vestrum; & peccata vestra occultarunt faciem à vobis, ut ne audiat.

3. Quippe manus vestræ sunt inquinatæ sanguine; & digiti vestri iniquitate: labia vestra loquuntur falsum; lingua vestra iniquitatem meditate profert.

4. Non est qui clamet in justitia; neque est qui disceptat in veritate. confidunt inani, & loquuntur temerarium: concipiunt molestiam, & pariunt vanitatem.

5. Ova basiliscı excludunt, & telas araneorum texunt: qui de ovis illorum comedit, moritur; & quod compressum est, erumpit viperam.

6. Telæ illorum non valent ad vestitum; neque cooperientur operibus suis. Opera illorum sunt opera vanitatis, & molitio violenta est in manibus ipsorum.

7. Pedes illorum currunt ad malum, & festinant ad effundendum sanguinem innocuum. Cogitationes illorum sunt cogitationes vanæ: vastatio & fractura est in semitis illorum.

8. Viam pacis non norunt; & nulla juris ratio est in orbitis illorum. vias suas sibi perverterunt: nemo ea incedens novit pacem.

9. Propterea longe à nobis abest judicium; & justitia nos non assequitur. Exspectamus lucem; sed ecce! tenebræ: magnum splendorem; *sed* ambulamus in densa caligine.

10. Palpamus ut cæci parietem; & tanquam capti oculis, palpitamus. Offendimus in meridie tanquam in crepusculo; in opimis rebus, ut mortui.

11. Fremimus ut ursi omnes nos; & tanquam columbæ multum gemimus. Exspectamus judicium; & nullum adest: salutem; longe à nobis abest.

12. Quo-

12. Quoniam multiplicatæ sunt transgressiones nostræ coram te; & peccatorum nostrorum quodque testatur contra nos. quippe transgressiones nostræ nobiscum sunt, & peccata nostra singulatim cognoscimus.

13. Dum inique agimus; & mentimur Jehovæ; & retrocedimus à Deo nostro: loquimur oppressionem ac recessionem: concipimus & expromimus ex corde verba falsa.

14. Itaque jus aversum est retrorsum; & justitia stat è longinquo: siquidem lapsat in foro veritas; & integritas nequit intrare.

15. Et facta est veritas res desiderata; & recedens à malo habitus est pro insano.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus Sectionis.

Argumentum hujus Sectionis.

QUanto liquidiorem sensum præstat *Concio* hæc *Prophetica*: tanto facilius est legenti, ejus recognoscere argumentum. Deus hic comparet in initio Concionis intonans veris Doctoribus, ut Populo suo *defectionem* & *peccata sua* alta excitataque voce, & pare fiducia, ob oculos ponerent, demonstrarentque ei, *cultum moresque* ejus non esse *inventos perfectos* coram Domino *a*. Quod mandatum cum videri posset paradoxum, cum Populus se secundum statum suum exteriorem videretur conformare ad Dei voluntatem, & vero hoc ipso se reputaret dignum Divino favore, & conqueri posse videretur, se præter rationem à Deo negligi: Deus hunc *Statum Populi* cum laudabilibus ejus *qualitatibus*, & cum actione *querelæ*, quæ ei competere posse videbatur de se à Deo neglecto, recenset *b*: sed protinus ei querelæ occurrit, demonstrans, *Cultum* ejus, præsertim in *Jejuniis*, quæ severiorem cultus partem faciunt, sibi minime probari ut perfectum & exactum ad Legem Sanctuarii; primo quidem quod ipsum illum Cultum Jejuniaque accommodarent ad suam voluptatem *c*: deinde, quod ea ipsa sua *Religione* & *Jejuniis* abuterentur ad fovenda dissidia, factiones, studia partium, & ad injuriam mutuam *d*. Quando docet, quanta vanitas sit in Religione & Jejuniis, si non conjungantur cum interna animi purificatione, & cum operibus charitatis; & quæ vera forma sit observandi Jejunii, sibi grati acceptique futuri *e*. Simul se prolixius explicat; & declarat, ab hisce conditionibus præstitis, quas conditiones denuo recitat, suum pendere favorem, & Populi sui salutem; ut simulac vitiis renuntiaverit, ac serio resipuerit, experturus sit auxilium suum, & bona Patribus promissa in eum cumulate sit collaturus *f*. Inde Chorus sanctorum, videns vitia & scandala suorum temporum, novam captat Elenchi occasionem ad vocem *incredulorum*, qui culpam non impetratæ hactenus Liberationis in adversis non conjiciebant in sua vitia, sed in Divinam impotentiam, aut in animum Dei à Populo suo alienatum *g*; & longe operosius vitia omnia illius Populi, quod ad majorem partem non *re* sed *nomine* reformati, & sensim magis magisque à puritate morum deflectentis, prosequitur; inter quæ peccata enormia sunt iniquitatis, injustitiæ, insidiarum quas frater fratri struit, & *sanguinis* quoque *innocui h*. Quibus vitiis ac scandalis subtexit vivam descriptionem tristissimi Status, in quem Ecclesia per hasce suas transgressiones & declinationem à Deo redacta erat; edita delictorum suorum coram Deo humillima confessione, & toto statu, & impotentia sua, Deo nude expositis, ad impetrandum ejus auxilium in casu tantum non desperato. *i*

Scopus ejus.

II. Argumentum Concionis docet, *Scopum* ejus præcipuum esse ἐλέγχειν CONVINCERE & *Redarguere* vitia illius Populi, qui puram Religionem professus se gerebat pro Populo Dei, & à Deo pro Populo suo agnoscebatur, licet *moribus* impingeret, & neutiquam satisfaceret Divinæ exspectationi; eademque de caussa sæpe experiebatur Virgam Dei castigatricem; ut necesse haberet per *Jejunia* gratiam ejus implorare: & miscentur tamen Elencho *Doctrinæ*, *Exhortationes*, & *Consolationes*. Deus enim huic ipsi Populo gratiam suam salutemque optatam luculenter condicit, si mores suos emendet; Religionem tam puro & casto animo quam Ritu & Cultu externo celebret; charitati perinde ac veritati studeat; dissidiis, factionibus, & mutuis insectationibus abstineat; & in universum seriæ resipiscentiæ operam det. Quin in fine Concionis, Cap. LIX. 16. seqq. comprehensæ, pollicetur; se hunc ipsum Populum ab hostibus oppressum atque afflictum, ut status ejus desperatus videatur, tandem vindicaturum esse, hostibus ejus prostratis ac deletis; eumque purgatum suis judiciis & majore mensura sui Spiritus donatum missurum esse in hæreditatem Mundi; atque insignibus illis privilegiis Regni sui, quæ novissimo tempori reservaverat, aucturum & prosperaturum esse.

Nexus cum Sectione superiore.

III. *Nexus* hujus *Concionis* cum *superiore* aliunde petendus non est quam ex nexu fatorum, perinde ac in omnibus prophetiis continui temporis fata complexis. Quisque facile videat, *Subjectum* hujus Sermonis diversum esse à *Subjecto* quod compellatur initio *Sectionis superioris* nomine *adulteræ*, vel *adultera* genitorum. Ergo cum sub finem illius *Sermonis*, ℣. 14. exerte dictum esset, Deum, instituta Reformatione per fideles Doctores, illius Ecclesiæ corruptæ miserturum, ut qui in ea ex imprudentia errabant vel lugebant, his ostenderet *viam veritatis* & *gratiæ*, eosque *duceret*, doceret, *vivificaret*, *pace* Evangelii iis oblata; & ab impiis separaret, ac pro *Populo suo* assumeret: quis dubitet, ipsum illum Populum esse redemptorum ex Babylone mystica, ad quem hæc oratio vertitur; nec tamen, ut mox dicam, qualis fuit in suis initiis; sed qualis post statum suum aliquatenus confirmatum evaderet; quippe lapsu temporis rursus, ut fit, degeneraturum, & immensum gratiæ Divinæ beneficium sibi creditum non satis caste ac reverenter habiturum culturumque. *Scenam* ex *Analysi* intelliges.

Analysis ejus.

IV. Concio tota, qualem hic exhibeo, dispescitur in duos majores ELENCHOS, quorum alter continetur Cap. LVIII. alter Cap. LIX. 1--15.

ELENCHUS PRIOR: cujus *Pars prima* est *Elenctica*; altera *Doctrinalis*, Elencticæ subserviens.

PARS CONVICTORIA: in qua,

α. *Vox* sive *Mandatum* Dei ad fideles ejus Ministros editum, ut Populum suum convincant de *Vitiis* manifestariis in eo grassantibus, ℣. 1.

β. *Hypothesis* Elenchi; qua describitur *Status* illius Populi ad quem instituenda erat *convictio*,

(a.) Respectu *exterioris Cultus* ac *Studii Religionis*, ℣. 2.

(b.) Respectu *opinionis*, quam Populus, non vacuus hypocrisi, de hoc Cultu suo,

---

a Cap. LVIII. 1. *b* ℣. 2. 3. *c* ℣. 3. med. *d* ℣. 4. *e* ℣. 5–7. *f* ℣. 8–14. *g* Cap. LIX. 1. *h* ℣. 2–8. *i* ℣. 9–15.

suo, præsertim in Jejuniis, fovebat, ℣. 3.

γ. *Elenchus* huic hypothesi aptatus, in quo Deus Populum *redarguit* vitiorum in hoc Cultu, & præsertim Jejunii, commissorum, ℣. 3. *med.* 4. 5.

PARS DOCTRINALIS, qua Deus *tribus articulis* declarat veram sui colendi & Jejuniorum observandorum rationem; iisdemque doctrinis ac monitis subnectit Beneficia ac Privilegia Gratiæ cum vero hoc Cultu suo conjungenda,

Articulus primus, ℣. 6--9.
Articulus alter, ℣. 9. *med.*-12.
Articulus tertius, ℣. 13. 14.

ELENCHUS POSTERIOR; complexus, tum *Convictionem*, institutam à *fidelibus Doctoribus* Ecclesiæ, qua recensent graviora suorum temporum scandala; 1--8. tum *Querelam* de illius tristibus *Consequentibus*, intermixta ad Deum supplicatione, qua vulnera Ecclesiæ ipsi exponunt ac deplorant, Cap. LIX. 9--15.

PARS CONVICTORIA, à fidelibus Doctoribus instituta, qua,

α. Removent à Deo *culpam* miserabilis Status Populi oppressi, & sub variis calamitatibus gementis, & Causssam veram *generatim* demonstrant Peccata & Vitia in Populo grassantia, ℣. 1. 2.

β. Eadem vitia & crimina *speciatim* recensent, ℣. 3--8.

PARS QUERULA & SUPPLICATORIA, demonstrans illorum Vitiorum consequentia; videlicet Calamitates, Populo incumbentes: Qua

α. Simpliciter *calamitosius* ille Status Populi Dei, ad extremum redacti; nullam meriti gratiam; ac vana spe dudum delusi, describitur, ℣. 9--11.

β. Idem repetitur in *Supplicatione Confessionali*, ad Deum edita, ℣. 12--15.

CONSPECTUS sive PERIODUS *Ecclesiæ Instauratæ Declinantis.*

ELENCHUS PRIOR.

PARS PRIOR; Convictoria; in qua

α. *Mandatum Dei*, ad *fideles ejus Ministros* datum, quo jubentur manifesta vitia Populi Dei redarguere.

Periodus *Ecclesiæ Reformatæ* declinantis.

ELENCHUS PRIOR hujus Sectionis.

Pars prima, Convictoria.

α. Mandatum Dei de Ecclesia ob peccata sua redarguenda, ℣. 1. *Clama gutture, & seqq.*

Summa & species hujus Visi.

Ad *quas* personas *Mandatum* hoc edatur?

Phrasis, *clamare gutture.*

℣. 1. *Clama* GUTTURE; *ne cohibe. instar buccinæ extolle vocem tuam; & indica Populo meo defectionem suam, & Domui Jacobi peccata sua.*] Revelationem Divinam, quæ hic exhibetur, patet Vati factam esse forma Mandati, quo Prophetæ aut fidelibus Ecclesiæ Doctoribus injungitur, ut contenta voce ac spiritu declament in defectionem & vitia Populi Dei, qualis hic exhibetur. *Persona*, ad quam Mandatum hoc latum fuerit, non adscribitur. Sed cum Vox cœlestis quem compellet *numero singulari*; negari autem nequeat, Prophetam hanc excepisse Revelationem: probabile est, hic primo loco appellari Jesaiam: sed qui hic vel in *sua* spectari potest *persona*; vel tanquam *suppositus* fidis piisque Doctoribus, ad quos hæc oratio vere pertinet: ut passim in hisce prophetiis. Hos sub persona Vatis nostri jubet *altum clamare*, & quam contentissima atque elatissima voce Populo suo proponere *defectionem* & vitia. *Clama* ait, *gutture*, hoc est, alto, pleno, gutture: cæteroquin enim omnis *vox* editur *gutture*. Certe videtur hæc subesse ratio, quare Hieron. vocem *gutturis* in versione neglexerit, simpliciter exhibens, *clama*. Doctius Græcus: Ἀναβόησον ἐν ἰσχύϊ· *clama in fortitudine*, h. e. vi, contentione summa. *Ne cohibe.* vult dicere, *Ne cohibe*, aut *reprime vocem.* Hieron. *Ne cesses.* minus accurate. Non respicitur enim hic *Non-intermissio actus*; sed, *Non-cohibitio vocis.* Idem clarius subjicitur, *Instar* BUCCINÆ (כשופר) *extolle vocem tuam.* ut videlicet instar *clangoris buccinæ* vel *tubæ*, (sæpe enim hæc instrumenta olim vere in Sacris distincta, de quibus alibi [a] egi, confunduntur:) vox tua altum & ubique personet. Nihil hic plus quærendum est mysterii; suntque plura hic à Sanctio scripta, plane otiosa. Docet autem *figura* hujus orationis, α. Defectionem, peccata, vitia Populi Dei, de quo hic agitur, esse gravissima, ut ferri amplius nequeant. β. Eadem Deo vehementer displicere, ejusque provocare indignationem acerbissimam. γ. Populum illum Dei, ad quem hic Elenchus pertinet, esse Populum magnum & amplum, ad quem perferri nequeat convictio, nisi quis alta ac contenta voce utatur. δ. Eundemque Populum adeo passim persuasum esse de *merito* sui Status, ut nisi *altum* nomine Dei *clametur*; & vitia Populi contentiore voce & acriore stylo redarguantur: nullus exspectandus sit effectus: nihil sint impetraturi Doctores, & ne *audiendi* quidem. ε. Esse inter Ministros Dei, qui *vocem*, ubi *clamare* deberent, reprimunt, per *ignaviam*, aut *metum*; & hac parte officio desunt.

Instar buccinæ attollere vocem.

Quid subsit figuræ hujus orationis?

Sed cum in his nihil hæreat dubii; tum vero unum illud pertinet ad intelligentiam hujus *Concionis*, ut *Populus* ille cognoscatur, ad quem hic *Sermo* directus est; ut ex eo de *defectione* & *peccatis*, quorum insimulatur, judicium formari queat. Judæi Intt. plurescque ex nostris, inter quos Piscator, Belgæ, Grotius, censent hic redargui vitia Judæorum temporis Jesaiæ: quæ non videtur esse improbabilis sententia, cum nemo temere affirmet, *inconveniens esse talia dici Israëlitis antiqui temporis*, ut Cl. Coccejus. Ita quidem res se habet; & sunt mihi tamen graves rationes, cur statuere ausim, schema hujus *Concionis* minime convenire ætati Jesaiæ. Adverte igitur animum veri studiose homo, in hoc Elencho, ubi vitia Populi in Cultu Publico taxantur, non modo nullam plane mentionem fieri idololatriæ, (à qua *Domestica*, inquam, & *privata*, Populus raro liber fuit,) sed nullam quoque *Templi*, *Sacrorum*, *Sacrificiorum*, *Festorum*. Imo vero Cultum publicum hic sive proprie sive mystice restringi ad *Jejunia* [b] & ad *Sabbatha* [c]. Est autem par credere, per JEJUNIA, de quibus hic mentio fit, non intelligi anniversarium illud celebratissimum *Diei Expiationis*; (quod Grotius huc frigidissime refert:) sed *Jejunia* stata, eaque satis frequentia, *institutionis Ecclesiasticæ*: ne de latiore vocis significatione, de qua mox, nunc moneam. Ejusmodi vero Cultum publicum sub his Regibus, quorum ætate floruit Jesaias, nemo demonstraverit. Equidem tempore Calamitatis subinde indicta fuisse *Jejunia* aliqua extraordinaria, ex historia Josaphati [d], & ex prophetia *Joëlis* [e] & *Jeremiæ* ipsius [f], (imo apud Ephraimitas quoque sub Achabo [g],) quis colligat: sed historia temporum Prophetæ, nihil ejus exhibet. Non putem itaque, *Jejunia* stata & solennia, (excepto anniversario,) instituta esse apud Populum Judæum nisi in Exilio Babylonico; post illud Exilium continuanda tam in Canaanæa, quam in Babylonia;

Quis ille sit *Populus*, de quo hic sermo fiat?

Communis sententia, designari Populum Dei temporis Jesaiæ.

Cui tamen minus videtur convenire oratio.

Rationes ejus sententiæ.

Cujusmodi viguerit usus *Jejuniorum* in Ecclesia ante Exilium Babylonicum?

Jejunia Ecclesiasticæ institutionis repetenda sunt ex Exi-

[a] Vide de *Synagog. Vet.* Lib. II. Part. I. Cap. X. [b] ℣. 3. 4. [c] ℣. 13. [d] 2 Chron. XX. 3. [e] Joël. I. 14. II. 15. [f] Cap. XXXVI. 9. confer Jes. I. 13. [g] 1 Reg. XXI. 9, 12.

lio Babylonico.

Alii prophetiam hanc ad illud tempus referunt.

nia; quippe de quo clare liquet ex Zacharia[a]. Eſtque hæc ratio, quare Sanctius & ſequaces aliqui prophetiam hanc eo pertinere cenſeant; ipſi quoque hic avertentes oculos à temporibus Jeſaiæ: quæ utique ſententia longe probabilior eſt ea Euſebii & Hieronymi, qui hæc dicta exiſtimant ad Judæos, qui Filium Dei repudiarunt, contradiſtinctos Eccleſiæ veræ. Patet enim luculenter ex toto hoc *Sermone*, ipſum illum Populum, qui hic compellatur, eſſe Populum Dei, & à Deo pro Populo ſuo cenſeri. Quin ipſum hunc Populum tanquam verum Dei Populum à Deo poſt graviſſimam afflictionem, qua res ad extremum venerit, vindicandum liberandumque eſſe, (Cap. LIX. 16. ſeqq.) & adepturum complementum *perfectionis & gloriæ*, Statui Eccleſiæ in his terris deſtinatum. Id vero ipſum eſt quod præter nexum *antecedentium* maxime obſtat iis qui hic cenſent agi de Populo Judæo in Exilio Babylonico. Quæ enim habentur Cap. LX. tum temporis implementum ſortita non ſunt. Qui umbram hic quærit, reſpicere deberet tempora Judæi Populi, quæ proxime præceſſerunt Afflictionem Syriacam: h. e. Statum Populi poſt Reditum ex Exilio Babylonico collapſi. Id enim unum cenſeo hic cum aliqua ſpecie cogitari poſſe. Sed auguſta & præclara prophetia Cap. LX. nos vetat in eo acquieſcere. Eſt tamen hic fatorum Veteris & Novi Populi mirabilis quædam convenientia. Ut enim Populus à Deo liberatus ex Babylone antiqua, Statu ſuo confirmatus, ſenſim magis atque magis declinavit à Deo, licet ab idololatria ac ſuperſtitione liber; atque adeo ſeveriſſimam in ſe provocavit Dei indignationem: ſic plane ſe res habuit cum Eccleſia illius Populi, quæ egreſſa ex Babylone myſtica, ſtatu ſuo per varia Regna & Reſpublicas ſtabilito, non probe tuita eſt Statum Populi Dei & Eccleſiæ purgatæ; ſed multa ſibi contraxit ſcandala ac vitia, ad oculum cuique conſpicua, ob quæ merita eſt gravius à Deo caſtigari; atque neceſſe habuit varia inſtituere *Jejunia*, longum tempus protracta, ut indignationi Divinæ occurreret, & iram ejus placaret; licet interea à vitiis & peccatis ſe nihilo ſecius purgaret. Ad hunc itaque Populum, favente tota prophetia, putem cum Cl. Coccejo referendos eſſe *Elenchos*; nec tamen illos ejuſdem temporis. Primus competit in hunc Populum, poſt Statum ejus à Luce Reformationis confirmatum per varia Regna & Reſpublicas; & vellem ſane, ut in eo non videremus noſtram imaginem. Alter in hunc Populum, qualem ſe conſpiciendum dabit circa illud tempus quo res illius tum ob ingraveſcentia vitia; tum ob hoſtium ſuorum prævalentium conamina, gravius collapſæ fuerint; proxime ante vindicias à Deo huic Populo ſuo præſtandas. Nullam hic invidiam metuo. Ulcera enim Eccleſiæ nulla hic tangam, niſi manifeſta: quæ qui tangi non vult, eadem non vult curari. Qui vitia ſua recognoſcere non formidat: non reſpuit ſpeculum. Certe cavebo diligenter, ne labem quæ Populo *Proteſtantium* adhæret, præter meritum ampliando, beneficia Divinæ Providentiæ & Gratiæ, quibus adhucdum fruitur, extenuem. Ergo quæ Vox cœleſtis hic imperat *Doctoribus fidelibus*, ut *pleno gutture* clament, & *vocem* non cohibitam *inſtar tubæ* efferant: eandem cenſe editam eſſe ad *Doctores & Concionatores* publicos, qui Eccleſias, quæ divortium fecerunt ab adulterata Romanenſi, adminiſtrant. A quo tempore Eccleſia Dei in Mundo fuit; *Præconum & Concionatorum* publicorum tanta non fuit copia, (ſit ſemper reverentia temporibus Apoſtolicis:) quanta poſt ortam lucem Reformationis; dum poſt abolitam ſuperſtitionem Miſſaticam, quæ Officii Sacri maximam partem occupabat in Eccleſia corrupta, *Inſtitutiones & Conciones* publicæ ubique viguerunt: quippe quod unum medium, ab Apoſtolis ordinatum, Doctores Eccleſiæ reformandæ dediti videbant Eccleſiæ inſtaurandæ eſſe accommodatiſſimum. Multi tum Gregorii, Ambroſii, Chryſoſtomi, Auguſtini, Bernhardi. Imo vero affirmo, *potentium Concionatorum*, quales Cranmero commendat Calvinus, qui ex *alto gutture* clamarunt, & ſumma uſi libertate omnia vitia, defectuſque Eccleſiæ omnes, ipſos apud Reges, Principes, & in corona Populi, aperto ore expoſuerunt, & in ea valide declamarunt, quales Concionatores uſque ad illud tempus rariores fuerant, cum tempore (in initio enim ſtudioſe quærebantur,) ejuſmodi, inquam, Concionatorum opera & laboribus hanc Eccleſiam ea ubertate gaviſam eſſe, ut ſuperiorum temporum nulla comparatio ſit. Extant *Convictionum* non tantum *oralium*, ſed & *ſcriptarum*, & publice *lectarum*, earumque acrium, quibus ad modum ejus quod hic fidis miniſtris mandatur, vitia omnia Populi Proteſtantium elenctice redarguuntur, exempla apud omnes Populos à Roma diſcretos fere abſque numero. quorum ſi materiam ſpectes Eccleſiam pudere poſſet: verum ſi rem ipſam conſideres; ex ipſo hoc argumento colliges, Spiritum Dei convincentem adhuc eſſe apud Eccleſiam, & Deum eam adhucdum non deſtituiſſe. Hodiedum Eccleſiæ illæ eodem ſtatu perſiſtunt; licet hic juſtiſſimæ querelæ locus ſit. Si enim gratiæ Divinæ hoc ingens debeamus beneficium, quod in Eccleſiis ſuperſint, qui vocem efferre velint ac audeant, & officio hac parte naviter funguntur: quanto heu! numero ſunt ignavi, pigri, utilitatibus aut voluptatibus ſuis nimium dediti, meticuloſi, qui ubi *loquendum eſt*, ſilent; vel ubi *clamandum eſt*, vocem reprimunt ac cohibent, ne ſecuros offendat! Quænam autem hæc ſit פשע *tranſgreſſio* & חטאות *peccata* Populi illius, de quo hic agitur: ex *ſequentibus* patebit. ex quibus proinde intelliges, vocem פשע hic non uſurpari ſumma, ſed media, emphaſi, pro *peccatis*, gravibus quidem ac reprehenſione digniſſimis, in quibus eſt *hypocriſis*; ſed quæ tamen cadere poſſunt in plures de *cœtu* qui dicitur Populus Dei. confer hic ſignificationem vocis Cap. LIII. 5.

Quid illi hypotheſi obſtet?

Rectius hic cogitaretur de Statu Eccleſiæ ex Babylone reducis corruptæ.

Quæ tamen ipſa hypotheſis non ſatisfacit orationi.

Animadverſum de convenientia Fatorum utriuſque Populi, V. & N. F.

β. *Hypotheſis* Elenchi, qua deſcribitur *Status* illius Populi, apud quem inſtituenda erat convictio.

(a.) *Reſpectu* Externi *Religionis* Studii.

Objectum prophetiæ eſt Populus Novi Fœd. poſt initia Reformationis ab inſtituto declinantis.

ỿſ. 2. ATQUI *me* QUOTIDIE QUÆRUNT; *&* COGNITIONE VIARUM MEARUM DELECTANTUR; *inſtar Gentis quæ Juſtitiam exercet, & Jus Dei ſui non derelinquit; quærunt ex me judicia Juſtitiæ;* DELECTANTUR MIHI APPROPINQUARE.] Ea arte ſapientiſſimus Convictor Spiritus hunc Elenchum tractat, ut ei præſtruat in ſpeciem Elencho contraria; ut poſtquam dederit, quæ οἱ Ἐλεγχόμενοι ſibi deberi cenſent; ab ipſis illis Convictionis exordium & argumentum ſumat. Sic cohærent hæc verba cum *antecedenti* mandato, ac *ſubſequentibus*. Nempe cum mandatum ferat redarguere Populi peccata: protinus occurrit, quid demum in Populo arguendum ſit. Eſſe enim illius favorabilem conſpectum: *quærere Deum, & delectari cognitione viarum ejus, & ſeqq. Atqui*, ait Deus, hæc me non fugiunt: & tamen conſtat mihi abunde mandati mei ratio. Sic cohærent verba, ut quiſque prudens facile animadvertit. quare *præfixam* ו in initio ỿſ. 2. in voce ואותי recte cum Cl. Coccejo verto per *Atqui:* etiamſi nihil vitii eſſet eam ſumere peo ו *initiali*, ſive *exordiali*, more Hebræis ſatis recepto, ut aliqui inſtituunt. Sunt autem *quatuor* virtutes, ſive veræ, ſive ſimulatæ, à quibus Deus Populum hic deſcribit. Primum membrum: *Et me quotidie quærunt.* h. e. in Cultu, & Sacris publicis, Concionum & Inſtitutionum, iiſque purgatis & caſtigatis, idque cum ſtudio & concurſu. Eſt enim דרש *quærere*, curam atque operam in rem aliquam impendere; & ad *Deum* relatum notat ſtudioſam curam hominis qua ſe ad Deum in cultu publico ac privato applicat, ut Dei favore

Hypotheſis Elenchi.

(a.) Deſcribitur Status illius Populi, reſpectu externi Studii Religionis.

Modus Sp. S. in Elencho hoc inſtituendo.

Præfixa ו hic recte vertitur per *atqui*.

Quatuor in Statu Populi ad ſpeciem laudabilia.

Emphaſis vocis דרש h. l.

Doctores, ad quos hoc mandatum editur, juxta hypotheſin demonſtrantur.

Copia Præconum publicorum poſt tempora Reformationis.

a Cap. VII. 1. 5. ſeqq.

ad salutem temporalem ac æternam potiri queat; qua significatione phrasin in superioribus [a] non semel offendimus. Coccejus: *Atqui me quotidie* CONSULUNT. Sic Chaldæus: וקדמי יום יום אולפן מבעין *Et coram me quotidie* DOCTRINAM QUÆRUNT. Non nego, vocem דרש obtinere quoque posse significationem *consulendi* cum *nota accusativi:* sed rectius tum construitur cum vocula אל, ut Cap. XI. 10. Nec tamen nos id hic excludimus, sed vel maxime includimus generaliori phrasios significationi. Qui enim in Sacris publicis comparet, ut Verbum Dei *lectum & expositum* audiat inter cætera officia sancta; *Deum* vere *consulit.* Alterum: *Et cognitione viarum mearum delectantur.* Sc. Verbum Dei legendo, commentando, explicando, magno opere ex quibuscunque subsidiis eruditionis illustrando, inter se conferendo, & Doctrinam eo contentam in Systemata redigendo, atque accurate digerendo; eandem Doctrinam certatim adstruendo; & falsam ei oppositam refellendo; dubia quæ sunt ad minimas usque minutias exigendo, & obscura ad liquidum perducendo; atque universam Dei sapientiam, Oeconomiis temporum ac prophetiis inter se comparatis, pro modulo humani captus & Revelationis, in apertam lucem producendo, tam ore quam Scriptis. *Viæ Dei*, reciproco significatu, vel sumuntur pro Consiliis, moliminibus, operibus, per quæ Deus tendit ad fines sibi propositos; vel notant *Officia* hominibus præscripta, ut per ea tanquam per *viam* tendant ad communionem Dei & æternam ejus fruitionem. Neutrum hic sepono; & tamen prius magis videtur convenire huic loco. His *delectari*, si integro animo fiat; est *quærentium* ac reverentium Dei [b]: *non delectari* character impiorum, Dei non amantium ac reverentium [c]. qui enim Deum diligit, Verbum ejus amat ac lubenter scrutatur. Tertium: *Instar Gentis quæ justitiam exercet* (magna solicitudine circa veritatem & officium affecta est,) *& Jus Dei sui non derelinquit*, (Religionem ejusque præcepta omnia, & discrimen veræ à falsa magno pretio, magnæque curæ habet,) *quærunt ex me* JUDICIA JUSTITIÆ. Sic rectissime construuntur hæc verba secundum Masorethas. Sensus est; tractant magna accuratione *Casus conscientiæ*, quid sibi secundum accuratissimam regulam Verbi Dei ac Disciplinæ Evangelicæ liceat, nec ne; ne quicquam hic negligere videantur quod ad *officium* censeri posset pertinere. Nihil hic obscurum. Phrasis משפטי צדק *judicia Justitiæ* occurrit non semel in sanctissima *Ode*, quæ studium & meditationem Verbi Dei cum ejus praxi commendat [d]; & in universum sumitur pro omni definitione doctrinæ aut disciplinæ Religionis; sive pro omni constitutione Divina, quæ circumscribit regulam credendorum ac faciendorum; etsi ad *faciendum* specialem respectum habeat. Quartum: *Delectantur approquinquatione Dei.* h. e. his præsertim actibus Religionis, quibus homo censetur proxime Deo uniri; videlicet precibus, jejuniis, Laudationibus atque Hymnologiis Sacris; &, ex hypothesi, celebratione sacratissimæ Communionis symbolicæ, quæ in actibus Religionis à Christo & Apostolis præscriptæ putatur esse medium quo credens quisque se in hac vita arctissime unit Deo. Phrasis, קרבת אלהים *appropinquatio Dei* sumi potest *active*, vel *passive.* priore modo notat actum hominis in exercitatione qualicunque officii Religionis, ad Deum accedentis, & se ei *unientis*, vel communionem suam cum eo profitentis. posteriore, actum Dei, se unientis homini, aut per influxum gratiæ, aut per *judicium*, sive quo Ecclesiam *purget* [e]; sive quo hostes Ecclesiæ judicet, ad Statum Populi sui magis confirmandum. quæ duo passim in his qui Deum quærunt, ita conjunguntur, ut nunquam separentur, secundum illud Jacobi [f]: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Censeam tamen, prius hic præcipue respici, cum hic vere agatur de studio hominum erga Religionem; neque perspexi rationem, quare Cl. Coccejus posterius mavelit tam in hoc loco quam in affini Ps. LXXIII. 28. *Ad me vero quod attinet:* קרבת אלהים לי טוב APPROPINQUATIO DEI (Status propinquitatis Dei,) *mihi est res bona.*

Obtinet quoque notionem *consulendi.*

Cognitiones viarum Dei delectari, quid h. l.?

Viæ Dei quo sensu sumantur?

Quid sit *viis Dei delectari?*

Reliqua, *Justitiam exercere; Jus Dei sui non derelinquere, &c.* exponuntur.

Phrasis, *Judicia Justitiæ.*

Delectari approquinquatione Dei, quomodo hic accipiendum?

Phrasis sumi potest *active* vel *passive.*

Esse hanc veram imaginem illius Populi, qui egressus est Babylonem mysticam, & se ab ea secrevit, Religionem puram castamque ex Verbo Dei promptam profitentis, nemo mihi negaverit æqui judicii homo: quare etsi hic longa materia sit me diffundendi per singula hæc capita; nihil ejus statutum est hic tentare. Tantum quæritur, quomodo Propheta, sive Deus ipse hanc convictionem instituens, hic intelligi velit; an vero, totum Populum, qui hanc speciem præfert, esse in fermento hypocrisios; num vero ex Populo multos, & majorem ejus partem? Deinde, qualis hæc sit hypocrisis, an aperta & manifestaria; num occulta & latiore sensu sic dicta? Quod ad prius: ajo, non esse probabile, orationem Divinam accipiendam esse de toto Populo, qui hanc speciem præfert; de qualicunque etiam tempore & Statu Ecclesiæ, qualis hic describitur, verba sumantur. Ubi enim ampliſſima Populi multitudo illam speciem præfert, quæ species hic loci pingitur: non est credibile, in tali Populo non esse multos, & bono numero, quibus laudabilia hæc studia & conamina, à quibus hic describitur, curæ sint. Certe ubi Religio publica pure celebratur, Verbum Dei absque crasso errore docetur, & ad hæc Sacra concurritur: non caret suo fructu. Imo vero clarissime liquet ex *Sectione* sequenti, ubi exhibetur *Confessio* ab hac Ecclesia edita, (Cap. LIX. 9.) fuisse in hac multitudine plures qui communi declinationi indoluerint. Ergo convictio hæc accipienda est cum respectu ad *majorem partem* ejus Populi, qui dicebatur Populus Dei. Inde facile expeditur *Dubium* alterum, an Deus Populi majorem partem ab his qualitatibus laudabilibus in speciem describendo, eam arguat hypocrisios? Respondeo, id recte dici, modo recte intelligatur. Est species hypocrisios sic vere & proprie dictæ, qua quis personam mentitur, & sciens volens alium se simulat ac profitetur, atque est; qualem hypocrisin in majore parte hujus Populi non agnosco. Nec Deus has qualitates ejus ita recensetur, acsi eas prorsus improbaret: imo vero aliquid huic Populo largitur. Quin si Populus sibi conscius esset hujus detestabilis hypocrisios, quæ merito in pessimis vitiis censetur: qua fiducia censeret Deum sibi respectu cultus sui aliqualem esse *debitorem?* quod tamen ei adhæsisse præjudicium, ex *sequenti commate* satis liquet. Sed in Divinis *hypocrisis* dicitur omnis actio bona & laudabilis, quæ non instituitur ex illo *principio*, quod Deus in operante requirit. Omnis cultus Dei qui instituitur ex ignorantia, assuetudine, consensu temerario, impetu, præjudicio, est hypocrisis; licet ipsi illi qui cultum illum exercent, se non sentiant esse in vitio. Omne studium Verbi Dei, & actiones quæ circa illud versantur, docendi, concionandi, commentandi, disputandi, si instituantur non ex amore veritatis interiore aut studio Divinæ gloriæ; sed ex honoris, aut utilitatis, aut operis & officii ipsius tanquam debiti *prævalente* respectu, aut *vincendi* desiderio, licet non à pessimis hominibus, aut prorsus vacuis amore aut reverentia Dei; apud Curiam cœlestem est hypocrisis. Omnis actio bona, per se sancta ac laudabilis, conjuncta cum peccato regnanti, libidinis, superbiæ, φιλαυτίας, injustitiæ, avaritiæ, in Foro Divino valet hypocrisin; licet qui hoc statu sunt homines ipsi pro *hypocritis* se censeri nolint. Sic vulgus, sic in vulgo Docti & quod ad commercium civile non spernendi homines plures sunt in hypocrisi, *diviso* inter *Deum* & *Mundum corde:* licet ipsi sibi persuadeant; *Statum* suum coram Deo non esse reprobabilem. Hæc vero hypocrisis est quæ hic in majore parte Populi Dei notatur. Erat in iis studium aliquod Veritatis, & Religionis, & in Religionis studiis delectatio

Imago hæc convenit Populo qui egressus est Babylonem.

Hypocrisis Populi hic memorata quam late se extendat?

Non pertinet ad omnes, sed ad majorem partem.

Cujus generis hypocrisis hic designetur?

Hypocrisis in Divinis quam late sumatur?

Alia ejus species.

Dicta ad hunc locum applicantur.

[a] Cap. IX. 12. XV. 6. [b] Ps. LXI. 2, LXIX. 33. [c] Job. XXI. 14. Jer. VI. 10. [d] Ps. CXIX. 7. 106. [e] Mal. III. 3. [f] Jac. IV. 8.

ctatio ac profectus: ſed conjunctum cum vitioſis affectibus vitiiſque dominantibus, ob quam cauſſam *opera illorum non erant deprehenſa plena coram Deo.* a

(b.) Reſpectu *præjudicii* favorabilis quod Populus de hoc Cultu ſuo fovebat.

(b.) Reſpectu *præjudicii* favorabilis Populi de Cultu ſuo, ỳſ. 3.

ỳſ. 3. *Quare* JEJUNAMUS, *& non vides? affligimus animas noſtras, & non cognoſcis?*] h. e. Nos jejunantes non liberas ab adverſis, aut à calamitatum & adverſorum metu, quorum cauſſa jejunium inſtituimus; atque adeo re ipſa non demonſtras, ac teſtatum facis, jejunia noſtra cultumque noſtrum omnem tibi placere? *Jejunia*, religioſa videlicet à cibo, potu, & lautitiis, abſtinentia, vel reſpici poſſunt ut *medium* & ſubſidium Religionis & ſpiritualium operationum; vel ut ſignum pœnitentiæ & humiliationis coram Deo; quando Religionis partem faciunt. Utrumque locum habere poteſt in Jejuniis privatis: ſed poſterius præcipue ſpectatur in Jejuniis publicis quæ à tota Eccleſia celebrantur. Solent autem publica ejuſmodi Jejunia indici à Magiſtratu legitimo aut à Præpoſitis Eccleſiæ, vel ad ſolennem confeſſionem edendam peccatorum in Populo Dei invaleſcentium, iramque Dei præveniendam ac deprecandam; vel ad obtinendum auxilium Dei in præſente, aut imminente, calamitate. Poſterius rurſus hic ſupponi, inde patet, quod conquerantur hi ſupplicantes, Deum *ſe Jejunantes*, aut *animas ſuas affligentes* (obſerva *ἐν παρόδῳ* hic rurſus genuinam notionem נפש *animæ*, qua ſumitur pro *anima concupiſcente*, de qua vidimus Cap. LVI. 11. in phraſi, נפש עיי *validi anima* ſive *appetitu:*) *non reſpicere.* h. e. nullum ſe *Jejuniorum* ſuorum ſentire *effectum.* non liberari ab afflictione & malis, quorum cauſſa Jejunium inſtituerant. Quæ querela ſupponit, ipſos illos, qui *Jejunia* ſua hic Deo commendant, paſſim de hoc officio ſuo honeſte ſentire, tanquam hoc ritu ex more & lege eſſent defuncti. Attamen vere cenſeo cum Cl. Coccejo, hic non eſſe ſubſiſtendum in ſolis *Jejuniis*; ſed iis hic comprehendi omnem *cultum*, qui Deo in publicis Sacris, aut exercitio Religionis, defertur: *Jejunia* vero hic tantum memorari vel ut ſeveriorem cultus Religioſi partem, ſub qua omnis alius cultus comprehendatur; vel latius ſumi pro *Religione*, cujus præcepta & diſciplina requirunt ſeveriorem & caſtigatiorem vivendi rationem, qua quis renunciat voluptati carnis, cui corrupta Religio in ipſis Sacris ſuis favet ac blanditur: perinde ac in fine hujus *Sectionis*, ỳſ. 13. 14. eadem illa Religio tota proponitur ſub notione *obſervantiæ Sabbathi.* Utrumque hic vere dici poteſt, licet *Jejuniorum* reſpectum non excludamus, quippe ad quæ in proxime ſequentibus directe reſpicitur. Corrupta Religio tota, qualis apud Romanenſes viget, compoſita eſt ad delectationem ac blandimenta carnis. Quicquid in externis, pompoſis, ac ſplendidis Sacris ejus conſpicitur, oculos vel aures oblectat vel demulcet. Facilis ibi peccatorum redemptio. Omnis ſeveritas per laxatam diſciplinam excluditur. Quid vero jucundius carni, quam lata via ire poſſe ad ſalutem? Equidem qui Divinum opus Reformationis proſequuti ſunt calumniis & criminationibus ſuis, præ ſe tulerunt, Doctores huic operi intentos, *id unum maxime ſpectaſſe, ut honeſtiſſimo prætextu avaritiæ fœdæque licentiæ, uti quiſque ſua libidine rapiebatur, januam penitus aperirent*, ut alibi Jovius *b*: quo nihil ſcribi potuit falſius. Non neceſſe habet exire Roma, impuritatis & avaritiæ matre, qui carni indulget. Quid quod ipſe *centum poſtulata Germanorum*, Reformationi ſtudentium, fateatur *ſummæ videri potuiſſe æquitatis, quod ſæpius à Roma-*

Senſus ſententiæ.

Jejuniorum varius reſpectus.

Et quidem *Publicorum.*

Quæ hic reſpiciuntur.

Jejunia hic latiore ſenſu ſumuntur.

Religio vitiata tota compoſita eſt ad delectationem carnis.

Calumnia impacta auctoribus Reformationis.

no Pontifice veluti impoſitis Sacrarum rerum veſtigalibus avariſſime premerentur? Diſciplina, Doctrinæ Proteſtantium juncta, tota ſimplex, caſta, ad ſeveritatem morum & ſanctimoniæ exacta, carni ac licentiæ carnali inſtar repaguli oppoſita eſt: quam ſi eam Religionem profitentes non obſervant, cujuſmodi bene multos eſſe non negamus; ipſi illi Doctrinæ ac Diſciplinæ vitio verti nequit. Inſtitutum ſanctum eſt & fuit ab initio; ſed tranſgreſſores ejus hæc ipſa Concio refellit. Interim hæc ipſa verba Prophetæ ſic ſunt concepta, ut vere hypotheſi noſtræ faveant. A quo Res Chriſtiana ſtetit, ea ratio non fuit *Jejuniorum*, à Magiſtratu vel Principibus piis indictorum, quæ huic σχήματι reſpondet, præterquam in Eccleſiis Proteſtantium, & his maxime in quibus *Presbyteriorum* viget diſciplina. Habuit Eccleſia Chriſtiana Vetus ſua *Jejunia*, & *Semi-jejunia*; ſed *ſtata* ac ſolennia; quorum *ante-Paſchale*, ad celebrandam memoriam Paſſionis Domini, quod cum tempore evaſit *quadrageſimale*, hodiedum apud Romanenſes ſupereſt, fœdiſſimum ſuperſtitionis & hypocriſios ejus documentum. Quanto enim ſcandalo eſt, quod nemo ignorat, ante illud ſuſceptum in terris ditionis Pontificiæ, Epulis, Ludis, Choreis, & quibuslibet oblectamentis mundanis ac carnalibus libere ac ſtrenue indulgeri, idque paſſim venia ac mandato publico, ad exempla Regum & Principum hujus Sectæ cæteris præeuntium, ut ſubſequens *Jejunium* ſit tolerabilius! O Deus! quid hoc eſt Religionis? Eſtque vitium jam antiqui ævi *A*, ne noſtra tantum ac ſuperiora tempora reſpicias. Inſtitui præterea cœperunt Sæc. v. λιτανείαι, *Supplicationes* cum *Proceſſionibus* publicis in Oriente: ſed ab his *Jejuniis*, de quibus cum maxime ago, diverſæ. Talibus, ajo, Jejuniis, qualia hic deſignantur, quæ pius Princeps aut Magiſtratus, aut Conventus Eccleſiaſticus, tempore afflicti Status Reipublicæ & Eccleſiæ ſolenniter atque extra ordinem indicit ad teſtificationem publicam humiliationis coram Domino, cum ſolenni confeſſione peccatorum, & precibus ac ſupplicationibus publicis Deo in Conventibus ſacris ſolenniter oblatis. Eſt Sacrum laudatiſſimi generis, Statui Populi, qui ſe Populum Dei profitetur, congruentiſſimum; quod nobis in hac Belgica notiſſimum eſſe, & frequentis inſtituti, debemus pietati, prudentiæ ac curæ erga Religionem, ſummi qui ei præſidet Magiſtratus. Utinam tamen memores non ſimus, multorum *Jejuniis* non reſpondiſſe deſideratum eventum!

Diſciplina Proteſtantium.

Jejuniorum à Magiſtratu indictorum apud Proteſtantes uſus ſingularis.

Jejuniorum ratio in Eccleſia Vetere; & Romanenſi hodierna.

Litaniæ Veteris Eccleſiæ.

Jejunia hic memorata preſſius deſcribuntur.

Elenchus huic hypotheſi aptatus,

(a.) *Redargutorius* καθ' ὑπόθεσιν.

ỳſ. 3. med. *Ecce die quo jejunatis, inveniitis voluptatem; &* OMNES DOLORES VESTROS EXIGITIS. ỳſ. 4. *Ecce ad contentionem & jurgium jejunatis, & ad percutiendum pugno improbitatis. Non jejunatis hoc tempore, ut audiri faciatis in alto vocem veſtram.*] Jejunia, ſi rite celebrentur ex præſcripto Dei & Lege Sanctuarii, faciunt, ut modo præmonebam, caſtiſſimam & Deo acceptiſſimam cultus ſacri partem: ſed vergunt in contrarium, faciuntque ad dehoneſtamentum Divini Nominis, & provocant Dei indignationem, ſi ab hominibus animo non purgatis, aut vere pœnitentibus, irreverenter celebrentur; perinde ac *preces* de quibus Jacobus *c*: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in voluptates veſtras inſumatis.* Duo ſunt quæ Deus hic in jejuniis Populi ſui deprehendit & taxat vitia. Primum, quod quo *die jejunarent, invenirent ſuam voluptatem*, deſiderium. h. e. quod ipſos illos dies Jejuniorum accommodarent ad *ſuam concupiſcentiam:* quod variis modis fieri poteſt: ſive ut avarus parſimoniæ ſtudeat, quod ſibi detrahit & negat, non erogando in

Elenchus huic hypotheſi aptatus, ỳſ. 3. 4.

Eorum reſpectus apud Deum, ſi non rite celebrentur.

Vitium primum hic notatum, quod *Jejunantes* iis diebus *inve-*

a Apoc. III. 2. *b* In *Vita Hadriani* VI. *c* Jac. IV. 3.

A Guil. Neubrigenſis, *Hiſt.* Lib. V. Cap. VIII. in *Vita* Hugonis Dunelmenſis Epiſcopi, *in quo* ait *impletum fuiſſe illud Salomonis: Omnia quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi illis; nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur*, exitum ejus deſcripturus: *Venienſque ad villam propriam quæ dicitur Craet, Dominica,* QUA MOS EST SACERDOTIBUS *caput quadrageſimalis Jejunii ſolenni eſu carnium prævenire, ibidem ſupra virtutem corporis ſenilis ingurgitavit ſe epulis, dum miſer, cui nil ſapit venter, per ſaporum illecebram de numeroſitate ferculorum, uſque ad gravamen proprium ſuſcipere cogeretur, & ſeqq.* Pertinet ad inclinatum Sæc. XII.

nirent suam voluptatem.

pauperes: sive ut sexus debilior formam & ornatum in publicis Conventibus ostentet: sive ut Sacris ordinariis defuncti hos ipsos dies impendant Visitationibus, consabulationibus, & commerciis amicitiæ qualia ad oblectationem, suis temporibus non illicita, instituuntur: sive etiam de vulgo homines multi, Sacrorum minus reverentes, nulla Legis severitate coërciti, (utinam etiam non sæpe honestioris ordinis!) hos maxime dies totos insumant tanquam feriatos ad vacandum delectamentis, quæ caro & occasio cuique offert: sive etiam ipsos hosce dies captent ad persequendas injurias; de quo mox. confer ỳ. 13. Alterum est, quod Populus ille Dei, qui hic describitur, *injurias suas* hisce ipsis diebus *non remitteret*; sed easdem strenue persequeretur: quo ex meo sensu reliqua pertinent. Proponit Vates vitium illud, mox explicandum, hisce verbis: וכל עצביכם תנגשו *Et omnes dolores vestros exigitis:* in quibus exponendis Intt. non consentiunt. Sunt, inter quos Belgæ, qui hic intelligunt *opera servilia*, quæ à servis & ancillis hoc ipso die rigide exigebantur, ut aliis diebus. Οἱ ὁ. Πάντας τὰς ὑποχειρίας ὑμῶν ὑπονύσσετε· *Omnes subjectos vobis affligitis:* quæ lectio absque emendatione facile subsistit. Judæi Intt. accipiunt pro *debitis*, à debitoribus his diebus perinde ac aliis inclementer exactis, conferentes huc locum Prov. v. 10. *Ne veniant* vel *absumantur*, עצבך DOLORES TUI *in domo peregrini.* confer Cap. x. 22. *Pecunia* enim est *dolor*, quod non absque dolore & labore comparatur. Hieron. *Et omnes debitores vestros repetitis.* Sic præiverant Sym. & Theod. Non ausim vel velim diserte refragari; nec tamen in hunc sensum propendeo. Videtur enim mihi durior esse usus vocis עצב *dolor* hoc in casu pro ממון *pecunia.* Prior interpretatio de *operibus servorum* aut *molestis exactionibus subditorum*, magna se commendat specie; estque mihi in eam pronior animus.

Cl. Cocceji sensus.

Coccejo, *omnes suos dolores exigere* hic loci est, *judicia Dei implorare propter dolores suos, & quia carni aliquid detrahitur; neque indolescere miseris persecutionem patientibus, neque orare pro persequentibus.* Sublimis est speculatio; & multum veri subest sensui; sed plane non putem, id à Propheta intentum esse. Qui enim supplicant liberationem ab hostibus aut malis imminentibus: accommodant suas precationes ad Dei voluntatem, modo Legis Sanctuarii periti sint. Quid multis? *Exigere omnes dolores suos* est *exigere injurias sibi factas.* Injuriæ enim nobis illatæ *dolori* sunt. Sic ipse Vir Doctissimus alibi: *Non condonatis iis qui vos lædunt & offendunt.* quod censeo verissime dictum. id enim ipsum est quod Propheta mox persequitur & explicat. ỳ. 4. *Ecce ad contentionem & jurgium jejunatis, & ad percutiendum pugno improbitatis.* quod, æque ac superius, *exigere omnes dolores suos*, gemino modo accipi potest. α. Quod in jejuniis, supplicationibus, & omni Religionis cultu animo servarent injurias sibi à consortibus ejusdem communionis illatas; parati eas vindicare, & acrius persequi, si occasio se offerat, transacto jejunio; & nihil remitterent de *dissidiis*, & *factionibus*, in quas distracti erant. Id enim qui agunt, hoc ipso significant, se Deum ex suo sensu posse habere placatum ac propitium, & tamen mutuas inimicitas ac simultates pro virili persequi; cujusmodi itaque in casu *Jejunia* ipsa conferunt ad *factiones* ac *dissidia* constabilienda. β. Quod ipsa *Jejunia*, sacratissimum cultum, in hunc usum verterent, ut quisque *factionem* parteque suas iis confirmaret, & partem adversam invidiæ exponeret: ut v. gr. si quis Magistratus aut Minister inter *peccata publica*, quæ Divinam virgam in Populum suum provocant, recenseat fictas falsasque causas, quas fratribus ejusdem fidei consortibus sed factionis diversæ, imputet; ut in eos derivet invidiam publicam, tanquam quarum maxime culpa ira Dei in Populum suum exarserit: quod genus hypocrisios est detestabile, & tamen in historia non incognitum. Docet autem nos convictio, nullum Jejunium, publicum aut privatum; nullas preces & supplicationes; & nullum omnino Religionis cultum, Deo gratum acceptumque esse, nisi quis inimicitiis ac simultatibus, quas ex offensis aut honoris studio natas, cum aliis factionis diversæ exercet, integro animo renunciet: quæ eadem certa & clara est doctrina Domini [a]. Additur, לא תצומו כיום להשמיע במרום קולכם quæ diverse redduntur, *Ne jejunetis* HODIE, aut *tanquam hoc die, ut audiatur in excelso vox vestra.* Vel, *Non jejunatis pro ritu hujus diei, ut, seqq.* Jarchius: לא תצומו כיום כמשפט היום לשבור לבבכם כדי שישמע קולכם במרום *Non jejunatis* כיום *Secundum ritum hujus diei ut frangatis corda vestra, ut vox vestra audiatur in alto.* Pulchra est interpretatio, quam sustinere potest vox constructa כיום, modo responderet ejus usus per Scripturam. Sed quoties in Tabulis Veteribus occurrit, notat, *hoc tempore* [b]. à qua analogia non ausim recedere. Verto itaque verba, *Non jejunatis hoc tempore, ut audiri faciatis in alto vocem vestram.* h. e. *Jejunium* vestrum ita comparatum non est, ut exspectare possitis, Deum preces & supplicationes vestras cum Jejunio sursum missas esse exauditurum. Non estis enim ita affecti, *quod ad majorem partem*, (quod hic semper subintelligendum est:) ut preces vestræ exaudiri mereantur.

Usus vocis כיום per Scripturam S.

Interpretatio verborum.

Vellem hic non videre, quod omnes norunt & historia cuique offert. A primis fere incunabulis restituti Mundo Evangelii in illa Ecclesia quæ egressa erat Babylonem & in fundamentalibus omnibus Doctrinæ & Cultus dogmatibus consentiebat, ortum est triste dissidium, quod huc usque tot colloquiorum & collationum tentaminibus non coaluit. Differentia de *forma Regiminis* Ecclesiæ & Sacrorum Publicorum quibusdam Ritibus ac Cærimoniis, simplicitati Cultus Christiani contrariis, sive de simplicitate ac puritate Cultus publici, aliud suscitavit in partibus Transmarinis. Protinus tertium enatum in Belgio hoc nostro occasione disputationum de *Prædestinatione & Gratia*; & tantum non prudentium Virorum opera præcaveri potuit quartum ex materia de Oeconomiis temporum: ne memorem dissensiones alias, sive à Protestantium Ecclesiis communi consensu rejectas; sive casuales, quas φιλονεικίαι & inquietum quorundam Doctorum Publicorum ingenium, omni fere die novas parit: ut qui certare amant, semper fere sint in armis, & hac parte se maxime ostentent, ac sibi placeant. Hic fere omnium disputantium ac litigantium non est eadem culpa: sunt enim quædam lites plane necessariæ. Sed qui se fratribus pacis amantibus, post tentata concordiæ media, salva in non fundamentalibus dissentiendi libertate, implacabiles præbent; eosque *percutiunt pugno improbitatis*, h. e. ut Doctus Interpres recte, *injusto judicio damnant*, eosque acriter persequuntur; & in Cultu publico ac Jejuniis quoque causas suas Deo & Ecclesiis commendare audent; videant illi, an præstare queant, ut Vox ipsorum *audiatur in excelso.* Reformatio ipsa Opus est præclarum ac Divinum: sed non *perfectum.* Si Deus post luctam horum temporum, & afflictiones acres, Statum Ecclesiæ instauraturus sit in eam formam, quam promissa sequentia nobis conspiciendam exhibent: potentius influet in animos hominum ad majorem lucem, sapientiam, moderationem, & sanctimoniam. Immoderati affectus hominum animo non plane purificatorum turbant præsentem Ecclesiæ Statum; & absque generaliore influxu gratiæ castigantis ac subigentis affectus falsi zeli, superbiæ, iræ, æmulationis, invidiæ, semper turbabunt.

Dissidia in Ecclesia, quæ se à Latina corrupta separavit, exorta.

Vitium hoc pessimi generis, licet satis commune.

Reformationis Opus, licet magnum, non est perfectum.

(b.) Κατὰ θεόν.

ỳ. 5. *An hujusmodi erit jejunium quod ego eligam? Dies, quo quis animam suam affligit? Num curvare instar junci caput suum, & saccum ac cinerem sibi substernere? Idne vocabis jejunium, ac diem complacentiæ Jehovæ?*] Vides & sentis, *vim convictionis* ex luculenta hac & scita descriptione Jejunii, quod hypocritæ tanquam pensum Deo imputant. Est autem is *convictionis*

Eadem vera Religio, qualis esse debeat: κατὰ θεὸν exponitur, ỳ. 5.

Alterum, quod hoc die *injurias suas exigerent.*

Quid sit, *omnes dolores suos exigere?*

Videtur recte referri ad pensationem mutuarum injuriarum.

Vates se ipse interpretatur, ỳ. 4.

Sensus sententiæ ibi locatæ.

Quomodo Jejunia publica celebranda, Deoque commendanda sint?

mo-

a Matth. v. 25. vi. 14. 15. b Gen. 32. 33. 1 Sam. 11. 16. ix. 17. 1 Reg. 1, 51.

modus, qui per *interrogationem* inſtituitur, ut hoc loco, Jeſaiæ ſolitus, omnium fortiſſimus. Supponit enim, non falſum tantum, ſed & abſurdum, ac rationi adverſum, hypotheſi ſubeſſe, quod ita vere ſe habet. Si enim ſupponas, tale *jejunium* quod externa corporis compoſitione & *abſtinentia* brevis temporis, abſque interna animi purificatione ab affectibus pravis, vitiis, ac dominantibus peccatis, abſolvitur, Deo placiturum: oportet, alterutrum horum admittas; vel Deum interiora animi non inſpicere, & quis in mente affectus regnet, ipſum latere; vel Deum externo ritu cultuque qualitercunque inſtituto placari poſſe, & interiorem animi affectum parvi facere & non valde curare. Utrumque vero abſurdum eſt, & à ratione remotum. Ut enim *corda* & *renes* Deus *explorat* [a], & intime atque accuratiſſime perſpicit ac dignoſcit: ſic ipſe qui *Spiritus* eſt, coli vult *in Spiritu & veritate* [b]: nec *puras* tantum *manus*, ſed & *pura corda* requirit [c]: & hypocriſin omnem, quæ externum cultum ab interno dividit, deteſtatur, ut Propheta noſter ipſe late docet [d], & res ipſa loquitur: maxime vero Jeſus Dominus noſter ubique, ſpiritualis Religionis Doctor. Sed Achabi, ais, *jejunium* [e], & *Ninevitarum* quoque, [f] Deo non plane fuit inviſum; quin ipſe in prolongando judicio iis decreto utriuſque rationem habuit. Reſpondeo, neutrum fuiſſe perfectum, aut Deo perfecte placitum, quippe non conjunctum cum interna animi purificatione; & tamen in utroque fuiſſe quod Deo non diſplicuit; h. e. humiliationem non plane fucatam conjunctam cum ſenſu magnitudinis peccatorum; & cum affectu *metus* judiciorum ac *reverentiæ* Verbi ejus. Uterque actus Religionis fuit imperfectus, neque adeo perfectum præſtitit effectum; & fuit tamen in utroque *humiliatio* ſingularis, quæ teſtimonium habuit reverentiæ erga Deum, *pro tempore* non fucata. Cætera nihil fere hic habeo quod obſervem, niſi quod quiſque ſua cogitatione facile præcipiat. Quod dicitur, ut *ſaccum & cinerem* יצע *ſternat* ſive *ſibi ſubſternat*, nulla ellipſi indiget. Solebant enim, qui ſe profunde humiliabant, in *ſacco & cinere jacere*, nullo alio capitis aut corporis fulcimento ſibi ſubſtrato, ut exemplo Achabi [g], & aliunde [h] liquet.

Convicio Jeſaiana hic inſtituta illuſtratur.

Deus amat cultum ſpiritualem.

Quatenus Jejunia imperfecta, ut Achabi & Ninevitarum, Deo placuerint?

PARS DOCTRINALIS, qua Deus declarat veram *jejunandi & ſui colendi* rationem; ſubjunctis lætis hujuſmodi cultus *conſequentibus*.

Articulus primus.

Conditio ſive Lex *jejunii* & Cultus Dei *prima*.

Pars Doctrinalis, explicans veram Dei colendi rationem, ỳſ. 6. 7.

ỳſ. 6. *Nonne hoc eſt* JEJUNIUM QUOD EGO ELIGO; *ut ſolvatis nodos improbitatis; laxetis lora jugi; & dimittatis conquaſſatos liberos; & omnem vectem diſrumpatis.* ỳſ. 7. *Nonne ut dividas famelico panem tuum, & inopes qui perſecutionem patiuntur, ducas domum: cum videris nudum, ut eum obtegas, & ut ne te occultes à carne tua.*] En præclaræ pericopæ, hinc decurrentis uſque ad finem hujus *Capitis*, exordium! Summa ejus eſt, non ſufficere externam Religionis profeſſionem, ejuſque profeſſionis ſtudium, niſi ei jungatur exercitium virtutis, & *charitatis*: ad cujus *charitatis* defectum pleraque referuntur. Quo ipſo nemo non videt, Populum illum, qui objectum facit hujus prophetiæ, hac parte præcipue notari, quod vere animadverſione eſt digniſſimum. Quis enim neget, id ita eſſe in illo *Subjecto* quod nos *objectum* facimus hujus *Concionis?* Sed nihil hic anticipabo. res ſe ipſa evolvet. Deus hic eodem orationis genere uſus, poſtquam per modum *interrogationis convictoriæ* redarguiſſet vitia, quæ in *jejunio* & Cultu Publico Populi Dei notari poterant: nunc κατ' ἀντίθεσιν latius exponit, qualia *jejunia* qualemque Cultum probet, & ſibi commendatum habeat.

Summa hujus Pericopæ.

Figura orationis per interrogationem *convictoria*.

Nonne hoc eſt jejunium, ait, *quod Ego eligo? Solvere*, ſive *ut ſolvatis nodos improbitatis? & ſeqq.* quæ verba duplicem ſenſum dare poſſunt: vel hunc, *Nonne hoc eſt jejunium quod Ego eligo*, quod *conjunctum eſt* cum his operibus pietatis, æquitatis, & humanitatis, quæ conſequuntur; vel etiam, *Nonne* hæc officia æquitatis, Juſtitiæ, & humanitatis, exercere, *verum* præſtant valentque *jejunium*; & à me *jejunio* quo quis ad breve tempus animam affligit, multo potiora cenſentur? Poſterior ſenſus fortior eſt, atque eo, ut videtur, Jeſaianus. Non ſperno, ait, Deus cultum jejuniorum, ſi rite celebretur: Sed cum *jejunium* præcipue inſtituatur ad teſtificandam pœnitentiam delictorum & ab iis reſipiſcentiam; qui actu ipſo reſipiſcit, & vitiis abſtinet, & innocuos oppreſſos reficit, ipſum præſtat *jejunium*. Id enim agere valet *jejunium*; cum id mihi magis cordi ſit, quam ut vos abſtinentia coacta à cibo & potu crucietis, dum interea in peccatis perſiſtitis. Sunt autem Officia charitatis, per quæ *jejunium* hoc *ſpirituale*, quod ſic appellare licebit, explicatur, duplicis ordinis: alia *oppoſita* vitiis, ỳſ. 6. alia declarantia virtutes, ſive actus laudabiles, ỳſ. 7.

Du lex ſenſus orationis Prophetæ exponitur.

Officia charitatis hic memorata, diſtinguuntur,

Prioris ordinis, in hoc *commate* occurrunt *quatuor*. Primum eſt, *ſolvere* התרצבות רשע *nodos improbitatis*, ut Cl. Coccejus. Hieron. *colligationes impietatis*. Alii, *Nexus improbitatis*. Οἱ ὁ. Σύνδεσμον ἀδικίας. quæ idem valent. Vox ſemel [i] tantum præter hunc locum legitur. פתח *ſolvere forma infinitivi* hic elliptice ſcribitur, pro פתח תפתח; ut ex *fine commatis* in voce תפתח facile colligas. Recte igitur hic vertitur, *Ut ſolvatis*. Affinia ſunt, quæ ſequuntur tria, *laxare*, ſive *ſolvere lora jugi*; *dimittere* רצוצים *conquaſſatos*, perſecutionem paſſos, (confer Amoſ. IV. 1.) *liberos*, & *omne jugum diſrumpere*. Quæritur, quorſum pertineant, & quid proprie in oculis habuerit Jeſaias? Plerique cum Chaldæo & Hebræis Intt. hæc referunt ad duritiem Dominorum Hebræorum, ſive erga *Servos Hebræos*, quos ad paupertatem redactos coëmerant ex Lege, quoſque ſervitio defunctos anno Sabbathico non mittebant in libertatem, contra Legem Moſaicam [k]; ſed vi detinebant in ſervitio, & inclementer atque imperioſe tractabant: quo referunt locum Jeremiæ [l]: ſive eorundem Dominorum aut Creditorum erga debitores, Liviana & Romana phraſi, *nexos*, ære alieno multo ſibi obſtrictos inopes, quos inhumane perſequebantur & compingebant in nervum, violenti pecuniæ exactores, fere ad exemplum Dominorum apud Romanos, in hiſtoria notiſſima. Solummodo *primum membrum*, *ſolvere nodos* ſive *vincula improbitatis*, (& forte etiam membrum alterum,) aliqui laxius interpretantur de *abrumpendo peccatorum commercio*, & *ſolvendo* atque abjiciendo illorum *jugo*. quo referri poſſet phraſis non abſimilis noſtri Vatis, *trahere peccatum funibus vanitatis* [m]. Nec tamen eadem metaphora eſt; nec putem, Vatem noſtrum id directe dicere voluiſſe. Non eo inficias, phraſes Jeſaiæ ad illam hypotheſin de *Servis* & *debitoribus* non incommode referri; & tamen mirum videatur, nihil preſſius de *qualitate* harum perſonarum, *ſervorum*, *ſervarum*, ac *creditorum*, hoc in loco legi. *Solutio* enim & *ablatio jugi*, tam hic memorata, quam repetita ỳſ. 9. generaliorem ſenſum admittit. Mihi tamen nulla ratio eſt, id excludendi. Solummodo id agam, ut phraſes ſingulas relegam, & earum poteſtatem demonſtrem. *Solvere lora improbitatis* Grotio eſt, diſſolvere *cœitiones Judicum in fraudem innocentium*. Coccejo, id ad ſpiritualia transferenti, non diſſimili ſenſu, *tollere omnes laqueos conſcientiarum, quibus intricatus non poteſt pervenire ad juſtitiam, aut facile à juſtitia vera deducitur*. quod non videtur à re alienum. *Cœitiones* & confœderationes omnes, quæ vel clam, vel in conventibus Politicis & Eccleſiaſticis ineuntur ad *opprimendos innocentes*; vel *eos excludendos communione* Eccleſiæ, ſunt *lora iniquitatis*. cujuſmodi

Infinitivus vocis פתח quomodo accipiendus? Affinia huic officio adjuncta.

Quæritur, Quorſum pertineant? Sunt qui referunt ad *Leges de Servis* non obſervatas.

Aliorum laxior interpretatio.

Ἐπίκρισις in priorem hypotheſin.

Phraſes propius inſpiciuntur. Primo, *Solvere lora improbitatis*. Doctorum Virorum meditationes.

a Pſ. VII. 10. Jer. XI. 20. b Joh. IV. 23. c Jac. IV. 8. d Jeſ. I. 15. XXIX. 13. e 1 Reg. XXI. 27. f Jon. III. 5. g 1 Reg. XXI. 27. h Eſth. IV. 3. i Pſ. LXXIII. 4. k Exod. XXI. 2. Deut. XV. 12. l Cap. XXXIV. 8. ſeqq. m Cap. V. 18.

Laxare vincula jugi. Interpretatio dictionis.

Dimittere calumnia gravatos, liberos. Quis sensus phrasi subsit?

Jugum frangere.

Imperium hominum in hominum conscientias, Deo invisum.

Pariter Principum in subditos dura imperia, & exactiones.

Positiva *officia* quæ memorantur, ℣s. 7.

Primum, *dividere famelicis panem.* quod exponitur ex analogia.

Alterum, *Egenos affli-*

ctiones non nescit historia ejus Populi qui Babylonem mysticam deseruit; neque etiam nos nescimus. Sed est prudentiæ hic declinare invidiam. *Solvere*, sive *laxare vincula jugi* Docto Interpreti est, *solvere fasces Præceptorum humanorum* [a]. Non constringere vel adigere conscientiam sub formulam humanæ inventionis. Nihil definire aut ligare, quod non est definitum in canone fidei aut disciplinæ, à Christo Jesu aut Apostolis præscripto. Sic Apostoli ad Ecclesias [b]: *Visum enim est Spiritui Sancto ac nobis*, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων· *ne quid amplius vobis imponeremus* ONERIS *præter hæc necessaria.* Paulus ad Galatas [c]: *In libertate itaque, qua Christus nos liberos fecit, perstate*, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε, *& ne rursus* IMPLICAMIÑI *servitutis* JUGO. Tertium, *Et dimittere calumniam*, vel *persequutionem, passos liberos.* Utinam non doceret historia multa, fratres & concordes fidei, quod *Formulas*, speciosо nomine circumlatas, nollent subsignare, ut veritati aut libertati adversas, inique conjectos esse in carceres, bonis ac honoribus spoliatos, & communione expulsos, coactos esse miserabilem trahere vitam, plorantibus bonis & æquioris judicii! Denique *omne jugum frangere*; hoc est, *omnem dominationem humanam tollere, ut in Ecclesia nihil valeat* præter imperium Christi Jesu, & *obedientiam præceptorum Dei.* Sic Apostolus [d]: *Pretio empti estis*, μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων· NE FIATIS SERVI HOMINUM. Nihil dulcius est carni, quam conscendere tribunal Dei, & imperium exercere in aliorum conscientias: sed nihil periculosius & magis invisum Deo. quod si omnes qui Christo Jesu serviunt, perfecte intelligerent: non tam proni essent ad modestorum ac veritatis amantium hominum conscientias suis definitionibus, sæpe falsis aut dubiis, gravandas. immodestorum enim & luxuriantium ingeniorum licentiam compescendam esse, nemo negat. Quanto major hic scribendi materia: tanto me magis in arctum cogo. Videre etiam hic possunt Principes, Proceres, Domini Sæculares, qui Religionem puriorem profitentur in his terris, in quibus regimen severius & magis despoticum viget quam in liberis Rebuspublicis; an non sit in his verbis quod ad se pertineat? An subditis, iisque liberis, satis se præstent æquos? iis non imponant jugum non tolerandæ servitutis? Num quos tondere debebant, ut boni Pastores; non deglubant? Quos curare & fovere; non opprimant & exhauriant; ut loco precum & votorum, quæ pro salute piorum Principum lubenter faciunt, gemitus & lacrymas suas mittant ad Deum? Certe erat hoc vitium notabile illius Populi, qui egressus fuit Babylonem Veterem, ut exerte perscriptum est in historia Nehemiæ [e], ab ipso prudente Duce pro tempore emendatum.

Officiorum *positivorum*, quæ ℣s. 7. exhibentur, eadem fere ratio est. Sunt Opera charitatis, liberalitatis, hospitalitatis, beneficentiæ, quæ Vates totidem articulis complectitur. Primum est, *dividere famelico panem suum.* quod, stylo Ezechielis [f], est *dare famelico panem.* Vox פרס proprie valet *dividere*, & convenit plane sono voci Latinæ PARS. Respicitur ad *fracturam panis*, à Patrefamilias ad mensam domesticis distributi; de quo alibi sententiam explicui [g], Prov. XXII. 9. est, *dare* מלחמו DE PANE *suo tenui.* vel ad *partitionem* panis, pluribus famelicis vel pauperibus faciendam. Vir Sanctus [h]: פזר DISPERSIT, *dedit pauperibus.* Ecclesiæ est *mittere panem suum in superficiem aquarum* [i]. communem facere egenis, & illius veluti fructum perdere. Alterum membrum: *Egenos, qui persequutionem patiuntur*, מרודים, *ducere domum*; est iis procurare quietem tranquillitatemque, & à persequutione ac vexatione vindicare; vel *hospitalitatem* erga eos exercere, & domo sua eos excipere ac fovere. quæ virtus φιλοξενίας nota est in Ecclesia Sanctorum [k]. Extat hic vox מרודים non satis definitæ significationis: quam alii *afflictos*, alii *vagos*, ut Hieronymus, vertunt. Nemo hic crassius errat, cum circumstantia loci significationem vocis in genere determinet. Vox הריד ex רוד notat Hebræis *plangere.* Inde *participium Hophal* מוּרָד, *plorabilis*, lamentabilis, miseratione & comploratione dignus: pro quo per μετάθεσιν *punctorum* dicitur מְרוּד, veluti esset à מרד *rebellare.* Superest significatio vocis מרוד pro statu *egestatis, inopiæ, miseriæ*, in duobus locis Thren. I. 3. III. 19. Tertium membrum, *Videre nudum*, sc. male vestitum, spoliatum, *& eum vestire.* quam certa notaque virtus, tam honesta & pulchra, à Domino ipso [l], & Jacobo [m] commendata. Quartum, *A carne sua se non occultare.* carnem suam non *despicere.* Dissimulare omnem cum inope & afflicto communionem, quæ hic non dubia notatio est vocis מִבְּשָׂרוֹ. Potest autem sub notione communionis *carnis* hoc loco vel generali sensu intelligi communis cognatio quæ inter omnes homines intercedit, tanquam ex *uno sanguine* procreatos [n]: vel peculiaris, eorum qui unis majoribus orti sunt in communione ejusdem Religionis, cum respectu ad Judæos, Abrahamo satos. Posterius non dubitem directe à Vate esse intentum, quippe quod liquere possit ex Neh. v. 5. Spectatur hic cognatio ejusdem Religionis ac Sacrorum, secundum quam omnes qui eundem Deum colunt, eundem Servatorem & Dominum profitentur, & eandem spem salutis habent, censentur esse ὁμόφυλοι, *fratres* ac *sorores*; qua passim notione, stylo Sacro, appellantur.

Ecclos ducere domum.

Vox מרודי dubiæ significationis. investigatio ejus ex significatione cognatorum ac derivatorum.

Tertium, *Nudum vestire* quartum, *se non occultare à carne sua*: illustrantur.

Videς, quæ officia Deus magni faciat in Oeconomia sui Populi, quæque excellentibus beneficiis gratiose remunerari velit. Omnia resolvuntur in *charitatem. Nemini quicquam debete*, ait Apostolus [o], *nisi ut inter vos invicem diligatis: nam qui diligit alterum, Legem implevit.* Observarunt Sancti omnium temporum, duo esse quæ Deus in humanis officia maxime remuneratur, sibique acceptissima habet; *Pietatem in Parentes*; & *Beneficentiam in Pauperes:* ubique in Sententiis & Odis Veterum laudata. Sic instituerat Oeconomiam antiquam sui Populi, ut in ea vigeret mutua charitas, tanquam fratrum in fratres, æquatis portionibus divisa terra; & sublatis fœnerationibus iniquis, charitati mutuæ adversis; & temperata *servitutum*, si quæ acciderent, severitate. Sed sub Oeconomia Nova, sublato respectu carnali, respectus cognationis spiritualis multo arctius credentes inter se adstrinxit; ut adeo bona sua liberaliter inter se & cum pauperibus atque egestate pressis communicarint, & subinde etiam *communia fecerint.* Non potest negari, piorum Principum & Liberarum Rerumpublicarum, qui puriorem Evangelii Doctrinam susceperunt, hic esse laudatissima exempla, tam curæ & liberalitatis erga Pauperes; quam erga exules, Religionis caussa profugos. Sed *α*. Divortia sententiarum in Religione latitudinem hujus Beneficentiæ valde restrinxerunt; & historia non ignorat exempla *Exulum*, coactorum quærere refugium ac levamen suæ afflictionis, à dissentientibus fratribus duriter atque inclementer exceptorum *A*. β. Principes aliqui, & Pro-

Beneficia hæc in summam contracta resolvuntur in *charitatem.*

Oeconomia antiqua conformata erat ad *Legem charitatis.*

Magis multo Oeconomia Nova.

Quomodo se hac parte habeat res Protestantium?

---

a Matth. XXIII. 4. *b* Act. XV. 28. *c* Gal. V. 1. *d* 1 Cor. VII. 23. *e* Cap. V. 1. 2. seqq. *f* Cap. XVIII, 7. *g* De *Synag.* Vet. Lib. III. Part. I. Cap. II. *h* Ps. CXII. 9. *i* Eccles. XI. 1. *k* Rom. XII. 13. Heb. XIII. 2. *l* Matth. XXV. 36. *m* Jac. II, 15. 16. *n* Act. XVII. 26. *o* Rom. XII. 8.

A Excipio te cum aliis, magnanime Princeps Wirtembergensis ac Mompelgartensis, Friderice, qui reportaveris pietatis & beneficentiæ tuæ fructum. Sic ipse de se in *Præfatione* ad *Acta Colloquii* Montisbelligartensis inter Theodorum Bezam. & Jacobum Andreæ inclinato Sæc. XVI habiti. *Ut autem antea ex pia commiseratione Gallis exulibus hospitium in Urbe nostra Mompelgarto concessimus: memores dicti illius Prophetici:* EGENOS VAGOSQUE DUC IN DOMUM: *& illius Apostolici:* HOSPITALITATIS NOLITE OBLIVISCI: *ita Colloquium, &c.* Deinceps: *Legationem in Galliam pro* EXULIBUS *illis*, (*rogati à Magnis Viris,*) *suscepimus; non quod ipsorum errores, quos in Religionis negotio habent,* (sc. ex hypothesi opinionis Principis, vel illorum qui curam habuerunt hujus præfationis,) *approbaremus; sed quod illis condolebamus, qui propterea patriis sedibus pulsi,* IN EXILIO VAGANTUR, *quod Pontificis Romanityrannidem in Ecclesia, multiplicemque Idolomaniam Pontificiam aversantur.* O pium ac vere Christianum Principem! cujus memoria servetur laudeturque per Ecclesias Dei. Vide interim ad illustranda proximo *commate* dicta *Præfationem Bezæ* Edit. III. A. 1589. *Responso* ad hæc *Acta* præmissam. Integram interea laudem relinquo Principibus hujus indolis aliis, & integerrimam Friderico III, Electori Palatino, memoriæ in historia celebratissimæ, qui multorum viscera refocillavit.

& Proceres, quibus Religio minus curæ est, hac parte enormiter peccant. γ. Privatorum liberalitas ac beneficentia in pauperes, egenos, nudos; vulgo longe minor est quam indulgentia Christianorum primis Ecclesiæ temporibus; ut hac parte quoque verum esse deprehendamus, quod Dominus prædixerat: Ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν. *Multorum refrigescet charitas.*

Lætum Consequens huic *Conditioni* subnexum.

Lætum consequens hujus Officii, ℣. 8. *Tum erumperet ut aurora lux tua.*

℣. 8. *Tum erumperet tanquam aurora lux tua, & INSTAURATIO TUA cito efflorescceret; & iret coram te justitia tua: gloria Jehovæ agmen tuum cogeret.* ℣. 9. *Tum vocares, & Jehova responderet; clamares, & diceret, Ecce Ego.*] Sentis ellipsin. Integra oratio, *Si hæc officia charitatis ac beneficentiæ Jejunio & Cultui pietatis jungeres*; tum vero *erumperet, & seqq.* Vel, si loco frigidorum Jejuniorum tuorum hæc officia Deo multo acceptiora *præstes*: tum vero *erumpet, &c.* Nihil hic quod ad sensum discriminis. Sensus sententiæ est; si in hisce officiis quam oportet, præstares diligentiam: brevi obtineres feliciorem ac perfectiorem statum, dudum spe votisque præceptum; nec non liberareris malis quæ te premunt; & restituereris in integrum; Deo utereris defensore ac protectore; atque in omnibus precibus votisque tuis Deum experireris propitium, votisque tuis faventem. Hebræa phrasis, יבקע כשחר אורך *tam erumperet ut aurora lux tua*: proprie sonat, *tum* FINDERETUR *ut aurora lux tua.* h. e. findendo prodiret, & fissione facta erumperet; qua significatione Vates voce בקע, forma *Niphal*, utitur, Cap. LIX. 5. *Lux oriens*, venusta metaphora, dicitur *perrumpere*, & scindere tenebricosum & nubilosum aërem, eumque *findere*, ut tanto pulchrius instar heroïs vel victoris exeat, seque ostentet. Intellige hic loci *plenum diem* Ecclesiæ; sive, statum ejus optatum desideratumque per tot sæcula; qui licet nunc ante fores videretur, tamen retardabatur. Eadem illa *lux* est de qua Cap. LX. 1. *Surge, illuminare, quia venit* אורך LUX TUA, *& gloria Jehovæ super te oritur.* ואורכך Et *sanitas tua cito efflorescceret.* Pulcherrima phrasis. Vox מרפאתך Hebræis singularis est emphasios; dubium, an etymi genuina significatione hactenus satis detecta. Chaldæus & Hebræi per *sanationem, curationem*, vertunt; quæ notatio vocis non potest à vero multum errare: ut ex usu ejus apud Jeremiam liquet. Sic ipse Cap. VIII. 22. *An balsamum non est in Gileado? num medicus ibi nullus? quare igitur non ascendit* ארוכת בת עמי *curatio* sive ὑγίεια *sanitas, filiæ Populi mei*[a]? Intt. respicientes originarium thema ארך *longum, extentum, prorogatum, protractum esse*, id ipsum varie ad hanc notionem applicant: quæ suo loco relinquo. Perspicio, *incrementi* significationem & *profectus*, quo rei aliquid additur & collapsa reparatur, &, si ad *valetudinem* referatur, *incrementum* ac *reparationem valetudinis*, voci probe convenire. confer Neh. IV. 2. Cum autem alibi *reparatio* (ארוכה) dicatur *ascendere*: hic loci dicitur *efflorescere*, ἀνατέλλειν. Vis phrasios est; futurum esse, ut perfecta instauratio ac reparatio *sua* veluti *sponte*, nullo opere aut negotio, prodiret; quæ nunc multo opere, labore, solicitudine, sæpe frustra quæritur. confer similem metaphoram Cap. XLV. 8. Quod sequitur, *Et iret coram te justitia tua, & gloria Jehovæ extremum agmen tuum clauderet*: non obscurum sensum habet. Per *Justitiam Ecclesiæ* hic intellige *Jus*, Ecclesiæ paratum ex præstitis *conditionibus Fœderis*; quod *Jus* ubi adest, sterilit paratque Ecclesiæ viam ad obtinenda bona Fœderis; ut Deo fas non sit Ecclesiæ negare promissa bona, si conditionibus Fœderis, inter quas sunt *officia* superius commemorata, satisfaciat. Absit quicquam hic tribuamus *meritis* aut *justitiæ* hominis. Universum enim pactum gratiæ fundatum est in mera Dei Gratia & Justitia Messiæ; unde semper verum obtinet, quod Vates dixerat Cap. LIV. 17. *Justitiam* Ecclesiæ EX DEO *esse*. Sed ex stipulatione, licet in gratia facta, nascitur *jus*, cujus effectum, salva Dei veritate, fallere nequit. quod proinde hic *antecedere* dicitur, quia supponitur in eo qui promissa gratiæ *postulaturus*, eaque *adepturus est*. Quo *antecedente* admisso, *consequens* esset, ut *gloria Jehovæ extremum agmen Populi sui clauderet*, hoc est, Deus gloriosa sua præsentia ubique Ecclesiæ adesset; qua parte videri posset plus metuendum habere, eam protegeret ac defenderet; Ecclesiam muniret ne qui ad eam pertinent, abducerentur aut dispergerentur; eamque quibuslibet gloriosæ ac gratiosæ præsentiæ suæ *signis*, cujusmodi signa sunt dona Spiritus S. in eam ubertim effusa, cohonestaret. Vide dicta ad phrasin, qua alluditur ad *defensionem* quam Deus præstitit Israëlitis Ægyptum egressis, ad Cap. LII. 12. Simul quod *quarto* adjicitur; Deus omnibus votis, & supplicationibus Ecclesiæ propitius annueret; ut si *vocaret*, in communibus necessitatibus temporalibus ac spiritualibus preces suas Deo rite offerret; vel etiam casu majoris necessitatis aut discriminis urgentis, *clamaret*: Deus *preces* & *clamores* Populi sui benigne exaudiret; nec differret gratiam & auxilium: quin ipsas preces ac clamores Populi sui sæpe præveniret. confer parallelum Cap. XXX. 19.

Ellipsis in oratione.

Sensus sententiæ.

Phrasis. *Lucem erumpere ut auroram*, secundum Hebraïsmum exposita.

Locutionis venustas.

Cujusmodi *lux prorumpens* hic intelligatur?

Notio vocis ארוכה

Locus Jer. VIII. 22.

Sensus hujus loci.

Per *Justitiam* quid hic loci intelligendum?

Quo sensu ea *antecedere* dicatur ante castra Populi Dei?

Item *gloria Jehovæ extremum agmen clauderet*?

Et *vocanti* Ecclesiæ *responderet*?

Patent ex verbis expositis attributa illius Populi, qui hic describitur: esse nimirum Populum, qui est in exspectatione magni & glorioli diei, quem credit Deum Ecclesiæ suæ in his terris definiviisse: adhucdum tamen circumseptum variis nebulis & tenebris: variis laborantem vitiis & dissensionibus internis, quæ *perfectæ* ארוכתי *reparationi* ac *reformationi* sui status officiant, eique moram adferant: quique subinde vel gravius affligitur & castigatur à Deo; vel graviora metuit, ut necesse habeat ad Deum *clamare*; nec tamen semper desideratas suppetias ad preces suas adipiscitur: sed cui tamen purgato & ad se redeunti Deus præstare velit, & vere præstiturus sit reformationis suæ, non infelicitet cœptæ, sed non perfectæ, complementum. quæ attributa an longe absint à Statu ejus Populi, qui se à spirituali Babylone discrevit; cuique in promptu erit dijudicare.

Status Populi ex hoc loco cognoscitur.

Esset in exspectatione magnorum bonorum.

Articulus alter: Novum *antecedens*, sive *conditio*, quam Deus in Populo suo requirit.

℣. 9. med. *Si è medio tui abstuleris jugum; porrigere digitum; & loqui vanitatem.* ℣. 10. *Et deprompseris* ESURIENTI *animam tuam; & animam afflictam saturaveris.*] Est in his verbis duplicatio sive repetitio multæ venustatis. Cum enim in superiore pericopa esset in recensendis conditionibus, quas Deus cum complemento restituendi Ecclesiæ Status conjungi vult: rumpit orationem antequam absolvisset, ut ei confestim subjiceret læta illius resipiscentiæ consequentia. In quibus explicandis dum est, ne qui hic compellantur perderent memoriam *Conditionum*, quas Deus stipulatur: ad eas regreditur, ut de novo se amplius diffundat in beneficia his *conditionibus* illigata. Primum est, *tollere jugum*, quod vehementer urget, de quo diximus ad ℣. 6. Alterum, *protendere digitum*. Grotius: *Si desieris infami digito* (ut Persius loquitur,) *denotare Viros probos, & eorum simplicitati illudere.* Plane ad nostram mentem. Sic Hieronymus & ex medii ævi Intt. plures. Dissentientes in levissimis fratres notare, iisque obtrectare. Sunt qui de *minis* interpretantur; & longe adhuc remotius, de *avaritia*. Sed ne alia huc adferam: quod sequitur *tertium, loqui vanitatem*, confirmat interpretationem à nobis susceptam. Est autem *loqui vanitatem* sive *falsum*, fratrem otiosis ac temerariis dictis aut scriptis objicere aliorum odio ac invidiæ, contra Leges *charitatis & æquitatis*. Notat enim עון æque *iniquitatem* ac *vanitatem*. Phrasis extat apud Zachariam Cap. X. 2. de *vanis* falsisque, quæ jactantur, *doctrinis* Religionis; sed hic latius sumi potest pro omni odiosa fratris infectatione;

Articulus alter, *Novum antecedens* salutis perfectæ Populi Dei, ℣. 9. med. Orationis artificium laudatur.

Quid hic *protendere digitum*?

Et *loqui vanitatem*?

Vox עון. Est *dictum* vel *factum* ἀργὸν *otiosum*, in quo

[a] Confer Cap. XXX. 17. XXXIII. 6.

nihil boni aut solidi.

tione; unde non tantum *nullus fructus*; verum è contrario scandalum publicum & dissensio animorum. cujusmodi exempla sunt in infinitis eristicis, quibus dissidentes partes sibi mutuis altercationibus & sæpe calumniis creare studuerunt invidiam. Christus Jesus vetat *fratri* dicere RAKA, (levissimi ingenii homo,) aut FATUE [a]. Quartum quod ℣. 10. subditur, ℣. 10. ותפק לרעב נפשך singularem plane emphasin habet. Hieron. *Cum effuderis esurienti animam tuam.* Alii, *Cum deprompseris, protuleris, evacuaveris.* Notat enim proprie, *expromere ex penu.* ut Ps. CXLIV. 13. *Cellæ nostræ penariæ plenæ sunt*, מפיקים מזן אל זן *expromentes de cibo in cibum.* Respondet voci אפיק *in Aphel ex* נפק apud Chaldæos. *Expromere* autem *animam* hic valet cum *pane* aut *munere*, quod in pauperem erogatur, *affectum* ac *benevolentiam* suam profundere; liberaliter dare & patienter; bonis ac solatoriis verbis dona nostra comitari, ut Hebræi: secundum illud Apostoli [b]: HILAREM DATOREM *amat Deus.* & alibi [c]: *Qui misericordiam exercet*, CUM HILARITATE. Sic sumitur notio נפש in verbis Isaaci ad Esavum [d], *Ut tibi benedicat* נפשי ANIMA *mea, antequam moriar.* h. e. ut hilariter, lubenter, & integro affectu tibi benedicam. Qui panem, aut cibaria ex penu expromit, eaque liberaliter, benigne, & exporrecta fronte in egenos confert: cum hisce rebus ipsam dat *animam suam.* Οἱ ὁ. Καὶ δῷς πεινῶντι τὸν ἄρτον ἐκ ψυχῆς σου· Et *dederis esurienti panem* EX ANIMA TUA. plane assequutus est sensum. Eodem redit quod subsequitur: *Et animam afflictam saturaveris.* Phrasis recepta usu, sæpius jam notata. *Anima* enim, quæ Hebræis est *quod in homine concupiscit*, dicitur *esurire, sitire, satiari. Animam afflictam saturare* hic loci valet, omni honestæ cupiditati afflictorum liberaliter satisfacere, eosque fovere ac reficere, secundum omnem accurationem & amplitudinem Legis charitatis fraternæ. [e]

Exprimere esurienti animam. Phrasis emphatica. Usus vocis נפק.

Usus emphaticus vocis נפש *anima* adstruitur.

Ut & in *sequenti membro.*

Quo scopo hæc officia tam presse hic loci urgeantur?

Presса oratio Prophetæ, quæ hæc officia urget & ingeminat, nos non tantum commonefacit, eadem Deo esse gratissima & valde commendata, tanquam in quibus sit *imago* charitatis ac liberalitatis immensæ, qua Deus humanum genus prosequitur, & *argumentum amoris* ac grati animi quo ferimur in Deum: verum etiam, Spiritum S. hoc in loco singularia quædam respicere tempora quibus exercitium hujus officii peculiarem haberet usum. Prophetia manifeste demonstrat ejusmodi Casum vel Casus, quibus Exules caussa Religionis, & in his pauperes, egeni, bonis suis spoliati, coacti fuerunt, vel cogerentur, terram natalem derelinquere, & tutiores alibi sedes quærere, fratrumque sibi in fide consentientium tentare charitatem. Ajo rotunde, hos Casus in historia Ecclesiæ Judææ & Christianæ demonstrari non posse notabiles, nisi post secessionem purioris Ecclesiæ factam ab Ecclesia corrupta Romanensi: sive per Edicta Principum patria terra sunt exacti; sive ardente persecutione & intentata nece sponte eam deseruerint. Exempla habes in Germanis, maxime Doctoribus, qui à Carolo V Smalcaldico Fœdere junctorum Principum Victore, exacti Germania Sedem quæsiverunt apud Anglos; perinde ac Belgæ magno numero: in iisdem aliisque post optimi Principis Eduardi obitum coactis alio se conferre, & nova quærere refugia: in Gallis, caussa Religionis Exulibus, sub Henrico III, inclini Sæc. XVI. postquam Ordines, urgentibus Guisianis, decrevissent, unam tantum in Galliis ferre Religionis colendæ Legem: in Flandris ac Brabantis, qui indultu Principis Parmensis sedes suas transtulerunt in Belgium: in Pedemontinis Convallensibus bis superiori Sæc. turbatis & alio secedere adactis: in Hungaris bono numero Verbi Evangelii Ministris, à Cæsare graviter afflictis, postquam liberati essent è vinculis aut triremibus, per terras Protestantium quærentibus latibulum adversus æstum: & denique in tot millibus Refugorum omnis conditionis, qui superiori Sæc. ad severissima Edicta potentis Regis Natale solum amore veritatis deseruerunt, seque in terras Protestantium transtulerunt: non sane illi egeni & inopes longe plurimi; sed plures tamen, & in universum charitate ac hospitalitate fovendi. Hujusmodi hypothesi convenit prophetia.

Spiritus prævidebat, fore tempora, quibus maxime usu veniret hæc officia exercere: quæ tempora demonstrantur.

Lætum Consequens, præstitæ conditioni nexum.

℣. 10. med. *Orietur in tenebris lux tua, & caligo tua evadet meridies.* ℣. 11. *Ducetque te Jehova semper, & saturabit in* SICCITATIBUS *animam tuam*; & OSSA TUA INSTRUET; *& eris ut hortus irriguus, & ut scaturigo aquarum cujus aquæ non mentiuntur.* ℣. 12. *Et ædificabunt qui ex te prodibunt, Desolata Sæculi: fundamenta cujusque generationis educes*; & *appellaberis*, QUI SEPIT RUPTURAM; QUI REDUCIT SEMITAS AD HABITANDUM.] En cumulum luculentorum beneficiorum, quæ hæc officia secundum rationes Providentiæ Divinæ comitarentur & consequerentur! ut intelligas amplitudinem Divinæ bonitatis, quæ se omni casu latissime diffunderet, nisi ab hominum vitiis restringeretur. Primum membrum his constat, *Et lux tua in tenebris orietur, & caligo tua erit ut meridies*, hoc est, mutabitur cum meridie. Sensus est; pulsis malis, adversis, calamitatibus, res tua civilis & sacra, publica ac privata, temporalis ac spiritualis, pro voto tuo egregie ac luculenter florebit, ut in universo rerum tuarum statu clarissima habiturus sis documenta *favoris Dei* ejusque erga te providentiæ. Sic Poëta sacer [f]: *Lux rectis orietur in tenebris.* Et Debora in Cantico [g]: *Sed qui ipsum* (Jehovam) *diligunt, sunt ut* SOL EXIENS *vel* PROCEDENS *in potentia sua.* semper altius altiusque ascendens usque ad punctum summum altitudinis ei definitum. Idem hic schema est quod in *superioribus.* Post tot beneficia & strictura lucis Ecclesiæ indultas, restat *meridies*, quem exspectat. Alterum, *Et ducet te Jehova semper.* Videlicet, consilio & luce sua tibi aderit, ut per Spiritum ex Verbo te doceat quid facto opus, quid vitandum sit. Ps. LXXIII. 24. CONSILIO TUO DUCES ME. Notio usurpatur alibi de singulari beneficio Divinæ Providentiæ, quo Populum duxit, eique præmonstravit iter, in Desertis Arabiæ [h]. Tertium: *Et saturabit in siccitatibus*, sive, *in summa ariditate, animam tuam.* h. e. dum alii Populi gravioribus Dei Judiciis affliguntur, & æstum iræ ejus sentiunt, te ab illis calamitatibus præservabit, & omnium rerum desiderabilium copia ad satietatem usque instruet atque ornabit. Est in voce electa צחצחות *siccitates* (confer Cap. v. 13.) magna vis significationis; cum *radicales literæ* in ea geminentur, & *plurali* concepta sit *numero.* Notat itaque gravissima judicia, & calamitates, hostibus Dei imponendas. Non excludo hic sub notione *satietatis animæ* benedictiones temporales: sed primum semper oportet esse respectum *spiritualium*, quæ solæ aptæ sunt *animam saturare*, h. e. verissimam ejus cupiditatem ac desideria explere, eamque implere *exuberante consolatione.* de quo illustria extant dicta in promissis Divinis [i]. Ubi Deus Ecclesiæ suæ cum puro Cultu & fidis Ministris, qui eum administrant, præstat copiam donorum sui Spiritus; incrementum, vigorem, zelum, alacritatemque cœtus profitentium; statumque civilem, à perturbatione liberum: *saturat* Populum suum, qui his *desideratis* raro simul fruitur. Affine est quod quarto additur, *Et ossa tua expedita faciet*; sive *corroborabit, instruet.* quam hic censeo esse genuinam notationem vocis החליץ, quam, meo quidem judicio Intt. non satis feliciter derivant à voce חלץ *extrahere, detrahere, laxare, expedire*, quas significationes huic quoque loco aptare nituntur; perinde ac חלוצים *milites instructos*, volunt esse *extractos*, & quæ alia. Vox החליץ hic adoptat significationem à voce חלצים LUMBI, atque inde sunt

Latum consequens, præstitæ conditioni nexum, ℣. 10. med. 11. 12.

Summa orationis.

Primum membrum, *Lux tua in tenebris orietur, seqq.*

Sensus dicti.

Ecclesia hujus temporis exspectabat *meridiem.*

Alterum: *Et Jehova te semper ducet.*

Phrasis exponitur.

Tertium, *Saturabit in siccitatibus animam tuam.*

Emphasis vocis צחצחות

Respicitur hic præsertim copia bonorum spiritualium; quæ describuntur.

Quartum; *Ossa tua expedita faciet.*

Notio החליץ

instru-

[a] Matth v. 22. [b] 1 Cor. IX. 7. [c] Rom. XII. 8. [d] Gen. XXVII. 4. [e] Confer Ps. LXIII. 6, Jer. L, 19. [f] Ps. CXII. 4. [g] Jud. V. 31. [h] Ps. LXXVIII. 14. 15. [i] Ps. XXXVI. 9. 10. LXV. 5. Jer. XXXI. 14. &c.

inſtructi ad militiam, lumbos ſuccinctī: perinde ac חליצה *lumbare*, armatura. unde החלוץ tranſlate *corroborare*, *confortare*, *inſtruere*. Kimchius itaque recte hic vertit per דשן *pinguefacere*, comparatque locum Prov. XV. 30. שמועה טובה תדשן עצם *Bona fama* IMPINGUAT OS. Alibi eſt [a], *latificare oſſa*. cujus contrarium, ſtylo ſacro, eſt *oſſium contritio*, *diſſolutio*, *perterrefactio*, *inveteratio*. Ut enim in ægro, afflicto, languente, dum robur & vires concidunt, oſſa putantur diſſolvi, ut *vix hæreant*: ſic in vegeto, robuſto, cui integra valetudo conſtat, *oſſa*, à medullis irrigata, cohærere firmiter ac vigere. Jobus de homine firmæ ac florentis ætatis [b]: מח עצמותיו ישקה *Medulla oſſium ejus irrigatur*. Adſcribit Kimchius hoc loco, vocem Magiſtris hoc uſu receptam eſſe, in precatione quæ Calendis Novi anni profunditur. Verba ejus: וכענין זה אמרו רבותינו ז"ל העובר לפני התיבה ביום טוב של ראש השנה אומר החליצנו ה' אלהינו כלומר השביענו ורשענו במצותיך *Et hoc ſenſu dicunt Magiſtri noſtri b. m. Qui precibus publicis in cœtu defungitur*, (proprie. *deſcendit ante Arcam.*) *die Feſto Kalendarum anni novi*, *dicit*, INSTRUE NOS JEHOVA DEUS NOSTER! h. e. *ſatura nos & pinguefac*, *præceptis tuis*. Pulchra ſententia. *Oſſa* in Corpore civili aut Sacro ſunt Viri Prudentes, Docti, rerum experti, fortes, potentes, οἱ πρωεσῶτες, Rei Civilis ac Sacræ Moderatores, מוסדות הגוף *Fundamenta corporis*, ſtatumque publicum ſuſtinentia: quibus bene inſtructis ac confirmatis toti Corpori bene eſt: quod hac ſententia involvitur. Altius quid hic ſpectavit Chaldæus, ediditque ſpecimen fidei ſuæ de Reſurrectione mortuorum. Verba ejus: וגופך יחיי בחיי עלמא ET CORPUS TUUM VIVIFICABIT IN VITA ÆTERNA. Quintum additur, *Et eris ut* HORTUS IRRIGUUS; *& ut ſcaturigo aquarum*, *cujus non mentiuntur*, *ſive fallunt*, *aquæ*. Venuſta rurſus metaphora, qua ſignificatur florens & lætus Eccleſiæ ac Civitatis Status, in quo omnia virent ac rident; ac demonſtrant vim ac vigorem Populi qui mereatur appellari Populus Dei & Eccleſia Dei vivi, qui fructuoſus omni cognitione, virtute ac opere bono, in hunc uſum perenni gaudeat influxu donorum Divinæ Gratiæ, ſe diffundentium per totam communitatem hominum, hanc Civitatem ſacram conſtituentium; quæque ei irrigandæ ac ſaturandæ abunde ſufficiant: quique idem Populus, his bonis doniſque inſtructus, abunde ſufficit *irrigandis*, h. e. docendis, fovendis, conſolandis, inſtruendis, & ad frugem ſpiritualem excitandis omnibus, qui communitati ejus accenſeri cupiunt. confer emblemata Vatis noſtri Cap. XXX. 25. XXXIII. 21. XXXV. 7. XLIV. 4. XLIX. 10. Sic affecta & effloreſcens Eccleſia ſpeciem præbet Paradiſi, *horti Dei*, totius *irrigui* [c]: ad quem in aliquibus illorum locorum alludi, non neglexi monere. Contrarium ejus eſt *hortus cui nullæ aquæ* [d]. Status civitatis & Eccleſiæ collapſus ac marceſcens, in quo nulla vita, nullus vigor. Obſerva hic elegantiorem & tamen proprium uſum vocis כזב *mentiri*, pro *fallere exſpectationem*, ut Job. XL. 33. Ubi apud Doctores & Rectores publicos quæris *ſcientiam viarum Dei*, ſapientiam, eruditionem, ſanctimoniam, experientiam ſtatus ſpiritualis, docendi dotes; nec potes ſunt ea præſtare, ſed opinionem aut exſpectationem fruſtrantur falluntque: rectiſſime dicuntur *mentiri*, perinde ac *ſcaturigo*, apud quam fruſtra quæris aquam. Sextum, ỳſ. 12. *Et ædificabunt ex te Deſolata antiqui ævi: fundamenta cujuſque ætatis eriges*. Senſus eſt, ex Civitate Dei eum in modum florente *prodituros* vel *exituros eſſe*, qui Eccleſias dudum *vaſtatas*, deſtructaſque quippe immerſas craſſæ ignorantiæ ac ſuperſtitioni; tum præterea ab infidis Paſtoribus adminiſtratas; & indignas nomine *Eccleſiarum Dei*, ſint inſtauraturi; & *fundamenta illarum Eccleſiarum*, h. e. capita Doctrinæ Chriſtianæ à Prophetis & Apoſtolis traditæ, quæ in *confeſſione fidei ſuæ* adhuc retinuerant ſed cum non cohærentibus aliis dogmatibus commiſcuerant, quæque *fundamenta* eam ob rationem ſpectantur ut diſſoluta; & everſa, hæc, inquam, fundamenta disjecta & *diruta*, eſſent *collecturi*; inter ſe comparaturi & conjuncturi; *erecturi*, & iis ſuperſtructuri ſive ſana fidei dogmata, fundamento cohærentia, ſive Eccleſias illi puræ ac purgatæ illuſtratæque Fidei Doctrinæ inædificandas. *Ædificare deſolata à longo*, ſtylo myſtico noſtri Prophetæ, eſt *Populos* & *Gentes* alienatas à Dei cognitione & communione imbuere notitia veræ Religionis, vel corrupta Religione uſas ad veram perducere, eaſque in communione ſpirituali occupare ac poſſidere, de quo ſcripſi ad Cap. XLIX. 8. LIV. 3. Prophetici ſtyli imperiti hæc ad alia corporalia & puſilla tranſtulerunt. *Ædificatores* autem illi *procederent* ex Eccleſia, vel eſſent Eccleſiæ *nati*. utrumque enim ſignificare poteſt vox ממך EX TE. confer Cap. XLVIII. 1. Pſ. LXVIII. 27. Phraſis, מוסדי דור ודור *fundamenta cujuſque generationis* vel ſumi poteſt de *Ædificiis ſpiritualibus*, ſive de Eccleſiis, quæ bonis fundamentis ſuperſtructæ, longum durarent; vel de *fundamentis*, quæ per *varias generationes* diruta ac disjecta erant, colligendis, loco ſuo reponendis, & ſubſternendis Domibus aut ædificiis ſpiritualibus. Utrumque bonum ſenſum exhibet: Sed poſterius hic à Vate intentum eſſe, cum analogia *antecedentis membri* evincit; tum locus Cap. LXI. 4. quem ſi cum hoc contuleris, non dubitaveris de ſenſu Jeſaiæ. Denique ſubdit Prophera, *Et appellaberis*, (prop. *dicetur tibi*,) *Sepiens rupturam*, *& reſtituens ſemitas ad habitandum*. Idem eſt acſi totidem verbis diceretur, Tum *vere* appellaberis *Eccleſia Reformata*: qui titulus hic proponitur ut titulus honoris. Sic ſæpius *appellari* eſt *vere* appellari. ut Cap. LX. 14. *Et appellabunt te Civitatem Jehovæ*, *Tſionem Sancti Iſraëlis*. Atqui hoc nomine ſemper appellata fuerat Hieroſolyma vel Eccleſia. Vult igitur dicere Propheta, *Tum* VERE *te appellabunt*, *& ſeqq.* confer Cap. I. 26. Qui ad ſuperiorem articulum nihil ſpirituale & myſticum viderunt; hic ſaltem oculos debebant aperire & recognoſcere, Vatem myſtice intelligi velle. Quam enim bellus & glorioſus titulus eſt, κατὰ γράμμα ſumptus, quo quis inſignitur *Septor rupturarum*, *& viarum Munitor?* Vidit Chaldæus, vertitque, *Et vocabunt te confirmantem viam rectam*, *convertentem impios ad Legem. Sepire rupturam* hic eſt *corruptelas Eccleſiæ ſanare*; *ſchiſmata atque diſſidia tollere* vel *componere*. Symbolica loquutio, non diſſimili ſenſu, bis uſurpatur apud Ezechielem [e]. Alterum, משובב נתיבות לשבת, ab Hieronymo non bene acceptum, multis errandi occaſionem præbuit. Vertit ille, *Avertens ſemitas in quietem*. quod vere nullum commodum ſenſum dat; nec adſcribo præterea cætera, quæ apud Hieronymum leguntur ad rem non pertinentia. Grotius: *Ad verbum*, CONVERTENS SEMITAS AD QUIESCENDUM. *Nullum inſidiatoribus aditum relinques*. Intelligo interpretationem; ſed quomodo verſioni reſpondeat, non video. Hebræa ſonant, *Reducens ſemitas ad habitandum*; non hoc ſenſu acſi ipſæ *ſemitæ habitarentur*, ut Coccejus aliique etiam acceperunt: id enim plane inſolens eſt: ſed ut commodior per Urbes & vicos ſit habitatio, ſive, ut habitatores ultro citroque commode commeare queant; ut Kimchius verba recte interpretatus eſt. Sym. & Theod. εἰς τὸ οἰκεῖσθαι, vel τοῦ οἰκεῖσθαι. Myſtice valet, Canones Doctrinæ ac Diſciplinæ, & Formulas fidei omnibus Eccleſiis communes condere, confirmare, & à vitiis ac ſcandalis purgare, ut Sancti terris lociſque diviſi inter ſe colere poſſint communionem, abſque offenſa. Emblema Vati noſtro receptum à me expoſitum invenies ad Cap. XIX. 23. XXXV. 8. Confer Jer. VI. 16. ubi eadem occurrit vox נתיבה *ſemita recta*, trames, pro *inſtitutis Religionis*. Hunc vero *titulum* quis neget Eccleſiæ & Eccleſiaſticis Viris glorioſum? Qui eum implet, æque ſtudens *charitati* ac *veritati*, veriſſime dicitur Eccleſiam *reformare*.

Implementum horum promiſſorum uberius exſpe-

Obſervatum Kimchii.

Oſſa myſtice quid ſignificent in *Corpore* Eccleſiæ?

Chaldæa paraphraſis ſingularis.

Quintum, *Et eris ut hortus irriguus*, *ſeqq.* Elegantia emblematis commendatur, idemque explicatur.

Aſpectus florentis Eccleſiæ Status.

Sextum, ỳſ. 12. *Et ædificabunt ex te deſolata Sæculi*, &c.

Senſus dicti.

Ædificare deſolata longi temporis, quid ſit, ſtylo Prophetæ?

Ædificatores illi unde procederent?

Septimum, *Et appellaberis ſepiens rupturas*, *ſeqq.* *Appellari* hic valet *vere appellari*.

Phraſis myſtice explicanda eſt.

Quid myſtice valeant, *Sepire ruptu*ram?

Phraſis, *Reſtituere ſemitas ad habitandum*: non bene accepta ab Hieronymo. Grotii paraphraſis.

Sanior expoſitio phraſios.

Quid myſtice valeat?

Uberius

a Pſ. LI. 10. b Cap. XXI. 24. c Gen. II. 10. d Cap. I. 30. e Cap. XLIII. 5. XLII. 30.

prophetiæ implementum.

ctamus, quando Deus pro ſua gratia opus ſuum omne in Monte Tſionis conſummaverit; & tamen ingrati eſſemus erga Divinam Providentiam & Clementiam, ſi nihil horum huc uſque impletum eſſe diceremus. Res eſt teſtatiſſima ex hiſtoria ſuperiorum & noſtri temporis, Deum omnes illas terras Proteſtantium, quæ Exules & Refugos cauſſa purioris Religionis liberaliter exceperunt, foverunt, & ſolatio ſuo refecerunt, (inter quas terras Belgium hoc noſtrum honeſte appellatur,) proſequutum eſſe ſua ſingulari tum cura ac benedictione, tum defenſione; ut Scriptores multi inter præcipuas cauſſas incrementi rerum noſtrarum, & Reipublicæ huc uſque per Divinam gratiam adverſus potentiſſimos hoſtes glorioſe conſervatæ, hanc merito cenſeant; (quam ipſam tamen totam quoque gratiæ ejus vindicamus:) & inde certo pateſcat, nos hactenus curæ eſſe Deo. Sunt Regna, ſunt magni Principatus & Reſpublicæ aliæ, hujus benedictionis non expertia. Reliquorum promiſſorum ſpecimina, quatenus in nos competant; quiſque cenſeat. Si charitas inter diſſidentes partes perfectior; ſanctimonia major; zelus Divini cultus intenſior; ſcandala quæ progreſſum Eccleſiæ morantur, eamque dehoneſtant, ſuperaverint: quid non à bonitate Divina exſpectaremus, impetraremus?

Animadverſio ad rationes Providentiæ Divinæ circa Populum Reformatum.

Articulus tertius.

Antecedens conditio Obſervandi *Sabbathi.*

Articulus tertius. Conditio propoſita, ℣. 13. *Si averteris à Sabbatho pedem tuum, ſeqq.*

℣. 13. *Si averteris à Sabbatho pedem tuum, ut ne voluptati tuæ ſtudeas die meo ſancto; ſed vocaveris Sabbathum* DELICIAS; SANCTUM JEHOVÆ, HONORATUM QUID; *idque honoraveris, ut ne vias tuas ſecteris; ut ne invenias voluptatem tuam, & loquaris verbum.*] Non putem, hæc verba ita cum ſuperioribus cohærere, ut dicat Deus, ſe non urgere tantopere Jejunia: ſi enim Sabbatha rite obſervent, & ſancte colant; poſſe illos Jejuniis ſupereſſedere: quomodo Doctus aliquis Interpres nexum orationis accepit. Non diſſuadet enim Deus in ſuperioribus *Jejunia:* ſed vult illa *ſpiritualiter* celebrari. Abſtinere cupiditatibus, Eleemoſynis fovere pauperes, egenos & exules domum recipere, diſſidiis abſtinere, æquabilem cum fratribus charitatem exercere, libertatem Evangelicam non circumcidere: eſt *jejunare*, ut in ſuperioribus ex Propheta declaravi: utique Jejunia ab his officiis ſeparata, Deo grata non ſunt. Eodem itaque tenore docet, qualia *Sabbatha* in Cultu ſuo probet: non externa & corporalia, cæteroquin etiam irreligioſe obſervata; ſed *ſpiritualia*; quæ proin hic deſcribit; aliorum Feſtorum nulla habita ratione. Officia, quæ Deus hic à Cultoribus ſuis requirit, partim *negative* exprimuntur, in *initio* & *fine* ſententiæ; ſuntque *vitia* hoc die *cavenda:* partim *poſitive*, ſuntque *facienda.* Sed quia hæc invicem permiſcentur, ut per naturam conjuncta ſunt: recte inſtituerim, ſi Prophetam preſſe ſequar. Eſt enim oratio tota emphatica; quæ aliquibus articulis luce indiget.

Error vitandus circa nexum hujus ſententiæ cum ſuperiore.

Tranſitoratio à Jejuniis ad *Sabbatha*, quæ Deus requirit à cultoribus ſuis *ſpiritualia.*

Si reduxeris à Sabbatho pedem tuum.] Sic proprie ſonant Hebræa, אם תשיב משבת רגלך Alii, *Averteris*, ut Hieron. *revocaveris*, *retraxeris.* quod idem valet. Paradoxum ad primam ſpeciem: ſed non eſt; adeoque Intt. hic in genere facile conſentiunt. Senſus eſt, ſi Sabbatho abſtinueris curſitatione & diſcurſitatione, occupatione & exercitatione, quæ in humana vita obtinet ad quærenda temporalia, ſive quæ ad commodum utilitatemque noſtram; ſive quæ ad voluptatem carnalem, faciunt. Sabbathi enim cultus requirit quietem & exercitationem ſpiritualem, ut Propheta mox docebit. Sic ſumitur notio *pedis*, cum reſpectu ad *motum* & *greſſum* ſtylo ſacro, frequenter pro omni ſtudioſa hominis occupatione. Vir ſapiens [a]: *Libra greſſum* PEDIS TUI. h. e. Obſerva actiones tuas. Rurſus [b]: *Ne inclina dextrorſum aut ſiniſtrorſum: remove* PEDEM TUUM *à malo.* Poëta Divinus [c]: *Ab omni ſemita mala cohibui* PEDES MEOS. Diligenter mihi cavi

Verba releguntur: *Si reduxeris à Sabbatho pedem tuum.*

Senſus phraſios.

Pedes & greſſus quid, ſtylo ſacro, ſignificent?

à peccato, & actionibus vitioſis. Alio loco [d]: *Si videas furem*, CURRIS *cum eo.* te iis adjungis ſocium in patrando ſcelere. *Avertere* autem pedem A *Sabbatho*, eſt, Sabbatho ſe ita continere & actiones ſuas inſtituere, ne illud *profanet.* ut Cap. LVI. 2. Qui *Sabbathum* impendunt ſuis neceſſitatibus; illud negotiis ſuis *implicant* & miſcent: quæ negotia, cœpta, molimina carnalia à Sabbatho Deus *ſeparari* vult: in quo dictionis elegantia conſiſtit. Ipſe Vates ſe interpretatur, ubi addit, עשות חפצך ut ne *voluptati tuæ operam des die meo ſancto:* עשות hic eſt pro מעשות, ut Kimchius jam obſervavit. Cl. de Dieu cenſet, non eſſe neceſſarium hic ſtatuere ellipſin præfixæ מ, poſſe enim commode verti, *nempe facere voluptatem tuam d. m. ſ.* Sed nihil hic durius habet ellipſis *præfixæ* מ, quia hic tacite repetitur ex voce משבת: quod ſæpius accidit. Phraſis hic eſt ſingularis. *Facere voluptatem* ſive *voluptates* hoc loco late ſumi poteſt pro iis omnibus curandis, quæ nobis cordi ſunt; abſque Sabbathi reverentia aut reſpectu: ſive quotidianis ac ſecularibus negotiis vacemus ex quibus ad nos emolumentum redundat: ſive delectationi ac libidini ſtudeamus; quomodo Vates in initio hujus *Sectionis* dixerat, ℣. 3. *Die quo jejunatis, invenitis delectationem veſtram.* Agitis quæ lubet & occaſio vobis offert. quod Deus fieri non vult *illo die* quem ipſe vocat *diem ſuum ſanctum*, h. e. à ſe ab aliis diebus ſeparatum & ſanctificatum ad uſus ſacros ſive ritum Religionis. Sic Deus apud Moſen [e]: *Et obſervabitis Sabbathum*, כי קדש הוא לכם *quia* SANCTITAS VOBIS EST. res ſancta. Alibi [f]: *Sabbathum* SANCTUM *vobis Jehovæ eſt craſtino.* Intelligis, eſſe ſanctitatem *typicam*, quia *tempori* vera ſanctitas nulla competit. Jufſerat Deus Sabbathum vetus, aliis omnibus diebus exceptum, *ſtricta quiete* ac *profeſſione libertatis* ſanctificari, & ſimul impendi exercitationibus ſacris, cum abſtinentia à cura negotiorum quotidianorum. Sequitur: *Et ſi vocaveris Sabbathum delicias; ſanctum Jehovæ, honoratum.* Hebræa ſic leguntur: וקראת לשבת ענג לקדוש מכובד. Hæc potiſſimum verba exercuerunt Interpretes. Plerique verba ſic accipiunt, ut illud *Sanctum Jehovæ glorioſum* perinde ac *deliciæ* faciant geminum titulum Sabbathi qui cohæret cum voce *vocare*, appellare, hoc ſenſu, *Si Sabbathum appellaveris delicias & Sanctum Domini honoratum* vel *glorioſum.* Sic οἱ ὁ. & Hieron. *Et vocaveris Sabbathum delicatum, & Sanctum Domini glorioſum.* Sic pariter Kimchius & Aben-Ezra definiunt abſque ulla dubitatione, & plerique recentiores, interque eos quoque Coccejus. Sed non eſt animadverſum à Doctis Viris, obſtare huic verſioni præfixam ל in voce לקדוש. Debuiſſet ſcribi, וקראת לשבת ענג קדוש ה׳ מכובד. Cum enim לקדוש, ſecundum illam verſionem ſit *appoſitum* vocis ענג *Deliciæ:* non poteſt ſecundum analogiam magis gaudere præfixa quam ענג. Forte tamen minus attenderunt ad hanc rationem, qui de alia verborum expoſitione cogitarunt: ſed potius viſum ipſis eſt hoc epitheton Sabbathi nimis amplum ac magnificum quam ut probabile ſit, Vatem eo de Sabbatho uſurum eſſe. Utique interpretati ſunt verba, *Si vocaveris Sabbathum deliciis, ad ſanctificandum Jehovam honorandum.* Sic vere præiverat Chaldæus; & placuit idem Belgis; eſtque verſionum prima quas hic commendat de Dieu. In ſenſu per ſe ſpectato nihil vitii eſt: ſed obſtat verſioni, α. Vocem קדש *forma Kal*, nunquam, quod ſciam, ſumi ſignificatu *ſanctificandi.* Notat *ſanctum eſſe.* Vox קִדֵּשׁ in *Piël*, & הִקְדִּישׁ in *Hiphil* valent *ſanctificare.* β. Vocem מכובד *honoratum* hic referendum eſſe ad *Sabbathum:* patet ex eo quod ſequitur, *Et honoraveris illud*, ſc. Sabbathum: etſi Chaldæus ipſum quoque illud ad *Jehovam* referat, abſque probabili ſpecie. Aliam interea viam ſectatus eſt clarus noſtra ætate & Scripturis S. egregie eruditus Vir [g]; qui cum in *Syſtemate* cogitationum ſuarum concinnando hanc aſſumpſiſſet hypotheſin, *Sabbathum* inſtitutum fuiſſe ad celebrandam memoriam non *inſtituti*, ſed

Ne facias voluptatem tuam die meo ſancto. Ellipſis præfixæ מ in voce עשות.

Facere voluptatem, hic late ſumitur.

Cur *Sabbathum* dicatur *dies ſanctus?*

Et vocaveris Sabbathum deliciis; ſanctum Jehovæ, honoratum. Quomodo verba à communi Intt. ſumantur?

Vitium quod illi ſententiæ ſubeſt. reſpectu *præfixa* ל in voce לקדוש.

Alia verſio, *ad ſanctificandum Jehovam honorandum.*

Belgæ eam acceperunt.

Sunt quæ ei obſtant, quæ proponuntur.

Cl. Altingii meditatio, ejuſque hypotheſis.

è lapſu

[a] Prov. IV. 26. [b] ℣. 27. [c] Pſ. CXIX. 101. [d] Pſ. L. 18. [e] Exod. XXXI. 14. [f] Exod. XVI. 23. [g] Cl. Alting.

è lapſu *reſtituti* Status humani generis; ſupponens videlicet homines à Deo creatos jam *ſexto*, h. e. ipſo creationis *die*, lapſos, & *ſeptimo* per promiſſum gratiæ in integrum reſtitutos eſſe; atque tum demum opus Dei fuiſſe *conſummatum*, in quo proin Deus acquieverit: ad firmandas has hypotheſes ipſum quoque hunc producit locum, ut demonſtret, *Sabbathum* peculiarem habere σχέσιν ad *Filium Dei*, Redemptorem humani generis, quem hic intelligit per *Sanctum Jehovæ honoratum* vel *honorandum*, vertens verba; *Et vocaveris Sabbathum delicias*, לקדוש יהוה מכבד PROPTER *Sanctum Jehovæ honoratum*, ſive *glorificatum*, ſc. poſt & propter *paſſiones* quas ſuſtineret, evehendum ad dextram gloriæ Dei in cœlis. velle autem Prophetam, magnum hoc opus Redemptionis & Sponſoris perſonam cum ſuis attributis hoc die facere debere præcipuum meditationis objectum, atque hac ratione in Sabbatho eſſe *deliciandum* [a]. Eſt meditatio ſublimis ac valde μετέωρος, ad Docti Viri hypotheſes accommodata; quam prudentius in medio relinquo, quam refello. *Sponſor* peccatorum Meſſias, Filius Dei, manifeſtus factus in carne, appellari poteſt SANCTUS DEI; & ſic dicitur à Satana, Ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ [b]. haud dubie veriſſime, quippe *ſanctificatus* à Patre, & *miſſus in mundum* [c], ad perficiendum magnum opus ſalutis generis humani: ἀντίτυπον verum *Aaronis*, Pontificis maximi, qui hoc nomine alibi [d] appellatur, ut ſacratiſſima Deo Perſona. Sed *Filius Dei* hoc nomine nunquam appellatur in Scriptis V. T. contra vero dicitur Vati noſtro SANCTUS ISRAELIS. Deinde, non poterat utique Filius Dei hoc tempore dici מכובד *honoratus*, *glorificatus*, quippe nondum defunctus opere Redemptionis, quò Vir Doctus vocem refert. Hebræa quoque vox ענג longe commodius hoc in caſu conſtructa eſſet cum ב, vel על, ut mox ỳſ. 14. quam cum ל. Accedit, hypotheſes huic interpretationi ſubſtratas de *ratione inſtituti* Sabbathi, à communi ſenſu, & meo quoque, valde abhorrere: etſi interim ex aliis principiis certo teneam, *Sabbathi* σχέσιν eſſe myſticam *ad Opus Redemptionis & ſanctificationis* hominis, procurandum à Meſſia; quippe quod ſupra [e] jeci ipſe & adſtruxi. Utique pauci ſibi perſuaſerint, Prophetam rem per ſe obſcuram, de qua nulli niſi illuminati cogitant, tam μετεωρολόγως expreſſurum eſſe. Quid plura? Alia hic datur interpretatio, de cujus veritate ac certitudine nullus dubito; nec occurrit tamen inter Intt. qui ejus meminerit: præter Cl. de Dieu, hic merita laude non fraudandum: licet facilis ac ſimplex ſit. Non differt à vulgata, niſi ſola diſtinctione levicula; ſed quæ verum præſtat dicti ſenſum, & ſimul omnem expedit difficultatem. Lege itaque mecum, *Et ſi vocaveris Sabbathum delicias*; *Sanctum Jehovæ*, *honoratum*. Præfixa ל in voce לקדוש dependet à voce וקראת, perinde ac ל in voce לשבת, & cum voce קראת conſtruitur, in hunc modum, *Si Sabbathum appellaveris delicias*; & *Sanctum Jehovæ* (ſc. diem) vocaveris HONORATUM, (glorioſum,) *eumque honoraveris, & ſeqq.* Sabbathum appellare ענג *delicias*, *oblectationem*, valet, *Sabbathum* non habere pro *onere moleſto*, quo libertas circumſcribitur, & quo inviti abſtrahimur ab illis rebus, & actionibus, quæ ad ſtatum noſtrum temporalem firmandum ac promovendum, aut quæ carni lubent, exequenda, facere poſſunt; quo modo Judæi plures ſub Oeconomia Vetere Sabbathum externum ac cærimoniale reſpiciebant tanquam moleſtum quoddam Servitutis jugum ſibi à Deo impoſitum, rei ſuæ privatæ detrimentoſum; ut ex Prophetarum concionibus liquet [f]: ſed *Sabbathum* inſpicere oculo ſpirituali ut inſigne Privilegium Divinæ gratiæ à Deo pro ſumma ſua ſapientia ac bonitate ordinatum ad promovendum Statum hominis ſpiritualem, dum homo pius & Dei reverens abſtractus à curis ac ſolicitudinibus temporalibus, quæ animum gravant, illud impendit meditationi jucundæ ac ſalutari verarum cauſſarum & finium propter quos Sabbathum inſtitutum eſt, qui fines ſunt præſtantiſſimi; tum exercitationibus ſpiritualibus, Religioni celebrandæ dicatis, animum erudire, inſtruere, conſolari, ac exhilarare aptis. *Sabbathum* ſic inſpicere & uſurpare eſt illud *appellare* delicias & oblectamentum. *Appellare* enim, ſtylo ſacro, eſt quid pro tali habere, cenſere, tractare, uſurpare, ut in re *id ſit*, quod eſſe dicitur. Simile eſt alterum, *Sanctum Domini* hoc eſt, *diem ſanctitatis Domini*, ut eum modo vocaverat, appellare *honoratum & glorioſum quid.* h. e. Diem illum, quem Deus ob graviſſimas rationes à cæteris ſecrevit & ſanctum ſibique conſecratum haberi voluit, alto & illuminato oculo contemplari ut magnum quid & *glorioſum*, ac vere auguſtum *ſymbolum termini* ac *complementi* ſummi in quod omne opus Dei exiret; ut nimirum ipſe homo à peccatis, accuſationibus malæ conſcientiæ, moleſtiis, laboribus, vanitatibus, afflictionibus, liberatus ac *ſanctificatus* per Filium ejus, veræ *quietis* auctorem, *quieſceret in Deo*, in ſtatu libertatis ac lætitiæ; & *Deus* viciſſim *quieſceret in homine.* Qui in Sabbathum hoc oculo reflectit, id reſpicit ut quid magnum, ſublime, honoratum, glorioſum, auguſtum: qui *Sabbathum* ita uſurpat, & peccatis vitiiſque abſtinet & ſe ſanctificandum committit Spiritui S. Sabbathum *appellat* GLORIOSUM; quippe qui Sabbathum ut tale re ipſa præſtat. quod Vates declaraturus addit, *Et ſi honoraveris illud, ne facias vias tuas*, h. e. abſtineas occupationibus & exercitationibus maximam partem vitioſis, quod dixerat Cap. LVI. 2. מעשות כל רע *Ne ullum malum facias. Viæ* hic ſunt ipſæ actiones, in quibus quis tanquam in via, verſatur, ut apud Jer. XVIII. 11. *Bonas facite* VIAS VESTRAS, *& actiones veſtras.* Extremum eſt, *ut ne invenias voluptatem tuam & loquaris verbum.* h. e. ut abſtineas his rebus quæ tibi κατὰ σάρκα curæ ſunt, & ad quas cupiditas carnis aut reſpectus rerum temporalium te impellit; & nullum dictum tibi excidat, quod illuc pertineat: imo vero nullum dictum tibi excidat arrogantius, ac ferocius, quod tendat ad proximum dehoneſtandum aut opprimendum, דבר און *verbum iniquum*, ỳſ. 9. Sic Chaldæus hoc loco, מלין דאונס *Verba oppreſſionis.* dictum leve, otioſum, inane, non congruens ſanctimoniæ illius *Sabbathi*, quod tibi obſervandum commiſſum eſt. Chriſti Jeſu phraſis eſt, ἐιπεῖν λόγον *dicere verbum contra Filium hominis.* h. e. otioſum, blaſphemum, in quo nihil ſani eſt [g]. *Invenire* hic eſt *ſectari ut invenias*, vel *invento gaudere.* Phraſis ubique obvia eſt [h]. דבר דבר hic eſt pro מְדַבֵּר דבר, quippe præfixa מ in voce מֵעֲשׂוֹת poteſtatem ſuam ſimul exerit in vocem דבר: perinde ac in initio ſententiæ obſervavimus in voce מעשות. Sunt qui vocem דבר hic loci *abſolute* accipiunt, acſi hic præciperetur officium in ſanctificando Sabbatho obſervandum: videlicet, *edere eo fidei ſuæ profeſſionem*, ut Cl. Altingius; vel *loqui ſermonem Dei*, ut Grotius. Miror equidem. Si enim id voluiſſet Vates, ſcripturus eſſet וּדְבַרְתָּ דבר ut reſponderet vocibus וְקָרָאתָ & כִּבַּדְתּוֹ. Illud *loqui verbum* referendum eſt ad id quod proxime præceſſerat, *facere* vias *ſuas* & *ſtudere voluptati ſuæ*: nempe ut quis abſtineat verbis, quæ illuc pertinent; ſed *ſedens coram Domino* ſe occupatum habeat exercitatione ſpirituali. Qui ita inſtituit, *Sabbathum*, & in Sabbatho Deum, *honorat.*

Oratio Prophetæ ſic eſt concepta, ut recte videatur applicari ad obſervantiam Sabbathi externi & cærimonialis, in qua Reduces ex Exilio Babylonico deficiebant, ut ex hiſtoria Nehemiæ liquet [i]. Sed qui eam penitiore oculo inſpexerit, viderit, ipſum quoque hunc articulum complecti *Legem reſipiſcentiæ à peccatis & Sanctificationis Divini Nominis*, & *oblectationis* ex meditatione *quietis veræ*, quam Filius Dei Populo ſuo debe-

Vertit, *Propter Sanctum Iehovæ glorificatum*, intelligens *ipſum* Dei *Filium*, poſt paſſiones glorificatum.

Ἐπίκρισις ad hanc interpretationem.

Meditatio alia ad hæc verba.

Cl. de Dieu laudatus.

Verba diviſe accipienda ſunt. extremum membrum ſonat, *Si Sanctum Iehovæ* vocaveris *honoratum.*

Quid ſit *Sabbathum appellare delicias?*

Et *Sanctum Domini*, *honoratum?*

Conſideratio Sabbathi ſpiritualis, ex qua excellentia ejus pateſcit.

Interpretatio Vatis, quomodo *honoretur Sabbathum?*

Quid ſit, *non loqui verbum.*

Ellipſis in voce דבר.

Docti Viri obſervatum ad hanc phraſin.

Cui tempori reſpondeat Elenchus?

An Statui Reducum ex Exilio?

[a] Vide illum *Oper.* Tom. II. in *Concion.* ad hæc verba, & Tom. V. *In Doctrina de Sabbatho* Synod. Dordrac. §. XLVIII. [b] Marc. I. 25. [c] Joh. X. 36. [d] Pſ. CVI. 16. [e] Cap. LVI. 2. ſeqq. [f] Jer. XVII. 21. ſeqq. Amoſ. VIII. 5. [g] Matth. XII. 32. [h] Confer Prov. III. 13. IV. 22. XVI. 20. Jer. VI. 16. Hoſ. XII. 9. Act. VII. 46. [i] Neh. XIII. 15. ſeqq.

debebat procurare: qui melior *Sabbathiſmus* eſt Populo Dei *reſervatus* [a] ſub Oeconomia Nova, qua quieſceret à *malis & mortuis operibus*. Certe de Vetere Sabbatho nihil dici poterat typice; nihil de eo moneri; quod myſtice & antitypice non conveniret *Sabbatho* vero quod tempus eſt Oeconomiæ Novæ, ex Propheta noſtro *Sabbathum perpetuum* [b]. Hic *dies* eſt *ſanctus*, quem *Jehova fecit* [c]; qui cum initium duxerit à *Reſurrectione Chriſti Jeſu ex mortuis*, qua *quies*, *libertas*, *ſanctificatio*, & ἀπολύτρωσις Eccleſiæ Novi Teſtamenti obſignata ſunt: inde durat uſque ad conſummationem Sæculorum, perpetuandus in ſumma perfectione uſque in æternitatem. In univerſum ad officium Eccleſiæ pertinet, totum vitæ ſuæ tempus hoc Sabbathum celebrare, *abſtinendo à peccatis & vitiis*, ut & à vitioſis conſuetudinibus Sæculi, quæ multum inquinamenti & ſordium ſecum trahunt, & à nimiis curis & ſolicitudinibus circa τὰ βιωτικὰ, quæ animum à cœleſtibus & ſpiritualibus bonis contemplandis abſtrahunt: & è contrario ſe *oblectare* & *deliciari* meditatione ſummi & *glorioſi* beneficii *Redemptionis* & *Sanctificationis* à Chriſto Jeſu impetrati, quod præſtat cum quiete à *peccatis* & *operibus* Legis, *quietem* conſcientiæ, perficiendam in æternitate; atque adeo *quieſcere in Deo cum libertate*, ut *Deus in nobis quieſcat*: tum vero Eccleſia publice hoc ſanctiſſimo Religionis officio ſolenniter defungitur *primis hebdomadæ diebus*, exemplo Chriſti Jeſu & inſtituto Apoſtolico in hunc uſum conſecratis, atque adeo religioſe & ſancte tranſigendis; non quidem quod in ſe cæteris ſanctiores ſint, ſed quod Eccleſia iis diebus beneficium ſanctificationis à Chriſto Jeſu Populo ſuo impetratum ſolenni Ritu Religionis celebret, ut Populus Chriſti illo die ſolenniter hoc beneficium profiteretur; in Jehova deliciaretur; mundanis & non neceſſariis negotiis abſtineret; nihil indulgeret carni cum vitio; & in univerſum verbis factiſque nihil committeret illi profeſſioni ſuæ incongruens. Eſt itaque *Sabbathum* quod hic deſcribitur *ſpirituale*; res ſancta, glorioſa, *honorata*, & ab omnibus honoranda, & ſanctiſſime habenda ac colenda, cum per omne ævum vitæ; tum præcipue *diebus Dominicis*, quibus Eccleſia hunc ſuum *Sabbathiſmum* publice profitetur ac colit: de quo plura nunc non addo, quia Sabbathi hoc myſterium prolixe exequutus ſum ad Cap. LVI. 2. Quantum vero hic in Chriſtianiſmo delinquitur! ut ſi Reduces ex Babylone defuerint officio in Sabbatho typico colendo: Populus ex Babylone myſtica redux hic circa verum & ſpirituale ſuum Sabbathum in ſimili deprehendatur vitio. Pauci omnino ſtatum & ſanctimoniam temporis quo vivunt, recte aſſequuntur & intelligunt; *quietem* & *libertatem ſpiritualem* curant ac colunt; caſtaſque delicias ſuas collocant in meditatione illorum beneficiorum ingentium, quæ Sabbathum Vetus olim adumbraverat, à Chriſto Jeſu tanquam altero Noa & Joſua vere Eccleſiæ ſuæ præſtitorum. Curritur ad vitia, peccata, libidines, & nimia cura & ſtudio ad temporalia. Quantum vero publicis diebus, huic Sabbathiſmo meditando ac celebrando deſtinatis, hac parte peccetur, neminem latet; teſtanturque Edicta publica à piis Magiſtratibus ad licentiam Vulgi coërcendam edita.

Optime convenit tempori Sabbathi ſpiritualis ſub Oeconomia Nova.

Dies illius Sabbathi ſemper durat.

Idem continuatur argumentum.

Celebratio Sabbathi ſub Oeconomia Nova.

Celebrationis Diei Dominicæ quis ſit reſpectus hoc tempore?

Spirituali Sabbatho conveniunt attributa Sabbathi Jeſaiani.

Chriſtiana diſciplina hac parte corrupta.

Conſequens *Beneficium* huic Conditioni ſubnexum.

℣. 14. *Tum deliciaberis in Jehova; faciamque te equitare in celſis terræ; &* CIBABO TE HÆREDITATE JACOBI PATRIS TUI: *quia os Jehovæ fatum eſt.*] Ex Beneficiis Officii Conſequentibus, quæ vere ſpiritualia ſunt, recte colligis Officii Naturam. Sunt etiam hic, fateor, qui corporalia majorem partem reſpiciunt: ſed ipſarum rerum inſpectio nos docebit, utrum hic præferendum ſit. Primum eſt, *Tum deliciaberis in Jehova*. qua voce hic uti liceat. Valet enim *re ut deliciis frui*, quæ vera vis eſt vocis התענג. ἐντρυφᾷν. Hieron. *Tum delectaberis ſuper Domino*. paulo coactius. Rectius alii, *Tum oblectabis te in Jehova*. Cæterum *deliciari* ſive *ſe oblectare in Jehova*, ſtylo Scripturæ S. ſubinde ſumitur ut *officium*, cum tamen hic Beneficii locum obtineat: ut Pſ. XXXVII. 4. *Et* DELICIARE IN JEHOVA, *& dabit tibi deſideria cordis tui.* perinde ac Vates modo inſtar officii præceperat, *Sabbathum* facere עֹנֶג *Delicias*. Sed alibi [d] perinde ac hoc loco ut *Beneficium*, quod Deus in reverentes ſui confert. Utrumque veriſſime. *Delicia* in ſpiritualibus ſunt *deliciarum* cauſſa: *deliciæ* ſunt *deliciarum* effectus. Ubi pro *Officio* ſumitur, notat exercitationem animi, ſe vel applicantis ad meditandum Verbum Dei, & Vias, Opera, Beneficia, & Beneficentias Dei ex infinita quadem gratiæ ſcaturigine in hominem manantes; vel fiduciam ponentis in magnis ac glorioſis promiſſis à Deo Eccleſiæ datis, de quorum certo implemento ex contemplatione veracitatis, bonitatis & potentiæ Dei nihil dubitat; vel obſequio mandatorum Dei & Officiis pietatis, Precum inprimis, Gratiarum actionum, Laudationum, ſtudioſe occupati: quæ omnis exercitatio cum ſit bonæ conſcientiæ & in ſe habeat argumentum Divinæ gratiæ, ſemper conjuncta eſt cum jucunditate & delectatione: ſed *deliciari in Jehova*, ſi tanquam *Beneficium* ſpectes, eſt percipere vividum ſenſum lætitiæ, voluptatis, delectationis, ex *Bonis* ſive *Beneficiis* ampliſſimis, quibus Deus favorem gratiamque ſuam tum erga ſingulares homines, tum erga Eccleſiam totam, clariſſime demonſtrat: qui *ſenſus*, ex *Bonis* gratioſæ Dei Providentiæ natus, animam *implet*, irrigat, ſatiat, & magna perfundit jucunditate, cum id unum maxime in terris deſideret ut certa eſſe queat de Divino favore, & *ſua* cum Deo *reconciliatione*, à qua omnis ejus ſalus pendet [e]. quare Spiritus S. hic utitur efficaciſſimis dictionibus emblematicis, quibus hunc animæ vel Eccleſiæ ſtatum depingat: de quo videri poſſunt dicta ad Cap. XXV. 6. & LV. 2. ubi hanc eandem phraſin offendimus. confer Cap. LXVI. 11. Jer. XXXI. 14. Pſ. XXXVII. 11. Ecquis vero dixerit, hic reſpici *Bona corporalia*, quæ hunc animi ſenſum producerent? An *delectatio ſpiritualis*, qualem ipſi Judæi intelligunt per *oblectationem Sabbathi*, pariet *delectationem corporalem*? Kimchius: והתענוג עלי ה׳ הוא תענוג הנפש *Delectatio autem* IN JEHOVA *eſt delectatio animæ*, ſive *ſpiritualis*. Delectatio hæc naſceretur ex perfecta Eccleſiæ inſtauratione, & complemento Promiſſorum ampliſſimorum Eccleſiæ datorum, in quibus Bonis Eccleſia haberet perfecta argumenta Divini favoris, quæ ardenter expetebat: ut totus contextus evincit. Sic pariter accipiendum quod ſequitur, והרכבתיך על במתי ארץ *Et faciam te equitare in celſis terræ*. Hieron. *Et ſuſtollam te ſuper altitudines terræ*. Cocc. *Et faciam te ſedere in culminibus terræ*. Alibi: *Et faciam te ſublimem ſedere ſuper celſis terræ*. Miror ſane. Vox enim רכב nunquam ſumitur, quod ſciam de *ſeſſione*. Equidem notat *ſedere in equo*, *curru*, *nubibus*: ſed ſemper cum reſpectu ad *vecturam*. notio *ſedendi*, ſimpliciter ſumpta, voci non convenit. Sic הרכיב valet, *facere ut quis vehatur*, *equitet*. Phraſis deſumpta eſt à Victore prædominante, qui *equo* aut *curru* vectus bellum gerens occupat Montes, colles, arces, fortalitia, munimenta, eaque ſibi ſubjicit. *Celſa terræ* id ipſum ſignificat quod jam dixi, eminentia loca, aſcenſu difficilia, in quibus paſſim locari ſolent arces & munimenta [f]: quæ expugnare & occupare, Victori laudi eſt. Phraſis præter hunc locum extat in Cantico Moſis [g], ubi inter alia Beneficia à Deo in Populum Judæum collata, hoc quoque recenſetur: ירכיבהו על במתי ארץ *Fecit illum vehi ſuper celſa terræ*. Verum eſt, hoc loco alludi ad Regna terraſque Amoræorum Regum Sihonis & Ogi; deinde ad Canaanæa Munimenta & Urbes magnam partem locatas in Montanis, Moſe & Joſua Ducibus occupatas

Conſequens Beneficium huic Officio junctum, ℣. 14. *Tum deliciaberis, &c.*

Beneficia ſunt *ſpiritualia*.

Quid ſit, *deliciari in Jehova?*

Analogia inter Officium & Beneficium.

Quid ſit, *deliciari in Jehova*, ubi ſumitur pro actu vel *Officio* hominis?

Quid vero, ubi ſumitur pro *Beneficio*?

Eſt *Bonum* ſpirituale: quod oſtenditur.

Alterum: *Et faciam te equitare ſuper celſa terræ.*

Vox רכב hic non videtur recte verti à Viro Docto per *ſedere*.

Metaphora *equitantis* unde hic deſumpta?

Quid, *Celſa terræ?*

Et *Vehi ſuper celſa terræ?*

Locus Deut. XXXII. 13.

---

a Heb. IV. 4. b Cap. LXVI. 23. c Pſ. LXVIII. 24. d Job. 22. 26. XXVII. 10. e Pſ. LXXIII. 25. f Pſ. XVIII. 34. Amoſ. IV. 13. g Deut. XXXII. 13.

patas & expugnandas. Affini ῥήσει dicitur *calcare* vel *facere ut quis calcet celſa terræ* [a]. Hic loci nihil vetat Beneficium ampliſſime interpretari, nempe facturum eſſe Deum, ut Eccleſia veniat in perfectam poſſeſſionem hæreditatis Mundi & Gentium, atque *occupet Reſpublicas & Regna Mundi*, quæ huc uſque ei adverſata fuerant; eaque ſibi *in fide* ſubjiciat: quod Beneficium ſumme glorioſum, Eccleſiæ promiſſum condictumque eſt Tabulis Teſtamentorum Dei, quodque omnes pii etiam hoc tempore ardentiſſime exſpectant [b]. Idem plane hic dicit Propheta quod Poëta ſacer Pſ. XXXVII. 34. *Exſpecta Jehovam, & ſerva viam ejus; &* EXALTABIT *te ad poſſidendam terram. Videbis exciſos impios.* Ejus temporis ſtatui convenit elegans Apoſtrophe [c]: REGNA TERRÆ *canite Deo, modulamini Domino! Sela.* Tertium denique, *Et cibabo te hæreditate Patris tui Jacobi.* Quid vero illud? Grotius: *Faciam ut vivas de fructibus terræ avitæ.* Quam humilis cogitatio? Judæos hic nihil habere quod dicant majus & melius, non adeo miror: ſunt enim ipſorum cogitationes & ſtudia affixa terrenis: ſed Chriſtiano male ſedet de promiſſis Divinis tam tenuiter exiſtimare. Quanti vere eſt, vel prudentibus cenſeri poterat; terræ Canaanææ proventibus, aut lautitiis quoque, in ipſa illa terra frui, cum in aliis terris, Babylone, Ægypto, Syria, vel iiſdem vel ſimilibus bonis gaudere ac ſatiari poſſent? Certe Hæreditas terræ Canaanææ, ſi nihil in ea altius ſpectes, non præſtitit Jacobo *eximium* illud, quo diſcretus eſt ab Eſavo, fratre. *Hæreditas Jacobi* hic loci notat *veram & eximiam hæreditatem Jacobi*, quæ ſita eſt in ſaturantibus *Bonis Divinæ Gratiæ*, per Canaanæam adumbratis; hoc eſt, *Hæreditatem ſpiritualem Gentium* cum fructibus Juſtitiæ; Pace, Libertate, Lætitia, aſſeveratione Divini favoris; & *Cœleſtem*, ſpiritualis gratiæ & hæreditatis complementum. quæ *Benedictio* his involuta eſt ſententiis [d]: *Maledicentes tibi ſint maledicti; &* BENEDICENTES TIBI BENEDICTI. Item [e], ET BENEDICENTUR IN TE *omnes familiæ terræ; &* IN SEMINE TUO. Nemo explicet hæc promiſſa niſi cum reſpectu ad Beneficia ſpiritualia & cœleſtia à Jacobo devolvenda ad Gentes, ab ipſo medio *Seminis* ipſius poſſidendas. Eadem hæc bona comprehenſa fuerunt *Jure Primogenituræ*, quod tantopere affectavit Jacob [f]; & eorum reſpectu DEUS IPSE, *formator omnium*, dicitur SORS ſive PORTIO JACOBI [g]. Utique enim Credentes in terra Canaanæa habuerunt pignus & arrham communionis Dei in gratia & gloria ad perfectam animæ ſatietatem & tranquillitatem. Qui per Deum & in Dei communione *fruitur* omnibus *Bonis* ad ſtatus ſui conſummationem facientibus, ipſum dicitur poſſidere *Deum*, eumque cernere ut *hæreditatem*. Complementum autem horum Bonorum eſt Status *cœleſtis*, Statum gratiæ conſequuturus, in quo omnia hujus Status imperfecta, vel abolebuntur, vel perficientur; quem *Statum* ut ſummum promiſſorum ſuorum reſpexit Jacob [h]; cujuſque primitias ſolutus à corpore delibavit [i]. *Edere* autem de hac *hæreditate Jacobi*, ampliſſime ſumpta, eſt *frui* cum voluptate ac delectatione ad ſatietatem deſideriorum noſtrorum *iis bonis* quæ hanc *hæreditatem* conſtituunt: emblemate in Sacris uſitatiſſimo, de quo ſupra [k]. Claudit Vates hæc excellentia promiſſa ſignaculo, *Quia os Jehovæ loquutum eſt:* frequentis apud ipſum uſus. Fides ſolida hic excluderet omnem dubitationem, etiamſi Eccleſia hactenus nihil ejus vidiſſet, quod hic prædicitur, & promittitur. Sed vidit ſane luculentam horum promiſſorum partem. Vidit Eccleſia Babylonem egreſſa inter graves afflictiones & luctam varia Regna & Reſpublicas Mundi ſibi *vi veritatis* ſubjecta, *equitavitque ſuper celſa terræ*. Multi veritatis cupidi ex clara luce & mirabili incremento veritatis illuſtratæ, omniſque intelligentiæ ſpiritualis, & ex abundantiore copia influxus Divinæ gratiæ, qualem Deus veris confeſſoribus Doctrinæ Evangelicæ impertit, magnam perceperunt & hodiedum percipiunt conſolationem, lætitiam, voluptatem; & vere cum *Abrahamo, Iſaaco, &* JACOBO *accumbunt in Regno cœlorum* [l], ſe profitentes veros *Jacobi filios*, ac proinde *hæredes* quoque [m]. Quid igitur dubitet, Deum reliqua ſua deſideria perfecte expleturum juxta omnem vim ac tenorem promiſſorum ipſi factorum, ſi ipſa *officio ſuo* in *obſervando Sabbatho* & omni vero Dei cultu diligentius, accuratius, & religioſius defungatur?

ELENCHUS POSTERIOR, complexus *Convictionem* Eccleſiæ, multis vitiatæ ſcandalis, & de Statu ſuo *Querelam*.

PARS CONVICTORIA, à fidelibus inſtituta Doctoribus, Qua

a. Removent à Deo *cauſſam* luctuoſi Rerum Eccleſiæ Status, *veram*que *generatim* demonſtrant vitia & ſcandala Populi.

CAP. LIX. ℣ſ. 1. *Ecce non eſt curta* MANUS *Jehovæ, ut non poſſit ſalvare; &* AURIS *ejus non eſt aggravata, ut ne poſſit audire.* ℣ſ. 2. *Sed iniquitates veſtræ divortium faciunt inter vos & Deum veſtrum; & peccata veſtra occultarunt faciem à vobis, ut ne audiat.*] Alter Elenchus, iſque acrior multo & aſperior, hinc orditur; quem Judæi & plerique Intt. applicant ad Statum Populi Dei in Exilio Babylonico. Fruſtra ſane. Grotius vero, ſibi hic non conſtans, priora refert ad tempus Manaſſis: & querelam ℣ſ. 9. *Ideo judicium elongatum eſt à nobis:* refert ad *Populum captivum*, ſc. in Exilio Babylonico. quod non putem quemquam facile probaturum. Vidit nempe Vir Illuſtris, quod videre quoque potuiſſent alii; σχῆμα hujus Judicii non convenire Populo Judæo, in Exilio Babylonico ad Deum Patrum ſuorum *convertendo*, ut vere *converſus eſt*; proxime illud tempus quo Deus Gentem ex Exilio liberaret. Obſervandum enim eſt, hic deſcribi Statum aliquem Eccleſiæ, quæ Eccleſia à Deo pro *Populo ſuo* habebatur, & in qua pii adhuc plures ſupererant; Statum, inquam, aliquem Eccleſiæ gravioribus vitiis & ſcandalis corruptæ, & variis afflictionibus preſſæ, majoreſque adhuc metuentis, in eo temporis articulo qui proxime præcederet ejus glorioſam Liberationem; cujus conſequens eſſet, ut *Nomen Jehovæ reverenter coleretur ab Occidente ad Orientem Solem*, ℣ſ. 19. & Eccleſia magnifice ornaretur, de quo Cap. LX. 1. ſeqq. quæ neutiquam conveniunt Populo Dei ex Babylone proxime liberando. Aliud longe ejus σχῆμα habuimus, Cap. XXX. 20. ſeqq. Nullus Status Eccleſiæ Oeconomiæ Veteris demonſtrari poteſt, in quem *umbra* ejus quod hic dicitur competit, præter illum Eccleſiæ Judææ ex Babylone Reducis Statum, valde afflictum & multis obrutum ſcandalis, qui præceſſit *Liberationem Maccabaicam*. Nos ex hypotheſi jacta & non contemnendis rationibus aſſerta, perſiſtimus in *Subjecto analogo*; hoc eſt, in Eccleſia educta ex *Babylone myſtica*, poſtquam jam bonum tempus in hoc Statu perſtitiſſet; ſenſim autem magis magiſque arctaretur; affligeretur; minueretur; in priore zelo ſuo flacceſceret; multiſque ſenſim magis magiſque invaleſcentibus ſcandalis obrueretur; & denique extrema quæque metueret, dum potentiſſimi Reges ad ejus exterminium conſpirarent; quæque Eccleſia proinde concipitur in magnis eſſe anguſtiis. Imo vero cenſemus agi de hac Eccleſia quo Statu eſſet vitiato & afflicto, proxime *Liberationem*, quam Deus ei, cum omnia deſperata viderentur, præſtaret. Cum igitur Populus ille, qui ſe gloriabatur eſſe *Populum Dei* & *veram Eccleſiam*, ab adulterina ſeparatam, miraretur, ſe dum exſpectaverat longe adhuc ampliorem &

Elenchus Poſterior hujus Sectionis.

Pars *Convictoria*.

a. Removent à Deo cauſſam luctuoſi ſtatus ſui, Cap. LIX. 1.

Elenchus eſt aſperior.

Cui tempori vulgo applicetur? Grotii hypotheſis.

Non convenit σχῆμα Statui Populi in Exilio Babylonico.

Umbra ejus quod hic dicitur, inveniri nequit niſi in temporibus Maccabaicis.

Prophetia hæc ex hypotheſi referenda eſt ad Statum Eccleſiæ Babylonem myſticam egreſſæ.

Status ejus hypothetici ſecundum hanc prophetiam.

Inde ſpes ulterioris implementi.

Quid *Promiſſum* hic loci ampliſſime ſignifiet?

Tertium: *Et cibabo te hæreditate Patris tui Jacobi.*

Senſus promiſſi ſecundum Intt. Judæos, & Grotium.

Hæreditas Jacobi hic ſignificat *eximiam Jacobi hæreditatem.*

Significat emphaſi beneficia *ſpiritualia & cœleſtia.*

Terra Canaanæa fuit ſymbolum *veræ hæreditatis* Populi Dei.

Edere de *hæreditate Jacobi*, quid hoc loco?

Quatenus huic *promiſſo* ſatisfactum ſit?

a Hab. III. 19. b Apoc. XI. 15. c Pſ. LXVIII. 33. d Gen. XXVII. 29. e Gen XXVIII. 14. f Gen. XXV. 31. ſeqq. g Jer. X. 16. h Heb. XI. 9. i Matth. VIII. 11. k Cap. III. 10. XXXIII. 16. LV. 2. LXV. 13. l Matth. VIII. 11. m Cap. XLIV. 5.

generaliorem *Reformationis* effectum ac progressum, sensim magis magisque imminui & in arctum cogi; adversarios vero suos vires sumere & invalescere; spem suam de Regno Christi Jesu valde amplificando concidere; quin imo Principes Mundi in suum exterminium conspirare; dum ipse nullum circumspiciebat præsidium vel auxilium præsens, quo imminenti periculo eximeretur: introducuntur hic fideles Dei & Ecclesiæ Ministri, qui doceant, quæ causa sit, quod Deus Populo suo hactenus pro voto præsto non fuisset, & ad *preces* & *supplicationes* illius non attendisset; & ita se plane erga Populum suum gereret, acsi curam ejus deposuisset. Non hanc esse causam dicunt, quod *manus* Dei *curtior* sive *brevior facta* esset, hoc est, quod Deo cui ut Omnipotenti longæ & validæ manus μεταφορικῶς tribuuntur, nunc magis ac alias deessent ad eos servandos vires; (de qua phrasi vidimus Cap. L. 2.) aut quod calamitates illorum precibus & supplicationibus propositas ignoraret, & necessitates illorum non clare perciperet; vel minore esset ad illos juvandos propensione voluntatis, (quæ hic significantur *gravitate aurium*, cui opponuntur *aures attentæ* [a]:) quam fuerat olim: (esse enim has falsas fictasque causas, cum nec vires ipsi, nec scientia, nec affectus, neque exaudiendarum precum & ferendarum suppetiarum voluntas, desint:) sed simul ostendunt veram causam, *peccata* & *iniqua facta* Populi ipsius quæ Deum non sinunt pro sua in Populum voluntate ei benefacere aut succurrere. *Iniqua facta vestra*, ajunt, *divisionem faciunt inter vos & inter Deum vestrum, & peccata vestra occultant faciem à vobis ne audiat.* Sic vertenda hic loci est vox הסתירו: non *faciendo ut occultetur* sive *ut se occultet*; ut Kimchius & Aben-Ezra vellent; sed *occulendo*, *tegendo*, quæ ejus vocis vera significatio est. Metaphora enim hic non sumitur ab homine, qui licet auditu polleat, *aures* tamen ab his qui ad ipsum loquuntur avertit, faciemque suam *occultat*: sed ab aliquo qui per *intercedens medium* præpeditur quo minus oratio loquentis ad aures perveniat: similitudine ducta à *crassa nube*, quæ inter cœlos & terram interjecta loquentis verba in altum missa intercipit, & altius ire prohibet. Sic declaratur metaphora in *Threnis* Jeremiæ, his verbis [b]: TEGMEN TIBI FECISTI NUBE, NE TRANSEAT PRECATIO. Actiones omnes hominum censentur exhalationum & vaporum modo in altum efferri quod omnes ad *Deum* referantur, ab ipso ut à Justo Judice judicandæ; quæ si bonæ, laudabiles, luminosæ sint, non impediunt commercium quod inter Deum & homines intercedit: sed actiones malæ, *Peccata* & *vitia* hominum, censentur *nubem* facere *atram*, crassam; tum quod censeantur esse exhalationes fœdæ, quæ nihil in se luminosum ac laudabile habent; sed è contrario tenebrosum quid, lumini & claritati, hoc est, veritati, æquitati, justitiæ, contrarium: tum quod veluti intercludant aspectum cœlorum, hoc est, commercium quod inter Deum & homines intercedit; atque impedimento sint, quo minus Deus illorum preces & vota *audiat*, hoc est, *exaudiat*. Deus autem sibi simili metaphora dicitur circumducere *tegmen Nubis*, ne exaudiat preces hominum, ubi rationes Justitiæ ejus ob peccata & vitia hominum non permittunt, ut ipsorum desideriis satisfaciat, vel ipsos ad communionem suam admittat. Observa itaque hic loci, docere Prophetam Deum non exerere potentiam suam ad vindicias suorum, non quod *manus* ejus sive *dextra curtior* sit: sed quod illorum preces non *audiat*: non *audire* autem, non quod *aures* ejus *graviores* factæ sint, sed quod *nubes* intermedia *faciem aureasque* ejus ab hominibus in *gratia* videri, aut *preces* illorum *audire*, hoc est, exaudire, vetet.

Fidi illi Ecclesiæ Doctores hic detegunt veram causam, cur Deus Ecclesiæ non opitularetur.

Ostendunt, sitam eam esse in peccatis Populi.

Significatio vocis הסתירו.

Unde hic sumpta sit metaphora?

Quæ similitudo illustratur.

Deus quo sensu sibi dicatur inducere *tegmen* ne audiat hominum preces?

Summa sententiæ Vatis.

β. Eadem Vitia *speciatim* notant variis *articulis*.

Articulus primus: Crimina *Manibus* sive *Operatione* commissa.

℣. 3. *Quia manus vestræ sunt inquinatæ sanguine; & DIGITI VESTRI iniquitate.*] Peccata & crimina, Deum à Populo suo avertentia, quæ *generatim* memoraverant fideles Dei Ministri, nunc speciatim recensent; & quidem eo ordine, ut ea veluti per membra corporis humani distribuant; *manus*, *os*, *pedes*: ut tamen in *delictis* quæ *ore* committuntur diutius hæreant. *Manus vestræ*, ait Chorus Doctorum, verbis Prophetæ, sunt *pollutæ sanguine*. Intellige *sanguinem innocuum*, de quo ℣. 7. Vox גאלו, insolentioris non *structuræ*, sed *punctaturæ*, ex *formis Niphal* & *Pyal* conflatæ, quod Magistri diligenter notarunt, emphasin addit dicto. Subjungit, *Et digiti vestri iniquitate.* Sunt qui idem crimen, non insolente Hebræis more, innui putant: sed plane existimem, designari crimen quod *rapto*, vel *circa rem pecuniariam*, committitur: à quo Grotius non est alienus. Favet sententiæ vox עון *iniquitas*; & natura criminis.

β. Vitia speciatim recensentur.

a. *Manus pollutæ sanguine*, ℣. 3.

Ordo qui observatur in his vitiis recensendis.

Animadversio ad vocem גאלו.

Digiti polluti iniquitate; quale criminis genus?

Primum hoc, idque sane gravissimum, delictum merito hic quemque suspensum teneat. Cum enim hæc & sequentia peccata ex hypothesi nostra quærenda sint in illo Populo, qui communionem Romanensem deseruit: primo quidem durum dictu videatur, illum Populum hujusmodi inquinatum esse peccatis, qualia hic recensentur, & tamen esse ac manere Populum Dei: deinde, si historia tamen illud doceat; valde injucundum & invidiosum est, eam rem demonstrandam in se suscipere. Quid enim proficias, si vulnera publica hoc fine attingas, ut ea nudes; non ut sanes? vel ridentibus adversariis, tecta hactenus reveles, & in lucem protrahas? Certe intelligo, mihi hic prudenter procedendum esse, ne ex ignavia celem, quæ publice patent; vel celanda & non patentia in publicum producam. Quare ante quam ad eam rem accedam: paucula instituto profutura observari volo. Et quidem primo, Crimina hæc imputari illi Populo qui Ecclesiam & Populum Dei in terris faciebat, hactenus à Deo non neglectum aut desertum, sed dilectum quoque, & à Deo ipso gloriose *vindicandum*: ex tota *Concione* liquet, & vere extra dubium positum est. Secundo, ex ea ipsa hypothesi colligo, Crimina hæc non imputari Corpori Ecclesiæ respectu omnium vel plerorumque suorum membrorum; sed *aliquorum*, sive Rectorum aut insignium hominum; sive qualiumcunque aliorum qui in communione illius Populi ferebantur. *Corpus* enim hominum, ejusmodi noxarum reum, quales hic notantur, definit esse Populus Dei & vera Ecclesia. Sensus Elenchi est, esse & tolerari tales in hac communitate, licet contra disciplinæ illius Leges. Tertio, noxas hasce non tantum referri ad hunc Populum, secundum Statum ejus *Ecclesiasticum*, verum etiam secundum aspectum ejus *Politicum*. Societas illa, quæ se à Roma sejunxit, constat magnis Populis, formatis in Regna & Respublicas; quem aspectum in hujusmodi Elenchis non perdimus. Secundum hos respectus Ecclesia sustinere potest nomen *Populi Dei*, & tamen polluta esse gravissimis criminibus, quæ Dei in eam provocant indignationem & severam punitionem, dum in Populo sunt qui utrique Societati adscripti (quod sub Oeconomia Vetere semper obtinebat,) se hujusmodi sceleribus polluunt. Sic v. gr. Michas de iniquissimis Judiciis sui temporis conquestus, exerte ait [c]: *Ædificantes Tsionem* (Judices, Principes, Rectores Populi,) בדמים SANGUINE; *& Hierosolymam iniquitate.* quam prophetiam cum editam esse constet sub Hiskia Rege [d]: non est opinandum, illo tempore Judicia omnia adeo fuisse corrupta, ut id in universum de omnibus dici potuerit. Sufficiebant hypothesi Redargutionis exempla aliqua, quæ Vates in oculis habuit. Pariter ubi Historicus Maccabaicus narrat, Simeonem, potentem & multæ auctoritatis Virum, Menelai Pontificis fratrem, in *injustis cædibus* se conscio patratis

An vitium satis commode demonstretur in Subjecto hypothetico, h. e. Populo Protestantium?

Præfatio honesta hac de re.

Præcedaneæ aliquæ observationes in hanc rem.

Quo aspectu Populus hic à nobis contemplandus sit secundum hanc prophetiam?

Exemplum ex prophetia Michæ productum; & ex Historia.

conni-

a Ps. CXXX. 2. b Cap. III. 44. c Mich. III. 10. d Jer. XXVI. 18.

conniviſſe *a*; & ipſum Menelaum poſtea Oniam III per inſidias obtruncaſſe *b*: poterat hujuſmodi hypotheſis ſufficere criminationi Prophetæ. ſolent enim Prophetæ, res multo videntes clarius quam alii mortales, & fœditatem criminum vero oculo inſpicientes, eloquio graviter tonare. Quarto obſervari velim, non eſſe neceſſarium ex hypotheſi noſtra, ut crimina hic notata in hiſtoria Populi profeſſione *Reformati*, qualis huc uſque extitit, demonſtrentur. Neſcimus enim, quid poſt tempora noſtra futurum ſit, quibuſque limitibus Deus præſentem Eccleſiæ ſtatum circumſcripſerit. Eccleſiæ Proteſtantium quæ hic depingitur, reſpiciendus eſt ſtatus proximus liberationi glorioſæ; quando plane redacta eſſet in arctum, & extremum exterminium metuere poterat. Si Deus glorioſa & magnifica dextra ſua cum ſtupore Gentium noſtris diebus non operatus fuiſſet mirabilia ad ſpectabiliorem partem Populi ſui præſervandam ab imminenti exitio: jam vidiſſet Eccleſia hanc coarctationem. Sed Deus hanc tempeſtatem, quæ male nobis minabatur, depulit. Fieri itaque poteſt, ut ætas ſequens det vitioſiorem progeniem, & multa interea accidant, quæ de ſtatu illius Eccleſiæ verius affirmentur. Quid? addo quinto loco: Si quis legat quæ ipſi Eccleſiæ inſtauratæ Doctores de ſuis temporibus, temporumque ſuorum *Scandalis*, ſcripſere, ut v. gr. Calvinus in libro hujus argumenti: eum vix opus habere aliis documentis ad interpretationem hujus Concionis. Ubi Eccleſia excreſcit in numerum, & miſcetur Civitati, ac ſinu ſuo excipit univerſam Civilis Regiminis Politiam: raro fit, ut gravioribus ſcandalis libera ſit, ac æquabili ſtatu diu perſiſtat; niſi forte Rectores ſummi Civitatis ſuo exemplo ſubditis zelo Religionis pietateque præeant. En graviſſimum dictum Abrahami Sculteti, præſtantiſſimi Germaniæ Theologi, ante Sæculum hoc proximum florentis. *Status*, inquit ille, *Politiæ Judaicæ, qualis ea quidem tempore Jeſaiæ fuit*, (ſic haud dubie Vir Doctiſſimus haſce æque ac priores hujus Libri Conciones accepit:) *typus eſt cujuſlibet ad interitum vergentis Reipublicæ.* AT NON EST RESPUBLICA SUB SOLE, QUÆ EXACTIUS PROFLIGATOS ILLOS JUDÆORUM MORES EXPRIMAT, QUAM HÆC NOSTRA GERMANICA; *unde conjectant prudentiores, aut interitum univerſalem, aut cladem certe inſignem ei imminere.* Sic ſcripſit veriſſimus Propheta, veluti Calamitatem jam tum imminentem Germaniæ longe graviſſimam præſenſiſſet. Addit inter noſtros Vir Doctus *c* de ſtatu Eccleſiæ conqueſtus poſtquam Sculteti hoc teſtimonium recenſuiſſet; *ſed ne Germani quiritentur, nos minus æquos Judices eſſe: addimus lubenter, noſtram quoque Belgicam refertam eſſe abominationibus ab una extremitate ad alteram.* Quibus præmiſſis, in rem venio præſentem. Doctus Interpres quod hic dicitur applicat ad *bella vel injuſta vel impie geſta, violentias, injurias mutuas, proditiones, deſertiones fratrum.* Non ſunt longe quærenda exempla proximis Sæculis. In bellis ipſis *Religionis cauſſa* geſtis in florenti Galliarum Regno, quam multa intemperanter ac libidinoſe à militibus acta, effuſuſque etiam *ſanguis innocuus?* ſæpe fateor, invitis Ductoribus *A* optimis; ſed tamen non vindicatus. Utinam vero non extarent exempla hominum innocuæ ſimplicitatis, qui bono animo & fide integra ſuperſtitioni Romanenſi renunciarant, & refugium etiam quæſiverant in terris, in quibus ſe ab æſtu perſecutionis defenderent, ob diſſenſionem in articulo de *Baptiſmo*, & forte etiam de *origine corporis* Chriſti, ſeveriſſimæ mortis judicio publico in tranſmarinis partibus damnatorum, magno piorum luctu ac dolore! Eſt certe hiſtoria tragica, quæ turbat affectum. Principibus optimis Eduardo VI, rari exempli & pietatis, atque Eliſabethæ, vis facta eſt ab Eccleſiaſticis; & tamen macula adſperſa illorum memoriæ; nec ſanguis *innocuus* (ſic merito appello,) caruit notabili vindicta. Alia mihi exempla verſantur ante oculos; (ſum enim ex his qui hujuſmodi hæreticocidia vehementer improbant, ut charitati & æquitati Chriſtianæ adverſiſſima:) & *ſanguinis* temere & nocenter *fuſi* in motibus Popularibus civilibus, abſque ultione transmiſſi bene multa: ſed nolim plura; nec putem quoque illuc directe reſpici. Quod ad alteram partem primi hujus articuli attinet, de *digitis inquinatis iniquitate*, quod interpretati ſumus de bonis alienis *inique* ad nos tranſlatis: non refero huc maxime hypocritarum, in Eccleſia latentium, fraudes, verſutias, fraudationes, de quibus prolixe queritur Calvinus in excellente libro de *Scandalis B*: quis enim artium illicitarum in lucro aucupando finis ac modus eſt, ſi privatos reſpicias? Sed ſi quis hic cogitaret de alienationibus Bonorum Eccleſiaſticorum, piis uſibus ex legantium voluntate deſtinatorum, circa quas quibuſdam in locis terriſque enormiter peccatum eſt: ab ejus ſententia me non longe ſejungerem.

Articulus alter: *Crimina Oris*, conſiliorum, cogitationum.

a. Propoſita proprie.

℣ſ. 3. med. *Labia veſtra loquuntur falſum: Lingua veſtra iniquitatem meditate profert.* ℣ſ. 4. *Non eſt qui clamet in juſtitia, neque eſt qui deceptet in veritate. Confidant inani, & loquuntur temerarium; concipiunt moleſtiam, & pariunt vanitatem.*] Σχῆμα eſt partium in Religione quibuſdam articulis diſſidentium; inter ſe de iis alterantium ac diſputantium dictis ſcriptisque Eriſticis; ac in Conventibus quoque & Colloquiis, ſe invicem accuſantium ac condemnantium; in quibus pauci æquitati ac moderamini ſtudent, ſed plures affectui odii & æmulationis nimium indulgent; & quod hic præcipuum eſt, pars major & ſuperior, quæ in lite primas tenet, inferiorem nititur odioſe traducere, circumvenire, opprimere; non ſolidis argumentis in rem allatis, ſed fraude, dolo, technis, & calumniis quoque, ut paſſim res geritur: quibus tamen diſſenſionibus & altercationibus aliqui ſibi uſque adeo placent, ut hac via tanquam facillima omnium adſpirent ad celebritatem nominis; & in Partibus, quibus addicti ſunt, aucupentur laudem fortium athletarum, qui periti bellorum Domini, ſtare audeant pro cauſſa Dei; dum interea ſtrenue plures non Dei, ſed ſuam cauſſam agunt *A*.

Hypotheſis interpretationis non exigit; ut implementum hoc tempore demonſtretur.

Illuſtratur ex hiſtoria.

Cura Dei erga Populum Proteſtantium noſtri temporis.

Alter articulus: *Digiti inquinati iniquitate.* Non deeſt ei implementum.

Doctorum Virorum judicia de Statu Eccleſiæ Proteſtantium.

Facilis corruptela Eccleſiæ, ubi cum Civitate coaleſcit.

Peccata Oris, ℣ſ. 3.

Schema hujus Orationis & Elenxios.

Supponit iniquas Fratrum cum Fratribus concertationes.

Articuli hujus applicatio à Cl. Coccejo inſtituta.

---

a 2 Macc. IV. 3. *b* ℣ſ. 34. *c* Amama in *Orat. Acad.* de *Corruptela Morum*, præmiſſa *Antibarb. Bibl.*

A Hiſtor. Stat. *Reip.* & *Rel.* ſub Car. IX, in hiſtoria ſecundi Belli Civilis, ad A. MDLXVIII. p. 122. *Expugnatum Irancium ferocis militis petulantiæ exponitur, nihilque ad* CÆDIS *vaſtitatiſque intemperies fit reliqui*, FACINORE NON SATIS AD NOMINIS RELIGIOSI DECORUM CONSENTANEO. Deinde, p. 128. *Vix tamen miles intemperans* (Partis Reformatæ) *à cæde repulſus, tantam hodie inſolentiam omnisque diſciplinæ everſionem importarunt intemperies bellorum civilium in omnia omnium hominum genera; ut nihil uſpiam ſanctum fidumque comperiatur.* p. 310. *Rumorem augebat ſumma Religioſi militis, Religione certe nullo modo utentis, ad ferociam omnem licentia, ut miſerorum colonorum prædis,* CÆDIBUS, *incendiis, quoquo incederent, replerentur, &c. Amiraliumque ipſum maxime, penes quem adminiſtratio erat, male habebat diſſoluti ad omnem audaciam militis effrenata licentia.* Sic ſcripſit Vir cauſſæ purioris Religionis deditiſſimus. Exempla invenies apud Thuanum & Mezeræum. Maimburgio enim hic non eſt fidendum. Excuſemne Belgas in initiis illis turbulentorum motuum, qui occaſionem dederunt Patriæ cariſſimæ libertati & Evangelii veritati vindicandæ? Vide mihi iniquiſſimi Judicii exemplum apud Hooftium, Hiſt. Lib. X. p. 391. ſeqq. Bellici motus, injuriæ, & violentiæ mutuæ efferarunt hominum animos; & certe Gallicana Bella Civilia corruperunt Eccleſiæ illius in initiis pulcherrimæ diſciplinam.

B Vide illum pag. 79. col. 1. in fine. & pag 80. col. 1. in initio. *Scandalum tamen hac in parte duplicatur, ubi ad ſcelerum indignitatem privatum damnum accedit. Alii benigne hoſpitio excepti, vel furto onuſti clam abeunt, vel aliis modis hoſpites defraudant.... Alii in mutuo fallunt: alii abnuunt depoſitum: alii in ſocietate perfidi. Alii quam eleëmoſynæ nomine pecuniam à bonis frugique hominibus abſtulerunt, vel in ſcortationem conſumunt, vel in aleam, vel in profuſos alios luxus. Alii quod ad juvandam eorum induſtriam mutuo datum fuerat, audacter in otio heluantur.* Certe eſt id Eccleſiæ pudori: nec tamen hypocritarum, ſi publicam perſonam non gererent, vitia illa Corpori Eccleſiæ imputari poterant.

Verba Variis secundum hanc hypothesin exponuntur.

gunt *a*. Ex hac hypothesi nihil erit in verbis Prophetæ, quod non absque interprete intellexeris. *Labia* dicuntur *loqui* שקר *falsum*, hoc in loco, ubi quis falsas defendit in Religione sententias, vel dissentienti falsas imputat sententiæ suæ consequutiones: etsi cum communis usus vitium sit; omne falsiloquium hominum alios intercipere studentium notet. Poëta Divinus *a*: *Obmutescunt* LABIA FALSITATIS, (שפתי שקר) *quæ* DURUM *loquuntur contra* JUSTUM, *cum-fastu & contemptu. Lingua meditate profert injustitiam*, sive, *id quod rectum non est*, ubi quis callide atque astute falso circumducit speciem veri. Obtinet hic usus emphaticus vocis הגה, quæ proprie valet *quid ex alto pectore educere*; quod in his potissimum obtinet quæ *meditate* efferuntur, ut de se summa Sapientia *b*: *Palatum meum* יהגה MEDITATE EFFERET *veritatem.* Unde eadem vox transfertur ad *meditationem*, sive quia meditata alto pectore loquimur; sive meditando aliud ex alio educimus, ut vult Cl. Coccejus. confer ℣. 13. Sequitur ℣. 4. *Nemo clamat in justitia*; *& nemo disceptat in fide.* Primum membrum אין קורא בצדק Hieronymus latine dat, *Non est qui invocet justitiam:* nulla commoda phrasi, vel sensu. Alii, *Clamat pro justitia.* Nonnulli *ad justitiam.* Chaldæus: לית דמצלי בקשוט *Non est qui oret in veritate.* quod hic locum non videtur habere. observabis tamen obiter phrasin, *orare in veritate:* qua ipsa quoque usus est Dominus *c*. Non est statutum hic latius excurrere: res paucis expediri potest. Versio primi membri sic est instituenda, ut conformetur ad alterum. Alterum autem membrum, אין נשפט באמונה geminam sustinere potest interpretationem, ex potestate significationis vocis נשפט. *Non est qui judicatur in veritate*, vel, *Non est qui disceptat*, (contendit) *in veritate.* Hic vero posterior necessario præferenda est, quia hic agitur de *actionibus* hominum. Notatio autem vocis נשפט pro actu *disceptandi*, *contendendi*, est testatissima. Colligo itaque inde, *α. Clamorem*, cujus in *primo membro* mentio fit, referendum esse ad *clamorem*, qui obtinet in *disputatione*, *disceptatione*, *accusatione*, *redargutione acri* ac *vehementi*, unde latinis Disputatores & Oratores caussarum Patroni *clamatores*, *clamosi altercatores*, rixæ *clamosæ*. β. Illud, בצדקה hic vertendum esse, *in justitia*; perinde ac באמונה in altero membro, *in fide*, *in veritate.* Recte itaque Hebræi vocem קורא hic vertunt per תוכיח *redarguere.* Coccejus docte; *litem intendit cum justitia.* Dicitur autem quis *clamare*, *contendere*, *litem intendere* alii *non cum justitia*, sive *in justitia*, *in fide:* vel qui statum controversiæ in caussa Religionis sui tegendi & occultandi caussa non proponit bona fide: vel qui, ut invidiam faciat Parti adversæ, momentum Quæstionis controversæ præter meritum aggravat, & in dissensione levi altum clamorem facit: vel etiam, qui disputando ac vociferando litem sic exequitur, ut clare patescat, magis ei curæ esse, honori alterius vulnus inferre quam patriconari caussæ. Iidem illi *confidunt inani*, *& loquuntur vanum merarium*, ubi in vanum sibi proponunt veritatem clamoribus suis, aut auctoritate Principum, partibus faventium, opprimere; dum sententiæ illorum temere prolatæ Verbo Dei contrariantur, & piis veritatis cultoribus se minime commendant: quare *concipiendo molestiam*, magno opere se fatigando & multum sibi negotii facessendo ut ad scopum perveniant, *pariunt vanitatem*, hoc est, nihil efficiunt ac proficiunt, conatibus ipsorum tandem in nihilum exituris, & nullum parituris fructum, nisi litigiosis illis accusatoribus & clamatoribus pudendum. Veritas enim fortior, Verbo Dei confirmata, licet nulla humana auctoritate suffulta, tandem vincit. Phrasis, דבר און *loqui vanum*, *temerarium*, extat Ps. XII. 3. Metaphorica phrasis, *concipere molestiam*, h. e. technas, fraudes, & temerarias accusationes struere, & his struendis animum replere atque occupatum habere, in aliorum incommodum; & *nihilum* sive *vanitatem parere*, nullum ex tot negotiis ac laboribus percipere fructum: ut facillima, sic usu recepta est in Verbo Dei *d*. confer cap. XXXIII. 11. Observaveris præterea, *infinitivos* in verbis חולך, דבון / בטוח, hic exponendos esse, ut sæpe alias, per *præteritos.* subest ellipsis, בָּטַח est pro בטוח בטחו, & ita in cæteris.

Usus vocis הגה h. l.

Ad versionem Hieronymi ℣. 4. animadversio

Aliæ versiones collatæ.

Consonantia sensus utriusque membri sententiæ.

Gemina significatio vocis נשפט.

Clamor hic est ejus generis, qui obtinet in Disputatione.

Quid sit, *non cum justitia clamare?*

Item, *confidere inani, & loqui vanum?*

Phrases distinctius explicantur.

Animadversio Grammatica de *infinitivis* hujus loci.

Σχῆμα applicatur ad nostra tempora.

Multæ disputationes de Dogmatibus fidei clamose & ex φιλονεικίᾳ aguntur.

Disidiorum in caussa Religionis, (nostra quoque & superiore ætate agitatorum inter eos qui se absque vitio fratres appellare possunt:) si super articulis fundamentum Salutis non attingentibus disputetur, eam fere rationem esse, quam Propheta hic proponit; experientia omnium temporum docuit: dum passim agitantur ac foventur ab hominibus calidi ac immoderati ingenii, iisque φιλάυτοις, qui sæpe quanto clarius se in errore deprehensos vident, tanto clamant altius, ut à se amoliantur erroris suspicionem. Sunt hæc inter τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Æqui ac prudentis judicii homines, rari & pauci numero, non audiuntur: & nullum fere alium sententia modeste explicata reportant fructum, quam ut partibus suis se suspectos faciant. unde Propheta, *Nullus est qui clamat in justitia*, h. e. pauci sunt & rari; ut in aliis locis *e*. Paulus altiore oculo hujus generis testimonia inspiciens, inde recte colligit *f*, neminem in statu naturæ absque subsidio gratiæ aliquid valere: sed popularis sensus is est quem dixi, nemine Interpretum negante. Respicitur pars major, quæ in ipsa Ecclesia non semper est pars melior. Dici enim nequit, quam paucos Divina Gratia subigat & sanctificet in eam formam, quæ veris & vivis convenit Christi Jesu membris, in quibus Spiritus Christi Jesu regnat. Elenchus hic Prophetæ non tangit eos qui veritatem oppugnatam modeste defendunt: id enim plane necessarium est ad gloriam Dei & veritatis conservationem: sed eos qui ex carnali studio, sive honoris sui factionisque tuendæ; sive utilitatis suæ respectu; sive æmulationis & invidiæ, quod à peritioribus discere nolint quæ ignorant; fratres improvide & maligne accusant; ex controversiis levibus graves faciunt; ut zelo gloriæ Divinæ agi videantur, eas violenter connectunt cum fundamento fidei; lites hasce suas obstinate & impotente animo exequuntur cum injuria & calumnia dissidentium, non ut eos doceant, sed obruant; & pacis ac concordiæ honesta consilia spernunt, magno Ecclesiæ scandalo, & gravioris Dei judicii præsagio. Peccata autem hujus generis vere dixerim esse infinita; ut nemo æqui judicii homo negat, nemo historiæ non plane ignarus, nescit; in Disputationibus & Litibus rixosis de *Dogmatibus* quibusdam *Fidei* in Germania Sæc. XVI. in Belgio ac Gallia quoque per totum fere Sæc. superius; & in Transmarinis Partibus de *Regimine Ecclesiastico*; ingenti calore animorum agitatis, & huc usque non sopitis. quas particulatim recensere, quarumque demonstrare vitia, nec præsentis instituti ratio permittit; nec respectus invidiæ inde derivandæ in hominem ei ferendæ imparem.

Figurate.

Figurate, ℣. 5. 6.

℣. 5. OVA BASILISCI EXCLUDUNT, ET TELAS ARANEORUM TEXUNT: *qui de ovis illorum comedit, moritur; & quod compressum est, erumpit viperam.* ℣. 6. *Telæ illorum non sunt vestitui, neque cooperientur operibus suis. Opera illorum sunt opera vanitatis, & molitio violentia est in manibus ipsorum.*] Primum membrum hebraice sic conceptum est, ביצי צפעוני בקעו quæ verba recte vertuntur, *Ova basiliści excludunt.*

Primi membri propositionis *versio constituta.*

Ser-

a Ps. XXXI. 19. confer Ps. XXXIV. 14. *b* Prov. VIII. 7. *c* Joh. IV. 23. *d* Job. XV. 35. Ps. VII. 15. *e* Ps. XIV. 1. Prov. I. 24. Hos. VII. 7. *f* Rom. III. 9. 20.

A Thuanus *Hist.* Lib. LXXIX. a. A. CIↃIↃCIII. in Historia Synodi Vapicensis, *hunc inter alia ob finem congregatæ, ut acerbitas ingeniorum per scripta virulenta singulis Nundinis per Germaniam voltantia magis ac magis indies exardescens adhibito temperamento mitigaretur.* Subjungit: *Vix credibile est, quanta odiorum impotentia alteri in alteros, hoc est, Martiniani, qui in Germania pollent contra reliquos* (Zuinglianos sive Calvinistas) *ferantur, ut pejus eos Catholicis oderint, seqq.* Quam pudendum Populo Protestantium testimonium!

Genus Serpentis צפע.

Serpens, Hebræis צפע & צפעוני dictus, ſecundum Bochartum, Aquilæ ſententiam ſequutum, *Baſiliſcus*, non terribilis magnitudine, quam Vir Doctiſſimus evincit ſpithamam non excedere: ſed morſu, & ipſo ſibilo quoque, ut fertur, lethifero, quo ſerpentes alios fugat; ex ſuperioribus Concionibus nobis jam innotuit [a]: perinde ac vox בקע pro *excludere* [b]. Ultimum membrum, ℣ſ. 5. אפעה תבקע והוורה verti, *Et quod compreſſum fuerit, erumpit viperam.* Sic recte latine dixeris, ſecundum uſum vocis *erumpere*. Idem eſt, *Excludit viperam.* Senſus eſt; ſi *ovum compreſſeris, ex eo rupto proſilit* ſive *excluditur vipera.* Hieron. reddiderat, *Et quod confotum eſt, erumpit in regulum*, vid. baſiliſcum. Sequutus eſt Aquilam, qui dederat, Καὶ τὸ θαλφθὲν ἐχίσθη ἔχιδναν· *Et quod fotum eſt, erupit in viperam.* Forte poſſet id comprehendi latitudine ſignificationis vocis *comprimere*, dum quæ *foventur*, comprimuntur: ſed α. Ὁ' ᾠάνυ, quem in hujuſmodi rebus non facile deſerimus, probabiliter confecit [c], ſerpentem אפעה eſſe *viperam* cujus eſt *lethifer morſus*, quod ipſum quoque hic admiſit Aquila; non *regulum*. β. *Viperas* hoc diſtinctas eſſe à reliquo ſerpentum genere quod non *ova*, ſed *vivos* excludant *ſerpentes:* ut proinde *fotura ovorum* in *viperis* locum non habeat. Cui tamen hypotheſi de אפעה *vipera* cum hic locus maxime videretur obſtare: docet idem Vir Eruditus, *Viperas*, licet vivæ excludantur, utero tamen *ovis* concipi & geri, ſicut reliquas animantes: ſed *ovum* in utero perrumpere. quo ipſo omnis ſublata eſt difficultas; etſi cætera non ex maximis. In metaphoricis enim loquutionibus ſæpe obtinet, ut ſimilitudines duæ inter ſe conjungantur. Nihil itaque hic dubii ſupereſt niſi in voce זוּרָה, quæ hic omnino derivanda videtur ex voce, non זרה, ſed זור, ut ſit *Participium* formæ *Kal*, & זוֹרֶה dictum ſit pro זוֹרֵה, quia ביצה *Ovum* Magiſtris *debilioris generis* eſt: licet in plurali terminationis *Maſculini* ביצים. ut לֹגֶה pro לֹגֵה, Zach. v. 4. Valere autem vocem זור ſignificatione *comprimendi*, liquet ex Job. xxxix. 18. ubi de Struthionis incuria circa ova ſua: ותשכח כי רגל תזורה *Et obliviſcitur fore, ut pes ea* (in nudo ſolo poſita & à ſe neglecta,) COMPRIMAT. de quo ipſo quoque loco Vir Doctiſſimus videri poteſt [d]. Confer ex Jeſaia Cap. i. 6. vocem זֵרָה; & יָר, Jud. vi. 38. In cæteris, κατὰ γράμμα, nemo hæret. Solummodo obſervaveris orationis ſtruendæ in hac *Pericopa* artificium. Præcedit in hac *Pericopa* propoſitio, his verbis conſtans: *Pariunt ova baſiliſci; & telas araneæ texunt:* quando Propheta primo de *ovis* agit in hoc *commate:* deinde de *telis araneorum*, *commate* ſequenti. Inde vero intelliges, per מעשים *opera*, quorum mentio eſt ℣ſ. 6. ipſas deſignari araneorum *telas*, quæ ſunt illorum ποιήματα *opera*.

Ulus vocis בקע.

Serpens E-PHE eſt *vipera.*

Cl. Bochar-ti doctrina de his rebus laudata.

Vox זוּרָה expeditur.

Communis interpretatio hujus ſimilitudinis.

Qui ad ἀπόδοσιν hujus ſimilitudinis reddendam ſe applicant Docti Interpretes, paſſim per *ova* hic intelligunt *cogitationes* & *conſilia*, proximo noxia, animo concepta; quæ *excludi* dicuntur, ubi producuntur in lucem, & efficiuntur. Sic Kimchius fere, eumque ſequuti plures cum Bocharto. Sed minus convenit huic expoſitioni, *edere* de *ovis* quæ improbi excluſerint; & *preſſura eorum:* perinde ac quod dicitur de *telis araneorum*, quæ non ſunt *veſtitui.* Veterum hic ſunt vagæ cogitationes; ſive emblematis ipſius interpretationem ſpectes, quod accipiunt de hominibus parientibus conſilia ſibi ipſis nocitura; ſive ſubjectum ad quod illud applicant, hoc eſt, Judæos quales erant ætate Chriſti, qui Domino necem conciverunt: quorum, aliorumque, meditationibus recenſendis Sanctius ſe uſque eo implicat, ut ſe infeliciter explicet, & dividenda componat ac confundat. Cocceji noſtri hæc ſunt: *Quod* OVA BASILISCI PARIANT QUÆ QUI COMEDIT MORITUR; ET SI QUOD COMPRIMITUR, VIPERAM EDIT. *hoc eſt, quod tales edant formentque auditores, quibus ſi quis condelectetur ut fratribus, moriatur: ſi quis vero occulta eorum exprimat, viperina lingua nihil niſi opprobrium & contumeliam, & calumniam proferat.* Rurſus, *telas aranei texere quæ non ſunt ad veſtitum:* eſt *operari vanitatem & injuriam, &c.* Ex meo ſenſu, utrumque emblema eodem tendit, & clariſſime ante oculos ponit *profana philoſophemata*, fœtus cogitationum & meditationum animi, ſubtiliter & artificioſe contexta ex varia cogitationum ſerie, ſubinde per modum longioris ratiocinationis ex hypotheſibus aſſumptis deducta, & ad formam demonſtrationis ſubtiliter compoſita, quæ ad primam ſpeciem occultant peſtilens quid quod intus latet, & incautos fallit; ſed preſſa ab his qui ea examini diligentiori committunt, deprehenduntur continere merum ac lethiferum virus; & ad uſum, ad quem ordinata videbantur, hoc eſt, ad veritatem ſolide adſtruendam & veram Religionem diſtinctius percipiendam, nihil valere: cujuſmodi philoſophemata producerentur, publice vulgarentur, & excluderentur in illis Communitatibus, quæ Romanenſem Communionem deſeruerant, & quoque ab aliquibus illorum, qui earum partem faciebant; magno Eccleſiæ ſcandalo, & multorum exitio. Qui comparationem inſtituerit inter comparata: per ſe obſervaverit, omnia comparatorum attributa hic accurate ſibi invicem reſpondere. *Ovum* hic eſt fœtus ſive *conceptus* mentis, cogitationibus boni temporis coctus & mente hactenus concluſus; ſed qui *conceptus animi*, externa ſpecie bona obductus, involvit mortiferum quid & ſerpentinum. Ubi *conceptus* ille in publicum protruditur vulgaturque, idem eſt quod *ovum* ab animante excludatur. *Edere de ejuſmodi ovo*, eſt cogitationes illas noxias & mortiferas ſuas facere, aſſumere, & in uſus ſuos convertere. *Preſſura ovi*, producens *viperinum fœtum* tum locum habet, ubi auctores qui ſententias ſuas noxias ſpecioſa ratiocinatione *involute* propoſuerant, & præcipuum virus ſententiæ profanæ *occultaverant*, premuntur ad ſententias ſuas declarandas; vel ubi ipſæ illæ ſententiæ earumque ſententiarum hypotheſes, rigido ſubjiciuntur examini; eoque examine premuntur, rumpuntur, excutiuntur; quando apparet, latere in herba vel ſub ovo anguem, viperamque lethiferam; hoc eſt, ſententias impias, profanas, verbis & ratiocinationibus ſpecioſis involutas, quæ creditæ & aſſumptæ lethaliter nocent. Confer ſimile emblema Moſis in Cantico, Cap. xxxii. 32. 33. *Telarum araneorum* duplex hic poteſt eſſe aſpectus. Prior quidem, ubi ſumuntur pro reticulis artificioſe textis ad intercipiendas, & irretiendas muſcas, aut culices, incautum inſectum, araneo hoc rete tendenti pabulum. Poſterior, ubi araneorum telæ ſpectantur per modum texturæ, ſubtilis quidem, & artificioſæ, ac pro ingenio inſecti ſolerter factæ; ſed leviſſimæ ac tenuiſſimæ, quæ homini in uſum non proſit. Priori ſenſu *araneorum telæ* pulchre figurant tum *falſas doctrinas*, incautos irretientes; tum præcipue *Decreta* Poteſtatum Eccleſiaſticarum, ad innocuos intercipiendos ac perdendos vafre ac doloſe condita. Sic Gregorius Heymburg, Sigiſmundi Auſtriæ Ducis Legatus in *Appellatione* quam inſtituit adverſus Pium II. Papam, Decreta Papalia, veras muſcipulas, recte confert cum Aranearum telis. *Credo, eum* (Papam ſc.) ait [e], *culicibus & muſcis has leges edidiſſe; aut animalibus quæ de tabidis corporibus naſci ſolent, in occurſis aranearum* TELÆ, *fragiles Leges conſilii extorris aquavit, quas ſi culex, aut quod imbecillius animantium inciderit, evolvere ſe neſcit.* Eſt enim ita, ut gravis Hiſtoricus alibi [f]: *Fœderum ſanctitatem, & juriſjurandi Religionem, & conventorum fidem, inter bonos firmiſſima eſſe vincula; inter malos, oblata commoditate, ad fallendum* RETIA. Et poſſet quoque illa interpretatio myſtica hic locum invenire. Sed Vates hoc emblema poſteriore modo accepit. Per *telas araneorum*

Alia Cocceji.

Probabilis expoſitio ſimilitudinis.

Expoſitio ex comparatis inter ſe collatis illuſtratur.

Ova ſunt fœtus profani, mente concepti, qui excluduntur verbo aut ſcripto, Quid, de *iis edere*, & eorum *preſſura?*

Telarum araneorum quis hic loci ſit aſpectus?

Poſſunt eſſe figuræ *Decretorum* & *Canonum* ad incautos opprimendos factorum.

Sed hic loci deſi-

a Cap. xi. 8. xiv. 29. b Cap. xxxiv. 15. c *Hieroz.* Part. ii. Lib. iii. Cap. i. & ix. d *Hieroz.* Part. ii. Lib. ii. Cap. xvii. e In *Paralipomenis Rerum memorabil.* ſubjectis *Chron.* Abbat. Urſpergenſis, fol. cx. ad Sæc. xv. f Buchan. *Hiſt. Scot.* p. m. 143.

gnant arguta & subtilia ἐνυφήματα inganii, quæ nihil habent solidi.

hic loci intelligi vult artificiosa & arguta ἐνυφήματα hominum Seductorum, ex ratiocinationum speciosarum serie subtiliter texta confectaque; sed quæ nihil habent solidi ac firmi operis: & cum sint tenuissimi atque soluti fili, inepta plane ad hominem vestiendum muniendumque. Huc enim pertinent quæ subjiciuntur: *Tela eorum* (קוריהם, Bochartus vult קור idem esse quod חור *rete*, Cap. XIX. 9.) *non sunt vestitui, & seqq.* Sensus est, artificiosa illa sophismata nihili valere ad sapientiam veram, pietatem, virtutem, Religionem, aut denique veram hominis justitiam ac salutem: sed esse *speculationes aërias*, (ut hic cum Calvino loquar [a]:) minime solidas; ποιήματα (מעשים) *composituras*; subtiles quidem, sed fluxas, evanidas, & ruptu faciles; quæ probe inspectæ deprehendantur tendere ad destructionem Societatis humanæ; quò pertinent extrema; *Opera* sive Ποιήματα *nihili*; quorum textores *in manu sua habeant violentiam.* Omnis profanitas tendit ad *vim*, ac perditionem omnis Societatis humanæ. Patres non adeo longe ab hoc sensu absunt, quando emblema accipiunt de *argutiis hæreticorum*; quorum loca hac de re recenset Bochartus [b]: in quibus cum invenerim aliqua à me notata, non invitus iis describendis supersedeo, cum ibi legi queant.

Vett. Ecclesiæ Doctorum sensus de hoc emblemate.

Σχῆμα ad nostra applicatur tempora.

Nemo qui superiora legerit, non plane ignarus profanorum omnis generis fœtuum & sophismatum, quæ pro infinita quadam scribendi scriptorumque cujusvis notæ vulgandorum licentia & luxurie quæ in florentibus Protestantium terris dominatur, protrusa atque excluſa sunt, hisce circiter septuaginta annis: non facile per se adverterit, quorsum respexerim in superiore commentatione; ut post & præter innumeras hypotheses, auctoritati Scripturæ S. plane injurias, non contemnendo ingenio & variæ sæpe eruditionis Literariæ fuco industrie ac subtiliter instructas ornatasque, prodierint integra Systemata profanorum ac detestabilium philosophematum, per modum Demonstrationum Mathematicis usitatarum, dolose ac fraudulenter licet subtiliter contexta, ad incautos implicandos studiose adornata; exeuntia tandem in merum Atheismum; luxata omni Verbi Divini auctoritate; soluto omnis Societatis Civilis vinculo; & sanctissima Fide prostituta atque irrisa; ut quod Petrus prædixerat fore, *ut ultimis diebus* prodirent ἐμπαῖκται *irrisores* [c]: hoc tempore verissime impletum sit. Quid si vero hoc scelus constitisset extra limites Ecclesiæ! Excluſa sunt aliqua horum *ovorum viperinorum*; *textaque* sunt fabricatæque hæ *tela*, vel certe *retexta*; fotaque sunt hæc *ova*, in ipsa Ecclesia; & subinde ab ejus Ministris, lucri causſa Evangelio servientibus; Christi Jesu & Religionis adversariis: quorum aliqui in Ecclesia in hisce & transmarinis partibus tolerati sunt. Equidem verum est, non defuisse hic fideles Ecclesiæ Doctores plures suo officio, qui *ova* illa, licet specie aliqua commendabilia, presserint, confregerint, & publico ostenderint *viperas*, ex iis prodeuntes; quique *telas* illas *disruperint*; & *vestitui* non *sufficere*, demonstraverint: contra vero ποιήματα illa esse dolosa, tendentia ad impietatem ac vim. Et invenit tamen impietas suos patronos; & nudatæ sunt plurimorum cogitationes profanæ; & incredibilis quædam corruptio gliscens in multorum animis ubique erupit; & impietas plurimorum animos infecit, iisque lethalia inflixit vulnera: quod crimen dubitari nequit in rationibus Divinæ Justitiæ censeri omnium gravissimum; & quidem in tanta Evangelii luce. Quam enim vere pudenda, quam nullis lacrymis satis ploranda Ecclesiæ labes! Ecquis vero futuro ævo spondeat? *Quid enim aliud exspectandum, quam ut magis magisque homines profanescant?* Sic jam suo tempore Calvinus [d], cum nihil horum vidisset, quæ vitiosior posterioris ætatis progenies extrusit. Quæ in genere mihi pro meo instituto dixisse sufficiat in eorum usum in quorum gratiam scribo. Qui specimina desiderat: adire poterit Doctissimum Virum [e], qui diligentia laboriosissima bonam illorum partem exhibet; plurimis adhuc à tergo relictis, quæ æternarum tenebrarum nocte sepeliri rectius est quam in lucem protrahi. Utique videndum his, qui se his basiliscis & viperis nimis prope admovent; ne ex morsibus illarum auferant noxam.

Quod ex sequentibus liquet.

Articulus tertius: *Vitia pedum.*

Luxuries regnans in florentibus terris Protestantium in vulgandis quibuslibet philosophematibus profanis, artificiose contextis.

Non tantum extra Ecclesiam; sed in ipsa Ecclesia.

Temperamentum aliquod illius vitii.

vſ. 7. PEDES ILLORUM CURRUNT AD MALUM, *& festinant ad effundendum sanguinem innocuum: cogitationes illorum sunt cogitationes vanitatis: vastatio & fractura est in semitis illorum.* vſ. 8. *Viam pacis non norunt; & nulla juris ratio est in orbitis illorum: vias suas sibi perverterunt: nemo ea incedens novit pacem.*] Propheta sic perstringit vitia illius Populi qui ipsi hic obversatur, ut eadem dispenset per totum corpus Ecclesiæ, ut in superioribus jam observavi: hoc ipso docere volens, labem totius Ecclesiæ corpus pervasisse. quare cum ad *pedes* ventum esset: consilia, cogitationes, & actiones illorum quos hic notare instituit, sub hoc receptissimo emblemate proponit; idque in iis vitii demonstrat, quod *perversas* inirent *vias*, à recta *via*, hoc est, à veri & æqui tramite declinantes. *Vie, semitæ, orbitæ*, stylo Scripturæ S. dicuntur generatim omnes qualescunque actiones quibus quis se occupatum exercitumque habet. *Pedes* notant *agendi* facultatem; quam qui exercet dicitur *ire*; qui studiose, diligenter, ac vehementer exercet, *currere*. Viarum autem ut aliæ rectæ sunt ad bonum ducentes scopum; aliæ curvæ ac transversæ: aliæ ad scopum recta ducunt; aliæ per ambages; aliæ etiam ab eo abducunt; eadem sunt *attributa* consiliorum & actionum humanarum. Sic ubi Vir pius ait [f]: *Ab omni* SEMITA MALA *cohibui* PEDEM MEUM: dicit, se sibi temperasse & studiose caviſſe ab omni actione prava; & ita in cæteris. Hic vides, omnia exire in vim ac violentiam, quam qui in Ecclesia superiores partes tenent, erga inferiores à se dissentientes exercent. In phrasi Vatis nihil ambiguum est. Solummodo quod dicitur, *vias suas* עקשו להם SIBI PERVERTERUNT: recte accipiendum est. Dicitur quis *vias suas* sibi *pervertere* qui in actionibus suis duos diversos sibi proponit scopos, consiliaque & actiones suas ea astutia instituit, ut si unum non obtineat; ad alterum adspirare queat: quod secundum callidi Politici dictum, apud Jovium, est, *duabus sellis sedere*. Sic phrasis manifeste sumitur Prov. x. 9. XXVIII. 18. Si tamen dictionem in se spectes; *Vias suas sibi pervertere*, aptissime dici potest qui viam ingressus rectam, ad verum ducentem scopum, eam sua gradatione curvam facit; modo ad dextram vergens, modo ad sinistram: in via recta non recte incedens. Symbolum optime convenit his, qui Doctrinam Evangelii amplexi, quæ Doctrina *pacis* est & *concordiæ*; quique iidem cum ab Ecclesia Romana inter alias quoque causſas ob tyrannidem ejus discessionem fecerint: ipsi superiores rerumque potiti, inferiores à sese paucis capitibus non necessariis dissentientes, eadem duritie tractant; pacemque & concordiam cum iis colendam longissime fugiunt.

Articulus tertius, *Vitia pedum*, vſ. 7.

Pedes illorum currunt ad malum, & seqq.

Viarum, orbitarum, pedum, mystica significatio.

Analogia attributorum utriusque Subjecti.

Summa sententiæ; Dissentientes in partibus superiores omnia propellere ad vim & violentiam.

Quid sit, *vias suas sibi pervertere?*

Quibus Subjectis conveniat?

Si hic de vero Dei Populo agatur: absurdum sit dictu, has lineas Communitati illi convenire secundum omnem ejus respectum & modum. Spiritus S. ex hypothesi nostra hac concione perstringit vitia & crimina Ecclesiæ, ut ulcera ejus hac illa corporis parte vidit erumpere, & corpus Ecclesiæ despicabile reddere. Pone itaque, esse spectabiliorem Partem Populi, puriorem professionis Religionis cultum, quæ scissa sit in partes, ob dissidium sententiarum de forma Regiminis Ecclesiæ; & ritibus quibusdam Religionis colendæ exterioribus, qui superstitionem redolere videantur: Partem vero in hoc Dissidio superiorem, publica auctoritate munitam, sibi soli vindicare nomen veræ Ecclesiæ: dissentientes à dogmate suo odisse: in Conventibus suis decreta condere rigidissima de illis perse-

Quomodo hæc Elenchi pars conveniat *Subjecto*, de quo hic agi supponitur.

Hypothesis aliqua hic supposita, & eventu satis com-

quen-

---

a Epist. ad *Lel. Socin.* XXIII. *b* *Hieroz.* Part. II. Lib. IV. Cap. *c* 2 Pet. III. 3. *d* Lib. de Scand. Eccles. p. 82. col. 2. *e* Joh. Micrælii, *Hist. Eccles. Continuatio*, emendata & *Secunda Editione* aucta à Daniele Hartnaccio. *f* Ps. CXIX. 101.

probata, lucem adfert huic Pericopæ.

quendis & opprimendis: eaque decreta prout occasio fert, strenue exequi: Principes Politicos & Curias Populi adversus illos incitare: furori plebis ad omnem injuriam eos objicere; & hunc affectum seditiosum in plebe omni occasione fovere; si fræna laxarentur à summa Potestate, in dissentientium exitium. Non respicio hic Ordinem Ecclesiasticum; eximiis eruditione, prudentia, gravitate & judicii æquitate Viris coruscum: sed potentem & subinde prævalentem, in Ordine Factionem hominum, ab omni ἐκτισιολέα & consiliis pacis abhorrentem; nullas ferentem voces de vero & libero Christi Jesu Regno; omnia potius miscere paratam quam ut inferioribus à se dissentientibus minimum indulgeat; à carnalibus agitatam affectibus; in qua non sane Spiritum Christi, qui pacis & concordiæ est; sed Spiritum Antichristi agnoscas: quæ hactenus repressa si pro libidine sævire posset, præstaret, (sed & nunc præstat:) omnia lineamenta imaginis hoc loco à Propheta pictæ. Sed haud dubie sequior dies nos majora & tristiora docebit.

PARS QUERULA & SUPPLICATORIA posterioris *Elenchi*, demonstrans illorum Criminum consequentia; Nempe Calamitates Populo Dei ob ea incumbentes: Qua

a. Simpliciter *calamitosus* ille Populi *Status*, in quem judicio Divino redactus est, *querula oratione* describitur.

Articulus primus.

Pars Querula & Supplicatoria posterioris Elenchi: Qua a. Calamitosus ille Populi Status simpliciter describitur.

Articulus primus.

℣. 9. *Propterea longe à nobis abest* JUDICIUM; & JUSTITIA *nos non assequitur. Exspectamus lucem; sed ecce tenebræ; magnum splendorem;* sed *ambulamus in densa caligine.*] Chorus fidelium Christi Jesu Ministrorum, & piorum hominum in Ecclesia superstitum, postquam recensuisset gravissima peccata & scandala, quæ veram Ecclesiæ faciem deformabant: hic effundit acerbam de iis querelam; liberam primo, qua commemorat præsentem calamitosum hujus Populi Statum tanquam in quo sit clara significatio iræ & indignationis in Populum suum conceptæ ob dilatam ejus in extremo discrimine liberationem à piis speratam, ℣. 9--11. Dein supplicatoriam & confessoriam ad Deum emissam, qua eorundem criminum & scandalorum apud ipsum humillimam edit confessionem, ℣. 12--15. In utraque supponitur Status Ecclesiæ miser & afflictus, dum ab hostibus undique obsidetur, &, nisi Deus sua ope interveniat, extrema omnia metuit; de quo luculenter patet ex ℣. 16. & seqq. Hæc hypothesis est totius hujus Concionis, ut in *superioribus* monui. Ajunt Pii, עַל־כֵּן *propterea*, (propter hæc ipsa gravia delicta & scandala. quæ ut propria significatio est vocum עַל־כֵּן: sic unice obtinere debet in hoc loco:) *longe à se abesse* מִשְׁפָּט JUDICIUM, jus, hoc est, *vindicias sui juris* quas à Deo, qui afflictos suos non solet negligere, deberent, & *jure* possent, exspectare: perinde ac sumitur Cap. XL. 27. *Quare dicit Jacob, & loquitur Israël, Via mea occulta est à Jehova; &* JUS MEUM (מִשְׁפָּטִי) *à Deo meo præterit.* Deus non vindicat caussam meam. Jobus in eundem sensum *a*: *Ecce clamo, vim* mihi fieri; *sed nullum responsum fero: vociferor,* וְאֵין מִשְׁפָּט *sed nullum est* JUDICIUM. nullæ sunt vindiciæ Juris. confer etiam Cap. v. 16. Sic pariter sumenda est vox in hujus *Sectionis* ℣. 11--15. Notio צְדָקָה *Justitia* in hoc loco significat Beneficium *Liberationis* ex afflictione, ut sæpius in *superioribus*; quippe fundatum in justissimis & æquissimis caussis; ut suis locis observavimus. qua in re nos hic loci non errare, liquet ex ℣. 11. ubi mutata phrasi appellatur יְשׁוּעָה *salus.* confer dicta ad Cap. XLV. 8. XLVI. 13. LI. 6. 8. Ajunt querüli, hanc *Justitiam* se *non assequi.* videbatur dicendum, ipsos non *assequi Justitiam* hanc sive *salutem*; quippe vox יְשׁוּעָה ex genuina notatione

Propterea longe à nobis abest judicium, &c.

Summa sequentis Pericopæ, & Analysis ejus.

Propterea. nexus cum oratione superiore.

Jus quo sensu longe dicatur *abesse?*

Justitia hic notat *Beneficium Liberationis.*

Quo sensu ea quem dicatur *assequi?*

sua valet *assequi* & prehendere quod *persequeris*, ut jam monui ad loca Cap. XXXV. 10. & LI. 11. Cum itaque illi ipsi qui hanc querelam fundunt, ardenter exspectarent *Liberationem*: poterat scribere Propheta; ipsos licet persequentes meliorem rerum Statum: eum tamen non *assequi*. Sed Jesaias nobis doctior metaphora hac longe venustiore sensu utitur. Ait, *Justitiam* sive *Salutem* ac *Liberationem* eos non *assequi*, quod ipsi illam *fugerent*, & propter crimina ac transgressiones, Deum gravissime offendentes, se ea indignos facerent. *Salus*, inquit, præsto est: quin Deus ad vos salvandos liberandosque est propensissimus, vobis offerens *salutem* æquissimis conditionibus. Sed ipsi vos in culpa estis. *Salus* licet vos persequens, *assequi* nequit. *fugitis* enim, quam debebatis quærere. Id hic agnoscunt & præclare confitentur pii homines. Idem altero membro metaphorice efferunt, ubi se ajunt exspectare *lucem*; sed è contrario, *esse tenebras*: נְגֹהוֹת *splendorem magnum*: (proprie, *splendores*:) sed *ambulare in caligine densa.* בְּאֲפֵלוֹת proprie, *in caliginibus.* Per *lucem* hic intellige *Liberationem* ex præsenti discrimine & metu, cum pacifico, prospero, & æquabili rerum statu: per *tenebras* vero, *tristem* & *afflictum Statum Populi Dei* qui nulla in se documenta habet veræ ac solidæ consolationis, sed è contrario magnum metum facit futuri. Per *splendores* sive *fulgores* designatur optatissimus & longe desideratissimus Ecclesiæ Status, in quem omnia attributa & Beneficia, quæ Statum ejus in hisce terris florentem atque gloriosum efficere, decusque ac claritatem ejus augere, & membris Ecclesiæ omnibus uberrimam submministrare consolationem videri queant, certatim confluunt: contra ac *caligines* hic loci significant Statum Populi Dei tristissimum ac pene desperatum, qui lætitiam ac consolationem omnem excludit, sive internum, sive externum Ecclesiæ Statum respicias. Emblema ipsum jam tractavimus, Cap. LVIII. 8. 10. coll. cum Cap. XLV. 7. Propheta, ut emphatice loqueretur, & ab altera parte proponeret magnam exspectationem florentissimi Ecclesiæ Status; ab altera tristissimum ac pene desperatum temporis præsentis: hic primo adhibuit duas voces, נגה, & אפלה. Est autem נְגֹהָה proprie *fulgor*, *splendor*, plus quam *lux*; qualis est Solis meridie absque nubibus clarissime rutilantis, omnemque vim majestatemque suam ostentantis: אֲפֵלָה autem non tantum significat *tenebras*, sed *caliginem* crassam, densam; unde phrasis חֹשֶׁךְ אֲפֵלָה *tenebræ caliginis* [b]. Deinde, his ipsis vocibus usus est *numero plurium*, quo hoc solo in loco in Scripturis Sacris occurrunt. Utrumque autem recte præjudicamus verissime dici de Ecclesia puriorem professa Religionem, in circumstantiis temporis & rerum, quibus hæc convenit prophetia. Equidem res ex historia proximorum Sæculorum notissima est, Ecclesiam illam per omnes terras, in quibus stabilem sedem nacta est, dura quæque perpessam esse, & magnas subiisse *tenebras*, subinde diu illi incumbentes cum certissimis signis Divinæ indignationis; & tamen huc usque Deum eam non destituisse; sed in mediis tenebris hactenus ortam esse *lucem*, speratam quidem, sed non provisam. Ipsa etiam nostrorum dierum Persecutio & afflictio gravissima Ecclesiarum Gallicanarum, quæ publicam Veritatis Evangelicæ professionem in florentissimo illo Regno suppressit, ob justas & reconditas Divini Consilii rationes, conjuncta tamen fuit cum mirabili cura Divinæ Providentiæ & Gratiæ, profugis caussa Veritatis ubique procurantis asyla honestissima. Ecclesiæ Germanicæ & Hungaricæ quam graviter superiori Sæculo laborarunt? Belgica nostra duobus articulis temporum, eidem extremum minantibus excidium? Sed Dominus providit, tam insigni & conspicua providentia, ut Orbis totus manum ejus omnipotentem hic potuerit observare. Interea temporis ubique pii per Ecclesias Protestantium dum ab una parte se applicantes ad scrutinium Verbi Prophetici, in eo observant gloriosum aliquem Statum

Venustas metaphoræ ostenditur ac declaratur.

Lux exspectata quid hic loci?

Et splendores?

Ejusque oppositæ caligines?

Artificium orationis in hac propositione.

Usus vocis נגה.

Oratio applicatur ad Subjectum, cui ex hypothesi convenit.

Status Ecclesiarum Protestantium cum respectu ad hanc Pericopam describitur.

a Job. XIX. 7. b Exod. X. 22.

pacis & affluentiæ Bonorum ſpiritualium poſt deſtructos ejus hoſtes; ab altera conſiderant temporum ſuorum varia ſcandala, & impedimenta Operi Reformationis à Satana objecta, quæ fecerint, ut Reformatio ante hæc duo Sæcula inſtituta non exierit in opus perfectum, quod exſpectationi bonorum & piorum hominum ſatisfecerit; ejuſdemque Eccleſiæ lapſum in deterius: ſpem votaque ſua de feliciore optatioreque Eccleſiæ Statu & conſpicua aliqua ac coruſca manifeſtatione Regni Dei, quæ hic נגה *fulgor* dicitur, (confer Cap. LX. 1. ſeqq.) liberius inceperunt explicare; ut omnibus fere iis qui Regnum Dei amant, infixa ſit hoc tempore cogitatio, ſic proviſum eſſe Divino conſilio, nec futurum ut auguſta illa ſpes fallat. Sed dum in eo ſunt, temporumque illorum proximitatem ſibi perſuadent: ecce! oboriuntur tenebræ præcedentibus multo craſſiores. ſcandala indies multiplicantur: tepor & frigus Religionis ingraveſcit: profanitas ſe audacius & petulantius effert: diſſidia ex Religione nata animos ardentius incendunt: pii imminuuntur: Principes illuſtres, quorum majores ſtatuminandæ veræ Religioni occaſionem præbuerant, hoc ipſo immortalem laudem adepti, utilitatum ſuarum reſpectu cauſſam deſerunt, & à fide Religionis deficiunt: & denique Potentiſſimi præcipuarum Europæ Domuum Poteſtates ad eam extirpandam conſpirant: dum nullus in Mundo Vindex bonæ cauſſæ ad tantam tempeſtatem depellendam idoneus comparet, aut in præſenti cognoſcitur; ut cauſſa Eccleſiæ plane deſperata videatur. qualis Eccleſiæ Status, hac parte Maccabaicæ ſimilis, deſignatur ℣s. 16. Hæ ſunt illæ *craſſæ tenebræ*, quarum hic mentio fit, & in *ſequentibus articulis:* ab ipſis quoque Prophetis aliis prædictæ, tanquam feliciorem ejus Statum præceſſuræ. ut ſane veluti proprium Deo eſt, ad potentiam ac providentiam ſuam in oculos hominum clarius ingerendam, ex tenebris producere lucem.

Spes veri amantium hominum, concepta de ampliore manifeſtatione Regni Dei.

Sed multum imminuta.

Hypotheſis applicatur ad dictum Prophetæ.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣s. 10. *Palpamus ut cæci*, &c.

℣s. 10. *Palpamus ut cæci parietem; & tanquam orbi oculis palpamus. Offendimus in* MERIDIE *tanquam in crepuſculo; in* OPIMIS (copia omnium rerum,) *ut mortui.*] Oratio in eundem vergit ſenſum. Priori membro dicunt pii, ſe turbulento hoc & confuſo rerum ſtatu plane non videre ac perſpicere, quorſum præſens rerum ſtatus exiturus ſit, non magis quam *cæci & orbi oculis*, qui *parietem palpando*, manibuſque pro oculis utendo, produnt, ſe nihil videre. Phraſis eſt parœmialis, uſu Scripturæ S. recepta, qua deſignatur ſtatus rerum turbidus, quo quis relinquitur ſumma incertitudine, ut imminentis ac prementis mali nullum perſpiciat aut proſpiciat exitum; & quo ſe verſurus ſit, neſciat; quomodo ea Moſes uſus eſt in Execrationibus Legalibus [a]. Interpretes hic conſentiunt in verſione vocis שוש, ut idem vere valeat quod שוש *palpare*, *contrectare:* licet nullibi quam hoc loco occurrat; ψηλαφᾷν, διαψηλαφᾷν, ut præter τὲς ὁ. Symmachus quoque & Theodotio. Sed circumſtantia loci cum analogis collati nihil hic dubii relinquit. Obſervaveris præterea, Prophetam, eandem ſententiam repetentem, non plane idem dicere. ut enim ipſi, & cæteris Scriptoribus Sacris in more eſt: ubi idem bis effertur, in poſteriore ſententia major ſemper emphaſis latet, quam in priore. Eſt enim plus *non habere oculos*, ſive *oculis orbum eſſe*; quam *cæcum eſſe*. *cæcitas* enim ſubinde aliquem adhuc relinquit oculorum uſum. Alterum membrum nihil plus dubii habet; ſi recte inſpiciatur. *Offendere ſe*, ajunt, *in meridie tanquam in crepuſculo: in opimis* verſari *ut mortuos.* Dicere volunt ſimplice & non longe quæſito ſenſu; ſe dum *magnas* alebant *ſpes* de proſpero optatoque Eccleſiæ Statu, & omnia ſibi proponebant læta tanquam implementum luculentorum promiſſorum ſibi factorum jam eſſet ante fores: incidiſſe in magnam rerum confuſionem, quæ judicium ſuum uſque eo perturbet, ut conſiliis ad ſalutem ſuam captis graviter errent, & ex ampliſſima ſpe ſua qua ſe longum lactarant, nihil plus fructus atque emolumenti percipiant quam *mortui in copia omnium rerum.* Interea facit incerta interpretatio vocis אשמנים in extrema ſententia, ut Intt. in conſtituendo emblemate multum diſſentiant *A*; etſi ipſi quoque illi qui emblema recte accipiunt, non viderint, quod ex meo ſenſu intendit Vates. Extrema verba, de quibus hic diſputatur, ſunt, באשמנים כמתים *Tanquam mortui* BAASCHMANNIM; quod nos cum pluribus aliis vertimus, *in opimis, opimitatibus*, hoc eſt, in copia omnium rerum, aptarum explere deſideria viventium & valentium hominum. Quam interpretationem, citra dubium congruentiſſimam etymo vocis אשמנים, non videntur ſpreviſſe Interpretes, niſi quod ſenſum emblematis, à Vate intentum, non perſpexerint. Imo vero non viderunt quoque illi quos inſpexi, qui cæteroqui ex mea mente à verſione non errarunt. Vis ſententiæ in eo conſiſtit, ut παραλληλία ſit inter voces צהרים *meridies*, & אשמנים *pinguia*, opima: quæ parallelia nulla eſt, ſi per אשמנים intelligantur *ſepulchra* aut *deſerta loca*, ut plures Intt. volunt. *Offendimus*, ajunt, IN MERIDIE *tanquam in crepuſculo:* IN OPIMIS REBUS verſamur *ut mortui.* quam παραλληλίαν Aben-Ezra probe obſervavit. Et tamen, quod modo monebam, non ceperunt, quos offendi Intt. vim comparationis. R. Doneſch apud Jarchium, etymologiæ noſtræ conſentiens per *pingues* intelligit *vivos bene valentes*, ut dicant queruli, ſe ut *mortuos verſari inter vivos*, quibus omnia proſpere cedunt: & ipſe quoque Aben-Ezra huc concedit, & ſupponens, querelam hanc competere Judæis exulibus inter Gentes oberrantibus; per hoſce *pingues* intelligit *Gentes.* Sed quis opinetur, Prophetam ita loqui voluiſſe? *Viventes* enim omnes non ſunt *pingues.* Alii ita accipiunt: *Sumus quidem in rebus opimis*, ſive, in magna omnium rerum copia: *attamen metu hoſtium ad angustias redacti ſumus tanquam mortui:* ſive, ut Cl. Coccejus; omnium conſiliorum & rerum incerti, ut licet ea agerent quæ videbantur facere ad liberationem Eccleſiæ, tamen *palparent in meridie*, ea vere agerent, quæ majores longe iis arceſſerent calamitates: quod illuſtrat ex *depoſitione Ferdinandi* ut Bohæmiæ Regis, & electione Friderici Palatini. Sed ſi omnino is ſenſus eſſet emblematis, quem Doctiſſimus Vir contendit: exemplum tamen hoc non putem huc recte adduci. Qui enim hanc querelam fundunt: jam circumſcripti erant ſumma calamitate. Non erant illi *in meridie*; nec *in opimis rebus.* Erant *in tenebris*, & *craſſa caligine*, ut ex ſuperioribus intelleximus. quo ſtatu non erant Bohæmi, cum Regnum offerrent Palatino, abdicato Ferdinando. Calamitates, quæ vere noctem in illud Regnum & in Germaniam induxerunt, deinceps ſequu-

Phraſis illuſtrata ex Deut. XXVIII. 29. Uſus vocis שוש h. l.

Gradatio in poſteriore ſententiæ membro.

Offendere in meridio ut in tenebris: *in opimis ut mortuos.*

Phraſis exponitur.

Dubia interpretatio vocis אשמנים h. l.

Significat hic *omnium rerum copiam.*

Perperam vertitur per *loca* deſerta.

Verſio recte facta diverſe ad locum applicatur. Sententiæ Hebræorum.

Cocceji ſententia.

Quæ non ſatis bene convenit emblemati hujus loci.

---

a Deut. XXVIII. 29. Confer Job. v. 14. XII. 25.

A Jarchius Menahemum ait interpretatum eſſe vocem אשמנים per מחשכים TENEBRAS, & eſſe multos qui ei aſſentiantur. Sic haud dubie Intt. Veteres, quos opinor ſequutum Hieronymum, ubi vertit, IN CALIGINOSIS. Nec patet tamen mihi, quo reſpexerit Doctor Hebræus in hac verſione. Forte voce אשמנים deducta à שמן *Oleum, pinguedo*; unde שמן *pingueſcere:* per אשמנים intellexit tenebras, *craſſas, ſpiſſas*, quas duriore metaphora appellare licet *pingues.* Utique *mortuis* conveniunt *tenebræ*, ut Thren. III. 6. IN TENEBRIS (במחשכים) *poſuit me ut mortuos ſempiternos.* Kimchius exponit per *ſepulchra*, quem Pagninus ſequitur. Grotius quoque caſtigans Hieronymum: *In Hebræo*, IN SEPULCHRIS SICUT MORTUI. *Id eſt, ut Chaldæus exponit, ita concluſi undique tenemur ut mortui in ſepulchris ſuis.* Sed qua fiducia? Num quod mortuis conveniant *ſepulchra*? Sed id ſatis non eſt hic loci. *mortuorum* enim varii poſſunt eſſe reſpectus. Kimchius Pater vocem ducit ex אשם, quæ ſubinde ſumi videtur ſignificatu *deſolandi*, ut Hoſ. XIV. 1. תאשם שמרון *Vaſtabitur Samaria.* ut אשמנים idem valeat quod שממות *vaſta deſolataque loca*; (litera נ in fine adjecta,) pro quibus haberi ſoleant *ſepulchra.* Sequuti ſunt Belgæ: ſed abſque magna ſpecie. *Sepulchra* enim non ſemper parantur in locis *Deſertis.* Sed ſi Grammaticas rationes ſpectes: nulla occurrit facilior, quam אשמנים, idem valere quod משמנים *pinguedines*, cum litera א *ab initio* ſit ex *Heemanticis Formativis Nominum.* Quod autem Intt. ab hac ſententia diſceſſerint: (non tamen Jun. Trem. Piſc. Coccejus, neque etiam A. Ezra, licet fluctuet·) ratio eſt quod comparationis vim non ſint aſſequuti, ut ſupra doceo.

quutæ ſunt. Ne dicam, ſcenam prophetiæ huic tempori non convenire. Agitur de ſumma & extrema calamitate Populi Dei, quam exciperent glorioſæ illæ vindiciæ, & optata Status Eccleſiæ immutatio, quæ deſcribitur *Capite ſequenti.* Ipſa quoque illa ſuperior ratio obſtat interpretationi emblematis qualicunque ad hunc modum conceptæ. Qui hanc querelam fundunt, non erant *actu* in copia omnium rerum; ſed in ſtatu afflicto, & calamitoſo. Ergo ne hic longior ſim: *meridies* & *res opimæ* hic explicandæ ſunt de *ſpe* maximarum rerum quam Eccleſia conceperat; de quo paulo ante dixerat, *Exſpectamus* LUCEM: *& ecce* TENEBRÆ! Eccleſia plena erat exſpectatione magnarum rerum; & multi ſibi perſuaſerant, beatam optatamque inſtaurationem Regni Dei præ foribus eſſe. Hac ſpe pleni videbantur ſibi jam attigiſſe *meridiem*; & jam verſabantur animo & ſpe in *opimis rebus.* Sed ecce! exoriuntur craſſæ tenebræ ex impendentibus Eccleſiæ toti calamitatibus graviſſimis; ut *tanta ſpe pleni*, hoc tempore nihil viderent: ut tanquam *mortui* in *opimis rebus* poſiti, ex tanta ſpe tantiſque bonis mente conceptis, nihil percepturi, aut deguſtaturi viderentur, dum ſpes magna plane obſcurabatur, & triſtia omnia verſarentur ante oculos. Verba exacte conveniunt hypotheſi noſtræ. Qui ea applicant ad Statum Judæorum in Exilio Babylonico, ut multi: hos ratio plane fugit. Status Populi Dei qui hic deſcribitur, eſt Status Populi Dei confirmatus, & ſtabilitus. Umbra ejus fuit in Statu Populi Judæi in initiis Judæ Maccabæi: ſed umbra tantum.

Probabilis interpretatio loci, quæ ad præſentem Eccleſiæ Statum applicatur.

Non convenit hypotheſi Status Eccleſiæ in Exilio Babylonico.

Articulus tertius.

Articulus tertius, ỳſ. 11. *Fremimus ut urſi omnes nos*, &c. Summa ſententiæ hujus loci. Supponitur tempus magnæ calamitatis Eccleſiæ.

ỳſ. 11. FREMIMUS *ut* URSI *omnes nos; & tanquam columbæ multum gemimus. Exſpectamus judicium; & nullum adeſt: Salutem; longe à nobis abeſt.*] Vides, quantæ calamitatis Status hic deſcribatur. Dum enim diſcrimen extremum urgebat; Deus autem auxilium ab Eccleſia exſpectatum differt; & nemo ullum circumſpicit rerum pene deſperatarum remedium, nullum perſpicit ſalutarem exitum: nihil hoc tempore ſuppererat, quam ut pii amaros gemitus & miſerabiles ſupplicationes ac lamenta, ex imo pectore effuſa, pro ſalute & conſervatione Eccleſiæ ad Dominum mitterent; cum lamentabili criminum ſuorum confeſſione: ſimul infelicitatem temporum ſuorum non ſimulate plorarent. Sic enim cenſeo, etiamſi alicui videri queat durior comparatio deſumpta ab *urſis*, beſtia fera: nihil tamen hic dici quod non ſit referendum ad corpus piorum in Eccleſia ſuperſtitum, quorum pro tota communitate intercedentium hæc eſt oratio. Sic enim illi exerte, *Fremimus ut urſi* כלנו OMNES NOS. Mireris, attributum aliquod *urſorum* ad Eccleſiam piorum referri, cum ad ipſum referatur *Deum* [a]? In comparationibus enim ſolummodo ſpectatur *tertium* quod ajunt, ex ſimilitudine propoſita illuſtrandum. Occurrit autem hic ſimilitudo gemina. Prior à *fremitu*, ſive ſtrepero ac obtuſo *rugitu* Urſorum, qui hic ſignificatur voce המה, proprie *ſtrepere*, incondito & obtuſiore ſono, qualis eſt *marium*, concitatorum. Hieron. hic vertit per *rugire.* abſque errore. Eſt enim βρυχᾶσθαι quoque *Urſorum*, quibus Pollux perinde ac Leonibus hanc notionem tribuit. Latini, ut Bochartus obſervavit, id ſua Lingua proprie vocant *ſævire*, & forte etiam *uncare*; idemque adſcribit poſt alios [b], Urſorum illum rugitum gemebundum quid ac triſte ſonare, unde à Poëtis ipſis attribuitur *gemitus.* quod hic apprime ad rem facit; & favet ſignificationi vocis המה, quæ ipſa quoque uſurpatur [c] de *gemitu* columbarum. Hic iis in altera ſimilitudine tribuitur vox הגה, uſu propriiſſimo, quam Jeſaias in eadem ſimilitudine exponenda jam adhibuerat, Cap. XXXVIII. 14. ubi animadverſa vide, & imprimis τὸν πᾶνυ de hiſce & ſimilibus docte diſſerentem [d]. Solummodo obſervaveris παρονομασίαν inter voces המה & הגה. Emphaſis eſt in phraſi Prophetæ; qui non ſimpliciter dicit, *ut columbæ gemimus*; ſed הגה נהגה *gemendo gemimus.* multum gemimus ac vehementer. Jam dixi quorſum pertineat. Gemitus univerſalis, ſive flebili voce ſupplicantium Deo; ſive deplorantium præſentem aut imminentem calamitatem; ſive lugentium ſcandala & vitia ſui temporis; ſive indoleſcentium ex ſenſu iræ Dei Populo ejus incumbentis; efficeret ubique obtuſum quoddam, querulum, & triſte murmur ac plorabiles voces; quod Propheta hiſce ſimilitudinibus declaravit. Hypotheſis earum eſt miſer & calamitoſus præſentis temporis Status; ad quem figurandum adhibentur. Plura comparata hic non ſector. Etiamſi enim *columbæ*, animal purum, caſtum, innocuum, imbelle, pennis ſæpe flavedine coloratis, ſymbolum faciant electiſſimum Cœtus verorum credentium; eæque *gementes* ſcite adumbrent conditionem Eccleſiæ in hiſce terris paſſim afflictæ: non auſim tamen fidenter id huc referre, cum reliqua *urſorum* attributa hic excludantur. Dixeris, *urſorum fremitum* hic referri poſſe ad ploratus & lamenta carnalium hominum, in quos tanquam communi cauſſa involutos, ſive hypocritas ſive graviores peccatores, qui hoc judicium Dei in Eccleſiam provocaverant, tempeſtas hujus calamitatis ſimul detonaret; & per *gemitus columbinos* recte intelligi preces, ſuſpiria, & gemitus piorum. Certe non intercedo, quo minus id dicatur, quod ipſe mea cogitatione anticipavi: ſed cum queruli, utrumque emblema ad ſe applicent: id potius in medio relinquo, quam definio. Subjungunt: *Exſpectamus judicium*; (vindicias juris noſtri & bonæ cauſſæ:) *& nullum adeſt: Salutem*; *longe à nobis eſt remota.* quam ſententiam jam contemplati ſumus ỳſ. 9. In poſteriori membro videbatur dicendum, ET *longe à nobis abeſt.* Sed eſt ἀσύνδετον venuſti uſus quale in ſimili ſententia adhibuerat Vates in eodem *commate*; in verbis, *Exſpectamus magnam lucem: ambulamus in craſſis tenebris.* Symmacho hic tribuitur in *Excerptis* verſio quæ vere pertinet ad ỳſ. 9. ut Druſius jam obſervavit, & cuique pronum eſt per ſe videre.

Attributum *urſorum* an commode referatur ad Eccleſiam? *Rugitus urſorum.* Vis vocis הגה.

Altera metaphora à *gemitu columbarum.* Uſus vocis הגה.

β. *Supplicatione* ad Deum emiſſa per *Apoſtrophen*, Criminum in Societate dominantium editur Confeſſio.

(a.) *Generatim.*

ỳſ. 12. *Quia multiplicatæ ſunt tranſgreſſiones noſtræ coram te*; *&* PECCATORUM NOSTRORUM QUODQUE TESTATUR CONTRA NOS: *quippe tranſgreſſiones noſtræ nobiſcum ſunt*; *& peccata noſtra* SINGULATIM COGNOSCIMUS.] Poſt querelas ſuas effuſas, imo in ipſis querelis ſuis effundendis, convertit ſe piorum Antiſtitum Chorus per *Apoſtrophen* ad Deum, ſupplice peccatorum confeſſione; non diſſimulans, nec celans vitia nævoſque ſuos; (quorſum enim, cum omnia Deo paterent?) ſed recenſendo damnans ac deteſtans: quod ſacrificium Deus gratiſſimum habet, & reſipiſcenti primum gradum ſternit ad gratiam, ſanctis, ut ex Hiſtoria Sacra & Odis Sanctorum liquet; ſolenne & uſitatiſſimum. Chorus id primo *generatim* exequitur, hoc *commate*: deinde *ſpeciatim*, in *ſubſequentibus.* In *generali* hac confeſſione, quæ *Præpoſitionem* habet & propoſitionis *Confirmationem:* nihil grave occurrit quod nos moretur. Solummodo itaque verba Prophetæ relegendo per ſingula membra, (ſunt autem *quatuor:*) emphaſin orationis demonſtrabo.

Quorſum hic reſpiciatur?

Comparationes hic reſtringuntur intra ſuos limites.

Specialis quædam contemplatio horum attributorum.

Reliqua attinguntur. Ἀσύνδετον orationis.

Altera pars orationis querulæ. *Supplicatio confeſſionalis ad Deum*, a. Generalis. ỳſ. 12. *Quia multiplicatæ ſunt* &c.

Nexus & ſumma ſequentis Periocopæ.

Primum membrum his conſtat: *Quia multiplicatæ ſunt* (creverunt,) *tranſgreſſiones noſtræ coram te.* Poterat dicere Propheta, רבים *multæ* vel *magnæ ſunt tranſgreſſiones noſtræ coram te.* ut alibi [e]: ſed maluit dicere, רבו MULTIPLICATÆ SUNT, *creverunt*; ſupponens, declinationes eorum, qui Religionem externe profitentur, ſemper quidem ſatis magnas eſſe & graves; ſed

Verba Vatis ordine religuntur. *Multiplicatio criminum.* Emphaſis in dicto Prophetæ, *Mul-*

a Thren. III. 10. Hoſ. XIII. 8. b *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. VIII. c Ezech. VII. 16. d *Hieroz.* Part. II. Lib. I. Cap. II. e Jer. XXX. 14. Hoſ. IX. 7.

tiplicata sunt transgressiones nostræ.

quas tamen Deus pro rationibus clementiæ ac longanimitatis suæ fert: verum hoc tempore supra modum *crevisse* ac *multiplicatas esse*, ut indignationem Divinam gravius commoverint. confer Ps. XL. 13 *a*. Et quidem *coram te.*

Et quidem ajunt, *coram te*, hoc est, *coram te* inspectore acutissimo omnium actionum nostrarum, ut earum nulla te lateat; nulla à nobis negari queat: recepto hoc usu vocis נגד *coram* in aliis locis, Ps. XL. 8. *Ponis iniquitates nostras* לנגדך CORAM TE. Alibi *b*: כל דרכי נגדך *Omnes viæ meæ sunt* CORAM TE. confer Cap. XLIX. 16. Deus est communis hominum ἐπίσκοπος, cujus oculos nihil fugit: est Judex, instructus perfectis rerum gestarum commentariis, qui ipsi semper patent. Alterum membrum Hebraice sic conceptum est: ועונתינו תענה בנו prop. *Et peccata nostra* RESPONDET *contra nos.* non *nobis*, ut Hieron. Verterunt Jun. Trem. Pisc. *Et peccatorum nostrorum quodque testatur contra nos.* Rectissime, ut putem. Ubi enim Nomen *numeri pluralis* jungitur Verbo *singularis*, passim distributive explicandum est, ut Grammatici bene videntur monere *c*. Cl. Coccejus, *Et peccata nostra, id* ipsum *respondet contra nos.* Sensu nihil differt: sed versio est coactior. Unum hic observasse, ad rem pertinet; nimirum, vocem ענה *respondere* hic ut alibi, idem valere quod *testari*, quia *testes* non nisi *rogati & jurati* testabantur, ut Grotius docte observavit. Confer Cap. III. 9. Jer. XIV. 7. Hos. VII. 10. Nihil tamen vitii esset, vocem ענה, quæ sæpe idem valet quod *loqui*, hic latius sumere, & quidem pro ipsa *accusatione.* Sed res eodem recidit. *Peccata* id sunt, propter quod peccator in judicio Dei damnatur. Dixeris, *testes* non semper *adesse*: posse negari factum. Ergo addunt, *Quippe transgressiones nostræ* אתנו *sunt* NOBISCUM. h. e. nos ubique comitantur: non tantum quod clara eorum affecti simus conscientia; verum etiam quod in propatulo sint perpetrata, omnibus manifesta. Vide significationem voculæ את similem Cap. VIII. 6. Subjiciunt, se ipsi interpretantes, *Et ad iniquitates nostras* quod attinet: *agnoscimus eas.* Sic proprie sonat constructio Hebræa, quæ recte explicatur, *Cognoscimus eas*, & agnoscimus; *singulatim.* Conferri hic potest confessio peccati à Davide facta, fere in eandem sententiam & phrasin *d*: *Quia transgressiones meas* ידע AGNOSCO; *& peccatum meum semper* CORAM ME *est.* Conscientia ejus me continenter mordet, & omnem turpitudinem ac scelus ejus mihi vivide repræsentat. Talis confessio decet hominem se pro semet ipso aut communitate fratrum humiliantem coram Deo. Tota anima apud Deum effundenda est: hæc una via obtinendæ gratiæ *e*.

Peccata nostra respondent contra nos.

Constructio nominis *pluralis* cum verbo *singularis* quam emphasin habeat?

Respondere hic valet *testari.*

Peccata ubique peccantes comitantur.

Agnitio peccatorum actus resipiscentiæ.

Speciatim: *Peccata adversus Religionem.*

Speciatim, *Peccata* omissa *adversus Religionem*, ℣. 13. *Dum inique agimus*, &c. ſqq.

℣. 13. *Dum inique agimus, & mentimur Jehovæ; & retrocedimus à Deo nostro: loquimur oppressionem ac defectionem: concipimus ac producimus ex corde verba mendacii.*] Sic vertimus *verba* Prophetæ, quæ demonstrant singularia crimina, in Confessione piorum recensita, quæ Hebraice efferuntur per *infinitivum modum*; *deficiendo, mentiendo, retrocedendo:* sed sub quibus passim totidem *præteritæ formæ* voces intelliguntur; ut *deficiendo deficimus*; *mentiendo mentimur*; & ita in cæteris. quod utrumque assequutus sum, ubi sensum Prophetæ reddo, DUM *inique agimus, &c.* Cæterum cum duæ sint omnium Rerumpublicarum Columnæ ac Firmamenta, RELIGIO ac JUSTITIA; quibus convulsis ac nutantibus minuuntur ac corruunt: Pii in hac sua supplicatoria *peccatorum*, adversus *Religionem* commissorum, *priore loco*, ut par erat, meminerunt. Illuc enim referenda videntur omnia quæ hoc *commate* leguntur. Primum est, *inique agere*, (פשע) *& mentiri Domino.* (Heb. ביהוה ADVERSUS DOMINUM,) *& retrocedere à Deo nostro.* Pertinet manifeste ad *transgressionem Legis Fœderis*, ut Docti Viri jam observarunt. Est fratrem adversus manifestam sanctionem Legis charitatis, quæ omnem Legem complectitur sub Oeconomia Nova, persequi & opprimere, dum interea hypotheses, in quibus illa oppressio fundatur, fictæ & Verbo Divino contrariæ sunt. Pertinet maxime ad ea quæ dicta sunt ℣. 7. 8. כחש proprie notat *abnegare*; sive, *negare quod verum esse noris*; alia voce *mentiri.* quod vitium cadit in omnes, qui falsum assumunt in negotio Religionis, de quo clarissime convinci possunt, idemque obstinate defendunt. Concinit ei quod in altero membro dicitur, נסוג מאחר אלהינו *Retrocedere à Deo nostro.* Sic proprie Hebræa. est enim נסוג *infinitivi formæ Kal* ex נסג. Phrasis, נסוג אחור usu est recepta stylo Scripturæ S. & cum alibi, *absolute* sumpta, admittat notionem pœnæ, qua quis retro movetur ac confunditur; hic utique, nemine ambigente, venit notatione *vitii*, quo quis *consilia & monita saniora* spernendo, magis magisque retrocedit, & tantum recedit à Deo, quantum ab æquitate & charitate. confer usum dictionis Cap. L. 5. ubi illud *recedere à tergo* contradistinguitur *obsequio* spontaneo & voluntario. In universum omnis refractarii animi declinatio à via recta ea innuitur, ut Ps. LXXX. 19. ולא נסוג ממך *Et non* RECEDEMUS A TE. Quorsum respiciat Chorus, docet clarius membro tertio, hoc ipsum & superius vitium interpretans. Constat hisce; *Loqui oppressionem*, & (סרה) *recessionem obstinatam.* Hieron. *transgressionem.* Chald. מסיא ἀποστασίαν. Phrasis integra, סרה על יהוה *retrocedere adversus Jehovam* notat stylo Scripturæ *dictum* omne *impium*, Deo injurium, quod quem à Deo & cultu ejus abducit; in quo inest testimonium irreverentiæ erga Deum *f*; sed vox סרה simpliciter posita eandem significationem induit *g*. De *facto* usus fuerat Vates Cap. I. 5. Hic loci vox cum *dictis* copulatur: atque adeo prius intelligendum est. Referendum autem quod hic dicitur ad id quod ℣. 6. de *telis aranearum* diximus: perinde ac id quod *quarto membro* adjicitur, *concipere & promere ex corde dicta mendacii*: falsas animo concipere, & meditate expromere ac impias hypotheses, quæ Religionem veram suffodiunt ac subvertunt. confer phrasin Prophetæ ℣. 4. *Concipere laborem & parere vanitatem.* Nemo hic historiam infelicium temporum nostrorum, quibus qui *sordidi sunt magis sordescunt*; *& qui profani, magis profanescunt*, requiret. Res est in propatulo. Sic prædixerat Daniel *h*: *Purificabuntur, & albabuntur, & explorati purgabuntur multi: sed* IMPIE AGENT IMPII. videlicet fucata specie in ipsa Ecclesia latentes, atque errores suos pestilentes belle colorantes.

Vis notionis כחש, cum respectu ad *Religionem.*

Item phrasis, *Retrocedere.*

Et *loqui oppressionem* ac *recessionem*, ubi copulatur cum *dictis*;

Concipere & promere ex corde verba mendacii.

Peccata adversus Justitiam.

℣. 14. *Itaque* JUS *aversum est retrorsum, &* JUSTITIA *stat è longinquo*; *quia* LAPSAT IN FORO VERITAS, *& integritas nequit intrare.* ℣. 15. *Et facta est veritas res desiderata, & recedens à malo habitus est pro insano.*] En speciem temporis vere tristis; nec tamen mundo ignotam! Quid enim incorrupta Justitia in Populis rarius? Quod ad sententiam Prophetæ attinet: bona pars Intt. integram sententiam de corruptis judiciis accipit; atque adeo quod in initio dicitur, *Itaque Jus aversum est retrorsum, & Justitia stat è longinquo*: ipsum quoque explicant de *justitia & jure Judiciorum* plane corruptis. Equidem non inficior, verba per se spectata hunc sensum dare posse: attamen longe rectius ea interpretor ex ℣. 9. & 11. *Propterea se elongat Judicium à nobis, & Justitia nos non apprehendit:* ut dicant & interponant Pii lugentes; ex iis quæ recensuerunt, & mox recensebunt, *peccatis* petendam esse caussam, quod Deus liberationem Populi licet gravissime laborantis differat. Nosse enim se, eam esse Dei æquitatem, justitiam, & affectum in Populum suum, ut ei in tantis angustiis posito absque dubitatione succurreret:

Peccata adversus Justitiam, ℣. 14. 15. Summa sententiæ.

Communis Intt. hypothesis, de primis verbis, in quibus *Jus* & *Justitia elongari* dicuntur.

In eam ἐπιχειρεῖς.

Hypothesis hujus Confessionis. *Religio* ac *Justitia* nutabant.

Peccata ℣. 13. commemorata pertinent ad *Religionem.*

a Jer. XXX. 14. Hos. IX. 7. *b* Ps. CXIX. 168. *c* Vide Glass. *Gr. S.* Lib. III. Tract. III. Can. LII. *d* Ps. LI. 5. *e* Ps. XXXII. 3. seqq. *f* Jer. XXVIII. 16. *g* Deut. XIX. 16. *h* Dan. XII. 10.

reret: niſi vitia & crimina Populi *Judicium* Dei, quod afflictis à Deo dilectis ſemper proximum eſſe cenſetur, *retro verterent*, & *Juſtitiam*, hoc eſt, Liberationem in rationibus Juſtitiæ ejus fundatam, *elongarent*. Pertinent itaque huc *Crimina* tam quæ ſuperius propoſita erant; quam quæ continuata oratione hic ſubſequuntur. *Quia*, inquiunt, *lapſat in Foro veritas*. Sic rectiſſime vertuntur Hebræa: כי כשלה ברחוב אמת Agitur manifeſte de *Judiciis* quæ apud Portas Urbium, ubi *Fora* erant, ſtylo Hebræo, רחובות πλατεῖαι dicta, ſolebant celebrari, in quibus *veritas*, æqui & recti trutina, debet prævalere. Sic apud Zachariam [a]: VERITATEM (אמת) *& judicium pacificum* (æquum) *judicate in* PORTIS VESTRIS. Notionem autem כשל, licet ſubinde mitius ſumatur pro *offendere*, *impingere*; hic commodiſſime reddimus per *lapſare*, qua ſignificatione ſæpiſſime uſurpatur, tum quia id emphaſin addit ſententiæ; tum quia *ſequens membrum* id poſtulat. Metaphoram ipſam, propius inſpectam, deprehendes eſſe venuſtiſſimam. Veritas *lapſare* dicitur, quando nemo eſt qui eam *ſuſtinet*, defendit, vindicat. Ut enim *ſtet*, & triumphet; requirit qui cauſſam ejus agant. Mutatur ſimilitudo, ubi Vates addit, *Et quod* RECTUM EST *non poteſt ingredi*. Heb. ונכחה לא תוכל לבוא hoc eſt, ut Grotius docte; *Foro excluditur*. Supponit ille, cum Hieronymo, vocem בוא hic admittere notionem *intrandi*, *ingrediendi*: cum tamen alii Intt. vertant, *Non poteſt* INCEDERE. progredi. greſſum promovere. Sic Jun. & Trem. Piſcator. Si locus eſſet huic verſioni, poſſemus perſiſtere in eadem metaphora, ut Integritatem hic reſpiceremus tanquam *Fœminam*, inter homines in *Foro*, proprio loco ſuo, verſatam; quæ hic dicatur non poſſe *incedere*; ſive hoc ſenſu quod à nemine fulciatur: ſive quod ubique ei objicerentur *offendicula*, ut pedem promovere non poſſet. Sed interpretatio hæc non ſatis commode congruit ſignificationi genuinæ vocis בוא, quæ quidem non *venire* tantum, ſed & *ire*, ſonat: verum ſemper cum reſpectu ad *locum*, ad quem itur, ſive qui *intratur*. *Ire*, *incedere*, procedere, Hebræis proprie dicitur ילך, הלך. Ergo, mutata metaphora, Quod *rectum*, (integrum, ſimplex, innocuum, non ſimulatum, eſt, & *ante ſe incedit*, confer Cap. LVII. 2.) dicitur illuc non poſſe *venire*, quod *excludatur* à malis, & injuſtis, qui *Forum* replebant & *ſubſellia* in portis occupaverant. Heſiodus de corruptis Judicibus, ſimili modo [b]:

> Οἵ τέ μιν ἐξελάσωσι καὶ ἐκ ἴθειαν ἐνείπῃ·
> *Qui eam* (Δίκην JUSTITIAM) EXPELLUNT, *neque rectam ferunt ſententiam.*

Utro modo ſimilitudinem acceperis: nihil venuſtati ejus decedit. Eodem tendit quod additur ỳſ. 15. *Et facta eſt veritas res deſiderata; & recedens a malo habitus eſt pro inſano.*] Quod ad prius membrum: exiſtimo, me veram Vatis ſententiam recte expreſſiſſe. *Participia* apud Hebræos conſtruuntur cum verbo היה *eſſe* vel *fieri*, ſubinde ſolius elegantiæ; ſubinde etiam ἐμφάσιος cauſſa: perinde ac apud Græcos cum vocibus εἶναι, γίνεσθαι, τυγχάνειν: de quo Grammatici jam monuerunt [c]: quæ conſtructio cum vocibus εἶναι & τυγχάνειν, non tantum obtinet in N. T. ſed etiam apud meliores Atticos. Nihil itaque vitii habet, verba ותהי האמת נעדרת vertere quod proprie ſonant, *Et fuit*, vel *facta eſt veritas deficiens*. Vox enim נעדר vere notat *deficere*, & quidem proprie, *deſiderari*, ut vidimus Cap. XL. 26. Ut fatear, me non ſatis capere, quod Cl. Schmidius ſcribit, *Verbum ſubſtantivum* ותהי *cum participiis alias poni non ſolere*. Et tamen eidem Viro Doctiſſimo lubens largior, vocem נעדרת hic optime ſumi pro *nomine*. Quidni ſane? Omnia enim *participia* apud Hebræos induunt formam *Nominum*. Verti igitur, *Et veritas facta eſt res deſiderata*. h. e. homines bonæ fidei, probi, veraces, juris & æqui amantes, ſenſim deficiunt, ac deſiderantur. Chaldæus: והוו עלדי קושטא מטמרין *Et fuerunt* VERACES *abſconditi*. Οἱ δὲ Καὶ ἡ ἀλήθεια ἦρται· *Et veritas ſublata eſt*. Alterum membrum paulo plus ambigui habet. Propheta ſcripſit, וכר נרע משתולל: in qua ſententia vox משתולל Interpretes diſtrahit. Sunt qui communem notionem vocis שלל *ſpoliare* ſequuti, reddunt; *Et recedens à malo prædæ patuit, prædæ ſe exponit; ſe ſpoliandum præbet; ſe deſpoliat.* ut Pagninus, Forſterus, Piſcator, Belgæ; præeuntibus inter noſtros Hieronymo; inter Hebræos Chaldæo & Kimchio. Utique Kimchio quoque hæc ſententia ab aliis imputatur, ſed quæ vere ab ea aliquantum diſtat. Verba ejus: משתולל' לא נמצא כאלו שללו ובזזו אותו מן העולם MISCHTOLEEL] *Non invenitur*, (ſc. non extat, neque apparet inter homines:) *acſi prædæ inſtar ex mundo raptus eſſet*. Accepit ille משתולל formæ *Hithpaël* pro משולל formæ *Pyal*. Alii, *inſanus*, *captus mente*, (משוגע) *conſilio deſtitutus habetur*. Sic Jarchius; & cum Tremellio Coccejus [d]: etſi in *Verſione* prius ſectatus ſit. Poſterius non dubia ſententia amplector; & facilius perſuaſerim, ſi moneam; vocem ותהי *ſuperioris membri* ad hoc quoque *membrum* referendam eſſe, ut integra ſententia ſit, *Et recedens à malo ſit* ſive *factus eſt inſanus*; h. e. judicio perverſo corruptorum illius temporis hominum pro *inſano* habetur. confer Cap. XXXII. 5. Non commendat tantum hanc interpretationem majus ſententiæ lumen: verum etiam loca Scripturæ alia, in quibus hic uſus vocis שלל manifeſtus eſt, ut ſumatur pro שגג, תעה לבב *errare mente & conſilio* [e]. Sic apud Jobum, Cap. XII. 17. מוליך יועצים שולל *Qui abducit conſiliarios* שולל SCHÔLAL, (h. e. nudos, *vacuos conſilio*, errabundos;) *& facit ut Judices inſaniant*. Eadem vox repetitur eodem ſenſu ỳſ. 19. Dixerat *ſuperiori commate* de Deo loquens Vir ſapiens: לו שוגג ומשגה *Ipſius eſt errans, & qui errare facit*. Summa ſententiæ eſt; Deum ut omnis auctor eſt ſapientiæ; ſic eundem facere poſſe ſuo judicio, ut qui ſapientes habentur & ſua ſe ſapientia efferunt, eraſſe errent; conſilio nutent, cadantque; alioſque in errorem inducant. Et quidem notio השתולל ejuſdem *formæ* hunc vel affinem ſignificatum poſtulat Pſ. LXXVI. 6. אשתוללו אבירי לב *Ad conſilii inopiam redacti ſunt*, vel, *animum abjecerunt, fortes corde*. Boni conſilio & fortitudine homines. Ratio notionis ex eo petitur, quod *inſanus* aut *errabundus* habeatur *conſilio* nudus ac ſpoliatus, ut apud Micham [f]: *Incedo* שולל SPOLIATUS *&* NUDUS, expers conſilii; ut Coccejus.

Exemplum eſt, quod ductu Jeſaiæ contemplati ſumus, corrupti Status Reipublicæ & Eccleſiæ, quo Forum Civile & Eccleſiaſticum occupatur ab hominibus immoderati, iniqui, & perverſi ingenii, quorum factio in Republica prævalet; exclaſis pacificis, integris, rectis, boniſque hominibus, qui licet ſuperſint, ſe domi continere, occultare, & præſentem rerum ſtatum ferre coguntur. Simile exemplum proponitur in elegantiſſima Ode, LVIII. 2. ſeqq. In univerſum cenſeo, nihil eſſe difficilius quam judicia præſtare incorrupta in his rebus & negotiis quibus ſe miſcet affectus aut in alterutram partem propenſio: quam penitus excludere, fortium animorum eſt, quales pauci dantur. Quod tanto magis obtinet in Eccleſiaſticis judiciis, quæ cauſſa doctrinæ Religionis controverſæ agitantur; quanto factiones hujus generis ſunt violentiores. Longe autem difficillimum eſt eandem præſtare judiciorum integritatem in ejuſmodi Rebuſpublicis, in quibus Regum aut Principum auctoritas, liberas voces ferre inſolentium, in utriuſque generis judicia influit. Exiſtimandum præterea eſt, Deum qui interiora animorum & rerum ipſarum perſpicit, vitia Judicum quæ in ſenſus hominum non cadunt, clariſſime cognoſcere nec rationem hic tantum habere judiciorum ipſorum; verum etiam formæ ac modi eorum tractandorum, quæ multum iniquitatis ſecum trahere poſſunt, variiſque in

locis

---

a Cap. VIII. 16. b Heſiod. *Op.* & *D.* ỳſ. 224. c Glaſſ. *Gr. S.* Lib. III. Tract. IV. Can. III. d In *Lex.* e Pſ. XCV. 18. f Cap. I. 8.

Quo ſenſu *veritas lapſare* caut?

Uſus notionis כשל.

Quo ſenſu *veritas* dicatur *lapſare*? Venuſta metaphora.

Item, *integritas* non poſſe *incedere*?

Vel verius, *intrare*?

ỳſ. 15. *Veritas facta eſt res deſiderata.*

Conſtructio hujus membri expeditur.

Viri Docti animadverſio.

Verſio certius conſtituta.

Dubia interpretatio vocis משתולל in altero membro.

Variæ verſiones excuſſæ.

Recte vertitur, pro *inſano habetur*; vel, *fit inſanus.*

Quæ verſio probabiliter adſtruitur.

Propheta hic deſcribit corruptum Reipublicæ & Eccleſiæ Statum.

Integritas Judiciorum res rara ac difficilis.

Suntque in vitiis Judicum occulta, ſoli Deo nota.

locis ſolent; dum Jus dicendum ſatis per ſe liquidum magno juſtioris partis detrimento in longum protrahitur; vel quæſitiſſimis verſutiis ac ſubtilitatibus diſcuſſum tandem ſub manu perit; perinde ac granum nimia cribratione agitatum eliditur. Sed etſi hæc nunquam negligenda ſint: patet tamen ſatis ex dictis Prophetæ rite expenſis, reſpici hic Judicia Civilia & Eccleſiaſtica, factioſa, in quibus prævalens, eaque iniquiſſima factio, prædominatur, ut moderatioris æquioriſque ingenii homines non audiantur, ſed excluſi Foris utriuſque generis cum dolore videant, odium, iram, invidiam, vim, cupiditatem, obtinere locum Juris, & ſubſellia Juris Veritatiſque repleſſe, atque adeo metuendam eſſe omnium rerum perturbationem & confuſionem. Hiſtoria Eccleſiæ jam facile in ſpectatiſſimis Proteſtantium Rebuſpublicis demonſtrat tempora, in quibus prudentior oculus hanc imaginem veluti exſcriptam videt; & relegi poſſunt hac de re dicta ad ℣ſ. 3. 4. Sed ſit probabile, extiturum eſſe circa id tempus, ad quod hæc referenda eſt prophetia, Caſum quendam ſingularem, eumque fere univerſalem, qui Populum hujus Communitatis ſecundum ſpectabiliorem ejus partem ſciſſurus ſit in factiones, magnumque poſt ſe tracturus momentum: factionem autem pejorem & rigidiorem, excluſis atque oppreſſis melioribus, omnia turbaturam & propulſuram ad extrema; ut niſi Deus extraordinaria cura Providentiæ ſuæ interveniat; actum videatur de totius Eccleſiæ ſalute, quod ad ſtatum ſuum externum ac temporalem. In quibus nunc ſubſiſto. eſt enim prudentiæ hic ſiſtere non ſcribendi tantum, ſed & cogitandi impetum; ne modeſtiæ videamur egredi limites, & ut non neceſſarias offenſiones atque invidiam vitemus.

Hic ſpectantur Judicia factioſa.

De Implemento prophetiæ admonitio.

Majus aliquid in futurum expectandum quam Eccleſia hactenus vidit.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum Jesaiæ

CONCIONIS TERTIÆ,

Sectio Octava.

Cum Eccleſia in ſummis verſaretur anguſtiis; intus multis fœda ſcandalis; extus tantum non oppreſſa ab hoſtibus, extremum ei minitantibus excidium: circumſpiciens vero Liberatorem, neminem deprehenderet, qui Juris ſui vindicias exequeretur: docet Vates, eopſe temporis articulo præſto adfuturum eſſe Deum, qui indutus omni armatura Heröis, cauſſam Populi ſui ſuſcepturus, hoſteſque ejus ſevera ultione proſequuturus ſit: Simul declarat optata earum vindiciarum conſequentia: videlicet, Converſionem Gentium perinde ac Judæorum; & repulſam atque interitum qualiumcunque hoſtium qui ſe Eccleſiæ opponerent: Denique demonſtrat hujus Beneficii principium ac fundamentum ſitum eſſe in Teſtamento Dei, quo Eccleſiæ ſuæ in terris æternam deſtinavit gratiam.

Cap. LIX.

Textus Cap. LIX. ℣ſ. 15. &c.

15. *med.* Et vidit Jehova, & malum fuit in oculis ejus, Nullum eſſe judicium.

16. Et vidit, nullum præſto eſſe virum; & obſtupuit, nullum eſſe interceſſorem. Et ſalutem ipſi præſtitit brachium ſuum; & juſtitia ſua ipſa illum ſuffulcit.

17. Atque induit ſe juſtitia tanquam lorica; & galea ſalutis, in capite ſuo: induitque veſtes ultionis amictum; & operuit ſe zelo tanquam pallio.

18. Secundum ſumme merita, ſecundum ſumme *merita* rependet: æſtum adverſariis ſuis; retributionem hoſtibus ſuis: inſulis retributionem rependet.

19. Et reverebuntur ab Occidente Nomen Jehovæ; & ab Oriente Sole gloriam ejus. Quando venerit hoſtis tanquam fluvius: Spiritus Jehovæ adverſus illum eriget vexillum.

20. Et veniet Tſioni Redemptor; atque avertentibus ſe à tranſgreſſione in Jacobo, ait Jehova.

21. Et vero ad me quod attinet: hoc eſt fœdus meum cum iis, fatur Jehova: Spiritus meus qui eſt ſuper te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore Seminis tui, nec ab ore Seminis ſeminis tui, inquit Jehova, ab hoc tempore & uſque in Sæculum.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus Sectionis.

Res eo jam erat perducta, ut Eccleſia Dei in terris in proximo eſſet gradu interitus; ut adeo vel extremum ejus excidium exſpectandum eſſet; vel præſentaneo auxilio ei ſuccurrendum. Ergo, dum opis & conſilii humani nullus amplius uſus eſſet, nulla ſpes *a*: introducitur Filius Dei ut Vindex & Liberator Eccleſiæ ſuæ hoc demum temporis articulo appariturus ad illius vindicias ac liberationem. Inducitur autem hic & deſcribitur ut Heros, ad magnam pugnam pugnandam egregie inſtructus; galea, thorace, chlamyde, aliaque armatura indutus atque ornatus *b*; & ad vindicias Eccleſiæ ſevere exigendas paratus atque animatus *c*. Docet porro Spiritus S., maximæ cladis hoſtibus hac ultione inferendæ læta ſore optataque conſequentia. Non enim Eccleſia tantum in meliorem formam inſtauraretur quod ad aſpectum interiorem: (de quo *Capite ſequenti:*) verum etiam luculentam acceſſionem atque incrementum faceret ex converſione *Gentium* quaquaverſum per Orbem diffuſarum ad Occidentem & Orientem Solem *d*; dum hoſtes Populi Dei, ſi qui repullulaſcerent, fortiter repellerentur per heröes ab ipſo Spiritu Dei excitandos *e*: nec non ex converſione deſideratiſſima *Judæorum*, quibus ſerio reſipiſcentibus verus Redemptor ac Salvator, hac demum tempeſtate κατὰ τὸ πολὺ μέρος innoteſceret *f*: ut hoc ipſo Deus demonſtraret, decreta Teſtamenti gratiæ, in commodum poſterorum Abrahæ & Eccleſiæ totius condita, æternum ſortiri & ſortitura effectum; quippe vi illius Teſtamenti & Fœderis ſuper eo percuſſi adminiſtratio Verbi Divini conjuncta cum operatione Spiritus S. illuminantis in Orbe debebat perdurare uſque ad Sæculorum volventium finem. *g*

II. De

a ℣ſ. 15. 16. *b* ℣ſ. 17. *c* ℣ſ. 18. *d* ℣ſ. 19. *e* ℣ſ. 19. med. *f* ℣ſ. 20. *g* ℣ſ. 21.

Scopus hujus prophetiæ.

II. De *Scopo* hujus *Sectionis* propheticæ quid habeo dicere? Quiſque enim videt, eſſe orationem mere *ſolatoriam*, quæ ſpem Eccleſiæ ſuſtinere queat in difficillimis tentationibus & afflictionibus: quem ſcopum præcipuum eſſe Verbi Prophetici, ſæpe jam verbis Apoſtoli monui [a]. Si qua autem Eccleſia egeret conſolatione: haud dubie primas partes ſibi vindicat hæc noſtra in afflictiſſimum redacta ſtatum, ut æſtu perſecutionum & angorum haberet quo ſitim ſuam levaret. Quod ſi bene jacta ſit hypotheſis noſtra, ut ſpero: intelliget quiſque, quanto nos poſteroſve noſtros propius ſpectet hæc prophetia quam plures aliæ. De *Occaſione* ejus editæ nihil monere attinet, cum ipſa hæc *Sectio* noſtra prophetiæ partem faciat.

Analyſis ejus.

III. *Analyſis* hujus *Sectionis* has exhibet partes:

Primo, STATUM Eccleſiæ, omni ope humana deſtitutæ, AFFLICTISSIMUM: qui exiguam ejus ſervandæ ſpem reliquam faciebat, ℣ſ. 15. *med.* 16.

Secundo, VINDICIAS ei procurandas à Filio Dei, ejus Curatore ac Liberatore; Ubi

- α. Liberator Eccleſiæ tanquam *Heros* ad omnem vindictam armatus deſcribitur, ℣ſ. 16. *med.* 17.
- β. *Ultio* ab ipſo exigenda & ultionis *modus*, ℣ſ. 18.

Tertio, Læta CONSEQUENTIA hujus Liberationis, ut ſunt,

- α. Converſio *Gentium* per Orientem & Occidentem, ℣ſ. 19.
- β. Deſtructio *Hoſtium* aliorum qui ſe Eccleſiæ opponerent, ℣ſ. 19. *med.*
- γ. Judæorum ad Redemptorem ſuum Converſio in fide & reſipiſcentia, ℣ſ. 20.

Quarto, FUNDAMENTUM & Signaculum hujus Beneficii, Promiſſio Teſtamentaria de permanſione & duratione Eccleſiæ Dei in terris ad finem temporum, ℣ſ. 21.

MEMBRUM PRIMUM hujus Sectionis: *Status* Eccleſiæ ſumme *afflictus*.

Membrum primum hujus Sectionis: *Status* Eccleſiæ valde afflictus, ℣ſ. 15. *med.*

℣ſ. 15. med. *Et vidit Jehova, & malum fuit in oculis ejus, Nullum eſſe* JUDICIUM. ℣ſ. 16. *Et vidit, nullum præſto eſſe Virum; & obſtupuit,* NULLUM ESSE INTERCESSOREM.] Ordior *Sectionem* ex *medio verſiculo*, quoniam extrema illa *commatis quinti decimi* geminum involvunt ſenſum; & tamen magis cohærent cum *ſequentibus* quam cum *antecedentibus*. Verba ſunt, *Et vidit Jehova, & malum fuit in oculis ejus*, hoc eſt, ipſi vehementer diſplicuit, *Nullum eſſe judicium*. nimirum, nullas *Juris vindicias*. quo ſenſu vocem jam offendimus ℣ſ. 9. 11. 14. Senſus eſt; Neque intus in ipſa Eccleſiæ communitate, prævalentibus factioſis & iniquis hominibus, jus exerceri, dum boni & recti animi homines, latent aut opprimuntur; neque extus, dum hoſtes ad diviſum ſolutumque Gregem deglutiendum parati adſunt, eumque jam ſpe ſua devorarunt. Vides ſententiam inter duas partes mediam, orationem connectere. Et tamen magis cohærere cum *ſequente pericopa*, cum magis agatur de hoſtibus *externis* ulciſcendis quam de *internis:* etſi poſterius hic omnino includatur. Vindicta erit univerſalis, inſtituta tam ad Eccleſiam intus oppreſſam purgandam; quam ad eam extus oppreſſam liberandam. Sic leges recto oculo quod ſequitur ℣ſ. 16. *Et vidit, nullum eſſe virum; & obſtupuit*, (ſic vulgo vertitur) *nullum eſſe interceſſorem*. Senſus eſt, *vidit*, Neminem præſto eſſe Regem, Principem, aut quem alium Heröem magni nominis qui cauſſam Eccleſiæ vindicandam ſuſcipere auſit vel velit, & caput ſuum objicere periculis; cum res conclamata & ad extremum veniſſe videatur. Chaldæus Interpres, eumque ſequutus Kimchius, ſenſum faciunt, vidiſſe Deum, *neminem eſſe virum bonum*, (videlicet, paucos tantum ſupereſſe, quorum reſpectu multitudinis improborum nulla habetur ratio, ut Hebræus ſe interpretatur:) quique *apud Deum pro Populo recte intercedat*. Quin conſtat ex eodem Interprete Hebræo, Veteres quoque Judæos hunc locum in eum modum accepiſſe in traditione aliqua ſua, hujus argumenti: אמר רבי יוחנן אין בן דוד בא אלא או בדור שכולו זכאי או בדור שכולו חייב *R. Juchananis ſententia: Non venit Filius David niſi in generatione tota juſta, aut in generatione tota peccatrice.* quorum poſterius ex hoc loco confirmat: prius ex Cap. LX. 21. Traditio eſt in famoſo Capite *Cheleck* Cod. Sanhedrin, quod Veterum ſententias de adventu Meſſiæ exhibet. Grotius quoque hoc loco: *Nullum eſſe Virum*, h. e. *Neminem eſſe qui ſerias preces ad Deum pro populo funderet.* Plerique etiam alii Interpretes vocem מפגיע interpretantur de *interceſſore apud Deum*. Rem eò veniſſe, ut nemo pro Eccleſiæ liberatione apud Deum intercedat, vel dignum haberi qui intercedat: quam ſententiam miror admittere potuiſſe Doctos Viros, qui hic agi putant de Statu Populi in Exilio Babylonico, cum precatio & ſupplicatio Danielis, eximii Viri, exerte in Libro ejus conſignata ſit [b]; & clariſſime liqueat, eopſe tempore longe plurimos pietate conſpicuos homines, qui ſe ad Deum Patrum ſuorum integro animo converterant, in Cœtibus & Coloniis Populi Dei viguiſſe: quos abſurdum ſit cogitatu, hujus negligentes fuiſſe officii. Quin ſane nullus huc uſque Status Eccleſiæ ſive antiquæ ſive novæ tam fuit deploratus, qui excluſerit pios depreçatores pro Populo Dei. Utique quod ad Statum hujus ipſius Eccleſiæ attinet: ipſi illi Viri, qui ſuperiorem Peccatorum ſuæ Communitatis confeſſionem ediderunt, fuerunt hoc ſenſu מפגיעים *interceſſores pro Eccleſia*. Unum eſt quod hic dici poteſt; *ſtupuiſſe* Deum, nullum fuiſſe מפגיע *Interceſſorem* qui ſe objecerit ejus iræ ex ipſis hiſce *Fœdifragis*, quorum mores in ſuperioribus deſcripti erant; ſive neminem eorum ad ſe rediiſſe, vere reſipuiſſe; ſe pœnitentia & precibus inter Deum & Judicium ejus interpoſuiſſe; *ſæpem* poſuiſſe ac *ſtetiſſe in ruptura* ad iram Dei avertendam, ſecundum emblemata quæ ſunt apud Ezechielem [c]. Equidem laudarem interpretationem, ſi hic præcipue de ipſis illis Fœdifragis puniendis ageretur, ut in illis locis Ezechielis. Tractant illa de Punitione ipſius Populi Dei efficienda à Babyloniis: ſed hoc loco præcipue ſpectantur hoſtes externi, Eccleſiam cogitantes peſſundare, quorum exigendæ erant vindiciæ. Quid multis? Senſum hujus loci indubium præſtat parallelus Cap. LXIII. 5. ubi eodem in argumento verſatus & de eadem re agens Propheta, ſic Deum Heröem, vindictam ſanguinolentam ſumpturum de hoſtibus ſuis, loquentem infert: *Et aſpexi*, ואין עזר *& nullus erat* AUXILIATOR; *& obſtupui; & nullus erat* סומך QUI REM SUSTINERET: *& ſalutem mihi attulit brachium meum, & ſeqq.* Ergo quod hoc in loco מפגיע dicitur, in eodem hoc parallelo eſt ὁ Στερίζων *Fultor*, & Latinis STATOR, ſecundum ſignificationem vocis honorificam, qua apud illos in uſu eſt. Id vero ipſum eſt quod vere latet in poteſtate vocis מפגיע. Notat pro aliquo *intercedere, intervenire.* quod fieri poteſt vel *verbis*, vel *re*. priore ſenſu habuimus vocem Cap. LIII. 12. Sed hic locus poſcit poſteriorem. מפגיע *Maphgiah*, hoc loco eſt qui *Caput ſuum pro alio objicit periculis:* qui rem lapſantem vel ruinam minitantem ſubit eamque ſuſtinet: qui malum publicum ſuo malo avertit. Alexandrinus hoc loco docte, Καὶ κατενόησε, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἀντιλημψόμενος· *Et conſideravit; & nullus erat Liberator*, Vindex; Aſſertor, qui Rempublicam capeſſeret. Emblema integrum explicandum eſt ex Deut. XXXII. 35. ſeqq.

Interceſſores qui prece pro ſalute ejus Deum adivetint, Eccleſiæ nunquam defuerunt.

Interpretatio hæc ſpecioſius accommodatur ad hunc locum.

Verba ℣ſ. 16. ex hac hypotheſi expoſita.

Chaldæi & Kimchii ſententia

Vett. Magiſtrorum ſenſus de his verbis.

Aliorum ſententia de voce מפגיע.

Genuinus ſenſus loci exponitur ex parallelo, cap. LXIII. 5.

Uſus vocis מפגיע.

Verſio Græca laudata.

a Rom. XV. 5. b Cap. IX. 1. ſeqq. c Cap. XXII. 30. coll. cum Cap. XIII. 5.

Sensus integer sententiæ.

quem locum in sequentibus non negligam. Nulla itaque hic supereſt difficultas niſi in voce ישתומם quæ vulgo vertitur per *ſtupuit*; nec auſim improbare, cum vox alio ſenſu non ſumatur. Durior eſt metaphora de *Deo* uſurpata, quæ, niſi fallor, alibi non occurrit; ut nec *admirandi*; cujus graviſſima ſpecies *ſtupor* dicitur.

Quo ſenſu τὸ *obſtupeſcere* Deo hic tribuatur?

Uterque enim affectus videtur involvere *ignorantiam*, quæ imperfectio à perfectiſſima Natura excluditur. Sed Jeſaias paſſim valde eſt ἐναργὴς in omni ſua dictione, & figuras orationis ex alto petit. Vox ad Deum hoc loco tranſlata, mixte explicanda eſt, tam de attributo aliquo *rei*, quam *Dei* ipſius. In *Re* ipſa ſignificat, ſummum ejus rei de qua agitur παράδοξον. Illam videlicet Populi Communitatem, quæ tot excellentes olim Heröes produxerat, cauſſæ melioris Vindices, hoc tempore in eas actam eſſe anguſtias, ut nemo magnæ auctoritatis Vir rem Eccleſiæ laborantis in ſe derivare vellet vel auderet, & ruentem murum ſuo periculo excipere, ac ſuſtinere.

Quid in *Re* ſignificet?

Quid in *Deo*?

A parte *Dei* ipſius docet metaphora, Deum *inſtar ſtupentis* aliquandiu *tacitum exſpectaſſe*, hoc eſt, *moram aliquam traxiſſe* antequam Eccleſiæ laboranti ſuccurreret; tanquam obſervaturum, an non forte hic illic prodiret *Vir*, ex corpore Communitatis, qui hoc negotium procuraret. Facit huc quod inter voces ישתומם & ישדומם, ſive שומם *ſtupere* & דמם vel דום *ſilere*, magna intercedat convenientia, ob frequentiſſimam Literarum ד & ת commutationem: ut illud ישתומם hoc loco ad Deum tranſlatum notet, ipſum mora aliqua tracta veluti *tacitum* vidiſſe & obſervaſſe, Neminem ſe pro Eccleſia afflictiſſimo hoc ſtatu ejus interponere. Sic Jarchius docte ad hanc vocem adſcripſit: יחריש וירא *Siluit, & vidit, & ſeqq.* Nihil enim inexſpectatum Deo hic accidere poterat res humanas omnes accuratiſſime inſpicienti, earumque eventus prænoſcenti. Confer Pſ. L. 21. *Hæc facis, & והחרשתי & SILEO.* Idem Int. Alex. haud dubie voluit, quando vocem tranſtulit, Κατενόησε *attentus conſideravit.* quod Chaldæus, omnem phraſios duritiem vitaturus: וידיע קדמוהי *Et notum eſt coram ipſo.* Nimis tenuiter. Tanto fortius Hieronymus, *Et aporiatus eſt.* voce, Latinis melioribus inſolente, ſed ex Interprete antiquo Librorum N. T. ſumpta, ducta ex Græca ἀπορεῖν *verſari in conſilii inopia:* animo anxium & perplexum eſſe. Sed quid rei ſit, jam indicavi.

Hebræi Int. animadverſio.

Verſio Hieronymi.

Summa totius Pericopæ.

Vides, deſcribi hic Statum Eccleſiæ anguſtiſſimum; undique circumſcriptum ac afflictum: non tantum intus & extus oppreſſum; ſed ab omni quoque manu humana deſertum; ut vel ejus exſpectandum ſit exterminium; vel Deum extra ordinem oporteat intervenire. quod ipſum conſilii ſumpſiſſe, ſequentia docent. Sunt autem hic analogæ prophetiæ aliæ, cum hac noſtra comparandæ; & ſunt neceſſaria quædam alia quæ de hoc Eventu circumſpecte monere juvat. Sed cum duo Caſus, *Status Eccleſiæ afflictæ*, ejuſque *Liberationis* ſingularis, hic cohæreant: commodiſſimum viſum eſt quæ pauca hic dicenda habeo, proximæ Pericopæ, de Liberatione Eccleſiæ agenti, ſubjicere. Partes enim cohærent; nec ab invicem commode poſſunt divelli.

Membrum alterum hujus *Sectionis*, exhibens glorioſas Eccleſiæ afflictæ Vindicias: ubi

Membrum alterum hujus *Sectionis: Vindicia* Eccleſiæ.

α. Deſcribitur *Vindex* Eccleſiæ Deus in *Filio* ſuo, inſtar *Heröis* inſtructo.

α. Deſcribitur *Vindex Eccleſia*, ℣. 16. *med.*

℣. 16. med. *Et ſalutem ipſi præſtitit* BRACHIUM SUUM; *&* JUSTITIA SUA *ipſum ſuffulcit.* ℣. 17. *Atque induit ſe* JUSTITIA *tanquam lorica; &* GALEA SALUTIS *in capite ſuo: induitque veſtes ultionis, amictum; & operuit ſe zelo tanquam* PALLIO.] En pulcherrimum ſchema Heröis, dum *manus humana* abeſt, Eccleſiam ſuam defenſuri *Divina*; hoſteſque ſuos vindicaturi, certiore effectu quam ab ope humana exſpectari poſſet! Primo effectus ipſe compendio proponitur, ℣. 16. med. *Et ſalutem ipſi attulit brachium ipſius:* potentia ſua invicta uſus eſt in ſalute Eccleſiæ, dum omni ope deſtituta vehementer laborat ad extremum acta, efficienda: cujus invictæ potentiæ argumenta eſſent in effectis providentiæ Ejus liberationem Eccleſiæ producturis: dum ab altera parte ſuſcitaret homines de Grege, eoſque heroico indueret ac incenderet Spiritu, magnis & egregiis virutis ſuæ facinoribus hoſtes Eccleſiæ retuſuros ac proſtraturos; à quibus nemo ſalutem Eccleſiæ exſpectaverat, quique adeo tanquam Divino quodam robore ac potentia fulti animatique ab omnibus reſpicerentur, quorum exempla fuerunt Gideon cum Sociis, & Heröes Maccabaici: ab altera parte, ſuo in res humanas non fallente influxu hoſtium *diſſiparet conſilia*, infringeret *conatus*; *diſrumperet fœdera*; morbis & judiciis exitialibus eos perderet, ſignis externis terreret; panicum iis in conflictionibus incuteret terrorem, &, ut Gideonis tempore; *eos inter ſe*, ad mutuas clades *committeret*; orta invidia, æmulatione, ſimultatibus, diffidentia; & ſi qui alii modi ſint perdendorum hoſtium ac potentiæ ſuæ conſpicue demonſtrandæ; de quibus nobis hoc tempore difficile eſt quicquam definire: ut luculenter pateſceret, Filium Dei eſſe *ipſum* qui cauſſam Eccleſiæ ſuæ agat ac vindicet. De *brachio Jehovæ*, & ſpeciatim *Filii Dei*, nihil nunc opus eſt ſpeciatim referre, cum luculentis locis in *ſuperioribus* [a] ejuſdem jam meminerimus. Alterum huic par, his clauditur verbis: וצדקתו היא סמכתתו *Et juſtitia ejus ipſa eum ſuffulcit*, ſive *ſuſtentavit.* Per JUSTITIAM hic, ſi rem per ſe ſpectes; vel intelligi poteſt *amor Juris*; vel *cauſſa juſta*, quam hic *Heros* ageret. Utriuſque attributum poteſt eſſe *ſuffulcire* eum qui pugnam ingreſſurus eſt. Sed hic loci prius intelligendum eſſe, liquet ex loco parallelo Cap. LXIII. 5. ubi Filius Dei, eodem modo: *Et ſalutem mihi attulit brachium meum*, ותמכני זרועי סמכתני *&* EXCANDESCENTIA MEA *ipſa me ſuſtentavit.* Quod hic *Juſtitia*; ibi *excandeſcentia* dicitur. Intellige igitur hic loci, ardentiſſimum Filii Dei zelum, quo fertur in vindicias *Juris* ob hoſtibus *oppreſſi*; ad patefaciendam Juſtitiam ſuam; vindicandam gloriam; afflictorum ac preſſorum liberationem; & punitionem ſuperborum atque iniquorum hoſtium multis criminibus ipſi obſtrictorum. Hæc *Juſtitia* ſive *Excandeſcentia* ipſum *ſuffulcit*; & veluti animum fecit ac vires addidit ad magnum hoc facinus potentiæ ſuæ edendum: ut ſane *ira* prœlium ſubeuntibus & magnum quid molientibus hominibus vires & robur addere, & ut in exequendo perdurent, eos firmare ſolet. Hic ſimpliciter ſignificatur; Potentiam Filii Dei, rationibus Juſtitiæ nixam, operis hujus fuiſſe executricem: *Juſtitiam* ſuaſiſſe; *Potentiam* effeciſſe. Patet ex dictis, per *Juſtitiam* hic intelligi *Juſtitiam* ultricem, adminiſtrantem jus & vindicantem ſcelera hominum; quam notationem aliqui ægre huic voci concedunt; ut adeo Grotius *Juſtitiam* hic interpretetur per *bonitatem*; perinde ac οἱ ὁ. per ἐλεημοσύνην *miſericordiam.* Parallelus locus & circumſtantia hujus loci noſtri, me etiam tacente, vindicant meam exegeſin. Notionem vero *Juſtitiæ* ſubinde pro *Juſtitia ultrice* ſumi, veriſſime à nobis aſſeritur, & rem totam alibi me tractare memini. confer Cap. V. 16. X. 22. XXXIII. 5.

Demonſtratio potentiæ Dei in Liberatione Eccleſiæ. cujus varii modi demonſtrantur.

Animadverſio ad *Brachium Jehovæ.*

Et Juſtitia ejus ipſum fulcit.

Quid hic *Juſtitia?*

Notat hic loci Voluntatem *Juris* ſui vindicandi.

Idem illuſtratur.

Ill. Grotii interpretatio.

Hæc in genere: ſed non temperat ſibi Vates quin Imperatorem, ad vindictam proceſſurum, totum armet atque inſtruat inſtar Heröis ſive militis cataphracti, ab omni latere egregie muniti; dans ei *loricam*, juſtitiam; *galeam*, ſalutem; & habitum *chlamydemque vindictæ.* Sic ſecurus ſuppono, quia non putem ulli mortali præter Grotium in mentem veniſſe, aut forte poſt ipſum venturum eſſe, ut hoc emblema à Deo ſalvatore transferat ad homines *ſalvatos* & *ſalvandos.* Vir illuſtris miro hic utitur artificio; cujus nullam plane rationem haberem, ſi ipſius in Literis minor eſſet auctoritas. Sententia enim quam ſupponit, nihil habet probabile. Ille, quod dicitur *ſuperiore commate*, *Et ſalutem* IPSI *attulit brachium ejus:* non intelligit de *Deo Jehova*, de quo mentio fit; ſed de *homine juſto* quem Deus queſtus erat nullum eſſe qui *pro populo Dei intercedat:* ſi enim

Prophetæ Deum inſtruit ut *Heröem.*

Quomodo Grotius hic inſtituat, verba alienando à vero ſuo ſenſu?

Et ſalutem ipſi attulit brachium &c.

Specimen interpretationis ipſius.

[a] Cap. XXX. 30. XL. 10. LI. 5.

ſi enim talis eſſet, Deum ei *brachio ſuo* præſtiturum ſalutem; *bonitate* ſua ſuſtentaturum; illum *lorica juſtitiæ & galea ſalutis* induturum; & ita porro. Quare hic à cæteris diſſentiat Vir Eruditus: non adſcripſit. An quod durior videatur metaphora qua Deus inſtruitur ut *Heros armatus?* Sed eadem utique in aliis locis multis ad Deum transfertur, ut inter alia Pſ. xxxv. 2. *Prehende* CLYPEUM *&* SCUTUM, *& eſto præſto ad auxilium meum: & prome* HASTAM *&* SAGARIM, (Σάγαριν, Gladium. ſic enim optime vertitur vox סגר) *in occurſum perſequentium me.* Num potius quod Apoſtolus Credentes ut cataphractos milites deſcribens [a], unam alteramque phraſin ex hoc loco mutuetur? Sed quis miretur, eaſdem metaphoras Deo & hominibus aptari? Nihil enim uſu Scripturæ & ſermone hominum frequentius. Ergo ſufficit dicere, totum contextum reclamare huic expoſitioni violentæ. Ejus eſt qui hic armatus Heros introducitur, *hoſtes* ſuos *vindicare*, de quo ℣ſ. 18. col. cum Cap. LXIII. 4. 5. Ejus ſunt *veſtes vindictæ* & *chlamys zeli*, hoſtes conſumpturi: de quibus hoc ipſo *commate*. Quin tota oratio infert; Deum appariturum ut Vindicem Eccleſiæ, cum nullus eſſet *Vir*. Admiſſa itaque hac hypotheſi, Deum eſſe, ſive Filium Dei, Heröem & Vindicem Eccleſiæ, qui hic deſcribitur, ſingula hujus παναπλίας indumenta perluſtranda ſunt. Primum membrum: *Et induit ſe* JUSTITIA, *ut lorica*. Si rem generatim ſpectes: tria intelligi poſſe videntur; vel *Virtus & Voluntas exercendi Juris*, ut paſſim: vel *Juſtitia cauſſæ* ſive *Jus* quod Deo competit in ſuis liberandis; vel *Voluntas certa ſuos liberandi, ſive ſuis præſtandi liberationem. Juſtitia* enim, quod aliquoties monui; Prophetæ noſtro ſubinde ſumitur pro *Liberatione* fundata in rationibus Divinæ Juſtitiæ, Æquitatis, Bonitatis; ut noviſſime vidimus, hoc ipſo *Capite*, ℣ſ. 9. Pro *Juſtitia* autem cauſſæ in aliis Scripturæ S. locis ſæpius occurrit [b]. Eſtne in promptu dicere quid horum excluſeris? Nec tamen probabile, Jeſaiam tria hæc licet affinia ſimul ſententia ſua complexum eſſe. Sternam viam ad verum. *Virtutem Juſtitiæ* hic non reſpicio, quia *Juſtitia* hæc non comparatur *veſti*; ſed *loricæ*. Eſt autem *lorica*, ut notum, munimen pectoris. *Juſtitia* qua Deus jus exercet ut Rector & Judex Univerſi, Deum proprie non *munit*. ejus enim reſpectus eſt in Deo *activus*; non *paſſivus*. Sed *lorica* eſt inter inſtrumenta *munientia*, (παθητὰ *paſſiva* dixeris,) ſive arma *defendentia*; ut notum. Ne dicam, vocem *Juſtitiæ* affini notatione ſumptam eſſe in verbis proxime antecedentibus: non videri autem probabile, Vatem eadem voce bis in proxime junctis verbis uti velle eadem ſignificatione. Eadem ratio *paſſivi* reſpectus *loricæ* vetat hic cogitari de beneficio *liberationis*. Poteſt quis dici *liberationem* induere ut *veſtem*, qui ipſe liberatur; non, qui alios liberat. Sed *lorica* præſtat *tutum pectus:* non præſtat *liberationem* ipſam. Ergo reſtat per *Juſtitiam* hic deſignari *Jus* quod Deo competit in Eccleſiam ſuam vindicandam & hoſtes oppugnandos; & inprimis *Jus* Filii Dei in Eccleſiam ſervandam vindicandamque, obedientia ſua ſibi comparatam. Illuc enim vere pertinet oratio. Filius Dei hic reſpicitur ut jam conſummatus per paſſiones, ſedens ad dextram Majeſtatis Divinæ, ſe gerens Regem Eccleſiæ; qui non tantum *jus* habet ſuos vindicandi ac liberandi, verum etiam hoc *jus* obedientia ſua paratum præfert, ſecundum quod ipſi debetur victoria in omnes ſuos & Eccleſiæ ſuæ hoſtes. confer Cap. LIV. 17. & Cap. LXIII. 1. *Ego loquor in* JUSTITIA: *potens ſum ſalvandi.* ut adeo omnia tela hoſtilia adverſus ipſum hac *lorica* indutum emiſſa, retundantur. Cenſetur autem hoc jus in Meſſia eſſe quid *paſſivum*; diciturque illud *induere*, ubi illud publice præ ſe fert & oſtentat in Eccleſiæ vindiciis. Præſtat veritatem noſtræ interpretationis analogum Apoſtoli, ubi credentibus armatis dat [c] τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης *thoracem* JUSTITIÆ. Et alio loco, *thoracem* FIDEI *& charitatis. Juſtitia* enim illorum eſt *Juſtitia Chriſti Jeſu*, FIDE viva operoſa per *charitatem*, accepta: qua muniti tectique perſiſtunt adverſus omnem poteſtatem infernalem, & accuſationes Satanæ. Alterum membrum: וכובע ישועה בראשו *Et* GALEA SALUTIS *in capite ejus.* Perinde eſt ut ſumpſeris; ſive referas ad præcedens, ולבש *Et induit ſe*, quia *galea* militaris ſpeciem præfert veſtimenti; ſive dictum abſolute accipias, *Et galea ſalutis in capite ejus* ſc. eſt; vel *habens galeam ſalutis in capite ſuo. Galea ſalutis* ἁπλῶς accepta, vel valet *galeam* quæ ſalutem efficit; vel quæ galeatum tutum & immunem præſtat ab ictibus, qui in caput diriguntur, paſſim lethalibus. Poſterius propriiſſime dicitur. *Galea* enim rurſus cadit ſub conceptum *paſſivi*: eſt inſtrumentum non *ledens*, ſed defendens. Notat itaque illud *attributum Filii Dei*, (veſtes enim ſunt ſigna *qualitatum* & *attributorum*, ſub quibus quis apparet, ſeque aliis conſpiciendum exhibet:) quo Filius Dei hoſtes ſuos oppugnans, ab iis lædi nequit, atque adeo pugnat certa ſpe victoriæ. Apoſtolo idem valet. quod enim in uno loco dixerat περικεφαλαίαν σωτηρίε, *Galeam ſalutis*, in altero explicat per περικεφαλαίαν ἐλπίδος σωτηρίας *Galeam* SPEI SALUTIS [d]. *Spes*, quæ connectitur cum *ſalute*, quam ſalutem nulla vis hoſtilis attingit, omnem retundit ictum. Emblemata Homeri, Heſiodi, Maronis, aliorumque Veterum qui Heröes ſuos induunt armis, à Dîs fabricatis, quæ in pugna diſcrimen læſuræ ab iis avertunt, huc non adfero, ne ſacra profanis miſceam, & limpidiſſimum puræ aquæ fontem turbem. Τὰ ἅγια ἁγίως. Tertium: *Et induit veſtes ultionis amictum.* Οἱ δ. Καὶ περιεβάλετο ἱμάτιον ἐκδικήσεως. Significatur voce תלבשת heic loci veſtimentum militare *interius*, Romanis *ſagum* dictum: Populis Orientis *tunica* interior, baltheo, à quo arma pendebant, conſtricta; infra quidem laxius ſe diffundens, ſed pro uſu reſtringenda. Quandoquidem vero Vates hic utitur voce תלבשת, quam recte *veſtituram* vertas; & *gladii* hic, *arcus*, aut *haſtæ*, armorum oppugnantium, nulla mentio fit: credibile eſt, illum hoc nomine armaturam totam complecti, quæ uſum habet in proſequenda *vindicta*. Dicitur autem Deus *ſe induere veſtibus ultionis*, ubi vindicandorum hoſtium ſuorum animum ſumit, & publice ſe tanquam Vindicem Populi ſui conſpiciendum exhibet; cujus vindictæ nota eſt in *colore purpureo* ſive *rubro*, cujus generis ἱμάτιον *veſtis* (ſed forte ibi laxius ſumpta pro *Chlamyde*) datur huic Imperatori in *Apocalypſi* [e]. Utique Chalmydi, ſive Pallio Imperatorio hic color negari nequit, de quo membrum quartum: *Et operuit ſe zelo* tanquam *Pallio*. Eſt *Pallium* veſtibus interioribus circumjectum, Imperatoribus, in Oriente quoque, proprium; & paſſim coloris purpurei. Ælianus, Laconum Leges aliquas recenſens [f]: Φοινικίδα δὲ ἀμπέχεσθαι, κατὰ τὰς μάχας ἀνάγκη ἦν· *Purpureâ chlamyde in prœliis indutum eſſe, neceſſe erat:* cujus Legis ibi exponit rationem. Senſus dicti, Deum publice demonſtraturum eſſe, apud ſe eſſe intenſiſſimum gloriæ ſuæ læſæ ulciſcendæ & cauſſæ ſuæ Populique ſui agendæ ſtudium. Habes Imperatorem & Vindicem Populi ſui figurata oratione ſic inſtructum affectumque, ut magnum quid ab ipſo exſpectari debeat. quod ipſum Vates mox ſubjicit.

β. Ultio ab hoſtibus ſumenda, ejuſque *modus.*

℣ſ. 18. SECUNDUM SUMME MERITA, *ſecundum ſumme* merita *rependet; æſtum adverſariis ſuis; retributionem hoſtibus ſuis:* INSULIS *retributionem rependet.*] In ſenſu ſententiæ, generatim inſpectæ, nemo facile hæreat; etſi forte vim phraſios non aſſequatur, quam præter Coccejum ex his quos ante oculos habui Interpretibus, noſtris, aut Hebræis, aſſequutus eſt nemo. Et tamen ipſe quoque Doctiſſimus Interpres, licet

In eam ſententiam animadverſio.

Emblema alibi quoque ad Deum transfertur.

Membra hujus ſimilitudinis relegantur.

Juſtitia, lorica.

Quid hic ſignificare queat vox *Juſtitia?*

Dubium definitur.

Notat hic loci *Jus* Dei, Eccleſiæ ſuæ vindicandæ.

Locus Eph. VI. 14. expoſitus.

Salus Galea.

Quid hic loci ſignificet?

Locus Eph. VI. 17. declaratur.

Veſtes ultionis, amictus.

Quid h. l. per *veſtes* intelligendum.

Quam late hic ſumatur vox תלבשת?

Quid *veſtes ultionis?*

Quid hic loci *Pallium?* Supponitur *purpureum.*

β. Ultio ab hoſtibus ſumenda, ℣ſ. 18.

Affectio hujus com-

a Epheſ. VI. 11. 13. ſeqq. b Vide Cap. LIV. 17. coll. cum Pſ. XVIII. 21. c Epheſ. VI. 14. 1 Theſſ. V. 8. d Epheſ. VI. 17. 1 Theſſ. V. 8. e Apoc. XIX. 13. f *Var. Hiſt.* Lib. VI. Cap. VI.

matis. Labor Interpretum.

licet nos ad veram interpretationem sententiæ manuduxerit; aliquid etiam nobis hic expediendum reliquit. Non morantur me hoc tempore οἱ ὁ. & Hieronymus; neque alia versionum insipidarum exempla; quæ cum vera comparata protinus diffluent. Omne dubium hic residet in unica voce כעל, quæ in *primo* sententiæ *articulo*, כעל גמולות ישלם, repetitur. Videtur ea ad verbum sonare, *Quasi propter facta*, (adversariorum) *quasi propter rependet, excandescentiam adversariis suis, & seqq.* & sic reddidit Pagninus. *Quasi propter .... quasi ad.* quod nullum sensum dat. Hactenus tamen paulo melius quam Hieronymus: *Sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis; & vicissitudinem inimicis suis.* qui conceptus vere ingenio ejus indignus est. Si Propheta simpliciter scripsisset; כגמולות SECUNDUM *facta ... rependet adversariis*; vel, על גמולות PROPTER *facta*, ... nihil in oratione obscuri esset. Ipsa enim Litera præfixa כ sola præstat significatum *proportionis*. Sed *sicut propter*, *secundum propter*, quid significant? Ergo Jun. & Trem. quos secutus est Piscator, & Belgæ quoque, id observantes, sic dederunt, *Plane secundum facta, plane secundum ea retribuet.* Laudavit de Dieu, & adscripsit, על *propter* hic induere significationem *caussæ*; ut quod Hebraice dicitur, *Secundum* PROPTER idem valeat, quod *secundum* CAUSSAM. Versio bonum dat sensum, & expositio voculæ על pro *caussa*, ejusmodi est, ut in ea liceret acquiescere, usque quo aliud prodiret accuratius & magis ad rem. Exploremus itaque quid huc adduxerit Eruditus Interpres, modo cum honore appellatus. Exhibet ille, *Summe merita, summe rependet, æstum hostibus suis, seqq.* Adscripsit sequentia: *Hinc igitur denuntiat, quod vindictam exercituras sit ἐκ περισσίας* (כעל *significat adverbialiter* κατὰ τὸ ὑπὲρ, *quemadmodum Apostolus voce* ὑπὲρ *utitur adverbialiter. adde* Ephes. III. 20.) *nominatim hostibus suis insulis.* Idem monet & illustratum dat alibi [a]. Nihil hic desidero, in Versione quam vocem *secundum*, quæ respondeat præfixæ כ, ut locus vere vertendus sit, *Secundum summe merita, &c.* Voca igitur ad animum, vocabulum על *propter* originitus apud Hebræos, ut cæteras Præpositiones, censeri *nomen*, ut sit *status constructus* ex עֶלְיוֹן *altus, sublimis*; quæ notatio obtinet 2 Sam. XXIII. 1. unde *vocari* אל על *ad* SUPER, est vocari ad id ut quis se erigat, apud Hoseam [b] קְרָאֻךְ sive de *alto, ex alto, sursum*, Ps. L. 4. Ergo על גמולות valet proprie SUMMUM *meritorum*; SUMMUM *maleficiorum*, h. e. summe merita; facinora ἐκ περισσίας *ex abundanti* patrata; scelera gravissima; ut sensus emergat facillimus, qui nihil dubii post se relinquit: *Secundum ea quæ* SUMME *meriti sunt hostes*; SUMME *illis rependet*; ut inter merita & pœnam intercedat proportio. Eodem plane sensu & emphasi utitur Vates voce כעל Cap. LXIII. 7. *Beneficentias Jehovæ commemorabo; laudes Jehovæ*, כעל כל אשר גמלנו יהוה *secundum* SUMMUM *omnium quæ Jehova nobis tribuit.* h. e. secundum *beneficia* SUMMA quæ in nos contulit. Cum adversarii & hostes Dei *summe*, gravissime, ὑπερπερισσῶς, *supra modum* peccassent in affligenda Ecclesia: ad idem μέτρον *mensuram* Deus ab iis exigeret vindictam. Vox כעל repetitur in altero membro, elegantiæ & ἐμφάσεως caussa, ut vox לכן Cap. LII. 6. Esse autem ejusmodi διπλώσεις jam antiquissimi usus, intelliges ex Cantico Deboræ [c], ubi plures occurrunt; perinde ac in *Odis* Sanctorum; præsertim recentioris temporis. Quid vero illud, quod *Vindicta* hæc gravis non tantum referatur ad צרים *adversarios* Ecclesiæ qui in communitate Populi vivunt, moribus corruptos, & אויבים *hostes* externos, Ecclesiam pressuros; verum etiam speciatim ad INSULAS? Sæpius dixi, designari præcipue *Europam*, quæ hoc nomine in Prophetiis venit. Videantur supra animadversa ad loca Cap. XLII. 4. XLIX. 1. LI. 5. Ibi scena esset hujus Judicii, ubi Ecclesia subierat gravissimam luctam & afflictionem; ubi tot patrata erant scelera & flagitia; tot incensi rogi; tantum sanguinis innocui effusum hausumque erat; & tot asserant persecutiones, ad puriorem Religionis atque Evangelii doctrinam, summo Dei beneficio Ecclesiæ redditam, opprimendam. Cætera nihil fere hic habeo quod observem. Vocem enim גמל in bonam & malam partem sumi pro *beneficio* & *maleficio*, & subinde etiam pro *retributione*, ἀνταποδόσει, (quomodo rectissime sumitur in *posteriori membro* voce גמול) notitiæ est trulatitiæ. De *implemento* agam ad finem totius Pericopæ: Cum ex his quæ sequuntur æque ac ex iis quæ præcesserunt, sumenda sint documenta ἀποδείξεως.

Repetitio vocis כעל.

Quo respectu *vindicta* hic referatur ad *Insulas*?

Variæ interpretationes Doctorum Virorum.

Speciatim Piscatoris & Belgarum. De ea judicium.

Versio D. Cocceji.

Ad eam annotatio. Vox על Hebræis est *nomen*.

Integra phrasis exponitur.

Illustratur ex cap. LXIII. 7.

Respectus vocis כעל in hac sententia.

Usus vocis גמל.

MEMBRUM TERTIUM hujus *Sectionis*: Læta hujus Liberationis *Consequentia*.

α. Conversio *Gentium* per *Occidentem* & *Orientem*.

ỳs. 19. *Et reverebuntur ab* OCCIDENTE *Nomen Jehovæ; & ab* ORIENTE *Sole* GLORIAM *ejus.*] Ultio qua Deus prosequeretur adversarios & hostes Populi sui, tam intestinos quam externos, in Ecclesia purganda & liberanda, jungeretur tam notabilibus signis *gloriosæ* Dei *præsentiæ, majestatisque* ejus, (quæ hic *gloria ejus* dicitur,) ut Populi hanc Liberationem respicerent veluti *Divinam*; & hoc argumento inducerentur ad Nominis Majestatisque Dei reverentiam & cultum: quæ *signa* qualia futura sint, ante eventum difficile est determinatu. Dominus Jesus dicit [d], SIGNUM FILII HOMINIS *appariturum esse in cœlo, & futurum, ut omnes tribus terræ plangant.* quod ipsum quale sit, quis ausit definire? Censeo certe, *Conversionem Judæorum* requirere luculentam quandam demonstrationem gloriæ Christi Jesu ad stuporem & incredulitatem eorum pervincendam; & si quæ ulla exspectanda sit Ecclesiæ immutatio in meliorem formam: præsentiam Christi Domini apud Ecclesiam clarioribus indiciis conspicuam fore quam huc usque factum est. Interim observa, Vatem hic inverso ordine *Occidentis* prius quam *Orientis* facere mentionem: quod plane animadversionem meretur. Malachias dixerat [e], venturum esse tempus, quo *Nomen Jehovæ inter Gentes magnum esset* ממזרח שמש ועד מבואו *ab* ORIENTE SOLE *usque ad* OCCIDUUM. Christus Dominus pariter [f], *multos venturos esse ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ab* ORIENTE *&* OCCIDENTE. confer ex hoc Libro Cap. XLIII. 5. XLIX. 12. Ps. CXIII. 3. Sic factum sane, ubi Lex initio temporis gratiæ *exivit ex Tsione*. Sed cum sedes hujus Judicii & demonstrationis gloriæ Divinæ esset in Occidente; ut modo vidimus: Vates qui à Spiritu doctus omnia dicta sua ponderat, scripsit, *Nomen* Dei *gloriamque* ejus reverenter cultum iri ab *Occidente ad Orientem.* Utique arbitror, id pie cogitari posse. De cætero observaveris, esse hanc orationem *Prophetæ*; qui modo Deum loquentem facit, modo orationem sibi ut nomine Dei loquenti vindicat.

Membrum tertium hujus *Sectionis*: Consequentia hujus Liberationis. α. *Conversio Gentium*, ỳs. 19.

Nexus horum beneficiorum.

Cur hic prius mentio *Occidentis* quam *Orientis*?

β. Interitus hostium aliorum qui se *Ecclesiæ* opponerent.

ỳs. 19. *med. Quando venerit hostis tanquam fluvius: Spiritus Jehovæ* ADVERSUS ILLUM ERIGET VEXILLUM.] Hebræa, כי יבא כנהר צר רוח יהוה נסה בו Mira quædam est versionum hujus loci varietas; suntque inter eas aliquæ plane insipidæ, quarum nullam par est haberi rationem. Non tantum Alexandrinus, ut passim in hoc Libro; sed quoque οἱ ῥητῆς atque Hieronymus ex iis sapere solitus, hic nihil proferunt commendabile. Scripsit ille, *Quum venerit* (se. Dominus, Christus Jesus,) *quasi* FLUVIUS VIOLENTUS, *quem Spiritus Domini cogit.* quod absque interpretatione, eaque coacta: nullum sensum dat. Et tamen Veteres hic fere consentiunt in versione vocis צר, quam conjunxerunt cum נהר *fluvius*, ut notet *fluvium pressum* dum *anguste* currere cogitur. Οἱ ὁ. Ἥξει γὰρ ὡς ποταμὸς βίαιος ἡ ὀργὴ παρὰ Κυρίου, ἥξει μετὰ θυμοῦ. *Veniet enim* UT FLUVIUS VIOLENTUS (nempe ubi fluvii *anguste* ut inter montes aut rupes labuntur, rapidissime & violenter

β. *Interitus* aliorum hostium, qui se Ecclesiæ opponerent, ỳs. 19. *med.* Variæ interpretationes hujus loci, Vett. ac Recentiorum.

Consensus Vet. in voce צר jungenda voci *fluvius*.

[a] In *Lex.* ad h. v. [b] Cap. XI. 7. [c] Jud. V. 1. seqq. [d] Matth. XXIV. 30. [e] Mal. I. 11. [f] Matth. VIII. 11.

lenter currunt:) *ira à Domino veniet cum furore.* Postremi membri nihil est in verbis Prophetæ, ut Hieronymus jam observavit: in priori רוח יהוה *Spiritum Domini* interpretatus est per ὀργὴν *iram*, ut subinde vox sumitur. confer Jud. VIII. 3. Aquila, *Cum venerit ut flamen angustum; Spiritus Domini signaculum ejus.* h. e. is quem Spiritus Domini *obsignat*, ut Joannes Baptista de Domino [a]. Sic Hieronymus ejus versionem censet. Scripserat, Ὅτε ἐλεύσεται ὡς ποταμὸς... πνεῦμα Κυρίου σύσσημον ἑαυτῷ. Symm. Ποταμὸς θλίβων. *Fluvius premens.* Theod. Ποταμὸς πολιορκητής. *Fluvius Urbium expugnator*, quæ nihil probabile sonant. Hebræi quoque se hic infeliciter expediunt. Jarchius & Aben-Ezra vocem צר explicant de *angustia*; ut sumitur Ps. CXIX. 143. & alibi, & confert hic Aben-Ezra locum Dan. XII. 1. & priorem vocem נסס exponit *consumere*, ex loco Jes. X. 18. ubi vult נסס esse speciem *vermis arrodentis*: Kimchius vero ex eo quod *vexilliferi* primi ad manus veniant in congressu hostili, sensum dat; *Spiritum Jehovæ*, tanquam in principiis pugnantem, hostilem Exercitum esse *percussurum*, & *absumpturum*, quorum singulatim mihi reddenda esset ratio, si in iis figerem pedem. Pagninus, Trem. Pisc. posterius membrum vertunt; ille quidem, *Spiritus Jehovæ illum* (hostem) *fugabit*: hi vero, *in eum incurret.* pariter coacte. נוסס sive ducatur ex נוס *fugere*, sive ex נסס, vel נס *vexillum*, nunquam notat *fugare*, vel *incurrere*. Cl. Coccejus: *Reverebuntur... Nomen Jehovæ*, (sc. Gentes,) QUIA *veniet tanquam fluvius hostis in quo Spiritus Domini signum præfert.* Sed non facile mihi persuaserim, Exercitum eorum qui Deo servient in Consilio suo exequendo, hic appellari *hostem.* Ergo versionem Belgarum nostrorum, Eruditorum hominum, quam expressi, hic habeo pro optima; estque idem judicium Cl. Altingii, ut bene memini: licet locum hoc tempore ante oculos non habeam. Dat autem, recte inspecta, sensum facillimum. Quando hostis, ait Vates, *veniet ut fluvius*, Ecclesiam, ut videtur, inundaturus: *Spiritus Jehovæ adversus eum eriget vexillum.* hoc est, suscitabit Heröes, qui virtute Sp. S. instructi, illum profligabunt, & prœlio victum prosternent. Quis hostis, ais? postquam Deus vindictam sumpserit de hostibus suis; de quo in superioribus facta erat mentio. Ajo, secundum ductum prophetiæ; hostes Orientales; &, si mihi definire liceat, Turcas Othmanidas, Tataros, Scythas, & qui alii à Satana suscitandi, Ecclesiam infestare instituerent. confer Apoc. XX. 8. & sane Kimchius quoque ipse hic intelligit *Gogum* & *Magogum.* Is vero *venire* dicitur tanquam *fluvius*, videlicet, ut solent illæ Gentes ingentibus exercitibus omnia obvia inundare ac obruere. Emblema est ipsius Vatis nostri Cap. VIII. 7. ubi de eo fusius commentatus sum. confer Apoc. XII. 15. quem locum recte interpretatus sum de Saracenis. Alluditur manifeste ad fluvium Euphratem, extra alveos, dum exundat, excurrere solitum, quod jam vidit hoc loco Paraphrastes. Verba ejus: ארי ייתון כשפע נהר פרת מעקן במימרא דיי יתברון *Quando venerint* (vel *quia venient*,) *tribulantes* (מְעִקִּין. sic legitur in *Vers. punctata*: sed non dubito quin scribendum sit מְעִקְקִין: utique Kimchius habet, מְעִיקִים: cæteroquin vertendum esset per *afflictiones*:) *ut* INUNDATIO FLUVII EUPHRATIS, *verbo Domini conterentur.* Alterum, *Et Spiritus Jehovæ* נוסס בו geminum dare potest sensum, *Spiritus Jehovæ* IN IPSO *erigit vexillum*; vel, CONTRA ILLUM: quæ significatio præfixæ ב, ubi de re bellica agitur, est recepti usus. Prius admitterem, si ullum hic præcessisset *Subjectum*, ad quod *relativum* in vocula בו commode referri posset: sed nullum in hac oratione occurrit. Ergo posterius accipiendum est. Dicitur autem *Spiritus Jehovæ erigere vexillum*, ubi ipse *sua virtute* excitat & vehementer afficit heröes, caussam Populi Dei acturos, & hostes ejus prostraturos: quod sæpius fecit sub Oeconomia Vetere [b]. Heröes omnes, Vindices afflictæ Ecclesiæ Jacobidarum, acti motique sunt à Spiritu Dei [c]. Liberatio Ecclesiæ est opus Divinum. Heroica facinora ab illustribus Vindicibus edita, virtute Spiritus Dei effecta sunt. *Spiritus* itaque erigit *vexillum*, ubi hujusmodi Heröes, ad quos publice concurritur, excitat & potenter instruit. Sic Poëta facer [d]: *Dedisti reverentibus tui* VEXILLUM sive SIGNUM, להתנוסס *ad quod accurrerent.* Sic Coccejus. Poterat esse, *quod erigerent:* nec dubitem, quin Vates id intenderit. Sed sunt hæc affinia. Vides sensum facilem, liquidum, minime coactum, scopo orationis congruentem; Si qui novi prodirent hostes, Spiritum Jehovæ *erecturum* esse *vexillum*, & *exciturum* Heröes, quorum illi dextra caderent: veros *Equites* Ordinis *Spiritus S.*; his oppositos qui toti mundani & vanitati sæculi deditissimi homines sibi hunc titulum blaspheme vindicant [e]. Blaspheme, ajo. An enim Aula tota immersa vitiis, dum novos fingit vanitatis titulos, non potuit abstinere abusu sanctissimi hujus Nominis; in comtulis & delicatulis suis, qui toti hærent in sordibus & vanitatibus Sæculi, condecorandis?

dicatur *erigere vexillum?*

Sensus inde elicitur.

Animadversio ad *Ordinem*, qui à Sp. S. appellatur.

γ. Conversio γενικὴ Judæorum.

℣. 20. *Et veniet* TSIONI REDEMPTOR, *atque* AVERTENTIBUS SE A TRANSGRESSIONE IN JACOBO, *ait Jehova.*] Hunc sensum dant, ut opinor, Hebræa, ובא לציון גואל ולשבי פשע ביעקוב. Quantum alii Intt. hic dissentiant, intelligemus ex Versione Paulina, sive τῶν ὁ. hic cum Hebræis collata. Apostolus scribens ad *Romanos* [f], dum resolvit dubium Evangelio objectum, de incredulitate majoris partis Populi Abrahamidarum: in eo est, ut doceat ex revelatione sibi facta, exspectandam esse generalem Judææ Gentis Conversionem, postquam *plenitudo Gentium introïverit*, eamque suam doctrinam ex hoc loco illustrat. *Nolim enim vos ignorare*, ait, *fratres*, MYSTERIUM HOC, *ut ne sitis apud vos ipsos sapientes, obdurationem ex parte Israëli obvenisse*, QUOUSQUE *plenitudo Gentium introïverit; & ita totus Israël servabitur: sicut scriptum est, Veniet ex Tsione Liberator* (ὁ ῥυόμενος,) καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ· ET AVERTET IMPIETATES A JACOBO. ubi dubium non est, illum signare hunc ipsum, quem cum maxime tractamus, locum. quæ enim sequuntur, aliò pertinent. Sapientia Paulina dubitare nos non finit de demonstrationis certitudine: quin sane id ipsum, quod Apostolus hic intendit probare, esse in argumento hujus loci, facili opera à nobis absque ambagibus evincitur. Jesaias loquitur de *adventu* GOELIS; per quem intelligi *adventum* MESSIÆ, non est dubium his, qui *Messiam* vident & agnoscunt in Libris antiqui Fœderis; & agnoscunt illum hic loci Judæi, tam antiqui quam recentiores, inter quos Kimchius hoc loco disertus est. Aben-Ezra ad vocem Goël: זה המשיח HIC EST MESSIAS. Imo vero Propheta agit de adventu Goëlis, qui sequuturus esset, tum illustre & spectabile *Judicium* in hostes Ecclesiæ in arctum redactæ edendum; tum ipsarum *Gentium* per Orbem *Conversionem*; qui est ille *ingressus plenitudinis Gentium*, de quo Apostolus, hunc nexum orationis respiciens. Atqui hic non est primus Messiæ adventus; cum juxta promissa Patribus facta Messias primo deberet apparere *Judæis*, antequam *salus* offerretur *Gentibus*; secundum illud Apostoli [g], Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι. Necessum itaque est, hic designari *adventum posteriorem*, quo Christus Jesus postquam dudum *revelatus* esset GENTIBUS, & ab iis agnitus; tandem *innoteseeret* JUDÆIS, qui longum gementes sub severitate Judicii Divini, reciperentur denique in gratiam, & tum demum ad notitiam & fidem veri Messiæ perducerentur [h]. Quid? Kimchius ipse,

Conversio generalis Judæorum ℣. 20. *Et veniet Tsioni Redemptor* &c.

Pauli verba, hunc locum allegantis, cum eo collata.

Docetur, illum ex sensu Jesaiæ hunc locum accepisse.

Judæi Intt. hic videant *Messiam.*

Κριτήρια adventus Messiæ in non loco non conveniunt primo ejus adventui.

hic

Hebræorum sensus de h. l.

Coccejus.

Belgarum Intt. versio laudata.

Cujusmodi hostes hic designentur?

Comparatio in verbis, *tanquam fluvius*: illustratur.

Paraphrasis Chaldæa adducta & explicata.

Quo sensu *Spiritus Dei*

---

a Joh. III. 33. *b* Jud. VI. 34. XI. 29. *c* Jud. XIV. 6. 19. I Sam. XVI. 13. *d* Ps. LX. 6. *e* Non tam institutus quam renovatus est Ordo ab Henric. III. A. CIↃ ICLXXIX. Vide Thuan. *Hist.* Lib. LXVIII. in initio. *f* Cap. XI. 25. 26. *g* Rom. I. 16. *h* *Tractatu Sanhed.* Cap. XI. *Si tempus sit angustiæ, exspecta illum*, (Messiam,) *secundum verba*: Quia veniet ad Tsionem *Redemptor*, &c.

Kimchii sententia exposita.

hic valde impeditus, agnoscit, hic non de prima apparitione, sed vera cognitione & agnitione Messiæ agi. Cum enim per hostes profligandos agi censeret de *Gogo & Magogo*; idque supponeret, Judæos jam reduces factos esse in terram suam & Hierosolymam; atque adeo non leve dubium supereresset, quomodo Redemptor post illorum hostium cladem demum *venturus* dicatur hoc in loco: sic resolvit difficultatem; Contribules suos tum demum ex strage hostium facienda per extraordinaria Dei Judicia certo intellecturos esse *Redemptorem* hunc *suum*, & se *perfecte conversuros esse*. Agi autem hic de *adventu* Messiæ ad *Judæos*; tum fidem facit auctoritas Paulina; tum ipse contextus Prophetæ, qui hosce *Jacobidas* contradistinguit illis *Gentibus*, quas complexus erat nomine *Orientis & Occidentis*. Accedunt luculenta promissa Patribus data; typi hujus generis clarissimi; prædictiones analogæ apud Mosen aliosque Prophetas & Poëtas sacros; dicta Christi Jesu; & rationes graves, quæ hoc Beneficium nos sperare jubent: in quæ hoc tempore me non demitto, dum omnem excurrendi materiam vito ac rescindo. Solummodo verba Prophetæ conferenda sunt cum versione Paulina, quæ *uno* tantum vocabulo excepto, premit eam LXX Intt. Prius membrum, *Et veniet Tsioni Redemptor*, ut Hebræa sonant, dederunt οἱ ὁ. Καὶ ἥξει ἕνεκεν Σιὼν ὁ ῥυόμενος· *Et veniet* PROPTER TSIONEM *Liberator*. in quo nihil vitii. Hebræa enim לציון *Tsioni* id valent quod Int. expressit. Sed Paulus reddit, Ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος· *veniet* EX TSIONE *redemptor*. Qua specie? Qui *venturus* dicitur *Tsioni*: quomodo idem EX *Tsione* certus proditurus? Non reposuerim hic, *præfixam* ל subinde sumi significatione *ex*; vel quid simile aliud: verum unum illud teneo verissimum, Paulum hic loci non *unum* sed *plura* respicere *loca*, quæ ipse ad idem hoc tempus pertinere censuit; & præsertim quidem Ps. XIV. 7. cujus Odæ idem plane argumentum est quod hujus prophetiæ nostræ; ut non res ipsæ verum phrases etiam aliquæ consentiant. Ibi itaque postquam descripta esset summa & universalis aliqua corruptio, dum Ecclesia Dei ad exiguum redacta erat numerum: subjicitur votum in hanc formam: *Quis det* מציון EX TSIONE *salutem* (liberationem) *Israëlis!* (hoc est, ut Belgæ nostri recte: *Utinam salus Israëlis veniret ex Tsione!*) *Quando* REDUXERIT (verterit) *Jehova captivitatem Populi sui: exultabit Jacob, lætabitur Israël.* Idem ubi de solenni, atque illustri Judicio Dei in hostes [a]: Ex TSIONE, *decore pulchritudinis, Jehova coruscat.* Apostolus vero hæc loca miscens, & invicem pro more suo illustrans, simul nos ex iisdem monere voluit, hæc verba non pertinere ad Liberationem ex Exilio Babylonico; neque ad primum Christi Domini adventum. Quæris tamen, quo sensu commodo Christus Jesus extremo illo tempore venturus dicatur EX *Tsione?* Hic respondeo doctis & vere appositis verbis Cl. Cocceji [b]: *Quando autem* EI (Tsioni) VENIT, *tum quasi* EX EA PRODIT, *ut in ea & apud eam agnoscatur, qui antea non fuerat apud eam visus & cognitus.* Addo solummodo, Messiam dici *venire* EX TSIONE, tum quia vi promissorum ei factorum *venit*: tum quia *ejus caussa* venit; quæ ipsa notoria vis est præfixæ ל. Alterum membrum, *Et avertentibus se à transgressione in Jacobo*, exhibet Paulus cum τοῖς ὁ. Καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ· *Et avertet impietates à Jacobo.* Acsi legisset, מיעקוב ושיב פשע, pro eo quod nunc legitur, ולשבי פשע מיעקוב Sed non est probabile, τῆς ὁ. aliter legisse, ac Masorethæ exhibent: voluerunt sensum dare sententiæ, quem feliciter assequuti sunt, quemque Paulus probavit. Nec dubium, quin sensum hoc loco recte ceperint. Cum enim dicat Oraculum, Venturum esse Messiam *Tsioni*, hoc est, in commodum ejus; *& avertentibus se à transgressione in Jacobo:* significat, Messiam eo fine venturum, ut *Jacobum*, hoc est, Jacobi posteros, convertat à gravissimis peccatis, quæ hic פשע *transgressio, defectio*, dicuntur; quæque ille signat nomine ἀσεβειῶν *impietatum:* quo genere rectissime censentur omnes *blasphemiæ*, in nomen *Jesu* ab ipsis eructari solitæ. Sic Chaldæus: *Et veniet ad Tsionem Redemptor*, ויקוב לאורייתא ולאתבא מרודיא דבית & UT CONVERTAT TRANSGRESSORES (rebelles) DOMUS JACOBI AD LEGEM. Kimchius pariter, ad verba: *Et avertentibus se à transgressione in Jacobo*, adscripsit, כי אז ישובו כל ישראל בתשובה שלמה *quia tum* (post perditum sc. Gogum & Magogum,) *omnes Israëlitæ se convertent conversione perfecta.* Phrasis, שובי פשע *convertentes iniquitatis* hic est singularis; nec, quod sciam, alibi occurrit. Potest tamen quadantenus conferri, cum שביה *revertentes ejus*, hoc est, *ad eam*, Cap. I. 27. & נשוי פשע *sublatus transgressionis*, h. e. cujus ablata est transgressio, Ps. XXXII. 1. Plerique tamen Intt. ita acceperunt, ut שוב hic loci sit *avertere, convertere se, redire*, ut Hieron. sed Symmacho placuit, τοῖς ἀποστρέψασιν ἀσέβειαν ἐν Ἰακώβ· *iis qui aversati sunt impietatem in Jacobo.* pariter Aquilæ. Prius simplicius & magis convenit significationi vocis שוב, & versioni τῶν ὁ. quam Apostolus adoptavit. Sensus itaque est; finem *adventus* Messiæ, quo se manifestum faceret Populo Judæorum, fore, ut eos ad sinceram perduceret resipiscentiam à gravissimis criminibus, à majoribus per longum tractis; *incredulitate*, inquam, *obduratione cordis*, & *blasphemia veritatis Evangelicæ*, in quibus huc usque perstiterant; quo *gratiæ* ejus cum pœnitentia evaderent participes. Confer loca plane insignia Zach. XII. 10. seqq. & Ps. LXXXV. 1. seqq. Vide mihi interim, quam belle titulus LIBERATORIS ac GOELIS hic transferatur ad *Cyrum*, tanquam *aversurum peccata* à Jacobidis? Et tamen id placuit Grotio.

Agitur hic de adventu ad *Judæos*.

Paulina versio collata cum Hebræo textu.

Quatenus consentiat τοῖς ὁ?

An Paulus recte veterit, *ex Tsione?*

Respectus Ps. XIV. 7. & L. 1.

Cl. Cocceji interpretatio laudata.

Alterius membri comparatio cum *Versione Græca.*

Versio Græca hoc loco recte se habet.

Versio Chaldæi.

Communis sensus Intt. de voce שוב *convertere.*

MEMBRUM QUARTUM: Fundamentum & Signaculum hujus Beneficii; Promissio Testamentaria perpetuitatis Ecclesiæ in his terris, usque ad finem Sæculorum.

Membrum Quartum: Fundamentum & Signaculum hujus beneficii, &c. ℣. 12.

℣. 21. *Et vero* AD ME *quod attinet: hoc est fœdus meum cum iis, ait Jehova:* SPIRITUS MEUS, QUI EST SUPER TE; *& verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent* AB ORE TUO, *&* AB ORE SEMINIS TUI, *& ab ore Seminis Seminis tui, inquit Jehova, ab hoc tempore & usque in Sæculum.*] Claudit hanc prædictionem vere memorabilem Signaculum perfectæ charitatis Dei erga hanc Ecclesiam novam, ex Judæis & Gentibus inter se conjunctis compositam, donis Spiritus S. large perfusam, quo eam certam facit, nunquam futurum esse, ut dehinc ullo laboret defectu tum efficacis influxus Spiritus S. ad illuminationem & consolationem; tum claræ intelligentiæ doctrinæ salutis, ex Verbo Dei hoc tempore affatim illustrandæ. tenebras enim, quæ proxima ætate cum Orbe Ecclesiam quoque obsederant, pulsum iri; lucem tamdiu expectatam piis orituram; & gratiam hanc Ecclesiæ reparatæ dehinc perennem fore. Hic sensus est, ut putem, verborum Jesaiæ, quæ ab Interpretibus diverse tractantur; & inest vere in iis quod expediri mereatur. Quare sententiam integram relegam, & de sensu ejus disquiram. Præfatio una constat voce, ואני *Et* EGO. h. e. ad me vero quod attinet; ut in oratione Davidis [c]: אני EGO, *in corde meo fuit ædificare Domum quietis Arcæ fœderis Jehovæ.* Propheta noster eadem formula concisa præfatione rursus utitur in calce Libri [d], in aliis vocibus atque exemplis receptissima. Sunt autem verba hæc Jehovæ, quæ Chorus Propheticus refert, ut patet ex *medio commate*, & ex argumento Promissi ipsius; & quidem *Dei Patris*, cujus primus est ad *Spiritum* ejusque *dationem* respectus. [e] *Et Ego*, ait; sive *ad* ME *quod attinet:* cum Status Ecclesiæ libertatæ ab influxu meæ providentiæ ac Gratiæ maxime censeatur perdere, non patiar eam in me quicquam desiderare; quin procurabo, ut gratia mea constantius & æquabilius quam factum hactenus, fruatur. Quare hoc

Verba relegantur. Hebræa Et ego, quomodo accipienda?

Oratio hæc est *Jehovæ*, & quidem Dei Patris.

Distinctius declaratur.

[a] Ps L. 2. [b] Ad *Rom.* XI. 26. [c] 1 Par. XXVIII. 2. [d] Cap. LXVI. 18. confer 1 Joh. II. 27. [e] Confer Luc. XI. 13. Joh. XIV. 16.

hoc *Promissum* tanquam *Testamentarium* hic consigno. id enim volunt verba, זאת בריתי אותם *Hoc est fœdus meum cum iis.* Deus, stylo Scripturæ, dicitur *fœdus* cum aliquo *icere*, ubi *promissa Gratiæ* irrevocabilia, nixa certo atque absoluto Decreto, interveniente morte Filii Dei confirmanda, ei solenniter notificat, dat, & confirmat. quod hoc tempore non adstruo. Confer Cap. LIV. 10. *Cum* IIS, ait Os Divinum. Videlicet *cum* HIS quorum in superioribus facta erat mentio, hoc est, *Ecclesia Liberata*, accessione GENTIUM & JACOBIDARUM insigniter honestanda, & unum facturа Populum. Cum enim Jacobidæ, Ecclesiæ adjuncti, utique partes non facerent in Domo Dei, sed cum Gentibus coaluscerent in unum corpus spirituale: non est par credere, promissum hoc iis dari seorsim à Credentibus Gentium, quibus illi, quique ipsis, arctissime adhærerent. Sed idem ex argumento Promissi clarius etiam patescet, quod non ad *partem* Ecclesiæ, sed ad *totam* pertinet. Est illud conceptum his verbis: *Spiritus meus qui est super* TE, & seqq. Prudentis Interpretis hic est demonstrare Subjectum *secundæ personæ*, ad quod oratio vertitur in verbis, *super* TE; *in ore* TUO; *seminis* TUI. Primo oculo inspecta lectaque verba videntur suadere, designari hic JESAIAM *ipsum*; ut sensus dicti sit, Deum *Ecclesiæ* hoc *secare* Promissum certissimi effectus; Eam semper gavisuram esse dono illius *Spiritus* qui *super Jesaiam* erat, eaque *doctrina* quam ipse Populo inculcaverat; & *effectis* promissorum luculentorum, quæ promulgata Ecclesiæ relinqueret. Nihil vitii esset in interpretatione, si scriptum esset, *Spiritus meus qui est super te, & verba quæ posui in ore tuo non recedent* מפיך ומפי זרעך, ומפי זרע זרעם, IPSORUM, *à semine & ab ore seminis seminis* IPSORUM. Sed Spiritum S. non recessurum à semine & nepotibus Jesaiæ; quis ei, aut Ecclesiæ promissum putet? Hieronymus tamen hic non dimittit Jesaiam; & hæc ipsa quoque verba ad eum transfert; *ut*, ait, *omnis per seriem generatio demonstretur; quod scilicet gratia prophetarum in Apostolis veniat, & per eos qui de Israël per Apostolos crediturі sunt.* Sed si verba hæc de Jesaia dicantur: per *semen & semen seminis* intelligendæ sunt *generationes* ex ipso Jesaia ortum ducturæ: quas si mystice accipias pro his omnibus, qui sequenti tempore eodem *Spiritu* potirentur; novitas phrasios, in tali circumstantia positæ, forte minus probabilem fecerit expositionem. Sunt itaque qui prædicti hujus sive promissi Subjectum faciunt *Messiam Redemptorem*, de quo facta erat mentio; ut promissum Ecclesiæ factum in hanc resolvatur sententiam Patris; *Spiritus S. qui super te est, Christe, ... non recedet ab ore seminis* TUI, sc. mystici, h. e. omnium in te credentium; secundum id quod dixerat Vates Cap. LIII. 10. *Si posuerit anima ejus pro peccato; videbit* SEMEN. Confer Cap. VIII. 18. Plerosque, ait Hieronymus, ita capere; & sunt sane ex Recentioribus plures, inter quos Belgæ quoque nostri. Nec potui tamen, fateor, sensum meum ad hanc interpretationem accommodare. α. Quia Christus Jesus hic non occurrit sub schemate PROPHETÆ, ut Cap. LXI. 1. sed sub imagine GOELIS, Ῥυομένου, *Liberatoris* & *Vindicis*, jam locati ad dextram Dei Patris in cœlis, qui de *hostibus* suis *vindictam* sumeret; cui non videtur satis apte tribui illud, *Spiritus meus qui est* SUPER TE: quippe quod attributum ejus est quà Doctoris & Prophetæ inter homines versantis. β. In *unico loco* notato ei tribuitur *Semen*: sed phrasis, *Semen seminis*, nos vere ducit ad cogitandum de successione generationum secundum Naturæ Legem; neque aliter in Sacris usurpatur. Mallem sane, si nihil haberem probabilius: cum Kimchio Hebræo duplex hic statuere Subjectum; ut priora, *Spiritus meus qui est super te, & Verba mea quæ posui in ore tuo*, referantur ad Prophetam: sed quæ sequuntur, *Non recedent ab* ORE TUO, & seqq. ad *Israëlem*; per enallagen Personæ, in Scripturis Propheticis minime insolentem. Sed suppetit nobis aliud, quod, nisi fallor, nihil dubii relinquit. Verba pertinent ad *Ecclesiam* instauratam, ex Judæis & Gentibus collectam, qua facie se conspiciendam daret, postquam à scandalis purgata, & illustri ultione de hostibus sumpta, vindicata esset. Id enim ipsa præfatio præfert, *Hoc est fœdus meum* אותם *cum* ILLIS. h. e. hoc promisso me iis obligo; sive, hoc bonum iis Testamento legatum me præstiturum, spondeo. Ergo utique sequentia æquum est exponere de quodam *Beneficio*, quod in ipsis illis hæreret personis, quibus hoc promissum condicitur. Quod vero mutatio hic fiat personæ ex *tertia* in *secundam*: fit per Enallagen frequentissimi usus, maxime in Scriptis Propheticis; cujus exempla multa exhibet Glassius *a*. Ex multis, in hoc Libro obviis, suis in locis notatis, cape unum, de loco Cap. XXXIII. 2. *Jehova, miserere* NOSTRI; *te exspectavimus: esto brachium* IPSORUM *quolibet mane.* Non tamen hic excluси alium respectum, sed qui tamen enallagen postulet. Pertinet ad elegantiam usus Sermonis Hebræi, *personas*, & *modos verborum*, sæpius mutare. Summa itaque Promissi hujus Fœderalis ἐμφάσεως caussa ita hic repetitur, ut oratio hic directe à Deo vertatur ad Populum suum *Israëlem*, ut eum tanto fortius afficiat. Excipis, Deum hic dare promissum *permansionis Spiritus sui apud* illud *Subjectum*, de quo loquitur: atqui nulla mentio facta fuerat *Spiritus Dei*, Ecclesiæ dati. Id unum vere est, quod hic expediri meretur. Ita est, *dati* vel *dandi Spiritus S.* uberiore mensura hic exerta memoria nulla præcessit, nisi quod *superiori commate* dictum esset, *Spiritum Jehovæ vexillum erecturum esse adversus hostes*: quod tamen huc non refero. Ajo itaque, id ipsum supponi & involvi his verbis; quæ plus continent quam prima eorum lectio exhibet: quod unum non animadversum multis difficultatem peperit qua se expedire nesciverunt. Habe igitur integram sententiam in hunc modum expositam: *Et dabo tibi* (Populo unito ex Judæis & Gentibus, in Ecclesia liberata) *Spiritum meum*, uberiore copia, quam hactenus gavisus es; & *Spiritus* ille *meus, qui super te est*, vel erit, & VERBA MEA *quæ posui in ore tuo*, ... *non recedent ex* ORE TUO, & seqq. Sic omnia clara & facilia; & reliquis prophetiis ac promissis consentanea. Omnia enim promissa & prædicta dandi Spiritus S. ut primum & verissimum implementum suum consequuta sunt in Oeconomia Nova; sic complementum accipient in hac Ecclesia Liberata, ejusque Statu glorioso, & Bonis donisque gratiæ insigniter exuberante; docetque Deus, nunquam dehinc fore, ut hic fons arescat. Pertinet huc quod dicitur apud Zachariam *b*: *Et effundam super Domum David, & incolas Hierosolymæ*, SPIRITUM GRATIÆ & PRECUM; *& intuebuntur in me quem transfoderunt; & plangent super eum, & seqq. Inchoatum* implementum habemus Act. II. 37. seqq. sed *Completum* nondum vidit Ecclesia. *Planctus* enim hic est amarus planctus respiscentium, & ad Christum Jesum conversorum Judæorum, totam occupaturus & pervasurus Gentem. Judæi ipsi huc referunt loca Jer. XXXI. 31. seqq. Joël. II. 28. Ezech. XXXVI. 27. & præsertim cap. XXXIX. 29. *Et non occultabo amplius faciem meam ab iis,* (post bellum Gogi & Magogi,) אשר שפכתי את רוחי על בית ישראל *postquam effuderim Spiritum meum super Domum Israëlis.* qui locus directe huc pertinet, mystice & vere sumptus; nec aliam patitur interpretationem. confer ex Vate nostro cap. XXXII. 15. Simul, quod hic dicitur; *Et verba mea quæ posui in ore tuo*, analogum est ejusdem Vatis nostri dicto cap. LI. 16. *Et posui* VERBA MEA IN ORE TUO, *& umbra manus meæ protexi te.* Certe Prophetæ omnes, & Doctores sub Oeconomia Nova, sunt ex Ecclesia, & ad Ecclesiam pertinent. Sic constat sibi sensus hujus illustris pericopæ; ex qua in usum nostrum proficimus, Ecclesiam duraturam usque ad Sæculi consummationem; liberatam vero novissimo tempore nunquam sejunctum iri à *Verbo Dei* quod ingentis beneficii loco

Hoc est fœdus meum cum iis. Notio *fœderis* quomodo hic sumatur?

Promissi hujus est generale objectum, tam *Gentes* quam *Judæi.*

Subjectum secundæ personæ in verbis, *Super* TE, investigatur.

An hic designetur Jesaias ipse?

Hieronymi sententia.

Num potius Subjectum hic sit *Messias?*

Rationes, quæ huic sententiæ videntur obstare.

Hebræi Int. sententia.

Verba referuntur ad *Ecclesiam.*

Quod demonstratur ex præfatione promissi.

Enallage *personæ* in Sacris recepta.

Occurritur dubio, adversus expositionem inferendo.

Integra sententia Vatis enarratur.

Tempus implementi hujus Promissi.

Locus Zachariæ, cap. XII. 10. sqq. & ad eum animadversio.

Documentum ex hac pericopa collectum.

a Gram. S. Lib. IV. Tract. II. *Obs.* XVI. XVII. & *Philol.* Lib. I. *Tract.* IV. Sect. I. Can. 6. *b* Zach. XII. 10. seqq.

loco in Ecclesia prædicatur, legitur, & meditationibus sanctis subjicitur: ut qui *Spiritum privatum* jactant extra & citra *Verba* quæ Deus posuit *in ore Ecclesiæ*, audiendi non sint.

Implementum *Prophetiæ.*

Inquiritur in *Implementum* prophetiæ. Notitiæ ex hac prophetia in summam collectæ.

I. Interpretatio proximæ hujus *Sectionis*, qualem exhibui, has complectitur notitias. α. Ecclesiam eam, & quidem ab idololatria purgatam & in meliorem Statum instauratam, quam Deus pro Populo suo haberet, sibi quod ad spectabiliorem ac valentiorem ejus partem, maximam contracturam esse labem, multisque obrutum iri scandalis, præcipue orturis ex dissidiis & dissensionibus in caussa Religionis, quæ à potiore & prædominante parte factiosorum & immoderati ingenii hominum, in quibus multi laterent animo profani, spreta omni judiciorum æquitate, ad sinceram partem trahendam atque opprimendam, impotenter agitarentur. β. Eandem hoc Statu oppugnatum iri à potentissimis hostibus, in exitium atque exterminium ejus conspiraturis. γ. Neminem fore potentem & auctoritate ac viribus pollentem Principem, qui pro Ecclesia illa in extremas angustias redacta & extrema omnia metuente, se ausurus esset interponere, & caput objicere periculis pro ea vindicanda. δ. Deum itaque ipsum, sive Filium Dei, hoc temporis articulo compariturum, & vindicias Populi afflicti, intus corrupti & oppressi, & extus oppugnati vel oppugnandi, conspicuo & illustri modo acturum esse, hostesque suos & Ecclesiæ gravissima ultione prosequuturum, & aream suam purgaturum esse. ε. Eo effectu, ut Gentes per Occidentem & Orientem ad Deum conversæ Nomen ejus revererentur, veramque profiterentur Religionem. ζ. Et Judæi, huc usque rebelles, immorigeri Evangelio, & blasphemi, ad conspectum & fidem veri Goëlis Messiæ, Redemptoris & Servatoris Mundi, perducerentur: η. Atque unam cum Gentibus facturi Ecclesiam largo influxu Divinæ Gratiæ ad finem Sæculorum gauderent, & Deo uterentur præsente ac propitio.

Prophetiæ analogæ, similes prædicentes Eventus.

II. Sunt autem huic prophetiæ analogæ plures, in quibus comparent hi characteres Ecclesiæ ad summas angustias redigendæ per hostes eam afflicturos; & per Deum ipsum glorioše liberandæ, vindicta de hostibus sumpta formidabili cum effusione multi sanguinis: cujus liberationis consequens esset Gentium ac Judæorum, in unum corpus uniendorum conversio, lætusque ac optatus illius Ecclesiæ Status in longum duraturus. Jecerat fundamentum Moses in *Cantico*, (Deut. xxxii.) fidelis in tota Dei Domo, qui persecutus fata temporum Ecclesiæ, tandem graphice describit vindictam à Deo in fine Sæculorum de hostibus sumendam ut complementum totius Dei operis. Dixerat ℣. 34. *An non illud pugno conclusum est apud me, obsignatum in thesauris meis? Mea est vindicta & retributio, quo tempore pes illorum nutabit. Nam propinguus est dies calamitatis ipsorum; & festinant parata ipsis. Nam* JUDICABIT JEHOVA POPULUM SUUM, *&* SUPER SERVIS SUIS POENITUDINE AFFICIETUR; *cum videbit quod abierit manus*, (nullus potens auxiliator adsit,) *& nihil est inclusus & relictus*, (qui in præsidiis & oppidis relinqui solent custodiæ caussa, vel ad extremum necessitatis casum reservantur, nullis sint ad liberandum viribus:) Deinde post injectam mentionem hostium falsis Diis fidentium, ℣. 39. *Videte nunc quod Ego, Ego is sum, & non est Deus mecum.... Cum acuero fulgorem gladii mei, & apprehendet judicium manus mea: reddam vindictam hostibus meis, & osoribus meis vices rependam. Inebriabo tela mea sanguine; & gladius meus vorabit carnem; ex sanguine exanimati & captivi:* (pertinet ad prius membrum, *Inebriabo tela mea sanguine:*) *è capite Inimici pilosi* (referendum ad posterius:) CANTATE GENTES, POPULUS EJUS. (Apostolus [a]; Μετὰ τῦ λαῦ ἀυτῦ· CUM POPULO EJUS. h. e. cum *Populo ejus*, Judæis, conjungendæ. Viden' *Gentes* hic *Populo ejus* ordine præponi?) *quia sanguinem servorum suorum vindicat; & ultionem retribuit hostibus suis; &* EXPIAVIT TERRAM SUAM, POPULUM SUUM. Qui Jesaiam cum Mose confert, facile videt, eos ex eodem fonte hausisse aquam: perinde ac reliquos Prophetas, apud quos bene multa extant ejusdem argumenti dicta, sive prædicta, de ingente strage hostium à Deo Vindice Populi sui facienda cum Judiciis in eos singularibus, ad liberationem Populi Dei in summas redigendi angustias: quæ cum mihi nunc non liceat describere, releges, si placet, ex aliis Ps. x. xi. lxviii. 22--24. cx. 6. Dan. xii. 1. seqq. (mystice sumpto loco,) Joël. iii. 9. seqq. Zephan. iii. 16. (eodem emblemate,) seqq. Zach. xiv. 2. 3. ubi idem rursus σχῆμα prophetiæ. Matth. xiii. 41. Luc. xviii. 6--8. Apoc. xiv. 18--20. xvi. 16. xix. 11. seqq. quæ fere loca jam adduxi ad expositas prophetias hujus Libri, Cap. xi. 4. (membro *posteriori*,) xxv. xxvi. xxvii. (sensu mystico,) xxxiv. xxxv. quæque repetendæ sunt in exponendo illustri schemate, Cap. lxiii. 1. seqq. Omnes hæ, & analogæ aliæ prædictiones exeunt in eundem sensum.

Parallelia utriusque prophetiæ.

Aliæ prophetia ejusdem argumenti.

III. Quære jam earum implementum in Eventibus Ecclesiæ Veteris aut Novi Fœderis, quos historia exhibet: non inveneris perfectum; certe nullum, in quo characteres omnes, hic consignati, simul adsunt. Non convenit figura hæc tota in omni circumstantia sua Liberationi ex Exilio Babylonico. Prodiit Deus tum temporis ut *Heros & Vindex* Populi sui [b], & fieri potest atque credibile est, multum quoque tum fusum esse sanguinis. Verum Ecclesia, cui illa Liberatio obtigit, se jam *converterat* ad Deum Patrum; nec afflictio aut angustia ejus comparari potest cum afflictione & Statu Populi Dei qualis hic describitur. Idem obstat cur à nobis non referatur ad afflictionem & Liberationem Ecclesiæ circa tempus Constantini. Non consentiunt characteres. Forma Ecclesiæ Christianæ à Paganis Imperatoribus vexatæ, & afflictæ, & tandem à Deo in ipsis illis Imperatoribus Patronos nactæ, (quod agnosco esse magnum vere & maximum opus Dextræ Dei ut Heröis, exertæ ad vindicias Ecclesiæ [c],) non respondet huic speciei. Nulla est comparatio nisi in *Vindiciis*; earumque Consequentibus, Conversione Gentium, & Pacati florentisque Ecclesiæ Statu: cætera dissimilia sunt. Quid multis? Historia non exhibet simile ejus quod hic prædicitur nisi in temporibus Maccabaicis; quibus Ecclesia ex Babylone liberata, & ab idololatria purgata, in gravem & pene generalem incidit corruptionem, dum boni qui supererant panciores numero à potentibus, iisque magnam partem profanis, opprimebantur; & Syriæ atque Ægypti Reges conspirabant ad Religionem veram exterminandam: Syri autem Populum Dei in Canaanæa, ab impiis Rectoribus ipsius Populi & Exercitibus suis suffulti, undique angebant premebantque ut miseris nullam plane spem relinquerent Liberationis: quando Deus, cum omnia desperata essent, excitavit Heröes Maccabæos, à quibus nemo salutem expectabat; & per eos Populum vindicavit in Libertatem: de quo mirabili eventu, ad quem in variis hujus Libri prophetiis respicitur, sæpius verba feci. Quin certe non inficior, sic esse conceptam orationem Prophetæ, ut videatur imaginem temporum Maccabæorum in oculis habuisse, ut ad eam tanquam typum Eventum majorem, sed plerisque partibus analogum, describeret: quod idem fit in aliquibus illorum locorum, quæ modo ut nostro consentientia, indicavi. Sed neque Judicia Dei hostibus hoc tempore inflicta, licet vero gravia, æquant vim orationis Jesaiæ aliorumque Vatum de hoc memorabili Judicio nostro loquentium; neque Consequentia, *Conversio* Gentium per *Orientem* & *Occidentem*, & florentissimus Ecclesiæ Status, mox inspiciendus, hic demonstrari possunt, nisi in leviſſima umbra. Vaticinia autem Dei omnia oportet ἐμφατικῶς & potenter impleri. Imo vero hæc Vati-

Earum implementum huc usque perfecte demonstrari nequit.

Non in Liberatione Populi Judæi ex Exilio Babylonico.

Neque in Liberatione Ecclesiæ, curatæ per Constantinum.

Umbra ejus existit in Libetatione Maccabaica.

Locus ex Cantico Mosis, Deut. xxxii. 34. seqq. & 39. seqq.

Conformatio prophetiæ ad illum typum.

Nec tamen ille Eventus satisfacit prophetiæ.

[a] Rom. xv. 10. [b] Confer Cap. xlvii. 3. 4. [c] Confer Cap. xlii. 13--15.

Censensus hujus prophetiæ cum *Apocalypti*s docet, perfectum implementum ejus non extitisse sub V. T.

Vaticinia huc usque implementum suum consecuta non esse, patet utique ex *Apocalypsi*, quæ phrasibus Prophetarum usa, & ad ipsas hasce prophetias alludens, Judicium illud refert ad finem temporum. Quin Judæi quoque Intt. ut supra observavi, referunt pericopam ad finem temporum: licet infeliciter se expediant in hac sententia cum hypothesi concilianda. Cum enim superiora hujus *Capitis* dicta accipiant de Statu Populi temporis Prophetæ: ubi, quæso, in hac prophetia tota cohærente pedem figent, nisi saltum faciant immanem quo deferantur ad *Redemptionem* quam ultimo tempore à Messia exspectant. Abarbenel quidem tentat ad ℣. 15. *Et fuit veritas deficiens, &c.* Kimchius ad sequentia ℣. 16. *Et vidit, nullum esse virum, &c.* quantum observare potui, uterque frustra, & absque ulla specie probabili.

Judæorum hac parte consensus.

Implementum ejus quærendum est in Ecclesia egressa Babylonem.

IV. Quærendum itaque, ex hypothesibus superius assumptis, implementum in Ecclesia egressa Babylonem mysticam, ejus Ecclesiæ repræsentamine quæ à Deo olim ex Babylone proprie sic dicta vindicata est. Equidem illa jam ab initiis in omnibus fere illis terris, in quibus sedem tandem stabilem obtinuit, subiit difficillimam luctam, in Germania inprimis, Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, ut ubique ex conspiratione hostium veritatis opprimenda videretur, & tantum quod orta interitura; sed eadem experta est admirabilem Dei in omnibus hisce locis erga se providentiam, qua factum, ut nata ubique veluti renata sit, creverit, & adoleverit: de quo ex historia copiose disserui ad Apoc. XI. 7--9. Vindiciæ quoque plane singulares & inexspectatæ, quas Deus suæ exerens majestatis dextram, Germaniæ *superiore Sæculo* præstitit per Gustavum Adolphum, & Heröes, vestigiis ejus insistentes; & Belgio nostro, extrema omnia metuenti, in Britannia reducta & suo loco restituta, bellisque inde cum potentissimis Regibus pro meliore caussa successu omni exspectatione humana superiore, gestis: totidem censeri debent Providentiæ ejus & curæ erga Ecclesiam miracula, grata mente deprædicanda: nec tamen in iis Eventibus hactenus vidimus hujus Vaticinii implementum. Utique enim licet Ecclesiæ Protestantium sibi ubique fere magnam contraxerint labem, multisque laborent vitiis & scandalis, de quibus pii dudum conquesti sunt & verissimas fuderunt querelas: (etsi Ecclesiarum omnium non eadem sit facies:) & semina quoque ac species vitiorum quæ hic censentur, dudum in iisdem Ecclesiis pullulaverint: nemo tamen, nisi iniquissimus judex & censor, σχῆμα hac prophetia descriptum præsenti illarum Ecclesiarum Statui applicare velit vel ausit. invidiosas enim voces querulorum nostri temporis; esse totas mundanas, & recte dici partem facere *Babylonis magnæ:* non moror. Spiritus Dei hactenus infinito Gratiæ Divinæ Beneficio, è medio nostrum non recessit; quin supersunt in hac Ecclesia multa eaque insignia vestigia Divinæ Gratiæ, olim forte meliori & sanctiori profutura. Hactenus etiam eadem Ecclesia non sensit *angustias* illas *universales*, quæ hic memorantur; nec adventum Domini ad severitatem in puniendis hostibus adeo illustrem; aut tam læta consequentia optatissimi ac florentissimi Status Ecclesiæ, qualia hic signantur. Est itaque ratio exspectandi in futurum, quod partim horremus, partim speramus & optamus. Fuit hæc præsensio præclari, si cujus alius & æternum memorandi Viri, Jacobi Usserii, qui ut raro exemplo recentioris ævi prædixerat pluribus ante annis Calamitatem Hiberniæ eventuram, & motus Anglicanos: sic non semel, sed sæpius solitus erat magna fiducia affirmare *a*, *impendere Ecclesiæ calamitatem universalem, omnium quas hactenus sustinuerat, gravissimam; & Romano tum subito casuram; quando omnium maxime secura statui suo confidebat; instituendam autem hanc persecutionem à Pontificia Secta; hypocritas & nomine tenus Christianos, qui exterius Dei Templum faciunt, tum præcipue occubituros; qui interius Dei Templum constituunt servandos; & hanc extremam afflictionem sequuturum glorioſum optatumque Ecclesiæ Statum.*

Integrum Implementum spectat *tempus* futurum.

Jacobi Usserii prædictio.

Lineæ omnes hujus prophetiæ in ea hactenus ostendi nequeunt.

De Statu earum præsente æquum Judicium.

V. De *Modo* quo Deus hanc *Liberationem* exequuturus est, difficile est quicquam anticipare. Potest Deus hostes Ecclesiæ, ubi vult, suis perdere ac prosternere judiciis; *peste, fulmine, grandine, tempestate*, ut exempla extant in Canaanæis *b*, Philistæis *c*, & Assyrio *d*, sub Hiskia: sed prophetiæ omnes, & hæc quoque nostra, nobis subjicit cogitationem cladis bellicæ, qua hostes prosternendi sint, & multo sanguine casuri. ejusmodi Liberationum exempla duo occurrunt notabilia, vere per Deum effecta; unum Midianitarum armis in se invicem versis, dum Gideon cum trecentis electis à Deo instructus & suscitatus Heros, iis inter se miscendis occasionem præbet, eosque inter se concitat *e*, ad mutuam perniciem: alterum Maccabæorum, Heroico Spiritu à Deo indutorum, quo acti & incensi mirabilia illa facinora ediderunt ad Reipublicæ & Religionis instaurationem, quæ historia nobis ad stuporem contemplanda offert. Posterius hic videtur probabilius, Deus ipse, cum res Ecclesiæ plane collapsa, & fere desperata evaserit; excitabit sibi Heröes & Vindices Ecclesiæ non provisos, neque exspectatos, & per eos exequetur Judicia sua, adversariis decreta; cum signis adeo luculentis Divinæ præsentiæ & favoris, ut nemo dubitaturus sit, *manum* esse *Dei*, hominum manibus pugnantis, ad Vindicias & Liberationem Populi sui afflicti. Sic rem conceperat magnus Ecclesiæ & oppressæ Germaniæ Vindex, Gustavus Adolphus, qui cum familiares, vitæ ipsius caritate moti, ipsum à periculis abstinere vellent; inter alia fidenter respondisse fertur, *Nosse Deum, ubi & quandiu ipso uti vellet. quin futurum esse, ut Deus tandem suscitaret tales, qui se plus valerent. Opus enim Dei non pendere à re levi, neque ab uno homine.* quæ verba nobis servavit præclarus Theologus & Historicus *A*. Sic sunt viæ Dei: sibi deberi vult salutem Ecclesiæ; quod Belgium nostrum post Galliam *f* frequentissimis & memorabilibus Eventibus expertum est. Quinam vero hostes illi sint futuri, magni ac potentes Principes adversarum partium:

De *Modo*, quo Deus *Repurgationem & Liberationem Ecclesiæ* effecturus est, nihil in antecessum definiri potest.

Exempla ex historia Vetere.

Dictum Gustavi Adolphi.

a Videri potest Dillinghamus in *Vita* Usserii, p. 79. sed pressius & copiosius in *Prædictionibus Propheticis* Usserii, seorsim Londini impressis, & in vernaculam nostram translatis, A. CIↃIↃCLXXXVI. *b* Jos. X. 11. *c* 1 Sam. VII. 10. *d* Jes. XXX. 30. XXXVII. 38. confer Ps. XI. 6. Ezech. XXXVIII. 22. *e* Jud. VII. 22. *f* Spanhem. in *Milite Succo*, Part. I. p. 192.

A Religionis caussa nullibi fere bellatum est, nisi in Galliis, sub Car. IX. & Henr. III. nec putem in Mundo esse historiam, ex qua Divinæ Providentiæ in Populo suo vere exorbitante in Bellis civilibus castigando; & eodem simul liberando ac servando, clariora deprehendere licet vestigia. Post lanienam Parisiensem terribilem, per totius fere Galliæ celebriora quoque oppida grassatam; *manus* omnis Populi Dei *abiisse* videbatur; heroibus & Vindicibus Religionis purioris vel extinctis, vel in Aula ad fidem Religionis mutandam coactis: multis ubique aliis à professione vera per totum Regnum deficientibus, ut Anonymus, fidelis inprimis & pius Historicus, qui *Statum Reipublicæ & Religionis* sub Car. IX. & Henr. III. accurate describit, diserte dicat, (Ad a. CIↃIↃLXXII. Part. II. pag. 61. col. 2.) *Itaque* DE RELIGIONE, *in Gallia quidem*, ACTUM PENITUS VIDEBATUR; *& hac de re odiosis verbis disputabant eorum complurimi, qui superiorum bellorum temporibus, istorum suscipiendorum caussas maximopere etiam commendarant.* Sed ecce! Deus contra omnium exspectationem, omnium animis dejectis & prostratis, suscitat. Vindices ex Nobilitate aliquos in Delfinatu, Septimania, Aquitania, inter quos eximii Carolus Puteanus Monbrunius, & Franciscus Bona Diguierius; (qui tamen provectus ætate post res strenuissime gestas in caussa bona partes dignitatis majoris respectu deseruit:) dirigitque hostium consilia ad Rupellam frustraneo conatu obsidendam: multo luendam sanguine Parricidarum Parisiensium. Mombrunii autem, fortissimi & Religionis amantissimi Viri, initia constabant *octodecim equitibus, & veteranis militibus viginti duobus*, quibus in citerioribus partibus omnia restituit: ut vere, quod idem Historicus, alio loco, (ad A. LXXV. Part. III. pag. 147. col. 2.) *Religiosos è lanienarum vastitate* SOLO DEI PRÆSIDIO VICTORES *fuisse, scribat*; & alibi huic casui intentus, (p. 174. col. 2.) *se Dei Opt. Max. misericordiam contemplari, qui* HUMANIS *illis* PRÆSIDIIS *suos ita destituit,* UT IN IPSORUM INFIRMITATIBUS AUGUSTA PRORSUS RATIONE TRIUMPHET. Quin Maimburgius ipse in *Hist. Calvin.* p. m. 488. 489. *Longe aberat, ut Lanienæ Parisiensis & tot aliarum Urbium, abolevert, vel saltem infirmaverit Calvinismum: ut è contrario magis radicatus fuerit, & multo potentior, ac terribilior evaserit quam ante.* Idem eventus fuit *Confœderationis*, auctoribus Lotharingis Principibus initæ, & ab invito Rege Henr. III. firmatæ, *ad Religionem Reformatam exterminandam*, Res contra cessit; & eam in illorum caput vertit, sanguine illorum expiandam.

liceret forte aliquid per conjecturam anticipare & præsumere ex præsente Rerum Europæarum Statu, comparatione facta cum his quæ certa historia docet de conjuratione potentissimorum sui temporis Principum, Henrici II. & mox Carol. IX. ejusque nomine Catharinæ Mediceæ, Galliarum; & Philippi II, Hispaniarum, Regum: sed prudentius est arcanis Dei consiliis relinquere quæ animus meminisse horret. Videri interim possunt à me scripta in Apoc. XVI. 13. seqq.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS TERTIÆ

Sectio Nona.

Status Ecclesiæ sive *Civitatis* Dei, illuminatus & gloriosus, qualis post devictos subactosque hostes ejus, amotaque scandala, appareret; veraque & nativa facie sua fulgeret, copiose describitur, sub figuris maximam partem symbolicis, & huic emblemati scite aptatis. Collustrata luce Divinæ gloriæ Gentes undique ad eam concursuras, Gentiumque Reges & Principes ei servituros, viresque & opes suas ad Religionem, quæ Statum Ecclesiæ sustinet, honestandam lubenter collaturos, sinu suo exciperet: à prudentibus ac fidis Antistitibus administraretur: hostes sive vere sive simulate eam comiter ac summisse venerarentur: quicquid huc usque ex donatione Divinæ gratiæ in ea laudabile ac pretiosum fuerat, multo se quam ante ostentaret splendidius: malis & afflictionibus, quibuscum longum luctata fuerat, liberata, Deo uteretur præsente & lumen claritatemque suæ majestatis super eam repandente: impuros omnes communione sua excluderet; & denique his tantis privilegiis in longum frueretur.

CAPUT LX.

Textus Cap. LX.

1. SUrge, luce, quia venit lux tua, & gloria Jehovæ super te oritur.

2. Nam ecce! tenebræ operient terram, & caligo nationes: sed super te orietur Jehova, & gloria ejus super te conspicietur.

3. Et ibunt Gentes ad lucem tuam, & Reges ad splendorem tibi exortum.

4. Attolle circumquaque oculos tuos, & vide: Omnes illi congregantur; veniunt ad te. Filii tui è longinquo venient, & filiæ tuæ ad latus portabuntur.

5. Tum timebis, & *præ gaudio* difflues; & pavebit seque dilatabit cor tuum; quando ad te vertetur copia maris, divitiæ Gentium tibi venient.

6. Agmen camelorum operiet te: cameli juniores Midianitarum & Ephæorum. Omnes illi ex Sabæa venient: aurum & thus adferent, & laudes Jehovæ enarrabunt.

7. Omnes oves Kedarenæ tibi congregabuntur: arietes Nabathæorum ministrabunt tibi: ascendent cum complacentia altare meum; & Domum meam magnificam condecorabo.

8. Quinam illi, qui instar densæ Nubis volant, & tanquam columbæ ad columbaria sua?

9. Quia me insulæ exspectant; & naves Tarteßi in initio, ad adducendos filios tuos è longinquo: argentum ipsorum & aurum ipsorum cum ipsis: propter Nomen Jehovæ, Dei tui; & propter Sanctum Israëlis qui te exornat.

10. Et ædificabunt Extrarii muros tuos; & Reges illorum tibi ministrabunt; quia cum in fervore meo te percusserim, acceptatione mea misertus fui tui.

11. Et portæ tuæ semper apertæ erunt: interdiu & noctu non claudentur: ut adducatur ad te copia Gentium, & Reges illorum cum comitatu.

12. Quippe Gens illa & Regnum, quod tibi non serviverit, peribunt; & Gentes illæ omnino desolabuntur.

13. Gloria Libani ad te veniet; abies, ulmus, & buxus, pariter: ad ornandum locum Sanctuarii mei: utique locum pedum meorum honorabo.

14. Ibuntque ad te curvi filii illorum qui te afflixerunt; & incurvabunt se ad plantas pedum tuorum omnes qui te spreverunt; & vocabunt te Civitatem Jehovæ; Tsionem Sancti Israëlis.

15. Pro eo quod fueris derelicta & exosa, ut nemo te transiret: ponam te in excellentiam perpetuam; gaudium cujusque generationis.

16. Et suges lac Gentium, ac mammas Regum suges; & cognosces, me esse Jehovam, Servatorem tuum; & Assertorem tuum, Heröem Israëlis.

17. Pro ære adducam aurum; & pro ferro adducam argentum; & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & ponam Præfectos tuos pacem, & Exactores tuos justitiam.

18. Non audietur amplius vis in terra tua; vastatio & contritio in limitibus tuis: quin appellabis muros tuos salutem, & portas tuas laudem.

19. Non erit tibi amplius Sol in lucem diei; & ad splendorem Luna non lucebit tibi: sed Jehova tibi erit in lucem perpetuam; & Deus tuus tibi erit ornamento.

20. Non occidet amplius Sol tuus, & Luna tua se non recipiet: quia Jehova tibi erit in lucem perpetuam; & completi sunt dies luctus tui.

21. Et ad Populum tuum quod attinet: omnes illi justi: in sæculum possidebunt terram: Surculus plantationum mearum; opus manuum mearum, ad mihi conciliandum decus.

22. Parvus erit in mille; & exiguus in Gentem validam. Ego Jehova in tempore suo illud accelerabo.

Argu-

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis.*

EXhibetur hoc Emblemate Status Ecclesiæ ea perfectione, quæ ad cœlestem proxime accedit; quoque pulchrior & glorioſior concipi nequit; ut nemo hanc prophetiam legat absque delectatione; & specie hujus imaginis non vehementer afficiatur; licet hactenus Exemplum ejus, ubi extet aut quærendum sit, ignoret. Chorus Propheticus hic compellat Societatem aliquam sub figura Civitatis, videlicet Hierosolymæ, (sive *Tsionis*, ℣. 14. licet Hierosolymam nominatim non appellet:) quæ Civitas supponitur sedere mœsta, & vero suo decore orbata, eamque excitat & hortatur, ut animum sumat, & vera specie sua se ostentet, dum salus tamdiu sperata optataque præsto adest, & gloria Divina, Gentes & Populos, qui huc usque desederant in tenebris crassæ ignorantiæ, illustratura, *super eam oritura sit* [a]. Protinus eam jubet circumflectere oculos, & adspicere ingentem concursum, tum civium suorum dispersorum; tum Gentium undique cum omni rerum suarum copia ad eam confluentium, summaque celeritate & studio se ei adjungentium [b]: quin docet, in partem venturos Reges & Principes terræ, non gloriam tantum suam in eam illaturos; verum etiam ei servituros, eamque omnimode foturos; & si qui id neglexerint, suo malo interituros esse [c]: quicquid præterea celsum est & eminet in terris, certatim Civitatem hanc Locumque Divinæ Majestatis ornaturum esse [d]: imo vero ipsos etiam hostes, qui eam oppugnaverant, afflixerant, contempserant, ei subjectum iri cum summisso obsequio ac reverentia [e]: subituram autem ipsam esse eam conditionis suæ mutationem, ut quæ nuper *afflicta* ac *deserta fuerat*, hoc tempore à Gentibus Regibusque earum colenda etiam ac blande fovenda sit; & omnia in ea olim æstimabilia meliora & splendidiora evasura sint; antistitibus porro usuram esse Viris bonis ac pacificis [f]; & longe afutura ab hoc Statu mala, calamitates, vastationes, felicitatem ejus interturbare apta [g]: claritatem autem & fulgorem lucis Divinæ gloriæ, qua collustranda sit, tantam fore, ut omnem aliam lucem sit extinctura [h]; eoque privilegio eam in longum gavisuram esse [i]; cives denique omnes eam constituturos, suis singulos dotibus excellentes, se justitia atque sanctimonia insigniter commendaturos esse, multamque ac numerosam post se relicturos sobolem. [k]

Scopus hujus *Sectionis.*

II. *Scopus* hujus *Sectionis* est *consolatorius*, ut ex *argumento* ejus facile liquet: explicat enim *spem Ecclesiæ*; quin sane *spem* ejus in hisce terris omnium *maximam*. Versatur autem oratio tota in hoc argumento æquabiliter, altius semper altiusque scandens; & nihil sibi permissum habet ἑτέρᾳ γένεσ. Imo vero promissa continet pura, nullis adstricta conditionibus hic expressis: etsi cætera nemo ignoret, Bona Novi Fœderis & Ecclesiæ omnia conditionibus adstringi. Sic solet Deus, ubi Ecclesiæ explicat purissimum suum erga eam amorem; lucemque oriri facit absque nubibus.

Scena hujus prophetiæ.

III. *Scena* hujus Visi instructa est uniformis. Civitas *Hierosolyma*, (ἐκ προλήψεως satis cognita,) hic introducitur tanquam *Fœmina* desidens *mœsta*, quippe varie hactenus *afflicta*, *deserta*, odioque & invidiæ exposita, (℣. 15.) quam Legatus unus aut plures Nomine Dei consolantur argumento non instantis tantum, verum etiam præsentis Liberationis & optatæ dudum speratæque status sui immutationis in melius; quam proinde copiosa oratione singulatim exequuntur, jubentque eam surgere, & suis *circumspicere oculis* (℣. 4.) confluxum Gentium, cum copia opibusque suis ad eam instruendam atque ornandam concurrentium.

In hoc *schemate* prophetia tota decurrit, licet subinde emblemata *Fœminæ* & *Civitatis* inter se permutentur, ut quædam attributa Ecclesiæ magis conveniant sub figura *Fœminæ*; alia sub emblemate *Civitatis*. Sed in mysticis hæc idem valent. Fixeris autem *scenam*, ex hypothesi nostra, in extrema Periodo Ecclesiæ, celebraturæ Sabbathum, & in Domino de hostibus suis triumphaturæ.

Occasio ejus editæ.

IV. De *occasione* editæ hujus prophetiæ nemo hic anxie quærit: cohæret enim cum toto contextu *Concionis* antecedentis, & cum pericopa extrema proximæ *Sectionis*, tanquam illius necessarium complementum. Tota quidem Concio enarrat Fata Ecclesiæ per cursum Sæculorum: proxima autem *Sectio* exhibet Liberationem Ecclesiæ longum afflictæ & extremo tempore tantum non oppressæ, ejusque restitutionem in statum meliorem, dudum desideratam, & spe, votis, ac precibus Piorum, fidem habentium amplissimis promissis Ecclesiæ datis, anticipatam. Ergo cum series temporum nunc pertigisset ad ipsum hunc *perfectiorem* & *Sabbathicum* Ecclesiæ *Statum*: æquum erat, hic non destitui exspectationem Ecclesiæ; sed omnino pertinebat ad solatium piorum, ut venirent in perfectam notitiam suæ spei. In universum vero multum prodesset, ut ipsi quoque illi, qui *per se* tempora hujus felicitatis non attingerent, ducerentur in conspectum Consiliorum & Operum Dei, eorumque perspicerent nexum; ut scirent atque intelligerent, in quid Moliones & Opera Dei tandem exirent; & quis eorum esset terminus ac complementum: quod ad Systema Sapientiæ Divinæ perfectius cognoscendum, & spem ipsorum in adversis ac difficillima lucta sustinendam, plane erat necessarium.

Analysis ejus.

V. *Sectio* hæc Prophetica sic est constructa, ut commodissime videatur dividi in duo *Membra*.

Primo occurrit PROPOSITIO GENERALIS de *optato* & *glorioso* Ecclesiæ Statu jam præsente: Quæ *Propositio*

a. Simpliciter exhibetur, ℣. 1.
b. Confirmatur, ℣. 2. 3.

Dein, illius *Propositionis* DECLARATIO, qua privilegia hujus *Status* Ecclesiæ SPECIATIM enarrantur ac celebrantur: ut sunt

α. AMPLIFICATIO hujus Civitatis,

(a.) Ex *Gentibus*, undique cum copia omnium rerum ingente concursu ad eam accessuris, & quæ cara ac pretiosa habebant in opibus suis, in eam illaturis; qui *Concursus*,

(α.) Simpliciter & universe describitur, ℣. 4--7.

(β.) Speciatim respectu *certæ* alicujus *Gentis*, in libertatem vindicatæ, ℣. 8. 9.

(b.) Ex REGIBUS IPSIS, se ei adjuncturis, & pro facultate sua ei inservituris; exitio iis, qui contra facerent, denunciato, ℣. 10--12.

(c.) Ex omni solidiore ac durabili *Eminentia*, quæ in Mundo est, ad Ecclesiam translata, ℣. 13.

(d.) Ex *hostibus*, qui eam antehac afflixerant, se ei subjecturis, eorumque *Regibus*, eam nutrituris, ac blande foturis, ℣. 14-16.

a ℣. 1--3. *b* ℣. 5--9. *c* ℣. 10--12. *d* ℣. 13. *e* ℣. 14. *f* ℣. 15--17. *g* ℣. 18. *h* ℣. 19. *i* ℣. 20. *k* ℣. 21. 22.

β. Insignis ejus Ornatus ex rerum omnium mirabili in melius mutatione, & ex Præfectorum ac *Antistitum* ejus sanctimonia, & pacifico Studio, ℣. 17.

γ. Securitas *ejus* à malis & afflictionum, quæ olim sustinuerat, ℣. 18.

δ. Claritas summa Divinæ Gloriæ, eam illustratura, Ejusque Beneficii perpetuitas, ℣. 19. 20.

ε. Civium Ejus integritas, & mirabile incrementum, ℣. 21. 22.

Subjicitur *clausula* de implementi certitudine, ℣. 22. *med.*

Admonitio de *Anacrisi.*

VI. *Anacrisin* jam anticipavi ad Cap. LVI. 9. Aspectus hujus Emblematis nimis est augustus, quam ut applicari possit ad ullum Ecclesiæ Statum qui huc usque in Mundo visus est; & consentient hic veri amantes: nisi dicere velimus, Vatem verba fudisse absque sensu; quod Verbo Divino injurium. Certo persuasus sum, quicquid in prophetiis legitur, recte acceptum & expositum, ad extremas minutias impletum iri. Nullum *jota*, nulla *virgula* Sermonum Dei, *cadet in terram.* Id unum quæri potest, an non in genere referri possit ad Statum Ecclesiæ N. T. cum respectu ad internam ejus naturam & veram indolem, de qua sæpe Prophetæ magnifice loqui solent, ut vidimus in Exemplis Cap. LII. 1. 2. LIV. 1. seqq. & certe sunt è nostris multi, qui *adventum Goëlis*, de quo mentio facta fuerat, Cap. LIX. 20. interpretati de *primo* Christi *Jesu adventu*, hanc Vaticinationem trahunt ad Ecclesiam Christi Jesu, in electis Judæis fundandam, & per eos diffundendam inter Gentes; quam hypothesin ipse quoque hic sequitur Hieronymus. Sed primo, circumstantiæ illius loci vetant, *adventum Goëlis* ibi signatum explicare de *primo* Christi Jesu *adventu*, ut ibidem vidimus; & Paulus aliam nobis monstravit viam. Secundo, si Prophetæ antiqui de Statu Ecclesiæ N. T. complexe sumpto magnifice loquantur: quod certo teneo: ipsi tamen nolunt ut illa attributa peræque ad Statum illius Ecclesiæ per omnia tempora applicemus, cum historia hic reclamet; sed in oculis habuerunt certa tempora, in quibus illa attributa in Ecclesia lucidissime conspicerentur; quod alibi monui. Denique tertio, certum hic Interpretem habemus Joannem, sive potius Spiritum ipsum, in *Apocalypsi*, qui utique nos clarissime docuit [a], hoc Exemplum Hierosolymæ Novæ non extiturum esse nisi in fine temporum post destructam Bestiam & Babylonem: nec Hieronymus sententiam repudiavit. *Sunt*, ait ille, *qui hæc omnia, quæ nos post primum Servatoris adventum usque ad consummationem Mundi, & ex parte completa, & penitus explenda memoramus, futuro tempore præstolantur, quando, subintrante plenitudine Gentium, salvandus sit omnis Israël: quorum nequaquam reprobanda est sententia, dum modo spiritualiter hæc complenda, & non carnaliter, noverimus.* Id verissime scripsit, estque hic antiquissimorum Ecclesiæ Doctorum sensus. Ipse utique Hieronymus profitetur, suo tempore hæc tantum ex parte *impleta esse*, quod ego lubens concesserim: *perfectum implementum* in futurum exspectabat. Sed post ejus tempora Ecclesia passim mutata est in deterius, formamque suam sensim perdidit. Plura nunc non addo. Rectius judicium hac de re faciemus ex prophetia inspecta declarataque: quando de *Implemento* ejus aliqua animadversu necessaria monebo.

Quæritur, an hoc Visum referri nequeat *in genere* ad Statum Ecclesiæ sub Oeconomia Nova?

Respondetur, Non videri. Argumenta pro illa sententia.

Apocalypsis Joannis cum hoc Viso comparata.

Verba Hieronymi.

Pars prima hujus Sectionis: Propositio de Optato & Glorioso Ecclesiæ Statu. Quæ *a.* Simpliciter fit.

Pars prima hujus Sectionis. *Propositio* de optato & glorioso Ecclesiæ Statu. *a.* Simpliciter fit, ℣. 1. *Surge, luce*, &c.

℣. 1. *Surge*, luce, *quia venit* Lux tua, & Gloria Jehova *super te oritur.*] Accipe verba ut *Chori Prophetici*, nomine Dei loquentis, cujus erat ex officio Ecclesiam consolari; qui proin passim de *Deo* loquitur *persona tertia*; sed subinde etiam Deum ipsum, (sive signate, *Filium Dei* quem *insulæ exspectabant*, ℣. 9. quique dicitur *Jehova* Servator; *Goël* Redemptor; Valens *Heros*, Jacobi, ℣. 16.) loqui facit; sed quibus in locis subintelligendum est illud, נאם יהוה *Ait Jehova.* Dirigitur autem Oratio ad aliquam *Civitatem*, quippe quod ex attributis *Subjecti* facile colligitur, ut ℣. 10. *Et ædificabunt alienigenæ* חומותיך muros tuos, & ℣. 11. *Et* portæ tuæ *semper apertæ erunt.* Et, ne ignorares, qualis ea esset Civitas; diserte dicitur, *Et vocabunt te* (hostes) *tibi subjiciendi*, עיר יהוה Civitatem *Jehovæ*; Tsionem *Sancti Israëlis.* Est itaque *Hierosolyma* aliqua, quæ hic compellatur; licet non hoc nomine diserte appellata in hac *Sectione*: in quo tamen nullum quæro mysterium. Poterat enim, etiamsi de mystica ageretur Hierosolyma, æque appellata esse *Hierosolyma*, ac *Tsion*; quippe eam hoc nomine appellavit Spiritus in *Apocalypsi.* Nec laudo tamen τὰς ὀ. qui Nomen Ἱερουσαλὴμ hic inseruerunt textui, verbis, Φωτίζε, φωτίζε, Ἱερουσαλήμ. Monuerat de eo Hieronymus in commentatione sua, & in versione τῶν ὀ. per *obelum* resciderat; atque in sua interpretatione vocem omiserat; & nihilominus conservatur in *Vulgata.* quod studium tamen in Interprete non est ferendum: sed minus culpæ habet in Paraphrasta Chaldæo, qui eandem hic vocem adscripsit. Sed *Civitas* illa in hac prophetia sub gemina *figura* venit; sive sibi propria, h. e. Civitatis; secundum quam ei tribuuntur *Portæ*, *Muri*, *Confluxus*, & *Templum* quoque, ℣. 7. sive Fœminæ, quæ cum desideret in luctu, excitatur ad lætiora tempora ac notabilem Status sui subeundam mutationem, ut mox videbimus. Quæris, qualis ea sit Hierosolyma, quæ hic appellatur; terrestris sive corporalis; quam Apostolus suo tempore vocabat τὴν νῦν Ἱερουσαλὴμ [a]: num vero *spiritualis*, ac *cælestis*, Apostolo, ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ *Hierosolyma quæ supra est* [c], latissima significatione; Ἱερουσαλὴμ ἐπουράνιος, *Hierosolyma cælestis* [d]; Christo Jesu apud Joannem, ἡ Πόλις τοῦ Θεοῦ, ἡ καινὴ Ἱερουσαλήμ; *Civitas Dei*, *Hierosolyma Nova* [e]. plene, *Civitas illa magna*; sancta *illa* Hierosolyma, *è cœlo descendens à Deo* [f]. Posterius quidem hic absque ulla dubitatione tenemus; non tantum auctoritate Spiritus S. apud Joannem: verum etiam quod enunciata, quæ hic de *Hierosolyma* affirmantur, clament; ut jam sæpe monui. Judæi enim, (aut *Semi-Judæi* quoque quales illos appellat Hieronymus,) qui hic cogitant de Hierosolyma in fine temporum sub Messia suo imaginario instauranda, hic me non morantur, aut turbant. Dicitur autem *Ecclesia* N. T. *Hierosolyma* non relativè respectu originis suæ, quod prima Ecclesia Apostolica, omnis Ecclesiæ mater, *Hierosolymis* fundanda esset, & inde propagata diffundenda per Orbem; de quo vidimus inter alia Cap. XL. 2. 9. LII. 1. 2. verum *absolute*, quod principalia attributa Veteris Hierosolymæ, quæ eam extulerunt supra alias Mundi Urbes, veluti quod *Civitas* esset à Deo *electa*, & ab ipso *habitata* respectu *Templi*, Sedis veræ Religionis, in ea locati, ubi solenniter colebatur à Populo suo; eamque ob causam *sancta* habita; & à Deo ipso ut Rege suo *defensa*; in hoc *Subjecto*, hoc est, in Ecclesia N. T. non *typice*, sed *vere* & *antitypice* insint. Quarum enim rerum eadem sunt *attributa*; eæ res, stylo Prophetico, iisdem appellantur nominibus: estque adeo mysticus usus vocis hoc sensu frequens Prophetis [g]. Solummodo repetendum est, hic designari Ecclesiam Oeconomiæ Novæ, qualis appareret in fine temporum, postquam Deus opus suum in Monte Tsionis compleverit. Hanc vero Chorus Propheticus primo jubet *surgere*, hoc est, *se erigere* è statu luctus, mœroris, angustiæ, quem Statum in *superiore Sectione* descri-

Utra Hierosolyma hic intelligatur, *terrestris*, num *spiritualis*?

Posterior hic intelligitur.

Cur Ecclesia N. T. dicatur *Hierosolyma*?

Respicitur hic Ecclesia N. T. qualis appareret in fine temporum.

Ad quod *subjectum* hic vertatur oratio?

Ο' ὀ. hic inseruerunt vocem *Hierosolyma.*

Sub qua figura hic veniat *Hierosolyma*?

[a] Cap. XXI. XXII. [b] Gal. IV. 25. [c] ℣. 26. [d] Heb. XII. 22. [e] Apoc. III. 12. & XXI. 2. [f] Cap. XXI. 10. [g] Vide inter alia cap. XXXIII. 20. LXII. 7. Joel. II. 32. Zach. XIV. 8. Ps. II. 6.

scripserat. Respicit itaque eam hic ut *fœminam*, quæ aliquandiu desederat in luctu, dum *filii* ejus, hoc est, cives, disjecti essent, & ipsa fere orba ac solitaria relicta; sub cujusmodi emblemate eam nobis jam exhibuerat Vates, Cap. XLIX. 20. LII. 1. ubi est עורי *Excitare. Surge*, ait, LUCE. sic cum Coccejo interpretor vocem אורי, quam passim Recentiores reddunt, *Illuminare*; & sic præiverant οἱ ὁ. & οἱ τρεῖς, ut liquet ex Procopio *A*: sed Chaldæus vere vertit, *illumina*, sive *ede lucem:* sic enim reddenda est vox אנהרי, quam Interpres per *illuminare* vertit. Syrus eandem vocem retinuit, doctius ibi translatam, *Ede lucem.* Non ausim tamen præfracte negare, voci אור quoque competere significationem *passivi*, quippe quæ admitti potest in loco 1 Sam. XIV. 29. אורו עיני, quem passim exponunt, *Illuminati sunt oculi mei*; sed qui non respuit sensum, *Lucent oculi mei.* cæteroquin non est dubium, voci אור, licet *forma Kal* rarioris usus, proprie convenire significatum *lucendi*; quam hic aliqui Intt. non admisisse videntur, quod emphasin ejus in hoc loco non perceperint. Quid enim jubetur *lucere*, à *luce alia* collustranda? Contra, *illuminare* commodissimum sensum dat, ut valeat, *Para te ad recipiendam lucem, quia venit lux tua.* Non abnuo; sed sensus est tenuior. Kimchius qui vocem אור hic pariter *active* accipit, *Luce*, vertit per *gaude*, cum *Lux* sæpe pro *gaudio* usurpetur *a*. Nihil vitii est in sensu; sed in hoc loco minime probo. Id enim si voluisset Vates, cur non potius scripsisset, שמחי aut גילי? *Luce*, ex meo sensu, hic valet, *Ingredere Statum lucis, ut non tantum ipsa illustreris, verum etiam illustrare queas alios.* ostenta nativum tuum decus. patere te tam fortiter illustrari, ut *lux fias aliis.* id enim est quod mox additur, *Et ambulabunt Gentes in* LUCE TUA. perinde ac *facies Mosis*, in communione Dei proxima versati, eo usque *splenduit*, ut *emiserit radios b*. Quandiu Ecclesia desederat in luctu & metu, obruta scandalis, non ostentaverat nativum suum decus: est enim per naturam suam *lux in Domino c*. Radii Gloriæ Divinæ, super eam recumbentis, in afflicto ejus statu vix visi & agniti fuerant ab aliis. Hoc tempore verum habitum decusque suum resumeret, & à Gloria Dei validius afficeretur. Id enim est quod sequitur, *Quia* VENIT *lux tua, & gloria Dei super te* ORITUR, sive, in eo est ut *super te oriatur.* Sic recte voces בוא & זרח, formæ *præteriti*, hic accipi, *sequens comma* evincit. Per *Lucem* Hierosolymæ intelliges hic loci *Salutem* Ecclesiæ junctam omni generi prosperitatis felicitatisque, statui ejus congruentis, oppositam tenebris superioris temporis, perfecti solatii & lætitiæ materiam: per *Gloriam Jehovæ super eam orituram* demonstrationem clarissimam *gloriosæ* Dei apud Ecclesiam *præsentiæ*, quam haberet tum in ipsa illa *Salute* ejusque adjunctionibus; tum in copioso influxu *Spiritus S.* illam omnis generis dotibus, Scientia, Sanctimonia, Gratia Precum fiduciali, ornaturi; tum in *Defensione* & singulari erga eam providentia & cura quam Deus ipsi præstaret. *Lux* hic est lux splendida, coruscа, qualis est Orientis Solis; estque omnibus Populis vulgatum symbolum *felicitatis status*; estque usus vocis in Sacris hoc sensu receptus. Vide loca proxima Cap. XLV. 7. *Formans* LUCEM, *& creans tenebras: faciens* PACEM, *& creans malum.* Cap. LVIII. 8. *Tum prorumpet instar auroræ* LUX TUA; *& sanatio tua cito exorietur.* Rursus ℣. 10. *Et orietur in tenebris* LUX TUA; *& caligo tua erit ut meridies.* Cap. LIX. 9. *Exspectamus* LUCEM, *& ecce tenebræ; magnum splendorem*; sed *ambulamus in caligine.* ad quæ postrema loca, ex analogis *d* illustrata, hic manifeste alluditur. Per *gloriam Jehovæ* dixi intelligi *gloriosam* Dei *præsentiam* apud Ecclesiam, certis clarisque indiciis manifestam testatamque; voce & metaphora sumpta à symbolica specie *Divinæ Gloriæ*, qua Deus Israëlitarum Ægyptum egressorum castra honorabat, dicta, stylo sacro *e*, כבוד יהוה GLORIA JEHOVÆ. Magistri vulgo vocant שכינה *Habitationem*, *Habitaculum*; liceat dicere, *Residentiam Divinæ Majestatis*: qua voce Chaldæus quoque utitur ad *sequens comma.* Intima autem Dei *præsentia & proximitas gloriosa* apud Ecclesiam patefit ex *Beneficiis* ejus in Ecclesiam collatis aut conferendis; ex *Judiciis* quæ in rebelles & hypocritas qui in Ecclesia sunt, exequitur; & ex singulari erga Ecclesiam cura ac providentia, qua omni ejus necessitati subvenit, eamque adversus hostes protegit. Inter beneficia autem, quorum nullum hac prophetia recensitum excludo, primum ac præcipuum est *copiosus influxus Spiritus Christi* ad illuminationem mentis, sanctimoniam, compositionem ac moderationem animi, sermonum, morum, gestuum, & ad *formam spiritualem*, pulcherrimum decus atque ornamentum, in membris Ecclesiæ producendam; quo sensu Petrus, ad Judæos in Christum credentes *f*: Τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται· GLORIÆ *ille & Dei* SPIRITUS *super vos* QUIESCIT. Similitudine pariter petita à symbolo Divinæ Præsentiæ castris Israëlitarum incumbenti. Ubi Spiritus ille Dei, per Ecclesiam diffusus, in membra ejus ad veram sanctificationem animi & compositionem mentis influit, corpusque Christi Jesu mysticum vivificat: nullum Solis jubar, aut coruscus splendor, clarius lucet. est enim splendor Divinus. Alludi autem hic ad *lucem Solis*, magna majestate & gloria fulgentis, & tenebras quà quà incedit, propellentis, facile liquet, tum ex *gloria* hac Jehovæ comparata cum *luce*; tum quod *gloriæ* illi Jehovæ hic adscribatur *ortus*, sive quod in eo esse dicatur; ut *oriatur.* hactenus enim *orta* non erat qua emphasi id de ea hoc loco prædicatur. Intelligitur gloriæ seu præsentiæ Divinæ post tenebras superioris temporis clarissima φανέρωσις *manifestatio*, phrasi Prophetæ nostri *g*. Id vero ipsum est quod dixerat *Sectione superiore*, Cap. LIX. 19. *Et reverebuntur ab Occidente Nomen Jehovæ, & ab Oriente Sole* את כבוד GLORIAM *ejus*, sc. manifestam factam in salvatione Ecclesiæ, & beneficiis gratiæ ejus. Inde Ecclesia fortiter illustrata *lucem* veluti redderet ac repercuteret: quæ enim in ipsa *lux* est; *Lux* est, non sua sed *Divina*; unde illud, *Luce*, כי QUIA, &c. Interpretes bene multi accipiunt hæc verba de *prima Revelatione Christi Jesu in carne*, quando Ecclesiæ & Mundo ut *Sol* exortus est; quæ ipsa, licet facta in carne, & statu humili, suos secum tulit *characteres gloriæ*, Cap. XL. 5. coll. cum Joh. I. 14. Sed cum *adventus* Christi Jesu *humilis*, quando venit *non ut sibi ministretur, sed ut ministret aliis h*, & adventus ejus *gloriosus* quando apparet ut Rex & Vindex Ecclesiæ *i*, suos habent characteres diversos: peritus Verbi Prophetici ex materia totius prophetiæ & contextu posteriores hic facile agnoscet. Interim Christum

Quo sensu hic dicatur *surgere?* Metaphora hujus loci.

Vox אורי quomodo hic capienda? Recte vertitur, *Lucе.*

Animadversio ad versiones antiquas.

Videtur tamen verti quoque posse *illumina.*

Major emphasis est in priore versione.

Kimchii expositio, non laudata.

Res ipsa exponitur.

Ἀνάστασις atus Ecclesiæ prioris.

Illustratur sequentibus, *Gloria Dei super eum orietur.* Voces בא & זרח in præsenti vertendæ. Sensus declaratur.

Lux hic est lux splendida. Symbolum felicitatis.

Gloria Jehovæ distinctius exponitur.

Characteres Præsentiæ Dei Gloriosæ apud Ecclesiam.

Cujus beneficii Gratiæ hic primus situs respectus?

Locus 1 Pet. IV. 14.

Declaratio emblematis.

Alluditur hic ad *Lumen Solis.*

Quod explanatur.

Adventus Christi Gloriosus ad Ecclesiam ab humili discernitur.

a Esth. VIII. 16. Ps. XCVII. 11. *b* Exod. XXXIV. 29. *c* Ephes. V. 8. *d* Confer hic Job. XVIII. 5. 6. 18. Ps. XXXVII. 6. LXII. 3. &c. *e* Exod. XVI. 7. XXIV. 16. XL. 34. *f* 1 Pet. IV. 14. *g* Cap. XL. 5. *h* Matth. XX. 28. *i* Matth. XXVI. 64.

A Est hic leviculum aliquid quod tamen negligendum non censeo. Drusius in *Excerptis* Veterum Intt. ex Procopio hæc habet verba: A. Sym. Ἀνάστηθι, φωτίζε, ὅτι ἦλθε φῶς σε, *Surge*, ILLUMINA, *quia venit lumen tuum.*] *Alibi est* φωτίσθητι, ILLUMINARE. *Quod Hieronymus sequutus videatur. Verior scriptura* φωτίσθητι, *quæ bis occurrit in Procopio.* Verum est quod Drusius monet, Procopium Aquilæ & Symmachi versionem recensentem, ei dare vocem φωτίζε, deinceps vero φωτίσθητι; & recte, cum utique Procopius scirет, utrumque idem valere, neque in eo situm esse ullam versionis differentiam, quam Procopius in duobus quærit; quod οἱ ὁ. hic exhibeant vocem Ἱερουσαλήμ, quæ apud ipsos abest; & quod pro ἀνάστηθι pariter habeant φωτίζε. Miror itaque Virum Græce doctum vocem φωτίζε vertere *illumina*, & scribere, Hieronymum, Aquilam hic sequutum esse, dum reddit *illuminare*, cum utique φωτίζε ipsum *passivi*, non *medii* usus, idem valeat, vertendumque sit *illuminare*; non, *illumina.* Procopius: *Tales igitur tum compellans, inclamabit oratio*, φωτίζε Ἱερουσαλήμ, ἢ κατὰ τὰς ἄλλας, Ἀνάστηθι, φωτίσθητι· ILLUMINARE JERUSALEM; *aut secundum alios*, SURGE, ILLUMINARE. Irrepsit in textum levis menda, quæ sensum turbat. Procopius scripsit, φωτίζε, φωτίζε Ἱερουσαλήμ, ut habent οἱ ὁ. Librarius alterum φωτίζε neglexit: quod animadversum omnia suo loco restituit. Verba Procopii integra: ILLUMINARE, ILLUMINARE JERUSALEM, aut secundum alios, SURGE, ILLUMINARE.

stum Jesum hic non excludimus, sed vel maxime includimus, dum sub *salute gloriosa* simul intelligimus illius *salutis* auctorem. Est autem Christus Jesus, Filius Dei, omnis Lucis Ecclesiæ procuratæ autor.

β. Confirmatur.

Propositio confirmatur, ỳs. 2. Verus sensus *primi membri.*

ỳs. 2. *Nam ecce! tenebræ operient terram, & caligo nationes: sed super te orietur Jehova, &* GLORIA EJUS SUPER TE VIDEBITUR. ỳs. 3. *Et ibunt Gentes ad lucem tuam, & Reges ad splendorem tibi exortum.*] Posset alicui in mentem venire, in *primo membro* dicere velle Prophetam; reliquas Gentes tenebris & caligine oppressas, in iis tenebris ignorantiæ, idololatriæ, vitiorum, calamitatum, (harum enim omnium rerum figuram sustinent *tenebræ:*) perstituras esse; sed Ecclesiæ soli, & his qui se ei adjungerent, lucem gloriæ Divinæ exoriturum esse; quomodo sane plures, & iisdem Belgæ nostri, hæc verba acceperunt: sed quem sensum non putem commode conciliari cum contextu prophetiæ. Ipsum enim *comma sequens* docet, *Gentes in luce*, Ecclesiæ exorta, *ambulaturas esse*, & quidem cum *Regibus suis* ad eam confluxuris: quod deinceps per magnam prophetiæ partem declaratur. Equidem erunt forte *Populi & Regna*, se luci huic subtractura, ut Propheta ipse innuit ỳs. 12. & Zacharias in eodem argumento versatus, Cap. XIV. 11. 18. 19. sed uterque Propheta docet, id ipsis fore *exitio*; & Populos illos non facturos *universitatem:* suntque hic Zachariæ verba clarissima [a]: *Et futurum est, ut* OMNES RELIQUI *ex omnibus Gentibus, quæ venerunt pugnatum adversus Hierosolymam, quotannis ascendant, ut se incurvent Regi Jehovæ Exercituum, & celebrent Festum Tabernaculorum.* Ergo sensus Spiritus S. est, ut autumo, hic describere Statum Mundi Gentium ac Populorum, quo tempore Deus Ecclesiam hac luce nova, tanquam novo quodam Filii sui adventu & Regni sui manifestatione iterata, collustraret. Orbis pene universus deprehenderetur in similibus tenebris & caligine, qua eum deprehenderat Filius Dei in primo suo adventu. Asia & Africa, quam late patent, & pars non contemnenda Europæ, falsis Religionibus Muhammedismi & Paganismi deluduntur. Armenii, Ægyptii, Asiani, Græci, Nomen Christi professi, in illis Regionibus superstites, sub gravi jugo gementes tristi miseræ servitutis statu, interioris & purioris Christianismi ignari, in crassa passim versantur ignorantia ac superstitione. Europæ Occiduæ & Septentrionalis pars major, spreto Evangelii beneficio sibi oblato, obstinate persistit in notoriis erroribus Religionis, quos Roma impura & idololatrica Populis aurato poculo offert: quod olim temporibus caliginis quodammodo excusabile, hac ætate illuminata argumentum est indurationis; & major pars professentium Religionem Christianam in America, in eodem luto hæret. Purior Ecclesiæ pars ob aliquarum sententiarum dissidia ab immoderati ingenii hominibus, in quibus plus caloris quam sapientiæ est, tracta in partes, sensim obruta est scandalis, vitiisque multis laborat; & maximam partem decoris ac splendoris sui perdidit; ut qui in ea supereressent prudentis, modesti, ac sinceri animi homines circa illud tempus, quo Christus Jesus ἐπιφανὴς appareret ad instaurationem Regni sui, ad exiguum redacti essent numerum. Accederent calamitates externæ & judicia Dei, quæ peccata hominum cito pede sequuntur. Sic *tenebræ tegerent terram*, & *caligo* instar *spissæ nubis*, (quæ genuina notio est vocis ערפל) involveret, & *operiret* Populos; idque mirabile esset post ortam Evangelii lucem; quod Vates significat voce הנה ECCE. Sed eopse tempore soli *Ecclesiæ*, per Divina judicia *castigatæ*, ex accessione Judæorum auctæ vel augendæ, oriretur *Lux*, & quidem in Occidente, inde dispergenda per totum Orbem. Sic Propheta, SED (sic vertenda præfixa ו in voce ועליך) *super* TE *orietur Jehova, & gloria Jehovæ super te conspicietur*, revelabitur. alterum membrum explicat alterum. Chaldæus, & inter Hebræos Kimchius, id jam probe observarunt; ut phrasis זרח יי sit *elliptica* pro זרח כבוד יי *orietur gloria Jehovæ.* Sed Spiritus in *altero membro* se ipse interpretatur. *Jehova oritur*, ubi *gloriam suam* omnibus conspiciendam præbet; quod quomodo faciat, vidimus ad *comma* superius. Res eadem est. Non est mihi dubium, quin in *salute*, Ecclesiæ præstanda, adfuturum sit quid præterordinarium: de quo jam supra monui. Ea emphasis est in voce יראה *videbitur*, conspicietur. Innuitur *claritas* Divinæ Gloriæ Ecclesiam coruscо quodam lumine perfusuræ. Idem hic valet quod Græcis ἐπιφαλνεσθαι *illustri* modo *apparere*, & quidem ad *salutem* suorum: unde Syro-Macedonum Regibus titulus, ΕΠΙΦΑΝΗΣ, quasi Θεὸς ἐπιφανὴς, *illustri* modo *apparens* in salutem publicam, instar Orientis Solis. Græcis ἐπιφάνεια τῆς ἡμέρας. Vates facer [b]: *Appareat illustri modo*, (יֵרָאֶה) *opus tuum magnum Servis tuis, &* CLARITAS TUA (הדרך) *super filios illorum.* Quæ itaque *lux*, hoc tempore potenter oritura, & quaquaversum sparsura radios, per *Ecclesiam* illam, quæ jam deserta ac destituta videbatur, dispelleret *tenebras*, quibus Orbis involutus erat. Sic Propheta noster, secundum mysticam intelligentiam [c]: *Et* ABOLEBIT (Jehova) *in monte hoc faciem* TEGMINIS, OBTEGENTIS OMNES POPULOS; *& velamen impositum omnibus Gentibus.* Joannes in *Apocalypsi*, de Hierosolyma Nova, hunc locum exprimens [d]: Ἡ γὰρ δόξα τοῦ Θεοῦ ἐφώτισεν αὐτήν· GLORIA ENIM DEI ILLUSTRAT EAM.

Emphasis in voce יראה

Usus vocum ἐπιφανὴς.

Sententia illustratur.

Locus Zach. XIV. 16.

Describitur Status Mundi qualis esset circa tempus instaurandi Regni Dei; cujus idea aliqua exhibetur.

Et applicatur ad verba Prophetæ.

Quo sensu *Jehova* dicatur oriri *super* Ecclesiam?

Consequens ỳs. 3. *Et ibunt Gentes ad lucem tuam, & Reges* לנגה זרחך *ad splendorem* EXORTUS TUI. Sic proprie sonant Hebræa. Sensus est, ad *splendorem qui tibi exortus est. Affixum* in voce זרחך hic pro *pronomine separato* usurpatur, ut sæpius [e]: נגה זרחך est pro נגה אשר זרח לך. alluditur enim hic manifeste ad id quod *superius* dictum erat, ỳs. 2. Nempe inter illa beneficia gratiæ, quibus Deus Ecclesiam honestaret, quæque ejus decus & gloriam facerent, censeretur quoque valida illuminatio Doctorum ejus ad claram Scripturæ S. intelligentiam & interpretationem, eorumque zelus in vera doctrina propaganda; imo vero *lux* quædam universalis, per Ecclesiam à Spiritu S. doctam diffusa; secundum quam *uncti à Sancto illo omnia intelligerent* [f], & licet non omnes eundem scientiæ gradum adepti, exemplum tamen veræ fidei sanctimonia ac puritate vitæ passim exprimerent atque in *luce ambularent* [g]. Ad hanc doctrinam & eruditionem; ad hæc præcepta Christi Jesu ab Apostolis relicta, & à fidis Ecclesiæ doctoribus explicata; ad hæc exempla puritatis ac sanctimoniæ; ad hos canones disciplinæ, quos Ecclesia traderet; atque ad indicia cætera gloriæ Divinæ super Cœtus Populi Dei recumbentis; tanquam AD *lucem* vel *lampadem* sibi præeuntem, Gentes Gentiumque Reges, ab Oriente & Occidente, fidem moresque suos componerent, ipsi quoque illius *gloriæ* participes evasuri, κατὰ τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφόμενοι ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν [h]. Phrasis Jesaiæ huic proxima, extat Cap. II. 5. ubi luculenter prophetaverat de conversione Gentium, à Deo ut Præceptore docendarum, earumque exemplum Judæis proponit, לכת באור יהוה *ire in luce Jehovæ.* à Filio Dei ut summo Doctore doceri; & à Spiritu ejus duci. Alibi est, *ambulare* באור פני יהוה *in luce faciei Jehovæ* [i]. Facies autem Dei splendet: nemo *in luce faciei ejus ambulat*, nisi simul veniat in communionem gloriæ ejus. Huc pertinet quod apud Joannem in *Apocalypsi* ad hunc locum expressum est [k]: Καὶ τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων ἐν τῷ φωτὶ αὐτῆς περιπατήσουσιν· *Et Gentes quæ salvatæ fuerint*, (*salvati ex Gentibus*, per hypallagen, οἱ σωζόμενοι τῶν ἐθνῶν·) *in luce ejus ambulabunt.* ad quæ in loco dicta vide. Id vero ipsum est quod Propheta nunc declaratum it, & pluribus exequitur.

Propositio illustratur ỳs. 3.

Affixum in voce זרחך sumitur pro *pronomine separato.*

Beneficium hujus Ecclesiæ, major gradus *illuminationis.*

Quid sit *ad lucem Ecclesiæ ambulare?*

PARS

---

a Cap. XIV. 16. *b* Ps. XC. 16. *c* Cap. XXV. 7. *d* Cap. XXI. 23. *e* Vide Buxtorf. & Glass. *Gr. §.* in doctrina de *Affixis.* *f* 1 Joh. II. 20. *g* 1 Joh. I. 7. *h* 2 Cor. III. 18. *i* Ps. LXXXIX. 16. *k* Apoc. XXI. 24.

PARS ALTERA hujus *Sectionis*, qua hæc *Propoſitio* declaratur, & *Privilegia* hujus Civitatis, & Status Eccleſiæ hujus temporis, ſpecialius recenſentur, & quidem

a. *Amplificatio* Ejus,

(a.) Ex *Populis* undique cum copia omnium rerum ad eam acceſſuris, qui *Concurſus*,

a. Simpliciter deſcribitur.

Articulus primus.

℣ſ. 4. *Attolle circumquaque oculos tuos, & vide; Omnes illi congregantur: veniunt ad te. Filii tui è longinquo venient; & filiæ tuæ ad latus* PORTABUNTUR.] Vidimus *Propoſitionem* Conſolatoris Spiritus S. per Chorum Propheticum loquentis, ad Eccleſiam directam, de glorioſo fortunatoque Eccleſiæ Statu. Quicquid inde ſequitur ad finem hujus *Sectionis* & *Concionis* totius, pertinet ad *Propoſitionis* ἐξήγησιν, ſive, ut vera voce utar, ἔκφρασιν, qua ſanctus Scriptor particulatim declarat atque exponit, quibus in rebus glorioſum illud Eccleſiæ incrementum maxime conſiſteret. Primum horum facit *Amplificatio* Eccleſiæ ex *Concurſu* Gentium, in quo argumento oratio ſe late explicat; quando de *Regibus* & *Principibus Gentium* juſto ordine verba fiunt: quæ proxime pertinent ad elucidandum quod in *antecedenti commate* dictum erat, *Et ibunt* GENTES *ad lucem tuam, &* REGES *ad ſplendorem ortus tui:* remote, ad id quod dixerat ℣ſ. 19. *Et reverebuntur ab Occidente Nomen Jehovæ, & ab Oriente ſole gloriam ejus.* Hic vero Propheta, ſuæ venuſtatis nullibi negligens, infert Chorum Propheticum tanquam Fœminam hanc mœſtam manu prehendentem, erigentem, educentem foras, & denique, ne qua diffidentia ex afflicto ſuperioris temporis ſtatu, eam amplius obſideat, eam jubentem *oculos ſuos attollere*, & quaquaverſum circumflectere, ut ſuis oculis ipſa inſpiciat præſens prædictorum ac promiſſorum implementum. Figura nos docet, implementum prædictorum ac promiſſorum fore conſpicuum, & in omnium incurrentem ſenſum: *Eccleſiam* autem ipſam maxime fide ac fiducia plenam implementum hoc, tanquam veracitatis & fidei Divinæ certum argumentum, lætis oculis obſervaturam eſſe. *Vide*, ait, *omnes illi congregantur; veniunt ad te*, ut ſe tibi in fide uniant, gloriamque tuam participent. Analoga ſub eodem ſchemate habuimus Cap. II. 2. ſeqq. XLIII. 5--7. & iiſdem etiam verbis Cap. XLIX. 18. ſeqq. *Filii tui è longinquo venient, & filiæ tuæ ad latus* תאמנה GESTABUNTUR. Sic ipſe Propheta ſe interpretatur Cap. LXVI. 12. על צד תנשאו *Ad latus* GESTABIMINI. Significatio vocis ducenda eſt ab אומן *nutritius* qui lactentem *fert* [a], & אמן *filius* τιθηνόλπιος [b]. ut Hebræi jam notarunt. Scripſerat Vates Cap. XLIX. 22. ADDUCENT *filios tuos in* SINU, *& filiæ tuæ* SUPER HUMERUM PORTABUNTUR. & Cap. XLIII. 6. *Dicam Aquiloni, Da; & Auſtro ne cohibe. Adduc filios meos è* LONGINQUO, *& filios meos à fine terræ.* quæ ſuis locis expoſita non repetam. ſunt enim eadem. Hieronymus ultimum membrum verterat, *lac ſugent*; quod paſſim in Vulgata legitur, *de latere ſurgent.* Sed vitium jam detectum eſt à Pontificiis ipſis perinde ac à Grotio. Vir Illuſtris inde colligit, Hieronymum aliter legiſſe ac nos, videlicet על שד, *ad uber*, pro על צד *ad latus:* quod in medio relinquo. Utique ſi pro צד *latus* legiſſet שד *mamma, uber*; rectius ſcripſiſſet, *de ubere ſugent.* Hieronymus vocem נאמן vertendo per *nutriri*, ex ipſa illa voce collegit hic agi de *ſuctione uberum*; nec eſt ſpernenda cogitatio. Sed noſtrum melius. Si interiorem & ſpiritualem ſtatum accedentium ad Chriſtum, ſeque adjungentium Eccleſiæ, ſpectes: geſtantur portanturque omnes, quatenus *fidem* habent ex argumentis Veritatis Evangelicæ à Doctoribus publicis ſibi demonſtratis; eſtque ea vis vocis האמין *credere*, ut valeat, ſe geſtandum præbere alii, ut ei innitaris; idemque ſimul aſſenſu tuo firmare: maxime vero *filiæ*, hoc eſt, credentes minus adhuc confirmati, imbecilles, tenerrime tractandi & à Miniſtris Eccleſiæ ſupportandi, ad Veſtibula Cœtuum Sacrorum, ipſorum veluti brachiis, deducendi. Si exteriorem ſtatum illius temporis reſpicias: docetur hac locutione parabolica, Deum ſua proviſurum ſingulari providentia, ut iſthoc tempore nulla impedimenta externa remoram injiciant his quibus animus eſt ex Populis & Gentibus ſe aggregare communioni Eccleſiæ; contra vero futurum eſſe, ut Gentes & Populi pro viribus facultatibuſque ſuis promoveant incrementum Regni Dei, & ſibi mutuo in hoc inſtituto ſint ſubſidio, opemque ferant; maxime in disjectis ac diſperſis cauſſa perſecutionum, colligendis & ad ſua reducendis; in ſublevanda pauperum inopia, aut ferenda infantium in Chriſto imbecillitate. Vaticinium Cap. XLIII. 3. ſeqq. ut ibi legitur, implementum ſuum jam conſequi cœpit ab ipſis initiis Regni Gratiæ: alterum, huic noſtro fere analogum, circa tempora Conſtantini, quorum attributa multa cum extimis hiſce temporibus concurrunt: ſed complementum cadet in illud tempus Sabbathicum Eccleſiæ, quod omne opus Dei in terris conſummatum reddet. Nihil in his pugnæ eſt.

Articulus alter.

℣ſ. 5. *Tum* TIMEBIS, *&* præ gaudio *diffues: & pavebit ſeque dilatabit cor tuum; quando ad te vertetur copia maris; divitiæ Gentium tibi venient.* ℣ſ. 6. *Agmen camelorum operiet te: cameli juniores Midianitarum &* EPHÆORUM. *Omnes illi ex Sabæa venient: aurum & thus adferent, & laudes Jehovæ enarrabunt.* ℣ſ. 7. *Omnes oves Kedarenæ tibi congregabuntur: arietes Nabataeorum miniſtrabunt tibi: aſcendent cum complacentia altare meum; & Domum decoris meam eondecorabo.*] Docet oratio, primo Gentes, ad Eccleſiam acceſſuras, non eſſe venturas nudas; ſed hoc animo & ſtudio, ut quicquid apud ſe rerum, copiæ, facultatiſque ac ſubſtantiæ erat, lubentes volentes in commodum Eccleſiæ, & ad eam ornandam, inſtruendamque conferre paratæ eſſent, & non *ſe* tantum, ſed & *ſua*, Deo offerrent, qui veræ fidei character eſt; idque docet, primo facturos *inſulanos* & *maricolas*, ℣ſ. 5. deinde Orientales, qui lata Aſiæ atque Arabiæ ſpatia incolunt ac pervagantur, ℣ſ. 6. 7. eſtque ſic ſtructa à Propheta oratio, ut quiſque facile ſentiat, illum ſpiritualiter intelligi velle. Deinde, ſignificat Vates, hoc mirabile Eccleſiæ incrementum in animis piorum varium excitaturum eſſe affectum; tum *timoris*, tum *gaudii*; ut fit in caſibus inſolentioribus. Id primum expendam, ſecundum ductum ſermonis Jeſaiæ; eſtque unicum fere quod hic illuſtrari meretur. Hebræa huc pertinentia, ſic leguntur: אז תראין ונהרת ופחד ורחב לבבך in quibus verbis gemina difficultas hæret; altera in voce תיראי, altera in ונהרת. Prior vel duci poſſe videtur à ראה *videre*, ut ſonet; *Et videbis*; vel à ירא *timere*, quando valet, *Et timebis.* Kimchius magna fiducia pugnat pro priore ſignificatione, accuſans ſemel & iterum erroris eos qui vocem hic ducunt à ירא *timere*; nulla tamen allata ratione, vel exemplo analogo inſolentis punctaturæ: ſolummodo adducto Paraphraſta. Plerique jam Intt. Piſcator, Diodati, Coccejus, & Belgæ quoque noſtri, hanc verſionem probant; & Græci quoque Veteres, ex quibus οἱ ὁ. habent ὄψῃ, & Symmachus ὄψει, *videbis*, ut eſt apud Procopium, (quod enim ille habet, ὄψει καὶ χαρήσῃ, ſumpſit ex Theodotione: ubi forte pro ὄψει, recte etiam ſcripſeris ὄψῃ, eſt enim inſolentior uſus vocis ὄπτω:) & denique eos ſequutus Hieronymus. Sed nihil hic moveor fiducia Kimchii: pertendo, licet non adeo magni momenti dubium ſit, vertendum eſſe, *Et timebis*, quæ ipſa quoque Aben-Ezræ ſententia eſt. Veteres autem Interpretes, ſignatura vocum Maſorethica carentes, id non vidiſſe, quis miretur? Vox enim Hebraice abſque pun-

Quid phraſis, *ad latus portari* ſignificet cum reſpectu ad exteriorem Eccleſiæ Statum.

Implementum prophetiæ inchoatum & conſummatum.

Articulus alter, ℣ſ. 5. 6. 7.

Summa & ſenſus orationis Prophetæ.

Diverſi generis homines ad Eccleſiam acceſſuri. *Analyſis* Pericopæ.

Verba quæ pertinent ad affectum Eccleſiæ.

Dubium in Hebræa voce תִּרְאִי.

Kimchius ducit à ראה *videre*.

Aliorum Intt. ſententiæ.

Recte ducitur à ירא *timere*.

Maſorethæ laudati.

[a] Num. XI. 12. [b] Prov. VIII. 30.

Varietas lectionis.

punctis scripta תראי vix aliter videtur verti posse: sed prudentissimi Masorethæ nobis hic, ut in multis aliis, præluxerunt facem. Non punctarunt vocabulum, תִּרְאִי, ut faciendum erat secundum analogiam; sed תִּרְאֶה, quæ analoga punctatura vocis est à ירא *timere* deductæ: atque eo monuerunt haud dubie, deesse ei literam י, involutam puncto *Chireck*; licet non expressam. quin ipse Magister Hebræus docet, esse *Exemplaria*, quæ exhibent literam *Jod*; ut scripta sit vox, תִּירְאִי: sed quæ ipse quoque *erroris* damnat; quod forte jure aliquo fecerit. Utique Veteres Intt. vocem ita legisse videntur, ut nunc exhibetur. quod enim hoc tempore post ὄψῃ legitur apud τὸς ὁ. φοβηθήσῃ *metues*: Hieronymus quidem & Procopius ajunt non extare in Hebræo: sed recte referri potest ad vocem פחד. Rationes meæ sunt, α. Ipsa vocis *punctatura*, conformata ad analogiam vocis יִרְאָה *timere*. qui in alia sunt sententia necesse habent dicere, תִּרְאִי scribi pro תִּרְאֶה: quod insolens, & absque exemplo. β. Cum Vates dixisset, *attolle oculos tuos*; non satis commode subjicitur, TUM VIDEBIS; sed recte, TUM TIMEBIS. γ. Cum sententia hæc duobus membris constet; & in ejusmodi casu passim accidat, ut posterius membrum prius confirmet: idem etiam hic locum habere videtur. posterius autem membrum sonat, ופחד ורחב לבבך *Et* PAVEBIT, *ac dilatabitur cor tuum.* Quæ rationes ut hypothesin de voce תראה firmant: sic pariter nos ducunt in veram notitiam vocabuli נהרת, quod pariter varie sumitur. Hieron. *afflues*, quod nullum sensum dat, nec convenit naturæ vocis quæ notat *effluere*, ut recte Avenarius, non *affluere*; neque etiam *confluere*, quod hic prætulerunt Jun. & Trem. quodque idem placuit Belgis, hac addicta expositione. *Catervatim concurretis tanquam admirabundi.* quod suo loco relinquere, satius habeo quam refellere. Collatio *membri* hujus *posterioris* cum priori clarissime docet, vocem נהרת hic explicandam esse de *affectu animi*, & quidem affectu simili, qualis in *posteriori* hoc *membro* significatur phrasi, רחב לבבך *dilatabitur cor tuum.* hoc est, GAUDEBIS. Est enim *Gaudii*, animum expandere ac dilatare. Sic verterat Theodotio: Καὶ χαρήσῃ *Et* GAUDEBIS. Eodemque tendit, quod Kimchius, & ex Interpretibus illum sequutis, Pagninus & Coccejus quoque noster, vocem verterint, *Illuminaberis.* qui testatus est usus vocabuli נהר apud Chaldæos, & occurrit quoque apud Jobum [a]. Non sperno quidem, cum propius ad rem accedat: nec tamen in eo acquiesco. Non videtur enim notio huic loco propria. Mihi plane persuasum est, vocem נהרת, secundum genuinam suam notionem vertendam esse per *efflues*, sive quod Piscator jam monuit, *Instar fluvii erumpes.* sc. præ gaudio. Cum enim in metu subtilissimæ sanguinis partes contrahantur ad *cor*, unde facies *palleſcit:* contra in gaudio & quidem summo, *spiritus* iidem qui dicuntur, *effluunt* ab interioribus partibus ad *exteriores*, & instar fluvii erumpentis è venis suis se per extimas corporis partes diffundunt: quæ hic est vis genuina vocis נהר. Effectus *dilatati cordis* est sanguinearum partium eruptio, effluxus, & propulsio ad exteriora corporis. quod valet נהר, sive ea vox originem dederit voci נהר *fluvius erumpens*; sive ab ea originem traxerit. Affinia sunt פצח פרץ *erumpere*, quorum פצח de *cantu*; hoc etiam de *studio* usurpatur. Id itaque unum hic expediendum restat, quis hic locus sit *timori* & *pavori*; & quæ horum affectuum conjunctio cum *gaudio.* Ubi magni boni, cogitatione aut spe superioris, nuncius subito ad aliquem defertur: varios in se experitur motus & affectus; in quibus motibus primus is est ut contremiscat, instar *timentis*, & veluti extra se raptus *expaveſcat* atque obstupescat: quando deinde confirmatior factus, *solidum* experitur *gaudium*; & *cor* initio *contractum* tanquam ex *timore* & *pavore*, se *dilatat*, & sanguinem ad exteriora protrudit. Id jam Hebræi Abenezra & Kimchius recte observarunt, & ex nostris Piscator, huc commodissime relato loco Jer. XXXIII. 9. & res ipsa certissima est per experientiam. Simile accidit, ubi magni boni nuncius per famam aut tacitum murmur ad nos defertur: dum hactenus nos suspensos tenet, nos detinet in metu & pavore, usque quo certius confirmetur. Accedit illud, quod Cl. Coccejus docte adscripsit; tantum eventum, quantus hic prædicatur, in Regnis & Rebuspublicis fieri non posse absque magnis motibus, tandem in bonum & commodum Ecclesiæ exituris; qui ab una parte apti erunt concitare *timorem* ac *pavorem:* ab altera *gaudium* ac *lætitiam* summam. Sed fere mihi persuadeo, primum hotum maxime à Propheta intentum esse; videlicet, ut exprimeret *magnitudinem gaudii*, ex re maximi momenti subito nunciata nascituri. Vidit Alexandrinus, quem sæpius laudare vellem, si mereretur, vertitque, Καὶ ἐκστήσῃ τῇ καρδίᾳ· *Et obstupefces corde.* Sic sumitur vox ἐξίσαμαι, verbis Lucæ, Act. II. 7. Ἐξίσαντο δὲ πάντες καὶ ἐθαύμαζον [b]. Quodnam argumentum affectuum tam valide concitatorum? *Quando ad te vertetur copia* (המון) *maris*; *exercitus* (חיל) *Gentium ad te accedet.* hoc est, quando videris *Insulanos*, incolas & accolas *Maris*, Populos Occidentales, qui partes tenuerant tibi adversas, in tuas partes *verti*, (quæ hic insignis vocis emphasis non est negligenda,) repudiata superstitione & idololatria, seque cum *opibus facultatibusque* suis omnibus tuæ aggregare communioni. Voces המון *multitudo*, *turba*, & חיל *exercitus*, usu Scripturæ Sacræ, sumuntur tam de *rebus* quam de hominibus; notantque tam πλῆτον *Divitias*, *opes*, facultates, *copiam rerum*; quam πλῆθος *multitudinem*, exercitum & copiam hominum: quare οἱ Ο'. utramque vocem non semel, & quidem rectissime, per πλῆτον *Divitias* vertunt, etiam in hoc Libro [c]. Sic pariter hoc loco: Ὅτι μεταβαλεῖ εἰς σὲ πλῆτος θαλάσσης· *quoniam in te transferentur Divitiæ maris.* Sed Symm. hoc loco: Τὸ πλῆθος τῆς θαλάσσης, ἡ δύναμις τῶν ἐθνῶν. Imitatus Hieronymus: *Multitudo maris*, *fortitudo Gentium.* Rectius, Symmachum imitaturus, scripsisset, *Exercitus Gentium.* Sed Chaldæus omnium clarissime: עותר מערבא נכסי עמיא DIVITIÆ OCCIDENTIS: FACULTATES POPULORUM. Nullus dubitem, quin hic sit verus sensus Prophetæ. Zacharias [d]. *Et congregabuntur* חיל כל הגוים COPIA (facultates, opes,) *omnium Gentium circumcirca: aurum & argentum, & veſtes, magna multitudine.* Sed Propheta *opes* facultatesque hic spectari non vult absque hominibus, eas apportaturi, ut ex *sequente contextu* liquet; qui proin *synedochice* hic subintelliguntur. Tantum observaveris, quod Chaldæus vidit & diserte expressit; hic intelligi *Populos Occidentales*, à communione veræ Ecclesiæ hactenus secretos, eosque Divites & opulentos, Gallos, Hispanos, Italos, & his affines; qui proximi essent Saluti Jehovæ, in Occidente revelandæ, secundum id quod dixerat Vates, cap. LIX. 19. *Et reverebuntur* ממערב AB OCCIDENTE *Nomen Jehovæ, & ab Oriente sole*; & quod mox repetit in hac *Sectione.* ℣. 9. *Quia me Insulæ expectant, & Naves Tarteſſi* PRIMO, (בראשונה *in initio*,) *ad adducendum filios tuos è longinquo*, & sqq. quæ singularis hic est lux prophetiæ. Cæterum cum Religio Christiana sit spiritualis, in qua auri argentique non adeo magnus usus sit: quid Spiritus sub hoc emblemate nos docere voluerit, post tractatam hanc pericopam exponam.

Ad *Orientales* pertinent quæ sequuntur ℣. 6. &. 7. ubi observaveris, non omnium Populorum Orientalium mentionem fieri; sed *Arabum* tantum; & quidem ob hanc rationem quod Arabes his rebus abundarent, sive negotiationem in his rebus exercerent, quæ maxime facere poterant ad decus & usum Religionis: *thure* videlicet, *auro*, *argento*, *pecudibus*, in *sacrificia* Deo offerendis. Id enim unum hic respicitur; quod alicujus momen-

Sanior lectio adstruitur.

Alterum membrum, *Pavebit* & *dilatabitur cor tuum.*

Dijudicatio vocis נהרת, *efflues.*

Optime exponitur de *affectu animi.*

An vertenda *illuminaberis?*

Versio probabilior constituta.

Affectus, *timoris* & *gaudii* explicantur.

Illustratur ex analogis.

Concursus horum affectuum declaratur.

Verſio item Græca.

Cl. Coccejii observatum laudatur.

Usus vocum המון, & חיל, stylo sacro.

Hic præcipue referuntur ad *facultates* & *Divitias.* Locus Zach. XIV. 14.

Designantur hic Populi *Occidentales.*

Conversio Orientalium, ℣. 6. 7. Cur *Arabum* hic præcipua habeatur ratio?

[a] Cap. III. 4. & eodem quoque trahitur locus Pſ. XXXIV. 6. XXX. 6. [b] Act. II. 7. confer Cap. VIII. 13. [c] Confer Cap. XVI. 14. & [d] Cap. XIV. 14.

Camelorum usus in Arabia.

momenti est hic observasse. Verba Prophetæ: *Turma camelorum operiet te.* Sic recte vertitur phrasis, שפעת גמלים TURMA, agmen, *caterva*, CAMELORUM; ut שפעת סוסי *Agmen equorum*, apud Ezechielem [a]. Designantur utique *cameli*, sitis patientissimi, quibus Arabes utebantur in Mercibus per vasta & siticulosa Arabiæ deserta transportandis. Strabo [b]: Σκηνῖται δ' ἔχουσιν αὐτὴν Ἄραβες καμηλοβοσκοί. *Eam* (Arabiam desertam,) *incolunt Arabes*, CAMELORUM PASTORES. Hos, ait, Civitatem hanc Domini *obtecturos esse*. quod scite & pereleganter dictum. Ut enim *cameli* ipsi staturæ proceritate excellunt; sic bonis, quæ vehunt, clitelliscque latis onusti, veluti umbram faciunt; & catervatim incedentes, ad quos accedunt, *operiunt*. Sequitur, *Juniores cameli Midianitarum & Ephæorum*. Heb. בכרי מדין ועיפה. ubi primo Bochartus [c], hunc locum illustrans, facile cuique persuaserit, per בכרים intelligendos *camelos juniores*, sic ipsis Arabibus dictos, eosque *clitellarios*, onera gestare solitos; non proprie δρομάδας, *dromedarios*, ut Hieronymus; licet ipsi quoque *camelorum* genus sint; parvos, graciles, & cursus motusque celeritate insignes. Jarchius h. l. הם גמלי בחורים וכן בכרה קלה *Hi sunt cameli juvenes; ut* (Jer. II. 25.) *camela juvenis levis*. Chaldæus: הונגין: eadem vocis significatione. videlicet, in robore juventæ, ut tam robur oneribus *ferendis sufficiens*, quam *gressus celeritas*, significetur. Monui jam, fuisse illos præcipue in usu apud Arabes, & in his maxime apud *Midianitas* & *Ephæos*, quorum pars magna sedem fixerat in ea Arabiæ parte quæ est ad Orientale latus Sinus Arabici; ubi olim hujus nominis Urbes [d], ab ipso quoque Ptolemæo non neglectæ; qui Urbem מדין vocat *Modian*; *Epham* autem haud dubie signat nomine Ἵππος *Hippos*, ut ὁ ϖάνυ recte conjecisse videtur. Censet ille, has Urbes præcipue hic spectari: sed commodius mihi videtur, ipsas respici Gentes, per eam Arabiæ partem quæ Petrææ proxima est ad ortum, diffusas, quæ passim hoc nomine appellatur. Sunt autem *Midianitæ* ex Abrahamo per *Keturam*; & *Epha* (עיפה) *Midianis* dicitur filius fuisse primogenitus [e]. de quorum Arabum sedibus supra latius disputavi in Dissertatione de *Cuschæis*. Hos vero ipsos Arabes inprimis operam dedisse nutriendis tractandisque *camelis*, & mercibus ex Arabia Felice in Ægyptum, Palæstinam, Syriam, Phœniciam transportandis, ex ipsa Historia Sacra liquidissimum [f]. Vide dicta à me ad Cap. XXX. 6. Id vero subjicit Vates, *Omnes illi ex* SABÆA *venient; aurum & thus portabunt; & laudes Jehovæ læta voce prædicabunt*. Intelligitur hic *Sabæa*, *thure*, *aromatibus*, & *auro* ditissima, (sive *aurum* ex ipsis illius regionis visceribus; sive Indicum aut Æthiopicum, ex commerciis aromatum quæsitum comparatumque fuerit; quod probabilius habeo:) extrema Arabiæ Felicis Regio, Persico Sinui proxima; qui *Sabæi* orti fuerunt *Chusi* Nepote ex *Regma* [g], ut jam docui ad Cap. XLIII. 3. ab aliis hujus nominis distincti; sive vox cum ו scribatur, sive cum ס. confer adscripta ad Cap. XLV. 14. Horum fuit Regina *Schebæ*, quæ ad Salomonem venit magno comitatu, *cum* CAMELIS FERENTIBUS AROMATA ET AURUM [h]: ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς *ex terræ finibus*, ut Dominus [i]. de quibus *Sabæis* in *Ode* ejusdem argumenti cujus hæc est Sectio, Poëta Divinus [k]: *Reges* SCHABÆI *&* SABÆI *munus offerent*. Rursus [l]: *Et dabitur ipsis de* AURO SCHEBÆ. Quæ Veteres de Arabiæ Felicis, & hujus præsertim Sabææ, (quæ à Cl. Bocharto [m] nimis generaliter sumpta videtur,) opulentia & divitiis narrant, à præclaro illo Viro jam anticipata sunt; atque adeo nunc transeo; licet Veterum illa, quæ apud Strabonem [n] aliosque leguntur, cum discrimine aliquo accipienda sint. Quorsum vero pertinet quod additur, *Et laudes Jehovæ læta voce prædicabunt*; vel laudes Jehovæ prædicando *lætum adferent nuncium*, quæ hic est vis vocis יבשרו: quorsum, inquam, illud pertinet? Utique enim nullum præcessit Subjectum, nisi *cameli*, auro & aromatibus onusti? Id passim visum est Interprétibus durum; atque adeo id transtulerunt ad *camelarios* aut *negotiatores*, qui camelos ducentes hæc munera adferrent. Chaldæus: *Et qui venerint cum iis, laudem Domini narrabunt*. Ipse quoque Coccejus ita accipit: nec tamen Veteres. Certus sum ex hoc *commate* collato cum *sequenti*, Prophetam id de *camelis* intelligi velle; cujus sapientia & ἐνέργεια *orationis* vere est inexplicabilis. Sensus Vatis primus est, *Camelos*, *aurum* & *aromata portantes*, argumento fore, *laudes Dei*, hoc est, immensa beneficia in Ecclesiam collata, à Sabæis in fide agnosci, prædicari, celebrari, quem in finem usus hic est vocabulo בשר *lætum ferre nuncium*. *Cameli* hi, & quidem *Cameli* optimi generis, quales illi Midianitarum & Ephæorum, à camelariis ducti, testimonio atque argumento essent, quanti gratia Dei apud hos Populos fieret & æstimaretur; atque adeo *bonum nuncium* ferrent de illorum *conversione*; & muti licet, *laudes Dei* enarrarent. תהלות *laudes* proprie hic notant summa beneficia Divinæ gratiæ, quæ ampliſſimam faciunt materiam laudationis bonitatis ac gratiæ divinæ in iis conspiciendæ. confer Cap. XLIII. 21. & Cap. LXIII. 7. ubi vox pariter numero plurium usurpatur. Hic primus sensus est: de μυστικωτέρῳ mox. Ejusdem *tenoris* est quod sequitur, ℣. 7. *Omnes oves* CEDARENORUM *colligentur ad te: Arietes* NABATÆORUM *tibi ministrabunt, & seqq.*] Quicquid ad literalem hujus loci intellectum pertinet, jam anticipavit Cl. Bochartus [o]; etsi cætera nihil hic occurrat quod Interpretem multum exerceat. *Nabajôth* sunt *Nabatæi* in historia Vetere notissimi, Arabiæ Petrææ incolæ: *Kedar* Cedareni, sive Cedrei, profanis minus noti, Nabatæis proximi vel iiscum mixti. Utrique orti Ismaële, quorum *Nabajôth* & *Kedar* primo & secundo geniti dicuntur [p]. Videri possunt quæ de iis tradidi in *Notitia* Arabum [q], & in commentatione prophetiæ in Nabatæos & Kedarenos conceptæ, Cap. XXI. 13. & Cap. XLII. 11. Constat pariter ex Strabone, Diodoro, aliisque, eosdem non tantum fuisse *pecorosos*; verum etiam omnes illorum opes *pecore* constitisse: fuisse autem hoc pecus Arietum, Ovium, agnorum, optimi generis & albi velleris. Confer Ezech. XXVII. 21. vide observata ad Cap. XVI. 1. Solummodo itaque animum adverti velim ad emphasin orationis. Primo quod dicitur, *Arietes & Oves* MINISTRATUROS esse Ecclesiæ; plane fit per προσωποποιΐαν. *Ministrare* enim *alicui* (שרת διακονεῖν,) est *personarum*, &, recepta phrasi sacra, *Sacerdotum*. introducuntur itaque *Arietes* & *Oves* hic ut *personæ*; & quidem tanquam *Sacerdotes*, veluti ipsi se *oblaturi*: perinde ac *camelos* tanquam Res intelligentes exhibitos vidimus *commate superiori*; ut Vates nos moneret, se mystice intelligi velle. Sensus est, *Arietes* & *Oves* Kedarenorum ultro veluti se stituros esse ante aram, & acsi mutati essent in Sacerdotes sponte sua *conscensuros* aram, ut Deo in *holocausta* offerantur. quod alterum hic notandum habebam. יעלו est *ascendent*, integri videlicet tanquam עולה *holocaustum*, ex עלה *ascendere* sic appellatum. Tertium, quod OMNES *Arietes & Oves Arabum* dicantur ad Ecclesiam colligendi, & ei inservituri esse. Meditare phrasin, & videbis, subesse mysterium. Quis enim unquam dixerit Vati in mentem venisse, ut OMNES *Oves & Arietes Kedarenorum* Deo in Templo *offerenda* esse dixerit? Quarto, adverte *transpositionem* aliquam, sive μετάθεσιν quæ dicitur, *constructionis*, (Hebræi הפוך *inversionem* vocant,) in phrasi, יעלו על רצון מזבחי. Accipe acsi scriptum esset, יעלו לרצון על מזבחי *ascendent ad complacentiam super altare meum.*

Emphasis in phrasi operire h. l.

Notio מכרים *Cameli juniores.*

Cur eorum hic mentio?

Notitia Ephæorum.

Gentes hic, non *Urbes*, intelligendæ videntur.

Arabum negotiatio per Camelos.

Notitia Sabææ, & Sabæorum.

Regina Schebæ. Sedes Regni ejus.

Ad quod subjectum referenda

Ex mente Prophetæ referenda sunt ad Camelos.

Quo sensu?

Tertium membrum, ℣. 7. Oves Kedarnorum, &c.

Notitia Kedarenorum.

Erant pecorosi.

Emphasis orationis. Arietes, oves, quo sensu ministrarent Ecclesiæ?

Animadversio ad vocem omnes h. l.

Figura, μεταθέσεως in oratione.

sint verba, Et laudes, Jehovæ narrabunt.

a Cap. XXVI. 10. b *Geog. S.* Lib. XVI. p. 528. c De *Animal. S.* Part. I. Lib. II. Cap. III. d Exod. II. 16, e Gen. XXV. 2. 4. 1 Chron. I. 32, 33. f Gen. XXXVII. 25. 28. Jud. VI. 5. VII. 12. g Gen X. 7. h 1 Reg. X. 2. i Matth. XII. 42. k Ps. LXXII. 10. l ℣. 15. m *Geog. S.* Lib. II. Cap. XXVI. n *Geog.* Lib. XVI. p. 535. o *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XLVIII. p Confer Gen. XXV. 13. 1 Chron. I. 29. q Ad Cap. XX.

Usus vocis לרצון.

Docta est, & huic loco congrua, observatio Kimchii. Est enim usus vocis לרצון *ad complacentiam* hoc in casu solennior. Sic scripserat Propheta Cap. LVI. 7. *Et sacrificia illorum* לרצון AD COMPLACENTIAM *in altari meo*[a]. h. e. grata mihi acceptaque erunt, & effectus meæ benevolentiæ ex iis conceptæ in offerentes redundabit. Posset etiam על רצון verti *secundum complacentiam.* eo modo oblata ut mihi placeant; ut ὑπὲρ εὐδοκίας, usurpatur Paulo [b]. Propositio ὑπὲρ ibi respondet voci על, vertendaque est *juxta*, (*secundum*, *pro*) *complacentiam.* Sed prius rectius & liquidius. Dicuntur *accepta esse* sacrificia & offerri ad *complacentiam*, quæ offerentibus impetrant Dei favorem, gratiam, & benevolum in eos affectum. Finis hujus magni operis gratiæ & providentiæ subjicitur: ET *Domum meam ornatissimam exornabo.* Heb. בית תפארתי prop. *Domum decoris meam. Affixum relativum* non est referendum ad *decus*, sed ad *domum.* ut Cap. LXIV. 10. in oratione Ecclesiæ: בית קדשנו ותפארתנו *Domus nostra sancta & glorioſa.* Chald. תושבחתי *Laudis meæ.* Hieron. *Majestatis meæ.* Utique תפארת Hebræis sonat *decus*, ornamentum. פאר *exornare*; de cujus notionis vi egi ad Cap. LV. 5. Ex quo eodem loco cum nostro hoc collato, simul ex re ipsa, facile colliges præfixam ו in voce ובית vertendam esse per UT. Universum enim hoc & mirabile opus Divinæ Providentiæ in Gentibus convertendis & ad communionem Ecclesiæ perducendis pro scopo suo haberet *Condecorationem* atque *Exornationem* Ecclesiæ; ipsa vero hæc *Condecoratio Ecclesiæ* illustrem faceret Divinam Gloriam. Sic scripserat Propheta Cap. LV. 4. *Ecce, Gentem quam non noveris, vocabis; & Gens quæ te non noverint, ad te current,* PROPTER (למען) *Jehovam Deum tuum, & Sanctum Israëlis, qui te exornat.* Recurret idem mox ℣. 9. Gloria Dei ejusque excellentium Virtutum laus illustranda erat in gloria Ecclesiæ.

Locus Phil. II. 13.

Respectus *relativi* in phrasi, *Domus decoris mei.*

Scopus Divini Consilii in convertendis Gentibus.

Verba Prophetæ mystice accipienda.

Sensum his subesse mysticum, Jesaiani & Prophetici styli peritus, facile agnoscit. In terrestri enim Hierosolyma hæc nunquam impleta fuerunt, quandiu perstitit; unquam implenda esse, nemo dixerit, nisi qui cum Judæis ineptit. Judæi post Maccabaica tempora vere opibus & multitudine creverunt; & consecuti sunt promissa temporalia Promissis & Prophetiis exposita. Templum ornatissime ac splendidissime instructum est, Herode Rege; sacra ordine ex Ritu Mosaico curata; victimæ ad sacrificia non defuerunt: sed illo jam tempore Populus maximam partem carnalis, verum suæ Religionis sensum perdiderat, & Romanis obnoxius, libertatis suæ speciem tantum retinuerat; mox totam amisit, & expertus est gravissimam Dei indignationem in judicio, quod administrari voluit per Romanos, Templum & Civitatem excidio devoventes; quod tantum abest à splendore hujus prophetiæ, quantum lux meridiana nocte distat. Frustra itaque hic se fatigat Grotius, & quotquot ejus premunt vestigia. Estne probabile, Deum Ecclesiæ felicitatem per Spiritum suum prædicaturum, *lucem gloriamque* ejus circumscripturum auro, argento, aromatibus, cedrimis atque oleaginosis lignis, & quæ hujus generis pluribus? Quid Ægyptia, Asiana, Attica, Delphicum, Romana, & tot alia per Orbem ejus temporis Templa minus habuerunt Hierosolymitano? Quid Populi harum Gentium minus, imo quid non aliqui multo plus, Hierosolymitano? Quanti nobis erit Verbum Propheticum, si in his decurrat, & se hyperbolicis loquutionibus jactet? Vah cæcitatem! Nihil nunc dico de nexu prophetiæ, & subsequentibus ingentibus promissis, quorum aliquorum ne umbra quidem in Hierosolyma terrestri demonstrari potest. Quin Spiritus S. orationem suam ita hic temperavit, ut prudentes docuerit, se mystice intelligi velle. Mystice autem si hæc accipias; primum tibi eumque tenuissimum dabunt sensum, fore ut Populi tam Occidentales, (qui à puriore Religione alienati fuerant & *aversi*,) divitiarum maris potentes; & Orientales, quorum exemplum hic sustinent Arabes, & quidem ditissimi Sabæi, se ad veram fidem Religionis convertant, ad magnum decus, honorem, laudem, & lætitiam Ecclesiæ. Deinde, ut iidem Populi Religionem veram suscipiant eo animi studio & obsequio fidei, ut quicquid carum habeant ac pretiosum in commodum & decus Religionis, Ministrorum ejus, Oratoriorum, Scholarum, lubenter impensuri sint; se totos & omnia sua Ecclesiæ & Religioni veræ devoturi: quò pertinet luculenta prophetia, de *Arabibus*, Cap. XLV. 14. diligenter exposita, & cum analogis comparata. Hic enim affectus est omnium veræ Religionis studiosorum. Nec tamen hic subsistendum, quod passim faciunt Interpretes. spiritualis sensus altius surgit. Tertio itaque, hoc emblemate significari ajo, Populos hosce ad Ecclesiam convertendos, ad eam allaturos esse *veras divitias*, hoc est, insignia dona Divinæ gratiæ; *fidem puram*, auri instar *igne* excoctam; profundam *humilitatem* animi; *illuminationem* mentis ad solidum rerum Divinarum captum, cum earum discernendarum *acumine* ac διακρίσει; zelum Religionis; sanctimoniam; ardens charitatis ac virtutis studium; *spem* vivam; fiduciale *donum* precum, instar *suffitus* Deo offerendarum; eamque voluntatis lubentiam, ut se totos instar *sacrificiorum voluntariorum* Deo ejusque gloriæ consecrare parati sint. Hæ sunt veræ *divitiæ* nobis in Verbo Dei commendatæ, quæ Ecclesiam & Religionem ornant, & ad salutem prosunt; cui, & ipsi Religioni, divitiæ externæ sæpe obsunt. Qui hæc bona possidet, πλουτεῖ εἰς Θεὸν, DEI RESPECTU *dives est*, phrasi Domini [c]. quas *divitias*, ut nobis procuraret Dominus, *pauper* factus est [d]. *Consulo tibi*, ait Jesus Ecclesiæ Laodicenæ [e], *ut emas à me aurum igni exploratum*, (veram fidem,) ἵνα πλουτήσῃς *ut* DITESCAS. Hi sunt electi illi, πλούσιοι ἐν πίστει *divites fide* [f], & σοφίᾳ *sapientia*, ex scrutinio Verbi Dei hausta [g]: περισσεύοντες ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν [h]. Denique quarto, quam illud pulchrum ac delectabile est, eosdem hosce credentes Ecclesiæ aggregandos hic venire sub emblemate *camelorum*, onera *auri* & *aromatum* ex Sabæa allaturorum; & *arietum* atque *ovium*, quæ ipsæ se veluti offerrent & *ascenderent in altare? Cameli*, statura proceri, & magna onera gestare sueti, hic sustinent emblema excellentium quà dignitate quà facultate hominum, (ut sane apud Arabes magna ingenii copia est & facultas, ab ævo agnita,) qui donis hisce spiritualibus, quæ recensui, & *patientia*, & laboris *tolerantia*, egregie instructi essent; iisque Ecclesiam copiosissime ditarent ac veluti *operirent*, acumen sapientiamque suam sanctificatam, & *bonum* fragrantemque fidei ac virtutum suarum *odorem*, in eam illaturi; & *fortes* ac *validi* fide cum *Arietibus*; & *mansuetudine ovili*, pingues & bene pasti Verbo gratiæ, & albi velleris ex *sanctimonia*, ipsi se, non exspectato Sacerdote alio, gloriæ & sanctificationi Divini Nominis ultro ac lubenter oblaturi, ad decus & ornamentum Ecclesiæ, in *hostias spirituales*, Deo gratas ac placentes, igne Spiritus ejus consumendas. Eusebius, Hieronymus, Procopius, viderunt *Camelos* hic introduci ut *personas*, eosque compararunt cum *divitibus*, huc adducta comparatione Domini Matth. XIX. 24. in quo sane non leviter errarunt. *Camelus* enim ibi in contrariam partem sumitur, & unius fere sui attributi respectu, hoc est, *gibbi*, qui prohibet quominus per *aequabile* & angustum *foramen* transeant: cum quo gibbo ibi comparat divitias. Vitanda utique sunt in applicationibus mysticis ἀλλογενῆ. Nostræ rationes hic sunt liquidæ, & phrasi Prophetæ, hominum qualitates per qualitates animantium variis in locis figurantis, consentaneæ. Quantum vero ejus quod hic dicitur, huc usque in Ecclesia implementum sit: videbis ad Cap. XLV. 14. In *Nabataïs* primis *Saeculis* inchoatum imple-

Implementum non potest ostendi sub Herode Rege.

Ill. Grotii frustranea ad h. l. tentamina.

Necessitas sensus mystici demonstrata.

Quid sibi mystice velint verba

Prophetæ? primus eorum sensus?

Altior & sublimior sensus spiritualis.

Divitiæ spirituales Credentium, ex locis suis illustratæ.

Lubentia, credentium hic elegantiæ emblemate expressa.

Quid *camelli*?

Mysticus Pericopæ sensus respectu sequentium.

Vett. Euseb. Hieron. &c. meditationes ad hunc locum minus solidæ.

[a] Confer Exod. XXXIII. 38. Ps. XIX. 15. [b] Phil. II. 13. [c] Luc. XII. 21. [d] 2 Cor. VIII. 9. [e] Apoc. III. 18. [f] Jac. II. 5. [g] Col. III. 16. [h] 2 Cor. VIII. 7. IX. 8. 1 Thess. III. 12.

implementum certiſſime demonſtratur: neutiquam vero in *Sabæis*; ne ad hodiernum quidem diem. *Arabia Felix*, nunquam recepit Fidem Chriſtianæ Religionis. Adſcribo, Judæos Veteres aliquid ſaltem ejus hoc loco vidiſſe: docere nempe volunt Prophetam, Populos hoſce ſponte ſua veram Religionem ſuſcepturos eſſe. *a*

(b.) Reſpectu *certæ* alicujus *Gentis* in libertatem vindicatæ.

℣ſ. 8. QUINAM ILLI ſunt *qui inſtar denſæ Nubis volant & TANQUAM COLUMBÆ ad columbaria ſua?* ℣ſ. 9. QUIA *me Inſula exſpectant; & Naves* TARTESSI *in initio, ad adducendos filios tuos è longinquò: argentum ipſorum & aurum ipſorum cum ipſis;* PROPTER *Nomen Jehovæ Dei tui; & propter Sanctum Iſraëlis qui te exornat.*] Dum Chorus Propheticus hoc ſpectaculo paſcit ægritudine & exſpectatione languentem, jamque erectam & veluti in tecto Urbis conſtitutam Eccleſiam, ut undique ad ſe concurrentes gradumque accelerantes videat: idem ille Chorus alias quaſdam detegit *turmas*, propere accedentes, & magna celeritate promoventes gradum; quas oſtenſurus *Fœminæ*, quam conſolatur, tanquam in raptu, *Quinam* ILLI *ſunt*, ait, *qui inſtar Nubis volant?* Poſſet accipi oratio tanquam eſſet ipſius hujus Fœminæ, ſive Eccleſiæ; ut ipſa intenta videndo Populorum ad ſe confluxui; novas haſce detegens *turmas*, ex Choro Prophetico percontetur; *Quinam illi ſunt? & ſeqq.* Nihil vitii eſt emblema ita concipere: & tamen obſtat, *α.* Quod nullum reſponſum Quæſito aptetur. *β.* Quod oratio ℣ſ. 9. Chori Prophetici cum hac connexa continuetur; ut *interjectio* hic durior ſit. Monui jam de *turmis* hic mentionem eſſe. id enim innuit vox תעופינה *volant*, conſtructionis *Debilioris generis*. Ipſa quoque vox *Nubes* id clariſſime evincit; quæ non ſuſtinet emblema unius, ſed plurium qui *umbram* faciunt, confertim congregatorum ac procedentium; unde phraſis Apoſtolica *a*; Νέφος μαρτύρων *Nubes teſtium*. Quæris, *quinam* illi ſint quos Vates hic deſignat? Adſcripſit Coccejus: *Ut nobis inexſpectatus ſit ille acceſſus, non debuerunt nominari. Hariolari poſſumus, hos* JUDÆOS *eſſe.* Pia eſt & Doctiſſimo Viro digna cogitatio; nec auſim tamen fidenter ſubſcribere, quia in hac pericopa tota de *Gentibus* agitur; & *Judæi* rectius includi videntur *filiis* & *filiabus* ad Hieroſolymam perducendis, de quibus *commate* ſequenti: tum quoque quod me magis urget; quia ſecundum illam ſententiam non patet nexus, qui inter hoc *comma* & *ſequens* intercedit. Subjiciuntur enim protinus hæc verba: QUIA *me* INSULÆ *exſpectant*, & NAVES TARTESSI *in initio:* ubi nexum orationis non licet diſſimulare; quem tamen omnino diſſimulat Doctiſſimus Interpres, adſcribens ad hæc verba, *Concludit illam ſpecificationem complexione generali.* Sed minus id mihi videtur probabile. Adhæret mihi cogitatio, alludi voce *Nubis* ad denſam *Navium claſſem*, quæ, ſtylo Poëtico, *velis* expanſis *umbram faciens*, rapidiſſime per aquas fertur inſtar *Nubis* vel *Volucris*, ſecundum illud, VOLUCRI *freta* CLASSE *pererrat*; & tamen *columbarum* emblema non minus huc facere videatur. Ut paucis abſolvam; non videtur abs re, intelligi *Græcos*, mariſque accolas Aſianos, & quicquid ac Occiduum clima eſt, Chriſtianæ profeſſionis hominum, ſub Imperio Othmanico gementium; qui cum longum deſediſſent triſti ſtatu ignorantiæ ac ſuperſtitionis, & veluti cum perdita libertate obſeſſi ſtupore, abſque ulla cum Occiduis Eccleſiis purioribus culta communione, hoc tempore vindicati à Jugo, inſpirata libertatis aurâ, & communis lucis Eccleſiam perſtringentis participes facti, ſe ad Eccleſiam illuminatam propenſiſſimo ſtudio *catervatim* inſtar *Nubis* aggregarent, & tanquam *columbæ* ad *columbaria ſua* præcipite impetu *redirent*; poſtquam intellexiſſent mirificam rerum mutationem, & *magnalia* à Deo in Populo ſuo liberando edita. *Columbarum* eſt præceps *volatus*; inprimis, ubi ad *columbaria* revolant, ut Cl. Bochartus jam obſervavit ex Kimchio; qui idem hunc locum, & præſertim huic analogum ex Hoſ. XI. 11. ubi ejuſdem emblematis uſus eſt, docte illuſtravit *b*. Sed quod Vir Eruditus ibi adſcribit, *Magiſtros hoc referre ad Iſraëlitas ex Captivitate Babylonica cum ſumma alacritate redituros*; non recte accepit. Referunt ad Reditum eorum in Canaanæam ex *præſenti* גלות *Tranſmigratione* ſive *Exilio Romano*. Eſt præterea in his ſimilitudinibus quid ſublime, quod Vir Doctiſſimus non attigit. *Ferri* ut *nubem in cœlo*, & quidem agitante *Vento* validiore; eſt animo ſupra terram evectorum, qui ſpretis terreſtribus, & tanquam in *cœleſtibus* verſati, totos ſe committunt *ductui* & *motui* Spiritus S. omnes electos *unientis* Eccleſiæ. Huc enim tendit omnis *motus* & impulſus Spiritus S. Quos vero Spiritus movet, rapide feruntur. Ipſa quoque *Nubes*, & quidem עב *Nubes denſa*, nos monet de arctiſſima unione & conjunctione eorum, qui ad Eccleſiæ unitatem ejuſque communionem tendunt, quare eadem Eccleſia Amoſo *c* concinne appellatur אגרה *Faſciculus*, *à Deo fundatus in terris*. Eccleſia autem eadem, & quidem *purior*, quam ſcite hic comparatur *columbario?* quæ hic vis eſt vocis ארבה, quæ proprie valet *feneſtram*. Sic Chaldæus docte hoc loco: שובכיהון *Columbaria ſua*. Sive enim *caſtitatem*, *puritatem*, argenteum aureo diſtinctum, niveumque *candorem*, *ſimplicitatem*, *innocentiam*, jucundum & gratioſum aſpectum, hujus *volucris*, ejuſque *gemitum*, reſpicias: quid electis Dei in terris ſimilius *columba?* Quid Eccleſiæ, *columbario?* Eſtque hæc ratio, quare Spiritus S. hoc emblemate ſubinde utatur. *d*

Subjicit jam Chorus Propheticus ℣ſ. 9. *Quia me inſulæ exſpectant*, ſubintellige, *inquit Dominus*. Sunt enim Verba Dei, & quidem *Filii Dei*, quæ Chorus repetit. Si hic obtineat ſententia Cl. Cocceji de *Judæis*, ſuperiore *verſu* ſignatis: ſic accipienda ſunt verba, ut cohæreant cum toto complexu ſuperioris pericopæ, ut ipſe jam monuit: quam ego ſententiam lubens in medio relinquo: ſed ſi hypotheſis mea, pro qua tamen non vehementer pugno, probabilior videatur; propius cum ea connectuntur, & nos revocant ad *Occidentem*, ubi primi & magni motus excitari debebant, antequam *Oriens* in partem hujus gratiæ veniret. Sane Jeſaias ubique nobis hunc ſubjicit rerum conſpectum; & ipſiſſima hæc ſententia, iiſdem etiam verbis expreſſa, & expoſita, nobis in *ſuperioribus* non ſemel occurrit. confer Cap. XLII. 4. LI. 5. & compara Cap. XLIX. 1. Addit, *Et Naves Tarteſſi primo.* h. e. *primo tempore & ordine.* Sic enim vertenda eſt notio, quæ nunquam alio ſenſu in Scriptura ſumitur. quare quæ Forerius & Sanctius hic congeſſerunt, aliò tendentia, ut otioſa tranſeo. Propheta hic alludit ad ipſum illud quod dixerat Cap. LIX. 19. *Et reverebuntur ab* OCCIDENTE *Nomen Jehovæ, & ab* ORIENTE *Sole Gloriam ejus.* Lux primum tempore & ordine *nunc* appareret in *Occidente*; cum in initiis Evangelii ex *Oriente* ortu ſuo illuſtraſſet *Occidentem*. Ergo Occiduæ Regiones, navibus mare ſulcare ſolitæ, hic generatim deſignantur Nomine *Tarteſſi*, (תרשיש *Tarſchiſch*,) *Baticæ* olim

Reſpectu certæ alicujus Gentis, in Libertatem vindicatæ, ℣ſ. 8. *Quinam illi ſunt, &c.* Summa & Figura hujus Pericopæ.

An oratio ſit Eccleſiæ, num Chori Prophetici? Poſterius tenendum.

Animadverſio ad vocem תעופינה.

Quinam hi? Num Judæi? D. Cocceji ſententia. Rationes quæ ei videntur obſtare.

Quo hic alludatur voce *Nubis?*

Videntur intelligi poſſe *Græci* in *Aſia* & *Græcia*, dudum gementes ſub Jugo Turcico.

Volatus *Columbarum* proprietas. Cl. Bochartus laudatus. Ad ejus verba animadverſio. Sublimitas hujus figuræ reſpectu *Subjecti*, cui applicatur.

Alterum obſervatum, huc pertinens.

Notionis ארבה uſus hoc loco. Eccleſiæ comparatio cum *Columbario.*

℣ſ. 9. *Quia me inſulæ exſpectant.* Quomodo verba cum ſuperioribus cohæreant?

Et Naves Tarteſſi primo Verba exponuntur. Locus Cap. LIX. 19. huc relatus.

Notitia *Tarteſſi.*

---

a Heb. XII. 1. *b Hieroz.* Part. II. Lib. I. Cap. II. *c* Cap. IX. 6. *d* Cant. V. 2. VI. 9. Pſ. LXVIII. 14. Hoſ. XI. 11. Matth. X. 16.

A Kimchius: יש מחלוקת בדבר זה בדברי ר"ל כי רבי אליעזר אומר שאין מקריבים מבהמות הגוים לא אנחנו ולא הם לפי שחושים להם לרביעה וחקשו זה הפסוק לר' אליעזר וחרץ כולם גרי' נדורי' הם לעתיד לבא דכתיב כי אז אהפוך אל עמים שפה ברורה וכו' *Diſſentiunt Doctores hac in re*; Num ſc. pecus Gentilium offerenda ſit: *quippe R. Eliezer ſciſcit, Non offerri ex animantibus Gentium, nèque à nobis; neque ab ipſis, quod ſoliciti ſint de earum cœitu. Objecerunt autem ipſi hunc locum; ad quem reſpondit, Supponi hic* OMNES HOSCE FORE PROSELYTOS, *qui Religionem veram ſponte ſua ſuſceperint, tempore Meſſiæ; ſecundum id quod ſcriptum eſt:* (Tſephan. III. 9.) *Quia tunc vertam ad Populos labium purum, ut omnes invocent Nomen Jehovæ, ut ipſi ſerviant humero uno.*

olim famosæ Urbis, in quam ex *Tyro* frequens instituebatur navigatio; sed quæ notio hic, ut jam prænonui, generalius usurpatur. Investigavi eam, veramque ejus notitiam asserui ad Cap. II. 16. qui locus inspiciendus est. Quorsum vero *naves Tyriæ & Tarteſſiæ?* Subjicit, *ad adducendum filios tuos è longinquo; aurum & argentum ipsorum cum ipsis.* Quis miretur, hominem non instructum spiritualium rerum notitia hic trahi in errorem? Vates enim cum in fictione hac parabolica Ecclesiam puriorem à Deo liberatam vindicatamque comparet illi Hierosolymæ, quæ sita fuit in Canaanæa, sedis Religionis Judææ à Deo electæ; collectionem vero Gentium ad Ecclesiam conferat cum concursu Gentium tanquam *proselytarum* ad illam Civitatem Sanctam, & cum propero confluxu Judæorum qui tempore persecutionis & afflictionis Populi Judæi huc illuc sparsi à Gentibus adjuti ad eam reversuri essent: supponit, principiis suis insistens, eos qui ex *Occidente* ad Ecclesiam aggregarentur, per naves Tyrias & Tarteſſias, quæ tempore Vatis sibi vindicabant dominium maris, illuc vectum iri. quo ipso tamen intelliges, simpliciter significari; omnibus quibus voluntas esset se adjungendi ad Ecclesiam, licere, ut commodissima quaque ratione, absque incommodo aut impedimento ullo, hoc propositum exequantur, cum omnia impedimenta ac repagula remota essent. Per *fidem* ad communionem Ecclesiæ accedere, est *duci & vehi.* confer emblema adhuc multo fortius & pressius Cap. LXVI. 20. Accederet adjumentum & auxilium Gentium, quæ omni studio & ope sua accedentes ad Ecclesiæ communionem sublevarent, eorumque conamina promoverent, ut vidimus ad ℣. 4. & analoga loca, in quibus *filiorum* ac *filiarum Hierosolymæ* ad eam ducendarum mentio facta fuit [a]. Venirent autem ad Ecclesiam cum *auro & argento suo*, h. e. cum omnibus suis facultatibus, corporalibus ac spiritualibus; parati eas impendere in Ecclesiæ bonum prono animi studio, AURUMQUE & ARGENTUM, *ac lapides pretiosos inædificare fundamento* [b]. Causam *impulsivam & finalem* quæris? Adscribit Vates, *Propter nomen Jehovæ Dei tui, & propter Sanctum Israëlis qui te exornat.* Sic vertendam hic loci affixam ל in voce לשם *Nomen*, & קדוש *Sanctus*, jam monui ad Cap. LV. 5. ubi pro eo quod hic legitur ל habetur למען *propter*. Οἱ ὁ. Διὰ τὸ ὄνομα Κυρίου. PROPTER *nomen Domini.* Admittere autem literam ל hanc significationem, testatissimum est. Qui vocem לשם hic vertunt τῷ ὀνόματι *Nomini*, ut Hieronymus: vel, AD *Nomen*, ut Belgæ nostri cum Tremellio: necesse habent interpretationem minus liquidam producere. Non enim satis commode dicitur, *Navibus* vehi AD *Nomen Jehovæ*, & AD *Sanctum Israëlis.* Nostra versio, quæ Piscatori quoque placuit, sensum dat expeditum; Deum ipsum hoc magnum ac mirabile produxisse effectum, *Nominis & Gloriæ suæ* causa, quippe secum certo consilio statuerat, Ecclesiam suam *exornare*, & in ea exornanda *glorificari.* Sed vide dicta à me ad locum notatum Cap. LV. 5. ejusdem argumenti, sensus, & phrasios. Interim, antequam hinc discedam, lubens fateor, me satis mirari non posse, quæ hic lego apud Grotium. Adscripsit ad verba: ET NAVES MARIS IN PRINCIPIO, *ut adducam, &c. Id est, ante omnia paratæ erunt Naves in Mari Persico, quæ Judæos deducant.* Nescio, quomodo in mentem venerit Viro illustri. An enim *Tharsis* significat *mare*, ut vocem erronee vertit Hieronymus? Si *Tharsis* aliqua fuerit in Oriente, ut Docti aliqui Viri volunt: *naves* Judæos deducturæ, fuerunt *naves Tarsisæ?* Num Judæi ex Babylonia ituri in Canaanæam; imponendi essent *navibus* in *Mari Persico?* Si ex Persico Mari per Euphratem (non putem enim hic cogitasse de περιηγήσει circa Arabiam, de qua Arrianus [c]:) ducti essent Thapsacum: quid tum porro? Utique iter confici debebat terra. Quam hæc improbabilia & vere absona?

Usus earum, ut *adducerent filios è longinquo.*

Animadversio ad stylum, & fictionem Propheticam.

Sensus spiritualis.

Quid sibi velit, quod venire dicantur cum *auro & argento.*

Causa impulsiva, *Propter Nomen Jehovæ.*

Usus præfixæ ל in voce לשם.

Interpretationes diversæ.

Paraphrasis Grotii notata.

β. *Amplificationis* argumentum *alterum* sumptum à *Regibus* ipsis, se huic Civitati Sanctæ adjuncturis.

℣. 10. *Et ædificabunt Extrarii muros tuos; & Reges illorum tibi ministrabunt, quia, cum in fervore meo te percusserim; acceptatione mea misertus fuero tui.* ℣. 11. *Et portæ tuæ semper apertæ erunt: interdiu & noctu non claudentur, ut adducatur ad te copia Gentium, & Reges illorum* CUM COMITATU.] Crescit oratio, crescetque itentidem usque ad *Sectionis* finem, ut stupidi etiam videant spiritualia hic corporalibus figuris & emblematibus involvi. Levius videri poterat, Gentes ad hanc Civitatem confluxuras; nisi simul ad gloriam & decus hujus Civitatis adderetur, Easdem adhibitum iri ad officia ministerialia, in usum & commodum Civitatis obeunda. Minus iterum, hæc dici de *Gentibus*, nisi idem de *Principibus & Regibus* earum prædicaretur. Item, *Reges* ac Principes *solos* venturos; minus videbatur, quam eosdem cum *comitatu* in hanc Civitatem duci: quæ proin à Propheta, continua orationis scansione, hic ordine collocantur. Denique, ut pulcherrimum emblema perfectissime pingeretur, quod Prophetæ in more est; subjicit, hos casus non fore raros ac singulares; sed frequentes; atque adeo fore ut *portæ* hujus Civitatis semper relinquantur *apertæ* ad continuum hunc confluxum excipiendum: quæ qui in terrestri Hierosolyma quæsiverit, multum sudaverit antequam invenerit. Percurram singula.

Alterum *Amplificationis* argumentum, sumptum ex *Regibus*, se Ecclesiæ adjuncturis, ℣. 10.

Affectio orationis Prophetæ, continuo altius altiusque scandentis.

Primum articulum, *Et ædificabunt extrarii* MUROS TUOS: si κατὰ γράμμα accipias, leve est; si κατὰ πνεῦμα, magnum quid sonat. *Muri Hierosolymæ* hic sunt ipsa Urbs Hierosolyma, ut in superioribus non semel suis locis [d] annotavi. *Ædificare muros Hierosolymæ*, stylo sacro est, à parte sua pro facultate promovere utilitatem, commoda, incrementa, & amplificationem Ecclesiæ, firmitatemque ac decus Religionis in ea cultæ. Neque alio sensu generali sumitur, ubi id opus Deo vindicatur, à Vate Sacro [e]: *Benefac Tsioni pro beneplacito tuo, &* EXTRUE MUROS *Hierosolymæ.* Analogum est [f]; *Jehova* ÆDIFICAT HIEROSOLYMAM: *congregat propulsos Israëlis.* Qui *Principes* ac Proceres Religionem protegunt ac promovent; Ministros ejus honeste habent foventque; subsidia necessaria procurant Scholis ac seminariis ejus; Ecclesiam defendunt causamque ejus agunt; & absque vi illata conscientiis secundum canonem Legis Evangelicæ auctoritatem facultatesque suas vertunt ad Ecclesiæ incrementum & amplificationem: qui *Doctores* eandem Religionem publice docent, adstruunt, defendunt, muniunt, illustrant, & Ecclesiam *ædificant*: qui *privati* homines ipsi Religionem diligenter colunt; alios monent, hortantur, solantur, iisque exemplo vitæ præeunt: hi omnes, suo quique loco & ordine, *ædificant muros* Hierosolymæ. Id opus hic committitur τοῖς בני נכר *Extraniis*, *Alienigenis*, Peregrinis, (de quo usu vocis vidimus ad Cap. LVI. 3.) h. e. iis qui eandem σχέσιν habebunt ad Ecclesiam, quam olim *Peregrini & Extranei* ad Populum Dei sub Oeconomia Vetere. Designantur homines qui huc usque extra communionem Ecclesiæ vixerant; eam odio prosequuti erant; falsæ Religionis cultores, idololatræ, Pagani; sed hoc tempore Ecclesiæ aggregati, eique Religionis causa in fide ὑπήκοοι *subjecti.* Emblema docet, α. Civitatem hanc spiritualem ante hoc singulare Beneficium Divinæ Providentiæ spectari ut multis partibus *collapsam*, atque adeo indigere *reparatione* ad decus & munimen. β. Tanti confluxus non capacem, ampliandam esse, *muros*que ejus late extendendos. γ. Ipsos Hierosolymæ incolas, h. e. hos qui Ecclesiam liberatam faciebant, ad id non sufficere; atque adeo *extrarios* ad id concursuros esse. δ. Idque eos facturos esse illo animi studio, promptitudine, & erga Religionem atque Ecclesiam obsequio, ut *ministri* & *servi* Hierosolymæ videantur; quod esse velint. ε. Licet

Articulus primus: *Et ædificabunt extrarii* MUROS *tuos.*

Muri Hierosolymæ hic ipsam notant civitatem.

Quid sit, *ædificare Muros Hierosolymæ?* Quorumque id sit officium?

Extrarii, hic memorati, quales?

Mysticus Sensus Emblematis declaratur.

[a] Cap. XLIII. 5. 6. XLIX. 22. [b] 1 Cor. III. 12. [c] *Exped.* Alex. Lib. VII. Cap. XX. [d] Cap. XLIX. 16. LIV. 11. [e] Ps. LI. 20. [f] Ps. CXLVII. 2.

cet opus in ſe videri queat *operoſum* ac *moleſtum*, quale per ſe ſpectatum vere eſt. Quid enim difficilius doctura, inſtitutione, & paſtura Eccleſiæ? confer luculentum locum ejuſdem ſenſus Cap. LXI. 5. *Et ſtabunt* PEREGRINI, (זרים) *& paſcent pecus veſtrum; & Alienigenæ erunt Agricolæ veſtri, ac Vinitores veſtri.* item Cap. LVI. 6. Subſequitur, per modum ſcanſionis: *Et Reges eorum tibi miniſtrabunt.* Expoſui data opera ad Cap. XLIX. 23. ubi idem & plus dicitur; coll. cum ℣ſ. 7. ejuſdem prophetiæ. Pertinet quod hic dicitur ad declarationem ℣ſ. 3. idemque mox ℣ſ. 11. & 16. repetetur. Subjungitur ratio mutati Status Eccleſiæ, hauſta non ex Eccleſiæ merito, ſed *miſeratione Divina*, his verbis: *Quia in fervore meo te percuſſi, & benevolentia* ſive *acceptatione mea, tui miſertus ſum.* Referri poſſet quod hic dicitur *remote* ad Cap. LVII. 17. ubi deſcribuntur gravia judicia Dei in Eccleſiam adulteram, in cujus communione vixerant pii, cujuſque plagas, dum in ea verſabantur, participarunt: ſed *proxime* pertinet ad graviſſimas *afflictiones*, quas *corpus* Eccleſiæ, cujus pii & boni cives hujus Civitatis partem fecerant, ſuſtinuerat, & *anguſtias* in quas ex indignatione Divina juſtiſſima inciderat ante hanc Liberationem ſibi Divinitus procuratam; de quo vidimus ad Cap. LIX. 1. 16. Notio *percutere*, metaphora ſumpta à flagellis quibus meriti caſtigantur, per Scripturas Sacras eſt receptiſſimi uſus, & in hoc Libro aliquoties nobis jam occurrit [a]. Eadem fuerat ſors Eccleſiæ Maccabaicæ. Supererant pii inter profanos & irreligioſos plures, Religionem Patriam proſtituentes & magnorum ſcandalorum auctores, jus faſque omne ſuæ ſubjicientes libidini; atque adeo ſibi provocaverat flagellum ſeveritatis Divinæ ad eam ab hypocritis purgandam & hypocritas ac profanos perdendos: venerantque pii & ſtudioſi Dei cultores in harum plagarum communionem; ſed cum ſui conſervatione, experturi Divinas miſerationes: cujus ſimile hoc tempore aceideret. Hebræa hic proprie ſonant, *Quia in fervore meo te percuſſi; & in benevolentia mea* (ברצוני *acceptatione, complacentia mea,*) *tui miſertus ſum.* Sed quæ ſic redrenda ſunt, ut feci: *Quia cum in fervore meo te percuſſerim, & ſeqq.* Ratio enim mutati Status Eccleſiæ cadit in poſterius membrum; ut quiſque, nemine monente, facile intelligit.

Cohæret cum priore membro, (ſepoſita hac παρενθέσει,) idque confirmat quod legitur ℣ſ. 11. *Et apertæ erunt portæ tuæ jugiter: interdiu & noctu non claudentur, ut ad te adducatur copia Gentium, & Reges illorum cum comitatu.*] Vides, ſenſum verborum huc dirigi, ut Vates directe dicat, tantum fore concurſum Gentium ad Eccleſiam, ſimul Regum & Principum, ut portæ hujus Civitatis ea propter non ſint claudendæ, interdiu vel noctu. Non excludo tamen ſenſum ſecundarium; Statum hujus Civitatis conſtiturum eſſe ſumma pace & ſecuritate, & excluſurum omnem metum impetus aut irruptionis hoſtilis improviſi; cujus reſpectu portæ civitatis paſſim claudi ſolent. Spiritus in *Apocalypſi* emblema adhuc altius & ſublimius interpretatus eſt. Verba ibi hæc leguntur [b]: *Nec portæ ejus* (Hieroſolymæ cœleſtis,) *claudentur interdiu:* Νὺξ γὰρ οὐκ ἔσται ἐκεῖ· *Nox enim nulla ibi erit.* Pulcherrime dictum! Commiſcuit hic duo emblemata, quorum prius ex hoc loco ſumptum eſt: poſterius ex Zach. XIV. 7. Myſticus & ſpiritualis ſenſus ſubeſt, α. Nemini homini in Chriſtum Jeſum credenti, cujuſcunque Gentis ac Populi ſit, negari aditum ad communionem Eccleſiæ: omnes volentes, lubentes, & ad communionem Civitatis ſanctæ in fide anhelantes, admitti. β. Nullum pariter tempus illos excluſurum eſſe. *portæ* enim Eccleſiæ ſemper patent. γ. Tantum fore ad Eccleſiam concurſum, ut Præfecti ejus, ἐυκαίρως, ἀκαίρως [c], huic operi vacare debeant. δ. Reſpectu aggregationis ad Eccleſiam, ſecundum ſtatum ejus ſpiritualem, nullum diſcrimen eſſe *diei* & *noctis*. ε. Quod jam præmonui; eundem ſtatum ejus fore ſummæ tranquillitatis & ſecuritatis. Nullum itaque dubium nos hic moratur, niſi quod repoſitum cenſeri queat in phraſi, ומלכיהם נהוגי quæ proprie ſonat, *Et Reges illorum* DUCTI. quod duplice modo accipi poteſt; vel *ducti ut captivi.* quomodo voce נהג uſus eſt Propheta Cap. XX. 4. *Sic* ינהג DUCET *Rex Aſſyriæ captivos Ægypti, & ſeqq.* vel *ducti* honorifice cum comitatu: qui uſus vocis obtinet Nah. II. 7. ubi de Regia fœmina; ואמהותיה מנהגות *Et ancillæ ejus* COMITANTES *eam tanquam voce columbarum.* Prius elegit Chaldæus, qui vertit, זקיקין *compediti*; idemque placuit Aben-Ezræ, comparato loco Pſ. CXLIX. 8. Poſterius placuit Kimchio. Equidem ſenſus ſpiritualis prius non reſpueret in aliis circumſtantiis, ut clariſſime liquet ex comparato loco Cap. XLV. 14. ſed circumſtantiæ hujus loci poſterius poſtulant. Agitur enim in hac prophetia tota de concurſu & confluxu libero; & quidem hic loci de concurſu magno, ipſorum etiam Regum, qui ſtipati caterva Magnatum & Procerum ſe communioni Civitatis hujus Sanctæ adjungerent. Vidit Eccleſia prophetiæ hujus implementum à temporibus Conſtantini mille & mille exemplis; & hodiedum noſtri vident oculi: quod, ſi tenuia Evangelii initia conſideres, videbatur eſſe poſitum longe ſupra omnem exſpectationem. Vidit, inquam, Reges & Principes, utriuſque ſexus, cum ſuis comitatibus ingredientes Civitatem ſanctam, Eccleſiam Jeſu Chriſti: ſed non vidit hactenus ea amplitudine, qua id hac pericopa futurum prædicitur: quare inchoati implementi complementum exſpectamus. Videant interim, qui ſub hac imagine Statum terreſtris Hieroſolymæ contemplantur, quando & ubi huic prophetiæ ſatisfactum fuerit.

Ratio ejus.

℣ſ. 12. QUIA *Gens illa & Regnum, quod tibi non ſerviverit, peribunt; & Gentes illæ, omnino deſolabuntur.*] Ellipſis eſt in poſteriori membro, *Et Gentes illæ*, h. e. quæ ſe tibi non præſtiterint obnoxias vel morigeras, *omnino vaſtabuntur.* Cohærent verba cum *ſuperiore pericopa*, quippe cujus hic datur ratio per vocem QUIA. Propheta docet Gentes Gentiumque Reges tanto concurſu confluxuros Hieroſolymam, quod perſuaſi eſſent in ejus communione ipſos Civitateſque ſuas habere poſſe ſalutem; quippe gnari, perituros populos, & caſuros, qui ejus communionem reſpuerent, ac deſtruenda Regna quæ eam non colerent. Facilis nexus & liquidus, qui neminem impedit: quem minus liquidum præſtat interpretatio altera, quæ in *ſuperiori commate* intellexit Reges *captos*, vinctoſque ductos Hieroſolymam; quomodo verba quoque accepit Grotius. Poterant enim Reges capti vinctique duci Hieroſolymam; & tamen non omnis Gens & Populus, huic Civitati adverſarius, perire. Miror interim, Illuſtrem Virum hanc interpretationem ad *ſuperius comma* elegiſſe; cum ex hiſtoria Populi poſt Reditum ex Exilio nullum demonſtrare poſſit Regem vinctum, ductum Hieroſolymam: aliquos autem Religionis cauſſa illuc veniſſe, ex hiſtoria liquet. Quod autem per *Reges* hic intelligat *Duces:* hoc loco fruſtra eſt. Deſignantur enim *Reges*, quorum eſt מלכה *Regnum.* Quod ad rem ipſam attinet: oratio Divina hic rurſus concepta eſt ſumma emphaſi. Non dicit Vates, Populos & Regna, quæ Hieroſolymam oppugnaverint, *peritura eſſe*, ut plane Zacharias [d]: ſed quæ huic Hieroſolymæ non *ſerviverint*, & ſe *ultro* ei non *ſubjecerint.* Loquitur autem non tantum de *excidio ſpirituali*, videlicet, Populos illos excluſum iri ſpe ſalutis æternæ; verum etiam de *temporali*, cujus modus Divinæ Providentiæ reſervandus eſt: ſive Populi illi & Regna Divinis Judiciis affligenda aut profliganda ſint: ſive Heröes, ex Eccleſia exituri, eadem ſint deſtructuri: quod non auſim definire, licet phraſis hujus loci poſterius ſuadere videatur. Zacharias, poſtquam dixiſſet, *Reliquos ex Gentibus*, quæ oppugnaverant Hieroſolymam, *in eam*

Et Reges eorum tibi miniſtrabunt. Verba alibi expoſita. Princeps tanti beneficii cauſſa, *Miſeratio Divina.* Verba referenda ſunt ad *anguſtias* ſuperioris temporis. Uſus notionis *percutere.* Aſpectus Eccleſiæ Maccabaicæ. Proprietas textus Hebræi. Aſpectus ℣ſ. 11. *Portæ tuæ apertæ, &c.* Senſus ſententiæ. Secundarius & conſequens alter. Locus Apoc. XXI. 25. Senſus myſticus.

Hebræa, *Et Reges illorum ducti.*, expoſita. Geminus ſenſus hujus articuli. Hebræorum ſententia. Agitur hic loci de *comitatu* Regum. Implementum hujus prophetiæ inchoatum. Ratio hujus adjuncti, ℣ſ. 12. Gentes Gentiumque Reges perſuaſi eſſent, ſe in communione Eccleſiæ ſalvos eſſe poſſe. Grotii meditatio, cui non favet hiſtoria. Emphaſis orationis demonſtratur. Qualis *deſtructio* Regnorum adverſariorum hic intelligatur?

[a] Cap. I. 5. IX. 12. XXVII 7. [b] Cap. XXI. 25. [c] 2 Tim. IV. 2. [d] Cap. XII. 1. ſeqq.

ascensuros esse quotannis ad se incurvandum Regi Jehovæ Exercituum, & ad celebrandum Festum Tabernaculorum: idem his verbis effert [a]: *Et futurum est, ut quicunque non ascenderit ex omnibus familiis terræ Hierosolymam ad se incurvandum Regi Jehovæ Exercituum, super eos non sit* PLUVIA. Divina Benedictio, spiritualis & temporalis. confer Cap. x. 1. tum addit: *Et si familia Ægypti non ascenderit, & non venerit; neque super ipsos erit.* (h. e. id quod pluviæ analogum est, *Non ascendet super ipsos Nilus:* ut docte Chaldæus.) *Plaga hæc erit, qua percutiet Jehova Gentes, quæ non ascenderint ad celebrandum Festum Tabernaculorum.* Certe hoc tempore nullum Regnum in Mundo eminebit, nisi Regnum Dei, cum potentia demonstratum. *Lapis absque manibus* volutus de Monte, omnia alia *Regna abolebit* [b]. Confer hic luculenta loca ex multis Ps. XXII. 28. LXVIII. 33. Apoc. XI. 15. Vidit Ecclesia, non nego, inchoatum implementum ejus quod hic dicitur. Nullus Populus, nullum Regnum, huc usque Ecclesiam Dei frustra oppugnavit; quin historia clarissime docet, hactenus omnia experta esse notabilia Dei judicia. Et tamen dicere fas est, promissum hoc & prædictum in omni sua amplitudine ei huc usque exhibitum non esse.

Locus Zach. XIV. 17. cum hoc collatus.

Regna Mundi hoc tempore Deo essent subjecta.

Loca analoga.

γ. Tertium, *Amplificatio* Ecclesiæ ex omni alia in Mundo *Eminentia* solidiore.

Tertium Argumentum *Amplificationis Ecclesiæ* ex omni alia eminentia, ℣. 13.

℣. 13. GLORIA LIBANI *ad te veniet: abies, ulmus, & buxus pariter: ad ornandum* LOCUM SANCTUARII MEI; *& ut* LOCUM PEDUM MEORUM *honorem.*] Quicquid augustum & magnificum concipi ac dici potest; Vates à Spiritu S. ductus in hunc locum congessit. Emblemata omnia sunt electa, & subministrant nobis materiam sublimium cogitationum. Per *gloriam Libani* nemo dubitat hic intelligendas esse *Cedros* præstantissimi generis, ut jam monui ad Cap. XXXV. 2. Reliquæ arborum species ברוש *Berôsch*, תדהר *Thidhâr*, & תאשור *Theaschûr*, quales fuerint, quæsivi ad Cap. XLI. 19. ubi eædem species occurrunt; non satis certæ interpretationis. Probabile tamen visum est eas exponere de Arboribus magnis generis oleaginei, ac materiæ durabilis, nempe de *fraxino*, *ulmo*, an *tæda*, & *buxo:* in quo hic acquiesco, dum nova lux mihi nunc non suppetit. *Locum Sanctuarii Dei* absque dubitatione acceperis pro *ipsa* Templi *Æde*, in qua Deus locaverat suum thronum, quamque præsentia sua cohonestabat: quæ tamen an alibi sic appelletur, dubitem. Jeremias eadem phrasi utitur, his verbis [c]: *Solium gloriæ, celsitas ab initio,* (מעת ראשון pro מראשון) *est* LOCUS SANCTUARII NOSTRI. Locus difficillimi sensus, si nexum orationis spectes; quem ex mea sententia nequicquam tentaveris, nisi per מקדש *Sanctuarium* hic intelligas *Locum* in alto constitutum, & secretum, qui instar Arcis & Præsidii sit eò se recipientibus. Plane innuitur *cœlum*, Arx suprema, *Solium* Divinæ gloriæ *ab initio*, ante conditum Templum materiale; sedes vera Dei boni, summi & veri objecti fiduciæ, omnibus ipsi innitentibus; de quo in hoc loco Prophetæ agitur. Sed his verbis mentio fit *Sanctuarii* HOMINIS; non *Sanctuarii* DEI, qua voce *Templum* passim venit. Rectius huc, quod ad phrasin, referuntur verba Chori Cœlestis apud Ezechielem [d]: ברוך כבוד יהוה ממקומו *Benedicta sit gloria Jehovæ* EX LOCO SUO. Intelligitur cœlum, ubi thronus & sedes Divinæ Majestatis: cui loco respondet *Sanctuarium terrestre.* Quæ sequuntur, ומקום רגלי אכבד proprie sonant, *Et locum pedum meorum honoratum faciam:* possent hunc dare sensum; *quippe statutum est locum pedum meorum honoratum facere*, ut præfixa ו hic habeat usum αἰτιολογικόν. Sed nihil vitii est cum plerisque Intt. vertere, ἀναλόγως cum *membro præcedenti*, *Et* ut *locum pedum meorum honorem:* estque differitas hic exigua. Phrasis, *Locus* PEDUM *meorum*, ex sensu meo est elliptica. Integra est, *Locus scabelli pedum meorum.* Deus enim in Sanctuario, & quidem in Sanctissimo Ædis Loco non dicitur *ambulare*, sed *sedere. Scabellum pedum Dei* ex communi sententia est ipsa *Arca*, sic dicta, non quod esset extremum Divini Throni, (cum utique Deus ipse super Arcam *thronum* symbolicum haberet:) sed ipsam hanc ob rationem, quod cum *thronum* haberet *super Arcam*, *sedens* inter Cherubinos [e], tanquam alis eorum innixus; ipsa Arca, sive Propitiatorium ei incumbens, censeretur facere *scabellum pedum Dei.* Non ausim id fidenter negare, cum *Arca* sic omnino dici videatur 1 Par. XXVIII. 2. *Ut ædificarem Domum quietis* (sunt verba Davidis:) *Arcæ Fœderis Jehovæ, &* SCABELLO PEDUM DEI NOSTRI. Quin in his locis, in quibus usus est hujus phrasios [f], *Arca* optime intelligitur sub nomine *scabelli pedum Dei:* ut adeo mirer, esse inter Doctos qui *Arcam* sic appellari, neget. Non inficior tamen, *Templum* integrum, sive ipsam Templi Ædem, ejusque sanctissimum Conclave, sic dici Ezech. XLIII. 7. verum σχέσει ad *Arcam.* Ratio appellationis vera est, quod Deus super eam in symbolo gloriæ *quiesceret.* Sic phrasis in loco illo Ezechielis exponitur: *Fili hominis, hic locus est* SOLII MEI, *& locus* PLANTARUM PEDUM MEORUM. Ipse Vates noster id clarius docet Cap. LXVI. 1. Symbolum Gloriæ Dei inter Cherubinos *super Arcam requiescens*, faciebat eam *scabellum pedum Dei.* Omnis locus, ubi Deus *thronum* habet, est *scabellum pedum Dei.* Hæc animadversu erant necessaria ad phrasin Prophetæ. Promissum jam sive prædictum ipsum si inspicias, κατὰ γράμμα acceptum, non potest alium exhibere sensum, quam fore ut Ædes sacra, ejusque tabulata, lignis Cedrinis, abietinis, fraxineis, pineis, aliisque Libanicis, obducantur, atque exornentur. Quanti vero illud est? quam leve, si rem ipsam propius ac prudentius consideres? Quam multi enim, non Reges & Principes, sed privati, ditiores, apud Gentes, copiam habuerunt ejusmodi lignorum in Domibus aut utensilibus suis? Puduit Grotium ipsum, in eo hærere. Significari docet, fore ut *Syriæ multa loca à Judæis possideantur.* Esto vero, *aliqua* Syriæ loca à Judæis occupata sint: nego, id hoc loco dicere velle Prophetam. *Libanum* hic respicit σχέσει ad *Libani arbores & ligna*, quibus exornanda esset Ædes Dei. Novimus autem nos, veram Dei Ædem, verum solium, verum *scabellum pedum Dei*, & *Locum Sanctuarii* ejus, esse Ecclesiam. Ipsum Vatem deinceps audiemus, verbis Dei testificantem, se habitationem suam in Templo materiali parvi facere [g]; imo jam testantem audivimus de alio Templo, quod vere inhabitat: nimirum *cordibus afflictorum pœnitentium* [h]. Hanc Ecclesiam sibi secrevit è mundo; hanc sanctificat, & in ea sanctificatur: hanc replet sua gloria; in hac acquiescit & requiescit in omnem æternitatem; & vero hanc unam statutum habet exornare, honorare, seque in ea ornanda honorataque efficienda gloriosum exhibere. Ejus enim gloria, Dei gloria est. Sic Spiritus in *Apocalypsi* de Nova & Cœlesti Hierosolyma [i]: ne alia nunc loca huc adducam. In hanc *Ædem* vero dicitur inferri *Gloria Libani*, hoc est, *Cedri*; tum quoque *fraxinus*, *buxus*, *tæda*, *pinus*, & quæ aliæ proceræ ac durabiles & oleosæ arbores sunt; ubi Viri in majoribus Regnis aut Rebuspublicis Mundi, sapientia, doctrina, eloquio, dotibus aliis, excellentes, ex *unctione Spiritus S.* illuminati ac *præservati à corruptione*, dotes, claritatem, & eminentiam suam, inferunt in *Domum Dei*, hoc est, in Ecclesiam, & quicquid in se est, ad eam ornandam certatim conferunt; ut extra Ecclesiam nihil in Mundo *emineat*, omnis eminentia ei subjiciatur. De quo plura hic non addo, cum hoc emblema exposuerim ad Cap. XXXV. 2. (quam prophetiam huic nostræ analogam esse, ibidem jam monui:) & Cap. XLI. 19. Posset hic interea, fateor, speciatim cogitari de magno aliquo & florentissimo

Quo sensu *Arca* vulgo sic dicatur appellari?

Appellatio recte refertur ad totum Templum, ejusque Conclave.

Res planius declaratur.

Sensus sententiæ.

Interior & spiritualis.

Promissum referendum est ad Ecclesiam.

Quid integrum emblema cum respectu ad Ecclesiam significet?

Summa Promissi.

Quid hic intelligendum sit per *Gloriam Libani?*

Species arborum hic expressæ.

Locus Sanctuarii Dei,

Verba Jer. XVII. 12.

Et Ezech. III. 12.

Verba, *& locum pedum meorum honorabo.*

Quid sit *Locus pedum Dei?*

[a] Cap. XIV. 17. [b] Dan. II. 34. 44. [c] Cap. XVII. 12. [d] Cap. III. 12. [e] Cap. XXXVII. 16. Ps. LXXX. 2. [f] Ps. XCIX. 5. CXXXII. 7. Thren. II. 1. [g] Cap. LXVI. 1. [h] Cap. LVII. 15. [i] Cap. XXI. 3.

ſimo Mundi Regno, Libano, ſive Syriæ Regno analogo, quod in omni ſapientiæ ac ſtudiorum genere præſtantiſſimos Viros produxit: Sed nolo dubia certis miſcere, & patente janua, perrumpere rimam. Vidit jam Eccleſia ſane hujus prædicti ac promiſſi implementum: ſed complementum expectat.

Admonitio de implemento Prophetiæ.

δ. *Amplificationis* Eccleſiæ argumentum *quartum*: Hoſtes, eorumque Reges, ei ſubjiciendi, eamque veneraturi.

Articulus primus.

Argumentum quartum Amplificationis Eccleſiæ, ℣ſ. 14.

℣ſ. 14. *Et ibunt ad te curvi filii illorum, qui te afflixerunt; & incurvabunt ſe ad plantas pedum tuorum omnes qui te ſpreverunt; & vocabunt te Civitatem Jehovæ; Tſionem Sancti Iſraëlis.*] Quæ huc uſque dixerat Vates de concurſu & confluxu Gentium ad Eccleſiam: intelligi poterant de Gentibus qualibuſcunque, quæ ab Eccleſia quidem diviſæ ac diverſæ, nunquam tamen eam hoſtiliter oppugnarant aut afflixerant. Interim cum inter Gentes & Populos eſſent, qui infeſto animo Eccleſiam perſecuti fuerant eamque ſuperbe ſpreverant: docet Vates, id inſuper decoris acceſſurum Eccleſiæ, (quod ſane decus ejus eſſet præclarum:) ut ipſi illi hoſtes, aut Liberi hoſtium qui eam perſecuti fuerant, afflixerant, vexaverant; tum quoque contemſerant ac pro nihilo habuerant; ſe ei cogerentur ſubmittere, & convicti ex argumentis Divinæ Gloriæ ſuper eam recumbentis, ejus agnoſcere auctoritatem Dignitatemque, Eamque tanquam veram Chriſti Jeſu Sponſam, genuinum Templum & Sanctuarium Dei in terris, Eccleſiam Dei vivi, Chriſti Jeſu ac Religionis cauſſa, demiſſiſſime venerari. Nihil in his eſt quod ſupra non explicuerim, tam quod ad rem ipſam, quam quod ad phraſin, ad cap. XLV. 14. & XLIX. 23. *Afflictionem* & *contemptum* longe majorem tulerunt omnes puriorem Religionis Doctrinam confeſſi ab Eccleſia Romana adultera, quam à Roma Pagana. Erant in Imperio Romano Pagano plures, qui licet hactenus Chriſtianiſmum non ſuſcepiſſent; Doctrinam tamen, diſciplinam, mores, Chriſtianorum minime contemnebant, ut exemplum eſt in Alexandro Severo, Imperatore optimo, & Juliano Apoſtata ipſo, diſciplinam Chriſtianorum in ipſum Paganiſmum introducente: Sed Roma Chriſtiana adultera pium verorum Confeſſorum Gregem odioſiſſimis nominibus ac calumniis, & quidem cum *contemptu*, objiciens invidiæ ac furori ignaræ plebis, (utrumque enim latet in voce נאץ *ſpernere* cum *calumnia* & παροξυσμῷ *exacerbatione*,) & odium, quo in eos ferebatur, omni occaſione prodens: Gentes Gentiumque Reges & Principes ad illos delendos atque exterminandos concitavit, atque etiamdum concitat; pertinaciſſimo ſtudio. Nullam enim ſibi, hac Eccleſia ſalva, promittit ſecuritatem. Et tamen *Filii* hujus Adverſariæ hoſtiumque qui Eccleſiam oppugnaverant, (ſic ſcribit Propheta, quod ſupponat *Patres* maximam partem deletos Divinis Judiciis:) *ad eam ſe curvando accederent*, & eam tanquam Reginam veneraturi, ſe demitterent *ad plantas pedes ejus*. Significatur profundiſſima veneratio & reverentia animi, qua proſequerentur veram Eccleſiam, rem omnium quam hic Sol videt, pulcherrimam, ſumme æſtimabilem, cultuque omni ac veneratione dignam, quam in minimis etiam & humilibus membris ſuis agnitam, externis ſignis pro occaſione manifeſtam facerent; idque agerent, non ſimulate, ſed ex animo, & ſincero in eam ſtudio, quippe agnituri, *Jehovam in ea eſſe* [a]; & *extra eam* in terris *non eſſe*; eſſe eam veram *Tſionem* & antitypicam, Tſioni antiquæ contradiſtinctam, inhabitatione & arctiſſima unione Filii Dei *ſanctificatam*, ejuſque gloriæ conſecratam. Hæc vis eſt in verbis, *Ut vocent te Civitatem Jehovæ, Tſionem Sancti Iſraëlis:* hoc eſt, ut te hoc nomine *vere* atque ἐνεργητικῶς appellent, ſecundum genuinam vim phraſios. Quod enim antiqua Tſion *amata* fuerit à Deo [b]; quodque Sancti eam *dilexerint* [c]: hujus *Tſionis* cauſſa factum eſt: ut proinde qui ſe coram ea proſternerent; non ipſam, ſed Deum, & quidem *Filium Dei*, Sanctum Iſraëlis, in ipſa præſentem, revererentur; & Deo in ipſa ſe morigeros atque obſequioſos præberent. [d]

Eccleſia Romana adultera ſtrenue magis contemſit ac perſecuta eſt puriores Religionis confeſſores, quam Roma vetus.

Cur *filiorum* Perſecutorum potius quam Patrum hic mentio fiat?

Veneratio qua hoſtes Eccleſiam Chriſti Jeſu proſequerentur, declaratur.

Verba, *ut vocent te Civitatem Jehovæ*, &c. expoſita.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣ſ. 15. *Pro eo quod fueris derelicta*, &c.

℣ſ. 15. *Pro eo quod fuiſti* DERELICTA, *& exosa, & nemo te tranſiret: ponam te in* EXCELLENTIAM PERPETUAM; *gaudium cujuſque generationis.*] Servatur ubique analogia Civitatis. Sic ſunt rationes providentiæ Dei erga Eccleſiam, ut eam ſæpius tanquam ex mortis faucibus eripiat ac vivificet, ut gloria Liberationis & in eam curæ tanto clarius effulgeret. Reliquiæ verorum Tſionitarum, à Deo donatæ Spiritu promiſſionis, facturæ Semen novæ Eccleſiæ, ſed expoſitæ in initiis ſuis odio & invidiæ Judæorum & Gentium [e]; eademque Eccleſia perſecutione Diocletianea disjecta, afflicta, & devota excidio; hoc aſpectu viſæ fuerant in Mundo [g]: ſed multo certius & clarius veriuſque Eccleſia purior conſervata in Reliquiis Waldenſium ac Bohæmorum Fratrum circa initia Reformationis; quæ ſibi non poterant ſecundum rationes humanas promittere tantam mutationem rerum, quantam Orbis vidit cum inſtaurata Religione. Res erat ſupra & contra omnem exſpectationem: nec tamen ſupra Potentiam Divinam. Ergo *afflicta* hæc, *exoſa*, quamque nemo *tranſibat*, dum in remotis deſertiſque ac incultis locis à commercio hominum remotis ſe ſuſtinebat, evaſit גאון *materia* καυχήματος *gloriationis*, & *Gaudii æterni*; in magnam erupit multitudinem per Regna ac Reſpublicas diffuſam; cauſſam ſuam feliciter vindicavit; multos produxit excellentes ſcientia ac pietate Viros; Regeſque ac Principes nacta eſt Defenſores ac Patronos; piiſque multam præbuit gaudii materiam: quam ſuam גאון *Excellentiam* tum demum vere oſtentaret, quando à ſcandalis graviſſimis, quæ hoc *decus* de novo obſcurarent, & conſecuturis afflictionibus, quibus opprimenda videbatur, liberata; caput ſuum alte exereret, omnemque excellentiam & altitudinem ſuam, (quæ proprie deſignatur nomine גאון *Elatio*; καύχημα; materia καυχήσεως:) publice conſpiciendam daret omnibus; ut ſi quid in Eccleſia laudabile ac *glorioſum* eſſet: (nihil autem in ea glorioſum non eſt:) ſi quam *gaudii* materiam præbeat veris ſuis civibus: (præbet autem maximam:) hoc tempore ſumme emineret. Confer phraſin, גאון יעקב *Excellentia Jacobi*, Pſ. XLVII. 5. Sumitur ibidem de omni privilegio Divinæ Providentiæ ac Gratiæ, quo Jacobi veri poſteri in Mundo ſupra reliquos Populos excellerent ac gloriari poſſent. Latine recte dixeris *ſuperbia Jacobi*, ut Sanctius jam docte obſervavit. Vox משוש *gaudium* hic ſumitur pro *gaudio*, ex ſtatu gloriæ naſcituro, ut Pſ. XLV. 8.

Eccleſia varias ſubiit Status ſui mutationes.

Mutatio ſingularis, quam Eccleſia ſubiit in Reformatione.

Decus & excellentia ejus, afflicto ſtatui oppoſita, extrema periodo maxime emineret.

Articulus tertius.

Articulus tertius, ℣ſ. 16. *Et ſuges lac Gentium*, &c.

℣ſ. 16. *Et ſuges lac Gentium, ac* MAMMAS REGUM *ſuges; & cognoſces, me eſſe Jehovam, Servatorem tuum; & Aſſertorem tuum,* HERÖEM *Iſraëlis.*] Nihil in his eſt quod non abunde declaraverim ad Cap. XLIX. 23. & ad ℣ſ. 26. ejuſdem *Capitis*, ubi eadem quoque verba ſententiam claudunt, quæ hoc loco. Ne hæreas hic in phraſi, *Uber Regum*; nec tam alte capias, Naturam maribus quoque dediſſe mammas, & eſſe exempla earum uſus; neque etiam, per *Reges* hic intelligi *fœminas* Regibus ortas; vel ſub *Regibus* hic intelligi *Reginas:* quod tamen alio in loco rectiſſime diceretur: ſed Vatem, cum myſtice loqueretur & rei ipſi tantum intentus eſſet, *Regibus* hic adſcribere *lac*, quo nutriretur Eccleſia, quia quod hic myſtice per *lac* intelligitur, *Regibus*, magis etiam quam *Reginis*, conveniret: cujus generis exempla oppido multa ſunt in Sacris. Senſus ſimplex eſt, Reges ſuam poteſtatem, auctoritatem, opes, curam, converſuros eſſe ad Eccleſiam

Quo ſenſu Regibus *lac* tribuatur in hoc loco?

Senſus locutionis figuratæ.

[a] Ezech. XLVIII. 5. 1 Cor. XIV. 25. [b] Confer Heb. XII. 22. [c] Pſ. LXXXVII. 2. [d] Pſ. CXXII. 6. confer. Cap. CXVI. 18. [e] Confer hic Apoc. III. 9. [f] Cap. LIV. 6. [g] Cap. XLIV. 14.

siam fovendam, nutriendam, curandam. *Lac* hic notat omne quod *Regum* & in Regibus est, ad Ecclesiam fovendam, nutriendam, sustinendam, consolandam, aptum. Sublimior & verior sensus; ipsos quoque Reges & Principes fœminas suis Edictis & Constitutionibus; scriptis; defensionibus veræ doctrinæ; orationibus & concionibus quoque suis; Ecclesiam ædificaturos esse; & quod in visceribus intimis habebant, in eam collaturos: quorum à temporibus Constantini (exemplo ab ipso hoc Principe sumpto, cujus Orationes pro re Christiana in manibus nostris sunt:) documenta Mundo data sunt multa atque illustria; atque adeo non nego implementum omni spe superius huic jam constitisse Prophetiæ: nisi quod extrema hæc Periodus, quæ superiores laudabilia habuerunt, sit consummatura.

Implementum prophetiæ.

ALTERUM *Beneficium*, ad *Propositionem Declarandam* adductum: *Mutatio omnium rerum in melius.*

Membrum primum.

Alterum beneficium, Propositionem declarans.

Mutatio omnium rerum in melius.

Membrum primum ℣. 17.

℣. 17. *Pro* ÆRE *adducam* AURUM; *& pro ferro adducam argentum; & pro lignis æs; & pro lapidibus ferrum.*] Videbatur dicendum esse, secundum tenorem gradationis; pro *argento* adducam *aurum*; & *pro ære*, *argentum*; *pro ferro*, *æs*. Sed Vates prudentius temperavit orationem. Species enim eas inter se conjunxit, quæ *colore* proxime ad invicem accedunt; quando inter *Æs* & *aurum*; *ferrum politum* & *argentum*; secundum externam speciem, magna intercedit cognatio. Censeo, emblemate significari omnium rerum mutationem in melius, quæ ejus interpretatio cuique facile suboritur: sed Grotius, & ante eum Chaldæus, alio detorquet. Illius hæc est annotatio: PRO ÆRE ADFERAM AURUM.] *Omnia quæ tibi adempta sunt, restituam cum augmento.* Chaldæus: *Pro ære quod diripuerunt à te, Jerusalem, afferam aurum, & seqq.* Nihil quidem, fateor, absurdi dici videtur; & tamen emblema sic acceptum nos abducit à genuina mente Vatis. Primo, contextus ipse nullam occasionem dat huic meditationi. dicuntur hostes in superioribus Hierosolymam afflixisse; non diripuisse. Secundo, ipsa verba Vatis non exhibent hunc sensum. Dicitur simpliciter, *Pro ære afferam aurum.* non pro *ære tibi ablato*, aut *direpto.* Tertio, si id voluisset Propheta, haud dubie scripsisset, *Pro ære reddam*; sive, *reddent* hostes *aurum.* Simplex oratio est, *pro* ÆRE ADDUCAM *aurum.* Deinde quarto, quod sequitur, *Pro lignis æs*, & *Pro lapidibus ferrum:* quam pulchre huic sensui convenit? *Lignorum* enim & *lapidum* in *direptione Urbis* quam sane exigua habetur ratio? Accedit jam, Grotium, & quos ex medii ac recentioris ævi Interpretibus habet fautores suæ sententiæ, non posse demonstrare implementum prophetiæ in Ecclesia reduce ex Exilio Babylonico, ad quod tempus hoc Vaticinium referunt. Templum secuturis sæculis, & quidem sub Herode, splendidissime ornatum instructumque fuit: sed quis inter illud & Salomoneum tantam differentiam statuat, quanta hic memoratur? quod nunc non urgeo, quia Docti Interpretes ejus exerte non meminerunt. Ergo emblema Prophetæ exponendum est de mutatione rerum Statusque Ecclesiæ in melius. Quali vero mutatione, an simulatorum bonorum in vera; num potius Status imperfectioris in perfectiorem? Prius alicui posset in mentem venire; ut quando Deus pro *ære* dicitur *adducturus aurum*, dicere velit, se pro his hominibus qui *speciem fidei* aliorumque *donorum gratia* præferebant; speciem externam *argenti*, hoc est, puritatis ac sanctimoniæ; producturum esse homines in quibus hæc dona virtutesque *vere* insint.' quo sensu Jesaias *argentum*, quod supereresse censebatur Hierosolymis, appellaverat *stannum*, in prima sua *Concione* [a]. Nec tamen in hanc transeo sententiam. Propheta per hanc *Sectionem* totam imperfectiora comparat perfectioribus; quæ comparatio tam *gradus* bonorum, quam *species* respicit. Si Prophetam loqui facias de vilioribus speciebus mutandis in meliores; de *hypocritis*, mutandis in veros Dei cultores; invidiosa exsurgit oratio, acsi huc usque *boni* ac *sapientes* Viri nulli in Ecclesia floruissent. Imo vero per *species* viliores illum non intelligere *dona virtutesque* simulatas; ex eo liquet clarissime, quod inferiores species quoque in *æs* & *ferrum* mutandas dicat. Restat itaque, intelligi hoc loco mutationem in melius quæ respiceret *gradus* perfectionis status; ut quod huc usque in Ecclesia *splenduerat*, & *alicujus pretii* habitum fuerat, per incrementum gradus perfectionis multo splenderet magis, & quidem summe. *Aurum*, *argentum*, *æs*, *ferrum*, *lignum*, hic occurrunt ut Res pretio ab invicem distinctæ, plus minusve æstimabiles; ut *auri* quidem æstimatio summa esset: eodem plane modo, quo in Hesiodeis *Secula* humani generis, sensim decrescentia, per *Aureum*, *argenteum*, *æneum*, *ferreum*, distinguuntur; quem Poëtam plures sequuti sunt; aliique ex Eruditis, qui Latinitatis Literarumque Fata per ætates descripserunt. Augusti dictum apud Dionem, aliosque [b]: Τὴν Ῥώμην γηΐνην παραλαβὼν, λιθίνην ὑμῖν καταλείπω· *Romam nactus* TERREAM: LAPIDEAM *vobis relinquo.* Metalla Colossi Danielis non ausim huc directe applicare; sed loca Pauli 1 Cor. III. 12. & Cap. XV. 41. similem gradationem exhibent: ut & Jesaiæ nostri, Cap. XXX. 26. & Zachariæ, Cap. XIV. 20. Quæris sensum mysticum? Refer, me duce, orationem Propheticam, primo ad *dona & ornamenta* Divinæ Gratiæ, Fidem, Sapientiam, prudentiam, intelligentiam Scripturæ Sanctæ, & in ejus sensibus investigandis ac dijudicandis διάκρισιν atque acumen spirituale, eruditionem sacram, dotes vimque docendi ac dicendi, sanctimoniam, & spiritualitatem, cæteraque virtutes & affectus bonos, eam comitantes: Secundo, ad producta mentis, his respondentia; hoc est, ad doctrinas, & interpretationes Verbi Divini, sive ore sive scripto expositas: Tertio, ad Opera & Studia pietatis charitatisque, quæ objectum faciunt Exercitationis hominis Christiani. Hæc omnia, junctim sumpta, tanto perfectiora & præstantiora erunt, tum in Doctoribus ac Ducibus Ecclesiæ, tum in singulis Credentibus, secundum cujusque τάξιν & ordinem; quanto aurum argento, æs argento, & inferiores species ad ornandam Domum concurrentes, his distant. Illuminatio erit major; διάκρισις acutior; scientia & eruditio sacra amplior; dotes gratiæ spectabiliores ac præstantiores; producta mentis solidiora; sanctimonia purior; affectus spiritualiores; opera pietatis & charitatis calidiora ac ferventiora; virtus nitidius splendesceret, quam olim: quæ singula sub aliis emblematibus mysticis proponuntur, & exhibentur, Cap. XXXV. 1. seqq. *Aurum* passim sustinet in mysticis symbolum fidei, ac dotium cognatarum: *argentum*, sanctimoniæ; *Æs* & *ferrum* hoc in loco soliditatis firmitatisque. Negari nequit, Ecclesiam hujus promissi cum Luce Reformationis in quibusdam speciebus vidisse implementum inchoatum. Illuminatio ad clariorem intelligentiam Verbi Dei; Linguarum & eruditionis omnis Cultus; incredibilis hominum Doctorum diligentia circa Scripturam S. omni modo illustrandam versata, & Examen accuratum Dogmatum Religionis, exhibuerunt producta mentis in interpretatione Verbi Dei; concinnandis Systematibus Sapientiæ Divinæ; illustrandis Quæsitis obscurioribus; discriminandis Oeconomiis temporum, viarumque Dei nexu atque ordine demonstrando; multo solidiora & perfectiora quam superioribus, etiam optimis Ætatibus Ecclesiæ quæ Apostolicæ successerunt; estque Scientia mysteriorum fidei ipsa in aliquibus Ecclesiis per plebem multo diffusior, ac distinctior quam ulla alia Ecclesiæ ætate; estque credibile, hoc Opus Divinæ Providentiæ vere prædicandum erga Ecclesiam perfectiori Statui ejus subserviturum esse.

Mem-

Affectio orationis.

Significatur hoc emblemate *mutatio* omnium rerum in melius.

Annotatio Grotii; quæ refellitur.

Imp'ementum prophetiæ non potest demonstrari in Statu reducum ex Exilio Babylonico.

Verus emblematis aspectus.

Quomodo hæc mutatio accipienda; an simulatorum bonorum in vera; num imperfectiorum in perfectiora? Posterius defenditur.

Et amplius declaratur.

Figura exteris quoque usitata.

Species hujus mutationis respectu bonorum spiritualium oftenduntur, variæ.

Sensus totius sententiæ amplius exponitur.

Aspectus *Metallorum*, quæ hic memorantur.

De *Implemento* hujus prophetiæ necessaria monentur.

[a] Cap. I. 25. [b] *Hist.* Lib. LV. p. m. 676. *Edit. Steph.*

Membrum alterum. *Pacifici Ecclesiæ Rectores.*

Membrum alterum: *Pacifici* Ecclesiæ Rectores ỳs. 17. med.

ỳs. 17. med. *Et ponam Præfectos tuos* PACEM; *& Exactores tuos* JUSTITIAM.] Sic proprie sonant Hebræa, quæ integra relinquere volui, ut emphasin à Propheta affectatam retinerem. Sensus est, cuique obvius; Deum Ecclesiæ procuraturum Rectores atque Antistites, Sacrorum curatores, *pacificos*; & *Exactores Justos*. Vox פקורה *Curatio*, licet proprie *Officii* notio sit, Ἐπισκοπὴ, Hebræis frequens sumitur pro *Præfectis*, quibus cura rei commissa est [a]. Potest esse pro בעל פקורה *Is qui habet curationem.* Rectius igitur hic οἱ ὁ. ἄρχοντας, quam Hieronymus, *Visitationem.* נוגשים *Exactores* sunt in universum, qui jus habent aliquid à Populo exigendi; sive cum *imperio*, ut Magistratus; sive mandata sibi potestate, cujus generis sunt ἐργοδιώκται, *tributorum collectores*; *metatores castrorum.* Hic sumitur priore sensu pro Magistratu ipso; ut Cap. III. 12. *Ad Populum meum quod attinet: Exactores ejus* (נוגשיו) *sunt pueri*; *& mulieres ei dominantur.* Cap. XIV. 2. *Et imperium habebunt* בנוגשיהם *in Exactores suos.* Mox de ipso Assyriæ Rege usurpatur, ỳs. 4. Videri tamen queat minus consistere cum florente hujus Civitatis Statu munus *Exactorum*, cum omnis *exactio* trahatur in invidiam. Et id quidem non nego; veruntamen sensus Vatis simplex est, illos qui jus durius imperandi habent, eamque ob caussam *Exactores* communiter dicuntur, hoc Jus non esse exercituros nisi summa æquitate & justitia, ut dum officii respectu *Exactores* dici possent; res ipsa, quatenus invidiæ subest, ab iis absit. Rara quidem, in Civitatibus nec satis communis, virtus; quam tamen hi Antistites Hierosolymæ mysticæ perfecte possiderent; unde illi non *justi* tantum & *pacifici*, sed *justitia*, *pax*, dicuntur: more loquendi Hebræis usitatissimo, quo *adjectiva* sive *concreta* ἐμφάσιος caussa *substantivis* vocibus appellantur [b]. Significatur, has virtutes in iis fore summa perfectione. Averte hic rursus oculos à statu Civili, & reflecte ad Ecclesiasticum; & agnosces sub hisce *Præfectis & Exactoribus*, Episcopos, Antistites, προηγουμένους, προεσῶτας, Presbyteros Ecclesiarum; quibus à Christo Jesu ejusque Spiritu mandata est *curatio* inspiciendi Statum Ecclesiæ, & *dispensatio* officiorum, quæ cum in cultu Religionis, tum erga *Presbyterium Sacrum*; tum erga *Fraternitatem*, (ἀδελφότητα) observanda sunt. Vox פקורה nos recta illuc ducit: valet enim idem quod Ἐπισκοπὴ, Ἐπίσκοποι. Nulla Græcis notio est Hebrææ exprimendæ aptior: cujus vocis vim ex ipsa hac Hebræa alibi [c] declaravi. Iidem hic sunt נוגשים *Exactores*, hoc est, Ἐπισάται *Præfecti*, (quomodo οἱ ὁ. vocem docte verterunt Exod. v. 13.) opera & officia cuique in Domo Dei οἰκονομοῦντες dispensantes. Notio est ex ἐφίσασθαι· *operi intentum esse*, *incumbere.* Græcis est ἐφίσασθαι ἔργῳ. Ἐπισατεῖν *magistratum*, *præfecturam*, *gerere.* Gloss. Philoxeni: Ἐπισάτης *Moderator.* Paulus ad Timotheum [d]: Ἐπίσηθι ἐυκαίρως, ἀκαίρως· INSTA *tempestive*, *intempestive.* Id vero hic plane idem est quod ἐργοδιώκειν, ἐργοδιωκτεῖν, *opus urgere.* Hi vero Rectores Civitatis spiritualis, Institores, Doctores, primo quidem animo essent placido, pacifico, æquo, humili. inde enim initium est moderationis animi. superbi, φίλαυτοι, sibi alte sapientes, passim ad pugnas & lites prosiliunt. Deinde quoque hoc pacis studium, hanc æquitatem, moderationem, ad omnem officii administrationem adferrent; ipsi non facile lites ac inimicitias susceperi; & à civibus inter se forte susceptis componendis dissidiisque sopiendis operam daturi; simul εἰρηνικοὶ [e], & εἰρηνοποιοὶ [f]. Tertio, non essent severi ἐργοδιῶκται, qui plus exigerent à fratribus, iisque plus *oneris imponerent*, quam Oeconomiæ Novæ Leges postulant; nec quæ suaderent, fastu pædagogico imperarent; sed modesta, placida, ac moderata oratione commendarent. Sic instituerant Apostoli, μηδὲν πλέον ἐπιθέντες βάρος πλὴν τῶν ἐπάναγκες, *nihil plus* IMPONENTES ONERIS *præter necessaria* g; & in omni sui muneris functione, licet auctoritatem præferre possent, se demonstrantes ἡπίως *mansuetos* h. Paulus ad Timotheum [i]: *Servum autem Domini non oportet pugnare*, ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, διδακτικὸν, ἀνεξίκακον· *sed* PLACIDUM ESSE *erga omnes*, *docere aptum*, *malorum tolerantem.* quare iidem dissensionibus per Ecclesias ortis componendis ubique intenti, charitatem, pacem, mansuetudinem, humilitatem, omnibus commendarunt, in omnibus Epistolis; qui character idem eluceret in Ministris Verbi Dei, qui felice hac Ecclesiæ ætate Civitati huic spirituali præessent. Quod autem hoc Beneficium Gratiæ subtexatur superiori, quod infert omnium rerum mutationem in melius: an non sentis, Spiritum eo nos docere, Ecclesiam hac quoque in parte notabilem subituram mutationem? Si enim verum volumus: inter summa vitia, quæ Ecclesiæ superiorum nostrorumque temporum adhæserunt, merito censemus pugnacitatem, φιλονεικίαν, immoderata studia, litiumque serendarum ac fovendarum libidinem, plurium ejus Doctorum, sive suæ studentium laudi, sive indolis vitio obsecundantium; & sanctissimam Religionem in odii, invidiæ, æmulationis, convertentium materiam, ut fratres suo subjiciant jugo; de quo vidimus Cap. LVIII. 4. Hoc vitium Dominus sua gratia hoc tempore emendabit. Confer luculentum hac de re locum Ps. LXXXV. 11. seqq. Interim, antequam hinc discedam: observari velim; inter *Præfecturas* hujus Hierosolymæ, nullum hic censeri *Regem.* Reges enim illi, quorum hic mentio fit, describuntur tanquam ei obnoxii, & servituri. videlicet, supponitur, solum Jehovam huic Hierosolymæ ut *Regem* præfectum, & ut talem honorandum esse. Compara Cap. XXXIII. 21. 22. Zach. XIV. 9.

Quomodo Statui hujus Ecclesiæ conveniant *Exactores?*

Emphasis phrasis declaratur.

Designantur Episcopi & Presbyteri Ecclesiæ.

Notio Ἐπίσκοπος aptissima exprimendo Muneri Sacro.

Vis vocis ἐπισάτης.

Qualitates laudabiles horum Doctorum Ecclesiæ.

Auctoritate potestateque sua modeste uterentur.

Character primorum Evangelii Doctorum.

Qui idem deprehenderetur in Præfectis Ecclesiæ extremi temporis.

Qualitates hæ laudibiles opponerentur vitiis contrariis Ecclesiæ proximæ periodi.

Observatu dignum, in describendis hujus Hierosolymæ Præfecturis nullum comparere Regem.

Beneficium TERTIUM: PAX & *Securitas* EXTERNA.

ỳs. 18. *Non audietur amplius* VIS *in terra tua*; *vastatio & contritio in terminis tuis*; *quin vocabis muros tuos* SALUTEM, *& portas tuas* LAUDEM.] Summa est, Ecclesiam eo securitatis statu hoc tempore acturam esse, qui *vim* omnem, *violentiam*, *injuriam*, *rapinam*, (ut Chaldæus hoc loco interpretatur vocem חמס) quà *internam*, quà *externam*, sit excluserus; in quod argumentum Propheta latius exspatiatur Cap. LXV. 19--25. quæ pericopa in hanc exit sententiam: *Non malefacient*, *& non corrumpent in toto monte meo sancto.* confer Cap. XXXIII. 21. XXXV. 9. Primum membrum, *Non amplius audietur* VIS *in terra tua:* rectissime ita accipitur, *Clamor ob injuriam*, *vim*, *oppressionem violentam.* Cui *vis* à potentiore, iniquo, raptore inferebatur, alta voce clamabat, חמס VIS, sc. mihi fit. Jobus [k]: הן אזעק חמס *Ecce*, *clamo*, VIS; *& non exaudior.* Jeremias [l]: *Quia à quo tempore loquor*; *Clamo* VIS, *& clamo Vastatio.* Habakukus [m]: *Clamo ad te*, VIS, *& non servas.* Eodem tendit quod additur, *Vastatio*, *& contritio in terminis tuis.* Locum habent hæc mala, ubi Potentiores injusti inferiores debiliores opprimunt; vel Hostes externi, nullo Servatore præsente, pro libidine sua in terris alienis grassantur. Habuimus voces passim inter se jungi solitas, quarum illa ad *agros*, hæc ad *ædes* & utensilium corruptionem, commode refertur, sed pro circumstantiis accipiendæ pro qualicunque violenta aggressione rerumque nostrarum imminutione, Cap. LIX. 7. Jeremiæ idem valet, VIS, & VASTATIO [n]. Addit Vates, *Et vocabis* SALUTEM ישועה *muros tuos*, & *Portas tuas* LAUDEM תהלה. quæ verba varie accepta sunt. Chaldæus: *Et proclamabunt salutem super muros tuos*, *& super portas tuas erunt laudantes.* Grotius: MUROS *vocabis* SALUTEM, *quia scilicet nullus hostis illos assiliet.* PORTAS TUAS LAUDEM VOCABIS,

Beneficium tertium: *Pax Ecclesiæ*, & *Securitas*, ỳs. 18.

Summa sententiæ.

Emphasis in primo ejus *membro*, *Non audietur vis in terra*, &c.

Res ipsa illustratur.

Sequens quoque *membrum* ex eo explicatur.

Contrarium: *Muri* SALUS: *Portæ*, LAUS.

Intt. aliorum cogitationes.

a Confer Ezech. IX. 1. 2 Reg. XI. 18. b Vide Glass. *Gram. S.* Lib III. Tract. I. Can. VII. c De *Syn. Vet.* Lib. III. Part. I. Cap. III. d 2 Tim. IV. 2. e Marc. IX. 50. f Matth. V. 9. g Act. XV. 28. h 1 Thess. II. 7. i 2 Tim. II. 24. k Cap. XIX. 7. l Cap. XX. 8. m Cap. I. 2. n Cap. VI. 7.

CABIS, *nempe quia vigiles in iis non hoſtium adventum ſignificabunt, ſed in ſumma ſecuritate Dei laudes canent.* Habe paucis. Verba, *Muros tuos vocabis* SALUTEM, valent, Muri tui excludent omnem vim atque impetum hoſtilem, ut qui *intra muros* tuos ſit, de *ſalute ſua* certus eſſe queat. Altera, *Et portas tuas* LAUDEM: vel idem vel ſimile dicunt. תהלה LAUS hic eſt objectum *laudationis*, quod eſt *ſalus*. Argumenta enim *Laudationum*, *Odarum*, *Cantilenarum*, præcipue ſumuntur ex ſalvatione à periculis. Sic mox Cap. LXI. 3. מעטה תהלה *Amictus* LAUDIS dicitur qui ℣ſ. 10. בגדי ישועה *Veſtes* SALUTIS. & ℣ſ. 11. *Sic Dominus Jehova efflorescere faciet Juſtitiam* (Redemptionem,) ותהלה *&* LAUDEM *coram omnibus Gentibus.* h. e. Salutem. Jeremias [a]: *Sana me, Jehova, & ſanabor; ſerva me, & ſervabor;* כי תהלתי אתה *quia* LAUS MEA *tu es.* h. e. Salus mea; Salvator & Liberator meus, laudis meæ objectum. *Portæ* præſtarent civibus hujus Urbis myſticæ ſecuritatem. *Portæ* itaque & *Muri* hic pro ipſa *Urbe* ſumuntur, cujus hoc eſſet ſingulare attributum, ut quotquot muris ejus incluſi eſſent homines, poſiti eſſent in ſtatu ſalutis ſecuritatiſque, Divina defenſione, præſidio, ac providentia. Ipſa *ſalus* in Civitate adeſſet. Plus myſterii hic non ſector. In Vulgatis Editionibus τῶν ὁ. vox תהלה verſa fertur per *γλύμμα ſculpturam, cælaturam*; quod à poteſtate vocis & contextu plane abludit; ut etiamſi imperito hujus Libri Interpreti multum condonemus: non videatur tamen tam graviter potuiſſe impingere in notiſſimæ vocis interpretatione. Conjecit itaque Doctiſſimus Cognatus ὁ Μακαρίτης, Lambertus Bos, (cujus præmaturi obitus abſque acri doloris ſenſu nunquam memini:) ſcripſiſſe illum ΓΑΤΡΙΑΜΑ *Gaudium*, quomodo vocem תהלה vertit Cap. LXII. 7. & ex eo natum ΓΑΤΜΜΑ. cui conjecturæ multum tribuo. Cæterum quis dixerit, huc uſque perfecte impletum quod hic promittitur? Equidem verum eſt, vera omnia Eccleſiæ membra in ejus communione reperire ſalutem: neminem ex iis perire. Sed quæ hic leguntur verba, nos plane ducunt ad cogitandum de ſecuritate Eccleſiæ ſecundum Statum ejus externum & temporalem, ut analogæ plures.

Probabilis loci expoſitio.

Notio *laudis* in h. l. Sæpe confunditur cum *Salute*. Loca huc facientia.

Portæ & *Muri* hic ſumuntur pro ipſa *Urbe*.

Animadverſio ad vocem *γλύμμα*, in Verſ. τῶν ὁ. pro תהלה.

QUARTUM *Beneficium: Claritas ſumma Divinæ Gloriæ*, hanc Civitatem illuſtraturæ; hujuſque *Beneficii* perpetuitas.

Membrum primum: *Beneficium* ipſum.

Eruditi Viri conjecturi laudata.

De *Implemento* prophetiæ admonitio.

Beneficium *quartum: Claritas ſumma Divinæ Gloriæ*, ℣ſ. 19.

℣ſ. 19. NON ERIT TIBI AMPLIUS SOL IN LUCEM DIEI; *&* AD SPLENDOREM LUNA NON LUCEBIT TIBI: *Sed Jehova tibi erit in lucem perpetuam, & Deus tuus tibi erit ornamento.*] Altum & ſublime eſt, quod hic magnifice ac ſublimiter effertur; quodque omnes vident parabolice dictum, ſenſum recondere ampliſſimum: etſi propterea neceſſe non fuerit implementum promiſſi cum Hieronymo quærere in Statu futuræ Gloriæ. Hauſtum præcipue hoc præjudicium eſt ex comparato hoc loco cum analogo *Apocalypſios* de Hieroſolyma Nova & Cœleſti [b]: *Neque Civitas illa eget Sole vel Luna, ut luceat in ea: nam gloria Dei illuſtrat illam, & lucerna ejus eſt Agnus.* Poterat ipſe hic locus Jeſaiæ, *Apocalyptico* plane παράλληλος, docere Interpretes, agi utrobique de Statu Eccleſiæ in hiſce terris: Jeſaiam enim de Statu Eccleſiæ in hiſce terris per hanc prophetiam loqui, videre poſſunt, qui volunt. Non cenſeo igitur, dum in ſenſum auguſtæ ſententiæ inquiro, hic opus eſſe ſerio ut inculcem; Prophetam Jeſaiam minime intelligendum eſſe de communi Solis ac Lunæ uſura, humano generi utiliſſima, veluti ordine Naturæ immutato, futurum eſſet, ut florentior Eccleſiæ Status uſum horum Luminarium excluderet; Gloria Dei iis ſubſtituenda. Status gratiæ nec mutat; nec turbat Naturæ ordinem, ſibi conſtiturum uſque ad lapſum Sæculorum. Primus itaque ſenſus, quem hæc verba exhibent, in id recidit; tantam fore claritatem Divinæ Gloriæ, ejuſque efficacem demonſtrationem, ut veluti Solis Lunæque lucem ſit obſcuratura: ſive, *Eccleſiam hoc tempore Divina Gloria, Majeſtate, & Claritate, multo eſſe illuſtrandam ſplendidius, quam Sol, Luna, Aſtra, ſive ſuo ſive mutuatitio Lumine ſplendentia, illuminant atque exornant vaſtum hoc naturæ theatrum:* ſic alibi [c] ſententiam hanc explicui. quomodo accepta ſententia mere erit parabolica, ὑπερβολικῶς elata. Sed ſenſus hic non exhaurit vim dicti. Æquum eſt gloriam Lucemque Dei hic comparari rebus analogis, quæ hic veniunt nomine *Solis* & *Lunæ*, ut dicat Propheta, *Gloriam* Divinam tam clare hoc tempore fulſuram eſſe, ut omnem gloriam aliam ſit abſorptura; *fore item, ut felicitas ac proſperitas Eccleſiæ hac tempeſtate non dependeat ab externis cauſſis, quæ Rebus-publicis ac Societatibus Mundanis pacem, tranquillitatem, & bonorum temporalium abundantiam præſtare ſolent; facturum enim eſſe Deum, ut Eccleſia ſentiat, ſua ſe providentia & gloria ei proxime adeſſe* [d]: *Inſtitutionum quoque publicarum eam fore iſthoc tempore vim, copiam, efficaciam, & ſcientiæ rerum Divinarum exuberantiam, ut Eccleſia experiatur, ſe à Deo doceri, & Chriſti Jeſu curæ ac diſciplinæ ſubeſſe: ut ſi Eccleſia ſub Oeconomia Fœderis externi ac typici* SOLEM *viderit ac* LUNAM, *à Deo diſtinctos, & variam ſubierit Status ſui viciſſitudinem; Eccleſia hoc tempore gaviſura ſit in longum luce perenni, ſtatu multo conſtantiore ac feliciore.* UNUS ERIT DIES, ET TEMPORE VESPERTINO ERIT LUX [e]. Ipſa rurſus mea verba deſcripſi quod ad rem facere viderentur, & lectorum liberare voluerim moleſtia loci quærendi ac inſpiciendi. Coccejus hoc loco: *Omnes revera* DEO *obedituros eſſe, & non ſpectaturos eſſe Nomen & auctoritatem humanam, etiamſi homines fuerint tam clari ut Sol & Luna.* Nihil præter rem dictum. Poteram in eo ſubſiſtere; & tamen nova meditatio extudit non ſpernendam, ut videtur, cogitationem, ſuperioribus analogam. Senſus ſuperioris promiſſi ſimplex eſt & æquabilis; tantam fore hoc tempore claritatem illuminationis & influxus Divini, ut *Lucem omnem Naturalem*, (quæ eſt *Lux rationis*, hic analogice figurata per *Lucem Solis & Lunæ*, cujus uſura in Societate humana vivitur,) ſit obſcuratura & abſorptura; non ſane quod *Rationis*, Divini muneris, uſus ſit ceſſaturus; ſed quod omnia per *Rationem* ſanctam, illuminatam, ſanctificatam, ex principiis Ratione ſuperioribus, ſint adminiſtranda. Rurſus; Nullam gloriam, claritatem, ſplendorem, fore æſtimabilem hoc tempore, niſi in quo Radii gloriæ, claritatis & ſplendoris Dei & Chriſti Jeſu, totam Eccleſiam perfuſuri, conſpicui fuerint. Quæ inter ſe juncta ampliſſimam exhibent & pleniſſimam hujus dicti intelligentiam. Cl. Coccejus verba priora, ולנגה תירח לא יאיר לך vertit, *Et per ſplendorem Lunæ non lucebit tibi*, vel, ut alibi [f], *Non uteris luce.* ubi voces, נְגַהּ תֵּירַח accipit ut *conſtructas*, quas tamen Maſorethæ ſpectari volunt ut diviſas, fixo accentu diſtinctivo *Sakephgadôl* in voce נגה, idque, ut putem, rectiſſime. Si enim Propheta id dicere voluiſſet, ſcripſiſſet haud dubie, בנגה, quod proprie valet, *per ſplendorem.* Ergo verba optime ex ſenſu meo vertuntur, *Et Luna ad ſplendorem*, ſc. dandum, vel *cum ſplendore, non faciet tibi lucem.* Adſcribit autem Stylus Sacer, perinde ac profanus, *Lunæ* æque *ſplendorem* ac *Soli*, quod *Lumen purum* ac *candidum*, idque jucundiſſimum, faciat orbicolis. conſer Cap. IV. 5. Joël. III. 15.

Privilegium non eſt *futuræ*, ſed hujus *vitæ*.

Propheta hic non excludit uſuram *Solis* & *Lunæ* Statu Eccleſiæ hujus temporis.

Genuinus ſententiæ ſenſus.

Copioſius expoſitus.

Cocceji ad hunc locum annotatio.

Senſus ſublimior: *Omnia hoc tempore ad Rationem* illuminatam & ſanctificatam adminiſtrarentur.

Omnis *gloria & claritas* hujus temporis claritatis Divinæ ſimulacrum haberet.

Cl. Int. animadverſio ad verba, נגה תירח.

Membrum alterum: *Perpetuitas* hujus *Beneficii.*

Verſio certius conſtituta.

℣ſ. 20. *Non occidet amplius Sol tuus, & Luna tua ſe non recipiet: quia* JEHOVA TIBI ERIT IN LUCEM PERPETUAM; *& completi ſunt dies luctus tui.*] Senſus eſt, eam *Rem*, quæ Eccleſiæ præſtat uſum *lucis*, atque adeo ſupplet vicem *Solis* ac *Lunæ*, Eccleſiæ ſuffecturam eſſe perpetuam intelligentiæ, ſanctimoniæ, claritatis,

Beneficii hujus perpetuitas, ℣ſ. 20. ſenſus dicti.

---

[a] Cap. XVII. 14. [b] Cap. XXI. 23. confer Cap. XXII. 5. [c] *Comm.* in *Apoc.* Cap. XXI. 23. [d] Cap. XLIX. 19. [e] Zach. XIV. 7. [f] In *Lex.* ad vocem נגה.

tatis, & lætitiæ materiam atque uſum: ut cum Sol ac Luna naturalis ſubeant ſtatas ortus atque occaſus ſui viciſſitudines; ea Res quæ Eccleſiæ præſtitura ſit lucem veram intelligentiæ, puritatis, dignitatis, proſperitatis, ac lætitiæ ex his bonis orituræ, perpetuo & nunquam deſituro influxu, Eccleſiam ſit illuminatura, ſtatumque ejus proſperatura. Ea autem Res eſt ipſe CHRISTUS JESUS, Eccleſiam ſuam potenter per Spiritum S. illuminans, ac ſanctificans; gloria ſua illam implens atque illuſtrans; & providentia ſua univerſum Statum ejus proſperans, in lætitiæ non intermorituræ materiam. Sic Spiritus ipſe de cœleſti hac Hieroſolyma [a]: *Nam gloria Dei illuſtrat eam, & lucerna ejus eſt* AGNUS. Ergo qui hic *Agnus* dicitur, idem *verus Deus* eſt. Sic ipſe ſe interpretatur [b]: *Et nox illic non erit, neque opus iis erit lumine lucernæ, neque lumine Solis.* ὅτι Κύριος ὁ Θεὸς φωτίζει αὐτὰς· *quia Dominus* DEUS *illos illuminat.* Cæterum quod hic dicitur, NON AMPLIUS *occidet* SOL TUUS, *nec ſe recipiet* LUNA *tua:* non eſt referendum ad *typicum Solem* & *Lunam* ſub Oeconomia Vetere; neque ad fictitium *Solem* & *Lunam* ſub Oeconomia Nova, de quibus egi ad Apoc. VI. 12. coll. cum hujus Libri, Cap. XXIV. 23. quia *Sol* & *Luna* hic id ipſum ſignificant quod Eccleſiam illuſtrat, & *occaſus* hujus *Solis* & *Lunæ* non in meliorem, ſed deteriorem partem ſumitur. Reſpiciuntur itaque hic loci craſſæ tenebræ ſuperioribus ſæculis in Eccleſiam inductæ per hæreſes, perſecutiones, Sectam Antichriſtianam, Philoſophiam barbaram, turpiſſimam ac flagitioſam ignorantiam & inſcitiam, ſcelera & flagitia ubique exundantia, & ſcandala graviſſima, quibus factum ut Religio, res puriſſima & ſanctiſſima, omnem ſuum ſplendorem amiſerit; lux vera omnis fere extincta fuerit; & Eccleſia in Eccleſia vix inveniri potuerit; ut adeo *Sol* Eccleſiæ occidiſſe, & *Luna* non *ſplendens de nocte*, ſe *condidiſſe* aut *recepiſſe* videretur. quæ notio אסף hic eſt elegantioris uſus. Non ait Propheta, *Luna tua* NON OCCIDET; ſiquidem Lunam plenam occidentem ſequitur Sol oriens; ſed *non recipiet ſe, non condetur*, (proprie, *Non colligetur*, ſive *non colliget ſe*, quæ notio eſt vulgatior vocis אסף,) quod fit, ubi vel *conditur Nubibus*: vel, ἐκλείπει *deficit*, tellure lumen ejus intercipiente. Poſterius hic elegit Hieronymus, vertitque, *Minuetur*. perinde ac οἱ ὁ. ἐκλείψει. Nihil refragor. Phraſin tamen latius patere, liquet ex Joël. II. 10. ubi vox אסף in univerſum de *aſtris* fulgorem ſuum *occultantibus* uſurpatur. Utique ubi *Luna* vel *aſtra* ſe *colligunt* ſub nubes, & occultant: *mori* & intercidere videntur: quam ſignificationem ineſſe in voce אסף, vidimus Cap. LVII. 1. Docet itaque Propheta, Eccleſiam hoc tempore gaviſuram eſſe perpetua & æquabile luce; de quo ad eundem tenorem Zacharias [c]: *Et erit unus dies, qui notus eſt Jehovæ:* NON DIES, ET NON NOX, (h. e. abſque viciſſitudine *diei* & *noctis*; quem putem eſſe ſenſum Prophetæ:) *& futurum eſt, ut tempore veſpertino ſit lux.* h. e. *Lux* nullam admittet veſperam. proinde nullum mœrorem & luctum ob publicas calamitates, aut noxas Eccleſiæ illatas; quod hic ſubjicitur, *Et completi erunt dies luctus tui.* confer Cap. XXV. 8. XLIX. 4. Apoc. VII. 16. XXI. 4. Defuncta eſſet Eccleſia hoc Statu perſecutionibus & afflictionibus publicis, & gauderet ἀναψύξει perfecto *refrigerio*, ſibi à Prophetis condicto [d]. Ad privatas doloris ac mœſtitiæ cauſſas id trahendum non eſt; licet haud dubie mirabilis Dei providentia eas adeo ſapienter ſit temperatura, ut pii in omni ordine viarum Dei lubenter ſint acquieturi. Ecquis vero dixerit, Eccleſiam hoc Beneficio Divinæ Providentiæ & Gratiæ huc uſque uſam eſſe ea amplitudine, qua hic conſignatur? Huc uſque experta eſt *dierum* & *noctium* viciſſitudines, ex hiſtoria facile cognoſcendas ac in ea notabiles.

Senſus ſententiæ amplius declaratur.

Sol Eccleſiæ eſt Chriſtus Jeſus.

Loca Apoc. XXI. 24. & XXII. 5. cum hoc compara.

Solis ac *Lunæ typicæ* hic nullus eſt reſpectus.

† Ἀντίθεσις hic ſumenda eſt à craſſa ignorantia & vitiis ſuperiorum temporum.

Elegantior uſus vocis אסף *colligi*, h. l.

Uſus vocis Joël. II. 10.

Locus Zach. XIV. 7. expoſitus.

Dies luctus Eccleſiæ completi.

Quo ſenſu dictum accipiendum ſit?

Admonitio de implemento hujus prophetiæ.

Beneficium QUINTUM, *Propoſitionem* declarans, *Civium* ejus *integritas*, & *mirabile incrementum.*

Membrum primum: *Integritas civium.*

ỳſ. 21. *Et ad Populum tuum quod attinet*; OMNES ILLI JUSTI: *in ſæculum poſſidebunt terram: Surculus plantationum mearum; opus manuum mearum, ad* mihi *conciliandum decus.*] Id plane erat neceſſarium, ut Oratio Prophetica, tot amplis promiſſis fœta, declararet *qualitatem* Civium hujus beatæ ac fortunatæ Civitatis. tot enim tamque excellentia privilegia non poterant convenire niſi optimis & bene meritis, & per Divinam gratiam ad hæc tempora exaptatis. Docet itaque Spiritus, incolas, qui Populum facerent hujus Civitatis, *omnes* fore *juſtos*. Non eſt dubium, intelligi hic *juſtitiam* qualis obtinet in Oeconomia gratiæ; quæ eſt *Juſtitia fidei*, & quidem *fidei vivæ*, purificantis animum, ſanctificantis affectum, charitate ac ſtudio bonorum operum fructuoſæ, & à vera ſanctimonia nunquam ſejunctæ; ut adeo qui hic *juſti* dicuntur, iidem ſint qui *ſancti*. Reſpondent loca Prophetæ noſtri, Cap. IV. 3. *Et futurum eſt, ut ſuperſtes Tſione, & reliquus factus Hieroſolymæ*, SANCTUS *appelletur*. Cap. XXXIII. 24. *Et nemo incola dicet*, ÆGER SUM: *Populus enim, qui eam inhabitat, obtinebit remiſſionem peccatorum.* Cap. XXXV. 8. *Et erit ibi agger & via, quæ* VIA SANCTA *appellabitur. non ibit ea impurus.* Cap. LII. 1. *Excitare, excitare, Hieroſolyma; indue robur tuum* (laudatiſſimas veſtes tuas,) *Tſion: indue veſtes ornatiſſimas tuas, Hieroſolyma, Civitas ſancta! quia non amplius in te veniet præputiatus & immundus.* Solummodo quæritur, quanta amplitudine hoc accipiendum ſit promiſſum? Sitne ita capiendum, omnes & ſingulos, qui novam hanc Civitatem conſtituturi ſunt, participes fore *Juſtitiæ* Chriſti Jeſu & ſanctimoniæ, veræ ac realis, quæ verum facit & vivum membrum Chriſti Jeſu; atque adeo hunc Statum Eccleſiæ excluſurum eſſe non profanos tantum & peccatores manifeſtarios; verum etiam hypocritas? Num vero latior hic admitti poſſit ſenſus? Reſpondeo, promiſſa hujus generis non ſemper æque preſſe explicanda eſſe, hoc eſt, non ſemper *abſolute* interpretanda eſſe; ſed ſubinde ſumi *comparate*, ut ex quibuſdam locis analogis modo productis liquere poteſt. Quod vero ad hunc noſtrum attinet: Primo quidem verba hunc certum dant ſenſum, Naturam & indolem illius Eccleſiæ ejuſmodi fore, ut nullos niſi veros vocatos, regenitos, ſanctificatos ſit admiſſura; ut ſi qui hypocritæ latentes ſe miſceant cœtibus fratrum: illi tamen pro veris Eccleſiæ membris minime habendi cenſendique ſint; ſecus ac ſe res habuit ſub Oeconomia Vetere; de quo ample differui ad Cap. LII. 1. Secundo, Neminem ad communionem hujus Civitatis admiſſum iri, qui profeſſione, moribus, ac diſciplina vitæ, talem ſe non præſtet, qualem fratres ſecundum Canonem diſciplinæ & ſecundum Legem charitatis judicantes, (ſi forte intus purificatus non fuerit, & judicium Dei ſuſtinere nequeat,) ſuo judicio cœtibus ſanctorum excludere auſint. Omnes itaque *juſtos* cenſeri, quod ſe tales profeſſione fidei & morum diſciplina gerant, & habeantur, licet forte inter eos latere queant hypocritæ. Tertio addo, neminem hic certo definire poſſe, quanta amplitudine & potentia, quanta menſura & gradu, Deus gratiam ſuam ſit communicaturus cum illa Eccleſia, quam in terris repræſentabit ut veram Sponſam Filii ſui, hactenus ea perfectione Mundo non viſam. Fere ſupra ſpem eſt, (neque ego illam ſpem mihi aſſumere, vel illam aſſerere velim:) fere, inquam, ſupra ſpem videtur, & præter rationes Providentiæ, qua Deus huc uſque circa Eccleſiam verſatus eſt; extituram eſſe in Mundo Eccleſiam, eamque latiſſime diffuſam, quæ excludat hypocritas: & tamen certo tenemus, ab una quidem parte, Deum omnia poſſe quæ vult, & promiſſa ac prædicta

Beneficium Quintum, Propoſitionem declarans, Membrum primum: *Integritas Civium*, ỳſ. 21.

Populus omnis juſtus, &c.

Nexus orationis Prophetæ.

Summa ſententiæ hujus loci.

Juſtitia notio quomodo hic ſumatur?

Loca analoga ex hoc Libro.

Quanta amplitudine beneficium hoc interpretandum ſit?

Media hic tenetur ſententia.

Primus verborum ſenſus.

Alter, latior.

Tertius aliquis reſpectus hujus loci.

a Apoc. XXI. 23. b Cap. XXII. 5. c Cap. XIV. 7. d Act. III. 19.

Quo usque hic spes nostra extendi queat?

Gratiæ Ecclesiæ facta, amplissimum consecutura esse implementum; ab altera, Verbum Propheticum sublimes nobis de Statu hujus Ecclesiæ, & Gradu ac mensura sanctificationis hujus temporis, subjicere cogitationes. Sola descriptio Hierosolymæ ejus *Apocalyptica*, ex cœlis in terram descenturæ, id arguit, eamque contemplantem extra se rapit. Solummodo nunc adducam locum Zachariæ, utique præclarum & valde emphaticum *a*: *Illo tempore erit super tintinnabula equorum*, exaratum, SANCTITAS JEHOVÆ (dum *equi* bellici phalerati bullatique usum amplius habituri non sunt hoc tempore *pacis*; *tintinnabula* & *bullæ* eorum convertentur in *usus Sacros*;) *& erunt illa in Domo Jehovæ, ut pelves coram altari; & futurum est, ut omnes illæ Hierosolymis & in Juda sint* SANCTITAS JEHOVÆ *Exercituum; & venient omnes sacrificantes, & accipient ex iis, & coquent in iis; & non erit amplius Cananæus in Domo Jehovæ Exercituum illo tempore.* Amplum quid & augustum est quod hic dicitur, meo calamo non definiendum. Id aperte jacet in Verbis, omnia Ecclesiæ, τὰ πάντα τῆς ἐκκλησίας, consecranda esse Gloriæ Dei & subservitura ejus cultui: χάρισμα Spiritus S. diffusum iri per totum Ecclesiæ corpus: vilissima etiam ejus membra hoc donum gratiæ notabili sorte participatura esse: in universum credentes dono sanctificationis longe majore mensura gavisuros esse quam ante. Os Domini ipsum *b*: *Mittet Filius hominis Angelos suos, colligentes ex ejus Regno* πάντα τὰ σκάνδαλα OMNIA OFFENDICULA, *& eos qui operam dant iniquitati.* Ergo sic animum nostrum componamus, ut à providentia, bonitate, Gratia Dei, nihil parvum expectemus; & interea temporis tanta spe dignos nos geramus. Consequens hujus *Status* laudabilis est quod sequitur: *Et in* PERPETUUM *possidebunt* TERRAM. Phrasin jam offendimus Cap. LVII. 13. & explicui eam late in dissertatione de hoc argumento scripta *c*; cujus summa est: Per *hæreditariam possessionem terræ*, ab hæreditate *Mundi* distinguendam, intelligi *illum Orbis Statum quo Sancti Mundum judicant*, quando *Orbis*, *Civitatem* hanc *Sanctam* complexus, convertendus esset in *Paradisum Dei*, quippe plantandus *surculis plantationum Dei*, qui excrescerent in altas & robustas *quercus*, ut Vates in *Concione sequenti* e. Emblema non semel occurrit; quod rei ipsi aptissimum sit, & jucundæ speculationis. Significatur utique, α. Credentes & sanctos quicquid sunt in statu gratiæ, Deo debere. sunt φυτεία, ἣν ἐφύτευσεν ὁ Πατὴρ ὁ ἐπάνιος *planta quam plantavit Pater cœlestis* *f*. quo eodem sensu dicuntur OPUS MANUUM DEI: ποίημα Θεοῦ *g*. quam phrasin diserte explicui secundum ductum orationis Prophetæ ad Cap. XXIX. 23. XLIII. 7. Intelliges inde, Prophetam nostrum ubique Evangelicum, plane docere; hominem in statu gratiæ totum ejus quod est, Divinæ debere gratiæ. β. Separatos à *radice*, ex qua ortum traxerant. γ. Sensim ac gradatim excrescere ad altitudinem, sibi à Deo decretam. δ. Idque ad decus Ejus, qui eos *plantavit*, creavit, fabricavit, fecit; & ad *hortum* ejus spiritualem *exornandum*. Utrumque involvitur voce התפאר, quæ recte vertitur, *sibi assumere*, *conciliare decus*, significatione reflexa; nec respuit quoque *absolutam*; ad *ornandum*; *condecorandum*. Prior respectus hic primum obtinet locum. Sic sanctum os ipsius Messiæ hoc emblema exponentis *h*: *In hac re* GLORIFICATUS *fuerit*, (ἐδοξάσθη, התפאר נכבד) *Pater meus, ut fructum multum feratis.* Dum *ornant* Ecclesiam sancti, virentes, florentes, in sublime efferentes caput; sunt ad *gloriam* ejus qui hunc spiritualem *hortum* ad decus suum instruxit. Hoc verum schema est Ecclesiæ.

Membrum *alterum*: Mirabile hujus *Civitatis* incrementum.

℣. 22. PARVUS *erit in mille, &* EXIGUUS *in Gentem validam.*] Sensus est, Populum Dei superstitem, quem ad exiguum numerum redactum, & valde minutum, gloriosa hæc tempora deprehensura sint, excreturum esse in amplissimam sobolem spiritualem; ut illi quoque credentium, qui aliorum expectatione videbantur ad spirituale semen generandum minus apti esse, tanquam minoribus dotibus naturæ & gratiæ ad id instructi; quique præterea de se ipsi modestissime sentiebant; hoc tempore perfusi uberiore donatione Divinæ Gratiæ, uberrimum fructum facerent, & numerosa sobole spirituali ditescerent. Phrasis desumpta est ex Benedictione Conjugali *i*, & amplissimo sobolis incremento, de quo vidimus Cap. LIV. 1. Sic Deus apud Hoseam *k*: *Et* SEMINABO *eam mihi in terra*, &c. ad amplissimam ubique producendam frugem, ut inauspicatum nomen JIZREËL *l*, (יזרעאל allusione facta ad ישראל ISRAËL) convertatur in auspicatum; SATIO DEI; eaque fœcundissima. Vates sacer *m*: SEMEN *ipsi serviet*: *recensebitur Domino in ætatem.* Equidem non nego, Ecclesiam expertam esse vim hujus promissi, ejusque habuisse implementum in numerosissima sobole spirituali, Deo per Verbum Evangelii genita inter Gentes, de quo egi ad Cap. LIV. 1. Vidisse etiam, *mystice*, ex *Jacobo* μικρῷ PARVO *n*, ex *Benjamine* הצעיר EXIGUO, sive Paulo Apostolo, qui ipse se censuit ἐλάχιστον τῶν Ἀποστόλων, *ultimum Apostolorum* *o*, aliisque Christi Jesu *discipulis* atque Apostolis, μικροῖς *parvis*, humilis ortus, nulla eruditione excultis, nulla fulgentibus dignitate, Mundo contemptibilibus, (hoc enim epitheto Dominus ipse eos passim insigit *p*:) & ex μικροτέρους ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν MINIMIS *in Regno cœlorum* *q*; prodiisse *vim Gentium*, & potentes Populos, inter quos solidum semen spirituale, in fide egregie confirmatum. Non nego certe: vis Evangelii se magnifice exeruit: sed quicquid superioribus temporibus habitum est excellens & gloriosum, in hunc Statum Ecclesiæ certatim concurret. Respice locum plane insignem Ps. CVII. 41. *Et evehet in altum inopem ex afflictione*, & PONET FAMILIAS *instar ovium.*

Membrum alterum: *Mirabile hujus Civitatis incrementum*, ℣. 22. *Parvus erit in mille*, &c.

Sensus sententiæ.

Phrasis metaphoricæ amplius illustrantur.

Admonitio de Implemento Promissi. *Incheatum* ostenditur.

Collectio ex præcedentibus facta.

Verba, *Et in perpetuum possidebunt terram.*

Phrasis exposita.

Ecclesia conversa in Paradisum.

Phrasis, *surculus plantationum Dei*, quid involvat?

Notatio vocis התפאר h. l.

Clausula prophetiæ.

℣. 22. fine. *Ego Jehova* IN TEMPORE SUO *illud accelerabo.*] Sic se habent rationes consilii ac Providentiæ Divinæ. Omnia Deus agit *tempore opportuno*, (quam constat esse genuinam notionem vocis עת;) τοῖς καιροῖς ἰδίοις: quod dum accidit, omnes causæ & circumstantiæ illorum temporum, ad id providentia Divina provisæ ac dispositæ, conspirant ad effectum, à Deo decretum, producendum; qui proinde *effectus* celerrime ac festinato præter omnem expectationem sistitur, quo pertinet hæc phrasis Divinæ sententiæ; estque ea Prophetis hoc sensu recepta usu. Vates noster *s*: *Et futurum est statim, subito.* Pertinet oratio ad effectum Judicii Divini, ibi memoratum. Alibi *t*: *Filii tui* FESTINABUNT. Jeremias *u*: *In propinquo est calamitas Moabi ut veniat; & malum ejus* VALDE FESTINAT. quod tamen dictum, ut plura Prophetarum alia analoga, referri potest ad ipsum implementi tempus. Quod enim sæpius jam monui, & exerte ad Apoc. I. 3. Prophetæ effecta Divinæ Providentiæ, licet post tempus bene longum extitura, tanquam in proximo respiciunt. Hic tamen loci *festinatio* ad ipsum *effectum* refertur; notatque quod jam dixi, Deum luculenta hæc prædicta ac promissa absque mora, absque impedimento, vi quadam prævalente ac violenta, contra omnium expectationem producturum, & media omnia in eum effectum sapienter provisurum; instar fœtus utero concluſi destinato tempore *vi erumpentis*. confer emblema Cap. LXVI. 7. Festinatio ipsorum *credentium fidem prævertet*, Luc. XVIII. 8. Utique est opus *Jehovæ*. *Veni Domine Jesu!*

Clausula prophetiæ, ℣. 22. *in fine*, *Ego Jehova illud in tempore suo accelerabo.*

Quid phrasis hic loci proprie significet?

De

---

a Cap. XIV. 20, 21. *b* Matth. XIII. 41. *c* *Observ.* L. V. C. VI. *d* 1 Cor. VI. 2. coll. cum Dan. VII. 22. *e* Cap. LXI. 3. *f* Matth. XV. 13. confer Joh. XV. 2. Ps. XCII. 14. *g* Ephes. II. 16. *h* Joh XV. 8. coll. cum Matth. V. 16. Ephes, II. 16. 1 Pet. II. 13. *i* Gen. XXIV. 16. 1 Chron. IV. 28. *k* Cap. II. 21. *l* Cap. I. 4. *m* Ps. XXII. 31. *n* Marc. XV. 40. *o* Ps. LXVIII. 28. 1 Cor. XV. 9. *p* Matth. X. 42. XVIII. 10. *q* Matth. XI. 11. *r* Eccles. III. 1. *s* Cap. XXIX. 5. *t* Cap XLIX. 17. *u* Cap. XLVIII. 16.

De IMPLEMENTO *Prophetiæ.*

Propior Ἀνάκρισις Implementi hujus prophetiæ.

I. Esto jam ex prophetia ipsa, ejusque evolutis sensibus, judicium de illius implemento: de quo visum est, aliqua distinctius monere, licet magna necessitate ad id non constringar. In ipsa enim interpretatione versatus, passim subnotavi, quousque Implementum cujusque pericopæ processerit.

Hieronymi de eo judicium.

II. Hieronymus, expositionem hujus *Sectionis* aggressurus, primo notat sententiam Judæorum, & *semi-Judæorum* quos vocat, ex nostris, qui quæ hic leguntur κατὰ γράμμα in Hierosolyma terrestri repræsentanda esse sentiunt, & quidem beato illo & glorioso *millennio*, cujus notitiam Christiani ex *Apocalypsi* hauserant: quam ille sententiam late rejicit. Certa hic est Doctissimi Viri sententia: absurdum fuerit id opinari. Nec fieri sane hoc tempore posset, nisi Deus per miraculum antiquos Montes suo ordini restitueret, & verum antiquæ Hierosolymæ situm per Prophetam aliquem demonstraret ac describi curaret. Hodierna enim ex Ælia Hadriani post varias mutationes & vastationes superstes; quid præter nomen commune habet cum antiqua? Sed pugnat hypothesis cum Natura Regni Christi Jesu; tum spiritualis; tum nulli certo loco affixi, in quo nunc acquiesco.

Animadvertio ejus laudatur.

Hodiernæ Hierosolymæ appellatus.

Altera hypothesis ab Hieronymo memorata; prophetiam ordinatæ recipiendam esse.

III. Altera quam memorat sententia, eorum est inter Christianos, qui hæc omnino ad literam, ut hic consignata sunt, implenda fuisse statuunt, si Gens Judæa generatim fidem in Christum Jesum suscepisset. Cum Judæi per indolem suam in res carnales & externas cupidissime ferantur: Deum iis per Prophetam Bona ejus generis, quæ illi maxime expetebant, addixisse, sub conditione veri Messiæ ut Regis recepti: sed cum illi *conditioni* implendæ defuerint; simul *excidisse* his *promissis*, quæ cæteroquin ipsis σωματικῶς obtigissent. Est hypothesis Eusebii, à Procopio repetita; sed nequaquam probabilis. Si prædicta & promissa, Libris Propheticis conservata, ὑποθετικῶς *conditionaliter* accipere liceat: frustra impenditur opera demonstrandis prophetiarum implementis. Ubicunque enim hæsitaveris: patebit effugium, promissa & prædicta adstricta fuisse *conditioni*, qua non præstita eorum repræsentationem intercidisse. Atqui nullum datur κριτήριον, quo prophetias *conditionatas* ab *absolutis* distinguas; ut adeo omnis labor hic sit frustraneus; omnis quæsitio vaga & incerta; nec ex Verbo Prophetico ulla certa redundet consolatio. Contra vel prophetiarum scrutandarum cura & studium omne abjiciendum est; vel tenenda est hypothesis, Prophetias complecti certas Consiliorum Divinorum definitiones, absque ulla dubitatione ad numerum exhibendas: quod ipsum formulæ iis insertæ, & huic nostræ quoque adjecta, indubie evincunt.

Sed minime probabilis.

Hypothesis eorum Intt. qui hæc prædicta referunt ad Statum Populi Judæi reducis ex Exilio Babylonico. Et præsertim ad Maccabaica tempora.

IV. Thomas, Hugo, ex medii ævi Intt. & Mariana, Grotius, recentioris, (quos nunc solos appello:) qui hanc prophetiam applicant ad Statum Reducum ex Exilio, nihil agunt, nisi ut operam inaniter ludant. Recta eundum fuisset ad Maccabaica, in quibus umbra aliquorum, non omnium prædictorum, ostendi potest; idque etiam suis locis non negligit Grotius. Certe Vates de Maccabaicis, ut typis rerum novissimo tempore in Ecclesia Dei gerendarum & exhibendarum, luculenter loquuntur; & Spiritus S. orationem suam sic temperat, ut nos veluti manu sua ducat ad investigandam & recognoscendam convenientiam fatorum: sed prophetia hæc longe altius surgit. Quod enim per totam hanc Sectionem supponitur: *Reges Gentium ad hanc Hierosolymam certatim confluxuros, eique supplices fore; opes, copiam, gloriam suam omnem, in eam illaturos: Populum & Regnum, quæ huic Civitati non serviverint, interitura & exscindenda esse: hostes omnes magnificentiam ejus devote revereturos esse: nullam vim, oppressionem, ac violentiam in limitibus ejus fore: Deum sensili præsentia suæ gloriæ eam jugiter illustraturum, nec futurum, ut Sol ejus occidat; sed felicitatem ejus longum duraturam;* & denique, *omnes cives & incolas* hujus Civitatis fore *justos*: quæ tantum ex pluribus excerpsi: ecquis veri amans & historiæ non plane imperitus, hic in Maccabaicis acquieverit? Sed monui jam de eo in *Anacrisi* ad Cap. LVI. *a*

Hypothesis quarta; prophetiam pertinere ad Ecclesiam Christianam, generatim sumptam. Auctores ejus.

V. Quid sentiendum sit de hypothesi Hieronymi, Cyrilli, passim à Recentioribus adoptata, quæ hanc prophetiam transfert ad Ecclesiam Christianam, complexe ac generatim sumptam, jam anticipavi in *Anacrisi*, modo memorata *b*; & *Animadversione* generali, expositioni hujus prophetiæ præmissa; & pariter ad vs. 1. Interim miratus sum, Pontificiæ Sectæ Scriptores, huic hypothesi insistentes, interque eos Estium, Forerium, Sanctium, hic non commendare pressius *Ecclesiam Romanam*, tanquam verum hujus Hierosolymæ antitypum. Non silent quidem eam plane; nec tamen id agunt, aut in eo hærent. *Ecclesiam Christianam* appellant, ut appellanda erat. Attamen non ignoro, Parasitos Paparum, in Inaugurationibus, & in Tabulis Monumentisque ipsis dicatis, atque in Laudationibus aliis, argumenta earum potissimum ex hoc *Capite* mutuari; & quicquid magnifice ac glorioſe hic dicitur de Ecclesia, ad ipsos tanquam Christi Jesu in his terris Vicarios, passim blaspheme applicare. Præivit Gregorius VII, fastu Papali turgidus, totus plenus sui & præjudicii de privilegio Ecclesiæ Romanæ, tanquam Ecclesiarum omnium Matris ac Principis; (cujus præjudicii vanitatem nemo satis miretur:) & loca hujus *Sectionis* nostræ ad firmandam auctoritatem suam adhibuit *A*. Ad me quidem quod attinet: indulgeo lubens Ecclesiæ Romanæ antiquæ puriori spectabilem partem illius gloriæ spiritualis, quæ Ecclesiæ Christi Jesu competit; nec tamen ullo majore jure quam post destructam Hierosolymam, (quæ sedes vera fuit Religionis Christianæ:) Antiochenæ, Alexandrinæ, Carthaginiensi, Mediolanensi, Lugdunensi, ac deinceps Constantinopolitanæ. Omnium enim harum Ecclesiarum una & æqua sors fuit in Domino. Nulla alteri præposita. Omnes Hierosolymam & Tsionem respexerunt ut matrem, & adhucdum respiciunt. Non dicitur, *Verbum Dei exiturum esse* ROMA, *sed* TSIONE. Ecclesiæ Romanæ æque *metuendum* erat ne *excideret*, si Divina gratia se indignam gereret, ac aliis Ecclesiis Gentium. *Ne effertor animo*, scribit Apostolus ad Romanos *c*: ἀλλὰ φοβοῦ, SED METUE. sc. ne excidas quo es statu. Atqui *Roma* non *metuit*. Quis vero fascinus delusit Gentes, quod prophetias de HIEROSOLYMA editas, & in *vera Ecclesia* Christi implendas, transtulerint ad ROMAM, unam maxime Civitatem in prophetiis notatam, Hierosolymæ adversissimam? eandemque gravissimis Dei judiciis percussam & sæpe tantum non prostratam? Si superba & auro atque argento splendentia Templa; si fastus Principis & majoris partis Præfectorum illius Ecclesiæ, quæ se à Roma appellat, plane mundanus & carnalis; si cultus Dei externus, pompaticus, ritualis, literalis, Spiritu cassus; si cantus symphoniaci ad delectandas ac permulcendas aures passim à levissimis & impuris hominibus ad modulos scite fracti; si processiones solennes sive Civitatium sive Fraternitatum & Sodalatiorum ludicro ac plane pudendo apparatu ad pompam celebratæ; & quæ hujus generis alia sunt; facerent verum decus & splendorem Religionis:

Abusus hujus prophetiæ in Ecclesia Romana.

Temperamentum Judicii hac de re.

Absurdum est, *Romam* posterioris temporis videre in hac Hierosolyma.

a §. XI. *b* §. IX. & X. *c* Cap. XI. 20.

A Unicum hic promam exemplum ex Sylloge Veterum *Epistolarum Hibernicarum*, collecta ab Armachano Præsule, Usserio, p. 53. ubi invenies Epistolam Gregorii VII. ad Hibernos; (Num. XXIX.) in qua sequentia leguntur: *Hujus* (Domini Jesu) *auctoritas sanctam Ecclesiam in* SOLIDA PETRA *fundavit; & beato* PETRO, *à* PETRA *venerabile nomen habenti, ejus jura commisit, quam etiam super omnia Mundi Regna constituit: cui principatus, & potestates, & quicquid in Sæculo sublime videtur esse, subjecit: illo Jesaiæ completo Oraculo:* VENIENT, inquit, AD TE QUI DETRAHEBANT TIBI, & ADORABUNT VESTIGIA PEDUM TUORUM. *Beato igitur Petro, ejusque Vicariis, (inter quos dispensatio Divina nostram quoque sortem annumerari disposuit,) Orbis universus obedientiam similiter ac reverentiam debet: quam mente devota* SANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ *exhibere reminiscimini.*

Verum Ecclesiæ decus qua in re consistat?

nis: fateor, posse Romam hic efferre caput. Sed si hæc omnia contraria sint naturæ & præceptis Religionis à Christo Jesu & Apostolis institutæ; si verum Ecclesiæ decus ac splendor consistat in internis ejus ornamentis; cognitionis illuminatæ, fidei vivæ, sanctimoniæ cœlestis, studiique intensissimi charitatis, humilitatis, mansuetudinis, ac bonorum operum: si externum ejus decus faciant cultus purus, spiritualis, ab idololatria ac superstitione liber, isque simplice ritu absque pompa peractus; valida vis demonstrationis veritatis; præsentia Dei ejusque gloriæ in cœtibus credentium: si vera Ecclesia excludat profanos, impuros, Simoniacos, canes, se volutantes in cœno omnis immunditiei; si excludat idololatriam, superstitionem, tyrannidem, fastum mundanum & carnalem: vide mihi quam dispar sit *Roma* recentior, huic Civitati *Hierosolymæ*, ortu cœlesti, quam nulla *lux* illustrat nisi DEI & AGNI? O cæcitas Populorum, hos colores non discernentium!

Implementum itaque prophetiæ perfectum respicit melhorem Ecclesiæ periodum.

Ob quas causas Docti aliqui Viri huic hypothesi non lubentur adsentiantur.

VI. Sunt tamen multi, qui, etiamsi ex historia temporum, cum Statu Ecclesiæ usque ad tempora hæc nostra, comparata, cognoscere atque intelligere possent, huic prophetiæ atque analogis pluribus huc usque perfecte satisfactum non esse: hypothesi de meliore Ecclesiæ Statu in his terris exspectando, qui perfecte præstet hujus Divinæ civitatis imaginem, non lubenter adsentiuntur. cujus rei causam non inde repeto, quod hypothesis ipsa per se spectata à probabili ratione abludat: (est enim probabili rationi maxime consentanea:) neque etiam ab *imperitia* vel negligentia scrutinii Verbi Prophetici; aut ab *incredulitate*, communi Naturæ corruptæ vitio; aut à *sinistro affectu erga Regnum Christi Jesu:* (etiamsi enim hæ causæ inter alias subsint; æquum tamen non est eas omnibus dissentientibus imputari:) sed primo quidem à præjudicio, alte infixo plerorumque animis; Diem adventus Domini ad Judicandum Vivos & Mortuos, & cum eo Finem rerum, non videri longam ejusmodi moram Sæculorum Mundi qualem hæc hypothesis supponit, ferre posse: deinde, quod sint ex Doctis Viris, qui huic hypothesi, per se simplici ac innocuæ, patrocinaturi, ei admiscuerunt aliena & incongrua; spemque hanc suam vel ad majora extenderunt quam conditio hominum in his terris permittit; vel explicando hanc hypothesin, perdiderunt ideam veri Regni Christi Jesu; idque rursus ex *spirituali* ac *cœlesti* fecerunt *terrestre* ac *carnale:* unde *Millenariorum*, qui sic dicuntur, hypotheses, antiqui & recentioris temporis; & infaustissima consequentia imperitorum vel dolosorum hominum, qui hac abusi sunt hypothesi ad illudendum simplicitati vulgi, ejusque corrumpendam imaginationem; excitandos motus ac seditiones; Populosque spe *Novi Regni* subtrahendos obsequio legitimorum Principum, & implicandos exitio: ut exempla tristia comprobarunt mox in ipsis Reformationis initiis. Tertio denique, inde repeto quorundam ab hac hypothesi alienum animum, quod ipsi huic sententiæ quædam adhæreant *obscura*, quorum difficile est expedire rationem. Et de cæteris quidem alibi animi mei sensum data opera declaravi [a]. Quod ad postremum hoc Observatum attinet; agnosco lubens, moveri hic posse dubia aliqua, non facile ex notitiis nostris hoc tempore solubilia, sed quæ tamen nullam involvunt contradictionem. quod hic sufficit. Obscuritas enim perceptionis quarundam hujus temporis circumstantiarum & accidentium, vel nascitur ex stupore ingenii nostri circa τὰ προφητικὰ recte capienda & inter se conferenda; vel ex defectu claræ revelationis omnium hujus temporis attributorum: quæ si imperitis occasionem dederint erroris; rem ipsam recte acceptam nullo gravant præjudicio. Cogitemus, fore DIEM, *soli Jehovæ perfecte notum.* [b]

De dubiis, quæ hic moveri possunt, admonitio.

Hypothesis per se spectata est *amabilis*, &

VII. Imo vero Rem ipsam per se spectatam, *probabilem* esse, ajo, & *amabilem.* Est enim probabile, Deum opus suum erga Ecclesiam in hisce terris aliquando esse consummaturum, & Regnum Filii sui aliquando exhibiturum in omni ea perfectione Status & *potentia*, quæ conditioni ejus in hisce terris congruere potest; ut hostes omnes ei subjiciantur; hæreditas terræ occupetur à Sanctis; & vera ac nativa forma & species *Sponsæ* Christi Jesu conspiciatur in omni suo decore, splendore, pulchritudine: de quo in *Anacrisi* modo memorata differui [c]. Ecquis vero eorum, qui Christum Jesum ejusque Regnum & Gloriam amant; non amet aut nolit potentem Regni Christi Jesu manifestationem? Quæ causa est hanc abjiciendi spem, si Verbum Propheticum nos tantum bonum sperare jubeat? Cur spem nostram contrahimus, ubi Spiritus eam explicat? cur minus speramus quam Deus promittit? cur non potius eam laxamus, ut promissis æquetur? An quod Deo desit potentia promissa exequendi ac repræsentandi? Num, quod voluntas? Apagesis, incredulitatem, Deo injuriam. Mutationes, in Mundum inductæ per Præconium Evangelii & Conversionem Gentium, & per Instauratam ante bina sæcula Religionem Christianam plane corruptam, Regna & Respublicas, Deo volente, tanta vi pervaserunt adversus contrarios nisus ac molimina Satanæ, ut miracula nulla unquam edita sint majora. Ubi Deus aliquid vult, circumstantiis omnibus ejus providentia ad effectum dispositis: opus Dei vi perrumpit ac enititur, haud secus ac fœtus secundum naturæ Leges conamine summo erumpit in lucem, ipso utero eum extrudente. Ita est, omne opus Dei est mirabile, nostra cogitatione longe superius. Solummodo hic cavendum est, α. Ne existimemus, hoc magnum Opus Divinæ Providentiæ & Gratiæ erga Ecclesiam turbaturum esse statum Naturæ ordinem, aut Cursum sæculorum. Totum hoc Opus erit *Spiritus S.* qui multo potentius influet in animos hominum, & hoc ipso producet insolita, ac mirabilia effecta. *Non vi, aut violentia, sed* SPIRITU MEO *efficietur, ait Dominus* [d]. Providentia Dei & cura ejus erga Ecclesiam singularis erit; sed ad Naturæ ordinem. β. Ne quicquam hic admittamus, quod pugnet cum vera Natura *Regni Christi Jesu spiritualis*; aut symbolica atque emblematica Prophetarum dicta à corporalibus rebus sumpta literaliter aut corporaliter interpretemur. Inciderunt in præjudicium hoc noxium Judæi, idque ipsis fuit exitio. à quo si sapimus, nobis cavendum est. Item, γ. Ne nimis μετεωρολόγοι cogitationes nostras de Statu hujus Regni efferamus supra communem mortalium in hisce terris sortem, acsi hic Status physicas imperfectiones, Naturæ humanæ adhærentes, aut imbecillitates optimis quibusque proximas, aut hypocrisin quoque omnem, excluderet. δ. Ne circumstantias omnes hujus temporis temerarie definiamus. Relinquamus *tempora & tempestates Deo*, cujus solius *subjecta* sunt *potestati.* ε. Ne arbitremur, Judæorum conversorum aliam sortem fore in Regno Dei, ac aliorum credentium. Unum erit Regnum, unus populus, χωρὶς διαιρέσεως; ut Regnum Christi Jesu primo revelatum fuit. Nulla hic Canaanæa, aliis terris sanctior: nulla Hierosolyma terrestris, sedes Regni Dei. De Templo autem & Cultu Rituali instaurando præjudicia plane sunt absurda & inepta, in quæ Docti etiam Viri impegerunt. Denique, ζ. Ne præcipite impetu nostro & consilio carnali hæc tempora velimus anticipare; quod multi jam infeliciter conati sunt. *Qui credit, non festinat.* Solummodo cura omnis studiumque nostrum eo convertendum est, ut nos tanta spe dignos geramus, vitamque & mores nostros ita componamus, ut præsentia magis respiciamus quam futura; nullumque negligamus officium, veri civis Hierosolymæ spiritualis ac cœlestis, cujus nos jam hoc tempore membra profitemur; ne exspectatio futuri temporis ullis nos privet bonis, ac privilegiis quæ Deus in præsenti omnibus gratiam suam serio ambientibus offert: interim apud Deum supplice prece instemus, ut *Regnum ejus veniat.* Habebam quod adde-

nihil non *possibile* infert; quin demonstratur esse *probabilis.*

Mirabiles; quas Ecclesia N. T. experta est mutationes status, fidem sustinent.

Temperamenta circa hanc hypothesin adhibenda.

Doctrina & animadversio moralis superiori commentationi instar Epilogi adjecta.

[a] *Anacrisi* ad *Apoc.* XX. §. LXVI. LXVII. [b] Zach. XIV. 7. Act. 1. 7. [c] §. LXV. [d] Zach. IV. 6.

adderem de *Converſione* Judææ Gentis, quæ horum temporum partem faciet notabilem; & addere ſtatutum erat: ſed video mihi non licere in hac *Commentatione*, ne limites ejus tranſgrediar.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIO QUARTA.

Sectio prior.

Dum Spiritus S. id agit, ut ſuperioris prophetiæ varias partes elucidet: introducitur illuſtris Perſona Meſſiæ, Filius Dei in carne, ſe manifeſtam faciens Judææ Genti, atque explicans Munus glorioſum ſibi ut Chriſto Dei à Patre mandatum, tum ut annunciaret promiſſam à longo exſpectatamque Patribus ſalutem præſentem cum mirabili Status Eccleſiæ mutatione: tum ut eandem Salutem præſtaret eamque mutationem actu efficeret. Adeſt Chorus Propheticus, qui effecta hujus Apparitionis Meſſiæ amplius enarrat; inter quæ effecta rurſus ſub figuratis emblematibus deſcribitur Vocatio Gentium, Judæis *fidei cauſſa* ſubjiciendarum. Quando ſub finem Eccleſia ipſa, hæc Beneficia adepta, ſenſu præſtantiæ eorum affecta, & gaudio Spiritus S. delibuta, ſe animo effert ad Deum ob hanc bonitatem ac gratiam ſuam celebrandum, lætitiamque animo conceptam, diſerte explicat.

CAPUT LXI.

Textus Cap. LXI.

1. SPiritus Domini Jehovæ eſt ſuper me, propterea quod unxerit me Jehova ad bonum nuncium ferendum manſuetis: miſit me ad obligandum confractos corde; ad promulgandum captivis libertatem, & vinctis viſum acutiſſimum.

2. Ad proclamandum annum complacentiæ Jehovæ, & diem vindictæ Dei noſtri: ad conſolandum omnes lugentes.

3. Ad exhibendum lugentibus Tſionis, ut iis detur ornatus capitis pro cinere; oleum gaudii pro luctu; amictus laudis pro ſpiritu obtuſo: Et appellabuntur quercus veræ; planta Jehovæ ad condecorandum.

4. Et ædificabunt deſolata antiqui temporis: vaſtata priſci ævi inſtaurabunt. renovabunt, inquam, civitates vaſtatas; Deſolata multarum generationum.

5. Et ſtabunt peregrini, & paſcent greges veſtros; & alienigenæ erunt agricolæ veſtri, ac vinitores veſtri.

6. At vos Sacerdotes Jehovæ appellabimini; Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis. Copia Gentium veſcemini, earumque gloria vos efferetis.

7. Pro pudore veſtro duplici, & pro eo quod cantarent, Ignominia eſt portio eorum: propterea in terra eorum duplum poſſidebunt; gaudium iis erit æternum.

8. Quia Ego Jehova diligo jus; odi raptum in holocauſto; faciamque ut operæ pretium illorum verum ſit; & fœdus perpetuum iiſcum pangam.

9. Et celebre erit inter Gentes ſemen ipſorum; & propagines illorum in medio populorum. Omnes qui illos viderint, agnoſcent illos; hos videlicet eſſe Semen Jehovæ benedictum.

10. Summe gaudeo in Jehova; exultat anima mea in Deo meo; quia induit me veſtibus ſalutis, pallio juſtitiæ amicivit me: ut ſponſus ſibi applicat ornatum; & ſicut ſponſa quæ ſe exornat mundo ſuo.

11. Quippe ſicut terra profert Germen ſuum; & ſicut hortus ſata ſua facit effloreſcere: ſic Dominus Jehova progerminare faciet Juſtitiam, & laudem coram omnibus Gentibus.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *ſectionis.*

PRopheta, à Spiritu ductus ad Expoſitionem uberiorem *ſuperioris Concionis Propheticæ*, ſecundum diverſas ejus partes; per extaſin mox huc raptus, mox illuc: ſiſtit hic in initio illuſtrem aliquam Perſonam; tum ſub nomine PROPHETÆ ac Doctoris ſummi à Deo unctì ad *Evangelium* Dei, hoc eſt, Nuncium de Beneficiis Gratiæ omnibus, olim ardenter expetitis ſperatiſque, tanquam nunc præſentibus & adductis, prædicandum: tum ſub ſpecie OECONOMI ac Diſpenſatoris benigni eorundem illorum beneficiorum gratiæ, tanquam *ſuorum*, ſuoque arbitrio diribendorum; in quo ſchemate *primi verſus* hujus *Concionis* decurrunt *a*. Inde Chorus Propheticus diſertius explicat, tum *Effecta* illuſtria quæ ab hoc Populo Chriſti Jeſu, *Evangelii* hujus *Objecto*, & *beneficiorum* gratiæ Divinæ *Subjecto*, unctionis hujus participe facto, in *renovando Mundo*, & occupanda hæreditate Gentium, exſpectanda eſſent *b*; tum *Privilegia*, quibus tanquam conſequentibus operæ locatæ in convertendis Gentibus, mactus redderetur *c*: ſiquidem Deus, qui verum ac ſpiritualem cultum abſque hypocriſi amat, *duplum* illis rependeret, & tam notabilibus characteribus gratiæ ſuæ hoſce Diſcipulos Chriſti Jeſu inſigniret, ut Gentes eos agnoſcerent tanquam *benedictos* à Deo, ejuſque *benedictionem* ad alios transfundentes *d*. Eccleſia interim affecta tantæ gratiæ Divinæ ſenſu & à Spiritu S. ad lætitiam excitata, hunc ſenſum lætitiamque ſuam veluti exultabunda confitetur *e*, hujuſque lætitiæ ſuæ fundamentum libere ediſſerit. *f*

II. *Scopum* prophetiæ hujus ex argumento ejus intelligis παρακλητικὸν *Conſolatorium*. Directa integra eſt ad conſolationem eorum qui inter Judæos exſpectabant Regnum Dei; ex quibus Chriſtus Jeſus ſibi pararet Popu- *Scopus ejus.*

a ℣ſ. 1–3. *b* ℣ſ. 4. *c* ℣ſ. 5. 6. *d* ℣ſ. 7–9. *e* ℣ſ. 10. *f* ℣ſ. 11.

Populum, mittendum in hæreditatem Mundi. Hi homines, ſemen Populi Chriſti, licet pauciores numero, faciunt primum objectum omnium conſolationum, quarum fœtus eſt hic prophetiarum Liber. Per illos enim Gentes inſerendæ erant Abrahamo, & participes evaſuræ promiſſorum ei factorum.

Occaſio editæ hujus prophetiæ.

III. *Occaſio* editi hujus *Sermonis* petenda eſt, ut opinor, ex *Sermone* ſuperiore; quo cum Spiritus S. ex hypotheſi noſtra percenſuiſſet Eccleſiæ fata, ab initio uſque ad finem temporum: viſum ipſi eſt Prophetam ſic inſtruere, ut quaſdam illius prophetiæ partes diſtinctius explicaret: quod ipſum, utique quod ad Sectionem hanc noſtram, quoque vidit Calvinus. Patet certe, in ſequenti Vaticinio uſque ad finem Libri, eaſdem res & *phraſes* quoque, quæ in *ſuperiore Concione*, ſive *Elenctica*, ſive *Paracletica* ſpectes, occurrunt, ſæpius repeti & novis *figuris* illuſtrari: ut inde ſatis liqueat, eſſe hanc *Concionem* circa idem tempus editam, quo ſuperiorem; &, quod ſuppoſui, ad præcedentem partibus ſuis illuminandam, facere & à Spiritu inſtitutam eſſe.

Scena ejus.

IV. *Scena* hic non eſt uniformis, ſed variat. Primam *Sectionis* hujus partem ſibi vindicat *Meſſias* ut Doctor magnus, Oeconomus Domus Dei, ſe Eccleſiæ præſentem exhibens, & beneficia gratiæ in omnes eorum cupidos, conferens, ℣ſ. 1. ſeqq. Intervenit *Chorus Propheticus*, latius ediſſerens Populi hujus Chriſti Jeſu privilegia, ℣ſ. 4. ſeqq. Denique ipſa *Eccleſia*, his beneficiis donata, & ſtatu ſuo præſente læta, inducitur, hanc Status ſui felicitatem & ex eo conceptam animo lætitiam celebrare, ℣ſ. 10.

Età Analyſis.

V. Secundum hanc ſcenam componenda eſt *Analyſis*. Complectitur itaque *Sectio* hæc noſtra

Primo, ORATIONEM MESSIÆ, verſati in carne, præſentiſque Populo ſuo, ei explicantis veram cauſſam ſuæ *unctionis* & *miſſionis* in Mundum; quæ ſit, *prædicare Evangelium*, & bona eo promiſſa actu in eum *conferre*, ℣ſ. 1--3.

Secundo, ORATIONEM CHORI PROPHETICI, explicantis,

α. *Effecta* Populi Meſſiæ, in ſibi ſubjicienda hæreditate Gentium, ℣ſ. 4.

β. *Privilegia* inſignia eum ubique comitatura,

(a.) *Abſolute* expoſita, ℣ſ. 5. 6.

(b.) *Comparate*, reſpectu Status & Temporis antecedentis, ℣ſ. 7--9.

Tertio, ORATIONEM ECCLESIÆ,

α. *Gloriantis in Domino*, & ſe excitantis ad lætitiam, adſcripta ratione, ℣ſ. 10.

β. Illius *gloriationis* gaudiique ſui explicantis rationem, ℣ſ. 11.

PARS PRIMA hujus *Sectionis*, complexa ORATIONEM MESSIÆ, explicantis rationes ſuæ *Unctionis*, & *Miſſionis in Mundum*; nimirum ad *prædicandum Evangelium*, & *bona* eo oblata *danda* Populo Credentium.

Pars prima, complexa orationem Meſſiæ, explicantis rationes Officii, ſibi à Patre mandati.

℣ſ. 1. *Spiritus Domini Jehovæ eſt ſuper me, ſeqq.*] Si hypotheſis in *ſuperiore Concione* interpretanda recte à nobis jacta ſit: non eſt dubium, quin hic jure initium faciamus novæ Concionis, ſiquidem initium ejus cum initio temporis gratiæ connectatur; *ſuperior* autem terminetur in extremo ejuſdem temporis gratiæ. Ipſum quoque σχῆμα nos ad id invitat. Siſtit enim ipſe Meſſias ſe hic præſentem, tanquam Doctorem & Cauſſam gratiæ, longum deſideratæ; uſus præfatione huic argumento aptata: quæ orationis figura non cohæret *Sectione* proxime ſuperiori. Quare ſecundum exempla Cap. XLII. & Cap. XLIX. in quibus idem σχῆμα occurit: Novæ hic orationis Exordium facimus. Eadem mihi ratio fuit, terminandi hanc Concionem in *Capite ſequenti*. Quippe in hoc *Capite* Meſſias ſe conſpiciendum offert ut DOCTOREM Evangelii ac *Diſpenſatorem* bonorum gratiæ: ſed Cap. LXIII. introducitur ut HEROS, Bellator, qui hoſtes ſuos cruento prœlio tantum quod proſtraverat; quæ prophetia pertinet ad alteram partem Concionis *ſuperioris* illuſtrandam: ubi tamen, fateor, tanta neceſſitas non urget. Verum eſto id cujuſque arbitrio ac ſaniori judicio relictum. nemo enim hic gravius errare poteſt. Utique certus ſum ſententiæ, haſce prophetias quæ ad finem Libri currunt; circa idem fere tempus conceptas; ac *ſuperiori Concioni* ſubordinatas; & non niſi per *figuras* ſive σχήματα, orationem variantia, diſtingui. Prima *Sectio* hujus Concionis ejus eſt argumenti, quod explicui. Altera ipſa quoque Populo Dei læta ſimilis generis annunciat; ſed quibus maxime gauderet poſtquam defuncta eſſet nubiloſis temporibus, pleniorem Manifeſtationem Regni Dei præceſſuris: ut ibidem, μετὰ Θεῦ διδόντος, videbimus.

Relpectus hujus Concionis ad ſuperiorem.

Concio eſt nova, cujus ſcena figitur in initio temporis gratiæ.

Quo tendant Concionis ſequentes, & quomodo ſuperiori ſubordinentur?

Perſona, quæ hic loqui introducitur eſt MESSIAS.

Secundum argumentum hujus *Sectionis* noſtræ, à me exhibitum; *Prima parte* hujus Pericopæ, comparet hic ipſe MESSIAS, Filius Dei factus Filius hominis; quæ prima hypotheſis hic admittenda eſt. Judæi Intt. hic JESAIAM reſpiciunt, perinde ac Chaldæus: ſuntque ex Exegetis medii & recentioris ævi, qui *Jeſaiam* hic non excluſerunt; vertiturque etiam ab aliquibus Calvino noſtro in invidiam, quod cæteros Prophetas & Apoſtolos quoque, in *Capite* & *Principe* ſuo, Chriſto Jeſu, cenſendos, hic loci non excluſerit. Conſtitit ſapienti Viro, qui hic aliquid indulgendum cenſuit Judæis, ſua ratio; qui ſi hic ab aliquibus intemperantis ſtyli hominibus, cum ipſo nec ingenio nec doctrina comparandis, forte acrius refellatur, inepte iis dicitur *egregie vapulare*, ut Vir quidam Doctus. Cenſeo tamen prudentius & verius hic de *ſola Perſona Chriſti Jeſu* cogitari, ut verborum emphaſin non infringamus. Dominus Jeſus ipſe apud Lucam [a] hunc locum evolvens & explicans in Synagoga Nazarethena, ſe demonſtravit eximium, in quo prophetia hæc implementum nacta ſit. Attributa autem, ſecundum vim phraſios accepta, oſtendunt ipſum *Nuncium* bonorum, non futuri ſed præſentis temporis, eorumque bonorum diſpenſatorem; ut ſane Judæi, qui Jeſaiam hic vaticinantem faciunt de *Bonis*, huc uſque non adductis, ſed demum cum Liberatione ſua ex præſenti exilio adducendis, præter rationem hic de Jeſaia cogitent. Quis præterea neget, Pericopas Propheticas Cap. XLII. 1. & Cap. XLIX. 1. in quibus Meſſias ἐξόχως ut magnus Doctor Judæorum & Gentium deſcribitur, huic noſtræ analogas eſſe? Sit igitur JESAIAS Propheta εὐαγγελικὸς, & geſſerit *imaginem* Prophetæ JESU: perſonæ tamen ejus magis conveniebat magnifice loqui de *Meſſia*, quam de *ſe*. Pericopa autem hæc noſtra directe facit ad illuſtrandam *Pericopam* ſuperioris *Concionis* Cap. LV. 1. 4. 5. coll. cum Cap. LII. 7. & LIII. 1. Complectitur autem, α. *Propoſitionem*, qua ſibi Meſſias luculentum aliquod *attributum* vindicat, nimirum, *eſſe ſuper ſe Spiritum Domini*, ℣ſ. 1. β. *Propoſitionis* Rationem; quam late explicat: ſc. quod *unctus* ſit ad inſignia quædam officia, à Deo ſibi mandata, ad quorum executionem requirebatur copioſus influxus Spiritus S. Sic enim cum τῷ κοινῷ Interpretum accipio dictum Prophetæ, *Spiritus Domini Jehova eſt ſuper me*; יען משח יהוה אותי PROPTEREA QUOD *Jehovæ me unxerit*. Ita Hieronymus, *eò quod*, eumque ſequuta potior Interpretum pars cum Coccejo: tum quoque cum Chaldæo Hebræi, Aben-Ezra & Kimchius. Sed Græca Interpretatio, quam ſequutus eſt Lucas [b], exhibet, Πνεῦμα Κυρίε ἐπ' ἐμὲ ὃ ἕνεκεν ἔχρισέ με· *Spiritus Domini ſuper me:* CUJUS REI CAUSSA *unxit me*. Secundum quam verſionem, τὸ, *Eſſe Spiritus S. apud Meſſiam*

Diverſa judicia, & inprimis Calvini.

Judæorum hypotheſis de hac prophetia.

Analogia Vaticinia Meſſiam demonſtrant.

Hujus Sectionis σχέσις ad ſuperiora.

Pericopæ ejus primæ analyſis.

Vera notatio vocis יען quæ hic recte vertitur per propterea.

Verſio τῶν ὁ. & Lucæ & de ea Judicium.

[a] Cap. IV. 21. [b] Cap. IV. 18.

Messiam, esset antecedens Caussa impulsiva *Unctionis*; *Unctio ipsa* illius *Consequens* & *Effectum*: cum contra in Versione nostra, *Unctio* sustineat Locum *Causse*; & *Spiritus Dei super Messiam*; *Consequentis* aut *Effecti*. Videri quoque possent Masorethæ faviſse huic interpretationi, quod fixerint *accentum distinctivum majorem Atnach*, in fine sententiæ: *Spiritus Domini Jehovæ super me*. Non eo inficias, posse sententiam sic acceptam commodum sensum dare, si *Unctio* hic simpliciter sumatur, non pro *designatione* ad munus; sed pro *unctione*, liceat dicere executoria, quæ ipsa est *missio* ad munus administrandum; ut mox additur, MISIT ME *ad obligandos fractos corde*. quæ ratio est quod Lucas verba τῶν ὁ. hic integra reliquerit: nec tamen nos eam ob caussam in hoc similibusque locis aliis ex Versione τῶν ὁ. transcriptis ab ipsius originalis textus inspicienda emphasi abducere voluit. Christum enim par est credere, verba hæc Hebraice vel Chaldaice recitasse: de quo mox pluribus. Utique cum οἱ ὁ. eosque sequutus Lucas, hic semel tantum dent nomen Κύριος DOMINUS, dum in Hebræo textu nomen יהוה *Jehova* bis, & nomen אדוני DOMINUS, semel legatur: id nobis minime obstat, quominus textum Hebræum integrum, ut legitur, explicemus. Nec erat adeo hic necesse Viro Doctissimo confugere ad *Veterum Hebræorum morem*, verba Scripturæ à se allegata, *prolixiora* solitorum *abbreviare*; cum ille mos non Hebræis tantum, sed omnis generis Scriptoribus receptus sit; & Lucas hic solummodo allegarit verba τῶν ὁ. Rationes autem, quare vocem יען hic potius vertam cum aliis, *propterea quod*, acsi esset, יען אשר, & non simpliciter, *propterea*, sunt, α. Quia hæc usitatissima est vocis significatio. β. Quia id magis congruit rei ipsi. *Unctio* enim Christi Jesu secundum ordinem & naturam rerum prior est ea ejus *qualitate*, qua *Spiritus Jehovæ super ipsum esse*, dicitur. Ideo enim recepit *Spiritum Jehovæ*, quia *unctus*, hoc est, sanctificatus erat ad munia illa Evangelica, quæ hic recensentur; & actu ipso illis Officiis inauguratus, *accepit Spiritum S.* uberiore mensura. quod cuique intellectu facillimum est. Quod autem Masorethæ accentum *Atnach* fixerint in fine *primi membri:* hæc certa ratio subest, quod alio loco eum figere non possent. Reliqua enim ita cohærent, ut ab invicem divelli nequeant. Solent autem hunc *accentum* passim in omnia *commata* inducere, (paucis exceptis,) ac proinde sæpius locare in ejusmodi *membris*, quibus distinguendis minores distinctionum notæ sufficerent. Quibus suppositis, ordine verba relegam, & interpretabor.

Quæ libertas circa versionem τῶν ὁ. in Libris N. T. allegatam, concedi queat.

Alia differentia exigua.

Rationes quæ suadent, יען hic rectius verti *Propterea quod*.

Punctaturæ Masorethicæ ratio.

SPIRITUS DOMINI JEHOVÆ EST SUPER ME.] Propone tibi Christum Jesum hæc verba loquentem, postquam per Baptismum officio publico, & quidem ipsi illi officio quod hic describitur, à Joanne inauguratus, solenniter acceperat *Spiritum S.* super ipsum descendentem *specie columbæ* [a]. De eo Joannes Baptista idem [b]: *Quem Deus* MISIT, *verba Dei loquitur.* οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα· *Neque enim* EX MENSURA *Deus dat* (sc. ipsi) *Spiritum.* Etiamsi enim *tota plenitudo Deitatis* in ipso *habitaverit* [c]; & ab utero Matris *sanctificatus* sit à Spiritu S. ut esset σκήνωμα *Tabernaculum Naturæ Divinæ*, τὸ Ἅγιον τοῦ Θεοῦ· SANCTUM ILLUD DEI [d]; & etiamsi idem *Spiritus S.* affectus actionesque ejus *sancti Pueri Jesu* rexerit atque administraverit usque ad tempus illud, quo Muneri suo publice initiatus est, triginta circiter annos natus: est tamen par credere, hoc ipso tempore, quo à Joanne Muneri suo solenniter initiatus est, majore lumine, & copia omnium Donorum Spiritus S. illum perfusum esse, quam ante; ut *Spiritus* S. illum totum *obsederit*, occupaverit, & intellectum, operationemque Facultatium animi omnem direxerit: quæ vera vis est phrasios, *esse super aliquem.* Phrasis in Historicis Libris Scripturæ de Spiritus S. hos illos homines *valide* afficiente, eosque *occupante*, est recepta usu; & omnium primo occurrit in historia Mosaica, ubi agitur de *Spiritu* qui super Mosen erat, communicando cum *Senioribus* [e]. Significat, Spiritum quem instar columbæ expansis alis tegere & obumbrare; totum occupare; & tanquam in *loco quietis* tenaciter ei adhærescere. Ezechiel, mutata phrasi, passim dicere solet, MANUM DEI SUPER SE FUISSE [f]; & quidem *valide fuisse* [g]. Qui enim à Spiritu Dei eum in modum *afficiebantur:* toti hoc tempore erant in potestate Dei & Spiritus ejus, & ab ipso arcte circumscribebantur. Qualis autem hic fuerit *Spiritus*, quorumque Donorum auctor & effector in Messia, vidimus late ad Cap. XI. 2. Chaldæus hoc loco: *Dixit Propheta:* רוח נבואה מן קדם יי׳ אלהים עלי SPIRITUS PROPHETIÆ *à coram Jehova Deo super me est.* quod Judæi Intr. avide arripiunt. Perperam sane, ex mente Paraphrastæ. Non excluditur quidem hic *Spiritus prophetiæ:* sed *Spiritus*, qui hic memoratur, est SPIRITUS EVANGELII, ut ipse Jesus Messias explicat; h. e. subserviens prædicationi & Ministerio Evangelii. qui Spiritus dicitur DOMINI JEHOVÆ; h. e. Dei Patris, à quo Filius Dei, *caro* factus, Spiritum Dei debuit *accipere*; & accepit initiatus *officio*, & deinceps *collocatus ad dextram Dei in excelsis* [h]: cui *Patri* tanquam DOMINO vere & Oeconomice fuit subjectus, cuique se obligaverat ad obsequium humillimum ac servile: quique *Pater* Deus *donationem* Spiritus S. debebat Ecclesiæ, se in *Filio* hac etiam parte demonstraturus JEHOVAM. Quid? Ubi Messias Jesus hic κατ' ἐπίτασιν dicit, *Spiritus Domini Jehovæ est* SUPER ME; quid obstat quominus sensum laxemus, quantum potestas vocum permittit, ac latissime expandamus. Docet, Spiritum ita *apud se* esse & *quiescere*, ut nemo hujus *donationis* Spiritus S. evadere queat particeps, nisi *per ipsum.* Ipse hoc Spiritu instruit τὰ πάντα τῆς Ἐκκλησίας. Plura non addo, rem eandem commentatus ad Cap. XLII. 1. ubi verba Dei Patris ad Messiam: *Ecce, Servus meus quem sustento; Electus meus, in quo mihi complaceo*; נתתי רוחי עליו *Dedi* SPIRITUM MEUM SUPER IPSUM. coll. cum Cap. XI. 2.

Unctio Messiæ ad *Officia:* quorum *primum* est, EVANGELIZARE.

PROPTEREA QUOD UNXERIT ME JEHOVA AD EVANGELIZANDUM MANSUETIS.] Sic interpungenda sunt verba secundum Masorethas; idque sepositа Masorethica *punctatura* facile cui ex lecto contextu persuadeatur: sed Hieronymus terminavit sententiam in verbis, *unxerit me:* sequentia transtulit ad secundum membrum; in hunc modum: *Eò quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, & seqq.* Contra vero, sic interpungenda est sententia: *Eò quod unxerit me ad Evangelium prædicandum mansuetis: misit me ad obligandos confractos animo.* Errori, licet non gravissimo, errorem dedit, ut opinor, Versio Græca, quam hic sequutus est Lucas, quæ hoc tempore ita interpungitur: οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με. εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με. Sed omnino mihi persuadeo, ipsam quoque hanc distinctionem, vitio eorum, qui distinctionum notas imposuerunt, in hunc locum inductam esse. Nihil enim vetat, ita distinguere, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς· ἀπέσταλκέ με ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν. Sic omnia integra; & inter Lectionem Hebræam & Græcam perfecta intercedit conformitas. Ad rem ipsam, quæ hic ponitur, quod attinet: nihil habet impediti. *Unctio Messiæ respectu Filii Dei* significare potest *sanctificationem & destinationem* Filii Dei [i] ad Munus Mediatorium factam in Consilio Dei [k]; sed eam significationem obtinere nequit respectu *humanæ* Christi *Naturæ*. *Unctio* in Christo homine tum facta est, ubi Deus eum certum fecit de suo *Consilio*, quo eum destinaverat *Mediationi*; & simul in Christum hominem contulit

Aliquem esse dicatur?

Phrasis Ezechielis cum hac collata.

Spiritus Messiæ qualis?

Quo sensu *Spiritus Jehovæ?*

Summa emphasis phrasios. *Spiritus* ita super *ipsum* fuit, ut nemo nisi per ipsum Sp. S. evadere potuerit particeps.

Unctio ejus ad Evangelizandum.

Animadversio ad distinctionem sententiæ.

Hieronymi interpunctio non probatur.

De Versionis Græcæ interpunctione idem Judicium.

Unctio Messiæ quo sensu hic sumenda sit?

Respectu *Unctionis* ratione *Divinæ* & *Humanæ* Naturæ Messiæ.

Posterior explicatur.

Verba, *Spiritus Domini Jehovæ est super me.* Sunt, Christi Jesu per *baptismum* inaugurati Muneri suo quæ ex Evangelio declarantur.

Quo sensu Sp. S. *super*

M m m m m Dona-

[a] Matth. III. 6. [b] Joh. III. 34. [c] Col. II. 9. [d] Luc. I. 35. [e] Num. XI. 25. [f] Cap. I. 3. [g] Cap. III. 14. [h] Act. II. 33. [i] Prov. VIII. 23. [k] Joh. X. 36. 1 Pet. I. 20.

Donationem Spiritus S. qua eum huic tanto Muneri aptum fecit. Confer 1 Sam. x. 1. 6. xvi. 13. Atqui Spiritum S. habuit à puero: sed vere & proprie *unctus est*, primo quidem, per uberrimam *Collationem* & *Donationem* Spiritus S. factam solenniter quando initiatus est Muneri Prophetico & Mediatorio per Joannem; de quo modo loquebamur: deinde, *Regio* ac *Pontificali*, ubi locatus est ad dextram Patris in cœlis, perfusus est ac delibutus gaudio gloriæ, & accepit *Spiritum* quem daret Ecclesiæ [a]. *Unctio* enim facta est tum in qualiscunque subjecti *designatione* & *ordinatione* ad munus honestissimum sub Oeconomia Vetere: tum in *inauguratione* solenni, qua quis Muneribus illis initiabatur, ut exemplum est in Aharone [b], & Salomone [c]. Estque ritus peractus *oleo*, tanquam symbolo verissimo Donorum Sp. S. de quo videbis Cap. x. 27. Et hæc quidem à nostris docte atque accurate exponuntur suis locis; ubi sanctum Nomen משיח Χριστὸς Unncti, quod in proprium Servatoris nostri transiit, interpretantur. Hebræi quoque ipsi juxta cum Chaldæo hic loci monent non esse cogitandum de *externo oleo*, aut *unctione*; sed de *institutione*, *ordinatione*, *evectione* in munus honorificum. Sic ipse quoque Chaldæus, חלף דרבני יתי יי *Propterea quod evexerit me Dominus in hanc dignitatem.* (Int. vertit, *Unxerit me.*) quo sensu vocem de *Cyro* habuimus, Cap. xlv. 1. Id tamen inest in potestate Vocis, ut notet Eos qui *ungi* dicuntur, censeri à Deo ad hanc illam dignitatem *sanctificatos*, *ad Deum* pertinere atque ab ipso eum in finem necessariis dotibus *instructos* esse; & quidem (in Oeconomia Ecclesiæ,) à *Spiritu Dei*. *Unctio* inferebat participationem *Spiritus S.* Quanto autem *officia* sunt nobiliora ad quæ quis *ungitur*: tanto majorem Spiritus S. copiam *unctio* adfert. unde nexus, *Spiritus Domini Jehova est* SUPER ME, quia *Jehova me unxit*. Sunt vero *Officia* hic, ut jam præmonui, nobilissima; quorum primum, בשר ענוים *Bonum nuncium* adferre (*evangelizare*) *mansuetis*; Lucæ rectissime, Εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς *Evangelium nunciare pauperibus*. Vox בשר per se idem Hebræis valet quod Εὐαγγελίζεσθαι, ut monui & declaravi ad Cap. lii. 7. ubi ex professo hac de re actum. *Bonus* ille *nuncius* est Nuncius Remissionis *Peccatorum*, & Libertatis: ut ex re ipsa inspecta; & phrasibus cæteris hujus loci; & typis Annorum *Sabbathici* ac *Jubilæi*, quisque facile colligat. *Pauperes* autem τοῖς ὁ. & Lucæ, hic dicuntur, qui Jesaiæ ענוים πραεῖς MANSUETI. In quo nihil plane vitii aut erroris. Primo enim, ubi de *Populo Dei*, aut de *Populo Messiæ* mentio est, notiones עניים *Pauperes*, subacti & ענוים *mansueti*, ejusdem etymi, & una tantum litera in Enunciatione differentes, ubique à Scriptoribus Sacris confunduntur. De *mansuetis*, ut Populo Messiæ, vidimus luculentum locum Cap. xi. 4. Sed eosdem Jesaias vocat עניים *pauperes*, Cap. xlix. 13. coll. cum Ps. lxxii. 4. Secundo, quia hæ notiones in spiritualibus eandem obtinent significationem, eundemque dant sensum. *Pauperes* enim, *inopes*, *egeni*, utique sic dicuntur respectu status sui spiritualis, quod sint πτωχοὶ τῷ πνεύματι, *pauperes spiritu* [d]. h. e. modestissime de se sentiant, persuasi de indigentia *justitiæ* Dei, & *gratiæ* ejus sub Oeconomia Messiæ *manifestandæ*, cum abnegatione justitiæ Operum; quæ persuasio excludit fastum, superbiam, iracundiam, cupiditatem vindictæ; contra vero in animum inducit eam virtutem quæ *mansuetudo* dicitur; sub qua subaudies laudatissimam compositionem animi, ex sensu Divinæ gratiæ humilis ac modesti; ad omne officium *charitatis* propensi; & injurias facile transmittentis. Res itaque eadem est. Hi vero *pauperes*, *subacti*, *mansuefacti*, gravati animo, ad gratiam Divinam adspirantes, propriissimum faciebant objectum Εὐαγγελισμᾶ *Evangelii*. His *languidis* & præ desiderio pene enectis adfertur Verbum Gratiæ Remissionis Peccatorum ac Libertatis: qui *Nuncius* vere *bonus* est. Hanc vero *tantam salutem* primo annunciare præsentem; erat *Domini* Jesu [e], ad id à Patre uncti; idemque ipse Discipulis demonstrat *suum* esse characterem [f], ex quo cognosci possit ac debeat esse verus Messias. Καὶ πτωχοὶ Εὐαγγελίζονται· Et pauperibus Evangelium prædicatur. Respicit Dominus hunc locum, hæc verba nostra.

Hebræi hic non hærent in *unctione externa*.

Unctio vera infert communicationem Sp. S.

Officium primum, *Bonum nuncium ferre mansuetis*.

Notio vocis בשר *Evangelizare*.

Usus vocis ענוים *Mansuetorum* & *Pauperum* de *Populo Messiæ*.

Notiones *Pauperes* & *Mansueti* in spiritualibus eundem exhibent sensum

Virtutum illarum *cognatio*.

Mansuetudo spiritualis describitur.

Proportio *Mansuetorum* ad *Evangelium*.

Alterum: *Sanare fractos corde.*

Misit me ad OBLIGANDUM CONFRACTOS CORDE.] *Evangelium* est verbum *Gratiæ* ac *Libertatis*, ut modo dicebam. Nullus enim Mundo jucundior nuncius est; nullum verbum delectabilius, Verbo *Gratiæ* ac *Libertatis*. Ergo cum Messias in genere dixisset, se *unctum esse ad* Evangelizandum: declarat hoc *membro* & *sequenti* qua re consisteret hic *bonus nuncius*; nimirum, esse Verbum *Remissionis peccatorum*, & *Libertatis*. De *remissione peccatorum*, hoc *membro*: de *Libertate*, in sequenti. Ita est, *Obligare fractos corde* est homines dejectos prostratosque animo ex conscientia damnabilitatis meritique sui ex peccatis contracti *erigere solatio* spe certa gratiæ remissionis peccatorum. id unum enim verbum aptum est solatium adferre afflictis animo. *Fracti animo* & *contriti* sunt animo summe humiles, depressi, dejecti, ex sensu peccati commissi; de quo egi ad Cap. lvii. 15. *Obligare* hic est *sanare*; metaphora sumpta à *contusis* quæ ad sanationem obligantur. Poëta Dei [g]: *Qui* SANAT *fractos corde*; & OBLIGAT *dolores illorum*. Inde vides quam recte phrasin hic acceperint οἱ ὁ. ubi verterunt, Ἰάσασθαι τὰς συντετριμμένας τὴν καρδίαν, SANARE *contritos corde*. quos proin Lucas hic non deseruit. cur enim Lucæ non sint, quod vellet Grotius; solida ratio dari nequit. consentiunt enim hic passim Codices Græci. Chaldæus non perinde feliciter interpretatus est metaphoram; ubi vertit, לתקפא לתבירי לבא *Ad confortandum* CONFRACTOS *corde*. Similitudo enim hic non est sumpta à fractura orta ex debilitate; sed à *contusione* sive *contritione* membrorum integrorum facta *plagis* quæ dant vulnera; *obligatione* tegenda, lenienda, sananda. Est, ut jam monui, Verbum ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν· Remissionis peccatorum perfectæ, in qua credentes summam asseverationem habent Divinæ gratiæ; qualis *Remissio peccatorum* à Messia, soluturo λύτρον, ad afflictos animos consolandos, primum omnium applicaretur. Signa ejus ἀφέσεως sunt, *Ablatio jugi*, *Spiritus Adoptionis*, *Hæreditas Mundi*. Symbolum est in Verbis Domini [h]: Ἀφέωνταί σοι οἱ ἁμαρτίαι σου. Quin sane Christus Dominus non tantum esset portator *Nuncii Verbalis* Remissionis peccatorum: sed ejusdem beneficii *effector* & auctor, *Remissionem peccatorum* & vitam æternam in lucem producturus [i]: de quo officio & beneficio Messiæ egi ad verba Cap. liii. 5. *Et ipsius vibice nobis facta est* SANATIO. nec non ad Cap. vi. 10. [k] Hoc unum Verbum *adductæ Justitiæ perfectæ*, quod est Verbum ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, omnem consolationem comprehendit: omnem gratiam involvit: omnem sitim animæ explet; redditque ei serenitatem integritatemque suam. Christus vero Jesus illud applicans ad animas afflictas se præstat *Medicum* vel *Chirurgum*, balsamo vulnera animæ afflictæ lenientem [l]. Confer Jer. viii. 22.

Obligare confractos corde.

Nexus hujus articuli cum superiore.

Beneficium explicatur.

Obligare hic loci valet *sanare*.

Parallelon Lucæ.

Qualis *Remissio peccatorum* hic intelligatur?

Amplior adhuc vis phrasios indicatur.

Tertium: *Missio in Libertatem.*

Ad promulgandam captivis libertatem, & vinctis VISUM ACUTISSIMUM.] Hebræa extremi membri habent, ולאסורים פקח-קוח: in quibus usus est novæ notionis פקחקוח. Sunt de ea, missis hariolationibus aliis infrunitis, sententiæ duæ, satis inter se cognatæ; quarum neutra quicquam trahit de absurdo. Prima est, esse compositam vocem ex פקח *aperire*, & קוח *carcer*, ex לקח *capere*: ut vel sit nomen quod valeat *aperturam carce-*

Promulgare captivis libertatem, & vinctis visum acutissimum.

Notio פקח-קוח singularis in h. l.

---

[a] Act. 11. 33. Ephes. iv. 10. seqq. [b] Lev. viii. 12. [c] 1 Reg. i. 31. [d] Matth. v. 3. [e] Heb. ii. 3. [f] Matth. xi. 5. [g] Ps. cxlvii. 4. [h] Matth. ix. 2. [i] 2 Tim. i. 10. [k] Confer Ps. cxli. 5. ciii. 3. [l] Matth. ix. 12.

Duæ de ea ſententiæ. Prior vertit, *Aperturam carceris*, vel, *Aperi carcerem.* Altera, *Aperturam pleniſſimam*, vel *viſum acutiſſimum.*

carceris; vel verbum nomini junctum, *Aperi carcerem:* quæ ſententia eſt apud Jarchium, & Kimchium quoque. Prius probabilius; & Chaldæus tamen vocem quoque per modum *Imperativi* accepit, PRODITE IN LUCEM. Altera ſententia ſtatuit, unam eſſe vocem thematis originarii פקח, duabus *radicalibus* poſterioribus emphaſios cauſſa geminatis, ut ſi פקח notet *aperturam*, פקח-קוח valeat *aperturam pleniſſimam*; *viſum acutiſſimum:* quæ ſententia eſt Aben-Ezræ, proferentis exempla ſimilia geminatarum *ſecundæ & tertiæ*, in vocibus סחרחר ROTATUR: (ſic legitur apud ipſum; ſed forte ſcripſit, utique ſcripſiſſet rectius, שחרחרת *ſubnigra.* vult enim, vocem פקח-קוח eſſe *nomen:* ſed סחרחר eſt *Verbum.* eſt autem geminatio hæc in *Verbis*, præſertim formæ *Piël*, uſitatior:) ארמרם *Rufus:* ירקרק *ſubviride.* Quæ ſententia rem totam hoc tempore diligentius meditanti verior videtur; & nullam plane dubitationem relinqueret, ſi abſque hiatu ſcripta eſſet, פקחקוח. Sed id leve eſt. קוח nullibi ſignificat *carcerem*; & vox פקח ſumitur paſſim, ſtylo Scripturæ, pro *apertura ſenſuum*, ut mox videbimus. Quis vero ſenſus voci ſubſit, clarius intelligemus ex verbis Lucæ cum iis comparatis. Sunt autem hæc: Κηρύξαι αἰχμαλώταις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν· ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει. quæ ita ſunt accipienda, ut primum membrum: Κηρύξαι αἰχμαλώταις ἄφεσιν· *prædicare captivis dimiſſionem:* recta reſpondeat Hebræis, לקרא לשבוים דרור. Poſterius autem membrum Hebræum à Luca reſolvatur in duas ſententias, cum vere gemina in Hebræis lateret poteſtas. Hebræa ſunt, ולאסורים פקח-קוח *Et vinctis* APERTURAM. Verterunt Græci, Καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν *Et cæcis viſum.* Plane docte & ad rem. Vox enim פקח *apertura* ſtylo Scripturæ Sacræ de *oculis* uſurpatur, & nonnunquam quoque de *auribus. acutum* videntes, aut audientes, *oculos* aut *aures* dicuntur habere נפקחים *apertos.* Habuimus vocem Cap. xxxv. 5. xlii. 20. Vates Sacer [a]: יהוה פקח עורים *Jehova aperit cæcos.* h. e. cæcorum oculos perſpicaces reddit. Unde -פקח קוח, intenta ex geminatis poſterioribus radicalibus ſignificatione, eſt *acutiſſimus viſus*, ut recte Cl. Coccejus: perſpicaciſſimus viſionis ſenſus. Itaque אסורים *vincti*, Interpreti hoc loco ſunt *cæci*, tanquam *oculis* CAPTI, Latina phraſi; quippe quibus *liber* non eſt oculorum uſus; & *captivi* vincti paſſim aſſervantur in tenebricoſis carceris locis. Sed quia Hebræa פקח-קוח *Apertura lata*, & אסורים *Vincti*, latiorem videbantur admittere poſſe ſignificationem, quippe ſubjicientia cogitationem de *apertura carceris & miſſione in libertatem*, de quo hic agitur: altera adjecta eſt interpretatio, ab ipſo opinor, Luca: Ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει· *mittere confractos in libertatem.* quæ apud τὸν ὁ. hic non extant: licet phraſis, ἀποστέλλειν τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, legatur Cap. lviii. 6. Quod ſi tenueris: nihil te amplius offenderit in hoc loco, varias experto Doctorum hominum curas, nec tamen perinde probandas [A]. Videamus de re ipſa. Phraſis, PRÆDICARE, (proclamare,) *captivis* LIBERTATEM: deſumpta eſt ex Ritu Jubilæi. id enim ipſum eſſe quod Vates noſter in oculis habet, liquet ex *commate ſequenti*, *Ad proclamandum annum acceptum Domini.* Sic habent verba Legis [b]: *Et ſanctificabitis annum quinquageſimum, &* PROCLAMABITIS דרור LIBERTATEM *in terra omnibus ejus incolis.* Idem apud Jeremiam occurrit Cap. xxxiv. 8. ſeqq. de dimiſſione *Servorum Hebræorum* quæ fiebat annis Sabbathicis. Unde intelligimus, per שבוים *captivos* in hoc loco ſimul intelligi *ſervos.* Id vero ipſum animadverſum nos ducit ad verum ſenſum Jeſaiæ. Intelligenda eſt *libertas* ſpiritualis analoga *libertati*, ad quam vocabantur *Servi* Hebræi annis Sabbathicis & Jubilæis: ut qui hic cogitant de Liberatione ex Exilio Babylonico, non capiant ſenſum ſententiæ. *Liberatio* enim Populi ex Exilio Babylonico non fuit figurata per *Jubilæos*, aut *Sabbathicum.* Quin Chriſtus Jeſus hæc verba recitans apud Lucam [c], in hunc modum loquutus fertur, *Certe hodie impleta eſt hæc Scriptura audientibus vobis.* Ergo impleta hactenus non erat in Liberatione ex Exilio Babylonico. *Libertas*, de qua hic mentio fit, eſt *ſpiritualis*, captivitati aut *ſervituti ſpirituali* oppoſita. Intellige igitur hic loci jingens illud Beneficium LIBERTATIS GLORIOSÆ *filiorum Dei* [d], in quam ſuos aſſeruit verus Aſſertor Meſſias: quod tam reſpicit *Statum ipſum* Libertatis ſpiritualis, quam *Affectum* animi, huic Statui reſpondentem. Omnes Judæi à Chriſto Jeſu vindicandi *ſervi* erant *Legis Moſaicæ*, & Lege illa circumſcripti ac veluti ergaſterio *concluſi*, συγκεκλεισμένοι [e]: quem ſtatum comitabatur animus *anguſtus*, arctatus, ſervilis; à *conſcientia peccati* preſſus, non auſus ſpirare perfectam libertatem. Pejore multo conditione erant inter Judæos à Chriſto Jeſu redimendos *filii & filii Abrahæ*, ὃς ἔδησεν ὁ Σατανᾶς *quos vinxerat Satanas* [f]; non tantum *ſervi Legis*, ſed & *ſervi Peccati*, δουλεύοντες τῇ ἁμαρτίᾳ, quod ad ſtatum ſuum exteriorem conditione pœnitenda. His Chriſtus Jeſus *prædicavit libertatem*, non hoc tantum ſenſu quod ipſe *Præco* eam præſentem nunciaverit; ſed quod veram *Libertatem filiorum Dei* à *Peccato* & *Lege* ſuis procuraverit ac actu præſtiterit. Apoſtolus ad *Galatas* [g]: *In libertate igitur*, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε *qua Chriſtus nos liberavit*, (in quam Chriſtus nos aſſeruit,) *perſtate.* Ipſe Dominus ad Judæos [h]: *Si Filius vos in libertatem vindicavit*, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε· VERE LIBERI *eritis.* Ergo Judæi hoc tempore ὄντως VERE erant *ſervi.* Sic Apoſtolus [i]: LEX SPIRITUS VITÆ *qui eſt in Chriſto Jeſu* (Spiritus vitæ eſt in Chriſto nos obligans per modum *Legis*, ad aliquid faciendum vel negligendum,) LIBERAVIT ME *à Lege peccati & mortis.*

Poſteriori accedimus. Comparatio ejus cum verſione Lucæ. Græca verſio quæ vocem per ἀνάβλεψιν *viſum* vertit, laudata. Uſus vocis, פקח in Scriptura S. *Vincti* hoc loco vocantur *cæci.* Adjunctio apud Lucam, *Mittere confractos in libertatem.* Ejus reſpectus. Phraſis, *Prædicare libertatem*: deſumpta ex uſu Jubilæi, illuſtratur. Intelligitur *Libertas ſpiritualis.* Reſpectus verborum Domini, Luc. iv. 21. Libertas illa deſcribitur. Qua emphaſi accipiendum, quod Chriſtus D. hanc *libertatem prædicaverit.* Chriſtus D. hujus beneficii auctor.

a Pſ. cxlvi. 8. b Lev. xxv. 10. c Luc. iv. 21. d Rom. viii. 21. e Gal. iii. 23. f Luc. xiii. 16. g Gal. v. 1. h Joh. viii. 36. i Rom. viii. 2.

A Dubium nullum hic moveri poteſt, niſi ad verba Lucæ, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει. Hæc enim ſola ipſius ſunt: reliqua leguntur apud Interpretem Alexandrinum. Demonſtravi, nihil vitii eſſe, ea tribuere Lucæ: qui perſpiciens Hebræa majorem emphaſin admittere poſſe; hæc verba adſcripſerit. Beza tamen pronior fuit in ſententiam; fuiſſe à Librario adſcripta ad Editionem τῶν ὁ. & inde irrepſiſſe in contextum Lucæ: quod dici patior, certe multo dicitur ſpeciosius, quam quod Schickardus, (*Bechin. Happer.* p. 21.) *Lectionem hanc Sabbathinam Chriſti Domini apud Lucam, nec Hebræo, nec Græco contextui congruere* ſtatuat, *ſed potius Chaldæo; unde probabile exiſtimat, ex aliquo tunc extante, & vulgo intelligibili Targum recitatum eſſe.* quod abſque cenſura tranſmittit Waltonus, uſum τῶν Targumim commendaturus, in *Prolegom. Polyglott.* Cap. xii. §. xvi. Fruſtra ſane. conveniunt enim Græca Hebræis, & tranſſcripta ſunt à Luca, ut paſſim facit, ex Græca verſione τῶν ὁ. hoc uno *membro* excepto, quod notavi. Vir Doctiſſimus, qui cum laude ſua commentatus eſt ad loca, quæ ex Veteri Codice in Novo allegantur, cenſet duo loca Jeſ. lxi. 1. & Jeſ. xlii. 7. hic in unum conflata; quod Hebræis Doctoribus in more fuiſſe docet. Certe Scriptoribus N. T. & præſertim Paulo id inſolens non eſſe, largior; ſive hic morem ſui temporis ſequutus ſit, ſive ex ingenio ſuo fecerit: perinde habeo. nihil enim in eo vitii eſt. Sed hic loci id uſum habuiſſe, minus videatur probabile, quia Chriſtus Jeſus locum Jeſ. lxi. 1. ex Libro ſecundum Ritum Synagogæ prælegiſſe dicitur; & exceptis illis verbis, de quibus cum maxime ago, in illo Jeſaiæ textu omnia ordine exhibentur; ipſa autem hæc verba ad Jeſaiana rectiſſime quoque referuntur: & vero non habentur totidem verbis Cap. xlii. 7. Ait Vir Doctus, *Hebræa*; לפקוח עינים עורות להוציא ממסגר אסיר מבית כלא ישבי חשך *ad aperiendum oculos cæcos, ad vinctum ex clauſtro educendum, ex domo carceris ſedentes in tenebris*, ſic reddidiſſe Lucam: Κηρύξαι αἰχμαλώταις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει· *ad prædicandum captivis remiſſionem, cæcis viſus recuperationem, atque ad confractos dimittendum in remiſſione.* Sed utique nihil in his Græcis eſt, quod reſpondeat Hebræis, ex Jeſ. xlii. 7. *ad prædicandam captivis remiſſionem*: ſed Hebræa his reſpondentia ſunt planis & claris verbis, in hoc noſtro loco Cap. lxi. 1. לקרא לשבוים דרור *Ad prædicandum captivis libertatem.* quæ eſt ἄφεσις *remiſſio*, ut mox videbimus. Deinde alterum membrum, *cæcis viſus recuperationem*, recta reſpondet Hebræis in hoc loco noſtro Cap. lxi. 1. ולאסורים פקח־קוח: ut ſupra demonſtravi. Quod vero ad *tertium membrum* attinet: *Et ad contritos mittendum in remiſſione*, ut Vir Doctus; ſive in *libertatem*: ſenſus quidem is latet in loco Jeſ. xlii. 7. (quem locum non nego huic analogum eſſe:) ſed verba & phraſis ibidem non extant: quare multo facilius dictu eſt, adjecta hæc eſſe verba ad Hebræi dicti vim perfecte explicandam. Cum enim in verbis Jeſaiæ, VINCTORUM dicantur *aperiri oculi*; non CÆCORUM, ut dicendum videbatur; atque eo ſatis pateret, Jeſaiam *una* phraſi nobis voluiſſe ſubjicere notiones *duorum* Beneficiorum; videliçet, *Aperturæ Oculorum*, & *Liberationis ex carcere*; quarum notionum prior ſolummodo extabat apud τὸν ὁ.: Lucas hæc verba adjecit ad perfectiorem ejuſdem dicti intelligentiam.

Excellentia hujus beneficii.

Hoc beneficium gratiæ eſt ampliſſimum; & ſub Oeconomia Nova junctum affectui animi liberi, qualis eſt nobilium ac generoſorum hominum; ſive qualis eſt *filiorum familias* cum reſpectu ad *ſervos familias*, dum *Spiritus filii* in corda credentium emittitur [a]. Hic Spiritus dilatat ac expandit eorum animum, ut tanquam *utres recentes Novi Vini*, h.e. novi Status gratiæ ejuſque privilegiorum, capaces ſint [b]. Confer dicta ad Cap. LII. 2. ubi de hoc argumento ſub phraſi *captivæ filiæ Tſionis* in *Libertatem* aſſerendæ, egi. Partem hujus *Libertatis* facit *apertura oculorum*; conjuncta cum *miſſione* ἐν ἀφέσει pro εἰς ἄφεσιν *in remiſſionem*, (ita accipienda hoc loco præpoſitio ἐν;) ſive in *libertatem*. Solent enim οἱ ὁ. vocem דרור *Libertas* proclamanda Jubilæis vocare ΑΦΕΣΙΝ. Sic in Lege Moſaica [c]: Καὶ διαβοήσετε ΑΦΕΣΙΝ ἐπὶ τῆς γῆς πᾶσι. Emblema hic petitum eſt à *captivis* qui tenebricoſo carceri incluſi, nihil plus vident in tenebris quam ſi capti eſſent oculis; & dum oculi eorum luce non paſcuntur, *viſum* ſenſim perdunt. Eſt character temporis gratiæ, Prophetæ jam celebratus & à nobis expoſitus, Cap. XXIX. 18. XXXV. 5. XLII. 7. *Lux* hic intelligitur blanda, jucunda, conſolatrix, eaque copioſa & fulgentiſſima, cognitionis viarum Dei, gratiæ illuminantis ac lætificantis, amplitudinis ac certiorationis ſpei ex cauſſa ſalutis præſente, contradiſtincta *tenebris* ignorantiæ, mœſtitiæ, anguſtæ conſcientiæ, incertitudinis *ſpei* ſuperiorum temporum tam reſpectu Judæorum quam Gentium, quo fuerant ſtatu. *Oculi* vero ad hanc lucem accommodati, perſpicaces, acutum cernentes, eam avidiſſime hauſturi, hic ſunt facultates animæ lucis hujus ſpiritualis capaces. Gentes ad communionem Bonorum ſpiritualium in Chriſto Jeſu perductas, hanc expertas eſſe mutationem, nemo negaverit: ſed *Judæorum* num eadem conditio? An illi quoque conſederunt in *tenebris*, tanquam *cæci*, clauſi *carcere*, *vincti* ligatique? Reſpondeo, ita ſe rem habere ſecundum ſtylum Scripturæ S. de ſtatu *Judæorum* ſub Lege, tanquam ſtatu ſervitutis, metus, conſcientiæ peccati, mœſtitiæ, deſiderii, ſpei, cum reſpectu ad Statum illuminationis, Libertatis, fiduciæ, gaudii, conſolationis Spiritus S. & copiæ Bonorum cœleſtium, quæ privilegia ſunt Oeconomiæ Novæ, loquentis. Status Oeconomiæ Novæ eſt ſtatus *lucis*, quod *cauſſa ſalutis* cum omnibus ſuis characteribus & attributis clariſſime demonſtrata præſens adſit. Eſt ſtatus *ſenſus* & *fruitionis* bonorum diu deſideratorum: qui ſenſus, quæque fruitio, diſpellunt nebulas & animum viva replent conſolatione. quod ipſum Eccleſia declarat ỳſ. 10. & 11. unde liquet de *ſpiritualibus* hic *beneficiis* agi, non de *corporalibus*. Uno verbo, *Lux* hic eſt *Lux ſalutis*, *Libertatis*, & *gaudii* ſpiritualis, ab illuminatis oculis cupide hauſta, & ſenſu ipſo percepta. cætera leges ad loca, ſuperius deſignata.

Apertura oculorum, huic Beneficio juncta. Ἐν ἀφέσει Lucæ pro εἰς ἄφεσιν.

Quare *captivi* ſpectentur ut *cæci*?

Beneficium ipſum explicatur.

Cujus lucis hic ſit reſpectus?

Oculi ſpirituales quales ſint?

Quo ſenſu *Judæi* huc uſque fuerint *in tenebris*?

Status Oeconomiæ Novæ eſt ſtatus *Lucis*.

Quartum: *Promulgare Jubilæum Sacrum*, & *Vindictam* hoſtium.

Quartum officium: *Promulgare Jubilæum Sacrum*, &c. ỳſ. 2.

ỳſ. 2. *Ad* PROCLAMANDUM ANNUM COMPLACENTIÆ JEHOVÆ, *& Diem vindictæ Dei noſtri; ad conſolandum omnes* LUGENTES.] Continent quæ hic dicuntur *primo membro*, *confirmationem* ejus, quod *ſuperiori commate* dictum erat: ſed expoſitionis gratia, reſtringuntur beneficia gratiæ, hic promiſſa, ad vera eorum *ſubjecta*, hoc eſt, ad *lugentes Tſionis*: excluſis hac gratia omnibus, qui tantam ſalutem ſibi oblatam negligentius haberent, aut ſe Evangelio Filii Dei obſtinate opponerent, (quales hoſtes Regni Dei extituros eſſe, Spiritus prænoverat:) quippe quibus à magno hoc Præcone gratiæ denunciaretur *ira* & *vindicta Dei*: quæ denunciatio ipſa quoque partem facit *Evangelii*, late ſumpti pro *Doctrina Meſſiæ*. Dominus hanc pericopam tractans in *primo membro* ſubſtitit, quod Lucas plane vertit, Κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν. magis proprie quam οἱ ὁ. καλέσαι. Quod apud Lucam plus eſt in *Vulgato*, quam in *Textu Græco*: haud dubie adſcriptum eſt ex Jeſaia. Monui jam, *primo* hoc *membro* confirmari & illuſtrari, quod in *ſuperiori* dictum erat. Cum enim *Præconium Evangelii*, non tantum *verbale*, ſed & *reale*, quo bona allata ſic prædicantur, ut tanquam *præſentia* ſiſtantur & exhibeantur, reſtringeretur ad duo beneficia primaria *Remiſſionis peccatorum*, & *Libertatis*: utriuſque ſymbolum erat in *Anno Jubilæo*; ad quem dubium non eſt Prophetam hic alludere, in phraſi, *Promulgare annum complacentiæ Jehovæ*. Sic hic vertenda vox ליהוה. præfixa enim ל hic habet notam *poſſeſſivi*; ut in pluribus locis aliis. *Annus* רצון *acceptationis*, *bonæ voluntatis*, εὐδοκίας, *complacentiæ* eſt tempus *perfectæ gratiæ*: ſive, tempus quo Deus ejuſmodi beneficia gratiæ Populo ſuo exhibet, in quibus habet argumenta clariſſima perfecti amoris ac gratiæ Dei *placati* ac *propitii* erga ſe: Tempus quo Deus Populo ſuo reconciliatus, eum acceptum habet in gratia; quo *gratiam* diſpenſat abſque ira; & certiſſimis ſignis teſtatum facit, ſe Populo ſuo *benevelle*, eſt רצון עת *tempus complacentiæ*, ut dicitur Cap. XLIX. 8. quod ibidem exponitur per יום ישועה DIEM SALUTIS. Judæi hoc loco explicant de *tempore* גאולה *Redemptionis*: quod recte ſe habet. Plura ad illum locum collatum cum 2 Cor. VI. 2. adſcripſi quæ nos ducunt ad interiorem phraſios conſpectum. Solummodo quæri poteſt, ecquæ vis ſit in phraſi ANNI *complacentiæ Jehovæ?* Scripſerat enim Jeſaias in analogo loco, TEMPUS *Benevolentiæ Jehovæ*. Reſpondeo, ſi quis dicere velit, peculiarem emphaſin nullam teneri hac phraſi: facile poſſe tueri hanc ſententiam, ut voce *annus* ſimpliciter dicat deſignari tempus circumſcriptum, & limitibus ſuis præfinitum. alii addunt, *longius*. cum reſpectu ad *vindictam*, cui DIES tribuitur: quod aliqua ſe ſpecie commendat, & non prorſus ſperno: ſed ſi phraſis latiſſime ſumatur, ne id quidem hic ſubintelligendum eſt. *Annus* enim & *dies* in hac phraſiologia inter ſe permutantur. Sic in loco Cap. XLIX. 8. רצון עת TEMPUS *benevolentiæ* & יום ישועה DIES *ſalutis*, idem valent. Supra in prophetia de Edomo [d]: *Quia* DIES *erit vindictæ Jehovæ*: ANNUS *retributionum*. Rurſus infra [e]: *Quia* DIES *vindictæ eſt in corde meo*, *&* ANNUS *Redemptorum meorum venit*. Quod cum Veteris Eccleſiæ plures Doctores, licet Hebræarum Literarum plerique ignari, facile potuiſſent obſervare: paradoxum merito videatur, illos ex hoc ipſo loco inſtituiſſe colligere, Chriſtum Jeſum per *unum* tantum *annum* in Munere publico eſſe verſatum. Clemens Alexandrinus [f]: Καὶ ὅτι ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρύξαι, καὶ τοῦτο γέγραπται ἔτους, Ἐνιαυτὸν δεκτὸν Κυρίῳ κηρύξαι ἀπέστειλέ με· *Et quod* PER ANNUM TANTUM *ipſum oportuerit prædicare*, *id quoque ſic ſcriptum eſt*: ANNUM ACCEPTABILEM DOMINI PRÆDICATUM MISIT ME. à quâ hypotheſi licet poſteriores Sæculo III Doctores Græci jam inceperint diſcedere: invenit tamen ea Sæculo ſuperiore Patronum Doctiſſimum & optimi cætera Criterii in Gerh. Joh. Voſſio; nimis tamen prudente, quam ut in hac phraſiologia fundaverit ſententiam, paucis placituram & ex Evangelio Joannis falſi convincendam. Ὁ μοψήφος Clementis in Doctoribus Græcis ac Latinis adſcripſit Oxonienſis [g]; & apud Chronologos, hoc dubium diſputantes, ubique reperies. Ergo, ſi qua emphaſis hic latet in voce ANNUS: petenda eſt ex *Anno Jubilæo*, ad quem hic alluditur. Inde ſumpta locutio, לקרא שנת רצון ליהוה AD PROMULGANDUM ANNUM *benevolentiæ Jehovæ*. Lex Moſaica [h]: *Et* (poſtquam numeraveris ſeptem hebdomadas annorum,) *tranſire facies buccinam clangoris*, *menſe ſeptimo*, *decimo Menſis*, DIE EXPIATIONUM; *tranſire facietis buccinam per totam terram veſtram*; *& ſanctificabitis annum quinquageſimum*, וקראתם דרור בארץ *&* PROCLAMABITIS LIBERTATEM IN TERRA. Fuit autem in *Jubilæo* viva ac perfecta deformatio Status

Conſideratio loci Lucæ analogi.

Præfixa ל in voce ליהוה habet ſignificatum *poſſeſſivi*.

Quid ſit *annus complacentiæ Dei*?

An hic peculiaris aliqua emphaſis quærenda ſit in voce *annus*?

Voces *annus* & *tempus* apud Prophetam alternantur.

Veterum error ex hoc loco colligentium *annum* Chriſti Jeſu Miniſterium. Locus Clementis Alexandrini.

Ad eam hypotheſin animadverſio.

Poteſt hic præcipue reſpici ad Annum Jubilæum.

Cujus rei figuram geſſerit *Jubilæus*?

a Gal. IV. 1. 4. &c. b Matth. IX. 17. c Lev. XXV. 10. d Cap. XXXIV. 8. e Cap. LXIII. 4. f Strom. Lib. I. §. XXI. g Rev. D. Potterus. Epiſc. Oxon. in noviſſima, Edit. Clem. p. 407. h Lev. XXV. 9.

Status rerum & temporis Oeconomiæ Novæ. Erat annus *quietis*, *libertatis*, (ipſis quoque illis *ſervis*, qui Sabbathicis annis ex ſervitute exire recuſaverant, hoc tempore, neceſſario emiſſis liberis,) *remiſſionis debiti*, & *fundorum* patriorum veris ſuis Dominis, à quibus alienati erant, *reſtitutorum*: quibus *annis quietis* tam *hominum*, quam *terræ*, ſponte ſua producentis fruges omnibus communes, Deus promiſerat ſingularem benedictionem. Promulgabatur autem hic annus ſive *Buccina* ſive *Tuba*, (quod nunc perinde habeo;) per tota caſtra, hoc clangore reſonantia. Et quidem *ipſo Die* EXPIATIONIS; ut intelligeremus, eſſe *annum* רצון *benevolentiæ* Dei PLACATI AC PROPITIATI SACRIFICIO expiatorio, à magno *Pontifice* oblato, & verorum Iſraëlitarum hoc Sacrificium reſpicientium fide, pœnitentia, precibus, votis comitato. quam emphaſin vocis רצון *Complacentia*, acceptatio, obſervare jam memini Cap. XLIX. 8. Refer hæc attributa ad Tempus Eccleſiæ N. T. & ſenties, imaginem inter & illius antitypum, per omnia exacte convenire. Videbimus ipſum illud eſſe quod Jeſaias nondum ex oculis dimiſerat ỳſ. 4. Inde enim petendus nexus ejus quod ibi dicitur, cum *ſuperioribus*. Compara jam, quæ de myſtica ſignificatione anni Ἀφέσεως REMISSIONIS ſcripſi in *Obſervatis* Sacris [a], ſi putes, te in argumento facillimæ inveſtigationis ampliore luce indigere.

Attributa hujus *anni*.

Comparanda attributis temporis Gratiæ.

Huic tempori *gratiæ* jungitur DIES VINDICTÆ *Dei noſtri*, ex conſenſu totius Verbi Prophetici, eventu & experientia huc uſque comprobati. Docent enim Prophetæ omnes, cum vulgato ac promulgato Verbo Evangelii plures hoſtes, Judæos primo; dein Gentes, à Satana concitatos, ſe oppoſituros eſſe *Regno Filii Dei*, veri Meſſiæ, omni virium, poteſtatis, auctoritatiſque ſuæ, contentione, conamine, ſubſidiis: inde maxime formidabile omnium hoſtium, *Regnum Beſtiæ myſticæ*, paraturum eſſe Eccleſiæ materiam longæ luctæ, certaminum, & tentationum fidei difficillimarum: ſed omnes illos hoſtes tractu longi temporis à Chriſto Jeſu eſſe debellandos, proſternendos, & ſibi ſubjiciendos eſſe: luctam autem hanc terminandam eſſe in terribili demonſtratione Divinæ iræ, facienda extremo tempore, quando Deo viſum fuerit Eccleſiam ſuam à ſcandalis purgare, & perdere vaſtatores Orbis. de quibus eventis ſecundum ductum prophetiarum diſſerui ad Cap. XI. 4. ubi Propheta noſter id jam anticipaverat. *Judicium*, quod Deus exequutus eſt in Judæos rebelles, Apoſtolico *ad Hebræos* dicitur φοβερὰ κρίσις *tremendum judicium*, & ἐκδίκησις VINDICTA [b]; in qua ille *inchoatum* implementum quærit prophetiæ Moſaicæ, Deut. XXXII. 35. 36. Utique hoc Judicium, ſi quod aliud, imo magis quam ullum aliud, vere conſpiciendum fuit omnibus notis ac characteribus *iræ* Dei *exterminantis*, ac *perdentis*, ſeveritatiſque Ejus tremendæ; Domino ipſo atteſtante [c]. Sed extrema hanc periodum clauſura non minus erunt terribilia; ſecundum imaginem hujus Judicii, quam Vates pingit in prophetia de *Edomo myſtica*, non inſpicienda abſque horrore, Cap. XXXIV. 1. ſeqq. & Cap. LXIII. 1. ſeqq. cui reſpondet Apocalyptica de *Lapſu Babylonis* [d]. Character ejus eſt: *Quia* DIES VINDICTÆ *Jehova eſt: annus retributionis, ad vindicias agendas Tſionis*. Sed nos de eo nuper ad Cap. LIX. 17. 18. Quicquid horum eſt judiciorum, hic complexe ſumitur; ſed *primum* & *extremum* κατ' ἔμφασιν reſpiciuntur. Confer ex Odis Davidicis pluribus, luculentas illas Cap. L. 1. ſeqq. XCIV. 1. ſeqq. Hic vero magnus Præco ſalutis humani generis non deſuit ſuo officio. Extant ipſius Denunciationes Propheticæ horum Judiciorum in *Sermonibus* ejus, ſive planis, ſive Parabolicis, in Evangeliis, non ſemel jam in medium productæ; præter *Apocalypſin*, ipſius JESU CHRISI Revelationem, quæ omnium horum *Judiciorum*, quibus hoſtes Evangelii ferirentur, textum longa ſerie enarrat. Sed *prædicare* Chriſti non eſt nudum *prædicare*, verum etiam prædicata efficere. Ipſe præco & ſalutis auctor ſuis, ſimul eſſet horum judiciorum executor; eumque characterem paſſim ſibi vindicat [e]. Utrumque vero hoc præconium faceret ad CONSOLANDOS OMNES LUGENTES, ſc. indolentes ſcandalis ſuorum temporum; & *Tſionis* cauſſa valde ſolicitos, unde mox ỳſ. 3. appellantur *lugentes Tſionis*; mœſtos afflictoſque animo ob dilatum implementum promiſſorum gratiæ, quod ardenter deſiderabant; pœnitentes peccatorum, ſibi diſplicentes, & humili animo ad majorem gratiam ſanctimoniæ anhelantes; qui nobis hoc nomine jam innotuerunt Cap. LVII. 11. Eſt inter characteres Populi Chriſti, ut liquet ex Matth. v. 4. *Beati οἱ πενθοῦντες* LUGENTES, *quia recipient conſolationem*. ubi Dominus hunc locum noſtrum in oculis habet. Hos *conſolatur* Deus, ubi illis repræſentat promiſſa bona Fœderis; certos facit de gratia ſua; vocat ad *Remiſſionem peccatorum* ac *Libertatem*; ſeparat ab Eccleſia adulterina in qua *Nomen Dei blaſphematur*; mittit in hæreditatem Gentium; eorumque vindicias publice ſuſcipit. Sed de his nos monent ſequentia.

Demonſtratio Divinæ iræ in hoſtes Eccleſiæ ſub Decon. Nova.

Judicium Dei in Judæos Evangelio immorigeros.

Illius character.

Aliud ei ſimile in *Edomum* myſticam.

Verba Prophetæ complexe ſumenda.

Chriſtus D. hæc judicia prænunciavit.

Prædicere Chriſti eſt *efficere*.

Lugentes qui ſint? Horum conſolatio.

Locus Matth. v. 4.

Quintum: *Diſpenſare Populo* Electo affectiones animi huic *Statui* analogas.

ỳſ. 3. *Ad* EXHIBENDUM *lugentibus Tſionis*, *ad* DANDUM IIS *ornatum capitis pro cinere*; *oleum gaudii pro luctu*; *amictum laudis pro* SPIRITU OBTUSO.] Ergo non *Præco* tantum eſſet Meſſias, ſed & *Diſpenſator* gratiarum Dei; cum beneficiis gratiæ in animis Populi producturus affectiones, his beneficiis analogas: intellige *Dona Spiritus S.* quæ hæc beneficia comitarentur. Obſervas gradationem in ſententia, *ad exhibendum* ſive *ad ponendum*: (לשום) *ad dandum*. *Ponere* minus eſt quam *dare*. *Ponere* eſt exhibere & in publico exponere: *dare* ſimul eſt in manus dare vel *applicare*. *Quibus* vero, & *quid? Lugentibus Tſionis*, ait Spiritus. Non pertinet itaque promiſſum indiſcriminatim ad omnes; ſed ad *Populum lugentium in Tſione*, qui in *Tſione* ſive in *Eccleſia* cæteris cohabitantes, cum multitudine carnalium hominum non gaudebant, aut acquieſcebant beneficiis externis Divinæ Providentiæ; ſed anxii animo & vera ſalutis ſuæ ac publicæ cura affecti, tum ſibi diſplicebant ſuiſque indolebant vitiis, majoris gratiæ cupidi; tum vero magnam animi ægritudinem colligebant ex ſcandalis ſuorum temporum, ſeveritatem Judicii Divini in Populum provocantibus [f]. Phraſis enim vel ſignificare poteſt, *lugentes in Tſione*, hoc eſt, qui ſuperſunt in Tſione; vel, *lugentes Tſionis cauſſa*, qui Cap. LXVI. 10. appellantur *lugentes propter Hieroſolymam*. Sed non opus eſt dividere quæ in *Subjecto* concurrunt. confer modo dicta, & explicata ad Cap. LVII. 18. LX. 20. His *lugentibus*, tanquam ſubjectis veræ gratiæ capacibus, ſibi diſplicentibus, humilibus, manſuetis, dejectis animo, *poſiturum* ſe, ait, hoc eſt, repræſentaturum, & *daturum*, פאר תחת אפר *Ornatum capitis* PRO *cinere*. Hoc primum membrum eſt. Sentis παρονομασίαν in vocibus פאר PEBER, & אפר EPHER; tanto hoc in loco ſpecioſiorem quanto inter utramque rem major oppoſitio ac differentia intercedit. Vocabulum פאר *ornatus*, ſolum etiam abſque adjecto epitheto, notat κατ' ἔμφασιν *ornamentum capitis*, abſque diſcrimine ſexus; quam ſignificationem hic loci certiſſimam facit σποδὸς *cineris* in caput ſpargi ſoliti. Propheta *mundum muliebrem* deſcribens, hoc ſenſu voce uſus jam fuit, Cap. III. 20. confer dicta à me hac de re Cap. LV. 5. LX. 9. ubi monui, Populorum Orientalium in *capite* decore *ornando* ſummum fuiſſe ſtudium. Confer Ezech. XXIV. 17. 23. Erant autem *faſciæ* puri lini circumvolutæ circa caput, eam in formam ut videri poſſent *candidam coronam* referre. unde Hebræis veniunt nomine צניף *Cidaris*, *tiara*. Chaldæus hoc loco כליל CORONA. ut pariter Hieronymus. conſer

Quintum, Diſpenſare Populo De affectiones animi, huic ſtatui reſpondentes, ỳſ. 3.

Summa ſententiæ.

Gradatio in ea obſervabilis.

Uſus notionum *ponere* & *dare*, h. l.

Lugentes Tſionis, Subjectum hujus Gratiæ, preſſius deſcribuntur.

His datur ornatus pro cinere.

Paronomaſia in verbis.

Ornatus hic notat *Ornamentum capitis.*

Quid hic loci myſticæ ſignificet?

[a] Lib. IV. Cap. IV. §. VII—IX. 64. Luc. XIX. 27. Matth. XIII. 41. [b] Heb. X. 27. 30. [c] Matth. XXIV. 21. [d] Cap. XVIII. 1. ſeqq. [e] Vide Matth. XXVI. [f] Conſer Ezech. IX. 4.

fer Ezech. XVI. 12. Hic loci per *ornamentum capitis* ſpirituali ſenſu intelliges charismata Spiritus S. quæ ſuperiores mentis facultates perficiunt; ut ſunt *Scientia*, σύνεσις *prudentia & intelligentia ſpiritualis*, *fides*, διάκρισις πνευμάτων, *dona prophetiæ*, *miraculorum*, *precum*, & his proxime cognata: quorum ſedes eſt in intellectu, judicio, ratione, & facultate eloquii inde pendente. Hæc charismata, primis credentibus magnum conciliarent decus atque ornamentum; facerentque, ut excuterent triſtitiam, extollerent caput, ſe erigerent ex pulvere & cinere, quippe ex beneficiis hiſce clariſſime convicti de amplitudine ac certitudine Divinæ gratiæ. Alterum: *Oleum gandii pro luctu. Oleum gaudii* eſt *lætitia* orta ex *ſtatu glorioſo*, ut ſumitur Pſ. XLV. 8. Etiamſi enim *oleum* externe ad corpus admotum, ei conciliet agilitatem alacritatemque: *gaudium* tamen proprie non cauſſatur, niſi *oleum* illud quo quis unctus inauguratur excellentibus officiis, veluti *Regio* aut *Pontificali*: quæ cauſſa eſt quod Scriptor *ad Hebræos*, locum Pſ. XLV. 8. reſpiciens, *gloriam* à Chriſto Jeſu poſt παθήματα adeundam χαρὰν *gaudium* vocet [a]. Senſus itaque dicti eſt, Credentes *luctum*, in quo hactenus deſederant, commutaturos eſſe cum glorioſo ſtatu *Regum* & *Sacerdotum ſpiritualium* [b], tanquam *unctionis* ipſius participes factos. Non nego interim, alludi quoque poſſe ad *oleum*, quo in Epulis aut Feſtis temporibus, aut ad decus formæ conciliandum, perfundebantur, qui ad lætitiam aut hilaritatem vocabantur; de quo egi ad verba [c]: *Et lætitia æterna ſuper caput illorum.* Confer ex hac ipſa *Sectione* ℣. 7. *Et lætitia æterna iis erit.* Utique *lætitia* hæc & alacritas eſt *ſpiritualis*, orta ex clariſſimis ſignis ac certa perſuaſione Divinæ Gratiæ, à Spiritu S. in animis credentium excitata, character Regni Dei [d], & Status cœleſtis, ſtabilis, æquabilis, in quem Credentes hac Oeconomia temporis evecti ſunt. *lugentes* autem *oleo* uſos non eſſe, liquet ex hiſtoria prudentiſſimæ Thekoitidis [e]. Tertium: *Amictum laudis pro ſpiritu obtuſo.* Vident hic, ad ſpiritualia ſtupentes, agi de beneficiis animi; cum *amictus* laudis hic opponatur *ſpiritui obtuſo*. In vulgatis Editionibus Verſionis τῶν ὁ. hæc exhibetur membri hujus verſio. Κατὰ ϛολὴν δόξης ἀντὶ πνεύματος ἀκηδίας· *ſecundum ſtolam gloriæ pro ſpiritu mœroris.* ut interpreratio Latina vetus habet apud Nobilium: ſed nullo ſenſu. illud enim κατὰ *ſecundum* vacat, & turbat. Hieronymus verba τῶν ὁ. vertens, ſimpliciter habet, *amictum:* unde facile colligitur, illum legiſſe καταϛολὴν; ut extat in Edit. Complutenſi; & legit Cyrillus; de quo jam monuit Nobilius. Curterius quoque dat, καταϛολὴν δόξης: ut dubium hic nullum ſuperſit. Καταϛολὴ enim idem Græcis valet quod ϛολή. Apoſtolus ad Timotheum [f]: Ὡσάυτως καὶ τὰς γυναῖκας ἐν ΚΑΤΑΣΤΟΛΗ κοσμίῳ. Heſychius: Καταϛέλλει, περικαλύπτει. Deinceps, καταϛολὴν, (ſic legendum. Aldina vitioſe exhibet, καταϛοχὴν,) περιβολήν. In interpretatione vocis כהה per ἀκηδίαν nihil hæret vitii. Hieron. vertit per *mœrorem.* Ἀκηδία eſt *pigritia* orta ex mœrore, anxietate animi, ac diſplicentia ſui. Genuina notio vocis כהה nobis liquere potuit ex cap XLII. 3, 4. ubi bis adhibetur. Relata ad *oculos* & *lumen* eſt obtundi, hebeſcere, imminui, obſcurari, contrahi: ut ex illo loco & ex analogis patet. Licet itaque per רוח כהה hic intelligere *ſpiritum mœrentem*, *contractum*, *obtuſum*, *ſubſidentem*, alacritate privum & decore: cui opponitur מעטה תהלה *Pallium laudis*, ut Hieronymus. Coccejus, *Amictum gloriationis.* Vox עטי operire, vel *ſe operire*, obtegi, circumvolvi, refertur ad מעיל *Pallium*, cap. LIX. 13. ut & infra ℣. 10.: nonnunquam ad בגד vel שמלה *veſtem.* Conſtat, ſignificari hac voce veſtem laxiorem, ornatiorem, eamque exteriorem, quæ interioribus & ſtrictioribus circumponitur. *Operimentum laudis* eſt operimentum, pallium, toga, ſtola, quæ laudari meretur; quæque argumentum præbet καυχήσεως *gloriationis*: quam notionem καυχήματος *gloriationis* Vir Doctiſſimus paſſim huic vocabulo alligat. Sed res pene eodem recidit. Quod voce laudamus, & celebramus; ſi quam ad nos σχέσιν habeat, fit materia & argumentum *gloriationis.* Intellige *veſtem honoratiorem*, (τὴν ϛολὴν τὴν πρώτην, ut rectiſſime Grotius ex Luc. XV. 22.) cujus uſus eſt diebus *feſtis* & *lætitiæ* publicæ; ſive quæ geritur ab hominibus in magna dignatione conſtitutis. Quid hic myſtice intelligendum ſit, ipſa nos docet Eccleſia horum liberatorum, ℣. 10. *Induit me* (Deus, ait,) *veſtibus* SALUTIS: *Pallio* JUSTITIÆ (Redemptionis, Liberationis,) *me obvolvit.* Nihil hic diverſum dicitur. תהלה LAUS, gloriatio, Stylo Prophetæ noſtri, eſt SALUS. confer dicta ad cap. LX. 18. *Pallium* ſive *toga laudis* hic eſt *Affectus* animi qualem in credentibus ſub Oeconomia Nova producit *Spiritus Adoptionis: Affectus*, inquam, *Libertatis*, *Sanctimoniæ*, & *Fiduciæ filiorum Dei*, conveniens Statui *Oeconomiæ Novæ*, oppoſitus affectui *Servitutis*, *Metus*, & *dejecti contractique ſpiritus*, credentium Oeconomiæ Veteris, ſcandalis ſuorum temporum indolentium; & ob dilatam ſpem promiſſorum Gratiæ anxiorum animi; quo ſtatu *ſperantes* erant proxime adventum Chriſti: qui *Affectus* cum naſcatur ex donatione JUSTITIÆ Chriſti Jeſu, & JUSTITIÆ Chriſti debeatur ut cauſſæ, cui indivulſo nexu cohæret: quiſque videt, hæc in myſtica contemplatione hujus *Pallii* ſeparari non poſſe. Notat totum *habitum* hominis Novi. Ubi Deus quem *adoptat in filium*, eumque transfert in ſuam communionem, & donat *Juſtitia* Chriſti Jeſu; ſimul gratia Spiritus ſui Sancti in ipſo producit affectiones animi huic ſtatui congruentes: qui affectus ſunt liberalitatis, ingenuitatis, generoſitatis animi, fiduciæ, animum huc uſque *ſervilem*, meticuloſum, contractum, auxium, exiguum & obtuſum lumen de ſe ſpargentem, ampliantes veluti & laxantes; quales affectiones decent filios Dei [g]. Generoſo enim hoc & ingenuo affectu præditi exſolvunt ſe ſervitute peccati & Legis; exuunt metum; contemnunt externa ac peritura hujus vitæ bona; operam dant ſanctimoniæ; ſpirant ac curant cœleſtia; ferunt patienter adverſa; & omnimodo nituntur, ut tueantur ſtatum glorioſum *Filiorum Dei. Glorioſum*, inquam. Eſt enim ſtatus ſummæ *dignitatis*, *amictus laudis* & *gloriationis*, quo homini peccatori nullus alius laudatior & glorioſior obtingere poteſt; totam involvens *ſalutem* & *liberationem*, electis à Deo decretam, & à Filio Dei impetratam. Spiritus adoptionis eſt ſignum, ſignaculum, complementum, omnium beneficiorum Gratiæ, quæ internum faciunt *ſtatum. Affectiones* autem animi habituales, cujuſcunque generis, ſive bonæ ſive malæ, quibus quis ſe conſpiciendum præbet aliis, *veſti* comparantur. *veſtes* enim metaphorice transferuntur ad omnem *ſtatum* ſive externum, ſive internum, quo quis apparet & ab aliis conſpicitur. Exemplum habuimus cap. LII. 1. nuper cap. LIX. 17. & ſunt alia multa per Scripturas [h]. Quanto autem illæ habituales animi affectiones ſunt nobiliores atque excellentiores: quanto honoratior & glorioſior ſtatus, in quo quis collocatur: tanto major ornatus tribuitur *veſti*, qua *indutus* vel *induendus* eſſe, dicitur: quæ ratio eſt quod inſignes illæ qualitates *novi hominis* hic comparentur *pallio* ornatiſſimo, quod publicam *Lætitiam* ex magna ſalute ac liberatione captam, profeſſuri geſtant. En itaque hominem à Chriſto Jeſu liberatum, *creaturam* Novæ Oeconomiæ! Comparet tanquam feſto ac nuptiali die proditurus in publicum, & luctum, in quo longum deſederat, depoſiturus; ut gaudium læta mente conceptum celebret. *Cineris* loco ſibi aptat *cidarim* ornatiſſimam: pro *luctu* ſumit *oleum:* pro *ſpiritu anxio* & *contracto* accipit *ſpiritum* laxum, liberalem, ingenuum, qualis convenit homini qui ex *carcere* & *luctu* vocatur ad dignitatem regiam.

Conſequens hujus *Status.*

℣. 3.

Oleum gaudii pro *luctu.*

Quid hic myſtice ſignificet?

Amictus laudis pro *ſpiritu obtuſo.*

Animadverſio ad Verſionem τῶν ὁ.

Uſus vocis καταϛολὴ apud Græcos.

Et ἀκηδία, ut & כהה

Phraſis Prophetæ, *ſpiritus obtuſus* declarata.

Pallium laudis.

Uſus vocis עטה. Modus hujus *veſtis.*

℣. 10. cum hoc noſtro collatus.

Quid myſtice figuret? *Affectus* in animis Credentium productus à *Spiritu Adoptionis.*

Effecta beneficii Adoptionis. *Status Filiorum Dei* deſcribitur.

Cur *affectiones* animi *veſti* comparentur?

Status hominis in Oeconomia Gratiæ inde deſcribitur.

a Cap. XII. 2. b 1 Pet. II. 9. Apoc. I. 6. c Cap. XXXV. 10. d Joh. XVI. 22. Rom. XIV. 17. e 2 Sam. XIV. 2. f 1 Tim. II. 9. Apoc. I. 6. c Cap. XXXV. 10. II. 7. g Rom. VIII. 15. 16. Gal. IV. 5. 6. h Luc. XXIV. 49. Col. III. 10. 12. Epheſ. VI. 14.

Conſequens hujus ſtatus: *Appellabuntur Quercus veræ.*

vſ. 3. med. *Et appellabuntur* QUERCUS VERÆ; *planta Jehovæ, ad condecorandum.* Alii, *Et ut appellentur*: cum reſpectu ad verba initialia hujus *commatis*, *Et ad dandum iis, ... ut vocentur.* Sed rectius, mea ſententia, verba capiuntur per modum *conſequentis*, quia diverſum emblema faciunt; & quia ſimpliciter ſcribitur ונקרא; cum cætera ſcribi poſſet, ולקרא. Quod ad rem ipſam attinet: de poſteriori epitheto, *planta Jehovæ ad condecorandum*; egi ad Cap. LX. 21. nec habeo hic quod addam. Prius ſingularem emphaſin habet, אילי הצדק QUERCUS *Juſtitiæ.* Sic enim hic vertendam eſſe vocem אלים ex אלה *quercus*, ut idem valeat quod אלונים Intt. paſſim cum Hebræis facile conſentiunt. Hieronymus dat, *fortes Juſtitiæ*; ſequutus Symmachum; cujus erat, ἰσχυροὶ δικαιοσύνης. Syrus hic *arietes* vidit; vere præter rem. Noſtri phraſin, *Quercus Juſtitiæ*, expoſituri, interpretationem ejus ducunt ex *ſtatu* credentium fundato in *Juſtitia* Chriſti Jeſu, cui omne ſuum incrementum debent. Id lubens fieri patior, quippe ſecundum analogiam ſanæ doctrinæ dici poteſt: ad fructus enim ipſos *Juſtitiæ*, quod à nonnullis additur; reſpici, remotius videtur. Verum certo teneo, aliud eſſe quod Propheta vult. *Quercus Juſtitiæ*, ſtylo Sacro, ſunt *quercus veræ*, vere ſic dictæ, h. e. *ſpirituales*. Corporalia omnia ſunt ſymbola & emblemata ſpiritualium: ſpiritualia *vera* cenſentur; corporalia umbratilia. Sic צדקה *Juſtitia*, ſive integre, דבר צדקה *Verbum* JUSTITIÆ [a], eſt *verbum verum*, conſtans, permanens, quod declarat Oeconomiam ſpiritualem æterno Teſtamento gratiæ definitam. *Sol* JUSTITIÆ Malachiæ [b]: Τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν· LUX VERA [c] eſt *Sol* VERUS, ſpiritualis, in emphaſi ſic dictus. *Sacrificia* JUSTITIÆ [d] valent *ſacrificia vera*, ſpiritualia; preces, gratiarum actiones, pœnitentia, & his ſimilia. *Portæ* JUSTITIÆ [e] ſunt portæ *veræ Eccleſiæ*, per-portas Templi Hieroſolymitani figuratæ; & ita in cæteris. *Veræ* itaque & ſpirituales *quercus* ſunt Jeſaiæ homines, qui ſpirituali ſenſu præſtant omnia corporalium quercuum attributa; hoc eſt, commendabiles *robore fidei*; *durabilitate*, *firmitate*, conſtantia, excreſcentes in altitudinem menſuræ ſibi à Deo deſtinatæ. βέβαιοι καὶ καρτεροὶ, ἑδραῖοι, ἰσχυροὶ τῇ πίστει καὶ ἐλπίδι, quibus notionibus Scriptura S. ſæpius utitur, ubi loquitur de hominibus fide ac ſpe compactis, optime ſuffultis, animo ad omnem eventum indurato [f]. Chaldæus h. l. ורברבי קושטא PRINCIPES VERITATIS. Hæc ſunt ROBORA SPIRITUALIA, quæ produceret Spiritus gratiæ ſub Oeconomia Nova, immota, incredibilem fidei vim oſtentantia, & Divinum quoddam κράτος præferentia. Apoſtolus dei ſe & ſuis cooperariis [g]; *Habemus autem theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis*, ἵνα ἡ ὑπερβολὴ δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν· *ut* SUPEREMINENS POTENTIA *ſit* DEI, *& non ex nobis.* Hoc charactere conſpicui, olim meticuloſi, puſillanimes, dejecti animo, *appellarentur*, hoc eſt, *eſſent*, (de quo ſæpius monui,) *quercus veræ*, & *plantæ Jehovæ*, illius illuſtraturæ decus, & inſigne ornamentum allaturæ Eccleſiæ.

Quid vaſdeat phraſis, *Quercus Juſtitiæ.*

Vulgata expoſitio ejus.

Quid myſtice ſignificent?

Fuerunt *robuſti* ſpiritu.

Atque hæc ſunt illa præcellentia officia, & beneficia, ad quæ adminiſtranda & diſpenſanda Chriſtus Jeſus *unctus* fuit à Patre. Unde colligimus, α. Epitheton משיח UNCTUS, quo futurus Servator inſignitur in Scriptis V. T. quodque deinceps abiit in partem Nominis ipſius Proprii, licet auguſtam involvat ſignificationem, referendum tamen eſſe ad Oeconomiam gratiæ. β. Chriſtum Jeſum ad id *unctum fuiſſe à Patre*, ut non tantum beneficia gratiæ tanquam præſentia omnibus *præconio ſuo* nunciaret, & Novi anni gratiæ initia promulgaret: verum etiam eadem illa Bona, quæ Oeconomiam hanc Eccleſiæ facerent ac à Vetere diſtin-

Phraſis recte redditur.

Quercus veræ; quod ex analogia illuſtratur.

Animadverſa ex ſuperioribus hauſta, in nomen Servatoris noſtri, CHRISTUS.

---

a Cap. XLV. 23. *b* Mal. IV. 2. *c* Joh. I. 9. *d* Pſ. IV. 6. LI. 20. *e* Pſ. CXVIII. 19. *f* Cap. XXXV. 4. Pſ. XXVII. 14. 1 Cor. XV. 58. 1 Joh. II. 14. *g* 2 Cor. IV. 7.

A Nihil quidem eo, quod hic aſſero liquidius; fuitque etiam communis ſententia Veterum Eccleſiæ Doctorum, qui Chriſtum Jeſum *unctum* fuiſſe ſtatuunt, ubi juncta Humanæ Naturæ eſt Divina; & cenſet tamen Petavius hac de re docte diſputans *Dogm. Theol.* Tom. V. Edit. Nov. Lib. XI. Cap. VIII. §. IX. fuiſſe ex iis qui vocem ΧΡΙΣΤΟΣ tantum reſtrinxerint ad *Naturam* Divinam τῆς ΛΟΓΟΥ, perinde ac nomen ΙΗΣΟΥΣ, ad Humanam: adducto in hunc uſum loco Juſtini Martyris, qui legitur in *Apol.* I. (vere II.) pag. 44. ubi rationem reddit Nominum Servatoris. Sunt autem ejus hæc verba: Ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, ὁ λόγος, πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γενόμενος, ὅτε (ὅτι) τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε· Χριστὸς μὲν κατὰ τὸ κεχρίσθαι, καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεὸν, λέγεται· ὄνομα καὶ αὐτὸ περιέχον ἄγνωστον σημασίαν. quæ ſic fecerat Latina Joannes Langus: *Porro Filius ejus*, (Patris) *qui ſolus proprie dicitur Filius, Verbum, ſimul cum illo ante creaturas & exiſtens & naſcens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit. Chriſtus quidem ex eo quod per illum Deus omnia conformaverit atque ornaverit, appellatur: quod & ipſum nomen eſt, ſignificationem minime notam complectens.* Quæ cum obſcuriora viderentur, & ipſa Langi verſio obſcuriora adhuc feciſſet; experta fuerunt Doctorum hominum curas, non perinde felices. Primum membrum recte ſubſiſtit, ſi pro γενόμενος *naſcens*, vertas, *genitus*; *generatus*; quod jam obſervavit Suicerus in *Lex.* ad v. Χριστός: licet Petavius illud *naſcens* retinuerit, abſque magno vitio. Scaliger legi voluit γενόμενος, ut idem ſit quod ὢν *qui extitit*: cæteroquin enim putat ſcripturum fuiſſe Juſtinum γεννηθείς: ſed abſque ulla neceſſitate. eſt enim hoc in loco propriiſſimus uſus vocis γεννᾶσθαι *generari* cum reſpectu ad Υἱὸν FILIUM. quod nomen Juſtinus interpretatur. Scripſit autem γενόμενος, non γεννηθείς, quia *Filium* reſpexit ut *Sapientiam* & *Rationem*, quæ ita à Patre *generatur*, ut à Patre non divellatur. Licet etiam pro ὅτε in primo membro legas ὅτι, ut ipſe Langus feciſſe videtur, recte vertens, QUONIAM *per eum cuncta condidit & ornavit.* Retinuit tamen Petavius, ὅτε QUANDO, ſenſu minus commodo. Sed alterum membrum, Χριστὸς μὲν κατὰ τὸ κεχρίσθαι καὶ κοσμῆσαι πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεὸν, λέγεται. dum Vir ille Doctus tranſtulit, *Chriſtus quidem quod per illum Deus omnia conformaverit, & ſeqq.* quid in mente habuerit, non aſſequor. Neque enim χρίειν admittit ſignificationem *conformandi*; nec κεχρίσθαι terminationis *paſſivi*, converti poterat in *activum*. Quod cum videret Scaliger, & tamen ſibi falſo perſuaderet, requiri hic verbum ſignificationis *activæ*, jecit vel potius *divinavit*, (ſic enim hic modeſtius loquitur:) legendum, κατὰ τὸ καὶ χρίσαι καὶ σῶσαι *quod per eum unxerit & abſterſerit omnia.* quod nemo facile probaverit. Nuper Vir Doctus de *Chriſto* in *Chreſtum* commutato diligenter differens, cenſebat, legi poſſe, ΧΡΗΣΤΟΣ μὲν διὰ τὸ ΚΕΧΡΗΣΘΑΙ· unde ut commodum ſenſum eliceret, alligat voci κεχρῆσθαι ſignificatum *procreandi*, ex loco Heſychii, qui κεχρῆσθαι per πεπλῆχθαι interpretatur; πέπληται vero explicat per πέπληκται; & πέπληκται per κύει; & κύει per γενᾷ. tum vero *paſſivum* hic per *activum* exponendum monet; præter alia quæ non deſcribo. Forte viderit Vir perinde modeſtus ac Doctus, vi imaginationis liber, κεχρῆσθαι Heſychio eſſe *ſauciatum eſſe*; κεχρῆσθαι, πεπλῆχθαι, *interemptum, percuſſum eſſe*; ut κεχρῆσθαι ſit ex χράω, *vulnero, occido*, ſignificatione antiquis recepta, perinde ac in v. κατακχρᾶσθαι: πεπλῆχθαι vero ſit ex πλήσσω, ſive πλήττω *percutio*: tum vero in aliis locis, πέπληται, πέπληκται, &c. pro πέπληκται legendum eſſe πέπλησται *impletus fuit*, familiari uſu vocis de *gravidis*: quam de iis novi eſſe Doctiſſimi Viri non dubiam conjecturam; ut non neceſſe ſit recurrere ad inſolentem hoc quidem in caſu ἐπένθεσιν literæ κ. cætera non attingo. Eſtne præterea, ut quis ſibi ſerio perſuadeat, Juſtinum, qui ubique in ſuis Χριστὸς & Χρισιανὸς ſcriptum reliquit, ignoraſſe veram ſignificationem vocis Χριστὸς, quæ neminem Veterum, & ne ipſos quidem Patres Latinos, fugit? Juſtinum, inquam, in ipſa Palæſtina natum? Utique ipſe in *Dialogo* cum Tryphone Judæo, p. m. 318. *Non minus quoque Chriſma & unguentum omne, ſive olei, ſive aloæ, ſive aliarum ex unguentorum compoſitime unctionum, hujus fuiſſe, itidem oſtendimus, Verbo dicente, Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis ſupra conſortes tuos*: Καὶ γὰρ οἱ βασιλεῖς πάντες καὶ οἱ ΧΡΙΣΤΟΙ, ἀπὸ τούτου μετέσχον καὶ βασιλεῖς καλεῖσθαι, καὶ Χριστοί· Οὗ τρόπον καὶ αὐτὸς ἀπὸ τοῦ Πατρὸς ἔλαβε τὸ βασιλεύς, καὶ Χριστὸς, καὶ ἄγγελος, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ἔχει ἢ ἔσχε· *Etenim Reges omnes, &* UNCTI *huic acceptum tulerunt, & Reges ipſos appellari, &* UNCTOS, *quemadmodum & ipſe à Patre accepit, quod Rex, &* CHRISTUS, *& Angelus ſit, & quæ alia ſimilia habet, aut habuit.* Quod autem Juſtinus in *Apol.* I. (Ed. Grab. §. III.) nomen *Chriſtiani* explicet ex Χρηστὸς & Χρηστότατος: non fecit ex ſenſu ſuo, ſed ex communi opinione Gentilium, qui cum *Chriſti* & *Chriſtianorum* nominis genuinam ſignificationem ignorarent; & cum vere enunciatio vocum Χριστὸς & Χρηστὸς fere coincideret; Chriſtianos vulgo autumarunt nomen trahere à voce, ſive nomine ΧΡΗΣΤΟΣ, ipſius nominis uſu inter eos valente. quod præjudicium in commodum ſuum vertens Juſtinus, in cauſæ defenſione negligendum ſibi non cenſuit. Summa eſt, in loco Juſtini probe verſo nihil eſſe, quod cuiquam negotium faceſſat. Sic habet ſententia: *Chriſtus quidem dicitur quod* UNCTUS SIT, *& quod Deus per ipſum ornaverit omnia: quæ appellatio minime cognitam ſignificationem complectitur.* Referendum ad id quod dixerat, *eo quod* UNCTUS SIT, cujus vim omnem ſe hic non explicare oſtendit. eſſe enim myſticum quid quod in eo lateat, nempe *Chriſtum* eſſe τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ *Rationem* & *Sapientiam Dei*, (ut ipſe mox p. 46. κατὰ τὴν τοῦ παντὸς λόγου γνῶσιν καὶ θεωρίαν, ὅ ἐστι ΧΡΙΣΤΟΥ.) eum in finem à Patre productum, ut per illum totum hoc univerſum ornatiſſime componeret. Vidit ſenſum loci, & explicuit Petavius; conſenſu mihi minime inviſo.

ſtinguerent, in Eccleſiam Populumque ſuum conferret. id enim verba, *dare*, *ponere*, ἐνεργητικῶς ſumpta, ſignificant. Quæ Bona & Dona Gratiæ cum ſint Divina & cœleſtia: ſummam demonſtrant, & quidem *Divinam*, Perſonæ Meſſiæ excellentiam: licet hic maxime ut indutus Natura humana, & in ea *unctus*, comparcat.

Pars secunda hujus *Sectionis*: Oratio Chori Prophetici, explicantis,

a. Effecta Populi Meſſiæ, in ſibi ſubjicienda hæreditate Gentium.

Pars ſecunda hujus Sectionis, explicantis, a. Effecta Populi Meſſiæ in occupanda Hæreditate Gentium, ℣. 4.

℣. 4. *Et ædificabunt deſolata antiqui temporis: vaſtata priſci ævi inſtaurabunt; renovabunt, inquam, civitates vaſtatas, deſolata multarum generationum.*] Agnoſcimus ex hac phraſi Jeſaiam. Senſus eſt, Liberatos hoſce à Meſſia, miſſos in libertatem, & Spiritu ejus unctos, operam daturos eſſe cum certo ac minime dubio effectu, ut Gentes per ſæcula plura alienatæ à Dei cognitione, & communione, reducantur ad notitiam & cultum veri Dei; eaſque Gentes ad veram fidem perductas eſſe occupaturos ut hæreditatem, ſibi deſtinatam; iiſque *ædificandis*, confirmandis, inſtaurandis, eſſe incubituros: quippe univerſus Orbis terrarum, ſecundum aſpectum ſuum ſpiritualem, præferebat ſpeciem terræ ab hoſte vaſtatæ, (qui *hoſtis* hic eſt ὁ ἐχθρὸς ἄνθρωπος *homo inimicus*, ὁ πονηρὸς. *a*) deſertæ, nullos proferentis fructus; nullo ſe commendantis ornatu; ut ſunt urbium majorum collapſarum rudera, & regiones incultæ, relictæ poſt hoſtilem vaſtationem. Expoſuimus rem totam, & ipſam phraſin, ad Cap. LVIII. 12. tum quoque ſuperius ad Cap. XLIX. 8. LIV. 3. Qui hic oculos convertunt ad Canaanæam habitandam poſt reditum ex Exilio Babylonico; non ſatisfaciunt phraſi. Si oratio Prophetica tantum exhiberet phraſin, חרבות עולם *Vaſtationes* SÆCULI; non auderem tanta fiducia urgere vocem עולם *ſæculum*, quippe quæ ex hypotheſi noſtra ſumitur de tempore Exilii Babylonici Cap. XXXII. 14. Sed phraſes, שממות ראשונים *Deſolationes priores*; & דור ודור *cujuſque generationis*, majorem longe emphaſin dictioni addunt. Exilii Babylonici tempus minoris eſt durationis, quam ut exhauriat poteſtatem phraſios. Judæi, carnalia ſectantes, multo id ſpecioſius applicant ad tempus Exilii præſentis: ei enim convenire poſſe, non inficior, ſi ſalva eſſet & tam contextui quam rei ipſi conſentanea hypotheſis. Quare quanto rectius & verius hic cogitamus de triſti & calamitoſo ſtatu Gentium, tot *ſæculorum* & *generationum* erroribus implicitarum, poſtquam inter eas per Orbem diffuſas Patriarchales traditiones perditæ atque extinctæ ſunt; idololatria ac ſuperſtitio eaque turpiſſima locum occuparunt veræ Religionis; & Deus cura earum ſpirituali neglecta, eas in viis ſuis ire paſſus eſt. Adſcribo autem hanc orationem *Choro Prophetico*, quod ei optime conveniat. Succinit ille orationi Meſſiæ, eamque in effectis ac conſequentibus amplificat.

Analoga cum h. l. collata.

Non convenit phraſis hypotheſi de Exilio Babylonico.

Hypotheſis Judæorum Intr. de hoc loco.

β. Privilegia, Populum Meſſiæ ubique comitatura.

a. *Abſolute* expoſita.

b. Privilegia in Populum Meſſiæ conferenda, primo abſolute expoſita, ℣. 5. 6.

℣. 5. *Et* STABUNT *peregrini, &* PASCENT *greges veſtros; & alienigenæ erunt agricolæ veſtri, ac vinitores veſtri.* ℣. 6. *At vos* SACERDOTES *Jehovæ vocabimini*; MINISTRI DEI NOSTRI, VOBIS DICETUR; *copia Gentium veſcemini, earumque gloria vos efferetis.*] Quis miretur, homines nihil niſi ſenſilia ac corporalia cogitantes, ex his ſimilibuſque promiſſis auguſtas illas & magnificas concepiſſe ſpes, (quæ etiamdum implent incredulorum pectora:) fore, ut ipſi rerum Domini, ſumma dignitate & omnium rerum copia florentes, Gentes omnes Orbis terrarum ſibi videant ad viliſſima obſequia ſubjectas, eaſque imperio ſuo regant? Vanitatem! Nulline igitur inter Judæos illo tempore *ſervi*, miniſtri, *ſervæ*, ancillæ? Quis dixerit, niſi rationis inimicus, & ſenſu hebes? Si vero ſenſus promiſſi ferat; fore ut *exteri* quoque ac *peregrini* à Judæis magno numero adhibeantur ad officia & ſervitia corporalia; quid magnum ac glorioſum hic dicet Jeſaias? De quibus enim Populis in Orbe dominantibus idem dici nequit? Inter eas Gentes, quæ hoc tempore imperium in Mundo habent, nullæ ſunt, de quibus dictum κατὰ γράμμα intelligendum verius affirmetur quam de Turcis: quiſquamne vero propterea Imperii illius deſpotici laudet felicitatem? Si itaque ſuperbi illi Domini nihil negotii haberent quod agerent: num pingue otium in copia & abundantia bonorum temporalium ſortem eorum à conditione aliarum Gentium diſtingueret? Imo vero, Prophetam hic myſtice intelligi velle, ex eo liquet quod addit, *Vos verò Sacerdotes Jehovæ appellabimini, Miniſtri Dei noſtri.* Loquitur de *Sacerdotio* omnibus Liberatis abſque diſcrimine *tribus*, aut *familiæ*, communi. Ergo de *Sacerdotio ſpirituali.* Aaronici enim diverſa fuit ratio. Itaque, ſodes, evehe mecum tuas cogitationes ad conſpectum Regni Chriſti Jeſu, & Hæreditatis Gentium, à Populo liberato occupatæ, ut ſe habuit in initiis temporis gratiæ. Apoſtoli & Evangeliſtæ, origine Judæi, miſſi in libertatem, Evangelium ferentes ad Gentes & Populos, & in iis Populis fundantes *Eccleſias*, ſtylo Scripturæ, *Greges b*: cum tot *Gregibus* curandis proſpiciendiſque non ſufficerent, neque etiam ad manus haberent *Judæos originarios*, quos illis præficerent: Proſelytos vel Gentiles origine, qui fidem in Dominum ſuſceperant, iis curandis, fovendis, paſcendis, admovebant: ex his eligebant *Epiſcopos*, ſive *Presbyteros*, & *Diaconos*: (ut ex *Actis* Lucæ, & ex *Epiſtolis Paulinis* liquet:) verum qui *Apoſtolorum* & primorum *Evangeliſtarum* ex Judæis oriundorum auctoritatem agnoſcebant ac venerabantur, tanquam qui Magiſtri eſſent ſuæ fidei, *Sacerdotes* & *Miniſtri* à Chriſto Jeſu *electi*, *Deo proximi*, quibus ſe per omnia in ſpiritualibus ſubjiciebant, quorumque dicto audientes erant. Sic Apoſtolus ait ſe eſſe Λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ. *Miniſtrum Sacerdotalem* (Sacerdotem) *Jeſu Chriſti apud Gentes, operantem* (ſacrum facientem) *Evangelio Dei c*. Ipſi hi ſunt *electi* & *liberati* ex Judæis, quos Petrus vocat ἱεράτευμα ἅγιον· *Sacerdotium ſanctum d*. Gentibus autem, ſive Diſcipulis ex Gentibus, tribuit ὑπακοὴν *obſequium*, ſc. in Domino; rationale, ex charitate, & reverentia Muneris, à Chriſto Jeſu ipſi mandati. Vide mihi, cujuſmodi ille fuerit affectus in Gentibus, ex ipſis Pauli verbis. Sic ſcribit ad Corinthios de Tito *e*: *Et viſcera ejus* (Titi) *eo amplius erga vos affecta ſunt, ubi memoria repetit, τὴν πάντων ὑμῶν ὑπακοὴν, omnium veſtrum* OBEDIENTIAM, *& ut* TIMORE *ac* TREMORE *ipſum exceperitis.* O ſanctum ac Divinum affectum! Nullum obſequium in humanis huic poteſt comparari. Idem autem reſpectus hodiedum durat. Omnes quotquot ſunt Miniſtri Evangelii ex Gentibus profitentur, ſe eſſe *Paſtores*, *Agricolas*, *Vinitores*, ab Apoſtolis primiſque Chriſti Jeſu Diſcipulis *mediate* conſtitutos. Ad hos referunt origines ſuas; inde petunt ſucceſſionem. Eccleſiam primævam Apoſtolicam venerantur, ut ſuam matrem. In Apoſtolis, Evangeliſtis, & primis credentibus, in initio temporis gratiæ *primis perfuſis Donis Spiritus S.* & quidem uberiore menſura, *Sacerdotum* ac Λειτουργῶν *ſpiritualium* characteres clariſſime cognoſcunt ac celebrant; licet corporis credentium alii hoc privilegio non excludantur, ut vidimus Cap. LVI. 5--7. Ea hic genuina ſignificatio eſt vocis כהנים SACERDOTUM. Sunt *amici*, *familiares*, proximæ acceſſionis ad Principem, Græcis οἱ συνόντες, ἑταῖροι, Latinis, PROXIMI. Ammianus *f*: PROXIMORUM *fauces aperuit primus omnium Conſtantinus.* Vide ibi Valeſium. Chriſtus Dominus φίλους *amicos* vocat, quos nihil celat *g*. Hunc cenſeo eſſe loci ſenſum. Hieronymus, Procopius, & ex ſequentibus ac recentioribus plures, hunc locum cætera non indocte tractan-

Judæorum præjudicia carnalia, ex hoc ſimilibuſque locis, concepta.

Quod retunditur.

Oratio-nem Prophetæ myſtice intelligendam eſſe, ex ipſa oſtenditur.

Status Regni Gratiæ, & Occupatio Hæreditatis Mundi.

Senſus ſpiritualis aperitur, & ex Hiſtoria Eccleſiæ primi temporis illuſtratur, & ex *Paulinis*.

Obſequium ex fide orum; perfectiſſimum.

Reſpectus temporis præſentis.

Sacerdotum ſpiritualium contemplatio hoc loco.

Verſi interpretatio nimis reſtricta.

a Matth. XIII. 25. 38. *b* Act. XX. 28. 29. 1 Pet. V. 2. 3. *c* Rom. XV. 16. *d* 1 Pet. II. 5. *e* 2 Cor. VII. 15. Philem. ℣. 21. *f* Ammian. Lib. XVI. Cap. VIII. *g* Joh. XV. 14. 15.

tractantes, nimis tamen reſtricte eum accipiunt; acſi diceret Propheta, Judæis Paſtoribus, qui gregem Dei neglexerant, excluſis, *peregrinos & extrarios* ex Gentibus advocandos eſſe ad *paſturam* Eccleſiæ, ſecundum dictum Domini *a*: *Tolletur à* VOBIS *Regnum Dei, & dabitur Genti, quæ edat ejus fructus.* Sed locus recte inſpectus exhibet promiſſum luculentum, datum Liberatis & Liberandis ex Populo Judæo; facitque *Gentes* ipſis in Domino ſubjectas, ut locum interpretatus ſum.

Animadvertenda ad phraſin Prophetæ. Emphaſis vocis *ſtare* h. l.

Reſtant aliqua ſpeciatim monenda ad intelligentiam propiorem φράσιος hujus pericopæ. Primo, quod dicitur, *Et* STABUNT *peregrini, & ſeqq.* obſervandum, *ſtare* hic eſſe *Miniſterii* & *Obſequii* notionem, unde Miniſtri παρεστηκότες, & *ſervi libertique qui hero vel patrono indivulſe adhærent; præſto ſunt & famulantur*, Latinis STATORES dicti ſunt, de quo multa congeſſit ὁ πάνυ Reineſius *b*: ſimul tamen ſignificari *curam, vigilantiam*, & *prudentiam* horum Paſtorum, ut de Meſſia apud Micham *c*: *Et* STABIT, *&* PASCET *in robore Jehovæ.* Secundo, animadvertes, per זרים *peregrinos* & בני נכר *alienigenas* hic intelligi non tantum Gentes *peregrinas*, & *extrarias*, ſed & olim hoſtili animo in Populum Dei affectas; quam vim ineſſe in voce זרים, oſtendi ad Cap. I. 7. Poterat Vates ſcribere, גרים προσήλυτοι inter vos hoſpitantes; ſed cum omnia emphatice dicat, ut τὸ παράδοξον *promiſſi* efferret, ſcripſit זרים *peregrini*. Eventus comprobavit. Ægyptii, Syri, Arabes, Phœnices, Tyrii, Babylonii, ne de Græcis & Romanis dicam, obſequium præſtiterunt Evangelio. Egi hac de re ad Cap. XIV. 1. & nuper ad Cap. LX. 14. Tertio, non ſunt hic negligenda tria metaphorica epitheta, quibus Eccleſias in Gentibus fundandas Spiritus S. hic ſignat, *Gregis*, *Arvi*, & *Vineæ*; quarum proin Præpoſiti appellantur *Paſtores*, *Agricolæ*, & *Vinitores*. Eadem ſunt Scriptorum N. T. de Eccleſiis inter Gentes fundatis loquentium. De *Grege* jam monuimus *d*. De *Arvo* ad Corinthios *e*: *Etenim Dei ſumus adminiſtri:* Θεοῦ γεώργιον DEI ARVUM, *Dei ædificium eſtis.* De *Vinea* ad eoſdem *f*: *Quis plantat ἀμπελῶνα* VINEAM, *& de fructu ejus non edit?* Singula in rem ſunt aptiſſima, & ex aliis Scripturæ locis facile illuſtranda. Sed de *Eccleſia* ſub notione *Gregis*, jam egi ad Cap. XI. 6. XL. 11. De *Vinea*, ad Cap. III. 14. V. 1. XXVII. 2. De *Arvo* ad Cap. XXX. 23. 24. Eccleſia, ex vera ſua natura, eſt GREX, hoc eſt, *Congregatio* hominum *manſuetorum*, mitium, *purorum*, nullis armatorum lædendi nocendique ſubſidiis, humano generi utilium, incurſionibus & inſidiis hoſtium, variiſque affectionibus internis, obnoxiorum, ſui curandi impotentium, quæ proin indiget *Paſtore* & *Curatore*. Eſt VINEA quod ſit Populus in terris qui producit *fructum ſpiritualem*. ARVUM, quod diligenter purgata, culta, ſubacta, ſemine Verbi ac bonæ Doctrinæ conſita, Benedictione cœleſti irrigata, fructum edat tam jucundum, & Deo, de cujus bonitate teſtetur, glorioſum; quam hominibus utilem. Denique quod additur, *Copiam Gentium comedent, & in gloria earum ſe efferent:* ſignificat, Apoſtolos, Evangeliſtas, Diſcipulos Chriſti Jeſu ex Judæis, Evangelium ferentes ad Gentes, per communionem *fidei* venturos eſſe in communionem omnium bonorum, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, & magni in hoc Mundo æſtimantur, (de quo Propheta luculenter egit, ipſa quoque adhibita notione חיל, Cap. LX. 5.) Gentiumque dignitate, poteſtate, auctoritate, divitiis, bonis, uſuros tanquam *ſuis*. Id enim proprie latet in voce תתימרו pro תתאמרו *ſe dicere*, (litera י ſubſtituta תחת א) gloriando aliquid tanquam *ſuum* prædicare, & eo tanquam *ſuo* ſe efferre: qui uſus vocis eſt Pſ. XCIV. 4. Si quid eſſet apud Gentes excellens, pulchrum, æſtimabile, quod inſervire poſſet Regno Chriſti: id ipſi per communionem interiorem *fidei* & *fraternitatis*, reputarent ut *ſuum*. Id flagitat ἡ κοινωνία τῆς πίστεως; & liquet ex Epiſtolis Paulinis & Hiſtoria, hunc affectum Eccleſiæ primi temporis inſigne attuliſſe decus & incrementum. confer Rom. XV. 27. 2 Cor. VIII. 4. 1 Cor. III. 21. 22. Apoſtolorum & Apoſtolicorum reverentia & auctoritas per Eccleſias ſumme colebatur; & ipſi viciſſim Eccleſias reſpiciebant ut ſuum *gaudium*, & στέφανον καυχήσεως *coronam* GLORIATIONIS: ut Apoſtolus ipſe. *g*

Implementum prophetiæ, ỳſ. 7.

Per *Peregrinos* & *Alienigenas* quinam hic intelligendi?

Implementum prophetiæ huc relatum.

Metaphorica epitheta Eccleſiarum, *Gregis*, *Arvi*, *Vinea*.

Loca analoga.

Conſpectus Eccleſiæ ut *Gregis*.

Vineæ, & *Arvi*.

Verba, *Copiam Gentium comedere*, &c. illuſtrantur

Animadverſio ad vocem תתימרו.

b. *Comparate*, reſpectu temporis antecedentis.

Articulus primus.

ỳſ. 7. *Pro* PUDORE *veſtro* DUPLICI, *& pro eo quod cantarent, Ignominiam eſſe portionem eorum; propterea in terra ipſorum duplum poſſidebunt: gaudium æternum erit iis.*] Sic verto verba, ad primam ſpeciem obſcuriora, quæ Interpretibus multum faceſſiverunt negotii. Secundum quam interpretationem ſententia dividitur in duo membra: primum exponit *magnum pudorem* & *ignominiam* qua Judæi affecti fuerant inter Gentes: alterum, illius *pudoris* ac *ignominiæ* compenſationem juſtiſſimam; ut in ea terra qua *pudore* ac *ignominia dupla* affecti erant, *duplam* obtinerent *hæreditatem*. Prius membrum ita habet; תחת בשתכם משנה *Pro pudore veſtro duplici.* Sic rectiſſime vertuntur Hebræa. ut כסף משנה *Argentum duplum.* alterum tantum. לחם משנה *Panis alter tantus.* dupla menſura. Sequitur, וכלמה ירנו חלקם *Et* PRO EO (תחת PRO, LOCO, hic repetendum eſt; ſive תחת in initio ſententiæ poſitum, ad hoc quoque membrum applicandum, ut Kimchius recte monuit; quod nihil inſolens habet, quin in omni ſermone receptum:) *quod cantarent*, & prædicarent hoſtes, *ignominiam eſſe ſortem ipſorum:* hoc eſt, pro eo quod Gentiles Judæorum hoſtes nullam Judæis apud ſe exulibus deſtinaverant *ſortem* quam *ignominiam*, dum eos paſſim inter ſe exules vel hoſpites contemptim habebant, & tanquam *ſervos* vel ſibi obnoxios tractabant: *Pro eo*, ait Spiritus, hanc viceverſa recipient compenſationem, quod pro *duplice pudore* & graviſſima *ignominia*, quam ab hoſtibus retulerunt, in terra eorum *duplam* obtenturi ſint *hæreditatem*. Sic ſunt verba Prophetæ: לכן בארצם משנה יירשו PROPTEREA *in terra* EORUM (ſc. Gentilium, de quibus agitur, ut patet *ex ſuperiore commate:*) *duplam obtinebunt hæreditatem*, cum gaudio æterno: quæ facillima eſt interpretatio & rei ipſi ac contextui plane congruens. Clarius etiam id liquebit, ſi explicuerim quid ſit *Duplex pudor*, & *ignominia*, cujus Vates hic meminit. DUPLEX *pudor* hic loci ſignificat calamitates, quas Judæi cum pudore & ignominia variis temporibus ſuſtinuerant dum inter Gentes in Exilio verſabantur, quippe ſuſtinebant *duplicem* reſpectum; *communem* cum aliis Populis, ex terra ſua in Exilium abductis, vel ab hoſtibus oppreſſis; quod ſemper grave ac *pudendum:* & *peculiarem* qua POPULI DEI. Cum enim Judæi profiterentur, ſe eſſe Populum veri Dei: reliquarum autem Gentium Deos eſſe *idola:* & paſſim gloriarentur Deo tutore ac defenſore, & magnificis liberationibus ac vindiciis, à Deo Genti ſuæ præſtitis: erat iis *pudori* ſummo cum deſtructa Republica & Templo abductis ex Patria, verſari in Exilio, expoſitis Gentium cavillis & opprobriis, cum opprobrio Dei conjunctis: ſquo pertinet dictum ſimile, quod Poëta facer querulis ob perſecutionem & afflictionem aptat *h*: *Poſuiſti nos proverbium inter Gentes: agitationem capitis inter Populos. Per totum diem* IGNOMINIA MEA (כלמתי) *coram me;* PUDOR *faciei meæ* (בשת פני) *me obtegit.* Pro hoc *pudore duplici, & pro eo quod Gentes cantarent*, prædicarent, & exaltabundi jactarent alta voce, (quæ hic ut alibi, eſt vis vocabuli רנן) *ſortem ipſorum* (ſc. exulum & oppreſſorum ex Populo Dei, mutata, familiari ſtylo Prophetico, perſona *ſecunda* in *tertiam:*) *eſſe ignominiam:* h. e. ipſos inter Gentes verſantes aut hoſpitantes nullam aliam expectare poſſe *ſortem*

Comparate, reſpectu temporis antecedentis.

Articulus primus, ỳſ. 7.

Affectio orationis Jeſaiæ.

Suppoſita ejus.

Membra ſententiæ duo. Prius, *Pro pudore veſtro duplice, & pro eo quod cantarent, Ignominia pars eorum.*

Senſus verborum.

Poſterius membrum: *Propterea in terra eorum duplam obtinebunt ſortem.*

Quid hic loci *Duplex pudor?* Res ipſa plane exponitur.

a Matth. XXI. 43. *b Inſcript.* Claſſ. I. p. 45. *c* Cap. V. 3. *d* Act. XX. 28. *e* 1 Cor. III. 9. *f* Cap. IX. 7. *g* 1 Theſſ. II. 19, Phil. IV. 1. *h* Pſ. XLIV. 15. 16.

Et duplex *hæreditas*, ei oppoſita.

ac ignominiam & opprobrium perpetuum: *pro eo* inquam, Deus faceret, ut *in terra Gentium* DUPLAM obtinerent HÆREDITATEM: primo quod ipſi hi Judæi, olim & etiamdum inter Gentes afflicti, illas Gentes juxta promiſſum Abrahæ datum *ſpirituali* modo poſſiderent per communionem fidei cum iis arctiſſime conjuncti, & ab iis honorari ut Patres ſpirituales & veri Dei Sacerdotes; deinde, quod per communionem fidei venirent in communionem dignitatis, honorum, auctoritatis, ac divitiarum Gentium, quæ converſæ ad fidem Chriſti Jeſu nihil tam carum & pretioſum haberent, quin cum hoc *ſemine ſancto* lubenter communicarent: de quo Propheta dixerat *commate ſuperiori*: quod ipſum inter alia hiſce Diſcipulis Chriſti Jeſu præberet materiam ſummi gaudi, æterni ac non ceſſaturi effectus; ut verba ferunt: *Et æternum gaudium erit ſuper capita eorum*: h. e. æterna Gloria cum gaudio conjuncta. His enim Chriſti Jeſu Diſcipulis Gentes deberent ſuam ſalutem, & ipſi ex earum converſione, ſummæ ejuſque nunquam ceſſaturæ lætitiæ, caperent argumentum. Explicui verba jam ante lecta Cap. XXXV. 10. & egi de eadem re ad ℣. 3. hujus *Sectionis*; & res per ſe claret. Hunc ſenſum genuinum eſſe cenſeo ſententiæ Vatis, à quo deflexerunt Interpretes *A.* quos nunc ante oculos habeo; ut ſi cui idem in mentem venerit alii, (de quo vix dubitem,) huic integrum relinquam operæ pretium. Sic innocue ſcripſeram, jam ante tamen inſpecta Piſcatoris interpretatione; nec tamen probe conſiderata: ſequutus animadverſionem ad hunc locum jam à longo à me adſcriptam. Repetens tamen, dum in recenſendis verſionibus aliorum verſor, Piſcatorem, & ante eum Junium & Tremellium, video, illos à me non longe abeſſe. Piſcator ita dedit: *Idque loco pudoris veſtri duplicis, & loco ignominiæ*, de qua *cantabant*, Hæc *portio illorum* eſt: *Idcirco in terra illorum duplum hæreditario jure poſſidebunt.* Illud *idque* in initio ſententiæ ſupervacuum eſt, & poteſt abeſſe. Noſtrum paulo preſſius reddit Prophetæ ſuum ſenſum.

Inde materia *gaudii æterni.*

Piſcator h. l. merito ſuo laudatus.

Articulus alter: *Ratio & confirmatio* ſuperioris theſios.

Articulus alter, ℣. 8.

℣. 8. *Quia Ego Jehova amo* JUS: *odi* RAPTUM IN HOLOCAUSTO; *faciamque ut certum ſit operæ pretium illorum; & pangam iis cum fœdus æternum.*] Legenti verba, non protinus patet, quid ſententia hæc, orationi ut *ratio* inſerta, ſibi velit: ſed explicata videbitur nihil ab argumento orationis alienum continere. Senſus eſt, Non eſſe mirandum, Deum tam profuſa benevolentia proſequi hunc Populum ſuum liberatum & ſanctificatum, miſſum in libertatem, Evangelium laturum ad Gentes, eaſque poſſeſſurum. Cum enim cultus Dei à majore parte Populi ſui ſic dicti celebratus ſit cum hypocriſi, inter manifeſtarias legis ſuæ tranſgreſſiones; hoc ipſo nomine Deo maxime inviſus; atque eo factum ſit, ut *cultores Dei* à Deo non ſint conſecuti beneficia & privilegia, quæ ex cultu veræ Religionis ad cultores ejus redundant: hoc tempore, dum Deus ſub Evangelio nactus eſt Populum ſanguine Filii ſui emptum, ſe colentem in *ſpiritu* ac *veritate*; velle ſe & poſſe ſalva decentia ſuarum Virtutum, *gratiam* atque indulgentiam ſuam in hoſce veros cultores ſuos liberaliter conferre; ſpem Patrum ipſis repræſentare; ex hæreditate mundi eos ditiores facere; idque *fœdere æterno*, h. e. Novi Teſtamenti, fundato in ſanguine Filii, cujus ſtabilis ad finem ſæculorum futura ſit Oeconomia; cum *effectis* æternum duraturis. Relegamus ſingula. *Ego Jehova*, ait, *amo* משפט JUS, h. e. veram Religionem, & in ea colenda verum purumque animi affectum, veritatem, ſinceritatemque. confer dicta de hac voce ejuſque ad Religionem reſpectu Cap. LVI. 1. Quicquid ut *juſtum*, *rectum*, *bonum*, rationi conſentaneum, à conſcientia bona laudatur ac probatur; ſive ſint Leges ac præcepta Dei, quibus præſcribitur Religioni ac Judiciis modus; ſive Judicia Dei ad Leges illas conformata, Rationi ſummæ ac ſanctiſſimæ Naturæ ejus congruentia; ſive actus, affectus, & judicia hominum, ad eandem Legem compoſita: Hebræis venit nomine משפט. Notat *Omne quod juſtum*, æquum, rationale eſt, cujuſcunque ſit generis. Pſ. CVI. 3. *Beati ſunt*, שמרי משפט *qui* OBSERVANT JUS: *qui excercet Juſtitiam omni tempore.* Idem hoc loco, quod Poëta divinus alibi *a*, *Deum amare* VERITATEM IN RENIBUS: cultum ſpiritualem, & analogum animi affectum. Quod ipſum declarans, *odiſſe* ſe, inquit, *raptum in Holocauſto.* Hebræa: שנא גזל בעולה Locutio παροιμιώδης non eum in modum exponenda, acſi Judæi hypocritæ quod ad potiorem ſui partem, *holocauſta* Deo offerrent *ex rapto*: id enim ut ſubinde locum habuerit, quod patet ex Mal. I. 13. eſt tamen credibile, factum rarius: ſed quod ipſi illi homines qui holocauſta & ſacrificia alia ferebant ad aram, manifeſti eſſent injuſtitiæ, iniquitatis, rapinæ, aliorumque flagitiorum: hac ſpecie ſe in publico oſtentan-

Senſus ſententiæ, ejuſque cohærentia, cum ſuperiori membro.

Ratio datur, quare Deus olim cum Populo ſuo minus liberaliter egerit.

Quid hic loci ſignificet vox משפט.

Odiſſe raptum in holocauſto.

Quo ſenſu dictio accipienda ſit?

---

a Pſ. LI. 8.

A o' ó. cum non intelligerent ſententiam Prophetæ; ſimpliciter dederunt: Οὕτως ἐκ δευτέρας κληρονομήσουσι τὴν γῆν· *Ita iterum poſſidebunt terram.* in quo nihil fere eſt Prophetæ. Miſeror illorum conditionem, qui præſtantiſſimum Propheta hac veſte indutum tractarunt. Theodotio: Ἀντὶ τῆς αἰσχύνης ὑμῶν διπλᾶς καὶ ἐντροπῆς ἀγαλλιάσονται μερὶς αὐτῶν· *Pro pudore veſtro duplo, & ignominia exultabunt pars eorum.* quod fateor, me non perfecte aſſequi. *Pars eorum* in hac Verſione ſignificare videtur *aliquos de numero*, ſecundum Latinum uſus vocis PARS: ſed is non eſt uſus vocis חלק *pars* apud Hebræos. notat *ſortem hæreditatis.* Eſtque idem fere uſus Græcæ notionis μερὶς. Si legeretur τῇ μερίδι vel ἐν τῇ μερίδι, *in ſorte ipſorum*, planior eſſet verborum ſenſus; nec tamen is quoque admittendus, quia, cum hic manifeſte inter ſe opponantur duo Status Populi Dei, *triſtior*, & *lætior* qui *triſtiorem* compenſaret: clariſſime liquet ex voce לכן PROPTEREA quæ utrumque membrum dividit, primum membrum totum verſari in deſcribendo *ſtatu triſti & probroſo* inter Gentes, per lætiorem penſando. Idem vitium adhæret Verſioni Hieronymi, cæteroquin tolerabili: *Pro confuſione veſtra duplici & rubore, laudabunt partem ſuam:* PROPTER HOC *in terra ſua duplum poſſidebunt.* Interpretatio ejus: *Pro eo quod duplicem habebatis confuſionem, tam ſuper Populo Judæorum qui à Deo receſſerat, quam ſuper nationibus quæ idolis ſerviebant: Videbitis eos converſos ad timorem Dei laudare partem ſuam.* Pagninus: *Pro pudore veſtro duplicia* recipietis; *&* pro *ignominia exultabunt de portione eorum:* IDEO *in terra eorum duplicia poſſidebunt.* Infarcitur vox *recipietis*, quod duriuſculum; & tollitur ἀντίθεσις inter duo membra. Quorſum enim reſpicit illud לכן PROPTEREA, ſi jam ante ſtatus in melius mutati mentio facta fuerit? Et tamen ſic præiverat Chaldæus, quem hic ſequitur Grotius. Chaldæi hæc ſunt: *Pro eo quod confuſi eſtis & eruboiſtis, duplum bonorum quæ vobis promiſi, adducam vobis, & confundentur populi qui gloriantur in portione ſua: propterea in terra ſua duplicia poſſidebunt.* Non exſculpitur hic ſenſus ex Hebræis, niſi plura addantur: quod ſi præter neceſſitatem fiat, vitio fit. Kimchius: *Pro pudore, quem ſuſtinuiſtis in Exilio, duplam vobis dabo gloriam; & pro ignominia*, qua affecti erant in Exilio, cantabunt in *ſorte ſua* (חלקם pro בחלקם) *bonum quod ipſis liberaliter tribuam.* Belgæ: *Pro duplice veſtro pudore, & ignominia, cantabunt in ſorte ſua.* Sic pariter exhibet Lud. de Dieu: ſed cum videret, obſtare vocem לכן PROPTEREA, ut non ſemel monui; vertit illud לכן per *propterea quod*, in hunc modum: PROPTEREA QUOD *in terra earum duplum poſſidebunt.* quæ dein cum *commate ſequenti* connectit. Non probo. Vox לכן valet *propterea*, idem quod על כן, ſignificatione recepta. Laudo Belgas, quod hic nihil mutaverint: *poteſt enim, ſi neceſſitas flagitet*, ita ſuppleri, *Propterea*, inquam. Sed ipſe Vir Eruditus ſe deinceps deſerit; & aliud ſpecimen interpretationis proponit, quod proxime ad eam Piſcatoris & noſtram accedit. Coccejus: *Pro eo quod pudefacti eſtis duplum, & confuſionem cantant partem ſuam: idcirco in terra eorum duplum hæreditabunt. Diſcipulos Chriſti Jeſu*, de quibus hic agi rectiſſime cenſet, duplum docet pudefactos eſſe, (*a.*) Quando *Chriſtus crucifixus eſt à Judæis.* (*b.*) *Quando Judæi Evangelium rejecerunt, & Spiritum, qui prædicationem Evangelii comitabatur, contumelia affecerunt:* Eoſque & cæteros in Chriſtum Jeſum credentes *ignominiam cantaſſe partem ſuam*; quod *in cruce Chriſti gloriati ſint.* Speculationes vere ſunt ſublimes, eoque præ ſe ferunt ſpeciem quæſitæ ſubtilitatis. Cauſſæ pudoris, quas allegat Vir Cl. nihil habent ὁριστικὸν *definitivum.* Si enim ejuſmodi cauſſæ *pudoris* Diſcipulorum quærantur: poſſent plures demonſtrari; & etiamſi vere *gloriati ſint cruce Chriſti*; durius dictu eſt, Prophetam id ita exprimere voluiſſe, Diſcipulos Chriſti *cantaſſe*, *afflictionem* & *perſecutionem* eſſe PARTEM SUAM. Sunt *accidens* ſtatus credentium: non vero, *ſors* illorum. Nec uſu hic veniebat earum meminiſſe, dum totum argumentum verſatur in explicando gaudio & liberatione credentium. Sed integram potius relinquo interpretationem, ab his dijudicandam quibus curæ eſt verum. Grammatice obſtat vox רנן, quæ in *forma Kal* non uſurpatur *active*, ſive *tranſitive.* Allegavit Vir Cl. unicum locum ex Jer. XXXI. 7. ubi eſt רנו שמחה, ſecundum ipſum, *cantate gaudium:* ſed probabile mihi videtur, שמחה ibi elliptice ſcribi pro בשמחה *cum gaudio. Gaudium* enim proprie *cantari* non dicitur. Interim optime hic obſervavit differentiam & ἀντίθεσιν utriuſque membri, quam cenſeo hujus loci recte interpretandi veram eſſe hypotheſin.

tantes, ut tegmine cultus externi sua palliarent vitia. Propheta de similibus, exteriorem pietatis speciem Deo imputantibus, dixerat [a]: *Molimina injuriæ sunt in manibus eorum.* Deus *coli* vult in *Spiritu & veritate* [b], secundum hypothesin Novi Fœderis: cujus Cultus licet non excludat hypocrisin; ejus tamen ea est natura, ut hypocrisi adimat *velum* ac tegumentum; secus ac Cultus ritualis sub antiquo Fœdere. עולה *Holocaustum* hic significat totum *Cultum Dei ritualem* qualis obtinuit sub antiqua Oeconomia; & גזל *rapina, raptum*, omnem hypocrisin, qua quis Deo sacrificium offert ex *aliis principiis*, quam veris & propriis; sc. fidei, spei, amoris Dei. Confer hic Prov. xv. 8. qui locus in eundem exit sensum. Quare non probo illorum sententiam, qui עוֹלָה hic idem valere volunt quod עַוְלָה *injustitia*, ut sensus sit, *Odio habeo raptum per injustitiam.* Sic, Lud. de Dieu. οἱ Ο'. Ἁρπάγματα ἐξ ἀδικίας. Chaldæus: שקרא ואונסא *falsitatem & oppressionem.* sc. odi. acsi legisset, גזל ועולה. Sed *præfixa* ב admittit quoque *includendi* notationem. Ad rem quod attinet: non abnuo voci עוֹלָה hanc significationem in rarissimis locis; sed ajo, nullam ejus hoc in loco admittendæ necessitatem nos premere; contra vero esse in phrasi, quod redundat. Quid enim opus fuerit scribere, *raptum* CUM INJUSTITIA, cum *raptus* utique omnis inferat *injustitiam?* Non *captura* omnis, inquam; sed *raptus*. Hunc vero imperfectum & vitiosum cultum ait in caussa fuisse, quod cultoribus hisce suis sibi non licuerit præstare fructum & operæ pretium, quod à vera Religione exspectabant. Sed ubi veri cultores sui, se adoraturi in *Spiritu & veritate*, officio suo functi fuerint absque hypocrisi, corde integro, manibus puris: quod faceret hoc Semen liberatum, perfusum Spiritu gaudii: tum vero Deum iis præstiturum esse *operæ pretium*, cultoribus suis dignum, videlicet *hæreditatem Gentium* cum *conscientia pacata* in *sua communione*: qui sensus subest verbis, *Et dabo* OPERÆ PRETIUM EORUM (פעולתם) IN VERITATE. Sic Chaldæus: אגר עובדיהון *Mercedem laborum ipsorum.* Placuit Piscatori, Coccejo, aliis. Hieron. *Et dabo* OPUS EORUM *in veritate.* Belgæ. *Efficiam ut opus illorum sit in veritate.* Utrinque recte. Vox פעולה utramque sustinet interpretationem, *operis*, & *operæ pretii*; & tamen hanc frequentiore usu. Hoc vero in loco Vates pro sapientia sua utramque significationem voci inclusit; licet posteriori intentior quàm priori. Sensus facillimus, idemque clarissimus, huc recidit: *Quando opus ipsorum perfectum &* VERUM *fuerit: exhibebo iis* VERAM ἀνταπόδοσιν *retributionem.* fere ut Jer. xxxi. 16. *Est merces* לפעולתך OPERI TUO. proprie & vere, *In fructum operis tui*, ut docte Cl. Coccejus. Patet ex *sequenti versiculo*, ubi idem mutatis verbis dicitur, תקוה לאחריתך *Expectatio extremo tuo.* Est quod exspectes ad finem operis. *Cultus verus* hic est *spiritualis. Spiritualia* enim dicuntur *vera*, ut modo demonstrabam ad ỳs. 3. Tota Oeconomia Vetus, ejusque institutio, cæremoniæ, ritus, mores, complectebantur ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν· *figuras* RERUM VERARUM, h. e. *spiritualium*, iis respondentium [d]. Huic *cultui* vero *fidei* & *spei* respondebat vera *Hæreditas*, opposita & contradistincta *hæreditati Terræ Canaanææ*, quæ est *res spiritualis.* videlicet, Communio Dei in Christo cum ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν, conscientia consummata, libertate, pace, lætitia, copia donorum Spiritus S. & *hæreditate Gentium*, in fide communione spirituali possidendarum, diruto pariete intergerino, de qua novissime egi ad ỳs. 4. Omnia involvuntur dicto, ET EGO IIS ERO IN DEUM [e]. Quo pertinet quod mox subjicitur, *Et* FOEDUS ÆTERNUM *pangam ipsis.* de qua eadem phrasi, iisdemque in circumstantiis & sensu, vidimus Cap. lv. 3. Ergo Deus efficeret sua gratia, ut Liberati illi à Christo Jesu, mittendi ad Gentes, Deo servituri vero & spirituali cultu, Populum effecturi spiritualem, *verum* consequerentur *operæ pretium*, à se optatum desideratumque, Deo datore dignissimum, temporalibus beneficiis, quorum usum Judæi per peccata sua sæpe interverterant, contradistinctum, quod jam descripsi.

Cultus Dei sub N. T. excludit hypocrisin.

An vox עולה hic sumenda sit pro *injustitia*, & *oppressione?*

Ipsa phrasis huic sententiæ obstat.

Sensus integer promissi.

Et dabo operæ pretium illorum in veritate. usus vocis פעולה hoc in loco.

Sensus dicti.

Quem sequens articulus confirmat.

Cultui spirituali est analoga *hæreditas Mundi.*

Fons ejus, *Fœdus æternum*, Sinaitico contradistinctum.

Articulus tertius.

ỳs. 9. *Et* CELEBRE ERIT *inter Gentes semen ipsorum, & propagines eorum in medio Populorum: Omnes qui illos viderint, agnoscent illos, tanquam qui sint* SEMEN JEHOVÆ BENEDICTUM.] Patet ex *schemate* ipsius hujus pericopæ, ipsos hosce Christi Jesu Discipulos, de quibus in *superioribus* actum erat, hic respici tanquam versaturos inter Gentes, & inter eas habiturum semen. Primum membrum, ונודע בגוים זרעם verti, *Et* CELEBRE ERIT *in Gentibus semen eorum:* quippe censeo hanc genuinam significationem subesse voci נודע proprie, *notum est, innotescit.* veluti inter alia, Ps. LXXVI. 2. *Celebris est* (נודע proprie, *notus,*) *in Juda Deus: in Israële* גדול שמו MAGNUM EST *nomen ejus.* Idem fere quod in historia *Ruthæ* de filio ipsi & Boazo nato [f]: ויקרא שמו בישראל *Et* APPELLETUR NOMEN EJUS *in Israële.* Sit magnæ sobolis Pater, & gloriosa ac celebratu digna efficiat. Interim observaveris, *primo membro* hujus sententiæ aliquid involvi quod expressum non est. Integra sententia est, *Et ipsi noti* sive *celebres erunt inter Gentes, & semen eorum*, perinde ac *propagines* illorum, sc. nati natorum, & qui nascentur ex illis; de qua significatione vocis vidimus Cap. XLVIII. 19. Intellige *semen* ac *propagines spirituales*, quas Apostoli, Evangelistæ, & Judæi credentes, Evangelium ferentes ad Gentes, Verbo gratiæ parerent, videlicet Spiritu S. ad Verbum Evangelii à Ministris Christi prædicatum in iis producente *formam* spiritualem *Novi hominis* in Christo Jesu [g]. confer Cap. XLIII. 5. XLIV. 3. LIV. 1. 2. Sequentia verba, *Omnes qui illos viderint, agnoscent eos*, כי הם זרע ברך יהוה verti possunt, ESSE ILLOS *Semen cui benedixit Jehova*; vel, QUIA *sunt Semen cui Jehova benedixit.* Prius plerique Intt. hic probant, iisque consentio. *Agnitio* enim, cujus hic mentio fit sub notione הכיר, est *agnitio* conjuncta cum discrimine judicii, quæ requirit objectum. Phrasis, *Semen cui benedixit Jehova*, repetitur Cap. LXV. 23. Intelliguntur Credentes in Christum Jesum, participes facti *benedictionis Abrahami*, quam primo Judæis offerri par erat, ab iis & per eos devolvendam ad Gentes, ut Petrus [h]: *Vos estis filii Prophetarum, & pacti quod pepigit Deus cum Patribus nostris, dicens Abrahamo: Et* IN SEMINE TUO BENEDICTIONEM CONSEQUENTUR OMNES FAMILIÆ TERRÆ. *Vobis primum Deus suscitatum Filium suum Jesum misit, qui benediceret vobis, unoquoque sese avertente à pravitatibus vestris.* Intelligis, *benedictionem* esse πνευματικὴν *spiritualem*, sic dictam Apostolo [i], qua Deus nobis *benedicit in Christo. Benedictio* Abrahami est Beneficium *Justitiæ* obtinendæ ex Gratia, conjunctæ cum *donatione Spiritus S.* Hic character se prodens externe in cultu veri Dei cum detestatione idololatriæ, & in puritate ac sanctimonia morum, illos à cæteris Gentibus distingueret; ut hoc ipso facile à Gentibus cognoscerentur & *agnoscerentur.* Ain' vero tu, *Nomen* primorum Christianorum *celebre fuisse* inter Gentes, eosque *agnitos* tanquam *Semen cui Jehova benedixit?* Nonne è contrario *Credentes in Christum* inter Gentes expositi fuerunt contemptui, injuriæ, opprobrio? Nonne Gentes eos persecutæ & calumniis infectatæ sunt? Nonne eos rapuerunt ad gladium, crucem, rogum, bestias? Utique Dominus Jesus id prædixetat suis [k]: *Et eritis* μισούμενοι ὑπὸ πάντων EXOSI OMNIBUS *propter nomen meum.* Respondeo, utrumque inter se recte consistere, si distinguamus subjecta, de quibus affirmatur. Sensus dicti Prophetæ est; postquam Apostoli & Apostolici Viri inter *Gentes* compararent cum *signis & characteribus* verorum Dei *Ministrorum*; (τὰ σημεῖα τοῦ Ἀποστόλου vocat Apostolus [l]:) plures fore ex Gentibus qui illos ut tales,

Articulus tertius, ỳs. 9. *Et celebre erit*, &c.

Usus vocis נודע h. l.

Sententia Prophetæ *evolvitur.*

Semen hic intelligitur spirituale.

Locus Act. III. 25. 26. *Benedictio Abrahami* est *spiritualis.*

Qua re proprie consistat?

Quomodo hæc prophetia conciliatur cum historia?

Res tota lucide declaratur.

a Cap. LIX. 6. b Joh. IV. 24. c Confer Cap. I. 11. seqq. & ibi dicta. d Heb. IX. 24. e Jer. XXXI. 35. f Cap. IV. 14. g Gal. IV. 19. h Act. III. 25. 26. i Eph. I. 3. k Matth. X. 22. l 2 Cor. XII. 12.

agnoscerent, reciperent, & Evangelio adstipularentur: tum quoque plures alios Gratiæ & Unctionis Divinæ participes factos Doctrinam illorum celebraturos & commendaturos aliis, qui ad idem exemplum suscepta fide Ecclesiis jam formari cœptis adsciscerentur: hos vero rursus allecturos esse alios, donec ingens numerus Gentium, & cum tempore primi quoque ordinis ac dignitatis homines, nomen profiterentur inter subditos Christi Jesu, & Discipulos Apostolorum; & tandem caussa Evangelii inter Gentes vinceret ac publice triumpharet, quod docuit Eventus. *Subjecta* itaque inter quæ *celebre* evaderet hoc *Semen benedictum*, quæque illud *agnoscerent* quà tale, non essent perinde omnes homines absque discrimine, aut obstinati Evangelii adversarii: neque id dicit Jesaias: sed ex Gentibus illi, qui caussam Evangelii sibi ex certissimis argumentis commendatam haberent, & doctrinam Apostolicam reverenter cum obsequio fidei amplecterentur. *Odium* Gentium, quod primi Legati Christi Jesu experirentur, tandem converteretur in amorem veritatis, & profundam reverentiam erga primos illius Doctores. Tempus clarissime docuit, & dies testatur.

Qualia hic supponantur *Subjecta*, quibus *Semen Benedictum* innotesceret?

PARS TERTIA hujus *Sectionis*, complexa Orationem Ecclesiæ,

a. *Gloriantis in Domino*, & se excitantis ad lætitiam, adscripta ratione.

Pars tertia hujus *Sectionis*, complexa Orationem Ecclesiæ, a. *Gloriantis in Domino*, ℣. 10. *Summe gaudeo in Jehova*, &c.

℣. 10. *Summe gaudeo in Jehova; exultat anima mea in Deo meo; quia induit me* VESTIBUS SALUTIS; PALLIO JUSTITIÆ *amicivit me; ut sponsus sibi applicat ornatum; & sicut sponsa quæ se ornat mundo suo.*] Rumpitur oratio Chori, privilegia Populi à Christo liberati explicantis: dum ipsa Ecclesia hic in medio comparet, tanquam rapta in ecstasin & ipsorum horum beneficiorum sensu affecta, beneficium Divinæ gratiæ apud se locatum libero ore professa. Quam qui tenet hypothesin, stylo Prophetarum ac Poëtarum congruentem, non habet necesse verbis hisce exordium dare, voce *Dicent*, orationi inserta. *Propositionem* offendis; ejus *rationem*; & rationis *confirmationem*. quorum *priora duo* hoc *commate*; *posterius* insequenti continetur. *Summe* GAUDEO, ait Ecclesia liberata, (proprie, *Gaudendo gaudeo*,) *in Jehova; exultat anima mea in Deo meo.* Veteres Interpretes, *Gaudebo*, sic οἱ Ο'. & οἱ τρεῖς, cum Hieronymo. Coccejus quoque, *Hilarando hilarabor*. Sed rectius *futurum* ששׂישׂ *hilarabor* hic more Hebræis usitatissimo sumitur pro *præsenti*. Quæ enim hanc professionem edit persona, utique hic infertur tanquam jam potita beneficiis, quæ argumentum facerent gaudii ejus. Est autem, quæ hic loquitur, Ecclesia liberata, ut jam prænonui. Chaldæus: אמרת ירושלם *dicit Jerusalem*. Agnosco Subjectum hujus confessionis, *Tsionem* sive *Hierosolymam spiritualem*; sed quæ hic, ut passim, induit *personam* humanam, ut probabile est, *Fœminæ*, quæ cum longum in luctu desedisset, nunc erecto animo prodit cum omni decore atque ornamento Sanctuarii, perinde ac Cap. LII. 1. Nullus tamen character est in textu qui sexum hic discernit. Quin vox מעיל PALLIUM videtur legenti subjicere notionem *Viri*: erant enim Virorum potissimum *pallia*. Sed observandum, Fœminas principes ipsas quoque apud Hebræos antiquo tempore *pallia* gestasse; laxiorem, nimirum, Vestem, eamque ornatissimam, interioribus vestibus superinjectam, ut Historicus sacer nos exerte monet in historia Thamaris [a]. Scenæ decus postulat *fœminam*, quæ repræsentet Societatem credentium: cæteroquin utrum elegeris, in mystica verborum interpretatione perinde se habet. Est autem *gaudere in Jehova* affectus animæ, tanquam extra se raptæ & terrestribus à tergo relictis ad superiora evectæ, se *Deo in spiritu* unientis, & defixæ in contemplationem bonitatis ac gratiæ Ejus, blando ac hilari sensu motuque grati animi ob beneficia tanta in se indignam collata, perfusæ. *Affectus* est *spiritualis*, quo nullus in hac vita jucundior, superans omnem cogitationem mentis, quem vivus sensus Divinæ bonitatis & gratiæ præter meritum sibi factæ producit; phrasi in Verbo Dei & Odis Sanctorum usu satis recepta. Poëta facer [b]: *Hilarescent ac lætabuntur* IN TE *omnes qui te quærunt.* Habakukus [c]: *At Ego* IN JEHOVA *exultabo: valde lætabor* IN DEO *Salutis meæ.* Licet illuc καθ' ἔμφασιν *referas*, quod dicitur, *Exultat* ANIMA MEA. Etiamsi enim voci ANIMA non ubique adscribam peculiarem significationis vim, quippe passim ipsum τὸ *personale* hominis notet: hic tamen & similibus locis, ut Cap. LV. 2, 3. non refugit ampliorem sensum. Piscator, ubi verba vertit, *Summe gaudeo* OB JEHOVAM, *&* OB DEUM *meum*: non est assequutus τὴν δύναμιν phrasios, cæteroquin expositu facillimæ. Locutio hebræa habet, *gaudere* IN *Jehova*, hoc est, gaudendo se Jehovæ spirituali affectu unire. Confer Luc. I. 47.

Emphasis in voce *anima*, h. l.

Rationem sive caussam gaudii spiritualem esse intelligis ex verbis, *quia induit me* VESTIBUS SALUTIS; PALLIO JUSTITIÆ *amicivit me.* JUSTITIA hic idem est quod SALUS, ut vidimus, Cap. LI. 5. LVI. 1. Mox rursus *commate sequenti.* Confer Ps. XCVIII. 2. cujus rei rationem in superioribus abunde explicui. Phrasis autem *vestis salutis & pallium Justitiæ* geminam admittit interpretationem. *Indui vestibus Salutis & pallio Justitiæ*, vel significat, *indui salute tanquam veste; Justitia* tanquam *Pallio*; cujusmodi usus est similis emblematis Cap. LIX. 17. vel, *vestibus* quæ tempori *Salutis* ac *Liberationis publicæ* conveniunt; quomodo interpretatus sum phrasin מעטה תהלה *amictus laudis*, ℣. 3. Prius hic placet ob analogiam loci modo allegati, aliorumque similium: licet mysticus sensus fere eodem tendat. *Vestes Salutis & pallium Justitiæ* significant hoc in loco omnia *Effecta Liberationis* (ἀπολυτρώσεως) *spiritualis*, à Christo Jesu Populo suo procuratæ, ad Credentes tegendos ornandosque per Gratiam Divinam applicata. Id quod peccatorem nudum *tegit* coram Deo, est sanctissima & pretiosa *Justitia* sive *Obedientia* Christi Jesu, proximum effectum τῆς ἀπολυτρώσεως *Redemptionis Christi Jesu*, unde ipsa ἀπολύτρωσις vocatur, Rom. III. 23. *Ut qui justificentur gratis* διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ *per* REDEMPTIONEM (διὰ hic notat medium caussale,) *quæ est in Christo Jesu.* Hæc *vestis* est *interior* Populi Liberati, qua Deus eum *induit*, tum quod eam credentibus ex gratia imputet: tum quod eos donet *fide*, per quam eandem ad se *applicant*. Accedit *Vestis exterior*, variegata, splendida, ornatissima, *Pallium* laudis. Intellige tum *Dona* Spiritus S. illuminationis, prudentiæ, sanctimoniæ; tum *Jura & Privilegia* Domus Dei, ad quæ referenda est *Unctio*, *Sacerdotium* & *Regnum* spirituale, per *Adoptionem* in eos collata. Dixi supra ad ℣. 3. Quo ipso *pallio* Deus quoque ipse eos amicit & ornat, quod *Dona* illa & *Jura* ex gratia in eos conferat. Inhæsi, fateor, dum in hac pericopa interpretanda versatus sum, passim principiis communis Doctrinæ Ecclesiæ nostræ de modo salvandi peccatoris per *Justitiam* Messiæ; sed nihil hic commisi alienum ab officio boni Interpretis. Hypotheses enim hæ non sunt arbitrario assumptæ; neque etiam tantum ex Doctrina Evangelica promptæ: (etsi id hic sufficere posset:) sed plane Jesaianæ, ut ex commentatione *extremorum versiculorum* Cap. XLV. & ex Cap. LIII. clarissime liquet. Si te alio vertas, nihil proficies; nisi forte his verbis sensum des exilem & nihil solidum tinnientem.

Ratio gaudii. *Induit me vestibus salutis, pallio Justitiæ.* Quid *Justitia* valeat h. l.?

Phrasis diverse accipi potest. Vera significatio definitur.

Verum *tegumentum & indumentum* peccatoris in Statu gratiæ.

Exterior vestis Credentium in Statu gratiæ.

Figura orationis. Hierosolyma spiritualis hic comparet sub schemate *Fœminæ.*

Pallia recte conveniunt *Fœminis.*

Quid sit *gaudere in Jehova?*

Affectus est *spiritualis*, ex analogia illustratus.

Defensio hujus interpretamenti.

Sed ne sic quidem Ecclesia ex æquo statum suum prædicasse videbatur. Emblema adhuc altius effert, ut sane Jesaias, quod sæpiuscule jam monui, emblemata omnia sua docte pingit. Comparat hunc suum Ornatum vestitumque Comptui *Sponsi* & *Sponsæ*, ne quid emphasios neglexisse videretur. Verba Prophetæ: *Ut Sponsus* יכהן SIBI APPLICAT *ornatum*, *seqq.* Sic passim Intt. Hieronymus, & Coccejus quoque, connectit cum *superiori membro* in hunc sensum: *Pallio Justitiæ amicivit me, ut* SPONSUM qui *sibi applicat ornatum*,

Emblema adhuc altius effertur. Comparatio sumpta à *Sponso.*

Animadversio ad versionem Hieronymi & Coccejii.

[a] 2 Sam. XIII. 18. [b] Ps. XL. 17. [c] Cap. III. 18.

tum, ſeqq. Sed Macorethæ ſententias per *majorem accentum* diviſerunt; & partes videri poſſent tam arcte conjunctæ minus cohærere. Si enim *Deus* ipſe *amiciat* perſonam Eccleſiæ; non ſatis commode videtur comparari *Sponſo* QUI SE *amicit ipſe*: quæ tamen difficultas ejuſmodi eſt ut facile ſuperetur. Cenſeo nihilominus rectius, & ex mente Vatis, hæc verba integram dare ſententiam; ſed ellipticam. Integra ſententia eſt, UT SPONSUS *qui ſibi applicat ornatum, & ut ſponſa, ...* Ego *ornatus* vel *ornata* procedo. Duo vel tria hac ſimilitudine docere intendit Propheta. *α.* Ornatum Eccleſiæ primi temporis fore novum, inſignem, ſplendidum, in omnium incurrentem ſenſum, qualis eſt *ſponſi* vel *ſponſæ*. *β.* Junctum fore magnæ lætitiæ, & hilarirati ſpirituali: qui verus character eſt ornatus ſpiritualis Eccleſiæ N. T. Eſſentiale ejus attributum facit *lætitia*, ex ſpiritualibus cauſſis & ex ſenſu Gratiæ Divinæ orta. Si enim ab externis ac temporalibus cauſſis penderet, ut olim ſub Oeconomia Vetere: nec ſumma eſſet, nec conſtans & æquabilis. confer Cap. LXII. 5. Ecquid vero ais, utrumque hic producitur ſimile *Sponſi* & *ſponſæ*? Alterutrum enim & præſertim *ſponſæ*, paſſim ornatiſſime comptæ, hic videri poſſet ſufficere, quo Jeſaias jam uſus fuit Cap. XLIX. 18. Reſpondeo, utrumque ſimile hic produci à Propheta; tum ut ornatum de quo agit perfecte deſcriberet; tum quod in ornatu *ſponſi* occurrat *attributum*, minus demonſtrabile in ornatu *ſponſæ*. Obſerva itaque, per פאר *Ornatus*, cujus ibi mentio fit, vere intelligi *mitram*, ſive *cidarim* ſplendidiſſimam *ſponſi*, inſtar *coronæ Sacerdotalis* caput circumdantem, de qua egi ad ỳſ. 3. Symm. h. l. ὡς νυμφίον κεκοσμημένον ϛεφάνῳ. quod expreſſit Hieronymus: *Ut ſponſum decoratum* CORONA. Eſt enim privilegium *Sacerdotii ſpiritualis* [a], *Regiæ dignitati* uniti, imo certe ipſam dignitatem *Pontificalem* ſano ſenſu participantis, inter præcipua & ſumma ornamenta Eccleſiæ Novi Fœderis. Ad eum enim ſublimitatis gradum hanc dignitatem effert Apoſtolicus ad Hebræos, his verbis [b]: *Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi Sacrarium per ſanguinem Jeſu, ea via quam dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, hoc eſt, per carnem ſuam.* Sacerdotes deſcribit, quos à *Pontifice*, Filio Dei, diſtinguit; ſed quos tamen tanquam in ipſius hujus dignitatis partem venerint, exhibet & extollit. Dignum animadverſu eſt, id vidiſſe Paraphraſten, cujus hæc ipſiſſima verba ſunt: *Sicut ſponſus qui proſpere agit in thalamo ſuo*, וככהנא רבא דמתקן בלבושוהי *& ſicut* SACERDOS MAGNUS, *qui ornatur veſtimentis ſuis.* Nullus dubitem, quin ſectatus ſit vim vocis יכהן quam vertimus per *applicat*. Vox כהן Hebræis notat *Sacerdotem*: יְכַהֵן *Sacerdotio fungi*. Nec tamen illa notatio hic obtinet, licet propterea à vulgata & communi nihil diſcedat. Quod enim ex hoc loco clariſſime intelligimus: vox יְכַהֵן propria & genuina ſignificatione ſua valet *applicare, admovere, arcte rem rei adjungere*; atque adeo ſi de *hominibus* aut quibusque *perſonis* uſurpetur, valet, ſe proxime perſonæ adjungere: quod proprie *Sacerdotum* eſt reſpectu *Dei*. Sunt enim ipſi quibus licet ἐγγίζειν τῷ Θεῷ *appropinquare Deo*; quibuſque patet familiaris ad Deum *aditus*, & προσαγωγὴ *acceſſus, adjunctio*. Summa ejus, quod Spiritus S. his verbis declarat, huc recidit; Deum Eccleſiam Novi Teſtamenti in initiis ſuis exornaturum eſſe Donis atque ornamentis ſpiritualibus omnigenis, eo gradu perfectionis, quo majorem mortalibus in terris non indulget; quod hiſtoria docet ita ſe habuiſſe, imprimis in Apoſtolis, Evangeliſtis, & primis Credentibus gratia Spiritus S. perfuſis, ut ex eorum Monumentis liquet. Hæc materiam iis fecerunt *gaudii* & *gloriationis* in Domino ſummam: nulla enim hac major, nulla certior & ſolidior eſt.

β. Rationem illius *gaudii* uberius explicantis.

ỳſ. 11. QUIA SICUT *terra profert germen ſuum; & ſicut hortus ſata ſua facit efflorescere:* SIC DOMINUS *Jehova germinare faciet Juſtitiam &* LAUDEM *coram omnibus Gentibus.*] Ratio una alii adjungitur: altera per alteram explicatur. *Salus* Jehovæ & *Juſtitia* ejus per Orbem vulgata eſſet *cauſſa gaudii*; unica in terris vera, ſolida, durabilis. In verbis Vatis nihil dubii hæret, niſi quod ad primam ſpeciem non ſatis liqueat, quomodo ἡ πρότασις τῇ ἀποδόσει exacte reſpondeat. Secundum primum aſpectum in hac comparatione *Dominus Jehova* hic videtur reſpondere *terræ & horto*. Dictum erat in προτάσει, SICUT TERRA *profert germen ſuum, &* SICUT HORTUS: cui Ἀπόδοσις ſubjicitur, SIC *Jehova Deus*, ſeqq. An itaque in hac aſſimilatione Deus *terræ & horto* comparatur? Reſpondeo, ſi quis id ſtatuere velit, nihil committere abſurdum, cum ſimilitudines in ſacris promiſcue ſumantur ab omnibus rebus, *attributa* alterius rei illuſtrare aptis. Et tamen eſt duriuſculum; ut aliunde facile perſuademur, Prophetam id nolle. Coccejus noſter, evitaturus hoc incommodum, ut opinor, vertit verba, *Nam ut* TERRAM, *quæ profert germen ſuum; & ut hortum, ...* SIC *Jehova germinare faciet Juſtitiam:* quæ verſio hanc ligenti ſubjicit cogitationem; *Juſtitiam* & *Salutem* eadem fœcunditate *germina* ſua producturam, qua *terram* hortumque irriguum, ſata ſua producentem. Nihil etiam in hac cogitatione eſt quod te jure offendat: nec tamen hic mihi videor tenere ſenſum Jeſaianum. Ipſius ſententia liquido expoſita ſic habet, SICUT TERRA *profert germen ſuum, & ſicut hortus ... ſic* TERRA *germinabit juſtitiam & ſalutem, faciente Jehova.* Noluit Propheta repetere vocem *terra*, ubique ſectatus elegantiam; & hac de ratione magis, quia *terra* in προτάσει *proprie*, in ἀποδόσει *figurate*, accipienda eſſet: ergo hac voce in ἀποδόσει neglecta, ſubſtituit *Jehovam* ut cauſſam, & auctorem tanti beneficii, qui *terram* perinde feracem redderet *juſtitiæ & laudis*, ac *gramina & ſata* per naturam ſuam profert. Quod autem ſuppono, in *altero membro* propoſitionis comparatæ ſubintelligi *terram*, liquet ex ipſo Jeſaia, cujus analoga verba habuimus Cap. XLV. 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes ſtillent juſtitiam: aperiat ſe* TERRA, *& fructuoſum ſit omne genus* SALUTIS; *& pariter progerminet* JUSITITAM. Confer analogum locum Poëtæ ſacri [c]: אמת מארץ תצמח VERITAS *ex* TERRA GERMINABIT. Cætera paucis licebit defungi in interpretatione horum verborum, cum dicenda jam anticipaverim ad locum modo adnotatum, Cap. XLV. 8. qui conferri poteſt cum Cap. XXXII. 8. Vox תהלה LAUS hoc in loco notat *ſalutem*, ut Cap. LX. 18. & ỳſ. 3. hujus *Sectionis*; atque adeo idem hic valet quod צדקה *juſtitia*, ישועה *ſalus*. Facit autem Deus *germinare juſtitiam & laudem coram omnibus Gentibus*, quando ipſe ſua gratia excitat homines per *terram* ſparſos, qui Verbum Ἀπολυτρώσεως *Redemptionis* & Σωτηρίας *ſalutis* ubique terrarum coram omnibus Populis vulgant, promulgant, explicant; eo fructu ut ex ipſis illis Populis novi excitentur *Præcones* hujus Verbi, qui aliorum inſiſtentes veſtigiis, eodemque affecti zelo, huic operi inſtant, & meditationibus, ſermonibus, laboribuſque ſuis faciunt, ut ὁ Λόγος Θεῦ *Verbum Gratiæ, Liberationis, Salutis*, μᾶλλον καὶ μᾶλλον αὐξάνῃ καὶ πληθυνθῇ *magis magiſque* EXCRESCAT *&* MULTIPLICETUR [d]. Imo vero, Deus dicitur *progerminare* facere *Juſtitiam & laudem*, ubi ſunt in terris per Orbem ſparſi homines, qui *fructus* illius Verbi Salutis & Gratiæ omni ſpecie *dotium* ac *virtutum*, videlicet, intelligentiæ, ſapientiæ, ſanctimoniæ, puritatis, charitatis, bonitatis, bonorumque operum, tanquam totidem *germina Gratiæ* & *flores floridos* ac delectabiles, coram Gentibus oſtentant, & Populis ipſo opere & facto demonſtrant; ſe eſſe *germina, plantas, flores*, ab ipſo Deo ſata plantataque [e]; & hoc medio Gentibus ejuſdem doctrinæ fidem & *ſalutis* communionem perſuadent. *Terra* hic eſt Eccleſia per terram ſparſa, conſtans hominibus terræ incolis: quæ eadem hic venit pulcherrimo emblemate

Subeſt ſententiæ ellipſis. Integra propoſitur.

Senſus ſpiritualis. Ornatus Eccleſiæ Apoſtolicæ eſſet inſignis: iſque junctus *magnæ lætitiæ.*

Similitudo in *Sponſo* ſumpta, an huc faciat?

Uſus vocis פאר h. l.

Quid hic loci myſtice aleat?

Paraphraſis Chaldæa obſervabilis.

Verus uſus notionis כהן.

Sacerdotum privilegium.

Præſertim ſub Oeconomia N.

Ratio & cauſſa lætitiæ uberius explicatur, ỳſ. 11. Nexus orationis, & ſcopus ejus.

Quomodo duo comparata in ſententia ſibi mutuo reſpondeant?

Meditatio D. Cocceji.

Sententiæ ſenſus Grammaticus.

Ad realem ſenſum aliqua monentur,

Quomodo Deus germinare faciat *Juſtitiam & Salutem?*

Opus Miniſtrorum Evangelii hac parte.

Sententia ſpiritualis amplius elucidatur.

Terra, quid hic myſtice ſignificet?

---

[a] 1 Pet. II. 5. Apoc. I. 6. [b] Heb. X. 19. [c] Pſ. LXXXV. 12. [d] Act. VI. 7. XII. 24. [e] Matt. XV. 13. confer Pſ. CIII. 14.

horti, perinde ac Cap. LI. 3. LVIII. 11. ubi illud contemplati sumus. *Terra* autem, quæ per ingenium germina & flores producit, convertitur in *terram* & *hortum Jehovæ*, ab ipso consitum & plantatum, ubi eadem *homines*, qui Ecclesiam faciunt, *terræ* incolas, sustinet, nutrit, & propagat. En luculentum promissum gratiæ, quod nemo dubitet exhibere materiam solidissimi gaudii spiritualis. De implemento autem nihil necesse est monere. Docuit enim, quod hic dicitur, dies, nemine nescio.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

CONCIONIS QUARTÆ

Sectio altera.

Chorus Propheticus, repræsentans *Præpositos* Ecclesiæ primi temporis gratiæ, se sistit in medio, & Ecclesiam Credentium adhuc luctatam cum afflictionibus Paganorum fidei caussa sustinendis, certam reddit de indubio implemento præstantium promissorum, ut fructu *precum* & *interpellationum* pro hoc bono obtinendo ab Ecclesia ejusque Præpositis quoto die fusarum: quando se protinus diffundit ad feliciora illa Ecclesiæ tempora, quibus ipsi Reges se fidei Ecclesiæ subjicerent, describenda. Comparet Chorus alius, repræsentans Ecclesiam, celebrans benignam Dei Providentiam, qua ei fideles procurat Episcopos & Præpositos, qui pro toto Corpore Credentium absque intermissione vota faciunt, iisdemque Ecclesiæ Præpositis acclamat, eosque excitat ad studium hocce suum continuandum usque quo Ecclesia obtinuerit promissorum perfectam repræsentationem. Mox adest qui hanc *spem*, in *Jurejurando* Divino fundatam, corroborat; & tempus adesse docet, quo Deus promissa rata faciat; remotis impedimentis, quæ ei huc usque remoram injecerant.

CAPUT LXII.

Textus Cap. LXII.

1. PRopter Tsionem non silebo, & propter Hierosolymam non quiescam, donec exierit tanquam fulgor justitia ejus, & salus ejus tanquam fax ardens.

2. Et videbunt Gentes justitiam tuam, & omnes Reges gloriam tuam; & appellaberis nomine novo, quod os Jehovæ diserte enuntiabit.

3. Atque eris corona ornatus in manu Jehovæ; & cidaris regia in vola Dei tui.

4. Non diceris amplius Derelicta; & terra tua non dicetur amplius Desolata, quippe appellaberis Hephtsi bah, (*complacentia mea est in ea*,) & terra tua Maritata; quia Jehova sibi complacet in te, & terra tua maritabitur.

5. Quippe ut juvenis se maritum sociat virgini; filii tui se tibi adjungent maritos; & *cujusmodi est* gaudium sponsi super sponsa, *sic* gaudebit super te Deus tuus.

6. Super muros tuos, ô Hierosolyma, constitui custodes: per totum diem & totam noctem continuam non silebunt. O vos, quibus incumbit commemorare Jehovam, ne sit vobis silentium!

7. Et ne concedite ipsi quietem, usque quo constabiliverit, & usque quo posuerit Hierosolymam laudem in terra.

8. Jehova juravit per dextram suam, & per brachium roboris sui: Si dem frumentum tuum amplius cibum hostibus tuis, & si alienigenæ bibent mustum tuum, in quo laborasti!

9. Quandoquidem qui illud collegerunt, eo vescentur, Jehovam celebrantes; & qui illud coëgerunt, bibent illud in atriis meis sanctis.

10. Transite, transite per portas: æquate viam populo: aggerate, aggerate semitam: repurgate *eam* à lapidibus: levate signum ad populos.

11. Ecce! Jehova promulgari fecit ad finem terræ; Dicite filiæ Tsionis, Ecce! salus tua venit: Ecce! merces ejus cum ipso; & operæ pretium ejus ante ipsum.

12. Et vocabunt illos populum sanctum; Redemptos Jehovæ; & tu appellaberis Quæsita, Civitas non derelicta.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis*.

PRophetæ nostri, fonte Spisitus S. proluti, est inexhausta oratio, dum novæ ei identidem suggeruntur figuræ ad spem Ecclesiæ firmandam. Continuans idem argumentum, in quo oratio *superiore Sectione* decurrerat, introducit hic *Chorum Propheticum* repræsentantem *Præpositos Ecclesiæ* Credentium; sive *Chorum* eorundem Ecclesiæ *Præpositorum*, à Spiritu S. edoctorum de amplissimis promissis, Populo Messiæ datis, commemorantem juge officium suæ intercessionis, ut *Regnum* Dei magis magisque *veniat*, & *salus* ejus in Ecclesia revelata ad eum educatur *claritatis splendorisque* gradum, qui respondeat *amplitudini* promissorum Ecclesiæ datorum [a]: quò pertinebat, ut *Reges* & Principes *admiratores* ac fautores haberet suæ gloriæ [b]; ipsa pulcherrimis dotibus ornata auctaque fulgeret [c]; & externos in Mundo nanciscerentur Patronos ac defensores, qui caussam ipsius adversus hostes defenderent [d]. Adest Chorus, superiori succinens, Præpositos Ecclesiæ excitans ad hoc officium jugis intercessionis pro Ecclesia absque intermissione continuandum, id enim velle Deum, & hoc medio Statum Ecclesiæ in hisce terris statuisse consummare [e]. Iterat vices Chorus Propheticus; & primo quidem de novo securam esse jubet Ecclesiam

a ℣. 1. b ℣. 2. c ℣. 3. d ℣. 4. 5. e ℣. 6. 7.

cleſiam ex *Jurejurando Dei* de pacatioribus & felicioribus temporibus quam quibus huc uſque gaviſa erat *a*: deinde, appropinquante ſenſim clariore φανερώσει Regni Dei, figurata oratione declaratur; impedimenta ac repagula omnia, quæ objici poſſe videbantur huic magno Operi clarioris Apparitionis Regni Dei, è medio removenda eſſe, ut effectus abſque dubitatione ſequatur *b*. eſſe videlicet *Robuſtum* illum *Tyrannum*, Eccleſiæ votis contrarium, in ipſa Arce ſua oppugnandum vincendumque, ut in & per Eccleſiam perfecte regnet Servator Eccleſiæ, *Filius Dei*.

Quod totum eſt generis *Paracletici*.

II. Intelligis, argumentum *Sectionis*, ſuperiori conſentaneum, totum eſſe παρακλητικὸν *Conſolatorium*; quem ſæpe monui præcipuum eſſe *Scopum* Verbi Prophetici. Afflictiones, Eccleſiæ à Deo in hiſce terris decretæ, hunc maxime uſum requirebant. Miſcentur quidem orationi Propheticæ *admonitiones c*, per *apoſtrophen* ad certas Perſonas directæ: ſed ipſæ quoque huic uſui ſubordinatæ. In hunc *Scopum* exit hæc revelatio.

De *Occaſione* ediæ hujus prophetiæ admonitio.

III. De *Occaſione* etiam nihil quod moneam, mecum habeo, præter ea quæ adſcripſi ad *Sectionem ſuperiorem* cujus partem facit. Obſervavi ibidem, & certum teneo; *Sectiones* Propheticas, quæ inde à Cap. LXI. decurrunt ad finem hujus Libri Prophetici, facere ad illuſtrandas *periodos* Regni Chriſti Jeſu *ſuperiore prophetia* expoſitas. Hanc vero *Concionem* illuſtrare *primam* & *alteram Periodum* temporis gratiæ, quæ deſcriptæ erant Cap. LIV. LV. LVI. 8. Primam quidem Cap. LXI. quæ ſpiritualem *ornatum* Eccleſiæ Chriſti Jeſu ejuſque inſignia *privilegia* luculenter deſcribit, ut vidimus: Alteram, hac *Sectione* comprehenſam, quæ eandem Eccleſiam exhibet à perſecutione externa vindicatam liberatamque, & in eum redactam Statum, ut Reges Gentium eam foverent ac patrocinium ejus ſuſciperent. Sic dictum erat initio ſuperioris prophetiæ, de Chriſto Jeſu *d*: עליו יקפצו מלכים פיהם. REGES *ſuper eum obturabunt os.* Id in Eccleſia implementum ſuum conſequi oportebat. conſequutum autem eſt tempore Conſtantini.

Scena prophetiæ hujus ut inſtructa ſit!

IV. *Scena* hujus *Sectionis* ſic eſt inſtructa, ut duo *Chori* in medio comparentes per vices loquantur. Primus eſt *Propheticus*, repræſentans *Præpoſitos* Eccleſiæ N. T. eoſque ſuo corpore involvens. Alter, *Repræſentans* totum Corpus credentium in Chriſtum Jeſum, & exſpectantium clariorem revelationem Regni Dei: quem rurſus excipit Sermo Chori Prophetici, orationem ad finem prophetiæ continuans & corroborans ſpem Credentium. Equidem videri poſſet Deus ipſe hic introduci, ut Eccleſiam per *Apoſtrophen* compellans ℣. 6. his verbis: *Super muros tuos, ô Hieroſolyma, conſtitui vigiles*, & quæ ſequuntur: Sed recte oratio hic accipitur Eccleſiæ, admiſſa ellipſi frequentiſſimi uſus hic ſubaudienda, נאם יהוה *dictum Jehovæ:* idque ita ſe habere ex *fine* illius pericopæ pateſcit, *Vos qui recordari facitis Jehovæ, ne ſit ſilentium vobis.* quæ oratio non eſt Jehovæ ipſius, ſed prodit ex ipſo Eccleſiæ Corpore. de quo in loco pluribus. Liquebit autem ex interpretatione noſtra, figendam eſſe *ſcenam* in tempore luctæ Eccleſiæ N. T. & terminari in temporibus Conſtantini.

Analyſis hujus Sectionis.

V. Secundum hanc ſcenam inſtituenda eſt *Analyſis*, quæ nihil impediti habet. Eſt autem Sectio trimembris.

PARS PRIMA: Oratio *Chori Prophetici* repræſentantis Præpoſitos Eccleſiæ Novi Teſtamenti, qui

- *α.* Commemorat Officium jugis interceſſionis Eccleſiæ pro clariore Revelatione *ſalutis* & *Regni Dei*, ℣. 1.
- *β.* Explicat diſtinctius illius clarioris *Revelationis Regni Dei* attributa, ut ſunt
  - a. *Gentium* & *Regum ipſorum* acceſſio ad Eccleſiam, ℣. 2.
  - b. *Novum nomen* Eccleſiæ à Deo ipſo imponendum, ℣. 2. med.
  - c. Aſſervatio ejus ut Rei pretioſiſſimæ gloriam Dei luculenter illuſtrantis, ℣. 3.
  - d. Defenſio ejus adverſus hoſtes externos per *Vindices* & *Patronos*, Eccleſiæ à Deo procurandos, ℣. 4. 5.

PARS ALTERA: Oratio *Chori* repræſentantis *Eccleſiam*,

- *α.* Agnoſcentis beneficium ſingulare Divinæ erga ſe curæ & providentiæ, quo ſibi dedit *Paſtores* & *Vigiles* pro *Salute* Dei clarius revelanda continenter intercedentes, ℣. 6.
- *β.* Eos *excitantis*, ut hoc officium indefinenter continuent, uſque quo Deus promiſſa Eccleſiæ data repræſentaverit, ℣. 6. fine, & ℣. 7.

PARS TERTIA: Ἀντιστροφὴ *Chori Prophetici*, repetentis orationem, &

- *α.* Adducto *Jurejurando*, quo Deus promiſſa gratiæ ſanciverat, ſpem Eccleſiæ confirmantis, ℣. 8. 9.
- *β.* Figurata oratione docentis, *Impedimentis* omnibus, quæ videri poterant huic Operi Dei objecta, ſublatis, magnum fore ad Eccleſiam confluxum, ℣. 10.
- *γ.* De novo eadem hæc promiſſa gratiæ latius exponentis, ℣. 11. 12.

Admiſtio de *Anacriſi*.

VI. *Anacriſi* novæ hic nullus locus, cum hæc *Sectio* cum *ſuperiore* ſit arctiſſime conjuncta, ejuſque partem faciat, ut clariſſime liquet ex toto argumento ejus; & *ex commate ultimo Sectionis ſuperioris* cum *primo commate* hujus *Sectionis* comparato, ut mox pateſcet. Sed ſi qua hic dubitatio aliquem teneat: eam exegeſis ipſa diſpellet.

PARS PRIMA: Oratio *Chori Prophetici*, repræſentantis Præpoſitos Eccleſiæ temporis gratiæ, qui

- *α.* Commemorat juge officium ſuæ interceſſionis apud Deum pro *Regno ſuo* clarius revelando.

Pars prima: Oratio *Chori Prophetici*; qui *α.* Memorat Officium Jugis interceſſionis pro Eccleſia, ℣. 1.

℣. 1. *Propter Tſionem non* SILEBO, *& propter Hieroſolymam non quieſcam, donec exierit tanquam fulgor juſtitia ejus; & ſalus ejus tanquam fax ardens.*] Sunt ex Interpretibus qui Deum ipſum hic loquentem faciunt, faventque ſententiæ ex Hebræis Chaldæus, & Kimchius; quam hypotheſin Grotius quoque adoptat. Coccejus ipſe, hinc non longe abiens, eandem perſonam hic loquentem facit, quæ verba fecerat initio Cap. *ſuperioris*, h. e. Meſſiam. Quomodo qui inſtituunt, neceſſe habent *ſilentium* illud, cujus hic mentio fit, interpretari de *ſilentio operis*, hoc eſt, de omiſſione curæ ac providentiæ Dei in Eccleſia liberanda atque ornanda, acſi diceret Deus; Se qui huc uſque Tſionem ſua complexus ſit peculiari cura ac providentia, & illa ſua providentia multa jam ordinaverat ſubſervitura magnæ illi ſaluti, in tempore producendæ: non *deſiturum eſſe*, hanc curationem providentiæ ſuæ erga eam continuare, uſque quo omnia volita ſua perfecerit, & Eccleſiam ſuam evexerit ad ſtatum gloriæ, ei in terris præfinitum. In meditatione ipſa, ſi eam per ſe inſpexeris, nihil vitii eſt. Sed *ſequens* oratio continuatur de *Deo Jehova*, perſona *tertia*; (quod tamen, fateor, tanti non eſt:) & Vates ipſe, hic loquentem faciens Eccleſiam, clariſſime docet, (℣. 6.) *ſilen-*

Num oratio hæc ſit *Dei* ipſius? Auctores hujus ſententiæ.

In eam ſententiam *inclinatis*.

---

a ℣. 8. 9. *b* ℣. 10–12. *c* ℣. 6. 10. *d* Cap. LIII. 15.

Oratio est Ministrorum Ecclesiæ, ut patet ex ỳs. 7.

silentium de quo hic mentio est, pertinere ad Ecclesiam aut ejus Ministros. Verba ibi hæc leguntur: *Super muros tuos, Hierosolyma, constitui Vigiles: per totum diem & noctem non* SILEBUNT. *Vos qui recordari facitis Jehovæ,* NE SIT VOBIS SILENTIUM. Conferenti binas hasce periochas luculenter patebit, unam alterius interpretandæ rationem docere. Indidem quoque percipis, intelligi hoc loco *silentium precationis* & *intercessionis* apud Deum pro *bono Tsionis*. Docti Viri qui orationem hanc *Jesaiæ* sive *Choro Prophetico* tribuunt, inter quos Belgæ quoque nostri, hunc sensum dant verbis; Etiamsi grave sit multis, de sæculo hominibus, Regni Dei non amantibus, me (Prophetam) identidem ingeminare præcellentia beneficia Ecclesiæ decreta, eorumque continua repetitione illorum veluti obtundere aures: non *cessabo* tamen id agere, nec *silebo* de hac *spe* futuri temporis; usque quo Deus promissis fidem fecerit, & *Salutem* Salutisque *Caussam* adduxerit. Censeo vere, & putem liquere ex loco parallelo, agi hic de *officio precationis*. *Non silere propter Tsionem & Hierosolymam* est, ut opinor, *rogare salutem Hierosolymæ* [a]. Vidit quoque Estius, & haud dubie plures: est enim cogitatu facillimum. Id vero etsi non inficier, trahi posse ad *intercessionem* Christi Jesu pro Ecclesia & Ecclesiæ amplificatione: multo lubentius refero ad *Chorum Propheticum*, repræsentantem totum *Corpus Ministrorum Dei*, & in his quoque *Apostolos* atque *Evangelistas* primi temporis gratiæ; quippe quod ex analogo loco modo appellato clare liquet. Est autem hæc *figura* orationis, qua Prophetæ repræsentant *Personas analogas*, hoc est, Chorum Ministrorum Dei & Ecclesiæ, ejus periodi temporis, in quam incidit implementum prophetiæ; per hunc *Librum*, *Zachariam*, *Apocalypsin*, receptissimi usus. *Fidi* itaque Dei *Ministri*, Apostoli & illorum successores, *se* non esse *tacituros*, ajunt, *usque quo* JUSTITIA *Ecclesiæ* (h. e. REDEMPTIO EJUS, ut sæpius vidimus,) *exierit ut fulgor, &* SALUS EJUS *arserit instar lucidæ facis*. hoc est, Regnum Dei clarissime revelatum fuerit, & impleatur dictum Ps. XCVI. 6. *Cœli annunciant* JUSTITIAM EJUS; *&* OMNES POPULI *vident* GLORIAM EJUS. Significatur hac declaratione, α. Deum jam incepisse *salutem* ac *Liberationem* Ecclesiæ producere in lucem. β. Nec tamen hoc opus Dei esse *consummatum*. γ. Quin è contrario profectum Regni Dei obscurari variis afflictionibus & persequutionibus. δ. Iisque jam per *longum tempus* protrahendis vel protractis. ε. Deum tamen certo proposuisse, *Regnum suum* in clarissimam producere lucem & gloriam in hoc Mundo, ut Regibus ipsis ac Principibus Orbis reverendum sit, & ab ipsis quoque illis agnoscatur & studiosissime quæratur. ζ. Medium autem illius beneficii obtinendi esse *preces* à Præpositis Ecclesiæ absque intermissione (προσευχὴ ἐκτενὴς [b],) ad Deum fundendas, ut Populum tandem suum faciat *incedere super celsa terræ*, *Justitiamque* ac *Salutem suam* lucidissime revelet, ab omnibus Populis cognoscendam, & *hostes* Ecclesiæ *consumpturam*. utrumque enim latere potest in posteriori simili, לפיד יבער *Fax quæ ardet*. יבער pro אשר יבער. Patet liquidissime, α. Non agi hic de *prima manifestatione Regni Dei*; sed de *manifestatione* illius *clariore* & *lucidiore*, qua *Regnum Dei* in Mundo *prodit* instar *fulgoris*, & *facis ardentis*, quando *Reges* & Magnates terræ *gloriam* ejus agnoscunt ac reverentur, ut patet ex ỳs. 2. & seqq. de qua clariore φανερώσει *Regni Dei* egi ad Cap. LVI. 1. his verbis, *Quia prope est Salus mea, ut veniat, & Justitia mea ut* REVELETUR. Inspice, si placet, locum; nec inspexeris frustra. β. Proinde figendam esse scenam hujus *Sectionis* in illa periodo Ecclesiæ quæ à jactis fundamentis Regni Dei in Mundo per Apostolos Virosque Apostolicos decurrit ad Constantinum. Hoc enim demum tempore Ecclesia consequuta est, quod dudum speraverat, etsi spe videretur superius. Hanc censeo clavem esse hujus prophetiæ, recte interpretandæ. Cadit quod hic dicitur in illud tempus, quo Ecclesia nondum viderat *Reges* sibi subjectos: quo *lux ejus* nondum perruperat instar *fulgoris* & *facis ardentis*. quod ipsum deinceps firmabitur ex ỳs. 11. coll. cum Cap. XL. 10. Deum autem hoc beneficium indulturum esse Ecclesiæ, ad continentia *vota*, *preces*, *intercessiones* Ecclesiæ ac *Præpositorum* ejus, docuit ipse Dominus in Parabola *Judicis*, *Deum non timentis*, & *nullum hominem reveriti*, (intellige Præsides Imperii Romani Pagani,) tandem precibus Ecclesiæ, (*Viduæ*, & patrocinio externo orbatæ in Romano Imperio,) frangendi; cui præscriptum est, Πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι καὶ μὴ ἐκκακεῖν· *semper orandum esse, & non oportere segnescere* [c]. Sic instituerunt Christiani primi temporis, in precibus, quas illi in omni sua *congregatione* fundebant, *manibus expansis*, *quia innocuis*; *capite nudo*, *quia non erubescebant*; *sine monitore quia de pectore orabant* [d], (Tertulliani phrasin relego,) ardentissimis, in hanc exeuntibus summam, VENIAT REGNUM TUUM.

Sententiæ emendatio. Agitur hic de officii *precationis*,

Hypothesis de *figura* hujus orationis nihil habet insolens.

Sensus amplius declaratur.

Similitudo *Facis ardentis*, cum *Revelatione Salutis* comparatæ, illustratur.

Agitur hic, non de *prima*, sed de clariore φανερώσει Regni Dei.

β. Explicat distinctius illius clarioris φανερώσεως *Regni Dei* attributa, ut sunt

α. *Gentium* & *Regum* reverentia erga Ecclesiam.

ỳs. 2. *Et* VIDEBUNT *Gentes Justitiam tuam; &* OMNES REGES *gloriam tuam.*] Hieron. JUSTUM *tuum*, *Inclytum tuum*. Sic superiore versu: JUSTUS *ejus:* SERVATOR *ejus*. Quæsite. Est ἐξηγητικὸν ejus quod modo dictum erat. Tum *Regnum Dei*, Salus, Redemptio, exirent instar *fulgoris*, quando non *Gentes* modo, verum etiam *Reges* earum viderent *Justitiam*, hoc est, Liberationem & *gloriam Ecclesiæ*. *Viderent* nimirum cum *cognitione*, *fide*, *delectatione*, *admiratione*, *affectu*, (quæ latent in potestate vocis ראה *videre*,) & vero etiam *fruitione* & *participatione*, quo sensu significatum vocis (cæteri enim vulgati sunt,) habuimus Cap. XXXVIII. 11. *Gloriam* enim *Ecclesiæ* nemo videt, nisi oculo spirituali, hoc est, oculo fidei. est enim quid *spirituale*, quod corporali oculo, carnali ingenio, videri nequit. Idem itaque valet quod Vates in superioribus [f]: *Et ibunt* GENTES *ad lucem tuam, &* REGES *ad splendorem tibi exortum*. Compara cum hoc loco recta, tam quod ad phrasin, quam quod ad periodum temporis, ad quam adstringendum est implementum prophetiæ, quod supra scripserat Cap. XLIX. 7. VIDEBUNT *Reges, & surgent*, & seqq. ỳs. 23. *Et erunt* REGES *nutritii tui*, seqq. Cap. LII. 15. *Super illum claudent* REGES *os suum*. Implementum quæri nequit ante Constantiniana tempora: quorum frequens mentionem facio & lubens, quod implementum plurium prophetiarum in ea cadat. Opus Divinæ Gratiæ, illo tempore effectum, ab hominibus recentioris ævi sive iniqui & maligni ingenii, sive historiæ imperitis, & earum ignorantia inductis in sinistra de his temporibus judicia, non semper pro magnitudine & excellentia æstimatur. Sed licet illi hoc tantum Beneficium, quod homines ejus ævi vix cogitatione comprehendere poterant, oratione ingrati deterant: splendet tamen per historiam, & maximi semper fiet ab omnibus, quibus læva mens non fuerit. Quid vero illud quod Jesaias hoc loco, OMNES REGES sc. videbunt. Etamsi enim Imperium Romanum illo tempore occupaverit cultiorem Orbis partem: *Reges* tamen OMNES non *viderunt gloriam Ecclesiæ*, ut inter alios æmuli Reges Imperii Persici. Respondeo absque ambagibus; non id velle Prophetam, eodem illo tempore *Reges* OMNES uno veluti ictu visuros esse *gloriam* & *decus* Ecclesiæ; sed *Reges terræ* illo tempore *cœpturos videre gloriam Regni Dei*; & inde ab hoc tempore per gradus & articulos temporum sensim accessuros ad Ecclesiam. *Complete* dicuntur, *inchoate* intelligenda, secundum receptissimum in *Propheticis* Canonem. Vide vero, quid hic rursus tentet Grotius. Verterat Hieronymus superiora perperam: *Donec egrediatur ut splendor* JUSTUS EJUS: ad quæ

Pertinet promissum ad Eventum Luctæ Ecclesiæ sub Constantino.

Deus Ecclesiæ indulsit majorem Revelationem Regni sui, ad *preces* Ecclesiæ.

Parabola Luc. XVIII. 1.

Chorus explicat distinctius, *Regni* illius manifesti facti attributa; ut sunt.

α. Reverentia Regum erga Ecclesiam, ỳs. 2.

Qualis hic intelligatur *Visio* Gloriæ Ecclesiæ?

Implementum prophetiæ cui tempori conveniat?

Beneficium Ecclesiæ temporis Constantiniani vindicatur ab invidorum calumniis.

Grotii paradoxa Rerum verbo-

[a] Ps. LXXII. 6. [b] Act. XII. 5. [c] Luc. XVIII. 1. [d] *Apol.* adv. Gentes, Cap. XXX. [e] Cap. XXXIX. [f] Jes. LX. 3.

rumque interpretatio.

quæ non emendata adſcripſit: *Juſtus hic eſt* CYRUS, id eſt, *miſericors in Judæos: idem eorum Soſpitator, Chriſti figuram gerens.* Eſtne vero illud, quod *Reges omnes* Gentium viderent, de quo Vates hoc loco? Quam parum probabile, Reges Orbis terrarum illius temporis animum advertiſſe ad Reditum *Redneum* Judæorum in Canaanæam?

b. *Nomen novum* Eccleſiæ ab ipſo Deo imponendum.

b. *Nomen novum* Eccleſiæ à Deo imponendum ỳſ. 2.

ỳſ. 2. med. *Et appellaberis* NOMINE NOVO, *quod os Jehovæ diſerte enuntiabit.*] Nihil hic hæſitandum. Significatur mutatio conditionis in melius, certo aliquo ſigno characteriſtico exprimenda. *Nominari*, ſtylo ſacro, valet *eſſe*. *Nomina*, ad quæ hic alluditur, ſunt σημαντικὰ *ſignificativa:* ut ſi qua res hoc illo nomine appellari dicatur, eo ſimpliciter innuatur; in ea re ſive perſona eſſe *attributa*, quæ in poteſtate nominis latent: quod ut paſſim notum; ſic ſupra ſæpius ad varia loca obſervatum fuit *a*. *Nomino novo* dicitur quid ſtylo Scripturæ *appellari*, quod *novum* fit; ſive *novis* ornetur *privilegiis*, dignitateque nova: ſive conditionem ex deteriore in meliorem qualicunque ratione mutet. ambo enim illa facile inter ſe conſiſtunt. hic certe ſimul ſignificantur. Quæris, cujuſmodi hoc ſit *nomen?* Reſpondeo, non eſſe *unum*, ſed *varium*. *Nomine novo* appellari hic valet appellari *nominibus novis*. Quot enim attributa *nova* accederent *Hieroſolymæ ſpirituali* hoc tempore: tot etiam *novis* decoraretur *nominibus*. Doctiſſimus Interpres hic adſcripſit: *Non vocaberis amplius* JUDÆUS; *ſed nomine honoratiore, circumciſus corde, ſanctus, fidelis*, CHRISTIANUS. Sed ſane nomen JUDÆUS, in emphaſi ſumptum, *confeſſor veritatis*; ſatis honorifice tribuitur *Chriſtianis* ſub Oeconomia Nova *b*. Paterer tamen, nominis *Chriſtiani* hic haberi rationem peculiarem, ſi hic de *ſingulis* ageretur. Oratio Prophetæ directa eſt ad Univerſitatem credentium, ſub nomine ſymbolico *Hieroſolymæ*. De *ſingulis* mentio eſt in parallelo Cap. LXV. 15. *Servos ſuos appellabit* (Jehova) שֵׁם אחר *nomine* ALIO. mutato. Quo eodem pertinet ὄνομα καινὸν NOMEN NOVUM, Filiorum Dei, in *Apocalypſi c*. NOMEN NOVUM hoc in loco commemoratum, eſt τὸ ὄνομα τῆς πόλεως τοῦ Θεοῦ μου, τῆς καινῆς Ἱερουσαλήμ· *Nomen civitatis Dei mei* (verba ſunt Filii Dei,) NOVÆ HIEROSOLYMÆ. Vates noſter ipſum illud Nomen ait fore חפצי בה HEPHTSI BAH, *Complacentia mea eſt in ea:* perinde ac terræ ejus בעולה BEGNULA, *Habita*, maritata, ỳſ. 4. Rurſus ỳſ. 5. *Tu appellaberis* דרושה DERUSCHA, QUÆSITA; *Civitas non derelicta.* Supra *d*, *Et vocabunt illam* עיר יהוה CIVITATEM JEHOVÆ, *Tſionem Sancti Iſraëlis.* Jeremias *e*: *Illo tempore appellabunt Hieroſolymam* כסא יהוה THRONUM JEHOVÆ. Ezechiel *f*: *Et nomen* CIVITATIS (Hieroſolymæ) *ab illo tempore erit*, יהוה שמה JEHOVA IBI. Nihil vetat, hæc & ſimilia nomina, attributa *Novæ* Eccleſiæ ſub Oeconomia Nova & meliore deſignantia, ſtatui ejus meliori reſpondentia, ſimul intelligere: ſi tamen aliquod horum hic deligendum ſit; id ipſum eſt quod Jeſaias ipſe ſignat ỳſ. 4. HEPHTSI BAH, *Beneplacentia mea eſt in ea.* Nec tamen id ita eſt accipiendum acſi hoc demum tempore Eccleſia hoc nomine *appellaretur*, h. e. attributum illud in ea compareret; verum quod hoc ipſo tempore, de quo agit prophetia; illud luculento & illuſtri modo patefieret: ut cum res veluti dubia viſa fuiſſet, num Eccleſia in Romano Imperio afflicta & furori hoſtium obnoxia, vere Deo cara amataque eſſet: hoc tempore omnium aperirentur oculi, & invitis etiam extorqueretur confeſſio, Rem *Regni* Chriſti Jeſu & *Evangelii* ejus Deo curæ eſſe, idque ipſius beneplacito in Mundo fundatum, de Regnis omnibus, poteſtati Satanæ ſubjectis, ſenſim triumphaturum. Nec fruſtra additur, *Deum* ipſum illud *novum Eccleſiæ nomen exerte enunciaturum eſſe*. h. e. effecturum, ut clariſſimis & invictis indiciis conſtaret, ſuam hanc de Eccleſia Novi Fœderis eſſe ſententiam, in æternis decretis ſuis fundatam. Non eſt hæc dubia ſignificatio vocis נקב, quæ inter alias notationes obtinet eam, *diſtincte & nominatim exprimere*, ut liquet ex Num. I. 17. Amoſ. VI. 1. & præter alia ex animadvertendo loco Lev. XXIV. 11. ubi Ægyptii filio, Iſraëlitide nato, imputatur crimen, ויקב את השם ויקלל *Et* EXPRESSE NOMINAVIT *illud* NOMEN, (*Jehova*) *& maledixit.* confer ỳſ. 15. 16. Lucem attulerunt loco, & huic voci, principes in hiſce literis Viri, Coccejus *g* & Altingius *h*. quare quæ aliena huc adduxit Sanctius, hoc vocabulum commentatus, nullum locum merentur. Senſus is eſt quem indicavi. Illuſtris Vir, Hugo Grotius, hæc ipſa quoque ad Cyrum tranſtulit, cum utique clariſſime pateat, appellari *Hieroſolymam*, ſive Eccleſiam: ſi prudens fecerit, abſurde.

Quid valeat, ſtylo Scripturæ S. *novo nomine* appellari?

An de *uno* ejuſmodi *nomine* hic cogitandum ſit?

Nomen hoc *novum* eſt totius Eccleſiæ.

Qualia *Nomina* hic ſinentur ab ipſo Propheta, & ab aliis?

Quod nomen hic probabiliter reſpiciatur?

Quomodo id hic loci interpretandum?

Quo ſenſu id à Deo ipſo enunciandum eſſet?

Uſus vocis נקב.

Ill. Grotii παρερμηνεία.

c. Ornatus Eccleſiæ, Deique erga eam caritas.

ỳſ. 3. *Et eris* CORONA *ornatus* IN MANU JEHOVÆ, *& cidaris regia in* VOLA *Dei tui.*] Sic conſulto verto vocem כף per VOLAM, ſecundum genuinam ejus ſignificationem, ut eo præveniam, ſive potius præcidam, quaſdam conjectationes de hoc loco ab emblematis natura alienas. Torſit ingenia Interpretum, turbavitque multum hic locus. cum enim *coronæ*, *corollæ*, *ſerta*, geri ſoleant *capite*, non *manibus:* emblema Prophetæ viſum eſt à conſuetudine remotius. Sōlus ex his quos inſpexi, Aben-Ezra ſcripſit: יש מקומות שיתכנו העטרות בידים *Sunt loca in quibus coronæ aptantur manibus.* Hæſito. *Brachiis* ſubinde aptari *ſeria* & *corollas*, videatur probabilius: ſed ut id ita habeat; emblema hujus loci exigit, coronas ipſa *manu* & *manus* VOLA teneri: quod an alicubi obtinuerit, dubitem. Non memini utique, Tertullianum in Libro de *Corona militis*, pro eruditione ſua varium *coronarum*, *corollarum*, *ſertorum*, uſum inter Gentes memorantem, defendentemque *militem* Chriſtiani Nominis, qui ductus Religione, *Lauream caſtrenſem* tempore *Liberalitatis publicæ* ſive *Donativi Cæſarum*, *manu geſtabat*, quam cæteri commilitones ejus, Chriſtiani etiam, pro more recepto, *capite*; ejuſmodi uſus, apud Græcos aut Latinos, mentionem facere. Στεφανηφόροι *Geſtantes coronam* (annua Sacerdotii dignitas apud Smyrnæos,) dicti Græcis qui *coronam*, non manu ſed *capite*, *geſtarunt:* de quibus noſtra ætate Doctiſſimi Viri *i*. Meditationes aliorum variæ ſunt; interque eas ejuſmodi, ut recenſere nolim. Brentii eſt, Eccleſiam *in oculis Dei tantæ eſſe venuſtatis, ut nullus Rex regiam ſuam coronam aut diadema, in manus acceptum, tam jucundo vultu adſpiciat, quam ipſam Dominus Deus adſpicit.* Piſcatoris, *Eris corona ornatus in manu Dei.*] *Quam Jehova ſua manu ſibi ipſe imponet ad ſe ornandum.* Cocceji, *Dominus te oſtentabit & inſignem faciet tanquam coronam, aut Cidarim Regiam.* Grotius ἀτόπως & plane illuſorie de Cyro; *Eris ſummum ornamentum Populi Judaici.* Utique agitur de *Populo* Judaico, vel Eccleſia ipſa ſub nomine *Hieroſolymæ*, ut ex conſtructione *fœminini* liquet. Subeſt his interpretationibus vitium, quod non reddant vim vocis כף VOLA. Senſus Prophetæ eſt, Deum Eccleſiam hancce ſuam tanquam rem ſibi ſumme caram ac pretioſam *manu ſua*, ſuæque manus *vola*, firmiter retenturum, conſervaturum eſſe, ne quis eam ſibi eripiat. *Corona*, Regiæ dignitatis inſigne, vel quali alio caſu amitti poſſe cenſetur; vel *rapi* poſſe, ſi qui eam æmuli petant; ac proinde cura ſumma indiget, ne in aliorum manus veniat. Sic miles *civicam* aut *muralem coronam* tanquam *decus* ſuum; ſic Rex quiſque, cui æmuli inſidiantur, *diadema* ſuum ſtudioſiſſime aſſervat: cujus exemplum tibi dederit hiſtoria in Elizabetha, Sigiſmundi Imp. filia, Hungariæ Re-

c. *Ornatus Eccleſiæ*, & Dei erga eam caritas, ỳſ. 3. Vox כף hic vertenda eſt per *volam.*

Quo ſenſu *corona* hic dicatur eſſe in *vola Dei?*

Non videtur emblema petitum ex uſu Gentium.

Brentii meditatio.

Et aliorum.

Grotii interpretatio notata.

Senſus dicti.

Corona Populi Dei, hoc eſt, Regium ejus decus, à Deo ipſo deligenter aſſervanda eſſet.

a Cap. XLVII. 1. XLVIII. 8. LVIII. 12. LXI. 3. 11. 29. Apoc. II. 9. *b* Rom. *c* Cap. II. 17. Cap. III. 12. *d* Cap. LX. 14. *e* Cap. III. 17. *f* Ezech. XLVIII. 35. *g* In *Lex.* ad voc. נקב. *h* *Diſſert. Philol.* III. de *Lectione Tetragramm.* §. XXXV. XXXVI. *i* Patinus, Caperus, Noriſius.

gina, (si adscribere juvat;) callide surripiente *coronam* Regni *Sacram S. Stephani*, eamque filio Ladislao postumo curatissime custodiendam, abducente in Austriam [a]. Rectius fecerim si huc adducam insignem locum hunc nostrum illustrantem ex verbis Domini ad Ecclesiam Philadelphenam [b]: *Ecce venio cito:* RETINE *quod habes, ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν στέφανόν σου* UT NEMO ACCIPIAT CORONAM TUAM. Docet itaque hic locus, *α.* Deum Ecclesiam respici velle ut rem sibi longe carissimam & pretiosissimam quam censeat ipse ad *decus & ornamentum suum* pertinere, ut ipse apud Jeremiam [c]: *Et erit mihi in nomen hilaritatis, in laudem, & in* ORNATUM *apud omnes Gentes terræ.* Una res est Deo *decori*, *honori*, & *gloriæ* in his terris: ornatur à Deo, Deumque, sit reverenter dictum, ornat: eodem sensu quo Paulus Ecclesias, fructum sui laboris & operis in Domino, vocat *gaudium* suum & *στέφανον καυχήσεως coronam gloriationis* [d]. *β.* Plures esse qui eam tentent, petant, & intercipere conentur, ut Deum hoc ornatu spolient, hoc est, Ecclesiam in terris destruant ac subvertant: quod facit Satanas cum omni Potestate ipsi subserviente. *γ.* Deum tamen eam *manu sua* & *vola* omnipotente firmiter *retinere*, ne quis hoc decus sibi eripiat. [e]

Sensus emblematis declaratur, & ex analogis illustratur.

d. Defensio ejus adversus Hostes externos per *Patronos* & *Vindices* ei procurandos. Articulus primus.

℣. 4. *Non dicetur tibi amplius* DERELICTA; *& terræ tuæ non dicetur amplius*, DESOLATA: *quippe appellaberis* HEPHTSI BAH, COMPLACENTIA MEA EST IN EA; *& terra tua*, MARITATA; *quia Jehova sibi complacet in te, & terra tua maritabitur.*] Plane confirmat superiorem sententiam, secundum sensum ejus à nobis datum, hæc pericopa; facitque utraque ad confirmandum id quod ℣. 2. dictum erat; Ecclesiam appellatum iri *novo nomine*, quod nomen hic loci exprimitur. h. e. *novum* aliquod *attributum* in Ecclesia detectum iri, quod huc usque in ea visum non erat: nempe eam accepturam *Maritum*, cum huc usque *sedisset* tanquam *vidua*. Rem paucis declarabo. Ecclesiæ Dei geminus est adspectus, *internus* sive spiritualis; & *externus*. Priore respectu refertur ad *Deum:* posteriore ad *homines*. Secundum respectum priorem, secundum quem facit corpus hominum *spirituale*, semper gaudet Marito, protectore, defensore, provisore Deo: sed secundum *adspectum externum*, quo homines respicit, potest habere speciem *Viduæ*, *Derelictæ*, *Desolatæ*, triplice sensu.

Defensio Ecclesiæ, adversus hostes externos, per *Patronos*, causam ejus acturos, vers. 4.

Sensus sententiæ, & nexus ejus cum superioribus.

Genuinus Ecclesiæ aspectus; *externus*, & *internus*.

α. Quando Deus, verus Ecclesiæ Maritus, Protector, defensor, *speciem* ac *σχῆσιν* aliam assumit, ac veram, propriam, & suæ maxime Personæ consentaneam, qua *σχέσει* ac specie apparuerat Ecclesiæ, quando omnium primo Ecclesia à Deo in conjugem est assumpta. Sic v. gr. Deus, instituta Oeconomia Legali ad Montem Horebum, aliam induit *σχέσιν*, alio prodiit habitu, atque quo apparuit Abrahamo, ubi cum ipso percussit merum fœdus gratiæ. censitus itaque tum est Uxorem veluti Novam alii superinduxisse. *β.* Ubi Ecclesiam Populi sui, facientem Societatem in Mundo externam, publice reprobat, repudiat, & terra quam dederat, extrudit. quæ fors fuit Populi Judæi in Exilio Babylonico & in Afflictione Syriaca; quos duos respectus admisi & demonstravi in loco Cap. LIV. 5. 6. *γ.* Ubi nullos habet in Mundo *Vindices* & *Patronos externos* qui causam ejus ac patrocinium in se suscipiunt: quippe quo tempore in oculis hominum speciem habet *derelictæ* ac *desolatæ*, ut Vates supra de Babylone [f]: *Quæ dicit in corde suo: ... Non sedebo* VIDUA. Non continget mihi unquam destitui Patronis potentibus in terris qui causam meam vindicent. Ecclesia abducta Babylonem gemebunda [g]: *Quî sedet solitaria civitas Populosa;* היתה כאלמנה *facta est ut* VIDUA! Atque secundum hunc adspectum ipsa Ecclesia Christiana quandiu in hisce terris nullos Patronos ac Vindices caussæ suæ habuit, se conspiciendam dedit in Mundo specie externa *viduæ* & *orphanorum:* quod intervallum Ecclesiæ finitur in temporibus Constantini. Hæc est illa VIDUA, hi *orphani*, quorum Deus se illo tempore demonstravit esse *Maritum* & *Patrem* [h]: huc usque veluti *solitaria*, ducta *domum*; nacta *locum habitationis* [i]: quæ superbum Judicem suis tandem interpellationibus instantiisque vicit [k]. *Terra* ejus huc usque dicta est *desolata*, quod ipsi in his quas colebant terris, expositi essent injuriis, direptionibus, & persecutionibus hostium, Ecclesiis vastandis intentorum. Id vero ipsum esse quod Jesaias hic intelligi vult, non modo liquet ex universo contextu hujus prophetiæ, ex hac hypothesi sola recte interpretandæ, ut supra docui: verum etiam ex hac ipsa nostra pericopa. *α.* Quia quæ Ecclesiæ hoc in loco *nomine* & *titulo* Hierosolymæ tribuuntur: eadem vindicantur *terræ ejus*. Verba Vatis: *Quia* TIBI *non dicetur amplius, Derelicta; &* TERRÆ TUÆ ... *desolata.* Collige inde, agi de Ecclesia secundum externum & temporalem ejus aspectum. Mox iterum: TERRA TUA *maritabitur.* hoc est, tu ipsa, secundum Statum tuum externum ac temporalem, accipies Vindices ac Patronos caussæ tuæ. *β.* Dum Jesaias protinus Statum hunc *Hierosolymæ*, quo *Maritum* acciperet, explicat ℣. 5. facit non DEUM Ecclesiæ *Maritum*; sed FILIOS EJUS; ut mox videbimus. Agitur itaque de *externo Ecclesiæ Statu*; non de *interno*. *γ.* Idem luculenter patebit ex ℣. 8. 9. consequenter inspiciendis. Dixeris, non videri Ecclesiam illo demum tempore appellatam esse HEPHTSI BAH, *Voluptas mea est in ea.* Respondeo, Ecclesiam illo tempore dici sic appellandam esse, quia illo tempore Gentibus Populisque clarissime patefieret, Deum Ecclesiam Populi Christiani non *sprevisse*, non *deseruisse* ut videbatur; sed sibi *acceptissimam* habere, eamque diligentissime curare; veluti qui ea *gloriari* & in ea *glorificari* cuperet. Pertinet huc directe quod Vir sanctus in Ode sacra [l]: *Ex hac re intelligo,* כי חפצת בי *quod* TIBI IN ME COMPLACEAS (eadem phrasi,) *quod* HOSTIS MEUS SUPER ME NON SIT JUBILATURUS. Nomen ipsum *Hephtsi bah* apud Judæos fuit in usu: certe Conjux Hiskiæ, ex qua susceptus est Manasse, sic appellata est, ut docet historia [m]. Est autem amplissimæ significationis. Docet, Ecclesiam esse objectum singularis Dei dilectionis, & gratiosi in eam affectus; ipsum vero ex *opere gratiæ*, quod in ea ornanda collocavit, voluptatem ac delectationem capere, atque in eo sibi complacere atque acquiescere; idque signis externis prodere ac manifestum facere velle. Apostoli dictum est [n]: *Ὁ Χριστὸς ἠγάπησε τὴν Ἐκκλησίαν Christus* DILEXIT ECCLESIAM. Nomen convenit *Ecclesiæ* Novi Fœderis, *spiritualis*, in cujus forma & cultu spirituali Deus sibi *complacet* [o]. Swinglius, Vir sane doctus & *κριτικὸς*, hic observat paronomasiam inter nomina עזובה Hhazuba, *derelicta*, & חפצי בה Hephtsi bah, *Voluptas mea in ea.* quod animadversum libenter adscripsi. Cætera quæ ad emblema Ecclesiæ *maritandæ* pertinent, sequentibus verbis explicantur.

Quomodo secundum aspectum externum respici possit ut *derelicta*; *desolata?*

Ecclesia hanc speciem præ se fert destituta in Mundo Vindicibus suæ caussæ.

Locus Ps. LXVIII. 6. huc adductus.

Quo sensu idem de *terra* ejus affirmetur? Sensus verus ex contextu prophetiæ adstruitur.

Solvitur dubium, quod his moveri queat.

Respectus Nominis *Chepthsi Bah.*

Fuit olim in usu apud Judæos.

Vis hujus Nominis exponitur.

Articulus alter.

℣. 5. *Quia* ut JUVENIS *se* MARITUM SOCIAT VIRGINI; SIC FILII TUI SE TIBI ADJUNGENT MARITOS; *& cujusmodi est gaudium sponsi super sponsa: sic gaudebit super te Deus tuus.*] Sic vere sonant Hebræa; à quorum sensu deflectere nolui: quod tamen nonnulli agere instituerunt Interpretes absque ratione. Cum enim non perspicerent, quomodo sapientissimus Scriptor *Filios Hierosolymæ* sive *Ecclesiæ*, servato decore & venustate emblematis, hic faciat Ecclesiæ ejusdem *Maritos*; *Matrem* vero quæ jam *filios* ediderat, com-

Continuatur oratio in eodem argumento, vers. 5.

Difficultas, quæ residere videtur in emblemate, quo *Filii Ec-*

---

a Bonfin. Dec. III. Lib. IV. p. 413. *b* Apoc. III. 11. *c* Jer XIII. 11. *d* Phil. IV. 1. 1 Thess. II. 19. *e* Joh. X. 28. 29. 1 Pet. I. 5. *f* Cap. XLVII 8. *g* Thren I. 1. *h* Ps. LXVIII. 16. *i* Ps. CVII. 7. *k* Luc. XVIII. 1. *l* Ps. XLI. 13. *m* 2 Reg. XXI. 1. *n* Ephes. V. 25. *o* Heb. XIII. 16.

cleſia ſe ipſi ſociare dicuntur, proponitur.

comparet cum *Virgine:* ſimul expenderent, Deum ipſum paſſim in his ſermonibus induci ut *Maritum* Eccleſiæ: perſuaſerunt ſibi, alium verbis ſubeſſe ſenſum, ac ad primam ſpeciem præ ſe ferunt: ſed res ipſis infeliciter ſucceſſit *A*. Suppono primo in interpretatione horum verborum, eſſe illa accipienda *comparative*, etſi *particulæ* comparationis, UT .... SIC, in ipſo textu deſint; more Scriptoribus Sacris & Prophetæ noſtro minime inſolente. Hebræa κατὰ γράμμα ſonant, *Quia Juvenis* HABET *virginem: habebunt te ut maritam filii tui; & hilaritate ſponſi ſuper ſponſa*, (qualis eſt hilaritas ſponſi ſuper ſponſa,) *gaudebit ſuper te Deus tuus.* Ubi *poſterius* membrum ſententiæ, abſque ulla dubitatione comparativum, arguit, *prius* eodem modo accipiendum eſſe; & res ipſa clamat. Sic οἱ ὁ. Καὶ ὡς συνοικῶν νεανίσκος παρθένῳ, ὅτω κατοικήσουσιν οἱ υἱοί σε· *Quia* SICUT *habitat Juvenis cum virgine:* SIC *habitabunt filii tui.* Sic legitur hodie, ſenſu imperfecto; & legit tamen jam ſuo tempore Hieronymus; ſed Alex. C. exhibet, κατοικήσουσιν οἱ υἱοί σε μετά σε· *filii tui habitabunt tecum.* Obſervo, Swinglium quoque ſic legiſſe, haud dubie ex *Aldina:* qui idem hic ad rem obſervat, *eſſe hic videre illud comparationis genus, ubi neque comparanti, neque comparato ulla ſimilitudinis nota apponitur.* Id verum; ſed, ut jam prænonui, Hebræis non inſolens. Confer Cap. XXII. 18. XXXIII. 4. & exemplum per omnia ſimile, ex Jer. XVII. 11. *Perdix* (ſive de *Ruſticularum* genere avis, ut ὁ πάνυ.) *colligit* (*ova* ab aliis parta, ut ea excludat,) *& non peperit: colligens divitias, ſed non jure.* Vides, velle Vatem: UT *perdix* ... SIC *colligens divitias, ſeqq.* Reſolvitur ſententia in hoc apothegma: *Qui opes* ab aliis paratas *injuſte colligit:* eſt *avicula montana*, (ſc. UT avicula montana) quæ *ova* ab alia ave parta, quæque *non peperit ipſa, colligit.* Alterum hic pono, vocem בעל hoc in loco referendam eſſe ad HABITIONEM (ſit ita loqui fas:) MARITALEM: quæ recepta vocis ſignificatio eſt. Vox בעל Hebræis proprie valet quid *habere*, aut *poſſidere*, ut ſuum, *cum poteſtate in eam rem.* habere quid ſubjectum poteſtati ſuæ ut ſuum. quemadmodum ex vario uſu notionis בעל ſatis liquet. Attamen proprie & vere ſignificat *Dominum conjugis*, ſive *Habentem uxorem.* τὸν Ἔχοντα γυναῖκα. Illuc vero reſpici ex toto contextu patet, quare fruſtra ſunt Intt. qui hanc comparationem omni modo niſi ſunt declinare. *Juvenis* hic dicitur *habere Virginem* quatenus operam dat ut Virgine potiatur, eamque *habeat* in poteſtate per *legitimum conjugium:* nec admittit phraſis aliam interpretationem. Sequens quoque comparatio *ſponſi* & *ſponſæ* idem evincit. Accedit, quicquid hic dicitur, pertinere ad declarationem *commatis ſuperioris*, ubi Eccleſia dicitur nuncupanda eſſe בעולה *maritata; habita à marito.* Laudo itaque inter antiquos Syrum; inter recentiores, Tigurinos, perinde ac Belgas noſtros, qui directe verterunt ex ſenſu Prophetæ: *Sicut enim adoleſcens maritat ſibi virginem; ſic maritabunt ſe tibi filii tui.* Sic pariter Diodatus, quem dum inſpicio: video magna cum voluptate, id ipſum hic in notis clare adſcripſiſſe ad quod intenderam oculos. Verba ejus ἐξηγητικὰ hæc ſunt: *Tu habebis* REGES *&* PRINCIPES BENIGNOS PROPRIÆ GENTIS TUÆ (*non vero* TYRANNOS EXTEROS,) *ſub abſoluto Imperio Dei & Chriſti ejus.* Habebis Imperatores & Principes Chriſtianos, ejuſdem tecum confeſſionis fidei & cognationis ſpiritualis: κατ' ἀντίθεσιν ejus, quod alio caſu dictum protulerat Vates *a*: *Jehova, Deus noſter,* ALII DOMINI בעלונו *nos* HABUERUNT SUB POTESTATE, *præter te.* Sed eſſet hoc *Imperium* conjunctum cum *voluntate & facultate defenſionis*, quod hic ſubintelligitur; ac præterea BENIGNUM, ut Vir Doctus jam animadvertit; cujus duo hic ſunt argumenta. Primum eſt in protaſi comparationis, *Ut* JUVENIS *habet virginem.* Poterat ſcribere Vir ſanctus, *Ut* VIR *habet fœminam.* ſed conſulto ſcripſit, בחור *Juvenis, adoleſcens.* Eſt enim ejus *habitio* reſpectu *virginis* tenerioris ætatis *benigna, tenax*, conjuncta cum teneritudine affectus & delectatione. Tales *Principes* nanciſceretur Eccleſia, arcte ſibi adhærentes, bonos, optime in ſe affectos. Alterum eſt, in *Apodoſi*, *Ita &* FILII TUI *habebunt te maritam.* Quid à FILIIS *ſe habentibus* exſpectare poſſet *marita* Eccleſia niſi benignitatem, amorem, benevolentiam? Sic ſatis, ut opinor, patet ſenſus interpretationi noſtræ conſentaneus: nec tamen hactenus expedivi τὸ παράλογον hujus comparationis. Quid enim jungit Propheta ſapiens *filios matri?* Poſſem hic reſpondere, idque veriſſime; ad τὴν συνοίκησιν COHABITATIONEM *maritalem*, unde præcipua difficultas oritur, hic directe non reſpici. Emblema recta tendit ad *habitionem ſub poteſtate*, cum *voluntate defenſionis.* Regem vero aut Principem hoc ſenſu *habere matrem:* nihil pugnat. Sed plane in eo non acquieſco. Repono itaque abſque ambagibus ullis; *duos reſpectus* earundem rerum, ſive *duas metaphoras*, hoc loco inter ſe *permiſceri:* quod in Sacris ſæpiſſime accidit. *Incolæ* civitatis quatenus in civitate ſati editique ſunt, cenſentur *civitatem* habere *Matrem*, atque adeo ejus eſſe *filii.* confer Cap. LI. 18. Rurſus iidem incolæ, quatenus *civitatem habent*, occupant, poſſident, poteſtati ſuæ obnoxiam eidemque fœdere devincti ſunt, vocantur, ſtylo Scripturæ S. בעלי עיר HABENTES URBEM, h. e. CIVES URBIS. ut in Libro Joſuæ *b*, בעלי ירחו *Incolæ* (habentes) *Jerichuntis.* In Hiſtoria Abimelechi *c* בעלי מגדל שכם HABENTES *turrim Schichemiticam.* Incolæ, cives. Obſervatum non eſt gravis momenti; attamen ex eo pendet dijudicatio interpretationis hujus loci. Ex ipſa enim hac phraſi ſumptum eſt emblema hoc noſtrum; & ad eam formatum. Rurſus, ut *Civitates* reſpectu eorum, qui in ea naſcuntur, gaudent dici *matres:* ſic eædem reſpectu *libertatis*, *ornatus*, *formæ*, *ordinis*, veniunt nomine *Virginum*, & quidem בתולות *Virginum* maturæ ætatis, Viro aptarum. Sic Jeſaias inferentem facit *Populum* ſive *Civitatem* Hieroſolymitanam *d*: *Spernit te, ſubſannat te,* בתולת בת ציון VIRGO FILIA TSIONIS. Idem de Populo Babylonio *e*: VIRGO, *filia Babylonis. Filia Tſionis* eſt *Tſion* ipſa, h. e. Populus Tſioneus. Principes, Reges, Dominatores, qui id agunt, ut Civitatis Regimen & Præfecturam ſibi vindicent; *Virginem* hanc cenſentur *ambire.* Sic vides, nihil

Animadverſa ad ſententiam.

Deeſt vocula ſic. Eſt comparativa.

Verſio Grammatica verborum.

Animadverſio ad Verſionem Græcam.

Ellipſios ſimile exemplum ex Jer. XVII. 11.

Vos בעל *ſignificat Habitationem Maritalem.*

Comparatio hic vere ſumitur à conjugio; quod ex contextu evincitur.

Tigurini, Diodatus, aliiqui laudati.

Senſus emblematis declaratur. Indigenæ tenerent Imperium.

Cur ſimilitudo hic ducatur à Juvene & ſponſa?

Paradoxum hujus comparationis expeditur.

Obtinet hic mixtio duarum metaphorarum.

Civitates quo ſenſu Matres & Virgines?

Poſterior reſpectus adſtruitur.

a Cap. XXVI. 13, *b* Cap. XXIV. 11. *c* Jud. IX. 46. *d* Cap. XXXVII. 22. *e* Cap. XLVII. 1.

A Chaldæus: *Sicut enim inhabitat Juvenis cum virgine, ſic habitabunt in medio tui filii tui.* Hieron. *Habitabit enim Juvenis cum virgine; & habitabunt in te filii tui.* Utrumque deflectit ab Hebræo. Vox enim בעל non valet *habitare.* Poteſt *terra* vel *Urbs* μεταφορικῶς dici *nupta*, ubi *habitatur:* ſed vox בעל ad *Juvenem* tranſlata non notat *habitationem Juvenis* cum *Virgine.* Vox συνοίκησις, συνοικεῖν, *cohabitare*, Græcis ſumitur pro *conſuetudine conjugali:* ſed ea poteſtas non latet in voce Hebræa בעל, licet Forſterus eam illuc trahere conatus ſit. Cadit itaque inde quoque Grotii commentario, his ſuperſtructa. *Senſus eſt*, ait, *Sicut amice vivit Juvenis cum Virgine quam amat*, (*puta, Jacob olim cum Rachele*;) *ita vivent inter ſe cives tui.* Præter rem. Agitur de *habitione civitatis* à *civibus.* Jun. Trem. *Nam* ſicut *conjugio ſibi devincit juvenis virginem*, ita *conjugio ſibi devinciet te* & *filios tuos.* Atqui eſt in textu, יבעלך בניך *filii tui ſe conjugio tibi* DEVINCIENT. Piſcator idem fere ſequutus, exemplum illud יבעלוך *maritabunt te* referri poſſe ait ad vocem אלהים *Deus*, pluralis numeri; vel (*quod veriſimilius videtur*,) *legendum*, יבעלך ובניך *Ducet te, & filios tuos.* Eſtne itaque lectio uſque eo deſperata ut cogitandum ſit de ejus mutatione? An non vidit Vir Doctus, ſententiæ hunc in modum conceptæ deeſſe *ſubjectum*, hic plane neceſſarium; & Deum incongrue dici, *ducere Hieroſolymam, & filios ejus.* Ludovico de Dieu in mentem venerat, poſſe illud יבעלוך *maritabunt te, impersonaliter* capi, ut ſenſum det, *tu maritaberis.* ſed ipſum quoque illud coactum eſt. Pagninus: Sicut *enim ducit in uxorem Juvenis virginem:* ita quaſi *ducent te in uxorem filii tui.* Deleatur illud QUASI propriæ inventionis. Cocc. *Nam* ut *habet Juvenis virginem; habebunt te filii tui.* Docte, ex ſententia Vatis, & ex vero uſus vocis בעל. Kimchius emblema ipſum interpretatur de *terra* ab ipſis Iſraëlitis *habitanda*, quibus habitatoribus deſtinata erat; ut cum ab aliis *habitetur*, tanquam habitata nuptaque non cenſeatur: quare id Vates comparet conjugio *Juvenis* & *Virginis*, ad exprimendam decentiam & aptitudinem rei: ſed difficultatem, quæ noſtros moratur, non tangit. Neque etiam A. Ezra, qui docte adſcribit, & ex noſtra mente, ad verba, *Terra tua* תבעל MARITABITUR, in fine ℣. 4. הן ישרשנו כי יבעלוך ורך משל על שוב המלוכה *Ecce id protinus interpretatur* (℣. 5.) MARITABUNI TE. *parabolice dictum de eo quod* REGNUM *ad Iſraëlem reverſurum eſſet.*

nihil esse in emblemate Vatis non exactum & rite cogitatum. Nec videtur Propheta, ut significaret, ipsos Hierosolymæ spiritualis *Cives* ejus Patronos ac Vindices fore, aliter loqui posse. Subinde autem in una sententia duas treſve metaphoras inter se conjungi, memini jam alibi observare, & aliunde illustrare. Sume tibi nunc folummodo exemplum ex Ephes. II. 19. *Itaque*, ait Apostolus, *vos estis συμπολῖται τῶν ἁγίων* CONCIVES SANCTORUM, ... ÆDIFICATI *super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.* Idem *Cives*, qui *lapides* spirituales. Sic in Cantico Ecclesia mutatis identidem vel conjunctis metaphoris venit sub emblemate *sororis*, *sponsæ*, *conjugis*. Scriptores enim sacri in comparatis aut metaphoricis tantum respiciunt convenientiam *attributorum*; non omnium quidem, sed certorum quæ in oculis habent: cætera negligunt. Id vero ipsum luculenter patet ex *posteriori membro* hujus sententiæ; ubi quod modo *Filiis Hierosolymæ* tanquam *marito* hujus Civitatis tributum fuerat, mutata rursus metaphora transscribi videtur Deo tanquam *Sponso* Ecclesiæ, his verbis: *Gaudio* SPONSI *super sponsa super te gaudebit* DEUS. Nec tamen id hic directe dicitur, fateor. Emblema enim proprie hic refertur ad significandam gaudii hilaritatisque magnitudinem, simplicitatem, puritatem, & τὸ εἰλικρινὲς *integritatem*. Sed cum constet, Filium Dei summum Ecclesiæ Dominum, Regem, Vindicem, in Sacris ut *sponsum* ejus laudari [a]: nihil vetat, emblema omni sumere latitudine & amplitudine sensus quam admittit. *Gaudium super Ecclesia* Deo tribuitur quando Status Ecclesiæ *perficitur*; & præsertim caussa ejus à Deo ipso per punitionem hostium Ecclesiæ vindicatur: de quo insignis locus est apud Tsephaniam [b]: *Jehova Deus tuus in medio tui*, HEROS QUI SALVAT: GAUDEBIT *super te* GAUDIO: TACEBIT *in dilectione sua*; (præ summa acquiescentia;) *exultabit super te gaudium cantu.* Agitur de *Vindiciis* Ecclesiæ, ejusque Liberatione ab hostibus. Id vero ipsum exacte respondet hypothesi à me assumptæ. Periodus enim hæc terminatur in temporibus Constantinianis, ut monui. Sic cohærent verba cum *commate superiori* per voculam λογιστικὴν כי QUIA. Confirmat videlicet Propheta quod *superiori commate* significaverat; Ecclesiam nacturam esse Patronos & Vindices Status sui in Mundo; *Sanctos judicaturos esse Mundum*; interituros esse hostes ejus; & ex his argumentis publice constiturum, esse illam Deo curæ; diligi ab ipso; & perfectionem status ejus consentaneam esse Voluntati Divinæ, in ea sibi complacentis.

PARS ALTERA: Oratio *Chori* repræsentantis *Ecclesiam*,

a. Agnoscentis *beneficium* singulare Divinæ erga se curæ ac providentiæ, quo sibi dedit *Pastores* & *Vigiles*, saluti ejus intentos.

℣. 6. *Super muros tuos, ô Hierosolyma, constituti Custodes: per totum diem, totamque noctem continuam non silebunt.*] Oratio hæc, ut cuique facile patet, est Dei, Ecclesiæ suæ procurantis fidos Ministros, qui saluti ejus invigilent; atque adeo censeri posset ipse hic loquens introduci. Sed cum *sequentia verba* sint alterius *personæ*, hoc est, Ecclesiæ, Ministros Dei excitantis ad officium: non videtur probabile, Prophetam hac sola pericopa Deum voluisse loqui facere. Ergo recte dixeris, subintelligi hic vulgatum illud, נאם יהוה *Dicit*, *fatur*, *Jehova*: esse autem *orationem* ipsius *Chori Ecclesiæ*, exhortationi suæ protinus sequuturæ substernentis hypothesin; & quidem *modo* loquendi *figurato*. Propositio enim, *Super muros tuos, ô Hierosolyma, constitui custodes*: in hanc resolvitur; *Cum Deus Jehova, peculiari beneficio sua providentia, super muros Hierosolymæ constituerit custodes, qui jugiter invigilent ejus saluti: itaque Vos, quibus hoc officium mandatum est, partes vestras strenue agite, & apud ipsum continenter intercedite, ut magnifica promissa Ecclesiæ data perfecte repræsentet.* Sic accipiendum est schema totius periochæ. Quod autem *Chorus* id ipsum Deum dicentem facit: eò pertinet, ut clare & explicate doceat, Beneficium hoc procurationis Divinæ Providentiæ & Gratiæ, quo Ecclesiæ suæ in terris dispensat fidos bonosque Ministros, qui salutis ejus curam habeant; spectandum esse ut *summum*, & quidem ut vere *Divinum*. *Deum* enim ipsum esse qui cum *Ecclesiam* habere velit in terris: simul Civitati huic spirituali sua singulari cura ἐπιχορηγῇ *subministret* [c] ac dispertiat Custodes, Pastores, Episcopos, rerum Sacrarum administros, qui status ipsius spiritualis rationem habeant & pro ejus incremento apud Deum precibus & supplicationibus suis interveniant. Dominus Jesus [d]: *Supplicate itaque* DOMINO *messis, ut* EMITTAT *operarios in messem suam.* Paulus ad Ephesios [e]: Is *igitur* (Christus Jesus evectus ad dextram Dei,) DEDIT *alios quidem Apostolos, & seqq.* Suppono itaque hoc in loco, per שומרים CUSTODES, præfectos custodiæ murorum Hierosolymæ, intelligendos esse hic loci Præfectos & administros Sacrorum Ecclesiæ, τοὺς Προεστῶτας; cujusmodi sub Oeconomia Vetere erant Sacerdotes & Levitæ: sub Nova, Episcopi, Presbyteri, Doctores; qui vacant τῇ προσευχῇ *precationi*, καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου, *& administrationi sermonis* [f]: quippe quod attributa evincunt. Ipsi enim illi sunt qui mox appellantur המזכירים את יהוה *Commemorantes Jehovam.* Metaphorica denominatio sumpta est à *custodibus* Urbium, qui nocturno tempore in vigiliis sunt super muros Urbis, si quid noxæ intus aut foris civitati accidat, diligenter observaturis. Inspeximus emblema ex vulgatissimo usu promptum ad Cap. XXI. II. [g] Aliàs dicuntur צופים *Speculatores*: quo nomine Propheta in *superioribus* bis designavit Ecclesiæ Præfectos [h]; estque testati usus apud alios Prophetas [i]. Ratio in promptu, nemini ignota. Est enim ipsorum προσέχειν ἑαυτοῖς καὶ πάντι τῷ ποιμνίῳ *attendere sibi ipsis, & toti gregi*, & γρηγορεῖν VIGILARE; ut Apostolus in valedictoria sua ad Presbyteros Ephesinos [k]. *Cura* salutis Civitatis Dei spiritualis sub Christo Domino ipsis commissa est: ipsis, inquam, Ecclesiæ toti *præpositis*, atque hoc ipso veluti constitutis in alto & eminentiore loco, ut advigilent ad omnem *Ecclesiæ* necessitatem. Nullum hic mysterium aliud quærendum est in *muris Hierosolymæ*. Notant enim ipsam Urbem Hierosolymam, ut *supra* [l] non semel indicavi. Quæ cum facilia sint: mirum cui merito videatur, Judæos hic potius *Angelos* voluisse videre quam homines pro *Populo Dei & Civitate Hierosolymitana intercedentes*, ut Deus eam in pristinum instauret, ut ex Codice *Menachôt* Kimchius & Abarbenel. Absurdum. Et tamen paradoxa magis est Chaldæi versio, his concepta verbis: הא על עובדי אבהתך צדיקא קרתא דירושלם מתקנין נטרין קדמי *Ecce* SUPER OPERA PATRUM TUORUM JUSTORUM, *Civitas Hierosolyma, constituti sunt custodes coram me.* Recte vertit Interpres. Jarchius: ויו' תירגם חומותיך אבות הראשוני' המגינים עלינו כחומה *Jonathan vero interpretatur* MUROS TUOS *de Patriarchis qui nos protegunt instar muri.* Sensus ejus est, *Angelos* identidem Deo in memoriam revocare *merita Patrum*, ut eorum respectu Deus flectatur ad miserandum præsentem Judæorum statum. Impedit ipsos, quod cum sibi persuadeant hæc verba pertinere ad Judæos in *præsenti Exilio* versatos, Hierosolyma dudum desolata ac destructa: hæc verba, quibus Hierosolyma de qua hic agitur, subsistere supponitur, ad hanc hypothesin accommodare nesciant; quare Aben-Ezræ, Kimchii, & Abarbenelis, (licet ille hic *Prophetas* videat, *Populum* vocantes ad *Respipiscentiam*,) interpretationes hic minime cohærent: quarum rationem non reddo, quod in clara luce non opus sit sectari tenebras. Est autem verorum Ecclesiæ *Præpositorum*, qui plebi in precibus præeunt; est singulorum quoque credentium, *non silere*,

Mixtio metaphorarum ex aliis locis adstruitur.

Posterius membrum sententiæ cum priori comparatur.

Gaudium super Ecclesia quo sensu Deo tribuatur?

Cui tempori respondeat prophetia?

Pars altera Sectionis, Oratio *Chori*, repræsentantis Ecclesiam.

a. Agnoscit beneficium curæ Dei erga se, ℣. 1. Oratio hæc recte censetur esse Ecclesiæ.

Propositio, hujus periocopæ secundum rativum ejus ductum expressa.

Cur oratio hic ad Deum referatur?

Cura Dei erga Ecclesiam, qua fideles ei subministrat Pastores.

Per שומרים *Custodes* hic intelliguntur *Præfecti Ecclesiæ.*

Metaphora illustratur.

Affine nomen *Speculatorum.*

Muri Hierosolymæ hic ipsam significant *Urbem.*

Judæi hic intelligunt *Angelos.*

Paraphrasis Chaldæa notata.

Quæ caussa interpretationis paradoxæ?

Officium, hic memoratum, est Præpositorum.

---

a 2 Cor. XI. 2. *b* Cap. III. 17. *c* Col. II. 19. *d* Matth. IX. 38. *e* Ephes. IV. 11. *f* Act. VI. 4. *g* Confer Ps. CXXX. 6. *h* Cap. LII. 8, LVI. 10. *i* Jer. VI. 17. Ezech. XXXIII. 2. seqq. *k* Act. XX. 28. 31. *l* Cap. XLIX. 16. LX. 10.

sum Ecclesiæ.

lere, nullum tempus exceptum habere, quo Deum non adeas, flagitante neceſſitate; in oratione non ſegneſcere; nullos hic *dies* & *noctes* diſcernere; juxta præceptum Apoſtoli [a], Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε· ORATE SINE INTERMISSIONE. quo pertinet Parabola Domini [b], ſupra adducta. Id enim eſt quod hic dicitur, לא ידמו *Non ſilent, die & nocte jugiter.* h. e. in precatione, ut monui ad ỳſ. 1. ubi rem totam expoſui. Videri poſſet Propheta ſic loquens diſcedere ab analogia emblematis. *Cuſtodes* enim Urbis paſſim *vigilant* cum *ſilentio*: ſi autem, flagitante neceſſitate loquantur, monent incolas de imminenti aut præſenti malo; non *orant*. Reſpondeo, poſſe Prophetam, myſtice loquentem, his perſonis quas allegorice *Cuſtodes* vocat, aptare attributa, *Cuſtodibus myſticis* convenientia; licet à proprie dictis *Cuſtodibus* aliena; quippe quod uſu Scripturæ receptiſſimum: & memini non ſemel id jam obſervare. Sic in verbis Domini ad Thyatirenſes [c]: *Si quis vicerit* -- DABO EI STELLAM MATUTINAM. Atqui *ſtella* proprie non datur: ſed ea res dari poteſt, quæ myſtice *ſtella* dicitur *matutina*. Apud Vatem noſtrum [d]: *Et egredietur* SURCULUS *ex trunco ſucciſo Iſai, ... & quieſcet* SUPER IPSUM *Spiritus Jehovæ*. Attributum convenit *Perſonæ* quæ *ſurculus* dicitur; abſque ulla analogia emblematis à *ſurculo* ſumpti. Sic hoc in loco *Cuſtodes* non dicuntur *taciturі jugiter & interdiu & noctu*: atqui *Cuſtodes Urbium* ut plurimum *noctu* vigilant: *de die ſomnum capiunt*, ut Kimchius hoc loco recte. Si tamen ad emblema diligentius attenderis: obſervaveris analogiam. *Cuſtodes Urbium* hic dicuntur *ſilere*, ubi officio admoti non *vigilant* pro ſalute Urbis; ſed ſe componunt ad *quietem*. *Silentium* illorum hic eſt *non-actio*; negligentia officii. Non *ſilent*, qui in *motu* ſunt & *actu* continuo; huc illuc verſant oculos, admovent aures, ubique attenti. quod imitantur *Præpoſiti Eccleſiæ*, qui cum alia officia ſibi mandata diligenter exequuntur; tum vero continuo *invigilant* precibus pro *ſalute Tſionis* [e]. Nec eſt dubitandum, quin *Præpoſiti primi temporis* Eccleſiæ hoc officio functi ſint plerique ſumma adſiduitate ac diligentia; ut ſane notiſſimum ex Tertulliano, Clemente Alex. Cypriano, paſſim Chriſtianos omnes de *nocte* quoque ad *Deum precandum* ſurrexiſſe. Scripſi de hac eorum diligentia ſupra: nunc ſolummodo ſubtexam verba Cypriani [f]: *Quod ſi in Scripturis ſanctis Sol verus & dies verus eſt Chriſtus, hora nulla à Chriſtianis excipitur, quominus frequenter ac ſemper Deus debeat adorari; ut qui in Chriſto, hoc eſt, in Sole & die vero ſumus, inſiſtamus per totum diem precibus & oremus; & quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox reſoluta ſuccedit, nullum de nocturnis tenebris eſſe orantibus damnum poteſt.* Imo certe habuit Eccleſia quoque ſuos *dies* & *noctes*; læta ac nubiloſa tempora, ante triumphatum Paganiſmum: quibus nunquam à precibus pro majore ejus conſummatione in terris eſt ceſſatum.

Quomodo partes metaphoræ inter ſe cohæreant?

Attributa metaphoricis nominibus ſæpe cum reſpectu ad *perſonas* iis deſignatas tribuuntur.

Exempla ejus generis.

Analogia ex vero ſenſu emblematis hic propius demonſtratur.

Quomodo Præpoſiti primæ Eccleſiæ hic functi ſint ſuo officio?

β. Eos excitantis, ut hoc officium naviter continuent.

b. Excitat Præpoſitos ad officium continuandum, ỳſ. 6. med. & 7.

ỳſ. 6. fine. *O vos qui* COMMEMORATIS JEHOVAM, *ne ſit vobis ſilentium.* ỳſ. 7. *Et ne concedite ipſi quietem, uſque quo ſtabiliverit, & uſque quo poſuerit Hieroſolymam* LAUDEM *in terra.*] Chorus Eccleſiæ, poſita hypotheſi ſuæ exhortationis, hoſce ipſos Sacrorum Eccleſiæ Præfectos, his verbis recta compellat, eoſque monet, ut ne *ſileant ipſi*, neque *ſilentium* ſive *quietem concedant Jehovæ*, uſque quo *conſummaverit omne opus ſuum in Monte Tſionis* [g]; volo dicere, *poſuerit Tſionem laudem in terra.* Qui hic appellantur המזכירים את יהוה *Commemorantes Jehovam*, iidem illi ſunt שומרים *Cuſtodes murorum Hieroſolymæ*, quorum modo facta erat mentio. Sunt qui *præeunt* Eccleſiæ in precibus, laudationibus Divinarum virtutum, celebrationibus Beneficiorum ejus, eamque de Deo & admirandis quæ in eo ſunt, concionibus atque inſtitutionibus ſuis erudiunt.

Summa ſententiæ.

Commemorantes Nomen Jehovæ, quales hic deſignentur?

Vox הזכיר *recordari facere* latiorem admittit interpretationem. Valet *commemorare*; *memoriam rei* alicujus *conſervare*; alios in *recordationem* rei alicujus *ducere*; poteſtque referri vel ad *perſonam directam* quæ appellatur, ipſam; vel ad *tertiam*. ut v. gr. *recordari facere Jehovam*, valeat, *Jehovam* ducere in *recordationem* tertii, ut Hieroſolymæ, Iſraëlis; quod fit, ubi quis pro Hieroſolyma, Iſraële, intercedit; vel *Jehovæ memoriam* apud alios *refricare*, laudando, celebrando, præeundo aliis in prece & commemoratione beneficiorum Divinorum. Neutrum huic loco incongruum: ſed poſterius ſecundum uſitatiorem phraſios ſignificationem hic videri poſſet admittendum; quomodo vocem interpretatus ſum Cap. XXVI. 13. confer Cap. XII. 4. LXIII. 7. Sic הזכיר את יהוה hic notaret *commemorare Jehovam*; *recordari facere Jehovæ*; alios in recordationem ejus ducere; nomen ejus laudare, celebrare, prædicare: quod proprie *Levitarum* erat ſub Oeconomia Vetere. Ita exerte in hiſtoria Davidis [h]: *Et poſuit coram Arca Jehovæ ex* LEVITIS *miniſtrantibus* להזכיר *ad* COMMEMORANDUM (recordari faciendum,) *& ad celebrandum, Jehovam Deum Iſraëlis.* Imo vero *totus* Dei *cultus* hac notione ſignatur, ut זכרון *Objectum Cultus*, Cap. LVII. 8. Et tamen vere hic & proprie vox referenda eſt ad *preces*, olim *ſuffitu* & *thure* figuratas. מזכירי ſunt hic loci ad quorum officium pertinet *thus accendere in ara* ad nidorem faciendum, ut patet ex Cap. LXVI. 3. In ſpirituali ſtatu ſunt homines *imbuti* gratia *Precum*. Intelligis itaque hic loci *Miniſtros publicos Verbi*, in officiis Sacris ΠΡΟΣΤΑΤΑΣ, ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΟΥΣ; Levitas ſpirituales; in ſupplicationibus ac laudationibus publicis plebem præcedentes. Hos non vult *quieſcere*, *ſilere*, ſed *continenter* ἐκτενῶς, ἀδιαλείπτως apud Deum *inſtare*, ut ſtatum Eccleſiæ perficiat. confer Pſ. XXX. 13. Imo vero hos non vult *ullam quietem*, *ullum ſilentium*, *concedere Deo*, USQUE QUO vota Eccleſiæ plane expleverit. Sic vere ſonant Hebræa, ואל תתנו דמי לו *Ne date ei ſilentium*, ſive *quietem*: ne ſinite illum QUIESCERE, *uſque quo*, *&c.* Sym. Μὴ δῶτε ἡσυχάσαι αὐτῷ· *Ne detis quieſcere* (quietem) *ei.* Theodot. Μὴ δῶτε σιγὴν αὐτῷ· *Ne detis ei ſilentium.* Audax eſt metaphora, quam licet plerique Intt. expreſſerint; non videntur tamen auſi eſſe Deo tribuere Belgæ noſtri, Docti Viri, qui verba in hunc modum conceperunt, *Et ne ſilete coram eo.* Sed cogitandum erat, Spiritum S. fortiſſima genera locutionum *patheticarum* Deo vindicare, ut nos duceret in clariſſimam notitiam affectionum Divinæ Naturæ; quæ licet affectionibus proprie ſic dictis libera omnia tamen recipit attributa, noſtris affectionibus analoga. Metaphora hic deſumpta eſt à Principe, qui à moleſtis interpellatoribus omni die *prece* ac *petitionibus* fatigatur, & *obtunditur*, ut tandem ſe liberet ab importunitate ſupplicantium, nullam ipſi *quietem*, nullum *ſpatium*, reliquum facientium, veluti invitus *cogatur* votis eorum annuere, ſecundum id quod Dominus Jeſus in parabola *Judicis* injuſti [i], *Tamen quia moleſtiam mihi exhibet vidua iſta, vindicabo eam, ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με, ne tandem veniens me* OBTUNDAT. Phraſis eſt melioribus Scriptoribus uſu receptiſſima. Senſus huic pereleganti metaphoræ ſubeſt certiſſimus, Deum velle, ut cultores ſui promiſſa Eccleſiæ bona ardentiſſimis, iiſque continuis precibus, indeſinenter à ſe petant, & oſtium gratiæ ſuæ pulſent; precibus inſtent, invigilent, & veluti ſe *fatigent*, ac *vim* ſibi faciant; identidem renovando memoriam promiſſorum Eccleſiæ factorum, ſecundum illud Tertulliani [k]; *Coimus in cœtum & aggregationem, ut ad Deum* QUASI MANU FACTA *precationibus ambiamus orantes.* HÆC VIS DEO GRATA EST. Non dat enim Deus quæ promiſit niſi petentibus: & cum dare velit, ſuſcitat in ſuis petendi alacritatem, fiduciam, & continuitatem. Cyprianus [l]: *Nam & hoc nobis jam olim, per viſionem,*

Notio vocis הזכיר h. l.

Quo ſenſu vindicetur *Levitus*?

Nullam *quietem* aut *ſilentium* Deo concedere.

Audax metaphora.

Unde ſumpta?

Locus Luc. XVIII. 5. Vox ὑπωπιάζειν, ejusque ſignificatio h. l.

Tertulliani Locus huc refertur.

Et Cypriani.

a 1 Theſſ. v. 16. b Luc. XVIII. 1. c Apoc. II. 28. d Cap. XI. 1. 2. e Pſ. CXXII. 6. f De *Oratione Dom.* in fine. g Cap. X. 12. h 1 Chron. XVI. 4. i Luc. XVIII. 5. k *Apol.* Cap. XXXIX. l Lib. IV. Epiſt. IV. Edit. Er.

fratres chariſſimi, *exprobratum ſcitis*, *quod* DORMITEMUS IN PRECIBUS, *nec* VIGILANTER OREMUS. Quænam vero honeſtior oratio eſt, quam qua petimus *adventum*, ſive, clariorem manifeſtationem *Regni Dei*, ut יכונן *ſtabiliat*, ſive *exaptet*, ut Coccejus noſter, *Hieroſolymam*, eamque *ponat laudem in terra*. h. e. materiam laudationis. Quod facit, *α*. Ubi Eccleſiam manu ſua publice *vindicat*, ut agnoſcant omnes, etiam infenſiſſimi hoſtes ejus, eſſe eam Deo curæ. *β*. Statum ejus in Regnis ac Rebuſpublicis, nomen ac defenſionem veræ Religionis ſuſcipientibus, *ſtabilit*. *γ*. Eam dotibus gratiæ ſuæ præclare ornat, ut mereatur dici & appellari Populus Dei. confer hic inſignia loca Zeph. III. 19. 20. ubi eadem phraſis bis repetitur, coll. cum Jer. XIII. 11. Articulus hujus implementi primus cadit in ipſa illa tempora liberatæ vindicatæque ac vere reſloreſcentis Eccleſiæ, liberatæ à perſecutione Diocletianea: ſed cum ampliora promiſſa habeamus, hactenus non impleta; durat uſque ad *implementum omnium de quibus loquutus eſt Deus à ſæculo per os omnium ſanctorum ſuorum Prophetarum*. *a*

Quid ſit, Hieroſolymam ponere *laudem in terra*?

PARS TERTIA: Ἀντιστροφὴ Chori Prophetici.

α. Repetita Oratione adducit *Juſjurandum Dei*, quo ſpem Eccleſiæ firmet.

PARS TERTIA: Ἀντιστροφὴ Chori Prophetici. Repetit orationem, & firmat promiſſa, adducto *Jurejurando Dei*, ℣. 8.

℣. 8. *Juravit Jehova per* DEXTRAM SUAM *& per* BRACHIUM ROBORIS *ſui: Si dem frumentum tuum amplius cibum hoſtibus tuis; & ſi peregrini bibant muſtum tuum, in quo laboraſti!* ℣. 9. *Si quidem qui collegerint illud, comedent illud; & laudabunt Jehovam; & qui coëgerint illud, illud bibent in atriis meis ſanctis.*] Redit Chorus Propheticus ad officium, & repetens orationem, aſſeverat Eccleſiæ, longum jam tempus expoſitæ hoſtium ſuorum perſecutionibus; Deum certiſſime ei procuraturum eſſe tempora pacis & tranquillitatis publicæ, quibus liberati ab hoſtibus, rerum ſuarum arbitri, Bonis ſibi à Deo indultis gaviſuri eſſent abſque metu hoſtili, cum *gratiarum actione*. *Juravit*, ait, *Jehova per dextram ſuam & per brachium roboris ſui*. Quid dici queat fortius & ἐνεργέστερον? Senſus ſimplex eſt, juravit per *omnipotentiam ſuam*. h. e. juravit, ſe hoc vel illud Eccleſiæ procuraturum eſſe bonum; vel, non interceſſurum eſſe ſe quo minus publice arguatur impotentiæ. Quotiens enim Deus *jurare* dicitur per *ſe ipſum*, per *animam ſuam*, per *fidem ſuam*, *ſanctitatem ſuam*, *Nomen ſuum*; promiſſorum vel minarum ſuarum executionem connectit cum perfectiſſima Natura ſua, ejuſque perfectionibus, teſtaturque publice; non intervenire ſe quo minus negetur *talis* eſſe *qualis* eſt, ſi dictum ratum non faciat: ut adeo dicta Dei ſub formula Juriſjurandi concepta ſignificent *abſoluta* Dei *decreta*, à nulla conditione ſuſpenſa; quod hic rectiſſime Hebræi, ſi ſano ſenſu intelligatur. Sed egi jam hac de re ad Cap. XIV. 24. XLV. 23. LIV. 9. De *dextra* autem & *brachio* Dei, tanquam ſymbolis *omnipotentiæ Divinæ*, receptiſſimi uſus, ſæpius quoque in ſuperioribus monitum *b*. Argumentum Juriſjurandi eſt, *Deum* NON AMPLIUS *conceſſurum frumentum & muſtum* Eccleſiæ hoſtibus; ſed ipſos his bonis gaviſuros eſſe, Deumque celebraturos in *Atriis Jehovæ*. quæ verba ſi ſecundum primum ſenſum accipias, valent; Populum Eccleſiæ, in medio hoſtium ſuorum Paganorum habitantem, atque omni populari motu, (cujuſmodi motus à primo tempore Evangelii inter Gentes vulgati uſque ad Conſtantiniana tempora frequentiſſime accidebant;) expoſitum ἁρπαγαῖς τῶν ὑπαρχόντων *Bonorum ſuorum direptionibus*, (ſic Apoſtolicus ad *Hebræos c*; patetque ex hiſtoria, Plebem Paganam concitatam in eo primum rabiem ſuam expleſſe *d*,) à perſecutionibus & injuriis vindicatum, bona facultateſque ſuas ſecure poſſeſſurum, iiſque ſecundum voluntatem Dei pro arbitrio ſuo cum *gratiarum actione* uſurum eſſe. Secundum quem ſenſum *frumentum* & *muſtum*, ſtylo Prophetico *e*, ſumuntur pro omnibus *Bonis* ad uſum & delectationem neceſſariis, labore & induſtria partis, ut fructu Divinæ benedictionis. Quibus *bonis*, *ſanctificatis per verbum & preces*, quando Chriſtiani utuntur in *fide*, cum *gratiarum actione f*; ad *honorem Dei g*; atque ex iis pro antiquo more inſtituunt *Epula charitatis*, in levamen & refectionem pauperum, (olim *agapas* dicta,) aut ea cum *conſortibus ejuſdem fidei* in hunc uſum communicant: vere dicuntur ea abſumere in *Atriis Dei*: locutione ſumpta ab *Euchariſticis*, ex quibus offerentes, parte illorum ſacrificiorum Deo & Sacerdotibus ex Lege ſecreta, inſtituebant *Epula*, cum *gratiarum actione* in ipſis *Atriis Domus Dei* in fide celebranda *h*. Summa itaque promiſſi eſt, Eos qui ad Eccleſiam Credentium pertinent, hoc tempore liberatos à perſecutione publica rebus facultatibuſque ſuis gaviſuros eſſe in pace & tranquillitate in communione Dei cum gratiarum actione & laudatione Divini Nominis pro hoc magno Beneficio Divinæ Providentiæ, tam diu ſperato optatoque: quod promiſſum cum fere ſpe majus videretur; (quale vere eſſe videbatur tempore florentis ac dominantis Paganiſmi, ſuffulti toto Statu Civili Romani Imperii;) Chorus Propheticus confirmatum it ex Jurejurando Divino, ut Eccleſia omnem dubitationem tanti boni recipiendi abjiceret. Si promiſſum myſtice contempleris: ſenſum dat, fore ut Eccleſiæ adminiſtratione *Verbi*, *Mediorumque ſalutis*, & totius *Cultus Religionis*, qui animam *ſaturat* & *exhilarat*, hoc tempore libere & tranquille cum laudatione Divini Nominis, in cœtibus ſanctorum, coram facie Domini, utantur, fruantur. Prophetæ, lætum Eccleſiæ ſtatum deſcribentes, ſubinde utrumque inter ſe conjungunt; & ſub Bonis externis, *frumenti* & *muſti*, quæ faciunt ad ſaturandum & hilarandam partem hominis animalem, ſpectari volunt Beneficia analoga Divinæ Gratiæ, *partem ſpiritualem* ſaturantia ac lætificantia: quod ſane externorum & corporalium bonorum uſus ab his beneficiis ſejunctus tanti cenſeri nequeat. Joël *i*: *Et plena erunt horrea* FRUMENTO; *&* TORCULARIA MUSTUM *& oleum abunde ſubminiſtrabunt*. Deinceps *k*: *Et futurum eſt illo tempore, ut ſtillent montes* MUSTO, *& colles fluant* LACTE. Jeremias *l*: *Et venient & cantabunt in celſo Tſionis, & confluent ad bonum Jehovæ, ad* FRUMENTUM, *& ad* MUSTUM, *& ad oleum*. Zacharias *m*: FRUMENTUM *Juvenes, &* MUSTUM *facundas faciet virgines*. Ubi apud Eccleſiam eſt copioſa diſpenſatio *mediorum ſalutis*, eorumque cupidus uſus: gaudent pii hoc Beneficio. *Colligunt frumentum & muſtum* qui diligenti ſtudio earum rerum ſibi comparant notitiam ex Verbo Dei, quæ aliis eſſe poſſunt nutrimento ac ſolatio. Dixeris, *frumentum & muſtum* hic ejuſmodi intelligi, quæ hoſtes Eccleſiæ erepta in ſuum uſum vertebant; & non videtur id dici abſque ſpecie. Utique putem, id maxime moviſſe Coccejum, quod hic ſub nomine *frumenti* & *muſti* intellexerit *Catechumenos*, in quibus *erudiendis Eccleſia laboraverat*, quoſque *incorporaverat*, ex quibus *voluptatem ceperat*, & per quos *creſcebat*, ab hoſtibus Eccleſiæ *abſorptos*. Nec tamen ratio erat ulla remotius quærendi, quod propius inveniri poteſt: ſi enim *frumentum* myſtice ſumptum ſubinde ad homines referatur, non putem unquam *muſtum* hoc ſenſu venire. Reſpondeo itaque, hoſtes Eccleſiæ cenſeri *frumentum & muſtum* in ſuos uſus auferre, quando Eccleſias uſu publico mediorum ſalutis privant, & publicum Religionis cultum diſturbant. Qui enim has res diripit, quæ vere *bona* ſunt; putatur eas in ſuum uſum & commodum vertere. Ergo phraſis hæc myſtice ſumpta ex earum eſt genere, quæ cum *affirmative* enuncientur, *negative* interpretandæ ſunt, quem *canonem* alibi *n* illuſtravi. Hoſtes abſumunt *frumentum* & *muſtum* Eccleſiæ dum eorum uſum intervertunt, alioſque eo pri-

Frumentum & muſtum, quid ſignificent, ſtylo Prophetico?

Reſpectus *atriorum Dei* h. l.

Summa promiſſi, his verbis comprehenſi.

Myſticus ejus reſpectus h. l.

Producitur dubium, interpretationi objiciendum.

Interpretatio Cl. Coccejii.

Dubium faciliore modo expeditur.

Affirmative dicta, ſub-

Argumentum Juriſjurandi.

Quid verba ſignificent σχέσει ad *Subjectum*, de quo hic ex hypotheſi agitur.

Chriſtiani primi temporis ſæpe fuerunt expoſiti direptionibus bonorum.

---

a Act. III. 21. *b* Cap. XXX. 30. XLI. 10. XLVIII. 14. & Cap. LXIII. 12. *c* Cap. X. 34. coll. cum 1 Theſſ. II. 14. *d* Vide Euſeb. H. E. Lib. V. Cap. 1. *e* Pſ. IV. 8, Hoſ. II, 7. VII. 14. Hag. I. 11. *f* 1 Tim. IV. 5. *g* 1 Cor. X. 31. *h* Deut. XXVII. 7. *i* Cap. II. 24. *k* Cap. III. 18. *l* Cap. XXXI. 12. *m* Cap. IX. 17. *n* *Obſerv. Sac.* Lib. XIV. Cap. VI §. XXIII.

Inde negative expo-nenda sunt. Quid sibi velit illud *Non amplius*, h. l.?

eo privant. Quid vero illud, NON AMPLIUS? An Ecclesia nullas postea experta est calamitates, per quas usus *frumenti & musti* ei interceptus est? Respondeo, phrasin non esse premendam præter mentem & scopum Spiritus S. cæteroquin enim Interpretes, hic maxime à nobis dissentientes, vel etiam hæc verba referentes ad initia instauratæ Ecclesiæ, omnem emphasin ejus hic amitterent. Usurpatur illa hoc loco non *absolute*, sed *relative*, cum respectu ad Liberationem Ecclesiæ à publica persecutione Paganismi. Hac defuncta Ecclesia posita est hac parte in statu pacis, securitatisque; ut ab hoc tempore novum fluxerit Sæculum. Vide interim usum ejusdem hujus phrasios restrictiorem in aliis prophetiis, Cap. XXX. 20. XXXII. 5. Hoc tempore Ecclesia inciperet gaudere hoc Beneficio Divinæ Providentiæ, in feliciori tempore consummando.

Vera interpretatio, cum impedimento facile conciliandæ.

β. Docet, per *Vindictam* de hostibus sumendam, remotis impedimentis, Gentes undique ad Ecclesiam confluxuras esse.

β. Confluxus Populorum ad Ecclesiam post vindictam de hostibus sumptam: ℣. 10.

℣. 10. TRÁNSITE, *transite*, PER PORTAS: *æquate viam populo: aggerate, aggerate semitam: repurgate eam à lapidibus: levate signum ad populos.*] Chorus Prophetarum magnum superioribus verbis complexus erat promissum; sed cujus dubium videri posset implementum ob sensilia impedimenta, executioni Consilii hujus Divini adversa. Status enim Civilis & Religiosus Romani Imperii inter se usque eo permixti atque impliciti erant, ut nexu æterno devincti viderentur non posse dissolvi. Ipsi enim Rectores Civitatis omnes adstricti erant cærimoniis ritibusque, ex antiqui temporis superstitione ductis. Idem obtinebat in Ordine Militari. Ubique ostentabantur DII, tutelares Imperii; sacrificia, cærimoniæ, formulæ, antiquissimi instituti, &, persistente hoc Imperio, ut videbatur, æterni, & nunquam abolendi. Quæ itaque, quantaque exspectatio, Imperium hoc tantum, tot complexum Gentes, tantis fultum viribus, ad cujus incrementum superstitiosus Numinum cultus non minus contulisse existimabatur, quam arma; discessurum à patrocinio superstitionis, & amplexurum Legem Christi? Sic videbatur secundum rationes humanas; sed quas Divinæ vincunt. Docet itaque Chorus; tametsi magna & gravissima vere huic spei objecta viderentur impedimenta: Deum tamen sua curaturum providentia, ut ea è medio removerentur; monetque simul Populum Ecclesiæ, ut quod sui officii erat, ad executionem consilii hujus Divini promovendam certatim conferret, ut scandalis omnibus è medio motis, Gentibus in sinum Ecclesiæ confluxuris, liber ad Ecclesiam accessus esset; hoc ipso nos tacite submonens, circa id temporis quo Deus hoc Opus effectum daret, extitura aliqua, & mox oritura alia, quæ Gentibus Ecclesiæ communionem expetituris, jure merito censeri possent fore scandalo. Hic duplex verbis est involutus sensus, distinctius exponendus. Secundum primum verborum aspectum, sententia tota accipi potest *figurate*, sensumque dabit simplicem; Deum curaturum esse, ut remotis obstaculis, quæ huc usque multos de Gentibus morata fuerant, Gentibus undique confluxuris ad Ecclesiæ communionem libera pateat accessio; similitudine sumpta à civibus majoris alicujus Oppidi, qui in solennibus publicis, quibus exspectant majorem ad Urbem confluxum, sive Fori celebrandi sive Principis excipiendi, *exeunt per portas, vias æquant*, easque *aggerant*, & *lapidibus* ac offendiculis aliis *purgant*, efferuntque *signum*, ut mortales undique alliciant & de facili commeatu moneant. Secundum quam orationis figuram, *imperativus* licet ad certas *personas* directus videatur, explicandus est per *futurum*, & simpliciter significabit, Deum per *ministros* suæ Providentiæ, & per *media* ad id apta, effectum superius memoratum, producturum esse; hoc est, facturum, ut Ecclesia, post vindicatos hostes, qui multis huc usque impedimento & metui fuerant, Gentes ad se commenturas, magno & libero confluxu, in se recipiat. In qua interpretatione *imperativus* prophetici styli explicandus est per *futurum*, ut variis locis aliis. Sume exemplum ex Cap. XXVI. 2. *Aperite portas*, (*aperiantur*, vel *aperientur portæ*,) *ut intret Gens justa, tenax fidei.* confer Ps. CXVIII. 19. Cum enim Deus in omni opere suæ providentiæ adhibeat ministros & media ad id apta: oratio figurata ad eos per apostrophen vertitur, simplice stylo sic exponenda; Deum per *media* ad id provisa, quæ *media* speciem habent administrorum Divinæ Providentiæ, hunc vel illum effectum producturum esse. Interpretatio autem petitur ex *toto complexu* locutionis parabolicæ: *partes singulæ* hic nihil speciatim significant. Ad rem ipsam jam quod attinet: est ea testatissimæ veritatis. Auctoritas Romani Imperii, persecutiones subinde Christianis intentatæ, & earum persecutionum metus, huc usque plures deterruerant à communione Ecclesiæ: sed hoc magno impedimento cum minoribus aliis remoto, quando Ecclesia pacem nacta est in Romano Imperio; & *signo* Libertatis Christianæ Religionis profitendæ in Edictis Impp. publice *elato: portæ Civitatis* hujus *Sanctæ* censentur *apertæ esse*, *aggeres* aggesti, viæ publicæ *purgatæ*, elatumque *signum*, ad quod Gentes certatim concurrerent; factumque adeo est, ut Ecclesia hoc tempore ingente concursu Gentium aucta honestataque sit: de quo cum aliis locis frequens egi, tum præcipue ad Cap. XLIX. 22. *Sic dicit Dominus Jehova, Ecce tollo ad Gentes manum meam, & ad Populos sustollo* SIGNUM MEUM; *& adducent filios tuos sinu, & filiæ tuæ super humeros ferentur*; & ERUNT REGES NUTITRII TUI, & seqq. Vides, idem tempus demonstrari, quod hoc in loco: characterem autem temporis Constantiniani & sequentium hic adesse certissimum.

Exempla ejus generis.

Sensus amplius exponitur.

Res ipsa exponitur, & historiæ comparatur.

Locus analogus Cap. XLIX. 22.

Non excludo tamen specialiorem interpretationem hujus Emblematis, partiumque ejus peculiarem inspectionem. Emblema in universum pertinet ad omnem instaurationem Status Ecclesiæ, quam vulgo *Reformationem* vocant. Propheta eo in superioribus bis usus fuerat; primo de instauratione Status Ecclesiæ facienda Ministerio Joannis Baptistæ, Cap. XL. 3. Deinde de Ecclesiæ instauratione Statusque ejus Emendatione, quæ subsecutura esset summam ejus corruptionem, quam *Reformationem* ejus appellare solemus; de qua intelleximus locum Cap. LVII. 14. *Et exit vox, Aggerate, aggerate, æquate viam: tollite offendiculum è via Populi mei.* Symbolum itaque aptum est figurandæ omni instaurationi Ecclesiæ in meliorem statum; quam sane si unquam, experta est tempore Constantini. Renovata illo tempore est ejus facies: post tristissimum proximi temporis aspectum revocata est ad vitam: cum excidio destinata esset per totum Imperium Romanum; non servata tantum, sed aucta locupletataque est, tum quoque culta honestataque, supra spem. Ergo cum hoc tempus adesset, exit Vox Dei, vel Chori Prophetici Nomen Dei usurpantis, tum ad Episcopos, Rectores & Doctores Ecclesiarum; tum ad Rectores Politicos Romani Imperii, eorumque Ministros, Provinciarum Præsides, mandans, ut quisque consilio Dei in magno hoc Opere Providentiæ ejus subserviret, & quod facultatis suæ partiumque suarum erat, ad illud exequendum perficiendumque conferret. *Transire per portas* hic loci valet non *sedere otiosum* intra portas; sed *per portas patentes* exire, & *manum* admovere *operi* reparandarum Viarum publicarum; quo hic unice alluditur. *Portæ* hic respectum habent ad *Civitatem*, ut aliis locis hujus prophetiæ: *ire per portas* est per *portas* ire extra Urbem; per portas eundo & redeundo *versari*, ut cures opus tibi mandatum. Mirus hic rursus & vere paradoxus est Grotius. Adscripsit ad verba, TRANSITE, TRANSITE PER PORTAS.] *Vos Sacerdotes & Levitæ intrate in Templum.* Nec *portæ* absolute sumptæ *portas Templi* significant, sed *Civitatis* cum respectu ad Hierosolymam: (confer Cap. LX. 11. 18.) neque vox עבר *transire, præterire, procedere, versari*, commode usur-

Specialior hujus Emblematis contemplatio.

Pertinet ad *Reformationem* Ecclesiæ.

Usus ejus in superioribus.

Facies statusque Ecclesiæ, tempore Constantini.

Vox Dei, hic memorata, quid significet in historia?

Quid hoc in loco *transire per portas*?

Grotii Metaphrasis paradoxa.

Phrasis diligentius il-

Nexus verborum cum superioribus.

Multa videbantur obstare implemento promissorum & spei Ecclesiæ, in Imperio Romano.

Elevata in hac oratione Prophetæ.

Suppositum in verbis Prophetæ.

Aspectus figuratus sententiæ Vatis, qui declaratur.

Quo in casu *Imperativus* hic explicandus est per *futurum*.

Iustratur. Vis vocis עבר.

usurpatur de *itione* in locum. *Ire* in Templum, aut Civitatem, Hebræis effertur voce בוא *ire*, *venire*, ingredi. *Transire per portas* valet *per portas egredi Urbem.* Theodot. Ὁδοποιήσατε *iter facite.* exite portis ad planandas vias. Boni atque fideles Rectores & Doctores Ecclesiæ Populi Dei *transeunt per portas*, ubi se non *occultant*; quod faciebant tempore persecutionis; aut κρυφύγετα quærunt quo minus se admoveant Operi Dei: sed ubi in publicum prodeunt; se ostentant, manum admovent operi; doctrinam fidei ab erroribus purgant, & cum Sacris Literis coæquant; eandem adstruunt, muniunt, & clare proponunt atque illustrant ut unicum & verum medium, per quod itur ad Civitatem Dei; cultum Dei ac disciplinam Ecclesiæ liberant à *scandalis*, si quæ forte in Religionem irrepserint: & publico præconio Verbi Evangelii commendant, imo nomine Dei *mandant* obsequium fidei in CHRISTUM *Jesum*, tanquam *Signum* ΣΩΤΗ'ΡΙΟΝ, omnibus salutis suæ cupidis à Deo propositum [a]: de quibus ac similibus officiis Ministrorum Dei & Præfectorum Ecclesiæ monui ad loca modo notata; sed præsertim ad Cap. LVII. 14. Rectores Imperii & Præsides ac Rectores Provinciarum dicuntur *transire per portas*; *aquare viam*; *aggerare semitam*; *sustollere* SIGNUM ad Populos, quando *mandata* sive *Edicta*, Statui Ecclesiæ profutura, in publico vulgant, & affixa legenda omnibus proponunt: tum vero se movent, ostentant, & in publicum prodeunt ad illa Edicta exequenda: cultum Religionis collapsum aut turbatum instaurant: Synodos ad muniendam regulam Fidei convocant: Oratoria diruta extruunt: impensas in Sacra erogant: scandala atque impedimenta, huc usque Religioni nociva, de medio removent: coërcent hostes: faciuntque ut omnibus innotescat, nemini fraudi fore, se aggregare Communioni Ecclesiæ: contra vero, id se maxime gratum acceptumque habere, eorumque conatibus se velle favere: quod Constantinum, eumque sequutos Impp. (Juliani enim vexa fuit brevis temporis:) egisse, eorumque jussu Præsides Provinciarum, liquet ex historia; & supra non semel ostendimus. Hic sensus illustri huic constat Apostrophæ, in omni sua amplitudine sumptæ; quam tamen æquum est primo loco referre ad *Præfectos* Ecclesiæ, *Pastores* Populi, Administros Sacrorum, quorum curæ mandata est Religio. Erant jam tum inter Christianos gravia *scandala*; erantque inter aliquos collapsæ *viæ*, & non satis *muniti* exaltatique *aggeres*; erant in *via* qua itur ad Ecclesiæ communionem *lapides*, ad quos facilis offensa; certe viatoribus impedimento. Respicio *hæreses* & *schismata* inter homines nominis Christiani vigentia, quæ accessuris ad Ecclesiam dubiam viam faciebant: tum *dissidia*, *æmulationes*, & *simultates* gravissimas, inter eos qui Catholici dicebantur, nata & intemperanter exercita, de quibus late Eusebius [b]; quæ mox à pace Ecclesiæ indulta beneficio Divinæ Providentiæ eruperunt in magnum incendium. Arianam factionem innuo, quæ Orientalem Ecclesiam totam in partes traxit. Erat itaque gravis ratio, cur Chorus Propheticus Præfectos Sacrorum hujus temporis moneret, ut prodirent per portas; *vias* repararent; *aggeres* munirent; *lapides* (scandala) expurgarent; & *vexillum* erigerent *unitatis* ad quod omnes undique confluerent. De more *erigendi vexilla* sæpius à nobis dictum [c]. In phrasi, סקלו מאבן quam Hieronymus obscure nec satis feliciter vertit, *Eligite lapides:* hæret ellipsis, ex mea sententia. Integra est, סקלו חרך מאבן *Evacuate viam lapidibus.* Secundum illum usum vocis סקל, quo valet *viam* aut *agrum* lapidibus expurgare, quem habuimus, Cap. v. 2.

Quo sensu Ministris Evangelii vindicetur.

Quo sensu transferatur ad Rectores Civitatis.

Animadversio historica de Vitiis Ecclesiæ circa tempora Constantini.

Quæ ad præsentem prophetiam applicatur.

γ. Eadem hæc Bona promissa cum respectu ad auctorem eorum, Messiam, Heröem, qui Satanam compesceret, de novo repetit.

℣. 11. *Ecce Jehova promulgari fecit ad finem terræ, Dicite filiæ Tsionis,* ECCE SALUS TUA VENIT: ECCE *merces* EJUS *cum ipso, & operæ pretium ejus ante ipsum.* ℣. 12. *Et vocabunt illos Populum sanctum, Redemptos Jehovæ; & tibi dicetur,* QUÆSITA; *Civitas non derelicta.*] Schema totius orationis sic est conceptum, ut, populo Dei tempore afflictionis & persecutionis publicæ dispersо per Gentes & Populos; *vox Jehovæ* personet usque ad *extrema terræ*, qua publice innotescat, adesse *Salvatorem*, Populum suum vindicaturum, & pro *afflictione* quam sustinuerat, amplam retributurum mercedem: *dispersos* autem, collectos ac reversos Tsionem, appellatum iri *Populum sanctum*, *Redemptos Jehovæ*; *Tsioni* vero, hoc est, piis qui tempore persecutionis & afflictionis in suis quique locis resederant, exspectantes exitum afflictionis, dictum iri, *Quæsita*, *Civitas non derelicta.* Oratio ipsa nihil dubii habet, nisi forte quod dubium videri posset, quorsum referendum sit *relativum* in verbis, *Merces* EJUS, & *operæ pretium* EJUS. Integra sententia sic legitur: *Ecce* JEHOVA *promulgari fecit .... Dicite filiæ Tsionis, Ecce* SALUS TUA *venit. ecce merces* EJUS *cum ipso, seqq.* Non videtur *relativum* respicere vocem *Jehova* qui ubique promulgari faceret, adesse *Servatorem Ecclesiæ*; quia Chorus de eo hic plane loqui videtur *persona tertia.* Estne itaque referendum *relativum* ad vocem ישע SALUS, quæ proxime præcessit? Respondeo, primo in rationibus Grammaticæ nihil esse quod huic meditationi obstet: etenim vox ישע *Salus* Hebræis est *fortioris generis.* Quin addo, Veteres Intt. sic accepisse. Οἱ ὁ. Εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιὼν, Ἰδοὺ ὁ Σωτήρ σου παραγέγονεν· *Dicite filiæ Tsion, Ecce* SERVATOR TIBI *venit.* Chaldæus: הא פרקך מתגלי *Ecce* SALVATOR TUUS *revelatur.* Hieron. SALVATOR TUUS *venit.* Secundo, ipsam quoque vocem ישע SALUS ferre posse hanc interpretationem. *Salus* enim metonymice est *auctor*, caussa, *salutis.* ut in Ode sacra [d]: *Jehova est lux mea,* וישעי *& salus mea.* Alibi, *cornu salutis, clypeus salutis, rupes salutis, Deus salutis.* confer ex hoc Libro Cap. XII. 2. LII. 10. Tertio, *salutem* hic ab ejus *auctore* non posse separari; sed unum alterum necessario involvere. Quarto denique, si voci ישע JESCHAH *salus* hæc significatio hoc in loco adstringatur: rectà nos duci in notitiam *Personæ* quam Sp. S. hic designat, sub ipso illo nomine JESUS, ישוע, quo appellatus est jussu Dei ab Angelo [e]; cujusque symbolum hoc loco involvitur. Si quis autem mavelit præter necessitatem, *affixum relativum* referre ad *Personam Servatoris* sub nomine אל DEUS: dicendum est, illam ut notam hic non appellari, sed ex attributo suo cognoscendam relinqui. Sic verba, *Ecce merces* EJUS, (sc. Jehovæ Dei, *qui te liberatum* venit,) *est cum ipso, & operæ pretium ejus ante faciem ejus.* Verba leguntur Cap. XL. 10. *Ecce Dominus Jehova adversus* ROBUSTUM *venit: ecce merces ejus cum ipso, & operæ pretium ejus ante ipsum.* quorum genuinam interpretationem ibi loci deprehendes.

γ. Bona promissa cum respectu ad Auctorem eorum, ℣. 11. *Ecce Jehova* &c. Σχῆμα orationis.

Quorsum referendum sit pronomen relativum in verbis, *Merces ejus, Operæ pretium ejus.*

An referendum ad vocem ישע *Salus?* Meditationes in hanc rem.

In altero jam *versiculo*, cum duæ inferantur personæ, *tertia* quidem, sub verbis, וקראו להם *Et vocabunt* ILLOS: & *secunda*, sub sequentibus; ולך יקרא *Et* TU *appellaberis:* facillimum intellectu est, sub nomine *priorum* intelligi *dispersos & disjectos* Tsionis *cives*, per beneficium *Redemptionis* & *Liberationis* præsentis temporis reducendos ad Tsionem, & in eam illaturos *decus* & *copiam*, atque ea propter appellandos, עם הקדש *Populum sanctum*, per ipsam afflictionem quam sustinuerat, magis etiam purificatum à vitiis; & גאולי יי *Redemptos Jehovæ*, tanquam quibus beneficium *Redemtionis* quam habebant in sanguine Christi Jesu, novo hoc beneficio rursus veluti obsignatum esset. sub nomine autem *personæ secundæ*, TSIONIS ipsius, quæ hic directe compellatur, subaudiendos esse ipsos *Credentes* qui *corpus ipsum Ecclesiæ*, in varias cœtus particulares distributum, constituebant; quique, ipso persecutionis

Divortium sententiarum hic levius est.

Duæ personæ, hic memoratæ, demonstrantur.

Et subjectum quod appellandum esset, דרושה *Quæsita.*

a Cap. XI. 10. b *Hist. Eccl.* Lib. VIII. Cap. 1. c Confer Cap. XIII. 2. coll. cum Cap. V. 26. d Ps. XXVII. 1. e Matth. I. 21.

nis tempore, in ſuis quique locis reſederant; ad quos cæteri rurſus aggregarentur. Hi facerent *corpus* Tſionis: eſſent inſtar *matris* ſive *metropolis*, in quam alii reducerentur & concurrerent. His conveniret nomen דרושה QUÆSITA; *Civitas* NON-DERELICTA. Et poſterius quidem nomen expedivi ad ỳſ. 4. *Non dicetur tibi amplius:* (dici non poterit ſecundum exteriorem ſpeciem:) עזובה DERELICTA. Ubi enim Eccleſia laborat ſub afflictione longioris temporis; hanc præfert ſpeciem. Nunc vindicata liberataque omnipotente dextra Jehovæ, triumpharet ipſa; veram ſuam oſtentaret formam; & clauderentur obtrectatorum ora. Alterum Ἐπίθετον huc ſignificatione proxime accedit. דרושה valet QUÆSITA, quæ tamen dubiæ ſignificationis vox eſt. Οἱ ὁ. Ἐπιζητουμένη πόλις. *Quæſita civitas.* Geminum vitium, ſi Hebræa ſpectes. Vox עיר *Civitas* non pertinet ad vocem *Quæſita*, ut manifeſte præfert Verſio Græca, eamque ſequutus Hieronymus: *Quæſita civitas & non Derelicta.* Scripſiſſet enim Jeſaias, ſi id voluiſſet, ſecundum proprietatem Linguæ, עיר דרושה *Civitas quæſita.* Hebræa legenda ſunt, *Quæſita, civitas Non-derelicta.* Copula & in iis nulla comparet. Deinde vox Ἐπιζητουμένη *Quæſita* non reddit poteſtatem vocabuli דרושה, quod ipſum quoque nos per *Quæſitam* reddimus. Ζητεῖν, ἐπιζητεῖν, Græcis proprie valet *quærere* quod *amiſſum* eſt; explorare, inveſtigare, quod obſcurum; deſiderare quod abeſt: ſed דרש, quomodo hoc in loco uſurpatur; eſt *quærere* de re cujus recordaris; eſtque oppoſitum *oblivioni*, ut idem valeat, quod *Non-tradita oblivioni. Quæſita ex memoria. Reducta in recordationem. Memoria ſervata.* Græc. Μνησθεῖσα, Μνημονευομένη. Civitas proprie quæri nequit ut res amiſſa: ſed poteſt ejus tanquam rei nullius vel exigui momenti, nulla haberi ratio; memoria excidere; de ea non quæri, Quo ſtatu & conditione exiſtat: è contrario, ubi de ea *quæritur:* patet ejus haberi rationem, & ſervari eam memore mente. Collige itaque uſum vocis ex his locis. Ezech. XXXIV. 11. *Sic ait Dominus Jehova, Ecce me,* דרשתי את צאני *Ego* QUÆRAM *de ovibus meis, & accurate eas luſtrabo.* Jer. XXX. 14. *Omnes amatores tui* OBLITI SUNT TUI: אוהבך לא ירדשו *Non* QUÆRUNT DE TE. Rurſus ỳſ. 17. *Ipſa* eſt *Tſion,* דורש אין לה *Nemo de* EA QUÆRIT. Pſ. IX. 13. *Quia* QUÆRIT *ſanguinem* innocuum: RECORDATUR *eorum: non* DAT OBLIVIONI *clamorem pauperum.* Eſt itaque quod hic dicitur דרושה QUÆSITA oppoſitum querelæ Tſionis [a]: *Jehova* עזבני DERELIQUIT ME; *& Dominus* שכחני OBLITUS EST MEI. Utique ubi Eccleſia Populi Dei per longius tempus ab hoſtibus ejus affligitur, opprimitur, diſſipatur, conculcatur: plane videtur negligi à Deo; non curari; memoria ejus excidiſſe; nulla ejus haberi apud ipſum ratio: ſed ubi ex adverſo Deus eam publice vindicat cum clariſſimis & ſenſilibus Juſtitiæ ſuæ documentis; patefit omnibus mortalibus, eſſe eam in mente Dei, eam diligenter curantis & impenſe diligentis.

Prophetia non quadrat in tempus Reditus Judæorum ex Exilio Babylonico, quæ Grotii hypotheſis eſt. Superiora reclamant, ut vidimus; & ipſum quoque σχῆμα hujus Pericopæ. Urbs hic proponitur tanquam adhuc habitata, licet ſpeciem haberet *derelictæ*, & minus diligenter *curatæ*, ad quam reparatis purgatiſque & munitis viis magnus exſpectabatur concurſus; tam incolarum ejus diſperſorum; quam exterorum qui ad *Signum* elatum undique illuc confluerent; ipſis quoque *Regibus* gloriæ ejus applauſuris, ut vidimus ỳſ. 4. Si umbra ejus aliqua antiquo tempore quærenda ſit: oſtendi nulla poterit niſi in Maccabaicis; ſed ea vere levis, nec explens vim prophetiæ. Nec convenit ſcena primo tempori gratiæ, ut clariſſime demonſtratur ex ỳſ. 8. 9. Agitur de Liberatione Eccleſiæ longum tempus afflictæ, vexatæ, oppreſſæ; hoc tempore viſitandæ & vindicandæ à Domino Salvatore ſuo, tum hoſtes ejus deſtructuro; tum Civitatem veluti collapſam reparaturo; tum remuneraturo fideles ſervos ſuos, qui tempore afflictionis fidem & in fide conſtantiam ac patientiam Domino ſuo probarant: quæ ſententia luculenter confirmatur ex Apoc. XI. 18. Judæi itaque ipſi quoque eam referunt ad Liberationem ſuam ex præſenti Exilio. Sunt ex Noſtris Docti Viri, qui eam pariter vindicant extremo Eccleſiæ Liberatæ tempori; inducti maxime loco modo ex *Apocalypſi* notato. Sed nulla ratio eſt tanti hic committendi ſaltus: utique prudentiæ eſt prima prophetiarum implementa non negligere; nec diſſimulare illuſtria Eventa antiqui temporis, in quibus eoſdem characteres offendimus. Certe Spiritus cum prævideret, prophetias omnes, quæ glorioſa & magnifica prædicant de Statu Eccleſiæ N. T. in fine temporum perfectum implementum ſortituras eſſe, in quibus noſtram hanc lubenter cenſeri velim; phraſes & emblemata ex iis ſumpta in *Apocalypſi* ſæpius ad eam Ætatis periodum tranſtulit; ſed hoc ipſo prima earum implementa non excluſit. Mihi alte ſedet, Beneficium in Eccleſiam tempore Conſtantini collatum magnum quid & glorioſum fuiſſe, quod à Doctis recentiorum temporum præter fas ſubinde elevatur, contra rei ipſius rectis oculis inſpectæ meritum & hiſtoriæ certiſſimæ fidem. Favet inſuper manifeſte huic meditationi locus parallelus jam allegatus ex Cap. XL. 10. qui utique Conſtantini tempora hic præteriri non patitur: ubi poſt prima Evangelii initia quæ ibi deſcribuntur, *Jehova* ut *heros* venturus dicitur *adverſus illum* חזק ROBUSTUM, *validum*, ſc. Satanam ſe cum omni vi ac potentia ſua oſtentaturum in Imperio Romano, & ibi debellandum; & ſubjiciuntur verba eadem quæ hic leguntur, *Ecce merces ejus cum ipſo, & opera pretium ejus ante ipſum.*

Nomen, *Non derelicta*, ante expeditum.

Prophetia non quadrat in tempus Reditus ex Exilio Babylonico.

Ἐπίθετον alterum: *Quæſita*, דרושה Verſio τῶν ὁ. notata.

Umbrati'e implementum quæri nequit niſi in Maccabaicis.

Lectio & interpunctio Hebraea horum verborum.

Voces ζητεῖν, ἐπιζητεῖν. quid Græcis ſignificent?

Hypotheſis Judæorum. Referunt ad Liberationem ex præſenti Exilio.

Quæſita hic valet, *Non tradita oblivioni.*

Aliorum ex Noſtris, qui eam ad ultimum Eccleſiæ tempus applicant.

In eam ſententiam ἐπίχρισις.

Vos דרש ſecundum uſum hujus loci ex analogis illuſtrata.

Primum implementum quærendum eſt in tempore Conſtantini.

Sententia confirmatur ex Cap. XL. 10.

Res ipſa declaratur.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

SERMONIS QUINTI,

Sectio prima.

Cum Jeſaias in *ſuperiore prophetia* Deum introduxiſſet ut Heröem, rebus Populi ſui deſperatis interventurum, ejuſque ſuſcepturum vindicias: id ipſum eſt quod in hac pericopa uberius declaratur. Filius Dei ipſe, Vindex Eccleſiæ, hic comparet ut Heros, veniens ex terra hoſtili, quæ à *rubedine* nomen habet, Chlamydem ruber, per corpus totum tinctus cruore; qui ab admirantibus perſonam ejus interrogatus, quæ ratio ſubeſſet inſolitæ huic ſpeciei: clare reſpondet, madidum ſe cruentumque factum ex ſanguine hoſtium, quorum *ſolus* exegerit vindictam, cum Liberator alius nemo adeſſet; pro magnitudine iræ, iis inflicta clade cum multa ſanguinis effuſione, uſque quo Victor & triumphator eos penitus proſtraverit.

a Cap. XLIX. 14.

Caput LXIII.

Textus Cap. LXIII. ℣ſ. 1-6.

1. Quis Iſte qui venit ex Edomo, veſtes acutum rubens ex Botſra? Iſte reverendum quid præferens in chlamyde ſua; ſe huc illuc motitans pro amplitudine virium ſuarum? Ego qui loquor de juſtitia; præpotens ad ſalvandum.

2. Quare rubet amictus tuus, & veſtes tuæ ſunt ut calcantis in torculari?

3. Torcular calcavi ſolus, & ex populis nemo vir erat mecum; & calcavi eos in ira mea, & conculcavi eos in æſtu meo; & reſperſit ſe vis eorum in veſtes meas, & omnem amictum meum fœdavi.

4. Quia dies vindictæ in animo meo erat; & annus redemptorum meorum venerat.

5. Et circumſpiciebam, & non erat adjutor; & ſtupebam, Neminem eſſe qui fulciret; attulitque mihi ſalutem brachium meum, & excandeſcentia mea fulſit me.

6. Et conculcavi Populos in ira mea; & inebriavi eos in excandeſcentia mea; fecique deſcendere in terram vim eorum.

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus Pericopæ.

Nexus hujus prophetiæ cum *Superioribus*.

EX hypotheſi in *ſuperioribus* jacta, *Sectiones Propheticas*, quæ *Caput* LX ſequuntur, totidem cenſeri prophetiæ majoris, ſive *Concionis tertiæ* Libri Quinti, (Cap. LI. 17--Cap. LX.) appendices, ad partium ejus majorem elucidationem facientes; (cujus hypotheſios me non pœnitet:) Pericopa hæc noſtra inſervit illi *Pericopæ* majoris prophetiæ, quæ exhibetur Cap. LIX. 16--18. *Et vidit, nullum eſſe Virum, & ſtupuit, nullum eſſe Interventorem; & ſalutem ei attulit brachium ejus, & ſeqq.* ubi porro *Heros* ille ut *Lorica*, *Galea*, *Chlamyde* imperatoria, armatus prodit, & *induiſſe* dicitur *veſtes* ULTIONIS, VINDICTÆ, hoſtibus meritum exacte repenſurus. Id vero uſque adeo certum eſt, ut plerique Interpretes, (licet vere expoſitionem hujus pericopæ contra omnes bonæ expoſitionis Leges à *præcedente* diverſam faciant,) convenientiam inter duas haſce prophetias obſervent; & nemo niſi iniqui aut protervi ingenii homo id ulla ſpecie inficiari auſit. Emblema enim quod utrobique exhibetur, idem eſt; & Vates utrobique in emblemate exponendo iiſdem ſubinde phraſibus utitur.

Argumentum ejus.

II. Comparet itaque in initio hujus prophetiæ *Heros*, gravi armatura ſuccinctus, recens è conflictu cum hoſtibus in terra hoſtili, quæ hic EDOM dicitur, commiſſo, & inter eos magna edita ſtrage; notas ejus Chlamyde & veſtibus præferens; quippe totus ex ſanguine veluti madidus ac ruber. Quæ Perſona illuſtris ut Eccleſiæ propius innoteſceret: in initio hujus Concionis *figurate* inferuntur, qui ex ipſo percontentur, Ecquis demum ipſe ſit, qui hoc inſolente ac terribili aſpectu in publicum prodeat *a*? Ad quod cum reſpondiſſet, ſe ab *attributo* quodam ſuo cognoſcibili deſcribens *b*: repetitur Quæſitio, Quæ cauſſa, quæ ratio ſit, quod inexſpectata hac ſpecie, videlicet *conſperſus* & veluti *tinctus ſanguine*, fœdiſque in amictu maculis notatus, in publicum prodeat *c*? Reſpondet ipſe, ſe recentem eſſe à pugna cum hoſtibus inita, eaque cruentiſſima, quæ multo conſtiterit proſtratorum ſanguine, ad veſtem adſperſo *d*. Quando captat occaſionem, Vindictæ hujus Divinæ, longum dilatæ, ejuſque rationis, planius atque uberius explicandæ. *e*

Et *Scopus*.

III. Pericopa Prophetica in hunc tendit *Scopum*, ut Eccleſiam ad ipſius certam *conſolationem* doceat, ante finem temporum exſpectandam eſſe illuſtrem vindictam à Filio Dei, vero Eccleſiæ Servatore, ſumendam de hoſtibus ipſius; in qua ſtrage edendum ſit terribile exemplum iræ Dei, hoſtes ſuos cum ipſorum exitio ulciſcentis. Eſt itaque tota argumenti *conſolatorii*. Revelatio enim ſive doctrina hæc vertitur in conſolationem.

Conſtructio ſcenæ ejus.

IV. Conſtructio Orationis hic vere *Scenica* eſt, nemine non obſervante. Comparet Heros, accuratiſſime armatus, ſed chlamydem veſteſque ſanguinis notis conſperſus. Adeſt turba, quæ in admirationem rapta, Quis, qualiſque ſit, percontatur. Cui Quæſito cum feciſſet ſatis: eadem turba ſive Chorus de novo inquirit in veram cauſſam ac rationem inexſpectati hujus conſpectus. Ad quod ipſe de novo, latiuſque & uberius, mentem explicat.

Occaſio ejus editæ.

V. *Occaſionem* editæ hujus *Sectionis* jam demonſtravi promptam eſſe ex Cap. LIX. 16. 17. idemque in ipſa commentatione latius declarabitur.

Analyſis.

VI. *Analyſin* ſic conſtitues.

PARS PRIMA: *Hypotheſis* prophetiæ: Aſpectus Scenicus *Perſonæ* alicujus illuſtris, *Heröis* ac *Vindicis*, recentis à *cæde* hoſtium, ℣ſ. 1. 2.

PARS ALTERA: Notitia hujus *Heröis*, ejuſque *Status*; ubi

α. *Notitia* ipſius *Perſonæ*, per *modum interrogationis & reſponſionis*, ℣ſ. 1.

β. *Notitia Status* ipſius; ſive *Cauſſæ*, cur hoc aſpectu ſe oſtentet; h. e. *cauſſæ* & *rationis* Vindictæ ab ipſo exercitæ,

Ubi *primo* rurſus occurrit *interrogatio*, ℣ſ. 2.

Secundo *reſponſio*, explicans *cauſſam* rubentis amictus, Nempe *Vindictam* de hoſtibus ſumptam; quæ

(a.) Proponitur, ℣ſ. 3.

(b.) Exponitur & uberius declaratur, ℣ſ. 4--6.

VII. Poſſet hic eſſe locus *Anacriſi*: ſed quicquid ejus huc pertinet, in *commentatione* ad *primum* hujus periochæ *verſiculum* tradam.

PARS PRIMA: Hypotheſis ſubſtrata prophetiæ; Aſpectus Scenicus *Heröis* alicujus, recentis à cæde hoſtium.

Pars prima hujus *Sectionis*; Hypotheſis prophetiæ ſubſtrata de *Heröe*, ℣ſ. 1.

℣ſ. 1. QUIS HIC, *qui venit ex* EDOMO; *veſtes acutum rubens ex* BOTSRA? *Iſte reverendum quid præferens in chlamyde ſua? ſe huc illuc motitans pro amplitudine virium ſuarum?*] Ordior ab hac prophetia *Sermonem Novum*; non ſane quod neceſſitas id hic loci valde poſtulet: (prophetiæ enim ad finem *Libri* hujus *prophetici* decurrentes vere inter ſe cohærent, faciuntque ad *ſuperioris* prophetiæ elucidationem:) ſed quod cum in continuitate tam longæ prophetiæ quærendum videretur aliquod laxamentum; vel certe quod cum alicubi interpungendum eſſet; id hic potius quam alio loco faciendum videretur. Σχῆμα enim hic occurrit novum, & à *ſuperiore Sectione* mage diſcretum. Nihil tamen hic peccaveris, ſi *Sermonem novum* ſuperiori accenſueris; dum ipſe ego commoditatis *Analyſios* potius quam

Quis hic qui venit ex Edomo, &c. Cur hic novi *Sermonis* initium fiat?

a ℣ſ. 1. *b* ℣ſ. 1. med. *c* ℣ſ. 2. *d* ℣ſ. 3. *e* ℣ſ. 4--6.

Summa *prioris* hujus *Sectionis* repetitur.

quam neceſſitatis rei ipſius rationem habui. Prima ejus periocha, à *ſequenti* diſtincta, complectitur luculentam, ſed *figuratam* prædictionem *Vindictæ*, à Filio Dei de hoſtibus ſuis ſumendæ. Figura autem orationis, qua Vates hic utitur, plane eſt ſcenica, apta infigere lectori acutum ſenſum & vivam contemplationem magnitudinis ultionis, qua hoſtes ſuos proſequeretur. Comparet hic in publico Heros, omni imperatoria armatura ſuccinctus; veſtes ſuas cruentatus totus, & ex recente hoſtium cæde rubens; ſe huc illuc motitans, veluti iram, mente conceptam, huc uſque non decoxiſſet. Sunt qui ex eo quærunt, Quis qualiſque ſit? Ad quod cum reſpondiſſet: percontantur de cauſſa hujus inſolentis ac reverendi aſpectus? Reſpondet rurſus, & explicat univerſam rationem Vindictæ, ab hoſtibus acceptæ. His conſtat figura ſublimis, animadverſioni noſtræ objecta. Diſpeſcui Periochen in duas notitias; quarum altera *perſonam* contingit: altera *cauſſam* & rationem *aſpectus*, ſive *formæ*, ſub qua ſe conſpiciendam dedit. Utrique autem *Quæſtioni* cum ſubſtratus ſit ipſe aſpectus Perſonæ hujus illuſtris: ratio poſtulat hunc priore loco exhibere: inde *Notitias* ejus conſiderare. In qua pertractatione huic ordini me adſtringam, ut quæ ad Grammaticum ſenſum verborum faciunt, prius expediam; quam in ipſius Emblematis ſignificationem, & prophetiæ implementum, diligentius inquiram.

Ratio *analyſios.*

Ordo in tractanda hac prophetia obſervandus.

Notitia Herois

Primum ejus Attributum: *Venit ex Edom, & Botſra*, de quo pauca.

Primum attributum hujus Heröis eſt, ỳſ. 1. quod dicatur venire ex EDOM, ſive *Idumæa*, & quidem ex Metropoli ejus BOTSRA. Myſtice hic capienda eſſe nomina, in aperto eſt; perinde ac Cap. XXXIV. 5. 6. ubi tamen quæ ad *literalem* eorum intelligentiam pertinent, adſcripſi, hic non repetenda: etſi nemo fere inter Doctos tam rudis ſit antiquæ Geographiæ, ut hac parte erudiri neceſſe habeat. Alterum ei ſubjungitur, חמוץ בגדים quæ verba verti, *Veſtes acutum rubens.* Hieron. *tinctus veſtibus.* Pagn. *Rubras veſtes habens.* Trem. *Madefactus veſtibus.* Piſc. *Conſperſus veſtibus.* Cocc. *Fermentatus veſtes.* Id quidem poſtremum κατὰ γεάμμια: (quippe per thema חמץ vere regnat ſignificatus *fermenteſcendi*,) ſed obſcuro & dubio ſenſu. Non eſt dubitandum, quin hic deſignetur *ruber* color, quippe quod clariſſime liquet ex *ſubſequente verſu:* nec tamen alii ex Doctis tam acri valebant ſenſu, ut perſpicerent quod fecit Cl. Bochartus, quomodo hi ſignificatus inter ſe componendi ſint. Docuit ille, illuſtravitque pluribus, voce חמץ apud Hebræos involvi omne ὀξὺ *acutum*, quod oculos aut ſenſum ferit; præſertim in genere *purpureo*, ut *oxyblatteum*, *oxyporphuron*, *oxy-Phœnicium* *a*: de quo jam monui ad ſuperiora loca hujus Libri *b*, in quibus derivata Notionis Radicalis חמץ obvia fuerunt. Intellige igitur hic colorem *Oxyphœnicium*, acutiſſime rubentem, ferientemque oculos. Qui *color* hic vel referri poteſt ad ipſum nativum colorem *paludamenti* Imperatorii, quod Heröes & Bellatores olim fere elegerunt *coccineum*, ut alibi *c* obſervatum illuſtravi: vel ad *ſanguinem* quo Veſtis ex recente cæde hoſtium *rubebat.* Poſterius hic præcipue locum habet, licet prius non plane excludam. α. Quia Heros hoc loco prodire dicitur ex *Edomo* & ex *Boſra*, locis myſtice ſic appellatis, in quibus magna facta erat cædes hoſtium. Valet autem אדום RUBER, ut ſuo loco dicam. β. Ex *ſequenti commate* patet, veſtem ejus totam fere tinctam fuiſſe *ſanguine*, & quidem ex hoſtium ſtrage. Verba ſunt: *Quare* RUBET *veſtimentum tuum, & veſtes tuæ tanquam Ejus qui calcavit torcular?* ſc. *Vini rubri.* Quando ipſe declarat; ſe *torcular calcaſſe ſolum*, hoſteſque *calcaſſe ira ſua*; & *ſanguine eorum conſperſum inquinatumque fuiſſe veſtimentum ſuum.* ut ſane nativus *color* paludamenti non facile potuerit diſcerni. γ. In *Apocalypſi* *d*, nos ducente in emblematis hujus genuinam notitiam, Imperator vectus *equo albo*, dicitur περιβεβλημένος ἱμάτιον βεβαμμένον αἵματι· *amictus veſte* TINCTA SANGUINE. poſſet eſſe, pro ὡσεὶ βεβαμμένον αἵματι, *tanquam tincta ſanguine.* Juſtinus de Locrenſibus Crotonienſium prœlio victoribus *e*: *In cornibus quoque duo Juvenes, diverſo à cæteris armorum habitu, eximia magnitudine, &* ALBIS EQUIS, *&* COCCINEIS PALUDAMENTIS, *pugnare viſi ſunt. Albedo* victoriæ; *coccineus color* ſtragis hoſtium, ſymbolum. Res itaque fere eodem recidit. Certius mihi & emblemati hujus loci noſtri congruentius; reſpici *ſanguinem* veſtimento *adſperſum.* Tertium fere eodem tendit, הדור בלבושו *Reverendus amictum.* Hieron. *Iſte formoſus in ſtola ſua.* Οἱ ὁ. Οὕτως ὡραῖος ἐν ϛολῇ. *Sic formoſus in ſtola.* Utique ſic vulgo exhibet Lectio Græca, & Latina apud Hieronymum. Euſebius, & Procopius quoque, ita legerunt. Quis dubitat tamen quin Interpres ſcripſerit, Οὗτος, quod extat apud Cyrillum? Apud Euſebium amplius eſt, ἐν ϛολῇ αὐτοῦ· *in ſtola* SUA. Pag. Trem. Piſc. *Decorus veſte ſua.* Quomodo vero, ſi ſe oſtentaverit amictu, *inquinato* ſanguine? quod ipſe de ſe profitetur ỳſ. 3. Quid *ornatui* ac *decori* externo veſtis magis oppoſitum quam notæ ſanguineæ per eam denſe ſparſæ, ut tota ſanguine voluta videatur? Cocc. *Hic in cujus veſtimentum* (veſtimento,) *eſt reverendum.* Id propius ad rem accedit, ut opinor. הדור Hebræis eſt *Quod extat.* Sic Jeſaias Deum loquentem infert Cap. XLV. 2. והדורים אושר *Et extantia recta faciam*, ſc. coram Cyro. Hebræi, *curva. anfractuoſa.* Sed videtur הדר generali ſignificatione nos ducere in notionem ejus quod *extat*, *eminet*, *excellit*, *in re*; quodque ei conciliat *reverentiam* & *reſpectum.* unde themati adhæret ſignificatus *reverendi*, & *reverentiæ.* הדור בלבושו, mea ſententia eſt, cujus aſpectus *reverentiam* facit. in quo *ſingulare* quid & præterordinarium conſpicitur, quod reſpectum & reverentiam movet. לבוש hic eſt *Veſtis exterior, amictus*, περιβόλαιον. Quartus character: צעה ברוב כחו *Se motitans pro multo maxima vi ſua.* Hieron. *Gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* Minus venuſte. Οἱ ὁ. Βίᾳ μετὰ ἰσχύος· *violentia cum fortitudine.* cui verſioni haud dubie ſubeſt vitium *A.* Piſc. *Qui* INCEDIT *cum amplitudine virium ſuarum.* Cocc. *Progrediens in multitudine virium ſuarum.* Pagn. *Demigrare faciens in amplitudine potentiæ ſuæ.* Sumpſit vocem צעה *tranſitive*, ex loco, ſecundum ipſius hypotheſin ſumpto, Jer. XLVIII. 12. ſequutus Kimchium, cujus hæc ſunt: מניע ומטלטל הגוים מקצ׳ אל קצה *Movens, & migrare faciens Gentes, ab uno extremo ab aliud extremum.* quod plane ab hoc loco alienum. Heros enim hic comparet in ſcena poſt rem peractam. Idem obſervandum ad Verſionem Tremellianam: *Peregre agens amplitudine virium ſuarum.* Obſcura certe & difficilis intelligentiæ ſententia. Quomodo *peregre agat* qui hic ipſe præſens ſiſtitur, & præſens tanquam præſentibus reſpondet? צֹעֶה hic loci valet *ſe motitans:* quam ſignificationem vocis detexi ad Cap. LI. 14. ubi vocem offendimus. Similitudo hic plane ſumpta eſt ab Heröe, qui recens à gravi cæde hoſtium, ex flagrante iracundia commiſſa, adhuc viſitur perturbato & non-

Tertium attributum: *Reverendus amictum.* Verſio τῶν ὁ.

Lectio illorum emendatur.

Vox הדור non recte vertitur per *Decorum.*

Rectius vertitur per *Reverendum.*

Notio latius declaratur.

Cl. Bocharti obſervatum ad vocem חמץ.

Designatur hic loci color *Oxyphœnicius.*

Reſpectu ad *ſanguinem* hoſtilem, quo Veſtis tincta erat: quod adſtruitur.

Notio לבוש *Veſtitus* h. l.

Quartum attributum: *Se motitans pro maxima vi ſua.*

Verſiones aliæ collatæ.

Speciatim Pagnini ex Kimchio.

Significatio vocis צעה h. l.

Metaphora ei ſubſtrata illuſtratur.

Locus Apoc. XIX. 13.

Verba Juſtini huc allata.

---

a *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. VII. *b* Cap. I. 17. XXX. 24. *c* Ad Apoc. IX. 17. *d* Apoc XIX. 13. *e* Hiſt. Lib. XX. Cap. III.

A Sic exhibetur à Nobilio in *Editione* Vaticana; ſed Euſebius & Procopius legerunt *primo caſu βίᾳ μετὰ ἰσχύος violentia cum fortitudine.* Utique ſic habet punctatura vocis in illa Ed. & in Polyglottis & pariter apud Hieronymum. Utrumque haud dubie vitioſum; & tamen vox *βίᾳ* rectius ſcribitur *βίᾳ tertio caſu* quam *primo.* Vitium lectionis vetus eſt, ut non tantum ex Euſebio liquet; verum etiam ex Tertulliano, qui adverſus Marc. (Lib. IV. Cap. XL.) locum ſic exſcribit: *Sic decorus in ſtola* VIOLENTA *cum fortitudine.* Nullus dubito, quin hæc ſit manus Tertulliani, lectione aliqualiter mutata, ut qualemcunque verbis ſenſum daret. Sed ne plura addam: non videtur ambigendum, quin ſcripſerit Interpres: Βοᾷ μετὰ ἰσχύος· *clamat vi*, ſive, cum fortitudine. *Sic* eſt apud Cyrillum. vel, βοᾷ βίᾳ μετὰ ἰσχύος, ut ex affinitate enunciationis utriuſque vocis, altera exciderit. Licet etiam dicere, ſcripſiſſe ſimpliciter, βοᾷ βίᾳ, & ad marginem adſcriptum, μετὰ ἰσχύος, irrepſiſſe in contextum. Certe Cyrilli Interpres ſic vertit, acſi utrumque legiſſet: VIOLENTER CLAMAT CUM FORTITUDINE. Id proprie ſonat, Βοᾷ βίᾳ μετὰ ἰσχύος. Unde vero illud, βοᾷ CLAMAT? Nempe Interpres Græcus confudit vocem צעה cum Hebræis, צוח vel שוע βοᾷν, CLAMARE.

dum ad quietem compositio animo; cujus consequens est, ut post cædem peractam se agitet, motitet, identidem versetur locum; tum memoria repetens heroïcum factum; tum eo perpetrato gaudens, exsultabundus, & superbus quoque: sit, si de Deo aut Messia intelligas, reverenter dictum. Vates noster omnes figuras, atque etiam illas quas Deo vindicat, ad vivum effert. Inde vero intelligis, quid illud sit, ברוב כחו proprie, *In multitudine vis suæ*, sive *virium suarum*. Motus significatur vehementior, qualem in ipso prœlio ostentaverat; veluti nondum sedato impetu quo in hostibus prosternendis affectus fuerat. Quintum denique additur, ℣. 2. sed in superioribus jam explicitum, nulli dubio subjectum: *Ruber amictu suo, & vestibus suis tanquam calcantis in torculari.* Nihil hic novi. *Amictus* (לבוש) notat *chlamydem* vel περιβόλαιον quodcunque superius: *vestes* (בגד) *tunicam*, stolæ, pallio, aut chlamydi subjectam. Nihil non ex his sanguine tinctum madidumque rubebat; ut eorum vestes qui in *torculari* calcant *uvas*, rubri coloris succum gerentes; quod genus vini in Oriente majoris erat pretii. גת Hebræis est *torcular* in quo calcantur *uvæ*: יקב *Lacus* torculari subjectus, succum expressum excipiens: consuetudine apud omnes Populos vitiferas terras colentes recepta. Quod enim hic peculiare habuit Oriens: nihil ad præsens emblema illustrandum facit. quod tamen quale sit, videbis apud Thevenotium *a*. Qua eadem de ratione abstineo locis Poëtarum aut Historicorum de cruentatis ex cæde hostium Heroïbus suis loquentium. nihil enim luminis affundunt imagini Vatis, per se intellectu clarissimæ.

Quid sibi velit, *In multitudine vis suæ?* Quintum attributum: *Ruber* AMICTU, & *vestes ejus ut calcantis in torculari.*

Emblema, per se facile intellectu declaratur.

PARS ALTERA: Notitia *Personæ* hujus illustris, *Statusque* ejus.

α. Notitia *personæ* ipsius per interrogationem & responsionem.

Pars altera: *α. Notitia* personæ ipsius, ℣. 1. Quis *est iste?*

℣. 1. QUIS *est* ISTE *qui venit de Edomo, ... Ego qui loquor* DE JUSTITIA; *qui sufficio ad salvandum.*] Quem non incessit cupiditas illustris hujus Heröis cognoscendi? Quanto enim insolentiore aspectu prodit: tanto magè necessarium erat; Ecclesiam duci in Ejus notitiam. Succurrit Spiritus nostræ imbecillitati; & id ut faciat blandiente aliqua occasione, infert veluti interrogantes, *Quis qualisque sit?* Quærunt hic Intt. cujus *Subjecti* hæc sit percontatio? Facile hic dictu, esse Chorum Ecclesiæ, ad insolita omnia effecta Divinæ Providentiæ ad salutem ejus facientia attendentis. Sed peritior orationis sacræ de nulla hic persona interrogante cogitabit: est enim propositio hic oratoria plane figurata; docetque figura, *α.* Personæ illius, quæ se desperata re Ecclesiæ ut Vindicem interponet, esse singularia & illustria attributa. *β.* Quæ excitatura sint omnium attentionem & curiositatem. *γ.* Notitiam itaque Ejus ut summe desiderabilem; sic plane necessariam esse. ut in Ode Davidica *b*: QUIS *ille est Rex gloriæ?* Et in Cantico *c*: QUÆNAM *illa est ascendens ex Deserto ut palma fumi?* Respondet Heros, EGO *loquens de justitia, sufficiens ad salvandum.* Sensus est, ut opinor; Qui cum loquar de procuranda Liberatione Populo meo, ut loquutus sum à longo; nunc ipso facto tandem ostendo, me sufficere illi Liberationi exequendæ. Vox צדקה *Justitia* in hac *Concione* valet *Liberatio*, salus, ut sæpe monui. Confer novissime dicta ad Cap. LXI. 11. & LXII. 1. Vox דבר *loqui* constructa cum præfixa ב, notat passim, phrasi sacra, *loqui* DE *re*; quod hic diligenter animadvertit Piscator. דבר בצדקה est Græcis λαλεῖν περὶ δικαιοσύνης *d*. Hieron. *Loquor justitiam.* quod non est spernendum. Alii Intt. fere, *Qui loquor* IN *justitia*; (ut ipse quoque Coccejus,) cui versioni varios aptant sensus. Si suscipiatur interpretatio, in qua nihil vitii est; hanc dabit sententiam: *Qui justam defendo caussam*, ab illis, quibus *veritas* & *justitia* curæ esse debebant, turpissime *desertam.* sive, Qui in Definitionibus judiciorum meorum *justas* profero sententias; cuique non desunt *vires* ad illas exequendas. Sic forte omnium optime ad analogiam loci Cap. LIX. 9. Alterum illud, רב להושיע secundum punctaturam Masorethicam, valet, *Multus ad salvandum.* h. e. salvando abunde sufficiens. Sed Hieron. dat, PROPUGNATOR *sum ad salvandum.* Utique sequutus est Symmachum, cujus est, Τ῾περμαχῶ εἰς τὸ σῶσαι· Legit ille דיך (*litigans, contendens, patrocinans*, ex רוב *cum aliquo contendere.* confer usum vocis Cap. XLV. 9. Jer. LI. 36.) pro eo quod Masorethæ punctarunt רַב *multus.* Nobis ratio nulla est deserendi Masoram hoc loco; etsi in altero sensu insit quod blandiatur. Jeremias *e*: *Magnus consilio*, ורב העליליה & MULTUS *opere.* Vir sanctus in præcellente Ode *f*: *Spem reponat Israël in Jehova, quia apud Jehovam est* GRATIA, והרבה עמו פדות & COPIOSA *apud ipsum est* REDEMPTIO. Pulcherrima sententia. Græcis dicitur proprie ὑπερμενὴς, cujus vocis usus est apud Homerum. Valet ὑπερισχύων, ὑπερέχων τῷ κράτει, δυνάμει. Hesychius: Τ῾περμενὴς· μεγάλην ἔχων ἰσχύν. Deus potest quid facere *supra* & *ultra* id quod *facit.* Apostolus ad Ephesios *g*: Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν· *Ei vero qui potest* SUMMA CUM EXUPERANTIA *omnia facere super ea quæ petimus, aut cogitamus.* Inde intelligis phrasin, רב להושיע *abunde sufficiens ad salvandum.* Ἐκ περισσοῦ δυνατὸς σῶσαι. Supponit utique *Heros* ille illustris qui hic *loquitur*, se ex hisce suis attributis satis notum esse; quippe ad notitiam personæ suæ sufficere autumans, ab hisce se *attributis* describere. Et hæsitarunt hic nihilominus Interpretes. Aben-Ezra: מי : יש אומרים כי זה הבא הוא המשיח ויש אומרים שהוא מיכאל ונכון שהוא רמז לשם הנכבר QUIS *ille qui venit de Edom.*] *Sunt qui dicunt; hunc qui* VENIT, *esse Regem* MESSIAM; *sunt alii qui* MICHAELEM *esse statuunt; sed sic satis certum, innui* IPSUM DEUM S. B. Imo vero Divinam esse quæ describitur, *Personam*, universus *contextus* arguit, collatus cum Cap. LIX. 16. 17. Sed quid si *persona* hæc *Divina* vere sit ipse MESSIAS & MICHAEL? Nos quidem Christianæ fidei homines de eo nulli dubitamus, cum ipse Spiritus in Apocalypsi *h*, nos plane doceat, *Heröem* hunc esse τὸν ΛΟΓΟΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ· SERMONEM illum, sive SAPIENTIAM DEI *i*. Simul cum pluribus teneo, MICHAELEM qui *stat pro Populo Dei*, ipsum esse FILIUM DEI, hoc nomine appellatum. Certe attendenti ad hoc emblema, non obscurum videatur; *Personæ Patris* id minus convenire. Si qua *Persona* sit in Divinis, quam Patri Oeconomice subjectam, cura Ecclesiæ exercet; cuique Ecclesiæ salvandæ, defendendæ, liberandæ, commissum est officium: quis inficias eat, *imaginem* hanc ei aptissime convenire? Talem vero nos agnoscimus FILIUM DEI, eundem verum Deum: cujus characterem hic libenter agnoscimus. Hunc infert Jesaias ipse, ANGELUM FACIEI JEHOVÆ, mox distinctius memorandum. Ipsius est character qui hic occurrit, *Loquens in justitia: sufficiens ad salvandum.* Joannes: *Et qui insidebat ei* (equo,) vocabatur FIDELIS & VERAX, καὶ ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει καὶ πολεμεῖ *quique in* JUSTITIA JUDICAT & BELLUM GERIT. Vera *loquitur*; *juste judicat*; justam agit defenditque caussam; & Divinum κράτος, quod ipsum ubique comitatur, facit, ut hostibus ubique ἐκ περισσοῦ prævaleat. Veteres Judæi, etiamsi clarissime perspicerent, *Personam* esse *Divinam* quæ hic in medio comparet: non potuerunt tamen sibi temperare quominus hic demonstrarent Messiam. Produxi alibi *k* locum ex Paraphrasi Chaldæa ad Gen. XLIX. 11. ubi de Messia (Schilunte) vel de Juda dicitur: *Lavans* IN SANGUINE *vestimentum suum, & seqq.* quem locum huic nostro comparare solent. Explicatius adhuc R. Mose Haddarschan ad eundem locum apud Raymundum *l*. Inspicies verba, si tanti videatur: apud me tanti non sunt ut describam.

Respondet Heros.

Docet, se esse *Loquentem de Justitia*, &c.

Justitia hic notat *salutem.*

Vox דבר constructa cum ב.

Varia phrasios interpretatio.

Specimen interpretationis tolerabilis.

Multus ad salvandum. Versiones antiquæ.

Animadversio ad vocem רב. Phrasis aliunde illustratur.

Etiam ex analogis Græcis.

A. Ezræ verba.

Σχῆμα convenit Filio Dei.

Non verò Personæ Dei Patris.

Character ejus *loqui in Justitia; sufficere ad servandum*; qui ad ipsum applicatur.

Judæorum sententia de hac Persona.

β. No-

a Part. II. *Itin.* per Orientem facti, Cap. VII. p. 112. *b* Ps. XXIV, 8. *c* Cap. III. 6. *d* Conf. Joh. XVI. 8. *e* Cap. XXXII. 19. *f* Ps. CXXX. 9. *g* Eph. III. 20. *h* Cap. XIX. 13. *i* Cap. XIX. 11. *k* Ad Ap. XIX. 15. *l* *Pug. Fid.* P. III. Diss. III. C. XVI. §. XV.

β. Notitia *Status* ipsius, sive *Rubentis amictus.*

Interrogatio figurata.

β. Notitia Status ipsius. Interrogatio, ℣. 2. Quare rubet &c.

℣. 2. QUARE *rubet amictus tuus, & vestes tuæ sunt ut calcantis in torculari.*] Modo anticipavi interpretationem verborum in explicandis attributis *Personæ* hujus illustris. Exemplum hujus loci nos docet, pertinere ad Christianos omnes, ut sibi comparent quam accuratissimam notitiam *Christi Jesu, Statusque* ejus, σχέσεως ad Ecclesiam, pro diversis temporum conditionibus.

Pauca monentur.

Responsum, quo *Caussa rubentis amictus,*

a. Proponitur.

Responsum ad interrogationem, quod a. Proponitur, ℣. 3.

℣. 3. *Torcular calcavi solus, & ex* POPULIS, *nemo vir erat mecum; & calcavi* EOS *in ira mea, & conculcavi eos in æstu meo; & respersit se* VIS EORUM *in vestes meas, & omnem amictum meum fœdavi.*] Responsum congruit *figuræ* interrogati. Quæsitum erat, cur *amictum rubens* prodiret; cur *vestes ejus ut* CALCANTIS TORCULAR? Respondet, se vere *torcular calcasse*; sed *torcular* Divinæ *iræ* & *excandescentiæ:* nimirum ingentem edidisse stragem hostium suorum, cum multo ipsorum sanguine; & quidem se *solum*, absque socio. hanc esse caussam cruentati amictus. Figuratam itaque orationem vertit in planam rectamque; docens, quid per *calcatum* à se *torcular* intelligi velit. De emblemate necessaria monebo, postquam unum vel alterum observatum ad hæc verba adscripserim. Primo quod cum plerisque Intt. verti, *Torcular calcavi solus, & ex* POPULIS *nemo vir mecum:* rectissime reddit Hebræa, פורה דרכתי לבדי ומעמים אין איש אתי Sed licet recta videatur sententia: est tamen in ea aliquid paradoxum. Primo, quod inferatur heros dicere, Ex POPULIS *neminem fuisse secum.* Quis enim exspectet, ex *Populis*, contra quos pugnatum veniebat, aliquem *cum ipso* fore? Utique exerte, ℣. 6. *Et conculcavi populos in ira mea.* Secundo, inspice sententiam cum verbis sequentibus: *Torcular calcavi solus, & ex Populis nemo Vir erat mecum; & conculcavi* EOS, & seqq. Quæro, QUOS? quorsum pertineat *relativum* Eos? Haud dubie ad *Populos.* Quomodo vero dicat Heros, ex *illis Populis*, quos calcatum veniebat, neminem *secum* fuisse? Censeo itaque, hanc subfuisse rationem, cur Tremellius de alia cogitaverit versione, quam ita instituit, *Torcular calcavi solus; nam ex Populis nullus vir* potuit certare *mecum.* Coacte, ut multa Tremelliana alia. Quantæ enim audaciæ est, Hebræa, אין איש אתי *Nemo Vir mecum*, reddere, *Nemo mecum potuit certare.* Alienissimum esse ajo à phrasi Hebræa. Si Vir Doctus hic hæret: poterat ex Hebræis, mutata interpunctione, hanc struere sententiam: *Torcular calcavi solus, & quidem ex* POPULIS: *nemo vir mecum erat: & conculcavi* EOS *in ira mea.* Sed cum ipsa quoque illa sententia non satis libere fluat: non ausim eam multum commendare. Dicendum itaque ad primam difficultatem; verba, *Et ex Populis* NEMO *mecum erat:* eò referri quod ex Populis, ab Ecclesia divisis, omnes sibi habuerit adversarios; vel certe nullos ad victoriam, quam de hostibus reportaverat concurrentes. Tum vero ad alterum dubium; *relativum*, EOS, omnino referendum esse ad עמים *Populos* adversarios, cum quibus se conflixisse memorat. Cum enim modo dixisset, ex Populis neminem se *socium* habuisse; suppositit, omnes se habuisse adversarios extra illam Ecclesiam, cujus agebat caussam. Alterum hic observandum est in phrasi, ויז נצחם על בגדי *Et respersa est* VIS EORUM *in vestimenta mea.* Hebræi per נצח VIS, hic intelligunt *sanguinem*; quod quidem certissimum habeo. coactam enim Versionem Tremellianam, quis rursus admiserit, *Inspersus est* (sanguis) *robustissimi cujusque illorum vestimentis meis.* Videntur Viri Docti respexisse extrema *commatis sexti*, *Et descendere feci in terram* נצחם, ubi rursus illi, *Robustissimum quemque eorum.* Sed qui occidione occiduntur homines, passim, stylo sacro, non dicuntur *descendere* vel *demitti* in *terram:* sunt enim in terra: sed לשאול *in infernum*, qui terra censetur inferior. Verum sanguis, arteriis & venis clausus, si effundatur, dicitur in *terram* mitti: ut Ps. VII. 6. וירמס לארץ חיי *Et conculcet in terram* VITAM MEAM. Vita animalis consistit sanguine. נצח hoc loco valet *id in re per quod durat*, quod in homine *sanguis* est, in robustis & bonæ κράσεως hominibus insignem ostentans vigorem. qui dum superat in homine, durat ille ac persistit in vigore: sin effundatur; deficit, & intercidit. Nec tantum, verum cum in sanguine ipso partes aliæ aliis subtiliores sint, quæ reliquam massam agitant, & præ cæteris vitam alunt, ac sustinent: id ipsum esse putem, quod Jesaiæ hic נצח *vis* dicitur. Recte itaque Hieronymus, *sanguis*; sequutus Alexandrinum, qui utroque loco exhibet, αἷμα. Significat Heros, hostes bene saginatos, sanguine & vigore plenos, in ipso prœlio omne robur ex sanguine per omnes artus calescente collectum ostentantes, à se fusos esse, & quod in sanguine præstantissimum erat & maxime rubebat, ad vestes suas adspersum esse. Illam vero *sanguinis* copiosam effusionem hic comparat *calcationi uvarum* in *torculari*: facili metaphora, nec insolente Scriptoribus Sacris. Jeremias in *Threnis* [a]: TORCULAR CALCAVIT DOMINUS *Virginis, filiæ Tsionis.* Respicitur *cædes* Dei voluntate commissa in אבירי *Fortibus*, *validis*, & בחורים *Juvenibus* Hierosolymæ, sanguine & vigore plenis ac valentibus, ab hostibus peremptis. Præsertim huc pertinet emblema illustre *Vindemiæ*, quo *botri Vineæ terræ* acuta falce præcidendi & in torcular excandescentiæ Dei conjiciendi calcandique erant; quod est apud Joëlem [b], & in *Apocalypsi* [c], *Uvæ* liquore & succo suo, eoque *rubro* turgidæ, quid similius sanguine ejusdem coloris, arteriis & venis contento, in succulentis & sanguineæ κράσεως hominibus; quales fere sunt potentes terræ? Cædes vero quæ apertis vasis sanguiniferis exitum dat sanguini, apertis viis copiose profuso, eundem effectum præstat quem calcatio præstat *uvis*, succo, qui in iis veluti nolens detinetur, turgidis, & exitum quærit.

Sanguinis est in occidione *in terram mitti.* Significatio vocis נצח h. l.

Hypothesis phrasios hic usurpatæ.

Effusio sanguinis hic comparata *calcationi uvarum* in torculari. Metaphoræ ratio.

β. Exponitur.

℣. 4. *Quia dies* VINDICTÆ erat *in corde meo; &* ANNUS REDEMPTORUM *meorum venerat.* ℣. 5. *Et circumspiciebam, & non erat auxiliator; & obstupescebam, Neminem esse qui fulciret: attulitque mihi salutem brachium meum, & excandescentia mea fulsit me.* ℣. 6. *Et conculcavi populos in ira mea; &* INEBRIAVI EOS *in excandescentia mea; fecique descendere in terram vim eorum.*] Qui hanc pericopam contulerit cum analoga Cap. LIX. 16. 17. rem eandem iisdem fere verbis explicante: nullam hic ampliorem lucem desideraverit: nec est etiam in oratione quod legentis gradum sistat. oratio est certi clarique sensus. Ait Vindex Ecclesiæ, cum hostes sibi pœnam deberent, quod in Populum Ecclesiæ immaniter sæviissent, eique plenarium excidium minitarentur: se non succurrisse laborantibus, antequam res ad summum venerit, & plane constiterit, neminem esse qui vindiciis ejus exequendis sufficeret: tum itaque cum conclamatum, & salus populi desperata videretur; suscepisse vindicias Populi, & feroces atque tumidos hostes ejus suo brachio dejecisse ac prostravisse, ut tanti operis gloria in se solum redundaret. *Dies vindictæ* hic est *vindictæ extremæ. Vindicta hostium*, qui se opponerent multo numero & ingenti conamine Regno Filii Dei promovendo, inciperet cum initiis *annι gratiæ*, Cap. LXI. 2. & inde longo tractu sæculorum continuaretur usque quo Ecclesia ducta esset in *quietem*, sibi decretam in terris, post adversarios suos pertinaces, unum post alium surrecturos, fusos atque dissipatos; & *vastatores* atque *impios terræ* instar *scoriarum* abolitos [d]: ut vere historia Ecclesiæ sive Regni Filii Dei continuam complectitur narrationem *hostium*, ab ipso subactorum; usque quo Victor ac triumphator omnem potestatem adversariam videat pedibus suis

Responsum Exponitur, ℣. 4. 5. 6.

Verba collata cum cap. LIX. 16. 17.

Summa sententiæ.

Quid *Dies vindictæ* h. l.

a Cap. I. 15. b Cap. III. 13. c Cap. XIV. 18. 19. d Ps. CXIX. 119.

Occasionem dedit Versioni Tremellianæ. Quæ improbatur.

Dubia facius expediuntur.

Per נצח vis hic intelligendus est *sanguis* peremptorum. Tremelliana versio rursus notata.

subjectam. Dies autem *ultionis* hic initium faceret ANNI *redemptorum Jehovæ. Hunc* enim *diem* sequeretur *Sabbathum* Ecclesiæ, in bonum tempus protrahendum; quo tempore Ecclesia tota in ipsis quoque terris gauderet solido fructu ἀπολυτρώσεως suæ, sanguine Filii Dei impetratæ. Beneficium *Assertionis* & *Liberationis*, quod Credentes Divina gratia nacti sunt in sanguine Filii Dei, ipsis hoc tempore obsignaretur pignore Liberationis externæ ab hostibus, cum quibus huc usque colluctati fuerant. Idem sonat vox hoc loco quod Cap. XXXV. 9. ubi גאולים REDEMPTI, (liberati ex gravi afflictione,) *calcaturi* dicuntur *viam* quæ *sancta* dicitur. confer Cap. LXII. 12. Est præterea magna emphasis in phrasi, ℣. 6. *Et* INEBRIABO EOS (hostes, populos,) *in ira mea.* Adscripserunt venerandi Belgæ: *Ex poculo excandescentiæ meæ, in eorum exitium.* adductis locis Cap. XXIV. 20. Ps. LX. 5. &c. Nec tamen id directe hic significatur: emblema variat. Deus dicitur hostes *inebriare sanguine suo* quorum *sanguis* tam copiose effunditur, ut volutatis in sanguine, ipse sanguis ingeratur in os, & se ultro iis potandum offerat. *Sanguis* enim hic comparatur *vino*; cujus effectum cum sit *inebriatio*, si majore haustu sumatur: idem hic metaphorice tribuitur *sanguini.* Diversum etiam hic emblema est Cap. XLIX. 26. ubi hostes *mutuum* sanguinem *hausturi* dicuntur; sed respondet huic phrasi nostræ emblema *Apocalypticum*, Cap. XVI. 6. *Quoniam sanguinem sanctorum ac Prophetarum effuderunt:* SANGUINEM *quoque* IIS *dedisti* BIBENDUM. *Digni enim sunt.* Pertinet ad *phialam tertiam.* Doctrinæ sanguinariæ effectus esset copiosa sanguinis hostium ipsorum effusio, quo volutati inebriarentur.

Conjunctus cum Anno Redemptorum Jehovæ.

Locus Cap. XXXV. 9.

Quo sensu Deus populos dicatur inebriaturus?

Vera emblematis inspectio.

Locus Apoc. XVI. 6. cum hoc collatus.

Investigatio *Sensus Emblematis* hujus Prophetici, ejusque *Implementi.*

Investigatio hujus Emblematis.

I. Pulchri emblematis, quod nobis hic contemplandum objicitur, sensum vestigaturo, commodissimum visum est per partes procedere. Suppono itaque hic primo loco; *Emblema hujus loci non videri interpretandum esse de morte & passione Christi Jesu*; sed *omnino exponendum esse de Liberatione Ecclesiæ ab hostibus, cum multa illorum strage atque effusione sanguinis.* Nihil videtur esse certius & evidentius symbolicum hoc Visum contemplanti; & tamen mirum dictu! Veteres passim ac recentiores quoque aliqui, Visum hoc acceperunt de *passione* & *morte* Christi Jesu, qua *torcular* iræ Divinæ *calcavit*, & quidem *solus*, cum *effusione* sui *sanguinis*, & *potestates adversarias* devicit. Hieronymus, spectatæ auctoritatis Interpres, sic præivit. Personas hic scisitantes de hoc Heröe, sanguine cruentato, facit *Potestates cœlestes*, quæ cum Christum ex gravissima passione & morte resuscitatum atque in *cœlos ascendentem* viderent veluti *cruentum*, post Satanam & potestates spirituales ei subjectas devictos; admirabundæ percontatæ fuerint, *Quis est hic?* Eodem fere modo Cyrillus. Eusebius ante illos paulo involutius; perinde ac post illos Procopius. Meditatio videri posset esse ingenii Origeniani, quam recognoscimus ex Commentariis ejus in *Matthæum* [a] & *Joannem* [b]; quos consulenti patebit, Hieronymum ac Cyrillum iis sua debere. Sic ille posteriore loco: *Caterum cum pergit victoriis tropæisque onustus, cum corpore quod ex mortuis resurrexerat, (quomodo enim aliter intelligere oporteat illud:* NONDUM ASCENDI AD PATREM MEUM? *& illud,* VADO AD PATREM MEUM?) *tum quidem aliqua potentiæ dicunt:* (Τότε μέν τινες λέγουσι δυνάμεις) QUIS EST ISTE QUI ASCENDIT EX EDOM? RUBRA VESTIMENTA HABENS EX BOSOR? ADEO SPECIOSUS. *Qui vero* (Angelorum) *præibant illum, illis qui præfecti erant Portis cœlestibus, inquiunt,* TOLLITE PORTAS PRINCIPES VESTRAS, ET ELEVAMINI PORTÆ ÆTERNÆ, ET INTROIBIT REX GLORIÆ. *Præterea vero interrogant, veluti aspectu ipso, ut ita dicam, ipsius dexteram videntes cruentatam, eumque totum repletum operibus strenue gestis:* QUARE RUBRA SUNT VESTIMENTA TUA SICUT CALCATIO TORCULARIS? Subjungit dein loca Gen. XLIX. 11. Luc. XII. 50. quæ pariter in dictis Commentationibus legas. Sic plane mihi persuadebam; sed deprehendi postea esse Origene antiquiorem. Tertullianus enim eam jam proposuit adversus Marcionem [c]. Verum etsi interpretatio sibi jam conciliasset fidem non Hieronymi tantum, verum etiam Dionysii Areopagitæ, (sic falso creditum,) auctoritate suffultam; ausus tamen est ab ea dissentire Liranus, & Visum applicare ad Liberationem Ecclesiæ ab hostibus; hanc libertatem multis excusans. Sequuti eum sunt Pontificiæ sectæ nonnulli alii; perinde ac inter nostros; ex quibus Sixtinus noster Amama [d], Vir Doctissimus, hanc causam strenue egit: à quo tamen plane dissensit Coccejus, hoc emblema pariter applicans ad Christi Jesu *passionem* & *mortem*; sive ad ipsum *patientem* ac *morientem*; non vero cum Origene ad *ascendentem* in cœlos passione ac morte defunctum. *Producitur*, ait, *hic Christus patiens. imprimis repræsentatur admiratio omnis Populi super ipso, cum inquisitione de ipso & ipsius opere.* Inde per EDOMUM (juxta hypothesin aliis quoque prophetiis aptatam,) intelligit ISRAELEM ejus ætatis; & sub BOTSRA cogitari vult de HIEROSOLYMA. Quid jam usu frequentius, quam in Concionibus ac Institutionibus publicis, verba ℣. 3. *Torcular calcavi solus:* adhiberi ad illustrandum meritum passionis & mortis Christi, quam solus absque sociis sustinuit, ac sustinere potuit? Nec dubito, quin hæc potissimum verba fecerint, ut Interpretes in hanc lati fuerint sententiam, licet vere ipsius emblematis inspectio interpretationi plane repugnet. Sic sentio, nulla usus circumloquutione aut excusatione, cum Lirano, in re ex meo sensu plane manifesta. Primo, si emblema ipsum per se spectatum non haberet certos characteres veri: utique liceret genuinum ejus sensum colligere ex analogo emblemate *Apocalyptico*, Cap. XIX. 11. 12. seqq. ubi Filius Dei, Heros, Victor, eadem figura, iisdemque coloribus ac verbis describitur; nemine in dubium revocante quin ibi vere agatur de Liberatione Ecclesiæ ab hostibus externis, cum maxima illorum clade facienda. Præteriit comparationem utriusque loci Doctus Interpres. Confer jam cum utroque emblemate verba Jesaiæ, Cap. LIX. 15. seqq. quibus *Heros* Divinus, causam Ecclesiæ Dei tantum non oppressæ acturus iisdem lineis, & verbis quoque quibus hic noster, describitur; & ubi tamen absque omni dubitatione de *Liberatione insigni* Ecclesiæ afflictæ procuranda agitur; nemine hic dissentiente. Imo vero confer hic totam prophetiam Cap. XXXIV. declarantem judicium Dei in EDOMUM, huic nostræ prophetiæ analogam, (licet figura variante,) & videbis, eandem rem hic agi. Secundo, qui emblema ipsum inspexerit, viderit utique oculis apertis clarissime; Personam illam, quæ specie Heröis se contemplandam sistit, non proponi ut *patientem*, sed ut *agentem:* non ut conspersum *sanguine* SUO, sed *sanguine* HOSTIUM: non ut satisfacientem *vindictæ Dei* pro peccatis electorum; sed ut administrantem *vindictam Dei* in puniendis hostibus: qui non est aspectus genuinus Christi Jesu sua morte & passione impetrantis gratiam electis. Utique totidem verbis dicitur, ℣. 3. CALCASSE POPULOS IN EXCANDESCENTIA SUA. An populi hic sunt *Potestates adversariæ*, h. e. Satanas & Angeli ejus? Num *excandescentia* & *ira* conveniunt Christo Jesu à cruce pendenti, versato in summis animi angoribus & metu? Audiamus Cl. Coccejum: *Dicit, se* POPULOS CALCASSE, *eorum sanguine se conspersum esse, sanguinem eorum defluxisse in terram, eaque re factum esse similem ei, qui torcular calcat, cujus vestes ab uvis madere solent. Hæc significant crucifixionem veteris hominis, & abolitionem omnis impietatis per crucifixionem Christi. Christus enim sua morte & effusione sanguinis sui hoc consecutus est, ut omnis caro aboleatur, & novum cœlum ac nova*

Prima hypothesis: Emblema non esse referendum ad Mortem & Παθήματα Christi Jesu.

Judicium Veterum hac de re. Respexerunt Christum Jesum sanguine suo aspersum vincentem hostes.

Interrogantes hic faciunt Potestates Cœlestes.

Auctor Origenes, cujus verba notantur.

Lirani dissensus.

Sixtinus Amama laudatus.

Interpretatio vetus ℣. 1. De passione & luctu Domini.

Quæ non videtur ferire scopum.

Emblema Apocalypticum, Cap. XIX. 11. 12. ei obstat.

Cum quo emblema hujus loci comparatur.

Persona heroïs hic exhibetur non patiens, sed agens.

Dicitur calcasse populos.

Cl. Coccejii interpretatio.

[a] *Parte Priore* Origen. Huet. p. 438. [b] *Part. post.* p. 144. [c] Lib. IV. adverf. Marcion. Cap. XL. [d] *Antibarb. Bibl.* Lib. IV.

nova terra fiat, in quibus juſtitia habitat. Abolitio autem carnis fit duobus modis, per Redemptionem, & per Liberationem Redemptorum. Eſſe hæc effecta Mortis Chriſti quæ Vir Doctiſſimus ſignat, certa fide teneo; ſed eadem convenire emblemati Prophetæ, plane nego. Sive effectum Mortis Chriſti facias *abolitionem poteſtatis omnis Diaboli:* (quod cum Veteribus ſecundum hanc hypotheſin tolerabilius dictu videtur:) ſive *abolitionem omnis carnis, & impietatis quoque:* non eſt probabile, Spiritum S. adhibere voluiſſe tam duras metaphoras in his effectis explicandis. Aliorum Pontificiæ ſectæ Interpretum, interque ea Hectoris Pinti & Emanuelis Sa, effugia, nihil ſane mentis præferentia, recenſuit refellitque Sixtinus noſter. Tertio, hypotheſis peculiaris Cl. Cocceji de *Edomo*, acſi in Scriptis Propheticis ſumatur pro *Gente Judæa* noviſſimi Status Reipublicæ, qualis extitit ætate Chriſti Jeſu; mihi non videtur probabili ratione niti. certe loca, quibus eam adſtruere laborat, (inter quæ hic noſter præcipuus eſt,) eam mihi non perſuadent. Si vacillet interpretatio hujus loci: forte in cæteris corruet. de quo alibi [a] jam diſputavi.

Quæ non probatur.

Aliorum cogitationes, quæ dicuntur.

II. Alterum pono; *Liberationem Populi Dei afflicti cum gravi ultione hoſtium conjungendam, non videri referendam eſſe ad tempus Oeconomiæ Veteris; ſed pertinere ad terribile aliquod Dei judicium adminiſtrandum ſub Oeconomia Nova.*] Calvinus, repudiata interpretatione loci de *Chriſto patiente*, κατὰ γράμμα accipit Vaticinium de ultione ſevera qua Deus Idumæos, Moabitas, alioſque hoſtes Populi Dei, proſequeretur; eamque ultionem proponi vult in exemplum aliorum hoſtium Populi Dei, qui ſimilem experirentur ſortem: ſed ex hiſtoria nihil definit de tempore hujus Vindictæ in Idumæis factæ. Alii quoque plures hic in generalibus hærent; ſed quod non ſatisfacit prophetiæ. Hugo Grotius ulterius proceſſit. *Oblatum*, ait, *hic loci Prophetæ viſum de Juda Maccabæo, qui Idumæam vaſtavit, Boſram, quæ* Βόσρα (Bόσρα) *Ptolemæo & Straboni,* Βοσόρρα *Joſepho & Maccabaicorum ſcriptori, cepit atque incendit, cunctis maribus qui militaris eſſent ætatis, interfectis.* Vide *Joſephum*, XII. II. 12. I *Macc.* I. 5. In poſteriore loco exprimendo errarunt typi. Lege I Macc. V. I. ſeqq. Lubens vidi, Illuſtrem Virum tam clare & explicate ſcribere, Jeſaiam hic vaticinatum eſſe de *Juda Maccabæo*. Si verum, Judam Maccabæum ſingularem hominem Populi Dei Jeſaiæ aliquot ſæculis ante in Viſo objectum fuiſſe: quis ægre ferat, alios Interpretes illum de citerioribus fatis ſingularibus interpretari? Imo vero, largior Grotio utraque manu, α. Si in Eventu aliquo Oeconomiæ antiquæ quærendum ſit implementum hujus prophetiæ: alium Eventum hic ſpectari non poſſe. β. In hiſtoria illa Judæ Maccabæi cædentis Idumæos ſpectari poſſe umbram typicam, licet leviſſimam, ejuſdem illius Judicii Dei in *Edomum* myſticam exequendi, de quo Vates agit: quod ipſe dudum ſententia mea anticiparam. Verum animadverti velim ad commentationem Eruditi Viri. α. Imprudenter illum inſtituere, quod Judam Maccabæum faciat *immediatum objectum* hujus prophetiæ; omniaque *attributa Heröis*, hic deſcripti, ad Judam Maccabæum applicet: cum legenti prophetiam eamque cum analoga Cap. LIX. 16. ſeqq. aliiſque ſimilibus conferenti liquidiſſimum ſit, *Perſonam Divinam* eſſe quæ hic *loquitur*. Cujus eſt hæc oratio, *Torcular calcavi* SOLUS? Et, *Dies ultionis in corde meo, & annus* REDEMPTORUM MEORUM *venit*. Item, BRACHIUM MEUM *mihi ſaluti fuit; &* EXCANDESCENTIA MEA *me ſuſtinuit*. Vide mihi, quam ſe torqueat & fatiget Vir illuſtris in his ad Judam applicandis. Nec tamen propterea hic excludimus *Judam*, vel *Judæ* ſimiles. Deus dicitur *ſolus* hoc vel illud in ſalutem Eccleſiæ efficere, ubi Heröes inexſpectatos *ex ipſa Eccleſia* excitat, inſtruit, vique ſua animat ac fulcit, omnibus ut clare pateſcat, eſſe homines Dei; ab ipſo ſuſcitatos, motos, actos, ejuſque ſuffultos robore, à quibus paradoxa illa eduntur effecta. β. Cladem quam Judas Maccabæus intulit Idumæis, cum multa cæde & ſanguinis illorum effuſione, multo explicatius deſcribi 2 Macc. X. 15. ſeqq. quam in loco *primi Libri*, Cap. V. 3. ſeqq. Loca inter ſe conferenda invicem lumen accendunt. γ. Hallucinari plane Virum Illuſtrem, ubi Urbem Βόσσορα vel Βοσσὼρ (Joſepho Βοσορὰ,) quam expugnatam, incolis ejus interfectis, evertit Judas Maccabæus, fraterque ejus Jonathan, confert cum BOTSRA hujus loci. Quis enim dubitet, quin *Botſra*, cujus hic mentio fiat, ſit famoſa Idumææ olim florentis Metropolis, de qua Propheta noſter in ſuperiore prophetia de *Edomo*, perinde ac Jeremias & Amoſus, meminerunt. Idumæi vero illi, quos cæcidit Judas, ſedem ſuam habuerunt in auſtralibus ipſius Judææ, ubi ſua habuerunt munimenta & turres; interque ea dictam Ἀκραβαττίνην: ſed *Bozra*, *Bozor*, ſive *Boſſora* Urbs, quam Judas poſt cæſos Idumæos expugnavit, ſita fuit in *Gileaditide* trans-Jardenem; ut Maccabaici [b] & Joſephus [c] diſerte teſtantur: adeo quidem ut Judas à cæde horum Arabum in Judæam reverſurus ſecundum Scythopolim trajecerit Jardenem, & venerit in *magnum campum*. *Boſtra* quoque Strabonis, (ſi bene ſe habeat lectio,) & Ptolemæi, diverſiſſima ſunt ſitu à *Botſra Idumæorum:* ſed poſſent conferri cum BOTSRA *Moabitarum* antiqui temporis. de quo nunc latius non diſputo. eſt enim præter rem & inſtitutum. Nomen BOTSRA (בצרה) vel BETSER (Græcis BOSOR) olim multis in Judæa & Arabia oppidis commune fuit, quod ſignificet *munitionem*, *arcem*, ὀχύρωμα. de quo alii dudum monuerunt. δ. Prophetiam hanc Jeſaiæ nimiam emphaſin præferre, quam ut in hoc Eventu cæſorum à Juda Maccabæo *Idumæorum* ſubſiſtendum ſit. Extant enim effecta Judiciorum Divinorum longe majora & illuſtriora. Imo vero harmonia prophetiarum nos ad majora & illuſtriora ducit. Prophetæ paſſim de magnis rebus & eventibus vaticinati ſunt.

Hypotheſis altera: Implementum emblematis non videtur quærendum eſſe ſub Oeconomia Vetere.

Calvini expoſitio.

Grotii ſpecialior.

Accipit prophetiam de *Maccabæis.*

In eam ſententiam animadverſio.

Ejuſque diſcuſſio.

Urbs *Boſra* à Juda Maccabæo expugnata non eſt, *Boſra* Idumææ.

Differentia oſtenditur.

Nomen *Boſra* olim commune multis in Arabia Urbibus. ejus rei ratio.

Quid Grotio concedi queat?

III. Tertium affirmo: *Judicium in hoſtes Eccleſiæ hic deſcriptum, convenire Judicio cuidam Dei peremptorio à Chriſto Jeſu adminiſtrando circa Populum aliquem*, ſive *Communitatem hominum, quæ hic myſtice* EDOM, *cujuſque Metropolis* BOTSRA *appellatur.*] Divinam Sapientiam, eamque valde ſublimem, hoc Libro clauſam omnis pagina prodit. Judicium quod hic deſcribitur, eſſe *Meſſiæ*, jam ſupra adſtruxi. Conſequens eſt, *Populum*, illius Judicii objectum, hic dici EDOMUM non proprie, ſed myſtice: perinde ac Urbem BOTSRA. Videlicet אדום Hebræis eſt RUBRUM. Significat α. Populum *ſanguinarium*, pollutum ſanguine confeſſorum veritatis. β. Ipſum exponendum graviſſimo Dei judicio, quo totus *ſanguineus* fieret. BOTSRA, Metropolis hujus Populi, hic non tantum appellatur quod *munita* eſſet & tanti Imperii ſedes variis Regnis ac Rebuspublicis vallata arx cenſeretur ὀχυρωτάτη, inexpugnabilis: verum etiam quod Deo ſtatutum eſſet hic exercere *vindemiam*, à בצר *vindemiare*, בציר *vindemia*; ſecundum vaticinia Prophetica Joëlis, Cap. III. 13. & Apoc. XIV. 19. In hac terra, in hac Urbe, Deus exerceret *judicium* ſummæ ſeveritatis, menſuram peccatorum hujus Populi adæquaturum. *ſanguinem* enim *ſanctorum* ac *prophetarum* effuderat ipſa; quæque ex *ſanguine* RUBEBAT, *ſanguine potaretur*; ſecundum prophetiam *Apocalypticam* [d], quam nuper recenſui, quare Joëli myſtico nomine *Vallis* JOSAPHATH [e], exercendi à Deo judicii, dicitur. Myſticorum autem & Propheticorum horum Nominum uſum, ſive μιμητικὸν, ſive σημαντικὸν, ut alibi adſtruxi [f]; ſic nemo Divini Verbi paulo peritior ignorat. Stylo Prophetico vel Parabolico res quarum eadem ſunt attributa, iiſdem appellantur Nominibus, iiſque etiam propriis, aut ad analogiam propriorum Nominum efformatis. Sic Meſſias *David*, *Salo-*

Hypotheſis tertia: Prophetia hæc referenda eſt ad illuſtre judicium Chriſti Jeſu de hoſtibus ſuis ſub Oeconomia Nova.

Reſpectus nominis BOTSRA myſtice ſumpti, h. l.

Obſervatum de ſtylo Propheticо.

Heros qui hic loquitur, eſt Perſona Divina.

[a] Ad Jeſ. XXI. 11. [b] Lib. I. Macc. Cap. V. 26. 28. [c] Ant. Lib. XII. Cap. XII. [d] Cap. XVI. 6. [e] Cap. III. 12. [f] *Anatriſ.* Apocal. ad Cap. II. 1. ſeqq. & Cap. II. 6.

Salomo, *Zerubabel*; Joannes Baptiſta *Elias*; Hieroſolyma *Sodoma* & *Gomorrha*; Populus Decem tribuum à Deo ob peccata graviſſime affligendus, *Iſreël a*; Eccleſia *Iſraël* & *Hieroſolyma*; Jehu ipſe *Simri b*; nuncupantur; præter exempla alia longi textus. Quin ſane ſi ſenſus hujus prophetiæ conſtringeretur intra tempora Maccabaica: plane aſſererem, nomine EDOMI hoc loco Syriam, & BOTSRÆ intelligi *Antiochiam*, ad exemplum *Babylonis* & *Romæ* quoque dictam μεγάλην *magnam*. Sed verius eſt, tam in hoc loco quam in Cap. XXXIV. 1. ſeqq. nomine EDOMI deſignari Populum & terram, Romæ ſubjectam; & BOTSRAM ipſam appellari *Romam*; quod ad ſuperiorem illam prophetiam adſtruxi. *Romæ* autem cum duplex ſit adſpectus, vel *Paganæ*; vel *Apoſtaticæ*, non eandem tantum ſed & majorem oſtentantis auctoritatem & faſtum in ſuis Rectoribus quam Pagana Vetus; idololatriæ ac ſuperſtitioni tuendæ ac promovendæ majore inſania intentæ; veramque in terris Eccleſiam Chriſti Jeſu longe acriore ſtudio & majore ſævitia perſequentis; & innocuo ſanguine confeſſorum veritatis longe etiam plus rubentis ac ſceleratæ: quæritur, utrius hic habenda ſit ratio?

Edomi myſticus h. l. reſpectus.

IV. Quartum itaque ſuppono; *deſcribi ſub hoc emblemate finale ac peremptorium judicium, quo Meſſias, Aſſertor ac Vindex Populi ſui, ultionem ſeveriſſimam eamque multo ſanguine cruentam ſit ſumpturus de Principibus & Populis, Romæ idololatricæ ac Apoſtaticæ ſubjectis ac patrocinantibus; Eccleſiam veram Dei in terris ad extrema redactam, & Defenſoribus Potentibus deſtitutam, exterminare paratis, & ſanguinaria hæc conſilia ſua collectis exercitibus exequi certis.* Id ipſum eſt quod ſuppoſui ad Cap. LIX. 15. ſeqq. & ex analogis locis Propheticis adſtruxi; quibus repetendis hic ſuperſedeo. Viſa Apocalyptica Cap. XIV. 18. & XIX. 12. ſeqq. nihil hic dubitationis relinquunt. Judicium in Romam Paganam, perſecutricem Sanctorum, quantumvis notabile & animadverſu digniſſimum, hic non ſpecto, *a*. Quia Chriſtus Jeſus illud Judicium exequutus eſt per *Populos*, & *Populorum Imperatores*; Romanos, inquam, ipſos, & Romani Imperii Rectores, Conſtantinum & Licinium. In judicio, quod præſens hoc Emblema conſpiciendum exhibet, oportet Vindices inexſpectatos eoſque minus ſpectabiles, à Spiritu S. excitatos, ex ipſa prodire Eccleſia, ut temporibus Maccabaicis. Id enim eſt quod dicitur, SOLUS *calcavi torcular*. β. Neque clades quas Pagani acceperunt in ſuſis copiis Maxentii ac Maximini, tam fuerunt inſignes, ut præſtent lineas imaginis hic pictæ. Ergo dies, cuique metuendus & horrendus, aliud quid & majus docebit. Viderunt ex Veteribus nonnulli aliquid ejus quod hic colloco. Hieronymi verba: *Multi noſtrorum referunt ad finem mundi: in quo ſive carnaliter ſive ſpiritualiter, (diverſa enim ſententia plurimorum eſt,) explenda contendunt.* Si reſpexerint judicium finale, fuerunt in errore. Rectius Liranus, & doctius, ſignificari ait, *Exterminationem Antichriſti*. Piſcatoris inter noſtros eadem & plana ſententia eſt. Judæi pariter hic vident finale Judicium ROMÆ, cum ſua *Liberatione* copulandum; modo cauſſam ejus facerent *Meſſiam noſtrum*; non ſuum imaginarium quem exſpectant. Scribit Vir Doctus, & Rei Hebraicæ peritus *c*; R. Salomonem accipere emblema de PERSIS, eorumque internecione. Imo vero de ROMANIS; eſt enim vox פרס *Perſa*, Perſia, in *Baſileënſi* Editione fictitia, & Romæ ſubſtituta, declinandæ invidiæ cauſſa, ut alibi obſervavi. Liranus: *Dicit enim R. Salomo quod per* EDOM, *cum dicitur hic*, QUIS EST ISTE QUI VENIT DE EDOM: *intelligitur Romanum Imperium prout fuit in latitudine ſua quando dominabatur univerſo orbi.* Poſteriora non lego apud Jarchium; ut ſi mutilata non ſint verba ejus in Editione Baſileënſi; (quod non videtur:) ipſe addiderit ad mitigandam ſententiam. Jarchius loquitur de *Roma* ſui temporis. Quæ hypotheſis novum nobis detegit EDOMI attributum. Eſt *Populus* ſitibundus *ſanguinis*, *polluſque ſanguine* Eorum, quos olim habuit in Religione *fratres*, iiſdem natalibus ſpiritualibus ſatos; ſed qui poſtquam deflexerit à puritate cultus Patrum, & totam Religionem induerit ſchemate carnali; fratres puriorem cultum amplexos ad mortem perſequitur. Hæc ſufficiant illuſtrando emblemati. cætera colliges ex commentatione Cap. LIX. 15. ſeqq. & Cap. XXXIV. 1. ſeqq. quod totum eſt ejuſdem argumenti; mutata tamen figura ſymbolica. Ibi enim hoſtes non prœlio vincendi proponuntur; ſed cædendi mactandique & ex iis inſtruendum Epulum: quod utrumque emblema conjungitur in analogo loco *Apocalyptico*, Cap. XIX. 12. ſeqq.

Quarta hypotheſis: judicium quod hic deſcribitur, pertinet ad Romam apoſtaticam.

Theſis elucidatur. Judicia Dei in Romam Paganam non ſatisfaciunt prophetiæ, nec alii characteres.

Sententiæ ὁμόφωνοι, & Judæorum quoque. Dictum Viri Docti notatum.

Vera mens Magiſtri Jarchii.

Novum Edomi attributum ex his verbis detectum.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

SERMONIS QUINTI,

Sectio altera.

Cum Jeſaias in *penultima Sectione Concionis tertiæ* plane prædixiſſet, fore ut poſt vindicatos hoſtes Eccleſiæ in arctum redactæ, *Gens Judæa* παλιν ad Chriſtum Liberatorem *converteretur*, impetrata defectionis graviſſimorumque delictorum ſuorum venia: id ipſum hac *Sectione* fuſius exequitur. Igitur poſt ultionem hoſtium, ibidem quoque memoratam, graphice deſcriptam; introducit hic primitias Judæorum ad ſtricturas gloriæ Chriſti Jeſu in hoſtibus Eccleſiæ puniendis converſorum: Primo quidem edentes Confeſſionem Beneficiorum à Deo ex mera Gratia olim in Gentem ſuam collatorum; ſed ejus adverſus omnia Divinæ Gratiæ ſpecimina recalcitrantis continuarum aberrationum, & graviſſimi omnium criminis commiſſi in *Spiritu S.* dolore affecto, nec non ſeveritatis Judicii Divini in quod Gens ingrata merito incidit, à Deo deſerta & in reprobam mentem tradita cum Reipublicæ & terræ ſuæ Deſolatione: Inde nomine majoris partis Populi in Exilio verſati acerbam effundentes querelam de præſentis ſui ſtatus miſeria, repetita ſuperiorum temporum memoria: Denique protinus ſubjicientes humillimam ſupplicationem, qua præſentis Status ſui, ſpiritualis ac temporalis, miſeriam calamitatemque Deo miſerabilibus verbis exponunt, gratiamque ejus & Liberationem, cum continuata hoſtium ſuorum & Eccleſiæ punitione, ſummiſſa prece orant atque exorant.

CAP.

a Hoſ. 1. 4. *b* 2 Reg. IX. 3. *c* Cl. Schmid. *d* Cap. LIX. 20.

CAP. LXIII.

Textus Cap. LXIII. vs. 7. &c.

7. Beneficentias Jehovæ commemorabo; laudes Jehovæ ſecundum omne illud eximium quod in nos affatim contulit Jehova; & multiplex bonum, quo liberaliter donavit domum Iſraëlis, ſecundum miſerationes ſuas, & multo maximam gratiam ſuam.

8. Dixitque, utique populus meus illi ſunt; filii *qui* non mentientur; factuſque iis eſt in ſervatorem.

9. In omni anguſtia eorum ipſi fuit anguſtum; & Angelus faciei ejus ſervavit eos: amore ſuo & clementia ſua, ipſe aſſeruit eos: & tulit eos portavitque eos omnibus diebus antiquis.

10. At ipſi immorigeri extiterunt, ac dolore affecerunt Spiritum ejus Sanctum: Et converſus ipſis eſt in hoſtem. Ipſe pugnavit contra eos.

11. Et recordatus eſt Dierum antiquorum, Moſis, Populi ejus. Ubi eſt Ille qui ipſos eduxit ex mari cum Paſtoribus Gregis ſui? Ubi eſt Ille qui poſuit in medio ejus Spiritum ſuum Sanctum?

12. Qui fecit incedere ad dextram Moſis Brachium ſuum magnificum; findens aquas coram iis; ut faceret ſibi nomen æternum?

13. Qui eos duxit per abyſſos; inſtar equi in planitie, ut non offenderint?

14. Ut jumentum quod deſcendit in vallem: Spiritus Jehovæ ei conciliavit quietem. Sic duxiſti Populum tuum, ut tibi faceres Nomen magnificum.

15. Proſpice ex cœlis, & vide; ex habitaculo tuo ſancto & ornatiſſimo! Ubi eſt zelus tuus, & pollentiæ tuæ? ſtrepitus viſcerum tuorum & miſerationes tuæ, quæ ſe erga me continent?

16. Quia tu Pater noſter es. Abraham non cognoſcit nos, & Iſraël non agnoſcit nos. Tu Jehova Pater noſter es: Redemptor noſter à ſæculo eſt nomen tuum.

17. Quare nos facis deerrare Jehova à viis tuis? induras corda noſtra, ne te revereamur? Converte te propter ſervos tuos, tribus hæreditatis tuæ.

18. Ad exiguum poſſedit Populus tuus ſanctus *terram*. Hoſtes noſtri conculcarunt ſanctuarium tuum.

19. Facti ſumus tanquam hi, quibus à ſæculo non dominatus es: tanquam ſuper quibus Nomen tuum non eſt nuncupatum. Utinam diſrumperes cœlos; deſcenderes; à facie tua diffluerent montes!

CAPUT LXIV.

Textus Cap. LXIV.

1. UT ignis cremia conſumens ſtrepero motu exſilit: ut ignis qui aquas ebullire facit: ad Nomen tuum manifeſtum faciendum hoſtibus tuis! A facie tua Gentes commoverentur.

2. Cum faceres tremenda quæ non exſpectabamus: deſcendiſti: à facie tua montes diffluxerunt.

3. Et à ſæculo non audiverunt; non perceperunt auribus; oculus non vidit, ô Deus, præter te quæ faciet exſpectantibus ipſum.

4. Si incidas in gaudentem, & exercentem juſtitiam: in viis tuis recordabuntur tui. Ecce tu efferbueras poſtquam deliquiſſemus, in eos longum tempus; & tamen ſalvi facti ſumus.

5. Et ſumus ut impurus omnes nos; & ut veſtis rejectanea, omnes juſtitiæ noſtræ; & emarcuimus ut folium omnes nos; & iniquitates noſtræ nos inſtar venti auferunt.

6. Et nemo eſt qui nomen tuum invocat; qui ſe excitat ad te apprehendendum; quia occultaſti faciem tuam à nobis, & nos feciſti colliqueſcere medio peccatorum noſtrorum.

7. Et nunc, ô Jehova, Tu es Pater noſter: Nos lutum, & Tu fictor noſter; & opus manuum tuarum omnes nos.

8. Ne efferveſcas, Jehova, nimium; nec recordare peccati in æternum. Ecce, adſpice, quæſumus: Populus tuus omnes nos.

9. Urbes tuæ ſanctæ evaſerunt Deſertum: Tſion facta eſt ſolitudo: Hieroſolyma deſolata.

10. Domus noſtra ſancta, eademque decus noſtrum, in qua te laudarunt Patres noſtri, igne cremata eſt; & omnia loca noſtra deſiderata data ſunt vaſtationi.

11. Num ſuper hiſce te continebis, Jehova? ſilebis, & affliges nos ſupra modum?

Argumentum, *Scopus*, & *Analyſis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis*, & ejus *Nexus* cum prophetia ſuperiore.

CUm ex hypotheſi quam non male jactam confido; in his Concionibus quæ *tertiam* Quinti Libri Prophetiarum Jeſaiæ ſequuntur; Spiritus S. illuſtriora ejus argumenta copioſius proſequatur & lucidius explicet: Emblemate vero proxime præcedenti illuſtraſſet Pericopam Cap. LIX. 15. ſeqq. de ultione terribili ab hoſtibus Eccleſiæ in fine temporum ſumenda: hac *Sectione* inſtituit, ſubjectam ei Pericopam de *Converſione & illuminatione Judææ Gentis*, illud *Judicium* ſubſecutura, (Cap. LIX. 20.) qua Chriſtus Jeſus ut GOEL, *Redemptor*, Genti certiore effectu ac ſucceſſu quam olim, revelandus erat, latius enarrare. Id vero hac figura orationis exequitur, ut introducat *Chorum* Judæorum, repræſentantem eorum *primitias* in ipſis initiis hujus magni Operis Gratiæ, qui *à Spiritu Dei illuminati*, nunc demum advertentes triſte illud *judicium excæcationis & indurationis* cui Gens tota poſt ſpretum Evangelium Filii Dei per tot ſæcula ſuccubuerat, idque judicium reſpicientes ut cauſſam tot malorum, opprobriorum, & calamitatum, quot inde à deſtructa per Romanos Republica in triſti exilio ſuſtinuerant: ſe profunda humiliatione animi coram Deo proſternunt, liberamque ad ipſum vocem mittunt *confeſſionis* ac *ſupplicationis*, ſtatui ſuo præſenti congruentis, qua tum beneficia Jehovæ in ſe collata enarrant; tum ingratum

ſuum erga Deum animum, mediorumque ſalutis ſibi ex infinita gratia oblatorum contemptum; tum ſeveritatem Divini Judicii, ejuſque conſequentium malorum: inde, poſt querelam de miſeria præſentis ſui Status, ſupplices Deo occurrunt, &, expoſita hac eadem ſtatus ſui miſeria, apud ipſum humillime intercedunt, ut memor beneficiorum antiqui temporis, disjectis hoſtibus, & remotis omnibus obſtaculis, magnum hoc opus ſuæ gratiæ, hoc tempore cœptum, perducere velit ad felicem exitum. Initium faciunt, ut par erat, à *Confeſſione*, ex profundis animi miſſa. Celebrant itaque Beneficia antiqui temporis ex mera gratia in Populum Judæum in variis Liberationibus Gentis collata [a]: tum ſpeciatim quod *Angelus Jehovæ* Majores ſuos *ſervaverit* & vindicaverit ex Ægypto; & quod *Spiritus Dei* eos erudiverit, duxerit, & de via felicitatis ac ſalutis *commonefecerit* [b]. Subjiciunt protinus, Majores ſuos hujus beneficii tantam non habuiſſe rationem quantam oportebat; contra vero *conſilia* & *monita* Sp. S. proterve ſpreviſſe; eum affeciſſe *dolore*; eoque factum eſſe, ut Spiritus eos deſeruerit, & tanquam *adverſarius* eos *oppugnaverit* [c]. Quo ſtatu triſti ac vere miſero cum Populus eſſet, & longum fuiſſet: promunt miſerabile carmen, quo miſeriam calamitatemque temporis præſentis Exilii graphice deſcribunt, comparatione inſtituta inter hunc ſtatum quo à Deo deſerti ac derelicti erant, ac inter beneficia in Gentem olim collata [d]: Ad quæ pii hi Credentes & humiles *Confeſſionem* hancce ſuam vertunt in *Supplicationem*; & proſtrati ante thronum Gratiæ Deum humillime orant, ut ſui habere velit rationem in Gratia: argumentum petentes, tum ab *excellentibus attributis* ac perfectionibus *Dei*, quæ id ſuadere videantur [e]: tum à *fiducia* hoc tempore in Deo ſolo poſita [f]: tum à triſtiſſimo ſtatu ſuo, in quo jam longum durarant [g]. Subdunt *votum*, ex tenerrimo affectu effuſum, pro hac ſua liberatione factum; quo Deum rurſus excitant ad ampliſſima Opera olim ad ſalutem Populi ſui & Hoſtium interitum edita novis ac ſimilibus exemplis exprimenda [h]; & cum voto *ſpem*, ex viis Dei ac *bonitate* ejus conceptam [i], ex *bonitate*, inquam, *Divina*, dum ipſi conſcientia ſuæ indignitatis ex commemoratione Judicii ſpiritualis excommunicationis, & indurationis, meritis ſuis omnibus renunciant [k]. Terminant denique Confeſſionem ſuam iterata prece ſupplicatoria; eique addituri pondus, denuo excurrunt in miſeriam præſentis conditionis ſuæ, quod ad Statum externum ac temporalem attinet, propriis coloribus pingendam. [l]

Scopus ejus. II. *Scopus* hujus Sectionis eſt, primus quidem, Eccleſiam docere magnum myſterium ſingularis Dei Providentiæ erga majorem partem Gentis Judææ, quod Apoſtolus declarat in Epiſtola ad *Romanos* [m]; videlicet tremendi Judicii, quo eam longum tempus in Statu *excæcationis* & *indurationis ſpiritualis* poſitam & à communione ſua & Eccleſiæ ſecluſam, & Patria terra exulem, traderet graviſſimis calamitatibus, ſeveritatis Divinæ ejuſque flagrantis iræ documentis; & Exempli infinitæ Gratiæ, quo eam hiſce tantis malis defunctam poſt decurſa ſæcula Gentium in Populum ſuum *reaſſumeret*, & beneficiorum gratiæ compotem faceret; poſtquam Gens à Spiritu illuminata duceretur in verum conſpectum ſuæ miſeriæ ſpiritualis ac temporalis; perſpecta juſtitia viarum Dei, peccatorum ſuorum ſincera afficeretur pœnitentia; & verum Meſſiam ac Goëlem ſuum, JESUM, in fide ſupplex agnoſceret, ſalutemque ejus Deo conciliata amplecteretur, laudaret, celebraret. Alterum & ſecundarium ſcopum eſſe ajo; Judæis in præſentis Exilii ſtatu poſitis præſcribere ſive potius ſubjicere formulam *Confeſſionis* & *Supplicationis*, qua reducti ad communionem Dei ac lucem gratiæ in pœnitentia & fide Deo occurrerent: qua tamen eadem formula uti quoque poſſent Gentes, ſimili Dei judicio preſſæ, quarum non deſunt exempla. Patet ex dictis, *Argumentum* Sectionis totum eſſe *propheticum*, idque *doctrinale*.

Occaſio editæ hujus prophetiæ. III. *Occaſio* editæ hujus prophetiæ petenda eſt ex nexu Fatorum, Divino conſilio præfinitorum, ſupra in *Sectione penultima* Concionis tertiæ, ℣ſ. 15---21. aliiſque in prophetiis, ut Deut. XXXII. 36--43. conſignato, ut declaravi §. 1. Judicium Dei terribile in hoſtes Eccleſiæ, qui iidem hoſtes eſſent Gentis Judææ, eamque vehementer oppreſſerant & afflixerant, conſequeretur illuminatio & converſio Gentis Judææ.

Scena ejus. IV. *Scena* prophetiæ ſimpliciſſime inſtructa eſt. Comparet ibi Chorus primitiarum Judæorum, ad Lucem & Gratiam Dei modo converſorum, qui in ipſis Liberationis initiis pro ſe & fratribus ſuis apud Deum in pœnitentia & fide ſupplices intercedunt.

Et Analyſis. V. *Analyſin* abſque opera ſic inſtitues. Sectio tota complectitur orationem Chori Judæorum pœnitentium, vel Ὁμολογητικὴν vel Ἱκετευτικήν.

PARS PRIOR Ὁμολογητικὴ CONFESSIONALIS complectitur,

- α. *Commemorationem* Beneficiorum à Deo in Gentem Judæam collatorum, ſpe recti eorum Beneficiorum uſus.
  - (a.) *Generalem*, ℣ſ. 7. 8.
  - (b.) *Specialem*, reſpectu *Angeli Jehovæ* & *Spiritus S.* ℣ſ. 9. 10.
- β. Nec non *Ingrati* animi *Gentis* erga hæc Beneficia, cum triſti illorum conſequenti; *privatione Luminis* & *Gratiæ Divinæ*, ℣ſ. 10.
- γ. *Querelam* Populi longum tempus derelicti de miſeria ſui Status comparata cum *Beneficiis* antiqui temporis, ℣ſ. 11--14.

PARS Ἱκετευτικὴ SUPPLICATORIA, continet

- α. *Supplicem precationem* pro miſero & afflicto Populo, argumentis petitis,
  - (a.) A reſpectu Divinarum Virtutum, ℣ſ. 15.
  - (b.) A fiducia in Deo ſolo poſita, cum abnegatione omnium meritorum, ℣ſ. 16.
  - (c.) Calamitatis & miſeriæ ſuæ gravitate, ℣ſ. 17--19.
- β. Intermixtam *precationem votivam*, qua exprimit ardens hujus Beneficii deſiderium,
  - *Prima* ratione petita ex *Exemplo* deſcenſus Dei in Montem Sinai, Cap. LXIV. 1--3.
  - *Altera*, à majoribus exemplis Divinæ Gratiæ quæ exſpectabantur ſub Oeconomia Nova, ℣ſ. 4.
- γ. Novam Supplicationis *repetitæ* inſtantiam, qua
  - (a.) *Vias* Dei *juſtificant*, *novamque* edunt eamque humillimam ſuæ indignitatis ac miſeriæ ſpiritualis *confeſſionem*, ℣ſ. 5--7.
  - (b.) Iram Dei, quæ huc uſque ipſis incubuerat, ex Dei & ſui reſpectu ſummiſſe deprecantur, ℣ſ. 8. 9.
  - (c.) Calamitatem ſuam externam & temporalem, miſerabili carmine proponunt, eamque ad movendam Dei miſerationem urgent, ℣ſ. 10--12.

Ἀνά-

---

a ℣ſ. 7. 8. *b* ℣ſ. 9. 10. *c* ℣ſ. 10. *d* ℣ſ. 11--14. *e* ℣ſ. 15. *f* ℣ſ. 16. *g* ℣ſ. 17--19. *h* Cap. LXIV. (Diſtinct. Hebræa ℣ſ. 19. *med.*) ℣ſ. 1. 2. 3. *i* ℣ſ. 4. 5. *k* ℣ſ. 6. 7. *l* ℣ſ. 8--12. *m* Cap. XI. 1. ſeqq.

Ἀνάκρισις Prophetiæ hujus *Sectionis*.

Anacrisis hujus Sectionis. Hypotheses interpretationis.

TEndenti ad veram intelligentiam hujus prophetiæ, ſupponendum eſt, α. Agi per totam hanc Sectionem quam exhibui de Gente *Judæorum*, Abraha κατὰ σάρκα ſatorum; quippe quod attributa omnia à quoque propriis oculis inſpicienda, evincunt. β. Decurrere hanc *Sectionem* ab hoc ipſo *commate ſeptimo Capitis* LXIII. uſque ad finem *Capitis* LXIV. quippe quod æquabilitas orationis, & ἀναλογία argumenti ac figuræ dictionis, plane ſuadent, & legenti obvium eſt. γ. Orationem Prophetæ, *Confeſſionem pœnitentium* & *Supplicationem* pro Gente Judæa complexam, ſupponere *Converſionem* ejuſdem *Gentis*. Ratio eſt, quod hæ preces, à Spiritu S. inſuſæ, & in fide fuſæ, ſecundum Leges Sanctuarii carere nequeant exauditione.

Agi de *Judæis*, & *Sectionem* integram ejuſdem eſſe argumenti.

Docti Interpretis ſuppoſitum de continuitate hujus orationis.

II. De his quæ certa habeo, mihi ſtatutum non eſt in *Anacriſi* hac diſputare; etſi non ignorem eſſe qui in haſce hypotheſes non plane concedant. Verbi gratia, Cl. Coccejus, licet pleraque quæ hoc *Capite* dicuntur, de *Judæis* dicta accipiat: deinceps tamen *Subjectum* deſerit, & prophetiam per fata temporum deducit. Alii novæ Orationis Exordium faciunt à *Voto*, in initio Capitis LXIV. vel ipſum illud Cap. LXIV. interrumpentes, à *medio* v. 5. ſeriem novæ *Concionis* ducunt: ut manifeſte inſtituit Cyrillus, inde incipiens *Tomum ſextum* Libri V. *Comm.* Rurſus non deſunt, qui imaginem miſerrimi ſtatus Judææ Gentis quæ hic pingitur, rectiſſime accipientes; de effectu hujus *Supplicationis*, qui ſtatui debet *Converſio Gentis*, minus explicate ſententiam promunt. Sed quicquid ejus fuerit: plane perſuaſus ſum, exceptis hiſce, qui qualicunque de ratione ſingularia & paradoxa hic ſectantur, neminem fore quin ſuppoſita mihi ſit largiturus. Utique ſi quis non largiatur: cum eo mihi non eſt ſtatutum diſputando moram trahere. Sentiat ipſe ſibi: mei moris eſt tantum de probabilibus controvertere.

Tres hypotheſes exegeſios hujus *Sectionis*; quæ recenſentur.

III. Tres itaque ex meo ſenſu dantur hypotheſes, de quibus prudentis judicii Interpres hic cogitare queat, & vero cogitarunt Doctiſſimi Viri. Sunt qui plane ſtatuunt, convenire hanc Orationem Populo Judæo verſato in Exilio Babylonico, ut Piſcator, Sanctius, alii. Eſt qui eam transfert ad tempora Maccabaica, ut Hugo Grotius. Alii denique aptant hanc prophetiam miſerrimo Statui Gentis Judææ in præſenti Exilio; cujus conſequens eſt, ut, ſi exiſtiment preces hic memoratas contemplandas eſſe cum effectu: converſionem Gentis Judææ, cujus hic mentio fit, ſtatuant eſſe finalem illam & pandemicam, quam juxta promiſſa & prædictiones antiqui temporis exſpectamus. Nec tamen omnes de hoc effectu mentem ſuam clare explicant; ſed hærent potiſſimum in aſpectu miſerrimi ſtatus Gentis Judææ in præſenti Exilio inter reliquos Populos Orbis terrarum palabundæ. Sic inſtituunt Euſebius *A*, Cyrillus, Hieronymus; & inter recentiores Cl. Altingius; ut ex his illis hujus pericopæ allegatis obſervare potui *a*. Sed nemo hic clarius & expreſſius docto Lirano. Ejus verba ſunt *b*: *Et ideo hic primo ponitur Antichriſti dejectio:* (ſc. in prophetia de Edomo:) *& ſecundo*, JUDÆORUM CONVERSIO; ibi, *miſerationum Domini, &c.* Et ad hæc verba noſtra: *Hic conſequenter ponitur* CONVERSIO JUDÆORUM AD CHRISTUM. Judæorum pariter Interpretum hæc eſt certa ſententia, licet Abarbenel hanc pericopam à præcedenti divellat. Imo vero ipſe quoque Maimonides hic conſpici voluit; hanc prophetiam de Gentis ſuæreſtitutione diſerte interpretatus *c*. Cl. Cocceji, ab his hypotheſibus diſſentientis, ſententiam in ipſa commentatione adducam, meumque de ea explicabo judicium.

Tenetur hypotheſis agi hic de Judæis in præſenti Exilio; eorumque converſione; quæ hypotheſis demonſtratur.

IV. Poſtremam hypotheſin hic meam facio: licet vere diſcrimen utriuſque hypotheſios ob convenientiam plurium attributorum utriuſque Exilii, Babylonici & Romani, in variis prophetiis ſæpe minus ſit liquidum. Expende tamen ſis, rationes ſequentes. Primo cum Propheta in *antecedentibus* & *ſubſequentibus* prophetiis agat de Statu & Eventibus Eccleſiæ Novi Fœderis: non admodum fit probabile, illum hic regredi ad Exilium Babylonicum, ejuſque accidentia. Secundo, Pericopa hæc Prophetica perinde ac ſuperior de Judicio Edomi abſque dubitatione omni reſpondet *Pericopæ* Concionis Cap. LIX. 15--20. ubi idem tremendum & peremptorium Dei Judicium in hoſtes Eccleſiæ, idque ſubſequens *Converſio Judææ Gentis ad Meſſiam* Vindicem, prædicitur; quam *Converſionem Gentis* Apoſtolus ad Romanos, Cap. XI. 26. docet fore *generalem*, exſpectandam poſtquam *plenitudo Gentium introiverit*. Conſequens eſt, eandem quoque prædictionem *Converſionis Judæi Populi* hic deſignari; quippe quod utriuſque Pericopæ Propheticæ παραλληλία evincit. Tertio, *Converſio Abrahamidarum* quæ hic prædicitur, conſequutura erat tremendum Judicium inflictum hoſtibus Eccleſiæ hic propoſitis ſub ſymbolico Nomine *Edomi*: verum *Converſio* Populi Dei in Exilio Babylonico *Liberationem* illius Populi per Cyrum præcederet, ut vere præceſſit. Prophetiæ omnes hic conſentiunt. Confer clariſſima loca Deut. IV. 27. 28. XXX. 2. 3. Quarto, omnes phraſes, quibus Propheta in hac Oratione utitur, ſecundum hanc noſtram hypotheſin expoſitionem patiuntur maxime emphaticam; ſed ſecundum diverſam hypotheſin reſtrictam. *Excæcatio* & *induratio* Gentis hic gravior multo & ſenſilior quam in Exilio Babylonico; eſtque ea ipſa quam Apoſtolus huic Genti obtigiſſe demonſtrat juxta prophetias, poſt ſpretum Evangelium Filii Dei *d*. *Dies ſæculi* quibus Gens portata dicitur fuiſſe ab Angelo Fœderis, ipſis facto in Salvatorem; *Spiritus Sanctus* dolore affectus, ipſis *converſus in hoſtem*; Conditio Populi hujus inſtar *leproſi* à Deo excommunicati, eumque in ſtatum redacti, acſi Deus nunquam ei dominatus fuerit; *exiguum tempus*, quo in terra Deum in Sanctuario coluerant, oppoſite ad *longum* tempus Exilii: ex hypotheſi noſtra perfectam habent intelligentiam: ſed valde circumſcriptam, ſi ab ea diſcedas. Accedit quinto, inter crimina Gentis, ob quæ iis inflicta ſit gravis illa *induratio* & *excæcatio*, non recenſeri idololatriam; ſed graviſſimum oſtendi, quod *dolore affecerint Spiritum* Dei *Sanctum*.

Induratio Populi Judæi in hoc Exilio eſſet graviſſima.

Hypotheſis Ill. Grotii diſcuſſa.

V. Pleraque horum quoque obſtant hypotheſi Grotii; in qua tamen illud laudo, quod hic loci in interpretatione ſua ſervet analogiam; atque adeo ſi alterutrius hypotheſios mihi facienda eſſet optio; huic potius ſubſcriberem. Nec ſubſcribo tamen, cum ob rationes, quas modo adduxi: tum quod in hac precatione ſupponatur derelictio Gentis *longi temporis*; nec convenit temporibus Maccabaicis, quod dicitur Cap. LXIV. 10. *Domus noſtra ſancta & glorioſa, in qua te celebrabant Patres noſtri*, חיה לשרפת אש *facta eſt in* EXUSTIONEM IGNIS. Multa Sanctuarii inſtrumenta corrupta

a Pete exemplum ex Comm. in *Deut.* Tom. I. p. 437. *b* Ad Cap. LXIII. 1. *c* *More Nevochim*, Part. II. Cap. XXIX. *d* Rom. XI. 8. 9. 10.

A Euſeb. ad Cap. LXIII. 19. Ταῦτα πάντα ἔοικεν ἀναφέρεσθαι ἐπὶ τὸν καιρὸν τὸν μετὰ παρρησίαν τῦ σωτῆρος ἡμῶν· ἐν ᾧ παντελῶς κατελείφθησαν διὰ τὰ κατὰ τῦ σωτῆρος ἡμῶν τολμηθέντα αὐτοῖς· νῦν γὰρ ὡς ἀληθῶς τοιῦτοι γεγόναστν, ὡς τὸ ἀπ' ἀρχῆς ὅτε οὐκ ἦρχεν αὐτῶν ὁ Θεὸς· ὥστε δύναιτο λέγειν, Ἐγενόμεθα ὡς τὸ ἀπ' ἀρχῆς, ὅτε οὐκ ἠξιώθημεν ἡμῶν, οὐδὲ ἐκλήθη τὸ ὄνομά σε ἐφ' ἡμᾶς· *Hæc omnia referri videntur ad tempus, quod adventum Servatoris noſtri ſubſequutum eſt: quo prorſus derelicti ſunt ob facinora adverſus Servatorem noſtrum ab ipſis perpetrata. Nunc enim vere tales facti ſunt quales erant à principio, cum nondum ipſis Deus denominaretur; ut dicere poſſint*: FACTI SUMUS UT AB INITIO CUM NON DOMINARERIS NOBIS, NEQUE NOMINARETUR NOMEN TUUM SUPER NOS. Hieronymus poſt enarratum prophetiæ argumentum: *Quod Judæi ad Babylonica referunt tempora: Nos autem ordine & ratione monſtravimus de præſenti dici tempore, in quo Romanis ſerviunt, & excluſo Iſraele, Gentium turba ſucceſſit.* Mirum quidem, Judæos antiqui temporis ſic inſtituiſſe: hodierni aliter ſapiunt.

rupta sunt; Domus ipsa profanata; variis partibus læsa; sed hoc tempore non *exusta*; ut ex historia patet. Purgatum enim Sanctuarium à Juda Maccabæo deinceps, ut ante solebat, inserviit cultui sacro. Ergo ingrediamur hoc lumine collustrati interpretationem Visi.

PARS PRIOR, *Confessionalis* hujus *Sectionis*.

a. *Commemoratio* Beneficiorum à Deo in Gentem Judæam collatorum.

(a.) Generalis.

Pars Prior, Confessionalis, hujus Sectionis.

a. Commemoratio Beneficiorum in Gentem Judæam collatorum,

Primo *Generalis*, vers. 7.

Propheta hic sustinet personam *Supplicantium Judæorum*.

Oratio est pœnitentium Judæorum.

Cl. Coccejii hypothesis.

CAP. LXIII. ℣. 7. BENEFICENTIAS JEHOVÆ COMMEMORABO; *laudes Jehovæ, secundum omne illud* EXIMIUM, *quod* IN NOS AFFATIM CONTULIT *Jehova; & multiplex Bonum quo liberaliter donavit Domum Israëlis, secundum miserationes suas & amplitudinem gratiæ suæ.*] En initium egregiæ ὁμολογίας *Confessionis* tam Eucharisticæ quam Supplicatoriæ, quam Chorus Primitiarum pœnitentium Judæorum Deo in fide & fiducia offert. Equidem Prophetæ à Spiritu S. inspirati hæc est oratio; sed qui hic sustinuit aliorum personam, ut ex argumento orationis liquet. oratio enim ejus temporibus non convenit. Recte itaque Interpretes Judæi; Prophetam Jesaiam hic loqui במקום ישראל *nomine Israëlis*. Est autem oratio *pœnitentium*, quod suppositi, nemine negante; sed qui *pœnitentes* intercedunt pro reliquis fratribus suis qui adhucdum hærebant in tristi ac misero statu *excæcationis & indurationis*, cui Gens tota longum succubuerat. Quæ causa movit Coccejum, quare, post superiorem Pericopam de *Edomo* expositam de *Morte sanguinea* Christi Jesu, hic inferat *Ecclesiam Apostolicam*, apud Judæos incredulos instituentem *commemorationem* Beneficiorum à Deo in Gentem impensorum, ut eos ad eandem fidem ac pœnitentiam perducat; licet absque successu; cum Populus ille, carnalibus affixus præjudiciis, alium *Servatorem*, Mosi antiquo Liberatori Populi ex Ægypto similem, vellet. quò refert ℣. 11. *Et recordatus est Dierum Sæculi*; MOSIS, & seqq. Verum *α.* Non liquet, Eos qui hanc *commemorationem* & *celebrationem* Divinorum Beneficiorum instituunt; eam instituere APUD *alios*. contra certum est, eos rectis oculis præditos hoc officio *pro* se, & *pro* aliis defungi, ut, (quod ratio & fas postulabant;) *confessionem* edituri *coram Deo*, culpam omnem præsentis miseriæ suæ ab ipso removerent, tanquam qui Beneficiis cumulatissime in Gentem collatis abunde satisfeciſſet promissis; eandemque in se transcriberent. *β.* Alienissimus sum à sententia quæ statuit, preces hasce susas esse absque effectu. Non convenit Legibus Fori cœlestis. Qui secundum voluntatem Dei precantur; merentur exaudiri. *γ.* Supplicatio hæc ad Deum missa est post *Sanctuarium* & *Templum* jam destructum atque exustum, & terram Canaanæam ab hostibus desolatam, ut clarissime liquet ex Cap. LXIII. 18. 19. & Cap. LXIV. 10. Quo tempore cum Ecclesia Apostolica jam divisa esset à *Corpore* Judæorum incredulorum atque impœnitentium à Deo jam excommunicato: non est rationi consentaneum, inferri hic Ecclesiam Apostolicam apud impœnitentes edentem *commemorationem* Beneficentiæ Dei summæ in Gentem Judæam. Sic censet ipse Vir Eruditus; atque adeo priorem locum Cap. LXIII. 18. mitiore interpretatione perstringit; alterum Cap. LXIV. 10. in quo idem explicatius & planius dicitur, transfert ad Statum Populi Christiani ejus temporis, quo Ecclesia hujus nominis jam multum declinaverat à priore suo statu. Satis persuasus sum, commentationem in omni sua περιστάσει paucis placituram. Quis enim pericopam legens non clare videat, orationem Prophetæ usque ad finem Cap. LXIV. versari in eodem argumento? Ergo recte statuisse ac supposuisse videor; orationem hanc convenire in *Primitias Judæorum*, qui in ipsis initiis Liberationis Ecclesiæ ab hostibus suis, in fine temporum conversi, cæteris hac confessione & prece sint præituri, & pro ipsis Divinam impetraturi gratiam. Cum enim non sit par credere, omnes Judæos per Orbem sparsos simul conversum iri; sed verisimile fiat, conversionem illam in aliqua Orbis regione cœptam, inde ad alias progressuram esse: his qui familiam chorumque ducent, hæc precatio rectissime tribuitur. Cæteroquin facillimum dictu est, universam hanc *Precationem* esse *figuratam*, quippe qua solummodo significetur; Quo futuri sint statu *Judæi* ad Dominum *convertendi*, remoto à facie illorum *velo* apertisque oculis; & *Quæ* ac *Qualis* iis hoc tempore oratio possit convenire.

Quæ examini subjecta non probatur.

Preces hæ non fuerunt fusæ absque effectu.

Subjectum in tota hac oratione non mutatur.

Hypothesis huic loco substrata.

Confessionis prior pars est *Eucharistica*, eaque vel *Generalis* vel *Specialis*, ut in *Analysi* definivi. *Generalem* hic exhibeo; quæ nihil habet intellectu difficile. Solummodo id observandum, Pœnitentes, in statum veræ humilitatis animi compositos, *Beneficia* Divinæ Gratiæ, superiore tempore in Gentem collata, altissime extollere, ut sane nulla fingi potest orationis emphasis quæ hanc nostram exsuperet; ut ingratum suum erga Deum animum tanto altius deprimant; & culpam omnem suæ miseriæ, à Deo longissime remotam, in se transfundant; quod vere pœnitentium est. Sic Moses pariter instituit in *Cantici sui* Elencho, & Viri sancti passim in *Odis Davidicis*. *Commemorabo*, inquit Chorus, sive potius, *celebrabo*, חסדי יהוה *Beneficentias*, (Coccejus docte, *Gratias*,) *Jehovæ*. Hic sensus subest Hebræis. Hieron. *Miserationum Domini recordabor*. veluti legisset, אזכיר. pariter οἱ ὁ. Ἐμνήσθην. Rectius alii: Ἀναμνήσω. Chald. מדכר quod recte eodem modo vertitur. Vox הזכיר, stylo sacro, notat *commemorare*, *celebrare*, alios in memoriam ducere; & pertinet ad Religionem, ut vidimus proxime Cap. LXII. 6. coll. cum Cap. XXVI. 13. & speciatim monui ad vocem זכרון *Idolum*, quod colitur, commemoratur, celebratur, Cap. LVII. 8. Objectum *commemorationis* & *celebrationis* hic loci sunt חסדי יי *Beneficentiæ* vel *Gratiæ Jehovæ*, videlicet *Beneficia* ex mera gratia & voluntate propitia, & gratiæ quadem ὑπεροχῇ, *superabundantia* & *præstantia* in Populum collata. Hæc genuina vis est vocis חסד. involvitur ejus significatione περισσείᾳ χάριτος [a], χάρις ὑπερβάλλουσα [b], pronum benefaciendi studium. Est propriissima Dei virtus, passim celebrata à Sanctis & Deo attributa numero *singulari*; & subinde etiam *plurali* [c], quando significat studium proniſſimum variis beneficentiæ effectis demonstratum. quæ effecta cum maxime mererentur *celebrari*, *laudari*, protinus appellantur תהלות יי *laudes Jehovæ*. Habuimus vocem numero *plurium*, ut hic loci, Cap. LX. 6. Respiciuntur præcipue *Liberationes*, Populo Judæo variis occasionibus provisæ; in quibus cum inessent documenta illustrium Dei perfectionum virtutumque, quæ *materiam* faciunt *laudationis*: ipsæ illæ Liberationes & Virtutes Dei in iis conspicuæ, appellantur תהלות *laudes*. Οἱ ὁ. non utique inepte, τὰς ἀρετὰς κυρίου. Sequitur, כעל כל אשר גמלנו יהוה Hieron. *Super omnibus quæ reddidit nobis Dominus*. Non sane ἀκριβῶς. Neque enim כעל recte vertitur per *super*; nec גמל hic obtinere potest significationem τῆ ἀνταποδιδόναι, *reddendi, retribuendi*. etiamsi enim non nesciam, has voces subinde sumi communi notione *dandi*, *attribuendi*: rectius tamen hic non usurpantur. גמל Hebræis notat quid *liberaliter in aliquem conferre*; sumiturque vel in bonam vel in malam partem. Symm. h. l. ἐυεργετεῖν *benefacere*. Idem illud כעל vertit περὶ πάντων *de omnibus*. alii, *secundum omne*. Cl. Coccejus alibi [d]: PLANE UT *de nobis meritus est*. Sed absque dubitatione aliis locis rectius assecutus est potestatem vocis constructæ כעל. Versio ejus hic loci extat, *Summopere omnia*: obscuriore phrasi & sensu: sed clarius mentem animi interpretatus est ad vocem גמל. Vertit ibidem, *Secundum ὑπεροχὴν omnium, quæ cumulato tribuit nobis*. Hic verus sensus. ad verbum sonat oratio Prophetæ, κατὰ τὸ ὑπέρτατον, (κατὰ τὸ ὑπερέχον,) πάντων *secundum*

Prior pars Confessionis, *Eucharistica*.

Scopus hujus Confessionis.

Significatio vocis הזכיר h. l.

Nec non notionis חסד.

Laudes Jehovæ quales h. l.

Ratio nominis.

Respectus vocis כעל h. l.

Et notionis גמל.

Cl. Coccejî versio vocis כעל.

SUM-

[a] Rom. v. 17. [b] 2 Cor. IX. 14. [c] Ps. LIX. 17. 18. CXIX. 41. Thren. III. 22. [d] In *Lex.*

SUMMUM *omnium quæ, ſeqq.* plane ut vox כעל ſumitur Cap. LIX. 18. ibidem expoſita. Ait itaque Chorus, ſe confeſſionem editurum Beneficentiarum Dei, eaſdem nolle imminuere, elevare, minora facere verbis quam ſunt: ſed velle eas commemorare & celebrare *ſecundum* omne earum meritum, pondus, excellentiam, ὑπεροχήν. Addit, tanquam hactenus ſibi non ſatisfeciſſet: *Et multum magnumque bonum* præſtitum *Domui Iſraëlis, quod tribuit iis liberaliter ſecundum miſerationes ſuas, & multitudinem beneficentiarum ſuarum.* Omnia ὑπερβολικῶς. Obſerva hic primo, Hebræa, ורב טוב לבית ישראל *Et multum* ſive *magnum bonum Domui Iſraëlis*, vel conſtrui poſſe cum voce אזכיר *commemorabo*; ſcilicet, *Commemorabo beneficentias Jehovæ ... & magnum bonum, ſeqq.* vel cum proxime præcedentibus verbis; *ſecundum ſummum ejus quod contulit in nos Jehova, & multum magnumque bonum in Domum Iſraëlis, ſeqq.* Maſorethæ videntur *prius* ſuppoſuiſſe, figentes *accentum diſtinctivum Athnach* in voce יהוה *Jehova*; quem tamen fateor, etiamſi poſterius elegiſſent, ob cohærentiam omnium ſententiæ partium commode alibi eos figere non potuiſſe: ſed *conſtructio Hebræa* non reſpuit quoque *poſterius*, quando ſententia integra nullam admittet ellipſim. Utrum acceperis, nihil commiſeris vitii. tota enim ſententia cohæret. Mihi ſedet ſequi Maſorethas, prudentes homines. Si enim cum ἀμέσως præcedentibus connecterentur verba, forte ſcripſiſſet Jeſaias, וכרב טוב *Et* SECUNDUM *multum* ſive *magnum bonum Domus Iſraëlis*, vel *Domui Iſraëlis*, ſc. præſtitum. Nunc ſimpliciter ſcripſit, *Et magnum bonum.* proprie, *magnum boni.* Reliqua nihil dubii habent.

Si ſententiam relegas, & in ſummam referas: vides in duo exire. Primum eſt, τὸ περισσὸν τῶ Ἰουδαίῳ *præſtantia Judæi* præ Gentibus ſub Oeconomia antiqua, quam Apoſtolus ait [a] eſſe πολὺ κατὰ πάντα τρόπον *multam & eximiam omnibus modis.* Conſtat autem beneficiis ſive *privilegiis* quà *temporalibus* quà *ſpiritualibus*, in Jacobidas collatis, quorum aliqua idem Apoſtolus ibi & alio loco [b] recenſet. *Temporalium* autem beneficiorum ea ratio eſt, ut *ſpiritualia* involvant, & ad ea referantur: quod eorum præſtantiam auget. Cum Deus omnes Populos alios Orbis terrarum ex conſilio Longanimitatis ſuæ variis afficiat beneficiis, ad uſque luxuriem: hunc unum & ſolum Populum ex aliis Gentibus elegit, ut ſe ei manifeſtum faceret in gratia ad ſalutem, eumque in finem eum complecteretur cura ſuæ providentiæ plane peculiari. quo pertinet quod eum ſua manu abſque ſocio vindicatum formaverit in Populum; ipſe apparitione glorioſa nulli Genti audita, Leges ei præſcripſerit ſapientiſſimas, earumque primarias ſua voce promulgatas; pane cœleſti, ajo cum Apoſtolo, *ſpirituali*, cibaverit; ex *rupe ſpirituali* potaverit; thronum gloriæ in eo poſuerit; promiſſorum gratiæ cuſtodem fecerit; per Prophetas à Spiritu S. actos inſtruxerit; in dubiis conſilio ſuo rexerit; in hæreditatem Patribus promiſſam duxerit; defenderit, auxerit, ornaverit, atque amplificaverit; & denique in Filio iis factus ſit in *Servatorem*, non amplius temporalem, ſed *ſpiritualem:* quorum beneficiorum vere ampliſſimorum aliqua ipſe Propheta mox ſpeciatim recenſet. Summatim cum Moſe dixeris, *Deum* nulli Populo *Gentium* tam PROPE ADFUISSE [c], quam Jacobi poſteris. Alterum eſt, quod Vates ſumma hæc *beneficia* referat ad ſolam & meram gratiam Dei, τὴν ἐκλογὴν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ; ad ſolas & puras miſerationes Divinas abſque ullo Gentis peculiari merito; ſive indolem & ingenium ejus; ſive ſtatum ejus exteriorem, videlicet, cultum, copiam, amplitudinem, opes, induſtriam, conſideres. his enim tantum abeſt, Judæos aliis Gentibus præſtitiſſe; ut contra longe iis inferiores fuerint: quod cum alii Prophetæ, tum Moſes idem ubique claris verbis inculcat [d], ut depoſita omni ſuperbia præſtantiam ſuam ſoli *gratiæ Divinæ*, ſoli *electioni ex gratia*, acceptam ferrent.

Voces, רב טוב *Multiplex bonum*, quomodo cum ſuperioribus conſtrui debeant, diſputatur.

Maſorethis acceditur.

Sententia Prophetæ exhibet τὸ περισσὸν τῶ Ἰουδαίῳ.

Beneficia in Gentem Judæam collata ſummatim recenſentur.

Et quidem ex mera Gratia in Populum collata.

Suppoſitum tot Beneficiorum.

Suppoſitum tot Beneficiorum, verſ. 8. Videbantur Iſraëlitæ tot macti Beneficiis perſtituri eſſe in Fœdere.

vſ. 8. *Et dixit, Utique populus meus illi ſunt; filii qui non mentientur; & factus iis eſt in Servatorem.*] Senſus ſimplex, ab Interpretibus paſſim agnitus; Deum, cum apud ſe conſtituiſſet hanc Gentem ex Populis omnibus terræ ornare; eam ſolam ſibi eligere *in populum*; adoptare in *filios*; & multis beneficiis mactam reddere: cogitaſſe, illos tot nominibus ſibi obſtrictos, in fœdere ſuo animo integro æquabiliter ac conſtanter perſtituros eſſe, ſibique ſervaturos caſtam fidem; nec futurum eſſe, ut *mentiantur* unquam; atque adeo iis factum eſſe in *Servatorem*, eos ex Ægypto redimendo, ſibique Fœdere in Deſertis Arabiæ aſſociando. *Et dixit*, idem hic valet quod *Et cogitavit. Cogitare*, ſtylo Scripturæ S. à re ipſa non valde remoto, eſt *dicere* [e]. Cogitatio eſt λόγος animi. Exemplum habe per omnia ſimile Pſ. XCV. 10. *Per quadraginta annos faſtidivi hanc generationem*, ואמר *&* DIXI, *Populus errantium corde ipſi ſunt.* h. e. cogitavi. dixi apud me ipſum. *Dixit* autem ſive cogitavit Deus, *Populus meus illi ſunt*, & *filii qui non mentientur.* videlicet, poſtquam Deus eos ſolenniter pro *Populo ſuo* in Ægypto aſſumpſiſſet [f], eoſque declaraſſet, eſſe *filium ſuum primogenitum*; vel ſimpliciter *filios ſuos* [g]. quippe jam tum Deo ſtatutum erat, Fœdus cum hoc Populo icere, eumque in Populum ſuum aſſumere ad Montem Sinai, & hoſce Jacobi poſteros *adoptione externa & typica* ſibi vindicare in *filios*, reſpectu peculiaris ſignificationis caritatis, curæ, providentiæ, qua eos proſequi conſtituerat. Cogitavit itaque, *Eos*, hiſce beneficiis maximis devinctos, ſibi ſervaturos eſſe *fidem*, nec futurum ut *mentirentur*, hoc eſt, perfide à ſe deſciſcerent. Subjungit Chorus, *Et factus iis eſt in* SERVATOREM. Nempe *Deus Pater*, de quo hæc pars confeſſionis agit, in ANGELO *ſuo*, mox commemorando. Sic enim accipienda ſunt verba, ſive hic cenſeas de ſola *Liberatione* ex Ægypto agi; ſive latius cum Coccejo hic ſimul intelligas ipſum illud ſummum Beneficium *Salvationis* & *Liberationis*, veræ, antitypicæ, ſpiritualis, quod Filius Dei, caro factus, humano generi procuravit. *Angelus* enim Dei vere fuit λυτρωτὴς, ut *Jacobi* [h], ſic poſterorum ejus ex Ægypto, ut clare ſignatur in hiſtoria [i]: *Et movit ſe loco ſuo* ANGELUS DEI ההולך לפני מחנה ישראל *procedens coram caſtris Iſraëlis*, Ægyptum deſerturis. Moſes ipſe alio loco [k]: *Et miſit* ANGELUM, ויצאנו ממצרים *&* EDUXIT NOS EX ÆGYPTO. Sed ipſum illud mox diſerte aſſeritur. Omnis *liberatio* & *ſalvatio* Populi Dei ipſi ut οἰκονόμῳ *diſpenſatori* conſiliorum Dei adſcribenda eſt. Certe ſi ſolæ hic intelligantur *Liberationes temporales*, abſque reſpectu *Liberationis ſpiritualis*, quæ una vera Liberatio ac Salvatio celebrari meretur: *miſerationes & gratiæ* illæ Dei immenſæ, quas Chorus modo celebraverat; de emphaſi ſua multum amittunt. Utique ſi vel maxime *ſalvatio* ex Ægypto ibidem ſubaudiatur: myſticus reſpectus excludendus non eſt; abſque eo enim ipſe Deus apud Amoſum hoc beneficium elevat [l]. Ais, verba Chori, *Certe populus meus illi ſunt: filii qui non mentientur:* reſtringere hanc ſalvationem ad Liberationem ex Ægypto. Deum enim hic introduci tanquam qui ſupponat, eos in Populum aſſumptos & in filios adoptatos huc uſque *mentitos* non eſſe, atque deinceps quoque non *mentituros*. Reſpondeo, non videri probabile, illa verba, *Certe Populus meus ... non mentientur:* ad ſolam liberationem ex Ægypto reſtringenda eſſe. id enim ſi eſſet; ſequeretur, poſt primam fœderis tranſgreſſionem Deum ipſos mox deſtituiſſe & abjeciſſe: quod ſecus ſe habere, docet hiſtoria. Verba hæc referenda ſunt ad *omnem* omniumque temporum *ſalutem*, quam Deus huic populo procuravit. Nunquam

Ditere hic eſt *cogitare*. Locus Pſ. XCV. 10.

Verba; *Et factus iis eſt ſervator.* Eorum conſideratio & latitudo.

Beneficium *ſalvationis* verum hic involvitur typico.

Objectio, hic formanda, diluitur.

Latitudo interpretationis commendatur.

a Rom. III. 1. 2. b Cap. IX. 4. 5. c Deut. IV. 7. d Deut. IV. 32. 33. VII. 6. 7. X. 15. e Confer Cap. VI. 5. XXXVIII. 10. 11. LVI. 3. f Exod. III. 10. Deut. VII. 6. XXVI. 18. 19. g Exod. IV. 22. Deut. XIV. 1. h Gen. XLVIII. 16. i Exod. XIV. 19. k Num. XX. 16. l Cap. IX. 7.

quam enim eos juvit salvavitque sive sub *Judicibus*, sive sub *Regibus*, sive etiam ex Exilio Babylonico, nisi *respiscentes*, fœdere secum instaurato, ut Deus identidem eos liberaturus, videretur rationem habere cogitandi, eos liberatos sibi servaturos fidem. Omnis liberatio hujus Populi hanc subnixam habuit hypothesin. Ipse adventus Filii Dei in Mundum ad populo suo veram procurandam salutem hac cogitatione Divina nixus fuit; quod Christus Dominus ipse in omnibus concionibus suis supposuit, & in Parabola de *Vinea* totidem verbis, figura orationis simili, docuit [a]: *Postremo autem misit ad eos* FILIUM *suum*, DICENS, (cogitans,) *Reverebuntur filium meum.* Quid itaque, inquis. Fuitne Deus adeo futuri ignarus, ut nesciverit, Judæos liberatos sibi non præstituros fidem? Cogitavitne igitur Deus identidem, quæ experientia refelleret? Repono; absurde dici, Deum nescivisse, quod per Mosen & Prophetas omnes plane prædixit futurum; quodque per Naturæ suæ præstantiam & intelligentiæ perfectionem ignorare non poterat. Subest igitur locutioni figura fictionis metaphoricæ ab homine sumptæ, qua humanæ affectiones & accidentia ἀνθρωποπαθῶς de Deo affirmantur. Deus hic dicitur *cogitasse* quæ *ex natura rei sequi debebant.* omnis enim cogitatio recta ad naturalia rerum attributa & sequelas conformanda est. Si quis Populus à Deo ex mera gratia electus insignibus beneficiis præ aliis Gentibus ornetur: consequens ejus naturale est, ut is Populus Deo suo tantopere obstrictus, in ejus cultu inviolate persistat, eique tenaciter adhæreat; cum alioquin omnes quoque Gentes Deos Patrios constantissimo studio colere, nec facile eos destituere, soleant: quod consequens Deus Judæis proponit apud Jeremiam [b]. Ergo id *cogitasse* Deus dicitur quod naturam rei consequi debuisset, & certo consequutum esset, nisi summa & plane singularis pravitas ac petulantia ingenii Judæi naturalem illam consequutionem subvertisset. Ut adeo hic loquendi modus directe tendat ad Judæum Populum validissime convincendum summæ pravitatis ac plane inexspectatæ corruptionis suæ, qua factum ut adversus beneficia Dei maxima identidem contra omnem cogitationem rationalem, & rationis probabilitatem, recalcitrarint. Idem involvitur figura *exspectationis*, quæ Deo eodem plane sensu tribuitur Cap. v. 2. confer παράλληλον Zeph. III. 7. Judæorum continuæ rebelliones adversus Deum fuerunt ἀπροσδόκητοι.

Num suppositum inferat in Deo nescientiam futurorum?

Metaphora quæ huic loco subest, declaratur.

Facit ad convictionem Populi Judæi.

Illustratur ex figura *exspectationis*, Cap. v. 1. 2.

β. Specialis.

Beneficium *Angeli Servatoris.*

β. *Specialis*, Beneficium Angeli Servatoris, vers. 6.

℣. 9. *In* OMNI ANGUSTIA ILLORUM IPSI FUIT ANGUSTUM; *&* ANGELUS FACIEI *ejus servavit eos, amore suo & clementia sua ipse asserit eos; & sustulit eos, & portavit eos, omnes dies saculi.*] Eadem beneficia speciatim recensiturus Chorus refert ad duo principalia, quibus reliqua omnia aptissime involvit: nempe ANGELI *Servatoris*, *Assertoris*, & SPIRITUS SANCTI *Doctoris*, *Monitoris*, *Consolatoris.* Prius directe tradit: posterius oblique, ne necesse haberet idem bis dicere. Ubi enim ait, *Et ipsi dolore affecerunt* SPIRITUM SANCTITATIS EJUS: supponit, Gentem præter summum beneficium *Angeli Vindicis*, aliud habuisse maximum in *Spiritu S.* Ordine persequar sententiam, ne quid non animadversum ad alia properantem prætereat.

Duo Beneficia summa à Deo in Gentem collata, *Angeli Servatoris*, & *Spiritus S.*

Excipi videbatur posse ad superius idque γενικὸν *Elogium* quo Vates prosequutus fuerat gratiam & clementiam Dei erga Populum Jacobidarum exercitam; Equidem accidisse sæpius, ut Israëlis posteri sub gravissimis malis & calamitatibus gemuerint, ad extremam sæpe redacti angustiam. Respondet itaque protinus, exceptionem veluti anticipans; Vere quidem Israëlitas à Deo deficientes ob delicta gravissime puniri meritos esse, & in varias incidisse afflictiones; sed ipsi id Deo fuisse molestum, quod rationes justitiæ ipsius non permitterent Populo à se electo & dilecto parcere: (dictum rursus κατ' ἀνθρωποπάθειαν,) & dum Populum in *angustia* detinuit, ipsum simul arcto & *angusto* fuisse animo: Hic sensus, ut putem, subest verbis, *In omni angustia ipsorum* לו צר IPSI *fuit angustum.* significatur teneritudo summi Dei affectus erga Populum. Locus est ex illis, quæ dubiam lectionem habent לא NON & לו IPSI: quæ loca cum alibi [c] excusserim, sententia eorum ex sensu mea definita & exposita; & in iis hunc nostrum, collatis variis interpretamentis Veterum ac Recentiorum; licebit dum hac opera supersedere. Si retineas lectionem לא NON; verba hanc dant sententiam; *In omni angustia eorum, non fuit angustum*; sive, *Non afflixit eos angustia*; vel ut alii, *Non egit cum iis hostiliter.* quæ dubiam & incertam faciunt interpretationem, ut in loco exposui. Cocejus noster, ipse quoque retenta lectione textuali לא NON, sic verterat, *In omni angustia ipsorum non oppugnabat* quisquam ipsos, *& Angelus faciei ejus servavit ipsos.* h. e. *statim atque* aliquis ipsos oppugnaret, Jehova ipsis mox adfuit liberator per Angelum faciei suæ. Censeo etiamnum, earum expositionum quæ textualem lectionem declarant, hanc esse optimam; nec tamen historiæ exacte congruentem. Cum enim, ut probabile fit, hic potissimum respiciantur tempora *Judicum:* docet utique historia Sacra, Deum subinde per plures annos continuos Populum reliquisse sub servitute aliarum Gentium, antequam ei succurreret: non sane quod potentia ipsi deesset, aut erga Populum miseratio; sed quod justitiæ ipsius rationes id postularent. Aben-Ezra: לא צר Loo TSAAR *Non angustum*, adscripsit: האמת שהוא בו"י כמעם ותקצר נפשו דרך משל לחבין השומעים כאלו גם הוא היה בצרה על כן מהר להושיעם *Verius est, legi* Loo *cum* VAU, (IPSI) *sensu loci* (Jud. x. 16.) *Et* TÆDIO AFFECTA EST ANIMA EJUS PROPTER LABOREM ISRAELIS: *metaphorice scilicet, ad invenendum audientibus; acsi etiam ipse fuisset in angustia,* (patienti populo compatiens,) *ac propterea festinasset illos servare.* Dixi, respici potissimum tempora *Judicum*, idque verissimum teneo. Jephta ad Gileaditas [d]: *Et quare nunc ad me* (antea spretum) *venitis*, כאשר צר לכם *quando vobis* ANGUSTUM EST. estis in arcto, & afflictione. Novimus, perfectionem Divinæ Naturæ excludere affectiones omnes humanis similes; nec amori ac miserationi Dei pugnam intercedere cum ejus justitia: credendum nihilominus, Dei in eos quos elegit, esse propensissimum & tenerrimi affectus studium, cogitatione nostra superius. vide scripta ad Cap. XLIX. 15.

Dubia lectio לא v. לו.

Sententia loci lectio cum לא *non*

Cl. Cocc sententia.

A. Ezræ;

Natura vina excl dit affect proprie dictos.

Effectus, *Et* ANGELUS FACIEI EJUS *servavit ipsos, dilectione sua & clementia sua:* IPSE *asseruit eos; & sustulit eos, & portavit eos omnes dies saculi.*] Qui hæc verba absque præjudicata opinione legit: ex iis hasce colligit sententias. Primo, esse apud Deum *Personam* quandam eximiam, vere subsistentem, à Deo Jehova distinctam, singularem, quæ dicatur *Angelus faciei Jehovæ.* Secundo, ei *Personæ* tribui omnia attributa hic memorata, ut sunt, α. *Servare* Jacobidas ex *angustia.* β. *Dilectione* & *clementia* sua. γ. Illos instar *Goëlis* & *Vindicis asserere.* δ. Eos *ferre* & *portare*, per *omnes dies saculi.* His binis hypothesibus superexstruenda est vera eorum interpretatio. Merito miretur aliquis, urgeri à nobis postulata, quæ lumen suum in cujusque oculos ultro ingerunt. Ita quidem est; & tamen multi Interpretes oculos ab his hypothesibus liquidissimis, avertunt, circumspicientes, num quæ tenebræ hinc illinc obduci queant luci, quibus se condant. Cum enim videant, attributa quæ hic loci vindicantur *Angelo Jehovæ*, vere *Divina* esse, & involvere communionem perfectissimæ Naturæ: posito pudore audacter se opponunt alterutri hypothesium harum, ne necesse habeant in Natura Divina plures agnoscere hypostases. Præstitit jam vindicias earum Doctissimus Cocejus in Libro qui inscribitur, *Consideratio Responsionis Judaicæ:* nec tamen nobis licet hic supersedere opera in re magni momenti, quæ Naturæ Divinæ Oeconomiam

Verba s quentia, *Angelus ciei ejus*, & Suppos hujus loc

Aliquor tergiversa in hypo sibus jac agnoscen dis,

Exceptio ad superiorem Confessionem.

Declaratio ἀνθρωποπαθείας in hoc loco.

Quas V Docti ja vindicar

[illegible]

a Matth. XXI. 37. b Cap. II. 5. seqq. c *Observ. S.* Lib. III. Cap. XVIII. d Jud. XI. 7. e *Consid. Resp. Jud.* §. 232. seqq.

sanctis antiqui temporis cognitam absque involucro declarat. Et quidem quod ad primam hypothesin attinet: *Angelum faciei Jehovæ*, hic memoratum, esse *Personam*. h. e. Rem intelligentem vere ὑφισταμένην, à Patre Deo distinctam; passim agnoscunt omnes. *Angeli* enim notio ut intelligentiam & substantialitatem infert: sic ubique per Scripturam S. ubi de *Angelis* (*Legatis*) legimus, sive spiritibus, sive hominibus, ultro nobis subjicitur cogitatio Rei vere existentis, intelligentia præditæ. Vide tamen quid hic tentaverit David Kimchius? commentatio ejus ad hæc verba extat. *Et* ANGELUS FACIEI EJUS SERVAVIT EOS.] מסבב סבורת להושיעם והסבות יצאו מלפניו לא שיהו מקרה והסבה נקרא מלאך *Procuravit* (præbuit, ordinavit,) *caussas ad eos salvandum: caussæ vero illæ ab ipso procedunt, ut non sint casus. Caussa autem appellatur Angelus.* Videlicet ubi Israëlitæ à Midianitis oppressi fuerunt: Deo sua providentia procurante, excitatus est Gideon ad eos servandos. Est hæc pessimi ingenii ξρέθλωσις, cum utique Scriptura S. clarissime demonstret, (ut mox videbimus,) *certam Personam*, ANGELUM, cui procuratio Jacobidarum commissa fuerit; à *Deo* quidem *mittente* distinctam hoc ipso quod *Angelus*, sive *Legatus* ipsius dicatur: (omnis enim *relatio* ex certo Logicæ canone *distinguit:*) ab *hominibus* vero, quod circa eos operatus fuisse, hoc est, *eos servasse*, feratur. Agnoscit itaque hic *verum Angelum*, Liberatorem Populi ex Ægypto, Aben-Ezra; allegato loco Num. xx. 16. licet excellentiam hujus Angeli non definiat. Verba ejus: וכן כתיב וישלח מלאך ויוציאנו ממצרים ואיננו משה כולל *Sic scriptum est: Et misit* ANGELUM, *& eduxit* NOS *ex Ægypto, qui utique neutiquam est Moses.* est enim hæc ipsa Mosis oratio. Ipse quoque Abarbenel id hactenus agnoscit, intelligens hic per *Angelum Jehovæ*, *Subjectum* aliquod vel *Subjecta personalia:* sed in duobus impingit. Primo, per *Angelum hunc faciei Jehovæ* in genere intelligit *Angelos Ministerii* qui dicuntur, quorum opera Deus utitur in dispensatione suæ providentiæ: deinde negat, quod additur; *amore suo & clementia sua ipsos ut Goël asseruit; & sustulit eos, &c.* de hoc *Angelo* dici; sed pertendit, hæc attributa pertinere ad *Jehovam*, ℣. 7. quod in alteram nostram hypothesin directe incurrit. *Ne autem*, ait, *ex eo quod dixisset*, ET ANGELUS FACIEI EJUS SERVAVIT EOS; *per quem intelliguntur Angeli Dei, instrumenta providentiæ ejus; cogitarent, Redemptionem Populi ex Ægypto, & ductionem ejus per Desertum, factam esse per manum angeli: exerte monet, Deum benedictum dilectione sua & clementia sua ipsum per se illos ex Ægypto redemisse, eosque sustulisse, & portasse omnes dies sæculi.* Tergiversatio est ingenii Judaici, indurati, infracti, luci obstrepentis, à nobis clare refellenda. Primo enim, si Propheta id plane dicere voluisset, *Deum* (intellige *Patrem*,) per se ipsum absque *Angelo* vel *Angelis* hoc magnum opus Gratiæ effecisse: quid Jesaias hic *Angeli* meminit, eique attribuit *salvationem?* Poterat enim *Angeli* nullam facere mentionem; cum cæteroquin nemo ignoret vel neget, Deum Angelis uti ut Providentiæ suæ ministris, gloria interim effectorum sibi soli reservata. Secundò, violenter fieri dico, in his verbis: *Et Angelus faciei ejus servavit ipsos; dilectione & clementia sua* הוא ILLE *vindicavit eos; & sustulit eos, & seqq.* attributa ab invicem divelli, ut verba, *dilectione sua & clementia sua*, & quæ sequuntur, non referantur ad *Angelum faciei Jehovæ*, sed ad *Jehovam* mittentem. Primo enim, illud הוא ILLE, *relativum*, ad *Angelum Jehovæ* proxime refertur, omnemque perdit emphasin, si alio referatur. Secundo, cum Opera, הושיע *servare* & נאל *asserere*; sint analoga, ejusdemque generis: probabile est, in oratione referri ad idem *Subjectum*; quod utique Masorethæ quoque nos exerte docuerunt faciendum esse, quando illa; *dilectione sua & clementia sua vindicavit eos*; cum superioribus propius conjunxerunt; fixo demum *accentu distinctivo majore Atnach* in voce גאלם *vindicavit eos.* Tertio, omnis hic dubitatio cessat, si verba Jesaiæ hæc nostra conferantur cum historia. Utique enim historia Mosaica plane & explicate docet; *Deum Patrem*, Populum suum educturum ex Ægypto, se illi Populo manifestum fecisse in *eximio* aliquo & *glorioso* ANGELO, sic dicto, qui Mosi apparuit in *Rubo* [a], qui in historia appellatur *Jehova & Deus*; quique ipse verba faciens sibi vindicavit omnia Nomina & Attributa veri Dei [b]; quemque Moses ut verum Deum reverenter coluit [c]. Eadem historia docet, illustrem hunc *Angelum*, singularem distinctamque personam, *commorantem in Nube*, præcessisse *castra Israëlitarum*, eademque *eduxisse ex Ægypto.* Sic in ea legitur [d]: *Et* ANGELUS JEHOVÆ, *præcedens castra Israëlitarum; se movit loco, & retro vertit ad tergum eorum; & pariter columna nubis quæ ante ea erat, se movit loco, & stetit à tergo eorum.* Deinde, eadem historia tradit, Deum exerte Populum monuisse, se illustri alicui & κεχαρακτηρισμένῳ *Angelo* commisisse ejus procurationem [e]: *Ecce Ego mitto* ANGELUM (illustrem, utique, gloriosum, à cæteris distinctum,) *ante faciem tuam, ad te custodiendum in via, & te ducendum in locum quem ordinavi. Cave tibi à facie ejus, & præbe te morigerum voci ejus, ne ipsum exacerbes; quia non feret transgressiones vestras, siquidem* NOMEN MEUM EST IN MEDIO EJUS. Hæc qui meditate perpendit, veri amans homo, poteritne dubitare, Jesaiam locutum esse de *singulari* aliquo & illustri *Angelo*, eique vindicare attributa quæ hac pericopa tenentur? Quarto, estne qui dicere sustineat, alium esse GOELEM, (גואל) Vindicem, Liberatorem, Jacobidarum, ac ipsius Patris illorum *Jacobi?* Atqui Jacobus *Vindicem*, GOELEM, *assertorem suum*, agnoscit non gregarium aliquem, sed illustrem ANGELUM, cujus ipse *Benedictionem* exoravit [f], (quod nuper in cultissima ad hunc locum *Dissertatione* docte exequutus est cognominis Dilectissimus Filius & Collega, Campegius:) & à quo derivat *benedictionem* in Josephi filios à se adoptatos. ANGELUS *ille*, ait [g], הגאל אתי מכל רע *qui me* VINDICAVIT *ab omni malo, benedicat hisce pueris.* Quid itaque negas *Angelo faciei Jehovæ* גואלה יהי לוטרωσιν posterorum Jacobi, cujus laudem Jacobus ipse tot posterorum Pater, ipsi honorifice tribuit, quamque in posteros suos votiva prece devolvit? Patet ex hisce, primo quidem, Interpretes quosdam Christianos ipsos quoque absque ulla ratione attributa hæc referre ad diversa subjecta; non ad solum *Angelum*, inter quos est Grotius: deinde Sanctium turpissime prævaricari, dum per solitas sibi captiosas ambages commendare nititur versionem τῶν ὁ. ut *Angelum Jehovæ* plane excludat laude *salvationis* ac *redemptionis*, quæ ei hic vindicatur. Verterant illi absurde; *Ex omni tribulatione ipsorum non Legatus*, (pro צר legerunt צויר) *neque Angelus, sed ipse Dominus servavit eos:* cujus *versionis* rationem reddidi in *Observatis*, modo adductis. Hæc Sanctius cum in universum laudare nequeat, postquam monuisset notam copulæ ו præcedente propositione negante, *negative* capiendam esse; sic refingit, ut secludat Angelum Jehovæ: *Non est tribulatus, nec Angelus faciei ejus salvavit ipsos.* Poterat esse ratio excusandi tam duram & inconcinnam sententiam; quam phrasis, res ipsa, nexus, & analogia historiæ respuunt: si persona hujus *Angeli* in Sacris Literis incognita esset; sed est, utique esse debebat hominibus qui Sacras Literas tractarunt, notissima. Verum ne quid turbem, ordine illuc veniam.

Admissa itaque hypothesi, *Angelum* hunc sive *Legatum* ipsius *Jehovæ* esse Personam, & quidem singularem, à Jehova distinctam, ut Legatum à Legante; & attributa quæ subsequuntur, ad ipsum referenda esse: inspicienda ea sunt, ut ex iis in propiorem hujus personæ notitiam veniamus. Sunt autem primo, *servare* è periculis, discriminibus, angustiis, calamitatibus, ut cum

Angelum Dei hic memoratum esse *Personam*, à Patre distinctam, passim conceditur.

Kimchii quæsitum effugium.

Verba ejus.

Angelus exerte demonstratur *Liberator* Populi Judæi ex Ægypto.

A Ezræ, & Abarbenelis sententiæ.

Attributa quæ hic *Angelo* tribuuntur refert ad *Jehovam*.

Quæ sententia refellitur.

Oratio Jesaiæ ei obstat,

Opera *servare & asserere* hic referenda sunt ad idem *subjectum*.

Lux allata ex historia.

Jacobidæ non agnoverunt alium Servatorem ac Liberatorem, ac Patrem ipsorum Jacobus.

Christianorum Interp. similis παραφρασία.

Versio τῶν ὁ. ab iis dolose in subsidium vocata.

Sanctii studium circa hunc locum non laudatum.

Propior hujus Personæ Notitia, ex ejus attributis.

Quid hic loci sit *servare?*

[a] Exod. III. 2. [b] vers. 4. 14. 15. [c] vers. 6. 15. 16. [d] Exod. XIV. 19. [e] Exod. XXIII. 20. [f] Gen. XXVIII. 26. 27. [g] Gen. XLVIII. 16.

ut cum Populus sæpe interiturus aut ab hostibus plane opprimendus videretur; cura & providentia gratiosa hujus Angeli non interciderit. Id enim protinus addit factum, *amore ejus & clementia* EJUS; (quæ verba utrumque membrum, *antecedens* & *consequens*, respiciunt:) quo ipso significat salutem Populi à *voluntate libera* & propitia hujus Angeli pependisse. Beneficium se extendit per omnia tempora hujus Populi, durantis sub Oeconomia Vetere. Reliqua, *Redemit* eos ut *Goël* & *assertor*; *sustulit eos*; *& portavit eos omnes dies sæculi*: plane referenda sunt ad beneficia in Gentem collata primo tempore, cum providentia Divina maxime censeretur indiguisse. illuc enim nos ducit phrasis, ימי עולם *dies antiqui*, quæ eodem sensu occurrit Amos. IX. 11. Mich. VII. 14. Ipsa notio עולם GNOLAAM, respondet Latinæ OLIM. Sic mox ℣. 16, *Tu Jehova Pater noster: Redemptor noster ab olim* (מעולם) *est nomen tuum.* Nec tamen proxima & citeriora tempora excluduntur. Sensus Prophetæ est; Non tantum citerioribus temporibus, sed jam *à longo*, *ab olim*, Populo tuo quà talis innotuisti. Ergo refer vocem גאל *asserere in libertatem*, redimere, vindicare, ad *Liberationem Populi ex Ægypto.* Deus ipse ad Mosen [a]: *Ego Jehova ... גאלתי אתכם vindicabo vos brachio extento, & judiciis magnis.* confer ex aliis Ps. LXXIV. 2. LXXVII. 16. Ratio est, quod Populus à Deo *vi* extractus atque assertus sit in libertatem inter gravissima judicia hostibus inflicta. Alterum, נטל NATAL, *tollere*, *suscipere*, instar oneris *imponere humeris bajulandum*, (quæ genuina vocis notio respondet Latinæ, TOLLERE, nostræ vernaculæ, *tillen:*) recte applicatur ad *curam*, qua Populus rudis, inconditus, impolitus, se per ipsum sustinere ac defendere imparatus, à Deo susceptus, defensus, nutritus, ac necessariis omnibus instructus fuit in Deserto; ductusque in Canaanæam: *Portatio* autem instar *oneris*, ad omne tempus subsequens, quo Deus Populum, inter varias defectiones & Legum suarum transgressiones, non tamen destituit; sed ejus curam habuit, ob populi vitia, sibi gravem ac onerosam: de quo Vates noster exerte scripsit Cap. XLVI. 4. Sensus est, Populum Judæum ad se per se ipsum vindicandum, formandum, sustinendum, fuisse ineptum; sed totum dependisse à cura, providentia, & benevolentia *Dei ipsius*, sive potius, hujus ipsius ANGELI; quem ex his ipsis attributis, vere Divinis, quisque facile intelligat, esse *Angelum* natura à reliquis Angelis separatum, in proxima Dei Patris communione, veræ Divinitatis participem, ipsum FILIUM DEI, Vindicem & Procuratorem Populi Dei typicum & Oeconomicum sub Dispensatione Vetere; veram & antitypicam salutem tandem Populo suo allaturum sub Oeconomia Nova: cujus proinde *Angeli*, suis characteribus à cæteris Angelis distincti, visi Patriarchis, & à Sanctis agniti ut veri Goëlis, Liberatoris & Vindicis Populi Dei in Historia Patriarchali [b] & per Scripturam Veterem [c], mentio occurrit. quæ doctrina cum hoc tempore trita sit; non est nova sane; sed Veteribus, quorum loca de hoc argumento dudum ab aliis excerpta sunt, jam fuit perspecta; de quibus nunc tantum commendo Justinum Martyrem [d], & Eusebium [e], ex professo de eo agentes. quin ipsi quoque Judæi prudentiores *A* eam in hisce locis tam clare viderunt, ut nihil fere hic Christianis concedant. Ipse in emphasi appellatur מלאך פני יי *Angelus* FACIEI DOMINI; quod sit ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, *omnis gloria Dei* in ipso resplendesceret, unde ipsa Dei FACIES, πρόσωπον, appellatur [f]. Non est semper, fateor, illa emphasis in voce *facies:* sed cum Scriptores N. T. Filium Dei vocent *imaginem Dei* [g]; *& resplendescentiam gloriæ Dei* [h]; *& gloriam Dei in facie Jesu Christi refulgere* [i], dicant: nulla ratio est, cur hanc vim phrasios, ab ipsis quoque Hebræis Doctoribus observatam, prætereamus. Ipsus hic ANGELUS est qui in castris Assyriorum una nocte prostravit *centum & octuaginta quinque millia* hominum [k]: LUX & SANCTUS ISRAELIS [l]. אדיר MAGNIFICUS [m]. JEHOVA SERVATOR Populi sui, & GOEL, Vindex ejus, אביר יעקוב POTENS JACOBI [n]. Mox hoc ipso *Sermone*, ℣. 12. זרוע תפארת יי BRACHIUM GLORIÆ JEHOVÆ. Sic ipse Aben-Ezra. Et jam in initiis hujus Libri, ידיד DILECTUS DEI aut PROPHETÆ [o]. Attributa quæ ipsi hic adscribuntur, fidem faciunt Naturæ ejus præstantissimæ; sunt enim eadem quæ Moses Jehovæ, Populi summo Domino, tribuit in Cantico [p], & Vir Sanctus in *Ode* præcellente ejusdem argumenti [q]. Quod autem Israëlitarum *salus* ac *redemptio* hic referantur ad *dilectionem* & *clementiam* hujus *Angeli:* quod pariter attributum soli Deo convenit [r]: quis miretur, cum Moses, à Spiritu actus, *benedictionem* precetur Josepho, BENEVOLENTIAM EJUS QUI HABITABAT IN RUBO [s]? רצון שוכני סנה Videlicet, ejusdem hujus *Angeli*, de quo hic loquitur Jesaias. Ergo, agnosce incredule magnum mysterium *Patris* & *Filii: Patris* ut Patrisfamilias Ecclesiæ suæ: *Filii* in communione Patris, πρώτης ἀρχικῆς ὑποστάσεως, ab ipso ordinati *Oeconomi*, dispensatoris, executoris, consiliorum Patris, sub titulo מלאך LEGATI honorarii, Potestatum omnium cœlestium Principis, Michaëlis, Præfecti Exercituum Domini; & videbis mirificum concentum ac consensum Scripturarum Sacrarum, & lucem hujus loci.

Amore suo & clementia sua.

Quorsum referenda sint reliqua: *Redimere* & *portare* Populum.

Vis vocis נטל h. l.

Res ipsa illustrata.

Angelus hic est ipse *Filius Dei.*

Vett. Ecclesiæ Doctorum de eo sensus.

Cur *Angelus* FACIEI *Jehovæ* Epitheta analoga.

Attributa quæ ei hic vindicantur, arguunt Personæ hujus Divinitatem.

Collectio superiorum cum Elencho incredulorum.

Beneficium *Spiritus Sancti.*

℣. 10. *At ipsi ... dolore affecerunt* SPIRITUM *ejus* SANCTUM.] Nihil nunc sector in his verbis, mox Deo dante, exponendis, quam ut ex iis demonstrem *alterum Beneficium* magnum, & vere maximum, quo Deus Gentem affecerat; hoc est, Donum SPIRITUS SANCTI. τὸ Πνεύματος τὸ ἁγίϛ, ut recte οἱ ὁ. hoc loco. Heb. prop. *Spiritum sanctitatis ejus.* quod valet, *Spiritum ejus sanctum.* ut, *mons sanctitatis meæ* [s]. mons meus sanctus. Occurrit frequens mentio per Libros Sacros Oeconomiæ Veteris *Spiritus Dei*, *Spiritus Jehovæ*, *Spiritus Dei boni*, *Spiritus generosi*, *Spiritus Sancti*, ut in hoc loco [t]: cui præterea ab effectis ejus varia alia tribuuntur Nomina. Hujus *Spiritus* Jesaias in superioribus sæpius [u] meminit: ut adeo ejus notitiam varie tradiderim. Et est tamen hic locus Jesaiæ inprimis omni animadversione dignissimus. Constat autem, veri studiosorum hominum nemine negante; intelligi hoc nomine

Beneficium Sp. S. ℣. 10 Latet id hypothetice in hoc loco.

Cujus frequens mentio in Scriptura V. T.

Loci hujus peculiaris respectus. Character Spiritus S.

---

[a] Exod. VI. 5. [b] Gen. XXXI. 11. coll. cum Cap. XXVIII. 13. Jos. V. 14. Jud. XIII. 6. [c] Hos. XII. 5. Zach. III. 1. Mal. III. 1. Ps. XXXIV. 8. [d] *Adversus Tryphonem* Judæum, p. 357. Edit. Par. [e] *Demonstrat. Evangel.* Lib. V. à Cap. X. & seqq. *Histor. Eccl.* Lib. I. Cap. II. [f] Exod. XXXIII. 14. 15. [g] 2 Cor. IV. 4. Col. I. 15. [h] Heb. I. 3. [i] 2 Cor. IV. 6. [k] Cap. XXXVII. 38. [l] Cap. X. 17. [m] Cap. X. 34. [n] Cap. XLIX. 26. [o] Cap. V. 1. [p] Deut. XXXII. 9--11. [q] Ps. LXXVII. 15. seqq. [r] Deut. X. 15. XXIII. 5. Mal. III. 17. [s] Deut. XXXIII. 16. [s] Ps. II. 6. [t] Ps. LI. 13. [u] Cap. XI. 1. XXXII. 15. XLII. 1. XLIV. 4. LXIII. 1. &c.

A Sunt hic vere animadversu dignissima testimonia Mosis Nachmanidæ, sive Gerundensis; Bechai; & Menachemi Raknatensis; quorum illud prolixum exhibetur à Coccejo nostro, in *Considerat. Responsi. Jud.* Cap. IV. §. 204. 205. horum verba ab Altingio, ad Exod. III. 5. XIV. 19. XXIII. 20. Est autem in his quod ad speciem, tanta lux, ut à nobis vix possit adferri major. Pertinent huc quæ Veteres tradiderunt de *Angelo* מטטרון METATRON, hoc est, METATORE, *cujus nomen est ut Nomen Magistri sui.* Rabbini ipsi, nescientes vim & potestatem hujus Nominis, in ejus etymologia crasse errarunt, & ipse quoque Bechai, ut videris apud Buxtorfium ad hanc vocem: sed vere arcessendum nomen est à Latino METATOR, quod ex consilio Patris instar Oeconomi summi omnia definiat, disponat, regat; præmiaque quoque & pœnas distribuat. Etiamsi enim illum proponant ut *fontem gratiæ* & *misericordiarum:* Oeconomiam tamen ejus esse volunt, res humanas servare in æquilibrio Justitiæ. utique ex Altingio (ad Exod. XIV. 19.) observavi, Bechajum illum vocare מדת הדין *Mensuram judicii.* Est autem מדת הרחמים idem Hebræis quod Græcis Ἀδράστεια, Νέμεσις. Providentiæ enim Divinæ rationes sic librantur, ut res omnes intra *suos* conserventur *modos*, sua μέτρα, ut Græci, de quo docte ὁ πάνυ Grævius in Lectionibus Hesiodeis, Cap. XV. p. 77. Jarchius hoc loco: *Non affecit eos angustia secundum merita sua,* כי מלאך פנים הוא מיכאל שר הפנים ממשמש לפניו השיעם חמיד בשליחותו של מקום *quia Angelus faciei ejus, qui est Michaël, Princeps Personarum quæ coram ipso ministrant, eos semper servavit, ut Legatus Dei.* Equidem adscribit hunc Angelum creatis rebus; sed tamen agnoscit Personam singularem, excellentissimam, proximam Deo. Aben-Ezra pariter attributa omnia huic Angelo vindicat; sed personam ejus non definit.

mine *Rem Divinam*, quæ *in Deo* & *à Deo* eſt, quæ (σχέσει ad Oeconomiam Gratiæ: ſunt enim alia ejus opera *Naturæ:*) homines docet, convincit, illuminat, *ſanctificat*, (unde illi nomen Spiritus SANCTI,) gubernat, generoſitate imbuit & fortitudine Heroica; tum quoque ingenii arte & ſubtilitate, in uſum Eccleſiæ; & præſertim homines à ſe ſanctificatos inſtruit ſcientia, ſapientia, reverentia Dei, animi fiducia & robore, eoſque excitat ad docendos alios, &, ut verbo dicam, per viſa & ecſtaſes ad ſublimiorem ſcientiam evectos *plenos Dei* facit; ut non tantum de viis Dei facunde & eloquenter differere, ſed & futuri temporis fata per vaticinia explicare apti ſint. Quem Spiritum cum Deus Eccleſiæ longe majore copia & menſura decreſſet dare ſub Oeconomia Nova, & quidem nobiliore operationis genere ad *libertatem* & *fiduciam*, ſecundum ipſius Vatis noſtri luculenta Vaticinia, unde ipſe *Spiritus promiſſionis* [a] appellatur: docet hiſtoria temporis Oeconomiæ Novæ, Deum hanc fidem olim datam luculenter repræſentaſſe. Effuſa ſunt *dona* illius Spiritus in primam Eccleſiam cum mirabilibus gratiis & effectis; atque inde clarior adhuc & multo explicatior cognitio ejus petitur ex Libris Novi quam Veteris Fœderis. Eam vero *Rem Divinam* eſſe *Rem perſonalem* ſive *Perſonam*, Nomen ipſius, attributa & operationes nos non ſinunt dubitare; ut neque, eſſe *hypoſtaſin ἀφχικὴν*, à Patre & Filio diſtinctam. quod nunc ſuppoſitum, ſtatim ex hoc ipſo loco evincam. Tantum quod nunc ago; quæro, cum operationes *Spiritus S.* multifariæ ſint: quid Jeſaias hic proprie per *Spiritum S.* intelligat? ſive quas ejus operationes potiſſimum reſpici velit? Reſpondeo planis verbis; intelligi hoc loco *Spiritum Dei* docentem viam ſalutis, convincentem erroris; verum certis argumentis demonſtrantem; commonefacientem; meliora ſuadentem; à vitiis deterrentem; ad officia pietatis excitantem; Eventus Eccleſiæ futuri temporis declarantem: qualis Spiritus ille apparuit in Moſe, Joſua, Senioribus, Prophetis & Prophetiſſis per totum tempus Veteris Oeconomiæ; & qualem jandem cum omni vi & efficacia *demonſtrationis veritatis Evangelii* & ſpiritualitatis ſeſe conſpiciendum dedit in initiis Oeconomiæ Novæ in *Chriſto Jeſu* & *Apoſtolis*. Equidem per omne tempus Eccleſiæ extiterunt homines à *Spiritu* intus *illuminati*, & *ſanctificati* vi illius inſtitutionis & convictionis publicæ Spiritus S. quod Beneficium prioris fuit conſequens & conſectarium, licet Beneficium hoc ſub Oeconomia Vetere parciſſime diſtributum fuerit per Corpus Eccleſiæ. Cæterum hic deſignari Spiritum S. cum reſpectu ad *inſtitutionem* & *convictionem publicam:* liquet ex *peccato* adverſus hunc *Spiritum* commiſſo, *exacerbationis*; ut ſequentia declarabunt. Quid quærimus? Nehemias certus interpres eſt hujus loci, Cap. IX. 20. *Et* SPIRITUM *tuum* BONUM *dediſti* להשכילם *ad illos erudiendos*; docendos prudentiam. Rurſus ℣. 30. *Et conteſtatus es adverſus ipſos* ברוחך *per* SPIRITUM TUUM, *miniſterio Prophetarum tuorum*, *ſeqq.* Confer Num. XI. 25. 26. Hoc vero Beneficium omnium, quæ Deus ſua gratia mortalibus in hiſce terris indulget, eſt ſummum: inſtitutio, inquam, viæ ſalutis, eique adjunctæ vel ſubordinatæ convictiones, admonitiones, conſilia, demonſtratio veritatis ſalutaris: quare contemptus hujus Beneficii cenſetur eſſe in ſummis & graviſſimis delictis, de quo Vates hoc ipſo loco.

Et quidem ſub Oeconomia Nova.

Quod genus operationis Sp. S. hic ſpeciatim ſpectet Jeſaias?

Spiritus S. hic reſpicitur *docens* & *convincens.*

Locus Neh. IX. 20.

β. *Ingratus* animus *Gentis* erga tanta Beneficia.

℣. 10. *At ipſi immorigeri exiterunt, & dolore affecerunt* SPIRITUM EJUS SANCTUM: *Et converſus ipſis eſt in hoſtem: ipſe pugnavit contra eos.*] Verba declarant ingratum animum Gentis erga tanta Beneficia; & pœnam graviſſimum hocce peccatum conſequutam. Utrumque clara expreſſum eſt ſententia, quæ nihil dubii relinquit in ſenſu Grammatico. Delictum primo inſpiciendum eſt; deinde videndum, in quod conveniat tempus. Prius illud, והמה מרו *Et ipſi immorigeri fuerunt*, vel *abſolute* accipi poteſt, ſubintellecto *Deo*, vel *Angelo* faciei Dei; vel referri poteſt ad objectum in fine expreſſum, *Spiritum S.* ut ſententia ſic cohæreat, *Ipſi vero inobedientia acerbarunt, & dolore affecerunt Spiritum ipſius Sanctum.* Vox enim מרה Hebræis *tranſitive* ſumitur, perinde ac המרה forma *Hiphil*, & conſtruitur cum nota *quarti caſus* את, τοῖς ὁ. ἐρεθίζειν, παραπικραίνειν· *inobedientia quem repellere*, aut *amarore afficere*, exacerbare. Notat enim vox inobedientiæ ſpeciem graviorem, qua quis obſtinata voluntate alii obſequium negat. Utro ceperis modo, non erraveris. Forte tamen ex mente Prophetæ, illud, מרו *immorigeri fuerunt*, referendum eſt ad *Angelum Jehovæ*, qui ſe iis non tantum manifeſtum fecit ut *Liberatorem*, verum etiam ut *Legiſlatorem* & *Imperatorem*, cujus dicto ipſos oportebat eſſe obedientes. Sic Deus apud Moſen [b]: *Cave tibi ab eo*, (*Angelo* in quo erat nomen Dei,) *& morigerum te præbe voci ejus*, אל תמר בו *ne* EXACERBES EUM. Huc putem directe reſpicere hæc noſtra. eſt enim phraſis eadem. Alterum jam, *Et dolore affecerunt* SPIRITUM S. directe pertinet ad *Sanctum Spiritum.* Metaphorica phraſis, rarioris uſus in Verbo Dei, vel mitiorem vel fortiorem interpretationem admittit. Si molliore ſenſu ſumas, ſignificat; Spiritui ſancto occaſionem dare in nobis non operandi ad lætitiam, ut ſolet; non influendi ſua gratia in animum; operationes gratiæ ſuæ ad tempus animo ſubtrahendi: ſimilitudine ſumpta ab amico qui ubi quem videt ſapientiſſimis conſiliis ſuis non auſcultare, ſe ad tempus ipſi ſubducit, eumque monere deſinit. Imo vero hominem ad tempus ſibi relinquere, & permittere quoque, ut conſiliis Sp. S. & convictionibus internis immoriger, incidat in graviores tentationes, quas difficulter eluctetur; ut à tergo ſentiat amaros fructus Spiritus Sancti triſtitia affecti; h. e. ita ſe erga hominem gerentis, ut ſolent amici contriſtati. Sic ſumit notionem Apoſtolus ad Epheſios [c]: *Et* μὴ λυπεῖτε *ne contriſtate Spiritum illum Dei ſanctum, per quem obſignati eſtis in diem redemptionis.* Eſt contriſtatio Spiritus S. intus in electis habitantis. Sed ſi phraſis ἐνεργῶς ſumatur; notat Spiritum Sanctum *injuria afficere*; tum obſtinate reſiſtendo & obnitendo ejus conſiliis, monitis, demonſtrationibus, convictionibus; tum demonſtrationes, doctrinas, inſtitutiones ejus, contemnendo, contumelioſe inſectando, proterve repellendo, & blaſphemando. *Injuria* enim & *contumelia* pariunt acerrimum doloris ſenſum. quo modo hic ſumendam eſſe phraſin, ex eo liquet, α. Quod peccatum hoc loco graviſſimum deſcribatur. β. Quod idem Deus hoc delictum proſequutus ſit terribili judicio, quod protinus peccato hinc ſubjungitur. Eſt itaque *dolore afficere Spiritum S.* hoc in loco ἀντιπίπτειν τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ, *obniti Spiritui S.* [d] ἐνυβρίζειν τὸ ἅγιον Πνεῦμα, *contumelia afficere Spiritum S.* [e] & βλασφημεῖν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον *blaſphemare Spiritum S.* [f] Primus hujus delicti gradus eſt, inflexa animi obſtinatione repellere atque retundere monita & convictiones omnes Spiritus S. Extremus eſt, Doctores à Spiritu S. miſſos inſpiratoſque irridere, contumelia afficere, perſequi, & doctrinam ejus, ea claritate demonſtratam, ut nulla rationalis exceptio ſuperſit, blaſphemare. quod crimen ſub Oeconomia Nova *blaſphemia Spiritus S.* dicitur. Quæris, in quod tempus conveniat peccatum Jacobi poſteris hic imputatum? Reſpondeo, Moſen & Prophetas omnes in convictionibus & conteſtationibus ſuis hoc vitium Populo Judæo exprobrare, tanquam Genti duræ cervicis proprium ac veluti in naturam verſum. Deſigno tamen ex hiſtoria tria tempora; ut ſunt *Generationis* quæ ex Ægypto ducta, poſtquam continuis murmurationibus ac rebellionibus Deum irritaſſet ſpatio quadraginta annorum, tota proſtrata cecidit in Deſerto: Populi Judæi ejus ætatis quæ proxime præceſſit Exilium Babylonicum: tum maxime Populi ejuſ-

Habitus Judææ Gentis erga hæc Beneficia, ℣. 10. Ipſorum ingratus & immoriger animus.

Inobedientia Judæorum quorſum hic referenda?

Uſus vocis מרה.

Crimen recte accipitur cum reſpectu ad *Angelum* Legislatorem.

Alterum *dolore afficere Spiritum S.*

Quid ſignificet molliore ſenſu?

Locus Epheſ. IV. 30.

Quid fortiore & emphatico?

Qui ſignificatus hic obtinet.

Gradus in hoc peccato obſervabiles.

Cujus *temporis* hoc ſit crimen?

Tria tempora hic diſtincta notantur.

a Epheſ. I. 13. b Exod. XXIII. 21. c Cap. IV. 30. d Act. VII. 51. e Heb. X. 29. f Matth. XII. 31.

dem, cui administratum est Verbum Evangelii à Christo Jesu & Apostolis, cum *miraculis* & omni vi demonstrationis spiritualis post dona Spiritus gratiæ largius effusa. Ad primum intervallum pertinet luculentum dictum Ps. LXXVIII. 40. *Quotiens ipsum exacerbarunt in Deserto?* עציבוהו DOLORE ILLUM AFFECERUNT *in solitudine.* Sed integra illa Ode, ætate Salomonis compositа, continuum fere texit Elenchum defectionum superioris temporis usque ad tempora Davidis. confer maxime ℣. 6. De altero intervallo, quo *dolore affecerunt Spiritum S.* vitio sensim invalescente, præter Jesaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, convictorias, consignatum reliquit historia hoc testimonium 2 Par. XXXVI. 16. *Et erant subsannantes Legatos Dei, & contemnentes verba ejus, & ludificantes Prophetas ejus; usque quo ascenderet excandescentia Jehovæ adversus Populum suum, ut sanationi nullus amplius relictus sit locus.* De tertio intervallo Stephanus, in *Actis*, coram Synedrio verba faciens [a]: *Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus, Vos semper τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε*, SPIRITUI ILLI SANCTO OBNITIMINI: *ut Patres vestri, ita etiam Vos.* Si jam intelligere cupias, ad quod potissimum intervallum hæc verba referenda sint: ratio te docebit, ad illud maxime intervallum hæc verba pertinere, α. De quo *convictio* sive *confessio* in summa emphasi intelligi potest. β. Quod signatum est charactere gravissimæ punitionis, Genti ob hoc crimen inflictæ. Crimen *dolore affecti Spiritus S.* quod generatim sumptum per tempora Oeconomiæ Veteris locum habuit: à Gente commissum est gravissimum adversus *Spiritum S.*, doctrinæ Evangelii à Christo Jesu & Apostolis clarissime demonstratæ comitem; de quo proinde ut delicto mortali Christus Jesus Judæos, lucem in tenebras pervertentes, monuit [b]; cujusque criminis reatu obstrictos Apostoli tradiderunt Judicio Divino [c]. ut adeo, si cætera faveant, hoc crimen præcipue intelligi videatur. Imo adverte mihi, *Spiritum gratiæ* hoc tempore clarius in Ecclesia cognosci cœpisse nomine SPIRITUS SANCTI, per omnes confessiones Fidei Christianæ hoc nomine appellati, & se effecto *sanctificationis* ad majorem spiritualitatis & sanctimoniæ gradum, quam sub antiqua Oeconomia obtinuit, talem verissime demonstrantis. *Pœnam* quoque, quæ hic subnectitur, in vera sua emphasi convenire in illud *judicium*, sub quo Gens reproba per tot sæcula gemuit, actutum patescet.

Quæ singulatim demonstrantur.

Quodnam tempus hic directe respiciatur?

Respicitur hic potissimum extremum exemplum *peccati* in Spiritum S.

Rationes ejus sententiæ.

Expressa est his verbis, *Et conversus ipsis est in hostem: ipse adversus illos pugnavit.* Credibile est, enunciata referenda esse ad *Subjectum*, de quo agitur, h. e. *ad Spiritum S.* & video, passim Interpretes sic accipere. quod ipsum confirmat interpretationem *commatis superioris*, ubi bene multi Interpretes attributa quæ nectuntur voci relativæ הוא ILLE, à Subjecto, *Angelo Jehovæ*, conantur divellere. Sed constructionem hic offendis per omnia analogam; *Et conversus illis est in* HOSTEM: הוא ILLE (sc. Spiritus,) PUGNAVIT CUM *ipsis.* Est quid magnum & tremendum, quod hic dicitur. Significatur primo, *Spiritum Sanctum* qui huc usque operatione suæ gratiæ ex Dei consilio se posteris Abrahæ *amicum* præbuerat, illos plane deserturum, omnemque lucem & gratiam iis ablaturum esse; atque illos relicturum potestati Satanæ ad *excæcationem & indurationem*; de quo ipsi mox conqueruntur, ℣. 17. Hæc est *occultatio faciei Dei*, Cap. LXIV. 6. coll. cum Deut. XXXII. 20. *Et dixi, occultabo faciem meam ab ipsis, & videbo, quis sit finis ipsorum.* quod judicium Jesaias variis locis descripsit, sed graphice & χαρακτηριστικῶς, Cap. VI. 9. Secundo, per Prophetas, Doctores, & Ministris suos iis, loco Verbi vitæ, denunciaturum terribilia Dei judicia, iis certum allatura exitium temporale & æternum; quod consequens est Spiritus S. dolore affecti. Id Hoseæ est [d], *occidere Populum verbis oris Dei.* Sunt verba Spiritus S. interminantia & præmunciantia malorum, quorum effectus nunquam fallit. quæ verba quando Deus exequitur, dicitur ipse conversus in *Populi sui hostem*, & *adversus eum pugnare.* Jeremias in *Threnis* [e]: *Tetendit* (Deus) *arcum suum* UT HOSTIS: *fixa est dextera ejus instar hostis, & occidit omnia desiderabilia oculorum, ... Factus est Dominus instar hostis: deglutivit Israëlem; deglutivit omnia Palatia ejus; corrupit munitiones ejus, seqq.* Sed Moses ipse sic præiverat in Cantico, Deum inferens ut hostem adversus Populum suum pugnantem, Deut. XXXII. 23. & Jeremias absque circumloquutione eadem phrasi utitur, Cap. XXI. 5. Tertio, cum Spiritui Sancti ut *Paracleti* maxime proprium sit homines *consolari, fulcire, erigere, vivificare:* hoc tempore eos adversus quos pugnaret, repleturum perturbatione, terrore; humilitate, consternatione, stupore ac ἀπορίᾳ animi, ut *motus folii* arboris eos terreret, & conjiceret in fugam. quod Deus iis interminatus fuit apud Mosen [f]. Non nego, exempla horum Judiciorum Genti Judææ obvenisse in Exilio Babylonico: sed quanto certius, & verius id experti sunt, & hodiedum experiuntur in Exilio Romano? Josephus distertus testis, variis locis, ait, Hierosolymam, Deo plane adjuvante, à Romanis expugnatam, & Judæos à Deo potius quam à Tito victos, cecidisse; quod licet Romanorum arrogantiæ non ignarus, & ab ipsis maxime legendus, scribere tamen non dubitavit. Sic ipse oratione ad obsessos [g]: Θεὸς ἄρα, Θεὸς αὐτὸς ἐπάγει μετὰ Ῥωμαίων καθάρσιον αὐτῷ πῦρ, ἣ τὴν τοσούτων μιασμάτων γέμουσαν πόλιν ἀναιρήσει· *Deus plane, Deus ipse cum Romanis ignem ipsi lustrationis infert, totque scelerum plenam exurit civitatem.* Sic Ruffinus. Forte legit ἀναῤῥιπίζει, Josepho non inusitata voce. potest tamen ἀναιρήσει hic valere, *flammis* sursum latis *exustam delet*, de medio tollit. Alio loco Titum, munimenta superioris Civitatis, à rebellibus deserta contemplantem, sic loqui facit [h]: Σὺν Θεῷ γ' ἐπολεμήσαμεν, ἣ Θεὸς ἦν ὁ τῶν δὲ τῶν ἐρυμάτων Ἰουδαίους καθελών· *Deo plane adjuvante pugnavimus, & Deus erat qui detraxit ab istis munimentis Judæos.* Idem experta est Gens sub Hadriano, fato perinde miserabili. De cæteris nihil opus est dicere, cum res sit in propatulo. Id profecto est dignum admiratione, Judæos hodierni temporis ipsos fateri, pœnam hanc terribilem convenire in tempus præsentis Exilii, (cum vere Deus in Exilio Babylonico multa adhuc usus sit indulgentia, & varia adhibuerit judicii sui temperamenta:) & tamen demonstrare ex suis hypothesibus non posse, *qua re* dolore affecerint *Spiritum Sanctum*, & tantæ in se provocaverint severitatis exemplum.

Pœna criminis, *Et conversus ipsis est in hostem*, &c. huic interpretationi maxime quadrat.

Significat, α. Sp. S. illos deserturum esse.

Loca analoga.

γ. Eosque repleturum terrore & ἀπορίᾳ.

Historia de hoc affectu animi Judæorum in Bello cum Romanis ex Josepho.

Admadversio ad locum Josephi.

Consensus Judæorum hac in re.

Interim animadvertes, ex hoc loco clarissime patescere doctrinam Prophetarum & Sanctorum de mysterio magno Divinæ Naturæ, quod Ecclesia vera sancte credit ac profitetur: quod hic præterire nolim, nec fas est; licet sit notionis tralatitiæ. Primo utique ex his quæ proxime tractavimus verbis absque dubitatione colliges, Eam Rem, quæ stylo Scripturæ *Spiritus Sanctus* dicitur, esse *Rem Divinam:* quod Verbi Dei reverentes omnes certo tenent; nec negat Socinus. Attributa enim Ejus & Dei per totam Scripturam ubique alternantur; ut exempli caussa, quod Israëlitæ *Spiritum S.* dicantur *dolore affecisse*, idem valet quod dicantur *dolore affecisse Jehovam, Deum, Deum summum*, Ps. LXXVIII. 40. *Peccatum*, adversus ipsum commissum, hic & ubique censetur gravissimum, quod errori omnem adimit obtentum. Arianorum Veterum, Bidelli, Sandii, hypotheses incurrunt in splendidam lucem veritatis. Addo secundo; esse *Rem Divinam Personalem*, ὑποστατικῶς existentem; quod Socinus negat. Vult esse *Virtutem* quandam Dei, quam ægre definit. Hebræi nostri temporis ipsi quoque volunt esse *afflatum* quendam qui affecerit Prophetas, faciuntque ex eo *ultimum gradum* Revelationis Propheticæ, de quo

Doctrina Ecclesiæ de Spiritu S. ex hoc loco confirmata. Spiritus S. est Res Divina.

Et quidem *Personalis.*

Judæi & Socini Secta frustra seopponunt huic hypothesi.

β. Per ministros suos iis denunciaturum judicia temporalia & æterna.

a Act. VII. 51. b Matth. XII. 31. c Act. XIII. 45. 46. 51. XXVIII. 25. seqq. d Cap. VI. 5. e Cap. II. 4. 5. f Lev. XXVI. 36. Deut. XXVIII. 28. g *Bel. Jud.* Lib. VII. Cap. VIII. *Disc. Græc.* h Lib. VII. B. J. Cap. XLIV.

de quo videri poteſt Maimonides in *More*, & ex noſtris Seldenus *a*: neque enim de eo nunc exerte ago. Refellitur ſententia non tantum ex ipſo Nomine, *Spiritus Sanctus*, quod totum eſt perſonale: verum, quod nunc unum ſector; ex attributis quæ ipſi hoc loco vindicantur. Dicitur utique *affici dolore*; quod licet dictum metaphorice, neceſſario involvit hypoſtaticam exiſtentiam. Dixeris cum Chaldæo, & Kimchio, intelligi *Prophetas* à *Spiritu Sancto* actos. Reſpondeo, Prophetas non eſſe *Spiritum Sanctum*: dicitur autem hoc loco ipſe *Spiritus S.* triſtitia ſive injuria affectus. Id itaque quod fuit in Prophetis, eſt *dolore affectum:* quod ſive *affiatum* dixeris; ſive *virtutem Divinam*; non efficies unquam, ut eæ res metaphorice dici queant affectæ eſſe dolore: nedum *converſæ in hoſtem*, & contra *Populum immorigerum pugnaſſe*. Aben-Ezra haud dubie hac vi perculſus, adſcripſit: יש אומרים כי רוח קדשו הוא מלאך הכבוד *Sunt autem qui dicunt*, SPIRITUM S. *ejus eſſe* ANGELUM GLORIÆ. Agnovit, eſſe *Perſonam:* non dubito enim, quin ipſius hæc ſit ſententia. Tertio, Spiritum Sanctum eſſe Hypoſtaſin diſtinctam à *Patre*, & *Angelo* faciei *ejus*. A Patre quidem, quia *ipſius* Spiritus dicitur: atqui σχέσις omnis *diſtinguit*, ut ſupra obſervavi; nec hæret in eo dubium. Forte tamen ambigat aliquis, an *Spiritus S.* hypoſtaſin faciat ab *Angelo Jehovæ* diſtinctam: verum ſi Scriptores Novi Teſtamenti nobis hic non præſcinderent omnem dubitandi anſam; poſſet tamen id ipſum quoque ex hoc loco noſtro certo definiri. Appellatur enim hic הוּא 'ATO'Σ, diverſo Nomine Characteriſtico, cum vere notiones *Angeli* & *Spiritus Sancti* ſignificatione differant; & venit ſub diverſo attributo characteriſtico. ANGELUS JEHOVÆ eſt Liberator, Redemptor, Conſervator, Legiſlator Populi Eccleſiæ: ſed SPIRITUS S. eſt Doctor, demonſtrator Veri, illuminator, convictor, ſanctificator, Ductor, conſiliarius, Paſtor. Sic Jacobus Patriarcha in Benedictione, impoſita filiis Joſephi *b*: DEUS ILLE *coram quo ambularunt Patres mei, Abraham & Iſaac*; (Pater) DEUS ILLE *qui me* PAVIT (docuit, illuminavit, conſolatus eſt, vivificavit, erexit,) *à quo fui uſque ad hoc tempus*; (Spiritus S.) ANGELUS ILLE *qui me vindicavit* (גאל) *ab omni malo*; (Filius Dei;) *benedicat hiſce pueris*. Eſt *trinus Jehova*, à quo benedictio derivanda in Iſraëlem *c*; ſervatis ſchefibus quà Naturalibus, quà Oeconomicis. Hæc neceſſaria erant monitu, nec exceſſi limites: non eſt enim mei moris in commentationibus ſectari communes Scholarum doctrinas.

Reſpondetur ad exceptionem.

A. Ezræ ſententia.

Sp. S. eſt hypoſtaſis à Patre & Filio diſtincta.

Quod demonſtratur ex hoc ipſo loco.

Locus Gen. XLVIII. 16.

γ. *Querela* Populi longum derelicti, exaggerantis miſeriam ex comparatione antiqui temporis.

γ. Querela Populi longum à Deo derelicti, exaggerantis miſeriam ſuam ex comparatione antiqui temporis.

ỳſ. 11. *Et* RECORDATUS EST DIERUM ANTIQUORUM, *Moſis, Populi ejus:* UBI EST *Ille qui ipſos eduxit ex mari cum Paſtoribus Gregis ſui, ſeqq.*] Non eſt nullius momenti hæc verba recte accipere. Conſtat pericopa *quatuor verſiculis*, inter ſe cohærentibus, non quidem valde dubii ſenſus, ſi eorum materiam inſpicias: ſed, ut videri queat, non adeo facilis diſcriminis, cui *Subjecto* adſcribenda ſit ſententia; *Et* RECORDATUS EST: idne dicatur de *Deo*, num de *Populo Jacobidarum* ipſo: à quo diſcrimine pendet intelligentia σχήματος hujus Pericopæ. Sunt qui orationem hic de *Deo* continuari putant: ſive integram, ſive partem ſolummodo ejus, *verſiculo undecimo* comprehenſam: ſunt qui eam ipſi Dei Populo tribuunt, verſato in Exilio; qui ipſi rurſus diverſi ſunt. Etiamſi vero ſecter brevitatem, & videam, eſſe inter Interpretes, qui paucis hic defungantur: cenſeo tamen, ejus momenti eſſe hanc quæſitionem, ut ea ſupersedere non liceat. Communior ſententia ita ſtatuit, continuari in hac confeſſione orationem de Deo, ut quod dicitur, *Recordatus eſt dierum antiquorum*, cenſeri debeat de *Deo* dici; & quidem in hunc ſenſum: Cum Deus à Populo identidem gravius offenderetur, atque adeo *converſus in hoſtem* eos ſevere puniret; ſemper tamen ad ſe veluti redeuntem, animo volviſſe, quot & quanta beneficia in Gentem contuliſſet; quam excellentia opera ediderit in ejus Liberatione ex Ægypto; quanta cura & bonitate Populum tractaverit: id vero cogitantem ſive recogitantem, (quod Deo in graviſſimis tentationibus objectum eſt à Moſe:) *flexum* eſſe *ad miſericordiam*, ſecundum loca Exod. XXXII. 11. Num. XIV. 13. 14. Vertunt igitur, SED, ſive *attamen*, *recordatus eſt*, *&c.* Verum qui hanc hypotheſin inter ſe communem habent, ut verba, *Et recordatus eſt* de *Deo* accipiant; rurſus ſcinduntur in partes. Sunt enim, qui ea connectunt cum ſequentibus, UBI EST ILLE, &c. ſunt qui ab iis divellunt. Priores quicquid eſt hujus orationis ad ỳſ. 15. cenſent dici de *Deo*, & accipiunt in hanc formam; acſi Deus, dum Populum, adverſus quem *pugnaverat*, exactum ex terra ſua, miſere videt luctantem in Exilio, ſe ipſe hic excitaret ad commiſerationem, ſecumque diſputaret ac ſecum veluti litigaret, quod Populum ſuum, olim tanto opere vindicatum ex Ægypto, & tot ornatum beneficiis, in triſti hoc & calamitoſo ſtatu diutius relinqueret: ubi perinde eſt ſive figuram hanc aptes *Exilio Babylonico*, (ut plures faciunt,) ſive Romano. quando hæc verba exhibebunt *primos motus Divinæ Gratiæ* (liceat ſic *humano more* loqui;) quos ſequuta ſit Populi ex Exilio liberatio. Sic fere Jun. Trem. Piſcator, ad quem proxime accedit Grotius. Ad me quod attinet, agnoſco, prudentem Interpretem hic cogitare poſſe de Deo ut *Subjecto* hujus orationis, ſi ſtructuram orationis ipſius conſideres. Etenim ſi verba, *Et recordatus eſt*, de *Deo* accipias; tenes *Subjectum* de quo huc uſque in oratione præcipue actum erat. Verum, primo, qui ſequentia, *Quis eſt* ILLE, *qui eos eduxit ex mari, & ſeqq.* attente legerit; viderit facile, ea magis convenire *hominibus*, quam *Deo*. quæ verba cum cohæreant cum ſuperioribus, *Et recordatus eſt:* patet, ejus quoque *Subjectum* eſſe *Populum* afflictum. Sic apud Jeremiam, Cap. II. 6. eadem fere oratio adſcribitur Iſraëlitis: *Et non dixerunt*, UBI EST *Jehova qui nos eduxit è terra Ægypti, qui nos duxit in Deſerto, ſeqq.* Si enim ipſe Deus hic loqueretur: cur de effectis ſuæ providentiæ erga Iſraëlitas tam operoſe & copioſe memoraret? Secundo, in cogitatione Dei de *Beneficiis* olim in Gentem collatis, & de ejus maleficiis, adverſus ea commiſſis, gravior ratio erat, cur eam totiens immorigeram deſereret, quam juvaret. Si enim tot macti beneficiis identidem recalcitraſſent: quæ cauſſa ex prioribus beneficiis peti poterat Gentem novis ornandi? Si id voluiſſet dicere Propheta, quod Interpretes illi volunt; rectius & brevius videatur dicturus eſſe, ut in aliis locis hujus argumenti; Deum recordatum eſſe *ſancti Verbi ſui d*, aut *Fœderis ſui e*. Inde petenda eſt conſtantia Divini amoris. Tertio, hactenus non patet ex tota hac oratione, *Deum* Populi miſeri in Exilio vere *miſertum eſſe*. Pœnitentes enim aliqui in ipſo Exilio poſiti *implorant* Dei gratiam pro fratribus ſuis, dum adhucdum hærebant in ſtatu miſeriæ & afflictionis. Petunt *redemptionem*, hactenus non *redempti*. quod hic inprimis obſervandum. Quarto denique, animadvertes, verba hæc eſſe parallela loco Pſ. LXXVII. 12, ſeqq. ubi *Subjectum* eſt Eccleſia.

Differentia ſententiarum ea de re.

Sententia eorum qui hæc verba de *Deo* accipiunt, expoſita.

Nec tamen eodem modo. Priorum ſententia.

In eam animadverſio.

Oratio magis convenit hominibus, quam Deo.

Ex ampliſſimis beneficiis in Gentem *abſque fructu* collatis, non videtur peti poſſe ratio miſericordiæ.

Nec patet, Deum huc uſque flexum fuiſſe ad miſerationem.

Ergo docti aliqui Viri, cum viderent, Verba Prophetæ, *Ubi eſt ille qui eduxit illos ex mari, ſeqq.* commodiſſime referri ad homines: ea à ſuperioribus diviſerunt. Priora, *Et recordatus eſt, ſeqq.* tribuerunt Deo ſenſu eo quem modo declarabam; hoc eſt, *recordatus eſt* in gratia Beneficiorum in Populum collatorum, & *venia* ei multis in caſibus datæ: ſed ſequentia, *Ubi eſt Ille qui eduxit? ſeqq.* referunt ad Judæos in Exilio poſitos, inde petitionem ſuam ad Deum auſpicantes. Præivit Hieronymus, ſed qui hæc verba infeliciter tractavit; perinde ac Cyrillus. certius exemplum eſt in Nicolao Lirano, qui verba illa, *Et recordatus eſt dierum*

Altera expoſitio in eadem hypotheſi fundata.

Verba priora à poſteriobus divellit.

Auctores hujus ſententiæ.

Lirani verba.

a Lib. II. de *Syn.* Lib. IV. Cap. IV. *b* Gen. XLVIII. 16. *c* Num. VI. 24. *d* Pſ. CV. 42. *e* Pſ. CVI. 45.

ſæculi, ſeqq. pariter interpretatur de *Recordatione gratiæ*, & quidem de *Liberatione* ex *Servitute Ægyptiaca* & ex *Exilio Babylonico*. Deinde ad verba, UBI EST, ſeqq. adſcribit: *Hic conſequenter ponitur petitio eorum* (Judæorum pœnitentium) *devota, & primo pro liberatione à pœna; ſecundo, pro liberatione à culpa, & ſeqq.* Sanctius eodem modo inſtituit, ſed ſane ſupine. Exhibet in textu verba Jeſaiæ: *Et converſus eſt iis in inimicum; & ipſe debellavit eos; & recordatus eſt eorum.* Sic exhibuit, inquam, textum Jeſaiæ, acſi apud Jeſaiam vel Hieronymum in verſione cohærerent; ne ſi integra & diviſa exhibuiſſet Jeſaiæ verba, *Et recordatus eſt dierum antiquorum, Moſe, Populi ejus:* pateſceret difficultas. Dat itaque ſenſum: ubi Deus adverſus Iſraëlitas *pugnavit*, Deum identidem ſe paſſum eſſe flecti ad miſericordiam, ut ex Libro *Judicum* liqueat; quippe recordatum antiquorum temporum, & Liberationis Populi ex Ægypto. Proinde verba ſequentia, UBI EST, refert ad Prophetam pro Populo intercedentem. Belgæ quoque noſtri, prudentes Viri, & Diodatus, ſequuti ſunt hanc in verſione ſententiam. Sic habet eorum verſio: *Attamen recordabatur* (ſc. Deus) *dierum ſæculi, Moſis & Populi ſui*, (quibus ſc. diebus antiquis ſæpius illos punivit propter peccata; ſed ſemper flexus rurſus eſt ad miſericordiam:) *Verum hoc tempore ubi eſt Ille qui eos eduxit è mari, ſeqq.* quæ verba jam volunt eſſe Eccleſiæ Deo ſupplicis. Alii eandem tenentes hypotheſin, ita ſupplent: *Et recordatus eſt dierum antiquorum, Moſe populi ejus*, Ne ſi illos penitus deleret, dicerent hoſtes, UBI EST ILLE, ſeqq. Sic diſerte præivit Chaldæus: *Et miſertus eſt propter gloriam Nominis ſui, & propter memoriam benignitatis ſuæ quæ à ſæculo eſt, & magnalia quæ fecit per manus Moſis Populo ſuo*; דלמא ימרון NE FORTE DICANT, *Ubi eſt, &c.* Eſt ex Doctis qui hanc cohærentiam laudat ut *pulchram*. De priore interpretatione, quam Belgæ adoptarunt, ſic judico. α. Verba Jeſaiæ, *Et recordatus eſt dierum antiquorum*, cum ſeqq. tam preſſe cohærere, ut ab iis divelli nequeant. Videt enim quiſque eſſe ejuſdem argumenti, & complecti materiam recordationis. β. Verba, *Recordatus eſt d. a. M. P. e.* non ſatis commode terminare ſententiam, nec per ſe ſignificare *recordationem gratiæ*. γ. Durius textui inſeri ſupplementum, *Verum nunc*. Poſterius tamen illud commentandi genus quod amplexus eſt Chaldæus, multo magis improbo. Quantum enim eſt textui infarcire verba, *Ne dicant alii, Ne dicant Gentes*. Quin ſententia ipſa non cohæret, ſi phraſin ſpectes, *Et recordatus eſt dierum antiquorum*, NE DICANT GENTES. Si Propheta integre ſcripſiſſet, *Et gratiam fecit Populo, ne eum penitus exterminaret: ne dicant* vel *dicerent Gentes*, ut Moſes in Cantico [a]: optime ſibi cohærerent membra ſententiæ, quæ cum phraſi, *Recordatus eſt*, non cohærent.

Conſimilis ſententia Interp. Belgarum.

Diverſa interpretatio Chaldæi.

Ἀνάκρισις ad priorem ſententiam.

Rationes, ei oppoſitæ.

Atque ad eam Chaldæi.

Reſtat itaque *Subjectum* ſententiæ, *Et recordatus eſt, ſeqq.* eſſe vel Prophetam, vel *Domum Iſraëlis*, (בית ישראל) ſive עם *Populum Judæum*, ℣. 7. circa quod *objectum* confeſſio verſabatur, ut Judæi vulgo cenſent, & inter noſtros plures; qui nihilominus in hoc conſenſu rurſus ab invicem diſcedunt. Cl. Coccejus cum hic hæreat in initiis N. T.: cenſet, verba hæc convenire Judæis incredulis, & impœnitentibus, qui poſtquam Spiritum S. contumelia affeciſſent, & poſtquam Angelus Fœderis & Spiritus S. ſe iis præſtitiſſent adverſarios, continuo reſpiciebant *tempora antiqua*, quibus Deus illos *per Moſen eduxerat ex Ægypto*, quique Meſſiam talem volebant, qui Moſi ſimilis eos vindicaret è poteſtate Romanorum: cum itaque iis offerretur Evangelium Filii Dei, hoc unum crepaſſe; Deumque accuſaſſe ſegnitiei, quod idem ſibi non præſtaret beneficium quod Majoribus ipſorum. Oecolampadius quoque dubiam facit ſententiam, an verba conveniant Prophetæ, pro Populo intercedenti; num potius *deſperatis*, & judicio Divino reprobatis, qui in Exilio præſenti non deſinunt *recordari temporum antiquorum*, & *clamare*, licet fruſtra, *Ubi eſt ille, ſeqq.* Dura eſt ſententia, à qua longiſſime abſum. Qui verba legerit, facile cognoverit, ea cum ſequenti *ſupplicatione* (℣. 14.) cohærere, & illi ſupplicationi præſterni ut *fundamentum*. Supplicationem autem eſſe pœnitentium, clariſſime liquet ex ℣. 16. 17. ubi ſupplicantes unice fiduciam ſe ponere profitentur in Divina gratia, abnegato merito Patrum; & juſtum *indurationis* ſuæ judicium agnoſcunt. Ergo tandem illuc veniamus, ut certo ſtatuamus; Chorum pœnitentium Judæorum his verbis explicare *primos motus pœnitentiæ, & converſionis ſuæ ad Deum*; dum cogitantes de Beneficiis mirabilibus à Deo apud majores ſuos antiquiſſimis temporibus locatis, eaque beneficia comparantes cum miſeria & calamitate præſenti, cui per longum jam tempus ſuccubuerant; ſerio incipiunt explorare præſentis ſui ſtatus cauſſam: quam cum deprehendant eſſe *indurationem*, & *errorem capitalem*, circa viam & medium ſalutis commiſſum, in quem judicio Dei inciderint; ſe convertunt ad Deum, & ſupplices coram ipſo proſtrati, orant & exorant veniam. Supplicatio enim ejus generis cujus hæc eſt, per Spiritum S. fuſa, non caret effectu. Inſpiciamus, age, propius ipſam orationem Prophetæ. Docet hæc pars Confeſſionis *Affectionem* Populi longum tempus à Deo deſtituti, & tandem ad pœnitentiam moti. Quæ affectio primo *generatim* proponitur: dein *ſpeciatim* exponitur. Sed quia oratio tota cohæret; perſequar ſingula ordine.

In eam ἐπίκρισις.

Conſequens diſputationis ſuperioris; Orationem hanc eſſe Judæorum pœnitentium.

Explicant his verbis primos motus *coeverſionis* ſuæ ad *Deum*.

℣. 11. *Et recordatus eſt* (*Domus Iſraëlis*, ℣. 7. בית ישראל. Eſt autem בית *fortioris* generis,) *dierum ſæculi, Moſis, Populi ejus.*] *Domus* inquam, *Iſraëlis*, à Deo & Spiritu ejus in Exilio longum tempus deſtituta, oppugnataque, ad ſe rediens, recordata eſt *antiquorum temporum*, *Moſis* & *Populi* à Deo primitus electi & à Moſe ducti ex Ægypto. In Hebræis, משה עמי *Moſis, Populi ejus*, eſt ἀσύνδετον, Prophetæ noſtro familiare [b], pro משה ועמו *Moſis* & *Populi ejus*. Kimchius vellet, משה לעמו *Moſis miſſi ad Populum ejus*. Minus commode. ellipſis enim præfixæ ל hic multo eſt durior; niſi ſumatur *inclusive*, quando valebit *Moſis cum Populo ejus*. Aben-Ezra meminit ſententiæ, quæ vocem משה hic *appellative* ſumit, ut valeat, EXTRAHENS, *educens Populum ejus ex aquis*. Eſt ex Doctis [c], qui ellipſin omnem vitans, hic agnoſcit tranſpoſitionem vocis עמי, quæ eſt in fine ſententiæ, hoc modo, *Et Populus ejus recordatus eſt dierum ſæculi Moſis*. Obſervavi expoſitionem apud Abarbenelem. Diverſitas ſententiarum ſubjicere alicui poſſet præjudicium de aliqua difficultate, quæ hic nulla eſt. Eſt enim illud ſimpliciſſimum, & facillimum, quod in initio propoſui. Tantum recte feceris, ſi hic ex priori membro repetieris vocem *dierum*, hunc in modum: *Et recordata eſt* (Domus Iſraël) *dierum antiquorum*; *dierum* ſc. Moſis & Populi ejus. Eſt autem perinde, an *affixum, relativum* in verbis, *Populi* EJUS, hic referas ad *Deum*, num ad *Moſen*, ut notet Populum à Moſe ductum: non ſane, in deteriorem ſenſum, ut Exod. XXXII. 7. (quod hic mallet Cl. Coccejus; ſed abſque ratione:) verum in ſenſum communem. prius tamen hic eſt probabilius. Alluditur enim ad ℣. 8. *Certe* POPULUS MEUS *illi ſunt*; & ad hiſtoriam educti Populi Jacobidarum ex Ægypto, in qua ubique appellatur *Populus Dei* [d]. *Recordatio* autem omnis cum ſit vel mere *ſpeculativa* μνημονικὴ *memorialis*; vel *practica*, cum reſpectu ad certum finem & uſum, eumque varium: hujus generis hanc eſſe *recordationem*, docebo, poſtquam *materiam* ejus conſideraverim.

Verba Prophetæ, ℣. 11. *Et recordata eſt* (*Domus Iſraël*) *Dierum ſæculi, &c.*

Ἀσύνδετον in verbis, *Moſis, Populi ejus.*

Ab aliis aliter expeditur.

Vox *dierum* hic commode repetitur.

Affixum *relativum* hic referendum eſt ad *Deum*.

Faciunt autem *materiam* meditationis memorialis *ſex* attributa Dei, relata ad totidem *Beneficia*, ſive *Opera* Dei illuſtria, in Gentem Jacobidarum antiquis temporibus collata, aut in illius uſum edita. Primum eſt, *Ubi eſt ille Qui eos eduxit ex mari, cum Paſtoribus Gregis ſui?*] Sic ſonant Hebræa, & vertit etiam Hieronymus.

Materiam recordationis faciunt *ſex* attributa Dei.

Primum, *Ubi eſt Ille*

Verba ſunt, vel Prophetæ, vel Populi Judæi.

Cl. Cocceji meditatio.

Cl. Oecolampadii.

a Deut. XXXII. 27. b Confer ex proximis Cap. LIII. 11. LV. 3. LVII. 4. LVIII. 8. c Brenius. d Exod. III. 7. V. 1.

qui eos eduxit ex mari, &c.

nymus. רעהו, ut in multis Codicibus vox scribitur & punctatur, posset esse *Pastor*, *constructa* forma ex רועה, secundum analogiam; sed alii exhibent רעיו: in *plurali*; nec dubitem, quin ita accipiendum sit. Sunt qui attributum referunt ad Mosen, ut dicere velint queruli, *Ubi est ille Moses qui eos eduxit ex Mari*, *seqq.* Sic Jarchius & Abarbenel. tentavit quoque Hieronymus; sed resipuit. Utique enim cum cætera attributa ad *Deum* referantur, estne probabile, hoc ad *Mosen* referri? Si quoque in rem ipsam inspicias: quis Israëlitas *ascendere fecit* ex *Ægypto*, & *Rubro Mari*; *Deusne* an *Moses*? Attributum ubique Deo vindicatur. IPSE *est*, ut Josua in oratione sua ad Populum [a], *Jehova Deus noster*, המעלה *qui* EDUXIT (ascendere fecit) *nos & Patres nostros ex terra Ægypti*, *seqq.* Confer Ps. LXXVII. 21. *Duxisti Populum tuum ut* GREGEM *per manum* MOSIS & AHARONIS. quibus alio loco additur *Mirjam*, utriusque soror, ipsa quoque à Spiritu Sancto affecta [b]. Hi sunt *Pastores Gregis*, ducti ex Ægypto. Amat Spiritus S. ubi Populum ex Ægypto ductum conspiciendum exhibet, notionem *Gregis* [c]: quod Populus imbellis, adversus hostiles impetus retundendos minime instructus, rudis præterea & inconditus, atque ad errores proclivis, & ex Ægypto ductus in vago Deserto errans, à Deo defensus, pastus, potatusque sit; & loca quietis à Deo ipso ei sint præmonstrata, ut totus à providentia ac procuratione Divina pependerit. Miraculum autem editum in *siccato Mari*; (cujus memoriam apud proximos Sinus Arabici accolas adhucdum superesse, clare testatur Diodorus Siculus [d];) & ducto per ejus extrema imbelli Grege absque offensa ac detrimento; submersis contra Pharaonis copiis; merito celebratur ut maximum, quale vere fuit [e]. Alterum: *Ubi est qui posuit in medio ejus* SPIRITUM *suum* SANCTUM.] Non est dubium, alludi ad historiam Num. XI. 17. ad quam historiam videndus Seldenus [f]. Conferantur dicta ad ℣. 10. ubi jam monui, *Spiritum Sanctum* esse donum Divinæ gratiæ, & quidem maximum, sanctissimum, summe reverendum. Est unus verus character Ecclesiæ Dei in terris, qui Ecclesiam discernit à Mundo. Ubi enim *Spiritus Sanctus* est, obtinet institutio viæ salutis; ibi Deus hominibus cohabitat in gratia. Cætera beneficia externa Divinæ Providentiæ ac Longanimitatis Deus fere promiscue dispertit mortalibus: sed donum cœleste Spiritus S. salutaris amoris & favoris pignus, ei soli committit Populo, quem à mundo discretum pro Populo suo habet. Is vero *Spiritus* vere jam operatus fuerat in Patriarchis, qui proinde *Prophetæ* dicuntur, & *uncti Domini* [g]; & ex Jacobi filiis, in Josepho; & liquet id maxime ex Revelationibus Divinis, iis factis; nec non ex carminibus Fatidicis, quibus moribundi explicarunt posterorum Fata: sed ubi post tenebras & calamitates Ægyptiacas Deus posteros Jacobi eduxit ex Ægypto; cum numerosus ille Populi cœtus, maximam partem rudis & carnalibus obsessus præjudiciis, atque in crassis versatus erroribus, indigeret institutione, ut formaretur in Populum Dei: excitavit Deus in ea Gente Prophetas, Doctores illustres, *Mosen* quidem primarium, Aharonem, Mirjamum; inde LXX Presbyteros; & haud dubie ex Levitis quoque plures, qui Populum informarent principiis veræ doctrinæ Dei ac Religionis, & de Deo ejusque viis luculenter different, hoc est, stylo Veterum, *prophetarent*; ut exemplum est in Eldado & Medado [h]: quæ operatio *Spiritus S.* deinceps nunquam in Judæa Gente cessavit, (ne quidem in Exilio Babylonico:) usque quo spreto Evangelio Filii Dei, major Gentis pars, orbata luce & gratia Dei, compacta est in tristissimas tenebras. Merito igitur hoc tantum beneficium hic celebratur. Tertium, ℣. 12. *Qui fecit incedere ad dextram Mosis* BRACHIUM SUUM MAGNIFICUM.] Hæc vera est verborum versio, à qua qui discesserunt, sententiæ multum venustatis detraxerunt. Aben-Ezra ad verba, *Brachium ejus magnificum*; sive, *brachium decoris ejus*,] זה הוא מלאך השם ההולך לפני מחנה ישראל HIC EST ANGELUS DEI, QUI PRÆCESSIT CASTRA ISRAELIS. Docte sane. *Filius Patris*, per quem consilia sua exequitur & Populum Judæum vindicavit ex Ægypto, est ὁ δύναμις τοῦ Θεοῦ ὁ μεγάλη. Vates sacer [i]: גאלת בזרוע עמך *Vindicasti* BRACHIO *Populum tuum*. Hæc sunt *brachia æterna* quæ Populum Dei sustinuerunt, celebrata à Mose [k]. Dicitur autem fuisse ad *dextram Mosis*, tum quod hac potentia omnipotente adjutus *scipione pastorali* quem *dextra* tenebat, judicia Dei exequutus sit in Ægyptum, & mare Erythræum fiderit [l]: tum quod Ductor Populi, *hujus Angeli*, Imperatoris Populi Dei castra præcedentis, defensione ac præsidio tutus ubique cum grege suo processerit, & secunda prœlia fecerit. Pius & sanctus in Ode XVI, 8. *Jehova est* AD DEXTRAM MEAM: *non vacillabo*. Patronus ac defensor. Utrumque hic plane respicitur. Moses, scipione instructus pastorali, miraculorum patrandorum instrumento, mirabilem adeo sustinuit personam, acsi Divinam omnipotentiam dextra sua administrasset. Quartum: *Findens aquas coram iis, ut faceret sibi nomen æternum.*] Pertinent verba ad aquas Maris algosi Divina potentia *fissas* disjectasque; de quo miraculo in *aquis* edito passim hæc notio usurpatur [m]. Miraculum editum in siccato Jardene sub Josua [n], alterius plane est generis. *Aqua Jardenis* vi fissæ & disjectæ non sunt: sed superiores à partibus Syriæ decurrentes vi Divina omnipotente, mirabili plane ac paradoxo phænomeno, collectæ sunt in cumulum; inferiores pro more delapsæ in Mare Sodomæum. Historia docet, Deum ad dispellendas findendasque aquas Maris algosi excitasse *ventum vehementem* [o]; sed quod brevius in historia dicitur, clarius tradidit posteritati sapiens Asaphus; suscitasse Deum cum vento *fulmina*, *tonitrua*, *imbrem* copiosissimum, quo post transitum Israëlitarum, Ægyptios jam de recessu cogitantes consternavit, & obruit [p]. Nimirum, ut *faceret sibi nomen æternum.* non sane eo tantum, quod miranda hæc effecta Divinæ Potentiæ per famam apud homines illius temporis ubique vulgata sint, ut patet ex historia Rachabi apud Josuam [q]: (de quo Deus apud Mosen [r]: *Ut nomen meum narretur per universam terram:*) sed quod literis consignata, & in usum Ecclesiæ servata, usque ad finem sæculorum, ab Ecclesiis per omnes Gentes diffundendis celebranda essent, & simul Populo Dei præstitura verissimum fidei ac spei fundamentum. Cætera, ut supra observavimus, ex narratione Diodori Siculi, miraculi illius memoriam suo tempore adhuc apud accolas Maris supersuisse: sic Eruditi nostræ ætatis Viri conati sunt demonstrare non vulgari doctrinæ apparatu ac vi ingenii, pleraque hujus temporis gesta à Mose & Israëlitis conservata esse antiquis Gentium fabulis, ex hac historia explicandis. quod genus studii solidioris sapientiæ curiosis se magis potuisset commendare, si non abiisset in luxuriem. Utique id nihil ad hunc locum. Neque ullius rei facimus quæ Alexander Polyhistor ex Artapano tradit de *Mose* & miraculis ejus legenda apud Eusebium [s]. Sunt ex literis sacris desumpta, & multo errore vitiata.

Quintum, ℣. 13. *Qui eos duxit per abyssos* INSTAR EQUI IN PLANITIE, *ut non offenderint.*] Alte surgit oratio, ut miri hujus operis Divinæ Providentiæ laudem pro merito extollat. Diodorus Siculus, qui inter Veteres Mare Erythræum accuratissime descripsit [t], (cujus pleniorem notitiam ex recentioribus Scriptoribus pariter petere licet:) docet illud esse *τενάγώδες cœnosum*, neque valde *profundum*; & versus interiora

Attributum referendum est ad *Deum*.

Quinam hic *Pastores Gregis Populi Dei & Gregis* notio huic loco convenientissime usurpatur.

Alterum: *Positio Sp. S. in medio hujus Gregis.*

Alluditur ad Num. XI. 17.

Spiritus S. discernit Ecclesiam à Mundo.

Donum Spiritus S. jam fuerat apud Ecclesiam Patriarchalem.

Usus ejus in Ecclesia ducta ex Ægypto.

Donum Sp. S. superfuit in Ecclesia Judæa usque ad tempus spreti Evangelii Filii Dei, respectu incredulorum.

Tertium: *Qui fecit incedere, &c. Brachium Dei magnificum* secundum Aben-Ezram est primarius Dei *Angelus.*

Sententia laudatur.

Quo sensu dicatur *incessisse ad dextram Mosis?*

Locus Ps. XVI. 8.

Quartum: *Findens aquas coram iis, &c.*

Pertinet ad *aquas Maris Rubri.*

Miraculum hoc illustratur.

Quo sensu Deus sibi *fecisse* dicatur *Nomen æternum?*

Memoria hujus Mirandi diu conservata.

Quintum, ℣. 13. *Qui eos duxit per abyssos, &c.*

Natura *Maris Rubri.*

Est cœnosum.

a Jos. XXIV. 17. *b* Mich. VI. 4. *c* Ps. LXXVIII. 52. LXXX. 2. *d* Hist. Lib. III. p. 122. *e* Confer Exod. XV. 1. seqq. Ps. LXXVII. 15. seqq. *f* De *Synod.* Lib. II. Cap. IV. §. 11. seqq. *g* Gen. XX. 7. Ps. CV. 15. *h* Num. XI. 26. *i* Ps. LXXVII. 16. *k* Deut. XXXIII. 27. *l* Exod. XIV. 16. *m* Exod. XIV. 21. Neh. IX. 11. Ps. LXXVIII. 13. *n* Jos. III. 16. *o* Exod. XIV. 21. *p* Ps. LXXVII. 17. seqq. *q* Cap. II, 10. *r* Exod. IX. 16. *s* *Præp. Evang.* Lib. IX. Cap. XXVII. *t* *Bibl.* Lib. III. p. 182.

scopulosum; ut in eo difficilis sit navigatio. quod ipsum videri posset facere debuisse, ut trajectus per fundum maris fuerit difficilior cum mulieribus, infantibus, impedimentis aliis. Sed docemur ex hoc loco, aliisque analogis, Deum providisse, ut trajectus fuerit commodissimus; sive hoc factum quod expediti & robustiores imbecillioribus subsidio fuerint; sive quod, repulsis ac disjectis aquis Maris, fundus exsiccatus fuerit, ut commodiorem præberet transitum. Certe id dicere voluisse videtur Poëta sacer, ubi hoc opus Omnipotentiæ Divinæ in hunc modum describit [a]: *Et increpavit mare algosum*, ויחרב *& exsiccatum est*; *& duxit eos per* ABYSSOS *tanquam per* DESERTUM. Intellige tam in hoc loco, quam in verbis nostris per *Desertum* (מדבר) *planitiem* continuam, contradistinctam agro *arvo* aut *pascuo*, inter possessores diviso. de qua vocis notatione cum alibi egi, tum ad Cap. XVI. 1. *Mari* autem semper tribuuntur *abyssi*, quod profundum esse supponatur. Confer Exod. XV. 5. Ps. LXXVII. 17. & ex Vate nostro Cap. LI. 10. Nec tamen hoc nostrum valde fuit profundum; secundum Diodorum [b], ὃ πλεῖον τριῶν ὀργυιῶν *non altius tribus orgyis*; at vero, si orgyam sex pedibus æstimes, satis profundum ad obruendos qui se ei temere committunt. Probabile etiam est, extrema Sinus versus Septentrionem magis fuisse vadosa, & hanc profunditatem non attigisse. Quam vero scita ac venusta comparatio Israëlitarum hoc mare transeuntium cum *Equo gradiente in Deserto?* Equi *plana & campestria loca*, (quæ maxime amant,) nacti, absque *offensa*, & *superbe* incedunt, (quod cum *Leonibus* commune habent [c],) tanquam in tuto locaturi pedem: sic plane Deus mirabili sua effecit providentia, ut Jacobi posteri Maris Erythræi alveum tuto, secure, absque metu, & offensa, salvi transierint atque incolumes.

Mirabilis Dei Providentia, in Trajectu Judæorum.

Notio מדבר h. l.

Altitudo Maris Erythræi.

Comparatio venusta hic ab *equo* sumpta.

Sextum, ℣. 14. *Ut jumentum quod descendit in vallem, &c.* Scopus orationis. Affectio hujus orationis. Ad eam observatum.

Sextum, ℣. 14. *Ut jumentum quod descendit in vallem: Spiritus Jehovæ ei conciliavit quietem.*] Hæret adhucdum Chorus circa idem miraculum: quod unum hic in oculis habet, ut statum redemptorum ex Ægypto, & Beneficium in illum Populum collatum, Beneficii, quod cum maxime optat, typum & exemplum faciat. Verba constant *Protasi* & *Apodosi*; sed ea sapientia constructa à Vate nostro, qui τὸ παράλογον omne in oratione vitat, ut utrumque membrum supplemento indigeat; & quidem prioris defectus ex posteriori, posterioris ex priori supplendus sit: quod non observatum fecit, ut Interpretes aliqui se in liquidissimi sensus verbis torserint; cujus exemplum videbis apud Cl. de Dieu, prudentia ejus Viri plane indignum. Dedit ille, *Sicut bestia in vallem descendit, & ventus Dei quietem dat* EI, (sc. bestiæ;) *sic duxisti Populum tuum, seqq.* Videns, *affixum relativum* vocis תניחנו *quietem dat ei*, non respondere voci בהמה *bestiæ*: statuit enallagen generis. Deinde inserit verbis copulam *&*, & sententias divisas connectit, ET *ventus Dei*. Denique, *Spiritum Jehovæ* reddit per *Ventum Dei* (nova phrasi,) qui *Ventus Dei* refocillet *bestias in valle*. Quis tam coacta videns, non censeat loco subesse difficultatem non facile superandam? Nec Sanctii hic multo meliora sunt. Accipe itaque integram loci sententiam, *Ut Jumentum* (bos) *descendit in vallem*, ut ibi inveniat locum quietis ac recumbat: sic *Spiritus Jehovæ* descendere fecit Posteros Jacobi in alveum Erythræi maris, *ut iis conciliaret* libertatem & *quietem*. Videbatur descensus in profundum Maris Erythræi esse exitiabilis, & summi res discriminis, quod refluxuræ in alveos aquæ illos potuissent obruere: sed Deus admirabili providentia sua curavit, ut Jacobidæ non aliter descenderint in fundum maris, ac *Jumentum in Vallem*, ut ibi pabulum & quietem quærat. Adscribitur effectus *Spiritui Jehovæ*, quod omnis rerum *directio*, tum quoque *ductus*, *consolatio*, *quies externa*, relata ad *internam*, pertineant ad Oeconomiam *Spiritus S.* Vir sanctus Ps. CXLIII. 10. SPIRITUS TUUS BONUS ME DUCAT *in terram planam*. Sic descensus in Mare & per illud transitus, viam ipsis struxerunt ad *quietem* libertatemque diu quæsitam. Subjicit Chorus per Apostrophen, *Sic duxisti Populum tuum, ut faceres tibi nomen magnificum*; laudatum, decorum, glorioſum. Nempe dum in Confessione sua narrat affectionem Gentilium suorum exulum recordantium glorioſi operis olim à Deo editi in Liberatione Jacobidarum ex Ægypto: evehit animum suum ad Deum, & huc usque locutus de Deo in persona tertia, recta oratione illum compellat, ut magnifica opera olim ab ipso edita pro salute Populi Judæi ipsi ad exemplum veluti proponat & animo ejus cogitanda subjiciat; quæ pulchra est orationis conversio, & ad movendum aptissima. In voce נהג *ducere* ea vis est significationis, ut commodissime usurpetur de *ductu gregis*, ut in ipsa Mosis Historia [d]. Nec est dubitandum ex *superiore contextu*, quin id velit Scriptor Divinus. Sic Ps. LXXX. 2. PASTOR ISRAËLIS! *qui Josephum instar* GREGIS *ducis*. ubi ejusdem thematis usus est. Qui autem Gregem ducit Pastor bonus, summa utitur cura ac providentia, & ductionem suam ad omnem conditionem Gregis accommodat: tenerarum inprimis, gravidarum, & affectarum ovium rationem habet. qua cura Deus erga Populum hunc suum usus est, tum cum eum per profunda Maris duxit ex Ægypto; tum quando eum circumduxit per solitudines Arabiæ, usque quo ei procuraverit *quietem* terræ Canaanææ; & quidem ut *faceret sibi Nomen magnificum*, ob ipsum hoc beneficium in Hebræos collatum adhuc per omnes Ecclesias Orbis hujus terræ laudatus, celebratus, & in sæcula celebrandus. Omnis liberatio Ecclesiæ hac Liberatione involvitur.

Apostrophæ in hoc loco concinnitas, & vis.

Vox נהג proprie pertinet ad ductum *Gregis*.

Cujus attributa huic loco optime conveniunt.

Hæc vero excellentia Dei attributa, ex Liberatione Populi Judæi antiqui temporis petita, ex hypothesi nostra faciebant objectum *recordationis Domus Israëlis* in *Exilio Romano* versatæ. *Recordata dierum Sæculi, Mosis & Populi ejus*, dixit, *Ubi est ille, Qui, &c.* Quæritur, cujus generis hæc sit *recordatio*; an mere theoretica & querula: num vero practica & pœnitentialis? *Recordationem* hanc mere esse *memorialem*, & querelam ei adjectam esse *otiosam*: non videtur probabile, quia utraque desinit in *Supplicatione* pœnitentali in Spiritu fusa, quæ non potuit carere effectu. Certum & nemini ignotum est, Judæam Gentem in Exilio identidem crepare & clamare Majores suos ex Ægypto liberatos, eandemque Liberationem sibi proponere ut typum Liberationis ex Exilio præsenti: sed longe abest, querulas illas voces junctas esse *Supplicationi*, qua indurationem suam & errores suos agnoscunt; qualis supplicatio huic Recordationi & Querelæ adjicitur. Ergo statuamus, esse *Recordationem pœnitentialem*, & *Querelam* practicam, natam ex interiore contemplatione ac sensu suæ miseriæ. Omnis vera pœnitentia inde incipit. Homo *cogitat* de statu suo, eumque cum *superiore* comparat; quod est *recogitare*; stylo Scripturæ S. *ad animum suum referre* [e]. Vir sanctus [f]: RECORDABUNTUR, (יזכרו) *& convertent se ad Jehovam, omnes fines terræ*. Ezechiel [g]: *Et* RECORDABUNTUR *qui ex Vobis evaserunt, mei inter Gentes, seqq.* Vates noster mox [h]: *Occurris iis qui* TUI RECORDANTUR *in viis tuis*. Adscribo ex aliis multis clarissima verba Poëtæ sacri [i]: *Si illos* (Israëlitas) *interficeret, quæsiverunt illum, & conversi sunt; & quæsiverunt Deum studiose*; ויזכרו כי אלהים צורם *&* RECORDATI SUNT, *Deum esse Rupem suam*. Contra, indurati & impœnitentis est, non *recordari Dei, viarum ejus, suarum transgressionum*, ut deinceps [k]: NON SUNT RECORDATI *manus ejus; diei quo illos redemit ab hoste*. Vates noster ad Ecclesiam defectricem Ephraimitarum [l]: *Quia oblita es Dei salutis tuæ*, וצור מעוזך לא זכרת *& Rupis roboris tui* NON ES RECORDATA. *Recordatio* autem illa *pœni-*

Attributa hæc Dei ex prisco tempore sumpto quo fine Populus in *memoriam* reduxerit?

Non est *recordatio* mere theoretica.

Est *recordatio pœnitentialis*.

Loca analoga, ex quibus patet usus hujus vocis.

Quid illa *Recordatio* involvat?

Sententia Vatis liquidius exponitur.

Cur affectus referatur ad Sp. S.?

a Ps. CVI. 9. b l. c. c Vide sis Boch. *Hieroz*, Part. I. Lib. II. Cap. VIII. d Exod. III. 1. e Deut. XXX. 1. 2. f Ps. XXII. 28. g Cap. VI. 9. h Cap. LXIV. 5. i Ps. LXXVIII. 34. k ℣. 42. l Cap. XVII. 10.

pœnitentialis qualis hic memoratur, ſequentia involvit: *α.* Repetita ſuperiorum temporum memoria, *Benefacta* Dei olim in Eccleſiam collata relegere, recenſere, & referre ad mentem. *β.* Idque agere in *fide*, animo grato, cum commemoratione Divinæ Bonitatis, Gratiæ, Potentiæ, & operum ejus celebratione. *γ.* Præſentis ſtatus miſeriam agnoſcere, & cum ſtatu priſtini temporis comparare. *δ.* Illius *indagare cauſſas*; *explorare*, inquam, & diligenter *veſtigare*, quæ ratio fuerit prolixæ liberalitatis & gratiæ à Deo olim apud Gentem locatæ; quæ è contrario cauſſa graviſſimæ iræ & indignationis ei in præſenti incumbentis. Quare, v. gr. Deus majores ſuos, in quibus multi ſe polluerant idololatria Ægyptia, ut liquet ex Ezechiele *a*, nihilominus ex afflictione Ægyptiaca vindicaverit; quin etiamſi jam in ipſis Liberationis initiis diffiſi Divino auxilio palam adverſus Miniſtros Dei murmuraverint, dicentes *b*; *An non erant ſepulchra in Ægypto, ſeqq.* Deus nihilominus eos per mare Algoſum ſalvos duxerit, hoſtibus illorum perditis, variiſque in Deſerto ornaverit beneficiis: quare vero ille idem Deus Judæam Gentem, nulla externa idololatria pollutam, & inter Populos graviſſime per tot ſæcula afflictam, deſerat, deſtituat, ejuſque curam nullam habeat vel habere videatur; ut neceſſe ſit eos acerbam hanc profundere querelam, UBI EST ILLE, ſeqq. Dixeris, inter Judæos hujus temporis varios eſſe *peccatores*. Utique fuerunt quoque inter Veteres ductos ex Ægypto, (ut videri queat abſque reſpectu ſpreti Evangelii,) longe graviores: quare itaque meriti ſunt majores ex Ægypto liberari; ſed ſervitus in Exilio Romano protrahitur? Hæc fere ipſius Davidis Kimchii verba ſunt; qui tamen ex ſuis tanquam Judæi indurati hypotheſibus ineptus eſt ad dubium ſolvendum: Sed *pœnitentes* hæc ipſa in fide cogitaturi, videbunt tandem, eſſe crimen aliquod *capitale* à ſe commiſſum, cur Deus Gentem deſtituat; & recognoſcent, ſe verſari in ſtatu *excæcationis*, *indurationis*, & *craſſi erroris* circa Viam ſalutis, & verum Dei cultum. Huc tendit recordatio: terminatur in pœnitentia. Non eſt reminiſcentia ſtupentis, ſed reſipiſcentis. Interim nemo neget, ſchema hujus querelæ clariſſime exprimere Statum præſentem Gentis Judææ in Exilio Romano. Qui querelam hanc effundunt: ſupponunt, ſe à Deo plane deſertos eſſe, & longum fuiſſe; & nulla ſibi ſupereſſe ſigna & argumenta, ex quibus perſuadeantur, Deum ſibi eſſe propitium, aut benevelle. Non ignoro, ſchema etiam ad alia tempora calamitatum Gentis Judææ transferri poſſe *c*: ſed nemo eat inficias, huic tempori præſenti in ſumma emphaſi convenire. de quo ſequentia nos clarius etiam edocebunt.

Cogitatio de præſenti & præterito Statu inter ſe collatis.

Judæi ipſi hic hærent. Kimchii querulum, & non ſolubile dubium.

Pœnitentium horum rectior ſenſus.

Querela optime convenit Statui Judæorum in præſenti Exilio.

PARS ALTERA hujus *Sectionis*, SUPPLICATORIA; in qua

α. *Supplex Precatio* pro Liberatione Populi miſeri & afflicti, argumentis petitis,

(a.) *A reſpectu* Divinarum Virtutum.

Pars altera, SUPPLICATORIA.

α. Simplex precatio, argumentis petitis.

(a.) A reſpectu Divinarum Virtutum, vſ. 15.

Argumentum hujus Supplicationis.

Cl. Cocceji hypotheſis.

vſ. 15. *Deſpice ex cœlo, & vide; ex habitaculo tuo ſancto & ornatiſſimo! Ubi eſt zelus tuus, & pollentiæ tuæ? ſtrepitus viſcerum tuorum, & miſerationes tuæ, quæ ſe erga me continent?*] Incipit hic pia & à Divino Spiritu inſpirata ſupplicatio, quæ vere eſt pœnitentium Judæorum, & quidem *Primitiarum* convertendorum in fine temporum. Cenſet quoque Cl. Coccejus, eſſe ſupplicationem Credentium ex Judæis; ſed dum ipſe juxta hypotheſin interpretationis ſuperioris Viſi de *Edomo*, hic verſatur in initiis Novi Teſtamenti: eam adſcribit Apoſtolis & illorum Diſcipulis, intercedentibus pro fratribus ſuis induratis; quæ ſuppoſitio hic vere obtinere nequit. Patet enim clariſſime ex toto ſupplicationis argumento, ſupplices hoſce verſari in Exilio, & jam dudum & longum verſatos eſſe: quare videbimus, illum in exponendis ſequentibus hypotheſin hanc tueri non poſſe. Supplicatio autem hæc ipſa ſubjicitur *Commemorationi* præcedaneæ, & ad eam continuo alludit. Diſpeſcitur ſupplicatio in *Argumentum* ejus, & *Rationes*, ei ſubjectas. *Argumentum* in his vertitur, *Deſpice*, (intuere, aſpice,) *ex cœlo, & vide; ex habitaculo tuo ſancto & ornatiſſimo.* Sic habet diſtinctio Maſorethica. הביט *aſpicere, intueri*, & hic *deſpicere*, eſt *oculos in rem aliquam vertere*; *videre*, (ראה) rem adſpectam *conſiderare*. Per *cœlos*, quos protenus deſcribunt ut *habitaculum Dei ſanctum & glorioſum*; conſtat ſatis ex fide ſanctorum intelligi *Locum* viſibilibus cœlis *ſuperiorem*, ſymbolis Divinæ gloriæ & majeſtatis illuſtrem, quem Dominus Jeſus vocat τὴν οἰκίαν τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ *Domum Patris ſui d*. Apoſtolus, *Cœlum tertium e*: Ezechiel, *Locum gloriæ Dei f*: Amoſus, *Cœnacula Dei g*: alibi, מכון vel מעון *habitationem Dei ſanctam h*: vulgo, מקום שברת אלהים *Locum habitationis Dei i*: de quo egi, ad Cap. XVIII. 4. & Cap. LVII. 15. Hic nova voce dicitur זבול, *habitatio circumſcripta*, cujus non eſt dubia ſignificatio. *Templum* enim ipſum, hujus cœleſtis habitationis ſymbolicum ἐκτύπωμα, appellatur בית זבול *Domus circumſcripta habitationis*, ſive *manſionis Dei k*. Sic οἱ ὁ. h. l. recte, Ἐκ τοῦ ὄικου τοῦ ἁγίου σου. Huc fides noſtra aſſurgit: huc ſe erigit animus noſter in precationibus & laudationibus ſanctis: huc tendit ſpes noſtra, ibidem fixa anchora. Norant probe hi pœnitentes, Deum ex cœlis, ſervata metaphora, *deſpicere* in omnia hominum *l*; atque adeo ſuam miſeriam & calamitatem, lugendamque ſortem inter Gentes, quam per tot ſæcula pertulerant, ab ipſo non ignorari; ſed petunt *adſpici* à Deo adſpectu benevolente, gratioſo, miſerante, quali olim Populum adflictum & oppreſſum in Ægypto; cujuſmodi Dei intuitionem ſequitur effectus liberationis. Sic Deus ad Moſen *m*: *Omnino* VIDI *afflictionem Populi mei in Ægypto & deſcendi ad illum eripiendum manibus Ægyptiorum.* confer Deut. XXVI. 7. Idem uſus hujus formulæ alibi ſatis frequens occurrit, ut in oblatione ſolenni Decimarum anni tertii *n*: PROSPICE *ex habitaculo tuo ſancto, ex cœlo, &* BENEDIC *Populo tuo, Iſraëli.* Alio loco in oratione Eccleſiæ afflictæ *o*: *Deus exercituum* Domine! שוב נא הבט משמים *verte te quæſo; proſpice ex cœlo & vide, & viſita hanc vitem.* Licet etiam vertere, *Proſpice iterum ex cœlo, ſeqq.* Non ſane acſi Deus aliud ageret in cœlis, & res hominum incurioſe tractaret: ſed quod faciem ſuam ob hoc Populo ſuo avertiſſet. Rogant & ſupplicant *adſpectum* gratiæ.

Cui contextus non favet.

Ana'yſis hujus *Supplicationis.*

Per *cœlos* hic intelligitur *Domus Patris.* Varia ejus denominatio.

Perſiſtitur in hypotheſi.

Adſpectus hic notat *adſpectum gratiæ.*

Loca analoga.

Adjiciunt ſupplicationi rationes, eaſdemque Deo ſubjiciunt, etſi rationes nullæ eorum quæ ſibi agenda ſunt, Deum fugiant. Sic poſcit uſus Curiæ cœleſtis. Cum enim Deus nihil niſi ratione agat; nullas quoque exaudit preces niſi ſumma ratione nixas: vult autem rationes illas à ſupplicibus explicari & ſibi proponi, & quidem *modo populari*, ut in hoc typo videmus. Primam rationem ducunt à reſpectu *gloriæ virtutumque Divinarum*, quæ id ſuadeant: qui reſpectus in omnibus Dei operibus dominatur. *Non* NOBIS *Jehova, non nobis*, ait Eccleſia *p*; *ſed* NOMINI TUO *da gloriam, ob gratiam tuam & veritatem tuam.* Agnoſcunt in Deo קנאה ZELUM, ſtudium intentiſſimum gloriæ ſuæ vindicandæ, omnis operis Dei erga Eccleſiam principium *q*: גבורות *præpollentias*, quibus hoſtibus ſuis qualibuſcunque ubique ut victor prævalet: *tumultum viſcerum ac miſerationum*, qualem Parentes experiuntur, ubi liberos ſuos afflictos & in extremo periculo poſitos vident: (eam enim vim eſſe in voce רחם *miſerari*, intelleximus ex Cap. XLIX. 15. & ex congeſtis locis alibi probavit Bochartus *r*:) hoc eſt, tenerrimum amorem & curam qua fertur in eos, quos in filios

Rationes ſupplicationi junctæ. Mos aulæ Cœleſtis.

Prima deſumpta eſt à reſpectu *Divinarum Virtutum*; *zeli, pollentiæ, miſericordiæ* quæ obiter exponuntur.

Vis vocis רחם.

---

a Ezech. XXIII. 3. 8. *b* Exod. XIV. 11. ſeqq. *c* Pſ. LXXXIX. 50. cum Pſ. LXXIV. 9. *d* Joh. XIV. 2. *e* 2 Cor. XII. 2. *f* Ezech. III. 12. *g* Amoſ. IX. 6. *h* Jeſ. XVIII. 4. Zach. II. 13. *i* 1 Reg. VIII. 30. 39. *k* 1 Reg. VIII. 13. *l* Pſ. XXXIII. 13. *m* Exod. III. 7. *n* Deut. XXVI. 15. *o* Pſ. LXXX. 15. *p* Pſ. CXV. 1. *q* Cap. IX. 6. XXXVII. 32. *r* Hieroz. Part. II. Lib. II. Cap. XXV. §. V.

Quærunt supplices, *Ubi illæ sint?* Sensus Quæsiti.

lios aut Populum suum elegit. Quærunt autem, *Ubi illæ sint?* quæ quæsitio hanc habet vim, ut Deus videatur hasce suas virtutes abnegaturus esse, si eas non exerat in vindicando Populo, quem olim in Populum suum elegit; cui æterno fœdere se obstrinxit; quem omnium promissorum suorum depositarium fecit; quique adhuc censeri debeat *electionis* caussa *dilectus esse propter Patres* [a]. Videretur enim vel mutasse suam voluntatem; vel non posse difficultates ei exequendæ objectas superare; vel Populum hunc olim *frustra* elegisse, & tot miracula in ejus salutem & conservationem edita, edidisse incassum & absque effectu; quæ singula gloriæ ejus videbantur adversissima. Atqui vero ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ est ἀμεταμέλητος [b], & Deus *est* δυνατὸς POTENS πάλιν ἐγκεντρίσαι αὐτοὺς *illos rursus inserere* [c]. Imo vero, cum perfectio Ecclesiæ maxime pertineat ad gloriam Dei; Deus *zelum* gloriæ suæ videri posset deposuisse, si Ecclesiam hac parte æternum destituere, & non curaret, ut gloria ejus simul & certatim celebraretur à Judæis & Gentibus. cum *potentia* ejus sit præpollentia; videatur minus posse, si duritiem hujus Gentis non superaret sua gratia. cum *miserationes* ejus sint summæ ac tenerrimæ; videri queant circumscriptæ esse & finitæ, si de summis peccatis hujus Gentis non possent triumphare. Sic urgent Deum more populari, κατ' ἀνθρωποπάθειαν: quomodo Deus ab hominibus secum agi vult. Cætera nihil fere habeo, quod hic observem. Vox המון *strepitus, tumultus*, hic, ut Jer. XXXI. 20. thema radicale המה, significat vehementissimas commotiones interiores, quas ἡ συμπάθεια producit, inprimis in sexu debiliore; ut viscera locum mutare & inter se collidi videantur. Extrema verba, המון מעיך ורחמיך אלי התאפקו aliqui ab *interrogatione* separant, vertuntque per modum Propositionis simplicis, *tumultus viscerum tuorum & miserationum tuarum se erga me continent*; sed minus eleganter. Nonnulli ita, Ubi sunt *viscera tua & miserationes tuæ? Continent se erga me.* quod non est spernendum. Facillimum tamen videtur hic admittere ellipsin voculæ אשר *quæ* familiaris usus, ut propositio tota sit unius generis. Est tamen in hac quoque voce hic agnoscenda emphasis; ut si supponant supplices, Deum non mutasse voluntatem erga Populum suum, atque non esse absque miserationibus naturæ ipsius propriis: Deum tamen dicant sibi veluti vim inferre, ut eas comprimat vel talem se erga ipsos gerat, acsi omnem affectum erga ipsos exuisset. Interim nihil hic falso supponitur. Videmur enim nos ex iisdem his rationibus certo posse colligere τὴν ἀποκατάστασιν Populi olim ab ipso electi ac dilecti; quem non videtur per tot sæcula servare in Mundo à Gentibus reliquis distinctum nisi ad Gratiam.

Deus vult, ut supplices populari modo secum agant. Notatio vocis המון.

Respectus extremorum hujus *commatis* verborum.

Commodissime accipiuntur cum ellipsi frequente vocis אשר.

(b.) A Dei *ad se respectu*, & à *fiducia* in ipso solo *posita*, cum abnegatione omnium meritorum.

Ratio altera, à *fiducia* in Deo solo posita, ejusque ad se respectu, ℣. 16.

℣. 16. *Quia tu* PATER NOSTER *es: siquidem Abraham non* COGNOSCIT NOS; *& Israël non agnoscit nos: tu Jehova Pater noster; Redemptor noster à sæculo nomen tuum.*] Conquesti erant Supplices in *superiore versu*; *viscera miserationum* Divinarum se super ipsos *continere*: quo ipso supposuerant, se Deum respicere ut *Patrem suum*, quippe cujus æque ac *matris* proprium sit induere affectum miserationis erga liberos: ut ibidem jam monui. Id vero ipsum hic pressius urgent, cum utique respectus hic ad Deum permovendum plurimum in prece valeret. Inde *ratiocinativa* vox כי *Quia*. Non frustra ita loquimur, ajunt. *Tu enim es Pater noster*, hoc est, *verus* noster *Pater*, ad quem confugere liceat, cum Patres nostri naturales hoc tempore subsidium calamitati nostræ nullum adferre potes sint: quare eundem Dei ad se respectum denuo proponunt Cap. LXIV. 8. In interpretatione literali horum verborum non vidi Interpretes fere dissentire, nisi quod nonnulli media

Vocula כי *quia* hic connectitur cum extremis *commatis* superioris.

verba, כי־אברהם לא ידענו וישראל לא יכירנו, aliqui in *præsenti* vertant; *Abraham non cognoscit nos; Israël nullam nostri notitiam habet:* alii in *præterito* ut Chaldæus, *Non cognovit nos, seqq.* Junius & Tremellius tamen, eosque sequutus Piscator, maluerunt voculam כי hic vertere per *quamvis*, in hunc sensum: *Tu enim Pater noster es, quamvis Abraham nescisurus nos, & Israël non agnisurus esset nos.* Pisc. *Quamvis Abraham non curaret nos, & Israël non agnosceret nos.* Imo vero ante eos Pagninus, *Etiamsi Abraham nesciat nos, seqq.* Agnosco hanc notationem voculæ כי *quamvis*, *etiamsi:* sed hic locus ea plane non indiget; ut mox videbimus: quare hic à simplicitate orationis discedendum non esse censeo.

Exigua differentia versionis.

Sunt qui vocem כי hic vertant per *quamvis.*

Absque ratione vel necessitate.

Ad rem ipsam quod attinet: jam monui, Supplices alterum hic argumentum sumere à paterno Dei in se respectu, quem in *superiore commate* Deo jam *implicite* subjecerant. quod ita agunt, ut omne aliud privilegium abnuant; & à sola Dei gratia se pendere velle ostendant. *Quia*, ajunt, *tu es* PATER NOSTER. Moses in *Cantico* [d]: *Nonne ipse est* אביך PATER TUUS, *qui te genuit?* Confer modo dicta ad ℣. 8. & Jer. XXXI. 9. 20. *Pater* nimirum, jure gemino, *Adoptionis*, & *Generationis:* quæ in civili statu diversa, hic concurrunt. *Genuisse* Deus hunc *Populum* dicitur, quando illum multo cum labore & cura sibi veluti *comparatum* eduxit ex Ægypto, & absque mediis & auxiliis externis tanquam *ex se* edidit, ut *nomen suum* cum cultu veri Dei in iis propagaretur, & ut venirent in partem *hæreditatis* Dei, typicæ & veræ: tum præterea *comparate* ad alias Gentes, *adoptasse in filios*, quando posteros Israëlis לקח *assumpsit* in Populum [e], & *posuit in filios* [f], quo sensu Apostolus iis vindicat υἱοθεσίαν [g]. PRIMOGENITUS autem Dei FILIUS dicitur *Israël* [h], quod multis beneficiis & privilegiis supra alios orbis terrarum populos mactus esset factus: sed quod *huc* directe non pertinet. Atqui reponi poterat, illos *Abrahamo* & *Israële* satos esse: quid itaque Deum jactent *Patrem?* Non eunt inficias; nec pudet ipsos honestissimorum natalium: sed *Deum* ajunt, esse *Patrem* suum VERUM, & ÆTERNUM. cæteros fuisse brevis ævi; & vel sui nescios esse, vel à quibus si status sui nescii non sint, nihil curationis & auxilii in præsenti exspectare queant; quibus nihil in beneficiis superioris temporis debuerunt; & à quibus in præsenti nihil sperent: quæ verba propius inspicienda sunt.

Respectus Dei ad Israëlitas, ut *Patris* ad *filios*: qui declaratur.

Occurrunt exceptioni; esse illos Filios *Abrahæ* & *Jacobi*; quos ajunt se *nescire.*

Primo observandum, in generali aspectu hujus sententiæ, sub *Abrahamo* & *Israële* intelligi posse, non tantum ipsos illos Patriarchas; sed quoque omnes Abrahamo & Jacobo genitos, proximiores Patres, eximios Viros, Principes cujusque domus, vita dudum functos, ut Hebræi Intt. jam animadverterunt. cæteroquin enim, si in Patriarchis solis hæreas: nulla videbatur gravis ratio, cur excluderetur Isaacus. Et tamen forte est aliqua, non spernenda. Prophetæ enim nostri oratio omni loco singularis est & ne in minimis quidem emphasin negligit. Quod enim *Isaacus* æque *Esavidarum* ac *Jacobidarum* Genitor esset; atque adeo Jacobidæ hanc laudem cum Esavidis partirentur, quos sibi comparari nolint: *Isaacum* prætereunt. Princeps Gentis, cui Vocatio cœlestis cum promissis Gratiæ obtigerat, erat Abrahamus: proximus Israëlitarum Pater censebatur Jacobus. Secundo; non videtur probabile, Supplices hic loqui de cognitione *intellectuali*, aut de notitia *discretionis* vel *affectus.* Vox ידע *cognoscere*, & affinis notio הכיר, γινώσκειν, ἐπιγινώσκειν, usu Gentium & stylo Scripturæ, varie sumuntur: in universum quidem pro notitia sive apprehensione intellectuali; deinde quoque de actu mentis quo quis rem à re διακρίνει *discernit*; aut de *affectu*, quo in rem aut personam fertur: cujusmodi loca obvia sunt. Quid enim ad rem pertinebat, an Patres ipsorum fato functi status miseri posterorum suorum intellectualem notitiam haberent; nec ne? Quid etiam, si Deus ipse? quod

Quid hic intelligendum sub *Abrahamo* & *Jacobo.* Cur hic nulla mentio *Isaaci?*

Voces *cognoscere*, *agnoscere*, hic non significant *notitiam intellectualem*, vel *affectum.*

Quod evincitur.

a Rom. XI. 28. *b* Rom. XI. 29. *c* Rom. XI. 23. *d* Deut. XXXII. 6. *e* Exod. VI. 6. Deut. IV. 20. *f* Deut. XIV. 1. *g* Rom. IX. 4. *h* Exod. IV. 22.

quod abſque dubitatione ſupponendum: ut proinde hic otioſum ſit diſputare, num fato functi earum rerum quæ ad notitiam ſtatus Eccleſiæ in terris pertinent, ex revelatione conſequantur ſcientiam. Cenſeo, generalem notitiam ſtatus Populi Dei; aut majora Divinæ Providentiæ & Gratiæ Opera in uſum Eccleſiæ effecta; non ignorari ab animabus quæ ſunt in communione Dei: ſed multum dubitem, an Veteres ſecundum præjudicium ſui temporis, quo fato functos exiſtimabant deſcendere εἰς ᾅδην, *in inferos*, hoc eſt, in ὑπόγειον κίνησιν, *domicilium ſubterraneum*, ut eſt apud Æſchinem [a]: (de qua hypotheſi egi ad Cap. XIV. 15.) animabus à corpore ſolutis, licet eorum extantiam agnoverint, adſcripſerint notitiam rerum quæ in hiſce terris geruntur. quod enim de Samuele [b] à Pythoniſſa ex inferis excitato, huc in contrarium adferri poſſet; ne de fictione ſchematis nunc quicquam dicam, ex ipſa quoque hypotheſi Veterum huc parum facit. cenſebant enim illi, apud inferos quemque perſonam ſtatumque ſuum tueri, quem in vivis ſuſtinuerat. Dixi pariter, verba non eſſe accipienda de cognitione ἐπιγνώσεως *agnitionis*, διακρίσεως *diſcretionis*, *affectus*, *approbationis*, ut ſenſus ſit; *Abraham* & *Iſraël* non *agnoſcunt* nos pro veris ſuis filiis: non vident in nobis ſuam imaginem: quin potius nos habent pro filiis *degeneribus*; ex ſenſu loci Cap. XXIX. 22. Piſcator, & forte alii, in hanc venerunt ſententiam; meminitque etiam ejus alibi [c] Doctiſſimus Interpres; licet eam in commentatione hujus loci prætereat. Fateor, non videre me, quid illud ad rem faciat in hac Supplicatione. Eſtne ita, ut vult Piſcator, Licet Abraham & Iſraël nos habeant pro filiis degeneribus ac reprobis: tu tamen nos habe & agnoſce pro veris tuis filiis? Quid ſtringit hæc ratio in oratione? Imo vero num ex eo non multo majori jure colligas contrarium? Si ab Abrahamo & Iſraële *Patribus* ſpernantur; qua ſpecie obtinebunt, ut à Deo pro *filiis* agnoſcantur? Eſtne Dei aliud judicium de ſtatu ſpirituali ac Abrahami & Iſraëlis? Præſtabat itaque id in oratione præterire ac diſſimulare, quippe quod non faveret cauſſæ; quam in medium producere. Ergo vox *cognitionis* hic ſumitur pro actu mentis, quo quis *cura* rei afficitur; rei rationem habet; ei providet conſilio, ope, ut in aliis locis. Poëta ſacer [d]: *Quando anima mea in me obruta erat*, ידעת נתיבתי COGNOVISTI, (curaſti,) *greſſum meum*. Rurſus [e]: *Jehova*, *Quid eſt homo*, ותדעהו *quod illum* COGNOSCAS? Ejus rationem habeas; eum cures, & *viſites*. Naomi ad Rutham, nurum [f]: *Benedictus ſit*, מכירך *qui te* COGNOVIT. tui curam geſſit; rationem habuit; cauſſam tuam fecit ſuam. Moſes de Levi [g]: *Fratres ſuos* (exequendo vindictam Dei adverſus fœdifragos,) לא הכיר *non* COGNOVIT. eorum nullam rationem habuit. Id itaque dicunt Supplices; agnoſcimus Patres majoreſque noſtros naturales, Abrahamum, Jacobum: ſed cum illi dudum eſſe deſierint, & quo ſunt ſtatu noſtri nullam habere poſſint curam ac rationem; nullum nobis adferre ſubſidium aut opem: ad te confugimus Patrem æternum, Patribus noſtris naturalibus infinito perfectiorem, potentiorem; qui majores noſtros magno labore comparaſti eoſque in Filios & Populum tuum ſolenniter aſſumpſiſti: te invocamus *Patrem*, tibi ſupplicamus, ut à Parentibus naturalibus deſtitutis & in ſinum tuum revolutis opem feras. Vir ſanctus [h]: *Quia Pater meus, & mater mea me deſtituerunt: ſed Jehova colligit me.* Sic Chaldæus, licet verba ut *temporis præteriti* accipiat: ארי את הוא דרחמך עלנא סגיאין כאב על בנין ארי אברהם וגו׳ *Quia tu Ille es, cujus miſerationes* (vertit Interpres: *Quia tu es, & miſerationes tuæ*, acſi legiſſet, ורחמך: ſed nullo ſenſu;) *tam copioſæ ſunt in nos, quam Patris in filios: ſiquidem Abraham nos ex Ægypto non eduxit, & Iſraël non fecit nobis mirabilia in Deſerto, ſeqq.*

Veterum ſenſus de ſcientia fato functorum.

Non eſt quoque hic cogitandum de *cognitione diſcretiva.*

Ratio ſententiæ.

Cognoſcere hic valet *cura rei affici.* Exempla hujus uſus notionis.

Senſus orationis Prophetæ.

Chaldæi Int. verba.

Nec tamen in eo ſubſiſto. Viderunt jam Docti Viri, aliquid plus & majus his verbis contineri; licet non diſerte explicent, ſecundum quam interpretationis Legem *ſenſum*, quem nunc in mente habeo, ex verbis Prophetæ eliciant. Viderunt, inquam, Supplices his verbis apud Deum teſtificari illam animi ſui affectionem, qua abnegent omnia ſua, & Patrum ſuorum, merita; fiduciamque ponant in ſola ipſius gratia, à qua omnem liberationem & ſalutem ſuam ſuſpendunt. Pellicanus: *Nihil confidimus de Patrum noſtrorum meritis, quicunque tandem & qualeſcunque fuerint, ſeqq.* Coccejus: *Neque confidere Abrahami meritis, ſed gloriari in eo qui major eſſet Abrahamo, ſeqq.* Probo dicta & laudo. Obtinet in hoc dicto figura orationis quæ *Metalepſis* dicitur, qua ſub cognatis cognata intelliguntur, quorum longa ſeries eſt apud doctiſſimum Grammaticum [i]. Elegans ejus ſpecimen eſt, quod, niſi fallor, alibi jam produxi, in verbis Pauli ad *Corinthios* [k]: *Si quis diligit Deum, ὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ is ab ipſo cognoſcitur.* Integra ſententia eſt; *Is cognoſcit ipſum, & ab ipſo cognoſcitur.* Alterum ejus quod dicendum erat, tantum exprimitur. Sed habuimus recens exemplum in ỳſ. 14. hujus *Sectionis.* Cape igitur dictum in omni ſua latitudine, *Siquidem Abraham non novit nos, & Iſraël non cognovit nos*; & viciſſim *Nos non novimus Abrahamum, nec Jacobum:* h. e. ipſos & ipſorum merita non reſpicimus; ſed unice ponimus fiduciam in tua Gratia & Miſericordia, cum meritorum noſtrorum & ipſorum plenaria abnegatione: quippe perſuaſi, ipſos quoque illos quicquid fuerunt, tuæ debere gratiæ. quæ itaque confeſſio vere erit pœnitentium & Supplicum Judæorum, quo tempore *revelatis oculis* ſuam recognoſcent miſeriam, & gratiam apud Deum quærent in meritis Meſſiæ, Jeſu; non crepantes amplius, ut ſolebant, זכורת אבות *merita Patrum:* licet etiam hac parte nunc multo ſint modeſtiores *A*. Repetunt itaque & ſubjiciunt, *Tu Jehova es Pater noſter*, verus, æternus; *Redemptor noſter à ſæculo, nomen tuum.* Οἱ ὁ. Ἀπ' ἀρχῆς τὸ ὄνομά σε ἐφ' ἡμᾶς ἐστι· *A ſæculo nomen tuum ſuper nos eſt.* מעולם שמך עלינו: non inepto quidem ſenſu, ſed quem nulla neceſſitas urget. Reſpiciunt utique Supplices Liberationem ex Ægypto, ut facile patet ex ỳſ. 11. ut

Majus quid his verbis contineri.

Supplices hic abnegant juſtitiam & merita Patrum.

Metalepſis in h. l.

Locus 1 Cor. VIII. 3.

Non crepant amplius merita Patrum.

Deum agnoſcunt *Patrem*,

a *Dialog.* Socr. III. *b* 1 Sam. XXVIII. 13. 18. *c* *Lex* ad voc. הכיר. *d* Pſ. CXLII. 4. *e* Pſ. CXLIV. 3. *f* Ruth. II. 19. *g* Deut. XXXIII. 9. *h* Pſ. XXVII. 10. *i* Glaſſ. *Gramm. S.* Lib. III. Tract. III. Can. II. *k* 1 Cor. VIII. 3.

A Apud Talmudicos & Paraphraſtas non infrequens eſt mentio זכות אבות *meritorum Patrum.* ut v. gr. Pſ. LXXXIV. 10. verba, *Clypeus noſter qui es, reſpice Deus, & intuere faciem Unctii tui:* vertit Paraphraſtes: זכות אבהתנא חמי אלהים ואסתכל אנפי משיחך MERITA PATRUM NOSTRORUM *reſpice Deus, & adverte animum ad faciem Chriſti tui.* Deinceps ad Cap. LXIV. 5. בעובדי אבהתנא צדקיא דמן עלמא אנחנו מתפרקין *Propter* OPERA PATRUM NOSTRORUM JUSTORUM *qui à ſæculo fuerunt, nos ſalvi evadimus.* In prima *Benedictione* famoſæ formulæ τῶν *Schemon-Exre*, ſive *Octodenarum*: *Benedictus ſit* --- זוכר חסדי אבות *qui recordatur* OFFICIORUM PIETATIS PATRUM. Rurſus in *Leiturgia Germ.* fol. LXX. c. 1. וזוכר חסדי אבות *Et memor pietatis Patrum.* Et verum tamen, Judæos in Leiturgiis hodierni temporis ſe multo modeſtius componere, & videri velle, *omni juſtitia ſua abnegata*, unice fidere *Divinæ Gratiæ.* Sume exemplum ex eadem Leiturgia, fol. IV. c. 1. *Domine omnium ſæculorum: non ſupra Juſtitias noſtras profundimus Supplicationes noſtras coram te: ſed ſuper miſerationibus tuis multis.* (Dan. IX. 18.) מרה אנו מרה חיינו מרה חסדנו מרה צדקנו מרה ישענו מרה כחנו ומרה גבורתינו מרה נאמר לפניך יי אלהינו ואלוהי אבותינו וכו׳ *Quid enim nos ſumus? quid vita noſtra?* QUID PIETAS NOSTRA? QUID JUSTITIA NOSTRA? *quid vis noſtra? & quid facultates noſtræ? Quid dicemus coram te, Domine Deus noſter, & Deus Patrum noſtrorum, & ſeqq.* Alia multa ejus generis tranſeo. Eſtne itaque ita, ut Abarbenel ſcribit in Libro *Maſchmiah Jeſchua*, quo explicat ſpem Gentis, fol. VII. c. 3. quod ex ſententia Moſis Nachmanidæ, qui vere ex Judæis omnibus propius ad nos acceſſit, המרה זכות אבות *ceſſet* MERITUM PATRUM. Quin ipſe quoque in eundem ſenſum ſcribit, ad verba *commatis* ſequentis, *Convertere propter ſervos tuos, tribus hæreditatis tuæ:* שוב מחרון אפך בזכות יעב שבטים שחיו עבדיך לא בזכות אברהם וישראל בעבור שהם תמרה זכותם *Revertere ab excandeſcentia iræ tua propter meritum* XII *tribuum, quæ fuerunt Servi tui: non propter meritum Abrahami & Iſraëlis, quorum merita jam finita ſunt.* Adeſt ζυμὴ τῶν φαρισαίων καὶ γραμματέων. Cætera ſatis certum eſt, Judæos, nec ſua, nec Patrum merita, plane abnegare; ſed ſic cenſere, etiamſi Juſtis ſint *opera bona*, quibus niti queant, in precatione tamen apud Deum inſtituta ſic verſari, ut quicquid petunt à Deo, petant nomine *gratuiti doni.* de quo extant clariſſima Salomonis Jarchii verba, ad vocem החתנן, producta à Doctiſſimo Viro Simeone Muſſio, *Var. Sac.* ad Deut. III. 23.

11. ut mirum sit, Virum aliquem Doctum hic cogitasse de *aterno* Dei *consilio*. Oratio est tenerrimi affectus, & ad persuadendum aptissima. Utique enim cum negari non posset *Paternus* Dei ad Israëlitas *respectus:* quid æquius & rationi congruentius, quam ut sub nomine *Patris* invocatus *filius* valde laborantibus succurrat, & *miserationibus* affectus Paterni, huc usque veluti *oppressis* ac se *continentibus*, locum faciat? Imo vero licet appellatio Dei ut *Patris* Judæis convenire potuerit sub Oeconomia Vetere; respectu typicæ Generationis, Adoptionis, *Curæ* atque *Affectus* Paterni, quo Deus hanc Gentem peculiari plane providentia prosequutus est, ut supra declaravi: eaque usu jam recepta fuerit, (ut hodiedum) ætate Christi Jesu in *Liturgiis Precum publicarum:* observamus tamen in tenerrima hac appellatione in hisce pœnitentibus *primitias Spiritus adoptionis*, per quem sub Oeconomia meliore *clamamus* cum fiducia, Ἀββᾶ ὁ Πατήρ· ABBA PATER *a*. Accedit honorifica appellatio GOELIS, *Vindicis*, olim comparata in Ægypto, per tot sæcula celebrata, nunc veluti neglecta; quam merita novo opere illustrari postulant, ut pateſcat publice, ipsos in *Redemptione meliore Filii Dei* sortem accepisse.

Possunt hic observari primi motus *Spiritus Adoptionis.*

(c.) Ex respectu *miseriæ* & calamitatis præsentis.

a. Spiritualis.

Ratio tertia sumpta à respectu *miseriæ* præsentis.

℣. 17. *Quare* NOS FACIS ERRARE, *Jehova, à viis tuis?* INDURAS *corda nostra, ne te revereamur? Convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ?*] Crescit in precibus audacia; dum enim tertiam rationem Liberationis proponunt ex respectu tristissimi *Judicii*, cui succumbunt: audent cum ipso Deo expostulare, quare sua providentia permiserit, ut inciderint in gravissimum peccatum *erroris* & *stuporis*, hujus Judicii veram caussam. potuisse enim Deum illud *peccatum*, ac proinde *judicium* quoque, illius sequelam, avertere. Videri posset vox תקשית INDURAS hic non satis certæ significationis. Hieronymus verterat per *indurasti*, sequutus Alexandrinum, cujus est, Ἐσκλήρυνας τὰς καρδίας ἡμῶν. Syrus idem exhibet. Extat vox תקשית præter hunc locum semel apud Jobum in descriptione *Struthionis*, Cap. XXXIX. 19. הקשית בניה לא לה *Duriter tractat pullos suos, acsi non essent sui.* Sic meliores Interpretes; probatque versionem Cl. Bochartus *b*; simul illustrat, collato hoc loco, significationem vocabuli ex Lingua Arabum. Mutuo sumpta est hæc notatio vocis ex affini radice קשה *durum esse*; הקשה *obdurare.* nisi quod mutatio ה in ת, enunciationis videlicet *lenioris* in *asperiorem*, significatum ejus videatur intendere. utique analogia hujus loci simile quid postulat. Si ad rem venias: vides, Supplices hosce supponere & agnoscere, *Gentem* suam cujus ipsi partem faciebant, esse & longum tempus fuisse in *gravi errore*; & in statu *duritiei cordis*, per quam alienabantur à vera Dei reverentia: deinde, illos hunc statum Gentis suæ referre ad Deum, ut ad causſam. Utrumque paucis expediendum. *Errorem* qui hic memoratur, *errorem* esse in causſa Religionis, sive theoreticum, quo quis de Deo & via salutis siniſtre ac perverse judicat; sive practicum, quo quis Divinæ Legis præcepta, canonem & normam actionum nostrarum, transgreditur, & transgrediendo exorbitat; non est dubium: estque illa significatio vocis usu satis recepta: de quo proxime vidimus ad Cap. LIII. 6. Ambiguum solummodo videri posset, hiccine magis ad errorem *judicii*; num *voluntatis* & *actionum*, respiciatur. Passim ambo conjunguntur; attamen videri posset hic primo loco, alludi ad errorem capitalem judicii circa Religionem, qui semper post se trahit gravissima peccata. Vox תעה *errare*, πλανᾶσθαι, ea notione passim usurpatur. Jesaias ea sic usus est Cap. XXIX. 14. וידעו תעי רוח בינה *Et intelligent* ERRANTES *corde prudentiam.* h. e. ut mox exponitur, לקח *doctrinam* veram & rationalem de via salutis. Dominus ad Sadducæos *c*: Πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφάς. Idem de Pseudoprophetis *d*: Καὶ πλανήσουσι πολλούς. Judæi apud Joannem *e*: Πλανᾷ τὸν ὄχλον. Sed error judicii in causſa Religionis, si capitalis est, semper post se trahit gravissima peccata; ut v. gr. exemplum est in *incredulitate*, & *idololatria Populi Judaï*, non levissimis vitiis. *Durities cordis* est obstinatio animi in qualicunque re; sive in sensu & judicio, ut v. gr. incredulitate & errore; sive in proposito; sive in instituto vitæ: quam qualitatem vitiosam descripsi, ad Cap. XLVIII. 4. Qualis vero hic intelligatur *aberratio & induratio rigida, pertinax*, inflexilis, (quam vim significationis agnoscimus in voce תקשית,) secundum nostram hypothesin nemo ambigit. Est enim πώρωσις *obstinatio indurata & calloſa* Gentis Judææ, qua pertinaciter persistit in crasso & pœnitendo *errore* judicii de vero Messia, ejusque erroris comite, *incredulitate*; hujusque consequentibus gravissimis vitiis & *blasphemiis* adversus Filium Dei commissis. Si quis mores Gentis cum respectu ad civile commercium consideret: facile in iis observet magna quædam vitia à corrupta hominum natura non abhorrentia, veluti effusissimi ac vere insatiabilis studii rerum terrestrium, ac carnalium: nummorum, inquam, arte, dolo, fraude, injustitia, avidissime colligendorum, quæ sitis ipsos noctu atque interdiu urget; & voluptatum venerearum, quarum in Talmude & commentationibus aliis lubenter & quæsite meminerunt. Sed cum Judæi hac parte multis Christiani nominis hominibus non sint deteriores; neque in his vitiis constitui possit illa πώρωσις *induratio*, σκοτισμὸς *obtenebratio*, κατάνυξις *sopor*, τύφλωσις *excæcatio*, quam Apostolus ex prophetiis ipsius nostri Jesaiæ *f* demonstrat *g*, huic Genti obventuram esse: necessum utique est hisce verbis significari *capitale* quoddam *crimen* quod versetur in obstinato & pœnitendo errore circa Religionem; quod crimen vel oportet esse *idololatriam*, vel *incredulitatem.* Interim Judæi Interpretes dum hæc ipsa verba applicant ad præsentem statum suum: se hic loci vehementer impediunt ipsi. Expositurі enim qua in re consistat illa *aberratio à viis Dei*, & *induratio*, alienans Gentem *à timore Nominis Dei*, in præsenti Exilio, dum utique idololatria omni abstinent, & in cultu Dei secundum ritum Synagogæ satis adsidui se exercent: nihil habent quod huc adferant, quam, Longitudinem Exilii, in quo nulla plane favoris Divini signa appareant, in causſa esse quod Judæorum aliqui incidant in dubitationem de veritate Fidei suæ & Miraculorum in usum Gentis suæ olim editorum; & aliqui etiam in desperationem & meram incredulitatem: quod verò parti accidit, id hoc in loco toti Genti imputari. Equidem extra dubium positum est, rem ita se habere, idque nostris temporibus ex variis exemplis constitit: sed plane nego, id huic loco convenire. *Induratio & aberratio* hic ponitur causſa calamitatis, in longum productæ: qua causſa sublata, ipse quoque ille status calamitatis in melius mutaretur: non sane *calamitas* eaque protracta causſa *aberrationis & indurationis.* Ergo cogitent Judæi altius, & vel ex hoc loco colligant, triste illud judicium *excæcationis & indurationis*, cujus hic & in analogis locis mentio fit, non posse esse aliud, quam de quo Apostoli ipsos convicerunt, & Doctores Evangelii eos convincere non desinunt; h. e. *incredulitatis & stuporis* circa Verbum Evangelii, & verum *Messiam*, ingentis beneficii loco Mundo datum.

Respectus vocis תקשית h. l.

Locus Job. XXXIX. 19.

Genuina ejus notatio.

Bochartus laudatus.

Supplices hic agnoscunt *errorem*, & in errore *indurationem.*

Cujus generis *error* hic intelligatur?

Presſius definitur, hic primo loco videri intelligi *errorem* circa Doctrinam Religionis.

Usus vocis תעה, & Græc. πλανᾶν.

Qua re consistat *Durities cordis?*

Induratio Gentis Judææ cum respectu ad præsentem locum describitur.

Versatur illa *induratio* circa errorem & stuporem circa Doctrinam veræ Religionis.

Judæi Instr. hic impediti.

Effugio ipsorum occurritur.

Quid vero illud, quod hunc tristem statum suum spiritualem Deo imputare videantur? quodque ea de re cum Deo veluti expostulent acsi causſam ejus nescirent? QUARE ajunt, *nos facis deerrare de viis tuis, ô Jehova? induras corda nostra?* Respondeo, primo, quod Deo hoc judicium imputent, ut supremæ causſæ, in eo nihil ipsos vitii committere, cum Deus ipse id sibi imputet & adscribat, ut liquet ex clarissimis locis

Quo sensu tristem hunc statum suum Deo *imputent*, tanquam causſæ? Observatur, Deum ipsum *sibi*

a Rom. VIII. 15. *b Hieroz.* Part. II. Lib. II. Cap. XVII. *c* Matth. XXII. 29. *d* Cap. XXIV. 11. *e* Cap. VII. 12. *f* Jes. VI. 9. XXIX. 10. *g* Rom. XI. 9. seqq.

hunc effectum adſcribere. locis modo allegatis Cap. VI. 9. XXIX. 10. Non ſane hoc ſenſu, acſi Deus ipſe per ſe *ἀμέσως judicium* hominis *corrumperet*, aut *affectum* obſtinationis in errore in homine produceret: quippe quod puritati naturæ ejus minime convenit: ſed, α. Quod homines ſuo vitio & culpa *ſuperbos* atque *arrogantes*, ob contemptum veritatis abunde demonſtratæ, *ſinat ire in viis ſuis* [a], omni auxilio gratiæ iis adempto; & remoram non ponat, quo minus Satanas eos excæcet, & in errore aut propoſito malæ voluntatis induret. β. Quod ſuæ providentiæ conſilio circumſtantias rerum temporumque Mundi & Eccleſiæ ſic diſponat, ut Satanas ex iis circumſtantiis argumenta capere poſſit, quibus oſores veritatis ob prædominantem affectum contrarium in errore aut mala voluntate confirmet. de quo ad illa & ſimilia loca abunde egi. ut adeo Deus hic non ſit *cauſſa per ſe*, ſed *per accidens*; ut ipſi Hebræi. Secundo, quando quærunt, veluti cum Deo expoſtulantes, QUARE; non utique dicere volunt, cauſſam vel cauſſas ſuæ indurationis & iræ in ſe Divinæ à ſe ignorari; ſed multas eſſe rationes quæ propoſito continuandæ indignationis videantur obſtare; ut ſi inter ſe comparentur rationes, cur Deus eos tam longum tempus deſtituerit; & cur modum ponere debeat ſuæ indignationi; poſteriores vincere videantur. Hanc ſignificationem paſſim obtinet in querelis, ut in *Odis Davidicis* ſæpius: *Quare ſtas è longinquo* [b]? *Quare repudias in æternum* [c]? non ſane quod nullæ Deo rationes eſſent juſtæ, cur ſic inſtitueret; ſed quod aliæ rationes in contrarium has vincere viderentur; & Deo glorioſum non eſſet, indignationem ſuam in æternum protrahere. Utique qui alium movere ſtudet: id quod maxime ſibi adverſum eſt diſſimulat, & objicit ei, apud quem intercedit, rationes alias cauſſæ ſuæ faventiores. Cenſebatur autem Deus in cauſſa eſſe protractæ *indurationis* & *aberrationis*, quod ſi vellet, ſua gratia eam potis eſſet tollere ac removere. Precantur itaque ipſum *Supplices*, ut *ad ſe redire*, & *converti* velit *propter ſervos ſuos, tribus hæreditatis ſuæ:* h. e. ut gaudeat pleno fructu electionis Jacobidarum in *ſervos ſuos*, & *in hæreditatem à ſe poſſidendam*; quem ſcopum electionis Jacobidarum Propheta in ſuperioribus ſæpius oſtenderat. confer loca Cap. XLI. 8. 9. XLIV. 1. ſeqq. & de *hæreditate*, Cap. XLVII. 6. Simile eſt quod dicitur in Cantico Moſis [d]: *Quia Jehova Populum ſuum* JUDICABIT, (vindicabit, jus ejus exequetur,) *& ſuper* SERVIS SUIS *afficietur pœnitudine.* quod ſi Deus non faceret: videretur Jacobi poſteros *fruſtra* elegiſſe, nec aſſequutus eſſe verum electionis ipſorum ſcopum. quæ nova ratio eſt ad movendum efficax. Plura his non addo. Uſus *præfixæ* מ in voce מיראתך *à timore tuo*, h. e. ut à timore & reverentia tua alienemur; frequens accidit in oratione ſacra. confer Cap. LIV. 9.

Quo ſenſu id intelligendum ſit? Res ipſa declaratur.

Quid ſibi velit quæſtio de *ratione* hujus judicii ſub vocula *quare?*

Continuatio ſupplicationis.

Locus analogus Deut. XXXII. 36.

b. Temporalis.

Calamitas *temporalis*, ỳſ. 18.

ỳſ. 18. AD EXIGUUM tempus, *poſſedit Populus tuus ſanctus* terram: *hoſtes tui conculcarunt Sanctuarium tuum.* ỳſ. 19. FACTI SUMUS TANQUAM QUIBUS A SÆCULO DOMINATUS NON ES: *tanquam ſuper quibus Nomen tuum nuncupatum non fuit.*] Non eſt dubium, hic deſcribi calamitatem Status externi Populi Judæi, cujus Populi hæc eſt ſupplicatio. quam deſcriptionem ſi compares cum repetita ejuſdem calamitatis deſcriptione, ỳſ. 10. 11. nihil ambiges, quin verba hæc competant in Statum Populi Judæi, terra ſua exulis; Sanctuario & Urbe ab hoſte occupatis & deſtructis. Attamen ſi ad verba ipſa interpretanda accedas: deprehendis, eſſe in membris hujus orationis, in quorum genuino ſenſu definiendo Docti Interpretes non abſque ratione hæſitent. Prius membrum: למצער ירשו עם קדשך vertas, AD EXIGUUM ſc. tempus *poſſederunt Populus tuus Sanctus* ſc. terram ſibi deſtinatam in hæreditatem. vel etiam, PROPEMODUM *poſſederunt Populum tuum Sanctum* ſ. hoſtes. Sic Coccejus. Grotius, *Ad breve tempus poſſederunt Populum tuum Sanctum.* Priori verſioni favent Kimchius, Pagninus, Piſcator. Sunt præterea expoſitiones aliæ, quas ſuo loco relinquo ut minus probabiles, ut Hieronymi: *Quaſi nihilum poſſederunt Populum tuum Sanctum.* acſi legiſſet כמצער. Jun. Trem. *Ad minimum uſque hæreditario jure poſſederunt Populum tuum Sanctum.* Mirum, hominibus doctis, ſed in verſione ſua paſſim paradoxis & obſcuris, potuiſſe probari hanc ſignificationem vocis למצער. Ejuſdem ſpeciei eſt ea Abarbenelis, qui per מצער EXIGUUM hic intelligit *terram Canaanæam*, & in ea præcipue MONTEM TSIONIS, quem cenſet appellari הר מצער *Montanum exiguum*, Pſ. XLII. 7. ut cohæreat ſententia cum ſuperioribus, *Revertere*, propter Servos tuos, tribus tuas hæreditarias, cum *Schechina tua*, *in Montem Tſion*; quem ſc. Montem Populus tuus Sanctus peculiari quodam jure poſſidet. Hei mihi! quam longe quæſitum. Quod ad ſpecimina duarum priorum verſionum attinet: utramque conſiſtere poſſe putem cum phraſiologia Hebræa. Nec tamen למצער ullibi adoptat ſignificationem *propemodum*; & forte rectius ſic verteretur ſcripta כמצער quam למצער: ut כמעט Hebræis *prope*, *fere*; non למעט. quod tamen nimium urgere nolim. Dicam planius; ſi abſque ullo reſpectu hypotheſios interpretationis, verba exponenda ſint: videri Kimchianam expoſitionem probabiliorem; quia vox מוער (ejuſdem ſignificationis cum מצער,) Prophetæ noſtro bis ſumitur ſignificatione *temporis* [e]; & *præfixa* ל vocabulis *temporis* optime præſignatur; pariter ut vox ירש, *hæreditario jure poſſidere*, etiamſi ſola uſurpetur, optime refertur ad *terram.* Tum præterea ſi ſupponas, Supplicationem hanc à Pœnitentibus profundendam eſſe in fine diuturni illius & moleſti Exilii Romani, in quo Judæa Gens hoc ipſo tempore verſatur, quod ipſe quoque Hebræus Interpres opinatur: nemo neget, hanc expoſitionem quoque *rei ipſi* optime quadrare. Inſtituta enim comparatione temporis, quo Populus Judæus ut Populus liber totam Canaanæam ſibi ſubjectam habuit, (quippe terram Duce Joſua occupatam fere uſque ad Davidis tempora variis locis mixtim cum antiquis poſſeſſoribus coluit, & in ea à vicinis Gentibus ſæpius oppreſſus fuit; Exilio Babylonico ex terra expellendus: rurſus poſt Exilium, dum pars ſolummodo Exulum in terram rediit; pars ipſius terræ media à Samaritanis ſive Cuthæis, pars alia ab Idumæis occupata eſt: cum vero Aſſamonæi Gentem difficillimo opere tandem vindicaſſent in libertatem & hæreditariam poſſeſſionem Patrum; illis tamen inter ſe diſſidentibus & de Regno decertantibus, termini poſſeſſionis per Pompejum rurſus acciſi ſunt, & Judæi permiſceri cœperunt Romanis, uſque quo Respublica tota rurſus ab iis everſa eſt:) inſtituta, inquam, hujus temporis comparatione cum diuturno hoc præſenti Exilio, in quo jam ſeptimo decimo Sæculo verſantur, recte dicunt Supplices, ſe terram illam ſibi in hæreditatem promiſſam *ad exiguum* tantum *poſſediſſe*, non, inquam, *ἁπλῶς absolute*, ſed *σχετικῶς comparate*: atque adeo ipſi quoque Belgæ noſtri Interpretes, qui cenſent reſpici hic Exilium Babylonicum, hanc tamen verſionem cæteris prætulerunt. Veruntamen qui Grotium ſequuti autumant, hic reſpici tempora afflictionis Maccabaicæ: neceſſe habent amplecti verſionem Cl. Cocceji, Grotiana multo meliorem, ut dicant Supplices, *Propemodum ut hæreditatem occuparunt* (ſc. *hoſtes*) *Populum tuum ſanctum*: exceptis hiſce ipſis Heroibus Maccabaicis & Grege piorum ac zelotarum Religionis Patriæ, cujus Gregis ſe profitebantur Δημόχαρις. quando vox צרים *hoſtes* ex *ſequenti membro* repetenda eſt. Verum non pœnitet nos ſuſceptæ hypotheſios, & ad eam accommodatæ *verſionis* quam propoſui.

Eadem fere incertitudo *verſionis* recte conſtituendæ reſidet in *ſequenti commate*, 19. ubi ipſi quoque Hebræi Interpretes diviſi ſunt. Hebræa ſic ſe habent, היינו מעולם לא משלת בם לא נקרא שמך עליהם quæ geminam ſuſti-

Sunt tamen in verbis dubia literalia.

Prius membrum, *Ad exiguum poſſederunt*, &c.

Gemina ejus interpretatio, ejuſque auctores.

Specimina duarum Verſionum ſuperiorum ſubjiciuntur ἐπιχρίσεως.

Prior præfertur. Rationes illius διακρίσεως.

Convenit quoque hypotheſi aſſumptæ. Quod demonſtratur.

Propior animadverſio ad interpretationem poſteriorem.

Difficultas altera ad *ſequens membrum*, *Fuimus tanquam*, &c.

a Pſ. LXXXI. 13. b Pſ. XII. 1. c Pſ. LXXIV. 1. d Deut. XXXII. 36. e Cap. X. 24. XXIX. 17.

Specimen prioris *verſionis.* ſuſtinent verſionem. Reddere licet, *Fuimus à ſæculo* ſc. Populus tuus: *Non dominatus es* IPSIS, ſc. hoſtibus: *non eſt nuncupatum Nomen tuum ſuper* IPSOS. ſc. hoſtes. ergo æquum non eſt, ut illos nobis ſinas prævalere. Hæc ſenſum dant tolerabilem; ſed vide mihi quam

Tremellia-na ei favens. obſcure hæc eadem fere expreſſerit Tremellius. Ipſius ſunt: *Sumus* illi; *nunquam dominatus es in iſtos; neque invocatum eſt nomen tuum ſuper iſtos.* Poterat utique illud מעולם *à ſæculo* multo rectius referre ad *prius*,

Perinde ac Chaldæi. quam ad *poſterius* membrum, ut Chaldæus: הא אנחנא עמך דמן עלמא *Ecce nos populus tuus à ſæculo ſumus: neque enim Populis dediſti diſciplinam Legis tuæ; neque invocatum eſt ſuper ipſos nomen tuum.* Kimchius eandem

Eidem adhæret Kimchius. amplexus eſt *verſionem*; ſed ſententia generatim concepta non definivit, ad utrum membrum *propoſitionis* vox מעולם referenda ſit. Novi tamen, ſequutum eſſe Maſorethas, qui *accentum diſtinctivum* fixerunt in voce היינו *fuimus:* ſed quod ipſum ei potuiſſet perſuadere, illos nos ducere voluiſſe ad aliam verborum ſententiam; quam feliciter expreſſit Pagninus: *Fuimus* ut ii *quibus à ſæculo non es dominatus; ſuper quos non eſt invocatum nomen tuum.* Coccejus abſque ulla *ellipſi præfixæ* ב, (quam tamen ut frequentiſſimi uſus hic admittere, nihil vitii aut difficultatis habet:) *Extitimus* ii *quibus à ſæculo non imperaſti, ſeqq.* Sic plane ac diſerte Interpretes Judæi, Jarchi & Aben-Ezra; eſtque ſententia liquidiſſima; quam proinde priori longe præfero. Hieronymus aliquid etiam ejus vidit; nec tamen dicti ſententiam preſſe reddidit: *Facti ſumus quaſi in principio, cum non dominareris* NOSTRI, *neque invocaretur nomen tuum ſuper* NOS. Sic fere ad verbum *oi ó.*

Animadverſio in eam Hieronymi. Sed, *α.* In vocibus בם & עליהם ſunt *affixa tertiæ*, non *primæ* perſonæ, quam hic adhibet Hieronymus. *β.* A *quo tempore* Judæi extiterunt; cenſiti ſunt eſſe *Populus Dei.* Dixeris cum Procopio, reſpici Statum Judæorum in *Ægypto*, antequam Moſes ſe nomine Dei ipſis obtulit Liberatorem. Certe id ſubtiliter excogitatur: ſed præter neceſſitatem. liquidiora enim ad manus ſunt. Symmachi exhibentur apud Procopium: Ἐγενήθημεν ὡς ἀπ' αἰῶνος, ὧν οὐκ ἐξουσιάσεις, οὐδὲ ἐπικληθὴ τὸ ὄνομά σε ἀυτοῖς· *Fuimus velut à ſæculo quorum non* DOMINABERIS, *neque invocatum eſt nomen tuum iis.* Sic habet Curterius, & ſequitur Druſius, nihil hic obſervans: etſi pateret, commodum ſenſum non dare. Quare nullus dubitem, quin pro ἐξουσιάσεις, legendum ſit, ἐξουσίασας, *dominatus es.* nulla enim nota *futuri* eſt in voce משלת. Idem ſenſus qui noſter; & tamen clarius ſcripſiſſet, Ὡς ὧν ἀπ' αἰῶνος οὐκ ἐξουσίασας.

Verſio optime conſtitit cum hypotheſi aſſumpta. quod per partes oſtenditur. Convenit exacte hæc Supplicatio hypotheſi noſtræ, præſtatque illud σχῆμα rerum & temporis, quod nos hic ſupponimus. Ponunt illi qui hic loquuntur, *α.* Se majoreſque ſuos non longum tempus terram Canaanæam poſſediſſe, ſi comparatio inſtituatur temporis longi præſentis Exilii. *β. Sanctuarium* ab *hoſtibus*, (Romanis ſub Tito & Hadriano,) eſſe *conculcatum*, h. e. deſtructum æquatumque eſſe ſolo. מקדשים *plurali numero* ſignificat Templum [a]; non tam excellentiæ cauſſa, quam quod præter Ædem ſacram in omni ambitu ſuo conſtaret variis *atriis*, & *conclavibus* in uſum Divinum ſecretis. *γ.* Hoc tempore in illum ſe redactos eſſe ſtatum, ut ſimiles evaſerint iis quibus Deus nunquam *dominatus fuerat*, & *ſuper quos nomen Ejus nunquam nuncupatum fuerat*, h. e. tanquam qui nunquam dicti eſſent *Populus* aut *Filii Dei:* quam vim eſſe in hac phraſi explicui ad Cap. XLIII. 7. XLIV. 5. coll. cum Cap. IV. 1. Hac facie, hoc aſpectu cognoſcimus hoc tempore miſerabiles Reliquias hujus Populi per omnes Gentes Orbis terrarum diffuſas. Nullo argumento, nullo ſigno ab aliis Gentibus diſcretas pudet ſuæ profeſſionis, qua credi volunt Populus Deo charus, & præ omnibus Gentibus aliis ſolus ipſi amatus. confer Pſ. LXXIV. 9. E contrario vero incumbit ipſis iræ & excandeſcentiæ Dei magnum & grave pondus,

Hypotheſis applicatur ad Statum Judæorum hujus temporis. quod inter omnes Gentes circumferunt; ubique notati ut *fœdifragi*, *leproſi*, Deo *exoſi*, & probris Gentium onuſti. Hanc vero calamitatem ſuam pœnitendam Deo in *Supplicatione* objiciunt, ut hoc ipſo illum moveant ad miſerationem indigniſſimæ ſuæ ſortis, ut recordatus fœderis antiqui ſe recipiat in gratiam, in priſtino reponat loco, à probro liberet, & coram Populis & Gentibus argumentis quoque externis teſtatum faciat, ſe iis eſſe conciliatum. quæ argumenta qualia futura ſint, in anteceſſum difficile fuerit definire. Recte procedit ſupplicatio, niſi forte Deo ſtatutum eſſet, hunc Populum tanquam reprobum æternum repudiare: quod non poterat videri probabile. Omnes enim Interminationes Genti factæ terminantur in conſolatoriis.

β. Partis Supplicatoriæ Membrum *Alterum: Intermixta Precatio Votiva*, qua ardens deſiderium ſuæ Liberationis explicant.

Prima ratione ducta ex Exemplo deſcenſus Dei in Montem Sinai.

Partis Supplicatoriæ Membrum *Alterum*: Mixtum precationi Votum, Cap. LXIV. 1.

ỳſ. 19. med. ſecundum Maſorethas: ſed Verſ. Belg. Cap. LXIV. 1. *Utinam diſrumperes cœlos; deſcenderes, à facie tua diffluerent montes.* ỳſ. 2. *Ut ignis* CREMIA CONSUMENS *ſtrepero motu exilit:* ut IGNIS *qui* AQUAS EBULLIRE FACIT: *ad nomen tuum manifeſtum faciendum hoſtibus tuis*, ut *à facie tua Gentes commoveantur.* ỳſ. 3. *Cum faceres tremenda quæ non exſpectabamus*, DESCENDISTI: *à facie tua montes diffluxerunt.*] Interponunt Supplices, vario affectu commoti, Supplicationi ſuæ *Votum*; tum quidem varietatis & elegantiæ cauſſa, quam Propheta noſter ubique ſummam affectat; tum deſiderii ſui intenſiſſimi, quo in hoc bonum maxime optatum & optandum ferebantur: tum quoque, ut eo occaſionem captent novas Deo objiciendi rationes, quæ Bonum tam impenſe deſideratum ſibi indulgeri ſuadeant. Cohærent autem verba quæ hic exhibui, tanquam quæ ſunt unius argumenti; eſtque hæc ratio, quare in diviſione *Capitum* apud Latinos, novi inde *Capituli* exordium ducatur, quod & Belgæ imitati ſunt: cum tamen ex diſtinctione Maſorethica, priora illa, *Utinam rumperes cœlos, ſeqq.* partem faciant *commatis undeviceſimi Capitis* ſuperioris, idque *comma* claudant. Putem, Maſorethas, prudentes homines, ſic inſtituere potuiſſe, ſuppoſita *ellipſi* in *commate ſequenti*, de qua in tempore monebo: licet ipſi quoque aliis in locis non ſemper in *diſtinctionibus majoribus* accurate reſpexerint affectionem orationis *conjunctæ* vel *disjunctæ*. utique exemplum ejus eſt clariſſimum in Pſ. XCV. 7. Leguntur ibi verba, abſque dubitatione *connexa*, *Hodie ſi voci ejus auſcultaveritis: ne obdurate corda veſtra ut in Meriba.* Et tamen *prius membrum* retulerunt ad ỳſ. 7. fixo accentu *Silluk* in voce משמע *auſcultaveritis*; & novum *comma* orſi ſunt ab altero membro, *Ne obdurate corda veſtra.* Græci antiqui, ut ex Heſychianis liquet, totam *Supplicationem*, à ỳſ. 15. Cap. LXIII. uſque ad finem Cap. LXIV. complexi ſunt uno *Capitulo*, quod ex ipſorum diſtinctione eſt LXXXIV. Duo mihi hic non ſegniter agenda incumbunt: primo conſtituenda eſt vera verborum *verſio* quatenus eam aſſequi licebit. Deinde, ſenſus genuinus figuratæ orationis veſtigandus, ponderandusque erit.

Cohærentia verborum his *verſiculi* contentorum; adverſus diſtinctionem Maſorethicam. Eorum ratio.

In conſtituenda verſione, primo loco obſervari velim, Verba Hebræa, לוא קרעת שמים, eaque ſequentia, accipienda eſſe *votive*, ſive *optative*, ac proin reddenda, UTINAM *diſrumperes cœlos!* SI *diſrumperes cœlos!* Sic Hieronymus, & Recentiores forte omnes; ſuadetque illam ſententiam Lectio Maſorethica, quæ vocem לוא ſignavit לוא UTINAM, quam potuiſſent ſignare לוא NON: quomodo negandi notio לא ſæpius ſcribitur. Sic utique accepit ſententiam Paraphraſtes, membra totius orationis in hunc modum connectens abſque ullo *voti* reſpectu: *Ecce nos ſumus Populus tuus à ſæculo: non enim Populis dediſti diſciplinam Legis tuæ; neque invocatum eſt*

In conſtituenda verſione ſupponitur, Verba hæc *voti*ve accipienda eſſe.

Illi ſubinde in diſtinguendis membris orationis peculiarem ſe quuti ſunt rationem. Exemplum ex Pſ. XCV. 7.

Paraphraſtes hic non habuit rationem *voti*: ſumpſit לוא pro *non*.

ſuper

[a] Lev. XXI. 23. Pſ. LXXIV. 7.

super eos nomen tuum: NEQUE PROPTER EOS INCLINASTI COELOS, *revelatus es; à facie tua montes contremuerunt, seqq.* quam sententiam Chaldæi ubi ex *simplice* in *interrogatoriam* vertit, & pro ingenio suo formatat; nescio quid egerit Grotius. utique discessit ab interpretationis simplicitate. Verba ejus: *Nonne tu* (PROPTER NOS, addit Chaldæus,) *dirupisti cœlos.* Atqui Chaldæus scripsit: לא לחון ארכנת שמיא *Non propter ipsos inclinasti cœlos, &c.* Nihil distat Symmachus, cujus hæc conservata sunt apud Procopium: Οὐδὲ ῥήξας ὑρανὸς κατέβης· ἀπὸ προσώπε σε ὄρη κατέῤῥευσεν· ὡς ἔκκαυσις πυρὸς ἐτάκη θάλασσα. Sic distinguenda sunt verba, male interpuncta in Editione Curteriana. *Neque ruptis cœlis descendisti: à facie tua montes fluxerunt: tanquam combustio ignis tabuit mare.* Sed Masorethæ finiverunt hanc litem; & voti formula hic elegantiorem usum habet: ut proinde ab ea hic non discedamus. Alterum dubium, solutu vere difficilius, hæret in verbis, ψ. 2. כקדח אש המסים ומים תבעה אש in duo membra distinctis: quod Masorethæ nos monuerunt, fixo *accentu Rhebia* in voce המסים; & respectus vocis אש *ignis*, ut *subjecti* propositionis, facile per se evincit. Vertimus illa προληπτικῶς: *Ut ignis cremia consumens strepero motu exilit:* ut *ignis, qui aquas ebullire facit.* Dubium fere omne situm est in voce הַמָּסִים HAMASIIM, incertæ significationis, quam huc usque nemo finire ausus est nisi *per conjecturam*, ut recte Lud. de Dieu. Veteres Intt. nihil hic probabile tradunt; nedum certum: nisi quod voci המסים affixerint notionem *liquefactionis*; relata voce ad thema מסס *liquescere a:* quæ sententia recentiorum quoque multis alte sedit. Utique Interpretes Hebræi eodem vergunt; cum Hebræa Lingua nullum aliud exhibeat thema, ad quod commode reduci queat vox המסים quam ad מסס, vel affine, מסה, *liquescere.* unde Pagninus, *Ignis liquefaciens.* Cappellus, *Ignis fusorum.* Coccejus, *Ignis liquationum.* Nec tamen qui ita instituerunt Intt. vocis המסים secundum Canones Grammaticæ eam habuerunt rationem, quam oportebat. Masorethæ eam signarunt *punctis* הַמָּסִים, quæ *puncta* non conveniunt ulli *terminationi* thematis *verbalis* מסס: ne quidem si punctata vox esset הַמַּסִּים, vel הַמְּסִים. Ignis *liquefaciens* Hebræis diceretur אֵשׁ מַמְסָה, *Ignis fusorum*, אֵשׁ מְמַסִּים, & cum *præfixa* ה, הַמְמַסִּים: sed Kimchius, eumque sequuti Schindlerus, Coccejus, alii, notionem doctius tractarunt. Masorethæ vocem signantes, הַמָּסִים, hoc ipso docuerunt, Literam ה non esse quæ dicitur, δεικτικὴν *demonstrativam*; sed ingredi compositionem vocis; atque adeo statuerunt esse *formativam* Nominis הֶמֶס *liquatio, liquefactio*, ex מסס; (non הָמָס, ut Kimchius [a], cujus errorem hic emendat S. Ben Melech: conferens vocem cum תמס Ps. LVIII. 9.) *plurali* הַמָּסִים ut sensus sit, *Sicut ardet ignis liquationum. Ignem* autem *liquationum* dici volunt ignem *vehementem, & validum*, ut Kimchius. Neutiquam miror, Doctos Viros, cum nihil potius haberent quod copia linguæ iis suppeteret, huic versioni adhæsisse: si enim stare posset, daret utique optimum & orationi convenientissimum sensum: nam locum probe consideranti non relinquitur dubium, quin similitudo hic sumatur à vehementi aliquo & forti igne, qualis supponitur, qui hostes & adversarios consumeret, aut inter illos magnum excitaret motum. Liquationes autem metallorum, in ipsa quoque Canaanæa satis usitatæ, & olim & hoc tempore effici solent vehementissimo igne, eoque identidem per flabra excitato. Sed licet sententiam eousque repudiare non ausim, ut nullam ei inter probabiles locum relinquam: sunt tamen vere quæ ei videantur obstare. Primo quidem quod apud Hebræos paulo insolentior sit usus literæ ה *initialis* in *formandis* nominibus. sunt pauca ejus generis, estque frequentior ejusmodi usus *Magistris*; sed rarior in Codice sacro. Nec tamen analogia Linguæ habet quod ei repugnet, cum Litera ה sit inter *formativas* Nominum; sed usu magis recepta in *fine* quam in *initio.* Deinde, si המס ortum duceret ex themate מסס; æquum erat, in Nomine המסים, in *plurali* formando, esse signum deficientis *radicalis*, ut Litera ם impressum haberet *Dagesch.* cui respondet Kimchius, *Kametz* æquivalere τῷ *Patach* & *Dagesch:* quod verissimum; eamque mutationem in aliis casibus sæpe accidere, satis notum: & nihilominus rectius responderetur, vocem המס esse ex מסה, ejusdem significationis. Et fecerunt tamen hæc dubia, cur Docti Viri circumspexerint, an ex Linguis cognatis nullum hic peti possit subsidium, vel alia undecunque lux affulgeat. Kimchius, significatum vocis traditurus, scripserat: פירש ר' יונה חקש היבש *R. Jona interpretatur* STIPULAM ARIDAM. sed quo fundamento vel auctoritate tradiderit Magister, non addit. Lud. de Dieu, Arabice doctus, inde opem petiit. Docet, Lexicographum Arabem Elidurium tradere, vocem חמס (Arab. *Sin:*) significare *quemvis lenem* ac *submissum strepitum*, qualis est eorum qui aut *submisse loquuntur*, aut *submisse incedunt*: Camusum autem, Vocabularium alium; generaliter eo nomine denotari *occultum: unde*, ait, אש המסים erit *ignis submissitatus*, vel *submissorum strepituum*; ignis *lentus*; *non admodum strepens.* quare sic instituit locum interpretari: *Sicut ardente* (vel, *accenso*) *igne lento, aquam ebullire facit ignis: sic manifestando nomen tuum hostibus tuis, à facie tua Gentes contremiscunt.* Addit Paraphrasin, omnino hic necessariam: *Sensus est, sicut ad fervefaciendam & in bullas agendam aquam, non opus est vehemente admodum & strepero igne, sed sufficit ad id lentus & submissus: sic ad expavefaciendas Gentes sufficit nomen tuum vel innotescere ipsis.* Salva sit Viri optime de Literis nostris meriti existimatio: nihil hic probabile tradit. Si à nobis impetrare posset, ut largiremur, *lentum ignem* magnas in aquis excitare bullas: (quod quis largietur experientiæ contrarium?) utique *Ignis* qui Deum hostes suos judicaturum, & consumpturum præcedere dicitur aut figurare, stylo Scripturæ Sacræ, est ardentissimus & vel maxime strepens: non *lentus*, non *submissus.*

Neque Symmachus.

Alterum dubium, in ψ. 2. כקדח וגו׳ אש.

Dubium in voce המסי.

Vett. Intt. studia circa hunc locum.

Hebræorum & aliorum judicia de voce המסים.

Animadversio ad communem sententiam de hac voce.

Aliorum doctiores curæ, quarum ratio redditur.

Rationes, quæ proximæ sententiæ obstare videntur.

R. Jonæ sententia.

Alia conamina Virorum Doctorum, qui subsidium hic petierunt ex Lingua Arabica.

Primum ejus specimen.

In illud ἐπίκρισις.

Poëta

---

[a] In *Lex.*

A Οἱ ὁ. integram pericopam sic exhibuerunt: Ἐὰν ἀνοίξῃς τὸν ὐρανὸν, τρόμος λήψεται ἀπὸ σᾶ ὄρη, καὶ ταχήσονται, Ὡς κηρὸς ἀπὸ προσώπε πυρὸς τήκεται, καὶ κατακαύσει πῦρ τὰς ὑπεναντίας· *Si aperueris cœlum: tremor apprehendet ex te montes, & liquescent; sicut cera a facie ignis liquescit, & comburet ignis adversarios.* Si sententiam per se inspexeris: multo sibi melius constat quam plures aliæ hujus Interpretis; & lubens etiam transmitto, quæ per modum παραφράσεως potius quam accuratæ *versionis* dedit ad *comma primum*: sensum enim dicti ἐν πλάτει probe affectus est: sed quæritur, quo modo ex Hebræis, כקדח אש המסים מים תבעה אש exsculpserit notiones *ceræ* & *adversariorum*; quarum notionum neutra in sententia ipsa comparet. Lud. Cappellus (*Crit. Sac.* Lib. v. Cap. IX. §. VII.) statuit, illos vocem ὑπεναντίος duxisse ex voce המסים quam illi legerint הַמָּסִים *violentiæ* cum ח (rectius vere secundum ejus hypothesin, חֹמְסִים *violenti*) quia Hieronymus scribit, *Hebræos* hunc locum ita *edisserere*, ut per המסים NON CONSUMPTIONEM & TABEM, *ut cæteri interpretati sunt*; *sed* INIQUOS *intelligi velint.* Male conjecit. Primo enim vox הַמָּסִים vel חֹמְסִים non respondet voci ὑπεναντίοι *adversarii*; neque unquam sic ab iis redditur. valet, ἄδικοι, βίαιοι, *violenti, raptores.* Deinde, si vocem המסים legerint חמסים: unde, obsecro, petierunt notionem *liquescendi?* unde figuram *liquescendi instar* CERÆ? Vocem ὑπεναντίοι ad supplementum sententiæ mutuo acceperunt ex *sequenti membro*, ubi est, *ad notum faciendum nomen tuum* לצריך HOSTIBUS TUIS: ubi exhibent, καὶ φανερὸν ἔσαι τὸ ὄνομά σε ἐν τοῖς ὑπεναντίοις. Ergo felicius multo divinasse videtur ὁ πάνυ Bochartus, (*Hieroz.* Part. II. Lib. IV. Cap. XII. p. 531.) τὰς ὁ. pro מים MAIIM legisse מום MUM, qua notione Persæ CERAM, & Arabes PROPOLIN, ceræ stabilimentum, appellent; pariter pro כקדח ipsos legisse כקדם, *ut coram*; integra sententia sic concepta: כקדם אש המסים מום *ut* CORAM *igne liquescit* CERA: ubi licet ne sic quidem recte se habeat vox המסים à מסס deducta: tumultuarium tamen Interpretis hujus ingenium inde facile excudere potuit eam quam versio præfert sententiam. Symmachus apud Procopium, ut modo videbamus, Ὡς ἔκκαυσις πυρὸς ἐτάκη θάλασσα, ὕδατα ἐκλοήσασα. *Ut combustio ignis tabuit mare; aquæ consternatæ fuerunt.* Legit utique vocem המסים divise, הַמָּס יִם; & notionem המס. *Hiphil*, accepit *passive*, contra analogiam; sed quæ sæpe turbatur. Idem adhæsit Chaldæo: *Cum misisti iram tuam sicut ignem in diebus Eliæ,* אתמסיאת ימא LIQUEFACTUM EST MARE. Legit vocem המסים partite, & vocem המס retulit ad מסס τήκεσθαι *liquescere.* Pariter Hieronymus. *Sicut exustio ignis tabescerent*; sc. hostes. quæ minus cohærent.

Poëta facer [a]: *Veniet Deus noſter, & non ſilebit:* IGNIS *coram facie ejus conſumet; & circumcirca ipſum valde horrida tempeſtas eſt.* Non verſor hic in re dubia; atque adeo pluribus abſtineo. Alia nos nuper & longe probabiliora hunc ipſum locum illuſtraturus, docuit Doctiſſimus Vir, & multum honorandus Collega, Albertus Schultens; cum in eo eſſet, ut genuinam notionem thematis קרח ejuſdem Linguæ ſubſidio fretus, in lucem protraheret; hoc nomine ad Cap. L. II. honeſte appellatus. Poſtquam enim oſtendiſſet, themati originario vocis קרח convenire ſignificationem, *Elicere ignem*; ſimul, Veteres ignem elicere ſolitos fuiſſe, ſive ex ſilicibus inter ſe aut cum ferro; ſive etiam ex lignis inter ſe commiſſis, dum inferius *lignum* in rapidiſſimo motu à ſuperiori in id immiſſo terebratum ignem concipit: venit ei in mentem cogitare, hoſce ipſos *fomites* eſſe qui hic deſignentur voce המסים, vertitque locum, *Ut cum ignis* FOMITUM *emicat proſilitque; aquæ effervеſcant igne.* Deinceps in paraphraſi, *Ut cum ignis fomitum proſilit: ita conferta ferantur tela tua coruſca.* ſc. fulmina, Dei irati tela. Firmat conjecturam ex eodem Arabico themate حمش *Hamaſch*, Hebraice חמש, (litera *Samech* Hebræa conſtanter apud Arabes in *Schin* abeunte,) modo producto à Cl. de Dieu, cui nectit notionem *ſtrepitandi*, & præſertim in rebus aridis, ut *foliis, ramuſculis, ſimilibuſque inter ſe commixtis & ſtrepitum cientibus.* Sentio, id ita ſe habere. Caſtellus quoque inter ſignificationes alias, quas ad vocem applicat, notat eam *ſtrepitus rerum commiſſarum inter ſeſe, ac ſe moventium, ut locuſtarum quæ eidem loculo incluſæ ſunt.* Lud. de Dieu themata cum *Sin* & *Schin* confudit; quæ Golius diſtinxit. Cogitatio hæc, meo judicio, eſt docta digniſſimaque quæ ad locum hunc illuſtrandum admoveatur, & aliis commendetur. Quominus autem eam mihi fidenter vindicem, quod facere vellem: non id me ſumme movet, quod minus probabile videri queat, ex generali ejuſmodi attributo *ciendi ſtrepitus lenis*, formatum eſſe nomen *fomitum:* verum quod ſimilitudo à *fomitibus* ignem cientibus ſumpta neutiquam videatur ſatisfacere auguſto emblemati, quod hic fingitur. *Scintillæ* enim ignis, qui *terebrando* ex *ligno* eliciuntur atque erumpunt, quid minus & levius videntur, quam ut nobis ſubjiciant cogitationem flagrantiſſimi ignis, qui Deo irato paſſim tribuitur. Vates noſter in ſequenti *Sectione* [b]: *Quia ecce! Jehova cum* IGNE *veniet: & currus ejus inſtar turbinis, ad adhibendam cum excandeſcentia iram ſuam, & increpationem ſuam* בלהבי אש *cum* FLAMMIS IGNIS. Confer auguſtum emblema Cap. XXX. 30. Quæ tamen ſic dicta velim, ut fœcundi ingenii conjecturæ integram laudem relinquam: *Fulgura* enim *attritu* Nubium inter ſe colliſarum *ignem* emittentia, componi poſſunt cum *igne* ex lignis inter ſe tritis erumpente; & videtur illuc alluſiſſe Statius [c], horridam deſcribens tempeſtatem:

Nec non abrupta tremiſcunt
FULGURA, *&* ATTRITUS *ſubita face rumpitur æther.*

Feror autem maxime in eam ſententiam, quæ Doctis Viris aliis placuit; per המסים ex ſententia R. Jonæ, forte, ut vere opinatus fuiſſe videtur Vir Cl. ex Arabia petita, intelligi *cremia, ramalia, ſtipulas* aridas, quæ incenſa magnum & quidem, (quo hic præcipue alluditur,) flagrantem & *ſtreperum* ignem faciunt. Illuc enim alludi, patet tum ex altero membro, *ignis* ebullire facientis aquas; tum ex fine hujus *φανερώσιος* Divinæ Majeſtatis qui ſubjicitur, *ad* NOTUM FACIENDUM *nomen tuum adverſariis tuis.* Sic Jun. Trem. *Quemadmodum conflagrante igne* CREMIA, *aquarum bullas excitat ignis.* Fere eodem modo Piſcator; & Grotius quoque: *Sicut ardente igne ex ramalibus, aquas ebullire facit vis ignis* Ramalia, (aridi arborum rami,) ſtipulæ, ſegmenta arefacta, in ignem conjecta non tantum flammam dant maximam; ſed cum flamma altum exurgente ſtreperum lenemque ſonum ac ſuſurrum; atque adeo ignis ejuſmodi ex ipſius Arabicæ vocis notione optime videtur appellari אש המסים, *ignis ſtipularum* vel *ramalium ſtreperus.* Nihil vitii, meo judicio, eſt in Verſionibus doctorum illorum Virorum, quam quod utrumque membrum inter ſe confundant: nec tamen id vitium adeo magnum, cum vel ſic verba ſatis commodum ſenſum fundant. Rectius nihilominus diſcernuntur. Conſtet itaque per nos priori membro ſuus ſenſus, *Ut ignis cremia conſumens ſtrepero motu exilit.*

Alterum membrum minus negotii nobis faceſſet. Verba ſunt, מים תבעה אש Verti, *Aquas qui ebullire facit ignis.* Sic Kimchius, ירתיח *facit fervere, efferveſcere.* Pariter Aben-Ezra; ducuntque recte ſignificationem vocis ex אבעבעות *Ulcera prorumpentia*, Exod. IX. 9. 10. confer dicta ad vocem נבעה Cap. XXX. 13. Mallet Vir Eruditus, *efferveſcere*; non, *efferveſcere facere:* ut vertantur verba, *Aquæ efferveſcunt igne*; manens, בעה eſſe verbum *intranſitivum*, & obſervans pariter illum uſum vocis apud Arabes. Fateor, minus hic obſtare *diſcrepantiam numeri* in vocibus תבעה מים: (licet מים paſſim *pluralem* ſibi adſciſcat:) ſed obſtare haud dubie videtur diſcrepantia *generis.* debebat eſſe, מים יבעה, ſecundum hanc hypotheſin: eſt enim מים *fortioris generis.* Ergo redeundum opinor ad Hebræos, & dicendum, בעה hic eſſe *tranſitivum*; ut ex noſtra ſententia pariter liquet ex locis Cap. XXI. 12. Obadj. ℣. 6. de quibus nunc uberius non tracto, dum omnem quantum pote vito excurſum. Tantum adſcribam obſervatum ejuſdem manus bonæ notæ, & probe illuſtratum; repetitam vocem *ignis* in utroque ſententiæ membro, grata quadam reſonantia, valde commendare ejus elegantiam.

Verbum addendum de cohærentia hujus *commatis* cum *ſuperiori.* Fecerat Vates Supplices dicere, *Utinam rumperes cœlos; deſcenderes; à facie tua montes diffluerent!* Sequitur, *Ut ignis ramalium ſtrepere ardet flammaſque ſpargit*; ut *aquas ebullire facit ignis*, ſeqq. Obſerva itaque, ut reliqua in brevius contraham: hæc noſtra cohærere, non cum extremis, *montes diffluerent*; ſed cum verbis, *Utinam deſcenderes!* Integram ſententiam ſic concipias: *Utinam deſcenderes; à facie tua montes diffluerent:* ira tua æſtuante & flagrante, *ut incenſus ramalium ignis ſtrepere exilit* lataſque flammas ſpargit; & *ignis* vehementior *aquas ebullire facit.* Subjungitur, *ad nomen tuum notum faciendum hoſtibus tuis*, (videlicet ad illos *flagrante ira tua* conſumendos; quod *priori membro* reſpondet:) ut *à facie tua Gentes commoveantur:* quod pertinet ad *membrum poſterius*, h. e. ita commoveantur, ut *ignis ebullire facit aquas.* Subſumit, *Cum faceres terribilia, quæ non exſpectabamus:* (nempe cum *deſcenderes* ad nos vindicandos ex Ægypto, & formandos in Populum:) *à facie tua montes diffluxerunt.*

Ut ad rem ipſam nunc propius accedam: Schema totum, magnifice inſtructum, quod hic pingitur, eſt Poëticum ac dramaticum, ad ſummam ac tremendam Dei magnitudinem majeſtatemque, & terribilia effecta judiciorum ejus, & in iis emicantium ſanctitatis, juſtitiæ, potentiæ, ad interitum hoſtium & ſalutem ſuorum, proprietates virtuteſque figuranda effictum; cujuſmodi in Poëticis Scripturæ S. Libris & Prophetici quoque, multa occurrunt. Confer itaque hic Deut. XXXII. 22. ſeqq. Pſ. XVIII. 7. 8. ſeqq. L. 2. 3. LXXXIII. 15. XCVII. 5. CIV. 32. præter alia. Supponitur in iis Deus tanquam Rex potentiſſimus, magna præditus claritate, ſplendore, gloria; inhabitans cœlum ſupremum ut Palatium; judicia notabilia facturus aut effecta illuſtria editurus inter homines; pro magnitudine majeſtateque ſua ex ſupremis cœlis in inferiores *deſcendere*, ut propior ſit terris; & deſcenſu ſuo cœlos medios rumpere; flagrantiſſimo igne, omnem motum ſuum præcedente vel comitante, omnia quo-

quo

Alterum doctius & felicius.

De eo judicium.

Non omne videtur ſublatum eſſe dubium.

R. Jonæ ſententia huic proxima valde probabilis.

Quæ huic loco optime convenit.

Significatio vocis בעה.

Eruditi Viri ſententia.

Cohærentia hujus *commatis* cum ſuperiori planius oſtenditur.

Senſus, qui huic emblemati ſubeſt, inveſtigatur.

Totum σχῆμα orationis figuratæ declaratur.

[a] Pſ. L. 3. [b] Cap. LXVI. 15. [c] *Thebaid.* Lib. I. ℣. 353. 354.

quo ſe verterit, vel conſumere vel commovere; ut ſi in inferius cœlum atmoſphæricum venerit Deus: totum in tonitrua, fulgura, fulmina, turbines, ſolvi videatur, & ingente fragore terrigenis intonet. ſi illud cœlum inferius perrumpens, propius *montes & tellurem* venerit: montium arbores ac virgulta incendantur; monteſque & colles ipſi commoveantur ac tellus quaquavorſum contremiſcat ex propinquitate tremendæ Majeſtatis. quod emblema ſcite & varie pictum illum uſum habet, quem jam præmonui; ut nimirum nos commoneſaceret de Magnitudine & Gloria Dei ut Inſpectoris & Judicis omnium mortalium, & Vindicis Eccleſiæ; & de *claritate* Virtutum ejus in illuſtribus effectis Juſtitiæ & Potentiæ ejus eluceſcentium. Sed cum Deus *ſemel* omnino ſe ea gloriæ majeſtatiſque ſpecie manifeſtum fecerit hominibus in hiſce terris, quando vindicias Populi ſui egit in Liberatione Ægyptiaca, & eidem Leges dedit de Monte Sinai: id ipſum eſt quod Supplices hic præcipue in oculis habent; votiva hac precatione apud Deum intercedentes, ut qui Populum ſuum olim liberaturus ex Ægypto & formaturus in Populum, cœlos ruperat; Nube ſe involvens deſcenderat in terram; magna majeſtate apparuerat in Monte Sinai: idem iterato appareat ad Populi ſui graviſſime afflicti Liberationem ac Vindicias. Illuc alludi non eſt dubium ex collato loco Cantici Deboræ, Jud. v. 4. *Jehovah cum egredereris ex Seir; cum procederes ex agro Edomi: terra contremuit; etiam cœli ſtillarunt; etiam Nubes ſtillarunt aquas:* הרים נזלו מפני יהוה MONTES DIFFLUXERUNT CORAM JEHOVA: *hic Sinai coram Jehovah Deo Iſraëlis.* Ubi Deus illuſtri modo apparaturus erat in Monte Sinai; externum illud *Symbolum* Divinæ Majeſtatis, flagrantiſſimi Ignis Nube involuti, & tamen trans Nubem tranſparentis, ex plaga Septentrionali, h. e. ex Montano *Seir & Pharanis*, (quod utrumque Montanum Sinai Monti fuit ad Septentrionem;) venit & lento gradu quaſi *proceſſit*, ſive delatum eſt in Montem Sinai, ut liquet ex certis locis Deut. XXXIII. 2. 3. Hab. III. 1. 2. quod dum fieret, cœlum inferius *tonitruis & fulminibus* vehementer intonuit; & omnes illi *montes contremuerunt*, æque ac *terra* jis ſubjecta: quod cum de Sinai Monte ſolo in hiſtoria dicatur [a], *magno* illum motu *concuſſum* eſſe & *fumaſſe*, inter continua *tonitrua & fulgura*; ſecundum analogiam locorum, modo adductorum, de cæteris perinde capiendum eſt. Id vero ipſum eſt quod hic dicitur de *diffluxione Montium coram facie Jehovæ.* Non eſt probabile, ullos montes id temporis loco motos eſſe: ſed Propheta ſic poëtice ac parabolice loquitur, ut doceat, illos vehemente motu contremuiſſe, acſi locum vel nunc mutaſſent, vel mutaturi viderentur. Sunt ex Doctis, qui vocem נזלו *fluxerunt*, explicant de *montibus* ex proximitate *Nubis*, tegumenti Divinæ Majeſtatis, rore vel pluvia *ſtillantibus:* acſi נזלו hic idem ſit quod נטפו *ſtillarunt.* Sic ipſe quoque Aben-Ezra. Male. *Cœli* dicuntur *ſtillaſſe*, quippe à præſentia Dei diſſoluti: ſed terra cujus partem montes faciunt, *tremuiſſe* [b]. *Montes*, ſtylo ſacro, *coram Deo* dicuntur *diffluere*, diſparere, liquefieri, incendi. Poëta facer [c]: *Tum commovit ſe & contremuit terra*, (Jehova irato deſcendente,) *& fundamenta montium valde concuſſa ſunt, & tremuerunt, quia ira ejus incenſa erat.* Alio loco [d]: *Montes inſtar* CERÆ LIQUESCUNT *coram facie Jehovæ.* Rurſus [e]: *Ubi attingit montes, fumant.* Græcus Int. id hic docte obſervavit, vertens verba: Τρόμος λήψεται ἀπὸ σοῦ ὄρη, καὶ ταχήσονται· *Tremor à te corripiet montes, & liqueſcent.* Ergo totum hoc emblema concinnatum eſt ad phænomena apparitionis Dei, factæ cum Populo Jacobidarum olim educto ex Ægypto. Petunt itaque Supplices, ut quomodo Deus illo tempore, ruptis veluti cœlis, glorioſe deſcenderat in terram & ſe conſpiciendum præbuerat Populo ſuo: idem quoque hoc tempore in Populo reaſſumendo atque in gratiam reducendo vindicandoque præſtare velit. Quæritur, quomodo votum hoc accipiendum, & ad *quale* tempus applicandum ſit?

Uſus & doctrina, quæ huic metaphoræ ſubeſt.

Figura ſumpta eſt ex apparitione Dei in Monte Sinai.

Locus Jud. v. 4. cum hoc noſtro collatus.

Symbolum Gloriæ Dei in Montem Sinai venit ex Septentrione.

Quomodo accipiendum ſit, quod *Montes diffluxerint* coram Deo.

Aliorum expoſitio vocis נזלו.

Quæ non probatur.

Collectio ex ſuperioribus facta, & genuinus petitionis ſenſus.

Cocceji noſtri hic miræ ſunt & paradoxæ rationes. Disjungit Votum, ỳſ. 1. *Utinam rumperes cœlos, ſeqq.* ab his quæ ſequuntur ỳſ. 2. *Tanquam ardente igne liquationum, ſeqq. Votum* ait eſſe Judæorum, ſed *ex conſilio carnali profectum*; perinde ac *Commemorationem* Beneficii Liberationis ex Ægypto, Cap. LXIII. 11. Deinde ab his verbis, ỳſ. 2. *Tanquam ardente igne liquationum, ſeqq. Eccleſiam* (cujus eam orationem facit,) primi temporis narrare, quæ geſta factaque viderit cum initiis Oeconomiæ Gratiæ. Paradoxam eſſe ajo commentationem. Primo enim, ex inſpecto loco facile liquet, quod modo ſupponebamus; Verba ỳſ. 1. & ỳſ. 2. 3. inter ſe cohærere; & in eodem decurrere argumento. Deinde, totum argumentum *Supplicationis*, *Votum* conſequentis, à ỳſ. 6. 7. ſeqq. plane ejuſdem eſt argumenti, ſenſus, phraſios; cujus eſt *Supplicatio Capitis* ſuperioris: quæ proinde ad Statum Eccleſiæ Oeconomiæ N. abſque vi trahi nequit. Tertio, *Votum*, quod Supplicationis partem facit, nihil habet quominus id credamus eſſe *pium*, & ab ipſo Spiritu inſtinctum: qui character regnat per totam hanc Confeſſionem & Supplicationem, ſive ſimplicem, ſive votivam. nihil in ea non Divinum & Populo pœnitentium congruens legitur. Votum tam quod ad ſenſum, quam quod ad circumſtantias orationis convenit pio Voto Pſ. XIV. 7. UTINAM (*quis det!*) *ex Tſione prodiret* SALUS JEHOVÆ! *Quando Jehova reducet captivitatem Populi ſui: exultabit Jacob, lætabitur Iſraël.*

Cujus *temporis* hoc ſit *Votum*, & *quorſum* referendum? Cl. Interpretis meditatio.

In eam animadverſio.

Communis ſententia Interpretum diviſa eſt. Alii Votum hoc æque ac ſuperiorem Supplicationem, cenſent referendum eſſe ad Pios in Exilio Babylonico conſtitutos, exoptantes Liberationem ex illo Exilio, iiſdem argumentis Divinæ Gloriæ coruſcam, quibus olim apparuerat Deus Gentem vindicaturus ex Servitute Ægyptiaca. Alii cum Hieronymo Votum fieri cenſent pro primo adventu Chriſti Jeſu in Mundum ad Populo electo procurandam Liberationem ſpiritualem è poteſtate Satanæ & peccati: quam ſententiam ille allegorice exequitur. Sed poſterior hypotheſis, licet pio animo concepta, plane non congruit ſchemati hujus Viſi. Patet enim non ſectanti ἀλλότριῳ; Schema apparitionis hic exoptatæ eſſe Dei ut Judicis & Vindicis flagrante ira conſumpturi hoſtes ad Liberationem ſuorum; Supplices vero hunc adventum exoptantes eſſe & longum tempus fuiſſe in ſtatu indurationis, miſeriæ, calamitatis, Templo & Sanctuario profanatis ac deſtructis: quæ niſi violenter torqueantur ad primam Chriſti Jeſu apparitionem; nemini ejus ſubjiciunt ideam. Prior hypotheſis Pinti, Alvarezii, Piſcatoris, pluriumque aliorum, longe eſt tolerabilior & ſchemati convenientior: ſed cur ne ea quidem hic locum habere queat, in ſuperioribus data opera diſputavi: nec licet identidem eadem repetere. Reſtat itaque, quod in ſuperioribus fuſius proſequutus ſum: Votum hoc perinde ac Supplicationem, conceptum eſſe nomine pœnitentium Judæorum, Liberationem ex præſenti calamitate ſpirituali & temporali à Deo ſupplice prece & voto expetentium, ut *veniat* ſibi *Redemptor ex Tſione, & ſe avertentibus ab iniquitate ex Jacobo* [f]. Ubi duo obſervari volo, quæ pericopam hanc & rem totam illuſtrant. Primo quidem, Liberationem illam Judææ Gentis conjungendam eſſe cum terribilibus documentis Divinæ Juſtitiæ, quibus Deus ipſorum & Eccleſiæ ſuæ hoſtes ulturus eſt; cujus Judicii ſpeciem habuimus in initio Cap. LXIII. 1. in Viſo de *Edomo:* cui Viſo hæc confeſſio & ſupplicatio immediate ſubjicitur. Liquet id clariſſime ex locis analogis, tum ex ipſo illo loco Cap. LIX. 17. ſeqq. tum ex Deut. XXXII. 35. ſeqq. ne plura nunc allegem. Atqui, ais, hoſtes illo tempore ulciſcendi, erunt hoſtes *Populi* Chriſti, oppreſſi ac afflicti.

Aliorum cogitata.

Hieronymi ſententia, quæ illud refert ad primum adventum Filii Dei in carnem, refellitur.

Non convenit Statui Populi Judæi in Exilio Babylonico.

Sed in præſenti Romano.

Liberatio Judæorum ultimi temporis conjungenda erit cum magnis effectis Juſtitiæ Divinæ.

Reſpon-

---

a Exod. XIX. 18. coll. cum ỳſ. 16. Pſ. LXVIII. 9. *b* Jud. v. 4. 5. Pſ. LXVIII. 9. *c* Pſ. XVIII. 8. *d* Pſ. XCVII. 5. *e* Pſ. CIV. 32. *f* Cap. LIX. 20.

Occurritur dubio, quod hic moveri queat.

Respondeo, ita se rem habere; sed *hostes* hosce Ecclesiæ, eosdem esse *Judæorum* hostes, qui illos per totum Exilii tempus oppresserunt, & gravissime afflixerunt. Judæi autem cum circa hoc ipsum tempus veræ & puriori Ecclesiæ reduniendi sint; & ex ipsis hisce Judiciis argumenta capturi sint suæ conversionis: in hisce Ecclesiæ hostibus vindicatis suos hostes vindicari sentient. Secundo, probabile fieri, Christum Jesum se expleto *iræ* tempore revelaturum Genti Judææ in gratia; extraordinario aliquo symbolo suæ præsentiæ se iis patefacturum esse, fere ut se revelavit Paulo [a]: quam sententiam jam alibi proposui; & forte aliarum Gentium conversionem per Orbem non absque externo aliquo & conspicuo Symbolo Gloriæ Christi Jesu perficiendam esse [b]: de quo tamen modeste nobis sentiendum & loquendum est. Spiritus certe Sanctus Supplices hosce, pœnitentium primitias, sic loqui facit, ut ipse intellexit circumstantiis hujus temporis optime convenire. Orant *Apparitionem* Christi Jesu notabilem, gloriosam, in sensum omnium incurrentem, sed, ut fas est credere, symbolicam, cum qua *diffluerent montes*; h.e. impedimenta hactenus objecta Regno ejus promovendo & Populo suo mittendo in hæreditatem Mundi, de medio tollerentur; Regna & Imperia, magnis Dei moliminibus huc usque adversata, quà talia, destruerentur, ut MONTES non amplius *invenirentur*; effusa [c] Septima eaque terribili *phiala* Divinæ iræ, Opus Dei completura, quando magni *motus & concussiones* fierent inter Gentes; *terræ motus*, inquam, *magnus qualis nunquam fuerat, ex quo homines extiterunt super terram* [d]: *& hostes* adversarii Regni Christi, iidemque verissimi hostes, per quos Deus executus olim fuerat judicia sua in Judæos, *perderentur*; secundum acclamationem Ecclesiæ [e]: *Quia ecce! hostes tui, Jehova; quia ecce* HOSTES TUI PERIBUNT; *& dissipabuntur omnes operantes iniquitatem.* Huic sententiæ succinit totum Verbum Propheticum.

Christus Jesus videtur se hoc tempore Populo Judæo extra ordinem patefacturus esse.

Quando ea sequentur effecta, quæ hic recensentur.

Montium hoc in loco respectus mysticus.

Ratio *altera Voti*, petita à majoribus exemplis Divinæ Gratiæ, quæ *exspectabantur* sub Oeconomia Nova.

Altera ratio Voti, petita ab Exemplis Divinæ Gratiæ, quæ *exspectabantur* sub N. T. ℣. 4.

℣. 4. *Et à sæculo* NON AUDIVERUNT; *non perceperunt auribus; oculus non vidit, ô Deus, præter te* quæ *faciet* EXSPECTANTIBUS *se.*] Dum Supplices Pœnitentes Deo ante oculos ponunt *tremenda & mirabilia* ab ipso olim edita cum eductis ex Ægypto Majoribus suis, ut in ipso, sit fas loqui! excitent sui ipsius operumque suorum antiquorum æmulationem: subjiciunt, nihil se iniquum à Deo *petere* vel *exoptare*. nosse enim se, Deum non *similia* tantum diebus Messiæ patraturum esse *opera*; sed *majora* etiam & *illustriora*, quæ *visa* & *audita* nunquam fuerant, & in *cogitationem hominis* nunquam ascenderant. Est apud Micham, Cap. VII. 15. insignis prophetia de *Operibus* à Deo in *Liberatione* perfecta Populi sui efficiendis: *Ut diebus quibus exiisti ex terra Ægypti, faciam te videre* נפלאות MIRABILIA. nempe sub Oeconomia Messiæ. Sed cum omnes intelligerent, tempora Messiæ tanto fore beatiora quanto Mose major esset Messias; quippe Deum Statum Ecclesiæ suæ sub Messia perfecturum esse: simul intellexerunt & sperarunt, Deum sub Regno Messiæ editurum esse *opera* non *visa* hactenus, non *audita*, non *percepta* ab ullo mortalium: plane ut quæ Deus olim ediderat *opera*, præstiteratque *signa suæ gratiæ* majoribus eorum eductis ex Ægypto, non *audita* fuerant, nec *visa* nec *cogitata*, quippe exspectatione majora. Recta horum verborum intelligentia in hanc resolvitur hypothesin; referenda illa esse ad *futurum*, quippe quod clarissime liquet ex voce יעשה FACIET, & quidem EXSPECTANTIBUS IPSUM. Ad *futurum* autem si referantur: æquum est referri ad tempus *Messiæ*, & ad *Salutem*, ejus tempore *revelandam*; quippe de quo cum maxime agitur in hac *Concione*, quomodo Paulus quoque Apostolus, certus hujus sententiæ Interpres, eadem accepit in *priore* ad Corinthios [f]. Qui itaque hic loquuntur Supplices, contradistinguunt & inter se opponunt tempora utriusque Oeconomiæ; & postquam in *Precatione* sua *Votiva* Deo Supplices proposuissent Exemplum Liberationis pristinæ, tot documentis Majestatis, potentiæ, & Gratiæ Divinæ illustre: *rapti* veluti *in Spiritu*, imo, ajunt, Domine, non hæc tantum persuasi sumus te præstitisse olim, ac præstare posse: sed & his longe majora & illustriora. *Auris* enim *non audivit, & oculus non vidit, quæ tu facies exspectantibus te* sub Oeconomia *Messiæ*, quam novimus omnium fore perfectissimam. Per ea quæ *nemo audivit*, aut *vidit*, à Deo *parata exspectantibus ipsum*, intellige, sis, *magnam Salutem* sub MESSIA *revelandam*, cum mirabili illius *dispensatione*, & admirandis *phænomenis*, per sæcula Regni Messiæ decursuris, ab his tantum qui *spirituali ingenio* præditi sunt, vere & πνευματικῶς percipiendis. Oeconomia Nova tota constat *paradoxis*. quicquid in ea *vides*, quicquid *audis*, est mirabile, Sapientiæ carnali adversum. ut v. gr. Apparitio Filii Dei in statu humilitatis. administratio Evangelii per ipsum facta, ejusque accidentia. παθήματα ejus probrosissima, Resurrectio, & Ascensio in cœlos. forma Regni ab ipso instituta spiritualis. bona Regni spiritualia. Ministri Regni promovendi, nulla sapientia mundana instructi; nulla auctoritate eximii. Donatio Spiritus S. electio Gentium, & rejectio majoris & spectabilioris partis Populi Judæi. Judicia tremenda in hunc Populum & Romanum Imperium; & universa Regni hujus administratio per multa sæcula decursura inter varias illius vicissitudines status & afflictiones, tandem terminanda in victoria, quam Dominus Jesus de omnibus hostibus suis reportaret, *Judæorumque & Gentium* unitione optatissima in fide ejusdem Domini & Christi: quæ clausa erant arcanis decretorum Divinorum. Hæc primo *oculus carnalis* nunquam viderat; *auris corporalis* nunquam *audiverat*. nunquam enim ante hoc tempus extiterant. secundo, nulla cogitatione, nulla ingenii astutia, absque revelatione, præcognosci aut præcipi poterant. tertio, *revelata* etiam à Prophetis, nec plane percepta nec credita erant. quarto, etiam postquam manifestatio Regni Dei facta esset, à nemine intelligi, percipi, ac dignosci potuerunt nisi ab hominibus gratia Spiritus S. illuminatis. *carnalia* quotquot erant *ingenia*, ad hanc mirabilem dispensationem Divinæ Gratiæ stupuerunt. Hic summus sensus est sententiæ, quem sectatus est Paulus, ubi commendans sapientiam μυστηριώδη Evangelii, à solo intellectu illuminato perceptam ac perceptibilem, *Sed* objectum præconii nostri est, ait [g], *sicut scriptum est; Quæ oculus non vidit, nec auris audivit; nec in mentem hominis ascenderunt; quæ præparavit Deus diligentibus ipsum.* hoc est, quæ non tantum nulla mortalis ingenii cogitatione præcipi potuerunt; verum etiam quæ nemo, ut fas est, percipit atque intelligit, nisi à Spiritu S. collustratus; ut protinus addit [h], *Nobis autem Deus ea revelavit per Spiritum*, & quæ sequuntur ejusdem argumenti. Inprimis tamen in his quæ mirabilia & intellectui carnali non percepta, nec perceptibilia sunt, est SALUS MESSIÆ tota, cum *beneficiis* ei connexis, Judææ quoque Genti glorioſe exhibenda in fine temporum, & terminanda in *futura* vita; quippe quæ *Salus*, quæque beneficia faciunt objectum *exspectationis* Ecclesiæ. Est in scriptis Veterum, fuisse ex antiquis Doctoribus, qui hic cogitarint de *mirabilibus* FUTURI ÆVI, Status glorioſi post hanc vitam, ut Intt. Judæi ad hunc locum observarunt. *Dictum R. Juchanan* [i], כל הנביאים כלם לא נתנבאו אלא ליכורת המשיח אבל לעולם הבא עין לא ראתה אלהים זולתך ועוד *Prophetæ quotquot extiterunt, non sunt vaticinati nisi de* DIEBUS MESSIÆ: (prophetiæ illorum terminantur in diebus Messiæ:) *verum quod attinet ad* SÆCULUM FUTURUM, *Oculus non vidit &c.* h. e.

Verba hæc referenda sunt ad *futurum*.

Et quidem ad tempus Messiæ. Locus 1 Cor. II. 9.

Forma integra orationis quomodo constructa sit?

Quid hic intelligendum sub iis quæ nemo *audivit* vel *vidit*?

Oeconomia nova tota constat *paradoxis*; quod pauci evincitur.

Attributa hujus loci a eam applicantur.

Consensus doctrinæ Paulinæ ex hoc loco sumptæ, 1 Cor. II. 9.

Vett. quidam rundam Judæorum sensus de hoc loco.

a Cap. IX. 4. 5. coll. cum Cap. XXVI. 13. 14. & Matth. XXIII. 39. b Matth. XXIV. 30. c Apoc. XVI. 20. d ℣. 18. e Ps. XCII. 10. confer Ps. CIV. 35. f 1 Cor. II. 9. g 1 Cor. II. 9. h ℣. 10. i Sanhed. fol. XCIX. 1.

h. e. *nullus* Prophetarum *oculus illa vidit*; ut R. Salomo. Expositio est mere allegorica, quæ tamen *Salutem*, de qua hic mentio fit, interpretatur de *Salute spirituali*.

Singularia quædam hujus loci, amplius illustranda.

Hisce generatim præmissis, pauca monenda restant quæ ad penitiorem sententiæ intelligentiam pertinent. Primo itaque observo, quod hic dicitur, *Et à sæculo non audiverunt, neque aures adverterunt, seqq.* accipiendum esse *impersonaliter* ex vero & frequente Linguæ usu, acsi dixisset Propheta, *A sæculo non est auditum, perceptum.* quomodo quoque Apostolus dictum accepit. Corrumpunt dicti sensum, qui hic substituunt *Gentes*. Jesaias enim ipse mox absolute ait, *Oculus non vidit.* h. e. Nullus oculus mortalium. Secundo, Hebræa, עין לא ראתה אלהים זולתך יעשה למחכה לו sic vertenda esse, ut cum Hieronymo, aliisque instituti, *Oculus non vidit præter te* quæ *facturus est exspectantibus ipsum.* pro *quæ facturus es*, per enallagen personæ ubique in hoc Libro, & Propheticis ac Poëticis aliis, obviam; ut objectum *auditus* & *visus* sint ea quæ Deus *paravit exspectantibus ipsum.* confer Cap. LXIII. 19. modo tractatum. Sic ipse quoque Apostolus locum exposuit, *Oculus non vidit --- ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς ἀγαπῶσιν αὐτόν* QUÆ *paravit Deus iis qui se diligunt.* Et sunt tamen quibus aliud placuit. Coccejus: *Oculus non vidit Deum præter te* qui *faceret præstolanti se.* h. e. *ut nullus Deus visus fuerit præter Deum Christianorum, qui* FECERIT *perfecte omnia exspectantibus se.* Illustrat notionem עשׂה *facere* ex Cap. XLIV. 23. Grotius: *Nunquam oculis putuit, esse Deum præter te ullum qui in se confidentibus talia faciat.* Sed Grotius quicquid hic dicitur, refert ad superiora, sensus Paulini nulla habita ratione. Agnosco lubens, vocem *facere*, absolute sumptam, eleganter sumi sensu *perficiendi*; ut *Jehova* FECIT, valeat; PERFECIT, consummavit opus suum, cogitata sua: *Ipse* FACIET, idem sit quod pro lubitu cogitata sua perficiet: verum non putem, ex usu styli sacri, *facere* hoc sensu sumi cum objecto *cui.* requirit utique in tali casu objectum *quod.* Paulo *facere* hoc in loco est ἑτοιμάζειν *parare*, secundum veram eamque usu receptam vocis significationem [a], cum objecto *quod* & *cui.* Interpres Alexandrinus, qui similem fere in modum Hebræa accepit, cum id sentiret, supplevit verba, reddiditque, καὶ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσίν σε ἔλεον *& facies exspectantibus te misericordiam.* frustra & coacte. non latet enim id in potestate vocis עשׂה. vide interim si tanti videatur, leve aliquod observatum Samuelis Petiti [b] ad hanc Versionem. Ergo plane persisto in versione, quam exhibui, tanquam simplicissima & Paulinæ consentanea. Sensus est, *Oculum nullum vidisse, nullam audivisse aurem*; sed solum *Deum* nosse, & in arcanis consiliorum suorum reconditum habere, quid *facturus sit & paraverit exspectantibus se.* Sic Apostolus Res sub Oeconomia Nova patefactas vocat [c] μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον, φανερωθὲν δὲ νῦν *mysterium, à temporibus sæculorum* TACITUM; *sed nunc manifestum factum.* Promissa & prædicta cum suis adhuc censerentur involuta tenebris: soli Deo qualia essent, & in omni circumstantia sua existerent, cum veris Operum illorum rationibus, intime cognitum & perspectum erat. confer Matth. XIII. 17. Tertio, non est negligenda gradatio in sententia Prophetæ; ejusque comparatio cum Paulina, eandem redditura. Jesaiæ oratio sic scandit, *A sæculo* NON AUDIVERUNT, nemine scilicet narrante aut prædicante facta gestaque esse quæ Deus paraverat *exspectantibus* se, Verbo Evangelii demum exponenda: imo ait, *nemo ad id* ADVERTIT AURES, quippe cum in neminis *cogitationem unquam ascenderit* talia narrare, & *supra fidem* viderentur; ut si forte alicui in mentem venisset talia ex fictione narrare: nemo *aures advertere* voluisset ad narrata excipienda, quod viderentur esse paradoxa, & supra cogitationem mentis. Vox האזין proprie valet *advertere aurem*; *admovere aurem ad audiendum*; qui primus auscultantis actus est. confer Deut. I. 45. Subdit, *Oculus non vidit præter te.* Nemo *narrare* potuit, ait, aut explicare, cum nemo *viderit*, soli quippe nota Deo, in omni operatione sua admirabili, cujus sublimis sapientia infinitum distat à consilio & cogitatione carnali; cujus majora & ampliora sunt Beneficia, *exspectantibus se* parata, quam ulla ingenii humani cogitatione comprehendi possunt. compara dicta ad insignem locum Cap. LV. 8. 9. Paulus jam hoc dictum Prophetæ recitans, non transcripsit illud Grammatice, sed παραφραστικῶς, sive allegando interpretatus est; *sensum* ejus sectatus, minus presse inhærens verbis; ut sæpe aliàs. quem allegandi modum magni Apostoli, ab eodem Spiritu acti, *rebus*, non *verbis*, intenti, non opus hic est componere cum more allegandi dicta Scripturæ S. corruptæ Scholæ Judaicæ; quæ etiam hic nihil singulare habet. est enim mos omnibus Scriptoribus receptus. Jesaias *oculis* posteriorem locum fecerat, quia exerte memorare voluit, *Scientiam* magnarum illarum rerum, de quibus loquebatur, latuisse in *sola* Dei *mente*; *sapientiam* cœlestem, *à Deo præfinitam ad gloriam nostram*; ut Apostolus hæc ipsa verba respiciens. Sed cum in ordine sensuum, *oculorum* prior respectus sit quam *aurium:* Apostolus transposuit, *Quæ oculus non vidit, &c.* in quo nemo hæret. Utrum enim prius, an posterius dicatur, perinde est. Porro, Apostoli illa, *Nec in cor hominis ascenderunt*, quæ diserte apud Jesaiam expressa non sunt: primo quidem latent in *vi* & *potestate* totius sententiæ Jesaianæ: deinde, Apostolus ea hausit ex membro Jesaiæ ab ipso omisso, *Et non admoverunt aures.* videlicet, quia nemini in mentem unquam venerat de eo cogitare; nemini in cogitationem inciderat de iis quicquam narrare, explicare; & nemo quod supra cogitationem & fidem viderentur, *aurem* unquam ad ea *adverterat*, vel *advertere voluisset*, si forte ex fictione narrata essent. Denique, quod Jesaias scripsit, *Quæ Deus faciet exspectantibus se*, Paulo est, *diligentibus se:* quia sunt ἰσοδύναμα. Non est existimandum, Paulum pro למחכה legisse מחבים à חבב *sinu fovere, tenero complecti, diligere.* Est enim usus vocis חבב rarissimus; & probe convenit *amori* quo Deus homines prosequitur [d]; sed neutiquam *amori* quo homines Deum. *Amantes Dei* ubique dicuntur אהבי י׳ *Diligentes Deum.* Nec recte etiam vox חבב construeretur cum *præfixa* ל. Quorsum vero hæc tam longe quæsita, nisi quod Docti Viri ex Paulo homine spirituali, dicta Scripturæ S. spirituali sensu allegante, facere velint *grammaticum? Amare Deum, revereri Deum, exspectare Deum, in ipso sperare*, sunt ἰσοδύναμα. Ipsa *exspectatio* supponit objectum exspectationis esse *Bonum amatum*, notatque ejus fruendi desiderium. Poëta Divinus ita expressit [e]: *Quam magnum est bonum tuum quod reconditum servas* REVERENTIBUS TUI; *quod moliris* IN TE REPONENTIBUS SPEM! qui locus huic nostro fere est parallelus. Vox *exspectantes* majorem habebat usum in oratione Jesaiæ, quam in ea Pauli, quod Supplices in hac sua oratione se adhuc *spe* extenderent ad magnam illam *Salutem* Jehovæ, suamque *Liberationem* optatam, ejusque *Phænomena* comitantia, & consequentia, de quibus ample cogitabant. Atqui, ais, si Supplices illi sint Judæi pœnitentes, in præsenti exilio constituti; quid loquuntur illi de *Revelatione Salutis N. T.* tanquam *futura*, cum utique ea supponatur dudum facta fuisse? Respondeo, *α.* Supplices hosce apud Deum intercedere pro *Revelatione* illius *Salutis*, facienda *sibi*, & ad se applicanda, cum remissione peccatorum & illuminatione oculorum mentis, ut develatis oculis videre queant gloriam Christi Jesu, & excellentiam Beneficiorum Gratiæ & Salutis, in Ecclesiam collatorum. Hæc enim magna & mirabilia hactenus ipsis non patuerant. *β.* Supplices hosce *Salutem* sibi *revelandam*, quam petunt & optant, hic

Phrasis, *præter te quæ facturus est.*

Alia phrasios interpretatio quæ non probatur.

Facere hic est *parare.*

Locus Rom. XVI. 26.

Gradatio in his verbis observabilis.

Allegatio Paulina recte consentit textui Jesaiæ.

Cujus explicatio ratio redditur.

Specialior consideratio verborum, *Non ascenderunt in cor hominis.*

Nec non, *Quæ faciet diligentibus se.*

Num textum aliter legerit in voce למחכה?

Latus usus vocis *exspectationis* in Sacris.

Ratio transmutationis hic à Paulo factæ.

Occurritur dubio, adversus superiora inferenda.

Supplices *Salutem*

[a] Jud. VI. 19. Neh. V. 17. Ezech. XXXV. 1. [b] *Variar. Lect.* Cap. XIV. [c] Rom. XVI. 26. [d] Deut. XXXIII. 3. [e] Ps. XXXI. 20.

Messiæ hic contemplantur cum omnibus *Phænomenis*, futuro tempore apparituris.

hic ſpectari velle in *omni ſua circumſtantia*, h. e. cum mirabilibus phænomenis, converſionem ſuam comitaturis & conſequuturis; ut patet ex tota oratione. Converſio Gentis Judææ erit mirabilis, paradoxa, glorioſa; non gloriam tantum Dei, ſed & Eccleſiæ ipſius ſplendide illuſtratura; eritque conjuncta cum *interitu* hoſtium tam ipſorum quam Eccleſiæ; & cum inſigni Eccleſiæ, & univerſi Status ejus, amplificatione. Nos itaque ipſi quoque qui *magna & mirabilia* vidimus; eorum complementum glorioſum adhuc exſpectamus.

γ. Nova *Supplicationis* inſtantia; (*Supplicatoriæ Partis* membrum tertium:) qua (a.) *Vias* Dei juſtificant, & ſuæ indignitatis confeſſionem edunt. Articulus primus.

Pars tertia Orationis Supplicatoriæ: *Nova ejus inſtantia.*

Qua, *a.* Vias Dei juſtificant.

Artic. primus, ℣. 5.

Summa ſequentis orationis, & nexus cum ſuperiore.

℣. 5. SI INCIDAS *in gaudentem & exercentem juſtitiam; in viis tuis tui recordabuntur. Ecce tu efferbueras, poſtquam peccaſſemus,* IN EOS *longum tempus; & tamen* SALVI SUMUS.] Reperunt Supplices hic loci abruptam interjecto voto Supplicationem; agnoſcentes communem ſuam à Deo ἀποστασίαν & corruptionem generalem; laudantes interim & celebrantes rationes Divinæ Providentiæ erga veros Dei cultores: quæ confeſſio culpæ ſuæ & agnitio juſtitiæ judiciorum Divinorum, decurrit per *tria commata* ſequentia. Primum *articulum* hic exhibeo, in cujus interpretatione recte conſtituenda, quod ad utrumque ſententiæ membrum, Docti Viri multum deſudarunt; nec ſane abſque ratione. Nec licet hic defungi levi opera. pendet enim à verſione ſententiæ intelligentia.

Primus articulus.

Senſus loci conſtituendus.

Primum membrum Hebraice ſic legitur, פגעת את ww ועשה צדק בדרכיך יזכרוך quod ſecundum genuinam Hebrææ phraſios ſignificationem ſonat, *Incidiſti in gaudentem & facientem juſtitiam: in viis tuis tui recordabuntur*, ſive, *te celebrant*, vel *celebrabunt*. quæ, ut mox videbimus, optimum & loco commodiſſimum ſenſum dant, nec tamen multis Interpretibus agnitum aut perſpectum: quæ cauſſa tot variantium hujus membri interpretationum. Hebræi Intt. vocem פגע hic accipiunt in deteriorem ſenſum, ut ſit, *Suſtuliſti è mundo* & abſtuliſti à nobis *Juſtos*, qui cum voluptate verſabantur in mandatorum tuorum obſervantia virtutumque tuarum celebratione; quorum interceſſione olim ſolebamus *ſervari*. Sic exerte R. Salomo. Sumit ſignificationem ex phraſi, 1 Reg. II. 25. ויפגע בו וימת *Et* IRRUIT *in eum, & mortuus eſt*. Senſus itaque eſt, Deum veluti adverſarium in bonos qui in Populo ſupererant irruiſſe, eoſque de medio ſuſtuliſſe, ut nulli ſupereſſent, qui precibus & interceſſionibus ſuis Eccleſiam juvarent. Kimchius recitat expoſitionem; nec refellit. Sed videt quiſque expoſitionis duritiem; quæ præterea non convenit ingenio linguæ. Ubi פגע ſumitur pro *irruere in aliquem ad illum interficiendum*, conſtruitur cum præfixa ב; ſed vox cum את, *accuſativi nota*, vel abſque ea ſimpliciter conſtructa, notat *caſu in rem aliquam incidere*. Altera verſio eſt apud Kimchium, ut פגעת קבלת תחנת הצדיקים ſit *accepiſti ſupplicationem juſtorum*. ſecundum locum Cap. XLVII. 3. ולא אפגע אדם *Et* NON OCCURRAM *homini*; (ut illi vertunt:) h. e. nullius mortalis ſupplicationem & interceſſionem admittam. Sic quoque Aben-Ezra: חיית מקבל פיוס הצדיקים *Sinebas te placari à Juſtis*. Equidem פגע cum *præfixa* ב, notat apud aliquem *intercedere*, ut Jer. VII. 16. ſed vox פגע *abſolute* ſumpta nunquam *reflexe* ſumitur pro *deprecationes pro alio admittere*: quod ad locum modo adductum, dum in eo exponendo verſabar, jam obſervavi. Non vidi, Chriſtianos Interpretes harum expoſitionum rationem habuiſſe; niſi quod Cl. Coccejus, verba cum aliis vertens, *Occurriſti alacri, & facienti juſtitiam*: ſenſum eorum dederit non longe diverſum ab ea Salomonis Jarchii. Explicat enim verba de rationibus Providentiæ Divinæ erga Chriſtianos primi temporis cum alacritate in cultu Dei verſatos; quippe in quos tanquam in adverſarios Deus videatur longum tempus *irruiſſe*, illos objiciendo perſecutionibus Paganorum, & ſeqq. quæ ſuo loco lubens relinquo. Communis interpretatio hujus membri ea eſt quam Hieronymus, de hoc loco bene meritus, aliis præivit. Dedit ille, *Occurriſti lætanti & facienti juſtitiam: in viis tuis recordabuntur tui.* ad primam ſpeciem ſenſu optimo & intelligibili. Ajunt Supplices, non eſſe culpam Dei quod in hanc calamitatem inciderint: Deum enim obſequioſis omnibus ac lubentibus Legis ſuæ cultoribus in gratia occurrere: ſed vitium apud ſe eſſe, qui peccando in ſe provocaverint Divinam indignationem. Nihil eſt in ſenſu quod quis improbet: faveat quoque circumſtantia orationis; atque adeo ego toto corde in hanc irem ſententiam, ſi mihi perſuadere poſſem, hanc expoſitionem conciliari poſſe cum genuina ſignificatione vocis פגע. Valet ea, ut jam prænoui & alibi docui; *caſu* ſive *eo improviſo in rem* vel *perſonam aliam incidere*: non ſane, *occurrere alicui in gratia*, occurſu ſueto & ordinario Divinæ Providentiæ. פגע notat *occurſum caſualem*; neque aliter ſumitur Gen. XXXII. 1. quem locum prudentes Belgæ huc adduxerunt: ne dicam, vocem ibi conſtrui cum præfixa ב. Si cui per viam procedenti caſu obvius eſt Leo, Latro, Jumentum proximi, aut quid ſimile: ei convenit notio פגע [a], ut obſervavi ad Cap. XLVII. 3. Actus, quo Deus ſe homini unit in gratia, non eſt *caſualis*. Ergo verte locum, ut inſtitui: *Incidis*, ſive, *ſi incidas in alacrem & exercentem juſtitiam: illi in viis tuis tui recordabuntur.* Hic ſenſus Prophetæ. Deus cenſetur homines *viſitare*, & illorum acta, mores, ſtatum inſpicere, ut ipſe ἀνθρωπομόρφως ad Abrahamum [b]. Id ſupponens Eccleſia, ait; *Si* itaque dum homines *viſitas*, & eorum mores accuratius inſpicis, forte *incidas* in hilares Legis tuæ cultores: *illi in viis tuis tui recordabuntur*, ſive *te celebrabunt*. h. e. illi experientur gratiam, miſericordiam, bonitatem, liberalitatem, opem tuam; nec cauſſam habebunt, cur conquerantur de rationibus tuæ erga eos providentiæ; ſed è contrario laudabunt, celebrabunt, extollent, vias & rationes tuæ providentiæ erga eos qui te reverentur. Poëta ſacer [c]: *Et cantabunt* (Reges terræ) בדרכי יהוה VIAS JEHOVÆ. videlicet, *nomen ejus, gratiam ejus, veritatem, gloriam*, de quibus meminerat. confer Pſ. CXLV. 17. & dicta ad Cap. LV. 8. 9. Hebræi hic recte, מדות אלהים *proprietates, virtutes Dei.* Obſerva nunc præterea; primo, quam ſcite & docte homines, verſati in *jugi exercitione* צדק *Juſtitiæ* cum lubentia & alacritate, hic deſignentur nomine ועשה צדק ww GAUDENTIS & FACIENTIS JUSTITIAM. h. e. lubenter & lætanter facientes juſtitiam, ut docti Viri jam obſervarunt. Sic Poëta ſacer [d]: אעלוזה אחלקה שכם *Exultabo, partiar Schichemum.* exultabundus partiar. Alio loco [e]: *Et ille Vir feſtinavit & venit.* Feſtinus venit. Imo vero plus eſt in phraſi. Omne exercitium juſtitiæ, pietatis, virtutis, non tantum conjunctum eſt cum bona & læta conſcientia; verum etiam lætam conſcientiam parit: eſtque hæc *lætitia* una vera, ſolida, conſtans. Aben-Ezra hoc loco: *Intelligitur voce* ww GAUDENTIS *juſtus qui* LÆTATUR IN DOMINO. Phraſis eſt Scholæ Sanctorum, ubique obvia [f]. Grotius verſionem Hieronymi abſque magna neceſſitate emendaturus: *Occurriſti* CUM GAUDIO, (*id eſt, patientia, ut hic explicant Græci,*) *recta facienti: ais, inquam, qui in omnibus actibus ſuis tui meminerunt.* Refert dictum ad Patriarchas, Moſen, Davidem, magnos rectoſque Viros antiqui temporis, quibus Deus *ultro, nec ſperantibus, magna beneficia contulerit.* Sed idem hic vitium, quod proprietas ſignificationis vocis פגע *caſu in rem incidere*, obſervari non videatur: nec tamen magnum hic diſcrimen. *Patientiæ* in Lectione *Vat.* aut *Alex.* mentio nulla; ſed in *Complutenſi* & *Aldina.* in hac exhibetur,

Heb. Intt. ſententia de voce פגע.

Ἐπίκρισις in hanc interpretationem.

Uſus vocis פגע cum את.

Verſio Kimchii.

De ea judicium.

Ut & in tranſitu de ea Docti Interpretis.

Verſio Hieronymi, ejuſque laus.

Significatio vocis פגע non ſatis commode cum ea conciliatur.

Refertur ea ad occurſum *caſualem.*

Tolerabilis loci ſenſus.

Qui ex hypotheſi amplius declaratur.

Via Dei, quid hic loci?

Obſervata alia ad locum amplius illuſtrandum.

Primo, *gaudere & facere juſtitiam.* Phraſis exponitur.

Hugonis Grotii verſio & expoſitio notata.

τοῖς

[a] Confer Exod. XXIII. 4. Amoſ, V. 19. [b] Gen. XVIII. 20. 21. [c] Pſ. CXXXVIII. 5. [d] Pſ. LX. 8. [e] 1 Sam. IV. 14. [f] Pſ. XLVII. 12. Phil. IV. 4.

τοῖς ποιοῦσι, τοῖς ὑπομένουσι τὸ δίκαιον, *facientibus, sustinentibus quod justum est.* Sed τὸ ὑπομένουσι vacat, & irrepsit haud dubie in textum ex *superiore versu.* Nec sperno tamen phrasin, ὑπομένειν τὸ δίκαιον, quippe quæ convenit Paulinæ ὑπομονῆς ἔργε ἀγαθῦ, Rom. II. 7. at non video, *alacritatem & lætitiam* rectè per *patientiam* exponi. Alterum est, hic diligenter animadvertendum; ubi Vates ait, *Si incidas in hilarem, seqq.* eo ipsum significare; paucos admodum esse, & pauciſſimos Dei cultores; ut si Deus res hominum inspiciens eosque visitans, occurrat *homini recti animi:* rarum sit & insolentius. confer hic insignem locum Ezech. XXII. 30.

Alterum hic observandum: Sententia supponit, *Paucos* esse Dei *reverentes.*

Alterum membrum, expositu difficile, *Ecce tu efferbuisti, &c.*

Alterum membrum ad primam speciem multo adhuc impeditius est: certe doctissimis quoque Viris multum fecit negotii. Hebræa sunt, הן אתה קצפת ונחטא בהם עולם ונושע κατὰ ῥητόν· *Ecce tu efferbuisti, & peccaveramus, in iis* (sive *in eos,*) *sæculum,* (æternitas, longum:) *& servamur,* sive *servabimur.* Vanum sit, hic producere interpretationum omnium, aut plerarumque etiam, specimina: sunt enim multa, & aliqua earum plane nullius notæ. Hieronymus sic dederat, *Ecce tu iratus es, & peccavimus: in ipsis fuimus semper, & salvabimur.* h. e. semper fuimus in *peccatis*; & tamen *servabimur,* sc. tua gratia & *misericordia,* absque ullo merito nostro. Verum, α. Relativum בהם *in* IIS postulat nomen quo referatur. Præcesserat, *peccavimus.* β. Durum est, בהם עולם vertere, *in iis fuimus semper.* omnino debebat esse, בהם היינו לעולם. γ. Ipsa phrasis, *Esse in peccatis,* est insolentior. δ. Quomodo hæc cohærent, *Fuimus in peccatis semper, & salvabimur.* non ne contra multo magis cohæreret sententia, si scriberetur, *Fuimus in peccatis semper & damnabimur.* Dicis, subintelligi, *Gratia tua salvabimur.* Recte quidem; sed id adscribi debuisset. Cl. de Dieu, emendaturus versionem, *relativum* vocis בהם *in* IIS putabat referri posse ad דרכים VIAS *Dei,* ut nimirum per eas intelligantur *mandata ejus.* Exhibet, *Ecce tu indignatus es, nam peccaverat in* ILLAS, sc. vias tuas, *semper; & tamen servati fuimus.* Sed α. per *vias Dei* h. l. non intelliguntur *mandata Dei*; sed *virtutes, opera, beneficia Dei,* objectum laudationis. β. Inusitata est phrasis, *peccare* IN VIAS DEI. Id tamen rectius, quod scripsit, *Et* tamen *servati* FUIMUS. Si enim hic sensus eligatur, dicunt Supplices, Rari fuerunt veræ pietatis cultores; majores nostri fuerunt in peccatis à sæculo, & tamen servati fuerunt: quid igitur nobis quoque non facis gratiam? Sic præiverat quoque Pagninus: *In ipsis* fuimus in *sæculum, &* tamen SALVI FACTI SUMUS. Alii itaque *relativum* in בהם referunt ad *vias Dei,* sensu gratiæ, misericordiæ, bonitatis, redduntque, *En tu efferveſcebas cum peccaremus*; sed *in* ILLIS *sæculum* est, *ideo servamur.* Id est, *tu in sæculum manes Deus populi tui, eumque mirabiliter protegis.* Sic Piscator, & Lud. quoque de Dieu in altero, quem exhibet, versionis typo. Placuit in hisce tenebris sententia Belgis nostris; sed placuit haud dubie, quod melior non succurreret. Quam enim dura & insolens sententia, *In viis Dei esse æternitatem?* Et præfero tamen vel sic hanc interpretationem superiori, aliisque quas non juvat prolixius excutere *a.* Verba Prophetæ vertenda sunt, *Ecce! tu efferbuisti* (*postquam peccassemus,*) *in* EOS *longum tempus; & tamen adhuc salvi sumus.* Exurgit sensus facillimus, & optimus, ut quisque viderit. Dicunt Supplices; ut demonstrasti, Domine, summam tuam æquitatem bonitatemque erga recti ingenii homines, vias tuas ea de caussa celebraturos: sic verum est, te in *eos,* hoc est, majores nostros ab hoc instituto discedentes *efferbuisse,* cum gravius *peccassent,* & quidem *longissimum tempus:* sed, *ecce! adhuc supersumus salvi*; tot calamitatibus & plagis iræ tuæ defuncti, nondum periimus, nec sumus consumpti: cur vero nisi ut ex nobis illustre documentum faceres tuæ gratiæ? Si enim gratiam facere noluisses; quare ex tot malis & discriminibus tua providentia *salvi facti sumus?* quare omnes non perdidisti; semen reprobum totum non extinxisti? Servastine nos ad novam *iram,* an ad experimentum *gratiæ?* Utique cum tua providentia & longanimitate ex tot malis supersimus: est tibi materia, est objectum exercendæ gratiæ ac misericordiæ, & quidem ampliſſimæ. Quid hoc sensu pulchrius, & omnibus partibus supplicationis & scopo ejus convenientius? Adscripseram hanc versionem ad hæc verba, quam tamen locum hunc tractans cum exigua mutatione deprehendi apud Coccejum, sive ex ipso depromptam, sive ex me cogitatam: *Ecce tu efferbuisti* (*& peccavimus*) *in* ILLOS *in sæculum, & salvamur,* vel *salvabimini.* legendum, *salvabimur.* Sed est mihi plane perinde, utrum ejus ingenii, an meæ quoque alicujus industriæ, hæc sit meditatio: sufficit esse solidam & loco huic difficillimo multam affundere lucem, & impedita ejus omnia expedire: ut vel ex hoc documento discamus; si forte hic illic in Divina oratione hæreamus, nostri ingenii aut diligentiæ culpam subesse: orationem vero Spiritus S. ubique puram, sapientem, Divinam, limpidiſſime fluere. Pendet bonitas versionis ab observato leviculo, vocem בהם IN EOS esse construendam cum notione קצפת *efferbuisti,* non cum נחטא *peccavimus:* quod per se cogitatu erat facillimum, quippe vox *efferbuisti,* licet ordine scriptionis prior, ordine tamen cogitationis posterior est. Naturalis enim ordo suadebat; *Peccavimus, & efferbuisti in* EOS, sc. nos majoresque nostros *longissimum tempus.* Dicunt IN EOS, non tantum per *enallagen personæ* ubique obviam, & elegantiæ caussa affectatam; verum etiam quod *majores ipsorum* præcipue in culpa fuissent, crimine ab ipsis in posteros derivato. Est itaque idem acsi scripsisset, *in illos* atque *in nos.* Ipse quoque ille loquendi modus, quo caussa cum præfixa ו subjicitur *effecto* sive *consequenti,* usu Hebræis, aliisque Gentibus est receptus; pertinetque ipse etiam ad orationis venustatem. *Efferbuisti,* ajunt, ET *peccavimus,* hoc est, POSTQUAM *peccassemus,* sive per παρένθεσιν, (*Peccaveramus enim*) *in eos.* Exempla multa sunt apud Grammaticos præfixæ ו *caussalis,* vel *antecedentis,* qui usus hic obtinet. adscribo solummodo duo specimina, hic producta à Kimchio. Exod. XVI. 20. *Et efferebat se vermibus,* ויבאש ET *fœtebat,* postquam fœtuisset. In eadem historia *a*: *Et* (Ventus ille vehementior,) *arefaciebat mare,* ויבקעו המים ET *fissæ fuerunt aquæ.* hoc est, postquam fissæ fuissent aquæ. Adde ex Propheta nostro Cap. XXXIX. 1. *Merodach Baladan misit literas & munera ad Hiskiam,* וישמע ET *audiverat, quod ægrotasset & convaluisset.* h. e. quia audiverat, postquam audivisset. Quod vero in extremo pericopæ ajunt, ונושע *Et salvi sumus:* circumstantia orationis sic interpretari jubet, ut feci: Nondum disperiimus; supersumus adhuc; reliqui facti ex tot calamitatibus; eodem plane sensu quo Dominus Jesus ait apud Matthæum *b*: *Et nisi decurtati fuissent illi dies, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ non* SERVARETUR *ulla caro.* Nemo ex communi incendio supereſſet. Huc pertinet vocula ECCE. Oportebat, ajunt, nos tot malis calamitatibusque functos, *ira tua* in nos

Cl. Coccejus laudatus.

Vox בהם hic construenda cum voce קצפת *Efferbuisti.*

Cl. de Dieu meditatio.

Non convenit huic loco.

Quare hic בהם *in* EOS; non, *in* NOS?

Recte ultima, *Et tamen servati* FUIMUS.

Usus præfixæ ו pro *caussa* vel *antecedente.*

Aliorum sententia de voce בהם.

Verbo, *Salvi facti sumus*: quomodo accipienda?

Probabilior versio.

Qui declaratur.

Usus voculæ *Ecce,* h. l.

a Exod. XIV. 21. *b* Matth. XXIV. 22.

A Paraphrasis Kimchii, consentanea interpretationi Chaldæi: *Ecce tu efferbueras postquam peccaveramus:*] *Quando efferbuisti in nos propterea quod adversus te deliqueramus,* בהם היינו סומכין *iis nixi sumus per omnes dies sæculi. acsi dicat, in omni generatione in qua fuerunt justi, servati sumus per ipsos, qui intercedebant coram te pro nobis: verum hoc tempore dum versamur in exilio, defecerunt pii & justi, & omnes nos sumus instar impuri: nihil nunc supereſt, nisi ut tu illud facias propter nomen tuum.* An ferri potest, ut בהם עולם *in iis sæculum* vertatur, *nixi iis sumus per omnia sæcula?* Mitto fermentum Pharisaicum, quod verbis subest. Jun. Trem. *Si perpetuo in illis* (viis tuis) stetissemus, *servati fuissemus.* Durissima est & illa ellipsis, & tamen Grotius, *Optima versio, Si in ipsis* (illorum viis) *fuissemus semper,* etiam nos *salvi fuissemus.* Alius Vir Doctus: *En tu iratus fuisti nobis, & peccaveramus: imo in ipsis* (peccatis) *erat totus mundus,* (ut nullum pro nobis hominis meritum,) *& tamen servati sumus per te in Evangelio.* Subjungit, *habere nos in his verbis egregium argumentum pro* PECCATO ORIGINALI, *& ejus fructibus, quippe pii ex Judæis fatentur, tum se, tum totum mundum in peccatis esse.* Itane vero jam tum vox עולם recepta fuit significatione *Mundi?*

longum adeo *tempus efferveſcente*, dudum extinctos eſſe: *ſed*, ECCE, cura tuæ providentiæ adhuc ſuperſumus, & *ſalvi evaſimus*: ergo, quæſumus, *miſerere noſtri!* Hæc clara & facilia ſunt, ut opinor. Cl. Cocceji, in Verſione non multum à nobis differentis, hic eſt interpretatio diverſiſſima; cujus cogitata, quod mihi videantur ab omni probabili ratione aliena, non recenſeo: nedum refello.

Articulus ſecundus.

Articulus alter, ℣. 6. *Et ſumus ut impurus, &c.*

℣. 6. *Et ſumus ut* IMPURUS *omnes nos; & ut* VESTIS REJECTANEA *omnes juſtitiæ noſtræ; & emarcuimus ut folium omnes nos; & iniquitates noſtræ nos inſtar venti auferunt.*] Dixerant Supplices, ſe *peccaſſe*, & Deum ea de cauſſa efferbuiſſe *longiſſimum tempus*, licet cum temperamento tolerantiæ & gratiæ, quod ipſos adhuc ſuperſtites & ſalvos reliquerit. Id verò ipſum eſt quod hic perſequuntur, edentes humillimam triſtiſſimi ſtatus ſui ſpiritualis, & culpæ à ſe contractæ, confeſſionem, cum abnegatione omnis juſtitiæ meritique ſui; & eorum quoque meritorum, in quibus antea confiſi fuerant: quæ certiſſima gratiæ Divinæ obtinendæ & ſupplicationis apud Curiam cœleſtem inſtituendæ via & ratio eſt. Deſcriptio autem Status ſui ſpiritualis, quam hic faciunt, & *commate ſequente*, tota emphatica & Divina, ejuſmodi vere eſt, ut præſenti Judæorum conditioni per omnia conveniat; minus verò quadret Statui Gentis in Exilio Babylonico: quæ noſtra eſt hypotheſis. quod hic in initio moneo, ut interpretationem noſtram legentes id ex oculis ſuis ne dimittant. Accidit autem jucundum, videre, Doctiſſimum Virum, Sixtinum Amama, dum locum relegeret, luce ejus ita affectum fuiſſe, ut citra ſcopum adſcripſerit *a*: *Caterum illud quoque conſideratione dignum eſt, an non hæc & ſequentia ad præſentem Statum Judæorum, eorumque poſt rejectum Evangelium conditionem, quæ certe abjectiſſima eſt, referri poſſint, ut eos ad ſe redeuntes & pœnitentes hic introducat Propheta. Ita certe hunc locum interpretatur Arias Montanus*, ut & *Forerius*. Recenſebo ſingula, eorumque oſtendam emphaſin.

Deſcriptio Status Judææ Gentis, ut hic fit à Supplicibus, convenit Statui Gentis in præſenti exilio.

Docti Viri verba in hanc rem.

Verba, *Et ſumus ut immundus omnes nos.*

וְנִהְיִי כְטָמֵא כֻלָּנוּ *Et ſumus* UT IMMUNDUS OMNES *nos.*] Sic verto. Urget Vir Doctus, ET FUIMUS *ut immundus omnes nos.* ut vere Grammatice ſonat וְנִהְיִי. Sed Propheta *præterita & præſentia*, forma *futuri* elata, inter ſe commiſcet; & Supplices qui hanc confeſſionem edunt, licet jam pœnitentes, ſtatum ſuum talem depingunt, qualis huc uſque fuerat; & quali plures ex iis adhucdum perſiſtebant: ut nihil vitii ſit vertere in *præſenti*. Primum itaque quod de ſe ſecundum ſtatum ſuum ſpiritualem, quo huc uſque fuerant, profitentur, eſt, *eſſe ſe immundos*, impuros, *omnes*. h. e. *κατὰ κοινὸν communiter*. (כֻּלָּנוּ OMNE NOSTRUM; τὸ κοινὸν ἡμῶν.) hoc eſt, eſſe ſe ſpirituali ſenſu *leproſos*. Cum enim hic abſque dubitatione alludatur ad immunditiem legalem; immunditiei autem legalis variæ fuerint ſpecies: nullam earum fuiſſe conſtat graviorem *Lepra*: quare cæteras non attingo. Eſt autem probabile, verba Prophetæ accipienda eſſe in ſumma emphaſi. Eſt certe Lepra per ſe morbus fœdus & deſpicabilis, qui abſque ulla Lege intercedente homines aliorum commercio inviſos reddit, tanquam cœleſti quadam plaga percuſſos; eratque Leproſi, myſtace obnupto, *exclamare*, IMMUNDUS, *immundus b*. Gerit autem Lepra imaginem ſummi & conſpiciendi gradus *Mortis ſpiritualis*, ortæ ex *incredulitate* aut *induratione* animi in fundamentali Doctrinæ Religionis Errore, aut ex graviſſimo Delicto cum reſpectu ad Religionem ex odio vel invidia perpetrato, propter quem Errorem, ſive propter quod Delictum aut flagitium, quis meretur excludi communione Dei & ſanctorum, privari omni influxu Divinæ Gratiæ, & tanquam hoſtis veritatis ac nota Divini judicii inſignis, ab omnibus vitari. *Leproſi* ſpirituales ſunt excommunicati à Deo & Eccleſia ob vitium notabile *incredulitatis & erroris capitalis*, ſive quod aliud graviſſimum crimen commiſſum in cauſſa *Religionis*, ipſis adhærens, quod vitium publice præ ſe ferunt. Sentis, *Leproſos* figuram veriſſimam ſuſtinere *Judæorum* in incredulitate & errore capitali obſtinatorum, ſuccumbentium triſti Dei judicio, eaque de cauſſa excluſorum commercio Dei & Sanctorum, & hanc notam Divini Judicii ubique per Orbem circumgerentium; ad exemplum Caini, quem probabile habeo eadem plaga Divini judicii percuſſum, communione Dei & hominum ſecluſum *c*; ut alias jam monere memini. Mirjam, Aaronis & Moſis ſoror, in fratrem Moſen magnum Prophetam, irreverens, *lepra* percuſſa per ſeptiduum excluſa fuit *caſtris d*; inde ad Moſis interceſſionem ſanata & ordini reſtituta. In Judæis utrumque crimen concurrit; fuſi innocui ſanguinis Chriſti Jeſu & Apoſtolorum ejus; & in Illum Moſe majorem incredulitatis ac irreverentiæ; eſtque hæc *lepra* in iis *inveterata*. Verſantur itaque in Mundo ut cadavera, vita ſpirituali caſſa. Vita enim ſpiritualis eſt ex fide Chriſti. Intelligis proinde, quam vere & proprie dicant hi Supplices, ad ſe redeuntes; Τὸ κοινὸν αὐτῶν *commune ipſorum* eſſe *immundum*. Plura non addo. ſcripſi enim jam de hoc argumento ad Cap. LII. 11.

Lepra ſpiritualis conſpicua eſt in *Judæis*, induratis in *incredulitate*, & *criminibus*, ex ea natis.

Typus ejus in Caino, & Maria, Moſis & Aharonis ſorore.

Utrumque ad Judæos applicatur.

Alterum membrum: *Et ut veſtis* REJECTANEA *omnes juſtitiæ noſtræ.* Heb. וכבגד עדים כל צדקתינו Sic verto phraſin בגד עדים *veſtis rejectanea*; generali notione, dum dubia vel incerta ſignificatio eſt vocis עֵדִים, hic tantum lecta. Extant de ea ſententiæ, ut fit in dubiis, plures, dum alii eam ex themate ערה *removere*, alii ex עד *ſpolium*, (quod veſtes victorum ſint fœdæ ſanguine;) nonnulli ex עד *teſtis*, ut *veſtis teſtium* ſit quæ *inquinata ſanguine* producitur ad nuptæ virginitatis integritatem probandam: alii denique ad עד *præda*, alio ſenſu, quod ſit *veſtis lacera*, referunt: quas aliaſque interpretationes plures recenſet modo laudatus Amama: ſed ex quibus magis inopiam & incertitudinem veri, quam verum ipſum, intelligas. Utique condonandum eſt Doctis, ſi in incertis hariolentur; ſed ægre aſpicio, homines ne videantur nihil ſcribere, ea in certis conſignare, quæ ipſi facile prævideant neminem recepturum eſſe. Inter probabiles opinationes cenſeri poteſt, vocem עֵדִים derivari à ערה *præterire*, tranſire, *Hiph.* הֶעֱרָה, Chaldæis *Aphel*, אַעְדֵּי *removere*, *amovere*, receptiſſimi uſus. Sic בגד עדים eſſet *veſtis remotionum*, ut vertitur à Coccejo. veſtis rejectanea, ut ſolent eſſe immundæ. Sed *Dageſch* in litera ד non favet conjecturæ, & emphatica Vatis noſtri oratio quid preſſius videtur requirere. Grotius ducit ex Chaldæa voce עריא, quæ Paraphraſti eſt מפחרת *purulenta eruptio e*. Prima eſt earum opinionum, quam proponit Kimchius. *Significabitur* itaque, ait, *pittacium quod puſtulis imponi, ac deinde abjici ſolet.* Sed num pittacium, *puſtulis* imponi ſolitum, recte dicitur בגד *veſtis?* An qui talia ſcribunt, non ſentiunt ipſi, ſe in errore eſſe? Non eſt ambigendum, quin *Veſtis* עֵדִים GNIDDIM notet *linteum* aut *pannum immundum* ex immunditie Legali, eundemque fœdum aſpectu: cujuſmodi cum fuerit inprimis *veſtis*, *pannus*, aut *linteum* fœminæ menſtruo profluvio laborantis: veriſimile eſt, id potiſſimum hac phraſi deſignari. Sic accepit eam Alexandrinus, vertens, Ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης· *ut pannus ſedentis.* ſic vetus Verſio, proprie, ut *pannus* mulieris languidæ ac deſidentis ex menſtruo παθήματι. id enim τοῖς ὁ. eſt ἀποκαθῆσθαι. Menſtrualis fœmina ipſis dicitur ἀποκαθημένη. Lev. xv. 33. Ὃς ἂν κοιμηθῇ μετὰ ἀποκαθημένης· Heb. עם טמאה *cum impura.* Idem Cap. xx. 18. ubi eſt דוה *debilis*, languida, ex fluxu ſanguinis. Jeremias in Threnis *f*: Ἐγενήθη Ἱερουσαλὴμ εἰς ἀποκαθημένην· Heb. לנדה Quæ notio נדה NIDDA propriiſſime in hoc caſu adhibetur in Legibus Moſaicis *g*. Significat ſtatum ſeparationis ob fœditatem averſabilem. Ipſe ſtatus menſtrualis dicitur נדת טמאה *ſeparatio* ſive fœditas *immunditiei*. Jeſaias ipſe appellaverat דוה DAVA, eodem ſignificatu

Et ut veſtis rejectanea omnes juſtitiæ noſtræ.

Veſtis עדים quid hic loci?

Variæ ſententiæ Interp.

De etymo vocis aliquorum opinationes expenduntur.

Verba, *Et ſumus ut immundus omnes nos.*

Reſpectus vocis ונהי.

An vertenda, *Et fuimus?*

Alluditur hic ad *lepram*, immunditiem legalem.

Sententia apud Kimchium.

Quid hic probabiliter tenendum ſit?

Aſpectus *lepræ.*

Verſio τῶν ὁ.

Quid per eam figuretur in *Statu ſpirituali?*

Quid illi fœmina ἀποκαθημένη?

Uſus vocis נדה in Legibus Moſaicis.

a *Antibarb. Bibl.* Lib. IV. p. 707. *b* Lev. XIII. 45. *c* Gen. IV. 12. 14. 15. *d* Num. XII. 14. *e* Lev. XIII. 2-6. *f* Thren. I. 17. *g* Lev. XV. 19. 24. XVIII. 19.

Loca duo Taciti huc allata.

ficatu Cap. xxx. 22. Tacitus de incendio ex terris enato, nec facile extinguibili [a]: *Postremo* (ad restinguendum incendium,) *corpori direpta injiciunt; quanto magis* PROFANA *&* USU *viliore* POLLUTA, *tanto magis oppressura ignes.* Lipsius: *Vestes vult sanguinis aut seminis notis sordentes.* Idem in Libris Historiarum de *Bitumine* Maris Sodomæi [b]: *Fugit cruorem,* VESTEMQUE INFECTAM SANGUINE *quo femina per menses exsolvuntur.* Habes ibi ipsissimam notionem VESTIS. Quandoquidem vero incertior est etymologia vocis עִדִּים GNIDDÎM: censeam, eam non absurde comparari cum voce נִדִּים NIDDÎM, (ejusdem etymi cujus נִדָּה ob aliquam communitatem quæ intercedebat inter enunciationem Literarum ע & נ;) ut בגד נִדִּים sit vestis *fœda* ex menstruis. quod si minus obtineat: nemo hic in re ipsa gravius erret. Ajunt Supplices Deo in hac sua Confessione; omnes illas Res, actionesque, quas pœnitendo errore tibi nos imputare posse opinabamur, ut caussas *justitiæ* nobis apud te procurandæ; ut sunt prærogativa Natalium, circumcisio, merita majorum, universus cultus Legalis, à Patribus observatus, opera charitatis, & officia Religionis, quibus adhucdum in Sacris publicis adsidui defungimur, nunc demum postquam in veram status nostri notitiam devenimus, confitemur merito, tibi summe odiosas & invisas esse, easque te ut fœdum & abominabile quid aversari; tum quod hæc opera & officia à nobis edita sint in statu *incredulitatis, indurationis,* & *inobedientiæ erga Evangelium Filii tui;* tum quod conjuncta fuerint cum gravissimis peccatis in quibus viximus, omni vera & interiore sanctimonia vacui; tum quod absurdum sit, hominem immundiciei & peccatorum suorum intime conscium cum fastosa hypocrisi justitiam propriam tibi audere commendare. quem fastum ac superbiam Deus ut intolerabile quid fastidit. Dominus apud Lucam [c]: *Quicquid in hominibus est* ὑψηλὸν *sublime,* βδέλυγμα ἐνώπιον τῆ Θεῆ ἐστιν ABOMINABILE EST *coram Deo.* Hæc licet inter se conjuncta sint; & separari ab invicem nequeant; & licet Judæi omnes imbuti fuerint *fermento Pharisæorum*, hoc ipso ad Evangelium Filii Dei recipiendum ineptissimi: primum tamen horum hic maxime respicitur. Opera edita in statu incredulitatis, indurationis cordis, & ἀπειθείας *inobedientiæ erga Legem Evangelii*, Deo observantur ut quid fœdum, pollutum, aversabile, quod fastidit. Non potest ea ferre [d]. Fundere innocuum sanguinem Filii Dei, summi ac perfectissimi Doctoris, ejusque Apostolorum, & hoc scelus approbare, ac justitiam & salutem Dei proterve spernere, & interea pollutas hoc scelere manus ad Deum cum blasphemia Filii ejus attollere, & cultum hunc ipsi imputare velle ut caussam justitiæ: quantum quamque turpe & abominabile scelus est? quam detestabilis hypocrisis? Imo vero quicquid extra Christum est omne, quale fuerit quod materiam præbet gloriationis; ut privilegium Natalium, circumcisio, & his similia, Apostolus se *reputare* ait σκύβαλα εἶναι *retrimenta & abjectissimas sordes* [e]; ne videlicet gloriationem in sola justitia Christi Jesu corrumpant. Ergo abnegant hoc loco pœnitentes omnem suam justitiam, ut Daniel [f], quæ sola via obtinendæ gratiæ; quin melioribus etiam operibus suis quæ videbantur, agnoscunt fœdissimum adhæsisse vitium, propter quod Deo abominabilia visa & instar rei fœdæ ac turpissimæ ab ipso reprobata sint. Hic sensus sententiæ. Vides interim, quam imprudenter sæpe hoc dictum præter scopum Prophetæ ab imperitis Verbi Divini Interpretibus ad ipsos applicetur *actus* regenitorum in fide per gratiam Spiritus S. editos, ob aliquam iis adhærentem imperfectionem; acsi illi Deo obversarentur ut *vestis fœda* & *rejectanea.* quin in ipsis precibus publicis id subinde Deo absurdissime obtruditur. contra est. actus regeniti in fide editi per gratiam Spiritus S. sunt sacrificia Deo placentia, probata, & εὐάρεστα [g]. Quam illi qui ita instituunt; perdiderunt verum Christianismi aspectum? Pudendum est meminisse. Sed jam castigarunt hunc crassum errorem doctissimi Viri, tum Amama noster [h]; tum imprimis Hackspanius, quæ huc pertinent, docte prosequutus [i]. Lutherus ipse, vir magnus, olim loco secundum hunc sensum usus, deinceps à se hac parte discessit, ut apud Virum illum eruditum videris. Decet nos summa coram Deo humiliatio & virium nostrarum meritorumque abnegatio: sed *operi Dei in nobis* oportet constare suam laudem & meritum.

Vox עִדִּים videtur comparari posse cum ea נִדִּים.

Sensus dicti demonstratur.

Tertium, ונבל כעלה כלנו *Et emarcuimus tanquam folium omnes nos.* emortua videlicet *arbore* Synagogæ incredulæ, ab ipso Domino frustra in ea fructum quærente maledictæ [k], & arefactæ. Exposui emblema ad Cap. I. 30. *Et eritis ut quercus, cujus decidunt folia.* & rem ipsam ad Cap. XL. 7. Agnoscunt, se cassos esse vera vita, & cum Republica dissoluta destructaque, hic illic disjectos dispulsosque esse, ad omnem ventum, hoc est, mandatum Principum aut Populorum seditiosum furorem motos & mobiles, noviisque expositos injuriis. וַנִּבֹּל hic est ex forma *Hiphil*, pro וַנִּבֵּל, ut Docti Viri jam observarunt.

Et emarcuimus tanquam folium omnes nos.

Sensus quid dicto subest.

Animadversio ad vocem ונבל.

Quartum, *Et iniquitas nostra instar venti nos auferet.* h. e. grave illud & capitale peccatum *incredulitatis* & *impœnitentiæ* facit, ut de peccatis in peccata, de malis calamitatibusque quæ nos premunt, in mala calamitatesque novas, incidamus; dum pravis affectibus nostris abrepti tentamus & molimur, quæ nos magis in peccato obdurant, calamitatemque nostram non levant, sed aggravant & augent. Exemplum extitit in funestis Genti & calamitosis motibus, quos sub Trajano excitarunt in Ægypto; sub Hadriano in Palæstina; & alibi occasione falsorum Messiarum, per tractum Sæculorum, à quibus turpiter delusi liberationem suam exspectarunt: qui motus omnes ad calamitatem ipsorum aggravandam plurimum contulerunt. confer phrasin analogam Cap. LVII. 13. & Job. XXVII. 21. *Ventus* קָדִים KADIM *illum auferet, ut abeat, & illum turbine raptum propellet ex loco suo.* Loquitur Vir sanctus de Fato impiorum. Designatur *Ventus procellosus* in Desertis Arabiæ hoc nomine, (de cujus significatione Docti disputant,) notissimus, omnia obvia vastans & abripiens. Quid opus est hic verbum addere? Vide mihi hoc ipso tempore Judæos Judicio Divino, ipsis ob gravissimum peccatum incumbente, instar *marcidorum foliorum* disjectos per omnes regiones Orbis terrarum, quam late patet, usque ad extremas ejus oras: quod ipsi hic ingenue agnoscunt.

Dictum per paraphrasin exponitur.

Locus Job. XXVII. 21.

Articulus tertius.

ỳs. 7. *Et* NEMO EST *qui* NOMEN *tuum* INVOCAT; *qui se excitat ad te apprehendendum; quia occultasti, seqq.*] Quintum Status & temporis illius attributum, his consignatum verbis, *Et nemo est qui Nomen tuum invocet:* ad speciem valde est paradoxum. Ponas enim ex nostra hypothesi, agi de Judæis hodierni temporis & status; utique illi secundum Leges Synagogæ ritu precationum ex ductu Liturgiæ, omni die solenniter funguntur, Deumque Patrum eumque solum preces & supplicationes suas decantando invocant. Sic videtur; & tamen Judæi ipsi hæc verba, quæ hic legi nollent, ad præsentem Statum suum applicant. Adscripsit Kimchius, *Neminem Deum invocare,* כמו שהיו חסידי ראשונים עשים *Ut* PII *priorum temporum fecerunt.* Eccur vero? Num itaque nulli inter eos *pii* supersunt? Certum est, Verba Supplicationis esse *restricte* intelligenda. *absolute* enim nulli tempori conveniunt. *Nemo,* ajunt, *est qui invocet nomen tuum ut oportet. Nemo te invocat secundum tuam voluntatem.* ea fide, quam in veris supplicantibus requiris; zelo, patientia; ea animi puritate quæ veram resipiscentiam supponit; ea humilitate, quæ omnem justitiam abnegat; ea fiducia, quæ promissa Gratiæ sibi fidenter applicat, & sua facit.

Articulus tertius, ỳs. 7. *Et nemo est qui Nomen tuum, &c.*

Quomodo hæc verba conveniant Judæis in præsenti Exilio?

Kimchii verba.

Dictum Prophetæ accipiendum est *restricte.* quod exponitur.

Quid ex variis cognatis potissimum intelligendus sit?

Fœditas hypocrisios Cultus Judæorum demonstratur.

Pœnitentes hic abnegant omnem suam *justitiam.*

Locus Phil. III. 8.

Dictum hoc sæpe imprudenter applicatur ad actiones *regenitorum.*

a *Annal.* Lib. XIII. Cap. 57. b Hist. Lib. V. Cap. 6. c Luc. XVI. 15. d Cap. I. 14. 15. e Phil. III. 8. f Dan. IX. 5. g Rom. XII. 1. h In *Antibarb.* l. c. i *Notis* ad h. l. k Matth. XXI. 19.

Nemo est qui te invocat ductu Spiritus S. quem nobis negas. Apostolus ad Romanos [a]: *Spiritus una sublevat infirmitates nostras*, Τὸ γὰρ τί προσευξόμεθα καθ' ὃ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν· *Quid enim* OREMUS UT OPORTET, *non novimus.* Joannes [b]: *Et hæc est fiducia quam habemus apud Deum; ipsum, ἐάν τι αἰτώμεθα κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ· si quid petierimus* SECUNDUM VOLUNTATEM EJUS, *nos audire.* Dominus ipse [c]: *Amen, amen, dico vobis, Quæcunque petieritis à Patre meo ἐν τῷ ὀνόματί μου* IN NOMINE MEO, *dabit vobis.* Vide itaque mihi, quæ causa fuerit, cur tot preces, deprecationes, supplicationes, ab hac Gente omni die cantatæ murmuratæque, nihil ei profuerint.

Nemo est qui se excitat ad te apprehendendum.

Sextum denique, Nemo est *qui se excitat, ad te* APPREHENDENDUM.] Qui communem languorem, & imbecillitatem spiritualem, in qua Gens tota desidet, excutiat; veraque & viva fide apprehendat VIM virtutemque gratiæ quæ in te est, servandi peccatorem per Filium. Desumpta est phrasis metaphorica à *cornibus altaris*, quæ à sontibus aut in discrimine positis, salutis causa apprehendebantur; quam declaravi ad Cap. XXVII. 5. FILIUS DEI, & quæ in ipso est Justitia, Salus, horumque fons GRATIA, est ROBUR DEI. Subest dicto; Gentem Judæam laborare gravi ac difficili morbo, ex quo se erigere nequeat, & ne velit quidem. esse ἐν ἀσθενείᾳ, instar eorum qui membrorum παραλύσει laborant.

Quid hic loci sit *Deum apprehendere?*

Causa tristis hujus Judicii.

Causa tristis hujus judicii: *Quia occultasti faciem tuam, &c.*

QUIA *occultasti faciem tuam à nobis, & nos fecisti* COLLIQUESCERE *medio peccatorum nostrorum.*] Causam tandem subjiciunt tristissimi Status, in quem redacti erant. Deum ajunt, *faciem suam ab ipsis occultasse*, & vero etiamdum *occultare*, h. e. ipsos privasse omni luce & influxu suæ gratiæ; Spiritum suum sanctum è medio ipsorum removisse; nulla ipsos amplius prosequi cura providentiæ peculiaris: contra vero telis judiciorum suorum ubique persequi & ferire, ut in rationibus Providentiæ Divinæ clarissima habeant argumenta, ex quibus intelligant, Deum sibi iratum esse. id enim latet in phrasi, *faciem suam ab aliquo occultare*; quam ipsam quoque jam ante interpretatus sum ad Cap. VIII. 17. LIV. 8. Addunt, *Et nos fecisti colliquescere medio* (Heb. בְּיַד *per manum*) *peccatorum nostrorum.* proprie, *iniquitatum nostrarum.* Sed vox hic sumitur generali significatione. Dubium hic præcipue residet in voce מְמוֹגְגֵנוּ. Hieron. *Allisisti nos.* haud dubie vitiose. Grotius: *Melius, Tradidisti nos in manus peccatorum nostrorum.....* Græci: Παρέδωκας ἡμᾶς διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν· מגן *est tradere. Nec aliter Chaldæus Interpres.* Ita est, videntur Græcus & Chaldæus respexisse vocem מגן *tradere:* sed lectio Masorethica hunc sensum non admittit, ob literam ו, quæ demonstrat thema radicale מוג. *liquefieri, dissolvi, diffluere.* Si esset à מגן, debebat esse תְּמַגְּנֵנוּ: & est tamen in ipsa quoque voce תְּמוֹגְגֵנוּ aliquid ἀνώμαλον. scripta est contracte pro תְּמַגְּנֵנוּ. Ajunt Supplices, Ademisti nobis omnem animi fiduciam, constantiam, robur, consilium: contra vero replesti nos metu, pavore, consternatione, quæ sensum animi turbat, & omni sapientia & consilio mentem vacuat. In interminationibus Mosaicis vocatur מרך לבב *mollities animi*; robori, constantiæ, & fiduciæ opposita [d]. Sic sumitur phrasis aliis locis [e]. Sume si lubet latius. Tu, ajunt, nos fecisti *diffluere* & *colliquescere*, ut omne quod in nobis est *solidum*, dissolutum sit: Sapientia, videlicet, fides, spes, πεποίθησις, bonæ & solidæ cogitationes & ratiocinationes, & quicquid horum simile Statum nostrum spiritualem huc usque sustinuit. Si autem ad Societatem integram referas: significat Societatis totius διάλυσιν *dissolutionem*, qua partes ante in solidum corpus compactæ diffluunt, minuuntur, & huc illuc dilabuntur, ut Cap. XIV. 31. Idem valet quod Ps. LXXIX. 8. דלונו *Tenues facti sumus.* Metaphora hic sumpta est, non à metallis, quæ ingente ignis vi solvuntur, quippe quæ facili negotio, amoto igni, pristinam soliditatem recuperant: sed à luto, aliaque materia concreta fragiliore, quæ accedente liquore diffluit ac dissolvitur. Hujusce vero mali sui, etsi summam causam demonstrent Deum scelerum peccatorumque suorum vindicem: proximam tamen ostendunt *peccata sua*, ipsos de malo in malum trudentia; hoc ipso Divinam agnoscentes *Justitiam.* Historia Gentis, sive singulos spectes, sive universos: clamat, rem ita se habere, quod & ipsi sentiunt. Quicquid solidæ sapientiæ in hac Gente fuit; quicquid boni consilii; quicquid fiduciæ, roboris, & constantiæ, qua Judæi olim solebant excellere; diffluxit. Dissoluta est Respublica; ipsi per Orbem terræ vagi; pleni metu & consternatione ob commune odium, quo ab omnibus premuntur Populis. Major pars, insatiabili aviditate inhians bonis terrestribus, manifesta est doli, fraudis, perfidiæ; aut lucri dulcedine capta servit Principibus non Turcis tantum, sed & Christianis, in injustis Exactionibus, quarum redimunt vectigalia; mox divites facti ex rapina, iisdem Principibus prædæ sunt: de quo, nec non de eorum pessima & plane corrupta indole, omnis historia narrat; sed & eadem narrat calamitates ingentes, quas sibi per hasce iniquitates arcessiverunt. Inter novissimos testis est fidus Itinerator Thevenotius in historia *Constantinopolis* & *Ægypti.*

Causa mali proxima, *peccata.*

Applicatur ad Judæos in Statu præsentis Exilii.

(b.) Iram Dei, quæ huc usque ipsis incubuerat, deprecantur, ℣. 8.

Nova instantia supplicationis ex Dei ad Gentem respectibus, ℣. 8.

Affectio hujus orationis.

Modus supplicationis apud Deum instituendæ.

Tres *respectus Dei* ad Gentem Judæam hic memorati.

Deus ipsorum *Pater.*

Et *Fictor.* Notio exponitur.

Unde hic sumpta metaphora?

(b.) Iram Dei, quæ huc usque ipsis incubuerat, deprecantur.

℣. 8. *Et nunc, ô Jehova,* PATER NOSTER TU ES; *Nos sumus lutum, & Tu* FICTOR NOSTER; *& opus manuum tuarum omnes nos.* ℣. 9. *Ne effervescas, Jehova, nimium; neque in æternum recorderis iniquitatis: ecce, adspice, quæsumus, Populus tuus omnes nos.*] Solus aspectus miseriæ spiritualis Gentis videbatur Deum movere posse ad eam, post laxatum Justitiæ spatium, recipiendam in gratiam. Et nihilominus instant, urgentque rursus causam suam, ex respectibus, qui inter Deum & ipsos intercedebant: qua oratione, imo verissima supplicatione *Epilogistica*, nihil concipi potest blandius & tenerius; ut illi etiam, qui extra partes hasce positi pericopam legunt, legendo se commoveri sentiant. Sic orari vult Deus. Majestatis suæ magnitudine & sublimitate infinitum ab imbecillitate humana distans, ad hominum tamen rationes & affectum se accommodat; vultque omnino, ut Supplices omni modo nitantur se commovere, & sibi ad movendum aptissimas proponant rationes. Tres sunt respectus quos urgent. primo, Deum esse *Patrem suum*: secundo, *Fictorem.* tertio, *Fœderatum* suum; se vero esse *Populum Dei:* unde eliciunt consequutionem; non decere Deum, ut *in æternum* se repellat, aut *nimium* affligat. Cogitatio facilis est & simplex, in qua nihil occurrit quod nos moretur. *Et nunc*, ajunt, JEHOVA, qui hoc nomine te Abrahamo & posteris ejus obstrinxisti ad æternam gratiam promissis Patriarchæ datis involutam: PATER *noster* אתה ATTA, *tu es.* qui nos *generasti*, nos magno veluti labore educendo ex Ægypto, & formasti in Populum, nosque in *Filios tuos* typice *adoptasti*, ut typica illa *adoptio* tandem in veram abiret. Vide dicta ad Cap. LXIII. 16. & observa teneritudinem enunciationis in fine sententiæ in voce אתה ATTA *tu.* unde Homero, & antiquis Græcis in appellationibus, quibus minores majores venerabantur, ΄ΑΤΤΑ, ΤΕΤΤΑ. Addunt, *Nos sumus lutum & tu* FICTOR NOSTER: *opus manuum tuarum omnes nos.* h. e. nobis, quà discreti sumus ab aliis Populis, illam dedisti *formam*, qua in Mundo comparemus: ut quicquid olim fuimus, à te ex cæteris Gentibus electi, promissis Gratiæ ditati, tuæ providentiæ peculiaris cura formati in Populum, ducti in Canaanæam, & ibidem variis à te beneficiis macti redditi; totum tanquam *opus manuum tuarum* tibi debeamus: an itaque *fecisti* & *finxisti* nos ut nos

a Rom. VIII. 26. b 1 Joh. V. 14. c Joh. XVI. 23. d Lev. XXVI. 36. e Jos. II. 9. 24. Jer. XLIX. 23.

ut nos *perderes*; num miſſum faceres *opus manuum tuarum?* Non videtur probabile [a]. Similitudinem ipſam bis declaravi ad Cap. XXIX. 16. & Cap. XLV. 9. Subjiciunt reſpectum Dei, ut *Fœderati ſui*, ſecundum quem ipſi erant Populus Dei, ỳſ. 9. *Ne effervesças, Jehova, nimium* (עד מאד *uſque valde*,) *& ne in æternum recorderis* עון INIQUITATIS, (graviſſimæ illius, qua te potiſſimum offendimus.) *Ecce, adſpice nos:* POPULUS TUUS *omnes ſumus.* Moſes in Oratione ſua ad Populum [b]: TE ELEGIT *Jehova Deus tuus, ut ipſi eſſes* IN POPULUM PECULIAREM *ex omnibus Populis qui ſunt ſuper ſuperficiem terræ.* Notio σχέσιν habet ad *Fœdus* æternum quo Deus ſe huic Populo obſtrinxerat, Deut. XXVI. 17. 18. Deus ad Abrahamum [c]: *Et erigo fœdus meum inter me & inter te, & inter ſemen tuum poſt te in* FOEDUS PERPETUUM, *fore me tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te.* Inde Deus exerte, in graviſſimis interminationibus Genti factis, identidem reponit & aſſeverat; ſe ubi res ad ſummum venerit, *recordaturum eſſe Fœderis*, cum majoribus initi, & afflictis facturum gratiam [d]. quare Sancti in Supplicationibus analogis, quæ extant in Odis Davidis, id identidem urgent [e]. *Ecce*, ajunt, dum faciem tuam à nobis avertis, & nos plane negligere videris, *adſpice nos; ſumus Populus tuus* in Majoribus noſtris, cui fœdere obſtrictus es: ergo pone modum afflictioni graviſſimæ, cui per tot ſæcula ſuccubuimus.

Deus ipſorum *Fœderatus.*

Ratio Fœderis cum Abrahamo initi.

(c.) Novam rationem petunt ex *calamitate* EXTERNA ſibi probroſiſſima, & Deo, ut videbatur, ignominioſa.

(c.) Nova ratio ex Calamitate externa, ſibi valde probroſa, ỳſ. 10.

ỳſ. 10. URBES TUÆ SANCTÆ *evaſerunt Deſertum: Tſion facta eſt ſolitudo: Hieroſolyma deſolata.* ỳſ. 11. *Domus noſtra ſancta, eademque decus noſtrum, in qua te laudarunt Patres noſtri, igne cremata eſt; & omnia loca noſtra deſiderata, data ſunt vaſtationi.* ỳſ. 12. *Num ſuper hiſce te continebis, Jehova: ſilebis, & affliges nos ſupra modum?*] Exhibent verba aſpectum triſtiſſimi Status Populi Judæi, Patria terra exacti, Hieroſolymis & Sanctuario deſtructis; in qua pericopa nihil fere obvium eſt quod legentem moretur. Unum expediendum eſt in Periochæ initio; URBES *tuæ* SANCTÆ *evaſerunt deſertum.* Sunt qui id in univerſum referunt ad civitates Judææ: *Urbes*, ut Grotius, *terræ Judææ quæ te verum Deum agnoſcunt.* Nimis laxe. Si qua enim in civitate profeſſio & cultus veri Dei obtinet: non eadem mox appellatur *ſancta.* Utique non putem, præter *Hieroſolymam* ullam Judææ Urbem *ſanctam* appellari. Ergo Eruditi Viri plures jam obſervarunt, nomine ערי קדש יי *civitatum ſanctarum Jehovæ* hic intelligi ſolam Urbem Hieroſolymam, Θεᾶ πόλιν, ἱερὰν πόλιν, ἐν μεσογαίοις, *Dei civitatem in mediis terræ finibus poſitam*, ut eſt in Oraculis antiquis. perinde ac nomine מקדשים *Sanctuariorum* ſolum intelligitur *Templum*, ſancta Loca & Conclavia plura complexum. Huic uni Metropoli, cauſſa auguſtiſſimi Sanctuarii quod capiebat, inter omnes alias Judææ Urbes hic honos habebatur, ut diceretur *Urbs ſancta*, ut vidimus Cap. LII. 1. *f* Erat enim diviſa Urbs in τὴν Ἄνω καὶ Κάτω πόλιν, *in Civitatem ſuperiorem*, in Monte Tſioneo; & in *Civitatem Inferiorem* quæ occupabat *Acram*, ei oppoſitam; quæ *Civitas inferior* intelligenda eſt nomine *Hieroſolymæ* ſecundum peculiarem vocis uſum, quotiens Hieroſolyma Tſioni contradiſtinguitur. Inde ipſa quoque ירושלם paſſim à Maſorethis ſignatur ירושלַיִם *terminatione duali.* Quid quærimus? Vates ipſe ſe explicat, CIVITATES SANCTÆ *tuæ*, ait, *factæ ſunt Deſertum.* Ecquæ vero? Subjungit, TSION *facta eſt ſolitudo*; HIEROSOLYMA *deſolata.* confer Pſ. LXXVI. 3.

Summa ſententiæ.

Quomodo accipiendum quod hic de *Urbibus ſanctis* dicitur?

Grotii paraphraſis.

Cogitandum hic de ſola Hieroſolyma.

Ratio ejus.

Schema

Quis neget, ſchema per ſe inſpectum convenire Statui Populi Judæi in Exilio Babylonico? Sed circumſtantia *Supplicationis & Sectionis* totius non favet huic hypotheſi; ut in ſuperioribus demonſtravi. Grotius refert ad deſolationem Hieroſolymæ, & profanationem Templi, factam à Syris ſub Antiocho Epiphane, & ejus mandato. Non inficior, hanc hypotheſin ad circumſtantias hujus *Sectionis* longe felicius accommodari; ut ſane ipſe Scriptor *primi Libri* Maccabæorum aliqua hujus Pericopæ Propheticæ ad calamitatem temporum illorum applicat [g]: & vere in ea ſum ſententia; tempora illa ſecundum analogiam Eventuum Eccleſiæ utriuſque Oeconomiæ, reſpondere ipſis illis *temporibus Eccleſiæ Novæ Oeconomiæ*, quorum Eventus ex ὑπολήψει noſtra in hac prophetia exhibentur. Corruptio Eccleſiæ, Babylonem egreſſæ, ſenſim magis magiſque invaleſcens; ejus graviſſima afflictio; & Vindiciæ quas Deus ei procuravit per Heröes Maccabæos glorioſa, typum ſuſtinent rerum in fine Eccleſiæ N. T. ſimilium inſigniore longe modo gerendarum. Verum qui materiam hujus Supplicationis totius rite conſideraverit; clariſſime ex ea perſpicit, Supplices huic judicio longum tempus ſuccubuiſſe; nec dici poteſt fide hiſtoriæ, *Domum* Sanctuarii hoc tempore factam eſſe לשרפת אש *in exuſtionem ignis.* In Atriis aut Atriorum portis aliqua igne corrupta fuiſſe, agnoſco: ſed in univerſum Domus Templi, polluta licet, non conflagravit; ut ex purgatione ejus à Juda Maccabæo facta liquet. At ſi te convertas ad funeſtam vaſtationem & Deſolationem Hieroſolymæ factam à Romanis, ſub Tito & Hadriano, Templo toto admirando opere igne veluti cœlitus accenſo in cineres redacto; triſtemque ac calamitoſum Statum Judææ Gentis *temporalem* ac *ſpiritualem* hoc judicium terribile conſequutum: quicquid legeris in hac miſerabili Supplicatione in ſumma emphaſi impletum recognoſces [h]. Tum vere, & demum perfecte impletum quod tot ante annis prædixerat Micha [i]: *Tſion ut ager arabitur.* Equidem Hadrianus deinceps Urbem *in proximo Hieroſolymis ſolo* novam condidit, eamque *Æliam Capitolinam* appellari voluit, fecitque *coloniam* Romani Nominis: quam Urbem Chriſtiani deinceps ut Hieroſolymam coluerunt ac inſtaurarunt, Templiſque magnificis ornarunt. Sed eſt hæc mera illuſio hominum *nomen* abſque *re* amantium, idque ex inſulſo errore, quem ſuperſtitio Populorum per tot ſæcula fovit. Vide interim de hac Ælia multa docte obſervantem Noriſium [k]. Quæris, an Judæis ad fidem Domini in fine temporum convertendis bene conveniat gravis querela de *Sanctuario & Civitate Sancta* deſtructis; quippe revocati ab errore intelligere poterant, externam illam terræ Canaanææ & Templi deſtructionem nihil facere ad ſalutem veram & ſpiritualem, quam Populo credentium impetravit Chriſtus Jeſus. Quid itaque ſolliciti ſunt Supplices de Hieroſolyma & Sanctuario deſtructis vaſtatiſque? Reſpondeo, illos hunc Statum antiquæ Patriæ ſuæ, Hieroſolymæ & Templi producere, ut argumentum iræ Divinæ ſibi incumbentis; cujuſmodi vere erat, toti Genti valde probroſum: neque adeo ullam rationem eſſe, quare in *Supplicatione* hac ſua id taciti præterirent. Terra Canaanæa hoc tempore ſubjecta eſt *anathemati* [l]; & Hieroſolyma deſtructa à Romanis *calcatur à Gentibus*, ex prædictione Domini [m]; qui id futurum eſſe ait, *uſque quo tempora Gentium impleta fuerint.* Equidem peculiaris reſpectus illius terræ ceſſat ſub Oeconomia Nova; ſed ubi Deus Genti tandiu reprobæ gratiam fecerit; credibile habemus, illam terram ab anathemate vindicatum, & Judææ Genti, veris ejus hæredibus, reſtitutum iri; quod ita affirmo, ut de cæteris nihil temere anticipem: dum interea cum Doctis [A], antiqui ac recentioris temporis, hanc teneo ſententiam, futurum eſſe,

hoc ad quale tempus referendum ſit?

Ill. Grotii ſententia.

Ejus alſi quod remperamentum.

Templum à Syris non eſt igne exuſtum.

Verum exemplum ejus rei editum in Calamitate, Genti illata à Romanis.

Ælia, Hieroſolymæ ſuppoſita, à vera Hieroſolyma diſtinguenda eſt.

Occurritur dubio, quod hic moveri poteſt.

An Hieroſolymæ ulla exſpectanda ſit inſtauratio?

Judææ Gentis futu-

---

a Pſ. CXXXVIII. 8. *b* Deut. VII. 6. *c* Gen. XVII. 7. *d* Lev. XXVI. 42. 44. 45. *e* Pſ. LXXVI. 1. ſeqq. LXXIX. 1. ſeqq. *f* Confer Matth. IV. 7. *g* 1 Macc. I. 41. II. 8--12. *h* Vide Joſeph. Bell. Jud. Lib. VII. Cap. I. ſeqq. *i* Cap. III. 12. *k* *Epoch. Syro-Maced. Diſſ.* III. Cap. IX. §. IV. *l* Mal. IV. ult. *m* Luc. XXI. 24.

A Hiſtoriam hujus controverſiæ dudum confecerunt Doctiſſimi Viri, Gisbertus Voetius, Joh. Henricus Hottingerus, & inter noviſſimos Daniel Whitby, ex quibus intelliges, pleroſque celebriores antiqui, medii, & recentioris temporis Doctores hanc ſpem catholicæ converſionis Judææ Gentis profeſſos eſſe; ſuntque ex Veteribus plura in hanc rem ab ipſo me obſervata, quæ hoc tempore non produco.

ra conversio exspectanda est juxta prophetias.

esse, ut Deus hujus Gentis καθ' ὅλα sive κατὰ τὸ κοινὸν miserearur, ubi Statum Ecclesiæ suæ in hisce terris, hostibus ejus destructis, consummaverit. Ipsa hæc *Supplicatio* huic Libro inserta, & præsenti Judæorum Statui congruens, sententiæ fidem facit. Concepta enim cum sit ab ipso Spiritu S. & in hoc Libro relicta ut *formula*, secundum quam miseri & Supplices vota sua Deo explicarent: non dubia fide teneo, Responsum ei aptandum esse in gratia, nec posse carere effectu. Omnes preces, à Sp. S. conceptæ, in fide fusæ, exaudiuntur.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

SERMONIS QUINTI,

Sectio tertia.

Cum Pœnitentes in superiori Supplicatione sua supposuissent & queruli commemorassent severitatem qua Deus usus fuerat erga Populum Judæum: introducitur hic Deus ut defendens rationes suæ Providentiæ erga hanc Gentem. Ostendit itaque, non esse se alienum ab exercenda Gratia, quippe quod clarissime liqueat ex ipsis *Gentibus*, de nomine suo non appellatis, & gratiam nullam meritis, à se nihilominus vocatis ad suam communionem: sed rationes justitiæ suæ postulasse, ut in majoribus ipsorum, qui vocationem cœlestem longum tempus proterve spreverant, & gravissimis sceleribus se polluerant, statueret exemplum severitatis; neque tamen unquam eò veniisse, ut Gentem totam reprobaverit: semper sibi reservasse & reservaturum esse Semen electum, quod Beneficia Patribus promissa consequeretur: sic tamen, ut de novo per *Apostrophen* ad immorigeros directam declaret, se *Semen reprobum* obstinatorum peccatorum certa sententia perditurum esse, & facturum, ut clarissime patescat, quantum inter eos & veros cultores suos discrimen intercedat. Mox recludit omnes thesauros suæ Gratiæ, dicitque, venturum tempus, quo nova sæcula conditurus, cum *Cœlis Novis & Terra Nova*, Ecclesiæ suæ præstet optata & felicia tempora, quibus omnia Gratiæ suæ Beneficia in eam large effusurus sit; qui proinde lætior Ecclesiæ Status amplissime describitur.

CAPUT LXV.

Textus Cap. LXV.

1. RESpondi non interrogantibus: inventus sum à non quærentibus me. Dixi, Ecce me! ecce me! ad Gentem non vocatam de nomine meo.

2. Expandi manus meas quoto die ad Populum refractarium; incedentes in via non bona; cogitationum suarum ductum sequutos.

3. Populum videlicet, qui me ægritudine afficiunt in faciem meam jugiter: sacrificantes in hortis, & adolentes super lateres.

4. Qui considunt ad sepulchra, & in antris pernoctant: qui vescuntur carne porcina; & in quorum vasis est jus rerum abominabilium.

5. Qui dicunt, Recede versus te; ne propinques mihi, quippe te sum sanctior. Hi sunt fumus in naso meo; ignis omni die ardens.

6. Ecce! scriptum est coram me, Non silebo; sed rependam: quin immo rependam in sinum ipsorum.

7. Quod attinet ad delicta vestra, & delicta Patrum vestrorum simul, ait Jehova; qui adoleverunt super montes, & super colles me probro affecerunt: admetiar mercedem illorum primam in sinum ipsorum.

8. Sic fatur Jehova: Quemadmodum si inveniatur mustum in botro, est qui dicat, Ne perde illum, siquidem est in eo benedictio: sic faciam propter servos meos, & non committam ut totum perdam.

9. Et producam ex Jacobo semen; & ex Juda possessorem hæreditarium montium meorum; & possidebunt illud Electi mei, & servi mei ibi habitabunt.

10. Eritque Sarona mansio ovium; & vallis Achor locus in quo boves secure recubent; Populo meo qui me studiose quæsiverint.

11. At vos Derelinquentes Jehovam; qui obliviscimini montis mei sancti: qui Gado (*Soli*) instruitis mensam, & Meni (*Lunæ*) impletis libamen.

12. Recensebo vos ad gladium, & vos omnes vos incurvabitis ad mactationem: propterea

---

Dissenserat Lutherus, non levis judicii Vir; & sunt tamen Augustanæ Confessionis clari Theologi, qui à summo Magistro discesserunt; licet interea earundem partium alii graves Viri ei accesserint, quos recenset eruditus Vir, Joh. Benedictus Carpsovius. (*Notis* ad Schickard. de *Jure Reg. Heb.* Cap. I. *Theor.* II. p. 30.) Inter Patres recenseri video Origenem; sed qui contrariam sententiam clare explicat adversus Celsum, Lib. IV. p. 174. in fine. *Id unum ex argumentis est, Divinum aliquid & sacrum fuisse* JESUM, *quo læso Judæi tot & tantis malis affliguntur tam longo tempore:* θαῤῥοῦντες δ' ἐρῦμεν, ὅτι εἰδ' ἀποκατασταθήσονται· *dicimus autem fidenter*, NUNQUAM FORE UT RESTITUANTUR. ad quem locum videbis Spencerum, opiniones Patrum hac de re consentientium aut dissentientium referentem. Ita est, & observavi nihilominus, eundem Origenem locum Hoseæ, Cap. III. 4. PER DIES MULTOS SEDEBUNT FILII ISRAEL, SINE REGE, SINE PRINCIPE, &c. ad Statum præsentis Exilii Romani referre: cujus consequens est, *Conversionem*, illud Exilium sequuturam, exponendam esse de *Conversione* Gentis *extrema*. Vide *Philocaliam*, Cap. I. p. 3. Sed esse opinationem antiquissimam non tantum ex Justino Martyre liquet; verum etiam ex Apocrypho Fœtu *Testamenti* XII *Patriarcharum*, initiò Sæculi II, ut probabile fit, extruso; ex quo, licet cæteroquin exigui pretii scripto, perinde ac ex Sibyllinis hunc fructum carpimus, ut sententias communes Ecclesiæ illius temporis inde percipiamus: illo autem in Libro hanc *spem* doceri & supponi, evincit Cl. Grabius, in judicio de hoc Fœtu, *Spicil. Patr.* Part. I. p. 143. Unum addo, animadversu dignum, quod huc facit: Eusebium de *Martyribus Palæstinæ*, Cap. VIII. narrantem gloriosum exitum Martyris Pauli, memoriæ relinquere; illum, capite minuendum, impetrata à Carnifice venia; primum quidem pro *universa Christianorum Gente preces* ad Deum *fudisse*; dein, ὑπὲρ τῆς Ἰουδαίων πρὸς τὸν Θεὸν διὰ Χριστοῦ προσαγωγῆς PRO JUDÆORUM AD DEUM PER CHRISTUM CONVERSIONE sive *adductione*. Ergo hanc spem vulgo tenebant Christiani. Paulina digressio de hoc argumento ad *Romanos* respuit aliam omnem interpretationis hypothesin, ut infelicia tentamina Ligtfooti & Hammondi satis docuerunt.

pterea quod clamaverim, & non respondistis; loquutus sum, & non audivistis; & fecistis quod mihi maxime displicet; idque elegistis, quo minime delector.

13. Iccirco sic fatur Dominus Jehova; Ecce, Servi mei edent; sed vos esurietis: Ecce! Servi mei bibent; sed vos sitietis: Ecce! Servi mei lætabuntur; sed vos suffundemini pudore.

14. Ecce! Servi mei cantabunt præ lætitia animi; sed vos clamabitis præ ægritudine animi, & præ fractura spiritus ejulabitis.

15. Et relinquetis Nomen vestrum in jusjurandum electis meis; & occidet te Dominus Jehova: sed servos suos appellabit nomine alio.

16. Qui sibi benedixerit in terris; benedicet sibi in Deo Amen; & qui juraverit in terris, jurabit per Deum Amen; quia oblivioni tradentur angustiæ priores, eruntque ab oculis meis reconditæ.

17. Quia ecce! creo Cœlos novos & Terram novam; & priorum nulla recordatio erit; nec ascendent in animum.

18. Imo vero hilaramini & erumpite gaudium in perpetuum *super* eo quod Ego creo; quoniam ecce me! creo Hierosolymam gaudium; & Populum ejus hilaritatem.

19. Et hilarabor de Hierosolyma; & gaudebo de Populo meo; & non audietur amplius in ea vox fletus; & vox quiritatus.

20. Non erit ex ea amplius infans dierum; aut senex, qui non impleverit dies suos: sed puer centum annos natus morietur; & peccatori centenario maledicetur.

21. Et ædificabunt domos, easque inhabitabunt; & plantabunt vineas, ac vescentur fructu earum.

22. Non ædificabunt, quod alius inhabitet: nec plantabunt, cujus fructu alius vescatur; quoniam ut dies arboris, dies Populi mei; & opus manuum suarum vetustate æquabunt Electi mei.

23. Non laborabunt in vanum; neque incassum gignent, quia ipsi sunt semen Benedictorum Jehovæ, & propagines illorum erunt cum ipsis.

24. Et futurum est, ut antequam invocent, Ego respondeam; dum ipsi adhuc loquuntur, Ego exaudiam.

25. Lupus & agnus simul pascent; & Leo ut boves comedet paleas: & ad Serpentem quod attinet; cibus ejus erit pulvis. Non nocebunt; neque inferent injuriam in toto monte meo sancto, ait Jehova.

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis*.

Sectionem hanc vel cohærere cum proxime *superiori*; vel cum alia aliqua parte *Concionis tertiæ*, probabile fit; cum nullam præferat inscriptionem Novam; cumque argumentum ejus ejusmodi nexum minime respuat. Prius censeo verius. Sectio hæc complectitur Defensionem viarum Divinæ Providentiæ erga Ecclesiam suam, oppositam criminationibus carnis; quarum viarum Dei demonstrat æquitatem & justitiam. *Defensioni* occasionem dedit superior *Supplicatio*, in qua pœnitentes de severitate Judicii Divini conqueruntur. Initio largitur Deus, se vocasse Gentes de nomine suo ante non appellatas ad suam communionem [a]; atque ex eo colligi vult, se ad gratiam misero peccatori faciendam promptum pronumque esse: Sed docet, Populos, qui gerunt Nomen *Populi sui*, subinde tam enormiter delinquere, & in malitia sua tam obstinate perseverare; ut plane necesse habeat illorum improbitatem ulcisci, & exemplum edere suæ severitatis. quosdam enim illorum tam fœdis & abominandis se polluisse sceleribus, ut cum impurissimis & sibi summe invisis idololatris comparari mereantur [b]; alios in detestabili deprehensos esse hypocrisi, qua justitia omni vacui & intus immundi toti, se aliis *sanctiores* prædicabant [c]; simul gratiosam Vocationem, per Verbum Evangelii institutam, tam proterve spreviisse, ut rationes Justitiæ Divinæ necessariam exegerint vindictam, quam exequi statutum habebat [d]. Nec tamen *perditurum* esse promiscue omnes ait: sed reliquum sibi facturum esse *Semen secundum electionem Gratiæ*, cui usque ad liberalitatem præstet promissa magnorum bonorum Abrahæ data [e]. Ad quæ protinus se rursus convertit ad fœdifragos, obstinate immorigeros, sceleratos, Deum identidem irritantes; negatque iis omnem Gratiam veris pœnitentibus *Servisque* suis Cultoribus exhibendam: quos alloquutus per modum *Apostrophæ*, convincit scelerum suorum [f]; ponitque iis ob oculos pœnam certo ipsis destinatam [g]; nec non discrimen quod inter ipsos & veros suos cultores intercederet [h]: hoc eventu cum tempore subsequuturo, ut superstitione ac idololatria omni in Mundo destructa, totus Orbis terrarum profiteretur veram Religionem, & *per Nomen Dei juraret* [i]. Quando Os Divinum se resolvit in luculenta privilegia Status Ecclesiæ extremi temporis describenda, ea quidem phrasium atque emblematum fictione, acsi non sane terrestrem, sed cœlestem Ecclesiæ triumphantis Statum deformaret. [k]

Cujus genus describitur.

II. Patet, argumentum hujus prophetiæ esse *Elenctico-Paracleticum*, ut plurium aliarum hujus Libri. Spiritus S. loquutus per Prophetas habebat ante oculos Ecclesiam, sibi identidem, licet forte hisce illis temporibus purgata, & in meliorem formam instaurata videretur, novam contrahentem labem, & Dei Vindicis gravissimam provocantem indignationem; prævidebatque, circa illud tempus, quo Deus salutem suam manifestam faceret Mundo, eandem corruptelam pervasuram esse Populum Judæum, dudum reductum ex Exilio Babylonico, quæ occasionem daret *Vocationi Gentium*; perinde ac *corruptelæ* similis Populi Apostatici sub Oeconomia Nova ansam præberet *novis Gentibus* ad Dei communionem invitandis ac perducendis. Hosce itaque apostatas, per tempora in Ecclesia extituros, eamque depasturos & vero ornatu ac decore suo orbaturos, ubique facit objectum *acrium* suarum *convictionum*, quæ tanquam totidem tela in iis fixa certum adferrent exitium. Hosce enim cum Deus reputet veros esse hostes suos: statutum habebat iis non parcere. Contra vero explicat ubique & ampliissime prædicat gratiam, quam Deus Ecclesiæ suæ amans ac misertus veris Cultoribus suis præstaret; vindicandis ex Exilio, ornandisque omni genere Bonorum, quæ Promissa Gratiæ vel singulis veris Dei cultoribus, vel Corpori eorum Ecclesiæ, in hisce terris condicunt.

Scopus hujus *Sectionis*.

III. *Argumento* congruit Sectionis hujus *Scopus*; vel generalis, *Convincere* & *consolari*, ut modo declaravi: vel specialis; defendere æquitatem justitiamque rationum Providentiæ Divinæ erga Ecclesiam, occasione *Supplicationis* miserabilis à Judæa Gente sub tristi Dei ju-

a ℣. 1. b ℣. 2–4. c ℣. 5. d ℣. 6. 7. e ℣. 8–10. f ℣. 11. g ℣. 12. h ℣. 13–15. i ℣. 16. k ℣. 17–25.

dicio gemente factæ. Deus admittit hypotheſin ſuperioris *Supplicationis*, ſe Gentes adſciviſſe ad communionem Populi ſui, potiore Judæorum parte rejecta: idem ſubinde aliis caſibus & temporibus agere, ut novis Gentibus viam aperiat ſalutis; dum alios qui in communione Eccleſiæ verſari videntur, ea excludit. Sed oſtendit, nunquam id à ſe fieri niſi ob graviſſimas & juſtiſſimas rationes; nempe ob pudendam eamque turpiſſimam apoſtaſiam illius Populi, qui gaudet nomine Eccleſiæ: veruntamen ſemper adhibere temperamentum Gratiæ; & facere, ut clariſſimis documentis patefiat, tanta ſe indulgentia ac bonitate verſari circa veros ſuos Cultores, quanta ſeveritate circa falſos & hypocritas: fidem interim dans Eccleſiæ, venturum eſſe tempus, quo Apoſtatis & Maleficis ex Populo ſuo deletis, & extincta idololatria atque improbitate, Eccleſia ſe in terris oſtentatura ſit vera forma ac pulchritudine ſua, & favore Divino perfecte gaviſura.

Occaſio hujus Orationis.

IV. Occaſionem Orationis hac *Sectione* comprehenſæ natam eſſe monui ex *Sectione ſuperiore*, hoc eſt, ex *Supplicatione* Judææ Gentis, ſuperiore *Sectione* comprehenſa. Sic paſſim ſentiunt Interpretes; & Judæi quoque ipſi: niſi quod illi, & alii ex noſtris, hanc *Sectionem* reſpici velint ut *Reſponſum* Dei ad ſuperiorem *Supplicationem*. Ita inter alios Kimchius: נדרשתי וחנה האל משיב לבני הגולה כי בעונות אבותיהם שגברו ועברו עבודה זרה ובעונות בגלות ועברו על המצות ארך הגלות כל כך QUÆSITUS ſive INVENTUS SUM.] *Et ecce Deus reſpondet Cœtibus Judæorum in Exilio*; (præſenti;) *Propter peccata Patrum ipſorum quæ prævaluerunt*, (ſed forte גברו male ſcriptum pro עברו, *quibus tranſgreſſi ſunt*,) *& ſe polluerunt idololatria:* (qui ſtrenue exercuerunt idololatriam;) *& propter peccata ipſorum in Exilio, quibus tranſgreſſi ſunt præcepta, Exilium hoc uſque eo protractum eſſe.* Hieronymus quoque ipſe, licet *novi* hic *Libri* exordium faciat, nexum tamen repetit ex *Supplicatione* ſuperiore. Non diſſentio hic multum à pleriſque conſentientibus: rectius tamen fieri cenſeo, ſi dicamus; *Sectionem* hanc non directe complecti *reſponſum* ad ſuperiorem *Supplicationem*, quoniam oratio directe ad *Supplices* non convertitur, & quia quædam ut *futura* enunciantur, quæ in *Reſponſo* rectius elata eſſent forma *præteriti*; (ut videbimus ℣ſ. 8. ſeqq. ℣ſ. 13. ſeqq.) ſed *Sectione* hac contineri Δικαίωσιν *Defenſionem* ſive *Juſtificationem* Viarum Dei erga Eccleſiam, *occaſione* Supplicationis ſuperioris inſtitutam: quando omnia liquida erunt; & facilem dabunt interpretationem.

Scena hujus Sectionis.

V. *Scena* hujus *Sectionis* ſimplex eſt: Deus enim ſolus loquens introducitur hoc *Sermone*. Prima ejus fixio eſt in tempore *Vocationis Gentium* cum *reprobatione* majoris partis Gentis Judææ, ut liquet ex ℣ſ. 1. 2. Attamen *Perſona Divina* quæ hanc convictionem inſtituit, nempe Spiritus S. qui locutus olim eſt per Prophetas, ſæpe altius aſcendit; & veluti Fœdifragos & Apoſtatas variorum temporum ante oculos haberet, orationem ad eos vertit; ut adeo Spiritus S. hanc convictionem inſtituens ſibi objectum habuerit omne tempus quod ab Apoſtaſia Impiorum ſub Syris lapſurum erat uſque ad recentiora tempora. *Temporis* itaque *Scena* vaga eſt, ob amplitudinem conſpectus *Objecti* hac Concione *convincendi & conſolandi.*

Analyſis ejus.

VI. Partire, ſis, mecum Sectionem totam in Partem, *Elenctico-Paracleticam*, ℣ſ. 1--16. & *Paracleticam* meram, ℣ſ. 17--25.

PARS ELENCTICO-PARACLETICA, defendens æquitatem & Juſtitiam Viarum Dei.

α. Admittitur hypotheſis, ſubſtrata huic *Convictioni*, nempe *Vocatio Gentium* ad Communionem Eccleſiæ, ℣ſ. 1.

β. Sequitur *Convictio prima* Judææ Gentis ob manifeſtam à Deo *Apoſtaſiam.*

Primo *Crimina*,

a. Vocationis Divinæ præfracto animo rejectæ, ℣ſ. 2.

b. Turpiſſimæ & infandæ ſuperſtitionis, ℣ſ. 3. 4.

c. Hypocriſios intolerabilis, ℣ſ. 5.

Secundo, *Pœna* illis criminibus ſtatuta, ℣ſ. 6. 7.

Tertio, illius punitionis temperamentum, reſpectu Seminis electi, ℣ſ. 8. 9. 10.

γ. Convictio altera, per modum *Apoſtrophæ* ad immorigeros & impœnitentes directa; ubi

Primo, Crimina ipſorum, quorum ſpecimen erat in pudenda idololatria, ℣ſ. 11.

Dein, Supplicium illis irrevocabili ſententia deſtinatum, quod

a. *Abſolute* proponitur, ℣ſ. 12.

b. *Relate* ad veros Dei cultores, quorum melior eſſet conditio, ℣ſ. 13--15.

PARS PARACLETICA MERA, qua Deus cum conditione *Novorum Cœlorum & Novæ Terræ* Eccleſiæ ſuæ præſtaret majorem felicitatem: ubi

α. Promiſſum *generale* de *Fide veri Dei ubique recipienda, & conditione Cœlorum Novorum, & Terræ Novæ*, ℣ſ. 16. 17.

β. Bona *ſpecialia*, quibus Eccleſia hujus temporis frueretur.

a. *Gaudium* purum, nullis malis, luctu, ac mœrore turbandum, ℣ſ. 18. 19.

b. Ejus longævus fructus, ℣ſ. 20.

c. Et Bonorum omnium ſecura poſſeſſio, ℣ſ. 21--23.

d. Communio inter cœlum & terram intima, ℣ſ. 24.

e. Satanæ & Malorum enervatæ vires, & fracta poteſtas, ℣ſ. 25.

Admonitio de Anacriſi.

VII. *Anacriſi* hic locum non facio; tum quod ſe diffundat per pleraſque hujus *Sectionis* partes, de quibus ſingulis nova inſtitui poteſt quæſitio: tum quod neceſſaria de hoc argumento moneam ad interpretationem *commatis primi.*

PARS ELENCTICO-PARACLETICA, defendens æquitatem & juſtitiam viarum Dei.

α. Admittitur hypotheſis de *Vocatione Gentium.*

Pars Elenctico-Paracletica, defendens *Juſtitiam* viarum Dei.

α. Admittitur hypotheſis *Vocationis Gentium*, ℣ſ. 1.

α. Sterni-

℣ſ. 1. RESPONDI *non interrogantibus; inventus ſum non quærentibus me. Dixi, Ecce me, ecce me, ad Gentem non vocatam de nomine meo.*] Introduci vides *Perſonam Divinam*, hoc quidem loco producentem argumentum ſuæ Gratiæ in *Vocandis Gentibus* ad ſuam communionem: mox conquerentem de obſtinata inobedientia *Populi Judaï* refractarii, qui Vocationem Divinam longum tempus proterve ſpreverat. Sic noſtra & communis Chriſtianorum ſe habet hypotheſis; in *primo commate* de *Gentibus* agi, Verbo Evangelii vocatis: in *ſequenti* vero his verbis, *Expandi manum meam toto die ad Populum refractarium, ſeqq.* ſermonem fieri de *Judæis:* à qua hypotheſi pendet totius hujus *Sectionis* interpretatio. Si enim in *primo commate Vocatio* Gentium diſerte ut facta ſupponatur, & vindicetur ex pervicace Judææ Gentis inobedientia: patet, Scenam hujus *Sectionis*

Argumentum hujus *commatis* ex communi hypotheſi: *Agi* in *primo commate* de *Gentibus*:

mox convictionem institui ad Judæos.

ctionis figendam esse in tempore Oeconomiæ Novæ. Atque hæc hypothesis est Pauli Apostoli, hunc locum non tantum allegantis & secundum hanc hypothesin interpretantis; (dubitare enim liceret, an non forte id ageret per modum παρῳδίας *allusionis*:) sed allegantis diserte, definite, κριτικῶς, ut secundum ipsum verba Jesaiæ alium sensum non admittant. Verba Apostoli in Epistola ad *Romanos* de *Vocatione Gentium* & *Rejectione* Judæorum incredulorum agentis, postquam produxisset locum ex Cantico Mosaico [a], de *Judæis ad zelum provocandis* per *Non-Gentem*, ita se habent [b]: Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει, Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι· Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει, Ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα· *Jesaias autem* UTITUR AUDACIA, *dicitque*, *Inventus sum ab iis qui me non quærebant; manifestus factus sum iis qui de me non interrogabant: de* ISRAELE *autem dicit*, *Toto die expandi manus meas ad Populum non obedientem & contradicentem.* Sensus Apostoli est, elliptice expressus, Jesaiam *audacia usum* priora de *Gentibus* dixisse: sequentia autem de *Israële*, quem Gentibus opponit: idque ait dixisse Jesaiam de Gentibus ἀποτολμῶντα *magna usum audacia*, cum sciret, dicere se id non posse, nisi maximam sibi apud Judæos conciliaret invidiam. *Ausus* tamen est Vir in caussa Dei intrepidus, & heroico præditus Spiritu, quidquid cum θάρσει *confidentia* (quæ notio hic rectius adhibetur quam θράσει,) dicere paratus quod Spiritus S. ipsi dictabat. Sic Veteres recte, quorum sententias eloquii sui copia ad hanc vocem alibi adsperšit Alexander Morus [c]. Vides, Apostolum de hoc loco sententiam presse ac definite dicere, ut verba Prophetæ de alio *Subjecto* secundum ipsum accipi nec possint, nec debeant, ac de *Gentibus*: quod ipsum quoque attributa Subjecti clarissime evincunt. Sed Judæi hodierni hunc sensum plane fugiunt: utrumque dictum accipiunt de Judæis. Grotius quoque inter Christianos, nulla habita ratione auctoritatis Paulinæ, in eandem concedit sententiam, licet diversam plane sectatus interpretandi rationem. Censeo itaque ad me pertinere, ut verum Loci sensum, quem Paulus demonstravit, adstruam ac defendam.

Consensus Pauli in diserto loco Rom. x. 20. 21.

Locus declaratur, & in eo vis vocis ἀποτολμᾷν.

Judæorum hic dissensus; & Grotii quoque.

Illorum interpretatio.

Intt. Hebræi, qui *Gentes* hic videre nolunt, verba hæc faciunt partem Elenchi Divini, directi ad Judæos; acsi Deus respondens ad superiorem Supplicationem diceret: Quid mirum, me tandem de Patribus vestris sumpsisse vindictam? Utique enim *Ego me quærendum iis exhibui*, vel *operam dedi ut ab iis quærerer*, *illos redarguendo per Prophetas meos*, vel *liberando ex angustia*; sed ipsi me non quæsiverunt; fecique ut *me invenire possent*; sed nihil curarunt: *dixi ipsis* per Prophetas, *Ecce me*, Deus vester: sed non respexerunt. *Expandi toto die manus meas ad populum rebellem*, *& seqq.* Respondeo primo, Si verba, דרוש *quæri* & המצא *inveniri*, formæ *Niphal*, hanc obtinere possent significationem: obstare tamen huic interpretamento, quod exerte in fine adscribatur; *Deum dixisse*, *Ecce*, *ecce me*, *ad* GENTEM, (גוי) SUPER QUAM NOMEN IPSIUS NON ERAT NUNCUPATUM. Idne vero referas ad *Judæos*, solos hoc charactere in Mundo insignes, *nomen Dei super ipsos nuncupatum esse?* Quid hic excipiunt? Ajunt, *Judæos* hic dici Gentem non *appellatam de nomine Dei*, quod Deum *non respexerint magis*, quam acsi non essent appellati *Populus Dei*, ut Kimchius; vel, quod *volupe ipsis non fuerit*, *appellari Populum Dei*, ut Jarchius. Frustra & falso utrumque. Judæi, licet vitiis corrupti & idololatria taminati, quandiu duravit Oeconomia Vetus, nunquam amiserunt titulum *Populi Dei*; neque unquam licet manifesti apostasiæ à Deo, privilegium hujus tituli spreverunt. Qui in hoc Populo desciverunt ad idololatriam; semper fere sic instituerunt, qua erant ruditate ingenii, ut cultum Dei Israëlis co-

Interpretatio refellitur. Propheta loquitur de iis qui non erant *vocati* de *nomine Dei*.

Exceptio Judæorum ad hæc verba elidituf.

Judæi nunquam spreverunt nomen *Populi Dei*.

pularint cum cultu Deastrorum falsorum aliarum Gentium: certe semper voluerint retinere privilegium Populi Dei. Sic ipsi illi *Supplices*, licet à Deo plane rejecti ac reprobati viderentur, in sua precatione [d]: *Summus* eo statu .... *tanquam super quos nomen tuum appellatum non fuit.* Et rursus [e]: *Ecce*, *adspice*, *quaso*, עמך כלנו POPULUS TUUS *nos omnes sumus. Gentes* erant *Non-populus*, ut dicuntur Mosi; eratque earum character, *Nomen Dei super eas vocatum non esse.* h. e. à Deo non esse assumptas in Populum. Secundo statuo, verba, *Quæsitus* & *inventus sum*, hic omnino accipienda esse de *quæsitione* & *inventione cum effectu.* Ab hoc observato pendet verus intellectus sententiæ. Animadverte itaque, Voces נדרשתי & נמצאתי hic æquivalere quod ad potestatem significationis. נדרשתי proprie notat *quæsitus* sum; sed metonymice, *Inventus sum. manifestus factus sum.* ut hoc loco οἱ ὁ. Ἐμφανὴς ἐγενήθην. Apostolus, Ἐμφανὴς ἐγενόμην. Sic absque ulla circuitione Salomo Ben Melech: נדרשתי פירושו נמצאתי ונזדמנתי QUÆSITUS SUM. *Sensus*, INVENTUS SUM, *& tempestive obvius sui.* Vates noster in superioribus [f]: *Et tu appellaberis* דרושה *quæsita.* h. e. inventa quæsita cum effectu. Prophetæ nostro משפט דרש *quærere jus*, est quærere cum effectu. jus tam diligenter investigare, ut illud assequaris. confer Eccles. III. 6. Obtinet præterea hic loci significatio ejus peculiaris. שאל *quærere* contradistinctum voci נדרש proprie valet, *quærere* à Deo *responsum.* נדרש est *oraculum*, *responsum* reddere, ad quæsitionem; Græcis λόγιον. unde hic docte Cl. Coccejus, *Respondi.* confer Ezech. XIV. 2. XX. 3. Responsum Divinum petens dicebatur דרש *quærere*: ubi Deus se *inveniri* patiebatur, & *responsum dabat*, dicebatur דרוש *quærenti* se obvium præbere, & ab eo *inveniri.* ut sane inde luculenter pateat, designari *inventionem* ipso actu effectam. Atqui hæc est genuina notatio vocis *inveniri.* Designat *actualem* Dei *inventionem* in *gratia*; ut adeo posterius prius explicet. Jeremias [g]: *Et quæretis me* (verba sunt Dei,) *&* INVENIETIS, *quando me* QUÆRETIS *toto corde vestro:* ונמצאתי לכם *&* INVENIAR VOBIS, *inquit Jehova; & vertam captivitatem vestram, & colligam vos ex omnibus Gentibus, & seqq.* unde עת מצא *tempus quo Deus actu inveniri potest, & vult* [h]. confer ex hoc Libro Cap. LV. 6. Estque hæc haud dubie ratio, quare Paulus locum hunc allegans, membra sententiæ inverterit. INVENTUS SUM, ait, *ab iis qui me non quærebant*: MANIFESTUS FACTUS SUM *iis qui me non consulebant.* ubi posterius membrum respondet priori Jesaiæ. Apostolus sic instituit, quia posterius prius illustrabat; ut doceret, loqui Prophetam de *inventione* cum *effectu.* Tertio, phrasis Prophetæ, *Dixi Genti de nomine meo non appellatæ*, ECCE ME, ECCE ME; plane significat actum Dei se homini in gratia opere ipso patefacientis, & de gratia ac favore suo ipsum certum reddentis. Sic usus fuerat Propheta hac phrasi Cap. LII. 6. LVIII. 9. Posterioris loci verba sunt: *Tum vocabis*, *& Jehova respondebit: clamabis*, *& dicet*, הנני ECCE ME. Est ῥῆσις sive formula Dei homini in gratia occurrentis. Abarbenel itaque recte ab hac interpretatione communi discedit, hac potissimum adducta ratione, quod si de Israëlitis Deo immorigeris in Canaanæa hic ageretur: utique longe rectius diceretur, *Quærendum me præbui iis qui me non audiverunt*, vel, *qui non receperunt disciplinam*, quam, *qui me non quæsiverunt*: quæ ipsa quoque ratio admitti potest: sed cum tamen ille nihilo secius refugiat hic videre *Gentes*; refert hæc verba ad *Israëlitas* quibus Deus in gratia olim occurrit in Ægypto, *antequam* electi *essent in Populum Dei*, quippe quos Deum non quærentes ipse sua gratia prævenerit; nostra hæc respondere ajens verbis Supplicationis, Cap. LXIV. 5. *Occurristi gaudenti & facienti justitiam*; quæ ipse in similem sensum exponit. Sed ne nunc dicam, nullam plane esse παραλληλίαν inter utrumque hunc locum:

Verba, *Quæsitus & inventus sum*, intelligenda sunt de *quæsitione & inventione cum effectu.*

Emphasis vocis *quæri* h. l.

Perinde ac notionis שאל.

Vis vocum distinctius declarata.

Inveniri stylo S. de Deo dictum est *actualiter inveniri.*

Animadversio ad Locum hunc à Paulo citatum.

Dixi, *Ecce me! etce me!* significat beneficium Dei, *actu ipso* se homini patefacientis.

Abarbenelis commentatio.

In eam ἐπίκρισις.

[a] Deut. XXXII. 21. [b] Cap. X. 20. 21. [c] *Præfat. in Comm. Jes.* Cap. LIII. [d] Cap. LXIII. 19. [e] Cap. LXIV. 9. [f] Cap. LXII. 12. [g] Cap. XXIX. 13. 14. [h] Ps. XXXII. 6.

locum: estne probabile, Israëlitas in Ægypto, nullo alio charactere circumscriptos, hic absolute vocari *Gentem super quam Nomen Dei non erat appellatum?* Utique enim erant illi *Semen* Patriarcharum, & penes se habebant promissa Gratiæ eorum posteris data, & vere jam in ipsis Patribus electi erant in Populum; & vi fœderis cum Patribus initi ex Ægypto fuerunt liberati. Est itaque hic laudandus candor R. Mosis Haccohen apud Aben-Ezram, diserte fatentis, hæc verba pertinere ad *Gentes:* quod consonum est Paulo. Quid? Nonne Jesaias in superioribus *Concionibus*, & nominatim Cap. II. I. seqq. XLII. I. XLIX. I. seqq. clarissime prædixerat, *vocandas* esse *Gentes*, dum Israëlitæ hærerent in cæcitate & stupore? quod fatum Populi sui ipse deplorat. Quare itaque nolimus, ipsum illud hic loci dicere, quod ubique in superioribus inculcavit? Grotius dictum accipit de *Judæis, plerisque corruptissimis*, tempore Antiochi Epiphanis, quibus nihilominus Deus sua gratia succurrit, & *optimas rei gerendæ occasiones prabuit*; nihil hic curans Paulum alia docentem. Sed falsum utique est, Deum Judæos illos corruptos temporibus Epiphanicis sua præveniisse gratia. Succurrit illo tempore piis, se quærentibus, invocantibus, auxilium ipsius studiose expetentibus: cæteros devoverat exitio, ut ex sequentibus liquet. Adscribit Vir illustris, *Videntur quidam Codices habuisse* הורשתי, *quod* ἐυρέθην INVENTUS SUM *vertit Apostolus*, Rom. X. 20. *nec credo aliter legisse* LXX, *qui verterunt* ἐμφανὴς ἐγενήθην, *conspicuus sum factus.* Non plane assequor Viri illustris mentem. Vox ἐυρέθην *inventus sum*, apud Paulum respondet voci נמצאתי *inventus sum* apud Jesaiam. Sed vox נדרשתי QUÆSITUS SUM (sc. cum effectu, h. e. *inventus sum*,) sive RESPONDI, convenit τοῖς, ἐμφανὴς ἐγενόμην, CONSPICUUS FACTUS SUM: in quo nihil vitii. Ad locum Paulinum exhibet: *Diximus ad illum locum*, LXX *legisse*, נדרשתי *inventus sum.* Ita est; sic legerunt, & ita legitur in Hebræis. Aliud Viro Erudito versatum est ob oculos, quod non assequor.

Parallelia aliorum locorum Vatis nostri veram interpretationem hujus loci confirmat.

Annotatio Ill. Grotii ad h. l.

Quam vero hæc Divina oratio est, si cum Apostolo accipiatur de *Gentibus?* Non erant illæ à Deo assumptæ in Populum: sed hactenus לא עם *Non-Populus*; לא גוי *Non-Gens*, usque ad tempora Oeconomiæ Novæ [a]. *Non* שאלו *quærebant* vel *consulebant* Deum verum Israëlis in dubiis: neque ejus notitiam aut communionem studiose בקש *sectabantur*, affectabant, investigabant [b]: sed cum Divina responsa peterent, quorum erant cupidissimæ; consulebant Oracula, suo tempore celebrata, Delphicum, Dodonæum, Libycum, Trophonii Antri, aut Astrologos, Chaldæos, Magos, Haruspices, Oneirocritas, & quod aliud genus hominum ubique sparsum commercium cum Deo jactabat: sed ecce! hisce, exclusis promissis fœderum, exsortibus civitatis Dei, & absque Deo in Mundo, Deus *se ultro manifestum fecit*, (נדרש ἐμφανὴς ἐγένετο,) seque cum *effectu* obtulit in *Verbo Evangelii*, instrumento *illuminationis* internæ, qua Deus se animæ peccatoris salutis cupidi intime *revelat*; & non *quærentibus* se exhibuit *inveniendum:* imo vero ab his actu ipso inventus, atque apprehensus est; & ignotis hactenus se conspiciendum exhibens, dixit, ECCE ME, ECCE ME! Prævenit itaque eas, nihil tale meritas, in superstitionibus, vitiis & inquinamentis sæculi hærentes, sua gratia immensa, ærernum laudanda, celebranda, ut specimen gratiæ suæ ederet omnium quæ cogitari poterant, maximum; hoc ipso demonstrans, posse se, & velle exercere gratiam, & quidem maximam, in Christo Jesu Filio. Hanc Deus convictionis suæ hic jacit hypothesin, ei aptissimam & congruentem. Hieronymus quidem hunc sensum loci probe est assequutus; nec tamen in versione ejus satis feliciter est versatus; ut eam relegens & cum interpretatione nostra conferens facile observaverit. Non licet omnia attingere.

Verba Jesaiæ, cum Paulo de *Gentibus* accepta, omnem vim & emphasin suam obtinent.

Erant illæ, *Non-Populus.*

Non consulebant olim Deum.

His Deus occurrit in gratia, & ab iis *inventus est.*

Specimen summum Gratiæ Divinæ in Gentibus editum.

β. *Convictio*, sive *Elenchus* primus, ubi Primo, *Crimina Gentis.*

(a.) *Vocatio Divina*, præfracte repulsa.

℣. 2. EXPANDI MANUS MEAS *quoto die ad Populum refractarium: ambulantes in via non bona; post cogitationes suas.*] Vides, hic dari rationem, cur Deus partem Judæorum, obstinate corruptam, rejecerit, assumptis Gentibus. Sic Apostolus diserte, ut supra vidimus: Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει, DE ISRAELE *autem dicit*, *Toto die expandi manus meas*, *seqq.* Sic vertenda verba, ubi Beza, *Adversus Israëlem. Expandere manus* hoc loco videri queat esse *docentis*, *obtestantis*, vel *vocantis.* Postremum placuit Sanctio, ex loco Prov. I. 24. *Propterea quod* VOCEM, *& renuitis:* נמיתי ידי EXTENDI MANUM MEAM, *& nemo advertit.* Si ἐν πλάτει sumas: nihil vitii habet, id admittere. Proprie tamen aliud est EXTENDERE *manus*; aliud *expandere:* aliud *extendere* MANUM, quod in *vocatione* locum obtinet; aliud *expandere* MANUS. Grotius adscribit: *Vertitur* פרש *expandere* per διδάσκειν *docere.* Neh. VIII. 10. (Heb. 8.) Ita est, sed vox מפרש *explicate*, ibi ducta à voce פרש cum *Schin adspirato*, ibidem refertur ad *contextum* Scripturæ S. sed hoc in loco פרש cum *Schin* leni, ad *manus. Expansio* manuum non est *docentis* aut *demonstrantis*; sed *perorantis*, declamantis, oratione persuadentis, aut persuadere nitentis; idque ipsum hic censeo velle Prophetam. Convenit metaphora Objecto, circa quod hæc actio versata fuisse dicitur, quod hic appellatur *Populus* סורר *refractarius*, *rebellis:* quæ vox nobis jam innotuit Cap. I. 23. Notio infert hominem obstinati ac pervicacis animi, qui adversus monita & consilia salutaria sibi suggesta ex indolis quadam pravitate semper nititur in contrarium, *declinando* à via *recta*, & *retrocedando*, suaque consilia, licet *pessima*, eligendo & obstinate sequendo; ideo placitura quod aliis displiceant. quam vocis potestatem cognosces ex Deut. XXI. 18. & Hos. IV. 16. Idem Vati, vim vocis παραφερόζοντι, est, *ambulare via non bona*, *post cogitationes suas.* Via *non bona* Vati nostro est *pessima.* quæ figura λιτότητος in hac phrasi frequens occurrit. Ezechiel [c]: *Et recordabimini viarum vestrarum* MALARUM, *& actionum vestrarum*, אשר לא טובים *quæ* NON ERANT BONÆ. omnium pessimæ. ut חקים לא טובי *Statuta religionis* NON BONA. h. e. omnium pessima [d]. Utique cum *optimo* quod opponitur, sit *pessimum: cogitationes hominum*, Divinis oppositæ, alias dictæ שרירות לב *beneplacita cordis* [e], censeri debent pessimi esse generis. Vide Prophetam hoc Libro Cap. LV. 7.

Elenchus primus. Crimina Gentis. (a) *Vocatio Divina* ab iis repulsa, ℣. 2.

Expandere manus, quid proprie valeat?

Grotius notatus.

Expansio manuum proprie est *perorantis.*

Populus סורר *refractarius*, vis vocis.

Non-bonum est pessimum.

Jam præmonui, Paulum exerte docere, dici hæc de ISRAELE reprobo, ut contradistinctus est Gentibus, à Deo electis vocatisque. Ipsa *antithesis* attributorum utriusque Subjecti id evincit; & character Israëlis hic notatus, per totam Scripturam Veteris Oeconomiæ testatissimus; esse populum immorigerum, rebellem, duræ ac infractæ cervicis, consilia sua obstinate præferentem Divinis; ex animi quadam pravitate & petulantia indomita ubique obnitentem adversus monita & præcepta Dei: quam perversam & obstreperam indolem Moses ipse huic Genti fortissime exprobravit [f]. Liquet insuper, Deum huic Populo per tractum totius temporis Veteris Dispensationis procurasse Doctores, & quidem Prophetas extra ordinem suscitatos, qui invalescente corruptione in vitia Populi potenter declamarent, & errantes per institutiones & convictiones suas in viam reducerent; sed cum respectu ad potiorem multitudinem Populi, absque effectu [g]. Censeo itaque, neminem longe errare à scopo Vatis, qui per כל היום OMNEM DIEM, quo Deus *manus suas expandisse* dicitur ad Populum refractarium in officio continendum & ab exitio revocandum: hic loci intelligit *omne tempus* Oeconomiæ Veteris, cui hoc attribu-

Paulus hæc verba accipit dicta de *Israële:* quod consentaneum est contextui Jesaiæ.

De re ipsa, quæ hic moratur, nullum est dubium Deus huic Genti procuravit *Doctores* per totum tempus Oeconomiæ Veteris.

Per *totum diem* hic in-

a Deut. XXXII. 21. Rom. IX. 25. 26. b 1 Chron. IV. 39. c Cap. XXXVI. 31. d Cap. XL. 25. e Ps. LXXXI. 13. f Deut. XXXII. 5. 6. g Jer. XXV. 4.

telligi potest totum tempus Oeconomiæ Veteris.

tributum convenit; sive quo Populus rebellis ac defector, ad Deum vocatus est per PROPHETAS; sive per ipsum FILIUM DEI [a]. Utriusque enim temporis idem character est; nisi quod Vocatio per ipsum Dei *Filium* longe fuerit honorificentior: ut Dominus Jesus ipse rem in Parabola [b] exponit. Hieronymus eumque sequuti Docti Interpretes ipsum Filium Dei hæc verba loquentem inferunt, & fere restringunt ad illud *tempus*, quo magnus hic Propheta ipsus præsens inter Israëlitas versatus, sermonem Dei per se administravit. Consentio hypothesi; Convictionem hanc singulari quadam σχέσει convenire Filio Dei, semper & ubique loquenti per Spiritum S. & lubens etiam largirer, tempus ἐπιδημίας sive διακονίας Filii Dei in terris hic restricte designari, si in hoc Elencho nulla notarentur crimina Judæorum, nisi illi tempori, quo Filius Dei ut Doctor inter Judæos versatus est, propria. Sed forte aliquibus contrarium videri queat ex *sequenti commate*, ubi Genti exprobratur turpissimum superstitionis genus, quod illi tempori minus convenit. Sic vere videtur; etsi verba illa dextre exposita huic hypothesi minus obstant. At, si hic hæsites, dicere licet; hic per *omnem Diem* ex mente Prophetæ latius designari omne tempus Verbi Dei huic Populo administrati, sed singulari quodam respectu *tempus* Reipublicæ hujus Populi *novissimum*, quod Vocationem Gentium per Evangelium præcessit. Rebellio Judæorum adversus Deum per varios articulos temporum V. T. facta, *complexe* sumpta, occasionem dedit severitati Divinæ in majore parte Populi reprobanda & Vocandis Gentibus. Totum autem illud tempus est continuum, & *unum* efficit *diem*, diei Gratiæ oppositum [c]. Inprimis tamen huc pertinet turpissima à Deo Defectio post Reditum ex Exilio Babylonico, quæ incidit in tempora Syriaca, & *inobedientia* erga *Evangelium Filii Dei*: quod est *tempus* ἐπισκοπῆς *visitationis* hujus Populi [d]. Has enim *Defectiones* ipse subsequutus est effectus *Vocatarum Gentium*; &, si sequens oratio non *mystice*, sed *proprie* intelligenda sit: negari nequit, Jesaiam hasce ipsas duas easque postremas Defectiones diserte in sequentibus notare. Dixeris, circa tempora Defectionis Syriacæ nullos extitisse Prophetas, qui Populum jussu Divino revocaverint ab errore. Respondeo, ex hypothesi, deinceps examinanda; omnes Prophetas superiorum temporum, quorum conciones, redargutiones, contestationes, scripto comprehensæ, in manibus Populi erant & publice prælegebantur, huic tempori imputari: quod hic diligenter observari volo, quippe quod huc directe pertinet. Cæteroquin enim satis constat, ipso etiam illo tempore non defuisse Populo institutionem ordinariam piorum hominum: sed quod Vates noster minus in oculis habuit. Interim conferes hic gravissimas Christi Jesu, *toto tempore* Ministerii sui Publici docentis, convincentis, declamantis, & Populum ad se blande invitantis [e]; & Stephani [f], graves contestationes, interpretationem facientes horum verborum. Quin ex sequenti commentatione liquebit; hic præcipue designari tempus τῆς ἐπιδημίας Filii Dei inter homines. Tempus quo Dominus inter Judæos ut Doctor publicus versatus est, erat ejus ἡμέρα DIES; ut ipse illud appellavit [g], (Hoseæ, DIES TERTIUS [h],) quo ipse, ut *Sol* verus, Mundo exortus, Judæos luce sua collustravit; quo *die cadente* inciderent in tenebras, ut ipse pariter iis luculenter prædixit [i]. Est in *criminibus*, protinus recensendis & exponendis, quid μυστικόν: quod, fateor, satis sero intellexi.

Hieronymi, & aliorum sententia, hæc verba restringentium ad *tempus*, quo Christus Dominus ut Doctor inter Judæos versatus est.

De ea sententia judicium.

Temperamentum in conciliandis sententiis.

Crimina posterioris temporis à Judæis commissa ipsorum reprobationi præcipue ansam dederunt.

Occurritur dubio, hic movendo.

PER LATERES. ℣. 4. *Qui* CONSIDENT AD SEPULCHRA; *& in antris pernoctant:* QUI COMEDUNT CARNEM PORCINAM; *& jus rerum abominabilium est in vasis eorum.*] Suppono, quæ hic dicuntur, de eodem *Subjecto* dici, de quo loquutus fuerat Vates in *commate* proxime *præcedenti*, hoc est, de *Israële*, quem describerat Vates ut *Populum* סורר *refractarium*, qui continua sua à Deo defectione occasionem dederat *vocandis Gentibus*. Ipsa quoque crimina, quorum Populus hic redarguitur, clare evincunt, *Judæam Gentiam* hic primo respici. Idem vero clarissime liquet ex Apostrophe, ℣. 7. *Iniquitates* VESTRÆ, *& iniquitates* PATRUM VESTRORUM, *qui adoleverunt super* MONTES, *& super* COLLES *me probro affecerunt, & seqq.* Durum est, hic præterire Judæos, quorum constat, hunc esse characterem, ex historia & prophetia notissimum. Confer analoga loca Cap. LXVI. 3. & 17. Nemo itaque Interpretum præter Coccejum ab hac hypothesi discessit, quod observavi: nisi forte, ceu in loco monebo; quod Judæi aliqui Doctores locum huic parallelum Cap. LXVI. 17. ad Christianos & Turcas maligne referant. Doctus Interpres singulares plane sequutus rationes, *Pericopam* sive *Sectionem*, quæ decurrit à Cap. LXIII. 7. usque ad finem Cap. LXIV. non respexit ut *Supplicationem* unius argumenti & Subjecti, ut nos instituimus: sed totum *Caput* LXIV interpretatus est de Ecclesia Christiana, ejusque fatis. Censet ille, jam usque à ℣. 4. Cap. superioris, LXIV. describi *corruptionem* Ecclesiæ Christianæ, ejusque punitionem gravissimam: Hoc itaque *Capite* vult Deum rationem reddere iræ conceptæ, non in Judæos fœdifragos, sed in Ecclesiam Christianam defectricem. Præmittere in initio hujus *Capitis*, se non esse alienum ab exercenda gratia, quippe cujus argumentum clarissimum exhibuerat in Vocandis Gentibus & Repudiandis Judæis, ad quos manus suas frustra expanderat: sed *Populum* hunc, Ecclesiam videlicet Christianam defectricem, enormiter instituere; delinquendi modum nullum servare; fœdissimis se taminare superstitionibus, severitatemque supremi Judicis provocare. secundum quam hypothesin proinde quæ hic dicuntur, imputat *Populo Christiana defectori*, eaque *mystice* interpretatur. Sed hypotheses hæ sunt violentæ, ut verissime dico. Primo enim, *Sectionem* decurrentem à ℣. 7. Cap. LXIII. usque ad finem Cap. LXIV. integram & continuam facere unius argumenti & subjecti orationem, cuique aliena non sectanti ultro patet. Deinde, durum est, *Populum hunc*, (העם) de quo mentio est ℣. 3. interpretari de alio *Populo Defectione*, ac qui proxime appellatus erat ℣. 2. & ibidem dictus עם סורר POPULUS REFRACTARIUS. Mysticum quid subesse huic orationi *Elenctica*, qua redarguuntur putidæ superstitiones Populi Dei; non nego: sed meditationes Viri Docti hic sunt longissime quæsitæ. Interim non nego, hærere in his verbis, collatis cum Cap. LXVI. 17. difficultatem. Primo enim, sunt in *superstitionibus* detestabilibus quarum Populus defector in duobus hisce locis arguitur, (sive proprie sive mystice sumptis,) aliquæ obscuriores, quarum in aliis prophetiis, aut in historia antiqui temporis, memoria non extat. Deinde, cum ex hypothesi nostra atque ex Paulina, ratio reddatur electarum Gentium, & abjectæ majoris partis Gentis Judææ: merito quis miretur, *hoc genus* superstitionum & lustrationum nefandarum hic in medium produci. Etsi enim nemo inficias eat, esse hoc genus peccatorum vere detestabile, & Divinam meritum indignationem severitatemque: constat tamen, esse graviora alia, novissimo tempore circa *Regnum Dei* commissa, quæ videri poterant directius in hunc censum referri. Respondeo, primo, Jesaiam omnes transgressiones ac rebelliones Gentis Judææ *complexe* sumptas respici velle ut causam extremi illius & gravissimi judicii, quod Deus tandem in Die Salutis in

superstitio, ℣. 3. 4.

Delicta, quæ hic describuntur, pertinent ad idem *Subjectum*, h. e. Populum refractarium.

Quod evincitur ex contextu.

Clarissimi Interpretis sententia singularis.

Sententia ejus exposita. Putat, à ℣. 3 agi de *Ecclesia Christiana defectrice.*

Quæ refellitur.

Singularia, quæ dubium movent, in hoc contextu.

Ut sunt superstitiones nefandæ hic memoratæ.

Cur gravissimi Delicti circa *Regnum Dei* committendi vel commissi hic clarior mentio non fiat?

Quæ expediuntur.

Jesaias transgressiones gravissi-

(b.) Turpissima & abominabilis *Superstitio*, sive proprie sive mystice intellecta.

(b.) Abominabilis

℣. 3. POPULUS ILLE *est qui me irritant in conspectu meo, jugiter: sacrificantes in* HORTIS, *& adolentes* SU-

a Matth. XXII. 37. b Matth. XXI. 33. seqq. c Cap. LXI. 2. d Luc. XIX. 44. e Matth. XXIII. 37. f Act. VII. 51. g Joh. VIII. 56. h Hos. VI. 2. i Joh. IX. 4. XI. 9.

mas Gentis hic *complexe* recenset.

hunc Populum exequutus est, majorem partem rescindendo à sua communione & tradendo ad exitium; sed ecstaticum & à Spiritu validissime affectum modo hoc, modo aliud genus peccati ac superstitionis, quod ipsi illo tempore ob oculos ponebatur, arripuisse, ut illius fœditatem hac occasione detegeret, & Populum defectorem ab eo abduceret. Vult itaque ipse ubique sub *una specie* omne genus intelligi per eam figuram loquutionis quam *Synecdochen speciei* vocant. Licet dicere, Prophetæ in ecstasin rapto objecta fuisse diversissima ac pudenda crimina Gentis certis temporum articulis committenda, ac tandem desitura in funesto Reipublicæ exitio: ex hisce vero criminibus modo hanc speciem in medium produxisse, modo aliam, dum sub una omnem speciem comprehendi voluit. Quod autem *speciem* illam criminum, quæ versabatur circa superstitionem atque idololatriam antiquam, sæpius in medium proferat: ratio est planissima, quod Conciones suas, & Propheticas quoque, quantum potevoluerit accommodare ad usum Ecclesiæ Judææ sui & sequuturi temporis; ut idololatræ & profani homines per eas simul convincerentur detestabilis à Deo defectionis. confer hic luculentum specimen ex *Concione secunda*, Cap. II. 1--6. Secundo, etiamsi probabile habeam, ejusmodi species superstitionis propudiosæ, quales hoc in loco perinde ac Cap. LXVI. 17. recensentur, olim obtinuisse inter Judæos sive tempore Prophetæ, sive temporibus Syriacis: non obscure tamen suggeritur verba Prophetæ legenti; *species* hasce *superstitionis* singularis, quæ Judæum hominem inquinatissimum reddebant, certo consilio electas hic exsignari, ut *parabolice* figurarent genus peccati & flagitii circa Religionem omnium turpissimum & maxime detestabile. Vellem scripsisset Vir nobis aliis fidei partibus conjunctior, quod hic prudenter & ex meo sensu verissime scriptum reliquit Brenius: sed grata mihi semper lux est, undecunque affulgeat. Verba ejus extant ad ℣. 3. ubi commentatur ad illud, *Sacrificantes in hortis, &c. Hac & sequentium peccatorum vulgo tum frequentatorum imagine, mystico sensu, futura illorum sub Messia defectio indicatur; cui dum rebellarunt, cultus illorum externus apud Deum fuit quasi cultus idololatricus. Vide infra Cap.* LXVI. 3. Vates hic non tantum incedit per plures peccatorum species, quæ per articulos temporum hanc Gentem maxime polluerent, & complemensum suum acciperent in Delicto omnium gravissimo repulsi *Regni Dei:* verum ipsum quoque illud *turpissimum flagitium* circa Religionem commissum in Messia, rejecto, contempto, illuso, Ejusque ac Ministrorum ipsius *sanguine* innocuo effuso, quod *flagitium* circa *Religionem* commissum *Gentem contaminatissimam* & fœdissimam reddidit coram Deo, proponit sub *figura metaphorica* ejusmodi *superstitionum* detestabilium, quæ *cultores* maxime secundum Ritum Legalem polluebant. Fateor, id jam cogitasse me cum hæc verba commentarer; sed vix ausum ob τὸ ἀνθάδες hujus meditationis, sententiam liquide & cum fiducia explicare. Verum post diligentius & sollicitius lecta, telecta, meditata loca parallela *Capitis* sequentis, ℣. 3. 4. & 17. non dubitavi amplius de mente Prophetæ; simul miratus figuræ sublimitatem. Tertio, etiamsi certo teneam nec dimittam hypothesin, hic primo loco & directe respici Judæos, Populum defectorem: simul tamen existimo, idque largiri velim Cl. Coccejo; sub typo hujus Populi proponi omnem Populum, Novæ quoque Oeconomiæ, qui à casta & simplice Religione, à Christo Jesu & Apostolis instituta, deficit ad cultum impurum & idololatricum, cum insigni *hypocrisi* conjunctum, qui hunc Populum invisissimum faceret Deo & sanctis, & in eum provocaret similia Dei judicia, atque ea, in quæ Populus olim immoriger & rebellis inciderat. Utique cum ex toto hoc Libro pateat, Spiritum S. sub externarum & literalium rerum imaginibus mysticos & profundos

Figura Synecdoches in oratione hac observata.

Prophetæ habitus & affectus circa hanc revelationem à Deo acceptam.

Cur idololatriæ & superstitionum antiquarum sæpius meminerit.

Subest orationi sublimior figura.

Describuntur sub ea mystice *Delicta* gravissima, quæ Judæam Gentem maxime polluerent;

Verba Viri Docti huc adducta; & sententia amplius exposita.

Temperamentum sententiæ Cl. Cocceji hic adhibitum.

Apostasia majoris partis Ecclesiæ Christianæ similis esset Judaicæ cum suis effectis.

Respectus consequentis contextus huc refertur.

condere sensus: sic patet, illum à ℣. 17. hujus *Sectionis*, tanquam in superioribus de omnibus Dei judiciis in Defectores à Fœdere loquutus esset sub Exemplo Judicii, quo Ultio Divina prosequeretur Populum Judæum defectorem; depingere gloriosum optatumque Ecclesiæ Statum, quo defuncta scandalis & calamitatibus priorum temporum se vera & genuina facie sua ostentaret. His hypothesibus nititur interpretatio prophetiæ vere intellectu difficilioris; licet obscuritas ejus inde potissimum oriatur, quod nos mortales restricti & non plane purgati ingenii difficulter mentem nostram evehamus ad illum illuminationis gradum, quem Prophetæ in extasin rapti, multas res multarumque rerum analogiam simul & uno veluti ictu videntes, per Gratiam Sp. S. assequuti sunt. Persequar orationem Prophetæ ad lineas, ne quid temere intactum vel indictum præteream.

Verba Prophetæ reluguntur.

עם הזה POPULUS ILLE.] Scilicet עם *Populus defector*, immoriger, contumax, refractarius, de quo ℣. 2. qui in cultu Religionis *suæ*, non Dei, sequebatur *cogitationes*. QUI *me irritant* IN CONSPECTU MEO, *jugiter*.] Qui in locis publicis patentibusque absque pudore aut verecundia ulla sectantur superstitiones suas impurissimas, eoque *ægerrime* mihi *faciunt* & ad vindictam *irritant*. Vox כעס de his rebus proprie usurpatur quæ menti sic ægre faciunt, ut eam irritent ad iram, indignationem, & vindictam quoque; similitudine sumpta à doloribus oculum pungentibus vel rodentibus [a]. Græcis, παραπικραίνεσθαι. Sunt autem ejus generis tum injuriæ sensiles, nobis illatæ; tum domesticorum nobis continuo ante oculos versantium vitia probrosa: præsertim *Uxoris* fidem Marito datam in ejus conspectu vel palam violantis. Ad Deum frequens, phrasi Scripturæ S. [b], refertur, cum respectu ad idololatriam ac superstitionem profanam, ipsi injuriam, ac contumeliosam, & Populo inprimis suo indecoram; quæque ejus generis est, ut Divinam provocet ultionem. cætera enim, quæ infirmitatis humanæ sunt, hic excluduntur. Ad verba, על פני *in conspectu meo*, adscripsit Grotius; *In ipso Templo, & apud Templum.* Non refragor. Quin certe cum in sequentibus liquido demonstraturus sim, hic alludi ad superstitionem temporum Syriacorum, quibus profani & Patriæ legis desertores tum κατὰ τὴν ἀγορὰν FORUM *Urbis Hierosolymæ*, ut Auctor secundi Maccabæorum [c]: tum *in ipso Templo* obtulerunt *porcos* & *impura animantia* tanquam *in conspectu ipsius Dei:* quod scelus fuit pudendum: merito censeo, phrasin huc primo referri posse: simul tamen censeo, latius patere. Phrasis sonat, Fœdifragos publice, in patentibus locis, hanc idololatriam profiteri, posito pudore & verecundia: contra desertum *Interdictum* Legis Decalogicæ *primum*; in quo phrasios hujus usus est [d]. Utique sententia declarat, esse inter hos Ritus superstitiosos & idololatricos, qui extra Templum celebrati sint. Forte idem est quod Cap. LXVI. 17. *Qui se sanctificant & purificant...* בתוך IN MEDIO. h. e. in corona & multitudine aliorum, dum palam conspici volunt. Et est tamen ejus loci alius quoque respectus. SACRIFICANTES IN HORTIS, ET ADOLENTES SUPER LATERES.] Sunt affinia, quæ proinde inter se conjunxi. Designatur cærimonia idololatrica gemina, & haud dubie cognata; sed utraque ritus novi, cujus extra loca Prophetæ nostri nulla mentio alibi occurrit. Poterat alicui in mentem venire, ut cogitet, in *priore membro* pro זובחי גנות *sacrificia facientes in hortis*, ob affinitatem figuræ *litt.* ג & ז. legi posse *sacrificantes* בגנות *in* TECTIS: (de quo genere superstitionis aliunde facile illustrandæ clara mentio fit Tseph. I. 5.) sed falleret conjectura per se temeraria. Ne enim dicam, Versiones antiquas hic plane consentire: sunt duo loca alia Prophetæ nostri, quæ hanc lectionem definiunt. Prior est Cap. I. 29. *Quippe pudefietis caussa* QUERCETORUM *quas desideraſtis; & pudore suffundemini caussa* גנות HORTORUM, *quos elegistis;*

Præcipue refertur ad *idololatriam.*

Cl. Groti annotatio, & in eam animadversio.

Sacrificantes IN HORTIS.

Nec videtur pro גנות *horti* hic legendum גנות *tecta.* Masoretica lectio confirmatur.

[a] Ps. XXXI. 10. [b] Deut. XXXII. 21. 2 Reg. XXIII. 19. [c] 2 Macc. X. 2. [d] Exod. XX. 3.

giſtis, ... quia eritis כגנות *ut* HORTUS, *in quo nullæ aquæ.* Alter Cap. LXVI. 17. *Qui ſe ſanctificant & purificant* אל הגנות IN HORTIS *poſt* UNUM (AHADUM) *in medio, ſeqq.* Nullum itaque de lectione genuina dubium. Interim Ritus ſacrificandi in *hortis* ignotus eſt Sacris & profanis, niſi huc *Adonidis* hortos revoces. Cenſent itaque communiter Interpretes, per *Hortos* hic intelligi *Lucos*, in Sacris & exoticis clari certique nominis, ſuperſtitioni antiquæ ſacros, Lege vetitos *a*. Sed jam monui in commentatione loci Cap. I. 29. videri ſuperſtitionis genus diverſum, cum *Luci* ex quercuum magnarumque arborum roboribus conſiti, denſi, opaci, vere differant ab *Hortis*, ad majorem voluptatem amœnitatemque inſtructis. Hic clare video per *Hortos* intelligi *Nemoris* quoddam amœnioris genus, irriguum *aquis* & *fontibus*, Religioni & Luſtrationi ſacrum: cujuſmodi *fontes* & *aquas* non putem *Lucis* omnibus adfuiſſe. Supponit id Jeſaias diſerte in loco Cap. I. 29. 30. & in ſequenti huic parallelo Cap. LXVI. 17. *Qui ſe ſanctificant & purificant in* HORTIS; videlicet in *fontibus* aut *rivulis aquæ* puræ, qui hortos illos adſpergunt aut perluunt; medio *ſacrificiorum*, ibidem oblatorum. Et quidem cum in loco Cap. LXVI. 17. omnino alludi videatur ad *ſuperſtitionem Syriacam*, ut ex Doctiſſimis Viris aliqui jam viderunt: impetrare à me nequeo, ut oculos hic avertam à *Daphne*, famoſiſſimo Antiochenorum Luco; ſed qui *Horti* magis quam *Luci* ſpeciem habuit, quippe Appollini ſacer ex *lauris* & *cypariſſis* amœniſſime conſitus fuit, & præterea *aquis* exundans. Strabo *b*: Μέγα δὲ ἡ συνηρεφὲς ἄλσος, διαῤῥεόμενον πηγαίοις ὕδασιν· *Lucus ingens & opacus, fontanis aquis irriguus.* Habuit certe hoc nemus celebratiſſimum, in quo fana Apollinis ac Dianæ, *aquis exundans*, ſpeciem Paradiſi. Hic vero turpiſſimæ ac nefandæ ſuperſtitionis, ſimul ac libidinis, & luxuriæ omnis, ſedem fuiſſe, quæ adeuntes corruperit; teſtatiſſimum eſt ex Scriptis Veterum. Sed ſi hic ipſa non reſpiciatur Daphne: ſimile quid ſignificari cenſeo. Innuuntur hic *ſacrificia luſtratoria* in hortis apud *fontes* celebrata; quorum genus difficile eſt exacte circumſcribere. Conferes, ſi tanti ſit, Dionyſium Halicarnaſſenſem *c*, deſcribentem antiquam ſpeciem Montis Palatini, ſive Palantini, ab Arcadibus in Italiam migrantibus inſeſſi; apud quem *Lucus denſus* querceti cum *fonticulis*, Religioni ac Luſtrationi ſacer. Quod additur, ADOLENTES SUPER LATERES: pariter ſingulare eſt. Interpretes certatim in hanc eunt ſententiam, Vitium cultus quod hic notatur, referendum eſſe ad Legem Exod. XX. 24. 25. ubi Deus aras ſibi ſtrui prohibet ex lapide cælato, &, quod addere licet, *formato*; ſed eas fieri jubet ex *aggeſta terra* ſive cæſpite viridi, aut *rudibus* impoliteſque *lapidibus*. Addit Grotius, *Lateres* deſignari *figuris quibuſdam inciſos*, adſcriptis locis Lev. XXVI. 1. Num. XXXIII. 52. in quibus Deus in Canaanæa inter alia erigi vetat אבן משכית *Lapidem conſpiciendum*, ſpectabilem, inſignem, ut vulgo Interpretes. Intellexit Vir illuſtris lapides *pictos*, figuriſque quibuſdam inſignes. Sed forte id licet abſurdum non ſit, non facile demonſtraverit. Veteres qui *Lapides* erigebant *conſpicuos* in certis locis, magis attendi volebant ad illorum *colorem* & *figuram:* quam ad *characteres* aut *figuras* iis inſcriptas. אבן משכית Hebræis proprie valet *Lapis ſpeculationis*, hoc eſt, *imaginationis*; quæ vera vis eſt notionis שכה. *Lapis* משכית *Maſchîth* eſt qui videntem ducit in θεώρημα imaginationem ſive cogitationem rei ſublimis. Recte & veriſſime dixeris, *Lapis* σημαντικὸς, θεωρητικὸς, *ſpeculativus.* Interim non negem, *Aras*, perinde ac Templa & alia Religionis inſtrumenta, hieroglyphis quibuſdam ſubinde inſignitas eſſe: (ut varia & infinita fere ſuperſtitio fuit Orientalium:) idque ſubinde factum, probare inſtituit Vir Doctiſſimus, in hoc argumento verſatus *d*: ſed ſi ab *Inſcriptionibus* earum ſolennibus dilcedas, quæ huc non pertinent; leviſſima & exigua ſunt quæ huc adfert. Certe Propheta ſolos *lateres* memorans, nullam nobis de hujuſmodi *figuris* cogitandi materiam ſubjicit. Quid itaque? Num turpitudo vitii, quod hic exprobratur Idololatris, eo tantum conſtitit, quod ſacra fecerint in *Aris Lateritiis* contra Legem? Sic paſſim Viri Docti, & ipſe quoque Spencerus, obiter locum attingens. Sed ægre mihi perſuadeo, id fuiſſe in mente Prophetæ. Cum enim hic ſignetur Sacri quoddam genus abominabilis: non videtur ea ſuperſtitio, quæ cenſeri queat tolerabilior, hic præ aliis longe gravioribus notari; cujus præterea aliis in locis mentio nulla occurrit. quod enim Grotius in loco Ezech. XX. 39. גלולים *ſtercora* (*Deos ſtercoreos*, ſic paſſim, ſtylo Scripturæ S. dictos,) per *marmora* & *marmoreas aras* interpretetur: quid viderit, fateor, me non perſpicere. Cogitarem, ſcripturæ ſubeſſe vitium feſtinantis calami, niſi paraphraſis verſionem confirmaret. Quin Leges Moſaicæ de *Aris* Exod. XX. 24. 25. ab Interpretibus paſſim non ſatis feliciter acceptæ, omnino exponendæ ſunt de *Aris*, his illis in caſibus tumultuario exſtruendis, quod Cunæus vere docuit; & plane non pertinent ad ſtatas Aras Sanctuarii: licet Judæi ipſi quoque hic in errore fuerint. Bochartus itaque hunc locum obiter *e* tractans, *adolere in lateribus* explicat per *adolere* & *ſacra facere* (vox enim hic latius ſumenda eſt,) *in tectis ædium*, quæ cum plana eſſent apud Veteres, ſæpe tegebantur *lateribus*, ut memini ex docto Itineratore alibi *f* obſervare. Sunt autem de *ſacrificiis*, libaminibus, ſuffitu, Diis alienis oblatis ſuper *tecta Domorum*, clariſſima loca in hiſtoria & Libris Propheticis *g*. Digna eſt ingenio & doctrina auctoris ſui ſententia; & tamen aliud eſt quod huc propius ſpectat. Syri Templum profanaturi, *Aræ Holocauſti* impoſuerunt βωμὸν *aram* aliam, ex *lateribus* factam, in qua *porcos* & impura animalia Lege vetita, obtulerunt, ut liquet ex *Maccabaicis h*, & ex Joſepho *i*, cujus verba mox producam. Prior Hiſtoricus, ubi de Templo à Juda repurgato *k*: Καὶ ἦραν τὰς λίθας τὰς μιασμὰς εἰς τόπον ἀκάθαρτον· *Et removerunt* LAPIDES POLLUTOS (Aræ videlicet ſuperſtructæ Aræ Holocauſti,) *in locum immundum.* Sic intelligis Prophetam abſque difficultate. Græcus Int. hic loci, Καὶ θυμιῶσιν ἐπὶ ταῖς πλίνθοις δαιμονίοις, ἃ οὐκ ἔστιν· *Et adolent incenſum ſuper* LATERES *Dæmonibus, qui non ſunt.* acſi legiſſet, ומקטרים על הלבנים לאלילים Sunt enim אלילים Græcis δαιμόνια ἃ οὐκ ἔστιν. Sed forte accipiendum eſt additamentum per modum paraphraſios.

ỳſ. 4. היושבים בקברים ובנצורים ילינו *Qui deſident apud* SEPULCHRA, (prop. *in ſepulchris*,) *& in* DESERTIS LOCIS *pernoctant.* Hieron. *Qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt.* Omnes quot vidi Interpretes, Hebræi quoque, cum Doctiſſimis Viris Seldeno, Grotio, Bocharto, Spencero, conſentiunt, agi hic de νεκρομαντείᾳ ſive ψυχομαντείᾳ quæ dicitur; nefando ritu, quo futurorum cognoſcendorum cupidi noctu apud ſepulchra, in ſpeluncis, lucis tenebricoſis, delubris, aut ſolitariis locis *j* (*ſepulchra* enim Veterum erant extra Urbes:) verſabantur; ut vel evocarent manes & fato functorum *umbras*; vel *ſomnia* de futuris captarent, pellibus ſacrificiorum incubantes. Sic jam præiverat Græcus, hic loci veluti ſe doctior: Ἐν τοῖς μνήμασι ἢ ἐν τοῖς σπηλαίοις κοιμῶνται διὰ ἐνύπνια· *In ſepulchris & ſpecubus dormiunt* PROPTER SOMNIA. Vertit, ut vides, vocem נצורים per σπηλαῖα *ſpeluncas.* Hieronymus per *delubra idolorum.* Hic nimis late & liberaliter, nimirum παραφραστικῶς; ille nimis reſtricte. Vox נצור, quam in ſuperiore parte Libri bis offendimus *l*, notat, ut uſu venit, quid *cuſtoditum*, reſervatum, relictum,

Per *hortos* ex communi ſententia hic intelliguntur *Luci.*

Sententia cum temperamento admittitur.

Luci hic notant *Nemoris amœnioris* genus.

Specimen ejus in *Daphne*, Luco Antiocheno.

Ejus hoc in loco reſpectus.

Sententia Prophetæ tuto latius ſumitur.

Alterum, *adolentes ſuper lateres.*

Communis ſenſus Interpretum, hic ſignari delictum commiſſum adverſus Legem Exod XX. 24. 25.

Phraſis, אבן משכית quid ſit apud Moſen?

Aræ & *Templa* ſubinde inſignita hieroglyphis.

Nulla hic juſta ratio cogitandi de *lateribus* figuratis.

Non fit credibile hic tantum reſpici Legem Moſis, prohibentem *aras* ex lapide *cælato.*

Vera interpretatio Legis Exod. XX. 24. 25.

Bocharti de eo ſententia.

Alius verborum adſpectus, ex temporibus Syriacis hauſtus.

Interpretatio Græca.

ỳſ. 4. *Qui ſedent apud* SEPULCHRA, *& in* ANTRIS *pernoctant.*

Communis ſententia fert, hic agi de turpiſſimo vitio νεκρομαντείας.

Verſio Græca favet huic opinioni.

Uſus vocis נצורים.

---

a Deut. XVI. 21. coll. cum Exod. XXXIV. 13. *b* *Geog.* Lib. XVI. p. 516. *c* *Antiq. Rom.* Lib. I. p. 25. in fine. *d* Spenc. de *Rat. Leg. Moſ.* Lib. II. Cap. VI. §. 1. *e* *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. LVII. *f* Thevenot. in *Perſicis.* *g* 2 Reg. XXIII. 12. Jer. XIX. 13. XXXII. 29. Tſeph. I. 3. *h* 1 Macc. I. 62. *i* *Ant.* Lib. XII. Cap. VII. *k* 1 Macc. IV. 43. *l* Cap. I. 8. XLIX. 6.

lictum, obsessum; cujus significatio hic definitur tum per cognatum קברים *sepulchra*; tum per rem ipsam de qua hic agitur, quam Docti illi Viri volunt esse νεκρομαντείαν, cujus species est ψυχαγωγία *animarum ab inferis reductio*, per καθαρμοὺς καὶ γοητείας *expiatoria sacrificia & incantationes* procurata; quod pessimum superstitionis genus Juliano exprobrat Gregorius Nazianzenus *a*, unde recte vertitur per deserta, relicta, & solitaria loca. Kimchius: ובנצורי ילינו *Et in* NETSURIM *pernoctant.*] בחורבות ילינו בלילה שיראו להם השרים לרעתם *In* DESERTIS LOCIS *pernoctant ut Dæmones ipsis secundum opinionem suam appareant.* Quare sive sepulchra intelligas, sive antra, sive lucos densitate terribiles & opacos, qualis apud Senecam Tiresiæ manes cienti inserviit noctu, post inferis sacra facta, *procul ab urbe lucus ilicibus niger b*: perinde habeo. Belgæ Interpretes, sequuti Piscatorem, exhibent, *apud eos qui custoditi sunt*; sensu obscuro & quæsito, cum meliore mutando. Hieronymus hic mentionem facit ritus *dormiendi* in Delubro Æsculapii, suo adhuc tempore usitati, aliunde etiam noti, ad *captanda somnia:* sed id forte ab hoc loco remotius. Si sensus is sit sententiæ quem Docti illi Viri ostendunt: directe huc pertinent quæ observavi ad Cap. II. 6. & maxime ad Cap. VIII. 19. quibuscum conferre poteris, quæ Sanctius hic adscripsit ad primum membrum hujus sententiæ, *Qui habitant in sepulchris:* nam quæ ad alterum membrum notavit, *dormiunt in delubris idolorum*; quæ interpretatur de impura libidine in Templis Idolorum commissa: alienissima sunt ab hoc loco; ad versionem Hieronymi, non ad textum Jesaiæ, illustrandam accommodata; licet ne Hieronymi quidem versioni satis apta. Quid quærimus in re clarissima? Qui enim apud Veteres affectabant commercia cum Diis sive Dæmonibus omnes vel confederunt in *Delubris* aut Lucis, arte aut natura factis; aut in *antris*, inter quæ celebratissimum fuit inter Græcos Trophonicum. Idem secessus Sibyllarum. Quid notius Numa in *spelunca* nocturnos congressus fingente cum Nympha Egeria: *Lucus erat*, ait Scriptor Romanus *c*, *quem medium* EX OPACO SPECU *fons perenni rigabat aqua.* In Confiniis Judææ & Syriæ fuit *antrum* ipsum quoque antiquæ superstitioni sacerrimum, Πανίου dictum, quippe *Panis* cultui dicatum; de quo pluribus Norisius *d*. Hujusmodi loca recte dixeris נצורים. Poteram sane in hac sententia conquiescere; nec velim etiam nunc me recta ei opponere. Attamen non dissimulo, verba Prophetæ legenti rectius videri, referenda ea esse ad *inferias*, lustrationes, καθαρμοὺς *purificationes*, &, quæ propriissima hic vox est, *februationes*, apud Mortuorum *sepulchra*, *Manium* placandorum, & *animarum* Defunctorum *purgandarum* caussa, olim fieri solitas. Romani olim *Februario* Mense, (præter *Lupercalia* lustratoria, quibus ipsis quoque impurissimis Sacris *Februatio* facta,) per *duodecim dies* accensis circa tumulos cereis & facibus, *justa Diis manibus persolverunt*; ut Macrobius *e*. Idem Varro *f*. *Inferias* quoque hoc tempore oblatas esse manibus circa sepulchra, dubitas? Auctor est Athenæus g, qui exerte; Καὶ ἔθος τότε τοῖς κατοιχομένοις τὰς χοὰς ἐπιφέρειν πολλαῖς ἡμέραις· *Et tum* (Mense Februario,) *vita functis* INFERIAS *multis diebus facere solent.* Erant autem *inferiæ* χοαὶ *Libationes*, ex *melle*, *vino*, *lacte*, inter se permixtis, *læva manu* administrandæ. Ritum, à Numa introductum, ex Græcia petitum fuisse, docuit Casaubonus; &, ut probabile, ex Oriente. *Ab Oriente* enim, (ut vere monuit non optimus veri auctor *h*:) *ad Græcos & Romanos omnis fere transiit religiosus cultus.* Utique de *inferiis*, ut antiquissimo ritu, Homerus, & Tragici Veteres, & Historici diserte testantur. Nihil autem aptius videatur huic loco Jesaiæ, in quo permansio apud *sepulchra mortuorum*, quæ *sacrorum* caussa fit, eaque *sacrificiis* conjuncta, commodissime intelligi videtur. Cætera, Veteres Populi circa fato functos varia usi sunt superstitione, ut suum erga eos testarentur affectum, quæ ad ipsos quoque Christianos facile transiit, dum memorias Martyrum celebrarunt; non tantum sepulchra visitando & preces ibi faciendo; verum etiam Epulis ibidem luxuriose institutis ac celebratis eorum memoriam honorando; de quo non Augustinus tantum suo tempore, sed & Cyprianus, jam conquestus est. Est id Juliano *i* καλινδεῖσθαι περὶ τὰς τάφους, *assidue versari circa sepulchra.* Sectatores Muhammedis longe hic ineptius vagantur: quæ hic non allego, ne Prophetæ aliena imputem.

Qui vescuntur CARNE PORCINA.] Sunt ex Doctis Viris, qui verbis involvi censent geminum crimen; ea interpretantes de esu *carnis suillæ*, Diis oblatæ, caussa *februorum* aut *lustrationis.* Præivit aliis hanc sententiam Scaliger *k*, agens de loco huic parallelo Cap. LXVI. 17. & sequutus est Seldenus *l*. Vir quoque Eruditus, qui *Rationibus Legem Mosaicarum* investigandis operam dedit, cum de *Animalium discrimine* & *ciborum delectu* agens, hunc locum attigisset, subjicit *m*: *E quibus liquidum est, porcum animal magicum fuisse, & Ethnicos carnis suillæ vel jusculi è carne confecti comestione, tanquam sacramento & ritu magico, se Dæmoni consecrasse,* & δαιμονολήπτους *evasisse.* Non inficior, sues utriusque sexus in sacrificiis Græcorum & Romanorum adhibitos esse in Februis & Lustrationibus; quippe quod cum aliunde notum, & vel ex *Suovetaurilibus* Livii liquet: tum vero ab omnibus docetur, qui de *Sacrificiis* & *Lustrationibus* Veterum egerunt; licet de Orientalibus minus liqueat. Verum hic loci id diserte non indicatur; ut neque Cap. LXVI. 17. Mentio hic tantum fit *esus* carnis suillæ; non oblationis. Quin cum fœdifragi in illo loco non tantum dicantur edere *suillam*, verum etiam *mures*: dubium censeri queat, an *mures* vel oblati sint Diis, vel in februis usum habuerint: licet Docti illi Viri idem quoque ex illo loco colligant; sed non adstruant; de quo in tempore agam. Quæ tamen sic dicta velim, ut sententiam rejicere, aut refellere videri nolim. Sed ecce! temperamentum, quod loci hujus omnem difficultatem expedit. Cum hic omnino alludi videatur ad superstitionis fœdissimum genus, quo profani inter Judæos multi se polluerunt tempore Antiochi Epiphanis, ut plane etiam videtur liquere ex parallelo loco Cap. LXVI. 17. quod jam supra monui: (in Scriptis enim Propheticis & Historicis aliis Veteris Fœderis nulla hujus criminis memoria:) liquet ex Maccabaicis, Antiochum, Græcanicæ superstitioni addictissimum, ut Judæos abduceret à Lege Patria, jussisse per Judæam extrui *aras*, & τεμένη LUCOS, (sic vertit Interpres,) *& idolorum fana*, καὶ θύειν ὕεια καὶ κτήνη κοινὰ, *& ut* IMMOLARENT CARNES SUILLAS *ac pecudes immundas*; & pœna capitis omnibus injunxisse, ut iis vescerentur. Sic Historicus *primi Maccabæorum n*. Josephus in Historia afflictæ ab Antiocho Ecclesiæ *o*: Ἐποικοδομήσας δὲ καὶ τῷ θυσιαστηρίῳ βωμὸν ὁ βασιλεὺς, σὰς ἐπ' αὐτῷ κατέσφαξε, θυσίαν ἃ νόμιμον ἦδὲ πάτριον τῇ Ἰουδαίων θρησκείᾳ ταύτην ἐπιτελῶν· Gelenius: *In Templo quoque Ara posita porcos mactavit, sacrificium à Judæorum religione alienissimum.* Græca sonant: *Superexstruxit autem altari Aram Rex, seqq.* scilicet, *ex lateribus*, ut supra monui. Historicus Maccabaicus *p*: Καὶ τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ μηνὸς θυσιάζοντες ἐπὶ τὸν βωμὸν, ὃς ἦν ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου· *Et vigesimo quinto mensis sacrificabant in* ARA *quæ erat* SUPER ALTARE. nempe altari Holocausti superstructa à Syris. Pergit Josephus: *Coëgit illos . . . oppidatim extructis Templis & altaribus*, θύειν ἐπ' αὐτοὺς σῦς καθημέραν, PORCINAS *in iis offerre victimas.*

Annotatio Kimchii.

Piscatoris & Belgarum, non laudata versio.

Ritus captandi oracula in antris, confirmatur.

Potest hic alludi ad *februationes* Defunctorum apud sepulchra instituas.

Sententia cognata alia.

Communis superstitio Veterum circa fato functos.

Qui vescuntur carne porcina.

Sententia Doctorum de gemino crimine his verbis involuto, h. e. *lustrationis* ex sacrificiis *suilli generis.*

Hypothesis non negatur. *Sues* olim adhibitæ sunt in lustratoriis.

Nec tamen hic oblatæ carnis porcinæ directa memoria est.

Temperamentum hujus sententiæ.

Alludi potest ad fœdissimum crimen, à Judæis pluribus commissum circa tempora Syriaca.

Abnegantes fidem ederunt de carne *suilla Diis oblata.*

Loca ex Maccabaicis, & ex Josepho huc facientia.

---

a Orat. II. in *Julian.* p. 91. *b* Senec. *Oedip.* ℣. 530. seqq. *c* Liv. Lib. I. Cap. 21. *d* *Epoch. Syrom.* Dissert. IV. p. 443. 444. *e* Macrob. *Saturn.* Lib. I. Cap. XIII. *f* Lib. V. de L. L. *g* Lib. III. Cap. XIX. *h* Herbert. de *Relig. Gent.* Cap. VI. *i* In *Misopog.* Edit. Spanh. p. 344. *k* Annot. ad *Fragm.* subjecta Lib. de *Emend. Temp.* *l* De *Dis Syris*, *Synt.* I. Cap. VI. *m* Spenc. Lib. I. Cap. V. Sect. IV. *n* I Macc. I. 47. *o* *Antiq.* Lib. XII. Cap. VII. *p* I Macc. I 62.

mas. Quo effectu? *Et maxima quidem Judæorum pars vel ſponte vel metu parebat Edictis Regiis.* confer hic Auctorem *ſecundi Maccabæorum* [a], & Joſephum ipſum in *Encomio Maccabæorum*, ſive περὶ Αὐτοκράτορος Λογισμοῦ. Patet ex his, Judæos qui hac parte deliquerunt, ſive nolentes ſive volentes, ut profani plures, duplici ſe obſtrinxiſſe crimine utique fœdiſſimo: tum quod porcinas carnes comederint Lege [b] vetitas: tum quod eaſdem comederint Diis falſis oblatas & hoc ipſo quoque prohibitas. Equidem Lege Divina *porci*, inter animantia immunda recenſiti quod non *ruminarent*; à cæteris immundis peculiari charactere non diſtinguuntur; & tamen, cum animal ipſum fœdum ſit ac deſpicabile, quod natura veluti abhorret; idemque ſymbolice aptum fit figurare hominem carnalem inquinatiſſimum, totumque ſordibus & immunditie libidinum involutum; Judæa Gens jam ab antiquo præ ſe tulit, hanc religionis ſuæ Legem de non veſcenda *carne ſuillâ* caſtius ſanctiuſque quam alias plures obſervare, hoc ipſo præſertim ab aliis Populis notata, iiſque inviſa; ut ſatis notum. Videantur, ſi quis hic majore luce indigeat, Bochartus [c] & Spencerus. [d]

Hypotheſis applicatur ad hunc locum illuſtrandum.

Et jus rerum abominabilium eſt in vaſis ipſorum. Verſionum aliarum ſpecimina, & ad ea animadverſio.

ופרק פגלים כליהם *Et* JUS *rerum abominandarum eſt in vaſis ipſorum.* Hieron. *Et jus profanum in vaſis ipſorum.* Piſc. *Fruſta carnium abominabilium è vaſis ſuis*, ſc. comedunt. Cocc. *Et quorum vaſa ſunt exuvia abominationum.* Accommodata eſt interpretatio ad hypotheſin, quam Vir Eruditus mente conceperat: cæteroquin, nec probabile eſt, vitium hic imputari *vaſis* ſive *inſtrumentis*, quæ Hebræis כלים *vaſa* dicuntur; nec liquidum ſonat, *Vaſa* appellari *exuvias abominationum.* Cenſeo itaque, id primo pertinere ad interpretationem certam hujus loci, כליהם *vaſa ipſorum*, frequentiſſima ellipſi, hic ſcriptum eſſe, pro בכליהם *in vaſis ipſorum:* quod Intt. paſſim admittunt. Alterum, in conſtituenda hujus *membri* verſione magis dubium, hæret in voce פרק. Sic vulgo nunc legitur; ſed Maſorethæ legendum docuerunt, מרק: quæ ſi obtineat lectio, liceret hanc vocem fidenter vertere per *jus*, *juſculum*, quæ eſt notatio vocabuli מרק Jud. VI. 19. 20. Utique Græcus Interpres per *juſculum* vertit, licet verba aliter diſtinxerit. Integra ejus verſio habet, *Qui comedunt carnem ſuillam* καὶ ζωμὸν θυσιῶν & JUS *hoſtiarum; inquinata omnia vaſa eorum.* Diviſit vocem פרק ſive מרק à ſequentibus, פגלים כליהם, contra omnem veri ſpeciem. Chaldæus prudentius, ורשף פגול במנחון *Et* JUS *immundum eſt in vaſis ipſorum.* רשף pro רשב Sic utique hic accipienda מאנין ſive מנין *vaſa*, *inſtrumenta*: ut pariter, ex mea ſententia, apud Syrum. Legitur apud ipſum: ומטושין בשלרא מאניהון quod Interpres vertit, *Et polluunt cadaveribus indumenta ſua.* Quid vero illud, *Polluere cadaveribus indumenta?* Redde, *Et polluunt fruſtis carnis vaſa ſua.* Eſt שלרא Chaldæis *Torus*, *Pulpa carnis muſculoſa*; quam ſignificationem hic obtinere puto. Magiſtri abſque ulla dubitatione hanc lectionem adoptant; ſed ex noſtris plures vulgatam retinentes, vocem פרק, ἅπαξ λεγομένην, vertunt per *fruſtum* à פרק *frangere*, ut Cl. Coccejus per *exuvias*. Lectio multo eſſet probabilior, ſi legeretur פרקים *fruſta*. Si tamen retinenda ſit lectio; omnino puto intelligi *exta* ſacrificiorum oblatorum, inter ſacra facientes & communicantes Ritu vetere diſtribuenda, quæ *Secundo* Maccabæorum veniunt nomine σπλαγχνισμοῦ *viſcerationis*, *extorum* [e]: quam genuinam ſignificationem voci illo in loco Doctiſſimi Viri, & in his Grotius, jam reſtituerunt. Difficile eſt, hoc controverſum finire. Hieronymus, qui ſub notione מרק vel פרק hoc loco *jus* intellexit, hic cogitavit de *jure* eorum *ſacrificiorum*, de quibus ex Lege in alterum aut tertium diem non erat edendum [f]. Sed præter rationem; cum totus locus doceat hic agi de Sacris Gentium. Spencerus, ſingulari prorſus ſententia [g], hic intelligi vult *jus hœdi cocti in lacte materno* [h], idemque urget deſignari voce פגול *abominabile*, Cap. LXVI. 17. Sed cui mortali id Vir Doctus perſuaſerit? quæ enim huc adfert frigida ſunt & jejuna. Superſtitio illa quam Lex Moſaica reſpicit, haud dubie fuit antiquiſſimi ævi, & tempore Prophetæ, ut videtur, jam abolita. Si itaque hic inſiſtendum ſit lectioni Maſorethicæ: vel ex latiore uſu vocis מרק intelliges genus *pultis*, Deaſtro in ſacris offerri ſolitæ, cujus generis fuit *puls fabacia* cum *lardo* in ſacris oblata Deæ Carnæ apud Romanos, Kalendis Juniis, de qua Macrobius [i]: vel abſque difficultate ulla, aut quæſita circuitione, ſubaudies *jus quod eſt in ollis quibus ſuillæ*, aut qualiumcunque immundarum animantium Diis oblatarum, *carnes elixantur*, cum Bocharto; quæ eadem Kimchii eſt ſententia: cæteroquin intelliges *exta* aut *partes* ſacrificiorum oblatorum, quæ à Popis oblata cedebant offerentibus, ut hæc ἐδωλόθυτα, vel *domi* ſuæ *cocta* cum *jure* conſumerent; vel in Templo atriiſque ejus ex iis inſtruerent Epulum, ad quod amici aut vicini ſolenniter invitabantur. Utrumque recte dicitur *Jus* vel *ablegmen* inquinatum, פגולים *fœdum*, abominabile, (paulo latiore notione vocabuli,) Deo inviſiſſimum; ſecundum genuinum uſum vocis in Moſaicis [k] & apud Ezechielem. [l]

Vox כליהם hic ſcripta pro בכליהם

Maſora pro פרק legit מרק.

Interpretatio Græca, & Chaldæa.

Syriaca verſio emendata.

Cl. Int. ſententia.

Quid ſub hac notione ſecundum vulgatam lectionem intelligi poſſit?

Interpretatio loci ſecundum lectionem מרק *Jus*.

Spenceri ſententia.

Sententia loci liquidus exponitur.

En ſpecimina fœdiſſimæ ſuperſtitionis, quibus Fœdifragi inter Judæos ultionem Divinam provocarunt. *Specimina*, inquam. Æquum enim eſt, ex mente Spiritus S. ſub hiſce ſpeciebus intelligere genus omne ſuperſtitionis Syriacæ, Phœniciæ, Philiſtææ, Arabicæ, quo ſe Judæi olim fœdum in modum polluerunt. Quandoquidem vero hic præcipue reſpici videatur apoſtaſia multorum ex Gente ſub Seleucidis, ut non ſemel monui: id vero temporis inter Syros, ſive Syro-Græcos & Phœnices, colerentur Jupiter Caſius, à monte celſo prope Antiochiam ſic dictus, & Philius, Apollo, (uterque Antiochenis,) Hercules Tyrius, Aſtarte, Dioſcuri, Pan, inprimis Jupiter Olympiacus, cujus *ſimulacrum*, *Olympiaci Jovis imitamenti æquiparans magnitudinem* in Fano Daphnæo exhibebatur, ut exerte Ammianus [m]: quod liquet ex hiſtoria & ex Numis à Noriſio Doctiſque aliis in lucem productis: quicquid ſuperſtitionis impendebatur horum ſimiliumque adſcititiorum Numinium cultui, hic ſubintelligendum eſt ex amplitudine ſenſus à Vate intenti. Imo vero adhuc majus quid & amplius. Spiritus enim ſub analogis intelligi vult analoga. Ex mente Spiritus S. omnis Religio falſa, adulterina, à carnali ingenio ficta, Deoque imputata, cujuſcunque generis fuerit; quin vero omnis cultus *hypocritarum*, licet cæteroquin Lege præceptus, ſub his ſpeciebus ſubaudiendus eſt. Omnem enim cultum ex ingenio fictum, mero colentis placito nixum, (ἐθελοθρησκείαν,) à ſe non inſtitutum; & vel ſuo tempore vel integro animo ſibi non delatum, Deus habet pro cultu idololatrico; ut Vates noſter clariſſime docet Cap. LXVI. 3. *Qui mactat bovem*, (hypocrita, ſub Oeconomia ſpirituali, licet *mactet* ſecundum Legem;) *parricidium committit in Viro; qui offert parvam pecudem, decervicat canem: qui offert munus, ſanguinem porci; qui adolet ſuffitum, benedicit idolo.* Quis aſſequatur ſublimitatem hujus cogitationis? aut mente complectatur puritatem, integritatemque, & circumſpectam ſollicitudinem quam Deus in cultoribus ſuis requirit? Ergo *ſacrificare* & *ſe purificare* (Cap. LXVI. 17.) *in hortis*, valet ſenſu ſpirituali; deflectendo ad cultum ſuperſtitioſum & idololatricum, alios ſectari ritus *luſtrationis* & *purificationis*, quam quos Deus inſtituit, eoque ſe aliis ſanctiores & puriores reputare: inſtituit autem ſub Oeconomia Nova ſolum ritum ſymbolicum Baptiſmalem, ut figuram *veræ luſtrationis* quam obtinent credentes in ſanguine Chriſti Jeſu. *Adolere ſuper lateres*, eſt aliud *medium* Dei

Summa eorum, quæ Propheta hic fœdifragis expobrat cum alluſione ad ſuperſtitiones idololatricas Gentium.

Præcipue temporis Syriaci.

Dii, illo tempore à Syris vel Phœnicibus culti.

Latet ſub his verbis ſenſus myſticus.

Qui in genere definitur.

Hypotheſis firmatur ex Cap. LXVI. 3.

Quid ſit ſpirituali ſenſu *ſacrificare* & *ſe luſtrare in hortis?*

Item, *ado-*

a 2 Macc. VI. 18. VII. 1. b Lev. XI. 7. c Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. VII. d Rat. Leg. Moſ. Lib. I. Cap. V. Sect. IV. e 2 Macc. VI. 21. f Lev. VII. 32. & VIII. 18. g Rat. Leg. Moſ. Lib. II. Cap. VIII. Sect. II. h Exod. XXIII. 19. Deut. XIV. 21. i Saturnal. Lib. I. Cap. XII. k Lev. VII. 18. l Ezech. IV. 14. m Hiſt. Lib. XXIII. Cap. XIII.

lere super lateres?

adeundi & colendi in Sacris adhibere, ac quod à Deo ordinatum est: ordinavit autem sub Oeconomia Nova *unicam aram*, unicum sui adeundi medium CHRISTUM JESUM, *per passiones consummatum*; de qua *ara comedendi facultatem non habent qui Tabernaculo serviunt* [a]. *Sedere apud sepulchra & in desertis clausisque locis pernoctare* ad captanda *mortuorum* aut *Dæmonum* responsa, mystice sonat; Doctrinam Fidei Voluntatemque Divinam aliunde scisciari quam ex Oraculis ac Revelationibus ab ipso Deo editis; & plus attendere ad *traditiones* hominum, dudum *fato functorum*, aut ad sententias de Fide enunciatas à Doctoribus, quos satis constat omni *vera vita* & lumine cassos esse, quam ad ipsum Dei Verbum quod positum est in propatulo [b]. *Comedere carnem porcinam & jus carnium impurarum in Vasis suis circumgestare*; est, talem profiteri doctrinam Religionis, quæ communionem Dei & remissionem peccatorum docet copulari posse cum *vita* quæ vivitur in peccatis, libidinibus, & sordibus Mundi, ut simul Deo placere possis, simul te involvere voluptatibus carnis. Qui conscientias hominum administrant Doctores, eosque in peccatis ac libidinibus vitam transigentes, *absolvunt*; quique hac credulitate decepti, communionem & gratiam Dei sibi pollicentur, dum sordibus qualiumcunque peccatorum omni die inquinantur, gulæque & ventri serviunt; hi *carne porcina* ut *sacra* vescuntur, & *jus fœdum* in vasis suis circumferunt. Respice itaque mihi hic Judæos sectæ Pharisaicæ, quales erant circa tempora Christi Jesu, qui ex testimonio Domini [c], *intus impuri* toti, *cadaverosi*, *pleni ἀκρασίας καὶ ἁρπαγῆς* rapinæ & intemperantiæ, & *omni immunditia*, *hypocrisi*, & *transgressione Legis* infecti, flagrantes odio & invidia in *Christum Jesum*, ejusque *Discipulos*, veritatis Doctores, manus suas eorum sanguine effuso *cruentabant*, spreto Evangelio [d]; attamen *cultum externum Legalem* studiose videbantur observare; *traditiones* Patrum *fato functorum* Verbo Dei scripto longe præferebant, easque diligenter investigabant; *lustrationes* non præceptas Lege in Communitatibus suis superstitiose sectabantur: hi ipsi, mystico Prophetæ stylo, comparantur idololatris, fœdissimum superstitionis antiquæ genus sectatis, & æque dicuntur *inquinati* ac *abominabiles* coram Deo, ac qui apud *sepulchra* circa *mortuos*, sive *februorum* sive *responsorum* caussa *pernoctabant*; super *lateres* sacra faciebant; *porcinam edebant*; & inquinatissimo cultus genere se polluebant. Idem genus est ex mente Spiritus S. Utinam vero Ecclesia Christiana sensim corrupta tam in Oriente quam in Occidente, idem exemplum secundum omnes lineas Orbi non reddidisset! In cujuscunque Christianæ Religionis professione & Secta, (nostram non excipio:) homines animo impuri toti, amore vacui, odio & invidia flagrantes, fratres suos persequentes, & interea per hypocrisin severiorem disciplinæ cultum *exterius* præferentes, eoque se publice commendantes, *Religionem* hanc suam ejusque sacra solenniter obeunt: in idem incurrunt vitium. Quid tamen hic spectabilius est & magis incurrit in sensum quam quod omnium oculi vident in Secta Romanensi corruptissima & inquinatissima, ejusque Sectæ *Monachis*, & quidem severioris *Regulæ*, (neque enim sane de omnibus loquor,) qui licet intus immundi, & Pharisæis etiam antiqui temporis longe deteriores, gravissimis vitiis & sceleribus inquinati, *cruenti* ex sanguine piorum Doctrinæ Evangelicæ confessorum, eorumque *sanguinis* sitibundi; videri tamen volunt aliis sanctiores; veste, ritu ac disciplina vitæ, se ab iis discriminant; neglecto Dei Verbo, *traditiones & instituta* hominum avide sectantur; ex mortuorum apparitionibus fictis falsisque errores & superstitiones suas confirmant; & in *lustrationibus superstitiosissimis* externis quærunt purgamenta animæ. Secundum hanc normam mystica instituenda est interpretatio. Omnis falsus & commentitius Cultus Populi, qui nomen Christi cum hypocrisi profitetur, censetur idololatricus.

Et comedere carnem porcinam?

Sedere apud sepulchra?

Et comedere carnem porcinam?

Dicta applicantur ad Pharisaicæ Sectæ homines, quales erant tempore Christi Jesu.

Et ad hypocritas similis generis in Ecclesia Christiana degenere, sub Oeconomia Nova.

(c.) *Hypocrisis* detestabilis.

℣. 5. *Qui dicunt, Cede versus te, ne propinques mihi; quippe* TE SUM SANCTIOR. *Hi sunt fumus in naso meo; ignis omni die ardens.*] Sunt qui hæc verba cum superioribus arcte connectunt. Cum enim supponant, mentionem ibi factam esse *lustrationum*, procuratarum per Sacra & Sacrorum esum: ipsos illos homines hic introduci volunt, qui *februati* ritu idololatrico alios sibi obviam factos vitent, aut eos à consortio suo abstinere moneant, quod ipsis sint *sanctiores*. Id quidem cum hypothesi nostra, quæ sensum orationis *mysticum* hic admittit, optime consistit. Sed cum Docti illi Interpretes superiora solummodo *κατὰ γράμμα* accipiant de superstitionibus Gentium, quibus Judæi idololatræ se polluebant, profanum sectantes februationis & lustrationis genus: estne si in rem recto oculo inspicias, probabile, Judæos homines, Patriæ Religioni innutritos, si forte animum induti profanum ab ea desciscant & peregrina sacra ac purgamenta sectentur, usque eo sui oblivisci, ut ipsi per conscientiam sceleris inquinatissimi, alios ejusdem originis homines, fidei & Religionis majorum tenaces, pro *impuris* habeant & habere audeant ac velint, eosque à se secedere jubeant? Equidem novi, esse ingentem quandam vim superstitionis, & hypocrisios, sed quæ tamen in immensum extendenda non est. Utique enim in *Sectione* sequenti (Cap. LXVI. 5.) hoc Crimen *Hypocrisios* damnabilis imputatur *Judæis* qui aliorum *ὁμοφύλων fratres* dicuntur. Verba ibi extant: *Audite verbum Jehova qui contremiscitis ad verbum ejus.* FRATRES VESTRI *qui vos odio habent, quique vos* EXCOMMUNICANT, *dicunt, Propter nomen meum glorificetur Jehova.* Qui hic oculos aperit, absque negotio recognoscit *Pharisæos*, aut Pharisæorum propagines. sunt autem hæc loca *παραλληλα*. Patet utique inde, *Judæos* quibus hæc oratio tribuitur, *Cave tibi à me, sanctior te sum:* hæc dicere non *Gentibus*, ut Sanctius verba accepit; sed ipsis *Judæis* fratribus suis, à quibus se ipsi hypocritæ majorem sanctitatem simulantes separabant. Ergo, si *superiora* mecum *mystice* accipias ex mente Spiritus S. (licet mystica oratio hic adumbret veram antiqui temporis, & præsertim temporum Syriacorum superstitionem, qua profani ex Judæis se polluebant:) cogita hic de iisdem illis *Pharisæis*, de quibus ad *commata* duo *ἀμέσως* præcedentia modo agebamus. Si autem *Pharisæos* hic intelligas, quid congruentius *verbis Prophetæ*; quid *contextui?* Quod ad *verba Propheta* attinet: characterem Pharisæorum liquidissime repræsentant. *Qui dicunt*, ait Propheta: קרב אליך *Cede versus te.* Abstine me. Cede seorsim. *Κατὰ γράμμα*, *Accede ad te*, h. e. retrocede à me. contine te intra tuos limites, procul à commercio meo. Græcus docte, *Οἱ λέγοντες, Πόρρω ἀπ' ἐμοῦ*, *Qui dicunt, Procul à me.* Hieron. *Recede à me.* cave ad me accesseris. *Ne propinques mihi*; כי קרשתיך *quoniam sanctior te sum.* Sic recte vertuntur verba, consentientibus Chaldæo & Hebræis, licet Grammatica constructio aliquid trahat de anomalo, attamen non plane insolenti. קרשתיך scriptum est hic loci pro קרשתי ממך, vel קדוש אני ממך, *sanctior te sum*; ut *affixum* per *pronomen absolutum* sive *separatum* explicetur. Dubium tamen movet Lud. de Dieu, docens, *usitatissimum* quidem in *affixis* subintelligere ל; sed durissimum videri, & *fortassis omnino inusitatum subintelligere* כן, *præsertim ubi comparationem facit.* Mallet itaque vertere, *Quia sanctus sum tibi.* acsi scriptum esset, כי קרוש לך, eodem fere sensu. Placuit idem Coccejo. Est tamen paulo coactius; nostrum liquidius; & videtur se facile sustinere posse. Equidem *affixa*, per *pronomen absolutum* explicanda, passim recipiunt ל: nec poterat tamen ignorare Vir Grammaticè doctus, subinde quoque explicari per מ. Sic in hoc ipso Libro Cap. XLIV. 21. תנשני pro תנשה ממני *Oblivioni traderis* A *me.* Item תמלאמו pro תמלא מהם *Implebitur* EX *iis*, Exod. XV. 9. יצאני

pro

(c.) *Hypocrisis* detestabilis, ℣. 5 An verba hæc superioribus cohæreant, & eadem hic designentur Subjecta? Dijudicatio hujus dubii

Hypocritæ hic descripti qui se aliis *sanctiores* ferebant, id intelligi volunt de fratribus suis *Judæis* Locus Cap. LXVI. 5. Verba hæc & his parallela, pertinent ad *Pharisæos.*

Characteres, hic notati, iis conveniunt. Quid sit, *cedere versus te?*

Respectus vocis קדשתיך. Est in ea quid *anomalon.*

Lud. de Dieu ea judicium.

Enallage ad hoc observatum.

a Heb. XIII. 10. b Vide dicta ad Cap. VIII. 19. c Matth. XVIII. 25--29. d ℣. 31. 32.

pro יצאו ממני *Egreſſi ſunt ex me*, Jer. x. 20. quæ exempla cum analogis aliis, obſervata à Kimchio, jam produxit Buxtorfius [a], æternam de his literis laudem meritus. Quod autem *affixum* explicetur per *pronomen* cum מן *ex*: quid habet durius quam quod idem exponatur per עם *cum*? quod ipſum tamen uſu quoque valet, ut ibidem videris. Deinde quod *affixum* reddatur per *pronomen* cum מן, ſignificatione *comparationis*: quid in eo plus ſitum, quam ſi obtineat ſignificationem *a* & *ex*? Ergo nihil obeſt, quominus perſiſtamus in ſententia. Alexandrinus Interpres acſi *affixum* non legiſſet, ſimpliciter exhibet, Ὅτι καθαρός εἰμι· *Ne propinques mihi, quia* PURUS SUM. Hoc eſt, quia ego *purus*; tu *impurus*. quod poſterius arripiens Hieronymus, ſenſus tantum habita ratione, vertit, *quia immundus es*. quam tamen licentiam non probaverim. Ecquem vero characterem Phariſæis rectius aptes? Dicuntur utique illi ſuo nomine פרושים φαρισαῖοι, SEPARATI quod commercio aliorum ac ſuæ ſectæ hominum caute abſtinerent; tanquam iis *ſanctiores* & *puriores*. Heſychius: Φαρισαῖος, ἀφωρισμένος, μεμερισμένος, καθαρός. Explicat Suidas: PHARISÆI, *ſi interpreteris vocem*, ſunt SEPARATI, παρὰ τὸ μερίζειν ἢ ἀφορίζειν ἑαυτὸς τῶν ἄλλων ἁπάντων, *quod ſe ab omnibus aliis ſejungerent ac ſepararent*. Inde illi paſſim Talmudicis חברים *Socii*, quod ſe *ſeparantes* à עם הארץ *Vulgo*, (Populo terræ,) ſuæ ſectæ ejuſdemque puritatis æmulis hominibus tantum adhærerent; & ſi quando contingeret, ut in foris publicisque locis iis miſcerentur, adhiberent *lotiones & luſtrationes* ad recuperandum ſtatum; de quo Hiſtoria Evangelica ipſa clare teſtatur [b]. Horum vox audita eſt [c], TURBA HÆC *quæ non novit Legem*, ἐπικατάρατοί εἰσι· EXECRABILIS EST. Imo vero hi ipſi homines ſunt, qui *Diſcipulos* Chriſti Jeſu tanquam impuros & indignos communione Eccleſiæ, ἀποσυναγώγους ἐποίησαν *Synagoga ejecerunt* [d], mortiſque ac verberum damnarunt; poſtquam Dominum & Doctorem ſummum, Chriſtum Jeſum, odio & invidiæ publicæ objectum, *Lapidem* inſignitum *Ædificii* Eccleſiæ, reprobarint. Quid vero congruentius *contextui orationis*, quam hoſce homines, vero ſuo charactere hic æque ac Cap. LXVI. 5. notatos, hic loci intelligi? Si proxime præcedentia *myſtice* accipias: res per ſe liquidiſſima eſt. Decurret enim tum oratio in eodem hominum genere. Sed ſi ſuperiora tantum *proprie* accipere mavelis, abſque *tranſlatione* parabolica ulla, videlicet de ſuperſtitionibus deteſtabilibus temporum Syriacorum: omnia etiam recte ſe habent, & facile procedunt. Cum enim hic ratio detur *electarum Gentium*, reprobata majore parte Populi Judæi: Spiritus poſtquam recenſuiſſet fœdiſſima crimina, in quæ fœdifragi plures, poſt ipſum Populi reditum ex Exilio Babylonico incurrerent, & turpem circa Syriaca tempora apoſtaſiam à Deo: (quod Propheta futurum eſſe prævidit:) mox introducit peſſimum genus hypocritarum, qui circa tempus *manifeſtandi Regni Dei* præ ſe ferrent cum faſtu ſingularem ſanctimoniam puritatemque Legalem, eo uſque ut alios eoſque veriores Dei cultores à communione ſua ſepararent; & eadem ratione inducti, hoc eſt, imaginaria juſtitia operum nixi, puritatique Legali fidentes, Regnum Dei repellerent, idque *publice profiterentur*, (quod latet in voce האומרים QUI DICUNT, profitentur, publice præ ſe ferunt,) dum interea intus pluribus inquinati vitiis quam idololatræ antiqui temporis, (ut Dominus in Parabola de *ſeptem ſpiritibus malis* locum *unius* occupantibus, ſcite proponit [e];) Deo ſumme inviſi & *abominabiles* erant [f]: hos, inquam, homines introducit Spiritus, ut demonſtret, quam juſta Deo ratio eſſet Gentem hac hæreſi paſſim infectam, & Chriſtum Jeſum ejuſque Diſcipulos ac diſciplinam averſantem, reprobandi & ejiciendi. Ita eſt, Phariſaiſmus, Deo inviſiſſimus, Diſciplinæ Chriſti Jeſu plane oppoſitus, extremo tempore uſque eo corrupit Gentem, ut inde potiſſimum arceſſenda ſit cauſſa repulſi Regni Dei, cum his *criminibus* & *flagitiis*, quæ eam iræ & vindictæ Divinæ objecerunt. Atque id ipſum eſt quod mox ſubjungitur; eſſe *illos fumum in naribus Dei*; *ignem toto die ardentem*, inſtar *foci*; quæ genuina ſignificatio eſt vocis יקד. videlicet, illos hypocriſi ſua deteſtabili omni die Deum exſtimulare ad *iram*, hoc eſt, ad punitionem delicti, Deo injurii, atque ea de cauſſa exoſi & minime ferendi. *Naſus* cenſetur eſſe ſedes *iræ*, ſecundum illud Perſii [g], *Ira cadat* NASO: quippe irato nares inflantur atque adeo *contrahuntur*; unde φυσιογνώμονες *longiorem* & diductiorem *naſum*, (& *faciem* quoque, cum per naturam hæ *partes* inter ſe reſpondeant; unde ipſa quoque vox אפים Hebræis utrumque, *naſum* ſc. & *faciem*, ſignificat:) *benignitatis*, clementiæ, *tarditatis ad iram*; breviorem vero & *contractiorem naſum* indicium faciunt iracundiæ, impatientiæ, proclivitatis ad iram: cui doctrinæ Kabbaliſtæ inhærent. *Ira* autem, cauſſa ebullitionis ſanguinis & ſpirituum, ubique per Sacra comparatur *igni*. quare ubi Deo, ſtylo Sacro, *ira* tribuitur: eadem Scriptura S. humano more de Deo loquens ſpeciemque ei humanæ figuræ aptans, ubi Deum iratum infert, *ignem* fingit in *naribus Dei* incendi atque concitari, qui magnum ex naribus exhalet *fumum*: quæ figura occurrit Deut. XXXII. 22. Pſ. XVIII. 9. Ezechiel diſerte [h]: *Et futurum eſt illo die, quo die venerit Gog in terram Iſraël, inquit Dominus Jehova*: תעלה חמתי באפי ASCENDET *furor meus* IN NASUM MEUM. Equidem novimus, Deum pro perfectione Naturæ ſuæ ad puniendum non *iracundia*, ſed *æquitate duci*, ut cum Cicerone loquar: attamen Scriptura S. metaphorico hoc loquendi genere uſa valide inculcat; tum puritatem ac ſanctimoniam Divinæ Naturæ qua peccatum ab ea alieniſſimum averſatur; tum Naturam peccati, tanquam Deo injurii; tum ejus demeritum; tum denique conſtantem & æquabilem Dei voluntatem ejus pro demerito puniendi. Fuiſſe autem in Phariſæorum hypocriſi quod Deum graviſſime offenderit, liquet ex tota Hiſtoria Vitæ & Miniſterii Chriſti Jeſu, qui illius Sectæ interiora acutiſſime perſpexit. Ecquis enim alius, licet probe edoctus, *ſpeciem* externam paſſim in ipſis *fefelliſſe*; auſus tamen fuiſſet hujus ſectæ homines iis figurare coloribus, ſub quibus Spiritus S. eos conſpiciendos exhibet. Joannes utique Baptiſta cum *multos ex Phariſæis & Sadducæis ad baptiſmum ſuum venientes* in oculis haberet, PROGENIES, inquit [i], VIPERARUM, *quis vobis præmonſtravit ut fugeretis à* FUTURA IRA. Domini Jeſu an ad eos mitius dictum [k]? SERPENTES, PROGENIES VIPERARUM, *quomodo effugere poſſitis judicium* GEHENNÆ? Quid gravius & aſperius oratione Domini qua eorum mores & hypocriſin late perſtringit, præfixa identidem novæ cuique ſententiæ abominandi vocula, Οὐαὶ VÆ [l]? *Vos ii eſtis*, ait [m], *qui vos ipſos juſtificatis coram hominibus: Deus autem novit corda veſtra: quia quod apud homines ſublime eſt, βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἐστιν·* DEO EST ABOMINABILE. Quis itaque miretur, hoc genus hominum, *extus* albatum, *intus* atrum fœdumque, & μεστὸν ὑποκρίσεως καὶ ἀνομίας, *plenum hypocriſios & tranſgreſſionis Legis* [n], dum turgens faſtu atque arrogantia ob juſtitiam Legalem externam, coram Deo ſe efferebat, & tanquam ſanctius puriuſque ſe à melioribus cum contemptu ſeparabat; Deo valde fuiſſe exoſum; cumque ex iiſdem principiis Regnum Dei & Juſtitiam ejus repelleret: traditum ſevero judicio occaſionem Deo dediſſe *vocandis Gentibus*? Vides interim in hac imagine imaginem omnis hypocriſios. Arrogantia & faſtus carnalis facit, ut volupe ſit hominibus in negotio Religionis ſe ab aliis, quibus communi fide ac Religione æquantur, ſecer-

Interpretatio aſſumpta defenditur.

Verſio τῶν ὁ.

Oratio convenit Phariſæis, χαρακτηριστικῶς.

Nominis hujus vis latet in verbis Prophetæ.

Eadem interpretatio optime convenit *Contextui*.

Quod evincitur.

Phariſæiſmus Deo ſumme fuit invitus.

Rectiſſime dicuntur fuiſſe *fumus in naribus Dei*, &c. ſeqq.

Ira refertur ad *naſum*.

Quo ſenſu *figura* Deo aptetur, & ad eum abſque tropo applicari debeat?

Teſtimonia de iis Joannis Baptiſtæ & Chriſti.

Ex quibus interior illorum *fœditas* & *immundities* clariſſime liquet.

In imagine illorum videnda eſt natura omnis hypocriſios.

a *Theſ. Gramm.* Lib. II. Cap. XVII. b Marc. VII. 2. 3. c Joh. VII. 49. d Joh. XVI. 2. e Matth. XII. 45. f Luc. XVI. 15. g *Sat.* V. Vide Cocc. ad hanc vocem in *Lex.* h Cap. XXXVIII. 18. i Matth. III. 7. k Matth. XXIII. 33. l Ibid. à ỳſ. 13. ſeqq. m Luc. XVI. 15. n Matth. XXIII. 28.

ſecernere profeſſione ſingulari, veſtitu, cibo & potu, & canonibus ſtrictioris vitæ, ac confœderationis peculiaris, ut aliis habeantur ſanctiores & Deo unitiores ac cariores; cujus ſuperſtitionis fermentum Chriſtianiſmum quoque poſt tria ab ortu ejus Sæcula lapſa late pervaſit; utinam paſſim meliore ſucceſſu quam Phariſaiſmus antiquo tempore! Hei! quot ſordes, libidines, & turpiſſima vitia; quot ſcelera etiam & flagitia; quam deteſtabilem hypocriſin; Chriſtianiſmi degeneris ſtatu, non texit habitus Monachi, ſpecie externa ſeverioris & caſtioris diſciplinæ, fallentis oculos hominum; nec tamen fallentis Deum! Cenſendum autem ſtatuendumque eſt; inter vitia & ſcelera omnia nullum Deo magis eſſe inviſum, quam hypocriſin hujus generis, quippe cum manifeſtaria Dei irriſione conjunctam, atque adeo ſeveriſſime puniendam. Eædem cauſſæ eadem ſemper producunt effecta.

Secundo, *Pœna*, illis criminibus *decreta*.

Secundo, *Pœna* his criminibus decreta, ℣ſ. 6. 7.

℣ſ. 6. *Ecce* SCRIPTUM EST CORAM ME. *Non ſilebo; ſed rependam; & rependam in ſinum eorum.* ℣ſ. 7. *Tranſgreſſiones* VESTRAS, *&* TRANSGRESSIONES PATRUM VESTRORUM *ſimul, ait Jehova; qui adoleverunt ſuper montes, & ſuper colles me probro affecerunt; & admetiar mercedem illorum primam in ſinum ipſorum.*] Pertinet quod hic dicitur, *Ecce ſcriptum eſt coram me:* non ad delicta, quorum in ſuperioribus facta erat mentio; (ut Mal. III. 16.) ſed ad *ſententiam* Curiæ cœleſtis, à Deo conſignatam, & abſque dubitatione exequendam. Solent enim Reges & Principes Gentium *decreta* aut *ſententias*, quas cuderunt, committere Libris ſeu commentariis, quos in promptu & ante oculos habent; quod ut exteri Scriptores Diis ſuis figurate tribuerunt, ſecundum illud Homeri, Θεῶν ἐν γόνασι κεῖται: ſic Scriptores Sacri Deo; abſque ullo perfectionis Divinæ vitio. Pertinet huc quod eſt apud Danielem, ubi de ſolenni Dei judicio [a]: *Conſedit judicium*, (Senatus judicialis) ופספרין פתיחו *&* LIBRI APERTI SUNT. Jobi dictum [b]: *Quia adverſus me* SCRIBIS *amaritudines.* Moſes, Deum loquentem inferens [c]: *Nonne hoc concluſum eſt mecum:* OBSIGNATUM *in* THESAURIS MEIS. Intelliguntur τὰ ἀρχεῖα *tabularia*, in quibus acta, decreta, ſententiæ Principum, aſſervantur. confer Jer. XXII. 30. & ſume tibi exemplum ejus quod hic dicitur ex ſententia Belſchatſaris ſcripta ad typum Decreti cœleſtis, apud Danielem [d]. Significatur utique, certam hanc Deo ſtare voluntatem ſumendæ de fœdifragis vindictæ, eamque non tumultuario captam, ſed in rationibus juſtitiæ æquitatiſque fundatam, ejuſque voluntatis ſtatuta intellectui Divino ſemper ut præſentia obverſari. Sequentia jam cave male accipias. *Ecce*, ait Deus, *ſcriptum eſt apud me. Non ſilebo, ſed rependam.* Quid? Eratne hæc materia ſcriptionis, *Non ſilebo?* Neutiquam vero. Verba, *Non ſilebo*, cum ſequentibus ſeorſim ſubſiſtunt. *Ecce*, ait Deus, *ſcriptum eſt coram me*; quaſi tu dixeris, *Ecce conſignata jam eſt ſententia.* Ergo, *non ſilebo*; ſed *rependam:* exequar ſententiam jam ſcriptam conſignatamque, atque eo irrevocabilem. *Silere Dei* eſt *pœnam* aut *gloriæ ſuæ vindicias* differre; quo ſenſu vocem habuimus Cap. XLII. 14. & LVII. 11. & occurrit etiam alibi [e]. Antequam enim Deus delicta hominum pro merito puniat, cenſetur ſuam de hominum factis celare ſententiam: ſed puniens, eam declarat. Quin, ait, *rependam, ac rependam in ſinum eorum.* De phraſi mox agam. Quod ad *rem* attinet: Sunt Interpretes plures, qui hic cogitant de pœna, qua Deus Gentem proſequutus eſt in Exilio Babylonico: in qua cogitatione nihil vitii eſt, ſi eam per ſe ſpectes. Sed non convenit illa interpretatio ſcenæ hujus Viſi, qua agitur de ea Gentis punitione, quæ reſpectum habet ad crimina, ſuperius commemorata, quæque ſeveritatem Divinam in hanc Gentem complevit. Grotius ipſe, licet hic mentem ſuam diſerte non explicet; tamen cum totus hic hæreat in conſpectu temporum Maccabaicorum, ad verba ℣ſ. 12. *Et Ego vos cenſebo ad gladium*; exerte monet, intelligi *gladium* GRÆCORUM. Rectiſſime ſane, ſi addidiſſet; *&* ROMANORUM. Non agi hic de pœna quam Fœdifragi in Gente ſubirent in Exilio Babylonico, patet primo ex *ſuperiore contextu.* Datur enim hic ratio *Vocationis Gentium*, & tranſlati ad eas *Regni Dei*; atque adeo commemorata in ſuperioribus ſunt graviſſima crimina, à Gente poſt Reditum ex Exilio perpetrata, tanquam quæ τῇ ἀποβολῇ *rejectioni* majoris partis Populi Judæi & τῇ ἐκλογῇ *electioni* ac *vocationi Gentium* occaſionem dederint. Secundo, Subjecta quæ hic compellantur, diſerte à Majoribus qui ſupra Exilium Babylonicum vixerunt, diſcernuntur. *Peccata* VESTRA, ait hiſce ipſis in verbis, *&* PECCATA PATRUM VESTRORUM, ſc. qui vixerunt ante tempus Exilii Babylonici. Tertio, talis hic intelligitur *punitio malorum* & apoſtatarum in Gente, quæ eodem temporis articulo conjungeretur cum *lætiore ſorte bonorum & verorum Dei cultorum*, qui tanquam reliquiæ ex Gente Judæa ſervarentur. Sic ℣ſ. 13. *Ecce ſic fatur Jehova Exercituum Dominus: Ecce*, SERVI MEI *edent &* VOS *eſurietis, & ſeqq.* hoc eſt, eodem tempore quo *Servi mei edent, vos eſurietis.* quæ eadem ſcena eſt *Sectionis* ſequentis. Atqui hic character non comparet circa tempus Exilii Babylonici. Σχῆμα hoc eſt vel temporum Maccabaicorum, vel temporis conſummati in Fœdifragos Judicii Divini per Romanos; ut ex ſequentibus pateſcet. Et poſterius quidem hic directe deſignatur; licet cum Propheta tempora extrema Reipublicæ in complexu viderit: nihil vitii ſit ſtatuere; illum bis uſurpantem vocem *rependendi*, geminam hic reſpexiſſe ultionem; alteram quidem in quam Apoſtatæ & turpiſſima ſuperſtitione polluti peccatores incurrerent circa tempora Maccabaica, quæ tempora fuerunt זעם *graviſſimæ indignationis & exſandeſcentiæ Divinæ* [f], unde Hiſtoricus [g], Καὶ ἐγένετο ὀργὴ μεγάλη ἐπὶ Ἰσραὴλ σφόδρα. *Et fuit ira magna ſuper Iſraëlem valde:* alteram, quæ judicium Divinum conſummaret per Romanos. *Sed* REPENDAM, ait Dominus: (gladio Græcorum,) *&* REPENDAM, (finaliter, judicio apoteleſmatico, completorio,) *in ſinum eorum:* Gladio Romanorum, quo Deus iis *admenſus* eſt æquam ſcelerum pœnam, ut mox videbimus. Repetit ſententiam Deus, quem Propheta loqui facit, & declarat, adſcriptis rurſus tanti rigoris juſtitiæ ſuæ cauſſis, mutata *perſona* ex *tertia* in *ſecundam*; ut ſolenne eſt cum aliis, tum Vati noſtro; quodque, ut ſæpius monui, ad elegantiam Orationis pertinet. *Peccata* (proprie, *iniquitates*, ſed quæ vox hic generalius uſurpatur:) VESTRA *&* *peccata* PATRUM VESTRORUM *ſimul, ait Jehova; qui adoleverunt ſuper montes, & ſuper colles me probro affecerunt.* Viden', diſtingui peccata duplicis generis. VESTRA utique referendum ad peccata *Populi* ex Exilio Babylonico *reſtituti*, in ſuperioribus recenſita; quod ſe fœdiſſimis polluerint Gentium ſuperſtitionibus; *ſalutem* ſibi à Filio Dei oblatam proterve ſpreverint; turpiſſima vitia, & animo concepta ſcelera coram hominibus texerint abominabili hypocriſi, quæ illos à Regno Dei recipiendo alienavit; Deum univerſa vitæ ſuæ & cultus Divini ratione graviſſime offenderint; & ab ipſo ea propter deſerti, flagitio uno aliud trahente, indies pejores facti atque indurati corruptiſſimum ingenium in omnem profuderint improbitatem. PECCATA PATRUM præcipue hic reſpiciuntur ea, quæ in communi idololatriæ genere commiſſa erant ante Exilium Babylonicum, dum *adoleverant in* MONTIBUS *&* *ſuper* COLLES *Deum probro proſciderant*, turpiſſima à Deo & vero ejus cultu defectione; ad quam ſuperſtitionem Propheta quoque alluſerat Cap. LVII. 7. Ezechiel deſcribens conditiones veri Dei cultoris [h]: *Si non comederit in* MONTIBUS (ſc. de

Verba, *Scriptum eſt coram me:* referenda ſunt ad ſententiam Judicii veluti ſcriptam conſignatamque.

Metaphora illuſtratur ex analogis.

Ejus interpretatio, ſi ad Deum referatur.

Quomodo verba, *Non ſilebo*, hic accipienda ſint?

Quid ſit, *ſilere Dei?*

Quorſum pertineat *ultio* ſive *punitio* hic memorata?

An ad tempus Exilii Babylonici?

Num ad Syriaca?

Non agi hic de *Exilio Babylonico* certis rationibus demonſtratur.

Filii hic à *Patribus* diſtinguuntur.

Sunt in hac ſcena quæ non conveniunt tempori Exilii Babylonici.

Sed ſcena proluſoria convenit temporibus Maccabaicis.

Veriſſimè temporibus Reipublicæ noviſſimis.

Tempora duo ante, & poſt Reditum ex Exilio hic diſtinguuntur & Delicta iis congruentia. *Filiorum* primo.

Dein Patrum.

Superſtitio antiqua ſacrificandi in *Montibus & Collibus.*

a Dan. VII. 10. b Cap. XIII. 21. c Cap. XXXII. 34. d Cap. V. 5. e Pſ. L. 21. Hab. I. 13. f Dan. VIII. 19. XI. 36. g 1 Macc. I. 67. h Cap. XVIII. 6.

(ſc. de carnibus ſacrificiorum,) *& oculos ſuos non extulerit ad ſtercora Domus Iſraëlis.* Hoſeas [a]: *Super* CACUMINA MONTIUM *ſacrificant; & ſuper colles adolent.* Sunt ex Doctis Viris qui ſuperſtitionis originem ad Perſas referunt, quos conſtat in altiſſimis montibus paſſim Sacra feciſſe Deo. Herodotus de iis [b]: Οἱ δὲ νομίζουσι Διὶ μὲν, ἐπὶ τὰ ὑψηλότητα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἕρδειν· *Apud illos more receptum eſt, Jovi quidem,* EDITISSIMIS *conſcenſis* MONTIBUS, *ſacra facere.* In promptu ſunt conſona teſtimonia Xenophontis & Strabonis, quibus hoc tempore non indigeo. Appianus de Mithridate poſt pulſum Murenam, Ducem Romanorum [c]: Ἔθυε τῷ στρατίῳ Διὶ πάτριον θυσίαν ἐπ' ὄρους ὑψηλοῦ, κορυφὴν μείζονα ἄλλην ἀπὸ ξύλων ἐπιτιθείς· *Sacrificavit Bellipotenti Jovi more Patrio in* EXCELSO MONTE, *addito ei cacumine ex lignorum congerie,* ſc. *cui imponeretur ſacrum.* Additum *Epulum*, in inferiore ambitu ſtruendum. Cenſet Doctiſſimus Vir [d], qui Appianum ultimus tractavit, Mithridatem imitatum eſſe Perſas, *quorum inſtitutis plerique uſi ſint Cappadoces & Ponti incolæ.* Non abnuo, cum ipſe Hiſtoricus id in ſequente narratione non obſcure doceat: ſed æquum eſt exiſtimare, Perſarum mores poſt imperium ad ipſos tranſlatum, majorem apud Gentes obtinuiſſe auctoritatem, quam antiquis obtinebat temporibus, quibus minus erant conſpicui. Quod vero addit, *Non eſt autem dubium, à Perſis hunc ritum hauſiſſe Hebræos, quos toties Deus per Prophetarum os objurgat, quod in excelſis ſacrificent.* Nolim negare, Judæos, ſuperſtitionibus aliarum Gentium deditiſſimos, à Perſis aliquid antiquitus tranſumpſiſſe, ut videri queat liquere ex *equis, Soli* ſacris *factis*, ſub Manaſſe [e]: ſed quod ad cultum Deorum in *Montibus* & *Collibus*; non fit probabile, eos in hac ſuperſtitione exemplum petiiſſe à Perſis, cum Perſæ, eodem Herodoto teſte, Deos vel Deum γεινὸν quem venerati ſunt, coluerint *abſque aris & ſimulacris*, ut Herodotus eodem loco, & Veteres alii quoque teſtantur. Sed Judæi in montibus & collibus *ſtatas* habuerunt *aras*, ut liquet ex hiſtoria Regis Jorami [f]. Utitur ibi Hiſtoricus voce במות *aggeſta loca*, notatque tam aras quam delubra. Ezechiel [g]: *Et cognoſcetis, me eſſe Jehovam, quando confoſſi illorum in medio ſtercoreorum Deorum illorum circumcirca* ALTARIA ILLORUM (מזבחותיהם) *erunt ſuper omni* COLLE EXCELSO IN OMNIBUS CACUMINIBUS MONTIUM. Repetendus itaque hic Ritus eſt ex ſuperſtitione communi Populorum Orientalium, qui *Deos cœleſtes* colebant in Montibus, *religione inſita, eos maxime locos propinquare cœlo, preceſque mortalium nunquam propius audiri*, ut Taciti verba hic uſurpem [h]. Exemplum pete antiquiſſimi temporis ex hiſtoria Balaki, Bileamum ex unius montis cacumine in aliud circumducentis [i]; & recentioris ex Juliano, Jovi ſacra faciente *in monte Caſio, nemoroſo, & tenui ambitu in ſublime porrecto*, unde *ſecundis Galliciniis videtur primo Solis exortus* [k]. Eſtque hæc ratio, quare omnes fere *Baales* ex Vetere Hiſtoria Sacra noti, à *Montibus*, in quibus colebantur, appellati ſint. Hæc vero ſuperſtitio *Majorum*, juncta cum turpiſſima apoſtaſia *Filiorum*, cum Deo ſumme injuria eſſet & *probroſa*, quod hic dicitur: crimina hæc in cumulo accepta tandem à Deo plectenda eſſent ſecundum omnem juſtitiæ ejus rigorem severitatemque: Quo pertinet quod dicitur, ומדותי פעלתם ראשונה על חיקם *Et admetiar opera pretium illorum* (mercedem eorum) *prius in* SINUM IPSORUM. Phraſis ſe rurſus commendat inſigni venuſtate, ſumpta ab his quibus ſedentibus, aut anteriorem veſtem, quæ ſinum tegit, revolventibus frumentum ad menſuram diſtribuitur, quod ſinu excipiant. confer Pſ. LXXIX. 12. & Jer. XXXII. 18. in quibus locis eadem ῥῆσις uſurpatur. Significatur, *α.* Judiciorum Divinorum *gravitas* & *plenitudo* tanquam quæ *integro ſinu* recipienda ſint. *β.* Eorum rigor, tanquam diſtribuendorum ad MENSURAM, ſecundum exactam proportionem culpæ & pœnæ, quam Juſtitia incorrupto Dei judicio nixa demonſtrat: quod emblema Dominus Jeſus ipſe quoque in *Sermonibus* ſuis adhibet [l]. Eſt enim Juſtitiæ, *æqualibus dare æqualia*, ſive, ſtylo Apoſtoli, ἀποδιδόναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ [m]. Quas rationes Juſtitiæ ſuæ Deus ſemper ſequitur in Judiciis, non *occaſionalibus & arbitrariis*, ad circumſtantias perſonarum & temporum accommodatis; ſed in completoriis & peremptoriis, vere Judicialibus, expleta temporis gratiæ ac longanimitatis menſura; de quali judicio hic mentio fit. Cum enim Deus erga ipſos illos Fœdifragos adhuc adhibuiſſet inſigne temperamentum in ſuperioribus afflictionibus: hoc tempore finalem veluti & peremptorium adminiſtraret Judicii actum, qualem olim in Diluvio, & Sodoma: cujuſmodi fore illud Judicium, quod per Romanos exequutus eſt in Populum defectorem & improbum, Dominus Jeſus exerte docet [n]; & Hiſtoria temporum Titi & Hadriani demonſtrat. Orbis totus ſpectator fuit hujus Judicii, & ſtupuit. Punivit autem Deus Judex & Vindex gloriæ ſuæ hoc tempore ipſorum quoque *Patrum* peccata in *filiis*, non tantum quod oſtenderit, quantum commeriti eſſent Patres; verum etiam quod pro jure ſuo ſummo peccatorum Patrum in puniendis filiis rationem habuerit. Omnes enim improbi inter ſe cenſentur facere unum corpus; & exemplum quod in unis ſtatuitur, ad alios quoque pertinere cenſetur. Sic Dominus Jeſus exerte de judicio Hieroſolymæ loquens apud Matthæum [o]: *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, effuſus ſuper terram à ſanguine Abelis juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & altare.* Docet, totum corpus Parricidarum, in ipſis eodem ſcelere obſtrictis, plectendum vindicandumque eſſe; ſive, in ipſis, qui menſuram majorum ſcelerati compleverant, ſtatuendum eſſe exemplum, Divina juſtitia ſeveritateque dignum. Sic *opera pretium* (ſive *meritum*, merces, פעולה, de qua voce Cap. XLIX. 4.) *prius*, ſive Patrum, rependendum eſſet, & repenſum eſt Filiis: quod *ſcriptum* erat in ſententiis Fori cœleſtis, & ex iis exſcriptum extabat in prophetiis à longo editis, quarum exempla habuimus in hoc Libro Cap. V. 1--7. & VI. XXVIII. ſeqq. coll. cum Deut. XXXII. 22. ſeqq. Pſ. LXIX. 23. ſeqq. CIX. 4. 5. ſeqq. Mal. IV. 1. Eſſet autem ſententia memorabilis, & executio ejus tremenda, qualem eventus docuit. quod Deus nos animadvertere vult præfixa vocula הנה ECCE!

Tertio, illius punitionis *temperamentum* reſpectu *Seminis electi.*

Proponitur.

ỳſ. 8. *Sic fatur Jehova: Quemadmodum ſi inveniatur* MUSTUM *in botro, eſt qui dicat, Ne perdas illum, quia benedictio eſt in eo: ſic faciam propter ſervos meos, & non committam ut* TOTUM *perdam.*] Planum eſt his verbis, & proxime ſequentibus, adſcribi temperamentum aliquod ſuperioris judicii; non ſane reſpectu *improborum*; ſed reſpectu *electorum* qui in Gente ſupereſſent; ex ea ſervandorum in ſpem Novi Eccleſiæ ſeminis, ut olim Noah cum ſuis ex Diluvio, & Lothus ex Sodomæo incendio: quod ipſum ut hic adſcriberetur, plane neceſſarium erat ad Eccleſiæ conſolationem. Sic docuerat Vates Cap. X. 22. 23. Deum, licet exercere כלה ונחרצה *judicium completum & definitum*; ſervaturum tamen eſſe *reliquias*, (שאר) ad Eccleſiæ conſervationem. *Proponitur* hoc decretum Divinæ Gratiæ his verbis, quæ deſcripſi: *exponitur*, ỳſ. 9. 10. *Propoſitio* effectum hoc Providentiæ Divinæ illuſtrat à ſimili, atque adeo exhibet πρότασιν & ἀπόδοσιν. Πρότασις, hoc eſt, ſimilitudo ipſa, ad primam ſpeciem, videtur eſſe per-

Ejus origo num referenda ad Perſas? Teſtimonia de iis Veterum.

Inſignis locus Appiani in hiſtoria Mithridatis.

Animadverſio in annotationes Doctiſſimi Viri in h. l.

In univerſum negatur hypotheſis, adſcripta ratione.

Dii cœleſtes per Orientem totum colebantur in *Montibus & excelſis* locis.

Baales antiqui inde à *Montibus*, in quibus colebantur, appellati.

Punitio severa his criminibus decreta, *Admetiar opera pretium illorum* PRIUS *in ſinum ipſorum.*

Unde hic ſumpta metaphora in phraſi, *Admetiri in ſinum*; quidque ea ſignificetur?

Res ipſa declaratur.

Pertinet ad eandem Juſtitiæ Divinæ ſeveritatem; *Peccata Patrum* punitum iri in *Filiis.*

Quo ſenſu id capiendum?

Hypotheſis aliunde illuſtratur.

Pœna peccatorum, à Patribus commiſſorum, hic appellatur *opera pretium prius.*

Tertio, *Punitionis* temperamentum, ỳſ. 8. *Quemadmodum ſi*, &c.

Argumentum ſententiæ.

Temperamentum hoc *ſolos* reſpicit *electos.*

Analyſis hujus pericopæ.

Simile, unde hic

[a] Cap. IV. 13. confer Jer. III. 6. [b] *Hiſt.* Lib. I. Cap. 131. [c] De *Bellis Mithrid.* Part. I. p. 362. [d] Cl. Tollius. [e] 2 Reg. XXIII. 11. [f] 2 Chron. XXI. 11. [g] Cap. VI. 13. [h] Ex *Annal.* Lib. XIII. C. 57. [i] Num. XXII. 41. XXIII. 14, 28. [k] Ammian. Lib. XXII. C. XIV. [l] Matth. VII. 1. [m] Rom. II. 6. [n] Luc. XVII. 26. 27. [o] Matth. XXIII. 35.

sumpta est comparatio, quomodo accipiendum sit?

perceptu facilis: sed si eam premas, ut sit; offendis difficultatem. *Quemadmodum*, ait Jehova, *si inveniatur mustum in botro, est qui dicat, ne perdas illum*, sc. botrum, *quia benedictio est in eo*, hoc est, est in eo quid bonum ac laudabile, quod usui esse queat & majoris boni præstare exspectationem. Verterat Hieronymus, *Quomodo si inveniatur* GRANUM *in botro....* Eodem fere modo οἱ ὁ. βότρυς *acinum*. Vide itaque ut similitudinem ceperit. *Si quis*, ait, *in botro & uva quæ ad maturitatem pervenire non potuit, & acescentes attulit fructus, vel aliquo ærис aut terræ corrupta est vitio, ignum granum reperit illæsum, quod spem habet adhuc majus fieri, & ad maturitatem solitam pervenire: dicat alteri, Ne tangas illud, sed dimitte, ut crescat, quia benedictio Domini est, ut in tanta acinorum multitudine solum evaderet siccitatem.* Sequuntur inter Pontificios, qui Hieronymi ducuntur auctoritate. Sed nihil probabile est in similitudine sic proposita. Primo enim, quis existimet, botro toto corrupto, si una forte aut altera uva in botro illæsa manserit, ejus magnam à Vinitore haberi rationem, ut eam ad maturitatem pervenire & servari velit. Deinde, quod in simili sic expositio supponitur; non cadit relativum in verbis, *Ne perdas* ILLUM, in vocem *acinum* sive *granum*, ut vocem תירוש *mustum* accepit Hieronymus; sed in *botrum*: ut adeo sequeretur, *botrum* totum propter unum vel alterum acinum bonum servandum esse: quod pugnat cum scopo Vatis. Addo jam, vocem תירוש non videri satis commode verti per *granum* sive *acinum*: est enim *mustum*. *musti* autem in *acino* quam exiguum est? Belgæ nostri, quod reverenter dico, non felicius versati videntur in hoc argumento. Sensus illorum in hanc exit sententiam; *Similitudinem sumi ab eo qui cum statuerit Vitem infrugiferam* aut *labruscas proferentem exscindere; eam tamen servat, si aliquid bonæ frugis in ea deprehendat.* Utique non sumitur hic comparatio à *Vite*, cujus in hoc simili nulla mentio: sed à *botro*. Deinde, secundum similitudines analogas *Vitis Judæa* omnino exscindenda esset, quatenus Respublica tota destrueretur; *servatis* tantum *electis*, ut Vates docuerat Cap. v. 1. seqq. Non erat integra servanda tota Vitis Judæa propter electos. Deus etiam hic loci in ἀποδόσει, *Se non esse corrupturum* OMNE. Ergo nisi fallor, simile hic sumitur à Vite, cujus *botri* sive ipsius arboris vitio, sive grandine, æstu, aut quo alio casu, corrupti, tempore vindemiæ, ubi collectio facienda est uvarum, non possint præstare mustum, atque adeo à Vindemiatoribus abjiciuntur ac perduntur: quod si tamen forte inter *botros* corruptos compareat *botrus* bonus ac laudabilis, *succo* bono repletus, in quo est *benedictio*; eximit illum Vindemiator cæteris, & non corrumpit, quoniam fructum præstet bonum, & acini ejus exspectationem bonæ arboris apti sint sustinere. confer similitudinem ejusdem fere generis, eamque pariter elegantem, Cap. XVII. 5. 6.

In eam interpretationem ἀπόκρισις.

Vox תירוש non satis commode vertitur per *granum*, sive *acinum*.

Belgarum Intt. sensus de hoc loco, non plane laudatus.

Similitudo probabilius exposita.

Ἀπόδοσις inde facilis perceptu & explicatu est: *Sic faciam propter servos meos*, (sunt verba Domini:) *ne corrumpam* τὸ ὅλον TOTUM. ubi per *servos Dei* non intelliges *Abrahamum*, *Isaacum*, & *Jacobum*, ut Hieronymo visum, licet alteram quoque adscribenti & meliorem sententiam: sed *pios* & *veros* Dei *cultores* ex multitudine pereuntium & exitio destinatorum servandos, qui mox ℣. 9. rursus appellantur *electi* & *servi Jehovæ*, & deinceps, ℣. 13. 14. Sunt illi, τοῖς חוטאים *peccatoribus* contradistincti, qui in se habent principium *veræ fidei*, effectum gratiæ *Spiritus S.* & ex illo principio edunt operationes, Deo commendabiles & delectabiles: cujus respectu *uvæ* bonæ dicuntur apud Jeremiam *a*; & inter se conjuncti faciunt *fasciculum* (אגדה) (Amos. IX. 6.) hoc est, *botrum*, sc. Ecclesiam veram ab hypocritis & peccatoribus secretam, quam Deus, Populum Ecclesiæ externum, corruptum, degenerem, sæpe gravissimis judiciis perdens, conservat, & semper in terris conservaturus est ut semen & fundamen veræ Ecclesiæ, quippe in quo est ברכה *benedictio*; bonum aliquid & laudabile, in iis productum à gratia Spiritus S. quod Deum delectat; & exspectationem Ecclesiæ in futurum sustinet. Exempla hujusmodi διαχρίσεως Gratiæ Divinæ, & erga Ecclesiam curæ ac providentiæ, edita sunt clarissima æque ac notissima in Diluvio & Incendio Pentapolitano; quorum prioris Chaldæus in hoc loco exerte meminit, cujus verba hic adscribere non pigebit: *Sic dicit Dominus: Sicut inventus est Noë justus in generatione Diluvii, & dixi, me non disperditurum esse illum, ut ex ipso suscitarem sæculum: sic faciam, & seqq.* Utique Deus sequutus est has rationes providentiæ suæ in Judicio, quo animadvertit in fœdifragos in Exilio Babylonico; sed id hic loci directe non respici, in superioribus evici: tum deinde in terribili afflictione Syriaca, ubi bonos à malis discrevit, (quod in Exilio Babylonico minus conspicuum fuerat:) ut illos servaret; hos perderet; de quo mox distinctius ad ℣. 13. sed præsertim in extremo eoque completo Judicio, quo hypocritas & sceleratos ex Judæis objecit Romanis, justæ sententiæ suæ executoribus, universum Statum Civilem & Ecclesiasticum destructuris; paucis tantum *botris*, hoc est, Ecclesiis Credentium in Christum Jesum, cum earum Præfectis, Apostolis, Evangelistis, Doctoribus, Presbyteris, veris Dei *cultoribus* (עבדים δούλοις, λειτουργοῦσι,) *servatis* & exitio temporali ac spirituali ereptis; quod judicium Hierosolymitanum à Domino Jesu *Diluvio* comparari, supra jam monui. Fuit in eo instar quoddam Judicii universalis, & ut tale à Domino describitur *b*. Atque huc refert Apostolus hunc & analoga loca in Epistola ad Romanos, scribens *c*: *Ita etiam & hoc ipso tempore* λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονε RESERVATIO (reliquiæ, residuum,) SECUNDUM ELECTIONEM *gratiæ facta est.* Respicit manifeste, ipso quoque Grotio non negante, hunc locum, in quo servati & servandi illi veri Dei cultores mox ℣. 9. dicuntur בחירי ELECTI. Hi nempe sunt illud זרע קדש SEMEN SANCTUM *d*, & שאר RESIDUUM *e*, ex communibus calamitatibus Gentis, & præsertim ex Romana, servandum, de quibus Propheta in superioribus jam loquutus erat: imo jam ante eum Moses Deut. XXXII. 27. Deus noluit חשית הכרי *perdere* τὸ ὅλον.

In iis est *benedictio*.

Exempla ejus, quod hic loci supponitur, variis articulis temporum data.

Præcipuus hic est respectus judicii Dei, quo Judæi credentes à non credentibus discreti sunt in excidio Reipublicæ Judaæ per Romanos.

Loca analoga huc facientia.

Exponitur.

℣. 9. *Et producam ex Jacobo semen, & ex Judâ possessorem* MONTIUM MEORUM; *& possidebunt illud jure hæreditario electi mei, & servi mei ibi habitabunt.* ℣. 10. *Et erit* SARONA *mansio ovium; &* VALLIS ACHOR *locus in quo boves secure recubent; Populo meo qui me quæsiverit.*] Exponuntur, ut quisque videt, beneficia providentiæ & gratiæ, quibus Deus prosequuturus esset ELECTOS, ex communi exitio majoris Populi partis servandos. Scripsit autem Propheta eum in modum, ut qui verba ejus legit, hanc eorum summam mente concipiat; fore, ut Electis illis & dilectis Dei cultoribus, pro summo obsequii & constantiæ suæ præmio, cedat secura inhabitatio ac possessio terræ Canaanææ, & Hierosolymæ, superstructæ *montibus sanctis f*, Tsioni ac Moriæ, qui hic dicuntur *Montes Dei*; & liber usus agrorum pratorumque florentium illius terræ; cujusmodi constat fuisse *Saronam* & *Vallem Achor*. Et sane sic accipiunt verba Prophetæ qui ea vel ad reduces ex Exilio Babylonico; ut plures Intt. vel ad Chasidæos, hoc est, ad Ecclesiam Maccabaicam, referunt; ut Grotius. Verum prior hypothesis non convenit schemati hujus prophetiæ, ut jam ad superiora monui. Nulla hic mentio est reditus ex Babylone. Scena prophetiæ supponit Statum Ecclesiæ corruptæ, prævalentibus malis, & defectoribus à Fœdere; paucis vero superstitibus veris Dei cultoribus è communi exitio servandis. Piscator adscripsit ad verbum *producam*, sive, ut ipse, *Educam*: sc. *è Captivitate Babylonica, atque etiam è captivitate spirituali Diaboli.* salva sit reverentia memoriæ ejus, plane

Promissum idem *Exponitur.*

Summa sententiæ hujus loci.

In qua generatim accepta Interpretes consentiunt.

Non convenit promissum Reducibus ex Exilio Babylonico.

Defenditur sententia adversus Piscatorem.

Servi Dei hic sunt *Credentes*, veri Dei cultores, per Divinam Gratiam *electi*, & à reprobis *separati*, qui juncti Ecclesiam faciunt.

a Cap. VIII. 13. confer Jer. v. 1. seqq. *b* Matth. XXIV. 37. 38. *c* Cap. XI. 5. *d* Cap. VI. 13. *e* Cap. X. 22. *f* Ps. LXXXVII. 1.

plane præter rem. Verba enim ipſa ſenſum definiunt: non loquuntur de *educendo*, ſive *producendo ſemine* ex *terra*, ſed ex *Jacobo* & ex *Juda*, ut exerte adſcribitur. Dum longe plurimis communi ſtrage percuſſis atque extinctis ſupereſſent *reliquiæ* ſecundum *electionem Gratiæ*: ex hiſce *reliquiis*, vero *Jacobi* & *Judæ ſemine*, Deus ſe producturum ait genuinum Patriarchale Semen, occupaturum hæreditatem Mundi. Reditus ex Babylone nulla hic memoria eſt. Hypotheſis Grotii hic longe eſt congruentior; quam neque admitto, neque etiam plane reprobo. Spiritus S. cui *omnia opera Dei nota fuerunt à ſæculo*, perſpiciens & clariſſime prævidens ἀναλογίαν, quæ inter opera Dei, ut effecta conſilii & providentiæ ejus, intercedit: crebro ſic inſtituit & direxit ſuam orationem, ut nos monuerit de duabus rebus ſimul cogitare; quarum alteram reſpiceremus ut alterius umbram atque imaginem. De temporibus autem Maccabaicis res ita ſe habet: ſuſtinent in Libris propheticis *duorum* aliorum *temporum* imaginem & umbram. Primo quidem temporum Apoſtolicorum: deinde extremæ luctæ Eccleſiæ, ſcandalis vitiatæ, & ab hoſtibus exitio ejus imminentibus undique obſeſſæ, à Deo cum perditis impiis & fœdifragis ſervandæ. De utroque exemplo ſæpe monui; & quidem de priori ad Cap. xxx. 19. ſeqq. coll. cum Zach. x. 1. 3. ſeqq. de poſteriori, noviſſime Cap. LIX. 15. ſeqq. LXIII. 1. quæ conferenda cum Cap. XXV. XXVI. XXVII. quarum pericoparum interpretatio hac hypotheſi nititur. Ergo Propheta cum in ſuperioribus recenſuiſſet delicta poſt reditum ex Exilio Babylonico committenda, quæ occaſionem præberent τῇ ἀποβολῇ *reprobationi* Gentis Judææ: docuerat, Deum tamen ſibi ſemper conſervaturum *reliquias* ex communi calamitate triſtium Judiciorum, quibus reprobos eſſet perditurus; addito promiſſo, ſe *reliquias* illas conſervandorum deinde proſequuturum eſſe larga benedictione. Reſpicit hic *directe* reliquias credentium in Chriſtum, qui temporale & æternum exitium majoris partis ſuæ Gentis, Diluvio Romano extinguendæ, evaderent, huic cladi eripiendas; ut ſupra docui: attamen ſic componit & inſtruit orationem, ut in ea *Benedictione*, qua Deus ſervandos per Maccabæos, hoc eſt, *Haſidæos* proſequererur, videremus *umbram* ejus, quod Apoſtoli & Credentes in Chriſtum Jeſum vere ac *reapſe* conſequerentur; phraſibus, ſpirituali ſenſu interpretandis, ex eo exemplo ſumptis. Refer enim, ſodes, rem totam ad animum tuum, & diligenter conſidera: Sitne aut videri queat probabile, Deum his qui à ſe *electi* ſunt, quique ſe colunt ac reverentur, majus nullum deſtinaſſe, aut ſpondere voluiſſe, bonum, quam inhabitationem *montium Canaanæ*, aut *Hieroſolymæ*; & liberum ac minime impeditum uſum lætorum paſcuorum SARONÆ ac VALLIS ACHORIS? Quam illud vere puſillum erat & exiguum, ſi rem recte tecum reputes? Quid in hoc beneficio plus haberent illi *Electi* ac *Dilecti* Dei, quam multi Populi per Orbem alii, ſub magnis Imperiis ſecure viventes? Eſt itaque par credere, Prophetam his verbis quid majus involviſſe, & ſub temporalium promiſſorum imagine, *ſpiritualia* & *vera* intelligi velle. eſt enim ſane Jeſaias Vates ſpiritualis. Sic v. g. mox ỳſ. 13. *Quia, ecce! ſervi mei* EDENT; *vos autem* ESURIETIS: *ſervi mei* BIBENT; *vos autem* SITIETIS, ſeqq. oportet eſſe ſtupidi ingenii hominem, qui ibi hæret & perſiſtit in contemplatione externorum ſubſidiorum vitæ, *cibi & potus*: nec mente altius aſſurgit. Pariter ubi Propheta, analoga phraſi, Cap. xxx. 23. in hæc verba loquitur: *Et dabit pluviam ſemini quo conſeveris terram, & panem ex proventu terræ; eritque uber & pinguis*; & PASCET PECUS TUUM ILLO TEMPORE IN PASCUIS AMPLIS, & ſeqq. lege pericopam ſequentem, & intelliges, Vatem altius quid & ſublimius reſpicere. Zacharias ubi raptus ſpiritu, inquit [a]: *Petite à Jehova* PLUVIAM *tempore tollectionis fructuum: Jehova facit fulgetra; &* PLUVIAM LARGAM *dabit iis; cuique herbam in agro:* inſpice locum, & cognoſces, illum ſub hoc emblemate corporali loqui de benedictione ſpirituali quæ ſita eſt in larga donatione Spiritus S. de quo clariſſime te convicerit locus Cap. XIV. 17. ubi Dominus his Populis ex reliquis Gentium, qui non aſcenderint Hieroſolymam ad celebrandum Feſtum Tabernaculorum, interminatur fore, ut *ſuper eos nulla ſit* PLUVIA *denſa*. Sed habuimus proxime clariſſima hujus hypotheſios argumenta Cap. LX. 4. ſeqq. Ergo hic latent *ſequentia* promiſſa ſpiritualia. α. Apoſtolos, Evangeliſtas, Credentes ex Judæis, quas ſibi *reliquias* Deus ex Gente Judæa conſervaret, *edituros* eſſe in Orbe numeroſum *ſemen ſpirituale*, ſecundum Cap. LIV. 1. ſeqq. Id ſibi volunt verba, *Et producam ex* JACOBO *ſemen, & ex* JUDA *hæredem montium meorum.* Notio JACOB referenda eſt ad *decem tribus:* JUDA ad Judam & Benjaminem. Ex utriſque ſervandi erant electi. β. Illud *ſemen* quà *ſpirituale*, fore *ſemen Dei, genitos ex Deo*, licet miniſterio hominum ad fidem perductos. Reſpice phraſin Prophetæ, *Et* EDUCAM (exire faciam,) *ſemen ex Jacobo.* Apoſtolus ad Galatas [b]: *Filii mei, quos iterum parturio, uſque quo* CHRISTUS *in vobis* FORMETUR. γ. Illos filios & filias ſpirituales ex Jacobo & Juda educendos *vere* gaviſuros eſſe iis privilegiis, quibus olim ditati honeſtatique ſunt qui *Montes* Dei *ſanctos*, & *Hieroſolymam* antiqui temporis poſſederunt, iiſque privilegiis gaviſuros eſſe in æternum, jure hæreditario, vi Teſtamenti Gratiæ. Huc pertinent Prophetæ illa, *Et producam... hæredem* MONTIUM MEORUM, (h. e. Tſionis, & Moriæ: quam interpretationem hic probo:) *Et poſſidebunt* EAM, *Electi mei, & ſervi mei ibi habitabunt.* Eſt apud Jeſaiam, וירשׁוּ quod verti poteſt, *Et poſſidebunt* EAM, vel ILLUD. h. e. montes meos complexe ſic dictos, ut terminatio *fœminini* hic ſit pro ea *neutrius*, quod Hebræis in uſu. Prius probo. *Hieroſolyma* hic fuit in mente Prophetæ, licet verboteaus non expreſſa. Privilegia autem *habitantium in Montibus Dei & Hieroſolymæ* ſunt; frui ſummo in hiſce terris beneficio *veræ Religionis* à Deo revelatæ & inſtitutæ; gaudere proxima Dei & glorioſa *præſentia*; per præſentiam Dei & proximam gloriæ ejus communionem ſanctificari; ex cultu & exercitio veræ Religionis concipere ſpem Dei propitiati ac placati ad vitam æternam, unde vera animi lætitia, & certa ac ſolida conſolatio; tum quoque Deo uti protectore ac defenſore adverſus qualeſcunque hoſtes, *ſorti noſtræ* quam habemus in Divina communione, præripiendæ intentos. Qui his privilegiis ſive beneficiis gaudent, vere dicuntur *poſſeſſores hæreditarii Montium Dei.* δ. Credentes in Chriſtum Jeſum in *hæreditate Mundi* occupaturos eſſe terras optimas, *Gregum ſpiritualium*, h. e. Eccleſiarum, nutrimento, profectui, & amplicationi commodiſſimas, cum *Saronæ & Vallis Achoris* paſcuis graminoſis comparandas; in quibus cum tempore viſuri ſunt Greges Domini multiplicatos ſecure nutriri ac foveri. Scripſit Vates, ỳſ. 10. *Et erit* SARON *in caulam ovium; &* VALLIS ACHORIS *in cubile boum, populo meo, qui me quæſiverit.* Uterque locus eſt certæ notitiæ. SARON eſt campeſtris illa famoſa circa Lyddam, & Joppen, inde in Aquilonem extenta uſque ad Cæſaream, vel Montem Carmelum; fertiliſſimus ager, pecudi paſcendæ aptiſſimus, de quo jam vidimus ad Cap. XXXIII. 9. XXXV. 2. Lucæ in *Actis*, eſt Σάρων [c]. Præter hos qui Geographiam Sacram tractarunt, videri de ea poteſt Bochartus [d]. Adſcripſit Piſcator ad hanc vocem: *Sic* (ſc. SARON) *nominatur Regio campeſtris Libano ſubjecta inde à Baſane, quæ fuit paſcuoſiſſima, ut annotat Franciſcus Junius ad* 1 *Chor.* (lege, *Chron.*) v. 16. Scribitur ſane ibi, *Gaditas habitaſſe in Gilead, & Baſan,* וכל מגרשי שרון *& in omnibus ſuburbiis* SARONIS, *ad exitus eorum.* Atqui conſtat, Gileadum & Baſanem ſita eſſe in Regione Trans-Jardenenſi Septentrionali, cum *Sarona* ſita fuerit in ipſa media

Judicium de hypotheſi ill. Grotii.

Temperamentum ſententiæ ab ipſo propoſitæ.

Temporum Maccabaicorum reſpectus in Propheticis.

Ductus orationis Jeſaianæ.

Reſpiciuntur hic directe *reliquiæ* à Chriſto Jeſu ſervandæ, & *benedictio*, qua Divina Gratia eas proſequeretur.

Phraſes, quibus Vates hic utitur, ſumendæ ſunt ſenſu ſpirituali: quod ex re ipſa oſtenditur.

Stylo Prophetæ ſub corporalibus intelligenda ſunt ſpiritualia.

Exempla ejus generis producta in medium.

Aſpectus loci Zach. x.

1. Quid ibi intelligendum per *plaviam copioſam*?

Quænam promiſſa ſpiritualia, involvantur verbis Jeſaiæ?

Apoſtoli inter Gentes producerent *ſemen ſpirituale*, quod eſſet verum ſemen Patriarchatum, & hæres bonorum Dei.

Affixum ni terminationis Fœminini hoc loco, quo refendum ſit?

Privilegia habitantium *Montes* Tſionem & Moriam, ſpiritualiter accepta, quid ſignificent?

Ubi olim ſita *Sarona*?

Reſpectus loci 1 Chron. v. 16.

a Cap. x. 1. b Cap. IV. 19. c Cap. IX. 35. confer 1 Par. XXVII. 29. d Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. XXXI.

media Canaanæa, ad *Occiduum* sive ad *Mare*: ut adeo necesse sit, vel duo fuisse prata pascua hujus nominis; quod non est absurdum; vel, Gaditas homines pecuarios, & pecore abundantes, Greges pecudum in ipsa quoque hac graminosa campestri Saronæ nutriisse, fixis domiciliis in suburbiis, cum Urbes ad ipsorum ditionem non pertinerent. *Vallis* ACHOR ea ipsa est *vallis* ad Septentrionem Hierichuntis contra oppidum Ai sita, in qua *Achan* (secundum lectionem Hebræam; sed secundum τὰς ό. & Josephum, Ἀχὰρ ACHAR,) obrutus est lapidibus causa sacrilegii ab ipso commissi; hoc nomine appellata, quod *turbasset* Israëlem: quæ notio est vocis עכר [a]. quam Vallem fertilissimam fuisse & pecori pascendo commodissimam, tum ex hoc loco colligimus; tum ex Hos. II. 14. ubi Deus Populo suo conciliatus dicitur daturus esse VALLEM ACHOR, *in ostium spei*. sc. spei recuperandæ totius hæreditatis terræ sibi promissæ; cum transeuntibus Jardenem circa Hierichuntem & Ai prima occurreret. Quid miraris, Prophetam de ovibus, bobus, eorumque pascuis hic mystice loqui; cum id sæpius fecerit in aliis? confer Cap. XI. 6. XXX. 24. LX. 7. An *boves Deo curæ sunt?* ait Apostolus [b]. Quæro, num *boves* & *oves* piis meliora à Deo sperantibus, Deumque *quærentibus* curæ sint? Idne maximum sit quod Deus suis promittit? Plura non ausim addere. Etiamsi enim videam, per *Scharonam*, quæ notio secundum Bochartum [c] valet campestris regio *lati prospectus*, ex voce שור *prospicere, contemplari*, non absurde intelligi posse *Ægyptum*, planam & fertilissimæ glebæ terram; & per *Vallem Achor*, *Syriam*, vallibus pratisque fœcundissimis celebrem, quæ Israëlitas novissimo tempore vehementer *turbaverat*, in qua Christo Jesu florentissimæ collectæ sunt Ecclesiæ: nolo tamen hanc meditationem urgere, ne nimium mihi indulgere videar, & certis incerta miscendo, utraque dubia faciam. Ubi florentes Populi per Asiam, Ægyptum, Græciam, Macedoniam, Africam, Italiam, Gallias, meliores Orbis terras incolentes, subditi sunt Christo Jesu, ejusque *Ministris* origine *Judæis*, iique Populi eorumque *terræ*, & *Metropoles*, sedem præbuerunt *Ecclesiis*, per eas ubique fundatis: tum vero Ecclesia occupavit hæreditatem Mundi, & conscendit *celsa terræ*. confer solummodo cum hoc loco dicta ad Cap. LVIII. 14.

Ubi *Vallis* Achor? Unde sic dicta?

Locus Hos. II. 14. cum hoc nostro collatus.

Collectio ex superioribus facta de his phrasibus mystice accipiendis.

An in sensu mystico hic peculiares quædam terræ respiciantur?

γ. Convictio *altera* (*membrum* tertium *Partis Elenctica*) per modum *Apostrophæ* ad *Apostatas* directa; in qua

(a.) *Culpa*.

Membrum tertium Partis Elenticæ: *Convictio altera*, ad Apostatas directa.

(a.) Culpa ℣. 11. *At vos derelinquentes &c.*

℣. 11. *At vos derelinquentes Jehovam; qui obliviscimini montis mei Sancti; qui* GADO (Soli) INSTRUITIS MENSAM, *&* MENI (Lunæ) *impletis* LIBAMEN.] Iteratur *Elenchus* adversus Apostatas & Fœdifragos, qui *Jehovam derelinquentes*, h. e. se à vero Dei cultu separantes, (confer Cap. I. 4.) simul deserto *Loco*, cui Deus cultum suum sub Oeconomia Vetere deputaverat; se polluebant turpi, Deoque invisissima, idolatria, quæ ipsis in hac appellatione ut fœdum & grave crimen exprobratur, tanquam *Elenchi* præcipua materia & ratio. Constat Elenchus quatuor membris, ut quisque videt, quorum priora duo nihil habent quod nos teneat: sed posteriora duo, cum ex communi Interpretum sensu, agant de *Ritu idololatrico* ejus vel sequioris temporis, cujus in Scriptura S. alibi mentio nulla occurrit: multum materiæ præbuerunt doctis ingeniis, in Idola, quæ hic dicuntur GAD & MENI, diligentius inquirendi. Sunt equidem, fateor, qui nomina hæc non accipiunt pro *Subjectis individualibus*, quique adeo verba vertunt: *Qui paratis* EXERCITUI cœli *mensam*; quique *adimpletis* NUMERO stellarum *libamen*: ut Pagninus: vel, *Qui instruitis* TURMÆ ILLI *mensam*, *quique impletis* NUMERO illi *libamen*: ut Junius, Piscator, Belgæ; nisi quod Piscator posterius membrum reddiderit, *Quique impletis* calices NUMERO ILLI *potus*: attamen hi, Viri Docti, quique horum premunt vestigia, verba Prophetæ pariter accipiunt de Ritu idololatriæ Paganæ, ad quem Vates hic alluserit. Solus forte Cl. Coccejus in diversa abit, *Non esse necesse*, dicens, *uti hic cogitemus de veteri idololatria, an fuerit ibi idolum nomine* GAD, *aut quid simile. Posse enim hæc nomina* (GAD & MENI) *ex rebus ipsis exponi*. quod proinde ex hypothesi, quam susceperat, Prophetam non loqui de *Judæa* sed de *Christiana Ecclesia corrupta*; tentat. Sed si hypothesis ipsa, de cujus valore in superioribus disputavi, hic admittenda, & oratio Jesaiæ mystice accipienda esset: nunquam tamen negaverim, hic alludi ad Ritum Idololatriæ antiqui temporis, quippe quod cuique verba inspicienti mox occurrit. Sed quàm illud certum & liquidum habetur: tam forte videri queat dubium, cujus speciei *idola* sub nominibus GAD & MENI intelligi debeant: licet clari Viri, Seldenus, Fullerus, Huetius, Spencerus, pluresque alii in literis satis feliciter versati homines, se in hoc campo jam exercuerint. Vanum sit, sententias omnes, meras sæpe absque ratione conjecturas complectentes, hic recensere; licet cæteroquin nihil hic, nisi per conjecturam, definiri posse, lubens largiar; sed quam velim à probabili aliqua ratione sustineri. Mihi adhæret, per GADUM intelligi *Apollinem*, sive SOLEM; per MENI vero *Lunam*, olim cultam Syris & Phœnicibus nomine *Astartæ* sive Οὐρανίης. quod ut aliis quoque persuadeam, à posteriori ordiar.

Membrum tertium Partis Elenticæ: *Convictio altera*, ad Apostatas directa.

Dubium in his verbis, Quid sit GAD & MENI?

Sunt qui Nomina hæc non habent pro individualibus.

Auctores hypothetios.

Cl. Interpretis plane singularis sententia; Hic non necessario respici ad idololatriam Veterem; cui non accedimus.

Cujus generis *idola* sub his nominibus intelligenda sint?

Per מני hic designari LUNAM operam dedit ut singulari cura demonstraverit nostro tempore Vir Eruditus, Antonius Bynæus [d], cujus præmaturo fato Rei literariæ & Ecclesiæ erepti memoriæ merito faveo; qui proinde plura huc adduxit, quorum pleraque aliquin non longe à me quærenda essent. Sed iniquum fuerit Virum bene meritum sua frustrare diligentiæ laude, pro Literatorum quorundam nostræ hujus ætatis pessimo instituto. Observavit itaque ille, Nomen מני MENI esse ex מנה NUMERARE; quod congruentissimum sit *Lunæ*, quam plerique Populi olim habuerunt temporum suorum mensuram, *Lunari* anno *usi*; & ipsi quoque Hebræi; licet Lunarem annum illi cum Solari compararint: Eandem *Lunam* Græcis dictam Μήνην, ut Suidas: (& Hesychius quoque:) Μήνη, ἡ Σελήνη: esse autem hunc usum vocis in Carminibus Orphei, apud Eusebium [e] & Cyrillum [f]: eundem videri Deum Μῆνα apud Strabonem [g]; & Deum LUNUM apud Spartianum [h], ex sententia Casauboni, renitente licet Salmasio: idem nomen servatum esse apud Latinos in Dea MANA, cujus Plinius meminit [i], & Plutarchus quoque [k]; & Belgis nostris in voce *Mane*: & videri quoque huic sententiæ favere Versionem Alexandrinam, secundum receptam ejus lectionem, Πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα· *implentes* FORTUNÆ *libamen mixtum*. τὴν τύχην enim sive *Fortunam* secundum mysticam Ægyptiorum Theologiam respondere LUNÆ; ut ex Macrobio [l] liquet, & ex Vettio Valente demonstravit Seldenus [m]. Hæc docte & ad rem animadversa; quæ passim probo & laudo; pauca enim alia his immixta transeo. Equidem quod de *Versione Alexandrina* habet, magis videri queat dubium; & in contrariam plane partem ivit clari Nominis Vir, Petrus Daniel Huetius, à Viro Docto, ut videtur, non visus, licet Ille ex eodem principio suam ducat & adstruat de hac voce sententiam de voce τύχη. Verum non pendet definitio hujus dubii à LXX Intt. judicio [A]. Solummodo aliqua, quæ ad superiora confirmanda vel illustranda faciunt, adscri-

In investigatione primo supponitur; per MENI intelligendam esse LUNAM. Docti Viri laus.

Ejus demonstratio.

Luna Græcis dicta Μήνη.

Dea *Mana* Latinis.

Versio τῶν ό. huic cogitationi favet.

De quo tamen Eruditi Viri dubitant.

[a] Jos. VII. 26. [b] 1 Cor. IX. 9. [c] l. c. [d] De *Galceis* Vett. Heb. Lib. I. Cap. IX. [e] *Demonst. Evang.* Lib. XIII. [f] Adversus *Jul.* Lib. I. [g] Lib. XII. [h] In *Antonino Caracalla*. [i] Lib. XXIX. Cap. IV. [k] *Quæst. Rom.* [l] *Saturn.* Lib. I. Cap. XIX. [m] *Syntagm. de Dis Syris*, Lib. I. Cap. I.

[A] Extat Huetii de hoc argumento dissertatio ad Origenis *Comm. in Joannem*, (Origen. Tom. *Post.* p. 109.) qui ex iisdem fere locis & principiis, quibus Vir Eruditus usus est, contrariam colligit sententiam. Censet ille, גד GAD in hoc loco Jesaiæ recte verti per *Fortunam*; eaque designari *Lunam*: in *Sortibus* enim Astrologorum Ægyptiorum *Fortunam* referri ad *Lunam*, ut ex Macrobio & Vettio

adscribam. Et primo quidem huc pertinet insignis locus Diodori Siculi [a], Atlantiorum de Diis traditiones recensentis, ex ejus mente à Græcorum fabulis non multum dissonantes. Est inter eas; Basileam, OURANI (Cœli) & *Titææ*, (Telluris) Filiam, ex fratre Hyperione suscepisse HELION & SELENEN, post infelicem interitum suum Divinitatis consortes factos. Diodorus: *Se vero & Germanam* (verba sunt Helii, Matrem, ipsius & sororis interitum lugentem, consolantis in somnio,) *in Naturas immortales providentia Divina transformatum iri:* Ὀνομασθήσεσθαι γὰρ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἥλιον μὲν τὸν πρότερον ἐν οὐρανῷ πῦρ ἱερὸν καλούμενον, σελήνην δὲ τὴν μήνην προσαγορευομένην· *ut qui prius in cœlis sacer ignis appellatus sit, nunc appelletur* HELIUS, (Sol,) *& quæ antehac dicta fuerit* MENE, (LUNA videlicet) *deinceps appelletur* SELENE. Docet locus, si quis alius clarissime, antiquissimum *Lunæ* nomen fuisse *Mene*. Secundo, non videri à Salmasio ulla specie negari, τὸν Μῆνα Θεὸν, cujus meminit Strabo, cujusque Dei Templa ipse recenset in Cabiris & alibi, eundem esse qui Deus LUNUS dicitur Spartiano [b], cum idem plane respectus sit vocis Μήνη ad Μὴν, qui *Lunæ* ad *Lunum*. Suppositerat illud Casaubonus ut probabile; sed rejecerat Salmasius, ea quidem fiducia, quam sæpe ridicule ostentant homines aliquam in Literis auctoritatem nacti, ut Μῆνα & *Lunam* sive Σελήνην *diversos esse ita verum censeat, ut nihil verius.* Quid itaque tandem significabit? Ex ipsius sententia *Orbem* illum sc. quem *Luna* menstruo suo motu circa terram describit. Quam belle inventum? Adeone *Orbi Lunæ* à Populis potius posita sunt Templa quam *Lunæ* ipsi? Cui id persuadeat Vir Eruditus? Confirmat videlicet ex Jamblicho, qui scribit, Pythagoram *Gallum Gallinaceum sacrum* facere Μηνί. Sic error errore defenditur. Atqui ibi quoque Μὴν LUNAM significat, ut infra moneo. Strabo ipse totidem verbis asserit, illa Templa, quæ ipse Μηνὸς vocat, ut Μηνὸς Φαρνάκου, Κάρου, &c. esse Templa *Lunæ*. Sic leguntur verba ejus [c]. Scripserat de Cabiris: Ἔχει δὲ καὶ ἱερὸν Μηνὸς, Φαρνάκου καλούμενον· *Habet etiam Templum* MENIS *quod Pharnacis dicitur.* Deinde post paucula interjecta de Ministris Sacris & Venerabilitate hujus Fani, subjungit: Ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερὸν, καθάπερ τὸ ἐν Ἀλεξανοῖς, καὶ τὸ ἐν Φρυγίᾳ, κ. τ. ε. *Est autem hoc quoque Templum* LUNÆ, *ut & quod in Albanis est, & quod in Phrygia, & seqq.* Docti Viri, qui *Menen* hic à *Luna* diversum facere nituntur: priora tantum verba describunt, acsi dicere vellet Strabo, illud *Templum*, quod *Menis* dixerat, præterea quoque *Lunæ* esse, veluti duobus Numinibus *Meni*, (*Soli*, secundum Huetium,) & *Lunæ* sacrum. Sed est id alienum à mente Strabonis. Ejus sensus est, Hoc Templum *Menis* dictum, esse quoque LUNÆ, ejusdemque generis, cujus Templa, *Lunæ* in aliis locis, quæ ipse recenset, consecrata. Sed res hoc tempore est liquidissima. Produxit Menagius [d] ἐκτύπωμα Nummi Græcæ Inscriptionis, exhibentis Μῆνα LUNUM Deum, cum figura *Lunæ corniculatæ dorso Viri impositæ*, & docet ibidem Ampl. Cuperus, Cleomedi [e] *Lunam* σιγμοειδῆ *corniculatam*, (signum figuræ literæ *sigma* Ↄ præferentem) appellari Μῆνα. Exhibet simile ἔκτυπον Norisius in Numis *Gabenorum* [f]. Μὴν erat *Deus* LUNUS, ut à Mesopotamenis aliisque Gentibus colebatur *genere masculino*, (de quo Spartianus,) respectu *Telluris* sc. quam ei dabant *Conjugem*: sed Μήνη DEA LUNA, respectu *Solis*, cujus *Conjux* censetur. Verum Hebræis non est in more, Idolum ullum *genere debiliori* exprimere. Tertium hic observo, *Lunam*, hic loci ex hypothesi nostra dictam *Meni*, eandem esse *Deam*, quam Syri & Phœnices coluerunt nomine *Astartæ*, (ASCHTARÔTH, stylo Scripturæ,) sive Οὐρανίης *Cœlestis Deæ*, בעלת שמים, *Dominæ cœlorum*, (ut *Sol* Sanchoniatoni בעל שמים *Bel samen*) sive, ut Jeremiæ exerte [g], מלכת שמים REGINÆ COELORUM. *Astarten* describit Auctor Libri de *Dea Syria* [h], quam ipse ait, se existimare esse *Lunam*: Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω Σελήνην ἔμμεναι. Atque hæc ipsa est illa *Venus* Οὐρανίη *Cœlestis*, quam Assyrii; *Astarte* quam Phœnices; & *Cœlestis*, solo hoc nomine Afris appellata, quam colebant Carthaginenses, licet subinde eam diversis figuris exhibuerint; de quo Eruditi Viri, qui de Vetere superstitione Orientali tractarunt, jam necessaria monuerunt; præter quos inspici

Locus Diodori Siculi, superiora observata confirmans.

Sensus Strabonis clarius demonstratur.

Docti Viri laudantur, qui verum hic acutius viderunt.

Μὴν, sive *Deus Lunus* idem Numen est.

Deus *Lunus* & *Luna* quantum differant? Hebræi *idola* non exprimunt terminatione debiliore. *Mene* Dea hic eadem quæ *Astarte*, Dea *Syriæ* vel *Cœlestis*.

Salmasii à Casaubono dissentientis, hallucinatio.

Sententia ejus refellitur.

Loca Strabonis, quæ huc pertinent, excutiuntur.

Valente demonstrat Seldenus: MENI vero recte referri ad *Solem*, qui temporibus *numerandis* ac *dividendis* præsit: id vero ipsum voluisse τὸς ὁ. si versio illorum recte legatur. Hoc tempore exhibent Codices omnes: Ἑτοιμάζοντες τῷ Δαιμονίῳ τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα· *Qui paratis* DÆMONIO *mensam, & impletis* FORTUNÆ *poculum.* Sic, inquam, hoc tempore legitur in Codd. nisi quod pro δαιμονίῳ in Cod. Marchali, legatur Δαίμονι: quod idem est: & tamen Hieronymus verba transtulit, *Et paratis* FORTUNÆ *mensam, & impletis* DÆMONI *potionem:* acsi vocibus δαιμονίῳ ac τύχῃ transpositis legisset, Ἑτοιμάζοντες τῇ τύχῃ τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῷ δαιμονίῳ κέρασμα. Ne vero existimes, errorem subesse: ipse in Commentario exerte monet τὸς ὁ. vocem מני reddidisse τῷ δαιμονίῳ. Atqui sors *Dæmonis* seu *Genii* cujusque à Vett. Astronomis referebatur ad SOLEM; perinde ac *Fortuna* ad *Lunam*, ut jam dictum. Sic Macrobius: (*Saturn.* Lib. I. Cap. XIX.) *Ægyptii Deos præstites homini nascenti quatuor adesse dicunt*, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην: per *duos* autem *priores* (quorum sc. potissimam habent rationem,) docet, illos intelligi velle SOLEM & LUNAM; quorum prior præsederit *Menti* ejusque *Genio*; posterior τοῖς σωματικοῖς *externis* quæ ad hominem attinent, veluti Studiis, Laboribus, Statibus, & seqq. Censet itaque, lectionem τῶν ὁ. hoc tempore alteratam esse. Porro pertendit, in locis Strabonis, versantis in describendis Ponti & Armeniæ terris, in quibus mentio fit ἱερῶν Μηνὸς, *Templorum* MENIS, sive *Menis Pharnacis*, sive *Cari*, sive *Asæi*, per Μῆνα SOLEM intelligi, à FORTUNA, Pharnacis v. gr. distinctam. Sic, ubi Strabo scribit, (Lib. XII. p. 383.) τὸ ἱερὸν Μηνὸς Φαρνάκου καλούμενον *Templum quod* MENIS *Pharnacis* vocatur; tam religiose cultum fuisse, ut pro Juramento quod *Regium* appellatur, haberi voluerint τύχην Βασιλέως καὶ Μῆνα Φαρνάκου, FORTUNAM *Regis*, & MENEM *Pharnacis*: vult per *Fortunam Regis* subintelligi *Lunam*; & per Μῆνα intelligi Regis *Genium*, qui refertur ad *Solem*. Subdit, Jamblichum (Lib. I. de *Vita Pythagoræ*,) postquam dixisset, Pythagoram *Gallum album* habuisse sacrum MENI; ipsum se interpretantem addere, illum sacrum esse ἡλίῳ SOLI. Sit liberi judicii copia. Primo, ægre mihi persuadeo, lectionem versionis τῶν ὁ. aliter se habuisse olim, ac hoc tempore habetur. Nulla enim vestigia sunt mutatæ lectionis. Imo vero Eusebius Cæsariensis exhibet eandem lectionem quæ in Codd. aliis hoc tempore legitur. Forte itaque Hieronymus, cum ex doctrina Magistri Judæi alte sibi impressisset, גד *Gad* esse *Fortunam*: locum festinante oculo sic legit, ut alterum pro altero sumpserit. Nec tamen hic quicquam definire velim; quin si Codd. aliqui faverent, lectionem hanc ipse admitterem, quia fortean jam satis antiqua apud Judæos fuit interpretatio vocis גד GAD de τύχῃ *fortuna*: de quo mox. Attamen secundo, ne sic quidem largior Eruditis Viris, quod ex hac *Versione* colligunt; quin vere censeo, illos Interpretem hunc Alexandrinum doctiorem facere quam fuit; & precario supponere, illum in Astrologia Judiciaria versatum fuisse; & sub nomine τύχης & δαιμονίου allusisse ad *sortes* Natalium. Si enim id vere ita se habeat, quod non inficias eo, Veteres τύχην *Fortunam* retulisse ad *Lunam*; & δαίμονα *Genium* ad *Solem*: num propterea τύχη & δαίμων sunt *Luna* & *Sol*, vel vice versa? De cæteris fidentius pronuncio. Strabo per Μῆνα in nullo locorum allegatorum intellexit *Solem*, sed LUNAM, ut ipse se plane interpretatur; exerte tradens, ut non possit clarius; Templum illud Μηνὸς *Menis* esse Templum Σελήνης LUNÆ, de quo in ipsa commentatione moneo. Species est in loco Jamblichi: sed species tantum. Idem enim Jamblichus, alio loco Lib. II. recensens & explicans Symbolum Pythagoreum XVIII. exerte scribit: *Gallum alito quidem, sed ne occidito,* Μήνῃ γὰρ καὶ ἡλίῳ καθιέρωται· LUNÆ *enim & Soli* SACER EST. Observarunt jam Eruditi Viri, Cuperus & Menagius. Vide hunc in Diogen. Laërt. Lib. VIII. *Segm.* 34. 35. Quare novissimus, idemque doctissimus Jamblichi Editor, Lud. Kusterus, priorem locum, ἱκέτης γὰρ, ἱερὸς τοῦ μηνὸς, recte vertit, *Quia & hic supplex,* LUNÆ *sacer est.* Dederat Interpres Arcerius, MENSIS *enim sacer supplicator est.* ut adeo non videatur concedendum in sententiam, quæ ex voce Μὴν facit *Solem.* Constans vocis usus reclamat. Ægyptii primum Regem *mortalium*, quorum tempora ab iis *Deorum* & *Semi-Deorum* temporibus distinguunt, faciunt Μῆνα MENEM, ut dicitur Herodoto: sed nec probabile est; nec patet, illum Divinis cultum esse honoribus; nec videtur Vossius, (*Idol.* Lib. I. Cap. XXVII.) illum feliciter cum MNEUI comparasse. MEN est MAN Germanorum: vox antiqua, sed alterius sensus ac Μὴν Græcorum. Quare nullam hic plane rationem habeo Spenceri, (de *Ration. Leg. Mos.* Lib. III. *Dissert.* II. Cap. III. *Sect.* II.) qui lumen à Vossio mutuatus hunc ipsum *Menem* hoc loco intelligit, frivolis vere rationibus; dum alibi (Lib. III. Dissert. VIII. Cap. X. Sect. I.) veluti hujus sententiæ oblitus, per *Gad* & *Meni* intelligit duo Principia æterna *Boni* & *Mali*, ex Doctrina Persarum; longe adhuc minore specie.

Scientia ejus refellitur.

Loca Strabonis, quæ huc pertinent, excutiuntur.

Salmasii à Casaubono dissentientis, hallucinatio.

a Diodor. Lib. III. p. 133. *b* In *Antonino Caracalla*, Cap. VI. VII. *c* *Geog.* Lib. XII. p. 383. *d* Ad *Diogen. Laërt.* Lib. VIII. Segm. 34. 35. *e* Lib. II. *Meteor.* *f* *Epoch. Syro-Mac.* Diss. IV. Sect. VI. *g* Jer. VII. 18. XLIV. 17. 18. *h* Lucianus.

poteſt inprimis Henricus Valeſius ad Ammianum *a*. Quæ cum ita ſe habeant, miror, Doctum Virum, qui cum de *Aſtharoth* ſive *Aſtarte Zidoniorum* agens hanc ipſam profeſſus eſſet ſententiam, inde delapſum ad hunc locum noſtrum; tanquam in vago fluctuaret; ſcribere voluiſſe *b*, *Reginam Cœli hic non intelligi, certum:* abſque ulla addita ratione. Sed relinquere cuique par eſt in obſcuris, & non certo demonſtrabilibus, ſuum arbitrium. Id ſaltem putem me aſſecutum eſſe, ut quam commendavi verſionem & ſententiam: longe probabilior habeatur aliorum opinationibus, qui *Meni* per *numerum* exponentes hic intellexerunt totum *Syſtema Planetarum*, ut aliqui apud Kimchium; vel *Zodiacum*, ut apud Aben-Ezram; vel *Stellam* aliquam *illuſtrem*, ut apud eundem R. Moſes Haccohen, vel ſimpliciter *numerum*, ut multi. Quod enim Hieronymus vocem למני verterit, *ſuper eam*, & Symmachus, *abſque ea*, quaſi legeretur, מִנֵּי, non meretur refelli.

Docti cujuſdam Viri hac in re fluctuatio.

Sententia aſſumpta commendatur ex comparatione aliarum.

Tranſeo ad nomen גד GAD, non minoribus ſubjectum hariolationibus Doctorum hominum. Potuiſſet hic otium nobis feciſſe Seldenus, qui in Libris de *Dis Syris* de eo prolixe egit; ſed qui tamen ſententiam ſuam nobis minime perſuaſit. Occupato à Magiſtris ingenio ſtatuit, vocem גד ſignificare FORTUNAM, ducta hac vocis ſignificatione ex Gen. XXX. 11. ubi cum Zilpa, ancilla Leæ, ederet partum, Lea dixiſſe fertur בגד BAGAD, quod ſecundum Maſorethas diviſe lectum בא גד *Ba Gâd* à Talmudicis & Paraphraſtis fabuloſis, (non utique Onkeloſo,) Jonathane & Targumiſta Hieroſolymitano, exponitur de FORTUNA *bona*, ἀγαθῇ τύχῃ, ut בא גד *Ba Gâd* idem valeat quod בא מזל טוב *Venit* FORTUNA BONA, ſive *Sidus bonum*, *bonus Dæmon*, ut eorum mentem Vir Eruditus declarat. Inde itaque digreſſus pro more ſuo Vir Doctiſſimus large differit de *Sortibus* Genethliacis Aſtrologiæ Judiciariæ Veterum Ægyptiorum; & ſignificationem illam vocis tanquam certam, tam ad illum locum applicat, quam ad hunc noſtrum Jeſaiæ. Sed ſi Vir Eruditus cætera rite confeciſſet: non demonſtravit quod vel maxime ad rem faciebat, Populos Orientales *Fortunam*, Rem nullam vere ac fictitiam, coluiſſe ut *Deam*, ut deinceps Græci & Romani. Deinde, merito miror, Seldenum in verbis Leæ, *Venit* GAD, potuiſſe videre *Fortunam*. Primo enim cum *Fortuna*, *ſors bona*, duplice modo accipi queat, vel pro ipſa *Conſtellatione* Nati, ex qua *ſors* cujuſque ſecundum hypotheſes illas Veterum pendet; vel pro *Sorte* ipſa, ut illius *Conſtellationis* effecto: quo commodo ſenſu ejuſmodi *Fortuna* dici poteſt VENIRE? Quid hoc eſt, *Fortuna* VENIT, h. e. *Sors fortunata* Nati pueri *venit?* Frigide dictum. *Puer* enim non erat *Sors*. Quare ſi locus aliquis faciendus eſſet notationi vocis גד hoc loco, ſecundum quam valet *Fortuna*, ἐυτύχημα, *Felicitas:* rectius legeretur una voce בָּגָד *cum* BONA FORTUNA; non בָּא גד pro integro בא גד *Venit fortuna*, ut volunt Maſorethæ. Sic utique legiſſe videntur οἱ ὁ. h. l. qui exhibent ἐν τύχῃ ſive ἐυτύχηκα, ut alii Codices; ſed, haud dubie παραφραστικῶς, eodem ſenſu, acſi dixerit Lea, *Feliciter!* cum *bona fortuna* ſc. enixa eſt Zilpa partum. Deinde, ſi ſupponas, Scientiam illam Aſtrologicam de *Sortibus* & *Athlis* Genitorum jam rudi illa ætate viguiſſe inter Chaldæos & Ægyptios: (quod veriſimile non arbitror:) eſtne probabile, *Leam*, Jacobi conjugem hujus diſciplinæ peritiam conſecutam eſſe? Scribit Vir Eruditus; *id non ita mirum videri; cum etiam de Horis, quas votant planetarias, Sidere Genethliaco, & quæ ſunt hujuſmodi, apud nos etiamnum vetulis verba facere ridicula, ſit ſolenne.* Mirum dictu, quam ſæpe Docti Viri, τῇ ὑποθέσει δελεύοντες, ingenio vel certe judicio ſuo abutantur, talia ut ſcribant, quæ ne quidem apud vulgum aperto ore profiteri auderent. Quis Leam, cujus fidei veſtigia in aliorum filiorum nominibus extant clariſſima, cum mulieribus circumforaneis de fæce plebis recentioris ævi comparare velit? Si vero harum diſciplinarum jam tum perita fuiſſe cenſeatur Lea: qua fiducia certum quid pronunciare potuit de *ſorte Nati*, cum utique tempore nati tenelli hactenus non inſpexiſſet illius conſtellationem aut fixiſſet horoſcopum, quod multi laboris opus eſt. Abſurdum ſit, pluribus contra diſputare. Jacobus Patriarcha ipſe, alludendo ad nomen Filii hujus ſui GAD, plane ſupponit notationem TURMÆ, ubi Fata filiorum ſuorum prænunciat, Gen. XLIX. 19. nec reſpuit *Natus* hanc appellationem; ſive hoc ſenſu quod cæteris Leæ liberis additus *turmam* faceret, ut Aben-Ezra quem plures ſequuti ſunt; ſive quod inſtar *turmæ* vi uterum matris perruperit; quod mihi videtur. Et fieri tamen poteſt, ut aliud ſubſit voci, imperfecte ſcriptæ, quod à nobis hoc tempore difficilius indagatur. Id recte cenſuit R. Moſes *c* apud Aben-Ezram, alium eſſe nominis hujus uſum in illo loco, ac in hoc noſtro. Sunt ex Eruditis Viris, veluti Arias Montanus *d*, Stephanus Monachius *e*, Thomas Hyde *f*, qui ſub nomine GAD intellexerunt Sidus Jovis, vulgo Hebræis כוכב צדק *ſtellam beneficam* dictum. Sententia eſt R. Moſe Haccohen apud Aben-Ezram. Verba ejus: ויאמר רבי משה הכהן כי לגד הוא כוכב צדק שיורה על כל דבר טוב כי כן לשון קדר ואמר כי אין כמוהו בא גד *R. Moſes Haccohen ait, per* GAD *intelligi* STELLAM JUSTITIÆ, (h. e. beneficam, quæ eſt *Jovis*,) *quæ nihil niſi fauſtum portendit. Id enim valet vox Lingua Arabica. Statuit ſimul diſſimilem eſſe ſignificatum vocis* GAD, Gen. XXX. 11. Sed non cognovi ullam rationem, qua Docti Viri hanc opinationem adſtruant, niſi petitam ex notione Arabica جد *bonus, beneficus*, ut Seldenus notat; quod attributum utique non eſt ὁριστικόν. Si מני MENI, de qua diſputavimus, habenda ſit LUNA: longe probabilius eſt SOLEM ei jungi, quam *Stellam Jovis*. Aben-Ezra ſub גד TURMA relata ad Cœlos intelligi vult גדוד השמים *Turmam cœleſtem*; ſtellaturas, ut opinor, Cœli, complexe ſumptas: ſed ipſum quoque illud abſque omni veri ſpecie. Ipſa enim vox גד *turma*, abſque epitheto uſurpata, id ſignificare nequit. Sit igitur גד GAD ex hypotheſi noſtra SOL, quem *Lunæ* optime junxeris, & eidem præpoſueris; quam ſententiam dudum propoſuit Fullerus *g*; ſed non adſtruxit. Conſtat, omnium vetuſtiſſimum Gentibus eſſe *Solis* & *Lunæ* cultum, cujus Moſes *h* jam meminit; & Auctor Libri Jobi, qui pium Virum in Arabia utique verſatum, ſic loqui facit *i*: *Si viderim* SOLEM (אור φῶς, LUCEM) *cum fulgeret; &* LUNAM *cum pulchre incederet; & ſeductum eſt in occulto cor meum, & manus mea oſculata ſit os meum!* ſc. ritu idololatrico, ſatis noto. Herodotus *k*: Θύουσι δὲ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ μούνοισι· *Sacrificant autem* (Libyes Nomades, quorum ibi attingitur hiſtoria:) SOLI *&* LUNÆ *ſolis.* Univerſus fere cultus idololatricus qui in Oriente obtinuit, hinc derivandus eſt. Idem de Arabibus *l*: Διόνυσον δὲ Θεὸν μοῦνον καὶ τὴν Οὐρανίην ἡγέονται εἶναι· *Bacchum ſolum Deum & Ouraniam arbitrantur.* h. e. *ſolos, Bacchum & Onraniam, Deos arbitrantur:* ut Valla optime reddiderat, nihil mutante Stephano; cum in recentiore Editione obſcurius exhibeatur, *Bacchum unum Deum, & Ouraniam eſſe arbitrantur.* Atqui cum *Ourania* ſit Luna, Juno cœleſtis, Aſtarte: quis dubitet, *Bacchum*, quem appellat Herodotus, ipſis Οὐροτάλτ dictum (ex אור *Luce* & ילד *generare*, ut videtur:) eſſe *Solem? Solem* enim cum vi generatrice olim in Baccho cultum, vere demonſtrat Macrobius *m*. Adhæret autem mihi, Solem hoc nomine גד GAD antiqua ætate appellatum ex notione vocis Arabica modo à Seldeno producta, qua *beneficentiam* & *liberalitatem* notat; & nomen olim adhibitum eſſe ad ſignificandum *Deum ſummum*. Utique Perſæ, quos *Solem* coluiſſe

Inveſtigatio Nominis ſive Idoli GAD.

Seldeni opera in hoc argumento locata.

Locus Gen. XXX. 11.

Vox גד in Nomine *Gadi* eſt *fortuna*.

Docti Viri obſervata de Aſtrologia Judiciaria.

Sententiæ ejus non acceditur.

Non eſt commoda Locutio, *Venit fortuna*.

Animadverſio ad Verſionem τῶν ὁ.

Scientia Aſtrologiæ Judiciariæ, non videtur tam antiqua quam hic ſupponitur, nec *Leæ* ejus perita fuiſſe.

Jacobus Patriarcha nomen גד *Gad* alio ſenſu interpretatur.

Celebris Magiſtri ſenſus de ſignificatione Vocis in hoc loco.

Intelligit cum aliis Sidus *Jovis*.

Quæ ipſa quoque ſententia minus probabilis videtur.

Per *Gadum* hic intelligitur videtur *Sol*.

Sententia probabiliter adſtruitur.

Solis & *Lunæ* cultus olim conjunctus.

Loca Herodoti.

a Hiſt. Lib. XXII. Cap. XIII. *b* Owen. *Theol.* Lib. V. Cap. VIII. §. VI. *c* Apud A. Ezram in h. l. *d* In *Verſ.* *e* *Diſſert.* ad Jer. XXIII. 6. Cap. IV. §. 4. *f* De *Relig. Vett. Perſarum*, Cap. II. p. 67. *g* *Miſc. S.* Lib. V. Cap. 17. *h* Deut. IV. 19. *i* Job. XXXI. 26. *k* *Hiſt.* Lib IV. Cap. 188. *l* Lib. III. Cap. 9. *m* *Satura.* Lib. I. Cap. XVIII.

Vox GAD significat *beneficum*, quod optime convenit *Soli*.

luisse notum [a], summum Deum appellant גד GODA, ut à pluribus observatum; estque hujus quoque vocis usus in Versione Persica, ut alibi observare memini ex Seldeno [b]: simul probabile fit, Scythicam vocem GOD, qua nos etiamnum in perfectissima Natura nominanda utimur, indidem profluxisse; ut vere inter Belgicam nostram & Persicam magna convenientia intercedit in variarum vocum appellationibus ejusdem soni & sensus; utrinque scilicet Scythicæ originis; de quo alibi. Id itaque unum hic maxime probabile habeo, aliarum conjecturarum laudem lubens aliis relinquens. Tantum addam; hunc GADUM sive *Solem* post Reditum Populi Judæi cultum esse Syro-Macedonibus, ad quorum idololatriam hic, ut in superioribus, proxime respici videtur, in APOLLINE, cujus in Luco Daphnæ erat superbissimum Templum, ut aliunde, & ex Ammiano [c], liquet. In hoc enim idolo *Solem* cultum esse, multis exequitur Macrobius [d], estque res certissima. In cæteris nulla hic difficultas. Dicuntur *Idololatræ* GADO struere *mensam*; & implere LUNÆ *potionem mixtam*, videlicet *vinum mulso mixtum*, aut quid simile: quæ hic genuina significatio est vocis ממסך. Mos vetus, omnibus fere antiquis Populis usitatus; quin imo, in Religionem veri Dei quoque receptus sub antiqua Oeconomia; nisi quod in *Libaminibus* non *mixti*, sed *meri* usus esset. Hieronymi verba, ad hunc locum sæpius ab aliis descripta: *Est in cunctis Urbibus, & maxime in Ægypto & in Alexandria idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni & mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis Epulis; & poculum mulso mixtum*, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes. *Hoc autem & faciebant Israëlitæ omnium simulacrorum portenta venerantes.* Imo vero sunt quæ huc pertinent, propiora. Jeremias [e]: *Filii colligunt ligna, & Patres accendunt ignem, & fœminæ depsunt massam, ad faciendas placentas Reginæ Cœlorum*, (Junoni Assyriæ, Astartæ Phœniciæ,) *& ad fundendum* LIBAMINA *Diis aliis.* Alio loco [f]: *Ad suffitum faciendum* REGINÆ COELORUM, *& ei* LIBANDUM LIBAMINA. Instruebatur autem mensa ex *placentis*, quas כוונים πόπανα vocat idem Jeremias [g]. De cujus vocis significatione, nec non de *placentis* hisce & *libis* ipsis, Diis variarum Gentium sub variis nominibus oblatis, multa erudite observavit Waserus [h]. Dicuntur Thucydidi θύματα, ubi de sacrificiis Jovi Melichio factis [i]; sed est de iis insignis locus apud Suidam in voce Ἀνάσατοι. De *mensa* autem SOLI strata singulare quid est apud Herodotum de *Æthiopibus* supra Ægyptum. *Esse*, ait [k], *in suburbano pratum, omnium quadrupedum assa refertum carne, de nocte à Magistratu aut civibus procurata*, licet *indigenæ credant, ea ex terra reddi, ad quam cuique* de die *epulatum liceat accedere.* Id pratum assis hisce carnibus instructum ut *Mensam*, appellari ait τράπεζαν Ἡλίου MENSAM SOLIS, ipsius quoque Cambysis curiositate dignam visam. Si idem mos aliarum quoque fuerit Gentium Orientalium; nihil aptius huic ritui exponendo. Quid? Considera mihi *lectisternia* usus Romani, quibus Diis insignioribus parabatur *Epulum* in Templis, & iis sternebantur *lecti*, in quibus tanquam *Epulantes mensæ* accumberent, vel etiam in sellis considerent; ubi *Jovis* & *Apollinis* fuisse potiores partes ex Livio [l] & Valerio Maximo [m] liquet. *Jupiter* autem perinde ac *Apollo* in Theologia Pagana referendi sunt ad *Solem.* Unde repetendus sit Ritus, plane superstitiosus, non liquet: utique non est ex institutione Numæ. Livius tempore gravis calamitatis ex inspectis Carminibus Sibyllinis hausturn prodit, postquam Roma per tria jam stetisset sæcula. Non differo de eo pluribus, ne ad aliena excurrere videar; nec produco exemplum eam ob rationem, quod Jesaiam ad illud respexisse opiner; licet vere superstitio Romana, ex Sabinorum aut Hetruscorum disciplina petita, ex Græcia & Oriente originem trahat. Exemplum tantum *superstitionis* hic memoratæ simile exhibeo, ut demonstrem superstitionis communionem. De *potione* autem sive *libatione mixta:* quid in rem congruentius produxerim loco Appiani, supra etiam tacto, ubi sacrificium Patrium Mithridatis Jovi Bellipotenti factum describit. *Extructa* in altum *pyra*, ex ingente *lignorum congerie*, varie aggesta, in eam μέλι, καὶ γάλα, καὶ οἶνον, καὶ ἔλαιον, καὶ θυμιάματα πάντα ἐπιφορῆσι, *mel, & lac, & vinum, & oleum, & aromatum omne genus ingerunt*; (sacra facientes Reges,) dum in inferiore limbo Epulum paratur. Id vere est ממסך *mixtum, potio mixta.*

Gad cultus est à Syro-Macedonibus in *Apolline.*

Mensam sternere & *Libamen* fundere Diis, quid h. l.?

Superstitio est antiqui temporis.

Verba Hieronymi.

Locus Jeremiæ Cap. XLIV. 19.

Locus Herodoti de *Mensa Solis* apud Æthiopes.

Lectisternium apud Romanos.

Potiones & Libationes Diis factæ.

Habes sensum Prophetæ, κατὰ γράμμα expositum; nec tamen, ut opinor, sensum omnem quem Vates intendit. Complectitur ille hic loci sub specie *genus*, perinde ac fecerat ỳs. 3. 4. de quo ibidem monui. Cum varia sit idololatriæ species; omnis autem cultus superstitiosus & idololatricus ex una promanet scaturigine *corrupti* de Deo *sensus*, & *affectus*, videlicet *carnalis*, ad quem homo vitiis & cupidinibus deditus Religionem suam studet conformare: perinde fere est quibus in rebus, quibusque modis, se vitiata hæc indoles exerat. Homo ψυχικὸς vult quid aliud quam verum Deum: cupit Deum sibi similem; Religionem carni blandam, suisque cupidinibus subservientem; quæ conscientiam placet, sed non turbet. Non vult præterea Deum *solum.* Si verum Deum non penitus negligat; respicit tamen præter ipsum *Deos alios*, in quibus fiduciam collocet: quo criminis genere Judæi Veteres Deum gravissime offenderunt. Veteres, inquam; imo & recentiores. Herodes enim & posteri ejus, & præcipuæ Dignitatis Proceres Judæorum, secta Sadducæi, *Romanam Majestatem*, coluerunt ut *Divinam*; & *illi* quidem, in Urbibus ditionis suæ aut in Coloniis Romanis, *Templa*, *Ludos*, *Spectacula*, Imperatoribus, consecrarunt; æterno Gentis Judææ opprobrio. JOVEM itaque, sive *Gadum Capitolinum*, & VENEREM, sive *Meneam*, non minus venerati sunt quam Majores sui *Apollinem Daphnæum* aut *Jovem Olympicum*, & *Astartem*, *Solem* & *Lunam*, qui ausi sunt publice profiteri [n], Οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ Καίσαρα. Imo vero omnia delicta & crimina gravia, huic invisissimo crimini comparanda, sub hac *specie* intelliguntur, ut ad ỳs. 3. 4. jam ostendi. Scriptura S. omnem *Religionem*, in pessimis principiis fundatam, aut scelerata mente ac manu Deo oblatam, comparat *idololatriæ. Genus* idem est; licet *species* variet. Si vero forte sub Oeconomia Nova extet Populus, qui cultum veri Dei professus, eidem copulat turpissimam superstitionem atque idololatriam, qua præter verum Deum & Mediatorem coluntur plures φύσει μὴ Θεοὶ, neque à Deo ordinati Intercessores; & *creatura* colitur pro *Creatore:* eundem censeo jure dici incurrere in Elenchum hujus Vaticinii. Apostatæ enim antiqui temporis figuram sustinent apostatarum, qui Statu corruptæ Ecclesiæ idem exemplum recentarent.

Verba Jesaiæ interiorem admittunt sensum. Sub *specie* hic intelligitur *genus.*

Latior illorum aspectus σχέσεως ad tempora Christi Jesu.

Et cum respectu ad Cultum corruptum Ecclesiæ degeneris sub N. T.

(b.) *Pœna.*

Absolute proposita.

ỳs. 12. *Et* RECENSEBO *vos ad gladium, & omnes vos ad mactationem vos incurvabitis; propterea quod* CLAMAVERIM, *& non* RESPONDISTIS; *loquutus sum, & non audivistis; & fecistis quod malum est in oculis meis; & elegistis id quo non delector.*] Pœna culpam in rationibus Divinæ Providentiæ, fixa & stabili Lege, premens, licet jam videri posset clare satis consignata ỳs. 7. hic distertius explicatur, subdita rursus sive intermixta *offensæ* commemoratione: hoc quidem *commate* ἁπλῶς *absolute; sequentibus quatuor, relate.* Oratio facilis est intelligentiæ. Ait Deus, se hosce idololatras, profanos, hypocritas, Apostatas, *recensiturum*, sive, ut Hebræa, NUMERATURUM *ad gladium*;

Pœna criminis statuta, ỳs. 12.

Summa orationis.

Pœna hic describitur iis *phrasibus*, quæ respon-

[a] Herod. Lib. I. Cap. 131. [b] De *Syned. Heb.* Lib. II. Cap. IV. § IV. ad loc. Gen. XIX. 24. [c] *Hist.* Lib. XXII. Cap. XIII. [d] *Saturn.* Lib. I. Cap. XVII. [e] Cap. VII. 18. [f] Cap. XLIV. 17. [g] Cap. LXIV. 19. [h] De *Mensuris Heb.* Lib. II. Cap. V. §. V. [i] *Hist.* Lib. I. [k] Lib. III. Cap. 18. [l] Liv. Hist. V. Cap. 13. [m] Lib. II. Cap. I. [n] Joh. XIX. 15.

dent *Culpæ*: quod oſtenditur.

(non *in gladio*, ut Hieronymus,) h. e. illos veluti *ad numerum*, traditurum morti, per gladium ſive *cultrum hoſtilem* (quæ ipſa quoque notio eſt vocis חרב) inferendæ, ut tanquam beſtiæ cædi deſtinatæ retorto collo jugulum præbituri, aut demiſſo collo ictum exſpectaturi; (quod hic præfero) *occiderentur*; quæ phraſis mox occurrit ℣. 15. Quiſque videt, hic alludi, cum ad vocem מני MENI, cujus modo facta erat mentio; tum ad ritum idololatrarum quo ſe INCURVABANT coram *idolis*. Committitis, ait Deus, inviſiſſimum mihi cultum circa Idolum, quod à *numero* appellatur מני MENI, *Numeratio*: Ego itaque vos quoque *numerato* objiciam *gladio* ſive *cultro* hoſtili, ne quis ex vobis vindictam effugiat. *Incurvatis* vos coram hiſce Diis falſis; faxim itaque ut ad cædem gladii hoſtilis vos *incurvetis*, ut in ipſa punitione imago Delicti vobis obverſetur. Confer ſimiles alluſiones, referendas ad figuram παρονομασίας, Gen. XLIX. 16. 19. & præſertim ex hoc Libro, Cap. LVII. 5. 6. in voce נחל. Vox מנה *numerare*, *recenſere*, olim peculiarem uſum habuit in *Decimatione pecoris*, ut adeo *decimator* appelletur מנה *Numerator*, recenſitor, apud Jeremiam *a*. Sed ſi omnino à recenſione in Decimandis pecudibus recepta hic deſumpta eſſet phraſis: non tamen ipſa reſpiceretur *decimatio*; ſed *recenſio*, in ejuſmodi caſibus uſurpari ſolita. Senſus enim hujus dicti eſt; Deum Fœdifragos & hypocritas *numerato* commiſſurum eſſe hoſtili gladio: nemini parſurum. Cauſſam tantæ ſeveritatis rurſus adſcribit Vates verbis Dei, quod *clamaſſet*, & *non reſpondiſſent*; *loquutus eſſet*, & *non audiviſſent*, *ſeqq.* Verbis idem ſubeſt ſenſus quem demonſtravimus ad ℣. 2. *Expandi manus meas toto die ad Populum refractarium*, &c. Confer Cap. L. 2. *Quare venio*, & *nullus eſt vir*; *voco*, & *nemo eſt qui reſpondet.* Repetitur elenchus iiſdem fere verbis Cap. LXVI. 4. Conſtat, graviſſimum delictum à Judæa Gente commiſſum eſſe in repulſo Regno Dei, cum ipſe Filius Dei in carne manifeſtus factus tanquam Doctor publicus, & magnus Propheta, Patribus promiſſus, Gentem concionibus publicis blande invitaret ad magnam ſalutem, tot retro ſæculis à piis ſperatam deſideratamque. *Quotiens*, ait hoc Os Divinum *b*, *O Jeruſalem*, *Jeruſalem*, *volui aggregare liberos tuos*, *quemadmodum gallina aggregat pullos ſuos ſub alas*; *& noluiſtis? Ecce*, *relinquitur vobis Domus veſtra deſerta.* Apoſtoli eandem Vocationem cœleſtem continuarunt; ſed eodem modo excepti ſunt, dum Judæi majorem partem, *repulſo ſermone Dei*, *ſe vita æterna non dignos judicarunt c*, h. e. ita ſe geſſerunt, ut vita æterna cenſeri deberent indigniſſimi; veluti non auſi eſſent ad tantam ſe erigere ſpem, quæ tamen ipſis gratuito ac liberaliter offerebatur. Hanc vero Chriſtus Dominus ipſe oſtendit eſſe cauſſam, cur objiciendi eſſent gladio hoſtili, & miſere perituri, in Parabola de *Nuptiis d*: *Rex autem cum hoc audiviſſet*, (invitatos nimirum vocationem ad Epulum Nuptiale eludere, & miniſtros Regis injuria afficere eoſque occidere,) *iratus eſt*, &, *miſſis copiis ſuis* (Romanorum Cohortibus ac Legionibus,) *perdidit homicidas illos*, & *urbem ipſorum incendit.* Alibi Dominus apud Lucam *e*: *Quin meos illos adverſarios*, *qui noluerunt me regnare ſuper eos*, *adducite huc*, καὶ κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου & JUGULATE *coram me.* Habes eandem phraſios figuram. Equidem nulla neceſſitas nos jubet delictum commiſſum in repellenda Vocatione Divina ad ultimam hanc *Vocationem* tantum reſtringere: patior enim eam accipi in ſumma latitudine, ut ſub ea ſimul intelligatur fruſtranea Vocatio hujus Gentis ad fidem & reſipiſcentiam facta per Prophetas *f*. Sed cum omnis Vocatio Prophetarum antecedentium in hac Vocatione terminum ſuum conſequuta ſit; de ea præcipue cogitandum eſt. Eodem plane modo alterum, quod ſequitur, capiendum eſt; *Et feciſtis quod malum eſt in oculis meis*, (quod mihi diſplicet;) *idque elegiſtis quo ego non delector.* Interpretare, ſi vis, dictum in omni amplitudine, & expone phraſin de omni *errore judicii*, à Judæis commiſſo in cauſſa Religionis, dum ex indolis pravitate & vitiato affectu ſemper proni erant deflectere ab illo Religionis inſtituto, quod Deus ipſis præſcripſerat, & unice probabat; quocunque modo hæc ingenii corruptio ſe exeruerit. Grave erat Genti Voluntatem ſuam conformare ad Divinam: quicquid Deus ſibi placere oſtendebat, hoc ipſo palam averſabantur. Putem tamen hoc dictum commodiſſime capi poſſe diviſe; ut, *facere quod malum eſt in oculis Dei*, referatur ad idololatriam; & *eligere quo* Deus *non delectabatur*, ſit *eligere cultum carnalem* præ *ſpirituali*, in Evangelio præſcripto. Utique attributum illud, *Non delectari*, de *Cultu carnali* ſæpius uſurpatur. Pſ. XL. 7. *Sacrificio & munere* לא חפצת NON ES DELECTATUS. LI. 18. *Quia* NON DELECTARIS (לא תחפץ) *ſacrificio.* Hoſ. VI. 6. *Quia* COMPLACEO MIHI (חפצתי) *in* PIETATE, *non in ſacrificio.* Confer ex hoc Libro Cap. I. II. XLIII. 23. & mox Cap. LXVI. 3. 4. Non *placebat* Judæis, abnegata juſtitia operum, per ſolam *fidem* ſervari: quod tamen *placebat* Deo. Prius ipſorum animo probabatur: poſterius judicii erat Divini. Cultum carnalem Deo obtrudere voluerunt pro ſpirituali; & juſtitiam ſuam pro perfecta Juſtitia Mediatoris. Jam præmonui, implementum hujus Judicii verum & completum quærendum eſſe in illo memorabili Judicio, quod Deus in ipſos executus eſt per Romanos; licet facile patiar, Judicium proluſorium, quod in hac prophetia reſpicitur, reſpectu *prioris* ſui *membri*, hoc eſt, *idololatriæ*, demonſtrari in interitu Apoſtatarum circa tempora Syriaca. Prævalentibus enim Maccabæis perditi ſunt & diſparuerunt; multis bello, calamitate, aut mutuis odiis ac ſimultatibus, conſumptis. Sed Judicium quod Deus executus eſt per Romanos, ut longe gravius ac terribilius fuit, ac directe feriit reprobos & Evangelio immorigeros: ſic illud habet ſingulare, quod qui hac Calamitate interierunt, ſive in obſidione Urbis Hieroſolymæ; ſive in civilibus contentionibus & pugnis, tam extra quam intra Canaanæam, NUMERATI SINT, ut ſane factum à Joſepho *g*; *numerique* ad ſtuporem excreſcentes à Doctis Viris *h* ex variis Joſephi locis collecti, ad 1337490, *innumeris aliis omiſſis qui fame exilio*, *miſeriis*, *perierunt.* Videtur fide ſuperius; quam Ego hic majorem præſtare nolim quam Joſephus meretur.

Scriptura S. aliis quoque locis in phraſibus ludit.

Num locutio hic deſumpta ſit à *Decimationis* ritu?

Ratio ſeveritatis punitionis, hic repetita ex ſuperioribus declaratur.

Vocatio cœleſtis à Judæis ſpreta.

Locus Act. XIII. 46.

Parallelia dictorum Chriſti & Prophetæ noſtri.

Poteſt hic, ut in ſuperioribus, admitti latius implementum.

Gravamen conſequens,

Et feciſtis quod malum eſt &c.

Quod ipſum quoque in majore latitudine accipitur.

Judæi averſabantur *vias* & *modum*, quo Deo placebat gratiam ſuam diſpenſare.

De Implemento hujus Judicii prior admonitio.

Judæi qui extremo tempore Romanorum gladio interierunt *numerati* ſunt.

Relate ad veros Dei cultores.

Articulus prior.

℣. 13. *Propterea ſic dicit Dominus Jehova: Ecce ſervi mei* EDENT, *ſed vos* ESURIETIS: *ecce*, *ſervi mei* BIBENT; *ſed vos* SITIETIS: *ecce ſervi mei lætabuntur*; *ſed vos ſuffundemini pudore.* ℣. 14. *Ecce*, *ſervi mei cantabunt præ lætitia animi*; *ſed vos clamabitis præ* ÆGRITUDINE ANIMI, *& præ fractura ſpiritus ejulabitis.*] Docte obſervavit Coccejus, hic quoque Jeſaiam in proponenda pœna alludere ad Delictum, à Fœdifragis perpetratum: nempe ad id quod dixerat, illos GADO ſternere MENSAM; & CRAMA IMPLERE τῇ MENI, ℣. 11. Erant Epula ſacrificalia poſt ſacrum factum in Templis aut Templorum atriis, celebrata in communione hoſpitum ad hoc ſolenne Sacrum invitatorum, cum ſignificatione hilaritatis ac lætitiæ: quibus Epulis *Servi Jehovæ* excludebantur. Inde ſumpta eſt comparatio: ſed ſumes rurſus *genus* pro *ſpecie*, & intelliges ſub hac metaphora omnem delectationem & privilegia externa homini jucunda, quæ qualiſcunque falſa Religio aut objecti illiciti veneratio cultori adfert. Vicem verſum iri, ait Dominus; quippe fore ut *edentes* illi aliquando *eſurirent*; *bibentes ſitirent*; hilares *lugerent*, & magna afficerentur animi ægritudine; dum contra *Servi Jehovæ*, hoc eſt, veri ejus cultores ſolida

Judicium Dei propoſitum *Relate*, ad veros Dei Cultores.

Articulus primus, ℣. 13. *Propterea ſic dicit*, &c.

Pœna hic propoſita reſpondet *culpæ*: quod oſtenditur.

gau-

a Cap. XXXIII. 13, confer Lev. XXVII. 32. *b* Matth. XXIII. 37. *c* Act. XIII. 46. *d* Matth. XXII. 7. *e* Cap. XIX. 27. *f* Jer. VII. 13. 25. 2 Chron. XXVI. 15. *g* B. J. Lib. VI. Cap. XVII. *h* Lipſ. Lib. II. de *Conſtantia* Cap. XXI. & Uſſerius Armach. in *Annal. Ætat. Mundi*, VII. p. 688.

Ratio vetat, hæc verba κατὰ γράμμα accipere.

gauderent lætitia & consolatione. Estne vero ut hæc verba legens hæreas in *esu* & *potu corporali*, & quæ inde percipitur, delectatione ac hilaritate? Hanc existimes sortem esse *piorum* hominum & *verorum* Dei *cultorum?* E contrario vero statuas, punitionem Apostatarum absolvi carentia illarum lautitiarum, ex quibus olim ceperant delectationem; ut nimirum posthac mensam minus commode ac liberaliter instructam haberent; tenuiore uterentur potu; deliciæ lautitiæque externæ iis minus affluerent; atque ut ex penuria necessariorum animi contraherent ægritudinem? Nolim dictum. Leve nimis & pusillum est quam ut Deus cultoribus suis polliceatur; leve etiam nimis & minutum est, quam ut sui negligentibus, iisque gravissimis peccatoribus, hoc malum ut summum interminetur; etsi gulæ deditis hominibus non sit ex minimis. Sequentia pariter fidem facient, altius hic quid & sublimius spectari. Quare etiamsi concederem Grotio, umbratile implementum ejus quod hic dicitur, quæri posse in temporibus Maccabaicis: neutiquam tamen discederem a sententia quæ tenet, *spiritualium bonorum* & *malorum* hic primum esse respectum. Imo vero ipsa hæc sententia Prophetæ multo liquidiorem habet interpretationem, si hypothesi nostræ adhæreas. Accipe igitur dictum hujus loci, sensu completo & perfecto, de Judæis degeneribus, qui præter & post frequentissima peccata idololatriæ, spreta & cum injuria repulsa communione Regni Dei, ad quod per Christum Jesum & Apostolos ejus blande invitati fuerant, *excluſi* sunt & abjecti à communione Dei & Regni ejus; cum destructa Republica terris patriis exacti; & Gentium omnium probris & injuriis absque Vindice expositi, *vacui* vera consolatione ac lætitia, & malam ubique circumferentes conscientiam, per orbem errant, *esurientes* & *sitientes*, hoc est, ardentissime expetentes status sui instaurationem, sed cujus cum *ægritudine* ac dolore animi nullam plane vident affulgere spem: dum interea Credentes in Christum Jesum, veri Dei cultores, tum ex Judæis, tum ex Gentibus, iisdem Judæis per communionem fidei insertis, in Regno Dei gaudent solida ac saturante consolatione ex sensu Divinæ Gratiæ & ex fructu Beneficiorum Novi Fœderis cum lætitia ac delectatione inenarrabili; cujus rei significatio & usus obtinent in *Cœna Dominica*, & *Agapis* Ecclesiæ primi temporis. Id hic loci est *edere*, *bibere*, *lætari*, *cantare*, משוש לב *pra animi interna lætitia & hilaritate*, secundum stylum Sanctuarii; ut Ps. XXII. 27. EDENT *mansueti*, & SATURABUNTUR; *laudabunt Jehovam quarentes eum: cor vestrum vivet in perpetuum.* Rursus ℣. 30. Confer hic luculenta loca Ps. XXXVI. 9. LXIII. 6. LXV. 5. Jer. XXXI. 14. *Edere*, inquam, *bibere*, *lætari*, hic loci est ex sensu Divinæ Gratiæ sub Oeconomia Messiæ, percipere solidam consolationem; sive, Beneficiis Gratiæ, olim promissis & exspectatis, nunc per Messiam repræsentatis, in arcta Dei communione frui cum summa jucunditate & dilectatione animi ad usque satietatem, in Ecclesia Sanctorum. Contra vero *esurire*, & *sitire*, hic loci valet, his Beneficiis ac privilegiis Divinæ communionis ac gratiæ, & vera lætitia ac consolatione ex iisdem nata, carere; & ex publicis indiciis atque argumentis Divinæ iræ concepta *ægritudine* animi ac sensili dolore, versari in statu *malæ conscientiæ* cum præjudicio damnationis æternæ. De utroque hoc usu metaphorico harum notionum jam egi ad superiora clarissima hujus Libri loca; veluti de specie hac *famis* & *sitis*, cum ægritudine animi conjunctæ, cum respectu ad præsentem Judææ Gentis statum, Cap. VIII. 21. *Et incedet per eam* (terram Canaanæam,) *gravatus ac famelicus; & erit cum esuriverit, seqq.* De priore vero ad Cap. XXXIII. 16. PANIS *suus ipsi datur:* AQUÆ *ipsius sunt certæ*, Cap. LV. 1. *Hei omnes sitientes venite ad aquas, & quibus non est argentum, ite, emite &* COMEDITE, ... *auscultate mihi, &* COMEDITE BONUM, *& deliciabitur in pinguedine anima vestra*, Cap. LVIII. 14. *Et* CIBABO *te hæreditate Patris tui Jacobi.* confer etiam Cap. III. 18. Consilio feci, quod hæc loca descripserim, ne quis mihi usum metaphoricum hujus notionis, & quidem ejusdem sensus, in dubium vocaret. Quin sane Dominus Jesus in *Sermonibus suis* ipsum illud σχῆμα, quod Jesaias his verbis expressit, plane declaravit. Apud Matthæum [a]: *Dico autem vobis, multos venturos ab Oriente & Occidente, qui* (sc. credentibus ex Judæis adjungendi,) DISCUMBENT *cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, in Regno cœlorum. Filii autem Regni* EJICIENTUR EXTRA *in tenebras extimas, ubi est* FLETUS OCULORUM (*ejulatus*, ut in loco hoc nostro,) *& stridor dentium.* Dum Credentes in Christum *vescerentur pane in Regno Dei* [b], & satiarentur cœlestibus bonis quæ Deus Ecclesiæ dispensat in his terris ad consolationem & lætitiam; contemptores Evangelii his *bonis gratiæ* & *vera consolatione* privati essent, à communione Dei & Sanctorum disjuncti, in statu *pudoris, ægritudinis animi, fracturæ spiritus* (defecti robore,) *tristitiæ*, & *invidiæ* in Sanctos conceptæ; mala conscientia futuri judicii prænuncia illos ubique comitante ac terrente. Idem exhibetur in Parabola de *Lazaro*, accumbente in Sinu Abrahami, & *Divite* [c], qui excluſus communione Epuli cœlestis, erat ἐν βασάνοις *in tormentis*, à magna pressus *siti*, quam ex *flamma*, nimirum ex judiciis Dei gravissimis, per Romanos Imperatores Titum & Hadrianum, executioni datis, & calamitatibus ea subsequutis, iræ ejus testatissimis documentis, animum angentibus, & *dejicientibus*, sive frangentibus, contraxerat. Parabolam de *Nuptiis*, jam ante produxi. Sententia Patrisfamilias Regis, qui in gratiam Filii nuptias instruxerat [d]: *Dico autem vobis, neminem virorum illorum, qui vocati fuerant,* GUSTATURUM ESSE COENAM MEAM. Sunt plura quæ huc pertinent, sed quæ cesso adducere. Lucas in *Actis* [e]: *Et quotidie perdurantes concorditer in Templo, & frangentes domatim panem, capiebant cibum* ἐν ἀγαλλιάσει *cum* EXULTATIONE (hilaritate) *& simplicitate cordis,* LAUDANTES *Deum.* Habes quod in hoc loco legitur. *Cœna* enim *Dominica* est Epulum Eucharisticum, à Credentibus primi temporis cum gaudio & lætitia ob memoriam *Redemptionis* à Christo Jesu ipsis procuratæ celebratum, & ex vero scopo suo celebrandum; in quo *edunt & bibunt, lætantur*, & *cantant* servi Jehovæ; quod in *Agapis* Cœnæ junctis, vel certe adjunctis ejus, κατὰ γράμμα locum habuisse, notum est ex Tertulliano, & ex Plinio quoque. Est enim Epuli glorioſi ac cœlestis, sanctis post hanc vitam parati, imago. *Opima Domus Dei & sanctum Palatii* ejus omnibus esurientibus & sitientibus in hoc Epulo proponuntur. *Opimum* autem *Domus Dei* est gustus consolationis & lætitiæ cœlestis ex sensu Divinæ gratiæ & Remissionis peccatorum perceptus. Hæc est illa *lætitia ineffabilis* & *glorioſa* qua credentes *exultant* [f]. Confer Act. IX. 31. Hanc vero sortem diversam verorum Dei *servorum* & *contemptorum Evangelii* tota Oeconomia temporis gratiæ illustravit. Res sane videbatur, si quis initia Evangelii spectet, supra omnem exspectationem, ut prædictio videretur supra fidem. quare sententia Prophetica singulis fere pericopæ membris præfigit, הנה ECCE.

Spiritualia bona & mala hic loci respiciuntur sub corporali imagine.

Interpretatio aptata Judæis, quo fuerunt statu post destructam à Romanis Rempublicam.

Edere & *bibere* his oppositum quid valeat respectu Credentium primi temporis.

Analogia aliorum locorum hujus Libri.

Σχῆμα idem à Domino exhibetur in Parabolis, describentibus infelicem Statum Judæorum Evangelio rebellium.

Respectus Parabolæ de *Divite* & *Lazaro.*

Ut & de *Nuptiis.*

In *Cœna* Domini & *Agapis* primi temporis conspicienda imago est implementi hujus prophetiæ.

Cœnæ Dominicæ contemplatio σχέσει ad h. l.

Articulus alter.

Articulus alter, ℣. 15. *Et relinquetis, &c.*

℣. 15. *Et* RELINQUETIS NOMEN VESTRUM IN JUSJURANDUM ELECTIS MEIS; *&* OCCIDET TE *Dominus* JEHOVA; *sed servos suos appellabit* NOMINE ALIO.] Sensus est, Punitionem & calamitatem horum Apostatarum tam fore insignem, ut in formulis Jurisjurandi homines exemplum capturi sint ex gravitate Judicii Divini iis infligendi, eorumque miserabili Statu; veluti, Si sciens volensque fallam, eveniat mihi quod Judæis sceleratis, (ex hypothesi nostra) sub Romanis. in quo sensu verborum, generatim sumpto, Interpretes Christiani, & Hebræi quoque, passim consen-

Sensus sententiæ.

Tanta calamitas esset Judæorum improborum, ut in formulis Dejeratio-

a Cap. VIII. 11. b Luc. XIV. 15. c Luc. XVI. 23. 24. d Luc. XIV. 24. e Act. II. 47. f 1 Pet. I. 8.

num inde sumeretur exemplum.

tiunt, adducto exemplo ex Jer. XXIX. 22. ubi Propheta Judicium Dei interminatus falsis Prophetis Achabo & Tsedekiæ, subjungit: *Et ab iis sumetur execratio omnibus exulibus Judæis qui sunt in Babele; in hac verba*, PONAT TE JEHOVA UT TSEDEKIAM ET UT ACHABUM *quos Rex Babylonis igne cremavit.* Confer Ps. CII. 9. *Furentes in me*, PER ME JURANT. eodem sensu; & potest illuc quoque oblique referri שבועת אלה *adjuratio & juramentum execrationis*, Num. V. 21. Per *nomen* autem hic loci intelliges *memoriam* illorum, de quibus hic agitur hominum, suo illo *charactere*, qui in hac prophetia signatur, circumscriptorum: qui quidem temporibus Maccabaicis dicebantur παράνομοι *transgressores Legis*, ἀσεβεῖς *impii*, ἀποστατικοὶ *defectores*, in Libris hujus argumenti; *Danieli* פושעים *defectores*, eadem notione [a]; sed in Libris N. T. ἈΠΕΙΘΕΙΣ, ἀπειθοῦντες, *inobedientes*, immorigeri Evangelio, sive Veritati [b]. Nec tamen Propheta sic scribens, directe significat, futurum esse, ut in communi sermone hominum ejusmodi Jurisjurandi vel Execrationis species locum haberet; sed dicit, Punitionem illorum tam fore singularem & notabilem, ut qui in formula Jurisjurandi se per diras devovere velit, aut alios execrari; ab hoc Judicio potius quam ab ullo alio capere velit exemplum. Quod si referas ad Judicium, quod Deus in Judæos immorigeros & rebelles exequutus est per Romanos: vides, quanto clarius & certius implementum consequutum sit, quam si applices ad interitum *impiorum* & παρανόμων, circa tempora Maccabaica. Illos enim licet credere par sit tandem plagis Divini Judicii variis modis interiisse; gaviси tamen sunt protectione ac defensione Syrorum: sed de judicio Dei, administrato à Romanis, ipse Dominus, *nullam afflictionem* præteriti aut futuri temporis ei comparandam, ostendit [c]. Subjungit Propheta veluti interloquens, והמיתך אדוני יהוה *Et* OCCIDET TE *Dominus Jehova.* Prophetæ tribuo orationem: Sed sive Propheta loquatur, sive Deum loqui faciat: res eadem est. Si enim ipse loquatur, semper subintelligendum est, נאם יי *Dicit Jehova.* Sententia ipsa valde est emphatica, ob mutatum *numerum* in objecto quod hic appellatur, ex *plurali* in *singularem.* Equidem enallage *numeri* est familiaris usus in Verbo Dei; nec infert necessario mutationem *personæ*, sive *objecti* ad quod oratio vertitur. Dici enim potest, Vatem eosdem illos peccatores, quos in *plurali* compellarat, varietatis ac elegantiæ caussa, (quam in mutatis *numeris* & *personis* amant Hebræi,) appellare in *singulari*; oratione videlicet versa ad *totum corpus* horum sceleratorum & contemptorum Evangelii; quibus sub nomine *occidionis*, diræ vocis, interminatur *mortem judicialem*, mortis *æternæ* prænunciam; quam emphasin dicti hic agnovit Chaldæus: וימיתכון יי אלהים מותא תנינא *Et* OCCIDET *vos Dominus Deus* MORTE SECUNDA. intelligit *interitum æternum*, phrasi ipsi non insolente, qua hic usus est cum ratione. *Occidere* hic loci valet quem prosequi judiciis temporalibus, terminandis in *Morte æterna. Occidere* est quem *perdere*: ut *mori*, stylo sacro [d], *mori morte æterna.* Poëta Sacer, in eodem versatus argumento, id vocat, *delere è* LIBRO VITÆ [e]. Hunc usum vocis agnovimus in verbis nostri Vatis, de analogo *Subjecto* loquentis [f], *Et spiritu labiorum suorum* OCCIDET (ימית) *impium.* Adde insignem locum Apoc. II. 23. *Et filios ejus* (Jezabelis) ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ· OCCIDAM MORTE. Si *Corpus* totum Populi spectes, ut *Societatem* facit & quidem *Sacram*, quæ huc usque sustinuerat nomen & privilegium Populi Dei: *mortuum* illud censetur morte violenta & judiciali, ubi Populus dissolutus per Romanos, destructa Republica & cum Templo desolata Hierosolyma, solenniter à Deo excommunicatus est, traditusque infinitis calamitatibus, & quidem longo sæculorum tractu, quibus mille & mille horum fœdisragorum omni genere mortis violentæ extincti sunt ac perierunt; perierunt autem cum mala conscientia, iram Dei ipsis exprobrante. Sed hæc jam dicta ac repetita sunt. Sic sibi facile constat sensus orationis decurrentis in eodem objecto. Fateor tamen, orationem sic esse conceptam, acsi Spiritus S. hic certum quendam hominem in oculis haberet, quem ut factionis *Principem* & inter suos *eximium* veluti digito demonstrare voluerit, denunciata ipsi *morte* violenta ac probrosa, Reipublicæ exitium allatura. Non est, ut illum longe quærere opus habeas. Historia tibi ultro exhibebit ANANUM Junierem, *Anani* sive *Annæ*, ex Historia Evangelica noti, Filium: summæ dignitatis & auctoritatis Virum circa extrema Reipublicæ tempora, qui se polluit *sanguine innocuo* Jacobi Minoris Apostoli, fratris Christi Jesu, & plurium Religionis Christianæ Sectatorum: perinde ac Annas Pater ejus in se devolvit crimen occidionis ipsius Filii Dei. Atqui hic ANANUS, Pontificum & Synedrii Princeps, ab Idumæis in Urbem irrumpentibus, zelotisque est *jugulatus*; & *cadaver* ejus sanguine involutum protractum in publicum omnibus patuit; censuitque Josephus [g], cum ipso cecidisse ac periisse Rempublicam. Ergo dicat Propheta; *Et* TE, *Anane*, cruentum ex sanguine Cultorum meorum, *occidet Jehova Deus.* Diversa esset conditio verorum Dei cultorum, quæ hic rursus ut in superioribus κατ' ἀντίθεσιν subjungitur: *Et servos suos appellabit* NOMINE ALIO. Hebræi passim sic accipiunt verba, fore ut Deus obsequiosos hosce cultores suos כהנך *ex adverso* ejus quod de *immorigeris* dictum erat, sic tractet, ut *nomen* & *memoria illorum sit in benedictionem*, ut sibi aut aliis benedicturi ab illorum benedictione exemplum capiant; ut est in verbis Jacobi, (Gen. XLVIII. 20.) quibus *Ephraimo* & *Manassi* benedixit: *In te benedicet Israël, dicendo, Ponat te Deus ut Ephraimum & Manassen.* Eris exemplum benedictionis, ab aliis in formulis benedictionis exprimendum. Sensus neutiquam est contemnendus, & absque dubitatione verborum complexu continetur. Forte tamen si Propheta nihil aliud voluisset, simpliciter scripsisset, *At nomen servorum ejus erit* לברכה *in benedictionem.* Verba sic sunt concepta, ut nos ducant ad cogitandum de *nomine* aliquo, non quidem *titulari*, sed *reali*, verum ad formam *nominis* concepto, ut exempla varia habuimus in proxime superioribus, (ne nunc altius repetam:) Cap. LX. 14. *Et appellabunt te, Civitatem Dei; Tsionem Sancti Israëlis.* Rursus Cap. LXII. 4. 12. sed potissimum Cap. LXII. 2. *Et vocaberis* NOMINE NOVO, *quod os Jehovæ diserte exprimet.* Quæris illud nomen? Grotius hic in Maccabaicis hærens demonstrat nomen Ἀσιδαῖος HASIDÆUS, ex חסיד PIUS, quo nomine appellati sunt qui se improbis ejus temporis opponebant, & ab iis discerni cupiebant [h]; & observat, inde postmodum formatum esse nomen ESSENORUM: quod verum. Sed ne de hypothesi nunc quicquam moneam: nomen illud, licet honestissimum, neque à *Deo* est appellatum; neque singulare quid aut novum in se habet, cum constet ex Odis Davidicis, & aliunde, commune fuisse piis Dei cultoribus per omnia Ecclesiæ tempora. Nostri post Hieronymum hic respiciunt nomen ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥΣ, CHRISTIANUS, quo Discipuli Christi, Antiochiæ appellati & à *Judæis* distincti sunt [i]: de quo Eusebius [k]: *Florente tum & vigente Antiochenorum Ecclesia, ... ἡ Χριστιανῶν προσηγορία τότε πρῶτον ἀντόθι ὥσπερ ἀπ' εὐθαλοῦς ἤ γονίμου γῆς ἀναδίδοται· Christianorum appellatio ibi tum primum tanquam ex amœno ac fœcundo cespite exortum est.* Nihil abnuo ejus hic rationem haberi posse, perinde ac nominis FILII DEI, quod sub *nomine novo* intelligi videtur in *Apocalypsi* [l]. Ut tamen sensum animi libere explicem: plane censeo, Nomen quod Jesaias hic in mente habuit, esse illud

Locus Jer. XXIX. 22.

Per *Nomen* hic intelligitur *memoria* sceleratorum.

Nomina, quibus illi appellantur in historia.

Planior sensus declaratio.

Verba fervent hypothesi, quæ hic demonstrat judicium Dei administratum à Romanis.

Quippe ex quo tanquam gravissimo exemplum peti poterat.

Verba, *Occidet* TE, diligentius expenduntur.

Possunt sumi de toto corpore *improborum.*

Emphasis dicti.

Paraphrasis Chaldæa.

Phrasis illustrata.

Mors Reipublicæ Judææ.

Propior consideratio dicti.

Respici potest singularis aliqua persona, ad quam oratio dirigitur.

Exemplum in Anano, Anani filio.

Antithesis *famulorum Dei*, qui appellarentur *Nomine alio.*

Hebræorum interpretatio, & de ea judicium.

Qua'e id nomen fuerit? Grotii sententia.

Minus probabilis.

Intt. Christiani hic intelligunt Nomen Χριστιανός.

Cogitationes affines

[a] Cap. VIII. 23. [b] Act. XVII. 5. Tit. I. 16. 1 Pet. II. 8. [c] Matth. XXIV. 21. [d] Joh. VIII. 51. Rom. VIII. 6. 1 Joh. V. 16. [e] Ps. LXIX. 29. [f] Cap. XI. 4. [g] *Bell. Jud.* Lib. IV. Cap. VII. [h] 1 Macc. VII. 13. [i] Act. XI. 26. [k] Hist. Lib. II. Cap. III. [l] Cap. II. 17.

illud ברוכי יהוה BENEDICTORUM JEHOVÆ, quod ipse consignat ψ. 23. *Non laborabunt in vanum, neque abortient, quia ipsi sunt semen* BENEDICTORUM JEHOVÆ. Quisque, contextum considerans, videt, quam belle id hic ad rem faciat. Agitur enim hic de exemplo Benedictionis. Atqui Dominus Jesus Discipulis suis idem nomen vindicat, quo ipsos à reprobis distinctos novissimo die sit appellaturus *a*: *Adeste οἱ εὐλογημένοι τοῦ Πατρός μου* BENEDICTI PATRIS MEI. quod ex hoc loco desumptum esse, nullus dubito. In Propheticis enim alibi non occurrit. Est nomen *aliud*, quippe directe oppositum *nomini* & *statui* improborum; & simul ὄνομα καινὸν *nomen novum*; ut hoc loco οἱ ὁ. absque vitio. Sed, quod monui ad Cap. LXII. 2. non intelligitur hic unum solummodo nomen singulare; sed plura, ad Statum credentium electorum accommodata, & apta declarare privilegia Divinæ gratiæ, quibus *Electi Dei* præ reprobis honestantur.

hac de re. Videtur esse appellatio *benedictorum Jehovæ*, ex ψ. 23.

PARS MERE PARACLETICA, qua Deus Ecclesiæ in futurum majorem promittit felicitatem, ubi,

a. *Promissa Generalia*,

Primum de Fide & Religione veri Dei ubique per Orbem recipienda.

Pars altera, mere *Paracletica*.

a. Promissa Generalia.

ψ. 16. QUI *sibi benedixerit in terris, sibi benedicet in* DEO AMEN; (*Verace*;) *& qui juraverit in terris, jurabit per Deum* AMEN, (*Veracem*,) *quia oblivioni tradentur* ANGUSTIÆ PRIORES, *& reconditæ sunt ab oculis meis.*] Si sententiam ipsam horum verborum inspexeris: sensum deprehendis, per se sumptum, satis liquidum, & aliis multis hujus Libri locis de *Fide veri Dei per Orbem diffundenda* congruentem: verum vox אשר, *qui*, *quod*, *ut*, *quando*, sententiæ præfixa, difficultatem parit. Cum enim plerisque persuasum sit, esse eam vocem exponendam *relative* cum respectu ad verba *immediate* antecedentia, quippe supponentibus, hæc verba cum *immediate* antecedentibus proxime cohærere: laborant hoc ostendendo *nexu*, & significatione voculæ אשר ad eum accommodanda. Id hic præcipue à me disputandum est. Cohærere enim cum superiore contextu, quis inficietur, nisi qui orationem sapientissimi Prophetæ dixerit *ἀνακόλουθον*, aut continuitatem ejus hoc in loco negaverit: quod huc usque nemo tentavit. Οἱ ὁ. referunt, ut videtur, ad *Nomen aliud* sive *novum*, cujus proxime facta erat mentio, his verbis, Ὃς *ἐυλογηθήσεται ἐπὶ τῆς γῆς, ἐυλογήσουσι γὰρ τὸν Θεὸν τὸν ἀληθινόν*· *Cui* (sc. *nomini novo*) *benedicetur super terram. Benedicent enim Deo vero, & seqq.* Nemo illis accesserit. Hieronymus: IN QUO *qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo Amen.* Presse sequutus est Symmachum, cujus hæc sunt apud Procopium: Ἐν ᾧ ἐυλογημένος ἐπὶ τῆς γῆς, ἐυλογισθήσεται ἐν τῷ Θεῷ, Ἀμήν. Sensus secundum Hieronymum; *Nomen illud aliud*, de quo facta erat mentio, *in tantum benedictum fore, ut qui illo nomine fuerit appellatus, benedicatur in Domino.* Sumpsit אשר pro באשר; quod concedi posset si liquidum & facilem sensum daret: at sententia Hieronymi est coacta. Jun. Trem. Pisc. UT *qui sibi benedicturus est in terra, seqq.* Coccejus: ADEO UT. Pariter Belgæ. Sed vox אשר rarissime in Scriptura S. hunc obtinet significatum: & si eum obtinere feceris in hoc loco, ne sic quidem nexum horum verborum cum *superiori membro* certo demonstraveris. Scripserat Vates, *Et servos suos appellabit alio nomine.* Fac jam sequi hanc sententiam, *Ita ut qui sibi bene precabitur in terra, sibi bene precetur in Deo Amen.* quæ quo modo inter se cohæreant, fateor me non perspicere. Nec planius & liquidius videtur quod hic scribit Coccejus. Verba ejus, nexum orationis demonstratura, sunt; *Nomen servorum Dei* NOVUM *esse*, (ex) *ipsorum actu potest colligi, qui est*, SIBI BENEDICERE IN DEO AMEN. Sed poterant utique *Servi Jehovæ appellari nomine alio*; & tamen non sequi effectus, his verbis consignatus; *ut omnes per terram homines sibi benedicant in Deo Amen.* Nihil plus proficis, si אשר hic vertas, *Quod*, *eo quod*, quæ ejus notatio est solennior. Kimchius nulla alterius sententiæ facta mentione, vocem אשר reddit QUANDO: ut si ex Propheta quæsitum esset, *Quando* vero illud demum futurum esset, ut pii Dei cultores *alio* appellarentur *nomine*, dum impii Divinæ objecti erunt execrationi? Responderet Propheta, illud tum futurum esse, *Quando* universus Orbis terræ ad fidem veri Dei conversus *sibi benedicet in Deo vero, & per nomen ejus jurabit.* Equidem vox אשר facile fert hanc interpretationem; sed sensus ipse quoque hic longius petitus est. Quare mihi quidem nullum est dubium, quia vox *relativa* אשר hic vere referenda sit ad sequens המתברך *sibi benedicet*, & concurrat ad constituendam *propositionis generalitatem*: propositio autem non *immediate* cohæreat cum *superiori membro*; sed cum toto *contextu superiore*, ac proinde Exordium faciat orationis mere *Paracleticæ*, (quæ altera hujus *Sectionis* pars est,) hinc decurrentis usque ad Sectionis hujus finem. Verte igitur simpliciter, *Qui sibi benedixerit in terris*; *benedicet sibi in Deo Amen*, *seqq.* Sic Chaldæus: דמברך בארעא יברך באלהא קימא *Qui benedicet* (non, *benedicetur*, ut Int.) *in terris*; *benedicet in Deo* VERO. Aquila: Ὁ εὐλογημένος ἐν τῇ γῇ· *qui benedictus erit in terra.* Pagninus: *Quis benedicet se in terra, seqq.* Oleaster: *Qui benedixerit se in terra.* Grotius: *Qui sibi bene precabitur in terra, seqq.* אשר המתברך est pro אשר הוא מתברך *Qui sibi benedicens fuerit*, ut inter alia apud Haggæum *b*, אשר הוא חרב *Quæ* (Domus) *destructa est.* Vel, integra sententia, אשר המתברך יתברך בארץ יתברך באלהי אמן *Qui sibi benedicens, sibi benedixerit in terris*; *sibi benedicet in Deo Amen.* Utique cum Propheta vocem יתברך eadem forma repetere nollet: in *priore membro* elegit formam *participii*, usu loquendi Hebræis recepto *c*. Perinde est, ut ceperis. Cohæret autem sententia cum toto superiore contextu complexe sumpto, & ex eo educta est. Cum enim Jesaias in ipso *Sectionis* Exordio exerte professus esset, Deum vocaturum esse Gentes ad suam communionem, quippe quod Gens Judæa per tot sæcula frustra vocata, secundum majorem partem vocationi Divinæ se præbuerit immorigeram; sive se post ipsum quoque Reditum ex Exilio Babylonico turpi dederit idololatriæ ac superstitioni cum manifesta apostasia à Deo; sive gratiam Dei in Filio Dei ipso manus suas ad eam expandente proterve spreverit: inde, criminibus illis expositis ac repetitis, Genti corruptæ ac rebelli denunciasset terribilia Dei judicia, desitura in ejus interitum; contra vero conditionem piorum Dei cultorum, qui in Filium Dei crediturі ex improba Gente servandi essent juxta propositum gratiæ, laudasset: redit Propheta ad *propositionem* primam huc usque declaratam & sibi ante oculos figens, majores per Orbem Populos sensim, relicta idololatria ac superstitione, suscipere Cultum veri Dei: repetit docetque *hoc commate*, venire & sensim propinquare tempus, quo Orbis totus, destructa idololatria, & exterminatis idololatris, profanis, hypocritis, (sive Judæis sive ipsorum similibus,) *nomen* solius Dei ut auctoris salutis suæ reverenter *nuncupaturus* ac professurus sit; veram Religionem culturus; & in omni solenni actu Religionis ipsius solius habiturus sit rationem. Sic cohærent verba cum *propositione*, exordio hujus *Sectionis* præfixa, & inde usque ad *comma* hoc *nostrum* continua oratione illustrata. Restat sensum præclaræ sententiæ paucis illustrem.

De *Fide & Cultu* veri Dei per terram diffundendo, ψ. 16. *Qui sibi benedixerit*, &c.

De *nexu* hujus orationis cum superiore disquiritur.

Respectus vocis אשר.

Variæ sententiæ. Versio τῶν ὁ.

Hieronymi, prompta ex Symmacho.

Recentiorum Intt. & in eas ἀνάκρισις.

Comma hoc cohæret cum toto superiore contextu: quod clarius ostenditur.

Propositio hoc *commate* contenta explicat *propositionem*, ψ. 1. hujus *Capitis*.

Qui SIBI BENEDIXERIT *in terra.*] Sic proprie vertenda verba; non vero, *Qui benedictus fuerit.* התברך valet, *sibi benedicere*, ut Grotius recte; *sibi bene precari.* Est autem *sibi benedicere* sibi in fide applicare & vindicare *beneficia* qualiacunque, statui congruentia. *sibi benedicere in aliquo* valet per *vota* & *preces* à summo Auctore salutis ad se in fide derivare & applicare

Verba Prophetæ relegantur.

Qui sibi benedixerit in terra, &c.

Notitia vocis התברך

Bonæ

a Matth. XXV. 34. *b* Cap. I. 9. *c* Vide Glass. *Gr. S.* Lib. III. Tract. IV. Can. VI.

Quid sit, *sibi benedicere?*

Bona promissa, & in his bonis præcipue Vitam ac Salutem æternam cum perfecta felicitate; quem omnes Gentes perceperunt esse verum Religionis fructum. Etiamsi enim *benedictionis* notio rectissime quoque referatur ad *Bona temporalia*, ut sunt libertas, opes, honores, prosperitas, longævitas, & his similia: ubi tamen ἁπλῶς *absolute* usurpatur notio, significat *bona vera*, solida, æterna, quæ possessori præstant felicitatem: cujusmodi bona exspectantur à Religione, sive à Deo, Religionis objecto. Est ergo *sibi in aliquo benedicere* ab eo quem colis Deo, & ab ejus gratia ac benevolentia, in *fide* exspectare, sibi promittere, &, (si solennis pactio intervenerit,) sibi vindicare atque ad se applicare illius Dei gratiam ac favorem ad *felicitatem æternam:* quod fit in omnis Religionis cultu. Addit Vates, *in terra.* Grotius intelligit JUDÆAM; veluti pro more suo metuens, ne Verbis Spiritus S. nimis amplum det sensum. Sed cæteri Interpretes, & ipsi quoque Hebræi, quorum hic sunt luculenta dicta, nobiscum intelligunt de Orbe toto: verissime quidem; ut protinus patescet. *Sibi benedicet in Deo*, AMEN.] hoc est, in Deo VERO, & VERACE sive FIDELI, qui promissa Populo suo data fideliter & quidem *per se ipsum* repræsentat. Chaldæus prius hic solummodo respexit, vertens, אלהא קימא *Deus vivus*, sive *permanens.* Sed Pagninus, *in Deo verace.* Οἱ ὁ. Τὸν Θεὸν τὸν ἀληθινόν. Recte. Vox enim ἀληθινὸς significat tam *verum* quam *veracem.* Hieronymus tamen, Symmachum sequutus, retinuit in versione vocem AMEN, & Syrus quoque, presse sequens textum Hebræum, מתברך באלהא אמין, quæ Interpres pessime transtulit, *per Deum sane benedicetur.* Belgæ nostri dederunt, *In* DEO VERITATIS. quod utrumque complectitur. Intra has duas sententias fere consistit differentia interpretationis hujus nominis; & sunt tamen diversæ ab his Piscatoris & Cocceji; sed quas ut probarem, à me impetrare non potui. Amo enim facilia, & à proximo petita *A*. Vox אמן AMEN ex communi usu, quem apud Hebræos obtinet in *adstipulationibus adjuratoriis*, aut *fœderalibus*, & ὁμολογητικαῖς, idem valet quod ἀληθῶς *vere*; ut adjuratus aut ὁμολογῶν hac voce dicat, *Ajo*, *affirmo*, *assentior*, ὁμολογῶ, FIAT, *Etiam.* Unde quod in Sermone Evangelico uno loco effertur, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν; in altero sonat *a*, Ἀληθῶς λέγω ὑμῖν. Sed hoc nostro in loco אמן AMEN, licet passim *adverbialiter* usurpetur, *nominaliter* sumendum est pro vera ejus significatione. *adverbia* enim quæ nobis dicuntur, Hebræis *nominascunt*; ut אָמֵן idem valeat quod אֱמוּנָה & *veritas b*. Sic Apostolus vocem sumit in Epistola ad Corinthios *c*, ubi *promissa* quotquot sunt in Christo Jesu, demonstrat *facta esse* καὶ ἐν αὐτῷ ναὶ καὶ ἐν αὐτῷ ἀμήν ITA & AMEN. h. e. meram solidamque veritatem, absque fuci aut mendacii mixtura; quippe *in ipso* certum & amplissimum consequuta implementum; cui prudentes omnes adstipulari convenit. Ergo אלהי אמן est *Deus* VERITATIS, ut Belgæ nostri optime. Est autem hujus appellationis latus conspectus: inprimis si referatur ad *Filium Dei*, Messiam, eundemque verum Deum; cui potissimum Personæ hunc titulum convenire, ipsus nos clarissime docet apud Joannem in *Apocalypsi.* Verba ejus ad Ecclesiam Laodicenam *d*: *Hæc dicit* ὁ Ἀμήν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινός· AMEN *ille*, (sc. cujus meminit Jesaias,) *testis ille fidelis & verax.* Pariter alio loco *e*: *Et qui insidebat ei*, (Equo) καλούμενος πιστὸς καὶ ἀληθινός· *qui vocatur* FIDELIS & VERUS sive VERAX. Ubi vero sic *vocatur?* In Scriptura S. Quo loco? Sane quidem in hoc nostro. in utroque enim hoc loco ad hunc nostrum respicitur: quod tum ipsum nomen per se spectatum; tum circumstantiæ ejus & parallela loca, facile evincunt. Dici potest Filius Dei Messias, factus filius hominis, אלהי אמן *Deus veritatis. α.* Quod veræ Divinitatis in communione Patris & Spiritus S. particeps sit, hoc ipso respectu oppositus idolis antiqui temporis. Joannes de Filio Dei Jesu Christo *f*. Οὗτός ἐστι ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος· *Hic est* VERUS ILLE DEUS *& vita æterna.* Non benedicerent sibi amplius Gentes in Hercule, Osiride, Jove, Marte: sed in Jesu Christo, in quo præter attributa excellentia alia veram agnoscerent Divinitatem. Sic Aben-Ezra & Kimchius Nomen interpretantur, ut אמונה אל sic אלהי אמן Deus verus falsis Diis oppositus, per totum Orbem agnoscendus ac colendus, adducto loco Tsephan. III. 9. β. Quod ipse, Filius Patris, in Mundum veniens ad humano generi explicandam declarandamque Doctrinam salutis, & magnifica quæque de se professus, Personæ Non-Divinæ incongruentia; veluti, *Se* esse *unum cum Deo; eadem operari quæ Deum; esse Solem Mundi; vitam hominum; unicam æternæ vitæ caussam; esse in cœlo licet versaretur in terris; prius extitisse quam Abrahamum; verum Messiam* Patribus promissum; quod, inquam, hæc & similia multa de se professus, *vera* & verissima non loquutus tantum, sed & *testatus*, sit, (quæ vis est vocis אמן AMEN) quodque hoc testimonium suum *morte* sua obsignaverit; quo pertinet illud modo allegatum in Apocalypsi, AMEN, *testis verus.* Jam enim tum μάρτυρες dicebantur qui testimonium Evangelii sanguine suo sanciebant. Ipse ad Pilatum *g*: *Ego ad hoc natus sum, & ad id veni in mundum,* ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ· *ut* TESTER *de veritate.* Est enim *testantis* loqui summa certitudine de iis quæ *vidit* & *audivit h*. Unde ipse docendo, concionando, imo *testando*, sæpius: Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν. veluti diceret, Ego à vobis adjuratus ut verum loquar & testimonium dicam in gravissima caussa, ajo, & seqq. γ. Christus Jesus est אלהי אמן *Deus* AMEN, *veritatis*, quod quicquid typicum, umbratile, carnale, temporarium, erat in Oeconomia Ecclesiæ typica quæ ante ipsum obtinuit; in ipso & in Oeconomia ab ipso instituta, ὄντως VERE & πραγματικῶς *realiter* insit & exhibitum fuerit. Ipse *verus* Propheta; *verus* Moses & & Josua; *verus* David & Salomo; *verus* Pontifex; Ecclesia ejus, Tabernaculum & Templum *verum i*; Doctrina ejus *æterna*; beneficia ab ipso adducta *spiritualia*, hoc est, *vera*; & quæ ejus generis alia. Quæ enim olim in Cultu Divino locum obtinebant; erant ἀντίτυπα τῶν ΑΛΗΘΙΝΩΝ. *Lex per Mosen data*; GRATIA & ἀλήθεια VERITAS per Jesum Christum *k*. unde ipse ἡ ἀλήθεια VERITAS *l*. In ipso est תושיה RES, essentia; *reale* quid; τὸ πρᾶγμα, JUSTITIA videlicet & ROBUR *m*. δ. Christus Jesus, verus Filius Dei, est DEUS AMEN, quod Promissa Patribus data, *impleverit*,

Quam emphasin hic habeat, quod additur, *In terra?*

An per eam intelligenda *Judæa?*

Quid hic loci *Deus* AMEN?

Variæ Interpretationes antiqui & recentioris temporis hic productæ.

Quid passim notet in ὁμολογίαις?

Vox hic *nominaliter* sumenda est.

Notat hic *verum* vel *veritatem.*

Locus 2 Cor. I. 20.

Varius usus hujus epitheti, si referatur ad *Filium Dei*, verum Messiam.

Particeps est *veræ Divinitatis.*

Est magnus veri *Doctor* & *testis.*

Est ἀντίτυπον & *corpus* typorum & umbrarum V. T.

Promissa Dei per se

a Luc. XII. 44. *b* Jes. XXV. 1. *c* 2 Cor. I. 20. *d* Cap. III. 14. *e* Cap. XIX. 11. *f* 1 Joh. V. 20. *g* Cap. XVIII. 37. *h* Joh. III. 11. *i* Heb. IX. 24. *k* Joh. I. 17. *l* Cap. XIV. 6. *m* Cap. XLV. 24.

A Piscatoris est, *Benedicet sibi per Deum* Populi *stabilis.* Præiverat Tremellius, *Populi firmi.* Paradoxe. Quæsiverunt Docti Viri nexum inter hunc *versiculum* & proxime *superiorem*; quem ut invenirent, sibi persuaserunt; *Nomen* illud *novum*, quo Cultores Dei ibi dicuntur appellandi esse, esse Nomen אמן AMEN, stabilis, firmus, bene fundatus. Nihil speciosum aut probabile habet hæc meditatio, quam diceres, nemini mortali in mentem venire posse, nisi veniisse constaret, Cocceji alia hic est singularis. *Deus Amen* ipsi hic dicitur *Deus, cui ad adjurationem de gloria sibi debita recte potest responderi* AMEN; sive, *Confessio, quod Deo gloria gratiæ plenissimæ vere debeatur.* Alibi, *Deus* AMEN est *Deus, cui postulanti gratiarum actionem & gloriam convenit responderi, Amen.* & adscripto loco 2 Cor. I. 20. *Cui dicenti, An non præstiti promissa mea? Respondendum est*, NÆ, *& dicenti, An non debes mihi gratiarum actionem & gloriam? Respondendum est*, AMEN. Si Vir Eruditus interpretationem hujus nominis conformare voluisset ad usum solennem vocis AMEN quem obtinet in *responsis* homologeticis: fateor, me non videre, cur non potius dixerit, *Deum* appellari *Deum Amen*, quod Deus pactionem Gratiæ hac stipulatione cum peccatore ineat, An non credis, in me esse *justitiam peccatoris*? gratiam facultatemque servandi? *An lubens volensque paratus es te fidei meæ committere? Gratiam quam tibi offero, in fide acceptare?* vel quid hujusmodi; ut peccator ὁμολογῶν respondeat, *Amen.* Patior etiam, stipulationem ita concipi ad interpretationem hujus vocis, *An non præstiti promissa mea? non liberavi fidem meam?* & lubens do, id applicari posse ad 2 Cor. I. 20. Sed altera illa stipulatio, quam Vir Doctus directe adhibet ad hanc vocem interpretandam, est frigidior, perinde ac interpretatio in ea fundata, Ubi enim in Sacris hæc habetur stipulatio, *An non* DEBES *mihi gloriam & gratiarum actionem?* Utique redemptorum nemo non de eo persuasus est, si transierit in fœdus Dei.

ipſe implevit.

verit, & quidem PER SE IPSUM. id enim hic præcipuum eſt. Implementum omnium promiſſorum Dei ab ipſo pendebat, ut *veritas* eorum cum ejus perſona cohæreret. Omnium, ajo, nullo excepto. Sic præit Apoſtolus *a*: *Quotquot enim ſunt promiſſiones Dei in ipſo ſunt* Næ; *& in ipſo ſunt* AMEN. Ne promiſſa quidem bonorum temporalium, ex Teſtamento Dei poſteris Abrahæ vere data, quæ jam cenſeri poterant repræſentata eſſe, impleta cenſentur antequam eorum ἀντίτυπα in Chriſto Jeſu extiterint. Non erraveris, ut opinor, ſi id ipſum hic loci eximie intelligas. Eſt hic proprius & veriſſimus Chriſti Jeſu character; & circumſtantiæ favent. Addit enim Propheta, rationem daturus hujus Nominis, *Quia anguſtiæ priores oblivioni datæ ſunt, & occultabuntur ab oculis meis.* hoc eſt, perfectiſſime exhibebo *promiſſa*, quæ de lætioribus Eccleſiæ & Mundi temporibus per Prophetas vulgavi. Ipſum quoque illud, *ſibi in aliquo benedicere*; involvit promiſſa gratiæ apud eam Perſonam repoſita, in qua quis ſibi benedicit; quæ promiſſa ſibi in ipſo benedicendo ad ſe applicat. Idem itaque hic valet, אלהי אמן *Deus Amen*, quod in Ode ſacra *b* אל אמרת DEUS VERITATIS, fidem promiſſorum liberans. Eccleſia liberata eleganter apud Vatem noſtrum, in Euchariſtica ad Deum, *fidem* ejus agnoſcens *c*: *Conſilia è longinquo* ſunt אמונה אמן VERITAS & FIDES. Adeſt hic vox אמן exigua punctaturæ differentia à voce אָמֵן. Vidit inter Hebræos Jarchius, cujus hæc ſunt: *Gloriabitur quiſque, ſe eſſe cultorem* DEI AMEN, אלהי האמרת *שאימן ושמר אמנתתו זארת Dei* ἀληθινῦ (veri & veracis) *qui ſervavit, fidemque præſtitit huic ſuo promiſſo.* Percipis inde, אלהי אמן *Deus veritatis* idem plane valere quod ad vim & poteſtatem ſignificationis, quod יהוה JEHOVA: quod nomen ſymbolicum *Gratiæ* ac *Veritatis* ei Perſonæ in emphaſi aptatur in cujus *medio Nomen Dei* eſſe dicitur *d*. Imo vero Deus AMEN eſt *Jehova Juſtitia peccatoris*; unde omnis *benedictio*. Ecquæ vero hæc Perſona eſt præter *Meſſiam*, de quo totidem verbis in Divina ac præcellente Ode *e*: *Sit nomen ejus in æternum: coram ſole propagabitur Nomen ejus;* ויתברכו בו *&* BENEDICENT SIBI IN EO; OMNES GENTES *beatum eum prædicabunt.* confer Pſ. XXII. 18. Concinit huic alterum, *Et qui juraverit in terra, jurabit per* DEUM AMEN.] Senſus cuique patet, illum Deum, qui hic *Deus Amen* dicitur, in terris fore unicum objectum Religionis. pertinet enim *jurare per alicujus nomen* ad *Religionem cœleſtem*, quam ſic appellat Tacitus *f*; ut Vir Eruditus ad illum locum recte obſervat *g*. Sed explicui illud & planavi ad verba huic noſtro per omnia parallela, Cap. XLV. 23. *Per me juravi, exiit verbum verum ex ore meo: mihi incurvandum omne genu,* JURATURAM OMNEM LINGUAM. Et *mihi*, & *per me*. Certa itaque ſententia hujus loci eſt; venire tempus quo per *univerſam terram*, abolita idololatria ac ſuperſtitione, *Gentes* ſe manciparent cultui *unius veri Dei*, qui juxta promiſſa antiqui temporis in *Filio* divitias gratiæ ſuæ cum omnibus Populis ab Evangelio illuminatis communicaret. Sic Hebræi ipſi, licet Gentis ſuæ honoris ſtudioſiſſimi, hunc locum planiſſime declarant. Grotius tamen per *terram* hic intelligit *Judæam*, peſſima tergiverſatione. Utique enim in locis parallelis jam allegatis Cap. XLV. 23. 24. Gen. XXII. 18. Pſ. LXXII. 17. & quoque Jer. IV. 2. diſertiſſime tribuitur *Gentibus*. Poſtremi dicti verba ſunt: כי תברכו בו גוים ובו יתהללו *Et benedicent ſibi in eo* GENTES, *& in ipſo gloriabuntur*. Quid lucem involvimus vel ſaltem involvere conamur tenebris, ſemper nobis nolentibus ſparſuram radios? Favet contextus hujus Sectionis; totius Verbi Prophetici conſenſus; & implementum, cujus magnam partem Eccleſia jam vidit; & ipſi quoque nos exemplo ſumus. Ratio additur, jam anticipata, *Quia oblivioni datæ ſunt anguſtiæ priores, & quia abſonditæ ſunt à me.* Intellige, *anguſtiarum priorum*

Sequentia confirmant hanc expoſitionem.

Perinde ac analoga alia.

Reſpectus Nominis יהוה ad hunc titulum.

Alter articulus de *jurando* per Deum *Amen*: ejuſdem generis.

Jurare eſt actus Religionis,

Sententia hujus loci,

In Hugonem Grotium animadverſio.

Oblivio anguſtiarum priorum,

cauſſas. ſic vere hoc in loco Grotius. Cauſſas, inquam, ut ſunt, *iniquitas* hominum veritatem *injuſte opprimentium*, *idololatria*, ac *ſuperſtitio* pudenda; propter quas *ira Dei de cœlo revelatur h*; imo, quæ ipſa vitia & crimina Divinæ iræ certiſſima faciunt indicia. Apoſtolus *i*: *Deus igitur* TEMPORIBUS IGNORANTIÆ *connivendo diſſimulatis, nunc denuntiat omnibus hominibus ut reſipiſcant.* confer Act. XIV. 16. Non ſane acſi cum converſione & poſt converſionem Gentium ad verum Deum omnes anguſtiæ & mala ex his cauſſis orta ſimul ceſſaverint; & ipſæ quoque harum anguſtiarum cauſſæ penitus ſublatæ fuerint: ſed quod, Gentibus ad fidem veri Dei perductis & extincta in florentiſſimis terræ Regionibus idololatria, tolli cœperint; & certum Deo conſilium ſtaret, opus hoc ſuæ gratiæ ad illum terminum, illudque complementum perducere, ut totius Orbis terrarum, in unius Dei fide perſiſtentis ac Religione, eamque fidem ac Religionem caſte ſancteque colentis, jucundiſſimus eſſet aſpectus, qui afflictiones & anguſtias publicas, harumque rerum cauſſas, excluderet, ut nullum amplius in terris ſit *anathema k*, &, *lætantibus juſtis, omnis iniquitas occludat os l*. Confer hic Cap. LX. 18. Apoc. XXI. 4. quando Deus κατ' ἐμφασιν demonſtraretur eſſe *Deus* AMEN; præſtita omnium promiſſorum, quæ Eccleſiæ in his terris fecerat, veritate. Sed id ipſum Vates in ſequentibus luculenter exequitur, eſtne nobis de eo copioſius diſſerendum.

quid hic loci?

Explicandum de *cauſſis*.

Temperamentum hic adhibitum.

Analoga cum his collata.

Promiſſum *Alterum*, eodem tendens, de *Conditione cœlorum Novorum & terræ Novæ.*

ỳſ. 17. *Quia, ecce! creo* COELOS NOVOS & TERRAM NOVAM; *&* PRIORUM *nulla recordatio erit, & non aſcendent in cor.*] Vides, verba ἀμέσως cohærere cum *membro* ſuperioris verſiculi *immediate* præcedenti, & ad illud confirmandum atque explanandum facere. In ſententia Jeſaiæ nihil adeo involutum ineſt, ut homines non plane ἄπειροι τῦ Προφητικῦ λόγυ, hic neceſſe habeant ſiſtere gradum, & magnas nectere difficultates. Et adhæſerunt tamen ad eam plures, cæteroquin Docti & bene meriti homines, ſive ex imperitia Sermonis ſacri, ſive ex præjudiciis alte infixis, quæ ex hoc loco conati ſunt ſtabilire. Ad verum tendenti ſupponendum eſt, Prophetam ſub *creatione Cœlorum novorum* & *Terræ novæ* non loqui, primo utique ſenſu, de *immutatione Status Mundi*, ſive *Cœlorum* & *Terræ*, *naturali*; ſed de *forma nova* ac *meliore* in *Statum Eccleſiæ* inducenda; abolita *forma ſuperiore* ac *deteriore*; ut mox latius declarabo. Quare hic plane ſeponenda eſt ſententia Aben-Ezræ, qui obſervans, in ſequenti pericopa deſcribi magnam futuri temporis felicitatem ac proſperitatem cum *longævitate* hominum conjungendam, formationem *Cœlorum Novorum* & *Terræ Novæ* interpretatur de purificatione *aëris*, hominibus conciliaturi ſtabiliorem valetudinem, & de *terra* ex influxu cœleſti nova imbuenda virtute ac feracitate. Eſt anguſti ac circumſcripti ingenii meditatio, quæ paucos occupaverit. Ecquis enim ſibi perſuadeat, auguſto emblemate quid parvum adeo & tenue involvi? Auguſtiorem longe & ampliorem menti ſpeciem offert expoſitio alia, in eandem hypotheſin incurrens, quæ ſtatuit; Jeſaiam hic vere loqui de mutatione phyſica in cœlum ac terram inducenda cum *conflagratione Telluris*, poſtquam purgata fuerit à vitiis & ſceleribus, inhabitandæ à *ſemine juſtorum hominum* ſub ſingulari cura Providentiæ Divinæ; illuſtrata ex analogo loco Petrino, 2 Cap. III. 10. Scripſit de hoc argumento peculiarem diſſertationem noſtro ævo Doctiſſimus Vir Thomas Burnetus *m*; & ante eum eandem hanc ſententiam profeſſus jam fuerat Jungmannus, in Divinis rebus egregie exercitatus *n*. Longius adhuc procedunt Euſebius, Hieronymus, Theodoretus, & Hieronymum ſequuti medii ævi Interpretes, qui hæc verba & ſequentia intelligunt

Promiſſum *alterum* de Conditione *Cœlorum novorum*, ỳſ. 17. *Quia, ecce! &c.*

Cohærentia ſententiæ cum *ſuperiore*.

Verba Prophetæ non ſunt interpretanda de Immutatione Status Mundi phyſica.

Sententia A. Ezræ.

Quæ in cenſum referenda non eſt.

Hypotheſis alia Doctorum Virorum, quæ hæc verba phyſice accipit: quæ exponitur.

Auctores ejus.

de *con-*

Tom. II

a 2 Cor. I. 20. *b* Pſ. XXXI. 6. *c* Cap. XXV. 1. *d* Exod. XXIII. 21. *e* Pſ. LXXII. 17. *f* *Annal.* Lib. V. Cap. 11. *g* Lipſ. *h* Rom. I. 18. *i* Act. XVII. 30. *k* Zach. XIV. 11. *l* Pſ. CVII. 42. *m* *Theor. Tell. Sacr.* Lib. IV. *n* In Dan. Lib. I. Cap. II. §. XIII.

per usum sæpe confunduntur: sic tamen si distinguendi sint, censeo, שוש χαίρειν designare *motum* cordis in gaudio *dilatati* & expansi, hilaritatem alacritatemque per hominem totum distribuentis: sed גיל præcipue referri ad motum corporis, lætitiam majorem comitantem, sive ἀγαλλιάσεως *exultationis*; (est enim magna affinitas inter vocem גיל *Guul* & ἀγάλλομαι,) sive *vocis*, gaudium erumpentis. unde Belgicum, *Guylen*. Utique liquet, Vatem hos quos compellat, excitare ad lætitiam hilaritatemque maximam, eamque *perpetuam*, in omne sæculum duraturam. Notat enim עד absolutam æternitatem. Caussam sive *objectum* addit, אשר אני בורא super *eo quod ego creo*. ut אשר sit pro על אשר sive באשר. Voces enim גיל & שוש non construuntur cum *accusativo*, ut putem; sed cum præfixa ב, vel præpositione בין. Hieron. *In his quæ ego creo*. Licet tamen, si vis reddere, *quod ego creem*. h. e. quod me ad aliud creandum applicem. quicquid enim *creaturus sum*, vobis bono erit. Jun. & Trem. *Quos ego recreo*. inficete. Explicat itaque Vates, cur caussam haberent gaudii & lætitiæ, *super his quæ Deus crearet, quia, ecce me*, ait, *creo Hierosolymam* HILARITATEM, *& Populum ejus* GAUDIUM. Sic sonant Hebræa. Kimchius sic accepit verba, acsi dicere vellet Jesaias, *Creo Hierosolymam*, cujus *nomen* futurum sit HILARITAS; & *nomen* Populi ejus, GAUDIUM. Frustra. id enim à Propheta non dicitur, nec latet in verbis. Verba geminum admittere possunt sensum, *Creo Hierosolymam* plenam futuram *gaudio*; vel, *Creo Hierosolymam* futuram ampliſſimam hilaritatis, exultationis, & gaudii materiam atque argumentum. Neutrum spernendum; licet vere existimem, prius fuisse in mente Prophetæ, quippe quod ex *sequenti commate* liquet. Solent Scriptores Sacri, ubi attributa subjectis suis fortissime vindicant, *concreta* efferre per *abstracta*; ut in verbis, Tu *sis pax* [a]. *Homo est vanitas* [b]. *Pastor Ægyptiis est abominatio* [c]. Interim ubique oratio Jesaiæ sua se vi & sapientia nobis commendat. Poterat dicere, *Creo Hierosolymæ gaudium & hilaritatem*: sed cum significare cuperet, cives *Hierosolymæ* sive Ecclesiæ quam sub hoc nomine proponit, hoc tempore habituros perfecti gaudii argumentum, & in statu solidæ lætitiæ positos, ex sensu beneficiorum luculentorum Divinæ Providentiæ & Gratiæ summam percepturos delectationem: Divinus Vir sic expressit sententiam, Deum *Hierosolymam* creaturum *gaudium & hilaritatem*, ut nemo in ea civis non lætitiæ argumentum haberet, & sensu ejus afficeretur.

Nihil videbatur plus dici vel cogitari posse: & tamen altius adhuc & profundius est, quod addit, ℣. 19. *Deum ipsum* CUM EA *gavisurum*, & ex ejus statu percepturum lætitiam. Verba Prophetæ, וגלתי בירושלם וששתי בעמי Hieron. *Et exultabo in Jerusalem, & gaudebo in Populo meo.* Οἱ ὁ. in eundem sensum: Καὶ ἀγαλλιάσομαι ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ, καὶ εὐφρανθήσομαι ἐπὶ τῷ λαῷ μου· Sensus est quem nemo non videt; Deum ex Statu præsente Hierosolymæ capturum esse argumentum *lætitiæ* ac *delectationis*, & quidem hilaritatis majoris, qualem notiones שוש & גיל explicant, quæ constructæ cum ב innuunt caussam gaudii *materialem*, sive *impulsivam*. Durior videtur loquutio, quam ut perfectissimæ Naturæ conveniat; non tantum quod ea omnem excludat affectum; verum etiam quod infra ejus majestatem videatur ex Statu hominum aut Ecclesiæ affectum suscipere, si cujus Natura Divina capax esset. Et tamen Scriptura S. alibi quoque ea locutione de Deo utitur, ut cognosces ex locis Deut. XXVIII. 63. XXX. 9. Jer. XXXII. 41. Tseph. III. 17. quin Vates noster ea jam usus erat Cap. LXII. 5. ubi metaphoram exposui. Notat, α. Deum Ecclesiam à se electam, vocatam, curatam, tenerrimo amore prosequi. β. Statum ejus florentem respicere ut *opus* & *effectum* suæ gratiæ. γ. Quod *opus* & *effectum* tendat ad illustrandas virtutes gloriamque suam, quam gloriam ipsi curæ est illustrare. δ. In illo opere & effecto gratiæ suæ ipsum cum blandæ cogitationis sensu acquiescere; & quatenus in Divinam Naturam cadit, ex aspectu operis hujusce gratiæ suæ delectationem percipere. Supponitur utique, Deum summo complecti amore Ecclesiam electorum, rem pulcherrimam ac desideratissimam, tanquam in qua videat imaginem excellentium virtutum suarum, & gloriæ suæ, cujus radii in Ecclesia puriore resplendent. Quandoquidem vero hæc Sponsa Christi Jesu, hæc Civitas Dei vivi, nova hæc Hierosolyma, ab hostibus liberata, à vitiis & scandalis purgata, se hoc tempore vera sua forma Mundo conspiciendam præberet: est acsi species rei nondum in Orbe hac perfectione visæ Deum ipsum operis hujus auctorem afficiat, multo magis ac justiore de caussa, quam compages rerum creatarum, cum in primis originibus suis ex manu Dei prodiret. Pulchritudo Ecclesiæ, Dei in eam amor & ipsius acquiescentia in Statu ejus optato desideratoque significantur. Gaudii ratio, *Quia in te non audietur amplius vox* FLETUS, *& vox* QUIRITATUS. Refer FLETUM, ex meo sensu, ad calamitates publicas easque externas, sive à Deo Judice ἀμέσως, sive ab hostibus inflictas; זעקה CLAMOREM, ad injustitiam & oppressionem Rectorum ac Judicum internam, cujus caussa necesse haberent cives, *Dei & hominum fidem implorare*; qui actus Latinis olim *quiritare, quiritatus*, dicebatur, ut Docti dudum observarunt. Sic plane sumitur vox in hoc Libro, Cap. v. 7. *Et exspectavit* JUDICIUM, *& ecce* LAQUEUS; *Justitiam, & ecce* צעקה (idem quod זעקה) CLAMOR, quiritatio, sc. ob vim & oppressionem. Si tamen lubet vocem latius pro *clamore*, qui in precibus ad Deum & in angoribus maximis cum ejulatu emissis, aut clamosa malorum urgentium deploratione, sumere: nihil intercedo. Sunt enim hæc affinia. Hierosolyma igitur erit *gaudium*, quia ab ea *luctus* aberit. ubi vero luctus abest, subit *gaudium*. Idem est attributum quod Ecclesiæ in hoc suo perfecto statu vindicatur Cap. XXV. 8. *Et absterget Dominus Jehova lacrymas ab omnibus faciebus*. ubi sub typo intelliges antitypum. Cap. XXXV. 10. *Et gaudium perpetuum erit super capita eorum. Hilaritas & gaudium illos apprehendent; & fugient mœror & luctus.* Cap. LX. 15. *Ponam te in excellentiam perpetuam:* GAUDIUM *cujusque generationis.* Quibus respondent loca in *Apocalypsi*, Cap. VII. 17. XXI. 4. *Et mors amplius non erit*, οὔτε πένθος, οὔτε κραυγὴ, οὔτε πόνος, οὐκ ἔσαι ἔτι· *neque luctus, neque* CLAMOR, *neque labor, amplius erit.* Sunt ex Doctis & piis hominibus, qui hæc loca, perinde ac nostrum hunc, ea latitudine interpretantur, ut omne plane genus luctus ac tristitiæ Statu Ecclesiæ in melius instaurandæ atque illuminatæ, excludant; ne domestica quidem ac privata lugendi materia, cujus variæ esse possunt caussæ, hic excepta. Sed non ausim dicere, eousque premenda esse hæc promissa, licet sane ἐνεργῶς enunciata, quippe qui supponam, ordinem naturæ, cui homo post lapsum subjectus est, non esse immutandum; sed Spiritum S. sic semper intelligi velle, implementum horum promissorum ejusmodi fore quod ordini rerum præsenti possit subordinari. Cæteroquin enim, si hanc ὑπόληψιν admitteremus, quorsum deveniremus? quam audaces hic supponendæ essent hypotheses, ordinem Naturæ, ut hoc tempore se habet, plane subvertentes? Censeo itaque, his locis indicari, α. Afuturas esse ab hoc Statu omnes caussas luctus & tristitiæ *publicas*; veluti, Calamitates ex Judiciis Divinis ortas; afflictiones, oppressiones, oppugnationes Ecclesiæ ab hostibus externis, earumque metum; & præsertim persequutiones fidei caussa instituendas. β. Deum privas & domesticas dolorum aut ægritudinum caussas sua providentia & gratia sic esse temperaturum, ut nemini in exercitatione vitæ spiritualis multum obsint, ac remoram injiciant. *Latitia* autem, *gaudium*, hilaritas, quæ Populo sancto in hoc loco tribuitur, omnesque ejus cives

Verba, אשר אני בורא recte vertuntur, *super eo quod Ego creo.*

Item, *Creo Hierosolymam gaudium,*

Geminus sententiæ emphaticæ sensus.

Hebræi sæpe *concreta* efferunt per *abstracta.*

Fortius est quod additur, *Deum ipsum ea gavisurum esse.*

Quomodo conveniat attributum perfectissimæ Naturæ?

Sensus metaphoræ.

Supponitur, Ecclesiam Electorum summe à Deo amari.

Animadversio in hanc rem.

Fletus & lacryma quo sensu statu hujus Urbis excluderentur?

Clamor, quiritatus, quorsum hic pertineat?

Loca analoga, in quibus idem attributum Ecclesiæ vindicatur.

Piorum quorundam hominum judicium ex his verbis conceptum.

Sed non probatum.

Sensus verior horum dictorum S. Scripturæ.

---

a 1 Sam. XXV. 6. b Ps. XXXIX. 6. c Gen. XLVI. 34. Confer Glass. Lib. III. Tract. I. Can. VII.

Lætitia & hilaritas civium Novæ hujus Hierosolymæ qualis futura sit, & ex cujusmodi caussis oritura.

cives occupatura est, tam ex hac ipsa caussa nascetur, quam ex omnibus Beneficiis Divinæ Gratiæ, quæ Deus cumulate in hanc novam Hierosolymam collaturus est, complexe sumptis. Singula enim gaudii submini-strabunt materiam; quippe argumenta gratiæ ac favoris Dei, ejusque præsentiæ apud Ecclesiam, Illuminatio Spiritus S. & sensus gratiosæ Dei præsentiæ, discutient nebulas omnes, ut fecerunt in Credentibus primi temporis, quibus historia in modicis ac tenuibus rebus tribuit ἀγαλλίασιν, *exultationem* [a]. Sed *gaudium* hoc erit solidum, in spiritualibus rationibus fundatum, & inprimis ex spiritualibus beneficiis ortum; *gaudium per Spiritum S. gaudium in Domino* [b]; non differens natura, sed gradu à gaudio, quod Oeconomiæ Novæ proprium se per omnia tempora, sævissimarum etiam persecutionum, & gravissimarum calamitatum, diffundit. Oeconomia Nova est Oeconomia Gaudii [c]. Civitas Dei, Regnum Dei ubicunque est; est *lætitia & exultatio*. Sæpe de hoc argumento tractavi, quare plura non addo.

(b.) Ejus *longævus* fructus.

(b.) Longævitas huic Statui propria. יש. 20. *Non erit inde amplius infans dierum, &c.*

יש. 20. *Non erit inde amplius* INFANS DIERUM, (brevis vitæ vel *infans ætate*,) *aut Senex qui non impleverit dies suos; sed* PUER CENTUM ANNOS NATUS MORIETUR; *&* PECCATOR CENTUM ANNOS NATUS MALEDICETUR.] Quid vero tanti æstimaretur *gaudium*, ex felice & glorioso Ecclesiæ Statu natum, si usura ejus brevi circumscripta esset ævo, vel idem intempestive, ut in re humana sæpe accidit, rescinderetur? Ita est, ad felicitatem Status pertinet *longævitas*, usuræ desiderabilium bonorum juncta; quam proinde tanquam felicitatis Status necessariam adjunctionem Vates superiori pericopæ protinus subtexit. Sic licet componere nexum orationis. Sed est subtilior aliqua meditatio Abarbenelis, non contemnenda. Videlicet cum dixisset Propheta, nullum amplius fore *clamorem & fletum*, qualem in casibus domesticis maxime excitare solet immaturus obitus sive *infantium* sive *senum*, quorum imbecillior est ætas: Vatem protinus subjungere, hunc quoque casum à felicitate hujus Status asturum. *Infantes* enim perinde ac *Senes* longum ad satietatem victuros ævum. Utique cum hic locus vulgo obscurus habitus, multorum curas subierit: in eo tamen facile consentiunt omnes, eum complecti promissum longævitatis, sive proprio sive spirituali sensu explicandæ. Prima inspectio loci cuique verba Prophetæ pressius meditanti hunc subjicere videtur sensum; *Ex* Hierosolyma hac, sive ex civibus in ea & ex ea prodituris (משם, h. e. ex ea Hierosolyma, sive אשר IBI, ut *of.* ut משם sumatur pro שם IBI, ut docte hoc loco Swinglius:) neminem dehinc morituram *infantem dierum*, qui ad justam ætatem non pervenerit; & *neminem senem*, qui non expleverit justissimum vitæ ævum; cujus rei argumentum sit, quod qui *centum natus annos* ex caussa præterordinaria *moriturus* sit, omnino censendus sit *mori* PUER: perinde ac *peccator*, ex sententia Divini Judicii de medio tollendus, censendus sit non adeo gravis ætate supplicio affici, si *centum* natus *annos moriatur*: ut inde colligi facile queat, Justis ac præceptorum Dei observantibus ævum destinatum esse longissimum, veluti quadringintorum, quingentorum & plurium annorum, secundum exemplum Patrum antediluvianorum; cujus ætatis comparatione & respectu ætas *centum annorum* censeatur esse, ætas *pueritiæ*, vel *adolescentiæ*. Augent emphasin, qui, non invitis Hebræis, vertunt; *Qui centum natus annos morietur*, PUER ERIT; ut Castalio. Summa est, promitti incolis Novæ hujus Hierosolymæ longævitatem Patriarchalem Antediluvianam. Ita fere inter Hebræos Kimchius mentem suam explicat, & Aben-Ezra quoque, sic claudens commentationem; patere ex hoc loco, כי סוף העולם ישוב כראשיתו *Finem mundi talem fore quale fuit principium ejus.* Plane ut

Abarbenelis meditatio de orationis nexu.

Communis sensus Intt. hic agi de Longævitate.

Quid se legentibus hanc pericopam prima specie offerat?

Sibylla, de extremo ævo loquens [d], Στήσει δὲ τὸ γένος, ὡς πάρος ἦν τοτ' *Restituetque genus, ut prisco fuit tempore.* Chaldæa paraphrasis eodem tendit. Blanditur legenti ad primam inspectionem meditatio. Ut enim vere hac pericopa describitur *beatum* aliquod Ecclesiæ *ævum*: pulchrum videtur, & statui sive emblemati consentaneum, beato illi Sæculo tribui longævitatem, certam felicitatis partem. Sic fictus ille Silenus in colloquio cum Mida, apud Ælianum [e], describens Continentem, à nostro Orbe divisum, cujus incolæ nostri Orbis habitatoribus longe sint beatiores; inter alia, ἢ χρόνου ζῆν αὐτοὺς, ἐχ' ὅσον ἡμεῖς, ἀλλὰ ἢ ἐκεῖνον διπλᾶν' *& vivere illos non tantum temporis, quantum nos; sed &* ILLUD DUPLUM. Non immerito hic locum facio fabulosæ huic narrationi, cæteroqui talium parcus; quod integram legenti clare pateścat, servare eam vestigia felicitatis antiquæ Paradisiacæ; & doctrinarum aliarum, ex fonte traditionis Hebrææ haustarum. Estne itaque in has partes concedendum?

Primus ille sensus de summa hominum hujus Sæculi Longævitate videtur roboratri ex natura emblematis, quod hic pingitur.

Equidem non propendeo in hanc sententiam, nec mihi videtur probabile, Deum ordinem naturæ, post tempora Postdiluviana sensim stabilitum ac circumscriptum, plane esse mutaturum; etiamsi agnoscam, Deum circa Populum electum hujus temporis singulari cura providentiæ suæ versaturum esse. Ut enim reddatur humano generi longævitas Patriarchalis: absque mutata caussarum naturalium constitutione hoc tempore effici posse, non videtur. Satis tamen per me intelligo, hanc rationem non multum ferre ponderis. Effectum enim non est supra potentiam Divinam; neque ullam involvit contradictionem. quare hic non sufficit dicere cum multis nostrum, fundatam esse interpretationem in fabulis Judaicis; qui tamen ipsi nihil probabile in medium adferunt, quod satisfaciat verbis Prophetæ. Sed sunt in verbis Jesaiæ, sæpe multumque à me expensis, quæ me in alias partes trahunt. Primo itaque observa mecum, in primo sententiæ membro, *Non erit* EX EA *amplius infans dierum, aut Senex qui non implevcrit dies suos:* nihil esse quod nos ducat ad cogitandum de tanta *longævitate*, quantam supponunt Interpretes Judæi; & Christiani quoque aliqui, qui de *Statu glorioso Regni Christi Jesu in terris* nostro tempore commentati sunt. Sensus est, mox illustrandus; Deum sua curaturum providentia, ut *infantes*, qui tenella & nondum confirmata ætate sæpius immatura morte obeunt, ævum perducant ad maturitatem; & *senes* quoque, qui ad primum Senectutis gradum, puta sexaginta annorum plus minus pertingunt, quando naturæ vires incipiunt decrescere, justissimam senectutis mensuram ante obitum consequantur, & dierum ac vitæ saturi ex vivis excedant; quam mensuram *octoginta* [f], vel etiam *centum* annis licet circumscripseris: quam posteriorem Propheta in oculis habuisse videri queat ex posteriori membro, rariorem quidem, nec tamen plane insolentem: loquitur enim de alta senectute. Ergo si hic agatur de *longævitate* plane *præterordinaria*; id ex *sequenti membro* colligendum erit; quod ipsum quoque ab Interpretibus illis tentatur. Verba vulgo redduntur, *Quia puer centum annos natus morietur, & peccator centum annos natus maledicetur.* Supponunt itaque, hic per voculam כי *quia* rationem reddi, cur *infans brevis ævi* nullus futurus sit *in* vel *ex* sancta hac civitate, ex comparatione instituta cum *puero* & *peccatore*, qui demum morituri sint *centum* annos *nati*: quanto major sit futura longævitas justorum & sanctorum, qui in civitate sancta scripti fuerint ad vitam? Sed est in hac sententia paradoxum, quod cuique rem serio meditanti obversatur, secundum versionem vulgo receptam, qua כי vertitur per *quia*. Primo, quæro, (dum incertum relinquo, num *puer* hic in bonum vel malum sensum sumatur;) qua intelligi possit ratione, quod *peccator* partem censeatur habere in *longævitate*? Dices, quod partem faciat *civitatis sanctæ*, & inter sanctos versetur, cum *longævi-*

Qui tamen sensus varia infert dubia.

Observatur, Primam partem pericopæ non exigere hunc sensum.

Quod evincitur.

Quæritur, An posterior pericopæ pars id necessario inferat?

In sententia, quæ id adstruit, hæret paradoxum; quod pecca-

a Act. 11. 46. *b* Rom. XIV, 17. *c* Phil. IV. 4. 1 Thess. V, 16. *d* Orac. Sibyll. Lib. VII. sub finem. *e* Var. Hist. Lib. III, Cap. XVIII. *f* Ps. XC. 10.

tor partem habiturus sit in *longævitate*.

tas sanctæ Civitatis attributum sit. Respondeo, id primum esse quod fidenter nego. In sancta hac Civitate, juxta typum Prophetæ, nullus est *peccator*: omnes sunt *justi*, ut Propheta alibi [a]. *Nullum* est *anathema* in Civitate sancta, secundum Zachariam [b]. Idem est typus Hierosolymæ Novæ, à Joanne descriptæ [c]. nihil eam ingreditur κοινὸν, *pollutum* & *polluens*. Est autem החוטא ἁμαρτωλὸς, *peccator*, stylo Scripturæ, fons, magno onustus reatu, non utique qui subinde præreptus victusque à peccato delinquit; sed qui in *peccatis* vivit, & quidem enormibus, peccati mancipium: qualem in Civitate sua sancta nullum admittit Jesaias. Ergo quod hic dicitur de *peccatore*, (perinde ac de *puero*, rudi ac malignæ indolis, ut mox probabo:) intelligendum est de *peccatore*, à Civitate sancta seclusо, qui extra civitatem sanctam degit. Chaldæus idem in oculis habuit, ubi extrema hæc vertit, והחוטא בר מאה שנין יתרך *Et qui peccaverit centum annos natus*, EXULABIT, pelletur. Insto itaque, an *longævitas*, de qua Propheta, quoque extendenda sit extra Civitatem Sanctam, ejusque pomœria? Quis dixerit? quorsum enim, cum reputetur inter benedictiones Divinas? Quomodo itaque *longævitas* peccatoris *extra Civitatem Sanctam* comparari poterit cum longævitate *Justorum* in Civitate Sancta? Idem sentiendum de altero membro, ex priori hoc illustrando. *Quia*, (vel *sed*) PUER *centum natus annos*, MORIETUR. secundum punctaturam Hebræam: *Quia* (vel *sed*) *ad puerum* quod attinet: *centum natus annos*, MORIETUR. Tota emphasis sententiæ cadit in vocem MORIETUR. h. e. morietur morte violenta; morte judiciali ipsi à Deo infligenda, ut vox מות *mori*, sæpissime sumitur in Legibus Mosaicis, & ubique per Scripturam S. Confer ex hoc Libro Cap. XXII. 13. LIX. 5. Deus apud Ezechielem: *Anima quæ peccat*, היא תמות *ipsa* MORIETUR. sc. judicialiter. Utique enim vox ימות MORIETUR, hic in altero hujus membri articulo declaratur per יקולל MALEDICETUR; & utrique tam *peccatori* quam *puero* dantur *centum anni*. Imo certum est ex toto emblemate, ut hic à Propheta pingitur; in *Civitate Dei* nullam *mortem immaturam* locum habere; ut proin qui moritur hic dictus נער *puer*; necessario intelligendus sit *rudis*, peccator, imprudens. Patet, inquam, ex his junctim sumptis, per נער *Puerum* hic intelligi *puerum rudem*, petulantem, protervum, qui in delictis & peccatis vivit, & nullam resipiscentiæ spem facit; quique adeo respondet alteri articulo hujus membri, ubi dicitur החוטא PECCATOR. Sic verba prudens accepit Paraphrastes, qui ita dedit; ארי רחיב עולם בר מאה שנין יהי מארת *Quoniam* PUER QUI DELIQUERIT, *ætate centum annorum morietur*. Equidem non ausim hanc notationem ducere ex communi significatione vocis נער, quippe quæ ἀδιακρίτως pro *puero*, νέῳ, νεανίσκῳ, stylo Scripturæ S. usurpatur: attamen satis constat, vocabulum pressius sumptum notare hominem, sive primæ ætatis, sive ei succedaneæ *Juvenem*, in primo ætatis vigore constitutum, *rudem*, *imprudentem*, stolidum & ad aberrationes proclivem. Sæpius hoc sensu occurrit in Proverbiis [d]; ut, *Stultitia ligata est* בלב נער AD COR PUERI: *virga erudiens eam ab eo removebit*. Alio loco [e]: *Ne cohibeas* מנער *à* PUERO (rudi, petulante,) *castigationem: quando ipsum virga percusseris, non* MORIETUR. Poëta facer [f]: *Peccatorum* נעורי PUERITIÆ MEÆ *& transgressionum mearum ne recorderis*. Jobus [g]: *Tu facis me hæreditare iniquitates* נעורי PUERITIÆ MEÆ. Vates noster [h]: *Et dedi* נערים PUEROS, (rudes, imperitos, inconsultos, præcipites,) *Principes ipsorum*. Mox iterum [i]: ירהבו הנער בזקן *Insolenter se geret* PUER (petulans, protervus,) *adversus Senem*. Extant plura ejusdem generis. Hesiodus *argenteam ætatem* describens, *aurea* deterior-

Falso supponitur, *peccatores* partem habituros in Sancta hac Civitate.

Quid hic חוטא *Peccator*, stylo Scripturæ S.?

Abjicitur hypothesis, quæ *Longævitatem* hic extendit ad *improbos*.

Alterum membrum, de *Puero centenario morituro* huic conforme.

Mori hic valet *Morte violenta* interire, ex Dei judicio.

Vocis significatio adstruitur.

Analoga huc allata.

rem, infert *puerum* usque ad ætatem *centum annorum*, in Gynæceo educatum, persistere in sua *ruditate*.

Locus Hesiodi.

Ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
Ἐτρέφετ' ἀτάλλων μέγα νήπιος ᾧ ἐνὶ θυμῷ·

Sed CENTUM ANNIS PUER *apud matrem sedulam*
Nutriebatur crescens valde RUDIS *domi suæ*.

His itaque nixus principiis verto locum: SED *puer* (rudis, inconsultus, in peccatis vivens) *centenarius* *morietur*; *& peccator* CENTUM NATUS *annos maledicetur*. hoc sensu, *Non erit ibi infans vitæ brevis, aut Senex qui non impleat dies suos*: SED *peccatores*, inconsulti, rudes, qui à prima ætate disciplinæ incapaces, & in pessimo vitæ genere tanquam ἀεὶ παῖδες per ætatem versati, à Civitate Populi Dei secluси, etiamsi centum attigerint annos, non evadent tamen, quominus *judicio Dei* intereant & aberrationum suarum pœnam ferant. Vocula כי ex hac hypothesi hic loci, ut sæpissime alias, sumitur *adversative* pro כי אם SED, ut Propheta, qui in tota superiore oratione sortem verorum Dei cultorum sorti impiorum opponit & contradistinguit, doceat; pios quidem qui in sancta hac Civitate placidam ac tranquillam vitam in longum ducerent, dierum suorum mensuram ex voto expleturos esse; sed rudes, impœnitentes, peccatores, Civitate Dei exclusos, etiamsi contingeret, ut ætatem prolongarent ad *centum annos*, (qui terminus hic videri posset ex mente Prophetæ facere amplissimam ævi humani mensuram,) judicio Dei casuros esse cum certis *notis* Divinæ *maledictionis*. *Puer centum annorum* hic dicitur *puer* qui usque ad seram ætatem in statu ruditatis, imprudentiæ, impietatis, persistit: nec dicitur ille ex nostra hypothesi tam diu protracturus esse vitam; sed si protrahat aut ei vitam tam diu producere contingat; *tamen* ex judicio Dei *morte violenta* occubiturus esse: quod judicium hic latet in utraque voce ימות MORIETUR & יקלל MALEDICETUR. Utrumque nos jubet cogitare tam de *judicio temporali*, quam de *spirituali*; quo quis *excommunicatus* à Deo & Ecclesia cum supplicio temporali traditur exitio infernali, secundum illud Prophetæ in Ode ejus argumenti, cujus est nostra hæc prophetia [k]: *Quia* BENEDICTI EJUS (compara hujus *Sectionis* ℣. 23. *Semen benedictorum Jehovæ*,) *possidebunt terram jure hæreditario*; ומקלליו יכרתו *&* MALEDICTI EJUS EXSCINDENTUR. confer insigne emblema apud Zachariam [l]. Summa itaque hujus loci est; in Civitate hac sancta nullam regnaturam mortem violentam, sive à Judicibus, sive à Deo ipso infligendam; fore enim omnes justos. nullos ibi fore *infantes tenellos* (quæ hic significatio genuina est vocis עול, de qua, ut & de etymo ejus egi ad Cap. XLIX. 15.) brevis ævi, (sive ad verbum, *infantes dierum*, quam interpretationem necessariam facit vox עול *infans*. Οἱ ὁ. ἄωροι. Theodot. Ἄωρος ἡμέραις *immaturus ætate*. confer Gen. XXIV. 55.) neque *senes* qui *dies suos non expleant*, quippe longævos & vitæ saturos omnes morituros esse; sed *peccatores*, si vel maxime longum ævum trahant, judicio Dei esse interituros. Piscator ab hoc sensu non longe abest; utique Paraphrastes idem intendisse videtur; & Oecolampadius quoque vocem כי vertit per *sed*.

Integra sententia Prophetæ.

Vocula כי hic sumenda *adversative*, pro *sed*.

Sensus sententiæ ex hac versione.

Mors hic idem valet quod *Maledictio*. nota *mortem judicialem*, violentam.

Sententia planius declarata.

Sed id ipsum forte difficulter intelligitur. Num itaque in optato illo Ecclesiæ Statu qui hic ex hypothesi nostra describitur, omnes vitam trahent ad seram ætatem? nullus *infans* morituras; nullus senex non perfecte expleturus ævum? Idne fiet absque mutato naturæ ordine? Certe pressa hæc difficultas fecisse videtur, ut Intt. aliqui verba Prophetæ non proprie, de *longævitate Naturali*, sed *figurate* de perfectione *prudentiæ senilis*, aut æquabili *incremento cognitionis*, tanquam civium hujus Hierosolymæ attributo, acceperint; sed reclamante orationis textu [A]: Alii etiam diversa

Sunt ex Intt. qui sententiam *ex propria* fecerunt *figuratam*; Vatem interpretati *prudentia* aut *amplitudine cognitionis*, tanquam attributo hujus

---

a Cap. LX. 21. *b* Cap. XIV. 11. *c* Cap. XXI. 27. *d* Cap. XXII. 15. *e* Cap. XXIII. 13. *f* Ps. XXV. 7. *g* Cap. XIII. 26. *h* Cap. III. 4. *i* ℣. 5. *k* Hesiod. *Op.* & *D.* ℣. 131. *l* Ps. XXXVII. 27. *m* Cap. V. 1. 3. seqq.

A Sanctius de difficultate loci præfatus, de *prudentia* interpretatur; omnes videlicet hujus Ecclesiæ cives *senili* fore *prudentia*; & ita quoque accipi jubet phrasin, *infans dierum*, ut valeat; *homo multorum dierum*, id est, *senex, qui tanquam infans sit animi stupore &*

Status; quæ sententiæ infra discutiuntur.

versa sectati sint non majore cum specie rationis *B*. Certum teneri debet, clamante textu, Vatem agere de *Longævitate*; quare ubi superiores meditationes in summam colligo; secundum stylum Prophetæ ubique alte vaticinantis, & spiritualia corporalibus involventis, sequentia beneficia his verbis involvi censeo. Primo, in Civitate Dei, qualis hic pingitur, sive in Statu Ecclesiæ novissimo, mortem violentam, Judicio Divino

Sensus sententiæ de *longævitate* acceptæ per tria themata explicatur.

præterordinario infligendam, aut à persecutoribus & hostibus Ecclesiæ vi inferendam, locum habituram non esse. Secundo, Deum sua curaturum providentia singulari, ut cum reliquis beneficiis gratiæ suæ sancti passim non obeant immatura morte; quæ videri queat esse signum Divinæ indignationis, & luctum parit domesticum: sed ut infantes ætatem perducant ad senectutem; senes vero ad plenam ævi maturitatem. Tertio, Credentes in vita illa sua longæva præsensuros & prægustaturos esse *vitam æternam*, sive *beatam æternitatem*, ejusque in hac vita habituros *primitias*. *impios* vero & *malos*, à Civitate Dei secluso, si ipsis longum vivere contingat, primo quidem in ipsa illa vita sua longioris ævi circumlaturos *malam conscientiam*, quæ *mors* est; deinde absque judicio Dei non esse interituros; & in morte temporali judiciali habituros argu-

Status vitæ incolarum hujus Civitatis hic spectatur ut symbolum & imago vitæ æternæ.

mentum mortis æternæ. Tertium quod proposui, à Spiritu maxime intentum esse, certo persuasum habeo. Propheta Vitam Credentium in Statu Ecclesiæ hujus temporis spectari vult ut gustum, & primitias vitæ æternæ; *longævitatem* qualemcunque ut argumentum & symbolum vitæ æternæ. Est in prophetia hac *hyperbole*, sic interpretanda, ut *vita temporalis* ab incolis hisce sanctæ Civitatis vivenda imaginem habitura sit *vitæ æternæ*; Deo *mortem absorpturo* לנצח *in æternum* sive *in victoriam*, & *lacrymas ab omnium faciebus absterſuro*, ut scripserat in prophetia parallela, Cap. xxv. 8. Si plus lateat in excellenti hoc promisso: videri nolim sensum ejus mea commentatione præcidisse aut restrinxisse. Deus plus potest quam cogitamus; potest omnia quæ promisit; estque ipsi injurius, qui minus sperat quam promisit. Veruntamen solicite etiam cavendum, ne verba Spiritus S. in diversum sensum trahendo à mente ejus alienum, speremus, quod non promisit; ne spe nostra excidentes fidem Dei temere accusemus. Utique quod pii aliqui nostrorum temporum ex hoc loco & affinibus supra allegatis, sibi persuaserint; Statum illum Ecclesiæ glorioſum ac felicem, quem *Millennio* Apocalyptico circumscribunt, *omnem* excluſurum esse *mortem*: non putem fuisse in mente Prophetæ.

Admonitio de ratione interpretandi Verbi Prophetici.

(*c.*) *Bonorum* omnium secura & longæva possessio.

℣. 21. *Et ædificabunt* DOMOS, *easque incolent*; *& plantabunt* VINEAS, *& comedent* FRUCTUM EARUM. ℣. 22. *Non ædificabunt, quod alius inhabitet*; *nec plantabunt, cujus fructu alius vescatur*; *quia ut* DIES ARBORIS DIES POPULI MEI; *& opus manuum suarum veterabunt Electi mei.* ℣. 23. *Non laborabunt in vanum*; *neque* INCASSUM GIGNENT; *quia ipsi sunt semen* BENEDICTORUM JEHOVÆ; *& propagines ipsorum* erunt *cum ipsis.*] Vides novum hic describi privilegium Populi Electi, præcedenti cognatum, securitatem status, & pacatum, fortunatum, ac longævum usum illorum Bonorum, quæ Providentia Divina Ecclesiæ hujus Sæculi indulserit. Est mihi in hac pericopa exponenda sic procedendum, ut quæ in phrasi dubia aut obscura sunt, prius expediam, quam sensum ejus & mentem Prophetæ declarem.

Tertium beneficium: *Bonorum omnium* secura ac longæva possessio, ℣. 21–23.

Primo Interpretibus visum est difficilioris esse intelligentiæ, quod dicitur, ℣. 22. כי כימי העץ ימי עמי *Quia ut* DIES ARBORIS *erunt dies Populi mei.* Sed recte inspectus locus & cum *sequenti membro* collatus dubium nullum reliquum facit; ut Hebræi, Aben-Ezra & Kimchius, hic non hæsitant. Quod Veteres, Eusebius, Cyrillus, Theodoretus, sequaces, in diversa tracti sint: natum est ex Versione τῶν ὁ. quæ hic exhibet, Κατὰ γὰρ τὰς ἡμέρας τῦ ξύλυ τῆς ζωῆς ἔσονται αἱ ἡμέραι τῦ λαῦ μῦ· *Nam secundum dies* ARBORIS VITÆ, *erunt dies Populi mei.* Respexit auctor haud dubie ad *arborem vitæ* Paradisiacam: quod cum nullum sensum daret, Interpretes se fatigarunt, ut ex eo sensum aliquem commodum elicerent. Sed frustra. Poterant longævi comparari cum his, qui ex *arbore vitæ* ediſſent; sed non cum *arbore vitæ*, de cujus etiam ligni durabilitate nihil nobis revelatum est, etsi durabile fuisse facile præsumamus. Equidem Chaldæus idem habet, כימי אילן חייא *Ut* DIES ARBORIS VITÆ. Respexeritne ipse arborem Paradisiacam sic dictam; num qualemcunque arborem vivacem ac durabilem, ut sunt Cedri, Buxi, & oleaginosæ aliæ, hic magis videri queat dubium. Prius tamen probabile, quod Kimchius scribat, in dictis Magistrorum esse, עץ חיים מהלך חמש מאות שנה *Arbor vitæ est periodus quingentorum annorum.* Ex recentioribus etiam sunt, qui huic cogitationi adhæserunt; vel alios admiserunt otiosi ingenii lusus; quos non refello. Propheta dixerat, Electos hoc tempore *plantaturos vineas*, earumque *comesturos fructum*. Subjecerat, *Non plantabunt ut alter comedat*; quod fieri

Dubia textualia expediuntur. Verba, *Ut dies arboris, dies Populi mei, &c.*

Quid Veteres hic occupaverit?

Versio Græca hic exhibet, *Arborem vitæ.*

Consensus Chaldæi.

Sensus sententiæ non difficilis exponitur.

poteſt

---

morum levitate: ut proin *infans dierum* sit qui mox appellatur *puer centum annorum*, quem ipse perinde ac nos accipit de *peccatore imprudente*, & *stolido*. Cl. Coccejus affini sententia, locum accipit de *incremento cognitionis & intelligentiæ*, licet ad primum hujus sententiæ membrum de *infante dierum* & *sene* ætatem expleturo, sententiam suam directe non explicet. Quod ad Sanctium attinet; potuisset tueri suam interpretationem, etiamsi illud *infans dierum* non detorsisset à vera sua significatione; quia plane probabile non est, *infantem dierum* dici *senem*; aut idem valere quod *puerum centum annorum*. Sed id nunc missum facio. Largior Viris Doctis, si necessitas summa urgeret, verba per se spectata hunc sensum figuratum non refugere; etsi si Propheta dicere voluisset, incolas sanctæ hujus Civitatis omnes fore prudentia mascula: nullos ibi fore *senes* qui prudentia se tales non præstent; quorumque mores refutent ætatem; qui licet ætate senes vere tamen *infantes* sint *animi stupore & morum levitate*: non putem scripturum esse, *infans* DIERUM; vel *senem* qui non *impleat* DIES SUOS, quia illa adjunctio nos manifeste ducit ad cogitandum de *ætate*. Largior tamen, inquam, & faciam, ita esse, cum *imperitus* aut *imprudens* cum *infante*, aut *sene* qui spem de se conceptam non implet, comparari queat, secundum illud Apostoli, 1 Cor. XIV. 20. *Fratres, ne estote παιδία ταῖς φρεσίν.* PUERI PRUDENTIA; *sed malitia infantes, prudentia vero* ADULTI ESTOTE. Sed arguo, contextum refellere hanc expositionem, sive de *prudentia*, sive de *intelligentiæ perfectione* sumatur. (*a.*) Quia, si hic sensus obtineret, phrasis, *puer centum annorum*, secundum analogiam eodem modo explicanda esset; quod non facit Sanctius. (*b.*) Quia Vates in sequentibus exerte de *longævitate* se loqui significat, ℣. 22. כי כימי העץ ימי עמי *Quia ut* DIES *arboris, erunt* DIES POPULI MEI. Sentiens difficultatem D. Coccejus; ipsa quoque illa verba, *Quia puer centum annorum morietur*, in analogum sensum accipit, docens ex mente Prophetæ, *indicari sufficientiam doctrinæ & cognitionis, cum puer tantum possit scire*, (debebat esse, *sciat*) *quantum antea alius qui per* CENTUM ANNOS *vixisset*. Pulchra visa est multis interpretatio, sed quæ plane subvertitur à membro sequenti, *Et peccator centenarius maledicetur*. Quid? dicendumne igitur erit, *peccatorem centenarium* quoque dici, qui beato illo Sæculo tantam sibi brevi tempore comparavit vel comparare potuisset prudentiam, quantam qui antecedentibus Sæculis *per centum annos* vixerit? Quam illud remotum a ratione? Et tamen Eruditus Interpres huc fere cogitur devenire. Scribit enim, *Ita ut nemo moriturus sit peccator etiam qui habeat occasionem id discendi statim parvo labore, quod alias centum annis non fuerit cognitum*; *& qui merebitur maledictionem tam sit inexcusabilis, ut centenarius.* An appellari potest *peccator centum natus* annos, qui sibi, si voluisset, potuisset facili opera consequi doctrinam vel prudentiam, quantam quis alius sibi antea *spatio centum annorum* magno labore? Subsidia perveniendi ad veram eruditionem, pone, intelligentiam Hebrææ aut Græcæ linguæ, hoc tempore longe majora sunt, quam Sæculis quæ renatas literas præcesserunt: dixeris itaque, hominem Literarum studiis dicatum, qui piger vitam otio transigens plane indoctus moritur; recte appellari *studioſum centum annorum*, quod ipse eo Sæculo vixerit, quo Eruditio comparatione facta cum superiore tempore minimo labore acquiritur? Addo, si Vates id voluisset, (*a.*) Non videri illum usurum esse voce נער PUER *rudis* & licet dicere, *indisciplinatus*. honestior hic est notio בחור JUVENIS, (*b.*) Nec additurum esse, MORIETUR. Quidni enim scripsisset, *Et puer erit natus centum annos.* Ecquid *moveretur* in felici ævo, *incremento suæ cognitionis* mortem utique non meritus?

B Verbi gratia, Cl. de Dieu, cum prius sententiæ membrum recte expedivisset, posterius hac paraphrasi prosequitur, QUIA PUER CENTUM NATUS ANNOS MORIETUR; *id est*, *puer non morietur puer, sed debitum vitæ spatium absolvet.* Fac ita esse. Quid itaque sequentia? PECCATOR VERO CENTUM NATUS ANNOS MALEDICETUR. *Id est*, ait, *felicior erit in Regno Christi puer, quam in Regno Mundi senex. Puer enim in Regno Christi beatam assequitur vitæ perfectionem: at in Regno Mundi peccator, etiam ubi vitæ perfectionem attigisse videbitur, maledictus erit.* Quid? An in verbo *morietur* latet, *beatam assequi vitæ perfectionem?* Num enim eadem vel similia attributa diverse & quidem ἀντιθετικῶς explicari queunt? Estne ulla nota vel indicium, ex quo pateſcat, PUERUM qui hic dicitur, esse in *Regno Dei*; PECCATOREM vero in *Regno Mundi?*

poteſt vel, ut hoſtes fructus arborum plantatarum ſatoribus præripiant; vel ut ipſi immatura morte rebus humanis erepti, fructuum uſu fruſtrentur. Poſteriori autem intentus, (inhærens videlicet cogitationi de *longævitate* propoſita ℣ſ. 20.) ait, metuendum non eſſe hoc incommodum, quia *dies Populi Dei* (ſingulorum Electorum) eſſent ut *dies arboris*; h. e. tam diu durarent quam arbores à ſe plantatæ; ætate illorum durationem arboris, ſive *vitis*, ſive quæ *alia* hic reſpiciatur, æquatura. Quod mox planius adhuc illuſtrat in articulo ſequenti, qui ipſe quoque hic aliquo lumine indiget: ומעשה ידיהם יבלו בחירי *Et opera manuum ſuarum veteraſcere facient electi mei.* Grotius, *Durabunt ades quas ſtruxerint.* Rectiſſime, & ad mentem Prophetæ. Ipſi vegeti adhuc & valentes ædes à ſe ſtructas, quarum pariter in ſuperioribus facta erat mentio, videbunt *veteraſcere*; non ſolummodo tam diu duraturi quam ædes; ſed & longius. In eundem plane ſenſum οἱ ὁ. Τὰ γὰρ ἔργα τῶν πόνων αὐτῶν παλαιώσουσιν. Hieron. *Inveterabunt.* abſque vitio. confer uſum vocis בלה in *Pihel*, Cap. III. 4. Cæteræ verſiones, ut Caſtalionis, *Suarumque manuum opere fruentur Electi mei.* Piſc. *Durabile reddent*, (recte cæteroquin ab auctore expoſita,) Cocc. *Perennare facient.* minus diſerte exprimunt mentem Prophetæ. Melius illud Trem. & Belgarum, *Deterent.* Pergit Propheta, *Non laborabunt in vanum*; ſc. in agricultura, aut negotiis aliis majoris momenti; *& non parient* לַבֶּהָלָה. Hieron. *In conturbatione.* Pag. *cum terrore.* Piſc. *Ad conturbationem.* h. e. ad cædem, ut occidantur ab hoſtibus. imitati ſunt Belgæ. quæ quidem ferri poſſunt, & ſatis probe conveniunt etymo בהל; nec tamen ſunt liquida. Quid enim eſt *parere cum conſternatione, terrore*; quod raro accidit. Melius ſe habet illud, *ad conturbationem.* Nec tamen id etiam ſatis proprie dicitur. Coccejus multo majore ſpecie dedit, *Et non parient per feſtinationem.* h. e. abortient. Eſt obſervatio erudita. Notio enim בהל, *Niph.* נבהל, involvit ſignificationem *præcipitantiæ, feſtinationis*, cujuſmodi eſt hominis perturbati, cui ex metu, aut ex quo alio caſu injucundo eoque improviſo, mens & ratio non conſtat, ſed loco mota videtur. Eſt autem *abortus*, ut notum, partus feſtinatus. Nolo quenquam ab hac cogitatione abducere; ſed cum ubique liberæ inveſtigationi veri ſtudeam: exponam quid obſtet, quo minus ei aſſentiar. *a.* Si Propheta id voluiſſet, non videtur ſcripturus eſſe לבהלה quod proprie ſonat, AD *feſtinationem*; ſed בבהלה CUM *feſtinatione:* quod enim Cl. Interpres vertat PER *feſtinationem*, non probo. *Præfixa* ל non valet *per.* Potuiſſet tamen reddere, *cum feſtinatione.* ſive, *feſtinato*, quia *præfixa* ל ſubinde ſignificat *ſtatum.* β. Non videtur ambigendum, quin præfixa ל in לבהלה hic eandem obtineat poteſtatem ſignificationis, quam in voce præcedente לריק IN *vanum*; ubi notat *terminum ad quem:* qui maxime genuinus hujus *præfixæ* uſus eſt. Ex conſonantia autem utriuſque membri quiſque ſibi facile perſuadeat, voci לבהלה eandem fere ſubeſſe vim notationis, quæ ſubeſt notioni לריק *in vanum, incaſſum:* nempe בהלה per μετάθεσιν literarum ſcriptum eſſe pro הבלה *vanitas*; more Hebræis ſatis uſitato. הבל eſt *levitas, vanitas*, quid ſubito diſparens. Putem, Caſtalionem, Virum utique doctiſſimum, id in oculis habuiſſe, ubi vertit, *incaſſum.* certe Avenarius affinitatem thematum, בלהה, בהל, & הבל, non neglexit obſervare. Favet locus Pſ. LXXVIII. 33. *Et conſumpſit* בהבל *in* VANITATE *dies illorum; & annos illorum* בבהלה *in* INANITATE. abſque fructu. Vertit Doctus Interpres, *In præcipitatione.* Sed probabile fit, utramque notionem hic tantundem valere. Alibi tamen vocem בהלה admittere non negem. ſignificationem *conſternationis, perturbationis, terroris*; ſed quæ hic uſum habere non videtur. Dicuntur autem Pater aut Mater familias *gignere* aut *parere*, (vox enim ילד utrumque ſignificat,) להבל *in vanitatem*; quorum liberi immatura morte ex vivis rapiuntur; aut Fœmina, etiam ubi abortum facit; quod hic non excludo. Sed prius hic lubentius admiſerim. Sic putem Caſtalionem vocem accepiſſe, ubi eam prudens vertit, *incaſſum.* Vidit ſenſum Chaldæus, ubi vertit, ולא ירבון למותא *Et non nutrient* AD MORTEM. Οἱ ὁ. εἰς κατάραν. Grotius conjicit illos legiſſe לאלה *in execrationem.* exigua ſpecie. nimium enim diſtant לבהלה & לאלה. Crediderim potius, Interpretem, cum ſciret, contrarium ejus quod hic promittitur, eſſe inter Execrationes legales *a*, fore nempe ut Parentes *liberis*, in quibus ſpem Domus poſuerant, *orbentur:* id ipſum plane ac diſerte hic dicere voluiſſe; ſæpe magis intentum ſenſui; quam verbis. Additur à Propheta eodem reſpectu, *Quia ſunt ſemen* BENEDICTORUM JEHOVÆ; nimirum, liberorum ab effectis Divinæ iræ; *& proles ipſorum cum* IPSIS, hoc eſt, proles, propagines, τὰ ἔκγονα, filii, nepotes, pronepotes, *una* cum ipſis vivent & florebunt. Hic ſenſus Prophetæ. Poſſes cæteroquin ita accipere, acſi dicere vellet Jeſaias, proles eorum æque eſſe *Semen benedictorum Jehovæ* ac ipſoſmet. Sed prius verius. de voce צאצאים *propagines, germina*, dixi ad Cap. XLVIII. 19.

Magnum quid eſſe, quod hic prædicitur, vident omnes: ſed quomodo capienda ſit prophetia, circumſpectior diſputatio eſt. Hieronymus & ſequaces ex hypotheſi referunt, quæ hic dicuntur omnia, ad ſtatum futuræ felicitatis. quod tamen quiſque per ſe facile præſumat fieri non poſſe abſque quadam affectata locutionum tropice expoſitarum tranſlatione. quare hoc tempore non putem eſſe, qui hanc ſententiam laudent. Alii, præeunte inter Veteres Cyrillo, pericopam totam hanc perinde ac ſuperiorem, applicant ad Statum Eccleſiæ ſub Oeconomia Nova, quatenus oppoſita & contradiſtincta eſt Oeconomiæ Veteri; quam ἀντιθέσεως hic per ſingulos articulos oſtendere nituntur. Procopius hanc ſententiam, priore tamen non neglecta, docte exponit. Sed ipſum quoque hoc non ſatis commode procedit. Oratio enim Prophetæ, etiamſi ex meo quoque ſenſu ſpiritualia involvat, ſic eſt conſtructa, ut ægre à te impetres temporalium bonorum reſpectum omnem hic excludere. Quare non deſuerunt inter Veteres, temporibus Apoſtolorum proximos, qui hanc pericopam totam retulerunt ad Statum Eccleſiæ beatiorem, quem prophetiæ docent, exſpectandum eſſe poteſt deſtructos deſtructores terræ, quemque illi cenſent *Millennio Apocalyptico* circumſcriptum eſſe, ut in ſuperioribus prænotui; ut certum teſtem habemus in Juſtino Martyre *A*: ſuntque ex recentioribus, & noſtræ

Sequens Membrum, *Et opera manuum ſuarum inveterabunt Electi mei*, pariter declaratur.

Quid ſibi velit quod dicitur, *Non parient* לבהלה.

Verſiones aliquæ excutiuntur.

Verſio Cl. Cocceji docta.

Quid ei obſtet?

Voces בהל & הבל inter ſe confunduntur.

Quid ſit, *parere in vanitatem?*

Animadverſio in Verſionem Græcam.

Cui tempori conveniat prophetia, ejuſque implementum?

Veterum ſententia.

Primorum Eccleſiæ Doctorum ſenſus de felicioribus temporibus Eccleſiæ in hiſce terris.

---

a Deut. XXVIII. 41.

A Sic utique exerte Juſtinus, in *Dialogo cum Tryphone*, poſtquam explicaſſet ſpem ſuam de beatis Eccleſiæ temporibus per mille annos exigendis; ſententiam illam ſuam adſtruit ex hac pericopa quam totam deſcribit, ſubjectis hiſce verbis; Τὸ δὲ εἰρημένον ἐν τοῖς λόγοις τούτοις, κατὰ γὰρ τὰς ἡμέρας τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς αἱ ἡμέραι τοῦ λαοῦ μου ἔσονται, τὰ ἔργα τῶν πόνων αὐτῶν [παλαιώσουσιν. deeſt in *Ed. Pariſ.*) γενοήκαμεν ὅτι χιλίας ἔτη ἐν μυστηρίῳ μηνύει. *Quod enim dictum eſt hiſce verbis* (Jeſaiæ,) SECUNDUM DIES LIGNI VITÆ ERUNT DIES POPULI MEI: OPERA LABORUM IPSORUM NUMERO CRESCENT: *mille annos indicari intelligimus.* Senſus eſt, *dies ligni vitæ* ſignificare *mille annos*; quos Adam non ſit aſſequutus, quia Interdictum Divinum tranſgreſſus incurrit in reatum mortis; ſed hos *mille annos* hoc beato Eccleſiæ tempore Populo Dei eſſe reſtituendos. Addit enim ſe ipſe interpretatus, *Ut enim Adæ dictum eſt, Quo die de ligno ederet, eo die moriturum illum eſſe: ſcimus, illum* MILLE ANNOS *non implevisse.* quæ mox cum prophetia Apocalyptica de *mille annis* confert. Eadem plane doctrina Lactantii eſt *Inſtit.* Lib. VII. Cap. XIV. ubi expoſiturus myſterium Creationis, in hunc modum ſcribit: *Ergo quoniam ſex diebus cuncta Dei opera perfecta ſunt; per ſæcula ſex, id eſt annorum ſex millia manere in hoc ſtatu Mundum neceſſe eſt: Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur.... Et rurſus, quoniam perfectis operibus requievit die ſeptimo, eumque benedixit: neceſſe eſt, ut in fine ſexti milleſimi anni malitia omnis aboleatur è terra, &* REGNET PER ANNOS MILLE JUSTITIA; *ſitque tranquillitas & requies à laboribus, quos Mundus jam diu perpeſſus eſt.* de quo plura addit in ſequentibus. Sententia vetus, quam jam deprehendis in Epiſtola Barnabæ, §. XV. *Advertite Filii quid dicat;* CONSUMMAVIT IN SEX DIEBUS: *id ait; conſummabit Dominus Deus omnia in ἑξακισχιλίοις ἔτεσι* IN SEX MILLIBUS ANNORUM. *Nam apud illum dies æquiparantur mille annis. --- Itaque, filii, in ſex diebus, hoc eſt in ſex annorum millibus conſummabuntur univerſa.* ET REQUIEVIT DIE SEPTIMA, τοῦτο λέγει ὅτι ἐλθὼν ὁ υἱὸς αὐτοῦ, καὶ καταργήσει

Sunt qui omnia hæc κατὰ γράμμα accipiunt.

nostræ etiam ætatis eruditi homines, qui sententiæ huic suffragantur, multi; quos observavi quæ hic dicuntur, plane κατὰ γράμμα accipere, & ipsam quoque longævitatem, hic memoratam, *mille annis* circumscribere; licet cæteroquin à carnali *Chiliasmo* alienos. Equidem ipse quoque meliora cum iis exspecto tempora; & huc usque censui, *mille annos Apocalypticos* illuc referendos esse, licet multi eorum qui instaurandum Ecclesiæ Statum exspectant, in eo non consentiant: sed profiteor, α. Me de *attributis* horum temporum non plane consentire Doctis Viris, qui pro hac sententia nostra ætate valide steterunt: licet sic affectus sim, ut dissentiens judicium suspendere mavelim, quam illorum hypotheses oppugnare; aut audacter damnare: modo quis nullam mihi hic fingat Levitici cultus restitutionem; Regnum Christi Jesu spirituale convertat in externum ac visibile; & thronum ejus affigat Hierosolymæ alicui terrestri; aut quæ in prophetiis multa symbolice & figurate dicuntur, omnia huc ad literam interpretanda referat; licet & hic mitius fuerit judicium Hieronymi *a*. Inter illos qui sententiam suam hic prudentius ac moderatius exposuerunt, est Curcellæus; quem absque invidia hic honeste appellare velim *a*. β. Etiamsi largiar, corporalem aspectum verbis hujus Pericopæ non excludi: certo tamen teneo, Jesaiam hæc non scripsisse aut intelligi velle absque respectu spirituali. Argumentum adfero, forte minus ab aliis animadversum, ex eo, quod ℣. 21. in explicando μακαρισμῷ hominum hujus Sæculi, dicat; *Illos ædificaturos Domos, &* PLANTATUROS VINEAS. Eccur vero hic potius mentio *plantationis* VINEARUM, quam *sationis agrorum*, aut plantationis aliarum arborum, aut fœturæ pecudis, cum utique *frumenti* mage sit necessarius quam *vini* usus; & inter sanctificatos hujus Sæculi *vini* etiam usus haud dubie futurus sit quam Ætate hac nostra multo moderatior. Nulla mihi patet ratio, nisi, sapientissimum Vatem *vinearum plantandarum* hic mentionem fecisse, ut nos sub hoc emblemate moneret de *lætitia spirituali*, *lætitiæque* caussis, huic tempori propriis. γ. Animadverti vélim, ipsa hæc verba non plane videri consentire hypothesi eorum, qui feliciorem Ecclesiæ statum quam amplissime explicant. Supponitur enim hic *ædificatio Domuum*, ad vitæ necessitatem; plantatio vinearum; cultus agrorum, & quidem exerte, ℣. 23. γν' LABOR. Constat præterea, agrorum cultum & vinearum absque labore molesto pastinationis, arationis, messionis, collectionis fatorum, non confici, ut nec fœturam pecudis, administrari posse: ut adeo celebres & Docti Viri ætatis nostræ, qui sibi persuaserunt, tellurem hoc tempore sponte sua fruges quascunque, absque hominum labore, productaram, easque promiscui & communis usus, ut annis Sabbathicis & Jubilæis, fere ac Poëtæ de *aureo sæculo* B, sub quo Statum Paradisiacum aut Postdiluvianum pinxerunt: non videantur cogitationes suas ad hunc locum adæquasse. Ergo, si temporalem Statum Ecclesiæ hujus temporis respicias, sequentia promissa sub his verbis condi deprehendes. α. Electos ac dilectos Dei hac ætate vitam acturos in copia rerum omnium, in pace, quiete, securitate, absque perturbatione civili externa aut interna, & quidem vitam longævam. β. Sobolem ex se visuros honestam, moratam, virtutis & industriæ Parentum æmulam, secum in longum victuram. γ. In Satione, plantatione, aut quo alio opere suo, experturos singularem curam Divinæ Providentiæ, & gavisuros benedictionibus quarum oppositæ Execrationes, tanquam signa Divinæ Indignationis, apud Mosen *b* consignatæ sunt. δ. Fructus autem operum fore constantes ac durabiles, ab ipsis possessoribus hauriendos; nec ab alienis aut hostibus intercipiendos. Sunt hic eximiæ Odæ in Davidicis, LXVII. LXXII. CXLIX. præter Odas, XXXVII. LXXXV. & analoga loca ex prophetiis, sæpius allegata; & explicui quæ huc pertinent, in Dissertatione de *Hæreditate terræ c*. Benedictio Divina se diffundet per omnem Credentium Statum. Spiritualis vero aspectus horum verborum, sequentia meditanti subjicit. α. Credentes hoc Sæculo optato, fultos Gratia Spiritus S. Statum suum spiritualem plane esse constabilituros. *Domum* enim sibi *ædificare* dicitur, qui Statum suum stabilit & firmat *d*. β. Sibi operibus in longum duraturis paraturos esse materiam veræ lætitiæ; sive meditationes & studia sua in communem fratrum usum publicando; sive cœtus & communitates sacras, in longum duraturas, (*vineas spirituales*) fundando, & Regnum Dei ubique promovendo; ex quibus operibus ipsi magnam percepturi sint delectationem ac consolationem: quod est *plantare vineas*. Apostolus ad Philippenses *e*: *Itaque fratres mei dilecti*, χαρὰ καὶ στέφανός μου. GAUDIUM *& corona mea*. γ. Ex laboribus sive in suum sive in publicum usum impensis certum ac solidum percepturos esse fructum. nullum laborem & operam frustraneam fore. Sic Apostolus ad Corinthios *f*: *Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, immoti, exuberantes in* OPERE DOMINI *semper, quippe gnari, ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν* (יגיעכם) *οὐκ ἔστι κενὸς ἐν Κυρίῳ* LABOREM VESTRUM *non fore* FRUSTRANEUM IN DOMINO. Id est quod Propheta hic loci, *Non laborabitis in vanum.* Vates noster *g*: *Dicite Justo, Bene ipsis fore, & fructum laborum suorum ipsos comesturos esse.* δ. Neque futurum esse, ut *opera* ipsorum *alienentur* aut intercipiantur sive intervertantur ab *alienis*; quod fit in spiritualibus; verbi gratia, ubi quis Ecclesiam sua opera plantat, quam deinceps falsus aliquis Doctor corrumpit, & in partes sui erroris tractam occupat ut dominus, & sibi vindicat; quod Apostoli suo tempore & maxime

Temperamentum sententiæ, quæ huc vergit.

Præter aspectum *Corporalem* hic quoque admittendus est *spiritualis.*

Sententiæ ejus argumentum ex ipsis verbis productum.

Cur hic speciatim mentio fiat *vinearum?*

Promissa his verbis involuta, & distinctius circumscripta.

Quid hic valeat sensu spirituali, *plantare vineas?*

Et quidem cum *durabili fructu?*

Qui ab aliis non intervertetur.

τὸν καιρὸν αὐτῆ (ἀνόμε) καὶ κρινεῖ τὰς ἀσεβεῖς, καὶ ἀλλάξει τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, καὶ τὰς ἀστέρας, τότε καλῶς κατασταύσεται ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ. *Hoc ait, Quando veniens ejus Filius abolebit tempus* INIQUI, *ac judicabit impios, & mutabit Solem & Lunam stellasque; tum pulchre requiesset* IN DIE SEPTIMA. Non sunt hæc referenda ad *sex millia annorum* quæ laberentur ante primum Christi Jesu adventum, ut Vir Eruditus (in Not. ad *Edit. Amstel.*) statuit. Characteres enim adventus Christi hic signati non respondent primo ejus adventui. Veterum etiam nemo quod putem, statuit, Christum Jesum advenisse in Mundum post *sex millia* annorum *lapsa*, sed *millenario sexto currente*, & fere medio, ut videbis apud Pezronum, *Antiq. Temp. restit.* Cap. X & XV. ubi quoque hunc Barnabæ locum non negligit, & recte interpretatur. Supponentes illi, Christum Jesum fere medio. *Millenario sexto* venisse in Mundum, plane sibi persuadebant, illum sexto millenario finito venturum ad renovandum Sæculum Sabbathicum mille annorum; quo demum exacto secundum Barnabam & alios sequerétur *Novum Seculum*, ἄλλη κόσμου ἀρχὴ, *initium Novi Mundi*, quod comparabant cum *octavo die* supernumerario Festi Tabernaculorum. Consonas Patrum aliorum, aliorumque etiam paulo differentes, exhibent in eruditis ad hunc locum Annotationibns Cotelerius & Menardus; & Monachius etiam, venerandæ memoriæ Præceptor, *Var. Sacr.* Part. II. p. 848. quare nihil his addo.

A Hieron. Comm. in Jer. Cap. XIX. 7.... *Quanquam sibi Judæi auream atque gemmatam Hierosolymam restituendam putent: rursumque victimas, & sacrificia, & conjugia sanctorum, & regnum in terris Domini Salvatoris: quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus; quia multi Ecclesiasticorum Virorum, & martyres ista dixerunt; & unusquisque in sensu suo abundet, & Domini cuncta judicio reserventur.*

B Secundum illud Hesiodi, *Op. & D.* ℣. 119. Καρπὸν δ' ἄφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἀφθονον· Fructum autem ferebat fertile arvum Sponte sua multumque & copiosum. Cæteros Poëtas & Mythologos de Saturniis temporibus non describo; descriptos sæpius. Ælianus in recensione traditionis Sileni de Urbe maxima, quam Ἐυσεβῆ ΡΙΑΜ vocat, à *piis* & *pacificis* habitatam; (*Var. Hist.* Lib. III. Cap. XVIII.) Pios *igitur* in pace vitam agere & amplis divitiis; καὶ λαμβάνειν τὰς καρπὰς ἐκ τῆς γῆς, χωρὶς ἀρότρων καὶ βοῶν, γεωργεῖν δὲ καὶ σπείρειν οὐδὲν αὐτοῖς ἔργον εἶναι· *fructumque ex terra capere sine aratris ac bubus; neque solere eos agrum colere aut serere.* In Sibyllinis, ubi Elysii Campi ex Christiana disciplina describuntur, Lib. II. *sub finem*, inter alia multa;

Γαῖα δ' ἴση πάντων, ἀ τείχεσιν, ἀ περιφραγμοῖς
Ἐμπεριζομένη, καρπὰς τότε πλείονας οἴσει
Αὐτομάτη, κοινοί τε βίοι, καὶ πλοῦτος ἄμοιρος.
Terraque par cunctis, non ullis invia muris,
Aut interseptis, fructus feret uberiores,
SPONTE SUA; *victus communis, opesque beatæ.*

a Institut. Theol. Lib. V. Cap. XXIII. *b* Lev. XXVI. Deut. XXVIII. per totum. Tsephan. I. 13. *c Observ. S.* Lib. V. Cap. VI. *d* 1 Sam. II. 35. Prov. XIV. 1. *e* Cap. IV. 1. *f* 1 Cor. XV. 58. *g* Cap. III. 10.

Varia ejus rei exempla.

post sua tempora frequenter experti sunt. Paulus ad Galatas [a]: *Affectant enim vos, non bene; ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ἡμᾶς θέλουσιν, ἵνα αὐτοὺς ζηλῶτε· sed* EXCLUDERE NOS VOLUNT, *ut* SE *affectetis.* Petrus de falsis Doctoribus [b]: *Καὶ ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται· Et per avaritiam fictis sermonibus vobis ad quæstum abutentur.* quod est *τῆς πίστεως τινος κυριεύειν· fidei alicujus* DOMINARI [c]. Idem accidit, si alicujus dicta, scripta, meditationes, ad errores adstruendos, aut ad falsas hypotheses, ambitioni servientes, contra auctoris mentem trahantur; ut fere omnis hæresis, & universum corruptæ Ecclesiæ ædificium, à Doctoribus superstructum est locis Scripturæ Sacræ, perverse acceptis. Si meditata, scripta ac doctrinæ bonæ notæ, publici juris facta, ab aliis *φιλονείκοις* aut *φιλοτίμοις* ex ambitione aut invidia traducantur, refellantur, obscurentur, ut laudem fructumque operis alieni sibi vindicent. Hoc tempore labores & studia, bene locata, non verterentur in alium finem & usum, quam cui ab auctoribus destinata essent, dum falsi Doctores *λαλοῦντες διεστραμμένα loquentes perversa* [d], & *ἀνατρέποντες τὴν τινων πίστιν, quorundam fidem pervertentes* [e], nulli in Ecclesia superessent. Ergo *quod ædificaret* quisque, *possideret*; quod *plantaret*, non interciperetur ab alienis. Denique [f]. Majores in Junioribus, Parentes in liberis, Præceptores in Discipulis, à se spiritualiter genitis, respecturos esse & cum delectatione in longum visuros & agnituros eandem imaginem novi hominis in Christo, quam in se ipsis agnoscerent ut opus Divinæ gratiæ, longa generationum serie; & tanquam *semen à Jehova benedictum omni benedictione* spirituali, eandem benedictionem ad posteros transfusuros esse. ut in Ode sacra [g]: *Filii servorum tuorum habitabunt; &* SEMEN *illorum coram te* STABILIETUR. Et alibi [h], *Accumulet Jehova benedictionem super vos: super vos & super liberos vestros.* Sed integra decurrit in hoc argumento Ode, CXXVIII. hoc clausa Epilogo: *Et videbis filios filiorum tuorum: Pax super Israëlem.* Sic *Electi Dei* non *generarent in vanum*, sed cum propaginibus suis gauderent Divina benedictione. Nihil in his est quæ proposui, violentum aut coactum, ut puto. Multi credentium hactenus gavisi sunt hujusmodi beneficiis Divinæ Providentiæ & Gratiæ; sed non sane huc usque totum Corpus Ecclesiæ.

Majores in posteris viderent in longum benedictionem Divinam.

(d.) Arctissima *cœlorum* & *terræ* conjunctio.

Quartum privilegium: Arctissima cœlorum & terræ conjunctio, ℣. 24. *Deus responderet, ipsis invocantibus, &c.*

℣. 24. *Et futurum est, ut* ANTEQUAM *invocent, Ego respondeam; dum ipsi adhuc loquuntur, Ego exaudiam.*] En amabile beneficium, verissimum sigillum Divini favoris, & amoris Paterni! Recte præscripsi, significari hisce verbis arctissimam cœlorum ac terræ, hoc est, Dei & hominum, conjunctionem; quippe Deum votis ac desideriis suorum, quæ hic justa ac voluntati ejus conformia supponuntur, abunde & confestim esse satisfacturum, eaque etiam bonitate fore, ut subinde ea ultro præveniat, & hactenus nihil petentibus, nihil loquentibus respondeat. Id enim sententia in emphasi sumpta involvit. Prima verborum inspectio hunc sensum dat; *Deum* se invocantes protinus esse exauditurum; & ante finitam precationem, petita optataque iis indulturum: ut adeo posterius membrum interpretetur prius; quod ita se habet, *Et erit ut antequam invocent, respondeam*; hoc est, antequam petitionem suam & invocationem absolverint; ut mox additur, *Et adhuc loquentes exaudiam.* metaphora sumpta ab hominibus profusæ indulgentiæ, qui ex primis petentium verbis petitionis votique sensu percepto, ante terminatam orationem, occupant ac prævertunt petentes, & benigne ac peramanter, se quid petatur intelligere, & petitioni lubenter annuere, respondent. Id maximum est quod hic videbatur promitti posse, aut impetrari fas esset. Quid enim æquius, quam ut pressi necessitatibus eas Deo prece commendent? quid indulgentius, quam ut ad preces confestim exaudiantur? Et tamen plus involvitur amplitudine promissi; Deum nimirum, qui exploratas habeat suorum necessitates, *τὸν γινόντα ὧν χρείαν ἔχουσι, πρὸ τῆς αἰτήσαι αὐτοὺς· qui novit quibus opus habeant, antequam ab eo petant* [h], ipsas etiam preces subinde *præventurum*; qui *bonitatis* quidam cumulus est, exspectatione & voto major. De re ipsa nihil fere habeo, quod addam, cum de ea egerim ad Cap. XXX. 19. ubi ejusdem fere tenoris promissum legitur: *Omnino non flebis: miserendo miserebitur tui ad vocem clamoris tui.* SIMULAC AUDIVERIT EUM, RESPONDEBIT TIBI. Confer Cap. XLIX. 8. Cæterum monent nos hæc verba, *a.* De *præsentia* Dei apud Populum Electum sanctæ hujus Civitatis, & de peculiari cura, inspectione, ac providentia, qua circa singulos ejus cives versabitur; cujus symbolum est festinata precum & supplicationum ad ipsum in fide effusarum exauditio. Sic Poëta Divinus [i]: PROPE ADEST *Jehova omnibus invocantibus se; omnibus*, inquam, *qui illum invocant,* בֶּאֱמֶת IN VERITATE. *placitum reverentium sui faciet; & clamorem ipsorum exaudiet, & servabit eos.* Formula exauditionis est, ECCE ADSUM, Ecce me præsentem. Propheta noster in superioribus [k]: *Tum invocabis, & Jehova exaudiet; clamabis, & dicet,* ECCE ME. Cœli & terræ hoc tempore ea conjunctio esset, ut Deus præsens præsentibus confestim succurreret. β. De *Paterna Dei erga suos bonitate, gratia, & indulgentia*, & de *fiduciali* ac *familiari* suorum ad ipsum accessu, quippe *Jus adoptionis*, quod consequuti sunt in Christo Jesu, hoc tempore clarissime demonstraretur, & omnem vim suam exereret. Sic ipse apud Jeremiam [l]: *Et dixi,* PATER MI, *me appellabis; & à post me non averteris.* Apostolus [m]: *Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit vobis, secundum divitias suas,* GLORIOSE, *in Christo Jesu.* Omnes preces Credentium, in fide & recto animo fusæ, semper exaudiuntur, & suum obtinent effectum, ad rationes Providentiæ Divinæ accommodatum. sic sentio. quanto magis hoc Ecclesiæ tempore, quo Deus *Spiritum Gratiæ & Precum* in Ecclesiam large effusurus, Populi sui studia, vota, cupiditates eum in modum sanctificabit, ut præter id quod Deus vult, nihil velint.

Summa sententiæ hujus *commatis.*

Innuitur intima Dei apud Ecclesiam præsentia.

Primum beneficium: Deus omnes se *invocantes* exaudiret.

Alterum: Deus pro summa gratia & indulgentia sua precationes & vota ipsorum præveniret.

Locus Cap. XXX. 19.

Animadversa ex his verbis de proxima Dei præsentia apud Ecclesiam illustrantur.

Analoga huc facientia.

Preces omnes in fide fusæ exaudiuntur.

(e.) PAX GENERALIS. Satanæ & Malorum enervatæ vires.

Quintum Privilegium: Pax cum destructis Satana ejusque instrumentis, ℣. 25. *Lupus & agnus, &c.* Sententia pericopæ.

℣. 25. *Lupus & agnus simul pascent; & leo ut boves comedet paleas; & ad* SERPENTEM *quod attinet: cibus ejus* ERIT PULVIS. *Non nocebunt, neque inferent injuriam in toto monte meo sancto, ait Jehova.*] Sensus est, quem quisque videt; Ecclesiam hoc tempore à nullis hostibus externis aut internis esse infestandam; sive hostes Ecclesiæ feroces, *Lupi* & *Leones* mystice dicti, à Deo compescantur; sive qui olim tales erant, Verbo & Spiritu gratiæ mitescant; ut licet lædere possent, lædere tamen nolint; sed potius adjuncti communioni Sanctorum, quidquid in se est, opes facultatesque lubenter ad commodum Ecclesiæ & decus ejus in medium conferre velint. Posteriorem respectum hujus loci late, & ut putem, vere adstruxi, in commentatione ad Cap. XI. 6--8. Merito à ratione alienum censeatur, in Agro Ecclesiæ novissimæ hujus Periodi in medio Credentium sanctificatorum, in medio, inquam, Ecclesiæ à scandalis purgatæ, plures superfuturos esse *lupos, leones, ursos, leopardos*, qui gregi sacro adjuncti *una* & *simul* cum vero Dei Populo eodem uterentur pastu spirituali. Exteri quoque, qui hoc emblemate in describendis temporibus pacis ac securitatis utuntur, quos à Bocharto [n] adductos videbis, illud capiunt de *animantibus* feris, mutato ingenio, mansuefactis. Duo itaque tantum attingam quæ hic locus

Emblema accipiendum est de conversione hostium Ecclesiæ.

---

[a] Gal. IV. 17. [b] 2 Pet. II. 3. [c] 2 Cor. I. 24. [d] Act. XX. 30. [e] 2 Tim. II. 18. [f] Ps. CII. 29. [g] Ps. CXV. 14. [h] Matth. VI. 8. [i] Ps. CXLV. 18. 19. [k] Cap. LVIII. 9. [l] Cap. III. 19. [m] Phil. IV. 19. [n] *Hieroz.* Part. I. Lib. I. Cap. II. & Lib. II. Cap. XLVII.

locus ſibi peculiaria habet; cætera expoſita relinquam. Primum leve eſt. Propheta ſcripſerat Cap. XI. 6. וגר זאב עם כבש *Et cohabitabit Lupus agno.* Hic idem dicere volens, ſic declarat mentem, *Lupus* וטלה & AGNICULUS *paſcent una.* Scripſit, inquam, acſi ſe ipſe emendare cuperet. Veluti enim non ſatis ἐνεργῶς expreſſiſſet rem, quam dicere propoſuerat, mutat כשב *Agnum* in טלה AGNICULUM. כשב Hebræis eſt agnus *media ætatis:* ſed טלה eſt *agniculus, ſubrumus, lactens,* in ſinu geſtandus, ut vidimus ad Cap. XL. 11. de quo latius ὁ πάνυ [a]. Cum enim lupus cæteroquin in *agnos,* ut in paſtum, feratur: tum præſertim in *agnellos,* ſua teneritudine voracis animalis cupiditatem magis etiam excitare aptos. Hæc ſumma dictionis vis eſt, omnimodam innuens converſionem eorum, qui olim ut Lupi infeſti inſidiati fuerant Gregi Eccleſiæ. Qui enim *agnellis* parcere poteſt *Lupus,* & quidem cum eo ſibi proximo paſcere: oportet ingenium ſuum plane mutaſſe. De myſtico ſenſu nihil addo. quid enim ſymbolum *Agnellorum* in ſpiritualibus figuret, explicui ad locum modo adductum ex Cap. XL. 11. Alterum quod hic locus ſibi privum habet, gravius eſt. Verba Jeſaiæ ſunt: ונחש עפר לחמו *Et ad* SERPENTEM *quod attinet: cibus* (*panis*) *ejus erit pulvis.* Sic proprie ſonant Hebræa, ut recte Piſcator. Senſus eſt, Quæris, quid *ſerpenti* futurum ſit, nocivo inprimis animali, & humano generi inimico? Reſpondeo, *cibum* ejus fore *pulverem.* Non dicit, ſerpentem in Agro Eccleſiæ, vel inter animantes aut feras cæteras ſæviturum eſſe: ſed ſolummodo comeſturum eſſe pulverem. Ipſa phraſis ſatis arguit, nec agi de *Serpente* proprie ſic dicto; neque etiam de proprio *eſu pulveris.* Ut adeo Docti aliqui homines noſtri ævi, qui pro glorioſo Chriſti Jeſu Regno in hiſce terris, ſed ſpirituali, ſcripſerunt, & quæ in hac pericopa & alibi leguntur, proprie intelligi voluerunt de Natura rerum hoc tempore tranſmutanda in Statum integritatis & felicitatis Paradiſiacæ: vel ex hoc articulo erroris ſui convinci poſſint. Expoſitio hæc tota, vel hoc articulo ſepoſito, alieniſſima eſt à ſtylo Prophetico, à ratione probabili, & ab analogia Scripturæ S. Poteſt Eccleſiæ ſuum decus conſtare integrum abſque feris manſuefactis. Sed nolo me miſcere improbabilibus refellendis; nec eſt id mei moris. Hunc tantum articulum inſpiciam. Primo, ſi rem κατὰ γράμμα capias: quid magni beneficii involutum eſt promiſſo *ſerpentis* cibandi *pulvere?* Eſtne enim ut multi numero homines à ſerpentibus pereant? Nulli utique in Aquilonaribus terris, quæ ſerpentes non alunt: in terris autem calidioribus quam rari? Deinde, ipſi utique agnoſcunt, *Serpentes* in prima inſtitutione Naturæ ſic factos non eſſe, ut *veſcantur pulvere.* Cum enim *Seductori* primorum hominum, *Serpenti* dicto, in Paradiſo *pœnæ* loco imputetur, fore ut dehinc veſcatur pulvere: ſupponitur utique in allegoria, *Serpentes* per naturam *pulverem* non edere. Tertio, cum in *pulvere* nihil nutrimenti ſit: non eſt veriſimile, ullum animal ex *pulvere* vivere. Ex *terra* quidem non plane negem, in qua ſuccoſum quid eſt; & ſunt illuc referenda exempla quæ huc traxit Bochartus [b]; qui cæteroquin ex Ariſtotele [c] demonſtrat, illos *carnem* edere ſolere & *herbam,* & *cupediis deditos eſſe præ cæteris animantibus:* dici tamen poſſe *veſci pulvere,* non quod *veſcantur ſolo pulvere, ſed quia cum humi repant, fieri non poteſt, quin pulverem in os cum aliis cibis ſimul ingerant.* Sit id ita. Verba Jeſaiæ nos recta ducunt ad ſententiam à Deo dictam in Serpentem ſeductorem Evæ Diabolum, allegorice expreſſam [d]: *Maledictus eſto tu præ omni jumento, & præ omnibus beſtiis agri: ſuper ventrem tuum incedes, &* PULVEREM VESCERIS *per omnes dies vitæ tuæ:* quam Jeſaias oſtendit hoc tempore verum implementum conſecuturam eſſe. Significatur figurata loquutione, Diabolum, quem hic reſpicies ut malarum Poteſtatum Principem, α. Non nociturum Eccleſiæ, neque *ſeducturum Gentes;* ſed *ligatum iri,* poteſtate ejus à Deo coërcita, ac reſtricta [e]. β. Verſaturum in Statu *abjectiſſimo,* à communione Dei & felicitate Sanctorum omnium longiſſime remoto, (qui verus ſenſus ſubeſt interminationi Divinæ,) inſtar victi ac proſtrati hoſtis *pedibus Eccleſiæ* ſubjecti [A]. γ. Vacuum omni *conſolatione,* perinde ac ex *pulvere* nullum nutrimentum delectabile capi poteſt. ut de hoſtibus Eccleſiæ apud Micham [f]: *Lingent pulverem inſtar ſerpentis.* Quæ meditatio excludit aliam Doctorum Virorum, hoc tempore ſatis vulgatam, quæ infert ex ſymbolica hac loquutione, fore, ut Satanas hoc tempore contentus ſit ſolis *pulvereis,* pulveri nimirum & terræ affixis, & *carnalibus hominibus* occupandis. Certe ſi id ipſi hoc tempore concederetur: reſtaret utique ipſi conſolatio. Hoc ipſum enim pabulum eſt quo nutritur. Quid vero in iis operaretur, niſi ut eos concitaret adverſus Eccleſiam? Sed ſupponuntur hoc tempore Regna Mundi, Deo & Filio ejus ſubjecta. Ergo quod magnifice cantatur in Ode præcellente XCI. de poteſtate Satanæ omni Chriſto Jeſu & Eccleſiæ ſubjicienda, quodque in *Chriſto Jeſu* olim impletum erat: hoc tempore implebitur in toto *Corpore Eccleſiæ.* confer luculenta loca Cap. XL. 10. XLIX. 24. Filius Dei *in mundum venit, ut diſſolvat opera Diaboli* [g]. Hæc illuſtria conſequentia eſſent *conditorum Novorum Cœlorum* & *Novæ Terræ:* imo hæc Eccleſiæ præſtare beneficia eſſet, *condere Novos Cœlos,* & *Novam Terram.* Præſtet Deus nos tantis promiſſis dignos!

Verba, *Cohabitabit Lupus cum Agno,* collata cum Cap. XI. 6.

Differentia notionum טלה & כשב.

Verba, *Et cibus Serpentis pulvis.*

Non agitur hic de *Serpente,* proprie ſic dicto.

Verba inſpecta ſecundum literam, non exhibent magnum beneficium.

An Serpentes per naturam veſcantur pulvere?

Verba Jeſaiæ referenda ſunt ad Gen. III. 14.

Quid iis involvatur?

Doctorum quorundam meditatio ad illa verba non laudata.

Partis Quintæ Libri Prophetiarum JESAIÆ

SERMONIS QUINTI,

Sectio Quarta.

Cum ex ſuperiore *Sermone* de repudiandis Judæis & vocandis Gentibus, grave dubium naſceretur de *Templo* & *ſtabili cultu* ſecundum Legem ex Divina Voluntate perpetuando; cumque circa idem illud tempus, quo Judæis hoc Judicium immineret, ipſi illi Judæi Templo illi amplificando atque exornando ingentem operam & ſumptum impenderent, tanquam Religionis Patriæ zelotæ: intervenit Deus ſua oratione, oſtendens, ſe Templo ejuſque cultu facile carere poſſe. utique enim Templum ſe habere melius, & natura ſua dignius, quod inhabitet: cultum autem hypocritarum externum Legalem, abſque fide & contra fidem, tam ſibi inviſum eſſe, quam ſunt fœdiſſima ſcelera ab hominibus adverſus Legem perpetrata. Inde ſeveriſſimam pœnam ipſis illis hypocritis, qui Vocationem

[a] *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XLIII. [b] *Hieroz.* Part. I. Lib. I. Cap. IV. [c] *Hiſt. Anim.* Lib. VIII. Cap. IV. [d] Gen. III. 14. [e] Apoc. XX. 1. [f] Mich. VII. 17. [g] Rom. XVI. 20. [h] 1 Joh. III. 8.

[A] Hoſtes armis victos ad pedes Victoris proſtratos jacere, ut *pulverem pedum* ejus veluti *lingere* dicantur: novum non eſt in hiſtoria; ſed occurrebat nuper in hiſtoria *Ortus & Occaſus,* ut ſcribitur, *Tractus* Orientalis Peninſulæ Indicæ; qui hodie ſignatur nomine *Cormandel;* Regem Golcondæ, à magno Mogulenſi Rege victum, ad conſpectum ejus tandem admittendum, juſſum eſſe *per viam* manibus pedibuſque inſtar ſerpentis *repere, pulverem edere,* & hac ſpecie coram ipſo comparere. Auctor eſt Hawartus Batavus, in *Hiſt.* Part. II. p. 232.

nem Evangelicam aſpernati fuerant, & fratres ſuos, veros Dei cultores, excommunicabant ac perſequebantur, interminatur; igne ex ipſo Templo ad illos conſumendos veluti erupturo; & è contrario Electos hoſce ſuos conſolatur ex *Vocatione Gentium*, emphatice deſcripta; ejuſque ſucceſſu mirabili ac lætis conſequentibus: ſimul ex ipſa illa judiciorum ſuorum clarigatione in Evangelii hoſtes; in quod exemplum ſeveritatis Divinæ oratio iterum vertitur. Mox *modus* hujus terribilis judicii & Electorum ex Judæis, Gentiumque ipſarum, vocandorum, oſtenditur. Denique ſubjicitur *Epilogus* hujus prophetiæ, & ſimul totius Libri, quo Deus certam facit Eccleſiam, ſe magnum Opus quod meditabatur *condendorum Cælorum novorum*, & *Terræ novæ*, eſſe conſummaturum, terminandum tandem in *Populorum omnium converſione*, & *probro* atque *interitu* omnium Religionis Evangelicæ adverſariorum *temporali* ac *æterno*.

Caput LXVI.

Textus Cap. LXVI.

1. Sic fatur Jehova: Cœli ſunt thronus meus, & terra ſcabellum pedum meorum: Ecquæ igitur Domus eſt, quam vos mihi ædificaretis; & ecquis locus eſſet meæ requiei?

2. Omnia hæc manus mea fecit; & exiterunt omnia hæc, ait Jehova. Verum ad hunc reſpiciam; ad humilem & fractum ſpiritu; ac trepidantem ad Verbum meum.

3. Qui mactat bovem, cædit virum; qui ſacrificat pecudem, decollat canem: qui offert fertum *eſt veluti qui offert* ſanguinem porci: qui adolet thus *eſt ſicut* cultum exhibens idolo. Etiam hi vias ſuas elegerunt, & abominationibus ſuis anima eorum delectatur.

4. Etiam Ego eligam quæ ægre ipſis erunt, & quæ metuunt adducam iis; propterea quod vocaverim & nemo reſponderit; loquutus ſim, & non audiverint; & fecerint quod malum eſt in oculis meis, & quo minime delector, elegerint.

5. Audite verbum Jehovæ, qui contremiſcitis ad Verbum Ejus: Fratres veſtri qui vos odio habent, qui vos excommunicant, ajunt, Propter nomen meum glorificabitur Jehova. At videbimus lætitiam veſtram, verum illi pudefient.

6. Vox tumultus ex Urbe; vox ex Templo: Vox Jehovæ rependentis retributionem hoſtibus ſuis.

7. Antequam parturiret, peperit: antequam correpta eſt dolore, enixa eſt maſculum.

8. Quis audivit aliquid huic ſimile? quis talia vidit? Eſtne ut terra gignatur uno die? naſciturne Gens una vice? quia ſimulac doloribus correpta eſt Tſion, peperit liberos ſuos.

9. An Ego perducerem ad partitudinem, & non facerem parere, ait Jehova? Num Ego gignerem, & occluderem uterum, dicit Deus tuus?

10. Lætamini cum Hieroſolyma, & gaudete ejus cauſſa omnes eam diligentes: ſummam concipite hilaritatem omnes ejus cauſſa lugentes.

11. Ut ſugatis, & ſaturemini ex ubere conſolationum ejus; ut ſugendo exprimatis, ac deliciemini ex vitali ſubſtantia gloriæ ejus.

12. Quippe ſic fatur Jehova: Ecce Ego extendo ſuper te inſtar fluvii (*Euphratis*) pacem; & inſtar Nili exundantis gloriam Gentium; & ſugetis: ad latus portabimini; & ſuper genua delectabiliter fovebimini.

13. Inſtar alicujus quem mater ſua conſolatur, ſic Ego conſolabor vos; & quidem Hieroſolymis conſolationem recipietis.

14. Et videbitis atque hilareſcet cor veſtrum; & oſſa veſtra inſtar graminis refloreſcent; & conſpicua evadet manus Jehovæ cum ſervis ſuis, dum ſevere tractabit hoſtes ſuos.

15. Quia, Ecce! Jehova veniet cum igne, & currus ejus inſtar turbinis, ad reddendam cum æſtu iram ſuam, & increpationem ſuam cum flammis ignis.

16. Quippe Jehova cum igne diſceptabit, & cum gladio ſuo, cum omni carne; & multi erunt confoſſi Jehovæ.

17. Qui ſe ſanctificant & purificant in hortis poſt Unum (*Ahadum*,) in medio: veſcentes carne porcina; & abominabili; & muribus: ſimul conſumentur, ait Jehova.

18. Et ad me quod attinet, Opera illorum & cogitationes ipſorum! Adeſt *tempus* quo congregem omnes Gentes, & Linguas, ut veniant & videant gloriam meam.

19. Et ponam in iis ſignum; & mittam ex illis reſiduis ad Gentes, Tarſiſam, Pulem, & Ludem, tractantes arcum; Thubalem & Javanem: inſulas remotas, quæ non audiverunt famam meam; neque viderunt gloriam meam; & annunciabunt gloriam meam inter Gentes.

20. Et adducent omnes fratres veſtros ex omnibus Gentibus munus Jehovæ; in equis & curribus, & pilentis, & mulis, & dromadibus, ad montem meum Sanctum Hieroſolymam; inquit Jehova: ſicut Iſraëlitæ adducunt fertum in vaſe puro Domum Jehovæ.

21. Atque etiam ex iis aſſumam in Sacerdotes, in Levitas, ait Jehova.

22. Quoniam ſicut cœli illi novi & terra illa nova, quæ Ego facere inſtituo, coram facie mea conſiſtunt, ait Jehova: ſic ſtabit Semen veſtrum, & Nomen veſtrum.

23. Eſtque futurum, ut à Novilunio in Novilunium; & à Sabbatho in Sabbathum, veniat omnis caro ſe incurvatum coram me, ait Jehova.

24. Et exibunt ac videbunt cadavera hominum illorum qui à me defecerunt, ſiquidem vermis illorum non morietur, & ignis illorum non extinguetur; eruntque probroſæ execrationi omni carni.

Argu-

Argumentum, *Scopus*, & *Analysis* hujus *Sectionis*.

Argumentum hujus *Sectionis*.

THanta affinitas intercedit inter hanc *Sectionem* ac *superiorem*, ut Propheta fere per eam eundem in vaticinando ordinem servet; & subinde easdem phrases repetat, quibus in *superiore Sectione* & antecedentibus, usus fuerat; ut proinde hæc prophetia tota superiorem illustret. Exordio itaque, cum neutiquam videretur probabile, Deum Templum sibi consecratum, summa cura & sumptu circa extrema Reipublicæ tempora extructum ornatumque, velle deserere, & cultum Lege præscriptum abolere: ipse Deus magnifica oratione explicat, non curare se *Templum manufactum* [a], cum si aliud sibi non suppeteret Templum, *cœli* & *terra* sibi sufficerent [b]: sed se habere melius & naturæ suæ congruentius Templum, animos piorum hominum, humili sensu gratiæ suæ affectorum, & Verbi sui reverentium [c]: holocautomata autem boum & pecudum, sibi per hypocrisin ab indignis oblata, eodem se loco habere quo scelera & crimina fœdissimæ notæ adversus clarissima Interdicta Legis suæ perpetrata [d]; simul hypocritas quos in mente habebat, aperte demonstrat, docetque, hypocrisin illorum versuram esse in ipsorum exitium, ejusque causam clarius explicat [e]. Inde *Apostrophe* facta ad veros cultores suos, quos blande compellat, erigit illos solatio, tam respectu vindiciarum, quibus Popelli sui electi, afflicti & excommunicati, causam, contemptum ac injurias prosequeretur, ex ipsa *Urbe* & *Templo* erupturis [f]; quam respectu læti ac omni cogitatione, nec tamen potentia sua, superioris successus *Vocationis Gentium*, quem successum sub venusta figura graphice depingit [g]; excitans Populum electum ad lætitiam solidam ex mirabili hac mutatione rerum percipiendam [h]; & late exponens beneficia, quæ Novo huic Populo suo, Hierosolymæ videlicet spirituali, terrestri supponendæ, decreverat, & cum tempore repræsentaret [i]. Mox digreditur, tanquam superiora elucidaturus, ad declarandum tum *modum* Judicii inobedientibus & sceleratis infligendi [k], tum *modum* ac rationem Electorum ex Judæis & Gentibus adducendorum ad suam communionem [l]; utrumque venustis & ad rem aptissimis figuris involvens. Denique tum hanc prophetiam, tum totum hunc Librum claudit *Epilogo* consolatorio, quo promissa omnia tam in hac prophetia, quam per totum Librum diffusa, obsignat, & Deum loqui ac solenniter testificari facit, se magnum quod à sæculis molitus est opus Oeconomiæ Novæ, *Novorum*, inquam, *Cœlorum* ac *Terræ Novæ*, ad summam perfectionem suam esse consummaturum; ut omnes per Orbem homines, *gloriæ Dei* testes, & de vera Religionis doctrina, tum ex ipsius illius doctrinæ lumine ac claritate, tum ex Judiciis quibus hostes suos prosterneret, & Ecclesiæ suæ subjiceret, Deum verum ubique agnoscerent, colerent, & in cultu suo studio summo perdurarent; dum hostes qualescunque Evangelii obstinatos, Veteres ac Recentiores, communione Dei & Ecclesiæ seclusos, viderent tristi ac miserabili statu opprobrii, miseriæ, & malæ conscientiæ, æternæ infelicitatis prænuncio. [m]

Ejus *Scopus*.

II. Perspicit quisque ex *Argumento* hujus *Sectionis Elenctico-Paracletico*, *Scopum* ejus esse, *solari* ac *terrere*; erigere pios & veros Dei cultores à fratribus hypocritis, numero, auctoritate, potestate, superioribus contemptos & communi odio ac invidia expositos, ex promissis eorum mala & afflictionem lenire aptis; contra vero *dejicere* ac terrere superbos, carnales, hypocritas, zelum Religionis, sed à se electæ, à Deo non laudatæ, præferentes & cultui externo fidentes, dum interea se fœdis criminibus polluebant: quod Deo invisissimum est hominum genus: quem eundem scopum monui esse *Sectionis* superioris. quare hic plura non addo. Ἐλέγξεις per totam *Concionem* sunt intermixtæ παραλήψεσι, ut passim fit in Verbo Prophetico. *Cædit* & *sanat*; *vivificat* & *necat*. Pungit ut pugio, secat ut gladius; sanat ut balsamum. Suam quisque in hoc speculo imaginem; suam sortem recognoscit.

Nexus cum *Sectione* superiore.

III. *Nexus* ejus cum *Sectione* proxime *antecedente* in cujusque incurrit sensum: ita tamen ut connectatur non cum *extremis*: (licet neque hunc nexum refugiat hæc Sectio, ut mox monstrabo,) sed cum *principio Capitis* sive *Sectionis*, superioris. Quod Propheta ibi *tractaverat*; hic veluti *retractat*. Elenchum quem ibi instituerat adversus Judæos refractarios, Evangelio non obsequiosos, telam redorsus, hic iterat ac recentat; desinitque *Elenchus* in eo, quod terminaverat *Elenchum* superiorem, hoc est, in *Novis Cœlis Novisque terris*, ℣. 22. coll. cum Cap. LXV. 17. unde subinde non res ipsæ, sed & phrases repetuntur, ut patet conferenti inter alia ℣. 4. cum Cap. LXV. 2. ℣. 5. cum Cap. LXV. 5. ℣. 17. cum Cap. LXV. 3. 4. Interim variæ partes hujus *Sectionis* sive confirmant, sive illustrant emblemata, quibus Jesaias usus erat in *Sermonibus superioribus*. veluti si, quod ℣. 2. profitetur de *vero* & *spirituali* Templo suo, conferas cum Cap. LVII. 13. quod Divinus Scriptor hic graphice vaticinatur de fœcundissimo ac festinatissimo Ecclesiæ partu, ℣. 7. 8. cum Cap. LIV. 1. & Cap. XLIX. 21. quod hic loci legitur de pace, prosperitate, & commoditate accedentium ad communionem Ecclesiæ, fore ut sugant *ubera consolationum*, & *ad latus portentur*, ℣. 13. 14. cum Cap. XLIX. 22. & LX. 4. tum quod hic legis de *Vocatione* Electorum Judæorum dispersorum inter Gentes, & ipsarum Gentium, ℣. 19. compares cum Cap. XLIII. 5. 6. Cap. XLIX. 22. LX. 9. Unde facile etiam colligas, hosce *Sermones* fere circa idem tempus à Propheta, modo in hanc modo in diversam contemplationem rapto, conscriptos vel dictatos esse. Quare etiam de *occasione* hujus prophetiæ editæ nihil dicendum habeo, nisi quod ad *superiorem Sectionem* monui.

Scena Prophetiæ.

IV. *Scena* prophetiæ sic est instructa, ut Deus *loquens* potiores in ea partes faciat; *interloquente* modo *Propheta*, sustinente typum Doctorum Ecclesiæ, notitiis ex ejus prophetia haustis instructorum, & ex iisdem notitiis Ecclesiam à *falsis fratribus* contemptam consolantium, ut ℣. 5--7. & ℣. 11--17. modo *Choro* Ecclesiæ, magnificentiam promissorum sibi factorum cum admiratione excipiente, ℣. 8. cui Deus ipse responsum aptat, ℣. 9. Figitur autem *Scena*, in initiis Oeconomiæ Novæ; ut mox patescet.

Analysis totius *Sectionis*.

V. *Sectio* tota bifariam dividitur; continetque *Primo* Prophetiam Elenctico-Paracleticam, ex interminationibus & consolationibus respectu *Subjectorum* diversi generis contextam: Deinde, Prophetiæ illius, & totius hujus Libri Prophetici Epilogum.

Prophetia Elenctico-Paracletica, in duo Membra dispescitur, Πρόθεσιν Propositionem, ℣. 1--14. & Ἔκθεσιν Expositionem, sive *Declarationem* & *Confirmationem* Propositionis, ℣. 15--21.

a. Propositio exhibet *Elenchum*, & *Consolationem*.

(a.) Elenchus, ℣. 1--4.

a. *Deus* magnifica oratione occurrit dubio, quod adversus Mutationem Oeconomiæ Ecclesiæ moveri posset;

[a] ℣. 1. [b] ℣. 2. [c] ℣. 2. med. [d] ℣. 3. [e] ℣. 4. [f] ℣. 5. 6. [g] ℣. 7. 8. 9. [h] ℣. 10. [i] ℣. 11--14. [k] ℣. 15--17. [l] ℣. 18--21. [m] ℣. 22--24.

set; non videri probabile, Deum *Templum suum* deserere velle, ℣. 1. 2.

b. Declarat sensum suum de *Sacrificiis* & cultu carnali ab hypocritis, & quidem sub Oeconomia gratiæ, sibi delato, ℣. 3.

c. *Interminatur* hypocritis severum & imminens judicium, ℣. 4.

(b.) CONSOLATIO, Reverentium Dei, oratione per *Apostrophen* ad eos versa;

a. Ex *contemptu* illorum severa & publica ultione à Deo vindicando, ℣. 5. 6.

b. Ex *Vocatione Gentium*, ejusque *Vocationis* festinato Successu, ℣. 7.

Cujus Successus demonstratur *mirabilitas*, ℣. 8.

Et Causa, ℣. 9.

c. Ex lætis consequentibus hujus Vocationis, sc. ex *beneficiis* Divinæ Gratiæ in Novam hanc Ecclesiam conferendis; ubi

|| *Excitatio* ad lætitiam ex hac spe concipiendam, ℣. 10.

|| *Beneficia* illa ipsa late declarantur, ℣. 11--14.

β. EXPOSITIO sive *Confirmatio* Propositionis hujus Prophetiæ, Qua

(a.) Declaratur *modus ultionis* de Apostatis sumendæ per *ignem & gladium*, ℣. 15. 16.

(b.) *Causa* tantæ severitatis demonstratur, gravissima ac detestanda Hypocritarum crimina, ℣. 17. 18.

(c.) Ostenditur *Modus* instituendæ Vocationis Electorum extra Canaanæam.

a. Respectu *causarum instrumentalium*, ℣. 18. *med.* 19.

b. *Modus* ipse Electorum adducendorum exponitur, ℣. 20.

c. Adductorum *Privilegia* describuntur, ℣. 21.

EPILOGUS Prophetiæ hujus & totius Libri Prophetici, explicans Eventum *verorum Dei Cultorum & hypocritarum* per omnia tempora Ecclesiæ Novi Fœderis, usque quo *Creatio Cœlorum Novorum & Terræ Novæ* perfectum consequatur complementum, respectu Electorum & Hypocritarum, ℣. 22--24.

VI. *Anacrisi* locum non facio, cum dubium reddere nolim, quod res ipsa certum esse clamat. Monebo tamen quæ huc pertinent, necessaria, ad *primam periopam:* simul quæ ex singulis prophetiæ partibus dubia nascuntur, ipsa commentatio occupabit ac resolvet. Admonitio de *Anacrisi.*

PARS PRIOR: *Prophetia ipsa*, ELENCTICO-PARACLETICA.

Primum ejus *Membrum:* PROPOSITIO, ubi

a. ELENCHUS.

(a.) *Declaratio Dei* qua occurrit *Dubio* de *Templo* à se deferendo, ac abolenda *Oeconomia Vetere.*

Pars prior: *Prophetia ipsa.* Primum ejus Membrum, *Propositio*, complexa *Elenchum*, ℣. 1. *Sic fatur Jehova, &c.* Assumitur hypothesis; Orationem hanc verti ad hypocritas.

℣. 1. *Sic fatur Jehova: Cœli sunt thronus meus, & terra scabellum pedum meorum:* ECQUÆ IGITUR DOMUS EST *quam* VOS *mihi ædificaretis; & ecquis locus est meæ requiei?* ℣. 2. *Omnia hæc manus mea fecit; & extiterunt omnia hæc, ait Jehova:* QUIN *ad hunc respiciam; ad humilem, & fractum spiritu, ac trepidantem ad verbum meum.*] Deus hic in medium prodit, magnifica suæque majestati congruente usus oratione; ad cujus genuinum tendenti sensum primo omnium supponendum est, orationem hanc Dei verti ad *hypocritas*, Templi & victimarum curam Deo imputantes ut præcipuam cultus sui partem. Id quidem forte Intt. exceptis Grotio inter nostros, & Abarbenele ex Judæis (licet de hypothesi diversum sentientibus,) largiuntur omnes, qui hanc prophetiam tractant; sed cum Vir illustris hic in oculis haberet tempora Maccabaica, Abarbenel autem perspiceret, suæ Gentis Intt. quod hæc verba nescirent cum vera hypothesi conciliare, adoptasse hypothesin falsam: visum ipsis est à communi sententia discedere. Grotii hæc sunt: *Quæ jam sequuntur, consolandis iis serviunt, qui visuri erant profanationem Templi sub Antiocho, & sacrificiorum cessationem per annos tres & dimidium. Ostendit ergo Deus, non esse quod hac re offenderentur. Sibi optimum Templum esse piam mentem; ex eo æstimari sacrificia, & seqq.* Observa, *a.* In figura hujus orationis nihil ejusmodi esse, cujusmodi quid Vir Illustris sibi proponit. Non ait hic Dominus, Quid *lugetis* ob profanatum Templum, & negata mihi sacrificia? quid hac super re turbamini, consternamini? Contra vero supponit, eos quos hic alloquitur, non voluntatem tantum, verum etiam facultatem habere ædificandi Templi; idque vel actu agere, vel agere ipsis propositum esse. id enim sonant verba, *Quænam igitur est* DOMUS, אשר תבנו לי *quam vos mihi* ÆDIFICETIS? β. Quod subjungit, *Ad illum respiciam; ad humilem & fractum animo:* non potest non dictum censeri ad illos ad quos hæc oratio vertitur, per modum *Elenchi*, quo *oblique* redarguit ac perstringit illud hominum genus, quod magna videbatur affectum cura & sollicitudine circa Templum materiale. Animos tantum suos, ait, tales præstarent, quales Deus honeste inhabitare posset; mitterentque curam Templi, quæ Deum non afficeret. γ. Verba, ℣. 3. *Qui mactat bovem, cædit Virum, &c.* ejusdem sunt sensus & tenoris, cujus hæc nostra de *Templo*; quæ absque dubitatione concepta sunt respectu ad hypocritas. Continent enim asperrimum Elenchum quo Deus testatum facit, quam sibi ingrata invisaque sint *sacrificia* ab hypocritis oblata. Quid vero? Estne probabile, Deum hunc in modum alloquuturum esse veros cultores suos *Hasidæos*, qui non sane ex hypocrisi, sed ex animi integritate Deum sacrificiis secundum Legem honorare cupiebant? Summa est, orationem esse *Elenchticam*, qua hypocritas convincit de supervacanea cura circa Templum, ejusque cultum; dum veri Dei Templi exiguam vel nullam habebant rationem. Et in eo quidem, ut monui, plerique consentiunt; nec tamen inter eos convenit, cui *tempori* aptanda sit scena prophetiæ. Sunt itaque, qui censent, Concionem hanc esse novam, & referen-

Quæ ex argumento prophetiæ refellitur.

Illustris Grotii sententia, qui orationem verti censet ad Hasidæos.

Cui tempori conveniat scena prophetiæ

Sunt qui hic demonſtrant ipſum tempus Prophetæ.

ferendam ad ipſum tempus Jeſaiæ. redire nimirum Prophetam in *fine Libri* ad id quod egerat *in principio*; homines ſuæ ætatis redarguere de vanitate *Cultus Externi*, carnalis, ſi ſejunctus ab interno & ſpirituali Deo deferatur ab hypocritis. Sic Kimchius Hebræus, non invito Aben-Ezra, ſententiam plane interpretatur: *Nunc redit ad redarguendos homines ſuæ ætatis impios, quod ſacrificiis jungerent opera mala, quemadmodum eos redarguerat in principio hujus Libri, &c.* Sanctius fere idem repetit; & Piſcator eodem tendit, ut quoque Calvinus & Belgæ; licet hi addito temperamento.

Verba Kimchii.

Alii auctores hujus hypotheſios.

Rationes quæ ei obſtant, & inter alias ſchema rerum illius temporis.

Non placet hypotheſis, *α*. Quia circa ætatem Prophetæ non patet ullam occaſionem ſe obtuliſſe faciendo huic Elencho cum reſpectu ad *Templum*. Ubi enim Deus ait, *Quam domum mihi ædificetis?* plane ſupponit, apud eos, ad quos Elenchus vertitur, eſſe curam & ſtudium Templi vel extruendi, vel inſtaurandi atque exornandi. Sed hiſtoria clare docet, circa idem illud tempus, ſub Achazo, & Filio ejus Hiskia, Reges illos inopia & egeſtate preſſos, ut Aſſyrio ſatisfacerent, coactos eſſe Templum ornamentis ſuis pretioſiſſimis nudare vel ſpoliare [a]. *β*. Conſequens contextus ỳſ. 5--8. hypotheſi repugnat, quippe clariſſime demonſtrans tempora Meſſiæ; ut adeo ipſi illi Interpretes mox cogantur hypotheſin deſerere, ac reſpicere tempus Meſſiæ; ipſo Kimchio hic non excepto. fruſtra quantum licet, renitente Sanctio, in quo hic deſidero candorem. *γ*. Inter hanc prophetiam & ſuperiorem tanta cognatio eſt, rerum & phraſium, ut quiſque utramque Sectionem legens perſpiciat, utrobique eandem rem agi, eaſdemque imagines & ſcenam eandem Jeſaiæ obverſatas eſſe, ut modo demonſtravi §. 3. Quare Abarbenel ipſe hanc hypotheſin longe rejicit, & ſcenam implementi hujus quoque prophetiæ figit in eo tempore, quo *Redemptionem* ex præſenti Exilio à Meſſia ſuo exſpectant; licet vere ſe infeliciter expediat [A]. Repeto demonſtrationem. Si verba non conveniant ætati Prophetæ; multo minus conveniunt Statui Reducum ex Exilio Babylonico, quando Deus per Prophetas Haggæum & Zachariam Judæos ad Templum reædificandum excitavit [b]. Neque etiam Statui Maccabæorum, qui Templo repurgando ac reparando ſecundum prædictionem Danielis operam dederunt [c]. de Templo autem Oniæ in Ægypto extruendo hic cogitare, plane ad rem non facit. Ergo nihil reſtat, niſi ut hæc verba vere referantur ad Templum Herodis, ab impuro Rege extrui cœptum anno Regni ejus octavo decimo, & uſque ad extrema Reipublicæ tempora continuatum, tanta ſtructuræ magnificentia, & ſumptu, ut Orbis terrarum ejus temporis nihil ſimile viderit; cujus hiſtoriam Joſephus exhibet [d]. De eo Judæi apud Joannem [e]: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt* TEMPLUM ISTUD, (h. e. quadraginta & ſex anni ſunt, à quo ædificari cœpit, opere huc uſque continuato,) *& tu triduo illud* deſtructum *eriges?* Et Diſcipuli Domini apud Matthæum [f]. CONSUMMATUM EST (τετέλεσο) *Ædificium* totius Orbis terrarum ſuperbiſſimum, ſumptuoſiſſimum, & munitiſſimum, biennio fere ante bellum fatale cum Romanis ſuſceptum, ut Joſephus [g]. Res ſupra fidem videtur; & tamen hic fido Joſepho, magnificentiam hujus Structuræ alibi [h] ad ſtuporem legentium perſequenti, tum data opera, tum ubique per poſteriores Libros de *Bello Judaico*. Hoc *Templum* in oculis habet Propheta, eo tempore extructum quo Gens tota, paucis exceptis, alienata à vero ſenſu Patrum, & mox etiam ſpreto Evangelio, deprehendebatur in manifeſta hypocriſi, & major pars in reatu graviſſimorum criminum. *Quænam illa eſt Domus*, ait hypocritis, *quam vos mihi ædificatis*, h. e. ædificare nitimini, tanto opere, tanto ſumptu, tanta magnificentia externa? *Et quis eſt Locus quietis meæ?* Τόπος τῆς καταπαύσεώς μου. ut οἱ ὁ. Sic paſſim Interpretes. Sed Coccejus: *Et quis locus requies mea.* & ante eum quoque Lud. de Dieu. Sic proprie Hebræa, ſecundum punctaturam Maſorethicam, ſecundum quam מָקוֹם *locus* eſt *ſtatus abſoluti*. Nec tamen in aliis interpretationibus quicquam vitii, quia ex frequente uſu Linguæ alterum מקום *ſtatus conſtructi*, hic ſubintelligitur; ut integra ſententia ſit, *Quis locus* eſt *locus quietis meæ?* Senſus eſt, Quis *locus* in terris à cæteris diſcretus in emphaſi dici queat fixa & ſtabilis *habitatio mea? Locus quietis* eſt *locus ſtabilis moræ*, cujuſmodi *locus*, cenſetur eſſe *Domus*, diſtincta à *Tabernaculis*, domibus portatilibus, certo loco non affixis, ut liquet ex Pſ. CXXXII. 8. coll. cum 2 Sam. VII. 6. Intellige *locum* in terris, à cæteris locis diſcretum, & circumſcriptum, cui Deus præſentiam ſuam prive allegarit. Quomodo vero? Utique enim Deus ſub Oeconomia Vetere elegerat *Hieroſolymam*, & collem *Tjioneum* à cæteris locis ſecreverat in Templum; qui proinde Mons perinde ac Sanctuarium Dei ſuper eum conſtructum dicebatur DOMUS, & *Locus* QUIETIS DEI. Sic Salomo, in Ritu initiationis Templi [i]: *Et nunc ſurge Jehova Deus* AD QUIETEM TUAM; *Tu, & Arca laudis tuæ.* Sunt ex Intt. qui expedituri dubium; hoc dictum præcipue referendum eſſe docent ad Oeconomiam Novam, & cum reſpectu ad hanc Oeconomiam interpretandum. Dicere itaque velle Deum, ſe à quo Populum Judæum ſibi peculiarem fecit, in Tabernaculo vel Templo apud ipſos habitaſſe, pro ratione Oeconomiæ externæ & carnalis: ſed hoc tempore gratiæ, mutata Eccleſiæ Oeconomia, thronum ſuum ex Hieroſolyma terreſtri tranſtuliſſe in Cœlum, poſtquam Filius per paſſiones conſummatus, conſederit ad dextram Divinæ Majeſtatis, Regno erecto cœleſti, & æterno. Non abnuo certe id recte dici, & ad rem: ſed cenſeo, eſſe aliquem ſenſum horum verborum hoc ſenſu priorem, & ampliorem, primo loco à Deo loquente intentum, hic non negligendum. Verba, *Ecqua domus ſit quam* VOS MIHI ÆDIFICETIS; *& ecquis locus quietis meæ:* ſignificant proprie & directe, (*interrogatione* verſa in *propoſitionem negantem*, ut paſſim:) manibus hominum nullam Deo Domum ſtrui poſſe, quæ ſit *vera* ejus *Domus*. Poteſt Deo exſtrui Templum, *veræ habitationis* Divinæ ſimulacrum & imago aliqua; ſed *vera* Domus Dei nulla niſi *typica*, aut *veræ* Dei *Domus* imago, eaque imperfecta; cum eſſentiæ Divinæ immenſitas Domum limitatam ac circumſcriptam, & vero *manu hominum factam*, excludat, ut in oratione ſua ἐγκαινιστικῇ ipſe Rex Salomo [k]; cumque Voluntas Divina, res mere ſpiritualis, ſe cum *acquieſcentia* & *complacentia* nulli rei unire queat niſi ſpirituali. Huc tendit docta oratio Stephani [l]: *Sed Excelſus ille non habitat in* TEMPLIS MANUFACTIS, *ut Propheta dicit*; COELUM MIHI THRONUS, &c. Non ait Propheta diſerte, *Non habitat*

Abarbenelis à Kimchio diſſenſus.

Non convenit quoque reducibus ex Exilio Babylonico.

Non temporibus Maccabaicis.

Elenchus pertinet ad extrema tempora Reipublicæ, quando Judæi ingentem operam impendebant ædificando & ornando Templo, auctore Herode.

Structuræ illius magnificentia.

Circumſtantia hujus temporis applicata ad prophetiam.

Animadverſio ad vocem מקום. *Locus* in his verbis.

Quid *Locus quietis Dei?*

Quomodo interrogatio Elenctica conſiſtat cum rei veritate?

Quomodo difficultas à multis expediatur?

Ἔπιχρισις in eam ſententiam.

Affinis, & planior, interpretatio dicti.

Uſus horum verborum in oratione Stephani.

---

a 2 Reg. XVI. 17. 18. XVIII. 15. &c. *b* Ezr. V. 1. *c* Dan. VIII. 14. *d* *Antiq.* Lib. XV. Cap. XIV. *e* Joan. II. 20. *f* Matth. XXIV. 1. *g* *Antiq.* Lib. XX. Cap. VIII. *h* *Bel. Jud.* Lib. VI. Cap. VI. *i* 2 Chron. VI. 41. *k* 1 Reg. VIII. 27. *l* Act. VII. 48.

A Abarbenel ad initium hujus Sectionis: *Vehementer miror verba Doctorum, hanc prophetiam interpretantium, dum dicunt, Prophetam ea redarguere homines ſuæ ætatis cauſſa ſacrificiorum, impiis manibus Deo oblatorum, ſecundum id quod ſcriptum eſt in initio hujus Libri,* (Cap. I. 11.) *Quorſum mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum, &c.* כי הנה כל הנבואות האלה שזכר הנביא בסוף ספרו היו על הגאולה העתידה ולמה ישוב למה שאינו מענינה שכב' דבר עליו בתחל' ספרו *quia ecce!* OMNES ILLÆ PROPHETIÆ, QUAS VATES COMMEMORAT IN FINE LIBRI SUI, RESPICIUNT REDEMPTIONEM FUTURAM, *& quorſum reverteretur Vates ad id quod ad argumentum, quod tractat, minime pertinet, de quo in initio Libri jam egerat? Sed verus ſcopus vaticinationis hujus, ejuſque contentorum, reſpicit Redemptionem futuram, in omnibus prophetiis quæ præceſſerunt. Coneret autem hæc noſtra cum ſuperiore hunc in modum: Quandoquidem cum promiſiſſet magna beneficia futuræ Redemptionis; ſolicitus eſt, ne cui in mentem veniret cogitare, quod Deo S. B. placeret Redemptionem præſtare Iſraeli ſui commodi & neceſſitatis cauſſa, ut Iſraelitæ reduces ex Exilio ſibi extruerent Sanctuarium, & ut Hieroſolyma ſit in manu cultorum ſuorum,* (לנוח leg. לנוח) *ut ibi requieſceret. Huic utique futili cogitationi ut occurreret; docet, Deum Benedictum nullo opus habere habitatione, & loco in quo requieſcat; ſiquidem Deus B. nullius loci menſura circumſcribi queat; & hoc eſt, quod dicitur, Cœli ſunt thronus meus, &c.* Hæc poſteriora frigide, & contra hypotheſin, cum cæteroquin *Sanctuarium* reſtituendum magni faciant. Sed redarguitur vaniras interpretationis ex ỳſ. 3. quem in alieniſſimum ſenſum detorquet.

bitat aut *habitabit* IN DIEBUS MESSIÆ; sed absolute, *Non habitat.* h. e. non habitat ἀληθινῶς VERE. Quare licet Deus Templum sibi ædificari permiserit sub Oeconomia Vetere, ut succurreret imbecillitati Ecclesiæ illius temporis: non erat tamen probabile, *Deum* Domum non *veram*, sed *simulatam*, eamque hominum impurorum manu extructam, semper in Ecclesia ferre velle. Habet enim *Templa*; habet *Domos* meliores.

Duæ Dei domus à Templo diversæ hic demonstrantur.

Duas demonstrat Deus ipse; liceat dicere, *Externam* & *Visibilem unam*, suæ majestati parem, non ab hominibus, sed à se structam; *Spiritualem* plane ac *invisibilem* alteram, in qua Voluntate sua plane acquiescat; nempe *corda piorum* hominum. Quod ad priorem attinet: COELI, ait, *sunt* THRONUS MEUS, & TERRA SCABELLUM PEDUM *meorum.* ubi vox הדום, consentientibus Magistris, est ὑποπόδιον, (ut οἱ ὁ. & Stephanus,) *scabellum*, suppositum pedibus sedentis in throno, ut sit *locus quietis pedum*, sive *locus pedum*, ut Propheta alibi *a*. Figura loquendi gemino modo accipi potest. Prior interpretatio in hunc exit sensum, *Habeo thronum in cœlis*, & pariter *in terris*, quam late cœli terræque vasta ordinataque materies se extendit. ubi enim est *scabellum pedum Dei* ibi est *thronus Dei*, quem scabellum supponit. fere ut Poëta sacer *b*: *Jehova firmat* THRONUM SUUM IN COELIS, & REGNUM EJUS *imperium exercet in omnia.* Ubique habet thronum, & nullus locus imperio ejus exclusus est. Plerique tamen Intt. fictionem Prophetæ sic interpretantur, ut cum totum hoc Universum, stylo sacro, dividatur in *Cœlos* & *terram*; *Cœli* vero undique sint circumfusi terræ, ut, inquam, *Cœli* sustineant emblema *sedis* Divini throni; & *terra* imaginem exhibeat *scabelli*, veluti Deo in throno sedenti substrati, tanquam extremæ partis throni Dei. quod verius videtur.

Sensus dicti Prophetæ, *Cœlum thronus meus*, &c. geminus. Uterque exponitur.

Primum interpretationis specimen.

Si fictionem primam sequaris; ait Deus: Quid tanto molimine tantoque studio, opere & impensis mihi struitis domum? Quid lapidum lignique moles & quicquid pretiosæ materiæ est, huc convehitis? Si enim externa & visibilis Domus, analogice sic dicta, mihi curæ sit: Universum hoc totum quam late patet, cœlos & terram complexum, respici velim ut *Domum* sive *Palatium*, in quo habeam *thronum*, sive *Regnum*, *factum* à me paratumque, ut esset gloriæ majestatisque meæ theatrum. Ipse complexu essentiæ ac præsentiæ meæ Universitatem totam rerum tenens ac continens, τὰ πάντα κρατῶν, ubique adsum, ubique præsum, omnia administro, ut summus Rector, & Ædis à me structæ Episcopus. Ubique apparent gloriæ majestatisque meæ vestigia: de quo *Regno Dei* Scriptura ubique magnifice loquitur *c*. Apostolus ad Athenienses *d*: *Deus ille qui* FECIT MUNDUM, *& omnia quæ in eo sunt, cum sit* COELI *&* TERRÆ DOMINUS, *in* MANUFACTIS TEMPLIS *non habitat.* Ergo totum *Universum*, ut *subjectum Regnum Dei*, hoc sensu censeri debet ipsius Templum ac Palatium, ut Apostolus hunc locum nostrum respiciens, plane docet.

Paraphrasis altera.

Alterum fictionis σχῆμα hunc dat sensum: Quid, hypocritæ, tanto opere mihi extruitis ornatisque Templum in *terris*? Si *visibile* Templum amem ut locum manifestandæ gloriæ meæ: est utique mihi longe præstantius & gloriosius æterni splendidique operis *in Cœlis*, quod ad *gloriam meam*, Potestatumque cœlestium & Sanctorum usum, paravi, cum *terra tota*, & quicquid è *terra* & *materia terrestri* paratur, (veluti Templum qualecunque licet splendidissimum,) respici debeat tanquam *scabellum pedum meorum*, hoc est, infimum gloriæ majestatisque meæ instrumentum ac suppedaneum. confer Cap. LVII. 15. Quid si præterea, ait Deus ℣. 2. Templum mihi in *terris*, ex materia terrestri, exædificantes, & studium hoc Vestrum mihi imputantes ut grandem Religionis vestræ partem, aliquid de eo quod *vestrum* est, in me conferretis? At qui nihil ejus est, ait, *Omnia hæc* MANUS MEA *fecit*; *& extiterunt omnia hæc.* Occupat absurdam cogitationem, acsi *Templum*, Domumque *vere* sic dictam *debere* possit hominibus; & quidem *nuperum*, non antiquius Salomoneo ævo; veluti ante illud tempus *Domo* certa, magno scilicet incommodo suo, caruerit. Imo vero, illa *omnia*, ex quibus *Templum* materiale Deo extruitur; & ex quibus sacrificia ipsi ab hominibus parantur: *ipsa*, inquam, illa sunt à Deo *creata* & *producta*; ut qui ex iis magnam molem Deo in *Domum* extruunt, nihil in eum conferant, quod *suum* est. confer Ps. L. 10. Etiamsi itaque Deus pro rationibus suæ Providentiæ erga Ecclesiam *permserit* (Davidi enim non *præcepit*;) extrui sibi Templum aliquod materiale: noluisse tamen id unquam haberi ut *veram* suam *Domum*; vel hoc nomine structoribus videri aliquid *debere*: solummodo pro sapientia sua voluisse indulgere Israëlitis, ut *veræ* Domui suæ tempore puritiæ Ecclesiæ substituerent *simulatam.*

Hypothesis utriusque. Verba, *Omnia hæc manus meæ fecit*, &c.

Surgit oratio. Imo, inquit, ne quidem Cœlestem hanc *Domum*, à me ipso extructam, nulla hominum manu, ex nulla terrestri materia paratam ornatamque, totam Divini splendidissimique operis, potissimam habeo. Alteram habeo *Domum*, nobiliorem, puriorem, meæ naturæ magis congruentem; verum *Locum quietis meæ*; *homines* nimirum ad influxum gratiæ meæ recipiendum per gratiam formatos paratosque; quod Os Divinum ita effert: *Et ad hunc respiciam*; *ad* PAUPEREM *&* *fractum* ANIMO, *& trepidantem ad Verbum meum.* Habes sententiam eandem mutatis verbis, quam Deus magnifice eloquutus fuerat Cap. LVII. 15. *Se habitare celsum & sanctum*; *& cum contrito & humili spiritu.* Eadem solummodo subjecta hic ab aliis, sed idem sonantibus epithetis describit. Primum est, עני ונכה רוח PAUPER *&* FRACTUS SPIRITU sive *animo.* Πτωχὸς τῷ πνεύματι, ut Dominus apud Matthæum *e*. Notat utique hominem humili imbutum sensu de se, justitia, meritisque suis; nihil sibi, omnia gratiæ Divinæ tribuentem; quin ex contemplatione suæ damnabilitatis prostratum; peccatorum pœnitentem; ad Divinam gratiam anhelantem, eamque magni facientem; & hisce de caussis ab omni superbia & arrogantia, ab omni animi tumore ac fastu alienum; *placidum*, *modestum*, *quietum*, (ταπεινὸν καὶ ἡσύχιον, ut οἱ ὁ. hoc loco,) reverentem Dei & amantem proximi; injuriam inferentem nemini, sibi illatam patienter perferentem, neque adversus vias Dei & rationes atque ordinem providentiæ ejus murmurantem: ut adeo vere hæc virtus in Oeconomia gratiæ omnes involvat alias, omnem affectum animi sanet. confer Ps. XXXIV. 19. XXXVII. 11. Poëta Divinus *f*: *Etiamsi altus sit Jehova: respicit tamen* שפל HUMILEM. Non minus pulchrum est alterum; TREPIDARE PROPTER VERBUM DEI. Valet utique, summa affectum esse reverentia erga Divinam majestatem; eademque reverentia omne Dei Verbum, sive Præcepti sive Interdicti; sive Interminationis, sive etiam Promissi, excipere; & ad illud audiendum, intelligendum, perscrutandum, eundem adferre affectum animi, accedere, imo *accurrere*: non tantum ut alte & magnifice sentiat de illius Verbi auctoritate sapientia, pondere, & usu ad veram salutem aut exitium suum: verum etiam, ut ad illud accedat cum promptissima voluntate fidei & obsequii illius Verbi, & *tenerrima sollicitudine* ne præcepta ejus transgrediatur. *Trepidatio* hic notat reverentiam summam. Phrasis est apud Ezram *g*. Homo sensu culpæ suæ affectus, & ad gratiam Dei ardenter anhelans, insuper etiam *trepide* accedit ad Verbum Dei, tanquam qui sententiam Judicis de se pronunciandam audientes aut legentes, metuunt, ne quid sibi grave occurrat, quod animum turbet aut spem præcidat. Sunt enim in Verbo Dei præscriptæ sententiæ *vitæ* & *mortis*. Ad *hunc* vero, sive, *hos*, sic affectos, Deus, ait, *se respicere*; hoc

Surgit oratio. Deus demonstrat, se præstantius habere, & se dignius Templum, piorum cultorum suorum *animos*, ℣. 2. *med.*

Quid Vati sit *Pauper*, & *fractus spiritu?*

Et *trepidans* ad *Verbum Dei?* Phrasis declaratur.

Quid *respicere* Dei ad aliquem, stylo sacro?

a Cap. LX. 13. *b* Ps. CIII. 19. *c* 1 Chron. XIX. 11. Ps. CXLV. 11. seqq. Dan. IV. 17. 34. *d* Cap. XVII. 24. *e* Matth. V. 3. *f* Ps. CXXXVIII. 6. *g* Cap. IX. 4. X. 3.

hoc est, stylo Scripturæ, illos *respicere* in gratia; illorum *misereri*; in iis acquiescere & sibi complacere; eosque sibi habere acceptos. ut phrasis alibi [a] ex congestis locis à Doctissimo Viro [b] recte est illustrata. Imo ex analogia orationis ad *hos respicere* valet *eos* sibi *eligere* in *Domum* & *Templum* quod *inhabitet*; in quo quiescat; quod dignetur sua præsentia; quod particeps faciat suæ gloriæ; secundum illud Apostoli ad Corinthios [c]: VOS *estis* TEMPLUM *Dei viventis*. En Templum Dei *spirituale!*

Generalis sententia applicatur ad hypocritas antiqui temporis.

Quæ huc usque dixi, generalem continent doctrinam, à Sanctis sub Oeconomia Vetere agnitam, quæ, ipso etiam Templo adhuc persistente, opponi poterat carnalis præjudicii hominibus, qui cultum animi sui negligentes, vitiis inquinati, moribus impuri, fide cassi, magno opere Deum demereri opinabantur, si *Templum* Dei extruerent aut exornarent; & externo cultui diligenter vacarent; quique adeo in Templo ut Arce Religionis, ponebant *fiduciam*, veluti Dei præsentia *Templo* alligata esset [d]. Poterat stultitia Gentilium suorum superioris ævi iis documento esse: sed Josephus docet in posterioribus Libris de *Bello Judæo*, idem illud præjudicium Judæis extremi Reipublicæ temporis alte inhæsisse, eoque affectos, tanto obstinatius in Rebellione perseveravisse [e]. Ratio ipsos Gentiles meliora docuit, quorum luculentas sententias aliquas hic adscripsit Grotius. Quin censeo, Deum senescente Mundo ægrius tulisse Templum, quod cum illo tempore Gentes omnes superba & splendida haberent Templa, Diis suis consecrata eorumque vera Domicilia credita; hoc ipso reliquis Diis fictis compararetur; quod majestati ejus injurium erat. *Sacrificiorum* enim poterat adhuc dispar esse respectus. Sed major lux oritur huic prophetiæ, si ad mentem revocemus hypothesin superius jactam: Orationem hanc verti ad Hypocritas & Sceleratos, qui contempto Evangelio Filii Dei, postquam ex Templo jam fecissent *speluncam latronum*, ei tamen ædificando atque ornando strenue incumbebant; & quidem postquam Deus jactis Novæ Oeconomiæ fundamentis, palam demonstrasset, se thronum suum ab Hierosolyma & Templo transtulisse ad *cœlos*, non amplius quærendum aut colendum in *materiali* & *locali* Templo terrestri; quin potius Templum sibi per totum Orbem parare *spirituale*, uberiore influxu suæ gratiæ in *animos* hominum, fide ac humilitate Evangelica imbutorum. Id inferebat *Creatio Cœlorum Novorum* & *Terræ Novæ*. Sub Oeconomia Nova, *throno* Filii Dei in cœlis locato, & *majestate* ejus *posita* supra *cœlos visibiles*; *Nomen Dei* debebat *magnificum* & *illustre* evadere per *totam terram* [f]; ut adeo *Cœlum* & *Terra unum* facerent *Dei thronum*; cujus superiora in *cœlis*, inferiora in *terris*, essent; quippe *cœlo* & *terra* in Nova hac Oeconomia inter se arctissime conjunctis. Quid itaque Deo ædificent *Domum* Hypocritæ magno studio; cum Deus hoc tempore demonstrare velit, se habitare in Templo spirituali, & ex ipso *Cœlo* & *Terra materiali*, physico ejus Regno illustrando hactenus aptis, facere velle *Templum spirituale*, in quo *Regnum Filii Dei* clarissime demonstretur ac stabiliatur. Poëta sacer [g]: JEHOVA REGNAT sc. in cœlis; *gaudeat* TERRA. sc. hoc tempore vere facta *scabellum pedum Dei*, pars *throni* ejus; imo pars *cœli*.

Penitior dicti sensus cum respectu ad judæos carnales, Evangelio immorigeros.

Deus post ascensum Filii in *Cœlos* thronum suum locavit in *Cœlis*, inde influxurus in animos credentium per totam terram.

(b.) *Convictio* Hypocritarum in caussa *sacrificiorum*, ab iisdem, & quidem sub Oeconomia Nova, Deo oblatorum.

Sensus Dei de *Cultu* rituali & carnali, in

℣. 3. *Qui mactat bovem*, CÆDIT VIRUM: *qui sacrificat pecudem*, *decollat canem*: *qui offert fertum*, est sicut qui offert *sanguinem porci*: *qui adolet thus* est sicut CULTUM EXHIBENS IDOLO. *Etiam* HI *vias suas elegerunt*, *& abominationibus suis anima illorum delectatur.*] Excipi posset ad superiorem Dei orationem à Judæis, satis se persuasos esse, Templum materiale nec verum nec par majestati Divinæ domicilium esse; sed Templum præcipue inservire Cultui externo, & rituali, ab ipso Deo præscripto, quem certo & stabili loco alligari, æquum ac rationi congruum videbatur. cui itaque exceptioni Deus protinus occurrens ait; Cultum hunc ritualem externum, sibi delatum ab hypocritis aut sceleratis, fide ac virtute vacuis, non pluris à se æstimari quam Templum: quin cultu rituali ab impuris administrato tantum offendi atque exacerbari, quantum à gravissimis criminibus, adversus Interdicta Legis perpetratis; & quidem imprimis sub Oeconomia Nova, post promulgatam Legem Libertatis, & perfectum verumque sacrificium, sibi à Filio oblatum, ad expianda Electorum Credentium delicta. Est tamen mirabilis oratio; nec intelligibilis nisi his, qui interiora Religionis perspexerunt. Suppono ad intelligentiam orationis, *articulos quatuor*, quorum primus est, *Qui mactat bovem*, *cædit virum*, cadere sub eandem interpretationis analogiam, & hunc dare sensum; *Qui mactat bovem* tanti criminis sons censetur apud Deum quanti *qui parricidium commiserit*, & ita in sequentibus. Poterat dicere, *Qui mactat bovem*, כמכרה איש *est* TANQUAM *qui cædem committit in homine*: sed cum Jesaiæ sit, non qualemcunque, sed perfectam emphasin in oratione præferre, negligit *præfixam* comparativam, & simpliciter scribit, *Qui mactat bovem*, *cædit hominem*. Sed οὐ ὁ. Chaldæus, Sym. Theod. suppleverunt, ne quis in sensu erraret. Interpretes, nisi fallor, omnes in hoc sensu consentiunt; excepto Abarbenele; qui cum nesciret secundum hypothesin ad *superiora duo commata* susceptam hæc verba interpretari; ea studuit applicare ad aliud *Subjectum*, atque quod Deus compellaverat in initio hujus *Sectionis*; hoc est, quod mireris, ad *Pontificios Romanenses*; Exulibus Judæis ad Verbum Dei trepidantibus oppositos, ad quos applicat orationem interminatoriam quæ hic legitur. Vide mihi quem sensum det verbis, etsi sciret illos præter *suffitum* nulla sacra hic memorata Deo facere: *Qui mactat bovem*, *cædit virum*. hosce homines ait tam flagitiose malos esse, ut non dubitent, *bovem furto rapere*, *& possessorem ejus occidere*, ut rapto secure frui queant. Rursus, *Qui sacrificat parvam pecudem*, *decervicat canem*: sic interpretatur; malitiam & petulantiam horum hostium Populi Dei tantam esse, ut quo majore securitate rapiant de grege *parvam pecudem*: *canem* ei servandæ appositum, *occidant*: sc. vocem נתח *sacrificat*, pertendit idem valere quod *mactat*. Hæc absurda sunt; nec merentur refelli. Falsæ hypotheses assumptæ, homines, cæteroquin nec ab ingenio, nec à doctrina destitutos, ad ἄτοπα hujusmodi compellunt. Alius est Vir Doctus, qui verbis, *Mactans bovem*, *cædit hominem*, hunc aptat sensum; Eum qui sacrificii caussa *mactat bovem*, *tanta habere peccata quanta homicidam*, *etsi* vere *homicida non sit*: *qui sacrificat pecudem*, *cum tanto peccato venire*, *cum quanto qui offerret canem*. Non refello hæc, sed recenseo. Utique liquet, Prophetam non dicere, illum qui *bovem offert*, cæcidisse virum, homicidam esse, sanguinis innocui reatu teneri: sed hoc ipso dum offert *cædere* Virum, in *participio præsenti*. Quando Propheta ait, *Qui sacrificat de parva pecude*, *decervicat canem*: id significaverit, *Qui ovem sacram facit Deo* ad hoc sacrificium accedit *reus cervicis incisæ cani?* At vero quid vitii est, extra rem sacram *cervicem cani incidere?* Ergo admisso sensu verborum quem cum aliis Intt. teneo: post illustratam phrasin, quærendum disputandumque restat, Quo *sensu* ac *respectu* Vates *cultum Ritualem*, à Judæis ex Lege obiri solitum, cum *fœdissimis* hisce criminibus comparet. *Fœdissimis*, inquam, ut ex relecta phrasi liquebit.

Templo externo sibi delato ab hypocritis, ℣. 3 *Qui mactat bovem*, &c.

Nexus orationis Prophetæ

Deus damnat *Cultum* carnalem hypocritarum.

Artificium & sublimitas orationis Propheticæ.

Analogia interpretationis in *quatuor articulis* hujus sententiæ.

Abarbenelis furilis prævaricatio in hisce verbis interpretandis.

Refert verba ad Pontificios Romanenses.

Viri docti alia meditatio.

Quæ improbatur.

a Gen. IV. 4. 5. Ps. XXV. 16. Num. XVI. 15. b Bochart. *Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XLIX. c 2 Cor. VI. 16. d Jer. VII. 4.
e B. J. Lib. VII. Cap. XI. f Ps. VIII. 2. g Ps. XVII. 1.

Verba Vatis relegun-tur. *Qui mactat bovem, &c.*

QUI MACTAT BOVEM, PERCUTIT VIRUM.] Kimchius: *Dicere vult, Quisquis mactaverit bovem, ut eum mihi offerat, dum est in impietate sua: ecce ego reputo eum, dum bovem jugulat, tanquam qui eadem committit in homine.* Vox שחט *mactare* hic est *mactare ad aram* in sacrificium Deo offerendum, ut ubique in Legibus Mosaicis *a*. *Percutere* (הכה) hic valet *cadere ad mortem*; committere reatum *sanguinis*; receptissimo pariter vocis usu *b*; licet quoque minore emphasi sumatur, ut notiones Latinæ, *cadere, percutere.* Comparatio utriusque membri sententiæ suadet vocem hic accipere de crimine sanguinis. Ut autem *homicidium*, per se fœdum ac turpe est; sic in gravissimis delictis censetur, Lege Divina & humana plerarumque Gentium non nisi *morte* expiandum. Exsurgit simplex sensus: Qui bovem ad aram jugulandum sistit; tanto se apud Deum polluere crimine, quanto qui innocui hominis se inquinat sanguine. Sunt qui majus etiam quid & gravius hic designari autumant, crimen videlicet ἀνθρωποθυσίας, Phœnicii ritus, Deo in Religione Paganorum summe invisum; ut sensus sit: Eum qui bovem in sacrum mactat; tanti criminis culpam in se devolvere, quanti qui hominem liberum aut servum Phœnicio ritu ad aram jugulari facit: quod scelus erat detestabile. Brentius id jam observavit; nec tamen vehementer urgeo. interpretatio enim citra hoc observatum optime consistit.

Sensus vocis *mactare* h. l. Et *percutere.*

In altero membro, *Cervicem præcidere cani.* Usus vocis ערף *decervicare.*

QUI OFFERT PARVAM PECUDEM, (sive, *de parva pecude,*) *cervicem præcidit* CANI.] Heb. ערף. proprie, *cervicem præcidere, decollare*, hic, ut & alibi, generali notione sumitur pro *jugulare, occidere*, profuso sanguine, ut οἱ ὁ. ἀποκτείνειν. Hieron. nova voce, *excerebrare.* Scriptura enim hac voce utitur in Lege *c*, de primogenitis immundarum pecudum, vel redimendis, vel morti dandis, præcisa cervice. Etiamsi autem Vates hic vere intelligi velit de *cane* in sacrum offerendo, & eapropter jugulando: noluit tamen hic adhibere vocem honestioris generis, ut sunt *sacrificare, mactare*, ut rem turpem & abominandam voce sui generis exprimeret. Usus fuit *canum* in sacrificiis Græcorum, & lustratoriis Macedonum, ut aliunde notum, & copiosius docuit Bochartus *d*: sed non est probabile, illuc hic alludi. Respicitur hic canis, impuri ex Lege quadrupedis, in libidinem profusi & impurissima quæque vorare & vomitum suum resorbere soliti, immundities; cujus proin eadem quæ *suis* æstimatio est; estque hic usus vocis in Sacris receptus *e*; & est probabile, tum hac de causa, tum etiam respectu ad Ægyptios, quibus *canis* in cultu suo symbolico sacer erat, (ut vult Vir Doctus *f*, cujus sententiam nunc in medio relinquam,) Deum vetuisse *pretium canis* in Sanctuarium inferri *g*. Tam itaque docet Deus invisum sibi esse sacrificium ex *ove* vel *hœdo* sibi oblatum; quam si quis cani cervicem præcideret ad aram.

Cur Vates hac voce usus sit h. l.? Cur exemplum hic à *cane* sumatur?

Sensus sententiæ.

OFFERENS MUNUS, SANGUINEM PORCI; h. e. idem valet acsi *offerret sanguinem porci*, fœdi, secundum Legem impuri, & invisissimi animalis. Vide dicta ad Cap. LXV. 3. מנחה MUNUS hic late significat *ferium* quod sic dicitur, variæ speciei, liba, far, farinam, varie paratam, fruges, cum oleo, thure, sale, & subinde etiam *libamine.* Confer Cap. XLIII. 23.

Verbo, *Offerens munus, sanguinem porci.* Usus vocis מנחה h. l.

Species criminis hic designati. Animadversio ad verba Cl. Bochartí.

Quæ duplex est abominatio, ait Cl. Bochartus: *Nam ut suis, ita & sanguinis usus Judæis fuit interdictus*, adductis verbis Abarbenelis. Sed non agitur hic de *esu*, sed de *oblatione sanguinis.* Deinde non dixerim ego ἁπλῶς *absolute*, *sanguinem* non offerri in *aram*; imo vero ipsa *effusio sanguinis* ad basin altaris erat ejus *oblatio*; nec facit huc locus à Grotio adductus ex Exod. XXIII. 18. Vates noster Cap. I. 11. *Quorsum mihi multitudo sacrificiorum vestrorum?* --- SANGUINE *juvencorum, & ovium, & hircorum*, mihi videlicet oblato, *non delector. Oblato* certe ex Lege. Ergo respicitur ipsa suis, fœdi aspectus animalis, ex Lege impuri, in cœno volutari & nutriri soliti, immundities, cujus *sanguis* censebatur in sacris Religionis Judææ quid execrabile. Admissa tamen sus est in sacrificiis Gentium, &, rem abominandam! à Syris sub Antiocho oblata in Templo; sed memini de eo jam ad superiorem locum monere.

Qui adolet thus: benedicit Idolo. Versio horum verborum constituta. Notatio vocis הזכיר h. l.

QUI ADOLET THUS, BENEDICIT IDOLO.] Sic recte putem vertere Hebræa, מזכיר לבנה מברך און Hieronymus, *Qui recordatur thuris, quasi qui benedicit idolo.* Priora non satis feliciter. Utique recte præiverant οἱ ὁ. Ο' διδὺς λίβανον εἰς μνημόσυνον· *qui dat thus in memoriale.* Sed Hebræi Aben-Ezra & Kimchius plane vocem מזכיר vertunt per מקטיר *adolet*, significatione vocis petita ex voce אזכרה, quæ valet, in legibus Mosaicis *h*, *id quod de* MUNERE *sive ferto*, oleo, thuri & sali mixto, *accenditur ad nidorem faciendum in altari.* Sed est hic *thuris* præcipuus respectus, quippe *thus* impositus panibus propositionis dicitur esse לאזכרה εἰς μνημόσυνον *adolendum* in altari *i*. Nempe זכר *memoria*, significat quoque *odorem*, apud Hoseam *k*. Odorifera enim ubi sunt, inprimis incensa, excitant *sensum* suæ præsentiæ. Lud. Cappellus *l*, inde feliciter illustrat sententiam Sirachidæ, Cap. XXXV. 6. In loco hujus Libri Cap. LVII. 8. paulo latior, licet analogus, est usus vocis זכרון, de qua dicta vide, & confer omnino Spencerum de utroque loco docte tractantem *m*.

L. Cappelli annotatio.

אין AVEN, (nihilum, res vana,) hic est *idolum*, ut alibi *n*, quippe quam significationem ipsa vox מברך *benedicit*, hic satis definit. Est autem מברך *benedicit* hic idem quod offert *munus*, quod Hebræis dicitur ברכה *Benedictio o*, ut Kimchius hoc loco rectissime. *Benedicere* est Deum verum vel falsum *Munere honorare.*

In realem totius sententiæ sensum propius inquiritur.

His constat *Literalis* interpretatio prioris membri hujus *commatis.* Quæritur nunc, quod hic præcipuum est; Quis sensus sententiæ subsit? Cum Deus ipse Cultum Ritualem instituisset; & posteris Jacobi præscripsisset: quæ ratio est hujus ἀποφάσεως Divinæ, qua functionem hujus cultus cum gravissimis delictis comparet? Calvinus ait plerosque existimare, *his verbis sacrificia Legis abrogari*; quos ipse falli, dicit, comparatque hanc prophetiam cum argumento *Concionis primæ*, ut capiatur de sacris hypocritarum, & impii animi hominum, absque pœnitentia ac fide aræ propinquantium. Cyrilli commentatio tota huc tendit; sed Glossa ordinaria disertius ad verba, QUI IMMOLAT BOVEM, &c. *Sacrificium vestrum non placet mihi post immolationem veri sacrificii, in cujus umbram illa sacrificia concessi vobis, & ne immolaretis idolis.* Cl. Coccejus idem urget ex sententia Dei absoluta & non restricta ad qualitatem Subjecti offerentis. Quod ad me attinet: plane censeo, secundum primum scopum & sensum Dei hæc verba proloquentis, capienda illa esse de hypocritis & sceleratæ mentis Judæis, adversus quos hunc Elenchum instrui, in superioribus docui; & quidem de ipsis illis impuri animi ac perversissimi studi hominibus, hostibus Evangelii, & persecutoribus innocui gregis Christi Jesu, qui contempto Evangelio Filii Dei, summam curam Templi ædificandi & Cultus publici ex Lege celebrandi præse ferebant. Ad hos enim verti orationem liquet etiam clarissime ex altero sententiæ membro, *Etiam* HI *eligunt vias suas, & abominationibus suis anima sua delectatur.* h. e. non tantum fontes gravium scelerum cultu publico defunguntur impuro animo; verum sunt ex *his* qui hic à Deo Ecclesiæ exerte ostenduntur, mox describendi, (intellige *Pharisæorum* ac *Sadducæorum* sectas, Deo invisissimas,) sunt, inquam, ex ipsis qui præterea *privas* sibi habent *sententias* de Religione & superstitiones, quas Religioni Patrum adjungunt, quibusque

Sunt qui hæc verba trahunt ad abolitionem Cultus Ritualis sub N. T.

Sensus Vett. & Recentiorum.

Videtur directe & primo hic agi de cultu Rituali, cum respectu ad sceleratos hypocritas.

Quod confirmatur ex contextu & ex seqq. *Etiam* HI *eligunt vias suas, &c.*

Sensus verborum declaratur.

---

a Lev. I. 5. 11. IV. 4. &c. *b* Exod. XXI. 12. *c* Exod. XIII. 13. confer Deut. XXI. 4. *d* Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. LVI. *e* Matth. VII. 6. Phil. III. 2. 2 Pet. II. 22. Apoc. XXII. 15. *f* Spenc. *Ration. Legg. Mos.* Lib. II. Cap. XXIII. *g* Deut. XXIII. 18. *h* Lev. II. 2. *i* Lev. XXIV. 7. *k* Cap. XIV. 8. *l* In *Post.* ad h. l. *m* *Ration. Legg. Mos.* Lib. II. Cap. V. § 2. *n* Confer Ps. LXVI. 18. Zach. X. 2. 1 Sam. XV. 23. *o* Gen. XXXIII. 11.

busque Religionem ac Religionis doctrinam adulterant, quos Ego abominor; sed in quibus ipsi se plurimum jactant. Dominus appellat FERMENTUM *Pharisæorum & Sadducæorum*, (Matth. XVI. 6.) atque *Herodis* Marc. VIII. 15. Hic sensus verborum; nec opus est hic cum Aben-Ezra cogitare de supplemento. Accedit ad hanc rationem, quæ ex orationis contextu petitur, gravissima alia, quod stante Templo (quod hic nondum *destructum* esse concipitur, ut patet ex ℣. 1. & ℣. 6.) non videatur *absolute* dici posse, victimas à qualibuscunque Dei cultoribus initiis Oeconomiæ Novæ post fusum Christi Jesu sanguinem in Templo oblatas hoc nomine censeri apud Deum, quo hic notantur; tum utique Credentes ex Judæis, quandiu Templum perstitit, post Christum quoque cœlo receptum, ipsum etiam hunc Cultum ritualem non plane neglexerint; ne ipso quidem Paulo excepto; ut ex Actis *a*, & ex ipsius testimonio in Epistolis *b*, liquet. Stet itaque hic primus verborum sensus, analogus clarissimis aliis Prophetarum locis *c*, quibus Deus cultum externum ritualem, à cultorum fide, integritate, resipiscentia, sejunctum, *abominari* ait, ut quod maxime. Quandoquidem tamen oratio Divina ea amplitudine concepta est, ut nullum ei adscriptum sit temperamentum; plane censeo, Spiritum S. hanc sententiam sic expressisse, ut nobis hanc subjiceret cogitationem; adesse nunc tempus, quo Templum materiale, quod huc usque in Judæa Gente toleraverat, destrueretur, & cum Templo universus Cultus ritualis, siquidem Deo *creanti cœlos novos & terram novam, post consummationem factam per oblationem Filii sui*, propositum esset Oeconomiam condere spiritualem, in qua, Templo & Rituali Cultu destructo, nefas haberetur *boves, oves, munus, suffitum* secundum Legem antiquam offerre; ut qui id postmodum tentaret, tanti sons censeretur flagitii, quanti qui gravissima Delicta Lege vetita committeret. Hæc fere sententia est Hieronymi, & Lirani, qui utrumque conjunxerunt; & putem, Stephanum quoque in oratione sua Apologetica ad Synedrium habita, cum ut vindicaret dictum *d*; *Jesum Nazarenum destructurum* HUNC LOCUM, (Templum cum Hierosolyma) *&* MUTATURUM RITUS, *quos tradidit Moses*, his verbis uteretur *e*; *Sed Excelsus ille in Templis manufactis non habitat*, allegato hoc loco Jesaiæ: utrumque intelligi voluisse, ut supra docui; primo quidem nunquam *vere* habitare in Templis manufactis: deinde, *neutiquam* habitare in *Templis manufactis*, sub Regno Messiæ; idque ex hoc loco voluisse confirmare. Utriusque sententiæ eadem ratio, eadem analogia est.

Nec tamen latior respectus verborum excluditur.

Qui disertius explicatur.

(c.) *Denunciatio* severi Dei Judicii *Hypocritis* facta.

Hypocritis illis denunciatur severum Dei judicium, ℣. 4. *Etiam Ego eligam*, &c.

℣. 4. ETIAM *Ego eligam quæ* ÆGRE IPSIS ERUNT, *& quæ metuunt adducam iis; propterea quod vocaverim, & nemo responderit; loquutus sim, & non audiverint; & fecerint quod malum est in oculis meis; & quo non delector, elegerint.*] Docet Deus, se paria hypocritis, & adversariis suis & quidem pro Justitiæ suæ rationibus, per modum talionis repensurum esse; ut enim ipsi summam operam dederant, ut Deo ægre facerent, suisque pessimis institutis, ipsi invisissimis, indignationem ejus concitarent: sic ipsum ejusmodi mala eaque *electa* & quæsita iis redditurum esse, quæ *ægerrime* ferrent, & omnium maxime *metuebant*. Hæc vis est in voce גם repetita. In fine *commatis* superioris, גם ETIAM *ipsi elegerunt vias suas*, ... גם ETIAM *Ego eligam agritudines eorum*. Valet, UT illi ... SIC Ego. Vocem תעלוליהם verti per *mala* quæ *Judæis* rebellibus Evangelio *molestissima* censeri poterant; quæ summam iis conciliare poterant *agritudinem animi*. Nec tamen hic perinde Intt. consentiunt. Οἱ ὁ. Τὰ ἐμπαίγματα αὐτῶν. *Illusiones illorum*. sive, *Illusores*, ut Hieronymus, illos imitatus. Sic pariter Syrus, בטעותהון. *In ludificationibus eorum*. Dubium facit Aben-Ezra, probante Jarchio. Equidem non probo; neque enim video, quis aptus & commodus sensus ex hac versione procudi possit. Hieronymus quidem, qui per *illusiones* sive *illusores* hic intelligit *Scribas & Pharisæos*, quorum potestati Deus Judæos commiserit, nihil probabile adfert. Cæteri hunc fere verbis aptant sensum; Cum ipsi sua me ludificati sint hypocrisi, Ego quoque ludificabor ipsos, spem illorum destituendo. quem sensum non nego bonam & tolerabilem complecti sententiam; sed non putem, eum ex hac versione extundi posse. *Alii* enim *illudere*, sive alium *ludificare*; sive, *suas ludificationes* alii *rependere*: estne *ejus ludificationes eligere*? Quis ita loqui velit? Ergo vox תעלוליהם hic exponenda est ex voce עולל formæ *Pihel*, aut התעלל formæ *Hithpahel*; qua significat alicui *ægre facere*: quæ verissima vocis notio esse videtur; & certo colligitur ex locis Thren. I. 12. III. 51. Exod. X. 2. Num. XXII. 29. Jeremias in Threnis *f*: ועולל למו כאשר עוללת לי *Fac iis male* (ÆGRE, mallem) *ut male feceris mihi*. Sic docte Coccejus. Vertit hic loci, *Etiam Ego eligam vexationem illorum*. Favet interpretationi Lud. Cappellus *g*, vertens vocem *agritudines*, & significationem ejus illustrans ex Dialecto Arabica, in qua thema עלל admittit notionem, *debilitari, ex morbo languere*. Patet utique ex dictis, notationem vocabuli תעלולים hoc loco non posse confundi cum usu ejus Cap. III. 4. quo valet *pueri*; quæ opinio multos, opinione mea, delusit. Cum enim pueri primæ ætatis *ludere* & νεανικῶς ποιεῖν *puerilia tractare* soleant: inde petita *ludificandi* notione Docti Viri eam diffuderunt per omnes hujus notionis, ejusque derivatorum significationes. עוללים *pueri* infantilis ætatis, & תעלולים cognatum, ut ibidem occurrit, referenda sunt ad thema עלל significationis *intrare*; de quo alibi monere memini. Quæris, quænam illa sint *mala*, à Deo *eligenda*, quæ Judæos Evangelio inobedientes summa *agritudine* ac *dolore* afficerent, quæque ipsi maxime formidabant? Respondeo, ea ipsa quæ Synedri una voce expresserunt apud Joannem *h*: *Si omittamus Eum* (Christum) *ita; omnes in eum credent, venientque Romani, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν, καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος* & DELEBUNT TUM LOCUM NOSTRUM, TUM GENTEM. Hæc *mala* iis maxime cordi erant; hæc metuebant; & plane sibi persuadebant, fore ut Regnum Christi Jesu repudiando, Rempublicam ac Religionem servarent, sui hujus consilii calliditate. Idem liquet ex Actis ipsorum cum Stephano *i*. Ad has vero *agritudines & formidines*, quæ Templo & Reipublicæ interitum adferrent, pertinent omnia illa ELECTA MALA calamitatesque, quæ Deus veluti ex interioribus thesauris vindictæ suæ hausta, & ingenio suo, sit fas dicere, excogitata Genti inflixit cum Gentium omnium admiratione & stupore. Quicquid ipsis *agre* esse, quicquid *metuere* poterant: ipsis evenit juxta Christi Jesu prædictionem. Grave ac horribile dictum Dei apud Mosen *k*: *Aggregabo super eos mala*, TELA MEA *in iis* CONSUMAM. Confer proxima hujus argumenti Cap. LXV. 12.

Sensus sententiæ.

Vis vocis גם *etiam* in initio sententiæ.

Respectus vocis תעלוליהם.

Ecquæ causa tantæ indignationis, severitatisque? Jam dixerat Propheta in fine *commatis superioris*: & in tota superiore pericopa: sed hic pressius addit, designatque crimen ab ipsis commissum in spernenda *Vocatione* sibi in *Evangelio facta* cum criminibus huic *inobedientiæ* nexis; & in eligenda via salutis ac Religionis apud Deum detestabili; quæ crimina pare passu iverunt. Repudiando Filium Dei; præcessorem ejus Joannem; & successores Apostolos; eosque vi & arte de medio tollendo, viam sibi inveniisse visi sunt, qua servarent Rempublicam, eamque sibi in longum vindicarent. Sed contra cessit. Scelera hæc ex carnali consilio

Causa hujus Judicii, *Inobedientia erga Evangelium* cum criminibus connexis.

Variæ ejus interpretationes.

Versio, τῶν ὁ.

Ἐπίκρισις in Hieronymum.

Subest voci significatus, alicui *Ægre facere*: qui adstruitur.

Cl. Cappelli observatum.

Considerationis loci Cap. III. 4.

Mala ad quæ hic respicitur, definiuntur.

Res declaratur.

a Act. XXI. 23. seqq. confer Cap. XVI. 3. XVIII. 18. *b* 1 Cor. IX. 20. *c* Jes. I. 11. seqq. XXIX. 13. XLIII. 22. seqq. Hos. VI. 6. Mal. II. 12. Ps. L. 8. seqq. *d* Act. VI. 14. *e* Act. VII. 48. *f* Thren. I. 22. *g* In *Postumis* ad h. l. *h* Cap. XI. 48. *i* Act. VI. 14. *k* Deut. XXXII. 23.

filio perpetrata, & superstitione detestabili subnixa, accelerarunt ipsorum quæsitissimum ac lacrimabile exitium. Verba Dei, sive Filii Dei, apud Jesaiam sunt, *Quia Ego vocavi, & nemo respondit, & seqq.* quæ eadem cum explicuerim ad Cap. LXV. 2. 12. nihil hic dictis addam.

β. *Pars altera* Propositionis, *Consolatoria*, directa ad Reverentes Dei.

Argumentum primum: Deus iis promittit *Vindicias* adversus *Contemptum* Fratrum.

Articulus primus.

Pars altera Propositionis Consolatoria.

Articulus sive Argumentum primum: *Punitio adversariorum*, ℣. 5.

Mutatio *Schematis* orationis, ℣. 5.

Summa sententiæ.

℣. 5. *Audite verbum Jehovæ qui contremiscitis ad Verbum ejus: Dicunt fratres vestri qui vos odio habent, qui vos* EXCOMMUNICANT, PROPTER NOMEN MEUM GLORIFICABITUR JEHOVA: *at videbimus lætitiam vestram, & illi pudefient.*] Patet, hic mutari *argumentum* & *objectum* orationis; & personam quoque. *Loquentis.* Oratio est *Prophetæ*, aut *Chori Prophetici*, compellantis Apostolos, Discipulos, & sectatores Christi Jesu, semen primæ Ecclesiæ; constituros Templum illud spirituale, quod Deus sibi destructo Templo materiali, extruere & inhabitare proposuerat. Hos contemptui, odio, & excommunicationi Fratrum suorum ex Judæis ac Pharisæis expositos, audire vult *solatium*, ipsis à Deo paratum; eamque παράκλησιν iis blande denunciat. *Audite*, ait, *verbum Jehovæ qui ad verbum ejus contremiscitis*; Vos primi lapides Templi spiritualis, quos hoc charactere signaverat ℣. 2. Dixi, eo significari summum gradum reverentiæ qua quis fertur in *Deum* & *Verbum* ejus, à Verbo hominum traditionali discretum; imo in purum & castum illud Verbum consolationis Evangelicum, quod Filius Dei noviſſimo tempore loquuturus erat, & hic loquutus esse supponitur, ipsi quoque *Verbo Legali* contradistinctum. Est enim *trepidare* ad Verbum Dei, non tantum illud reverenter suscipere; verum etiam summa affectum esse sollicitudine & tremore, ne quis præcepta & Leges ejus transgrediatur, ut supra jam monui.

Titulus, *trepidantium ad Verbum Dei.*

Sensus ejus.

Primum argumentum Solatii ex *Vindiciis* quas Deus Populo suo præstaret.

Hujusce vero *solatii* primum sumitur argumentum ex *vindiciis*, quas Deus huic Popello suo ab hypocritis qui se verum Dei Populum credi volebant, & sua fidei confessione gloriabantur, contempto & excommunicato, publice præstaret ad fratrum horumce suorum adversariorum pudorem. Si eventum ex historia Christianæ Ecclesiæ repetas: non est difficilis intellectu oratio; ad quam tamen multi adhæserunt. Judæi hic nihil vident, quia cum hæc verba Prophetæ dicta accipiant ad solatium suæ Gentis in præsenti Exilio Romano, (ad quam hypothesin hic quoque redit Kimchius:) nesciunt demonstrare FRATRES suos qui ipsos *odio habent* & *communione* sua excludunt; ut adeo Jarchius & Abarbenel hic recurrant ad *Arabes Muhammedanos*, videlicet *Ismaële* Abrahæ filio, & ad *Romanos*, sc. ex hypothesi sua falsissima *Edomo* Jacobi fratre oriundos; quos illi hic à Jesaia hoc respectu *fratres suos* dici volunt. quod plane ridiculum. Græci, Cyrillus & Procopius, corrupta, & forte etiam affecta, versione τῶν ὁ. usi, nihil hic adferre potuerunt in rem. Hieronymus, licet Græcæ etiam versioni paraphrasin aptavit, verba hæc meliore oculo inspexit; sed in commentandis hisce verbis minus præstitit, quam in iis transponendis: verum medii & recentioris ævi Interp. meliorem ex ejus versione extuderunt sensum. Hebræa ita se habent: אמרו אחיכם שנאיכם מנדיכם למען שמי יכבד יהוה ונראה בשמחתכם והם יבשו Hieron. *Dixerunt fratres vestri, odientes vos & abjicientes propter Nomen meum; glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia vestra: ipsi autem confundentur.* Liranus: DIXERUNT FRATRES VESTRI: *Id est, Judæi in infidelitate obstinati.* ODIENTES VOS, *interius in corde.* ABJICIENTES: *id est, exterius ingerentes persecutionem in corpore.* PROPTER NOMEN MEUM. *id est, quia confitemini me tanquam verum Christum.* GLORIFICETUR DOMINUS. *Illud dicebant ironice de Christo.* ET VIDEBIMUS IN LÆTITIA VESTRA. *Quasi dicat, finis vestræ credulitatis non erit vobis ad lætitiam; sed magis ad tristitiam & confusionem; sed quia accidit contrarium, ideo subditur;* IPSI AUTEM CONFUNDENTUR. *scilicet, in Destructione Civitatis & Templi per Romanos, facta post mortem Christi.* Cæteri Interpretes, qui eodem tendunt, (licet non sequantur hypothesin Hieronymi, quæ nobiscum statuit, agi hic de initiis temporis gratiæ:) paulo quidem comtius eadem efferunt, sed quod ad summam rei non dissentiunt, nisi quod verba, ונראה בשמחתכם vertant, *Et apparebit* (vel *appareat*) *ad lætitiam vestram.* Sic Piscator & Belgæ: *Fratres vestri*, sc. Judæi hypocritæ *qui oderunt vos propter nomen meum* h. e. fidei meæ veram confessionem, *dicunt, Age, glorioſus evadat Jehova!* (dictum ἐιρωνικῶς. Evadat *glorioſus* secundum opinionem jactantiamque vestram in vobis salvandis liberandisque & nobis puniendis atque ulciscendis; sc. vos liberando & nobis immittendo pœnas quas minatur;) *Sed apparebit ad lætitiam vestram; isti vero erubescent.* Verba Dei, pios consolantis adversus μυκτηρισμὸν falsorum suorum fratrum. Sensus integer est, & sibi constat; & posset quoque ad hypothesin nostram non incommode applicari, ut fecit Liranus, & ex Recentioribus plures: sed versio non consistit cum *punctatura* Masorethica, & ægre cum principiis Linguæ conciliatur. Vertunt Viri Docti, *Fratres vestri, qui vos odio habent & communione sua vos excludunt propter Nomen meum:* sed Masorethæ clare docent, verba, *propter Nomen meum* conjungenda esse cum sequentibus, *glorificetur Jehova*, fixo accentu *Rebhia* distinctivo in voce מנדיכם & *Paschta*, minus distinguente, in voce שמי. Secundum ipsos verba sonant, *Dicunt fratres vestri qui vos odio habent & excommunicant, Propter nomen meum glorioſus sit Jehova.* Ut vero summa fuerunt prudentia Viri: sic ipsa verba Jesaiæ recte inspecta ipsorum *punctaturam* fulciunt. Patet enim, orationem hanc esse *Prophetæ* vel Prophetici Chori; non *Dei* ipsius directe loquentis, cum de *Deo* hic sermo instituatur in persona *tertia:* ut proinde illud *propter nomen* MEUM: non satis commode referatur ad *Deum.* Dixeris, si ad *fratres* credentium pertineret: debuisse scribi, למען שמנו *propter nomen* NOSTRUM. Respondeo, ubique per hunc Librum & alibi hanc variationem sive enallagen *numeri* observari, ubi Personæ loquentes aliquam faciunt *communitatem*; ut nihil in eo novum sit. Deinde, verba Prophetæ, וְנִרְאֶה בשמחתכם non recte vertuntur, *Et* APPAREBIT (vel *appareat*, si cohæreat cum verbis, *Glorificetur Jehova*, quando partem faciunt orationis fratrum adversariorum:) *ad lætitiam vestram.* Valent omnino, *Et videbimus lætitiam vestram.* Secundum priorem interpretationem, נראה debebat esse participium *Niphal*, ut נִרְאֶה sit pro נראה יהיה *Erit visus*, hoc est, videbitur, apparebit *ad lætitiam vestram:* quæ insolentior locutio est; quam tamen Kimchius probavit. Scripsisset utique Propheta, יִרְאֶה. Rectius longe apud Aben-Ezram, ex interpretationis analogia: *Glorificetur Jehova, & videbimus lætitiam vestram*, & pudefiemus nos: *at illi pudefient.* Certe נִרְאֶה hic est *pluralis primæ personæ Fut. Kal*; notatque, ET *videbimus lætitiam vestram*; AT *illi pudefient.* Sic recte Chaldæus. Symmachus, Καὶ ὀψόμεθα ἐν τῇ εὐφροσύνῃ ὑμῶν, & illum imitatus Hieronymus.

Recentiorum Interp. cogitationes affines.

Punctatura Masoretharum cum communi versione collata.

Supponendum, verba hæc proprie esse Prophetæ, vel Chori Prophetici.

Vox נראה hic non recte vertitur, *Apparebit.*

Versio A. Ezra.

Genuinus sensus aspectus.

Hieronymi interpretatio.

Judæi Interp. hic laborant.

Intt. Judæorum absurda hypothesis.

Lirani verba huc adducta.

Exsurgit autem ex genuina sententiæ hujus versione is sensus, quem docte demonstravit Coccejus, nostris verbis exponendus, & elucidandus. FRATRES VESTRI, hoc est, Pharisæi, Sadducæi, & tota cohors non credentium in Christum Jesum & repudiantium Evangelium Filii Dei, ejusdem vobiscum ortus, professionis & disciplinæ secundum Oeconomiam antiquam. Paulus ipse ad illos, Ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες [a].

Qui

[a] Act. XXII. 1.

QUI VOS ODIO HABENT; sc. causſa recepti Evangelii Filii Dei; & donorum fidei comitantium: quod *odium* eſt ferale. Dominus Jeſus [a]: *Si mundus vos* ODIT, *ſcitote me prius quam vos ab iis odio habitum eſſe.* confer Cap. XVII. 14. Matth. X. 22. 1 Theſſ. II. 14. Cant. I. 6. & luculentam prophetiam Michæ, Cap. VII. 2--8. QUI VOS EXCOMMUNICANT. quæ hic vera notio eſt vocis מנדיכם. eſt enim ipſiſſima vox נדה Hebræis in uſu pro ipſo *excommunicationis* actu, de quo alibi [b] late. Chriſtus Jeſus ad Diſcipulos ſuos [c]: Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς· EJICIENT VOS EX SYNAGOGA: *quin veniet tempus, quum quiſquis trucidaverit vos, putabit, ſe officium gratum præſtare Deo.* Significatur hic loci non *levior* illa, ſed *gravior excommunicationis* ſpecies, qua quis fratres in delictis graviſſimis aut in apoſtaſia obſtinate perſiſtentes à communione ſua plane ſeparabat, & habebat tanquam *ethnicum & publicanum* [d], ſecundum formulam apud Seldenum [e]: פתך פת כותיים ויינך יין נסך *Panis tuus ſit* CIBUS GENTILIUM; *& vinum tuum vinum idololatricum.* Subintellige ſimul omnes perſecutiones & afflictiones, quas hoc genus hominum Diſcipulis Chriſti intentàvit. Apoſtolus ad *Theſſalonicenſes* [f]: *Vos enim, fratres, imitatores facti eſtis* ECCLESIARUM DEI QUÆ SUNT IN JUDÆA *in Chriſto Jeſu, quippe cum* EADEM PASSI SITIS *& vos à propriis tribulibus,* καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων· *quemadmodum & ILLI A JUDÆIS.* Res nota ex hiſtoria. PROPTER NOMEN MEUM GLORIFICABITUR JEHOVA. Sic neceſſario hic vertenda eſt vox יכבר, licet hac ſignificatione rarioris uſus in forma *Kal.* Sed potuiſſet quoque punctari יִכָּבֵד. Senſus ſecundum Coccejum: *Deus non vult glorificari niſi à nominatis* JUDÆIS *circumciſis, ſacrificantibus, Legem ſervantibus. Hæc eſt res quædam illuſtris in mundo, quæ cedit ad gloriam Dei, & ſine ea re non poteſt glorificari.* Nihil repugno. Poſſet tamen paulo latiore ſenſu vocis *Nominis* optime in hanc accipi partem, *Propter eam profeſſionem fidei* quam nos tenemus, cujuſque auctores ſumus, Deus *glorificabitur.* Deus ſtat à partibus noſtris. Noſtra doctrina & profeſſio fidei vera eſt & tendit ad Dei gloriam: veſtra falſa. Verba Chriſti Jeſu ad Eccleſiam Pergamenam [g]: Κρατεῖς τὸ ὄνομά μου· *tenes* NOMEN *meum.* h. e. doctrinam meam. Alibi ſæpius. Sed perinde eſt ut ceperis: ſenſus eodem recidit. Reſpondet huic loco quod eſt in ſuperiore *Sectione* [h]: *Qui dicunt: Res tuas tibi habe; ne appropinques mihi: Sanctior ſum te.* Competit oratio in Phariſæos, ſua ſecta ac profeſſione, ſuoque *nomine* ſuperbientes, & palam præ ſe ferentes, à ſe ſuæque ſectæ & nominis hominibus Deum tantum *glorificari* poſſe & velle. AT VIDEBIMUS LÆTITIAM VESTRAM, ait Chorus Propheticus, VERUM ILLI PUDEFIENT. Præfixa ו in utroque articulo *adverſative* ſumitur, ut ſæpe alias. Verba ſunt Prophetæ, ſuſtinentis perſonam Chori Prophetici. Obadjas [i]: *Revelationem* (*auditionem*) AUDIVIMUS *à Jehova. Videbimus* lætitiam veſtram idem valet quod, *videbitur* lætitia veſtra. Sunt ex doctis Viris, qui exiſtimant, convenire orationem Deo, *plurali numero* reſpectu myſterii ſanctiſſimæ *Triadis* loquenti, cujuſmodi exemplum præter alia habuimus in hoc Libro, Cap. VI. 8. & miratus ſum, ejus quoque interpretationis mentionem fieri apud Aben-Ezram. Verba ejus: והמפרשי' אמרו שאיננו לשון המנדים ואמרו כי הוא דבר השם כדרך נעשה אדם *Sunt ex interpretibus qui dicunt, Verba hæc neutiquam eſſe Excommunicantium; ſed ipſius Dei, ſecundum analogiam loci,* (Gen. I. 26.) FACIAMUS HOMINEM. Lubens id dici patior: ſed relegenti orationem liquet, eſſe verba Prophetæ. *Lætitia* credentium hic utique deſignat illorum *vindicias*, & rerum Eccleſiæ poſt terreſtrem Hieroſolymam deſtructam profectum; veræ lætitiæ argumenta. confer Cap. LX. 15. Pſ. LI. 10. Conſtat ſibi, ut puto, ſenſus loci; ex *ſequente commate*, cujus partem facit, amplius illuſtrandus. *Catholici* qui dicebantur in triſti diſſidio Eccleſiarum Africanarum, hoc loco frequenter uſi ſunt, adverſus *Donatiſtas*, ſed ex *Itala Vetere* ſive ſecundum Editionem τῶν ὁ. ut liquet ex Optato [k], & ex *Actis Collationis Carthaginienſis* [l]: ſed quia id ad inſtitutum noſtrum nihil facit, negligo. Inſpicies Flaminium Nobilium [m], & Mericum Caſaubonum [n], ſi tanti fuerit.

Articulus alter.

℣. 6. VOX TUMULTUS *ex* URBE; *vox* EX TEMPLO: VOX JEHOVÆ, *rependentis retributionem hoſtibus ſuis.*] Verba proxime cohærent cum his quæ ἀμέσως præceſſerunt, faciuntque ad explicandum quod proxime dictum erat, fore ut *fratres* illi hypocritæ qui *reverentes Verbi Jehovæ* excommunicabant, & ſibi vindicabant *laudem* veri Populi Dei, *pudefierent*: Deum enim ipſis ſuſcitaturum *hoſtes* qui eos tam in *Urbe* quam *in Templo* perderent, & *Templum* ipſum atque Urbem deſtruerent. Veræ interpretationi horum verborum tria ſubſternenda ſunt fundamenta; quæ probe jacta demonſtrataque ſenſum eorum definient, & παρερμηνείας excludent. Primo itaque affirmo, per קול שאון *Vocem* TUMULTUS intelligendam eſſe *Vocem tumultus hoſtilis.* Liquet ex parallelis, in quibus hæc notio occurrit. Sic exerte Vates noſter in prophetia de Babylone [o]: *Vox multitudinis ſtrepera in montibus; ſpecies magni Populi*; קול שאון VOX TUMULTUS *Regnorum; Gentium congregatarum: Jehova Exercituum luſtrat copias Bellicas.* Pertinet ad Exercitum Medorum & Perſarum deſtructurum Babylonem. De Babyloniis Hieroſolymam ſubverſuris Jeremias [p]: קולם כים יהמה *Vox illorum* FREMET (tumultuabitur, המה) *inſtar maris.* Rurſus alio loco [q]. Confer dicta ad Cap. IX. 4.) & Ezech. I. 24. Unde primo liquet, per *Vocem* hic loci non eſſe intelligendam Vocem Evangelii, *ad cujus auditionem tanquam tumultus invadentis turbatur mundus.* Junio & Tremellio hæſit ſententia, ob alias etiam rationes plane improbabilis. Secundo, *Vocem* hic memoratam non eſſe *vocem Ovationis*, veluti *Vocem* Judæ Maccabæi & Copiarum ejus Montem Tſionem & Templum, à Militibus Antiochi & impiis Judæis derelicta, cum *Ovatione* ingredientium; quæ hic ſententia Grotii eſt, vere hoc loco impediti. *Vox* enim רנה ותודה *cantus & laudationis* [r]; *Vox Jubili*, inquam, non eſt *Vox* שאון *tumultus*, exercitus hoſtilis. Ipſe Propheta mox docet, hanc eſſe *vocem* Jehovæ *rependentis retributionem hoſtibus ſuis*; quod applicari nequit ad vocem *Ovationis.* Tertio, patet ex obſervato noſtro, non ſatis commode ab Hieronymo & ſequacibus aliis hic intelligi *Vocem ululatus*, qui in Urbe à Romanis obſeſſa *audiretur*, à Populo in *tres* primum, inde *duas* factiones diviſo, quarum factionum altera *Templum*; altera Urbem tenebat. *Vox ululatus* Vati noſtro eſt קול בכי ויקול ועקה *Vox fletus & clamoris* [ſ]. Hic intelligitur *Strepitus & fremitus* Exercitus hoſtilis *retribuentis* vindictam Populo Dei, ut jam monui. Quarto, eadem ratio vetat hic intelligere *vocem* ex Urbe & Templo veluti exituram, *clamantem* poſtulantemque *vindictam* à Deo ab hoſtibus, Romanis ſcilicet, ob *Urbem* Hieroſolymam deſtructam & *Templum* crematum; quæ hic Abarbenelis, & Jarchii, fictio eſt. *Clamor* atrocium ſcelerum poſtulans vindictam, ut Gen. IV. 10. non eſt קול שאון *Vox tumultus* hoſtilis. Quid? Nonne hæc ipſa *vox* protinus explicatur per *Vocem Jehovæ* retribuentis vindictam hoſtibus ſuis? Abarbenel, ad anguſtias redactus, cum id ſibi maxime obſtare videret; per *Vocem Jehovæ*, ait, intelligi קול דברי העמים אשר דברו על ה' *Vocem verborum* (blaſphemorum,) *Populorum quæ loquuti ſunt adverſus Dominum*; ſecundum locum Danielis, Cap. VII. 11. de *verbis magnificis cornu*

Usus vocis נדה *ſenſu excommunicandi.*

Significatur Excommunicatio gravior.

Vox יכבר *hic exponenda ſenſu Glorificationis.*

Nomen Dei h. l.

Locus Apoc. II. 13.

Deſignantur Phariſæi.

Videbimus idem hic valet quod videbitur.

Sine hic reſpiciendum myſterium S. Triadis?

Cujus generis ſit lætitia credentium hic memorata?

Articulus alter, ℣. 6. Vox tumultus, &c.

Senſus dicti.

Supponitur, per Vocem tumultus hic intelligi Vocem tumultus hoſtilis.

Loca analoga huc facientia.

Non tamen Ovationis militaris.

Sententia Grotii.

Quæ refellitur ex contextu.

Repellitur ſententia, quæ hic intelligit Vocem ululatus Civium Hieroſolymæ.

Vox vindictæ hic non eſt concipienda tanquam exitura a Deo puniendos Romanos, Hieroſolymæ & Templi everſores.

Abarbenelis interpretatio.

---

a Joh. XV. 18. *b* De *Synag. Vet.* Lib. III. Part. I. Cap. IX. *c* Joh. XVI. 2. *d* Matth. XVIII. 17. *e* De *Jur. Nat. & Gent.* Lib. IV. Cap. VII. *f* 1 Theſſ. II. 14. *g* Apoc. II. 13. *h* Cap. LXV. 8. *i* ℣. 1. *k* *Adv. Donatiſt.* Lib. I. p. 4. *l* *Actis*, p. 38. *m* Ad *Ital. Vet.* *n* *Not.* ad *Optat.* *o* Cap. XIII. 4. *p* Cap. VI. 23 *q* Cap. L. 42. *r* Pſ. XLII. 5. confer ex hoc Libro, Cap. XLVIII. 20. LI. 3. *ſ* Cap. LXV. 19. confer Jer. XXV. 36.

cornu parvi; quem huc transfert. Absurda interpretatio, in qua nulla species veri est. *Verba* blasphema à Gentibus adversus Deum dicta an ulla Gentium lingua dici queant *vox Jehovæ, rependentis retributionem hostibus suis?* Addo, Templum in Schemate hujus orationis nondum supponi esse destructum. Alteram jacio hypothesin; Non agi hic loci de punitione hostium *externorum* extra Hierosolymam; sed *internorum* in ipsa Hierosolyma & Templo. Poterat cui in animum venire, ut cogitet; per *Vocem Jehovæ* hic intelligi *Vocem Vindictæ* Divinæ, erupturam ex *Urbe*, & *Templo*, ad puniendos hostes Hierosolymam obsessuros. Certe cum Judæi in interpretando hoc loco in magnis versentur angustiis: Kimchius contra certissimam totius prophetiæ analogiam, locum interpretatur de *Voce* Jehovæ ex Urbe & Templo cum fremitu eruptura ad delendum *Gogum* & *Magogum*, hostes Populi Dei, Hierosolymam obsessuros. Verba ejus: VOX TUMULTUS EX URBE]. *Tum in diebus Messiæ exibit Vox tumultus ex Urbe Hierosolyma contra Gogum & Magogum, qui sunt hostes Jehovæ, secundum illud Zachariæ:* (Cap. XIV. 3.) *Et egredietur Jehova, & pugnabit contra illas Gentes.* Sed inspice prophetiam totam, & videbis, *hostes* Dei qui hic memorantur, esse *hostes internos*, hoc est, Judæos *rebelles* Evangelio, veros Apostatas à Fœdere Dei; ipsos illos Hierosolymitanos, HOSTES SUOS, quos vocat Dominus in Parabola, gladio Romanorum coram se *occidendos*[a]. Primo id liquet ex *versiculo antecedente*, hostes Dei qui hic dicuntur, esse ipsos illos homines, qui ibi signantur, *Fratres vestri qui vos odio habent, qui vos excommunicant.* Sic ipse hic loci Aben-Ezra, HOSTES DEI SUNT ILLI EXCOMMUNICANTES. Secundo, *Hostes Dei* sunt utique ipsi illi *Hypocritæ*, adversus quos tota fere hæc prophetia instituitur, sc. *Hypocritæ* quorum *sacrificia* Deus se dixerat abominari ut sibi detestabilia; quosque *electissimis Judiciis* suis *perdere* decreverat, quippe cum ipse *vocasset, non respondissent, &c.* ℣. 3. 4. Tertio, *hostes Dei*, igne & tristissimis calamitatibus perituri, hic sunt illi ipsi, qui ℣. 17. se dicuntur *sanctificare & purificare in hortis*, & quæ sequuntur; per quos utique ipsi intelligendi sunt Judæi Hierosolymitani. Quarto, *hostes Dei* illi ipsi sunt Judæi, quos descripserat Vates in tota *Sectione superiore*, huic conformi, ℣. 2--7. 11. 12. quibusque eadem interminatus erat mala, quæ hic loci. Quinto, cum Deus in initio hujus *Sectionis* palam declarasset, ℣. 1. se improbare studium & operam quam hi hypocritæ impendebant Templo magno sumptu extruendo; thronum vero suum dehinc censeri velle *Cœlos* & *Terram:* estne probabile, illum hic rursus facere velle *Templum* sedem suæ gloriæ & majestatis, unde erumperet vis perdendorum hostium? Est itaque hæc positio falso ac temerarie assumpta ab Interprete, ut in arctum redactus quali-quali modo evaderet. Tertiam assumo hypothesin; Verba, *Vox tumultus ex Urbe, Vox ex Templo: Vox Jehovæ rependentis vindictam hostibus suis:* hunc dare sensum; in *voce* Exercitus hostilis discurrentis per *Urbem* & *per Templum*, esse agnoscendam *Vocem Jehovæ*, *r. v. h. s.* Nullam hic designat *Vocem Jehovæ* ab his *Vocibus* distinctam. Propheta docet; Deum providentia sua sic administraturum res humanas, ut Exercitus hostilis in Urbem & Templum *magno tumultu & clamoribus bellicis* irrumperet, easque Copias respici velle ut exequutrices suæ vindictæ; ipsorumque tumultum & clamores spectari ut *Vocem suam*, hoc tempore hostibus suis rependentis merita. Sic Zacharias ad similem formam de hostibus Ecclesiæ ultimi temporis à Deo consumendis[b]: *Et futurum est illo die, ut magnus sit* TUMULTUS JEHOVÆ, (מהומת יהוה) *in iis: Apprehendet quisque manum proximi sui; & manus cujusque assurget contra manum proximi sui.* Effectus existeret, hostium mutuis cladibus se consumentium, *ingente tumultu*, in quo Deus suam agnosci vult *manum* ac *providentiam*; ut adeo *tumultus ille* appelletur *tumultus Dei.*

Altera hypothesis: Hic non agi de *Hostibus externis*, veluti de Gogo & Magogo: sed *Hostibus* Dei *internis*. h. e. Fœdifragis & Hypocritis in ipso Dei Populo.

Quod adversus Kimchium adstruitur, ex ipso contextu prophetiæ.

Totus contextus superior arguit *hostes* Dei, ipsos Judæos hypocritas.

Quis sensus lateat in verbis, *Vox tumultus, &c.*

Verba Zachariæ, Cap. XIV. 13.

His admissis hypothesibus, quisque facile viderit, *Vocem* hanc *tumultuosam* ex *Urbe* & *Templo* necessario intelligendam esse de *Voce* & *Clamore Bellico Militum Romanorum* perrumpentium, primo Murum Aquilonarem exteriorem munientem *Cænopolin*, *Novam Urbem*; inde iterato, postquam semel repulsi essent, occupantium *Murum secundum*, & irrumpentium in *Civitatem inferiorem*, extructam super Acram: tandem ingente opere *Arcem Antoniam* & *Templum*, postmodum *Urbem superiorem* firmissimis turribus & castellis munitam, expugnantium, & ubique in rebelles obstinatos, qui omnem Titi Imperatoris gratiam sibi sæpius oblatam ptoterve ac malitiose spreverant, stricto ense sævientium: quæ cum ex Josepho duobus postremis *Belli Judaici* Libris liqueant; prolixitatem majorem vito; nullam eorum *hic* rationem habens, quæ Josephus de *prodigiis*, Fatum Urbis portendentibus, memorat, licet cæteroquin ei narrationi fidem non abnuam. *A*

Prophetiæ implementum ex historia, remoto implemento, huc ab aliis adducto.

Argumentum Consolatorium *alterum:* VOCATIO GENTIUM, ejusque successus.

℣. 7. ANTEQUAM PARTURIRET, *peperit: antequam veniret dolor ei, enixa est masculum.*] *Alterum* hic promitur *argumentum* solatorium, directum ad *reverentes Verbi Jehovæ*, qui facerent *veram Tsionem*, sumptum ex subitario & mirabili incremento Ecclesiæ inter *Gentes*, omni cogitatione humana, omni exspectatione superiori. Sic enim hæc verba cum *superiore* contextu cohærere, liquet clarissime ex ℣. 9--11. Cum enim in *superiore Sectione* duo egisset Jesaias; primo quidem prædixisset Vocationem Gentium, ℣. 1. inde vero punitionem impiorum ac rebellium Evangelio: in hac *Sectione*, postquam repetiisset indignationem à Deo conceptam in hypocritas & non obsequentes Evangelio: *pios Judæos* ad eundem modum solatur ex paradoxo Eventu successus optatissimi *Vocationis Gentium*, quæ cum ipsis in unum corpus junctæ occuparent hæreditatem terræ. In sensu grammatico nemo hic hæret. Vox המליטה rectissime versa est ab Hieronymo, *Enixa est*, *peperit*. Proprie, *liberavit se partu*, ut Bochartus, significationem vocis docte illustrans ad locum Jobi, Cap. XXI. 10. Agnovimus notionem Cap. XXXIV. 15. In ipsius sententiæ Propheticæ indagine supponendum est, quod nemo negat; *Subjectum* propositionis, quod hic reticetur, esse *Tsionem*; quippe quod liquet ex *commate sequenti*; *Quia simulac doloribus partus correpta est* TSION, *peperit filios suos.* Quærendum itaque restat, quid *figura orationis* sibi velit, quorsum tendat. Sunt qui emblema simpliciter accipiunt

Alterum argumentum Consolationis ex subitaria Gentium *Vocatione*, ℣. 7. *Antequam parturiret, &c.* Summa sententiæ & nexus orationis Prophetæ.

Sensus vocis המליט h. l.

---

a Luc. XIX. 27. *b* Cap. XIV, 13.

A Narrat Josephus, B. J. Lib. VII. Cap. XII. inter *prodigia*, quæ Fatum Hierosolymæ præsignificarunt, (referenda pleraque ad A. Æ. V. LXV. cum sequens annus LXVI. vere primus fuerit *quinquennii* Reipublicæ funesti:) Sacerdotes Festo Pentecostis de *nocte* ad res Sacras procurandas ingressos, primum quidem *motum* quenstam & *strepitum sensisse*; postea vero *vocem* velut *confertæ multitudinis audivisse*, Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, MIGREMUS HINC: deinde, *Jesum* quendam, *Anani Filium, plebejum & rusticum, in summa civitatis* pace atque opulentia venientem ad Festum Σκηνοπηγίας, *repente exclamare cœpisse*, Vox *ab Oriente*, Vox *ab Occidente*, Vox *à quatuor ventis*: Vox *in Hierosolymam & Templum*: Vox *in maritos novos novasque nuptas*: Vox *in omnem hunc Populum.* tum vero, Αἰ αἰ Ἱεροσολύμοις· *Væ, væ, Hierosolymis.* Rursus, *Væ, væ, Civitati ac Fano*, (καὶ τῷ ναῷ) *ac Populo.* Quicquid autem flagellis cæderetur: per annos septem lamentabile hoc carmen decantasse usque quo Urbe à Romanis obsessâ, cum carmini adjecisset, *Væ etiam mihi*; ictu lapidis è tormento missi cecidisse in ipso Urbis muro. Prius Hieronymus huc inter alia quoque retulit, licet alibi perinde ac Eusebius, VOCEM, *Migremus hinc*, erronee auditam ferat circa tempus *passionis Domini*, qua de re alibi redarguuntur à Scaligero: (*Proleg. ad Thes. Temp.* XI. 2.) sed non ausim hoc tempore narrationi illam certam fidem adhibere; licet Tacitus quoque ejus mentionem faciat, Hist. Lib. V. Cap. XIII. Sapit enim exempla hujus generis Historiæ Exoticæ; & neutiquam probabile fit, Deum usque ad id temporis Templum sua præsentia honestasse. Sed posterius, in publico gestum, & per plures annos continuatum, certa fide recipio: licet *neutrum* huic loco nostro conveniat. *Vox* enim hic memorata est *tumultuosa* hostium, exequutorum Vindictæ Divinæ.

Emblema Prophetæ à nonnullis expositum de subitaria salute à Deo procuranda Populo suo.

cipiunt de *insperata salute* Ecclesiæ *obventura*, ut Kimchius. Idem sensus est Grotii. Nihil absurdi habet meditatio, si *comma* per se inspiciatur. Posset enim subitarius partus *masculi* emblema sustinere inopinati alicujus effectus Liberationis; qui materiam atque argumentum faceret magni gaudii. Sed refellitur interpretatio ex *commate sequenti*, in quo Tsion dicitur *peperisse* FILIOS SUOS; ubi itaque ipsi quoque illi Interpretes necesse habent cogitare de *Subjecto* analogo, quod concipi queat ut *partus* Tsionis; *partus*, inquam, *rationalis*. Id vero quale sit, Intt. diverse definiunt. Aben-Ezra huc refert, quod *filii Tsionis* (Tsionitæ) *absque molestia illuc reversuri sint, instar fœminæ absque multo labore parientis.* quod si recte intelligatur: nihil vitii habet. Emblema, ut hic loci pictum est, nos ducit ad cogitandum de *sobole* Tsionis; non dispersa aut disjecta, ad eam recolligenda; (ut ℣. 18. 19.) sed de *sobole nova*, insigni incremento ex ea generanda. Interpretes nostrarum partium passim consentiunt, hic intelligi partum spiritualem Ecclesiæ Apostolicæ primi temporis, sive respectu *Judæorum*, qui magno numero Evangelium Hierosolymis & per Judæam receperunt, ut liquet ex *Actis* [a]; cui meditationi Cyrillus potissimum inhæret: sive respectu *Gentium*, quæ quidem Ecclesiæ Christi primo tempore gratiæ ingente copia accesserunt, ex ea spiritualiter natæ; de quo Hieronymus ad hunc locum luculenter differit, licet tandem utrumque hunc Eventum Ecclesiæ inter se conjungat; quod plures etiam alii faciunt. Sed Coccejus noster hic plane singularis est. Intelligit hunc locum de *partu Christi Jesu* ex Ecclesia Populi Judæi, ut *puerpera, antequam vel de nativitate ejus, ut jam instante, cogitasset; vel propter regnum Christi in nullum dolorem fuisset conjecta*, collato loco Apoc. XII. 4. 5. In *sequente versu* agi vult de conversione Seminis electi *ex omnibus tribubus Israëlitarum*: proximo *commate nono*, de *Vocatione Gentium*, tanquam de *novo opere* gratiæ. Quæ quomodo Viro Doctissimo in mentem venire potuerint: non intelligo. Obiter enim locum inspiciens, videt de uno eodemque partu mentionem fieri. Estne præterea probabile, Jesaiam, scena prophetiæ fixa in tempore quo imminebat Desolatio Hierosolymæ, regressurum esse ad nativitatem Christi Jesu ex virgine. Πρῶτον ψεῦδος est locus *Apocalypticus*, Cap. XII. 1. seqq. huic nostro vere parallelus, expositus de Nativitate Domini ex Virgine; cum tamen clarissime pateat ex emblemate *Fœminæ parientis*, describi ibidem *partum* Ecclesiæ Novi; non Veteris Fœderis. Nec *natus* est Christus Jesus ex *Virgine*, antequam Ecclesia de *nativitate ejus, ut jam instante, cogitasset.* Cogitabant enim illo tempore plures, & *exspectabant consolationem Israëlis.* Sensus meus est, quem cum multis communem habeo; per *Tsionem* hic intelligi *Ecclesiam Liberam* primorum Credentium in Christum Jesum *ex Judæis*, in prophetiis de N. T. hoc nomine insignem; & per *partum*, cujus hic mentio fit, & in sequentibus; *partum spiritualem Gentium.* Est enim quod hic pingitur, idem fere emblema quod lustravimus & expositum dedimus, Cap. LIV. 1. 2. idque rursus parallelum est Vaticinationibus per totum hunc Librum sparsis, Cap. II. 1. 2. seqq. XLIII. 5. 6. XLIX. 7--9. seqq. LIII. 11. 12. Ps. LXXXVII. 1. 2. seqq. Hæc est illa יולדה PARIENS quæ certo tempore *paritura esset*, de qua Michas [b]; respiciens ad Cap. LIV. 1. & hunc locum nostrum Jesaiæ. Ecclesia fœta Spiritu S. à Christo Jesu effuso, *parere* debebat *Gentes*, Populum novum Ecclesiæ accessurum. Figura orationis idem clarissime evincit. *Partus* hic Ecclesiæ mox ℣. 8. appellatur TERRA, & GENS, *uno die* proditura in lucem: quod de *Credentibus ex Judæis*, licet ipse supponam & ex *Actis* liqueat, eos spectabilem fecisse multitudinem, ægre quis intelligat. Imo vero Propheta in sequente oratione φανερῶς declarat, se hic intelligi velle

In eam sententiam *Ἐπίκρισις.*

Sententia A. Ezræ.

Sensus verus Emblematis, ut hic loci pictum est.

Sententia Docti Interpretis.

Minus videtur probabilis, quia in verbis Prophetæ de uno *Subjecto* agitur.

Christus Jesus, natus ex Virgine, exspectatus fuit à piis.

Declaratur hoc Emblemate partus Gentium, Ecclesiæ adsciscendarum.

Emblema huic sensui perfecte congruit.

de *Vocatione*, sive de *Partu Gentium.* Sic ℣. 12. *Quia sic fatur Jehova: Ecce extendo super eam* (Hierosolymam) *pacem tanquam fluvium, & tanquam fluvium inundantem* כבוד גוים GLORIAM GENTIUM. *Et sugetis, ad latus portabimini.* confer Cap. XLIX. 22. & Cap. LX. 4. Quod argumentum deinde adhuc sub alio emblemate latius expandit, ℣. 18. 19.

Hypothesis adstruitur ex ℣. 12.

Hisce itaque suppositis, & alibi expositis, duo tantum expedienda restant. Primo, quo sensu Ecclesia Apostolica Judææ, omnium Ecclesiarum mater, dici queat *peperisse*, antequam *parturierit?* cum utique constet, *partum Gentium* non esse editum nisi variis *laboribus, curis, discriminibus*, & tandem quoque *martyriis*, primorum Evangelii Legatorum? idemque etiam significetur emblemate Apoc. XII. 1--5. Dein, quid sibi velit, quod hæc Ecclesia Mater dicatur *peperisse masculum?* Ad prius dubium respondeo, primo loco; in interpretatione Emblematum attendendum esse ad eorum scopum. Totum emblema, ut hic exhibetur, tendit ad figurandam festinatissimam, paradoxam, & omni opinione atque exspectatione superiorem, conversionem Gentium; de quo admirabili effecto Divinæ Providentiæ & Gratiæ in superioribus sæpius egi. Pertinet huc quod legimus in historia Conventus Hierosolymitani [c]: *Tacuit autem tota illa multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum exponentes, ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς σημεῖα καὶ τέρατα ἐν τοῖς ἔθνεσιν δι' αὐτῶν, quanta Deus edidisset* SIGNA & PRODIGIA *per ipsos* INTER GENTES. confer Cap. XIV. 27. Rom. XV. 19. Ephes. III. 8. Quo Dominus respiciens apud Lucam, ait [d]: *Spectabam Satanam* INSTAR FULGURIS *è cœlo cadentem.* Secundo, observari velim, in hoc emblemate non supponi Fœminam parientem nullos plane expertam *dolores partus.* Sequitur enim ℣. 8. כי חלה גם יולדה ציון *Siquidem simulac* DOLORES PARTUS *sensit, peperit Tsion.* Sensus sententiæ, *Antequam parturiens doluit*, sive, *ex dolore partus cruciata est*, (confer Cap. XLV. 10.) *peperit Tsion:* sensus, inquam, hujus sententiæ est; simulac dolores partus sensérit; quam primum eos senserit, adfuisse effectum. Cum enim puerpueræ pro more longius sint in parturitione, antequam excludatur fœtus: hoc in casu cum primis doloribus fœtum emissum esse. Sic plane, ut Propheta intelligi voluit, Cap. LXV. 24. *Et futurum est, ut antequam invocent, Ego respondeam.* Ergo quando *labores* Apostolorum comparantur cum incredibili illorum successu & Ecclesiarum in Gentibus fundatarum incremento: *nulli* vel *exigui* videntur; tum respectu *facilitatis* partuum horum spiritualium, omni cogitatione majoris: tum respectu *gaudii, lætitiæ, consolationis*, quam Apostoli & Ministri eorum ex iis perceperunt; qui affectus omnem *laboris* ac *molestiæ* sensum absorpsit; ut adeo dum *parturirent*, & in laboribus ac discriminibus variis versarentur, sensum nullum molestiæ experirentur; de quo Apostolus in omnibus *Epistolis* luculenter testatur. Alterum dubium de PARTU MASCULO, (זכר) non difficilius solutu, sed altioris indaginis est. Significatur, α. Ecclesiam edituram esse hoc tempore *partum*, in quo esset *robur & vis* fidei. Apostolus ad *Corinthios* [e]: *Perstate in* FIDE; ἀνδρίζεσθε VIRILITER *agite*, κραταιοῦσθε *estote fortes.* De *Colossensibus* [f]: *Omni potentia* δυναμούμενοι *potentes facti, secundum gloriosum* ROBUR IPSIUS *ad omnem tolerantiam & patientem animum cum gaudio.* quam virtutem & virilitatem primi Christiani in afflictionibus & tentationibus suis ubique probarunt. β. Partum spiritualem *perfectum*, constitutum in statu plane spirituali, qualis est *libertatis filiorum Dei* [g]. *Adoptio* est *filiorum.* pertinet ad *mares.* γ. In quo partu Christus, verus זכר *mas, viveret* [h], & virtutem suam exereret. Nec tamen id omne est quod hic innuitur, etsi ad interpretationem dicti plane sufficeret. Majus subest mysterium; inter eos, quos Ecclesia *pareret*, cum tempore

Dubia expedienda. Quo sensu Ecclesia Apostolica *Mater* dici possit *peperisse* antequam *parturiverit?*

Dubium ex scopo comparationis expeditur.

Locus Act. XV. 12.

Non excluduntur hic omnes dolores *partitudinis.*

Res ipsa disertius declaratur.

Alterum dubium de *partu masculo.*

Vis & emphasis *partus masculi* hic declaratur.

Respicitur ad statum *Credentium*, qui Ecclesiam primi temporis efficerent.

fore

---

a Act. II. 41. IV. 4. XXI. 20. *b* Cap. V. 2. *c* Act. XV. 12. *d* Luc. X. 18. *e* 1 Cor. XVI. 13. *f* Col. I. 11. *g* Rom. VIII. 14. *h* Gal. II. 20.

Sublimius mysterium his verbis involutum.

fore Philosophos, Rhetores, Magnates, Senatores, Præfectos Provinciarum, ac tandem Reges & Imperatores, qui *sceptra* majestatemque suam Christo Jesu subjicerent; ut ex locis superiorum prophetiarum sæpe allegatis, & ex ℣. 12. hujus *Sectionis* liquet. Vide omnino dicta ad Cap. XLIV. 5. & Ps. LXXXVII. 5.

Potentes Mundi debebant in Ecclesia nasci.

Dominus in *Apocalypsi* ad Ecclesiam Thyatirensem [a]: *Nam si quis vicerit, & observaverit ad finem usque opera mea: dabo ei auctoritatem in Gentes; & reget eas virga ferrea, sicut vasa fictilia conteruntur; sicut & Ego accepi à Patre meo.* Id impletum est in emphasi, ubi Constantinus, Constantii Filius, Romanorum Imperatorum primus, in & ex Ecclesia natus est, & se Christo Jesu subjecit; de quo recte explicui cum Doctis Interpretibus locum Apoc. XII. 5. ex hoc emblemate scriptum, ut ibidem monere memini [b]: nisi quod Spiritus S. ibidem simul figuraturus præcedaneam Persecutionem Diocletianeam Fœminæ illi parienti *graviora tormina* adscripserit. Hunc *partum* jam prævidebat Ecclesia, & *tenebat*, in primo partu Gentium. Primum enim implementum prophetiæ secundum & tertium includebat.

Cujus *læti* Eventus demonstratur *mirabilitas.*

℣. 8. *Quis audivit aliquid huic simile? Quis talia vidit? Estne ut* TERRA *gignatur* UNO DIE? *nasciturne* GENS *una vice? Quippe doloribus correpta Tsion, simul peperit liberos suos.*] Concepta est oratio, ut quisque videt, ad prædicandum & extollendum τὸ παράδοξον, *insolentiam*, & magnitudinem hujus effectus. In verbis Prophetæ nihil gravius occurrit, quod nos exerceat.

Τὸ παράδοξον hujus effectus, ℣. 8.

Observatum ad vocem יוחל.

יוחל, forma *Hophal*, ex חול, hic proprie valet *parturietur*, ut vertit Coccejus: quod quia insolentius, verti *gignetur*. Per *terram* intellige hoc loco spectabilem aliquam regionem Orbis terrarum, ut v. gr. Syriam, Ægyptum, Asiam, & similes. Per *Gentem* ad eundem modum, Populum qualemcunque, qui hanc illam spectabilem regionem Orbis terrarum inhabitat, ut sunt Ægyptii, Itali, Galli. Sensus Prophetæ est; an auditum unquam, vel lectum est in historia; tantam multitudinem hominum, quanta *Gentem* efficere posset, & spectabilem aliquam regionem Orbis terrarum implere, *uno die*, brevissimo temporis spatio, & *una vice*, absque variis repetitis laboribus, (ut passim fieri solet in partu fœmineo,) editam esse? Ita plane se res habet, ut hic dicitur. Cum hic agatur de partu spirituali, hoc est, de doctrina Religionis generanda in animis hominum per Doctores ad id ordinatos: constat, nullum eventum huic simile unquam in Orbe visum cognitumque esse; nullum lectum in historia. Pauci numero Doctores ex Judæis, contempta Populis aliis ac fastidiosa Gente & ob divortium Religionis summe invisa, Hierosolymis egressi per Orbem, nullis viribus, nulla auctoritate muniti, sed instructi doctrina solius Evangelii, cujus cæteroquin Evangelii doctrina ad speciem videbatur complecti varia paradoxa de Christo Jesu ut vero Dei Filio, & tamen passo, mortuo, resuscitato, à majore & spectabiliore parte suæ Gentis spreto repudiatoque: instructi tamen illi, inquam, hoc Verbo, comitante gratia Spiritus S. brevissimi temporis spatio per Syriam, Mesopotamiam, Arabiam, Ægyptum, Asiam utramque, Græciam, & mox etiam Italiam, Africam, Gallias, & in ipsa Urbe Roma Gentes incredibili numero perduxerunt ad *obsequium fidei*; ut ipse jam Paulus, à Spiritu S. ad hoc Opus designatus circa *quartum* Claudii, ex probabili hypothesi, *tertio* Neronis *Anno*, (intersunt fere Anni *tredecim*) scripserit, *fidem Romanorum annuntiari in* TOTO MUNDO [c], (fundatis sc. jam ubique Ecclesiis:) &, *se jam ab Hierosolymis & circumjacentibus regionibus, usque ad Illyricum* πεπληρωκέναι τὸ Εὐαγγέλιον τῦ Χριςῦ *implevisse Evangelium Christi.* cum effectu docuisse, eaque loca Evangelio Christi replesse. Differit de eo luculenter variis locis Eusebius, & ipsum hunc locum diserte ad hunc mirabilem ac paradoxum Eventum applicat [d], dum vindicias agit veritatis Evangelii. Hæc tanta sunt, ut non cieant admirationem, sed stuporem. Nihil simile auditum, nihil lectum in historia. Populi à Religione, qua à teneris imbuti sunt, difficillime discedunt: adhæresunt ei tenaciter, usque ad mortem. Nolunt enim videri, se vel majores suos in re tanti momenti errasse. Quilibet itaque Populus ab antiquis temporibus suam sequutus est superstitionis traditionem, licet sæpe absurdissimam. Philosophorum sectas Discipuli cujusque Scholæ tuiti sunt; sed non penetrarunt ad vulgus, neque mutationem ullam induxerunt in Religionem; nec vulgus illos magni fecit; sed, quod mores professioni non responderent, passim aspernatum est. Muhammedismum mihi objicis. Nego, objici ratione. Principatus à Muhammede fundatus in Arabia amplissimum brevi, faventibus temporum & locorum circumstantiis, incrementum fecit: non *fides*, nisi apud Arabes. Ex Populis cultioribus ab ipso aut Successoribus subactis, Judæis aut Christianis, ad fidem ejus pauci, neque alii quam improbi & levis ingenii homines, Religionis irreverentes, accesserunt. Hæsit fides inter Arabes: non fuit adeo hic *fidei*, sed *armorum* victoria; de quo videbis Elmacinum & Rodericum Toletanum. Rudes autem omnis cultus ac disciplinæ Turci, Circassii, Persæ (nec tamen omnes) ac alii aliqui Populi Orientales, qui hanc disciplinam admiserunt, vel armis domiti in hanc concesserunt fidem; vel ex principiis *Veritatum*, ex Mose aut Evangelio depromptarum, rationi & conscientiæ congruentium, ex quibus Impostor *Koranum* suum, sive *Corpus doctrinæ sua* construxit; ut adeo hic integra maneat Evangelii gloria.

Mirabilitas hujus eventus vindicatur.

Animadversio in profectum Muhammedismi, cujus comparatio cum hoc Eventu destruitur.

Et *Causa.*

℣. 9. *An Ego* PERDUCEREM AD PARTITUDINEM, *& non facerem parere; ait Jehova. Num Ego* GIGNEREM, *& uterum occluderem? dicit Deus tuus.*] Redditur ratio facilitatis partus; quod ad interpretationem figuræ orationis probe observandum. quam orationis figuram cum Chaldæus forte duriorem putaret; literalis sensus rationem nullam habuit; alii plures assequuti non videntur: Alexandrinus vero Interpres prius membrum mire pervertit *A*. Mihi curæ erit utrumque articulum sententiæ seorsim investigare.

Causa hujus paradoxi demonstratur, ℣. 9. *An Ego, &c.* Variationes Intr. hujus loci.

Prior

---

a Apoc. II. 26. 27. *b* In *Comm.* ad h. l. *c* Rom. I. 8. *d* *Hist. Eccl.* Lib. I. Cap. IV. confer Lib. II. Cap. III.

A Chaldæus: *Ego Deus creavi Mundum à principio; dicit Dominus: Ego creavi omnes homines: Ego disperfi illos inter Populos: Etiam Ego congregabo captivitatem tuam, dicit Deus tuus.* Nata ex eo est interpretatio, quod Hebræi Intr. sibi certo persuaserint, Deum hic κατ' ἐξήτασιν appellari, המוליד GENITOREM sive *Parere facientem*, quod universum genus hominum produxerit, sive, omnium Sæculorum generationes sua providentia direxerit. Sic vocem illam accepit cum Jarchio & Kimchio ipse quoque Aben-Ezra. Οἱ ὁ. Ἐγὼ δὲ ἔδωκα τὴν προσδοκίαν ταύτην, καὶ οὐκ ἐμνήσθης μου, εἶπε Κύριος. οὐκ ἰδοὺ ἐγὼ γενῶναι καὶ τέραν ἐποίησα; εἶπεν ὁ Θεός σου. *Ego autem dedi exspectationem hanc, & mei non es recordata, dicit Dominus. Nonne ecce Ego parientem & sterilem feci? inquit Deus tuus.* In *posteriori membro*, saltem agnoscis lineas aliquas & ductus textus Hebræi; licet vero ejus sensu perverso: sed in *priore* nihil simile. Quomodo enim ex hisce Hebræis, *An Ego effringam uterum*, sive *ducam ad partitudinem, & non faciam parere?* cudi potuit hæc sententia: *Ego autem dedi exspectationem hanc, & mei non es recordata.* Nobilius, Drusius, Grotius, Cappellus, homines in crisi sacra me acutiores, nihil hic annotarunt, sed dubium taciti præterierunt. Hieronymus etiam, licet differitatem versionis observaverit; nihil adscripsit. Fateor ipse quoque, me hic parum vel nihil videre. Significationem vocis אשביר cum forte ignorarent: derivasse videntur ex voce שֹׂבֶר (litera ש punctata in *cornu sinistro*,) *sperare, exspectare*; ut sonet, *Ego sperare feci*, sive, ut illi, *dedi exspectationem hanc*: Sed ולא אוליד *an non faciam parere*: quomodo transformari potuerit in hæc, *Et mei non es recordata*: non perspicio. Græca, καὶ οὐκ ἐμνήσθης μου, Hebraice sonant, ולא זכרתני אותי, vel ולא זכרתני, quæ nihil commune habent cum Hebræis vocibus, quæ hic extant; sed videri possent desumpta, ex Cap. LVII. 11. ubi est, ואותי לא זכרת: ubi in M. Alex. est, καὶ οὐκ ἐμνήσθης μου, licet in Vaticano simpliciter, καὶ οὐκ ἐμνήσθης. Sed prior lectio, quam & Aldus probavit, verior; non tantum quod Hebræis respondeat; verum etiam quod Eusebius & Cyrillus eam exhibeant; & Hieronymus quoque in Versione Latina τῶν ὁ. & Nobilius ipse in *Itala Vetere*; licet de variante lectione nihil monuerit. Putem itaque, Interpretem Alex. in suo Codice hæc ab imperito aut errante Librario transcripta legisse; licet Interpres Græcus hujus Libri sibi cæteroquin magnam vindicaverit libertatem.

Prius membrum inſpicitur.

Prior ſic legitur, האני אשביר ולא אוליד יאמר יי Hieron. *Numquid Ego, qui alios parere faciam, ipſe non pariam, inquit Dominus?* cui verſioni *reliquos quoque Interp.* (exceptis τοῖς ὁ.) *congruere*, ait. Ergo in eandem ſententiam accepit verſionem Symmachi, cujus ſolius Fragmentum hic extat apud Procopium: Μὴ ἐγὼ ὁ καθίζων ἐπὶ τὸ τεκεῖν, ἐκ ἐκτοκίζω; εἶπε Κύριος. Vertit Curterius: *Num ego, qui ſedere facio ad parien-dum, ipſe non pariam? dicit Dominus.* Druſius nihil mutavit: apud quem non eſt legendum, ἐκτοκίζε, quod illi imputatur in recentiore Editione *B. Criticorum*; ſed ἐκτοκίζω, ut eſt in Procopio, & ut ipſe in *priore Editione Fragmentorum* recte dedit. Sed ſi Symmachus voce ἐκτοκίζω, in hunc uſum ficta vel certe exempli rarioris, idem voluerit, quod Hieronymus voce *pariam*: neuter aſſequutus eſt *figuram* dicti Prophetæ. Prophe-ta hic Deum non facit *parientem*, ſed *Tſionem*, ut ex periocha tota liquet; nec Hebræa notio הוליד notat *pa-rere*, ſed vel *parere facere*, vel *gignere*. Debebat eſſe apud Hieronymum, ſecundum ejus hypotheſin, *non faciam parere?* Forte etiam id voluit Symmachus, ut ἐκτοκίζειν ipſi ſit *præſtare partum:* ut ſenſus ſit, *Num Ego alias mulieres parere facerem, & facere non poſſem, ut pareret Tſion?* Sic multi accipiunt. Nec tamen re-cte, ut opinor, licet ſenſu per ſe ſatis tolerabili. Non quæritur hic, an Deus facere poſſet, ut *Tſion pareret:* ſed ut *Tſion* partu ſuo quam *facillime*, abſque ullo fere *doloris ſenſu*, liberaretur. Poſſe Deum, hic loci adſtruit Propheta. Minus tamen probem illud Cocceji, *An Ego faciam parere, & non gignam? ait Jehova.* Alibi ſic explicat: *An tantum faciam, ut aliæ matres enitan-tur; vel pueri erumpant ex utero; & ipſe non gignam?* Miror, id Doctiſſimo Viro potuiſſe placere, quod an-te ipſum Belgis. Jam dixi, agi hic de *partu facili.* Si Propheta hic reſpexiſſet opus Divinæ providentiæ, quo *parere facit fœminas*, videtur ſcripturus eſſe המשביר. Sed præcipue obſtat huic interpretationi, quod non maneatur in *terminis comparationis. Parere* & *gignere* ſibi non obſtant. Genuinus ſenſus dicti hic eſt, mea ſententia, quem viderunt Hebræi; *An Ego perducerem ad partitudinem*, (aperirem os matricis,) *& non face-rem parere?* Nec tamen hunc quoque ſenſum integrum exhibuerunt, qui ſe ad eum applicarunt. Piſcator: *An Ego aperirem os matricis* mulierum; *nec tamen efficerem ut pareret Tſion?* Rurſus, ut cenſeo, vitioſe. *Partus* enim Tſionis hic non comparatur *partui* cæterarum mu-lierum, reſpectu ipſius *partus*; cum ſint ἑτέρᾳ γένεϛ. Hebræa oratio non indiget hoc ſupplemento. Videtur-ne id ſcite dictum, *An efficere queam, ut reliquæ mu-lieres pariant; & facere non poſſem, ut pariat Tſion?* Re-cte utique, ſi de eodem genere partus ſermo eſſet; ſed eſt ἕτερον γένος. Ergo laudem tribuo Jarchio, Vati noſtro ſuum reddenti ſenſum. Verba Ejus: האני אשביר ולא אוליד' האני אביא ארח אשתי על המשבר ולא אפתח רחמ' להוציא עוברה כלומר שמא אתחיל בדבר ולא אוכל לגמור *Num Ego adducerem* UXOREM MEAM *ad partitudinem, & non aperirem uterum ejus, ut fœtum ſuum in lucem pro-duceret; acſi diceret, Forte incipam rem, & non potero perficere.* Num Ego, ait Deus, facerem ut Tſion, ex me uterum gerens, perveniret ad *partitudinem*, (ad rupturam vulvæ,) & non *efficerem* ut abſque mora *pareret?* Sineremne eam longum in doloribus partus conſiſtere? Vox אשביר ex השביר eſt *perrumpere vul-vam* vel *uterum.* משבר *ipſa partitudo.* Nempe fieri po-teſt, ut ex defectu virium puerperæ fœtus in partitu-dine diu conſiſtat, antequam *perrumpat*; quo alludi-tur Cap. XXXVII. 3. quod hic futurum eſſe, ſe ob-ſtetricante & partum curante, Deus negat. הוליד valet *gignere*, & *parere facere*, ut exemplum eſt Cap. LV. 10.

Alter articulus: *An Ego qui, &c.*

Alter articulus: אם אני המוליד ועצרתי Hieron. *Si Ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero.* Poterat re-ctius. Notio מוליד vel valet *gignens*; vel, *parere faciens.* Vox עצר gaudet ſignificatione *tranſitiva.* notat conti-nere *ſe* vel *alium.* Symm. Ἢ ἐγὼ ὁ συνεκτοκίζων, ἢ συνέξω; Curterius: *Aut Ego qui fœtum promoveo, etiam comprimam?* Docte ſane. Piſcator: *An Ego qui facio, ut* mulieres *pariant: occluderem* Tſionem? Non probo rurſus comparationem. Sententia nulla indiget fartura. Coccejus: *Nunquid Ego ſum is qui gignit, & continebo me*, quominus pariam? Quam enim vero paradoxe? Num itaque Deus in una eademque ſententia ſuſtinebit perſo-nam *gignentis & parientis?* An non liquet ex tota ora-tione, *Tſionem* ipſam hic eſſe quæ *pariat?* Hebræi, *An Ego* qui huc uſque Gentes, & terras genui, & *gene-rationibus* omnibus præſedi: hoc tempore *continerem* Tſionem, cujus partus aliarum Gentium partibus cen-ſeri debet excellentior? Interpretatio nihil abſurdi ha-bet. Verus ſenſus, ut putem: *An Ego ipſe qui* GENI-TOR *ſum, continebo* vel *occludam* ſc. uterum Tſionis, quo minus pariat, & facillime fœtum emittat? Hæc genuina notio eſt vocis עצר, ut cognoſci poteſt ex Gen. XVI. 2. *Et dixit Sarai ad Abrahamum: Ecce nunc Jehova* עצרני *me* OCCLUSIT, *ne parerem.* Vete-res qui certa & pia fide omnia effecta & eventus re-rum humanarum ad Divinam referebant providentiam: ſic exiſtimabant, *generationes* inprimis ſatus humani in-ter effecta Curæ Divinæ cenſeri; atque adeo, Dei eſſe *aperire* & *claudere* uterum. Facit itaque Propheta Deum hic loci dicentem; Cum alioquin forte in qui-buſdam caſibus rationem habeam *claudendi* uterum fœ-minarum, ut vel nullus vel tardior partus ſit: idne fa-cerem, me ipſo *gignente?* Utique à *genitore* exſpecta-tur, ut quantum pote, *partum* reddat facillimum, ſiquidem id ſit in ſua poteſtate. eſt autem in poteſtate mea *partum promovere.* Symmachi ſententia proxime huc accedit, *An me partum promovente*, (*obſtetrican-te*, curam ejus gerente, quam ſignificationem vox מוליד hic quoque obtinere poſſe, non nego:) *continebo, occludam uterum?* Videtur tamen id, quod expo-ſui, fortius dictum.

Hebræorum expoſitio.

Interpretatio probabilis.

Conſtituto ſenſu *literali*, *ſpiritualis* ſe cuique proti-nus offert. *Egone*, ait *Deus*, *ipſe* Tſionem *produxe-rim in ſtatum partitudinis*; ſcilicet, dum eam produxi ad ſtatum Oeconomiæ Novæ; eam doñavi fœtamque reddidi donatione Spiritus S. Verbum Evangelii, ut medium Regenerationis & Converſionis Gentium po-ſui in ore ejus; & Apoſtolos ac Miniſtros meos emiſi ad ſpiritualem hanc genituram Eccleſiæ lucrifacien-dam: *Egone*, ait Dominus, *Tſionem*, gravem factam, perduxerim ad hoc tempus *partitudinis & proximitatis partus*; & *non facerem parere*; hoc eſt, non *coöperarer*, tum efficace influxu & concurſu gratiæ Spiritus S. *Verbum* Evangelii in animis Gentium fœtificaturi; tum *ſignis & prodigiis*, fidem Evangelii promoturis, ut partum numeroſum ederet, eumque facillime profun-deret; nempe, ut multæ Gentes, & deinceps integri Populi ad fidem Evangelii converterentur? Id Deus merito per *interrogationem* proponit ut conſequens ab-ſurdum. Non poterat enim velle contraria. Qui Ec-cleſiam eo poſuerat ſtatu, ut poſſet lucrifacere Gen-tes; & circumſtantias omnes ad magnum hunc effe-ctum diſpoſuerat: idemne in ipſo partus tempore re-traheret manum, & partum facilem non redderet, ſi poſſet? ut ſi id non ageret, nec poſſe, nec operi fa-vere videretur. Rurſus, Num Deus, *Maritus Eccleſiæ* (Cap. LIV. 5. Hoſ. II. 18.) & verus genitor partus ſpiritualis ex *ſemine Verbi gratia*, (1 Pet. I. 23. 25.) *tempore partitudinis*, in plenitudine temporis, *contineret uterum* Eccleſiæ, ut juxta promiſſum tempori certo adſtrictum non levaretur partu, abſque dolore? Imo vero cum Deus ipſe Genitor eſſet; cum ipſe Eccle-ſiam perduxiſſet in tempus *partitudinis:* plane ſuadebat ratio, ut *partum* redderet quam facillimum, eumque *efficaciſſima operatione ſui Spiritus* & ſignis ac prodigiis promoveret; ut eum feciſſe, *Acta* & omnes Paulinæ teſtantur. Apoſtolus [a]: *Non enim ſuſtinuerim quicquam loqui quod non* EFFECERIT CHRISTUS *per me, ad obe-dientiam Gentium, verbis & factis;* ἐν δυνάμει σημείων

De *ſpiri-tuali* ſenſu quæritur.

Prioris arti-culi ſenten-tia declara-tur.

Et alterius.

Idemque illuſtratur. Locus Rom. XV. 19.

a Rom. XV. 19.

Nec non in ſententiam verſionis, ipſam.

Vox ἐκτοκίζω apud Symma-chum.

In meditationem Cl. Interpretis ἐνάκριτις.

Termini comparationis hic diligenter obſervandi ſunt.

Piſcatoris expoſitio; quæ non admittitur.

Jarchius laudatus. Sententia Prophetæ illuſtratur.

Variæ interpretationes.

ἐν τεράτων, ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου· *in virtute signorum & prodigiorum; in virtute Spiritus S.* Marcus *a*: *Illi vero* (Apostoli,) *profecti prædicarunt ubique*, τοῦ Κυρίου συνεργοῦντος DOMINO COOPERANTE, *& sermonem eorum confirmante, per signa subsequentia.* Confer Heb. II. 4. Intelligis ex hoc loco, in *subitaria* illa & fructuosissima *conversione Gentium* cognosci potuisse *Opus Dei.* Veteris Ecclesiæ Doctores, Divinitatem Doctrinæ Christi Jesu demonstraturi, id passim urgent, & summa sane cum ratione. inter alios Origenes, in *Libro quarto* περὶ Ἀρχῶν, cujus excerptum est in Philocalia, quæ dissertatio in hanc exit summam, μεῖζον ἢ κατὰ ἄνθρωπον τὸ πρᾶγμα εἶναι· *rem humanis viribus majorem esse b*. alibi, τόλμημα ὑπὲρ κατὰ ἄνθρωπον, ἢ τὸ ἐπίταγμα Θεοῦ. Sed memini de eo jam monere ad Cap. XLIX. 17.

Argumentum *Consolationis* tertium, sumptum ex lætis *Consequentibus* hujus *Vocationis.*

(a.) *Excitatio* ad Lætitiam.

Tertium Consolationis argumentum, ex *lætis Consequentibus Vocationis Gentium.*

(a.) Excitatio ad lætitiam, ℣. 10. *Lætamini, &c.*

Argumentum pericopæ.

Appellantur hic *Diligentes Hierosolymam.*

Qui illi?

℣. 10. *Lætamini cum* HIEROSOLYMA, *gaudete ejus causa omnes eam diligentes: summe hilares estote cum ea, omnes ejus causa lugentes.*] Tum ipse *partus Gentium* faceret materiam *gaudii*, animo concepti; (שמחה) *exultationis*, (גילה) & *hilaritatis* alacritatisque, (משוש) (quibus vocibus Vates hic simul utitur, ut declararet *gaudii* ac *lætitiæ* verissimas rationes:) tum *lata* ejus *consequentia*, quæ Ecclesia procedente tempore experiretur. Experiretur autem *inter Gentes*, post Hierosolymam antiquam & literalem destructam, ut ex sequentibus liquebit. *Excitantur* vero ad hoc *gaudium* à Choro Prophetico, qui *diligunt Hierosolymam*, hoc est, erga Ecclesiam, ejusque profectum & incrementum, magno affecti sunt studio & zelo, tanquam qui summam gaudii sui in terris in eo ponant, quod ipsi sint in communione Ecclesiæ; & quod Ecclesia Dei in hisce terris floreat, proficiat, gaudeatque pace, consolatione, & uberrimo Spiritus S. influxu. Poëta facer *c*: ישליו אוהבין *Prospere agant diligentes eam*, sc. Hierosolymam. Qui iidem *amici* Hierosolymæ המתאבלים עליה *lugent super ea*, si quæ Ecclesiæ accidant adversa, profectum ejus sufflaminantia, aut gloriam ejus obscurantia. Respiciuntur *pii* homines qui videntes *scandala* suorum temporum, indies ingravescentia, ardenter exspectaverant consolationem Israëlis; & post primam manifestationem Regni Christi Jesu observantes *incredulitatem* atque *indurationem* spectabilioris partis Populi Judæi, licet ipsi *pleni gaudio Spiritus S.* tamen ex eodem sancto affectu concipiebant λύπην μεγάλην *magnum luctum*, ἢ ἀδιάλειπτον ὀδύνην τῆς καρδίας· *& continentem cordis cruciatum*; ut de se Apostolus *d*. Vidimus de illis sub nomine *lugentium Tsionis*, Cap. LVII. 18. LX. 20. LXI. 2. 3. Hi vero ipsi cum viderent, illos Evangelio immorigeros ex justissima sententia Divinæ Curiæ traditos esse in *reprobam mentem* & à Deo derelictos se præcipitasse in exitium; constitisse autem Deo graves rationes, cur Hierosolymam & Templum destructa vellet, ut Oeconomia spiritualis se in omni forma & decore ostentaret: *excitantur* ad participandum verum *gaudium*, cujus materiam Deus Ecclesiæ suæ post hoc tempus ubertim exhiberet. conferri potest Apostrophe cum Cap. LXV. 18. & majore adhuc amplitudine, Cap. XLIX. 13. *Hierosolyma* vera non constat *lignis* & *lapidibus*; sed *Ecclesia. Cœlestis* terrestri successit.

Et *super ea lugentes?*

Declaratur ex exemplo Pauli, ex Rom IX. 1. 2.

(b.) *Excitationis* ratio, *primo generatim proposita.*

Ratio *Excitationis* ad

℣. 11. UT *fugatis, & satiemini ex* UBERE *consolationum ejus*; *ut fugendo* EXPRIMATIS *& delitiemini ex vitali* SUBSTANTIA GLORIÆ EJUS.] *Consequens* est & argumentum *gaudii*, quod hic proponitur. Nemini datur venire in partem *consolationis* Hierosolymæ; nisi huic civitati adscripto, & *gaudia* ac *luctus* ejus participanti. Liceret tamen etiam vertere, *Propterea quod futuri sitis*, *seqq.* Nec est id plane alienum à notione למען. Beneficium sive privilegium *Lugentium* Tsionis, à Vate commendatur, *Sugere, & saturari ex ubere consolationum ejus.* Sentis figuræ venustatem. *Tsion* Vati obversatur ut *mater puerpera*, quæ recens fecerat partum; cujusque adeo *ubera* sugentibus & prementibus exhiberent *lac.* שֹׁדְ תנחומיה hic absque dubitatione vertendum per UBER *consolationum*; ut recte οἱ ὁ. Hieronymus, & Hebræi. Chaldæus: *De præda consolationum ejus.* plane præter rem. שֹׁדְ hic idem valet quod שֵׁדְ, qua significatione vocem jam habuimus, Cap. LX. 16. Eccur vero scripsit *uber*, & non שְׁדַיִם. Nullus dubito, etiam hic subesse mysterium. significari videlicet *consolationes meliores*, sive *spirituales.* ut *oculus* DEXTER qui *spiritualia* videt, apud Zachariam *e*: *auris* DEXTRA, quæ spiritualia discernit *f*. Ecclesiæ autem adscribitur *uber* vel *ubera*, primo quatenus apud Ecclesiam est *Verbum Evangelicum* & *Propheticum*, (λογικὸν γάλα *lac rationale*, hoc est, *spirituale*, ut dicitur Petro *g*; non *lac sermonis*, ut Beza:) complexum *promissa excellentium bonorum*, aptorum consolari omnes salutis suæ cupidos. Evangelium & Prophetiæ Evangelicæ, continentes αἰωνίαν, *æternam h*, ἢ ἰσχυρὰν παράκλησιν, *& validam consolationem i*, veniunt nomine λόγου παρακλήσεως *k*. de quo uberius egi ad Cap. XL. 1. Quæ excellentia promissa, Verbo & Sacramentis gratiæ comprehensa, nemo sua facit nisi *cupidi gratiæ* & consolationis, qui, Ecclesia per Doctores Publicos vel per Sacramenta gratiæ publice exhibita, aut per ipsius illius Verbi lectionem, *ubera sua præbente, sugendo*, hoc est, pia exercitatione *fidei* & *spei*, hoc *lac spirituale* sibi vindicant & in usum suum convertunt. Dein, quatenus apud *Ecclesiam* sunt *bona* & *gratiæ*, quibus Deus eam *solatur* pro varia temporum Novi Testamenti dispensatione, quæ bona communicat cum omnibus quæ sunt in ejus communione. *Consolationes* hic non tantum sunt *verbales*, sed *reales*; hoc est, *dona* & *bona Gratiæ* ac *Providentiæ Divinæ*, apta consolari animos affectos & afflictos; in quorum censum hic veniunt omnia *beneficia* luculenta, Ecclesiæ N. T. tam respectu status sui in hac vita, quam respectu Sæculi futuri *promissa*, suo quæque tempore repræsentanda; inter quæ promissa erant *hæreditas* Mundi, & *Victoria* Regni Christi Jesu de Regno Mundi ac Satanæ, cum *Pace*, *Securitate*, copia omnis benedictionis, & gloria à Principibus & Regibus in eam inferenda. Hæc bona sunt apud Ecclesiam; quædam *permanentia*, Ἀπολύτρωσις, Illuminatio, Justitia, Ἄφεσις, Donum Spiritus S. ejusque *Consolatio* ac Vivificatio, Adoptio, Pax, Lætitia, Dei apud Ecclesiam præsentia; & his similia: alia *certorum temporum*, pro Divina dispensatione; ex quorum fructu & usu vera percipitur consolatio. Hæc Deus per Ecclesiam offert omnibus hujus *nutrimenti spiritualis* cupidis, sitibundis, *famelicis*, & præstat ad usque *satietatem.* Ei qui *sugere* didicit, nullum hic deest *lac.* confer Jer. XXXI. 14. Ps. XXXVI. 9. CIII. 5. Posterius hic præcipue respicitur, ut ex sequentibus patescet, & ex analogia loci Cap. LX. 16. Nihil hic jucundius & efficacius notione *sugendi. Sugentes* enim non tantum sibi attrahunt, vindicant, & sua faciunt *Bona saturantia*, à se *cupita*, ex quibus veram percipere possunt consolationem: sed *sugendo* omnem *dulcedinem* quæ in iis Bonis, eorumque fruitione est, persentiscunt; ut infantes ex *lacte.* Idem observaveris ad *comma sequens*, ubi κατ' ἔμφασιν, ויענקתם *Et* SUGETIS. Non *edes*, (quod dici poterat:) sed SUGES. quicquid suavitatis in Bonis illis inest, exhauries.

Alterum membrum huic analogum, Hebraice sic effer-

Lætitiam, *generatim* propositæ, ℣. 11.

Respectus vocis למען.

Hypothesis figuræ orationis. *Tsion* hic spectatur ut *puerpera.*

Notio שדי h. l.

Ratio *numeri singularis* hujus vocis.

Qualis hic intelligatur *consolatio?*

Quid hic loci *sugere?*

Consolationes hic intelligendæ sunt *reales.*

Bona Testamenti gratiæ, sive priva, sive omni statu Ecclesiæ communia.

Alterum

a Cap. XVI. 20. *b Philocal.* Cap. I. *c* Ps. CXXII. 6. *d* Rom. IX. 2. *e* Zach. XI. 17. *f* Apoc. II. 7. *g* 1 Pet. II. 2. *h* 2 Thess. II. 16. *i* Heb. VI. 18. *k* Act. XIII. 15. Rom. XV. 4. confer 2 Cor. I. 3. 4.

membrum ſententiæ: *Ut emulgeatis, &c.*

effertur, למען תמצו והתענגתם מזיז כבודה *Ut exprimatis* ſive *emulgeatis*, *& delicias capiatis*, *ex* SOLIDA SUBSTANTIA *gloriæ ipſius.* Sic cenſeo vertenda verba, diverſæ ſubjecta interpretationi, ob incertam ſignificationem vocis זיז in phraſi זיז כבודה in fine ſententiæ. Oi ó. reddunt per ἔισοδον *introitum.* Sic illi, Ἵνα εκθηλάσαντες τρυφήσητε ἀπὸ εἰσόδε δόξης αὐτῆς· *ut poſtquam ſuxeritis delectemini ab* INTROITU *gloriæ ejus.* Mutuatus eſt Interpres haud dubie ſignificationem ex voce מזוה *poſtis ædium*; in quo nihil vitii: ſed notio, quam ei hic aptavit, non congruit loco. Hieron. *Ut mulgeatis & deliciis affluatis ab* OMNIMODA *gloria ejus.* Sumpſit ex Aquila, ἀπὸ παντοδαπίας· ficta voce ex παντοδαπὸς *multifarius.* Sym. ἀπὸ πλήθυς· *à multitudine.* Vides, illos illigaſſe voci זיז ZIIS ſignificatum *univerſalitatis.* perinde fere, ut Avenarius & Forſterus, ex locis Pſ. L. 11. & LXXX. 14. in quibus eſt שדי זיז quod volunt eſſe *univerſitatem animantium*, *copiam ferarum agri.* Aq. ibi quoque loci, Παντοδαπὴν χώρας. Sed vere abſque ulla probabili ſpecie. זיז ibi ſignificat *feras*, *animantes agrorum*, in quibus eſt *motus & vivacitas*, ex זיז *moveri*, (qua notatione vox Magiſtris eſt uſu recepta,) ut זיז idem valeat quod Græcis κινώδαλον pro κινώδαλον; docetque ὁ πάνυ, eundem uſum vocis obtinere apud Arabes *a*, in docta diſſertatione ad Pſ. LXXX. 14. Ergo Cl. Coccejus, inde ſumpta occaſione, tranſtulit locum, *Ut exprimatis & delitiemini* AB ANIMALIBUS *gloriæ ejus.* quod etiamſi ipſe ita interpretetur, ut τὸ ἄτοπον vitet, & rerum ſpiritualium analogiam ſervet: paucis tamen forte perſuaſerit. *Remota & quæſita* in interpretatione fugienda ſunt. Non poſſumus ſapientem Prophetam ſic loqui facere, ut nemo noſtrum loqui vellet. זיז proprie valet *feras* inter *animantes.* Sed fac eſſe *manſuetas.* An *animantes*, quæ copiam aut divitias Tſionis faciunt, (ſubintellige *Gentes*,) dicantur *animantes* GLORIÆ *Tſionis?* Illis *animantibus* uti; eſtne *exprimere* & *ſugere* & *delitiari ab animantibus gloriæ?* Quid hic viderit Chaldæus, fateor, me nullatenus aſſequi. Παραφράσει, *Ut bibatis & inebriemini ex* VINO *gloriæ ejus.* Eſtne ut pro מזיז legerit מיין? Sic putem. Potior Intt. pars vocem זיז *ziiz* hic vertunt per *ſplendorem*; ſic Pagninus, Jun. Trem. Piſc. alii. Eſt Vir Doctiſſimus *b*, qui eandem ſequutus interpretationem, phraſin זיז כבוד confert cum Apoſtolica, ἀπαύγασμα τῆς δόξης τῦ Πατρὸς, *Reſplendeſcentia gloriæ Patris*, atque adeo hic intelligit ipſum *Meſſiam*; nec tamen verbo innuit, unde hanc ſignificationem vocis petierit, vel adſtruat. Sed quicquid ejus ſit; non agitur hic de *ſplendore gloriæ Dei Patris*; ſed, (ſi hæc admitteretur interpretatio,) de *ſplendore gloriæ Tſionis.* Auctor interpretationis eſt Kimchius, qui monet, זיז *ziiz* hic idem valere quod זיו ZIIV, *ſplendor*, Lingua Chaldæa; non dubiæ ſignificationis: Aben-Ezra enim nihil hic certi definit. Quod admittenti, dicendum videtur, Lectionem vocis hic eſſe affectam, incuria librariorum; & pro זיז ſcriptum eſſe זיו, ob affinitatem figuræ literarum ו & ז. cæteroquin enim inter has voces nulla eſt cognatio. Verum primo, Lectionem vitiatam eſſe non admodum ſit probabile. Maſorethæ enim nihil annotarunt, & (ſi Chaldæum excipias,) Veteres Intt. non legerunt זיז, ſed זיו. Dein, ne hæc quidem interpretatio ſatisfacit figuræ orationis. Quid enim ſibi vult *exprimere*, dum ſugis, ſive *emulgere* ac *delitiari* EX SPLENDORE GLORIÆ? Non dicitur, *ut deliciemini*, ſive, *ut vos oblectetis*, SUPER (זיו בזיו ſive זיו על) *ſplendore gloriæ*; ſed EX *ſplendore gloriæ.* quod quiſque videt non ſatis commode dici. Cenſeo itaque, aliud eſſe quod huic loco ſubſit, licet interpretationis veræ non plane certus. Non eſt mihi dubium, quin Propheta hic hæreat in eadem figura; quippe quod ſatis innuit vox מצץ *comprimere*, *exprimere*, ut fit *mulgendo*; vel *emulgere:* etiamſi enim vox hoc quoque in loco ſolum occurrat; liquet tamen notatio ex derivatis; & paſſim hic conſentiunt Intt.

Phraſis, זיז כבוד variæ ſubjecta interpretationi.

Aq. & Hieron. verſio.

Genuina ſignificatio vocis זיז.

Cl. Interpretis verſio non laudata.

Chaldæa paraphraſis.

In eam animadverſio.

Doctiſſimi Viri obſervatum.

Lectio Kimchii, ejuſque interpretatio.

Maſorethica Lectio defenditur.

Probabilis expoſitio phraſios.

Supponit autem *emulgendi* actio *liquorem uberum*, hoc eſt, *lac.* Rurſus, התענג *deliciari*, *ſe oblectare*, conſtructum cum מ EX, idem requirit. Alluditur utique ad *infantes* vel *fœtus* attrahentes *lac*, per *preſſionem* uberum, cum *delectatione*, ex uberibus. Idem eſt, ſi *mulgendi* notioni inhæreas. Cenſeo itaque, זיז hic ſignificare *ſubſtantiam fluidam* quæ eſt in *matribus*, (ex זיז *moveri*,) procedentem ex *vita* animali, & quidem tanquam ex interiore vitæ illius ſubſtantia. *Vita* enim conſiſtit in *motu*, & eſt vere *motus æquabilis* liquidarum partium animantis, (ſive hominis, ſive beſtiæ,) ex certo principio ductus. unde facile derivatur affinis ſignificatio vocis זיז qua notat *Animantem* in qua *vita* & *motus* eſt; & quidem *feram*, manſuetis vivaciorem, unde feræ Hebræis quoque חיות *vivæ*, vivaces. Propheta adhæret adhuc eidem figuræ in *ſticho* ſequenti. Senſus itaque eſt, Sobolem hanc ſpiritualem, in *Tſione* generandam & ex *Tſione* naſcituram, participaturam eſſe præſtantiſſima *Beneficia* & *Privilegia* quæ Deus Tſioni deſtinaverat in ea ſtatus ſui perfectione, quando in terris glorioſiſſima appareret; & à Regibus æque ac à Principibus utriuſque ſexus, *gloriam ſuam* in Tſionem illaturis, coleretur. Hæc *privilegia* & *beneficia* omnia, quibus Tſion gaudet, ſunt *lac* Tſionis: ex *ſubſtantia* & vita ejus profluunt: in his conſiſtit *gloria* ejus. Hæc faciunt verum argumentum ac materiam *ſolatii*, & *oblectationis*; quæ *nati* ejus & xives omnes ſibi vindicant, *ſugendo*, *premendo*, mulgendo, hoc eſt, beneficia illa in fide ad ſe applicando. Hoc *lac*, hanc liquidam & vitalem ſubſtantiam, in ſe habere, pertinet ad *gloriam* Tſionis. confer Cap. LX. 1. 2. LXII. 2.

Emulgendi notio ſupponit hic agi de *lacte.*

Cum quo notatio vocis זיז comparatur.

Senſus realis qui in verbis hæret.

Secundo, ſpecialius.

Articulus primus.

ỳſ. 12. *Quippe ſic fatur Jehova: Ecce Ego extendo* SUPER TE *inſtar* FLUVII (Euphratis,) *pacem*; *& inſtar* NILI EXUNDANTIS *gloriam Gentium*; *& ſugetis: ad latus portabimini*; *& ſuper genua delectabiliter fovebimini.*] Vides, explicari ſpecialius, quod modo generatim enunciatum erat. Conſtat Pericopa tribus *articulis*, eò tendentibus ſingulis, ut felicitatem & excellentiam ſtatus Eccleſiæ, à Deo amatæ, perfecte cognoſceremus. In ſenſu grammatico ſententiæ, nihil eſt in quo prudens offendas. Deluſit Interpretes plures (Hebræos quoque ipſos,) præjudicium ſignificationis communis vocis אל pro AD, ut pulcherrimam figuram orationis non ceperint. Verterunt enim verba, *Ecce! Ego extenſurus ſum* AD EAM *tanquam fluvium pacem.* Sic Tremellius, Piſcator, Coccejus, alii. Incongrue, reſpectu utriuſque comparati. An enim *fluvius* proprie dicitur ad *terminum* aliquem mente conceptum *extendi? Fluvii* vel in mare, fluvios alios, paludes, influunt & abſque ſenſu abſorbentur; vel ſe inſenſiliter deſtituunt; quod rarius. *Pax* quoque & *gloria* rectene dicuntur ad hunc vel illum locum extendi? Chaldæus, forte hoc obſervans incommodum, vertit, מיתי לה *Adducam ei.* Sed *extendi* ad aliquid, proprie non valet *adducere.* Hieron. *Declinabo* SUPER *eam quaſi fluvium pacis.* Paulo rectius: nec tamen aſſequutus eſt orationis figuram. Poterat etiam ex *ſequenti membro* videre, vertendum, *tanquam fluvium pacem. Fluvius* enim & *Pax* non ſunt hic loci *conſtructa*; ſed *comparata.* Punctatura Maſorethica vocis נְטֵה non נָטֶה, plane firmat hunc ſenſum; ſed quam punctaturam non vidit Hieronymus. Vox נטה, conſtructa cum אל, hic notat *extenſionem* ejus generis, qualis eſt *expanſio tectorii*, *aulæi*, *veli*, rem aliam *obtegentis*; vel, *fluvii* terras *inundantis*, quæ ſimilitudo hic venuſtiſſime adhibetur; eſtque planus & perſpicuus ſenſus; Deum Hieroſolymam hanc pace, abundantia, copia omnium rerum & *gloria*, hoc eſt, præſtantiſſimis rebus Gentium, ita repleturum eſſe, ut iis inſtar *fluvii* inundantis terras plane ſit *obtegenda*, inundanda, obruenda, & quidem in longum latumque; inſtar fluvii, ajo, extra alveos exun-

Promiſſa ſpecialia. Articulus primus, ỳſ. 12. *Quippe ſic fatur, &c.*

Reſpectus voculæ אל h. l. & vocis נטה.

Notat hic *extentionem* expanſam.

a Hieroz. Part. I. Lib. III. Cap. XXIX. *b* Cl. Monach. *Diſſert.* ad Jer. XXIII. 6. Cap. II. §. IV. *c* Heb. I. 3.

dantis, & depressiores terras in longum obruentis. quæ notatio vocis אל, longe plurimis in locis confundi solitæ cum על, SUPER, (quæ viciſſim ejus adoptat ſignificationes,) Hebræis eſt receptiſſima uſu. Sic 1 Reg. VIII. 7. *Quippe Cherubini expandebant alas ſuas* אל מקום הארון SUPER *locum Arcæ; &* OBTEGEBANT *Cherubini Arcam.* Jeremias [a]: *Ego adduco malum* SUPER (אל) *hunc populum.* Alio loco [b]: *Ecce adduco malum* SUPER (על) *hunc locum.* Ezechiel [c]: ואל כל פנים בושה *Et* SUPER *omnes facies pudor.* quæ ex aliis multis excerpſi. Eſt inſuper aliud quod hic obſervari velim; Prophetam, qui omnes ſententiarum ſuarum figuras perfectiſſime pingit, cum hic ſimilitudinem ſumere vellet à *fluviis* vel *torrentibus* inundantibus: metaphoram illam ſumpſiſſe à duobus maximis fluviis, EUPHRATE & NILO, quorum extra alveos excurrentium inundationes erant celebratiſſimæ. Et quidem per נהר *Fluvium* hic deſignari *Euphratem* jam vidit Chaldæus, & ex eo accepit Grotius; nihil tamen cogitans de *Nilo.* Chaldæi ſunt: הא אנא מיתי לה כשפע נהר פרת שלם *Ecce ego adducam ei quaſi fluentem fluminis Euphratis pacem.* In lectione hujus Libri verſatus, non negaverit. Euphrates enim in hoc Libro, & Propheticis ac Hiſtoricis aliis, paſſim appellatur נהר, FLUVIUS, ut alibi ſuis locis obſervavi. Vide Cap. VII. 20. VIII. 7. ad quem poſteriorem locum de *inundationibus* Euphratis neceſſaria adſcripſi. Per נחל autem hic intelligi NILUM certo teneo. α. Quia, quod Bochartus dudum obſervavit, vox נחל eſt ipſiſſimum *Nili* nomen. ex נחל NAHAL eſt *Naal*, (neglecta adſpiratione) & inde *Neel*, Νεῖλος. β. Propheta alibi non ſemel duos hos *fluvios* in prophetiis conjungit, ut Cap. XI. 15. 16. & quidem ſub hiſce ipſis Nominibus, Cap. XXVII. 12. *Et futurum eſt illo die, ut Jehova excutiat à fluxu copioſiore* הנהר FLUVII ILLIUS, (Euphratis) *uſque ad* נחל מצרים FLUVIUM ÆGYPTI. proprie, NILUM *Ægypti.* γ. Cum Vates noſter paſſim in ſententiis ſectetur *gradationem*; ut poſterius membrum quid fortius dicat priori: nulla hic in rem aptior & rei ipſi congruentior gradatio produci poterat. Nullius enim Fluvii *inundationes* ſunt famoſiores quam *Nili*, quotannis totam fere Ægyptum *inundantis* & *aquis ſuis* obruentis ac fœcundantis, ut notum. Porro pro verbis על צד תנשאו *ad latus portabimini*, Hieronymus legiſſe videtur על שד תנשאו *ad ubera portabimini.* ut verba hæc vertit. ſed prius rectius. Vox תשעשעו in fine ſententiæ, (formæ *Pyal* ex שעה) ejus eſt emphaſios, ut vis ejus analoga latina difficulter exprimatur. Hieron: *Super genua blandientur vobis.* Trem. *Oblectabimini.* Piſc. *Plurimo gaudio afficiemini.* Cocc. *Voluptuabimini.* Caſt. *In genibus ludetis.* Valet, *Delectabiliter fovebimini.* ut fere Belgæ.

Ad rem ipſam ſi venias: nihil tam cogitari poteſt auguſtum de Statu illius Hieroſolymæ, de qua Propheta loquitur, quod emblematum horum vim exſuperet. Nec tamen promiſſum hoc ſecundum partes ejus reſpici debet ut novum: ſimilia enim in ſuperioribus jam occurrerunt. Cap. IX. 6. AMPLITUDINIS *Imperii &* PACIS *nullus erit finis.* Cap. LIV. 13. *Et* MAGNA *erit* PAX *filiorum tuorum.* Pariter de *gloria Gentium*, Eccleſiam inundatura, Cap. XLIX. 7. 22. 23. LX. 3. 4. *Et filiæ tuæ* AD LATUS PORTABUNTUR. ℣. 5. 6. 16. *Et* SUGES *lac Gentium, & uber Regum* EXSUGES. LXI. 6. *Copia Gentium veſcemini, &* GLORIA *illarum vos efferetis.* ad quæ loca cum ubertim commentatus ſim: dicta expoſitaque non repetam. Cenſeo, præſtantiam Oeconomiæ Novæ ejuſque beneficiorum Prophetæ noſtro obverſatam eſſe ea amplitudine, ut ad ſpiritualem ſtatum Eccleſiæ Novæ, hæreditate Gentium ditandæ, & ad vim ſoliditatemque conſolationis, ſtatum ejus comitantem; & ad *pacem* lætitiamque, ex certitudine Dei perfecte reconciliati ortam, omnem *ſuperantem mentis cogitationem* [d], attendens, ſic ſcribere potuerit, abſque reſpectu aliorum *accidentium*, quæ externum Eccleſiæ Statum in hiſce terris ſpectant, eumque perficiunt. Quod enim nobis hæc privilegia ſæpe non obverſentur in ea magnitudine & amplitudine; culpa eſt noſtra. Adhærentes carnalibus, ſpiritualia eorumque differentias, non videmus in omni naturæ ſuæ excellentia. Vera gloria Regni Chriſti eſt interna. Externa accidentia ſtatum ejus internum non mutant; & tamen, fateor, plurimum eo conferunt; ut *decus ſuum* verum Mundo oſtentet. Oppreſſa enim, afflicta, diſperſa, imminuta & ad exiguum numerum redacta, minus ſplendet. Contra vero ſi diffuſa per Mundum, dotata ditataque donatione uberiore Sp. S. purgata à ſcandalis, culta à Gentibus Gentiumque Regibus ac Ductoribus, potentiam gloriamque ſuam omnem ei conſecrantibus; libera à perſecutione & afflictione publica, Deo utatur præſente & ſingulari cura ac providentia ſua ei invigilante: quis dubitet, quin in ejuſmodi caſu hæc vera Chriſti Jeſu ſponſa decus ornatumque ſuum maxime conſpiciendum præbeat? Id prævidebat Propheta aliquando *futurum eſſe*: Eccleſiam Chriſti Jeſu poſt variam luctam, variis temporum articulis, ad hunc perventuram terminum & perfectionem ſui ſtatus; & hoc complementum ſtatus ejus fore exitum ſcenæ. Quare quod aliis in locis pluribus accidit, (ut ſæpe obſervavi:) Propheta, primo quidem & præcipue in ſpiritu contemplatus Statum Eccleſiæ Novæ cum omni ejus excellentia ſpirituali: deinde vero progreſſum & terminum ſtatus ejus, quo diffuſa per Mundum & libera à perſecutione, gauderet pace, & ſibi vindicaret gloriam Gentium; quo à Principibus terræ, omni copia & gloria ſua ei inſervituris, eamque honoraturis, blande nutriretur, foveretur, coleretur: (cujus primum exemplum editum eſt ſub Conſtantino:) *Lugentibus Tſionis* hoc conſolationis argumentum in omni emphaſi ſua proponit; ut adeo Eccleſiam hic ſpectari velit cum omnibus *accidentibus* externis, quæ ei ex deſtinatione Divinæ Providentiæ in terris jucunde acciderent; decuſque & ſplendorem ejus amplificarent, donec tandem perveniret ad ſummam ſtatus ſui *menſuram* ac *perfectionem.* Confer dicta à me ad ſimile exemplum Cap. LIV. 11. 12. noviſſime ad Cap. LXV. 16. 17. ſeqq. Ad cætera, quæ hic leguntur, ſingularia, nihil fere quæ obſervem, mecum habeo. Emblema *inundationis* Euphratis & Nili ſolummodo adhibetur ad figurandam *copiam* & *abundantiam* bonorum & benedictionum, quibus Deus Eccleſiam Novi Fœderis locupletabit, & *fœcundabit.* confer emblema Pſ. LXXXIV. 7. שלום *Pax*, ſtylo Scripturæ S. hic non tantum ſignificat *pacem*, verum etiam *felicitatem proſperitatemque* omnem, & bona eam conſtituentia. confer Pſ. CXXII. 6--8. De emphaſi וינקתם *Et ſugetis*; jam prænonui ad *comma ſuperius.*

Articulus alter.

℣. 13. *Inſtar alicujus quem mater ſua conſolatur; ſic Ego conſolabor vos; &* HIEROSOLYMIS *conſolationem recipietis.*] Sive ſuppleas prius membrum, *Ut aliquis quem mater ſua conſolatur*, ſc. *ſe habet*, *afficitur*, vel נוחם *conſolationem recipit*; ſive ſupplementum negligas; perinde eſt: quiſque enim ſentit, hunc ſenſum ſubeſſe. Sententia duo involvit, α. *Afflictos, lugentes*, Tſionis, ejuſque cauſſa dolentes, *recepturos eſſe conſolationem.* β. Et quidem *Hieroſolymis. Modus* autem *recipiendæ conſolationis* comparatur *modo* quo *Mater* conſolatur *filium*, quoque filius à conſolatione materna afficitur. Senſus eſt, quem Grotius bene perſpexit, curaturum eſſe Deum ſua providentia & gratia, ut non tantum *priva* quiſque, ſed & *publica*, haberet conſolationis argumenta; dum Statum Eccleſiæ inſtar *Civitatis Dei*, bene conſtitutæ & ordinatæ videret pacatum, florentem, & omnigenis gratiæ beneficiis donatum confirmatumque. Sic ſonat exhortatio Dei ad Miniſtros Eccleſiæ, Cap. LXII. 7. *Ne date ei requiem, uſque quo* STABILIVERIT, *& uſque quo poſuerit* HIEROSOLYMAM *laudem in terra.* Quam vero rurſus hic venuſta eſt comparatio *Dei* Eccleſiam *conſolantis*, cum *matre*

Significatio vocis אל ex analogis illuſtrata.

Alluditur hic ad *Euphratem* & *Nilum.*

נהר *Fluvius* hic ſignificat *Euphratem.*

נחל vero *Nilum.*

Quod adſtruitur.

Gradatio elegantior hoc loco à Vate affectata.

Lectiones צד & שד.

Utra hic præferenda?

Reſpectus vocis תשעשעו.

Senſus ſententiæ *realis.* magnum quid involvit.

Loca analoga.

Nihil vetat promiſſum, in genere applicare ad Statum Eccleſiæ N. T. ſecundum reſpectum ejus ſpiritualem.

Probabile tamen eſt, Prophetam hic ſimul reſpexiſſe ad *externa* ſtatus ejus accidentia, certis temporibus propria: quæ ſententia declaratur.

Prophetarum conſuetudo in deſcribendo Statu Eccleſiæ N. T.

Emblema inundationis *Euphratis* & *Nili* quorſum pertineat?

Pax quid noter, ſtylo Scripturæ S.?

Articulus alter, ℣. 13. Senſus ſententiæ.

Latius explanatur.

Conſolatio credentium non tantum niteretur *cauſſis privis*, ſed & *publicis.*

Locus Cap. LXII. 7.

matre

a Cap. VI. 19. b Cap. XIX. 3. c Cap. VII. 18. d Phil. IV. 7.

matre ſolante *filium*, qui ex magna afflictione & calamitate ſalvus evaſit? Figuræ omnes orationis Vatis ſunt quæſitæ & electæ. *Matris* eſt in natos tenerrimus *affectus*, ejuſque copioſior & blandior oratio ſolatoria erga filios, quam *Patris*. Subeſt ſententiæ; Deum quicquid in beneficiis, quæ judicat ad ſolatium Eccleſiæ facere poſſe, pulchrum & eximium habet, in uſum & bonum Eccleſiæ eſſe collaturum. *Conſolatio* enim hic non ſpectatur *verbalis*, ſed *realis*. Vide ſimilitudinem ſimilem à *Matre* ſumptam, Cap. XLIX. 15.

Articulus tertius.

Articulus tertius, ℣ſ. 14. Benevolentiæ Divinæ demonſtratio erga cultores ſuos,

℣ſ. 14. *Et videbitis, & hilareſcet cor veſtrum; & oſſa veſtra inſtar graminis efflorescent: & conſpicua evadet manus Jehovæ* CUM *ſervis ſuis*, DUM *ſevere tractabit hoſtes ſuos.*] Ita ſe haberent veri Dei cultores per totum tempus Eccleſiæ Novi Fœderis certis temporum articulis & intervallis, quibus Deus Populo ſuo pararet *ἀνάψυξιν refrigerium*, uſque quo opus ſuum in Eccleſia per articulos & gradus perficiendum purgandumque conſummaſſet; qui eventus caderet in finem temporum. Tempus Eccleſiæ N. T. uſque ad extremam ejus Periodum faceret quendam textum judiciorum, quibus Deus *hoſtes* ejus ulciſceretur, & Populum ſuum vindicaret: quas vindicias quando pii ſuis locis & temporibus conſpicerent, magna afficerentur lætitia; gauderent ſalute Jehovæ; INTELLIGENTIA Divinæ Voluntatis; FIDES, SPES & habitudines ſpirituales omnes, quæ *ſtatum* illorum ſuſtinent, hic metaphorice OSSA dicta, ut aliis in locis [a], majus acquirerent *robur*, & tanquam nova quadam vita donatæ, virentes proderent fructus pietatis, charitatis, zeli, ac bonorum operum, hoc eſt, *vireſcerent*, germinarent, *efflorescerent*; quæ vis eſt notionis פרח. Quanto autem extrema Eccleſiæ Periodus clariora exhiberet argumenta *manus* ſive *potentiæ Jehovæ*, in commodum ſuorum exertæ; & *indignationis* ſeveritatiſque conceptæ in *hoſtes*: tanto majorem Eccleſia illo tempore haberet lætitiæ hilaritatiſque rationem; & tanto majorem *fides* & *ſpes* Eccleſiæ ſibi compararent firmitudinem, omnique bonorum operum ſtudio efflorescerent. In phraſi, ונודעה יד יי׳ את עבדיו *Et nota evadet manus Jehovæ cum ſervis ſuis*, eſt ellipſis; pro נודעה להיות את עבדיו *Nota erit eſſe* CUM *ſervis ſuis.* את pro עם *cum.* In altero membro, ועם את איביו vox עם eſt *verbum*, ut recte Aben-Ezra; & vocula את vel conſtrui poteſt cum עם ut nota *accuſativi*; vel ſumi pro *cum*, ut ſervetur utriuſque membri analogia; quando vertes, *Et ſevere aget* CUM *hoſtibus ſuis.* ἀποτόμως χρήσεται τοῖς ἐχθροῖς αὐτῦ, ut docte Coccejus.

Cauſſa lætitiæ Eccleſiæ; Ampliſudo beneficiorum Divinæ gratiæ.

Quid *oſſa* hic ſignificent myſtico ſenſu?

Adſpectus temporis Oeconomiæ Novæ.

Ellipſis in phraſi Hebræa hujus loci.

PARS ALTERA Prophetiæ hujus ELENCTICO-PARACLETICÆ, complexa Propoſitionis *Confirmationem*, & *Expoſitionem*. Ubi

a. Declaratur *Modus* ultionis de *hoſtibus* ſumendæ per *ignem* & *gladium Dei*.

PARS ALTERA hujus Sectionis: *Confirmatio* & *Expoſitio* hujus prophetiæ.

Primo declaratur *Modus* ultionis, ſumendæ de hoſtibus, ℣ſ. 15. 16.

℣ſ. 15. *Quia ecce! Jehova veniet* CUM IGNE, *& currus ejus inſtar turbinis, ad reddendam cum æſtu iram ſuam, & increpationem ſuam cum flammis ignis.* ℣ſ. 16. *Quippe Jehova cum igne diſceptat, & cum gladio ſuo cum omni carne; & multi erunt* CONFOSSI *Jehovæ.*] *Altera* ſequitur *Sectionis* hujus *Pericopa*, qua ſuperiora exponuntur. Prior pars *extremæ* hujus *Concionis* complectitur, ut vidimus, *Elenchum* inſtitutum adverſus ſimulatos Dei cultores, ſed veros Dei *hoſtes* & Eccleſiæ veræ adverſarios; & *Promiſſa* luculenta Eccleſiæ afflictæ & tantum non oppreſſæ à Deo facta. Utrumque dictatum fuit à Spiritu ad ſolatium *Lugentium Tſionis*. Nunc itaque Propheta ad idem redit; & cum partem ſolatii *Lugentium Tſionis* facerent *Vindiciæ* de hoſtibus Eccleſiæ ſumendæ: revertitur tum ad deſcribendum *modum* quo Deus hoſtes ſuos, hypocritas, Evangelio immorigeros, profanos, *ulciſceretur*; tum quoque *modum* quo Gentes adduceret ad Eccleſiæ ſuæ communionem: quod utrumque in *ſuperioribus* dictum ſuppoſitumque erat. Sic cohæret *altera* hæc *Pars Sectionis* cum toto *contextu ſuperiore* per voculam כי QUIA: ſed ſpeciatim cum ℣ſ. 14. immediate præcedente, ubi dictum erat; fore ut *Manus Jehovæ conſpicua evaderet* cum *Cultoribus ſuis*; ſed *ſeveritate* uteretur erga *hoſtes* ſuos: quod explicans ſubjungit hæc noſtra, *Quia, ecce! Jehova veniet cum igne, ſeqq.* Periocha explicat decretum Fori cœleſtis de hoſtibus terribili modo ulciſcendis, eſtque tota figurata; exhibens Deum, vindicaturum hoſtes Eccleſiæ, ſub figura Principis armati, æſtu flagrantis, vindictam ſevere exacturi; ut tam *Imperatoris* & *Bellatoris* quam *Judicis* perſonam ſuſtineat; quæ tamen perſona hic prævalet. Adeſt enim hic cum *Angelis* ſuis *ſanctis* ut Decretorum Juſtitiæ ſuæ executor. Ad rem ipſam quod attinet: *figura* tota hic expreſſa eſt ad imaginem Principis & ſimul Judicis *ira inflammati*, ut modo prænonui; ut etiamſi ex exemplis Divinæ ſeveritatis in hoſtibus Eccleſiæ ſuæ editis vel edendis liqueat, Deum ad illos perdendos adhibuiſſe tum *ignem*, tum *gladium* hoſtilem: id tamen ex hoc loco futurum directe colligi nequeat. Hieroſolyma utrumque experta eſt perditionis ſuæ inſtrumentum, in Calamitate Babylonica & Romana; IGNIS, inquam, & GLADII; ut ex hiſtoria notum. *Romæ* magnæ illi Civitati adverſariæ Populi Dei, Prophetia Apocalyptica idem judicium clariſſime denunciat, *ignis*, quo *conflagratura* [b] dicitur; & *gladii* hoſtilis, quo Patroni ejus proſternendi ſint, ingente clade & lapſu [c], confer prophetiam noviſſime expoſitam, Cap. LXIII. 1. ſeqq. Nec auſim tamen *genus* judicii, quo hoſtes Eccleſiæ hic plectendi dicuntur, ex hoc loco certo definire, cum tota oratio ſit figurata. quod inſpicienti & relegenti orationem Prophetæ clariſſimum evadet.

Significatio vocis כי *quia*, ℣ſ. 15.

Emblema hic loci pictum.

Reſpectus Dei in h. l.

Ignis & gladius h. l. metaphorice accipienda.

Genus judicii ex his metaphoricis locutionibus colligi nequit.

Primus articulus: *Quia Jehova* CUM IGNE *veniet.*] Οἱ ὁ. Ἰδὲ γὰρ Κύριος ὡς πῦρ ἥξει· *Ecce enim Dominus* UT *ignis veniet.* Interpres legit, aut legendum putavit, בָּאֵשׁ pro כאש; ut præſtaret analogiam hujus articuli cum ſecundo, *Et quadrigæ ejus* UT *turbo.* Perperam; Maſorethis & Chaldæo hic conſentientibus, & re ipſa clamante. Deus enim, ſtylo Scripturæ S. non dicitur venire UT *ignis*, ſed CUM *igne*. *Ignis* hic ſignificat mala calamitateſque, hoſtes *cito*, cum *cruciatu* & *dolore*, & quidem *penitus* conſumptura; quæ ſunt attributa *ignis*; eſtque emblema ſive de particularibus, ſive de univerſali judicio & perditione impiorum hominum mentio fiat, in hoc Libro, & per Scripturam totam uſitatiſſimum. Poëta facer [d]: *Deus noſter veniet & non ſilebit:* IGNIS *coram facie ejus conſumet, & circumcirca ipſum horrida tempeſtas eſt.* confer Pſ. XCVII. 3. Apoſtolus [e]: *In revelatione Domini Jeſu de cœlis cum Angelis ſuis potentibus, cum* IGNE FLAMMANTE (ἐν πυρὶ φλογὸς,) *infligens ultionem iis qui Deum neſciunt, ſeqq.* videtur hunc ipſum locum reſpexiſſe. Emblema tamen varie pingitur; ſive Deus tanquam Princeps iratus *ore* & *naſo* dicatur *ſpirare ignem*, & *fumum*, Pſ. XVIII. 9. ſive *fulmine*, à ſe excitato cum tempeſtate & tonitru *conſumere* hoſtes, ut hoc Libro Cap. XXX. 30. ſive tanquam *tædam flammantem* præferens, *curru* celerrime vectus, hoſtes ſuos *incendio* perdere. quod emblema cenſeo huic loco aptiſſimum eſſe.

Quare Judicia Divina proponantur ſub emblemate *ignis* [f].

Diverſa lectio τῶν ὁ.

Articulus primus.

Emblematis varius reſpectus.

Et CURRUS EJUS *inſtar turbinis.*] Reſpicitur *celeritas* vindictæ, in hoſtes exequendæ; impleto judicii tempore: ut nemo non videt. Idem eſt emblema de Nebucadnezare judicia Dei executuro apud Jeremiam [g]: *Ecce ut nubes aſcendet;* וכסופה מרכבותיו & INSTAR TURBINIS *currus ejus.* Reſpiciuntur *currus* illius, & antiqui temporis, ex Homero noti, duabus inſtructi rotis, quibus cum duo, ut paſſim, jungerentur pernices equi, rapidiſſime inſtar turbinis aut nubium, tempeſtate urgente, velociſſime agitatarum, movebantur. Vates noſter idem mutato, ſed affini emblemate, Cap. XIX. 1. *Jehova vectus* NUBE LEVI *venit in Ægyptum.* confer Pſ. XVIII. 11. Nihil vetat in eo ſubſiſtere,

Currus Dei quid ſignificent?

[a] Confer Cap. LVIII. 11. Pſ. XXXIV. 21. &c. [b] Apoc. XVIII. 8. [c] Apoc. XIV. 20. XVI. 12. XIX. 17. ſeqq. [d] Pſ. L. 3. [e] 2 Theſſ. I. 8. [f] Cap. IV. 13. [g] Cap. LVI. 15.

Respectu Judiciorum Dei innuunt exequutionis *celeritatem.*

sistere, & in emblemate hoc solummodo contemplari attributum *celeritatis.* Sed cum Deus hic vere introducatur ut Princeps iratus, magnum secum trahens *curruum comitatum:* analogia Verbi Dei nos plane ducit ad cogitandum de *Angelis*, qui Scripturæ stylo *currus Dei* dicuntur [a], tanquam comites Dei, & *velocissimi* judiciorum decretorumque ejus *exequendorum ministri.* Poëta facer [b]: *Qui ponit nubes currum suum, & ambulat super alas venti: Qui facit* ANGELOS SUOS *spiritus, & ministros suos ignem flammantem. Vehi* censetur Deus super *Angelos* & *Cherubos*, & super *Nubes*, ad judicia sua exequenda; ut sane res vere sic habet, Deum horum ministrorum suorum opera uti in caussis mediis, operi huic Divino subservituris, disponendis & ad effecta parandis. Hababukus [c]: *Cum vehereris super equos tuos*; (in occupanda ab Israëlitis Canaanæa,) מרכבותיך ישועה CURRUS TUI *adferrent salutem.* Zacharias [d]: *Et veniet Jehova Deus*, (Ecclesiam afflictam liberaturus & hostes prostraturus:) וכל קדשים עמך *& omnes* SANCTI *tecum.* Apostolus [e]: *In revelatione* Domini Jesu de cœlo, *μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ cum Angelis suis potentibus.*

Loca analoga.

Reddere iram cum excandescentia, &c.

Ad REDDENDUM *cum excandescentia iram suam, & increpationem suam cum* FLAMMIS IGNIS.] Sic vertenda Hebræa, להשיב בחמה אפו וגערתו בלהבי אש ut fere Hieron. *Reddere in indignatione, seqq.* Pagninus, Tremellius, Coccejus, alii. Observa hæc paucula ad illustrandam sententiam. *α.* Vocem השיב hic sumi pro *reddere, rependere*, ut in aliis locis Scripturæ S. Ps. LIV. 7. RÆPENDET (ישור) *malum insidiatoribus meis.* confer Hos. XII. 15. Sunt qui phrasin hic interpretantur, *ad admovendam cum excandescentia iram suam*; ut fere Pisc. & Belgæ. Sed est id insolentius & remotius. *β.* Per *iram* hic intelligenda esse, ut in aliis locis *effecta iræ*, mala, calamitates gravissimas, iræ Divinæ signa. Apostolus [f]: *Estne Deus injustus, ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; qui infert* IRAM. Beza, *Pœnam.* Dixerat ante, simili sensu [g], *Revelatur enim* IRA DEI *de cœlo.* Recte itaque οἱ ὁ. h. l. Ἀποδῶναι ἐν θυμῷ ἐκδίκησιν αὐτοῦ *Reddere cum excandescentia* VINDICTAM SUAM. חמה *excandescentia* plus est quam *ira.* Potest habere Deus *irascendi* rationem, & *iram* retribuendi hostibus; nec tamen *excandescendi. Excandescentia* (חמה) notat gravissimum *punitionis* genus. *γ.* Per גערה *increpationem* omnino designari hoc loco ipsissima illa mala, hostibus decreta, quatenus à Deo infliguntur ad ejus jussum & imperium; quo sensu vocem expositam dedi, ad Cap. L. 2. Οἱ ὁ. Καὶ ἀποσκορακισμὸν αὐτοῦ ἐν φλογὶ πυρός. Ἀποσκορακισμὸς est *contemptus.* Vetus Int. *Increpatio.* Ἀποσκορακίζειν *ejicere, repellere, cum contemptu repudiare.* Hesychius: Ἀποσκορακίζειν, ἀποδοκιμάζεσθαι. Ἀποσκορακισμὸς, ἐξωδένωσις. Confer Cap. XVII. 13.

Animadversiones ad phrasin Jesaiæ; & quidem ad vocem השיב *reddere.*

Et גערה *increpatio.* Ἀποσκορακισμός.

ỳs. 16. Vox נשפט *active* sumenda est.

ỳs. 16. *Quia cum* IGNE *Jehova judicabit, & cum* GLADIO *suo cum omni carne; & multi erunt confossi Jehova.*] Vocem נשפט, quam hic verti *judicabit*, admittere significationem terminationis *activæ*, licet sit *passivæ*, ut notet *disceptare, contendere* cum aliquo, & quidem *jure*, sive *judicialiter*; satis notum est. Confirmatur hic sententia antecedens, ut quisque videt. Si hic simpliciter scriptum esset, Deum *disceptaturum* esse cum *hostibus suis*, non amplius *verbis*, (ad illos *vocandos*, redarguendos, convincendos, ut hactenus fecerat:) sed *igne* & *gladio*: vere cogitari posset de *igne* & *gladio*, proprie sic dictis: sed probabile est, Prophetam primo sensu intelligi voluisse *figurate*; eodem plane modo, ut de *gladio Jehovæ* locutus fuerat Cap. XXVII. 1. ubi de eo late disserui, adductis analogis, phrasin & figuram illustrantibus. Subaudies igitur hic in universum omnia *mala judicialia* cujuscunque generis, quibus Deus hostes Ecclesiæ suæ perdet ac consumet, & quidem *subito, lethaliter*, cum *acri doloris sensu*; inter quæ *ignis* quoque, & *gladius materialis*, per Justitiæ Divinæ Vindices administrandus, locum invenient. Et quidem de *gladio* Vates exerte meminerat Cap. LXV. 12. Significatur *grande* & quoddam *γενικὸν* Dei judicium, cum *omnis carne.* Quæris quorsum pertineat?

Oratio Vatis *figurate* accipienda est.

Interpretes veteres & recentiores multi hic cogitarunt de *Judicio universali.*

Veteres & recentiores multi, hac ipsa potissimum ratione moti, hic cogitarunt de *Judicio universali*, à Christo Jesu habendo in fine Sæculorum: sed Docti homines, qui se studiosius exercuerunt in Verbo Prophetico, facile ex contextu toto & cohærentia ejus collegerunt, hic agi de *Judicio Dei* in terris celebrando ad vindicias Divinæ gloriæ exigendas à peccatoribus, qui spreta gratia *Vocationis*, quæ sibi obtigerat, in fœda defectione à Deo impœnitentes perstiterant; de quibus vidimus ỳs. 4. quodque judicium comitaretur & consequeretur Vocatio Gentium in communionem Ecclesiæ adsciscendarum, ut mox videbimus ỳs. 18. seqq. Ergo intelliges hic *Judicia magna*, eaque tanquam *γενικὰ generalia*, magnum Judicii Diem antecessura, de quibus Scriptura Sacra tanquam de *Generalibus & Universalibus* loquitur, utpote in quibus typum & imaginem *Judicii Universalis* conspicere liceat; cujusmodi fuit *Judicium* Dei in Judæos rebelles, administratum per Romanos; & huic simile in Fœdifragos & veræ Ecclesiæ Persecutores idololatras, sub Oeconomia Nova. Sunt ejusdem generis. unum altero involvitur. Utrumque pro *objecto* haberet Ecclesiam *defectricem.* Prius hic directe & primo loco respicitur ut Ps. L. 1. seqq. XCVII. 1. seqq. Joël. II. 30. seqq. Mal. IV. 1. Dominus Jesus ita nobis præit, illud comparans cum Diluvio [h]. Verba ejus [i]; *Et nisi decurtati essent dies illi* (sc. tempus à Deo destinatum Excidio Reipublicæ Judææ. sc. nisi *intercepti* essent anni tres inter occupatam à Vespasiano Galilæam, & obsidionem Urbis per Titum; quo occasio data est piis se salutis caussa aliò recipiendi:) *non servaretur* πᾶσα σὰρξ ULLA CARO: *sed propter* ELECTOS *decurtabuntur dies illi.* Disceptavit itaque Deus tum temporis cum *omni carne*, exceptis *electis.* Adversarii Dei omnes suam quisque in illa calamitate habuerunt sortem. De *Judicio* in Populum *Antichristianum* tanquam *generali* videbis speciatim loca Joël. III. 13. & Zach. XIV. 2. collata cum Apoc. XVI. 14. Hoc *judicium* hic non excludo, quia *promissa antecedentia* se latius extendunt, quam ad *primum* tempus gratiæ. Spiritus S. qui omnia Dei opera in *typo* conspicienda exhibuit Prophetis; videns analogiam quæ intercederet inter Ecclesiam carnalem & corruptam sub Oeconomia Vetere, & ejusdem generis Ecclesiam Defectricem sub Nova; utriusque eadem fore attributa; eundem exitum; & consequentia non dissimilia: sub uno alterum intelligi voluit. Spiritus id ipse innuit, Apoc. XI. 2. Tremendum exemplum Divinæ severitatis editum in Judæis, quos Deus *igne, gladio*, aliisque pestiferis instrumentis Vindictæ suæ ultus est, docet historia; & quidem ejusmodi ut omnem interminationum Divinarum vim adæquaverit & expleverit; quod ante eventum vix præsumi poterat. Alterius *Judicii* Ecclesia partem vidit; partem gravissimam ἀποτελεσικὴν exspectat.

Vera sententia Prophetæ. *Judicia γενικὰ generalia* in hisce terris exercenda.

Præcipue in Judæos & Populum Antichristianum defectorem.

Christus D. loquitur de *Judicio* in Judæos, tanquam de *universali.*

Perinde ac Prophetæ de *Judicio* in Gentem Antichristianam.

β. Caussa tantæ severitatis demonstratur, fœda hypocritarum Defectio.

Fides historiæ in hisce casibus.

ỳs. 17. *Qui se sanctificant & purificant* IN HORTIS *post* UNUM (AHADUM) IN MEDIO: *comedentes carnem porcinam; & abominabile; & mures: simul consumentur, inquit Jehova.* ỳs. 18. *Et ad me quod attinet: opera eorum & cogitationes eorum!*] En rationem tantæ severitatis! turpem videlicet & fœdam à Deo defectionem, depictam sub genere quodam idololatriæ ac superstitionis detestabilis omnium maxime invisо & institutis Religionis antiquæ contrario: sive hæc verba proprie, sive mystice accipiantur; de quo mox monebo. Qui hæc verba legit, protinus advertit, ejusdem generis convictionem continere, atque eam quam vidimus Cap. LXV. 3. ubi inferuntur qui *Deum* quotidie irrita-

Caussa tantæ severitatis. Fœdissima idololatria ac superstitio, ỳs. 17.

Summa sententiæ, & ἀναλογία

[a] Ps. LXVIII. 18. [b] Ps. CIV. 3. [c] Cap. III. 8. [d] Zach. XIV. 5. [e] 2 Thess. I. 7. [f] Rom. III. 5. [g] Cap. I. 18. [h] Matth. XXIV. 38. [i] Matth. XXIV. 22.

cum Cap. LXV. 3.

irritabant, sacrificantes בגנות *in* HORTIS, --- *vescentes* CARNE PORCINA, & in *quorum vasis erat jus abominabilium rerum.* quæ verba quando exposuimus, pleraque etiam quæ hic traduntur, attigimus ac persecuti sumus. Et sunt tamen hic singularia, neutiquam negligenda. Verba Prophetæ, *Qui se sanctificant & purificant in hortis, &c.* respondent his quæ proxime præcesserant. Loquutus de vindicta quam Deus sumeret de *omni carne* per *ignem & gladium suum*, subjecerat, *Et multi erunt confossi Jehovæ.* Quales vero illi? Hos descripserat supra ישׁ. 3. 4. quod *eligerent vias suas, & in abominandis suis sibi complacerent*, quodque *Vocationem Divinam* diu *aspernati essent*, eique se præbuissent immorigeros. Nunc itaque eodem regreditur, designatque eos novis characteribus, hic expressis. *Sanctificare se*, ait, *& purificare* אל הגנות *in hortis*, sive *Lucis*, quod Cap. LXV. 3. בגנות IN *hortis*, (frequente usu vocis אל, & inde ortæ *præfixæ* ל,) se *purificantes* ac *februantes ritu idololatrico*; in quo hactenus nulla hæret difficultas. Sed sequentia plus exercent Interpretes. Sequitur itaque, אחר אחר בתוך quæ videntur sonare, POST UNUM IN MEDIO. Quid vero est *se purificare* POST UNUM IN MEDIO? Chaldæus vertit, סיעה בתר סיעא *Cœtus post cœtum*, sive *turma post turmam:* negligens vocem בתוך *in medio*; haud dubie quod sensum ejus non assequeretur. Grotius inde conjicit, legisse illum אחר אחר *alius alius*, h. e. alius post alium. Non fit probabile: legit, ut hodieque Masorethæ, *post unum:* h. e. *unus alium sequentes*; perinde ac Symmachus & Theodotio, Ὀπίσω ἀλλήλων, *post invicem.* Placuit exemplum Tremellio, à quo Piscator parum abest, exhibens, *Singuli divisim.* Sed cum Sym. & Theod. non perspicerent, quorsum illud בתוך *in medio* pertineret, quippe quod non videbatur seorsim posse consistere: retulerunt illud ad sequens membrum, versumque dederunt, IN MEDIO COMEDENTIUM *carnem porcinam, &c.* Nihil absurdum trahit interpretatio, per se spectata. Sed obstat ei primo *punctatura* Masoretharum, qui fixerunt accentum distinctivum *Zakeph* in voce בתוך *In medio:* deinde, secundum hanc *versionem* in Hypocritis non notaretur culpa *vescendi carne porcina, &c.* sed vitio iis solummodo verteretur, versari *in medio* hominum ejus generis; cujus tamen contrarium liquet ex Cap. LXV. 4. Sed quæ ratio, fateor, non est ἀνέγκλητος. *Versari* enim IN MEDIO ejusmodi sceleratorum, significare posset ejusdem criminis *communionem.* Intt. Hebræi hic nihil probabile commentantur. Amplectuntur lectionem Masorethicam *marginalem* אחת UNA pro אחר UNUS, quæ est in textu. Illud vero אחת *una* referunt vel ad אשרה Lucum (ut facit Aben-Ezra;) vel ad ברכה *piscinam* aliquam *insignem* quæ fuerit in *medio* illius *Luci*, ut Kimchius: ut sensus sit, idololatras illos sectatos esse *unum* aliquem *lucum*, vel *unam* in luco *piscinam.* Sequutus est Vatablus, & plures alii. Sed absque ulla probabili specie. Quis enim sub *una* intelligat *Lucum*, quis etiam *Piscinam?* Sed *purificationis* ais mentio fit, quæ requirit *aquam.* Respondeo, *purificationes, sanctificationes, februa*, multis aliis modis apud Gentiles fieri consuevisse, ac per *aquam:* etsi ego non nego, Lucos antiquæ superstitioni dicatos olim suas habuisse *aquas, fontes* sc. & ex iis ductas piscinas. Coactum esse ajo, voces אחר אחת *post unam* absque ullo epitheto alio sic interpretari. Quid? Si hic *Piscina* intelligeretur, utique scribendum fuisset באחת IN *una*, sc. *Piscina:* quis enim se purificat *post Piscinam?* Οἱ ὁ, Ἐν τοῖς πρόθυρος *in Vestibulis.* Hieron. *Post januam intrinsecus.* Respexerunt locum Cap. LVII. 8. sed אחת, (si sic legerit Hieron.) quomodo trasmutatur in *januam* vel πρόθυρον. Ergo plane accedo Doctissimis Viris, qui jam viderunt per ACHAD hic intelligi *Idolum* Heliopolitanum, SyroPhœnicibus dictum אחר ACHAD, sive AHAD, Macrobio ADAD, Philoni Byblio ex Sanchoniathone Ἄδωδος; licet de scriptione hujus Nominis, ut apud Macrobium legitur, cum genuina ejus significatione, quam ipse demonstrat, concilianda, inter Eruditos illos viros non perinde conveniat. Verba Macrobii, de *Idolo Heliopolitano*, ejusque ut *Fatidici* cultu per Syriam totam celebrato [a]: *Deo enim quem summum maximumque venerantur*, ADAD *nomen dederunt: ejus nominis interpretatio significat* UNUS *A.* Quod vero dicitur אחר אחר *post* sive *pone Ahadum:* Scaliger *localiter* accipit, *pone Templum Ahadi*, in illius Templi *opisthodomo*, & quidem *in medio*, hoc est, *in medio illorum lucorum.* Prius durius mihi videtur, quicquid Vir Eruditus dicat. Voces אחר אחר verissime secundum vim phrasios redduntur, *sectantes Ahadum.* quæ significatio Hebræis variis locis est recepta in Religione, vera vel falsa. Hoseas [b]: POST JEHOVAM *ibunt.* Jeremias [c]: *Eundo* POST *Deos alienos quos non cognovistis.* Utrobique est אחרי, sed quod idem prorsus valet quod אחר, ut est apud Ezechielem [d]. Et est tamen aliud, quod non censeo negligendum. Idem Macrobius, ex quo nomen Idoli Heliopolitani cognovimus; docet, *simulacrum illius Idoli solitum quoque esse vehi ferculo, uti vehuntur in pompa Ludorum Circensium Deorum simulacra; & subire plerumque Provinciæ Proceres raso capite longi temporis castimonia puros*; sequente, ut par est credere, turba cui curæ erat Religio, & februatio. Quid vero illud, IN MEDIO? Duo mecum habeo, quæ non absurde

Se sanctificare & purificare in *hortis.*

Notitia horum Subjectorum ex superioribus, ישׁ. 3. 4. & Cap. LXV. 3.

Difficultas in verbis, *Post unum in medio.*

Paraphrasis Chaldæa,

Symmachus & Theod. retulerunt illud *in medio* ad sequentia.

Ἐπίφρασις.

Hebræorum Intt. sententia.

Plane improbabilis.

Vox ACHAD hic videtur esse nomen *Idoli* Phœnicii.

Verba Macrobii de hoc *Idolo*, quod ipse appellat ADAD.

Scaligeri interpretatio, non laudata.

Ire post Deum est hanc vel illam Religionem *sectari.*

Phrasis illustrata ex analogis.

Alia Macrobii verba de ritu hujus *Idoli* colendi.

Quid sibi velint verba

---

a Saturn. Lib. I. Cap. XXIII. *b* Cap. XI. 10. *c* Cap. VII. 9. *d* Cap. XIII. 3.

A Scaliger, Seldenus, Drusius, Vossius, Grotius, Bochartus, Marshamus, magna in literis nomina & appellari digna, huic conjecturæ faverunt; estque summe probabilis. Jesaiæ enim אחר ACHAD sive AHAD notat UNUM: sed cur Macrobius idem extulit ADAD, non AHAD? Scaliger in Notis ad *Fragmenta* (p. 39.) differentiæ scriptionis rationem nullam dat. Drusius legendum suaserat חדא CHADA; quod sibi aliquando cum placuisset, professus Seldenus de *Dîs Syris*, (*Syntagm.* I. Cap. VI. p. 103.) à *secundis curis* instructior, censuit, hallucinatum potius esse Macrobium, ex affini enunciatione nominum, *Hadad, Adad, Chada*, in errorem tractum. Utique Drusii sententia hic probari nequit. Vox enim חדא Syris est terminationis *Fœminini.* notat *unam.* Quanto tamen remotius, quod Vossius, (*Idol.* Lib. II. Cap. VI.) vocem *Adad* duci suadeat ex הוד *Pulchritudo*, (proprie, *claritas*,) aut עדות *Ornamentum*, ex 2 Reg. XI. 12. ubi tamen ne hic quidem usus vocis obtinet. *Ornamentum* Hebræis est עדי. Nulla species veri inest in hac cogitatione Viri præclari. Quanto rectius Isaacius Pontanus, (Not. ad *Macrob.*) legi velit apud Macrobium AHAD? Sed videri queat probabile, nihil hic esse mutandum. Primo enim, Philo Byblius ex Sanchoniathone, (apud Euseb. de *Præp. Evang.* Cap. X. p. 38.) inter reliquos Syro-Phœnicum Deos appellat Ἄδωδον βασιλέα Θεῶν· ADODUM *Regem Deorum*, eumque proxime jungit *Astartæ*, quæ Macrobio est *Atergatis.* Deinde, Plinius exerte ejusdem Nominis meminit, (*Hist. Nat.* Lib. XXXVII. Cap. XI.) ubi cum tres memorasset Gemmas, (Ἀδάδη νεφρὸν) ADADI *renes*, (Ἀδάδη ὀφθαλμὸν) ADADI *oculum*, (Ἀδάδη δάκτυλον) ADADI *digitum:* subjicit, *Deus & hic* (ADADUS) *colitur Syris.* Sic locum Plinii, corrupte lectum, feliciter restituit Salmasius, (*Exerc.* in Solin. Cap. XXVII. p. 248.) An nomen *Syrorum* Regum הדד HADAD, Damasceni Regni conditoris post obitum Salomonis, (quod nomen quoque scribitur ארד ADAD 1 Reg. XI. 17.) in aliis Syriæ Regibus continuatum, illuc referendum sit, non ausim dicere. fuit enim *Hadad* ex *Idumæis.* Sed Gentes illæ non longe ab invicem distitæ multum inter se commune habuerunt in ritibus & religione. Utique Syriæ Tsobæ Rex ipse appellatus est הדדעזר HADAD-EZER, (2 Sam. VIII. 3.) cujus nominis eadem videri queat potestas apud Syros, cujus apud Hebræos, אליעזר ELIEZER DEUS *meus* (vel, *mihi*) *auxilium.* Deus auxiliator. Nec tamen id fidenter dicere habeo. Ex doctis Viris, qui lectionem Macrobii retinent, sunt qui censent, nomen ADAD componi posse cum Syro, חדרחד CHADCHAD, sive HADHAD, *Unus, unus*; proprie ex usu, *singuli, quilibet.* Sed posset duplicatio vocis חד, significare *unitatem perfectam*, qualis illa est *Solis* & *Dei.* Buxtorfius F. adscripsit in *Lex.* ad h. v. Attigit quoque Bochartus; (*Geogr. S.* Lib. II. Cap. VIII.) sed rejecit, quia חד *unus per* CHETH, *at per* HE *scribitur* ADAD, vel *Hadad.* Salva sit tanti nominis existimatio: ratio est nulla. Litera enim ח cum valeat *adspirationem:* notissimum utique, apud Græcos in Nominibus Hebræis aut Syriacis reddendis nullam fere ejus habitam rationem. Ipse ille Vir Doctissimus putat, *vero non esse absimile* HADAD *apud Phœnices* UNUM *significasse, cum Talmudicis* הדדי HADADE *adverbum sit, Simul, una, pariter; & Arabibus nomen* הדאר HADAD, *idem, similis, tam similis ut pro uno haberi possit.* Nihil habeo potius vel mihi arrogo, cui fidam. Sufficit Nomen אחר, hic Jesaiæ usurpatum, ipsissimam illam significationem obtinere, quam Idolo Heliopolitano alligat Macrobius. Proximum mihi est, ut opiner, Literam *d* in voce Ἄδωδος, & *d* in simili ADAD supplere vicem adspirationis, quam in mediis vocibus non admittebant Græci; perinde ac Latini non lubenter duas vocales inter se proxime conjungebant; atque adeo sæpius interponebant literam *d*, ut liquet in vocibus *redimo, redamo*, & similibus aliis, quando ADAD scribi posuit pro AHAD, ut vox proprie enuncianda est.

בתוך, *In* MEDIO? Duplex de iis meditatio proposita.

furde hic cogitari arbitror. Primum, ut τὸ *in medio* hic valeat, *palam*, *aperte*, μετὰ παῤῥησίας, posito pudore omni se *publice* ostentare inter idololatras; non *clam* aut *latenter* hanc Religionem suscipere, ut videri nollent non abnegare nomen & privilegium *Populi Dei:* frequentissimo vocis usu, quem ex hoc Libro jam cognoveris, Cap. XIX. 19. LXI. 9. Secundo, valere potest, quod jam vidit Scaliger; *in medio Luci*, sive ad Heliopolitanum, sive ad Antiochenum *Lucum* respiciatur; quod plane perinde habeo. *Templa* enim erant in *medio Lucorum.* Strabo de *Luco* Daphnes [a]: Ἐν μέσῳ δὲ ἄσυλον τέμενος, ἔνθ' ναὸς Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος· IN MEDIO *ejus Asylum, & Fanum Apollinis ac Dianæ.* Eodem fere modo Ammianus [b], cujus supra jam memini.

Templa olim erant in medio *Lucorum.*

Alterum membrum: *Comedere carnem suillam, & Abominabile, & Mures.* Quorsum referendum illud, *Abominabile?* Pertinet ad *reptilia.*

Alterum sententiæ membrum huic proxima complexum crimina: *Qui comedunt carnem suillam, &* ABOMINABILE, *&* MURES.] De esu carnis suillæ jam egi ad Cap. LXV. 4. Quod sequitur, ושקץ *Et abominabile*, referendum est ad *cibos* qualescunque sive *immundos*, sive Lege *vetitos*; qui vocis usus est in Mosaicis [c]. Spencerus per שקץ *abominationem* hic signari censet *hœdum lacte matris coctum* [d]. Patior, hanc speciem rei *abominabilis* sub communi *genere* comprehendi: sed huc recta respici in hoc loco, probabile non habeo. Alluditur hic ad *reptilia*; tum quod ἀμέσως quasi interpretamenti loco sequatur, *Et* MURES; tum quod ipsa hæc notio שקץ βδέλυγμα ad *reptilia* singularem in modum restringatur in Mosaicis. Sic exerte in Legibus de discrimine ciborum [e]: *Et omne* REPTILE *reptans super terram* שקץ הוא *est* ABOMINATIO: *non comedetur. Omne quod incedit super ventrem; & omne quodcunque quatuor aut pluribus pedibus incedit ex omnibus reptantibus super terram: non vescemini eo,* כי שקץ הם *quia sunt quid* ABOMINABILE. *Ne* ABOMINABILES FACITE (אל תשקצו) *animas vestras omni reptili reptante; & ne impuros vos reddite iis, ut iis polluamini.* Liquet, nisi fallor, clarissime ex hoc loco, שקץ *abominationem, abominabile*, peculiari quodam respectu referri ad *reptilia.*

Jesaias interpretatur de *muribus.* Quæsita de iis mota cum respectu ad h. l. Hieron. intellexit *glires.* An *Mures* olim usum habuerint in *Lustratoriis?*

Jesaias ipse id demonstrat, ut jam præmonui, quando protinus subjicit, ועכבר *Et* MURES. Οἱ ὁ. ἢ τὸν μῦν. Chaldæus pariter: ועכברא. Quæritur, quid sibi velit? An enim *mures* escam præbent hominibus? Deinde, cum hic plane agatur de Ritibus superstitiosis & idololatricis, & quidem præcipue lustratoriis: constatne ex monumentis prisci temporis, usum in Religione habuisse *mures?* Quod ad prius: Hieronymus, cum forte hic hæreret, ut videri posset, per mures hic intellexit μυόξους, (μυωξοὺς) sive *glires*; qui Romanis olim fuerunt in deliciis: sed Bochartus late evicit, esse *muris* quoddam *agrestis* genus, dictum *Jarbuo*, Arabibus edule, & quidem in deliciis; idemque observatum suum ad hunc locum applicat. Ergo quod ad alterum quæsitum, Fueritne apud Veteres *murium* in Lustrationibus aut Religione aliquis usus? Sunt ex Doctis Viris qui de *Dis* aut *Lustrationibus* egerunt, passim unus alium describentes, qui in sacris Gentium locum aliquem faciunt *muribus*; sed quod ad *februa* sive *lustrationes* attinet ex muribus factas: hæc sola Jesaiæ verba in medium producunt ad asserto faciendam fidem. Bochartus ipse id totum præterit; & præter *esum* reptilis immundi in hoc Loco, nisi legentem fugerit: nihil sectatur [f]. Sed illustris Vir, Joh. Marshamus [g], id omnino tenet, fiducia hujus loci; & ex penu suæ doctrinæ in medium profert, quæ sibi suppetebant. Est inter ea præcipuum, quod Clemens Alexandrinus [h], aliique Veterum tradant, *incolas Troadis mures indigenas, quos σμίνθας vocant, colere quod arcuum hostilium nervos corrosissent*; unde ex testimonio Strabonis [i], in pluribus Delubris Apollinis, *Sminthii* dictis, *mus* exhibetur simulacro ejus subjectus. de quo ante Marshamum jam monuerant Vossius [k] & Bochartus [l], qui hanc historiam cum simili apud Herodotum, in rebus Ægyptiacis à nobis illustrata, docte comparavit. Sed id exiguum est; nec fere magis ex eo colligas, Mures à Phrygibus cultos fuisse, quam *Muscas* ab Accaronitis, quod Deum sub nomine *Baalzebubi*, *Muscarum Domini*, Jovis Μυίαγρος, coluerint. Ratio cultus, si quis obtinuerit, apud solos Phrygas valere potuit; & constat, Gentibus singulis varias fuisse superstitiones privas. *Mures* Principum Palæstinæ, quod ipsum quoque hic producit Vir Eruditus, nihil huc pertinent. Testimonium Jamblichi Syri ex Photio [m], de usu *Murium* in *Magicis*, à contrario Plutarchi [n], ab ipso quoque adducto, refellitur. Ergo nihil hic affirmare ausim, usque quo clarius liqueat.

Marshami observata excussa.

Non videtur.

Scopus orationis investigatur.

Ecquis vero ille? An refellere *idololatras* sui aut *recentiorum temporum?* Non convenit scena Visi ætati Prophetæ; aut Exilii Babylonici, ut ex superioribus patuit & ex ỳs. 18. 19. mox liquebit; nec Maccabaica tempora, de quibus Grotius hic cogitat, & in quibus lineas aliquas hujus emblematis deprehendere licet, explent vim ac sensum prophetiæ; de quo supra jam monui; licet fieri possit, ut Spiritus Dei emblemata orationis inde petierit; de quo egi ad locum analogum Cap. LXV. 4. 5. Tales hic convincuntur hypocritæ & defectores Populi Dei, qualibus rejectis repudiatisque substituerentur Gentes. *Judicium* ajo hic descriptum ferit Apostatas & adversarios Dei ex ipso *Populo Dei* sic dicto, quod *Judicium* comitaretur vel subsequeretur *Vocatio Gentium.* Id vero *Judicium* ex ductu prophetiæ vel spectat *Judæos* Evangelio immorigeros & ad summam impietatem prolapsos, quos Deus ultus est per Romanos; vel *adversarios* Dei his plane similes sub Oeconomia Nova ex Ecclesia Christiana *defectrice*, quorum *punitio* occasionem daret *Vocationi Gentium* in fine temporum supplendæ. Nos quidem primum hic *directe* demonstrari putamus, non inficiantes tamen, posterius judicium priori involvi. Cl. Coccejus, qui occasionem *transeundi* ad recentiora tempora quæsivit in voce *servis suis* ỳs. 14. respicit *posterius*; atque adeo applicat hæc verba ad *Cœtum* Ecclesiæ adulteræ, POST UNUM *Mediatorem* à Deo humano generi datum sectantis plures; vel UNI adhærentis *Vicario* falso. Sed præterquam quod ratio transeundi ad alia tempora, fundata in ỳs. 14. vere nulla sit: evincam protinus, Deo favente, ex clarissimis argumentis; in *pericopa* proxime sequenti agi de *prima* Gentium *Vocatione.* quod rite demonstratum litem omnem dirimit. Interim non indignum est animadversu, Interpretes Judæos, licet falsa hypothesi nixos, in *Peccatoribus* hic descriptis videre *Muhammedanos & Pontificos Romanenses:* vere quidem absque ulla specie; sed cum exitum non viderent ullum, ab hypothesi temere assumpta coacti sunt huc venire [A]. Sed his missis, quid fiet de hypothesi nostra? An Judæi, immorigeri Evangelio, vere

Hypotheses duæ hic admittendæ.

Cl. Interpretis meditatio.

Paradoxum est, Judæos Intt. *peccatores*, qui hic describuntur, demonstrare in *Romanensibus* & *Muhammedanis.*

---

a Geog. Lib. XVI. p. 516. *b Hist.* Lib. XXII. Cap. XIII. *c* Lev. VII. 21. XI. 11. *d Rat. Leg. Mos.* Lib. II. Cap. VIII. Sect. II. *e* Lev. XI. 41–43. *f Hieroz.* Part. I. Lib. I. Cap. IV. Lib. III. Cap. XXXIII. XXXIV. *g Can. Chron.* ad Sæc. XVII. p. m. 579. *h* In *Protrept.* *i* Lib. XIII. p. 613. *k Idol.* Lib. IX. Cap. XIX. *l Hieroz.* Part. I. Lib. III. Cap. XXXIV. *m* Cod. XCIV. p. 822. *n Sympos.* Lib. IV. Cap. IV.

A Esse qui hic redarguuntur, *impios*, & *defectores* de *ipso Dei Populo*, ex hac & superiore *Sectione* lucidissime intelligis, modo Concionem integram perlegeris. Hebræi Intt. nihilominus, cum sibi certo persuaderent, hic agi de *Liberatione* suæ Gentis ex *præsenti Exilio*, & de *Punitione Gentium* adversariarum, per *Messiam*: se quidem Gentemque suam ab invidia hujus ἐλίγξεως late absolvunt, ut facit Kimchius; falsum esse dicens, hæc pertinere ad *Judæos* ipsos, cum hoc tempore nulli ejus notæ homines, quales hic describuntur, in Gente sua superstint; & in universum inter Gentiles idololatræ sic proprie dicti pauci. Vide itaque, quid hic tentent, dum locum interpretari instituunt de SARACENIS & ROMANENSIBUS. Observavit id jam Buxtorfius Pater, in Tractatu de *Abbreviaturis Heb.* ad notam שעיו, quæ valet, שתי וערב *Stamen* & *Subtegmen*, sub quibus vocibus illi de rebus Christianorum agentes, *Crucem* intelligunt, p. 199. 200. Verba ejus: *R. Bechai Deut.* XXX. fol. 220. col. 4. *Edit. Ven.* in Fol. *explicans locum hunc:* QUI SANCTIFICANT SE ET QUI MUNDANT SE IN HORTIS, POST *unum in medio*, (Jes. LXVI. 17.) *sic scribit:* SANCTIFICANTES SE] *Illi sunt filii* EDOM, (*id est, Chri-*

vere poſtulari poſſunt criminum, quæ ipſis hic imputantur? Judæi, inquam, ejus ætatis, ab idololatria & immundarum animantium uſu, quales tum erant, longe alieniſſimi? Expedit ſe Hieronymus, eandem nobiſcum tenens hypotheſin, ut poteſt; pleraque myſtice exponens; alia etiam κατὰ γράμμα transferens ad Phariſæos, *luſtrationum & purificationum* per *aquam* ſtudioſiſſimos, quos ille ait in *hortis, locis deliciarum & voluptatum*, habuiſſe *piſcinas*; *adulteria & omnem libidinum turpitudinem ſimplicibus aquis abluere ſe putantes*; interim neglexiſſe ritualia Expiationum, *Lege* præſcripta. Quæ ut vage dicta, mea non facio: ſic alia etiam tranſmitto, ad hunc locum ab aliis non ſatis prudenter adſcripta. Sententia Prophetæ explicanda eſt παραβολικῶς, per eam orationis *figuram*, qua *ſimile* per *ſimile* declaratur; plane ad eundem modum quo Jeſaias in initio hujus Sectionis, ỳſ. 3. *Qui mactat bovem, cædit virum: qui offert munus,* דם חזיר SANGUINEM PORCI. Non vult *primo ſenſu* intelligi *abſolute*, ſed *comparative*, cum reſpectu ad *gravitatem* ac *effecta* criminum. Quod ita ſe habere hic loci, non obſcure patet ex *affectato* & *quæſito* dicendi genere, quo Jeſaias hic utitur. Si qui enim Judæi eouſque deflexerint ab inſtitutis Patriis, ut *porcinam carnem* comederint: quod tamen conſtat factum eſſe temporibus Syriacis: probabile fit, rariſſimos fuiſſe, qui *mures* & *reptilia* in cibum expetierint. Addo, crimina *impietatis, injuſtitiæ*, & *turpitudinis morum*, majoris æſtimari judicio Divino, quam veſci *animantibus* Lege Rituali *impuris*. Et notatur tamen hic graviſſimum criminis genus, ſummam meritum ſeveritatem. Ergo ita habe, orationem eſſe parabolicam, & vere propheticam. Senſus eſt, Apoſtatas illos, Hypocritas, immorigeros Evangelio, quamcunque externam præ ſe ferant ſpeciem, Deo æque *abominabiles* eſſe; tam *inviſos* pollutoſque cenſeri; tantoque in reatu deprehendi; quanto æſtimantur, qui *turpiſſimum* ſectantur Idololatriæ *genus*, & ſecundum Legem Oeconomiæ Veteris coram Deo *inquinatiſſimi* habentur. Vidit Lud. Cappellus, in Propheticis præ aliis ſui temporis rerum Divinarum ſtudioſis hominibus diligenter verſatus, qui poſtquam obſervaſſet, Pericopam hanc *ſpectare ad tempora Nov. Teſt.* nempe *à* ỳſ. 14. *ad* 18. *haberi Judæorum incredulorum & contumacium atque adverſus Evangelii prædicationem rebellium rejectionem, atque exterminium*; *à* ỳſ. 18. & ſeqq. *Gentium ad Apoſtolorum prædicationem converſionem ad Chriſtum*; Subjicit: *Hoc igitur* ỳſ. 17. *Phariſæorum & ſequacium vana Juſtitiæ Legalis opinione turgentium hypocriſis perſtringitur; innuiturque*, EOS EODEM LOCO ET PRETIO APUD DEUM ESSE, *quo profani illi & impuri Iſraëlitæ, qui temporibus idololatricis, atate Prophetæ, ſeſe ad Ethnicorum mores & ritus plane conformabant, vitamque inſtituebant ſuam.* Perite, & θεολογικῶς! Omne inſtitutum Religionis, falſis Deoque injuriis nixum præjudiciis, conformatum ad arbitrium voluntatemque hominis; non vero ad doctrinam Legemque Dei, (ſecundum id quod de hiſce hypocritis Vates dixerat ỳſ. 3. *Et etiam* HI *eligunt vias ſuas, & in abominabilibus ſuis anima eorum ſibi complacet:*) cenſetur eſſe *idololatria*. Sic Samuel ad Saulem, à præſcripto Dei in Religione diſcedentem, & ſuum ſequentem animi ſenſum [a]: REBELLIO *eſt peccatum incantationis*; (tanti valet apud Deum quanti crimen graviſſimum quo quis Dæmonum reſponſa conſulit:) & RENITENTIA, *Delictum* THERAPHIMORUM. Eodem pretio & loco apud Deum habetur. Ejuſdem generis locutio eſt qua Vates in initio hujus Libri [b] Principes cum Populo Hieroſolymitano vocavit *Principes* SODOMÆ, & *Populum* GEMORRHÆ; & *Regnum Populumque adverſarium* nuper appellavit EDOM [c]. Judas de falſis Doctoribus ſui temporis [d]: *Iverunt via* KAINI, *& errore* BILEAMI *mercede conducti, effuſi ſunt; & contradictione Kore perierunt.* Dictum παραβολικῶς. Incurrerunt in crimina ſimilis generis, & penes Deum æquivalentia. PHARISÆI, ſummam Religionis ſuæ conſtituentes in *purificationibus & luſtrationibus* externis; & hoc nomine *ſectum* facientes; *intus pleni rapina, intemperantia, & omni immunditie* [e]: iidemque repulſa *Juſtitia Dei*, Evangelio oblata, ſpem fundantes in *Juſtitia* operum; *erant* βδέλυγμα *abominatio coram Deo* [f]; eorumque hæc ſuperſtitio eodem loco apud Deum habebatur, quo Syrorum & Phœnicum, qui *luſtrationibus & februis* in Lucis Heliopolitano aut Antiocheno vacabant. Quanto magis, poſtquam ex *odio veritatis* & ex *invidia* Chriſtum Jeſum, & ejus Apoſtolos ac Diſcipulos ad mortem perſecuti, eorum ſe POLLUERUNT SANGUINE; & ſceleratiſſimo quod cogitari poterat, ſcelere ac flagitio ſe reddiderunt *impuriſſimos* omnium mortalium. HERODIADÆ & SADDUCÆI, abnegata ſpe meliore vitæ, luxui vacantes, ac libidini carnis, & præſtantiſſimam Religionem, aſpectu *carnalem*, ſenſu *ſpiritualem*, per hypocriſin convertentes in uſus mere carnales; interim ipſi, perinde ac *Phariſæi*, diſciplinam Evangelii reſpuentes, & ſanguinis *Chriſti Jeſu* ac *ſanctorum* ſitientes, æque *polluti* cenſebantur apud Deum, ac qui *porcina carne, reptilibus, & muribus* veſcuntur; qui ſecundum Legem antiqui Fœderis cenſebantur plane βδελυκτοὶ *abominabiles*.

Accedit ad hæc, quod ſupra non ſemel obſervavi, veluti ad Cap. LXV. 3. 4. & ejuſdem Cap. LXV. 11. 12. Prophetam, qui omnes Eventus harum ἀποστασιῶν *defectionum* Fœdifragorum Populi Judæi proſpiciebat in futurum, cum ei ante oculos verſaretur earum *defectionum* affinitas & ἀναλογία: hoc totum genus hominum ſpectaſſe in *una* veluti *maſſa* & συμπλοκῇ tum ob communionem peccati *defectionis*, ejuſdemque peccati *originis*; tum ob communionem *Judicii* & *ſeveritatis*, quo Deus illos è medio tollere & *perdere* decreverat, ut partem ſinceriorem Populi ſui ab hiſce *reprobis*, ſive manifeſtariis hypocritis ſive profanis, ſepararet, & aream ſuam purgaret: quo factum, ut *crimina* ab hiſce defectoribus commiſſa ſub Seleucidis, dum contempta Religione Patria ſectabantur fœdiſſima Sacra Gentium, Syrorum, Phœnicum, Macedonum, ex reverentia Majeſtatis Antiochi Epiphanis; ſummo jure imputata quoque ſint ejuſdem animi & indolis Judæis, qui circa extrema Reipublicæ per Maccabæos inſtauratæ non tantum ad idem *defectionis* genus relaberentur, ut *Majeſtatem Romanam* venerabundi colerent; verum etiam multo fœdioribus criminibus in repudiando Regno Dei, & fundendo innocuo ſanguine CHRISTI JESU, & *Apoſtolorum* ac *Diſcipulorum* ejus, ſe horrendum in modum polluerent. Legat quis *quintum decimum Librum Antiquitatum* Joſephi, & ex eo obſervet, Herodem palam ab *inſtitutis Patriis diſcedentem* & *Leges Divinas violantem* ſtudio demerendi Cæſarem & Romanorum potentiores, *Urbes* & TEMPLA *condidiſſe*, ludos & ſpectacula

Quæritur, Quomodo hæc crimina imputanda ſint Judæis?

Sententia Prophetæ *myſtice* ac *parabolice* accipienda eſt: quod diſtinctius declaratur.

Et ad *Subjecta*, de quibus hic agitur, applicatur.

Cl. Cappelli judicium.

Hypotheſis ex analogis illuſtratur.

Aliud obſervatum, quod huc pertinet.

Communio criminum Apoſtatarum antiqui & recentioris temporis.

Herodis facinora.

ſtiani,) *quorum conſuetudo eſt, movere digitos ſuos hinc inde,* (*id eſt, ſigno crucis ſe ſanctificare.*) PURIFICANTES SE.] *Illi ſunt Filii* ISMAEL. (*id eſt, Turcæ,*) *quorum conſuetudo eſt lavare manus ſuas & pedes ſuos.* (*quam abluendi conſuetudinem ab Eſau & Judæis habent.*) POST UNUM IN MEDIO.] ירמזו לשתו וערב של ארום *Id ſignificat crucem Edomæorum,* (*id eſt, Chriſtianorum,*) *per quam ſe ſanctificant. Kimchi ad eundem locum Jeſaiæ notat:* SANCTIFICANTES SE. *Plerique Intt. explicant de illis qui ſanctificant ſe manibus ſuis* בשתי וערב *per ſtamen & per ſubtegmen, id eſt, per crucem quam faciunt. Intelligit Chriſtianos quos mox illic expreſſe vocat* נוצרים *Nazarenos.* Plura multa ex Kimchio & explicatiora ad h. l. allegat & deſcribit in *Lex. Talm.* ad vocem ארום EDOM, quæ in prima *Editione Veneta* lecta, in poſterioribus & Baſileënſi fruſtra quæras. Solummodo ad vocem, המשחרים PURIFICANTES hæc Kimchi reperias in Baſileënſi: והם הפרסיים שהם מטהרים גופותם וחצרי עצמם תמיד והם טמאים במעשיהם הרעים ומטונפים והנה הם מראים עצמם טהורים ואינם *Hi ſunt* PERSÆ, (ficta rurſus voce; intellige Muhammedanos,) *qui purificant corpora ſua & ſe frequentes lavant, cum operibus malis ſint immundi & inquinati, qui tamen ſe præferunt puros, licet non ſint.* Abarbenel paulo aliter, licet in ſumma rei cæteris conſentiens, per *ſanctificantes & purificantes ſe* intelligens SARACENOS, lotionibus frequentes; & quoque *Oratoria* ſua, ut ille ait, *ſemper parantes in hortis, ut horti ac paradiſi ea circumdent*: tum vero per *Edentes carnem porcinam* ſignari cenſet *Chriſtianos*, nullum *munditiæ aut immunditiæ diſcrimen* in cibis obſervantes.

a 1 Sam. XV. 23. *b* Cap. I. 10. *c* Cap. LXIII. 1. *d* Jud. ỳſ. 11. *e* Matth. XXIII. 25. 27. *f* Luc. XVI. 15.

ctacula inſtituiſſe, in *media* & *maritima* Palæſtina [a], (licet non Fori Judaici,) quin imo, *Theatro* ipſis *Hieroſolymis* extructo, *athletica certamina* (exemplo utique ante edito ab Antiocho Epiphane,) quinto quoque *anno* in HONOREM Cæsaris ordinaſſe: addidiſſe *in Campo Amphitheatrum:* utrumque conſpiciendi operis; ſed *alienum à moribus Judaicis*, & plane tendens ad *diſſolutionem diſciplinæ Patriæ* [b]: quæ conamina idem Scriptor multis proſequitur; ut ea conſiderans revocet ad animum, quantum inter βεβήλους antiqui & recentioris ævi interceſſerit cognatio. Hieroſolymitani inprimis ut olim corruptiſſimi: ſic Gens tota ſuperſtitione vel vitiis perdita, ſpeciem tantum Religionis externæ tuebatur. Occurrebat nuper, Doctum Virum & Verbi Prophetici peritum, (niſi fallor, Jungmannum,) conſiderantem ſimiles ſubinde *dictiones* apud Danielem uſurpari in deſcribenda triſtiſſima calamitate, qua Judæi defungerentur ſub *Seleucidis* & *Romanis*, veluti Dan. IX. 31. XII. 11. coll. cum Cap. XI. 27. Matth. XXIV. 15. item Cap. XII. 1. cum Matth. XXIV. 21. inde non dubie collegiſſe, Spiritum S. nos clare monuiſſe de *identitate* horum temporum, & utriuſque temporis attributorum. Locum tamen, cum ſe revolventi non daret, majore opere non quæſivi. Idem ſchema eſſet ἀποστασίας in Religione ſub Oeconomia Nova: eadem attributa temporum: ſimilia judicia: idem exitus. Omnes tandem turpiſſimi idololatræ, impuri, abominabiles, ſive vere olim ſe talibus ſuperſtitionibus polluiſſent; ſive ex ſuperſtitionibus ac malefactis ſimilis generis impuri; clariſſimis Dei animadverſionibus perderentur ac perirent, *ſimul*, ut Vates noſter; atque adeo judicio Divino *exterminandi*, quod hic dicitur; יחדו יספו PARITER CONSUMENTUR, *ait Jehova.* videlicet, terribilibus Divinorum judiciorum *telis*, uno poſt aliud inſtar fulminis ex cœlo emiſſis; *fame*, *peſte*, inteſtinis diſſidiis, bello, igne; terminandis in afflictiſſima ac pudenda Populi ſervitute; ſecundum id quod ante explicatam Chriſti Jeſu prophetiam Moſes jam prædixerat, Deut. XXXII. 22. ſeqq. Hæc ſors eſſet, tam hypocritarum, *corpus*, non *animum*, *lotorum*, & ſuperſtitioſas Religionis doctrinas magno ſtudio ſectantium; quam impurorum & carnalium hominum, ſe *volutantium* in cœno Voluptatum; & *terrena* meditantium; ob graviſſima delicta à ſe perpetrata Deo *abominabilium.*

Obſervatum Viri Docti.

Similitudo temporum Syriacorum & Romanorum.

Severitas *Judicii Divini*, in hoſce *fœdifragos.*

Ne cui vero *ſeveritas* Delictorum merita ſuperare videretur, de novo additur, ℣ſ. 18. AD ME VERO QUOD ATTINET: *Opera eorum & cogitationes eorum!* per *Apoſiopeſin*, in Sacris non inuſitatam [c]; in ſcenicis autem uſitatiſſimam; quæ multum trahit elegantiæ. Senſus eſt; *Opera* & *cogitationes* horum quà hypocritarum, quà profanorum hominum, hoc eſt, intima illorum *conſilia*, & *affectus animi*, licet per *effecta* in omnium incurrerint ſenſum: Deo tamen intime perſpecta, multo clarius *patere*, quam aliis; & vere quid complecti *deteſtabile*, & Deo ſumme inviſum, atque adeo ſumma ſeveritate proſequendum. Id ut exprimeret Propheta, ſententiam abrupte expreſſit. ואנכי *Et Ego*, inquit. hoc eſt, *Ad me* vero *quod attinet.* Sic Cap. LIX. 21. ואני *Et* EGO. verte, *Ad me vero quod attinet.* confer Pſ. LXXIII. 2. 28. *Opera eorum & cogitationes eorum!* Supple, *novi*, & *abominor*, tanquam intime mihi cognita & explorata. Confer Ἀποσιωπήσιος exempla Ezech. XXXIV. 8. Pſ. LXXXIX. 36. Sic Dominus apud Lucam ad Phariſæos [d]: *Vos ii eſtis qui juſtificatis vos ipſos coram hominibus:* DEUS VERO NOVIT CORDA VESTRA. veluti digito monſtrans hunc locum. Chaldæus hæc verba eodem modo accepit. Ejus ſunt: וקדמי גלן עובדיהון ועשתוניהון *Et coram me manifeſta ſunt opera eorum & cogitationes eorum.* Pariter uterque Ludovicus, de Dieu & Cappellus, præter Belgas. Qualia vero hic reſpiciuntur *Opera* & *Cogitationes?* Habes ea ab ipſo Domino revelata, & eventu declarata. Sic ipſe

Cujus *ſeveritatis* ratio Deo magis etiam perſpecta erat quam aliis, quod *intima* illorum conſilia Deo paterent, ℣ſ. 18.

Apoſiopeſis in oratione Prophetæ.

Quomodo explicanda?

Analoga huc adducta.

Opera & *cogitationes*

apud Matthæum in Parabola de *Vinea* [e]: *Agricolæ vero, viſo Filio,* DIXERUNT INTER SE, *Iſte eſt hæres; venite, interimamus illum, & occupemus ejus hæreditatem.* Et apud Joannem [f]: *An non* COGITATIS, *Conducere nobis, ut unus homo moriatur pro Populo, & tota Gens ne pereat.* Ad hæc impia conſilia, & *cogitationes*, ab odio, invidia atque ambitione concitati, *opera ſua* compoſuerunt; cogitantes, *Regnum Dei*, atque adeo *converſionem Gentium*, ſufflaminare, & Eccleſiam in æterna detinere *ſervitute*; idque ut facerent, integrum ſibi conſervare *favorem* Romanorum. Sic Annas, Caiphas, Ananias, & Proceres, magnam partem Sadducæi, hac parte cum Romanis conſpirantes, rationes ſuas inibant. inſpice, ſi placet, animadverſa ad Cap. LII. 5. & confer luculentam prophetiam Pſ. II. 1--4. ab Apoſtolis illuſtratam, Act. IV. 25--28. Sed aliud Deo ſtabat conſilium. Erat enim ipſi irrevocabili ſententia ſtatutum, *Regnum Filii ſui* hoc ipſo tempore per Orbem vulgare; quo pertinent quæ ſequuntur, cum ſuperiore contextu ſecundum hanc expoſitionem noſtram optime cohærentia.

adverſariorum Dei qualia hic memorentur?

Latius exponuntur.

γ. *Modus* convertendarum Gentium, occaſione *Reprobatæ* majoris Judæorum partis oſtenditur.

(a.) Reſpectu *cauſſarum Inſtrumentalium.*

℣ſ. 18. med. *Venit* (tempus) *congregandi omnes Gentes, & Linguas, ut veniant & videant gloriam meam.* ℣ſ. 19. *Et ponam in* IIS SIGNUM, *& mittam ex iis* RESIDUIS *ad Gentes, Tarſiſum, Pulem, & Ludem, tractantes arcum; Thubalem, & Javanem:* INSULAS REMOTAS QUÆ NON AUDIVERUNT FAMAM MEAM; *& non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam inter Gentes.* ℣ſ. 20. *Et adducent omnes* FRATRES VESTROS *ex omnibus Gentibus munus Jehovæ, &c.*] Integra ſententia Prophetæ *commate octavo decimo* comprehenſa his conſtat Hebræis; ואנכי מעשיהם ומחשבותיהם באה לקבץ את כל הגוים והלשונות ובאו וראו את כבודי Quæ ſi junctim legas, hunc dant ſenſum: *Ad me vero quod attinet: Opera eorum & cogitationes illorum,* VENIT *ad congregandum omnes Gentes & Linguas, ut veniant & videant gloriam meam, &c.* Quæ cum inter ſe non videantur cohærere: ſunt ex doctis Interpretibus, qui *prius* membrum, *Opera eorum & cogitationes eorum;* accipiunt per *Apoſiopeſin*, ut Chaldæus & Græcus quoque, cujus non memineram; probante pariter Grotio: quomodo ipſe quoque inſtitui. Sed alii niſi ſunt hæc inter ſe componere, & ſenſum aptare verbis, *Opera & cogitationes illorum* VENIT, *ut congregem, &c.* Jarchius, Tremellius & Coccejus ſic acceperunt, ſecundum diverſas hypotheſes ſuum quique ſequuti ſenſum: ſed interpretatio illorum non turbat noſtram. Largior, vocem באה *venit*, *terminationis fœminini*, (quo *genere* Hebræi ſæpe pro *neutro* utuntur,) recte conſtrui cum verbis *Opera* & *Cogitationes*, (*ſingulari numero* diſtributivè ſumpto; quod ipſum quoque Hebræis eſt in more:) ſi commodum ſenſum efficerent: at ægre mihi perſuadeo, Prophetam tam obſcure mentem ſuam explicare voluiſſe. Si tamen omnino conſtruenda ſint, hunc unum dare poterunt ſenſum: *Ad me vero quod attinet, Opera & cogitationes illorum*, me permittente, *venerunt*, & hunc ſortita ſunt exitum, ut inde mihi naſceretur occaſio *congregandi omnes Gentes & Linguas*, ut terreſtri Hieroſolyma deſtructa, ſpectatores ſint *gloriæ* meæ, in Verbo Evangelii *revelatæ*, miraculis & admirabilibus potentiæ & gratiæ meæ operationibus illuſtrandæ. ſive, *Opera* & *conſilia* illorum ſic fuerunt *comparata*, (confer ſignificationem vocis ἔρχεσθαι Marc. IV. 21. ſecundum Coccejum:) ut mihi præbuerint occaſionem, &c. Sed interpretatio noſtra per apoſiopoſin, videtur facilior: Secundum quam meam hypotheſin, VENIT vel *abſolute* capiendum eſt *genere neutro*; vel, quod eodem fere recedit, ſubintelligenda eſt vox

Modus convertendarum *Gentium* exponitur.

(a.) Reſpectu *cauſſarum inſtrumentalium*, ℣ſ. 18. *med.*

Hebræa verba, in quibus videri poſſet hærere difficultas.

An *figura*, num ſimpliciter conſtruenda ſint?

Reſpectus vocis באה h. l.

Senſus ſecundum conſtructionem ſimplicem.

Si figurate capiantur verba: vox

a Lib. XV. Cap. XII. b Cap. XI. c Glaſſ. *Rhet. S.* Tract. II. Cap. IV. p. 538. d Luc. XVI. 15. e Matth. XXI. 38. f Cap. XI. 50.

VENIT, quomodo hic accipienda ſit?

eſt vox ny *tempus*, ut idem valeat, quod Ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐστιν· *Venit, & nunc adeſt tempus* [a]; ut apud Ezechielem [b]: הנה באה ונהיתה *Ecce!* VENIT, *& factum eſt*, ait Dominus Jehova. *Hic* DIES *eſt, de quo locutus ſum.* Sic docte Kimchius. Sed graviora ſunt

Quæſita hic movenda.

quæ hic quæruntur: primo quidem, de *quali Congregatione Gentium* hic agatur; an de *Congregatione hoſtili* ad terribile Judicium quo puniendæ ſint, *paucis evaſuris:* Num de *Congregatione Gentium & Linguarum* ad Communionem Eccleſiæ? Deinde, Si de *Congregatione Gentium* ad *Communionem Eccleſiæ*; utrum de *Congregatione prima*, facta opera & miniſterio Apoſtolorum & Apoſtolicorum Virorum; an de *Congregatione* altera, facienda in fine temporum, quando τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν *intrabit?* Utrumque hic eſt majoris momenti.

De quali *congregatione Gentium* hic agatur?

Judæi Interpretes tres famoſi, & iiſcum Abarbenel, utcunque priora conſtruant; uno animo ſentiunt, hic agi de *Congregatione Gentium & Linguarum* omnium hoſtili, qua ipſi Populi adverſarii Iſraëlitarum, Turci, inquam, & Chriſtiani, quos cenſent Prophetam in *ſuperiore commate* deſignaſſe, cogendi ſint in fine temporum adverſus *Hieroſolymam*, à Judæis jam cum *Meſſia* ſuo occupatam, cum conſilio ejus deſtruendæ, & Novi Regni Meſſiæ ſubvertendi; idque futurum ex Dei conſilio, ut eos perdat & notabili clade proſternat; quando Deus in eos terribile exequetur Judicium, ad vindicias Populi ſui à longo paratum, & Prophetis prædictum, ut Liberationem Populi à ſe dilecti, tantum temporis veluti neglecti atque deſerti, hoc clariſſimo ſuæ benevolentiæ ac præſentiæ teſtimonio obſignet; comparantque adeo hanc prophetiam cum ea

Judæorum Intt. hypotheſis de hoc loco; quæ exponitur.

Quomodo ſecundum hypotheſin ſuam cætera expediant?

Ezechielis de *Gogo & Magogo* [c]; & Zachariæ de *Collectione* omnium *Gentium* adverſus Hieroſolymam [d], perinde ac cum *Pſalmo ſecundo*. Summa eſt, Gentes haſce in fine temporum adverſus Hieroſolymam, jam à Meſſia occupatam undique hoſtili animo *congregandas*, ſingularibus illis Dei judiciis deſtructum iri, & *interituras eſſe* cum ſumma gloriæ Divinæ demonſtratione ſecundum illa Ezechielis ac Zachariæ vaticinia. Quod vero hic dicitur, *reſiduos* ex his Gentibus, *evaſuros* hanc cladem, notandos eſſe *ſigno*; id ipſum eſſe volunt quod Zacharias demonſtret in eadem prophetia [e]; *Et hæc erit* PLAGA *illa qua Jehova percutiet omnes illos Populos, qui in exercitum congregati prœliati fuerint adverſus Hieroſolymam: Tabeſcet caro ejus, ipſo* (unoquoque eorum,) *ſuper pedes conſiſtente; & oculi ejus tabeſcent in circulis ſuis; & lingua eorum tabeſcet in ore ipſorum.* Tum vero ajunt, Populos omnes hoc glorioſo Eventu rerum Judaicarum ex *reſiduis* tantæ cladis cognito, certatim omnes Judæos, apud ſe hactenus exules, quam commodiſſime Hieroſolymam traducturos eſſe, & poſtquam in notitiam Dei Iſraëlis venerunt, cultum Dei ſuſcepturos, Judææ Genti per omnia futuros obnoxios eique comiter ſervituros eſſe. quibus Abarbenel multa ſingularia miſcet, hic non repetenda.

Conferunt hanc prophetiam cum Vaticiniis Zachariæ & Ezechielis.

Interpretatio illorum refellitur.

Falſa eſt interpretatio, quantumvis belle ornata, & miſeræ Gentis exſpectationi blandiens. Primo utique, falſum eſt quod hic ſupponitur, *Gentes & Linguas* quæ hic *congregandæ* dicuntur, eoſdem illos eſſe, quos Vates dixerat ſe *ſanctificantes & purificantes in hortis, poſt* UNUM; *& edentes carnem porcinam & mures*, judicio Divino exterminandos. Si textum orationis legeris integrum, deprehendes id temere & erronee aſſumi. Elenchus ille ſpectat Judæos hypocritas & apoſtatas, vel Apoſtatas & hypocritas qui partem Eccleſiæ faciebant, ut ſæpius dictum demonſtratumque eſt. Putem, neminem, integra conſcientia animi, hic diſſentire poſſe; nec facere poſſunt Judæi, niſi ſibi volentibus illudant, & imperitos implicent. *Gentes & Linguæ*, viſuræ *gloriam Dei*, hiſce *Apoſtatis* Judæis, judicio Dei perdendis, plane contradiſtinguuntur. Secundo,

Gentes & Lingua, quæ hic congregandæ dicuntur, non ſunt illi *ſanctificantes & ſe luſtrantes in hortis*, &c.

Hypotheſis de Hieroſolyma ſub Meſſia oppugnanda à Gentibus, eſt ficta.

quod huic interpretationi ſubſternitur; Judæos cum prima φανερώσει Meſſiæ ſui occupaturos *Hieroſolymam*, & ipſo illo tempore *Gentes* magnis exercitibus adverſus eam congregandas, inter ſe conflicturas, & Hieroſolymam oppugnaturas eſſe, variis Dei judiciis perdendas: mera eſt fabella, quam ex locis Ezechielis & Zachariæ, perperam intellectis, procuderunt. Quod in iis locis eſt; umbratile ac leviſſimum implementum conſecutum eſt temporibus Maccabaicis; ſed verum & perfectum conſequetur in Statu *veræ* Eccleſiæ, ab adulterina *ſeparatæ*, tempore illius *anguſtiæ*, quam Propheta deſcripſerat Cap. LIX. 16. de qua ſæpe locuti ſumus. Tertio, in verbis Prophetæ nihil eſt, quod huic interpretationi faveat. Nulla hic mentio eſt *congregationis Gentium & Linguarum* hoſtilis: nulla *congregationis hoſtilis* adverſus *Hieroſolymam*. Etiamſi enim *congregatio* hæc Hieroſolymam pro centro habeat, ex noſtra quoque hypotheſi: id tamen *directe* in propoſitione prima non dicitur, quod ſecundum hypotheſin Judaicam *directe* dici debebat. Dicuntur *congregandæ* eſſe *Gentes & Linguæ* ad videndam *gloriam Dei*, ſive *Lucem Eccleſiæ* ortam. Nulla quoque mentio occurrit *cladis* Gentium, quam adverſa hypotheſis ſupponit. Nulla nota, ſignum nullum eſt in verbis, quod nos illuc ducat. Contra eſt. Dicuntur mittendi eſſe ex *reſiduis ſervatorum* ex tremendo judicio, quod Deus in *Populum ſuum adulterinum* exerceret, notati *ſigno*, non iræ, ſed gratiæ & miſſionis Divinæ, qui electos ex Gentibus *ducerent* Hieroſolymam quam commodiſſimis viis ac rationibus. Ipſa illa *congregatio* fieret in ſcopum & finem, ut Gentes Deo offerrentur in *ſacrificium*; ut mox explicatur ỳſ. 20. *Congregatio* hæc *Gentium* ad videndam Dei gloriam faceret ad ſupplendam jacturam, quam Eccleſia fecerat in interitu & reprobatione *hypocritarum & apoſtatarum*, à communione Eccleſiæ reſcindendorum. Deus ſibi formaret novum populum ex Gentibus, undique in ſinum Eccleſiæ congregandis & confluxuris. *Congregatio* hæc *Gentium & Linguarum* faceret ad *conditionem Cœlorum Novorum & Terræ Novæ*, ſtabilis Oeconomiæ Novi Fœderis, quam Deus jurat deinceps perſtituram eſſe, ỳſ. 22. Soli apoſtatæ, hypocritæ, increduli & incredulitate indurati, communione hujus Eccleſiæ excluderentur, dum *omnis caro* aſcenderet Hieroſolymam ad ſe *incurvandum coram Jehova*, ỳſ. 23. 24. Denique quarto, falſo ſupponitur, Ezechielem & Zachariam huic hypotheſi favere. Non loquuntur illi de Hieroſolyma, nuper occupata à Meſſia aut à Populo reduce: ſed de *Hieroſolyma* (vere aut myſtice ſumpta,) jam longum habitata & cum terra Canaanæa poſſeſſa, & quidem *ſecure* ac *quiete*, abſque exſpectatione tantæ tempeſtatis adverſus eam concitandæ à Gentibus; ut clare patet ex Ezech. XXXVIII. 8. 9. & Zach. XIV. 2. ne jam alia huc adferam, ex quibus liqueat, fabulam, ut ab iis contexta eſt, ſuis partibus non cohærere. Quæ cum clara, liquida, & rite demonſtrata ſint: Judæos hic miſſos facio, & ſibi relinquo.

Verba Prophetæ nihil habent de *congregatione* hoſtili; ſed deſcribunt *congregationem ſalutarem.*

Ezechiel & Zacharias non favent interpretationi Judaicæ.

Alterum quæſitum movebam, An hic reſpiciatur *prima Gentium Vocatio* facienda per Verbum Evangelii; num Vocatio Gentium & Linguarum inſtituenda poſt Vindictam ſumptam de Adverſariis *Eccleſiam veram* in fine temporum oppugnaturis & oppreſſuris, de qua Vates Cap. LIX. 19. & Dominus Matth. XXIV. 14. 31. Id unum hic merito quæri poſſe cenſeo. Quod enim ad Veterum quorundam ſententiam attinet, qui ſuperiorem pericopam de terribili judicio Dei interpretati de *Judicio extremo*, hic eidem adhuc hypotheſi inſiſtunt; ut ipſe quoque Hieronymus, licet ſententiæ ſuæ non ſatis certus: non merentur refelli. Imperitia ſtyli Prophetici hic tenebras offudit aliquorum judicio; nec tamen omnium, ut liquet ex Procopio. Plerique Intt. abſque ulla dubitatione ſenſum prophetiæ figunt in *prima Vocatione* Gentium, *Judæis reprobis* ſuffectarum; ſed diſſentit Coccejus, cujus hic eſt interpretatio plane ſingularis. Supponens, Prophetam

An hic agatur de *Prima Vocatione* Gentium facta per Verbum Evangelii: Num de altera, facienda in fine temporum?

Prior ſententia communior.

a Joh. v. 28. b Cap. XXXIX. 8. c Cap. XXXVIII. XXXIX. d Cap. XIV. 2. 14. e Cap. XIV. 12.

Lud, Lydi, Æthiopes.

quod Vates scripserit, *Phul* ET *Lud*; cum inter *Tharsis* & *Pul* copula desit. Idem rursus observas in his quæ ἀμέσως subjunguntur, THUBAL & JAVAN. Significat conjunctio, esse ejusdem originis ex Japheto; à *Phul* & *Lud* diversos. Et *Javanem* quidem nemo ignorat esse GRÆCOS, ipsa similitudine nominum יון & Ἰων, (Masoretharum punctatura יָוָן in יָוָן mutata,) fidem faciente; *Thubalem* autem [a], esse *Tibarenos*, Ponticam Gentem, supra Cappadociam sitam; Vir Eruditus probabiliter evicit [b]. Abarbenel, harum rerum imperitus, hic videt *Britannos*; pro arbitrio scilicet. Subdit Vates, *Ad insulas remotas, quæ non audiverunt famam meam; nec viderunt gloriam meam.* Nihil hic jubet constringere prophetiam intra angustos limites, dum utique experientia clamat, laxari posse quantum velis. Intellige igitur hic omnes sive insulas, sive peninsulas, vel etiam laxiore sensu, terras ad mare sitas, per totum tractum Aquilonarem hujus nostri Orbis; Britanniam, inprimis, Hiberniam, (olim Scotiam,) Belgicam quoque nostram; insulas Suevici Maris, & magnam peninsulam, (insulam putarunt Veteres,) Scandinaviam. Ad has *terras*, hos populos, longe à Palæstina *remotas*, cultu rudes, moribus barbaras, turpissimis superstitionibus immersas, perveniret Verbum Evangelii, & perrumperent ejus Præcones. Hi sunt illi לאמים מרחוק *Populi longe remoti*, quos summus Doctor & Propheta ad obsequium fidei suæ invitat Cap. XLIX. 1. Et ad quos mitteret Legatos qui *inter* has *Gentes gloriam suam* ישמיעו *promulgarent*, ut Vates hic loci exerte; *audire facerent*, docendo, disputando, prædicando, celebrando, extollendo *salutem* à Deo oblatam toti Mundo, medio *vocis*. conf. Cap. LII. 7. Docuit experientia, etsi res fide major videretur. Impetus enim hic fuit Divinus; ignis cœlestis, à quo inflammati Apostoli, Evangelistæ, eorumque delegati, ministri, socii, famam Evangelii per orbem disseminarunt, brevissimo temporis spatio, de quo proxime differui ad ℣. 7. 8. hujus Sectionis. Historiam hic attingere, prolixitas vetat; nec in tanta luce rerum, ipsa quoque experientia clamante, opus est. Tantum observari velim; ex ipsa quoque harum Gentium recensione clarissime patere, agi hic de prima Evangelii promulgatione inter Gentes, cujus potissimum cursus esset ab Oriente in Occidentem: contra ac fieret in fine temporum, ut monui ad Cap. LIX. 19. Inde *Insularum*, Occiduarum regionum ad mare sitarum tanquam quæ reciperent doctrinam Messiæ, mentio. Vide dicta ad Cap. XLII. 4.

Javan sunt *Jones*, Græci.

Thubal Tibareni.

Insulæ remotæ, quæ non audiverant *famam* Dei Israëlis, demonstrantur.

Lux historiæ hic clarissima.

(b.) Respectu *Modi* ipsius Gentium ad communionem Ecclesiæ adducendarum.

Modus ipse Vocandarum Gentium prestius describitur; ℣. 20.

℣. 20. *Et adducent* FRATRES VESTROS *ex omnibus Gentibus munus Jehovæ, in equis, & curribus, & pilentis, & mulis, & dromadibus, ad montem meum sanctum, Hierosolymam, inquit Jehova: sicut* ISRAELITÆ ADDUCUNT MUNUS IN VASE PURO DOMUM JEHOVÆ.] Scopus *missionis* ad Gentes esset *congregatio Gentium* ad *videndum* Dei *gloriam*; earumque *unio* & *communio* cum Hierosolyma, non literali, sed spirituali & vera, hoc est, Ecclesia; cujus congregationis & unitionis *modus* hic exponitur, ut quisque videt. Interpretatio verbalis hujus loci nihil habet obscurum, quod veri studiosum avertat à genuina ejus sententia.

Summa pericopæ.

Investigatio vocis עגלות. est genus *vehiculi*.

עגלות, infrequentioris usus notio, hic omnium judicio genus quoddam *vehiculi* significat; Hieronymo, Symmachum sequuto, (voce ut putem generalius sumpta,) *Lecticam*; aliis Intt. passim *carpentum*, *pilentum*, *currum cameratum*; h. e. currus genus quod ab animalibus trahitur; & posteriorem quidem significationem vocis hic obtinere, liquet ex Num. VII. 3. estque probabile, intelligi *currus cameratos*, *plaustra tecta*, quod hic à *curribus*, sive *quadrigis* vulgati usus distinguantur. Favet etiam voci thema אגה *intumescere*, si inde petenda sit ejus origo; de quo dubitari potest. Sed quod Docti Viri eam compararint cum altera aliqua significatione ejusdem notionis אג, qua sumitur pro *animante* in Legibus cibariis apud Mosen memorata [c], quam illi accipiunt pro *testudine*: forte fallit, & probabilior sententia à Cl. Bocharto commendatur [d]. Οἱ ὁ. hic loci: Ἐν λαμπήναις ἡμιόνων. *cum rhedis mulorum*, sive, *mularibus*. Propheta scripserat, in TSABBIM *& mulis*: quod illi per eam figuram quam Grammatici vocant, ἓν διὰ δυοῖν, verterunt conjunctim *rhedas mulorum*. Rectius Theodotio seorsim, Ἐν λαμπήναις. Propriissime. habet enim vox specialem σχέσιν ad *mulos*. Hesychius: Εἶδος ἁμάξης, ἐφ' ἧς ὀχοῦνται ἔνιοι, ἁπήνη· ἢ ἅρμα ἁμάξης περιφανὲς βασιλικῆς. Posterius putem hic usum habere. Jesaias enim omnes figuras suas eximie ornat. Sint itaque עגלים hoc loco *currus camerati*, *splendidi*, quales Regum & Principum. Sed vide de hac voce, eaque collata cum ἁπήνη, eundem Virum eruditum [e]. Idem Vir Doctissimus, Aben-Ezram & Kimchium sequutus, postquam antiquas versiones contulisset, magna specie rationis docet [f], per כרכרות CIRCARÔTH, incertæ significationis notionem, inter ἅπαξ λεγομένας, hic intelligi *camelos* sive *dromades*, velocissimi cursus; & subsidium petit ex Dialecto Arabica. Nihil potius habeo; etsi video, terminationem vocis sententiæ minus favere. Si ita se res habeat: statuendum censeo, comparandam esse non cum themate כרכור *saltavit*, *subsultim incessit* [g]: sed cum obsoleto ejusdem generis etymo, à quo originem pariter trahit Latinum CURRO, de cujus etymo Doctissimi Viri nihil probabile tradunt.

Etymon ejus.

Græca notio ἁπήνη cum ea comparata.

Species alia in voce כרכרות.

In sententiam ipsam si inspicias: observas geminam complecti propositionem, quippe *comparatam*. Prima est, *Fratres* Judæorum, *servorum* Dei, ab hisce *Legatis*, eos collecturis, adductum iri *Hierosolymam*; & quidem *commodissime* ac *velocissime*. Altera, eos adductum iri tanquam מנחה *Fertum*, Munus purum, quemadmodum Israëlitæ adducunt *munus*, *in vase puro*, *Domum Jehovæ*. Ipsa oratio significat; quæ hic dicuntur, *mystice* intelligenda esse. Ad sensum prioris membri propositionis assequendum, pertinet definire, Quinam hic compellentur sub nomine, *Fratres* VESTRI? Deinde, quinam illi sint *fratres* à Legatis Dei adducendi ex *Gentibus?* utrum *carnalis*, an *spiritualis* cognationis? Et quidem quod ad *Personas* quæ hic appellantur; satis notæ ex *superiore* contextu, sunt *reverentes verbi Jehovæ*, *humilis* & *mansueti animi*, à fratribus suis carnalibus excommunicati, ℣. 2. 5. SERVI DEI, ℣. 14. quibus Propheta spem fecerat *festinatæ*, & omni opinione majoris, *conversionis Gentium*; quosque deinde blandissime consolatus fuerat, oratione ad eos directa. ℣. 10--14. Sunt illi corpus totum credentium in Christum Jesum ex *Judæis*, ut in superioribus demonstravimus; ex quibus ipsis aliqui ad Gentes convertendas mittendi essent. Coccejus cum juxta hypothesin à se assumptam ægre ostendere posset *Subjectum* hujus appellationis, *eos hic compellari fideles*, scribit, *qui Cap.* LXIII & LXIV. *introducuntur loquentes:* quod vere paradoxum. Quis enim tam longe quærere velit, quod præcedens oratio ut *proximum* demonstrat? De *fratribus* vero qui *objectum* faciunt actus *adductionis*: fidenter statuimus, spectari *cognationem spiritualem*; non *carnalem*; ut, si *Judæi originarii* ἐν τῇ διασπορᾷ, cum *Gentibus* per Evangelium vocandi & in Dominum crediturі, (ut sane electi vocatique *magno* crediderunt *numero*,) hic non excludantur, ut vere excludendi non sunt; hic tamen secundum *cognationem spiritualem*, non *carnalem* spectentur. Judæi hic ex hypothesi sua *contribules* suos & *fratres* ὁμοφύλους, inter Gentes adhucdum commorantes, (licet occupata jam Hierosolyma à Messia, & primis ejus sequacibus,) designari volunt à Gentibus Hierosolymam liberaliter addu-

Sensus realis sententiæ excutitur.

Quinam hic intelligantur nomine *fratrum?*

Personæ hic appellatæ sunt *credentes ex Judæis.*

Docti Int. sententia non admissa.

Qui hic adducendi *fratres* dicuntur: sic appellantur secundum cognationem *spiritualem.*

Judæorum hypothesis ad h. l.

---

a Gen. X. 2. *b Phal.* Lib III. Cap. XII. *c* Lev. XI. 29. *d Hieroz.* Part. I. Lib. IV. Cap. I. *e Hieroz.* Part. I. Lib. II. Cap. XIX. *f Hieroz.* Part. 2. Lib. II. Cap. IV. *g* 2 Sam. VI. 14. 16.

adducendos; sed frustra. Ut enim ficta & fabulosa est traditio: sic contextus reclamat. Etenim primo, verba hujus *commatis* faciunt ad explicandum & illustrandum quod dictum erat ℣. 18. Deum *congregaturum esse omnes* GENTES *&* LINGUAS, *ut* VENIRENT *&* VIDERENT *gloriam Jehovæ*. Id declaraturus Deus ait, se ex *residuis* Judæorum missurum esse ad *illas Gentes*, qui INTER GENTES *nunciarent gloriam Jehovæ*, ab illis huc usque non cognitam: unde sequitur, *Illos* sc. Dei Legatos & Evangelii Ministros, *fratres* Judæorum credentium EX OMNIBUS GENTIBUS adducturos esse: ut proinde, cum tota hæc oratio de *Gentibus* agat, earum hic præcipua ratio habenda sit ex scopo Spiritus S. Secundo, Res plane videri queat mirabilis & paradoxa; *Gentes* oblaturas esse *Judæos* ut *sacrificium* Jehovæ Hierosolymis. Quomodo vero? Non possent utique nisi *credentes*, & Religionem veram amplexæ. Per quos vero perductæ in notitiam veræ Religionis? Si per *Judæos*, ut probabile est & ex hoc loco liquet: quidni *Judæi* potius offerant *Gentes*? Est enim *offerentis* prior respectus. *Munus* minus est offerente; certe non majus, quod ubique obtinet. Tertio, revocandum est in memoriam, quod modo dictum erat; Legatos Evangelii exituros esse ad *Gentes* longe *remotas*, quæ *famam Dei Israëlis nunquam audiverant*: estne itaque ut existimemus, inter has Gentes multos fuisse *Judæos*? Quarto, quod mox sequitur, *Et* ETIAM *ex iis sumam aliquos in Sacerdotes & Levitas*: patet, pertinere ad novam Oeconomiam, ut ibi videbimus. Significatur enim quid præterordinarium. Si vero hic intelligendi sint *Sacerdotes* ac *Levitæ* originarii: quid magnæ rei hic dicit Spiritus? Quinto, Paulus certissimus loci Interpres, verba interpretatur de Gentibus offerendis à *Judæis*, Apostolis, Evangelistis, Rom. XV. 16. ut mox videbimus. Ergo licet hic plane non excludamus *Judæos electos ἐν τῇ διασπορᾷ*, *cum Gentibus coalituros in unum corpus spirituale*: non est nobis dubium, Prophetam hic præcipue in oculis habere *electos ex Gentibus*, qui Petro dicuntur *πάντες ὅσοι εἰς μακρὰν*, OMNES QUI LONGE ABSUNT, *quos advocaverit Dominus Deus noster* [a]. De quibus Dominus Jesus [b]: *Dico autem vobis; multos* VENTUROS ESSE *ab Oriente & Occidente & discubituros cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in Regno cœlorum: filios autem Regni ejectum iri extra.* Hi sunt *fratres* respectu *cognationis spiritualis*, quod ejusdem *regenerationis* ad novam vitam, & æternæ vitæ spem; ejusdem *filiationis* per donationem Spiritus adoptionis, participes; eundem *Deum* invocantes *Patrem* in Christo Jesu; & vera charitate inter se arctissime conjuncti, unum efficerent corpus spirituale. Inde jam per totum Librum *Actuum* Apostolicorum, & per Epistolas Apostolorum vides nomen FRATRUM esse receptissimi usus, & ubique occurrere; dulce, jucundum, charitatis mutuæ & conditionis symbolum; perinde ac apud Christianos primorum temporum. Apostoli & Presbyteri Hierosolymitani in literis ad Gentes [c]: *Apostoli, & Presbyteri, & fratres, iis qui sunt Antiochiæ, & in Syria, & in Cilicia ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν*· FRATRIBUS EX GENTIBUS. Moris erat Synedrio Hierosolymitano in literis suis ad Ecclesias suæ Gentis hoc titulo *fratrum* uti. Sed quod Jesaias prædixerat futurum in hoc loco sub meliore Oeconomia; acciperent *fratres ex* GENTIBUS. qui *fratres* contradistinguuntur hic loci illis FRATRIBUS *qui illos odio haberent, & communione sua secluderent*; quos Vates in hac Sectione ℣. 5. notaverat. *Fratres* ait, EX *Gentibus*. essent enim ELECTI *ex Gentibus*, quos Apostolus passim in Epistolis sic appellat. [d]

Hi FRATRES *adducendi essent Hierosolymam & in Montem Dei sanctum*, hoc est, aggregarentur Ecclesiæ, & ad illius perducerentur communionem: sive *Hierosolymam* & *Montem* Dei *sanctum*, hic mystice sumas pro Hierosolyma *spirituali* & *Regno Christi Jesu*; sive cum respectu ad primam *Ecclesiam Apostolicam*, omnis Ecclesiæ Christianæ Matrem, Hierosolymis formatam & fundatam; quæ, licet *Hierosolyma terrestris* destructa sit, æternum censetur durare. Ambo respectus hic concurrunt; & tamen si separandi sint, prior hic est præferendus, ut ℣. 10. *Gaudete cum* HIEROSOLYMA, *& exultate omnes eam diligentes*. Intellige Ecclesiam. Tota enim, ut vides, hæc oratio est mystica; atque adeo ipsa quoque hæc nomina. *Adductionem* autem hanc monui significare *τὴν προσθεσιν adjunctionem* credentium ad *Ecclesiam* [e], quæ fit opera Ministrorum Evangelii. Qui fidem in Christum Jesum suscipit, *προσάγεται τῷ Θεῷ* [f], *& τῇ ἐκκλησίᾳ*. Hic vero specta mihi metaphoræ elegantiam. Primo, adducendi hoc in loco ad *fidem* & *communionem Ecclesiæ*, inferuntur tanquam quibus magnum conficiendum esset iter, quippe qui *longe*, *longe*, abessent. Significatur utique, magnum esse transitum à *Mundo* ad *Deum*; quippe inter quæ duo extrema magnum est *σχάσμα*, magnum intervallum. Nemo à mundo *transit* ad Deum, nisi se totum abneget, & universum vitæ institutum mutet; quæ magni res est negotii. Secundo, qui transitum facit à *Paganismo* ad *Christianismum*, iter conficiendum habet maximum. Inter superstitiones enim Paganas & puram castamque Christianismi Religionem quantum intercedit divortium? Accedit, hic non tantum renunciandum fuisse *præjudiciis* inveteratis antiquæ superstitionis; verum honoribus omnibus, dignitatibus, privilegiis, & spei, quæ Paganismus cultoribus suis offerebat; ne jam plura huc adferam. Apostolus huc respiciens [g]: *At nunc in Christo Jesu vos qui olim eratis* PROCUL; *facti estis* PROPE. Tertio, quod hic additur; *adducendos esse equis, curribus, carpentis, mulis, dromadibus*; docet, α. Transitum, sive traductionem Gentium credentium ad Christum & Ecclesiam fore non tantum *festinatam*, sed *festinatissimam*, cujusmodi est omnis vera conversio ad Deum. Ubi animus ad illum *gradum* à Spiritu S. illuminatus est, qualis *gradus iluminationis* ad fidem & conversionem requiritur: homo non it, sed *currit*, & absque ulla interposita mora se adjungit Deo & Ecclesiæ. β. Eundem transitum ad Deum fore *commodissimum* simul & jucundum atque honorificum. Paradoxum! ais. Utique enim transitus Gentium ad Ecclesiam conjunctus fuit cum probris, direptionibus bonorum, discrimine vitæ, aliisque incommodis. Ita est, sed hæc adjuncta nihil pertinent ad essentiam *transitus* ipsius. Spiritus Sanctus eò respicit, primo, quod *media* salutis & communionis Ecclesiæ obtinendæ Gentibus *abunde* dispensarentur. secundo, quod Religio Christiana ipsa non sit *operosa*, *laboriosa*, *incommoda*; imo vero commodissima, rationalis, & recti atque illuminati animi homini facillima. Requiritur *fides* in Christum cum cultu & obsequio spirituali ac rationali. est itaque transitus commodus. tertio, quod transitus per *fidem* ad Ecclesiam conjunctus sit cum magna mentis pace, tranquillitate, requiescentia, ac delectatione. quarto, quod idem junctus sit magno *honori*, cujusmodi est itio Regum, Principum, Procerum, cum carpentis, & curribus cameratis. Vates sacer de eadem re, sc. de *sociis* Reginæ agens [h]: *Virgines post illam, socia ejus, adducentur tibi. Advehuntur in lætitia & gaudio. intrant in Palatium Regis.* Denique, Gentes credentes omnem allaturas commoditatem & subsidia, quæ in sua facultate fuerint, ad promovendam aliarum Gentium, aut contribulium suorum, conversionem. Hæc latent in mysticis hisce figuris; quæ jam anticipavi variis locis & explicui, ut Cap. XLIII. 5. *Ab Oriente adducam semen tuum; & ab Occidente congregabo te. Dicens Aquiloni, Cedo, & Austro, ne cohibeas. Adduc filios meos* A LONGINQUO; *& filias meas ab extremo terræ.* confer Cap. XLIX. 12. seqq. LX. 4. 9.

Alterum propositionis membrum spectat similitudinem

Subjectum *congregandorum* hic sunt *Gentes*.

Gentes hic non satis commode dicuntur offerre *Judæos* ut *sacrificium*. Contra est.

Loca Act. II. 39. Matth. VIII. 11. favent huic hypothesi.

Cognatio spiritualis describitur.

Gentes sub Oeconomia Nova fierent *fratres* Judæorum.

Adducendæ Hierosolymam. Quo sensu?

Hierosolyma mystica.

Quis sensus subsit voci *adductionis*?

Metaphora declaratur. *Vocatio* ad communionem Dei eorum est qui *longe* absunt.

Transeuntes à Mundo ad Deum magnum faciendum est iter.

Gentes adducendæ essent *curribus*, &c. Sensus mysticus.

Quo sensu transitus Gentium ad Christum dici queat *commodus*? Res ipsa varie demonstratur.

Analogia his comparata.

Gentes ad-

---

a Act. II. 39. *b* Matth. VIII. 11. *c* Act. XV. 23. *d* 2 Thess. II. 13. *e* Act. IX. 41. *f* 1 Pet. III. 18. *g* Ephes. II. 22. *h* Ephes. I. 4. Tit. I. 1. &c. *i* Ps. XLV. 15.

ducendæ essent ut *sacrificium*, & quidem *Fertii*.

nem venustam qua Jesaias hanc *adductionem* Electorum ex Gentibus illustrat. *Gentes* ait ab *Legatis*, hoc est, Ministris Christi & Evangelii, *adductum iri* מנחה MUNUS, (*Fertum*) *sicut Israëlitæ fertum* VASE PURO *adducunt* (adducere solent,) *Domum Jehovæ*. Sic haud dubie vertenda verba. Οἱ ὁ. quod dicitur, בכלי מהור *in Vase puro*, vertunt μετὰ ψαλμῶν *cum psalmis*: negligentes in versione vocem *purus*. Equidem vox כלי sustinet inter varias significationes eam *Instrumentorum musicorum*: sed nec *Ferta* semper cum *cantu citharærum* aliorumve instrumentorum Musicæ offerebantur; nec notio *puritatis* huic subjecto convenit. Kimchius intelligit *vestes puras*. Adscripsit ad illud מנחה MUNUS; *Adducent illos* בכלובשים בגדי תפארת *induti decoris vestibus*. Mox, בבגדי טהורים וגאים *Vestibus puris & honestioribus*. Fateor, vocem כלי latissimæ significationis notationem *habitus* admittere; sed quæsitum est, eam hic amplecti. In Lege enim de *vestibus* offerentium nihil monetur: sed *ferta* in *vase puro* ad sacrum duci & offerri, res ipsa clamat; estque is usus notionis receptissimus. Doctor Hebræus hanc significationem elegit, ut nos abduceret ab *oblatione* ipsa, quam *Gentibus* ex sua hypothesi hic tribuit, ad illius *circumstantiam* aliquam, veluti tota vis comparationis in id incumberet; Gentes *honestissimis* purissimisque *vestibus indutas* Judæos ducturas esse Hierosolymam; perinde ac Judæi soliti erant *puris vestibus ornati* Deo offerre *Fertum*. *Fertum* autem sive מנחה MUNUS quod dicitur, notissimum est sacrificii genus, à Mose accurate descriptum [a], & inde à Talmudicis in Tractatu hujus argumenti; (*Menachôth*,) cujus variæ erant species; ex vulgatis Scriptoribus facile repetendæ. Hic de alia specie cogitandum non est quam de *privatorum oblationibus voluntariis* factis ex *similagine*, *oleo*, *thure*, *sale*; sive *simila pura* fuerit, *oleo subacta*; (cujus hic primus debebat esse respectus:) sive *clibano* cocta; sive *frixa*; sive in *aheno* parata. Num potius hic intelligendum *Fertum* sive *Munus Primitiarum* sive *Primitivorum fructuum*, notorum nomine בכורים *Biccurim?* Non inficier, id mihi non semel in mentem venisse, quod *primitiæ* insigne exhibeant attributum *primitiarum* ex Gentibus Deo sistendarum. Arguis me imperitiæ, quod בכורים *primitias* (ἀπαρχὰς) primorum fructuum, secundum Judæos, *Tritici*, *Hordei*, *uvarum*, *ficuum*, *malogranatorum*, *olivarum*, in *corbe* aut quo alio *vase* quotannis ferendas in *Domum Jehovæ*, & solenni lætoque ritu tradendas Sacerdotibus, edita super iis confessione, referam ad *Ferta* [b]. Ita est, *Primitiæ* vulgo ad hoc *sacrificii* genus non referuntur; nec in Lege de *Menachôth* earum mentio fit; nec à vulgatis Scriptoribus accensentur sacrificiis hujus speciei; neque etiam καθ' ὅλον vel κατὰ μέρος venerunt in altare, quippe consumendæ à Sacerdotibus: veruntamen primo non est dubium, *primitias* (בכרים) fuisse è genere קרבנות *Oblationum*, nec minore jure censeri in sacrificiis quam *panes propositionis*. Imo vero est in Lege de *Biccurim*, *Corbem primitivorum fructuum* à Sacerdote acceptum *ponendum esse ante ipsam aram* [c]. Deinde, libenter vidi, Abarbenelem *primitias* fertis accensere in *Proœmio* Commentariorum in *Leviticum*, Latino facto à Lud. de Compeigne de Veil. Sic ille postquam de variis Fertorum generibus, & ultimo de *Fertis privatis*, quæ non pendebant à victimis, egisset [d]: ואמנם המנחה הה' היא מנחת הבכורים *Et vere* quinta *species Minchæ est*, *Primitiæ fructuum*. Intelligit *Biccurim*, sic proprie dictas *primitias*: de *Manipulo* enim *agitationis*, sive *primitiarum Messis*, jam egerat sub nomine העמר התנופה *Manipulo agitationis*, in speciebus *Minchæ publicæ*, ad quas hæc species pertinet. Pulchra hic esset comparatio: sed locus Paulinus ad *Romanos* [e], hunc nostrum interpretatus, omnino videtur referendus ad *Mincham* vulgati nominis; atque adeo ad primam ejus & simplicissimam speciem *similæ*, oleo subactæ, cum thure & sale Deo oblatæ, *pugillo* inde à Sacerdote sumpto & lato in aram; reliqua parte à Sacerdotibus consumenda; quippe ad cujus attributa alludere videtur.

Significationis vocis כלי *vas*, instrumentum, h. l.

Sententia Kimchii.

Ejus περὶ τοῦ ψεύδους.

Fertum sive *Munus*, qualis sacrificii species?

Respiciuntur hic *ferta privata*.

An hic alludatur ad *Primitias*, sive *Biccurim*?

Eædem an reduci queant ad *Ferta*?

De eo probabiliter disputatur.

Abarbenelis de eo sententia.

Respectus loci Paulini Cap. xv. 16.

Vim itaque sensumque hujus similitudinis indicaturus, recte fecerim, si interpretationi præstruxerim analogum hunc Pauli locum, cujus memini. Verba ejus sunt ad *Romanos*, dum instituti *audaculæ* ad eos scriptionis rationem reddit ex *gratia sibi à Deo data*; εἰς τὸ εἶναί με, ait, λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ· *ad hoc ut sim minister Jesu Christi apud Gentes, sacrum Evangelii Dei administrans, ut oblatio Gentium Deo sit accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.* Quod hic dicitur, ἱερουργεῖν τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ instar λειτουργεῖν, valet, *instar Sacerdotis* administrare *functionem* mihi ut *Evangelii ministro* mandatam. Λειτουργὸς idem sonat quod משרת *Minister sacerdotalis*. Quâ talis *administrabat* Paulus officium prædicandi & promovendi Evangelii: non hoc sensu acsi ipsam *Evangelii prædicationem & annunciationem* hic respici velit ut *sacrificium*: (id enim etiamsi sano sensu dici queat, hic loci ab ipso non intenditur:) sed quod in functione Evangelii versatus, secundum ejus naturam & Oeconomiam, *Gentes* ut *sacrificium* Deo offerret, & ut munus gratum acceptumque, ipsi commendaret atque exhiberet; videlicet secundum id quod Jesaias hic futurum prædixerat, ut proinde προσφορὰ ἐθνῶν *oblatio Gentium* hic non sumatur *active*, pro *oblatione* à Gentibus *facienda*; sed *passive* pro *oblatione Gentium* ipsarum tanquam *Ferti* Deo faciendi à Paulo ut à Sacerdote *spirituali*. Admoveamus animum ad comparationem ipsam. Primo itaque Gentes hic dicuntur *oblatio*, sive *sacrificium*, quod ad Deum conversæ per veram fidem in Christum Jesum, opera & ministerio Pauli & Ministrorum Evangelii, ab iisdem Evangelii *ministris Deo* exhiberentur & SISTERENTUR tanquam aliquod *sacrum*, Deo in Christo Jesu devotum, in quo *Voluntas* ejus sibi *complaceat*: quæ *complacentia Divinæ voluntatis* speciatim figuratur per *consumptionem* sacrificii in ara *per ignem*. Ministrorum Evangelii triplex hic officium est *Ministeriale*. Secernunt & præparant oblationem, Deo faciendam: adducunt eam ad Deum: adductamque Deo sistunt, tradunt, & commendant. Priores actus duo sunt *Israëlitarum*; quos respectus hic innuit Jesaias; secundum ejus verba, *Ut* ADDUCUNT *filii Israëlis Fertum*: postremum respectum hic admisit *Paulus*, atque adeo se & *coöperarios* suos comparat *Sacerdotibus*. Sed actus sunt invulsi. Ubi *Israëlitæ* Sacrum, à se secretum, *adducebant*; idem *per Sacerdotes* sistebant & commendabant Deo: quare Jesaias priorem respectum, qui *Israëlitarum* erat, hic elegit. Ministri Evangelii quâ *Doctores præparant* credentes ac præparando secundum consilium Divinæ electionis secernunt medio *Verbi gratiæ*, juncti *operationi Spiritus S.* ut *dignum* Deo exhiberi possint *sacrum*. Apostolus vocat ἁρμόζειν *aptare*, *disponere*, *ornare* [f]. Id agendo obsequiosos Evangelio *ducunt* ad *Deum*, & quidem Gentes longissime à Dei communione remotas à *longo*, ut vidimus ad verba Cap. XLIII. 6. ADDUCITE *filios meos* E LONGINQUO. Dominus de Ministris N. T. ut de Angelis [g]: Καὶ ἐπισυνάξουσι τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ· *Et* CONGREGABUNT *electos ejus*. Obtinet vox הביא *adducere* genuinam suam significationem, cum in aliis *sacrificiis*, ab Israëlitis *adducendis*: tum in Sacro *Minchæ* [h] & *Primitiarum* [i]. Paratum autem secretum ac adductum Sacerum *sistitur* ab iisdem & exhibetur Deo. qui actus ut olim Sacerdotem Aharone natum discernebat ab Israëlita & Levita; Ministrorum Evangelii quâ *Sacerdotum* est, sub Oeconomia Nova. Apostolus frequens, vera & propria notione, vocat παραστῆσαι τῷ Θεῷ vel Χριστῷ· *Sistere*, *repræsentare*, *exhibere* Deo [k]. perinde utitur hac voce, ubi Credentes ipsos facit Sacerdotes, *se ipsos*

Locus ille recensetur.

Quid sit hic loci ἱερουργεῖν τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ? Λειτουργία hic est *functio Sacerdotii*.

Oblatio Gentium in loco Pauliano non sumitur *active*, sed *passive*.

Gentes ipsæ essent *sacrificium*.

Quo sensu?

Paulus se hic loci respici vult ut *Sacerdotem* ratione *Gentium*.

Jesaias *Israëlitarum* & *Sacerdotum* respectus hic commiscet.

Actus Israëlitarum, adducentium *Fertum*, significant *præparatorios* actus Ministrorum Evangelii circa credentes Deo offerendos.

Vis vocis הביא *adducere*, h. l.

Notiones analogæ.

---

a Lev. ii. 3. seqq. *b* Deut. xxvi. 1. seqq. *c* Cap. xxvi. 4. *d* Abarb. Exord. Comm. in Lev. in fine Cap. 11. apud Veillium. *e* Rom. xv. 16. *f* 2 Cor. xi. 2. *g* Matth. xxiv. 31. *h* Lev. ii. 2. *i* Deut. xxvi. 9. *k* 2 Cor. xi. 2 Col. i. 28.

ipſos Deo *offerentes* *a*. Quatenus enim ipſi ſe ſiſtunt Deo, induunt σχέσιν *Sacerdotum:* quatenus à Miniſtris Eccleſiæ *ſiſtuntur* ac Deo exhibentur; imaginem reddunt *ſacrificiorum.* Fit autem hæc παράστασις *exhibitio*, προσφορὰ *oblatio*, ἁγιασμὸς *conſecratio*, ex Chriſtiano Ritu, in *Baptiſmo.* Secundo, Credentes ex Gentibus non tantum in genere ſpectantur ut *Sacrum* & *Oblatio*; ſed comparantur hic loci ei ſpeciei Sacrorum, quæ dicitur *Fertum*; ob claras certaſque rationes. α. *Fertum* eſt *Sacrum incruentum*, ſimpliciſſimi generis; eſtque ſpecies ſacrificii omnium caſtiſſima, &, quod addo, uſus omnium antiquiſſimi inter Gentes. Simpliciſſimus inter eas cultus celebrabatur *farre*, ac *mola ſalſa. Oblatio* omnis, quæ fit à Credentibus ſub N. T. eſt *incruenta*, & vero caſtiſſima & ſimpliciſſima, quia *ſpiritualis.* Sive quis *ſe* ipſe, ſive σῶμα *ſuum*, affectum, omneſque ſuas *facultates*, & *actiones* Deo offerat ut ſacrificium; ſive alia σχέσει Miniſtri Verbi, qui in nobis convertendis laborarunt, nos offerant Deo; ſive preces, εὐχαριστίας, ſupplicationes noſtras feramus ad Deum: ubique eadem ratio. Nullus hic funditur ſanguis, nihil committitur violentum. Actio tota eſt ſpiritualis & λογική. β. Similago pura, candida, dulcis, ſimplex, nullo fermento adulterata & turgida, uſus in alimentum aptiſſimi; hoc in caſu ſuſtinet figuram *animi*, per *fidem* à corruptione & malitia *purgati*, integri, ſimplicis, puri affectu cupiditateque, hypocriſi vacui, nullis meritis ſuis turgidi, qualem Deus ſibi oblatum cupit, tanquam in quo ſibi complaceat. Petrus de Gentibus *b*: *Nihilque diſcrevit inter nos & illos*, FIDE PURGATIS CORDIBUS EORUM. Apoſtolus ad Corinthios, cum reſpectu ad Paſcha *c*: *Itaque feſtum celebremus non fermento Veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ; ſed non fermentatis* panibus *ſinceritatis & veritatis.* Sive de ſingulis, ſive de multitudine intelligas: idem eſt. γ. Farina *ſubacta* OLEO eſt animus, qualem deſcripſi, à Spiritu S. occupatus ac perfuſus. eſt enim, quod notum & hic non explicandum, *oleum* ſymbolum gratiæ Sp. S. Hoc ſenſu dicere videtur Apoſtolus, *Oblationem Gentium* Deo acceptam eſſe *ſanctificatam per Spiritum S.* δ. *Thus* oblationi adjunctum, nos monet tum in genere de *qualitatibus* & *virtutibus* Credentium tanquam effectis gratiæ Divinæ; tum in ſpecie de *gratia precum*, effecto *Spiritus adoptionis*; per quas gratias Credentes ſymbolice dicuntur *nidorem* facere *Deo*, ut ad oblationem attendat atque offerentium in bonum recordetur. *Thus*, inprimis *accenſum*, afficit nares, cum delectatione, ut ubi ſit, non lateat. Inde in Lege de Mincha dicitur אזכרה *Adolendum*, quod *odoris* fragrantiam concilians facit *recordari*; & ריח ניחוח *odor acquieſcentiæ* *d*. Qui per *Spiritum* Precum & Gratiæ, qui Spiritus eſt *adoptionis*, ſe Deo offerunt: ejus inſpectionem, complacentiam, & approbationem, merentur; nec latent Deo, ubi fuerint. confer Mal. I. 11. Apoc. VIII. 3. præter alia quæ non allego. ε. *Sal* utique myſtice valet *principium* ἀφθαρσίας *incorruptibilitatis*, quod credentes in Chriſtum accipiunt cum *regeneratione*, cujus *ſemen* eſt ἄφθαρτον *corruptelæ non obnoxium.* I Pet. I. 23. Eſt principium *Lucis*, intelligentiæ, ſapientiæ, prudentiæ, ſpiritualis, ex *Verbo Dei* hauſtæ, & ex fide illius Verbi, ut ex ſcaturigine ſua emanantis, Matth. V. 13. Marc. IX. 50. Tertio, quod hoc Sacrum Munus offerendum dicatur in *Vaſe puro*, ut fieri ſolet ab Iſraëlitis; ſignificat *Confeſſionem puræ fidei*, & honeſtam ſanctamque *Converſationem* externam, quæ *Confeſſio* omnibus qualitatibus, virtutibus, actionibus, quæ ſunt in homine, *circumdatur*; quæque *confeſſio Fidei* honeſtæ piæque *Converſationi* juncta *Statum* externum hominis Chriſtiani format. *Status*, inquam, quo quis ſe *externe* oſtentat; quo apparet; qui internas gratias circumdat; interni ſtatus *ſuppoſitum:* hic dicitur *Vas.* Eſt autem *Status* hominis *Chriſtiani*; quia Status fundatus eſt in *externa* fidei *confeſſione.* Petrus *e*: *Si quis patiatur ut* CHRISTIANUS; *ne erubeſcat.* Sic ſibi conſtaret *oblatio* Gentium: ſic factam eſſe conſtat à Paulo, ejuſque Cooperariis. Quem ſenſum tam hujus loci, quam analogi Paulini, qui rite perceperit & perſpexerit: facile viderit, quam abſurde Nonnemo *f* ex loco Paulino demonſtrare niſus ſit, in *Cœna Domini* vere *obtinere oblationem*, ex recocta hypotheſi Pontificia. Operam dedit Vir Doctiſſimus *g* ei refellendæ; hac luce literarum quæ refellatur, non meritæ.

(c.) *Privilegia* Gentium adductarum.

℣. 21. *Et* ETIAM EX ILLIS *aſſumam* IN SACERDOTES, *in* LEVITAS, *ait Jehova.*] Senſus eſt, Deum ex his ipſis *Gentibus*, quæ ſibi inſtar *Sacrificii* oblatæ fuerint, (mutata σχέσει) aſſumpturum eſſe *aliquos* in *Miniſtros ſacrorum*; Paſtores, Presbyteros, Doctores, Diaconos, & Catechiſtas. Cl. Coccejus videtur verba Prophetæ accipere de *Sacerdotio ſpirituali*, credentibus omnibus N. T. communi. Sed ſi Jeſaias id voluiſſet: ſcripſiſſet haud dubie, ואקחם *& aſſumam* ILLOS. Vox מהם EX ILLIS nos monet cogitare de Beneficio non omnibus communi, ſed aliquibus illorum *privo.* Deinde, ſi id intendiſſet Propheta, non videtur cum *Sacerdotibus* copulaturus fuiſſe *Levitas*, cum quibus ſpiritualis ſtatus Credentium N. T. quod ſciam, alibi ſpeciatim non comparatur. Comparatio hic reſtringenda eſt ad certum reſpectum, quem Propheta intendit: reſpectus autem ejuſmodi eſt, quem Sacerdotes & Levitæ inter ſe communem habent; hoc eſt, quod *circa ſacra operentur.* Sic Apoſtolus *h*: *An ignoratis*, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τῆ ἱερῆ ἐσθίουσι; *Eos qui ſacris operantur, ex ſacro edere; & qui altari continuo adſunt, de altari participare? Ita & Dominus conſtituit, iis qui Evangelium annunciant, ut ex Evangelio vivant.* Similitudo etiam hic loci directe concernit *Sacerdotes*, cum quibus Miniſtri Evangelii conferuntur; non ut ſuperſtitioſa & abſurda ſententia tenet, quod conficiant victimam Corporis & Sanguinis Chriſti Jeſu in oblatione Euchariſtica; ſed, quod à Deo delecti vocatique ſint ad *annunciandum Evangelium*, ut ipſe ſe interpretatur. Idem eſt quod Apoſtolus vocat ἱερουργεῖν τὸ Εὐαγγέλιον τῆ Θεῆ, ut modo vidimus *i*. Lucas pariter totum Miniſterium cultus Sacri eodem hoc reſpectu vocat λειτουργίαν *Functionem*, *Obitionem*, *ſacram* *k*. Jeſaias in ſuperioribus *l*, eos, eadem hac σχέσει, vocaverat מזכירים את יי *Suffitu incenſo Deum commonefacientes gratiæ ſuæ.* h. e. publice pro Eccleſia intercedentes. *Sacerdotium* hoc & *Miniſterium* nihil obeſt *Sacerdotio* communi & ſpirituali omnium Credentium ſub Oeconomia Nova: refertur enim ſolummodo ad *externam* Eccleſiæ *Oeconomiam*, ut mox in ſimili exemplo de *Sabbatho* & *Novilunio* videbimus ℣. 23. Cum omnes *Credentes* N. T. ſint Sacerdotes reſpectu Status ſpiritualis & juris appropinquandi Deo in ſummo Pontifice Jeſu: *Miniſtri Verbi*, Diſpenſatores Myſteriorum Dei, *quatenus* à Deo *electi* ſunt, ut circa Sacra publica verſentur, reſpectu quodam Oeconomico & externo, in externa Eccleſiæ πολιτείᾳ fundato, hunc titulum ſibi peculiari modo vindicant; nec eſt in eo quicquam vitii, atque adeo in prima Eccleſia innocuus illius erat uſus. Sed cum conſequenti tempore Epiſcopi, Presbyteri, & Sacrorum Miniſtri deprehenderent *inſigne* hoc *Sacerdotum* ac *Levitarum* non tantum ſibi honori eſſe, verum etiam auctoritati & commodis ſuis promovendis aptiſſimum; inceperunt hunc titulum ſibi cupidius vindicare, & præter ſcopum Scriptorum ſacrorum in eo immanes fundare hypotheſes, quæ totum Cultum Sacrum tandem plane corruperunt: de quo alibi *m* plura ſcribere memini. Confer nunc cum his, quæ hic tradidi, explicata à me

Oblatio ipſa fit in *baptiſmo.*

Oblatio Gentium hic comparatur *Ferto.*

Sacrificii *Ferti* ſive Minchæ proprietates, collatæ cum *oblatione* Gentium.

Eſt Sacrum incruentum.

Attributa *ſimilæ*, Deo oblatæ, figurant ſtatum animi Deo offerendi.

Farina ſubacta *oleo* quid myſtice ſignificet?

Reſpectus *thuris* in hoc ſacrificio.

Et *Sali.*

Vas purum, in quo ſacrum hoc adferendum, quid valeat ſenſu ſpirituali?

Status hominis Chriſtiani.

Privilegia Gentium adductarum, ℣. 21. *Aliqui* ex Gentibus aſſumerentur Sacerdotes, &c.

Summa ſententiæ.

Non videtur hic intelligi *Sacerdotium ſpirituale*, omnibus credentibus commune.

Sacerdotes & *Levitæ* hic cadunt ſub generalem reſpectum.

Quo ſenſu Miniſtri Evangelii hic veniant ut *Sacerdotes?*

Sacerdotium hoc non pugnat cum communi Sacerdotio omnium Credentium.

Abuſus hujus tituli inter Chriſtianos.

a Rom. XII. 1. *b* Act. XV. 9. *c* 1 Cor. V. 8. *d* Lev. II. 2. *e* 1 Pet. IV. 16. confer Act. XXVI. 28. *f* Georgius Hickeſius, &c. *g* Cl. Chriſtoph. Matth. Pfaffius, *Diſſert.* de *Oblat. Euchariſtica*, §. XII. *h* 1 Cor. IX. 13. *i* Rom. XV. 16. *k* Act. XIII. 1. 2. *l* Cap. LXII. 6. *m* *Proleg.* de *Synag. Vet.* Cap. II. ſeqq.

in hoc Libro ad Sacerdotium *Proselytorum* & *Eunuchorum* Cap. LVI. 4. 5. 7. & analogum Cap. LXI. 5. Hos vero Sacerdotes & Levitas ubi Deus *assumpturus* esse dicitur, sequentia significantur. α. Deum cura suæ providentiæ erga Ecclesiam, tum excitaturum, instructurum, aptaturum esse aliquos ex Gentibus, qui se ad usum & ministerium Ecclesiæ applicarent; tum curaturum, ut sive per extraordinaria media, veluti per Apostolos aut eorum delegatos, ex gr. Titum, Timotheum, & his similes; sive per ordinaria, veluti *electionem* (χειροτονίαν) ab Ecclesia faciendam & ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν *impositionem manuum* faciendam à Presbyteris, Ecclesiis regendis pafcendisque præficerentur. Si Ecclesia ex Gentibus colligenda propagandaque esset: id plane erat necessarium, cum Apostoli, Evangelistæ, & horum συνεργοὶ ex Judæis originariis ad id non sufficerent. Propheta supra, oratione ad Hierosolymam [a]: *Peregrini ædificabunt muros tuos.* β. *Officium* Ministerii Verbi sub Oeconomia Nova esse καλὸν ἔργον *bonum opus* [b]; beneficium spectabile Divinæ gratiæ; Functionem sanctam, quæ nemini jure obtingit nisi *vocato*; sive ἀμέσως à Deo; sive μέσως per *fratres*. Apostolus [c]: *Quomodo prædicabunt, nisi* MISSI FUERINT. confer Heb. v. 4. Est in hoc beneficio ἀφορισμὸς *separatio* in hunc usum & ἐκλογὴ Θεῦ *electio Dei*, qua quem ordinat in Domo sua, ut sit *vas honestum* [d]. Est peculiare Dei *Donum*, secundum Apostolum [e]: *Deus* DEDIT *quosdam Apostolos, &c.* γ. Beneficium, cujus hoc in loco mentio fit, pendere à Divina θέσει POSITIONE & placito & dispensari citra rationes Legis Ritualis Mosaicæ sub Oeconomia Vetere. Id plane latet in potestate phrasios. Sub Oeconomia Vetere secundum stabilem & æternam Dei constitutionem nemini licebat se applicare ad aram nisi Aaronidæ: sed hoc tempore, abolita Oeconomia Vetere, (*mutato enim Sacerdotio, necessario quoque Legis mutatio fit* [f]:) Deus quos vellet, ex ipsis quoque Gentibus, ad functionem Sacrorum *eligeret*. *Assumptio* hic est *electio*, ut Jer. III. 14. *Et* לקחתי ASSUMAM *vos unum ex Urbe, & duos ex familia.* Ps. LXXVIII. 70. de Davide: *Et elegit Davidem servum suum,* ויקחהו *&* ASSUMPSIT *eum à caulis ovium.* δ. Accensetur reliquis beneficiis gratiæ tanquam quid *eximium* & supernumerarium, quod videri poterat relinqui posse Judæis *originariis*, quorum prior pars esset in benedictione Abrahami. Id latet in verbis, וגם *Et* ETIAM *ex iis sumam, &c.* Non erunt tantum *sacrificia* à Judæis originariis oblata; sed ex iis quoque *sumam* Evangelii Ministros, *oblaturos* alios.

Assumptio horum *Sacerdotum & Levitarum* spiritualium, quid significet?

Electio Ministrorum Verbi fit cura Divinæ Providentiæ.

Officium Ministri Verbi est honestissimum.

Dispensationis & *Positionis* Dei liberæ, cum Sacerdotium olim pertineret ad Aaronidas.

Notio *assumere*. Ejus vis h. l.

Judæi, recentiores utique, ex hypothesi sua non satisfaciunt huic Verborum emphasi. Censent, Prophetam hic agere de Gentibus, quæ Judæos inter se tempore apparitionis Messiæ sui *residuos* honorifice ducerent Hierosolymam; dicere autem Deum, se *ex iis fratribus* Judæorum, ex ipsis hisce ὁμοφύλοις colligendis ex Gentibus, quosdam sumpturum esse in *Sacerdotes* & *Levitas*, nempe non alios, ac *Sacerdotali* genere aut *Levitica* tribu oriundos. Unde vero, perditis dudum Libris Genealogicis, hæ origines innotescent? Ajunt, Spiritum Sanctum id præter ordinem docturum esse. Si quæras, qua itaque in re constiturum sit præsens beneficium, si Deus Sacerdotes & Levitas, quibus secundum Legem hoc beneficium debetur, in *Sacerdotes & Levitas* recipiat in Templo tempore Messiæ instaurando? Reponunt; Deum videri hosce Sacerdotes & Levitas, qui polluti inter Gentes latuerint, quorumque aliqui *vi* coacti atque oppressi fidem mutarint, spernere ac reprobare potuisse: sed ea tamen fore clementia ac gratia, ut ex ipsis illis adductis ex Gentibus qui demonstrati fuerint Aarone vel Levi oriundi, illos pristino loco & domus nataliumque suorum privilegio restituat. Belle ficta omnia, ut à Kimchio & Abarbenele; nixa falso fundamento. Agitur de *Gentibus*, ut supra demonstravi. Reliqua plane imaginaria sunt. Josephus Kimchius, Davidis Pater, cum videret de *Gentibus* agi, verba in hunc sensum flexit; Deum ex iis *Gentibus*, quæ *adducerent* Judæos, aliquos assumpturum *in Sacerdotes & in Levitas*, h. e. לעבוד *in usum Sacerdotum & Levitarum*; ut sint Lapicidæ, Lignicidæ, aquatores, & vilissima quæque ministeria, olim Gibeonitis (Canaanæis) commissa, honoratissimi ex Gentibus in Templo obeant. Zachariam enim scribere [g], *Nullum amplius fore Canaanæum*, sive *Gibeonitam*, *in Domo Dei*. Ergo *honoratissimos* & *nobilissimos* Gentium ad id admotum iri. Vide quam *alte* spes Gentis se efferat; & simul quantum stultitiæ & vanitatis huic arrogantiæ misceatur.

Judæorum exceptiones in defendenda hypothesi.

Josephi Kimchii effugium.

PARS EXTREMA hujus *Sectionis*, complexa ipsius hujus *Sectionis* & totius hujus Libri Prophetici EPILOGUM; explicans eventum verorum Dei *Cultorum*, & *Hypocritarum*, defectorum à Fœdere, per totum tempus Oeconomiæ Novæ.

α. Sors *piorum & verorum Dei Cultorum*, terminanda in optato Ecclesiæ Statu.

Proponitur *generatim*.

Pars altera hujus *Sectionis*, complexa Ejus, & totius Libri *Epilogum*.

Proponit *Piorum & Impiorum Sortem*.

Sors *Cultorum Dei*.

Generatim proposita, ℣. 22.

℣. 22. QUIA *sicut* COELI *illi* NOVI *&* TERRA ILLA NOVA, *quæ Ego facere instituo, coram facie mea consistunt, ait Jehova:* SIC STABIT *semen vestrum & nomen vestrum.*] Ex inscriptione postremæ hujus partis, sive *Epilogi* hujus Libri, meam de ejus argumento intelligis sententiam. Cohæret oratio tum cum peroopa superiore; tum cum argumento proximarum duarum *Sectionum*; tum denique cum summa totius hujus Libri secundum præcipuum ejus scopum. Quem enim *scopum* hujus Libri & totius Verbi Prophetici hoc potiorem feceris, quam ut demonstret Eventum *Veræ Ecclesiæ* & *Adversariorum* ejus, in cursu Sæculorum vanitatis, & in ipsa æternitate? Licet itaque voci λογισμῷ כי QUIA hic amplissimam aptare significationem. Promissum superius Ecclesiæ ex Gentibus *vocandæ* & per Ministros à Deo ei ex Gentibus ipsis procurandos sustinendæ, hic amplificatur promisso *stabilitatis* & *durabilitatis* hujus beneficii insignis Divinæ gratiæ: *durabilitas* autem illa illustratur & firmatur ex comparatione cum *re alia*, de cujus stabilitate dubitari non poterat; cujusque stabilitas hujus beneficii durationem sustinebat. Promissum ipsum fert, *Semen & Nomen vestrum stabunt.* Oratio hic dirigitur ad eandem Ecclesiam Credentium in Christum quam Propheta appellaverat in omnibus Pericopis solatoriis hujus *Sectionis*, & proxime ℣. 20. *Et adducent fratres* VESTROS *ex omnibus Gentibus.* Est Ecclesia Apostolica credentium in Christum Jesum, donatione Spiritus S. perfusorum, Hierosolymis collecta ex Judæis, ejusque cognatæ & fororiæ per *totam Judæam, & Galilæam, & Samariam* [h]; tum quoque ἐν ταῖς διασπορᾶις, ubi electorum Judæorum per Apostolos facta est aggregatio. *Semen* ex hisce Ecclesiis nasciturum *spirituale*, sunt propagines ejus, Verbo Evangelii & gratia Spiritus S. productæ, & ex sinu Ecclesiæ prognatæ, ejusdem confessionis participes, inter Judæos & Gentes; de quibus sæpe sub eodem hoc nomine meminimus [i]. Idem hic significatur per *Nomen*. Sunt *posteri* spirituales, à Progenitoribus appellati, ut *filii* à Parentibus suis: de quo late egi ad Cap. LVI. 5. Poëta sacer [k]: NOMEN *ipsorum* (impiorum) *deleviſti à sæculo in sempiternum.* Ipsos cum filiis & posteris qui nomen ipsorum gererent. confer hujus Libri Cap. XLVIII. 19. Instar habe in nominibus, *Populus Christianus: Ecclesia Apostolica: Hierosolyma Nova*; de quo Cap. LXII. 2. Semper erunt in terris qui ab *eodem* affecti *Spiritu* profiteantur, se eam tenere fidem quam Ecclesia Apostolica Hierosolymitana; ex illa Ecclesia natos; illius Ecclesiæ cives censeri velle; doctrinæ Christi Jesu & Apostolorum ejus adhærere; ejusque doctrinæ veritatem puritatemque sanguine suo signare, vita sua fortunis-

Cohærentia orationis.

Summa sententiæ, hic propositæ.

Oratio hic vertitur ad *Corpus* primorum credentium in Christum.

Semen hujus Ecclesiæ & *Nomen* quale?

Emphasis vocis *stare* h. e.

Phrasis illustrata, & Res ipsa.

---

a Cap. LX. 10. *b* 1 Tim. III. 1. *c* Rom. X. 15. *d* 2 Tim. II. 20. *e* Ephes. IV. 11. *f* Heb. VII. 12. *g* Cap. XIV. 21. *h* Act. IX. 32. *i* Cap. LIV. 3. LXI. 9. LXV. 23. *k* Ps. IX. 6.

tuniſque ſuis omnibus redimere paratos eſſe. Pertinet illuc phraſis prophetiæ Apocalypticæ *a*: *Reliqui de* SEMINE EJUS (*Mulieris*, Eccleſiæ Apoſtolicæ,) *qui firmiter tenent teſtimonium Jeſu Chriſti.* videlicet, Doctrinam ejus. ea emphaſis latet in voce יעמד STABIT. Reſpicitur *firmitas & conſtantia* fidei hujus Seminis ſpiritualis, per omnes Mundi ætates propagandi; nunquam deſituri, defecturi. Apoſtolus *b*: Στήκετε ἐν τῇ πίστει, ἀνδρίζεσθε, κραταιῶσθε· STATE *in fide, viriliter agite, eſtote fortes.* ſupra dixerat *c*, Ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι. Sed hic loci vox ſpeciatim deſignat durabilitatem & perſiſtentiam *ſeminis* primæ Eccleſiæ ab Apoſtolis Chriſti Jeſu collectæ uſque ad ſæculorum conſummationem; quod promiſſum explicitum dedi ad Cap. LIX. 21. Poëta ſacer directe in noſtrum ſcopum: *Coram ſole* ינון שמו *propagabitur nomen ejus*, (Meſſiæ,) per continuam filiorum ſucceſſionem *d*. *Coram ſole*, valet; quandiu Sol & Luna vices ſuas in cœli circulis obibunt, ut ỳſ. 5.

Perſiſtentia Eccleſiæ comparatur cum durabilitate Oeconomiæ Novæ.

Illuſtratur hæc perpetuitas ſeminis Apoſtolici ſpiritualis ex perſiſtentia *Cœlorum Novorum*, & *terræ Novæ*; quæ Deus ſe *creaturum* dixerat Cap. LXV. 17. unde identitas argumenti *hujus* & *ſuperioris* Sectionis liquet: quos *cœlos Novos*, quamque *terram Novam* ut *coram ſe ſtatura* ſint, ait; ſic pariter *ſemen* ſpirituale Apoſtolicum. *Cœli Novi* & *terra Nova* ſignificant *Oeconomiam* Eccleſiæ ſpiritualem, μὴ σαλευομένην *non concutiendam*, quæ ſubſtituenda eſſet Oeconomiæ Veteri, conſtanti rebus *inſtabilibus*, utpote *factitiis*, qualis erat Sinaïtica, Legalis, & Ritualis, ut Apoſtolicus ad Hebræos; qui ibidem demonſtrat ex Hag. II. 7. eam fore *æternam*, durabilem, nunquam concutiendam aut cum meliore commutandam, quippe *ſpiritualem:* ſpiritualia autem *æterna* ſunt. Quæ proinde Oeconomia Nova ſpiritualis, perfecta, ſtatui Eccleſiæ & Regni Dei congruens, non tantum ex decreto Dei, verum etiam tanquam ex natura ſua *ſtabilitatem ſuam* conſequitur, quippe cum *melior* & ea *perfectior* concipi nequeat. eſt enim quà ſpiritualis quà cœleſtis. Equidem fieret, ut homines, Nomen Chriſti Jeſu uſurpantes, cum tempore in Eccleſiam introducerent novum σχῆμα Religionis, quod ſpeciem præberet *cœlorum* & *terræ*, σχήματι Oeconomico antiqui Fœderis ſimilium: ſed eſſet illud *opus* & *ſtructura* ingenii, moliminis, ac operæ humanæ; non ſane *opus Dei*; atque adeo *abolendum*, ac deſtruendum; ut *Cœli Novi* ac *Terra Nova*, à *Deo creata*, rurſus apparerent in vera ſua ſpecie & pulchritudine, *ſubſtitura* uſque ad finem Sæculorum, & *conſummanda* in æternitate: qua perfectione Status Vates hos *Cœlos novos* & *Terram novam* exhibuerat in loco modo allegato Cap. LXV. 17. coll. cum Apoc. XXII. 1. Cum hac *ſtabilitate* Vates comparat *ſtabilitatem* Seminis Apoſtolici, quia alterum altero involvitur. Si enim *perſtitura* ſit Oeconomia Nova, ſpiritualis, cœleſtis, à Deo ipſo condita, præcipuum & magnificum ejus opus, & hoc ipſo quoque non abolendum & æternum: neceſſum erat in terris eſſe *Eccleſiam veram*, fidei ac diſciplinæ Apoſtolicæ *tenacem*, quippe quæ duo ſe mutuo ſuſtinent. Tolle mihi de Mundo Eccleſiam veram, Apoſtolicæ propaginem: ſimul tibi perit imago *Cœlorum* ac *Terræ novorum*. Sed cum Deus *Oeconomiam Novam* perſiſtere ac durare velit, ut opus magnificum ac ſibi glorioſum: conſequens eſt, ex voluntate ejus conſervandas eſſe in terris Eccleſias puras, Apoſtolicæ fidei ac diſciplinæ, à Miniſtris Evangelii, Paſtoribus, Doctoribus, tanquam *Sacerdotibus* ac *Levitis*, adminiſtrandas procurandaſque; atque adeo *Sacerdotes* illos ac *Levitas* in hunc uſum ex ipſis *ſumi* Gentibus, ad communionem Eccleſiæ adducendis. Hoc eſt dictum Jehovæ, æternis ejus decretis ſubnixum.

Ejus ſtabilitas, & ſtabilitatis fundamenta.

Σχῆμα Oeconomiæ Novæ obſcuratum eſt, & corruptum cum tempore: ſed ſuo loco reſtitutum.

Comparatio inter duo hæc Subjecta demonſtratur.

Promiſſi ſive prædicti hujus implementum.

Vidit huc uſque Eccleſia, & hodienum videt, implementum hujus præclari promiſſi, in tabulis antiqui & novi Inſtrumenti multis in locis hic non repetendis conſignati, cum tamen magna eſſet metuendi ratio, ne Eccleſia licet notabilibus incrementis auctior facta, tandem tamen ab adverſariis fortioribus & omni poteſtate Satanæ armatis opprimeretur; aut per falſas doctrinas corrumperetur; aut qui in tenebris triſtiſſimorum ac nubiloſorum Eccleſiæ temporum ſupererant confeſſores veritatis, tenaces Apoſtolicæ fidei, per varia loca ſparſi, aut in Vallibus ac Deſertis Deo ſervientes, ſuccumberent tyrannidi Antichriſti. Sed cura ac providentia Dei hic viſa eſt admirabilis. Semen Apoſtolicum nunquam defecit in terris. Hiſtoria illud per omnia ſæcula ſuis in locis demonſtrat. Afflictis & tenebricoſis Eccleſiæ temporibus Deus RELIQUIS *de ſemine Mulieris* (Eccleſiæ Apoſtolicæ reliquiis quæ in Mundo ſupererant, Valdenſibus, Picardis, Bohæmis fratribus,) procuravit *Locum in Deſerto*, in quo, Beſtia ſæviente; nutrirentur *e*. Quin corruptiſſimo & tantum non deſperato Eccleſiæ Occidentalis ſtatu, ipſo volente & faciente, ex tenebris exorta eſt lux; & opera præſtantium Virorum, quos Deus conſilio ſuo in hunc uſum ſibi delegerat, Eccleſia fœde corrupta ſecundum ſpectabilem ſuam partem ad puritatem doctrinæ ac diſciplinæ Apoſtolicæ inſtaurata eſt; eſtque ſpes, Deum hoc opus ſuæ gratiæ ſuo tempore eſſe conſummaturum. Ut enim *cœlos* & *terram* non *uno*, ſed pluribus diebus *produxit*; ipſi quoque Oeconomiæ Veteri ad finem ſuum perducendæ ſua conſtituit tempora: ſic pariter Eccleſiam Novi Fœderis per periodos temporum varioſque eventus medios conſtituit perducere ad menſuram perfectionis, ei in hac vita decretam. Quo pertinet quod hic dicitur, *Quemadmodum Cœli novi & Terra nova*, אשר אני עשה *quæ Ego* FACIO. Ineſt hic ſingularis poteſtas in voce *facio*. Significat, Deum nondum abſolviſſe hoc ſuum opus; ſed in eo eſſe & verſari, ut jactis operis fundamentis, id ſenſim *perficiat* atque exornet. Chriſtus Dominus *f*: *Pater meus operatur uſque huc, & Ego operor.* Dein, *quos ego facio*; valet *quos Ego* PERFICIO. *Facere*, (עשה) ſtylo Linguæ, eſt *perficere*, *exornare*, ut ſæpe monui, & præſertim Cap. XLIII. 7. Quare cum Deus huc uſque extremam limam non adhibuerit ad hoc magnum & glorioſum opus ſuum: cum Eccleſia adhuc ſit in lucta, & variis partibus laboret; neque hactenus attigerit *Sabbathum* ſuum: ſpes eſt fore, ut operi huic ſuo apponat coronidem, & promiſſa ei data ἁπλῶς exhibeat.

Deus vetam Eccleſiam ſub N. T. ſemper in terris conſervavit.

Deus opus primæ Creationis ſenſim & per articulos temporum perducit ad perfectionem.

Vis vocis עשה *facere* h. l.

Speciatim.

Speciatim ỳſ. 23.

ỳſ. 23. *Et futurum eſt, ut à Novilunio in Novilunium, & à Sabbatho in Sabbathum, veniat omnis caro ſe incurvatum coram me, ait Jehova.*] Senſus ſimplex; conditorum perfectorumque *Cœlorum novorum* ac *Terræ novæ* conſequens fore, ut tandem omnes per Orbem homines, vera Religione agnita, ingente zelo *ſtatis temporibus* Deum publice colant ac venerabundi celebrent atque adorent, & quidem Ritu ſpirituali. Dubium eſt in phraſi Prophetæ, מדי חדש בחדשו ומדי שבת בשבתו quæ Hebraice κατὰ ῥῆμα ſonare videtur, *A Novilunio* (ſive *Menſe*,) *in Novilunio ſuo*, (ſive in Menſe ſuo,) *& à Sabbatho in Sabbatho ſuo.* Sic fere Coccejus, *Et fiet ex quo Novilunium erit, in Novilunio ſuo, & ex quo Sabbathum erit, in Sabbatho ſuo.* cui verſioni hunc alligat ſenſum; Tempus totum fore inſtar *Novilunii*, novæ lucis; & inſtar *Sabbathi:* ſi quæ autem hac ætate ſint ſtata tempora, quibus cœtus credentium ad cultum ſacrum celebrandum cöit: reſpicienda eſſe, ut *Novilunia* in *Novilunio*; *Sabbatha* in *Sabbatho*. Eſt cogitatio acuta, quæ materiam præbet jucundæ meditationis, animum paſcere & ædificare aptæ. Et dubitem tamen, an fuerit in mente Prophetæ ob rationem mox proferendam. Hieronymus exhibet: *Et erit menſis ex menſe, & Sabbathum ex Sabbatho.* Sic præiverant οἱ ὁ. Καὶ ἔσται μὴν ἐκ μηνὸς, καὶ σάββατον ἐκ σαββάτου. quæ interpretatus Vir Doctus ſic diſputat, ut perpetuitatem æquabilitatemque ſtatus gloriæ, vel Eccleſiæ in

Summa ſententiæ.

Dubium in phraſi; *A menſe in menſe ſuo*, vel *à Novilunio in Novilunio ſuo*, &c.

Cl. Int. meditatio.

Hieronymi verſio.

a Apoc. XII. 17. *b* 1 Cor. XVI. 13. *c* 1 Cor. XV. 58. *d* Pſ. LXXII. 17. *e* Apoc. XII. 14. *f* Joh. V. 17.

illo ſtatu perſtituræ, videat. Sed ut *verſio* non reſpondet Hebræis: ſic expoſitio ejus magis confuſa eſt quam liquida. Chaldæus: *Et erit tempore* INITII MENSIS *in Menſe*: h. e. tempore *Novilunii*, *per Novilunium*; (בזמן ריש ירח בירח) *& in tempore Sabbathi per Sabbathum.* Putem velle; à quo Luna nova *affulſerit* per *Novilunium totum*; *& à quo Sabbathum cœperit*, (phraſi Lucæ [a], ἀφ' ἧς τὸ σάββατον ἐπέφωσκε *Sabbathum illuceſcebat*, h. e. accenſis Ritu Judæo *Lampadibus*:) *per Sabbathum totum.* Sequutus eſt phraſin Hebræam, quæ mihi abſque longiore circuitu illuſtranda eſt. Primo itaque ſuppono, vocem חדש *Chodeſch* hic reddendam eſſe, non *menſem*, ſed Νεμηνίαν *Novilunium*; perinde ac שבת *Sabbathum*, non *ſeptimanam*, ſed *Sabbathum*, diem ſeptimum. Jeſaias enim hic loquitur de *comparitione coram Domino*, h. e. de *Cultu publico*, qui *Feſtis* diebus celebrari ſolebat. Addo, Si per חדש hic intellexiſſet *Menſem*: fruſtra additurum fuiſſe, *A ſeptimana in ſeptimanam.* Deinde, phraſin Hebræam, מדי חדש בחדשו ומדי שבת בשבתו *A Novilunio in Novilunio ſuo, & à Sabbatho in Sabbatho ſuo*: ſecundum genuinum ſenſum ſuum ſonare *ſingulis* ſive *continuis Noviluniis & Sabbathis.* Id, niſi fallor, omnes Linguæ periti largiuntur; ipſe etiam alibi [b] Cl. Coccejus: nec tamen eo eadem via tendunt. Kimchius phraſin exponit, *A Novilunio in Novilunium.* Verba ejus: כמו מדי חדש לחדש' ומלהז' די מורה על התמרת הדבר בלא הפיק *Veluti* Eſth. III. 7. *A menſe in menſem.* *Vocula autem* די *hic indicat rei continuitatem, quæ excludit intermiſſionem.* Unde Trem. & Piſcator, aliique illum ſequuti, *A Novilunio ad Novilunium alterum.* Probabilis eſſet interpretatio, ſi ſcripſiſſet Propheta, מדי חדש בחודש *A Novilunio ad Novilunium*: ſed ſcribitur, *ad Novilunium* ſive *in Novilunio* SUO. quod *pronomen* hic vacare docet Vatablus; ſed mallem aliquam ei dare ſignificationis poteſtatem. Cæteroquin Zacharias in prophetia non diſſoni argumenti eadem dictione utitur in hiſce verbis [c]: *Et futurum eſt, ut omnis reliquus ex omnibus Gentibus, quæ venerint Hieroſolymam, aſcendant* מדי שנה בשנה *ab anno ad annum* (ut vulgo vertitur, *quotannis*,) *ad adorandum Regem Jehovam Exercituum* Dominum, *& ad celebrandum Feſtum* Σκηνοπηγίας. Non dicitur, שנה בשנתו *Ab anno ad annum* SUUM. Sic pariter in hiſtoria Samuelis [d], מדי שנה בשנה *Ab anno ad annum*, quoto anno. Audiamus Aben-Ezram, cujus hic eſt animadverſu digna commentatio. והיה מדי קרוב מטעכם כל עת שיהיה החדש' וכמוה מדי עברו' וחדש בחדשו כמו דבר יום ביומו והטעם כל יום ויום בעתו [Et erit מדי *Senſus, omni tempore quo erit Novilunium, quemadmodum ſumitur vox* מדי *in loco* Cap. XXVIII. 19. מדי עברו *Omni tempore quo tranſiverint. Phraſis autem*, NOVILUNIUM IN NOVILUNIO SUO, *comparari debet cum ea*, Exod. V. 19. דבר יום ביומו *Opus cujuſque diei in die ſuo.* h. e. *Opus ſingulis diebus aſſignatum in tempore ſuo.* quæ mihi recte ſcripta videntur. Vocula די conſtructa cum מ, in voce מִדֵּי, in illis locis, quibus uſurpatur, notat non tantum *initium*, ſed & *continuitatem temporis* illius vel *actus*, qui in oratione exprimitur, ut ex inſpectis locis colliges. Duplicatio autem vocis cum *affixo relativo*, ſignificat *tempus* certum ac præciſum, ad certum aliquod opus determinatum. ut Dan. I. 5. *Et Rex conſtituit*, (definivit,) דבר יום ביומו *Rem diei in die ſuo*, quem cibum *quolibet* die ſumerent. Sic in Legibus Moſaicis [e]: *Holocauſtum* שבת בשבתו *Sabbathi in Sabbatho ſuo*: phraſis valet, quando præciſus & definitus Sabbathi dies advenerit. Differt itaque phraſis, שנה בשנה & יום ביום à phraſi, שנת בשנתו' יום ביומו. Putem quoque, in phraſi, יום ביום præfixam ב rectius verti per *cum*, (ſenſu *inclusivo*, qui convenit huic *præfixæ*) quam per *ad*. Si per *ad* vertatur, (quæ notatio adſtruitur à Grammaticis [f],) ſignificat rei, de qua agitur, *adjunctionem* ad eam *rem*, de qua agitur; non proprie *finem* aut *terminum*, ut ex exemplis hujus generis facile eſſet demonſtratu. Senſus itaque Prophetæ eſt, *Omnem carnem, Noviluniis & Sabbathis*, certis definitiſque diebus, *aſcenſuram eſſe ad adorandum coram Jehova.*

Et Chaldæi.

Vox חדש hic eſt vertenda per *Novilunium.*

Poteſtas phraſios, *A Novilunio in Novilunio ſuo*, &c.

Vis voculæ מדי.

Locus Zach. XIV. 16.

Analogia alia.

Vis voculæ מדי certius definitur.

Ut & *affixi* ו in duplicatione vocis *temporis.*

Inſpiciamus, expedito dubito, propius ipſam ſententiam. Reſtringit Propheta τὸ ἀναβαίνειν *aſcendere*, ad OMNEM CARNEM. ſc. non tantum ad *Judæos*, ſed & ad *Gentes*, Gentiumque Populos ac Nationes omnes, abſque ullo diſcrimine, χωρὶς διαιρέσεως. Sic Cap. XL. 4. *Et videbit* OMNIS CARO, (כל בשר) *os Jehovæ locutum eſſe.* Joël. II. 28. *Et futurum eſt poſt hæc, ut effundam Spiritum meum in* OMNEM CARNEM. Poëta ſacer [g]: *Ad te*, (Jehova) *veniet* OMNIS CARO. Eſt character temporis Meſſiæ, ſive Oeconomiæ Novæ; conſequens *Creationis Cœlorum novorum, & Terræ novæ*: qui character hic clariſſime expreſſus totam ſuperiorem periochen illuſtrat, firmatque hypotheſin, quam ibidem aſſeruimus, agi de *Vocatione Gentium*, ab Apoſtolis ortu Judæis, & inde à Miniſtris Evangelii de Gentibus ipſis, *colligendarum* in communionem Eccleſiæ. Zacharias eodem modo, in loco quem modo ſignabam [h]; *Reliquos ex* OMNIBUS GENTIBUS *aſcenſuros eſſe ad adorandum Regem Jehovam, &c.* Alibi [i]: *Et* ADORABUNT CORAM TE כל משפחות גוים OMNES FAMILIÆ GENTIUM. Eadem phraſis, quæ in hoc loco; in rem aptiſſima ſenſuſque ampliſſimi. Significat, agnitionem veri Dei in Filio, cum profundiſſima in eum majeſtatemque ejus reverentia, ejuſque reverentiæ ac venerationis teſtificatione & profeſſione in cultu publico & in omni exercitio Religionis. *Teſtificatio* autem *reverentiæ*, השתחוה προσκύνησις, propria Latinis voce *adoratio* dicta, edebatur inter Orientales, *procidendo in faciem ad pedes adorati*; ut undecunque & ex *Apocalypſi* [k] liquet. Eſt id hoc tempore tritæ notitiæ, & videri poſſunt illic loci adſcripta, & in hoc Libro, ad Cap. XXVII. 13. Non dicitur, *Quorſum omnis caro ad adorandum aſcenſura ſit.* Conatus eſt ἔλλειψιν orationis ſupplere Int. Alexandrinus, addendo, ἐν Ἱερουσαλὴμ *Hieroſolymæ*; quod merito notavit Hieronymus. Nec tamen ulla erat juſta ratio, quare Vir Doctus *Hieroſolymam* hic refugeret. Jeſaiam enim, licet myſtice intelligi velit, *Hieroſolymam* hic cogitaſſe, facile liquet ex *ſuperiore contextu*, ℣. 20. tum quoque ex ipſa phraſi, *aſcendendi* Hieroſolymam, receptiſſimi uſus; & ex analogo loco Zachariæ, modo adducto. Ipſe noſter Cap. XXVII. 13. de Electis voce *tubæ magnæ* colligendis, *Et adorabunt Jehovam in monte ſancto* HIEROSOLYMIS.

Aſcendere ad Deum colendum hic reſtringitur ad *omnem carnem.*

Quo ſenſu?

Eſt character temporis Meſſiæ.

Analogia ex Prophetis.

Adorandi notio quo ſenſu hic ſumatur?

Supponitur hic *locus* adorationis Hieroſolymæ.

Sed ſi id fuerit in mente Prophetæ, ut probabile habeo: eò certius ſtatuamus, Prophetam hic κατὰ γράμμα intelligi nolle; ſed ſic temperaſſe orationem, ut omnes ſentirent, eſſe quid majus & ſpirituale, in quod intendat. Quomodo enim OMNIS CARO *aſcendere* queat *Hieroſolymam*, ſingulis *Noviluniis* & *Sabbathis*? Utique cum propter divortium locorum id plane fieri nequiret: tum præterea, Judæi ipſi mares majorennes non obligabantur *Lege Moſaica* [l] ad comparendum *coram Jehova*, niſi *ter* quotannis; & ipſa quoque hæc Lex, ſi Iſraëlitæ longius abeſſent: admittebat aliquam exceptionem. Imo vero *Neomeniæ* inter dies *feriatos* cenſebantur eſſe hujus generis leviſſimæ & minus rigidæ obſervantiæ, quippe Lege [m] non niſi oblique præceptæ, licet vere tamen *feſtæ* ſive *feriatæ*; de quo videbis, ſi placet, dicta ad Cap. I. 13. Dixeris, non id velle Prophetam; omnem carnem *diebus Sabbathicis & Interciſis*, ut appellari poſſent ſtylo Romano [n], *Noviluniorum*, compariturum eſſe *coram Jehova*; ſed de *Gentibus*, ſive de *omni carne* modo hos, modo illos: tum quoque per *Sabbatha* hic intelligi poſſe non tantum *hebdomadalia*, ſed quoque *Sabbatha Feſtorum*: Feſtorum enim ſeptiduanorum *primum* & *ulti-*

Oratio myſtica eſt.

Judæi non obligabantur ad Novilunia Hieroſolymis celebranda.

Diverſus ſenſus excutitur.

---

a Luc. XXIII. 54. *b* *Lex*, ad v. שברה. *c* Cap. XIV. 16. *d* I Sam. VII. 16. *e* Num. XXVIII. 10. *f* Glaſſ. *Gram. S.* Lib. IV. Tract. I. Obſ. V. *g* Pſ. LXV. 3. *h* Cap. XIV. 16. *i* Pſ. XXII. 28. *k* Apoc. IV. 10. *l* Exod. XXIII. 17. XVI. 16. *m* Num. XXVIII. 11. *n* Vide Macrob. *Saturn.* Lib. I. Cap. XVI.

Genuinus intellectus orationis.

& *ultimum* conſtat fuiſſe *Sabbathicos*. Reſpondeo, neutrum abſurde cogitari; ſed quod ad prius: non videri id fuiſſe in mente Prophetæ. Oratio ejus quod ad phraſin plane analoga eſt verbis Zachariæ [a]; quibus ait, *omnes reliquos ex omnibus Gentibus* מדי שנה בשנה QUOTANNIS *aſcenſuros eſſe ad adorandum Jehovam, & ad celebrandum Feſtum Tabernaculorum.* Senſus utique eſt, eos *aſcenſuros* eſſe *conjunctè*; non *diviſè*. Quod ad poſterius: Si ſub nomine *Sabbathi* hic non tantum *hebdomadalia*, verum etiam *omnia Sabbatha* intelligantur; quod in medio relinquo: ſufficit mihi, *hebdomadalia* non excludi. cum enim omnium ſanctiſſima eſſent, primum eorum hic oportet eſſe reſpectum. Ergo cum Propheta hæc ſcriberet: ſuppoſuit, eam *Hieroſolymam*, illudque Templum, quæ ipſe hic in oculis habuit, ubique fore per Orbem terrarum inter Gentes, ut ubique Deus *adiri*, & *adorari* poſſet: plane ut Zacharias, dum ſolius *Feſti Tabernaculorum* ultimo tempore à Gentibus celebrandi meminit, cæterorum Feſtorum nulla habita ratione; ſe *myſtice* loqui, innuit. Ergo ſubeſt orationi Prophetæ hic ſenſus; *α.* Deum ſub *Oeconomia Nova* poſt formatos *Cœlos Novos* & *Terram Novam* habiturum *Eccleſiam* inter Gentes; quæ conſtitutura ſit *Hieroſolymam ſpiritualem*. *β.* Et quidem hoc *opere* Novorum Cælorum & Terræ Novæ *perfecto*, habiturum Eccleſiam per totum Orbem, quæ complectatur *omnem carnem*. *γ.* Eccleſiis illis, per Orbem diffuſis, ſua fore *Oratoria* & *Domus conventus*, in quibus Sacra Religionis publice, ſed ſpirituali modo, celebrentur. *δ. Stata* quoque illius Religionis celebrandæ *tempora*. *ε. Gentes* quaſque credentium ſuis locis magno zelo, non *privè* tantum, ſed & *publicè* certis ſtatutiſque temporibus, Religionem ſuam *continenter* profeſſuras & celebraturas eſſe. Ut autem de *temporibus* & *forma* colendæ Religionis loquens, lecturo ſubjiceret cogitationem de *Cultu ſpirituali*: uſus eſt vocibus *Sabbathi* & *Novilunii*. *Sabbathi* quidem, ut ſignificaret, Religionem Gentium conſtituram eſſe profeſſione publica *Quietis* per Meſſiam adductæ; h. e. magni beneficii *Redemptionis* & *Sanctificationis* per tot ſæcula exſpectati, per ipſum populo electo procurati; de quo late egi ad Cap. LVI. 2. 4. 6. LVIII. 13. & *Novæ Lucis*, Mundo in craſſis tenebris deſidenti per ipſum datæ; quod ipſum per *Novilunium* olim figuratum eſt. Lux, & quidem Nova Lux, oritura Gentibus, eſt κριτήριον Meſſiæ, ejuſque temporis; ut ſupra variis locis expoſite docui. confer Cap. XLII. 6. XLIX. 6. LX. 1. Si ſtatuas, *Diem Dominicam* hic præcipue reſpici, exemplo Chriſti Jeſu & inſtituto Apoſtolico Religioni Chriſtianæ conſecratam, quippe quæ *dies* figuram exhibet *quietis* à *peccato* & *Lege*, & *Novæ Lucis* Mundo exortæ in Chriſto Jeſu *reſuſcitato ex mortuis*: nihil meo judicio erraveris: nec tamen verba Prophetæ nos cogunt eorum ſenſum huic diei definite adſtringere. Quotiens Chriſtiani in unum cöeunt ad ſacra ſua celebranda & Religionem ſuam profitendam: *Sabbathum* & *Novilunium* agunt. Ipſa enim Religionis illorum profeſſio *Sabbathum* & *Novilunium* infert. Religionem ſuam profitendo, *Sabbathum* & *Novilunium*, ſit fas dicere, figunt illi & faciunt; ex eo ſenſu quem jam declaravi. Addo, latere ſub his verbis ſublimioris ſpeculationis thema; Regni Meſſiæ eam eſſe rationem, ut Deus *Lucem* in Chriſto Jeſu datam ſæpe *recentet*. Confer jam cum ſenſu pericopæ expoſito luculentam Prophetiam, Tſeph. III. 9. 10. De implemento prophetiæ nihil hic quod moneam habeo, cum res ſit in propatulo; niſi quod dies à ſanctis exſpectatus perfectius adhuc implementum demonſtraturus ſit.

Sabbatha hic intelligi videntur *hebdomadalia*.

Hypotheſis horum verborum.

Quo diſtinctius explicatur.

Cur *Sabbathi* & *Novilunii* hic mentio?

An diei *Dominicæ* hic ſit peculiaris reſpectus?

β. Sors partis Reprobæ, *incredulorum* & *defectorum* de Populo Dei.

Sors Partis Reprobæ, ỳſ. 24.

ỳſ. 24. *Et egredientur, ac videbunt* CADAVERA HOMINUM, *qui à* ME DEFECERUNT, *quia* VERMIS ILLORUM NON MORIETUR, ET IGNIS ILLORUM NON EXTINGUETUR; *& erunt execrationi omni carni.*] Habes exitum omnium *defectorum à fœdere*, Incredulorum Judæorum & Chriſtianorum Apoſtatarum, iis ſimilium, in incredulitate aut ἀποστασίᾳ obſtinatorum, & induratorum in morte *ſpirituali*; inceptura in hiſce terris, & continuanda in æternitatem. Excluderentur *civitate Populi Dei*, & à Deo deſerti ac traditi *morti ſpirituali*, in hiſce terris cum *mala conſcientia* luctati ejuſque ſentientes morſus, circumferrent notas *Divinæ iræ* ſibi incumbentis ad damnationem, opprobrium, ac perditionem æternam, quam Deus contemptoribus Evangelii gratiæque ſuæ & pertinacibus peccatoribus ut ſummum ſupplicium pro juſtitiæ ſuæ ſeveritate deſtinavit. Veræ interpretationi hoc rurſus ſubſternendum eſt fundamentum; agi hic de ſupplicio *peccatorum*, qui fuerant in communione Eccleſiæ externæ ſic dictæ; Divinam Vocationem ſpreverant; fratreſque ſuos excommunicarant, & oppreſſerant; non ſane de ſupplicio *Gentium*. Liquet id clariſſime ex toto prophetiæ argumento, & rurſus à me demonſtratum eſt ad ỳſ. 17. Sed character eorum etiam his verbis conſignatur; quibus vocantur האנשים הפושעים בי *Homines qui* DEFECTIONE ADVERSUS ME PECCARUNT. Equidem פשע ἀνομία, *tranſgreſſio*, ſubinde latius pro delictis quibuſcunque ſumitur; ſed notio פשע *deficere* conſtructa cum ב, ut hoc loco; & פושעים *Defectores*, cum reſpectu ad *Deum*; paſſim deſignat Delictum enormis tranſgreſſionis Legis, quod committitur à *Populo* aut *fœderatis Dei*. confer ex hoc Libro Cap. I. 28. LIX. 13. Kimchius, hujus quoque ſententiæ mentionem faciens, ab ea tamen diſcedit, & juxta hypotheſin aſſumptam per *cadavera hominum qui à Deo defecerint* hic intelligit *cadavera hoſtium*, *Gogi & Magogi*, apud Hieroſolymam & in Canaanæa proſternendorum; deinceps ſe miſere vexans & torquens, quomodo ſecundum dictum Prophetæ aſcenſuri Hieroſolymam quot Neomeniis & Sabbathis hæc *cadavera* viſuri ſint, cum Ezechiel ea ſpatio *ſeptem menſium* ſepulturæ mandanda dicat [b]; & quomodo *vermis* illorum non *mori*, & *ignis* non *extingui* dicatur: quæ dubia infeliciter ſolvit; quæque ego ut vaga, fabuloſa, ac minime cohærentia, digna non cenſeo, quæ referantur. Stylus Prophetæ hic plane eſt myſticus; cujus dictionis profunditatem ſi ex tot aliis locis hujus Libri intelligere non potuerimus: ipſe hic ultimus Libri *verſiculus* de ea teſtari poterit. eſt enim illius facilis intelligentia. Perſequar ſingula, ne tanquam ad finem feſtinus quicquam neglexiſſe videar.

Summâ ſententiæ: *Infelix exitus* Incredulorum & Hypocritarum.

Subjectum *Supplicii* hic deſcripti faciunt Homines qui *fuerant* in Eccleſiæ communione.

Vis vocis פשע.

Reſpectum habet ad defectionem à Fœdere.

Kimchii interpretatio.

Verba Vatis relegunter: *Et egredientur.*

Reſpectus verborum.

Illuſtrantur ex *Statu* Eccleſiæ Chriſtianæ cum reſpectu ad *incredulos* aut *apoſtatas*.

Exemplum ſimile ederetur ſub N. T. in oſoribus veritatis Evangelicæ.

Verba Prophetæ: ET EGREDIENTUR.] Sc. Illi qui ad *Deum adorandum venerint Hieroſolymam*. h. e. ſe Eccleſiæ communioni junxerint. Significatur illa ætate, de qua hoc Vaticinium agit, fore aliquod ἔσω *intus*, & aliquod ἔξω *extus*, extra Hieroſolymam, ſive Eccleſiam. Quo tempore Deus Gentes vocavit, repudiata majore parte Populi Judæi increduli & in incredulitate pertinaciter perſiſtentis cum blaſphemia Spiritus S.: pars illa major & deterior *miſſa* eſt & *relegata* extra Domum Dei cum Hagare [c]; & *excluſa* communione Sanctorum erit in tenebris exterioribus. Sic Dominus Jeſus, hanc ipſam Pericopam noſtram interpretatus, poſtquam dixiſſet [d], *Gentes venturas ab Oriente & Occidente, & accubituras cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo in Regno cœlorum*; ſubdit; Οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· *Filii autem Regni* EJICIENTUR *in tenebras exteriores.* Idem accideret ſimili generi hominum in ſuperſtitione & idololatria induratorum, qui ſpreta luce veritatis ad conſcientiam demonſtratæ tempore Eccleſiæ in melius inſtauratæ, non paterentur ſe de errore convinci, ſive per claram Scripturæ lucem; ſive per luculenta phænomena Judiciorum Divinorum ad vindicias melioris cauſſæ adverſariis veritatis inflictorum. Plane enim ſupponendum, ipſo illo tempore quo Eccleſia in fine temporum gaudebit perfecto implemento promiſſorum ſibi

a Cap. XIV. 16. b Ezech. XXXIX. 12. c Gen. XXI. 10. d Matth. VIII. 12.

Excludendis communione Ecclesiæ in fine temporum.

dorum, florente Nova Hierosolyma, *fore* aliquos ἔξω EXTRA, ut exerte Joannes *a*: scilicet ÆGYPTIOS, qui cum cæteris Gentibus non *ascenderent Hierosolymam ad Jehovam adorandum*, secundum Zachariam *b*: PALUDES, quarum *aquæ* non sanarentur; secundum Ezechielem *c*: reliquos futuros in exemplum Divini judicii, cum præjudicio æternæ damnationis: HOMINEM non *indutum* veste nuptiali, (intellige cœtum hominum;) ejiciendum extra Aulam, *in tenebras exteriores*. *d*

Et videbunt CADAVERA HOMINUM.

Et videbunt CADAVERA HOMINUM *qui à me defecerunt.*] Cl. Coccejus: *Cadavera autem dicuntur homines manentes in morte spirituali, occisi Verbo Dei. h. e. quos esse mortuos demonstratione Verbi Dei comprobatum est, & de quorum regno non restabunt nisi rudera & reliquiæ.* Sane dictum & perite. *Cadavera defectorum* hic loci sunt *homines*, excluſi communione sanctorum, in *errore* & *impœnitentia* indurati; omni vita spirituali cassi; omni influxu Divinæ gratiæ privati; notati signis Divinæ iræ & maledictionis sibi incumbentis; *leprosi* spirituales; *arbores emarcidæ, infrugiferæ, bis mortuæ, eradicatæ e*; qui sunt sub *potestate mortis secundæ f*; quibus *caligo tenebrarum in æternum servata est g*; de quibus est judicium Domini *h*: *Ne amplius ex te fructus nascitor in æternum.* Propheta illos describat sub emblemate *Leprosorum* spiritualium, Cap. LXIII. 17. LXIV. 5. Intelligis, me primo sensu loqui de *Judæis*, in errore & incredulitate obstinate durantibus; gementibus sub tristissimo Dei judicio, æternæ damnationis præjudicio; cum Caino vagabundis per terram; à Divino favore & gratia destitutis; & ubique circumferentibus stigmata iræ ejus: de qua re ad illa loca explicate scripsi. Analogi hisce sunt qui post veritatem puri Evangelii clarissime demonstratam vindicatamque, spreto amore veritatis, persistunt in errore, idololatria, superstitione; quique superstites judiciis, quibus Deus Ecclesiam in fine temporum vindicabit, cum nolint *introire per portas in Civitatem*, ea sunt excludendi; & *indurati* magis *indurescent i*. *Videre* autem illa *cadavera* est videre cum horrore, & metu, ut tremenda exempla Divinæ severitatis; simul cum indignatione, contemptu, & spirituali delectatione, non sane sumpta ex *interitu* hostium Dei, sed ex vindiciis justæ causæ, quatenus illustrant Divinam gloriam. Poëta sacer in argumento plane simili *k*: *Et videbunt justi, &* TIMEBUNT; *&* SUPER IPSUM *jocabuntur: Ecce, hic est ille Vir, &c.*

Et videbunt cadavera hominum, &c.

Quid hic intelligendum per *cadavera*? Cocceji verba.

Planius explicatur.

Judæorum primus hic est respectus.

Generatim omnes significantur Veritatis Evangelicæ adversarii.

Quid sit, *videre illa cadavera*?

Siquidem VERMIS ILLORUM *non morietur, &* IGNIS *illorum non extinguetur.*] Sensus est, incredulos, Apostatas, Hypocritas, Peccatores, qui Spiritum Sanctum dolore affecerant, excluſos communione Dei & Sanctorum, qui in superioribus descripti erant, superfuturos in statu summæ *miseriæ* sive *corruptionis*, carentiæ veræ vitæ, & opprobrii, & quidem incorruptibilitatis, cum æterno acerrimi doloris sensu & conscientiæ ulceratæ morsu in terribile exemplum Divinæ severitatis. Oratio, ut vides, est figurata: figura autem orationis contexta ex gemina metaphora, cum una non sufficeret attributis miserandi hujus status explicandis. Prior quidem & præcipua sumpta est à *Valle filiorum Hinnom*, subjecta Hierosolymæ in Tractu Orientali & Australi, in qua ab Idololatris Regibus *ignis* alebatur perpetuus ad Liberos *Molecho* offerendos, quod fieri non poterat absque sensu quæsitissimi doloris. Quando tamen oblati Molecho brevi interibant & absumebantur; cadaveribus in cineres redactis, ut probabile est: Propheta autem significare vellet, *Peccatores* illos de quibus loquitur, superfuturos cum *sensu*, ut aliis spectaculum præbere possent Divinæ Justitiæ: jungit huic metaphoræ alteram, *cadaverum* sensim à *vermibus* arrosorum & absumptorum; atque hisce ipsis cadaveribus *sensum* tribuit, quia *Subjecta*, de quibus hic agit, cum *sensu* superessent. Huc verò respici, & metaphoram inde petitam esse, liquet clarissime ex verbis Domini apud Marcum *l*, ubi Discipulos suos serio monens de vitandis scándalis & peccandi occasionibus; pœnam apponit similium delictorum, verbis ex hoc loco promptis circumscriptam; *βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τὸ πυρὸς ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται· conjici in* GEHENNAM *ignis, ubi vermis eorum non interit; & ignis non extinguitur.* VOX γέεννα GEHENNA est ex גי הנום *Vallis Hinnom* vel *filiorum Hinnom*, in qua, causa superstitionis *Molechi* sive *Herculis* Tyrii, à Regibus impiis nutritus est perpetuus *ignis*, huic superstitioni detestabili sacer: de quo pluribus egi ad verba Cap. XXX. 33. TOPHETH (sic quoque appellabatur hæc *Vallis Hinnomi*,) *ab hesterno die paratum est*. coll. cum Jer. VII. 31. 32. XIX. 2. 6. seqq. Sed Propheta hic vere duas permiscet metaphoras, ut aliis locis *m*, ut hoc ipso lecturis subjiceret; se mystice intelligi velle. Illustris Vir, Hugo Grotius, cui hic loci adhucdum obversantur imagines rerum Maccabaicarum, tentavit cum iis componere hæc verba prophetica, κατὰ γράμμα interpretanda; quod sane idem est acsi quæ fabulosa Vetustas reliquit de Prometheo, Ixione, Tantalo, (absit comparationis irreverentia!) historice interpretaretur. Sed adverte animum ad ea quæ ad hæc verba adscripsit. VERMIS EORUM NON MORIETUR.] *Id est, diu vermis pascetur illorum* (qui in Antiochi partibus fuerint,) *cadaveribus, quia sepultura indigni judicabuntur.* ET IGNIS EORUM NON EXTINGUETUR.] *Id est, ignis signa in oppidis incensis.* Hei mihi, Vir magne! quorsum abis? Num *vermes* longius eorum depascuntur *cadavera*, qui sepultura indigni habiti relinquuntur in campis; quam qui putrescunt in sepulchris? *Cadavera insepulta* à Vulturibus, percnopteris, corvis, feris carnivoris, utique magis vorantur quam à *vermibus*; & ab iis multo citius absumuntur, & exeduntur, quam *sepulta* à vermibus: ut omnes norunt. *Corpora* sepulchris mandata eduntur à *vermibus*. Num *incendia oppidorum & castrorum* horum defectorum à Maccabæis facta ullo sermone hominum dici possunt *ipsorum ignis? Ignis ipsorum* est *ignis* qui ipsos urit, & absumit. *Ignis oppidorum & castrorum* qui castra consumit. Quid ad judicatos & mortuos attinebat, si ipsorum ædes & castra longum ferrent incendii notas? Poterat id esse incommodum aliis, non ipsis. Est præterea hic mentio de *igne* NON *extinguendo*, *verme* NON *morituro*; non *longum* sævituro; *longum* rosuro.

Usus metaphoræ demonstratur ex Libris N. T.

Vox GEHENNA unde sumpta?

Metaphorarum permixtio in h. l.

Ill. Grotii commentatio ad h. l.

Quæ refellitur.

Judæi viderunt, & Chaldæus exerte hoc loco, describi hic mystice supplicium, *damnatis* à Deo decretum, ferendum ab iis in *æternum*, post novissimum judicii diem. Inde sanctis antiqui temporis nata est notio GEHENNÆ, ex hoc loco & ex Cap. XXX. 33. quoque roborata; quam doctrinam Dominus & post ipsum Apostoli, commendarunt, & clarius exposuerunt; ut patet ex loco Marci modo adducto, & ex tot aliis, in quibus supplicium illud Damnatorum per πῦρ αἰώνιον *ignem æternum*, *ignem ἄσβεστον inextinguibilem*; & γέενναν πυρὸς *Gehennam ignis*, λίμνην τοῦ πυρὸς *lacum ignis n*, explicatur *o*. Erit tremenda revelatio Divinæ iræ, in statu opprobrii, cruciatus, odii, invidiæ, tristitiæ, malæ conscientiæ, angoris, desperationis, & quidem, quatenus consilium Dei de hoc Statu nobis patefactum est, in omnem æternitatem duraturo. Quicquid suppositum rationale miserum efficere poterit: huc concurret. Hic duo illius attributa declarantur: mox tertium additur. *Vermis non interiturus* duo significare potest, *α. Incorruptibilitatem* in statu *corruptionis* sive *mortis*. *Vermium* pabulum sunt cadavera, quæ depascuntur & exedunt; quare ubi *vermes* sunt, supponitur esse φθορὰ *corruptio*;

Judæorum de h. l. sententia.

Status extremus, Reprobis damnatis destinatus.

Quare comparetur *Vermi non morituro*?

Metaphora cui subest gemina.

---

a Apoc. XXII. 15. *b* Cap. XIV. 18. 19. *c* Cap. XLVII. 11. *d* Matth. XXII. 13. *e* Jud. ℣. 12. *f* Apoc. XX. 6. *g* Jud. ℣. 13. *h* Matth. XXI. 19. *i* Apoc. XXII. 11. *k* Ps. LII. 8. *l* Cap. IX. 43. 46. 48. *m* Confer Cap. LXII. 5. 6. *n* Matth. XXV. 41. III. 12. V. 22. *o* Apoc. XX. 10. XXII. 8.

Attributa utriuſque Subjecti demonſtrantur.

ptio; qua notione Scriptores Sacri deſignant *ſtatum* MORTIS. *Status* enim *Mortis* eſt ſtatus *corruptionis* *a*; quæ *mors* hic ſupponitur ſpiritualis, continuanda in *æternum*. *Vermis* enim *non moriens* ſupponit *corruptionem non corrumpendam*, h. e. non deſituram aut interituram unquam, ſed perpetuandam per omnia ſæcula. φθορὰν ἄφθαρτον, *mortem ſpiritualem æternam*. β. *Malam conſcientiam*, individuum mortis ſpiritualis attributum, *æternam* ſtatus damnationis comitem. Conſcientia accuſans, pungens, mordens, angens, terrens, & inde homini exprobrans atrocitatem criminum adverſus Divinam Longanimitatem ac gratiam lubenter perpetratorum; inde miſeris ob oculos ponens *magnitudinem iræ Dei*, ſecundum quam tremendus eſt, ſeveritatiſque ejus *juſtitiam*, & in puniendo *potentiam*; eſt inſtar *vermis rodentis* & *exedentis* hominem poſitum in *Statu mortis ſecundæ* cum moleſto doloris continui morſu & ſenſu: qui quà vita caſſus ſpirituali, appellatur *cadaver*; quà exiſtens, ſentiens, vivens, fingitur eſſe *cadaver* cum *ſenſu*, per figuram quæ Græcis ὀξύμωρον dicitur. Quin ſane eſt *Vermis immortalis* à ſtatu χρίσεως, quem Scriptura S. *æternum* fore docet, nunquam ſeparabilis. Hic tanquam in vermiculari morbo ſemper roditur, pungitur, editur, cum acuti doloris ſenſu; nunquam exeditur: voratur; non devoratur. Chaldæus: נשמתהון לא ימותון ANIMÆ *illorum non morientur*. Poſterius Veteres in hac metaphora paſſim viderunt, juxta ac recentiores; ſuntque collecta teſtimonia hac de re à Cl. Bocharto *b*. Certe negligi hic nequit; ſed cum priori obſervato optime conſiſtit. *Ignis qui non extinguitur* hic generatim complectitur cruciatus & dolores, à damnatis, Evangelii contemptoribus, adverſariis veritatis, apoſtatis, & in univerſum ab impiis omnibus, perferendos graviſſimos; quorum ſpecies nemo hoc tempore facile deſiniat. Analogia comparatorum eo conſiſtit, quod nihil *igne* ſit ſenſilius; quodque acutiorem dolorem ciet, quem natura hominis maxime refugit. Ad *Juſtitiam* Dei ultricem, ſymbolo *ignis* figuratam, hic non reſpicitur, ut in analogis aliis, veluti hujus *Sectionis*, vſ. 17. 2 Theſſ. 1. 8. *Ignis* hic non eſt *Dei*, ſed *ipſorum*, ut dicitur, אשם IGNIS IPSORUM. h. e. ut Dominus Jeſus, ipſis æque ac *Diabolo* & *Angelis ejus* ἡτοιμασμένος *paratus*, deſtinatus *c*.

ὈξύμωρονIn oratione.

Cur *Igni*, qui non extinguitur?

Sed cum de Statu hoc Damnationis æternæ aliis locis uberius agatur: præcipue obſervandum eſt ad intellectum hujus Pericopæ; ſtylo Scripturæ Sanctæ, omnes homines, Divino judicio *poſitos in ſtatu indurationis* & *malæ conſcientiæ* tanquam certiſſimis indiciis *Status Damnationis futuri*, & ob *indurationem ſuam in incredulitate*, *errore*, aut *gravioribus peccatis*, poſt clauſum oſtium Divinæ Longanimitatis & gratiæ, *excluſos communione Dei* & *ſanctorum*; ſimul in hac vita ſubjectos variis malis & calamitatibus ut *ſignis iræ Dei*, ejuſque *gratia*, favore, & omni vera *conſolatione*, deſtitutos; jam προληπτικῶς *per anticipationem* dici eſſe in *tenebris exterioribus*, ut ſuprà jam monui: perinde ac *credentes* in Chriſtum Jeſum, dum initia habent & primitias vitæ æternæ, cum plena *meſſe* ejus indivulſe conjuncta, jam in hac vita *vitam æternam* habere, & *non mori*, & *cum Abrahamo*, *Iſaaco*, & *Jacobo eſſe in Regno Cœlorum*, dicuntur *d*. Parabola de *divite* & *Lazaro* ex hac hypotheſi ſola illuſtranda eſt *e*. Judæi in rebellione erga Deum obſtinati, *traditi* tandem ab ipſo in *mentem reprobam*, in diriſſimis malis quæ perpeſſi ſunt ſub Tito & Hadriano, *malæ conſcientiæ* ſociis, & teſtibus *iræ Divinæ*, ſtylo Scripturæ Sacræ, ſenſerunt *dolores infernales terreſtres* cum *æternis* continuandos; nec ſors illorum ab eo tempore, quo vagi ſunt & extorres inter Gentes, immutata eſt. Adverſarii Veritatis & puri Evangelii Chriſti in Eccleſia Chriſtiana adultera, & multis fœda ſcandalis, qui poſt veritatem clariſſime demonſtratam ejuſque confeſſores variis perſequutionibus & afflictionibus longum tentatos, tandem viderint cauſſam ſuam ſuccumbere, & meliorem cauſſam Deo probari, dum interim ipſi indurati & ſe omni die indurantes in *errore* adverſus lucem conſcientiæ, in odio veritatis ac confeſſorum ejus perdurant; ſtylo ſacro, ſunt *in inferno*. Joannes *f*: *Et comprehenſa eſt Beſtia & cum ea Pſeudopropheta ... & VIVI conjecti ſimul in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*. Eſſe *extra Eccleſiam* veram cum odio veritatis, dum acutiſſimi lucis radii oculis itendidem ingeruntur, non niſi cum *mala conſcientia* declinandi vel repellendi; eſt eſſe in *inferno* cum *verme rodente*, ſive, ut ille dixit, *animo tortore*, ſæviſſima inferni pœna. Hoc aſpectu Sanctis obverſantur *Judæi* increduli, & *indurati* oſores veritatis, communione Dei & caſtris Populi ejus excluſi, ſub Oeconomia Nova, ſtatu plorabili, per ſæcula æternitatis continuando.

Verba Prophetæ primo ſenſu non pertinent ad *extremum* Statum damnatorum poſt hanc vitam: ſed ad Statum *Excommunicationis* ipſorum, & *præjudicii* in hac vita.

Ratio ſtyli Prophetici.

Qui Status non tantum eſt Judæorum incredulorum; ſed & omnium obſtinatorum adverſariorum Veritatis ſub N. T.

Sententia ex analogis illuſtratur.

Et erunt EXECRATIONI *omni carni.*] Hebræa ſunt, והיו דראון לכל בשר *Et erunt* EXECRATIONI *omni carni*. Eſt hic non ſatis certæ ſignificationis vox דראון *Deeraôn*: ſed quod hic minus turbat, quia circumſtantiæ hujus loci & analogi Daniëlis, in quibus ſolis extat, notationem vocis ſic circumſcribunt, ut nemo hic gravius erret. Verba Daniëlis *g*: *Et multi ex dormientibus in pulvere terræ evigilabunt: hi in vitam æternam; & illi* לחרפות לדראון עולם *in opprobium maximum*, & DIRÔN *æternum*. Unde, ut ex loco hoc noſtro, liquet, quid affine vel ſynonymum voci præcedenti *probrum* ſignificari; quare Kimchius per מיום *contemptum*, aut per *nauſeam*, *faſtidium*, Jarchius pariter per בזיון *vilipendium*, Aben-Ezra per גרוף *probrum*, reddiderunt. Sed ſunt hæ interpretationes plane conjecturales, & tamen, ut reor, vero proximæ. Vett. Intt. hic pariter fluctuarunt. Οἱ ὁ. Εἰς ὅρασιν ἐμ OSTENTUM. Hieron. *Uſque ad ſatietatem viſionis*. Chaldæus: *Et erunt impii judicati in Gehenna, donec dicant ſuper eos juſti, Satis vidimus*. Patet τὰς ὁ. vel legiſſe לראון ex ראה *videre*; vel, cum nihil certi haberent, id finxiſſe. Rectius Int. Libri Daniëlis, Εἰς ἀισχύνην, *in pudorem*. Chaldæus & Hieronymus vocem vel diviſe legerunt vel acceperunt, veluti compoſita eſſet די *ſatis* & ראה *videre*, quando *remote* ſignificare poſſet *nauſeam*. Sed ipſum quoque illud abſque magna ſpecie probabilis rationis. Thema originarium omnino videtur eſſe דרא. Lud. Cappellus *h*, dum has verſiones inter ſe contulit, ſuppetias quæſivit apud Arabes, ſed longiſſime quæſitas, nemini, ut putem, (niſi alia lux adferatur,) placituras. Avenarius inter alia, quæ huc adfert, vocem comparare conatus eſt cum Græca δειρἀω *convitiis infector*, & Latina DIRUS, *dira*: quod unum vehementer probo. Puto enim Latinum *dirus* eſſe thema ſui generis, ex Oriente repetendum; quod dum Vir Doctiſſimus *i* ex δεινὸς arceſſit, non videtur feliciter divinaſſe. Sic ſenſus exſurgit commodiſſimus, *Erunt* EXECRATIONI *omni carni*. nempe, *carni ſalvatæ* quæ Jehovam adoraret Hieroſolymis; in his terris ſecernendæ ab hypocritis & apoſtatis certis temporibus Divinorum judiciorum; & penitus in die *judicii extremi*, quod hic ſupponitur; quo die *execratio* hoc Sæculo cœpta complementum ſuum conſequetur, & in omni vi atque emphaſi ſua patefiet. Chriſtus Dominus in ſententia judiciali ferenda in Pſeudochriſtianos & reprobos *k*: MALEDICTI (κατηραμένοι. Bez. *Execrandi*, diris devoti,) *abite à me in ignem illum æternum*. Id malum accidet huic ſtatui doloris & malæ conſcientiæ. Præ-damnati præjudicatique in his terris, & damnandi in Judicio noviſſimo, ſecluſi à communione Dei ac ſanctorum beata ac glorioſa, dejecti in profundiſſimum miſeriæ ſtatum, expoſiti erunt probro, ignominiæ, contemptui, & execrationi Angelorum & ſanctorum, ferentes pœnam ſuperbiæ, arrogantiæ, tyrannidis, ſævitiæ, injuſtitiæ, ſcelerum, odii veritatis & perſecutionum, quibus in hac vita Deum oppugnantes & Sanctos

Et erunt execrationi omni carni. Uſus vocis דראון h. l.

Locus Daniëlis Cap. XII. 2. cum hoc collatus.

Opera doctorum virorum in ea illuſtranda.

Oſores veritatis excludendi communione Sanctorum.

Præjudicium illud damnationis in hiſce terris, *ultimo judicio* confirmabitur.

Qui *Status* deſcribitur,

a Rom. VIII. 21. 2 Pet. II. 4. *b* Hieroz. Part. 2. Lib. IV. Cap. XXVIII. *c* Matth. XXV. 41. *d* Joh. III. 36. Joh. VIII. 51. *e* Luc. XVI. 22. 23. *f* Apoc. XIX. 20. *g* Dan. XII. 2. *h* In *poſtumis*. *i* Voſſ. in *Etym*. *k* Matth. XXV. 41.

ut *opprobrii* æterni.

ctos affligentes, Deum volentes, lubentes, offenderunt. Hæc extrema sunt utriusque oppositi hominum generis, piorum & impiorum, in quibus post varia proluſoria Dei judicia, fata Sæculorum omnium, & nostra quoque, terminabuntur; quibusque ipse quoque hic Divinus Liber Jesaiæ, magni Prophetæ, terminatur. Esto sors nostra cum sanctis, Dei reverentibus; veritatis amantibus; humilibus, mansuetis, misericordibus, & in bono opere ad finem vitæ perseverantibus, ex sententia gratiæ magni nostri Domini, Servatoris, ac Judicis Christi Jesu, sortes hasce ex voluntate Patris diribituri. Qua spe Ego quoque hoc tempore affectus, prostratusque ante thronum ejus, Deo PATRI in FILIO ejus CHRISTO JESU per SPIRITUM submisso animo gratias ago pro gratia & lumine, quibus me indignum servum suum in commentatione hujus Libri inchoanda & absolvenda prosequutus est; supplice prece ab ejus gratia & misericordia contendens, ut aberrationibus, in quas imprudens inciderim, ignoscens, hoc Opus quale est, vertere velit in maximam gloriam sui Nominis, usum Ecclesiæ, & solatium piorum.

Epilogus commentarii.

Votum ad Deum.

ΑΥΤΩ῾ ἡ δόξα εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Cum in uſus meos paratam haberem Χωρογραφίαν antiquæ MOABITIDIS, B. L.; viſum eſt faciundum, ut eam commentationi JESAIÆ ſubjicerem, ſiquidem Propheta per hunc librum nullius Regionis alterius tam explicatam mentionem fecerit quam hujus Noſtræ. Nec eſt tamen mihi propoſitum de ſingulis ejus locis diſputare: (cum enim multorum eſt dubia notitia: tum vero quæ de eorum ſitu veriſimiliter cognoſci poſſunt, in ipſo Commentario obſervavi:) ſed de ARNONE fluvio, nobili ſane & inveſtigatione digno, in cujus curſu definiendo Chorographi variant, certius quid demonſtrare; ſi liceat. Præſtitit ARNON eundem uſum Iſraëlitis Transjardenenſibus ſive Peræis, Rubene & Gado oriundis, quem JORDANES Cisjardenenſibus. Poſtquam enim Moſes ex ea Moabitidis Regione, quæ media ſita eſt inter *Arnonem* & *Jabbokum*, expuliſſet Amorhæos, eaſque terras in hæreditatem dediſſet Rubentis & Gaditis: ARNON Fluvius illas diſterminavit ab Arabia & Ammonitide; perinde ac JORDANES Fluvius finivit veras terras Hereditarias, olim à Deo Patribus condictas.

Tabulæ ut jam præmonui, plurimum variant in deſcribendo curſu *Arnonis*, celebris fluvii, qui, influens in *Mare ſalſum*, *Amorhæos*, & poſtmodum Iſraëlitas, à Moabitis diviſit. Antiqua *Moabitis* ſe à Torrente *Zered* ab Auſtro extendit ad *Jabbokum* Torrentem, qui infra Mare Tiberiadis influit in Jardenem. Sed Amorhæi, qui olim inſederant Montana Judæ, transgreſſi Jardenem, Moabitis eripuerant, & ſibi vindicaverant eam ditionis ipſorum partem, quæ inter *Jabbokum* & *Arnonem* fluvios media eſt; reſtrictis Moabitarum ſedibus: Iſraëlitæ rurſus, Moſe duce Amorhæis eripuerant eaſdem haſce terras, poſſidendas à Rubenitis & Gaditis: licet Moabitæ, collapſo ſtatu Regni Ephraimitarum, antiquæ ſuæ ditionis urbes ſenſim rurſus plures in poteſtatem ſuam redegerint, ſuique fecerint juris. Cæterum quod ad *Arnonem* attinet, qui *Amorhæorum*, & deinde *Rubenitarum* ac *Gadilarum* terras circumſcripſit: plerique quidem eorum, qui *Tabulas* hujus tractus *adornarunt*, *Arnonem* fluvium inflectunt verſus *Septentrionem*, ut Rubenitarum & Gaditarum terras perinde ab Ortu ac ab Auſtro terminet: verum doctiſſimus Vir, deſideratæ recordationis, qui noviſſime Palæſtinæ illuſtrandæ magnam operam ſtudiumque adhibuit, origines *Arnonis* fere abſque ullo verſus Boream flexu ex Arabia ad ortum petit, tanquam fluvius Arnon ab ortu in occaſum in Mare ſalſum influxerit, & ſolummodo Rubenitarum ac Gaditarum terras ab Auſtro terminarit; quam ejus ſententiam tum ex *Tabula* Palæſtinæ ipſa inſpecta cognoveris; tum ex animadverſis ad vocem ARÖER. Sed ſunt rationes, quæ me in contrarium ferunt. ARNON ex meo ſenſu originem trahit ex illo Montano, in longum proteſto à Septentrione verſus Auſtrum, quod Antilibano Monti junctum, ſtylo Scripturæ S. dicitur Montanum *Hermonis* & *Amani*; & inde haud procul originibus ſuis *Lacum* faciens, quem Jeſaias & Jeremias *Mare Jaëzeris* appellant, decurrit ab Aquilone in Auſtrum, uſque quo exiguo flexu ad Urbem AR ſe effundat in Lacum Aſphaltitem; ex quo eodem Montano incunabula ſua repetit *Jabbokus*: perinde ac *Jardenes* ex Monte Antilibano. Primo, favet manifeſte huic ſententiæ Joſephus, *Ant.* IV. 5. qui Rubenitarum & Gaditarum terram hanc ipſam, de qua agimus, *Amorhæis* eorumque Regi Sihoni ereptam, deformans, in hæc verba ſcribit: *Eſt autem hæc terra inter tres fluvios ſita*; ὅμοιον τῇ νήσῳ τὴν φύσιν ὑπάρχον. INSULAM *naturæ ſuæ referens. Nam Arnonis ripæ Meridionale ejus latus terminant: Jobaccus vero Septentrionale: Occidentalis tractus Jordane amne alluitur.* Quid? Si Arnon abſque ullo ad Aquilonem flexu non alluat hanc terram ab *Ortu*, perinde ac eam terminat à *Meridie*: eſtne ut comparari poſſit τῇ νήσῳ *inſulæ?* Poterat Joſephus ſcribere, ὅμοιον χερρονήσῳ, *referens* PENINSULAM: ſed ſcripſit, INSULAM cujus hic vere exigua ſpecies eſt, ſi Arnon illam regionem pariter ab Ortu non circumluat. Secundo, Aſpectus Regionis Trans-Jardenenſis, qualis exhibetur in antiqua *Tabula Peutingeriana*, hypotheſin noſtram planiſſime firmat & illuminat. Exhibet eam Vir Doctiſſimus in laudato ſuo Opere, lib. II. cap. IV. ſub finem; ſed neque illuſtrat eam; neque, quod obſervavi, alibi in eam animadvertit. Deprehendes eam ex autographo in Operibus Velſeri, p. 759. Vides ibi fluvios duos ſpectabiles, influentes in lacum *Aſphaltidis*, (Aſphaltiten,) quorum alteri ſuperſcribitur *Fl.* JORDANIS: alteri F
bentur autem tanquam ſibi adver
curſum à Septentrione in Auſtrum
tes: quod ex tota Tabula, quæ inv
clariſſime cognoſces. *Heromicæ* vero
in Montibus ſupra lacum Tiberiadi
fluvius, ut ex totius Tabulæ conſpe
Arnon: nomine forte ei per error
Hieramace, *Gadara præterfluente*, in
dis; de quo Plinius in deſcriptione
qui fluvius (Arabibus aut Judæis *Ja*
obſcuriſſimæ notitiæ. Non diſputo d
enim Fragmentum certiſſimam fide
qui ſub nomine *Heromicæ* hic pingit
in Arabia, quæ ſupra Moabitidem
Montanum, quod ortum dederit *A*
pra Moabitidem eſt, partem facie
dem interſtincta Montibus; nec in
ſed nullum oſtentans Montanum, f
eratque illud à natura illius terræ
Arnon naſci ex Montano Moabitidis
ter lacum Aſphaltiten; ut forte to
gitur enim Arabia, Syriæ contermi
medium pererrans, ſe exonerat in lac
to, ipſa Hiſtoria Molaica, *Arnonem*
τὴν ὑπολίψιν. Dicitur Num. XXI. 13.
to, (quicquid ſupra Montanum Tra
cebatur מִדְבָּר *deſertum:*) *egrediens*
BUS EMORÆORUM. Sunt ipſæ Ar
finiebat Arnon. Interim cum quæ hic
babilia habeam: non laudo tamen
Fluvii Arnonis longe ampliorem &
ex mea quidem opinatione ſecund

EROMICAS. Exhi- è regione oppositi, uabiiiter continuan- pectanda exhibetur, ines demonstrantur st autem *Heromicas* atet, hic ipse fluvius npositio ex fluviolo e in lacum Tiberia- polios, l. v. c. XVIII. *b*) apud Veteres est pluribus. Inspectum cit, esse *Arnonem*, Tertio, non putem demonstrari posse *f*. Arabia, quæ su- *serta*; hic illic qui- ad pastum Gregis; generando aptum; um. Poterat fluvius od situm erat prop- *Zered*: sed, ne de is exerte docet, ex *Ant.* l. IV. c. 4. Ὁ δ' ἀπὸ τούτου ἐρήμου χώρου, *Arabiæ finibus exor- nstravinus.* intelli- DESERTUM TOTUM *Asphaltiten.* Quar- cribens, suffragatur *non qui est in Deser- ardenense erat*, di- מגבול הא è FINI- eorum terræ; quas utavi, maxime pro- bulas, quæ flexum rem faciunt, quam rei ipsius naturam fieri oportebat: quod vitium hic illic in sensum meum incurrit. Distantiam *Jardenis* ab *Arnone* (ajo, ab Occiduo ad Ortum,) modicam fuisse, Historia Scripturæ S. Maccabaici, Josephus, & Eusebius quoque, ubique supponunt; idemque ex insigni illo Fragmento Tabulæ Peutingerianæ liquido colligitur. Novi, quot vitia sæpe occurrant in antiquis illis *Tabulis Itinerariis*, tam Mensorum, quam Librariorum sive imperitia, sive incuria: verum hæc quantulacunque Tabulæ pars, quæ ad Jordanem attinet & Arnonem, cum cura expressa est; & res ipsa magna verisimilitudine se commendat: quod mihi hic & in omni casu præcipuum est. Inspicies etiam Eusebium ad vocem Γαζὴρ *Jaëzer*. Æstimaverim latitudinem spatii, quod interest inter Jardenis & Arnonis ripas, (fige locum contra Hierichuntem:) duodecim fere vel tredecim leucis horariis.

Cæterum hasce terras, quas limitavit *Arnon*, medias secuit *Montanum* aliquod, à *Septentrione* in *Meridiem* late protensum; ex adverso oppositum simili *Montano*, quod prætensum fuit Campestri *Jardenis*, hoc Moabitidis Montanum continuo respiciens. Curiosum notitiæ antiquæ Palæstinæ observasse juvat, Terram sic proprie dictam, Jardene ad Ortum terminatam, sic se habuisse, ut *media* ejus pars passim fuerit MONTANA (הר) HAR: huic ad Occiduum subjecta PLANITIES, stylo sacro, שפלה SCHEPHELA dicta, excurrens ad ipsum *Maris Mediterranei* litus; & ab altera pariter parte, sc. ad Ortum, CAMPESTRIS, nuncupata ערבה GNARABA. Eadem fere ratio fuit Regionis Trans-Jardenensis, sive Moabitidis, de qua cum maxime ago. *Campestris* terra secundum Jardenem, in longum porrecta, Campestri Cis-Jardenensi è regione opposita fuit, utraque μέγα πεδίον dicta; & Trans Jardenensis quidem ערבות מואב *Campestria Moabi*; eodem nomine ערבה, quo Cis-Jardenensis. Subjacet hæc Campestris Montano, de quo dixi; quod Montanum Moabitidem bifariam scindit: quicquid vero supra hoc Montanum est, (certe quicquid supra *Arnonem*, ad Ortum;) dicebatur מדבר DESERTUM, Num. XXI. 13. 18. Josephus hoc *Montanum*, Palæstinæ & Moabitidis, cui utrinque subjecta erat ἡ Περίχωρος τῆς Ἰορδάνου, docet in terra Trans-Jardenense protractum fuisse à Juliade, Gaulonitidis Urbe supra Mare Galilææ; fere usque ad Petram Arabiæ Nabathæorum: Cis-Jardenense, in Palæstina, à Vico Gennabara supra Scythopolin usque ad extrema *Maris Salsi*, sive ad Montana Idumæorum. Vide Josephum, tum alibi, tum B. I. L. v. cap. IV. De *Planitie*, sive שפלה *Schephela*, Montano Judæ subjecta, ad Occiduum, protensa secundum τὴν παραλίαν *Oram Maris Mediterranei*, plura dicenda haberem: sed quæ ad præsens institutum nihil attinent. Aspectus enim illius non est ubique idem. Constat sibi fere æquabiliter per totam longitudinem Lacus Asphaltitis, quo usque extensa est ab Austro ad Septentrionem Hæreditas Tribus Judæ: sed secundum terras Ephraimitarum, qui vere occuparunt optimam Palæstinæ portionem, Planities Maritima à Jamnia usque ad Carmelum, Planitiem Australem à Jamnia ad Gazam, maximam partem infestam à Philistæis, fertilitate & amœnitate longe vicit.

Urbibus Locisque Moabitidis in Tabula situm dedi probabilem ex criteriis in historia aut Prophetia Sacra consignatis; quæ criteria multo certius veri indicium faciunt, quam quæ aliunde petuntur. Maccabaicis, & Josepho, (docto Viro & satis accurato, ubi laudis cupiditas, honor gentis, & placendi studium stylum non corrumpunt,) multum tribuo: sed Eusebio, Hieronymo, & Epiphanio, licet vel ex Palæstina oriundis, vel illius per longum tempus incolis, longe minus. Non caverunt sibi à multis erroribus, quos vitare poterant: ne dicam, lectionem utilis cæteroquin Operis *Onomastici Eusebiani* multis locis vitiatam esse. Multa loca antiqui temporis illo jam tempore plane destructa cum nominibus suis perierant: multa alia ipsi non inspexerunt suis oculis: superstitiosæ autem traditiones, sive narrationes Christianorum Indigenarum de Locis Sanctis in Scriptura S. ab insigniore aliqua nota commendatis, pro communi affectu erga Religionem, minus habuerunt suspectas: nec circumscripserunt ipsum Eleutheropolios situm, quam Urbem Eusebius dimensionum suarum terminum fixerat. Ergo si nulla via liceat veros locorum situs certo definitos explorare: æquum est, nos *conjecturalibus* hoc in casu esse contentos.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

QUÆ

In hoc *Commentario* Illustrantur, aut Exponuntur.

Major numerus Capita, Minor versus & paginas indicat. Literæ majores A *&* B *Tomum designant, Notas* N *Minores* a *&* b *Columnam primam & secundam.*

GENES.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
I.	2.	B.	282.	b.
	26.	A.	159.	a.
II.	13.	A.	350.	a.
			586.	b.
		B.	319.	b.
	19.	A.	170.	a.
III.	5.	A.	310.	b.
	14.	B.	921.	b.
	16.	B.	144.	b.
	20.	A.	245.	b.
	22.	A.	159.	a.
IV.	3.	B.	216.	a.
	10, 11.	B.	74.	a.
	15.	B.	882.	b.
	16.	B.	319.	b.
	25.	A.	245.	b.
	26.	B.	475.	b.
V.	24.	B.	673.	a.
VI.	3.	B.	350.	b.
VII.	22.	B.	428.	a.
VIII.	2.	A.	556.	b.
	4.	B.	331.	b.
	9.	A.	312.	b.
	21.	A.	313.	b.
IX.	10.	B.	297.	a.
	12.	B.	481.	a.
	16.	B.	481.	a.
	26.	A.	578.	a.
X.	14.	A.	448.	b.
	17.	B.	584.	a.
	18.	A.	270.	b.
XI.	9.	A.	246.	b.
XII.	2.	A.	577.	a.
XIII.	10.	B.	261.	a.
			623.	N.
XIV.	1.	A.	392.	a.
	19, 20.	A.	437.	a.
XV.	18.	A.	676.	b.
XVI.	5.	B.	669.	b.
	14.	A.	246.	b.
	15.	A.	245.	b.
XVII.	4.	B.	688.	b.
	7.	B.	688.	b.
	8.	B.	428.	b.
	12.	B.	597.	b.
XIX.	15.	B.	671.	a.
XX.	7.	B.	867.	a.
XXI.	3.	A.	245.	b.
	12.	A.	439.	b.
XXII.	4.	B.	546.	a.
	14.	A.	636.	a.
	18.	B.	679.	b.
	29.	A.	249.	a.
XXIII.	6.	B.	400.	b.
XXIV.	43.	A.	138.	b.
XXV.	16.	B.	431.	a.
	31.	B.	779.	a.
XXVI.	3.	B.	692.	a.
XXVII.	4.	B.	774.	a.
	29.	B.	779.	a.
	36.	A.	179.	a.
XXVIII.	14.	B.	779.	a.
	18.	B.	752. N.	a.
XXX.	11.	B.	904. a.	b.
	38, 39, 41.	B.	750.	b.
XXXI.	28, 44.	B.	569.	b.
	46, 47.	B.	752. N.	a.
XXXII.	21.	B.	114.	b.
	32.	B.	545.	a.
XXXIII.	11.	B.	314.	a.
			928.	b.
XXXIV.	3.	B.	351.	a.
XXXVII.	25.	A.	627.	a.
	35.	A.	433.	a.
XXXIX.	6.	B.	144.	b.
	41.	B.	384.	a.
XLI.	1.	A.	359.	b.
	2, 18.	A.	559.	a.
	8.	B.	531.	a.
	41, 43.	A.	545.	b.
XLV.	12.	B.	360.	a.
XLVIII.	1.	A.	207.	a.
	15, 16.	A.	152.	b.
		B.	159.	b.
			339.	b.
			865.	a.
	16.	B.	476.	a.
	20.	B.	908.	b.
XLIX.	4.	B.	543.	a.
	10.	A.	364.	a.
		B.	261.	b.
	19.	B.	904.	b.
	24.	B.	550.	b.
L.	21.	B.	351.	a.

EXOD.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
I.	10.	A.	550.	a.
	17, 18.	A.	197.	b.
	22.	A.	359.	b.
II.	3.	A.	558.	b.
	8.	A.	133.	b.
	14.	A.	215.	b.
III.	6.	A.	150.	a.
	12.	A.	187.	b.
		B.	329.	a.
IV.	10.	B.	195.	a.
V.	16.	A.	183.	b.
	24.	A.	347.	b.
VI.	5.	B.	626, 2.	b.
VII.	11.	B.	531. a.	b.
	26.	A.	399.	a.
VIII.	5.	B.	259.	b.
			325.	b.
IX.	15.	A.	453.	a.
	32.	B.	128.	b.
XII.	13, 23, 27.	B.	203.	b.
	15, 19.	B.	516.	a.
	37.	B.	651.	b.
XIV.	14.	A.	112.	a.
	16, 26.	A.	287.	a.
		B.	867.	b.
	21.	B.	867.	b.
			881.	b.
	27.	B.	535.	b.
XV.	1.	A.	112.	a.
			374.	a.
	2.	A.	369. a.	b.
	3.	A.	370.	b.
	15.	A.	298.	b.
			570.	a.
	16.	A.	347.	a.
	25.	B.	422.	b.
XVI.	20.	B.	881.	b.
	23.	B.	776.	b.
XX.	4.	B.	375.	a.
	8. seqq.	B.	726.	b.
	25.	B.	893. a.	b.
XXI.	6.	B.	221.	b.
	9.	B.	568.	a.
XXIII.	20.	A.	183.	a.
		B.	552.	b.
XXIV.	6.	A.	157.	b.
	7.	A.	161.	b.
	10.	B.	695.	a.
	11.	B.	400.	b.
XXV.	5, 10.	B.	410.	a.
	18.	A.	149.	a.
	22.	A.	436.	b.
XXVIII.	43.	B.	671.	a.
XXIX.	42, 43.	A.	436.	b.
XXXI.	1, 2.	B.	446.	b.
	13.	B.	726.	b.
	14.	B.	776.	b.
	17.	B.	726.	b.
XXXII.	4.	A.	223.	a.
		B.	518.	a.
	9.	B.	545.	b.
	25.	B.	166.	a.
	26.	B.	475.	b.
XXXIII.	14, 15.	B.	862.	b.
XXXIV.	6.	A.	152.	a.
			370.	b.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
	7.	B.	714. a.
	13.	A.	506. a.
LEVITIC.			
I.	4.	B.	352. b.
II.	2.	B.	951. a.
V.	11.	B.	467. a.
XVI.	1.	A.	436. b.
XIX.	13.	B.	250. a.
			568. a.
	26.	A.	79. a.
			227. a.
	27.	A.	463. b.
	36.	B.	507. b.
XX.	6, 27.	A.	227. a.
XXI.	18.	B.	123. b.
	23.	B.	874. a.
XXII.	23.	B.	123. b.
XXIII.	11.	B.	353. a.
XXIV.	11.	B.	839. b.
	12.	A.	187. b.
XXV.	21.	A.	133. b.
XXVI.	1.	B.	893. a.
	8.	B.	177. a.
	21, 23.	B.	149. b.
	31.	A.	313. b.
	34.	B.	352. b.
	36, 37.	B.	177. a.
	41, 43.	B.	352. b.
NUMER.			
IV.	23.	B.	351. b.
V.	21.	B.	908. a.
VI.	24.	A.	152. b.
VIII.	24, 25.	B.	351. b.
XI.	5.	A.	562. a.
	14.	A.	349. b.
	25.	A.	309. b.
			312. b.
		B.	823. b.
	26.	B.	867. a.
XII.	14.	B.	604. a.
			882. b.
XIII.	21.	A.	270. b.
	32.	B.	502. b.
XIV.	11.	B.	531. a.
	14.	B.	647. b.
	17.	B.	714. a.
	21.	A.	252. b.
			153. b.
		B.	247. b.
XV.	15.	B.	728. a.
XVI.	9.	A.	182. a.
XX.	12.	A.	216. b.
XXI.	13.	A.	489. b.
	28.	A.	465. b.
XXIII.	19.	A.	131. a.
XXIV.	17.	A.	242. b.
			344. b.
			640. b.
	18.	B.	274. a.
XXV.	3.	A.	463. b.
XXVII.	7.	B.	730. a.
XXVIII.	10.	B.	954. a.
XXXII.	22.	A.	182. b.
XXXIII.	52.	B.	893. a.
XXXIV.	5.	A.	359. b.
	8.	A.	270. b.
XXXV.	33.	B.	11. a.
XXXVI.	1. seqq.	B.	730. a.
DEUTERON.			
I.	19.	A.	606. a.
	39.	A.	188. a.
II.	9.	A.	465. b.
	23.	A.	449. a.
		B.	320. b.
	30.	B.	545. a.
IV.	28.	B.	752. b.
	34.	B.	626. 2. b.
V.	1.	A.	160. b.
	15.	B.	726. b.
	29.	B.	555. a.
VI.	4.	B.	321. b.
	16.	A.	181. a.
IX.	3.	A.	276. a.
	6, 13.	B.	545. b.
	27.	B.	545. a.
X.	16.	B.	641. a.
	17.	B.	321. a.
	20.	A.	570. a.
XI.	10.	B.	326. a.
XII.	7.	A.	237. b.
XIV.	24.	B.	757. a.
XV.	17.	B.	221. b.
XVI.	3.	B.	651. a.
	21.	A.	506. a.
XVII.	16.	B.	167. a.
	16, 17.	A.	80. a.
XVIII.	11.	A.	228. a.
		B.	531. a.
	15.	A.	660. a.
	18.	A.	306. b.
			322. b.
XIX.	16.	B.	788. b.
XX.	8.	A.	553. b.
XXI.	17.	B.	568. a.
XXII.	21.	A.	399. a.
XXIII.	1.	B.	641. a.
			729. a.
	3.	B.	728. b.
	18.	B.	928. a.
XXVI.	5.	B.	96. a.
	13, 14.	A.	228. a.
	17, 18.	A.	273. a.
XXVII.	15.	B.	182. a.
XXVIII.	29.	B.	786. a.
	34.	A.	315. a.
	54.	B.	524. b.
	58.	B.	189. b.
XXIX.	2-4.	B.	438. b.
	3.	A.	161. b.
	21.	B.	571. b.
	24.	B.	275. a.
	28.	B.	602. b.
	29.	B.	505. a.
XXX.	4.	A.	478. b.
		B.	451. b.
	5.	A.	282. a.
		B.	184. b.
	11, 12.	B.	553. a.
XXXI.	17.	A.	118. a.
	17, 18.	B.	691. a.
	29.	A.	133. b.
XXXII.	1.	A.	161. a.
	6.	A.	505. a.
	13, 14.	A.	188. a.
		B.	778. b.
	15.	B.	437. a. N.
	20.	A.	224. b.
		B.	529. a.
	21.	A.	686. a.
	22.	B.	189. b.
			615. b.
			892. b.
	23.	B.	125. b.
	29.	B.	529. a.
			555. a.
	30.	B.	177. a.
	32.	A.	488. b.
	34.	B.	546. a.
			898. a.
	34. seqq.	B.	798. a.
	35, 36.	A.	224. a.
	36.	B.	55. b.
			873. a.
	39.	B.	117. a.
	42.	B.	600. b.
	43.	B.	291. b.
	51.	A.	216. b.
XXXIII.	2.	A.	616. b.
	6.	B.	404. b.
	7.	A.	574. b.
	9.	B.	871. a.
	12.	B.	202. b.
	16.	B.	862. b.
	23.	A.	234. a.
	27.	B.	624. b.
			867. b.
	28.	B.	543. a.
JOSUÆ.			
I.	7.	B.	653. b.
II.	9.	A.	456. a.
V.	10.	A.	475. b.
IX.	15.	B.	709. b.
X.	13.	B.	473. a.
XI.	15.	B.	200. b.
XIII.	2.	A.	449. a.
	3.	A.	676. b.
XIX.	29.	A.	665. a.
			666. a.
XXI.	43.	A.	490. b.
XXII.	5.	B.	149. b.
	17.	A.	182. a.
XXIII.	10.	B.	177. a.
	15.	A.	190. b.
XXIV.	2, 3.	B.	156. b.
	7.	A.	190. b.
	26.	B.	752. N. b.
XXV.	2.	A.	358. a.
JUDIC.			
III.	7.	A.	506. a.
IV.	19.	A.	188. a.
	21.	A.	231. b.
V.	4.	B.	877. a.
	9.	A.	260. b.
	14.	B.	172. a.
	25.	A.	188. a.
	27.	B.	515. a.
	31.	B.	388. a.
			774. b.
VI.	37. seqq.	B.	154. a.
VII.	27.	B.	341. b.
VIII.	3.	B.	190. a.
			795. a.
	21.	A.	97. b.
XI.	24.	A.	463. b.
XII.	4.	B.	507. b.
XIII.	3.	A.	187. a.
	18.	A.	248. b.
XIX.	20.	B.	669. b.
XX.	40.	B.	189. b.
RUTH.			
II.	9.	B.	180. a.
	19.	B.	871. a.
III.	15.	A.	99. b.
IV.	5.	B.	730. a.
	14.	B.	833. b.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
I SAMUEL.			
I.	5.	B.	596. a.
II.	3.	B.	322. b.
	8.	B.	524. b.
	35.	B.	919. b.
III.	10.	A.	161. a.
	21.	A.	649. a.
IV.	14.	B.	880. b.
V.	8.	B.	283. a.
VII.	10.	B.	238. b.
VIII.	7.	A.	181. b.
	20.	A.	70. b.
IX.	5.	A.	86. b.
	9.	A.	246. b.
		B.	174. a.
	15.	A.	649. a.
XIII.	6.	B.	296. b.
	23.	A.	291. b.
XIV.	2.	A.	291. b.
	29.	B.	803. a.
	39.	A.	179. b.
XV.	12.	B.	730. b.
	20.	A.	228. b.
	23.	B.	943. a.
XVI.	4.	B.	317. b.
XVIII.	14.	B.	653. b.
XIX.	22.	A.	246. b.
XXIV.	22.	B.	731. a.
XXV.	21.	B.	342. b.
XXVIII.	7.	A.	78. N.
	8.	B.	490. b.
	15.	B.	745. b.
XXX.	14.	A.	449. b.
II SAMUEL.			
I.	4.	A.	228. b.
	21.	A.	609. a.
	23.	B.	387. b.
II.	3.	B.	371. b.
	34.	A.	187. b.
III.	11.	B.	150. a.
	31.	B.	315. b.
V.	7.	B.	138. a.
	20, 24.	B.	125. a. & N.
VI.	19.	A.	488. a.
VII.	12.	A.	306. b.
			308. b.
	12-14.	B.	739. b.
VIII.	4.	B.	323. a.
XI.	9.	A.	468. a.
XII.	31.	B.	406. N.
XIII.	2.	A.	187. b.
XIV.	9.	B.	671. a.
XV.	4.	A.	70. b.
XVI.	2.	B.	609. b.
XVII.	10.	A.	553. b.
	14.	A.	566. a.
	25.	B.	476. N.
	29.	A.	188. a.
XVIII.	18.	B.	730. b. N.
XIX.	7.	B.	180. a.
XX.	7.	B.	138. a.
	11.	B.	475. b.
XXI.	16.	A.	215. b.
XXII.	8.	A.	408. a.
XXIII.	1.	B.	794. a.
	3.	A.	131. a.
			316. b.
	4.	A.	307. b.
			523. a.
	6, 7.	A.	486. a.
	20.	B.	138. a.
	23.	A.	353. a.
XXIV.	1.	A.	162. a.
	22.	B.	129. b.
	23.	B.	437. N. b.
I REG.			
III.	6.	B.	543. a.
	9.	A.	161. a.
IV.	6.	A.	435. b.
	21.	B.	459. b.
VII.	7.	A.	144. b.
	15.	A.	223. a.
VIII.	8.	B.	306. b.
X.	2.	B.	309. b.
			807. a.
	22.	A.	672. b.
	28.	A.	562. a.
XI.	23, 24.	A.	498. b.
	34.	B.	330. b.
XII.	30.	B.	166. b.
XIII.	1, 2.	B.	491. a.
XIV.	23.	A.	506. a.
XVIII.	27.	B.	385. b.
XIX.	6.	A.	157. a.
	7.	B.	757. a.
	18.	B.	596. b.
XXI.	22.	A.	162. a.
	27.	A.	595. b.
		B.	315. b.
			771. a.
XXII.	19.	A.	141. b.
			150. a.
	22.	B.	317. b.
	28.	B.	237. a.
II REG.			
I.	8.	A.	595. b.
II.	11.	A.	150. a.
	15.	A.	312. b.
III.	27.	B.	751. b.
V.	15.	B.	314. a.
	23.	B.	518. a.
VI.	30.	A.	595. b.
	32.	A.	695. a.
VII.	9.	B.	671. a.
VIII.	12.	A.	409. a.
	19.	B.	330. b.
IX.	24.	B.	515. b.
	25.	A.	396. b.
	31.	B.	854. a.
XIV.	7.	A.	475. a.
	28.	A.	270. b.
XVII.	24.	B.	320. b.
			331. b.
	26.	B.	315. a.
			422. b.
	30.	B.	514. a.
	31.	B.	314. b.
XVIII.	17.	B.	309. a.
	19.	A.	270. a.
	20, 21.	B.	164. b.
			310. a. b.
	21.	A.	593. a.
	34.	A.	270. b.
XIX.	4.	A.	279. b.
	8.	B.	309. b.
	13.	A.	270. b.
	19.	B.	321. b.
	23.	B.	324. a. b.
XX.	14.	A.	134. a.
	19.	B.	346. b.
	20.	A.	646. a.
XXI.	3.	A.	506. a.
	13.	B.	122. b.
	14.	A.	279. b.
XXII.	20.	B.	744. b.
XXIII.	10.	B.	195. a.
	11.	B.	899. a.
XXIV.	7.	A.	359. b.
			395. b.
XXV.	1.	B.	141. a.
I PARALIP.			
IV.	10.	B	49. b.
V.	16.	B.	901. b.
XII.	33.	B.	149. b.
XIII.	5.	A.	676. b.
XVI.	27.	A.	370. a.
XVII.	25.	A.	649. a.
XVIII.	10.	B.	314. a.
XXVIII.	2.	B.	796. b.
	4.	B.	422. a.
XXIX.	29.	B.	174. a.
II PARALIP.			
I.	16.	A.	586. a.
III.	20.	A.	162. N.
VIII.	4.	A.	270. b.
IX.	26.	B.	459. b.
XIII.	12, 15.	B.	433. a.
XX.	20.	A.	179. a.
XXI.	11.	B.	899. a.
XXII.	9.	A.	275. b.
	21.	A.	297. a.
XXV.	18.	A.	296. b.
	20.	A.	270. b.
XXVII.	3.	B.	219. b.
XXVIII.	23.	A.	255. a.
XXX.	6.	A.	510. b.
XXXII.	2.	A.	645. b.
	9.	A.	211. a.
		B.	309. b.
	10, 11.	B.	319. a.
	20.	A.	289. b.
	22.	A.	455. a.
	25, 26.	B.	345. b.
	31.	B.	345. b.
	32.	B.	305. a.
XXXIII.	10.	A.	179. b.
	14.	A.	646. a.
XXXIV.	4.	A.	506. b.
XXXVI.	21.	B.	352. b.
EZRÆ.			
I.	1.	B.	396. a.
	2.	B.	396. a.
			491. b.
			550. a.
IV.	2, 10.	B.	331. b.
	11.	B.	491. b.
V.	11.	B.	321. a.
VI.	22.	B.	94. a.
VII.	6, 9, 16.	B.	557. a.
IX.	8.	A.	657. a.
NEHEM.			
III.	15.	A.	171. b.
	16.	A.	172. a.
	25.	B.	219. b.
	26, 27.	B.	219. b.
IX.	6.	B.	321. b.
	16, 17.	B.	545. b.
			714. a.
	20.	B.	553. a.
			863. a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
	29.	B.	545. b.
	32.	A.	191. a.
		B.	181. a.
XI.	31.	A.	291. a.
	32.	A.	291. b.
ESTHER.			
I.	1.	A.	350. a.
			587. a.
VIII.	9.	A.	350. a.
	17.	A.	427. b.
JOB.			
I.	19.	B.	430. b.
	12.	B.	315. b.
II.	13.	A.	101. b.
			524. b.
III.	13.	B.	746. a.
IV.	18.	A.	150. b.
V.	4.	B.	520. b.
	12.	B.	130. b.
	14.	B.	786. a.
VI.	9.	A.	272. a.
	19.	A.	627. a.
VII.	1.	B.	351. b.
	5.	B.	631. a.
VIII.	2.	A.	559. a.
IX.	7.	B.	549. b.
	13.	A.	368. a.
	32.	B.	392. b.
	38.	B.	477. a.
XI.	7.	B.	370. b.
XII.	16, 17.	B.	789. b.
	18.	B.	494. a.
			496. a.
	19.	B.	789. b.
	25.	B.	786. a.
XIII.	26.	B.	898. a.
XIV.	6.	B.	352. b.
	7.	B.	387. b.
	8.	A.	303. b.
	14.	B.	351. b.
XV.	10.	A.	273. b.
	11.	A.	182. a.
	15.	A.	150. b.
		B.	382. a.
	33.	A.	524. b.
	35.	B.	782. b.
XVIII.	5.	A.	406. b.
XIX.	3.	A.	93. a.
	7.	B.	785. a.
XX.	3.	B.	428. a.
	25.	B.	254. a.
	29.	B.	753. a.
XXI.	16.	A.	477. b.
	30.	B.	375. b.
XXII.	4.	B.	641. a.
	26.	B.	778. b.
XXIII.	10.	B.	357. b.
			384. a.
	11.	B.	724. b.
	12.	B.	283. a.
XXV.	5.	B.	382. a.
XXVI.	10.	B.	377. N. b.
	11.	B.	379. a.
	12.	B.	631. a.
	13.	B.	78. b.
			369. b.
XXVII.	2.	B.	384. b.
	10.	B.	778. b.
	21.	B.	883. b.
XXVIII.	6.	B.	695. a.
	12.	B.	370. b.
	19.	A.	587. b.
	21. seqq.	B.	370. b.
	25.	B.	369. a.
	28.	A.	310. b.
XXIX.	20.	B.	387. b.
XXX.	1.	B.	738. a.
	27.	A.	491. b.
	30.	B.	13. a.
XXXI.	26, 27.	B.	596. b.
			904. b.
XXXIII.	21.	A.	398. b.
	23.	B.	471. b.
XXXV.	2.	B.	586. b.
XXXVI.	22.	A.	227. b.
XXXVII.	11.	A.	523. a.
XXXVIII.	7.	A.	151. a.
	28.	A.	250. a.
XXXIX.	14.	A.	261. b.
	18.	B.	783. a.
	19.	B.	872. a.
	25.	A.	314. b.
XL.	20.	B.	77. b.
	21.	B.	329. a.
PSALM.			
I.	1.	B.	114. a.
	2.	B.	610. b.
	4.	A.	559. b.
II.	6.	A.	64. b.
	7, 8.	A.	486. a.
		B.	341. b.
	9.	A.	213. b.
			486. a.
	12.	A.	247. b.
		B.	596. b.
III.	1.	A.	226. a.
IV.	2.	A.	312. a.
			408. a.
	6.	B.	56. a.
			507. b.
			733. a.
			829. a.
V.	3.	A.	231. a.
	7.	A.	324. a.
	10.	B.	173. b.
	12.	A.	311. b.
		B.	732. b.
VI.	3.	B.	670. a.
	6.	B.	341. b.
VII.	3.	A.	332. a.
	6.	B.	70. a.
			851. b.
	7.	B.	245. b.
	15.	B.	782. b.
VIII.	2.	A.	149. a.
			153. b.
			689. a.
	3.	A.	334. b.
			370. a.
		B.	109. b.
			366. b.
	4.	B.	369. b.
IX.	5.	A.	145. b.
		B.	384. b.
	6.	B.	692. a.
			952. b.
	9.	A.	328. a.
	10.	B.	37. a.
	11.	A.	311. b.
	12.	A.	373. b.
	13.	B.	37. a.
			585. b.
			847. a.
	20, 21.	B.	625. 2. a.
X.	1.	B.	873. a.
	5.	B.	441. a.
	8, 9.	B.	747. b.
	9.	A.	332. a.
		B.	79. a.
	11.	B.	532. a.
	11, 12.	B.	585. b.
	17.	B.	321. a.
XI.	1.	B.	586. b.
	1, 2, 3.	A.	242. b.
	6.	A.	325. a.
		B.	18. a.
			125. b.
XII.	2.	B.	747. a.
	5.	B.	702. b.
	6.	B.	441. a.
	7.	B.	548. a.
XIV.	1.	A.	483. a.
	3.	B.	636. b.
			782. b.
	7.	B.	796. a.
XV.	2.	B.	250. a.
	3.	A.	396. b.
XVI.	2.	B.	628. b.
	5.	B.	421. b.
	6.	B.	287. a.
	8.	B.	867. b.
	10.	A.	433. a.
		B.	421. a.
	11.	B.	678. b.
XVIII.	8.	A.	132. b.
	9.	B.	189. b.
			897. b.
	12.	B.	379. a.
	22.	A.	349. b.
	34.	B.	778. b.
	43.	B.	396. b.
XIX.	5.	A.	520. a.
		B.	110. a.
	10.	A.	250. a.
	12.	B.	507. a.
XX.	8.	B.	543. a.
XXI.	10.	A.	276. b.
XXII.	8, 14.	B.	748. b.
	27. seqq.	B.	42. b.
	30.	B.	67. b.
	32.	B.	489. a.
XXIII.	2.	A.	371. b.
XXIV.	1.	A.	336. b.
	3.	B.	251. a.
	5.	B.	554. a.
	5, 6.	B.	156. b.
			476. b.
	8.	B.	49. a.
			850. a.
	9.	A.	399. a.
	10.	B.	49. a.
XXV.	9.	B.	422. b.
			553. a.
	12.	B.	614. a.
	14.	B.	371. a.
XXVII.	5.	B.	251. a.
	13.	B.	336. b.
XXVIII.	5.	A.	124. a.
XXIX.	1.	A.	370. a.
	5.	A.	296. b.
	10.	A.	145. b.
XXX.	6.	A.	627. a.
	10.	B.	341. b.
	12.	A.	509. b.
XXXI.	6.	B.	341. b.
			911. a.
	19.	B.	782. a.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
	24.	B.	732.	b.
	25.	B.	426.	a.
XXXII.	1.	B.	265.	b.
			725.	b.
	5.	A.	367.	b.
	6.	B.	713.	b.
			889.	b.
	10.	A.	484.	a.
XXXIII.	5.	A.	328.	a.
	6.	B.	369.	b.
	11.	B.	715.	b.
	13.	A.	522.	b.
XXXIV.	6.	A.	505.	b.
	8.	B.	330.	a.
	9.	B.	336.	a.
	19.	B.	760.	b.
	21.	B.	939.	a.
XXXV.	2,3.	B.	793.	a.
	21.	B.	748.	b.
	23.	B.	626. 2.	b.
XXXVI.	6.	A.	328.	a.
	7.	B.	505.	a.
			582.	b.
	9.	B.	708.	b.
XXXVII.	4.	B.	778.	b.
	5.	B.	60.	a.
	7.	B.	60.	a.
	9.	B.	467.	a.
	24.	B.	388.	a.
	28.	B.	585.	b.
	30.	B.	212.	a.
	34.	B.	779.	a.
	35.	B.	38.	a.
			228.	a.
XXXVIII.	7.	A.	468.	a.
XL.	1,2.	A.	224.	b.
	4.	B.	430.	b.
	6.	B.	339.	b.
	7.	B.	421.	a.
			466.	a.
			611.	a.
			677.	a.
			678.	a.
	8.	A.	225.	b.
	9.	B.	626.	b.
			678.	a.
	11.	A.	326.	b.
	17.	B.	834.	b.
XLI.	5.	A.	162.	N.
		B.	115.	a.
			670.	a.
XLII.	5.	B.	340.	a.
	6.	A.	250.	a.
	8.	B.	18.	a.
			47.	a.
XLIII.	1.	A.	458.	b.
		B.	278.	b.
XLIV.	14.	B.	48.	b.
	23.	B.	67.	a.
			74.	b.
	25.	B.	585.	b.
XLV.	1.	A.	320.	b.
			322.	b.
	2.	A.	322.	b.
	3.	B.	569.	b.
			610.	a.
	4.	A.	249.	b.
	6.	B.	565.	b.
	8.	B.	303.	a.
			813.	b.
			828.	a.
	10.	B.	214.	b.
	11.	B.	156.	b.
			709.	a.
	14, 15.	B.	640.	b.
	15.	B.	949.	b.
XLVI.	3.	A.	408.	a.
	8.	B.	825.	a.
	9, 10.	A.	243.	b.
	12.	A.	183.	b.
XLVII.	5.	B.	813.	b.
	9.	A.	145.	b.
XLVIII.	2,3.	B.	543.	b.
	3.	A.	565.	N.
	10.	A.	144.	a.
	11.	B.	386.	a.
			403.	a.
	12.	A.	477.	a.
	15.	A.	471.	a.
		B.	340.	a.
			745.	b.
XLIX.	15.	A.	228.	b.
			432.	b.
	16.	B.	673.	a.
	17.	A.	503.	a.
L.	1.	A.	152.	b.
	2.	B.	796.	a.
	3.	B.	939.	b.
	4.	B.	794.	a.
	11.	B.	937.	a.
	18.	B.	776.	b.
	21.	B.	898.	a.
LI.	5.	B.	788.	a.
	8.	B.	832.	b.
	10.	B.	225.	b.
	19.	B.	424.	a.
			733.	a.
			760.	b.
	20.	B.	810.	b.
	21.	B.	56.	a.
			733.	a.
			829.	a.
LII.	5.	B.	212.	a.
LV.	13.	A.	696.	a.
	21.	A.	353.	a.
		B.	11.	b.
	24.	B.	22.	b.
LVI.	5.	B.	101.	a.
	12.	B.	200.	b.
	13.	B.	669.	b.
LVIII.	2.	B.	56.	a.
	6.	B.	531.	a.
LX.	3.	A.	368.	b.
	6.	B.	795.	b.
	8.	B.	880.	b.
LXI.	3.	B.	761.	a.
	4.	A.	507.	b.
	8.	A.	484.	a.
LXII.	7,8.	B.	87.	a.
	8.	B.	511.	b.
	10.	B.	115.	a.
	12.	B.	87.	a.
		B.	441.	a.
			511.	b.
LXIII.	2.	B.	208.	b.
			409.	a.
	3.	B.	336.	a.
	10.	B.	489.	N. b.
LXV.	5.	B.	708.	b.
			731.	a.
	11.	B.	467.	a.
LXVI.	10.	B.	548.	a.
	12.	B.	448.	a.
	18.	B.	928.	b.
LXVIII.	1,2,3.	A.	242.	b.
			512.	a.
	6.	B.	840.	b.
	6,7.	A.	106.	b.
	7.	B.	226.	b.
			227.	b.
			433.	a.
	10.	B.	716.	b.
	12.	B.	365.	a.
	13.	A.	241.	b.
		B.	228.	b.
	14.	B.	84.	a.
	16.	B.	582.	b.
	18.	B.	323.	a.
			364.	b.
			940.	a.
	19.	B.	681.	a.
	25.	A.	231.	a.
	27.	B.	543.	a.
	28.	B.	206.	b.
			213.	a.
			818.	b.
	30.	A.	144.	a.
	31.	B.	79.	b.
			83.	b.
	32.	A.	525.	b.
		B.	504.	a.
	33.	B.	779.	a.
LXIX.	4.	B.	13.	a.
	10.	B.	734.	a.
	21.	A.	509.	b.
	26.	B.	219.	a.
	27.	B.	341.	b.
			668.	a.
	37.	B.	732.	b.
LXXI.	9.	B.	517.	a.
	16.	B.	63.	b.
	18.	B.	517.	a.
	21.	A.	237.	a.
LXXII.	1,2.	A.	70.	b.
			307.	a.
			328.	a.
			243.	a.
			250.	a.
			486.	a.
	2,4.	A.	70.	b.
	6.	B.	71.	a.
	9.	A.	688.	a.
		B.	596.	b.
	10.	A.	696.	a.
		B.	449.	a.
			504.	a.
			807.	a.
	15.	B.	807.	a.
	16.	B.	71.	b.
	17.	A.	439.	b.
		B.	953.	a.
	19.	A.	149.	a.
			153.	b.
	28.	A.	73.	a.
LXXIII.	18.	B.	753.	a.
	24.	B.	745.	b.
			774.	b.
	28.	B.	768.	b.
LXXIV.	1.	A.	368.	b.
		B.	873.	a.
	2.	A.	347.	a.
	3.	B.	10.	a.
	7.	B.	874.	a.
	8.	A.	436.	b.
		B.	10.	a.
	9.	B.	402.	a.
	12.	B.	63.	a.
	13, 14.	B.	77.	b.
	15.	B.	606.	b.
	19.	B.	585.	b.
LXXV.	4.	B.	10.	a.
			370.	b.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
LXXVI.	2.	A.	324. b.
		B.	833. b.
	6.	B.	520. a.
			789. b.
	7.	B.	606. a.
	12.	A.	526. a.
LXXVII.	7.	B.	342. a.
	15.	A.	374. a.
	16.	B.	867. b.
	17. seqq.	B.	867. b.
LXXVIII.	1.	A.	325. a.
			486. a.
		B.	709. a.
	2.	A.	325. a.
	3.	A.	277. b.
			436. b.
	5.	A.	370. b.
	12, 13.	A.	373. b.
	31.	A.	267. b.
	33.	B.	918. b.
	37.	B.	729. b.
	40.	B.	864. a.
	44.	A.	558. b.
	50.	B.	515. b.
	63.	A.	102. a.
LXXIX.	1.	B.	10. a.
	1. seqq.	B.	11. b.
			74. b.
	7.	B.	10. a.
	8.	A.	503. a.
	10, 11.	B.	74. b.
LXXX.	1.	A.	213. a.
	5.	A.	267. b.
	6.	B.	369. b.
	10.	B.	88. a.
	13.	A.	118. a.
		B.	10. a.
	14.	A.	296. b.
		B.	10. a.
			79. a.
			228. a.
			937. a.
	18.	B.	565. a.
	19.	B.	788. b.
LXXXI.	14.	B.	555. a.
	16.	B.	242. a.
LXXXII.	6.	B.	613. a.
LXXXIII.	2.	A.	512. b.
	17.	B.	73. b.
	19.	B.	321. b.
LXXXIV.	6.	B.	87. a.
			357. a.
			386. b.
			511. b.
	8.	B.	302. a.
	12.	B.	695. b.
LXXXV.	2.	B.	648. a.
	6.	A.	368. b.
	7.	B.	69. a.
	10.	B.	225. a.
	11, 12.	B.	499. a.
LXXXVI.	5.	B.	466. a.
			469. b.
	9.	B.	42. b.
LXXXVII.	3.	A.	525. b.
	4.	A.	696. a.
		B.	171. a.
	4, 5, 6.	B.	158. b.
			477. b.
			504. a.
			543. b.
			627. a.
	7.	A.	372. a.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
			636. a.
LXXXVIII.	7.	B.	678. b.
	16.	B.	254. a.
			667. a.
LXXXIX.	2.	A.	326. b.
		B.	710. a.
	4, 5.	B.	710. a.
	6.	B.	31. a.
	9.	A.	327. a.
	11.	B.	171. a.
			627. a.
	15.	A.	328. a.
			484. a.
	16.	B.	804. a.
	21.	B.	710. a.
	25.	A.	183. b.
	28.	A.	340. a.
	30.	B.	710. a.
	37.	B.	589. a.
	50.	B.	330. b.
	51.	A.	67. a.
XC.	1. seqq.	A.	228. b.
	4.	B.	240. b.
	7.	A.	368. b.
	10.	B.	171. a.
	16.	B.	804. b.
XCI.	1. seqq.	B.	366. b.
			565. a.
	4.	B.	49. b.
			166. a.
XCII.	9.	B.	21. b.
	10.	A.	612. a.
	14.	B.	388. a.
XCIII.	1.	A.	146. a.
			374. a.
	3.	A.	612. a.
XCIV.	4.	B.	10. a.
	5, 6.	B.	74. b.
	9.	B.	632. b.
	10.	A.	316. a.
		B.	129. a.
	16.	B.	248. b.
			702. b.
	20.	B.	83. b.
XCV.	10.	B.	859. b.
	11.	A.	228. b.
			342. b.
XCVI.	1.	B.	430. b.
	5.	B.	429. b.
	11.	B.	430. a.
	12.	B.	409. b.
	13.	A.	326. b.
	24.	A.	608. b.
XCVII.	1.	B.	927. a.
	2.	A.	328. a.
		B.	505. a.
	3.	B.	939. b.
	4.	B.	433. a.
	5.	A.	213. a.
	6.	B.	45. a.
			521. a.
			838. a.
	7.	B.	375. a.
	8.	B.	214. b.
	11.	A.	228. b.
XCVIII.	4.	B.	689. a.
XCIX.	4.	B.	240. b.
			241. a.
	6, 7.	B.	156. a.
C.	3.	A.	505. a.
		B.	158. a.
CI.	5.	A.	273. a.
CII.	1.	B.	761. a.
	9.	B.	908. a.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
	10.	B.	486. a.
	19.	B.	172. b.
	26, 27.	B.	613. a.
CIII.	3.	A.	162. N.
		B.	266. a.
			424. b.
			670. a.
	15, 16.	B.	361. a.
	18.	B.	729. b.
	20.	A.	150. a.
			151. a.
	21.	A.	153. a.
CIV.	1.	A.	146. a.
	2, 3.	B.	379. a.
	3, 4.	B.	940. a.
	13.	B.	379. a.
	26.	B.	77. b.
			78. b.
	30.	B.	287. a.
	32.	B.	549. b.
CV.	1.	A.	373. b.
	4.	B.	511. b.
	14.	B.	64. a.
	15.	B.	867. a.
	16.	B.	481. a.
	18.	B.	516. a.
CVI.	3.	B.	724. b.
			832. b.
	7.	B.	709. b.
	9.	A.	359. a.
		B.	868. a.
	15.	A.	275. b.
	16.	B.	777. a.
	21.	B.	629. b.
	28.	A.	228. a.
			465. b.
	38.	B.	11. a.
			751. b.
CVII.	3.	B.	452. b.
	4.	A.	106. b.
	4, 5.	B.	409. a.
	5.	B.	761. a.
	7.	B.	226. b.
			435. b.
			840. b.
	27.	A.	94. a.
	33.	B.	298. a.
	35.	B.	297. b.
	42.	B.	818. b.
	43.	B.	438. b.
CVIII.	9.	B.	261. b.
CIX.	6.	B.	600. a.
	14, 15.	B.	341. a.
CX.	1.	A.	145. b.
			325. a.
	1, 2, 3.	A.	142. b.
	2.	A.	69. a.
			325. a.
		B.	571. a.
	3.	B.	71. a.
			640. b.
	5.	B.	185. a.
			228. a.
CXI.	4.	B.	61. a.
CXII.	4.	B.	774. b.
	8.	B.	57. a.
	9.	B.	772. a.
CXIII.	8.	A.	399. a.
CXIV.	3.	A.	512. a.
CXV.	1.	B.	341. b.
	4-6.	B.	482. b.
	7.	A.	227. a.
		B.	86. a.
	11.	A.	329. b.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
	17.	A.	433.	a.
		B.	341.	b.
CXVI.	15.	B.	67.	b.
CXVII.	1, 2.	B.	464.	a.
CXVIII.	1. seqq.	A.	369.	b.
		B.	74.	b.
	6, 8.	B.	201.	a.
	7.	B.	403.	a.
	12.	A.	192.	a.
	14.	A.	369.	b.
		B.	237.	b.
	15.	B.	34.	b.
	15, 16.	B.	626. 2.	b.
	19.	B.	56.	a.
			829.	a.
	21.	B.	237.	b.
	22.	A.	226.	a.
		B.	121.	a.
	23.	A.	133.	b.
	27.	B.	138.	b.
CXIX.	1.	B.	725.	b.
	4.	B.	724.	b.
	7.	B.	768.	a.
	25.	B.	760.	b.
	36.	B.	762.	a.
	37.	B.	760.	b.
	38.	A.	131.	b.
		B.	490.	b.
	40.	B.	760.	b.
	70.	B.	41.	a.
	74.	B.	426.	a.
	90, 91.	B.	549.	b.
	101.	B.	776.	a.
			784.	b.
	106.	B.	768.	a.
	122.	B.	339.	b.
	154.	B.	278.	b.
	155.	B.	520.	b.
	162.	A.	137.	b.
	176.	B.	670.	a.
CXXI.	6.	A.	478.	a.
		B.	23.	b.
			581.	a.
CXXIV.	2, 3.	B.	79.	a.
	3.	B.	592.	b.
CXXV.	3.	B.	192.	b.
CXXIX.	3.	B.	133.	a.
CXXX.	4.	B.	218.	b.
			714.	a.
	6.	B.	352.	a.
	7.	B.	625.	a.
	7, 8.	A.	56.	b.
		B.	87.	a.
			850.	b.
CXXXI.	2.	B.	109.	b.
CXXXII.	3.	A.	484.	b.
	14.	A.	342.	b.
	16.	B.	244.	a.
CXXXIII.	1.	B.	592.	b.
	1, 3.	B.	71	a.
CXXXV.	10.	A.	18.	b.
CXXXVI.	13.	A.	359.	a.
CXXXVII.	2.	A.	471.	b.
CXXXVIII.	5.	B.	880.	b.
	6.	B.	760.	b.
			761.	a.
	7.	B.	760.	b.
	8.	B.	158.	a.
CXXXIX.	2, 3.	B.	328.	a.
	9.	B.	532.	b.
	15.	B.	489. N.	b.
CXL.	8.	B.	166.	a.
	12.	A.	187.	b.
CXLII.	4.	B.	871.	a.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
CXLIII.	4.	B.	761.	a.
CXLIV.	3.	B.	871.	a.
	12.	A.	228.	b.
	13.	B.	774.	a.
CXLV.	6.	A.	273.	a.
		B.	442.	a.
	21.	B.	339.	b.
CXLVI.	3.	B.	115.	a.
	3, 4.	A.	86.	a.
CXLVII.	2.	A.	478.	a.
		B.	810.	b.
	3.	B.	386.	b.
			424.	b.
	4.	B.	383.	a.
	5.	B.	371.	b.
			386.	a.
	19.	A.	131.	b.
CXLVIII.	1, 2.	A.	151.	a.
		B.	585.	a.
	4.	B.	369.	a.
CXLIX.	2.	B.	543.	a.
	6.	B.	238.	a.
			710.	a.

PROVERB.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
I.	24.	B.	782.	b.
	26.	B.	753.	b.
II.	8.	B.	371.	b.
	12.	B.	211.	a.
IV.	24.	B.	746.	b.
	26, 27.	B.	776.	a.
V.	15.	B.	144.	b.
			325.	a.
	21.	B.	60.	b.
VI.	17.	A.	273.	a.
VII.	1.	B.	724.	b.
	9.	A.	608.	b.
VIII.	12.	B.	200.	a.
	14.	A.	311.	a.
		B.	130.	b.
	21.	B.	130.	b.
	23.	B.	563.	b.
	26, 27.	B.	370.	a.
	27.	B.	377. N.	b.
	29.	B.	377.	a.
	30.	B.	663.	b.
IX.	2, 3.	B.	108.	b.
	4.	B.	300.	b.
	10.	B.	241.	b.
X.	6.	B.	302.	b.
	9.	B.	784.	b.
	31.	B.	763.	a.
XI.	18.	B.	724.	b.
XII.	12.	B.	663.	a.
XIII.	12.	A.	519.	b.
	13.	B.	437.	b.
	20.	B.	486.	a.
XIV.	1.	B.	919.	b.
	3.	A.	203.	a.
	29.	B.	322.	b.
XV.	8.	B.	833.	a.
	9.	B.	619.	b.
XVI.	3.	B.	63.	a.
	14.	A.	318.	b.
		B.	533.	a.
	17.	B.	357.	b.
XVIII.	9.	B.	701.	b.
	10.	B.	511.	b.
	17.	B.	470.	a.
XX.	6.	B.	662.	a.
	8.	A.	318.	b.
	28.	A.	484.	a.
XXI.	18.	B.	448.	b.
	21.	B.	619.	b.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
XXII.	8.	A.	286.	a.
XXIII.	13.	B.	916.	a.
	16.	B.	507.	b.
XXIV.	16.	B.	753.	a.
	18.	A.	368.	a.
XXV.	1.	B.	181.	a.
XXVI.	18.	B.	615.	a.
XXVII.	18.	B.	84.	b.
XXVIII.	5.	B.	620.	a.
	7.	B.	739.	a.
	15.	A.	332.	a.
	17.	B.	280. N.	
	18.	B.	784.	b.
XXIX.	11.	B.	35.	b.
XXX.	4.	B.	369.	a.
	13.	A.	273.	a.
	24.	B.	120.	b.
	30.	B.	202.	a.

ECCLESIAST.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
I.	7.	A.	183.	a.
II.	26.	B.	663.	b.
III.	6.	B.	889.	b.
IV.	2.	B.	117.	a.
VII.	9.	B.	35.	b.
	15.	B.	744.	a.
IX.	8.	B.	303.	a.
X.	4.	B.	35.	b.
			190.	a.
XI.	1.	B.	772.	a.
	5.	B.	326.	b.

CANTIC.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
I.	5.	A.	587.	a.
	6.	A.	106.	b.
II.	5.	A.	488.	a.
	7.	B.	543.	a.
	11.	A.	106.	b.
III.	6.	B.	850.	a.
IV.	12.	A.	58.	a.
V.	7.	A.	99.	b.
VII.	4.	B.	324.	a.
VIII.	17.	B.	716.	a.

JEREMIÆ.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag.	Col.
I.	5.	A.	306.	b.
		B.	563.	b.
	10.	A.	319.	a.
	15.	A.	399.	b.
	18.	B.	565.	a.
II.	4.	A.	160.	b.
	5.	A.	94.	a.
	7.	A.	277.	a.
	11.	B.	553.	b.
	14.	A.	405.	a.
	16.	A.	676.	a.
		B.	168.	a.
	18.	B.	167.	a.
	20.	B.	751.	a.
	32.	B.	591.	b.
III.	1, 2.	B.	11.	a.
	3.	B.	545.	b.
	6.	B.	751.	a.
	8.	B.	602.	b.
	9.	B.	752.	b.
	14.	A.	197.	b.
			504.	b.
	14, 15.	B.	181.	b.
	16.	A.	282.	a.
		B.	462.	b.
	17.	A.	219.	b.
			346.	b.
		B.	451.	b.
			452.	

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
			452. a.
	18.	A.	346. b.
			347. a.
	24,25.	B.	687. b.
IV.	2.	B.	543. a.
	3.	B.	132. b.
	6.	A.	292. b.
			605. b.
	7,11.	A.	605. b.
		B.	79. b.
	19.	A.	491. b.
	21.	A.	398. b.
	22.	B.	739. a.
	26.	A.	277. a.
	27.	A.	118. b.
V.	1.	A.	564. b.
		B.	746. b.
	6.	B.	79. b.
	9.	A.	458. b.
	15.	A.	134. a.
			383. a.
			606. a.
		B.	256. a.
	27.	A.	80. a.
	31.	B.	108. a.
VI.	1.	A.	292. b.
	2.	B.	504. b.
	10.	A.	161. b.
	13.	B.	108. a.
	16.	B.	299. a.
			775. b.
	20.	B.	466. b.
	22.	B.	401. b.
	22,23.	A.	606. a.
VII.	18.	B.	514. b.
			753. b.
			903. b.
	20.	A.	368. a.
	21.	B.	466. a.
	21,22.	B.	468. b.
	26.	B.	545. b.
	29.	A.	268. a.
	33.	B.	736. a.
VIII.	8.	A.	129. b.
		B.	108. a.
	22.	B.	773. a.
IX.	7.	A.	507. b.
		B.	548. a.
	20.	B.	215. a.
	24.	A.	484. a.
	26.	A.	463. b.
		B.	641. a.
X.	1,2. seqq.	B.	513. a.
	5.	B.	411. b.
	7.	A.	370. b.
	12.	B.	369. b.
	16.	B.	779. a.
	19.	A.	470. b.
		B.	187. a.
			667. a.
	20.	B.	258. b.
XI.	13.	A.	505. b.
	15.	B.	219. a.
XII.	1.	B.	60. a.
	7.	B.	219. a.
	9.	B.	736. a.
	10.	B.	105. a.
	13.	A.	128. a.
	15.	A.	424. a.
XIII.	11.	B.	844. a.
	16.	A.	259. a.
		B.	166. b.
	23.	A.	587. a.
	24.	A.	605. a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
	26.	B.	525. b.
XIV.	7.	B.	788. a.
	18.	B.	108. a.
	22.	B.	625. a.
XV.	9.	A.	625. a.
	17.	A.	215. b.
XVI.	17.	B.	341. a.
XVII.	4.	B.	615. b.
	6.	A.	501. a.
	9.	B.	359. a.
	11.	B.	841. a.
	12.	B.	812. a.
	14.	B.	816. a.
	26.	B.	466. a.
XVIII.	9.	B.	632. b.
	18.	B.	108. a.
	21.	B.	205. b.
	22.	B.	18. a.
XIX.	9.	B.	139. a.
XX.	11.	B.	600. a.
	17.	A.	183. a.
XXI.	13,14.	A.	295. a.
			635. b.
XXII.	5.	A.	205. a.
	7.	A.	399. b.
		B.	655. a.
	8.	A.	620. a.
	16.	A.	311. b.
	17.	A.	183. a.
	22.	B.	364. b.
	23.	A.	296. b.
	29.	A.	320. b.
	30.	B.	898. a.
XXIII.	3.	A.	306. b.
			346. b.
	5.	A.	187. a.
			660. a.
			328. a.
		B.	663. N.
			679. b.
	6.	A.	368. b.
			183. b.
			349. a.
			251. a.
	7,8.	B.	462. b.
	12.	A.	261. a.
		B.	753. a.
	17.	B.	532. b.
	19,20.	A.	405. a.
	20.	B.	715. b.
	28.	B.	707. b.
	29.	B.	615. b.
	33,34.	A.	396. b.
	34,36.	B.	174. b.
XXV.	9.	B.	273. b.
	14.	A.	67. a.
	24.	A.	587. b.
			589. b.
	37,38.	B.	202. a.
XXVII.	6.	B.	520. a.
	9.	B.	748. a.
XXVIII.	9.	B.	544 b.
	16.	B.	788. b.
XXIX.	7.	A.	555. b.
	14.	B.	451. b.
	22.	B.	908. a.
XXX.	8.	B.	638. b.
	11.	B.	638. b.
	12.	B.	187. a.
	14.	B.	847. a.
	16.	B.	638. b.
	17.	A.	575. b.
		B.	847. a.
	18.	B.	219. a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
			319. b.
	21.	A.	298. b.
			306. b.
		B.	600. b.
	22.	B.	106. a.
	24.	B.	715. b.
XXXI.	1, & seqq.	A.	369. b.
		B.	106. a.
	1.	B.	364. b.
	7.	B.	556. b.
			832. b. N.
	8--11.	A.	346. b.
	8.	B.	401. b.
	9.	B.	467. a.
	10.	B.	367. a.
			451. b.
			556. b.
	12.	B.	844. b.
	14.	B.	708. b.
	16.	B.	833. a.
	19.	B.	487. a.
			687. b.
	20.	B.	587. b.
	21.	B.	299. a.
			524. a.
	31.	B.	463. a.
			709. b.
	32.	B.	688. a.
	33.	A.	223. a.
			349. a.
		B.	263. a.
			626. b.
			688. b.
			833. a.
	34.	A.	336. b.
		B.	698. b.
	35.	B.	630. b.
			631. a.
	36.	B.	625. b.
	38,39,40.	B.	194. b. N.
XXXII.	18,19.	B.	130. b.
	19.	B.	850. b.
	35.	A.	492. b.
	40.	B.	709. b.
XXXIII.	6.	A.	238. b.
			246. b.
	9.	B.	521. b.
			806. b.
	13.	B.	906. a.
	20.	B.	502. a.
	26.	A.	424. a.
XXXIV.	8.	B.	329. b.
XXXV.	11.	A.	255. a.
XXXVI.	18.	B.	172. a.
	24.	B.	315. b.
XXXIX.	3,4.	A.	638. b.
XLIII.	7,8.	B.	168. a.
	10.	B.	258. a.
			520. a.
	12.	B.	717. b.
	12,13.	A.	554. a.
			572. a.
XLIV.	1.	A.	358. a.
	10.	B.	668. b.
	17,18.	B.	903. b.
	18.	B.	514. b.
	19.	B.	905. a.
	26.	A.	533. b.
XLVI.	1,2.	A.	395. b.
	11.	B.	524. a.
	21.	A.	261. a.
XLVII.	2.	A.	192. b.
			456. a.
	4.	A.	449. a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag.	Col.
XLVIII.	1.	B.	52.	a.
	7.	B.	515.	b.
	11.	A.	173.	b.
	16.	B.	818.	b.
	17.	A.	509.	b.
	29.	A.	487.	a.
	32.	A.	489.	b.
			490.	b.
	33.	A.	491.	a.
	34.	A.	470.	a.
	41.	A.	469.	a.
XLIX.	3.	B.	515.	b.
	19.	B.	550.	a.
	22.	B.	519.	b.
	23.	A.	270.	b.
			417.	a.
	28.	A.	353.	a.
			624.	b.
		B.	431.	b.
	35.	A.	642.	a.
L.	2.	A.	614.	b.
		B.	343.	a.
			417.	b.
	7.	A.	405.	b.
	9.	B.	396.	a.
	10.	B.	555.	a.
	12.	B.	524.	a.
	17.	B.	528.	a.
	19.	B.	153.	a.
	28.	B.	89.	a.
			528.	b.
	32.	B.	530.	a.
			537.	b.
	34.	B.	278.	b.
	35.	B.	532.	a.
	38.	B.	482.	a.
			514.	a.
	39.	A.	415.	a.
	44.	B.	550.	a.
	45.	B.	93.	b.
	46.	A.	613.	b.
LI.	2.	B.	8.	a.
	5.	B.	687.	b.
	9.	B.	92.	b.
	11.	A.	409.	b.
		B.	528.	b.
	12.	A.	381.	b.
	13.	A.	614.	b.
	14.	A.	490.	b.
	20.	A.	267.	a.
	23.	B.	413.	a.
	24.	A.	405.	b.
	25.	B.	527.	a.
	27,28.	B.	494.	a.
	28.	B.	413.	a.
	29.	B.	715.	b.
	30.	A.	567.	b.
	34.	B.	79.	a.
			528.	a.
			592.	b.
	36.	A.	364.	a.
		B.	554.	a.
			607.	a.
	39.	A.	609.	b.
	44.	A.	614.	b.
		B.	482.	a.
			514.	a.
	46.	A.	173.	b.
	47.	B.	482.	a.
			514.	a.
	52.	A.	614.	b.
	57.	B.	532.	a.

THREN.

I.	1.	B.	530.	b.
	15.	B.	524.	a.
			851.	b.
	20.	A.	491.	b.
II.	1.	A.	368.	a.
	5.	B.	139.	a.
	8.	B.	122.	b.
	10.	A.	101.	b.
			675.	b.
		B.	524.	b.
			527.	a.
	17.	A.	272.	a.
	22.	A.	368.	a.
		B.	549.	a.
III.	1.	B.	117.	a.
	2.	B.	527.	a.
	11.	A.	118.	b.
	27,28.	B.	527.	a.
	28.	A.	101.	b.
	44.	B.	780.	a.
	45.	A.	132.	b.
IV.	1.	A.	259.	a.
	3.	B.	296.	b.
	9.	A.	638.	a.
	10.	B.	587.	a.
	15.	B.	650.	a.
	16.	B.	528.	a.
	19.	A.	639.	b.
	22.	B.	638.	b.
V.	12.	B.	528.	a.
	20.	B.	585.	b.

EZECHIEL.

I.	3.	A.	215.	b.
		B.	823.	b.
	4.	B.	104.	b.
	17.	A.	150.	a.
	22.	B.	275.	N.
	26.	B.	695.	a.
	28.	A.	141.	b.
III.	5.	B.	113.	N.
	7.	B.	545.	a.
	9.	B.	545.	a.
	12.	B.	74.	a.
			760.	b.
			812.	a.
	14.	A.	215.	b.
		B.	823.	b.
IV.	7.	B.	525.	a.
	9.	B.	128.	b.
V.	1,2.	A.	195.	a.
	3.	B.	180.	b.
	13.	A.	368.	a.
		B.	753.	b.
VI.	9.	B.	507.	b.
	12.	B.	572.	a.
	14.	A.	118.	b.
VII.	16.	B.	507.	b.
	19.	B.	759.	b.
VIII.	1.	A.	695.	a.
	17.	B.	571.	a.
IX.	2.	B.	172.	a.
	5.	A.	141.	b.
X.	2.	A.	141.	b.
XII.	12.	A.	641.	a.
XIII.	5.	B.	775.	b.
			791.	b.
	13.	B.	104.	b.
	18.	B.	173.	b.
XVI.	12.	A.	99.	a.
		B.	828.	a.
	14.	B.	175.	b.
	21.	B.	751.	b.
	41.	B.	214.	b.

	46.	B.	687.	a.
XVII.	3.	A.	82.	b.
			294.	b.
		B.	323.	b.
			519.	b.
			527.	a.
	4.	A.	294.	b.
	9.	A.	306.	a.
	22.	B.	175.	b.
			380.	b.
			663.	N.
	23.	A.	307.	b.
XVIII.	6.	B.	898.	b.
	25.	B.	60.	a.
XIX.	4.	B.	329.	a.
	11,12.	B.	175.	b.
XX.	3.	A.	82.	b.
	5,6.	B.	595.	a.
	12.	B.	726.	b.
			727.	b.
	34.	A.	346.	b.
			348.	a.
	35.	A.	603.	a.
		B.	225.	a.
	36.	A.	358.	a.
	38.	B.	557.	b.
XXI.	10.	A.	159.	a.
	19.	B.	730.	a. N.
	31.	B.	381.	a.
			701.	b.
XXII.	18,19.	B.	548.	a.
	30.	B.	775.	b.
			791.	b.
XXIII.	10.	B.	525.	b.
	39.	B.	751.	b.
XXIV.	17,23.	B.	827.	b.
XXV.	16.	A.	449.	b.
XXVI.	7.	A.	699.	a.
	17.	A.	666.	b.
	21.	A.	512.	b.
			665.	a.
XXVII.	4.	A.	666.	b.
	7.	A.	562.	a.
	12.	A.	261.	a.
	16.	B.	695.	b.
	21.	A.	629.	b.
	23.	B.	319.	b.
	26,27.	A.	666.	b.
XXVIII.	2.	A.	707.	b.
	3,4,5.	A.	273.	b.
	6.	B.	490.	b.
	7,8.	A.	667.	b.
	10.	B.	676.	a.
XXIX.	3.	B.	78.	b.
			328.	b.
	7.	B.	636.	b.
	10.	A.	350.	a.
		B.	325.	b.
XXX.	9.	A.	519.	a.
	11.	A.	557.	b.
	13.	A.	558.	a.
	15.	B.	584.	a.
	18.	B.	168.	a.
	24,25.	B.	79.	b.
XXXI.	3.	A.	296.	b.
			507.	a.
	11.	B.	602.	b.
	14.	B.	489.	N. b.
XXXII.	2.	B.	78.	b.
	2,3.	A.	558.	a.
	7.	A.	406.	a.
	14.	A.	560.	a.
XXXIII.	31.	A.	695.	a.
		B.	762.	a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
XXXIV.	5.	B.	736. a.
	11.	B.	847. a.
	13.	B.	579. b.
	22.	A.	346. b.
	25.	A.	333. b.
		B.	709. b.
	29.	B.	744. a.
	31.	A.	330. b.
XXXVI.	20.	B.	643. b.
	24. ſeqq.	B.	222. a.
	25.	B.	656. a.
	26.	B.	463. a.
			545. a.
	28.	B.	106. a.
	35.	B.	622. a.
XXXVII.	13, 14.	B.	222. b.
	16.	A.	203. b.
	17.	A.	316. b.
	26.	A.	219. b.
XXXVIII.	4.	B.	329. a.
	8.	B.	22. b.
	9.	A.	261. a.
		B.	236. b.
	18.	B.	897. b.
XXXIX.	4.	A.	447. b.
	17. ſeqq.	B.	40. b.
	29.	B.	222. b.
			797. b.
XLIII.	7.	B.	812. b.
	15, 16.	B.	137. b.
			140. a.
XLIV.	7-10.	B.	641. a.
	9.	B.	299. b.
			641. a.
	18.	A.	98. b.
XLV.	12.	A.	176. b.
XLVII.	1.	A.	372. a.
	1. ſeqq.	B.	267. a.
	2, 3.	A.	338. a.
	11.	B.	288. b.
			956. a.
	16, 17.	A.	270. b.
XLVIII.	1.	A.	270. b.

DANIEL.

I.	5.	B.	954. a.
	12.	A.	181. a.
II.	2.	B.	414. b.
			490. b.
	5, 10.	B.	490. b.
	22.	B.	546. a.
	29.	B.	546. a.
	34.	B.	408. b.
	37.	B.	527. a.
	44.	A.	486. a.
	44, 45.	B.	359. a.
III.	2, 3.	B.	532. a.
	24.	B.	532. a.
IV.	5.	A.	309. b.
	10, 11.	A.	296. b.
	16, 17.	A.	306. b.
	30.	B.	530. a.
VII.	3. ſeqq.	B.	79. b.
	7.	B.	116. a.
	9.	B.	517. a.
	10.	A.	150. a.
		B.	898. a.
	23.	A.	692. a.
	26.	A.	324. b.
VIII.	5.	B.	396. b.
	10-13.	B.	21. a, b.
	13.	B.	236. b.
	14.	B.	74. b.
			75. a.
	17.	B.	22. b.
	19.	B.	7. a.
			9. b.
			72. b.
			690. b.
	20.	A.	692. a.
	23.	B.	255. a.
	23, 24.	B.	12. b.
	24.	B.	236. b.
	25.	B.	236. b.
	26.	B.	22. b.
IX.	16.	A.	368. b.
		B.	511. a.
	18.	B.	321. a.
	24.	A.	56. b.
		B.	491. b.
			543. b.
			679. b.
	25.	B.	179. b.
	26.	A.	118. b.
	27.	B.	122. b.
			428. b.
X.	1.	B.	352. a.
XI.	5, 6.	B.	169. a.
	10.	B.	115. a.
	21. ſeqq.	B.	236. b.
	33, 35.	B.	237. a.
	36.	B.	72. b.
	43.	A.	587. a.
			350. a.
XII.	1.	B.	212. b.
			213. a.
	2.	B.	68. b.
			957. b.
	3.	B.	242. b.
	4, 9.	B.	148. b.
	10.	B.	788. b.
	11.	B.	74. b.

HOSEÆ.

I.	4.	B.	818. b.
			854. a.
	6, 7.	B.	205. a.
	7.	A.	241. a.
		B.	550. b.
	10.	B.	632. b.
II.	1.	A.	282. b.
	2.	B.	557. a.
	13.	B.	351. a.
	13. 14.	A.	348. a.
	14.	B.	902. a.
	15.	A.	103. b.
		B.	686. a.
			688. a.
	16.	A.	603. a.
	18, 19.	B.	688. b.
	20.	A.	333. b.
	22.	B.	632. b.
			818. b.
III.	1.	A.	488. a.
	2.	A.	176. b.
	3.	B.	604. a.
	5.	B.	620. a.
IV.	6.	B.	165. b.
	11.	B.	103. a.
	17.	B.	843. a.
V.	7.	A.	79. b.
	15.	B.	74. a.
VI.	1.	A.	229. a.
	1, 2.	B.	69. a.
	2.	B.	134. b.
			891. a.
	5.	A.	319. a.
		B.	864. a.
	11.	B.	133. b.
VII.	2.	B.	341. a.
	6.	A.	179. a.
			258. a.
	7.	A.	259. a.
		B.	782. b.
	8.	A.	268. a.
	10.	B.	788. a.
	14.	A.	467. b.
			644. b.
	16.	B.	189. b.
VIII.	4.	B.	700. b.
	6.	A.	179. a.
	10.	B.	310. a.
	11.	A.	505. b.
	12.	A.	131. b.
		B.	112. a.
IX.	3.	A.	213. a.
			425. a.
	7.	A.	253. b.
			261. a.
			309. b.
	10.	A.	463. b.
	11.	A.	261. b.
			501. b.
	12.	A.	261. a.
	13.	A.	666. a.
	14.	B.	218. a.
	15.	B.	602. b.
	16.	A.	131. a.
X.	4.	A.	257. b.
	8.	A.	141. b.
		B.	166. b.
	10.	B.	126. b.
	11.	A.	197. b.
	14.	A.	501. a.
XI.	7.	B.	794. a.
	9-11.	A.	344. b.
			346. b.
		B.	15. a.
			97. b.
			451. b.
	10.	B.	570. b.
			941. b.
	11.	B.	589. b.
XII.	2.	B.	170. b.
			486. a.
	5.	A.	159. a.
	7.	B.	625. a.
XIII.	4.	A.	262. a.
	13.	B.	316. b.
	14.	B.	47. a.
			114. b.
XIV.	3.	B.	646. b.
			733. a.
	4.	B.	167. a.
			177. b.
	6.	A.	340. a.
		B.	71. a.
	8.	B.	928. b.

JOEL.

II.	1, 2.	A.	259. a.
	9.	B.	239. b.
	19.	B.	638. b.
	23.	B.	498. a.
	24.	B.	844. b.
	28.	A.	309. b.
			336. b.
	31.	B.	23. b.
			29. b.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
			277. a.
III.	2.	B.	273. b.
	9.	A.	235. a.
	10.	B.	266. a.
	10, 11, 12.	A.	242. b.
	12.	B.	853. b.
	13.	B.	851. b.
	14.	B.	406. b.
	17.	B.	34. a.
	18.	B.	262. b.
			267. a.
			844. b.
AMOS.			
I.	2.	B.	153. a.
	3.	B.	129. b.
	5.	B.	752. a.
	13.	A.	133. a.
II.	4, 5.	B.	442. b.
	12. ſeqq.	B.	178. a.
III.	11.	A.	510. b.
IV.	10.	A.	285. b.
	13.	B.	778. b.
V.	9.	A.	279. b.
	10.	A.	257. a.
	18.	A.	128. a.
	20.	A.	82. b.
	21.	A.	314. b.
	25.	B.	468. b.
	27.	A.	254. a.
VI.	9.	A.	148. b.
	12.	B.	133. a.
VII.	1-4.	B.	102. b.
	2.	B.	637. a.
	2, 5.	A.	503. a.
	4.	A.	254. b.
	7, 8.	B.	713. b.
	8, 9.	B.	122. b.
VIII.	9.	A.	259. a.
	11.	A.	230. a.
IX.	1.	A.	141. b.
			154. b.
	3.	B.	78. a.
	6.	B.	55. b.
			84. b.
			379. a.
	7.	A.	449. a.
	9, 10.	B.	133. b.
	10.	B.	557. b.
	11.	A.	308. a.
		B.	117. b.
			571. b.
			862. a.
	12.	B.	508. a.
	13.	B.	262. b.
			267. a.
	15.	B.	639. a.
OBADJÆ.			
	1.	B.	931. a.
	14.	B.	507. b.
	15.	B.	273. b.
	16.	B.	40. b.
	17-21.	B.	24. b.
	18.	B.	274. a.
	21.	B.	262. b.
JONÆ.			
II.	7.	B.	761. a.
III.	2.	B.	355. N.
	5.	B.	771. a.
IV.	11.	A.	188. a.
		B.	92. a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
MICHÆ			
I.	2.	B.	274. b.
	6.	A.	268. a.
	8.	B.	789. b.
	12.	A.	290. a.
II.	1, 2.	A.	260. b.
III.	10.	B.	780. b.
	11.	B.	532. b.
	12.	A.	109. a.
		B.	133. a.
			141. b.
			885. b.
IV.	3.	B.	681. a.
	5.	A.	68. a.
	7.	A.	246. b.
			268. a.
	8.	B.	219. b.
			220. a.
	9.	A.	469. a.
	13.	B.	406. b.
V.	1.	A.	642. a.
			306. b.
	2.	A.	186. b.
		B.	158. b.
			686. b.
	3.	A.	341. a.
		B.	381. a.
	5.	A.	390. b.
	11.	B.	748. a.
VI.	8.	B.	129. a.
			553. a.
	9.	A.	316. b.
VII.	2.	B.	744. b.
	4.	B.	605. a.
	7.	B.	625. a.
	8.	A.	259. a.
		B.	527. a.
			614. a.
	10.	A.	268. a.
		B.	413. a.
	12.	B.	325. a.
	14.	A.	276. b.
		B.	153. b.
			324. a.
			862. a.
	15.	A.	348. a.
		B.	627. b.
			878. a.
	17.	B.	596. b.
			921. b.
	19.	B.	46. a.
			341. a.
	20.	A.	308. b.
NAUM.			
I.	3.	B.	104. b.
	11.	B.	212. b.
			590. a.
	12.	A.	195. a.
	13.	A.	239. a.
	14.	B.	380. b.
II.	1.	B.	494. a.
	2.	B.	8. a.
			648. a.
	10.	B.	8. b.
	11, 12.	B.	170. a.
III.	4.	B.	531. a.
	8.	A.	558. a.
		B.	260. b.
	9.	A.	350. a.
			589. b.
	10.	A.	409. a.
	11.	B.	532. a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
HABACUC.			
I.	5.	A.	272. b.
		B.	126. a.
			146. a.
	6, 7.	A.	606. a.
	11, 14, 15.	A.	274. a.
	12.	B.	192. a.
	13.	B.	592. b.
			898. a.
II.	1.	B.	352. a.
			360. a.
	2.	B.	172. a.
	3.	A.	316. b.
		B.	122. a.
			645. b.
	4.	B.	122. a.
			357. b.
			679. b.
			715. a.
	5.	A.	606. b.
		B.	47. a.
			114. b.
	16.	A.	275. b.
	20.	A.	146. b.
III.	2.	A.	124. a.
		B.	134. b.
			501. a.
			535. a.
	7.	A.	586. b.
	8.	B.	940. a.
	11.	A.	176. a.
	12.	B.	50. a.
	18.	B.	834. b.
	19.	B.	779. a.
TSEPHAN.			
I.	7.	A.	82. b.
	12.	B.	411. b.
	14.	B.	433. a.
	15.	A.	619. b.
II.	6.	A.	285. b.
	9.	B.	266. b.
	11.	B.	392. a.
	13.	A.	324. a.
	14.	A.	315. a.
	15.	A.	449. b.
III.	6.	A.	565. b.
	7.	B.	860. a.
	9.	A.	68. b.
			570. b.
		B.	112. a.
	9, 10.	B.	504. a.
	10, 20.	A.	345. b.
	12.	A.	282. b.
		B.	225. a.
	13.	B.	94. b.
	17.	B.	842. a.
	19, 20.	B.	844. a.
HAGGAI.			
I.	6.	B.	181. a.
	13.	A.	152. b.
II.	5, 6.	B.	552. b.
	6.	A.	286. b.
	7.	A.	154. b.
		B.	154. b.
			632. a.
	8.	B.	25. b.
			426. a.
	13.	B.	180. b.
	22, 23.	B.	9. b.
	22-24.	A.	366. a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
ZACHAR.			
I.	8,9.	A.	398. a.
		B.	181. b.
			281. b.
	15.	B.	691. a.
	17.	A.	424. a.
		B.	548. b.
	18.	A.	141. b.
		B.	701. b.
II.	1.	A.	141. b.
	5.	B.	55. a.
			257. a.
			589. a.
	8.	A.	282. a.
	10.	A.	317. a.
			349. a.
	11.	A.	427. b.
	13.	A.	146. b.
	15.	A.	219. b.
			425. a.
	16.	A.	424. a.
III.	2.	A.	424. a.
		B.	548. b.
	7.	A.	152. b.
	8.	A.	307. b.
		B.	133. b.
			663. N.
	8,9.	B.	118. b.
	12.	B.	133. b.
IV.	1. ſeqq.	B.	85. a.
	2.	A.	115. a.
	3,12.	A.	153. b.
	6.	A.	289. a.
	7.	A.	362. b.
		B.	359. a.
	9.	A.	272. a.
V.	1. ſeqq.	B.	12. b.
			13. a.
VI.	2,7.	B.	281. b.
	8.	B.	35. b.
	12.	A.	103. a.
		B.	663. N.
	13.	B.	669. a.
VIII.	3,4.	B.	179. b.
	16.	B.	789. a.
	22.	B.	681. a.
IX.	1-8.	A.	696. a.
	2.	A.	381. b.
	5.	A.	599. a.
	8.	B.	66. b.
			85. a.
	9.	B.	667. b.
	9,10.	A.	74. a.
			243. a.
			250. a.
	10.	B.	401. a.
	12.	B.	352. a.
			429. a.
	13.	B.	106. b.
	13,14.	B.	238. b.
	14.	A.	605. a.
X.	1.	B.	183. a.
			225. a.
			474. b.
			901. b.
	2.	B.	415. a.
			486. b.
			773. b.
	3.	B.	225. a.
			605. a.
	4.	A.	565. a.
			657. a.
	5.	A.	268. a.
		B.	106. b.
			413. a.
	6.	B.	106. a.
	5,6,7.	A.	353. b.
	8.	A.	133. b.
			192. b.
	10.	B.	451. b.
	10,11.	A.	364. a.
	11.	B.	236. a.
			554. a.
XI.	1.	A.	295. a.
	7.	A.	317. a.
		B.	585. a.
	9.	B.	600. a.
	10,14.	B.	124. b.
	17.	B.	709. a.
			936. b.
XII.	1.	B.	143. b.
			427. b.
	2.	A.	435. b.
		B.	40. a. b.
	2,3.	B.	145. a. b.
	7.	A.	599. a.
	8.	B.	187 b.
	9,10.	B.	222. b.
			797. b.
	10,11.	A.	346. b.
			599. a.
	11.	A.	278. b.
XIII.	4.	A.	596. a.
	9.	A.	163. b.
		B.	476. a.
XIV.	1,2.	B.	10. b.
	1. ſeqq.	B.	41. b.
	2.	B.	273. b.
	2,3.	B.	254. b.
	5.	B.	940. a.
	6.	A.	103. b.
	7.	B.	186. a.
			817. a.
	8.	B.	267. a.
			705. a.
	9.	B.	429. b.
	11,18,19.	B.	804. a.
	13.	B.	238. b.
			932. b.
	14.	B.	806. b.
	16.	B.	43. a.
			188. a.
			804. a.
			954. a.
			955. a.
	17.	B.	183. a.
			474. b.
			812. a.
	18.	B.	812. a.
	18,19.	B.	956. a.
	20.	B.	299. b.
	20,21.	B.	818. a.
MALACH.			
I.	11.	B.	733. a.
			951. a.
II.	5.	B.	244. a.
	7.	B.	244. a.
	15.	B.	621. N.
III.	1.	A.	112. a.
			143. a.
			152. b.
			187. a.
			286. b.
		B.	154. b.
			356. b.
			358. a.
			359. b.
			455. a.
			552. b.
	2.	A.	316. b.
		B.	548. a.
	3.	B.	651. a.
	5.	A.	553. a.
	24.	A.	320. b.
IV.	1.	A.	340. a.
			656. b.
	2.	B.	56. a.
			509. b.
			829. a.
	6.	A.	320. b.
		B.	358. a.
			644. a.
MATTH.			
I.	6.	A.	304. b.
III.	1.	A.	476. a.
		B.	356. a.
	5.	B.	711. a.
	11.	A.	66. a.
			656. b.
		B.	84. a.
	12.	A.	615. a.
	16.	A.	312. b.
IV.	5.	B.	543. b.
	7.	A.	181. a.
	13,14,15.	A.	233. b.
V.	1.	B.	364. b.
	3.	B.	824. a.
			926. b.
	3,5.	B.	155. a.
	4.	B.	827. b.
	4,6.	B.	610. a.
	6.	B.	705. a.
	17.	B.	109. a.
	18.	B.	287. b.
			625. b.
	20.	B.	224. b.
	22.	B.	774. a.
VIII.	11,12.	B.	154. b.
			224. a.
			451. a.
			617. b.
	17.	B.	667. a.
	26.	B.	606. a.
IX.	13.	B.	706. a.
	17.	B.	42. b.
			640. b.
			826. a.
X.	42.	B.	818. b.
XI.	5.	B.	424. b.
	7.	A.	256. b.
	12.	A.	353. b.
	25.	A.	224. b.
			334. b.
			368. a.
		B.	151. a.
	27.	A.	247. b.
	28.	B.	386. b.
			619. a.
XII.	16,17.	B.	423. b.
	18.	B.	421. a, b.
	20.	B.	424. b.
	21.	B.	426. a.
	29.	B.	365. b.
			432. b.
	32.	B.	777. b.
	36.	B.	316. b.
	42.	B.	401. a.
			807. a.
	45.	B.	897. a.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
XIII.	14.	A.	138. a.
	17.	A.	161. a.
	19.	A.	69. a.
	30.	B.	133. b.
			758. b.
	40.	A.	338. a.
	41.	A.	153. a.
			336. a.
			338. a.
		B.	276. b.
	45.	B.	144. a.
	46.	B.	706. b.
	49.	B.	758. b.
XV.	9.	B.	150. a.
	13.	A.	509. a.
	14.	B.	429. a.
	15.	B.	148. a.
	22.	A.	704. b.
XVI.	18.	B.	120. b.
	19.	A.	656. a.
XVII.	22.	A.	230. a.
XVIII.	4.	A.	334. b.
	10.	B.	818. b.
XIX.	1.	A.	234. a.
	12.	B.	729. a.
	15.	A.	249. b.
	24.	B.	808. b.
	28.	B.	213. a.
XX.	1. seqq.	B.	734. a.
	28.	A.	67. a.
		B.	678. a.
			681. a.
XXI.	3. seqq.	B.	667. b.
	12, 13.	B.	733. b.
	19.	B.	883. b.
	33.	A.	113. b.
	34.	B.	134. a.
	38.	A.	213. a.
	41.	A.	109. b.
	43.	B.	154. a.
			604. a.
XXII.	7.	A.	321. a.
		B.	906. a.
	11.	B.	640. b.
	13.	A.	305. a.
			325. a.
		B.	956. a.
	16.	B.	425. a.
XXIII.	2.	B.	110. a.
	9.	B.	471. b.
	16.	B.	148. a.
	23.	B.	708. b.
	35.	B.	899. b.
	38.	A.	118. b.
		B.	219. a.
XXIV.	22.	B.	881. b.
	1.		940. b.
	29.	B.	23. b.
			25. b.
			29. b.
			275. N.
			276. a.
	30.	B.	794. b.
			878. a.
	31.	A.	153. a.
			344. a.
		B.	26. a.
			97. b.
	32.	B.	133. b.
	34.	A.	272. b.
	38.	B.	940. b.
	41, 42.	B.	134. a.
	48, 49.	A.	130. a.
		B.	699. b.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
	50.	A.	324. b.
			758. b.
	51.	A.	325. a.
XXV.	10.	B.	758. b.
	26.	B.	758. b.
	41.	B.	957. b.
XXVI.	28.	B.	709. b.
	29.	B.	42. b.
	36.	B.	103. b.
	64.	A.	103. b.
			324. b.
		B.	612. b.
			654. b.
	65.	B.	315. b.
	67, 68.	B.	611. b.
XXVII.	9.	A.	22. a, b.
			23. a, b.
	15.	B.	190. b.
	33.	B.	194. N.
	53.	B.	543. b.
XXVIII.	18.	A.	247. b.

MARC.

I.	15.	B.	351. b.
			352. a.
	24.	B.	777. a.
II.	8.	A.	317. a.
III.	32.	A.	695. a.
V.	3.	B.	21. b.
VII.	26.	A.	704. b.
IX.	43, 46, 48.	B.	956. a.
	48.	B.	617. b.
	50.	A.	74. a.
X.	1.	A.	234. a.
	19.	B.	250. b.
	29, 30.	B.	159. a.
XI.	15-17.	B.	733. b.
XIII.	25.	B.	379. a.
XVI.	15.	A.	354. b.

LUCÆ.

I.	14.	A.	244. a.
	17.	A.	311. a.
		B.	625. 2. a.
	32.	A.	250. a.
			485. b.
	32, 33.	B.	710. a.
	35.	B.	569. b.
			823. a.
	47.	B.	834. b.
	51.	A.	373. b.
	51, 52.	B.	255. a.
	65.	B.	351. a.
	68.	A.	56. b.
			213. a.
			347. b.
			369. a.
	70, 71.	A.	239. a.
	71.	B.	367. a.
	78, 79.	A.	236. b.
	80.	B.	356. a.
II.	10.	A.	237. b.
		B.	42. a.
	13.	A.	247. a.
	14.	A.	244. a.
		B.	226. a.
			577. a.
	29.	B.	745. b.
	30, 31.	B.	42. a.
	34.	A.	202. b.
			217. b.
			221. b.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
	49.	B.	610. b.
	52.	B.	663. b.
IV.	18.	B.	822. b.
			823. a.
	19.	B.	825. a. N.
			826. a.
	22.	B.	610. a.
V.	10.	B.	504. b.
VI.	12.	B.	567. a.
VII.	39.	A.	314. a.
	46.	B.	303. a.
X.	16.	A.	181. b.
	17, 18.	B.	366. b.
	18.	B.	432. b.
			599. b.
	19.	B.	599. b.
	20.	A.	105. a.
	39.	A.	161. a.
			695. a.
XI.	22.	A.	249. b.
	52.	B.	148. b.
XII.	28.	B.	808. b.
	49.	B.	615. b.
XIII.	16.	B.	825. a.
	17.	A.	238. a.
XV.	22.	B.	640. b.
XVI.	9.	B.	250. b.
	22.	B.	746. a.
	22, 23.	B.	957. a.
	23, 24.	B.	907. b.
	24.	B.	617. b.
XVII.	33.	B.	69. a.
XVIII.	1. seqq.	B.	838. b.
			840. b.
	5.	B.	843. b.
XIX.	14.	A.	320. b.
	27.	B.	125. b.
	41.	B.	568. a.
	42.	A.	224. b.
	43.	B.	140. a.
			141. b.
	44.	B.	605. a.
XXI.	4.	B.	710. b.
	20.	A.	521. b.
		B.	140. a.
			141. b.
	22.	B.	287. b.
	24.	B.	32. b.
	25.	A.	231. b.
	31.	B.	725. a.
XXIII.	54.	B.	954. a.
XXIV.	44.	B.	287. b.
	45, 46, 47.	A.	69. b.

JOHAN.

I.	9.	B.	829. a.
	11.	A.	213. a.
		B.	623. a.
	12.	A.	247. b.
	14.	A.	219. b.
		B.	359. b.
	16.	B.	354. a.
	17.	A.	327. b.
	25.	A.	67. b.
	28.	B.	356. a.
	29.	B.	681. b.
	47.	A.	236. b.
	48.	B.	445. a.
	48, 49.	A.	314. a.
II.	10.	B.	188. a.
	11.	B.	359. b.
	17.	B.	734. a.
	20.	B.	925. a.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
	23.	B.	190. b.
	24, 25.	A.	317. a.
III.	2.	A.	159. a.
	11.	B.	711. a.
	16.	A.	247. b.
	19.	A.	236. b.
	34.	B.	360. a.
			552. a.
	35.	B.	570. b.
	36.	A.	247. b.
IV.	10.	A.	247. b.
	14.	A.	371. a.
	35.	B.	134. a.
V.	1.	B.	190. b.
	22.	A.	247. b.
VI.	32.	A.	247. b.
			349. a.
			686. a.
	37.	A.	225. a.
	40.	A.	599. a.
		B.	680. a.
	44, 45.	A.	223. b.
		B.	698. b.
	48.	B.	707. b.
VII.	24.	A.	315. a.
			317. b.
	27.	B.	659. a.
	38.	A.	372. b.
	52.	A.	236. b.
VIII.	15.	A.	317. b.
	24.	A.	686. a.
	31.	B.	626. b.
	33.	B.	613. a.
	43.	A.	571. a.
	50.	B.	570. b.
	51.	A.	439. b.
		B.	724. b.
IX.	4.	B.	891. a.
	7.	B.	552. a.
	39.	A.	130. a.
	39-41.	B.	148. a.
	41.	B.	429. a.
X.	11.	B.	367. b.
			671. a.
	16.	B.	452. b.
			691. b.
	20.	A.	225. a.
		B.	612. b.
	26.	A.	127. a.
		B.	823. b.
XI.	9.	B.	891. a.
	52.	A.	344. b.
		B.	451. b.
XII.	20.	B.	563. a.
	28.	B.	566. b.
	31.	B.	366. b.
			599. b.
	32.	A.	342. a.
		B.	113. b.
			654. a.
			679. b.
	34.	B.	659. a.
	37.	B.	567. b.
	38.	B.	661. a.
	40.	A.	159. b.
			160. b.
	41.	A.	138. a.
			142. b.
		B.	359. b.
	42.	B.	567. b.
			605. a.
			662. b.
XIII.	31, 32.	B.	566. b.
XIV.	12.	B.	463. a.
XV.	1.	B.	132. b.
	20.	B.	724. b.
XVI.	22.	A.	237. b.
	33.	A.	249. b.
		B.	213. b.
XVII.	3.	B.	552. a.
	6.	A.	225. a.
		B.	732. b.
	11.	B.	691. b.
XVIII.	37.	B.	711. a.

ACTOR. AP.

I.	11.	A.	324. b.
	13.	A.	105. a.
II.	2, 46.	A.	105. a.
		B.	97. b.
			363. a.
	3.	A.	131. b.
	5.	A.	354. b.
	10.	A.	583. a.
	24.	B.	71. b.
	30.	A.	306. b.
	30, 32.	A.	308. b.
	36.	B.	365. a.
	38.	B.	713. a.
	39.	B.	949. a.
III.	17.	B.	149. a.
	19.	B.	26, a.
			36. b.
	25.	B.	465. a.
	26.	A.	355. a.
IV.	27.	A.	319. a.
	31, 33.	A.	105. b.
			454. b.
	36.	A.	520. b.
V.	4.	A.	181. b.
VI.	7.	A.	69. a.
		B.	662. b.
	14.	A.	320. b.
		B.	362. b.
VII.	18.	B.	156. a.
	48.	B.	925. b.
	51.	B.	545. a.
VIII.	33.	B.	673. a.
IX.	10-12, 17.	A.	158. b.
	13, 32.	A.	104. b.
	15.	B.	651. a.
	24, 25.	A.	482. a.
X.	10, 11.	A.	329. a.
	38.	B.	121. a.
			570. b.
XI.	19.	A.	355. a.
XIII.	1, 2.	B.	560. a.
	32.	A.	131. b.
	34.	B.	709. b.
			710. a, b.
	38.	B.	353. a.
	40, 41.	B.	126. a.
	46.	B.	906. a.
	48.	A.	105. a.
XIV.	3.	A.	69. a.
XV.	1.	A.	67. a.
	10.	A.	239. b.
	28.	A.	70. a.
XVI.	14.	B.	155. a.
	16.	A.	79. N.
			227. a.
	22.	A.	237. b.
		B.	691. b.
	25, 26.	A.	154. b.
	30.	A.	249. b.
	33.	A.	249. b.
XVII.	24.	B.	926. a.
	26.	B.	397. b.
	31.	B.	660. a.
XIX.	16.	B.	366. b.
XX.	22.	B.	504. b.
	35.	B.	367. b.
XXI.	3. seqq.	A.	704. b.
XXIV.	14.	B.	299. a.
XXVI.	17.	B.	156. b.
	23.	A.	236. a.
XXVII.	26.	A.	138. a.

Ad ROMAN.

I.	3.	A.	308. b.
	3, 4.	B.	201. a.
	8.	B.	934. b.
	16.	A.	349. b.
	17.	B.	511. a.
	21.	B.	486. a.
II.	4.	B.	713. b.
	24.	B.	644. b.
III.	9, 10.	B.	782. b.
	20.	B.	362. b.
	24.	A.	56. b.
	25.	B.	487. b.
			669. a.
	27.	A.	69. a.
	30.	B.	689. a.
IV.	1.	B.	362. a.
	2.	B.	512. a.
V.	11.	A.	183. a.
	12.	A.	271. b.
	15.	A.	67. a.
	17.	B.	511. a.
	18.	B.	679. b.
	19.	B.	679. b.
	20.	B.	354. a.
	21.	A.	239. a.
VI.	14.	B.	577. a.
	17.	B.	626. b.
VIII.	2.	B.	825. b.
	6. seqq.	B.	373. b.
	9.	B.	361. b.
	14.	A.	232. b.
	19, 20.	B.	426. a.
	21.	A.	239. b.
	29.	A.	340. a.
	35, 38.	A.	249. b.
IX.	5.	A.	308. b.
	20, 21.	B.	500. a.
			501. a.
	24. seqq.	A.	282. b.
	25.	B.	632. b.
	32, 33.	A.	217. b.
	33.	A.	202. b.
		B.	121. a, b.
X.	11.	B.	121. a, b.
	16.	B.	662. a.
	18.	B.	557. b.
	20, 21.	B.	889. a, b.
XI.	7.	B.	154. a.
	8.	A.	138. a.
	15.	B.	68. a.
	16.	A.	165. a.
			306. a.
	17.	A.	306. a.
	18.	A.	340. a.
	19.	A.	165. a.
	25.	A.	129. b.
	25, 26.	B.	795. b.
			796. a, b.
	28.	A.	165. a.
	33, 34.	B.	200. a.
			505. a.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
	34.	B.	370. b.
XII.	8.	B.	774. a.
	16.	A.	129. b.
	18, 19.	A.	74. a.
XIII.	11.	B.	725. a.
XIV.	11.	B.	509. a.
XV.	5, 13.	A.	312. a.
	8.	A.	327. b.
	8, 9.	B.	464. a.
	12.	B.	426. b.
			625. a.
	16.	B.	950. b.
	19.	B.	934. b.
	27.	A.	429. a.
XVI.	19.	B.	504. b.
	20.	B.	366. a.
			599. b.
			626. 2. b.
			725. a.
	25, 26.	B.	565. a.
	26.	B.	504. b.

I Ad CORINTH.

I.	6.	A.	223. a.
	10.	A.	570. b.
	18.	B.	150. b.
	19.	B.	150. b.
	20.	B.	253. a.
			254. b.
			255. a.
	22.	A.	223. a.
		B.	425. b.
	27.	B.	300. b.
	30.	B.	361. b.
			511. a.
	31.	B.	512. a.
II.	9.	B.	878. b.
			879. b.
	10, 11.	B.	370. b.
	15.	B.	149. a.
	16.	B.	370. b.
III.	9.	B.	132. b.
V.	7.	A.	348. a.
VI.	2.	B.	213. b.
VIII.	3.	A.	311. b.
		B.	871. b.
IX.	12.	B.	504. b.
X.	4.	B.	464. a.
XII.	8, 28.	A.	310. a.
XIV.	21.	B.	113. a.
	24, 25.	B.	504. b.
	36.	A.	69. a.
XV.	10.	B.	567. b.
	19.	B.	426. a.
			625. a.
	31.	B.	67. b.
	32.	A.	648. b.
	54.	B.	47. a.

II Ad CORINTH.

I.	10.	A.	327. b.
	20.	B.	910. a.
			911. a.
III.	3.	A.	223. a.
	11.	B.	613. a.
	16.	B.	44. b.
IV.	7.	B.	651. a.
V.	16.	A.	317. b.
		B.	362. a.
	19.	A.	69. a.
		B.	463. a.
	21.	B.	511. a.
			666. b.
			678. a.
			679. b.
VI.	2.	B.	576. b.
			579. a.
	16.	A.	146. a.
			343. a.
	17.	B.	652. a. N.
VII.	1.	B.	641. a.
IX.	7.	B.	774. a.
	8.	B.	354. a.
	10.	B.	724. b.
X.	4.	A.	353. b.
	5.	B.	504. b.
XI.	32.	A.	482. a.
XII.	9.	B.	386. b.
	10.	B.	386. b.
	14.	B.	504. b.

Ad GALAT.

I.	4.	B.	156. b.
			588. a.
	17.	B.	651. b.
II.	16.	B.	362. b.
III.	3.	B.	362. a.
	5.	B.	661. b.
	16.	A.	322. b.
	17.	A.	131. b.
	20.	B.	689. a.
	23.	B.	825. b.
IV.	2.	A.	247. b.
	4.	B.	352. a.
	5.	B.	429. a.
	9.	B.	708. b.
	11.	B.	567. b.
	26, 28.	B.	685. a.
V.	1.	A.	239. b.
		B.	825. b.
	12.	B.	590. b.
VI.	2.	B.	229. b.
			440. a.
	3.	A.	686. a.
	16.	B.	298. b.
			759. b.

Ad EPHES.

I.	4.	B.	563. b.
	7.	A.	56. b.
			347. b.
	13.	A.	69. a.
		B.	863. a.
	18.	B.	155. a.
II.	4.	B.	714. a.
	12, 13.	B.	728. a.
			949. b.
	15.	B.	619. b.
	19, 20.	B.	842. a.
	20.	B.	120. a.
III.	9.	A.	632. b.
	20.	B.	850. b.
IV.	1, 2, 3.	A.	74. a.
	9.	B.	489. a.
	24.	B.	710. a.
	26.	B.	656. a.
	30.	A.	223. a.
		B.	863. b.
V.	25.	B.	689. a.
VI.	14.	B.	793. a.
	17.	B.	793. b.

Ad PHILIPP.

II.	10.	B.	509. b.
	13.	B.	808. a.
	16.	A.	69. a.
III.	3.	A.	105. a.
	4.	B.	362. a.
			883. a.
IV.	3.	A.	105. a.

Ad COLOSS.

I.	14.	A.	56. b.
	20.	B.	226. a.
			669. a.
II.	8.	B.	644. a.
	11.	A.	105. a.
	15.	A.	240. a, b.
			659. b.
		B.	613. a.
III.	15.	B.	226. a.

I Ad THESSAL.

I.	5.	A.	215. b.
II.	13.	B.	661. b.
	16.	A.	132. a.
		B.	122. b.
III.	2, 5.	A.	68. b.
IV.	9.	A.	74. a.
V.	8.	B.	793. b.

II Ad THESSAL.

I.	8.	B.	939. b.
	10.	B.	489. b.
II.	2.	A.	87. b.
	3.	B.	750. a.
	4.	A.	436. b.
			445. b.
	8.	A.	322. a.
	11.	B.	148. b.

I Ad TIMOTH.

III.	1.	B.	952. a.
	16.	B.	201. a.
			359. b.
IV.	6.	A.	69. a.
	10.	B.	456. a.
VI.	11.	B.	619. b.
			724. b.
	14.	B.	725. b.

II Ad TIMOTH.

I.	7.	A.	311. a.
	18.	B.	550. b.
II.	22.	B.	619. b.

Ad TIT.

II.	14.	A.	56. b.
		B.	656. a.

Ad HEBR.

I.	2.	A.	213. a.
	10, 11.	B.	613. a.
II.	6.	A.	650. b.
	11.	B.	727. a.
	13.	A.	202. b.
			223. b.
	14.	A.	240. a.
			247. a.
III.	1.	B.	552. b.
IV.	12.	B.	564. b.
	14.	B.	726. a.
	16.	A.	485. b.
V.	8.	A.	247. b.
		B.	665. b.
	13.	A.	69. a.
VI.	18.	B.	726. a.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag. Col.
VII.	14.	A.	308. b.
	16.	B.	362. a.
IX.	24.	B.	833. a.
X.	10.	B.	677. b.
	14.	B.	727. a.
	20.	B.	201. a.
	22.	B.	656. a.
	25.	A.	355. b.
XI.	3.	B.	316. b.
	6.	B.	507. a.
XII.	2.	B.	576. b.
			828. a.
	24.	B.	656. a.
	25.	B.	645. b.
XIII.	7.	A.	355. b.
	20.	B.	709. b.
	23, 24.	A.	355. b.
JACOB.			
I.	18.	B.	587. b.
V.	1.	A.	467. b.
I PETR.			
I.	2.	B.	656. a.
	3.	A.	374. b.
			375. a.
	7.	B.	548. b.
	8.	B.	303. a.
			733. a.
	18, 19.	A.	348. a.
			355. a.
	19.	B.	681. b.
	23.	B.	363. a.
II.	2.	B.	367. b.
			936. b.
	4.	B.	621. a.
	6.	B.	121. a, b.
	7.	A.	202. b.
			217. b.
	17.	A.	74. a.
	24.	B.	680. a.
	25.	A.	279. b.
			344. b.
			355. b.
III.	4.	B.	663. b.
	18.	B.	201. a.
			570. a.
			669. b.
			679. b.
IV.	14.	A.	105. b.
			312. b.
		B.	803. b.
V.	1.	A.	355. b.
II PETR.			
I.	14.	B.	337. b.
II.	3.	B.	920. a.
III.	5.	B.	114. a.
	7.	B.	625. b.
			912. b.
	10.	B.	626. a.
	11, 12.	B.	625. b.
	12.	B.	275. N.
			626. a.
	13.	B.	912. b.
I JOAN.			
I.	6.	B.	250. a.
	8.	B.	626. b.
II.	1, 2.	B.	679. a.
	2.	B.	679. b.
	2, 7.	A.	355. b.
	17.	B.	625. b.
	19.	B.	590. a.
	20.	B.	149. a.
	21.	B.	626. b.
	29.	B.	250. a.
			724. b.
III.	8.	B.	365. b.
			599. b.
JUDÆ.			
	11.	B.	943. b.
APOCAL.			
I.	3.	A.	286. b.
	4.	A.	309. a.
	9.	B.	54. a.
	17.	A.	141. b.
II.	7.	B.	936. b.
	13.	B.	931. a.
	20.	B.	750. a.
	24.	A.	396. b.
III.	7.	A.	659. b.
	16.	B.	29. a.
	12.	B.	56. a.
	18.	B.	706. b.
			808. b.
	21.	A.	249. b.
IV.	1.	A.	141. b.
V.	5.	A.	305. a.
			340. a.
		B.	148. b.
	9.	A.	348. a.
	10.	B.	213. b.
	11.	A.	150. a.
VI.	4.	A.	320. a.
		B.	281. a.
	8.	B.	47. a.
			114. b.
	12.	A.	595. b.
		B.	23. b.
			26. a, b.
	17.	A.	87. b.
VII.	15, 16.	B.	581. a.
	16.	A.	478. a.
	17.	A.	656. b.
VIII.	5.	A.	320. a.
		B.	97. b.
			238. b.
	7.	B.	435. a.
X.	7.	B.	583. a.
XI.	2. seqq.	B.	750. a.
	3, 4.	A.	153. b.
	5.	B.	615. b.
	5, 6.	A.	319. a.
			320. a.
	8.	B.	750. a.
	11.	B.	68. b.
	14.	B.	29. a.
	16.	B.	188. a.
	17.	B.	29. b.
	18.	A.	486. a.
		B.	366. b.
	19.	B.	228. a.
XII.	1. seqq.	B.	933. a.
	3.	B.	281. a.
	7.	A.	153. a.
	9.	B.	599. b.
	14.	B.	953. b.
	17.	B.	953. a.
XIII.	11.	B.	82. b.
XIV.	1, 2.	B.	302. b.
	6.	B.	97. b.
	8.	B.	294. a.
	9.	B.	750. a.
	13.	B.	67. a.
			744. b.
	16, 19.	B.	29. a.
	18, 19.	B.	851. b.
XV.	4.	B.	382. a.
XVI.	2.	B.	750. a.
	6.	B.	281. b.
			600. a.
	11.	A.	230. b.
	14.	A.	87. b.
	17.	B.	489. a.
	17, 18.	B.	29. a.
	21.	B.	228. a.
XVII.	3, 15.	A.	603. b.
			209. a.
	3, 4, 6.	B.	281. a.
	5.	B.	750. a.
	6.	B.	600. b.
XVIII.	1, 2.	A.	611. b.
			415. a.
	4.	B.	650. a.
	17.	A.	690. b.
	20.	B.	489. a.
	23.	B.	531. a.
	24.	B.	281. b.
XIX.	11. seqq.	B.	29. b.
	12.	A.	248. b.
	16.	A.	249. b.
	17.	B.	40. b.
	20.	B.	194. a.
			957. b.
XX.	4, 5.	B.	68. b.
	14.	B.	46. a.
XXI.	2.	B.	697. a.
	6.	A.	371. a.
		B.	489. a.
	11.	B.	56. b.
			589. a.
	14.	B.	120. b.
	25.	B.	811. a.
	27.	B.	299. b.
XXII.	1.	A.	372. a.
	16.	A.	205. a.
			340. a.

INDEX
VOCUM
HEBRÆARUM.

א

	Tom.	Pag.	Col.
אבד	B.	744.	a.
אובד	B.	96.	a.
אבי עד	A.	249.	b.
		250.	a.
אבך	A.	258.	b.
אבן	B.	621.	a.
אבן נגף	A.	219.	b.
אבן משכית	B.	893.	a.
אגמון	A.	256.	b.
ארוש	B.	130.	a.
אדיר	A.	298.	a.
אוב	A.	78.	N.
	B.	140.	b.
און	B.	773.	b.
און	B.	383.	b.
אופן	A.	407.	a.
אור	A.	523.	a.
	B.	616.	b.
אורים	B.	14.	a. b.
אורות	B.	70.	b.
אחים	A.	413.	b.
אחרית	B.	519.	b.
אטים	A.	556.	a.
אי	A.	449.	a.
		598.	b.
איים	A.	414.	b.
אילים	A.	57.	b.
אכזרי	A.	405.	a.
אכן	B.	666.	b.
אל pro לא	A.	81.	b.
אל & על Subinde idem valent.	A.	650.	a.
	B.	938.	a.
אל	B.	490.	a.
אל גבור	A.	249.	b.
אלה	A.	164.	b.
אלון		Ibid.	
אם	A.	179.	a.
אם לא	A.	122.	a.
אמה	A.	154.	a.
אמונה	A.	326.	b.
אמין	B.	383.	b.
אמלל	A.	488.	b.
אמר	A.	93.	a.
		273.	a.
		693.	a.
	B.	48.	a.
		339.	b.
התאמר	B.	831.	a.
אמת	B.	346.	b.
אנה	B.	139.	a.
אנשי חסד	B.	744.	a.
אסף	A.	273.	b.
	B.	652.	a.
		744.	a.
נאסף	B.	817.	a.
אסר	A.	639.	a.
אפלה	A.	231.	b.
	B.	785.	b.
אפס	B.	529.	b.
		700.	b.
אפעה	B.	783.	a.
אצל	B.	400.	b.

	Tom.	Pag.	Col.
אצילי ארץ		Ibid.	
ארבה	B.	18.	a.
ארחות	A.	262.	b.
ארוכה	B.	773.	a.
אריאל	B.	137.	a. b.
		138.	a.
אשישה inter & אשיש quæ differentia?	A.	488.	a.
אשישים	A.	487.	b.
		488.	a.
אשם	B.	677.	b.
אשמני	B.	786.	b.
אשר	A.	94.	a.
		228.	b.
אשרים & אשרה	A.	506.	a.
את *ligo*.	A.	71.	b.
את vocula quomodo sumatur?	A.	190.	b.
		210.	b.
	B.	700.	b.
אתה	B.	485.	a.
אתיות	B.	411.	b.
אתנן	A.	693.	b.

ב

ב. Præfixa quomodo sæpe sumatur?	A.	230.	b.
		267.	b.
		626.	a.
Subinde nominativis pleonastice præfigitur.	B.	58.	a.
Sæpe notat *post*.	B.	332.	b.
Non obstante.	B.	531.	a.
באשים	A.	116.	a.
בדים	A.	487.	a.
	B.	490.	a.
בדרך	A.	285.	a. b.
בהו	B.	282.	b.
בהלה	B.	918.	a.
בזה נפש	B.	573.	a.
בינה	A.	310.	b.
בית per ellipsin omittitur.		67.	a.
בית de *sepulcro*.	A.	438.	a.
בלהה	A.	512.	b.
בליל	A.	465.	a.
	B.	183.	b.
בלע	B.	45.	b.
בלק	B.	8.	b.
בלתי	A.	262.	a.
במה	A.	492.	a.
בן	B.	620.	b.
בן מלכי קדם	A.	563.	b.
		564.	a.
בנות יענה	A.	413.	b.
	B.	464.	b.
בעברה	A.	408.	a.
בער	A.	228.	a.
	B.	72.	a.
בעת	A.	621.	a.
	B.	175.	a.
		876.	b.
נבעה	B.	175.	a.
בעל	B.	688.	a.

	Tom.	Pag.	Col.
		841.	a.
בעל אוב	A.	227.	a.
בער	A.	104.	b.
		117.	b.
		163.	b.
		563.	b.
בערב	A.	627.	a.
בצע	A.	272.	a.
בקק	B.	8.	a.
בקש	B.	286.	b.
ברא	B.	453.	a.
ברושים	A.	431.	a.
	B.	718.	a.
ברח	B.	78.	a.
בריח	B.	77.	b.
בריחים	A.	470.	a.
	B.	459.	a.
ברכה	B.	314.	a.
ברעש	A.	243.	a.
בשם	A.	100.	a.
בשר	B.	364.	a.
		646.	a.
		824.	a.
בתה	A.	118.	b.
בתי נפש	A.	98.	b.

ג

גאון	A.	680.	a.
גאון יי	B.	15.	a.
גאות	A.	374.	a.
גאל	B.	301.	b.
		339.	b.
גבר	A.	652.	b.
גברת	B.	527.	a.
גבורה	B.	176.	b.
גדל	A.	36.	b.
גדף	B.	316.	b.
גדר	A.	117.	b.
גוי	A.	458.	b.
גול	A.	237.	b.
	B.	291.	b.
		584.	b.
גולה	B.	593.	a.
גור	A.	334.	a.
		679.	a.
	B.	700.	a.
גוע	A.	203.	b.
גזר	A.	259.	a.
גיד	B.	545.	a.
גלגל	A.	512.	b.
גלין	A.	99.	b.
		203.	b.
גמל	A.	99.	a.
	B.	794.	b.
		858.	b.
גנות	A.	58.	a.
גר	A.	424.	b.
גרים	A.	127.	a.
גשש	B.	786.	a.

ד

דבר	A.	63.	a.
	B.	339.	b.
Cum ב	B.	850.	a.

בדברם

	Tom.	Pag.	Col.
כרבום	A.	127.	a.
דדה	B.	340.	a.
דוי	A.	41.	a.
דור	B.	337.	a.
		673.	b.
דיות	B.	283.	b.
דכא	B.	677.	a.
דלה	B.	338.	a.
דלים	A.	315.	a.
דלת	B.	72.	a.
דומה per aphæresin pro ארום & quare?	A.	618.	a.
דמי	B.	336.	a.
דמים	B.	74.	a.
דמם	A.	675.	b.
דמת	A.	155.	b.
		413.	b.
דיך	B.	461.	a.
דעת	B.	241.	b.
דראן	B.	957.	b.
דרש	A.	341.	b.
	B.	286.	b.
		713.	a.
		847.	a.
נדרש	B.	889.	b.

ה.

האדון	A.	53.	a.
האח	B.	485.	a.
האליל	A.	271.	b.
הבאות	B.	411.	b.
הביא עצה	A.	477.	b.
הבין	B.	739.	a.
הבין לדעת	B.	209.	b.
התבונן	A.	437.	a.
	B.	656.	b.
הבל	B.	758.	b.
הבמות	A.	467.	a.
הבר	B.	534.	b.
הברי שמים		Ibid.	
הגיר	B.	508.	a.
		711.	a.
הגה	A.	227.	a.
		487.	b.
	B.	201.	b.
		339.	a.
		782.	a.
הדיח	A.	104.	a.
הדף	A.	654.	a.
הדר	B.	293.	a.
הדור	B.	849.	b.
הדורי	B.	494.	b.
הודה	A.	367.	a.
הוה	B.	533.	a.
הוי	A.	39.	a.
		511.	b.
	B.	138.	b.
		705.	a.
הוכיח	A.	315.	b.
הוכן	A.	483.	b.
הזכו	A.	49.	b.
הוים	B.	738.	a.
הזניח	A.	558.	a.
החליץ	B.	774.	b.
הידד	A.	490.	b.
היכל	A.	144.	a.
היל	A.	207.	b.
הילל	A.	467.	b.
הילל	A.	435.	a.
הכה	A.	318.	b.
הכרת פניהם	A.	93.	a.
הלם	A.	489.	a.
המון & המה	B.	870.	a.
המון	A.	494.	b.
	B.	806.	b.
		870.	a.
המית	A.	324.	a.
המם	B.	130.	a.
המסים	B.	875.	a. b.
		876.	a.
הסוכן	A.	650.	b.
הסתיר	B.	780.	a.
מסתתר	B.	505.	a.
העיזו	A.	292.	b.
העלמה	A.	133.	a.
הפך	B.	152.	a.
הציק	B.	139.	a.
הצליח	B.	550.	b.
הקם	A.	306.	b.
הקשיח	B.	872.	a.
הרבה	A.	237.	a.
הרג	B.	74.	a.
הרה	A.	133.	a.
הריע	A.	469.	a.
השגיח	A.	437.	a.
השמר	A.	173.	b.
השע	A.	161.	a.
השקט	A.	173.	b.
התאשש	B.	518.	b.
התכנס	B.	123.	b.
התלוצץ	B.	126.	b.
התן	A.	523.	b.
התרפה	B.	146.	a.

ו.

ו. Subinde redundat.	B.	283.	a.
		546.	a.
Significat consequens.	B.	664.	a.
-- -- antecedens.	B.	881.	b.
Affixum in duplicatione vocis tempo-ris quam vim habeat?	B.	954.	a.

ז.

זבח	A.	45.	b.
זור	A.	40.	a.
זור à זורה	B.	783.	a.
זיז	B.	937.	a.
זיז כבור		Ibid.	
זיקות	B.	615.	a.
זכר	B.	754.	a.
		928.	b.
הזכיר	B.	483.	b.
		858.	b.
		928.	b.
זלולים	A.	523.	b.
זעם	A.	285.	b.
	B.	72.	b.
זעקת שבר	A.	470.	b.
זרה	B.	182.	a.
זרים	A.	42.	b.
זרם קיר	B.	35.	b.

ח.

חבורה	B.	669.	b.
חבט	B.	95.	a.
חבל	A.	288.	a.
חברים & חבר	B.	531.	a.
חגה	A.	568.	a.
חדל	A.	86.	b.
	B.	337.	a.
חוג	B.	377.	N.
חולי	A.	561.	a.
חוש	B.	121.	b.
חוה & חוה	B.	114.	b.
חוה cum ב	B.	535.	b.
חזון	A.	26.	b.
חזות קשה	A.	606.	b.
חזיון	A.	635.	a.
חזק	B.	293.	b.
החזיק cum ב	B.	716.	a.
חמא	A.	39.	b.
חטה שורה	B.	128.	a.
חטם	B.	547.	a.
חטר	A.	303.	a.
חיה	B.	515.	b.
חיל	B.	806.	b.
חיל כבר	B.	309.	b.
חכם חרשים	A.	91.	a.
חלה	A.	433.	b.
חלי	B.	665.	b.
החלי	B.	677.	a.
חלחלה	A.	608.	b.
חלל	B.	472.	a.
		627.	a.
		668.	a.
חלף	A.	84.	b.
		605.	a.
החליף	B.	387.	b.
חלקות & חלק	B.	173.	b.
חמאה	A.	188.	a.
חמין	A.	58.	b.
חמץ	A.	50.	a.
חמיץ	B.	183.	b.
	B.	849.	a.
חמר	B.	83.	a. b.
כרם חמר		Ibid.	
חנה	B.	138.	a.
		140.	a.
חנפה & חנף	B.	11.	a.
חסד	A.	484.	a.
	B.	362.	a.
		693.	b.
		709.	b.
		858.	b.
חסיל	B.	239.	a.
חסן	B.	242.	a.
חפץ	B.	729.	b.
חפר פרות	A.	85.	b.
חצב	B.	627.	a.
חצן	B.	595.	a.
חצרים & חצר	B.	431.	a.
חק	B.	11.	b.
חקק	B.	588.	b.
מחקק	B.	261.	b.
חקר	B.	286.	b.
חרב	A.	51.	b.
	B.	277.	b.
חריטים	A.	99.	b.
חרם	B.	472.	a.
החרים	A.	359.	a.
חרוץ	A.	280.	b.
חרר	B.	13.	a.
חרש	A.	507.	a.
חשק	B.	341.	a.
חתת	A.	175.	b.

ט.

טלא	B.	367.	b.
טפח	B.	549.	a.
טפף	A.	95.	b.

י

Litera per compendium scripta pro עשרה	A.	178.	b.
יאור	B.	259.	a.
יאור de *Nilo*.	A.	359.	b.
	B.	259.	a.
יגה/הוגה/מוגים	B.	638.	a.
יגע	B.	466.	a.

	Tom.	Pag.	Col.
יד	B.	730.	a.b.N.
ידע	A.	386.	b.
		253.	b.
לרעתו	A.	187.	b.
נודע	B.	833.	b.
הודיע	B.	371.	a.
ידעוני δαίμων.	A.	226.	b.
יה	A.	370.	b.
יה יהות	B.	58.	b.
יהל	A.	413.	a.
יונק	B.	663.	a.
יועץ	A.	91.	a.
		249.	a.
יחדו	A.	335.	a.
יחל	B.	426.	a.
יטול	B.	372.	b.
ילדים	A.	124.	b. seq.
ינשוף	B.	282.	b.
יסד	A.	686.	b.
יסף	B.	64.	a.
הוסיף	A.	347.	b.
יסר	B.	129.	a.
מוסר	B.	669.	a.
יעה	B.	122.	b.
יעערו	A.	470.	b.
יעף	B.	609.	b.
יער	A.	627.	b.
יצא	A.	69.	a.
		303.	b.
יצר	B.	453.	a.
		520.	a.
יצר	B.	57.	a.
יצר מחשבות		Ibid.	
יקב	A.	115.	a.
יקף	B.	139.	a.
תקופה & הקיף		Ibid.	
ירושלם	B.	138.	a.
יריב	B.	600.	a.
ירכתים	A.	437.	a.
	B.	323.	a.
ישועה	B.	237.	b.

כ.

כ Literæ ellipsis.	A.	287.	a.
		611.	b.
כ & ב ob affinitatem figuræ inter se mutatæ.	A.	297.	a.
כאכיר	A.	273.	b.
כד	A.	488.	a.
כדכד	B.	695.	b.
כדור	B.	140.	a.
כהה	B.	424.	a.
		828.	a.
כהן	B.	835.	a.
כונן	B.	506.	b.
כונן להשחית	B.	629.	b.
כי παρέλκει.	A.	155.	a.
		179.	a.
	B.	591.	a.
pro *ideo*.	B.	699.	b.
pro *vere*.	A.	179.	a.
		370.	a.
Exordialis est.	B.	14.	a.
Sensu gradationis.	B.	218.	b.
pro relativo.	B.	240.	b.
כים	B.	518.	a.
כל	B.	369.	b.
כלה	A.	286.	a.
		630.	a.
כלה ונחרצה	A.	281.	b.
כליון	A.	280.	b.
כן	B.	264.	b.
כנוי & כנה	B.	495.	b.
כנען	A.	680.	a.
כנף	A.	515.	b.
	B.	180.	a.
כסח	B.	246.	a.
כסוחה	A.	132.	b.
כסלי השמים	A.	406.	a.
כסמת	B.	128.	b.
כסף	A.	198.	b.
כעס	B.	892.	b.
כף	B.	588.	b.
כפר	B.	123.	a.
		533.	a.
כרות ברית	B.	709.	b.
כרכרות	B.	948.	b.
כרמל	A.	277.	a.
כשראים	B.	490.	a.
מכשפים & כשף	B.	531.	a.
אל כתיים ellipt. pro כתיים	A.	683.	b.

ל.

ל Præfixa pro *dum*.	A.	187.	b.
Sumitur specificat.	A.	203.	b.
	B.	535.	b.
Inclusive.	B.	297.	a.
Per ellipsi omittitur.	A.	203.	b.
לא Negativa constructa cum nomine quid sign.?	A.	274.	b.
לא-כן	A.	486.	b.
לביא	A.	135.	a.
לבש	A.	438.	a.
	B.	591.	b.
לבוש	B.	849.	b.
לוא	B.	555.	a.
נלוז & לוז	B.	175.	a.
לויתן	B.	77.	a.b.
לחש	A.	91.	a.
	B.	64.	b.
לחשים	A.	98.	b.
לילית	B.	283.	a.
לקח	B.	123.	a.
		673.	a.

מ.

מ Præfixa negative exponenda.	A.	608.	b.
Significat objectum materiale.	A.	618.	b.
Tempori juncta passim notat *post*.	B.	22.	a.
מאן	A.	493.	b.
מאשרים	A.	257.	a.
מבט	A.	599.	a.
מבוכה	A.	640.	a.
מבולעים	A.	256.	b.
מבוכה	A.	520.	b.
מדברה & מדבר	A.	475.	a.b.
		476.	a.
	B.	291.	a.
מדי	B.	954.	a.
מדמנה	B.	50.	a.
מהה Unde מה	B.	146.	a.
התמהמה		Ibid.	
מהר	A.	203.	b.
מו	B.	674.	N.
מושה	A.	262.	b. N.
מוער	A.	456.	a.
מוצב	B.	140.	a.
מורה	A.	335.	b.
	B.	180.	b.
		181.	a.
מוער	A.	285.	b.
מוצע	A.	559.	b.
מחה	B.	487.	b.
מחילה	A.	85.	a.
מחלצית	A.	99.	a.
מטה	B.	192.	a.
מטעים	A.	438.	b.
מטפחות	A.	99.	b.
מלא	A.	78.	b.
מלאתי	A.	52.	b.
מלונה	B.	19.	b.
מלח	B.	626.	a.
מליץ	B.	471.	b.
מלך pro *Consilario*.	A.	564.	a.
מנדח	A.	231.	b.
מנחה	A.	46.	b.
מסוכה	A.	117.	b.
מסוכן	B.	376.	a.
מסך	A.	565.	b.
		644.	a.
מסכה	B.	43.	b.
		165.	b.
מסלות	B.	244.	b.
מספך	A.	297.	a.
מעכל	A.	516.	a.
מעוזניה	A.	682.	b.
מעוף צוקה	A.	231.	b.
מעט	A.	285.	b.
כמעט	A.	44.	b.
כמעט רגע	B.	72.	a.
מעטפות	A.	99.	a.
מעטרה	A.	679.	b.
מעיר	A.	500.	a.
מעצר	B.	483.	b.
מץ	A.	483.	a.
מצא	B.	316.	b.
מצבה	A.	573.	a.
מצוה	B.	711.	b.
מצור	A.	535.	b.
		558.	b.
מק	A.	100.	a.
מקדש	A.	219.	a.
		493.	a.
מקצעות	B.	484.	a.
מקשה	A.	100.	a.
מרבה	A.	250.	b.
מרגעה	B.	111.	a.
מרה	B.	863.	b.
מרהכת	A.	429.	b.
מרודים	B.	772.	b.
מרום עם הארץ	B.	10.	b.
מרח	B.	342.	b.
מריאים	A.	45.	b.
מריתם	A.	51.	b.
משא	A.	396.	a.
משאה	B.	189.	b.
משחית	B.	701.	b.
משל	A.	429.	b.
משפה	A.	120.	b.
משפט	B.	392.	b.
		422.	b.
		724.	b.
		832.	b.
משתה שמרים	B.	41.	a.
משתולל	B.	789.	b.
מתח	B.	378.	a.
מתים	A.	101.	a.
		125.	a.
	B.	404.	a.
מתעב גוי	B.	573.	b.

נ.

נא	A.	50.	b.
		182.	a.
נאץ	A.	39.	b.
נבוח	B.	738.	a.

	Tom.	Pag.	Col.
נבון לחש	A.	91.	a.
נבל	B.	210.	b.
נבקה	A.	555.	b.
נגאלו	B.	780.	b.
נגה	B.	785.	b.
נגיד	B.	711.	a.
נגלה	A.	674.	a.
נגע	B.	667.	b.
נגש	A.	91.	b.
	B.	593.	a.
		671.	b.
נוגש	A.	240.	a.
נוגשים	A.	93.	b.
	B.	815.	a.
נר	A.	509.	b.
נריב	B.	210.	b.
נריבים	A.	399.	a.
נרד	A.	638.	b.
נרה	B.	931.	a.
נרמה	A.	465.	a.
נרף	A.	559.	b.
נהללים	A.	192.	b.
נהר	A.	66.	a.
		359.	b.
	B.	259.	a.
		806.	a.
נוה	B.	92.	b.
נוס	B.	303.	b.
נוסס	A.	277.	a.
נזה	B.	656.	a.
נזמי האף	A.	99.	a.
נחה	A.	312.	b.
נחל	A.	359.	b.
נחלה	A.	509.	b.
נטף	B.	655.	N.
נטיפות	A.	97.	b.
נטש	A.	489.	b.
נטושה	A.	629.	a.
נכלם	B.	687.	a.
נכת	B.	344.	a.
נלה	B.	235.	a.
נלוה	A.	424.	b.
נסוג אחור	B.	788.	b.
נסך	B.	165.	b.
נספה	A.	408.	b.
נעמנים	A.	509.	a.
נעבה	B.	671.	b.
נעצוץ	A.	192.	b.
	B.	718.	a.
נער	B.	316.	b.
נעתים	A.	259.	a.
נף	A.	564.	b. N.
נפל	B.	66.	a.
הפיל	B.	71.	b.
נפש	A.	125.	b.
	B.	573.	a.
		738.	b.
נצח	B.	46.	a.
		851.	b.
נצר	A.	303.	b.
	B.	84.	b.
		572.	a.
נצורים	B.	571.	b.
		893.	b.
נצורות	B.	546.	a.
נקב	B.	839.	b.
נקבה	B.	620.	b.
נקה	A.	101.	b.
נקל מהיותך	B.	571.	a.
נקף	B.	138.	b.
נשא	A.	92.	a.
	B.	316.	b.
		516.	b.

	Tom.	Pag.	Col.
נשוא פנים	A.	91.	a.
		256.	a.
השיג & נשג	B.	303.	b.
רוח & נשמה	B.	428.	a.
נשף	A.	608.	b.
נשפה	A.	398.	b.
נשתו	A.	558.	a.
נתש	A.	78.	a.

ס.

סגד	B.	485.	a.
		518.	a.
סגנים	B.	413.	a.
סדינים	A.	99.	b.
סוף	A.	558.	b.
		559.	b.
סור	B.	650.	a.
סורה	B.	593.	a. b.
סין *Peluſium.*	A.	350.	a.
סיס	B.	339.	a.
סכן	A.	650.	b.
סכסך	A.	254.	a.
		555.	a.
סכר	A.	556.	b.
סלל	B.	759.	b.
נסמן & סמן	B.	128.	a. b.
כפיח	B.	329.	b.
כפים	A.	154.	a.
סקל	A.	114.	a.
סרפד	B.	718.	a.
סוררים & סרר	B.	165.	a. b.
		890.	b.

ע

עב & ענן quomodo diſtinguantur?	B.	487.	b.
עבודה	A.	427.	a.
עבר	A.	234.	b.
	B.	299.	b.
עברה	B.	190.	a.
עגור	B.	339.	a.
עד	A.	250.	a.
	B.	528.	b.
עדי	B.	591.	b.
עדים	B.	882.	b.
		883.	a.
עדינה	B.	529.	b.
עדר	A.	119.	a.
עול	B.	587.	a.
עללות	A.	437.	a.
עולם	B.	220.	a.
		221.	b.
עולם הבא	A.	250.	a.
עון	A.	39.	b.
		127.	b.
		157.	a.
עונן	B.	748.	a.
עוננים	A.	79.	a.
עועים	A.	565.	b.
עור	B.	640.	a.
עוררו	A.	689.	b.
עז	B.	461.	a.
עוז	A.	370.	a.
	B.	54.	b.
עזוז	B.	442.	a.
עזב	A.	261.	b.
עזובה	A.	163.	a.
		507.	b.
עזק	A.	113.	b.
עטה	B.	828.	a.
עטף	B.	761.	a.
עיט	B.	519.	b.
עים רוח	A.	360.	a.

	Tom.	Pag.	Col.
עיפה & עיף	B.	208.	b.
עיר החרס	A.	571.	b.
עכסים	A.	96.	a.
על	A.	28.	a.
		250.	a.
		286.	b.
		431.	b.
		471.	b.
	B.	21.	b.
		669.	b.
		794.	a.
על גוים	A.	435.	b.
על הבית	A.	650.	b.
על כן	A.	469.	a.
על פי	A.	559.	a.
עלים	A.	431.	b.
עלות	B.	367.	b.
עליון	A.	437.	a.
עליזה	A.	637.	a.
		678.	b.
עלילה	A.	372.	b.
התעלל & עולל	B.	929.	b.
עלמה	A.	185.	b.
עלף	B.	637.	b.
עמים רבים	A.	67.	a.
עמל	B.	678.	b.
ענוגה	B.	524.	b.
התענג	B.	748.	b.
ענה	B.	84.	b.
עצם	B.	147.	a.
עצמות	B.	410.	a.
עצרה	A.	48.	a.
עקוב	B.	459.	a.
ערב	B.	339.	a.
התערב	B.	312.	a.
ערבה	A.	476.	a.
	B.	291.	a.
ערה	B.	221.	b.
		681.	a.
ערות	A.	559.	a. b.
ערים	A.	440.	a.
עריפי	A.	135.	b.
עריץ	B.	600.	a.
ערך	B.	374.	b.
ערף	B.	928.	a.
העריץ & ערץ	B.	159.	b.
		600.	a.
עשיריה	A.	164.	a.
עשה	B.	489.	a.
עשה & יצר quomodo diſtinguantur?	A.	646.	b.
	B.	453.	a.
עשות ברכה	B.	314.	a.
עשק	A.	683.	a.
	B.	250.	a.
		699.	a.
עתידות	A.	273.	b.
עתק	A.	695.	b.

פ.

פאר	B.	712.	b.
פארה	B.	297.	a.
תפארת	A.	599.	a.
התפאר	B.	566.	b.
פארים	A.	98.	a.
פגע	B.	526.	b.
		791.	b.
Cum ב vel את	B.	880.	a.
הפגיע	B.	671.	a.
פרה	B.	301.	b.
פוך	B.	694.	b.
פז	A.	407.	a.
פיפיות	B.	129.	b.

	Tom.	Pag.	Col.
פלא	B.	31.	a.
פנה	A.	565.	a.
פנים	B.	43.	b.
לפני pro פני	A.	46.	b.
מפני שמן	A.	288.	b.
פכח	B.	203.	b.
פכל	B.	375.	a.
פסג	B.	86.	b.
פעל	A.	58.	b.
		122.	a.
	B.	63.	a.
		489.	b.
בצח	B.	584.	b.
		806.	a.
פקר	B.	64.	b.
		286.	b.
		336.	a.
Cum על	B.	85.	a.
הפקיד	A.	291.	b.
פקרה	B.	815.	a.
פקח	B.	825.	a.
פקחקוח	B.	824.	b.
		825.	a.
פרא	A.	249.	b.
פרה	A.	304.	a.
פרח	B.	88.	a.
פרץ	B.	806.	a.
פרש	B.	130.	a.
פרשים	A.	642.	a.
פשע	B.	955.	b.
פת	A.	96.	b.
פתח	B.	128.	a.
פתגיל	A.	100.	a.

צ.

צאן	B.	670.	a.
צבא	B.	351.	b.
צבים	B.	948.	a.
צדק	B.	56.	a.
		507.	b.
צדקה	A.	281.	b.
	B.	509.	b.
		724.	b.
צדק & צדקה	B.	413.	b.
צהל	A.	374.	b.
צו	B.	110.	a.
צוץ Hiph. הציץ	B.	88.	a.
צוק	B.	64.	b.
צור	A.	223.	a.
ציים	A.	383.	N.
		413.	b.
		687.	b.
		688.	a.
צירים	A.	404.	a.
		517.	b.
	B.	505.	b.
צלצל	A.	515.	a.
צנף	A.	653.	b.
צערות	A.	98.	b.
צעה	B.	629.	b.
צען	A.	563.	b.
	B.	257.	a.
צעק	A.	574.	b.
צעקה	A.	121.	a.
צפע	A.	452.	a.
	B.	783.	a.
צפיעה	A.	657.	b.
צרה	B.	432.	b.
		433.	a.

ק.

קאת	B.	282.	b.
קבוצים	B.	758.	b.
קדח	B.	615.	a.
קדים	A.	605.	a.
קו	A.	520.	a.
	B.	110.	a.
קול	A.	400.	b.
קוף	B.	139.	a.
קיר	B.	35.	b.
קנה	A.	347.	a.
		558.	b.
קוסם	A.	90.	b.
קוסמים	B.	490.	b.
קפד	B.	337.	b.
קפוד	A.	442.	b.
קצח	B.	128.	a.
קציר	A.	490.	b.
		504.	a.
		509.	b.
	B.	93.	a.
קצף	B.	691.	a.
קרא	A.	439.	b.
		618.	b.
		647.	b.
	B.	355.	a.
קרה Subinde pro	B.	395.	b.
קרבדים	B.	410.	b.
קרס	B.	514.	a.
קרקר	A.	640.	b.
קשה	A.	557.	a.
קשר	A.	216.	a.
קשורים	A.	98.	b.
	B.	591.	b.

ר.

ראמים	B.	278.	a.
רב	A.	575.	a.
רבץ	A.	334.	b.
		413.	a.
	B.	694.	b.
רגז	A.	424.	b.
התרגז	B.	328.	b.
הרגיע & רגע	B.	624.	a.
רגעים	B.	630.	b.
רדה ex רד	B.	494.	a.
רדידים	A.	99.	b.
רדף	A.	512.	a.
רהב	A.	91.	b.
	B.	171.	a.
רהה	B.	481.	b.
רוה	A.	490.	b.
רוזנים	B.	379.	b.
רוח pro irâ.	B.	35.	b.
הריח	A.	313.	b.
רומם	A.	37.	a.
רומם	A.	483.	a.
הריע & רוע	A.	469.	a.
	B	433.	a.
רזי	B.	16.	b.
רחל	B.	672.	a.
רחם	B.	869.	b.
רחץ	A.	104.	a.
רטש	A.	409.	a.
רך	B.	524.	b.
רכב	A.	611.	a.
	B.	323.	a.
		778.	b.
רכסים	B.	359.	a.
רנן	B.	584.	b.
רע	A.	257.	a.
הרע	A.	39.	b.
רעה	A.	454.	b.
רעו	A.	213.	b.
רעלות	A.	98.	a.
רפאים	A.	433.	a.
	B.	70.	b.
נרצה & רצת	B.	352.	b.
		422.	a.
רצין	B.	353.	a.
רצפה	A.	156.	b.
רצץ	B.	425.	a.
רקע	B.	375.	b.
		427.	a.
רשע	A.	321.	b.

ש.

שואה	A.	261.	a.
	B.	533.	a.
שאון	A.	125.	b.
שאנן	B.	328.	b.
שאל	B.	889.	b.
שאלה	A.	180.	a.
שאול	A.	125.	a.
		432.	a. b.
	B.	336.	a.
שאר	A.	442.	a.
שביסים	A.	97.	a.
שבולת	B.	95.	b.
שבל	B.	525.	a.
שבר	B.	636.	b.
שד	A.	402.	a.
	B.	636.	b.
שדי	A.	402.	b.
		403.	a.
שדד	A.	672.	b.
שרפה & שרמה	B.	328.	a.
שח	B.	672.	a.
שהנים	A.	97.	b.
שוב	A.	621.	a.
Alii verbo junctum.			
	B.	627.	b.
שובב	B.	762.	a.
שוה	B.	338.	a.
שולים	A.	143.	b.
שוע	B.	146.	b.
שופר	B.	96.	a.
שוק five שקק & תשוקה	B.	144.	b.
שוק & משק	B.	239.	b.
		240.	a.
שור	B.	756.	a.
שורק	A.	114.	a.
שוש	B.	291.	b.
שות	A.	643.	a.
שחים	B.	329.	b.
שחק	B.	372.	b.
שטן	B.	599.	a.
שי	A.	525.	b.
שיר	A.	111.	b.
	B.	54.	a.
שכב	B.	617.	a.
שכירה	A.	194.	a.
שכן	B.	265.	b.
שכר	A.	561.	b.
שלח	B.	89.	b.
שלוחות	A.	489.	b.
שליש	B.	369.	b.
שלכת	A.	164.	b.
שלל	B.	789.	b.
שמועה	B.	108.	b.
		661.	b.
שמח & שוש / גול quomodo differant?	B.	913.	b.
שמלה	A.	92.	a.
		243.	a.
שמשות	B.	695.	b.
שני	A.	51.	a.
שנה	B.	209.	a.
		402.	b.

שעשע

	Tom.	Pag.	Col.
שעשע	B.	146.	b.
השתעה	B.	402.	b.
נשתעה	B.	411.	b.
שעיר	A.	414.	a.
שעל	B.	369.	a.
שפת	A.	96.	b.
נשפט & שפט	B.	470.	a.
		782.	a.
שפיים	B.	759.	b.
שפלה	A.	448.	a.
שפת	B.	63.	a.
שקר	A.	95.	b.
שרב	B.	296.	a.
שרר	B.	484.	a.
שרות	A.	98.	a.
שרט	B.	484.	a.
שריקות	A.	560.	b.
שריר	A.	44.	b.

	Tom.	Pag.	Col.
שרץ	B.	123.	b.
שרף מעופף	A.	452.	a.
שרפים	A.	147.	b.
שרש Hiph. השריש	B.	88.	a.
שרת	B.	732.	a.
שש pro עשרה שש	A.	178.	b.
שתות	A.	561.	a.

ת.

	Tom.	Pag.	Col.
תאר	B.	484.	a.
תבל *Orbis*, de *Syria* Judææ junctа.	B.	10.	b.
תבלית	A.	286.	a.
תבן	A.	335.	a.
תהו	B.	13.	b.
		282.	b.
תועבות	B.	485.	b.

	Tom.	Pag.	Col.
תורות	B.	11.	b.
תושיה	B.	130.	b.
תחת	A.	262.	a.
	B.	11.	a.
תחתי	B.	56.	a.
תירה	A.	68.	b.
תכן	B.	370.	b.
תל	B.	319.	b.
תמך	B.	421.	b.
תנים	A.	415.	a.
תעה	B.	872.	b.
תפארת	B.	273.	a.
תרומה	B.	376.	a.
תרוה	B.	484.	b.
תרפים	A.	80.	b.
תשואות	A.	637.	a.
תשורה	B.	756.	b.

INDEX VOCUM GRÆCARUM.

A.

Ἄδης. Vocis potestas & usus.	A.	125.	a.
	A.	432.	b.
Ἄδωδος Syrorum Deus maximus.	A.	175.	a.
Ἀετὸς unde?	B.	519.	b.
Ἄια unde?	A.	598.	b.
Αἰγυπτος pr. nomen fluvii *Nili*.	A.	535.	a.
Unde?		Ibid.	
Αἰξ. αἶγες antiquitus de *fluminibus*.	A.	535.	a.
Ἀκηδία.	B.	828.	a.
Ἀλάλαγμα,			
Ἀλαλαγμὸς,			
Ἀλαλάζειν quid?	A.	242.	
Ἀνθρώπες πείθειν.	B.	173.	b.
Ἀπὴη.	B.	948.	b.
Ἀποκαθημένη.	B.	882.	b.
Ἀπολυτρᾶν,			
Ἀπολύτρωσις.	A.	56.	b.
Ἀποσκορακισμός.	B.	940.	a.
Ἀποτολμᾶν.	B.	889.	a.
Ἄρασθαι πόλεμον.	A.	71.	b.
Ἄττα unde?	B.	31.	a.
Ἄχι apud LXX quid?	A.	559.	a.

B.

Βααλτὶς & Βῆλτις.	B.	515.	a.
Βαιτύλια.	B.	119.	N.
		752.	N.
Βλασφημεῖν.	B.	316.	b.
Βωμὸς quid & unde?	A.	492.	a.

Γ.

Γειώρας quid & unde?	A.	424.	b.

Δ.

Δάζεσθαι.	B.	128.	a.
Δαίμων quid & unde?	A.	226.	b.
Διὰ.	B.	668.	b.
Διαζώννυσθαι quid?	A.	214.	a.
Δύναμις pro *Exercitu*.	A.	44.	N.

E.

Ἐγαγερίμυθος unde?	A.	78.	b.
Ἐκτοκίζω.	B.	935.	a.
Ἐλέγχειν quid?	A.	316.	a.
Ἐξέρχεσθαι.	A.	69.	a.
Ἐπάλξεις.	B.	695.	a.
Ἐπίσκοπος.	B.	815.	a.
Ἐπισάτης.		Ibid.	
Ἐπιφανὴς	B.	804.	b.
Ἐπιχορηγία.	B.	85.	a.
Ἐφέσιον.	B.	182.	a.
Ἑταῖροι.	B.	148.	b.
Εὐδοκεῖν ἔν τινι vel εἴς τινα.	B.	422.	a.
Εὑρίσκεσθαι.	B.	676.	a.

Z.

Ζητεῖν, ἐπιζητεῖν.	B.	847.	a.
Ζύγαινα.	B.	78.	a.

Θ.

Θαυμάζειν πρόσωπα quid?	A.	256.	a.
Θεωρεῖν.	A.	599.	a.
Θλάω.	B.	311.	a.
Θρόνος χάριτος quid?	A.	485.	b.

I.

Ἱερεργεῖν τὸ Εὐαγγέλιον τῦ Θεῦ.	B.	950.	b.
Ἰσχυρόφωνοι.	B.	355.	N.

K.

Κάδος unde?	A.	488.	a.
Κάθεμα.	A.	98.	a.
Κάλυξ.	B.	292.	a.
Κάλυπτρον.	A.	99.	a.
Κανέλα & Κανέλλα unde?	B.	466.	b.
Κατακυριεύειν.	B.	366.	b.
Καταλαμβάνεσθαι.	B.	303.	b.
Κατανοεῖν.	B.	382.	b.
Καταχολὴ.	B.	828.	a.
Κῆβος *Satyrus*.	A.	414.	b.
Κηρύσσειν unde?	B.	355.	a.
Κίδαρις.	B.	140.	a.
Κλοιὸς quid?	A.	262.	N.
Κολακεύειν unde?	B.	173.	b.
Κόσυμβος.	A.	97.	b.
Κύφων.	A.	262.	N.

Λ.

Λαλιὰ.	A.	571.	a.
Λαμβάνειν.	B.	123.	a.
Λαμβάνειν μάχαιραν.	A.	71.	b.
Λειτεργὸς & λειτεργία.	B.	950.	b.
Λόγος pro *re*.	A.	238.	b.
Λυτρᾶν.	A.	56.	b.
Λύτρωσις.		Ibid.	

M.

Μάντις unde?	A.	487.	a.
Μάρης unde?	B.	281.	a.
Μεγαλόφωνοι.	B.	355.	N.
Μισγω unde?	A.	565.	b.
Μίτραι.	A.	97.	b.
Μύσσω unde?	A.	143.	a.
Μώλωψ.	B.	669.	b.

N.

Ναὶν & ναὸς unde?	B.	92.	b.

	Tom.	Pag.	Col.
Νεῖλος unde?	B.	95.	b.
Νεκυομαντεία quo ritu fieret?	A.	227.	a.
Νοεῖν.	B.	377.	a.
		382.	b.
Νόμοι Ægyptiorum quid?	A.	555.	a.
Ξ.			
Ξεῖνοι Lacedæmoniis qui?	A.	42.	b.
Ο.			
Οἰκυμένη de *Imperio Romano.*	A.	320.	N.
Ὀλολύζειν unde, & de quibus?	A.	467.	b.
Οὐσία.	B.	709.	b.
Ὀτλεσθαι & Ὀτλεύεσθαι unde?	A.	556.	a.
Οὐαὶ unde?	A.	39.	a.
Οὐσία.	B.	130.	b.
Π.			
Παῖς.	B.	316.	b.
Παιωνισμὸς quid?	A.	243.	a.
Παράδειγμα.	B.	62.	a.
Παραδοξάζω.	A.	248.	b.
Παραγραφὶς.	B.	484.	a.
Παρουσία.	B.	130.	b.
Πασσφόριον vel εἶον quid?	A.	650.	b.
Πέραν an in N. T. pro *secus* vel *juxta*?	A.	234.	b.
τὸ Πέραν τῦ Ἰορδάνε quid notet?	A.	234.	a.
Περίβολος.	B.	696.	a.
Περιζώννυσθαι.	A.	214.	a.
Περιποιεῖσθαι.	A.	347.	b.
Πλανᾶν.	B.	872.	b.
Προσκυνεῖν.	B.	314.	a.
Πρὸς χάριν λέγειν.	B.	173.	b.
Πρὸς χάριν δημηγορεῖν.		Ibid.	
Πρόσωπον & πρόσοψις.	B.	43.	b.
Πτεροφυεῖν.	B.	387.	b.
Πῶλος unde?	B.	587.	N.
Σ.			
Σάλπιγξ.	B.	96.	a.
Σείω unde?	A.	261.	a.
	B.	258.	a.
Σημαίνω unde?	B.	128.	b.
Στερνοτυπία.	B.	218.	a.
Στῆλαι quid?	A.	573.	a.
Στίμις.	B.	694.	b.
Στορεὺς.	B.	696.	a.
Στραγγαλίδες.	A.	98.	a.
Συμβιβάζω.	B.	370.	b.
Σύνεσις.	A.	310.	b.
Συντελεῖν ἢ συντέμνειν λόγον quid, & unde desumpta phrasis?	A.	283.	b.
Σύντριμμα.	A.	470.	b.
Σύρος nomen unde?	A.	709.	b.
Τ.			
Τέτλα unde?	B.	31.	a.
Τέχνη, τεχνάομαι, τεχνάζω, τεχνόω unde?	B.	370.	b.
Τιμωρία.	B.	62.	a.
Τιτυβίζειν.	B.	339.	a.
Τρύπανον & τρυπανίζεσθαι.	B.	695.	b.
		696.	a.
Τύνη antiquis Poëtis.	B.	31.	a.
Τύφεσθαι.	B.	424.	a.
Υ.			
Ὑβρίζοντες qui?	A.	399.	b.
Ὑπερβαίνειν.	B.	203.	b.
Ὑπερφανία.	A.	273.	a.
Ὑπωπιάζειν.	B.	843.	b.
Φ.			
Φαρμακεία.	B.	531.	a.
Φρόνησις.	A.	310.	b.
Φῦκος, Φύκη, Φυκίον unde?	B.	694.	b.
Χ.			
Χαλκεόφωνοι.	B.	355.	N.
Χειρῶσθαι.	A.	441.	a.
Χνοῦς quid?	A.	483.	a.
Ψ.			
Ψιθυρίζειν.	B.	339.	a.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Numerus paginarum indicium est. Literæ majores A *&* B *Tomum indicant*, N *Notas*, *Minores vero* a *&* b *Columnam primam & secundam.*

A.

Abrahamus qua via venerit in Canaanæam? B. 394. b. Quid antiqua traditio de eo nobis servaverit? Ibid. Quo sensu *Dei amans & Dei amicus?* B. 400. a.
Abscondere consilium coram Jehova est invertere naturam rerum. B. 152. a.
Absconditum esse Deo dicitur quod non curat. B. 384. a.
Abydeni Fragmentum quo loco habendum? B. 417. a.
Locus de Nebucadnezaris vaticinatione. B. 533. a.
Non descriptus ex Megasthene. B. 417. a.
Accaron ubi sita? A. 448. b.
Accidentia externa quid conferant ad statum Ecclesiæ? B. 938. b.
Achad nomen Idoli Phœnicii. B. 941. b.
Cur Macrobio dictum sit *Adad?* Ibid. in N.
Acra, Collis Tsioni oppositus, ita dictus *ab Arce* in eo locata. B. 32. b.
Adductio Gentium per *currus*, *pilenta* &c. mystice quid significet? B. 949. b.
Admetiri in sinum quid sit, & unde sumpta sit metaphora? B. 899. b.
Adolere super lateres quid sit sensu spirituali? B. 896. a.
Adonis Phœnicum idem qui *Osiris*. A. 506. b.
Adoptio Israëlitarum. B. 870. b.
Adoptionis beneficii effecta sub Oeconom. N. B. 828. b.
Adorandi mos veterum. B. 510. a.
Interpretatio ejus symbolica. Ibid. & 954. b.
Adoratio Gentium in Templo Hieros. B. 733. b.
Adramelechus & *Anamelechus* videntur fuisse Idola Phœnicum, Solis puta & Saturni. B. 314. b.
Adspiratio fortis Hebræorum & Græcorum resolvitur in P. B. 587. N.
Adventus Domini, quam varie usurpetur phrasis in S. S.? A. 324. b.
Advertere aurem, unde phrasis sit desumpta? B. 321. a.
Adytum Templi, figura cœli. A. 146. a.
In *Adytis* Templorum Gentilium erant *imagines Deorum*. A. 493. a.
Ægyptus unde dicta *Mitsraim?* A. 535. b. B. 169. b.
An nomen illud diu servatum? A. 536. a.
Cur dicatur *Terra Chami?* Ibid.
Nomen Αἴγυπτος unde? A. 534. b. & seq.
An veniat nomine *finium terræ?* B. 401. a.
Ferarum & immanium Belluarum terrestrium ac aquatilium feracissima. B. 170. a.
Ut & calamorum. B. 311. a.
Hinc symbolum ejus inter alia calamus. Ibid.
Quo sensu dicatur *Arundo contusa?* Ibid.
Tempore Prophetæ exundavit equis & militia equestri. B. 177. b.
Qua de causa Scriptores Exotici hanc Ægypti proprietatem minus celebrent? Ibid. & N.
Ægypti olim magna fama. A. 534. a.
Terra quam fœcunda? A. 192. a.
Longius aliis divisa cœlo. A. 534. a.
Merces quæ? A. 676. b.
Celebritas respectu commodi Fluviorum & Amnium. B. 261. a.
Ægyptus inferior primo minus habitata. A. 536. a.
Cur *Rhahab* dicta? B. 171. a.
In fossas & rivos scissa facta est inequitabilis. B. 177. b. & N.
Ægypti Regnum antiquum. A. 536. a.
Ejus varia fata. A. 364. b.
De hoc *Regno* Traditiones exterorum. A. 537--540.
Comparatæ cum S. Scr. & inter se. A. 540. a. b.
Judicium de iisdem. A. 541--543.
Doctorum Virorum de iis Sententiæ. A. 543. b.
Ἐπίκρισις in eas. A. 544. b.
An Historia S. ex Traditionibus Exoticis illustrari queat? A. 548. a.
Deorum Historia *in Ægypto*, ad quod tempus pertineat? A. 548. b.
Semideorum, ad quod? Ibid.
Reges Ægypti quinam proprio appellentur nomine in Hist. S.? A. 536. b. 537. a.
Solebant olim vel nomina sua dare Urbibus, vel eadem ab Urbibus mutuari. B. 168. b.
Ægyptii generis antiquitatem jactarunt. A. 553. b.
Summam sapientiæ laudem sibi tribuerunt. A. 556. b. B. 200. a.
Imbelles fuere à temporibus Psammitichi. A. 569. a.
Quare à Propheta comparentur *muscis?* A. 192. a.
Radebantur variis in casibus. A. 519. b.
In funere suorum non tondebantur. A. 467. b.
Eucharistica exhibuere Deo Israëlis. A. 526. b.
Eorum Idololatria. A. 553. b.
Superstitio manavit ad alios populos. A. 534. a. 556. a. B. 170. a.
Harioli & Divini. A. 556. a.
Divinatio apud Templum Apidis. Ibid.
Ritus Idololatricus in urceo papyraceo cum epistola ad Byblienses mittendo. A. 518. a.
Ad Deum conversio jam ante tempora Alexandri fieri cœpit. A. 583. b.
Plures ut proselyti se adjunxere Judæis. A. 583. a.
Ægyptus Bello civili in partes tracta. A. 555. a. b.
Quomodo occupata ab Imperatoribus Persis? A. 557. b.
Ejus status sub Persis & deinceps sub Lagidis plurimum immutatus. B. 177. b. & N.
A Persis vindicata, & pristinæ gloriæ restituta à quibus? A. 581. a.
Tota frequens habitata ab Judæis. A. 582. a.
Ægypti Oeconomia quomodo instituta sit ab Augusto? A. 362. a.
In *Ægypto* cultum veræ Religionis fundandum, à Propheta prædictum. A. 581. a.
Ægyptus Spiritualis quæ? A. 709. & seq. B. 196. b. 627. b.
Ælia Capitolina Hierosolymæ suppositа à vera Hierosolyma distinguenda. B. 885. b.
Æquare viam, *aggerare semitam*, mystice quid sit? B. 846. a.
Æstus & *Sol* persecutionis symbolum. A. 106. a. & 478. a.
Æstus meridiei quid? A. 478. a.
Ætates Populi Dei variæ, Infantiæ, Adolescentiæ, Juventæ, Virilis, Senectutis & Canitiei. B. 517. a.
Æterna sunt vera Gratiæ Beneficia. B. 505. b.
Æthiopum nomen quam late usurpetur Græcis? A. 589. a.
Affectiones animi cur *vesti* comparentur? B. 828. b.
Affectiones & *accidentia* humana de Deo affirmantur ἀνθρωποπαθῶς. B. 860. a.
Affectus quo sensu Hebræis dicatur רוח *Spiritus?* B. 317. b.

In

In animis Credentium productus à Spiritu Adoptionis. B. 828. b.
Proprie dictus à Natura Divina excluditur. B. 860. b.
Affirmative dicta subinde *negative* exponenda. B. 844. b.
Affixa relativa possessiva frequenter sumuntur pro Pronominibus separatis. B. 86. a. 239. a. 804. b. 896. b.
Afflictiones quem in finem piis immittantur? B. 548. b.
Gravissimæ Ecclesiæ N. T. quomodo consistant cum miserationibus magnis & beneficentia æterna? B. 691. b.
Majores Ecclesia tulit ab Ecclesia Romana, quam à Roma Pagana. B. 813. a.
Afflictiones fidei caussa institutæ, quare comparentur *igni*? B. 448. a.
Africani opera in illustranda Doctrina Ecclesiæ. B. 583. b.
Agger quid mystice significet? B. 299. a. 583. a.
Aggerare viam quid? B. 759. b. 846. a.
Aggregationes Gentium ad Ecclesiam. B. 735. a.
Agnus pro tributo pecudum. A. 474. a.
Agnus & *Hœdus* quid mystice significent? A. 331. a.
Agniculi subrumi quales mystice sint credentes? B. 367. b.
Agnus Paschalis fuit sacrificium *propitiatorium*. B. 681. b.
Nec obstabat illius esus. Ibid.
Agricola mysticus. B. 132. b.
Agricultura scientia apud Veteres in magno habita est pretio. B. 127. b.
Ejus Doctor summus Deus. B. 129. a.
Ejus origines. Ibid.
De ejus ortu doctrina Theologiæ Mythicæ. Ibid.
Ajath locus, ubi situs, & unde dictus? A. 291. a.
Alacritatis spiritualis caussa. B. 266. a.
Alæ Assyrii, quid? A. 212. b.
Alexander M. Ægyptiorum liberator à jugo Persarum. A. 581. a.
Alexandriæ plures habitarunt Judæi. A. 582. a.
Alilat quale idolum apud Herodotum? A. 463. b.
Allegandi dicta V. T. mos apud Scriptores S. B. 667. a.
Alticornes cujus generis animalia? B. 278. a.
Eorum significatio mystica. B. 279. a.
Altitudo cœli stellati est immensa. B. 715. b.
Divinorum Consiliorum eadem ratio. Ibid.
In *Alto habitare*, Epitheton veri Dei notissimum. B. 240. b.
Amans Dei & *Dei amicus* quo sensu fuerit Abrahamus? B. 408. a.
Amare Nomen Jehovæ quid sit stylo Sacro? B. 732. b.
Ambulare in justitiis quid sit? B. 250. a.
Ad lucem Ecclesiæ quid? B. 804. b.
Amen quid passim notet in ὁμολογίαις? B. 910. a.
Deus Amen quid? Ibid.
Quo sensu illud nomen Christo tribuatur? B. 711. a.
Varius illius epitheti, ad Filium Dei relati, usus. B. 910. a. b.
Ammonitæ, *Idumæi*, *Moabitæ*, stylo Prophetico dicuntur Populi habitantes in terris harum Gentium. B. 51. a.
Amos Hoseam in munere Prophetico præcessisse videtur. Prol. 4.
Amovere peccatum quid sit? B. 91. b.
Anadiploses verborum aut partis sententiæ, quam emphasin aliquando habeant? A. 612. a.
Anathot Urbs ubi sita? A. 292. b.
Angeli vocantur Prophetæ & Apostoli. A. 153. a.
Angeli quomodo cogitata sua inter se communicent? A. 151. a.
Angeli mali incitant Reges & Principes ad bella. A. 398. a.
Angelus Faciei Jehovæ, quis & qualis sit? B. 860. b. 861. a. b.
Ejus notitia ex attributis. B. 861. b. 862. a. b.
Cur ita appelletur? B. 862. b.
Angelus Mediator Scholæ Sanctorum antiqui temporis fuit cognitus ut fons & basis omnis gratiæ. B. 87. b.
Veterum Ecclesiæ Doctorum de eo sensus. B. 862. a.
Judæorum quoque prudentiorum. B. 862. N.
Angelus מטטרון *Metatron* Veteribus dictus, unde nomen? Ibid.
Angelus sive *Legatus Jehovæ* quo sensu dicatur Populus Judæus? B. 437. a.
Angulus pro *Principibus*. A. 565. a.
Animantes mansuetæ & *feræ*, quid apud Jesaiam designent? A. 329 & seqq.
Animantium mansuetarum proprietates transferuntur ad *Gregem Christi*. A. 330. b.
Ab *Animantibus* sæpe petuntur metaphoræ in *S. S.* A. 330. a.
Animas corporibus solutas infra terram descendere credebant Veteres. A. 434. a.
De illarum *mansionibus* cœlestibus sententia vetus est. B. 73. a. N.
Antichristus quando & ubi manifestus fieri debuit? A. 323. b.
Antilogiæ Doctrinæ & Praxios Romæ Pseudo-Christianæ. B. 82. b.
Antiochus Epiphanes proponitur sub Emblemate *Leviatanis*, *Serpentis recti*. B. 82. a.
Ejus Historia. B. 236. b. 245. a.
Quomodo sævierit in Judæos? B. 236. b.
Ecclesiæ status afflictus proxime ante illa tempora. B. 402. a. b.
Antiochi Epiphanis tempora & successorum ejus. B. 9. b. 10. a. b. & seqq. 12. a. b. 69. b.
Eorum *fata tristia*. B. 23. a.
Antiochia Metropolis Persecutorum Populi Dei, inter omnes civitates Gentium prima & præcipua admisit Regnum Christi. B. 38. a.
Incensa est à Judæis sub Demetrio Nicatore. B. 94. b.
Apertis esse auribus & non audire quid notet? B. 439. a.
Apidis ad Templum *Divinatio* quomodo facta? A. 556. a.
Apologiæ primi temporis Ecclesiæ. B. 702. b.
Apostatarum antiqui & recentioris temporis criminum communio. B. 943. b.
Apostoli, aliique Doctores & Rectores Ecclesiæ, dicebantur πρεσβύτεροι *Seniores Christi*. B. 24. b.
Dicta Prophetarum capere solent in omni sua emphasi. B. 47. a.
Prophetias V. T. quo modo tractent? B. 287. b.
Appellari subinde est *vere appellari*. B. 775. b.
Apprehendere Robur Dei quid sit? B. 87. b.
Deum quid? B. 884. a.
Appropinquatio Dei quid sit? B. 768. a.
Apum emblema *numerosorum exercituum* in Scriptura. A. 192. a.
Aqua quid mystice significet? B. 705. a.
Aquam Ecclesia Christiana primi temporis quo sensu non invenerit? B. 409. a.
Aquæ significant *Populum*. A. 209. a.
Aquæ Nimrim, qui locus? A. 471. a.
Aquæ pluviæ attributa, eorumque convenientia cum donis Sp. S. B. 474. a.
Aquæ Siloæ quid? A. 209. a.
Aquila aurea fuit signum Cyri militare. B. 520. a.
Et ab eo tempore signum castrense Regum Persarum. Ibid.
Aquilarum attributa relata ad Imperatores Illustres. B. 519. b.
Speciatim ad Cyrum. Ibid.
Ar, qualis urbs & ubi sita? A. 465. a. b.
An olim dicta *Moab*? A. 465. b.
An *Rabbath Moab* & *Areopolis*? Ibid.
Ar & *Aroër* distinctæ fuere urbes. A. 475. a.
Ara est forte ab ארר. B. 140. a.
Ante *Aras* supplicabant Gentes. B. 312. a.
Ararum multitudine honorari Numen putavit Antiquitas. A. 505. b.
Aras struxere Veteres altas & latas. A. 492. a.
Ara igni juncta cujus rei symbolum? B. 467. a.
Aræ & *Templa* subinde insignita fuere *hieroglyphis*. B. 893. a.
Arabes olim *pecorosi*. A. 629. b.
Eorum status civilis. A. 589. a.
Distincti omnes fuere in tribus, quibus Duces Gentis præfuerunt. Ibid.
Primi fuerunt, qui planitiem Babylonicam occuparunt. B. 534. b.
Cum Ægyptiis, Gentilibus suis, videntur excoluisse cognitionem sideralem. B. 534. a.
An *intonsis* utantur *crinibus* secundum testimonium Plinii? B. 94. a.
Arabes Kedareni quinam? B. 431. a.
Quomodo distinguantur hoc tempore? Ibid.
Hadri quales? Ibid.
Arabia, unde nomen? A. 587. b.
Arabiam quænam Gentes tenuerint? A. 586. a. 588. a.
Totam, qua Desertam, qua Felicem, posteris Chusi cessisse probabile est. B. 449. a.
Arabia deserta non prorsus *inhabitabilis*. A. 590. b.

Aram

Aram Naharaimi, quæ regio? A. 391. b.
Ararat terra qualis? B. 331. b.
Aratio, Sarritura, Occatio, myſtice quid ſignificent? B. 133. a. 228. b.
Quando potiſſimum facta in agro Judæo? B. 133. a.
Arbores Sylvarum myſtice ſunt *Proceres* & Magnates Urbium & Civitatum ampliſſimarum. B. 489. a. 717. b.
Arbores celſæ, oleoſæ, naſcituræ in *Deſerto*, quid myſtice notent? B. 409. b.
Arca quo ſenſu vulgo dicatur appellari *ſcabellum pedum Dei*? B. 812. b.
Arcubus magnis uſi Perſæ. A. 410. b.
Arcus & Sagittæ olim inter inſtrumenta Paſtorum. A. 198. b.
Ardere tanquam *ignis* quo ſenſu dicatur *impietas*? A. 258. a.
Ardor ſummus ſuperſtitioſorum hominum in falſum cultum. B. 750. b.
Area myſtice appellatur *Eccleſia*. A. 615. a.
Argento comparantur *Judices incorrupti & Doctores veri*. A. 52. b.
Argentum nullum habere myſtice quid ſit? B. 706. a.
Ariel cur dicta ſit Hieroſolyma? B. 137. a. ſeqq.
Olim ita dicebantur Heroës. B. 138. a.
Davidem hoc nomen myſticum præ aliis olim tuliſſe probabile eſt. Ibid.
Dictus quoque ſic fuit focus altaris, non ſenſu *Leonis Dei*, ſed *Ignis Dei*. B. 140. a.
Arietum, Alticornium, Taurorum, Hircorum ſignificatio myſtica. B. 279. a.
Armais Ægyptius, qui? A. 550. b.
Idem cum *Rameſis*. Ibid.
Armamentarium Urbis Hieroſolymæ ubi? A. 644. b. B. 220. a.
Cur dicatur *Domus Saltus Libani*? Ibid.
Aroër de *Damaſco* vel *Valle Damaſcena*. A. 500. b. 501. a.
Quæ ratio? Ibid.
Arpad Urbs quæ, & ubi ſita? A. 270. b.
Arundo & junci myſtice ſignificant Viros *doctrina & pietate inſignes*. B. 297. b.
Quod *late excreſcerent in ipſo loco quo recubare ſolent dracones*, quid myſterii involvat? Ibid.
Arundo fracta quo ſenſu dicatur *Rex Ægyptius*? A. 593. a. B. 311. a.
Arvum myſticum eſt *Eccleſia* ſive *Populus Dei*. B. 132. b. 831. a.
Sumitur etiam pro *Eccleſia externa* Judaica. B. 224. a.
Arx de *Templo*. B. 251. a.
De *Cœlo* etiam occurrit apud exteros. B. 251. b.
Arx Tſion erat inſtar caſtrorum fortium Virorum tempore Davidis & Hiſkiæ. B. 138. a.
Aſar in nominibus propriis Regum eſt *Aſſyrium*. A. 387. b.
Aſchera, Aſcheroth, Aſtharoth, qualis Dea? A. 506. a.
Aſcherim quid? Ibid.
Aſini & aſinorum *pulli* olim adhibiti ad arationem. B. 183. b.
Aſinis arantibus an recte comparentur Miniſtri Evangelii? B. 229. b.
Aſinorum & Camelorum uſus in bellis. A. 610. b.
Fuere in exercitu Cyri. A. 614. a.
Aſinorum & Aſinarum uſus in Palæſtina longe fuit frequentiſſimus, & qua de cauſſa? B. 178. N.
Aſperſionis myſterium. B. 655. b.
Aſpides & Baſiliſci, quorum emblema? A. 332. a.
Eorum *caverna* quid deſignent? A. 335. b.
Aſſarhaddon idem cum *Aſſaradino*. A. 394. b. B. 331. b.
Etymologia Nominis. B. 332. a.
Colonos traduxit in Samaritidem. B. 331. b.
Cur in Canone Ptolemæi tam ſero compareat? B. 332. b.
Aſſur in Hiſtoria Moſ. non poteſt eſſe nomen *Gentilitium*. A. 390. a.
Aſſurgere & ſe incurvare quid ſign. in Religione? B. 575. b.
Aſſyriæ nomen quam late uſurpetur? A. 191. a. & N. B. 643. a.
Aſſyriæ Rex dicitur Rex Perſarum. B. 94. a.
In *Aſſyria* quando manifeſtatum Regnum Dei? A. 584. a. b.
Aſſyria Spiritualis quæ? A. 709. & ſeq.
Aſſyriaca Dialectus à vulgo Judæorum tempore Hiſkiæ non fuit intellecta, licet eadem ſit Syriaca & Chaldæa. B. 256. a.
Docti inter Judæos ejus notitiam ſibi comparaſſe videntur. Ibid.
Barbara reſpectu Judæorum vix dici poterat. Ibid.
Aſſyriaci Regni fatum quale? A. 365. a. b.
Hiſtoria. B. 236. b.
Aſſyrii quare comparentur *apibus*? A. 192. b.
Qua anni tempeſtate in Judæam venerint? B. 216. b.
Quantum temporis ibi hæſerint? Ibid.
An in ipſa Valle Tophet à Deo proſtrati ſint? B. 194. a.
Factum illud eſſe in occiduo Urbis Hieroſolymæ tractu demonſtratur. B. 194. N.
Character deſolationis Aſſyriacæ. B. 216. b.
Fuerunt Syrorum hoſtes, & quæ ratio? A. 255. a.
In Allegorico-Propheticis geſſerunt figuram *Turcarum*. B. 196. a.
Reges quare ſe miſcuerint rebus Ægyptiorum? A. 552. b.
Aſſyriorum Dii quales? A. 271. N.
Aſſyrius vocatur Rex Aſſyriæ *Senacheribus*. A. 266. b.
An olim *feciſſe Ægyptum* dici queat? B. 327. a.
Aſtarte Phœnicia, cujus generis idolum? A. 506. b.
Aſtrologi Chaldæi *fata* futura edebant ad Novilunia. B. 535. b.
Quomodo vaticinium ad Novilunium inſtituerint? Ibid.
Prædicebant tempora faſta ac nefaſta. B. 536. b.
Docebant modum Mala expiandi, aut averruncandi media. Ibid.
Aliqua prædicebant *hypothetice*. Ibid.
Paſſim erant ſimul *Magi*. Ibid.
Aſtrologiæ ſtudia Ægyptiis videntur ſuam debere originem. B. 533. b. N.
De illis à Babyloniis cultis Traditio vetus. Ibid.
Aſtrologici ſtudii *Antiquitas* apud Babylonios. B. 534. a. N.
Locus Plinii ea de re videtur eſſe affectus. B. 534. N.
Ut & Euſebii in Chronico. Ibid.
Omnia quæ hac de re ex Beroſo traduntur à Cicerone, Plinio & Euſebio, fabuloſa ſunt. B. 534. a. & N.
Ipſa quoque Porphyrii traditio de Calliſthene apud Simplicium dubia & incerta. Ibid.
Aſtrologici ſtudii *Laus*. B. 535. b.
Illius *abuſus* apud Chaldæos. B. 536. a.
Qui præ ſe ferebant ex Aſtris definire poſſe fata Populorum & hominum. Ibid.
Quomodo inſtituerint? Ibid.
Fundamenta illius ſtudii. Ibid.
Vanitas harum artium & crimen quod in iis ineſt. B. 537. b.
Aſyndeton orationis elegantiæ inſervit. A. 523. b.
Atramenti vel ſimilis liquoris uſus jam tempore Prophetæ obtinuit. B. 172. a.
Attollere oculos quid ſignificet, & ubi locum habeat? B. 591. a.
Attributa ubi ſunt eadem, ibi res eodem modo appellari poſſunt. B. 445. b. 853. b.
Metaphoricis nominibus ſæpe cum reſpectu ad *perſonas iis deſignatas* tribuuntur. B. 843. a.
Si non conveniant *Subjecto*, cogitandum de ſenſu myſtico. B. 279. a.
Avaritia late ſumpta. B. 761. b.
Avaritiæ turpitudo. A. 121. a.
Vis. B. 761. b.
Avarus myſtice eſt homo *illiberaliter judicans*. B. 211. a.
Audire quid ſit *ſpiritualiter*? A. 161. a. B. 437. b.
Audire à tergo eſt audita *recoquere*. B. 441. a.
Audire preces Dei proprietas eſt. B. 321. a.
Aula Regum Judæ præcipue fuit in Palatio Regio ſuperiore, quod erat in Ophele. B. 220. a.
Aures myſticæ. A. 161. a.
Aureum Sæculum Poëtarum quid ſibi velit? B. 919. b. N.
Auritæ cur appellentur *Dii*, qui in Ægypto regnaſſe dicuntur. A. 548. b.
Aurora pro *Manifeſtatione Regni Meſſiæ* in his terris. A. 229. a.
Pro tempore *Reſurrectionis mortuorum*. A. 228. b.
Auroræ cur tribuantur *alæ*? B. 532. b.
Aurum coronarium quid? A. 525. b. B. 170. b.
Auſter aliquando eſt Ægyptus. B. 169. a.
Auſtrinis tempeſtatibus quare comparetur *Vaſtator*? A. 605. a. b.
Auxilia reſpicere *exotica* in Populo Dei magnum erat crimen, Deo ſumme injurium. B. 167. a.
Imprimis Ægyptia. Ibid.

Argu-

Argumentum erat incredulitatis, contemptui Dei & odio ejus mixtæ. Ibid.
Auxilium Divinum unicum est Ecclesiæ fulcrum. B. 405. a.
Azotus Urbs quando capta? A. 595. a.

B.

Baal-Peôr, Idolum Moabitarum. A. 463. a.
Unde sic appellatum? Ibid.
An fuerit *Jupiter Stygius*? Ibid.
An potius *Sol*? Ibid.
In *Baales* Phœnicum insanus Judæorum affectus. A. 671. a.
Baali-Peôr copulare se, quid significet? A. 463. b.
Baal-Peratsim, Mons valli Rephaim adjectus, unde dictus? B. 125. b.
Baales antiqui fere omnes cur à *Montibus* dicti? B. 899. a.
Babel nomen Urbis unde repetendum? A. 382. a.
Babylonis quæ amplitudo? A. 381. a.
Ejus ornamenta. Ibid.
An *tribus* fuerit munita *muris*? Ibid.
Quo sensu *murorum* ejus meminerit Jeremias? A. 381. b.
Ejusdem origo quæ? A. 382. a. b.
Primus Conditor *Nimrod* sive *Belus*. A. 385. b.
Quomodo *Assyrii* eam dicantur *fundasse*? A. 383. a.
An Deus recte dici queat ejus *Factor & Formator*? B. 92. a.
Quo sensu vocetur *Decor Regnorum*? A. 411. a.
Quare in Titulo Prophetiæ appelletur *Desertum Maris*? A. 602. & seqq.
Neglecta ab Arabibus, culta est ab Assyriis. A. 393. b.
Urbis *fata* quæ, tempore Cyri? A. 416. b. & 609. b.
Darii Hystaspis? A. 419. b. & seq.
Xerxis & sequentibus temporibus? A. 420. a. & seq.
Babylon mater fuit *Idololatriæ*. B. 92. a.
Post tempora Assamonæorum magnam partem Judæis relicta habitataque fuit. B. 59. a.
Ejus *excidium* passim in vaticiniis prænunciatur. B. 34. a.
Et quomodo in fide spectari debeat à sanctis? B. 59. a.
Babylon corporalis fuit figura *Babylonis spiritualis*, *Romæ*. A. 446. a.
Hinc in prophetiis de Babylone aliisque Sensus Literalis & Spiritualis sæpe conjungendi. B. 539. a.
Eo nomine Sancti à Sæc. XII. vocarunt *Romam*. B. 755. a.
Babylonicus ager qualis? A. 603. b.
Illum omnium primi occuparunt Arabes. B. 534. a.
In illum translati sunt Chaldæi demum à Nino circa tempora Judicum. Ibid.
Babylonici Regni origines unde repetendæ? A. 388. & seqq.
Babylonicum Regnum à Nimrodo ad Ninum suam habuisse successionem probabile est. A. 392. a.
Ejus primi *Reges* non fuere *Chaldæi*. A. 393. a.
Diversi fuerunt ab Assyriis *Reges Babylonii*. A. 386. b.
An sui juris fuerint, an obnoxii Assyriis? Ibid. & B. 343. a.
Quare appellentur *Assyrii*? A. 387. a.
Nomina Babyloniorum Regum arguunt originem Assyriacam. A. 387. a.
Quando ab Assyriis defecerint? B. 343. a.
Babylonici Imperii Veteris amplitudo. B. 527. a.
Babylonii Idololatræ insignes. B. 514. a.
Non passi se sunt revocari ab Idololatria per Judæos. B. 92. a.
Utrum Dei Populum inclementer tractarint? B. 527. b.
Ignorarunt Malum sibi superventurum esse ex Persia. B. 533. a.
Calamitas iis repente supervenit. Ibid.
Ex illis, antiquissimis temporibus, plures vacarunt contemplationi cœlorum. B. 533. b.
Astrologiam & Magicam artem habuisse videntur ab Ægyptiis. Ibid. & N.
Certa eorum observata Astronomica apud Veteres servata non sunt, nisi posteriora Nabonassaro. B. 534. a. N.
Observationes tamen privatas habuisse videntur ab antiquo satis tempore. B. 534. N.
Babylonis Ægyptiæ quæ *origo*? A. 533. b.
Baculorum usus in judiciis Judæorum. A. 267. a.
Baculus Dei vocatur scipio, quo usus est Moses. A. 287. b.
Baculus quiescens super Populum, quid sit, & unde metaphora desumpta sit? B. 192. b.
Baitha qualis Urbs? A. 466. b.
Βαιτύλια Veterum quid, & quæ nominis origo? B. 119. N. 752. N.
Baladan est ex בל-אדן *Bel-Dominus*. B. 343. a.
Balbi, sive *Balbutientes*, sensu spirituali quinam dicantur? B. 210. a.
Opposita virtus *diserte loquendi*. Ibid.
Balæna est Draco in Mari. B. 78. b.
Balteos Orientales Populi admodum *ornatos* habuere. A. 655. a.
Baptizandi in Ecclesia Vetere publice *Fidem* profitebantur. B. 478. a.
Fœderali *jurejurando* Fidem & obsequium Christo obstringebant. Ibid.
Renunciabant solenniter omni alii confœderationi. Ibid.
Baptizati inscribebantur *matriculæ* Ecclesiæ. B. 478. a.
A Christo Jesu aut Patriarchis *denominabantur*. Ibid.
Barba rasa apud Veteres signum luctus gravis, etiam apud Judæos. A. 195. a. 467. b.
Barba quid figurate sign. apud Prophetam, & quid per *rasuram barbæ* intelligatur? A. 195. a.
Barbam vellere in illusionibus ignominiosis receptum fuit. B. 611. b.
Christi *vulsam* esse à Judæis probabile est. Ibid.
Barbari quinam fuerint Hebræis? B. 255. b.
Græci tales erant resp. Judæorum? B. 256. a.
Barbarorum Populorum irruptio in terras Ecclesiæ quando facta sit? B. 736. a. b.
Bardines, qui fluvius? A. 496. b.
Baris sive *navigium Isidis* quid? A. 518. a.
Basan ubi situs? B. 153. a. 245. a.
Basilisci & *Chersydri* nomine quare designetur *Hiskias*? A. 454. a.
Bathus quæ mensura Hebr.? A. 122. a.
Beatitudo in his terris, in quibus consistat? B. 250. b. 725. b.
Ejus complementum in Cœlis est. B. 250. b.
Quomodo conveniat piis sub *Oeconomia N.* B. 725. b.
Beëlsamen est *Sol*. unde sic dictus? A. 670. b.
Beër Elim quis locus? A. 472. a.
Bel & *Nebo* Idola Babylonica *qualia*? B. 514. a.
Bel est ex בעל *Dominus*. Ibid.
Figuravit *Jovem*, cujus sedem putabant esse in Sole. Ibid.
An hoc nomine appellatus, cultusque sit Belus Nini Pater. Ibid.
Belluis comparantur *Persecutores* Ecclesiæ. B. 592. b.
Bellum Germanicum superiori Sæculo, ex motibus Bohæmicis ortum, non fuit *Religionis*. B. 27. b. 234. a.
Illius Calamitas fuit memorabilis, & specimen luculentum Judicii Divini. B. 6. b. 27. b. 234. a.
Qualia etiam fuerunt inter alias Gentes. B. 234. a.
Benedicere sibi quid sit? B. 910. a.
In aliquo? Ibid.
Benedictio Abrahami qua re proprie consistat? B. 833. b.
Beneficentiæ Davidis permanentes quale bonum? B. 709. b.
Beneficia in Judæam Gentem collata. B. 859. a.
Ex mera *gratia*. Ibid.
Berosi traditio de *fuga Nabonnedi*, apud Josephum, adulterata. B. 460. a.
Bestiarum emblemate Scr. S. designat magna *Imperia*. B. 592. b.
Bethabara Trajectus Jardenis. B. 356. a.
Bethel Prophetis dicta *Bethaven*. B. 5. b. 166. b.
Bethlehemiticus ager an fuerit *siticulosus*? B. 663. N.
Bibere quid sit mystice? B. 705. b.
Bibere aquas è cisterna sua, adagium quid significet? B. 325. a.
Bonus & *propitius* Deus est per naturam. B. 469. b.
De *vero* hominis *bono* sensus Gentilium. B. 707. a. b.
Bona Test. Gratiæ sunt vel *privæ* vel omni Ecclesiæ *communia*. B. 936. b.
Botsra Metropolis Idumææ distinguenda ab Urbe cognomine Moabitidis in Arabia Moabitica. B. 278. b.
Significatio vocis. Ibid.
Botsra nomen olim fuit commune multis in Judæa & Arabia Oppidis. B. 853. b.
Urbs à Juda Maccabæo expugnata non est *Botsra* Idumææ. Ibid.
Nomen mystice sumptum quid notet? Ibid. & 854. a.

Boves quid myſtice ſignificent? A. 331. a.
Boves & *aſini arantes* & comedentes *farraginem ſubacidam* ſenſu myſtico. B. 183. b.
Brachia Orientales Fœminæ habebant tecta. B. 525. a.
Brachium Jehovæ cur appelletur Evangelium? B. 662. a.
Ejus *Revelatio* quid ſibi velit? Ibid.
Bubali quid myſtice? A. 331. a.
Buccinæ quomodo differant à tubis? B. 96. a.
Erant cornua *bubula*, non *arietina*. Ibid.
Butyrum & *Mel*, communis Infantium cibus. A. 188. a.
Butyrum & *Mel comedere* quid? A. 187. b. 198. a.

C.

Cadaver ubi Eccleſia dicitur, quis qualiſque ejus intelligatur ſtatus? B. 69. b.
Illius *vita* eſt *inſtauratio*. Ibid.
Cadavera hominum quid ſint myſtice? B. 956. a.
Caci quo ſenſu fuerint Judæi tempore Chriſti? B. 147. b. 429. a.
Quo ſenſu Gentes? B. 155. a. 429. a.
Præfecti Eccleſiæ? B. 737. b.
Cæci habentes oculos, quo ſenſu dicantur Judæi degeneres? B. 454. a.
Cæcitas ſpiritualis quid? A. 161. b. B. 148. a. 294. b.
Cæſarum Germanorum tempora. B. 284. a.
Cainas qua inſignitus à Deo fuerit *nota*? B. 667. b.
Calamus eſt ſymbolum Ægypti. B. 311. a.
Frequens naſcitur apud Nilum & alveos ejus, ac paludes Ægypti. Ibid.
Calamus odoratus num natus fuerit in Judæa vel Syria? B. 466. b.
Plinii ea de re loca. Ibid.
Traditionis fides dubia. Ibid.
Quem uſum habuerit in Sacris? Ibid.
Calamus quaſſatus cujus rei ſymbolum? B. 424. a.
Calcis cremationi comparatur *abſumptio* improborum. B. 246. a.
Caligo quo ſenſu Judææ Genti à Deo repudiatæ tribuatur? A. 231. a. & ſeq.
Calno Oppidum quando conditum, & ubi ſitum? A. 270. b.
Cambyſes ſæviit in Idola Ægypti. A. 554. a.
Quæ cauſſa expeditionis ejus in Ægyptum? Ibid.
Camelorum uſus in Arabia. B. 807. a.
Camoſch Idolum Moabitarum quale, & unde ſic dictum? A. 463. a. b.
Canaanæa terra quare ſic dicta? A. 425. a.
Plena antris & ſpeluncis. A. 85. a.
Media ejus pars fuit montana. A. 475. b.
Illius ſtatus poſt Reditum ex Exilio. B. 622. a.
Ejus termini ſub Joh. Hircano longe magis dilatati ſunt, quam olim ſub florentiſſimis Regibus. B. 64. a.
Fuit ſymbolum veræ hæreditatis Populi Dei. B. 779. a.
Canes Paſtoritii. B. 738. a.
Canibus mutis ignavi Præfecti Eccleſiæ ſimiles. B. 738. a.
Canum uſus fuit in Sacrificiis Græcorum &c. B. 928. a.
Canna Veterum. B. 466. b.
Canne Urbs quæ, & ubi ſita? B. 319. b.
Canon Librorum Sacrorum quando concinnatus apud Judæos? Prol. 21.
Canon Fidei & Morum quis? B. 298. b.
Traditus, defenſus, conſtabilitus Sæc. I. II. III. IV. B. 583. b.
Canon interpretandæ S. Scripturæ *Tichonii Afri*. B. 574. a.
Canones interpretationis Prophetiarum, quæ agunt de *proſperitate* Populi Judæi poſt reditum ex Exilio. B. 639. a.
Canticum novum quid ſit ſtylo Scripturæ? B. 430. b.
Caphthor nomen unde? A. 450. b.
Caphthorei qui Populi apud Moſem? A. 449. a.
An *Cretenſes*? Ibid. b.
Caput, *Primores* Civitatis & Principes. A. 256. a.
Caput & Cauda quid ſign.? A. 566. a.
Carchedonius, lapidis pretioſi genus, unde nomen habeat? B. 695. N.
Carchemiſch quale oppidum, & ubi ſitum? A. 270. b.
Carmel in Sacris vel *appellative* ſumitur vel ut nomen *proprium*. B. 153. a.
Si ut nomen *proprium*, deſignatur famoſus *Mons* in tractu Judææ Aquilonari. Ibid. & 245. a.
An pars aliqua *Montani Judæ* apud *Hebronem* etiam hoc nomine veniat? B. 153. a.
Mons fuit fertilis Soli, & aliqua parte paſcuus. Ibid.
Ejus *decus* quid ſit proprie, quid myſtice? B. 292. b.
Carmel, ſive *arvum frugiferum*, ſuſtinet figuram *Judæorum*. B. 154. a.
Ejus *converſio in Sylvam*, quid ſit? Ibid.
Carminum triplex genus apud Judæos. A. 111. a.
Caro quid denotet in Sacra Scriptura? B. 361. b. 362. a.
Subinde ſignificat cultum Religionis *externum* & *carnalem*. B. 362. a.
Rationes illius appellationis. Ibid.
Caro quo ſenſu *homo totus* ſecundum utramque partem ſui dicatur? B. 201. a.
Caro & Spiritus quid ſit in perſona Chriſti Jeſu? Ibid.
Carnis circumciſio quid ſignificaverit? B. 362. a.
Carnem porcinam comedere quid ſit ſenſu ſpirituali? B. 896. a.
Caroli M. tempora, & ſeqq. B. 284. a.
Triſtis illorum temporum aſpectus. B. 740. b.
Epiſcoporum *vita* & *mores* poſt tempora Carolina in Occidente. Ibid.
Status Eccleſiæ Orientalis qui fuerit? B. 741. b.
Caſa in vinea quo ſenſu dicatur reliqua facta *Filia Tſion*? A. 43. a.
Caſluchæi qui Populi apud Moſen, an *Cyrenæi*? A. 449. a. b.
Caſtra Aſſyrii in monte Oliveti, Joſepho memorata, an fuerint Aſſyriorum, num Chaldæorum; dubium eſt. B. 194. N.
Caſtrationes ſive *exſectiones* an receptæ fuerint apud Judæos? B. 729. a.
Cauda quo ſenſu dicatur *falſus Propheta*? A. 256. a.
Cedri quantæ craſſitiei in monte Libano? A. 297. a.
Celſa terræ quid? B. 778. b.
Super illa vehi quid? Ibid.
Cervix alicujus, ubi dicitur *nervus* ſive *muſculus ferreus*, quid ſignific.? B. 545. a.
Unde deſumpta ſit Metaphora? Ibid.
Chaldæi nomen Gentis, cujus rarior in Hiſtoria mentio. A. 411. b.
Uſurpari cœpit de *Sophis* illius Gentis. B. 490. a.
Gentis *origo* unde petenda? A. 412. b.
Jeremiæ vocatur *Gens antiqua*. Ibid.
Originaria Gentis *ſedes* Meſopotamia. Ibid.
Per varia Meſopotamiæ loca ſe diffuderunt. Ibid.
Quidam eorum à Nino tranſlati in agrum Babylonium. Ibid. B. 534. a.
Gens induſtria, ingenio plena, manu fortis. A. 412. b.
Ab his Chaldæis diverſi Chaldæi Ponti accolæ. A. 413. a.
Triplicis generis *Chaldæi* memorantur exteris Scriptoribus. A. 412. b.
Chaldæi ſæpe pro ſecta hominum *Aſtronomiæ* peritorum. A. 411. b.
Quo nomine tamen non veniunt apud Scriptores S. qui ſcripſerunt ante Exilium Bab. B. 534. a.
Chaldæorum terra Jeſaiæ eſt *ager Babylonius* & ipſa *Babylon*. A. 685. a.
Chaldæorum, qua Gentis imperatricis, memoria plane interiit. B. 527. a.
Chaldæorum diſciplina poſt lapſum Imperii Babylonici adhuc diu viguit. B. 537. b.
Quis illius uſus ſub Imperio Perſico? B. 538. a.
Poſtmodum venit in contemptum. Ibid.
Apud Romanos fuit vetita. Ibid. N.
Refellitur. Ibid.
Mirum eſt, artem illam inveniſſe Patronos & cultores Sæculo Conſtantiniano, quin inter Chriſtianos *Sæc.* XIV. B. 538. N. b.
Chaldæus appellatur *Nebucadnezar*. A. 413. a.
Chamata, Syria. A. 350. b.
Chamath Urbs ubi ſita? A. 270. b.
Videtur eſſe *Emiſſa*. Ibid.
Vel *Heliopolis* in Valle Libani. B. 314. b.
Chammanim quid ſint? A. 506. b. & ſeq.
Chamus in Thebaide ſedem fixit. A. 536. a.
Chanes Urbs Ægypti ut videtur inferioris, *Anyſis*. B. 168. a. b.
An fuerit *Tahpanhes*, ſive *Daphne*? B. 168. a.
Chatſor Urbs Galilææ ſive in Aquilonari Parte Palæſtinæ. B. 431. b.
Venit etiam pro *Petra*, Metropoli Iſmaëlitarum in Arabia Petræa. Ibid.
Cherubini Ezechielis, quare compareant *facie develata*, & cum *quatuor alis*. A. 150.

Chori oppositi apud Veteres sibi mutuo *accinebant.* B. 84. b.
Christi nomen, χρεισὸς, an Justinus Martyr restrinxerit ad Naturam Divinam τῦ λόγυ? B. 829. N.
Christus à quibus fuerit *contemptus* & fastiditus? B. 574. b.
Homo carnalis in ipso nihil invenit quod amet. Ibid. & 664. b.
Genti Judææ quomodo fuerit *abominationi*? B. 574. b.
Servus Dominantium. B. 575. a.
Ultimo tempore Populo Judæo extra ordinem *se patefacturus* esse videtur. B. 878. a.
Christus & *Ecclesia* sæpius in S. Scr. occurrunt *ut una persona.* B. 574. a.
Chrysorrhoas fluvius ubi? A. 496. b.
Quinam ejus *rivi* olim? A. 497. a.
Cingula Populorum Orientalium. A. 326. b.
Cippos quando & quibus in locis erigebant Veteres? A. 573. a.
Circulum immittere in alicujus nares, unde metaphora desumpta sit? B. 328. b.
Circumcisio an unquam in Populo Dei fuerit neglecta? B. 641. a.
Cithara quale instrumentum? A. 491. b.
Cito quomodo res eventuras dicant Prophetæ? B. 521. b.
Citthei apud Jesaiam non sunt *Macedones*, & cur? A. 673. b. & seq.
Sed *Itali*, & Italiæ subjecti *Insulares.* A. 674. a. b.
Civitates desolatas instaurare mystice quid valeat? B. 578. a.
Civitates qua ratione aliquando ut *Matres* considerentur, aliquando etiam ut *Virgines*? B. 841. b.
Clades ingentes ex peste & similibus causis. B. 331. a. N.
Clamare non cum justitia quid sit? B. 782. a.
Claudi, mystice sic dicti, quinam sint? B. 295. b.
Vitiosi hujus affectus causæ. Ibid.
Clavis cujus rei symbolum. A. 656. a.
Quo sensu dicatur *imponenda humeris* alicujus? Ibid.
Ab humeris *pendulas* olim gestabant claves Sacerdotes quidam apud Gentiles. A. 656. b.
Clavis quarundam *Prophetiarum* recte intelligendarum. B. 106. a.
Clavis cognitionis quid sit? B. 148. b.
Eam Pharisæi *sustulerant.* Ibid.
Clavorum usus qui? A. 657. a.
Clavus emblema *stabilitatis Status.* Ibid.
Emblema *Principum* & primariæ dignitatis Virorum. Ibid.
Dare vel *figere* aliquem *clavum* quid. Ibid.
Clypeos ungere solebant, & quare? A. 609. b.
Cnouphis quale Ægypti Idolum, & ubi cultum? A. 515. a.
Cœli supremi quo sensu *Altum & sanctum*? B. 760. b.
Cœli quo sensu dicantur *Expansum*? B. 427. a.
Instar voluminis convolvendi? B. 275. b.
Mystice aliquando sumuntur pro *Angelis*, *Patriarchis* & *Sanctis.* B. 489. a.
Cœlorum Systema & substantia juxta præjudicium populare & quorundam Philosophorum. B. 275. N.
Cœlorum constitutio, Corporumque cœlestium majorum in eis, *Divinum* prodit *ingenium* & judicium. B. 369. a. b.
Cœlos plantare & *Terram fundare* quid sit? B. 631. b.
Per *Cœlos* & *Terram* quid intelligatur in concione Jesaiæ? A. 35. a. b.
Cœlum & *terra* quo sensu excitentur ad *jubilandum*? B. 488. a. b.
Cœlum mysticum & *Terra mystica.* B. 21. b. 632. a.
Cœlum pro *Alto Dignitatis loco.* A. 435. a.
In cœlo esse & *cadere de cœlo* quid? Ibid. & N.
Cœlum pro Templi Hierosolymitani *Adyto.* A. 436. a.
Cœnacula Dei vocantur, non tantum summi Cœli, sed & inferiores, & ipsa atmosphæra. B. 379. a.
Cogitare Deus dicitur quæ ex natura rei sequi debent. B. 860. a.
Cogitatio firma quid sit? B. 57. a.
Unde pendeat? Ibid.
Excludit dubitationem. Ibid.
Cogitationes Dei quisquis ex suis metitur, errat. B. 716. a.
Cognatio spiritualis describitur. B. 949. a.
Cognitio Jehovæ quid? A. 311. b.
Ejus *exuberantia* in Regno Messiæ florente. A. 336. a. b.
In multis casibus sumitur pro *amore Dei.* B. 241. b.
Clarior viarum Dei ultimo tempore ex *quibus* sit exspectanda *causis.* B. 295. a.
Cognitio Christi aliquando notat veram *Fidem.* B. 680. a.
Cognomenta, præter nomen Patris, apud Judæos erant rariora. B. 476. N.
Satis tamen antiqua. Ibid.
Post Reditum ex Exilio familiariora. Ibid.
Cognomina apud Romanos duplicis erant generis. B. 476. b.
Cognominum & *agnominum* apud illos nulla distinctio. Ibid.
Cognoscere stylo Sacro sæpe est *diligere.* B. 626. b.
Aliquando valet *curare rei affici.* B. 871. a.
Cognoscere justitiam quid significet? B. 626. b.
Collectio Judæorum prima post Reditum ex Exilio *corporalis* & *spiritualis.* B. 452. a.
Continuata per universum tempus Oec. V. Ibid.
Perficienda sub Oec. N. Ibid.
Electorum quomodo facta sit à *Messia*? B. 570. b.
Columbarium est emblema *Ecclesiæ.* B. 809. b.
Columnæ cœlorum non videntur esse *Montes.* B. 379. a.
Coma tonsa apud Veteres signum gravis *luctus.* A. 467. b.
Comæ ornatus apud Orientales. B. 525. a.
Comedere de *carne* hostiarum *piacularium* cur non licuerit *privatis*, sed solis Sacerdotibus? B. 681. b.
Comedere fructum operum suorum quid? A. 93. a.
Commemorare nomen Dei quid notet? B. 543. a.
Jehovam? B. 843. b.
Quo sensu vindicetur *Levitis*? Ibid.
Commentariensis officium. B. 310. a.
Commotiones in Europa *causa Religionis* maximæ fuere Sæc. XVI. B. 28. a.
Commovere, ubi de *Decretis* aut *Actione* Dei, quid? A. 682. a.
Communitates passim in Sacris veniunt nomine *Mulierum.* B. 214. b.
Ratio metaphoræ. B. 215. a.
Compendia Scripturæ amarunt Veteres. Prol. 23. b.
Complementa eventuum apud Proph. involvuntur suis *initiis.* B. 82. a.
Concionaturi ad Populum olim conscendebant *Montes.* B. 364. b.
Concionum Elencticarum copia post tempora Reformationis. B. 767. b.
Concipere, *parturire*, *parere*, quid sit, metaphorice? B. 65. a.
Concipere molestiam quid sit? B. 782. b.
Conclusus ac derelictus Hebræis sunt milites in præsidiis ad extremum necessitatis casum reservati. B. 55. b.
Concreta Hebræi sæpe efferunt *per abstracta.* B. 914. a.
Concutere terram, unde metaphora? A. 85. a.
Confessores veritatis quomodo passim habiti ab Adversariis. B. 748. b.
Confidere inani & *loqui vanum* quid sit? B. 782. a.
Confœderatio, quæ initur *cum Deo* in Baptismo. B. 478. a.
Confractio stylo Scripturæ S. quid sit? B. 636. b.
Congregari ad Patres quid sit? B. 744. b.
Conjugium cum Ecclesia *Libera* quando Deus *primo* inierit? B. 688. b.
Quando *propior* & iterata conjunctio facta sit? Ibid.
Conjuratio Sæc. XVI. inita de *exterminandis* Protestantibus. B. 28. a.
Ejus Effecta. Ibid. b.
Considerare ad cognoscendum, ratione viarum Dei, quid sit? B. 209. b. 210. a.
Consiliarii Populi Judæi qui? A. 54. b.
Consiliarius, nomen Messiæ, quo respiciat? A. 249. a.
Consiliorum Divinorum *altitudo.* B. 715. b.
Præsertim *in* dispensandis *Oeconomiis* Ecclesiæ. B. 716. a.
Et *sortibus* singularium hominum. Ibid.
Consolationis Beneficium, in primam Ecclesiam collatum, an mereatur *jubilum* Angelorum & Hominum. B. 585. a.
Constantiniani temporis Ecclesiæ *Beneficium* vindicatur ab invidorum calumniis. B. 838. b.
Constantinopolis quare eodem, quo Roma, à Persis & Turcis sit appellata nomine? B. 281. N. b.
Consummatus quo sensu dicatur Populus Judæus? B. 438. a.
Contritus ac *humilis spiritu* quid stylo Scr. S.? B. 760. b.
Conventio inter Deum & Messiam Judæis Doctoribus non ignota. B. 572. b. N.
Conversio Gentium per Evangelium fuit *festinatissima.* B. 934. a.
Et *mirabilis.* Ibid. b.

Conversio Judæorum ultimo tempore exspectanda juxta Proph. B. 886. a.
A Doctoribus Christianis omnium temporum credita. B. 886. N.
Quo modo sit *efficienda*? B. 659. a.
Convincendis profani ingenii hominibus *qui* Viri Docti operam dederint? B. 214. b.
Convitiis Judæi insectabantur Christianos primi temporis. B. 625. 2. a.
Convivium in Scr. S. semper est emblema *congressus* parati *ad latitiam*. B. 40. b.
Convolvi spiritus hominis quando dicatur? B. 761. a.
Copiæ militares an missæ fuerint cum Legatis Assyrii Hierosolymam? B. 309. a. b.
Coptus Urbs olim celebris. A. 535. b.
Cor lapideum quid sit? B. 545. a.
Cornu vox refertur ad situm Canaanæ. A. 113. a.
Cornua Altaris quid olim significarint? B. 87. b.
Coronarum & corollarum usus apud Veteres. B. 302. b.
Quem usum habuerint in *Sacris*? B. 303. a.
Corroborare Ecclesiam quo sensu Deus dicatur? B. 402. b.
De *Corrumpendæ* Ecclesiæ *statu* prædictiones Christi & Apostolorum. B. 740. a.
Corruptio Præfecturæ Ecclesiasticæ in Occidente post tempora Carolina. Ibid. b.
Corruptelæ incrementa in Germania. Ibid.
Corruptus status *Reducum* ex Exilio Babylonico, maxime *Sacerdotum*. B. 12. a.
Creare quid sit, & quomodo differat à *formare* & *facere*? B. 453. a.
Quomodo illa discreta fuerint in *prima* hominis *productione*? Ibid.
Quomodo in *Productione typica* Populi Dei? Ibid.
Quomodo in *Opere Gratiæ*? Ibid. b.
Creationis notio varium habet respectum. B. 446. a.
Cretenses Sagittarii. A. 450. a.
Crethæi sive *Cretenses*, quare dicti milites Davidis Prætoriani? Ibid.
Crethæorum nomen unde? Ibid.
Crimina Sacerdotum, tempore Ant. Epiph. provocantia gravissimum Dei judicium. B. 12. a.
Judæorum, quæ reprobationi ipsorum ansam dederunt. B. 891. a.
Crocodilus vocatur *Serpens qui est in mari*. A. 558. a.
Serpens Rectus, נחש בריח. B. 78. a.
An recte dici queat *impetuosus*. Ibid.
Crucis Christi *scandalum*. B. 575. a.
Crux passim erat crucifixorum sepulchrum. B. 675. b.
Quod tamen ex ritu Judaico temperatum est. Ibid.
Cucumerarium. Quo sensu *Filia Tsion* dicatur reliqua facta ut in *cucumerario*? A. 43. a.
Cucumerum deliciæ apud Veteres. Ibid.
Cultus carnalis Oecon. V. quare comparetur *flori agri*? B. 363. b.
Ritualem Deus parum curavit. B. 468. a.
Pro cultu *vero* & *essentiali* haberi noluit. B. 468. b.
Cultus Dei sub *Oecon. N.* est *simplex*, & minime operosus. B. 757. a.
Operosum, Carni blandientem, homines corrupti non respuunt. Ibid.
Superstitiosus Ecclesiæ Latinæ, *Spirituali* oppositus. Ibid.
Spiritualis hypocrisi adimit velum. B. 833. a.
De *Cultu imaginum* sententia Ecclesiæ Rom. B. 486. b.
Cultus summissus Regi *Babylonis novæ* delatus. B. 756. b.
Cura Dei erga Ecclesiam, qua *fideles* ei subministrat *Pastores*. B. 842. b.
Curare ubi Deus dicitur *vineam suam*, quid significetur? B. 84. b.
Currere quid mystice significet? B. 784. b.
Currere ad Ecclesiam quid significet? B. 712. a.
Currus Dei quid significent? B. 939. b.
Curvari Hebr. pro *mori*. A. 262. b.
Curvatio genu metaphorice quid significet? B. 510. a.
Cuschæa vera & prima quærenda in *Arabia deserta*. A. 586. b. 588. b. B. 448. b.
Quinam Populi præter Arabes nomine *Cuseh* designentur? A. 350. a. 517. a.
An *Cuschæi* recte dici queant Æthiopes? A. 588. b.
Cuschæorum qui status civilis? A. 589. b.
Eorum Regnum non videtur se habuisse statu æquabili. A. 590. a.
Comparantur Gothis, Scythis, Celtis. Ibid.
Status illorum florens tempore Jesaiæ. Ibid.
Custoditi Israëlis quinam fuerint? B. 571. b. 572. a.
Cyri nomen כורש quomodo legendum? B. 491. b.
Quid significet? Ibid.
Cyrus quo sensu dicatur *Pastor Dei*? Ibid.
Et *Unctus Dei*? B. 494. a.
A Deo dilectus? B. 550 a.
Singulare fuit Divinæ Providentiæ objectum. Ibid.
An illi recte tribuatur Edictum de *Readificanda Hierosolyma*? B. 491. b.
An recte comparetur *Henrico VIII*? B. 494. N. b.
Quæ *rationes* ipsum moverint ad Populum Judæum *liberandum*? B. 496. b.
De se *Visum*, ex Dionysii *Persicis* à Cicerone productum. B. 417. a.
De eo judicium. Ibid. b.
Habuit notitiam *veri Dei*. B. 413. a. & N. 495. b.
Imbutus fuit principiis *veræ Religionis*. B. 550. a.
Cyri Laus in historia. B. 396. a.
Ejus *virtutes* dotesque laudabiles. B. 494. a. N.
Non obstantibus iis, quæ Herodotus & Athenæus de eo in contrarium narrant. B. 494. N.

D.

Damascus ubi sita? A. 496. a. & 497. a. b.
Urbs amœna & clara. Ibid.
Nominis etymon. Ibid.
Quodnam antiquum ejus nomen? A. 496. b.
Quis ejus *Conditor*? A. 497. b.
An tempore Abrahæ jam fundata? A. 498. a.
Notissima tempore Davidis. Ibid.
Quando & à quo *expugnata*? A. 501. b.
An ex Historia evinci queat, *eversam* fuisse? Ibid.
Damasceni agri rigua quæ? A. 496. b.
Damascenum Regnum quando & *à quo* conditum? A. 498. b.
An ejus continua fuerit *successio*? Ibid.
Obnoxium *Judæis* fuit sub Salomone. Ibid.
Ejus Regni qui *successus*? A. 499. a. b.
An Reges ejus omnes *Hadadi* cognominati? A. 498. b.
Damascus Caput Syriæ. A. 175. a.
An illa verba respiciant promissum *Immanuëlis*? A. 178. b.
Prophetia adversus Damascum, *quo tempore* edita? A. 499. a.
Damnatorum Reproborum *status* extremus quare comparetur *Vermi non morituro*? B. 956. b.
Cur *igni qui non extinguitur*? B. 957. a.
Erit status *opprobrii æterni*. Ibid. b.
Daphne, Lucus Antiochenus famosissimus. B. 893. a.
Daroma quid Eusebio? B. 309. a.
Davidicæ Domus status tempore ortus Messiæ. B. 663. b.
Dealbari peccata dicuntur metonymice. A. 50. b.
Decreta Divina circa casus humanos quomodo concipiantur à vulgo? B. 127. a.
Non præstant *canonem actionum* hominum, nec eas liberant à *culpa*. B. 528. a.
Decus Carmeli & *Saronis* quid? B. 292. b.
Decus Ecclesiæ verum qua in re consistat? B. 820. a.
Decus Ecclesiæ ex *confluxu Gentium*. B. 712. b.
Maxime eminebit extrema periodo. B. 813. b.
Dedanitæ Arabes negotiatores. A. 627. b.
Dedanitarum discrimen & veræ *sedes*. A. 624. a.
Defectus in judiciis ante tempus Exilii Babylonici. B. 106. b.
Defectus piorum Sæc. x. & seqq. B. 747. a. b.
Deglutire instar Belluæ immanis Ecclesiam dicuntur Persecutores. B. 592. b.
Delere peccata quid sit? B. 487. b.
Ut nubem, quid notet? Ibid.
Deliciari in Jehova quid sit, ubi sumitur pro *officio* hominis. B. 778. b.
Quid sit, ubi sumitur pro *beneficio*? Ibid.
Est bonum *spirituale*. Ibid.
Demiurgus Gnosticorum. B. 599. a.
Ejus Epitheta. Ibid.

Democratica fuit forma regiminis Populi Judæi poſt reditum ex Exilio. A. 55. a.
Democritus dogmata *artis arcanæ Aſtrologicæ* non tenuit. B. 538. N. b.
Denominandi ratio, qua nomen *Patris* ingreditur nomen *Filii*, apud Hebræos & Græcos uſu fuit recepta. B. 476. a.
Dependentia hominis à Deo ſemper *ſalvas* præſtat *σχέσεις morales* inter Deum & hominem. B. 152. a.
Derelinqui à Deo ubi quis dicitur, quid ſignificetur? B. 585. b.
Deſerta cur appellentur magna Imperia? A. 603. b.
Deſerticolæ, in quorum uſum fundata Babylon, quinam apud Prophetam? A. 687. b.
Deſertum geminam ſuſtinet ſignificationem myſticam. B. 224. a.
Deſerti converſio in *Arvum frugiferum*. Ibid.
Ejus præludia. B. 225. a.
Deſertum aliquando deſignat *Eccleſiam afflictam & ſolatio vacuam*. B. 291. a.
Sed ampliore ſenſu *Gentes communione Dei excluſas*. Ibid. & 297. b.
Deſertum vocatur ſpeciatim campeſtris Hierichuntina. A. 475. b. B. 291. a. 356. a.
Ibi Miniſterio functus *Jo. Baptiſta*. A. 476. a. B. 356. a.
Deſertum Judææ diſtinguendum à *deſerto* in quo Joannes fuit educatus. B. 356. a.
Deſertum Arabiæ Petræa & Deſertæ an habuerit Urbes & Villas? B. 430. b.
Deſertum maris quid proprie? A. 603. a.
Quid myſtice? Ibid.
Per *Deſertum* Hoſeas intell. *Imperium Babylonicum*. A. 603. a.
Deſolata longi temporis ædificare, quid ſit ſtylo Prophetæ? B. 775. b.
Deſolata loca Hieroſolymæ quid? B. 649. a.
Deſolata loca ab Eccleſia jure Hæreditario *poſſidenda* ſunt Regna & Civitates *Gentium*. B. 577. b.
Deſtinatio conſpicua eſt in ſucceſſionibus magnorum Imperiorum Mundi. B. 496. a.
Devovendi ritus apud alias Gentes. B. 472. a.
Devoveri à Deo quid ſignificet? B. 472. a.
Quomodo ſumatur in meliorem partem? Ibid.
Deus amat cultum *ſpiritualem*. B. 771. a.
Præſidet *motibus Mundi* & Imperiorum Mundanorum. B. 104. b.
Puniens Populum ſuum refractarium dicitur illos *oppugnare & deſtruere*. B. 125. b.
Quomodo *innoteſcere* potuerit *Gentibus* opere *liberationis* Judæorum per *Cyrum*? B. 496. a.
Ipſe præſens cum apparitione Meſſiæ *locutus* eſt. B. 645. b.
Deus Achazi quo ſenſu dicatur Deus? A. 180. b.
Omnium hominum Deus quo ſenſu dicatur? B. 129. a.
Omnium Regnorum terra? B. 321. a.
Cur illum deceret aliquando eſſe *Deum omnium Gentium*? B. 689. a.
Dei Potentia & Sapientia admirabilis conſpicua *in* toto opere *Providentiæ*. B. 130. a.
Dei perfectiſſimæ naturæ quomodo conveniat *gaudium* ex Statu hominum? B. 914. a.
Deus Fortis Heros, nomen Meſſiæ quid? A. 249. b.
Dextra juſtitiæ quid ſit? B. 403. a.
Diabolum, non Deum, *colit*, qui homines innocuos *Religionis cauſſa* interimit. B. 755. b.
Dibon quæ urbs, & ubi ſita? A. 467. a.
Dicere homines cenſentur, quæ ex factis illorum *colliguntur*. B. 114. b.
Sive quæ jure videntur *dicere poſſe*. B. 586. b. 728. a.
Dicere ſubinde eſt *cogitare*. B. 859. b.
Die illo, quantam *latitudinem* in Scriptura admittat phraſis? A. 103. a.
Diei tertii Creationis Phyſicæ in Creatione Myſtica reſpondet Sæculum *Conſtantinianum*. B. 632. b.
Diei Dominicæ celebratio quem reſpectum habeat ad *Sabbathum*? B. 778. a.
Dies Jehovæ, de tempore *judicii* in Judæos & Gentes exequendi per *Nebucadnezarem*. A. 82. b.
De omnibus *illuſtribus* temporibus Divini *Judicii* ſub *Oeconomia N.* A. 87. a.
Dies complacentiæ & ſalutis quam late ſe extendat? B. 579. a.
Differentia inter *punitionem* impiorum & *παιδείαν* Eccleſiæ. B. 89. a.
Notabilis inter *Statum Eccleſiæ Veteris & Novæ*. B. 691. b.
Diffidere Deo eſt hominis carnalis aut imbecillis judicii. B. 57. b.
Et grave *crimen*. Ibid.
Dii Aſſyriorum quales? A. 271. N.
Babyloniorum? Ibid.
Dii à *Syris* vel *Phœnicibus* culti. B. 895. b.
Dii cœleſtes per totum Orientem colebantur in *Montibus*. B. 899. a.
Dilaceratio veſtium in quibus caſibus uſurpata? B. 315. b.
Ejus ritus rationes. Ibid.
Dilatare paxillos & funes tentorii quid ſit myſtice? B. 686. b.
Diligere aliquem Deus etiam dicitur reſpectu Beneficiorum *temporalium*. B. 550. a.
Diligentes Hieroſolymam qui dicantur? B. 936. a.
Dimon quæ Urbs, & ubi ſita? A. 472. a.
Videtur *eadem* quæ *Dibon*. Ibid. b.
Direptionibus bonorum Chriſtiani primi temporis fuerunt expoſiti. B. 844. a.
Diſciplina Eccleſiæ rigide obſervata eſt ab Apoſtolis. B. 299. b.
Ejus leges exacte ſervare *deinceps difficile* fuit. Ibid.
Spes Eccleſiæ de illius *inſtauratione*. Ibid.
Proteſtantium. B. 769. b.
Diſciplina Chriſtiana reſpectu Sabbathi ſpiritualis hoc tempore *corrupta*. B. 778. a.
Diſcordia ultimum malorum in Rep. A. 260. a.
Diſputationes multæ de Dogmatibus fidei ex *φιλονεικία*. B. 782. b.
Diſſidia in *Eccleſia*, quæ ſe ſeparavit à *corrupta Latina*. B. 770. b.
Diverſa natura Eccleſiæ *V. & N. T.* B. 641. b.
Divinatio per totum Orientem receptiſſima. A. 79. a.
Hetruſcorum unde? B. 531. b.
Divinationis inter Gentes variæ ſpecies. Ibid.
Divini ſive *Divinatores* quinam dicantur? B. 490. b.
Divinitates Gentium, harumque de illis Hypotheſes. B. 315. a.
Divinitatis Chriſti character eſt revelatio *ipſius Gloriæ*. B. 359. b.
Divitiæ credentium *ſpirituales*. B. 808. b.
Divortia tempore Prophetæ apud Judæos omnino in uſu fuere. B. 603. N.
Licet *nomen* à Moſe uſque ad illa tempora in Sacris non occurrat. Ibid.
Aliquando facta ſunt à foris *Judicialibus*. B. 603. a.
Qui ritus declaratur. Ibid.
Divortium Deus vere fecit *cum Judæis*, ubi eos miſit in Exilium. B. 602. b.
Non minus quam cum *Ephraimitis*. Ibid.
Ut & deſtructa eorum Republica per Romanos. B. 604. a.
Quod referendum non eſt ad Populum *totum*. Ibid.
Nec obeſt *ſpei* converſionis eorum. Ibid.
Illius cauſſa, *tranſgreſſiones* Populi. B. 604. b.
Vario reſpectu affirmari & negari poteſt. Ibid.
Docere Chriſti Jeſu eſt *teſtari*. B. 711. a.
Doctor proponitur *Jehova*. A. 67. b.
Qualis *Doctor* fuerit *Chriſtus Jeſus*? A. 313. a.
Doctores Deus Judæis procuravit per totum Tempus Oecon. V. B. 890. b.
Doctoris officium. B. 180. b.
Publici officium *grave*. B. 567. a.
Differentia inter Chriſtum Jeſum & alios Doctores. B. 711. a.
Doctores falſi primævæ Eccleſiæ infeſti. B. 590. a. b.
Illorum *receſſio* ab Eccleſia quando facta? B. 590. b.
Doctorum Eccleſiæ ultimi temporis *qualitates laudabiles*. B. 815. a.
Doctrina gratiæ non eſt *nova* ſed vetus. B. 111. a.
Eam Judæi repudiarunt. B. 112. a.
Doctrina Meſſiæ cur דעה *Scientia*? B. 109. a.
Cur שמועה *Auditio*? Ibid.
Quo ſenſu comparetur *gladio acuto*? B. 564. a.
Sagittæ? B. 565. b.
Doctrina mere literaria non magni fit in Regno Dei. B. 111. a.
Doctrina falſa inebriat hominem ſpiritualiter. B. 108. a.
Doctrinæ Judaicæ poſt ſpretum Evangelium verus conſpectus. B. 112. a.
Doctrina Proph. de *Providentia Divina*. B. 140. b. 190. b.
Doctrina & Diſciplina Eccleſiæ tradita, defenſa, confirmata, illuſtrata Sæc. I. II. III. IV. B. 583. b.
Doctrina & Praxis Romæ Pſeudo-Chriſtianæ, in ſe verſa eſt, & in ſe ipſam *incurrit*. B. 82. b. 83. a.

Dode-

Dodecarchia Ægyptiorum. A. 551. a.
Dolore afficere Sp. S. quid sit? B. 863. b.
Gradus in illo peccato observabiles. Ibid.
Dolores & angores partus quid mystice significent? B. 65. a.
Domini alii, Ecclesiæ *dominati*, quinam sint? B. 63. b.
Horum in Beneficiis & *Laudationibus* æque ac Dei Ecclesia necesse habebat mentionem facere. Ibid.
Domitores Gentium, exequentes Divina Decreta, *qua re peccent?* B. 528. a.
Domus de sepulcro. A. 438. a.
Domus Jacobi aliquando notat Ecclesiam Apostolicam. B. 156. b.
Domus Saltus Libani, quænam & ubi? A. 644. b. B. 220. a.
Dona Gratiæ, quæ Deus in Eccl. N. T. confert majore mensura quam olim. B. 354. a.
Dona Sp. S. quæ vulgo dicantur? A. 309. a. B. 474. a.
Extraordinaria vera signa missionis Apostolicæ. B. 947. b.
Eorumque *usus & necessitas*. Ibid.
Donum Prophetiæ quid? A. 310. a.
Cognitionis? Ibid.
Sapientiæ? Ibid.
Prudentiæ? Ibid.
Draco est serpens tortuosus. B. 78. b.
Ejus *immanitas*, ut in aliquibus speciebus comparet. Ibid.
Draco in mari est Balæna. Ibid.
Crocodilus. B. 627. a.
Draco spiritualiter est omnis Potestas Ecclesiæ adversaria. B. 79. a. 297. b.
Dracones potissimum recubant in locis *siticulosis*. B. 297. a.
Quod in ipso loco, quo recubare solent, *late excrescerent arundo & juncus*, quid mysterii involvat? Ibid. b.
Dracones & Struthiones, quid mystice significent? B. 465. a.
Drusii error in excerptis Vet. Intt. ex Procopio. B. 803. N.
Duci & vehi ad Ecclesiam quid sit? B. 810. a.
Ductus ad fontes aquarum quid sit? B. 581. b.
Duma dicitur *Edom* per aphæresin. A. 618. a.
Sub qua aphæresi quid lateat *mysterii*? Ibid.
Duplex Populi Dei *pudor* & ignominia. B. 831. b.
Duplex ejus *hæreditas*. B. 832. a.
Duplum accipere à *manu Jehovæ* quid sit? B. 353. b.
Duricies animi in quo consistat? B. 545. a. 872. b.
Vitii deformitas. B. 545, b.
Duricies obstinata Judææ Gentis. Ibid. & 872. b.
Ejus caussæ. B. 545. b.
Quo sensu *induratio* Deo aliquando imputetur? B. 872. b.
Dynastiarum successio in Ægypto quomodo secundum *Manethonem* explicanda? A. 545. b.

E.

Ebrietas spiritualis quid sit? B. 103. a. 107. b.
Quomodo se prodat in *consiliis & judiciis* publicis? B. 108. a.
Ecclesia ubi *cadaver* vocatur, quis qualisque ejus intelligatur *status*? B. 69. b.
Vita illius cadaveris quid notet? Ibid.
Sensim facta est *adultera*, *defectrix*. B. 749. b.
Ecclesiæ Status tristis tempore Antiochi Epiphanis. B. 69. b.
Ejus *Status prioribus* Sæculis. B. 725. b.
Primæ Apostolicæ tempus an fuerit *tempus probri*? B. 687. b.
Primi temporis conspectus. B. 727. b.
Facies statusque tempore *Constantini*. B. 845. b.
Vitia Ejus & *scandala* circa eadem tempora. B. 846. a.
Corruptio facilis, ubi cum Civitate coaluit. B. 781. a.
Quæ per partes *generatim* describitur. B. 749. b.
Præsens Ejus *Status* respectu *florentissimi Regni* Europæ. B. 69. b.
Resp. *Præconum* public. B. 767. a. b.
Et *Concionum elencticarum*. Ibid. b.
De Statu ejus præsente *æquum judicium*. B. 799. a.
Purioris afflictæ caussam vindicandam susceperunt Heroës à Deo suscitati Sæc. XVI. B. 28. a. 38. b. 799. a.
Ecclesiæ Sextæ Periodi Deus procurabit *refrigerium*. B. 38. b.
Et *vitam*. 69. b.
Cujus rei consequens erit *Conversio Populi validi*, ejusque *Metropolios*. B. 38. b.
Ecclesiam à Christo *fulciendam*, *instaurandam*, & *perficiendam* esse magis Prophetæ docent, quam *novam* in ipso esse *fundandam*. B. 117. b.
Ecclesiam veram sub N. T. Deus semper in terris *conservavit*. B. 953. b.
Edenis nomen olim *variis locis* impositum fuit. B. 319. b.
Paradisiacæ situs probabiliter demonstratur. Ibid.
Edere & *bibere* quid sit, *metaphorice* sumptum? B. 144. b.
Quid in *somnio*? Ibid.
Edere & *bibere* resp. credentium *primi temporis* quid valeat mystice? B. 907. a.
Edere carnem & *bibere sanguinem* quo sensu tribuatur *gladio*? B. 600. b.
Quo sensu *hominibus*? Ibid.
Edom fuit cognomen *Esavi*. B. 476. N.
Edom mystica est Roma *Apostatica* & Populus illi subjectus. B. 280. a. 853. b. 854. a.
Virorum Doctorum ea de re *consensus*. B. 281. N. b.
Nominis *ratio mystica*. B. 280. b. 853. b. 854. a.
Traditio hac de re *Judaica*. B. 280. N.
A Judæis ad quædam loca *male applicata*. Ibid. N. b.
Rationes nominis à Judæis in medium prolatæ sunt *absurdæ* & ridiculæ. B. 281. N. a.
Jarchii de Edomo loquentis *vera mens*. B. 854. b.
Aspectus Edomi *mysticus declaratur*. B. 282. a. 854. a.
Efficacia erroris quid sit, & quatenus ad *Deum* ut *caussam* referri queat? B. 148. b.
Eglaim Urbs ubi sita? A. 472. a.
EGO, ubi de Deo absolute ponitur, quam vim habeat? B. 530. a.
EGO, TU, ILLE pronominibus, ubi Deo in emphasi tribuuntur, *arcanum* aliquod *Essentiæ Divinæ* involvi, Judæi Veteres existimarunt. B. 469. a. & N.
Elam, *Elymais*, Persia, Susiana. A. 350. b.
Eleale Urbs ubi sita? A. 468. b.
Electio & Promissio sunt *fulcra* Regni Christi. B. 576 a.
Elevatio semitarum Jehovæ quid mystice significet? B. 583. a.
Eleutheropolis ubi sita? B. 309. a.
Eliakimus qualis fuerit vir? A. 655. b.
Typus Christi Jesu. A. 660. a.
Eligere dicitur Deus eum, quem *diligit*, & demonstrat diligere. B. 548. a.
Quod referendum est ad merum Dei *beneplacitum*. Ibid. b.
Et respectum habet ad *gloriam* Dei. Ibid.
Electionis & dilectionis notiones modo ad *spiritualia*, modo ad *temporalia* Beneficia applicantur. B. 550. a.
Ellipsis, qua sententiæ pars posterior deest, elegantiam habet. A. 271. b.
Vocis רבר. B. 65. b.
Elipticæ locutiones plurimæ in Sacris. A. 155. b.
Elocutionis artificium mirabile. B. 255. b.
Elymæi sunt *Persæ*. A. 607. b.
Emere absque argento mystice quid sit? B. 706. b.
Emunctores quinam vocentur? A. 483. a.
Enallage personæ in Sacris recepta est. B. 797. b.
Encæniorum Festum, cur appellatum sit φῶτα *Lumina*? B. 15. N.
Enceladi sive *Typhonis Siculi* fabula illustrata. B. 83. b.
Enunciatio Christi Jesu fuit *blanda* & gratiosa. B. 610. a.
Epha quæ mensura Hebr.? A. 122. a.
Ephæorum notitia. B. 807. a.
Ephraimitæ quare dicantur *hypocritæ*? A. 267. b.
Non obstante defectione à Deo, semper se gesserunt pro *Populo Dei*. B. 167. b.
Semper apud se habuerunt *veros Prophetas*, eosque non *neglexerunt*. Ibid.
Ephraimitarum clades accepta à Tiglathpilesere & Salmanassare. A. 262. b.
Regnum ab Assyriis *destructum*, gessit figuram *Ecclesiæ Orientalis*, à *Turcis destructæ* & subjugatæ. B. 196. a.
Epiniciorum pangendorum mos apud Veteres. A. 429. a.
Ἐπιφανής. Titulus Regum Syro-Macedonum. B. 804. b.
Epiphanius notatur. B. 110. N.
Episcoporum vita & mores in Occidente post tempora Carolina. B. 740. b.
Epistolæ ad Hebræos auctor an Apollos? A. 355. b.

Epistola quædam *Apostolicæ* directæ ad vocatos ex Judæis. A. 355. a. b.
Epistolarum, quæ comparent in fronte Libri secundi Maccabaici, *prior genuina*, altera merito νοθεΐας *suspecta* videtur. B. 15. b.
Epithetorum usus antonomasticus frequens est per Scripturam. B. 60. b.
Epula à Regibus aut Imperatoribus Populo præberi solebant post *reportatam de hoste victoriam*. B. 41. b.
Sunt symbola status *lætitiæ*, *consolationis & quietis*. Ibid.
Epula Cœnæ Dominicæ & Agaparum Sacrorum Religionis Christianæ primo tempore ubique *partem* faciebant. B. 42. b.
Epulum Spirituale à Deo instruendum in *Monte Tsioneo* omnibus Populis sub Oecon. N. Ibid. a.
Equestri militia maxime superbiebant Assyrii, quando subjectam sibi habebant Mediam. B. 312. a.
Equi, qui Ægypto tribuuntur, fuerunt *Afri* in Ægypto militiæ causa alti. B, 178. N.
Equis & militia Equestri exundavit Ægyptus. B. 177. b.
An Historici Exotici hanc Ægypti antiquæ proprietatem prætereant? Ibid.
Equis Palæstina non caruit, etsi quoque non abundavit vetustis temporibus. B. 178. N. 312. a.
Equitum inopia in Ægypto sub Philopatore. B. 177. N.
Equites Ordinis *Spiritus S.* blasphemi sic dicuntur. B. 795. b.
Eratosthenis traditio de *Regibus Thebanis* quanti valeat? A. 548. a.
Erecta corporis humani figura hominem invitat ad tuendos cœlos. B. 382. b.
Erroris facilitas in ovibus. B. 670. b.
Ad errorem proclivitas hominis in Statu naturali. Ibid.
Ethbaal Sidoniorum Rex, idem Rex Tyri. A. 670. a.
Evacuare animam famelici & sitienti subtrahere potum, quid significet? B. 211. a.
Evangelicæ doctrinæ effecta quæ? A. 338. b.
Evangelii notio merito restricta est ad *Doctrinam Salutis*. B. 646. a.
Evangelii Doctrina quare dicatur *Lex*? B. 624. a.
Exiens à Messia? Ibid.
Quare dicatur *Judicium*? Ibid.
Evangelii purioris mirabilis *progressus* tempore Reformationis. B. 763. a.
Evangelii cursus in prima ejus promulgatione. B. 948. a.
Contrarius in fine temporum. Ibid.
Evangelium instrumentum *Potentiæ Divinæ*. B. 649. a.
Evangelistarum & *Prophetarum* consensus. B. 647. a.
Evangelistarum officium, sic speciatim dictorum. B. 365. a.
Evangelicus Doctor fuit Christus Jesus. B. 610. a.
Euechous non est *Nimrodus*. A. 393. a.
Eunuchus in Sacris subinde sumitur pro *Aulico*, sive *cubiculario* Regis *honorario*. B. 309. a.
Eorum integræ catervæ fuerunt *in Aula Persica*. Ibid.
Origo illius luxus unde arcessenda? Ibid.
Eunuchi an fuerint apud Aulam Regis *Hiskiæ*? B. 729. a.
Olim sub Oecon. N. partem quoque habuerunt in Muniis Ecclesiasticis. B. 732. a.
De Eunuchis *Canones quatuor* in Canonibus Apostolicis quo respiciant? Ibid.
Eunuchi propter Regnum Dei quinam dicantur? B. 729. a.
Euphrates, quo sensu dicatur *Fluvius ille* in emphasi? A. 210. b. B. 95. b.
Ejus natura quæ? A. 211. b.
Ejus non est ubique magnus impetus. B. 95. b.
Duos habet decursus, quibus se vehementius movet. Ibid.
Euphratis aquis comparatur *Rex Assyrius* cum *Populo & Exercitu*. A. 211. a.
Euphratis percussio in rivos quid sign.? A. 360. b.
Eusebii Cæsarienses opera in destruendo *Paganismo*, & adstruendo *Christianismo*. B. 583. b.
Exactor quid? A. 240. a. B. 815. a.
Exactores quomodo conveniant *Statui* Ecclesiæ *ultimi* temporis? B. 815. a.
Exaltari & efferri Dei quid sit? B. 245. b.
Exaltatio Christi *in Cruce* fuit alterius exaltationis symbolum. B. 654. a.
Exaltationes Dei quid sint? B. 238. a.
Excavatio aurium Ps. XL. 7. quid notet? B. 611. a.
An ea alludatur ad *servum Hebræum*? Ibid.
Excellentia Dei, quid? B. 15. a.
Excelsa Aven sunt Aræ Bethelis. B. 166. b.
Excelsus & Elatus quo sensu *Jehova*? B. 760. b.
Excæcare & impinguare hominem quo sensu dicatur Deus? A. 162. a.
Excrementa Filiarum Tsionis quid? A. 104. a.
Excutere & succutere Populos quid sit? B. 95. a.
Exercitus Celsi in Celso sunt Pontifex, Sacerdotes, Præfecti, Proceres, Doctores Populi Dei. B. 21. a. b.
Exercitum Senacheribi prostratum esse in tractu *Occiduo* Urbis ostenditur. B. 194. N.
Expandere manus quid valeat? B. 890. b.
Expansum quo sensu dicantur *Cœli*? B. 427. a.
Expergisci ubi dicuntur *mortui*, quam habeat emphasin? B. 70. a.
Expetere Deum quid sit? B. 61. b.
Dei Judicia quo sensu cadat in pios? Ibid.
Exsiccatio Maris Rubri quid typice significet? B. 627. b.
Exspectare quid plus sit quam *sperare*? B. 61. a. 237. a.
Exspectantes Jehovam quinam sint? B. 387. a.
Exspectare Jehovam quid sit? B. 625. a.
Exspectatio quo sensu *Deo* tribuatur? B. 860. a.
Extrema terræ, stylo Scr. S. dicuntur *regiones remotiores*. B. 61. a.
Exulum, causa *Religionis* terram natalem derelinquentium, exempla. B. 774. a.

F.

Facere Justitiam quid notet? B. 724. b.
Faci ardenti comparatur *Revelatio Salutis* Ecclesiæ. B. 838. a.
Faciem occultare ab aliquo quo sensu Deus dicatur? B. 691. a.
Factor Ephraimitarum quo sensu dicatur Deus? A. 505. a. b.
Fæces Saccatæ quid sibi velint? B. 41. a.
Famelicus quis dicatur improprie? A. 230. a. 259. a. B. 211. b.
Famis & sitis respectus in Statu *Spirituali*. B. 580. a. 706. b.
Subinde sumuntur pro affectione *vitiosa*. B. 580. a.
Fana & Idoleja Gentium sæpe conversa in usum sacrum. B. 594. a.
Farina oleo subacta quid mystice significet? B. 951. a.
Fata Regum Syriæ, persecutorum Ecclesiæ, *tristia*. B. 23. a.
Majorum Imperiorum Mundi respiciunt *Statum Ecclesiæ*. B. 496. a.
Februationes Defunctorum apud Sepulchra institutæ. B. 894. a.
Felix vita piorum in hisce terris ultimo tempore erit symbolum & imago *Vitæ æternæ*. B. 917. a.
De *felicioribus* temporibus Ecclesiæ in hisce terris sensus Primorum Ecclesiæ Doctorum. B. 918. b.
Feræ quid mystice sign.? A. 331. b. B. 464. b.
Ferdinandus II. num recte ostentetur ut subjectum mysticum Cap. XXXIII. 1.? B. 267. b.
Ferre infirmitates & dolores quid sit? B. 667. a.
Peccata? Ibid.
Fertum sive *Munus* qualis Sacrificii species? B. 950. a.
Ejus *proprietates* collatæ cum *Oblatione Gentium*. B. 951. a.
Fessi, qui fuerunt objectum Ministerii Christi Jesu. B. 610. a.
Festinare & *non festinare* quid sit stylo Scr. S.? B. 122. a.
Usus vocis apud Scriptores Latinos. Ibid.
Festinare recte dicuntur, qui se *convertunt* ad Deum. B. 590. a.
Festini corde quinam dicantur? B. 293. b.
Festum Encæniorum cur appellatum sit φῶτα *Lumina*? B. 15. N.
Fictor Judæorum quomodo Deus sit? B. 884. b.
Fides parit *spem*. B. 49. b.
Viva sola vere disponit animum ad captum rerum spiritualium. B. 111. a.
Præter *Fidem* in Christum Jesum ejusque *Justitiam* nihil valet ad justitiam apud Deum. B. 362. b.
Fidei vivæ est certo niti auxilio Divino in casibus dubiis, & videre ἀόρατον. B. 48. b.
Fides de Divina Providentia tempore irruptionis Senacheribi in multis videtur *vacillasse*. B. 209. a. b.
Fides & Spes sunt *Robur* hominis in Statu Gratiæ. B. 640. a.

Fiducia credentium quid? A. 369. b.
Fieri dicuntur stylo Scripturæ, quæ *fieri oportet*. A. 505. a.
Filia Tsionis quid? A. 293. a.
Moabi? A. 477. a.
Filiæ nomine cur appellentur incolæ Urbis in ea nati? A. 293. a. 477. a.
Respublicæ, Urbes, Vici? B. 214. b. 215. a. 524. a.
Filiarum quæ ratio habita fuerit in conservando Nomine? B. 731. a.
Filii dativo apud Jesaiam quid? A. 247. b.
Filii Orientis qui? A. 353. a.
Filii Jacobi spirituales sunt credentes ex Gentibus. B. 158. b.
Filius Dei an recte dicatur *missus esse* à Patre sub *Oecon. V.*? B. 552. a.
Num etiam *à Spiritu* Dei? Ibid.
Sub dispensatione Vetere administravit Ecclesiam tanquam magnus *Dei Legatus*. Ibid. b.
Filiorum Dei Status. B. 828. b.
Filius Olei quid? A. 113. b.
Fimbriæ Trabeæ Regalis demissæ in Templum quid sign.? A. 146. a.
Fines terræ stylo Scr. S. sunt *terræ remotiores*; B. 16. a. 401. a.
Præjudicium de illis rudioris ævi. B. 386. a.
Flagellatio inhonestior quam *fustigatio*. A. 287. a.
Flagellum inundans est Exercitus vastator. B. 115. a.
Florens status Reipublicæ *Judaicæ* circa tempus Maccabæorum. B. 184. b.
Fluere lacte & melle, quomodo accipiendum cum de *Canaanæa* dicitur? A. 198. a.
Fluvius κατ' ἐξοχὴν de *Nilo*. A. 676. a. B. 938. a.
De *Euphrate*. A. 359. a. b. B. 938. a.
Fluvii Ægypti sunt *Nilus* per plura ostia se exonerans in mare. A. 191. b.
Fluvii Cuschæ qui? A. 517. a.
Fluvios siccare planta pedum quid sibi velit? B. 326. a.
Fluvii in Solitudine quid mystice notent? B. 463. b.
Fluvii & *Profundum* mystico sensu pro *Copia* & affluxu rerum omnium. B. 491. a.
Focus æternus ubi Deus dicitur, quæ in phrasi sit emphasis? B. 249. a. b.
Fodere & *bibere aquas* Adagium, quid significet? B. 325. a.
Fœditas hypocrisios Cultus Judæorum. B. 883. a.
Fœdus æternum, pro *Lege æterni juris*, scripta in conscientiis omnium mortalium. B. 11. b.
Fœdus Noæ quid? B. 692. b.
Respectum habuit ad perpetuam Ecclesiæ *conservationem* in his terris. Ibid.
Cum *Abrahamo* initum. B. 885. a.
Fœdus pacis quid? B. 693. b.
Fœderis N. Bona Spiritualia. Ibid.
Temporalium quis respectus? Ibid.
Fœdus Judæorum cum Romanis *ruptum* illis *fatale* fuit. B. 174. b.
Fœminarum illustrium erga Ecclesiam *studia*. B. 597. a.
Earumque erga illam *reverentia*. Ibid.
Fœminini terminatio Hebræis pro ea *Neutrius* usurpatur. B. 286. a.
Fontes in Elim quid significaverint? A. 372. a.
Fontes plures fuere in tractu *Hierosolym.* A. 645. b. & N.
Fontes Salutis quid? A. 371. a.
Fontes mystice significant *Doctores*. B. 297. b.
Formatio Novi Mundi in initiis Oeconomiæ Gratiæ. B. 632. a.
Formido Vox peculiaris usus apud Latinos. B. 18. a.
Fortis & *Robusti* Nomen quo sensu aptetur *Satanæ*? B. 365. b.
Fracti animo & *contriti* quinam dicantur? B. 824. b. 926. b.
Frænum seducens in maxillis Populorum quo sensu Deus dicatur? B. 190. a.
Fragilitas carnis. B. 361. a.
Decoris, splendoris & pompæ in humanis. Ibid.
Franciſci II mors subitaria Ecclesiæ maximo fuit *solatio*. B. 39. a.
Fratres Judæorum quomodo Gentes sint sub Oecon. N.? B. 949. a.
Frons anea quid notet? B. 545. a.
Unde sumpta sit Metaphora? Ibid.
Fructus aliquando notat rei *effectum*, & argumentum. B. 91. b.
Frumentum & *mustum* quid stylo Prophetico significent? B. 844. b.
Fuci genus *varium*. B. 694. b.
Fugere è longinquo, quæ emphasis phrasios? A. 512. a.
Fulcimentum panis & *aquæ* quid Metaph.? A. 90. a. b.
Fumus Metaph. de *Exercitu densо*. A. 457. b.
Fumus è naribus exiens Metaph. adscribitur *Deo excandescenti*. A. 259. a.
Fundamentum Ecclesiæ Liberæ quale? B. 697. a.
Fundamenta ejus *secundaria*. Ibid.
Fundatio Terræ die tertio creationis. B. 632. b.
Funes & *paxilli* Ecclesiæ, ut tentorii. B. 258. a.
Funes navis quid mystice significent? B. 263. b.
Furor persequentium homines *causſa Fidei* est quid singulare. B. 629. a.
Ejus causſa. Ibid.
Futura formæ *activæ* sæpe *passive* aut *neutraliter* ab Hebræis sumuntur. A. 107. a.

G.

Gad & *Meni* cujus generis fuerint *Idola*? B. 902. a. b. 903. a. b. N. 904. a. b.
De Nomine sive Idolo *Gad* sententia *Seldeni*, quæ refellitur. B. 904. a.
Uti & ea *R. Mosis Haccohen* & *Aben-Ezræ*. Ibid. b.
Gad Solem esse probabiliter adstruitur. Ibid.
Quæ sit vocis significatio? B. 905. a.
Belgarum *Godt* inde profluxisse videtur. Ibid.
Galilæa Gentium qualis tractus? A. 234. b.
An vertenda phrasis per *Galilæam populosam*? Ibid.
Unde sic dicta fuerit? A. 235. a.
Gallim locus ubi situs? A. 292. a.
Garef collis ubi situs? B. 194. N.
Gaudere in Jehova quid sit? B. 834. a.
Gaudere & *facere justitiam* qua ratione conjungantur? B. 880. b.
Gaudium hostium de destructa Hierosolyma mere fuit *imaginarium*. B. 144. b. 145. a. b.
Gaudium Spirituale describitur. B. 622. b.
Gaudium, quod adfuit *Præconibus Verbi* in initiis *Oecon. N.*, quale fuerit? B. 717. b.
Gaudium super Ecclesia quo sensu *Deo* tribuatur? B. 842. a. 914. a.
Gaza unde dicta *Minoa*? A. 450. a.
Geba qualis Urbs? A. 291. b.
Gehenna, vox unde sumpta? B. 956. b.
Gehenna ignis quid sit? B. 195. b.
Gemara Judaica quæ & qualis sit? B. 112. b.
Geminatio vocis quid sibi velit? B. 57. b.
Aliquando mystica est. Ibid.
Geneſios Liber, ut nunc legitur, tempore Prophetæ jam integer compositus fuit in manibus piorum. B. 18. a.
Genitivus aliquando sumitur *objective*. A. 268. a. B. 62. b.
Aliquando *effectum* notat. A. 312. a.
Gens protracta & depilata quo sensu de Ægyptiis dicatur? A. 519. b.
Gens canonis & canonis. A. 520. a.
Conculcationis. Ibid. b.
Gens justa, servans fidelitates, dicuntur confessores veræ fidei & in professione fidei *constantes*. B. 55. b. 56. a.
Gentium status tempore vulgati Evangelii. B. 155. a.
Quo sensu mystice dicantur *cæcæ & surdæ*? Ibid.
Conversio per Evangelium fuit *festinatissima*. B. 934. a.
Et *mirabilis*. Ibid. b.
Quo sensu *Sacrificium* dici queant? B. 950. b.
Justissima illis fuit materia *Dei glorificandi* ob Regnum Dei inter se manifestum factum. B. 430. a.
Adducendarum ad communionem Ecclesiæ *messis*. B. 291. a.
Quomodo *Judicium in Babylonem* mysticam illarum conversioni præbere queat *occasionem*? B. 292. a.
Genua quid mystice significent? B. 293. a.
Labantia, & eorum *confirmatio*? Ibid.
Genus nominis aliquando refertur ad *prædicatum*. A. 523. b.
Genus fœmininum amant apud Hebræos voces quæ ad *societatem* referuntur. A. 171. a.
Germania non adeo multos dedit *Martyres*. B. 27. b.
Germen Jehovæ quid? A. 102. b. 103. a.
Refertur ad *Divinam* Messiæ naturam. A. 103. b.
Gethsemane, an idem nomen sit quod גיא שמנים? B. 103. b.
Exhibet nomen compositum גת שמנים *Torcular olei*. Ibid.
Gibea ubi sita? A. 292. a.
Gibeon Urbs ubi sita? B. 125. a.
Gichon fons ubi? A. 171. b.
Unde dictus? Ibid.
Idem qui *Siloam*. A. 645. b.
Ejus *rivi* ducti in duas *piscinas majores*. A. 171. b.

Gideonis historia quale involvat mysterium? A. 241. a.
Gihon qui fluvius? A. 586. b.
Gildæ Britanni *scripta* Sæc. VI. an sint *supposititia*? B. 740. b.
Gladius pro *cultro Lanionis*. B. 278. a.
Gladius Dei sunt *judicia* ejus *pœnalia*. B. 79. b.
In Cœlis inebriatus quid notet? B. 277. b.
Gladio acuto quo sensu comparetur *Doctrina Messiæ*? B. 564. a.
Gloria Dei summa est hominem *servare*. B. 456. a.
Quo sensu dicatur *agmen claudere* Populi sui? B. 773. b.
Gloria Jehovæ conspicienda exhibetur in *Evangelio*. B. 947. a.
Gloria Libani quid sit? B. 292. b.
Gloriari, & *de se magnifice loqui*, solius *Dei* est. B. 456. a.
Glorificandi Dei in Ecclesia studium *justa* est caussa *amoris* vitæ temporalis. B. 341. b.
Glorioſus quomodo *Deus* factus sit *in Messia*? B. 566. b.
Et quando? B. 567. a.
Glorioſæ Dei præsentiæ apud Ecclesiam *characteres*. B. 803. b.
Glorioſus Christi *adventus* ad Ecclesiam differt ab *humili*. B. 803. b.
De *glorioſo* Ecclesiæ *statu* & *mensura sanctificationis* ultimi temporis quo usque spes nostra extendi queat? B. 818. a.
Cur multi Viri docti illi Hypothesi non assentiantur? B. 820. a.
Dubia de eo non involvunt *contradictionem*. Ibid.
Hypothesis illa est *probabilis* & amabilis. Ibid. b.
Mirabiles, quas Ecclesia N. T. experta est, status *mutationes* fidem ejus sustinent. Ibid. b.
Temperamenta circa illam hypothesin adhibenda. Ibid. b.
Gnostici fuere ex Judæis. A. 356. a.
Eorum *multitudo*. Ibid.
Sententia de *Demiurgo*. B. 599. a.
Goa qui locus? B. 194. N.
Goël quo sensu dicatur Filius Dei? B. 405. a.
Doctrina de *Goële* non fuit *ignota* Sanctis antiqui temporis. Ibid.
Nomen illud quoque tribuitur *Patri* cum respectu ad *Filium*. Ibid.
Gog & *Magog* quinam intellig.? A. 710. a.
Golgotha nomen unde? B. 194. N.
Gomer quæ mensura Hebr. A. 122. a.
Gomorrhæ populus quare dicatur Gens Judæa? A. 45. a.
Goſan Urbs, ubi sita fuerit? B. 319. a.
Gauſanitidi, regioni ei subjectæ, videtur nomen dedisse. B. 319. a. b.
Gradus Achasi non fuere *horarii*. B. 334. a.
Inservierunt tamen usui *Astronomico*, quamvis incertum sit quomodo. Ibid. b.
Gratiæ status nullus unquam *mutabit* cursum *Divinæ Providentiæ* certa lege definitum. B. 302. a.
Gratia Divinæ amplitudo respectu impiorum & iniquorum. B. 713. b.
Unicum fundamentum est *conversionis*. Ibid.
Specimen ejus summum in *Gentibus*. B. 890. a.
Gravidum esse palea, *& stipulam parere* quid sit? B. 245. b.
Gregis &. Ecclesiæ Analogia. B. 367. a. 831. a.
Gregorii VII de privilegio Ecclesiæ Romanæ *præjudicium*. B. 819. b. & N.
Guſtavi Adolphi, Sueciæ Regis, *Laus*. B. 234. a.
Opus *Liberationis* Ecclesiæ suo obitu reliquit *imperfectum*. Ibid.
Aspectus rerum post ejus *obitum*. Ibid.
Dictum notabile. B. 799. b.

H.

Habitaculum Sanctitatis Divinæ quid? A. 522. b.
Habitans æternitatem quo sensu dicatur Deus? B. 760. b.
Habitantes in pulvere terræ dicuntur mortui & afflicti. B. 70. a.
Habitare apud hominem quo sensu Deus dicatur? B. 760. b.
Hæreditas Jacobi quid? B. 779. a.
De Hæreditate Jacobi edere quid? Ibid.
Populi Dei *duplex*. B. 832. a.
Hæreditates terræ Canaanææ quomodo *divisæ*? B. 730. a.
Illis alligabatur *Nomen*. Ibid.
Halitus Dei mystice quid notet? B. 380. b.
Halitus labiorum Christi quid? A. 324. a.
Haran Urbs quæ, & ubi sita? B. 319. a.
Hasidei tempore afflictionis Epiph. & aliquandiu post, latitarunt *in antris*. B. 15. b.
Ibidem obierunt *Sacra* ordinaria, & *Festa* celebrarunt. Ibid.
Hebræorum & Judæorum Respublicæ probe sunt *distinguendæ*. B. 313. a.
Helices, machinæ aquariæ Ægyptiorum. B. 326. a.
Heliopolis qualis Urbs, & ubi sita? A. 572. b.
Heliopoli fuit Synagoga. A. 583. b.
Hena & Ivva, Urbes quæ? B. 320. a.
Hercules Tyriorum diversus à *Græco*. A. 670. b.
Est *Sol*. Ibid.
Nominis originationes. Ibid.
Forte *Ægyptium*. Ibid.
Herodis facinora. B. 943. b.
Herodis & Herodiadum studium *placendi Romanis*. B. 116. a.
Impietas. B. 645. a.
Herodoti narratio de *Babylone*. A. 380. b.
De *Semiramide*. A. 384. a.
De *Imperio Assyriaco*. A. 389. b.
De *Nino*. Ibid.
Ejus narratio de *Cyro* multa habet *absurda*. A. 418. a.
Est *falsa* & erronea. B. 417. b.
Ut & de *Oraculis* à Cyro consultis. Ibid.
Ejusdem lectio emendata. A. 384. b.
Herodoto conciliatur *Manetho*, quod ad Dynastiam XXV. ejusque Regum annos. B. 317. b.
Heros Israëlis, in emphasi nomen *Filii Dei*. A. 53. a.
Heröis & Bellatoris schema an *Deo* satis congruens sit? B. 432. a.
Heröum ad vindicandam Ecclesiam à Deo suscitatorum *exempla*. B. 799. b. & N.
Hesbon Urbs ubi sita? A. 468. b.
Ejus *piscinæ*. Ibid.
Hetrusci, eorumque *Divinatio*, unde? B. 531. b.
Hieronymi versio paradoxa notatur. B. 238. a. 598. b.
Ad ejus versionem animadversio. B. 805. a.
Hieroſolyma fuit Urbs frequens & *populosa*. A. 637. a.
Ejus *epitheta* quæ in S. Literis? Ibid.
Fuit *sedes Prophetiæ* & Revelationum Divinarum. A. 635. a.
Cur dicatur *Vallis*? Ibid. b.
Dira *famę* oppressa à Chaldæis in obsidione. A. 638. b.
Cur dicatur *Urbs Sancta*? B. 543. a.
Et *Urbes Sanctæ*. B. 885. a.
Hodierna aspectus. B. 819. a.
Ejus an exspectanda sit *instauratio*? B. 885. b.
Hypothesis de ea sub Messia à Gentibus *oppugnanda* est *ficta*. B. 945. a.
Mystica. B. 257. b. 949. b.
Hieroſolyma cur dicatur Ecclesia N. T.? B. 802. b.
Hieroſolyma à *Juda* cur distinguatur, & quid ea designetur? A. 28. a.
Hieroſolymam, & in Montem Tsioneum, quo sensu Electi sint *congregandi*? B. 97. b.
Hieroſolymæ Novæ civium *lætitia* & *hilaritas* qualis futura & ex cujusmodi caussis oritura? B. 915. a.
Status quo sensu excluſurus sit *fletum* & lacrymas? B. 914. b.
An omne plane *luctus* & *tristitiæ* genus excludendum sit? Ibid.
Hircorum, *Arietum*, *Taurorum*, *Alticornium* significatio mystica. B. 279. a.
Hiskiæ Laus. A. 485. a. B. 207. a.
Ejus *auctoritas* quando *creverit*? A. 485. a.
Ejus Regnum demum *floruit* post cladem Assyrii. B. 207. a.
Hiskias Rex apud Assyrium non jactavit *vires suas*. B. 310. a.
Fiducia in Ægypto falso ipsi tribuitur. B. 311. b.
In *morbum* incidit post Liberationem ab Assyriis. B. 332. a. b.
Quo morbi *genere* afflictus fuerit? B. 333. a.
Causſæ lacrimarum Hiskiæ, postquam Proph. ei denunciasset instantem mortem. Ibid. & 336. b.
Ratio præcipua cur vitam temporalem amaverit, ejusque pondus. B. 341. a. b.
Unde ipsi *thesauri* quos ostentavit *Legatis Babylonii*? B. 344. b.
Quæ causſa lætitiæ ipsius & tanti studii erga Legatos? Ibid.
Historia Imperii Assyriaci. B. 236. b.
Antiochi Epiphanis. Ibid. & 245. a.
Extremorum Gentis Judææ ante apparitionem Messiæ. B. 639. a.
Extremorum Reipublicæ Judaicæ temporum. B. 616. b.
Sæculi IV & seqq. B. 597. a.
Joannis Palæologi. B. 196. b.
Sæc. XIII. XIV. XV. quatenus respondeat historiæ *Ephraimitarum adeun-*

adeuntium Ægyptum ſuppetiarum cauſſa? Ibid.
Hiſtoria Capp. xxxvi. xxxvii. xxxviii. xxxix. an ſit à manu *Jeſaiæ*? B. 305. a. b. 306. a. b.
Hiſtoria diſpenſatæ gratiæ reſp. *Gentium* redactarum ſub Imperium Satanæ? B. 433. b.
Homicidæ quo ſenſu Judæi? A. 52. a.
Homines malos aliquando ex *terra prognaſcituros* à Viro Docto *abſurde* ſtatuitur. B. 912. a.
Horarum uſus, quæ lucem diei in duodecim partes ſecabant, ſatis fuit *antiquus*. B. 334. a.
Horonaim qualis Urbs & ubi? A. 470. b.
Horti ſpeciem habet Eccleſia. A. 58. a. B. 836. a.
Horti à *lucis* diſtincti. A. 58. a.
In humeros Philiſtæorum volare quid? A. 352. b.
Super humeros Principatus, phraſis metaphorica quomodo exponatur? A. 248. a.
Humiles, *afflicti*, *Pauperes*, appellatio Chriſtianorum. B. 409. a.
Humilitas animi unus *character* verorum Chriſti *ſectatorum*. B. 760. b.
Illam Deus in homine *amat*. B. 761. a.
Hypocriſis quid? A. 268. a.
In negotio *Religionis* quid ſit? B. 149. b.
Eſt omnis amor Dei *imperfectus*. Ibid.
Deſcribitur in *variis* ſuis *ſpeciebus*. Ibid. & 768. b.
In *Divinis* quam late ſumatur? B. 768. b.
Judæorum qua re conſtiterit? B. 357. b.
Hypocriſin ſuam quomodo profani ante tempus Liberationis ab Aſſyrio potuerint *tegere*? B. 210. a.
Quod poſtea nullo colore poterant. Ibid. b.
Hypocritarum & Peccatorum quis ſit reſpectus *in Eccleſia N. T.*? B. 641. b.

I.

Jacobus minor, Cognatus Domini, ab Anano Pontifice damnatus eſt ad *Lapidationem*. B. 155. b.
Jacobi Filium appellari quid ſit myſtice? B. 476. a.
Jacobi Uſſerii prædictio. B. 799. b.
Jaëzera Urbs ubi ſita? A. 489. a.
Jaëzaris lacus vocatur *mare*. Ibid. b.
Jah ubique fere Deus vocatur, ubi exhibetur ut *Salvator* & *Liberator* ſui Populi. B. 58. b. 336. b.
Referendum illud nomen eſt ad Divinam *Gratiam*. B. 58. b.
In emphaſi competit *Filio Dei*. Ibid.
In Jah Jehova quo ſenſu dicitur eſſe *Rupes ſæculorum*? Ibid. a.
An in hac locutione יה & יהוה *duæ* ſint *Perſonæ*, ut Stephanus Moynius & Interpretes Kabbaliſtici volunt? Ibid. N.
Jarden fluvius *inſignis*, Veteribus *celebratus*. B. 606. b.
Quare veniat in plurali nomine *Fluviorum*? Ibid.
Jardenis fluvii *curſus*. A. 234. a.
Tractus *juxta* vel *trans Jardenem* quid notet apud Matthæum? Ibid.
Quid apud Jeſaiam? Ibid. b.
Javan ſunt *Jones*, Græci. B. 948. a.
Ideæ locorum & phraſium S. Scripturæ an immediate abſque lectione aut meditatione ulla Chriſto *infuſæ* fuerint? B. 610. b.
Idola paſſim formabantur *ad ſpeciem humanam*. B. 484. a.
Non exprimuntur Hebræis terminatione *debiliore*. B. 503. b.
Gentium prudentiores *ipſi* illa *irriſerunt*. B. 484. b.
Sententia Gentilium de *Idolis*. B. 486. a.
Vulgus *ipſa ſimulacra* habuit pro *Diis*. Ibid. b.
Idola Ægyptiorum. B. 375. N.
Babylonica. B. 482. a.
Qualia illa? Ibid.
Unde formata? Ibid. & 752. b.
Idola domeſtica Judæorum quæ? A. 80. b. B. 182. a.
Ad eorum cultum *procliviores* quare fuerint Judæi? A. 81. a.
Phœnicia & *Ægyptia eadem* fuere mutatis nominibus. A. 506. b.
Idola privata ubique Gentium fuerunt recepta. B. 375. N.
Et omnium *antiquiſſima*. Ibid.
Idola deportandi mos Gentium. B. 515. b.
Idololatria Orientalis diverſa fuit à *Græcanica*. B. 514. b.
Idololatriæ origo & prima cauſſa. B. 375. N. b.
Cypriani hac de re ſententia quatenus ſit vera? Ibid.
Ejus primi auctores non crediderunt ſimulacra figuram *Deorum* expreſſiſſe, ſed eorum fuiſſe *ſimilitudines ſymbolicas*. B. 374. b.
Vulgi hac de re ſententia. Ibid.
Ab *Idololatria* in Exilio Bab. & deinceps Judæi *abſtinuerunt* & abhorruerunt. B. 182. a.
Quod mirabile eſt effectum Divinæ *Gratiæ*. B. 487. a. 513. b.
Idumæa quæ terra? A. 602. a.
Idumææ antiquæ *ſitus*. B. 278. b.
Aſpectus. B. 279. b.
Idumæi myſtice ſunt *Judæi carnales*. B. 156. b.
Idumæi, *Ammonitæ* & *Moabitæ* ſtylo Prophetico dicuntur Populi habitantes in terris harum Gentium. B. 51. a.
Idumæum Imperium ſtylo Judæorum eſt *Romanum*. B. 80. N.
Jedid-Jah Salomonis erat cognomen. B. 476. N.
JEHOVA Exercituum, quæ emphaſis in nomine? A. 43. b. 90. a. 152. a. 216. b.
Ab eo ſemper Eccleſia exſpectavit omnem *ſalutem*. B. 49. a.
Nomen *Jehova* ſumitur etiam *appellative* pro eo Numine, quod quis pro *vero Deo habet*. B. 312. b.
Jejunia Eccleſiaſticæ inſtitutionis *unde repetenda*? B. 766. b.
Sumuntur aliquando latiore ſenſu. B. 769. a.
Publica quomodo *celebranda*, Deoque commendanda. B. 770. a.
Imperfecta, ut Achabi & Ninevitarum, *quatenus* Deo placuerint? B. 771. a.
Jejuniorum uſus cujuſmodi viguerit ante Exilium Babylonicum? B. 766. b.
Varius reſpectus. B. 769. a.
A Magiſtratu indictorum apud Proteſtantes uſus *ſingularis*. Ibid. b.
Ratio in Eccleſia Vetere. Ibid.
In Eccleſia *Romanenſi* hodierna. Ibid.
Jeremias creditus à Veteribus Auctor *Librorum Regum*. Prol. 20.
Ob quas rationes? Ibid.
Jeruſalem nomen ex tribus vocibus compoſitum. A. 636. a.
Quænam *vera* ejus *ſignificatio*? Ibid.
Impoſitum nomen ab ipſo Dei Populo. Ibid.
Jeſaias, quid valeat nomen Hebr.? A. 28. b.
Quis ejus *Pater*? Ibid.
Quo tempore vixerit? A. 1. a. 3. a. ſeqq.
De eo *duplex traditio* apud Judæos. A. 1. b. 2. a. b.
Non prophetavit *toto tempore* Regni *Uſſiæ*. A. 4. a.
An in munere Prophetico *præceſſerit Hoſeam*. Ibid.
Ejus Prophetiarum *argumentum* quid præcipue? A. 6. b.
Stylus & phraſis quæ? A. 7. & ſeqq.
Amat *improprium* & *tranſlatum* dicendi genus. A. 8. a.
Quænam ejus rei ratio? Ibid.
Oratio illius adſtricta *numeris*. Ibid. b.
In ea frequentes *Paronomaſiæ*. A. 9. a.
Singularis *vis*, *ſublimitas* & *majeſtas*. Ibid. a. & b.
Auctoritas divina Libri Prophet. A. 10. & ſeqq.
Scopus ipſius in Prophetia quis & quotuplex? A. 15. & ſeqq.
Jeſaias quo *loco* & *ordine* diſponatur *in Canone*? A. 19. & ſeqq.
An fuerit electus *typus* Chriſti Jeſu? A. 203. a.
Jeſchurun quo ſenſu Populus *Iſrael* dictus ſit? B. 473. a.
Ignis quomodo Metaph. ſumatur? A. 243. b. B. 616. a.
Eſt ſymbolum *Spiritus S.* A. 157. a.
Ab altari deſumitus quid notet? Ibid. b.
In *Deo* quid notet? B. 206. a.
Quo ſenſu Deus *ignem* dicatur habere *Tſione*? Ibid.
Ignis ſub emblemate quare *Judicia Divina* proponantur? B. 939. b.
Varius illius emblematis reſpectus. Ibid.
Ignis conſumens & *focus æternus* ubi Deus dicitur, quo alludatur? B. 249. a.
Ignis ſymbolum aptiſſimum eſt ad explicandam Dei *Naturam*. Ibid.
Ignis ſymbolo Gentes antiquitus coluerunt *Deum*. Ibid. N.
Igni quare comparentur *afflictiones fidei cauſſa* inſtitutæ? B. 448. a.
Illuminatio in Statu Gratiæ præcedit *Salvationem*. B. 572. b.
Imagines & *ſtatuæ Deorum* receptæ erant apud *Ægyptios*. B. 375. N.
Imagines & *ſtatuæ* tempore Reformationis

tionis sunt *comminutæ* in pulverem & *dejectæ*. B. 94. b.
Imaginum cultus unde inceperit? B. 375. N.
Ejus *origo* & causa prima. Ibid.
De *imaginum cultu* sententia Ecclesiæ *Romanæ*. B. 486. b.
Imaginum symbolicarum quis usus? B. 517. b.
Imber & *Pluvia densa*, symbola *judiciorum cœlestium*. A. 106. b. B. 18. a.
Immanuel nomen accipi potest vel ut *proprium*, vel ut *symbolicum*. A. 133. b.
Posterius probabilius, & referendum ad *Messiam*. A. 184. a.
De *Hiskia* intellexerunt Veteres Hebræi. Ibid. b.
Qui oppugnantur, eorumque hypotheses diruuntur. Ibid. & 212. b.
Immediate ex ipso Deo quomodo hauserit suam *Doctrinam* Christus? B. 610. a.
Immutatio Status Ecclesiæ *in melius* non turbabit *ordinem naturæ*. B. 912. a.
Imperativus styli Prophetici explicandus per *futurum*. B. 845. a.
Imperatores Romani, *Ecclesiæ Persecutores*, veniunt sub Emblemate *Leviathanis*, *Serpentis Recti*. B. 82. a.
Persecutionem adversus Ecclesiam instituerunt *directe*, non *oblique*. Ibid. b.
In illis Ant. Epiph. quasi *resuscitatus* est. B. 82. a.
Imperium hominum in hominum *conscientias* Deo invisum. B. 772. a.
Imperium Sæculare-Ecclesiasticum venit sub Emblemate *Leviathanis*, *Serpentis tortuosi*, & quare? B. 82. b.
Ejus Typus fuit in *Serpente Antiquo*, qui primos nostros Parentes seduxit ut *Angelus lucis*. B. 83. a.
Imperii Caroli M. & seqq. temporum adspectus. B. 284. a.
Et *Cæsarum Germanorum*. Ibid.
Speciatim *utriusque Frederici*. Ibid.
Imperia Majora, *Muhammedismo* aut *Paganismo* patrocinantia, veniunt sub Emblemate *Draconis*, *qui est in Mari*. B. 81. b. & 83. b.
Impersonalia Hebræis efferuntur per *pluralem tertiæ Personæ*. B. 647. b.
Impii quinam dicantur? B. 713. b.
Impleri stylo Prophetarum est *impleri spiritu divinatorio*. A. 78. b.
Inchoative multa sunt interpretanda, quæ *actum completum* significare videntur. B. 82. a.
Incredeli hominis *affectio*. B. 545. a.
Incredulitas tendit ad *dehonestamentum* Divini Nominis. B. 57. b.
Incrementum & *accessio ad Ecclesiam* tempore Const. M. B. 594. a.
Ejus causæ. Ibid. b.
Increpatio, *Deo* tributa, quid notet? B. 606. a. 692. a.
Incurvari quo sensu dicantur *victi*? A. 262. a.
Incurvationis varii modi. B. 596. b.
Independentia Dei respectu hominis quatenus sit *absolutissima*? B. 152. a.
Indictio Sanctitatis quid? A. 47. b.
Induere robur quo sensu dicatur Brachium Jehovæ? B. 626. 2. b.
Induratio cordis quo sensu *Deo* imputetur? B. 872. b.
Inebriare populos sanguine quid sit? B. 852. a.
Infantis, *lactentis*, *ablactati*, *pueri*, *viri*, notiones metaphoricæ variæ usurpantur. B. 109. b.
Inferiæ Manibus oblatæ circa sepulchra quid fuerint? B. 894. a.
Unde *originem* habeant. Ibid.
Inferiora terræ quid notent stylo Scr. S.? B. 489. N.
Quid mystice? B. 489. a.
Infernus quid notet figurate? B. 114. b.
In inferno esse quinam dicantur stylo Prophetico? B. 957. a. b.
Infinitivi sæpe sumuntur pro *præteritis* per ellipsin. B. 782. b.
Ingenium & *judicium idem* Deus demonstravit in ordinanda *Oeconomia Salutis*, quod in constituendo *ordine Universi*. B. 368. b.
Iniquitas sæpe sumitur pro *pœna iniquitatis*. B. 671. a.
Quo sensu dicatur quem *invenire*? Ibid.
Inopes & *egeni* sensu spirituali quinam? B. 212. a.
Inscriptio Græca Ps. LXXVI. notabilis. B. 190. b.
Insulæ maris quam late apud Prophetas accipiantur? A. 350. b. B. 392. a.
Insulæ remotæ stylo S. quæ sint? B. 948. a.
Intercessio Christi pro *defectoribus* non caruit *effectu*. B. 681. b.
Intercessores Ecclesiæ nunquam *defuerunt*. B. 791. b.
Interpretis Alexandrini error. B. 584. a.
Versio Græca emendatur. B. 598. b. 647. a.
Notatur. B. 934. b. & N.
Interpretis Diodori errores. B. 37. b. 536. N. b. 538. N. a.
Interrogationes affirmantes sæpe respondent *negationibus* fortissimis. B. 586. b.
Designant aliquando *paucitatem*. B. 662. a.
Intervallum interjacet insuperabile inter *Cogitationes Dei* & *hominum*. B. 716. a.
Inveniri de *Deo* quid significet? B. 889. b.
Inundationis Euphratis & *Nili* emblema adhibetur aliquando ad figurandam bonorum *Copiam*. B. 938. b.
Invocare Jehovam quid significet? B. 713. a.
Joannes Baptista Præco fuit *Divinus* & illustris. B. 355. a. b.
Ipsius *Doctrina*. B. 357. b.
Joktanitæ an sedem habuerint in *Arabia Felice*? A. 587. a. B. 449. a.
Josephus emendatus. A. 582. N.
Notatus. B. 14. a.
Ira cur referatur ad *nasum*? B. 897. b.
Quo sensu *Deo* aptetur, & ad eum applicari debeat *absque tropo*? Ibid.
Ira in *Deo* quid significet? B. 189. a.
Quid *ira gravis* & effervescens? Ibid.
Iræ Divinæ demonstratio in hostes Ecclesiæ sub *Oecon. N.* B. 827. a.
Ire & *currere* quid significent mystice? B. 784. b.
Ire per aquam & *ignem* quid sit? B. 447. a.
Iris non arcus sed *corona*. B. 692. b.
Color ejus *viridis* est symbolum *Gratiæ*. Ibid.
Irrigare vineam suam ubi Deus dicitur, quid significetur? B. 85. a.
Irrisorum Sanctorum exempla. B. 750. N.
Isaacus quo sensu ex Abrahamo *excisus* sit? B. 621. a.
Sustinuit *typum Christi*, & *credentium*, qui post Ismaëlem mysticum nascerentur. B. 685. a.
Isai quis? A. 304. a.
Ejus *truncus* quid valeat? Ibid.
Ejus ex domo ortus Jesus per *Davidem*. A. 308. a.
Isis antiquitus dicta *Aschera*. A. 506. b.
Ismaël sustinuit typum *Judæorum carnalium*. B. 685. a.
Israël Jacobi fuit *cognomen*. B. 476. N.
Israëlis binæ domus quid? A. 221. a.
Israëlitam esse vel vocari majus est quam Jacobidam. B. 477. a.
Israëlitarum Ægypto egressorum status convenit Ecclesiæ Christianæ primi temporis. B. 408. b. 409. a.
Israëlitarum Regnum, ut oppositum *Judæ*, figuram gessit Ecclesiæ *Orientalis*. B. 196. a.
Iter Reduces ex Babylone magnam partem fecerunt per *Arabiam*. B. 556. b.
Ezræ in Canaanæam *qua via* factum? B. 557. a.
Jubilæus annus cujus rei *figuram* gesserit? B. 826. b.
Anni illius *attributa*. B. 827. a.
Comparanda attributis *temporis Gratiæ*. Ibid.
Judas Maccabæus, *Jonathan* & *Simon* fratres, divina ope adjuti *vicerunt hostes* Populi Dei. B. 14. b.
Judas Macc. cum *Hasidæis* in *Specubus* & desertis locis ante repurgatum templum, non tantum *ordinaria sacra*, sed & *Festa* celebravit. B. 15. b.
Judæ & *Ephraimi* invidia & *æmulatio*. A. 351. b.
Quæ ejus causæ? Ibid.
Quando ea se maxime *prodiderit*? Ibid.
Quando *cessaverit*? A. 352. a.
Judæ Regnum in Allegorico-Prophetici gessit figuram Ecclesiæ *Occidentalis*. B. 196. a.
Judæ Terra mystice est terra *Confessorum* veræ *Religionis*. B. 54. a.
Judæorum nomen, quando evaserit nomen totius *Gentis* & *Religionis*? B. 313. a.
Inter voces *Judæus* & *Hebræus* differitas. Ibid.
Judæi an Gentibus fuerint *ignoti*, & qua ratione? B. 712. a.
In *Exilio Bab.* & deinceps ab *Idololatria*, etiam *domestica*, *abstinuerunt* & abhorruerunt. B. 182. a.
Sed maxime post tempora *Epiphanica*. B. 94. b.
Et *abstinent etiamnum*. B. 604. a.
Circa tempus *Alexandri* magno numero se diffuderunt per *Ægyptum*. A. 582. a.
Bene in eos affecti fuere *Ptolemæus Lagi*, & *Ptol. Philadelphus*. Ibid.

Sub

Sub *Philadelpho* plures Judæi migrarunt in *Ægyptum*. Ibid.
Videntur habuisse *Synagogam* in ipso *limite* Ægypti. A. 583. a.
Gravia passi sunt tempore *Antiochi Magni*. B. 66. b.
Res eorum illo tempore adhuc erant *tenues*. Ibid. & 399. b.
Judæis Ægyptiis curæ fuit status Judæorum *Canaanæorum* tempore *afflictionis Epiph.* B. 15. a.
Post tempora *Assamonæorum* inhabitarunt *terras Babyloni* subjectas, & ipsam *Babylonem* magnam partem. B. 59. a.
Tempore Christi *imparati* erant ad Messiam recipiendum, B. 337. b.
Judææ Gentis aspectus tempore *Christi* & *Apostolorum*. B. 429. a. 604. b. 670. b.
Præjudicia noxia de *via Salutis*. B. 357. b.
Hypocrisis qua re constiterit? Ibid.
Vitium circa *media* Salutis. B. 438. a.
Crimen Capitale, B. 604. b. 605. a.
Sibi acceleraverunt exitium. B. 613. b.
Status eorum sub judicio spirituali *excæcationis* & *indurationis*. B. 151. a.
Post destructam Hierosolymam non desierunt Christianos *persequi*. B. 403. b.
Status eorum sub *præsenti* Exilio. B. 604. a. 617. a.
Spes de temporibus *Messiæ*. B. 878. a.
Judæorum liberatio ex Babylone quando suum acceperit *complementum*? A. 427. a.
Judæorum collectio prima ex Exilio Babylon. A. 344. b. B. 452. a.
Altera dispersorum inter Gentes per prædicationem Evangelii. Ibid.
Tertia generalis expectatur in *fine temporum*. Ibid.
Quæ eorum conversio *credita* à primis Ecclesiæ Doctoribus. A. 346. b.
Quomodo efficienda? B. 659. a.
Judæi mystice dicuntur veri Christiani. B. 54. a.
Judaica professio hodierni temporis adhuc est *Pharisaica*. B. 113. a.
Judex Christi Jesu quo sensu *Deus Pater* sit? B. 612. a.
Judicare pro *regnare*, sive pro omni actu *regiminis*. A. 70. b. 316. a.
Judicare secundum visum & auditum quid? A. 314. b.
Judicii præcipitandi vitium. B. 209. b.
Committitur varie circa *actiones Providentiæ Divinæ*. Ibid.
Judicium pars *officii* Regii. A. 484. b.
Cujus virtutis quot gradationes? Ibid.
Judicium disponere ad Canonem quid sit? B. 122. b.
In *Judiciis* magnus erat *defectus* ante Reditum ex Exilio. B. 106. b.
Judiciorum integritas res rara ac difficilis. B. 789. b.
Judicia Dei magna in impios sunt quædam *præludia* Judicii *extremi*. B. 4. b. 271. b.
Hinc describuntur sæpe phrasibus *inde* desumptis. B. 5. a.
Incutiunt improbis *metum* & retrahunt eos à pravis consiliis. B. 61. b.
Generalia in his terris exercenda. B. 940. b.
Præcipue in Judæos & Populum Antichristianum. Ibid.
Judicia Dei in *Sacerdotes profanos* & Reges Syriæ, Ecclesiæ *Persecutores*. B. 22. b. 23. a.
Judicium Dei in *Judæos* Evangelio *immorigeros*. B. 827. a.
Per *Romanos* exercitum comparatur cum *clade Canaanæorum* apud Gibeonem. B. 126. a.
Erat opus Dei *alienum* & *peregrinum*. Ibid.
Summa ejus fuit *Severitas*. B. 127. a.
Judicium Dei spirituale in Judæis conspiciendum tempore Christi & Apostolorum. B. 147. b.
Mirabilitas & profunditas illius hisce temporibus. B. 151. a. b.
Singularia hujus Judicii. Ibid. a.
Judicium Dei in *Edomum* mysticam. B. 827. a.
In *Babylonem* mysticam quomodo *occasionem* præbere queat *convertendis* Gentibus? B. 292. a.
Judicium Christi in Ecclesia quotuplex? B. 213. a.
Judiciorum pœnalium Ecclesiæ N. T. inflictorum verus aspectus. B. 691. b.
Judicium absolute sumptum, aliquando notat *Doctrinam Religionis rationalis*, eique conjunctam *disciplinam*. B. 224. b. 724. b.
Sumitur quoque pro actu *disputatorio*. B. 392. b.
Judicum notio diversimode accipitur. A. 54. b.
Jugum Legis Ecclesiæ impositum non fuit *caussa* Μοιχολατρείας. B. 690. b.
Jugum peccati se ostentavit in *Lege*. A. 239. a. b.
Jugum super aliquem populum *attollere*, quid & unde metaph.? A. 284. a.
A *Jugo Assyrii* quo sensu *liberati* Judæi in ejus clade? A. 288. a.
Junci emblema *falsorum Doctorum*. A. 256. b.
Et quoque *verorum*. B. 297. b.
Jurare per se quando *Deus* dicatur, & quo sensu? B. 509. b. 844. a.
Per dextram? B. 844. a.
Per attributa sua? Ibid.
Per nomen Christi quid notet? B. 510. a.
Per nomen Dei? B. 543. a.
Jus Dei in *hominem absolutum* quatenus illustretur comparatione *figuli* & *luti*? B. 152. a.
Jus Ecclesiæ subinde notat *vindicias* sui juris & caussæ. B. 384. b. 785. a.
Justificari quid sit stylo Scripturæ? B. 511. a.
Quo sensu dicatur Christus Dominus? B. 612. a.
Justini Martyris locus de voce Χρηστὸς quomodo vertendus & explicandus? B. 829. N.
Justitia variæ *significationes* affines. B. 793. a.
Justitia aliquando notat *liberalitatem*. B. 724. b.
Notat etiam *jus* Dei, Ecclesiæ suæ vindicandæ. B. 793. a.
Ea se *induere ut lorica* quo sensu Deus dicatur? Ibid.
Justitia Dei quid Paulo? B. 511. a.
Notat aliquando *liberationem* Ecclesiæ. B. 725. a.
Justitia quomodo sit *in* Jehova? B. 511. a.
Justitia Messiæ & *Fides* quid? A. 326. a. b.
Quo sensu hæ virtutes dici queant *cingulum Regis*? Ibid.
Justitia Ecclesiæ quo sensu eam dicatur *antecedere*? B. 773. b.
Et *non assequi*? B. 785. a.
Justitia Carnis nihil *valet* apud Deum. B. 373. b.
Justitiam facere quid sit? B. 724. b.
Justitia habitans in deserto quid sit? B. 224. b.
Justitia Populi quid notet? B. 554. a.
Justitiam & *Salutem* quomodo Deus *germinare* faciat? B. 835. b.
Justus cur dicatur Satanas? B. 599. a.
Ivva eadem quæ *Havva*. B. 320. a.
Juvencæ quid mystice sign.? A. 331. a.

K.

Kabbalistarum institutum, eorumque *ridiculæ* subtilitates. B. 112. a.
Kedareni quales, & eorum *sedes*? A. 629. b. 431. a. 807. b.
Fuere *pecorosi*. Ibid.
Commercia cum aliis Gentibus exercuerunt. Ibid.
Fuere egregii *sagittarii*. A. 630. a.
Kimchii verba à Cl. Schmidio *male* intellecta. B. 470. N.
Kir Regio ubi olim sita? A. 642. b.
Kir qualis Urbs, & ubi sita? A. 465. a.
Quæ nominis significatio? A. 466. a.
Eadem *Kir-hareseth*. A. 467. b.
An etiam *eadem* quæ Veteribus Χαράκμωβα vel Μωβεχάραξ? A. 466. a. b.

L.

L & *N*, ל & נ sæpe inter se permutantur. B. 255. b.
Labefactatio status Ecclesiæ ex quibus oriatur *caussis*? B. 293. b.
Labia loquentia falsum quid sint? B. 782. a.
Labii profundi quinam esse dicantur? B. 255. b.
Labio Canaanæo loqui quid? A. 570. a. b.
Labor Gehtium in investiganda *Sapientia*. B. 708. a.
Ecclesiæ Latinæ in cultu *superstitioso observando*. B. 257. b.
Labrusca quid mystice sign.? A. 116. a.
Lac quo sensu tribuatur *Regibus*? B. 813. b.
Lac spirituale quodnam sit? B. 706. a. b.
Lacischa Urbis notitia. B. 309. a.
Lactantes mystice quinam sint? B. 367. b.
Lactentes & *ablactati* quorum emblema? A. 335. b.
Lacus in Vinea quid mystice designet? A. 115. a.
Lætari hostium *interitu* quomodo conveniat *Sanctis*? B. 291. b.
Est character judicii in *Babyl. myst.* quod Sancti eo *lætarentur*. Ibid.
Lætari coram Deo quid, & unde desumtum? A. 237. b.
Lætitia spiritualis credentium, ejusque *caussa*. B. 706. a. 735. b.

Civium *Novæ Hierosolymæ* qualis olim futura, & ex cujusmodi *caussis* oritura sit? B. 915. a.
Latitiam fore *super caput Redemptorum* quo dicatur sensu? B. 302. b. 303. a
Lagidæ magis curaverunt Rem *navalem* quam militiam *terrestrem*. B. 177. N.
Laischa quis locus? A. 292. a.
Languor spiritualis in quo consistat? B. 265. b.
Lapidem Jacobi *Betheliticum* an Judæi transtulerint Hierosolymam? B. 752. N.
Lapides antiquitus fuerunt inter objecta *Idololatriæ*. B. 752. b. & N.
Gentilium Theologia symbolica eos exhibuit ut symbola *Divinitatis*. B. 119. N.
Eorum *cultus* num fuerit *Phœnicius*? B. 752. b.
Superstitio *lapidum Mercurii* honoratorum unde? Ibid. N.
Igniti in usu fuere apud Orientales in *parandis cibis*. A. 156. b.
Murorum Hierosolymæ spiritualis mystice quid notent? B. 697. a.
Commodus illorum *situs* quid? Ibid.
Lapis fundamentalis Tsionis est Messias. B. 118. a.
Antiqua Synagoga an *idem* tradiderit, ejusque indicium olim extiterit in Paraphrasi Chaldæa? Ibid. a.
Quare ita appelletur? Ibid. b.
Explorationis quo sensu dicatur Christus? B. 119. a.
Angularis quomodo sit? Ibid. b.
Pretiosus cur appelletur? B. 120. a.
Lapis & Petra Scandali quo sensu dicatur Christus? A. 220. b.
In *Laqueum* & *Decipulam* quo sensu Judæis factus Christus? A. 221. a.
Lassi, defessi, fatigati quinam sint sensu spirituali? B. 386. a. b.
Illis *vires dare* quid? Ibid. b.
Latera Aquilonis, cum respectu ad montem Tsionis, de *colle Moria*. A. 436. b.
Latera Terræ de Chaldæa. B. 401. b.
Latii, & *adjacentium* Romæ, aspectus. B. 284. a.
Latrare, & *non latrare* quo sensu dicantur *Præfecti* Ecclesiæ? B. 738. a.
Lavare se, primum *respiscentiæ* officium. A. 49. a.
Quid sit stylo Scripturæ? Ibid.
Laus peculiaris *Pauli* Apostoli Gentium. B. 230. a.
Laus pro *Salute*. B. 816. a. 835. b.
Lectisternium apud Romanos. B. 905. a.
Num sit ex institutione *Numæ*? Ibid.
Legati subinde sub *Legantium* nomine intelliguntur. A. 179. b.
Legatos an Hiskias vel Proceres ejus miserint in Ægyptum, *auxilii* implorandi caussa *adversus Assyrium*, ad famam Expeditionis Senacheribi? B. 164. a. b.
Legatio Regis *Babylonii* ad *Hiskiam* in quod tempus inciderit? B. 343. b. 344. a. b.
Legislator quomodo sit Christus Jesus? B. 711. b.
Legislatores quinam fuerint? B. 261. b.
Leones quorum emblema? A. 135. a. 332. a. B. 301. a.
Leoni Deus frequens in Scriptis Propheticis assimilatur. B. 202. a.
Lepræ aspectus. B. 882. a.
Quid per eam *figuretur* in Statu spirituali? Ibid.
Lepra spiritualis conspicua est in *Judæis induratis*. Ibid. b.
Typus ejus in *Caino*, & *Maria* Mosis sorore. Ibid.
Leviathan usu Scr. S. fere idem valet quod *Draco*. B. 77. b.
Origo vocis unde petenda? Ibid.
Doctorum de eo *sententiæ*, & de iis *judicium*. Ibid.
Sensu *mystico* quid sit? B. 79. a.
Hac de re *sententiæ* aliquæ tam *Judæorum* quam *Christianorum*. B. 80. a. b.
Earumque *examen*. B. 81. a. b.
Levitarum spiritualium Separatio qua re constiterit? B. 651. a.
Lex Ritualis quo *scopo* instituta sit? A. 46. a.
Aboleri debuit sub Oeconomia *Gratiæ*. B. 362. b.
Lex egressura ex Tsione quid? A. 69. a.
Lex Christi perfectior Lege *Mosis*. B. 440. a.
Eam quomodo Ipse *magnificaverit* & *honoraverit*? Ibid.
Quo sensu dicatur esse *in corde* credentium? B. 626. b.
Lex & Verbum Jehovæ, quæ emphasis in vocibus? A. 69. a.
Leges pro legibus *naturæ* & *conscientiæ*. B. 11. b.
Legis datæ privilegium Populo Judæo fuit maximum. B. 439. b.
Legis effectum in Populo *carnali*. B. 642. b.
Legis Judæorum *ostentatio in triumpho*, significavit Romam post breve illam esse *reverituram*. B. 145. b.
Libaminis fundendi & muneris offerendi ritus idololatricus. B. 753. b. 905. a. b.
Libanus unde sic dicatur? A. 29. 7.
Quænam ejus Montis natura? Ibid.
Quibusdam partibus fuit *habitatus*. B. 324. a.
Tria in eo erant, ex quibus instrui poterat Religio externa Gentium. B. 373. a.
Sumitur quoque pro Montibus *quibuscunque*. Ibid.
Libanus symbolum *Hierosolymæ & Templi*. A. 295. a.
Judææ. B. 323. a.
Ratio emblematis. Ibid. b.
Imperiorum & Regnorum Mundi. B. 154. a.
Libani conversio in agrum frugiferum, & *agri frugiferi in Sylvam*. Ibid.
Libani gloria quid sit *proprie*, quid *mystice*? B. 292. b.
Latera sunt ejus *juga*. B. 323. a.
Ima Judææ. Ibid.
Altitudo vel *Turgurium extremum* mystice est *Templum*. B. 324. b.
Saltus arvi ejus frugiferi est *Hierosolyma*. Ibid.
Liber Jehovæ quid sit? B. 285. a. b.
Liberatio Babylonica secundum Prophetarum stylum *completa* est in liberatione *mystica*. A. 349. a.
Quare dicatur *Redemptio*? B. 488. a.
Typus fuit Redemptionis *veræ*. Ibid.
Liberationis ab Assyrio beneficium tenebras fidei objectas *dispulit*, & excitavit *studia* erga Verbum Dei. B. 209. a.
Ægyptiacæ & Chaldaicæ convenientia. B. 501. b.
Ægyptiacæ & Spiritualis. B. 624. b. 627. b.
Liberationis Ecclesiæ *exspectandæ modus* probabilis. B. 799. b.
In Liberatione Populi Dei respectus obtinet *Dei gloriæ*. B. 548. b.
Liberationes temporales Ecclesiæ sunt typi liberationis *veræ*. A. 214. a. 238. b. B. 456. a.
Liberationum Ecclesiæ mirabilium *exempla*. B. 799. b. & N.
Liberi familias vel *vendi* potuerunt à *Patre*, vel à *Synedrio*. B. 603. b.
Libertas Filiorum Dei. B. 825. b.
Ejus *excellentia*. B. 826. a.
Libna quæ Urbs, & ubi sita? B. 317. a.
Librare orbitam hominis quo sensu dicatur Deus? B. 60. b.
Libri Veterum quales fuerint? B. 172. a.
Libros ab *hominibus* compositos *legisse* Christus *non* videtur. B. 610. b.
Ligni species ad *Idola* formanda ad libitæ. B. 376. a.
Lingere pulverem pedum quid notet? B. 596. b.
Lingua Hebræa quando & quo sensu dicta sit *Judæa*? B. 313. a.
Lingua ridicula quæ dicatur? B. 255. b.
Lingua Eruditorum quid sit? B. 609. a.
Lingua ignis quid? A. 131. b.
Lingua pro *Sinu* maris. A. 358. a.
Pro *Promontorio*. Ibid.
Lingua maris Ægypti quid? an *sinus maris Arabici*? an vero *Fluvius Bubasticus* sive *Ostium Pelusiacum*? A. 357. b. & seqq.
Linum Ægyptium laudatum. A. 562. a.
Ex Lino optimo conficiebantur *retia*. Ibid.
Linum obscurius ardens quid mystice notet? B. 424. a.
Litaniæ Veteris Ecclesiæ. B. 769. b.
Litera minuscula ר in voce אדם Prov. XXVIII. 17. quid sibi velit? B. 280. b. N.
Literalia juxta doctrinam & hypothesin Sanctorum antiqui temporis fuerunt figuræ *spiritualium*. B. 56. a.
Literalis & Spiritualis Sensus in Prophetiis de Babylone, Ægypto, Tyro, Edomo &c. sæpe sunt *conjungendi*. B. 539. a.
A Literali non est *discedendum*, nisi attributa rerum aut auctoritas Scriptorum N. T. id suadeant. B. 279. a.
Literarum studia Sæc. XIII. resuscitata pondus addiderunt *superstitioni* & auctoritati Papali. B. 741. a.
Locus Dei quid sit? B. 74. a.
Sanctuarii Dei? B. 812. a.
Pedum Dei? Ibid.
Quietis Dei? B. 925. b.
Locus 2 Macc. x. 6. *emendatus* quod ad Textum Gr. B. 15. b.
Longanimitatem suam Deus adstringit *certo tempori*. B. 713. b.
Longanimitatis Divinæ *tempus Judæis* concessum. Ibid. a.

Lon-

Longævitas præterordinaria hominum ultimi Sæculi *non* videtur *probabilis.* B. 915. b.
Longus facie vel *naso* quis dicatur Hebræis? B. 547. a.
Loqui recta quid significet? B. 250. a.
Ad alicujus cor quid sit? B. 351. a.
In justitia quid? B. 850. a.
Cujus sit *character*? Ibid. b.
Lora & *Funes*, quibus *attrahit* homo *peccata*, quid sint? A. 127. b.
Lotus Ægypt. quid? A. 559. a.
Luciferi lapsus quid? A. 435. a.
Perperam Veteres de *lapsu Satanæ* intellexere. Ibid.
Lucorum idololatria quæ? A. 57. b. B. 751. a.
An ab iis diversi sint *Horti*? A. 58. a.
Lucrum spernere quid? B. 250. a.
Luctus tempore vestes honestiores solebant *exui.* B. 217. a.
Lud, sive *Ludim*, *Lydi* ex *Ægyptiis* orti, sunt *Æthiopes.* B. 947. b.
Lugentes in Ecclesia qui sint? B. 827. b.
Eorum *consolatio.* Ibid.
Quo sensu dicantur *lugentes Tsionis*? Ibid.
Super *Hierosolyma*? B. 936. a.
Lugentium erat *sedere humi*, in pulvere. B. 524. b.
Luhith quis fuerit locus? A. 470. b.
Lumbos solvere & *succingere* quid? B. 494. a.
Luminosa fuerunt *prima* Evangelii tempora, sed sequuta *nubilosa.* B. 614. b.
Luna mystica sunt *Rectores Sacri*, Antistites Religionis. B. 23. b.
Lunæ rubor & *atror* quid designet Prophetis? A. 406. b. B. 23. b.
Lunus Deus & *Luna* quantum differant? B. 903. b.
Lupi quorum emblema? A. 332. b.
Lux, *Bonum*, *Dulce*, quid apud Prophetam? A. 129. a.
Lux quid mystice sign.? A. 236. a.
Est symbolum *felicitatis.* B. 803. a.
Quo sensu Christus dicatur *Lux*, *Lux vera*, & *Lux magna.* A. 236. a.
Lux Israëlis? A. 276. a.
Lux & *Salus* ipsa? B. 572. b.
Lux spiritualis *Oecon. N.* qualis? B. 826. a.
Lux oriens quo sensu dicatur *finds*? B. 773. a.
Luxus & *avaritia* irrepserunt in *Præfectos* Ecclesiæ. B. 740. a.
Initia horum vitiorum respectu Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis. Ibid.

M.

Maccabaica tempora describuntur. B. 9. b. 10. a.
Ad ea *sæpius respicitur* in Libro Jesaiæ. B. 6. b.
Et in Odis Davidicis. B. 10. a.
Eorum *respectus* in *Propheticis.* B. 901. a.
Respondent *ultimis Oecon. N.* B. 885. b.
Ecclesia illis temporibus *immediate* dependebat *a Deo.* B. 262. a. b.
Et habebat *copiam* & exuberantiam omnium *bonorum desiderabilium.* Ibid. b.
Maccabaica & *Apostolica* Ecclesiæ *affinitas.* B. 406. b.
Maccabaica Respublica collata cum *Fœderato Belgio.* B. 39. a. 267. a. b. 268. a. b.
Madmena & *Gebim*, loca obscura. A. 292. b.
Magicam artem Chaldæi exercuerunt. B. 531. b.
De Magicis *Operationibus judicium* Veterum. Ibid.
Magni Cognomen tributum *Alexandro*, ut & *Ptolemæo Lagi*, quo respectu? A. 581. b.
Magnitudo animi quid? A. 272. b.
Maher-schalal-Chasbaz, nomen filio Jesaiæ impositum, quid? A. 206. a. 207. b.
Makkeda ubi sita? B. 317. a.
Malala Chronographia crassissimis *erroribus* scatet. B. 20. N.
Malum non videre quid? B. 250. b.
Malus navis quid mystice significet? B. 263. b.
Mamluchorum Regni *ortus* & *historia.* A. 625. b.
Mammon iniquitatis quid? B. 250. b.
Mane, qualem aliquando vox habeat emphasin? B. 237. b.
Manethonis Dynastiæ Ægypt. A. 538. a. b.
De Ejus *Dynastiis* varia Doctorum *judicia.* A. 543. a.
Ejus Dynastiæ *plures quomodo* accipiendæ? A. 545. a.
Quomodo cum *Historia S.* comparari queant? A. 547. a.
Dynastia xxv. conciliatur *Herodoto.* B. 317. b.
An Manethonis Historia *lucem* afferat *Sacræ?* A. 549. b.
De Manethone judicium *Josephi.* A. 544. b. 547. a.
Manifestatio Christi facta est per varios *gradus.* B. 121. a.
De *Mansionibus animarum piorum* hominum vetus est sententia. B. 73. a. N.
Mansueti & *inopes hominum* dicuntur credentes ex Judæis & quare? B. 155. a. 212. a.
Mansueti & *Pauperes*, ubi de Populo Messiæ, *confunduntur.* B. 824. a.
Notiones illæ *in spiritualibus eundem* exhibent *sensum.* Ibid.
Mansuetorum proportio ad *Evangelium.* Ibid.
Mansuetudo Christi illustrata ex *ove* & *agna.* B. 672. a.
Cum lubentia obsequii prodita *in extremis.* Ibid.
Mansuetudo spiritualis describitur. B. 824. a.
Manus & *genua* quid mystice significent? B. 293. a.
Quid *manus remissæ* & *genua labantia?* Ibid.
Quid eorum *confirmatio?* Ibid.
Manus Dei mystice quid significet? B. 49. b.
Ejus *quies in monte Tsionis*, quid sibi velit? Ibid.
Unde metaphora desumpta? Ibid.
Manus Dei super Prophetas quid sign.? A. 215. a.
Mare, & *quæ in eo sunt*, faciunt mirabile Opus Divinæ *Providentiæ.* B. 631. a.
Mare Hebr. vocatur omne majus *aquæ receptaculum.* A. 558. a.
Mare de *Nilo.* Ibid.
De *Euphrate.* A. 364. a. 603. b.
De *Lacu Tiberiadis.* A. 233. b.
Sæpe notat *Tractum Occiduum.* B. 15. a.
Mare stylo Scripturæ notat *Confluxum Gentium.* A. 603. b. B. 631. a.
Contradistinctum *Terræ* & *Fluviis* est symbolum Populorum omnium, qui sunt *extra communionem* Ecclesiæ. B. 83. b.
Mare Rubrum fuit *cœnosum* & *scopulosum.* B. 867. b. 868. a.
Ejus *altitudo.* B. 868. a.
Miraculum in aquis ejus editum illustratur. B. 867. b.
Cujus *fama* ubique vulgata est. Ibid.
Et *memoria* diu conservata. Ibid.
Mirabilis Dei Providentia in *Trajectu Judæorum.* B. 868. a.
Sustinet typum *persecutionum sanguinariarum* in Imperio *Romano.* B. 627. b.
Maris motui comparatur *motus* Exercitus. A. 511. b.
Mariam ortam esse *Davide*, supponunt Sacri Scriptores. A. 308. a.
Maritus Ecclesiæ est *Filius Dei.* B. 688. a.
Marnas Jupiter, Gazæ cultus, quis fuerit? A. 450. a.
Mars, unde *Nomen*, & quid significet? B. 281. a.
Cur Hebræis מאדים *Rubicundus* sit dictus? Ibid.
Marti Imperium Romanum olim fuit *sacrum.* Ibid.
Martyrum memoriæ à Christianis *celebratæ.* B. 894. b.
Masculini terminatio pro *neutrius.* A. 672. b.
Masorethæ ab omni *superstitione* non plane fuerunt liberi. B. 313. b.
In distinguendis membris orationis subinde *peculiarem* sequuti sunt rationem. B. 874. b.
Matres familias quare comparentur *fovea*, ex qua educitur materia fossilis? B. 620. b.
Matri æque *Deus* comparatur in metaphoricis ac *Patri.* B. 501. a. 587. b.
Attributa Deo cum *Matre* communia. B. 587. b.
Medeba Urbs ubi sita? A. 467. b.
Medi quando inceperint *deficere* ab *Assyriis*? B. 236. b.
Sub *Cyaxare* cum Chaldæis conspirarunt ad *Ninum evertendam*, idque effectum dederunt. Ibid.
Per *Medos* etiam *Persæ* designantur. A. 409. N.
Quare *Medi* subinde soli appellentur? A. 409. b.
Media an in universum omnia *afuerint* ab *Institutione* Christi? B. 610. b.
Megasthenes quando floruerit? A. 532. b.
Melas, *Melo* de *Nilo.* A. 676. b.
Melicartus est *Hercules* apud Tyrios. A. 670. b.
Unde sic dictus? Ibid.
Memphis quæ Urbs & ubi sita? A. 564. N. 565. a.
Memphis Orientalibus dicta *Moph* & *Noph.* A. 564. b.

Antiquissimum Urbis nomen fuit *Menoph.* Ibid. N.
A quo *condita & appellata?* Ibid.
Ejus proprietas. B. 260. b.
Meni Idolum designat *Lunam.* B. 902. b. 903. a. b. & N.
Num ad *Solem* referri possit? B. 903. N.
Ch. Huetii pro hac sententia *argumenta.* Ibid.
Quæ *solvuntur.* Ibid.
Salmasii à Casaubono dissentientis *hallucinatio.* Ibid. a.
Illius sententia *refellitur.* Ibid.
Loca *Strabonis*, quæ eo pertinent, *excutiuntur.* Ibid.
Eadem est Dea quæ Syris *Astarte* vel *Dea Cœlestis.* Ibid. b.
Mensam sternere & Libamen fundere Dis fuit *superstitio* antiqui temporis. B. 905. a.
Mentis ingenuæ & rectæ quinam? B. 210. b.
Meraco comparantur *sinceri Judices & veri Doctores.* A. 52. b.
Meritorum Patrum apud Talmudicos & Paraphrastas frequens est mentio. B. 871. N. a.
In Leiturgiis hodierni temporis *non item.* Ibid.
Merodach vel *Mardach* est nomen *Idoli* Babylonici. B. 343. a.
Merodach, Rex Babylonis, est *Mardokempadus* in Canone Ptolemæi. Ibid.
An fuerit Medorum Rex *Deioces?* Ibid. b.
Messias quare appelletur *Lapis?* B. 118. b.
Cur & quo sensu *Lapis explorationis?* B. 119. a.
Angularis? Ibid. b.
Et *pretiosus?* B. 120. a.
Cur Proph. eum magis proponant sub typo *Doctoris* quam *Regis?* B. 212. b.
De *Messia gemino* commentum Judæorum recentius. B. 659. a.
Messis apud Judæos *festive* celebrari solita. A. 237. b.
Messis & *tritura* quid mystice significent? B. 133. b.
Judaicæ Spiritualis varia tempora. Ibid.
Metallariorum rationes in *purgando* argento. B. 548. a.
Metaphoras sæpe *mutant* Prophetæ in eadem oratione. A. 276. a.
Duæ aut plures sæpe *permiscentur.* B. 115. a. 842. a.
Methodi interpretandi verbi *Prophetici diversæ.* A. Præfat. p. 7. & seqq.
Methodus Grotii. Ibid. 9.
De ea *Judicium.* Ibid. 10.
Cocceji. Ibid. 9.
De ea *Judicium.* Ibid. 15.
Metiri aquas pugillo suo quid significet? B. 369. a.
Metus Veterum, respectu Regni Dei manifestandi, *caussa.* B. 687. a.
Michmasch qualis locus? A. 291. b.
Midianitarum sedes quæ? A. 588. a. 807. a.
Migron qualis locus? A. 291. b.
Milliennio Apocalyptico Primi Ecclesiæ Doctores *beatiorem* Ecclesiæ *Statum* circumscripserunt. B. 918. b. & N.
Horum de eo *sensu.* Ibid. N.
Illuc referendum esse admittitur, sed cum *temperamentis.* B. 919. a.
Ministerium Christi Veteres statuerunt *annuum* per *errorem*, & unde? B. 826. b.
Ministri Verbi quatenus sibi peculiari modo vindicent titulum *Sacerdotum.* B. 951. b.
Eorum *Electio* sit cura Divinæ *Providentiæ.* B. 952. a.
Officium est *honestissimum.* Ibid.
Et Dispensationis Dei *libere.* Ibid.
Minoa unde dicta *Gaza?* A. 499. a.
Minos qualis, sub quo expeditio facta in Philistæam? Ibid. b.
Mirabilis, nomen Messiæ refertur ad attributum *Filii Dei.* A. 248. b.
Mirabilis est omnis actus Divinæ Providentiæ, quo *judicium* hominis *pervertit.* B. 151. a.
Imprimis natura *judicii spiritualis* sub quo sunt Judæi. Ibid.
Miracula quare dicantur *Signa?* A. 179. b.
Quibus *casibus* & quo *fide* edita? Ibid.
Non *piis* tantum, sed & *impiis* oblata? Ibid.
Non sufficiunt ad *veram Fidem* in animis hominum *generandam* absque singulari Dei *gratia.* B. 154. b.
A Christo edita, in auditu surdis & visu cæcis restituendo, *cujus rei* fuerint *emblemata?* B. 155. a. 294. b. 295. b.
Jactata, & *falso* credita, subservierunt Idololatriæ & *superstitioni.* B. 749. b. & N.
Miseratio Dei est *Principium* omnium *donorum Gratiæ.* B. 582. a.
Mischnæ & *Gemaræ* Talmudicæ aspectus. B. 110. b. 112. b.
Mittere manum quid? A. 353. a.
Moabitæ unde *oriundi?* A. 462. a.
Eorum Reip. *forma.* Ibid.
Prima *sedes* ubi? Ibid.
Terræ *ingenium.* Ibid.
Qui Gentis *status?* A. 464. a. b.
Gens *superstitioni* dedita. A. 463. a.
Quodnam *Idolum* eorum? Ibid.
Cæsariem in *orbem* tondebant. Ibid. b.
Eorum *Attributa.* B. 51. b.
Calamitas ipsorum in quod *tempus* inciderit? A. 494. a.
An auctor ejus *Senacherib?* Ibid.
An *Tirhaka* Arabum Rex? Ibid.
An vero potius *Salmanassar?* Ibid.
Pessime fuerunt affecti *erga Reduces* ex Exilio Bab. B. 51. b.
Hostes fuere infensi *Hasidæorum* in initiis instauratæ Reip. B. 51. a.
A Maccabæis victi & plane *subacti.* Ibid.
Stylo Prophetico dicuntur illi, qui habitant in *eorum terra.* Ibid.
Mystice in genere *Adversarii Regni Christi.* A. 494. b. B. 51. b.
Præcipue Gentes *Antichristo obnoxiæ.* Ibid.
Moabitidis situs. B. 278. b.
Moderamen Dei erga Populum suum in *judicio Babylonico.* B. 90. b. 548. b.
Molarum manuariarum usus. B. 525. a.
Molechi cultus sive Phœnicius. B. 751. b.
Molecho devoti liberi *cremandi* tradebantur ex instituto *Ammonitarum* & *Phœnicum.* B. 193. b.
Non semper tradebantur *vivi* igni, sed & *mactabantur.* B. 751. b.
Pueri subinde in hunc usum *coëmebantur.* Ibid.
Molimina & *opera Dei*, quid apud Jesaiam? A. 123. a.
Mollities cordis quid notet? A. 173. b.
Monarchæ potentis nostri temporis *respectus.* B. 267. b.
Mons Domus Jehovæ quid? A. 64. a.
Quo sensu dicatur *firmus in vertice Montium?* Ibid. b. & seqq.
Ad hunc Montem *confluxus Gentium.* A. 66. a.
Mons Tsion non fuit Hierosolymæ *Aquilonaris.* A. 436. b.
Quare dicatur *Mons conventus?* Ibid. a.
Cujus sit *symbolum?* A. 336. a.
Montes conscendi solebant à *concionaturis.* B. 364. b.
Magni quare dicantur *Montes Dei?* B. 582. b.
Olim pro *Diis* culti. B. 754. a.
Eos ponere in *viam* sive *planitiem* quid mystice significet? B. 583. a.
Quo sensu dicantur *diffluere coram Deo?* B. 877. a.
Montes & colles an sint rudera & *fragmenta Corticis* Terræ æqualis in *Diluvio perrupti?* B. 370. a.
Eorum *utilitas* & *ornatus* in Terra? Ibid.
In *Montibus* & *collibus sacrificandi* superstitio antiqua. B. 899. a.
Ejus *origo* num referenda ad *Persas?* Ibid.
Figurate significant *Regna*, *Civitates*, *Resp.* A. 82. b. B. 583. a.
Quando mystice dicantur *deprimi?* B. 358. b.
Ejus respectu admirabilis dispensatio Divinæ Gratiæ. Ibid. & 359. a.
Mori stylo Script. S. subinde est *interire morte violenta.* B. 916. a.
Mors Reipublicæ Judææ. B. 908. a.
Mortis nomine quæ veniant in Scr. S.? B. 46. b. 47. a. 114. b.
Morte immatura subductorum *calamitatibus* & *vitiis* exempla. B. 747. N.
Mortis abolitio quid, & quando exspectanda? B. 47. a.
Quomodo illud beneficium tantum imputetur *Ecclesiæ?* Ibid.
Mors & *Infernus* quid mystice significent? B. 114. b.
Mortui sæpe sunt *defunctorum animæ.* A. 228. a.
Dei sunt *Confessores* & *Martyres.* A. 67. a.
Et qui mortis periculo *se objicium caussa Religionis.* Ibid.
Mortuorum piorum status secundum Veteres. B. 745. b.
Motibus Mundi & Imperiorum Mundanorum *Deus præsidet.* B. 104. b.
Muhammedismi profectus cum Evangelii eventu *non comparandus.* B. 934. b.
Mulieres, *Virgines*, *Filiæ* in Sacris dicuntur quæque *communitates.* B. 214. b.

Quæ

Quæ ratio metaphoræ? B. 215. a.
Multus ad servandum quid significet? B. 850. b.
Cujus sit *character*. Ibid.
Mundus totus in initiis Oecon. Gratiæ *aliam* accepit σχέσιν. B. 632. a.
Mundi status circa tempus instaurandi Regni Dei *ultima periodo*. B. 804. a.
Muneribus Orientales Populi solebant *ambire* favorem Potentiorum. B. 170. b.
Quæ constiterunt præcipue *auro* & *argento* & *electis terræ* proventibus. Ibid.
Munificentia Principum erga Ecclesiam Sæc. IV. & seqq. B. 597. a.
Munire viam mystice quid sit? B. 759. b.
Munus non accipere quid? B. 250. a.
Munera & *libamina* Divis oblata in Ecclesia *Latina*. B. 756. a.
Mures an unquam *escam* præbuerint hominibus? B. 942. a.
An olim usum habuerint in *Lustratoriis*? Ibid.
Muri subinde significant ipsam Urbem. B. 842. b.
Civitatis spiritualis quid mystice figurent? B. 589. a. 697. a.
Muros Hierosolymæ ædificare, sensu spirituali quid sit? B. 810. b.
Quorum id sit *officium*? Ibid.
Muscæ designant *Ægyptios*. A. 191. b.
Mutationes Ecclesia subiit Status sui *varias*. B. 813. b.
Singularis, quam subiit in *Reformatione*. Ibid.
Mutatio omnium rerum in melius, Ecclesiæ promissa, declaratur. B. 814. b. 912. a. seqq.
Illius *species* respectu *Bonorum spiritualium*. B. 814. b.
Num *turbatura* sit *ordinem* Naturæ? B. 912. a.
Mutus in statu *spirituali* quis dicatur? B. 295. b.
Ejus vitii *causse*. Ibid.
Myrti notitia. B. 718. a.
Mystica & *Spiritualia* in Prophetiis subinde miscentur *Literalibus*. A. 344. b.
Mysticorum sententia, *de colendo Deo absque spe remunerationis*, contrariatur *Conscientiæ* & *Script. S.* B. 507. b.

N.

Nabatæorum sedes quæ? A. 588. a. 624. b.
Nablium quid? A. 122. b.
Nabonassar, *Nabo-polassar*, *Nabo-colassar*, sunt nomina *Assyriæ* terminationis. A. 191. a.
Nabonassar נבו-נסר *Nebo-nassar*, cum ו Epenthetico est *Nebo-Princeps*. B. 343. a.
Nabonassar quo tempore vixerit? A. 386. a.
An *Observata Astronomica*, ante ipsum facta, ab ipso sint *abolita*? B. 434. N. b.
Ante ipsum Babylonii videntur habuisse Observationes *privatas*, quæ perierunt. Ibid.
Publicum instituisse videtur *Mathematicorum collegium*. Ibid. & 536. a.
Cujus observationes cum cura servatæ sunt. B. 534. N.
Nachasch sive *Serpens* dictus est *Isæi*. A. 453. b.
Isæi videtur fuisse *cognomen*. B. 476. N.
Nar, fluvii nomen apud Tacitum, servatum ex Hebr. נהר. A. 210. b.
Natura rerum tota quomodo sanctificetur per *Ecclesiam*? B. 488. b.
Navalia sua habuere veteres Phœniciæ Urbes. A. 668. b.
Naves remi & *Naves magnificæ* sunt Naves *Bellicæ*. B. 259. b.
Naves suas Phœnices & Ægyptii *splendidissime* solebant instruere. B. 261. a.
In eis *ornandis luxus* fuit Orientalium. A. 84. a.
Earum *subvectio* ex uno mari in aliud apud Veteres usitata. Ibid.
Naves metonym. sign. *Nautæ*. A. 672. b.
Navis est aptissima figura *Reipublicæ*. B. 263. b.
Navis Malus quid mystice denotet? Ibid.
Quid *Funes*? Ibid.
Quid *Velum*? B. 264. a.
Quid *Theca* Mali? Ibid. b.
Nebo Designavit *Lunam* sive Junonem. B. 514. b.
Proximum fuit à *Belo* Numen, quod Babylonii coluerunt. Ibid.
Etymon vocis. B. 515. a.
Nebo Oppidum ubi situm? A. 467. a.
Nebucadnezar recte accensetur *Assyriis*. A. 191. a.
Exercitum duxit adversus *Ægyptum*. A. 532. a. b.
Durius tractasse videtur *Populum Dei* quam debebat. B. 528. a.
Exempla *sævitiæ* ejus. Ibid.
Nectanebi Regis Ægypti *imprudentia* in bello cum Artaxerxe Ocho. A. 567. a. b.
Negotiatio Ægyptiorum, Cuschæorum & Sabæorum. B. 502. b.
Nergal Babyloniorum Numen, an *Dea Luna*? A. 272. N.
Nexus omnis operis Divini *soli Deo* constat. B. 371. a.
Nicolaitarum Hæresis. B. 740. a.
Nilus est ipsissimum nomen נחל. B. 95. b. 938. a.
Homero Αἰγυπτος. A. 535. a.
Fluvius *maximus* & mirabilis. A. 558. a.
Piscosus, & piscatu frequens. A. 562. a.
Papyri ferax. A. 558. b.
Appellatur *Mare* non solum Sacris, sed etiam *exteris* Scriptoribus. A. 358. b. 558. a.
Quo sensu dicatur *Fluvius Copti*? A. 535. b.
Quot *ostia* habuerit? A. 359. N.
Eo decrescente, terram *calcandam* reliquerunt *suibus*. A. 521. a.
Ninive נינוה est *Mansio Nini*. B. 92. b.
Ninus appellari non potest *Assyrius*. A. 390. a.
Ninus Urbs quo tempore *eversa*? A. 395. b. B. 236. b.
Nisroch quodnam fuerit Idolum? B. 331. b.
Nitocris quæ & qualis Regina? A. 385. a.
Uxor Nebucadnezaris. Ibid.
No-Ammon est *Mansio Chami*. B. 92. b.
Nob locus ubi situs? A. 292. b.
Nod terra ubi? B. 319. b.
Nomen apud Hebræos pro *Infinitivo*. A. 170. a.
Pluralis numeri constructum cum *verbo singularis* quam emphasin habeat? B. 788. a.
Nomen rei quid sit stylo Scripturæ S.? B. 563. b.
Nomen alicujus ubi *vocari* dicitur, quid notet? B. 446. b.
Nomen Dei quid? B. 732. b. 931. a.
Jehovæ, ubi de Deo *Subjective* usurpatur, quid valeat? B. 189. b.
Cognoscere quid? B. 645. a.
Amare quid stylo Sacro? B. 732. b.
Nominis Dei per Deum solum recordari quid sit? B. 63. b.
Nomine novo appellari quid sit? B. 839. a.
Nomina rebus aut personis aptantur secundum *primam institutionem* sui Status. B. 437. N.
Fausti ominis affectant Principes Orientis. B. 208. a.
Judæorum passim erant σημαντικὰ. B. 476. N.
Apud quos ab antiquissimis temporibus passim singuli *singulis* nominibus fuerunt contenti. Ibid.
Nominari Stylo S. valet *esse*. B. 839. a.
Non-Deus quid sit? B. 201. a.
Non-vir, *Non-homo*? B. 205. a.
Non-panis? B. 707. a.
Notitia veræ Religionis magnum est Gratiæ *beneficium*. B. 402. a.
Notitias rerum necessariarum *unde* hauserit *Jesus*? B. 610. a.
Novacula, qua abraderentur Judæi, quid designet? A. 193. b.
Quare *Novacula mercenaria* dicatur? A. 195. b.
Novi notio quam vim & emphasin habeat in Scr. S.? B. 463. a.
Nox de *calamitate*. A. 620. b.
Nox, qua sanctificatur *Festum*, est *Paschalis*. B. 190. b.
De *nocte*, qua *profligatus* est Exercitus *Assyrii*, traditio Judæorum. B. 191. a.
Noctu frænare cupiditates *plus* est quam *de die*. B. 61. b.
Nubes, qua *vehi* dicitur Deus, cujus rei emblema? A. 553. a.
Nudi etiam dicuntur, qui *exteriore* veste *nudati*. A. 596. b.
Numeri fracti stylo Scripturæ aliquando adhibentur ad designandum *integrum*. A. 176. a.
Nutrimentum verum hominis *in Statu Gratiæ* quodnam? B. 706. b.

O.

Obedientia Christi Jesu debebat esse *voluntaria*. B. 678. a.
Ea discernebat ipsius Sacrificium ab illis *animantium*. Ibid.
Obelisci, in Urbe Heliopoli, quid? A. 573. b.
Oblatio Muneris sive ferti *spiritualis* quando fiat? B. 951. a.
Obligare in *spiritualibus* quid sit? B. 824. b.

Oblivisci alicujus ubi *Deus* dicitur quid signif.? B. 585. b.
Obsequium ex fide ortum est perfectissimum. B. 830. b.
Observationum Astronomicarum apud Babylonios *antiquitas.* B. 534. N.
Locus *Plinii* ea de re an sit *affectus*? Ibid.
Ut & Eusebii in *Chronico*? Ibid.
De Traditione *Porphyrii* apud Simplicium quid judicandum? Ibid.
Obsignatus Liber quid sit? B. 148. b.
Obstupescere quo sensu *Deo* tribuatur? B. 792. a.
Occidentales Populi circa tempus Proph. incipiebant *celebrari.* B. 373. a.
Occludere ostium post se & latitare quid sit? B. 73. b.
Occultatio faciei Dei magni species *judicii.* B. 762. a. 884. a.
Oculi & *Aures* spirituales quid sint? B. 209. a. 826. a.
Odorari timorem Domini quid sit stylo Scripturæ? A. 313. b. & seq.
Oeconomia Divinæ *Providentiæ* erga homines *singulares.* B. 713. b.
Oeconomia antiqua conformata erat ad Legem *charitatis.* B. 772. b.
Multo *magis* Oeconomia *Nova.* Ibid.
Ejus tempus fuit *luctæ* & *servitutis.* B. 352. a.
Cum tempore amittebat *splendorem* suum. B. 613. b.
Sensim interiit. Ibid.
Oeconomia servilis Filii Dei describitur. B. 421. a.
Oeconomia Ecclesiæ N. T. ejusque *prærogativæ* à Prophetis connectuntur cum Beneficio *Reditus* ex Exilio, & quare? B. 106. a.
A quo tota pendebat. B. 488. b.
Ejus *institutio* & dispositio est *paradoxa.* B. 372. a.
Et *tota* constat *paradoxis.* B. 878. b.
In ea tamen *summa* demonstratur Dei *Sapientia.* B. 372. a.
Status ejus est status *Lucis*, *Libertatis*, *Gaudii*, *&c.* B. 826. a. 828. b.
Ejus stabilitas & stabilitatis *fundamenta.* B. 952. a.
Hujus Σχῆμα *obscuratum* est cum tempore, sed *restitutum.* Ibid.
Offendicula viæ Populi Dei tempore Reformationis. B. 759. b. 760. a.
Officia duo quæ Deus in humanis maxime *remuneratur.* B. 772. b.
Oleæ strictura & *racemationibus post vindemiam* comparantur *reliquiæ* Populi Dei *afflicti.* B. 14. b. 15. a.
Olei proprietates quæ? A. 289. a.
Oleo diebus *latitiæ* caput *perungi* solebat. B. 303. a.
Non autem tempore *luctus.* B. 828. a.
Oleum enim est *latitiæ* signum. B. 303. a.
Emblema *donorum Sp. S.* A. 289. a.
Symbolum *æternitatis.* B. 303. a.
Oleum gaudii quid mystice significet? B. 828. a.
Oleum quomodo dicatur *corrumpere jugum?* A. 288. b.
Onias IV. Templum cum ara extruxit in *Ægypto.* A. 573. b.
Templum illud ubi situm? A. 582. N.
Quare conditum in loco *desolato*, & pleno animalibus *Soli sacris?* Ibid.
An *duo* fuerint Oniæ Templa in Ægypto, alterum prope *Alexandriam*, alterum in *Nomo Heliopolitano*? Ibid.
Ophel qualis locus fuerit in Urbe Hierosolyma? B. 219. b.
In illo clivo fuit Palatium *Regium superius.* Ibid.
Ophir qualis regio, & quid *aurum Ophir?* A. 407. b. & N.
Oppugnare & destruere *Judæos* ut *hostes* suos dicitur Deus, *puniens* refractarios. B. 125. b.
Ratio illius usus loquendi. Ibid.
Opus Gratiæ, quo Deus quem *format* in *Filium* suum. B. 453. a.
In illo quomodo differant *creare*, *formare* & *facere?* Ibid. b.
Opus manuum Dei quo sensu Judæi dicantur? B. 884. b.
Oracula vel *Divinationes* jactarunt *omnes* Populi. B. 415. b.
Quid de illis judicandum sit? Ibid. & 416. a. b.
Oracula captandi in antris ritus. B. 894. a.
Oraculi Delphici Responsum Crœso datum. B. 417. a.
De eo judicium. Ibid. b.
Oratio votiva quomodo *Deo* conveniat? B. 555. a.
Oratoria Christianorum in persecutione Diocletianea *destructa*, vastata. B. 592. a.
Postea *restituta*, & *ampliata.* Ibid. b.
Orbata filiis quomodo fuerit Ecclesia tempore persecutionis *Diocletianeæ?* B. 593. a. b.
Orbis & *Orbis terræ* de *Imperio Romano.* A. 320. N.
De Syria Judææ juncta. B. 10. b.
Orbitæ, *viæ*, *semitæ pedum* mystice quid sint? B. 784. b.
Orci anima & *Os* quid? A. 125. a. b.
Orientalium Populorum luxus in *vestibus.* B. 712. b.
In *Capite* decore *ornando* summum studium. B. 827. b.
Ornamentum capitis sola *ornatus* voce notatum. Ibid.
Quodnam apud Orientales fuerit? Ibid.
Quid mystice significet? B. 828. a.
Ornatus Ecclesiæ qua in re consistat? B. 696. b.
Orpheo quæ tribuuntur *carmina* sunt ποίημα hominis *Judæi.* B. 621. N. b.
An, & quomodo in illis Abraham dicatur μονογενής? Ibid.
Ortus Messiæ *humilis.* B. 663. a.
Orus vel *Horus* est *Sol* cultus ab *Ægyptiis.* A. 277. b.
Os Jehovæ locutum est, ubi Filius Dei in carnem venit. B. 360. a.
Osculari Deos quinam dicerentur? B. 596. b.
Num Veteres demissi in terram *pedes* eorum, quibus *reverentiam* habebant, *osculati* fuerint? Ibid.
Oscula quale genus olim locum habuerit in *cultu Deorum?* Ibid.
Quale admiserint superbi *Principes?* Ibid.
An Veteres *osculum* fixerint in *pedibus* simulacrorum? Ibid.
Osiris nomen unde? B. 506. b. 549. a.
Ex Theologia Physica *Solem* denotat. A. 549. a.
Osiris perditus & *inventus* quid mystice sign.? A. 518. b.
Osiris in Historia Mythica est *Chamus.* A. 548. b.
Osiridis & *Chami* characteres inter se *collati.* A. 549. a.
Ossa in *Corpore Ecclesiæ* quid mystice significent? B. 775. a. 939. a.
Ostium penetralium mentis *post se occludere* quid sit? B. 73. b.
Ova basilisci pro *profanis* mentis *conceptibus.* B. 783. b.
Oves & *agni* mystice qui dicti? A. 127. a. 330. b. B. 279. a.
Ourotalt quale *idolum* apud Herodot.? A. 463. b.

P.

Pabulum & *potus* spiritualis animæ in adversis. B. 211. b.
Palatium aliquando notat *Templum.* B. 219. a.
Regium superius in *Ophele*, inferius in culmine montis *Tsionis.* Ibid. b.
Pallia etiam gestabant apud Hebræos *Fœminæ* principes. B. 834. a.
Pallium laudis quid mystice figuret? B. 828. b.
Pangere fœdus alicui, cum ב, quid significet? B. 709. b.
Panis pauperum *coquendi modus* in Oriente. B. 537. a.
Panis in *mysticis* duplex aspectus. B. 707. a.
Panis & *aqua* spiritualis in afflictionibus. B. 211. b.
Papyrus Ægyptiaca quid? A. 458. b.
Quam *varium* habuerit *usum*? A. 559. a.
In *Parabolicis* nulla habetur ratio nisi *attributorum*, quæ in *tertio* ad *comparata* applicantur. B. 202. a.
Paradisi notio est *Perfecta.* B. 623. N.
Cur referatur ad omnia loca *amœnitate*, *fertilitate &c.* excellentia? Ibid.
Paradisus quo sensu dicatur *Ecclesia?* B. 622. a.
Paradoxa sub Oeconomia *Nova.* B. 878. b.
Paranis Montes. B. 431. b.
Paraphrasin Jonathanis sæpe esse *interpolatam*, ostenditur exemplo observatione digno. B. 53. N.
De *Paraphrasios confectæ ætate* unde formari possit præjudicium non absurdum? B. 39. b.
Paraphrastes Chaldæus emendatur. B. 146. b. 396. N.
Exponitur. B. 422. a. 598. N.
Notatur. B. 937. a.
Paraphraste Chaldæi verba: בירת רחלת עמיא בקרתא ירשלם quo respiciant? B. 33. a.
Verba memorabilia. B. 632. N. 680. a.
Pardi quorum emblema? A. 332. a.
Parere, sive *partum edere*, quid sit metaphorice? B. 65. a.
Parere vanitatem quid significet? B. 782. b.

Paronomasia Prophetæ frequentes. B. 18. a.
Participia pro Verbis *præsentis* vel *futuri* temporis. A. 283. a.
Parturire quid sit in metaphoricis? B. 65. a.
Pâs quale aurum? A. 407. a.
Pascha Judæis in emphasi dicebatur *Festum*. B. 190. b.
Pastinatio & *ablaqueatio Vineæ* quid? A. 119. a.
Pastinatio spiritualis quid? Ibid.
Pastoralis Dei *cura* erga suos. B. 367. a.
Pastorem se Deus demonstrat singulari modo sub *Oecon. N.* Ibid. b.
Pastores in *Ægypto* qui? A. 550. a.
Pastura spiritualis. B. 579. a. 581. b.
Pastus spiritualis in locis spatiosis quid sit? B. 183. a.
Pater Israëlitarum quo respectu dicatur Deus? B. 870. b. 884. b.
Pater Æternitatis, nomen Messiæ, quid? A. 249. b. seq.
Patres familias quare comparentur *rupi* ex qua *exciduntur lapides?* B. 620. b.
Pathros quænam terra? A. 349. b.
Pauli Apostoli Gentium *laus peculiaris*. B. 230. a.
Pauperes Christiani primi dicebantur, magis cum respectu ad *internum* quam externum eorum statum. B. 409. a.
Pauperes spiritu quinam dicantur? B. 824. a. 926. b.
Pauperes & *mansueti*, ubi de Populo Messiæ mentio est, ubique *confunduntur*. B. 824. a.
Notiones illæ in spiritualibus *eundem* exhibent sensum. Ibid.
Pax quid notet stylo Scripturæ S.? B. 938. b.
Credentibus *promissa* quid significet? B. 57. a.
Spiritualis describitur. B. 225. b.
Quomodo *commune bonum* sit omnis Oeconomiæ Ecclesiæ. Ibid.
Præsertim Oeconomiæ *Novæ*. Ibid. & 698. b.
Judæorum & *Gentium*. B. 226. a.
Effectum *justitiæ* Christi & nostræ *justificationis*. Ibid.
Ut & ea cum Sanctis in *Cœlo*, & tota natura rerum. Ibid.
Temporalis quam Ecclesia consequuta est tempore *Const. M.* Ibid. b.
Non obstantibus *turbis* caussa *Arianismi* excitatis. B. 227. a.
Quomodo *consequens* fuerit Spiritus Gratiæ & Justitiæ Christi? B. 226. b.
Pax instar fluvii quid significet? B. 553. b. 937. b.
Pacem cum Deo facere quid sit? B. 87. b.
Paxilli Ecclesiæ ut *tentorii* qui sint? B. 258. a.
Peccata ubique peccantes *comitantur*. B. 788. a.
A Deo hominibus vertuntur in *pœnam*. B. 111. b.
Quare comparentur *nubibus?* B. 487. b.
Eorum *agnitio* est actus *respiscentiæ*. B. 788. a.
Illa *abjicere post tergum* quid, & unde phrasis desumpta? B. 341. a.
Delere quid significet? B. 487. b.
Eorum *remissio perfecta* est attributum temporis *Gratiæ*. B. 353. a.
Patrum punire in *Filiis* pertinet ad justitiæ Divinæ *severitatem*. B. 899. b.
Peccatores stylo Script. S. quinam? B. 916. a.
Pecudum proventus olim *uberrimus* apud *Moabitas* & *Arabes*. A. 474. b.
Peda Pastoralia duo, quibus Deus Judæam Gentem administravit. B. 124. b.
Pedes Evangelizantium quid sibi velint? B. 647. a.
Eorum *decus*. Ibid.
Pedes & *gressus* quid stylo sacro significent? B. 776. a. 784. b.
Penetralia mentis quænam sint? B. 73. a. b.
In illa *intrare* quid sit? Ibid. b.
Pentecontarchus quid? A. 91. a.
Peratsim Mons. B. 125. a.
Baal Peratsim unde dictus? Ibid. b. & N.
Perfecti & *futuri* apud Hebræos frequens *permutatio*. B. 433. b.
Perfectio Christi Jesu κατὰ σάρκα. B. 569. b.
Quod ad *Dotes* & *Virtutes*. B. 610. a.
Perfidi & *prævaricatores* cur passim dicantur *Assyrii* & *Syri*? B. 16. b.
Persæ sævi & *crudeles* fuere. A. 410. b. 607. b.
Vocantur aliquando *Assyrii*. B. 94. a.
Persarum Nomen *recentius* quam *Elymæorum*. A. 607. b.
Religio propius accessit ad *Judaicam* quam *ulla* Gentium alia. B. 413. N. b. 495. b. N.
Judaicæ tamen non *æquiparanda*. B. 495. N.
Magi antiqui, *Zoroaster &c.* quædam hausisse videntur ex *Judæis*, in Persia & Media versatis. B. 413. N. 496. N.
A *cultu Solis* & *Ignis* Persæ non fuere immunes. B. 495. N. 496. N.
Veterum opinatio de *duobus Principiis: Bono* & *Malo*. B. 496. b.
Antiquitas illius sententiæ. Ibid.
Persecutiones, *fidei caussa* institutæ, in quas *angustias* homines redigant? B. 628. b.
Persecutores Ecclesiam deglutiunt instar *Belluæ*. B. 592. b.
Persecutorum Ecclesiæ, à Deo *prostratorum* cum *tota Domo* sua, vel maxima ejus parte, *specimina* aliqua. B. 381. a.
Interitus notabilis. B. 592. b.
Persepolis, Persici Imperii Metropolis, *incensa* est à *Mulieribus*. B. 94. a.
Persequi justitiam quid sit? B. 619. b.
Personarum mutatio in oratione non est insolens. A. 57. b.
Pervertere vias suas quid notet? B. 784. b.
Petra offendiculi & *Lapis offensionis* quo sensu, & quorum respectu Christus? A. 220. b.
Petra vox majorem in ea phrasi habet emphasin quam *Lapis*. Ibid.
Petra Metropolis Nabatæorum Arabum, qualis urbs, & ubi sita? A. 475. a. B. 431. a.
Ejus *notitia* ex Scriptoribus antiquis. A. 475. a.
Duæ urbes hujus nominis memorantur in Scriptura? Ibid.
Pharao nomen quid denotet? A. 549. a.
An occurrat in *Historia Ægyptia*? Ibid.
Pharao Necho qui? A. 551. b.
Quamdiu regnaverit? A. 545. a.
Pharao Hophra qui? A. 551. b.
Pharaonis interitus & *Copiarum* ipsius in *Mari Rubro* quid typice significaverit? B. 627. b.
Pharetra Dei est ejus *consilium*, quo definivit & circumscripsit illustres Ecclesiæ *Doctores*. B. 566. a.
Hanc Deus habet *sagittis* spiritualibus *instructam*. Ibid.
Pharisæi unde sic dicti, sive *vis nominis* quænam? B. 897. a.
Pharisæorum status genuinus aspectus, & *stuporis* eum comitantis tempore Christi & Apostolorum. B. 147. b.
Cæci ipsi alios quoque *excæcarunt*. Ibid.
Judicium Dei in illis conspiciendum. Ibid.
Vitia circa Traditiones. B. 150. a.
Pharisæorum doctrina erat *damnabilis*, & homines faciebat spiritualiter *ebrios*. B. 107. b.
Nulla magis erat *opposita* Doctrinæ *J. Christi*. Ibid.
Puerilis erat. B. 108. b. 109. b.
Præcepta Pharisaica erant *absque numero*. B. 110. b.
Quo pacto multiplicata sint? Ibid.
Pharisaismi commendabilis species. B. 107. b.
Eo invalescente magna *Doctorum* ejus Sectæ erat *copia*. B. 108. a.
Vera ejus *indoles*. B. 110. b.
Ortus & *progressus*. B. 113. a.
Vitium sectæ à prima origine sua non fuit *coævum*. Ibid.
Pharisaismus Deo summe *invisus*. B. 897. a.
In Secta Pontificia est *renatus*. B. 150. b.
Philippi II. imago pingitur ex Historia. B. 268. a.
Philistæi qui populi appellentur? A. 448. a.
Unde nomen habeant? A. 450. b.
Eorum *sedes* in *Canaanæa*. A. 448. a.
Quæ Regiminis forma? Ibid. b.
Unde *oriundi*? Ibid.
Quare vocentur Jeremiæ *reliquiæ insulæ Caphthor?* A. 449. a.
Vocantur stylo Scripturæ *Cretenses*. Ibid. b.
Quæ nominis ratio? Ibid.
Per *prolepsin* memorantur Mosi. A. 450. b.
Philistæos inter & *Judæos odium* acre, unde bella. A. 451. a.
Philistæorum res quomodo se habuerint *sub Davide* & *postea*? Ibid. b.
Philosophiæ studii apud Gentes *origo*. B. 707. b.
Varia Systemata magis *oberant salutis* quam proderant. B. 708. a.
Nulla fuerunt apta *saturare* animam famelicam. Ibid.
Philosophos Gentium quo in *statu* deprehenderit *Evangelium*? Ibid.

In

In *Philosophematibus profanis* vulgandis in terris Protestantium *luxuries*. B. 784. a.
Phosphorus quid? A. 435. a.
Pili capitis & pili pedum apud Prophetam quid designent? A. 195. a.
Quid *rasura* illorum *pilorum*? Ibid.
Pincernarum munus in Aulis Regum Orientalium fuit *antiquissimi* usus. B. 308. b.
Pinguia & Vinum Epuli spiritualis sub Oecon. N. quid præcipue significent? B. 42. b.
Pinguium esus ubique sumitur in bonam partem. B. 41. a.
Pipire magis quam loqui erat *Pythonum*, & *Manium*, eosque *evocantium*. B. 140. b.
Piscatores in Nilo quid allegorice significent? A. 562. a. b.
Piscatores quo sensu dicantur *Ministri Evangelii*? A. 562. b.
Piscina factitia apud Nehemiam qualis? A. 172. a.
Piscina vetus quæ? A. 645. b.
Videtur opus *Salomonis*. Ibid.
Piscinarum duarum ex fonte *Gihon* situs. A. 171. b. 172. a.
Placenta non conversa quo sensu dicatur Ephraim apud Hoseam? A. 268. a.
Plangere propter *ubera* quid sit? B. 218. a.
Planta adulterina est Doctrina *falsa*. A. 509. a.
Plantare Cœlos & fundare Terram quid sit mystice? B. 631. b. 632. b.
Plaustrum, sive plostellum Phœnicum *Varroni*, quomodo à *tribula* distinguendum? B. 130. a.
Plaustrum acuminatum, sive dentatum, describitur. B. 406. N.
Plaustro quo sensu comparentur *peccata*? A. 127. b.
Plausus Gentium comitatus est *Apostolos* & Præcones Verbi Divini. B. 717. b.
Quomodo tribuatur *Montibus*, collibus & arboribus? Ibid.
Plurale junctus *singulari* quam habeat emphasin? A. 483. a. B. 563. b.
Pluvia & pluviæ negatio quid mystice significent? A. 119. b. B. 716. b.
Inter pluviam & *Verbum* Dei *similitudo*. Ibid.
Poculum sæpe notat *mala* calamitatesque gravissimas. B. 636. a.
Poculum vertiginis quid sit? Ibid.
Pœnarum exemplarium duplex ratio. B. 669. a.
Poliorcetice à Veteribus minus curate fuit culta. B. 313. a. 319. a.
Pollutum labiis quo sensu se Propheta dicat? A. 156. a.
Pomum rubrum Persæ æque ac Turci appellant *Romam*. B. 281. N. b.
Eodem nomine etiam appellant *Constantinopolim*. Ibid.
De *Pomo Aureo* & *Turcorum fato* vaticinium memorabile conservatur inter Turcos. Ibid.
Populi Dei nomen Judæi nunquam spreverunt. B. 889. a.
Populus quo sensu dicantur *Discipuli Messiæ*? B. 625. 2. a.
Non esse populum, quid sibi velit phrasis? A. 178. b.
Populorum motus ex caussa Expeditionis *Cyri*. B. 398. b.
Portæ Hierosolymæ spiritualis. B. 697. b.
Portæ & Muri aliquando sumuntur pro ipsa *Urbe*. B. 816. a.
Portæ justitiæ stylo Scholæ Sanctorum sunt portæ Civitatis *veræ*. B. 56. a.
Eorum apertura quid notet? Ibid. b.
Portæ inferorum quid sint? B. 336. a.
Portare vasa Domini quinam dicantur mystice? B. 651. a.
Potentes Mundi in Ecclesia nasci debuerunt. B. 934. a.
Potentia Dei comitata Evangelium est *maxima*. B. 648. b.
Ejus *in Liberatione* Ecclesiæ demonstratio *varia*. B. 792. b.
Potentia & Sapientia Dei admirabilis conspicua in *toto* opere *Providentiæ*. B. 130. a.
Potestas Dei absoluta ab ipsa ejus *Natura limitatur*. B. 501. a.
Potiones & Libationes Diis factæ. B. 905. b.
Præcepta Pharisaica quo pacto *multiplicata* sint? B. 110. b.
Præcepta dare Exercitui cœlorum quid sit? B. 501. b.
Præcipitandi judicii vitium inter homines *commune*. B. 209. b.
Circa actiones *Providentiæ Divinæ* quomodo committatur? Ibid.
Frequens committebatur à *Judæis* tempore Prophetæ, & ad famam *Expeditionis Assyrii*. Ibid.
Præcones publici apud Græcos & Romanos. B. 355. a.
Alta & stentorea erant prædita *voce*. Ibid.
In Publicis conventibus conscendebant *suggestum*. Ibid. N.
Magistratus majores aliquem habebant *juxta tribunal*. Ibid.
Præconum publicorum *copia* post tempora *Reformationis*. B. 767. a.
Prædatio spiritualis quid sit? B. 680. b. 681. a.
Prædicere Christi est *efficere*. B. 827. b.
Prædictio Jacobi *Ussenii*. B. 799. b.
Præfecti Ecclesiæ cur dicantur *Custodes*? B. 842. b.
Speculatores? Ibid.
Eorum in orando pro salute Ecclesiæ primi temporis *assiduitas* & diligentia. B. 843. a.
Præfecturæ Ecclesiasticæ Status primis & sequioribus Sæculis. B. 740. a.
Præjudicium Vulgi de *Decretis Divinis*. B. 127. a.
Præjudicia Judæorum noxia de *via Salutis*. B. 357. b.
De *Statu Messiæ*. B. 664. a.
De ejus *Regno &c.* B. 715. a.
Præludia conversionis deserti in arvum frugiferum. B. 225. a.
Præputiati & impuri quales sint mystice? B. 641. a.
Præscientia futurorum Deo tribuenda, & *providentia executrix* circa consilia sua exequenda. B. 328. a.
Ea est inter *proprietates veri* Dei. B. 415. a.
Gentibus non *incognita*. Ibid.
Unde Veteres eam collegerint? Ibid.
Ejus caussa Dei *consilium*. B. 519. b.
Præsides Rom. Imp. in Apocalypsi proponuntur sub Emblemate *Draconis*. B. 82. b.
Horum in persequenda Ecclesia *idem character* est qui *Antiochi Epiphanis*. Ibid.
Persecutionem adversus Ecclesiam instituerunt *directe*, non oblique. Ibid.
Præstantia Operis *Evangelii*. B. 229. b.
Præstigiatores mystice qui dicantur? B. 748. a.
Preces omnes in *fide* fusæ *exaudiuntur*. B. 920. b.
Prehendere aliquem qua emphasi dicatur *Deus*? B. 401. b.
Pretium redemptionis quo sensu *Gens pro Gente* dicatur dari? B. 448. b.
Primitatem Dei non agnovit Philosophia *Gentium*. B. 397. b. & N.
Primitiæ an ad *Ferta* reduci queant? B. 950. a.
Primitiarum deferendarum Hierosolymam *Ritus*. B. 191. a.
Primogenitus Dei Filius quo sensu dicatur *Israël*? B. 870. b.
Primogeniti tenuium qui? A. 454. a.
Princeps pacis, nomen Messiæ, quid? A. 250. a.
Principes variis à Deo *prosternuntur* modis. B. 379. b.
Specimina exemplorum ex Historia. Ibid.
Etiam cum *tota Domo* sua. B. 381. a.
Eorum aliqua specimina. Ibid.
Inprimis *Tyrannorum & persecutorum* Ecclesiæ. Ibid.
Principum utriusque sexus *munificentia* erga Ecclesiam Sæc. IV. & seqq. B. 597. a.
Eorum erga Ecclesiam *reverentia*. Ibid.
Privilegia habitantium Montes *Tsionem* & *Moriam* spiritualiter accepta. B. 901. b.
Procella elegans emblema *confusionis* & conturbationis *subitæ in Republica*. A. 261. a.
Procerum quæ fuerit *auctoritas* sub *Hiskia*? B. 164. b.
Judæorum *pessimus* affectus in *Christianos*. B. 625. 2. b.
Procopii locus *restitutus*. B. 803. N.
Prodigia, quæ *fatum Hierosolymæ* præsignificarunt. B. 932. N.
Profanorum ratiocinia de *viis Dei*. B. 210. a.
Consilium *stultum*. B. 211. b.
Paratus quo utuntur in aliis seducendis. Ibid.
Profectus Ecclesiæ temporibus *Maccabaicis*. B. 88. b.
Ejus *supplementum* in Oecon. N. Ibid.
Ecclesiæ *egressæ* Babylonem spiritualem. Ibid.
Non absque *defectu*. Ibid.
Promissa Gratiæ in Prophetiis quomodo spectanda sint? B. 445. a.
Temporalia Judææ Genti facta terminantur in Oeconomia *Gratiæ*. B. 638. b.
Prophetæ aliquando vocantur *Angeli*. A. 152. b.
Quomodo fuerint *affecti* in Revelationibus sibi factis? A. 218. b.
Viderunt res *futuras* ut *præsentes*. A. 219. a.

Prænunciant fata Ecclesiæ *in his terris.* B. 4. b. 271. b.

Initia operis cum *complemento* connectunt. A. 272. b. 337. b. B. 222. a. b.

Viderunt disjuncta *proximiora*, quam ipsa rerum natura exhibentur. B. 34. b. 463. a.

Subinde *duas res* analogas, unam *literalem*, alteram *spiritualem*, in oculis habuerunt. B. 539. a.

Rem unam varie circumscribunt, ea sermonis elegantia, ut oratio semper *in majus* surgat. B. 33. b.

Utuntur *efficacissimis* figuris. A. 510. b.

Loquuntur *altisone*, & subinde ut videtur *hyperbolice*. B. 287. b.

Sæpe *comparate* intelligi volunt, quæ nos absolute accipimus. B. 185. a. 567. b.

Typica conformant ad *antitypica*. B. 68. a.

Cognatos sæpe eventus *una* involvunt Prophetia. B. 141. a.

Beneficia *corporalia* temporis *Maccabaici* censeri volunt complenda & *consummanda in spiritualibus* temporis *Messiæ*. B. 257. a. 451. b.

In imagine corporali *Maccabæorum* sæpe depingunt imaginem *Heroum spiritualium*, Apostolorum & Evangelistarum. B. 406. b.

Manifestationem *Regni Dei* connectunt cum *Liberatione ex Exilio* Babylonico. B. 463. a.

Fuerunt *signa & portenta:* multa agere debuerunt *paradoxa*. A. 597. a. Quænam ejus rei *caussa*? Ibid.

Scholas suas habuisse videntur in *Valle* Hierosolymitana. A. 636. a.

Nullus in inscriptione Vaticinii refertur ad ætatem *Manassis*. B. 181. a.

In casibus dubiis *consuli* solebant. B. 316. a.

Prophetarum verorum *Character*. B. 173. b.

Eorum παῤῥησία in *redarguendis* vitiis publicis. Ibid.

Stylus in Promissis *Gratiæ*. B. 222. a.

Querulus. B. 567. b.

In depingendo Ecclesiæ *Statu*. B. 581. a.

Loquentium de *Statu Reducum* ex Exilio. B. 638. b.

Consuetudo in describendo *Statu Ecclesiæ N. T.* B. 938. b.

Omnia prædicta *exacte* sunt *implenda*. B. 287. a.

Falsorum Character describitur. B. 173. b.

Prophetiæ multæ complectuntur *Oeconomiam* Status Populi Dei *post Reditum* ex Exilio, *perficiendam in Oecon. N. T.* B. 106. a.

Pleræque de *latis* & prosperis Judæorum rebus *impletæ* sunt tempore *Maccabæorum*. B. 185. a.

Respiciunt tamen simul *tempus Messiæ* ut complementum. Ibid.

Explicant Decreta Dei *absoluta*. B. 287. a. 819. a.

Earum *implementa* quomodo *quæri* debeant? B. 287. b.

Sæpe implementum consequuntur per *gradus*. Ibid.

Exemplo sunt illæ de *desolatione Hierosolymæ*. Ibid.

De beneficiis *corporalibus* implementum habent perfectum in *Spiritualibus*. Ibid.

Eas quomodo tractarint *Apostoli*? Ibid.

Prophetiarum omnium *generalis scopus* quis? A. Præf. 15.

Argumenta & objecta sunt *specialia*. B. 233. a.

In *Prophetiis digerendis* non semper servata temporum *series*. A. 33. b.

Quibusdam à Scribis Sacris non est præscriptus *titulus*. B. 8. a.

Prophetiæ donum sub N. T. in quo consistat? B. 474. a. b.

Propræcones primi Evangelii. B. 351. a.

Propugnacula Hierosolymæ spiritualis. B. 697. b.

Proselyti plures accessere ad Judæos tempore *Exilii Babylonici*. A. 427. a.

Et *Maccabæorum* prospero. B. 42. a.

Fuere inter *omnes* Gentes, ubi vixere *Judæi*. A. 427. b.

An Nomen suum inscripserint *matriculis*? B. 477. a.

Idem illis erat *jus* quod Hebræis. B. 728. a.

Juris illorum *restrictio* quod ad quædam privilegia. Ibid.

Proselytismi conspectus. Ibid.

De *Proselytis justitiæ* Talmudicorum *scitum*. B. 732. b.

Prosper rerum *successus* sub Joanne *Hyrcano*. B. 64. a.

Prosternendi se humi ritus à Judæis in *supplicationibus* usitatus. B. 320. a.

Protectio Divina frequens explicatur emblemate *avium expansis alis pullos* defendentium. B. 203. a.

Providentia Divina fuit *singularis* erga Ecclesiam *Primævam*. B. 581. a.

Providentiæ Divinæ ductibus arcanis ipse *peccator* subest. B. 190. b.

Omnia illi subjacent. B. 702. a.

De illa *fides multorum* tempore irruptionis *Senacheribi* videtur *vacillasse*. B. 209. a.

Psammitichi Regnum. A. 551. b.

Post ejus tempora *liquidior* est Historia *Ægypti*. Ibid. a.

Ptolemæorum studium erga *Judæos*. A. 583. a.

Ptolemæus Euergetes bene affectus erga veram *Religionem*. Ibid. a. b.

Pudendum Populi quando *revelari* dicatur? B. 525. b.

Pudor & *ignominia* Populi Dei *duplex*. B. 831. b.

Puer quo sensu dicatur *Dominus Jesus*? A. 247. a.

Puer parvus quorum emblema sustineat apud Jesaiam? A. 334. b.

Pueri lactentis respectum ad *Matrem* habuit Ecclesia primi temporis *ad Deum*. B. 588. a.

Pueri quo sensu Prophetæ dicantur *Apostoli* & *Discipuli* Christi? A. 224. b. & seq.

Aliquando dicuntur *rudes* & *imprudentes*. B. 916. a.

Pul sunt Phylæ, Urbs in limitibus Æthiopiæ. B. 947. b.

Pullus vox unde originem trahat? B. 587. N.

Puncta vocalia peregrina cur à Masorethis quibusdam vocibus sint substituta? B. 313. b.

Punire ad mensuram בסאסאה quid sit? B. 90. a.

Pyropi notitia. B. 696. a.

Pythones quinam olim dicti sint? B. 140. b.

Eorum erat *pipire* magis quam *loqui*. Ibid.

Q.

Quærere Jehovam quid sit? B. 620. a. 713. a. 767. b.

Quæri stylo S. Script. subinde est *inveniri*. B. 889. b.

Quæstus meretricius figurate pro *quæstu negotiationis*. A. 694. b.

Quercus honorabantur ab Idololatris. B. 751. a.

Quies animarum corporibus *solutarum* secundum Hebræos. B. 746. a.

Cum *quiete animæ Stoicorum* non confundenda. Ibid.

R.

Raab, vide *Rhahab*.

Radix & *Flos* quid metaphor.? A. 131. a.

Radix Isai quis? A. 340. a.

Radix Nachasch quid? A. 453. b.

Radices æque ac *Rami* designant *posteros*. A. 306. a.

Ramæ plures in Judæa: quænam apud Jesaiam intelligenda? A. 292. a.

Rami spectabiles, quorum emblema? A. 297. a.

Rebellio Populorum *vi subactorum*, non meretur *gravissimam* punitionem. B. 528. a.

Recentare vires quid? B. 387. b.

Recentem Deus suis semper subministrat *gratiam*. B. 388. a.

Respiscentiæ officium tempore Apostolorum quatenus *generatim* conveniat Judæis? B. 713. a.

Recordari & *non recordari peccatorum* ubi Deus dicitur, quam habeat emphasin? B. 469. a.

Rectitudo Dei moralis quid sit? B. 60. b.

Rectorum Populi Judæi *prava consilia*. B. 642. b.

Redemptio cur facta dicatur *absque argento*? Ibid.

Redemptionis spiritualis duplex aspectus, *Moralis* & *Physicus*. B. 648. b.

Redemptiones typicæ quæ? A. 56. b.

Cum *vera Redemptione* comparantur. Ibid.

Reductio servatorum Israëlis qua re constiterit? B. 571. b.

Esset *fructus* Ministerii Christi Jesu. Ibid.

Reducum ex Exilio Status *sensim corruptus*, maxime *Sacerdotum*. B. 12. a.

Status eorum erat valde *afflictus*. B. 181. a.

Gavisi tamen sunt copia *excellentium Doctorum* Ordinariorum. B. 181. b.

Reformatio Opus *magnum*. B. 759. b. 760. a.

Quod nondum est *perfectum*. B. 770. b.

Reformationis Auctoribus impacta *calumnia.* B. 769. a.
Refractarii in summa emphasi erant Ephraimitæ. B. 166. a.
Regem Ecclesiæ esse ante tempus Gratiæ pertinuit ad Oeconomiam *Patris.* B. 460. a.
Reges olim *plures uni* Genti præfuerunt. A. 545. b.
Reges Judæ Aulam præcipue habuerunt in *Ophele.* B. 220. a.
Reges Assyrii & alii Orientis Reges *Magni* dicti. A. 270. a.
Regum olim officium duplex, *Judicare* & Populo *præire in Bello.* A. 70. b.
Regnum Oeconomiæ Veteris ex institutione sua fuit *typicum.* B. 213. a.
Regnum Dei geminum, *Naturæ* & *Gratiæ.* A. 145. a.
Dei & *Christi.* B. 646. b.
Regni Dei manifestationis *initia* unde arcessenda *sint?* B. 463. b.
Glorioſa instauratio inter Judæos post reditum ex Exilio Babylonico *prædicta* est ab omnibus Prophetis. B. 24. a.
Proximo post Reditum ex Exilio *tempore* demonstrari *non* potest. Ibid.
Sed facta est temporibus *Maccabaicis.* Ibid. & 25. a. b. 254. b.
Quæ tamen ejus manifestatio, *typica* magis quam *vera*, mox *obscurata* rursus est. B. 24. a.
At *Typicum* illud Regnum commutatum tandem est cum *vero* & *Spirituali.* Ibid.
Regnum Messiæ. A. 313. a.
De eo *præjudicia* Judææ Gentis. A. 220. a. B. 715. a.
Est *Spirituale.* B. 363. b.
Non *destruit* Regna *civilia.* B. 407. a.
Ejus *manifestatio.* A. 220. a.
Quæ fieri oportebat in *Judæa.* B. 488. b.
De ea quando Prophetæ loquuntur, phrasibus suis passim alludunt ad *res* & gesta *Maccabæorum.* B. 24. b.
Regni Christi *vis* in demonstratione & persuasione *rationali.* A. 70. a, 317. b.
Duplex aspectus, mere *spiritualis* vel *externus.* B. 213. a.
Effectum inter alia est *debellatio* Potestatum *Romani Imperii.* Ibid.
Adjuncta: Illuminatio subditorum ejus. Ibid. b.
Considerata *attentio* animi ad *Doctrinam* & *Leges* ejus. Ibid.
Prudens moderamen *judicii* in *discernendis* viis Dei. Ibid.
Convictio publica *Impiorum* ac profani ingenii hominum. B. 214. a.
Character est Regnare *in justitia.* B. 213. a.
Principes quinam sint sensu *spirituali?* Ibid.
Quinam *Oeconomice?* Ibid. b.
Regna Mundi qua σχέσει opposita sint Regno *Filii Dei?* B. 407. a.
Quo sensu dicantur *Montes Dei?* B. 583. a.
Regna Nihili quid sint? A. 271. a. b.
Regna & *Imperia* passim *iisdem nominibus* oriuntur & occidunt. A. 501. b.
Relativa sæpe *longius* absunt à suis *subjectis.* B. 156. a.
Religio vera est mentis *pabulum.* B. 485. b.
Falsa nullum dat animæ pabulum. B. 486. a.
Et est *abnegatio Dei.* Ibid.
Falsarum in Mundo *Origo.* B. 707. b.
Vitiata tota composita est ad delectationem *Carnis.* B. 769. a.
Religionem Judaicam Gentes traducebant ut *novam.* B. 457. a.
Victarum Gentium Principes Victores antiquitus *suo* reliquerunt *loco.* B. 321. b.
Religiones Gentium magis oberant saluti quam proderant. B. 708. a.
Reliquiæ Israëlis quinam sint stylo Prophetico? A. 278. b.
Remissio peccatorum perfecta cum eorum *expiatione* est attributum temporis *Gratiæ.* B. 353. a. 469. a. 487. b.
Proleptica prima facta est cum *Reditu* ex Exilio Bab. B. 469. a. 487. a.
Renunciatio solennis *alterius* Fœderis facta in *Baptismo.* B. 478. a.
Rephaim dicuntur *fato functi.* A. 433. a. B. 70. b.
Simul est nomen *Gentilitium*, & significat *magnæ staturæ* homines. A. 433. a.
Ratio illius genuina. Ibid. b.
Vallis Rephaim qualis & ubi sita? A. 504. a.
Repudium Judæorum non est referendum ad *totum* Populum. B. 604. a.
Nec *obest spei* conversionis eorum. Ibid.
Ejus *typi* in Historia. Ibid.
Res quid notet *Latinis?* B. 130. b. N.
Reseph Urbs ubi sita? B. 319. a.
Referare Librum Decretorum Divinorum & *Prophetiarum* quid sit? B. 148. b.
Respicere Dei ad aliquem stylo Sacro quid sit? B. 926. b.
Respondere cur aliquando idem valeat quod *testari?* B. 788. a.
Resurrectio gemina stylo Scr. S. nota, *Vera* & *Figurata.* B. 67. b.
Hæc rursus est duplex, vel *singulorum* Credentium, vel *totius Corporis* Ecclesiæ. Ibid.
Revelatio Gloriæ Jehovæ quid significet? B. 359. a.
Reverentia Jehovæ quid? A. 311. b. B. 614. a.
Rex Christus *antonomastice* sic dictus. B. 213. a.
Rex Babylonis novæ quis? B. 756. b.
Rezon quo sensu fuerit *Adversarius* Salomonis? A. 498. b.
Rhahab nomen *Ægypti inferioris.* B. 171. a. 627. a.
Quæ *ratio* nominis? B. 171. a.
Rhampsiniti nomen idem quod *Rhamsis.* A. 549. a.
Rimmon quale Idolum? A. 174. b.
Rivi Ægypti quid? A. 558. b.
Rivi & *fluenta aquarum* in omnibus *Montibus* & collibus, quid mystice significent? B. 184. a.
Robur Dei, quod *apprehendere* potest homo *miser*, quid sit, & in quo consistat? B. 87. a. b. 511. b.
Robur Fidei & *Spei* qua re consistat? B. 402. b.
Status Gratiæ. B. 640. a.
Robustus quo sensu dicatur *Satanas?* B. 365. b.
Roma comparatur cum Urbe à *Caino* extructa. B. 281. a.
Præstat vim nominis *Bostra.* Ibid. b.
Quomodo à Persis & Turcis sit appellata? Ibid. N. b.
Fudit *sanguinem* Christi Jesu & Confessorum Veritatis. B. 281. a.
Incendio interitura. B. 94. b.
Pagana quomodo *subierit* hoc judicium. Ibid.
Romæ apostaticæ duplex aspectus. B. 197. a.
Persecutricis Sanctorum, comparatæ cum Regno *Syriaco*, verus aspectus. B. 281. b.
Adulteræ comparatio propior cum prisco *Idumæorum* Populo. B. 282. a.
Romæ & *Italiæ clades* tractu plurium annorum. B. 284. a.
Aspectus *hoc* tempore. Ibid. b.
Romana Ecclesia *adultera magis persequuta* est veram quam *Roma Vetus.* B. 813. a.
Romanæ Ecclesiæ antiquitus *æqua sors* cum aliis. B. 819. b.
Illi posterioris temporis applicare prophetias de *Hierosolyma spirituali*, absurdum est. Ibid.
Romani post Maccabaica tempora Deum Israëlis publice honorarunt. B. 37. b.
Romanum Imperium quo sensu in Apocalypsi vocetur *Ægyptus?* A. 530. a.
Hebræi illud quoque vocarunt *Edom*, & *Græcum*, & *Persicum.* B. 684. N.
Quare mystice appelletur *Edom?* B. 280. b. 281. a. b.
Judæorum rationes *falsæ*, absurdæ, ridiculæ. B. 281. N.
Rectores hujus Imperii veniunt sub Emblemate *Equitis* insidentis *Equo rufo.* B. 281. a.
Draco illi præsidens vocatur *Draco magnus rufus.* Ibid.
Comparatio illius Imperii cum aliis Mundi, quæ *persequuta* sunt Ecclesiam. Ibid. b.
Ros Dei quid sit? B. 70. b.
Quare dicatur *ros olerum?* B. 71. a.
Rupes cur Deus appelletur? B. 58. b. 481. b.
Sæculorum quo sensu? B. 59. a.
Quomodo dicatur esse *in Jah Jehova?* B. 58. a. b.
Quo sensu sit Abraham in Oeconomia Gratiæ? B. 621. a.

S.

Sabaconis Regnum. A. 551. a.
Sabæa & *Sabæorum* notitia. B. 807. a.
Sabæi incolæ Arabiæ Felicis. B. 319. b.
Eo nomine venire possunt *quatuor* Gentes. B. 449. a.
Per ב sunt posteri *Sebæ*, *Cuscho* geniti. Ibid.
Eorum *sedes* antiqua. Ibid.
Per ע *Joktane* orti, qui sedem habuerunt in *Carmania.* Ibid.
Sabbathum. De eo præceptum erat *paradoxum.* B. 726. b.
Eaque de causa *typicum.* Ibid.
Ejus *substantia.* Ibid.
Quomodo illi involvatur Cultus Dei? B. 727. a.

Cur *Decalogo* insertum sit, & ab aliis Ritualibus *distinguatur*? B. 727. b.
Sabbathum cur dicatur *dies sanctus*? B. 776. b.
Quomodo *honoretur*? B. 777. b.
Cujus rei *signum* fuerit? B. 726. b.
Respectus ejus ad *Creationem* Mundi. Ibid.
Ad Liberationem *ex Ægypto*. Ibid.
Ad futuram *Redemptionem & Sanctificationem*. Ibid.
Ad Liberationem Ecclesiæ *à jugo Legis*. B. 727. a.
Sabbathum observare, etiam sub *Oeconomia N.*, quid sit? Ibid. & 778. a.
Sabbathi spiritualis dies semper durat. B. 778. a.
Saccari quid sit Latinis veteribus? B. 41. a.
Saccatæ faces quid sibi velint? Ibid.
Saccus vel *Cilicium* quid apud Hebræos? A. 467. & seq. & 595. b. B. 217. a.
Adhibebatur tempore *luctus* aut *pœnitentiæ*. A. 595. b. B. 217. a.
Qui ritus Gentilibus *non ignotus*. Ibid.
Apud Hebræos etiam fuit signum *muneris* Prophetici. A. 595. b.
In Prophetis fuit signum *severioris* vitæ, oppositæ *Luxui* sæculari. A. 596. a.
An eorum *inferior* an *exterior* vestis fuerit *pilosa*, an *utraque*? Ibid.
Saccum exuens Jesaias an se *plane* nudaverit? Ibid.
Sacerdotes, כהנים qui proprie dicantur? B. 830. b. 835. a.
Eorum *Privilegium*. B. 835. a.
Præsertim *sub N. T.* Ibid.
Crimina, quæ tempore Antiochi Epiphanis gravissimum provocarunt Dei *Judicium*. B. 12. a.
Quo sensu dicantur *Ministri Evangelii*? B. 951. b.
Illius tituli usus in prima Ecclesia erat *innocuus*. Ibid.
Ejus *abusus* inter Christianos consequenti tempore. Ibid.
Sacerdotum spiritualium contemplatio. B. 830. b.
Sacerdotium Ministrorum Evangelii cum *spirituali* communi omnium *Credentium* non pugnat. B. 951. b.
Sacrificare & se lustrare in hortis quid sit mystice? B. 895. b.
In *Montibus & collibus* superstitio *antiqua*. B. 898. b.
Unde *Originem* habeat? B. 899. a.
Sacrificium חטאת *pro Peccato* in quibus differat ab אשם *pro Delicto*? B. 678. N.
Ea subinde inter se permiscentur. Ibid. b.
Sacrificii propitiatorii species in Legibus Mosaicis vere *distincti* fuerunt generis. B. 678. a.
Ferti sive *Minchæ* proprietates collatæ cum *oblatione Gentium*. B. 951. a.
Sacrificia זבחים, absolute sumpta, quid sint? B. 733. b.
Ubi contradistinguuntur עולות *Holocaustis*, notant *Eucharistica*. B. 466. a.
Piacularia longe *infrequentius* offerebantur quam Sacrificia *aliarum* specierum. B. 467. a.
Nec censebantur Deum *delectare*. Ibid.
Sacrificia justitiæ quid sint Hebræis? B. 733. a.
Sacrificiis non delectari quo sensu dicatur Deus? A. 45. b.
Sadducæorum errores *crassissimi*. B. 107. b.
Sæculi XII idea ex Carmine Jambico Gulielmi Malmesburiensis. B. 749. a. N.
XIII ex Literis Germani, Archiepisc. Constantinop. ad Gregorium IX. Ibid. b.
XIV & XV. ex Chronico Citizensi. Ibid.
Sævitia major, & *acrior persecutio* defectricis Ecclesiæ, quam *Paganorum antiqui temporis*. B. 755. b.
Ejus *exemplum* singulare. B. 756. a.
Sagittæ quo sensu comparetur *Doctrina Messiæ*? B. 565. b.
Quando hæc sagitta *educta* sit ex *pharetra*? B. 566. a.
Sal quid mystice significet? B. 951. a.
Salicum proprietas. B. 475. a.
Quorum illæ *symbola* sint? Ibid.
Salmanassar nomen unde, & quid significet? B. 308. a.
Salvari IN Jehova quam habeat emphasin? B. 505. b.
Salvatio vera. B. 456. a.
Salvatorem nullum alium ac *Deum* Ecclesia omnis temporis sibi proposuit. B. 49. a.
Samaria, deinceps ab Herode Rege instaurata *Sebaste*, quomodo *sita* fuerit? B. 102. b.
Cur dicatur *Corona fastosa*. Ibid.
Et *Flos marcidus*? Ibid.
Sanatio quid notet stylo Sanctorum? A. 162. a. 575. b. B. 670. a.
Sanctus aliquando Deus dicitur propter *excellentiam* & sublimitatem *naturæ*. B. 382. a.
Sanctus Israëlis quo sensu appelletur Deus? A. 40. a. B. 323. a.
Sancti qui? A. 104. b.
Sanctorum titulus competit *Christianis*. B. 300. a.
Sanctitas Dei quid? A. 151. b.
Sanctitas & Spiritualitas character Ecclesiæ *Apostolicæ*. A. 105. a.
Sanctitatis Divinæ appellatio *trina* apud Jesaiam, quid sibi velit? A. 152. a.
Sanctificare Deum quid? A. 216. b.
Sanctificare Nomen Dei quid sit *primo*, & quid *altiore* sensu? B. 159. a.
Sanctificatio Dei quid sit stylo Scripturæ? A. 126. b.
Sanctificationis beneficium quam *late* se extendat? B. 726. b.
In *Sanctuarium* fore Ecclesiæ quomodo dicatur Deus? A. 219. a.
Sanguinis effusio cur comparetur *calcationi uvarum* in torculari? B. 851. b.
Sanguinis oblatio num Judæis *vetita*? B. 928. a.
Sanguinem non audire quid? B. 250. b.
Sanguines quid metaphorice signif. & unde metaph. sit desumpta? A. 104. a.
Sapientes, ubi contradistinguuntur *Divinis*, quinam? B. 490. b.
Sapientia quæ dicta sit Veteribus? A. 566. b.
Quomodo culta à Populis *Orientalibus*? A. 310. a.
Gemina est, altera virtus *intellectus*, altera *judicii*. B. 200. a.
Ægyptiorum celebris *qualis* & *in quo* constiterit? Ibid.
Gentium non fuit apta *saturare animam* famelicam. B. 708. a.
Sapientia & Potentia Dei admirabilis conspicua in toto Opere *Providentiæ*. B. 130. a. 200. a.
Sapientia, *Scientia*, *Timor Domini*, in Schola Sanctorum *æquivalent*. B. 241. b.
Sapientiæ principium quomodo sit *Timor Dei*? Ibid.
In *Sapientia & Scientia* consistit omnis vera *Felicitas*. B. 242. a. b.
Sapor, Rex Persarum, *Valerianum indignissime* habuit. B. 638. a.
Sapphirus lapidis pretiosi genus quale? B. 695. a.
Sara sustinuit typum Ecclesiæ *Patriarchalis*. B. 685. a.
Sara & Hagaris, & *Ismaëlis* ac *Isaaci* mysterium. B. 686. a.
Sara spiritualis juventutis pudor. B. 687. b.
Tempus *probri & viduitatis* quodnam? Ibid.
Saraceni unde dicti? A. 588. b.
Saracenorum nomen quam *late* sumatur posterioribus Historicis? Ibid.
Sarcastica locutiones in Scr. S. non infrequenter *Deo* tribuuntur. B. 534. b.
Sardanapalus, an ejus nomen & historia illustrari queat ex *Assarhaddonis* historia? A. 394. b.
Sardanapali plures memorantur in Historia. A. 394. N.
Sargon non est *Senacheribus*. A. 591. a.
Nec *Assarhaddon*. A. 594. a.
Sed *Salmanassar*. A. 456. b. 594. b.
Ejus *nominis* interpretatio. A. 595. a.
Sarona qualis Regio, & ubi sita? B. 153. a. 245. a. 901. b.
Satanas unde nomen habeat? B. 599. a.
Quot modis à Christo D. sit *victus*? B. 366. a.
An ultimo tempore occupaturus sit homines carnales, *pulveri & terræ* addictos? B. 921. b.
Sata omnia insignem exhibent perfectissimi *ingenii* Creatoris Universi *lusum*. B. 129. b.
Satio quid mystice significet? B. 132. b. 133. a.
Facta in *Agro Judæo* post constitutam à Davide Rempublicam. B. 133. a.
Et post reditum Populi ex Exilio. Ibid.
Saturare vel *non saturare* hominem sensu mystico quid posse censeatur? B. 707. b.
Satyros fuisse in rerum natura, an ex oratione Prophetæ colligi queat? A. 414. a.
De illis hypothesis Veterum. Ibid.
Vulgo ferebantur *saltare*. Ibid.
Antiqua de eis opinio *unde*, an ab *Ægyptiis*? Ibid.
An *Demones* hac *forma* vere hominibus *apparuerint*? Ibid.
Unde hausta hæc *traditio*? Ibid.
Saxa à Gentibus culta cujus generis? B. 753. a.
Scabellum pedum Dei quid sit? B. 812. b.

An recte ita dici possit *Arca Fœderis*? Ibid.
Scabies & *lepra spiritualis* quid? A. 120. b.
Scandala Doctorum Judæorum circa Tempus *apparitionis* Filii Dei. B. 645. a.
Herodis & Sectatorum ejus. Ibid.
Sceba Regina, & *sedes* Regni ejus. B. 807. a.
Scelera ad tempus *tecta* & palliata Divina Justitia *reteguntur*. B. 74. a.
Schear-Jaschub nomen *perperam* acceptum à Vett. Intt. A. 172. a.
Ejus quænam *vera* interpretatio? Ibid. b.
Scientia fato *functorum*. B. 871. a.
Veterum de ea sensus. Ibid.
Schola Prophetarum videntur fuisse in *Valle* Hierosolymitana. A. 636. a.
Comparantur *fontibus Vallium*. Ibid.
Scoria comparantur *Profani*, *Impii*, *Idololatræ*. A. 54. a.
Scortatio spiritualis quæ sit? B. 754. b.
Scriba officium cujus fuerit generis in *Aulis* Veterum? B. 309. b.
Scriba, *Ponderator* & *Recensitor turrium* quinam sint? B. 254. a.
Scribendi genus *varium* fuit apud Veteres. B. 171. b.
Duplex modus obtinuit tempore *Prophetæ*. Ibid.
Artis *antiquitas*. B. 172. a.
Scribere manu sua olim etiam in contractibus *cum Deo* ineundis in usu fuit. B. 477. a.
Scriptio in libro Vitæ quid? A. 105. a.
Scripturæ S. legendæ & interpretandæ medium an *neglexerit* Christus Jesus? B. 610. b.
Sebna quis & qualis Vir? A. 650. b.
Remotus ab officio, translatus in *Assyriam*. A. 659. a.
Sustinuit figuram *Procerum Judæorum*. Ibid. b.
Securitas Judæorum ante irruptionem Assyrii *unde* nata? B. 215. a.
Sedecim & quinque quare à Propheta dictum pro *unum & viginti*? A. 178. b.
Sedentes vocantur *Reges* & *Principes*. A. 273. b.
Sedentes coram Domino quinam dicantur? A. 695. a.
Sedere Regis in solio quid notet? A. 145. b.
Sedere solebant veteres Orientis Populi in *sellis*, non *humi*. B. 524. b.
Sedere humi, *in pulvere*, erat *ingentium*. Ibid.
Sedere apud sepulchra quid sit sensu spirituali? B. 896. a.
Seir, quando ἐλλειπῶς est *Montanum Seir*, qualis sit tractus, & unde nomen? A. 618. b.
Quo sensu Deus ad montem Sinai apparuisse dicatur *ex Seir*? A. 616. b.
Sela Urbs quæ, & cur à Persis sic dicta? B. 431. b.
Seleuci Nicatoris Imperium origine fuit *Babylonium* & *Assyrium*. A. 364. b.
Inter omnia, quæ ex Alexandrino nata sunt, fuit *maximum*. Ibid. & B. 10. b.
Semen & *Propagines Ecclesiæ* quænam sint? B. 474. b.
Seminis spiritualis conditio sub *Lege*. B. 689. b.
Aspectus tempore *apparitionis* Filii Dei. B. 690. a.
Semiramis an *Nini conjux*? A. 384. b.
An multo *recentior* quam vulgaris traditio habet. Ibid.
An *plures Semiramides* fuerint? Ibid.
Semita pedum quid sint mystice? B. 784. b.
Semitas restituere ad habitandum quid mystice valeat? B. 775. b.
Senacheribus nomen unde, & quid significet? B. 308. a.
Quis fuerit *qualisque* Princeps? B. 307. a.
An ab Herodoto recte appellari potuerit *Arabum Rex*? Ibid. b.
Ejus *Historia*. A. 593. b.
Expeditio. A. 285. a. 551. a.
Expeditionis illius in Judæam *tempus*. B. 307. a.
Quo sensu dicere potuerit, se *a Jehova missum*? B. 312. b.
Judæos tractavit ut *servos*. A. 284. b.
An *Congressus* sit cum *Taracone*? B. 330. b.
Ejus *clades*. A. 244. a.
Cujus generis? B. 331. a. & N.
Exempla *similia*. Ibid. b. N.
Ejus *plaga* comparatur cum *Midianitarum* & *Ægyptiorum* plaga. A. 287. a. b.
Fuit magnum opus *Potentiæ* & *Justitiæ* Divinæ. A. 275. b.
An caussam habuerit *pestem*? A. 276. b. B. 331. a. & N.
Prostratus est in tractu Urbis *Occidue*. B. 194. N.
Memoria ejus cladis conservata a ud *Herodotum*. B. 331. a. N.
Sensus Verbi Prophetici, ubi diverti sunt, admitti possunt omnes, qui vel *inter se conveniunt*, vel qui conveniunt in *subjecto*. B. 113. b.
Sentes & *Vepres* vocantur *copiæ Assyrii*, & quare? A. 276. a. b.
Symbola *improborum*. A. 258. a. B. 86. b.
Sepharvaima an fuerit *Sipphara* Ptolemæi in *Mesopotamia*? B. 314. b.
Probabile est fuisse Urbem *Syro-Phœnicia*. B. 315. a.
Sepire rupturam quid mystice valeat? B. 775. b.
Sepulchra Veterum fuere in *rupibus* excisis. A. 651. b.
Speciem habuere *Ædicularum*. A. 438. a. 651. b.
Honestiora habebantur quæ in *altum* extructa. A. 652. a.
In *Sepulchra Majorum non inferri*, dedecori magno olim erat. A. 438. a.
Septuaginta Intt. versionem sæpe *sequi* solent Apostoli, etiam in locis, ubi *dissidet* multum *ab Hebr*. A. 224. a.
Circa illam in Libris N. T. allegatam quæ *libertas* concedi queat? B. 823. a.
In illa Versione sæpe exhibita diversa *interpretamenta* in *unum* conflata. A. 245. a.
Lectio nova distinctione juvatur. A. 85. b. 190. b.
Notatur. A. 127. a. 162. b. 194. b. 204. b. 222. b. 244. b. 245. a. 256. a. 261. b. 313. b. 347. b. 691. b. B. 25. b. 43. a. 109. b. N. 121. a. 802. a. 875. N. 917. b. 918. b.
Emendatur. A. 125. b. 162. a. 188. b. 189. b. 197. b. 199. b. 269. b. 232. b. B. 396. N. 414. b. 816. a. 828. a. 849. b. & N.
Seraphim qua *specie* Visi Jesaiæ? A. 148. a.
An *duo*, an *plures*? Ibid.
Eorum *actio*. Ibid. b.
Quid *significent* in Viso Jesaiæ? A. 149. a. & 152. b.
Cur obversati sint Prophetæ ut *consistentes supra Thronum* & *alis* instructi? A. 150. a.
Eorum ἀνθιφωνία quid sibi velit? A. 153. b.
Serere de *plantis*. A. 509. a.
Serere ad omnes aquas quid sit mystice? B. 228. b. 229. a.
Serpens rectus נחש ברית an sit species *balanæ*, Græcis Σύγαινα *Zugæna*? B. 78. a.
Est *Crocodilus*. Ibid.
Cur ita appelletur? Ibid.
An recte dici queat *impetuosus*? Ibid.
Serpens tortuosus est Draco. B. 78. b.
Mystice quid sit? B. 79. a.
De eo *sententiæ* aliquæ tam Judæorum quam Christianorum. B. 80. a. b.
Earumque *Examen*. B. 81. a. b.
Serpentes an per naturam vescantur *pulvere*? B. 921. a.
Servare hominem summa Dei *gloria* est. B. 456. a.
Servare judicium sive *jus* quid sit? B. 724. b.
Servus quis proprie dicatur? B. 421. a.
Servi sunt *duplicis* generis. Ibid.
Servus Dei, *à Deo electus*, quo sensu dicantur Jacobidæ? B. 400. a. 402. a. 437. a.
Servi Dei appellatio *variis* applicatur *Subjectis*. B. 420. a.
Quo sensu usurpetur de *Messia*? B. 421. a.
Servilis Oeconomia Filii Dei describitur. Ibid.
Servitus Christi Jesu qua re constitat? B. 566. b.
Servitus Legalis Populi Dei. B. 642. a.
Sesostris an idem cum *Sisaka*? A. 541. a.
Qui Rex, & quando vixerit? A. 550. a. b.
Reges & Dynastas *victos* insolenter & *indignissime* habuit. B. 638. b.
Sethonis Regnum. A. 551. a.
Sevechus Manethonis idem est qui *Sao* in Historia Sacra, & Herodoti *Setho*. B. 318. a.
Sevene qualis locus, an *Pelusium*? A. 350. a.
Shittim lignum, ex quo construendum erat Tabernaculum, cujus fuerit generis? B. 410. a.
Sibma quæ Urbs, & ubi sita? A. 488. b.
Sidon unde dicta? A. 668. b.
Ejus *antiquior* in S. S. mentio quam *Tyri*. A. 669. a.
Sidonii Canaane orti. Ibid.
Mercatores quo sensu dicantur *replere Insulas*? A. 675. b.

Thus in Sacrificio *Ferti* mystice quid significet? B. 951. a.
Thus aut *oleum addere* Sacrificiis *piacularibus*, si à pauperibus ex farina offerrentur, *cur* fuerit *vetitum?* B. 467. a.
Timor Dei quomodo sapientiam & cognitionem *præcedat*, ejusque sit *principium?* B. 241. b.
Timor & *gaudium* quomodo *concurrere* possint? B. 806. a.
Tirhaka Cuschæorum Regis notitia ex *Manethone*, qui conciliatur *Herodoto*. B. 317. a. seqq.
Cur Rex Assyriæ eum *metuerit?* B. 318. b.
Tobal & *Tobalis filius* quis? A. 174. b.
Toga laudis quid sit? B. 828. a. b.
Quid *mystice* significet? Ibid. b.
Topazius quid, & ubi reperiatur? A. 587. b.
Topazus insula ubi, & in quorum *potestate?* Ibid.
Tophet quis olim dictus sit locus? B. 193. b.
Unde nomen? Ibid.
Judæorum de eo *traditio*, quæ non admittitur. Ibid.
In hoc loco Reges Idololatræ Sacra fecerunt *Molecho*. Ibid.
Traditionalium præceptulorum *ingens* erat numerus. B. 110. b.
Traditiones Judaicæ quo sint habendæ *loco?* B. 280. N.
Exiguum sæpe earum est pretium. B. 659. a.
An valeant ad Judæorum *conversionem?* Ibid.
Transeunti à Mundo ad *Deum*, & à Paganismo ad *Christianismum*, *magnum* faciendum est *iter*. B. 949. b.
Transitus Gentium ad *Christum* quo sensu dici queat *commodus?* Ibid.
Translationes Gentium antiquitus usu *receptæ*. B. 314. b.
Trepidare ad Verbum Dei quid sit? B. 926. b.
Tribula ferrea cujus *structuræ* & *usus* fuerit? B. 129. b. 406. N.
Tribulæ acuminatæ ac *ferratæ* quo respectu comparetur Ecclesia *Apostolica*. B. 407. a. b.
Tribus Israëlis aliquando sunt *Electi* ex illis tribubus. B. 571. b.
Triremium, *Liburnicarum*, *Onerariarum* & *scapharum* differentia. B. 259. b.
Tristis Ecclesiæ *aspectus* tempore *Antiochi Epiphanis*. B. 69. b.
Tritura quid mystice significet? B. 50. a. 133. b.
Varii ejus modi apud Veteres *recepti*. B. 129. b.
Judaicæ *spiritualis varia* tempora. B. 133. b. 134. a.
Differentia ejus circa tempus Exilii *Babylonici* & *Romani*. B. 134. a.
Prophetæ, & *filius areæ ejus* mystice quinam? A. 615. a.
Triumpharunt veri Judæi de *Romanis*, dum ipsi de *falsis*. B. 145. b.
Tsedek an olim dicta Hierosolyma? A. 52. b.
Tsion nomen unde? B. 208. b.
Mons describitur. B. 219. b.
Ejus *habitatrix* apud Prophetam est *verus* Dei Populus. A. 284. a.
Ex eo *egressus Legis* Divinæ. A. 68. b.
Quo sensu dicatur *Evangelizatrix?* B. 364. a.
Mystice contradistinguitur *Monti Sinai*. A. 69. b.
Quare eo nomine appelletur *Ecclesia Christi?* B. 301. b. 585. b.
Tsion, *Jacob*, *Israël* mystice sæpe idem valent, suntque nomina Ecclesiæ *electorum* Dei. B. 384. b.
Tsoan est Urbs celebris *Ægypti* inferioris, *Tanis*. B. 168. a.
Tsoara Urbs ubi sita? A. 470. a.
Tunicæ Orientalium non *strictæ*, sed *laxiores* fuere & *talares*. A. 655. a.
Turbinibus Austrinis comparatur *Vastator*. A. 604. & seq.
Turris in *Vinea* quid, & cujus rei symbolum? A. 114. b.
Turris Gregis Ubi? B. 220. a.
Per eam Reges in *Solennibus* videntur *ingressi* esse in Urbem *Hieros.* Ibid.
Turres olim habuere *Valla castrensia* æque ac *Oppida*. B. 140. b.
Turres & *Muri* quomodo mystice sumantur? A. 83. a.
Turrium recensitor est *Dialecticus*, & *Disputator*. B. 254. b.
Tympana minora, ut alia Musicæ instrumenta, tractabantur à *fœminis*. B. 193. a.
Majora, in usum bellicum parata, sunt *recentioris* originis. Ibid. b.
Typi res corporales *non* sunt rerum *corporalium* analogarum, sed *spiritualium*. B. 740. a.
In *Typicis* non omnes circumstantiæ trahendæ ad *mysterium*. A. 157. b. B. 539. b.
Sed attendendum solummodo ad *attributa* Subjectorum *illustriora*, emphatice expressa. B. 539. b.
Tyranni & *persecutores* Ecclesiæ sæpe à Deo *deleti* sunt cum *tota Domo* sua. B. 381. a.
Impune non delinquunt. B. 532. b.
Tyrannis Ecclesiæ *adulteræ*. B. 750. a. & N.
Tyrus de qua Jesaias & Ezechiel vaticinati sunt, an sit *Insularis*, an *Antiqua?* A. 664. a. b. & seqq.
Vetus sive Παλαίτυρος ubi sita? A. 664. b.
An habuerit *portum* & *suburbia?* A. 667. a.
An tempore *Alexandri* adhuc *superfuerit?* A. 665. a.
Insularis ubi, & qualis Urbs? A. 664. a.
Utraque in *rupe*, vel *rupibus* circumdata. A. 665. a.
Unde postea dicta *Sarra*. Ibid.
Insularis forte olim fuit *navale* Tyri *Veteris*. A. 667. b.
Et tanquam *pars* ejus censita à Prophetis. Ibid. a.
Antiquitatem ei nimiam tribuit *Herodotus*. A. 669. a.
Ejus *origines*. Ibid. b.
Non potest esse recentior ætate *Davidis*. A. 671. b.
Forte aucta ab *Hiramo*. Ibid. a.
Ejus *Colonia* per *Orbem*. A. 671. a. 679. a.
Forma Regiminis *Regia*. A. 669. b. & seqq.
Ejus & *Carthaginis* Politiarum *similitudo*. A. 670. a.
Status *Religionis* & Sacrorum. Ibid.
Quare *Coronatrix* dicta? A. 679. b. 680. a.
Quo tempore *obsessa* & *expugnata?* A. 701. b. & 702. a.
Mystica est *Roma*. A. 705. & seqq.
Ejus comparatio cum *Roma* sive *Romana Ecclesia*. A. 706. b. & seqq.
Tyrii Sidoniis recentiores. A. 669. a.
Orti à Sidoniis. A. 668. b.
Coluerunt *Herculem*, qui in S. S. vocatur *Baal*. A. 670. a.
Fluvius, & *aquæductus*, qui *Tyriis* aquam subministrabant. A. 668. a.

V.

Valere in Statu *Spirituali* quid sit? B. 266. a.
Vallis Achor ubi? B. 902. a.
Unde sic dicta? Ibid.
Filii Hinnom ubi sita? B. 193. b.
In hac valle Reges Idololatræ sacra fecerunt *Molecho*. Ibid.
Rephaim qualis, & ubi? A. 504. a.
Visionis mystice vocatur *Hierosolyma*. A. 635. a.
Valles Judææ *fertiles* & optimæ. A. 642. b.
Profundæ, quas perluunt torrentes profundi, quorum oræ læves, in *Syria* & *Phœnicia*. B. 753. a.
Quando mystice dicantur *attolli?* B. 358. b.
Vanitatis proprium. B. 345. b.
Vas purum quo adferebatur *Fertum* quid mystice? B. 951. a.
Vastatio stylo Scripturæ S. quid sit? B. 636. b.
Vastatio Canaanæa tempore Antiochi Epiphanis fuit *universalis*. B. 245. a.
Vastatorum Orbis *exempla*, eorumque *discrimen*. B. 235. b.
Vates vox unde? A. 487. a.
Vaticinationes Gentium omnes an *dolo* administratæ sint? B. 416. a.
Vaticinium Nebucadnezaris de *Cyro* ex Abydeno. Ibid. b.
Quod plane videtur esse *fictum*. B. 417. a. b.
Unde desumpta sit fictionis *materia?* Ibid. b.
Uber vel *Ubera* quo sensu adscribantur Ecclesiæ? B. 936. b.
Ea *sugere* quid? Ibid.
Velum navis quid mystice significet? B. 264. a.
Velum expandere quid? B. 265. a.
Venire, *emere*, *edere* in spiritualibus sunt actus Fidei *distincti*. B. 706. b.
Ventus Jehovæ pro *vi Spiritus S.* conjuncta cum *Verbo* Evangelii. B. 363. a.
Ventum parere quid sit? B. 65. a.
Verbena quid fuerit apud Veteres? B. 106. b.
Verbum quo sensu stylo Propher. dici queat *videri?* A. 63. a.
Quo sensu dicatur *mitti* & *cadere?* A. 253. b.
Et *Cadere in terram?* Ibid.

Unde Metaphoræ illæ ſint deſumptæ? Ibid.
Verbum Dei quid ſit Paraphraſtæ Chaldæo Jeſ. XLII. 1.? B. 422. a.
Dei noſtri dicitur *Evangelium*. B. 363. a.
Quare ſic appelletur? Ibid.
Cui *Verbo* contradiſtinguatur? Ibid.
Quare illud & quo ſenſu dicatur *in æternum ſubſiſtere?* Ibid.
Jehovæ antonomaſtice & in emphaſi ſic dictum quodnam? A. 69. a.
Gratiæ eſt Doctrina *refrigerii*, quæ *quietem* dat *laſſo*. B. 111. a.
Propheticum qualem *affectum*, & quale *ſtudium*, in Lectore requirat? B. 286. b. 288. b.
De ejus *interpretandi* ratione admonitio. B. 917. a.
Verba prateriti temporis ſubinde de *futuro* explicanda. A. 92. b.
Verbalia nomina *caſum Verbi* ſui regunt. B. 150. a.
Veritas quo ſenſu dicatur *Doctrina Meſſiæ*? B. 425. a.
Veritas & *Religio vera* quomodo ſint *pabulum* mentis? B. 485. b.
Vermis nomine cur veniant *primi Credentes?* B. 404. b.
Verſio Syriaca emendata. B. 895. a.
Verſionem Alexandrinam, licet minus accuratam, Apoſtoli potuerunt *ſequi* abſque *vitio*. B. 121. b.
Veſta non dicitur ab Ἑστία *Focus*, ſed ab ὑω *Ignis*. B. 249. N.
Veſtis exterior Credentium in Statu *Gratiæ*. B. 834. b.
Veſtis emblema quid in Symbolicis ſignificet? B. 145. b. B. 591. b.
Veſtes Veteribus erant diſtinctæ pro *Statu* & *Dignitate* cujuſque. A. 655. a.
Ornatiſſimæ quid ſint myſtice? B. 640. b.
Veſtium extremis *oris* aliquid *involvere* mos erat Veterum. B. 180. b.
Veterum Judæorum mos in interpretandis *Prophetiis*. B. 658. a.
Vexillum quare erigi in *Montibus* ſoleret? A. 133. a.
Vexilli erectio cum *clangore tubæ* jungi ſolet. A. 522. a.
Via hominis quid ſit ſtylo Scripturæ? B. 713. b.
Subinde notat cujuſque hominis *ſtatum* & *eventus* Vitæ. B. 60. a. 384. a.
Senſu myſtico quid ſit? B. 298. b. 299. a. 759. b. 784. b.
Sancta quid? B. 299. a. b.
In deſerto? B. 463. b.
Eam *aggerare* quid ſit? B. 759. b. 846. a.
Munire? B. 759. b.
Via vel *ſemita*, quo ſenſu dicatur *animus* hominis? B. 357. a.
Eam *Parare Jehovæ* quid ſit? B. 356. b.
Quænam requirantur in animo, qui ut *via* Deum recepturus ſit? B. 357. a.
Illam viam *rectam facere* quid ſit? Ibid. b.
Via Populi quid? A. 94. a.
Quomodo dicatur *abſorberi* à Doctoribus? Ibid.
Viæ Dei quo ſenſu ſumantur? B. 788. a.
Directe *oppoſitæ* ſunt cogitationibus *Carnis*. B. 716. a.
Erga *juſtos* in ipſis *afflictionibus* ipſorum ſunt *rectæ*. B. 60. b.
Iis *delectari* quid ſit? B. 768. a.
Vias publicas *parandi* ad adventum Regis vel Exercitus mos antiquus. B. 354. b.
Suas ſibi pervertere quid ſit? B. 784. b.
Videns & *Cernens* ראה & חזה, ubi mentio eſt Prophetarum, an & *quantum* ſignificatione *differant*? B. 174. a.
Videre pro *delectari*, vel videre cum voluptate. B. 250. b.
Subinde idem valet quod *ſentire*. B. 336. a.
Ratio locutionis. Ibid.
Videre alicujus faciem quid ſit? B. 114. b.
Deum? B. 252. b.
Regem in pulchritudine ſua? Ibid.
Videre & *audire* quid ſit *Spiritualiter*? B. 437. b.
Vidua ſolitaria fuit Eccleſia tempore *perſecutionis Diocletianeæ*. B. 593. a. b.
Viduæ, *Derelictæ*, *Deſolatæ* ſpeciem quando Eccleſia habeat? B. 840. a.
Vincire homines quo ſenſu Deus dicatur? B. 126. b.
Vinciri & *conſtringi* in cauſſa *Religionis* quid ſit? B. 504. b.
Et quidem *manicis*? Ibid.
Vinciri Spiritu quid? Ibid.
Vinctus in clauſtro quomodo fuerit populus Judæus? B. 429. a.
Vincti & *Captivi* myſtice quinam ſint? B. 578. b.
Vindicatio Abrahami è Gente *Idololatrica*. B. 156. a.
Cujus rei *typus* fuerit? Ibid. b.
Vindicta quo ſenſu *Deo* tribuatur? B. 278. b.
De *hoſtibus* ſumpta quomodo Eccleſiæ ſit materia *gaudii*? B. 522. b.
Vinea emblema *Populi Judæi*. A. 112. a.
Eam inter & *Populum Judæum* quæ ſimilitudo? A. 120. a.
Quo reſpectu dicatur *Eccleſia*? B. 831. a.
Vinea vini ferventis & rubentis cujus rei emblema ſit? B. 84. a.
Quomodo à Deo *curetur*? Ibid. b.
Irrigetur? B. 85. a.
Vineæ ſepes quid myſtice ſignificet? A. 113. b. & ſeq.
Vineas plantare quid ſit ſenſu ſpirituali? B. 919. b.
Vinum antiquitus quomodo *aſſervatum*? A. 488. a.
Illi aqua *miſceri* ſolebat. B. 41. a.
Epuli *Spiritualis* ſub *Oecon. N.* quid præcipue ſignificet? B. 42. b. 706. a.
Vinum & *Sicera* quid notent in ſpiritualibus? B. 108. a.
Vinum, *Ebrietas*, & ex ea *ſopor*, quid ſignificent? B. 635. b.
Virga humeri eſt *Jugum*. A. 239. a.
Iræ Dei quo ſenſu dicatur *Aſſyrius Rex*? A. 266. b.
Percutiens Philiſtæos quid ſit? A. 451. b.
Virginibus cur comparentur *Societates* & *Respublicæ*? B. 322. b. 524. a.
Virgineus pudor cujus rei emblema ſit in *Populo*? B. 524. a.
Virtus Divina mirabilis; quæ *comitata* eſt *Apoſtolos* & Credentes primi temporis. B. 389. a. b.
Viſio Dei eſt vel *contemplativa*, vel *ſenſualis*. B. 336. a.
Viſio Jeſaiæ *phantaſtica*. A. 141. b.
Realis vel *verbalis*. A. 27. a.
Viſionis duplex ſpecies, altera quæ *dormientibus*, altera quæ *vigilantibus* obtingit. Ibid.
Viſitare Deus dicitur homines *variis modis*. B. 22. a.
Viſitationis Dies, quid ſtylo Prophet. & unde metaphora? A. 261. a.
Vita Populi Dei duplex, *civilis & ſpiritualis*. A. 58. a.
Chriſti *publica*. B. 567. a.
Vitæ Æternæ ſpem habuerunt Veteres. B. 336. b.
Melioris ſpes non extinguit inſtinctum naturalem *conſervandi compoſiti*. Ibid.
Temporalis *amor* quatenus ſit *juſtus*? B. 341. a. b.
Vituli quid myſtice ſignificent? A. 331. a.
Vivificare animam quid ſit? B. 760. b.
VIVO EGO, formula juris jurandi Divini, quid notet? B. 509. b. 591. b.
Ululare de quibus dicatur apud Prophetas? A. 467. b.
Quid ſit myſtice? B. 644. b.
Umbra ſymbolum *conſolationis*. A. 478. a.
Umbræ Solis *reductæ* in gradibus Achaſi miraculum qua in re conſtiterit? B. 334. b.
Umbræ mortuorum creditæ *majore* vivis apparere ſpecie. A. 433. b.
Unctio Meſſiæ quid ſignificet? B. 823. b.
Reſpectu *Divinæ* & *Humanæ* Naturæ. Ibid.
Poſterior explicatur. B. 824. a.
Inferebat *communicationem Sp. S.* Ibid.
Unus cur dictus ſit Abrahamus? B. 621. a.
Epitheton non convenit *ſoli* Abrahamo. Ibid. b.
Unus & *duo*, numeri omnium minimi, quid ſignificent? A. 197. b.
Vocatio ſubinde idem valet quod *Electio*. B. 563. b.
Evangelica quænam, & cur ſic dicta? B. 711. b.
Ejus *neceſſitas* σχέσει ad Salutem. Ibid.
Ad communionem Dei eorum eſt qui longe *abſunt*. B. 949. b.
Vocationis Abrahami *finis*. B. 433. b.
Vocari nomen alicujus *ſuper* aliquem quid? A. 102. a.
Volumina Veterum membranacea qua ratione fuerint *confecta*? B. 172. a.
Et in quem uſum? Ibid.
In illis jam ab antiquo tempore uſus *atramenti* vel ſimilis liquoris obtinuit. Ibid.
Votiva oratio, ubi *Deo* tribuitur, quid ſignificet? B. 555. a.
Vox à tergo quid ſit, & unde metaphora ſit deſumpta? B. 180. b.
Vox Dei quomodo ſumatur ſtylo Scripturæ Sacræ? B. 238. b.
Urbs Davidis quæ? A. 644. b.
Urbs Sancta ſola dicta eſt Hieroſolyma, & quare? B. 885. a.

Cur

Cur *Urbes* Sanctæ in *plurali*? Ibid.
Urim & *Thummim* in *Pontifice* quid? A. 342. a.
Ursi qualium Populorum emblema. A. 332. a.
Vulnus, *Vibex* & *Plaga sanioſa*; quomodo differant? A. 41. a.
Uxor Chriſti Eccleſia cur dicatur *Sponſa*? B. 688. a.
Uxores à *Maritis* olim denominabantur. A. 102. a.

X.

Xenophontis Hiſtoriæ de *Cyro Majore* quæ *fides*? A. 417. a.
Non præſtat ea *accuratam* rerum Cyri narrationem. Ibid. b.
Deſideratur in ea notitia *temporis* & aliarum circumſtantiarum. Ibid.
Reges *Aſſyriæ* non appellat ſuis nominibus. Ibid.
Quædam etiám in ea occurrunt *dubiæ* fidei. Ibid.
Alia admixta habet multa ex ingenio Scriptoris. Ibid.
Hypotheſis tamen ejus *vero* conſona videtur. A. 418. a.
Nihil enim habet abſurdi & paradoxi. Ibid.
Et Exacte reſpondet S. Scripturæ. Ibid. b.
Viri Eruditi recentioris temporis qui hiſtoriam ejus admittunt. Ibid.
Xenophontis fides in genere paſſim à Veteribus laudatur. Ibid.

Z.

Zabulonis & *Naphthali* tribuum *ſortes* quomodo *diſtincta*, & ubi *ſitæ* fuerint? A. 234. a.
Zelus Jehovæ quid? A. 251. b.
Communis cauſſa eſt omnium *effectorum* Providentiæ Divinæ erga *Eccleſiam*. Ibid.
Effecta *Liberationis Eccleſiæ* per *Filium Dei* ad aliam cauſſam referri nequeunt. Ibid.
Zoroaſter quando vixerit? B. 496. b.
De *Natura Divina* ſane ſenſit. Ibid.
Zugæna, Gr. Ζύγαινα, piſcis genus ignotius. B. 78. a.
An ſit נחש ברית *Serpens rectus*? Ibid.

FINIS.

EMENDANDA.

TOM. I.

In ipſius Commentarii Contextu.

Pag. 174. a. lin. 16. pro *ſigna* lege *ligna*. p. 212. a. lin. 6. a fine, pro *eſſe*, *eſſet*. p. 223. a. l. 30. *antecedentem*. p. 239. l. 7. a fine, *prudentes*. p. 519. l. 29. pro κυρίαι, κατρίαι. p. 540. l. 29. a fine, dele *ipſi*. p. 546. a. l. 37. Πίρωμι. p. 552. a. l. 20. *Palæſtina*. p. 559. b. l. 13. a. fine, *fluctuant*. p. 583. b. l. 29. ματαιοπονίαν. p. 584. b. l. 20. a. fine, κατωλιγωρικόσι. Ibid. ἄντικρυς. p. 604. a. l. 23. *inſtar*. p. 614. b. l. 9. *pependiſſe*. p. 624. b. l. 23. διείλητται. p. 670. l. 12. a. fine, *ob* pro *ab*. p. 702. b. l. 8. *quo anno*.

In Margine.

Pag. 384. b. pro 25. lege 15. p. 598. b. *quo ſenſu* pro *quod ſenſu*.

TOM. II. In Textu.

Pag. 11. a. lin. 4. lege תורות. p. 92. a. l. 40. *b* pro *a*. & *c* pro *b*. l. 41. *d* pro *c*. l. 43. *e* pro *d*. l. 47. *f* pro *e*. p. 93. b. l. 1. *abligurierint*. p. 96. a. lin. penult. *Job*. XXIX. p. 105. b. l. 8. a fine, *Patrum*. p. 106. l. ult. 1 *Par*. XVI. p. 112. a. l. 28. a fine, poſt *doctrinam* deeſt *traderent*. Ibid. l. 10. a fine, *ſana* pro *ſane*. p. 120. b. l. 41. *Prov*. XXX. 24. p. 122. b. l. 5. a fine, poſt *tranſibit* adde *interdiu & noctu*. p. 143. l. 31. *Moderatioribus*. p. 152. a. l. 40. *dic* pro *die*. Ibid. b. l. 28. *d* pro *e*. p. 153. l. 7. a fine, *k* pro *b*. p. 158. l. penult. מעש. p. 221. b. l. 11. a fine, ὕψως. p. 223. l. 41. *Nehemiæ*. p. 225. a. l. 12. a fine, *V. T.* pro *N. T*. p. 226. a. l. 20. *Cap*. LIV. 13. Ibid. b. *ii* pro *ki*. l. 25. *k* pro *l*. p. 228. b. l. 10. *arationem*. p. 232. l. 10. poſt *complectitur*. α. *Enarrationem magnæ calamitatis à vaſtatore inductæ in terram Populi Dei*. *verſ*. 7. 8. 9. Ibid. l. 11. β pro α & ſic porro. l. 13. *verſ*. 10. 11. 12. p. 255. b. l. 9. נטע. p. 282. l. 33. *avem* pro *ovem*. p. 285. b. l. 13. deleatur litera *c*. p. 303. a. l. 19. μετὰ. Ibid. b. l. 10. ישנו *ſc*. אותם *eos*. ונסו ינן ואנחרה. p. 325. a. l. 13. a fine, *eum*. p. 333. b. l. 18. a fine, *Jeſaias* pro *Hiskias*. p. 335. l. 18. a fine, *abſolves*. p. 343. b. l. 13. a fine, excidit litera *i*. lin. ult. *k* pro *i*. p. 344. b. l. 8. a fine, נכתרה pro נבהרה. p. 357. a. l. 40. deleatur litera *b*. p. 359. b. l. 12. *tectum* pro *apertum*. p. 362. a. l. 15. *Rom*. IV. 1. p. 387. b. l. 14. a fine, *Job*. XXXIX. 29. p. 396. a. l. 27. *Jer*. L. 9. p. 404. a. l. 6. a fine, *vexoi*. p. 436. a. l. 24. a fine, *ſenſim*. p. 470. b. l. 40. *populo*. p. 474. b. l. 34. *Cap*. XXIX. 22. p. 488. a. l. 24. *Jer*. XXXI. 11. p. 496. l. 2. *id* pro *ad*. p. 505. a. l. 24. a fine, *periret*. p. 516. b. l. 14. *exiſtimatio*. p. 520. a. l. 7. a fine, σκληροκάρδιοι. p. 523. a. l. 16. a fine, *non puniendum ſed probandum*. p. 531. a. l. 2. *duritiem*. p. 565. a. l. 3. *vox* pro *vos*. p. 574. b. l. 1. *Ei* pro *Et*. p. 583. b. l. 29. *Euſebius Cæſarienſis*. p. 616. b. l. 11. poſt *patent* deeſt litera *c*. Ibid. l. 14. a fine, *d* pro *c*. l. 13. a fine, *e* pro *d* & *f* pro *e*. p. 619. b. l. 23. *habiti*. p. 623. a. l. 8. *Populo*. p. 627. l. 32. pro *Ægyptus antiqua* & ſeqq. lege *Populus Dei in Ægypto antiqua vi detentus in ſervitute*. p. 629. b. l. 21. *Dic* pro *Die*. p. 631. a. l. 15. a fine, *Pſ*. LXV. 8. Ibid. b. l. 28. *Pſ*. XCI. 1. p. 638. b. l. 8. a fine, poſt *Deinceps* deeſt litera *k*. l. 4. *l* pro *k*. l. ult. *m* pro *l*. p. 639. a. l. 20. a fine, ἀποκαραδοκίαν. p. 656. a. l. 15. *Tit*. II. 14. p. 686. b. l. 14. *Mich*. v. 2. p. 687. b. l. 40. *Hoſ*. II. 14. p. 690. a. l. 17. עזובה & עצובה. p. 691. b. l. 18. a fine, RECEDANT. p. 692. a. l. 9. a fine, excidit litera *d*. Ibid. b. l. 20. a fine, lege *Orbem*. p. 697. a. l. 2. *Pſ*. XLV. 14. Ibid. b. l. 11. *Apollo* pro *Aquila*. p. 699. b. l. 31. a fine, *eſſe* pro *eſt*. p. 706. a. l. 40. *vænum*. p. 720. a. l. 10. *explicando*. p. 729. b. l. 7. a fine, ובארץ p. 730. b. l. 14. a fine, *vocis*. p. 739. a. l. 10. a fine, *Undecimi*. p. 750. b. l. 7. *Vertere*. Ibid. l. 35. *Apoſtaticam* pro *Apoſtolicam*. p. 751. a. l. 17. *b* pro *e*. Ibid. l. 18. *c* pro *f*. p. 788. a. l. 8. *Pſ*. XC. 8. p. 793. b. l. 25. a fine, *Chlamidi*. p. 796. b. l. 3. a fine, *pendere* pro *perdere*. p. 813. a. l. 6. a fine, excidit litera *b*. p. 814. b. l. 43. pro *as argento* lege *argentum ære*. p. 815. a. l. 9. *officii*. p. 823. b. l. 19. a fine, *anſam* pro *errorem*. p. 828. b. l. 34. *anxium*. p. 832. a. l. 16. pro *ſuper capita illorum* lege *illis*. p. 838. a. l. 40. *Pſ*. XCVII. 6. Ibid. l. 22. a fine, προσευχῶ. p. 839. a. l. 26. a fine, *verſ*. 12. pro *verſ*. 5. p. 845. a. l. ult. *commeaturas*. p. 847. a. l. 25. Ζητεῖν. p. 850. b. l. 25. לחושיע. p. 856. a. l. 22. a fine, *m* pro *n*. p. 864. b. l. 13. *Sancto ut Paracleto*. p. 868. a. l. 15. מדבר. Ibid. l. 22. a fine, תניתנו. p. 882. a. l. 38. *Montanus*. p. 889. a. l. 38. *Chriſtianos*. Ibid. b. l. 30. *Ezech*. XIV. 7. p. 891. b. l. 10. *Gentem*. p. 911. a. l. 32. a fine, *Pſ*. XXII. 28. Ibid. b. l. 27. *eſtque*. p. 914. b. l. 20. *ea* pro *te*. p. 916. b. l. 2. poſt *ruditate* excidit litera *k*. Ibid. l. 41. lege *l* pro *k*. l. 45. *m* pro *l*. p. 921. b. l. 45. poſt *Eccleſiæ* deeſt litera *g*. lin. 47. lege *b* pro *g*. p. 829. b. l. 21. לי pro בי. p. 935. a. l. 17. a fine, *incipiam*. p. 949. b. l. 20. a fine, deeſt litera *h* poſt *rationali*. Ibid. l. 13. a fine, lege *i* pro *h*. p. 954. b. l. 6. *dubio*.

In Locis Script. S. Contextui Subjectis.

Pag. 10. b. pro *Cap.* 1. 61. lege *Cap.* 1. 64. 65. p. 24. a. *Matth.* XIX. 28. p. 56 a. *Evang.* I. 9. p. 67. a. *Apoc.* XIV. 13. p 77. b. *Job.* XL. 20. *ſeqq.* p. 107. a. 2 *Sam.* XI. p. 121. a. *Matth.* III. 17. p. 126. b. 2 *Chron.* XXXVI. Ibid. *Act.* II. 13. p. 152. a. *Rom.* IX. 20. Ibid. b. *Act.* XXIII. 3. p. 169. a. *Dan.* XI. p. 183. a. *Cap.* III. 18. p. 201. a. *Cap.* XL. 4. p. 207. b. *Deut.* XVIII. 18. p. 216. a. *Exod.* XIII. 10. Ibid. *Lev.* XXV. 29. p. 219. b. *Cap.* XXXIX. 10. p. 226. b. deleatur *l.* p. 241. a. *Cap* XII. 10. p. 245. a. *Act.* IX. 35. p. 247. a. *Cap.* IX. 10. p. 251. b. *Cap.* IX. 6. p. 259. b. *Exod.* VIII. 5. p. 281. b. *Cap.* XVIII. 24. p. 286. b. VII. 52. p. 306. b. 2 *Reg.* XIV. 7. p. 319. a. 2 *Chron.* XXXII. 10. 11. p. 339. b. *Cap.* LXIII. 9. p. 340. a. *Pſ.* CXIX. 25. Ibid. b. *Cap.* XXXIX. 7. p. 343. a. 2 *Reg.* XXV. 27. p. 355. a. *Matth.* III. 1. 5. p. 358. a. *Luc.* VI. 25. p. 359. b. *Mal.* III. 1. 5. pro *Luc.* III. 23. p. 366. a. *Rom.* XVI. 20. p. 367. b. *Mich.* VII. 14. p. 379. b. *Dan.* II. 21. p. 402. a. *Pſ.* LXV. 5. Ibid. b. *Pſ.* XXVII. 14. p. 421. a. *Jer.* VII. 25. Ibid. *Pſ.* XL. 8. Ibid. b. *Matth.* XII. 18. p. 427. a. *Gen.* I. 6. p. 429. b. 2 *Tim.* II. 26. p. 431. a. *Gen.* XXV. 16. p. 446. *e* pro *c.* p. 451. b. *Marc.* XIII. 27. Ibid. *Matth.* XXIV. 31. p. 467. a. *Pſ.* XXXVI. 9. p. 471. b. 2 *Reg.* II. 12. p. 478. b. *Act.* XI. 26. p. 499. a. *Pſ.* LXXXV. p. 505. a. *Pſ.* XCVII. 2. p. 514. a. *Exod.* XXXV. 11. p. 517. a. *Pſ.* CXLIX. 2. p. 524. b. *Jer.* XIII. p. 530. a. *Dan.* IV. 30. p. 545. a. *Cap.* III. 7. p. 548. b. *Zach.* III. 2. p. 555. a. *Deut.* V. 29. p. 564. *Pſ.* LXXIII. 9. LIX. 13. p. 567. 1 *Cor.* XV. p. 574. b. *Jac.* II. 5. pro *Joh.* II. 5. p. 575. *Joh.* XV. 18. p. 576. *Act.* XIII. 12. p. 577. a. *Job.* XI. 42. p. 586. b. *Cap.* XXXV. 2. p. 588. b. *Cap.* XL. 12. p. 599. *Apoc.* XII. 9. p. 604. b. *verſ.* 15. pro *verſ.* 7. p. 606. a. *Joh.* XI. 48. p. 627. b. *Rom.* IX. 1. 2. p. 610. *Pſ.* XLV. 3. p. 614. *Luc.* XII. 32. p. 619. b 1 *Tim.* VI. 11. p. 620. b. *Deut.* XXV. 9. p. 638. b. *l. verſ.* 16. *m. Cap.* II. 19. p. 640. *Eph.* VI. 10. p. 642. *Gal.* V. 1. p. 645. b. *verſ.* 28. pro *verſ* 24. p. 646. b. *Matth.* IV. 33. p. 651. a. *Act.* IX. 15. p. 666. b. 2 *Cor.* V. 21. p. 669. a. poſt *d* excidit *Rom.* III. 25. p. 670. b. *Rom.* III. 12. pro II. 10. p. 675. b. *Matth.* XXVII. 57. p. 689. a. *Pſ.* XCVIII. pro XLVIII. p. 708. *Matth.* XXIII. 23. p. 710. b. *Luc.* XXI. 4. Ibid. *Lib.* I. *Diſſ.* III. p. 713. b. *Pſ.* XXXII. 6. p. 733. *Act.* XIII. 2. p. 737. b. *Deut.* XXXIII. pro XXII. p. 750. b. *Gen.* XXX. 38. 39. p. 751. a. pro *b Deut.* XVI. 21. *c Cl. Spenc.* lege *b Cl. Spenc. c. Deut.* XVI. 21. p. 753. a. *Pſ.* LXXIII. 18. Ibid. b. *Prov.* I. 26. p. 760. b. *Pſ.* CXLV. pro CXLIV. Ibid. *Cap.* III. Ibid. *Pſ.* XXXIV. pro XXXI. p. 768. a. pro *Pſ.* LXI. 2. LIX. 35. lege CXI. 2. CXIX. 35. p. 774. a. 2 *Cor.* IX. p. 775. a. *Job.* XL. 28. p. 778. a. *Pſ.* CXVIII. pro LXVIII. Ibid. b. *Job.* XXII. 26. p. 782. b. *Pſ* XIV. 3. Ibid. *Rom.* III. 9, 10. p. 789. b. *Pſ.* XCV. 10. p. 803. a. CXII. 4. pro LXII. 3. p. 808. a. *Exod.* XXVIII. pro XXXIII. p. 813. b. *Cap.* LXVI. pro CXVI. p. 818. a. *Eph.* II. 10. Ibid b. *Gen.* XXIV. 60. 1 *Cron.* IV. 27. p. 828. b. 1 *Tim.* II. 9. p. 833. a. *Jer.* XXXI. 33. p. 835. b. XII. 24. pro XIII. 24. p. 838. *Pſ.* CXXII. 6. pro LXXII. 6. p. 850. b. *Pſ.* CXXX. 7. p. 854. a. 2 *Reg.* IX. 31. p. 862. a. LXI. 1. pro LXIII. 1. p. 873. a. *Pſ.* X. 1. p. 879. a. *Ezech.* XXXV. 6. p. 880. b. *Pſ.* XXXII. 11. pro XLVII. 12. p. 890. a. poſt 1 *Cron.* IV. 39. adde 2 *Reg.* I. 3. p. 891. b. 1 *Macc.* I. 63. p. 894. b. 1 *Macc.* I. 51. p. 898. a. *Job.* XIII. 26. p. 926. a. 1 *Cron.* XXIX. pro XIX. p. 927. a. *Pſ.* VIII. 2. Ibid. *Pſ.* XCVII. pro XVII. p. 947. b. *Gen.* X. 4. p. 949. b. *Act.* II. 41. pro IX. 41. p. 951. a. *Rom.* XII. pro XI. p. 954. b. poſt *Exod.* XXIII. 17. lege *Deut.* XVI. 16.

In Marginalibus.

Pag. 10. a. pro *Pſ.* LXXXIX. 4. lege *Pſ.* XCIV. 5. p. 18. a. pro *Pſ.* XLI, XLII. p. 67. a. *Apoc.* XIV. 13. Ibid. *Pſ.* XLIV. 23. p. 71. a. *Pſ.* CXXXIII. p. 74. a. *Hoſeæ* pro *Amoſi.* p. 75. b. *quinti* pro *ſexti.* p. 107. a. 2 *Sam.* XI. p. 120. a. *conſtructus* pro *abſoluto.* p. 138. a. *vera.* p. 154. a. *Rom.* XV. 7. p. 215. a. *verſ.* 10. pro *verſ.* 2. p. 245. b. *veſter* pro *meus.* p. 296. a. *in aquoſis.* p. 297. a. *Prior* pro *Poſterior.* p. 327. a. *Inconſequens.* p. 328. a. *brevis manu.* p. 342. a. *eſt ad Salvandum.* p. 433. b. *Temporum* pro *Modorum.* p. 491. b. *Dan.* IX. 24. p. 504. b. *Et* pro *Eſt.* p. 515. a. Βάλτις. p. 516. b. *Babyloniorum.* p. 536. a. *Firmico.* p. 604. b. *Quod* pro *Quid.* p. 625. 2. b. ע pro א. p. 638. a. pro (*a*) *Argumentum conſolationis*, lege (*a*) *Appellatio.* p. 669. b. pro *Pacem* lege *Pœnam pacis.* p. 670. b. *h. l.* pro *h. e.* p. 673. b. *terra.* p. 668. a. *ſit* pro *ſit.* p. 699. b. *Matt.* XXIV. 48. p. 726. b. *Et ea de* pro *De ea de.* p. 730. a. *Deut.* XXIII. 12. p. 753. a. *decretam.* p. 754. b. *De idololatria & ſcortatione ſpirituali.* p. 775. b. *appellaberis.* p. 783. a. בנע pro בנע. p. 795. b. *in hoc loco.* p. 796. b. *verſ.* 21. pro *verſ.* 12. p. 823. b. *Reſpectus.* p. 827. b. *Dei* pro *De.* p. 838. a. *ab* pro *ob.* Ibid. *officio.* Ibid. b. *preces.* p. 841. a. *vox* pro *vos.* Ibid. *Habitionem* pro *Habitationem.* p. 843. a. *Jehovam* pro *Nomen Jehovæ.* Ibid. b. *Levitis.* p. 847. b. ἐπίκρισις. p. 849. a. *Attributum.* p. 851. b. *Uvarum.* p. 860. b. *lecti.* p. 862. b. *mentio.* p. 893. a. *Horti* pro *Luci.* p. 907. b. *Dominicæ.* p. 951. b. *Chriſtianos.* p. 955. a. *Quæ* pro *Quo.* p. 957. a. *Igni.*

In Annotationibus Textui Subjectis.

Pag. 157. pro *Kimchius* lege *Kimchii.* p. 275. b. *viſam eſſe.* p. 383. l. 11. *artifice.* p. 457. l. 15. *deſcendere.* p. 476. b. l. 8. *Ezech.* XLVIII. 35. p. 587. a. l. 5. dele & p. 598. l. 3. עלירה pro עלין. p. 626. b. *Exod.* VIII. 16. Ibid. *verſ.* 17. pro 13. p. 678. a. l. 15. *Lev.* XIV. 13. pro *Num.* XIV. 14. p. 741. b. CRUCIFIXUS. p. 752. a. l. 15. *ſine.* p. 758. a. l. 3. *ſciam.* p. 799. a. l. 6. *Sueco.* p. 857. a. l. 4. ἔχειν. Ibid. b. l. 4. *dominaretur.* p. 875. b. l. 1. *obſecro.* p. 941. b. lin. pen. *potuit.*

Reliqua B. L. nullius fere ſunt momenti. Sunt enim vel errata typographica, ſive in vocibus Hebræis propter ſimilitudinem literarum, ſive in aliis, quæ moram tibi injicere nequeunt; vel ſunt loca S. Scr. in quibus unius tantum commatis tranſmutatio accidit, inde orta, quod Auctor ſubinde Codicis Hebræi diſtinctiones ſequutus ſit, facile obſervabilia, atque adeo hic non recenſita.